6
40/0
19

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CRITICORUM
SACRORUM

TOMUS SEXTUS,

EXHIBENS

ANNOTATA

IN

QUATUOR

EVANGELIA.

TRACTATUS INSERTI & SUFFIXI

sequenti pagina recenſentur.

AMSTELODAMI Excudunt

HENRICUS & Vidua THEODORI BOOM, JOANNES & ÆGIDIUS JANSSONII à WAESBERGE, GERHARDUS BORSTIUS, ABRAHAMUS à SOMEREN, JOANNES WOLTERS;

Et Ultrajecti GUILJELMUS vande WATER. MDC XCVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNOTATORES

IN

QUATUOR EUANGELIA

SUNT,

SEBASTIANUS MUNSTERUS in D. Matthæi Euangelium Hebraicum.
LAURENTIUS VALLA.
JACOBUS REVIUS in VALLAM.
ERASMUS ROTERODAMUS.
FRANCISCUS VATABLUS.
SEBASTIANUS CASTALIO.
ISIDORUS CLARIUS.
NICOLAUS ZEGERUS.
* ANDREAS MASIUS.
LUCAS BRUGENSIS.
HENRICUS STEPHANUS.
JOHANNES DRUSIUS.
JOSEPHUS SCALIGER.
ISAACUS CASAUBONUS.
JOANNES CAMERO.
OTHO GUALTPERIUS.
JACOBUS CAPPELLUS.
LUDOVICUS CAPPELLUS.
HUGO GROTIUS.
JOHANNES PRICÆUS in Matth. Lucam, X, & XI. Capita Johannis.

TRACTATUS Inſerti.

LUDOVICI CAPPELLI CORBAN Matth. XV.

NICOLAUS FABER De Myrrhata potione & peccato in Fratrem. Matth. XVIII.

GUILIELMUS KLEBITIUS De buccella intincta quam comedit Judas Matth. XXVI.

MARQUARDUS FREHERUS De numiſmate cenſus, Marc. XII.

JACOBUS USSERIUS De Cainane Arphaxadi Filio, Luc. III.

MATTHÆUS HOSTUS De Sex Hydriarum capacitate, Joh. II.

TRACTATUS Suffixi.

ABRAHAMI SCULTETI Exercitationes Euangelicæ.

GUILIELMUS ADER De Ægrotis & Morbis in Euangel.

Digitized by Google

Digitized by Google

DEDICATIONES
AC
PRÆFATIONES
OMNIUM
CRITICORUM
AD
NOVUM TESTAMENTUM.

Invictiſſimo
ANGLIÆ REGI, DOMINO HIBERNIÆ,
WALLIÆ & CORNUBIÆ PRINCIPI,
Catholicæ fidei Defenſori,
HENRICO
Ejus nominis octavo,

SEBASTIANUS MUNSTERUS *S.P.D.*

ESSE rem à bonorum conſuetudine non alienam, Sereniſſime Rex, ut libri magnis viris, ac etiam Regali faſtigio decoratis, commendentur, non ſolum ſuperiorum ſeculorum exempla comprobant, verum & magnus ille Divinæ Legis promulgator Moſes luculentiſſimus nobis eſt teſtis, in ſuo Miſne, h. e. Deuteronomio ſic ſcribens, וכתב לו את משנה התורה הזאת על ספר והיתה עמו וקרא בו כל ימי חייו למען ילמד ליראה את יהוה אלהיו לשמר את כל דברי התורה: *Deſcribet*, inquit, *ſibi repetitionem hujus Legis Rex in libro, ut ſit cum eo, & legat in eo cunctis diebus vitæ ſuæ; quo diſcat timere Dominum Deum ſuum, & obſervare cuncta verba Legis.* Æquiſſimum eſt enim ut qui populum ad obſervantiam Legis Divinæ hortari debeat (quod præcipuum omnium Chriſtianorum Magiſtratuum officium eſſe non ignoramus) is in numerato Legem Dei teneat, die noctuque in ea verſetur, & zelum ſummum gerat pro domo Domini exercituum. Idem certe Jehoſua Iſraelitici populi Dux, & verbis quidem Domini monetur, *Non recedet*, inquit Dominus, *ab ore tuo liber Legis, ſed in eo die noctuque meditabere, ut cuſtodias quæ in eo ſunt ſcripta.* Salomon autem Rex ſuper populum Dei conſtitutus ultro Dominum Deum idipſum efflagitat, *Dabis*, inquiens, *ſervo tuo cor docile* (vel, ut Hebraica veritas habet, לב שומע *cor obſequens & obediens*) *ut populum tuum judicare, ac inter bonum malumque diſcernere poſſit.* Hoc enim vere cor Regium & Divinum eſt, quod unum hoc curat, ut obſequatur & audiat vocem Domini Dei, & *pro ſcelere idololatriæ* ducat (ut verbis Samuelis utar) *nolle acquieſcere*, quodque ſubjectum populum ſic in officio continere ſtudeat ut in primis inter illos verus & ſincerus Dei plantetur cultus, & poſtea pax & concordia, iniquorum repreſſis perverſis conatibus, fovcantur atque nutriantur. Quod quidem ſummum præſtantiſſimumque in terris officium cum, miſſa rejectaque viventis Dei viva lege, per netas ac ſummam vitæ licentiam homines quidam ſibi uſurpaſſent, eo rerum ventum, proh dolor! illorum ſocordia, inſcitia, negligentia, ut niſi Reges & boni Principes afflictis rebus ſua pietate ſuccurrerent, de religione ipſa actum penitus ſit. Sero monuit nos miſerum illud Jeroſolymitanorum ſpectaculum & horrendum toti mundo exemplum, qui cum oculos haberent, nihil videbant, etiamſi oculatiſſimos ſeſe arbitrarentur. Toto orbe ſanctius nihil Urbe eorum erat. Ibi Templum; ibi Dominus peculiarem ſui præſentiam promiſerat, ibi præcipue coli volebat: Dederat Prophetas & Sapientes atque Scribas: Et ex prima tamen noviſſima evaſit hæc, ut nulla à conſtitutione mundi par illi impietate & crudelitate exſtiterit, adeo ut digna fuerit in qua omnis juſti ſanguinis qui à mundi initio fuſus fuit vindicta ſumeretur: quæ præter præcipuos Prophetas Domini, quorum nuſquam plures interempti ſunt, etiam Chriſtum ipſum & multos Chriſticolas crudeliſſime interfecit. In hanc igitur crudelitatem & impietatem quænam illos res adegit? Cæcitas mentis, & poteſtas tenebrarum. Fruſtra ſæpe cecinit illis vox Propheti-

Digitized by Google

ca, *Surge, illuminare Jeruſalem: venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Magis diligere tenebras quam Lucem illuminantem, omnem hominem venientem in hunc mundum* placuit. Filius ipſe Dei propter eorum omniumque hominum ſalutem in hunc mundum venerat, miraculis inſolitis coruſcabat inter eos, cœleſtem Philoſophiam docebat, authoritate Scripturæ pervicaciam obſtinatorum hominum compeſcebat, & ex Prophetarum oraculis tempus adeſſe viſitationis oſtendebat; ſed fruſtra omnia: ut & Salvator ipſe aſſimilaverit eos *pueris in foro ſedentibus & illud acclamantibus, Tibia cecinimus vobis & non ſaltaſtis: lugubria cecinimus vobis, & non planxiſtis*, &c. Cumque ab omnibus Prophetis teſtimonia irrefragabilia haberet, & omnes in hunc unum Chriſtum & Salvatorem conſentirent, aliis incarnationem ejus, aliis tempus adventus ejus, aliis converſationem atque doctrinam ejus, item miraculorum editionem, paſſionem, mortem, reſurrectionem, atque Spiritus S. miſſionem dudum prædicentibus, adhuc in hunc uſque diem excæcati homines impudenti fronte contradicere, & contra ſtimulum calcitrare audent. Hunc enim in modum ſcribant, כל הנביאים אמרו שלא לשמע לישו׳ משה אמר כי יסיתך אחיך בן אמך וכי בן אם מסירת ולא בן אב אלא זר ישו שאמר שעתיד לומר שהוא בן אם ולא בן אב׳ בלעם אם׳ אוי מי יחיה משומו אל אוי לאותם שיחיו כשיבא אותו איש שישים עצמו אלוה וישעבד את הבריות אתריו וזה היה ישו׳ ירמיה אומר ארור הגבר אשר יבטח באדם וזהו ישו שהרי בכל עין נליון הוא קורא בן אדם׳ וכן אמר הפסוק בישעיה עיני נבהות אדם וכו׳ עד ונשגב השם לבדו ביום ההוא ואין הכתוב מדבר אלא בישו שעשא עצמו רם וגבוה על כל האנשים ועשה עצמו אלוה׳ וכן בדוד הוא אומר אל תבטחו בנדיבים בן הקדישים בבן אדם וזהו ישו שאין לו תשועת וזהו קרוא בן אדם׳ הרי בצינו שכל הנביאים סותרים מעשה ישו׳ תשובה׳ אתם יהודי׳ ואבותיכם עושים כדרככם רל״ תמיד עמהם בנגד הנביאים תשלחים אליכם ומרדתם ברוח הקדש ומי היה הנביא אשר אבתיכם אין רדפוהו והנה קצתם סקלו וקצתם הרגו בדרך אחרת ואין האמינו בהם בשב׳ ביחזקאל בן אדם שולח אני אותך אל בני ישראל אל גוים המורדים אשר מרדו כי המה ואבותם פשעו בי עד עצם היו׳ הזה׃ והבנים קשי פני׳ וחזקי לב אני שולח אותך אליהם׃ כן אתם יהודים עושים היום ויש לכם ערף קשה ותעקשו כתוב האל חי ומפרשים המקראות כרצונכם ואתם עצמכם יודעין שאין דבריכם אמת ואין הראו בפסוקים מה כתוב למעלה ולמטה כי אם תפתרו כרצונכם וכשנאת לבבכם הרע כנון פה כשתאמרו שכתב משה עה״ על משיחנו כי יסיתך אחיך בן אמך ולמה לא תקראו מה שכתוב שם לאחר כי יסיתך בסתר לאמר נלבה ונעבדה אלהים אחרים׃ במה מקום קראתם בבשורתנו שמשיחנו למד בסתר או הסית הביתות לאמר לכו ונעבדה אלהים אחרים ומה דבר אחר כל בך למד כמו לאחב ולירא מכל לב את יהוה אלהים ולשמר מצותיו׃ ולמה אתם אומרי׳ שהסית אל עז׳ ונמצאו דברי שקר בפיכם ואת״ כי עשה עצמו אלהים ולפיכך הוא הסית אל עז׳ תשובה׃ אין אמת שעשה עצמו אלהים כא׳ הוא היה מעולם ומכל שלמי אלהים אמתי ובורא כל חדברי׳ עם אביו שבשמים ולקח בעבור אדם טבע האדם בלי השתנות הטבע האלהות כאשר נבאו עליו כל נביאי׳ ואני אמר לקמה ששם אכתב על אמונות הניצריים והיהודים׃

Quibus verbis inimici crucis Chriſti, quanto odio in Salvatorem mundi laborent, quamque perverſe dicta Legis Prophetarumque contra eum torqueant, abunde declarant: quibus quidem ſic in ſua lingua reſpondi qualiter impictas eorum meretur. Sed his relictis, ad inſtitutum noſtrum revertamur. D. Matthæi Euangelium ſub auſpiciis tuis, Potentiſſime Rex, in nativa ſua, h. e. Hebraica, lingua, non qualiter apud Hebræorum vulgus lacerum inveni, ſed à me redintegratum & in unum corpus redactum emittimus: Non quod mihi populum cervicoſum illum hujus in ſua lingua publicatione Chriſtum agniturum ſpes ſit, cum illud ſemper habuerint quidem, impugnarint autem ſemper, etiam contra ſcripſerint, quod Annotationes noſtræ ſatis abunde declarant, libroſque quoſdam, ut ſunt Liber תולדות & נצחון, item liber primus אמונות, item liber הגלוי, & liber ברית תחת תשובה על חכינין, & alios complures habeant, quos, poſtquam cognitionem linguæ ſuæ ad nos quoque manaſſe vident, abditos ſervant hodie, virus ſuum inveteratum & contra Chriſtum ac cultores ejus internecinum odium palàm quidem non exſpuunt, ſimplices vero quoſque inter illos in errore retinere tantum ſatagunt. Haud igitur ad hos ſummopere, ſed huc potiſſimum reſpexi, quo domeſticis fidei calcaria ad S. literarum ſtudium, quod paucis hactenus feliciter ſine Hebraicæ linguæ cognitione ceſſit, adderem. Nam cum conſtet omnem myſticam Scripturam Hebraica & Græca lingua proditam eſſe, facile adverti poteſt quam neceſſaria earum cognitio ſit ad S. codices vel intelligendos vel reſtituendos. Ut enim incognitis elementorum figuris nemo legit quod ſcriptum eſt, ita ſine cognitione linguarum nullus intelligit quod legit. Itaque multos ævo noſtro videmus, non ſine magna laude ſua, ſuas opes in hunc uſum impendere, linguæ ut reſtituantur. Qua quidem in re, cum ab ineunte ætate literis Regium animum imbutum erga honeſta linguarum ſtudia propenſiſſimum geras, exemplum pulcherrimum, quod gnaviter omnes Chriſtiani Principes æmulentur, exhibuiſti. Nec audiendi ſunt quidam qui, quoniam in illiteratis literis conſenuerunt, dicere ſolent ſatis ſibi tranſlationem Hieronymi eſſe; neſcientes plurimum referre è fontibus aliquid an è qualibuſcunque lacunis hauriatur. Deinde quædam ob ſermonum idiomata ſic in alienam linguam transfundi non poſſunt ut vel eandem & nativam paremve nativæ gratiam claritatemque referant. Quod huic linguæ peculiare maxime eſt: ut multa interim ſcriptorum inſcitia corrupta, multa ab interpretibus perperam reddita, taceam. Scio, multi reclamant. At ego facile vel in uno Iſaia ducentis & amplius locis à me jam contra Steuchum ſignatis oſtendere poſſum, hebeti quantumvis, ut ab illo (quoniam à me notatus eſt) inſimulor ingenio: quid porro, ſi quem perſpicacem & acutum cenſorem experietur, fiet? Neque ego aut veterum damno laborem, aut contemno ſtudium: quanquam neutrum ſibi Hieronymus, cum poſt tot tranſlationes ipſe novam moliretur, integrum fuiſſe ſcribat: ſed & ipſe, & quiſque quod valuit, præſtitit. Juvamur noſtro ævo beneficio multitudineque librorum; quod priſcis novimus defuiſſe. Nam & D. Hieronymus ipſe præter nuda Biblia, & rudem præceptorem, eumque malefidum, in Vet. Inſtrumento nihil habuit; non ullam Chaldaicam tranſlationem, aut Thargum, non Commentaria, ſed nec Grammatica Hebræa; ſine quibus multa Scripturæ loca recte excuti impoſſibile eſt, quicquid quidam dicunt. Equidem video doctos, quicunque hodie Divinis literis operam dant, modum propemodum nullum hoc genere diligentiæ facere, dum ad unguem Grammaticæ Hebrææ præcepta rimantur, & unum hoc inſtrumentum idoneum maxime ad eruendas Divinas ſententias putent, quantumvis artium literarumque cæterarum cognitione adjuti. Qua quidem in re unum me pro multis Simonis Grynæi exemplum teſtimoniumque pulcherrimum abunde ſolatur, inſaniam eſſe arbitrantis, ſi quis penitius de Scriptura S. ſine linguæ hujus cognitione judicare præſumat. Sed de his alias. Ad Euangelium redeo. Cum illud ante multos annos in libris meis Hebraicis citaſſem, eſſentque qui me ſolicitarent tantum theſaurum in publicum ut emitterem, futurum ſperantes ut non ſolum Chriſto initiati, verum & qui alieni ſunt à Chriſto, hac occaſione traherentur ad Chriſtum;

tam

Digitized by Google

tam honeſtam & ſanctam petitionem repellere indignum ratus, dimiſſis omnibus aliis ſtudiis, huic ſacroſancto negotio adjeci animum; feciquc ut Hebraiſmo quidem Latina verſio, ſingulis vero capitibus annotationes ſuæ, Latina & Hebræa lucis majoris gratia cohærerent. Latinas plerumque adeoque verbatim ſæpe ex Enarrationibus inſignis cujuſdam viri, veri Theologi, me eſſe mutuatum, eo libenter indico, ne quod aliorum, imo Chriſti eſt, qui dona ſua quomodo vult & quibus vult diſpenſat, temerarie mihi arrogaſſe viderer. Cæterum Hebraica quæ frequenter inſerui, objecta fere Judæorum ſunt, ſed quibus noſtram quoque ſubnexuimus reſponſionem. Porro, ne omnes illorum errores abſurdaſque nimis opiniones & argumenta ſtulta cogerer inter Euangelicas enarrationes ſæpius repetere, viſum fuit omnes illas nænias & ineptias, aut majorem certe earum partem, ſeorſum ſimul perſtringere, efficereque nonnullo certe ſtudiorum meorum labore, quo liquidum exſtaret, eos qui Prophetas olim, qui Divina viventis Dei oracula ſoli habuerunt, tales eſſe nunc, & exſtitiſſe ab illa ruina ſemper, ut illuſtri gentibus omnibus cæcitatis horribilis exemplo eſſe debeant. Quod ſi nullum unquam tempus ſimilius illorum excidio quam hoc noſtrum fuit, cum ceu conjuratione facta gens omnis Phariſæorum illorum tantum non in exitium diſciplinæ membrorumque Chriſti conſpirat, & judicium Domini, niſi nos omnia fallunt, domui Dei ſic imminet, ut peſtilentem cathedram ruere à culmine neceſſe ſit; ſanctè, ſapienter ac memorabiliter faciunt qui ſingulari ipſius Dei fortitudine, & perſuaſa perditiſſimorum hominum authoritate diſcedere auſi, Euangelium Chriſti tota mente prehendere & propagare aggrediuntur. Declarabit mox ſupervenions ætas. In ea ſumma gloriæ palma cum tu quoque, Rex inclytiſſime, numerari cœperis, per Regis Chriſti ſempiternum & omni creaturæ commemorabile decus te obteſtamur, ut imperii moderatione Chriſtiana ſic progredi velis, quo pii quidem omnes veram voluptatem, ſubditi vero tui cum verum animarum tum rerum etiam ſuarum commodum te Principe percipiant. Quod te, *Jeſu* Servator, cuſtoſque cœli & terræ, ac æternitatis totius gubernator, cui omne genu flecti neceſſe eſt, ut concedere nobis velis, ſupplices rogamus. Amen.

Baſileæ, Rauricorum urbe inclyta,
menſe Martio.

Ampliſſimis, Nobiliſſimis, Conſultiſſimis

DD. DEPUTATIS COMITATUS ZUTPHANIÆ,

NEC NON

Ampliſſ. Nobiliſſ. Conſultiſſ.

DD. CONSULIBUS ac SENATORIBUS inclytæ civitatis ZUTPHANIENSIS, patriæ ac pietatis defenſoribus, ſalutem à Domino.

Ampliſſ. Nobiliſſ. Conſultiſſ. Viri,

QUEM librum primis noſtris curis nonnihil illuſtratum Ampliſſ. Senatui *Zutphanienſi* pridem inſcripſimus, eum nunc haud paulo à Notis & Animadverſionibus noſtris auctiorem Vobis, Ampliſſ. Nobiliſſ. VV. conjunctim damus; ut & Ampliſſ. Senatui, quod ſibi in eum juris acquiſitum eſt, ſalvum maneat, neque Ampliſſ. Nobiliſſ. DD. Deputati immemoris aut parum grati animi me jure poſtulare poſſint. Opus eſt de antiquo novum; cujus auctor Laurentius Valla, homo (quod nemmem negaturum arbitror) acerrimi ingenii, judicii limatiſſimi, ac ſummæ in omni literarum genere eruditionis, pectoris etiam apertiſſimi, ac liberrimi ſtyli: qui, velut Hercules quidam ἀλεξίκακος, poſt debellata varia errorum monſtra, etiam Augiæ illud ſtabulum, barbariem dico & falſimonias, quibus hominum vitio ſcatebat Divinæ Scripturæ codex, ea dexteritate eoque ſucceſſu repurgare aggreſſus eſt ut poſt ſeculum & eo amplius illud elogium à jurato veritatis hoſte Bellarmino De pœnit. lib. 1. cap. 7. ferre meruerit, *quod præcurſor quidam Lutheranæ ſectæ* (i. inſtaurati Divina miſeratione Euangelii) *fuiſſe videatur*: idque maxime hujus libri nomine. Qui cum magnum Eraſmum, ut Eraſmus Bezam, ad æterna illa in N. Teſtamentum opera molienda pene ſolus excitarit, profecto ipſe tenebris damnari non merebatur. A quibus eum ut priore editione vindicare jam conatus, ita hac altera & à ſummorum virorum cenſuris nonnullis defendi, & viciſſim quæ merito in eo reprehenſioni patebant candide indicavi. Eam vero Vobis, AA. & Nobiliſſ. VV. inſcripſi, ut qualequale monumentum exſtaret meæ erga vos obſervantiæ, in quorum ditione primum ſacroſancto Miniſterio initiatus, & quorum humanitate ac benevolentia ita recreatus ſui ut Comitatum ac Urbem *Zutphanienſem* pro altera patria ſemper habuerim; eo maxime felices, quod & pios Magiſtratus & fidos Doctores, & utrorumque opera puram ab omni corruptela ſalutis Doctrinam, jam inde ab inchoata Eccleſiæ Reformatione ſemper habuerint. Deus tanti boni dator id eis perpetuum eſſe jubeat, ac Vos, VV. AA. Nobiliſſ. quos in limine hujus operis felici, ut auguror, omine conjunxi, animis, opibus viribuſque ita perpetuo conjunctos velit eſſe, ut & Eccleſiæ patriæque ornamento, & hoſtibus terrori, prout eſtis, ita eſſe nunquam deſinatis.

Datum *Daventriæ*, Kal. Mai.
Anno Chriſti
CIↃ IↃ CXXXVIII.

VV. AA. obſervantiſſ.

JACOBUS REVIUS.

EPITAPHIUM

LAUR. VALLÆ,

Romæ in æde Lateranenſi.

LAURENTIO VALLÆ HARVM ÆDIVM SACRARVM CANONICO, *ALPHONSI* REGIS ET PONTIFICIS MAXIMI SECRETARIO, APOSTOLICOQVE SCRIPTORI, QVI SVA ÆTATE OMNEIS ELOQVENTIA SVPERAVIT, *CATERINA* MATER FILIO PIENTISSIMO POSVIT. VIXIT ANNOS L. OB. AN. DOMINI M. CCCC. LXV. KAL. AVG.

A L I U D.

Franchini Coſentini.

LAurens Valla *jacet*, *Romana gloria linguæ:*
Primus enim docuit qua decet arte loqui.

Barpt. Latomi.

BArbaries Gothicis invecta ferociter armis,
Conſtiterat ſolido per Latium omne gradu;
Seque clientelis cum jam munisſet & annis,
Inque hoſtem blattas mitteret & tineas;
Indignans patriam tam fœde Valla jacere,
Armavit ſubitam conſeruitque manum.
Illa ſupercilio ſterans rem poſſe teneri,
Debacchata quidem, ſed prope fracta fuit.
Et, niſi per mortem, cecidiſſet tota profectio:
Interea vinci qua valet arte liquet.
Quæ tibi pro meritis (ſi grata eſt Roma, probabit)
Ponimus hæc tumulo carmina, Valla, tuo:
Romulus eſt urbis, Valla eſt idiomatis auctor:
Hic reparat primus, primus ut ille ſtruit.

Reverendo Clariſſimoque viro

D. JACOBO REVIO, operis hujus editori & cenſori.

TEmpora diffugiunt, tacitoque exſtinguimur ævo,
Et redeunt nunquam ſecula lapſa ſemel.
Fata manent omnes & inexorabile letum,
Ac unum cunctis mortis adimus iter.
Mors petudes hominesque rapit diſcrimine nullo,
Corpora cum intereant conditione pari.
Attamen humani generis Pater atque Redemptor
Omnia nos brutis noluit eſſe pares:
In terram redeunt mortalia corpora: namque
Materies quondam corporis illa fuit:
Aſt immortalis mortalem mente beavit
Omnipotens, cujus funera nulla forent.
Quin licet abſumant ferales corpora flammæ,
Effugiunt clarum nomen honoſque rogos.
Hoc agis & præſtas olim, doctiſſime Revi,
Ingenii prodis dum monumenta tui.
Sic age, ſic vives poſt fumera fama ſuperſtes,
Nomen & à ſera poſteritate feres.
Et tibi quod vivo detraxerit invida turba,
Poſt obitum duplici fœnere reddet bonos.
Magne parens hominum, celſi Dominator Olympi;
Arbitrium vitæ eſt quam penes atque necis,
Tende viro dextram, & landandis annue cœptis,
Neu charum ferias ante inopina caput,
Da ſupereſſe diu, & pacata luce fruatur;
Neſtoreoſque trahat ſedula vita meras.
Creſcant virtutes, ſecundaque floreat ætas;
Annis adde annos, robur & adde ſeni.
Atque ubi, decurſo longæva tramite vitæ,
Ultima præclari meta laboris adeſt,
Fac veram felix ſuper aurea ſidera vitam
Exigat, & tecum perpete luce bea,
Quam neque conturbent luctus, neque livor obumbret.
Tu, Revi, placida nitere mente Deo.

Collegæ conjunctiſſ.

L. P.

Bernardus Wyngardus.

EIDEM.

GLoria, Roma, tibi, nec non Cynoſura loquela
Valla fuit, Fidei quin reſtaurator avitæ.
Gloria, Valla, tibi Jacobus Revius eſto,
Qui te reſtituis vindex, nec paſſus averno
Segnitie incultum, immemori nec morte ſepultum.
Gloria, Valla, tibi Jacobus, gloria Roma.

Amore exuberans cecinit

H. Heydendal JC.

Digitized by Google

IN

LAURENTI VALLÆ

ΘΕΡΑΣΠΙΣΤΗΝ,

Virum Reverendum & Clariſſimum

D. JAC. REVIUM

Eccleſiaſten DAVENTRIENSEM digniſſimum; Amicum mille nominibus honorandum.

VAlla, gravis Latiæ cenſor cultique loquelæ,
Scripturæ quondam lima perita Sacræ,
Cum poſt tot Clarias pugnas claroſque triumphos
Mortales vitæ ponere exuvias,
Concilium ſubiit ſubito lis magna Deorum,
Quos inter ſedes dignus habere foret.
Elyſios campos defuncto Pluto negabat,
Impune ut poſſet verba Latina loqui.
Jupiter æthereos an conferat hæret honores,
Cenſorem linguæ dum timet ipſe ſuæ.
Papa, malus veri Judex, terraque Tyrannus,
Ut terræ indignum devovet orbe virum.
Quæ cauſſa horrenda ſortis? Floreſcere Muſas
Papa dolet Sacras, Pluto dolet Latias.

Non tulit hanc rabiem vir Graio Revius ore,
Gemma Daventriaci Tranſiſulana ſoli.
Ignorata diu Vallæ monumenta requirit,
Atque palam cunctis dat celebranda viris.
Sic genium terris, ſic manes aſſerit aſtris
Vallæ. Summano portio nulla datur.
Grande decus patriæ, Graia fax clara Camœnæ,
Urbis honor, verbi præco perite Dei,
Divitis ingenii theſauros premere perge,
Quos Graia & Latia & Belgica Muſa parit.
Immortalis eris; nullo ignoraberis orbe
Quo Graia aut Latia aut Belgica Muſa viget.

Soloci calamo
Prolixo animo

DAVID SCANDERUS
Illuſtris Gymnaſii Daventrienſis Philoſophiæ Profeſſor.

Splendidiſſimo atque ornatiſſimo viro

CHRISTOPHORO FISCHERO,

Protonotario Apoſtolico, ac Pontificii Juris Doctori, ERASMUS ROT.

S. P. D.

State ſuperiori, cum in pervetuſta quapiam bibliotheca venarer (nullis enim in ſaltubus venatus jucundior) forte in calles meos incidit præda neutiquam vulgaris, *Laurentii Vallæ* in N. Teſt. Annotationes. Hanc equidem illico magnopere volebam ſtudioſis omnibus impertire; videlicet ingenioſum eſſe ratus, quod venando nactus eſſem, id ſolum me ac tacitum devorare. Sed deterrebat nonnihil cum vetus illa *Laurentiani* nominis invidia, tum hoc argumentum multo in ſpeciem invidioſiſſimum. At tu, ſimul atque librum evolveras, non ſolum meam opinionem tuo graviſſimo judicio confirmaſti, verum etiam hortari atque adeo convitiis extundere cœpiſti, ne propter paucorum oblatrationes ſimul & autorem merita gloria & tot millia ſtudioſorum tanta commoditate fraudarem; negans dubitare te quin opus illud ſanis & candidis ingeniis ut utiliſſimum ita & gratiſſimum eſſet futurum; cæterum alios cum ſuo morbo fortiter eſſe negligendos. Denique patronum te propugnatoremque offerebas; exiret modo in publicum, vel tuo unius periculo. Equidem opinor, ornatiſſime *Chriſtophore*, Vallam tuum, tametſi per ſe non inſtrenuus invidiæ contemptor ſemper fuit, tamen aliquanto fidentius in aciem proditurum, tanti videlicet tamque invicti *Ὑπερασπιστοῦ* fretum præſidio, tum hac præfatione velut Ajacis clypeo præmunitum. In qua quidem, ex tua ſententia, de hujus operis ratione atque utilitate diſſeremus; ſed ſi paucis prius generalem Laurentiani nominis invidiam fuerimus amoliti. Primum igitur, ſi candorem, quem ab aliis exigimus, ipſi præſtaremus iis erga quos non ſolum non maligni verum etiam grati eſſe debemus, profecto Laurentianum nomen apud omnes qui bonas amant literas pro invidioſo gratum ac venerandum haberetur: quippe qui ſtudio reſtituendæ rei literariæ partes multo odioſiſſimas ſciens ac prudens ſibi ſumpſerit. Neque enim non videbat vir acutus tam inveteratum morbum non poſſe ſanari niſi triſtibus pharmacis, uſturis ac ſectionibus, idque magno cum dolore plurimorum. Neque vero neſciebat adeo delicatas eſſe mortalium aures ut vix etiam inter bonos viros invenias qui verum libenter audiat; foreque ut non ii tantum exclamarent quorum ulcera tetigiſſet, verum etiam illi qui ex alieno malo ſibi metum fingerent. Tamen pio quodam calore percitus nullum laborem, nullam reformidavit invidiam, modo paucis non ingratis (omnes autem gratos eſſe oportebat) beneficium ſuum commendares. At nunc noſtro vitio fit ut præpoſtere *obſequium amicos, veritas odium pariat.* Sed, *Fœnum*, inquiunt,

Digitized by Google

quiunt, *habet in cornu, & neminem non lacerat.* Itane tandem *lacerare* vocant diſſentire in literis, ac docendi ſtudio, cum plurima laudaris, paucula quædam ſugillare? Quod ſi juxta Fabium *nihil tam efficax eſt in docendo, quam in artificum operibus non imitanda modo ſed etiam vitanda quæ ſint commonſtrare*, quanto magis idem oportebat in dedocendis facere? Auſus eſt Laurentius in autoribus aliquot voculam taxare. Indignum facinus! Quaſi vero non omnia pene in omnibus reprehenderit Ariſtoteles: quaſi non totam Ciceronis dictionem contempſerit Brutus, Maronis ac Livii Caligula, Senecæ Fabius atque Aulus Gellius, Auguſtini Rufinique Hieronymus, poſtremo Quintiliani Philelphus. Quid quod Plinius non credit librum ſuum amico placuiſſe niſi cognoverit quædam diſplicuiſſe? Adeo vitio danda non eſt, ut etiam vehementer optanda ſit iſta in ſtudiis diſſentio conflictatioque, quam Heſiodus utiliſſimam eſſe mortalibus ſcripſit, modo ne in rabiem exeat, ac citra convitia conſiſtat. Mihi quidem ſano non gratior ſit amicus applaudor quam vel inimicus reprehenſor, dum ne plane ſutor ultra crepidam. Nam ut nunquam fere non nocet laudator, ita ſemper prodeſt reprehenſor. Etenim ſi vere reprehendit, diſcedo doctior: ſin falſo, tamen acuor, exſtimulor, expergefio, reddor attentior cautiorque, animor ad defenſionem veri. Siquidem minus acre calcar habet gloriæ cupiditas quam ignominiæ metus. Jam vero quod quoſdam in totum damnavit, quid, obſecro, tam erat neceſſarium quam indoctis autoritatem, hoc eſt, ὅπλα τὴν ἀμαθίαν, detrahere, ne turba imperitorum peſſima pro optimis ſequeretur? Quibus in rebus ſi quando vir ille videtur nimis excandeſcere, non hujus vitio ſed depravatoribus iſtis erat imputandum. Denique nimio conſultius fuerat alieno uti vitio quam ob unam maculam à tot commoditatibus alienari. Sunt enim prorſum quædam ἀναγκαῖα κακὰ, quibus tamen vel ſua cauſa ſapientes uti conſueverunt. Poſtulabant ſic depravatæ ſic contaminatæ literæ audacem Zoilum, ac βαρβαρομάστιγα magis quam Partheniam, id eſt acrem cenſorem, ac plane Momum quempiam, &, ſi vis, etiam contumelioſum, qui nimirum auderet ἀντιπέρδεσθαι πρὸς τὰς βροντὰς, ut vetus habet Comœdia, quique malo nodo malum cuneum adhiberet. Itaque unius Laurentii mordacitas, ſiquidem ita malunt appellare, non paulo plus conduxit rei literariæ quam plurimorum ineptus candor omnia omnium ſine delectu mirantium, ſibique invicem plaudentium, ac mutuum, quod ajunt, ſcabentium. Quod ſi quis perpenderit quam fœde diſciplinas omnes confuderint iſti Gothi, quanto ſupercilio ſuam inſcitiam perdoceant, quam ſtolida pervicacia & propriam tueantur ignorantiam & alienam eruditionem aſpernentur, fortaſſe permodeſtus videbitur Vallæ dolor, pia ſtomachatio, ac neceſſaria magis quam procax reprehenſio: Quæ quidem vel ob hoc ipſum favorem eruditorum promerebatur, quod cum per ſe ſit invidioſa, tamen eſt ab Laurentio noſtri juvandi cauſa ſuſcepta. Ac vide, quæſo, quam hic ſtudio ſumus iniqui, imo quam nobis ipſis inutiles. Pogius, rabula adeo indoctus ut etiamſi vacaret obſcœnitate tamen indignus eſſet qui legeretur, adeo autem obſcœnus ut etiamſi doctiſſimus fuiſſet tamen erat à bonis viris rejiciendus; hic, inquam, talis, ut homo candidus ſcilicet, ſine invidia paſſim habetur in manibus, lectitatur, in nullam non linguam transfuſus. Laurentius, neque obſcœnus, & centuplo doctior, laborat invidia mordacitatis, atque ut bos cornupeta vitatur, etiam ab iis qui ſcripta hominis nunquam legerunt. Sunt enim qui (quod eſt nimis profecto ridiculum) nihil quicquam de Valla didicerunt niſi quod eſt mordaculus, atque hac una in re illum imitantur, vel ſuperant potius, quod mordent etiam ignotum. Prorſuſque homines ſapientes ideo perpetuo barbari eſſe præoptant quod mordax eſt Laurentius. Quin Epicteti magis pulcherrimam regulam ſecuti, ea quemque anſa prehendimus qua commode teneri queat, hac nimirum qua Virgilius Ennium, Cyprianus Tertullianum, Hieronymus præter alios Origenem, Auguſtinus Ticonium arripuerunt? Laurentium, cum tam multas habeat anſas quibus poſſit utiliter teneri, cur hac ſola apprehendimus, quod eſt mordacior? Cur non potius leve vitium tot virtutibus compenſamus? Imo cur ingrati neceſſariam libertatem maledicentiæ titulo depravamus? Sed his de rebus hactenus. Nunc ad ea veniendum quæ hujus argumenti ſunt propria. Futurum enim auguror ut quidam, vixdum perlecto operis titulo, prius quam de re cognoſcant, illico τραγῳδοῦσι ſint exclamaturi, O cœlum, ô terra! cum belle moneat Ariſtophanes in Pluto,

Οὐ σχετλιάζειν καὶ βοᾶν πρὶν ἂν μάθῃς.

Atque haud ſcio an hi ſint omnium odioſiſſime obturbaturi ad quos maxima pars utilitatis pertinet, nempe Theologi. Non ferenda, inquient, temeritas, hominem Grammaticum, poſt vexatas diſciplinas omnes, ne à Sacris quidem literis petulantem abſtinere calamum. Atqui ſi Nicolaus Lyra auditur, non dico indoctus, ſed certe recens. Hieronymum γεφυρηγυγῶν, multaque convellens tot jam ſeculorum conſenſu conſecrata, idque ex Judæorum libris, unde ut donemus noſtram hanc manere editionem, tamen haud ſcio an ſtudio depravatis; quod tandem flagitium eſt ſi Laurentius, collatis aliquot vetuſtis atque emendatis Græcorum exemplaribus, quædam annotavit in N. Teſtamento, quod ſine controverſia totum ab illorum fontibus manat, quæ vel diſſonent, vel dormitante interprete parum commode reddita videantur, vel quæ ſignificantius ab illis dicantur, poſtremo ſi quid apud nos depravatum appareat? An dicent non idem eſſe juris Vallæ Grammatico quod Nicolao Theologo? Ut ne reſpondeam interim, Laurentium à magnis viris inter Philoſophos quoque ac Theologos referri. Lyra, cum vocem excutit, num Theologi ac non magis Grammatici vices agit? Imo totum hoc, Divinas vertere Scripturas, Grammatici videlicet partes ſunt. Neque vero abſurdum ſi quibuſdam in rebus plus ſapit Jethro quam Moyſes. Ac ne ipſa quidem, opinor, diſciplinarum omnium regina Theologia ducet indignum admoveri ſibi manus ac debitum exhiberi obſequium à pediſequa Grammatica; quæ tametſi nonnullis eſt dignitate poſterior, nullius certe opera magis neceſſaria. In minimis verſatur, ſed ſine quibus nemo evaſit maximus, nugas agitat, ſed quas feria ducant. Quod ſi reclament, majorem eſſe Theologiam quàm ut Grammaticæ legibus teneatur, totum interpretandi negotium de Sacri Spiritûs afflatu pendere; nova verò Theologorum dignitas, ſi ſolis illis licet barbarè loqui! Sed expediant interim quid ſibi velit quod Deſiderio ſuo ſcribit Hieronymus, *Aliud eſt*, inquiens, *eſſe vatem, & aliud interpretem. Ille Spiritus ventura prædixit, hic eruditis & verborum copia quæ intelligit transfert.* Tum quorſum attinuerit eundem de ratione vertendi Divinas literas præcipere ſi facultas iſta Divino contingit afflatu? Poſtremò cur Paulus in Hebraica lingua quàm Græca dictus eſt diſertior? Quòd ſi fieri potuit ut Veteris interpretes Teſtamenti erraverint alicubi, in his præſertim in quibus fides non violatur, quidni potuerint labi & Novi? Quod quidem Hieronymus non tam vertit quam emendavit, idque modicè, relictis (ut ipſe teſtatur) verbis, quæ potiſſimùm excutit Laurentius. Verum num etiam noſtros errores ad Spiritum autorem referemus? Eſto, bene verterint interpretes: ſed bene verſa pervertuntur. Emendavit Hieronymus: at rurſum depravantur emendata. Niſi fortè nunc aut minor audacia ſemidoctorum, aut peritia linguarum major, aut non facillima depravatio propter artem chalcographicam, quæ unicum mendum repente in mille propagat exemplaria. At fas non eſt, inquiunt, in S. Scripturis quicquam immutare, propterea quod illic ne apiculi quidem myſterio vacant. Imo tanto magis nefas eſt depravare, tantoque attentius corrigendum à doctis quod per inſcitiam eſt adulteratum; ea tamen cautione temperantiaque quæ cum omnibus libris tum Sacris inprimis debetur. Verum non rectè, aiunt, ſibi ſumit Laurentius quod Hieronymus mandante Damaſo ſuſcepit. Ne propoſitum quidem ſimile. Hieronymus veterem editionem nova reſtituit: Laurentius quod annotavit, in privatos commentarios refert; neque poſtulat ut hinc quicquam in codice demutes: Quanquam ipſa noſtrorum exemplarium varietas ſatis arguit ea non carere mendis. Porro ut

Ve-

Veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt, ita Novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat, autore Auguſtino, cujus verba referuntur in Decretis diſt. 1x. Quo quidem in loco neminem eſſe tam ſaxeum arbitror quin miſereſcat, neminem tam ἀγέλαστον quin rideat inſulſiſſimum gloſſema neſcio cujus ſomniantis Hieronymum in epiſtola ad Deſiderium affirmaſſe *Latina exemplaria caſtigatiora eſſe Græcis, Græca Hebraïs.* Non vidit autem eum illatione rei palam abſurdæ confirmaſſe quod propoſuerat; atque hæc verba *aliud eſt ſi* perinde valere ac ſi dicas *niſi forte.* Alioqui quæ tandem dementia fuerat alterum Teſtamentum ab Hebræis vertere, alterum à Græcis emendare, ſi noſtra erant utroque in genere meliora? Quorſum attinebat ut in Viennenſi Concilio (quod refertur Clement. lib. 2. tit. *De magiſtris*) tam ſolicite ſtatuerit autoritas Eccleſiaſtica de parandis trium linguarum Doctoribus? Quo in loco rurſus admiror quo conſilio Græcam linguam eraſerint. Verum hæc doctos admonuiſſe tantum fat habeo. Illud audio quoſdam dicere, veteres interpretes trium linguarum peritos ſatis explicuiſſe ſicubi fuit opus. Primum malim ego meis oculis cernere quam alienis. Deinde, ut plurima dixerint, certe multa poſteris dicenda reliquerunt. Quid quod ut ea enarrantes intelligas, opus eſt mediocri linguarum peritia? Poſtremo, ubi veterum libros in omni lingua depravatos, ut ſunt, offenderis, quo te convertes? Proinde vero verius eſt quod tu, doctiſſime *Chriſtophore*, ſæpenumero ſoles dicere, neque cor neque frontem eſſe iis qui audent non ſolum in Sacros ſed omnino in ullos veterum libros ſcribere ni literaturam utramque mediocriter teneant: Fieri enim ut cum iſti moliuntur maxime, ſeſeque doctiſſimos oſtentare conantur, ibi linguarum peritis ſint maxime deridiculi, totuſque ille tumultus prolata Græca voce eludatur. Quod ſi quibus non vacat totam Græcorum linguam perdiſcere, ii tamen Valiæ ſtudio non mediocriter adjuvabuntur, qui mira ſagacitate Novum omne Teſtamentum excuſſit, non pauca obiter annotans & ex Pſalmis, quorum uſitata editio à Græcis fluxit, non Hebræis. Plurimum itaque ſtudioſi debebunt Laurentio, Laurentius tibi, per quem publicum accepit, cujuſque & judicio bonis ingeniis erit commendatior, & patrocinio contra maledicos inſtructior.

Vale.

Lutetiæ. M. D. V.

IN

ANNOTATIONES NOVI TESTAMENTI

PRÆFATIO

Primæ Editionis quæ fuit An. M. D. XV. cui tamen poſt admixta ſunt quædam quæ ad tempus poſterius pertinent uſque ad annum XXI, XXVII, & XXXV.

Hoc te, lector, neſcire nolui, ne quid offendaris.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS
Pio Lectori *S. D.*

QUanquam id pro noſtra virili in ipſo ſtatim hujus operis veſtibulo fecimus, tamen haud abs re fuerit denuo lectorem commonere paucis & quid illum in hiſce commentariolis oporteat exſpectare, & quid nobis viciſſim ab ipſo præſtari conveniat. Primum annotatiunculas ſcribimus, non commentarios, & eas duntaxat quæ ad lectionis ſinceritatem pertinent; ne quis ut improbus conviva pro merenda cœnam efflagitet, & requirat à nobis quod ab argumenti ſuſcepti profeſſione ſit alienum. Hanc in præſentia fabulam agendam ſuſcepimus. Proinde ut nobis argumento ſerviendum fuit, ita par eſt ut candidus & comis lector, ceu commodus ſpectator, faveat agentibus & præſenti ſcenæ ſeſe accommodet. Teſtamentum quod vocant Novum omni qua licuit diligentia quaque decuit fide recognovimus, idque primum ad Græcam veritatem, ad quam ceu fontem ſi quid inciderit confugere non ſolum illuſtrium Theologorum exempla ſuadent, verum etiam toties monent Hieronymus & Auguſtinus, & ipſa Romanorum Pontificum decreta jubent. Deinde ad fidem vetuſtiſſimorum Latinæ linguæ codicum, quorum duos exhibuit eximius ille Divinæ philoſophiæ myſtes Joannes Coletus Paulinæ apud Londinum Eccleſiæ Decanus, adeo priſcis literarum typis ut mihi ab integro diſcenda lectio, & in noſcitandis elementis fuerit repueraſcendum. Tertium præbuit illuſtriſſima virago Margareta Caroli Cæſaris amita, cujus in hac editione tertia frequenter adduximus teſtimonium *Aurei Codicis* titulo, quod totus & auro ſit conveſtitus & aureis literis pulchre deſcriptus. Mox aliquot miræ vetuſtatis exhibuit Brugis ut antiquiſſimum ita longe celeberrimum Collegium D. Donatiani. Nam ante codicem belle caſtigatum præbuerat Collegium Corſendokenſe, præter eos quos nobis eruditiſſimi fratres Amerbachii communicarant. Non igitur ad animi noſtri ſomnium emendavimus quædam, ſed ad horum quos recenſui codicum fidem & aliorum his ſimilium quos non perinde refert memorare; poſtremo ad probatiſſimorum omnium ſuffragiis autorum vel citationem, vel emendationem, vel enarrationem, nempe Origenis, Chryſoſtomi, Cyrilli, Hieronymi, Ambroſii, Hilarii, Auguſtini, Theophylacti, Baſilii, Bedæ, quorum teſtimonia compluſculis locis in hoc adduximus ut cum prudens lector perſpexerit certis in locis noſtram emendationem cum illorum judicio conſentire, in cæteris item nobis habeat fidem in quibus haud ſcio an caſu factum ſit ut illi nihil annotarint, aut alioqui ſuffragati fuerint. Ve-

ized by Google

Verum quoniam ſciebam hominum more fieri ut cum omnibus in rebus tum præcipue in ſtudiis ſemper offendat novitas, & veterem illum guſtum ac familiarem notamque, ſicut ajunt, ſalivam plerique requirant; deinde perpendens quanto facilius ſit, his præſertim temporibus, emendatos libros depravare quam depravatos emendare, ſacris libris recognitis hos velut indices annexuimus; partim ut lectori faceremus ſatis reddita ratione quid cur mutatum ſit, aut certe placaremus ſi quid forte offenderit, ut varia ſunt mortalium tum ingenia tum judicia; partim ut operis incolumitati conſuleremus, ne poſthac cuivis in proclivi eſſet rurſum vitiare quod tantis ſudoribus fuerat utcunque reſtitutum. Primum igitur ſi quid librariorum vel incuria vel inſcitia, ſi quid temporum injuria vitiatum comperimus, id non temere, ſed omnia quæ licuit ſubodorati, germanæ reddidimus lectioni: ſi quid obſcurius dictum occurrit, illuſtravimus: ſi quid ambigue dictum ac perplexius, id explicuimus: ſicubi varietas exemplariorum, aut diverſa diſtinctio, aut ipſa ſermonis ambiguitas varios gignit ſenſus, ſic eos aperuimus ut oſtenderemus quid nobis magis probaretur, cæterum lectori judicium deferentes. Et quanquam ab Interprete, quiſquis is fuit, ob inveteratam & receptam editionem non libenter diſſentimus, tamen ſicubi res ipſa palam clamitat illum vel dormitaſſe vel hallucinatum fuiſſe, non veriti ſumus & hoc indicare lectori, ita patrocinantes veritati ut in neminem ſimus contumelioſi. Solœciſmos evidentes ac prodigioſos ſubmovimus, & ita ſermonis elegantiam ubique quantum licuit ſecuti ſumus ut nihilo minor eſſet ſimplicitas. Neque piguit, ubi Græci ſermonis vel ἰδίωμα vel ἔμφασις aliquid habet, quod ad myſterii rationem pertinet, commonſtrare & aperire. Denique teſtimonia Veteris Inſtrumenti, quæ non pauca citantur, vel ex interpretatione Septuaginta, vel ex ipſis Hebræorum fontibus, ſi quando illorum editio cum Hebraica diſſentit origine, contulimus & excuſſimus; quanquam id quidem εἰς ἄνευ θυείας, ut Græcorum habet proverbium. Nihil enim alienius ab ingenio moribusque meis quam ad exemplum Æſopicæ corniculæ alienis me venditare plumis. Hac igitur in in parte cum primum hoc opus ederemus nonnihil adjuti ſumus opera ſubſidiaria viri non ſolum pietate verum etiam trium peritia linguarum eminentis, h. e. veri Theologi, Johannis Oecolampadii Vinimontani, quod ipſe in literis Hebraicis nondum eo proceſſeram ut mihi judicandi ſumerem autoritatem. Equidem haud neſciebam has minutias & ceu ſpinas longe plus habere ſudoris quam gloriæ, neque multum gratiæ ex hoc genere laboris ſolere redire ad autorem, tum lectori magis uſui eſſe quam voluptati. Verum ſi nos tantum tædii publicæ utilitatis reſpectu devoravimus, par eſt nimirum ut lector item vel ſuæ utilitatis cauſa nonnihil moleſtiæ decoquat, & eum animum quem nos juvandis aliis præſtitimus ipſe præſtet ſibi ſuoque commodo. Sunt hæc quæ tractamus minutiſſima, fateor, ſed ejus generis ut minore propemodum negotio magna illa tractari potuerint quæ ſublimes Theologi magno ſupercilio, buccis typho crepantibus ſolent ἐκτραγῳδεῖν: ad hæc, ejuſmodi ut ob has minutiſſimas minutias & illa maxima fuerint aliquoties excutienda. Minima ſunt, verum ob hæc minima videmus maximos etiam Theologos nonnunquam & labi inſigniter & hallucinari; Quemadmodum & locis aliquot indicavimus, non uti quenquam inſectemur, (qui morbus ab opere Chriſtiano, imo à tota vita Chriſtiana, quam longiſſime debet abeſſe) ſed ut paucis exemplis citra cujusquam contumeliam adductis noſtram fidem lectori probemus, ne quis has ceu nugas contemnat; quandoquidem revera, juxta Flacci dictum, *hæ nugæ ſeria ducunt.* Cur in ciborum apparatu tam moroſi ſumus, in cultu minimis etiam offendimur, in re pecuniaria nihil eſt tam minutum cujus non habeatur ratio, in ſolis literis Divinis diſplicet hæc diligentia, placet neglectus? Ut ne dicam interim eam eſſe rei majeſtatem ut nulla pars tam humilis eſſe poſſit quæ ſit homini pio faſtidienda, imo quæ non reverenter ac religioſe tractanda. *Humi reptat*, inquiunt, *in verbulis ac ſyllabis diſcruciatur.* Cur ullum ejus verbulum contemnendum ducimus quem Verbi titulo colimus & adoramus? præſertim cum ipſe ne minutiſſimum quidem Jota aut apiculum in vanum abiturum teſtatus ſit. Infima pars eſt quam vocant *literam*; ſed huic ceu fundamento myſticus innititur ſenſus. Rudera ſunt; ſed his ruderibus admirandi illius ædificii moles auguſta fulcitur. D. Hieron. eximios aliquot Græciæ ſcriptores taxat quod, hiſtorico contempto ſenſu, ſuo arbitratu maluerint in allegoriis ludere: ſeque ipſum deplorat quod calidus adhuc juventa Prophetam Abdiam allegorice fuiſſet interpretatus, cujus neſciret hiſtoriam. Ut in viliſſima concha pretioſum latet margaritum, ut ſub frivola ſiliqua nobile regitur granum, ut ſub arida minutaque tunicula tam miranda ſeminis vis latet, ita in verbis, ut apparet, plebeis, in ſyllabis, in ipſis denique literarum apiculis ingentia Divinæ ſapientiæ myſteria condita ſunt. Qui miratur cur Spiritus ille Divinus ſuas opes his involucris tegere voluerit, idem miretur cur æterna Sapientia pauperis, humilis & contempti damnatique hominis perſonam aſſumpſerit. Ut hæc minuta ſciret D. Hieronymus, nec Judæum, eumque nocturnum, aſpernatus eſt doctorem, nec ullum fugit laborem. Ob has minutias D. Auguſtinus jam Epiſcopus, jam ſenex, ad puero ſibi faſtiditas Græcas literas reverſus eſt. Ob has Origenes jam canus & ſenex, ceu repueraſcens, ad Hebrææ linguæ deſcendit elementa, Catonem etiam illum Romanum ſuperans. Ad has minutias libenter alludit Ambroſius, reſiſtit Hilarius: has paſſim excutit, in his pia curioſitate philoſophatur, ille non ore tantum aureus Chryſoſtomus. Et Cyrillus hunc ſecutus grande myſterium ex articulo Græco i. unica literula, ϳ, depromit; hinc velut inevitabile telum mutuatur quod torqueat in hæreticos. Ut ne dicam interim quod dum hæc ex profeſſo curamus, illa tamen aliquoties obiter aperiuntur. Etenim quemadmodum qui ſententias enarrant coguntur aliquoties verborum explicare rationem, ita nos dum in verbis explicandis verſamur cogimur interim & ſententiarum vim aperire. Denique hæc gravioribus orſis & cœptis jam olim in Paulum commentariis præparamus, in quibus forteſſis apparebit utrum judicio an caſu ad has minutias deſcenderim. Sed age, fingat me qui volet nihil aliud præſtare potuiſſe, & vel ob ingenii tarditatem & frigidum circum præcordia ſanguinem, vel ob eruditionis inopiam, infimam hanc ſumpſiſſe provinciam, tamen Chriſtiani pectoris eſt qualecunque officium boni conſulere quod pia ſedulitate præſtatur. *Chriſtus* conjectum in gazophylacium à paupercula quadrantem laudavit, rem per ſe viliſſimam animo æſtimans offerentis. In re vehementer præclara vel extrema functio ſplendida eſt. In regiis & qui verrunt & qui coquunt habentur honeſti. Cæterum in domo Dei quæ tandem functio faſtidienda videri poteſt? Nos rudera comportavimus, ſed ad ſtructuram Templi Dei: alii locupletiores ebur, aurum, marmor & gemmas addituri ſunt. Nos viam ante ſalebris ac lamis moleſtam induſtria noſtra conſtravimus, ſed in qua deinde magni Theologi commodius eſſedis ac mannis vectentur. Nos circi ſolum æquavimus, in quo jam inoffenſius præclaras illas ſuæ ſapientiæ pompas edant. Nos novalem antehac ſpinis ac lappis incommodum ſarculo repurgavimus, quo facilius illi felicem exerceant ſegetem. Nos campum aperuimus, amoliti quæ obſtabant, in quo qui volent poſthac arcanas explicare literas vel colludant liberius, vel congrediantur expeditius. Quibus vetus illa Theologia magis arridet, ii magnum habent adminiculum quo nituntur eluctandi. Rurſus qui juxta parabolam Euangelicam dicit, *Vetus vinum melius eſt*, & hujus recentioris Theologiæ ſtudio veterem negligit, habet is quoque quo ſua quæ mavult certius ac fidelius tractet. Et ut nihil hinc accedat commoditatis, nihil certe perditurus eſt de ſuo, ſi hæc acceſſerint iis qui malunt Divinas literas è puriſſimis fontibus quam ex qualibuscunque rivulis ac lacunis haurire, toties aliunde alio transfuſis, ne dicam ungulis ſuum & aſinorum perturbatis. Ut gratius eſt pomum quod tuis manibus ex ipſa matre decerpſeris arbore, ut dulcior aqua quam ex ipſa vena ſubſcatentem hauſeris, ut jucundius vinum quod ex eo deprompſeris dolio in quo primum fuerat conditum, ita Divinæ literæ neſcio quid habent nativæ fragrantiæ, neſcio quid ſpirant ſuum ac genuinum, ſi eo ſermone legantur quo primum ſcri-

ſcripſerunt ii qui partim è ſacro illo ac cœleſti hauſerunt ore, partim ejuſdem afflati Spiritu nobis tradiderunt. Si Chriſti ſermones extarent Hebraica aut Syriacis, h. e. iisdem verbis proditi quibus ille locutus eſt, cui non cordi foret in illis philoſophari, & non ſolum verborum vim ac proprietatem verum ſingulos etiam apices excutere? Certe quod huic eſt proximum habemus & negligimus. Si quis oſtentet Chriſti veſtem, aut pedis veſtigium, procumbimus, adoramus, exoſculamur. Atqui ut univerſas illius veſtes & totam æternæ domus ſupellectilem proferas, nihil eſt quod Chriſtum expreſſius, efficacius, abſolutius referat, exprimat, repræſentet quam Euangeliſtarum & Apoſtolorum literæ. Proinde ſi cui aut non licet aut non libet in his ſacris verſari delicis, certe ne obſtrepat, ne obturbet, ne invideat meliora conantibus. Amplectantur ipſi quod amant, habeant, fruantur: nemo vetat: nos illis hæc non ſcripſimus. Sed erunt è diverſo quibus hæc admodum pauca vocantur, & malint nihil cum editione vulgata convenire. Verum non hoc egimus ut ſermo politior eſſet, ſed ut emendatior ac dilucidior: nec erat hic in ſcirpo, quod ajunt, quærendus nodus. Quin illud potius optandum eſt omnibus ut nihil uſquam ſit obvium in S. literis quod hanc operam poſtulet. In Euangeliis, quoniam per ſe dilucidus ac prope ſemet explicans hiſtoriæ tenor ſimplici & inaffectato ſermone profluit, ne fieri quidem potuit ut admodum multa vitiare potuerit vel interpres vel librarius: quanquam hæc ipſa ſi quis ad ſummam expendat, nimium etiam multa ſunt illic ubi nullum oportebat ſubeſſe ſcrupulum. Cæterum in epiſtolis Apoſtolicis ob ſermonis pariter & ſententiarum obſcuritatem plura neceſſe fuit immutare. Nos interim admotandi diligentiam ita moderati ſumus ut nec ſuperſtitione moleſti nec indiligentia diminuti videremur. Rem autem omnem quam potuimus pauciſſimis verbis indicavimus magis quam explicuimus, ne negotio ſuapte natura parum amœno loquacitatis quoque tædium adderemus. Pium eſt opus; Chriſtianum eſt opus. Proinde te quæſo, lector optime, ut tu quoque viciſſim pias aures & Chriſtianum pectus ad legendum adferas. Ne quis hæc eo animo in manus ſumat quo fortaſſis ſumit Noctes Gellianas aut Angeli Politiani Miſcellanea, videlicet quo nervos ingenii, vim eloquentiæ & eruditionem retruſam velut ad Lydium exigat lapidem. In re ſacra verſamur, & in ea re quæ ſimplicitate puritateque potiſſimum eſt orbi commendata: in qua ridiculum ſit humanam eruditionem oſtentare velle, impium humanam jactare eloquentiam, quam etiamſi forſan adeſſet diſſimulare convenirebat, ne quis merito poſſit objicere τὸ ἐν θεοῦ μύρον. Simplici puroque ſtudio tradidimus hæc Chriſtianis auribus, quo poſthac in ſacroſancta hac Philoſophia & plures verſarentur & lubentius, denique ut minore cum negotio, ita majore cum fructu. Chriſtum ipſum, quo teſte & adjutore molimur hæc, parum mihi propitium imprecor niſi ex hiſce laboribus adeo nihil venamur emolumenti ut magnam etiam certamque rei pecuniariæ jacturam ſcientes ac volentes acceperimus. Porro famæ dulcedine tantum abeſt ut titillemur ut ne nomen quidem noſtrum fuerimus aſſcripturi ni veriti fuiſſemus ne hac ratione operis minueretur utilitas quod apud omnes ſuſpecta res ſit liber ἀνώνυμος. Nos ad utrumque juxta parati ſumus, ut vel rationem reddamus ſi quid recte monuimus, vel ingenue confiteamur errorem ſicubi lapſi deprehendimur. Homines ſumus, & humani nihil alienum à nobis eſſe ducimus. Hoc igitur animo cum ego dederim hæc, optime lector, fac ut tu quoque ſimili accipias. Ea res utrique noſtrum commodo futura eſt: nam & tu plus capies utilitatis ſi libenter & candide quod donatur acceperis, & me mearum vigiliarum minus pœnitebit ſi cognovero bonis uſui fuiſſe. Quod ſi quis exſiſtet vel adeo præfractus ac moroſus vel adeo durus & iniquus ut nullis incantamentis deliniri queat, ab hoc certe vel precibus impetrare nitar ut illud ſaltem æquitatis tribuat piis ſtudiis quod tribunalia tribuunt parricidis & ſacrilegis. Illic turpe judicatur ſi cognitionem antevertant calculi, nec pronunciatur niſi cauſa diligenter excuſſa. Legat prius ac inſpiciat; deinde, ſi videatur, damnet ac rejiciat. Superbum eſt de libro ferre ſententiam quem non intelligas, ſuperbius, & de eo quem ne legeris quidem. Vale, lector, quiſquis es: Quem etiam atque etiam rogo ut ſi quid fructus è noſtris excerpſeris lucubrationibus, officii memor, ſicuti Chriſtiano dignum eſt, me viciſſim piis votis Chriſto commendes, à quo uno ſolidum laboris hujus præmium exſpectamus.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino

D. GEORGIO AB ECMONDA,

Antiſtiti Ultrajectino,

T. NICOLAUS ZEGERUS Minorita S.

DUM tacita mecum cogitatione perquiro, Georgi inſigne Præſulum hujus ævi decus, quemnam è tam innumera clarorum virorum caterva mihi poſſem deligere cui meas haſce vigilias conſecrarem, tua mihi tandem ingeritur Celſitudo. Ipſam facile judicavi hoc quicquid eſt honoris digniſſimam; ut qui non ignorarem, quam incredibili ſoleas ſtudioſos omnes proſequi favore, quam magnificis attollere encomiis, quanto humanitatis ſtudio excipere; adhæc quam larga benignitatis conſueveris impendere obſequia iis qui aliquo eruditionis, pietatis, ſeu bonæ opinionis titulo tuæ benignitati fuiſſent commendati. Norunt hoc ii quibus tecum familiarior interceſſit conſuetudo: norunt hoc vel maxime inopum ac pauperum viſcera, quorum etiam nonnullos clandeſtinis donariis confovere haud dedignaris, nimirum prudenter intelligens quam ex hac tua munificentiſſima beneficentia incomparabilem tibi ipſe compares recondasque theſaurum, quem nulla prorſus vel temporum vel cujuscunque rei poterit præripere vel corrumpere injuria. Jam ſi verum eſt quod magna veteres autoritate ſtatuerunt, Virtutes omnes ita inter ſe eſſe conjunctas ut uno ſocietatis vinculo continentur, cum in hac ſic emineas ut qui maxime, vel hinc certo conjicere licet & in cæteris virtutibus haudquaquam tui te eſſe diſſimilem. De eruditione vero quid referam? Cum alii plerique inter epulas ſuas atque convivia ſoleant aut de novis rumoribus aut de ſplendidorum equorum educatione aut de opibus cumulandis aut de id genus aliis negotiis terrenis miſcere ſermonem, ſuaque hujuscemodi rebus ceu ſale quodam condire convivia, de nullo ſoles ipſe lubentius quam de arcanis literis diſſerere, atque è Sacris voluminibus quippiam aut retruſioris Philoſophiæ aut quæſtionis proferre in medium. Quod cum amicis quibusdam præſentibus, qui nobis hæc retulerunt, factum ſit, facile deprehenderunt præter ingenii feliciſſimi perſpicacitatem & exquiſituſſimi te in ambiguis rebus eſſe judicii, & haudquaquam

vulgari præditum eruditione. Neque vero clam me eſt, hæc longo intervallo infra tuos eſſe profectus, neque minus cum his tecum commune eſſe quam Minervæ cum fele: nec in hoc ſane, ut tuis inſerviant uſibus, deſtinantur: verum dum ea tuæ iſti Celſ. nuncupo, non tam ut ei, quanquam alioqui per ſe illuſtri, plus aliquid honeſtæ famæ ac decoris accederet ſpectavi, quam ut operi per ſe humiliori & ταπεινοτέρῳ, ut nonnulli fortaſſe judicabunt, ponderis nonnihil & autoritatis conciliaretur. Quod ſi mihi contingat τὴν λεοντῆν (ut Luciani verbis utar) παρὰ σὺ καὶ πλύρη ψιλὸν ἐνεχθῆναι, & hoc meum ſtudium à tam probato viro probari, fiet dubio procul ut & avidius deſideretur à ſtudioſis, & me mei laboris minus pœniteat. Hæc pauca tecum, Præſul Reverendiſſime: quod reliquum eſt opportunius cum plebeio lectore tranſigam. Nolo enim gravioribus occupatum longiore ſermone remorari.

Apud *Driſſenium*, Menſe Aprili, Anno
à partu Virgineo M. D. LIII.

TACITUS NICOLAUS ZEGERUS
Pio Anagnoſtæ ſalutem.

Peræpretium me facturum exiſtimo, Chriſtiane lector, ſi paucis indicavero & quid in hiſce noſtris lucubrationibus exſpectare debeas, & quæ me potiſſimum cauſæ poſt tot tamque inſignes utriuſque literaturæ interpretes ad hoc Scholiorum opus conſarcinandum permoverint. Primum itaque, ne forte hic ut improbus conviva pro merenda cœnam efflagites, intelligas oportet, non Commentarios ſed Scholia nos ſcribere, eaque in ſalebroſos ſeu impeditos duntaxat locos, qui videlicet vel propter ſenſuum verborumve obſcuritatem lectionis vel propter ambiguitatem ſeu etiam depravationem negotium faceſſere poterant ſtudioſis. Omnium porro omnibus quæſtionibus, cavillationibus, nodis, aſſertionibus, hæreſibus ac difficultatibus occurrere ac ſatisfacere, præterquam quod id immenſum eſſet opus poſtulaturum, longe etiam (quod ingenue fatemur) ingenii noſtri limites tranſcenderet. Eum itaque ſenſum indicaſſe qui ipſius autoris primarius cenſebatur, caſque ſalebras ad quas ſimplex lector aut etiam mediocriter eruditus reſtitare poſſet ſubmoviſſe contenti, reliqua omnia ab aliis petenda prætermiſimus; niſi quod pleriſque in locis plures ſenſus eoſque probabiliores adſcripſerimus, prout videbamus probatos autores variare. Secuti autem ſumus (ne quis forte nobis diffidat) probatiſſimos quoſque interpretes, ſed potiſſimum vetuſtiores, quorum ſententias nonnunquam vel ad verbum referre non dubitavimus. In hoc præterea ubique incubuimus, ut rem quoad licuit pauciſſimis verbis explicaremus, ne quid uſquam verborum redundaret, & ne quid diceretur quod haud ita multum ad argumenti negotium facere videretur; ita tamen ut ne, dum compendium ſectamur, diſpendium feciſſe, aut dum *breves eſſe laboramus* juxta Horatianam ſententiam *obſcuri* (quod fere uſuvenire conſuevit) deprehendamur. Porro de caſtiganda lectione initio quidem non erat animus quicquam admonere, quod exiſtimaremus loca omnia S. Bibliorum quæ ſunt aut fuere aliquando depravata, jam tandem eſſe ſincere & ad amuſſim reſtituta, maxime cum multorum exemplarium paucis abhinc annis evulgatorum proœmia ac tituli magna fidei perſuaſione magnoque applauſu id ipſum nobis pollicerentur. Verum dum in ipſo operis progreſſu deprehendimus Caſtigatores ipſos plus ſatis Græcorum tribuiſſe exemplaribus, ad quæ mox ubi diſcrepare videbantur noſtra reſtituenda putarunt, λεοντῆς ῥᾶβδον videlicet λίθον λεοντῆν, quod dicitur, ſignantes, neglecta interdum veterum explanatorum autoritate, qua nihil prius habendum erat, plus ſatis etiam fidei vetuſtis quibuſdam Latinis citra judicium curamque diſcriminis habuiſſe; atque adeo, dum ad Lesbiam ſeſe regulam accommodantes errores corrigerent, errores conſtituiſſe; voluimus & hoc tædii devorare, ut excuſſa accuratius veterum enarratione atque citatione, collatis inſuper omni qua licuit diligentia quaque decuit fide vetuſtis utriuſque editionis codicibus, Vulgati Interpretis verſionem priſtinæ fidei atque integritati quatenus fieri potuit reſtitueremus. Græcorum vero editionem, ubi à veterum Theologorum enarratione lectioneve & ſimul à Vulgata noſtra verſione diſcrepare cernebamus, aliquot quidem locis reſtituimus, nimirum ubi evidens & certa ſuberat ratio: at idem ubique præſtare propter veterum exemplarium inopiam nequivimus. Quoad tamen potuimus diſcrepantiam indicavimus, quo videlicet aliis quibus uberior ſuppetet ejuſmodi exemplarium copia occaſionem præſtaremus hac de re diligentius requirendi, & quæ adulterata etiam in Græcis ſunt reſtituendi, ut tandem etiam Græcorum editionem habeamus, ſi non prorſus primario ſuo fonti redditam, ſaltem minus temeratam magiſque authenticam. Hanc tamen argumenti partem, cum tandem intelligeremus provectioribus ac gravioribus Theologis fore moleſtam ſi reliquo operi eſſet intermiſta, eamque non addubitaremus poſt locorum hujuſmodi caſtigationem haud magnopere uſui futuram, conſulto in operis calcem tranſtulimus, ut poſſit etiam olim, ſi ita videbitur, ab ipſo opere ſejungi. De rebus autem nihili aut exigui admodum momenti, ut de vocula quapiam, de ſyllaba, de copula redundante deficienteve, deque id genus reliquis, à quibus nihil erat in ſenſu periculi, ſupervacaneum duximus curioſius perſcrutari. Quanquam in hujuſmodi, ubi opus erat ea loca tractare, noſtra ipſa ſcriptura ſubindicamus quo pacto debeant legi. Ut autem hunc laborem ſubiremus (nam hoc alterum illud eſt quod tibi non ignoratum cupimus) inter cæteras hæ potiſſimum nos res permoverunt, nempe quod complures Divinarum literarum tirones (quibus hic potiſſimum labor deſudat) atque etiamnum alios non paucos impares cerneremus ad eos Commentarios comparandos qui ſufficere poſſint ad plenam totius Novi Inſtrumenti ſuppeditandam intelligentiam; deinde quod neminem exſtare videremus qui omnes prorſus dicti Inſtrumenti codices (quatenus difficiliores quoſque locos ſpectat, ſimili compendio illuſtrarit; (nam alioqui poſt tot etiam Commentarios ea ſubinde ediſſerere quæ dilucidiora ſunt quam ut quis poſſit ambigere, aut requirere interpretem, nihil aliud eſt quam, quod Græcorum habet proverbium, λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ ἅπτειν) poſtremo quoque quod nonnullos locos à recentioribus quibuſdam ſenſu parum ſano parumque Catholico, ab aliis etiam quanquam non prorſus impie incommodiori tamen & coactiori interpretatione enarrari animadverteremus. Et ut recte citraque pravi dogmatis ſuſpicionem enarrarint quotquot vulgo in pretio quoquo modo habentur explanatores, tantam tamen inter eorum nonnullos cernere eſt diverſitatem, ut multi etiam ambigant quorum in quibus ſit ſententia præferenda quidve potius amplectendum. His itaque omnibus diligentius animadverſis, hoc Scholiorum opus, quod cæterorum Commentariorum quaſi vice epitomes haberi poterit, pia quadam temeritate in publicum proferre præſumpſimus; quo videlicet hoc ipſo compendio aliorum quidem vitetur tam in ſtudiis quam in rebus forte extrariis diſpendium, aliorum vero conſulatur tenuitati, eademque aliqua ex parte farciatur; utrique autem, & quot-

quot

quot hoc fuerint labore adjuti in offenſorio gradu, majore cum voluptate, denique ut minore cum negotio ita majore cum fructu in S. Bibliorum viridario diverſentur. Cavimus autem ſedulo necubi temere Momum aut cenſorem alienorum ageremus dictorum; quod ſane præterquam quod invidioſum ſit & exiguam adferat lectoribus utilitatem, etiam arrogantis animi, qui porro à Chriſtiano ſcriptore abeſſe debet, probatur eſſe indicium. Ubi tamen quorundam enarrationes incommodiores videbantur aut inſinceriores, dum probatiorum vetuſtiorumque ſententias adſcribimus, dum ab illorum interpretationibus diſſentientes quod nobis probabilius judicabatur adductis interdum rationibus proferimus, quid S. Theoſophiæ candidatis, quibus necdum diſcernendarum opinionum accrevit judicium, ſequendum ſit, & à qualibus interpretamentis recedendum, tacite, modeſte & citra cujuſquam injuriam ſuggerimus & indicamus. Cæterum priuſquam ſermonem claudamus, illud non abs re fuerit hic indicaſſe, nos ad utrumque juxta paratos eſſe, vel eorum quæ recte monuimus humiliter citraque jactantiam reddere rationem, vel ingenue confiteri errorem, atque etiam παλινῳδίαν ſicubi poſterior cogitatio, quæ juxta proverbium prudentior eſſe conſuevit, lapſus aliquos aut compertiora ſuggeſſerit. Qua in re ſi quis alius anteverterit, noſtraque, præſertim ea unde pietati periculum eſſe poſſet, caſtigarit, huic multam etiam gratiam habituri ſumus: tantum aberit ut nobis injuriam eſſe factam ſimus interpretaturi. Neque enim arbitramur noſtra omnia ita eſſe ubique ad unguem facta, pluteumque ac ungues demerſos ſapientia, ut nuſquam pateat reprehenſionis vel tergiverſationis locus. Homo ſum, & humani nihil eſt à me alienum; eoque & hallucinari poſſum & labi. Verum ne lapſus ipſi, ſeu etiam errores, ſi qui forte in hiſce ſcriptis deprehendantur, aut mihi ſint aut aliis pernicioſi vel periculoſi, eruditiorum, & inprimis Eccleſiæ, me ſemper caſtigationi & cenſuræ ſubjicio. Equidem ut probo diligentiam eorum qui id conantur, ita felicitatem admiror qui præſtare quoque poſſint in ſcriptis ſuis, ne quid uſpiam poſſit ab iis qui vel emunctiſſimæ naris ſunt reprehendi aut caſtigari. Noſtra certe mediocritas non iſthuc auſit polliceri, præſertim in hoc argumenti genere. Vale lector, quiſquis es; quem obſecro ut officii memor, uti Chriſtiano dignum eſt, me viciſſim piis votis ſupremo Numini commendes.

Ex *Dyſtemio*, Menſe Aprili,
Anno M. D. LIII.

Sanctiſſimo Patri Noſtro

JULIO TERTIO

PONTIFICI VERE MAXIMO,

TAC. NICOLAUS ZEGERUS

Minorita S.

TAnta eſt Celſitudinis iſtius, Beatiſſime Pater, ſublimitas ut nemo vel ſummorum Principum non vereatur literis te aut ſcriptis compellare: quanto juſtius ego infimæ ſortis homuncio? Quis enim non metuat eum compellare qui tot gradibus, tot paraſangis, tot nominibus cæteros omnes mortales quamlibet excelſos præcellit, utpote qui Numen quoddam hic agat in terris? Neque enim cæteris omnibus præemines ſolo Monarchicæ iſtius dignitatis titulo, quæ contingere poteſt vel indigno, verum etiam longe præclarius, pulchrius, auguſtius multarum incomparabilium dotium atque egregiarum virtutum nomine, quibus tam es cumulatus, ornatus, perpolitus ut plane neſciam Spartane iſta magis Julium ornet an Julius ipſe eam quam nactus eſt Spartam omnium citra controverſiam ſummam. Non exigua quoque eminentis ac decori pars in avita nobilitate, in claris majorum ſtemmatis, in heroica corporis forma, & in iſtiuſmodi cæteris quæ ut magnifica ſuſpicit hic mundus ſita eſt. Verum mihi magis ſuſpicere atque admirari libet quæ magis Tuæ ſunt, ſingularem naturæ Tuæ bonitatem atque humanitatem, incredibilem morum ſuavitatem, nulli non obviam comitatem, quæ tanto eſt in iſto faſtigio admirabilior quanto majeſtas eſt excellentior; ad hæc judicium in omni genere rerum ſingulare, quod ſuapte natura feliciſſimum felicius reddidit plurimarum rerum uſus; præterea haud vulgarem animi propenſionem atque favorem erga pietatem, erga ſacra literarum ſtudia, erga eos qui his addicti ſunt; cum primis autem indefeſſum publicæ pacis atque tranquillitatis ſtudium, quo ductum nihil non facere Te audimus ut ſummos noſtros Monarchas concilians in Chriſtianam cogas concordiam. Nimirum prudentiſſime intelligis quanta undique malorum colluvies imo quantus malorum Oceanus ex hac bellorum procella exundet, quam ingentes undique calamitatum fluctus mortalium tum res tum animos concutiant, labefactent, frangant; & rurſus, ex ipſa pace, quæ parens & altrix ſcribitur rerum bonarum, quot egregiæ commoditates mortalibus proveniant. Sed hæc atque alia hujuſcemodi alias fortaſſe tempeſtivius, &, ut arbitror, aliis referentur rectius quam tibi. Ut ergo ad id quod in votis eſt explicandum veniam; Iſta Tua tam incredibilis bonitas & omnibus obvia benignitas, qua & illam ipſam exſuperas magnitudinem Tuam, & Te ſummum ſic demittis atque accommodas, juxta B. Pauli vocem, vel ad infima, paratus ſemper æquis reſpondere poſcentium votis, hanc mihi fiduciam addidit ut ego ille inter minores Tuæ Sanctitatis clientulos minimus, peccatricem illam Euangelicam imitatus, audeam ſumma (uti par) cum animi modeſtia ad ſacerrimos Chriſti noſtri acurrere & provolvi exoſculandos pedes; Quibus utinam aliquando detur hiſce oris mei labiis, quanquam hoc interim beneficio indignis, baſia infigere: quod nunc interim (quando aliud non licet) finceris factito animi adfectibus, hoc ipſo & Tuæ Sanctitudini omnem deferens obſervantiæ reverentiam, & humili oviculæ (utinam etiam non morbidæ) à Paſtore efflagitans aliquam ſpiritualis benedictionis gratiam. Sed & aliud eſt quod iſti Tuæ humiliter offero ac dedicando tranſmitto Sublimitati, nimirum Caſtigatorem hunc Novi Inſtrumenti, una cum nova quadam atque per nos emendata ejuſdem Inſtrumenti editione. Et eſt rurſus aliud quod viciſſim nobis & univerſo Eccleſiæ gregi à Sedis Apoſtolicæ majeſtate aut autoritate exhibitum beneficium omni cum humilitate flagitamus, nimirum ut Tua Sublimitas haud gravetur hunc noſtrum laborem primum quidem eruditis aliqui-

Digitized by G

bus viris committere diſcutiendum & examinandum, ſeu etiam pro ipſorum judicio conſiliove caſtigandum; ac deinde non dedignetur eundem laborem noſtrum, nimirum Caſtigationes has, ſed potiſſimum ipſam juxta eaſdem Caſtigationes Novi Inſtrumenti editionem (ſi tamen digna & Catholica, uti ſperamus, judicabitur) approbare & Apoſtolica autoritate roborare, confirmare, & pro germana atque authentica ubique terrarum legendam committere, poſthabitis iis editionibus quæ huic adverſantur. Hæc etenim eſt (quantum equidem omnibus quæ huc pertinere poſſunt diſcuſſis atque perveſtigatis queo perſpicere) genuina, germana & emendata Veteris noſtri interpretis verſio ſeu tranſlatio, qua hactenus ſemper à tempore fere Apoſtolorum, aut non ita diu poſt, uſa cognoſcitur Romana Eccleſia, quam ab innumeris tum mendis tum adulterinis adjectiunculis non ſine magnis & multis moleſtiis repurgavimus & priſtino nitori & integritati, quatenus fieri potuit, Divina juvante gratia reſtituimus. Hoc ego quicquid eſt laboris, ſtudii aut ſedulitatis, nomine pariter & felicibus auſpiciis ſummi noſtri Antiſtitis Julii Tertii cupio prodire in publicum & per omnes diſtrahi ac divulgari Eccleſias. Sanctitatem Tuam nobis & univerſæ Reipub. Chriſtianorum quam diutiſſime ſervet incolumem ſemperque felicibus incrementis in majus provehat is qui Te donavit orbi Paſtorem, Princeps paſtorum Chriſtus Jeſus.

Dyiſtemii in *Brabantia*, in feriis aſſumptæ in cœlum & Virginis pariter & Genitricis. Anno Chriſti 1553. menſe Auguſto.

AD LECTOREM
PROLOGUS.

TAnta eſt paſſim in Novi Teſtamenti codicibus tum Latinis tum Græcis varietas, diſcrepantia & corruptela, præſertim in iis qui ante annos hos triginta aut quadraginta vel calamo exarati vel typis ſunt expreſſi, ut non niſi perplexæ fuerit difficultatis comprobare ac demonſtrare quæ in ipſis haberi ac cenſeri debeant pro germanis, Apoſtolicis & intemeratis. Græca exemplaria diſſident à Latinis, Græca pariter & Latina moderna à veteribus, vetera à veteribus, moderna à modernis. In tanta ergo codicum varietate quo confugias, quid ſequaris, cui tuto credas? Nam ſi Hieronymi atque Auguſtini hic conſilium ſequendum obtendas, qui in hujuſcemodi dubiis recurrendum docent ad ipſos verſionum fontes, utpote in Veteri Teſt. ad originem Hebraicam, in Novo vero ad originem Græcam, reſpondebo tutum jam non eſſe hoc conſilii admittere, quod Græcorum codices, præſertim paulo antiquiores, longe ſint corruptiores quam Latinorum. Nam qui paulo habentur caſtigatiores non niſi noſtra ætate reſtituti ſunt, idque etiam in nonnullis locis, ut videtur, ex fide Latinorum. Siquidem quod Hieronymus ex Græcanico fonte admonet in epiſtola Johannis prima ponendum eſſe *teſtimonium* illud *Patris, Verbi & Spiritus*, quod queritur prætermiſſum fuiſſe ab infidelibus tranſlatoribus Latinis, in editione Græca paucis abhinc annis adjectum eſt. Duo ipſi vidimus exemplaria Græca quæ palam arguunt quantum pridem in lectione Græca fuerit corruptelæ. Alterum ſervatur in Cœnobio Regularium Corſendoncenſi deſcriptum calamo, alterum in celebri Academia Lovanienſi apud ejuſdem inſtituti Religioſos in Cœnobio D. Martini expreſſum typis, quod cernentibus innumera oſtentat correctoris cujuſdam, nempe Deſiderii, ſi recte memini, veſtigia. Hinc palam liquet quam agant præpoſtere qui hodie pro tuenda lectionis veritate, non alio confugiendum autumant quam ad editionem Græcam, quaſi ea ipſiſſimus fons ſit ſolidæ veritatis, cum longe ſecus rem hodie habere ex multis paſſim deprehendatur Græcanicis adnotationibus probatiſſimi Doctoris B. Hieronymi. Dum enim ipſe in ſuæ ætatis tranſlationibus reprehendit quæ hodie leguntur in Græcis; dum paſſim admonet hæc aut illa ſic haberi in Græcis & aliter in Latinis, cum hodie contra eadem ſic in Latinis legantur quomodo tunc fuiſſe dicit in Græcis, & ita ſint nunc in Græcis quomodo dicit fuiſſe in Latinis; dum in citandis Scripturarum teſtimoniis, qui Græcæ fuit antiquitatis ſtudioſiſſimus ſectator, à modernis Græcis paſſim diſſentit; quid aliud quam manifeſte coarguit modernam Græcorum editionem eſſe depravatam, noſtram vero in ejuſmodi locis ſinceram, eoque hanc in multis eſſe puriorem. Horum omnium ſi quis velit habere teſtimonia, quærat in ſubjectis cenſuris loca ea quæ ex Hieronymo caſtigata ſunt, ac deinde ad ipſum recurrat Hieronymum in locis inibi adnotatis. Ad hæc cum multis jam retro ſeculis, nimirum annis circiter octingentis aut nongentis, lingua Græca ab Eccleſia Romana prorſus fere exſularit, ita ut non niſi tenuis ac rara apud paucos quoſdam hujus remanſerit linguæ peritia, quis credat nullos interim irrepſiſſe errores? Si tot modis temporis nihil non vitiantis progreſſu adulterata fuit editio Latina inter Latinos, quidni idem credendum eſt uſu veniſſe inter eoſdem editioni Græcæ? Quinimo ſi à noſtris hac in re multifariam & dormitatum & peccatum eſt in noſtris, quis tandem polliceri audeat illos tam fuiſſe ſemper ſive fideles ſive felices ut hactenus nuſquam in ſuis peccatum ſit ab ipſis? Certe nos inter legendum quorundam commentarios atque adnotationes innumera deprehendimus loca in lectione variare, quæ ſincera non eſſe vel ipſa teſtatur varietas (nam *verum non eſſe quod variat*, inquit Hieronymus in Prol. in 4. Euang. *etiam maledicorum teſtimonio comprobatur*) quæ etiam tum in unum tranſcripſimus & coëgimus catalogum, ſi cui forte tandem poſſent eſſe uſui. Sileo interim illorum à nobis in dogmatis nonnullis diſſenſionem. Sed non perinde magnum ac facile reparabile videatur malum ſi in noſtris tantum eſſet peccatum, & non etiam in priſcæ ac primæ pene ætatis exemplaribus. Mox enim, ubi perfidia cœpit graſſari hæretica, cœpit ſimul & quorundam temeritudo vel ſacroſancta violare Divinarum literarum oracula, ut quod perſuadere haud poterat ſapientia ſeu verius malitia humana, mentita adſtrueret autoritas Divina. Teſtatur enim vetuſtiſſimus ille ſcriptor Tertullianus lib. 5. adverſus Marc. de epiſt. ad Cor. 1. multa è Scripturis ſubtracta fuiſſe per Marcionem hæreticum quæ adverſari videbantur ipſius dogmati; ut eſt vocabulum *Adam* in illo 1 Cor. 15. *noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem*. Rurſus vocabulum *homo* in illo ejuſdem capitis, *ſecundus homo de cœlo cœleſtis*: pro quo Marcion ſubſtituit, *ſecundus Dominus de cœlo*, ſicuti in hodiernum uſque diem legitur. Item *ſua* in illo ad Eph. 2. *Interficiens inimicitias in carne ſua*. Item particula *in* ejuſdem ep. c 3. ibi, *Quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſeculis in Deo*: ſcilicet ut legeretur *abſconditi a ſeculis Deo, qui omnia condidit*: quod pro ſua illa adſertione facere æſtimabat, qua ſuum quendam prædicabat Dominum qui corporalia hæc creaſſet, à ſummo illo omnium Domino diſtinctum. Præterea clauſula illa ad Rom. ult. *Ei autem qui potens eſt vos confirmare*, uſque ad epiſtolæ ipſius finem: quam ab eodem ſublatam fuiſſe refert

in

in ſuis commentariis Adamantius, aut certe ipſius interpres Hieronymus; quemadmodum & hodie abeſſe cernitur in commentariis Theophylacti. *Sed & flammam*, inquit Tertullianus l. adverſus Marc. c. 5. de epiſt. ad Theſſ. 2. *& ignem delendo exſtinxit hereticus*, in ſermone illo 2 Theſſ. 1. *In flamma ignis dantis vindictam.* Nec mirum ſi voces & ſententias nonnullas abſtulerit, cum etiam integra capita, imo integros libros, ut Euangelia omnia ſolius Lucæ excepto, librum Actorum Apoſtolicorum & Apocalypſin, repudiarit, uti ex libris liquet dicti Tertulliani adverſus eundem. His adde quod hiſtoria illa apud Joh. c. 8. de muliere in adulterio deprehenſa, non modo è contextu ſubtracta olim fuerit Euangelico, verum etiam è commentariis Joh. Chryſoſtomi: nam quod eandem ipſe legerit palam indicat dum hom. in Joh. 60. ipſius facit mentionem. Hujuſcemodi autem mutilationes nuſquam, quod equidem ſciam, factæ ſcribuntur à Latinis, quamvis etiam hæreticis, utpote qui in tractandis literis Sacris non paulo illis ſemper fuerint religioſiores. Atque hinc factum eſt ut gravis ille Eccleſiæ Doctor B. Ambroſius Græcorum lectionem non modo parvi fecerit verum etiam poſtpoſuerit lectioni ſuæ Latinæ; cum tamen ea qua ipſe tum utebatur verſio haudquaquam tam fuerit ſolida atque authentica quam hæc eſt qua nunc utitur Eccleſia Romana, & probabile ſit Græcos codices tum adhuc fuiſſe incontaminatiores quam ſint hodie. Et tamen idem Ambroſius non dubitavit alicubi contemnere ac veluti damnare conſilium ſententiamque B Hieronymi de reſtituendis codicibus Latinis ex fide Græcorum. Indignum enim judicans ut locus ille ad Rom. 5. *Regnabat mors ab Adam uſque ad Moyſem, etiam in eos qui peccaverunt*, juxta Græcos (ut tum habebant) legatur cum negatione, *qui non peccaverunt*, quam negat fuiſſe tum in Latinis, cum tamen hodie legatur utrobique, ſcribit in hæc verba, *Sic*, inquit, *præſcribitur nobis de Græcis codicibus, quaſi non ipſi ab invicem diſcrepent, quod fecit ſtudium contentionis. Quia enim propria quis auctoritate uti non poteſt ad victoriam, verba legis adulterat, ut ſenſum ſuum quaſi verba legis adferat, ut non ratio ſed auctoritas præſcribere videatur. Conſtat autem quoſdam Latinos porro olim de veteribus Græcis tranſlatos codicibus, quos incorruptos ſimplicitas temporum ſervavit & probat. Poſtquam autem à concordia animis diſſidentibus, & hereticis perturbantibus, torquere quæſtiones cœperunt, multa immutata ſunt ad ſenſum humanum, ut hoc contineretur in literis quod homini videretur. Unde & ipſi Græci diverſos codices habent. Hoc autem verum arbitror, quando & ratio & hiſtoria & auctoritas obſervatur. Nam hodie quæ in Latinis reprehenduntur codicibus, ſic inveniuntur à veteribus poſita, Tertulliano, Victorino & Cypriano.* Hæc ille. Sed quid? inquies. Itane ergo omnia ſunt ambigua atque incerta? Itane in dubium revocanda ſunt Divinarum S. oracula propterea quod tot aliquando irrepſerint mendæ & vitia? Verum hæc dicta ſint, non quod nulla nobis ſuppetat certitudo reliqua, non quod nulla nobis adſit certæ de Script. fidei ratio, ſed quod illinc non ſint nobis potiſſimum ac ſolum petenda veritatis ſuffragia unde multi hodie petenda exiſtimant. Habemus indubitatam atque immotam, qua niti debemus, ſolidæ *veritatis baſin, columnam & firmamentum*, orthodoxam *Eccleſiam* 1 Tim. 3. 15. cui tantum tribuit ac fidit inſigne illud ipſius Eccleſiæ lumen B. Auguſtinus ut ne Euang. quidem ſe credere adſerat niſi id comprobaret dictæ Eccleſiæ autoritas. Hæc jam olim verſionem nobis dedit ſeu recepit quam judicavit inter cæteras maxime dilucidam vulgoque intelligibilem & maxime reſpondentem veritati Græcæ, quam datam etiam confirmavit, confirmatam longo uſu atque unanimi fidelium ſub Romana Eccleſia agentium conſenſu citra omnem controverſiam ſtabilivit ac roboravit, ſicque roboratam paucis abhinc annis in inchoato apud Tridentum generali Concilio adverſus æmulos quosdam, qui ejus autoritatem labefactare conati ſunt, defendit, commendavit, & ad falſitatem deſtruendam adſerendamque veritatem declaravit ac diffinivit, vel, ut verius dicam, diffinitam declaravit authenticam. Neque rurſus hæc dixerim quod Græcam editionem prorſus damnandam aut contemnendam cenſeam (ſunt enim permulta in ipſa quæ uſque adeo depravata non ſunt ut depravari haud facile potuerint, niſi forte ſic ut corruptela ipſa facile potuerit deprehendi ac tolli. Et ipſa archetypi lectio non raro aliquod habet intelligibilius, & plus interdum lucis, evidentiæ aut energiæ adfert inſinuatque lectori, quam lectio Latina) ſed quod illi non tantum fidendum judicem quantum huic noſtræ, & ne quis id omne eſſe veritatis, & protinus credat habendum pro indubitato, quicquid cernitur aut refertur eſſe in Græcis. Verum quia etiam hæc ipſa verſio multis in locis noſcitur vitiata, mutilata & aucta, idque vel diligentia ſed ea non ſatis exacta nonnullorum correctorum, utpote quibus id uſu venerit quod de quibuſdam B. ſcribit Hieronymus, *dum errores tollunt, errores ſtatuunt* (quanquam interim nullos arbitror eſſe capitales) vel inſcitia ſeu oſcitantia ſcribarum, vel etiam pio quodam ſtudio tollendarum obſcuritatum; deinde quia eadem tot jam cernitur conſignata veruculis, aſteriſcis, adnotatiunculis, variantium exemplarium diverſitatibus, variarum verſionum placitis ſeu diſtantiis (quas tamen non improbaremus ſi parcius & majore cum judicio adhiberentur) ut ejusmodi adjectiunculârum multitudo catholicum contextum confundant & onerent potius quam ornent, obſolvant aut illuſtrent; maxime cum earum pleræque haud magni ſint momenti, nonnullæ parum piæ, nonnullæ etiam tales ut non arment ſed exarment magis probatam Eccleſiæ verſionem; Quia, inquam, tanta eſt unius N. T. in lectione ac verbis varietas, non abs re fore putavi ſi ſolidis teſtimoniis comprobarem atque firmarem quæ ſint habenda pro genuinis atque indubitatis, idque non in Latinis modo, verum etiam, quatenus fieri ex veterum lucubrationibus poteſt, in Græcis: In quibus tamen nihil immutare volui niſi ubi conſenſus adeſſet omnium veterum, aut alia ratio multum certa, ne quid forte in re tam ſacra agerem temere. In reſtituenda item editione Latina, quæ princeps eſt noſtri inſtituti opera, non ſat eſſe putavimus ſi antiqua aliquot haberemus licet vetuſtatis exemplaria, una cum novis & editione Græca, eaque unius regionis, ex quorum videlicet collatione repararemus quæ collapſa erant (fieri enim potuit ut omnia olim, quando magna erat codicum raritas, uno eodemque ex fonte dimanarint, qui ſi fuit impurus, impuros neceſſe eſt eſſe & rivos.) Sed neque diverſarum quidem regionum codicibus, quamvis etiam vetuſtis, ſemper fidem habendam putavimus, niſi ubi vel aliunde nihil probabilius obſtabat, vel plurium erat conſenſus, vel alia teſtimonia non ſuppetebant: Sed multo magis ad Sanctorum Doctorum, eorumque antiquiorum & probatiorum, lectionem duximus confugiendum, quod nulla prorſus aut certe perpauca putaremus exſtare exemplaria tam ſinceræ ſcripturæ tamque antiquæ quam ſunt veterum quorundam lucubrationes, in quibus ut S. Scripturarum verba non facile potuerunt corrumpi, & multo etiam minus ipſorum autorum in eadem explanationes, ita plus illis fidei judicavimus habendum. Non quod ſemper pro ſono verborum ad illos, maxime antiquiores, confugiendum fuerit, ſed pro ſenſu habendo, proque adjectitiis & ſubtractitiis dijudicandis. Alioqui ubi de vocibus tantum agebatur, ibi vetuſtis emendatiſque codicibus, cumque iis antiquis ſcriptoribus, ſed tamen quæ evulgationem Eccleſiaſticæ editionis non præceſſerint, opus fuit. Ubique tamen exacto judicio, longa & oculata circumſpectione opus nobis putavimus, ne ſi quid impie, aut mutaremus præpoſtere, merito coargui poſſimus vel ſacrilegii vel temeritatis, idemque à nobis uſu veniat qui nonnullis quorum Caſtigationes & Bibliorum editiones à facultatibus Theologicis nuper rejectæ & improbatæ ſunt. Quare conſultum non eſſe arbitrati ſumus ut laborem hunc uno continenti abſolveremus ſtudio, aut etiam uno continenti tempore, ſed potius ut per intervalla temporum ſubinde ex occaſione vel codicum vel Doctorum qui occurrebant legendi ad intermiſſum ſtudium recurrentes, vel tandem poſt multa curricula annorum ſupremam operi ſubduceremus manum. Summopere etiam cavimus cum Divini Spiritus invocatione ne (quod ſæpenumero contingere conſuevit vel id ipſum non ſentientibus) corrupto aliquo abduceremur adfectu in partem aliquam minus probabilem; & ne vel minima in re alicubi obſiſteremus veritati. Nam ubi duplex ſeſe offerebat ſcriptura quarum utraque apud probatos inveni-

retur autores, & ambiguum erat utra esset sanior, ibi satius duximus amplecti utramque, quam alterutram, quæ etiam probabilis esset, rejicere. Illud tamen persuasum habuimus, in hoc nostro negotio B. Hieronymo magis fidendum esse quam cæteris (semper tamen cum judicio) propterea quod ipse in hisce rebus longe fuerit exercitatissimus ac studiosissimus, utpote in diversis linguis omnium eruditissimus, deinde quod in eis egerit regionibus, nempe Romæ & in regione Palæstina, ubi facile primarios Ecclesiæ aut certe secundarios habere codices potuit; ut non immerito Catholica Ecclesia ipsius in multis Vet. Test. libris versionem, in Euangeliis vero susceperit & approbarit castigationem. Hoc enim unum quatuor Euangeliorum opus (quod olim sejunctim haberi consuevit, quemadmodum & alii N. T. libri singulatim & distinctim ferebantur) nos habere ex ipsius lima & recognitione arguitur, primum quod ejus hanc operam jussu præstiterit qui autoritatem habuit approbandi, uti ex ipsa liquet in Euang. Præf. quod ita non fuit in libris cæteris: deinde quod in enarrationibus & citationibus verborum Euangelicorum à nostra lectione aut non omnino aut tenuiter discrepet. Quin & Augustinus hoc idem indicare videtur, dum ad Hieronymum scribens cum gratiarum actione ipsum commendat quod Euangelium interpretatus sit ex Græco, in quo nulla fere esset offensio: nam eidem respondens Hieronymus non de versione sed de emendatione loquitur. Quod autem nihil horum habeamus juxta ipsius translationem, palam deprehendi potest primum ex Scripturarum testimoniis per eos productis qui ipsum Hieronymum præcesserunt, ut fuere summi illi Pontifices Anacletus, Euaristus, Alexander, & sequentes, aut certe eorum interpretes, &, quod ad Euangelia saltem attinet, Hilarius & Ambrosius (ut alios sileam) qui omnes in multis à nostra lectione nihil omnino discordant: deinde etiam ex multis locis scriptorum ipsiusmet Hieronymi, potissimum tamen ex Commentariis in Epistolas quasdam Paulinas, & in Euangelium Matthæi, ubi frequenter ipsum Latinum interpretem citat; atque adeo etiam in Commentariis Epistolarum contextum ipsius collocat, licet in nonnullis locis mutatus sit juxta mentem Hieronymi; & ex illo quod in fine libri De scriptoribus Eccles. scribit se *Novum Testamentum* non quidem ut Vetus *transtulisse*, sed *reddidisse fidei Græcæ*. Ex quo etiam verbo, atque item ex eo quod multa sint loca sic in vulgata Ecclesiæ editione scripta quomodo in suis passim lucubrationibus in Græcis non autem in Latinis fuisse admonet, quidam adstruere conatur totum nos N. Test. habere juxta ejusdem Hieronymi recognitionem; eamque factam ab ipso fuisse jam sene ac veterano, idque tempore & jussu Damasi Papæ. Verum sic rem non habere, & quod prodit non aliud esse quam meram divinationem, multis comprobari potest argumentis. Nam B. Hieronymum tempore ἐργοδιώκτης sui Damasi ætate veteranum non fuisse, nec admodum senem (ut quidam subindicare videtur Chronographus, quem ille secutus videtur) sed potius in media circiter vitæ suæ cucurrisse periodo, utpote necdum sexagenarium, & fortasse ne quinquagenarium quidem, deprehendi potest cum ex aliis tum præcipue ex Platina, si quis scrutetur atque expendat exactius, imo ex ipsis, ni fallor, scriptis Hieronymi. Præterea si ipse emendasset quod nunc habet Ecclesia, legeremus utique in epist. ad Rom. c. 12: *sed sapere ad judicium*, quod ipse jam senex libro adversus Jovinianum priore male legi dicit in Latinis *sapere ad sobrietatem*: legeremus in epist. ad Cor. 1. cap. 7. *Non ut laqueum vobis injiciam, sed ut ad id quod honestum est & intente facit servire Domino absque ulla distractione vos adhorter*, quod ibidem adversus Jovinianum negat in Latinis codicibus propter translationis difficultatem prorsus inveniri: legeremus in salutatione utriusque epist. ad Thess. *Paulus & Silas & Timotheus*, pro quo in epistola quadam ad Damasum, cui principium est *Septuaginta*, vitiose *Sylvanus* legi dicit: legeremus in epist. ad Rom. 1. *Qui destinatus est Filius Dei*, quod in Commentariis Origenis dicit perperam legi *prædestinatus*: item in epist. ad Tit. 1. *Oportet Episcopum esse sine accusatione*, quod lib adversus Pelag. 1. magis sonare testatur *τὸ ἀνέγκλητον*: in epist. ad Gal. c. 4 *Quoniam indigeo in vobis*, pro *confunder*: rursus ibidem cap. seq. *à Christi opere cessastis*, pro *evacuati estis à Christo*: &, *modicum fermentum totam conspersionem fermentat*, pro *totam massam corrumpit*: quæ in suis corrigit Commentariis. Legeremus in Actis Apostolorum c. 2. *Factus est subito de cœlo sonus quasi spiritus violentus, & implevit universam domum ubi erant sedentes. Apparuerunt que eis lingua dispersæ sicut ignis*, uti scribit cum alias tum in Comment. in Jes. item Act. 27. *Smyrnam* pro *Lystram*, nam *Smyrnam* ponit in Catalogo locorum: & *Lasæa*, pro quo ibidem nonnullos corrupte *Thalassa* legere adserit: & multa alia quæ passim reperire est in ipsius scriptis. Cæterorum autem librorum, nimirum Epistolarum Canonicarum & Apocalypseos, emendationem non esse Hieronymi, ex citationibus tantum convincere possumus à lectione Ecclesiæ discordantibus, quarum aliquot invenias in libris adversus Jovinianum & in Commentariis in Jes. cap. 65. item in epistola quadam ad Euagrium, Tom. 2. cum hoc quod sicuti præfatur in Epistolas Canonicas plura se demutasse in cæteris Canonicis quam in Epist. B. Johannis, ita longe plura invenias loca à nostra lectione dissidentia quæ ex illis quam quæ ex hac citat Johannes. Ex prædictis ergo colligere licet Hieronymi emendationem, si non quoad Euangelia, certe quoad reliquos N. Instrumenti libros, ni fallor, omnes, ut alia non pauca ipsius opera, intercidisse. Quia tamen multa nunc legimus in Latinis nostris uti ipse in suis passim lucubrationibus corrigit, superest fateamur studiosum quempiam & probati hac in re judicii hominem circa Hieronymi tempora recognitionem fecisse librorum reliquorum, nempe eorum quorum recognitionem ab ipso editam videbat non recipi, & fortasse etiam totius Novi Instrumenti; idque inprimis ex ipso Hieronymo, qui in hoc genus studio cæteris fuit frequentior, deinde (ut probabile est) ex collatione tum Græcorum tum diversarum quæ tum ferebantur versionum; & hanc ipsam fuisse à viris eruditis & ab Ecclesia receptam, quippe quæ reperta ac judicata fuerit omnium absolutissima fidelissimaque, nimirum cum Græcis qui tum erant emendationibus antiquioribusque codicibus proxime consentiens, & omnibus, doctis pariter & indoctis, tam in verbis quam in sensu maxime obvia, expolita & intelligibilis, deinde etiam Hieronymianæ recognitioni magna ex parte conformis. Atque hinc liquet qui factum sit ut quæ nos habemus non per omnia cum iis quæ Hieronymus passim vel admonet vel legit consentiant. Quanquam enim Ecclesia ipsius versiones juxta veritatem Hebraicam receperit in libris Vet. Testamenti cæteris fortasse omnibus, non tamen idem fecit in Psalmis quos in Templis decantat, & inter Biblia sacra habet juxta interpretationem Septuaginta; licet interim ipse eosdem magna ex parte Latinos fecerit, seu, ut verius dicam, Latinitate olim donatos emendarit, paucis ad lineam Hebraicam mutatis; cujus tamen emendatio non ubique integre cernitur servata, uti apertum sit ex epistola quam hac de re ad Suniam & Fretelam scripsit. Sic quoque ipsius recognitionem Ecclesiæ autoritas recepit in historia Euangelica, in Epistolis vero Apostolicis, Actis & Apocalypsi (quantum equidem ex ipsius scriptis deprehendere possum) non item. Sed quia nobis adversari videtur quod dictus Hieronymus scribitur Euangelia & Epistolas collegisse ac digessisse Dominicales, sicuti hodie habet Ecclesia, eaque Damasus creditur recepisse ac censuisse ut ita legerentur, dicendum hoc ipsum non legi in scriptis authenticis. Et ut donetur ita esse, dicendum hac in ordinatione servatam esse lectionem Romanæ Ecclesiæ usitatam: nam Epistolæ & Euangelia in Missis legi cœperunt vel à tempore Alexandri Papæ, qui à Petro fuit quintus, aut juxta aliam supputationem septimus. Ut sileam interim me suspicari B. Hieronymum indicem modo quendam ordinasse qui commonstraret quid quo legeretur die, nulla certa ad hoc designata editione; & hunc illum esse qui in multis adhuc cernitur antiquis exemplaribus quatuor Euangelistarum, ipsa duntaxat indicans & certo limite determinans Euangelia, non etiam Epistolas, uti nunc vulgo habetur, additas Novis Instrumentis. Quod fane suspicari me facit quod olim Euangelia pronunciari consueverint ex integro Euangeliorum corpore, sicuti testari ad-

adhuc poſſunt codices in nonnullis cœnobiis in hoc accurate deſcripti. Porro quod Caſtigator noſter Hieronymi placita noluerit ſequi in omnibus, non ſine prudenti conſilio nec ſine certa ratione id ita voluiſſe credendum eſt. Vidit enim quædam per ipſum adnotata taxatave quæ non magni eſſent momenti, & quæ parum aut nihil facerent ad integritatem ſenſus. Vidit ipſum interdum non ſatis eſſe dilucidum; ut dum legit, *Nemo adverſum vos bravium accipiat, volens in humilitate mentis*, vel *ſenſus, & religione angelorum*, in epiſt. ad Col. 2. Sic enim alicubi ſcribit. Vide li. cont. Jovin. Animadvertit eundem reprehendiſſe quædam rationibus non ſatis ſolidis; ut dum in utraque ad Theſſalonicenſes vitioſe legi dicit *Sylvanus* pro *Silas*, ex illo argumentum ſumens quod in Actis Apoſtolorum *Sylvani* nulla fiat mentio. Judicavit fortaſſe (ut alii nonnulli, inter quos fuit & Auguſtinus) eundem Hieronymum in carpendis verſionibus, aliiſque (quod citra tanti viri injuriam dictum ſit) juſto fuiſſe liberiorem præcipitantioremque. Denique probabile eſt quam non omnia viderit quæcunque in ſuis paſſim ſcriptis admonet Hieronymus, atque ita factum eſt ut ab ipſo diffidens ea vel reliquerit vel de ſuo poſuerit quæ judicavit accommodatiſſima. Quæ fere uſque adeo ſunt germana & appoſita ut præſtent non modo iis quæ ſcribunt Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, Ambroſius, Ruffinus, Auguſtinus, verum etiam quæ ipſe interpretatur Hieronymus. Ut e. g. rectius habet quod nobis legitur 2 Cor. 4. 17. *Quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſuper modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, quam quod Tertullianus ſcribit li. De reſur. carnis, *Quod ad præſens eſt temporale & leve ſpiritus noſtri ſupergreſſum in ſupergreſſum æternum gloriæ pondus perficit in nobis.* Rectius eſt, *Cum enim luxuriata fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt*, 1 Tim. 5. quam quod ſcribit Cyprianus lib. ad Quirinum 3. *Cum enim indeliciata fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes judicium, quia primam fidem reprobaverunt.* Aptius eſt, *ſapere ad ſobrietatem*, Rom. 12. quam quod vult Hieronymus, *ſapere ad pudicitiam.* Aptius eſt, *Ne quis vos decipiat per philoſophiam*, Coloſſ. 2. quam quod legunt Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, *ne quis vos deprædetur.* Apertius eſt, *Et illuminabit te Chriſtus*, Eph. 5. quam quod habet Auguſtinus, *& continget te Chriſtus:* & quod Ambroſius, *contigens Chriſtum:* pro quo apte Hieronymus, *& orietur tibi Chriſtus.* Rectius eſt, *Creſcamus in ipſo per omnia*, Eph. 4. quam quod idem Hieronymus cum Ambroſio legit, *augeamus in ipſo omnia.* Rectius eſt, *quod colitur*, 2 Theſſ. 2. quam quod Hieronymus ſcribit, *religio:* atque ita innumera alia. Quis autem hanc Latinæ verſionis reparationem fecerit, & quonam tempore ſit Eccleſiæ autoritate comprobata ac recepta, omnino incertum eſt: niſi quis forte receptam putet tacito ac longo univerſalis Eccleſiæ conſenſu, aut certe ſub Papa Gelaſio circa annum Dom. CDXCV. quod is libros & ſcriptores Catholicos diſtinxerit ab Apocryphis, multaque ediderit ac ſtatuerit ad cultum pertinentia Eccleſiaſticum: quemadmodum & incertum eſt quis vel qui ſint verſionis ipſius autores. Nam totius Novi Inſtr. unum atque eundem eſſe interpretem non mihi fit veriſimile, tum ob alia, tum quod in Actis Apoſtolorum ſermo ſit quam in cæteris non paulo purior atque elegantior. Nec ignoramus idem factum eſſe & ab ipſo Luca, ſed qui ſimiliter hujus duntaxat operis atque unius Euangelii, non etiam cæterorum, ſcriptor ſit. Si quis autem ſcire cupiat quando & à quibus hæc ipſa verſio cœperit uſurpari; Ante omnes hac, necdum tamen recognita, uſi ſunt primarii illi Romanæ ſedis Antiſtites, Anacletus, Euariſtus, Alexander, Xyſtus, Hyginus, Marcellus, cæterique ſuccedentes, quorum Epiſtolæ & Decreta in volumine exſtant Conciliorum 1. idque mox aut non ita diu poſt tempora Apoſtolorum; niſi quod verſio Actorum Apoſtolorum & Apocalypſeos, ſicuti poſtremo loco edita videtur, ita tandem prioris Papæ Urbano, anno Imperii Chriſtiani CCXX, poſterioris vero Ambroſio & Ticonio circa an. Dom. CCC LXXX. primum in uſu fuiſſe videtur. Nam qui hos præceſſit Cyprianus (& ſi qui ſunt alii) diverſam editionem ſecutus videtur. Et quanquam dictæ Epiſtolæ ſcriptæ fortaſſe fuerint idiomate Græco, propterea quod ea lingua tum fuerit vel Latinis ſatis nota tritaque, ut Clementi & Lino, quodque ipſarum autores nonnulli Græci etiam fuerint natione, ut Anacletus & Euariſtus, veriſimile tamen non eſt quin mox ab ipſis per ſuos interpretes literarioſve, aut ab aliis, curatum ſit ut eædem Epiſtolæ haberentur etiam idiomate Latino; maxime cum pleræque omnes ſcriptæ ſint non ad perſonas ſingulares, non ad ſolos Athenienſes, ſed ad fratres omnes, vel ad Eccleſias ſeu fideles omnes (unde & *Catholicæ* dictæ ſunt) vel ad certas provincias eaſque potiſſimum Latinas, vel peculiariter ad regionis alicujus Epiſcopos, i. paſtores. Et ut donemus nonnullos dictorum ſummorum Pontificum ſcripſiſſe Græce, neque mox verſas fuiſſe ipſorum Epiſtolas, quis adfirmare pariter de omnibus idem audeat quotquot fuere ad tempora uſque Cypriani aut Doctorum aliorum, ut ex hoc Cyprianum ipſum aut alium quempiam ex veteribus ſcriptoribus Latinis hac in re dicamus fuiſſe primum. Sed ſi quis perſpiciat quam ſibi ac nobis ſucceſſio illa ſummorum Pontificum tam Græcorum quam Latinorum continuo fere conſentiat, & rurſus quam multa ſint in quibus priſci illi ſcriptores, quamvis probati, & à ſe mutuo, & pariter diſcordent à noſtris, fatebitur, ni fallor, & Vulgatam Eccleſiæ verſionem in uſu ſemper fuiſſe in urbe ſeu Eccleſia Romana, eoque ab ipſa quaſi per manus traditam ad nos uſque dimanaſſe: & quotquot fere fuere ſcriptores alii annis à Chriſto plus minus C ■, tranſlationibus uſos eſſe diverſos diverſis, aut pro ſuo quemque ſenſu mutatis, quanquam interim conſentientibus in multis; ut hinc etiam divinari poſſit alias factas eſſe ex aliis. Quin & hoc ipſum, quod prædicti Papæ Græce ſcribentes longe propius cum noſtra conſonant lectione Latina quam Græcorum lectores poſteriores, argumentum eſt magnæ in noſtra ſinceritatis atque antiquitatis, & contra inſinceritatis in Græcis. Inter eos autem qui ipſa verſione quoad totum Inſtr. Novum uſi ſunt jam plene recognita jamque in orbem promulgata primus, ni fallor, fuit Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis, ſicut colligere eſt ex ipſius lucubrationibus, præcipue autem ex libro Formularum intelligentiæ ſpiritualis, & ex libro Quæſt. N. Teſt. niſi quod pauciſſima quædam ſecus adducat, ex citatione, ut puto, ſcriptorum præcedentium: cujuſmodi eſt illud quod in fine Commentariorum in lib. Reg. adducit ex epiſt. B. Pauli ad Tim. 1. c. 2. *Volo ergo primum omnium fieri deprecationes, orationes, interpellationes.* Deinde quod aliquoties non ita adfixus & curioſus adhæreat verborum foliis, verbis utens cum Interprete noſtro vicinis: quæ libertas communis illi eſt cum omnibus fere veteribus: ut cum in Gen. 9. illud Pauli Epheſ. 2. ita ſcribit, *Qui eratis illo tempore ſine Chriſto, alienati a ſocietate Iſrael, & peregrini teſtamentorum.* Claruit autem hic Eucherius ſub graveſcentem jam ætatem & poſt exceſſum B. Hieronymi, circa annum Domini CCCXC. In epiſtola enim parænetica ad Valer. indicat ſe eandem ſcripſiſſe cum in Italia nimirum Bononiæ Epiſcopum ageret Petronius, qui fato conceſſit anno CCCLXXXV. Et in præfatione prioris libri Inſtructionum meminit Hilarii, qui tum ſummus fuerit Pontifex, qui in volumine ſummorum Pontificum ſcribitur anno CDLXIII. *Hilarius primus.* Illud autem hic admonendum, In hujus libris deprehendi multa ſparſim inſerta ex ſcriptis B. Gregorii; quæ plane ambigere me fecere ne forte ipſe Gregorio fuiſſet poſterior. Verum cum diligentius intueor & dictionis diverſum in hujuſmodi filum, & perſonas vel ad quas vel de quibus ſcribit, adhæc dum catalogos evolvo diſcutioque Scriptorum illuſtrium, non queo aliud deprehendere certius quam Eucherium ipſum fuiſſe ante Gregorium, & quicquid eſt Gregorii aut alterius id tandem adſutum fuiſſe ab alio quopiam, quod fortaſſe Eucherius videretur juſto ſuccinctior. Quæ autem ſint illa adjectitia, ipſa prodit Gregorii phraſis tinnitu gaudentis vocum eodem in colis & periodis deſinentibus. Quanquam ſubdubito de epiſtola parænetica ad Valerianum, ne forte non ſit ejuſdem Eucherii, tum quod tanta eloquentiæ majeſtate cætera omnia

ipſius

ipſius ſcripta excellat, tum quod inibi mentio fiat anni qui tum vertebatur ab ortu Regni Octavii Cæſaris centeſimi octogeſimi quinti ſupra milleſimum. Non auſim tamen his ſolis argumentis negare eſſe ejuſdem, maxime cum reclamet contemporaneus huic (de quo ſuper) Petronius, & hujus epiſtolæ mentio apud Gennadium; & cum vir eruditus & eloquens facile potuerit pro ratione temporis, argumenti, perſonæ vel alius rei elegantior eſſe in hac quam in illa: ut illeam interim ſuſpicionem de corrupta ſcriptura. Redeo nunc ad inſtitutum. Eodem tempore uti ſunt eadem dicta verſione Salvianus Epiſcopus Maſſilienſis, Leo Papa hoc nomine primus, & Proſper Epiſcopus Rheginenſis, & non longe poſt Petrus Chryſologus, Fulgentius, & Gregorius Magnus, quorum vel poſtremus ante annos claruit nongentos quinquaginta. Idem quoque ante hos circa Eucherii tempora feciſſe apparet & Auguſtinum in ſuo Speculo; ubi magnam ponens partem S. Bibliorum, vix uſquam à noſtrate lectione diſcrepat. Verum cum id nuſquam faciat (quod equidem meminerim) in ſcriptis ſuis aliis niſi ubi verba Euangelica tractat, ut in lib. De conſenſu Euang. in ſuſpicionem vocor contextum inibi tandem eſſe mutatum ad formam tranſlationis antiquæ jam reparatæ, quæ recipi & invulgari cœpit ſub ipſo, ni fallor, Auguſtino. Proinde quia prædictorum Patrum alii noſtra verſione recens edita, alii tandem recognita jamque ab Eccleſia, aut certe vulgo, recepta uſi ſunt fere priores, quando magna adhuc erat in ipſa ſinceritas, poſthabitis verſionibus ceteris, quæ teſte Auguſtino l. De doctr. Chriſtiana 2. c. 11. multæ olim fuerunt & diverſæ, ideo hos ipſos, ubi conſuli potuerunt ad reparanda quæ vel temporum lapſu, vel librariorum incuria inſcitiave vel Græcorum codicum contaminatorum occaſione vel correctorum temeritate vel alio quovis caſu vitiata ſunt, maxime duximus conſulendos. Ubi vero nec hi nobis ſatisfaciebant, nec item alii ſimiliter probati & antiqui ſcriptores, imo ubi etiam ſatisfacere fortaſſe potemnt, ad majorem rei certitudinem ad veruſta confugimus exemplaria: Inter quæ (præter alia quæ domi habuimus non pauca) antiquiora celebrioraque fuere, Biblia Sacra Cœnobii Gemblacenſis; ejuſdem Cœnobii tria diverſa exemplaria, quatuor Euangeliſtarum, & unum exemplar Epiſtolas continens Apoſtolicas & Apocalypſim, quo etiam domi uſus ſum; volumen quatuor Euangeliorum Caroli Magni Aquiſgrani; codex Donatianicus Brugis; codex Euangeliorum Elſtenſis in Geldria; codex Corſendoncenſis in Quempinia; codex Aureus Dominæ Margaritæ, pridem Machimiæ, nunc ſervatus Binſii: qui omnes miræ ſunt veruſtatis. Illud tamen hic ſignanter decrevimus admonendum, nos omnino nolle ut quippiam ex hiſce noſtris cenſuris immutetur in Officio Eccleſiaſtico & publica lectione Eccleſiæ, niſi forte ubi eſt manifeſtus error ſcribarum, & niſi id fieri decernat qui authoritatem habeat; ſcilicet ne per nos tale quid contingat quale per B Hieronymum contigiſſe refert B. Auguſtinus in epiſtola quadam ad ipſum, dicens magnum exortum fuiſſe plebis tumultum adverſus Epiſcopum ſeu Paſtorem quendam qui ex Hieronymi interpretatione aliud quippiam auſus fuerit in ſuo templo lectitare diverſum ab eo quod *omnium eccleſiarum memoriaque invetuerat & multarum etiam ætatum ſucceſſionibus decantatum.* Sat eſt ſi eruditiores & Scholæ non ignorent ſi quid ibi ſecus pronuncietur quam oportet. Quædam enim ſatius eſt diſſimulare ac tolerare ubi nullum eſt detrimentum pietatis quam cum tumultu tollere. Sed neque in ipſis quidem Inſtrumenti editionibus quicquam mutatum iri cupimus quod non certis firmamus teſtimoniis, niſi forte aliunde ſatis conſtet, ut ob id ſupervacaneum putaverimus explorata probare. Quædam enim admonemus & indicamus modo, non autem cenſemus. Vale, candide Lector; Quem impenſe atque ex animo apprecor & obſecro, ut ſi quid rectius, exploratius, conſummatius, aut habes ſolidius, nobis velis benigne communicare; noſque in hoc ſtudio, ſi quod potes, in publicam utilitatem haud dedigneris juvare.

Pariſiis, Anno 1553.

Nobiliſſimo & modis omnibus generoſiſſimo Juveni,

PHILIPPO SIDNEO,

HENR. STEPH. *S. D.*

ANNUS agitur jam tertius, generoſiſſime Philippe, poſtquam Græco libello, vel potius libellulo, qui recentis amicitiæ pignus eſſet, te donavi: nunc quoque Græcum hunc libellum, illius confirmandæ ergo, munus, aut munuſculum ſaltem, à me habebis. Sed illum tibi libellulum Argentorati præſens præſenti de manu in manum dedi: hoc autem munuſculum eodem me offerre modo vetant

- - - μάλα πολλὰ μεταξὺ
Οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχήεσσα.

Ille libellulus, quod eadem qua porrigebatur manu ſcriptus eſſet ſummopere tibi placebat; & quod ad aliquam literarum elegantiam tanta tenuitas accederet ut in eo velut certamen de oculorum acumine propoſitum eſſet, hæc quoque novitas eum tibi commendare videbatur. Hunc tamen libellum non minus gratum tibi quam illum fore confido, typographicis quidem literis, ſed non infeliciter meam illam manum imitantibus, exaratum. Adde quod in illo opus materiam ſuperare dici poterat, in iſto contra opus à materia longe ſuperatur. Ibi enim egregias ſententias & ſapientia refertas, ſed humana illa quidem, accepiſti: hic non tantum ſapientes ſententias, ſed ejus ore qui ſapientiæ & dux & autor humano generi eſt, pronuntiatas accipies. Illic ſententiæ erant quæ ad hanc vitam recte inſtituendam pertinent pro humanæ prudentiæ captu (quæ ex D. Paulo σοφία vel βιωτικὴ appellari poſſet) hic ſunt illæ quibus ad prudentiam πνευματικὴν erudimur, & hanc fragilem atque caducam vitam cum immortali beatitudine commutare docemur. Verum quodcunque ſit inter hoc & illud munus diſcrimen, à quo tamen animo tum temporis illud profectum eſt, ab eodem nunc iſtud pro-

proficiſcitur, nimirum tibi gratificandi ſuamque in te benevolentiam teſtandi cupidiſſimo: magis quidem certe (ut ingenue fatear) quam tum temporis cupido. Factum eſt enim neſcio quomodo ut quibus te videre & tua conſuetudine frui datum fuit intervallis, magis ac magis propenſam meam in te voluntatem ſenſerim. Heydelbergæ primum videre te mihi contigit, aliquantò poſt Argentorati; longo poſt tempore, Viennæ Auſtriæ: ſed Argentorati magna facta eſt acceſſio ad illum amorem quo te Heydelbergæ proſequebar: Viennæ rurſum is etiam quo te Argentorati proſecutus fueram magnum incrementum cepit. Nec mirum ſane meum illum in te amorem ita creviſſe, cum tuæ quæ eum excitaverant ingenii dotes non parum creviſſe viderentur. Atque utinam creſcere non deſinant donec talis tantuſque evaſeris ut tuæ etiam Angliæ celebritas incrementum à te accipiat. Illius quidem certe amoris in te mei, vel potius meæ propter eum quo te proſequor amorem obſervantiæ, mnemoſynum prius in privato obtuli, poſterius hoc quod tibi in publico offerretur dignum judicavi; cum ſcirem te minime recuſaturum quin ea quæ ex iſto labore meo percipi poſſet utilitas cum omnibus qui literas Græcas & ex Græcis potiſſimum ſacras in deliciis habent communicaretur; atque adeo vel me renuente id eſſe facturum. Pudebat me equidem, cum pater meus illis toties operam & ſtudium navaſſet variis Teſtamenti Novi Græci editionibus (quarum elegantiæ magna magno etiam illi Regi Franciſco cui primo fuit hoc nomen habenda eſt gratia) ac poſtremo illam ſingulorum hujus libri capitum in certum verſuum numerum diſtributionem excogitaſſet, niſi & ipſe ſymbolam meam (nolo enim cum barbaris *ſymbolum* meum dicere) conferrem, ab illo videri degenerare. Sed magnam laboris paterni, i. illius ſeu diſtributionis ſeu diviſionis ab eo excogitatæ, eſſe utilitatem, univerſi propemodum Chriſtiani orbis in ea amplectenda conſenſus, quacunque Teſtamentum Novum excudatur lingua, ſatis ſuperque teſtatur: at mei laboris fructus ad eos tantum qui Græcæ linguæ ſtudioſi ſunt, & hunc ſacroſanctum librum ea ipſa qua ſcriptus fuit lingua lubenter legunt, pervenire poteſt. Quantuſcunque autem, vel potius quantuluſcunque is ſit, aliquam me ab illis gratiam inituruni, & veniam etiam, ſicubi non ſatisfeciſſem, conſecuturum ſperavi. Aliquot certe locorum interpretationes, interdum temporis, nonnunquam marginis angultiis excluſus prætermiſi. Diligentiam ſaltem non deſuiſſe, pro eo quod à variis occupationibus, typographicis præſertim, aliiſque ſcriptionibus ſupereſſe poterat tempore, fatebuntur (niſi me animus fallit) quicunque & Græcæ linguæ periti & in lectione Teſtamenti Novi exercitati, non ex aliqua mearum interpretationum parte, quam mente non minus quam oculo properante percurrerint, ſed ex attenta totius operis lectione judicium ferre volent. Non ſolum autem otium ſed etiam præſentia Theodori Bezæ mihi defuit: cum enim de multis in quibus hærebam locis conſulere, magno eorum qui hæc mea lecturi ſunt commodo, potuiſſem. Quem certe virum magis mirum eſt in tam multis locis tenebras à veteri interprete primum deinde & ab aliis relictas diſcutere, verum eorum ſenſum aſſequendo, potuiſſe, quàm in aliquibus idem non præſtitiſſe: ſed tam multos eſſe qui cum ex ejus laboribus tantam percipi utilitatem videant, illis tamen invideant, & cum multa quæ ab eo partim in interpretatione partim in Annotationibus ſcripta ſunt non comprehendant, ea nihilominus reprehendant, id vero multo etiam majori admiratione dignum eſt. Videmus profecto certo Dei Optimi Maximi conſilio factum eſſe ut certis temporum intervallis lux huic operi, quantum ad ejus interpretationem attinet, tanquam per quoſdam gradus accreverit. Nam cum quem *Veterem interpretem* appellare moris eſt & valde rudem & parum in locis plurimis fidelem interpretationem reliquiſſe nemo eſt hoc tempore qui negare auſit, cui tamen ſi nihil debere nos dicamus, ingrati ſimus. Illud certe in eo valde laudo, quod prætermittere quædam quam ea quæ vertere debebat pervertere maluerit. Sic enim quandam ſententiam prætermiſſam fuiſſe, quæ eſt 1 Cor. 7. 35. ob interpretationis difficultatem teſtatur Hieronymus. Tanto autem magis noſtro ſeculo Interpres ille reviviſcens gratularetur ſi tantam tot locis allatam lucem videret quos adeo obſcuros reliquerat: ſed viciſſim majorum noſtrorum vicem doluiſſet, ſi tum ſuperveniſſet cum hæretici vocabantur qui in ejus interpretatione, Lucæ 15. *everrit domum* pro *everrit domum*, itidemque Act. 9. *ſubmittentes in porta* pro *ſubmittentes in ſporta* mendoſe ſcribi monebant, & cum *hæreticum hominem devita* pro *hæreticum talle è vita* dixiſſe exiſtimabatur. Sed quantum illorum hominum qui nec *everrit* pro *evertit*, nec *ſporta* pro *porta* reponi ſinebant plenam ignorantia ſuperſtitioſa timiditatem deploraret, tantum profecto eam quæ in hoc noſtrum ſeculum erupit non irreligioſam tantum ſed religionis profanatricem audaciam deteſtaretur, quæ in interpretando hoc ſacroſancto opere τὰ ἀκίνητα κινῆσα non ſolum pro *idolis Deaſtros*, & pro *idololatris Deaſtricolas*, aliaque id genus multa, ſed *Genios* etiam pro *Angelis*, pro *Baptiſmo lotionem* (ſicut *lavare* pro *baptizare*) & *fiduciam* pro *fide* paſſim dixit: quinetiam, ut ſe lubenter portenta & monſtra loqui oſtenderet, *portentifici* dicere non dubitavit, 1 Cor. 12. item, *Apoſtolorum opera multa monſtroſe prodigioſeque fiebant*, Actor. 5. tam multa denique novavit ut Teſtamentum hoc ſic interpretatum alio etiam ſenſu *novum* appellari poſſit. Deteſtaretur, inquam, ille hanc audaciam, & exclamaret fortaſſe,

- - - - ἐκὰς ἐκὰς ἔστω βέβηλοι.

At in meis contrà interpretamentis non τὸ φιλόκαινον ſed potius τὸ φιλόκαλον cernetur: quod ei conveniebat qui juvandæ Eccleſiæ ſtudio hoc quicquid eſt laboris ſuſcepiſſet: Quam etiam, ſicubi allucinatus ſum, veniam mihi dare, & locos illos in quibus ἀπέτυχον iis in quibus ἐπέτυχον condonare velim. Atque hic finem faciens, te valere, & Deum ſua in te χαρίσματα in dies augere opto.

E *Grieriana* noſtra villa.
8. Calend. Mart.
anno 1576.

gitized by Google

HENR. STEPHANI

Exhortatio ad lectionem librorum

NOVI TESTAMENTI:

& Deſcriptio illius vere ſummi boni quod CHRISTUS ſe naſcentem, morientem & reſurgentem nobis peperiſſe, illis à ſe obſignatis Federis Novi tabulis teſtatum reliquit.

Τὴν τριτόθητον ὁρᾷς καὶ τὴν πολύευκτον ἐκείνην,
Κείνην τὴν γλυκερὴν καὶ τὴν πολυτερπέα δέλτον,
Ἔνθεος ἣν ἐχάραξε θεοπνεύστων χορὸς ἀνδρῶν,
Ἡ μεγάλοιο Θεῦ πραδίην οἰκτίρμονα Φαίνει
Πᾶσιν ἁλιτροῖσιν, καινῇ δέ τε πᾶσιν ἀνοίχθη
Ὅσσους ἡελίοιο κατευγάζουσιν ὀπωταί.
Ἡ μὲν γὰθεσσι Φερέσβιον ἦδος ὀτάζει,
Καὶ τὴν ἐλυμκόνδε καὶ εἰς αἶδκο Φέρουσκν
Δείκνυσιν, ὄφρα Θεῦ κατεναντίον ἄμμε καθίζῃ.
Νήπιος ὃς δέλτου ταύτης ἀπὸ θυμὸν ἐρύξας,
Μαζεύει θνητῆς σοφίης ἁλιτήμονα θεσμόν.
Νήπιος ὃς Φέγγους συγγνὴν προβέβουλεν ὁμίχλην,
Ἡ Φάος ἱμερόεν μέσῃ ἐνὶ δίζεται ὄρφνῃ.
Εἰ γὰρ καὶ πάσης σοφίης ἐπὶ μέτρον ἵκοντο,
Γράμμασι δ' ἅσσα Θεὸς μυςήρια τοῖς δε διδάσκει,
Τῶν δ' ἀμύητος ἔοι, σκοτίην πέρι δειλὸς ἁλᾶται,
Νηπιάχης ἀχέων, κενεοῖς δὲ σύνεσιν ὀνείρους.
Ὅς δὲ βίβλου λαγίαν ταύτης δεδεγμένος ἐςὶν,
Εὗρε Φάος γλυκερὸν, γλυκερῇ συνοπαδὸν ὁμαρτῆν
Ἐλπίδι, εὐΦροσύνην μὲν ἡ πρατίδεσσιν ἀέξει,
Εὐφροσύνην πάσης ἀμογῇ μελεδώνος ἀνηρῆς.
Καὶ μένος ἀμΦιχυθεῖσα τόσον ςήθεσσιν ἐγείρει,
Ὅς τέ τιν' ἠ Φαέθοντα, καὶ ἠ Βάσιρις ὁμοκλῶν,
Οὐ βρόχοι, ἠ πλοκαὶ, ὅτε ξίΦη, ἠ πυρὸς ὁρμὴ,
Οὐχ ἕτεραι κρυερῶν βασάνων ἐβρόμσεν ἀνάγκαι.
Δὴ γὰρ δίζυγὸν βίοτον βίου εἶδεν ἀμείβων
Ὀλβίου, ἀϊδίου, ἐγκαθῶν πλέου αἰὲν ἐόντως
Ὄντε μόρος Χριςῷ, Χριςῷ συσίμβροτον αἷμα
Δωρεῖται, βροτέῃσι καθάρσιον ἀμπλακίῃσι.
Χριςῷ, ὃς ἡμερίοις ὁλοσιμβρότου ἄμματα βήξων
Δαίμονος, ἦλθ' ἐπὶ γῆν, καὶ σωῆνος γῆς ὅτι εἶτε,
Ἀμπλακίης ἔξω, τἄλλ' εἴκελον ἡμετέροισι,
Σύνδρομον ἐκτρολιτὼν ἔδος ᾧ πατρὶ ὑψιμέδοντι.
Λιμςῆρσι δ' ὁμῶ ςαυρὸν ποτὶ γυῖα πέπαρται,
Ὡς καὶ ἀναίτιος ὤν, ἁλιτήματος ἀνδρομέοιο
(Πατρὸς ἐῢ βουλῇσι) κακὴν ἀποτίνει ἀμοιβήν.
Ἀλλὰ θανὼν ἀνόρουσεν ὑπὲκ τύμβοιο τρετοῖος
Γῆν τε λιτὼν μετέπειτα, Φέρων ἔτι σάρκινον ὄγκον.
Οὐρανὸν εἰσανέβη παλινόςιμος ἀστερόεντα.
Οὐρανὸν εἰσανέβη, ὁλοὸν δεσμοῖσι πεδήσας
Δαίμονα, τοῖς ἡμᾶς δολερῶς ἡμελλε πεδῆσαι·
Σὺν κείνῳ δορίλητον ἄγων πολὺν ἄλλον ὅμιλον,
Τὸν τ' Αἴδην, Θάνατόν τε, καὶ Ἀμπλακίην ἀλεγεινὴν,
Τόν τε Νόμον τελεταῖσιν ἀγαλλόμενον πολυμόρφοις.
Κεῖθι δὲ δεξιτερῇΦιν ἐῷ πατρὶ κάθηται.
Πᾶσι δ' ἐπασυμίην ἐπαληθεύουσιν ἀπ' αὐτῆ,
Θυμὸν ἐπαυείει πρατερόΦρονα καὶ μένος ἀδρὸν,
Οὐρανόθεν πρὸς ἀγῶνας ἐΦεπλίζων πολυμόχθους·
Ἔςτε δαμασσόμενος καταβῇ πάλιν, ἂν ἀδόκητος,
Τοῖς τ' ἤδη δολιχὸν βιότου διὰ πάντα δραμοῦσι,
Τοῖς τ' ὕστω βιότου πολυτευόμενοι ἐν χθονὶ τέρμα·
Καὶ ἐσθλοῖς μὲν ἰῆς μεταδῷ βασιληίου ἀρχῆς,
Ἄσπετον εἰς αἰῶνα τεθεὶς ναετῆρας ἀλύπτου,
Τοὺς δὲ κακῶν μακτῆρας ἐλᾷ ἐς τρηχάρου ὄρφνην.
Ταῦτα τὰ παλαὶ πέλει παιδεύματα καὶ βάδυρα,
Ὧν οὐδ' ἔστιν ἕνερ σοφίη γε διδάσκαλος ἡ μὴ,
Ἀλλ' ἡ Χριστιανῷ δέλτος πολυήρατος ἥδε,
Σειρήνων πολλῷ λιγυρωτέρη ἅπασι δέλτος,
Χρυσοτέρη χρυσοῖό τεῳ' ὁμμασι Χριστιανοῖσιν,
Ἔνθεος ἣν ἐχάραξε θεοπνεύστων χορὸς ἀνδρῶν.

HENRICI STEPHANI

De hac ſua editione Teſtamenti Novi,

AD LECTOREM PRÆFATIO.

IN hac editione Teſtamenti Novi conatus ſum, Lector, adſcriptis margini obſcuriorum vocum & quorundam loquendi generum partim meis partim aliorum interpretamentis, deſiderio quorundam ſatisfacere, qui nondum tantum in Græcæ linguæ cognitione progreſſum fecerunt ut ſine cortice (quod proverbio dicitur) natare poſſint. Memineram enim me audiviſſe qui dicerent ſe in Teſtamenti Novi exemplari quod circumferrent lubenter interpretatione, præterquam in rarioribus nonnullis aut alioqui difficilioribus vocabulis, carituros: ut hoc eos ad tentandas vires ſuas, quoties Græcarum literarum ſtudium recolere vellent, impelleret. Cum igitur illis gratificari vellem qui nec ubique nec nuſquam interpretis operam requirunt, iis potiſſimum locis hoc officio functus ſum in quibus hæſuros eſſe illos ſuſpicabar, aut alioqui, ne propter ambiguitatem aliquam à recta via aberrarent, interpretatione opus eſſe videbam quæ regendis illorum veſtigiis (ſicut filum rexiſſe veſtigia Theſei dicitur) apta eſſet. Eſſe tamen quoſdam ex hujuſmodi locis fateor in quibus illi tali auxilio deſtituantur, quod mihi vel per temporis vel per marginis anguſtias idem in illis quoque præſtare non licuerit. In multis certe Marci, qui habet quæ apud Matthæum iiſdem verbis leguntur, prætermiſſa conſulto fuit interpretatio, quod lectorem ejus quæ apud Matthæum eſſet memorem fore ſperarem, aut, ſi memoria illi eam non ſuggereret, inde repetere poſſe ſcirem.

Cæterum cum eæ quibus me illis opitulatum eſſe dico interpretationes partim meæ partim aliorum ſint, harum quidem ratio ab ipſorum autoribus repoſcenda tibi erit (plurimorum quidem certe, quæ ex Th. Beza ſumpta ſunt, rationem tibi doctiſſimæ illius Annotationes reddent: quem virum non minus perſpicacem in emendanda Eraſmi translatione fuiſſe, quam hic in emendanda Veteris interpretis fuerat; vident etiam ii qui tantum honorem illi invident) at mearum ut ipſe rationem reddam æquum eſſe non ignoro. Sed cum librum de dictione

ſeu

Digitized by Google

ſeu ſtylo Teſtamenti Novi daturum me promiſerim, & in eo quam fallantur ii qui in his ſcriptis inculta omnia & horrida eſſe putant oſtenſurum, provinciam illam in idem tempus rejiciendam cenſui, quo vel amici alicujus *ὑπομνήσεις* vel *δευτέραι Φροντίδες* attentiorem me & cautiorem reddere poterunt. Has quidem certe poſteriores *Φροντίδας* aliquid mihi attuliſſe ex quo meum Theſaurum Græcæ linguæ edidi, & à duorum trium ve locorum Teſtamenti Novi interpretationibus, quas illic ſecutus eram, aliquantum hic deflexiſſe ingenue fateor.

Mirum vero eſt quoſdam qui de ſermone quo uſi ſunt Euangeliſtæ & Apoſtoli ita ſentiunt ut dixi, non animadvertere ſe vel ab ea quæ eſt in exprimenda Latine vi quorundam vocabulorum & loquendi generum difficultate refelli. Non pauci enim ſunt loci in quibus interpretandis non alia de cauſa valde laboratur quam quod ſelectis & valde ſignificantibus uſi ſint vocabulis. Ac ne longe abeamus, verbum *παραδειγματίσαι*, quo Matthæus capite primo utitur, tale eſſe dico ut nullum ſignificantius ab ullo ſcriptore Græco afferri potuerit. Si enim verba cætera quæ ad eandem ſignificationem pertinentia Græcus ſermo habet examinare libeat, nec *ἐκθεατρίζειν*, nec *ὑβριστεύειν*, ſive *κατασυλᾶσθαι*, neque *περιφέρειν*, neque periphraſes iſtæ, *ἀτιμίαν περιάπτειν*, & *αἰσχύνην περιάπτειν* ita convenire rei illi declarandæ comperientur quam Euangeliſta declarare voluit. Adde quod vocabulum illud *παραδειγματίζειν* quam ullum horum antiquius eſt, & quo non Plutarchus tantum ſed & Polybius in paucis etiam qui ſuperſunt libris aliquoties uſus eſt. Sed quo major eſt verbi hujus energia atque emphaſis, eo eſt difficilius vim ejus Latinis verbis aſſequi. Redditur enim *traducere*, item *infamare*, nec non *ignominiæ exponere*, quæ talia ſunt ut nihilo magis illam Græcam vocem *παραδειγματίζειν* repræſentent quam *καταισχύνειν*, vel *διαβάλλειν*, vel *ἀτιμᾶν*, ſive *ἄτιμον ποιεῖν*, vel *ἀτιμίαν περιάπτειν*, ſive *ἀτιμίᾳ περιβάλλειν*, aut *ὀνείδει* (licet plurali numero potius jungi verbum hoc in iſta ſignificatione videatur) vel *ὄνειδος προσῤῥίπτειν*. At vero cum dicitur *in eam exemplum ſtatuere*, vel *edere*, verbi quidem hujus derivatio oſtenditur, ſed hæc ipſius Judicis eſſe potius videntur. Ideoque malui periphraſi longiore exponere, *probro afficere, quaſi exemplum in ea prabendo aliis*. Potuiſſem vero & ita brevius, *probro afficere, quod exemplo eſſet aliis*. Sed ne hæ quidem interpretationes meæ mihi ſatisfaciunt, præſertim cum illud idem poſſe illis opponi videatur.

Multo autem minus quaſdam elegantias aſſequi interpretatione ſua quiſquam poſſit, quæ cum aliis in rebus tum in paronomaſia verſantur, ſeu paromœoſi: ut 2 Theſſ. 3. 11. *μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους*: ubi Vetus interpres, *nihil operantes, ſed curioſe agentes*: alii, *nihil operis facientes, ſed curioſe agentes*. At ego ita quidem ſum interpretatus ut paronomaſia itidem uterer, ſed quæ nec gratiam nec vim Græcæ exprimat. Nulla enim aptior in mentem venire mihi potuit interpretatio quam hæc, *nihil agentes, ſed curioſe ſatagentes*. Uſus eſt ita compoſitis ſimilibus, 2 Cor. 10. 12. *Οὐ γὰρ τολμῶμεν ἐγκρῖναι ἢ συγκρῖναι ἑαυτούς τισι τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων*. Hoc autem tam eleganter & tam proprie dictum eſt ut nihil ſupra. Sed quæ Latina verba invenientur quibus hæc cum aliqua itidem paronomaſiâ exprimantur? (niſi potius paromœoſis appellanda eſt hæc in verbis ſimilitudo.) Vix equidem inventum iri arbitror: neque certe interpretum verba quicquam tale habent. Ego autem nullam loco illi interpretationem adſcripſi, cum ne mihi quidem duo verba quæ itidem paromœon efficerent in mentem venirent. Videndum tamen an hac periphraſi adumbrare ſaltem potuerim, *Non enim audemus in numerum illum nos inferre, aut cum illis conferre*. Talis eſt & hic locus, 2 Cor. 4. *ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι*. Sed hic quoque Vetus interpres iſtam vocum affinitatem nullo modo expreſſit, *aperiamur, ſed non deſtituimur*. Sic etiam qui reddidit, *laboramus, at non deſtituimur*. Contra is qui ſic vertit, *baſitamus, at non prorſus hæremus*. Ego ita, *dum premimur difficultatibus, ſed non opprimimur*. Sed profecto utriuſque etiam noſtrum interpretatio à gratia & energia illorum Pauli verborum longe abeſt. Alias obſervavi hujus generis *παρομοιώσεις* ſane quam elegantes: ex quibus una quæ Act. 8. legitur, non itidem negotium interpretari volentibus exhibet, *ἀρά γε γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις*; Quid quod ne Apocalypſis quidem hac ſermonis venuſtate deſtituta eſt? Scriptum enim eſt, c. 13. *εἴτις αἰχμαλωσίαν συνάγει, εἰς αἰχμαλωσίαν ὑπάγει*: ubi etiam annotavi deeſſe fortaſſis præpoſitionem *εἰς* ante prius *αἰχμαλωσίαν*.

Alicubi autem non ſimile verbum ſubjungitur, ſed idem repetitur, & quidem in diverſa etiam ſignificatione: ut Joan. 2. in fine, *πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ*, & paucis verbis interjectis, *αὐτὸς δὲ ὁ Ἰησοῦς οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς*.

Quinetiam, licet interjectis pluſculis, idem verbum conſulto repeti videtur, aut certe pro activo paſſivum, vel vicißim: ut 1 Pet. 2. *Ἰδοὺ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον ἀκρογωνιαῖον*. Aliquanto poſt, *οἱ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ ἀπειθοῦντες· εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν*. Videtur enim in oppoſitione uſus de induſtria eſſe Apoſtolus hoc verbo potius quam alio, nimirum alludere volens ad id quod dixerat. Sic etiam Act. 7. *καὶ ἐστράφησαν ταῖς καρδίαις αὐτῶν εἰς Αἴγυπτον*, & aliquanto poſt, *ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς, καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν*, &c. Nam hic ſive *ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς* reddatur, *Avertit autem ſe Deus*, ſive (ut interpretatus ſum) *Vertit autem eos Deus*, agnoſcenda videtur eſſe in verbo *ἔστρεψε* alluſio ad illud *ἐστράφησαν*. Sic autem reddens intellexi Deum mentem illorum vertiſſe, eo ſenſu quo dicitur mens alicujus eſſe verſa. Quam tamen interpretationem pertinaciter tueri nolo: ſed hoc tantum dico, eam tenendo poſſe accuſativum ſequentem *αὐτοὺς* non minus huic verbo quam alteri jungi, at vero *ἔστρεψε* pro *ἔστρεψεν ἑαυτὸν* dure dictum videri. Potius certe *ἐστράφη* pro *ἔστρεψεν ἑαυτὸν* dicendum fuiſſet; ſicut paſſim *ὑποτάσσεσθαι* in his N. Teſt. ſcriptis obſervavi poſitum pro *ὑποτάσσειν ἑαυτὸν*, atque ita ſum interpretatus.

Ne id quidem mirum eſſe debet ſi eadem verba vel eadem loquendi genera duobus aut etiam pluribus locis adhibeantur; præſertim cum hoc in iis potiſſimum fiat quæ emphaſin quandam ſeu energiam habent, aut alioqui ſunt valde *κύρια*. Dedi autem operam quantum potui ut idem verbum eodem modo interpretarer (quamvis alios non itidem hujus rei rationem habuiſſe viderem) ubi de eadem re vel ſimili agitur. Interdum vero locorum hujuſmodi collatio meæ interpretationi velut viam ſtravit. Exempli gratia, cum conſiderarſiem, Act. 5. legi, *Οἱ δὲ ἀκούσαντες διεπρίοντο, καὶ ἐβουλεύοντο ἀνελεῖν αὐτούς*· itidemque c. 7. *Ἀκούοντες δὲ ταῦτα διεπρίοντο ταῖς καρδίαις αὐτῶν, καὶ ἔβρυχον τοὺς ὀδόντας ἐπ' αὐτόν*, nequaquam *διεπρίοντο* verti *frendebant*, ſed utrobique *cor illis findebatur*; & ex uno loco ad alterum remiſi: quem morem & in pleriſque aliis locis ſervavi, lectoribus non parum utilem futurum. Sed quis Latinorum ita loquitur? Certe etiamſi nullus ita loqueretur, potius tamen ita reddendum eſſet, cum id ſignificet verbum *διαπρίεσθαι*, alteri autem ſignificationi adhibeatur activa vox, & quidem ſimplicis potius quam compoſiti; ut Celſus dixit *ſtridere dentibus* quod Hippocrates *πρίειν ὀδόντας*· ſed non ſine exemplo tamen hic ita locutus ſum. Legimus enim in Plauti Bacchidibus,

Heu cor meum & cerebrum, Nicobule, finditur,
Iſtius hominis ubi ſit quaque mentio.

Sed hunc locum eſſe ex illis unum fateor ubi *δευτέρα Φροντὶς* aliquid ad ea quæ in meo Theſauro Græcæ linguæ obſervaveram adjecit. Cæterum animadvertendum eſt quod dico, me eadem eorundem verborum interpretatione uſum eſſe ibi demum ubi eadem de re vel ſimili agitur. Alioqui enim eadem verba valde diverſis & ipſe modis reddidi: ex quibus ſunt *περισσεύειν* & *ὑστερεῖσθαι*. Nam cum aliam aliis locis interpretationem horum verborum dedi, tum vero cuidam Pauli, ubi opponuntur, peculiarem: iſti videlicet qui eſt 1 Cor. 8. 8. *Βρῶμα ἡμᾶς οὐ παρίστησι τῷ Θεῷ· οὔτε γὰρ ἐὰν φάγωμεν, περισσεύομεν· οὔτε ἐὰν μὴ φάγωμεν, ὑστερούμεθα*· hic enim *περισσεύομεν* red-

reddidi *aliquid hinc nobis accedit*; viciſſimque ὑστερούμεθα, *aliquid nobis decedit*. Sed verba quædam ſunt in quibus diverſum interpretationis genus ſignificationem minus, nonnulla in quibus plus immutat; ut in σωφρονεῖν, quod alicubi ad Prudentiam referendum eſſe mihi viſum eſt, ſicut σωφροσύνης verti *mentis ſanæ*, Actor. 26. at vero in verbo σωφρονίζειν vertendo laboraſſe me fateor in iſto epiſtolæ ad Titum loco, 2. 4. Ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας, Φιλάνδρους εἶναι, Φιλοτέκνους· nam neque ſignificationem plane novam dare volebam huic verbo, neque uſitatam accommodare illi poteram. Mediam igitur quandam viam tenens ita reddidi, *ut adoleſcentulas* [ſive *juvenculas*] *caſtigatione ſua doceant eſſe virorum & liberorum amantes*. Sic certe & aliis in locis quod aſſequi verbo ſolo non potui, verbali adjuncto illi aſſequi conatus ſum. Quod ſi & de Φρονεῖν aliquid dicendum eſt, quod hæc præcedit, ei quoque non eandem ubique interpretationem dedi: verum ubi à Paulo repetitur de una eademque re agente, volui contra uno eodemque modo interpretari; quinetiam nominis Φρόνημα interpretationem ad illam quam verbo Φρονεῖν dederam accommodavi: ut Rom. 8. cum enim hic, οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆς σαρκὸς Φρονοῦσιν, verbum Φρονοῦσιν vertiſſem *cogitant*, & addidiſſem, Vel, *ſapiunt*; eodem modo in ſequente verſu τὸ Φρόνημα τῆς σαρκὸς verti *quod cogitat caro*, adjiciens, Vel, *quod ſapit*. Potuiſſet alioqui (ut opinor) reddi etiam *ſenſus carnis*, ut v. 27. ejuſdem capitis, τὸ Φρόνημα τοῦ πνεύματος, *ſenſus ſpiritus*. Cum autem ſicut in Græco ſermone una eademque vox retinetur, in Latina quoque interpretatione ſervatur, ea certe in re multum conſuli iis potiſſimum videtur qui, cum Græcæ linguæ ſint imperiti, Latinæ acquieſcere interpretationi neceſſe habent: nam inde hoc ſaltem colligunt, eodem vocabulo Græcum ſcriptorem uti, ideoque locum unum cum altero debere conferri. Quam ob cauſam & 1 Cor. 12. 6. participium ἐνεργῶν & nomen verbale ἐνεργήματα ita ſum interpretatus ut vides; ſic tamen ut mihi non ſatisfecerim, & aliud verbum Latinum cujus verbale Græco itidem verbali reſponderet deſideraverim. Verum ut ad verbum Φρονεῖν redeam, ſunt certe & quidam alii loci ubi Φρονεῖν videtur commode poſſe reddi verbo *ſapere*, eo modo quo dixit Horatius,

Nil parvum ſapias, & adhuc ſublimia cures,

quidam ubi *ſentire* aptius eſſe videtur: ut Gal. 5. 10. Ἐγὼ πέποιθα εἰς ὑμᾶς ἐν Κυρίῳ, ὅτι οὐδὲν ἄλλο Φρονήσετε· licet Vetus interpres hic quoque *ſapietis* dixerit. Quid vero dicendum eſt in mentem veniſſe illi qui Φρονήσετε putavit hic eſſe *ſentietis*, eo ſenſu quo dicitur *aliquid mali* vel *doloris aliquem ſentire*? Interpretatur enim, *quod nihil aliud mali ſenſuri ſitis*: & addit, *nihil aliud mali vos paſſuros eſſe*. Equidem ſi novi quidpiam afferre cupiebat, alibi quam hic quærendum erat.

Suppeditant autem vel hujus unius verbi Φρονεῖν compoſita amplam eos qui omnia inculta & horrida eſſe in ipſo etiam Paulo queruntur refellendi materiem; ſimulque in illis exemplum habemus ejus quam dixi Græca Latinis aſſequendi difficultatis. Nam ut de ὑψηλοφρονεῖν taceam (ex cujus oppoſito ταπεινοφρονεῖν factum ταπεινοφροσύνη in aliquot hujus libri locis exſtat) quid elegantius dici quam hoc poteſt? Μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν; quid vero in tota Latinitate eſt quo vel adumbrari hæc elegantia poſſit? Nimirum ſi hæc venuſtas in aliquo ex profanis ſcriptoribus occurreret, ad cernendam illam multi Lynceos oculos afferrent, eam in Apoſtolo non magis quam ſi eadem qua Hypſeas aut Tireſias cæcitate præditi eſſent cernunt. Sic etiam quibuſdam aliis in locis ſimplici verbo compoſitum non ſine gratia adjungit; cujus rei exempla ſunt in pleriſque illorum quos antea protuli, in quibus videlicet paromœon eſſe dixi. Ac poſſet fortaſſis illis hoc adjici, Rom. 2. ἐν ᾧ γὰρ κρίνεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις· ubi ſi vertamus, *Nam hoc ipſo quod damnas alterum, teipſum condemnas*, perinde erit acſi Paulus utrobique κατακρίνεις dixiſſet: quod ſi diverſis in Latina itidem interpretatione uti libeat, poterimus ita reddere, *Nam hoc ipſo quod judicas alterum, adverſus teipſum judicium fers*: vel, *Nam hoc ipſo quod alterius judicem te prabes*: nam & Cicero ita loquitur. Sed ex præcedente intelligendum erit quod conſequitur, non aliter quam ſi diceretur, *Hoc ipſo quod te alterius judicem prabes, & illum damnas*: vel, *& quidem ita ut illum damnes*. Illi porro loco addi hic poteſt, ubi tamen vice verſa compoſitum ſimplici præponit, 1 Cor. 11. 3. εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα· quæ etiam ita reddidi ut ex mea interpretatione patere poſſit utrumque verbum Græcum ad eandem ſignificationem pertinere: eſt enim hæc, *Si dijudicaremus nos ipſos, non exerceretur in nos judicium*. Eſt autem hoc verbum διακρίνειν, ſicut & paſſivum διακρίνεσθαι, ex iis quæ diverſe pro loco interpretanda ſunt.

Sed quoniam ubi differere de locis cœpi in quibus eadem verba eodem modo vel contra diverſe ſint interpretanda, illorum alicubi collationem velut ducem meæ interpretationi fuiſſe aut certe viam illi ſtraviſſe dixi, quanta ex hac collatione utilitas pariter & voluptas percipi poſſit, exemplis aliquot ex Paulo duntaxat ſumptis (licet ex aliis quoque non deſint) declarare libet. Legimus 1 Cor. 9. Οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες, πάντες μὲν τρέχουσιν, εἷς δὲ λαμβάνει τὸ βραβεῖον; οὕτω τρέχετε ἵνα καταλάβητε· item Col. 2. 18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω· quis non utrobique eandem metaphoram & ad eandem rem pertinere dicat? Hinc certe factum eſt ut verba hæc μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω ſic vertenda cenſuerim, *Nemo vos debito brabio fraudet*: perinde acſi dixiſſet, μηδεὶς ὑμᾶς ἐμποδιζέτω, vel ἀνακοπτέτω, τοῦ λαμβάνειν τὸ βραβεῖον. Perinde acſi diceret, *Caveto nequis vos à curſu veſtro avocet, & ita obſtet quominus brabium accipiatis*. Verbo autem ἀνακόπτειν uſus ſum, ad hunc locum reſpiciens in quo eadem metaphora vel potius allegoria utitur, Gal. 5. Ἐτρέχετε καλῶς, τίς ὑμᾶς ἐνέκοψε τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι; perinde eſt enim (meo quidem judicio) acſi diceret, τίς ὑμᾶς τοῦ δρόμου ἀνακόπτειν; vel, τίς τὸν ὑμέτερον δρόμον ἀνακόπτειν, ἐμποδὼν ἐγένετο τοῦ τῇ ἀληθείᾳ πείθεσθαι; vel, αἴτιος ἐγένετο τοῦ μὴ πείθεσθαι; aut potius, ἔπεισε τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι; quia ſequitur, ἡ πεισμονὴ οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς. Atque hanc meam expoſitionem Græcam ſequitur hæc Latina, *quis vos à curſu revocans fecit ut non obſequeremini veritati?* vel *crederetis?* Neque tamen in vertendo ita verbo illo καταβραβευέτω rationem tantum illius alterius loci habui, ſed præpoſitionem κατὰ talem quendam uſum in aliis nonnullis compoſitis habere conſideravi; ut perinde hic ſonet quaſi quis diceret, *adverſum vos & in damnum veſtrum de brabio ſtatuat*. Qui enim illos à curſu revocando in cauſa erat cur brabium non acciperent, eos illo fraudare, aut etiam velut intervertere illud, (ad ſe tamen non transferendo) videri poterat. Verum ut illius elegantis à ſtadiodromis ſumptæ comparationis præcipua verba τρέχειν & βραβεῖον nobis aliunde collatio de qua ago attulit, videamus annon & tertium καταλαβεῖν eadem ex aliquo proferet. Non longe certe abeundum erit, cum in proxime præcedente epiſtola, quæ ad Philippenſes eſt ſcripta, exſtet, 3. 12. διώκω δὲ εἰ καὶ καταλάβω, ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ. Quinetiam verſu qui hunc excipit, Ἀδελφοί, ἐγὼ ἐμαυτὸν οὐ λογίζομαι κατειληφέναι. In eo autem verſu qui huic eſt proximus vocem etiam illam βραβεῖον habemus, Ἓν δὲ, τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, κατὰ σκοπὸν διώκω εἰς τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Eſt porro in hoc verſu obſervatione dignum & verbum ἐπεκτεινόμενος, & conferendum cum iſto 2 Cor. 10. 14. Οὐ γὰρ ὡς μὴ ἐφικνούμενοι εἰς ὑμᾶς, ὑπερεκτείνομεν ἑαυτούς. Quinetiam notandum Suidam συνορμῶντες exponere ἐνθυμούμενοι & ἐπεκτεινόμενοι. Ut autem illic eorum qui ſtadium currunt, ſic alibi aliorum athletarum meminit; 2 Tim. 2. Ἐὰν δέ τις καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ. Quinetiam iis quæ attuli ex 1 Cor. 9. valde vicina ſunt hæc, Ἐγὼ τοίνυν οὕτω τρέχω, ὡς οὐκ ἀδήλως· οὕτω πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων, vel δαίων. Quibus ſubjungit, ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶ. Quod ſi & hic ab athletis ſumpta comparatione utitur, illo verbo δουλαγωγῶ inclufa fortaſſe emiſſi-

mari poterunt cum alia tum etiam ἀνυπόφορον, quod de athletis dicebatur. Cæterum ad hujuſmodi comparationes reſpiciens, hæc verba Heb. 10. πολλὴν ἄθλησιν ὑπεμείνατε παθημάτων, ita verti, *athletico quodam robore variis afflictionibus ſuſtinuiſtis*, vel *gravibus*. Siquis tamen ſimplicius interpretari velit, non magnopere repugnabo. Verum ut ad alia exempla veniam, ſic verbum συμβιβάζεσθαι eidem comparationi duobus locis adhiberi videmus: & quod uno in loco dicit ἐκλέγομαι καὶ ἀστραφοί, in altero aliquantum Ἐβραΐζοντα dicere ἐκλέγομαι ἀστραφῶν. Cui ſimile eſt ἐκλέγομαι ὑμᾶς Luc. 1. Item ſicut dicitur ab eo Chriſtus eſſe κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, ſic ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ· quod verti *ut in Chriſto tanquam capite recolligeret omnia*. Et melius etiam fortaſſe ita vertiſſem, *ut in Chriſto, qui caput eſt, recolligeret omnia*. Nec enim huic interpretationi obſtare quicquam videtur quod ἀνακεφαλαιώσασθαι ſit potius à nomine κεφάλαιον· nam immediate quidem (ſi hoc vulgari verbo uti licet) eſt à κεφάλαιον, ſed cum κεφάλαιον ſit à κεφαλῇ, hoc etiam nomen illo verbo incluſum videri poteſt. Profuerit etiam locum 1 Cor. 4. in quo ſcribit, ὡς ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα, cum eo conferre qui exſtat capite ejuſdem epiſtolæ ſexto, πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω.

Sed mihi in hac locorum collatione pergenti libet ab iis locis quibus eadem adhibentur verba ad eos venire qui diverſa ſed ejuſdem ſignificationis & de eadem re habent: quorum certe minus facilis quam illorum obſervatio fuerit. Quod igitur uno in loco dicit ἀλλὰν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, alibi κατηχεῖσθαι· quod Coloſſ. 3. dicit ἐρεθίζειν, id Eph. 6. παροργίζειν· hic enim, οἱ πατέρες, μὴ ἐρεθίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν, legimus; illic autem, καὶ οἱ πατέρες, μὴ παροργίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν. Item 1 Cor. 14. νηπιάζετε & παιδία γίνεσθε pro eodem. Sic etiam videre eſt pro καταναρκῶν ab eo poſitum καταβαρεῖν, tanquam exponente illud difficilius. Nam 2 Cor. 12. 13. cum ita locutus eſſet, οὐ κατενάρκησα ὑμῶν (ſicut verſu proxime ſequente, καὶ οὐ κατενάρκησα ὑμῶν) mox eandem rem verbo κατεβάρησα exprimit v. 16. ἐγὼ δὲ, ἐγὼ οὐ κατεβάρησα ὑμᾶς. Quinetiam cap. 11. ἄδωρον ἐμαυτὸν ἐτήρησα dicit, quod hic οὐ κατεβάρησα. Legimus enim ibi, v. 8. οὐ κατενάρκησα οὐδενός, & ſtatim poſt, καὶ ἐν παντὶ ἄβαρῆ ὑμῶν ἐμαυτὸν ἐτήρησα, καὶ τηρήσω, ſicut in cap. proximo, οὐ κατενάρκησα ὑμῶν, καὶ οὐ καταναρκήσω, interjectis inter aoriſtum hoc & futurum pauciſſimis verbis. Revocat autem mihi in memoriam hic uſus verbi καταναρκᾶν pro καταβαρεῖν, i. *gravare*, illud quod à Marone dicitur *torpere gravi veterno*, in hoc verſu,

Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno.

nam *torpere* jungit ablativo *veterno*, quem *gravem* vocat. Quidam vero alius Poeta ipſum etiam *torporem* appellat *gravem*, nequaquam fortaſſe *gravem* pro *vehementi* dicens, ſed ab effectu ſic appellans, quod corpora in quæ incubuerit gravia, aut ex gravibus graviora, reddat. Neque tamen negaverim aliam etiam hujus uſus verbi καταναρκᾶν rationem poſſe afferri. Talis autem aliorum etiam locorum collatio multa reddere faciliora poteſt, præſertimque in Paulo, qui alioqui nonnulla nequaquam obvia habet; atque ut qui varios ſcriptores verſarit, raris etiam quibuſdam vocabulis & loquendi generibus utitur, ut alibi oſtendam. Quinetiam in cæteris T. N. ſcriptis aliquæ ſunt voces quas vix ac ne vix quidem fortaſſe in ullo eorum qui exſtant ſcriptorum reperias. Equidem ἐπίχει, quod apud Marcum legitur 14. 41. pro *ſat eſt*, vix uſquam alibi inveniri rear quam in quodam Anacr. loco, qui eſt in fine odarii cujus initium, Ἄγε, ζωγράφων ἄριστε· ibi enim legitur, Ἀπέχει· βλέπω γὰρ αὐτήν. Scio equidem antequam hunc Poëtam vel potius paucas illas verſuum hujus Poetæ reliquias, luce donaſſem, multos illud apud Marcum ſuſpectum habuiſſe, multos, inquam, ex illis etiam qui in lingua Græca eſſent exercitatiſſimi. Atque hinc apparet quam imperite à quodam reprehendatur Beza, tanquam in aliquot duntaxat Poetarum lectione aliquantum verſatus, ex hoc Anacreontis loco qui ab illo ibi affertur, & quodam etiam Homeri, quem alibi profert, conjecturam faciente. Sed dum hic bonus vir illum imperitiæ accuſat, ſeipſum contra imperitiæ convictum reddit apud eos quidem certe qui Græcæ linguæ periti ſunt. Sciunt enim hi à Græcis paſſim dici ἐπίχρη vel ἄρκει pro *ſatis eſt*, non autem ἐπίχει. Verum ut unius etiam loquendi generis exemplum afferam ex illorum numero quorum mentionem feci, ſciendum eſt, cum Paulus & Jacobus dicunt μὴ πλανᾶσθε, novum aut ſaltem ſcriptoribus antiquis inuſitatum uſum verbo illi non dare. Afferam enim Philemonis locum in quo ita utitur, & eadem in re qua ipſe Paulus, ubi ſcribit, Μὴ πλανᾶσθε· ἔστε πόρνοι, ἔστε εἰδωλολάτραι, ἔστε μοιχοὶ, &c. βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι. Sic enim Philemo (totum autem locum afferam, quod Chriſtianorum etiam ore digniſſima ſint quæ hic leguntur.)

Ὅτι σὺ τὰς ἀνάντας, ὦ Νικόστρατε,
Τρυφῆς ἀκάνθης μεταλαβόντας ἐν βίῳ,
Πεφευγέναι τὸ θεῖον οἰς λελήθότας;
Ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάντ' ὁρᾷ.
Καὶ γὰρ κατ' ἄδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, ἑτέραν δ' ἀσεβῶν εὐρὺ δόδν.
Κ' εἰ τὰς δύο καλύψει ἡ γῆ, φασὶ, χρόνῳ,
Ἄρτας' ἀπαλθών, πλέκτ', ἀνοίξει, πύλας.

Subjungit,

Μηδὲν πλανᾶσθε· ἔχει γὰρ ὧδε πρᾶξις
Ἥντερ ποιήσει Θεὸς ὁ πάντων δεσπότης,
Οὐ τέλεσμα Φαβερὸν εἰδ' ἂν ἀνομάσαιμ' ἐγώ.

Qui ſequuntur verſus ſi quis legere cupiet, eos una cum his & cum interpretatione etiam Latina in eo libello inveniet cui titulum feci, *Comicorum Græcorum ſententiæ*, pag 389. Eſt autem totus locus (ut ibi expono) à me collectus partim ex J. Martyre, partim ex Cl. Alexandrino, qui Diphilo eos adſcribit: legitur autem apud hunc in primo verſu, ὦ Νικήρατε pro ὦ Νικόστρατε. Sed addam quod magis etiam obſervatione dignum eſt, Paulum quibusdam etiam locis ad celebre aliquod cujuſpiam ſcriptoris Græci dictum alludere, ubi lector minime quicquam tale ſuſpicaturus ſit. Ex illis eſt hic 1 Cor. 6. διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσθε; Audi enim Menandrum,

Οὗτος κράτιστός ἐς' ἀνὴρ, ὦ Γοργία,
Ὅστις ἀδικεῖσθαι πλεῖστ' ἐπίσταται βροτῶν.

Audi etiam cujuſdam Regis reſponſum, quod inter Apophthegmata recenſet Plutarchus, p. 333. meæ editionis, Τήλεπλος ὁ βασιλεὺς, πρὸς τὸν ἀδελφὸν ἐγκαλοῦντα τοῖς πολίταις ὡς ἀγνωμονεστέρου αὐτῷ προσφερομένους ἢ ἐκείνῳ, Σὺ γὰρ (εἶπεν) οὐκ ὄδας ἀδικεῖσθαι. Quinetiam apud eundem de Lacedæmoniis legimus, p. 425. ταῖς ἐυχαῖς προστιθέναι τὸ ἀδικεῖσθαι δύνασθαι. Quocunque igitur modo in tribus hiſce locis interpretabimur ἀδικεῖσθαι, eodem in illo Pauli interpretari oportebat. Ego ἀδικεῖσθαι πλεῖστα apud Menandrum verti *injurias plurimas affici*, duos illos verſus Græcos his duobus Latinis reddens,

Eſt, Gorgia, vir ille præſtantiſſimus
Qui injurias ſcit affici quamplurimas.

Quinetiam in hoc loco ep. ad Gal. 5. εἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε, βλέπετε μὴ ὑπ' ἀλλήλων ἀναλωθῆτε, ſcio ad quoddam itidem dictum vetus alludi. Nihilo autem magis animadverſum fuiſſet Paulum non ſuis ſed alicujus Poetæ verbis uti, 1 Cor. 15. niſi ipſi numeri qui ſervati ſunt integri patefeciſſent. Ibi enim illis verbis μὴ

πλανᾶσθε (quorum facta fuit à me ſupra mentio, ex alio ejus loco petitorum) ſubjungit, *Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Ἐννήψατε δικαίως, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε·* ubi ὁμιλίαι à Veteri interprete & ab Eraſmo redditur *colloquia*, ſed recte annotatum fuit nimium anguſtam hanc ſignificationem eſſe, & magis placuit vox *commercia*. Tertullianus autem (qui verſum hunc per Apoſtolum ſanctificatum fuiſſe ſcribit) *congreſſus* interpretatur, quod certe mihi non minus arridet, præſertim cum ſub *congreſſus* appellatione *colloquium* etiam intelligi poſſit, & Cicero hæc copulet cum dicit *in congreſſum & colloquium alienjus venire*. Sed te monitum de hoc quoque volui, margini cujuſdam veteris libri ex iis quorum varias lectiones margini ſuæ editionis appoſuit pater meus, illius quæ grandibus eſt literis, adſcriptum fuiſſe hoc ſcholium, *χρηστὰ ἀντὶ τοῦ κἄφα*. Sed de hoc etiam loco ſatis. At verba quæ verſum hexametrum efficiunt,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί,

ſua quidem non eſſe oſtendit, ſed tamen ipſum autoris nomen proferre noluit. Idemque fecit ubi hæc Arati attulit,

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

Nam illic quidem pro *Epimenide* dixit *τῶν αὐτῶν προφήτης*, videlicet Κρητῶν, hic pro *Arato* dixit, *τινὲς τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν*. Neque vero hic pluralem numerum pro ſingulari poſitum exiſtimo, ſed Paulum, cum recordaretur ſe ſi non eadem verba at certe eandem ſententiam non apud Aratum duntaxat ſed alibi etiam legiſſe, *quoſdam Poetas*, non *quendam Poetam*, dixiſſe. Hæc autem cum ita ſint, & cum aliunde etiam pateat Paulum Apoſtolum Græcos ſcriptores evolviſſe, qui credibile ſit illum Græcæ linguæ non ſatis peritum fuiſſe? Imo equidem vel illa quæ antea protuli paromœa hominis ſunt in ea valde exercitati. Quinetiam verba quædam apud illum adeo rara exſtant (quemadmodum paulo ante dixi) ut variæ lectionis cum fuiſſe neceſſe ſit. Sed tamen *καταβραβεύειν*, quo uſus eſt in epiſt. ad Coloſſenſes, non ſatis Græcum verbum eſt, verum Cilicum, ſi Hieronymo credimus. Scilicet vero fidem hic illi potius quam noſtris ipſorum oculis habebimus, quibus verbum hoc apud optimos quoſque ſcriptores intuemur. Sic vero quorundam adeo fuit audax ignorantia ut *καταχεῖν*, quo non ipſe tantum Paulus ſed Lucas etiam locis aliquot uſus eſt, apud ſcriptores profanos reperiri negaverint. Hos ego licet iſtorum locis aliquot poſſim convincere, tamen & ipſos in illud quod promiſi opuſculum malo reſervare.

Quoniam autem recordatus etiam ſum cujuſdam doctiſſimi alioqui viri qui particula *τοίνυν* in orationis principio poſita putat phraſin illam *εὐκοπώτερον*, (ut certe poſita eſt Hebr. 13. 13. cujuſcunque hæc ſit) & de hac & ſimul de quibuſdam aliis dicendum putavi, cum nonnullis eum quoque dari uſum in his Teſtamenti Novi ſcriptis animadverterim qui apud elegantes ſcriptores perelegans habetur. Atque ut ab illa *τοίνυν* ſive conjunctione ſive adverbio ſumam initium, & illi doctiſſimo viro reſpondeam de loco illo, *Τοίνυν ἐξερχώμεθα πρὸς αὐτὸν ἔξω τῆς παρεμβολῆς*, fateor quidem *ἐξερχώμεθα τοίνυν*, ſequendo uſitatiorem uſum, ſcribi debuiſſe; ſed non ſine exemplo tamen principio orationis adhibitum dico fuiſſe. Atque adeo ille ipſe *τοίνυν* ita poſitum non videtur prorſus inuſitatum negare, quippe qui tantum inuſitatius eſſe dicat. Quod autem minus uſitatum quidem ſed non inuſitatum tamen eſt, *εὐκοπώτερον* dici non poteſt. Adde quod non incredibile fuerit ordinem verborum mutatum à librario fuiſſe: quo tamen ego confugere nolim.

Ab eadem autem epiſtola diſcedendum nobis non erit ut particulæ **Εἶτα** elegantiſſimum uſum inveniamus. Sed locum paulo altius repetam, ut hic ejus uſus ab iis qui tirones & rudes hac in lingua non ſunt animadverti poſſit. Legimus itaque Hebr. 12.

7. *Εἰ παιδείαν ὑπομένετε, ὡς υἱοῖς ὑμῖν προσφέρεται ὁ Θεός· (τίς γάρ ἐστιν υἱὸς ὃν οὐ παιδεύει πατήρ;)*

8. *Εἰ δὲ χωρίς ἐστε παιδείας, ἧς μέτοχοι γεγόνασι πάντες, ἄρα νόθοι ἐστὲ, καὶ οὐχ υἱοί.*

9. *Εἶτα τοὺς μὲν τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας εἴχομεν παιδευτὰς, καὶ ἐνετρεπόμεθα· οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑποταγησόμεθα τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων, καὶ ζήσομεν;*

Hic enim particulam *εἶτα* poni dico non pro *Deinde* (qui vulgaris eſt ejus uſus) ſed pro eo quod Latini *Itane* vel *Itane vero* dicunt: quem uſum apud Platonem, Xenophontem, Demoſthenem, Iſocratem, denique apud optimos quoſque Græcæ linguæ ſcriptores habere conſtat.

Addo etiam, elegantiſſimam hoc in loco phraſin eſſe, *ὡς υἱοῖς ὑμῖν προσφέρεται ὁ Θεός*· his enim verbis non ſignificari, *Deus ſeſe vobis offert ut filiis*, ſed, *Deus ſe erga vos tanquam erga filios gerit*, ut in meo etiam Theſauro Græcæ linguæ, aliiſque ſimul modis, in eandem tamen ſententiam, ſum interpretatus; ubi talis uſus verbi *προσφέρομαι* exempla ex primariis ſcriptoribus invenies. Sed non dubium eſt quin *παιδείαν* non *diſciplinam* ſed *caſtigationem* vertere oporteat: & mirum eſt Veterem interpretem, cum in verſu proxime præcedente *παιδεύει* recte vertiſſet *caſtigat*, in hoc *παιδείαν* non itidem *caſtigationem* ſed *diſciplinam* reddidiſſe: quinetiam *παιδείαν ὑπομένετε* poſſumus uno verbo reddere *caſtigamini*, *Si*, inquit, *caſtigamini*, *Deus vobiſcum ut cum filiis agit*: vel, *Patrem ſe vobis exhibet*, ſive *præſtat*: vel, *cum vobis affectum exhibet qui filiis exhiberi ſolet*: aut brevius, *affectum paternum vobis exhibet*, ſeu *amorem paternum*: vel, *Deus caſtigatione illa teſtatur ſe vos amore paterno proſequi*. Convenit autem hoc cum eo quod vulgo dicitur, *Qui bene amat, bene caſtigat*. Verum ad particulam **Εἶτα** ut revertar, eundem in alio quoque hujus libri loco uſum illius obſervaſſe mihi videor.

Itidem vero vocula **Καὶ** elegantem illum habet uſum quo affectui ſignificando ſeu declarandæ indignationi ſervit: Act. 23.

2. *Ὁ δὲ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας ἐπέταξε τοῖς παρεστῶσιν αὐτῷ τύπτειν αὐτοῦ τὸ στόμα.*

3. *Τότε ὁ Παῦλος πρὸς αὐτὸν εἶπε, Τύπτειν σε μέλλει ὁ Θεὸς, τοῖχε κεκονιαμένε· καὶ σὺ κάθῃ κρίνων με κατὰ τὸν νόμον, καὶ παρὰ νομὸν κελεύεις με τύπτεσθαι;*

Hic enim vocula *καὶ* ſtomachantis eſt, ſicut nonnunquam apud politos ſcriptores, & Latinis eodem modo ſua particula *Et*. Neque hanc, ubi indignationi adhibetur, dicendum potius fuit uſum habere Græcæ *εἶτα* quam ipſius *καὶ*, quæ illi in vulgari etiam ſignificatione reſpondet. Poſſumus igitur interpretari, *Itane tu ſedes judicans me*, vel *Et tu ſedes*. Hic autem obiter lectorem & de mendo quod ſubeſſe huic loco ſuſpicor monebo. Pro *κρίνων* enim abſque ullius literæ immutatione, ſed tantum mutato accentu, una cum ejus ſede, reponendum puto *κρινῶν*, ut ex præſenti fiat futurum. Multo certe aptius dici videtur, *Itane tu qui ſedes judicaturus me ſecundum legem, violans legem jubes me cædi?* (i. *ut me judices*, ſive *ad judicandum me*) quam in præſenti, *judicans me*. Quid porro vel in toto Demoſthene, apud quem ſæpe τὸ παρανομεῖν & τῶν παρανόμων fit mentio, legimus quod majorem *δεινότητα* habeat quam hoc dictum? *καὶ σὺ κάθῃ κρίνων με κατὰ τὸν νόμον, καὶ παρανομῶν κελεύεις με τύπτεσθαι;*

Quinetiam interrogationi alicubi venuſte præfigitur, & ornatum magis quam aliud quicquam orationi addit: præterquam nonnullis in locis, ubi majorem quendam ejus qui loquitur affectum indicat, ut in hoc Marci loco, 10 26. *Οἱ δὲ περισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες πρὸς ἑαυτοὺς, καὶ τίς δύναται σωθῆναι;* Sic etiam in iſto Pauli loco, 2 Cor. 2. in principio, *Εἰ γὰρ ἐγὼ λυπῶ ὑμᾶς, καὶ τίς ἐστιν ὁ εὐφραίνων με, εἰ μὴ ὁ λυπούμενος ἐξ ἐμοῦ;* Sic Plato in Theæteto, pag. 188. meæ editionis, *Πῶς ἄν; τί ἐροῦμεν, ὦ Θεαίτητε, ἐάν τις ὑμᾶς ἀναπείθῃ (δυνατὸν δὲ ἐτῶν ὁ λέγετε) καὶ τίς ἀνθρώπων*

τὸ

τὸ μὴ ὂν δοξάσαι, εἴτε περὶ τῶν ὄντων τι, εἴτε αὐτὸ καθ' αὑτό; Hunc autem usum Latina etiam copula *Et* est imitata; ut apud Virgilium,

Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?

Sed frequentius invenitur hæc particula illi nomini seu pronomini interrogativo cohærens, mutata ejus consonante. Dicitur enim *Ecquis* & *Ecqua* pro καί τις· atque adeo in illo ipso quem attuli loco quædam exemplaria habent *Ecqua tanta fuit.* At vero in hoc ejusdem Poetæ,

- - - - & quisquam numen Junonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?

copula hæc illum alterum potius Græcæ καί usum habet, cum, inquam, quo indignationi adhiberi dixi: (cujus & apud Ciceronem exempla exstant) nisi forte malimus illum Poetæ locum absque interrogatione legi, & perinde esse acsi dictum foret, *Scilicet numen Junonis quisquam posthac adoret?*

Καί alicubi pro ἀλλά ponitur, i. *sed.* Ac ne hic quidem usus idoneis Græcæ linguæ autoribus fuit omnino incognitus: verum alicubi non minus videtur posse verti *& tamen* quam *sed:* ut in hoc Joan. loco, 1. 10. Ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο· καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω.

Nunc ut de particula Κἄν verba faciam consentancum est, cum ex καὶ & ἄν conflata sit. Dico igitur hujus quoque non vulgarem tantum usum hic reperiri, sed eum etiam qui rarior est & elegans habetur, quo videlicet ponitur pro *saltem.* Sic enim Act. 5. 15. ἵνα ἐρχομένου Πέτρου κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν. Cui plane similis & in re simili est is usus quem apud Marcum habet, cap. 6. in fine, καὶ παρεκάλουν αὐτὸν ἵνα κἂν τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ ἅψωνται. Legimus vero & apud Paulum, 2 Cor. 11. 16. εἰ δὲ μή γε, κἂν ὡς ἄφρονα δέξασθέ με. Sed hæc editio hanc particulam in quodam etiam loco tibi exhibebit, ubi præcedentes eam non habent. Nam Hebr. 10. 2. ex tribus lectionibus hanc elegi, ἐπεὶ κἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι. Hujus autem vis exprimi melius poterit, aliam formam orationi dando, per negationem, hoc modo, *Alioqui ne continuata quidem fuisset earum oblatio.* Scio alioqui lectionem illam ἐπεὶ ὢν ἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι plurium exemplarium autoritate niti; cujus idem sensus erit, si per interrogationem hæc legantur: sed dictum fortasse potius fuisset, ἐπεὶ οὐκ ἐπαύσαντο ἄν προσφερόμεναι; vel ὢν ἐπαύσαντο ἄν.

Quemadmodum autem copulam καὶ ornatum magis quam aliud quicquam orationi alicubi addere dixi, ita etiam de vocula Γὰρ dico, & quidem eodem modo particulæ illi interrogativæ junctæ: sed cum καὶ illi præponatur, γὰρ contra postponitur: ut Matth. 27. & Marci 15. τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν; Satis enim erat, τί κακὸν ἐποίησεν; Magis etiam insigne est hujus pleonasmi exemplum Act. 19. 35. ubi quidam suam orationem ab his verbis inchoat, Ἄνδρες Ἐφέσιοι, τίς γὰρ ἐστιν ἄνθρωπος ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ Διοπετοῦς; Atque frequentissimus est in interrogatione hic particulæ γὰρ pleonasmus apud politissimos etiam quosque scriptores: & Latini hunc quoque imitantes dixerunt *quisnam* in interrogatione: ita ut vertendum potius fuerit, *Quidnam mali fecit?* quam, *Quid enim mali fecit?* Sic in illo Actorum loco non *quis enim*, sed *quis*, vel *quisnam*: vacat enim itidem particula *nam* in *quidnam.* Veteres autem Latini hanc præfigebant; quos sequens Maro dixit,

Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras
Jussit adire domos?

Obiter autem & hoc observandum in eo quem modo ex Luca protuli loco, γινώσκει ὅσον more veterum scriptorum dictum, non γινώσκει εἶναι.

Etiam particulæ Δὴ pro *igitur* usus, licet minus notus, est tamen & ipse ex politis scriptoribus petitus: cujus exemplum habemus 1 Cor. 6. in fine, Ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς· δοξάσατε δὴ τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν. Sed ex omnibus interpretibus unus duntaxat (is nimirum cujus & antea eruditam diligentiam commendavi) nec vacare hoc in loco istam vocalm, nec aliam ejus quam hanc esse significationem animadvertit. Sic certe usus est Plato cum alibi tum in Protagora. Sed cur Platonis potius quam Thucydidis aut Isocratis mentionem facio? Ex his autem sumpta significationis istius exempla meus Thesaurus Græcæ linguæ tibi suppeditabit.

Νῦν quoque & Εἰ, hoc præcedens, illud sequens, ἐν δίκῃ & ἄρᾳ, sive κατὰ δίκην & ἄραν, illum elegantem usum habent cujus exempla cum ex Thucydide tum ex aliis in opere illo protuli. Quamvis autem eodem modo à Latinis *nunc* particulæ *si* subjungi scirem (cum etiam exempla hujus usus ibidem attulerim) alicubi tamen vim particulæ νῦν pluribus verbis exprimere sum conatus, ut Joh. 18. 36. εἰ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου ἦν ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ εἱ ὑπηρ. &c. νῦν δὲ ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐντεῦθεν.

Invenitur autem alicubi hæc particula Εἰ, sequente πως, ita posita ut ante ipsam verbi alicujus aut aliquot verborum sit ellipsis: ut Act. 27. 12. Ἀνευθέτου δὲ τοῦ λιμένος ὑπάρχοντος πρὸς παραχειμασίαν, οἱ πλείους ἔθεντο βουλὴν ἀναχθῆναι κἀκεῖθεν, εἴπως δύναιντο καταντήσαντες εἰς Φοίνικα παραχειμάσαι· pro, *experturi quomodo possent*, vel, *an aliquo modo possent:* aut etiam simplicius *experturi an possent*, sive *tentaturi.* Q. d. *quidvis tentaturi ut possent.* Legimus itidem Rom. 11. Ὑμῖν γὰρ λέγω τοῖς ἔθνεσιν, ἐφ' ὅσον μέν εἰμι ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος, τὴν διακονίαν μου δοξάζω, εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα, καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν. At vero Phil. 3. Εἴπως καταντήσω εἰς τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν, non magis dubitationem habere existimandum est hunc sermonem quam si dictum esset ἴνως καταντήσω.

Quemadmodum autem Εἴπως sic etiam Μήπως cum ellipsi usurpatur, sed ita ut aliud hic [illegible]m illic verbum subaudire oporteat: ut 1 Thess. 3. 5. Διὰ τοῦτο κἀγὼ, μηκέτι στέγων, ἔπεμψα εἰς τὸ γνῶναι τὴν πίστιν ὑμῶν· μήπως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων, καὶ εἰς κενὸν γένηται ὁ κόπος ἡμῶν. Ubi putavi relictum esse subaudiendum Φοβούμενος, vel aliud hujusmodi participium, ideoque ita locum illum verti, *quod timerem neque modo tentasset vos qui tentare homines solet:* poteram vero pro ὁ πειράζων dicere etiam *tentator ille.* Sic certe eadem de re loquens Gal. 4. 11. illo ipso verbo cujus hic participium subaudivi utitur, sed interjiciens ὑμᾶς, hoc modo, Φοβοῦμαι ὑμᾶς, μήπως εἰκῇ πεκοπίακα εἰς ὑμᾶς. Nam μήπως εἰς κενὸν γένηται ὁ κόπος ὑμῶν & μήπως εἰκῇ πεκοπίακα idem valent; sicut Φοβοῦμαι ὑμᾶς idem quod v. 20. ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν. Verum ut ad particulam μὴ revertar, quæ adjunctam habet vocalm πως, & postulat ut ante se subaudiatur verbum aliquod, invenies ejus exemplum & Rom. 11. 21. Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς τῶν κατὰ φύσιν κλάδων οὐκ ἐφείσατο, μήπως οὐδέ σου φείσηται. Sed hic potest vel Φοβοῦ subaudiri (quod etiam in proxime præcedente est versu) vel ὅρα· ideo exposui, *Vide ne tibi quoque non parcat:* & addidi, Vel, *time ne*, &c.

Sicut autem ante Μήπως sic etiam ante Μήποτε est verbi alicujus ellipsis: ut Matth. 25. Αἱ δὲ μωραὶ ταῖς φρονίμοις εἶπον, Δότε ἡμῖν ἐκ τοῦ ἐλαίου ὑμῶν, ὅτι αἱ λαμπάδες ἡμῶν σβέννυνται. Ἀπεκρίθησαν δὲ αἱ φρόνιμοι, λέγουσαι, Μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν καὶ ὑμῖν· πορεύεσθε δὲ μᾶλλον πρὸς τοὺς πωλοῦντας, καὶ ἀγοράσατε ἑαυταῖς· hic enim ante μήποτε subaudiendum existimatur, Οὐ δώσομεν, i. *Non dabimus.* Fortassis tamen queat etiam interrogative positum existimari μήποτε, ut nulla sit ellipsis, hoc modo, *Quid si sufficere nobis & vobis non possit? potius igitur proficiscimini*, &c. Sic certe apud Joannem 7. 26. interrogationi adhibetur, Καὶ ἴδε, παῤῥησίᾳ λαλεῖ, καὶ οὐδὲν αὐτῷ λέγουσι· μήποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Χριστός; Cui etiam loco illa interpretationis forma posse convenire videtur, hoc modo, *Quid si compertum habent*, &c. vel, *Quid si forte cum.* &c. Verum ut ad locos redeam in quibus est ellipsis ante μήποτε, legimus Act. 5. 39. Εἰ δὲ ἐκ Θεοῦ ἐστιν, οὐ δυνατὸν καταλῦσαι αὐτό, μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε· hic enim recte subaudisse aliquid vide-

videtur doctiſſimus interpres, ita reddens, *Sin ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere: ac noſcite, ne etiam cum Deo pugnare comperiamini:* cum alioqui hæc cum præcedentibus non ſatis commode connectantur, ut idem annotat. Si tamen liceat καταλῦσαι paulo liberius exponere, ut factum pro ipſo conatu ponatur, & καταλῦσαι ſit pro ἐπιχειρεῖν καταλῦσαι (quod ego ſequens, verti, *Non poteſtis everſionem ejus moliri; ne & cum Deo bellare comperiamini*) tum certe nulla ellipſis erit. Quod ſi uſquam reperiretur exemplar quod haberet particulam δὲ poſt μήποτε, ſummopere mihi placeret hæc lectio, relinquendo verbo καταλῦσαι vulgarem uſum, hoc modo, *Sin ex Deo eſt, non poteſtis evertere: ac videndum etiam eſt ne cum Deo pugnare comperiamini*: vel, *ac periculum etiam eſt ne*, &c. Utitur autem aptiſſimo vocabulo θεομαχοί, quod de gigantibus proprie dictum fuit; adeo ut perinde eſſe videatur acſi diceret, *ne gigantum more cum Deo pugnare velle videamini.* Sic cum Cicero dixit *more gigantum bellare cum dis*, non dubito quin ad verbum θεομαχεῖν reſpexerit. Alium porro uſum habet μήποτε in hoc Pauli loco, 2 Tim. 2. 25. Ἐν πραΰτητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους· μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας· ubi certe neceſſe videtur aliquid ante μήποτε ſubaudire; ideoque ita verti, *experiendo annon tandem Deus dare velit illis.* Poſſit vero dici etiam *aliquando tandem.* Budæus vertit *ſiquando*, nihil ſubaudiens (ſed magis probarem *ecquando*, quo uſus eſt doctiſſimus interpres, cujus aliquoties mentionem feci) & putavit reddi etiam poſſe *Fortaſſe enim Deus ipſis pœnitentiam dederit*: ſed aptior videtur & minus dura illa mea ſubauditio, aut alia ejuſmodi, quam particulæ γάρ. Adde quod adverbio *fortaſſe* minus commode Græcum illud exprimitur, meo quidem judicio. Sciendum eſt autem, quod ad hujuſmodi ellipſes attinet, eas apud primarios quoque ſcriptores Græcæ linguæ inveniri, non in hujuſmodi tantum ſed in aliis etiam pleriſque locis. Quo minus videri duræ debent alicubi quarundam particularum ſubauditiones (non tantum earum quæ conſtructionem ſeu ſtructuram orationis adjuvant, veluti cum ſubauditur particula ὥστε ante infinitivum) tales nimirum qualis eſt in illo quem modo attuli ex Joanne loco: ibi enim hæc verba, μήποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Χριστός; ſequuntur iſta, ἀλλὰ τοῦτον οἴδαμεν πόθεν ἐστίν, ubi ἀλλὰ ſonare videtur *ſed tamen.* Alicubi hanc voculam reddidi *ſed potius:* quinetiam *ſed contra*, 1 Cor. 6. cum enim dixiſſet, διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀποστερεῖσθε, ſubjungit, ἀλλὰ ὑμεῖς ἀδικεῖτε, καὶ ἀποστερεῖτε, καὶ τοῦτο, ἀδελφούς. Alicubi autem ſubaudienda eſt particula, ibi etiam ubi nulla eſt cui hæc ſubaudita ſubjungatur. In earum porro quæ ὑπακούονται numero eſt illa cauſalis γάρ, quam à Budæo in illo Pauli loco non ſatis commode ὑπακούεσθαι videri dixi. Non dubium enim eſt quin ut apud profanos ſcriptores Græcos, ita etiam apud hos extrinſecus aſſumi nonnunquam debeat. Hæc autem ſententiæ etiam cum ſententiis connectuntur: ut Matth. 7. 16. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς· μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλήν, ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα; i. *Ex fructibus eorum agnoſcetis eos: num colligunt ex ſpinis uvam, aut ex tribulis ficus?* Hic enim ſi expoſitionis cauſa inſeras particulam *enim*, quæ eſt loco Græcæ γάρ, hoc modo, *num enim colligunt*, &c. aptius cohærere tibi hæ ſententiæ videbuntur. Sic etiam v. 22. *Multi enim dicent mihi*, lucem afferet inſerta eadem particula.

Verum ut ad particularum uſum revertens aliquid & de quibuſdam Præpoſitionibus dicam, ſciendum eſt, inter illas ΠΕΡΙ elegantem & minime vulgarem uſum in duobus tribuſve Pauli locis habere: ut 1 Cor. 7. in principio, Περὶ δὲ ὧν ἐγράψατέ μοι, καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι, *Quantum autem ad ea attinet de quibus ad me ſcripſiſtis:* vel, *Quod attinet.*

Alicubi autem ubi duriuſcule quædam præpoſitiones alicui verbo junguntur, poſſunt interpunctione mutata cum alio jungi. Sic cum olim legeretur apud Matthæum in editionibus typographicis, 18. 12. ἐὰν γένηταί τινι ἀνθρώπῳ ἑκατὸν πρόβατα, καὶ πλανηθῇ ἓν ἐξ αὐτῶν, οὐχὶ ἀφεὶς τὰ ἐνενηκονταεννέα ἐπὶ τὰ ὄρη, πορευθεὶς ζητεῖ τὸ πλανώμενον; in editionibus patris mei Roberti Stephani mutata hæc interpunctio ex quorundam etiam veterum exempl. conſenſu fuit, licet eam & vet. interpres & Eraſmus ſecuti eſſent, & jungendo ἐπὶ τὰ ὄρη cum πορευθείς, præpoſitioni ἐπὶ pro parum uſitato aut etiam inuſitato uſu datus eſt uſitatiſſimus. Sic vero 2 Tim. 2. 26. malim ita interpungere, Καὶ ἀνανήψωσιν, ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, quam ut vulgo interpungitur, jungendo præpoſitionem ἐκ cum verbo ἀνανήψωσιν. Durum vero & κατήνεγκα ψῆφον mihi videtur Actor. 26 10. pro ἤνεγκα ψῆφον· ſed quod durum videri poterat, elegans contra erit ſi præpoſitionem κατὰ ad genitivum referri dicamus, ut ſit αὐτῶν κατήνεγκα ψῆφον pro ἤνεγκα ψῆφον κατ' αὐτῶν.

Ἀπὸ pro ὑπὸ in locis aliquot poſita videtur, ſed quidam ſunt ex iis ubi nonnulli vet. libri illam præpoſitionem ὑπὸ habent, non hanc. In epiſt. autem 1 Joannis, cap. 2. ver. penult. cum in his, μὴ αἰσχυνθῶμεν ἀπ' αὐτοῦ, non exiſtimarem ἀπ' αὐτοῦ dictum eſſe pro ὑπ' αὐτοῦ ſed perinde eſſe acſi dixiſſet αἰσχυνθέντες πορευώμεθα ἀπ' αὐτοῦ (ut Matth. 25. 41. πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον) ita expoſui, *ab eo non diſcedamus pudefacti.* Sic certe ante hæc verba ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ ſubaudiendum eſt aliquod participium, 2 Theſſ. 1. 9. ubi itidem ejus ad exercendum judicium adventus fit mentio, οἵτινες δίκην τίσουσιν, ὄλεθρον αἰώνιον, ἀπὸ προσώπου τοῦ Κυρίου, καὶ ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ· ubi commode ſubauditum iri videtur participium πορευόμενοι, ex illo Matthæi loco, 25. 41. ubi de judicii itidem die agitur, Πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον. Alioqui habemus idem verbum junctum huic præpoſitioni ſequente eodem genitivo προσώπου, Act. 5. 41. Οἱ μὲν οὖν ἐπορεύοντο χαίροντες ἀπὸ προσώπου τοῦ συνεδρίου, ὅτι ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι. Revocavit autem mihi in memoriam locus ille Joannis, qui habet καὶ μὴ αἰσχυνθῶμεν ἀπ' αὐτοῦ, quendam Petri, epiſt. 1. 3. 16. ubi in καταισχυνθῶσιν exiſtimo vacare præpoſitionem, ut ſit pro αἰσχυνθῶσιν, ut cum hoc verbo jungi poſſit ſequens accuſativus, qui alioqui non videtur apte cum participio ἐπηρεάζοντες jungi. Totus locus eſt hic, Συνείδησιν ἔχοντες ἀγαθήν· ἵνα ἐν ᾧ καταλαλεῖσθε ὑμῶν ὡς κακοποιῶν, καταισχυνθῶσιν οἱ ἐπηρεάζοντες ὑμῶν τὴν ἀγαθὴν ἐν Χριστῷ ἀναστροφήν. Dixerat vero idem Apoſtolus, capite proxime præcedente, v. 12. Τὴν ἀναστροφὴν ὑμῶν ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἔχοντες καλήν· ἵνα ἐν ᾧ καταλαλοῦσιν ὑμῶν ὡς κακοποιῶν, ἐκ τῶν καλῶν ἔργων ἐποπτεύσαντες, δοξάσωσι τὸν Θεὸν ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς. Facit certe & hic locus ut malim illic καταισχυνθῶσι cum accuſativo ἀναστροφὴν jungere, reddendo ſic, *Illi qui inceſſunt vos, pudefiant ob veſtram bonam in Chriſto converſationem*, q. d. *Pudore aliquo tangantur, ad bonam converſationem veſtram reſpectum habentes* (nam & hoc genere loquendi utitur Latinitas) vel, *Pudefiant à veſtra bona converſatione, eorum maledicta velut refeliente.* Vel ita, *Illi qui inceſſunt vos, reverentur veſtram converſationem:* vel *reverentia proſequantur.* Atque hanc quidem interpretationem conſuetudo Græcæ linguæ facilius admittit, ſed prior illa magis idoneum ſenſum habere videtur. Ut autem hic καταισχύνεσθαι dicendum fuerit poſitum pro αἰσχύνεσθαι, ſic & alibi inveniuntur præpoſitiones verbis præfixæ, cum tamen hæc ſignificationem ſimplicium duntaxat habeant. Sic ἐκπειράζειν apud Matthæum & Lucam ponitur pro ſimplici πειράζειν· ideoque male quidam reddidit *pertentare.* Sed antequam à verbo αἰσχύνεσθαι diſcedam, hoc addam, ſicut αἰσχύνεσθαι præpoſitioni ἐν jungit Paulus, ſic etiam apud quoſdam ex primariis Græcæ linguæ ſcriptoribus (quod tamen novum videri poſſit) ac nominatim apud Thucydidem inveniri. Apud eundem & quoſdam alios παρὰ pro διὰ legitur, ſicut 1 Cor. 12. 15. παρὰ τοῦτο pro διὰ τοῦτο. Neque tamen negavero quendam etiam eſſe alicubi præpoſitionum quarundam uſum qui potius Hebraico ſermoni quam Græco conveniat: veluti cum particulæ ἐν ſignificatio voculæ σὺν tribuitur, ut Epheſ. 6. 2. ἥτις ἐστὶν ἐντολὴ πρώτη ἐν ἐπαγγελίᾳ. Ἐν ὀλίγῳ autem pro παρ' ὀλίγον duriuſcule poſitum fuerit Act. 26. 28. i. *propemodum.* Sed non video cur ſic accipere neceſſe ſit, cum aliis duobus modis, ſervato vulgari præpoſitionis uſu, poſſit accipi; nimirum cum ἐνὸλίγῳ ſubaudiendo vel χρόνῳ vel λόγῳ. Hic certe prius illud ſubſtantivum χρόνῳ ſubaudivi, interpretans, *Brevi temporis ſpatio.* Potuiſſem alioqui, ut opinor, altero extrinſecus aſſumpto, interpretari, *Brevi oratione*, vel *Paucis verbis.*

Utro-

Utrecunque autem modo hic reddatur ἐν ὀλίγῳ, minime difficilis fuerit in proxime ſequente verſu interpretatio ejus quod ei opponitur ἐν πολλῷ, ubi dicitur καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ· cum itidem dici, non diſcedendo ab uſu conſuecto, poſſit, *Et brevi & longo temporis ſpatio:* vel, *Et brevi & longa oratione:* ſive, *Et paucis & multis verbis.* Videtur autem copulativa conjunctio hic pro disjunctiva poni, ut perinde ſit acſi dictum eſſet, *Sive brevi ſive longo temporis ſpatio.*

Nec vero omittendus fuerit uſus hujus particulæ Ἐν cum dativo τούτῳ, pro *interim*, in duobus locis, ubi aliter redditur. Unus eſt 2 Cor. 5. Afferam autem quæ hunc locum præcedunt verba, ut ex iis manifeſtius ſit illa verba ἐν τούτῳ ſignificare quod dico, videlicet *interim* ſive *interea*. Ipſius igitur capitis initium afferam.

Οἴδαμεν γὰρ ὅτι, ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, οἰκοδομὴν ἐκ Θεοῦ ἔχομεν, οἰκίαν ἀχειροποίητον, αἰώνιον, ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

Καὶ γὰρ ἐν τούτῳ στενάζομεν, τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ ἐπενδύσασθαι ἐπιποθοῦντες.

Alter locus exſtat Act. 24. ubi legimus ἐν τούτῳ in hac ipſa ſignificatione,

Ἐλπίδα ἔχων εἰς τὸν Θεὸν, ἣν καὶ αὐτοὶ οὗτοι προσδέχονται, ἀνάστασιν μέλλειν ἔσεσθαι νεκρῶν, δικαίων τε καὶ ἀδίκων.

Ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους διαπαντός. Nemo certe, ut opinor, mihi convenientiſſimam eſſe duobus hiſce locis (in quibus eadem etiam res deſcribitur) illam interpretationem horum verborum ἐν τούτῳ dicenti non aſſentietur. Eſſe autem apud veteres etiam ſcriptores Græcos frequentiſſimum horum verborum in hac ſignificatione uſum, ſubaudiendo videlicet ſubſtantivum χρόνῳ, norunt qui in illorum lectione ſunt exercitati.

Hactenus de particularum uſu, ad eos qui neſcio quem ſermonis ſqualorem (ut ita dicam) in his ſcriptis eſſe queruntur refellendos. Nam ſi vel ex his elocutionem ſeu dictionem hujus libri, tanquam ex unguibus leonem, æſtimare libeat, eos longe falli comperiemus. Memini autem mihi ab aliis alia objecta fuiſſe, ſuam illam tueri ſententiam volentibus. At multa, inquiebant eorum nonnulli, admiſta ſunt vocabula Latina. Hoc fateor: ac dico etiam aliquot eſſe vere Græca, in quorum recondita quadam ſignificatione videantur Ῥωμαΐζειν· ut in περίεργα, Act. 19. Addo vero (quod nemo adhuc obſervavit) & Latiniſmos in illis inveniri. Sed reſpondeo me apud quoſdam etiam non incelebres Græcos ſcriptores Latiniſmos obſervaſſe: & quod ad Latinas voces attinet, non minus locum illic habere poſſe quam apud Xenophontem & alios Perſicæ pleræque habent. Admiſtos etiam eſſe Hebraiſmos multos querebantur. Hoc quoque illis concedo: ſed quoſdam ex Hebraiſmis tales eſſe ajo ut eorum vim, energiam & emphaſin nulla in ulla lingua loquendi genera aſſequi poſſint: quoſdam vero eſſe pariter Helleniſmos dico: niſi profani etiam Græcæ linguæ ſcriptores dicendi ſint Ἑβραΐζειν. Sed quædam etiam eſſe quæ hujus ſermonis conſuetudini falſo adſcribi videantur. Pleonaſmos item & ellipſes quidam ex illis objiciebant; & quidem inter pleonaſmos illum nominatim particulæ ὅτι. Sed quam hunc à Græcæ linguæ conſuetudine abhorrere exiſtimant, tam eſſe contra in ſermone Græco venuſtum & elegantem (cum elegantiſſimi ac politiſſimi quique ſcriptores eo uſi fuerint) aperte oſtendi in eo quem De Attica dialecto ſcripſi tractatu qui Gloſſariis veteribus adjunctus eſt. Ibidem vero & alios pleonaſmos Græcæ linguæ uſitatos eſſe docui, necnon variarum ellipſeon exempla protuli. Aptiora tamen & harum & illorum, utpote noſtris magis affinium, afferre potero in eo quo ad objectiones quas propoſui, aliaſque nonnullas, reſpondere ſtatui.

Interim vero non diſſimulabo, nonnulla verba eſſe quæ ob alienam interpretationem alienum à Græcæ linguæ conſuetudine uſum habere videri poſſint. Nam ſi (exempli gratia) προσφέρεται in eo cujus antea memini loco vertamus *offert*, ſi τὰ λείποντα Tit. 1. 5. reddamus *quæ reliqua ſunt*, merito quiſpiam objecerit paſſivam illic vocem pro activa, hic viciſſim activam pro paſſiva dure eſſe poſitam. Item, ſi Act. 23. 25. verbum προτείνειν reddatur *aſtringere*, merito quiſpiam in Græcorum ſcriptorum lectione diu multumque verſatus talem verbi hujus uſum mirari ſe dixerit. Sed mihi in his & aliis quibuſdam locis talem reprehendendi ſermonis iſtius occaſionem ſic ademiſſe videor ut cuilibet qui judex eſſe poſſit & candidus eſſe velit ſatisfacturus ſim: eſſe vero & in quibus ne mihi quidem ipſi ſatisfaciam, & quamvis aliorum interpretationi non acquieſcam, aptiorem tamen nondum inveniſſe ingenue fateor. Quinetiam confiteor me, quamvis ſæpe relictis his Teſtamenti Novi libris, nunc demum, cum calamum in manum ſumpſi ut margini has interpretationes adſcriberem, multis in locis ita hæſiſſe. Verum ejuſmodi ſunt omnes hæ ἀπορίαι ut ex iis ne minimum quidem fidei noſtræ κεφάλαιον (ſiquid in tanta re minimum eſſe poteſt) non dicam convelli, ſed ne attingi quidem poſſit.

Quoniam autem & depravatio quorundam locorum facit ut nonnulla, quod ad ſermonis Græci conſuetudinem attinet, duriuſcula ſint, de his quoque lectorem monebo; ut ſicui meliorum quam quibus pater meus uſus eſt exemplarium copia fuerit, ab eo viciſſim monear. Incipiam autem ab iis quos inſerta tantum interpunctio reſtituere in integrum poſſe videtur. Itaque Matth. 24. ἐρᾶτε μὴ θροεῖσθε, poſt ἐρᾶτε neceſſe eſt (meo quidem judicio) ὑποστίζειν· alioqui ſcribendum eſſe dicerem θροεῖσθαι. Apud Lucam, 22. 51. puto itidem inter ἐᾶτε & ἕως τούτου interpungendum eſſe. Apud Joannem item, 18. 37. fortaſſe inter σὺ λέγεις & ὅτι βασιλεύς εἰμι ἐγώ interpungendum eſt, hoc ſenſu, *Tu dicis ut ſe res habet: nam ego ſum Rex.* Quidam alii ſunt hujuſmodi loci, ſed quorum nunc minime recordor. Ut autem ibi ponenda interpunctio videtur, ſic etiam alicubi tollenda: ut Tit. 2. αἰκμὰς ἀγαθὰς, jungendo αἰκμὰς cum ἀγαθὰς, ſicut Homerus junxit πυροτόκος cum ἀγαθή. Alicubi etiam ponitur τελεία ὑπογυμὴ cum interrogatione ubi ὑπογυμὴ tantum requiri videtur: ut 1 Cor. 12. in fine, μὴ πάντες, διδάσκαλοι; μὴ πάντες, δυνάμεις; μὴ πάντες χαρίσματα ἔχουσιν ἰαμάτων; Imo vero, μὴ πάντες δυνάμεις, μὴ πάντες χαρίσματα ἔχουσιν ἰαμάτων; Fatebuntur enim, ut opinor, omnes multo aptius jungi accuſativum δυνάμεις cum ἔχουσι (ſuſpendendo eleganter interrogationem uſque ad illud verbum) quam homines vocari δυνάμεις. Contra autem interrogationis nota deeſt fortaſſis apud Matthæum & Marcum, illic cap. 26. hic. 14. & pronunciandum eſt, καθεύδετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε; ut non dicatur, *Dormite & requieſcite:* ſed *Dormitiſne & requieſcitis?* Atque ut in his locis nulla eſt vel unius literæ mutatio, ſic apud Joannem 7. 34, & 36. pro εἰμὶ ſum mutato tantum accentu reponendum puto εἶμι eo, ſicut antea dixi de κεῖνον reponendo pro κεῖνον. Quod ſi & ad literarum mutationem venire fas eſt, Joan. epiſt. 1. 3. 20. pro ὅτι ſcribendum ἔτι cenſeo. Item ἀπαγγελίαν pro ἐπαγγελίαν, Act. 23. 21. Item καθυςέρησα Phil. 4. 11. Item, ὃν ἀπηράσατε, 1 Joan 4. 3. erit autem helleniſmus, & ita legiſſe videtur vet. interpres. Ejuſdem epiſt. cap. 2. bis παράγει pro παράγεται. In 1 Pet. 5. ἀμάραντον pro ἀμαράντινον. Tantum abeſt autem ut in his aliiſve locis ſuſpectis vel apicem mutaverim, ut etiam in iis qui duobus interpungi modis poſſunt nullam interpunctionem ponere maluerim. Sed oblitus ſum Lucæ 23. 32. in κακοῦργοι utrinque hypoſtigmen notare. Hoc autem Lector, mihi de tuo & totius Eccleſiæ Chriſtianæ favore polliceor, fore ut ea in quibus πιστεύομεν veniam illis in quibus ἰστορήσαμεν impetrent.

HENRICUS STEPHANUS

LECTORI.

DIviſerunt olim Græci uniuſcujuſque Euangeliſtæ ſcripta in quædam velut tmemata, & in quaſdam pericopas, ut vocabulo Euſebii utar: atque hæc tmemata haſque pericopas numeris ordinem ſuum ſervantibus diſtinxerunt, ut in vetuſtis exemplaribus cernere eſt. *Tmemata* autem voco ea κεφάλαια, i. ut vulgari utar appellatione, *capita*, quibus hiſtoriæ aliæ ab aliis dividunduntur; at *Pericopas*, minora ſegmenta, quibus una etiam hiſtoria in plures partes aut etiam particulas velut ſubdividitur. Nam has potius quam illas, aut ſaltem has non minus quam illas, intellexiſſe Euſebius videtur, cum in epiſtola ad Carpianum ſcribit, Ammonium Alexandrinum reliquiſſe Euangelium quod τὸ διὰ τεσσάρων vocaretur, in quo τῷ κατὰ Ματθαῖον τὰς ὁμοφώνους τῶν λοιπῶν εὐαγγελιστῶν περικοπὰς exhibuiſſet. Quod autem ab illo Ammonio factum fuiſſe tradit, idem & noſtra fecerunt ætate quidam, viz. τὸ διὰ τεσσάρων εὐαγγέλιον, vel τῷ κατὰ Ματθαῖον (vel certe τῷ κατὰ Λουκᾶν) εὐαγγελίῳ τὰς ὁμοφώνους τῶν λοιπῶν εὐαγγελιστῶν περικοπὰς παραθέντες. Sed ſe improbaſſe illud opus oſtendit, quod accideret τὸν τῆς ἀκολουθίας εἱρμὸν τῶν τριῶν διαφθαρῆναι, ὅσον ἐπὶ τῇ ὕλῃ τῆς ἀναγνώσεως, ut ipſe loquitur. Hoc igitur incommodum ut vitaretur, ſe, occaſione tamen ex illo opere ſumpta, Canonas decem dediſſe unde cognoſcerentur loci in quibus Euangeliſtæ κατὰ τῶν αὐτῶν ἠυτυχήκασιν φιλαλήθως εἰπεῖν. Cæterum ad illa κεφάλαια & ad illas περικοπάς quod attinet, cum horum utrumque pater meus Robertus Stephanus tibi olim repræſentarit, ex plurimis antiquis inter ſe conſentientibus libris, in ſua illa Teſtamenti Novi editione quæ grandi forma & grandibus typis Lutetiæ excuſa fuit, ejus adminiculo velut in rem præſentem à me duceris. In ea enim tibi ea quæ dico oculis ſubjiciam. Habes illic ea tmemata quæ vocantur κεφάλαια, numeris in marg. interiori notata, ſimulque in ſuperna vel inferna libri ora eundem numerum, cui ea quæ ſubjunguntur verba ſunt cujuſque tmematis velut titulus, ſeu ſummarium, ſi hoc uti vocabulo conceditur. Habes autem & alios ibidem numeros minutioribus literis, qui unam eandemque hiſtoriam in plures (uti dixi) partes aut etiam particulas ſubdividunt. Sed cum hi numeri ſint ii qui cum numeris Canonum Euſebii conſentiunt, & ad eos referuntur, & videam multos eſſe qui hoc non animadvertant, nec Canonum illorum uſum, licet ab Euſebio indicatum, intelligant, ideoque ex illa paterna editione nihil fructus, hac quidem in parte, percipiant; viſum eſt, antequam ulterius pergam, experiri an quod ex Euſebio intelligere non potuerunt, ex me ſint intellecturi. Atque ut à primo Canone Euſebiano τῆς τῶν εὐαγγελιστῶν συμφωνίας, i *Concordantiæ Euangeliſtarum*, initium ſumam, (qui, ſicut & cæteri, ex multis veteribus libris inter ſe conſentientibus eſt deſcriptus) & in eo uſum numerorum margini interiori paternæ illius editionis appoſitorum, oſtendam: en tibi illius primi Canonis initium,

MAT.	MAP.	ΛΟΥ.	ΙΩ.
η	β	ζ	ε
ια	δ	ι	ς
ια	δ	ι	ιβ
ια	δ	ι	ιδ
ια	δ	ι	κη
ιδ	ε	ιγ	ιε
κγ	κζ	ιζ	με
κγ	κζ	λδ	μς
κγ	κζ	με	μς
θ	κ	λζ	λη
πζ	ρλθ	σν	βμε
ζη	,ης	ρις	βε
ζη	,ης	ρις	βμε
ζη	,ης	ρις	με

Hic in Matthæo, i. in ea quæ nos ad Matthæi locos remittit columnella, ſive columella, ut ſcribere alii malunt, tibi ſe offert litera η, numeri nota: eam autem habes pagina 4 illius editionis, in margine interiori, è regione horum verborum, οὗτος γάρ ἐστιν ὁ ῥηθεὶς ὑπὸ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ. Ibi vero huic literæ η ſubeſt alia, videlicet ια, quæ numeri eſt itidem nota; & eum numerum η in hoc Canone qui eſt primus, quærendum eſſe indicat. In Marci autem columnella vides β: in Lucæ ζ: in Joannis ι: & harum trium numeralium notarum unicuique ſubjectum itidem ια. è regione quorum numerorum eundem illum locum invenies, Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· apud Marcum videlicet initio pag. 60, à qua Euangelium ejus incipit; apud Lucam, ζ. pag. 60; apud Joannem, ι. pag. 162.

In ſecunda numerorum ſerie, tertia, quarta, quinta, unicuique trium Euangeliſt. ſuum eſſe datum vides numerum, unum & eundem. nam in Matthæi columnella quater habes ια: in Marci, quater δ: in Lucæ, quater ι. Quod ſi venias ad pag. 4, & 60, & 105, comperies uno eodemque loco quatuor Joannis Baptiſtæ ῥήσεις ab unoquoque referri. Ad Joannem autem quod attinet, eadem quidem & ab eo ῥήσεις referuntur, ſed non itidem uno eodemque loco, ſed partim pag. 161, ubi habes ς: partim, pag. 162, ubi ιβ & ιδ: partim, 166, ubi κη.

Sexta autem ſeries numerorum ſeu notarum numeralium exhibet in Matthæo quidem numerum ιδ, quem invenies in principio pag. 5. è regione illorum verborum, Καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἀνέβη ἀπὸ τοῦ ὕδατος· καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί· καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν· καὶ ἰδοὺ Φωνὴ ἐκ τῶν οὐρ. in Marco autem dat numerum ε, quem pag. 60. invenies, quæ eſt prima illius Euangelii: ex adverſo loci qui inter cætera habet & hæc verba, Καὶ εὐθὺς ἀναβαίνων ἀπὸ τοῦ ὕδατος, εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς, καὶ τὸ πνεῦμα ὡσεὶ περιστερὰν καταβαῖνον ἐπ' αὐτόν· καὶ Φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῶν οὐρ. At in Luca finis paginæ 105, eo in loco cui appoſitus eſt numerus ιγ, eadem tibi dat. In Joanne autem paginæ 162 (paulo infra medium) adſcriptus eſt numerus ιε, eregione loci in quo narrantur ea quæ apud cæteros poſtrema περικοπὴ continet.

Septima & octava & nona ſeries apud Matthæum quidem & Marcum & Joannem habent ſingulæ unum eundemque numerum, at non apud Lucam: eodem modo quo in ſecunda, tertia, quarta & quinta ſerie oſtendi, apud Matthæum quidem & Marcum atque Lucam quater eundem apud unumquemque numerum poni, at non eundem & apud Joannem, quod quatuor Joannis Baptiſtæ ῥήσεις ab aliis quidem in uno eodemque loco commemorentur, at vero ab Joanne in diverſis.

Sic porro & 12, 13, 14, 15, 16. ſeries apud tres illos priores ſuum numerum ſervant unum & eundem, at non apud Joannem; idque eadem ratione.

Cæteræ autem ſeries, ſeu cæteri ordines in quibus non idem apud ſingulos Euangeliſtas numerus repetitur, eos illas quas inter ſe communes habent περικοπὰς non eodem habere loco oſtendunt.

Sed ut revertar ad ea quæ appellari κεφάλαια dixi, ita vocata eſſe, puto non tam reſpiciendo ad hiſtoriæ Euangelii multas in partes ſectionem (quo reſpectu dici Τμήματα potuiſſent) quam ad titulum qui unicuique illarum par-

partium apponitur: quaſi titulus ille ſit ſequentis hiſtoriæ *τὸ κεφάλαιον*, ſive ſequens hiſtoria eo *κεφαλαιοῦς* narretur, vel in eo ſequens hiſtoria ſit *συγκεφαλαιωδεῖται*. Nec dubito quin primus qui alium quemvis librum in partes aliquot dividens, illarum primam *primum κεφάλαιον*, ſecundam *ſecundum κεφάλαιον*, & ita deinceps, vocavit, ea ratione id fecerit. Ac Græcorum (ut opinor) exemplo recentiores Latini *Capita librorum* dixerunt, quod ipſi pariter, ſingulis locis ubi notabant quotum eſſet Caput, pauca verba margini apponerent quæ proxime ſequentis ſermonis ſummam, & velut caput ejus, complecterentur. Alioqui certe *Segmenta* potius appellanda videri poſſent aut (Græca utendo voce) *Τμήματα*: quo nomine cur hic vocarim quæ in Latina interpretatione veteri *Capita* dicuntur, poſtea docebo.

Nunc autem ut pergam de Græcorum Capitibus verba facere (cum Latinitas una eademque voce & *κεφάλαιον* & *κεφάλαιον* cogatur interpretari) de iis certe, qualiacunque ſunt, inter veteres Scripturæ libros optime convenit. Pluſquam enim triginta vidi, partim in Regis Galliæ bibliotheca (quorum autoritatem & fidem pater meus in illa cujus paulo ante memini editione ſecutus eſt) partim in Italicis, qui eadem iiſdem in locis *κεφάλαια* habebant: eadem, inquam, quæ & hic vides, & in illa editione videre potes. Dixi porro, *Qualiacunque ſunt*, quod minime diſſimulare velim, eſſe quod in eorum nonnullis deſiderari queat: quædam enim *ἀλλοτρίᾳ* videri poſſunt, nonnulla aut non id quod in ipſa hiſtoria præcipuum eſt, aut verbis non ſatis aptis, proponere.

Cæterum cum eorum codicum qui illa *κεφάλαια* exhibebant, nonnulli quædam etiam brevia ſcholia, nonnulli alia quædam margini adſcripta haberent, in uno erant etiam verſus Græci hexametri, & eodem quo illa *κεφάλαια* officio fungentes, & illis adjuncti. Eos ego cum nuper in mea bibliotheca reperiſſem potius quam inveniſſem (vix enim recordabar, ex eorum numero quæ pater meus ex illis exemplaribus deſcribenda curaverat, hos etiam eſſe verſus) & non pauca in iis comperiſſem quæ ut mihi placebant, ita & pleriſque aliis placitura ſperabam, eos ut illis oblectamento ita huic editioni ornamento eſſe volui. Sed factum eſt neſcio quomodo ut dum & nonnulla in illis animadverto quæ mihi non ſatisfaciunt, ipſemet alios eorum exemplo (i. qui itidem vice *κεφαλαίων* eſſe poſſint) ſcribere non dubitarim, & hoſce novos lectoribus una cum vetuſtis proponere: quaſi & hic antiquum illud verbum habere locum poſſit, *Σύντα δὺ ἑρχομένω*. Quicunque certe fuit verſuum illorum autor, Poeticarum vocum & quorundam quæ ad Poeticum ornatum pertinent minime ignarus fuit: ſed & licentias Poeticas adeo non ignoravit, ut iis non tantum uſus ſed etiam abuſus ſit; vel potius ad eas quæ notæ & receptæ ſunt quaſdam etiam peregrinas adjecerit. Qualis eſt vel illa, qua in ſyllabarum menſuris Homeri aliorumque legibus minime ſe adſtrinxit. Nam fateor quidem & à Gregorio Nazianzeno, & à quibuſdam aliis qui eo partim poſteriores partim etiam paulo priores fuerunt, factum id eſſe: ſed ideo magis in hoc quam in Gregorio, & aliis qui paulo priores eo fuerunt, iſtud miror, quod alioqui neſcio quid antiquitatem magis redolens habere verſus iſti videri poſſint.

Quamvis autem alibi cum illis titulis quos *κεφάλαια* vocari dixi conſentiant hi verſus (ita quidem ut alicubi & vocabula quædam inter ſe communia habeant: veluti in hoc qui eſt apud Matthæum,

Γραμματέας παλάιζε θεὸς λόγος ἄφρονας ἄνδρας,

Cum itidem *κεφάλαιον* quod eſt *ις*, habeat *Περὶ τῆ παλαιστικῆ γραμματέων καὶ Φαρισαίων*) tamen qui apud Matthæum eſt quintus minime *κεφαλαίῳ* quinto reſpondere dici poteſt. Nam *κεφάλαιον* quintum eſt, *Περὶ τῶν μακαρισμῶν*, quod totum illum comprehendit locum in quo docemur quinam ſint exiſtimandi *μακάριοι*: at verſus quintus eſt hujuſmodi,

Ὅς δέ τε μιχθὰ λίσσοιτο, μετατρωπῶ δὲ οἱ ἀντίον,

Ideoque poſt *Κεφάλαιον ε*, vacuum ſpatium reliqui, aſteriſcis contentus, & ad hunc verſum illa Chriſti apud Matthæum verba adſcripſi, *Μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυρὸς ἐπὶ τῆς γῆς*, &c. In meo autem verſu magis inſiſtens ipſis Evangeliſtæ verbis ſcripſi,

Οὐρανῷ ἐνθετέον θησαυρὸς, οὐχ ὑπὸ γαίης.

Illa porro voce *μιχθὰ* utitur & apud Marcum in 29 verſu,

Πλάσιος, Φεῦγε τὰ μιχθά· τὰ δ' ἄφθιτα μή σε περίλθῃ.

Ac fortaſſe & in illo apud Matthæum verſu melius *τὰ* quam *τε* præcedet vocabulum *μιχθά*. Non procul autem, nimirum v. 8, ubi legis *τυφεσθαι Φέρεσθαι*, mendoſe ſcriptum eſſe *Φέρεσθαι* omnem extra controverſiam eſt: quin vero reponendum ſit *θέρεσθαι* minime dubito, cum *Φλέγεσθαι* paulo remotiorem ab illo *Φέρεσθαι* ſcripturam habeat. Occurrerunt & alia quædam menda, ſed quæ & facile & tuto emendari potuerunt: ſunt vero & quædam ſcripturæ quæ cum incuriæ librarii imputandæ prima fronte videri poſſint, ipſius tamen ſunt autoris inuſitata etiam (ut antea dixi) licentia alicubi utentis. Exemplum autem habes in 67 & 70 apud Lucam verſu, cum illic *ἰκέτηαι*, pro *οἰκέτηαι*, hic *ἰκέτας* pro *οἰκέτας* habeas, ſubtracto utrobique *ο*. Neque enim eſt quod *ἰκέτηαι* & *ἰκέτας* pro *ſupplicibus* ſcribendum putes.

Ad meos autem verſus quod attinet, in illorum pleriſque me non tam eorum quæ illis de quibus dictum eſt *κεφαλαίοις* nobis proponuntur, quam ejus quod in unaquaque præcipuum eſt & velut ejus caput, rationem habuiſſe, animadvertent qui eos expendent. Hoc autem ut efficere poſſem, non dubitavi duos alicubi verſus pro uno veteri dare. In vetuſtorum enim verſuum nonnullis omittuntur interdum nonnulla quæ itidem prætermittere religio mihi fuit. Cujus rei exemplum eſt in vigeſimo ſexto kephalæo Matthæi, ubi habes hunc verſum,

Πέντε δὲ τ' ἄρτους πλῆντο χιλιάδες, ἄμβροτα, πάντα,

Omiſſa duorum piſcium mentione, quæ tamen fit & *ἐν τῷ κεφαλαίῳ*· nam id eſt hujuſmodi, *Περὶ τῶν πέντε ἄρτων καὶ τῶν δύο ἰχθύων*. At ego malui duos verſus pro uno dare quam id omittere; ideoque ſcripſi,

Πέντε μόνον παραθεὶς σὺν δοιτοῖς ἰχθύσιν ἄρτους
Χιλιὰς χιλιάδας ἀνδρῶν ἐκορέσσατο πάντε.

Eadem & apud Marcum eſt omiſſio: nam hic verſus, qui eſt 16,

Πέντ' ἐπὶ πεντακισχίλιοις ἐνίκησεν ἀνδράσιν ἄρτοι,

nullam *τῶν δύο ἰχθύων* (i. *duorum piſcium*) mentionem facit: quam tamen facere neceſſe erat, ſicut & *ἐν τῷ κεφαλαίῳ* fieri videmus: nam in eo quoque legimus, *Περὶ τῶν πέντε ἄρτων καὶ τῶν δύο ἰχθύων*. Ego igitur hic itidem iſtud kephalæon non ſine cauſa in duos verſus extendi, hoc modo,

Ἄρτους πέντε μόνον καὶ ἁ πλέον ἢ δύο ἰχθῦς
Βρώματα χιλιάσιν πέντ' ἄρσεν Χριστὸς ἔτευξε.

Digitized by Google

Quinetiam in versu qui est apud Lucam in eadem historia eandem παράλειψιν esse videmus: nam ibi legimus,

Ἀμφὶ δὲ πεντάχιλοι κεκορήατο πίνι' ἐπὶ ἄρτους.

Verum hic unico versu illos etiam pisces à veteri prætermissos comprehendi, hoc nimirum,

Πλείσιν πίνι' ἄρτοι δύο τ' ἰχθύες ἤρυσαν ὄχλῳ.

Sed enim apud Matthæum in kephalæo λε, non minus quam in versu, omissum videmus piscium vel potius pisciculorum mentionem. Nam ibi habemus tantum, Περὶ τῶν ἑπτὰ ἄρτων, cum tamen hac adjectione opus sit, καὶ ὀλίγων ἰχθυδίων. Itidemque versus λε mentionem solum panum septem facit,

Ἄρτοι ἑπτὰ μένοις κεκορήατο μυρίος ὄχλος.

Cum tamen Euangelista narret fuisse ἄρτους ἑπτὰ καὶ ὀλίγα ἰχθύδια. Ego hoc quoque κεφάλαιον in duos versus extendi, verum non solum ὀλίγων ἰχθυδίων opsonium adjiciens τοῖς ἑπτὰ ἄρτοις, sed & numeri comedentium mentionem faciens, hoc pacto,

Χιλιάδων πλέον ἢ τετόρων τὸν λιμὸν ἔπαυσαν
Ἄρτοις ἑπτὰ μόνοις, σ' ὀλίγοι μικρὸν ἰχθύες ὄψον.

Eandem vero & apud Marcum in eodem kephalæo (quod ibi est κα) ellipsin invenies. Nam in tmemate quod juxta Veterem interpretem est VIII, habes hæc tantum verba, Περὶ τῶν ἑπτὰ ἄρτων, quæ sunt tituli seu kephalæi XXI. cum & ibi ἰχθυδίων etiam ὀλίγων facienda mentio fuerit. Estque itidem ἔλλειψις, ad illa quidem verba quod attinet, versus. Est enim hic,

Ὄχλου ἀπειρεσίου λιμὸν σχέτο ἑπτ' ἐπ' ἄρτοις.

At ego ita (ne illo quidem verbo εὐλογήσας omisso)

Χριστῷ ἐπ' εὐλογίῃ, ἰδὲ ἄρτοι ἑ πλέον ἑπτὰ,
Ἰχθύες ἠδ' ὀλίγοι, κορέουσι τὸν ἄστετον ὄχλον.

Manifestæ omissionis exemplum habes & in kephalæo λε Marci, Περὶ τῶν ἐκπεμπομένων τὸν Κύριον ἀρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων· nam apud Marcum interjiciuntur γραμματεῖς. At versus antiquus qui huic kephalæo respondet γραμματέων tantum meminit: quinetiam qua de re interrogarint Christum, tacet. Ita enim ille,

Γραμματέων δέ τις ὄχλος ἀνήρετο παιβασιλῆα.

At ego sic,

Γραμματέες μιν ἤροντο ἔροντό μιν ἀρχιερῆες
Ταῦτα τίνι κράτει ἔρδει· ὁ δ' οὐκ ἀτάμασθετο αὐτούς.

Spero igitur fore ut neque hic neque aliis aliquot locis bini versus novi uniso veteri παραλλήλως appositi displiceant. Jam vero & ubi unicum novum, sicut unicum veterem, habes, & plura illum quam hunc, & magis ad rem facientia, tibi plerisque in locis exhibere comperies: adeo ut meam novam στιχηρασίαν nihil novi afferre, immerito quispiam illic quoque sit dicturus.

Alicubi vero sunt aliæ omissiones ab illis quas dixi paulum diversæ, & paulo magis venia dignæ: ut, Περὶ τοῦ Βαρτιμαίου, pro Περὶ τοῦ Βαρτιμαίου τοῦ ΤΥΦΛΟΥ. Et apud Matth. κεφ. β. Περὶ τῶν ἀναιρεθέντων παιδίων, pro, Περὶ τῶν ἀναιρεθέντων παιδίων ὑπὸ Ἡρώδου. Atque ita & aliquot aliis in locis nimis generaliter (ut ita dicam) nonnulla proponuntur: ut Περὶ τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου, pro Περὶ τῆς αἰτήσεως τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου.

Quemadmodum porro veterum versuum qui illis kephalæis respondent autor eadem kephalæa apud alium Euangelistam non eodem modo expressit, sed alio atque alio modo, ita & ego mihi faciendum putavi; adeo quidem & ut alicubi duos versus dederim cum apud alium Euangelistam unicum dedissem.

Cæterum ideo ipsa Euangelistarum verba illis versibus præfixi, ut tibi ad illos recurrendum non esset, sed statim ipsos versus cum eorum conferre verbis posses. Neque tamen totos locos posui, sed quantum potui contraxi, quædam etiam vocabula non integra scribens, & ita exercendæ memoriæ materiam relinquens. Ideo autem ἐν τῷ Λατινικῷ τιμήματι, potius quam ἐν τῷ Λατινικῷ κεφαλαίῳ, in indicandis Euangelistarum locis dixi, quod præcederet Græcorum κεφάλαιον, proprie (si vera sunt ea quæ de eo differui) appellatum; cum contra nonnisi improprie eadem appellatio sectionibus illis quæ apud Veterem interpretem sunt tribui possit, utpote nullis itidem sequentibus verbis quæ historiam κεφαλαιώδη complectantur, aut saltem ei tanquam tituli præfigantur.

ILLU-

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS AMPLISS.
Præpotentibus vereque magnificis

ORDINIBUS
PROVINCIARUM FEDERATARUM,

QUOS

STATUS GENERALES

VOCANT,

JOHANNES DRUSIUS

hoſce

ANNOTATIONUM
IN TOTUM JESU CHRISTI *TESTAMENTUM,*

SIVE

PRÆTERITORUM,

Libros decem

Teſtandi animi cauſſa dedicabat.

A. H. M. D. M. A.

JOHANNIS DRUSII
EPISTOLA
decem Libris *Præteritorum* præfixa.

EX quo tempore prima pars opuſculorum meorum lucem vidit, amice Lector, nihil à me fuit editum, non culpa ulla vel ignavia mea, ſed quod tempora inciderint hujuſmodi quæ mihi ſapientiam omnem, ut ita loquar, expectorarunt. Nam primum lites mihi conciliavit ex induciis quorundam improbitas, ita ut hactenus non potuerim prædia mea mihi relicta à parentibus divendere. Deinde filium amiſi quem unicum ac proinde chariſſimum habebam, in quo ſpes omnis rerum mearum ſita erat, quo tanquam ſcipione ſenectus mea innitebatur: Qui etiam, ut alia taceam, eos progreſſus fecerat in linguis Orientalibus ut non dico ſuperiorem ſed ne parem quidem in Europa ullum habuerit. Qui noverunt, noverunt autem plurimi cum in Anglia tum in Bel-

Digitized by Google

Belgio, ſciunt me verum dicere. Anno quinto ætatis cœpit cum Latinis diſcere literas Ebraicas; quibus poſtea Græcas, Chaldaicas & Syras adjecit. Anno ſeptimo interpretabatur optime Davidem in ſua lingua, ſic adeo ut Judæus quidam qui tum Lugdæ Arabicam profitebatur, cum admiratione illum audiverit. Biennio poſt legebat Ebræa ſine punctis vocalibus; &, quod ipſi Rabbini doctiſſimique Judæorum hodie ignorant, rationem callebat ex arte Grammatica qua ſingulæ voces recte punctari deberent. In lingua Latina, quam uſu magis quam ex præceptis Grammaticis didicerat, tam promptus & expeditus erat quam in vernacula. Anglice garriebat cum Anglis, ita ut bene ipſum intelligerent. Anno duodecimo ſcribebat ex tempore tam proſa quam carmine rhythmico, ut mos eſt Ebræis. Anno ſeptimo ſupra decimum, cum in Anglia eſſet, oratiunculam habuit Latinam coram Rege Magnæ Britanniæ tanta animi præſentia ut omnes admirarentur. Aderant Regi præter Walliæ Principem & Archiepiſcopum Cantuarienſem Proceres aulici; quorum omnium conſpectus vel virum fortiſſimum facile conſternaſſet. Ingenium ei erat promptum, judicium ſupra ætatem exactum & maturum, quale fere præcocia ingenia habent, memoria tenax, labor indefeſſus, mores amabiles & grati omnibus, unde ab omnibus amabatur, juxta illud,

——— *Ut ameris, amabilis eſto.*

Prætermitto indolem egregiam, qualis eſſe ſolet eorum

Quels meliore luto finxit præcordia Titan,

& puram pietatem. Quicquid audiebat memoria dignum notabat in pugillaribus ſuis, quos ad hoc ſemper paratos habebat; inde in codicem referebat cum domum veniſſet. Reliquit poſt ſe epiſtolas Ebraicas puro ac eleganti ſtilo; in quo genere feliciſſimus erat; item Rhythmos quamplures, & Notas breves in Proverbia Salomonis. Redegit etiam Nomenclatorem Eliæ Levitæ Germani in ordinem alphabeticum, additis vocibus Græcis, quæ in prima editione deſiderabantur. Cœperat vertere in Latinum ſermonem ex Ebræo Chronicon Templi ſecundi & Itinerarium Benjamini Hiſpani Tudelenſis Judæi. Quòd ſi vita ei longior contigiſſet & ad juſtam ætatem pertingere potuiſſet, dicam præſciſcinè (abſit verbo invidia) fuiſſet interpres literarum Sacrarum eximius, qualem fortaſſe orbis Chriſtianus alium non habuiſſet. Nam præter ea quæ diximus, verſatiſſimus erat in textu Sacro, notaveratque in editione quadam Vulgata, cui charta inſerta erat, expoſitiones variorum Theologorum tam veterum quam recentium. Adhæc ſuppetebant ei à me adjumenta quæ nemo mortalium alius ipſi ſuppeditare potuiſſet, videlicet Lexicon Theologicum, Onomaſticum ſacrum, Dictionarium Ebraicum ex LXX, Hieronymo, Aquila, Symmacho Theodotioneque collectum; item Helleniſticum, Chaldaicum, Syriacum Syriacis characteribus deſcriptum, Thalmudicum, Rabbinicum, Arabicum; nec non Fragmenta veterum interpretum Græcorum cum ſcholiis, & alia quam plurima ſummo labore à me per totam vitam collecta & annotata. Obiit ex calculo anno ætatis vigeſimo primo apud optimum & nunquam ſatis laudatum virum D. Gulielmum Thorne Decanum Ciceſtrenſem, qui, quem vivum honeſto ſtipendio ad ſe vocaverat, poſtea mortuum perhonorifice ſepeliri curavit. Deus largiatur ei præmium talibus meritis dignum. Utinam occaſio mihi eſſet viciſſim de illo bene merendi; facerem non ſolum libenter ſed etiam largiter. Cladem hanc excepit alia non minus acerba mihi. Siquidem uxor, lectiſſima mulier, quam habebam commodiſſimam, paucis poſt annis nos reliquit & ad ſuperos commigravit, nullo facto etiam teſtamento: quod novas lites mihi peperit cum hæredibus parum æquis, ne dicam iniquis. His acceſſit publicum hoc diſſidium Eccleſiarum, quod omnes bonos, & me inter eos, non parum contriſtavit. Quorſum iſta? inquies. Nempe ne mireris ſi forte Annotationes iſtæ exſpectationi quam de me concepiſti non per omnia reſponderint. Nam in dolore perit omnis alacritas de rebus ſeriis quicquam ſcribendi. Proinde ſapientes Ebræi dicunt *Spiritum S. non reſidere ſuper hominem mœſtum.* Memineris quoque inſcriptionis ac tituli. Nam ideo *PRÆTERITA* inſcripſi quia duntaxat ea notavi quæ ab Eraſmo, Theodoro & aliis præterita fuerunt, aut non ita fuſe illuſtrata. Quod ſi eſt, ut revera eſt, quid aliud mihi relictum præter ſpicas aliquot poſt luculentam meſſem, aut ἐπιφυλλίδας racemuloſve poſt inſignem vindemiam? Ut ut ſit, ego tibi, Lector, ut aliis omnibus, ita hoc meo ſcripto prodeſſe volui. Si profui, bene eſt; ſin minus, mihi imputato: mea culpa eſt, ego luam. Sed ſi profui unquam, iterum dico, gratias age primum Deo Opt. Max. qui mihi ad hoc vires & valetudinem conceſſit; deinde Ordinibus Generalibus, quorum liberali ſtipendio adhuc fruor, ſine quo ſumptus hos præſtare non potuiſſem. Utinam labor hic meus perinde omnibus acceptus & gratus eſſet quam fuit mihi moleſtus & acerbus. Judæos autores non alio fine cito quam ut oſtenderem conſenſum eorum cum doctrina Chriſti & Apoſtolorum. Nam licet in aliis multis diſſentiant, in doctrina tamen morum fere ſemper nobiſcum conveniunt, ſicut & aliæ ſectæ. Vale, & exſpecta ſuo tempore, ſi Deus annuerit & alia impedimenta non intervenerint, Verſionem novam veterem Antiqui Fœderis cum juſtis Annotationibus, quas ex Patribus Græcis & Latinis libriſque Chaldæorum, Syrorum & Ebræorum, non quidem plane confectas, ſed tamen adfectas penes me habeo; ſervoque dum erit qui eas prælo ſuo excudere tam poſſit quam velit. Non enim certe omnes qui volunt poſſunt. Iterum vale, meique memoriam uſurpa in precibus tuis.

Franekeræ Friſonum, anno Chriſti 1612. Mundi vero 5372.
juxta calculum Ebræorum, aut 372 ſecundum æram
ſive ſupputationem eorum minorem, menſe Febr.

ILLU-

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS AMPLISS.

Præpotentibus, vereque magnificis

ORDINIBUS

PROVINCIARUM FEDERATARUM,

QUOS

STATUS GENERALES

VOCANT.

EX quo à vobis diſceſſi, Viri præpotentes, nihil habui prius aut antiquius quam ut illud quod mihi erat injunctum in publicum emitterem. Multa obſtiterunt, ſed nihil magis quam obitus Typographi noſtri, qui omnia ad eam rem paraverat. Succeſſit ei alius qui Ebraicis characteribus deſtitutus mea excudere non potuit. Tandem ultro ſe obtulit vir juvenis, admodum induſtrius & vitæ temperatæ, cui Henochum meum commiſi. Cum autem mihi editio illa non per omnia placeret propter vetuſtatem characterum, emit plane novos tam Latinos quam Græcos. Etiam Ebraicos comparavit ſibi qui ſufficerent ad hoc opus, quod nunc Veſtris Illuſtriſſ. Dignit. offero. Commentarius eſt duplex in voces Ebraicas N. T. Prior, qui & novus plane, ordine alphabetico conſcriptus eſt. Alter, qui vetus & poſterior, eo quod poſteriore loco nunc editus ſit, antehac excuſus fuit Antverpiæ apud Chriſtophorum Plantinum, videlicet anno Chriſti 1582. Eum publicavimus imperfectum: ſupplere autem non potuimus propter tempora quæ conſecuta ſunt. Id ſi nunc præſtamus, erit quod ſibi nobiſque gratulentur qui hiſce meis laboribus ſtudia ſua juvari haud gravate confitentur. Sunt autem plurimi in iis locis ubi odium & invidia non tantum poſſunt quantum in hiſce, in quibus cognitio linguarum & literata eruditio tantum non pro hæreſi habentur. Ut ut ſit, opus eſt quod nunc offero plane conſummatum; In quo præter ea quæ ad vocum ſenſa pertinent, multa obſervata in Theologis antiquis: partim etiam oſtenſa ratio ſcripturæ veteris, quam diligenter & cum cura notavi duabus potiſſimum de cauſſis; primum, quoniam ignorata hæc vulgo, (non enim quiſquam ante me illam obſervavit. Primus hoc iter ingreſſus ſum ſine duce, ſine comite: quo magis mihi condonandum ſicubi aberro) deinde, quia argumentum tale ut ſi quis illud tractet non obſervata ratione qua uſi priſci illi veteres in ſcribendis nominibus Ebraicis, ſæpenumero fallatur neceſſe eſt. Breviter omnia; quia neque ipſe unquam in hoc ſcribendi genere amavi ubertatem, & moleſtiam lectori conſulto objicere fugi multitudinem verborum. Qualiacunque ſint (non enim meum ea extollere) ſpero grata futura Vobis, Viri Illuſtriſſimi, partim quia illuſtrant Novum Jeſu Chriſti Fedus, partim quia hinc ſpes vobis certa de magno illo opere in quo tot annos deſudavimus; cujus ſpecimen nunc haberetis niſi angustia rei familiaris nobis obſtitiſſet. Nam qui ſuis impenſis id excudere velit nondum mihi repertus, & curta rei familiæ meæ non permiſit ut ego eas facerem. Qua de re monui R. V. Joh. Utenbogardum Eccleſiaſtem; ſed nullum adhuc reſponſum accepi. Interea paro nunc alteram partem Annotationum in Novum illud Teſtamentum, edendam ſumptibus Johannis Johannis F. Bibliopolæ Arnhemienſis, niſi interea benignior aura à Vobis affulſerit. Nam favore & auxilio potentum opus eſt ad opus aliquod magnum aggrediendum. Quod ſi contingat, habebitis brevi juſtum Commentarium ad loca difficiliora Legis, h. e. quinque librorum Moſis; Quem conſequentur Prophetæ, & deinde Hagiographi, ſi Deus vitam & valetudinem conceſſerit, & pulices iſtos qui me undique pungunt & mordent ſtudiaque mea turbant à me ſubmoverit, aut ſaltem quietem ab illis mihi dederit. Quod ut imis votis opto, ita hunc laborem meum Ill. Alt. Veſtris acceptum eſſe cupio. Sic enim certe animum addetis ad alia quæ reſtant evulganda. Valete, Viri Præpotentes, & feliciter gubernate.

Hieron. in Comment. *Ezech.* 40.

DIligentem & ſtudioſum lectorem admonendum puto, ſi tamen ſcientia Scripturarum & non variis Oratorum declamationibus ducitur, ut ſciat omnia prope verba Ebraica & nomina quæ in Græca & Latina tranſlatione ſunt poſita nimia vetuſtate corrupta ſcriptorumque vitio depravata, & dum de inemendatis ſcribuntur inemendatiora, de verbis Ebraicis facta eſſe Sarmatica, imo nullius gentis, dum & Ebræa eſſe deſierint, & aliena eſſe non cœperint.

Illuſtriſ-

Digitized by Google

Illuſtriſſimis & Potentiſſimis

UNITARUM PROVINCIARUM ORDINIBUS GENERALIBUS,

E T

PRÆPOTENTIBUS ORDINUM FRISIÆ *DEPUTATIS*,

NEC NON

AMPLISSIMIS ACADEMIÆ FRANEKARANÆ *CURATORIBUS, &c.*

VIX ut cogitaram eventurum, Illuſtriſſimi, Præpotentes, Ampliſſimique Domini, ut ego quoque ſcripti aliquid, turbidis his præſertim temporibus, publicitus ederem, ita multo minus futurum putabam, ut ſub Illuſt. Præpot. Ampliſſimiſque nominibus Veſtris ſimul illud quod publici juris fieri debebat lucem aſpiceret. Quam ob cauſam? Primum enim tutius eſſe judicabam tacendo mirari doctiſſima politiſſimaque ſeculi hujus ingenia judiciaque, quam ſilentii caſtra deſerendo, ſcribendo videlicet, horum pariter & aliorum invidiam & odium mihi conciliare. Deinde, cum ego memet probe examinabam, quem ab aliquam multis annis non Apollo ſed Mars ſuum diceret, ut verum fatear, nec materiam inveniebam, nec inventæ pro dignitate illuſtrandæ idoneum me aut dignum exiſtimabam. Quippe quam ego & Arte & Marte nullus, & quam vos ab utraque parte & aliunde Illuſtres Conſpicuique ſitis in Celſ. Veſtra, nulli non mortalium conſtat & compertum eſt. Sed ſicut multa humano generi accidere ſolent præter opinionem, ita & hoc mihi qualecunque genus non ſolum præter illam, ſed quoque præter ſpem & exſpectationem è cœlo in ſortem obtigit. *Neceſſitas* dicitur *ingens telum*, & vere. Verbo ut rem eloquar; A delata iſta ad *D. Druſium* de Logo creato calumnia, Illuſtres, Præpotentes Amplique Domini, quæ pium pacificumque iſtud pectus vehementem iſtam epiſtolam extrudere, fugata patientia, impellebat, *Jo. Druſius* veſter morbo corripitur; [Hieron. *In ſuſpicione hæreſeos nemineni decet eſſe patientem*] lentoque nec acuto proceſſu eo pedetentim deducitur, ut, poſtquam ſibi de rebus ſuis diſponendum eſſe in tempore animadverteret, duodecimo tandem Februarii die circa veſperam, morte transferatur in vitam, non morte, inque hoc Invidiæ Calumniarumque tartaro amplius eſſe deſinat. Qui morte non morte? An non mortuus eſt? Mortuus quidem eſt, quia morte tranſlatus: Sed cum è lecto ſuo inter auditores multos, Nobiles, Profeſſores, Paſtores, Theologiæ ſtudioſos, alioſque vicinos, egregia multa de Hieroſolymæ urbis conſtitutione dicendo & docendo, ſine doloribus aut alicujus è membris convulſione aut contractione, imo apertis oculis, ſine aliqua moleſtia Chriſto ſuo animam exſpiraverit, non placet tranſitum iſtum *mortis* vocabulo ordinario appellare. Quorſum hæc omnia, quæritis? Horſum, ut Celſ. Veſtræ conſtare poſſit D. Druſio p. m. firmiter propoſitum fuiſſe, ſi huc uſque ſupervixiſſet, prelo committere Commentarium ſuum ad loca difficiliora V. T. aliaque in idem Teſtamentum opera non vulgaria, quæ Veſtris auſpiciis maximiſque ſumptibus à multis annis collegerat; morte vero præventum authorem promiſſis ſuis ad petitionem Veſtram nuper quoque datis ſtare non potuiſſe. Cumque bono iſti viro per hanc rerum mutationem Celſ. Veſtræ debitum perſolvere, vel quouſque in magno iſto opere progreſſus fuerit coram vel per literas rationem reddere non licuerit, Reipublicæ vero intereſſe nihilominus videretur ut omne hoc quod communi commodo elaboratum penes heredes eſſet, cognitum eſſet, hinc officii noſtri eſſe judicavi, & quia judicabam coactus fui, iſta quæ ejuſdem fere generis ſunt omnia, Celſ. Veſtræ, & propter vos univerſæ Reipub. literariæ, una opera indicare; ſi non alio, eo duntaxat fine, ut aliquando nobis quid Celſ. Veſtræ de illis omnibus aut quibuſdam ſtatuere placeat conſtare poſſit. His deſcribendis cum me accingo, in manus forte incidit epiſtola Nobiliſſimi Clariſſimique viri Jacobi Monavii, in qua à *D. Druſio* peramanter petit ut ſibi deſcribi curet Catalogum librorum à *D. Druſio* editorum. Quod cum mecum perpendo, Illuſtres, Præpotentes, Ampliſſimique Viri, in mentem venit, è re literaria forte futurum ſi Catalogus iſte editorum alteri nondum editorum adjungatur, & ſimul Orationi ex decreto Senatus Academici Franekerani in obitum *D. Druſii* habitæ ad calcem annectatur. Sed ubi mihi utriuſque generis Catalogum deſcriptum habeo, Orationemque exſpecto, quod miremini, aliquis quidam nullis non mediis (ne quid gravius dicam) Orationis editionem impedire annititur. Cumque poſt longam moram, ob metum viri unius aut alterius, Orationem fruſtra exſpectari didici, Reipublicæ tamen in genere, cui vos Illuſtres, & Friſiæ in ſpecie, cui vos Præpotentes, Academiæque, cui vos Ampliſſimi Viri cum laude præeſtis, intereſſe exiſtimavi, Druſius ut is & talis in vita, in doctrina, in moribus & morbo fuerit, quem & qualem fuiſſe Orator nobiliſſimus pariter & doctiſſimus in Oratione ſua elegantiſſima dicebat. Carptim ergo colligere & pauciſſimis delineare Vitam *Druſii*, Druſii, inquam, ſoceri mei reverendiſſimi, chariſſimi, neceſſitate hic cogente, aggreſſus ſum, eoque potiſſimum fine, *Semper* ut *bonos nomenque laudeque Druſii*, Invidia nolente volente, *manerent*. Quod autem vobis ſimul, Illuſtres, Præpotentes, Ampliſſimique Domini, opellam hanc inſcribere non fuerim veritus, huc me potiſſimum impulere tum amor Veſter erga Druſium Veſtrum,

tum

tum authoritas ſumma qua in unitis Provinciis, in Friſia, in Academia patria polletis. Amorem dico, quia toto eo quo Veſtris AA. operam ſuam per annos plus minus XXXVIII dependit temporis tractu induſtriam, fidem atque in docendo ἐυσέβειαν ipſius, quam ſingularem Deus Opt. Max. in illum contulerat, non ſolum ſuffragiis Veſtris, ubi opus fuit aut expedivit, ornaviſtis, teſtimoniis, præmiis & beneficiis prædicaviſtis, ſed intimi quoque affectus erga illum Veſtri non raro ſignificationes clariſſimas atque luculentiſſimas exhibuiſtis. Quæ omnia ut exteris multis ſunt teſtata ſatis, ita incolis Belgii heredibuſque nobis & liberis ſunt teſtatiſſima. Hoc jure ergo, cum *Druſius* vivus ſeipſum ſuaque omnia Veſtræ Celſ. & Ampl. debebat, merito quoque & hanc Vitæ Operumque Druſii delineationem & deſcriptionem, in gratitudinis aliquod teſtimonium, ad vos ſimul pertinere cenſui. Si autem quicquid id eſt quod honori ſoceri mei deſtinatum eſt gratum Vobis eſſet, aut profeſſione pietatis excuſatum; Authoritatem vero Illuſt. Veſt. D. D. appellavi, quod ea nos liberos & heredes quam maxime egere liquido conſtet. Eo enim quorundam, proh dolor! audacia in judicandis & damnandis fratrum collegarumque ſuorum, etiam in Chriſto mortuorum, ſcriptis aſcendit, ut parum dubitem quin illorum aliquis operas lucubrationeſque D. Druſii, Eccleſiæ vel Reip. literariæ inutiles inviſaſque primo quoque tempore per ſuas ſuſpiciones proterve ſit redditurus, niſi propter authoritatem Veſtram ſit omiſſurus. Quod vero facinus ne fiat, nos Celſ. AAque Veſtras obnixiſſime rogatas volumus, tum ut amoris tum ut authoritatis ſummæ Veſtræ clypeo & D. Druſium quondam Veſtrum, ejuſque lucubrationes, & nos denique propter ipſum & illas, ſemper tueri, protegere & defendere, ubi à culpa abſumus, non dedigneminí. In qua ſpe finiens, Deum Opt. Max. porro precor ut Illuſtriſſimas DD. Veſtras quam diutiſſime incolumes nobiſque propitias ſervet, omnique benedictione ſuperne gubernationi veſtræ quam prolixiſſime benedicat.

Leoverdiæ Friſiorum,
pridie Kal. Aug. 1616.

Celſ. & AA. Veſt. devotiſſimus Cliens,

ABELUS CURIANDER.

VITÆ, OPERUMQUE
JOH. DRUSII
Editorum & nondum editorum, delineatio, & tituli.

JOhannes Clementis F. *Druſius* natus fuit Aldenardæ, in oppido Flandriæ haud incelebri, Anno à nato Chriſto M. D. L. die autem Junii XXVIII; cum paulo ante, die videlicet Aprilis XXIX, celebre illud inter poſtrema edictum in Belgio pronunciatur quod Hæreticorum librorum uſum & lectionem, ſicut & Iconomachias, ſecretiores conventus, profanorumque de rebus ſacris & Articulis fidei diſputationes, prælectiones & conciones maxima cum ſeveritate interdicit; addito hoc præter alia mandato, *Judices ut ſevere agant abſque ulla Edicti mitigatione contra Hereticos*, &c. Patrem habuit virum raris virtutibus amploque cenſu in urbe & agro conſpicuum, Clementem è familia *Drieſchiorum*: unde huic noſtro cognomentum *Drieſchius* & *Druſius*, voce poſtmodum flexa paululum propter pericula quæ tum erant in illis locis. Mater ei fuit Eliſabeta, mulier pia, è *Deckeris* oriunda; quæ familia in ea urbe patricia eſt. Puer Janus *Druſius* annum agens decimum aut eo plus, à patre, qui ipſum ab incunabilis ſacris ſtudiis deſtinaverat, Gandavum ad ſcholam trivialem ductus fuit, linguas Græcam & Latinam ſub Petro Dickelo ut addiſceret. Apud quem cum ad tres quaſi annos commoratur, poſt abductus fuit Lovanium, ut Philoſophiæ ibi operam daret in pædagogio quod *Caſtrum* vocant. Sub initium anni LXVII ad bonas literas linguarumque ſtudium ſe confert, & in urbem commigrat; in Latinis Cornelio Valerio, in Hiſtoria vero & Matheſi Joh. Stadio Magiſtris. Accidit autem circa hæc tempora ut multis Chriſto fidelibus Martyribus tum hic tum alibi fortium athletarum more pro Chriſto decertandum fuerit; Quos inter cum & ſuo modo numerari non puduerit prædictum Druſii noſtri patrem Clementem Drieſchium, qui aliquamdiu celebris iſtius Eccleſiæ Aldenardenſis Senior fuerat, neque me pudebit quid ipſi Reformatæ religionis ergo factum ſit poſteritati teſtatum facere. Sed ne Hiſtoriam contexere velle videri poſſim, uno verbo dicam. Clemens Drieſchius, ſic volentibus iſtorum temporum Inquiſitoribus, inclementer proſcribitur, & bona ipſius inſuper fiſco adjudicantur. Bonorum damnum illud æſtimatum fuit ad ter mille libras Flandricas quas majores vocant, vel Anglicæ monetæ librarum circiter duo millia. Proſcribitur autem & bonis privatur non aliam ob cauſam ſane quam quod ab Eccleſiæ Romanæ ſcitis bona conſcientia declinaret, quodque in doctrina fidei ſoli verbo Dei in Scripturis Sacris expreſſo tribueret authoritatem, & ſi quid aliud iſtorum temporum Martyres profitebantur. Proſcriptus, & jam uxore (quæ Romano-Catholicæ religioni addicta erat) & liberis orbus, in Angliam cum multis Chriſto fidelibus exſulibus cogitat, Londinumque habitationis ſuæ ſedem deligit. Interea vero temporis dum pater in Angliam diſceſſum parat, mater verita ne maritus filium hunc ſuum natu maximum & chariſſimum ſecum in Angliam abduceret, filium Janum illico ad ſe Aldenardam revocat. Sed ſubito correpta morbo, quem ex amiſſione tum mariti chariſſimi tum facultatum non vulgarium contraxiſſe potuit, nihil facere niſi miſeram vitæ conditionem flere, filiique auribus occinere quod bonorum nihil ſibi relictum ſit unde ſtudia ſua alere poſſit, & ſi quid triſtius in mentem venire poſſit. Utque animum filii ab humanitatis ſtudiis jam alienum reddere occipiat, commendat eum fratribus ſuis, quibus conſultiſſimum videtur, adoleſcens ut Tornacum mittatur ut ibi Gallicam addiſcat. Sed *Druſio* alia erat mens, ſanctius propoſitum, altioreſque cogitationes, utpote *cui finxerat de meliore luto præcordia Titan.* Pater in Anglia nihil fere gravius ferre quam iſtius Jani ſui abſentiam. Quid faciat? Intentatum nihil relinquit quo filium ad ſe ducendum curet in Angliam,

tum blandis literis, tum propoſitis præclaris præmiis rem peragendo. Tandem ſingulares literas dat ad Olivarium Drieſchium cognatum ſuum, qui tunc Aldenardæ erat, obnixeque petit ut adhibita opera coloni ſui Anſegemenſis, viri ad perſuadendum paratiſſimi, hoc omni arte effectum dare velit, filius ut in Angliam ad ſe veniat, promittitque fore filii ut ſtudia liberaliter alantur, & ſimilia. Olivarius & colonus commiſſum ſibi negotium fideliter curare, nulliſque verbis vel præmiis parcere. Utroque modo permovent adoleſcentem. Itaque tandem ad patrem cum horum altero ſe recipere aſſenſus eſt. Clam igitur omnibus cum colono paterno Anſegemum proficiſcitur (pagus eſt inter Aldenardam & Cortracum) ubi pater villam habebat. Hic pernoctatum fuit, nec poſtridie diſceſſum ante tenebras, ne abitus ipſorum cuiquam ex vicinis innoteſceret. Sub noctem ergo cum jam alter alterum dignoſcere nequiret, relicta villa Anſegemenſi abierunt Oſtendam verſus: quod iter pedibus confectum fuit per ſaltus & invia. Ubi Oſtendam ventum, in quiete viſa eſt ei tota Anglia ardere. Quod inſomnium licet nonnihil terruiſſet ipſum, tamen inventa navi ſolvit, precatus Deum ut inceptum iter proſperaret. Interea avunculi nuncio accepto de diſceſſu ipſius, miſerunt qui ex fuga eum retraherent; ſed fruſtra: nam prius quam illi qui miſſi erant veniſſent, jam tunc in Angliam ſolverat, vento uſus utcunque ſecundo & leni. Colonus dux & comes domum reverſus, procurantibus rem iſtam avunculis Johanne & Antonio Deckeris, conjectus fuit in carcerem; unde non ſine magnis impenſis poſtea evaſit. Londinum vero venit hic noſter adoleſcens ſub finem anni LXVII, paulo ante Natalem *DOMINI*. Nec mora; Pater ſe promiſſo liberatum it, filio libros emendo, & ipſius ſtudia, quantum quidem illud in exſilio licebat, promovendo, conductis etiam viris doctis qui eum domi privatim in omni genere artium inſtituerent. Ibi demum guſtum qualemcunque cepit linguæ Sanctæ, docente ac monſtrante Bulingio quodam viro honeſto pariter & erudito. Interea Londinum ex Gallia venit Ant. Rod. Cevallerius, Profeſſor Cadomenſis, vir in Ebraicis literis doctiſſimus & ſupra modum laborioſus. Quem cum publice & privatim Grammaticam docentem aliquamdiu audiviſſet hic noſter, diſcedentem poſtea Cantabrigiam, quo miſſus erat ad obeundam Regiam Profeſſionem, cum aliis multis Gallis eundem quoque comitatus eſt; tantaque in gratia fuiſſe apud præceptorem certum eſt, ut in domum ipſius non ſolum pro tempore receptus, ſed tamdiu quoque retentus fuerit donec Gallicam linguam probe didiciſſet. In ædibus ejus dum vivit, ſtudiorum ſocium aut potius συγκαθήτην habuit Tho. Cartwrightum Theologiæ Profeſſorem Anglum, virum egregie doctum, & omnibus iis quæ ad eam Profeſſionem requiruntur inſtructiſſimum. Poſtea cum Cevallerius à ſuis in Galliam revocatus abitum pararet, impetravit à patre ut ibi adhuc annum integrum commorari poſſet. Eum fere totum conſumpſit in ſtudio Philoſophiæ partim, partim in diſcenda lingua Græca, quam profitentem publice audiebat Dodingtonum Profeſſorem Regium; privatim autem conferre conſueverat cum aliquot æqualibus ſuis magnæ ſpei adoleſcentibus, in quibus & Joh. Borelius erat, longiore vita dignus adoleſcens: nam immatura morte patri præreptus erat. Cum eo legerat Homerum quinquies à capite ad calcem, quod ajunt, cum commentariis Didymi & Camerarii; item Heſiodum, Phocylidem, & alios Poetas. Quin & proſa oratione ſcriptos pleroſque authores evolvebat, ut Herodotum, Demoſthenem, Iſocratem, Thucydidem, & ſimiles. Hoc eodem anno adoleſcens *Druſius* Rabbinos legere privatim docuit duos adoleſcentes Anglos è Collegio Trinitatis, quorum alter cognomine Livelæus poſtea adſcitus fuit in Profeſſorem linguæ Sanctæ Regium. Itaque nullum tempus otio dedit, nullum voluptatibus, ſed magnorum in Anglia virorum exemplo, non nulla etiam conſuetudine, provocatus, ut erat ingenio ſolerte ac molli, optimos magiſtros præeuntes inſequi aſſidue annititur. Et quarum laudum gloria natura rapiebatur, linguas omnes, quibus laudes eas parari poſſe intelligebat, ſumma animi ac laboris contentione abunde conſequi operam navat. Effecit hoc ſane ipſius vitæ probitas & ſumma diligentia (ne ego laudes foveri exaggerare velle videar) ut Celeberrimus iſte A. R. Cevallerius in Galliam diſcedens *Druſio* ſuo non invitus reliquerit quod ſubſequitur teſtimonium,

JOhannis Drieſchii *ſtudia tam Hebræa, in quibus illi fidelem & aſſiduam operam navavi, quam Græca, quorum varia experimenta dedit, vehementer probo & laudo: morum integritatem, quam privatim, quam in contubernio integrum annum perſpexi, & ſingularem pietatem & amo, & colo. Quæ non hominibus teſtata eſſe modo velim, ſed Deo imprimis votis & precibus omnibus commendata, ut opus quod in ipſo non vulgare dignatus eſt inchoare, ad faſtigium uſque perducat ad ſuam gloriam & ipſius ſalutem.*

Cantabrigiæ, 15. Septembr. 1570.

R. Cevallerius Hebr. Profeſſor.

Anno poſt diſceſſum Cevallerii Janus noſter profectus eſt Londinum, hac fini, ut in Galliam Philoſophiæ ſtudium proſequendi gratia denuo concederet. Cum vero omnimodo jam ad iter paratus eſſet nuncius advenit de Laniena Pariſienſi quam *Bartholomæanam* vocant, quæ accidit An. Chr. M. D. LXXII, unde iter illius in Gallias impeditum fuit. Sed evenit non multo poſt ut vocaretur Cantabrigiam à Cartwrighto & Oxonium à Laurentio Humfredo Vicecancellario. Poſteriorem vocationem ſuſcipiens, eo profectus eſt anno ætatis ſuæ XXII, inibique IV annos continuos Ebræa, Chaldæa & Syriaca docuit, non ſine laude. Sed omnia iſta commemorare non eſt opus. Inde redit in patriam, & Lovanium profectus Juris ſtudio, ut per hoc parentibus amiciſque eo melius opem ferre poſſit, operam dare affectat. Belgii vero ſtatu commutato, belloque contra Hiſpanos denunciato, Londinum revertitur ad patrem, quem in octavum uſque annum onerоſa iſta patriæ commutatio adhuc detinebat. Facta interim Pacificatione quam *Gandavenſem* vocant, redit in Flandriam una cum Legato Belgico Franciſco Halvino Zwegegemi Domino, patre Clemente (quem VIII annos continuos Londinum Eccleſiæ Seniorem agnoverat & coluerat, quique jam omnem pene quam è Belgio fugiens extulerat pecuniam in commune libertatis recuperandæ bonum abſumpſerat) mox ſubſequente. In patriam (ô dulce poſt longum exſilium ſolum!) cum patre reverſus, non diu quid ſibi agendum ſit cunctatur, parentibus utrum in longos dies, menſes aut annos oneri eſſe velit aut honori, ſed quam citiſſime ſibi ut in Zelandiam trajiciendi venia concedatur obnixe rogat. Parentes re intellecta annuunt. *Druſius* amplificandæ fortunæ (ut dici ſolet) ſpe ductus in Zelandiam venit, ibique literas commendatitias ad Illuſtriſſimos Hollandiæ Ordines accepit. Hollandi lectis iſtis, pro innato ſibi erga doctos amore, ſtatim, videlicet vigeſimo Junii Anno M. D. LXXVII. juvenem in numerum Profeſſorum ſuorum adſciſcunt, ipſique linguarum Ebrææ, Chaldææ & Syræ profeſſionem demandant. Muneris hujus ſuſcipiendi ei, ut alios ſilentio præteream, author fuit Petrus Villerius, qui tunc magnus eſſe incipiebat apud Principum illum Principem Auriacum. Leidæ dum degit *Druſius*, uxorem ducit non minus piam quam nobilem, omnibuſque virtutibus ornatiſſimam, virginem Gandavenſem, Mariam van der Dareut dictam, Anno videlicet M. D. LXXX. Octob XVIII. Hæc cum in Flandria virgo guſtum melioris purioriſque doctrinæ percepiſſet, conjux in Hollandia ita in illa confirmata eſt ut citius bonis luculentiſſimis privari, deque civitate & patria quam de ſententia ſua dimoveri potuerit. Præter alia, hoc de illa referunt, quod

quod inexhauſtæ in pauperes fuerit benignitatis, qui unanimi & conſona voce Frankeræ clamitant cum ejus mentio incidit, *Erat illa parens & mater unica egeſtatis, omniſque adverſitatis ſolamen.* Ex hac *Druſius* noſter XXII Martii Anni M. D. LXXXII filiam ſuſcepit nomine Agnetam, quæ Anno MDCIV. matrimonio juncta eſt Abelo Curiandro harum rerum collectori, delineatori. Circa hoc tempus cum Druſium hunc noſtrum negotiorum cauſa Aldenardæ in patria eſſe oportuit (uterque enim parens jam diem ſuum obierat) Princeps ecce Parmenſis urbem corona cingit. Obſidio durat XII ſeptimanas plus minus. Traditur urbs per conditiones. Druſius evadit non ſine miraculo. Nam non cum civibus ſed cum militibus primo die egreditur, non ſine ſingulari favore & diplomate à Præſide Richardoto impetrato. Cum Aldenarda Leidam revertitur, tum ob ſtipendii exiguitatem tum ob acceptum in patria damnum centum florenis donatur ab Academiæ Curatoribus, qui publico inſuper ſcripto pollicentur annuum ipſius in ſingulos annos C florenis adauctum iri. Leidæ vixit annos VII plus minus. Quoniam vero familiam ex tam parco ſtipendio quod annuatim numerabatur alere nequit hic noſter, alio cogitare incipit, ſuique fruendi, ſi legitime vocetur, ſpem facere. Hoc cum Illuſt. ille Auraniæ Princeps animadvertit, protinus ad Magiſtratum Leidenſem literas dat, utque Druſium ſibi retinere operam dent omnibus modis ſuadet, ut patet ex literarum Copia nobis reſervata. Interim hinc ex Friſia, illinc ex Anglia vocatoriæ literæ ad D. Druſium mittuntur; quod Lectori vel ex hac unica præſtantiſſima Theologi Martini Lydii epiſtola ad Druſium conſtare poſſit, quam ea propter, ſicut & alia, deſcribere & publicare non videtur inconſultum. Sic ergo ſcribit,

Sal. in Chriſto.

POſtquam Cal. Maii per miniſtrum Eccleſia in Hoetermeer *ad te ſcripſiſſem, accepi eodem die epiſtolam Ordinum Friſia, quam tibi redditam ex epiſtola ad fratrem intelligo. Sane gaudebam tantum valuiſſe meam & Henrici ad Friſios epiſtolam ut tam ſubito votis noſtris ſatisfieret & vocationem maturarent. Spero te hinc intelligere quantum te amem propter dona. Judico autem perincommode acciduſſe ut eodem tempore litera Anglicana vocationis ad te perlata ſint: Video enim hinc futurum ut perplexus hæreas utram ſequi vocationem malis. Potes quidem hinc cognoſcere Divina erga te Majeſtatis ſolicitudinem tam diligenter in ultimo q. momento deliberationum tuarum pro te excubantis; ſed tamen judico, etiamſi ego non permitterer Legatis qui nunc iterum hic ſunt, te non debere vocationem Fr. negligere propter multas rationes. Indicarunt enim mihi qui hic ſunt Legati ſe id non aliter quam contemptum ſui accepturos. Expende itaque, mi frater, quam facile ex illo loco in tutum te recipere poſſis; quanta ibi omnium rerum ad Oeconomiam ſit vilitas; quam amantiſſimi bonarum literarum homines quamplurimi; quanto major illa liberalitas quam Leidenſium; quantus amor tui in Collegis & his qui te exſpectant: & deſine dubitare utrum eo te conferas. Certe indignationis quæ hinc eſſet apud Ordines conſecutura non minima pars recideret ſine dubio in hos qui de te vocando tam ſedule inſtiterunt*, &c. De poſt. *Si me dimittere recuſabunt noſtri, non minus ſuavis erit tibi convictus Henrici Antonida & aliorum quorundam; præterquam quod valde delectentur literis Friſii. Si ego acceſſero, ſcio te non dubitare quin tanto jucundior futura ſit conſuetudo noſtra. Quod addo ut ne ullo modo poſtponas hanc vocationem Anglicanæ. Hæc tanto diligentius ſcribo ut tuo rectius honori conſulatur, qui laborabis apud Friſios ſi recuſabis. Vale.*

Amſterdamo 4. Maii.

Martinus Lydius.

Literæ ab Ampliſſimis Ord. Friſiæ Deputatis ad Druſium miſſæ, quarum mentio fit in ſuperioribus, datæ ſunt XIX. Aprilis Anni 85. Quid jam Druſius? Lectis illis libido hunc invadit mutandæ ſedis, vocationiſque Friſicæ capiundæ. Hinc operam ſuam Friſiæ Patribus addicit, & circa finem Aprilis in Friſiam cum familia trajicit. Leida diſcedens hoc ſubſequens teſtimonium ſecum confert,

Rector & Profeſſores Academiæ Lugdunenſis in Batavis Lectori ſalutem.

CUm omnibus quorum virtus & doctrina perſpecta nobis jure meritoque teſtimonium debeamus, tum inprimis illis quorum induſtria ac diligentia in hoc docendi honeſtiſſimo munere, & vero in eadem nobiſcum arena enituit. Quo in numero cum hic ornatiſſimus eruditiſſimuſque vir ſit D. Johannes Druſius, cujus probitas in vita, doctrina fideſque in Profeſſione per ſeptennium fere explorata nobis; omnino hoc faciendum fuit, ut abeuntem illum & ſponte Profeſſione publica ſe abdicantem honeſto teſtimonio proſequeremur. Quod factum hoc publico ſcripto volumus, teſtamurque ex fide, eundem D. J. Druſium carum nobis acceptumque Collegam fuiſſe, amice nobiſcum & probe cum aliis vixiſſe, tum etiam in lingua Sancta publice docenda tantam diligentiam, induſtriam eruditionemque oſtendiſſe quanta a legitimo & juſto Doctore, & vix ab illa ætate, exſpectanda ſit. Commendamus igitur eum omnibus quibus virtus & eruditio curæ ſunt, ſatis certi nec nos teſtimonii noſtri unquam nec illos beneficii in eum collati pœnituros. Quæ omnia ut publici teſtimonii fidem haberent, ſigillo noſtro publico ſignari curavimus. Datum *Lugduni Batavorum.*

An. Dom. M: D. LXXXV. Calendis Maii, ſtylo novo,
Ex decreto Academiæ.

B. Vulcanius.

In Friſia cum eſt, X Junii die ejuſdem anni diplomate vel Commiſſione, ut vocant, in ampliſſima debitaque forma donatur. Quam gnaviter autem quamque feliciter demandatæ ſibi Profeſſioni ſatisfecerit *Druſius* noſter ab anno videlicet LXXXV ad XII uſque diem Febr. Anni M. DC. XVI quia meum hoc multis deprædicare non eſt, teſtari poſſunt omnes illi viri docti qui è Gallia, Anglia, Scotia, Dania, Germania, Helvetia & Belgio ipſum audiendi gratia Frankeram unquam venere, quibuſque ipſius inſtitutione uti inque Orientalibus linguis proficere curæ & cordi fuit. Vere de illo mihi dici poſſe videtur quod

Mille fere dedit juvenes, bis mille Miniſtrum
Adjecit numero, purpureaque toga.

Quod ad genuinam vitæ ipſius pietatem tum domi tum foris, gratamque gravitatem, & erga exteros humanitatem, comitatem & benevolentiam attinet, quis illa complecti oratione poſſet etiam ſi vellet? Me, ſi poſſem, ut non, inſuper non deceret. Hinc etiam de ipſius inſigni doctrina, inque variis linguis peritia, deque conſueta apud familiares feſtivitate & frontis hilaritate, denique de pectoris ipſius candore & æquanimitate nihil dicam; ſed de his omnibus abunde teſtari poſſent (ſi opus eſſet) partim Collegæ ipſius clariſſimi Viri, qui ſuperſunt, partim literæ illorum ſicut & aliorum doctiſſimorum virorum, quæ in memoriam iſtarum & aliarum rerum ab hac-

hæredibus aſſervantur. Inventæ autem ſunt (ut hoc obiter addere liceat) & à me juxta nomina ſcribentium in ordinem quendam redactæ, epiſtolæ Latine ſcriptæ 2300, præter illas quæ Hebraice, Græce, Gallice, Anglice, Belgiceque ſcriptæ erant. Quibus quantiſque vero beneficiis & honoribus reverendiſſimus chariſſimuſque meus Socer, dum in Friſia vixit, tum ab *Illuſtriſſimus Provinciarum Ordinibus Generalibus tum Particularibus* affectus ſit, licet hæc innumerabilia ſint rudique Minerva à me deſcribi vix poſſint, malo tamen ut quis ſtyli impolitiem quam pietatis officium in me requirat. Anno ergo M. D. LXXXVII. Januarii XXIII. Nobiliſſimus & Ampliſſimus vir Kempo à Donia, tum temporis Academiæ Curator, & jam præter illam Curatelam Senatoria inſuper dignitate præfulgens, *D. Druſium*, ob rerum ſuarum varietatem de meliore nota Ill. Ord. Friſiæ Deputatis commendat: qua lecta, prædicti Patres ſtipendio *D. Druſii*, quod erat D florenorum, annuatim C florenos adjici jubent. Anno M. D. XC. Domini Deputati Diploma *D. Druſii* renovant amplificantque, addito inſuper vitæ induſtriæque ipſius encomio. Anno M. D. XCV. ipſi Friſiæ Ordines *D. Druſio* in poſterum DCC florenos in ſingulos annos numerari ſtipendii loco jubent. Anno ſequente *D. Druſio* ab eorundem Deputatis Bibliorum in linguam Belgicam, cum D. Philippo Marnixio Sct-Aldegondio & aliis, vertendorum provincia demandatur, procurante non minimum rem iſtam viro Nobili doctoque M. Idzærda, Ord. Friſ. Dep. Hic ſi referre liberet quanto ſtudio doctiſſimi quique *D. Druſium* ad hoc Tranſlationis opus patriæ proceribus commendaverint, fertilis ſane mihi dicendi materia foret: verum ego hoc potius relinquam aliis. Interim quid Cl. Gulielmus Baudartius de *D. Druſio* quoad hanc verſionem ſenſerit, videre licet in Dedicatoria ipſius ad Ill. Ord. Generales, in libello cui titulum fecit **Wechbreyder op die verbeteringe des Nederlandſchen Bybels** / &c. Qui vero libellum iſtum non habet, habeat hæc Magni iſtius Phil. Marnixii Aldegondii verba ex epiſtola ipſius XVII Junii MDXCIV ad Druſium miſſa excerpta, in qua tametſi plurima in honorem Druſii dicta ſint, ea tamen tranſiliens, reliqua duntaxat quæ ad hanc materiam pertinent recenſebo. Sic ergo ille,

De Bibliorum verſione qua eſt, quam ad Ordines Belgii commemoras, ſententia, etſi video te gravibus commotum rationibus, non poſſum tamen aſſentiri. Ego enim noſtram hanc, qua vulgo manibus teritur, verſionem ejuſmodi eſſe exiſtimo qua plane novas lucubrationes novumque penitus opus requirat. Inter omnes autem omnium verſiones ego ingenue fatebor mihi viſam eſſe nullam tanto abeſſe ab Hebraica veritate intervallo atque ſit Lutheri verſio, è qua manavit noſtra, ex vitioſa Germanica facta vitioſior Belgico-Teutonica: de quo ſi nobis liceat aliquando familiariter conferre, pro hermæo duxerim. Id vero doleo, pleroſque noſtros homines in me videri oculos defixiſſe, qui ſatis intelligam quanta mihi. Itaque velim Eccleſias noſtras, quod ego multis etiam ſuaſi, in te reſpicere, tibique hanc demandare provinciam. Idque, ſi id tibi non ingratum fore intelligam, ero illis author quantum potero, etſi video nihildum eos certi ſtatuiſſe: de quo ſi tuum mihi animum aperueris, faciet gratum. Vale, Vir præſtantiſſime, meque, ut facis, ama, teque a me amari & cali tibi perſuadeto. Datum è prædio noſtro ſuburbano.

Anno M. DC. Illuſt. unitarum Provinciarum Status Generales D. Druſio injungunt uti Commentarium ſive Notas ſcribat ad loca difficiliora V. Teſtamenti, rite examinatis & expenſis ſuper illa interpretibus Chaldæis, Græcis & Latinis, idque ſub conditione CCCC Florenorum in aliquot annos pro ſtipendio numerandorum. Quod opus à D. Druſio auſpicatum, ut in eo feliciter progredi poſſit, ecce Illuſt. prædicti Ordines ad Ampliſſimos Friſiæ Ord. Deputatos XVIII Maii MDCI literas dant in quibus humaniſſime petunt Druſius ut omnibus iſtis oneribus & incommodis eximatur quæ opus illud Reipub. Chriſtianæ maxime profuturum ullo modo impedire poſſent. His lectis, literarum Mecœnates & præſidia Friſiæ Deputati non ſolum Druſium ab oneribus & curis Academicis eximunt, ſed ad hoc quoque concedunt ut ipſe lectionibus ordinariis quendam ſtudioſum præficiat, amanuenſiſque opera ipſorum ſumptibus utatur. Anno MDCII. IV Septemb. D. Druſio donum CC florenorum datur ab Ampliſſ. Ord. Friſiæ Deputatis, idque pro bonis officiis Academiæ Franckeranæ ab ipſo præſtitis. Anno MDCIII D. Druſius à Deputatis patriæ honeſtam ſui dimiſſionem petit. Iſti vero XXV Martii petitionem iſtam ad ipſos Provinciæ Ordines deferunt, addentes præter alia hæc quoque, quod ob celebritatem Druſii multi exteri bonarum literarum ſtudioſi Franekeram ad Academiam patriam ſe conferant, quodque propterea ipſi dimiſſionem concedere non potuerint. Plura hujuſcemodi generis addere, ne Codro ilia rumpantur, non libet, nec quoque ne in immenſum excreſcat opus licet. Dicam vero nunc paucis qui liberi D. Druſio nati ſint in Friſia, & qualiter vixerint; poſt, qui & quam excellenter Spartam ipſe ſuam ornaverit uſque ad mortem ſuis lucubrationibus, narraturus. Anno MDLXXXVII, primo Aprilis naſcitur ipſi filia Johanna dicta, quæ XXIX Maii MDCVIII Abrahamo Valkio nubit, urbis Domburgenſis Prætori digniſſ. ornatiſſimo. Hæc cum in Novembri MDCXII cum marito & reliqua familia ſuarum rerum ergo in Flandriam proficiſcitur, Gandavique aliquandiu moratur, diem ſuum placidiſſime in Chriſto obiit XII Nov. ejuſdem anni. Fit autem paulo ante mortem ut loci iſtius Sacerdos accurrat, ſibique ab ægra peccata ad aurem enumerari poſtulet. Huic reſiſtit religionis ſuæ confeſſione animoſe per gratiam Dei morbida, ſed verbis fere & verberibus maritus. Ob hoc facinus, & quod oleum iſtius Monachi admittere nolebant, cadaver mortuæ Druſianæ non dignum judicatur quod in ordinario loco terræ mandetur, ſed pro illo cloaca, colluviarium, & ſi quis extra urbem eſt ignominioſior locus aſſignatur. Effertur ergo cadaver vehiturque Gandavo in Zelandiam. Incredibile autem memoratu eſt quantis ſumptibus, periculis & moleſtiis. Anno inſequente videlicet 88. 26 Junii naſcitur Druſio noſtro filius primus & ultimus, Johannes poſtea dictus. De hujus Druſii Junioris indole, ingenio, pietate in Deum, & erga quoſlibet homines humanitate, denique de ipſius in bonis literis profectu, eruditione egregia, linguarumque Orientalium, Græcæ Latinæque peritia ſumma ſi quis latius cognoſcere geſtiat, legat quæ de filio non degenere memoriæ prodidit Druſius Senior in præfatione ſua libro Annotationum ſuarum in N. T. præfixa, & alibi. Ego hoc tempore de virtutibus iſtius juvenis, qui ætatis anno vigeſimo primo ex calculo in Anglia mortuus eſt, nihil quam parum dicere malo: ſi vero familiarius mihi cum Muſis politioribus in gratiam redire à multis aliis curis concedetur, ſuo tempore forte aliquanto latius hæc dicere aggreſſurus ſum. Nunc vero ut paulatim finem faciam, manumque de tabula, ut dicitur, conſilium eſt Librorum Operumve *Druſii* tum editorum tum nondum editorum titulos juxta annorum ſeriem deſcribere & communicare, ut hinc ſtudioſi mecum diſcant & percipiant quantum laboris nobis exantlandum ſit ſi ad eruditionis faſtigium cum *Druſio* aſcendere affectemus.

Libri

Libri ab authore editi.

IN Pſalmos Davidis veterum interpretum quæ exſtant Fragmenta *J. Druſius* collegit. Antverp. per Chr. Plantinum, Anno 1581. in 4°.

Joh. Druſii ad voces Ebraicas N. Teſt. Commentarius, in quo præter explicationem vocum variæ nec leves Cenſuræ. Antv. per Chr. Plant. 82. *Ad Phil. Marnixium Sanct. Aldegondium.* in 4°.

Joh. Druſii Quæſtionum ac Reſponſionum liber, in quo varia Scripturæ loca explicantur aut emendantur. Leidæ, 83. *Ad Cl. V. Petrum Villerium Theolog.* in 8°.

Joh. Druſii Ebraicarum Quæſtionum, ſive Quæſtionum ac Reſponſionum libri duo, videlicet ſecundus ac tertius. Leidæ, Anno 83. *Ad N. V. Janum Douzam.* in 8°.

Joh. Druſii Animadverſionum libri duo. In quibus præter dictionem Ebraicam plurima loca Scripturæ interpretumque veterum explicantur, emendantur. Leidæ, per Joh. Paetſium, 85. *Ad Edvardum Dierum, V. N.* in 8°.

Eſthera ex interpretatione S. Pagnini. *Joh. Druſii* in eam Annotationes. Additiones Apocryphæ ab eodem in Latinum ſermonem converſæ & Scholiis illuſtratæ. Leidæ, per Paetſium, 86. *Ad Nob. Ampliq; Ordd. Friſiæ Delegatos.* in 8°.

Hiſtoria Ruth ex Ebræo Latine converſa & Commmentario explicata. Ejuſdem hiſtoriæ tralatio Græca ad exemplar Complutenſe, & Notæ in eandem. Additus eſt tractatus, An Reuben Mandragoras invenerit. Opera ac ſtudio *Joh. Druſii.* Franekeræ, per Radæum, 86. *Ad R. in Chriſto Patrem Jo. Whitgiftum Archiep. Cantuarienſem, &c.* in 8°.

Joh. Druſii Miſcellanea locutionum Sacrarum, tributa in centurias duas; in quibus præter Scripturas, varia Theologorum loca, Auguſtini præcipue, illuſtrantur aut emendantur. Franck. 86. *Ad Joh. Whitgiftum, &c.* in 8°.

Alphabetum Ebraicum vetus. C Sententiæ veterum Sapientum triplici charactere, Ebraico, Latino & Græco, ſecundum antiquam ſcribendi conſuetudinem. Omnia edita & notis illuſtrata per *J. Druſium* Aldenardenſem. Franek. 87. *Ad Hugonem Donellum J. C.* in 4°.

Τὰ ἱερὰ παράλληλα, *Parallela ſacra*, h. e. locorum V. Teſt. cum iis quæ in Novo citantur conjuncta commemoratio, Ebraice & Græce. *Joh. Druſius* tranſcripſit, convertit in Latinum, & Notas adjecit. Franek. 88. *Ad N. V. Kemponem à Donia.* in 4°.

Joh. Druſii Proverbiorum claſſes duæ, in quibus explicantur proverbia ſacra, & ex ſacris orta; item Sententiæ Salomonis & allegoriæ, &c. Fran. 1590. in 4°.

Joh. Druſii Obſervationum ſacrarum libri XVI. ſecunda cura meliores. Franek. 94. *Ad Ill. & Ampl. Ordines Generales.* in 8°.

Joh. Druſii de Quæſitis per epiſt. Franek. Anno 95. *Ad Ill. Ordines Hollandiæ & Zelandiæ.* in 8°.

Joh. Druſii Lectiones in Prophetas Nahum, Habacuc, Sophoniam, Joelem, Jonam, Abdiam. Ejuſdem in Græcam editionem Conjectanea, & interpretum veterum quæ exſtant Fragmenta. Leidæ, 95. *C. S. S. P. S. Celeberrimæ urbis Middelburgi, &c. Poſtremi duo dedicati ſunt, hic Thomæ Bicleo Epiſc. Ciceſtrenſi; ille Jeremiæ Baſingio. S. Theol. Doct.* in 8°.

Σοφία Σειράχ, ſive Eccleſiaſticus, Græce ad exemplar Romanum, & Latine ex interpretatione *Joh. Druſii:* cum caſtigationibus ſive Notis ejuſdem. Fran. 96. *Ad R. V. Joh. Whitgiftum Archiepiſc. Cantuar.* in 4°.

Proverbia Ben-Siræ authoris antiquiſſimi, opera *Joh. Druſii* in Latinam linguam converſa, Scholiiſque aut potius Commentario illuſtrata. Acceſſerunt Adagiorum Ebraicorum decuriæ aliquot nunquam antehac editæ. Fran. 67. *Conſulibus, Senatui, Secretariisque urbis Sueca.* in 4°.

Joh. Druſii in Prophetam Hoſeam lectiones. Ejuſdem in Græcam editionem LXX Conjectanea, & veterum interpretum quæ exſtant Fragmenta. Per Raphelenq 99. *Ad N. V. Manderpium Paſberg. Reg. Daniæ Conſiliarium, &c.* in 8°.

Joh. Druſii Quæſtionum Ebraicarum libri tres. In quibus innumera Scripturæ loca explicantur aut emendantur. Editio ſecunda melior & auctior. Fran. 99. *Ad Cl. V. Jac. Baſelium Theolog.* in 8°.

Joh. Druſii in Prophetam Amos lectiones. Ejuſdem in Græcam editionem Conjectanea, & veterum interpretum quæ exſtant Fragmenta. Per Raphelenq. 1600. *S. P. Q. ærut. Bergopzomana.* in 8°.

Liber Haſmonæorum, qui vulgo *Prior Machabæorum*, Græce ex edit. Romana, & Latine ex interpretatione *Joh. Druſii*: cum Notis ſive Commentariolo ejuſdem. Acceſſit Diſputatio Alberici Gentilis. Franek. 1600. *Ad Ill. Unitarum Provinc. Ordines Generales.* in 4°.

Tabulæ in Grammaticam Chaldaicam ad uſum juventutis, per *Joh. Druſium.* Franek. 1602. *Ad NN VV. Upcmannum à Burmannia, & Sixtum à Decama, Ordd. Friſ. Deputatos.* in 8°.

Digitized by Google

Joh. Druſii ELOHIM, ſive De nomine Dei *Elohim*. Franek. 1603. *Ad Paulum Scevartum Buſanvallium*, &c. in 8°.

Joh Druſii De Haſidæis quorum mentio in libris Machabæorum libellus. Franek. 1603. *Ad Johannem Wtenbogardum.* in 8°.

Joh. Druſii Tetragrammaton, ſive De nomine Dei proprio quod *Tetragrammaton* vocant. Franek. 1604. *Ad Ill. Unitarum Provinc. Ordd. Gen.* in 8°.

Joh. Druſii Reſponſio ad Serarium Jeſuitam De tribus Sectis Judæorum. Acceſſit Joſephi Scaligeri Elenchus Trihæreſii Nicol. Serarii. Franek. 1605. *Ser. Principi Jacobo Mag. Britannia Regi*, &c. in 8°.

Joh. Druſio ad Minerval Serarii Reſp. Franek. *Nob. Viro Johanni ab Olden Barnevelt*, &c. in 8°.

Sulpicii Severi Aquitani Hiſtoria ſacra: Edente & expendante *Joh. Druſio:* cum Commentario libro ſive Notis ejuſdem. Fran. 1607. *Ad Ampl. Ordd. Friſiæ Deputatos.* in 8°.

Joh. Druſii Opuſcula quæ ad Grammaticam ſpectant omnia in unum volumen compacta. *Ad Rev. Virum Guilielmum Thorne Decanum Cicestrenſem*, &c. Franck. 1609. in 4°.

Grammatica linguæ Sanctæ nova in uſum Academiæ quæ eſt apud Friſios Occidentales. *Novem viris Ordd. Friſia Delegatis.* Franck. 1612. in 4°.

Apophthegmata Ebræorum & Arabum ex Avoth R. Nathan, Ariſtea, libro Selectarum margaritarum, & aliis auctoribus collecta, Latineque reddita, cum brevibus Scholiis. Per *Joh. Druſium.* Editio altera melior & auctior. Fran. 1612. *Ad Cl. V. Thomam Bodlæum S. Reg. Angliæ Legatum*, &c. in 4°.

Joh. Druſii Annotationum in totum Jeſu Chriſti Teſt. ſive Præteritorum libri decem. In quibus præter alia conſenſus oſtenditur Synagogæ Iſraeliticæ cum Eccleſia Chriſtiana. Fran. 1612. *Ad Illuſtr. Ordines Provinciarum Fœderatarum*, &c. in 4°.

Joh. Druſii Henoch, ſive De Patriarcha Henoch, ejuſque raptu, & libro, è quo Judas Apoſtolus teſtimonium profert. Ubi & de libris in Scriptura memoratis qui nunc interciderunt. Franck. 1615. *Gen. viro Guilielmo Langton Th. D. & Præſidi Collegii Magdalenenſis.* in 4°.

Joh. Druſii ad voces Ebraicas N. Teſt. Commentarii duo. Prior videlicet, & poſterior. Fran. 1616. *Illuſt. Provinciarum Fœderatarum Ordd. Gen.* in 4°.

Ejuſdem in N. Teſt. Annotationum pars altera. Fran. 1616. in 4°.

Eccum habes editorum catalogum, Candide Lector. Sed præterea hic te ſcire velim antedictorum nullum eſſe librum qui poſtrema authoris cura non ſit factus melior aut auctior. Jam qui & qualiter *D. Druſius* de ſeipſo & ſcriptis ſuis judicari petierit ſcire deſideras? fave & audi. E multis tibi paucos locos ex editis ſuis excerpam; quippe multos inpræſentiarum libros conſulere, inſpicere & evolvere mihi non conceditur, utpote occupationibus aliis jam, pro dolor! quam maxime diſtento. In libro ſuo De Haſidæis pag. 22. *D. Druſius* Jeſuitæ Serario in hunc modum reſpondet, *Ut hæreticus quis ſit duo requiruntur; primum ut erret in fundamentis fidei, deinde ut errorem ſuum pertinacius tueatur. Tenuis mea ſcientia verſatur circa Grammaticam & Hiſtoriam (v. ſacram.) Dogmata fidei aliis me doctioribus tractanda relinquo:* & paulo poſt, *Pertinacia facit hæreticum, non ſimplex error. Nam humanum eſt errare. Humani autem à me nihil alienum ſcio. Monitus non ero pertinax, nec unquam fui. Olim profeſſus ſum, quod nunc iterum repeto, me mea omnia ſubjicere judicio Eccleſiæ*, &c. Idem in Tetragrammato ſuo, pag. 81. ſcribens ad quendam Theologiæ candidatum, ſic inquit, *In poſtrema tua epiſtola penes quæſtionem alienam a profeſſione mea, ad quam reſpondere non poſſum niſi audire velim*, Sutor ultra crepidam, *aut*, Οὗτος ὑπὲρ τὸ σανίδιον πηδᾷ. *Quo me loco habeas neſcio: certe non ſum Theologus. An* Grammatici *nomen, quod aliquando mihi probroſe objectum, tueri poſſim neſcio. Amici quos noſti negant; ego non contradico. Quid igitur es? inquies. Chriſtianus ſum,* Φιλαλήθης *qui ſcribendo proficio & proficiendo ſcribo*, &c. Idem in libro Præteritorum, ad ea verba Col. 1. 15. *Primogenitus omnis creaturæ*, poſt quædam præcedentia, ſic, *An ſicut Chriſtus dicitur πρωτότοκος, ita etiam dici poſſet πρῶτος κτισθείς. Et nego ita dici poſſe, niſi κτισθεὶς accipiatur pro* genitus. *Hoc referes*, Initio viæ ſuæ creavit me, *i. genuit: pro quo in originali textu legitur*, acquiſivit, *ſive* poſſedit, me. *Tu perpende lis, erudite lector. Ego me meaque omnia judicio doctorum libenter ſubjiciam.* Et pag. 454. in eodem libro hoc modo, *Quod ſupereſt, ſcripſi hæc animo juvandi, non ladendi. Si læſi quempiam, jam nunc pœnitet. Si offendi pias aures, monitus libenter mutabo. Si erravi uſpiam, monſtretur mihi error; non ero pertinax. Denique provoco ad judicium Eccleſiæ Catholicæ, cui me meaque omnia ſubjicio, a cujus recto ſenſu diſſentire neque volo neque debeo. Sic mihi Deus faciat, ſic addat.* Idem in Præfatione ſua Henocho ſuo præfixa, in hæc verba, *Hæc & alia quæ hoc libro continentur, ut & in aliis omnibus à me unquam editis aut edendis, ſubjicio libens Eccleſiæ Catholicæ judicio, à cujus recto ſenſu ſi diſſentio, non ero pertinax. Concedatur modo mihi aliqua libertas in exponendo textu, præſertim ubi tanta varietas interpretum eſt ut fere neſcias quem ſequaris. Solem è mundo tollet qui hanc libertatem adimet hominibus literatis*, &c.

Quæ manuſcripta D. Druſius poſt ſe reliquerit publicæ rei literariæ commodo deſtinata rogas? Æquus eſto & benevolus Druſio, mi Lector, adverſus invidum dentem, qui nihil niſi quod ipſe adinvenit probare ſolet, & ea quæ confecta penes me ſunt, ut tuæ curioſitati ſatisfaciam, recenſebo, præteritis iis quæ adfecta & inchoata ab authore perfici ab omnium directore Deo non conceſſum fuit. Manuſcripta autem duum generum mihi eſſe videntur: Unum appellare placet eorum quæ nullum alium præter Druſium authorem referent, qualia ſunt proxime ſequentia: Aliud eorum quæ aliorum authorum ſcriptis, tum ad illuſtrationem, tum ad emendationem, tum ad amplificationem, tum ad correctionem in puriore charta adſcripta ſunt, qualia ea quæ proximum catalogum inſequuntur.

Scripta

Scripta nondum edita.

* JOh. Druſii *Annotationes in* Geneſin. *In quibus editiones tam antiqua quam recentes examinantur, expendantur, corriguntur: in Quarto.* Hoc ſcriptum diviſum eſt in decem partes. Ultima hujus operis verba propter certas cauſas deſcribere lubet, quæ ſi te latent, Lector, tu ſaltem hinc diſce quomodo Reipubl. literariæ ſtudioſiſſimus iſte *Druſius* à multis annis agitatus fuerit ab illis qui nihil niſi charitatem fraternumque amorem ſpirare, quique *mundi lumina terraque ſal* dici debebant. *Abſoluta fuit hæc in Geneſin Commentatio* XI *Aprilis, ſtylo veteri, Anno Chriſti* MDCII. *quam aggreſſus eram biennio ante auſpiciis Illuſtrium Ordinum Generalium Provinciarum Federatarum, procurantibus hoc negotium Johanne Wienbogardo, Jacobo Arminio, Jacobo Baſelio, aluſque verbi Divini Præconibus non tam facundis quam doctis ac piis, veritatiſque ac ſolidæ doctrinæ ſtudioſiſſimis. Deus illis & mihi largiatur, illis præmium quale merentur, mihi otium & bonam valetudinem, ut poſſim in cæteros libros ſimilia præſtare: quod futurum puto ex uſu Eccleſiæ Orthodoxæ, quam amo ac veneror, ut contra odi Eccleſiam erraticum & imperitorum, quorum illi familiam ducunt qui me in hoc opere non ſemel turbarunt. Deus illis condonet, ejus laus & gloria in ævum.*

* Joh. Druſii *Annotationes in Exodum.* in 4°.

* *Ejuſdem Annotationes in Leviticum.* in 4°.

Tria hæc ſcripta, niſi me oculus vehementer fallit, mi Lector, duplo craſſiora ſunt quam univerſa Biblia Vulgatæ editionis in folio folium complicantia.

* *Annotationes in Numeros.* Hoc opus non eſt abſolutum. Vel, ut cautius loquar, inventæ mihi tantum ſunt Annotationes in XVIII capita priora. Reliquæ in reliqua Numerorum & totum Deuteronomium Annotationes ubi ſint nondum mihi compertum. Bona autem ſpes me habet miſſas eſſe Hagam-Comitis. Si fallor, vereor ne author denuo in hoc ſanctiſſimo opere turbatus fuerit.

Joh. Druſii *ad loca difficiliora Geneſeos, Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, Joſuæ, Judicum & Samuelis Ebræorum Commentarii libri, ſive Notæ*, in 4°. Hæc omnia conſcripſit author auſpiciis & ſumptibus Illuſtr. Præpotentiumque Ordinum Gen. Provinciarum unitarum, quos *Status Generales* vocant.

Jobi nova verſio cum Scholiis, opera & ſtudio Joh. Druſii. Hoc opus eſt CXCVIII foliorum, & completum.

Ejuſdem in Cobeleth ſive Eccleſiaſten Salomonis Annotationes. (Amſtel. 1635. à B. Full. edita.)

In Lamentationes Jeremiæ Commentarius ſive Notæ accommodatæ ad tradictionem veterum.

Interpretum veterum Græcorum qua exſtant Fragmenta in { *Geneſin, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Joſuam, Judices, IV. libros Regum, Job, Pſalmos, Proverbia, Cobeleth, Canticum Cant. Jeſaiam, Jeremiam, Ezechielem, Danielem,* } *Cum Notis* Joh. Druſii *Aldenardenſis.* (Franequ. 1622.)

Ejuſdem ſupplementum ad Fragmenta Vet. Interpr. in Jeſaiam ex Procopio deſcriptum.

* *In verſionem LV. priorum Pſalmorum Hieronymi, Scholia.*

Proverbiorum Salomonis ex Ebræo Tranſlatio nova, cum Scholiis Joh. Druſii.

* *Sententiæ Salomonis juxta ordinem Alphabeti per locos communes digeſtæ, Ebraice & Latine; cum Explicationibus* Joh. Druſii.

Targum Caci in Proverbia Salomonis ex Chaldæo in Latinum ſermonem verſum opera & ſtudio J. Druſii.

Ejuſdem in Proverbia Salomonis Commentarius liber.

* *Ejuſdem in Pſalmos Davidis varia.*

* Joh. Druſii *in Prophetas Michæam, Aggæum, Zachariam & Malachiam Lectiones. Ejuſdemque in Græcam editionem Conjectanea.*

Item interpretum veterum qua exſtant Fragmenta.

NB. Quæ ulteriſco notavimus ex Manuſcriptis erepta ac huic Operi nunc demum inſerta ſunt.

Ora

Orthographia Sacra, ſive De antiqua conſuetudine ſcribendi Ebraice, Grece, & Latine nomina ſacra, h. e. Sacris Literis contenta.

Joh. Druſii *Nomenclator linguarum Orientalium.*

Interpretatio Nominum de Geneſi, juxta numerum literarum. J. Druſii *in librum De nominibus Ebraïcis Caſtigationes.*

Lexicon Syriacum Syriacis literis deſcriptum.

Idem De Dialectis Sacris.

Ejuſdem Cadmus, ſive De vocibus ex Oriente in Occidentem traductis.

Nomenclator Eliæ Levitæ juxta ordinem Alphabeticum vocum Latinarum digeſtus, & Græcis dictionibus auctus à Joh. Druſio *Juniore. Acceſſit ad finem Cenſura* Joh. Druſii *Senioris in eundem, ad Doctiſſimum virum Guilielmum Therne, &c.*

Additamenta ad Arabum Apophthegmata.

Joh. Druſii *ad Abelum Curiandrum generum ſuum epiſtola: In qua agitur de vehementia qua uſus fuit in epiſtola ſua ad Fratres Belgas. Item ſpeculum Theologorum Miſologorum ex Eraſmo.*

Sequuntur libri à D. *Druſio* quam plurimis additamentis aucti, adeo quoque ut ſi recudendi eſſent cum additamentis iſtis à *Druſio* potius quam ab authoribus nomen tracturi eſſent. Qui viderunt hæc ſciunt me verum dicere.

Dictionarium Theologicum Joh. Arqueri in fol.

Dictionarium Hebraicum Forſteri in fol.

Novi Teſt. Concordantiæ Græcæ Xyſti Betuleii in fol.

Rudimenta Ebræa Linguæ Rodolphi Cevalerii.

Troporum, Schematum Idiomatumque communium liber, Bartholomæo Weſthemero collectore.

Dictionarium Chaldaicum Munſteri.

Nomenclator Hadriani Junii. Huic addidit D. *Druſius* Ebraica, Chaldaica & Syra, ubi potuit.

Davidis Pſalmorum liber ad exemplar Complutenſe. Huic libro adſcripſit D. *Druſius* Notas.

Grammatica Chaldaica & Syra Joh. Mercerii.

Profectionum Benjamini libellus ex Ebraico in Latinum ſermonem verſus per J. Druſium. *Ejuſdemque* Druſii *in verſionem Ariæ Montani Cenſura.*

Habes jam labores *Druſii*, mi Lector, publico commodo conſecratos; Ex quibus facile conjecturam facere potes quantum temporis otio, voluptatibus aut aliis id genus exercitiis ad profeſſionem ſuam non pertinentibus dare potuerit. Jam porro tibi quorundam ſed non omnium doctorum Virorum nomina recenſebo qui crebras ad *Druſium* literas dare ſolebant, quorumque Epiſtolæ ab hæredibus aſſervabuntur tam in honorem authorum quam ipſius defuncti *Druſii*.

Ægidius Burſius.
Albericus Gentilis.
Alexander Ratio.
Alto Saxus.
Antonius Corranus.
Antonius Thyſius.
Arturus Lakus.
Bernhardus Faille.
B. Fullenius.
B. Vulcanius.
Brouchtonus.
Caſpar Waſerus.
Carolus à Roerda.
Chriſtophorus Stickius.
Cunradus Rittershuſius.
Daniel de Dieu.
Dan. Heynſius.
D. Baudius.
D. Maximinus.
D. Memmius.
Eberhardus Mollerus.
Eberhardus Reidanus.
Edevardus Livelanus.
Eyzo Tiarda J. C.
Franciſcus Gomarus.
Franciſcus Meierus.
Franc. Raphelengius.
Fredericus Sandius.
Fred. Sylburgius.
Gellius ab Hillama.
Gellius Jongstal.
Georgius Liſmannus.
Georg. Lyſander.
Gerardus Cæſarius.
Ger. Weſterman.
Gilpinus.
Guilelmus Barlo.
Gul. Coddæus.
G. Geldorpius.
G. Hartus.
G. Langton.
G. Teelingius.
G. Thorne.
Hadrianus Saravia.
Henricus Horſtius.
Henr. Cæſarius.
Henr. Alting.
Hubertus Saligneus.
Hugo Donellus.
Jacobus Adamæus.
Jac. Aug. Thuanus.
Jac. Arminius.
Jac. Baſelius.
Jac. Gruterus.
Jac. Joh. Helmius.
Jac. Junius.
Jac. Miggrodius.
Jac. Monavius.
Jac. Montanus.
Jac. Regius.
Jeremias Baſingius.
Joh. Althuſius.
Joh. Bogermannus.
Joh. Buxtorfius.
J. Calandrinus.
Joh. Cantuar. Archiepiſcopus.
J. Caſtellus.
J. Canutus.
J. Crucius.
J. Davinus.
J. de la Haye.
J. Gul. Stukius.
J. Hyſenbachius.
J. Kuchlinus.
J. Lampadius.
J. Maſſelotius.
J. Matthyſius.
J. Molterus.
J. Meurſius.
Joh. Piſcator.
J. Polyander.
J. Rainoldus.
J. R. Sturius.
J. Sackma.
J. Taffin.
J. Vander Beke.
J. Urſinus Z. F.
J. Wtenbogardus.
J. Wtenbovius.
Janus Gruterus.

Jo-

Digitized by Google

Joſephus Saliger J.C. A.B.F.
Joſias Mercerus.
Iſaacus Caſaubonus.
Iſaac Grombeccius.
Juſtus Lipſius.
Kempo à Donia.
Lago Chriſtianus.
Laurentius Humfredus.
Leonardus Caſenbrotius.
Lucas Panius.
Lucas Trelcatius.
Marcus Zuerius.
Matt. de Bovillon de Mongommeri.
Matt. Sladus.
Matt. Martinius.
Menſo Alting.
Moſes Carthaldus.
Nannius Foreſtus.
Nicolaus Mullerius.
Nicol. Simmingius.
Nicol. Sturio.
Pancratius Caſtricomius.
Paulus Merula.
Paulus Scevartus Buzanvallius.
Paul. Tarnovius.
Petrus Cunæus.
Petrus Pappus.
Petrus Molinæus.
Pet. Moræus.
Pet. Petrejus.
Pet. Regemorterus.
Pet. Vekemannus.
Phil. Mornæus Pleſſæus.
Phil. Mar. S. Aldegondius.
Richardus Dasius.
R. Stainburſt.
R. Thomſon.
R. Heræus.
Rodolph. Winwood.
R. Wichringius.
Sebaſtianus Damman.
Subrandus Siccama J.C.
Stephanus Ubeli.
Stockius.
Theodorus Beza.
Theod. Camerus.
Thomas Bicley.
Tho. Bodeley.
Tho. Caribwritus.
Tho. Erpenius.
Tho. Ciceſtrey.
T. Herbajus J.C.
Th. Morton.
Tobias Rivius.
Villerius.
Wernerus Helmichius.
Wilhelmus Baudartius.

A prædictis his Cl. Viris ſcriptæ habentur & apud me aſſervantur Epiſtolarum centuriæ XVI. Ego pergo. Reſtant mihi duo, candide Lector, quæ ubi abſolvero meo more, i. ruditer, miſſum te faciam, tibique pro patientia tua qua hæc legendo uſus es gratias agam quas poſſum maximas, tuamque humanitatem qua poſſum animi demiſſione rogabo obteſtaborque hæc omnia qualiacunque ſunt ut in optimam partem interpretari velis. Horum unum eſt, ut qui & qualiter de D. *Druſio* ſenſerint viri docti tibi digito monſtrem; alterum, ut quomodo & quando D. *Druſius* hinc in cœlum migraverit te quoque edoceam. Ad primum quod attinet, hic ſe encomiorum *Druſii* aperit maximus ampliſſimuſque campus, quem ſi ingredi animus eſſet, næ hæc Delineatio in magnæ molis excreſceret librum. Etenim quis libellus omnes iſtas epiſtolas capere poſſet quæ à prædictis Viris doctis ad *Druſium* datæ ſunt, ut de aliis quorum nomina adhuc conticui taceam? Sed, ut ego ſemel manum de hac tabula, conſultiſſimum videtur te ad editos Doctorum libros remittere qui noſtro tempore in politiore literatura excelluere, ſi unius tantum Theologi, ſed qui citra controverſiam præſtantiſſimus habetur, teſtimonium de D. *Druſio* tibi communicavero Sic ergo Theodorus Beza D. *Druſio* in Annotationibus ſuis majoribus ad N. Teſt. ſcribit.

In Præfatione ad Lectorem, *Admonuit me etiam de non pancis* Joh. Druſius, *vir certe magnam diligentiæ & eruditionis laudem plurimis editis tractatibus merito conſecutus.*

Matth. 5. 22. in *RACA*, *Quod Joh. Druſio diligenti rerum in his libris multarum obſervatori acceptum fero.*

Matth. 19. 24. in *CAMELUS*, *Sed de Elephante, cujus loco Chriſtus Camelum, ut animal Syriæ notius, ſubſtituit, conjecit vir diligentiſſimus* Druſius.

Matth. 22. 16. in *HERODIANI*, *Quam ſententiam videtur confirmare quod J. Druſius, homo in his perſcrutandis eruditus & ſumme diligens, citat ex Lexico*, &c.

Joh. 11. 54. in *EPHREM*, *Et vir recondite doctrinæ Joh. Druſius annotat ſæpe ſolitos ſcribere veteres ἡ pro ει.*

2 Theſſ. 3. 10. *Hoc autem eſſe Hebraum proverbium obſervavit homo diligentiſſimus* J. Druſius.

1 Pet. 2 9. *Vel potius* Mal. 3. 17. *ubi Græci interpretes habent* εἰς περιούσιον, *ut* J. Druſius *diligenter obſervavit.*

Matth. 14 25. *Et obſervavit* Joh. Druſius *ſæpe à me, & quidem merito, in his libris appellatus.*

1 Cor. 1. 20. *Joh. Druſius, quem honoris cauſa nomino, vir pererudituſ & diligentiſſimus rerum in his libris non vulgarium obſervator, putat*, &c.

Append. in Euang. Matth. 3. 7. *Ego male aſſentiri Joſepho lib. Antiq. 4. c. 29. &* Druſio *viro in Ebraïs ſcriptoribus exercitatiſſimo*, &c.

Plura non addam doctorum Virorum de *Druſio* teſtimonia, ne invidos iſtos & ad maledicendum natos crebrones excitare velle videri poſſim, licet mihi in promptu ſint Joſ. Scaligeri, & Caſauboni, nec non Petri Fabri J. C. Clar. Præſidis Tholoſani, literarum quondam Principum, ſicut & Joh. Piſcatoris Theologorum hodiernorum & Commentatorum in Sacros libros primarii, Præceptoris mei chariſſimi, ſicut & aliorum: Et quid juvet? Sed hic incidit illud, An non dicendus fuerit D. *Druſius* dum viveret omnium feliciſſimus, qui tam gratum amplumque laborum ſuorum fructum tum à publicis tum à privatis perſonis perſentiſceret & experiretur? Ad hoc, quæſo, audi ipſiſſimum *Druſium* ad amicos duos in hunc modum ſcribentem.

Joh. Druſius N. N. Sal.

TUrbones noſtri nunc quieſcunt, aut pudet eos præteritorum, aut exſpectant occaſionem novam. Mihi quidem multis de cauſis quies non ſolum optatiſſima eſt ſed etiam neceſſaria. Sed ſi hanc perſonam Deus humana fabula choragus mihi impoſuit, partes delegatas oportet agam. In hac arena mihi video morendum eſſe, (Prophetane fuiſti mi pater?) *Nam ut vivi iſti quieſcant nihil eſt ſpei. In eo toti ſunt ut me aut latronibus objiciant aut mœrore confectum occidant. Sed hactenus gratia Dei nec animum à ſuo propoſito labefactare potuerunt, nec ſtudiis meis ita multum detrimenti attulere. Conſolatur me primum conſcientia rectè factorum, deinde favor doctorum & bonorum virorum, quos hactenus æquiſſimos habui erga labores meos: quod partim literis, partim donis ac muneribus declararunt. Solatur me & Auguſtini illud*, Domine, hic ure, hic ſeca, ut parcas in æternum. *Eſt aliquid lapide probari, & ſic conformem fieri imagini ejus, qui cum eſſet Agnus ipſa puritate purior, tamen audivit* Vini potor, Blaſphemus, *&c. Quis unquam in Sole ambulavit abſque umbra? quis inſignem virtutem exercuit ſine invidia? quis bonas literas profeſſus eſt cum aliqua fama abſque odio Theologorum: Capnio, Eraſmus, Arias, Hieronymus experti ſunt. Hunc poſtremum Roma expulſum, cum Bethlehemi in tugurio degeret, ne ſic quidem latentem effugit invidia. Ex priſcis Sapientibus quidam interrogatus quid ageret?* Nihil, *inquit:* nondum enim mihi invidetur. Regium eſt, cum benefeceris, audire male, *inquit ille. Et profecto ita eſt: Induſtria parit virtutem, virtus gloriam, gloria invidiam, quæ morbus fere peculiaris eſt iis qui aliquid pietatem profitentur, cum nihil ſit alienius a vera pietate. Obrepit enim hæc peſtis pietatis imagine, dum videri vult virorum odium ac virtutis zelus. Quid autem illi commodi ſpectent ex perpetuis turbis neſcio, niſi forte illud*, Bello nobilitari viros, & quos quies obſcurat tumultus illuſtrare. *Scite quidam de quodam*,

Cernis ut egregiis alios clareſcere ſcriptis,
Tu quoque vis famæ conſuluiſſe tuæ.
Dumque alii libros cudunt, tu mente tumultus
Cudis; & hoc ſpecie religionis agis.

Sed deſino, quia me charta deficit. Vale, noſque ama, & aliquando inviſe. Prid. Cal. Jan. Anno MDXCIX.

Joh. Druſius, Pancratio Caſtricomio S.

BOnus Deus ita res hominum temperat ut læta triſtibus ſemper miſceat. Tantumne? Etiam amicos excitat ei qui multos habet inimicos. Hoc poſtremum experior in te, Clariſſime Pancrati, qui in pecunia illa obtinenda mihi amicus fuiſti fidus ac certus. Quam gratiam tibi hoc nomine referam? Jam nunc experior verum eſſe illud, Homo homini Deus. *Sed & alii me docuerunt verum eſſe*, Homo homini lupus. *Per eos injecta remora de qua ſcribis. Sparſerunt de me rumorem vaniſſimum. Summa eſt*, Me alienum eſſe ab hac religione. *Quid dicam? Poſt natam calumniam non fuit unquam major calumnia. Egone alienus à religione, cujus cauſa pater meus p. m. amiſit anno 67 octodecim millia florenorum? Cum autem exſularet Londini una mecum, habebat penes ſe libras Flandricas, quas majores vocant, mille quingentas. Ex illis mille quadringentas impendit in cauſam publicam: Princeps Auriacus partem accepit, aliam Ordines Hollandiæ & Zelandiæ, tertiam pauperes qui religionis ergo in Angliam confugerant: centum quæ reſtabant poſtliminio reverſus retuli domum. Quod dico vero verius eſt. Idem propriis ſumptibus me aluit in ſtudiis. A publico nihil unquam accepi. Cum Profeſſorem agerem Leidæ, ſtipendium erat tam parvum ut coactus fuerim ex meo impendere quotannis trecentos, aliquando quadringentos. Habeo in Flandria reditus non pœnitendos, quibus frui poſſem ſi eſſem in patria. Quorſum iſta? inquies. Nempe ut ſcias vanum eſſe quod æmuli mei ſparſerunt, qui omnes ſimul tantam jacturam non fecerunt quantam ego ſolus feci, quos hæc religio divites, ut me pauperem, fecit, quem nunc contemnunt propterea optime de ipſis meritum. Cæterum tantam experior hominum ingratitudinem ut propemodum in animo ſit edita prole Machabæorum poſthac quieſcere*, &c. Vale VI Febr. MDC.

Quid ad hæc, mi Lector? Eſtne hoc viris doctis calcaria addere? O quanto ſanctius Beza, Piſcator, Scaliger, Caſaubonus, Aldegondius, Buxtorfius, aliique ex Magna Britannia & Dania Theologi cum Druſio egere! Sed hæc mitto, ſciens in hoc mundo ab omni parte beatum nihil eſſe. Alii viri pii idem, & majora quoque, experti ſunt. Nunc ventum eſt, mi Lector, ad morbum & mortem D. Druſii; de quibus multa dici poſſent, ſicut & de iis quæ ipſi præterpropter mortem obtigere, ſi ſcriptu jucunda eſſent. Sed quantum ad me, ego hæc omnia non attingere quam paucis & cum lacrymis & cum periculo (prout hæc tempora ſunt) delibare malo. Morbus ipſi fuit neque acutus neque longus, & abſque ullo dolore. Ad extremum uſque vitæ momentum non ſolum mentis compos erat, verum etiam viſu & auditu per ſingularem Dei gratiam fruebatur. Nihil omnium facultatum ipſi deeſſe videbatur præter linguæ uſum: nam circa ultimum vitæ finem vox deficere incipit. Quapropter cum ego cum uxore per multa pericula, propter varium turbidumque hyemale cœlum, circa quartam horam veſpertinam duodecimi dici Februarii Leovardia Franekeram ad ſocerum venio, nihil ille vir pius nobis facere niſi porrecta manu dextra adventum gratulari, quomodo & quibus mediis ad ſe venire potuerimus interrogare, lacrymulam ex oculorum altero emittere, & tandem difficili voce dicere, prout ego me admota aure intelligere putabam, *Sequere conſilium Domini de Vervou.* Deſignare volebat bonus iſte vir Magnificum, Majorum gloria ſuaque virtute Nobiliſſimum Virum D. Fredericum de Vervou, hoc tempore Ordinum Generalium Conſiliarium, qui aſcenſum paranti Druſio, cum aliquot Profeſſoribus, Paſtoribus & Studioſis, ad extremum uſque halitum aderat, & cui una cum D. Artopœo, pridie diſceſſus ſui, Teſtamenti ſui exſecutionem reverenter commiſerat. Plura nobis ob ſerum adventum noſtrum ex chariſſ. patre & ſocero intelligere verba non licuit, & de pluribus interrogare præ lacrymis nequimus. Ubi vir bonus ſe ægre audiri & intelligi videndo animadvertit, incredibile creditu ſed tamen vero verius eſt, caput ipſe ſuum reclinat in manum dextram, ſeſeque jam ad meditationes altiores compoſuiſſe videbatur. Oculi aperti ſunt & lumina clara: & ecce fallit aſtantes. Nam videbatur adeſſe & aliquandiu manſurus, cum jam anima deſeruiſſet corpus, & locum iſtum beatorum petiviſſet. Benedictum ſit nomen Domini, qui tam placide, etiam non animadvertentibus circumſtantibus, ſocerum, quid dico? patrem meum, ex hac lacrymarum, invidiæ & calumniarum valle ad ſe traduxit. Benedictus ſit Deus in omnia ſecula. Ut vero ſcias, amice Lector, quibus uſus fuerit verbis *D. Druſius* ante adventum meum, habe epiſtolam hanc quam ad me hiſce diebus hac de re ſcripſit Theologus præſt. Eccleſiæque Franekeranæ Paſtor vigilantiſſimus, D. Rodolphus Artopœus, qui ſic,

Salus à Seſpinatore.

PEtis à me, V. S. noviſſima verba ſoceri tui pie beataque memoriæ D. J. Druſii *ut perſcribam: qua utinam omnia audiviſſem. Ipſe enim, ut γραμματεὺς μαθητευθὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἐκ τῆ θησαυρῆ αὐτῆ καινὰ καὶ παλαιὰ, bona tamen omnia & ſalutaria, proferebat. Cum primo ipſum accederem, inveni aſtantem lecto virum Nob. qui nunc fœderatas Provincias conſiliis, domi, militiæque una regit, D. Fredericum de Vervou. Quærentibus quomodo valeret, hilari animo ſed difficili ſono reſpondit ſe bene admodum valere, & nullos per totum corpus ſentire dolores; ſed omnem cibi appetitum periiſſe. Cui cum nos Medicum & Cibum animarum Jeſum Chriſtum proponeremus conſtanter aſſeruit ſe, ſive viveret ſive moreretur, hunc corde fideli amplecti ſunm Salvatorem unicum, hunc verum Deum & hominem, Mediatorem Dei & hominum, ſe agnoſcere & exſpectare. Quæſitus de pacata conſcientia, reſpondit ſe tranquillo eſſe animo, & depoſuiſſe omnes ex corde inimicitias & ſimultates, nec ullum reſidere rancorem in pectore contra quempiam. Atque ita teſtatus eſt ſe fidem & bonam conſcientiam in certaminibus variis hujus vitæ ſervaſſe, & ad repoſitam in cœlis coronam aſpirare. De pia cura in viduam & liberos & in pauperes Eccleſiæ ipſi documenta vidiſtis. Paulo ante mortem, cum cœleſtis iſtius civitatis Jeruſalem injiceretur mentio, aſtantibus præſertim Nob Vervou, D. Andrea Roorda Philoſophiæ profeſſore, & D. Henrico Beulano Collega meo, haſitante lingua atque adeo ſtubante ut vix intelligi poſſit (quamobrem & ego propius aures admovi) hæc protulit,* De civitate Jeruſalem legitur quod in duas partes fuerit divisa, in ſuperiorem, & inferiorem. Superiorem, in qua mons Zion & Moria, Templum ſanctum & arx Regia, incolebant tribus Levitica vel Sacerdotes, & familia Regis: Inferiorem populus, qui ad ſacra palatia aſcendebat. *Innuebat vir pius hac umbra nobis delineari duplicem Eccleſiæ (quæ eſt vera Jeruſalem & omnium noſtrum mater) ſtatum. Nam nos hic in terrarum valle vivere in regno gratiæ; ſed aſcenſuros nos, quos fecit Chriſtus Sacerdotes & Reges, aliquando in Jeruſalem ſuperiorem ἐπουράνιον, ubi πολίτευμα noſtrum & fixa ſedes. Has tam pias meditationes habuit pium iſtud pectus in agone: hiſce occupatus placide, ut vidiſtis, animam efflavit. Faxit Deus ut & nos, ſepoſitis curis hujus ſeculi & carnis affectibus, hæc aſſidue cogitemus; det nobis ut fidem & bonam conſcientiam ſervantes placide in Domino obdormiamus. Vale, V. S. Franicæ* 1616. Duodecimo ergo Februarii, ſtylo veteri, *D. Druſius* hujus ærumnarum cœno valedicit, hora poſt meridiem quarta, eumque omnibus Sanctis gaudiis iſtis cœleſtibus fruitur. Octavo poſt die honorificentiſſime cadaver ſepelitur, ad funus concomitantibus non ſolum quarumlibet facultatum Profeſſoribus & Studioſis, verum etiam Magiſtratu, Senatu Eccleſiaſtico, & pene civibus omnibus quot urbs Franekera in ambitu ſuo continebat. Commiſſo terræ gremio D. *Druſii* corpore in Templo majore, pompa ad Templum Academicum ducitur, ubi ex decreto Senatus Academici nobiliſſimus pariter & doctiſſ. vir D. Joh. Maccovius S. Theol. Doctor & Profeſſor Ordinarius cathedram aſcendit, inque laudem *Druſii*, qui ultra XL annos, tum in Anglia, tum in Hollandia, ſed maximam partem in Friſia, linguas Ebræam, Chaldæam & Syram publice docuerat, admodum eleganter perorat. Faxit Deus ut illam aliquando in lucem emiſſam videre & legere liceat. Huic Deo, Patri, Filio & Spiritui S. ſit gloria in ſeculorum ſecula. Amen.

Varia

Varia variorum doctorum virorum Epicedia in obitum & laudem
D. DRUSII.

In obitum Viri Cl.

JOHANNIS DRUSII,

SS. Literarum & Hebrææ Linguæ Profeſſoris celeberrimi.

Vincere ſi rigidam poſſet Sapientia Mortem,
Vincere ſi Virtus, vincere ſi Pietas,
Vixiſſes, Druſi: *pietate coacta fuiſſet*
Et virtute tua parcere Parca tibi.
Sed quia nulla poteſt ſapientia nullaque virtus
Vincere qua cunctos ferrea fata manent,
Expleſti numerum vitæ, terraque relicta
Carpis cæleſtis gaudia Jeruſalem.
Aſt manet in terris rutilans tua fama ſuperſtes,
Fama tua haud ullo diminuenda die.

Mœrens ponebam
JOH. MAKOWSKY S. Theol. D.
Profeſſor in Acad. Franekerana.

Dis manibus Viri Clariſſimi,

Et dum viveret eruditiſſimi ac celeberrimi,

D. JOHANNIS DRUSIUS,

Linguæ Sacræ Profeſſoris.

QUI priſcos ritus, qui mores gentis Judæ
Norat, & haud ulli cederat ingenio,
Qui doctus Latia Graiaque, & quotquot ab Ortu
Linguæ unquam notæ, Druſius unus erat.
Aſt idem, haud alius quo Vatum oracula nuper
Terſius explicuit, conditur hoc tumulo.

P. M. P. PAULUS BUSIUS,
JC. & Profeſſ.

Ἐνθάδε Δρυσιάδης κεῖται, μέγα Φέγγος Ἀθηνῶν
Φρασικλέων, γαίης Φλανδρίδος ἐκγεγαώς.
Ὃς γλαίττης ἁγίης ἐξείρετος ἦν Μεταφραστὴς,
Βίβλια συγγράψας πολλά τε κἀλλόγιμα.
Καὶ σχολίοις, ἃ μὲν σκολιοῖς, πιστοῖσι δὲ μᾶλλον,
Πᾶσαν τὴν ἁγίην ἐξεκόνισε γραφήν.
Ἔργον ἀμείμητον τάχα μὴ, ἀτὰρ ὅ, ὅττ' ἀμείμητον
Ἔσται καὶ φθονεροῖς καὶ ποτε δοξοσόφοις.

Collega Collegæ ἄκων ἐκὼν

P. S. ARCERIUS.

Epitaphium clariſſimæ memoriæ

JOHANNIS CL. DRUSII.

MAximus exiguo tegitur ſub marmore DRUSUS,
Si tamen Heroes marmoris urna tegit,
DRUSIUS Hebræa vindex & gloria linguæ;
Per quem obſcura minus pagina Sacra cluit.
Pignore quo tantum FRANEKERA culta ſuperbit
Quantum SCALIGERO LEIDA diſerta ſuo.
Qui vitæ ſatur & famæ, qua circuit Orbem,
Dum ſtudium & pietas creſcere poſſe negant,
Creſcere quo poſſet cælum reſtabat avitum:
Cælum adit, & patrio ſtella recepta polo eſt.
Filia cum genero tanti cognominis hæres
Hic cineres poſuit: cætera fama tenet.

ALIUD.

Hoc cineres DRUSI conduntur & oſſa ſepulcro,
Et devincta ſimul conditur INVIDIA.
Invidia, à teneris puerum qua exercuit annis,
Inque virum vires fregit iniqua ſuas,
Inque ſenem rabidas quam non ulciſcier iras
Maluit & Druſo cum moriente mori.
Plaudant Laurigeri, plaudat pia turba Sophorum,
Nec timeant ſcriptis livida tela ſuis.
DRUSIUM in effeta domuit fera Parca ſenecta:
Effetam domuit DRUSIUS INVIDIAM.

S. SICCAMA L. M. Q. P.

Reverendo & celeberrimo Viro,

D. JOH. DRUSIO,

Hebraicantium ſui ſeculi Principi.

JAM fere luſtra novem cupido te doctior orbis
Fructus erat, venerande Senex; totidemque juventus
Cui meliore luto formarat pectora Titan,
Publica cottidie ſcandentem anabathra Cathedræ
Te audierat: jam Numen eras & lumen in orbe.
Ob tua communis minime monumenta monetæ
Scaliger egregiis Heroibus annumerandus,
Beza, *Caſaubonus*, *Rameldus*, maxima mundi
Lumina, te perſæpe ſuum agnovere Magiſtrum.
Cottidie illicio tam clari nominis & tam
Lativagæ famæ extremis veniebat ab oris
Docta juventa, atque illa tuo pendebat ab ore.
Præterea reſtabat adhuc Colophona labori
Addere, quem non quibit edax abolere vetuſtas.
Siccine nunc, heu, nunc, calamum emeritamque pharetram
Appendis, venerande Pater, Spartamque tot annos
Ornatam cum laude libens ſine murmure linquis?
Siccine dum veneranda fovet me Oxonia Mater,
Dumque inter toto diviſos orbe Britannos
Verſor, dum rurſus charam mihi tangere dextram
Geſtio, dumque redux opto te amplectier ulnis,
Me linquis, numeroque mihi tu lampada tradis?
Hei mihi, fata Dei flecti haud potuiſſe precando!
Tu felix *Druſi*, meliori in ſede repoſte,
Sed me leſſus habet, mentiſque expectorat uſum.
Solarerne alios? mihimet ſolatia deſunt.
Obmuteſco igitur luctuque ſilente recondor.
Sic mihi jam ſalve, Pater optime vel privatis
Nominibus mihi chare, beataque gaudia carpe.
Vel levipes citius paſcetur in aëre cervus
Ante tuis quam unquam ſubeant oblivia pectus
Hoc nivеum, aut merita pietatis jura reſolvam.

Præceptori, Hoſpiti, Patrono, Patri,
Prædeceſſori æviternum colendo mœſtus poſuit

SIXTINUS ab AMAMA Friſius.

Digitized by Google

Ex Epicediis Cl. V.

RICHARDI LUBBÆI

Scholæ Bergizomiæ Rectoris ad

D. RODULPHUM ARTOPOEUM

Ecclesiæ Franekeranæ Pastorem vigilantissimum,

In obitum Clarissimi doctissimique Viri

D. JANI DRUSII conscriptis.

Epitaphia & Epigrammata ejusdem authoris.

Τύμβῳ ὑπὸ Χρυσῷ πολέες κατακείεται ἄνδρες·
Δρύσιος ἐλλογίμων κεῖται ὑπὸ κραδίης.
Δρυσιάδην δ' πάντα μένος θανάτοιο δάμασσε,
Ἀνδρῶν τῶ Φήμη ζήσεται ἐν στόμασιν.
Ἐνθάδε Δρυσιάδεω τάχος ἐξύ· ἀείσεται ἀλλὰ
Κείνα ὅλῳ κόσμῳ τὸ κλέος ἀθάνατον.
Τύμβος ὅδε σμικρὸς τὸ Δρυσιάδαο καλύπτει
Σῶμα· δόμος ψυχὴν ἠρίνιος κατέχει.
Φρισιακῆς Φάρος κατέκρυψεν ἰοπόρος αἴης·
Τέτ' ἀγάασθε σιώπος Φρίσονες ὅττι σιέπει;

Apostrophe Studiosorum Franequerensium ad Mortem, per argumentum Dissentaneorum, &c.

INimica nobis, Mors, amica Drusio,
Ad splendidum cœli reclusisti thronum
Viam viro quo seculum haud dignum fuit
Nostrum, boni præsentis haud capax. Dei
Benignitas quos extulit fastigium
Ad summum honoris, hos gravis Livor premit
Vita fruentes; falce successos tua
Bonisque cœlis divites desideras
Persæpe (frustra, heu!) questibus lugubribus.

Respondet Drusius.

PUbes mœsta, tuæ modum
Tandem constituas tristitiæ, rogo.
Ventis celsior invidæ
Turbæ & tristitiæ nubibus incolo
Christi sideream domum,
Quam longe antefero divitis Attali
Gazis atque adeo omnibus
In mundo quæ homines suspiciunt bonis.
Hunc contingere strenue
Portum annitimini per mare turbidum &
Cæcis syrtibus horridum
Mundi hujus. Domini larga benignitas
Vobis mox dabit alterum
Qui vos instituat solicite & bene.
Hunc audite fideliter;
Huic præstate animos morigeros. Deus,
Cœptis perpetuo sua
Sic vestris aderit munificentia.

Alia Apostrophe eorundem ad Drusium vita functum.

EXstinctum jaceas licet,
Drusi tristifica fatur
Vita annis, lacrymabile
Est funus tamen, heu! tuum
Nobis, pectoris emblei
Quos vis ad senii ultimam
Metam instruxit alacriter.
Hunc nobis propere est nimis
Visa immota tibi Atropos
Vita abrumpere stamina.

Respondet pro defuncto Theologus juxta ac Philosophus summus D. Joh. Maccovius, &c.

ÆTerno ab ævo provida mens Dei
Determinavit cuique homini suæ
Vitæ modum, tranire nullus
Quem potuit poteritve, moles
Mundi triformis dum steterit. Dei
Hac lege certa atque irrevocabili
Vitale lumen liquit acri
Drusius ingenio celebris,
Casca fide & virtute, scientia &
Cultu bonarum multiplici artium.
Sic fata priscorum explicanda:
Sic veterum accipitote Parcas.

Prosopopœia Judæi insultantis mortuo.

NUnc soles redeunt serenieres;
Nunc cura valent severiores.
Somnus ferrem urget illi ocellos
Qui nostras toties strophas dolosas
Et perplexa sophismata expedita
Mentis dexteritate sic refellit,
Rabbinos ut ei celebriores
Oggannire puderet impudenter.
Nostram militiam prius secutes
Non paucos bene differendo (cur quod
Est verum renuam pie fateri?)
Jesu traxit ad arma Nazareni.
Mœrore ergo gravi procul remoto
Vitam quin agimus suavierem?

Respondet Judæo Drusius.

FAlce mortis me perempto, gaudii quidem tibi,
Contumax Judæe, causa est haud levis relicta: sed
Ne canas, vide, triumphos ante quam victoria
Sis potitus. En, supersunt arte nostra plurimæ
Optime instructæ cohortes, mox volentes vincere
Te tuosque, fœde Apella. Pone gaudio modum.

Josephus Scaliger cœlesti gaudio fruens *Drusio* adventum gratulatur.

TUne tranquillas etiam petisti
Cœlitum sedes, Domino vocante,
Sede Livoris Stygii relicta,
Maxime Drusi?
Gratulor tandem tua vela tuto
Conspici in portu, maris & viarum
Teque jam lassum pede rus paternum
Tangere fausto.
Cor tuo cum Scaligero perennis
Vita aqua firma latere ex aperto
Qua sum Christi, redimique Phœbi
Tempora fronde.
Dextera palmam tibi Christus offert
Quam libens prompta cape: cum beatis
Incolis cœli celebra perenni
Carmine Christum.

Digitized by Google

ΑΝΑΚΑΗΤΙΚΟΝ

Epicediorum, Lamentorum, Threnorum, & Lacrymarum de morte DRUSIANA,

Quo canitur

Viri incomparabilis, hujus ſeculi Phœnicis,

D. JOHANNIS DRUSII

VITA, VICTORIA, & IMMORTALITAS.

Cum Anagrammate.

JOANNES CLEMENS DRUSIUS

Mens Donis Clarens vives.

AD

Dolliſſ. ABELUM CURIANDRUM P. M. D. D. GENERUM.

VEnerat ut rigidi nobis prænuncia fati
Fama quod ingrato Socerum, ô dolor! abſtulit orbi
Nuper, Abele, tuum, cum jam inter ſidera manes
Exierant magni defuncto corpore Druſi,
Noſtra dat extemplo lacrymas, ſecumque gemiſcens
Muſa diu, exſtinctum præſtantem Heroa decuſve
Heu dolet atque iterum dolet. Et lugubria poſtquam
Melpomenes induta fuit, quæ triſtia cantu
Flere ſolet tragico, celebres meditatur Iambos,
Aut Elegos moeſtos, ut lamentabile Druſi
Funus & infauſtam tanta de morte Lycæi
Friſiaci ſortem funebri carmine plangat.
Quippe alias toto norat ſimul orbe Camœnas
Cultorem lugere ſuum, Sacraſque, profanaſque,
Et Syrias, & Chaldæas, & Græcia quotquot
Nutriit, & Latio quæ ſunt ſermone celebres:
Quas imitata ſuas etiam mea Muſa querelas
Cœperat, atque aliquem invite componere Threnum.
Phœbus adeſt, prohibetque genus lugubre modumque
Carminis ulterius deducere. Verſibus, inquit,
Dicier Herois debet clariſſimus Heros.
Et jubet ut celebrem, tanquam in Solennibus inter
Lætificas epulas aut conſeſſos Hymenæos,
Induat illa togam, luctuſque oblita prioris
Cincta triumphali monſtret ſua tempora lauro.
Vivit enim quem fletis, ait; nec mortuus unquam
Ille fuit: mortem dudum ſuperavit & omnes
Quos dedit hæc ætas ſatis æmula cominus hoſtes.
Eſt aliquid, quod jam vita pariterque moleſto
Munere defunctum variiſque laboribus, inter
Oſſa jacet corpus cineresque exangue repoſtum
Heu tumulo. Hoc illi ſomnus placidiſſimus, illi
Hoc jucunda quies ærumnarumque levamen.
Spiritus interea ſuperæ novus incola ſedis,
Pars melior Druſi, vivit, ſolatia cœli
Magna videns & tot delectamenta piorum
Angelicos inter cœtus animaſque beatas.
Vivit honos, nomenque illuſtre, & neſcia fati
Fama viri: vivunt tot Scripta librique perennes,
Quos legit Heſperiæ populus, quos Gallus, & Anglus,
Belgaque, Germanuſque ſimul miratur, & idem
Quos quoties legit & miratur ad aurea tollit
Sidera, vel tacito perſolvit pectore grates.
Tantus honos noſtri, tanta eſt reverentia Druſi.
Ergo illum lætis jam nunc celebrare Camœnis
Fert animus. Nec enim decet inter gaudia Druſi,
Quodque ſuo dudum peperit ſudore trophæum,
Teque tuoſque meis incendere meque querelis.
Sat Socero, ſat, Abele, datum, patrioque Lycæo.
Sat ſtudioſa cohors, ſi quæ ſolamina captant
Inde pii manes, & noſtra negotia curant,
Lamentata ſuum Doctorem, atque antea quotquot
Invida poſt alios alios rapuere ſub umbras
Fata viros multa inſignes pietate; ſat idem
Incaſſum toties dolor eſt renovatus & angor.
Haud aliter viſum ſuperis. Manet omne per ævum
Sors eadem cunctis, agiturque immitibus, heu!
Doctus & indoctus nullo diſcrimine Parcis.
At nos Latoidis memores, ubi preſſimus alto
Triſtitiam luctuſque animo, tibi, maxime Druſi,
Latoidis lætum canimus Pæana, tuiſque
Nominibus noſtræ gaudent ſe dedere Muſæ:
Si tamen indigeant noſtris tua nomina Muſis
Inclyta, quæ varios mundi peragrantia tractus
Docta per ora virum volitant; quæ Gallus, & Anglus;
Belgaque, Germanuſque ſimul veneratur, & omnes
Longius aut propius ſtudii melioris amantes.
Sic tua jamdudum pietas, doctrina, tuumque
Ingenium meruit, quo non felicius ullum
Volvere tot libros veterum, atque inquirere cauſas
Tot rerum occultas, & linguis addere linguas.
Sic tua *Mens* meruit, qua tot jam abſcondita ſeclis
Scire Palæſtinæ poteras myſteria linguæ,
Codicis & poteras nobis penetralia Sacri
Pandere, & arcanum duplicis reſerare Sionis.
O quam te memorem! ô *Mens* ſolertiſſima, Divum
Interpres, *Donis Clarens* illuſtribus, inter
Angelicas *Vives* cœleſti in ſede cohortes,
Nullum ubi diſcendi ſtudium menteſque fatigat
Cura, nec obliquis deturbat gaudia Livor,
Heu nimium Livor mortalibus inſitus ægris,
Inter eos etiam quibus eſt commiſſa poteſtas
Paſcere Oves Chriſti ſanctamque exponere Legem!
Quos non ille dolos, quæ non incendia paſſim,
Et litem, & rixas, & plus quam jurgia miſcet?
Ille quoque inſequitur manes rabioſus & umbras
Semideûm Heroum, quales mirabitur omnis
Poſteritas. Prô magne Deûm, prô magne hominum Rex,
Quæ nos Relligio, quæ nos hodie excipit ætas,
Docta ubi ſcripta virûm nullo diſcrimine carpit
Invidus aut cæco commotus pectora zelo?
Nuſquam tuta fides, ſi nec poſt funera tutus
Druſius, & quiſquam dictis temerare protervis
Audeat illius curas ſanctoſque labores.
Parce, precor, nec prole tuum, maleſane, furorem,
Quiſquis es. Ille tuis telis ereptus & ipſi
Invidiæ filet: & quæ dudum temnere vivus
Multa ſolet, non jam dicteria mortuus audit.
At nos Latoidis memoris, Socerique, tuique
Semper, Abele, tuum Socerum celebrabimus atque
Illius in noſtrum merita infinita Lycæum;
Quæ quoque vicini populi populique remoti
Excipiunt. Nam vicinis pariterque remotis
Doctor erat populis: & quæ non plena laborum
Illius eſt regio in terris? quæ natio fructus
Non habet inde ſuos, dum quæ memoranda notavit
Druſius in Sacris evolvit ſedula libris?
Hoc multis commune quidem; ſed gloria noſtra eſt,
Quod modo quem vivum in parva Tritonidos urbe
Nutriit, atque virum mirata eſt Friſia tantum,
Illa ſua jam illum ſervet tellure ſepultum.
Hoc nobis proprium, quod noſtra ex gente repertus
Diſcipulus Druſi, qui quantum ſuſtinet ætas,
Ingenium mentemque refert moreſque Magiſtri,
Ammana, qui ſolus cum te quoque judice, Druſi,
Scandere dignus erat poſt te & tua fata Cathedram,
Scandit & ille tuam Cathedram, & jam munere felix
Fungitur applauſu multæ comitante juventæ.
Cur igitur nimio juvat indulgere dolori
Temporibus lætis? At vos, quibus antea curæ
Druſius unus erat, & nunc quibus *Ammana* curæ,
Illius ad Tumulum, ad Cathedram, Libethrides, hujus

Ferte roſas violaſque & purpureos hyacinthos
Liliaque floreſque alios. Nec Pallas olivæ,
Nec tu Theſſalicæ parcas, Phœbe optime, lauro.
Dignus uterque tuo cantari carmine. Vel ſi
Viveret Joniæ divus Colophonis alumnus,
Dignus uterque ſuo quem carmine cantet Homerus,
Et vates Andinus, & in Sulmone creatus
Naſo ſuo. Noſtras ſuperat labor ille Camœnas
Scilicet. Uſque adeo claris tot honoribus ardent
Doctiloqui Druſi, quem, dum hoc in corpore reſtat
Spiritus, & dabitur vitali veſcier aura,
Quo poterint nunquam ceſſabunt dicere cantu;
Nec ceſſare velint: & ſi quandoque labaſcent
Innumeris fractæ curis ſtudioque moleſto,
Hoc tamen illarum ſupremo in gutture votum
Semper erit, dicentque ea verba noviſſima Muſæ;
Druſius æternum vivat celebrandus, & illum
Ammana cum ſimili ſectetur laude Magiſtrum.

C. M. V.
JOHANNI CLEMENTI DRUSIO
Præcep. quondam ſuo,

JOANNES SARTORIUS Leov. Friſ.
Eccleſiaſtes in Buytenpoſt.

L. M. Q. P.

Ejuſdem

EPIGRAMMA

IN

DRUSIOMASTIGAS,

Cum Anagrammate.

JANUS DRUSIUS.
Vir Dius Sanus.

DEſine, quo vivo mutescere, Mome, ſolebas;
Jam modo defunctis carpere ſcripta viri.
VIR fuit, atque ſuos cohibere viriliter hoſtes,
Dum vixit, potuit: nec potuiſſe negant.
Ingenio DIUS, dia myſteria linguæ,
Explicuit ſummâ ſedulitate diu.
Judicio SANUS, ſanam retinere loquendi
Formam avidus, ſana Religionis amans.
Hoc ſi, Mome, negas, ſi à te male Druſius audit,
Quam fuit hic ſanus, tam male ſanus eris.

EPISTOLA NOTIS

JOS. SCALIGERI præfixa.

EXhibemus tibi, Lector, in locos aliquot difficiliores Novi Teſtamenti pauculas haſce magni illius Scaligeri τοῦ μακαρίτου Notas, quæ cum nobis forte in manus incidiſſent, noluimus tanto theſauro rempub. literariam privare, & una eademque opera obteſtamur viros doctos, qui & has & alias illius Notas in Bibliothecis ſuis reſervant, nolint diutius lucem illis invidere, utque utilitati publicæ quæcunque obſtare poſſent poſtponant.

NOBILI & CLARISSIMO

VIRO,

FRANCISCO VALLEO,

Dn. de CHENAILLES.

QUandoquidem, Nobiliſſime Vir, Dn. *Merovillæi* fratris tui τῦ μακαρίτα ſtudio & liberalitate factum eſt ut doctiſſimi *Camerarii* opera poſthuma in lucem primum ederentur, primuſque eorum Tomus propterea illius nomini merito à me inſcriptus eſt, non miraberis, puto, neque, ſpero, ingratum erit, ſi quod ex illis magna ex parte excerptum ordineque digeſtum, & nova nec contemnenda adjectione auctum eſt, nomini tuo dicetur, quo & omnium qui *Camerarium* amant communem erga fratrem tuum (pro ſua illa in eum pietate) gratitudinem omnibus eorum veluti nomine, teſtatam facerem, & tibi lectiſſimæque fratris tui viduæ meam erga vos privatim ſignificarem, tum quod illa quæ vir teſtamento legaverat in operum illorum editionem impendenda ſtatim poſt procuratum ejus funus promptiſſime exſolvit, tum etiam quod te auctore & conſultore ceſſerit illa liberaliter omni ſuo jure repetundarum illarum impenſarum, in eorum gratiam & commodum qui editioni operum illorum vacarunt. Accipe ergo ſerena fronte & publicum iſtud de liberalitate veſtra teſtimonium, & hanc mei erga te obſequii arrham, & viri longe doctiſſimi fratri tuo olim chariſſimi, nec tibi prorſus ignoti, hæc exigua & poſtrema veluti poſt funera λείψανα. Pietatem & doctrinam ejus ſat ſcio amplecteris, qui & ipſe doctus es & vere pium te eſſe demonſtraſti, cum puriorem Chriſti doctrinam eo tempore profeſſus es cum alii innu-

Digitized by Google

innumeri omnis ſortis & conditionis homines, Moſi diſſimillimi, qui Chriſti probrum deliciis Ægyptiacis prætulit, Demæ contra ſimiles, huic addicti ſeculo, præſenti afflictæ Eccleſiæ Dei facie & futurorum quæ animo præſagire ſe putant malorum formidine perterriti, veritati quam optime norunt nuncium remittunt. Pietatem illam tuam Chriſtus in dies in te Spiritu ſuo & frequenti S. literarum ſtudio, lectione, atque ſeria earum meditatione adaugeat; utque te lauta & ſplendida inter homines ſorte ornavit, quæque animum quemlibet non immodicum explere abunde queat, ita ſpiritualibus inter fideles ſuos donis veriſque & ἀθθίτοις divitiis cumulatiſſime ornet.

Salmurii III Idus Maias,
M. DC. XXIX.

Propenſo in tui obſequium
animo, totus tuus,

LUD. CAPPELLUS.

PRÆFATIO ad LECTOREM.

ETSI univerſa Theologia veraque ejus atque unica baſis & fundamentum inconcuſſum, Scriptura, clariſſimorum Eccleſiæ tum primitivæ atque antiquioris, tum poſterioris Euangelicæ, majorum noſtrorum tempore reformatæ, luminum & Heroum luculentiſſimis ſcriptis & commentariis tota jam pleniſſime illuſtrata videri poſſit, ita ut ad ea quæ hactenus vel ſcripta ſunt nihil amplius addi poſſe videatur; tamen tanta eſt myſterii illius pietatis majeſtas, tanta inexhauſtæ illius abyſſi profunditas, tam varia & multiplex Sapientiæ Divinæ in eo occulta diſpenſatio, tanta donorum Dei in eo explicando varietas, ut mirum nemini jure videri debeat, ſi quemadmodum primorum, primis Eccleſiæ temporibus, in ſcriptis illis ſacris explanandis eruendaque atque tradenda ex iis cœleſti veritate labor & induſtria non deterruit alios quominus poſt eos operam ſuam in eodem opere utiliter collocarent, idque per longam ſeculorum ſeriem, aliis poſt alios ad hunc uſque diem in illud idem magno cum fructu incumbentibus (unde etiam factum eſt ut, maximo Dei beneficio, myſteriorum Divinorum in Chriſtiana religione cognitio hodie multo ſit major, clarior atque explicatior quam unquam antea jam ab Apoſtolorum ſeculo fuerit,) ita & poſtremorum qui in eadem deſudarunt palæſtra labor & gloria aliorum poſt eos non inhibet aut retardat ſtudium & conatum quominus & ipſi poſt alios aliquid tentent, talentumque ſibi à Deo concreditum eo conferant, & donum Dei in ſe exſuſcitent, ſi ſorte & ipſi aliquid Domino ſuo lucrifacere poſſint quod ad ampliorem gloriæ ipſius patefactionem & majorem piorum profectum ex myſteriorum illorum ſacrorum clariore & pleniore ex Scripturis Divinis revelatione & illuſtratione cedat. Neque enim qui hactenus vel in S. Scripturam, ad ejus illuſtrationem & explicationem, aliquid ſunt commentati, vel de rebus Theologicis pio zelo ſcripſerunt, id eo animo & conſilio fecerunt ut omnes poſt ſe à ſcribendo & commentando deterrerent, ſed potius eos exemplo ſuo excitare & invitare voluerunt ut quiſque pro dono ſibi à Deo indulto in idipſum ſerio incumberet. Neque putandum eſt omnia vel in Theologia vel in Scriptura ita eſſe jam ab aliis hactenus explanata ut nihil omnino ſuperſit quod poſſit amplius adhuc vel clarius vel aptius vel commodius vel etiam plenius explicari. Imo vero ſemper aliquid erit quod & ignoremus, & in quod propterea penitius inquiri & poſſit & debeat ab iis qui etiam poſt nos venturi ſunt ad ultimam uſque diem, in qua demum (non priùs) pleniſſimam conſequemur, Chriſto perfectiſſime uniti, myſteriorum illorum cognitionem. Nunc *enim ex parte duntaxat cognoſcimus, & ex parte prophetamus*, tum vero demum perfecte cum *cognoſcemus, ſicut ab eo cogniti ſumus*, cum eum non amplius *per ſpeculum & in ænigmate ſed facie ad faciem intuebimur*. Itaque laudanda eſt eorum induſtria & diligentia ſtudiumque & labor qui etiamnum hodie poſt tot licet clariſſima Eccleſiæ lumina face ſua lucem aliquam iis quæ necdum ſunt ſatis explicata aut illuſtrata pro modulo ſuo affundere pio animo conantur. Jam vero inter eos qui è noſtris ultimi hoc tempore in Theologicis & Scriptura aliquid tentarunt, quam non poſtremus ſit (ut nihil amplius dicam) *Camero* hic noſter, agnoſcent facile qui ſcripta ejus hactenus edita diligenter & ſine præjudicio legerint. Ejuſmodi enim ſunt ut quo ſæpius releguntur eo magis placeant, eoque clarius in iis refulgeat authoris doctrina atque eruditio & ſingularis totius rei Theologicæ ſolida cognitio; unde nova quædam affulget lectori lux ſummopere utilis & neceſſaria tum in commoda omnis ferme generis controverſiarum quibus hodie fides Chriſtiana agitatur explicatione atque definitione, tum vel maxime in apta, aperta, facili ſimulque accurata Scripturæ S. cum occaſio poſcit, explanatione. Et ſane qui eum dum viveret familiarius noverunt & audiverunt, ſciunt quantum in utroque genere valuerit tum ingenio & ſingulari induſtria, tum naturali etiam quadam propenſione & ἀγχινοίᾳ admirabili: quod & tu ipſe, benigne lector, per te poteris deprehendere ex attenta eorum quæ ſcripſit lectione, ſi non lævum ſed ſincerum & purum (uti ſperamus) ab omni invidia & ſuſpicione animum in eorum lectione adhibeas. Fructus ergo eximius & plane ſingularis quem ab illis qui ſolide & ſerio cupiunt θεολογίζειν & in Scripturæ S. plana & accurata verſari intelligentia, ſperamus reportatum iri ex magni illius viri laboribus, compulit nos ut ex editis illius ſcriptis ea excerperemus & ordine digereremus quæ ſpecialiter ſpectant locorum N. Teſtamenti permultorum illuſtrationem atque explicationem. Qua in re non eſt quod quis exiſtimet nos actum plane egiſſe hicque fruſtra operam noſtram in eo collocaſſe. Nam primo non pauca hic habentur quæ nullibi in editis *Cameronis* ſcriptis invenias, ſed quæ nos aliunde habuimus aut adepti ſumus ab iis qui, cum eo familiariter dum in vivis erat uterentur, multa ex privatis ejus colloquiis aut publicis etiam diſputationibus annotarant, acceperant atque in proprium uſum ſepoſuerant, quæ poſtea nobis non inviti communicarunt. Secundo, ea ipſa quæ nos ex editis ipſius operibus collegimus atque huc conjecimus, ita ſparſa ſunt atque diffuſa per univerſum ſcriptorum ipſius corpus ut ſæpiſſime nonniſi operoſe admodum & magno cum tœdio quæri ea & inveniri, ubi opus eſt, poſſint, quæ tu hic omnia congruo & commodo ordine habes diſpoſita atque collocata. Etſi autem Tabulæ illæ Locorum Scripturæ quæ tribus *Cameronis* operum poſthumorum tomis à nobis additæ ſunt, multo quærendi quæ libuerit labore levare te hac in parte poſſint, non tamen uſquequaque & per omnia ſufficiunt. Nam non raro, imo paſſim, accidit ut idem Scripturæ locus variis in tabulis, variiſque operum illorum in tomis tomorumque locis magno cum labore quærendus ſit: varia enim operum illorum loca ſæpiſſime ad unius Scripturæ loci explicationem conſulenda & conferenda ſunt. Quo ego hic te levavi ſudore, cum ſimul omnia quæ eodem pertinent undique collecta in unum contulimus & digeſſimus. Tum etiam illa quæ aliis habentur, præter tres illos poſthumos Tomos, *Cameronis* in ſcriptis nullo potes omnino Tabularum ſubſidio invenire: ut illic multum, & aliquando forte fruſtra, ſudandum ſit priuſquam

quam invenias quæ ad manum habere velis. Porro tria utiliter in Scripturæ explicatione præſtari poſſunt. Nempe primo, ut vis verborum atque phraſeôn expendatur, eorumque propria, nativa & genuina ſignificatio Grammatica eruatur atque explicetur plane & aperte, ut certo teneas τί τὸ λεγόμενον· quæ explicandi ratio baſis eſt & fundamentum expoſitionis illius qua loci ſenſus Theologicus poſtmodum eruitur & exponitur; ita ut fieri non poſſit ut quis feliciter & cum ſucceſſu in veri ſenſus, quem *Theologicum* vocant, inveſtigatione verſetur niſi prius apprime genuinum ſenſum, qui *Grammaticus* dicitur, tenuerit, perſpecta & probe intellecta verborum & phraſeon vi & ratione atque ſignificatione, quæ interdum non eſt omnibus obvia, etiam ubi plana & aperta nonnullis forte videri poſſit. Atque ad id opus eſt non qualicunque & perfunctoria ſed exacta & accurata ſatis utriuſque linguæ Græcæ & Hebraicæ, quibus libri Sacri conſcripti ſunt, cognitione: alioqui facile erit etiam in plano ceſpitare atque ita impingere & pedem offendere ut turpiter pronus cadas. Secundo, ut deprehenſo & certo perſpecto ſenſu verborum Grammatico *Theologicum* plane, plene, apte & accommodate explices atque proponas, ita ut omnia inter ſe apte congruant & cohæreant cum antecedentibus, conſequentibus, mente & ſcopo Scriptoris ſacri, totaque fidei & reliquæ Scripturæ analogia, ut nihil ſit diſſonum, nihil diſcrepans aut alienum, nihil frigidum aut dilutum vel inſulſum, nihil quod non Spiritus S. (cujus afflatu & veluti dictamine libri Sacri ſunt conſcripti) ſapientiam & Majeſtatem ſapiat atque redoleat. Denique, quoniam hominum etiam minime malorum inſcitia & imperitia, vel Doctorum ἀβλεψία & incogitantia, aut vero Hæreticorum fraus & malitia, Scripturæ S. ſenſum non raro affingit falſum, perverſum, corruptum & noxium, vel ſaltêm alienum minuſque congruum aptumve, operæpretium eſt etiam ſummopereque utile, poſt traditum atque explicatum genuinum & legitimum ejus ſenſum, falſum illum & corruptum aut parum convenientem & appoſitum revincere atque refellere, ut ſic remoto omni fuco atque pigmentis, quibus error & mendacium hominum fraude ſolet incruſtari, depulſiſque omnibus offutiis, quibus interdum oculorum minus perſpicacium acies vel perſtringitur vel hebetatur & obſcuratur vel detinetur, veritas in plena luce poſita & ob oculos conſtituta clarius conſpiciatur. Quantum autem in triplici illo genere valeat vir iſte doctiſſimus *Camero*, & quid hic præſtiterit in quamplurimis Scripturæ locis illuſtrandis, explicandis & vindicandis, tibi, benigne lector, judicandum ex hujus libelli lectione relinquo. Sat ſcio doctis & cordatis viris, iiſdemque candidi & aperti pectoris, viſum iri *Cameronem* hac in parte vel maxime excellere, alioſque multos prævertere atque ſuperare. Porro locorum quæ hic tractantur nonnulla ſunt quæ prolixe & fuſe præ aliis explicantur, vel quia ſunt momentoſa & eorum materia ſive argumentum id veluti poſcebat atque exigebat, vel quia ipſe ea ſuſceperat plenius tractanda. Alia ſunt longe plura brevius & contractius multo, attamen plene ſatis & apte expoſita, quia ea obiter tantum & ex occaſione (ut pleraque omnia) prout illa ſeſe dabat, explicuit, quaſi aliud agendo. Alia denique ſunt leviter tantum quaſi perſtricta, ſed ita tamen ut & in iſtis ingenium ejus & ſagacem induſtriam atque felicem ἀγχίνοιαν in indagando & aſſequendo vero Scripturæ ſenſu nihilominus deprehendere poſſis. Qua in re ſi à vulgaribus Scripturæ Commentatoribus non raro diſcedit, non eſt quod offendaris. Si enim judicium adhibeas non lævum neque leve ſed & æquum & grave, videbis non fruſtra aut temere ab eo id factum eſſe, ſed concinniorem & aptiorem multo videri illius quam cæterorum interpretationem.

Cæterum & nos hic auctarii veluti vice *SPICILEGIUM* noſtrum poſt aliorum plenas meſſes ad calcem adjecimus: In quo ſiquid forte præſtiti quod & tibi gratum & ad Scripturæ illuſtrationem aliquam utile futurum ſit (quod unum eſt ſtudium & propoſitum meum) gaudebo, & ad alia tentanda, ſi Deus vitam & otium dederit, excitabor. Interim hoc qualicunque noſtro conatu gratus utere fruere. Vale.

Quia non omnibus æque notus fuit Camero *hic noſter, libuit eum hic velut in brevi tabella, rudi ſaltem quodam penicillo, ὡς ἐν τύπῳ deformatum, tibi, Lector, mentis ob oculos proponere.*

JOH. CAMERONIS
ICON.

JOhannes Camero Scotobritannus, Glaſcuæ honeſtis parentibus natus, poſt peracta humaniorum literarum ſtudia & decurſum ſtadium Philoſophicum, cum admodum adoleſcens ſupra ætatis modum linguam Græcam calleret, ſtatim illius in eo Collegio docendæ munus illi demandatum eſt: In quo poſtquam annum egiſſet, cupidus alienas viſendi regiones, annos natus paulo plus viginti venit in Galliam, atque Burdigalam anno Chriſti M. DC. appulit. Iſthic Paſtoribus Eccleſiæ illius Renaldo Gallo & Primroſio Scoto chariſſimus ſtatim factus eſt tum ob ingenium & egregias animi dotes morumque ſuavitatem & nivcum candorem, tum ob ſingularem in lingua Græca & Latina, pro ætatis ipſius modulo, tam loquendo quam ſcribendo, peritiam. Græce enim tam expedite & eleganter quam quivis alius Latine ex tempore loquebatur, ita ut doctiſſimis quibuſque quos ubiubi convenit, adeoque & ipſi magno Caſaubono, cui paulo poſt fuit notiſſimus, admirationi eſſet fueritque chariſſimus. Itaque Burdigala Bergeracum cum literis συζητικαῖς mox ab iis miſſus, illic Græcæ & Latinæ linguæ in humaniorum literarum quod tum erigebatur Collegio docendæ præpoſitus eſt. Mox inde à Bullionio Principe Sedanum abductus Philoſophiæ docendæ præfectus eſt: quam cum biennium ferme magna cum laude cum facundiæ tum induſtriæ docuiſſet, & linguæ Græcæ Profeſſio illi à Principe (à quo magnopere diligebatur) deferretur, noluit amici qui ea fungebatur, & quicum conjunctiſſime vivebat, offenſionem acceptatione muneris illius ſubire, propterea bona cum Principis venia Profeſſione Philoſophica deceſſit, & una cum amico, Sedano relicto, Lutetiam venit, indeque Burdigalam repetiit: Ubi ab Eccleſia & Paſtoribus avide exceptus, initio anni M. DC. IV. delectus eſt ab iis qui in S. Theologiæ Candidatorum cenſum adſcriberetur, & quadriennium publicis Eccleſiæ ſumptibus in S. Theologiæ ſtudio agendum, ubicumque libuiſſet in omnibus Europæ, per Angliam, Belgium & Germaniam, Euangelicorum Academiis, illi conceſſum eſt, eo fine & conſilio ut aliquando, cum opus eſſet, Eccleſiæ illi in ſacro verbi Divini Miniſterio inſerviret. Quadriennii iſtius quadrantem unum egit Lutetiæ in domo Viri clariſſ. & doctiſſ. vitæque integerrimæ, Dn. Calignonii, ſub Chriſtianiſſimo Rege Henrico IV. glorioſæ & felicis memoriæ, Regni Navarræ per multos annos Cancellarii; cujus duos liberos impuberes

adhuc

adhuc in lingua Græca & Latina per quadriennium illud ita privatim inſtituit ut eorum alter Græcas epiſtolas ſcriberet quæ veterum puritatem & elegantiam pene æquarent. Lutetia Genevam profectus eſt, ubi ferme biennium, inde Heydelbergam, florentem tum Academiam, in qua circiter annum egit, omnibus S. Theologiæ ſtudioſis præſertim Gallis, qui eum familiarius noverant, propter doctrinam, ſuaviſſimos mores & facilem communicationem gratiſſimus, Paſtoribus & Doctoribus in utraque Academia, maxime Sculteto Heydelbergæ ob ſingularem pietatem & eruditionem charus, atque adeo in pretio & honore habitus fuit. Sub finem quadriennii quod illi conceſſum fuerat, cum multo ſtudio Theologico mentem ornaſſet & animum collocupletaſſet ſuum, cujus jam tum illuſtre edidit ſpecimen, compoſitis De triplici Dei fœdere accuratiſſimis Theſibus, Heydelberga Burdigalam revocatus fuit anno M. DC. VIII. ut Renaldo (qui diem ſuum paulo ante obierat) in verbi Dei Miniſterio ſuccederet. Ubi magna cum doctrinæ & ingenii fama, non per totam Aquitaniam modo ſed & per univerſam Galliam, Eccleſiam illam una cum Collega Pimroſio totum decennium concorditer cum rexiſſet, anno M. DC. XVIII. ab Academia Salmurienſi ad docendam S. Theologiam, utque inde decedenti Clariſſ. Gomaro in Profeſſione ſuccederet, evocatus fuit, atque iſthic ſolenni examine probatus, & in multorum doctiſſimorum virorum ad id à Synodo delegatorum conſeſſu approbatus, magno cum applauſu & ſingulari doctrinæ teſtimonio muneri illi inauguratus & S. Theologiæ Profeſſor renunciatus eſt. Quo munere cum non integrum triennium frequenti auditorio defunctus ſumma cum laude fuiſſet, turbis civilibus anni M. DC. XXI. (quibus tota pene disjecta eſt Academia) excitus, Gallia relicta Angliam cum tota familia petivit. Iſthic Londini, M. Britanniæ Regis permiſſu, & cum bona Epiſcopi Londinenſis gratia, paucis menſibus privata quidem in domo ſed publica cum authoritate & licentia Theologicas aliquot habuit Prælectiones. Mox Glaſcuam ab eodem Rege miſſus, & Collegii Præfectura donatus, annum illic egit non totum, & magna cum laude Theologiam docuit. Sed mox compoſitis utcunque Gallicis motibus, cum magno Galliæ (quam alterius patriæ loco ſemper habuit) & amicorum quos illic habebat deſiderio teneretur, gratiis Regi Britanniæ pro ipſius in ſe liberalitate actis, bona cum ipſius gratia Galliam cum familia repetivit, Salmuriumque rediit. Ubi cum annum unum egiſſet, privatimque doceret, quod per Regium interdictum publice illi non liceret, Montalbanum mox ad docendum accitus, ſub finem anni M. DC. XXIV. eo profectus paucos menſes legit. Nam ſecundis motibus in Gallia mox excitatis, & civitate illa in partes ſciſſa, cum illi quæ tandem prævaluit parti accedere nollet, urbe exceſſit; & paulo poſt, cum in eo eſſet ut familiam inde abduceret ſuam, vehementi febre correptus, paucis poſt diebus ea fuit exſtinctus anno M. DC. XXV. ætatis vero circiter XLVI. Uxorem primo duxit anno M. DC. XI. Thonentii ad Garumnam in inferiore Aquitania, Suſannam Bernardinam, civis oppidi illius honeſtiſſimi filiam, ex qua filium unum, quatuor filias ſuſcepit. Sed harum prima maximaque natu Burdigalæ quadrima deceſſit prima die Julii anni M. DC. XVI. Filiolus, in Anglia Londini X. Maii M. DC. XXII. natus, bimulus Salmurii obiit menſe Julii M. DC. XXIV. cum mater paucis ante menſibus, XI. Martii eodem anno, longa & hectica febri pulmoniſque vitio & moleſta tuſſi ibidem exſtincta fuiſſet. Ipſe anno exacto nuptias Montalbani iteravit, ducta in uxorem Suſanna Thomaſia, cum qua paucos menſes vixit, nullamque ex ea ſuſcepit prolem. Tres ex priore conjuge ſuſceptas filias Johannam, Elizabetham & Suſannam, impuberes poſt ſe reliquit afflictiſſimas rebus materni earum avi obſidione Thonentenſi anno M. DC. XXII. & civilis belli in partibus illis totum fere triennium ſævientis furore admodum acciſis & penitus propemodum proſtratis. Corpore fuit neque humili neque procero, ſed mediocri, gracili & macilento magis quam obeſo, neque valido aut robuſto ſed tamen ſano; vultu aperto & remidente, facie ingenua, oculis vividis & amœnis capillo flavo, barba ſubrufa, inceſſu, habitu & cultu corporis, quia totus ſemper erat cogitabundus meditabundus, paulo neglectiore. Moribus erat ſuaviſſimis, non moroſus & auſterus, ſed neque remiſſus & effuſus, verum ad gravitatem & lenitatem ſimul compoſitus, εὔκολος quidem & facile, præſertim in notos & familiares, irritabilis, ſed qui facile etiam iram deponeret, atque ultro culpam & errorem agnoſceret. Vir pietate & probitate ſpectabilis, integerrimus, candidus, apertus, fuci, fraudis dolique mali plane neſcius, à φιλαργυρίᾳ & μικρολογίᾳ alieniſſimus, imo vero pecuniæ mirus & pro fortunæ ſuæ conditione nimius contemptor, & in erogando ſupra modum facilis, ne profuſum dicam. Amicis fidus, inimicis non iniquus fuit. Gloriæ & fortunæ æmulos non paucos habuit, quibus tamen minime infenſus fuit: imo nullius cui non bene cupiverit, & benefacere pro data occaſione paratus non fuerit. Doctrinæ ſuæ non minus quam τῶν χρημάτων καὶ βιωτικῶν κοινωνικὸς & liberalis largitor, volentes à ſe diſcere nil celabat, quin facile quicquid ſingulare aut reconditum habuit iis communicabat. Nihil ferme ultro ſcripſit, ſed vel ab æmulis & adverſariis provocatus & laceſſitus, vel ſæpius ab amicis incitatus & quaſi exſtimulatus: difficulter enim admodum ad ſcribendum commovebatur, licet facilius illi nil fuerit quam aliquid ſcribere. Pauca ipſo vivente & procurante edita ſunt in lucem, pleraque vel eo inſcio & abſente, vel poſt obitum ejus ab amicis evulgata fuere: Qui niſi magno cum ſtudio excepiſſent ex ipſius ore quæ potuerunt excipi, & ſparſas conquiſiviſſent neglectaſque ab eo ſchedas, omnia ingenii illius monumenta prorſus periiſſent: adeo quæ ſua erant ſcripto conſignare natura ſegnis, & aſſervare negligens & incurioſus erat. Varia carmine tum in adoleſcentia tum etiam, licet rarius, in matura ætate compoſuit, prout ſe dabat occaſio & modo hoc modo illud ſeſe illi offerebat argumentum; quæ quidem amicis ſolebat recitare, ſed ea vel omnino non ſcribebat, vel, ſi forte ſcripſiſſet, huic vel illi amicorum ſtatim dabat; nihil eorum ſcripto penes ſe aſſervabat, confiſus bonitate memoriæ, quæ cum libebat ea fideliter illi ſuggerebat: unde factum ut ea omnia perierint: & tamen ea facultate vel maxime pollebat, ut videri poſſet ad Poeſin à natura veluti efformatus. Erant enim verſus ipſius omnis generis faciles, terſi, ſuaves, elegantes, Virgilianis, Lucretianis & Catullianis (quos authores in ſcribendo carmine præcipue imitandos ſibi proponebat) pene pares; in quibus neque verborum proprietatem & ſermonis puritatem, neque orationis lumina & floſculos, neque gratiam inventionis, neque leporem & veneres, neque, ubi opus erat, nervos, gravitatem & majeſtatem deſiderares. Præter trium principum linguarum peritiam ſingularem, & multam bonorum Græcæ & Latinæ linguæ authorum lectionem, ſolidam habuit & accuratam non Scholaſticæ illius ſpinoſæ, aculeatæ & ſophiſticæ, ſed puræ, ſinceræ, germanæ vereque Peripateticæ Philoſophiæ cognitionem, qua feliciſſime in omnibus diſputationibus & diſſertationibus ſuis utebatur. S. Theologiam, ut ſcientiarum omnium principem & dominam, præcipue amavit & coluit, adeoque & verbo & ſcripto excoluit, quam multo adhuc auctiorem & cultiorem nos ab eo haberemus ſi vel longiorem indulſiſſet ei vitam Deus, vel ſi quam in meditando profundus & aſſiduus erat, tam fuiſſet in ſcribendo & annotando animi ſui ſcita & conceptus ſedulus & gnavus: verum laboris ſcribendi natura impatientior, totus erat vel in meditatione vel in diſſertatione & verbali cum amicis communicatione. In diſputando ſive ageret adverſarium & oppugnaret, ſive reſponderet & ſe ſuaque tueretur ſeu verbo, ſeu ſcripto, promptus, paratus, lenis, ſolide acutus, ubi nodus vindice dignus occurrebat, planus & perſpicuus erat. Judicium ei fuit limatum & ſolidum, memoria felix & tenax, acris vis ingenii, prompta ἐγχύησις, ſingularis facundia, & dicendi vis inexhauſta forteque plus æquo luxurians: Summis denique ingenii abunde à Deo inſtructus dotibus, quas etiam pro virili ad ipſius gloriam, Eccleſiæ ædificationem & proximi beneficium in munere & vocatione ſua, pro data occaſione, liberaliter ſemper non ſine fructu impendit: nam & dum vixit multis verbo & exemplo profuit, & Diſcipulos habuit

non paucos tanto Magiſtro non indignos, à quorum nonnullis (quod citra invidiam dictum ſit) paria penè cum eo aliquando exſpectare poſſis, & poſt obitum tum illorum opera tum ſcriptis ſuis proderit adhuc vivetque in eorum animis à quibus abeſt omnis livor, in quibus viget & regnat verum veritatis ſtudium.

Ex ejus operibus

EDita ſunt eo vivente, ſed abſente & pene inſcio, amico procurante, Latine;
Collatio ejus amica cum D. Tileno, De Gratia & Voluntatis humanæ conatuſu in vocatione. Lugd. excuſa anno 1622. in 4°.

Item, eo præſente & procurante, *Defenſio ſententiæ ſuæ de Gratia & libero Arbitrio*, oppoſita libello adverſus eum edito, cui titulus erat *Epiſtola viri docti ad amicum*, &c. Salmurii, anno 1624. in 8°.

Gallice autem, primo, libellus inſcriptus, *Du ſouverain juge des Controverſes.*

Secundo, *l'Examen des Prejugez de l'Egliſe Romaine contre l'Egliſe Reformée.* A la Rochelle, anno 1618. in 8°.

Tertio, *Sept Sermons ſur quelques verſets du chap. 6. de ſainct Jean.* à Salmur, 1624. in 12°.

Poſt obitum

EDiti ſunt ab amicis, & ex mandato Synodi nationalis Eccleſiarum in Gallia Reformatarum, tres Tomi *Prælectionum tum Salmurii, tum alibi*, dum Theologiam docuit, *habitarum*, cum paucis Miſcellaneis. Salmurii, 1626. & 1628. in 4°.

Deinde, *Myrothecium Evangelicum.* Genevæ, 1632.

Clariſſimo Magnæ Britanniæ Theologo,

D. ARTHURO LAKESIO,

EPISCOPO

BATHONIO-WALLENSI,

S.

IRiennium eſt, ni fallor, Præſul Venerande, quando doctiſſima Nicolai Fulleri Miſcellanea ad me miſiſti, munus tam mihi gratum quam quod gratiſſimum, tum quod à manu tua, quem reverenter æſtimo, tum quod ab ingenio Fulleri, quod mirifice amo. Ab eo tempore non deſii cogitare de ἀντιδώρῳ, ſi non pari, conſimili tamen: Id quod poſtulare à me videbatur & gratitudo mea, & virtus tua, amicorum literis antea, nunc autem viva voce etiam deprædicata viri doctiſſimi & integerrimi Fiderici Dorvilii, qui Sereniſſimi Bohemiæ Regis *Friderici* Palatini Septemviri, Domini mei clementiſſimi, primogenito ad omnem pietatem inſtitutione, hortatibus, exemplo ſuo viam munit. Is quoties ſermonem de Oxonio ingreditur, in venerandi Lakeſii, clariſſimi Prideauxii, eruditiſſimi Benefildii, laborioſiſſimi Jameſii laudes totus effunditur. Cæterum quam mihi quæ cogitaram expediendi occaſionem denegavit Germania, eam Bohemia ſuppeditavit, in cujus metropoli horis ſubſicivis proxima hyeme meditatus ſum libellum hunc; Quem idcirco *Delicias Evangelicas* appello, quia revera in his motibus & Regnorum converſionibus ſtudia iſta cordis mei delicium ſunt & gaudium. Laudatiſſimo autem nomini Tuo inſcribo, quia mei in Te cultus perpetuum hoc volo exſtare monumentum. Vale, Præſul venerande, & tecum totus Britannicorum Epiſcoporum chorus. Pragæ, declinante hyeme anni 162[illegible]

R. D. T.

addictiſſimus,

ABRAHAMUS SCULTETUS.

ABRA-

Digitized by Google

ABRAHAMI SCULTETI
ORATIO,
DE
QUÆSTIONE,

Utrum Theologo Scripturam ſanctam interpretanti externas etiam diſciplinas & ſcriptores profanos in ſubſidium advocare liceat?

RECITATA

In Auditorio Theologico Heidelbergæ, Anno M. DC. XVIII, XX Martii.

Nimirum ita inclytæ huic Academiæ, ita Sereniſſimo Principi Electori, Domino meo clementiſſimo, ita & Principis & Academiæ conſiliorum Moderatori ſummo, prapotenti DEO, viſum, ut qui adoleſcens olim iſta diſcentium preſſi ſubſellia, idem ſenculus hac docentium nunc premam pulpita: atque adeo aſſociatus viro ſuis in rempub. Chriſtianam meritis clariſſimo, Dn. Doctori Davidi Pareo, venerando Patri, & eruditiſſimo Dn. Doctori Henrico Altingo, amiciſſimo fratri, ſacroſanctum illud doctrinæ ſincerioris lac, quod ex Academiæ hujus quaſi cariſſimæ matris uberibus olim ſuxi, vicißim lactenti juventuti Academicæ inſtillem. Quod igitur rerum omnium primum eſt, TE, JESU CHRISTE, FILI DEI vivi, qui ſedens ad dexteram æterni Patris das dona hominibus, ardenti pectore rogo, ita meam ſanctæ tuæ eloquia Latio quoque idiomate deinceps expoſituri mentem regas & linguam, nihil ut illa cogitet, nihil ut iſta enunciet niſi quod nomini tuo glorioſum & juventutis ſtudiis proficuum ſit futurum.

Et quoniam præclarum à majoribus accepimus morem, profeſſionem Academicam ab oratione aliqua auſpicandi, non recedam è conſuetudine iſta, ſed de quæſtione à Profeſſione mea minime aliena paucis diſſeram, idque ad auditores, quod mihi firmiter perſuadeo, & benevolos & attentos.

Quæſtio eſt vetus-nova, Utrum Sacrarum interpreti literarum in interpretationis ſubſidium nonnunquam externas etiam diſciplinas, profanos etiam ſcriptores liceat advocare, necne? *Veterem voco; ſiquidem inter clariſſimos veteris Eccleſiæ Doctores Hieronymum & Ruffinum fuit ventilata, illo affirmantem, hoc negantem ſententiam tuente. Novam dico, quia & noſtro ſeculo diſcrepantes nonnullorum ſententiæ ſuper ea audiæ. Non agitur autem de ipſis Fidei capitibus; quæ nemo ſanus negarit ex ipſiſmet & ſolis quidem Scripturis ſanctaque illarum analogia eſſe explicanda. De hiſtoriis, de phraſibus, de vocibus, quæ vel obſcuritate aliqua involuta vel difficultate obſtructa ſunt, de his, inquam, quæritur, an non illæ nonnunquam è Gentilium monumentis explanandæ ſint vel illuſtrandæ. Ego quidem adverſus Ruffinum in hac cauſa ab Hieronymo ſtare minime dubito, cujus ſententiam affirmantem ubi validis rationum firmamentis & auctoritatibus minime contemnendis adſtruxero, tacitus animorum veſtrorum conſenſus orationi meæ finem imponet.*

Atque ut ab eo ordiar quod nemincm in dubium vocaturum ſtero; Egerunt qui in Veteri & Novo Teſt. claruerunt Scriptores phraſibus ſuo ſeculo uſitatis; communibus uſi ſunt proverbiis; conſuetudines ſuæ ætate notiſſimas, ſi quando in ſermonem incidcrent, obiter & quaſi aliud agentes perſtrinxerunt. Invehebantur acriter in mores ſui ſeculi, Gentilium ſuperſtitionem populo DEI exoſam reddere annitebantur; vaniſſima eorundem de idolis, de eorum cultu deliria non una de cauſa commemorabant. Nam quid ego de regionibus, quid de ſitu locorum dicam, quæ loca cæteris appellant nominibus, & ad primam partitionem deſcribunt? Hiſtorias præterea aut præteritas aut præſentes ex occaſione narrant; aut primo quoque tempore futura vaticinantur. Quin conſueverunt S. literæ, inquit Gregorius Nyſſenus ſuper Canticum Canticorum, ab externis quoque fabulis voces aliquot mutuari, iiſque quam ſibi propoſuere ſententiam illuſtrare. Itaque non tantum foliorum ornatus in plantis Sacræ Scripturæ apud externa ſapientiæ profeſſores quæritur, ut alicubi Baſilius ſcribit, ſed graviſſimarum etiam rerum explicatio genuina. Quæ cauſa eſt cur Auguſtinus, De doct. Chriſt. futurum Theologum diſciplinis elegantioribus inſtitui præceperit, rerumque naturalium imprimis, velut Siderum, Arborum, Animantium, Gemmarum, & id genus rerum notitia, cognitione præterea locorum maxime in codice Sacro celebratorum. Ac dici vix poteſt quantum lucis Scripturis S. importarint qui gentium de quibus vel contra quas Prophetæ, & ad quas Apoſtoli ſcribunt, non ſitum duntaxat, ſed mores, originem, inſtituta, cultum, ingenium de ipſarummet literis aperuerunt. Floruit Eccleſia Iſraelitica in conſpectu duorum potentiſſimorum populorum, Aſſyriorum & Ægyptiorum. Horum eorundemque morum quoties in Moſe, in Pſalmis, in Prophetis mentio facta? Atqui abſque Herodoto, Xenophonte, Strabone, alus eſſet, aqua nobis hæreret ſimul atque populorum iſtorum hiſtorica quædam eſſent enarranda. Honoramus igitur ſcriptores profanos, qui tam fructuoſe ancillantur Sacris. Ecce tibi virum DEI Pſalm. 68. v. 30. *orantem*, Increpa feram arundinis. *Quem non interpretum fatigarunt iſta verba? At qui Ægyptum nobis deſcripſerunt, teſtatum & hoc reliquere, Flumen alluiſſe regiam Pharaonis, in flumine autem illo fuiſſe arundinetum: quod pulchre conſentit cum Moſe, Exod. 2. idem aſſeverante. Planiſſima jam ſunt quæ modo erant obſcuriſſima, per feram arundinis Regem Ægypti intelligi; cujus milites & duces convenienter* tauros & vitulos *nuncupavit. Jeremiæ Prophetæ adſcribitur Epiſtola Vaticinio Baruch ſuppoſita, non illa quidem Hebraice ſed Græce ſcripta, quam, niſi Babyloniorum mores ex Gentilium ſcriptis noverit, nunquam intelliget lector. Unum è multis exemplum capite, Αἱ δὲ γυναῖκες, inquit, περιθέμεναι σχοινία ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐγκαθηνται θυμιᾶσαι τὰ πίτυρα*, Mulieres circumdatæ funibus ſedent in viis, ſuccendentes offa olivarum. *Eſt enim τὰ πίτυρα* palea, furfur, *& tam* capitis ſordes *quam* (*ut vertit Vulgatus*) olivæ os. *Quid ſit autem* ſuccendere *πίτυρα* [illegible]*undè quam ex Theocrito diſcerimus; qui in Pharmaceutria nos docet* ſuccendere *πίτυρα* genus fuiſſe incantamenti [illegible]*ris ad conciliandos amores adhibitum. Ibi enim Simætha venefica, quæ Delphidem juvenem deperibat, dum illum carminibus magicis ad ſe trahere conatur, Νῦν,* inquit,

Digitized by Google

inquit, θύσω τὰ πίτυρα, Nunc ſacrificabo, *vel* ſuccendam, pityra. *Ac diſertim fatetur Simatha ſub Eidyllii illius finem, hujuſmodi incantationes ſe ab Aſſyrio ſive Babylonio* hoſpite didiciſſe. *Et nimirum hæ artes illa erant quas autor epiſtolæ illius Judæis Babylone cavendas prædicat. Qui Theocritum ignorant, religionis aut ſceleris expiandorum gratia mulieres in viis Babylonis vel furfur vel oſſa oliva cremaſſe ſomniarunt. Salomonis Cantici Canticorum c.* 1. *hæc leguntur verba*, Equitatui meo, *vel* (*ut habent Hebræi*) equæ meæ, in curribus Pharaonis aſſimilavi te, amica mea. *Quibus verbis Eccleſiam ob ejus præſtantiam equis Ægyptiis comparat, perinde ut Theocritus in Epithalamio Theſſalico equo Helenam. Equas enim Theſſalas reliquis omnibus præſtitiſſe Pythicum oraculum affirmavit. At Salomon equas Ægyptias in comparationem adduxit, quod inde ſuo tempore pretioſiſſimæ à Judæis peterentur, ut oſtendit Regum Hiſtoria. Iſaias Vates cap.* 42, *&* 44. *in Cyro Perſarum Rege CHRISTUM cælorum Regem, in liberatore populi Judaici è Babylone Liberatorem generis humani ex Peccato, Morte, Inferno graphice deſcribit. Sed illuſtriora erunt omnia ſi quæ Herodotus, Xenophon & alii de Cyro perſcripſerunt cum Iſaia contulerimus. Daniel Propheta eas attingit hiſtorias quas nemo quiſquam recte intellexerit niſi idem profanæ hiſtoriæ ſcriptores præcipuos in ſubſidium advocarit. Suffragantem nobis habemus Hieronymum Præf. in Danielem. Verum abeamus è T. Veteri: Novum inſpiciamus. Per Græciam condidit Eccleſias D. Paulus; ad Græcos ſcripſit; ad Græcorum mores inſtitutaque Epiſtolas ſuas attemperavit. Græciam igitur veterem noverit, Paulinas Epiſtolas qui noſſe ſatagit. Vel una illa ſimilitudo à curſoribus, à pugilibus, à coronis & præmiis victorum in certaminibus Græcorum ad curſores Euangelicos, ad pugiles Euangelicos, ad coronas & præmia Euangelica tranſlata quoties apud Apoſtolum occurrit! quæ ſi ex hiſtoria illorum temporum explicetur, mirifice audientium aut legentium animos ad luctam cum Carne & Sanguine, cum Mundo & Diabolo animabit. Sed ſpeciatim quædam libet tangere. Scribit Apoſtolus* 1 Cor. 4. 9. Δοκῶ γὰρ ὅτι ὁ Θεὸς ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέδειξεν ὡς ἐπιθανατίους· *quod ſic verterunt Vulgatus, Beza, Eraſmus, quaſi τὸ, ἐσχάτους, locum ſibi in propoſitionis ſubjecto vendicet, & Apoſtoli quidam dicantur* ultimi *ratione vel ordinis vel temporum. Atqui non dicit ille* τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους. *Neque enim linguæ Græcæ canon id patitur, ſecundum quem dixiſſet Apoſtolus* ἡμᾶς τοὺς τῶν ἀποστόλων ἐσχάτους· *nec ſenſus ullus interpretationi illi ſubeſt: quos enim Apoſtolos* ultimos *nominaſſet? & cur* ultimos? *Hoc autem eſt quod dicit Apoſtolus,* ἀπέδειξεν ἡμᾶς ἐσχάτους τοὺς ἀποστόλους, Nos, qui Apoſtoli ſumus, tanquam ſuppoſititios quoſdam beſtiarios poſuit: ἔσχατος *enim non* ultimum ordine *vel ætate ſed conditionem vilem & abjectam Apoſtolorum notat, eſtque idem quod* ἔθεδρος, ſubditicius, beſtiarius, ad beſtias damnatus: *quod Apoſtolum paulo poſt ipſe innuit, quando* περικαθάρματα & περίψημα mundi *ſe aliosque Apoſtolos factos fuiſſe ait. Et ſic* primi fiunt ἔσχατοι, *i.* rejectitii, nulli, *Matth.* 19. *Ita unius vocula hiſtorica expoſitio omnem ſententiæ aliorumque prælustrium difficultatem tollit. In eadem epiſtola* 15. 32. Εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, Si propter hominem (κατὰ *enim ibi eſt* διὰ, *ut ſæpe apud autores*) pugnavi Epheſi cum beſtiis, *inquit Apoſtolus. Quæſitum à multis, ecquæ hæc pugna? num tantus Apoſtolus cum beſtiis pugnaturus in theatrum prodierit? Minime vero. Paulus imitatus eſt Heraclitum Epheſium, qui Epiſt.* 1. *ad Hermodorum ſcribit*, Epheſiorum cives converſos eſſe in beſtias, quippe qui ſe arment in mutuas cædes, quod nec leones quidem faciant. *Hinc Epheſii dicti* beſtiæ: *hinc nata Apoſtolo phraſis* Se cum beſtiis Epheſi pugnaſſe. *Quo eodem ſenſu Ignatius ad Tarſenſes ſcripſit*, Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ, οὐχ ὑπὸ ἀλόγων θηρίων βεβρωσκόμενος, ἀλλ' ὑπ' ἀνθρωπομόρφων, A Syria Romam uſque cum beſtiis depugno, non quod à brutis feris devorer, ſed à feris humanam gerentibus formam exagiter. *Neque vero hoc ſolum Apoſtolus ab Heraclito mutuatus eſt quod hic* περὶ τῆς θηριομαχίας *ſibi Epheſi contigiſſe dicit: etiam* 2 Cor. 7. 2. *de ſe prædicat*, οὐδένα ἠδικήσαμεν, οὐδένα ἐφθείραμεν, *ipſiſſima ſunt Heracliti Epheſii in eadem epiſtola verba idem de ſe confitentis*, οὐ φθείρω, οὐκ ἀδικῶ οὐδένα τῶν ἁπάντων. *Nec dubito Apoſtolum, quando Phil.* 3. 20. πολίτευμα noſtrum *reponit* in cœlo, *utroque oculo reſpexiſſe ad ejuſdem Heraclitis verba illa*, πολιτεύσομαι οὐκ ἐν ἀνθρώποις, ἀλλ' ἐν θεοῖς, *epiſt. ad Amphidamantem.*

Vel hinc ergo clarum eſt, quanta non dico cum voluptate, ſed cum utilitate etiam lectio Ethnicorum cum ſtudio Scripturarum conjungatur. Quod quia inſuper habuit Theologus quidam Hiſpanus, regionem ex homine fecit, & pro regina Candace, *cujus in Actis mentio*; reginam de Candacia *convertit, provincia, ut videtur, non femina*, Candaces *vocabulum eſſe ratus. Atqui à Divina Scriptura* regina *dicitur* Æthiopum: *& Strabo ſuamet ætate, Tiberio imperante, Candacem regnaſſe ſcribit, virilem ſane mulierem, ſed altero captam oculo: à qua* (*Plinio & Suida referentibus*) Candaces *nomen ad alias Æthiopum Reginas derivatum eſt, & dignitatis haberi cœpit.*

Quod ſi autoritatibus quoque noſtra roboranda eſt ſententia, ſunt illa jam olim in unum quaſi faſciculum collecta à celeberrimo nominis Theologo Hieronymo Stridonenſi, qui rogatus cur ſecularium literarum interdum poneret exempla, & candorem Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus pollueret, reſpondit, In Moſis & Prophetarum ſcriptis haberi quoque nonnulla de libris Ethnicorum aſſumpta; Salomonem Philoſophis Tyri & multas propoſuiſſe quæſtiones, & ab illis propoſitas diſſolviſſe; Paulum Apoſtolum Epimenidis, Callimachi, Menandri & Arati nonnunquam verſiculos uſurpaſſe; Scriptores denique vetuſtiores & ſapientiores Eccleſiæ tam Græcos quam Latinos ad unum fere omnes profanorum ſcriptorum lumine monumenta ſua irradiaſſe. Et ſane ita eſt. Nam ut de Juſtino Martyre, de Tatiano, de Athenagora, qui Philoſophiam profeſſi ſunt, nihil dicam; Quadratus certe, Apoſtolorum diſcipulus & Athenienſis Eccleſiæ Pontifex, Adriano Imperatori Eleuſina ſacra inviſenti Apologiam pro fide Chriſtiana obtulit, quæ cum interiores literas ſaperet, excellens ejus ingenium graviſſimam perſecutionem ſedavit. Clemens Alexandrinus, ut Gentes à ſuperſtitione & idololatria ad fidem Chriſti vocaret, ex ipſis Gentilium libris demonſtrat, vana eſſe Gentilium myſteria, vanos Deos, *vana templa, ſtatuas vanas*; Oratione ad Græcos. *Idem ille libris Stromatum quid docuit aliud quam totam vetuſtatem in pectuſculo ſuo latuiſſe reconditam! Clementem præceptorem imitatus diſcipulus Origenes Adamantius acerrimum Chriſtianæ religionis infeſtatorem Celſum non ſolum Scriptura ſed Philoſophorum etiam, Platonis inprimis, teſtimoniis fortiſſime compreſſit. Euſebium Cæſareenſem memorem? Sex ille prioribus De præparatione Euangelica libris viam Gentibus ad Euangelii cognitionem aperturus, omni Gentilium Theologiæ in Hiſtoricam, Myſticam & Civilem diviſa, & Hiſtoricam & Myſticam & Civilem docet eſſe impiam: idque ut perſuadeat, Ægyptiorum, Phœnicum, Græcorum, Atlantorum, Phrygum Theologia quæ fuerit, de monumentis veterum magna cum legentium voluptate deſcribit. Multa exſtant elaborata duobus à fratribus Baſilio Cæſareenſe Nyſſenoque Gregorio ſummi ingenii ſummaque doctrina opera. Sed nihil ab utroque putatur factum eſſe præclarius iis Commentariis, quorum altero Baſilius* Dei *opificii in creatione rerum, quæ ſex primis ob ortu mundi diebus abſolvit, ſapientiam illuſtravit; altero Gregorius omiſſam à fratre ultimi planeque perfecti creati, quod Hominem dicimus, deſcriptionem elegantiſſime complexus eſt. Patet hoc de Johannis Pſelli, Theodori Prodromi, Pachymeræ, Nicetæ Suidæque elogiis, qui non alia de cauſa tam magnifice duorum fratrum iſtorum Commentarios collaudarunt quam quod ita eos Gentilium doctrinis refertos viderent ut quid primum mireris neſcias, ſeculine eruditionem, an ſcientiam Scripturarum. Gregorius Nazianzenus, cui ob ſummam Divinarum rerum peritiam, ſecundum Johannem Apoſtolum, ex priſcis Doctoribus ſoli* Theologi *cognomentum peculiariter conceſſum eſt, Magno illi Eraſmo Roterodamo pene peccare in eo viſus eſt quod de rebus Divinis libenter & frequenter philoſophatur. Mitto Epiphanium, Cyrillum, Theodoretum, alios Græcos, qui hodieque in ſcriptis ſuis & vivum, & nihil aliud loquuntur quam externarum literarum cum ſtudio S. Scripturæ neceſſariam eſſe συζυγίαν. Nec alia mens fuit Latinorum, qui ſuo damnarunt exemplo eorum voces qui Sacrarum interpretem literarum occupari literis profanis debere negant. Quid Tertulliano eruditius, quid acutius? Apologeticus ejus & contra Græcos libri cunctam ſeculi obtinent diſciplinam. Minutius Felix, Arnobius, Lactantius quid Gentilium ſcripturarum dimiſere intactum? Cyprianus, quod idola Dii non ſint, qua brevitate, qua hiſtoriarum omnium ſcientia, quo verborum & ſententiarum ſplendore perſtrinxit? Auguſtinus in libris De civitate Dei ſcipſum, Hieronymus vero Auguſtinum erudita doctrina victi.*

Sic igitur quæſtio noſtra diſcuſſa, Ruffinus confutatus, Hieronymus defenſus eſt, rationibus, quas audiſtis, firmiſſimis, ante-

autoritatibus, quas memoravi, longe graviſſimis. Ego quidem hac de quæſtione verba tanto feci libentius ut hac occaſione in ipſo operarum Scholaſticarum quaſi veſtibulo & obſcuriora quædam Scriptura Sacra explanarem dicta, & qua ſe Theologico ſtudio mancipavit Juventutem hortarer ut vetuſtiſſimorum exemplo Patrum a florida hac ætate non ſolum Gratias cum Muſis ſed utraſque cum Theologia conjungat. Sic enim ſtatuo, Cur è magno ſacra diſcentium numero tam pauci conſiſtutam ſibi adverſariam ſuſtineant, cauſam unam eſſe quod multi interiores literas faſtidiunt, quod elegantiores diſciplinas contemnunt.

Ego etſi de me quod magnopere pollicear non habeo, tamen hoc tibi, lectiſſima Juventus, polliceor, Quod reverendi & clariſſimo Collega facerum hactenus, facturum me, ſed pro viribus, idipſum; hoc eſt, quicquid vel corporis vel ingenii virium ſupereſt, id omne eo converſurum ut, qui diſcendorum ſacrorum gratia hue confluunt, mihi promptiſſimam inſerviendi ſtudiis ſuis voluntatem minime deeſſe intelligant.

Quod ſi qui miratur me in ingraveſcente hac ætate hoc mihi oneris paſſum fuiſſe imponi; quiete non labore novo mihi opus eſſe; ſciant illi ſe ſententiæ ſuæ adſtipulatorem me primum habere. Idem vero & hoc meminerint, ut taurorum cornua furibus, ita hominis fato, non illo quidem Stoico, ſed Divino, regi; nec novi rem eſſe exempli, qui ſacra ab ineunte ætate tractarunt, eos ad eorundem Profeſſionem Academicam provectioribus demum annis accedere. Simon Grynæus, vir magni nominis, ex Academia hac à ſancto Oecolampadio Baſileam ad Græcæ linguæ Profeſſionem vocatus, venire renuit, tum quod, Græca licet intelligeret, Græce tamen loqui non poſſet, tum quod trigeſimum quartum ætatis annum exceſſiſſet, quæ ætas calori, ut ille loquitur, Academico minime videretur convenire: At idem multis annis poſt, & quidem paulo ante obitum, Theologicam Profeſſionem Baſilea ſuſcepit; & in eadem beate mortuus eſt. Daniel Toſſanus, præceptor meus, benedicta vir memoria, cum totidem quot ego nunc in Miniſterio ſacro exegiſſet annos, declinante ætate exercitia Eccleſiaſtica cum Academicis conjunxit. David Pæus, reverendus facultatis noſtræ Senior, anno ætatis quinquageſimo, Hieronymus Zanchius anno quinquageſimo tertio, uterque in hac Academia, Martinus vero Bucerus ætatis anno quinquageſimo nono Cantabrigiæ, cum in Miniſterio Eccleſiaſtico prius vixiſſent, aliiſque muneribus cum laude fuiſſent defuncti, Academice demum profiteri cœperunt. Quibus ego viris quanto ſum comparandus minus, tanto illi factum meum autoritate ſua excuſarent magis, niſi graviſſimum Academiæ in hac cauſa judicium omnem & mihi & aliis apologiarum anſam præcidiſſet.

Finio igitur: atque ut eo unde exorſus ſum animos Academica hujus corona revocem; Tibi, Jeſu Chriſte, Fili Dei, Servator unice, gratias agimus quod in hoc Electoratu, in hac Eccleſia, in hac Academia, ſonare vis vocem tuam, & nos vis eſſe auditores dulciſſimæ promiſſionis tuæ de remiſſione peccatorum, donatione Spiritus S. & vita æterna; & quod hac ſumma atque æterna bona nobis per miniſterium verbi & uſum Sacramentorum offers, exhibes, applicas. A te, Jeſu Chriſte, Dux magne, qui in hoc extremo Diaboli furore ſtas pro populo tuo, ardentibus votis & conjunctis animis petimus, ut deinceps quoque in hoc Electoratu, in hac Eccleſia, in hac Academia lucem verbi tui clementer ſerves; Sereniſſimum Electorem, qui præbet hoſpitia Eccleſiis & Muſis, benigne tuearis; voce ſonante in Miniſterio & Academia potenter ſis efficax; animos juventutis, maſſæ tuæ vivifica inſerta, Spiritu tuo ſancto excites, ſanctifices, regas, ut beneficia hac immenſa doctrinæ cœleſtis in hoc ætatis flore recte agnoſcat, cupide amplectatur, iis ad gloriam nominis tui & ſalutem Eccleſiæ utatur, nos vero docentes eodem Spiritu S. confirmes, ne præſentium miſeriarum difficultatibus victi ſtudia doctrinæ abjiciamus, Scholaſque & Eccleſias deſeramus, ſed cum lacrymis circumferamus atque ſpargamus ſemen ſanctum verbi Divini, donec tandem exſultantes gaudio plenos laborum noſtrorum manipulos, nunc quidem terra denſiſſima obrutos, atque imbribus, nivibus, grandinibus horrendiſque fulminum tempeſtatibus preſſos, inveniamus expoſitos in lætiſſimo conſpectu tuo, cujus gloria etiam Academicos hoſce labores noſtros inſervire minime dubitamus.

PRÆFATIO.

ABRAHAMI SCULTETI

ANTE

OBSERVATIONES

Suas in DD. Euangeliſtas

MATTHÆUM & MARCUM.

Illuſtres & Præpotentes Federati Belgii *Ordines,*

MAGNA Veſtra ſunt merita in Rempublicam, in Eccleſiam Belgicam. Verum haud ſcio an ullum ex omnibus iſtis majus ſit eo, quod, ſuborto inter vos diſſidio Pelagianico, quo tanquam incendio quodam Belgium univerſum videbatur brevi conflagraturum, remedium tanto malo non à manu armata ſed à legitimo Concilio quæſiviſtis; quod auſpiciis veſtris Dordraci anno M. DC. XVIII. coactum, & impenſis pluſquam regiis per ſemeſtre fuit celebratum. Hac una enim re & Eccleſias veſtras à periculo præſenti & Reformatas alias in tota Europa à periculi illius metu vindicaſtis. Memini autem, antequam ad cautæ controverſæ diſceptationem deveniretur, tum de multis aliis, tum de nova quoque Codicis Biblici verſione Belgica Synodum conſultare, meque de mea quoque ſymbola in rem illam conferenda publice polliceri. Et vero exſolviſſem me pridem promiſſo, niſi ea intecta fuiſſent tempora quæ me & à doctorum hominum converſatione & à mutorum Magiſtrorum commercio avulſiſſent. Poſteaquam igitur aliqua moleſtiarum relaxatio Divinitus mihi obtigit, non deſtiti ea cogitare meditarique in Conciones & Miracula Domini noſtri Jeſu Chriſti ab initio miniſterii ad paſſionem ejus uſque edita, & à Divis Matthæo ac Marco Euangeliſtis deſcripta, quorum fortaſſis aliqua ratio haberi poſſit à novis N. T. Belgicis Interpretibus. Quod ſi quis quærat, ad Animadverſiones in N. T. interpretationem acutiſſimi Vallæ, ſagaciſſimi Eraſmi, doctiſſimorum denique virorum, Bezæ, Camerarii, Druſii, Piſcatoris, poſſitne aliquid à Sculteto addi? is niſi ab Obſervationibus ipſis reſponſum aliquod acceperit, à me nullum feret.

Digitized by Google

ret. Vos, Illuſtres & Præpotentes Domini, ſi magno conatui vires exiguas non reſpondere deprehenderitis, ut in mea bene de Eccleſiis veſtris merendi cupida voluntate clementer acquieſcatis, reverenter oro; Chriſtum ſimul veneratus ut vos Reip. & Eccleſiæ Belgicæ φιλοῦντας in hac vita ſua beet gratia, in altera ſua coronet gloria. Scripſi Heidelbergæ Kal. Septembribus, Anno M. DC. XXI.

Illuſtr. Celſitati veſtra devotus

ABRAHAMUS SCULTETUS
D. Academiæ Heidelbergenſis Profeſſor Theologus.

Ad Reverendum & φιλόφιλον

D. ABRAHAMUM SCULTETUM,

Theologum vere Orthodoxum, Academiæ Palatinæ VIIviralis Profeſſorem clariſſimum meritiſſimumque.

SCULTETE, *preco magne verbi cælici,*
Interpres acer Codicis, ſalve, ſacri.
Sic res habet: neque ibit inficias, reor,
Cui ſinciput ſanum, quod adſtipulans meis
Magiſtra conteſtatur itidem Empeiria
Dictis; Viros Cordatiores poſtera
Lux reddit: *addit calculum & Sophûm Schola.*
Annum annus, ætatem quoque ætas, ſeculum
Seclum erudit. Mortalium quis denique,
Ni forte motus mente, ſiliquis veſcier
Velit, repertis frugibus? Nemo hiſcere
Contra audet: hæc penetralibus ſunt intimis,
Humanitati quotquot unquam nomina
Dedere, naturæ beneficio inſita.
Docet *diem dies; quod ex trivio docet*
Collecta vox. Tetrici quid ergo oggannient
Oggannientve hic nunc Ariſtarchi Tibi,
Scultete, *qui meliora de bonis facis?*
Bonis quod uſi ſimus hactenus, Deo
Gratas agamus gratias grati: nihil
Vero vetabit, crede, poſthac perfrui
Melioribus, quæ dextra donat Numinis
Tuis vigiliis, improbis laboribus,
Induſtria tua, tuis ſudoribus
Inventa quæ profers Amaltheæ tua
E cornu, Amice *dulcis, ingenii tui*
Penu. Obvias ulnis & animo protinus
Accipere grato, fas, quod Invidia ipſamet
Prohibeſſit haut quaquam. Licet foſſoribus
Hodie metallorum, licebit craſtina
Ruſpariet veteres, novaſque farculo
Excutere venas, atque gazas Perſicas
Efferre in auras manibus adplaudentibus
Languiſque, quorum id intereſt. Quid? Decolor
Dedit ante mille milleque annos fulgidas
Orientis Indus opes; dat hoc hodie haut minus:
Et navigare fas ad Inds littora
Gangiſque, gemmas unda referunt navita.
Natura rerum neſcit exhauririer.
Sapientiam quærentibus plurem indies
Perfectioremque abneget cur Pagina
Sacrata, velle qua Tonantis *explicat*
Calathiſque plenis continet, adeo horreis?
Non cogitata viſaque aliis abnuat
Oſtendere, indagantibus, ſcrutantibus
Ipſius imperiis Jeſu, *& inſimul*
Ferventius cœli tholos pulſantibus
Fuſa prece, atque inſtantibus & urgentibus,
Sapientiam illam quam petunt, & antequam
Poſcant, paratum eſt Numen *elargirier.*
Nolite, *Cenſores-canes, arrodere,*
In veſtra quod das publice Auctor *commoda;*
Si nil, merenti gratias, voltis dare;
Certate quin melioribus dare optima.
Pulchrum paleſtra hæc eſt eritque vincere,
Benedicta, non maledicta, vos refundite.
Fini bono monet, movet fini bono,
Qua noſſe refert, Scriptor iſte pluria.
Et hic Jehovæ *eſt quas feramus victimas;*
Labiumque conſecremus holocaustomata.
Scultete, *verbi myſta cælici, vale,*
O fax Palatini Lycei lucida:
Et preme-prode, affecta quæ condis domi:
Capiemus ἀμφορίφορα, quæ largus dabis.

Lazarus Chæragathus Sebaſtopolites Pangeb. *Lub. Latus Mer.* Nonis Martiis, 1622. Callipoli.

ABRA-

Digitized by

ABRAHAMI SCULTETI
ANTE
EXERCITATIONES
Suas Euangelicas PRÆFATIO,

Ad Illuſtrem & Generoſiſſimum Dominum D. ABRAHAMUM BURGRAVIUM & Baronem à DHONA, Conſiliarium BRANDEBURGICUM.

Illuſtris & Generoſiſſime BARO, *Domine gratioſiſſime.*

QUI in Scholis publicis ſacra diſcunt hodie, eorum plerique in errore verſantur longe maximo. Hoc enim ſibi firmiter habent perſuaſum, præclare ſe ſtudiis ſuis conſulere ſi ſæpe multumque de doctrina Chriſtiana diſputent. Itaque ſimulac pedem in Academiam intulerunt, de publica vel privata diſputationis palæſtra ſunt ſoliciti; minime id facturi ſi quantum à vera diſcendi Theologiam ratione aberrant intelligerent. Quod enim multorum aliorum errorum caput eſt, diſputationes ipſam Theologiæ animam eſſe putant; & cum e S. literis verum Dei cultum proximique amorem addiſcere debeant, illi contra ex Sophiſticis diſputationibus artem rixandi, altercandi, bene dicta pervertendi, familiarem ſibi reddunt, omni fere cura exercitiorum pietatis, fidei, invocationis abjecta. Res magna eſt de Religionis capitibus diſceptare cum aliis. Ætas ad eam matura, judicium confirmatum, linguarum cognitio proba requiritur: quæ omnia cum adoleſcentes in ſe nondum agnoſcant, ordinem naturæ invertunt qui prius de Religione diſputare quam penitius illam noſſe volunt. Ac quam turpiter ſe dent hujuſmodi diſputatores, & ut prolata difficiliore aliqua vocula Hebraica aut Græca obtumeſcant, cotidiana Scholaſticorum exempla docent. Præceptum Servatoris eſt, *Scrutamini Scripturas:* at noſtra juventus magnam partem non Scripturas Divinas ſed humanas ſcrutatur, & eriſticos Magiſtrorum ſuorum libellos

Nocturna verſatque manu, verſatque diurna.

Qua de cauſa notiores ei ſunt definitiones & diſtinctiones hominum quam Dei, nec, ut Apollo, potens eſt in Scripturis Dei, ſed in ſcripturis hominum, magno ſuo, maximo Eccleſiæ damno. Hanc enim cum adultiores facti Studioſi noſtri erudire debeant, exercitia autem concionandi neglexerint, diſputandi urſerint, de linguarum item ſtudio & inveſtigando genuino Scripturæ ſenſu nunquam ſerio cogitarint, fit ut plurimum ut in concionem producti conſtitutum ſibi adverſarium ſuſtinere nullo modo poſſint. Nam qui μωρὰς ζητήσεις ſectati ſunt ſemper, qui ſcirent quomodo germanus propoſiti Textus ſenſus eruendus? quomodo ad auditorum uſum exponendus? quomodo ad conſolationis, ad doctrinæ, ad exhortationis fructum applicandus? Quin deridendos ſe eruditis proponunt, dum vel coram indocto populo Scholaſticorum more diſputant, vel pro verbo Dei venditant id quod in verbo Dei non continetur. Quoties ego non ſine ſtomacho Homiliaſtas noſtros audivi parabolam Servatoris noſtri Jeſu de Seminante & Semine explicantes, ad verba illa Lucæ 8. *Et ferunt fructum in patientia*, in locum communem de Patientia fidelium in ærumnis excurrere, & conquiſitis hinc inde argumentis auditores ad rerum adverſarum tolerantiam animare? cum alia longe verborum illorum Domini mens ſit: quam in Exercitationibus noſtris expreſſimus. Quam multi *Juſtitiam Phariſaica ſuperabundantem* Matth. 5. exponunt de juſtitia Euangelica, idque ideo tantum quia Textum Euangeliſtæ nunquam cum cura inſpexerunt? quod ſi feciſſent, & antecedentia & conſequentia & medium ipſum à tam craſſo errore ipſos revocaſſet. Quam ſe torquent in Oraculi Prophetici Micheæ accommodatione ad locum nati Immanuelis noſtri! cum Hebraica veritas nullo negotio nos ab omni illius loci difficultate expediat.

Ut ergo meo loco juventuti Academicæ conſulerem, qui meam de recta ſtudium Theologicum excolendi ratione ſententiam rogarunt, iis ſemper poſt doctrinam Catecheticam commendavi accuratam conſiderationem Textus Biblici; in quo ſi potentes eſſent, tum vero illos & erudite cum quolibet diſputaturos & ſolide pro concione dicturos affirmavi. Quod ſi mihi per Babylonios licuiſſet inchoatam in florentiſſima nuper Jeroſolyma Palatina Lectionum Academicarum telam pertexere, ad pulcherrimum illum ſcrutandi Textus & conferendi verſiones V. T. laborem non ſolum hortatu verum etiam exemplo meo juventutem inflammaſſem. Sed bene habet: excitavit Deus alios qui idipſum longe quam ego potuiſſem melius eruditiuſque præſtiterunt, hodieque præſtant, viros clariſſimos, *Sixtinum Amama*, linguæ Sanctæ Doctorem in Academia Franckerana, & *D. Johannem Tarnovium*, Theologiæ in Academia Roſtochiana Profeſſorem primum; qui juventuti exemplo ſuo viam ad rimanda diligentius Scripturæ dicta, itemque ad verſionum collationem muniverunt. *Sixtinus* enim,

Ante annos animumque gerens curaſque virilis,

Non ſolum Cenſuram Vulgatæ atque à Tridentinis Canonizatæ *Verſionis* quinque librorum Moſis Anno 1620. eruditam edidit, ſed etiam nuperrime univerſi V. T. verſionem Belgicam ſtupendo labore cum Textu authentico pluribuſque aliis tranſlationibus contulit. *Tarnovius* autem, editis Exercitationibus Biblicis, non ſolum quantum in hoc genere velit, ſed etiam quantum poſſit, luculenter demonſtravit.

His igitur aliiſque difficiliorum V. T. locorum enodatione commendata, ad N. T. Philologicam pariter & Theologicam illuſtrationem me converto; Qua de ante quinquennium & amplius cogitare cœpi, & vigiliarum mearum in hoc genere ſpecimina aliquot hactenus edidi; Pragæ quidem *Delicias Euangelicas*, in exſilio vero cladem Pragenſem ſubſecuto *Obſervationes* tum in *Matthæum* & *Marcum*, tum in Epiſtolas D. Pauli ad *Timotheum*, *Titum*, *Philemonem*. Poſteaquam vero benigniſſimus Deus meus aliqua mihi otia ad Amaſim fecit, meditationum mearum vela latius expandi, eaſque in accuratiores & pleniores *Exercitationes* diffudi, quibus excuterentur pleraque N. T. loca quæ aliqua vel rei difficultate obſtructa vel linguæ originalis obſcuritate ſunt involuta. Quod ſi ſtudio hocce meo ad conſimile viros eruditos invitaro, præmium laboris ſat magnum me conſecutum exiſtimabo. Neque vero moror eos qui hoc lucubrationum genus odioſo *Novitatis* nomine clanculum infectantur;

mul-

multo minus illos qui ſub qualibet vocula Hebraica aut Græca hæreſin aliquam latere muſſitant. Qui enim aliter de his talibus pronunciarent ii quibus omne id *Novum* eſt quod vel antea non didicerunt vel necdum capere poſſunt? ii qui ne unicum quidem caput Hebraicum aut Græcum ſine interprete intelligunt. Satis mihi eſt quod conſilii mei Deum, laboris verò multos pios & eruditos viros habeo approbatores.

Ergo, quod Deus meus bene vertat, Exercitationum Euangelicarum primos hos duos libros nunc in lucem publicam emitto: Quos cur laudatiſſimo nomini Tuo, Illuſtris & Generoſiſſime Domine, nuncupem, juſtiſſimas mihi cauſas habere videor. Quærenti enim animo virum illuſtrem qui Philologicis & Theologicis hujuſmodi meditationibus delectaretur, Tu, generoſiſſime Domine, primus occurriſti. Neque enim non cum voluptate meminiſſe poſſum illius temporis quo, itineribus Gallicano & Italico expeditis, Heidelbergam reverſus non alia de cauſa in contubernio meo vivere voluiſti quam ut totius orthodoxæ Theologiæ Synopſin methodo admirabili à b.m. Viro Bartholomæo Pitiſco noſtro delineatam, à me vero ſuccincta & dilucida Controverſiarum quæ nobis cum Pontificiis & Ubiquitariis intercedunt deciſione auctam, in mente atque animo imprimeres tuo. Quanto ardore id faceres vel inde conſtabat, quod non ſolum exemplo ſed etiam hortatu tuo Nobiliſſimos Juvenes qui & ipſi convictu meo tunc gaudebant ad idem ſtudium provocabas. Neque vero tibi tantum datum intelligere fineram Theologiam, verum etiam, quod longe divinius, ſecundum eandem ex præſcripto magni Apoſtoli *ἐυσεβῶς δικαίως, καὶ σωφρόνως* vivere. Tuam enim in Deum Pietatem ardentes in cœlum quotidie miſſæ preces, Charitatem in proximos Chriſtiana *συμπάθεια* & liberalitas munifica qua tot exſulum miſeriam ſublevas, Continentiam perpetua in cœlibe vita caſtitas loquuntur. Ac quoniam non ignoras lampadem fidei, oleo lecti & meditati verbi Divini deficiente, facile exſtingui, idcirco in meditatione Legis Dom. frequenter occuparis, &, necubi in ea hæreas, optimis quibuſque Bibliorum Interpretibus Bibliothecam tuam exornas, qui Tibi obſcura illuminent, difficilia explicent. Quem ſcopum cum mihi in his Exercitationibus præfixum habeam, dubitare non poſſum quin Tibi illarum lectio gratiſſima ſit futura. Jam vero ea ſunt T. G. in me merita, ut ingratus morerer niſi illa ante meum ex hac vita exceſſum, quem non longe abeſſe ſentio, publica voce celebrarem. Nam ſive converſationis Palatinæ, ſive Juliacenſis, & Batavæ, ſive Colonienſis in Marchia, ſive Sualbacenſis in Haſſia recordor, fieri non poteſt quin tuarum in me gratiarum illis in locis collatarum ſimul recorder. Ut taceam de Uratiſlavia, ubi familiæ meæ à clade Pragenſi omnibus fere bonis exutæ nova inſtaurandæ Oeconomiæ inſtrumenta liberali manu ſubminiſtraſti. Et inſecuta me eſt illa inſignis G. T. benignitas ad Amaſim uſque memorabili conſtantis clementiæ exemplo. Quod igitur unum poſſum, Illuſtris & Generoſiſſime Baro perpetuæ meæ gratitudinis pignus hos Tibi libellos offero; Deumque animitus precor ut toti tuæ vitæ ubertim benedicat, & te ab omni malo cuſtodiat. Idem precor Illuſtribus Fratribus & toti familiæ veſtræ illuſtriſſimæ.

Embdæ, XII. Maii, Anno M. DC. XXIV.

Illuſtri Generoſitati Tuæ Devotus

ABRAHAMUS SCULTETUS.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino,

D. JOANNI ADOLPHO,

SCHLESWICI, HOLSATIÆ & STORMARIÆ Duci, OLDENBURGI & DELMENHORSTIÆ Comiti,

Domino ſuo clementiſſimo.

Vita humana & politica, Illuſtriſſ. Princeps, ut ſine liberalium artium & diſciplinarum ſcientia atque tractatione conſervari feliciter nequit, ita nec ſine earundem adminiculo quod peculiare ac proprium ipſis eſt, nempe cognitione linguarum, florere unquam potuit. Linguæ enim ſunt quarum beneficio non ſolum Regna olim ampliſſima dilatata eſſe novimus, adeoque provincias nobiliſſimas in communi negotiorum multitudine, commerciorum varietate, optime conſtitutas; verum etiam quarum ope atque ſubſidio doctrinam omnem neceſſariam, Divinam ſimul & humanam, literis comprehenſam, eoque modo ad poſteros propagatam, eſſe intelligimus. Quæ res multos inſignes Reges ac Principes eo impulit ut per omnem vitam in variarum linguarum cognitione omne ſuum ſtudium atque operam collocarent. De Mithridate Ponti & Bithyniæ Rege ex Gellio lib. 17. cap. 17. & Valerio Maximo l. 8: c. 7. notum eſt illum XXII gentium quæ ſub ejus Regno erant linguas calluiſſe, nec unquam cum audiret vel alloqueretur ſingulas interprete uſum eſſe. Carolus Magnus Imperator non barbaras tantum linguas, referente Cuſpiniano, ſed & Latinam perfecte tenuit; Græcam ita ut eam intelligeret, Legatos Græce perorantes humaniſſime audiret, magniſque muneribus honeſtatos magnifice ad ſuos dimitteret. Carolus IV. Imperator, præter id quod Italicam, Gallicam, Alemanicam, Boemicam & Latinam linguas ipſe calluit, etiam decretum in aurea Bulla fecit Anno Chriſti M. CCC. LVI. ut Electorum filii primis ab annis cum Italica & Illyrica etiam Latinam addiſcerent, quo videlicet ſermonem cum multis gentibus ad Imperii utilitatem poſſent communicare. Maximilianus I. Imp. ab infantia pene in nonum uſque ætatis annum ſcribitur fuiſſe elinguis: Sed ut difficultas illa loquendi in pueritia multis fuit moleſta, ita in provectiori ætate ea excelluit facundia ut exteris etiam populis eo nomine redderetur admirabilis, quippe qui præter linguam patriam Latine, Gallice & Italice elegantiſſime loqueretur. Et quidem optandum foret, una & communi omnes homines lingua uti; quoniam hac ratione & modo communis illa ſocietas qua homines inter ſe quaſi affinitatis quodam vinculo conjunguntur multo minori cum labore quam nunc fit poſſet conſervari. Sed quando humani generis culpa ac juſto Dei judicio politica iſta & externa hominum converſatio ac communio dirempta, nec non amicus ille loquendi modus in varia ac plane diver-

ſa linguarum genera diductus eſt, neceſſitas ipſa efflagitat ut ſi cum populis exteris commercia quarumcunque rerum velimus exercere, linguam etiam eorum nobis reddamus familiarem. Et hoc quidem ita in vita communi. Quod ſi vero ad artes & diſciplinas præſtantiſſimas contendamus, earumque notitiam parare nobis ſtudeamus, tamdiu occluſæ nobis erunt in iis latitantes divitiæ quamdiu ignari erimus linguarum illarum quibus primarie ſunt conſignatæ. De Philoſophicis ſtudiis & literis ut loquar modo mei inſtituti non eſt. Sacrorum enim librorum κειμηλιον tanto nobis debet eſſe charius quanto ſalutem animæ & corporis propius attingit. Verum qui ſacratiſſimæ illius ſcientiæ ſtudio tenetur impenſe, cum oportet ejuſmodi ſibi comparare adjumenta quibus ad ejus ſacraria via cum brevi tum facili poſſit penetrare: Id quod commodius fieri non poſſe certum eſt quam ſi earum linguarum acquiratur cognitio quibus literæ Divinæ Spiritu Sancto ipſo auctore in tabulas ſunt relatæ. Placuit autem Sacroſanctæ Triadi duo potiſſimum linguarum genera ſeligere quibus omnis Divinorum myſteriorum ratio hominibus communicaretur. Altera eſt antiquiſſima illa omnium, Hebræa videlicet, quæ inter primos humani generis parentes eorumque poſteros uſurpata conſervataque ad tempus fuit. Altera eſt Græca (quam Elienſem alias vocant) ob paternam Noah in filium Japheth benedictionem una cum gente longe lateque diſſeminata. His duabus cum in Imperio Romano accederet lingua Latina, factum eſt ut & ſanctiſſima Crux Chriſti hiſce tribus linguis inſigniretur, & vox Euangelii iiſdem tanquam cardinalibus & principalibus per univerſum terrarum orbem ſpargeretur. Etſi vero piorum nemo poteſt dubitare Scripturam Moſaicam & Propheticam literis Hebræis eſſe conſignatam, exceptis paucis in Eſdra, Daniele & Jeremiæ Chaldaicis; Scripturam vero Apoſtolicam Græca lingua conceptam & Eccleſiæ Filii Dei traditam eſſe; fatendum tamen & illud eſt, in Græco Teſtamenti Novi contextu non pauca ſed aliquammulta vocabula reperiri, quæ Græca non ſunt, ſed partim Chaldaica, partim Perſica, partim vero etiam Latina. Mirum autem hoc cuipiam videri non debet, quoniam quod Chaldaicum ſive Syriacum idioma attinet, illud ipſum ab eo tempore quo Judæi ex captivitate Babylonica in patriam reverſi ſunt tanquam vernaculum & maternum uſurparunt; quanquam interim libri Sacri in puro & vere primigenio Hebraiſmo ſunt conſervati. Chriſtus igitur Salvator noſter conciones ſuas omnes idiomate Syriaco inſtituit & abſolvit; ac proinde cum Apoſtoli conciones eaſdem deſcribere Græce vellent, facere non potuerunt quin quandoque Syriacas etiam voculas inſererent; uti etiam peculiarem paraphraſin N. Teſtamenti Syriacam habemus, elegantem & præclaram, cujus auctorem D. Marcum eſſe Syri ex avita traditione conſtanter affirmant. Perſicæ vero voces etiam nonnullæ inſertæ ſunt, eo quod lingua Syriaca non undiquaque eſſet pura, ſed aliarum etiam gentium vocabula haud pauca haberet admixta. De vocabulis Latinis multo minus quod miremur habemus, cum in confeſſo ſit, eo quidem tempore quo Chriſtus docuit Judæos omni poteſtate ſua exutos Romanis Imperatoribus ſubjectos fuiſſe, ſic ut Præfecti Romanorum Imperatorum Romana etiam uterentur lingua, quæ deinceps in vulgus etiam aliquo modo ſparſa fuit. Poſteaquam vero, Illuſtriſſ. Princeps, multi Sacrarum literarum ſtudioſi linguarum iſtarum adminiculis inſtructi non ſunt, ut nativum vocabulorum iſtorum peregrinorum ab Apoſtolis inſertorum ſenſum eruere aut intelligere poſſint, (quam enim pauci hodie linguæ Sanctæ reperiantur ſtudioſi, qui ſeveriori ejus percipiendæ & tractandæ ſtudio teneantur, notius eſt, pro dolor! quam quod ſignificari à me modo debeat) eam ob rem id ego ſum aggreſſus ut in quotidiana N. Teſt. lectione eas voces quæ alterius eſſent quam Græci idiomatis ſeligerem, illarumque propriam ac nativam ſignificationem exponerem, expoſitaſque in hunc libellum conjicerem. Feci hoc lubentius, & opera ipſa fuit mihi ſuavior atque jucundior, quoniam his ſtudiis mirifice delector, amore linguæ Sanctæ vehementer incenſus, & quod eandem una cum Græca per novem & amplius annos in Academia Marpurgenſi ſub Illuſtriſſimis meis Principibus Haſſiacis D. D. meis clementiſſimis publice fuerim profeſſus. Ne autem nudum viderer agere Grammaticum, res etiam utiles admiſcere, & explicationes uberiores, nec, uti ſpero, infrugiferas, addere iiſdem volui. Tuæ autem Celſitudini, Illuſtriſſ. Princeps, hanc opellam meam inſcribere ſummiſſe volui, tum quod Celſitudo Veſtra eodem cum Illuſtriſſimis meis Principibus ſit ſanguine, tum quoque quod haud ignorem C. V. linguæ Sanctæ ſtudio mirifice inflammatam eſſe, ſic ut laudatiſſimos in lectione Bibliorum Hebræorum fecerit progreſſus: id quod ſæpenumero cum ab aliis tum vero imprimis à R. & Clariſſ. viro D. Doct. Ludovico Pinciero, Capit. Lubec. Decano digniſſ. C. V. Conſiliario, affine & propatre meo honorando, deprædicari audivi; eoque nomine majorem concipio ſpem, fore ut hæc qualiſcunque mea commentatiuncula C. V. haud ſit futura ingrata. Suſcipe ergo, Princeps Illuſtriſſ. quicquid hoc muneris eſt chartacei, & clementia tua atque favore, quo omnes literatos proſequeris, me quoque ſummiſſe id petentem complectere, fove, protege. Deus Opt. Max. C. V. una cum Illuſtriſſima Duciſſa, pignoribus chariſſ. atque Illuſtriſſ. in annos Neſtoreis plures toſpitem florentemque conſervet.

E Muſæo meo Anni æræ Chriſtianæ M. DC. VIII.
Jan. XXVIII.

Illuſtriſſ. C. V.

Summiſſe & humiliter colens

OTHO GUALTPERIUS
D. Gymnaſii Lubecenſis Rector.

Digitized by Google

LUD. CAPPELLI
PRÆFATIO AD LECTOREM,

Ante fratris ſui *Jacobi Cappelli*, S. Theologiæ in Acad. Sedanenſi olim Profeſſoris, OBSERVATIONES in N. T. exceptis Actibus Apoſtolorum & Apocalypſi D. Joannis.

QUis ſit, benigne Lector, harum Obſervationum parens & author, & qualis fuerit, ſatis tum ex libri titulo ſcire poteris, tum ex aliis ejuſdem Autoris non ineruditis ſcriptis antehac ab eo dum in vivis fuit editis, quibus ille nomen aliquod inter homines hodie non prorſus obſcuros ſibi peperit. Is dum muneri ſuo defungendo ſedulo, uti ſolebat, incumbit, cum inter legendum occurrebat vel meditando ſuccurrebat atque illi in mentem veniebat aliquid unde huic vel illi Scripturæ loco lux aliqua affundi & affulgere poſſe videbat, illud memoriæ cauſa ſtatim annotabat atque in adverſaria referebat, ut ſi opus foret eo recurrere poſſet. Sic paulatim temporis progreſſu, aliud interim agendo, crevit atque auctus eſt ab eo hic Obſervationum libellus; quem auctiorem haberes ſi longiorem vitam Deus ei indulſiſſet. Ac quoniam ſcriptorum hujus generis non alius terminus atque meta eſſe ſolet quam quem vel Autoris voluntas & edendi opportunitas, vel ſors & caſus aut fatum illis concedit, quia non uno animi impetu & certo conſilio ſuſcipiuntur ſimul & perficiuntur, ſed forte ſuſcepta per alluvionem veluti quandam paulatim creſcunt & augentur, mors Autorem occupavit cum pene ad calcem Novi Teſtamenti Obſervationes ſuas perduxiſſet. Alias & in Vetus Teſtamentum habuit pari ratione conſcriptas. Teſtamento autem paulo ante obitum cavit ut tam hæ quam illæ ad me mitterentur, nec prius ederentur quam à me eſſent elucubratæ. Id fuit ejus, pro ſuo candore, de me favorabile judicium, vel potius ſui in fratrem amoris ſingulare teſtimonium. Fatis autem ille conceſſit ante annos jam totos pene XXVIII. Nec diu poſt ejus mortem huc ad me Sedano per amicos & neceſſarios tranſmiſſæ ſunt Obſervationes iſtæ. Cur tamdiu meditæ hactenus, me invitiſſimo, fuerint, cauſas nihil attinet commemorare, ne forte ea commemoratione aliquis ſe lædi & gravari conqueratur. Satis fuerit dicere Typographum hactenus non occurriſſe qui eas ad editionem poſtularet. Nunc quoniam tandem amicorum ſtudio & cura inventus eſt qui iſtud negotium ſuſcipiat, tardius quidem, at nulla mea culpa ſed aliena, has tibi damus Obſervationes. Quarum editione volui ac debui veluti parentare ac juſta facere pijs Manibus amantiſſimi Fratris, cui ego plurimum imo pene omnia debere me ingenue profiteor, utpote qui mihi ab ipſa prima atque ineunte puerili ætate fuerit ſemper & parentis & præceptoris vice & loco. Atque utinam per eorundem Typothetarum operam poſthac mihi liceret idem officium illi in aliorum quæ penes me ſunt, non minoris eruditionis & doctrinæ, Viri illius doctiſſimi ſcriptorum editione poſthuma exhibere: facerem id lubentiſſimo & gratiſſimo animo, &, ſi Deus aliquando det, faciam prout debeo ac voveo. Has autem Obſervationes pro illius cui πρωτοτόκια debeo in me jure Spicilegio noſtro præmittimus, ut ſub illarum (ſicut olim ſub *Cameronis* noſtri Myrothecio) umbra veluti atque favore gratior & acceptior tibi, benigne Lector, fiat exilis iſte ingenii noſtri fœtus, alieno (qui nullo ſuo pollet) merito atque præſidio tutus ac veluti umbone tectus & communitus. His ſiquid in Sacri textus intelligentia profeceris, (qui unicus eſt hujus Libelli ſcopus) voti mei ſummam conſecutus fuero. Vale, & Deo, qui pro libitu dona ſua varie diſpenſat, ac *de ſuo facit quod vult*, gratias agito.

Salmurii, è Muſeo noſtro, Cal. Maji, A.D. M. DC. LII.

Pietate & Doctrina inſigni VIRO

MOSI AMYRALDO,

In verbi Divini ſacro miniſterio & S. Theologia docenda in Eccleſia & Academia Salmurienſi Collegæ ſuo chariſſimo,

LUDOVICUS CAPPELLUS.

QUando omnibus in more jam poſitum eſt ut fœtus ſuos literarios alicui dicent, ſive Principi & Magnati viro, cujus utantur, uti ajunt, patrocinio, vel à quo etiam operæ ſuæ præmium & mercedem aliquam expectent, ſive amico & familiari (quod rarius eſt) in amoris conteſſerationem; cumque animus mihi non ſit illis mea inſcribere qui vix libri titulum adſpicere dignantur, quique inſcriptam ſibi Epiſtolam ſæpe vix intelligere poſſunt, nedum ut de Operis pretio & merito recte judicare valeant, nullus inter amicos (quod unum ſupereſt) mihi jam occurrit cui ego potiori jure meum iſtud, qualecunque eſt, vel poſſim vel debeam inſcribere *Spicilegium*, præterquam tibi, chariſſime Collega, qui me optime noſti, cui ego charus, & tu mihi, quique de Opuſculi hujus ſive dignitate ſive indignitate omnium optime judicare potes. Accipe itaque mutui mei in te amoris & non fucatæ amicitiæ pignus & teſſeram, quam, licet (ſi operis meritum, quod exile eſt, ſpectes) tenuem, ſpero tamen gratam tibi futuram, quia animum illius à quo eſt, qualis erga te ſit, probe noſti. Vale, & me, ut ſoles, amare perge.

Dabam è Muſeolo noſtro,
Salmurii III. Idus Maias, M. DC. XXIX.

LECTO:

Digitized by Google

LECTORI.

EN tibi, benigne Lector, breve noſtrarum in N. Teſt. Obſervatiuncularum *Spicilegium*, quas aliud agendo, prout ſe inter legendum dabat occaſio, in Adverſaria noſtra, nunc hanc nunc illam, olim referebamus, nunc vero in unum collectas tibi exhibemus, ut ſi qua ex iis lux locis quibuſdam obſcurioribus tibi affulgebit, ea libere ad pleniorem Sacri textus intelligentiam utaris fruaris. Pauciſſimæ & pene nullæ ſenſum quem *Theologicum* vocant attingunt, aut in locis quæ dogmata religionis Chriſtianæ vel controverſias hodie agitatas ſpectant explicandis occupantur: illud nempe aliis rei Theologicæ multo me peritioribus volui relinquere, qui illud argumentum longe felicius tractare poſſunt: pleræque omnes ad Criticam potius quam ad Theologiam pertinent, & circa ſenſum Grammaticum ſeu literalem vel exquirendum & demonſtrandum vel illuſtrandum & confirmandum verſantur. Iſtud nimirum non quidem mihi jure quodam vindicare (quis enim id quod publici juris eſt quaſi proprium arrogare ſibi velit?) ſed ad me aliquatenus ſaltem pertinere putavi. Cum enim N. Teſtamenti phraſis tota ferme ſit Hebraica, etſi voces Græcæ ſint, penitior & accuratior ejus intelligentia pendet à linguæ Hebraicæ, Syriacæ, Chaldaicæ, Rabbinicæ, earumque propriæ phraſeos cognitione. Multa enim ſunt in N. Teſtamento in quibus ſacri Scriptores tacite alludunt ad ea quæ ſunt in Veteri; multa item in quibus tum Chriſtus tum ejus Apoſtoli reſpexerunt ad mores, placita, dogmata, uſum, conſuetudinem, ſententias, proverbia, parabolas, gnomas ſui temporis Judæorum, inter quos vixerunt & docuerunt; unde fit ut in his lux non contemnenda elici & educi poſſit ex illorum ſcriptis & antiquioribus monumentis ad horum illuſtrationem aut confirmationem & vero etiam declarationem atque explicationem. Quare cum jam abhinc compluribus annis linguam Hebræam publice in hac Academia doceam, cujus Profeſſio librorum ea lingua ſcriptorum tum Sacrorum ſedulam & diligentem, tum etiam aliorum, veterum & recentiorum, mediocrem ſaltem lectionem à me poſtulat, alienum à munere meo non putavi ſi ea quæ inter legendum occurrebant, prout ea ſors vel Divina potius providentia mihi offerebat, annotarem, quibus modo hunc modo illum N. T. locum vel illuſtrari vel explicari poſſe ſperabam. Et ſane quantum linguæ Hebraicæ aliarumque Orientalium illi affinium cognitio, librorumque Judaicorum & vetuſtiorum gentis illius monumentorum lectio, diligenſque & accurata ex iis facta cum judicio obſervatio præſtare & conferre poſſit ad librorum Sacrorum N. T. illuſtrationem, facile quis tum ex Clariſſ. Druſii ante editis Præteritis tum ex hoc noſtro Spicilegio (velut ex ungue leonem) poteſt conjicere: ut hoc leve ſpecimen incitamentum iis eſſe poſſit & debeat quibus & ingenium & alias animi dotes ad hoc ſtudium excolendum multo majores Deus indulſit, ut in illud ſedulo incumbant, quo in dies eorum opera & ſtudio ampliora multo poſſint inde erui ad S. librorum explicationem & illuſtrationem ſubſidia. Porro id ego ſtudui ut ne id quod ab aliis jam occupatum & obſervatum erat ſciens prudenſque hic reponerem: ideoque Vallam, Eraſmum, Bezam & Druſium, qui antea ſcripſerunt hujus generis Annotationes, prius conſului, ne quæ illi jam obſervarant imprudens huc conjicerem. Longum & pene infinitum fuiſſet alios omnes N. Teſtamenti tum Orthodoxos tum doctos Pontificios Commentatores evolvere, & diſpicere num forte aliquid hiſce noſtris Obſervationibus ſimile alicubi jam annotaſſent: tantum mihi otium non ſuppetit ut tot libros perlegere poſſim. Itaque ſiquid hic occurrit quod & apud aliquem eorum jam exſtet, caſu id factum puta, non conſilio: neque enim animus mihi fuit aliorum corradere labores atque huc ſub meo nomine congerere, alienoſque fœtus mihi vindicare. Et ſane pauca puto ab aliis eſſe occupata, niſi forte in levioribus quibuſdam; quia neminem fere præter Druſium novi qui ex profeſſo id genus ſacram N. T. paginam explanandi aut illuſtrandi ſecutus ſit, quod petitum eſt ex penitiore linguæ Hebraicæ aliarumque Orientalium illi affinium cognitione, & librorum monumentorumque Judaicorum lectione, unde tamen pleræque omnes & momentoſiores hujus Spicilegii Obſervationes petitæ ſunt. Porro ſcio hoc ſcripti genus perpetuo augeri poſſe, prout in dies nova materies & occaſio ſeſe offerre poteſt modo in hunc modo in illum locum aliquid commentandi: & forte, ſi Deus vitam & otium dederit, plura hujus generis aliquando à nobis annotabuntur atque illis addentur. Interim pauca hæc ante paucos annos à nobis annotari cœpta tibi jam damus: Quæ nos Theologi præſtantiſſimi & amici olim nobis conjunctiſſimi *Joh. Cameronis* Myrothecio Euangelico ante annos viginti à nobis edito ſubjunximus, nunc aliquantum auctiora & paulo emendatiora ad calcem Obſervationum Fratris longe nobis chariſſimi & obſervandi adjungi curavimus: ut quorum animi fuerunt dum ille vixit veræ charitatis vinculo arcte adſtricti, eorum jam labor in eodem ſcribendi genere occupatus una etiam conjungeretur iiſdemque ſchedis includeretur; Qui ſi tibi, benigne Lector, gratus & utilis futurus eſt, amplam conſecuti fuerimus operæ noſtræ gratiam & mercedem. Vale.

LECTORI CHRISTIANO

H. GROTIUS.

SI quis dicat me quæ in Euangelia ſcripſi debere aliis qui in eodem ſe argumento exercuerunt, is neque penitus mentietur, neque penitus verum dicet. Ego per omnes eos qui ſcripſere antehac profeciſſe me non diffiteor, quin gaudeo etiam glorioreque. Itaque omnibus me eis gratiam habere puta quaſi nominatiſſim ſingulos. Peperci autem plerunque recitandis nominibus quod ea videam factioſo hoc ſeculo magis ad oblimandum quam ad defæcandum judicium valere. Mihi autem, cum iſta annotarem captivus, cum perficerem privatus, cum ederem in aliquo jam honore conſtitutus, propoſitum ſemper fuit non alicui earum ſervire partium in quas ingenti ſeculi noſtri malo diviſi ſumus Chriſtiani, ſed Chriſtianis plane omnibus, meaque dirigere ad notitiam Euangelicæ veritatis, & incrementum pietatis ejus ad quam omni ſtudio debemus contendere ſi ex tanto nomine cenſeri volumus. Cæterum videbit qui & priorum & hæc noſtra ſcripta cum cura leget, etiam tunc cum aliorum ſequor ſententias, nova à me adjungi argumenta quibus eas ſuſtentem; & cum ab aliis abeo, rationes cur id faciam diligenter à me adſcribi. Teſtor autem, ſiquid uſquam à me ſcriptum eſt pugnans cum iis S. Scripturæ ſenſibus quos Eccleſiæ Chriſtianæ à prima ætate acceptos perſeverante conſenſu tenuere, quod repertum non iri ſatis confido, me id pro non ſcripto habere ac mutare paratiſſimum.

JOANNIS PRICÆI COMMENTARII IN VARIOS NOVI TESTAMENTI LIBROS;

IN QUIBUS

Vulgatæ Verſionis, quamplurimis locis, præ quavis alia recentiore ſermo purus Latinuſque oſtenditur;

Contextus Græci litera explicatur;

Ejuſdem Phraſeologia cum Auctorum Ethnicorum locutionibus amœne comparatur;

Multorum difficilium locorum Expoſitiones novæ afferuntur,

Senſuſque non ſolum ex Chriſtianis Eccleſiæ antiquiſſimæ Doctoribus, ſed & ex Græcis Latiniſque Gentium Scriptoribus ubique illuſtratur.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

COSMO

MAGNO PRINCIPI HETRURIÆ.

Sereniſſime Princeps;

PUto neminem rubore frontis pudoreque animi ad tuæ ſortis mortalem verba unquam feciſſe, qualia ego (æquitate, atque ideo neceſſitate, poſtulante) nunc alloquor Celſitudinem Tuam. Octo annorum onere diſtendebatur apud Apulejum illa, nec potuit parturire: ego toto novennio eximia Sereniſſimi Parentis Tui indulgentia uſus otio beatiſſimo, hunc primum, emitto fœtum dicam, an abortivum ejicio? certe quod manibus tanti Principis excipiatur, modis omnibus indignum. Tam lenti hujus moliminis complures poſſem cauſas afferre, quarum vel maxima, ab inopia Italorum typographorum orta, non eſt extra notitiam Tuam: at malo culpæ meæ nil omnino prætexere, quo obligatior abeam ignoſcentiæ tuæ. Voluminis exilitatem haud ſcio an ex-

Digitized by Google

excuſandum habeam: *pancorum verſuum* (inquit Seneca) *liber eſt, & quidem utilis laudandusque: annales Tanuſii ſcimus quam non decori ſint.* Quin & indoles tua, quam pro ætate peritior & virilior facta, magnarum molium oculiferiis non Te patitur præſtringi: nec quantum, ſed quid qualeque offertur, jam aſſuevit expendere. Si quid autem ea parte peccatum eſt, de venia deſperare nolo, in ſeriniis enim (Dei gratia) eſt unde emendetur. Cum ſcirem autem quam leviculam rem impræſentiarum in animo haberem dicare Sublimitati Tuæ, petivi quanta potui ſedulitate à Sereniſſimo Principe ac Patruo Tuo Leopoldo, eidem ad conſpectum Tuæ Celſitudinis tendenti dignaretur aditum aperire, ut liber nulla ſua dote ſpectabilis, à tanti Mediatoris auctoritate commendatior evadat. Inſigni illius Principis humanitate Sereniſſimo Tuæ Celſitudinis Genitori mea parvitas innotuit. Tam grande beneficium fovere Idem poſtea non deſpectui habuit, exiſtimationi meæ apud eundem Sereniſſimum M. D. ſemper aliquid adſtruendo. Confecto itaque qualicunque Opere iſto præſidium imploravi ejus, idque alacer, ac fiduciæ plenus, ut qui ſcirem occaſiones omnes exercendæ ſuæ bonitatis gratiſſimas atque acceptiſſimas fore: &, ne dubitando, tam multis, tam tempeſtivis, tamque honorificis erga me officiis ejus viderer contumeliam imponere. Rex Regum, qui omnes quidem mortales reſpicit, at Principes multo propius intuetur, Celſitudinem Tuam è numero cæterorum Principum ſeligere dignetur, quam non tantum in Sereniſſimæ domus Tuæ ornamentum, inque bonum civium tuorum, ſed & in ſeculi totiuſque Orbis ſpecimen componere ac formare velit: regiminis Patrii conſortem Te diu antequam ſucceſſorem faciat: proleque effectura virtutes tuas, ſeroque ſucceſſura Tibi, fortunæ tuæ amplitudinem ſtabiliat ac jucundam reddat.

Sereniſſimæ Celſitudini Tuæ

omni obſequio ac

fide addictiſſimus

JOANNES PRICÆUS.

Digitized by Google

DE NUMISMATE

Cenſus, à Phariſæis in quæſtionem vocato,

DISSERTATIO THEOLOGISTORICA

MARQUARDI FREHERI, M.F.

Conſiliarii Palatini.

LECTORI S.

HUmano ingenio vix quicquam, opinor, volubilius exſiſtit: unde *ignavum* quendam illi *vigorem* inditum à Deo Opt. Max. Poetarum Latinorum princeps haud injuria cecinit; nimirum propter agitationem mentis, *quæ nunquam acquieſcit*, ut ait Cicero: Ideoque idem nominatiſſimam illam Ariſtotelis ἐντελέχειαν, unica duntaxat mutata literula, quaſi ἐνδελέχειαν, ob perennem videlicet motionem, interpretatus videtur. Id ipſum jam inde ab initio dilucide indicavit vera & antiquiſſima Hebræorum ſapientia, impoſitis animo humano nominibus, רוח & נשמה, i. πνεύματος καὶ πνοῆς, *ſpiritus & flatus*, non craſſi alicujus & materialis, (qualis eſt animantium reliquorum) ſed puri atque cœleſtis, ab æterno illo Actu, qui ſolus eſt ὁ ὤν, infuſi ſeu inſpirati. Actuoſiſſimus igitur ſit neceſſe eſt animus, incredibili & ſtupenda celeritate huc illuc puncto temporis diſcurrens. *Multæ cogitationes*, inquit Solomon Prov. 19. 21. *in corde viri.* Atque utinam, quemadmodum nimium plerumque multas eas eſſe experimur, ita ſalubres etiam eſſent piæque ac utiles, cum ad mores corrigendos, tum ad ſolidam veritatis cognitionem parandam & promovendam. Accidit tamen miro & ſingulari Divinæ providentiæ beneficio, ut nemo fere mortalium adeo bardus & brutus reperiatur qui non quandoque commodiſſime & cogitet & loquatur. Hinc tritus ille vetere proverbio verſiculus,

Πολλάκις καὶ τυφλὸς εὗρε μάλα καιρὸν ἔβην,

Sæpe etiam eſt oliter valde opportuna locutus.

Vix enim quiſquam eſt adeo imperitus qui ſæpiſſime jaculans non aliquando collineet. Æqui igitur ſpectatoris erit, quem nonnunquam collineantem laudat, eundem ſubinde aliquantulum aberrantem patienter ferre. Hoc nempe humanitatis plenum eſt, & ejuſmodi quod facillime ab eo minimoque cum diſpendio concedi queat. Quod ſi quis nimis velit eſſe moroſus μωμητὸς, calamum ipſe in manum ſumat, ac ſcopulum veritatis (cujus ſe tam præclarum μωμητὸν videri cupit) perpetuo ſcilicet figat. Næ ille, ubi ſæpius omnes nervos contenderit, nec tamen forſan rem (quod ajunt) acu, imo ne ligone quidem, tetigerit, faciliorem deinceps (niſi me fallit animus) ſe aliis præbebit & moderatiorem. Longe optima lex eſt,

——— *Veniam petimuſque damuſque viciſſim.*

Peril-

Digitized by Google

Perilluſtri & Generoſiſſimo

DOMINO HERMANNO

Comiti in Manderſchied & Blankenheim, Domino in Junkerode & Daun, Cæſar. M. à Conſiliis,

Patrono ſuo S.

CUM ſuperiori anno publicam calamitatem declinans apud Agrippinam velut alteram patriam ſubſediſſem, Patrone, quamvis non nullum ſolamen & Urbium illa Regina, & in ea amicorum copia rerumque novitas & varietas afferret, hoc tamen vel ipſius itineris & exſilii pretium mihi reddidit, quod in gratiſſimum conſpectum & notitiam tuam, ſive aliquorum commendatione, ſive popularitate tua, nullo certe merito meo, peroptato me adduxit. Tunc profecto non dicam conceptæ opinioni meæ paria, ſed ipſa fama virtutis & fortunæ tuæ majora omnia comperi; cum pro humanitate tua unica vix auditum me ultro vocares, liberaliter excideres, in aream illam tuam viſendam & viſendorum cuſtodem deduceres & reduceres, & à latere tuo fere individuum omniſque gazæ tuæ inſpectorem, nullo non beneficentiæ genere prolixe mactares; deinceps quoque abſentem literis & muneribus, & apud alios elogiis honeſtare non ceſſares. Quæ omnia ſi unquam animo excidere patiar, ingratiſſimus an ſtupidiſſimus ſim mortalium! Et mirentur alii arces & poſſeſſiones, & dignos ordine tuo apparatus, & quantum habes divitiarum operoſiorum, ipſi Italiæ invidendarum; ego magis animum illis uti gnarum, vel potius non uti, & horum relinquendorum contemptorem internis opibus fultum & contentum. Quem ut veneror, ita conjunctam humanitatem amplector: ut ſi teſtandi grati animi occaſionem diutius requiram, vitam mihi acerbam putem, eoque arripiam proximam. Cum enim ipſo tempore, otii impatiens, levandis moleſtiis & curis varia meditarer, cœpi neſcio qua occaſione ductus ſuper argumento etiam hoc ſacro quæ ab aliis minus obſervata in mentem mihi veniebant conſignare; majori animi contentione an oblectatione vix dixero. Certe præter opinionem quod parabam ita ſucceſſit & excrevit ut jam juſtæ Homiliæ ſufficeret. Quam pro felici reditu Servatori meo pactus, votique per ejus gratiam damnatus, in publico citra ſibilum pronunciavi. Et deinceps aliis ſuper alia accedentibus (ut ſunt Divina illa infinita, & tractatio igitur eorum) non minorem in modum auctam & excultam Reipublicæ amicorum ſuaſu communicaturus, ſplendidiſſimi nominis tui præſcriptione lucem ei fœnerare volui. Non quo more hodie quidlibet cuilibet vulgo inſcribitur, ſed certo judicio & cauſis manifeſtis. Cui enim juſtius recentem fœtum quam à quo beneficii accepti recentiſſima memoria exſtat? Aut quid aptius magni Cæſaris Conſiliario, magnis in rebus magnæ induſtriæ fideique comperto, quam quod pro ſumma illa in humanis poteſtate à cœleſti Hero è re nata dictum nos omnibus ingenii viribus intenſis enarrandum ſuſcepimus? Denique rem (niſi fallor) à vulgi captu & conſuetudine remotam cui potius quam tibi omnium elegantiarum & rararum rerum ut copioſiſſimo poſſeſſori ita ſcitiſſimo æſtimatori deferimus? Nec improbabis factum ſcio. Nec improbabunt etiam, te patrono, ſtudium noſtrum alii, aut verba Divina humanis argutiis profanaſſe calumniabuntur, ſi penſabunt, ut ad ſummi illius Boni adeptionem omnes noſtros conatus merito dirigimus, ita recte etiam & ordine fieri, ſi quidquid eſt literarum ad unas Sacras illuſtrandas, quidquid monumentorum & ævi reliquiarum ad antiquiſſimam & immobilem hiſtoriæ religioſæ fidem undequaque confirmandam adhibeamus, ſi denique humana omnia Divinis, & univerſa mortalium ſtudia, ingenia, opera in tota hac machina Factoris ſui gloriæ prædicandæ ſerviant. Quem quidem ego (quidquid aliis ſit mentis) etiam horum ſtudiorum fructum cenſeo vel maximum & pulcerrimum: nec ſine hoc dignemur pii, quidquid eſt uſpiam auctorum veterum aut memoriarum (præ quibus tamen quæ non recentia ſordent!) obliquo oculo adſpicere: jam non tam honeſtam animi relaxationem ingeniique culturam quam magis etiam ſerium illum uſum inde quærentes. Nec vetabo quin idem hoc majoris operis ἐκστακειμένιον Pomponii noſtri De veteri numiſmate ſimul aliquem guſtum præbeat: quem affectum dudum, & tibi oſtenſum, jamque amicorum tantum non convitiis quotidie efflagitatum, brevi (Deo juvante) extrudere paramus: atque utique ſat cito, ſi bene. Tu hoc interea, magnifice Comes, magnæ obſervantiæ exiguum pignus ſolita comitate tua ſuſcipe, meque ſuſceptum tuum graviſſimo patrocinio complecti perge. Vale. Heidelbergæ, Kal. Januar. anno Chriſti M. D. XCVIII.

MARQUARDUS FREHERUS.

ELOGIUM ARCIS BLANKENHEMI,

QUÆ SEDES EST

Inluſtris & generoſiſſ. Dn. HERMANNI Comitis Manderſchidi & Blankenhemi, Dynaſtæ Junkenrodæ & Dauni, S. Cæſ. Majeſt. à Conſiliis.

GEORGIO REMO auctore.

VIN' ut mille videre amœnitates,
Hoſpes? cernere vis Neronis aureis
Ædibus decies beatiorum
Ædes, Dædalea & domo ampliores?
Hortos Alcinoi feraciores?
Monſtrabo indice virgulaque ſacra.
BLANKEMUM i, *pete, & inſpice, ô viator:*
Qua ſunt obvia prompteque undequaque
Alta tot decora elegantiarum
Quot capſit microcoſmus nullus egre.
Admirabere (ſat ſcio) arduas illas
Propugnacula, mœnia, turres,
Inſtrumenta tot incruenta Martis,
Armorum ſeriem ordinemque juſtum;
Glandes nempe, pilaſque, fiſtulaſque;
Portarum excubias, ſilente nocte:
Qua cernes monumenta pacis almæ,
Qua ſecum attulit eruditionis
Pallas mater, ab Atticis Athenis

Huc

Digitized by Google

Hùc quando appulit ad ſtuenta Obrinci,
Hic Divum ſtatuas, Lares, & urnas,
Saxa, & ſarcophagos, imagineſque,
Et caſos lapides Paro vel ipſa;
Hic volumina docta, diſciplina
Cujuſvis lapidos bonos libellos,
Quot non, Rex Ptolemaee, poſſidebas,
Conſultis, Medicis, Sophis legendos,
Libros Theiologis manu diurna
Verſandos, reliquiſque doctiorum.
Porro myriadas vetuſtiorum
Numum (quos veteris vocare Pluti
Gazas poſſumus) Hoſpes, hic videbis;
Numos dico Quiritum priorum,
Numos Grajugenumque, Teutonumque
Priſcorum; documenta magna opum via
Si porro extuleris pedem arce, cernes
Herbis utilibus ſalubribuſque
Tot p.maria conſita, & referta
Tot pomaeria fructibus, Deorum
Mater cum Cerere è ſinu benigno
Quos fundit bona, liberalis, aqua.
Hic quod decolor Indus & Sabaeus
Spirant, quodque metunt, metas licebit.
Verſu ſingula, (qui brevis labore
Eſſe, & dicere multa malo paucis,
Et dixiſſe alios velim & peroptem)
Non percurrere nunc quidem poſſum.
Florent omnia, rara, chara, pulcra
Viſu: nec Genius beatiorem
Sedem Tiberè quaerat, inſuliſve
Delegat Macarum, vel ora Atlantis,
Urbe aut Romuleum Deorum aſylo.
Nam quæ Roma habuit videbis iſthic.
Trans Alpes vel ut evolaſſe Roma
Aut tranſvecta putetur huc locorum; &
Cum Muſis Charites ſimulque Apollo
Aras abs Helicone tranſtuliſſe,
BLANKEMUMque habitare cenſeantur.
Affari ergò bonas velet Camenas,
Phœbum, & dicere Gratiis ſalutem?
Vin' Romam brevi imagine intueri?
Hortos, Dadaleam domum, vetuſtæ
Æra, & pumice codices politos?
Et vin' mille videre amœnitates?
BLANKEMUM i, *pete tutus, ô viator.*

INCOLUMITATI

Ejuſdem inluſtris & generoſſ. Dn. HERMANNI, Com. Manderſchidii.

DIgnis impertiis, Deum precabor,
juſtiſque hanc domui imperes beatæ;
O HERMANNE *Comes, bonitate*
Corporis ſolida atque mentis auctum.
Hic vitæ adjiciat tuæ ſenectam
Tranquillam, capulo procul remotam;
Dulcem, Neſtoream, ſacram, beatam.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATA

Ad Euangelium ſecundum

MATTHÆUM.

CAP. I.

MUNSTERUS.

EST quidem Εὐαγγέλιον vox Græca, *fauſtum* ſignificans *nuntium*, & *fauſti nuntii præmium*; uſurpaturque ab Euangeliſtis pro illa felici annuntiatione qua Dei de Chriſto promiſſio prædicatur impleta, ſalus animarum mortalibus oblata, peccata hominum credentium in Chriſtum illius ſanguine & morte expiata, &c. Hebræi pro hac voce uſurpant בשורה, etiamſi illa pro bonæ & malæ rei nuntio in Scriptura uſurpetur. 2 Sam. 4. 10. capitur pro שכר בשורה, i. pro *præmio fauſti nuntii*. Hinc eſt quoque מבשר *Euangeliſta*, ſeu *bonus nuntius*, vel, ut Hebræi interpretantur, מבשר החדשות, על סוג א קל רע, *qui narrat nova de re aliqua bona, aut mala*. Cæterum Judæi noſtrates, Chriſti & membrorum ejus aperti hoſtes, hanc ſaluberrimam *Euangelii* vocem pervertentes, vocant עוונלין idque דרך גנאי ריל שהדיו החשדים גלו כשהו כפר, i. *per modum contemptus, perinde quaſi iniquitates Chriſtianorum fuiſſent revelatæ in eo libro*. Alii vocant עוונלין, *revelationem vanitatis*. Quod ſi hoc animo id facerent על שם כי שחצרו לסור מן תורה ילסור אותו כפר ואותו כפר יהדה אותו האון שיגוס גם והטוב שיעשה כי משיחנו אן ליכר אדן רבר אחר כי אם לטס כדי לעשות הטוב, libenter ferremus, nempe, *Quicunque incipit recedere a malo, diſcat ſuum librum, & is liber docebit eum vanitatem quam fugiat, atque bonum quod faciat*. Nunc autem hoſtili animo omnia noſtra ſacra turpibus conſpurcare nituntur nominibus, ut Jeſum vocant תלוי *Suſpenſum*: & matrem ejus חריא, vel תלדה, vel כשהו נדה, &, quod his turpius eſt, זנה *ſcortum*. Joſeph ſponſum ejus vocant פנדיפא. Crucem Chriſti שתי ערב *ſtamen & ſubtegmen*: oratoria noſtra קדוש *ſalvitia*, &c.

1. *Liber generationum*] Hebraiſmus eſt frequens in Veteri Inſtrumento; ut, *Iſta ſunt generationes Noah: Iſta ſunt generationes Jacob*, &c. Et intelligunt Hebræi per תלדות duo, nempe לידה & קורות, i. *propagationem generationis*, & *eventus*: unde dicunt, בכל מקום שתמצא לשון תולדות מקומו יודע, עליו אם ללידה עצמה אם לסקרים, *Ubicunque inveneris vocabulum Generationum, locus ille docet & de nativitate & de eventibus illius cujus illic fit mentio*. Sic *Liber generationum Jeſu Chriſti* veluti titulus eſt nativitatis & actionum Jeſu Chriſti. Et hic vehementer Judæi ſibi videntur ſapere, cum omnibus modis hanc genealogiam laceſſere, imo enervare contendant, ex ea probantes Chriſtum noſtrum vel non eſſe Deum, vel non ex ſemine David natum. Arguunt autem ſic, מתי ולוקס לא כתבו אלא יחס יוסף בעל מרים שון מתחלין ליחס מאברהם עד יוסף אבל יחוסת של מרים אינו נכל ספריהם ותהה הבן שהם יש נולד בלא אב כמו שהם אומרים אב' לא מצינו שיהו כביכול אחר יוסף מיחס לישו לפי נתיחס מביכול אחר נמצא שיוסף הוה אבוי ולמה אנם אומרים כי נולד בלא משכב זכר. ועוד למה יוסף נקרא אישתה הוה לן לומר אישתו של מרים אם לא נשאה לבעלות ואן אנו יודעים כאיזו בשפחה היתה מרים. וחוה כי אמרו אלין רבו זה בסוגת בידינו כי כן דרך היהודים לישנא כל אחר קחנתו וחריא קחנת יוסף היתה ויוסף זוה יחוס חריא ומביהם מפר גולח תשוב ונאמר כי בדברי בידי אתם מרים לחוד הוה ולעשות אלוה ואו ואי אה לנגע ם ויתיו שכל אחר נשאו אדן אשר ישרה בעיני בין ותקרא לין קרובה המותרת לו כן התורה וגם בני שבט זה הו נהגדם נשים משבט אחר כמו שמצינו בפלגש בגבעה שהוו השבטים אחר האיש אשר יהן אדן בתו לבניהן. ועוד אם נרצהם שנם חריא כשהו הזכר היא אב' כה הוה לחם ליחס אחר יוסף: Senſus eſt, *Matthæus & Lucas genealogiam deduxiſſe ad Joſeph, & in omnibus libris eorum non invenitur genealogia Mariæ: unde ſi Jeſus natus eſt ſine patre, non eſt de domo David; aut ſi contendis eum eſſe de domo David, erit Joſeph pater ejus. Præterea quare Joſeph vocaretur vir ejus ſi non duxiſſet eam ad concubitum? Fuerat potius vocandus deſponſatus ejus. Neſcimus itaque ex qua tribu fuerit Maria. Quod ſi dixeritis, Habemus per traditionem, & hoc mos eſt apud Judæos, quod quiſque ducit propinquam ſuam in uxorem, ideo genealogia Joſeph ſimul eſt genealogia Mariæ: reſpondemus conſilia eſſe verba veſtra & ænigmatica, ut Deum vobis ſtatuatis: cum hæc ſit conſuetudo noſtræ legis, ut cuilibet liceat ducere uxorem quæ illi placuerit, ſive ſit remota, ſive propinqua, modo ſit ex lege permiſſa: & ſic filii hujus tribus poſſunt ducere uxores de illa vel iſta tribu, id quod patet ex facto Gibeonitarum, quomodo tribus devoverint eum qui filiam ſuam illi locaret in uxorem. Præterea eſto quod Maria fuerit de tribu Jehuda, & quare ergo genealogia non ducitur ad eam, ſed ad Joſeph?* Hæc eſt ſumma argumentorum Judaicorum, ſed quæ facile dilui poſſunt. Quod Chriſtus natus ex ſola virgine fuerit de ſemine David, patet ab exordio hujus genealogiæ, quando Euangeliſta dicit, *Liber generationum Jeſu Chriſti, filii David, filii Abraham*. Ecce hoc initium deſtruit omnia memorata argumenta. Si Chriſtus eſt filius David, ergo & mater ejus fuit de ſemine David, patet ex ſerie genealogiæ. Et ſi quæris, quare ad eum, & non ad virginem ducitur genealogia; reſpondemus id moris eſſe Scripturæ, ut magis ad viros quam ad mulieres texat genealogias. Quare autem Matthæus in tota fere genealogia variet à Luca in nominibus & numero perſonarum, reperies rationem apud alios ſcriptores. Nos brevitatis gratia hunc nodum intactum relinquimus, præſertim quod à Judæorum ſcriptoribus, quos videre licuit, non fuerit impugnatus. Sed nunc Judæis quoque eſt reſpondendum ad eorum objecta. אמרת הוא כמו שהם אומרים כי כתי מיחס עד יוסף האם אתם ראיתם הזכרו ולא ראיתם כי גם מרים אם הכשרה הוא משכם יהודית (מרוץ חד כי אמר בתחלת הדיום שישרו וזוא בן חד ובן אטרחם) אב' גם אמו אשר הוא ממנה לנדה נולד כלא אב'מרוץ דוד האם תעברו ולמה מיחס עד יוסף ואין עד מרים ו' ל כי כן דרך הכתב ליחס עד אנשים ואין עד נשים: גם רצה מבשר להראות כי שהאם מטרע יהודי ויגיד יוסף נקרא איש של מרים כי הוא בעל הבירה ועשה כ ל עבדו להעשות בבית ונחשב אב של ישוע וזוא חזינו לבר ושמר הכתולה השהידה לשכור אותה ולשלם לא ידע אותה כי כן טוב בעיני האלהים לנתקיים מה שנכתב הנה העלמה תהרה ונו מאת הן יכלה בתולה להרה בלא איש תשובת כל דבר שר אפשר לעשות הפלא פנגי אדם הכל אפשרות הוא לאלהים רש יכולת ביד להבראות נף בתוך גוף ולהרג נו חד וגשכח פטישה אשת ולהלך האדם מן אדם: ובכו שאתה מודה כמה ק אי אתה מודה שאפשרות ביד הבורא ית' להשפיע שפו הנעבר בהן בתולה מהודה ולהחשיל כתכמת כמו ילוד ולהליד מכמה בלא זיוג ותבלה כשאר ילוד ולא הדה ילה זיוג כדרך כל חיולדת כמו שנכנס בה כן פלט מכמה וגשארה בתולה כתולת ושר פלת יהודה מכל אדם.

16. *Chriſtus*] Hebraice משיח *Meſchiach*, Latine, *Unctus*. Ungebantur olim apud Jehudæos Reges & Sacerdotes in figuram Chriſti, qui futurus erat Rex cœli & terræ, & ſummus Sacerdos in æternum. Unguentum hujus ſacroſanctæ Perſonæ fuit Spiritus ſanctus, ſicut in hoc capite dicitur, *Quod in ea natum eſt, à Spiritu ſancto eſt*. Et hoc unguento ita unctus fuit ut *de plenitudine ejus omnes acciperemus*, & ſolus ipſe ſua unctione medelam ſalvificam afferre poſſit vulneribus noſtris.

21. *Jeſum*] Nomen ישוע frequens eſt in libris ſacris, ſonatque *ſalutem*: & nonnunquam habet epentheſin ו ut יהושע *Jehoſua*; & tunc ſonat *ſalutem Domini*. Apud Euangeliſtas ſcribitur abſolute *Jeſua*, quod ipſe ſit Salus ipſa, ſicut & Sapientia atque Juſtitia ipſa vocatur. Salvat enim nos à peccatis noſtris, juſtificat nos, & ſapientiam præſtat parvulis. Et mirum eſt quomodo Judæi hic inſaniant, quando fatemur Chriſtum veniſſe in carnem propter primum Adæ peccatum & ſequelam omnium hinc naſcentium. Unde triumphator eorum, autor libri

 Niza-

Nizahon, scribit in hunc modum, שאל לבן וחלו אתם מסרים .כמה נתנ רחמים עם כל מיחתי וכל כוחתו חסר ואמת נגר יצוו ובמטחון והיחות חללו אנו נאים בכל יום לפני כמו שאמר חד ונני ושו בחברין כתוב ורחמיך כחות משעי ושר כי אמר המקום כי לא אחתין במוות הכחת כי אם בשובו מרחתו וחיה ואתם מאמינים כי בגוות רחמין יש משפחה לקמל שבים ואם כן ואין תעלה עול לבנכם שבא המקום כל כך באכזריות על אדם הראשון לחעשו בעלילה מעצחת בשביל נשיכת תפוח אחד לאכזו מן העולם הזה ולעולם הבא ולא הוא כלבר אלא כל חולדות אחריו יעור שהיו שוב בדבר שלו חיה נו רעה עדין כמו שנ' ותפקחנה עיני שניהם וידעו כי עירומים הם חה חיה פקחים העין החכמה ועל בחדחה הכל ומיחה אלף ידות בחולה כיצביחה ואין אלא נחולה כי שוש כמה שאול לבין חולו אתם מסרים .כמה נתנ רחמים עם כל מיחתי וכל כוחתו חסר ואמת נגר יצוו ובמטחון והיחות חללו אנו נאים בכל יום לפני כמו שאמר חד ונני ושו בחברין כתוב ורחמיך כחות משעי ושר כי אמר המקום כי לא אחתין במוות הכחת כי אם בשובו מרחתו וחיה ואתם מאמינים כי בגוות רחמין יש משפחה לקמל שבים ואם כן ואין תעלה עול לבנכם שבא המקום כל כך באכזריות על אדם הראשון לחעשו בעלילה מעצחת בשביל נשיכת תפוח אחד לאכזו מן העולם הזה ולעולם הבא ולא הוא כלבר אלא כל חולדות אחריו יעור שהיו שוב בדבר שלו חיה נו רעה עדין כמו שנ' ותפקחנה עיני שניהם וידעו כי עירומים הם חה חיה פקחים העין החכמה ועל בחדחה הכל ומיחה אלף ידות בחולה כיצביחה ואין אלא נחולה כי שוש כמה. i. *Dixit Dominus benedictus homini primo cum malediceret ei*, Spinam & tribulum germinabit tibi, & comedes herbam agri: *Vult id, quod propter peccatum ejus omnes nativ ab eo fiunt simpli & dura fronte, similes spinis & tribulis, juxta verbum illud Domini, loquentis ad prophetam*, Spinæ & irritatores tecum sunt, & cum scorpionibus habitas. *Et totum istud est à serpente, qui fuit diabolus Samael, qui immisit venenum mortiferum & corruptivum in Evam, causamque præstitit mortis ipsi Adam, dum comederet fructum.* Sunt rursum alii apud eos qui originale nostrum peccatum imputant terræ, & materiæ corporis. Scribunt enim sic, והוא חטף מצד מורכב מארמה כי מצד תוכיר ונעפי בא והחטא היחו מרכב מארמה כי מצד תוכיר ונעפי בא והחטא. h. e. *Peccatum corporis hinc est, quod est compositum ex terra, siquidem propter materiam ejus, atque corpus ejus, originem accepit peccatum.* Hi qui ita sentiunt non habent opus Salvatore animarum, sicut nec Judæi exspectant Meschiam, qui salvos ipsos faciat in anima, sed duntaxat eruat à moderna captivitate. At Euangelista noster aliud hic docet. Sed arguunt iterum Judæi, היאך אתם אומרים שלטרי בני אדם מן והחטא בא וכי להמיתם מן גיהנם ולכפר המעשים והנה והחטא בחיניתו חוטף החטא על הדורים שחלאחו לפני ולאחרת לא הדיו והחטא בכי מי שחלו אלוח. h. e. *Quomodo vos dicitis quod ad purgandum filios Adam à peccato venerit, & ut educeret eos de gehenna, expiaretque iniquitates, cum magis in sui occasione auxerit peccatum contra Judæos, eo quod suspenderunt eum, & ante eum atque post eum non commissum fuerit tantum peccatum, ut crucifixum fuerit Deum?* Non legit versus ille, aut non intellexit hunc Isaiæ 53. locum, *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & contritus propter scelera nostra.* Et item 49. ejusdem, *Leve ducam in hoc sit servus meus, resuscitans tribus Jacob, & reducens desolationes Israel, cum potius te dederim in lucem gentium, ut propagetur salus mea usque ad finem terræ.* q. d. Si renuunt Judæi credere & acceptare salutem, non refert; sat erit si plenitudo intret gentium. Non ergo Christus auxit peccatum, sed quales Judæos invenit, nempe cervicosos, infideles, rebelles, cæcos, & duces cæcorum, sic illi manere voluerunt, nec per sanam doctrinam, neque per miracula, imo nec per urbis & totius regionis devastationem à sua pervicacitate avelli potuerunt. Stat enim verbum Christi, *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos*, &c. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

23. *Ecce virgo impregnata*] Vexat ille Isaiæ locus supra modum Judæos: & mirum in modum sese torquent, ne admittant עלמה esse *virginem*: unde ajunt, אחרי הדוש הזא שקלטרה היה כחוך כל הארץ עיי בעולת איש חלא עלטרה אינה אלא עכא נעיה בחורה ואין חיא בלשון עבר בחולה הוקא. *Quale novum est quod puella fit gravida juxta morem universæ terræ; per copulam viri?* Nonne Alma *non est nisi nomen Puellæ electæ, & non significat absolute in lingua Hebraica* Virginem? His ita respondemus, הלטרה חזא בחולה שלא נשארת עוד לבעל כמו שני אצל רבקה וחלן הלטרה לשאוב מים וחזר כל עלמא פורה שרבקה בחולה היתה באותה שעה כי לא היתה נשארת עוד ליצחק וכן כתוב אצל מרים אחות משה וחלן הלטרה ועכי שבחולה היחה כי לא היתה רבקה רק שש שנים ושוד הכתוב בקבילה בחרטם יען שחסם של הלטרה מם כחובה וכחני לא חמצא בכל התורה אלא בידוי רבו חזא שהיא היתה בחולה קודם ליחה ואחר ליחה אבל מי חזא זה שילד בן ולא בן הבלחים. Sensus hujus responsionis est; Alma *est virgo, quæ non est nupta viro, sicut dicitur de Rebecca*, Et abiit puella ut hauriret aquam. Vide supra, à principio eadem scripsimus. De *Immanuel*, i. *nobiscum Deus*, non est ut multa hic dicantur. Locus est apertus, etiamsi Judæis cæcis sit obscurus, qui contendunt etiam Samuelem fuisse Deum, quando nos probare nitimur ex עמנואל *Immanuel* Christum fuisse Deum: ajunt enim שמואל idem esse quod שמו אל, i. *nomen ejus Deus*: sed quam illud quadret nostro proposito satis patet ex 1 Sam. 1. cum & Kimhi dicat morem esse sanctæ linguæ ut in nominibus propriis plerumque vel minuatur vel superaddatur una litera; ut נח à נחם *consolabitur nos*; & שמואל, *quia Domino שהלו postulavi eum.*

IN NOVUM TESTAMENTUM, *Primum ad Græcam veritatem, deinde ad vetustissimorum Latinæ linguæ codicum fidem, postremo ad probatissimorum Scriptorum citationem, & enarrationem quintum jam diligenter recognitum, cumque suis collatum fontibus, Annotationes* DES. ERASMI ROTERODAMI, *in quibus aperitur quibus locis nostra Vulgata editio cum Græcorum voluminibus vel congruat vel dissonet; ubi depravatior, ubi castigatior. Quod depravatum erat, emendatur: quod obscurum, explanatur: quod anceps & impeditum, expeditur: quod intolerabili solœcismo fœdum, restituitur. Et non solum id agitur ut castigata sit lectio, sed ne in posterum quoque facile depravari possit.*

EUangelium SECUNDUM MATTHÆUM] Εὐαγγέλιον Græce sonat *bonum nuntium*. Quanquam Homerus in Odyssea hoc verbo est usus pro præmio quod dari solet lætum adferenti nuntium. Igitur historiam Euangelicam nec *Prophetiam* vocavit, nec aliud simile; sed rem novam novo vocabulo signavit, quemadmodum & Christus *Apostolis* vocabulum renovarat.

1. *Liber generationis*] Nominativus est absolute positus, seu vice tituli. Nam Matthæus & Marcus prophetico more ingressi sunt Euangelicam historiam; siquidem Prophetæ solent à titulo exordiri, *Visio Esaiæ filii Amos*: &c, *Verba Hieremiæ filii Helciæ*. Ita & Marcus, *Initium Euangelii Jesu Christi*. Quanquam video Herodotum ad consimilem modum suam exorsum historiam, Ἡροδότου Ἁλικαρνησσέος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε. & Lucianum libellum de Astrologia, ἀμφὶ τῆς ἀστρολογικῆς ἐμπειρίας ut appareat gentis etiam fuisse consuetudinem. Quanquam hic titulus non est universi argumenti: nec enim complectitur summam historiæ Euangelicæ, sed initium ac fontem duntaxat. ¶ *Filii David, filii Abraham*, υἱὸς Δαυὶδ, υἱὸς Ἀβραάμ] Græcus sermo nonnihil habet ambiguitatis. Potest enim hic esse sensus, *Filii David, qui David fuit filius Abrahæ*. Potest & sic accipi ut intelligatur Christus esse filius utriusque. Porro *filium* vocat nepotem: quemadmodum fratres vocant Hebræi non solum iisdem prognatos parentibus, sed & alias ex eadem generis serie propagatos. Illud obiter adnotandum; Matthæum genealogiæ recensionem accommodasse iis quibus scripsit hoc Euangelium. Scripsit enim Hebræis, nimirum, ut creditur, Hebraice; quorum affectibus sciebat fore gratissimum, si perspexissent Christum esse filium Abraham ac David, quorum memoria apud illos erat sacrosancta, & ad quos de Christo præcesserat pollicitatio. Contra Lucas, quia Gentibus scripsit Euangelium, ad Adam, ad ipsum usque Deum porrigit genealogiæ seriem: ut intelligerent Christi gratiam non ad Judæos solum, sed ad universum quoque mortalium genus pertinere. Indicavit hoc & Chrysostomus. Porro David priorem nominat; non

non ſolum ob id quo commodius utraque repetitionem genealogiæ ſeries texeretur, quam cauſam reddidit D. Hieronymus; verum etiam quod hujus eſſet apud Hebræos & recentior & celebrior memoria, quod adſert Chryſoſtomus.

2. *Genuit Iſaac*, ἐγέννησε τὸν Ἰσαάκ] Græcus interpres, quiſquis is fuit (Nam authore Hieronymo, conſtabat olim hoc Euangelium à Matthæo ſcriptum Hebraice fuiſſe; quod tamen Chryſoſtomus non audet aſſeverare: *Sed dicitur*, inquit: quod quantumvis conſtet, ego tamen malim exſtare quam conſtare; etiamſi ſunt qui putent à Joanne verſum in linguam Græcam. Etenim quantum ipſe memoria conſequor, nuſquam Hieronymus evidenter indicat ſe vidiſſe Matthæi Euangelium Hebraice ſcriptum, maxime cum profitentur ſe quatuor Euangelia ad Græcam veritatem emendaſſe, eumque in hoc unum ſcripſerit commentaria. Tum quod in hoc Euangelio non pauca citentur ex libris V. Teſtamenti, quæ videantur ab ipſis fontibus diffidere: ut vel hæc occaſio compulſura fuerit Hieronymum ad archetypum Matthæi confugere; maxime cum id aliis in locis frequenter, non admodum gravi de cauſa, ſoleat, gaudeatque facere. Porro, quis ex Hebraico ſermone verterit in Græcum, ne id quidem uſſo modo cognitum. Adeo vacabat illa ætas omni ambitione. Sed ut cœperam, (quiſquis fuit interpres) Hebraicis nominibus diligenter ſuos addidit articulos: ut quoniam barbarica ſunt vocabula, nec ulla caſuum inflexione variantur, Lector hoc modo ſexum & caſum poſſet diſtinguere; τὸν Ἰσαάκ, ὁ τὸν Θάμαρ. Jam illud minutius videri poterat quam ut admoneretur, niſi nunc potiſſimum in eo negotio verſaremur, variare Græcos cod. in quibuſdam addi ν. ἐφελκυσμὸν, in pleriſque non addi; ἐγέννησεν, non ἐγέννησεν. Siquidem Attici perpetuo addunt, ſive ſequatur conſonans, ſive vocalis; Iones contra. Argumento eſt illud apud Ariſtophanem in Pluto, καὶ μάντις, ὃς φασὶν, σοφός. Etenim ſi φασὶ legas, non conſtabit metri ratio. Poſterioris exemplum eſt illud Homericum, ἡμὲν αἰχμητῆες pro ἡμὲν αἰχμητῆες· &, quod paſſim eſt apud Græcos, ἔσθ' ὅτε pro ἔστ' ὅτε. Proinde non eſt quod ea res magnopere moveat lectorem, ſive reperiat additum ν, ſive ſecus. Etiamſi nos commonuerim Græcorum linguam in hoc ſecuti ſumus, addito ν quoties ſequitur vocalis, omiſſo quoties ſequitur conſonans; præſertim cum videremus in hoc pleroſque Græcorum codices conſentire.

3. *De Thamar*, ἐκ τῆς Θάμαρ] *De Rhachab*, ἐκ τῆς Ῥαχάβ. Mirum cur interpreti Latino magis placuerit præpoſitio *de* quam *ex*. Quis enim dicitur *genuiſſe* aut *ſuſcepiſſe filium de illa*, ac non potius *ex illa*? Non quod neſciam alicubi reperiri *de* poſitum pro *ex* apud probatos authores. Verum & vitandum arbitror quod eſt inuſitatum: & ſtultum fuerit, ſi quis putet paſſim hoc licere quod uno aut altero loco ſibi permiſit ſcriptor aliquis. Quis enim ferat ſi quis dicat, *Cognovi de literis tuis*, cum Latine dicamus, *Cognovi ex literis tuis*? Cæterum Græci, quoniam non habent quo aſpirent vocalem niſi in principio dictionis, Hebraicam aſpirationem ח quomodo poſſunt exprimunt per χ ſic, ἐκ Ῥαχάβ. Et adeundem modum hodieque ſonant Judæi, ſicuti narrant Hiſpani, eam literam. Certe *Rhachab* ſcriptum comperi in bibliotheca illuſtriſſimæ D. Margaretæ, feminæ ſupra ſexus modum omni virtutum genere cumulatæ, planeque dignæ & Maximiliano patre, & Philippo fratre, & Carolo Cæſare, Ferdinandoque nepotibus: quorum alterum eo felicitatis evexit favor Numinis ut vix ab homine ſit optanda major felicitas, alter ſic ornatus eſt omnibus heroicis vereque regiis dotibus ut nulla poſſit accidere tam ingens fortuna quæ & veris & propriis illius bonis non videatur inferior. Atque utinam exemplum Margaretæ vel viri imitentur, malintque quod datur vacui temporis à negotiis lectione bonorum voluminum conſumere quam luſibus aut inanibus fabulis terere. Codex eſt inſignis, totus aureis conſcriptus literis: ſervatur Mechliniæ, ſi quis forte volet fidei meæ periculum facere. Indicavit & hoc Hieronymus alicubi. Theophylactus dubitare videtur an hæc fuerit Rhaab quæ exceperit exploratores Hebræos Hierichonte: ſic enim loquitur, *Putant quidam.*

6. *David regem*] Interpres addidit articulum τὸν βασιλέα, veluti diſcernens eum ab alio quopiam David qui non fuerit Rex, vel hoc agens ut hic inſignite Rex intelligatur; cum alios multos Reges commemoret, nulli tamen aſcribens regii cognominis honorem. At mox cum David repetit, inculcat ad eundem modum *regis* cognomen, articulo præmiſſo, ut recentem illius ac celebrem apud Judæos memoriam tituli quoque honore commendaret. Porro, ſi ideo addidit articulum quod hic primus omnium Rex fuerit eorum qui recenſentur in genealogia, ſufficiebat addere βασιλέα ſine articulo. ¶ *Ex ea quæ fuit Uriæ*, ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου] i. *Ex uxore Uriæ*; ſive, *ex ea quæ fuerat uxor Uriæ.* Nam in hujuſmodi Græcus articulus ſumitur vice nominis quod ſubauditur. Cum autem paulo poſt verbat τὸν τοῦ Ζεβεδαίου *filium Zebedæi*, quemadmodum ſcriptum comperi in nonnullis exemplaribus, quæ tandem erat religio hic vertere *uxorem Uriæ*? Illud adnotandum, cur maluerit hac nota ſignare Bethſabee quam proprio vocabulo, ſive quod res ipſa notior eſſet ipſo mulieris nomine, ſive quod ad myſterium Chriſti & Eccleſiæ pertinebat ejus facti refricuiſſe memoriam.

11. *In tranſmigratione Babylonis*] A nobis quidem ſatis percipitur ſenſus, ſed quibus ex Hebræorum annalibus cognitum eſt Judæorum gentem per Nabuchodonoſor regem Babylonem ductam fuiſſe captivam, ac rurſus per Eſdram ſuis ſedibus reſtitutam. Cæterum ex his verbis nihil aliud intelligi poteſt quam vel *Babylonem ipſam aliquo demigraſſe*, vel *Babylonem alios aliquo traduxiſſe*, ſi *tranſmigrationem* uſurpes active. Atqui ſermonis uſus in hoc adhibetur ut per eum cognoſcant diſcantque rem ii quibus antea fuerat incognita, non ut agnoſcamus ac divinemus quod prius noveramus. Recte monet Fabius, amphibologias eſſe vitandas, quoad fieri poteſt, etiamſi ſenſus nihil recipiat ambiguum. Veluti ſi quis dicat, *Video ſtruthiocamelum deglutire ferrum.* Nec enim periculum eſt ne ferrum deglutiat ſtruthiocamelum. Id igitur multo magis cavendum quoties anceps redditur ſententia, aut abſurda, aut nulla. De quo diligenter admonet Auguſtinus libro De doctrina Chriſtiana tertio. Verti poterat, *Poſteaquam demigratum erat Babylonem*; &, *Cum demigraſſent Babylonem*; aut, *Poſteaquam deducti fuerant Babylonem*, ſi cui placet μετοικεῖν uſurpare tranſitive, aut; *In demigratione Babylonica.* Quanquam planius etiam erat, *In exſilio*, ſeu *captivitate Babylonica*; &, *Poſt exſilium*, aut *captivitatem Babylonicam.* Siquidem Euangeliſta rei acerbitatem verbi lenitate temperavit, captivitatem & exilium *demigrationem* appellans, μετοικεσίαν, quod convenit & in eos qui ſua ſponte ſedes ac domicilia mutant. Et hoc quoque tempus quod actum eſt apud Babylonios imputari in rationem genealogiæ putat Chryſoſtomus. Porro *tranſmigrandi* verbum eſt apud Suetonium in Tiberio Cæſare: tametſi *demigrare* Latinius eſt; quemadmodum idem dixit *trànſportavit* pro *deportavit.*

12. *Jechonias genuit Salathiel*] Admonet D. Hieronymus, ſi Jechonias hic ad finem ſuperioris τεσσαρεσκαιδεκάδος referatur, in proxima non eſſe XIV ſed XIII duntaxat. Unde putat hunc Jechoniam, qui eſt pater Salathiel, non fuiſſe filium Joſiæ, quem in proxima ſerie penultimum recenſuit, ſed illius Jechoniæ filium: Cæterum *Jechoniam* vocari, qui idem vocetur *Jehoiachim*: verum patrem à filio diſtingui duabus literulis. Nam illum יהויקים *Jehoiakim* dici per ק & ם, i. per *k* & *m*; hunc יהויכין *Jehoiachin*, per כ *ch* & נ *n*. Tametſi fatetur hanc ſcripturæ differentiam apud Græcos pariter ac Latinos ſcriptorum vitio & longitudine temporum prorſus eſſe confuſam: alioquin & יעזבא *Bathſcheba* pro *Bethſabee* dicendum: unde ne nos quidem quicquam auſi ſumus immutare.

16. *Virum Mariæ*, τὸν ἄνδρα Μαρίας] Dicere poterat & æque Latine, & haud ſcio an verecundius, *maritum Mariæ.* Etiamſi non ſim neſcius, & apud Latinos inveniri *virum* pro *marito.* Nam hæc affinitatis ſunt nomina, non coitus. Quod ſi quis abhorret à vocabulo *mariti*, audiat Auguſtinum ita loquentem lib. adv. Fauſtum 23. *Primo*, inquit, *quia maritus ejus fuerat, propter virilem ſexum potius honoranda perſona. Neque enim quia concubitu non permixtus, ideo non maritus.* Porro quæ Valla cavillatur hoc loco de *Maria* & *Mariam*, minutiora judicavi quam ut his lectorem voluerim onerare, præſertim cum ſi qui forte requirant, ab illius commentariis per nos olim editis petere poſſint. ¶ *De qua natus eſt Jeſus*] Ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς, *Ex qua genitus fuit Jeſus.* Eſt enim paſſivum ejus verbi quod toties vertit *genuit*, ἐγέννησεν. Nihil enim eſt quod quenquam moveat ille ſcrupulus, improprie dici *gignere* mulierem, cum idoneis argumentis declaraverit Valla, tum apud Græcos, tum apud Latinos *gignere* & *gigni* tam mulieri competere quam viro. Nec abs re ridet in hoc loco quorundam inſcitiam, qui velut oraculum pronunciant diſcrimen inter has duas præpoſitiones *de* & *ex*, quaſi ſic loquendum ſit perpetuo, *Conceptus de Spiritu ſancto*, *Natus ex Maria virgine*; cum apud Græcos eadem ſit præpoſitio ἐξ, quam interpres ſuo arbitratu nunc *de* vertit, nunc *ex*, utcunque viſum fuerit. Certe hic locus palam refellit frivolam & commentitiam illorum diſtinctionem. ¶ *Qui vocatur Chriſtus*, ὁ λεγόμενος Χριστός] Quoniam apud Hebræos plures fuerunt hujus nominis, ut Jeſus filius Nave, & Ieſus ſacerdos, Idcirco cognomine addito diſcrevit à cæteris. Quanquam video doctos aliquot in hac eſſe ſententia, ut exiſtiment Servatoris noſtri *Jeſu* nomen nonnihil diverſam eſſe à Ducis Ieſu & Ieſu Sacerdotis vocabulo, quod Hebræis ſcribitur יהושע. Cæterum noſtri *Jeſu* nomen

iiſdem ſcribi literis quibus olim ineffabile Dei nomen ſignabatur, interpolita una duntaxat conſonante Sin. Quod utinam tam doceri poſſit ſolidis argumentis quam dictu plauſibile eſt & gratioſum auribus Chriſtianorum. Optarim equidem vel hanc unam ob cauſam exſtare Euangelium Matthæi verbis & literis Hebraicis ſcriptum. Quod ſi eſſet, nil negotii foret hanc de nomine *Jeſu* opinionem vel refellere vel aſſtruere. Porro, *Chriſtus* Græce *unctum* ſignificat, quo vocabulo Hebræi ſignant Regem; quod apud illos inungi ſoleant qui regni ſuſciperent honorem. Atque hoc nomine ſuum illum nimium jamdiu exſpectatum appellant nunc *Meſſiah* Hebræi, uno vocabulo ſimul & Regis & Sacerdotis dignitatem explicantes. Nam utrique communis eſt unctio, & utraque dignitas uni competit Chriſto. Illud tametſi leviculum eſt, tamen obiter admonuiſſe non abs re fuerit, Clericorum vulgus in templis primam *Chriſti* ſyllabam exilem ſonare, h. e. per Cappa, non per Chi: ut quoties Chriſtum vocandi caſu compellant, *criſtus* alloqui videantur, non *Chriſtum*. Atqui non offenditur ille barbariſmis; fateor, at idem non delinitur. Detur ſane venia iis qui per inſcitiam ſimpliciter erraverint: at ſi jure optimo tantum honoris defert Eccleſia huic nomini, ut eo pronunciato corpus inflectat, caput aperiat, genua curvet, qui ſit piæ mentis, non gravabitur, opinor, tantillum operæ ſumere ut voces illas ſacroſanctas, quantum in ipſo eſt, integre & emendate pronunciet. Et ſicuti Chriſtianæ manſuetudinis eſt, non acerbius inſectari convitiiſve percellere ſimpliciter errantium imperitiam, nec in hujuſmodi leviculis erratis atroces movere tragœdias; ita rurſus Chriſtianæ ſimplicitatis eſt eruditiorum monitis libenter obſequi. Alioqui ſi quis admonitus obſtinate perſiſtat in erratis, ac monitorem, cui gratiam debeat, ultro rideat & inceſſat; atque id denique poſtulet, ut illi ſecum errent potius, h. e. ut videntes cæcum ſequantur errantem citius quam ipſe errorem mutet, quis non intelligit quantum hic abſit ab illa Chriſtiana ſimplicitate cui venia debeatur? Et ſi Deus odit faſtuoſam peritiam, quantopere tandem credimus illum averſari ſupercilioſam & intractabilem inſcitiam? Non ferant ipſi, ſi quis pro *Petro Pheirum*, aut pro *Philippo Pilipphum* appellet; nec aliam ob cauſam id non ferant, niſi quia hic ipſi non ſoleant loqui; & tamen in iis in quibus fœdior eſt lapſus admoneri ſe non patiuntur.

17. *Omnes generationes*, πᾶσαι αἱ γενεαὶ] Græca vox πᾶς anceps eſt ad *omne*, ad *quidlibet*, & ad *univerſum*: unde hic magis quadrabat *univerſo*, quandoquidem ſignificatur rei ſumma. ¶ *Generationes quatuordecim*] Origenes in Commentariis quos ſcripſit in epiſtolam ad Romanos, & D. Hilarius in Expoſitione canonis in Matthæum, indicant à David uſque ad id temporis quo deducti ſunt Babylonem, non XIV ſed XVII deprehendi generationes: idque neque mendacio, neque negligentiæ vitio, ſed conſulto factum, ut tres in medio generationes præteritæ fuerint. Nam juxta Matthæum Joras genuit Ochoziam, cum iis quartus ab illo ſit. Siquidem ut refertur libro Regum quarto, Joras genuit Ochoziam, Ochozias Joan, Joas Amaziam, Amazias Oziam, quem eundem nonnunquam & *Azariam* vocant. Origenes contemnit literam, idque facit ſuo more. Hilarius ideo putat præteritas quod Joras ex gentili femina ſuſcepiſſet Ochoziam: Præterea quia per Prophetam erat prædictum, non ſeſſurum in throno Regni Iſraelis uſque ad quartam generationem, labem ethnici generis Euangeliſta voluit abolere ſilentio. Sed hæc ad inſtitutum proprie non pertinent, præſertim cum conſentiant omnium Græcorum & Latinorum exemplaria. Nam quod ſcribit Hilarius in quibuſdam inveniri codicibus, de Regum libris ſentit opinor. Verum hac de re diligentius tractat D. Hieronymus hunc enarrans locum. Illud expendat diligens lector, qui conveniat hic Euangeliſtam offenſum fuiſſe quorundam impietate, cum ante Ruth poſuerit, & uxorem Uriæ, & Rahab, ſcelere nobiles feminas.

18. *Chriſti autem generatio*, ἡ γένεσις] Mea ſententia rectius erat *natiuitas* quam *generatio*, vel ob id quod vitaretur amphibologia; etiamſi nobis non eſt ambiguum. Alioqui *generatio* non ſolum ad naſcentem verum etiam ad generantem pertinet. Et Latinius erat *Sic habebat* quam *ſic erat*, ſenſu nihil immutato. Leviculum eſt quod in Græcis cod. habetur *Jeſu Chriſti*, Ἰησοῦ Χριστοῦ. Suſpicor autem additum *Jeſu* vel à ſcriba, vel ex conſuetudine recitationis Eccleſiaſticæ. Nam neque Chryſoſtomus quicquam attingit de nomine *Jeſu*, cum de *Chriſto*, h. e. Meſſia, faciat mentionem. Et ad contextum ſermonis non perinde congruit additum *Jeſu* nomen. Sic enim habet, *Et a tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum generationes quatuordecim. Chriſti autem generatio ſic erat.* Repetitur vox *Chriſti* è proximo. Eleganter autem hac ora præfatiuncula excitavit auditoris animum, rem inauditam ac prodigioſam narraturus. ¶ *Cum eſſet deſponſata*] Deeſt apud nos conjunctio γὰρ, i. *enim*, μνηστευθείσης γὰρ. Quanquam ea nihil habet momenti, niſi quod enarrationem cum pollicitatione præcedenti connectit. Eſt autem apud Græcos vox ei rei quam declarat accommodatior, magiſque peculiaris. Siquidem illi μνηστῆρας vocant qui puellæ nuptias ambiunt, qui Latinis dicuntur *proci*: & μνηστεύειν, *tradere ſponſam proco*. ¶ *Mater Jeſu Maria*] *Mater ejus* eſt Græce. Nam *Chriſti* paulo ante meminit, ne videatur de alio quopiam ordiri ſermonem, τῆς μητρὸς αὐτοῦ. Atque ita ſcriptum legitur in pervetuſtis Latinorum exemplaribus, nominatim in duobus quæ mihi in ſecunda recognitione aderant, Paulino, & Gorſendonenſi: Itidem in aureo codice Margaretæ, conſentientibus quatuor vetuſtiſſimis exemplaribus quæ nobis præbuit collegium D. Donatiani Brugis. Et ad eum modum citat Origenes in homilia quæ vulgo legitur in cultu Eccleſiaſtico, variis nominibus explicans vim ejus pronominis *ejus*. Neque ſecus legit Chryſoſtomus hom. in Matth. 4. cumque hoc Theophylactus. ¶ *Priuſquam convenirent*, πρὶν ἢ συνελθεῖν] Verecundo ſignificat conjunctionem uxoris & mariti. Alioqui *convenirent* potius qui concordant, aut qui in eundem congregantur locum. *Congreſs* tamen & *congreſſum* legimus pro conſuetudine mariti & uxoris. Quanquam & *coire* quondam verbum verecundum poſtea factum eſt uſurpatione parum caſtum. Eos vero qui ex hoc loco ſumunt anſam inſaniendi, ut dicant Mariam poſtea more vulgari feminarum peperiſſe filios, abunde refellit Hieronymus ſcribens adverſus Helvidium, & Chryſoſtomus hunc ediſſerens locum. Denique ſuffragatur & Laurentius exemplis aliquot ex ethnicorum quoque libris in medium adductis. Nam id additum eſt ab Euangeliſta, non ut quod ſecutum eſſet ſignificaret, ſed ut inſuetæ rei miraculum aperiret: Perinde q. d. aliquis, *Judices de cauſa pronunciaſſe priuſquam cauſam cognoſcerent*; cum juxta ſolennem morem prius audiant judices quam ferant ſententiam. Qui ſic loquitur, non hoc ſentit, Judices cognoviſſe cauſam poſteaquam tulerint ſententiam. Ut igitur illic *priuſquam cauſam cognoſcerent* nihil aliud eſt quam *non cognita cauſa*, & *citra cauſæ cognitionem*, ita hic *priuſquam coirent* nihil aliud eſt quam *ſine congreſſu connubiali*, ſive *abſque coitu*. Ceterum ut res eſt geſta, ita narrat Euangeliſta, non ut ipſe noverat. Nondum intelligebat Joſeph myſterium: Gravidam videt, congreſſum non interceſſiſſe novit, & idcirco nondum Euangeliſta pronunciat virgineum eſſe conceptum, donec Angelum id aperientem producit. Quis enim hominum ſuſpicaretur mulierem è Spiritu cœleſti conceptiſſe fœtum humanum? Sed minus offendiculi habiturus erat ſermo, ſi veriſſet per præteritum tempus, *Priuſquam conveniſſent*, ſive, ut nos vertimus, *priuſquam congreſſi fuiſſent*. Siquidem mollius eſt, *priuſquam cognoviſſent cauſam, damnaverunt reum*, quam, *priuſquam cognoſcerent*. Jam enim magis videtur cognitio ſecutura. ¶ *Inuenta eſt in utero habens*, εὑρέθη] Cur non potius *deprehenſa eſt*, aut *certo reperta?* Nam *invenimus* quod quærimus: *deprehendimus* quod latebat, præſertim in flagitiis: *Reperimus* vel caſu obvia, vel præter ſpem oblata. Porro participium ἔχουσα vice verbi infiniti poſitum eſt. *Deprehenſa eſt habens*, pro eo quod eſt, *Deprehenſa eſt habere*. Annotavit ſuper hoc verbo nonnihil & Chryſoſt. hom. 4. ſignificans id reperiri quod novum, præter ſpem ac præter exſpectationem compertum ſit. Mirum eſt autem quam ob cauſam interpretem Latinum delectaverit ea ἐκφώνησις, *In utero habens* pro *gravida* ſive *pregnante*: cum hæc non ſolum idem ſignificent, ſed & verecundius. Nam *ferre uterum* dicunt Latini. Quanquam enim *in utero habere* Græcis eleganter & uſitate dicitur, at Latinis non item. Proinde Matthæus, aut hujus interpres Græcus, eleganter dixit, ἐν γαστρὶ ἔχουσα. Quandoquidem Athenæus libro Dipnoſophiſtarum 10. ſcribit in hunc modum de Iſchomachomimo, ἡ πλουσίου τινὸς ἐν γαστρὶ οὔσης, ἐπεὶ ὁ ἰατρὸς ἐπυνθάνετο μὴ ἐν γαστρὶ ἔχοι, Πῶς γε, ἔφη, τεταῖα μὴ βεβρωκυῖα; *Et cum pauperculæ cuidam doleret uterus, ac medicus interrogaſſet num in utero haberet, Qui poſſit, inquit, cum triduo nihil ederit?* Cavillum in hoc eſt, quod cum medicus ſentiret, num gravida eſſet mulier, mimus ex ambiguo ſumpſit anſam jocandi. Item Herodotus lib. 3. ſcribit Cambyſen regem Perſarum adverſus ſororem & eandem uxorem ἐμμανέντα ἐπιπηδῆσαι αὐτῇ ἐχούσῃ ἐν γαστρί, καὶ ἐκβαλεῖσαι τὸν καρπόν, i. *commotum irruiſſe in eam cum eſſet in utero habens, ac abortu facto mortuum eſſe.* Verum de hoc mox paulo plura dicemus. ¶ *De Spiritu ſancto*, ἐκ Πνεύματος ἁγίου] i. *è Spiritu ſancto*. Nihil eſt enim quod nos moveat factitia quorundam differentia. Quanquam hic quoque loco vir poſitus eſt Spiritus ſanctus. Siquidem lector audiens illam cum marito non fuiſſe congreſſam, & jam ferre uterum, ſtatim cogitaturus erat, Exquo igitur alio viro? Proinde

inde mox excludit hanc cogitationem, *Nemo vir*, inquiens, *ſed ex Spiritu ſancto.* Illud perpendat velim prudens ac vigilans lector, num hoc loco locus ſit diſtinctioni D. Auguſtini, quam tradidit lib. De natura boni, quem ſcripſit adverſus Manichæos, cap. 26. *Ex aliquo* recte dici quicquid *de illo* ſit, at non retrorſum. *Ex Deo* ſiquidem omnia ſunt, velut ab autore, at non *de Deo*, quod res conditæ non ſint participes ſubſtantiæ Divinæ. Sed humanus ille fœtus, quatenus erat humanus, juxta prædictam diſtinctionem accommodatius, opinor, dicetur *è Spiritu ſancto* quam *de Spiritu ſancto.* Certe apud Græcos eadem eſt præpoſitio quam nos nunc *de* vertimus, nunc *ex.*

19. *Cum eſſet vir juſtus*, δίκαιος ὢν] Quoniam Græcus ſententiam extulit per participium, liberum nobis reliquit addere conjunctionem quæ commodiſſime faceret ad ſenſum. Sed hæc vox *cum* magis aliquoties ſonat adverſum quiddam; ut, *Cum ſis pauper, tamen faſtu turges.* At hic ceu cauſam adducit cur noluerit illam traducere, *quod juſtus eſſet:* quaſi dixiſſet, *Joſeph, eo quod eſſet vir juſtus, noluit eam infamare.* Mire vero *juſtum* vocat ob id quod in jus trahere noluerit, neque punire, quod Lex punire jubet. *Juſtum* autem vocat, non ob unam virtutem, quæ prima eſt inter quatuor morales, ſed ob abſolutam omnibus numeris probitatem. Sic Ariſtot. in Ethic. *Juſtitia*, inquit, *in ſeſe virtutem amplectitur omnem*, & δίκαια pro quovis peccato uſurpant Sacræ literæ. Subnotavit hoc Chryſ. Nam prorſus raræ cujuſdam ac prodigioſæ probitatis erat, cum ſponſæ tumentem uterum & indubitata conceptus ſigna videret, nec expoſtulare cum uxore, nec quem apud affines, nec zelotypia diſcruciari, nec in jus ire, & ad pœnam rapere, ſed ſuos æſtus apud ſe duntaxat premere; tantum in animo ſecum de ſecreto divortio cogitare. Gravidam videbat, & myſterium, ut dixi, nondum noverat; quod mox ab Angelo diſcit. ¶ *Nollet eam traducere*, οὐκ ἤθελεν παραδειγματίσαι] Illud demiror hoc loco, qui factum ſit ut interp. Latino ſermonis politiem alias negligere ſolito tam elegans verbum in mentem venerit. Nam ad verbum vertendum erat *exemplificare*, ſive per periphraſim *exemplum facere.* Siquidem elegantior uſus hujus verbi fuit in cauſa ut celebres aliquot Theologi lapſi ſint hoc loco. Quorum de numero eſt haud aſpernandus Theologus Petrus Lombardus ἐπιφανὴς ejus operis quod vocant Sententiarum: quem arbitror equidem & probum fuiſſe virum, &, ut illa ferebat ætas, eruditum. Atque utinam illius labor tam feliciter ceſſiſſet orbi Chriſtiano quam ab illo ſuſceptus eſt pio ſtudio. Siquidem apparet illum hoc egiſſe, ut ſemel collectis quæ ad rem pertinebant, quæſtiones omnes excluderet. Sed ea res in diverſum exiit. Videmus enim ex eo opere nunquam finiendarum quæſtionum non examina ſed maria prorupiſſe. Is in quarto Sententiarum libro ſemel atque iterum ſic uſurpat hoc verbum quaſi tum ſponſus *traducat* ſponſam cum rem habuerit cum illa. Sic enim habet diſt. 27. *Quidam tamen aſſerunt verum conjugium non contrahi ante traductionem & carnalem copulam, nec vere eſſe conjuges aliquos niſi intercedat commixtio ſexuum.* Rurſum aliquanto poſt, *Sed quia nondum traducta, nec res uxoria interceſſerat*, i. *concubitus conjugalis.* Satis autem arbitror liquere, Petrum Lombardum conjunctionem & accipere interpretative. Alioqui ſi *traducere* dixit pro eo quod eſt *ſponſam in domum ſponſi deducere*, coitus intercedere poteſt ſine hac deductione, nec ſtatim cognoſcitur quæ deducta eſt. Exemplum eſt mater Domini Jeſu. Et hodie cum ſponſa eſt admodum puella, mos eſt ut ſponſus in unis ædibus annum unum habitet cum ſponſæ parentibus. Haud tamen inficior, *traducere* nativo ſignificatu eſſe alicunde alio ducere; quemadmodum Demea Terentianus *traduci jubet & matrem & omnem familiam.* Verum ibi Terentius non eſt uſus verbo connubiali, nec veriſimile eſt hunc autorem imitatum fuiſſe Terentium: ſed quoniam tantum Latine novit, nec id exacte, quod in Euangelio legerat *noluit eam traducere*, interpretatus eſt *noluit cum ea rem habere*, quia cogitabat divortium. Neque me fugit, quoſdam ſic hinc elabi velle, ut dicant *traductionem* hic accipi pro conſenſu ad cohabitandum; quod aliquanto etiam eſt abſurdius: Perinde quaſi quis refellens eum qui diceret *cucurbitam* ſignificare *tergum aſini*, neget ſignificare *tergum* ipſum, ſed ciſtellas tergo impoſitas. Quod ſi *traductio* eſt conſenſus ad cohabitandum, cur is ſeparatur à reliquis officiis conjugum? aut quod erit conjugium ſine conſenſu domeſticæ conſuetudinis? Denique cum hic conſenſus ſit mutuus, *traductio* tam ſponſæ tribuetur quam ſponſo. Quis autem unquam legit *traduci* ſponſum? Jam ubi apud Jureconſultos de matrimonio tractantes fit mentio *traductionis*? Quod ſi contendant ſponſam *traduci* cum in ædes ſponſi deducitur, jam Joſephus & Maria junctim in unis ædibus habitabant, imo Maria in ædibus Joſeph ſponſi ſui habitabat. Id quod clare teſtatur Chryſoſtomus hom. in Matth. 4. addens id veteri conſuetudine receptum ut ſponſæ in ſponſorum ædibus haberentur. Et aliquanto inferius in eadem homilia, *Neque enim*, inquit, *expellere de domo voluit, ſed à ſe tacite dimittere. Expellere de domo* vocat *traducere*, quod id citra infamiam ſponſæ fieri non poſſet, maxime cum eſſet gravida. Proinde res ſatis indicat, Petrum Lombardum, aut alium quem is ſecutus eſt autorem ex hoc loco ſumpſiſſe occaſionem erroris, qui intellexerit Joſeph ob ſuſpicionem adulterii noluiſſe coitu confirmare matrimonium. Pudendus quidem lapſus, præſertim in iis qui ſe totius orbis Doctores profiteantur, ſed ætati magis imputandus quam homini. Quid enim poterat eo ſeculo, quo prorſus exſtincta lingua Græca, maxima ex parte & Latina literis Hebraicis pluſquam ſepultis, obliteratis omnibus ferme vetuſtis ſcriptoribus, ſi quid erat explicandum ad Iſidorum velut ad ſacram ancoram confugiebatur? quem idem ſecutus *Metropolis* interpretatur à μήτρα *menſura* & πόλις *civitas*, cum Græce ſit μητρόπολις, & *Acolytos*, ſive, ut ego ſane legendum arbitror, *Aceluthos* (ſic enim Græci famulos à corpore vocant) interpretatur *ceroferarios*, aliaque conſimilia: niſi quod magis arbitror hæc à recentioribus aſſuta; qui fere mos eſt, præſertim in hoc ſcripti genere. Quin & illud demiror, quis indicaverit Nicolao Lyrenſi *traducere* idem eſſe quod *propalare.* Sic enim interpretatur. Et in gloſſa quam vocant Ordinariam adjecit nescio quis, *Pro traducere Græci habent Propalare*, perinde quaſi *propalare* Græca vox ſit. Hugo Cardinalis *traducere* interpretatur *in damnum ſuum ducere.* Quanquam multis argumentis colligere licet, temporum illorum pleroſque ſcriptores Græcorum etiam commentariis adjutos fuiſſe, qui tum fere quomodocunque verſi fuerant in Latinum ſermonem, ut ſuis indicabimus locis. Alioqui qui potuit Thomas divinare ex ea tranſlat. quid ſentiret Ariſtot. quam nec ipſe fuerat Ariſtot. intellecturus, etiamſi Romane calluiſſet? Neque vero damno quod aliorum monumentis adjuti ſint. Illud demiror, cur ceu data opera celant eorum nomina per quos profecerant: Magis autem, cur libri quoque ſuppreſſi ſint unde decerpſerant. Verum hæc alias. Coacervator Sententiarum videtur hallucinatus ex verbis Hieron. qui locum præſentem ediſſerens ſcribit in hunc modum, *Si quis fornicariæ conjungitur, unum corpus efficitur. Et in Lege ſcriptum eſt, Non ſolum reos, ſed & conſcios criminum, obnoxios eſſe peccato.* Quaſi Joſeph ideo noluerit Mariam traducere, h. e. conjungi cum ea, quod adulteram judicaret, ne fieret unum corpus cum ea. Atqui non illic agit Hieron. de conjunctione connubiali, ſed cauſam aperit cur Joſeph vir juſtus noluerit illam accuſare, & populi fabulam reddere, quod palam teſtantur ea quæ mox conſequuntur, nempe hæc, *Sed hoc teſtimonium Mariæ eſt, quod Joſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod evenerat, celat ſilentio, cujus myſterium neſciebat.* Eſt autem varius uſus apud Latinos hujus verbi *traducere.* Verum ut nullus elegantior, ita nec rarior alius, quam cum ſign. Promulgare quempiam, & in publicum vulgi ſermonem efferre. Sic enim Martialis,

Rideris, multoque magis traduceris, Afer,
Quam nudus medio ſi ſaltaſſere foro.

Et Arbiter Petronius, *Neve traducere velitis tot amicorum conſilia ſecreta, quæ vix mille homines noverunt*, h. e. Ne velitis in vulgus efferre. Appoſite uſus eſt hoc verbo Seneca in epiſt. ad Lucilium centeſima, *Volo luxuriam objurgari, libidinem traduci, impotentiam frangi:* quoniam enim libido latebris gaudet, ac lucem hominumque conſpectum fugitat, optat ut traducatur hic morbus, quo vel pudoris remedio ſanetur. Tranſlatum apparet ab iis, qui, quo conſpicui ſint omnibus, per celeberrima urbis loca producuntur, id quod victis aut facinoris alicujus damnatis ignominiæ cauſa fieri ſolet. Ita Livius lib. ab Urbe condita 2. *Vos omnibus civibus, peregrinis populis ſpectaculo abeuntes fuiſſe, veſtras conjuges, veſtros liberos traductos per ora hominum.* Utitur in eundem ſenſum Tranquillus in Veſpaſiano. D. Chryſoſtomus hunc ediſſerens locum apertiſſime vim indicat hujus verbi, cum ait, *Non ſolum noluit eam damnare, ſed ne publicare quidem.* Nam hoc verbo uſus eſt interpres Chryſoſtomi, cum pro *damnare* ſit κρῖναι, pro *publicare* παραδειγματίσαι. Rurſum idem verbum *traducere*, *in judicium trahere*, item *publicare*, & *in judicium tradere* interpretatur. Nec ab hoc multum abhorret Hilarius, qui παραδειγματίσαι putat eſſe *legem exemplum edere in quempiam.* Sic enim ait in Expoſitione canonis quem compoſuit in Matthæum, *Quia juſſum ipſe nollet in eam lege decerni.* Quin Num. 25. quod noſtra habet editio, *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis*, D. Auguſtinus juxta illius regionis editionem legit hunc in modum, *Oſtenta Domino duces populi contra ſolem.* Cæterum quod ille vertit, *Oſtenta*, Græcus verterat παραδειγμάτισον, *velut in exemplum ede*, quo cæteri hoc exem-

plo terreantur. Idem hunc ipſum adducens locum epiſt. 54 pro *traducere* legit *divulgare*. Quin & D. Ambroſius enarrans Pſalmum, *Beati immaculati*, ſerm. 7. palam à nobis ſtat, ſcribens hunc in modum, *Quia juſtus ſeipſum accuſare malit quam alium deformare. Denique de Joſeph cui deſponſata erat Maria mater Domini, ſcriptum eſt, quod cum eam gravem utero vidiſſet, cum eſſet juſtus, noluit eam traducere: & utique nullum adhuc audierat oraculum. Itaque non ſolum ab ultionis atrocitate, ſed etiam ab accuſationis ſeveritate juſti aliena perſona eſt; potiuſque ducit ſuam remiſſionem accuſari, quod non indicaverit, quam alienum crimen arguere.* Atque his omnibus conſentiens Theophylactus Bulgarienſis Epiſcopus, Græcus interpres N. Teſtamenti, παραδειγματίσαι, inquit, τὴν ἐξ φανερῶσαι καὶ κολάζεσθαι, *id eſt, Palam facere, ac Punire.* Denique eſt quidem anceps Latina vox, ſiquidem nonnunquam *traducit* qui in diverſam ducit partem. Sic enim uſurpavit tum Cicero, tum Suetonius. Atqui Græca vox non patitur ut huc confugiamus. Sed ob morioſos quoſdam diutius immoror his evincendis quam eruditus lector laturus ſit. Senſus igitur eſt, Cum Joſeph eſſet vir probus, videretque ſponſam gravidam, nec tamen mores ejus paterentur ut poſſet adulterium credere, celandum eſſe duxit quod admirabatur. Quanquam reperio Theophylactum in hac eſſe ſententia, ut dicat Joſeph ob id clanculum voluiſſe divertere, quod ſe judicaret indignum conſuetudine conjugis quæ jam è Spiritu cœleſti concepiſſet. Verum hæc interpretatio coactior eſt. Nam ſi complexim legas, *Reperta eſt*, nimirum ab Joſeph, *in utero habens è Spiritu ſancto*, ut ſit ſenſus, Jam tum fuiſſe compertum Joſeph quod ſponſa conceperat, non ex ullo viro, ſed è Spiritu, quorſum poſtea opus fuit Angelo qui moneret in ſomnis? Porro, cum hanc addit cauſam cur timere non debeat, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, ſatis indicat metum Joſeph non è reverentia, ſed vel è ſuſpicione (quod non veritus eſt dicere Chryſoſtomus) vel certe ex admiratione fuiſſe profectum. Alioqui ex ſermone Angeli magis debuerat timere, certior factus de myſterio cœleſti. Quod ſi cui durius dictum videtur, Joſeph quicquam addubitaſſe de caſtitate Mariæ, is audiat Auguſtinum durius etiam loquentem in epiſt. 54. ad Macedonium, *Unde Joſeph, cui mater Domini fuerat deſponſata, cum eam comperiſſet eſſe pragnantem, ex ſe noverat non eſſe commixtum, & ob hoc nihil aliud quam adulteram credidiſſe, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitii fuit.* Item Ambroſius De inſtit. virginis, *Quid autem*, inquit, *præjudicat Mariæ, ſi cœleſtis conſilii myſterium Joſeph non intellexit, & putavit virginem non eſſe quam pragnantem videret?* Uſus eſt *traducendi* verbo duobus in locis D. Paulus Apoſtolus in epiſt. ad Coloſſenſes c. 2. Ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, i. *Exſpolians principatus & poteſtates traduxit confidenter:* quod victi ſoleant in triumphis circumduci, palamque oſtendi populo. Et in epiſt. ad Hebræos c. 6. ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ παραδειγματίζοντας. Interpres proximo loco vertit *traduxit*: hic vertit *oſtentui habentes*. Quanquam mihi ſane nonnihil intereſſe videtur inter δειγματίζειν & παραδειγματίζειν, ſiquidem δειγματίζειν eſt ſimpliciter *Exempli cauſa oſtendere*; παραδειγματίζειν, ob præpoſitionem additam, in malam partem ſonat: Etiamſi utrumque deducitur à δεῖγμα, quod eſt *exemplum*; & δεῖγμα à δείκνυμι deductum eſt, quod eſt *oſtendo*. ¶ *Occulte dimittere*, λαθραῖον] Græcis ambiguum eſt verbum. *Dimittimus* exercitum inſtructum, *dimittitur* ſenatus, *dimittitur* concio, cum unicuique poteſtas ſit quo velit abeundi. *Dimittimus* & amicum volentem proficiſci. At hoc loco Latinius ſimul & apertius erat *amittere à ſe*, ſive *repudiare*, ſive *divortium cum ea facere* (id enim ſenſit Euangeliſta) idque clanculum, quod palam non poſſet citra periculum ſimul & infamiam uxoris. Etiamſi me non fugit apud Suetonium *dimiſſam* dici quæ ſit repudiata. Neque par eſt quenquam offendi ceu duriore verbo *repudiandi*, cum Hilarius eruditus juxta ac pius autor non veritus ſit uti duriore. Sic enim ait exponens canonem Matthæi, *Volenti eam abjicere.* Id nimirum atrocius eſt quam *repudiare.*

20. *In ſomnis*, κατ' ὄναρ] i. *per ſomnium.* Quanquam ſenſum eleganter expreſſit interpres. Nam quod in ſomnis apparet, per ſomnium appareat, neceſſe eſt. Nec eſt apud Græcos *apparuit Joſeph*, ſed *apparuit illi.* Certe *ei* legitur in emendationibus noſtris, nominatim in aureo Codice. Nam liceat interim hac nota ſignificare librum quem diximus eſſe in aulica bibliotheca Mechliniæ. ¶ *Accipere Mariam conjugem*, παραλαβεῖν] i. adjungere in conſuetudinem vitæ. Iam enim acceperat, ſed divortium meditabatur. Rurſus interpres abhorruit à vocabulo *uxoris*, cum Euangeliſta non vereatur Ioſeph *patrem* vocare *Jeſu*. Certe D. Hieronymus *uxorem* legit, non *conjugem*: Id quod & interpretatio illius declarat. Excuſat enim *uxores* in Divinis literis aliquoties dici quæ ſponſæ ſint. Alioqui Græci *ſponſam* appellant νύμφην. Porro γυνὴ Græcis nunc *uxorem* ſonat, nunc *quamcunque mulierem.* Chryſoſtomus hom. in Matthæum 5. indicat nomen hoc parum competere in virginem, ſed tamen crebro tributum ab Euangeliſtis, quo myſterium celarent, & arcerent ſtupri ſuſpicionem. ¶ *Quod enim in ea natum*, τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθέν] i. *genitum.* Sic enim appellat id quod conceptum eſt in utero, & nondum enatum. *Natum* enim dicitur etiam id quod quocunque modo corpit eſſe. Nos tamen *conceptum* vertere maluimus, ne quem torqueret ſermo minus uſitatus. Porro *natum* hic poſitum pro *conceptum* fatetur & indicat D. Auguſtinus l. 1. Quæſt. in Gen. & Tertullianus lib. De carne Chriſti. Nam ex hoc loco inſanus Valentinus dicebat Chriſtum natum *per virginem*, non *ex virgine*, cum paulo ſuperius Matthæus non abhorruerit ab hac præpoſitione, *Joſeph genuit Jacob virum Mariæ, ex qua natus eſt Jeſus.* ¶ *De Spiritu ſancto*, ἐκ Πνεύματός ἐστιν ἁγίου] i. *è Spiritu ſancto eſt*, ſive, ut nos vertimus *à Spiritu ſancto profectum eſt:* ut autorem indicet præpoſitio. Jam diximus quod recentiores aliquot Theologi ingens myſterium ſubeſſe volunt in huſce præpoſitionibus *ex* & *de*; cum apud Græcos eadem ſit præpoſitio, apud nos diverſa, tantum quia libuit interpreti, qui frequenter affectat varietatem ubi nil opus.

21. *Pariet autem filium*] Annotavit Chryſoſtomus non eſſe dictum, *Pariet tibi filium*, quemadmodum ſolet dici patribus: Et tamen dictum eſt, *Vocabis nomen ejus Jeſum:* quod autoritas imponendi nominis ſoleat eſſe penes maritum. Id tametſi videtur à ſuſcepto negotio alienius, tamen admonere viſum eſt, quod ad tuendam lectionis integritatem pertinere videretur. ¶ *Et vocabis nomen ejus Jeſum*] Vel hic refelli poteſt Judæorum noſtræ tempeſtatis veſania, qui volunt Chriſto diverſum fuiſſe nomen à nomine Ducis Joſue & Joſue Sacerdotis. Certum eſt enim יהושע, ſive additis duabus literis Vau & ה יהושוע, Hebræis ſonare *ſalutem.* Et Angelus vocabuli rationem exponens, *Ipſe enim*, inquit, *ſalvum faciet populum ſuum.* Id quod annotavit & Hieronymus, & D. Chryſoſtomus hom. 1. teſtatur in ipſo ſtatim Euangelii frontiſpicio, *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David*, ſtudio ab Euangeliſta additum *Chriſti* cognomen, ut eo diſcerneretur à Duce Joſue. Rurſum additum, *Filii David*, quod ille Joſue de tribu David non fuerit. Porro, ſi nomen erat diverſum, quorſum attinent hæ notæ nomen à nomine ſecernentes? Cæterum Latinius erat *à peccatis ſuis* quam *eorum.* Verum interpres opinor, vitavit amphibologiam; ſed dum vitat hoc incommodum, in aliud incidit incommodum. Neque vero periculum erat ne quis acciperet Jeſum liberaſſe ſuos Judæos à ſuis ipſius peccatis. Medium erat *à peccatis ipſorum.*

22. *Per prophetam dicentem*] Sermo Græcus bifariam accipi poteſt. Altero modo ſic, *Ut impleretur quod dictum erat à Domino, qui locutus eſt per prophetam.* Altero ſic, *Ut impleretur quod dictum erat à Domino per os prophetæ, cujus hæc ſunt verba.* Hæc amphibologia Græcis hinc naſcitur, quod utraque præpoſitio ὑπὸ & διὰ, i. *à* & *per*, eundem nominis caſum aſciſcunt; τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου, διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος. Verum poſterior ſenſus mihi magis probatur, quod videam hanc ſermonis figuram ſolennem eſſe Sacris literis quoties aliena verba recitant. Id quod Latini faciunt per *inquit*, & *inquam.* Jam verbum *impleretur* pro *perficeretur*, ut ignotum eſt Latinis auribus, niſi cum ſentimus addi quod deerat rei conſummandæ, ita ex Hebræi ſermonis proprietate relictum eſt. Quod genus permulta licebit in Apoſtolorum literis animadvertere.

23. *Ecce virgo*, ἰδοὺ ἡ παρθένος] Apud Prophetam Hebr. nomen eſt, non בתולה *Bethula*, quod proprie *virginem* ſign. & *intactam viro*, ſed עלמה *alma* ſive *alama*, quod *puellam* ſive *adoleſcentulam* ſign. Hoc ætatis eſt nomen, illud integritatis. Cæterum Hieronymus negat uſquam inveniri in V. Teſt. vocabulum *alma* niſi de virgine. Certe Gen. 24. Rebeccam adhuc virginem *alma* vocat. Et Deut. 22. lex punit raptorem *alma* i. *puellæ*, haud dubium quin de virgine ſentiens, quem locum adducit & Origines adverſus Celſum. Proinde Lxx vocem hanc interpretati ſunt ἡ παρθένος, i. *virgo*, cæteris licet omnibus *puellam* interpretantibus. Quanquam apud Hebræos vox eſt anceps, ut quæ tum *puellam* ſignificet, tum *abſconditam*, quod עלם *alam* Hebræis ſonet *abſcondit.* Unde quod in titulo noni Pſalmi poſitum eſt לעלמות, pro quo cæteri interpretes tranſtulerunt, *Pro adoleſcentia*, Lxx tranſtulerunt, *Pro abſconditis*, ut *alma* non ſolum *virginem* ſignificet, ſed κατ' ἐξοχὴν *virginem abſconditam*, & à virorum conſpectu ſeclusam. Qui mos & hodie fere manet Italis. Quin & Punica lingua,

gua, quam nonnulli volunt ab Hebræis ortam, *alma* Virgo dicitur. Nam quod adjecit Hieronymus, Latinis quoque quod ſanctum ſit *almum* dici, joco verius quam ſerio locutus videtur. Neque enim ſi in tot millibus vocum una aut altera caſu conveniat, continuo videri debet linguarum commercio fuiſſe factum. Neque tamen *alma* vocabulum competit in quamvis virginem; poteſt enim & anus eſſe; ſed in eam virginem duntaxat quæ puella ſit, & jam nubilis, ac nondum nupta, h. e. cognita viro. Verum ſi cum contentioſis agatur, quantumvis conſtet *alma* ſignificare *virginem*, non tamen evincemus ex his verbis Virginem fuiſſe quæ conceperit. Sic enim de infantula liceat loqui, *Hæc pariet liberos*; at non protinus pariet infantula. Verum cum ceu novum ſignum pollicetur Deus, quid novi fuerat ſi quæ prius erat virgo poſtea congreſſa viro, conciperet ac pareret, id quod eſt omnium communione? Poſtremo nec illud arbitror negligendum, Non dictum eſſe ſimpliciter παρθένος, ſed ἡ παρθένος· ut non de quavis virgine poſſit accipi, quod nihil erat monſtri, ſed certa quapiam: ut inſignis virgo denotetur quæ ſit paritura. Proinde vertendum erat, *Ecce virgo illa concipiet.* Ad quem modum nos locis aliquot articuli vim expreſſimus. Et in apud Hebræos hoc loco præpoſitum articuli vim habet. ¶ *In utero habebit*, ἐν γαστρὶ ἕξει] Præo quod eſt, *Gravida*, ſive *pregnans*, *erit*. Nam apud Eſaiam cap. 7. unde locus hic citatus eſt, הרה habetur, quod D. Hieronymus *concipiet* vertit, cum tamen Hebræa vox hic videatur eſſe præſentis temporis. Cæterum D. Hieronymus hunc enarrans locum legiſſe videtur ἔχει præſentis temporis, non ἕξει futuri; quaſi Propheta ceu rem futuram prædixerit, & ob id ſcripſerit *accipiet*, Euangeliſta reſpexerit ad id quod jam erat factum, eaque gratia ſcripſerit *habet*. Quod verbum tametſi præſentis ſit temporis, tamen reſpondet verbo præteriti temporis. Neque enim aliud pollet *habet in utero* quam *concepit*. Oſtendit Hieronymus ſimile quiddam factum à Paulo, qui cum adducat teſtimonium Pſalm. 68. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, accipiet dona in hominibus*; *Accipiet* futuri temporis verbum verterit in *dedit*. Atqui haud ſcio an hic locum habeat illa Hieronymi excuſatio, quod quæ Propheta prædixerat futura, hic narrat facta, cum Matthæus ipſum Prophetam adducat ſuis verbis loquentem, *Ut impleretur*, inquit, *quod dictum fuerat à Domino per prophetam ita loquentem.* Poſtremo, ſi Euangeliſta narrat id quod geſtum eſt, non dicendum erat *habet in utero*, ſed *habuit*. Jam enim Maria deſierat eſſe gravida. Hi nodi non video qui poſſint explicari, niſi ſuccurrat Hebræi ſermonis proprietas; quem quiſquis ignorat, multis in locis aut hæreat aut impingat neceſſe eſt. Hic quoque locus argumentum præbet, Hanc editionem qua vulgo utimur, tum nec in uſu fuiſſe Hieronymo, nec ab illo caſtigatam. Nam ſi uſus fuiſſet, legiſſet & hic, *habet*: Si caſtigaſſet, haberemus quod ille probat, ac ſequitur. Verum, ut pace Hieronymi dicam, cur magis reſpexit hunc in *habebit* quam in *pariet*, ubi tempus futurum relinquitur? Aut quid peractum eſt Paulo, poſtea quam mutavit *accipiet* in *dedit*, cum *duxit* præteriti temporis verbum maneat? Nam ſi Prophetæ ſcribentis tempus reſpicias, nondum Chriſtus aſcenderat multum, neque captivam duxerat captivitatem. Hæc attingere viſum eſt, quo præberem eruditis ac ſtudioſis qualemcunque veſtigandi occaſionem. Sed interim in mentem venit, hunc quoque locum depravate legi in Commentariis hujus loci. Nam ſciolus aliquis, audiens fieri mentionem futuri, mutavit *accepit* in *accipiet*; *Accipiet dona in hominibus*; cum & juxta Lxx. ſit ἔλαβεν, & juxta veritatem Hebraicam ſimiliter verterit Hieronymus. Nec aliter citat hunc locum Epiſt. ad Epheſ. cap. 4. Non animadvertit autem rationem futuri temporis non eſſe in voce verbi, ſed in re. Nam qui accepit elargienda, nondum elargitus eſt; ut quæ concepit, nondum peperit. Similis error quendam impulit ut hoc loco mihi gravem moveret tragœdiam. Non gravabor autem & hoc indicare lectori pio, locum hunc in Commentariis Hieronymi, in omnibus quæ viderim exemplaribus, haberi depravatum, etiam in hac quantum licuit elaboratiſſima editione Baſileenſi. Lectio reſtituetur ad hunc modum, *Sed propheta quia futura prædicit, ſignificat quid futurum ſit, & ſcribit, Accipiet: Euangeliſta, quia non de futuro, ſed de præterito narrat hiſtoriam, mutavit, Accipiet, & poſuit Habet. Qui enim habet, nequaquam acceſſurus eſt.* Certe ex hac clauſula, *Qui enim habet, nequaquam acceſſurus eſt*, palam eſt Hieronymum legiſſe *habet*, non *habebit*. Idem mendum eſſe videtur in Commentariis quibus enarrat 7. caput Eſaiæ. ¶ *Et vocabitur nomen ejus*, καλέσεται] i. *Vocabunt*, non *vocabitur*. Atque ita ſcriptum comperitur in antiquiſſimis ſimul & emendatiſſimis Latinorum exemplaribus. Quin & Hieronymus Commentariorum in Eſaiam lib. 3. & illud adnotavit, Euangeliſtam nonnihil immutaſſe de verbis hujus prophetiæ; quippe qui pro ותקרא, quod Hebraïs ſonat, *& vocabit*, in maſc. ſive *vocabit*, in fem. ut referatur ad ipſam quæ peperit virginem, *vocabunt* mutarit. Nam *vocabunt* legit & Origenes, teſtimonio hoc utens adverſus Celſum. Et Chryſoſtomus clariſſime teſtatur *vocabunt* eſſe legendum, hom. 5. *Sed, Vocabunt*, inquit, *ponens, multitudini innumero Matthæus reſpexit populi perſonam; cujus illa vox eſt*, NOBISCUM DEUS, *nimirum ſibi gratulantis de tali partu.* Qua de re nonnihil etiam meminit Theophylactus Bulgarienſis Epiſcopus, Græcus interpres, etiamſi recentior, haud aſpernendus tamen. ¶ *Emanuel* autem Hebræis ſonat *Nobiſcum Deus*. Nam עמנו *nobiſcum*, עם Deus, מנואל *Nobiſcum Deus*. ¶ Cæterum *quod eſt interpretatum*, quoniam inuſitatior eſt ſermo, nec amphibologia carens, nos periphraſi malumus reddere, *Quod ſi quis interpretetur, ſonat, Nobiſcum Deus.*

24. *Exſurgens autem Joſeph*, διεγερθεὶς] i. *experrectus*, ſive *expergefactus*, aut *excitatus*. Quanquam hujus verbi uſus ad tria ſolet accommodari, ad eum qui ſurgit, qui reviviſcit, & qui expergiſcitur. ¶ *Et accepit conjugem*] h. e. adjunxit ſibi. Pugnat enim παρελάμβανεν cum eo quod eſt ἐπέλυσεν, i. *reſpicere*. Sic enim uſus eſt & D. Paulus ſcribens ad Romanos cap. 14. Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε, i. *Eum qui infirmus eſt fide, ne rejicite, ſed admittite, & adjungite vobis.*

25. *Filium ſuum primogenitum*, τὸν πρωτότοκον] Græcus articulus favere videtur Helvidianis, qui ſic additur quaſi diſtinguat hunc filium à cæteris: ſed magis accipiendus interpretative, pro eo quod eſt *qui eſt primogenitus*: ut intelligas eundem illum filium de quo prius eſt locutus & quem è Spiritu dixit conceptum. Eadem de cauſa addidit αὐτῆς, *ſuum*. Alioqui quæ mulier parit alienum filium? Ut interim ſileam de myſterio quod ſubeſt in vocabulo *primogeniti*. ¶ Cæterum quod ait, *donec peperit*, Latinius erat *donec peperiſſet*. Ex his quoque verbis Helvidiani venantur erroris ſui patrocinium, haud animadvertentes Hebræi ſermonis proprietatem. Ad eundem modum legis de corvo emiſſo Gen. 8. *Qui egrediebatur, & non revertebatur donec ſiccarentur aquæ ſuper terram*; cum ſignificet avem nunquam fuiſſe reverſam. Quanquam hac de re ſuperius item nonnihil attigimus. Porro cum extra controverſiam ſit hic ἐφύλαξεν verecundiæ cauſa poſitum pro *coiit cum ea*, coactum ac frigidum eſt quod quidam commenti ſunt, Ante partum non cognovit quantæ dignitatis eſſet, poſt partum viſus miraculis cognovit illam eſſe toto mundo ſuperiorem.

VATABLUS.

EUangelium] i. Liber continens bonum ſive jucundum nuntium adventus Chriſti promiſſi, cujus ſcriptor fuit Matthæus.

1. *Liber generationis*] i. Catalogus ſive enumeratio eorum à quibus genus duxit Chriſtus ſecundum carnem. ¶ *Filii David*] *Filius* pro eo qui genus ducit ab aliquo.

11. *Jechoniam*] *Joacim. Joacim autem genuit Jechoniam*, vide 4 Reg. 23. 34. & 24. 5. Hic Jechonias, qui ſic appellatur 1 Par. 3. 15. dicitur Joachim 4 Reg. 24. 5. 2 Par. 36. 8. ¶ *In tranſmigratione Babylonica*] Vel, in exſilio Babylonico, ſive inſtante exſilio, aut in deductione in Babylonem: ſic infra.

17. *Generationes*] i. Omnes geniti.

18. *Conveniſſent*] Scil. in eandem domum. Nam deſponſa quidem erat Maria, ſed nondum à Joſepho domum ducta; ideo Angelus dicit, ne metuat eam adjungere ſibi, i. deſponſam ducere. ¶ *Inventa*] vel, *deprehenſa*. ¶ *Gravida*] Gr. *in utero habens.*

19. *Traducere*] Vel, *infamare*. ¶ *Repudiare*] Dimittere.

20. *Habente*] Verſante. ¶ *Apparuit*] Viſus eſt. ¶ *Genitum*] Conceptum.

23. *Pregnans erit*] Gr. *in utero habebit.*

25. *Donec*] Similis loquendi modus 2 Reg. 6. 23. *Michol filia Saul non eſt natus filius uſque in diem mortis ſuæ.*

CASTALIO.

SCiendum eſt, ita Novum Fœdus Græce ſcriptum eſſe ut Hebraica ſit dictio; quo fit ut pleraque quæ in Hebræo ſermone eſſent facillima, eadem in Græco iis qui Hebraice non didicerint, non ſolum ſint obſcura, ſed etiam aliud interdum quam quod vult autor ſignificare videantur. Hinc fit ut multis verbis exponendæ ſint pleræque ſententiæ, ad quas, ſi Latino more Latine dicerentur, nulla opus eſſet interpretatione. Adde quod ut quæque gens ſuis moribus, ſic quæque lingua ſua delectatur loquendi conſuetudine, peregrinitatis inſolentiam refugit.

Hæc

Hæ duæ cauſæ mihi & circa perſpicuitatem & circa Latinitatem elaboranti ſatis magnæ viſæ ſunt quamobrem hoc opus ſic converterem ut Hebraiſmos evitarem.

1. *Enumerato generis*] Hoc primo fronte nonnemo judicabit inſolens: clamabit malle ſe, *Liber generationis*, quippe aſſuetus. Sed ſi quis Latine doctus hæc verba nunc primum legat, agnoſcet ille quidem verba Latina, ſed ex quibus rem aut non intelliget aut perperam intelliget. Nam his verbis hæc ſuberit ſententia. In hoc libro ſcribitur quomodo generatus ſit Jeſus: quæ non eſt Matthæi ſententia. Deinde, ſi vis ſignificantem & perſpicuam eſſe orationem, *Liber* non declarat enumerationem ſive nomenclaturam aut librarium, quod Hebræi vocant ספר, id quod interpretans hic autor vocat βίβλον· neque *generatio* eſt majorum ſeries & genus, ſed Latinis eſt gignendi actio, quam γενεσις verbo non ſignificat Matthæus: declarat enim eam quam Græci γενεαλογιαν appellant. Vides hic non parum intereſſe quibus, quamvis totidem verbis quamque rem dicas. Item quod mox ſequitur, τῷ Δαβὶδ, *filium* vertunt *Davidis*. At verbum בן, unde id ductum eſt, commune eſt & *naturum & prognatorum*; ſicuti ſæpe ſignificant Hebræi ſimplici uno verbo quod nos multis compoſitis: ex quo fit ut in vertendo habenda ſit ſententiæ ratio. Item *filius* Latine dici non ſolet pro eo qui per multos generis gradus ab aliquo ortus eſt. Item quod toties repetitur ὁ & ἐγέννησε, Hebraicæ conſuetudinis eſt, quam nobis (cum ea nihil ad rem faciat) in Latino ſermone retinere non eſt neceſſe. Item illud, διὰ τὴν μετοικεσίαν, poſitum eſt pro αἰχμαλωσίας, ut ſæpe fit in Vet. Teſtamento, ex גלה, quod *exſilium* eſt. Et illud, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς, pro τὸ πρίν. Et μνηστευθείσης τῆ, ſupervacuum eſt τῆ in Latino ſermone. Item illud, ἰδοὺ, γὰρ κλήσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ, pro ἡ κλήσις τὸ ὄνομα. Item, τὸν λαὸν αὐτοῦ, *ſuos*. Denique innumerabiles ſunt hujuſmodi loci, quales hic aliquot breviter perſtrinxi; non ut idem deinceps ubique faciam (nam id eſſet infinitum) ſed ut, cum tales paſſim deinceps occurrent, intelligatur me, quod hic fecerim, idem illic potuiſſe, ut omnium rationem redderem; ſed partim propter prolixitatem noluiſſe, partim minus neceſſarium judicaſſe.

19. *Nec in eam vellet exemplum edere*] h. e. publice ſupplicium ſumere, quod fieri lex jubebat in adulteras. Quod ſi cum ea clam divortium feciſſet, putaretur vitiata cœlebs: nam ſponſalia, quæ fieri ſolent intra privatos parietes, poterant celari. Ita vitaſſet Joſephus Mariæ non infamiam (nam cœlibem comitaretur infamia ſtupri) ſed mortem. Malebat autem vir clemens eam vitiatam cœlibem videri, quam ut adulteram capite plecti. De Eſaiæ autem loco qui hic adducitur, vide quæ Eſaiæ 7. & 9. ſcripſimus.

21. De nomine autem *JESU* idem ſentio quod Andreas Oſiander (ſic tamen ut affirmare nolim) videlicet ductum eſſe à nomine *JOVA*, interpoſita litera Sin. Qua de re ne mihi plura ſcribenda ſint, vide Oſiandri Annotationes in Harmoniam Euangelicam. Sed cur in hoc nomine interponatur litera Sin cum multum diuque conſideratem, neque cur hæc litera hic interpoſita foret viderem, quippe cum non ſit ſervilis, h. e. ejus literarum generis quæ ſolent in deductis aliunde verbis ad primigenia adhiberi, cœpi cogitare verbum hoc compoſitum eſſe oportere: tandemque Dei beneficio comperiſſe videor, quemadmodum Jeſus & Deus & homo eſt, ita nomen ejus ex Dei & hominis nomine eſſe conflatum. Id autem didici ex Exod. 15. 3. ubi dicitur יהוה איש מלחמה, *Jova iſch milchamah*, h. e. *Jova vir belli*: ubi Vir bellicoſus dici videtur, quoniam de Chriſto ſermo eſt, qui vir futurus erat. Eſt igitur *JESUS* nomen compoſitum ex יהוה & איש, interpoſita litera ש ex nomine איש, reliquis autem duabus rejectis, quippe quæ ſerviles ſint, & addi adimique ſoleant: ut ſit יהושע *Jeſus* idem quod *Jova vir*, ſive *homo* (nam *hominem* etiam ſignificat איש) ut intelligamus Jeſum eſſe non *Jovam* (nam hoc de ejus Patre dicitur) ſed *Jovam hominem*, h. e. corporatum Jovam, hominemque factum: id quod videntur Exod. 3. illa verba prædicere, ERO QUI ERO. Item, ERO MISIT ME AD VOS: quaſi hoc diceret, Quidam qui eſt ille quidem, ſed nondum eſt quod erit: eſt enim Deus, ſed futurus eſt etiam homo. Atque hoc eſt quod indicare videtur idem Jeſus nondum homo factus Jacobo, Gen. 32. cum nomen ſuum exquirere vetat, quippe quod ſit *mirabile*. Hoc enim de *admirabilitate* in Græco & Latino ſcriptum exſtat, non ſine cauſa, quamvis in Hebræo deſideretur. Sed idem etiam in Hebræo eſt, Jud. 13. Quid enim admirabilius eſt quam eundem & Jovam & hominem eſſe? Quod autem in hoc nomine quæ pars *hominem* ſignificat, ea in medio verbo ponitur, cum id in aliis compoſitis fieri non ſoleat, in eo videtur arcana res latere. Significatur enim, ex Jova factum hominem, & rurſus ex homine factum Jovam, quemadmodum vides nomen יהושע à *Jova* nomine incipere, & in idem deſinere, interpoſito *viri* nomine. Et quoniam eſt hoc *Jeſu* nomen Servatoris noſtri proprium, neque cum ullo mortalium commune, nos eos qui Græce *Jeſus* vocantur maluimus *Joſuas* appellare. Nec enim σωτὴρ ſed σωτὴρ dicuntur.

25. *Donec ea peperit*] Ita Lev. 16. Num. 10. *donec* pro *nunquam* ponitur.

CLARIUS.

1. *Liber generationis*] Liber quidem eſt totius etiam vitæ Servatoris, non generationis ſolum. Sed Hebraiſmus eſt, quemadmodum & in Geneſi, *Iſte eſt liber generationum Adam*, qui tamen liber plurima alia complectitur. In primis autem *filium David* appellat, ob celebratiſſimam opinionem atque exſpectationem naſciturі ex ſemine David Meſſiæ, h. e. Chriſti. Quod vero Matthæus diſcrepare videtur à Luca in recenſenda genealogia, cum hactenus tam muki & docti & exercitati viri ita digladiati ſint, ut quæ alius tanquam ſolidiſſima fundamenta poſuerat alius novis rationibus illa deſtruat, judicavi hoc loco tutius futurum ſi vitarem reprehenſam à Paulo curioſiorem diſquiſitionem genealogiarum *fine* carentium, quæ tantum lites generant, cum nihil ſit quod ſatis nobis magis facere debeat quam perſuaſiſſimum nobis eſſe debere, utrumque Euangeliſtam optime calluiſſe ſeriem illam generationis; in qua tametſi nos illa variantia inter ſe nomina aptare adamuſſim, aut quo demum pacto concordet ipſa ſeries, neſcimus, non tamen idcirco rem in dubitationem continuo vocare debemus; alioqui quod hactenus uſu venit, idem in futurum eventurum proculdubio eſt, ut nunquam tam exquiſite quiſquam hanc rem ſit tractaturus quin recentes ſemper ſcrupuli oriantur.

17. *A tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum generationes quatuordecim*] Videlicet ſi priorem Jechoniam intelligas patrem, poſteriorem autem filium. Sed quæ fuit cogitatio Euangeliſtæ texendi tres teſſaredecades? Videtur id factum ob tres inſignes Judaici ſtatus mutationes, quæ ſecundum illas tres diſtinctiones acciderunt. Qui vero ſecretius perveſtigant, addunt in priore ex illis tribus quartodecimo numero ſignificari Regnum Judæorum per David ad ſummam gloriam evectum fuiſſe, quemadmodum eodem numero luna plena eſt, quæ paulatim deficiens per eundem numerum incipit non apparere, cujus imago viſa eſt cum captivus ductus eſt populus Babylonem, qui rurſus emergens tandem quaſi ad repetitum pleniluniun, h. e. ad Chriſtum plenam mundi lucem, pervenit.

18. *Inventa eſt*] A quo? A Joſeph: & videtur anticipatio, ut tandem agnoverit Joſeph illam concepiſſe de Spiritu ſancto; ſed antequam id ſciret hæſitaverit quid ageret, cum & mores virginis non paterentur ut eam infamaret, & tamen Lex videretur velle eum eſſe leveriorem: atque hoc eſt quod ait, *cum eſſet juſtus*.

25. *Donec peperit*] Quid? cognovit eam poſtquam peperit? Nullo modo. Verum & hic loquendi modus eſt Hebrææ linguæ familiaris: ut ſi dicam, Nunquam tibi deero donec id aſſequare quod optas, neque tamen propterea intelliges te poſtea à me deſerendum, ſed tutus redderis in eo quod vereri potuiſſes: quod & hic uſu venit. In eundem ſenſum dictum eſt & illud, *Non commovebitur donec deficiat inimicos ſuos*: nam multo minus commovendus erat poſtquam eos ulcus fuiſſet.

ZEGERUS.

1. *Liber generationis Jeſu Chriſti*] Hebræorum more, hoc loco *generatio*, quam illi תולדות numero multitudinis dicunt, appellata eſt: qua videlicet voce frequentius quidem ortus & generis propagatio, nonnunquam tamen etiam res geſtæ ſive מעשה, i. eventus, indicantur. Ut Gen. 5. *Hic eſt liber generationis Adam*. Et Gen. 6. *Hæ ſunt generationes Noe. Noe vir juſtus atque perfectus*, &c. Itaque cum dicit Euangeliſta, *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham*, hoc ceu titulo totius rei ſummam, omnemque Euangelicæ hujus narrationis præſignat hiſtoriam. Secundum Chryſoſt. autem, *Ab ipſo omnium fonte & capite bonorum librum ſuum vocavit. Deo ſiquidem homine facto, illa*, inquit, *omniaque ſequuntur juxta ordinem & rationem conſequuntur*.

6. *David autem Salomonem*] Quod Lucas c. 3. à Davide per Nathan, Mathatha & reliquos generationem deducendam putavit, Matthæus vero per Salomonem, Rhoboam & ſequentes, uſque ad Joſeph, uterque divino id conſilio feciſſe credendus eſt, ut Lucas ſacerdotalem (juxta quod vituli, animalis immolatitii, typus hunc figuravit) Matthæus regalem familiam demonſtrans, ſanctiorem ipſam originem demonſtraret. ¶ *Ex*

ea

ea quæ fuit Uriæ] Subaudi *uxor*, nomine Bethſabee. Nota autem hiſtoria eſt, quomodo hanc David vivo adhuc marito cognitam, poſt in prælio Uria exſtincto, acceperit uxorem. Vide 2 Reg. c. 11.

8. *Ioram autem genuit Oziam*] Secundum fidem hiſtoriæ 1 Par. 3. Ioram non genuit Oziam, ſed Ochoziam: qui filium habuit Joas, & hic item Amaſiam, à quo tandem Ozias, altero nomine dictus *Azarias*, progenitus eſt. Verum Euangeliſta tres illos reges è medio ſuſtulit, cum quod ipſius propoſitum eſſet tres texere diverſorum temporum teſſaradecadas, tum quod Joram uxorem accepiſſet crudeliſſimam Athaliam Amri filiam malitiæ ſuæ conſortem, & impiiſſimæ Jeſabelis imitatione filiam, utpote quæ omnes regii ſeminis filios perimere conata ſit, 4 Reg. 8. ut dum trina hinc generatio ſubtrahitur, quam factum illud reprehenſibile ſit oſtenderetur.

12. *Et poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel*] D. Hieron. ne non eſſent in tertia teſſaradecade XIV, docet Iechoniam priore loco poſitum, nempe ante tranſmigrationem Babylonis, patrem eſſe ejus qui poſt tranſmigrationem Salathiel genuiſſe ſcribitur: & illum eundem eſſe qui & *Iehoiakim* altero nomine dictus eſt, hunc autem illius filium eundem qui duobus mutatis elementis *Iehoiachin* appellatus eſt.

16. *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ*] Qui conſtet quod Ioſephi pater à Matthæo Iacob, à Luca vero Eli deſcribitur; quoniam hunc nodum ab Aphricano quodam ſcriptore vetuſtiſſimo, quem cæteri ſequuti ſunt, ſolutum agnovimus, ipſius verba prout à Beda in Lucam recitata legimus ſubſcribam, *Matthan*, inquit, *& Matthat* (alias *Melchi*) *diverſis temporibus de una eademque uxore Eſtha nomine ſingulos filios procrearunt: Quia Matthan, qui per Salomonem deſcendit, uxorem eam primus acceperat, & relicto uno filio Iacob, defunctus eſt: Poſt cujus obitum, quoniam lex viduam alii viro non vetat nubere, Matthat, qui per Nathan genus ducit cum eſſet ex eadem tribu ſed non ex eodem genere, relictam Matthæ accepit uxorem, ex qua & ipſe accepit filium nomine Eli; per quod ex diverſo patrum genere efficiuntur Jacob & Eli uterini fratres. Quorum alter, id eſt, Jacob, fratris Eli ſine liberis defuncti uxorem ex mandato Legis accipiens genuit Joſeph, natura quidem germinis ſuum filium, propter quod & ſcribitur*, Iacob autem genuit Ioſeph: *ſecundum vero Legis præceptum Eli efficitur filius, cujus Iacob, quia frater erat, uxorem ad ſuſcitandum fratri ſemen acceperat. Et per hoc rata invenitur atque integra generatio, & ea quam Matthæus enumerat, dicens*, Iacob autem genuit Ioſeph, *& ea quam Lucas competenti obſervatione deſignat, dicens*, Qui putabatur eſſe filius Ioſeph, qui fuit Eli. *Qui & ipſe ſubſonante eadem diſtinctione, Eli eſſe filius putabatur, qui fuerat Matthat, quia legalem hanc ſucceſſionem, quæ velut adoptione quadam erga defunctos conſtat magis quam germinis veritate, competenti ſatis per hoc deſignavit indicio, obſervans Euangeliſta ne omnino in hujuſmodi ſucceſſionibus genuiſſe aliquem nominaret: per quod digna diſtinctione non deſcendens, ſed aſcendens uſque ad Adam, & ad ipſum uſque pervenit Deum. Hæc autem non nobis ad ſubitum reperta, aut abſque ullis autoribus commentata ſunt; ſed ipſi hæc Salvatoris noſtri ſecundum carnem propinqui, ſeu ſtudio tanti ſeminis demonſtrandi, ſeu docendi quæ ſecundum veritatem geſta ſunt, tradiderunt.* Hæc omnia Aphricanus.

18. *Antequam convenirent*] De connubiali conjunctione intelligendum eſt, non autem de conſuetudine domeſtica: jam enim deſponſata in ſponſi ſui domo agebat juxta morem quem antiquitus ſervatum fuiſſe docet Chryſ. Hoc autem dicit Euangeliſta, non ut futuram copulam indicaret, ſed ut rei jam geſtæ miraculum evidentius oſtenderet. Nec enim ex hoc verbo conſequitur aliquando eos convenìſſe, non magis quam ex illo, *Melchior antequam pœnitentiam ageret, morte prævenius eſt*, conſequitur illum poſt mortem pœnitentiam egiſſe. Pluribus idem exemplis etiam ex Ethnicorum literis comprobare poteram, ſed res ipſa receptior eſt quam operæ pretium me facturum exiſtimaverim.

19. *Et nollet eam traducere*] *Traducendi* verbo eleganter uſus eſt interpres pro *infamia afficere*. Quanquam Græcum vocabulum παραδειγματίσαι varie explanant, alii *propalare*: alii *lege decerni*: alii *expellere de domo*: alii *defamare*: alii *palam facere*, ac *punire*: alii, quod proprie accedit ad Græcam vocem, *exemplum facere*.

23. *Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus.*] *Emmanuel* Hebræis compoſita vox eſt, ab עמנו *nobiſcum*, & אל *Deus*: vel ex עם, id eſt, *cum*, & נו, quæ eſt affixoria particula primam indicans perſonam pluralis numeri, nempe *nos*, & ex אל, id eſt, *Deus*.

25. *Et non cognoſcebat eam donec peperit*] Illud *donec* nequaquam certum tempus hoc loco ſignificat, ſed infinitum, quemadmodum & in illo, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, Pſal. 109. & rurſus in illo, quod de corvo à Noe emiſſo dicitur Gen. 8. *Non eſt reverſus donec ſiccaretur aqua*: atque ita in pluribus locis utuntur hac voce literæ ſacræ. ¶ *Primogenitum*] *Primogenitus*, inquit Hier. adv. Helv. *is vocatur qui vulvam aperit, & ante quem nullus eſt genitus, non quem frater poſt genitus ſubſequitur.*

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον α, περὶ τῆ γενέσεως.

Matth. ὁ τῶν Λατίνων τεύχεσι β, Τῶ ἡ Ἰωσὴφ γενεηλογεῖ ὁ Βαθλὲμ ἡ Ἰωδαίας, ὁ ἡμέτερος Βεδὰ ὃ βασιλέων, ἰδὲ μέχρι τίνος.

Δαῦιδ μὲν γὰρ βασιλεῖ ἰεσσαὶ ὁ πατὴρ
Ἔλεγε.
Χεσσὶ δὲ γενεαλογεῖ μέχρι, ᾧ ἔδωκε λέγων.

18. Μνηστευθείσης] *Cum deſponſata eſſet.* ¶ Ἐν γαστρὶ ἔχουσα] *In ventre habens* fœtum.

19. Παραδειγματίσαι] *Probro afficere* vel, *Infamia publica exponere, quaſi exemplum in ea prabendo aliis.*

20. Ἐνθυμηθέντος] *Cum cogitaſſet*: vel, *Cum in animo haberet.*

23. Ἡ παρθένος] *Illa virgo.*

25. Καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ ἔτεκε] *Sed tamen cum ea non conſuescebat, quouſque peperit.* Ex Hebr. autem idiotiſmo *quouſque* ita excludit præteritum ut non includat ſempet ſeu retineat futurum.

DRUSIUS.

SEcundum *Matthæum*] Ita dicitur ut *Secundum Lucam, Marcum, Iohannem.* Tertullianus maluit κατὰ *Matthæum*, &c. Id Ebraice diceretur למתי, quod idem cum illo εὐαγγέλιον Ματθαίου, *Euangelium Matthæi.* Nam ל κατὰ, ut מזמור לדוד, κατὰ τὸ γένος αὐτῆ, *ſecundum genus ſuum*, לגלגל, κατὰ τὴν αὐτοῦ ἡμέτερον. Iam vero לדוד bene redditur *Davidis*, ut cum legimus מזמור לדוד, *Pſalmus Davidis.* Sic תפלה לחבקוק, *Precatio Habacuc*, למשה *Moſis.* Senes Lxx elegerunt τῷ Δαυὶδ, ſive Δαβὶδ. Lamed enim articulus eſt dativi caſus; ſed & genitivum poſſeſſivum denotat: quod ſecuti ſunt qui verterunt *Davidis.* Similiter Syrus hoc loco habet דמתי, i. *Matthæi.* Quæ omnia docent *Euangelium* κατὰ Ματθαῖον & *Euangelium Matthæi* ſynonyma eſſe. Certe eodem recidunt, aut ego in magno errore ſum. Vide nunc quæ olim ſcripſimus Quæſt. l. 1. quæſt. 23.

2. *Iudam*] יהודה *Iudah*, ut יהורם *Ioram*, יהואש *Ioſiæ* & *Iuda*, *Iudas*, ut *Thoma*, *Thomas.* Iudæ plures memorantur: Primus eſt Iudas patriarcha. Secundus Iudas Iacobi Luc. 6. 16. ſubintelligitur autem *frater*, qui & *Lebbæus*, & *Thaddæus* Matth. 10. 3. Mar. 3. 16. Tertius Iudas Simonis Iſcariotes, quem Apoſtolus appellat *filium perditionis.* Quartus Iudas cognomine *Barſabas* Actor. 15. 22. Quintus Iudas Galilæus Act. 5. 37. Ut *Iudas* nomen eſt viri, ita *Iuda* interdum ſumitur pro *Iudæa*, quæ ab Ebræis ארץ יהודה, & aliquando יהודה ſimpliciter vocatur: unde *Bethlehem Iuda*, & *Bethlehem terra Iuda*, Matth. 2. 5, 6. & *civitas Iuda*, Luc. 1. 39. & *montana Iuda*, i. *Iudææ*, verſ. 65.

3. *Phares*, Φαρὲς] Sic Luc. 3. 33. Ebraice פרץ *Pheres.* Vide Gen. 38. 29. *Pheres*, *Phares*; ut *Phaleg*, *Phaleg*; *Hebel*, *Habel*, & alia ſexcenta. Nam in pauſa dicimus פָּרֶץ, unde *Phares*, *diviſio*, vel potius Ἀγκοπὴ, *interruptio.* Qui ab hoc nomine *Phariſæos* appellatos putant, egregie falluntur: Nam *Phares* ultimam habet *S*, Sade; *Phariſæus* autem ſcribitur פרוש cum *S*, Sin, quæ Herodoto *Sau* dicitur. Vide quæ ſcripſimus ad Phil. 3. 5. ¶ *Zare*] Græce Ζαρὲ. זרח *Zare*, ut תרח *Thare*, quod & Θαρὲ legitur. Sic קרח *Core*, i. Κορὲ. ¶ *Thamar*, Θαμὰρ] תמר Gen. 38. 6. Nurus Iudæ, è qua Phares genuit. Interpretantur *Thamar*, *Palma*, Philo lib. 2. Allegoriar. legis, Hieron. in Nom. ex Matthæo, & alii. Erat & urbis nomen, quæ à Ptolemæo Παλμύρα nuncupatur, i. *Palmyra*: unde *Syria Palmyrena*: dicta forte quod circa eam palmeta ſint plurima. Vocatur etiam *Thadmor*, inſerta litera Daleth, i. תדמור. Vide 2 Par. 8. 4. & 1 Reg. 9. 18. item Hiero. in Ezec. 47. pag. 490. *Palmyra*, inquit Baptiſta Egnatius, *Syrorum lingua Thadmus dicitur.* An legendum *Thadmor.* Nam ſ & r alternant: aut *Thadmur*, *Thadmus*, ut *Annibal*, Ἀννίβας. Nam ultimam nominis barbari ſolent in *s* mutare.

¶ *Aram*]

¶ *Aram*] *Aram* & *Ram* ſynonyma ſunt. Quod ſic probo. Ruth 4. 19. vocatur רם qui hic & Luc. 3. 33. Ἀρνὶ *Aram*, filius Heſron & pater Amminadab. Contra Aram filius Camuel, Iob 32. 2. *Ram* dicitur. Scribi autem debet *Aram* cum *M* in fine. Syrus quoque habet ארם.

4. *Amminadab*, Ἀμιναδάϐ] Unica *m*, Græci & Latini; *Amminadab*, duplici *mm*, Ebræi, Chaldæi, Syri, i. עמינדב, ubi Mem per Dages geminatur. Filius Ram ſive Aram. Ἀμιναδάϐ pro Ἀϐιναδάϐ legitur 1 Sam. 7. 1. in editione Græca, & apud Joſephum, nonnulliſque Latinis codicibus. ¶ *Nahaſſon*] Scribendum cum adſpiratione, non *Naaſſon*. Quanquam Græci codices Ναασσὼν habent hic & Luc. 3. 32. Ebraice eſt נחשון *Nachſon* Exod. 6. 23. Id exponi poſſet *ſerpentulus* aut *parvus ſerpens*, ut Nun in fine diminuat, quemadmodum fieri ſolet interdum. Pro exemplo ſit שבתון, quod reddunt *ſabbathulum*, item נחשון, de quo alias. Sane ſerpens *Naha* dicitur, quod perperam ſcribunt *Naa* abſque adſpiratione. Invenitur etiam *Na* pro *Naha*: ad quod exemplum licet dicere *Naſſon* pro *Nachſon* aut *Nahaſſon*. Nam quod Græci ς geminant, magis ſe tuetur autoritate quam ratione. ¶ *Salmon*, Σαλμών] Syrus habet סלמון *Salmun* per Samech & Schurec in fine. Ebraice שלמון & שלמי. Utrumque reperitur Ruth 4. 20, 21. Dico *Salmon* per Sin. Nam *Salmon* per Sade, i. צלמון, mons erat qui ἀκρωτήριον *Salmon* dicebatur. Erat & civitas hoc nomine in Creta inſula. Hieron. de locis Actorum, *Salmon, civitas maritima Creta inſula*. Hæc ab aliis *Salmone* vocatur. Ejus mentio Actor. 27. 7. *ſubleginum Cretam* κατὰ Σαλμώνην, *ſecundum Salmonem*. Edit. vetus, *juxta Salmonem*, cum *n* in fine.

5. *Booz*] Græce Βοόζ, ſed Ebraice בעז cum accentu in penultima, i. *Boaz*. Autor Gloſſæ interlinearis, *Booz*, *In robore*, בעז. Gloſſarium Philonis, *In fortitudine*, vel, *In quo virtus*. Hieron. in Nom. de Matthæo, *In quo robur*, *vel*, *In ipſo fortitudo*, בו עז, *ſed melius*, *In fortitudine*. Autor Operis imperfecti, *Booz interpretatur In virtute*, *vel*, *Virtus in ipſo*, *ſive*, *Prævalens*. עז *robur*, *fortitudo*; עז *robuſtus*, *fortis*; עזה *valida*; item nomen urbis, quam *Gazam* appellant. Id Latine dicas *Valentia*. ¶ *De Rachab*] Chryſoſtomus in Opere imperfecto, & Anſelmus in Matth. fol. 9. aliique Patres putant hanc Rachab fuiſſe cauponam, vel, ſi mavis, meretricem, Jerichuntinam, quæ exploratores hoſpitio excepit: quam poſtea Salmon duxerit & ex qua Booz genuerit. Theophylactus dubitare videtur. Ut ut ſit, uxor Salmon eademque mater Booz vocata fuit *Rahab* ſive *Rachab* (nam libri variant) quod ita ſcribitur ut *Ham*, *Cham*; *Hermon*, *Chermon*; *Hebron*, *Chebron*; *Rehob*, *Rechob*, *platea*. Nam eſt רחב in ſcriptura Ebraica, h. e. *H*, Heth, ſive aſpiratio duplex, qua Græci & Latini carent. Ideo eam expreſſerunt modo per nudam & ſimplicem aſpirationem *Rahab*, modo per *c* aſpiratum ſive per χ *Rachab* Ῥαχάϐ. Prior ſcriptura exſtat in edit. Vulg. Latina, poſterior autem in cod. Græcis. Eſt etiam ubi *Raab* reperitur ex Græco Ῥαάϐ, quod neceſſitatis eſt; nam Græci voces in medio non aſpirant, niſi raro admodum & differentiæ cauſſa, ut cum ἄωρος ſcribunt aſpero ſpiritu, i. *æſtivus*. ſiquidem ἄωρος cum leni ſpiritu, i. ἀφνλακτος. Hieron. in lib. Nominum, *Raab*, *ſi per Ain mediam literam ſcribatur*, *Famem ſignificat*; *ſi per He*, *Impetum*; *ſi per Heth* (ita legendum, non *Beth*) *Latitudinem*. רעב *fames*. רהב *impetus*, vel potius *ſuperbia*; itemque *Ægyptus*. Vide Pſal. 87. 4. & 89. 10. & Jeſ. 51. 9. רחב *latus*, non *latitudo*. Nam *Latitudo Rachab* dicitur, i. רחב & רהב per geminum (-) unde רחבי ארץ *Latitudines terræ* Job 38. 18. Si *Rahab* eſt *ſuperbia*, vel *Ægyptus*, ut revera eſt, melius ſcribitur *Rachab* cum eſt nomen mulieris, vel ἀξιοπίστως ἔνενα. ¶ *Obed* Ὠβήδ] Filius Booz ex Ruth, pater Iſai ſive Jeſſe, avus Davidis. Ebraice עובד. Id Latine ſonat *ſerviens* aut *colens*. Syrus quoque habet עבד. ¶ *E Ruth*, ἐκ τῆς Ῥούθ] Ebraice רות. Sed in Syra verſione רעות מן *ex Reuth*, media Ain. Id ſonat, *ſocia*, *amica*, *proxima*. Exod. 11. 2. מאת רעותה *à ſocia ſua*. רעות *Ruth*, ut בעל *Bel*, qui & בל. Sic forte רות contractum ex רעות. Quis hoc negare auſit, præſertim cum accedat Syri vetuſtiſſimi interpretis autoritas? ¶ *Jeſſe*] *Iſai* & *Jeſſe* diverſa nomina eſſe putat Anſelmus: non ſunt. *Iſai*, i. ישי. ita lectum ſcriptum hoc nomen 1. Par. 2. 12. Nec aliter hic interpres Syrus, ubi Græcus codex habet ὁ Ἰεσσαί, unde eſſet *Ieſſai*, ſive *Ieſſe*; quod male ſcribunt *Ieſſe* cum diphthongo. In lib. Nominum, *Ieſſai*, *inſula ſacrificium*. א *inſula*, ש *munus*, *ſacrificium*. Perperam in Iſidoro, *In ſale ſacrificium*: quod hinc emendari debet. Ebraice יש abſque Dages Ruth 4. 17. Videtur autem Chirec longum eſſe. Nam parvum poſt ſe Dages haberet. *Radix Ieſſe* vocatur Chriſtus Rom. 15. 12. quia ex poſteritate Ieſſe, qui fuit pater Davidis. In *Ieſſe* autem erratum quale in *Micheæ*, quod ſæpius *Michæas* ſcribunt, cum debeat ſcribi *Michaias*. י *Ieſſai*, ut יפת Φαφαΐ. Aut *Ieſſas*, *Ieſſe*, ut *Ephraim*, *Ephrem*. Verum puto.

7. *Salomo*] Σαλομών, Σαλομῶντος, & *Salomo*, *Salomonis*. Vulgo *Salomon*. Sed ſi *Plato* ſcribimus & *Philo*, cur non etiam *Salomo*? Græce etiam ſcribi malim Σαλομεί abſque ν. Nam Ebraice eſt שלמה. Porro in nominibus Ebraicis Ebraica conſuetudo ſequenda eſt, non Græca aut Latina. Contra peccatum in *Simon*, quod ſcribunt *Simo*, ut *Simo Boſius*, cum in Scriptura Ebraica ſit שמעון, *Simeon*, in lingua Helleniſtica Σίμων, unde *Simo*, ut Πλάτων, *Plato*. In lib. Joſuæ etiam פימון invenitur. Reperio etiam Σολομών, *Solomo*: Quod ex more veterum, qui Scheva pronuntiabant ad ſonum vocalis ſequentis. Non hoc ſemper faciebant, ſed aliquando. Sæpius enim pro ea ſcribebant *a*: unde *Salomo*, quod interpretantur *Pacificum* Origenes, Philo, Hieron. & alii. Quo pertinet quod in edit. Vulgata, 1 Par. 22. 9. *Ob hanc cauſam Pacificus vocabitur*. Nam in Ebræo, *Salomo erit nomen ejus*. *Pacificus*, i. εἰρηνικός. Euſebius Hiſt. Eccleſ. pag. 122. εἰρηναῖος, i. *pacis ſtudioſus*. Nomen hoc recenſetur inter ea quæ ante nativitatem impoſita; in queis & *Joſias*. Vide Albinum in Gen. p. 458. Eucherium de Quæſt. pag. 285. in extremo. Sunt autem talia nomina præter ea quæ diximus, *Joſue*, *Iſaac*, & *Iſmael*. Diximus nomen *Salomo* *Pacificum* ſonare. Hic locum habet illud,

Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

Nam in pace regnum adminiſtravit. ¶ *Roboam*, Ῥοβοάμ] Ebraice רחבעם *Rechabaam*. Id valet, *Latus populo*. Quanquam in Philone, *Latitudo populi*, & in Hieron. *Imperium populi*. Eſt etiam ubi reperiatur, *Multitudo populi*; qui ſenſus eſt in ſono vocis, non in ſcriptura. Nam רב *multitudo*, & עם *populus*. ¶ *Abia*, Ἀϐία] Ebraice אבים *Abiam* 1 Reg. 14. 31. & Ἀϐιού in edit. Rom. & *Abu* in hiſtoria Severi. Ieroboami filius 1 Reg. 14. 1. vocatur אבית *Abia*. ¶ *Aſa*, Ἀσά] Syriace אסא. Sic etiam ſcribitur hoc nomen 1 Reg. 15. 9. Male igitur Hieron. lib. Nominum, *Aſa*, *Tollens*, *vel Factura*. Nam *tollo* נשא prima Nun, & *facio* עשה prima Ain.

8. *Joſaphat*, Ἰωσαφάτ] Ebraice יהושפט, quod plene ita ſcriptum invenitur 2 Sam. 8. 16. & alibi paſſim. יהושפט *Joſaphat*, ut יהודה *Juda*. Sic יהוצדק *Joſadac* vel *Joſedec*. Syri legunt יהושפט *Juſaphat*. Nam vocali *o* penitus carent. Itaque pro ea utuntur *u* vel *au*: unde & *Hauſe* pro *Hoſe*. Qua de re diximus in Quæſtionibus noſtris. ¶ *Joram*, Ἰωράμ] i. יהורם quod plenius effertur יהוראם 1 Reg. 22. 51. Syrus habet *Juram*, *o* in *u* verſa. יהורם *Joram*, ut יהודה *Juda*. Sic promiſcue dicimus יונתן & יותן. Sed & יואש legitur apud Davidem pro יפת *Joſeph*.

9. *Ozias*, Ὀζίας] Hoc nomen perperam adſpiratur in nonnullis editionibus *Hozias*. Nam Ebraice עזיה prima Ain, quæ leniter ſcribi ſolet, ut in *Arabia*, *Emmanuel*, *Elamita*, & aliis. Vetos quoque interp. ſemper ſcribit *Ozias*. Syrus habet *Uzia*. *Ozia*, *Uzia*, ut *Hoſe*, *Huſe*: Nam hæ vocales alternant, etiam apud Ebræos. Dicimus enim certe עזי, *robur meum*, & עזי per Cametsbreve. Gloſſæ Philonis, *Ozia*, *Fortitudo DOMINI*. *Ozia*, *Ozias*, ut *Juda*, *Judas*. Poſſet etiam exponi, *Robur meum DOMINUS*. Autor Operis imperfecti, *Ozias interpretatur Filius nobilis*; falſum. Nam *filius*, *Ben* dicitur, aut *Bar*; non *Oz*, aut עז. Rurſum Philo, *Oziel*, *Fortitudo mea Deus*. ¶ *Joatham*] Ἰωαθάμ eſt in codicibus Græcis, & *Ioatham* in Latinis, cum tamen Syri & Ebræi dicunt יותם *Iotham*: cujus ſcripturæ rationem nullam aliam adhuc invenire potui quam quod Lxx olim ita hoc nomen ſcripſerint. Cogitemus amplius.

10. *Ezecias*] Ἐζεκίας, & Ἰεζεκίας, quod invenies in Nazianzeno Steliteut. 2. fol. 141. Videtur potius ſcribendum eſſe *Hezecias*, cum adſpiratione. Nam Ebraice חזקיה, niſi ablata litera principe *Ezecias* pro *Iezecias*, ut *Ezeciel* pro *Iezeciel*. Nam & יחזקיה dicimus, ut יחזקאל *Iezeciel*. Scire licet etiam חזקאל inveniri abſque Ioth nominis propriis formativa. Cave ſcribas *Ezechias*. Sic *Ezeciel* aut *Iezeciel* ſcribendum, non *Ezechiel* aut *Iezechiel*, quod ita compendio dicitur pro *Iehezeciel*. Similiter *Iezecias* pro *Iehezecias*, extrita litera Heth, ut fit, ob aſperiorem ejus ſonum. ¶ *Manaſſen*] Μανασσῆ & mox, Μανασσῆς ὁ ἐξάρτισις. מנשה *Manaſſes*, ut מנחם *Manahem*: item ut *Joſe*, *Joſes*. In lib. Nominum, *Manaſſes*, *Obliviosus*. Malim, *Obliviſci faciens*. Vide Gen. 41. 51. Interpretationem meam juvant illa verba כי נשני, *quoniam obliviſci fecit me*. Sed nihil decerno.

11. *Io-*

11. *Joſias*, Ἰωσίας] Ebraice יאשיה & יאשיהו. *Joſia*, *Joſias*, ut *Judæ*, *Judas*. & יאשיה, ut יהוסף, ut ישעיה, ut יהושע. Solet enim nominibus in ה terminatis præcedente Camets addi Vau Schurec. Syrus habet *Juſia*. Nam Syri o in u mutant. Sic *Juram* dicunt pro *Joram*.

12. *Salathiel*, ὁ Σαλαθιήλ] Syrus edidit שלתיאל *Selathiel*. Ebraice dicitur שאלתיאל *Sealthiel* ſive *Saalthiel*, & שלתיאל *Salthiel* : ejus mentio Hag. 1. 1. Ezræ 5. 2. & 1 Par. 3. 17. quem ultimum à priore nonnulli diverſum faciunt. Hieron. in Nom. de Matthæo, *Salathiel*, *Petitio mea Deus*, שאלתי אל. Autor Operis imperfecti hom. 1. in Matth. *Petitio Dei*. Gloſſæ Philonis, *Petens DOMINI*; *vel*, *Petitio DOMINI*. Verior interpretatio, *Interrogavi Deum*, שאלתי את. In compoſitione autem, ut fit, Camets in Scheva mutavit. Ita mihi videtur. Obviam hoc nomen & Luc. 3. 27.

13. *Zorobabel*] Græce Ζοροβαβήλ. Syrus habet זרובבל, quod legunt *Zurbabel*. Sed Ebræi ſcribunt זרובבל, *Zerubabel*, penultima producta. Interpretantur, *Ortus in Babylone*; ego, *Satus Babylone*, ſive *Babylonia*. זר pro זרע, ut יש pro ישע, *Jeſus*. In Gloſſario Philonis, *Princeps*, *vel Magiſter*, *Babylonis*. Emenda ex Hieron. *Iſte princeps*, *vel magiſter*, *Babylonis*. זה *iſte*, רב *princeps* vel *magiſter*, בבל *Babylonis*, i. eodem interprete, *confuſionis*. Nam בבל σύγχυσις. Autor Operis imperfecti hom. 1. in Matth. *Hic Doctor Babylonia*. Pro זר dicimus etiam ז. Nam ה femininum eſt. Alibi *Zorobabel*, ῥεῦσις παρακειμένη, i. *fluxus adjacens*, vel *expoſitus*. Quanquam in Opere imperfecto, *Fluxio poſtpoſita*. Sed vera originatio, quam primo loco poſui. Cui firmando Theophylactus ita ſcribens, ζορὸ δηλοῖ τὸ σπορᾶς ἢ τῶν γόνων. Βαβὲλ ἡ, Βαβυλῶνα τυπίκῶς, ὁ ἐν Βαβυλῶνι αἰχμάλωτος ἢ γεννηθείς. Et Hieron. cujus verba hac de re habentur Hag. 1. *Porro ortus de Babylone ſecundum hiſtoriam quidem vere Zorobabel dicitur*, *quia ibi natus eſt*. ¶ *Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor*] Græce eſt Ἐλιακείμ. Ebraice & Syre אליקים. Male igitur ſcribunt *Eliachim*, quod interpretantur, *Dei reſurrectio*; vel, *Deus reſuſcitans*; aut, *Deus reſuſcitavit*. Sed *reſurrectio* מקום dicitur, & *reſuſcitans* מקים, & *reſuſcitavit* הקים. Malim ergo, *Deus reſuſcitabit*, i. יקים. Euangelium Matthæi Ebraicum quod Johannes Tilius epiſcopus Briocenſis ex Italia attulit, & poſtea Lutetiæ vulgavit, hic habet, *Abihud genuit Abner*, *Abner genuit Eliacim*, *Eliacim genuit Azor*.

15. *Elind autem genuit Eleazar*, Ἐλιοὺδ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἐλεάζαρ] Nomen hoc interpres Syrus ſcribit אליעזר *Eliazar*. Ebræi dicunt אלעזר, ex quo *Eleazar*, & Græca terminatione Ἐλεάζαρος, & contractiore voce *Lazarus*: de qua ſuo loco. Videndum an hic ſit *Eliezer*, Lucæ 3. 29. ¶ *Matthan*] מתן, *donum*, i. מתנה. Nomen viri. Tam Ebraicum eſt quam Syriacum. Scribi autem debet cum duplici *th*, quorum prius tenue, & alterum aſpiratum. Quanquam in nonnullis codicibus *Mathan*, unico *th*. Affine eſt *Matthat*, quod ſcribunt מתתיה Luc. 3. 24. Syrus habet מתתה *Matthath*. Nomen מתן exſtat etiam 2 Reg. 11. 18. *Et Matthan ſacerdotem Baal occiderunt ante altaria*. Sonat autem vox *donum*, à verbo *Nathan*, quod *dare* ſignificat. Etiam *Matthath* dicimus eodem ſignificatu. Aphricanus De conſonantia Euangeliſtarum, *Matthan & Matthath diverſis temporibus de una uxore Eſtha nomine ſingulos filios procrearunt*: *quia Matthan*, *qui per Salomonem deſcendit*, *uxorem eam prius acceperat*, *& relicto filio Jacob defunctus eſt*. *Poſt cujus obitum Matthat*, *qui per Nathan filium David genus duxit*, *cum eſſet ex eadem tribu*, *eandem Eſtham accepit uxorem*, *& ex ea genuit filium nomine Eli*. *Ergo Jacob & Eli fuerunt uterini fratres*. *Quorum Jacob ex mandato Legis accepit uxorem fratris ſui Eli ſine liberis defuncti*, *& ex ea genuit Joſeph*. *Itaque Joſeph ſecundum legem dicitur filius Eli*, *ſecundum naturam filius Jacob*. *Ergo convenienter dicit Matthæus*, Jacob autem genuit Joſeph, *& Lucas*, Ut putabatur filius Joſeph, qui fuit Eli, qui fuit Matthat.

16. *Joſephum*] Syriace *Janſeph*. Sed Ebræi dicunt יוסף. unde Ἰωσήφ. Hinc eruimus vernaculam Judæorum linguam tempore Chriſti mere Syriacam non fuiſſe, ut hactenus creditum eſt. Joſephi plures fuerunt : de iis loquor qui in N. Fœdere memorantur : Primus eſt Joſeph Arimathæus Luc. 23. 50. & alibi. Secundus, Joſeph, qui & *Barſabas* Act. 1. 23. Tertius, Jacobi F. patriarcha Act. 7. 9. Quartus, Mariæ Virginis maritus, qui & pater Chriſti putabatur, unde Chriſtus vocatur *fabri filius* à Juliano Apoſtata : nam fabrilem artem exercebat. Sunt qui tradant duos patres habuiſſe, unum naturalem, & alium per legem quæ *Ibbum* vocatur. Qua de re conſulendus Auguſtinus Quæſt. lib. 5. qu. 46. & Quæſt. Euang. lib. 2. qu. 5. *Pater* Chriſti dicitur Luc. 2. 27, 33, 41, 48. non ex rei veritate, ſed ex vulgi opinione ; unde additum, *ut putabatur*, Luc. 3. 23. Hoc modo loquendi idola *Dii* nuncupantur. Sic Herodes Antipas, qui Tetrarcha tantum erat, *Rex* appellatur Marc. 6. 14. Euangelium *ſtultitia* dicitur 1 Cor. 1. 18. Chriſtus *Joſephi filius* Luc. 4. 22. Fabrum autem fuiſſe Joſephum liquet ex Matth. 13. 55. Mar. 6. 3. Semel occurrit יהוסף Pſal. 81. 5. i. *Jehoſeph*, cum additione literæ ה. Sic *Abrami* nomen mutatum eſt in *Abraham*, ubi ſimiliter ה additum. Sic Jonathan Haſamonæus, cum fratri ſuccederet, vocatus eſt à ſenioribus Iſrael יהונתן *Jehonathan*, Gorion. c. 26. Quorſum iſta? nempe ut oſtenderem additionem hujuſmodi non temerariam aut de nihilo eſſe. ¶ *Maria*] In *Maria* nomine explicando fruſtra fuit antiquitas, etiam Hieron. doctiſſ. alioqui ac ſanctiſſ. vir. Scriptura vetus, Μαρία, aut Μαριάμ· hæc terminatio Ebraica, illa Græca eſt. Utraque reperitur in N. T. Apud Joſephum etiam Μαριάμη de ſorore Moſis. Ezechiel poeta tragicus, Μαριὰμ δὲ ἀδελφὴ μοι παῖς ἐτέκνου πάλαι· &, Μαριὰμ ἀδελφὴ προφῆτις θεσπεσία. In libris antiquis Ebræorum מריאם, quod ſine punctis ſcriptum מרים: media ætas Μαριὰμ ſonabat ex proprietate idiomatis Syriaci, quod mutat i in a : ex quo poſtea factum Μαρία, an à Græcis, quibus in more depravare barbara nomina? (Sic Ἀννίβας, Ἀσδρούβας, *Annibal*, *Aſdrubal* : nam apud eos nullum nomen deſinit in λ aut μ.) an ex more breviter ſcribendi מרי pro מריא? Nihil decerno, hoc tantum, quod non dubito affirmare. Nam cum *Maria* corrupta vox ſit, nec niſi apud Græcos reperta, errat ſane Hieronymus in lib. De nom. Ebra. ita ſcribens, *Mariam plerique æſtimant interpretari*, *Illuminans me iſte*, *vel*, *Illuminatrix*, *vel*, *Smyrna maris* : *ſed mihi nequaquam videtur*. *Melius autem eſt ut dicamus eam ſonare Stellam* [*Stillam*] *maris*, *ſive Amarum mare* : *ſciendumque quod Maria ſermone Syro Domina nuncupatur*. Quæ hic dicit, refelli poſſunt ex ſcriptura Syriaca. Non enim מריא ſcribunt Syri, ſed מרי, clare liquet ex illius idiomatis teſtamento. Quod autem ait, *Melius eſt ut dicamus eam ſonare Stellam maris*, rectene ſcriptum, an legendum, *Fel maris*? nam מרי *fel* & *amarum*, *ſtellam* nunquam ſignificat. [*Mar*, *ſtilla*; *Jam*, *mare*. Unde, *Ave ſtilla maris*; quod nunc legunt, *Stella maris*.] Scripturam dixi, & erratum Hieronymi: vellem poſſem veram interpretationem dare; quæ non in Vet. non in N. Teſtamento uſquam expreſſa. Si divinandum ſit, crediderim dictam q. *exaltatam*, à verbo מר, quod *exaltare* ſignificat. Quidni credam? Caninius ante me prolixe fidem fecit in libro quem ſcripſit de locis N. T. in quo explicat pleraſque voces Ebraicas. Non ſim homo, ſi verbum addam in re non majoris momenti. Vide annotata ad Luc. 1. 27.

18. *Antequam convenirent*] In eandem domum, aut in ipſum *coitum* ſive *cœtum*, ut quidem Arnobius loquitur, h. e. ſicut viri convenire ſolent cum uxoribus : quod Latini dicunt *coire* & *congredi*. Ita ſumitur hoc verbum 1 Cor. 7. 5. ubi Theophylactus exponit μιγῆναι. Fruſtra igitur eſt qui negat certum ullum exemplum ejus ſignificationis uſpiam exſtare. Arnobius hoc ſenſu uſus eſt l. 7. *gignendis conveniunt liberis*, Ἵνα παίδων γονέων αἰτίαν, quod olim ut profiterentur nubentes Auſpicum cura erat. Sic dico, profitebantur ſe liberum procreandorum cauſa convenire. Quid ad hæc dicent, aut quomodo ſe excuſabunt, qui uxorem vetulam ducunt, cum ipſi ſint juvenes? quorum eſt potius cogitare de multiplicando genere humano. Senes ab hac lege immunes ſunt.

19. *Cum eſſet juſtus*] i. vir bonus. Nam ποιεῖν τὸ δίκαιον ἢ τὸ ἀγαθόν. Siquidem vir bonus, qui virtute præditus. Virtus autem *juſtitia* dicitur, ut ibi, *Corona decora ſenectus*, *in via juſtitia invenietur*. Interdum diverſus eſt *vir juſtus à viro bono*. Chryſoſtomus de confeſſione peccati, ad locum, *Confitemini Domino*, *quia bonus eſt*, tom. 1. col. 798. *Non juſtum dicit*, *ſed bonum*. *Peccatorem enim bonus abſolvit*, *juſtus condemnat*. Vide ſequentia.

20. *Uxorem tuam*] Ut Gen. 29. 21. *Da mihi uxorem meam*, i. ſponſam mihi pactam : nam *uxor* dicebatur poſt מתנה *ſponſalia*; quæ fiebant vel pecunia, vel inſtrumento, vel denique congreſſu. Quæ omnia requirebant teſtes ad minimum duos : nam ſine teſtibus irrita erant ſponſalia, licet ambo confiterentur. Videndus Moſes de Kotſi in lib. Præceptorum magno, ubi de Sponſalibus, fol. 124. col. 1. Quibus addo quæ habentur lib. Precum, fol. 364. pag. 2. *Qui deſpondet mulierem*, *adducit teſtes*, *& deſponſat coram eis pecunia*, *aut re aliqua æquivalente*, *etiam obolo* (ſi modo τετρὼ eſt *obolus*, & non λεπτὸν, i. *minutum*, aut alia moneta parva, quam Moſes ille ſcribit ponderare dimidium hordeum argenti puri) *quem dat ei coram illis*, *& dicit*, *Eſto mihi deſponſata hac re ſecundum legem Moſis & Iſrael*. *Quod ſi non adfuerint teſtes*, *deſponſatio ejus nulla eſt*, *etiamſi ambo confeſſi fuerint*. *Quod ſi deſponſaverit eam ſocio ſuo*, *ſen alteri*, *dicit*, *Eſto deſponſata N. annulo hoc ſecundum*

cundum legem Moſis & Iſrael. Cæterum ſumus in oculis meis quod ait *vel congreſſu* : nam poſt congreſſum non ſponſa erat, ſed uxor revera. Congreſſus autem ſive coitus, i. נשׂא, fiebat poſt benedictionem, cum jam ſponſa in thalamum introducta eſſet. Autor libri Muſar cap. 6. *Non licet rem habere cum deſponſata ſua niſi prius introduxerit eam in thalamum per benedictionem, prout eſt traditum in tractatu de Sponſa : ubi inter alia, Sponſa ſine benedictione vetita eſt marito ſuo perinde ac immunda ex profluvio menſium quæ lota non fuerit. Nam ut immunda talis, niſi lota fuerit, vetita eſt marito ſuo, ſic ſponſa abſque benedictione prohibita eſt viro ſuo.* Quod autem Angelus, *Ne metuito*, inquit, *accipere Mariam uxorem tuam*, id quidam ita enarrant ac ſi dixiſſet, *accipere in domum tuam.* Nam, ſi Chryſoſtomo credimus, *Mores alium fuit ut ſponſa in ſponſorum ædibus haberentur.* Scribit hoc hom. 4. in Matth. Alii aliter cenſent. Utraque opinio refertur in Altercatione Synagogæ & Eccleſiæ his verbis, *Traditum quidam quod hac Ebræorum lex fuerit, quod virgini deſponſatæ dominum ſponſi intrare ante diem nuptiarum nullo modo licuerit, tollendæ ſuſpicionis gratia: ſponſum vero, quoties vellet, limina parentum ipſius ſponſæ ad eam viſitandam ſevere ſine ſuſpicione potuerit. Sed alii ſecus : dicunt enim in ipſa deſponſationis hora ſponſum ſponſam ſuam in domum ſuam vocare, & cuſtodem virginitatis ejus & teſtem fieri uſque ad tempus nuptiale.* Ut ut ſit, homo accipit uxorem cum eam ſibi deſponſat ante copulam carnalem. Unde legimus Deut. 24. 1. *Cum acceperit vir uxorem & maritaverit eam*, i. rem & conſuetudinem habuerit cum ea.

21. *Et vocabis nomen ejus*] Male hinc docti colligunt interpretes Chriſtum ἀνώνυμον fuiſſe. Nam ſimilis plane locus Gen. 16. 11. ubi Angelus ad Hagar, *Vocabis nomen ejus Iſmael.* Neque verum, nominis impoſitionem heris poteſtatis & imperii teſtimonium fuiſſe : Sæpius enim matres imponebant nomina, ut liquet ex iis teſtimoniis Scripturæ quæ alibi produximus. Vide ſis Obſerv. meas. Cæterum in Vulgata noſtra, *vocabunt*, καλέσει, quam lectionem agnoſcit Hieron. Jeſ. 7. in libro MS. qui penes me. Syrus quoque habet קרא, i. *vocabunt.* Sed Euſebius ad eundem locum, *Quæ cum aliquo*, ait, *non animadverterent, in Euangelio Matthæi ex* VOCABIS *fecerunt* VOCABUNT, *cum ita non haberet prophetica lectio. Nam vox Ebraica* VOCABIS *ſonat, & omnes interpretes congruenter eam transferentes ita eam reddiderunt.* ¶ *Jeſum*] Tres hoc nomine veniunt in N. Fœdere; Jeſus Chriſtus, Jeſus filius Nun, & Jeſus cognomine Juſtus. Secundi mentio Act. 7. 45. Heb 4. 8. Tertii, Col. 4. 11. Primi memoria uſurpatur cum alibi paſſim, tum Matth. 1. 21. ubi & ratio nominis ponitur quod accepit à *ſervando.* Græci Σωτὴρ interpretantur, quæ *vox uno verbo Latine reddi non poteſt*, ut ait Cicero Act. 4 in Verrem. Sonat autem Σωτὴρ *qui ſalutem reddit.* Noſtri *Salvatorem* dicunt, quo vocabulo uſi ſunt Lactantius, Auſonius, aliique ſacri Scriptores. Ebraice יהושׁע Ezræ 2. 2. & 3. 2. & 2 Par. 31. 15. quod perperam in Catecheſi trilingui ſcribitur יהושׁוע cum Scheva ſub Jod. Brevius etiam dicunt יהשׁ, unde Ἰησοῦς. Solent enim Græci nominibus barbaris in fine ε addere : יהשׁ autem dicebant pro יהוה ex more antiquo, quem ignoravit Autor libri qui de Fide ſcriptus; nam cap. 14. *Vocatur*, inquit, יהוה, *quia eſt Servator noſter & Redemptor noſter & Meſſias noſter. Verum ſapientes noſtri nominarunt eum* יש *per contemptum & indignationem. Nam dicunt* Jesu *exprobantes ei.* Paulo aliter Elias in libro ubi vocum Rabbinicarum ſenſa collegit, *Quia Judæi non confitentur ipſum eſſe Σωτῆρα, ideo nolunt dicere* יהוה, *ſed dicunt* יש, *abjecta littera Ain. Poſſumus etiam dicere id factum eſſe quia pronuntiatio litteræ illius difficilis & ardua eſt Gentibus; quemadmodum ſcribit Abenezra neminem poſſe bene ſonare Ain & Heth niſi qui à puericia didicerit.* Hactenus Elias. Morem illum, de quo dixi, notat autor Lexici Thalmudici ſive Baal Aruch, inquiens, *Mos linguæ Syræ diſcere Heth & Ain literas.* Adhibe Grammaticam Chaldaicam. Sic עפ obviam pro יעפ, i. *ſucciſus.* Nihil verius. De hoc nomine mirabile quid refert Irenæus, cap. 4. JESUS *ſecundum propriam Ebræorum linguam literarum eſt duarum & dimidiæ, ſicut periti eorum dicunt, ſignificans Dominum eum qui continet cœlum & terram.* Id quovis ænigmate obſcurius videtur. Sed non erit opus Oedipo: Ego Davus explicabo. יש tres literas habet, quarum prima Joth dimidia dicitur propterea quod medium duntaxat aliarum literarum attingat. Eadem litera ſignificat יהוה, quod reddunt DOMINUS, ו autem valet ומו, & vau יהוה. Ecce *DOMINUS cœli & terræ.* Sunt qui ſcribant *Ieſus* cum aſpiratione, ſed inepte, inſciteque. Nam quod Faber Stapulenſis ait, *In nomine* JHESU *aſpiratio poſtponenda, quia in nomine tetragrammato Jod præcedit He, non autem He Jod,* indignum eſt cui reſpondeatur. Nihil enim commune nomini *Jeſus* cum nomine tetragrammato. In Alcorano *Jeſus* vocatur עיסא *Iſſa.* Alii ſcriptores Arabici eum vocant יסוע *Jeſua.* Sic *Euangelium* in *Engel* mutarunt aut potius corruperunt. Apud Porchetum, part. 2. cap. 14. eſt *Jeſſua. Quia vero*, inquit, *Latini cum lingua & non cum gutture loquimur, ut Arabes & Ebræi, corrupte prononciamus pro* JESSUA, JESUS. Fallitur. Nam Ebræi ſcribunt יהשׁוע, & eliſa litera validiore, ut mos eſt Aramæis, יש, unde *Jeſus.* Legi apud neſcio quem quæ nunc ſubjiciam, *Turcæ* Jeſum *dicunt* ISSA *vel* JESSE, ut ISSA BEREMBER, *i. Jeſus Prophetæ, quem in magna veneratione habent, & credunt eum ex Maria virgine natum, quam ipſi appellant* MERIEM ANA : de quo etiam dicitur in Alcorano, capite Elneſer, JESUS CHRISTUS EST DEI VERBUM, QUOD MISIT IN VIRGINEM MARIAM PER SPIRITUM SANCTUM. SIQUIS EUM BLASPHEMAVERIT TURCUS, JUDÆUS AUT CHRISTIANUS, PUNITUR NON SECUS AC SI MEHEMED BLASPHEMASSET. *Pœna blaſphemiæ ſunt quinquaginta ictus fuſtium, & multa pecuniaria. Non credunt eum mortuum in cruce, ſed alium fuiſſe quem pro eo Judæi ceperint.* Nomen hoc è Græcis quidam deducunt ab ἰάομαι futuro verbi ἰάω, quod ſignificat *ſano*; ſed perperam. Moſchopulus οἱ χρόνοι, τὸ Ἰησοῦς ὄνομα πρωτίστως οἶμαι δοτέον εἶναι τῷ ἰῶ τῷ θεραπεύω, ἤτοι ὁ μέλλων ἰάσω, ἢ ἐξ αὐτοῦ Ἰασοῦς, καὶ πτῶσις ἡ Α εἰς Η Ἰησοῦς. Conſimilem errorem errant Euſebius de Egeſippus in nomine Ἱεροσολύμων, quanti viri! Euſebius de Egeſippus *Hieroſolymam* dictam putant q. ἱερὸν Σαλομῶντος, aut ἱερὸν Σολύμων· hoc Egeſippus, illud Euſebius cenſet : itaque cum adſpiratione ſcribunt Secus quam Ebræi. Vide Joſephum Jud. captæ l. 6. c. 47. Veriſſime Theophylactus, Τὸ Ἰησοῦς ὄνομα οὐχ Ἑλληνικόν ἐστιν, ἀλλὰ Ἑβραϊκόν. Quod Ebraicum nomen ſit, liquido liquet ex etymo quod habet à *ſervando*, Matth. 1. 21. Καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν· αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν. Non latuit hoc Græcos. Origenes Matth. 1. Theophylactus ibid. Damaſcenus lib. 1. c. 12. De Orthod. fide, Τὸ Ἰησοῦς ὄνομα Σωτὴρ ἑρμηνεύεται. Juſtinus Martyr Apolog. pro Chriſtianis 2. Hieron. in comment. Matth. 1. JESUS *Ebræo ſermone Salvator dicitur. Etymologiam vero nominis ipſius Euangeliſta ſignavit, dicens,* VOCABIS NOMEN EJUS JESUM; QUIA IPSE SALVUM FACIET POPULUM SUUM. Unus Epiphanius καὶ Ναζωραίων, Ἰησοῦς γὰρ καὶ παρ' Ἑβραίοις διὰ τὴν θεραπευτικὴν καλεῖται ἤτοι Ἰατής. Mira interpretatio. Videtur primum nata non ex ἰῶ, quod Græcum eſt, ſed ex שׁוע verbo Syro, quod *ſanare* ſignificat. Nam ſcilicet veteres Ebraicam linguam dixiſſe pro Syra aut Chaldæa. Sic Euſebius Præparat. l. 3. Δύναται γὰρ καὶ παρ' Ἑβραίοις φανῆναι τὸ ὄνομα τῆς Εὕας διασυνιόμενον ἑρμηνεύεται Ὄφις Σήλαια. Nam Εὕα, i. חוה, vox linguæ Aramææ. *Heva*, ſerpens; *Eva*, prima parens, & mater omnium viventium. Sic Græci diſtinguunt. Ebraice Eva *Heva* חוה dicitur; ſerpens, *Naas*, & Syriace *hiva* חיוא. Hæc interpretatio refelli poteſt ex ſcriptura ea qua nomen illud ſcriptum reperitur in N. Teſt. Syro; partim etiam in Veteri, ut Ezræ 2. 2. ubi Græce eſt Ἰησοῦς, in Latina Vulg. *Jeſua*, Ebraice autem יהושׁוע, quod idem eſt cum nomine *Joſua*, qui Ebraice יהושׁע. Doceo ex eo quia Ioſua Ioſadaci F. qui *Jeſua* dicitur Ezræ 3. 2. in Haggæo paſſim & Zacharia appellatur *Jehoſua* : argumentum invictum contra eos qui volunt Chriſto diverſum fuiſſe nomen à nomine Ducis Ioſuæ & Ioſuæ Sacerdotis. Quæri poteſt, unde Græcum Ἰησοῦς; nam à יהוה fieret *Jeſua*, aut *Jeſuas*, ſicut à משׁה eſt Μωσῆς, unde *Meſſias*, in quo geminum σίγμα pro ν dignum nota. Sic Ἰσραΐ, Φαρισαῖοι, apud Juſtinum. Credibile eſt veteres uſitaſſe יש pro יהוה, conſuetudine ea qua ultimam ן per apocopen abjiciunt. Porro יש, i. Ἰησοῦ, & terminatione Græca Ἰησοῦς, quæ appellatio adhuc hodie manet apud Judæos. Elias Levita Thesbite, *Dici poteſt quod litera Ain ardua ſit ac difficilis pronuntiatu Gentibus. Ideo in lingua ſua non dicunt* IESUA, *ſed* IESU, *aut* IESUS; *propterea Judæi etiam vocant eum* IESU *abſque Ain.* Jam perſpicuum eſt ex Scriptura errare eos qui derivant à verbo ישׁע, nec poſſe aliunde deduci quam à יהוה verbo *ſervandi*, quam nominis originem clare arguit Euangeliſta Matthæus in loco ſupra citato. Errant etiam nuperi interpretes, qui deducunt à nomine Iod, He, Vau, He, per interpoſitionem literæ Sin. Errare doceo ex ſignificatione quam nomen illud habet ab *exiſtendo*, non à *ſervando*. Quod autem apud Theophylactum legimus, Ἰαὼ γὰρ ἡ Σωτηρία παρὰ τοῖς Ἑβραίοις λέγεται, ita accipio ac ſi dictum eſſet, Τὸ Ἰησοῦς ὄνομα παρὰ τοῖς Ἑβραίοις λέγει Ἰαὼ Σωτηρία. Aut eſt error interpretis, quem eundem reperies apud Moſchopulum : καὶ γινώσκει παρὰ τὸ Ἰαώ, ὃ ἀπαὶ τὸν Σωτῆρα, ἤτοι ἰᾶται Ἑβραϊκῶς.

Neque

Neque enim ab *Jaob* derivari poteſt *Jeſus*. Erratum ex hac cauſa. Interpretamentum vetus *Joſua*, Ἰαὼ σωτήριον, aut σωτηρία, q. יהו ישע *ſalus* DOMINI. Nam Ἰαώ, i. יהו. Theodoritus Quæſt. 15. in Exod. de nomine tetragrammato, Καλεῖται ἡ αὐτὴ Σαμαρείτης μὲν Ἰαβὲ, Ἑβδομὸν ἡ Ἰαώ. Ubi perperam Ἰαὶ ſcriptum eſt. Euſebius Ἀποδείξ. lib. 4. cap. ult. Σωτήριον Θεοῦ εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν τὸ ἡ Ἰησοῦ μεταλαβὸν ὄνομα σημαίνει. & mox, Ἰωσουὲ δὲ ἐστιν Ἰαὼ σωτηρία, τοῦτ' ἐστι, Θεοῦ σωτήριον, σύνηθες ὂν Θεοῦ σωτήριον ἐν τοῖς Ἑβραϊκοῖς αὐτηχεῖσθαι φωναῖς ἀπόρρησιν, ὑφ' ἅπερ τὸ ἡ τοῦ Ἰησοῦ καὶ τὸ Ἑβραίων φωνὴν πίπτειν ἐπιλάβοιτο. Cæterum quod quidam aſſerit ex proprietate ſermonis Ebraici *Jehoſua* potius *ſervandum* quam *Servatorem* denotare, id non poſſum non improbare, cum ea ſit potius linguæ proprietas, ut nominum formas propriorum, quæ ſignificationum indices ſint, non diſtinguat. Sane *ſervandum* potius *Jehoſia*, i. יהושיע, diceretur.

23. *Emmanuel*] *El* ad ſenſum Θεὸς, ut in verbis Chriſti, *Eli*, *Eli*, *lamma ſabachthani?* quod ab Euangeliſta interpretatur, *Deus meus*, *Deus meus*, *quare dereliquiſti me?* ad verbum *δύναμις*, aut *ἰσχύς*. In Fragmentis vet. interpretum ad Pſal. 22. Aquilæ, Ἰσχυρέ μου, Ἰσχυρέ μου poſt quem Hieronymus Numer. 16. pro eo quod in Ebræo legitur *Elohe haruath*, Latine transferendo dixit, *fortiſſime Deus ſpirituum*. In Cantico Mariæ, ὁ δυνατὸς, i. גבור. Ergo אל *fortis*. τὸ ἡ ἀναφέρεις, ut Euſebii verbis utar, quæ eſt accuratior hujus vocis explicatio, *El*, *Fortitudo* aut *Potentia*: quo ſignificatu hoc nomen occurrit Prov. 3. 27. Mich. 2. 1. Vide Euſeb. Ἀποδείξ. l. 10. Προπαρασκ. l. ιά. Ἐλοὶμ καλοῦσι παρὰ τοῖς Ἑβδ. ἴσιον τῶν ἡ ὡς ἰσχυρὸν ἰσχὺν ἢ δύναμιν. Juſtinus Martyr Dialogo cum Tryphone in voce *Iſrael*, Τὸ δὲ Ἰσραὴλ ἀνθρωπός ἐστι, τὸ ἡ Ἐλ δύναμις· locus non caret vitio, ita corrigendus, Τὸ δὲ Ἰσραὴλ Ἄνθρωπός ἐστι νικῶν, τὸ ἡ Ἐλ δύναμις· correctio certa ex illo ipſo loco. Nam præcedit, καὶ τὸ ὄν Ἰσραὴλ ὄνομα τῶν σημαίνει, Ἀνθρωπος νικῶν δύναμιν· Sententia Juſtini, ISRAEL *dictus q.* איש ראה אל *homo videns potentiam*. Epiphanius τοὺς Ὀσαιηνούς, quos alii *Eſſæos* vocant, Φανερίζοντες ἡ δῆθεν παλαιὸν τῶν δύναμιν ἀποκεκαλυμμένην ἀφ' οὗ τὸ ἰὴλ καλεῖσθαι δύναμιν, ἐξ ἡ κεκαλυμμένον. Interpretatur nomen ἠλξαί. Igitur legendum Ἠλ, non ἰὴλ· item legendum *δύναμιν κεκαλυμμένην*, כח נסתר, ita poſtulante ſententia. Ex hac nota intelligendus locus qui eſt Marc. 14. 62. καὶ ὄψεσθε τὸν υἱὸν τ ἀνθρώπου καθήμενον ἐκ δεξιῶν τ δυνάμεως· τ δυνάμεως, הגבור, i. τοῦ Θεοῦ, *Videbitis Filium hominis ſedentem ad dexteram potentiæ*, i. Dei. Hujus loci eſt Ἐμμανουὴλ· In quo obſervanda pronuntiatio antiqua *Emmanuel* pro *Immanuel*. Sic *ebri* ſonabant pro *ibri*, i. עבר. Theodoritus in Gen. quæſt. 60. Μετὰ δὲ τὴν ἓξ λαὸν ἀμυκλαίοις, ἐλθόντες τινὲς Φοίνικες ἀπέγνωσαν Ἄβραμ τὴν πατρίδα· τὸν ἡ καθ' ἡμᾶς τὴν Ἑβραίων καλοῦσιν εὑρεῖν ἔβρι· Hoc verum, ſed quod paulo ante ait, Ἕβερ δὲ τὴν Σύρων φωνὴν, ὅπερ Εὐφράτης ὀνομάζεται, falſum eſt, niſi legas, Ἕβερ δὲ τὴν Σύρων φωνὴν ὁ πατρίτης ὀνομάζεται· ἡ Σύρων φωνὴν· intelligo, ut cum ait, Ἄδαμα δὲ τὴν ἐνδεχὴν γῆν ἴδιον παῖς Σύρους καλοῦσι· παῖς Σύρους, ἤγουν παῖς Ἑβραίους· eſt enim *Adama* Ebræorum proprium verbum. Igitur Ἐμμανουὴλ ἀρχαιοῖς pro Ἰμμανουὴλ. Ita ſcriptum, Καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουὴλ, ὃ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. Interpretatio clara. עמנו אל, id ἡμῶν, עמנו Θεός. Pro עמנו Syri etiam dicunt עמנא, quod reperies in eorum libris Matth. 27. 46. & Marc. 15. 34. recte an ſecus, neſcio. Nam adducor ut putem ibi reponendum מנא tranſpoſitis literis, quemadmodum oſtendam ſuo loco: alioqui ἰὴλ pro Ἠλ purum putum Syriacum, à quo Ἰαὼ creditus à Phœnicibus υἱὸς Οὐρανοῦ καὶ Γῆς, qui à Græcis Κρόνος, i. *Saturnus*, vocatur. *Il*, *Ilus*, ut *Bel*, *Belus*. Ilus, *Juppiter potens*, Ζεὺς δυνατός. Hujus frater Dagon Ζεὺς ἀρότριος. Sanchuniatho vir antiquiſſimus, aut potius ejus interpres Philo Byblius, in Hiſtoria Phœnicum, Παραλαβὼν ἡ ὁ Οὐρανὸς τὴν ἑ μητρὸς ἀρχὴν, ἄγαμος ὢν γάμου ἐπ' ἀδελφὴν Γῆν, καὶ παῖδας ἐξ αὐτῆς παίδας δ', Ἄνον, τὸν καὶ Κρόνον, καὶ Βίτυλον, &c. Vixit Sanchuniatho ante tempora Trojana, & ſcripſit Syriace. Ἐμμανουὴλ, nomen rei, ut loquuntur. Neque enim Jeſus ita nominatus fuit unquam, ſed quia Mediator erat inter nos & Deum, propterea vocatus eſt & revera fuit *Emmanuel*, i. μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. Sic enim certe interpretatur Euangeliſta, & recte: עמנו *nobiſcum*, אל *Deus*: quod nunc efferunt *Immanuel*; & in nomen tranſiit, quod vocant, proprium. De quo audire malim aliorum judicium quam meum proferre, qui neque propheta ſum, neque filius prophetæ.

26. *Primogenitum*] Quomodo *primogenitum*, ſi non habebat ſecundo aut tertio genitum? Nam primus relative dicitur ſecundum. Primogenitum Ebræi יחיד vocant, qui primus naſcitur, ſive alius ſequatur ſive non, nihil refert. Nam *primogenitus* ante quem nullus, ut recte obſervavit Hieron. adverſus Helvidium ſcribens. Proinde non ſequitur, Chriſtus fuit Mariæ primogenitus, ergo Maria plures liberos habuit, & Chriſtus alios fratres proprie dictos. Dico, proprie dictos; quia fratres habuit cognatos & conſanguineos. Hoc negari non poteſt; ut nec illud, Chriſtum aperuiſſe matricem, qui Ebræis dicitur פטר רחם *aperiens vulva*, & Græcis Διανοίγων μήτραν, *adaperiens vulvam*, & ſimpliciter פטר Διανοίγων, quem πρωτότοκον reddunt, Exod. 34. 19. Simul autem iſta leguntur cum ibi tum Num. 3. 12. Ἀντὶ πάντων πρωτοτόκων Διανοιγόντων μήτραν, ubi primogenitus in fonte פטר vocatur, in quo nulla ratio ordinis. Non enim certe relatione ad fratres aliquis dicitur בכר, ergo nec *primogenitus*. Cæterum ſi Chriſtus aperuit matricem, non poteſt dici natus ex utero clauſo, quod tamen multi temere nimis affirmant, & per Mem clauſum ejus nativitatem ſignificari putant apud Jeſaiam in voce למרחם. Judicent eruditi. Nam non vir aperit uterum, ſed Deus & infans. Qua de re valde cogitare velim eos qui ſubtiliter nimis diſputant de horto clauſo, cujus mentio in Cantico canticorum; quem ad uterum virginis Mariæ accommodant; ſed an recte, viderint. Sane *matricem & uterum*, licet diverſa nomina ſortiantur apud Ebræos, tamen Lxx interpretatione confundunt, vocem רחם, quæ *matricem* ſive *vulvam* proprie denotat, i. μήτραν, interpretantes κοιλίαν, i. *uterum*, & ſemel γαστέρα, i. *ventrem*, videlicet Pſal. 110. 3. ἐκ γαστρὸς, ubi Aquila ἐκ μήτρας, & in fonte רחם ἐκ *vulva*. His adde, omnem primogenitum aperire vulvam, ſed non omnem eum qui aperit vulvam primogenitum eſſe patris, ſi plures uxores habeat. Verbi cauſa, Dan aperuit matricem Balæ, Gen. 30. 6. & Gad Zelphæ, ibid. v. 11. neuter tamen fuit primogenitus Jacobi patriarchæ, ſed Ruben ex Lea ſuſceptus, & eo excidente jure ſuo Joſeph ex Rachele procreatus, Gen. 30. 23. ¶ *Vocavit nomen ejus*] Quis vocavit? Joſeph, an Maria? De Joſepho capiendum videtur ex verſ. 21. de Maria ex Luc. 1. 31. Sed & Angelus eum vocavit *Jeſum* Luc. 2. 21. Quocirca inter ea nomina non recenſetur quæ ante nativitatem impoſita fuerunt, ut *Iſmael*, & alia. Syrus hic habet ותקרי ית *& vocavit mulier*: nam eſt verbum femin. nec ulla hic ambiguitas. Etiam conſuetudo pro illo eſt veteris ævi. Solebant enim matres filiis nomina imponere, ut Heva, Gen. 4. 25. & Lea, Gen. 29. 32, 33. & Rachel, Geneſ. 30. 6, 8. Rurſum Lea, Geneſ. 30. 11, 13, 20. Vide ſis Obſerv. meas, & notata Marc. 1. 17.

V A L L A.

16. *Maria, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*] Μαριὰμ. Quid cauſæ eſt cur interpres Græcus (nam Hebraice ſcripſit Matthæus) utitur genitivo Græco hic in *Maria* nomine, ubi nominativo Græco, inquiens, *Nonne mater ejus dicitur Mariam?* Μαριάμ, Matth. 13. 55. In *m*, non in *s* finitur hoc nomen apud Græcos hoc loco, & accentu in fine, ut *Abraham*. Quod haud ſcio an Latinus interpres non animadverterit, an ita potius transferendum putaverit, an poſtea ſit ſcriptura corrupta. Sed redeo ad Græcum interpretem. Certe cum dicit nominativo *Mariam*, indeclinabile nomen eſſe ſignificat. Cur ergo nunc declinavit *Maria?* præſertim contra legem Græcorum, qui talia nomina non declinant; ac ne *Abraham* quidem, quod nos nonnunquam declinamus, nonnunquam indeclinatum relinquimus: quod cur faciamus neſcio: nunc enim dicimus, *Filii Abraham*; nunc, *Filii Abrahæ*. Hoc ideo dico, quod declinando hoc nomen, facit ſimile alteri quod declinatur, ſi modo alterum eſt, non unum atque idem. Nam cum in nominativo aliter nunc exeat, aliter cum aliqua alia mulier nuncupatur, videtur diverſum eſſe nomen matris Domini atque aliarum quarum fit in Euangelio mentio. Illarum enim nomen in *a* ſemper exit, ut *Maria Magdalene*, *Maria Jacobi*, *Maria Joſe*, Matth. 27. 56. Marc. 15. 47. & ſi quæ ſunt aliæ; at matris Domini, in *am*, & alio, ut dixi, accentu. Quod ſi Hebraice eodem ſono efferuntur, cur Matthæus nunc, & Lucas aliquoties aliter extulit, illud quidem flectendo per omnes caſus, & in accuſativo per *an*, hoc autem ſecus? nam Joannes nunquam eam nominatim appellat, ſed *matrem Jeſu*; Marcus ſemel ejus genitivo utitur, cap. 6. 3. Ex quo colligere poſſumus, nonnihil fuiſſe differens nomen matris Domini atque aliarum quas nominavi. Quare viderint ii qui inſtituerunt illud ex Euangelio Lucæ, ut legatur in Feſto matris Domini, quod de Maria Magdalena dicitur, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Luc. 10. 42. Nam ſi aliud eſt nomen Magdalenæ, aliud matris Domini, non potuit fieri hæc alluſio nominis. Quoniam de accentu feci mentionem, recenſebo breviſſime quædam nomina quæ ſolent quidam in ſacris Scripturis

corrupto accentu proferre, vel correpta producentes, vel producta corripientes. Quæ correpta producuntur, hæc ſunt: *Andreas, Timotheus, profectus, Euronotus, lecythus, anathema, ſymphonia, ficera, idea, butyrum, cedrinus, cryſtallinus, adamantinus, cophinus, Origenes, Æneas,* (quod Homerus producit, aliter ſcriptum, & alii nonnulli Poetæ. Sed quod apud Act. Apoſtolorum, cap. 9. 33. ſcribitur, ut apud Thucydidem Xenophontemque & quoſdam alios, media brevi eſt) *Philemonem* quoque, (quod eſt illis ſimile, *Palæmonem, Sarpedonem, Cæſonem.*) Quæ producta corripiuntur ſunt hæc; *Simonem,* (quod eſt ſimile illi, *Simeonem, Samſonem, Salomonem*) *Joſephus, Jacobus, Sidonis* (licet eo Poetæ abuti ſoleant) *idolum, idolium, idolothytum, brabium,* (etſi media litera vulgo ſcribitur *v*, non *b*) *oxygometra, euchariſtia, cœnomia, latria, idololatria,* (ſex ſyllabarum, non, ut plerique ſcribunt pronunciantque, quinque) *Beronica, Theſſalonica, antiphona, characteris, ſtateris, eremus,* (cui male apponitur aſpiratio) *Arius,* ſicuti *Darius, ſinapi, hyſſopum, Idumæa, Iturea, Cæſarea,* licet de hoc dubitari poteſt. In *ſagena* pauci peccant. Hæc de Græcis: nam de Hebræis nihil dicere habeo, niſi hoc unum, mirari me, cur pleraque eorum cum nos tum vero Græci accentu acuto in fine pronuncient. ¶ *De qua natus eſt Jeſus*] ἐξ ἧς ἐγεννήθη. Græci non habent duas præpoſitiones, ut nos, *de* & *ex*, ſed tantum *ex*, diverſæ tamen vocis, quemadmodum apud nos *è*, & *ex*, ſive *à* & *ab*, ſequente vel vocali vel conſonante: quam ſuo arbitratu interpres transfert, modo *ex*, modo *de*. Quod neſcientes ajunt, ideo dici, *Conceptus de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine*, quod aliud ſit *de*, aliud *ex*. Quod verum non eſſe, duntaxat in Euangelio, ſaltem ex loco hoc admoneri debebant. Ergo Jeſus conceptus eſt *ex Spiritu Sancto*, & natus *de Maria virgine*. Nolo argutius quærere utra harum præpoſitionum utro in loco ſit accommodatior. Illud potius quæram, cur dixerit, *Natus*, quemadmodum paulo poſt, *Cum ergo natus eſſet Jeſus*, τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος, Matth. 2. 1. & quibuſdam aliis locis, cum Græce dicatur, *Genitus*, ipſius quoque interpretis teſtimonio, qui ita traducit, ver. 1. *Liber generationis*, γενέσεως· & iterum ver. 18. *Generatio autem Chriſti ſic erat*, γένεσις· & iterum ver. 2. *Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Jacob*, ἐγέννησεν, & aliis etiam in locis. Et ſane *genitum* dici, non *natum*, ex hoc conſtat, quod Græca verba ſunt eadem pene quæ Latina à nomine *Genus* venientia: quanquam dubitari poteſt an *genus* à *gigno*, cujus præteritum eſt *genui*, fiat; an hoc verbum ab illo nomine; à cujus ſupino *genitum*, quia non fit *genitio*, etſi ratio poſcit, mutuamur *generatio* à ſupino verbi *genero*, quod à *genus* utique deſcendit, non autem, ut parum perite Priſcianus ait, *genus* à *genero*. Hoc cum ita ſit, cur non tranſtulit interpres per *Genitus* potius quam per *Natus*? An quod ad patrem tantum *gignere* pertinet, ſicut ad ſolam matrem *concipere*? Minime, ſive Latine id dicas, ſive Græce. Latine quidem, ut apud Valerium Maximum, *Socraten matre obſtetrice, & patre marmorario genitus.* Apertius apud Quintilianum, *Si adeo non genuit filium, ſed effudit, & ex illo infelici partu ingratum mœrori pondus expoſuit.* Græce autem, hoc ipſo teſte interprete, *Beatæ ſteriles, & ventres qui non gemerunt*, γεννήσαντα, Luc. 23. 29. Ergo ad matrem quoque *gignere* pertinet; ideoque ut *genitor*, ita & *genitrix* dicitur: ſed ipſum ejus *gignere* eſt *parere*, ut quæ modo attuli exempla teſtantur, & ipſe interpres, qui in Luca ait, *Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium*, ἐγέννησε, Luc. 1. 57. Et in Joanne, *Poſtquam pepererit filium*, c. 16. 21. Potuit igitur interpres transferre *Natus* pro *Genitus*: nec ſolum potuit, ſed etiam debuit, ne diceret obſcure, *Cum ergo genitus eſſet Jeſus*, Matth. 2. 1. & alibi, *Et multi in nativitate ejus gaudebunt*, γενέσει, Luc. 1. 14. Et alibi, *Bonum fuiſſet ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*, ἐγεννήθη, Marc. 14. 21. Ut intelligant ſe errare, qui ad probandum melius eſſe homini male eſſe quam non eſſe, hunc locum contra ipſos facientem ita conantur eludere, quod non dixit Dominus, *Si nunquam genitus fuiſſet homo ille*, ſed *ſi nunquam natus*, cum forſitan debuerit magis transferri *genitus* quam *natus*. Non enim ad matrem magis quam ad patrem illud *gignere* pertinet, ſive ad partum magis quam ad conceptum. Quod ſi Græcarum literarum ignorantia decipiebantur, tamen prudentia poterant veritatem conjectare, cum non longe poſt dicatur, *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, γεννηθὲν, v. 20. Non enim tunc *natus* erat Jeſus, ſed *conceptus*, ſive (ut Græcum verbum ſignificat) *genitus*. Ex quo videtur etiam mater gignere cum concipit. Sed forte dictum eſt more aliarum mulierum, prout à quibuſdam dicitur Mater Domini *enixa*: cum *eniti* ſit cum conatu & labore parere, quod in matrem Domini non cadit, quod Græce eleganter ὠδίνειν, h. e. cum dolore parere. Vocem autem hanc Græcam de qua agimus, poſſe transferri vel *genitus* vel *natus*, probat Aulus Gellius, Noct. Attic. lib. 9. cap. 3. qui ita epiſtolam Philippi regis ad Ariſtotelem transfert, *Filium mihi genitum ſcito, quod equidem diu habeo gratiam, non proinde quia natus eſt, quam pro eo quod tam naſcis contigit temporibus vitæ tuæ.* Ἴσθι μοι γεγενόσθαι υἱὸν· μᾶλλον δὲ τῷ θεοῖς χάριν ἔχω, οὐχ ὅτως ὅτι τῇ γενέσει ἥδομαι, ὡς ὅτι τοῦ ἐξ ἐμοῦ σε γενέσθαι ἀυτὸν γεγενῆσθαι. Hæc hactenus, dum illud addam, non eſſe Græce, *Cum ergo*, ſed *Cum autem natus eſſet Jeſus*, τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος, cap. 2. 1.

18. *Cum deſponſata eſſet mater ejus Maria Joſeph, priuſquam convenirent, inuenta eſt in utero habens*] Duæ dictiones deſunt: nam ſic legitur Græce, *Cum enim deſponſata eſſet mater ejus Maria Joſeph, priuſquam ipſi convenirent*, Μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ἰωσὴφ, πρὶν ἢ συνελθεῖν ἀυτὸς. *In utero habens* Græcanice dixit pro *prægnans*, quod rariſſime in N. T. invenio: ut iterum paulo poſt, v. 23. Et 1 Theſſ. 5. 3. *Sicut dolor in utero habentis*: quale eſt Eſa. 26. 17. *Propter timorem tuum, Domine, in utero accepimus, & doluimus.* Non ſolum dure *in utero accepimus*, ſed etiam, & forte durius, *doluimus*, pro *peperimus* ſive *enixi ſumus.* Ob id autem quod dicitur, *Priuſquam convenirent*, non ſequi ut poſtea convenerint, probat copioſiſſime Hieronymus adv. Helvidium, ſed è ſacris libris. Verum quo magis Helvidiana ſtultitia pateat, afferam pauca è libris non ſacris exempla, qualia ſunt infinita. Virg. Æn. 4.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat.

Quaſi poſſet *prius* Dido devorari à terra, deinde pudorem violare. Cicero, pro Milone, *Utinam Publius Clodius non modo viveret, ſed etiam pro conſule dictator eſſet, antequam hoc tantum ſpectaculum viderem.* Quod ſi quis dicat, accipi *prius* pro *nunc* & *ante* pro *potius*, etſi inanis reſponſio eſt, afferam Græcum autorem, ut Græca ſunt Euangelii verba. Thucydides, *Remittunt igitur prius hominem, quam audierunt*, cum certe illum nunquam poſtea audierint. Plura efferrem exempla, niſi omnes ſic loquerentur: *Antequam abſolveret dominum, deceſſit. Hominem, priuſquam occideres me, occidi.* Ut de hoc adverbio diſputat Hieronymus adverſus eundem, ita in adverbio *donec* oſtendit non utique aliquid ſignificari poſtea ſubſecutum, ut in illo, v. 25. *Nec cognovit eam, donec peperit filium*; non enim ſequi, Joſeph poſt partum eam cognoviſſe. Quam diſputationem vel non tenens memoria vel non ſatis probans Remigius ita locum hunc exponit, *Nec cognovit eam, & peperit filium*: videlicet *donec* pro *&* accipit, q. aliud ſit *donec* quam *uſque quo*, ſive *uſque dum*, ſive *quoad*, ſive (ut ſolet interpres transferre) *quoaduſque*, ἕως ὅτου. Nunquid quodlibet horum adverbiorum vellet interpretari per *&*? Mihi quidem ſuo ſermone Remigius videtur innuere Joſeph peperiſſe potius quam Mariam.

19. *Et nollet traducere eam*] Παραδειγματίσαι. Quia Joſeph erat vir juſtus, videtur noluiſſe *ad ſe traducere* Mariam, tanquam ipſo indignam. Atqui diverſa ſententia eſt, ac pene contraria. Non enim ſui honoris habuit rationem Joſeph, ſed Mariæ, ne illam *ad populum traduceret* exemplo aliis futuram. Nam ab *exemplo* hoc verbum venit; quod ſi liceret transferre, diceremus *exemplor*. Scilicet dare exemplo, habere eſt oſtentui, ut ad Hebr. 6. 6. *Oſtentui habentes*: quoniam facere quempiam exemplum cæteris, eſt tradere illum oſtentui habendum. Ideo cum alii multi Philoſophi, tum vero Plato in Gorgia inter genera pœnarum poſuit *exemplum*. Unde apud Terentium in Eunucho, ac cæteros, accipitur *exemplum* pro atroci pœna. Ergo non implet vim Græci verbi noſtrum *traducere*, quemadmodum Coloſſ. 2. 15. etſi nonnihil diverſum ſit Græce, *ſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, triumphans illos in ſemetipſo*, ἐδειγμάτισεν. Proinde ad hujus verbi ſenſum aperiendum transferam locum quendam Demoſthenis contra Æſchinem Falſæ legationis, Ἂν μὲν τι λέγῃ πατρίαν ἀρχαίαν λαβὼν ἢ δῶρα, ἢ τῶν ἐξελεγχθέντων σοφῶς ἐκ' ἀυτῶν τὸ πεπραγμένον, μάλιστα μέν, εἰ οὖν τι, ἀποδείκνυτε· εἰ δὲ μή, ζημιοῦτε τοῖς λοιποῖς παράδειγμα ποιοῦντες. *Quod ſi per facinus pecunia muneribuſque acceptis, & hoc plane coarguatur ex rebus ipſis quas geſſit, præcipuum quidem fuerit, ſi poteſtis, ut occidatis: ſin minus, viventem cæteris faciatis exemplum.* Ita hic dicendum erat, *Et nollet eam facere exemplum.* Quanquam poteſt videri interpres perquam eleganter dixiſſe *traducere*, pro eo quod eſt *in publicum & in apertum*, atque *ad judices ducere*, ut eſt apud Petronium Arbitrum, *Protendo igitur ad genua veſtra ſupinas manus, patoque & ero, ne nocturnas religiones*

ligiones riſum iocumque facere, neve traducere velitis tot amicorum conſilia ſecreta, quæ vix mille homines noverunt. ¶ *Volebat occulte dimittere eam*] ἀπολῦσαι. Non accipitur nunc *dimittere* pro *relinquere*, ſed pro *miſſam facere* atque *repudiare*. Et proinde *occulte*, ne cæteri ſcientes hoc eam ad poenam vocarent.

22. *Quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem*] Græce ambiguum eſt ad utrum referatur *dicentem*, ad *Dominum*, an ad *Prophetam*. Ego ad *Dominum* mallem referre, ideo *dicente* dicerem, λέγοντος.

23. *Ecce virgo in utero concipiet*] Verius legitur in iis codicibus ubi ſcribitur *in utero habebit*, quia ſupervacuum eſt *in utero* dicere cum dicatur *concipiet*. Et ita Græce habet, ἐν γαστρὶ ἕξει. Sed ego tranſtuliſſem, *Ecce virgo concipiet*. Idem enim pollet *concipiet* quod *in utero habebit*.

REVIUS in VALLAM.

16. NAm *Hebraice ſcripſit Matthæus*] Controverſia hoc non caret. v. Caſaub. adv. Baron. Exercit. 15. c. 12. & 16. c. 115. confer quæ cl. D. Gomarus ſuper ea re peculiari libello diſſeruit.

Utitur genitivo Græco] Eraſmus in ora libri poſuerat *utatur*. Sed idem loquendi modus eſt apud Vallam in Matth. 25. circa finem, Marc. 12. 15. & alibi. Itaque nihil muto.

Illarum enim nomen in a ſemper exit] Hoc falſi convincit locus Rom. 16. 6. ἀσπάσασθε Μαρίαν, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν εἰς ἡμᾶς· contra, mater Domini & Μαρία & Μαριάμ indifferenter appellatur; idem enim apud Hebræos nomen eſt: ut & Μαριάμμη apud Joſephum: idem Vallæ παρόραμα notavit & Eraſm. in Marc. 6. 3. unde miror Caſaubonum ad eundem lapidem impegiſſe, Exercit. in Baron. 1. diatribe 10.

Quod de Maria Magdalena dicitur, Maria optimam partem) Fuit hæc ſoror Marthæ è Bethania, Joh. 11. 1. non Magdalene è Galilææ vico Magdala, de qua Matth. 15. ver. ult.

Æneas, quod Homerus producit] Hoc in ſuas notas tranſtulit Beza, in Act. 9. 34. Cæterum Æneam ubi Thucydides nominet locus non occurrit: niſi auctor in animo habuerit Æneſiam Ephorum Spartanorum, de quo l. 2. cujus & meminit Xenophon l. 2. Ἑλληνικῶν. De Xenophonte quod ait verum eſt, eum Αἰνίαν ſcribere ſecunda brevi, cum de Æneæ Stymphalio Arcadum Imperatore loquitur ἀινείας. lib. 4. & ἀινείου. l. 7. at in Cyneget. ubi de Anchiſæ filio agit, cum Αἰνείαν vocat, ut & Homerus.

Canonia] Pro κανίσκια, vel, ut alii ſcribunt, κανώμια, Exod. 8. 21, &c. Atque ita legendum docet Hieron. ad Suniam & Fretelam, ut ſignificet *omne genus muſcarum*. Aquila σκυμῖας, i. *omnimodam muſcam*, interpretatus eſt, ut obſervat ibidem Hieronymus.

De Hebræis nihil dicere habeo] Itaque nauci non ſunt quæ hic de accentu Hebræorum inculcat, quorum ratio ex ejus linguæ Grammaticis petenda eſt.

Hoc ipſo teſte interprete] Scriptum erat, *Hoc eſt ipſo teſte interp.* delevi *eſt*.

Cum enim ſit cum conatu & labore parere, quod in matrem Domini non cadit] Ex errore Pontificiorum & Marcionitarum hoc eſt, quem refutatum v. Tertull. lib. De carne Chriſti, & adv. Marcionem l. 4. Epiph. hæreſ. 77. & 78. Eraſmus in Luc. 2. 23. eam opinionem plauſibilem quidem eſſe ait, ſed certis Scripturarum teſtimoniis doceri non poſſe. Bellarminus, cum multa de Incarnatione Chriſti diſputaret, eam intactam præteriit, ut & Baronius: neque enim ſatis in ea concordes ſunt illius partis Theologi.

18. *Nam ſic legitur Græce:* Cum enim deſponſata eſſet mater ejus Maria] Deerat *Maria*, quod ex textu & auctoris mente addidi.

Propter timorem tuum, Domine] Hæc in vulgata aliter habentur, ſic, *A facie tua, Domine, concepimus, & quaſi parturivimus*. Sed ita ut citantur à Valla, leguntur in editione Septuag. Interp. qualem Hieron. Latine verſam ſuæ tranſlationi appoſuit, niſi quod pro *deluimus* habet *parturivimus*: aliter tamen hoc dictum citat Hieron. ad Algaſiam quæſt. 4. & in Eccl. 3. ut & Aug. in Pſalm. 47. & 101.

Non ſequus ut poſtea convenerint] Hoc totum ab ultima editione aberat, quod è prioribus repoſui.

22. *Quod dictum eſt à Domino*] Hæc ita ut diſtinxi haud dubie ſcripſit auctor, licet in omnibus exemplaribus confuſe legantur.

CASAUBONUS.

ETſi non improbo librorum ſacrorum receptam hodie diviſionem, tamen non dubito quin longe commodior eſſet futura Veterum diſtinctio, ſi quis magnus Theologus ei reſtituendæ operam impendiſſet. Veteres enim ſingulos libros in πίναξ, ſingulos πίνακας in ſua κεφάλαια ita dividebant, ut lectorem ea diviſio multum poſſet adjuvare. Non enim, opinor, ut hodie factum videmus plurimis in locis, ea dividebant, quæ ſiquis diligentius animum advertat conjunctim potius legi deberent; ſed diverſas potius quæſtiones, & ejuſdem quæſtionis partes diverſas ita diſtinguebant. Quod quantopere ſit exoptandum, nemo qui artificioſiſſimas præſertim Pauli epiſtolas legerit diligenter aliquando, poteſt ignorare. Vocabant autem majores partes πίνακας, minores κεφάλαια, contra quam hodie nos facimus. Quare etiam in numero κεφαλαίων magna diverſitas. Nos hodie Matthæi Euangelium dividimus in cap. XXVIII. illi in κεφάλαια CCCLV. πίνακας autem LXVIII. unde apparet id fere κεφαλαίον fuiſſe illis quod nobis hodie *verſiculus*. Numerum autem τῶν πίνακων καὶ κεφαλαίων in ſingulis Euangeliſtis obſervatum, ex his Suidæ verbis eſt intelligere, Ὁ μὲν Ματθαῖος ἔχει πίνακας ξή. κεφάλαια τνέ. ὁ δὲ Μάρκος, πίνακας μή. κεφάλαια λς. (ſed hic numerus eſt mendoſus) ὁ δὲ Λουκᾶς, πίνακας πγ'. κεφάλαια τμή. ὁ δὲ Ἰωάννης, πίνακας ιή. κεφάλαια σλϛ'.

1. Βίβλος γενέσεως] Elegantur ſubaudiendum relinquitur verbum in hac ἐπιγραφῇ, non ex Hebræorum tantum idiotiſmo, ut recte annotat doctiſſ. interpres, ſed ex more quoque Græcorum ac Latinorum, qui in omnibus fere inſcriptionibus verbum elegantur reticent, quod ſtatuarum inſcriptiones & epigrammata multa docent, itemque ea exempla quæ ad hunc locum Eraſmus appoſitiſſime annotavit.

18. τοῦ δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ γένεσις] Vetus interpres γένεσιν & γέννησιν confundit. Eraſmus vero optime γένεσιν *nativitatem* cenſuit vertendum. Glollarium vetus, Γένεσις, *procreatio*, *nativitas*.

19. Ἀνὴρ δίκαιος] Afferunt docti viri è Polybii lib. 2. hunc locum, Καὶ μὴ πανοικὶ δικαδεσμαλιζόμενοι. Ille vero ſæpe hac voce utitur: activa autem l. 15. Διὸ καὶ συνεχῶς ἐδίουν, ἄγειν κελεύοντες, καὶ δικαδεσμανίζειν σὺν πάσῃ τῇ κακίᾳ αὐτούς. Hinc nomen δικαδεσμάτης apud eundem, l. 6. & παραδεσμα πάσῃ pro δικαδεσμαλίζειν dixit l. 9. Sunt & aliæ quædam voces in his libris, quas vel non facile alibi, vel nuſquam frequentius quam apud Polybium reperias; cujuſmodi ſunt ἐνδεκάτη, ἀθλίως, ἀνυφλάμπτως, & φανερόω in ea ſignificatione qua utitur Lucas in Actis.

20. Μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαριάμ] h. e. *aſſumere Mariam, & tibi adjungere*. Nam παρὰ in hac voce & hic & infra 4. 5. eandem vim habet quam in παραλαβεῖν, quando ſignificat *vocare ad ſe*. Neque poteſt pro λαβὲ, meo judicio, poſita videri, cum λαμβάνειν ſive *recipere* non dicatur niſi de eo qui rem, quam alias habuerit, poſtea habere deſierit, recuperat: quod ſi de Joſepho dici poteſt, non erit verum illud πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς, niſi συνελθεῖν accipias ἀντὶ τοῦ μιχθῆναι cum Theophylacto. ¶ Τὴν γυναῖκά σου] Si velimus articuli rationem habere, ſic puto accipienda hæc, *quæ Maria vera eſt uxor tua*. q. d. quam vult Deus ut pro uxore tua habeas. Sed ſatius eſt fortaſſe non nimis articulum urgere hic quidem.

25. Καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν] Hebraiſmus, qui etiam apud alios ſcriptores Græcos reperitur. Sic Cæſar lib. 6. *Intra annum vero XX. femina notitiam habuiſſe in turpiſſimis habent rebus.* Sic infra Luc. 1. 34.

CAMERO.

11. Ἐπὶ μετοικεσίας] Videtur eſſe enallage præpoſitionis ἐπὶ pro ἐν (frequentiſſimæ enim ſunt præpoſitionum inter ſe mutuæ μεταβάσεις) una cum ellipſi articuli τοῦ, ut ἐπὶ μετοικεσίας ſit pro τοῦ ἐν μετοικεσίᾳ, Hebraice בגלות בבל, h. e. *qui fuerunt inter eos qui Babylonem abducti ſunt captivi*. Nam μετοικεσία גלות proprie *ipſam multitudinem hominum depertatam*, non vero *tranſportandi actum*, aut *tranſportationis tempus* ſignificat.

19. Δίκαιος ὤν] Phraſis eſt Hebraica. צדיק nempe illis idem eſt quod τοῦ ἱλάσκου, quomodo & צדקה paſſim ἱλεημοσύνη ſignificat. Non hic ergo ſignificatur Joſephi juſtitia commutativa, aut diſtributiva, ſed probitas, benignitas, clementia, & animi manſuetudo. ¶ Παραδειγματίσαι] Sic voluit exprimere Rabbinicum לשמש, quod proprie ſign. *præ-*

lare,

lare, evulgare, publicare. Galli dicunt *eſchaffauder*, unde מסמר מסר eſt *caſtigatio publica*, παδειγματισμός. Etſi autem παδειγματίζεσθαι apud profanos Scriptores corporis pœnam, non modo infamiam notat, tamen non quamvis corporis pœnam, ſed eam quam ſequebatur infamia, ſignificat. Deſignat itaque primo & per ſe (ut loquuntur) *infamiam*, ſecundo *pœnam corporis* notat, in N. T. vero *infamiam & contemtum:* id quod colligi poteſt ex collatione cap. 6. v 6. & c. 10. 29. Epiſtolæ ad Hebræos; nam quod altero loco eſt παδειγματίζειν, altero eſt ἐνυβρίζειν. ¶ Ἀπολῦσαι αὐτὴν] Phraſis eſt non Græca ſed Hebraica: nam Græcis ἀπολῦσαι ſign. *volentem abire* (cum poſſes jure tuo retinere) *dimittere:* At hic ſign. *volentem manere à ſe amandare*, reſpondetque Hebræo שלח, quod Pſal. 34. 1. à Lxx redditur ἀπολῦσαι, quo loco, ut & hic, videtur ſignificare *amice & benigne monere aliquem ut abſcedat*, non autem *cum contumelioſa & vi quadam ejicere*, quod alibi & proprie ſign. שלח, unde & à Lxx redditur ἐκβάλλειν Gen. 21. 10. Joſephus igitur cum *vir eſſet juſtus*, h. e. mitis & clemens, ac propterea *nollet eam* παδειγματίζεσθαι, h. e. non (ut quidam exiſtimant) ſupplicio ignominioſo & extremo afficere, ſed *traducere* (Galli dicunt *diffamer*) propalando & evulgando illud quod ſuſpicabatur virginis vitium, quod neceſſe fuiſſet ſi teſtibus adhibitis (ut moris erat) libellum repudii ei tradidiſſet, *voluit eam clam dimittere*, h. e. nullis advocatis teſtibus, ut in legitima fiebat dimiſſione. At ſunt qui exiſtimant non id licuiſſe Joſepho, ſi conſtitiſſet contractam fuiſſe noxam (quam Joſephus ſuſpicabatur) poſt ſponſalia. Ut ſic ſentiant adducuntur eo quod Deus adulterium non vult tolerari: itaque (ut Joſephi factum tueantur) ajunt Joſephum ſuſpicatum eſſe (ut ſunt bonorum virorum ſuſpiciones proniores in clementiorem partem) B. Virginem gravidam ex conceptu qui ſponſalia præceſſerit. Sed cum Euangeliſta rem ſimpliciter narret, neque juſtitiæ Joſephi tribuerit quod hoc fuerit ſuſpicatus, ſed quod clam dimittere voluerit Mariam virginem, nihil opus eſt ut eo confugiamus. Item, aliud Magiſtratus, aliud ſubditorum ſeu privatorum in Republica officium eſt: nec vero ſubditi & privati reperiuntur (niſi cum grave aliquod periculum metuendum eſt) quorum criminum ſoli conſcii ſunt, ea deferre, præſertim vero in eo genere: at Magiſtratus diverſa conditio eſt; cæterum Joſephus non fuit Magiſtratus. Quod igitur dicitur Joſephus voluiſſe clanculum Mariam dimittere, ſimpliciter accipiendum eſt, non de eo repudio quod teſtibus advocatis dabatur, ſed de ſimplici dimiſſione, & quidem clancularia.

20. Ἐν ὀνείρῳ φανεὶς] Enallage pro ἐξ ὀνείρου (Hebraice בחלום) nam in Symbolo Apoſtolico habetur φανεὶς ἐκ Μαρίας παρθένου. ¶ Ἐκ Πνεύματός, &c.] h. e. *factum & profectum eſt totum illud à Spiritu S.* quomodo accipitur היתה Pſal. 118. 23. —— מאת יהוה היתה זאת, *à Domino factum*, ſeu *profectum, eſt illud.* Ita hic ἐκ Πνεύματός ἐστιν ἁγίου, Hebraice eſſet מרוח הקדש היתה זאת.

21. Καλέσεις τὸ ὄνομα] Hebraiſmus eſt, יקרא שמו. ¶ Σώσει τὸν λαὸν αὐτῶν ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν] Phraſis eſt Hebraica יושיע מחטאתם. ¶ Αὐτῶν] Pro *ejus* refertur enim ad λαὸν, quod eſt ſing. numeri. Sed apud Hebræos nomen collectivum ſing. numeri eleganter jungitur verbo vel pronomini plur. numeri.

25. Πρωτοτόκου] Non potuit aliter aptiori voce exprimi Hebraicum בכור, quod πρῶτον habet ad antecedentes potius quam ad ſequentes, ut בכור is ſit cujus nativitatem nullius præcedentis nativitas præceſſerit; quod Chriſto proprie competit; non vero is cujus nativitatem aliorum ſequentium nativitas ſubſecuta ſit, quod Chriſto non convenit.

GUALTPERIUS.

MUlti ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis in ea ſunt opinione, *EUANGELIUM S. MATTHÆI* initio Hebraice ſcriptum fuiſſe; ideoque exemplar Hebræum, non Græcum, authenticum eſſe putant. [*Hieronym. in præfat. ad Damaſ. In Proœm. ad D. Euſeb. itemque in Vita Matth.*] Adſtipulatur huic opinioni Paraphraſtes Syrus, quem Marcum eſſe Syri ex avita traditione conſtanter affirmant. Titulus enim habet, איונגליון קדישא כותהא דמתי שליחא דאתר עכרודיה באתרא דפלסטי: *Euangelium ſanctum prædicationis Matthæi Apoſtoli, quod prædicavit Hebraice in regione Paleſtina.* At contra non pauci Orthodoxorum exiſtimant vere primigenium exemplar Græcum eſſe, non Hebræum: quam ſententiam noſtris etiam video probari. Et ſane, ſi Marcus Syrus ille Paraphraſtes eſt, utrumque exemplar ſua auctoritate comprobavit, quoniam ne latum quidem unguem à Græco contextu in ſua interpretatione recedit. Extra omnem igitur controverſiam hoc primum eſto; Euangelium Matthæi Græce ſcriptum vere auctori illi tribuendum eſſe cujus nomen habet præfixum. Conjecturis autem ſi liceat uti, haud abs re dixerit aliquis Matthæum Galilæum fuiſſe, & quidem publicanum, cui nec lingua Hebræorum nec oracula Prophetarum fuerint nota. Sic enim Phariſæi ipſi Johan. 7. ver. 52. ad Nicodemum inquiunt, *Num & tu Galilæus es? Scrutare & vide ex Galilæa Prophetam non ſurrexiſſe.* Quomodo igitur qui Galilæus eſt natione, prædicaverit Hebraice? Sed huic objectioni reſponderi facile poteſt ex eo quod omnes Apoſtoli, quorum in numero etiam Matthæus fuit, Matth. 10. 3. Luc. 6. 15. Act. 1. 13. in die Pentecoſtes omnium linguarum dono à Spiritu S. miraculoſe fuerunt ornati. Tam igitur accurate Hebræam noſſe potuit atque vernaculam linguam eloqui. Illud videtur adhuc obſtare, quod in Paleſtina loquerentur omnes Syriace; cujus idiomatis etiam ipſius Salvatoris conciones, ut populares, fuiſſe certum eſt. Quod ſi igitur Matthæus Euangelium ſuum conſignavit lingua Hebræa pura & vere primigenia, factum eſt id inde ut vaticinia Prophetarum quæ exſtant de Chriſto, ex vere primigenio exemplari Scripturæ Veteris T. poſſet repetere; deinde, ut ſacroſanctum hoc labium etiam ad Novi T. theſauros fideliter cuſtodiendos transferretur. Alterum igitur eſto; Exemplar Hebræum cum Græco, & hoc cum illo conſentiens, indubitatæ eſſe fidei, & ab omnibus Orthodoxis, tanquam ſcripturam Apoſtolicam devota animi gratitudine recipiendam.

Τὸ δὲ Ματθαίου Εὐαγγέλιον] De nominibus propriis quæ occurrunt in T. Novo non conſtitui initio aliquid agere, ſed peculiarem iis cum interpretatione tribuere catalogum. Vox autem τὸ εὐαγγέλιον Græca eſt, ex εὖ & ἀγγέλλω *nuncio*, *annuncio.* Latini eandem reſervant, ut ſuavem & bene ſonantem. Suidas, Εὐαγγέλιον, τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἄγγελμα. Idem & Syrus Paraphraſtes, בשורתא *Euangelium.* Quod autem Judæi vocem hanc rident, & *Euangelium* dici volunt, q. גליון און *Aven Gilyon*, *i. e. Mendacium*, ſeu *Iniquitatem*, *voluminis*, id nos non curamus. Nihil enim non comminiſcuntur verpi illi ut ſacroſanctum Euangelium calumnioſe traducant; quod tamen amplectantur neceſſe eſt, ſi ſalutem velint conſequi. Vide Guid. Fabric. in Lexico Syro-Chaldaico in Radice בשר.

Κεφάλαιον *Caput*] Græcum eſt, quod retinet Syrus, קפלאיון.

21. Τέξεται δὲ υἱόν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτῷ ΙΗΣΟΥΝ. αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν] Ἰησοῦς *Jeſus*, Origine Hebræum eſt, teſte Hieronymo in Comment. ſuper Matth. JESUS *enim*, inquit, *Hebræo ſermone* SALVATOR *dicitur.* Etymologiam ergo nominis ejus Euangeliſta ſignavit, dicens, *Vocabis nomen ejus* JESUM, *quia ipſe ſalvum faciet populum ſuum.* Radix in Hebræo eſt ישע *ſalvavit, ſervavit:* unde יֵשַׁע & יְשׁוּעָה *ſalus.* In Syro ישע *ſalvum fecit, ſalvavit, ſervavit.* Et יֵשׁוּעַ vel ישוע cum Tſeri, JESUA, JESUS, Hebraice יְשׁוּעָה *ſoteꝛ*, *Salvator*, *Salus:* ut Eſai. 49. 8. ubi Deus Pater Filium alloquitur ſuſtinentem monomachiam cum Diabolo & mundo pro redimendo genere humano, *In tempore voluntatis*, inquit, *exaudivi te, & in die ſalutis* וביום ישועה *auxiliatus ſum tibi.* Convenit cum Græco ἰάσομαί *medeor*, *ſano.* Optimus enim ἰατὴρ Meſchias noſter. Item cum σῶ, vel σόω, & σῴζω, *ſervo*, *ſoſpito*, *ſalvum & incolumem præſto:* ex quo σωτὴρ, *Servator*, *ſalutis auctor.* Ejuſdem originis eſt יהושע JEHOSUAH, qui typum Chriſti geſſit. Ut enim is populum Iſraeliticum in terram traduxit Chanaan, ita hic fideles & pios in vitam introducit æternam. Cabala hujus nominis exponitur apud Petrum Galatinum, l. 3. c. 20. ubi ex nobili vaticinio Jacobi quod exſtat Geneſ. 49. ſecundum R. Haccadoſch, monſtrat vocem יש *Ieſu* in primis ſeu initialibus literis quæ habentur in tribus vocibus לו שילה יקהת עמים *Non recedet ſceptrum de Juda donec* veniat Schilo; & ei (ſeu *ad ipſum*) *erit aggregatio populorum.* Habetur ibidem de convenientia nominis hujus cum nomine πεντεγραμμάτου. Ut enim in hoc literæ quatuor, ſic & in illo; quanquam ו locum ה occupet, manentibus radicalibus duabus Jod & He. Ex eodem R. Haccadoſch producit teſtimonium, l. 7. c. 2. quod exſtat Jer. 33. 25. *Niſi pactum meum* ברית *eſſet die ac nocte, ſtatuta cœlorum & terræ non poſuiſſem:* ubi ratione Cabaliſtica oſtendit contineri eumdem numerum in voce ברית *pactum*, ſeu *fœdus*, qui in vocibus ſit וביום יש *Ieſus & Maria.* Colligantur enim literæ, י 10. ש 300. ו 6. Summa 316. Iterum ו 6. ם 40. ר 200. י 10. ם 40. Summa 296. Utraque conjunctim 612. Eandem invenies in ברית, ב 2. ר 200. י 10. ת 400. Conjunctim 612. Qui numerus alias in Cabala non dicitur eſſe vulgaris. Vide etiam apud Suidam dignam relatu hiſtoriam de JESU, cum in Sacerdotum numerum recipiendus, & nomen ipſius in librum Sacerdotii, aſſignatis nominibus patris & matris, inferendum eſſet.

23. Καὶ

23. Καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ· ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός] Ἐμμανουήλ, *Immanuel*. Hebr. עמנואל Esai. 7. 14. Decompos. ex עם *cum*, נו pronom. affix. & אל *Deus*, עמנו *nobiscum*, אל *Deus*. Syrus ܥܡܢܘܐܝܠ *Ammanuel*, h. e. עמנו אל *nobiscum Deus noster*. Mysterium istud ἀρρήτου unionis personalis hac voce exprimitur, quo *Deus* & *Homo* unum constituunt ὑφεστώμενον· ut intelligatur massam humanam ex corpore virginis Mariæ à Λόγῳ seu Filio Dei assumptam non constituere peculiarem quandam ὑπόστασιν, sed suum ἐνυπόστατον εἶναι seu personalitatem habere in ipsa ὑποστάσει τοῦ Λόγου, cum qua ἀρρήτως &, ut Damascenus loquitur, ἀδιαιρέτως est unita. Qui ergo carnem humanam à Filio Dei assumptam extra ὑπόστασιν τοῦ Λόγου quærunt, videant ne umbram pro substantia captent, & personam Filii Dei scelerate convellant ac dissolvant.

JAC. CAPPELLUS.

11. *Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus*] Johannes Maldonatus Jesuita doctissimus in hunc locum, *Duæ res*, inquit, *non tantum persuadent sed etiam impellunt ut credam hoc loco legendum esse*, JOSIAS AUTEM GENUIT JOAKIM ET FRATRES EJUS IN TRANSMIGRATIONE BABYLONIS. JOAKIM AUTEM GENUIT JECHONIAM. Addit Stapulensem affirmare se sic in antiquo quodam Græco codice legisse. Epiphanius hær. 8. vult ita legendum, *Josias genuit Jechoniam, Jechonias vero genuit Jechoniam*. Sed, inquit, πρὸς Ἰεχονίαν ἁμα Ἰεχονίᾳ ἐπίσης θηλυνθὲν τὸ ὄνομα ἐκόμισεν ἡ ἄρρενι δεδουλωμένων· ἐπὶ ἧς ἡ διαλογία, ἀπ' ἀρρένος ἀπόφυσ. Εἰς ὄνομα πατρὸς ὁ παῖς ἐπικληθὲν, Ἰεχονίας ἐξ Ἰεχονίου. An ita scriptum fuerit in quibusdam cod. viderit Epiphanius. Sed quem priorem Iechoniam vocat, is melius diceretur *Joakim*. Nos igitur putamus ita potius legendum, *Josias genuit Joakimum & fratres ejus. Joakim genuit Jechoniam in transportatione Babylonis*. Correctionis hujus habemus tria fundamenta; 1. quod Iechonias nullos fratres habuit, 2. quod omnino deest una generatio explendæ secundæ tessaresdecadi, 3. quod Iechonias natus est sub ipsum deportationis Babylonicæ tempus A. M. 3398.

G R O T I U S.

H ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ, NOVUM TESTAMENTUM] Tribus modis homines hominibus obligantur, Lege, Sponsione, Testamento; quæ ita inter se distincta sunt ut tamen communitate juris cohæreant: unde & Legem συνθήκης [*conventionis*] nomine definivit Aristoteles ex Sophista Lycophrone, & post eum Demosthenes, quod Papinianus *sponsionem* transtulit: & pacta contractuum *leges* vocantur, & testatoris voluntas *lex* dicitur, natumque hinc verbum testamentis proprium *legare*. Nam (ut erat in Tabulis duodecim) *uti quisque res suæ legassit, ita jus esto*. Apud Græcos verbum est quod tria ista complectitur, διατίθεσθαι [*disponere*], quod de legibus usurpat Plato, de sponsione Aristophanes, de testamento Isocrates, aliique. Cui consequens est nomen διαθήκη æque late patens; nam & *testamentum* frequentissime designat, & pro *sponsione* ponitur apud eum quem dixi Aristophanem, & pro *legibus* usurpatum est ab Orphicis & Pythagoristis, nam hi præscriptas suo gregi vivendi normas διαθήκας vocabant. Communis quoque est legibus & sponsionibus sanctio. Nam pacta, præsertim publica, quæ *fœdera* dicuntur, antiquitus sanciri solebant pecude cæsa, ipsaque vox *sanciendi*, ut recte à Servio est observatum, à *sanguine* deducitur: quæ caussa Hebræos magistros movit ut crederent ברית [*pactum*] deductum à ברא, quod pro *succidere* usurpatur, & Latinos, ut *fœdus* à *feriendo* derivarent. Atque hinc *fœdus percutere*, loquendi modus Hebræis Græcis Latinisque pariter usitatus: qua de re iterum agendi ad caput XXVI dabitur occasio. In legibus autem Sanctio dicitur ea pars quæ sanguinem delinquentis legi consecrat. Hinc Hebræi voces ברית [*pactum*] & חק [*statutum*] sæpe alteram per alteram exponunt. Rursum lex cum testamento hoc habet commune, quod neutrum conventione indiget. Nam & heres eo ipso quod heres est præstare debet factum defuncti, & subjectus alterius imperio eo ipso quod subjectus est ejusdem legibus parere debet. Conventio autem in hoc cum testamento congruit, quod & contrahendi & hereditatis adeundæ initium solet esse liberum; at subjectionis non item, ut quæ multis in locis ex origine sola descendat. ¶ Hæc cum ita sint, quæri potest cur Septuaginta interpretes, quos secuti sunt omnes Hellenistæ, atque inter eos viri sancti qui Euangelia atque Epistolas scripserunt, vocem Hebræam ברית [*pactum*] interpretari maluerint διαθήκην [*testamentum*] quam aut συνθήκην [*conventionem*]; ut fecit Aquila, aut aliter etiam: quippe cum multas ejus significationis voces suppeditet Græcæ linguæ ubertas. Videntur igitur mihi eo respexisse quod latius pateret vox Hebræa ברית [*pactum*] quam Græca συνθήκη [*conventio*], aut alia quæ vim similem obtinet. Nam συνθῆκαι [*conventiones*] ex consentienti duarum voluntatum testimonia vinculi potestatem accipiunt. At quod Moses aliique ברית [*pactum*] vocant, plerumque est ejusmodi ut nullum partis alterius consensum requirat, cum obligandi vis ei adsit ex solo superioris, puta Dei, jussu atque imperio, qui tamen interdum sponte sua se quoque promittendo obliget: ut solent legum auctores quoties præmia addunt legibus. Quia vero vocem Hebræam unam una quoque Græca exprimere studebant Senes eruditissimi; ideo etiam ubi ברית [*pactum*] ad conventiones mutuas pertinebat, ut I Regum V, 12. atque alibi, generali vocabulo διαθήκης uti maluerunt: credo quod ipsam quoque vocem ברית ab alia notione vocis ברא [*creare*] natam arbitrarentur. Nam ברא ut proprie *creare*, ita similitudinis jure *ordinare* atque διατίθεσθαι significat: quo factum est ut Iudæi Hellenistæ etiam τὸ κτίζειν [*creare*], quod Hebræo ברא respondet, ad eum significatum produxerint. Neque enim aliter potest accipi illud apud Iesum Sirachidem, Ecclesiastici XL, 10. πλάνη καὶ σκότει ἁμαρτωλοῖς συνέκτισται [*error & tenebræ peccatoribus concreatæ sunt*]. & XXXIX, 35. πῦρ καὶ χάλαζα καὶ λιμὸς καὶ θάνατος, πάντα ταῦτα εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισται [*ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt*]. & XL, 1. ἀσχολία μεγάλη ἔκτισται παντὶ ἀνθρώπῳ [*occupatio magna creata est omnibus hominibus*]. & ibid. 9. θάνατος καὶ αἷμα, ὑπαγωγὴ λιμοῦ καὶ συντέλεσμα, ἐπὶ τοῦ ἀνόμους ἐκτίσθαι [*mors & contentio, & romphæa & sanguis, oppressiones famis & contritio & flagella, super iniquos creata sunt hæc omnia*]. Hinc & Petrus τὴν ἐξουσίαν [*potestatem*] ab hominibus institutam, aut ad res humanas, vocat ἀνθρωπίνην κτίσιν [*humanam creationem*]. Voces autem διατίθεσθαι & διαθήκης latiore sensu ab Hellenistis usurpatas, quam quo vox συνθήκης posset extendi, indico nobis est locus Lucæ XXII, 29. multoque magis Ecclesiastici XXXVIII, 37. ubi διαθήκη κρίματος nihil aliud est quam *jus judiciarium*. Viso cur ברית [*pactum*] Hellenistæ interpretati sint διαθήκην, sequitur videamus, cur Christiani veteres hunc librum maluerint καινὴν διαθήκην [*novum testamentum*, sive *pactum*] appellare quam καινὸν νόμον [*novam legem*], præsertim cum Hebræi & Pentateuchum peculiariter & communiter omnes libros ad sacrum codicem pertinentes תורה [*Legem*] sive νόμον appellaverint, & Christiana doctrina suo jure *Legis* nomen sibi vindicet, ut Gal. VI, 2. Iacobi II, 8. Existimo igitur Christianos veteres præcipue respexisse ad ipsa Christi verba, qui consummatissimam doctrinam morte sua sanciturus eam *novi* ברית [*pacti* sive *fœderis*] nomine appellavit. Nam ea voce haud dubie est usus, pro qua Græci scriptores more Septuaginta virum posuerunt διαθήκης vocabulum. Proprie autem fœderis notationem à Christo spectatam ostendit addita sanguinis mentio Matthæi XXVI, 28. Marci XIV, 24. Lucæ XXII, 20. Quod accurate explicat scriptor epistolæ ad Hebræos. Cujus dicti memores Apostoli διακόνους καινῆς διαθήκης [*ministros novi pacti*] dici haberique se voluerunt, II Corinth. III, 6. Accedebat quod vox *fœderis* aliquanto dilucidius exponebat summam bonitatem & συγκατάβασιν [*demissionem*] Dei, ut qui misso ad nos Iesu Christo, non summo nobiscum jure egisset, ut solent legislatores, neque imperiose & minaciter, quæ solet vox esse legum, sed blande admodum & cum magna comitate, planeque ut solent qui bona fide inter se contrahunt. Quo factum est ut sancti scriptores sæpissime doctrinam Christi νόμῳ (*Legi*) opponant, & *gratiæ* appellent vocabulo, aut ficubi eam *legis* voce indigitant, addant condimenta quæ nominis ejus rigorem temperent, ut cum dicitur *lex fidei*, non operum, Romanorum III, 27. & *lex libertatis*, Iacobi I, 25. Merito igitur Christiani, ut ipso nominis sono doctrinam salutarem commendarent, διαθήκης [*pacti*] quam νόμου [*legis*] titulum præfigere ei maluerunt. Quanquam autem διαθήκη, ut diximus, ubi de doctrina Christiana agitur, *fœderis* potissimum habeat figu-

significationem, cum tamen Græca vox usitate admodum testamentum denotet, non mirum est ad hunc quoque vocis usum alludi à scriptore epistolæ ad Hebræos IX, 17. præsertim cum Testamentum, imprimis ubi heres sub conditione instituitur, aut fidei ejus aliquid committitur, ad fœderum aut pactionum naturam quam proxime accedat. Latini autem Christiani non eo tantum loco, sed ubicunque διαθήκη invenitur in Novo codice, quin & in Vetere, etiam ubi διαθήκη θεοῦ [*pactum Dei*] nominatur, Ambrosius etiam ubi de fœdere à Josua facto agitur, vocem adhibuerunt *testamenti*; non tam juris forique usum secuti, quam naturam originemque vocis, quæ apta est omne id complecti quo quis voluntatem suam testatam facit: præsertim vero eam qua bonorum quædam universitas alicui confertur. quo sensu & vox *heredis*, citra mortis indicationem, sumi solet, ut cum *heredes Dei* dicimur. Cum autem plures olim fuerint διαθῆκαι θεοῦ [*pacta Dei*], ut apparet Romanorum IX, 4. Ephesiorum II, 12. ipsaque circumcisio καθ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] ut ברית [*pactum*] in Mosis & Prophetarum libris receptissimaque Judæorum consuetudine, ita Græce διαθήκη appelletur Actorum VII, 8. promissiones quoque de Christo olim factæ hoc nomine veniant Lucæ I, 72. Actor. III, 25. Galat. III, 15. 17. *nova* tamen διαθήκη proprie ac peculiariter illi fœderi publico maximeque solenni, quod in exitu Ægypti inchoatum, & in monte Sinai peractum, adhibitoque pecudum sanguine sanctum est, opponitur; ut apparet Jeremiæ XXXI, 32. Atque hæ sunt δύο διαθῆκαι [*duæ pactiones*] quas κατὰ διαμετρούμενοι [*ex adverso distinctas*] nobis ob oculos ponit Paulus ad Gal. IV, 24. atque ut illam παλαιὰν διαθήκην [*vetus pactum*] 2 Corinth. III, 14. ita hanc ejus respectu καινὴν [*novum*] vocat vers. 6. eodemque modo scriptor nobilissimæ ad Hebræos epistolæ illam vocat πρώτην [*primi*], hanc modo καινὴν [*novam*], modo νέαν [*recens*], quin & κρείττονα [*melius*], itemque αἰώνιον [*æternum*]. Apparet hinc Latine hunc librum Novum Testamentum dici non posse, nisi laxiore illa atque recentiore vocis acceptione: non quod non proprie testamentum sit quod eo continetur (est enim voluntas Christi morte ipsius confirmata) sed quod eo sensu vetus ei opponi non possit: quare aut *Fœdus* dicendum, aut *Testamenti* vox extra usus veteris atque communis terminos producenda est.

ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ, EVANGELIUM] Sicuti vocem *Novi fœderis*, ita & hanc Christiani à summo Magistro accepere, ipse à Prophetis acceperat. Vox Hebræa est בשר εὐαγγελίζεσθαι [*evangelizare* sive *bonum nuntiare*]: unde Syri, per μετάθεσιν [*transpositionem literarum*] satis receptam סבר fecere: nam ס & ב constat esse ἐναλλάγμα [*tantundem valentia*]. Vocem Hebræam late satis patentem, ita ut quamvis ἀγγελίαν [*nuntiationem*] significet, de doctrina Christi usurpaverat Esaias LII, 7. quem in hunc sensum citat Paulus Romanorum X, 15. Describitur autem ea doctrina apud Prophetam duplici nomine, *pacis & regni Dei*. Atque hinc est, quod hæc doctrina tum ab ipso Christo, tum ab ejus Apostolis crebro vocetur εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας [*evangelium regni*], addita etiam interdum voce τοῦ θεοῦ [*Dei*], Matth. IV, 23. IX, 35. XXIV, 14. Marci I, 14. neque minus frequenter εὐαγγέλιον εἰρήνης [*evangelium pacis*], Ephes. II, 17. VI, 15. Actorum X, 36. E quibus locis inter se collatis apparet proprie ac primario Euangelium dici κήρυγμα [*prædicationem illam*] illud à Joanne Baptista inchoatum (nam & illi tribuitur τὸ εὐαγγελίζεσθαι [*evangelizare*] Lucæ III, 18.), à Christo vero tum per se, tum per Apostolos (nam per hos ipse Christus dicitur εὐαγγελίσασθαι [*evangelizasse*], etiam Gentibus, Ephesior. II. 17.) consummatum, de regno spirituali Dei in nobis, deque parta remissione peccatorum. Hoc enim κήρυγμα [*prædicatio hæc*], sicut Legi ac Prophetis, ut majus ac perfectius quiddam, opponitur, ita manifeste ostenditur à Baptista sumsisse exordium ipsius Christi pronunciato quod est Lucæ XVI, 16. ipsumque tam Baptistæ quam Christi κήρυγμα [*prædicatio ipsa*] ad id quod diximus Esaiæ vaticinium quasi digitum intendit. Joannis enim quasi prima vox fuit, *Adventavit regnum cœleste*, Matth. III, 2. & Lucæ III, 3. Christus deinde suam annunciationem inchoans ab eadem illa voce incipit: *Adventavit*, inquiens, *regnum cœleste*, Matth. IV, 17. Marci I, 15. ubi hoc ipsum explicatur addita εὐαγγελίῳ [*evangelio*] voce: idque ipsum esse quod εὐαγγέλιον voce indicetur apertissime declarat Lucæ IV, 18. Atque hinc est quod doctrina quævis à Christi doctrina discrepans ἕτερον εὐαγγέλιον [*alterum euangelium*] à Paulo vocatur II Corinthior. XI, 4. Galat. I, 6. id est aliud κήρυγμα [*prædicatio alia*]. Quia vero ad explicandam, illustrandam & confirmandam doctrinam à Christo annunciatam pertinent omnes ejus κηρύγματος [*prædicationis*] circumstantiæ, ideo ipsa quoque historia *Evangelii* nomen accepit, cujus ambitus proprie describitur eo tempore quod ab annuntiatione Baptistæ ad Christi adscensum intercessit, ut clare indicant Petri verba Actor. I, 22. & X, 37. Hinc est quod Marcus narrationem incipiens ab annuntiatione Baptistæ, titulum ei præfigit, *Initium* εὐαγγελίου [*Evangelii*] *Jesu Christi Filii Dei*: ita ut quæ Matthæus & Lucas, ille de Christi ortu, hic vero etiam de Baptistæ natalibus edisserunt, itemque comparatio illa Baptistæ & Christi à Johanne Apostolo libri sui primordio instituta, anteloquii cujusdam & εἰσαγωγῆς [*rudimenti*] habenda sint loco: quod ipse etiam Lucas non obscure videtur profiteri Actorum I, 1. In hoc sensu secundario, qui ut dixi, cum doctrina simul historiæ ipsius cohærentiam complectitur, ipse Christus vocem Hebræam בשורה aut Syriacam ܒܫܪܬܐ videtur usurpasse, quam Marcus εὐαγγέλιον [*euangelium*] transtulit XIV, 9. Justissimis igitur de causis veteres Christiani hos libros de rebus Christi εὐαγγέλιον [*euangelium*] inscripsere: ut ipso quoque nomine admoneretur lector quanto dulciora hic liber contineat, quam Prophetarum vaticinia, quorum pleraque triste illud nomen משא [*onus*] sibi præscribunt. Esse autem antiquissimum & ab ipsis Apostolicis deductum temporibus *Evangelii* titulum, docet nos Justinus in Apologia pro Christianis, quæ non dubie ipsius est, ubi ita inquit, *εἰ γὰρ λεγόμενα ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύματα ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρεδόθαι* [*Apostoli enim in commentariis à se factis quæ Evangelia dicuntur ita tradidere*]. Accedit quod non Latini tantum, sed & Syrus & Arabs interpretes, omnesque omnium linguarum Ecclesiæ hac ipsa voce hos libros & inscripserunt & appellarunt. Admodum autem significanter Justinus in isto & aliis in locis ἀπομνημονεύματα [*commentarios*] hos libros vocavit, qua voce Xenophon eos libros inscripserat quibus præcipua dicta factaque Socratis annotarat, Laërtio teste. quo exemplo Latine hosce libros *commentarios de rebus Christi* recte appellaveris. ¶ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ. *Secundum Matthæum*] Vetus inscriptio non habuit nude εὐαγγέλιον [*Evangelium*], sed εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ [*Evangelium Jesu Christi*], ut est initio Marci; quia nimirum argumentum libri erat, ut jam diximus, κήρυγμα [*prædicatio*] Christi: Ideo non potuit scriptoris nomen poni patrio casu: sicuti non dicimus *Vita Cæsaris Plutarchi*, sed *scripta à Plutarcho*. Hanc causam esse arbitror cur non Ματθαίου [*Matthæi*], & Μάρκου [*Marci*], atque ita deinceps, sed κατὰ Ματθαῖον [*secundum Matthæum*] κατὰ Μάρκον [*secundum Marcum*] hi libri inscripti fuerint, cum alioquin non minus recte id quod scriptum est à Matthæo *Euangelium Matthæi* possit dici, quam Paulus de doctrina Christi à se prædicata agens dixit, εὐαγγέλιόν μου [*Euangelium meum*], Romanorum XVI. 25. collato loco I. 9. Est ergo εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ Ματθαῖον [*Euangelium Jesu Christi secundum Matthæum*] nihil aliud, quam doctrina à Jesu Christo tradita, prout ea à Matthæo perscripta est: id enim significat Græcum κατὰ [*secundum*]: quod cum Latina voce haud æque possit exprimi, minus mirandum est si Latini quidam in citandis his libris Græcam dictionem servaverunt. ¶ Matthæum in Palæstina regione manssisse annos aliquammultos post Christi ἐπιφάνειαν ἐνδημίαν [*conversationem in carne*] (octo minimum, ut Græci aliique exscriptores fine libri annotarunt) magno antiquorum consensu traditur. Quare par credi est scriptam ab eo Euangelicam historiam eo sermone, qui ea in regione frequentabatur. Nam quod quidam magno conatu probatum eunt Græcum id quod habemus esse ipsius Matthæi primitivum, in eo nullis justis de causis maximam piæ antiquitatis consensionem repudiant. Nam Papias, Irenæus, Origenes, atque alii, quibus ejus rei veritatem quam nobis exquirere promtius fuit, pro comperto tradiderunt scripsisse Matthæum Hebraice. Addit ex Pantæno Eusebius idipsum Euangelium Hebraicis literis scriptum apud Indos servatum fuisse, quibus tradiderat Bartholomæus. Neque unquam ea de re dubitasse videtur Hieronymus, quanquam an illud Hebræum Matthæi esset illud ipsum quo suo tempore utebantur Nazaræi, quodque tum in bibliotheca Cæsareensi, tum Beroææ atque alibi exstitisse sua ætate memorat, in dubio relinquit. Addit Hieronymus tertio contra Pelagium, scriptum fuisse Chaldaico Syroque sermone, sed Hebraicis literis, ubi *Chaldaicum Syrumque sermonem* intelligo idioma Hierosolymitanum, linguam ejus temporis. Quod autem illi adferunt argumentum ex verbis Hebraicis quæ in Græco contextu vide-

videmus, expreſſa additis interpretationibus, pondus apud me non habet. Solenne enim eſt omnibus ſcriptoribus, etiam interpretibus, vocabula peregrina notabiliora ſervare integra, ſed addito interpretamento, quod aliquoties etiam factum videmus à ſenibus Septuaginta. Illud quidem Hebraicum Euangelium quod à Tilio, & alterum quod à Munſtero eſt editum, non eſſe Matthæi adeo certum eſt ut nullis indigeat argumentis. Sed vetus illud Nazaræorum Beroeæ habitantium, quod à ſe conſultum tranſlatumque in linguas alias narrat Hieronymus, omnino arbitror ex ipſo Matthæi codice fluxiſſe: quod ab illis quidem conſtantiſſime aſſeveratum fuiſſe tradit idem Hieronymus: Addit Epiphanius, ſed quem non inſpexiſſe apparet, fuiſſe penes ipſos Euangelium Matthæi pleniſſimum. Certe Nazaræi illi Beroenſes genuina erant progenies eorum qui primi in Palæſtina Chriſti fidem erant amplexi. Nam id illis nomen primitus fuiſſe inditum ex Domini noſtri nomine, qui vulgo *Nazarænus* vocabatur, apparet Actorum XXIV. 5. plane ſicut illi qui lingua Græca Chriſtum ſunt amplexi dicti ſunt Χριστιανοὶ [*Chriſtiani*], Actorum XI. 26. Adde quod & Epiphanius teſtatur hos ipſos Nazaræos fuiſſe propagmem eorum qui Divinitus admoniti Hieroſolymis Pellam diſceſſerant obſidii tempore. Attamen narrationes quædam non perſcriptæ à Matthæo, ſed auditu perceptæ, videntur paulatim à Nazaræis aſſutæ iis quæ penes ipſos erant exemplaribus, unde nata diverſitas inter ipſorum Hebraïcum, & quod nos habemus Græcum. Nam hiſtoria de adultera, quam nos à Joanne proditam habemus, in illorum Euangelio legebatur. Tale eſt illud cap. XII. illum nempe cum arida manu fuiſſe cæmentarium qui miſerabilibus verbis imminentem mendicitatem deprecaretur, quod refert Hieronymus. Et hic locus poſt reſurrectionis hiſtoriam, *Dominus autem cum dediſſet ſindonem ſervo Sacerdotis ivit ad Jacobum & apparuit ei: juraverat enim Jacobus ſe non comeſturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis.* Mox, *Afferte, ait Dominus, panem & menſam. Tulit panem & benedixit ac fregit & dedit Jacobo Juſto & dixit ei, Frater mi, comede panem tuum, quia reſurrexit Filius hominis à dormientibus.* Sed & id quod apud Ignatium in epiſtola ad Smyrnæos legimus Chriſtum Petro dixiſſe poſt reſurrectionem, *Ecce palpate me & videte quia non ſum dæmonium corporale*, & ſtatim tetigiſſe eum & credidiſſe, exſtabat in eodem illo ſecundum Hebræos Euangelio. Et locus ille de divite capite XIX. aliter habebat, ut dicemus cum eo ventum erit. Narrabatur in eodem Euangelio fractum atque diviſum fuiſſe limen ſuperum Templi, cum Chriſtus mortem obiret. Eſt & alius ex eodem Hebræo Euangelio locus in dialogo Hieronymi tertio adverſus Pelagianos, *Ecce mater Domini & fratres ejus dicebant ei, Joannes Baptiſta baptizat in remiſſionem peccatorum. Eamus, & baptizemur ab eo. Dixit autem eis, Quid peccavi ut vadam & baptizer ab eo?* Adde his locum qui eſt infra XVIII. 22. Sed & ſententiæ quædam Chriſti quæ in noſtris libris perſcriptæ non ſunt, ex fama in eum librum ſunt relatæ: ut illa quam laudat Clemens Alexandrinus,

ὁ θαυμάσας βασιλεύσει, καὶ ὁ βασιλεύσας ἀναπαύσεται
[*Qui contemplabitur regnabit, & regnans requieſcet*].

& apud Hieronymum altera: *Nunquam lætus ſitis, niſi cum fratrem veſtrum videtis in caritate.* & illud quod eſt apud Origenem & alios, Γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται, τὰ μὲν δοκιμάζοντες, τὰ δὲ καλὸν κατέχοντες [*Eſte probi numularii, alia rejicientes, bona retinentes*], cujus generis plures quoque fuiſſe ſententias per manum traditas, ſed cum perſcriptis ſenſu congruentes credibile eſt. Nam & in Actis ut Chriſti dictum citatur quod illis verbis perſcriptum non exſtat, Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν [*Melius eſt dare quam accipere*], XX. 35. Puto autem Tatianum, cum ex quatuor Euangeliis unum concinnaret, ſecutum in Matthæi verbis non Græcos tantum ſed & Hebræos codices, unde Euangelium illud Tatiani, quod vulgo vocabatur διὰ τεσσάρων [*ex quatuor*], ab aliis dictum κατ' Ἑβραίους [*ſecundum Hebræos*] narrat Epiphanius. Atque hinc etiam factum arbitror ut iſtud Euangelium alii vocent non διὰ τεσσάρων [*ex quatuor*], ſed διὰ πέντε [*ex quinque*], ut Victor. Capuanus. Neque id mirum nobis videri debet, cum Ignatius tanto antiquior illam hiſtoriam de verbis poſt reſurrectionem, Juſtinus alteram de Baptiſmo Chriſti recitet, ita ut legebatur in Euangelio Nazaræorum. Video eſſe qui putent non auctum tantum ex traditionibus, ſed & mutilatum fuiſſe Euangelium Nazaræorum, cujus rei nuſquam idoneum reperio teſtem. Nam Epiphanius contrarium dicit, ἔχουσι γὰρ τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον πληρέστατον τὸ Ἑβραϊστὶ [*habent Matthæi Euangelium pleniſſimum Hebraice*]. Nec aſſentiri poſſum iis qui Epiphanii verbis negationem interſerunt: quanquam ſcio ab eodem Epiphanio de Ebionæis dici, uſos eos Matthæi Euangelio οὐχ ὅλῳ ἀλλὰ νενοθευμένῳ καὶ ἠκρωτηριασμένῳ [*non pleno, ſed partim corrupto partim mutilato*]: neque ignoro Hieronymum ita Hebræum Matthæi exemplar citare ut id commune videatur facere Nazaræis & Ebionitis. Sed commune illis arbitror fuiſſe Euangelium Matthæi, ſicut olim Catholicis commune fuit cum Marcione Euangelium Lucæ, paucis ſcilicet mutatis quæ Marcioni diſplicebant. Ita & Ebionitæ deleverunt totam γενεαλογίαν [*generis recenſionem*] & quæ ſequuntur ad eum locum ubi Chriſtus à Joanne baptizatur, plane ſicut Marcio prima Lucæ capita induxit. Fecerunt autem hoc Ebionitæ pro ſuo inſtituto, ut qui Dominum Jeſum credi vellent natum ex Joſephi concubitu, & virtutum merito conſecutum unctionis gratiam, ut alibi dicemus. Hoc autem cur Nazaræi facerent nihil erat cauſæ, qui non probantur in fidei negotio à cæteris Chriſtianis diſcrepaſſe, quanquam ritus Judaicos tradita à majoribus conſuetudine obſervabant, Apoſtolis non prohibentibus. Bene enim notat Sulpicius, in Palæſtina Chriſtianos pene omnes ad Adriani uſque tempora Chriſtum Deum ſub Legis obſervatione credidiſſe. Et cum dubitet Epiphanius an hi quoque ψιλὸν ἄνθρωπον [*nudum hominem*] Chriſtum dicerent, an vero nobiſcum faterentur ipſum ἐκ Πνεύματος ἁγίου γεγεννῆσθαι ἐκ Μαρίας [*per Spiritum ſanctum natum ex Maria*], ſed & neſcire ſe dicat an abſcindant τὰς γενεαλογίας τὰς ἀπὸ τοῦ Ἀβραὰμ ἄχρι Χριστοῦ [*generis recenſiones ab Abrahamo ad Chriſtum*], alii vero qui de iis ſcribunt nihil plane illis tribuant proprium præter Hebræorum rituum obſervationem: Irenæus vero nullam eorum mentionem faciat in recenſu hæreſeon, in partem meliorem de illis judicandum eſt, eoque magis quod Auguſtinus, qui vetuſtiores ſcriptores conſuluit, diſerte affirmet confiteri Nazaræos Chriſtum eſſe Dei filium: & Origenes cum duplices facit Ebionæos in diſputatione contra Celſum, ἤτοι ἐκ παρθένου ὁμολογοῦντας ὁμοίως ἡμῖν τὸν Ἰησοῦν, ἢ οὐκ ἐκ γεγεννῆσθαι ἀλλ' ὡς τὸν λοιπὸν ἀνθρώπους [*aut ex virgine nobiſcum fatentes Jeſum eſſe natum, aut ſic prout alios homines*], *Ebionæorum* nomine laxius abutens, ſub priore illa nota Nazaræos, ut credibile eſt, deſcribat. Quare Hebræum illud Nazaræorum Euangelium, quod ſæpe laudat Hieronymus, eſt quidem idem ac Ebionis Euangelium, ſed, ut recte judicavit Gelaſius, ab Ebione maculatum. Sicut autem Marcus uſus eſt Matthæi Hebræo, ni fallor, codice: ita Marci libro Græco uſus mihi videtur quiſquis is fuit Matthæi Græcus interpres. Nam quæ Marcus ex Matthæo deſumſerat, idem hic iiſdem prope verbis poſuit, niſi quod quædam à Marco Hebraico aut Chaldaico loquendi genere expreſſa propius ad Græci ſermonis normam emollivit. De cujus verſionis ab ipſo Chriſtianiſmi initio per Eccleſias receptæ auctoritate ac fide dubitare nefas arbitror.

βίβλος γενέσεως, *Liber generationis*] Non eſt hæc inſcriptio totius libri, ut quidam putarunt, ſed particulæ primæ quæ velut extra corpus hiſtoriæ prominet. Quales ἐπιγραφαὶ μερικαὶ [*inſcriptiones ſpeciales*] multæ ſunt in Moſe & Prophetis. Quod Græci uno verbo dicerent γενεαλογίαν [*genealogiam*], id Hebræi non poſſunt niſi duabus vocibus expriniere. Solent autem Græci Hebræorum codicum interpretes verbum verbo reddere: ideo raro compoſitis vocibus utuntur. βίβλος ex Hebræo uſu vocis ספר ſcriptum quamvis breve ſignificat; quod recte animadvertit Syrus qui ejus loco poſuit ספרא [*ſcriptura*]. Γένεσις Latine eſt *origo*. Ita enim ex Platone Cicero tranſtulit in libro De univerſitate. Eſt ergo βίβλος γενέσεως, quomodo & Lxx verterunt ספר תולדות Geneſ. V. 1. Latine, *deſcriptio originis*. Nec quicquam opus ſupplere, non magis quam in rubricis quas partes librorum præferunt, aut quoties in Orationibus ponitur N O M O Σ [L E X], M A P T Y P I A [T E S T I M O N I U M], aut Y H Φ I Σ M A [S U F F R A G I U M, S C I T U M]. Ϛ Υἱῶ Δαυὶδ, υἱῶ Ἀβραάμ. *filii David, filii Abraham*] Hoc eſt, qui eſt è poſteris Davidis atque Abrahami; nam υἱὸς in Hebraiſmo (quem ſequuntur οἱ Ἑλληνισταὶ [*Judæi Græce loquentes*]) tam late patet quam apud Græcos γόνος, apud Latinos *liberum* appellatio: cum alioquin Græcis υἱὸς, & *filius* Latinis primum duntaxat gradum notet. Facit autem Matthæus Abrahami & Davidis ſpecialiter mentionem ob promiſſa illis facta. Abrahamo de populoſa progenie, Davidi autem de Regni ſtabilitate, quorum utrumque in Chriſto eminenter impletum eſt. Quare & qui de Jeſu majus aliquid quam cæteri

conceperant, *filium* eum *Davidis* vocant, ut multis Euangeliorum locis apparet. Quiſquis autem fuit Matthæi interpres, vir haud dubie Apoſtolicæ gravitatis, nomina Hebræa Græce eo ſono extulit cui Helleniſtæ per Septuaginta aliorumque verſiones jampridem aſſueverant, ne qua ſcilicet novitate non neceſſaria turbarentur legentium animi.

2. Τὸν Ἰούδαν κ. τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. *Judam & fratres ejus*] Obiter Matthæus Chriſtum ut cognatum omnibus Iſraelitis commendat.

3. Καὶ τὸν Ζαρέ, *Zaram*] Hoc nomen addidit, ad memoriam innovandam illuſtris rei quæ in horum partu evenit, gradus futurus ad credendum partum è virgine.

5. Ἐκ τῆς Ῥαχάβ. *de Raab*] Hoc ex traditione Judæorum.

6. Δαβὶδ τὸν βασιλέα, *David Regem*] Solebant Hebræi honoris cauſa Davidem ferme addito hoc titulo nominare המלך דויד, vide librum Regum I, cap. 1. Id ſecutus videtur Matthæus. *B* litera hic locum obtinet τὸ δίγαμμα [*duplicati gamma*], quod jam ſcribi deſierat. itaque Græci ipſi literam ſextam quæ nunc in numeris ordinem ſuum ſervat, at olim in Alphabeto quoque eodem quo apud Hebræos loco conſpiciebatur, nominabant hoc modo βαῦ, ut ex Varrone & Didymo tradiderunt Cornutus, Marius Victorinus, Priſcianus & Donatus. ¶ ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου, *ex illa Uriæ*] Similis locutio apud Virgilium:

Heſperis Andromachę Pyrrhin' connubia ſervas?

Nam & *uxor*, & *quondam* deeſt ut plenus fiat ſermo. Mulieres in hoc ſenſu obiter paucæ nominantur, extraneo ortu aût criminibus nobiles, quarum hiſtoria ad vocationem idololatrarum & criminoſorum per Chriſti Euangelium proludit.

11. Καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, *& fratres ejus*] Omnes calamitate ſua nobiles: neque id ab hoc loco alienum, ne quis miretur regiam ſtirpem ad humilem fortunam detrudi. ¶ ἐπὶ τῆς μετοικεσίας, *in tranſmigratione*] Temporis laxior deſignatio. Vide Lucæ III, 23.

16. Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσήφ, *Jacob autem genuit Joſeph*] Quod quidam exiſtimant à Matthæo recenſeri gens Joſephi, à Luca autem Mariæ, nequaquam probabile mihi videtur. Nam cum Lucas eodem contextu dicat ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ, τοῦ Ἡλί [*ut putabatur filius Joſephi, qui fuit Heli*], atque ita cætera deinceps, filios patribus continua ſerie connectens, aut Joſepho omiſſo velle Chriſtum Heli nepotem dici, aut Joſephum ipſius Heli non filium ſed generum, à recto ſermone uſuque alienum eſt. Fatendum igitur eſt ejuſdem Joſephi genus ab altero prorſum, ab altero retrorſum cenſeri. Neque vero aliena à Chriſto exiſtimanda eſt origo Joſephi, cum natus ſit Chriſtus ex ea quam Joſephus in matrimonio retinuerit. Nam ſi ea vis eſt legis, ut partus viduæ ex agnato defuncti viri conceptus in omne jus defuncti ſuccedat, non aliter quam ſi ex ipſius genitura ortum traxiſſet, quid ni id quod ſine humana opera ex legitima illius conjuge natum eſt, quaſi ipſius ſolo Divinitus inſitum, ipſius proprium cenſeatur? Atque hinc eſt nimirum quod non tantum ab Euangelii ſcriptoribus Joſephus *pater Chriſti*, nuptiis videlicet patrem demonſtrantibus, nominatur, ſed & Chriſtus omnia obſequia atque operas illi præſtitit, quæ exſpectari poſſunt à filio in ſacris paternis conſtituto. Quod ſi ubique gentium adoptivi liberi ex ejus gentis, cui velut inſiti ſunt nobilitate cenſentur, quanto juſtius omnia jura gentilitia Joſephi ac promiſſiones Divinæ ipſius majoribus factæ ad Dominum Ieſum pertinebant? Quod vero receptum eſt etiam Mariæ ſtemma poſſe ex Joſephi ſtemmate colligi, non arbitror ſatis recte ſuperſtrui iis quæ vulgo ponuntur fundamentis. Nam quod ajunt tribules tribulibus nubere debuiſſe, neque perpetuum eſt, neque ſi ſit, eo uſque valere poteſt ut etiam ex Davidis familia Mariam fuiſſe natam inde appareat. Quare ſtatuendum non modo extra tribum, ſed ne extra familiam quidem nubere Mariam potuiſſe: quod veriſſimum eſt, quando fratres conſanguineos nullos habuit. Nam puellæ Iſraelitides, quæ frâtres non haberent, Lege Moſis jubentur nubere agnatis proximis: idque definitum exſtat Numerorum capite ultimo, ex ſpecie facti quæ ſe Moſi obtulerat. Vocem enim מטה, quæ aliquoties ibi reperitur, non *tribum*, ſi modo *Tribus* nomine δωδεκατημόριον [*pars duodecima*] Iſraelitici populi intelligatur, ſed laxiore ſignificatu *ſtirpem* notat, præſertim hoc loco, ubi additur vox altera משפחה, quæ idem valet quod *familiæ* Latinis, ita ut מטה משפחה Hebræis proprie ſit *familia ſtirpis paternæ*. Neque aliter acceperunt Lxx, qui hoc loco modo δῆμον modo φυλὴν nominant. Δῆμον apud illos partem eſſe integræ Tribus, id eſt, τὸ δωδεκατημόριον, ex Joſuæ libro aliquot locis apparet. Sed & φυλὴν pro *familia* uſurpat Joſephus, ut cum φυλὰς ἀρχιερατικὰς [*familias pontificales*] nominat belli Judaici libro IV. Eodemque modo tum ipſe tum Lxx verterunt משפחה I Samuelis XX, 6. ubi de familiari non tribuli convivio agi videtur. Et viciſſim πατριὰ [*familia*] dicitur interdum quæ proprie eſt φυλὴ [*tribus*], unde οἱ δώδεκα πατριαρχαι [*duodecim Tribuum principes*] in oratione Stephani, id eſt, φυλαρχοι aut ἀρχέφυλοι, ut loquuntur alii. Quare manifeſtum, voces illas non ſemper idem ſignificare, ſed pro materiæ diverſitate varie interpretandas. Ut autem hoc loco familia deſignata intelligatur, exigit ratio legi addita, quæ hæc eſt, Ne bona avita mancipii jure ad extraneos deveniant, quod non Tribuum tantum, ſed & gentium familiarumque conſervandarum cauſa conſtitutum eſſe ex ſimili lege quæ eſt de Redemturis intelligi poteſt. Hinc eſt quod is qui Tobiæ hiſtoriam ſcripſit, moris Judaici non indiligens obſervator; Saram virginem conquerentem introducit, quod pater ipſius filios heredes non haberet, neque vero eſſet frater ei, cujus filio ſe uxorem ex lege ſervaret, cap. III, 18. Nec ſecus is qui Judithæ hiſtoriam ſcripſit, maritum ejus ait fuiſſe non modo τῆς φυλῆς αὐτῆς [*ejuſdem tribus*] ſed τῆς πατριᾶς αὐτῆς [*familiæ ejuſdem*]. Chryſoſtomus quoque & Epiphanius quibus mores Judæorum ignoti eſſe vix poterant iis in locis viventibus ubi maxima Judæorum erat multitudo, ita legem quam dixi Moſis interpretantur. Legibus ſane Atticis, quarum antiquiſſimas ex Moſis legibus deſumtas ac tantum non deſcriptas eſſe facillimum probatu eſt, idem quod diximus invenitur conſtitutum. Vocabatur autem puella talis ſive ſola ex aſſe heres eſſet patri, ſive ſorores non etiam fratres haberet, vulgo ἐπίκληρος [*hereditatis compos*], ab ipſo Solone ἔφεδρος, ab aliis etiam πατρῶος. Ad quem ejus nuptiæ lege pertinebant, agnatus nimirum proximus, is dicebatur ἐπιδικάζεσθαι [*vindicare*], Hebraice ירש [*hereditario jure ducere*], id eſt, ὁ κληρονόμων αὐτῇ, ut eſt in ea quam dixi Tobiæ hiſtoria III, 25. Ex hac lege argumentum comœdiæ ſumſit Apollodorus cui nomen fecit Ἐπιδικαζόμενος, aut, ut Donatus vult Ἐπιδικαζομένη, ex puellæ perſona quæ lege maritum petit. Eam Terentius Latine vertit inſcripſitque *Phormionem*: in qua fabula hi ſunt verſus ad eam legem pertinentes,

Lex eſt, ut orbæ, qui ſint genere proximi,
Iis nubant, & illos ducere eadem hæc lex jubet.

Ibidem Donatus, *Orba proximo nubat; Orbam proximus ducat, lex Attica eſt.* Græca legis verba apud Sopatrum exſtant, τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικαζέτω ὁ ἀγχιστεύς [*filiam heredem ex aſſe, ducat proximus*]. Sed & apud Diodorum Siculum lib. XII. indidem ſumptum illud Adelphis,

Hic meum amicum illi genere eſt proximus:
Huic leges cogunt nubere hanc.

Eſt & apud Demoſthenem, Iſæum, alioſque oratores Græcos frequens ejus legis mentio, ut & apud Ariſtophanem & Pollucem. Ipſam ἐπιδικασίαν vocem Atticam poſuit Philo in hiſtoria Thamaris libro de Nobilitate. Apparet ergo quod dixi non ad omnes puellas hoc jus pertinuiſſe. Nam quæ fratres habebant, cum nullam rerum ſoli hereditatem cernerent, ea lege non tenebantur. Quippe ut Ariſtophanes ludens ait, non poteſt ulla eſſe ἐπίκληρος ὧνπερ ἀδελφῶν γνησίων [*filia heres qua fratres habeat legitimos*]: quem ſenſum Iſæus ſic extulit in oratione de hereditate Philemonis, εἰ γὰρ ἦν γνησία ἐκείνῳ Εὐκτήμονι ἐπίκληρος ἂν εἴη ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ [*neque enim cum Euctemoni legitimus eſſet filius, filia heres eſſe potuit*]. Atque idipſum evincit hiſtoria quæ eſt in libro Judicum XXI, 18. ubi Tribus cæteræ, quo minus filias ſuas nuptum darent Benjaminitis, oſtendunt ſe non lege Divina, ſed jurisjurandi religione prohiberi. Et David Juda proſatus ex Benjaminis progenie Micholem ducit uxorem, numquam eo nomine reprehenſus: & de Hillele Phariſæo ſcriptum reperimus, apud Hebræos patrem ei fuiſſe ex Tribu Benjamin, matrem ex Tribu Juda. Quod & aliis exemplis confirmabitur ad Lucæ caput I. Adjicit Joſephus, potuiſſe quaſvis virgines cuivis Hebræo nubere, ſi hereditatem ſibi delatam repudiarent. Quare nec Leviticæ gentis virgines eo vinculo obſtringebantur, ut quæ ex lege rerum ſoli capaces non eſſent, ideoque rite cuivis de populo nuberent.

Errant

Errant igitur qui non putant ſalva lege fieri potuiſſe ut Elizabeth, quæ Aaronicæ eſſet familiæ, Mariam cognatione attingeret. Nam nihil obſtabat, quo minus pater, avus, aliuſve quis majorum Mariæ Davide profatus Leviticam virginem in matrimonium duceret : neque enim eo facto jura hereditatum lædebantur. Quanquam vero Maria in re tenui fuit, quod & hoſpitium Bethlehemiticum & paupertina turturum oblatio ſatis oſtendit, nihilominus valere in ipſa jus τῶν ἐπικλήρων [*filiarum heredum*] debuit, ob Divinas promiſſiones factas Davidis poſteritati, quæ tanto in pretio erant apud Judæos, ut etiam poſt exciſa Hieroſolyma in exſilii ſui ſedibus Patriarchas ſibi non aliunde quam ex Davidis ſtirpe præfecerint, quibus ferme ut regibus parebant, quemadmodum Origenes, Epiphanius, Theodoretus, Chryſoſtomus nos docent, & ex quæ in Codice Theodoſiano eſt coronarii auri mentio. Ita cum in Babylonico exſilio Judæi agerent, rerumque ſoli præter ſpem nihil retinerent, virgines tamen συνεπικλήρους [*ex aſſe heredes*] agnato proximo nubebant, ut ex Tobiæ hiſtoria apparet. Non ignoro in Thalmudicis ſcriptis & poſt ſecutis interpretibus tradi præceptum illud Moſis de ducendis virginibus proximis tantum in illis diviſionis primæ temporibus valuiſſe. Sed ut in aliis rebus non paucis, ita in hac quoque videntur Thalmudis collectores ex variis Juriſconſultorum ſententiis eas tantum retuliſſe, quæ tempore collectionis factæ moribus invaluerant, omiſſis aliis à quibus diſceſſum erat. Nam ſi perpetuo is fuiſſet piorum atque eruditorum conſenſus, quomodo aut Joſephus hiſtoriæ conditor id ignoraſſet inſtitutus in patrio jure, aut qui in mentem veniſſet ſcriptori Tobiæ mentionem facere moris incogniti? Philo quoque hanc legem ut perpetuam refert. Cætera quæ ad conciliandam cum Lucæ Matthæi γενεαλογίαν [*recenſionem generis*] pertinent, ad Lucam tractabimus. ¶ Τὸν ἄνδρα, *virum*] Quod notatum eſt à viris doctis *maritum* atque *uxorem* etiam ex ſponſalibus dici, non Hebræorum tantum ſed & aliarum gentium inſtitutis convenit. Nam & Servius Juriſconſultus (citante Pomponio) rectè dicebat *ſoceri* & *ſocrus*, & *generi* & *nurus* appellationem etiam ex ſponſalibus acquiri. Ita in epiſtolis Heroidum Hermione pacta Oreſti:

Vir precor uxori, frater ſuccurre ſoroti.

Servius ad Eclogam octavam: *Conjugia*, inquit, *non quæ erat, ſed quæ fore ſperabatur.* Vide Deuteronomii XXII, 23. ¶ Μαρίαν, *Mariæ*] Hebræum nomen eſt מִרְיָם, quo modo appellata fuit ſoror Moſis. Sed poſteriores Hebræi more Syro מרים extulere, id eſt, Μαριάμ, quomodo id nomen ſæpius reperias apud Matthæum & Lucam : nec aliter apud Ezechielem Poetam qui Judaicas tragœdias Græce ſcripſit. Nam ut Jod conſonans in vocalem mutaretur extorſit Græca literatura eam conſonantem ignorans. Cum vero nulla Græca vox in μ terminetur, eoque omnia in μ ſint ἄκλιτα [*indeclinabilia*], formam Græci nominis ac declinationis accipere poſſunt aut detractione aut additamento. Additamento uſus eſt Joſephus, qui hoc nomen ita effert Μαριάμμη [*Mariamme*] : detractione Lucas & Matthæi interpres, qui ubi variare ſuis caſibus hoc nomen volunt ſcribunt Μαρία, Μαρίας [*Maria, Mariæ*]. Ita cum ſimiliter λ terminationem Græca lingua neſciret, Punica nomina à *Baal* derivata Græci aut auxere, ut Ἱερομβάλου, Ἀβιλβάλου [*Hierombalum, Abelbalum*] dixit Philo Byblius, aut imminuerunt appoſita litera Græcæ terminationis, ut Ἀσδρούβας, Ἀννίβας [*Aſdrubas, Annibas*]. Tale & *Amilcar* Ἀμίλκας, *Bogud* Βόγους. Et apud Joſephum *Cain* Κάϊς. Et in Maccabaicis, *Jonathan* Ἰωνάθης. Ita pro Ἀβραάμ [*Abraham*] alii dixere Ἀβραάμιος, ut Artapanus in Judaicis, alii Ἀβραΐς, manentibus utriuſque nominis veſtigiis etiam in uſu Latino. Idem Nicolao Damaſceno eſt Ἀβράμης. Simile eſt pro Ἰωσὴφ Ἰωσῆς [*Joſeph, Joſes*] Matth. XXVII, 56. Marc. VI, 3. XV. 47. Actor. IV, 36. Luc. III, 29. & Ἰώσηπος [*Joſepus*]. Sic etiam ex שבע factum eſt σίβυλλα, σίβυλλατος & σιβύλλαν, σιβύλλας. ¶ Ὁ λεγόμενος Χριστός. *qui vocatur Chriſtus*] Referendum eſt participium ad tempus ſcriptionis : indicat enim de illo Ieſu ſe agere qui jam omnibus *Chriſti* cognomento innotuiſſet. Sic & Joſephus de Jacobo ſcribens ἀδελφὸν [*fratrem*] eum vocat Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ [*Jeſu ejus qui Chriſtus dicebatur*]. Vocantur autem Hebraice משיחים [*Uncti*] qui ſingulari Divinæ providentiæ beneficio ad eximias dignitates erant provecti, ut Abraam & Iſaac Pſalm. CV, 15. ita ἱερεὺς ὁ χρισὸς [*unctus Sacerdos*] in Veteri teſtamento eſt ὁ ἀρχιερεὺς [*Sacerdos ſummus*]. βασιλεὺς ὁ χρισὸς [*Rex unctus*] *Rex eximius*, ut Cyrus Eſaiæ XLV, 1. Rex Tyri Ezech. XXVIII, 14. καθηγητὴς ὁ χρισὸς [*magiſter unctus*] *doctor eximius* infra XXIII, 8. καθ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] vero Judæi, Prophetarum ac præſertim Danielis vaticiniis excitati, eo nomine illum appellabant quem à Deo exſpectabant Regem Doctoremque ſummum, Joh. IV, 25. Illum autem Chriſtum eximium ſe eſſe Jeſus profeſſus eſt, cauſamque nominis reddit tum ipſe tum diſcipuli ipſius, quod ad proferendam confirmandamque doctrinam cœleſtem viplane incomparabili eſſet inſtructus, ut videre eſt Luc. IV, 18. Actor. IV, 27. X. 36, 38. Hebræor. I, 9. Joh. III, 34 Quo ſenſu etiam vitam adhuc agens terrenam, Regem ſe agnoſcit, quia nimirum per veritatem à ſe teſtatam jam regnum in ſuorum animis obtineret, Joh. XVIII, 37. Cum alioqui ſenſu alio poſt reſurrectionem demum dicatur eſſe *conſtitutus Dominus & Chriſtus*, Actor. II, 36. Adeo autem invaluit hæc *Chriſti* appellatio, ut apud τοὺς ἔξω [*eos qui extranei ſunt Eccleſiæ*] vix cognito *Jeſu* nomine, agnomen illud in nominis uſum tranſiret. Ita enim eum appellant Tacitus, Suetonius, Plinius: quo factum eſt ut Judæi Græco utentes ſermone, qui Jeſum eſſe Chriſtum agnoſcere nolebant, ſuum illum quem fruſtra exſpectabant miſeri, non ut ante Χριστὸν (*Chriſtum*), ſed diſcriminis cauſa χλευασμῶν (*delibutum*) vocare inceperint.

17. Γενεαὶ, *generationes*] Varias ſignificationes hæc vox habet, de quibus alias erit agendi locus. Quod hic ſignificatur, videtur mihi non ſatis commode una Latina voce exprimi poſſe; itaque interpretor *generata perſona*: Ita enim loquuntur Juriſconſulti, *Semper generata perſona gradum adjecit.* Atque hoc ipſo ſenſu Græcum hanc vocem reperio apud Iſocratem Buſiride, cum ait Herculem fuiſſe Perſeo τετάρτῃ γενεᾷ νεώτερον (*quatuor generationibus poſteriorem*). Quod autem perſonas quaſdam omiſerit Matthæus, factum id eſt rotundandi numeri cauſa. Ut enim memoriæ conſuleret, primum ſtemma omne in tria tempora digeſſit, quibus dilucidas ἐποχὰς (*epochas, claſſes, gradus*) attribuit, ante Regnum, Regni florentis, & Regni ceſſantis: rurſumque ternis his ordinibus perſonas pari numero adſcripſit, ut ſolent qui memoriæ cauſa imagines locis diſponunt. Quod ut conſequeretur, parvi duxit perſonas quaſdam minus nobiles tranſilire, quod & alios hiſtoricos ubi rem in ſummam conferunt facere videmus, ut Solinum in Macedoniæ Regibus; & apud Hebræos Eldram I Paral. IV, 1. & ſcriptorem quarti qui dicitur Eſdræ, initio, ubi ſex nomina omitti collatio Paralipomenon docet : Etiam I Paralip. VI. in cenſu poſterorum Aaronis omiſſos quoſdam facile ex Joſepho deprehendere eſt : Præſertim cum genuiſſe non tantum pater filium, ſed & avus nepotem & pronepotem proavus ſalva recti ſermonis ratione dicatur. Non conſtabit autem numero ſuo ſumma, niſi Jechonias ponamus duos, alterum Joacim, (quod nomen, ut recte Hieronymus notat, facile cum vicino *Jechonia* nomine confundi potuit; nam & in Apocrypho Eſdræ priore in Latinis exemplaribus hic Joacim dicitur Jechonias), alterum ejus filium Jechoniam (quem tamen & ipſum Hebræi temporum digeſtores יהויכין *Joacin* vocant, quos ſequitur Alexandrinus Clemens Strom. I. & Ἰωαχίαν Joſephus); qui tamen quaſi cognomines diſtinguuntur ipſo tam longi exſilii intervallo : ac niſi Chriſtum ipſum annumeremus ut perſonam ultimam tertiæ claſſis. Quanquam autem de binario & ſeptenario numero, quorum inter ſe πολλαπλασιασμὸς (*multiplicatio*) efficit quatuordecim, aut etiam de ſenario & ſeptenario qui itidem πολλαπλασιάσαντες (*multiplicati*) totum ſtemma conficiunt, multa poſſint ſubtiliter dici, etiam ex Hebræorum diſciplina; qui & in aureo candelabro membra notant fuiſſe XLII, & totidem columnas in tribus porticibus quæ templi Baſilicam ambiebant, abſtinere tamen πάσης περιεργίας (*ab hac ſupervacua operoſitate*) ſatius cenſeo, cum mihi perſuadeam non affectatum hunc numerum Matthæo, ſed quem obtulerat claſſis prima eaque notiſſima, eundem in claſſibus ſequentibus expreſſum.

18. Ἡ γένεσις, *generatio*] Olim plerique codices habuerunt γέννησις (*ortus*). Nam quiſquis eſt ſcriptor Dialogi adverſus Macedonianos non tantum citat eum in modum, ſed diſerte adjicit, ἡ γένεσις οὐκ ἦν ἡ γέννησις (*ortus, non nativitas*)· eoque argumento utitur ut probet ὅτι ὁ ναὸς ἐκ σώματος ἐστὶ Χριστοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔκτισε (*a Spiritu ſancto conditum templum corporis Chriſti*). & mox iterum, πρῶτον γένεσιν ἄκουε τοῦ ναοῦ, εἶτα γέννησιν (*primum ortum intellige templi, deinde natales*). mihi non multum intereſſe videtur, utro legamus modo. ¶ Μνηστευθείσης γάρ, *Cum enim eſſet deſponſata*] Illud γάρ (*enim*) hic abundat, ut Lucæ XII; 58. & alibi. Donatus ad prologum Andriæ: nam *incipiendi vim habet modo.* ubi illud Virgilii adfert,

Nam quis te, juvenum confidentiſſime, noſtros
Juſſit adire domos?

Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς, *antequam convenirent*] Non videtur perpetuum fuiſſe ut à ſponſalium die ſponſa in ſponſi domum tranſiret; quanquam Chryſoſtomus id affirmat, credo quia Antiochiæ ſua ætate id fieri videbat. Cum Judæi ipſi diſſentiant, credibilius eſt liberi juris id fuiſſe, aliterque atque aliter uſurpatum pro utriuſque commodo. Nam Rebecca deducta eſt ad Iſaacum ante nuptiarum ſollemnia, quia Iſaaco incommodum erat in Meſopotamiam proficiſci. Contra Samſonis ſponſa manſit in domo paterna: Ex id fuiſſe uſitatius ſatis probabiliter colligitur ex loco Deut. xx, 7. quod & Romanis moribus proditum eſt à Modeſtino, eam quæ deſponſa eſt ante contractas nuptias domicilium non mutare. Cæterum illud conſtat, ſponſas intactas fuiſſe donec convocato cœtu matrimonium ſolenni prece initiaretur: quod non tam lege præceptum, quam ab antiquiſſimis, ut arbitror, patribus traditum, Judæi ut olim ita nunc quoque obſervant, à quibus ad Chriſtianos id inſtitutum honeſtatis pleniſſimum manavit, qua de re agemus infra ad caput xxv. Itaque etiam ſi virginalis pudicitiæ cuſtodiam in ſe ſponſus recepiſſet, manebat tamen ſponſa ad nuptiarum diem ἐν τῇ γυναικωνίδι [*in mulierum concluvi*] à ſponſo ſequeſtrata, perinde quaſi in alia domo ageret. Id enim ſignificare videntur Moſis verba Geneſ. xxiv, 67. ubi Iſaacus narratur Rebeccam ad ſe deductam in tentorium quod matris fuerat introduxiſſe, ac deinde eam ſibi accepiſſe in uxorem. Atque eidem mori, ut jam recepto, ſuperſtructa eſt lex illa de captiva muliere, quæ exſtat Deut. xxi, 13. Quæ cum ita ſe habeant, ex duabus ſignificationibus quas vox ἓ συνελθεῖν [*convenendi*] recipit, ut nempe aut *domicilii* ſignificet aut *tori conjunctionem*, priorem præferam, propter id quod ſequitur μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαριάμ [*noli timere accipere Mariam*], & deinde, παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ [*accepit conjugem ſuam*]. Ea enim vox, niſi ubi ad animum refertur, φορήν τινα [*motum quendam à loco in locum*] ſignificare ſolet apud Scriptores Novi Fœderis, atque hoc quidem loco nihil mihi videtur differre ab eo quod Joannes dixit xix, 27. λαμβάνειν εἰς τὰ ἴδια [*accipere in ſua*]. Eſt ergo παραλήψις [*aſſumtio*], ubi de ſponſo ſponſaque ſermo eſt idipſum quod Romani *domum ductionem* vocant. Tobiæ Scriptor ejus loco dixit παραζεῦξαι [*deducere*] vii, 15. quo modo eam vocem & Andocides uſurpavit, ſed addito εἰς τὸν οἶκον [*in domum*]. Huic hujus loci interpretationi favet traditio vetus Nazarethanorum, memorata Hieronymo locis Hebraicis.

19. δίκαιος, *juſtus*] Non videtur hic mihi ſignificari juſtitia illa generalis, cujus nomine Zacharias & Elizabeth commendantur, & quæ verſu iſto Græco deſcribitur,

Ἐν ᾗ δικαιοσύνη συνάπασαι πᾶσ' ἀρεταὶ 'εἰσὶ'
[*Juſtitia in ſeſe virtutes continet omnes*;]

ſed potius ſpecialis aliqua, neque vero διανεμητικὴ (*diſtributiva*) aut συναλλακτικὴ [*commutativa*], ſed illa quam peculiariter *bonitatem* vocare ſolemus; ſicut apud Danielem & alibi ſæpe יקר חסדים ſive *miſericordiam* ſignificat: quo factum eſt ut etiam benignitas erga pauperes eo nomine Hebræis ſignificetur. Neque male huc referas quod eſt 1 Joannis i, 9. Ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, πιστός ἐστι καὶ δίκαιος ἵνα ἀφῇ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας [*Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata*]. Tobiæ quoque Scriptor conjunxit ut affinia ἐλεημοσύνῃ καὶ δικαιοσύνῃ [*miſericordiam & juſtitiam*] xiv, 10. Propius autem huc pertinet quod Ariſtoteles ait τὸ ὄφελος [*aquum*] eſſe δίκαιον δικαίου βέλτιον [*juſtum aliquod melius juſto altero*]· & τὸ ἐπιεικὲς [*virtus aquum*] deſcribit τὸ μὴ κατὰ ἀκρίβειαν, ἀλλ' ἐλαττωτικὸν [*non ſummo jure mentem, ſed cedentem de ſuo*]. Donatus ad illud Terentii Andria, *juſta fuerit ſervitus, juſta*, inquit, *moderata*. Præcipue autem bonitas hæc ſe oſtendit quoties pœnas legibus præſcriptas non rigide exigimus: nam ut ait ſopater Philoſophus, τὸ ἐπὶ τοῖς ἐγκλήμασι κείμενον τοῦ δίκαιου οὐκ ἀναίνεται τὸ πρᾶον καὶ φιλάνθρωπον τῶν χαρίτων μέρισμα [*pars juris quæ circa delicta verſatur non repudiat mitem & humanum vultum Gratiarum*]. Chryſoſtomus bene hoc loco, Δίκαιος ὢν ἦν, τοῦτ' ἐστι χρηστὸς καὶ ἐπιεικής [*juſtus cum eſſet*, id eſt, *bonus ac facilis*]. ¶ παραδειγματίσαι] Latine interpretari licet, *cum curare nollet ut ea exemplum eſſet*, hoc eſt, ut explicat Hilarius, *cum nollet in eam lege decerni*, κολάζεσθαι Theophylactus, *puniri* Auguſtinus. Quod de lapidationis pœna Lege Moſis ſtatuta in ſponſas ſtupri compertas par eſt intelligi. Nam id tempus judicia Legis in Judæa per Herodem, qui Legis ſtudioſus videri volebat, exercebantur. Et vox παραδειγματίζειν Polybio de mortis ſupplicio uſurpatur: ideoque & Demoſthenes διαιρετικῶς [*diſtincte*] dixit ζῶντος παραδείγμα ποιῆσαι (*vivum facere ut exemplum ſit*]. Apud Helleniſtas autem de mortis pœna uſurpatum τὸ παραδειγματίζειν apparet tum ex Lxx interpretatione Num. xxv, 4. tum ex additamentis ad Eſtherem xiv, 9. Quod autem objiciunt viri eruditi, potuiſſe Joſepho in animum venire ante ſponſalia vitiatam eſſe virginem, mihi veriſimilius videtur uteri ſigna reſpondiſſe tempori conceptionis, quod ſponſalibus poſterius fuit, Luc. i, 26. Neque diſſentit hic à nobis Juſtinus in Colloquio cum Tryphone, cum dicit putaſſe Joſephum τὴν μνηστὴν αὐτοῦ Μαρίαμ ἐγκυμονοῦσαν ἐκ συνουσίας ἀνδρὸς, οὐκ' ἐκ τοῦ πνεύματος [*primo de eam Mariam ſponſam gravidam eſſe ex viri complexu, id eſt, ex ſtupro*]. Nam vox πορνείας [*ſtupri*] extra controverſiam ſuo ambitu τὴν μοιχείαν [*adulterium*] comprehendit, ut apparet Matthæi v, 32. Ideoque non veritus eſt Auguſtinus dicere, *cum nihil aliud quam adulteram credidiſſet*. Neque vero, id ſi ita eſſet, indignum fuit viro bono puellæ de vita famaque ſimul periclitanti parcere. Nam ut omittam quod de vitio in urbe oblato Lex decernit Deut. xxii, 24. ejus eſſe generis cujus ſint pleraque legum, quæ ita reſpiciunt id quod ἐπὶ τὸ πλεῖστον [*plerumque*] accidit, ut tamen evenire poſſint facti ſpecies in quibus deficiat lex διὰ τὸ καθόλου [*ob univerſalitatem*], eoque egeat ἐπανορθώματος [*correctione*], etiam præter vim multa alia poſſunt accidere quæ culpam non tollant quidem ſed minuant, in quam partem ſemper credula eſt bonitas. Adde quod Joſepho omnia benignius interpretandi cauſam præbuerunt perſpecti virginis mores. Deinde accuſatæ & convictæ lex pœnam irrogat, accuſationem autem nemini imperat. Quin ſi Ambroſio credimus non ſolum ab ultionis atrocitate, ſed etiam ab accuſationis ſeveritate aliena juſti perſona eſt. ¶ λαθραίως, *occulte*] Non quidem conſcio nemine (id enim fieri non poterat, cum mos eſſet Judæis non minus quam Romanis ut nec contraherentur nec dirimerentur ſponſalia niſi adhibitis teſtibus), ſed privatim, id eſt, ſine judicio publico & non reddita cauſa. Id enim hic valet vox iſta, oppoſita τῷ παραδειγματίζειν [*ei quod eſt exemplum facere*]. ¶ ἀπολῦσαι αὐτὴν] *Repudium ei mittere*. Id enim de ſponſa non minus quam de uxore dicitur.

20. ἐνθυμηθέντος] *Cum hæc animo agitaret*: ut plerumque hæc vox ſumitur apud Græcos ſcriptores, & Actor. x, 19. Videtur enim inclinaſſe quidem ad repudium Joſephi animus, ita tamen ut nihil dum certi conſtituiſſet, ſed variis ſuper hac re cogitationibus diſtraheretur. ¶ Ἄγγελος] Hebræi ſpiritus iſtos qui inter Deum rerum opificem hominesque ſunt interpoſiti modo אלהים, [*deos*], modo מלאכים [*nuntios*] vocant, quorum illud Græce θεοὺς, iſtud ἀγγέλους ſignificat. Atque inde eas appellationes ſumſit Pythagoras, quem multa hauſiſſe ab Hebræis Numenius aliique Pythagorici profitebantur, cujuſque adeo inſtituta eadem eſſe cum Eſſenorum inſtitutis Joſephus prodidit. Sed & eas voces uſurpavit adhibito diſcrimine. Nam θεοὺς [*deos*] vocabat mentes ſublimiores & ad Divinam naturam propius accedentes, quas ſtatuebat ἀτρεπτους [*immutabiles*]· ἀγγέλους [*Angelos*] autem eos ſpiritus qui proximum primis illis locum eſſent ſortiti, οἷς ἐπιφανοῦσι καὶ ἀγγελοῦσιν ἡμῖν τὰς πρὸς δίζησιν καλὰς [*ut qui aperiant nuntiemque nobis bene vivendi regulas*], ut loquitur Hierocles: qui itidem nos docet illos communiter dictos ἀγγέλους iterum diſtinctos in claſſes tres, in ἀγγέλους [*Angelos*] proprie ac peculiariter ita dictos, in δαίμονας ἀγαθοὺς, καὶ ἥρωας [*Dæmonas bonos, & Heroas*]. Quæ omnia ex Pythagoræ ſchola in Platonicam ſunt derivata. Scriptor eorum carminum quæ olim ab ipſis etiam paganis pro Orphicis ſunt habita, quem alii Cecropem, alii Onomacritum Pythagoræ diſcipulum ajunt fuiſſe, Angelorum meminit iſtis verſibus,

Καὶ δι' ὕδατος πυρίου παφλαζόντος πολύμοχθοι
Ἄγγελοι, οἵτινες μάκελλα βροτοῖς ἐς πολὺν πλάσσουσι.

[*Cœlicolum rutilam circumſtant agmina ſedem,*
Quem labor inſpicere eſt quid agant mortalia ſecla.]

Quod ex Hoſtane mago ſumptum videri poteſt, ſi eum recte verſum habuit Cyprianus cum de Idolorum vanitate ſcriberet. Uſurpat vocem ἀγγέλων [*Angelorum*] hoc ſenſu & Ariſtides hymno in Minervam. Uſurpaverat & Labeo Romanus, ut ex Auguſtino diſcimus de Civitate Dei lib. 9, cap. 19 Uſurpant & Porphyrius & Iamblichus paſſim, & Chalcidius in Timæum, & Julianus in Laude Athenienſium. At Hebræi Helleniſtæ de iiſdem ſpiritibus agentes θεοὺς [*deos*] non libenter eos vocarunt, quia id nomen jam paſſim apud omnes gentes in unius ſummi atque opificis Dei injuriam uſurpabatur. Sed & ἥρωας (*heroas*) vocabulo repudiato & δαίμονας [*dæmonas*]

id maleficos ſpiritus relegatò, in uſu apud eos manſit nomen ἀγγέλων [*Angelorum*]: quo & Septuaginta utuntur ſæpiſſime, & eorum exemplo Novi Fœderis ſcriptores; imo & Veteris Teſtamenti Chaldæi Paraphraſtæ. Quidam Helleniſtæ Angelos vocabant ἐγρηγόρας [*Vigiles*], quod nomen & apud Clementem Alexandrinum aliosque Chriſtianos legitur ex Daniele IV, 10. ubi ער legitur, quod Aquila & Symmachus verterunt ἐγρηγόρας. ¶ καὶ ἔναρ] Optime Vetus interpres, *inſomnis*: ita enim loquuntur Accius, Ennius, Virgilius, cum de Viſis nocturnis agunt. Cicero *ſecundum quietem* dixit. Ferme autem quatuor modis, ut Hebræi rectè notant, ſolet Deus hominibus voluntatem ſuam aut res futuras patefacere, viſis diurnis, viſis ſecundum quietem, voce, afflatu. Græcè ita dixeris δι' ὑπαρ, δι' ἐνυπνίου, δι' ἀφῆς, δι' ἐπιπνοίας. Chalcidius ὁπτασίαν dividit in Viſum, quod à Deo, & Spectaculum, quod per Angelos. Reliqua vocat Somnium, Admonitionem, Revelationem.

ver. 21. Ἰησοῦν, *Jeſum*] Nomen illud quod Moſis temporibus יהושע ſcribebatur, poſt exſilium Babylonicum cœpit ſcribi יהוע, in locum ש & ו, quæ uſus detriverat, producta ſub Jòd vocali. Atque ita ſcriptum reperimus apud Eſdram & Nehemiam, quamquam Aggæus & Zacharias antiquam ſcripturam retinuerunt. Nimirum venerat hoc ex Syrorum commercio, quibus receptum literas ejus generis præmittere. Quare & Syrus interpres eodem modo ſcribit hanc vocem. Sic ex Βαρϊωανᾶ [*Bariouanna*] factum eſt Βαρϊωνᾶ [*Barjona*]. Sic urbs יהוה [*Tzoan*] Chaldæo eſt טנו, Græcis Τάνις [*Tanis*]: & משיח [*Meſſia*], Μεσσίας. Babyloniis בל [*Bel*] qui aliis בעל [*Baal*]. Sic שוע *fovea* pro שועה, multaque alia ſimilia apud Hebræos poſteriorum temporum, & apud Chaldæos interpretes. Sed & ultima vocis litera primum leviter pronunciata, ut apparet ex Latina voce *Joſue* & Græca Ἰησοῦε [*Ieſue*], id eſt, יהושוע 1 Par. VIII, 3. cui ſimile eſt Ὡσηέ [*Oſee*] ex יהושע, & in ſimili litera νυ Νῶε [*Noë*], paulatim & ipſa evanuit: quam ſoni facilitatem ſecuti Helleniſtæ Judæi Ἰησοῦ [*Jeſu*] ſcripſerunt circumflexa ultima, quia nomina Hebræa ferme omnia apud Græcos ſcribuntur cum accentu in ſyllaba ultima, ut paſſim videre eſt; qui quidem accentus ob ſyllabam natura longam factus hic eſt productior, ut & in Μανασσῆ [*Manaſſe*]. Cum autem tales exitus ignoti eſſent Græco ſermoni, ideoque caſuum variationem non paterentur, facilioris tamen conſtructionis gratia duo caſus ſunt effigiati in Græcum morem, rectus addito ς, & quartus caſus addito ν. Itaque dicitur ὁ Μανασσῆς, τὸν Μανασσῆν [*Manaſſes, Manaſſen*] (quanquam & τὸν Μανασσῆ legimus ſupra commate 10.) & ὁ Ἰησοῦς, τὸν Ἰησοῦν [*Jeſus, Jeſum*]. Sic Ησαῦ [*Eſaum*] quarto caſu apud Joſephum. Sic Ελιὰς [*Elias*] ab Ελιὰ [*Elia*] apud Græcos interpretes. Cæteroqui manent hæ voces ἄκλιτα [*indeclinabiles*]. Dicimus enim ὁ Μανασσῆ, τῷ Μανασσῆ, ὁ Μανασσῆ, & ὁ Ἰησοῦ, τῷ Ἰησοῦ, ὁ Ἰησοῦ. Atque hoc modo nomen iſtud & ſcribitur & declinatur, tum apud LXX, tum apud Sirachiden; de quo nihil immutarunt ſcriptores Novi Fœderis, nulla ſcripturæ differentia diſtinguentes hoc Chriſti proprium nomen ab ejus nomine qui Moſi ſuccedens populumque ducens in terras promiſſas Chriſtum, æternæ quietis datorem, non tantum nominis ſono ſed & rebus geſtis adumbravit: ut videre eſt Actor. VII, 45. & Hebræor. IV, 8. Neque alia ſignificatio hujus vocis comminiſcenda eſt ab ea quam nos Angelus docet Ἰησοῦς ἢ σώζων [*à ſoſpitando*], quæ cum Hebræa origine manifeſte conſentit. Eſt ergo *Jeſus* Græce Σωτὴρ quæ voce tantum ait ſignificari Cicero *ut id Latine uno verbo exprimi non poſſit*. Mihi non videtur deeſſe vox Latina ejuſdem originis atque efficaciæ, ſed antiquior & in ſacris magis quam in uſu populari recepta, *Soſpitatorem*. Cæterum quod Chriſtiani quidam ſcriptores & quidem Hebræi ſermonis non imperiti nomen hoc Ἰησοῦς ἢ ἰᾶσθαι [*à medendo*] deducunt, in eo mihi non videntur ad aliam vocem Hebræam reſpexiſſe, ſed quæſiviſſe vocem Græcam, quæ Hebrææ יהושע non ſola ſignificatione ſed ſono inſuper cohæreret; Philonis more, qui ita ad Græcas voces amat alludere, ut ab Hebræa notatione quam minimum recedat. Certum autem eſt Hebræum יהושע modo idem valere quod Græcum ἰᾶσθαι, modo per receptiſſimam tranſlationem *ſalutis dandæ* ſignificationem ea voce exprimi, ſicut & Latine *mederi alterius malis* dicitur qui alterum ab incommodo libera. Unde & ἰᾶσθαι [*mederi*] pro σώζειν [*ſervare* ſive *ſoſpitare*] Matth. XIII, 15. Lucæ IV, 18. & viciſſim σώζειν [*ſervare*] pro ἰᾶσθαι [*mederi*] ponitur, ut Matth. IX, 21. Marci VI, 56. Actorum IV, 9. Quin & David Kimchi apud Jeremiam III, 22. *ſanare* explicat *peccata condonare*. Et hinc factum arbitror ut Judæi quidam inter Græcos verſantes & Græcanica lectitura imbuti, cum hoc ipſo nomine Hebræo vocarentur, Græce ſibi nomen Jaſonis fecerint, quod id nomen Græcæ conſuetudinis ad Hebræum illud & ſoni vicinitate & originis ſignificatu proxime accederet. Quos inter fuit Cyrenæus ille Maccabaicæ hiſtoriæ ſcriptor, paris fati cum Trogo Pompejo. Quod verò apud Theodoretum eſt, Ἰαὼ δὲ ἑβραϊκὸν ψαλμὸν αὐτὸν λέγεται [*Jao Hebraïs ſalmus dicitur*], mendoſum mihi videtur, ſcribendumque Ἰαοὺ [*Jaſu*], ut ſit יהוע: nam ut י Græce per ι exprimatur non eſt inſolens. ¶ Ἰσραὴλ ἢ λαὸς θεοῦ ἢ αἱρετὸς αὐτοῦ, *ſalvum faciet populum à peccatis ſuis*] Cum triplici modo dici nos poſſit Chriſtus à peccatis liberare, primum quia remiſſionem peccatorum nobis peperit, deinde quia in hac vita efficit ne peccatum in nobis regnet, poſtremo quia per vitam alteram delebit funditus & peccatum & mortem peccati ſtipendium, mihi tamen ad remiſſionem peccatorum præcipue videtur reſpexiſſe Angelus; quia & Apoſtoli ejus rei maximè meminerunt ubi vocis illius Σωτῆρος [*Soſpitatoris*] vim explicant, Actorum V, 31. & XIII, 23. juncto commate 32, & 38. Quanquam autem voce λαὸς omnes credentes non incommodè poſſint intelligi, cum tamen plerumque etiam in Novo Fœdere ea vox Iſraeliticum populum ſignificet, ad quem peculiariter miſſus eſt Chriſtus, ut de eo hæc verba primo ſaltem maximeque obvio intellectu ſumenda arbitrer, facit is quem dixi locus Act. V, 31. & qui infra eſt XV, 21. Adde quod vocationem Gentium ſerius didicere etiam Angeli, Ephel. III, 8. & ſeq.

ver. 22. Ἵνα πληρωθῇ, *ut adimpleretur*] Quæ vis ſit hujus vocis multùm refert rectè intelligatur. Nam hunc ſimileſque locos olim Celſus & Julianus, Judæi, veteres olim & nunc quoque, ſoliti ſunt Chriſtianis objicere, tanquam minus fideliter ab Apoſtolis eorumque ſectatoribus adducta eſſet Prophetarum auctoritas. Sed notandum eſt non pugnare Apoſtolos adverſus Judæos his quaſi teſtimoniis ut probent Jeſum eſſe promiſſum Meſſiam: pauca enim ſunt oracula quæ in hunc finem uſurpant, contenti cæterum Chriſti miraculis & reſurrectione. Nam (ut ille olim dicebat) aut hæc ſatis erant, aut nihil erat ſatis. At quibus id jam perſuaſum erat Jeſum eſſe illum Meſſiam; his ſimul oſtenſum voluerunt quomodo tota Divina οἰκονομία [*diſpenſatio*] priorum temporum hunc ipſum Chriſtum ejuſque res geſtas, ut pulcherrimam ac perfectiſſimam ſpeciem, perpetuo velut ante oculos habens, cætera omnia ad illud inſtar effinxerit. Huc ſpectat, præter alia multa quæ ſuis locis explicabuntur, quod Chriſtus dicitur προεγνωσμένος πρὸ καταβολῆς κόσμου [*præcognitus ante mundi conſtitutionem*] 1 Petri I, 20. Et hæc ſapientia Divina quæ in Chriſto mittendo elucet προωρισμένη πρὸ τῶν αἰώνων [*quam prædeſtinavit Deus ante ſecula*] 1 Corinth. II, 7. Sed maximè perſpicuum illud ad 1 Corinth. X, 11. *Hæc omnia illis* (qui ſcilicet ſub Veteri Fœdere fuerunt) *evenerunt τυπικῶς* [*in figura*]: *ſcripta autem ſunt ad noſtri admonitionem εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντηκεν* [*in quos fines ſeculorum devenerunt*]. Sic alibi tempus Chriſti vocatur πλήρωμα [*plenitudo*] *temporum*, Gal. IV, 4. Epheſ. I, 10. Non igitur inſtituta tantum Legis, umbra Chriſti fuerunt, quod oſtenditur Hebræor. VIII, 5. X, 1. & Coloſſ. II, 17. ſed & res geſtæ præſertim nobiliores. Quod rectè monet Juſtinus adverſus Tryphonem, διότι ὅτε τὸ ἅγιον Πνεῦμα περὶ ἑτέρας προφητείας ἤθελε, τοῦτο καὶ ἐποίει μιμεῖσθαι καὶ γίνεσθαι ἐκεῖνα, ἐποίει [*Interdum ſanctus Spiritus effecit ut etiam reipſa fieret aliquid quod figura eſſet rei futuræ*]. Et poſtea res geſtas ait eſſe προκηρύγματα τῶν εἰς Χριστὸν ἀναφερόντων [*prænuntiationes omnium quæ ad Chriſtum pertinent*]. Tertullianus de Reſurrectione carnis: *Talia interim divinarum virium lineamenta, non minus parabolis operatæ Deo, quam locuto.* Item: *Scimus ut vocibus ita & rebus prophetatum.* Chryſoſtomus ad Romanos, Οὐ γὰρ ἐλέγοντο οἱ προφῆται μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐγράφοντο ἅπερ ἐλέγοντο· οὐκ ἐγράφοντο δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ δι' ἔργων προεμήνυον ἐνίοτε [*Non locuti ſunt tantum Prophetæ, ſed & ſcripſere quæ locuti ſunt; nec ſcripſere tantum, ſed & rebus figuraverunt*]. Et in priorem ad Corinthios, τὰ μὲν δι' ῥημάτων, τὰ δὲ δι' αὐτῶν ἐστιν ἃ σημαίνει πράγματα [*Quædam apud illos verbis, quædam rebus ponuntur*]. Et ſecundo ſermone de Jejunio ait aliam eſſe προφητείαν δι' αὐτῶν ſive προγμάτων [*Prophetiam per figuram* ſive *res*], aliam δι' λόγου ſive ῥημάτων [*per ſermonem* ſive *verba*]. Illud autem quod Paulus dicit τυπικῶς [*in figura*], ſumtum eſt à pictoribus ac ſtatuariis, aut etiam ab ædificiorum ſtructoribus, qui egregium aliquod opus molientes primum craſſius idipſum delineant, deinde paulatim id efficiunt quod animo conceperant. Nam prima illa lineamenta τύποι [*typi*] dicuntur: unde illud Ariſtotelicum εἰς ἐν τύπῳ [*ad unum typum*] oppoſitum τῷ ἀκριβεῖ [*exacta forma*]. Illud autem ἀκριβὲς [*exactum*] ab Apoſtolis vocatur τὸ πλήρωμα [*plenitudo*] more Hebræorum, qui שלמות vocant cujuſque rei τελειότητα [*perfectionem*], ut Canticor. V, 12. explicat Abenezra,

ezra, quo loco Lxx habent ἐπὶ πληρώματι [*in plenitudine*]. Quod ſi res ipſæ Divino conſilio Chriſtum ſpectant, fane & ſigna rerum Divinitus inſtituta eodem referenda ſunt. Sunt autem ſigna duum generum, ὁρώμενα ἢ ἀκουόμενα [*quæ ſpectantur, & quæ audiuntur*]. Et quæ ſignantur ſunt præterita, inſtantia; futura. Omnium autem horum generum exempla nobis Chriſtus, Apoſtoli, aliique Novi Fœderis ſcriptores ſuppeditant. Contenti ſimus paucis, neque aliis quam in quibus hæc eadem vox ἅπαξ πληρεῖται [*complendi*] reperitur. Ὁρώμενα [*Viſibile*] ſignum rei præteritæ, liberationis ſcilicet ex Ægyptia ſervitute, fuit agnus Paſchalis. Liberatio autem illa τύπος [*typus* ſive *præfiguratio*] liberationis noſtræ à peccatis. Hac de cauſa Chriſtus oſtenditur in Paſchali agno fuiſſe adumbratus 1 Corinth. v, 7. Impietatem veterum Judæorum Deus provide permiſit ſummæ impietati quæ in Chriſtum exercita eſt quaſi præludere. Illa autem vetus impietas præſente ſigno nummorum haud magni pretii, quo ſe Deus æſtimatum quærebatur, Dei ipſius juſſu ac Zachariæ miniſterio conteſtata eſt Zachar. xi, 13. In eo igitur ſigno oſtenditur delineatio fuiſſe ſceleratæ pactionis inter Sacerdotes & Judam Iſcarioten, Matthæi xxvii, 9. Ad ἀκουόμενα [*ea quæ audiuntur*] ut veniamus, ea nimirum quæ voce ſunt pronunciata aut quaſi pronunciata eſſent literis perſcripta (nam literæ duntaxat ſecundariæ ſunt notæ vocum, ut voces rerum), commemorationem præteriti beneficii habet Oſeæ locus xi, 1. liberationis nimirum ex Ægypto, quæ, ut jam diximus, majoris libertatis per Chriſtum partæ rudimentum quoddam fuit. Ipſa autem hiſtoria Chriſti nos admonet ita directam à Deo mentem Prophetæ loquentis, ut quod de populo Iſraelitico ab ipſo dicebatur, non minus recte aut etiam rectius in Chriſtum conveniret, Matth. ii, 15. Ejuſdem argumenti eſt carmen Aſaphi Pſalmo lxxviii, 2. cujus verba itidem ſunt talia ut in Chriſtum optime quadrent, Matth. xiii, 35. Sic Pſalmum lxxii. ſcriptum honori Solomonis, ut titulus indicat, ad Meſſiam referunt Paraphraſtes eo loco, & Salomon Jarchi, ut & Sxadia Gaon & Daniel. vii, 14. Locutionum quæ ad inſtans tempus directe pertinebant & tamen Divino conſilio ad Chriſtum referebantur hæc habemus exempla. Ea quæ de ſtragibus ſuo tempore editis in Bethlehemitica regione dixerat Jeremias xxxi, 15. ita depingunt id quod ab Herode patratum eſt, ut vix aliis verbis poſſit id ipſum ſignatius exprimi. Quod legitur Eſaiæ lxi. ipſo initio, videtur quidem id Propheta dicere de munere ſibi impoſito conſolandi captivam multitudinem ſpe reditus; at ea ſunt verba quæ Chriſto aptata rem ipſam luculentiſſime deſignent, ſicut & ipſe reditus è Babylonia Chriſti beneficia figuravit. Cum vero veterum nullus majoribus malis à Deo exercitus, rurſumque majore gloria adfectus fuerit, quam David, plane apparet hoc à Deo actum, ut res Chriſti in illo propius quam in cæteris præfigurarentur. Ideo & verba quibus conqueritur immerito ſe exoſum, imo ab eo quem amicis acceſſuerat proditum, ejuſmodi ſunt ut ad Chriſti res nihil poſſit accommodatius dici, quod apparet Pſalm. xxxv, 19. Johan. xv, 25. Pſalm. xli, 10. Johan. xiii, 18. Actorum i, 17. Quid quod quædam ita de ſe elocutus eſt David, ut quæ ipſi conveniebant κατὰ λέξιν ἱστορικωτερόφραστα [*ſecundum figuratum ſermonem*], ea ad Chriſtum ſervata verborum proprietate pertinerent? quale eſt illud de veſtium diviſione & ſortibus jactis Pſalmo xxii, 19. Matth. xxvii, 35. Johan. xix, 24. deque amaro atque acido potu Pſalm. lxix, 22. Johan. xix, 28. Idem obſervare eſt in præſagiis futurorum, niſi quod hæc poſſumus dicere his impleri, ſemel cum res illa evenit quæ directe prædicitur, iterum vero & quidem excellentius cum id apparet cui adumbrando ipſa illa res, ac proinde etiam verba eam notantia ſerviebant. Ita Eſaiæ ix, 1. videtur Galilææ lux aliqua annunciari quæ Ezechiæ temporibus affulſerit, ſed ita ut ea ipſa lux prævia eſſet luci à Chriſto afferendæ, atque adeo omnia Prophetæ verba reperiuntur ad res Chriſti vel maxime accommodata. Ita poſſunt quæ dicuntur Eſaiæ xli. ad Zorobabelem, & quæ ſequuntur Zachariæ ix, 9. ad Judam Maccabæum aut ad alium quempiam referri, dum tamen fateamur, quod verum eſt, horum quoque factis Chriſtum fuiſſe adumbratum, jam tum volente Deo populum ſuum aſſuefacere, ne Divina beneficia ex pompa ſtrepituque rerum exteriorum metiretur, atque ita movente mentes Prophetarum, ut eorum dicta & primis eventibus reſponderent; & per Chriſtum tamen inſignius præſtarentur. Hæc igitur omnia, & quæ alia ſunt ejus generis, ſuis locis excutienda, non in vim argumenti proprie adhibentur, ſed ad illuſtrandam atque confirmandam rem jam creditam. Ideo Paulus Veteris Fœderis hiſtoriam aptans ad annunciati Euangelii tempora addit, ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα [*quæ ſunt per allegoriam dicta*]. Quæ ratio Scripturas interpretandi, præſertim incolumi manente ſenſu altero ſimpliciori minuſque elaborato, nullo jure à Judæis improbari poteſt, ut qui inter genera explicationum numerent maximique faciant τὸ ἀλληγορούμενον [*ubi aliud enunciatur, aliud innuitur*] quod Hebræitate מדרש, Philo autem Platonem ſecutus ὑπόνοια vocat. Imo Hebræorum magiſtri & veteres & novi multis locis Prophetarum ſenſus duos aſſignant, atque ipſe David Kimchi Pſalmum ii. tum de Davide tum de Meſſia exponit. Quod amplius eſt, etiam ubi factum aliquod veteri ſimile occurrit, dicunt מקרא מלא, ἐκπλήρωσις, ſive *comprobatum* eſt hic vel ille Scripturæ locus. Quod ſi ſenſiſſent Apoſtoli omnem Divinam de Chriſto diſpenſationem palam à Prophetis ſine ullo involucro fuiſſe proditam, neutiquam dicerent arcanum id eſſe, quod ab omni ævo abſconditum, illa demum ætate patefieret; Coloſ. i, 26. 1 Corinth. ii, 7. Epheſior. iii, 9. Quiſquis vero credit Jeſum eſſe Chriſtum, quod ut diximus etiam extra vaticiniorum fidem miraculis ipſius ac reſurrectione abunde probatur, is vero clare perſpicit, quomodo Divina providentia & res & verba Antiqui Fœderis ad Chriſtum, tanquam ad ſcopum ſibi propoſitum, certiſſime direxerit. Quibus vero ſua pertinacia obſtat quominus id credant, ii in lectione ejuſdem Fœderis, quaſi velo obnuptos animi oculos habent, neque aufertur id velum, niſi his qui ſe jam ad Dominum Jeſum converterint, 11 Corinth. iii, 14. Hæc in ipſo noſtræ commentationis primordio uberius paulo præloquenda cenſui, quiatum ad explicationem locorum aliquot, tum ad diluendas eas obtrectationes quibus adverſarii plurimum videntur confidere, non exigui momenti mihi eſſe videbantur. Ut ergo veniamus ad hunc locum qui nobis in manu eſt, & in quo juſtinus, Origenes aliique tantopere ſudarunt, mihi nihil videtur perituram veritati, ſi concedamus aliud apud Eſaiam prima fronte indicari, aliud autem ſub involucro tegi: atque ita quidem ut quod in Pſalmis evenſſe modo oſtenſum eſt, verba ipſa Prophetæ relata ad ultimum illud complementum ſignificatum obtineant magis proprium magiſque excellentem. Sed illud ſimul admonendi ſumus, ſæpe fieri ut ejuſdem φράσεως [*particulæ*] non verba ſingula in Chriſtum congruant, ſed præcipua quædam: ut ecce in Nathanis vaticinio illa verba, *Ipſe ædificabit domum nomini meo, & firmabo ſolium regni ejus uſque in ſeculum: Ego ero illi in patrem; & ipſe erit mihi in filium*; 11 Samuel. vii, 13. ita de Solomone dicuntur, ut tamen Chriſtum eminentiori quodam modo reſpiciant. quæ autem ſequuntur ad Chriſtum neutiquam pertinent. Videamus nunc quis eſſe poſſit verborum Propheticorum ſenſus primo intuitu ſe offerens, ut eo rectius alterum, tunc ἐν μυστηρίῳ abſconditum, ſed Chriſti temporibus plane revelatum intelligamus. Rex Achaz perterritus Syrorum & Iſraelitarum in ſe conſpiratione, neque tantum de regno retinendo ſollicitus, ſed & famem cæteraque oblidii mala metuens, nullam ſpem ſalutis animo concipiebat, niſi ſe in fidem & clientelam Regis Aſſyrii, illis temporibus potentiſſimi, daret. Contra Eſaias hortabatur ipſum, ut omiſſis ejuſmodi conſiliis ſpem ſuam in Deo collocaret, adfirmans non tantum irritos fore conatus Regum Syriæ atque Iſraelis, regnumque Hieroſolymorum manſurum penes Davidis poſteros, ſed brevi imminere excidium Iſraelis regno, Syri autem potentiam ſtaturam intra ſuos limites. Quibus pollicitationibus cum fidem Achaz non adhiberet, Eſaias Divino imperio dat illi optionem ſigni alicujus à Deo experendi, cujus ſigni teſtimonio fides verbis fieret. Sed cum Achaz verbis honeſtis, animo autem impio, quippe abjecta omni in Deum fiducia, hoc ipſum recuſaret, Eſaias poſt ſeriam impietatis objurgationem, ait Deum tamen ſponte ſua brevi id effecturum quod tum minime ſperaretur, quodque velut arrhabonis eſſet loco ad obſignandas promiſſiones cæteras. Nam & diceſſuras ex Judæa copias Syrorum & Iſraelitarum conatu irrito, atque interea temporis Judæos nulla, quod tum maxime timebatur, laboraturos rerum neceſſariarum penuria. Deſcribitur autem temporis iſtius ambitus hoc ſpatio quo puella quæ tum virgo adhuc erat nuberet, conciperet, pareret, & infantem educaret, ſed intra infantiæ annos ſive priuſquam puerilis ætas ad boni malique notitiam perveniret: aut, quod eodem recidit, priuſquam is infans parentes ſalutare didiciſſet. Copia autem victus hac nota exprimitur, quod dicatur ei infanti, donec adoleſcat, nec mel nec butyrum defore. Nam Hebræis *lac & mel* ξυνεκδοχικῶς [*per comprehenſionem*] rerum non neceſſariarum tantum ſed & ſuperfluentium copiam deſignant, ut Jobi xx, 17. & alibi. Sicut autem hac ratione Achazo oſtenditur, quam iniquæ faciat quod Deo recuſet confidere: ita ſequentibus verbis indicatur, quantopere ipſum ſit deceptura fiducia in Rege Aſſyrio poſita. Nam inde Judæis mala omnibus quæ metuerent malis graviora imminere, planeque contrarium ei rei quam tam anxie metuerent evenſ-

eventurum : non enim victus inopia, ſed vilitate laboraturam Judæam præ habitantium infrequentia. Infans autem in quem iſta convenirent, quantum ex ſequentibus colligere eſt, non videtur fuiſſe Ezechias, ut exiſtimant Hebræorum multi, inter quos & Tryphon adverſus Juſtinum diſputans, ut qui, ſi tempora recte ſupputentur, jam ante Achazi regnum ad ætatem aliquam pervenerat, quemadmodum à Rabbino Salomone recte eſt annotatum, quamquam quæ capite nono poſtea dicuntur ad eum recte videantur poſſe referri; ſed potius eſt infans ipſius Eſaiæ filius, natus ex ea quæ virgo adhuc editi vaticinii tempore, teſtibus Uria ac Zacharia adhibitis, Eſaiæ nupſit, quæ & ipſa προφῆτις [*Prophetiſſa*] fuiſſe indicatur. Sicut autem cum Regem accederet Eſaias juſſus erat ſecum ducere filium ſuum cui *Schear jaſub* boni omnis nomen ad ſpem Judæorum excitandam, inditum fuerat: ita huic infanti duo nomina ſunt impoſita, primum quidem *Emmanuel*, quo oſtenderetur Deus ita adeſſe Eſaiæ ejuſque liberis, ut quæ verbis ſignifique per ipſos eſſent prænotata, eadem certo evenirent: deinde vero *Maherſchalalchaſbaz*, qua voce ſignificabatur brevi imminere Aſſyrii adventum ad ſpoliandam Syriam ac Samariam. Atque hoc eſt quod ait Eſaias, ſe filioſque ſuos à Deo datos in ſignum & documentum populi: vaticinii ſui certitudinem nullis humanis conſiliis impediendam, repetita exclamatione *Emmanuel* velut obſignans. Atque hic quidem nobis videtur ſimplex primoque obvius eſſe ſenſus verborum Eſaiæ, in quibus tamen ineſſe μυστήριον [*arcanum*] de Chriſto Chriſtum agnoſcentibus liquido apparet. Nam ſi omnes liberationes populi Judaici præſagia fuere ejus liberationis quam Deus per Chriſtum erat effecturus, ſane & illa inſignis liberatio ab obſidione hoſtili quam Propheta promittebat, eo pertinuit. Stabilitatem regni Davidici, item à Propheta promiſſam, verum πλήρωμα [*complementum*] in æterno Chriſti regno habuiſſe, Gabriel ipſe Mariam docuit Lucæ 1, 32. Illud autem *Virgo concipiet* quanto excellentiorem habet ſenſum, ſi referatur ad eam quæ ita concepit ut virgo poſt conceptum maneret, quod ſoli Mariæ evenit? Nomen autem *Emmanuel*, ſicut & *Jeſu*, habere quidem & in alis ſuam poteſt ſignificationem, reſtrictam atque limitatam, at in Chriſto aliam habet infinitis partibus perfectiorem. Nam is eſt in quo illa præclara *Dei promiſſa omnia ſunt* ναὶ ἐν αὐτῷ ἀμήν [*eſt & Amen*], II Corinth. 1, 20. is eſt *Verbum quod caro factum inter nos habitavit*, Johan. 1, 14. *in ipſo* denique *habitat* τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς [*plenitudo Divinitatis corporaliter*], Coloſſ. II, 9. In hunc qui non credunt, eos manet φοβερὰ ἐκδοχὴ κρίσεως [*terribilis quædam exſpectatio judicii*], Hebræor. x, 27. Objiciunt Judæi Dominum noſtrum iſto *Emmanuelis* nomine non appellatum; quibus Tertulliani verbis reſpondeo, *Sonus Hebraicus quod eſt* Emmanuel *ſua gentis eſt; ſenſus autem ejus quod eſt* Deus nobiſcum, *ex interpretatione communis eſt. Quæro ergo an iſta vox*, nobiſcum Deus, *quod eſt* Emmanuel, *exinde quo Chriſtus illuxit, agitetur in Chriſto : & puto ex toto non negabis. Nam qui ex Judaiſmo credunt Chriſto, ex quo in eum credunt*, Emmanuel *cum volent dicere*, nobiſcum Deum *eſſe ſignificant. Atque ita conſtat jam veniſſe illum qui prædicabatur* Emmanuel, *quia quod ſignificat* Emmanuel *venit, id eſt*, nobiſcum Deus. Certe qui Prophetas non ſupine legit, neſcire non poteſt *vocatum iri aliquo nomine* dici ab illis eum etiam qui non eo vocis ſono ſit appellandus, ſed cujus rebus celebrandis vox iſta conveniat. Loca paſſim occurrunt, Eſaiæ 1, 26. IX, 6. LVI, 7. LX, 14. LXII, 4. Jeremiæ III, 17. & XIII, 6. Ezechiel. XLVIII, 35. Zachar. VIII, 3. Ideo ubi Eſaiæ XIV, 20. eſt יִקָּרֵא [*vocabitur*], Chaldæus habet יִתְקְרֵי *manebit*; & Lucas citans dictum locum Eſaiæ LVI, 7. יִקָּרֵא vertit ἐστὶν [*eſt*] XIX, 46. Tale eſt infra Ναζωραῖος κληθήσεται [*Nazaræus vocabitur*], & υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται [*filii Dei vocabuntur*], ubi & ſimilem Philonis locutionem citabimus. Quod ſi quis recte attendat, eadem vis eſt in voce *Emmanuel* & in voce *Jeſu*. Nam *ſervare* eſt Deum nobis præſtare propitium. *Deus autem nobiſcum eſſe* Hebræis dicitur, quoties benignus nos reſpicit atque adjuvat, Joſ. 1, 5. Jerem. 1, 8. Actorum XVIII, 10. quanquam & latentiorem quendam ſignificatum iſti nomini ineſſe non negaverim. Sed & alterum illud nomen quo tanquam apertiore (id enim valet quod inibi dicitur *ſtylo humano*) infantem ſuum inſignire Eſaias jubetur, perfectiſſime Chriſto congruit, qui celerrime Diabolum devicit & victor ſuis ſpolia diviſit, ut poſt Juſtinum annotavit Chryſoſtomus. Vide Lucam XI, 22. & Epheſ. IV, 8. Sicut autem Chriſto nomina iſta apud Eſaiam poſita eminentiſſime conveniunt, ita & προφήτης [*Prophetiſſa*] nomen quod in eodem oraculo reperitur ſingulariter convenit Mariæ ſemper virgini, quæ inter feminas fuit εὐλογημένη ἐν γυναιξὶν [*benedicta &*

gratia plena], Lucæ 1, 28. & ſuper quam venit Spiritus ſanctus, Lucæ 1, 35. Veriſſime ergo à Matthæo ſcriptum eſt in nativitate Chriſti verba Eſaiæ πληρωθῆναι, id eſt, *conſummata eſſe*. Ita enim puto id verbum optime reddi. Quod autem dicit Matthæus *factum hoc ut conſummaretur quod prædictum erat per Eſaiam*, non ita intelligi debet quaſi Deus Chriſtum ex virgine naſci voluerit hoc proprie conſilio ut quod Eſaias dixerat fieret, cum potius quia id Deus voluerit fieri, ideo & voluerit per Eſaiam dici. Aut ergo hoc vult Matthæus, eo hæc eveniſſe, quod Deus decretum ſuum vellet exſequi, cujus decreti indicium eſſet apud Eſaiam, aut vox ἵνα [*ut*], ut ſæpe, non finem agentis ſed ſolam rei conſequentiam ſignificat, ut Pſalmo LI, 19. Romanorum V, 20. Lucæ XIV, 10. & alibi crebro. ¶ ὑπὸ τοῦ Κυρίου, *à Domino*] Paſſim dicitur Deus id dixiſſe quod dixerunt Prophetæ, primum quia ipſam verborum ſententiam Deus menti illorum inſeruit; deinde quia & verba ita eſt moderatus ne à ſententia aberrarent. Nam ut etiam verba à Deo illis dictata ſint, ſicuti interdum evenuiſſe non eſt negandum, ita non videtur perpetuum. Atque hinc factum eſt ut pro temporum atque loquentium varietate etiam ſermo Prophetarum differret. ¶ λέγοντος, *dicentem*] Mihi ne dubium quidem videtur quin & hic & capite II, 15. cohæreat iſte genitivus cum voce προφήτου [*Prophetam*]. Nam eadem voces ſimili modo cohærentes alibi apud hunc Scriptorem reperiuntur, ubi nulla fingi poteſt ἀμφιβολία [*ambiguitas ſermonis*], ut infra II, 17. III, 3. IV, 14. VIII, 17. XII, 35. XXI, 4. XXVII, 9.

23. παρθένῳ, *Virgo*] Fruſtra negant Judæi vocem עלמה, ſi proprietas vocis ſpectetur, viro intactam ſignificare. Nam origo optima proprietatis index eſt à עלם, quod eſt *abſcondere*: nimirum quia Hebræis, non minus quam Græcis, in more poſitum fuit, innuptas puellas diligenter aſſervare ἐν τῷ παρθενῶνι [*in conclavi virginum*]. Huc illud ſpectat Heſiodi,

Ἤτοι μὲν πρώτιστα γυνὴ φίλῃ ἐνδοθι μίμνει
Οὔπω ἴση· κέδνῃσι κεκυφότες ἀφραδίῃσι.

[*Illa manet cara cum matre penatibus intus;*
Nondum experta Venus quas aurea donat honores.]

Et apud Euripidem ſenex Antigonen ita alloquitur,

Ὦ τέκνον, οἵαν δῶμα, τὴν ἔξω στέγας
Ἐν παρθενῶσι μίμνε σῶν.

[*Jam, virgo, teſtum repete, teque intra tuæ*
Tene receſſus.]

Et ipſa Antigone matri dicenti ἕπου [*ſequere*], reſpondet

Ποῖ, παρθενῶνας ἐκλιποῦσ';

[*Quonam, cœtu reliſto virginum?*]

Quod & Seneca imitatus in Agamemnone dixit:

Quo more cœtus publicos virgo petit?

Papinius de eadem illa Antigone,

—— *nondum conceſſa videri*
Antigonæ populis.

Ab hac origine non recedit uſus quem penes loquendi noſtra eſt, ut apparet Geneſ. XXIV, 43. Exodi II. 8. Deuteron. XXII, 23. In Cantico autem Salomonis VI, 7. apertior etiam eſt hujus vocis ſignificatio: nam ab *uxoribus & concubinis* diſerte ibi ſeparantur עלמות [*virgines*]. In eodem Cantico I, 3. עלמות à Rabbino Salomone exponitur נשואות. Et Septuaginta tum Geneſ. XXIV, 43. tum hoc ipſo Eſaiæ loco non νεᾶνιν [*adoleſcentulam*], ut poſteriores τῇ ἐπιθυμίᾳ δουλεύοντες [*inſervientes ſuæ poſitioni*], ſed παρθένον [*virginem*] verterunt: Aquila, κρυφίαν [*abditam*]. Et notat Hieronymus manſiſſe hunc vocis uſum ad ſuam ætatem apud Pœnos, traduces videlicet Phœnicum, quorum lingua Syriaca cognata Hebrææ. Neque ſpernendum quod idem Hieronymus adfert de voce Latina *alma*. Nam priſcas Latii voces, præſertim in ſacris uſitatas, ab Oriente veniſſe tam multis argumentis demonſtrari poteſt ut ſuſpicioni fortuitæ συντυχίαν [*concurſionis*] non ſit locus. *Alma* autem Latinis non ab *alendo* venit, ut quidam exiſtimant, ſed

ſed idem valet quod *ſancta*. Non evincit contrarium id quod legitur Proverbiorum xxx, 19. Commune enim eſt omnibus linguis, ut voces ἀπὸ τοῦ ἔτι πρὸς τὸ δοκεῖν [*ab eo quod eſt ad id quod videtur*] transferantur. Quippe & Græce παρθένος [*virgo*] & proprie & uſitate viro intactam ſignificat. Attamen apud Ariſtophanem, ut notat Scholiaſtes, ſignificat τὴν ἔτι παρθένον νομιζομένην [*eam quæ virgo adhuc habebatur*], quomodo & Muſæus dixit,

Ἠρὼ δ' ἀπατήσασα κακὸν εὖ λάβετο πατρὸς
Παρθένος ἠμαπίη, νυχίη γυνή.

[*Fallebat miſeros Ero bene culta parentes*
Virgo die, noctu mulier.]

Et Homerus Aſſyochen παρθένον [*virginem*] eodem ſenſu dixerat. Ut nunc omittam audaciorem Virgilii κατάχρησιν [*abuſionem*], qui, ut Servius notat, Paſiphaen trium liberûm matrem *virginem* dixit. Scriptor hiſtoriæ Alexandrinæ, cui nomen factum eſt libri tertii Maccabæorum, item ſcriptor libri ſecundi Maccabæorum capite III, 9. ut omnem vocis Græcæ ambiguitatem evitarent, dixerunt κατακλείστους παρθένους [*occluſas virgines*] voce Græcis ſcriptoribus in hunc quoque ſenſum uſitata, exacte exprimente Hebræum עלמה: quia עלם, ut diximus, eſt κατακλείειν [*abſcondere*]. Philo in libro adverſus Flaccum eodem ſenſu dixit θαλαμοδοκούσας παρθένους [*thalamo cubitus virgines*]. & ad Leges ſpeciales, παρθένοις μὲν ἔσω κλιμάκων τὸ μεσαίτατον ὅρον πεπηγυίας [*virginibus limitem ſibi ſtatuentibus intra tecta januam medianam*]. Contra exuti pudoris feminæ Chaldæis vocantur *in publicum prodeuntes*. Apparet igitur idem eſſe עלמה & quod Syrus hic poſuit בתולתא. ¶ ἕξει, *habebit*] Ita rectius quam ἔχει [*habet*], quod legere videtur Hieronymus. Merito enim Græcus interpres id quod in Hebræo hic eſt temporis incerti, futuri temporis verbo eſt interpretatus, quia & quæ ſequuntur apud Prophetam huic verbo cohærentia, futuri ſunt temporis. ¶ καλέσει, *vocabunt*] Non dubitem ſequi optimorum codicum & Syri interpretis fidem, præſertim cum ita jam olim legerint Origenes & Chryſoſtomus. Et recte me judice hoc modo expreſſit Græcus Matthæi interpres Hebræum קראת [*vocabis*], quia ſecunda perſona omnino hic ponitur indefinite, ut cum dicitur apud Homerum,

Φαίης κ' ἐν ζάκρῃσι τινα ἰμάλιον.

[*Dicas in aſcri facilem.*]

Sic Donatus ad illud Terentii, *Quid facias? pro*, *Quid faciat, unuſquiſque ſcilicet*. Idem notat ſecundam perſonam poni pro tertia ibi,

Ridentem haud facile mulieri invenias virum.

Paria notat ad illud, *ut facile pro eunucho probes*: & in Phormione, *eveniunt quæ non audeas optare*. Servius ad IV Æneidos, *Migrantes cernas. Honeſta figura ſi rem tertiæ perſonæ in ſecundam referas*: hoc eſt, *ſi quis cernat*. Poſtea, *Migare videbis. Videbit quis*; ut, *Migrantes cernas*. In VI. *nec dum poteris committere ferro. Poterit quis. Tertia enim perſona ſignificationem ad ſecundam tranſtulit & generaliter loquitur*. In VIII. *credas innare revulſas Cycladas. Credat quis*. In XI. *velis, pro, ſi quis velit*. Ita Lucæ V, 34. Μὴ δύνασθε ποιῆσαι νηστεύειν; [*Numquid poteſtis facere jejunare?*] Hoc ipſum autem non minus uſitate exprimitur tertia perſona numeri pluralis. Subauditur enim *homines quilibet*, ut infra VII, 16. Actorum XIII, 39. & aliis locis ubi iterum monebimus. καλέσεις [*vocabis*], quod quidam codices & Euſebius ſequuntur, eſt à Græco LXX ſenum, qui hic Hebraiſmum ſecuti ſunt. Chaldæus maluit ponere *vocabit*, nimirum *quilibet homo*; ſenſu eodem recidente. Tot enim modis imperſonalia exprimi ſolent. Qui vero ſpeciatim ad Mariam hoc dici volunt, atque eo indicari Chriſtum fuiſſe ἀπάτορα [*patre carentem*], quia patri alioqui jus imponendi nominis fuerit competiturum, quid facient illis Angeli verbis ad Joſephum? καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν [*vocabis nomen ejus Jeſum*]. ¶ ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, *Quod eſt interpretatum*] Similes interpretationes Hebræorum nominum in uſum eorum qui Hebraice neſciebant addidit aliquot in locis optimus interpres, ut videre eſt XXVII, 33 & 46. Quas cum habeat & Syrus, convincitur hinc quoque Matthæi librum de Græco, non de Hebræo tranſtuliſſe. Idem de Arabe apparet

25. ἐγίνωσκεν, *cognoſcebat*] Antiquiſſima Hebræorum locutio ut apparet Geneſ. IV, 1. atque alibi; inde porro in cæteras linguas derivata. Neque tantum de viris hoc dicitur, ſed & de feminis, ut Lucæ I, 34. Ovidius in Hypſipylæ epiſtola,

Turpiter illa virum cognovit adultera virgo.

ἕως οὗ, *donec*] Negationem hanc de tempore ante partum, nihil affirmare de tempore poſteriore, multis exemplis ab aliis eſt demonſtratum, quibus addam locum qui infra eſt XII, 20. Judæis adeo notum atque uſitatum eſt hoc loquendi genus ut doctiſſimi inter ipſos vaticinium Jacobi Geneſ. XLIX, 10. ita conentur interpretari. De loco autem Geneſ. XXVIII, 15. nemo unquam Judæorum dubitavit quin hoc modo eſſet intelligendus; neque magis de illo qui eſt Pſalmo CIII, 2. Tum qui eſt 1 Samuel. XV, 35. aliter explicari nequit. Addi poteſt Job XXVII, 5. Eſaias XLII, 14. II Samuel. VI, 23. Hic vero intra id tempus quod diximus conſiſtere nos jubet ipſa mens Scriptoris, hoc agentis, ut oſtendat compertiſſimum Joſepho fuiſſe, Partum hunc non eſſe ex ſe conceptum. ad quam rem poſterioris temporis mentio nullum habere poterat momentum. ¶ πρωτότοκον, *primogenitum*] Quanquam in Hebræis vocibus nulla eſt *primi* ſignificatio, recte tamen hoc Græco nomine exprimitur partus ὁ διανοίγων τὴν μήτραν [*adaperiens vulvam*], ut poſt Lxx Lucas loquitur II, 23. Nam *primi* vox requirit ut nemo antecedat, non ut ſequatur aliquis, quemadmodum à Grammaticis annotatum eſt ad illud Virgilii,

Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti.

& ad illud Æneidos I.

——— *Troja qui primus ab oris.*

Servius in libro Fuldenſi: *primus poſt quem nullus*. Et ſimiliter in Jure Civili *proximus* dicitur etiam qui ſolus eſt. Et res ipſa contra Helvidium loquitur ita hic ſumendam hanc vocem. Reſpicitur enim ad dignitatem & jura præcipua quæ antiquitus, etiam ante Moſis Legem, tribuebantur filiis maribus tam unicis quam natu maximis. Nec hodie aliter loquimur, ut teſtantur omnium gentium leges de feudorum ſucceſſione. Erant autem πρωτοτόκια [*primogenitura jura*] tria ut Hebræi notant Gen. XLIX, 2. Principatus, Sacerdotium, & Prælatio in hereditate: quæ omnia in Chriſtum competere nativitate ipſius indicatum eſt. De Regno agit ſæpe Apocalypſis. De Regno & Sacerdotio ſcriptor ad Hebræos, de Prælatione in hereditate vide Romanorum VIII, 17. Coloſſ. I, 15. Hebræorum I, 2 & 9. ¶ ἐκάλεσε, *vocavit*] Quanquam ambigua videri poteſt conſtructio, rectius tamen hoc ad Joſephum quam ad Mariam referas: impletur enim hic quod Angelus ſupra dixerat 21. Atque ita intellexit Syrus, qui verbum maſculini generis uſurpat. Nomen *primogeniti* Meſſiæ tribuunt & Thalmud in Peſachim & R. Nathan in Schemoth rabba.

PRICÆUS.

Com. 1. ΒΙΒΛΟΣ γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ] Præciſus & abſolutus loquendi modus, qualis ille, ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, qui & Marci ipſo initio occurrit. Hoc incipiendi genus videtur à Prophetis ſumptum. Sive ſuppleas hic autem (quod nonnulli volunt) ἐστὶν ἤδε, ſive non ſuppleas, perinde eſt, cum ſatis pateat ſententia, nec de ſe nos patiatur ambigere.

Com. 6. ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου] Poſt τῆς ſupple γενομένης, vel ποτὲ, vel quid ſimile: ut & in Pauli I Cor. 5. 1. illis, τὸν γυναῖκά τινα. Ita & Plinius lib. 2. Epiſt. 20. *Veraniam Piſonis* dixit: i. e. quæ quondam fuerat Piſonis uxor. Poſt vocem Οὐρίου itidem γυναικὸς ſubaudiendum. Ita apud Plinium avunculum *Claudii Principis Agrippinam* legimus: h. e. Claudii uxorem. Sic cap. 3. Tobiæ ancilla ad herilem filium, Ἤδη ἐπὶ ἄνδρας ἔσχες· καὶ ἐκ τούτων οὐκ ἀπομάθῃς· id eſt, ἐκ γυναῖκας ἀπομάθῃς· nempe omnibus iis ante concubitum (qui proprie uxores facit) à malo ſpiritu interfectis. Innuitur obiter hac loquendi forma uxorem tanquam rem mariti eſſe, & quaſi in ejus manu mancipioque: juxta Joh. 3. illud, Ὁ ἔχων τὴν νύμφην νυμφίος ἐστίν. Et hinc à converſo apud Euripidem Electræ hæc ad Ægyſthum.

Πᾶσι δ' ἐν Ἀργείοισιν ἔχεις πόδε,
Ὁ τὴν γυναικὸς, οὐχὶ τ' ἀνδρὸς ἡ γυνή.

h. e.

h. e. ὁ τῆ γυναικὸς ἀνήρ· quod ibi ſcilicet uxores jus quoddam in maritos exercerent. In citato Tobiæ loco pro ἰδίοις cogitemus an ἴδιον legendum.

Com. 11. μετοικεσίας] Heſychius, Μετοικέσιον, τὸ ἐπὶ πόλει εἰς πόλιν οἴκησιν. Suidas propius aliquanto, Μετοικίας, αἰχμαλωσίας· reſpiciens item indubie hunc Matthæi locum: ergo malim μετοικεσίας legi. Bene Vulgatus autem, *tranſmigrationis*. In Gloſſis, Μεταίκησις, *migratio*: bene & alter ille, *tranſportationis*. Seneca cap. 16. Conſolat. ad Helviam, *Ipſa populorum tranſportationes*, &c.

Com. 16. τὴν ἄνδρα Μαρίαν] Heſychius, Ἄνδρα, τὴν ἀνδρεῖον, καὶ τὴν ἐξ ἐκπωνίας τῆ γυναικὸς ἐπιλαμβάνειν· & Didymus ad Odyſſ. α. initium, ait, ἄνδρα ſignificare inter alia, τὴν γήμασαν. Sequuntur eam formam Latini. Terentius Heecyr. 4. 1. *Minime, mi vir*: ubi Donatus, *Vir ad maritalem conditionem, non ad ſexum retulit*. Vocatur autem Joſephus, Mariæ maritus, etſi ſponſalia interceſſerant tantum: ſed (ut Juriſconſulti) quod de proximo faciendum erat, pro facto habebatur. Ad Teclam Thamyris apud Baſilium Seleucienſem, Πείθηταί μοι τῷ ζῷ Θαμύριδι, ἐγὼ γὰρ εἰμὶ σὸς, εἰ μηδέπω τῷ γάμῳ, τῷ νόμῳ λοιπὸν, ἐγὼ τῆ θείᾳ σοὶ μοι γεγαμημένης συνήσεως. Apuleius 4. *Votis nuptialibus pacto jugali deſtinatus, tabulis etiam maritus nuncupatus*. Sic, ſponſam *conjugem* vocari notat Servius ad Virgilium, *Conjuge præcepta*.—— Idem in ea,

Et genus auxilium Priamo Phrygibuſque ferebat:

Secundum ſpem illius dictum eſt. Genus dicitur & qui eſt, & qui eſſe vult; ſic etiam maritus: unde in 4.

Quas ego ſum toties jam dedignata maritos.

Ibid. ὁ λεγόμενος, &c.] In Gloſſario, *Qui dicitur*, ὁ λεγόμενος.

Com. 18. πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς] Ita jam dicto Tobiæ capite, de ſeptem Saræ maritis, πρὶν ἢ γνῶσθαι αὐτὴν μετ' αὐτοῦ. Συνέρχεσθαι autem eodem quo hic ſenſu habemus & 1 Cor. 7. 5.

Ibid. εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα]

Qui fuerat virgo credita, mater erat.

Cum dico *virgo credita*, reſpicio Joſephum: revera enim Maria & mater, & virgo erat. Εὑρέθη, &c. locutio bene Græca. Ælianus Var. 10. 6. de Archeſtrato quodam, Ὑπὸ ζυγὸν ἀναλωθεὶς, ἄλλως ἄλλως ἔχων εὑρέθη. Euthymius bene hic, *Reperta eſt, propter inopinatum effectum.*

Ibid. ἐκ πνεύματος ἁγίου]

Cœleſti tumidus pondere venter erat.

Juſtinus lib. 12. de Olympiade Alexandri matre, *Majus humanæ mortalitatis opus utero tulit*: quæ verba ideo adduxi ut emendem: pro *opus* enim videtur *onus* ſcribendum. Phædrus,

Portat onus incertum certis menſibus.

Gellius 12. 1. *Ne aquor illud ventris irrugetur & de gravitate oneris, &c. fatiſcat.* Apuleius 10. *Prægnationis ſarcina oneratam*: & 1. *Jam octo annorum onere miſella diſtenditur.*

Com. 19. δίκαιος ὤν] Non eo ſenſu quo Baptiſtes Marc. 6. 20. quo Cornelius Act. 10. 22. aut Symeon Luc. 2. 25. ſed (ut bene hic Chryſoſtomus) χρηστὸς καὶ ἐπιεικὴς. Hinc δίκαιος & χρηστὸς apud Ariſtophanem ἀδελφώνυμος poſiti: & δίκαιος καὶ χρηστὸς ἀνὴρ apud Plutarchum, in De mulierum virtutibus. In Græco Exodi 18. 21. ἄνδρας δικαίους, μισοῦντας ἁρπαγάς. Talis apud Terentium, *vir bonus & benignus*: apud Apuleium, *vir bonus, & modeſtus*: apud Ammianum Marcellinum, *vir mollis & tractabilis*: apud Arnobium, *vir lenis, & benevolæ voluntatis*: apud Plautum, *homo mitis & tranquillus*: apud Juvenalem, & Q. Curtium, *homo miti ingenio*: & Ciceronem Famil. 6. 6. *miti clementique natura*. Quo ſignificationis diverticulo occurrit vox δίκαιος, non hic tantum, ſed & 1 Joh. 1. 9. 1 Joh. 2. 1. item Luc. 20. 20.

Ibid. κρυβῆναι ἀπολῦσαι αὐτήν] Tot aliis ad illuſtrandam hanc vocem in medium allatis, debebant & hæc addi ex A. Gellio. *Tertia ratio vindicandi eſt quæ à Græcis παραδειγματικὴ nominatur: cum pœnitio propter exemplum eſt neceſſaria, ut cæteri ſimilibus à peccatis quæ prohiberi publicitus intereſt, metu cognitæ pœnæ deterreantur.* Item hæc Donati in Terentii Eun. 5. 6. illa,

—— *In te exempla edam:*
Quæ documenta ſint cæteris ne delinquant.

Nec aliter hic vir ſummus Grotius, *Ne ea exemplum fieret.* Interim & Vulgatus optime, *traducere eam.* Vide à Ramireſio ad Martialis 1. 4. annotata.

Ibid. ἐβουλήθη, &c. λαθραίως αὐτὴν] Sic in Jure Græco-Romano. Conſtantinus Harmenopulus, Λύεται μνηστεία, καὶ αἱ ἐξ ἀδιατρέπτου αἰτίας ἐξαίφνης ἢ γοῦν ἀπροόπτως). Ἀπολῦσαι vertunt *dimittere eam*: nec male, etſi de ſponſa *repudiare* veratas. Gloſſæ, Λύσις γάμου ἢ μνηστείας· *repudium*. Ibidem, Ἀπόλυσις γαμετῆς ἢ μνηστῆς· *repudium*.

Ibid. λάθρᾳ λαθραίως αὐτὴν] Heſychius, (& forte hunc locum reſpiciens) Λάθρᾳ, κρυφίως.

Com. 20. παραλαβεῖν τὴν Μαρίαμ τὴν γυναῖκά σου] Non hæc hunc ſenſum habent, *accipere Mariam in uxorem, quæ jam tantum tua ſponſa eſt*: at, *accipere Mariam uxorem tuam*: i. e. cum ea συνοικεῖν, *cohabitare*. Γυναῖκα ergo hic eodem ſenſu quo ſupra com. 16. τὴν ἄνδρα. Photius Epiſt. 181. Γυναῖκας ἤθρει καὶ παλαιὰν παλαιᾶν, ἃς μένει ὁ τῆς μνηστείας δεσμὸς ζωηδέστερος, ἢ ἂν ὁ τῆς ὁμιλίας αὐτοῖς νόμος σὺν ἐγυνάσκετο. Adde quæ jam dicto commate è Servio allata.

Ibid. ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου] Τὸ ἐκ hoc loco vim generatricem notat. Sic Hebr. 7. 5. ἐξ ὀσφύος habemus. Ariſtoteles eadem loquendi forma equas ἐξ ἀνέμου dixit: i. e. *ex vento concipere*. Beza hic *ex ſpiritu ſancto eſt*, Eraſmus *à ſpiritu ſancto*. Satisfaciat nobis Vulgati illud, *de ſpiritu ſancto*. Apuleius 10. *Flebebat filium parvulum de marito, quem nuper necaverat.*

Com. 21. σώσει τὸν λαὸν] Τὸ σώζειν ἐχεγγύως αὐτό, Clemens Stromat. 6. Arnobius lib. 2. *Unius pontificium Chriſti eſt dare animis ſalutem.* Vide infra 18. 11. Ioh. 12. 47.

Com. 25. καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν] De voce γινώσκειν hoc ſenſu poſita vide quæ ad Luc. 1. 34. diximus.

Ibid. αὐτῆς τὸν πρωτότοκον] De voce πρωτότοκος vide item quæ ad Luc. 2. 7. annotavimus.

CAP. II.

MUNSTERUS.

1. *In diebus Herodis regis*] Hic Herodes fuit alienigena, & in eo fuit adimpleta prophetia Jacob, *Non auferetur ſceptrum de Jehuda, & dux de femore ejus donec veniat Silo*, i. Meſchia. Et licet Jehudæi ante Chriſtum natum non habuerint Reges legitimos de tribu Jehuda, habuerunt tamen שרים, i. *duces* ſeu *moderatores* & *rectores* de tribu Jehuda, ſed quos Herodes in univerſum occidit, ut ille ſolus Regno potiretur. ¶ *Magi ab Oriente*] Ex Daniele colligimus Sapientes Orientalium partium olim vocatos מכשפים *magos*, non quod magiam exercuerint, de quo legimus Exod. 22. 18. מכשפה לא תחיה *Magam non permittes vivere*, ſed tenebant eam ut illam confutare poſſent. Nam Hebræi dicunt, אדם צריך לדעת הרוחים הרעים בעין שידע להתרחק מהם כמו שמזהירין הז זרעים כשהם לבסל הכשפים ולהשמר מהם: *Homo debet ſcire res malas, ob id ut ſciat recedere ab eis: ſicut & Sanhedrin ſciebant artem magicam, quatenus confutarent magiam, & caverent ab eis.* Fieri poteſt ut magus olim dictus ſit, שורר המשורר לעשות מעשה ולחשת דבר והתולדות לבראת חתן: *Qui novit horas congruas in quibus faciat rem aliquam, mutatque qualitatem ſub aſpectu oculorum*, ut dicit A. E. & hi apud Ægyptios olim vocabantur תרטמים. Porro כשרים dicit eſſe חכמי תכוליות, i. *fatidicos*, qui ex aſtrorum inſpectione conantur futura prædicere, atque ex conjunctionibus & aliis applicationibus ſtellarum erraticarum nativitates hominum dijudicare. Et fieri poteſt quod כשרים generale vocabulum ſit ad מגוש & תרטמים כשרים; & hi magi noſtri fuerint præcipui ſiderum contemplatores, quorum Dominus miſertus novam condidit ſtellam quæ ipſos ad Chriſtum perduceret.

6. *Tu Bethlehem Ephrata*] Mich. 5. & eſt ſenſus, Tu Bethlæhem olim dicta Ephrata, licet parvula fueris, collata reliquis civitatibus Jehuda, quippe quæ non multa millia armatorum potueris producere, tamen coram Domino non exigua es, ſed præcellis etiam inſignem urbem Jeruſalem, quippe ex qua mihi egredietur qui promiſſus eſt Salvator Iſrael, & qui Princeps perpetuus erit ſuper totam domum Jacob. Conantur hic Hebræi nobis eripere hoc clariſſimum Prophetæ Vaticinium,

ſed quam inepte nemo non facile videbit. Ajunt namque, דכתיב להדות משיל בישראל וכי כה אלהות יש בזה שאינו בא" מושל בישראל וכי יש לו אחים לאלהות ואסור יעמד ויקרה בעת יהודה בנאן שם יהודה אלהיך תעה שמעו כי למשיל ודי יש לו אלוה מה אלוה תואו כי יהוא אלהיו שלי Senſus eſt, *Quod ſcriptum eſt, futurum eſſe dominatorem in Iſrael, quomodo quæſo eſt Divinitas in eo qui non niſi in Iſrael dominator erit? Sed & quomodo Deum habet fratres? dicit enim, Stabit & paſcet in fortitudine Domini, & magnificentia nominis Domini Dei ſui. Ecce audimus hunc dominatorem habere Deum: & ipſe quoque eſt Deus, quare erit Deus ejus?* Vides hic cæcitatem Jehudæorum? Putant Meſchiam non futurum Deum, eo quod peculiaris ſit dominator Iſraelis, perinde quaſi Deus non ſit Deus omnium gentium, quando dicit, אני אלהי ישראל *Ego ſum Deus Iſraelis*, & אני אלהיך *Ego Deus tuus.* Sed & illud offendit eos, quod dicit ſe futurum paſtorem gregis Domini, quaſi non ſecundum carnem fuerit frater eorum, & ſervus Domini, ut Iſaias eum vocat, & ſecundum Divinitatem fuerit Dominus majeſtatis, ſicut & Iſaias vocat eum יהוה non *germen Domini.*

11. *Puerum*] Querunt hic Jehudæi, מדוע כתיב כאן אב למה יאמר כתו נברת ני" שאם יהושע לעבור הירדן יהיה לו לשאירת כתו נכסת נ" שאם יש ר" שאינה ראויה לעבור ואי אפשר שהלא מכירין בכל שעשרה ובני חדש שלאו שמעו מעולם ולי יהיה גם בחיל יהיה להולך מבחולים כפי נפשות שעירין זרות ותעלות יהוה ולזרה בן. Senſus eſt, *Sejuncta Verba veſtra manifeſta eſt abſque patre, quare oſtendit vim ſuam in filio tredecim annorum, qua apta erat conceptui atque partui? Potius debuerat oſtendere potentiam ſuam in filio trium aut quatuor annorum, quæ non eſt apta conceptui, & tunc potuiſſet mundus cognoſcere ſignum illud novum & à ſeculo inauditum.* Quibus Hebræos ſic reſpondi: Abunde magnum ſignum eſſe natum de virgine, juxta prophetiam illam Iſaiæ, *Ecce virgo impregnata pariet filium.* Divulgandum erat hoc myſterium per Evangeliſtas, ut qui crederent, vitam æternam poſſiderent; qui non crederent, damnarentur.

14. *Abiit in Ægyptum*] Jehudæi ut omnia Chriſti verba & facta nituntur pervertere, ita hic quoque venenatam linguam ſuam exſerunt contra ſacram ejus infantiam, ſcribentes in hunc modum, אמר ר' אברהם ובר שלא ירע ישו שם הספרים שהרי אמי כיסי כשה שהיה רוד קדוש לא ירש כשי" אחרי כן ואיא כל סרה שעשה עשה ע" כישף כי אמר בשן גלין שהיה בכנרים כי" שנים ולסר הבישוף השובה שקר ומאי אין כתוב אחלנו שישע לסר כישף בכנרים וחיזק יכי" ללמר נקר וילד שתים שנים אוץ כישף ואם בילחות למר כישף לכה לא עשה נסים קדם לי" שנרת חיו כי או הלכל לעשות נפלאותיך הנעם הסרים יכול לחזות עלי ידי כישף כמו ישע ומשיח עשר Senſus eſt; *Dicit R. Abraham, quod Jeſus ignoraverit expoſitionem nominis Dei, cum etiam in diebus Moſi, quando ſanctior atas erat, nemo illud noverit: & quanto magis poſtea? ſed quidquid fecit, fecit per Magicam artem. Nam dicitur in Evangelio quod fuerit in Ægypto duobus annis, & didicit magiam.* Reſponſio: *Falſum hoc eſt. Non eſt ſcriptum apud nos quod Jeſus didicerit magiam in Ægypto. Et quomodo quæſo potuiſſet puer & infans duorum annorum diſcere magiam? Quod ſi in pueritia didicit artem illam, quare non fecit ſigna ante trigeſimum vitæ ſuæ annum? tunc enim cepit coruſcare miraculis. Sed nunquid mortui poſſunt vivificari per magicam virtutem, ut Jeſus Chriſtus fecit?*

V A L L A.

1. ET *venimus adorare eum*] Temporis præteriti eſt, Ideoque acuit antepenultimam, ἤλθομεν.

4. *Et congregans omnes Principes ſacerdotum*] Ἀρχιερεῖς. Neſcio an liceat dicere *Princeps ſacerdotum*, ad Græcæ vocis imitationem, quia Latine (ut ſæpe transfert interpres) dicitur *Pontifex.* Nam *Præſul*, quo quidam pro *Pontifice* utuntur, dicebatur primus inter ſacerdotes Martis, qui *Salii* à *ſaliendo* vocabantur.

6. *Ex te enim exiet dux*] *Exibit* ego diciſſem, non *exiet.*

7. *Diligenter didicit*] Unum Græce eſt verbum, quod dici poterat vel *exquiſivit*, vel *rimatus*, vel *perſcrutatus eſt*, ἠκρίβωσεν. Idem pene verbum, cum ait,

8. *Ite & interrogate diligenter de puero*] Ἐξετάσατε ἀκριβῶς, quod transferri poterat, *Profecti inveſtigate*, vel *rimamini*, vel *enquirite*, ut mox fecit interpres, v. 16. *Secundum tempus quod exquiſierat à Magis*, ἠκρίβωσεν. *Magos* non eſſe maleficos illos qui à jure damnantur, cum Xenophon, Platoque, & alii multi oſtendant, ſed ſacrificulos ac religioſos; tum Herodotus gentem quandam Medorum eſſe tradit: & horum illorum occupaſſe Regnum Perſarum, etiam vivente Cambyſe; quem ſeptem Perſæ, falſo ſe Cambyſis fratrem eſſe dicentem, & regno & vita privaverunt. Quod etiam Hieronymus ſuper Danielem cap. 2. docet, inquiens, *Conſuetudo antiqua & ſervat communis Magos promaleficis accipit, qui apud tantur apud gentem ſuam, eo quod ſint Philoſophi Chaldæorum, & ad artis hujus ſcientiam Reges quoque & Principes ejuſdem gentis omnia faciunt, unde in Nativitate Domini Salvatoris, ipſi primum ejus intellexerunt.*

11. *Et intrantes domum*] Non eſt Græce *intrantes*, ſed *venientes in domum*, q. *venientes ad domum*, ne videantur (quod abſit) intrando irrupiſſe in domum, *injuria de re alienâ.* ¶ *Invenerunt puerum cum Maria matre ejus*] *Cum Maria matre ſua* dicendum erat, quoniam reciprocum eſt. Sed Græca vox decepit interpretem, ut alias quibuſdam locis quæ annotabo. ¶ *Et procidentes adoraverunt eum*] Hic vero Græce eſt, *cadentes*, ſive *lapſi.* Quemadmodum & apud Lucam 5. 12. *Et ecce vir plenus lepra videns Jeſum, procidens ad genua Jeſu, rogavit.* Et apud utrumque horum Evangeliſtarum de Domino loquentium dicitur, *Procidit in faciem ſuam*, quod eſt Græce *Cecidit*, ἔπεσεν, Matth. 26. 39. Luc. 17. 16. Aliter enim alio in loco dicitur apud Lucam, *Procidit.* *Quod cum vidiſſet Petrus, procidit ad genua Jeſu*, προσέπεσεν, Luc. 5. 8. Hebræis cur hic transferat *procidens*, & poſterius *cadens*, *Si cadens adoraveris me*, πεσὼν, Matth. 4. 9. Niſi more ſuo gratæ varietatis, ut 1 Cor. 14. 25. *Et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quod vere Deus in vobis eſt*, πεσὼν. Quod magis miror Hieronymum in ſcriptum reliquiſſe ſuper Danielem, cap. 3. *Omnem Scripturam ſanctam mente percurrens, niſi me tamen fallit oblivio, nequaquam reperis quod ſanctorum quiſquam cadens Deum adoraverit: ſed quicunque idola & dæmones & res illicitas adoraverit, eadem dicitur adorare.* ¶ *Et apertis theſauris ſuis*] *Theſaurus* Græcum nomen eſt, non tractum ab *auro.* Ideoque legimus *theſauros nivis* in Job. 38. 22. & in Pluto, *Theſaurum auri*, quod videlicet poſſit olle & alterum quoque rerum. Infinita ſunt apud Græcos exempla; quamquam etiam ex hoc palam eſt, quod in theſauris Magorum *myrrha* & *thus.* Nec inficior raro ſic apud noſtros peri, ſed ut Paulus Juriſconſultus definit, inquiens, *Theſaurum eſſe veterem quandam depoſitionem pecuniæ.*

12. *Et reſponſo accepto in ſomnis*] Χρηματισθέντες, idem verbum eſt, *reſponſo accepto*, quod infra ille ver. 22. *Et admonitus in ſomnis. Reſponſum* pro *oraculo* accipiendum eſt: ut optime transferri poſſit, *Accepto oraculo.*

13. *Surge & accipe puerum*] Græce eſt ἐγερθεὶς παράλαβε. Ideoque mox per unum verbum idem locus transfertur.

14. *Qui exſurgens nocte, accepit puerum*] Ὁ δὲ ἐγερθείς, participium præſentis pro præteriti. Quia multa, tanquam parva, omitto.

18. *Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus*] Deeſt *magnus* ſive *planctus.* Trinæ ſunt vocationes, πένθος, θρῆνος, ἢ κλαυθμὸς, ἢ ὀδυρμός.

REVIUS in VALLAM.

QUæ in hoc capite citat ex Xenophonte, ſunt Perſicæ l. 7. & 8. quæ ex Platone, in Alcibiade majore: quæ ex Herodoto l. 1. & 3. quæ ex Plauto, prologo Aululariæ.

11. *Et intrantes domum*] Hæc erant confuſa. ¶ Προσεκύνησαν] Scriptum erat προσήνεγκαν. ¶ *Et apertis Theſauris ſuis*] Totus ille locus una cum annotatis inverſo ordine præpoſitus erat loco. *Et procidentes.* Vox *Theſaurus* in margine etiam erat trajecta.

ERASMUS.

1. CUm *ergo natus eſſet*] Græci codices *autem* habent, non *ergo*: Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος, i. *Natus autem Jeſu*: atque ita legit Chryſoſtomus, quamquam refragantibus antiquis exemplaribus Latinis. Neque magni refert ad ſententiam. ¶ *In Bethleem Juda*] *Judæa* legendum arbitror, non *Judæ*, ſuffragantibus vetuſtiſſ. exempl. noſtris. Siquidem *Juda* hominis nomen eſt, *Judæa* regionis. ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας. Cæterum obſcuri vinculi nomen, quo magis agnoſceretur, additio regionis vocabulo illuſtravit. Eſt enim Bethlehem oppidulum ſitum in tribu Juda, unde *Judæa* dicta eſt haud procul ab Hieroſolymis.

roſolymis. Solemus autem regionis nomen addere, etiam diſcernendi gratia, velut *Antiochiam Paleſtinæ*, quod altera ſit ejuſdem nominis in Aſia; id quod hic quoque locum habet. Siquidem alteram eſſe Bethleem in Galilæa indicat liber Joſuæ, quemadmodum autor eſt Hieronymus in ſuis Commentariis, ac rurſus enarratis 5 Michææ caput. Scribit enim hunc in modum, *Pulchre autem dicitur, In Bethlehem Juda, ad diſtinctionem ejus Bethlehem quæ in Galilæa ſita eſt: ſicut in eodem Jeſu volumine reperi.* Conſimiliter depravatum eſt quod paulo poſt ſequitur, *In Bethlehem Juda* pro *Judææ*. Hieronymus tamen arbitratur librariorum errore factum quod ſcriptum ſit *Judææ* pro *Juda*, cum in Michæa legatur *Juda*, uſus hoc argumento, Quod non ſit altera Bethlehem aliarum gentium, ſed in Judæa duæ ſint, altera in tribu Juda, altera in Galilæa. Conſentiunt quidem exemplaria quæ viderim, tum Græcorum tum Latinorum cum opinione Hieronymi: licet argumentum illius refelli poterat, quod ille *Judæam* pro univerſa regione accipit, quæ XII tribus complectitur, cum *Judæa* proprie dicenda ſit pars Juda & Benjamin. Quod ſi quis contendat *Judæam* non uſurpari niſi pro univerſa Judæorum regione, is protinus ex ipſius Matthæi refelletur autoritate, qui paulo poſt ſcribit in hunc modum, *Cum audiſſet Archelaum regnare in Judæa loco Herodis patris ſui, timuit illuc abire, ſed oraculo admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ.* Nam qui conſiſtet eum fugiſſe è Judæa & Galilæam adiſſe, ſi & Galilæa Judææ pars eſt? Etenim, ſi Hieronymo creditur, gentium Galilæa erat in ſorte tribus Neptalim, altera in tribu Zabylon. Cæterum quod Origenes lib. ἐπὶ δεκάδι 4. ſic dividit totam gentem ab Hieroboam filio Nabath ſectam in duas partes, ut decem tribus quibus ipſe imperabat dicerentur *Iſrael*, cæteræ vero duæ, Benjamitica, & ea quæ ex regio genere David duxit originem, ſit *Juda*; quibus ſemper juncta fuit tribus Levitica, unde Sacerdotes legebantur; quicquid autem locorum hæc natio acceperat à Deo, communi vocabulo dici *Judæam*; ut in genere verum ſit, certe non videtur perpetuo verum. Sed hæc ad ſenſum Euangeliſtæ perpuſillum habent momenti. Proinde ſive *Juda*, legamus, ſive *Judææ*, non eſt quod aliquis digladietur, cum ſenſus ſit idem, & conſtet, olim etiam *Judææ* ſcriptum fuiſſe in vulgatis exemplaribus. Certe in vaticinio Prophetæ, quod mox adducetur, *Juda* legitur non *Judææ*, magno conſenſu codicum, tum Græcorum, tum Latinorum. Adhæc, Hebræis peculiare eſt hominis vocabulum uſurpare pro gente ſeu loco. Cæterum בית לחם *Bethlehem* Hebræis ſonat *Domum panis*, לחם *panis* בית *domus*, יהודי *Judæus*, *Confitens*; quo nomine nunc indigni ſunt qui Chriſtum pertinaciſſime pernegant. Bethlehem ab Hieronymo in Locis Hebraicis *civitas* dicitur *David*, quæ eadem dicta eſt *Ephrata*. Abeſt ab Ælia ſex M. P. ad plagam Meridianam. Idem enarrans 5 Michææ caput *parvum viculum* appellat, ſed ad reliquarum civitatum comparationem: nam & Luc. 2. πόλις dicitur. Addam & illud, Si Hieronymus vidiſſet Hebraicum Euangelium, ut creditur, à Matthæo ſcriptum, non opinaretur hic corrupte legi *Judææ* pro *Juda*, ſed ex illius autoritate plane pronunciaret. ¶ Porro quod *magi* nominantur, nemo maleficas artes, quas vulgo *magicas* dicimus, ſomniet. Siquidem quos Græci *ſophos* aut *philoſophos*, Chaldæi *magos* vocant, ut teſtatur & D. Hieronymus in Danielem. ¶ Illud minutius, quod παρεγένοντο, i. *acceſſerunt*, vertit *venerunt*, *Venerunt Hieroſolymam*, *dicentes*. ¶ Nomen urbis apud Græcos fere neutro genere pronunciatur, Ἱεροσόλυμα, & Σόλυμα. Populus ipſe *Hieroſolymi* dicuntur, maſc. genere, numero multitudinis, quemadmodum & *Solymi*. Semel duntaxat, quod equidem meminerim, *Hieroſolymam* lego, idque apud Cornelium Tacitum lib. Auguſtæ hiſtoriæ 11. *Solymos*, inquit, *carminibus Homeri celebratam gentem, conditam urbem Hieroſolymam nomine ſuo feciſſe, plurimi autores conſentiunt.* Verum haud ſcio an hic appoſitive uſurparit *Hieroſolymam*, quemadmodum Juvenalis in Satyris, *Interpres legum Solymarum.* Suetonius in Tito Veſpaſiano, *Cujus brevi compos, & ad perdomandam Judæam reliquis, noviſſima Hieroſolymorum oppugnatione*, &c. Quanquam autem hoc levius eſſe duco quam ut ea gratia quiſquam cum alio digladietur, tamen quoniam ita reperio ſcriptum ab ipſis, ut opinor, Euangeliſtis, quemodo ſæpius obvium eſt apud probatos autores, præſertim apud Tacitum eo quem modo civitavimus libro, nos ſequi maluimus. Nonnunquam placuit periphraſis, utpote mollior ac dilucidior, ſicuti mox, *Et tota Hieroſolymorum urbs.*

2. *Qui natus eſt*, ὁ τεχθεὶς] Non ἡγεννθείς. Participium eſt à verbo *pario*, q. d. *partus eſt*. Nos vim articuli cupientes exprimere, vertimus, *Ubi eſt ille qui natus fuit*, vel, *eſt*, *rex Judæorum?* Et rurſum in ſtella appoſuit articulum, αὐτοῦ τὸν ἀστέρα ut certam ſtellam intelligas, & non quamlibet, ſed eximiam.

¶ *Et venimus*] *Venimus* prima acuta pronunciandum eſt, utpote præt. temporis, ἤλθομεν. Quod ego minutius eſſe dicerem quam ut admoneretur niſi paſſim audirem multos in hoc & ambigere & errare. Proinde nos vertimus *acceſſimus*. ¶ Ad hæc, *Venimus adorare*. Græcanice dixit magis quam Latine, *venimus ut adoremus*, ſive *ad adorandum*. ¶ Minutius & illud, quod ἀκούσας participium præt. temporis vertit *audiens*. Rectius erat, *Cum audiſſet*, ſive, ut nos vertimus, *Auditis autem his*, *Herodes*. ¶ Ad hæc, quod hic in pronominis caſu variant Græca exemplaria, dum in nonnullis legitur παρεγένοντο αὐτῷ, in aliis παρεγένοντο αὐτὸν, non eſt quod quenquam moveat, quod verbum παραγενεῖν apud Græcos autores utrique caſui junctum reperiatur. Id exemplis quoque docerem, ni per ſe clarum eſſet. ¶ Præterea, quod *omnis Hieroſolyma* poetice magis quam hiſtorice pro *tota* dixerit *Hieroſolyma*, nec id citra vitium amphibologiæ, quaſi plures ſint Hieroſolymæ. ¶ Rurſum quod fecit in ἀκούσας idem fecit in συναγαγὼν. Verum hæc quoniam levicula ſunt, & ad ſenſum non ita multum habent momenti, non eſt animus paſſim admonere.

4. *Principes ſacerdotum*, ἀρχιερεῖς] i. primarios ſacerdotes, quos alias ſæpe vertit *pontifices*; & nos alicubi ſecuti ſumus, quod vereremur ne non ferrent aures Chriſtianorum ſi dixiſſem *pontifices maximos*, more Latinorum. Alioqui Princeps ſacerdotum eſſe poſſit qui ipſe non ſit ſacerdos.

6. *Et tu, Bethlehem*] Teſtimonium hoc ſumptum eſt ex Michææ 5. D. Hieronymus ingenue fatetur id quod refertur à Matthæo neque cum editione LXX neque cum Hebraica veritate per omnia convenire, ſive quia voluerit Euangeliſta ſtudioſe referre ſicut ab illis fuit reſponſum, ut oſtenderet Scribarum & Phariſæorum in Divina Scriptura negligentiam; ſive, juxta quorundam opinionem, quod ipſi Euangeliſtæ teſtimonia hujuſmodi non è libris deprompſerint, ſed memoriæ fidentes, ita ut fit, lapſi ſint; quandoquidem deprehenditur aliquoties in ſenſibus quoque nonnulla diverſitas, ut verba prudentes neglexerint. Atque hic ſane, ne quis offendi poſſit infirmior, aut etiam moroſior, non gravabor ipſa Hieronymi verba ſubſcribere ex hujus loci commentariis: *Quod, inquit, teſtimonium nec Hebraico nec LXX interpretibus convenire, me quoque tacente, perſpicuum eſt: & arbitror Matthæum volentem arguere Scribarum & Sacerdotum erga Divina Scripturæ lectionem negligentiam, ſic etiam poſuiſſe ut ab eis dictum eſt. Sunt autem qui aſſerunt, in omnibus pene teſtimoniis quæ de V. Teſtamento ſumuntur iſtiuſmodi ineſſe errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba & interdum ſenſus quoque ipſe diverſus ſit, vel Apoſtolis, vel Euangeliſtis non ex libro carpentibus teſtimonia, ſed memoriæ credentibus, quæ nonnunquam fallitur.* Hactenus Hieronymi verba recenſuimus. Apparet autem hoc loco virum eruditiſſimum magnis fuiſſe conſtrictum angustiis, unde vix explicare ſeſe potuerit. Nam prior iſta ratio, quam ſuo nomine refert, ut cum ſanctiſſimi viri pace dixerim, coactior videtur & affectatior. Primum enim id quod ſequitur, *Sic enim ſcriptum eſt per prophetam*, non minus commode poteſt ad Euangeliſtæ quam ad Phariſæorum perſonam referri. Deinde, nuſquam reperire licet Phariſæos & Scribas in hoc notatos quod Legem ignorarent, ſed quod ambitione & avaritia corrupti videntes non viderent. Etenim Juriſperitus rogatus à Chriſto quid legeret de magno mandato, reſpondet incunctanter, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. & ille approbato illius reſponſo, *Hoc fac*, inquit, *& vives.* Porro Sadducæis dictum eſt, *Non intelligentes ſcripturas.* Arbitror autem eundem eſſe locum qui narratur Lucæ 10. Matthæi 22. & Marci 12. Apud Lucam Juriſperitus interroganti Domino reſpondet; apud Matthæum Dominus reſpondet, quemadmodum & apud Marcum: Sed ipſe Marcus præbet anſam ſolvendæ diſſonantiæ; apud hunc enim Scriba repetit, & approbans Domini reſponſum velut interpretatur. Apud Matthæum vero fit mentio Phariſæorum qui per Legiſperitum proponunt quæſtionem. Jam altera defenſio, quam aliorum nomine recenſet Hieronymus, aliquanto etiam eſt durior; videlicet, Memoria lapſos Euangeliſtas ſæpenumero diſſentire verbis ab Hebræo, nonnunquam & ſenſibus. Et hanc ſententiam ita refert aliorum titulo ut tamen non infectetur velut impiam. Notavit hunc locum idem Hieronymus in libello ad Pammachium De optimo genere interpretandi, palam oſtendens Euangeliſtam non ſolum verbis diſſidere à Prophetæ verbis, verum etiam ſenſum prorſus eſſe contrarium. Nam quod eſt in Hebræo, *Parvulus es in millibus Juda*, & LXX verterunt, *Modicus es ut ſis in millibus Juda*, Euangeliſta dixit, *Nequaquam minima es in millibus Juda.* Et tamen Prophetæ ſenſum magis approbare videtur Hieronymus, oſtenderis eum conſentire cum verbis D. Pauli, *Elegit infirma mundi Deus, ut confundat fortia.* Atque hanc

locum ita claudit Hieronymus, *Hæc replico, non ut Euangeliſtæ arguam falſitatis (hoc quippe impiorum eſt, Celſi, Porphyrii, Juliani) ſed ut reprehenſores meos arguam imperitiæ, & impetrem ab eis veniam ut concedant mihi in ſimplici epiſtola quod in Scripturis ſanctis, velint nolint, Apoſtolis conceſſuri ſunt.* Hactenus Hieronymus. Certe Hieronymus non id poſtulat ſibi concedi, ut ſenſum reddat contrarium, ſed ut aliis verbis eandem efferat ſententiam. At in Euangeliſta fatetur ſenſum prorſus eſſe pugnantem cum ſenſu Prophetæ: Quod ſi conceditur Euangeliſtæ, multo magis ignoſcendum ſit Hieronymo. At falſitatis crimen abominatur in Euangeliſtis, τὸ μνημονικὸν ἀμάρτημα non item. Neque enim continuo ſorte vacillet totius Scripturæ S. autoritas, ſicubi varient vel in verbis vel in ſenſu, modo ſumma conſtet earum rerum de quibus agitur, & unde cardo pendet noſtræ ſalutis. Ut enim Spiritus ille Divinus mentium Apoſtolicarum moderator paſſus eſt ſuos ignorare quædam & labi, errareque alicubi judicio ſive affectu, non ſolum nullo incommodo Euangelii, ſed hunc etiam ipſum errorem vertit in adjumentum noſtræ fidei; ita fieri potuit ut ſic temperarit organum Apoſtolicæ memoriæ, ut etiam ſi quid humano more fugiſſet, id non ſolum deroget fidei Divinæ Scripturæ, verum etiam fidem arroget apud eos qui alioqui de compoſito ſcriptum calumniari poterant. Quod genus ſit, ſi nomen pro nomine ſit poſitum; id quod alicubi factum fatetur Hieronymus; aut ſi quid non ſuo narretur ordine, in quo ſæpenumero torquentur veteres interpretes. Et Hieronymus in præfatione Commentariorum quos ſcripſit in Matthæum teſtatur Marcum ea quæ audivit à Petro juxta fidem geſtorum retuliſſe potius quam ordine. Spiritus ille cœleſtis totum hoc ſalutis noſtræ myſterium arcanis conſiliis & abſtruſis humano ingenio rationibus moderatus eſt. Neque noſtræ facultatis eſt neque Chriſtianæ modeſtiæ quibus modis ſuum negotium temperarit præſcribere. Solus Chriſtus dictus eſt Veritas; unus ille naruit omni errore. Adfuit Spiritus Divinus & D. Cypriano, ut eſt probabile, & tamen quædam illius rejiciuntur ab orthodoxis; adfuit & Hieronymo, rejiciuntur & hujus nonnulla; Adfuit Auguſtino, atque ipſe quædam ſua recantavit. Prima quidem autoritas debetur Apoſtolis & Euangeliſtis; ſed fieri potuit ut Chriſtus occulto nobis conſilio quiddam humanum in his quoque reſidere voluerit, perſpiciens hoc ipſum ad humani generis reſtitutionem conducere. Poterat ſuos ſemel omni ignorantia, omni liberare errore: at, juxta Auguſtinum, & poſt acceptum Spiritum S. deliquit Petrus, & ita deliquit ut à Paulo meruerit acriter objurgari. Diſſentit à Barnaba Paulus, quod fieri non potuit niſi alterutro errante. Quod ſi prorſus exiſtimemus labefacturi Scripturæ totius autoritatem ſi vel leviſſimus error uſquam inſit, certe plus quam probabile eſt, in omnibus exemplaribus quibus nunc utitur Eccleſia catholica nullum eſſe tam emendatum cui non vel caſus, vel ſtudium alicujus mendi nonnihil aſperſerit. Jam ſi placet ſuperior ratiocinatio, aut hoc plane negandum eſt, aut labaſcet univerſa fides Divinæ Scripturæ. Atque hæc dixerim, optime lector, non quod hujus ſententiæ velim vel autor eſſe vel patronus; ſed ſi qui forte ſunt qui putent hujuſmodi nodos, quos aliquot nectit Hieronymus, explicari non poſſe, ne protinus ſic interpretentur, ob unum aut alterum verbulum labefactandam totius Scripturæ S. autoritatem, iniquiores erga ſacros libros quam erga profanos. Gravis autor eſt Suetonius, etiamſi in uno aut altero loco lapſus eſſe comperiatur. Quod ſuffugium ſi non recipitur, equidem malo credere vel apud Hebræos vel apud nos locum eſſe depravatum; aut ſi quid mutatum eſt, Divino conſilio mutatum in melius; aut denique Scripturam quidem eſſe ſinceram, ſed noſtram imbecillitatem non aſſequi myſterium. Illud repetam, Si Hieronymo fuiſſet Euangelium Matthæi ſcriptum Hebraice, hoc ſane loco teſtimonium illius adduxiſſet. Quanquam autem impudens videri poſſit, ſi nos conemur explicare nodum, quem Hieronymus ipſe non explicat, explicaturus haud dubie ſi potuiſſet, tamen illud ſecum perpendat velim lector pius ac diligens, num hac ratione poſſit ex anguſtiis his emergi, ut dicamus, ſubito in medio ſermone perſonam commutatam, quod alias quoque factum animadvertimus in S. literis. Imaginemurque Prophetæ verba ſic recitari vel à Phariſæis, vel ab Euangeliſta, ut de ſuo nonnihil admiſceat, quod tamen haudquaquam adverſetur ſenſui prophetiæ. Siquidem cum Propheta ſentiret antea Bethlehem humilem contemptamque fuiſſe præ cæteris Judæ civitatibus, tamen futurum ut ejuſmodi partu edito ſuperet omnes felicitate celebritateque. Quod à Propheta dictum erat, tacuit Euangeliſta; quod ſenſit, explicuit; non ad id tempus reſpiciens quo hæc ſcripſit Propheta, ſed ad ſua tempora, quibus, edito Jeſu, deſiit eſſe minima Bethlehem, ac maxima cœpit eſſe: Perinde quaſi dixiſſet, Quod olim prædictum eſt à Vate, fore ut ex omnium minima fieres omnium maxima, id jam contigit. Adjiciam & illud, quo lectori copioſiorem commentandi materiem ſuppeditem: Haud ſcio an per hyperbolen dictum accipi poſſit, *Nequaquam minima es in principibus Juda:* ut quam vehementer humilem intelligi voluit, negaret *vel minimam eſſe inter principes*; perinde ac ſi extremæ notæ hominem negemus eſſe *in hominum numero*: & quemadmodum Paulus ſupra modum contempta vocat *ea quæ non ſunt.* Subindicat & tale quiddam D. Hieron. Michææ locum enarrans, *Et tantis*, inquit, *millibus comparata, vix parvus es viculus.* Hæc viſum eſt in medium afferre, partim quo liberum ſit lectori ſequi quod maxime probandum exiſtimarit, partim ut ex his aliquid forte ſuccurrat melius; ut ſolent alia ex aliis in mentem venire ſtudioſis. LXX verterunt ad hunc modum, Καὶ σὺ Βηθλεὲμ οἶκος Ἐφραθά, ὀλιγοστὸς εἶ, τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται, τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ Ἰσραήλ, i. *Et tu Bethlehem domus Ephratha, nequaquam minima es, ut ſis in millibus Juda. Ex te mihi egredietur, ut ſit in principem Iſrael:* etiamſi in Aldina Editione deeſt ἐκεῖνα aut ἐδαμῶς, ſi vera refert Hieronymus. Hebraica hunc in modum tranſtulit Hieronymus, *Et tu, Bethlehem Ephratha, parvulus in millibus es Juda: ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael*: Cæterum quod Latine dicitur *parvulus*, Hebræis צעיר, non ſimpliciter *parvulum* ſign. ſed *adoleſcentulum* & *juvenculum*. Unde & in Pſalmo, *Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus*; pro *adoleſcentulo* eſt צעיר. Ad hæc notat Hieron. eandem civitatulam Bethlehem, quæ ſita eſt in regione Ephratha, nunc vendicari ſorti Judæ, nunc Simeonis, nunc Benjamin. Porro *Ephratha*, פרת Hebræis ſonat *furorem*, ſive καρποφόρον, i. *frugiferam*, autore Hieronymo. Illa quoniam levicula ſunt, ſatis eſt indicaſſe quod *in principibus* dixit pro *inter principes*, & *exiet* pro *exibit*: Item pro *Dux* eſſe ἡγεμόνα, participium ejus verbi unde deductum eſt, ἡγεμών, quod *principem* ac *ductorem* ſign. ac modo verterat *principem*. Unde ſorte melius vertiſſet, *Exibit qui dux ſit populo meo.* ¶ *Qui regat populum meum*, ὃς ποιμανεῖ] i. *Qui recturus eſt*, ſive *reget*, futuri temporis, ſuffragantibus & Latinis exemplaribus vetuſtis, nominatim eo quod exhibuit Joannes Coletus. Id ſign. non ſimpliciter *regere* ſed *paſcere*, ut aliquoties tranſtuli, & *regere quemodo paſtor gregem.* Quanquam Græca vox non reſpondet Hebraicæ, quæ hoc loco *dominatum* magis ſign. Cæterum in in Pſalmo, *Quare fremuerunt gentes, reges eos in virga*, ποιμανεῖς, quod verterunt LXX, reſpondet Hebraicæ quæ eſt רעה, de quo nonnihil annotavit & Hilarius Pſalmum hunc enarrans.

8. *Interrogate diligenter*, ἀκριβῶς] i. *Exacte*, quod abſolutam quandam ſign. diligentiam. Inde verbum ἀκριβόω, quo modo uſus eſt, ἠκριβωκότες παρ' αὐτῶν, *diligenter didicit ab illis.* Id ſign. Accurate exactaque cura quippiam agere, ubi quis omnibus nervis incumbit. Nec eſt *interrogate*, ſed *exquirite*, ſive *examinate*, ἐξετάσατε. Quin & illud parum commode reddidit, *Tempus ſtellæ quæ apparuit eis*, τὸ χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος, *quæ apparuiſſet*, ſive *apparuerat.* Nos, quo dilucidior eſſet ſermo, vertimus hunc in modum, *Quo tempore ſtella apparuiſſet.* Nec additur apud Græcos *eis.* Cæterum pronomen interpres addidit, quo dilucidior eſſet narratio.

11. *Invenerunt puerum*] Minutula ſunt & illa, quod Græce non παῖς eſt, ſed παιδίον diminutivum, q. d. *puellum*: quemadmodum & ſuperius, *Diligenter interrogate de puero*, περὶ τοῦ παιδίου. ¶ Ac paulo ſuperius, *Præcedebat eos*, προῆγεν· quod ita eſt præcedere quempiam ut ſit ceu dux viæ. ¶ Præterea, *Gaudio magno*, χαρᾷ μεγάλῃ, i. *gaudium magnum*, Atticorum more dictum eſt, quod tamen Latine vertit interpres. Etiamſi Terentius dixit, *Solidum gaudere gaudium.* Et Virgilius, *Furere furorem.* ¶ Item quod *intrantes domum* pro *ingreſſi domum*, ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν. Nam quod πεσόντες, i. *proſtrati*, vertit *procidentes*, prope coactus fecit, & mollius eſt. Hæc & id genus minutula multa ſciens prætereo, ne lectori ſim faſtidio.

12. *Et reſponſo accepto*] Dicat aliquis, Quid reſponſum eſt his, qui nihil interrogaverant? χρηματισθέντες dicuntur oracula, quæ redduntur à Numine aliquo, ſed petentibus aut conſulentibus. Unde commodius vertiſſet *oraculo moniti*, ſive *oraculo accepto.* Niſi forte deſtituti ductu ſtellæ, deſiderarunt aliquod ſignum Divinæ voluntatis. ¶ Deinde, *Ne redirent* Græce eſt, μὴ ἀνακάμψαι, i. *Ne reflecterent*, ſi libeat ſuperſtitioſe vertere. Verbum apeum ac peculiare facientibus iter navigio aut equis. Ac mox,

13. *Apparuit in ſomnis*, φαίνεται κατ' ὄναρ] i. *apparet per ſomnium*, verbo præſentis temporis: quanquam interpres Latine ac probe vertit. ¶ Rurſus illud, *Surge & accipe*,

ἐγερθεὶς παράλαβε, i. *Experrectus adjunge tibi*, ſive *aſſume comitem.* ¶ Ac mox, ὁ δὲ ἐγερθείς, *At ille experrectus*, ſive *excitatus.* Quanquam ante jam admonuimus hanc vocem communem eſſe expergiſcenti, ſurgenti, & reviviſcenti.

15. *Ex Ægypto vocavi Filium meum*] Ex hoc teſtimonio, quod Matthæus adduxit ex Oſee 11. Julianus anſam arripuit calumniandi Chriſtianos, quod Euangeliſta violenter detorſerit ad Chriſtum quod dictum ſit de Iſraele, nimirum ſecutus editionem LXX, qui locum hunc tranſtulerunt in hunc modum, *Quia parvulus Iſrael, & ego dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filios ejus. Sicut vocavi eos, ita abierunt à facie mea. Ipſi Baalim immolabant, & ſculptilibus adolebant incenſum.* Cæterum juxta fidem Hebraicam D. Hieronymus ita tranſtulit, *Quia puer Iſrael, & dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filium meum. Vocaverunt eos, ſic abierunt a facie eorum. Baalim immolabant, & ſimulacris ſacrificabant.* Verum hiſce de rebus, neque enim nos in præſentia hoc agimus, Hieronymus copioſe diſſerit, hunc enarrans locum; idemque proprium ſuper hujuſmodi quæſtionibus tractatum edidit; nec prætériit locum hunc in libro ad Pammachium De optimo genere interpretandi. Idem indicat, poſſe videri ſumptum è libris Numerorum, cap. 23. dicente Balaam, *Deus ex Ægypto vocavit eum; gloria ejus quaſi gloria unicornis.*

16. *Et mittens*, καὶ ἀποστείλας] i. *Miſſis carnificibus*, aut *miniſtris*, aut *ſatellitibus.* Neque enim alioqui recipit Latini ſermonis conſuetudo. Quanquam Græcis ἀποστέλλων dicitur abſolute, *qui mittit epiſtolam*; & ἀποστέλλων, *qui mittit mandatum*, aut *nuncium.* ¶ *Et in omnibus finibus ejus*, καὶ ἐν ὅλοις τοῖς ὁρίοις αὐτοῦ] *Ejus* non refert Herodem, ſed Bethlehem: id quod in Græcis indubitatum eſt. Eam ambiguitatem quo nos effugeremus, vertimus, *in omnibus finibus Bethlehemiticis.* ¶ *A bimatu & infra*, ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω] i. *omnes qui bimuli eſſent, aut minores.* Nam διετὶς Græcis *duorum annorum ſpatium* eſt. ¶ Rurſum, ἠκρίβωσεν, quod ſupra vertit *diligenter didicit*, hic tranſtulit *Exquiſiverat.*

18. *Vox in Rama audita eſt*] Teſtimonium deſumptum eſt ex Jeremiæ 31. quanquam Euangeliſta nec juxta Hebræum retulit, nec juxta LXX editionem: quemadmodum clare fatetur Hieronymus prophetiam edifferens, ne quis mihi ſuccenſeat. Siquidem juxta LXX ſic legimus, Φωνὴ ἐν Ῥαμᾶ ἠκούσθη θρήνου, καὶ κλαυθμοῦ, καὶ ὀδυρμοῦ, Ῥαχὴλ ὀπτανομένη ὑπὲρ τῶν υἱῶν αὐτῆς, καὶ οὐκ ἠθέλησε παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσίν. Ad hunc quidem modum habet editio Aldina, tametſi non omnino reſpondet ad ea quæ refert Hieronymus: niſi quod ſuſpicor in Latinorum cod. hæc pleraque fuiſſe depravata. Siquidem hic quæ tribuuntur LXX magis congruunt cum his quæ Hieronymus vertit ex Hebraica veritate, niſi forte hæc librariorum incuria confuſa fuerunt, *Vox in Rama audita eſt, lamentatio, & fletus, & luctus; Rachel plorantis filios ſuos, & noluit conquieſcere, quia non ſunt.* Juxta Hebraicam veritatem ita vertit Hieronymus, *Vox in excelſo audita eſt, lamentationis, & fletus, & luctus, Rachel plorantis filios ſuos; & noluit conſolari ſuper filiis ſuis, quia non ſunt.* Hieronymus admonet hic *Rachel* poſitum non pro muliere, ſed pro loco ipſo; quod Rachel enixa Benjamin, ſepulta fuerit juxta Bethlehem. Ita propter corpuſculi hoſpitium locus nomen accepit ſepulcræ. Præterea *Rama* non eſt vocabulum loci, quemadmodum videtur: Sed רמה *Rama* Hebræis *excelſum* ſonat; ut claram ac longe lateque ſonantem plorantis vocem intelligas. Proinde mirum eſt interpretem, quiſquis fuit, Græcum (nam Matthæus Hebraice ſcripſiſſe creditur) reliquiſſe vocem Hebraicam רמה, niſi forte pro loci vocabulo tranſtulit. Nam eſt omnino hujus nominis locus in tribu Benjamin, juxta Gabaa. ¶ *Ploratus & ululatus*] Pro duobus quæ nos legimus Græci cod. habent tria, θρῆνος, ἢ κλαυθμὸς, ἢ ὀδυρμὸς, i. *Lamentatio, ac ploratus, ac fletus:* ac totidem recenſet Hieronymus, idque juxta autoritatem tum LXX tum Hebraicæ veritatis, tametſi in commentario non recenſet niſi duo. Sunt autem nominandi caſu poſita cum per genitivum verterint & LXX & D. Hieronymus. ¶ Cæterum quod ſequitur, *Noluit conſolari*, vel amphibologiæ vitandæ gratia potius vertendum erat, *Noluit conſolationem admittere.* ¶ *Quia non ſunt*] Hoc ſubito videtur ad Rachelis perſonam referri; Noluit hoc nomine conſolationem admittere, quaſi *non eſſent* ii qui mortui ſunt, cum ad meliorem vitam profecerint. Tale quiddam admonet Hilarius in Canone. Simile quiddam & Theophylactus. Mihi ſimplicius videtur ut intelligamus *non eſſe* dictos qui perierunt: Siquidem his verbis *non ſunt*, Propheta voluit explicare dolorem Rachelis inconſolabilem & Herodis immaniſſimam crudelitatem. Offendit Hilarium quod *non eſſe* dicantur qui pro Chriſto trucidantur.

19. Illud leviculum quod ἰδοὺ φαίνεται, i. *Ecce apparet*, verterit *Ecce apparuit*, mutato verbi tempore; cum præſentis abuſus aptus ſit rem ceu jam geratur narranti. Nam de hoc ἐγερθεὶς παράλαβε ſuperius admonuimus.

21. *Audiens*, ἀκούσας δὲ] Pro, *Cum audiſſet autem*: id quod paſſim negligit interpres, nec id tamen perpetuo; ut intelligas ἐκφωνητικὸν fuiſſe potius quam judicium aut inſcitiam. ¶ Illud recte mutavit, *Quod regnaret*, ὅτι βασιλεύει, quod Græcus interpres Hebraice magis quam Græce dixit, *Quod regnat.* Cæterum Herodes hic pater fuit Archelai, quo Lugdunum relegato per Tiberium Cæſarem, ſubſtitutus eſt in regnum frater hujus Herodes, à quo fuit irriſus Chriſtus, filius illius ſub quo fugit in Ægyptum. Ita Hieronymus. Quanquam Joſephus, quem citat Hieronymus, diverſa refert: Siquidem Judaicæ Antiquit. lib. 17. cap. ult. ita refert, *Cæſar autem, videlicet Cajus Tiberii ſucceſſor, veniente Archelao, aliquibus accuſatoribus aſtantibus cauſam hanc unde cognoſcit: ſed ubi ſe parum expurgat Archelaus, in exſilium trudi præcipitur, in Vienna Galliæ habitaculo contributo: pecuniæ vero ejus rationibus juſſit applicari fiſcalibus.* De fratre hujus Archelai Herode Tetrarcha ita memorat idem Joſephus lib. 18. cap. 16. *Tunc Cæſar veram credens accuſationem, Tetrarchiam ejus abſtulit, & Agrippæ Regno conjunxit; ſed etiam omnes eius opes Agrippæ contribuit: ipſum autem æterno condemnavit exſilio, habitaculum ei conſtituens in Lugdunenſi Galliæ civitate.* Hæc Joſephus. Unde conſequitur aut Hieronymum fuiſſe memoria lapſum, aut locum eſſe depravatum in commentario, aut Joſephi codices non carere vitio. ¶ *Judæam* hic pro parte regionis Judaicæ poſitum admonuimus antea. ¶ *Timuit illò ire*, ἐκεῖ ἀπελθεῖν] *Illo* adverbium eſt, etiamſi in veteriſſ. codicibus ſcriptum eſt *illuc.* Nec eſt *ire*, ſed *abire*, ἀπελθεῖν. ¶ *Et admonitus*] χρηματισθεὶς δὲ καὶ ὄναρ] Miras hujus interpretis delicias. Quod modo verterat, *Reſponſo accepto*, nunc transfert, *Admonitus.* D. Hieronymus putat χρηματίζειν dici, quoties Deus per ſe reſpondet. Nec eſt, *Et reſponſo accepto*, ſed, *accepto reſponſo*, licet reclamantibus exempl Latinis. Quanquam minutius hoc, velut & illud, ἐλθὼν κατῴκησεν, *Profectus habitavit*, ſive, *Venit & habitavit.* Etiamſi in nonnullis cod. eſt ἀπελθών.

23. *Per prophetas, Quoniam Nazarenus*, διὰ τῶν προφητῶν] Solitus citare nominatim autorem prophetiæ, nunc in genere dixit, *Per prophetas.* ¶ Quod נזיר Hebræis *ſanctus* ſive *conſecratus* dicitur juxta LXX. Et non in uno loco ſed paſſim Chriſtus *ſanctus* dicitur, quando de illo ſcriptum eſt, *Cum venerit Sanctus ſanctorum, ceſſabit unctio veſtra.* Symmachus *ſeparatum* vertit. Alii *floridum* exponunt: נזר *Nezer* enim Hebræis *flos* vel *germen*, ut LXX verterunt, dicitur: verum ז illud per ו ſcribitur. Hoc reſpicientes aliqui, dum conantur hoc teſtimonium ad certum referre locum, ſumptum putant ex Eſai. 11. *Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Porro נצר, quod ſoli LXX tranſtulerunt *Radicem*, Aq. Sym. ac Theod. verterunt κλῆμα, i. *ſtirpem* ſive *truncum.* In hanc ferme ſententiam Hieronymus, qui locum hunc annotavit, & in libello ad Pammachium De optimo genere interpretandi Chryſoſt. hom. in Matth. 9. exiſtimat hoc oraculum adductum ex aliquo voluminum quæ vel negligentia vel impietate Judæorum, vel temporum ac bellorum injuria perierunt. ¶ Illud addam, ὅτι, i. *Quia*, conjunctio hoc ſane loco fuerat omittenda, niſi reddidiſſet hunc in modum, *Quod Nazarenus vocandus eſſet.*

VATABLUS.

1. Magi] Magos Chaldæi vocant, quos Græci philoſophos.

2. *Stellam illius*] i. indicem nativitatis illius. ¶ *Et venimus*] Proinde acceſſimus.

4. *Scribas*] Lucas vocat legiſperitos. ¶ *Naſceretur*] Naſciturus eſſet.

6. *Rectorus eſt*] Paſcet.

12. *Oraculo*] Numio divino.

13. *Cum ſurrexeris, aſſume*] Surge & aſſume; vel, Experrectus aſſume & infra.

14. *Surrexiſſet*] Experrectus fuiſſet.

16. *Illius*] Scilicet Beth-lehem.

18. *Rama*] i. excelſo colle. ¶ *Rachel*] Rachel juxta Beth-lehem ſepulta, pro ipſa urbe & pagis finitimis accipitur.

20. *Inſidiabantur vitæ*] Gr. quærebant animam. Heb.

22. *Oracula autem juſſus*] juſſu Dei admonitus.

23. *Vocabitur*] i. erit. Heb.

CA-

CASTALIO.

16. *Quotquot erant infra bimatum*] Ad verbum legitur, *A bimatu & infra*: qui Hebraiſmus eſt qualis 1 Sam. 20. 21. legitur his verbis, *Si puero dixero, Sagitta ſunt à te & citra, cape eas, & veni*, &c. Et mox, *Sin ita adoleſcenti dixero, Sagitta ſunt à te & ultra*, &c. ubi *à te & citra* nihil aliud eſt quam *citra te*, & *à te & ultra* quam *ultra te*. Item Lev. 22. *Ab octavo die & ultra luabit*, h. e. cum octavum diem exceſſerit.

CLARIUS.

1. *Ecce magi*] Chalcidius Platonicus in commentariis in Timæum Platonis appellat eos *ſapientes Chaldæorum* his verbis, *Eſt quoque alia ſanctior & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet, ortu ſtellæ cujuſdam non morbos mortesque denuntiatas, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humana conſervationis rerumque mortalium gratiam. Quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profecto ſapientes viri, & conſideratione rerum cœleſtium ſatis exercitati, quæſiſſe dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majeſtate puerili, venerati eſſe, & vota Deo tanto convenientia nuncupaſſe.*

6. *Et tu Bethlehem*] Hunc locum explicuimus in Michæa.

10. *Gavisi ſunt gaudio magno*] Ut qui ultra ſpem omnem iterum eam ſtellam vidiſſent quam ſe in Oriente vidiſſe primo dixerant. Atque ex hoc apparet eam non fuiſſe reliqui itineris ducem: alioqui nec ita vehementer nunc viſa gavisi eſſent, nec dixiſſent Euangeliſta ſolum, *& ecce ſtella quam viderant in Oriente*, ſed, *& quæ eos comitata etiam fuerat*: & iidem ipſi Magi fatentur ſe in Oriente quidem vidiſſe illam, ſed non addunt, comitem aut ducem potius habuiſſe; quod ut majus fuiſſet miraculum, ita in primis commemorandum.

13. *Ecce angelus Domini apparet*] Non videtur poſſe intelligi id factum eſſe mox poſt diſceſſum Magorum, cum Lucas ſcribat eos poſt quadraginta dies & oblatum in templo Jeſum reverſos in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth: Quanquam variis modis ſolvatur hic nodus, & omnium ſententias hic ponere longum eſt.

15. *Ex Ægypto vocavit*] Videtur hic germanus ſenſus, qui nuper ante nos obſervatus eſt in hunc modum, Cum Propheta ſuperius admonuiſſet populum ut *innovarent ſibi novalia*, ac radices idololatriæ evellerent, *ne ſererent ſuper ſpinas*, & addidiſſet cauſam, quod ex eo tempore quo in exſilium abducti eſſent *tempus eſſet requirendi Dominum, donec veniret qui doceret juſtitiam*, i. Chriſtus Dominus, poſtea redit ad Chriſtum, ad cujus adventum ut ſe præpararent antea hortatus erat, & dicit de eo, *Sicut mane pereundo periit*, vel *exſtirpando exſtirpatus eſt, Rex Iſrael:* ut ſcilicet his verbis admoneat populum ſuum Dominus per Prophetam, ut cum Chriſtus Doctor veræ juſtitiæ adveniat, ne per oſcitationem eum amittant: fore enim ut brevi tempore in terris verſetur, ſicut aurora non diu durat, ſed ut orituram jam ſolem præcedit, ita eo oriente ſtatim ex oculis eripitur. Nam Chriſti converſatio in terris, & prædicatio cum miraculis edita, aurora fuit diei Euangelici ſtatim ſequentis; in quo cum Sol juſtitiæ Chriſtus per Spiritus S. miſſionem mundo incipiebat illuceſcere, aurora præſentiæ ejus corporeæ jamdudum per aſcenſionem ex oculis noſtris ſublata fuit. Quare autem hæc aurora tam cito ſublata ſit, rationem reddit dicens, Quia *puer Iſrael*, & per ſe ipſe nihil intelligit, ſed aliorum authoritate ducitur, & ſubinde ſeducitur: Ideoque cum Scribæ, Phariſæi, Pontifices & Reges Chriſtum ſint oſuri & perſecuturi fiet ut inſipiens ille populus una cum illis abductus perſequatur & crucifigi poſtulet Doctorem illum juſtitiæ: quod cum ignorantia, non malitia, facturi ſint, nondum poſſum eos propter eam inſipientiam odiſſe, ſed ſpe futuræ pœnitentiæ adhuc *amo* eos. Qui amor fecit ut, cum ſcirem eos eadem inſipientia, de qua jam dixi, una cum Herode turbandos ubi Chriſtum natum audirent, & ita facile ut Herodi occiſuro conſentirent impellendos, Filium meum Chriſtum potius in Ægyptum abduxi, illicque donec Herodes moreretur occului, ne ſcilicet ſtultus ille populus, Chriſtum ante tempus occidendo, omni ſe fructu, quem ex eo capere debebat, privaret. Tandem Herode jamdudum mortuo, & populo nati Chriſti magna ex parte oblito, *vocavi Filium meum ex Ægypto*, ut ipſis ignorantibus apud eos adoleſceret, & ante quam primores conſilium de eo occidendo exſequerentur, & ſtultum illum populum ad conſentiendum perſuaderent, ipſe quicquid à me in mandatis habebat perficeret, &c. Quidam tamen illud, *Mane exſtirpatus eſt Rex Iſrael*, interpretantur, Meſſiam ſtatim initio pueritiæ ſuæ, h. e. in ſuo mane & aurora, quæſitum fuiſſe ad cædem, & profligatum ex Judæa.

18. *In Rama*] Is qui Matthæum ex Hebræo tranſtulit videtur accepiſſe *Rama* pro nomine loci proprio, idcirco vocem Hebræam ſervavit: at hic appellativa vox eſt, & ſignificat, *in excelſo*. Cætera vide in Jeremiam.

23. *Quod dictum eſt per prophetas, quod Nazaræus vocaretur*] Et hunc locum, cum ignoretur unde Matthæus hanc hauſerit prophetiam, ſic explicant, Cum Matthæus hoc teſtimonium non uni alicui Prophetæ attribuat, ſed multis, neque ab ullo ſcriptum eſſe tradat, ſed à pluribus dictum aſſerat, ſciendum eſt tria Prophetarum genera olim fuiſſe. Primum genus fuit eorum qui quandocunque res poſtulabat oracula, viſiones aut fatidica ſomnia impetrabant; qualis fuit Moſes, Samuel & alii, quos priſca ætas *Videntes*, vulgus autem Judæorum *Prophetas priores* vocare ſolet. Alterum genus fuit eorum qui cum oracula, viſiones aut ſomnia fatidica pro ſuo arbitrio nunquam elicere poſſent, tamen quoties Deo viſum eſſet per eos populum docere, aut admonere, aut objurgare, Divinitus inſpirati prophetabant: atque hos Judæi vulgo *poſteriores* vocant, eo quod maxima pars eorum fere poſt Salomonem ſub idololatris Regibus fuerit, ut Eſaias, Hieremias, Ezechiel, & duodecim quos vocant *minores*, cum melius illud genus circa Davidis tempora fere deſierit. Tertium genus eſt eorum qui quamvis oracula, viſiones & ſomnia fatidica à Deo nunquam obtineant, tamen à ſuperioris generis Prophetis tanquam à præceptoribus eruditi, & ſancti Spiritus interna unctione edocti, literas propheticas rectè intelligunt, eaſque aliis enarrare, & ex eiſdem petentibus recta conſilia dare, & quæ recta ratione ex eorundem dictis neceſſario conſequuntur perſpicere valent: Hos priſca ætas *filios Prophetarum*, Paulus autem Corinthiis ſcribens ſimpliciter *Prophetas* appellat. Et priora quidem duo genera quicquid eis ad erudiendum poſteritatem de futuro Chriſti Regno Divinitus revelatum fuit, literis mandatum poſteris reliquerunt: poſterius autem genus, ut in docendo plurimum verſatum eſt, ita à ſcribendo fere ſemper abſtinuit, præſertim in Veteri Teſtamento. Quare cum Matthæus præter morem id de quo agimus non ab aliquo Propheta ſcriptum, ſed à multis Prophetis tantum dictum eſſe commemoret, veriſimillimum eſt eum de hoc ultimo Prophetarum genere ſenſiſſe, qui hoc colligebant ex locis Prophetarum, ut, cum legerent Chriſtum ab Eſaia vocatum *florem*, conjiciebant Nazareth eum florem, à quo denominata eſt, aliquando inter cives ſuos habituram, quamvis expreſſe non invenirent eum Nazarænum vocandum. Neque mirum eſt eos qui reſponderunt Nicodemo quod à Galilæa Propheta non ſurrexerit, iſta non obſervaſſe, aut forſitan contempſiſſe cum & agerentur invidia, & avaritiæ atque ambitioni potius quam Scripturæ ſtudio operam darent.

ZEGERUS.

1. *Herodis regis*] Hic Herodes pater erat & Archelai, quem aliquanto inferius refert Euangeliſta poſt patrem jam defunctum regnaſſe in Judæa, & illius Herodis de quo in paſſione Domini legimus. ¶ *Magi*] Vox Perſica eſt, quemadmodum & viri hi *Magorum* vocabulo deſignati Perſæ fuerunt. Qua voce indicantur ſapientes, philoſophi, & ſectatores artium. Quinimo & hariolos, Mathematicos & Aſtrologos hos fuiſſe ex iis quæ Ambroſius in Luc. 2. Hieronymus in Jeſ. 47. Chryſoſtomus tom. 2. in Ser. de Epiph. & Cyprianus Serm de ſtella & magis, ſcribunt, licet colligere, dum inter cætera quæ de his & horum ſcientia referunt, etiam à Balaam hos genus duxiſſe ex hiſtoriis commemorant, quem Scriptura *hariolum* appellat, Num. 22. qui etiam vaticinium illud protuliſſe ſcribitur, *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga* (vel, ut ipſi juxta LXX legunt, *homo*) *ex Iſrael, & percutiet duces Moab*, &c. Num. 24. 17. atque hoc vaticinio hos ipſos Magos putant ad quærendum Regem partim fuiſſe incitatos. In hoc tamen Hieronymus diſſentit cum Ambroſio & Chryſoſtomo De incarnat. atque etiam Baſilio, De hum. quod hi etiam maleficis artibus hos Magos imbutos fuiſſe intelligere videantur, id quod ille negat: Qui etiam hoc philoſophorum genus tantæ apud Chaldæos & Babylonios autoritatis fuiſſe ex Daniele comprobari dicit, ut reges ac principes omnia facere ipſorum arbitrio non dubitarent, in Dan. 2. Porro, quod hi Magi reges fuerint equidem nuſquam reperio præterquam in Gloſſa ordinaria. In commentariis vero qui Hieronymo adſcribuntur ſuper Pſalmos, ipſos lego exordium ac typum prætuliſſe Gentium & Regum crediturorum: atque hac occaſione & ratione in eccleſiaſtico cultu diei Epiphaniæ decantari autumo illud Pſalmographi, *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent: reges Arabum*, &c. Pſal. 72. Quanquam interim

interim probabile est haudquaquam ipsos viros fuisse vulgares aut plebeios, qui tam magnifica scribuntur obtulisse munera. Cætera quæ de his Magis & de stupenda visæ stellæ effigie refert is qui commentarios scriplit in Matthæum imperfectus Chrysostomi titulum præferentes, non minus admiranda quam plausibilia, ob prolixitatem vitandam hic prætermito, satis habens locum indicasse unde ea possint peti.

2. *Venimus adorare*] Ἤλθομεν præt. temporis est.

6. *Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israel*] B. Hieronymus enarrans Michææ c. 5. indicat hoc testimonium nec cum Hebræis nec cum LXX. congruere interpretibus: putatque Euangelistam studio ita ut à Scribis & Sacerdotibus prolatum erat posuisse, quo illorum redargueret erga Divinæ Scripturæ lectionem negligentiam. Verum, collatis inter se editionibus, in verbis nonnullam video dissonantiam, cæterum in sensu nullam, aut quam minimam, præsertim inter Euangelistæ sermonem & Prophetæ contextum Hebraicum, nisi forte id impie prætermissum sentiat quod vel maxime erat adjiciendum, nempe quod prædictis subjungitur, *& egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Hebræa enim, si quis forte requirat, ad hunc habent modum, ואתה בית לחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvula es in ducibus, sive magistris, vel millibus, Jehuda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.* Euangelium autem Hebraicum propius etiam accedit ad Euangelistæ sermonem, duobus insertis verbulis לא & בעמי, *nequaquam*, & *in populo: nequaquam minima es, in populo meo Israel.* LXX vero interpretes hoc habent modo, Καὶ σὺ Βηθλεὲμ, οἶκος Ἐφραθὰ, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ Ἰσραήλ, *Et tu Bethleem domus Ephratha, minima es ut sis in millibus Juda: ex te mihi egredietur ut sit princeps Israelis.* Porro Euangelium Græcum ita habet, Καὶ σὺ Βηθλεὲμ, γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ, *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in ducibus Juda: ex te enim mihi egredietur dux qui regat populum meum ipsum Israelem.* Quorum unus fere omnium sensus hic est, Tu, ô Bethlehem terra seu habitatio Juda, olim dicta *Ephrata*, haudquaquam despectu ac vilis habeberis ob id quod videaris parum ferax esse præpotentium & sublimium virorum; ex te enim proditurus est princeps qui dominaturus sit non modo tribui Judæ, verum etiam universo populo Jacob. Poterit quoque Hebraica lectio percontative seu admirative pronunciari, *Et tu Bethlehem Ephratha, nunquid exigua es in principibus Jehuda?* Atque hic subaudiatur negatio: deinde inferatur negationis causa, *ex te mihi egredietur*, &c. Ex hoc pacto expressum intelligimus ab aliis quod subauditur apud Hebræos. Illud tamen unum quod pro באלפי Hieronymus cum LXX vertit *in millibus*, non modo dissonantiam aliquam, verum etiam majorem adfert obscuritatem; quod equidem miror magis illis placuisse quam *in ducibus.* Sed ne vel in hac ipsa lectione hæreas, sensus ejus hic esse poterit, *Tu Bethlehem terra Juda, eademque Ephratha dicta, licet infima sis sortis reputata in millibus Juda*, h. e. in numerosa illa multitudine populi Judaici, *futurum est tamen ut sublimis & excelsa habearis, propterea quod proditurus ex te sit princeps qui regat*, &c. Quod autem Bethlehem ipsa sit Ephratha, aut saltem in Ephratha, liber Geneseos ostendit, in quo Scriptura commemorat, *Mortua est Rachel, & sepulta est in via quæ ducit ad Ephrata, hæc est Bethlehem*, Gen. 35. 19. & rursum illud quod in Jesu Nave juxta LXX, non tamen juxta aliorum legimus editiones, *Thaco, & Ephratha, hæc est Bethlehem*, &c. Jos. 15. 60 *In principibus* dictum est pro *quoad principes*, consuetudine Hebræa.

16. *A bimatu, etiam infra*] Bimatus spatium est duorum annorum.

18. *Vox in Rama audita est*] Autor Græci Euangelii Hebraicam vocem רמה *rama* reliquit veluti locum significaret: non minus tamen quadrabit si pro *excelso* accipiamus, ut sic dicamus, *Vox in excelso* audita est, quam si pro civitate illa *Rama* dicta, quæ est in tribu Benjamin juxta Gabaa; ut intelligamus, à Bethlehem ad eam usque civitatem auditam esse vocem plorantium & ululantium. ¶ *Rachel plorans filios suos: & noluit consolari, quia non sunt*, &c.] *De Rachel*, inquit Hieronymus, *natus est Benjamin, in cujus tribu non est Bethlehem. Quæritur ergo quomodo Rachel filios Juda, i. Bethlehem, quasi suos ploret? Respondebimus breviter, Quia sepulta sit juxta Bethlehem in Ephrata, & ex materno corpusculi hospitio matris nomen acceperit. Sive quoniam Juda & Benjamin duæ tribus junctæ erant; & Herodes præceperat non solum in Bethlehem interfici pueros, sed in omnibus finibus ejus: & per occasionem Bethlehem intelligimus multos etiam de Benjamin fuisse cæsos. Ploras autem filios tuos, & non recipis consolationem, secundum duplicem intelligentiam; sive quod eos in æternum mortuos æstimaret; sive quod consolari se nollet de his quos sciret esse victuros.* Origenes autem veteres aliquot in ea fuisse sententia indicat, ut putaverint Rachel *plorasse filios suos quasi nihil passos in adventu*, vel *pro adventu, Domini, & quasi non essent existimasse ad illos qui pro Domino mortui essent, & coronam tulissent martyrii.* Quanquam equidem hanc interpretationem magis piam existimaverim quam doctam. *Rachel* ergo pro ipso loco in quo sepulta fuit, ac locis finitimis accipitur.

23. *Quod dictum est per prophetas, Quoniam Nazaræus vocabitur*] *Nazaræus, Sanctus* interpretatur. Et id cognominis passim Meschiæ tribuunt arcanæ literæ: atque ob id in genere dictum putant *per prophetas.*

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον β, Περὶ τῶν ἀναιρεθέντων παιδίων.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. τμήμ. β. Τότε Ἡρώδης, ἰδὼν ὅτι ἐνεπαίχθη ὑπὸ τῶν μάγων, ἐθυμώθη λίαν, καὶ ἀποστείλας ἀνεῖλε πάντας σὺν παισὶ σὺν τῇ Βηθλ.

Χωρεῖν βασιλεῖ δοίζεται νήπια πεδά.
Ἄθως,
Λίμνη βεξ‡ῶν ἀνεχεῖτο καπὶ βασιλῆϊ ὁμοκλῇ.

7. Ἠκρίβωσε] *Sedulo scisciatus est, & quasi cum exacta quadam diligentia.*

11. Τὸ παιδίον] *Illum puerulum.*

19. Χρηματισθέντες κατ' ὄναρ μὴ ἀνακάμψαι] *Admoniti divina revelatione ne redirent.*

16. Ἐνεπαίχθη] *Illusus esset.* ¶ Ἐθυμώθη] *Stomachatus est.* ¶ Ἠκριβώσατο] Vide ver. 7.

22. Χρηματισθεὶς ὑ κατ' ὄναρ] Vide ver. 12.

DRUSIUS.

1. BEthlehem Judæa] Hieron. in comment. ad hunc locum emendat *Judæ.* Idem existimat errore librariorum scriptum esse *Judææ:* fallit, & fallitur. Nam in codicibus Græcis Ἰούδαίας, etiam infra ver. 5. ubi Vulg. nostra, *Juda.* Id Ebraice diceretur בית לחם אשר ליהודה *Bethlehem quæ est Juda*, sive *Judæa:* & 1 Sam. 17. 1. *Congregati sunt in Socho quæ est* ליהודה, ubi LXX rursus Ἰούδαίας, & Vulg. noster *Juda:* perinde est. Nam tribus Juda vocatur aliquando peculiariter *Judæa*, sub qua & tribus Benjamin comprehenditur. Sane Jud. 19 18. בית לחם יהודה Βηθλεὲμ Ἰούδα dicitur, quæ sita erat in ea tribu, & hoc modo distinguitur ab alia quæ in tribu Zabulon. Eusebius in lib. loc. *Judæa aliquando tota terra* XII *tribuum appellatur: aliquando duæ tantum tribus, quæ quondam Juda vocabantur ad distinctionem Galilææ & Samariæ aliarumque in terra Promissionis regionum. Et notandum apud historicos quod Judæa ad Palæstinam, Galilæa vero ad Phœnicen pertineant.* Zacharias Chrysopolitanus Episcopus in Unum de quatuor ex Remigio, *Omnis quidem Judæorum provincia ad distinctionem aliarum gentium Judæa dicitur, sed specialius Meridiana plaga, ad differentiam Samariæ, Decapolis & cæterarum regionem ejusdem provinciæ.* Hoc modo sumitur id nomen infra Matth. 19. 1. *Migravit à Galilæa, & venit in fines Judææ.* ¶ *Magi*] Vox est Persica. Significat autem in ea lingua *sapientem* sive *philosophum.* Sed ut Philosophis attulerunt vitium Sophistæ, sic Magia diabolicis fortibus commutata est. Ergo *Magus, præstigiator.* Sic fere Græci usurpant. Unde Baal Aruch, *Magus in lingua Græca est* מכשף, i. *maleficus*, Φαρμακεύς. In eodem libro מעונן in lingua Ismaelitica sive Arabica מעוניה, i. *saga*, si recte capio. Act. 13. 8. *Elymas magus. Sic enim interpretatum sonat nomen ejus.* Mens horum verborum, *Nomen Elymas, si interpreteris, significat Magum*, h. e. sapientem, aut malis artibus deditum. Hinc eruimus *magi* nomen dupliciter accipi. Nam in malam partem accipitur Act. 8. 9 & 13. 6. in bonam autem hoc loco, ubi Syrus habet מגושא. Erant autem Magi olim apud Persas quod Chaldæi apud Babylonios & Assyrios, Gymnosophistæ apud Indos, Druidæ (qui & *Semnothei* appellabantur) apud Gallos. De Magis Persarum Ammianus lib. 23. *Auctis paulatim in amplitudinem gentis solidæ concesserunt & nomen, villasque inhabitantes nulla murorum firmitudine communitas, & legibus suis uti permissi, religionis respectu sunt honorati.* Magos venisse scribit Matthæus ἀπ' ἀνατολῶν. Cæterum Orientem

Ebræi vocant קסם, qui olim propter artes magicas audiit male: unde apud Jeſaiam, *replata ſunt Oriente*, i. malis artibus. *Ab Oriente*, h. e. *à Perſide*, Autor operis imperfecti in Matth. hom. 1. *ex Arabia*, Juſtinus Martyr in colloq. cum Tryphone habito; *è Saba*, Chryſoſtomus De nativ. Joh. Baptiſtæ. Sed Saba potius in Meridie erat; unde regina Sabæ vocatur *regina Auſtri*. Poteſt etiam fieri ut venerint è Meſopotamia. Sane Balaam, ex cujus genere originem ducere creduntur, Meſopotamenus erat. Hos *Reges* appellat Chryſoſtomus in loco citato, *Ideo ſancti viri Reges*, inquit, *& patres Saba venerunt ipſi magi invitante ſtella*, &c. De Magis hiſce videndi ſunt Origenes contra Celſum lib. 1. Chryſoſtomus hom. 1. de Epiphania Domini in 2. Matth. Zacharias in Unum ex quatuor pag. 47. Rurſum Chryſoſtomus hom. 20 in Matth. fol. 22. Vide quoque de Magis Perſarum Crinitum De honeſta diſciplina lib. 3. cap. 2. Nomina Magorum qui Chriſtum viſitarunt, ab aliis recenſentur *Jaſſar*, *Melchior*, *Balthaſar*; & ab aliis aliter. Zacharias, pag. 47. *Nomina trium magorum Ebraice Apellius*, *Amerus*, *Damaſcus*. *Apellius interpretatur*, *Fidelis*; *Amerus*, *Humilis*; *Damaſcus*, *Miſericors*. *Græca lingua vocati ſunt Magalath*, *Galgalath*, *Saracim*; *Magalath interpretatur*, *Nuncius*; *Galgalath*, *Devotus*; *Saracim*, *Gratia*. ¶ *Ab Oriente*] Ex Arabia Felice, cujus metropolis Saba nomen accepit à nepote quodam Abrahami ex Ketura, cujus poſteri Orientalem plagam occuparunt, ut habetur Gen. 25. 6. cui firmando quod Jeſ. 60. 6. *Ex Saba venient*, *aurum ac thus portabunt*. *Auri Saba* mentio & Pſ. 72. 15. In hac Arabiæ parte Myrrha & Thura ex arboribus leguntur, cinnamomum ex fruticibus reſcinditur, caſia paluſtribus locis naſcitur, prata ſponte ſua nardum gignunt, ait Arrianus. Nec obſtat quod regina Sabæ vocetur *regina Auſtri*. Nam illa erat alia Saba in regione Auſtrali, quam vocant *Alimlin* ſive *Aljeman*. Sunt tamen qui ex Perſide hos veniſſe ſcribant, cujus regionis ſapientes *Magi* vocabantur, nec niſi ex eorum numero, eorum diſciplinis imbutus, inquit Strabo, Rex creabatur. Unde fieri poteſt ut hi Magi Reges fuerint: quod receptum ab Eccleſia Romana. Chryſoſt. de nativitate Joannis Baptiſtæ, *Ideo ſancti viri reges & patres Saba venerunt ipſi Magi invitante ſtella*. Sunt etiam qui ex Orientali Meſopotamia eos veniſſe ſcribant, ubi olim fuit Balaam prophetes, cujus illuſtre vaticinium de Meſſia exſtat Num. 24. 17. unde Magi hæc diſcere potuerunt. Chryſoſtomus hom. 2. in Matth. *Legi apud aliquem Magos iſtos ex libris Balaam divinatoris hujus ſtellæ ſcientiam accepiſſe, ejus divinatio poſita eſt in V. T.* ORIETUR STELLA, &c. Vide ſequentia.

3. *Tota Jeroſolyma*] Quare Jeroſolyma turbata fuit? Nam potius exſultare debuiſſet propter natum quem tamdiu exſpectaverant tantopereque deſideraverant Meſſiam. An quia metuebant mutationem ſtatus? quæ fieri non ſolet ſine multa ſanguinis effuſione, præſertim cum Imperium Romanum tam potens eſſet, quo nili everſo Meſſias Regnum, quale illi ſomniabant, pacate obtinere non potuit. Hinc Rutilius in Judæos (quo nomine olim ipſos Chriſtianos appellabant) ubique diſperſos ita ſcripſit,

Atque utinam nunquam Judæa ſubacta fuiſſet
Pompeii bellis, imperioque Titi.
Latius exciſa peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos natio victa premit.

Sunt qui putant ideo commotos fuiſſe Jeroſolymitanos quod triſtiorem ſervitutem timerent, utpote quibus optime nota erat ſævitia & crudelitas Herodis, quem ſciebant Tyria maria moturum, imo cœlum terræ mixturum, potius quam ut Regnum ſibi eripi pateretur.

5. *Bethlehem Judæ*] Ἐν Βηθλεὲμ τῆ Ἰουδαίας· & mox, Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα. Syrus utrobique habet בית לחם, & Hiero. in priore loco, *Bethlehem Juda*, ut in poſteriore, *terra Juda*. Additum autem *Juda* ſive *Judæ* διακριτικὸν ἴσως. Nam erat alia Bethlehem in tribu Zabulon, patria Abeſſan judicis: de qua Joſ. 19. 15. Prior etiam *Bethlehem Ephrata* dicitur Mich. 5. 2. Hieron. ait fuiſſe *parvum vicum*, nempe ad reliquarum urbium comparationem. Sed Luc. 2. πόλις vocatur. *Aberat ab Urbe ſex M. paſſuum*. Beda in lib. De locis ſanctis; *tribus paraſangis*, i. פרסאות, D. Camius ad Pſal. 132. 6. *ad Meridianam plagam*. Novatianus, lib. de Trinitate, cap. 16. *medio intervallo inter Jeroſolymam & Thecoe patriam prophetæ Amos*. Mercerus Amos 1. *Bethlehem Judæ* ſive, quod idem, *Juda* Jud. 19. 18. vocatur Ebraice בית לחם יהודה, quod addi ſolet, ut dictum eſt, ad alterius differentiam, quæ in Galilæa inferiore in tribu Zabulon. Gentile eſt *Bethlehemita*, & contractiore voce *Bethlemita*. Nam etiam *Bethlem* dicebant pro *Bethlehem*. Vide Obſerv. meas. Ebraice בית לחם.

6. *Nequaquam minima es*] In iſto loco conciliando cum Michæ prophetia valde laborant imo ſudant interpretes, ſed fruſtra. Nihil omnino difficultatis eſt ſi Prophetam legas cum interrogatione, *Parvane es?* quæ ibi deſideratur, ut ſæpe aliàs. Exempla vel unus Job ſuppeditare poteſt plurima: nos uno contenti erimus. Id habetur Job 41. 1. *Trahes leviathan hamo?* nam niſi pronuntiatione juvetur aperte falſum eſt. Leviathan enim certe tantus piſcis hamo trahi non poteſt. Vide Parallela mea, & libellos De literis ſervilibus, quas vocant *Maſcheſ vechaleb*. ¶ *Dux qui paſcet*] In Micha, *Ex te exibit ut ſit dominator*. Inepte quidam רועה hic *patrem-familias* exponit, qui בעל הבית dicitur. Vox Ebræa hoc non ſignificat, ſed eum qui dominatur & cum imperio eſt, ut Rex, aut qui ejus vicem obit locumque tenet, quem *Vice regem* vocant Galli. Sed quid? an Chriſtus Rex fuit? Fuit ſane Rex ſpiritualis Judæorum, h. e. fidelium. Quod quia Herodes ignorabat, valde turbabatur, metuens ſibi eo magis quod ſciret ſe inviſum populo propter crudelitatem & immanem ſævitiam quam exercuerat in ſuos. Nam ſomniabat neſcio quod Regnum ejus terrenum, ut etiam plerique Judæi illius temporis. Quæ opinio adhuc durat inter eos. Huc facit locus Suetonii à Tacito repetitus, quem ad Veſpaſianum accommodant, *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio eſſe in fatis ut eo tempore Judæa profecti terris potirentur*. Dixi ſupra Chriſtianos olim Judæos appellatos fuiſſe. Tacitus ejus rei fidem faciet, in quo diſerte, *Judæos Chreſto duce tumultuantes Roma expulit*. Nam pro *Chriſto* dicebant *Chreſto*. Quod annoto, ne hic mendum ſubeſſe putetis. ¶ *Iſrael*] Ita ſcribendum, non *Hiſrael*, aut *Iſrahel*. Gentile Ἰσραηλίτης *Iſraelita*, unde *Viri Iſraelitæ* Act. 2. 22. & *Ecce vere Iſraelita, in quo non eſt dolus*, Joh. 1. 47. & *Iſraelita ſecundum carnem* 1 Cor. 10. 18. Sumitur autem pro Jacobo patriarcha, & pro ipſa gente Rom. 9. 6. pro tota eccleſia Gal. 6. 16. Dictus ita à שרה & אל, quia *de principatu contenderat cum Deo*, vel quia *princeps evaſerat cum Deo contendens*.

11. *Obtulerunt ei munera*] Juvencus presbyter,

Thus, aurum, myrrham Regique, Hominique, Deoque
Dona ferunt.

Id fiebat more Perſarum, qui Regem non adibant ſine munere. Seneca, epiſt. 17. *Reges Parthos non poteſt quiſquam ſalutare ſine munere*. Vide Lyram ad hunc locum. Mos erat & apud Ebræos ut recens creato Regi munera darent. Vide 1 Sam. 10. 27.

16. *A bimatu & infra*] *Intra bimatum* Macrob. L. 2. c. 4. *Cum audiſſet* (Auguſtus) *inter pueros quos in Syria Herodes Rex intra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, ait, Melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium*. Joſephus Scaliger Animad. Euſeb. pag. 162. col. 1. *Infanticidium, quod mirum eſt tacitum à Joſepho, contigit eodem tempore fere quo Antipater juſſu patris ſtrangulatus & doctores legis combuſti ſunt, paulo ante mortem ipſius Herodis, ut qui inter tot cades vitam tranſmiſiſſet vitam ſine cade non relinqueret. Quod puerorum cædes non multo præceſſerit Antipatri caſum, tum ex Euangelio conſtat, cum anno ſecundo à Chriſto nato id contigiſſe, & παῖδας τοὺς ἐξ ἐτῶν interfectos fuiſſe perſpicue ibi declaratum ſit, cum etiam ex Macrobio, qui infantes ab Herode cædi juſſos, & inter illos filium quoque ipſius Herodis pœnas dediſſe refert. Sed, quod paulo ante dixi, mirum eſt tam belluinæ crudelitatis exemplum à Joſepho præteritum eſſe, qui tanta diligentia reliqua ſævitia Herodiana facinora perſequitur.*

18. *Vox in Rama audita eſt*] קרח, quod Græci ſcribunt Ῥαμὰ *Rhama*. Sed in vocabulo Ebraico Ebraica conſuetudo valere debet, non Græca. Hoc primum. Deinde ſi *Roma* ſcribimus abſque aſpiratione, cur non eodem modo ſcribemus *Roma*? Locus eſt in tribu Benjamin, qui non procul abfuiſſe videtur à vicinia Bethlehemitica, ubi clamor iſte fuit editus. Sed fortaſſe nomen eſt appellativum, quod reddunt ac ſi proprium eſſet, ut dicat *in alto*, unde vox longe lateque exaudiri poteſt. Sane Hieronymus Jer. 31. 15. unde hic locus tranſcriptus eſt, vertit, *Vox in excelſo audita eſt*, & Santes *in excelſo colle*, & Jonathan *in altitudine mundi*, ſi modo עלמא hic eſt *mundus*. *Collem* autem ſubaudiunt, & non *locum*, quia nomen eſt femininum רמה, itidem ut גבעה *collis*. Nam מקום *locus* maſculinum eſt. Ita R. D. Euſebius in Locis. *Rama in tribu Beniamin, civitas Saulis, in ſexto milliario ab Ælia ad Septentrionalem plagam contra Bethel. Meminit hujus & Jeremias*. Syrus, *in Rametha*. ¶ *Rachel*] Pro vicinia Bethlehemitica ponitur, in qua ſepulta fuit olim Rachel. Græce Ῥαχήλ, & Ebraice רחל. Id Latine ſonat *ovis*. Tranſlatum ergo ab animante ad mulierem. Cujuſmodi nomina ſunt טלה *vitula*;

vitula; צבית, unde *Tabitha*, *caprea*, *dorcas*; יעלת *ibex*, *rupicapra*. Huc referri etiam poſſet רבקה *Rebecca*, quod valet σπυρίδιον, *ſaginarium*; vulgo פרוכ dicitur. In lib. Nom. *Rachel*, *Ovis*, *vel Videns principium*, *aut Viſio ſceleris*, *ſive Videns Deum*. Pro *Viſio ſceleris* putarim ſcriptum aliquando fuiſſe *Viſio exercitus*. Nam חיל *exercitus*. *Deus* autem dicitur אל per Aleph. Novum non eſt ut hoc modo literæ confundantur.

20. *Mortui ſunt enim qui quærebant animam pueri*] De uno Herode loquitur: ergo numeros commutat. Sic Exod. 4. 19. *Mortui ſunt qui quærebant animam tuam*, de ſolo Pharaone. Sic Nah. 2. 6. *porta fluviorum*, de Tigri. *Quærere animam* ambigua oratio eſt. Nam & in bonis ponitur, Prov. 29. 10. & in malis, ut hic, & Pſal. 38. 12. ubi ſubintelligitur לספותה *ad conſumendum eam*, quod expreſſum Pſal. 40. 14. Vide ſodes.

23. *Nazareth*] Græce Ναζαρὲθ, cum ζ & θ in fine: Ναζαρὶτ, cum ζ & τ in fine, Luc. 1 26. Actor. 10. 38. & alibi *Nazareth*, *Nazaret*, ut *Geneſareth*, *Geneſaret*. Sic *Eliſabeth*, & Ἐλισάβετ. Dicimus etiam *Nazara*, ἡ πόλις Ναζαρέτ. Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 1. c. 7. ἐστὶ δὲ Ναζάρων ἡ Κωχαβὰ κωμῶν Ἰουδαικῶν. *Nazara*, *Nazareth*, ut *Geneſara Geneſareth*. In his omnibus Zain eſt pro Sade ex dialecto Syrorum, qui has literas permutant. Sane apud Moſem in Jonatha שיר *Zoar* legitur pro צוער *Soar*. Sic *Nazara* & *Nazareth* pro *Naſara* & *Naſareth*, quod ſcribunt נצרת: itaque hodie legitur in editione Syra. Opidum erat Galilææ, quod Syrus interpres מרינא vocat, i. *urbem*. Sic etiam vocatur in Græco textu, Luc. 1. 26. εἰς πόλιν τῆς Γαλιλαίας ᾗ ὄνομα Ναζαρὲτ, *in urbem*, ſive *in civitatem*. Alii *vicum* appellant. Putarim fuiſſe ex eo genere qui κωμοπόλεις dicuntur. Hieron. Matth. 17. *Nazaret*, *opidum Galilææ Capharnahum urbi ſubjacens*. Idem de Locis Act. *Nazareth viculus in Galilæa juxta montem Thabor*, *unde & Dominus noſter Jeſus Chriſtus Nazarenus vocatus eſt: Habetque Eccleſiam in loco quo Angelus ad B. Mariam euangelizaturus intravit: ſed & aliam ubi Dominus eſt nutritus*. Euſebius in Lib. Locor. *Eſt autem uſque hodie in Galilæa viculus contra Legionem in quinto decimo ejus milliario ad Orientalem plagam*, *juxta montem Thabor*, *nomine Nazara*. Rurſum Hieron. in lib. Nom. *Scribitur autem non per Z literam*, *ſed per Ebraum Sade*, *quod nec Snec Z literam ſonat*. Recte: antiqui tamen exprimebant per *S*, quod vocabant *Sade*; & aliquando, quanquam rarius, per *Z*: unde forte *Nazareth*. Nihil temere ſtatuendum. Nam quæ de dialecto Syriaca ſcripſi, certiora eſſent, ſi uſpiam נזרת aut נזרת inveniretur. Quæramus amplius. In lib. Nominum, *Nazareth*, *Flos*, *aut Virgultum ejus*. In mente habuit נצר, quod *ſurculum* ſive *virgultum* ſignificat. נצרת & Chaldaice נצרתה *ſurculus ejus*, *virgultum ejus*. Exſtat hoc nomen in Eſaia Propheta. Errant autem, meo judicio, qui ab eo Chriſtum *Nazaræum* appellatum contendunt. Nam dictus ita ab opido *Nazareth*, proquo Matth 21. 11. in edit. Syra ܢܨܪܬ *Naſara*, niſi mavis ܢܨܪܬ, quod forte originem habet à נצר, vocabulo ambiguo ad *ſurculum* & urbem *Nazara*. *Neſer*, *Naſara*, ut צלם & צלמא, quod antiquitus legebant *Salama*. ¶ *Nazaræus*] Græce Ναζωραῖος. Dicimus etiam *Nazarenus*. Syriace ܢܨܪܝܐ *Naſaræus*, vel certe *Nazaræus*. Nam etiam נצר, quod Iſ. 11. Hieron. ſcribit *Nezer*, per Z. Nomen hoc in N. F. duo ſignificat: primum Jeſus *Nazarenus* dicitur, quia educatus in opido Nazareth; deinde abs eo Chriſtiani primitus *Nazaræi* dicebantur; unde ſecta τῶν Ναζωραίων Act. 24. 5. Dicebantur & *Galilæi*, quia Nazareth vicus Galilææ. Suidas, Ἐν Ἀντιοχείᾳ μετωνομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζωραῖοι ἀπὸ Γαλιλαίας, Χρηστιανοί. Quod etiam peculiariter de Chriſto uſurpatur; unde illud Juliani Apoſtatæ, *Viciſti*, *Galilæe*. *Nazaræorum* vox crebra eſt in monimentis Doctorum. Dicunt autem נוצרי *Nozaræi*, & נוצרים *Nozaræi*; quibus in ſynagogis ſuis ter in die maledicunt. Autor Hieron. Jeſ. 49. Addam pro corollario; Joh. 1. 46. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* q. d. Minime. Nam urbs erat Galilææ. Galilæi autem inviſi erant Judæis; Primum, quia magna ex parte ex illis erant oriundi quos Salmanaſſar ex Aſſyria illuc traduxerat 2 Reg. 17. qui religionem Iſraeliticæ gentis patriis ſuis ritibus corruperunt. Deinde, quia ut lingua ita moribus ab iis diverſi erant. Tertiam cauſam præbere potuit Jeſus Barachiæ filius, quem Thalmudici ortum referunt ex hac urbe. Vixit autem temporibus Johannis Hyrcani Simonis Haſamonæi filii, & portentoſis erroribus Judæam replevit. Fuit Minæus, i. hæreticus, & idolorum cultor: cujus hiſtoria exſtat in Sanhedrin, cap. *Helec*, ubi de Meſſia tractatur.

CASAUBONUS.

1. Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο] Miror τὸ παρέσται hodieque viros eruditos Reges fuiſſe hos Magos affirmare non dubitent: Nam etſi maximis apud Reges Orientis honoribus functos aliquando fuiſſe id genus homines conſtat, atque adeo regnorum habenas aliquando obtinuiſſe, ut ex Cicerone, Strabone, Plinio, aliiſque intelligere eſt; tamen neque id perpetuum fuit, neque illo certe tempore quo natus eſt Chriſtus. Ideo gravis auctor Strabo cum de honoribus ageret in Magos quondam collatis, addit, factum id ἐν τοῖς ἔτεσι ἡμῶν, h. e. ante ſuam memoriam. Atqui iis ille temporibus vixit quibus Chriſtus eſt natus.

4. Πῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται] h. e. μέλλει γεννᾶσθαι. Sic 1 Cor. 15. πῶς ἐγήγερται οἱ νεκροί; & alibi ſæpe. Sed hic maxime obſervandum eſt, ut intelligamus non loqui Herodem tanquam de re præſenti, ſed ut de re incerta & quandoque futura. Nam etſi jam id contigiſſe ipſe ex Magis intellexerat, tamen hoc totum conſilium ſuum Judæos celavit: Ideo ait mox Euangeliſta, λαθραῖος.

6. Οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ] Etſi videntur iſta verba nonnihil recedere ab Hebraicis, tamen non puto cauſam eſſe cur de hac lectione dubitemus. Dictum eſt autem eleganter οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ, pro μεγίστη εἶ, ut recte Priſcianus quodam loco obſervat. Sic Herodotus, Melpomene, de Zamolxide loquens, Οἵτινες Ἕλληνί τε ὁμιλέουσι, καὶ Ἑλλήνων ἐστὶ τῷ ἀβροτάτῳ σοφιστῇ πλησιόχωροι.

12. Καὶ χρηματισθέντες] Verbum χρηματίζομαι in Paſſiva voce hac ſignificatione qua in his libris accipitur non memini alibi legere; in activa uſurpant veteres perſæpe. Diodorus Siculus lib. 3. Τὰς δὲ θηλὰς αὐτῆς πεπῶσι κεχρηματικέναι. Idem lib. 15. Περὶ ὧν χρημάτων ἔφησε μὲν χρηματίζειν ἡ θεὸν καθόλου· & apud alios paſſim. Moſchopulus περὶ σχεδῶν. χρηματίζω interpretatur χρηματὰς δίδωμι, recte.

16. Καὶ ἀποστείλας ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας] Elegans admodum dicendi genus; quo utitur Polybius l. 14. Τοὺς μὲν γὰρ ἐν τοῖς ἰδίοις ἐπιτηδείων ἀπῆρε, τοὺς δ' ἐν τοῖς πόνοις ἐπαναγκάζειν ἐφῆκε. Sic Strabo quoque de Meliis loquens, Ἀθηναῖοι δὲ πολλάκις πέμψαντες, ἐξέβαλον καὶ κατέσφαξαν τοὺς πλείους. Ita enim legi illum locum apud Euſtathium, docebunt, Deo dante, brevi Gommentarii in præſtantiſſimum illum ſcriptorem, & Geographorum principem, noſtri. Infra 14. 10. Καὶ πέμψας ἀπεκεφάλισε τὸν Ἰωάννην ἐν τῇ φυλακῇ.

CAMERO.

1. Μάγοι ἀπ' ἀνατολῶν παρεγένοντο] Hic ἀπ' ἀνατολῶν jungi debet & conſtrui cum μάγοι, non vero (ut alii volunt) cum παρεγένοντο, ut μάγοι ἀπ' ἀνατολῶν ſint *Sapientes Orientales* (celebris nempe Oriens ſapientiæ nomine) phraſi ſimili iſti quæ eſt Job 1. 3. בני קדם מכל בני, quod LXX reddiderunt ὑπὲρ πάντας τοὺς υἱοὺς ἀνατολῶν. Μάγοι autem hic non ſignificatione Græca, pro iis qui magicam artem, nigram & Diabolicam illam, exercent, accipitur; ſed voci Hebrææ מכשפים reſpondet, à qua Græcum σοφοί.

2. Τὸν ἀστέρα αὐτοῦ] h. e. *Stella quæ eum deſignat*, *notat*: eadem phraſi qua *Signum filii hominis* dicitur, cap. 24. 30.

4. Γενναται] h. e. μέλλει γεννᾶσθαι, quomodo alibi Chriſtus dicit, Ἦλιας μὲν ἐρχεται, h. e. ἐμέλλε ἐρχεσθαι, infra 17. 11. &, Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, h. e. ὃς ἔμελλε ἔρχεσθαι, infra 11. 3.

6. Ἐν τοῖς ἡγεμόσιν] In Hebræo apud Micham eſt באלפי, quod proprie χιλιάσι ſign. quomodo LXX eo loci reddiderunt; vel χιλιαρχίαις, quomodo ſumitur 1 Par. 13. 1. שרי האלפים, h. e. ἀρχόντων χιλιαρχιῶν, ubi LXX reddiderunt ἀρχόντων καὶ χιλιάρχων, videntur nempe legiſſe שרים מהלכים. Matthæus autem hoc loco videtur apud Micham legiſſe in Hebræo אלפי quod ἡγεμόσιν ſign. non vero אלפי, uti hodie legitur, & quomodo legerunt LXX.

7. Ἠκρίβωσεν] Heb. phraſis, פקח עפר quod poſtea explicatius habetur ver. 8. ἀκριβῶς ἐξετάσατε.

10. Ἐχάρησαν, &c. Phr. Heb. ישמח משמחה גדולה עד מאד.

11. Θησαυρούς] Græca vox θησαυρὸς vel *ipſa opes recondita*, vel ſaltem *locum immobilem*, puta ταμιεῖον *penetrale* in quo illæ reconduntur, ſign. At hic non ejuſmodi locum ſign. ſed *arculas* ſive *loculos*, &, ut Arabs reddit, ארגז, quod *vaſa* ſig. ſive ἀγγεῖα cap. 13. 48. vel, ut Syrus, מגו. Itaque vox θησαυροὶ hic reſpondet Hebraicæ אוצר, quod *qualibet loca ubi reponunt opes* ſign. ſive illa ſint immobilia, ſive moveri & transferri poſſint.

12. Ἀναπαύσω] Eſt Hebræum והניחותי.

13. Τῇ δεήσει αὐτῶν] Phraſi Hebr. לאמר.

16. Ὅρους] Græcum ὅρια *fines* ſeu *limites ipſos* præciſe ſign. non vero *ipſum diſtrictum*; at hic *diſtrictum*, non *limites* præciſe ſign. Itaque phraſis eſt Hebraica, גבול גבולות. ¶ Ἀπὸ διετοῦς, καὶ κατωτέρω] Phr. Hebr. מבן שני שנים ולמטה.

20. Ζητοῦντες τὴν ψυχὴν, &c.] Phr. Heb. דורשי את נפש הנער.

22. Ἀντὶ Ἡρῴδου] Hebræum תחת. ¶ Εἰς τὰ μέρη τῆς Γαλιλαίας] Phraſi Heb. בגלילות, quomodo accipitur Jud. 18. 2. ממקצותם *de finibus ſuis*, quod LXX reddiderunt ἀπὸ μέρους αὐτῶν.

GUALTPERIUS.

1. Ἰδοὺ Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα] Μάγοι *Magi*. Vox Perſica, de qua infra in oratione de Magis ſuſe. Syrus paraphr. habet vocem מגושא *meguſcha*; quæ quidem, teſte Tremellio, in libris Talmudicis male ſonat, notatque *deditos ariſbus Magicis*. In Syriaco autem Teſtamento, ſicut & apud Perſas, vocabulum eſt honeſtum, ac ſignificat *homines tum ſapientia tum religione claros*. Summatim, vocabantur *Magi* Chaldæis & Perſis, quos Græci σοφοὺς ἢ φιλοσόφους vocant; Indi, *Brachmanes* ſive *Gymnoſophiſtas*; Ægyptii & Judæi, *Prophetas*; Latini, *Aruſpices* & *Sacerdotes*, *Mathematicos* item, & *Planetarios*, & *Aſtrologos*; Galli *Druidas* & *Bardos*; Siculi, *Galeotas* appellarunt. Hi Divina gentilibus ſuis præcepta edebant. Apud omnes magno in honore, pretio venerationeque fuerunt, ut nec publica ſine eorum conſilio adminiſtrarentur, nec legitime factum videretur quod horum ſententia comprobatum non eſſet. Suidas, Μαγοί· Πέρσαι, αἱρ, μάγοι οἱ φιλόσοφοι ἢ φιλόθεοι, ὧν ἦρχε Ζωροάστρης, καὶ μετ' αὐτὸν ἡ Δηϊόκη, Ὀτάνης ἢ Ἀσπιθύχιος. Μαγεύω, ὁ Πέρσης· μαγεία ἡ ἀστρολογία ὅτι Μαγουσαῖον ἤρξατο· οἱ γὰρ τῶν Περσῶν Μαγεῖον ἐγχωρίων ὀνομάζονται· ἢ Μαγουσαῖοι, οἱ αὐτοὶ, i. e. *Indigena Perſarum vocabant ſapientes ſuos* MAGOG, & MAGUSÆOS.

JAC. CAPPELLUS.

23. Ut *compleretur quod dictum eſt*, *Et Nazaræus vocabitur*] h. e. ut conſtaret quam ob cauſam Eſa. 11. 1. vocetur *Nazaræus*. *Nazaræus* cum dicitur Chriſtus, nomen illud ſcribitur per *Tſade*. Nam & hodieque Judæi Chriſtum vocant נוצרי, Chriſtianos נוצרים, & *Nazareth* urbs tam Hebræis quam Arabibus & Syris ſcribitur per *Tſade*. Videndum igitur 1. quid Hebræis ſignificet illa vox: 2. quænam Prophetarum prædictiones hoc elogium Chriſto tribuentes produci poſſint. Vox hæc proprie ſignificat *cuſtodire*, *ſervare*. Prov. 28. 7. *Filius prudens* נוצר תורה *cuſtodit legem*. Hoc ipſum exquiſite Chriſto convenit, ut & quod Job ait, *Quid tibi faciam* נוצר אדם *cuſtos hominum*? Præterea ſignificat ea vox *ſurculum*, non quemvis, ſed cuſtodia dignum, ut inſititium & fructiferum. Vernacule dicitur *greffe*; quod elogium Chriſto convenit apprime. Quemadmodum enim hujuſmodi ſurculus trunci ſylveſtris feritatem emollit ac ſterilitatem fœcundat, ſic & Chriſtus nos tam ſteriles & cœleſtium inanes quam feros & agreſtes ad meliorem frugem revocat. Hoc vero diſcrimen eſt ſane maximum, quod inſeritur ſurculus trunco, nos inſerimur Chriſto. *Nazareth*, cum eſſet exigua, ſed monti ſuperſtructa, dici potuit vel quaſi *fructifera*, vel quaſi *munita*. Hæc de ſignificatione vocis dicta ſint. Jam Eſaias 11. 1. *Prodibit*, inquit, *virga è trunco fucciſo Jeſſe*, & נצר NETSER *ſurculus* (vel, & *Nazarenus*) *è radicibus ejus effloreſcet*. Eſaiæ 60. 21. *Populares tui omnes juſti*, *in æternum hereditario poſſidebunt terram*, *ut in ſurculo plantationum mearum opus manuum mearum glorietur*. Eccleſia peculiariter eſt *opus manuum Dei*, Ephe. 2. 10. Gloriatur autem in ſolo Filio, quem Pater vocat *ſurculum plantationum ſuarum*. Ut NETSER *ſurculus*, ſic TSEMACH *germen* antonomaſtice dicitur Chriſtus, Zach. 6. 12. Ἀνατολὴ dicitur non tantum de ſtellis orientibus, ſed etiam de germinibus, cum incipiunt apparere. Hinc eſt quod Luc. 1. 78. Chriſtus dicitur ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, h. e. *germen* non inferne ſed *ſuperne* ſuam originem petens.

GROTIUS.

Ἀπὸ ἀνατολῶν, *ab Oriente*] Perplacet mihi veteriſſima Chriſtianorum atque inter eos Juſtini Martyris ac Tertulliani ſententia, quam & Epiphanius ſequitur, ab Arabia veniſſe hos ſapientes. Eam enim Judæi ut ſibi ab Ortu adſitam hoc nomine vulgo appellabant, ut videre eſt Geneſ. x. 30. xxv. 6, 18. Jobi 1. 3. Judic. vi. 3. 1 Regum iv. 30. Eſaiæ xi. 14. Jeremiæ xlix. 28. Tacitus in deſcriptione Judææ: *Terra fineſque qua ad Orientem vergunt Arabia terminantur*. Chaldæi Septentrionalium potius nomine cenſebantur, Jerem. xxv. 9. Et munera quæ attulerunt Arabica ſunt, non Perſica, ut infra dicemus. Neque vero ſoli Perſarum ſapientes Hebræis Græca lingua utentibus *magi* vocabantur, ſed & alii, ut videre eſt in Græca Danielis hiſtoria. Habuit autem & Arabia antiquitus ſapientes ſuos, tum naturæ omnis tum aſtrorum imprimis ſtudioſos, quod nos docent Jobi ejuſque amicorum colloquia. Nec aliter ſumam quod Solomon dicitur antecelluiſſe ſapientibus ut Ægypti ita & Orientis, id eſt Arabiæ, 1 Regum iv, 30. Et Pythagoram ſapientiæ cauſa Arabes adiiſſe ſcriptum Porphyrio, cujus in eam rem verba apud Cyrillum exſtant decimo contra Julianum. Quin ipſum nomen μάγων quod à Luca μάγοι vertitur Actorum xiii, 8. ab Arabia venit: & Plinius magorum Arabiæ meminit: & Ptolemæus in Arabia ponit Magorum Sinum. Quod autem de *biennio* infra dicitur, non obſtat quo minus ab Arabia Magi venerint. Quippe ex Meſopotamia quoque in Judæam veniri multo celerius potuit. Nam eos qui ſupra Euphratem habitabant, Hieroſolyma Joſephus veniſſe ait menſium quinque itinere. Neque vero ſequitur, ſi Herodes omni modo cavens ne puer elaberetur, latius ſævitiam extendit, non minus in ætate quam loci ratione, ideo ſtellam quoque tanto ante apparuiſſe. Quanquam & ſtella aliquo tempore ante iter ſuſceptum apparere potuit, ut ipſa ſui diuturnitate ſapientum animos in ſe adverteret. Stellas certe ejuſmodi (cujus ſunt generis qui Cometæ appellantur) nova imperia portendere apud omnes ferme gentes recepta ſententia eſt. Notum eſt Lucani illud:

Et terris mutantem regna Cometen.

Vulcanius aruſpex, ut nos Servius docet ad nonam Eclogam, dicebat Cometa ſignificari exitum veteris & ingreſſum novi ſeculi. Et Chæremon Stoicus notaverat interdum per Cometas etiam in melius mutationem prænotari. Idem ille Servius ad illud Georg. 1 *aut Cometa*; *Quæ ſunt & boni*. Et de illo Comete Æneid. x. *Hic blandus eſſe dicitur*. Credibile autem eſt apparuiſſe hanc ſtellam in ea cœli parte quæ conſenſu Aſtrologorum ad Judæam pertinuerit, ut ſolent ab ejus artis profeſſoribus terrarum regiones certis cœli ſpatiis adſcribi: Quæ dico, non quod ſuperſtitioſis ariolationibus patrocinari cupiam, ſed quod arbitrer Deum ita res diſponere, ut ea quæ ſive jure ſive injuria magni apud homines fiunt, interdum trahat in veri teſtimonium. Artibus vero non uſquequaque probandis operam dediſſe hos Magos, Origeni, Ambroſio, Baſilio & Chryſoſtomo placet: atque id perquam probabile faciunt illarum gentium atque illorum temporum mores. Nam ſi in ipſo Dei populo Phariſæi, ſingularis cujuſdam ſanctimoniæ oſtentatores, fatorum indicia à ſideribus petiverunt, quid par eſt credi factum ab iis qui etiam aſtrorum cultui ſe mancipaverant? Peripatetici & qui eos ſequuntur pro certo habent cometas infra Lunam exiſtere, quo argumento multi aſſerunt nunquam novum ſidus extra hoc de quo agit Matthæus in ſiderea regione exortum: ſed utrum ſatis explorata ſit utraque hæc aſſertio ab aliis dubitatur. Certe Cometam fuiſſe hoc ſidus Origenes quaſi pro certo ponit libro adverſus Celſum VI. Cæterum qualecunque fuit ſidus, motus ille quo poſtea narratur Chriſti hoſpitium fuiſſe monſtratum, non modo præter naturam fuit, ſed etiam citra exemplum: unde Græci Angelum potius quam ſtellam fuiſſe exiſtimant. Simile aliquid in Martyrologio narratur acciditſe Diocletiani temporibus, cum Chriſtiani quærentes trium martyrum, Tharaci, Probi & Andronici corpora, viderunt ſubito velut ſtellam ſplendidam de cœlo miſſam ſuper ſingula ſanctorum corpora reſidentem. Balaami vaticinium, quo multi Magos putant excitatos, ut non nepo ab Hebræis quibuſdam tractum ad res Meſſiæ (nam & Aquila hoc teſtimonio uſus eſt ut Barchochebam probaret eſſe promiſſum illum Meſſiam), ita obſcurius eſt quam ut lectum auditumve certi temporis comprehenſionem potuerit cuiquam externo infigere; præſertim cum commode poſſit, imo, quod ſenſum primum attinet, etiam debeat ad Davidem Moabitarum victorem referri. Sed & quæ apud Danielem oracula ad deſignanda Chriſti tempora proprie pertinent, non Chaldæis ſunt tradita, ut quidam ſuſpicantur, ſed Judæis οἷς ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ [*quibus credita ſunt eloquia Dei*], Romanorum III. 2. Quare magis ad rem pertinet quod alii monent, receptam fuiſſe apud Judæos opinionem, circa illa tempora inſtare Meſſiæ adventum, idque vicinas apud gentes vulgatum. Dico autem circa illa tempora, quia cum definitum tempus ignoraretur, non

longe

longe tamen à vero tempore aberravit conjectura. Nam Sibyllina oracula, non nova illa quæ citant Chriſtiani, ſed vetera Romæ à XV. viris aſſervata inter alia videntur habuiſſe verſus Græcos Iudæorum. Ex his autem depromtum illud quod Cicero recitat, opus eſſe ut ſi ſalvi eſſe vellent eum qui Rex eſſet Regem agnoſcerent; itemque Virgilii Idyllium quartum novi cujuſdam Regni pollicitationem continens, & quidem ferme verbis iiſdem quæ Prophetæ Hebræi uſurpant. Hinc quoque factum ut Herodem Magnum quidam eſſe Meſſiam interpretarentur; mox Theudam, Iudam Gauloniten, alioſque id genus impoſtores. Iudæorum certe animos, in terris agente Ieſu, arrectos fuiſſe exſpectatione Meſſiæ, eumque rumorem ad Samaritas etiam manaſſe, paſſim nos docet Euangelii hiſtoria. Hinc Baptiſta interrogatur an ipſe ſit Meſſias; & populus conſpectis Ieſu miraculis ſtatim dubitare incipit an non ſit ille ipſe qui exſpectabatur: duravitque ea fama atque adeo Orientem totum pervagata eſt ad Veſpaſiani tempora, quod oſtendunt Joſephus, Tacitus & Suetonius; imo ad Adriani uſque ævum: nam id Barchochebæ audendi occaſionem præbuit. Duæ autem præcipue notæ in exſpectationem Meſſiæ circa ea tempora Iudæos erexerant: numeri annorum Danielis, & deſtructio Regni Syriaci & Ægyptiaci. Hæc igitur ipſa fama ex Iudæorum vicinia facile Arabiam pervagata inuſitato ſideri auctoritatem adſtruxit.

2. *αὐτοῦ τὸν ἀστέρα, ſtellam ejus*] Ita dictum ut apud Maronem,

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum,

hoc eſt, aſtrum ejus honori dicatum. ¶ *ἐν τῇ ἀνατολῇ, in Oriente*] Terra unde venerant, non cœli regio hac voce denotatur, ut & ſupra & infra commate 9. ¶ *προσκυνῆσαι αὐτῷ, adorare eum*] Helleniſtæ vocem hanc modo cum tertio caſu componunt, ut hic, & Lxx Geneſ. XXXVII, 10. modo cum quarto, ut Græci ſcriptores. Significat autem procumbentis corporis geſtum honoris habendi gratia. Græci aſſueti libertati hoc modo neminem hominem ſalutabant, ut nos docet Herodotus aliique. Orientis populos Regibus eum honorem habuiſſe & ſacra & profana hiſtoria nos docet. Joſephus de Davide Saulem venerante, *προσκυνεῖ τε αὐτὸν πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον ὡς ἐθος* [*adoratum eum in faciem procidens, ut erat moris*]. Livius de Legatis Carthaginienſium, *More adorantium* (*accepto credo ritu ex ea regione ex qua oriundi erant*) *procubuerunt.* Significat Phœnicum, quorum vicini Hebræi, hunc morem fuiſſe; ut & Euripides, apud quem ſic Phœniſſæ loquuntur,

Γουνοῦμαί σ' ἱκέτις προσπίτνω
Σ', ἄναξ, τὸ σὸν πάτριον σέβουσα.

[*Supplex te, Rex, venerans genibus*
Patrio advolvor de more tuis.]

Scriptor Latinus vitæ Cononis: *Neceſſe eſt enim ſi in conſpectum veneris, venerari te Regem, quod προσκυνεῖν illi vocant.* Magi igitur, quibus perſuaſum erat huic puero Regnum deſtinari, more ſuæ gentis eum venerantur. Deſcribitur iſta προσκύνησις [*adoratio*] infra commate 11. verbo *πίπτειν* [*cadere*], ut & inferius IV, 9. XVIII, 26. Marci V, 22, IX, 20. *πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον* [*procidens in faciem*] dixit Lucas V, 12. *προσπίπτειν* [*accidere*] Herodotus atque alii ſcriptores Græci, *προσπεσεῖν* Æſchylus Perſis, ubi luculenta ejus moris notatio.

3. *πᾶσα Ἱεροσόλυμα, omnis Hieroſolyma*] Et accentus & terminatio docent non vocem femininam ſingularem, ſed pluralem eſſe neutrius generis, ut & ſupra commate 1. & alibi paſſim cum in his libris tum apud Græcos Latinoſque ſcriptores. Nam quod apud Ciceronem ſemel, ſemelque apud Tacitum *Hieroſolymam* legitur, mendum eſſe arbitror creatum unius literæ adjectione, cum illi ipſi ſcriptores alibi ſemper *Hieroſolyma* eam urbem vocent. Neque tamen ſine exemplo eſt quod ei componitur illud *πᾶσα* [*omnis*, femin.] Ad rem enim reſpicitur, non ad vocis ſonum. Ita ſupra capite 1, commate 21. *αὐτῶν* refertur ad *τὸν λαόν*. Tale eſt *Præneſte ſub ipſa.*

4. *τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, principes Sacerdotum & Scribas populi*] Quod quidam arbitrantur, duos fuiſſe Senatus ſummos Iudæorum, alterum qui Civilibus, alterum qui Eccleſiaſticis negotiis præeſſet, de eo quid nobis videatur alibi aptior erit agendi locus. Hoc vero loco, cum nihil celebratum ſit negotii publici, ſed duntaxat exquiſita Prophetarum oracula ab eis qui eorum ſcientia præſtare cæteris credebantur, non videtur mihi certus aliquis atque legitimus conſeſſus debere intelligi, ſed doctorum hominum conventus extra ordinem à Rege convocatus. Atque ideo nec *πρεσβυτέρων* [*Seniorum*] hic fit mentio, qui plerumque nominantur ubi aut judicii aut conſilii publici res eſt. *γραμματέων* [*Scribarum*] autem nomine cum Hebræis diverſa munia denotentur, hic officium Adſeſſoris puto intelligi, quo juris ſtudioſi (ut inquit Paulus Juriſconſultus) partibus ſuis funguntur. Nam ſicut Romani Præſides habebant comites juriſperitos, quorum conſiliis in jure dicendo utebantur: ita & Hebræis Magiſtratibus, itemque Sacerdotibus, ut docet Thalmud Hieroſolymitanum in Joma, & Maimonides titulo De die propitiationis, fuiſſe aderant Adſeſſores delecti plerumque ex Levitica Tribu, quæ è publico ſuſtentata, neque domeſticis diſtracta negotiis, ad literarum ſtudia otio abundabat. Sicut autem Lex erat una, præceptrix Divini omnis Humanique juris: ita apud Hebræos penes eoſdem erat Juris utriuſque interpretatio. Ad hoc pertinet illud Sirachidæ *σοφία γραμματέως ἐν δικαιοσύνῃ σχολῆς* [*ſapientia Scribæ in tempore vacuitatis*], Eccleſ. XXXVIII, 25. Et Hebræi סופרים [*Scribas*] interpretantur רבנים [*Rabbinos*]. Noſtri ſcriptores eos interdum *νομικοὺς* [*Legiſperitos*] vocant: Joſephus *ἐξηγητὰς νόμων* [*Explicatores legum*]. Quanquam vero Sacerdotibus præcipue injunctum erat ut Legis ſtudio vacarent, tamen cum bonos ſucceſſorio jure delatus interdum ad ingenia minus idonea delaberetur, factum eſt ut ipſi etiam Sacerdotes alieni conſilii egerent. Seraja certe Sacerdotalis Scriba Davidis temporibus memoratur II Samuelis VIII, 17. Auctaque procul dubio ejus muneris neceſſitas ignavia ſacerdotum, &, quæ ſequentibus ſeculis inolevit, honorum nundinatione. *Ἀρχιερέων* [*Sacerdotum Summorum*] autem nomine ut hic intelligi putem non eos tantum qui Maximo Pontificatu aut fungebantur, aut functi erant, eorumque Vicarios, ſed alios quoque Principes XXIV ſacerdotalium familiarum, *ἄρχοντας τῶν πατριῶν τῆς ἱερείας* [*principes familiarum ſacerdotalium*], ut loquuntur Lxx Paralip. XXIV, 6. facit addita vox *πάντων* [*omnium*], quæ majorem numerum deſignare mihi videtur quam ut paucis illis conveniat. Neque aliter utitur hac voce Joſephus Originum XX, 6. ubi ſeditionem narrat ortam inter *ἀρχιερέας* [*Summos Sacerdotes*] & *ἱερέας* [*Sacerdotes*], inde quod *οἱ ἀρχιερεῖς* [*Summi Sacerdotes*] omnes decimas ad ſe pertraherent ac cæteros Sacerdotes rerum neceſſariarum inopia conſumi paterentur. Rem apertiſſimam facit alter ejuſdem Joſephi locus Belli Judaici lib. IV, ubi à ſeditioſis narrat ſorte lectos *ἀρχιερέας* [*Summos Sacerdotes*] ex quaque familia, cum is honos naſcendi ordine deferri ſoleret. Sed & II Paralip. XXXVI, 14. familiarum Principes vocantur שרי הכהנים.

6. *γῆ Ἰούδα, Terra Juda*] Recte interpres Græcus ita expreſſit quod in Hebræo erat *Bethlehem Ephrata*, ut eundem locum nomine ſuis temporibus notiore certius indicaret. Demetrius Hiſtoricus de Jacobo, *ἐνθεν ἀπαναστῆναι εἰς Ἐφραθᾶ, ἣ ἐστιν Βηθλεέμ* [*inde veniſſe Ephratam, quæ eſt Bethlehem*]. *Γῆ Ἰούδα* [*Terra Juda*] eſt terræ portio ei Tribui adſcripta; quomodo *γῆ Ζαβουλὼν καὶ γῆ Νεφθαλείμ* [*Terra Zabulon & Terra Nephthalim*] dicitur infra IV, 15. Per *συνοχὴν* [*Comprehenſionem*] autem id nomen oppidis tribuitur, ut *γῆ Σοδόμων καὶ Γομόρρων* [*Terra Sodomorum & Gomorrhæorum*] infra X, 15, 24. Sophocles citante Ariſtotele, *Καλυδὼν μὲν οὖδε γαῖα Πελοπείας χθονός* [*Et Calydon quidem terra eſt Pelopeï ſolis*]. Servius ad Æn. XI.

——— *qua concidit Ilia tellus;*

pro *Urbs Ilia.* Regionis autem nomen Bethlehemo additur, quia alterum Bethlehemum erat in Galilæa, Joſuæ XIX, 15.

οὐδαμῶς, nequaquam] Cum & Prophetæ Hebraice ſcripſerit & ipſius Prophetæ verba retulerint Legiſperiti, neque credibile ſit ab iis diſceſſiſſe Matthæum, quæritur merito unde illud *οὐδαμῶς* [*nequaquam*] ſumſerit Græcus interpres, præſertim cum non exſtet apud Lxx. qui nodus Hieronymum alioſque multum torſit. Mihi expeditiſſima hæc videtur reſponſio viſum interpreti verba Prophetæ interrogationem continere, quæ more omnium gentium negationi tantundem valeat; hoc modo, *Tune Bethlehem minima ſis in cenſu familiarum Tribus Juda? imo vero ex te originem ſumturus eſt Meſſias.* Sic & Chaldæus Paraphraſtes id quod eſt Gen. IV, 24. legit cum interrogatione, interpretatur cum negatione: & Latinus interpres id quod eſt Deuter. IX, 2. & locum II Sam. XVI, 18. alii cum negativa particula, alii ſine ea legunt ſenſu eodem. Idemque evenit Jobi XIII, 15. Et Eſaiæ XLIX, 7. Senſus eſſet apertior, ſi adeſſet ה interrogativum, ſed id ſæpe omittitur, ut Iobi XL, 29. I Reg. XXI, 7. Zach. VIII, 6. Sic *non* pro *nempe* poni notat Servius ad Æneidos XI. ¶ *ἐν τοῖς ἡγεμόσιν, in principibus*] Vox Hebræa אלף, quæ *χιλιάδα* [*mille*] ſonat, partem tribus, hoc eſt familiam deſignat, ut

apparet Iud. VI, 15. non quod familiis iſte numerus reſponderet (id enim fieri non potuit) ſed quod certus numerus poſitus eſt pro incerto; ita tamen ut ὀλίγῳ τι πλείονι [*plerumque*] à proportione non longe recederetur. Quare & שרי אלפים [*principes millium*] Ex. XVIII. 25. ii mihi eſſe videntur quos πατριάρχας vocat Joſephus, ſenſu contractiore quam quo vox ea in Novo Fœdere uſurpari ſolet. Eoſdem πατριάρχας, id eſt familiarum principes, Græcus interpres hoc loco vocavit ἡγεμόνας [*principes*], capitis appellatione totum corpus ζωηδοχικῶς [*per Comprehenſionem*] deſignans: niſi malumus illum in Hebræo legiſſe non אלפי [*millium*] ſed אלפי [*Doctorum*]. ¶ ἐκ σοῦ γάρ, *ex te enim*] Videtur proprie Propheta originem Meſſiæ indicare ex familia Bethlehemitica nimirum, ſive Davidica non numeroſa per ſe, à Babyloniis autem, propter Regiam quam obtinuerat dignitatem, omnibus modis atterenda. Voluit tamen Deus delecto ad Chriſti nativitatem hoc oppidulo pleniſſime præſtare quod Propheta dixerat, & ſimul ex naſcendi loco originem quoque actis publicis teſtatam facere, ut docemur à Luca II, 4. ubi πατριὰ Δαυίδ [*familia David*] eſt idem quod משפחה apud Prophetam.

7. ἠκρίβωσε, *diligenter didicit*] Eleganter expreſſit Interpres una voce idem quod paulo poſt dixit duabus, ἀκριβῶς ἐξετάζειν [*interrogare diligenter*]. Ita apud Iſocratem, οἱ τὰ ἐκείνων ἀκριβοῦντες eſt ἀκριβῶς ἐξετάζοντες, [*qui res illorum perdidicerunt.*] ¶ φαινομένου, *quæ apparuit eis*] φαινόμενα [*apparentia*] Græcis dicuntur ſtellæ perpetuæ, præſertim αἱ ἀπλανεῖς [*fixæ*]. Attamen origo vocis latius patet & ab ipſo Ariſtotele τῷ ἄλῳ, τῷ παρηλίῳ, τῷ ἡμέρᾳ [*Area, geminato Soli, ſtella Crinitæ*] etiam aptatur. Recte autem transferas τὸν χρόνον ἐφ' ὃν φαινομένου ἀστέρος, *quanto jam tempore ſtella appareret.* Videtur enim electum participium præſentis temporis, ut non initium ſed continuitas denotaretur.

8. πέμψας αὐτοὺς, *mittens eos*] Πέμπω [*mitto*] apud Homerum eſt idem quod frequentius dicitur προπέμπω. Latini dicebant *proſequi.* Nam & hoc proprie eſt, abeuntem honoris cauſa aliquouſque comitari: unde ad cætera officiorum genera transferri cœpit.

9. ἕως ἐλθὼν ἐστάθη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον, *ſtetit ſupra ubi erat puer*] id eſt, deſiit procedere, nec multo poſt, ut credi par eſt, evanuit, ubi Magi ad eum pervenerant locum in quo erat infans Jeſus. Nam alioqui, ut locum in terris tam exiguum ſtella cœleſtis certo deſignet, fieri non poteſt. Domum igitur ipſam invenerunt Magi non ſolo ſtellæ ductu, sed ἀκριβῶς ἐξετάσαντες περὶ τοῦ παιδίου [*cum de puero omnia diligenter exquiſiſſent,*] forte & paſtorum non longe ἀγραυλούντων [*in agris agentium*] indicio. Non diſſimile eſt quod Varro ſecundo Rerum divinarum ſcripſerat, referente Servio ad primum Æneidos: ex quo de Troja egreſſus eſt Æneas, Veneris eum per diem quotidie ſtellam vidiſſe, donec ad agrum Laurentem veniret, in quo eam non vidit ulterius.

11. εἰς τὴν οἰκίαν, *domum*] Non poſſum accedere Epiphanio exiſtimanti fixum domicilium hic intelligi, quo Joſephus & Maria cum Jeſu jam ferme bimulo Nazareta relicta immigraverint, quanquam favere ejus ſententiæ videtur quod infra Joſephus Ægypto rediens narratur metu Archelai impeditus quo minus Judæam peteret, Nazaretæ larem poſuiſſe, quaſi in Ægyptum diſcedens non ibidem habitaſſet. Sed & quod de bimatu dicitur infirmum eſt (ut jam antediximus). Et ad alterum illud reſponderi poteſt, Joſephum cum ab Ægypto reveniſſet cauſas habuiſſe domeſticas, quæ ad victum parandum aut ad conſuetudinem cognatorum (quos habebat iſtis in partibus, ut patet Lucæ II, 44.) aut ad pueri denique inſtitutionem pertinebant, cur in Judæa peculiariter ita dicta quam in Galilææ partibus habitare mallet; ſed metu Archelai conſilium mutaſſe. Contra ut credam Magorum adventum accidiſſe intra ſpacium illud temporis triginta & octo dierum quod erat puerperis à Divina lege præſtitutum, movent me verba Lucæ, qui ſtatim poſt καθαρισμὸν [*purgationem*] puerum cum matre Nazaretam deducit; movent & illa ſuperius poſita, ὃ δὴ Ἰησοῦ γενηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας ἐν ἡμέραις Ἡρῴδου τοῦ βασιλέως, ἰδοὺ μάγοι ἀπ' ἀνατολῶν [*cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente*], & quæ ſequuntur. Plane enim verba hæc rem paulo poſt Chriſtum natum geſtam denotant; quomodo Heb. XI, 23. Μωσῆς γενόμενος [*Moſes natus*] ſignificat, *paulo poſtquam natus erat*: & Bethlehemiticam illam manſionem, in qua Magi Jeſum ſalutaverunt, non deducunt à nova aliqua migratione, quæ poſt interpoſitum iter Hieroſolymitanum & repoſitam Nazaretæ habitationem contigerit, ſed cum ipſo puerperio continuant. Quibus accedit quod commoratio Bethlehemitica tam exigui fuerit temporis, ut ne minima quidem ejus fama ad populum pervaſerit, Joh. I, 45, 46. Neque ſcrupulum injicere nobis debet vox παιδίον [*puer*] quali provectiorem recenter nato indicaret. Nam & de Johanne Zachariæ filio necdum circumciſo vocem παιδίου Lucas uſurpat I, 59. & de Chriſto jamjam nato loquens promiſcue utitur nominibus βρέφους [*infantis*] & παιδίου [*pueri*] II, 12, 16, 17. 21. Illud vero perquam credibile eſt, peracto cenſu copiam datam paulo laxioris hoſpitii; atque adeo ex eo ſpecu, in quo ἡ φάτνη [*præſepe*] fuiſſe antiqui ſcriptores memorant, Joſephum & Mariam in domum tranſiiſſe antequam Magi adventarent: quanquam aliter ſenſiſſe videtur Juſtinus. ¶ εἰς τοὺς θησαυρούς, *theſauros*] Ita Græci vocant non tantum, ut Juriſconſulti, depoſitionem illam veteris pecuniæ cujus non exſtat memoria & quæ proinde dominum non habeat, ſed omnes omnino κατοχὰς [*repoſitiones*] & conditoria: quomodo & Varro,

Non ſit theſauris, non auro pectu' ſolutum.

Servius ad IV Georg. *theſauris, id eſt repoſitionibus, quaſi diceret apothecis.* Et ſorte origo non eſt Græca ſed Orientalis ex אוצרות quæ vox eſt I Sam. IX, 7. Græce non tantum ita loquuntur Xenophon, Plutarchus, aliique, ſed & Joſephus. Idem valet אוצר Hebræum quo Matthæum uſum exiſtimo. Quædam exemplaria Epiphanii tempore habebant hoc loco πήγας [*fontes*], quod ex interpretamento evenuiſſe arbitror. ¶ δῶρα, *munera*] Non Perſis tantum & eorum ſucceſſoribus Parthis in more poſitum fuit Reges cum donis adire, ſed totus Oriens idem frequentavit. Vide Geneſ. XXXII, 13. XLIII, 11 & 25. I Sam. XXV, 18, 27. I Reg. X, 2. Pſal. LXXII, 10. Attulerunt autem Magi ſuæ regionis præſtantiſſimas dotes. Nam myrrha non niſi in Arabia naſcitur; nec thus niſi apud Sabæos Arabum portionem: ſed & aurifera eſt felix Arabia. Itaque & Salomoni Arabum Reges aurum dono tulere, II Par. IX, 14. Neque aliud ſpectatum à Magis arbitror, ita ut hic forte nihil ſit opus ἀναζητεῖν [*ſenſus abditos inquirere*]. Si tamen μυστικώτερον [*abſtruſius*] aliquid Divino conſilio volumus indicatum, mihi non diſpliceat his lignis tribus tria illa notari, quæ nunc, abrogatis veteribus ſacrificiis, Deo per Chriſtum offerimus: opera Miſericordiæ, Philip. IV, 18. Corporum puritatem, Rom. XII, 1. & preces, Pſal. CXLI, 2. & Apoc. V, 8. Et Thuris quidem ſimilitudine preces intelligi poſſe ipſe ille Pſalmorum & Apocalypſeos locus aperte nos docet; bonorum autem hujus ſeculi, quibus aliorum egeſtatem ſublevamus, quaſi communis menſura eſt Aurum: & Myrrhæ vix alius eſt uſus quam ut corpora incorrupta conſervet, ut nos Plinius docet, & ipſe Johannes XIX, 39.

12. χρηματισθέντες, *reſponſo accepto*] Similis hujus vocis uſus Lucæ II, 26. Actor. X, 22. Hebr. VIII, 5. & XI, 7. Eſt autem χρηματισμὸς [*reſponſi*] vox latius patens quam Latina *oraculi*, quod de viſis diurnis nocturniſve dici non memini.

13. ἀναχωρησάντων, ἰδοὺ ἄγγελος, *Qui cum receſſiſſent*] Cum non exprimatur locus ubi hoc factum ſit, poteſt intelligi aut Hieroſolymis id accidiſſe, aut etiam Nazaretæ, quo poſt luſtrationem puerperæ Joſephus & Maria redierint, Lucæ II, 39. ut inde porro in Ægyptum concederint.

15. πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν, *impleretur quod dictum eſt*] Quid hic ſit τὸ πληρωθῆναι [*impleri*] ſupra diximus. Voluit plane Deus beneficiorum Veteris Fœderis & eorum quæ Chriſto & per Chriſtum nobis præſtitit (nam & noſtræ ex Ægypto liberationis, de qua dicemus ad Luc. XXII, 16. iſta res geſſit imaginem) circumſtantias quaſdam eſſe ſimiles, ut eo magis conſtaret conſilio quodam peculiari iſta diſponi. Immerito igitur vexatus eſt hic locus olim à Juliano, poſtea etiam à Judæis. ¶ τὸν υἱόν μου, *filium meum*] Populus Iſraeliticus à Deo peculiariter dilectus Chriſti geſſit imaginem: ac, ni fallor, ipſe populus, quemadmodum *filius* Dei *primogenitus* à Deo ipſo vocatur Exodi IV, 22. & Jerem. XXXI, 9. ita & *Chriſti* appellatur nomine, tum apud Prophetam Abacucum III, 13. tum in epiſtola ad Hebr. XI, 25, 26. nempe eodem modo quo Patres, unde ortum ducebat populus, *unctis* ſive *Chriſti* vocantur Pſalmo CV, 15.

16. ἀποστείλας, *mittens*] *Miſſis militibus*: nam ſævitia hæc nullam habuit ſpeciem judicii publici. ¶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτοῦ, *in omnibus finibus ejus*] Id eſt, *in omni territorio ejus*: Ita *territorium colonia* dixit Cicero. Eſt autem territorium, definiente Pomponio Juriſconſulto, *univerſitas agrorum intra fines cujuſque civitatis.* Sic infra ἕως Μαγδαλά [*territorium Magedan*] XV, 39. ¶ ἀπὸ δύο ἐτῶν καὶ κατωτέρω, *à bimatu & infra*]

infra] Hæc locutio ἐσω διετῆς proba eſt & apud Pollucem apparet. Latine admodum quiſquis ille eſt ex quo Macrobius Auguſti dicta deſcripſit, *intra bimatum*; niſi ab ipſo Macrobio, qui Theodoſianis temporibus vixit honoreſque geſſit, ac proinde aut Chriſtianus fuit, aut certe legit Apoſtolorum libros, hoc additum malimus: quod eo eſt credibilius, quia non ſatis recte dici poteſt Antipater Herodis filius, jam provectæ ætatis, quique Bethlehemi non fuit, inter infantes Bethlehemiticos occiſus. Adde quod Antipater occiſus quinto ante mortem Herodis die, hæc autem laniena ante aliquanto contigit, ut docent quæ ſequuntur infra comminate 19. Videtur ergo Macrobius errore quodam hiſtorias duas ejuſdem temporis miſcuiſſe. Certe laniena illa infantum, aut ob raritatem habitantium in eo tractu, aut quia tumultus ſeditioniſve obtentu, diſſimulato Regis imperio, fuit peracta, aut denique quod majoribus Herodis ſceleribus obſcuraretur, minus nobilis fuit quam ut ad Auguſti aures perveniret; quippe cum nec Joſephus ſcriptor tam diligens ejus meminerit. Deinde ſola filii cædes ad rem pertinet; ſæviora autem τὰ εἰς υἱεῖς διετεῖς ἢ κάτω [*in binos & qui infra erant*] efficere non potuit ut diceret Auguſtus *malle ſe Herodis porcum eſſe quam filium.* Nota autem hic impleri in poſteris quod in majoribus fuerat adumbratum. Olim inſidiatus fuerat Eſau Jacobo: nunc Idumæus Chriſto, qui & *Jacobus* apud Prophetas.

18. Ῥαμᾶ, *Rama*] Ita & antehanc vocem Lxx proprio nomine tranſtulerant, ſed & Chaldæus interpres, melius, ni fallor, quam qui appellativo. Nec obſtat quod Rama eſt in Benjaminis portione, Bethlehem autem in parte Judæ. Eſt enim Bethlehem in ultimis finibus Judæ, ipſumque Rachelis ſepulchrum in territorio Bethlehemitico, ſed & proxime agros Benjaminis, Gen. xxxv, 16, 19, 20. Dicitur autem hoc ἰσοδυνάμως [*ſignificanter*] ut longe lateque clamor exauditus intelligatur. Quanquam nec longe nimium Ramam à Bethlehemo diſtitiſſe liquido conſtat ex hiſtoria quæ eſt Jud. xix. Juſtino autem Ramam interpretanti Arabiæ locum non video cur aſſentiri debeam. ¶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολύς, *ploratus & ululatus multus*] Quod in Hebræo conſtructe dicitur תמרורים נבי, id copulatis vocibus optime reddidit interpres, & pluralis numeri vim addito πολὺς pleniſſime expreſſit. ¶ Ραχὴλ κλαίουσα, *Rachel plorans*] Videtur mihi eſſe προσωποποιία [*perſonæ fictio*] frequens Poetici ſermonis ornamentum. Nec multum diſſimile illud Lucani,

> *Deplorat Libycis perituram Scipio terris*
> *Infauſtam ſobolem: major Carthaginis oſtis*
> *Non ſervaturi mœret Cato fata nepotis.*

Poſſunt tamen & per *Rachelem* intelligi feminæ ex Rachele ortæ, quomodo nomina Judæ & Davidis uſurpari ſolent. ¶ ὅτι οὐκ εἰσί· *quia non ſunt*] Sic & Græci. In Hebræo eſt ſingulare pro plurali, ſenſu diſtributivo, & deeſt verbum substantivum: quæ ἔλλειψις [*defectio*] ei linguæ uſitatiſſima eſt. *Eſſe* autem hic valet idem quod *vivere*, quomodo mortui Latinis *fuiſſe*, id eſt vixiſſe, dicuntur. Et Sophocles mortuos dicit, -- οἵτε ἔτ' ἔντες [--*qui non ſuper ſunt*]: ſicut *periſſe* dicimus id quod conſpectum aut notitiam noſtram effugit: quo ſpectare videtur illud in Pſalmo xxxix, 14. *antequam abeo ut non ſim amplius.* Et Pſal. xxxvii, 36. de impio, *non fuit*, ipſe Pſalmographus interpretatur, *quæſivi eum, & non eſt inventus.* Sic & Geneſ. v, 24. de Enocho *non erat*, Lxx vertunt οὐχ εὑρίσκετο [*non fuit inventus*]. Sic & Sirachides xvii, 25. ὡσεὶ νεκρῷ, ὡς μηδὲ ὄντι, ἀπόλλυται ἐξομολόγησις [*à mortuo, quaſi nihilo, perit confeſſio*]. Niſi malimus illud *non eſſe* κυριολεκτικῶς [*propria locutione*] dici de homine, quia nec corpus ab animo ſeparatum, neque à corpore animus homo proprie dicitur. Loquitur hunc in modum & Joſephus, καὶ γὰρ εἰλήφαμεν παρ' ἐκείνου (τοῦ Θεοῦ) τὸ εἶναι, καὶ τὸ μέχρι εἶναι πάλιν ἐκείνῳ ἀπόδομεν [*nam ab illo (Deo) accepimus eſſe: & ut non ſimus rurſum ei permittimus*]. Mox ſequitur, ψυχὴ ἀθάνατος ἀεὶ [*anima ſemper morte carens*]. Similis eſt apud Euripidem locus tragœdiæ Helenæ, ubi animas negat vivere, quas tamen puniri poſt hanc vitam agnoſcit,

> Καὶ γὰρ πάντ' ἔφ' ἡμῖν τε νερτέροις,
> καὶ τοῖς ἄνωθεν πᾶσιν αὐθαίμοις. Ὁ τὰς
> Τῶν κατθανόντων ζῇ μόνη. χαίρειν δ' ἐχθὲ
> Ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον αὐθις ἱέμενον.
> [*Magno luuntur ſcelera & hic viventibus,*
> *Et mox ſepultis. Anima poſt fati diem*
> *Jam non ut ante vivit, at ſenſus tamen*
> *Servat perennes, hoſtes æterni atheri.*]

19. τελευτήσαντος, *Defuncto*] Uſitatiſſima Græcis ea vox etiam non addita voce βίου [*vitæ*] aut αἰῶνος [*ævi*]. Sophocles,

> ——— πρὶν τελευτήσαντ' ἰδεῖς.
> [——— *donec morte functum adſpexeris.*]

Et alius,

> Πρὸς γὰρ τελευτήσαντ' ἴσως, κἂν ἐχθρὸς ᾖ,
> Αἱ ἐχθραὶ χὠ πάλαι φίλος πάρ.
> [*Nam morte functis, quamlibet fuerint prius*
> *Hoſtes, amici quiſque tum fieri ſolent.*]

Nec aliter Juriſconſulti.

20. τεθνήκασι γὰρ οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου. *defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri*] Non temere eſt quod ipſa verba uſurpantur quæ exſtant Exodi iv, 19. id enim ſolet in Sacris literis rei geſtæ ſimilitudinem denotare. Sane Pharaoni quoque, ut Herodi, cauſam infanticidii Joſephus hanc ait fuiſſe, quod ex vaticiniis intellexiſſet magnum Ducem ex Hebræis exſtiturum.

22. ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει, *quod Archelaus regnaret*] Cum potius futurum ſperaſſet ut Judæa in provinciam redigeretur à Romano Imperatore, à quo minus ſibi metuebat quam à minutis Regulis, ad omnes ſuſpiciones pavidis, eoque crudelibus. Erat autem etiam fratribus ſuis truculentior Archelaus. ¶ ἀντὶ, *pro*] Fuerit in Hebræo תחת, ut nunc in Syro, quæ vocula interdum delegationem, hic vero aliſque in locis ſucceſſionem indicat. Latine loqui ſi velis βασιλεύειν ἀντὶ Ἡρῴδου vertendum erit *Herodi in regnum ſuccedere*, aut *regnare loco Herodis*; quomodo Martialis,

> ——— *Heredem*
> *Scribis, & eſſe tuo vis, furioſe, loco.*

Sic 1 Maccab. xiii, 32. dicitur ἐβασίλευσεν ἀντ' αὐτοῦ [*regnavit loco ejus*].

23. διὰ τῶν προφητῶν, *per Prophetas*] Vox νόμου [*legis*] & προφητῶν [*Prophetarum*] modo ſtricte ponuntur, ita ut partes conſtituant diverſas τῶν θεοπνεύστων γραφῶν [*Scripturæ Divinitus inſpiratæ*], modo laxius, ita ut harum vocum alterutra totam Antiqui Fœderis Scripturam comprehendat; quia ſcilicet & Moſes ipſe Propheta fuit, & Prophetæ cæteri Legis Moſi datæ interpretes. Ita ſumi προφητῶν [*Prophetarum*] vocem poteſt & aliis locis oſtendi: ſed uno ero contentus Act. iii, 21, 22. ubi Petrus Prophetis generaliter numeratis ſubjungit Μωσῆς μὲν γὰρ εἶπε [*Moſes quidem dixit*]. Cur autem hic vocem iſtam laxiore ſignificatu ſumendam arbitret jamjam apparebit. ¶ ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, *quoniam Nazaræus vocabitur*] Ori illud, etiam cum Veteris Fœderis teſtimonia citantur, ſæpe ſenſum magis multis ex locis depromtum quam unius loci verba indicat: ut apparet Actor. x, 42. & alibi. Quanquam vero urbs hæc Joſephi & Mariæ domicilio notiſſima Syriace ſcribatur per ז, id tamen mihi non ſatis cauſæ videtur, quo minus credamus Hebraice antiquitus ſcriptam per ר: facile enim commutatio fieri potuit inter literas ſoni adeo affinis, ut & hæc & illa eadem Græca litera exprimi ſoleat. Sic & pro צור Syri ſcribunt זור, & צדוקי illis ſunt Sadducæi. Quin & in ipſis Sacrarum literarum codicibus harum inter ſe literarum commutatio apparet. Confer 1 Paralip. xvi, 32, cum Pſal. xcvi, 12. Et 1 Paral. xiii, 9, cum 11 Sam. vi, 6. Item Num. xxvi, 12, cum Geneſ. xlvi, 10. Sic & Num. xxvi, 15, cum Gen. xlvi. 16. Et ubi nunc eſt 1 Græci legerunt 2 Geneſ. 49, 24. Et ubi eſt 2 legerunt 1 Eſai. xxxiii, 18. Sic Moſes Gerundenſis Jobi xl, 12. יחד ait poſitum pro חרר, quia duæ hæ literæ ſæpe commutentur, addens exempla חרוץ & חדוץ item חיר & חיד. Quare hæc mihi videtur eſſe Matthæi ſententia, In Veteri Fœdere eos qui ſupra communia Legis præſcripta, peculiari cuidam ſanctimoniæ, Deo non res ſuas ſed ſemetipſos dedicarent *Nazaræos* vocari; id autem in Chriſto eminenter impletum, ut qui non vini abſtinentiæ aliſve id genus ceremoniis ſed morti cruentæ atque ignominioſæ ſe ultro devoverit, quo reſpiciunt Chriſti verba Joh. xvii, 19: ubi eſt vox ἁγιάζω [*ſanctifico*] unde ἡγιασμένῳ [*ſanctificatus*], quod apud Lxx ponitur pro *Nazaræo*. Lucem adfert huic interpretationi locus Philonis de Nazaræis, ubi cauſam reddit cur eorum votum μεγάλη εὐχὴ [*magnum votum*] vocaretur, Ὅταν ἀπείρξωσι νόσοι ἢ πάσης μέρος αἰσθήσεως, πυρὲς, κεφαλῆς, ἰλαμοὶ, εἶναι, τὰ κάλλιστα τῶν ἀκροδρύων, ἰχθῦς τῶν ζώων τὰ πτοτώτατα, τὰ μὲν ἐκ τῶν καθαρῶν καθιέντες, τὰ δ' ἐκ τῶν μὴ καθαρῶν καὶ ἀξίων τιμωρίμους μεγίστη δ' ἰχνοπὶς ὕλης ἐκ τῶν ἀφθίτων τοῦ

τῶν ἀνέσεων, αὐτὰς ἀναλῶσαι καὶ καθιερῶσιν, ἄλεκτον θηλυτικῶς ἐπόησε καὶ ἀστρολόγων ἴσως γνώμης φιλοῦσι· διὸ καὶ μεγάλη μεγαληγόρους ἀκρὶς καλοῦσι· λαμπρότατον γὰρ τὸ μίγνυσθαι αὐτῆς τινὶ ἰσὸν αὐτῷ, ἢ ἀφθαρσίᾳ καὶ ἰσχύϊ) [*Ubi voverunt aliqui de rebus creatis aliquid, puta frumentum, hordeum, oleum, vinum, pomorum pulcherrima, deinde & animalium primogenita, partim ipſa quæ paraerant conſecrantes, partim pro impuris repenſo pretio; cum jam nulla amplius ſupereſſet materia in qua pietatem oſtenderent, ſeipſos vovent atque conſecrant, ac ſic oſtendunt pietatem ineffabilem & animi Deum amantis excellentiam: unde & merito magnum hoc votum dicitur, Nam cum quiſque ſibi maxima ſit poſſeſſio, de ea cedit eaque ſe abdicat*). His ſi conferas quæ tractat ſcriptor ad Hebræos x, 5, 6, 7. 8. 9, 10. apertiſſime videbis Chriſto perfectiſſimo modo competere nomen *Nazarei*. Dicit igitur Matthæus, ita diſpoſitis à Deo rebus, ut Joſephus & Maria ab Ægypto reverſi Nazaretæ larem figerent, hoc actum, ut ex ea habitatione Chriſto nomen illud adhæreſceret, quo ſanctimonia ipſius perfectiſſima & votum pro noſtra ſalute ſuſceptum notaretur. Neque ſane fortuitum videri debet, quod ſermo popularis Dominum noſtrum *Jeſum Nazarenum*, quaſi perpetuo cognomento vocaverit, ut apparet Matth. xxvi, 71. Marci i, 24. x, 47. xiv, 67. xvi, 6. Lucæ iv, 34. xviii, 37. xxiv, 19. Joh. xviii, 5, 7. xix, 19. Act. ii, 22. iii, 6. iv, 10. vi, 14. xxii, 8. xxvi, 9. Unde & qui ipſius ſanctiſſimæ diſciplinæ nomen dederant *Nazarei* ſunt appellati, Act. xxiv, 5. Tertullianus adverſus Marcionem quarto, *Nazaræus vocari habebat ſecundum Prophetiam Chriſtus creatoris: unde & ipſo nomine nos Judæi Nazaræos appellant per eum: nam & ſumus de quibus ſcriptum eſt*, Nazaræi exalbati ſunt ſuper nivem. Nec illud omiſerim, cum nomen ab oppido deductum habeat exitum apud Novi Fœderis Scriptores Ναζωραῖος & Ναζαρηνός (quod in pleriſque appellationibus gentilitiis Orientalium populorum uſu venire nos docet Stephanus περὶ πόλεων [*de Urbibus*],) maluiſſe Matthæum uti voce Ναζωραῖος, ut quæ recepta eſſet in ſignificatu votivæ ſanctimoniæ: nam quod apud Lxx & Helleniſtas alios Ναζαραῖος vel Ναζωραῖος, apud Joſephum & ſcriptores Chriſtianos Græcos Ναζιραῖος, in Novo autem Fœdere modo Ναζωραῖος modo Ναζαραῖος ſcribatur, pronunciationis eſt non vocis diverſitas.

PRICÆUS.

Com. 2. Ποῦ ἐστὶν ὁ τεχθεὶς βασιλεύς, &c. εἴδομεν γὰρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα] Ælius Lampridius de Alexandro Severo, *Fertur pridie natalis ejus tota die apud Arcam Cæſaream ſtella prima magnitudinis viſa*: quod ponit inter alia omnia ſubſecuti imperii ejus. Juſtinus lib. 37. de Mithridate, *Quo genitus eſt anno, & eo quo regnare cœpit, ſtella cometes per utrumque tempus ſeptuaginta diebus ita luxit, ut cœlum omne conflagrare videretur*. Claudianus, ubi de Honorio nato,

Viſa viam medio, populis mirantibus, audax
Stella die —— ——

Et poſt,

Emicuitque plagis alieni temporis hoſpes
Ignis, & agnoſci potuit cum Luna lateret.

Com. 3. ἀκούσας ὁ Ἡρῴδης ὁ βασιλεὺς, ἐταράχθη]

—— Καπυὶ δ' ἴσυγε μῦθον ἀκούσας.

Ibid. ἀκούσας ὁ Ἡρῴδης ὁ βασιλεὺς, ἐταράχθη] Tacitus Hiſtor. 4 de Ptolomæo, *Ut ſint ingenia Regum, pronus ad formidinem*, &c.

Ibid. καὶ πᾶσα Ἱεροσόλυμα μετ' αὐτοῦ] Ita ſolet. Conſternationes magnique metus è Regum domibus in civitates totas, ut humores noxii è capite in artus defluunt. Hinc illud apud Æſchylum Etheoclis.

Ἀλλ' ὅτι κλαίειν, ὅτ' ὀδύρεσθαι πρέπει,
Μάτην ἀν πτυσθῇ δυσφορώτερον γόον.

Ad quem locum vetus Scholiaſtes, Ἵνα μὴ ἀφέρτερον γόον αὐξηθῇ ἐν τῇ πόλει.

Ibid. ἡ πᾶσα Ἱεροσόλυμα μετ' αὐτοῦ] Turbatis Regibus totæ civitates conturbari miſcerique ſolent. Apud Virgilium cum præceſſiſſet,

Nuncius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit: —— .

ſequitur continuo,

—— *Magniſque implet terroribus urbem.*

Vide quæ & Oedipus in γνώμη apud Suidam. Poſt Ἱεροσόλυμα repete ἐταράχθη. Virgil.

—— *Concuſſam bacchatur fama per Urbem.*

Ἦν δὲ μικρὰ (ut 2 Maccab. 3. 14) καθ' ὅλην τὴν πόλιν ἀγωνία. *Permota civitas, atque immutata facies urbis erat*, Saluſtius in Catilina dixit: *Sollicita, obſtupida, ſuſpenſa animo civitas*, Pacuvius apud Nonnium. Hic famæ effectus. Virgilius,

—— *magnas territat urbes.*

Idem,

It rumor, & magnis terroribus occupat urbes.

Com. 4. καὶ συναγαγὼν πάντας, &c.] Impletum hic illud Pſalmi 2. 2. Locum autem iſti non abſimilem vide Judith. 5. 2. ubi de Oloferne.

Com. 6. καὶ σὺ, &c.] Locutio in re de qua agitur aliquid præ aliis eximium notans. Vide Luc. 1. 76.

Ibid. ἐξελεύσεται] Vulgatus *exiet*, non *exibit*. Vide immortalis memoriæ Virum Joannem Gerardum Voſſium lib. 3. cap. 38. de Analogia.

Ibid. ποιμανεῖ τὸν λαόν μου] Beza, *paſcet p. meum*: melius Vulgatus, (ut & Act. 20. 28.) *reget p. meum*. Iliad. α.

—— ποιμένα λαῶν·

Scholiaſtes, ποιμαίνει ἔχων. In Gloſſario, Ποιμαίνω, ἢ ἀνθρώπων· *rego*.

Com. 7. καλέσας ὁ Μάγους, ἠκρίβωσε παρ' αὐτῶν τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος] Reduxit mihi hic locus in mentem Ammiani illum, *Ante lucem primitias accerſitis aruſpices, conſultique quid aſtri ſpecies portenderet nova*. Ἀκριβῶν hic eſt quod Apuleio lib. 1. *ſcrupuloſe explorare*: & lib. 8. *anxie percontari*. Eſt autem uſus ejus hoc loco & Græcus, & perelegans. Plato in Charmide, καί τινομά μου σὺ ἀκριβεῖ; Arrianus 2. 12. in Epictetum, Ἠκριβωμένοι ὑπὸ τῶν ἡμετέρων· i. e. à noſtræ ſectæ ſapientibus. Porphyrius in De Pythagoræ vita, Περὶ ὧν (Chaldæos intelligit) τὸν μὲν ἀκριβῆ γνῶσιν ἠκριβώκασιν. Videtur proprie autem dici de temporum calculatoribus: h. e. qui (ut Plutarchus in Numa loquitur) τὸν χρόνον ἐξακριβοῦσι.

Ibid. ἠκρίβωσε παρ' αὐτῶν τὸν χρόνον τοῦ, &c.] Tale & Joh. 4. 52. illud, Ἐπύθετο παρ' αὐτῶν τὴν ὥραν ἐν ᾗ, &c.

Com. 8. ἀκριβῶς ἐξετάσατε, &c.] In Gloſſario, Ἐξετάζω, *interrogo, exquiro*. Heſychius, Ἀκριβολογήσατο, ἀκριβῶς ἐξετάσατο. Ἀκριβῶς ἐξετάζειν autem (ut hic Matthæi Interpres) dixit & Plutarchus in Dionis vita. Hinc apud Philonem lib. De creat. Principis, ἀκριβεστέρα ἐξέτασις. Ibidem, & in libro De Profugis, item 5. Athenæi, Βασιλικῶς ἐξετάζειν· quod ἰσχνῶς ἀκριβοῦν, in Dionis Excerptis.

Com. 9. Οἱ δὲ ἀκούσαντες τοῦ βασιλέως] i. e. (ut Act. 16. 24.) τὴν ἀσφαλείαν πιστότατα πληροῦντες.

Ibid. ὁ ἀστὴρ, &c. προῆγεν αὐτούς]

—— *Multa cum luce cucurrit,*
Signavitque viam. ——

Ibid. προῆγεν αὐτούς, ἕως ἐλθὼν ἔστη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον] Varro apud Servium ad Æneid. 1. *Ex quo Æneas è Troja egreſſus eſt, Veneris eum per diem ſtellam vidiſſe, donec ad agrum Laurentinum veniret*. Plutarchus de Timoleone, Νυκτὸς ἐμβαλούσης τὸ πέλαγος, &c. ἔδοξεν ἀφθόνως ῥαγῆναι τὸ οὐρανὸν ὑπερθεν τῆς νεὼς ἀνοιχθὲν πολὺ καὶ εὐφανὲς πῦρ, ἐκ δὲ τούτου λαμπρὰς ἀφεῖσθαι, &c. ᾗ συμπεσούσῃ τὸν αὐτὸν δρόμον ἢ μᾶλλον τὴν Ἰταλίαν ἐπέχον οἱ κυβερνῆται κατεῖδον.

Com. 10. ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην] Ita & Jonæ 4. 6. ἐχάρη, &c. χαρὰν μεγάλην. Ἀττικὸν σχῆμα eſſe ait Scholiaſtes ad Plutum Ariſtophanis, οἰκῶ, μανίαν μαίνομαι, φυγὴν φεύγειν, &c. Romani Græcos imitati *gaudium gaudere* dicunt: ita Terentius in Andria, & Cæſius in Ciceronis famil. epiſt. Contrarium in Phædone Platonis, λύπην λυπεῖσθαι· & 1 Macc. 15. 36. μεγάλην ὀργὴν ὠργίζετο· quomodo & apud Virgilium, *furorem furere*.

Ibid. ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην] Ita 3 Reg. 1. 40. & 1 Macc. 14. 11. μεγάλην εὐφροσύνην εὐφράνθησαν· & contra Jonæ 4. 11. μεγάλην λύπην λυπεῖσθαι.

Com. 11. προσενεγκαν αὐτῷ δῶρα]

Dona ferunt, præ ſe teſtantur gaudia donis.

Scriptor Tobiæ 13. 11. Ἔδει πᾶσι μακρύνειν ἔξω πρὸς τὸ ὄνομα κυρίου Θεοῦ, δῶρα ἐν χερσὶν ἔχοντες, &c. P. Chryſologus, *Naſcenti Regi ſemper publica paratur oblatio*. Δῶρα hic intellige,

Qua

Quæ tener è terra divite mittit Arabs.

Ibid. χρυσὸν, καὶ λίβανον, καὶ σμύρναν] Quorum Eoi tractus feracissimi. Josephus Antiquit. 8. 2. de Sabæorum Regina Solomonem visente, Ἐπιγαγὼν καμήλους χρυσὸν μυρίον, καὶ λίθους τιμίους. Λιβάνου nempe, σμύρνης, &c. Vide ad Apoc. 18. 13 annotata.

Com. 12. χρηματισθέντες κατ' ὄναρ] Hesychius, Χρηματισμός, ὁπτασία, &c. Aliud autem agunt eruditi homines, dum Vulgatum, qui χρηματισθέντες hoc loco, *responso accepto*, & Luc. 2. 26. ἦν αὐτῷ κεχρηματισμένον, *responsum acceperat*, rectebat, improprietatis arguunt. Pluribus non opus agere. Expendant hunc Ambrosii locum, *Angustæ mentes invitentur promissis, erigantur speratis mercedibus: bona mens quæ sine responsi cœlestis syngrapha certamen arripuit, gemina laudis fructum acquirit sibi:* meminerintque (etsi verum Philonis illud, Ὅτι ἀσύνετοι, ἐκεῖ πάντες ἐρώτες) in his libris non dissimili figura quem ἀσυνετήσιν duci, etsi nullius (saltem apertus) sermo præivit: ut Marc. 14 48. Luc. 3. 16. 7. 40. & 13. 14. Joh. 5. 17. Act. 3. 12. & 5. 8. infra hic 11. 25. 12. 38. 28. 5. Vide & in Græco Danielis cap. 10. & 1 Maccab. 2. 17. Interim nec damnandus Erasmus, qui, *oraculo accepto.* Macrobius Somn. Scip. *Omnium quæ videre sibi dormientes videntur quinque sunt principales & diversitates, & nomina. Aut enim est* ὄνειρος *secundum Græcos, quod Latini somnium vocant: aut est* ὅραμα, *quod visio recte appellatur: aut est* χρηματισμὸς, *quod oraculum nuncupatur: aut est*, &c. Et post, *Oraculum est quidem cum in somnis parens, vel alia sancta gravisque persona, seu sacerdos, vel etiam Deus, aperte eventurum quid, vel non eventurum, faciendum vitandumve denunciat.* De locutione κατ' ὄναρ, Phrynichum vide. Κατ' ὄναρ, *per visionem*: habemus in Glossario.

Com. 13. Φεῦγε εἰς Λάβαν, &c. μέλλει γὰρ Ἡρῴδης ζητεῖν τὸ παιδίον ἐξ ἀσυλίου αὐτοῦ] Rebecca Gen. 27. 43. ad Jacobum, *Ecce frater tuus minatur ut occidat te*, &c. *consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran.* Servius ad Georgic. 1. *Potest fuga etiam honesta esse, ut si quis hostem, si quis imminentem tyrannum*, &c. *fugiat.*

Com. 14. ἀνεχώρησεν] Glossarium, (& ut puto, ex Vulgato Interprete) *secessit*, ἀνεχώρησεν.

Com. 15. τὴν τελευτὴν Ἡρῴδου] Artemidorus Oneirocrit. 3. 59. Τελευτᾶν· ἡ ῥώμην καλῶσιν.

Com. 16. Ἡρῴδης ἰδὼν ὅτι ἐνεπαίχθη, &c. ἐθυμώθη λίαν] Ita 2 Maccab. 7. de Antiocho R. Ἐκθυμῷ ἡμέρᾳ, τότε (juveni) ἀφῆκε τοῦτ' ἄδικος (ἀδελφὸς) χαλεπώτατος ἀκολούθησε, (i. e. ἐφεστόμισε) πικρᾶς φέρων ὀδὰς μυσαρεσμοῦ.

Ibid. ἐθυμώθη λίαν] Sirachides 28. 12. Καπνὸς τοῦ ὕλου τοῦ πῦρ ἐκκαυθήσεται, ὕπνος καὶ ἡ ἰσχὺς ἐξ ἀνθράκων ὁ θυμὸς αὐτοῦ ἔσται.

Ibid. καὶ ἀποστείλας, ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας, &c. ἀπὸ διετοῦς]

Crimine quo parvi cadem potuere mereri?

Suetonius in Augusti vita, *Auctor est Julius Marathus ante paucos quam nasceretur menses prodigium Romæ factum publice, quo denunciabatur Regem populo Romano Naturam parturire: Senatum exterritum censuisse ne quis eo anno genitus educaretur.*

Ibid. ἀπὸ διετοῦς, καὶ κατωτέρω] E converso Esdræ 4. 41. Ἀπὸ δωδεκαετοῦς, καὶ ἐπάνω. In Glossis, Διετὴς, *bimus.*

Ibid. ἀπὸ διετοῦς] Pollux 2. 2. ubi de infantilis ætatis gradibus, Ἀνωμερὶς, ἔλαιον, διετὴς, &c. In Glossis, διετία, *biennium*: optime tamen versio Vulgata, *bimatum.* Ita præter Macrobium jam aliis adductum) loquitur Plinius Senior. 8. 43. & 20. 1. Bidentes, *oves circa bimatum* vocat & Servius ad Æneid. 6.

Com. 18. Φωνὴ ἐν Ῥαμᾷ ἠκούσθη, θρῆνος, καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμὸς πολύς] Jeremiæ 51. 54. Φωνὴ κραυγῆς ἐκ Βαβυλῶνος, συντριβὴ μεγάλη, &c. Ἀκούσθη vox solennis ubi de vasto luctu, & sonans nescio quid formidabile. Dio. lib. 62. Θόρυβος μετ' οἰμωγῆς ἐξαίσιος. Agathias Scholasticus, Καινὸς ἐπῆλθε μύθος, οἰμωγαί τε ἠκούοντο ἡμῶν, καὶ φθόγγοι θρηνώδεις, καὶ δακρύων. Longus Ποιμενικῶν 2. Ἠκούσθη καὶ τῶν βοῶν ἐλεινὰ μυκήματα. Ferit aures & idem horror in Latino *audiri.* Virgilius, 3.

—— *Gemitus lacrymabilis imo*
Auditur tumulo ——

Idem 6.

—— *Audita vocis, vagitus & ingens.*

In Latino 9. 19. Jeremiæ, *Vox lamentationis audita est de Sion.* Ammianus Marcellinus lib. 21. *Ululabiles undique planctus & lugubres sonitus audiebantur.* Cato apud A. Gellium 10. 3. *Quantum luctum, quantumque gemitum! quid lacrymarum, quantumque fletuum factum audivi!* Lucretius 6.

Nec non ulla diem, neque noctem aurora sequuta est,
Quæ non audierit mistos vagitibus ægris
Ploratus, mortis comites, & funeris atri.

Quin & propius hisce argumentum in quo versamur 18. 10. Sapientiæ Scriptor, *Audiebatur flebilis planctus ploratorum infantium*; & lib. 19. Justinus, *Tunc infelicium matrum ululatus, & flebiles querelæ audiebantur.*

Ibid. θρῆνος, καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμὸς] Eadem copulatione Pollux 6. 50. Onomastici sui, Κλαυθμυρισμὸς, ὀδύρματα, θρῆνος· & ante, Θρηνεῖν, ὀδύρεσθαι, κλαυθμυρίζεσθαι. In Græco 4. 5. Eltheris, Κραυγὴ, καὶ κοπετὸς, καὶ πένθος. In Senecæ Hippolyto,

—— *Luctus, & lacryma, & dolor,*
Et limine in ipso mœsta lamentatio.

Glossæ, *Lamentatio*, θρῆνος, ὀδυρμός. Glossæ aliæ, Ὀδυρμὸς, *fletus, questus, lamentum.* Et nota in Matthæo hic de mulieribus agi. Seneca cap. 3. Consolat. ad Helviam, *Lamentationes, ejulatus, & alia, per quæ fere muliebris tumultuatur dolor.*

Ibid. Ῥαχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς]

Multa super natis lacrymans ——
—— Ὀδυρομένη φίλα τέκνα.

Iliad. β'. —— Ἀμφιαχυῖα· ubi Scholia, τὰ τέκνα αὐτῆς θρηνοῦσα. Euripides Supplicibus,

—— Θανόντων τέκνων
Ἐπαντία ἡ κλύουσα γυναικὸς
Εἰς γόους πέφυκε πιθέσθαι.

Virgilius huic quod præ manibus non dissimili argumento;

At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur, penitusque cavæ plangoribus ædes
Fœmineis resonant, fert aurea sidera clamor.

Apuleius 7. *Mater pueri, mortem deplorans acerbam filii; fleta & lacrymosa, ejulans*, &c. Quintilianus 16. Declamat. *Cognita clade; uxor rarissimi exempli, & prorsus talis filii mater, tetros effleret oculos: & continuus inde planctus, incredibilis mœstitia, assidua lamentatio fuit.* In Senecæ Controversiis, *Postera die erat in domo hujus fletus, lamentatio matris spes suas deplorantis.* Firmici est, *Nulla genere vincitur matris dolor.* Error. profan. relig.

Ibid. καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι] Scriptor Tobiæ 10. 7. de matre ejus filium intempestiva morte ablatum existimante, *Illa autem consolari nullo modo poterat.* Apuleius 4. *Non quivit ullis sermonibus ab inceptis fletibus avocari.* In Græco Genes. 37. 35. Οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι· & Esai. 22. 4. Πικρῶς κλαύσεται, μὴ καταισχύνητε παρακαλῶν με· Electra apud Sophoclem,

Ἀνιᾷ μ', ἄνιᾷ, παρέπεμψεν——

cum sequentibus quæ leguntur apud Suidam. Simile apud Philonem (lib. ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἱλεύθ. δι' ὑπερβολὴν κακῶν οὐδὲ παραμυθίας ἀνέχεται. Quintilianus 10. Declamat. *Totum istud lugere femineum est, & simulac orbitas imbelle pectus invadit, animus ille qui luctus suos sequitur, incipit indulgentiam sentire lacrymarum.* Seneca de luctu Octaviæ ob amissum Marcellum filium, *Non ullas admisit voces salutare aliquid afferentes, ne avocari quidem se passa est*: & post, *Secundam orbitatem judicans lacrymas omittere.*

Ibid. οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι] Intellige, nisi post aliquod tempus; cum alioqui perverum sit quod in Cicerone 5. 16. Famil. legimus, *Nulla unquam fuit liberis amissis tam imbecillo mulier animo quæ non aliquando modum lugendi fecerit.*

Ibid. οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι] Alcyone apud Ovidium,

—— *Solantia tollite verba.*

Seneca ad Marciam cap. 5. *Partem mali putant audire solatia.*

Ibid. ὅτι οὐκ εἰσί] Sumpta & hæc locutio è melioris Græciæ promptuario. Hecuba (& ut Rachel jam liberis orba) apud Euripidem,

Οἱ μὲν πατέρα παίδες οἰκτίρατ' ἀεί μοι.

In ejusdem Herc. furente,

—— Οὐκέτ' ἐγὼ δυστᾶς ἀνήρ.

Achilles Tatius, Ἦν Αἰγύπτῳ σεφιστὴς, νῦν δ' οὐκ ἔστι. Theophylactus Simocatta, Ἐπαίχος τις μὴ κεκτημένῳ (ἀ ἰφὸς) φθονήσοντι, ἢ πάλιν οὐκ ἔστιν. Herodotus, Μητρὸς μὲν πατρὸς μηκέτ' ὄντων. Jacobus apud Philonem de Josepho suo, Εἰ μὲν οὐκ ἔστι, δίκαιοι μοι τὸ νικᾶν. Vide & in Græco Genes. 42. 13. 1 Reg. 3. 21. Job. 14. 10. Apud Plutarchum in Apophthegmat. & in Alexandri vita interrogatus gymnosophista ille plurésne vivi an mortui essent, respondit, ζῶσι· τοὺς γὰρ ἀποθανόντας οὐ νικῶντας. Plautus Pseud.

—— *Mortuus est qui fuit: qui est, vivus est.*

Et alibi,

Tanquam hominem qui animam efflavit, quid eum quæras qui fuit?

E converso apud Demosthenem, Ζῶντες μὲν ὄντων Ἀθηναίων & Heliodorum, Τί τὸν ὄντα θέλοντες ἴσε, μὴ ζητεῖ Καρίκλεια. Idem, Θεαγένης ἐστὶ, μὴ ζητεῖ.

Com. 19. παλιτιώσῃ δὲ, &c.] Glossæ, Τελιώτησε *defunctus, rebus humanis exemptus.*

Ibid. καὶ ὅταν φαίνεται τῷ Ἰωσὴφ, λέγων, &c.] Lactantius de Somniis loquens, cap. 18. de Dei Opificio, *Quæ falsa sunt, dormiendi causa videntur: quæ vera, à Deo immittuntur ut imminens bonum aut malum hac revelatione discamus.*

Com. 20. πορεύου εἰς γῆν Ἰσραὴλ, τεθνήκασι γὰρ οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου] Ita olim ad Mosen Idem apud Philonem, Ἴθι πρὸς τὸν βασιλέα τῶν χώρας (Ægypti nempe unde exierat) μηδὲν τὸ παράπαν φοβηθείς, ὁ μὲν γὰρ ἀπέθανε καὶ τέθνηκεν, οἱ δὲ ζῶσι φόβου βασιλικῆς ἀπηλλάγησαν. Ulysses apud Ovidium ad Penelopen.

—— jacet Æsius, & jacet Hector:
Et quicunque tui causa timoris eram.

Apud Josephum 18. 8. de Tiberio Imp. Ὁ λέων τέθνηκεν.

Ibid. τέθνηκαν γὰρ, &c.] Vulgat. *defuncti sunt*: quam versionem morose immutatam video. Plinius lib. 5. ep. 16. *Fundani nostri filia minor defuncta est.* In Glossario, *Defunctus*, &c. παλιτιώσας· &, *Defuncto*, Διαφυσιοῦντι.

Com. 22. ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει ἀντὶ Ἡρῴδου] Pacomius apud Junium Philargyrum,

Quoniam ille interit, imperium Cælo transmissum est.

Hesychius, & forte ex hoc Matthæi loco, Βασιλεύει, κρατεῖ, ἄρχει. Ἀντὶ Ἡρῴδου. Herodis loco. Sic apud Scriptorem Tobiæ 1. 18. Βασιλεύσειν, &c. ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἀντ' αὐτοῦ. 1 Maccab. 3. 1. Ἀντὶ Ἰούδου ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἀντ' αὐτοῦ. 3 Eldra 1. 44. de Jechonia, *Constituerunt eum pro Josia patre suo.* Vide & 1 Paralip. 19. 1. 3 Reg. 5. 1. 4 Reg. 10. 35. & 19. 16. Plutarchus in vita Syllæ, Ἀντὶ τοῦ βασιλεύσαντος ἀπ' ἐκείνου.

Ibid. χρηματισθεὶς κατ' ὄναρ] Supra *responso accepto* Vulgatus; hic *admonitus*: nec minus apte. Sic *per quietem moneri* dixit Julius Solinus; &, *nocte imperitis monere*, lib. 11. Apuleius.

CAP. III.

MUNSTERUS.

2. *Facite vitæ conversionem*] Vocant Hebræi pœnitentiam aptissimo vocabulo תשובה *conversionem*. Hæc enim vera est pœnitentia, recedere à via mala, & convertere vitam male actam in conversationem quæ Deo grata sit atque hominibus: & id est *in deserto repurgare viam Domini, & rectas facere semitas ejus*, peccata scilicet abjicere, & obedientem animum præstare verbo Dei: & hoc pacto *omnis vallis exaltatur, & omnis mons humiliabitur*, sicut idem Propheta prioribus verbis cap. 40. subnectit, h. e. quicquid impedimentum in via Domini afferre possit, tolletur, ut homines inoventur.

6. *Confitentes peccata sua*] Nullus baptizabatur à Johanne nisi qui se peccatorem agnoscebat, & fatebatur se opus habere redemptione Christi. Venerat enim Johannes prædicare pœnitentiam, & indicare Christum, per cujus fidem homini remittuntur peccata.

7. *Ex Pharisæis*] Fuerunt Pharisæi & Saducæi duæ factiones apud Judæos, in dogmatibus & novis opinionibus atque moribus plurimum inter se dissidentes. Nec satis constat quando & quandiu ante Christum natum exortæ fuerint hæ sectæ, nisi quod apud Josippum Josephi abbreviatorem legimus utramque sectam tempore Hyrcani & Alexandri Regum Israel, h. e. centum fereannis ante Christi incarnationem, plurimos in suam traxisse opinionem: & quælibet secta contendebat Regem in suam inclinare partem, & tempore Alexandri res in cruentum bellum abiit, favente Rege Saducæis contra Pharisæos, qui Vulgi favorem obtinuerant, & pro sapientibus Judææ sese venditabant, sectam autem Saducæorum plus quam Vatiniano persequebantur odio. Legere poteris plura de his in memorato libro, quem superioribus annis evulgavimus Hebraice & Latine. Ibi invenies quod propter accerrimam dissensionem Pharisæorum & Saducæorum Regia potestas fuerit translata de semine Hasmonæi, i. Machabæorum, in familiam Herodum alienigenarum.

9. *Patrem nostrum Abraham est*] Nihil, inquit, vobis prodest fiducia patrum, si degeneres filii fueritis: poterit Deus alios & veros filios Abrahæ suscitare, non qui carnali successione ab eo nati fuerint, sed qui ex promissione & fide filii ejus germani dici meruerint. *Venient enim multi ab Oriente & Occidente, & recumbent cum eo, filii vero Regni ejicientur in tenebras exteriores.* Frivola est igitur & apertum mendacium quod scribitur in Thalmud Jehudæorum, אברהם יושב על פתח של גיהנם שלא להניח ליד פושעי ישראל, *Abraham sedet juxta portas inferni, & non permittit ullum iniquum Israelitam descendere ad infernum.* Illud autem amplectimur contra Jehudæos quod scriptum habent in Cabala, אליעזר עבד מתח כתיק *quod Eliezer servus ejus quiescat in sinu ejus.* Nam multi ex eis negant ante Christum passum portam regni cœlorum clausam fuisse ob peccatum Adæ primi parentis. Et rursum scriptum habent in Cabala, נשמות של צדיקים בתוך האבנים שתחת כסא הכבוד h. e. *Animæ justorum puta patrum, congregatæ sunt subter solium majestatis.*

10. *Jam securis posita est ad radicem*] Nisi inquit pœnitentiam veram & non fucatam egeritis, in propinquo est ut radicitus à Romanis evertamini: & non proderit vobis genus duxisse ex Abraham secundum carnem, cui Deus atque filius ejus qui illum fide & moribus expresserint promisit benedictionem.

11. *Ille fortior est me*] q. d. Ab illo, non à me, exspectabitis salutem; ego tantum *aqua abluo*, quæ peccata auferre nequit, *sed post me veniet* qui Regnum Dei annunciaturus est, & inaudita miracula facturus, unigenitus Dei, qui *me multo prior est, cui ego non sum dignus* ut vel minimum servitutis impendam officium, quale esse possit *solvere* aut *portare calceamenta ejus. Ille baptizabit igne Spiritus sancti*, quo exuret sordes hominis, ut novam faciat creaturam. Hic *habet ventilabrum in manu sua*, per quod intelligitur verbum Euangelii, *quo repurgabit aream*, i. homines in terra habitantes, *& triticum*, qui sunt electi, *reponet in horreum* regni cœlorum: *paleas vero*, i. reprobos, *deputabit igni æterno.* Scribunt Jehudæi multa inania & ridicula contra istud caput, præsertim contra Baptismum & sanctificationem Christi. sed quæ tam puerilia sunt ut pudeat ea hic commemorare. Putant enim Christum legis transgressorem, quod ablata corporali circumcisione loco illius substituerit Baptismum: item pro deliramento habent puero conferri baptismum, qui peccatum non habet à quo abluatur: denique Christum non fuisse Deum, qui opus habeat sanctificatione. His objectionibus potissimum impetunt istud caput, sed quibus facillime obviari potest, cum veram illam cordis circumcisionem, ad quam & Prophetæ tantopere exhortati sunt, Christus non sustulerit: & plurimi eorum confiteantur, puerum etiam in matris utero non sine peccato concipi. Et apud Isaiam habetur, *Quiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilii, & fortitudinis*, &c.

VALLA.

1. VEnit *Joannes Baptista, prædicans in deserto Judææ,*

2. *Et dicens, Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum*] *Venit* temporis est præsentis: & *appropinquavit* legendum est, non *appropinquabit*. Quod nunc ait *Pœnitentiam agite*, alibi Græco respondere volens ait, *Pœnitemini*, μετανοεῖτε

Po-

Pœnitemini, & credite Euangelio, Marc. 1. 15. *Prædicans*, Græce est, *præconizans*, κηρύσσων, ἢ λέγων, Μετανοεῖτε· ut in epistola Petri altera 2. 5. *Noe justitiæ præconem*, κήρυκα. Licet proprie transferri hoc nomen solet *caduceator*, qui est legatus temporibus belli. Et sane Apostoli ac sancti viri legationis officio fungebantur, à Deo missi ad nos hostes suos, & quasi cum illo bellum gerentes: unde legatum se Dei Paulus ait, ad Ephesios scribens, 6. 20. *Euangelii, pro quo legatione fungor in catena:* licet aliud sit hoc vocabulum, πρεσβύω.

4. *Pilis camelorum*] Græce καμήλου est, *camelis* non *camelorum*. Et sane elegantius dicitur in singulari: ut, *Pili leonis duriores sunt pilis ursi, & pennæ aquilæ sunt fortiores pennis anseris*, potius quam *leonum, & ursarum, & aquilarum, & anserum.*

8. *Facite igitur fructum dignum pœnitentiæ*] Casu genitivo pro ablativo usus est, quia Græce sic legebat interpres, μετανοίας, quemadmodum alibi, ut in Psalmis, si modo idem fuit interpres, *Eripiens pauperem de manu fortiorum ejus*, αὐτοῦ, *Psal.* 35. 10. quia Græci comparativo quoque genitivum applicant, ablativo carentes. Itidem facit in Luc. 3. 8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Et sic hoc genus constructionis reperi apud Cornel. Nepotem in Vita Attici; non memini an alibi.

9. *Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*] Græce est, *Et ne videamini dicere intra vos ipsos: & Abrahæ* dativi est non genitivi casus. Et *potest* potius quam *potens est.* Utinam nunquam in mentem venisset illi qui primus instituit transferre *quoniam* vel *quia* pro *quod*, qua dictione quasi obsolescit oratio; ἢ μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, Πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ· λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δυνατὸς ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ. Eadem pene verba sunt apud Lucam, & *Abraham* dativi casus, Luc. 3. 8.

10. *Jam enim securis ad radicem arboris posita est: omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*] Melius ii codices habent in quibus legitur *arborum* τῶν δένδρων. Præterea præsentis temporis verba sunt, non futuri, *excidetur & mittetur:* sive potius transferendum est, *jacitur:* etsi *missilia* vocantur quæ jaciuntur: ἐκκόπτεται, ἢ εἰς πῦρ βάλλεται. Idem dico de simili loco apud Lucam.

11. *Qui autem post me venturus est*] *Qui post me venit.* Græce est præsentis temporis, ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος.

16. *Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se*] Etsi aliquando pronomen hoc Græcum ambiguum, nunc tamen nequaquam videtur ambiguum, ideoque non fuisse transferendum, *Super se*, tanquam de Christo dicatur, quod vidit Spiritum Dei descendentem *super se*: sed *super eum*, ut de Joanne intelligatur, cujus gratia aperti sunt cœli, ut videret Spiritum sanctum, quem vidit descendentem non *super se*, sed super Jesum, i. *super eum.* Nam Christo semper patent cœli & Spiritus S. quod probat illud Joan. 1. 32. 33. *Et testimonium perhibuit Joannes, dicens, Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Nam si diceret, *Super se*, diceretur Græce, ἐφ' ἑαυτόν· nunc dicitur, ἐπ' αὐτόν. Etiam *quasi columbam* dicitur elegantius quam *sicut*; h. e. quod descendit Spiritus sanctus perinde ac si foret columba, videlicet in specie columbæ. At *descendere sicut columbam*, nihil est aliud quam descendere sicut columba descendit; quemadmodum solemus dicere, *Tu ambulas sicut anser.* Nunc Spiritus sanctus non descendit sicut columba, quia volavit ut columba, sed descendit in specie columbæ. Neque vero quod dicitur *columba*, putet quisquam fuisse speciem columbæ magis quam *columbi*; sed quia hoc nomen apud Græcos epicœnum est, ut *aquila*, quemadmodum prius & *columba* apud nos fuit, de qua re Varro differit. Unde apud Virgilium, *Gemina venere columba*, quarum certe una mas erat. Ut hoc loco dixit *se* pro *eum*, ita è diverso *ejus* pro *sui* apud Paulum, Rom. 8. 29. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii ejus*, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. ἑαυτοῦ.

17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*] Quæ hic, eadem apud Marcum verba, 1. 11. eadem quoque in secunda Petri epistola, 1. 17. ac pene eadem apud Lucam, 3. 22. sed nullo in loco legitur Græce *mihi*, sed forsitan id factum est necessitate, quanquam poterat aliter transferre, ut sic in Psal. 51. 16. *Holocaustis non delectaberis*, ὁλοκαυτώσεις. Sed cur omisit *bene*, quod in Græco est, εὐδόκησα;

REVIUS in VALLAM.

2. Κ Αμήλου] Transpositum erat.

ERASMUS.

2. Μ Ετανοεῖτε] Quod plerumque vertit, *Pœnitentiam agite.* Opinor quod *Pœnitere* sive *Pœnitemini* parum Latinum videretur: quanquam & sic vertit alicubi. At nostrum vulgus putat esse *pœnitentiam agere* præscripta pœna quapiam luere commissa; quod apud Christianos, qui publice peccassent, ejecti è consortio propalam affligerentur. Eaque satisfactio sive pœna *pœnitentia* vocari cœpta. Qua quidem ex re non mediocris error Theologis quibusdam, qui quod Augustinus de pœnitentia, h. e. publica Satisfactione, scripsit, ad animi dolorem, quam *contritionem* vocant, detorquent. Alioqui μετάνοια, dicta est à μετανοεῖν, h. e. à *posterius intelligendo*: ubi quis lapsus, re peracta, tum demum animadvertit erratum suum: Quæ juxta proverbium Homericum *prudentia stultorum* est. Eodem spectat alterum proverbium δεύτερα φρονίδων ἀμείνονα. Unde quod nos legimus, *Pœnitet me fecisse hominem*, Augustinus lib. De civit. Dei 15. cap. 24. pro *pœnituit* legit *resipiscit*, juxta fidem vetustiss. codicis. Indidem dicta est μεταμέλεια, cum socordes in re peragenda, sero incipimus esse attenti, jam admoniti nostris malis. Græcæ vocis elegantiam annotavit Tertullianus lib. adv. Marcionem 2. *Nam & in Græco*, inquit, *sono Pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est.* Meo judicio commode verti poterat *Resipiscite*, sive *Ad mentem redite.* Siquidem resipiscit, cui vita superior displicet. Cæterum *pœnitentiam agere* pro *affici ducique pœnitudine*, ut nolim pronunciare barbarum ac fœcum, ita non memini legere apud probos autores. *Actus pœnitentiæ* pro *ductus pœnitudine*, semel est apud Suetonium. Et apud Plinium in Epistolis *pœnitentiæ pœnitentiam egit* reperitur, sed addito casu paterno. Sic enim dixisse videtur *Pœnitentiam agere* pro *pœnitere*: quemadmodum dicimus, *Vitam agere* pro *vivere.* Absolute posuit Valerius Max. cap. *De sapienter dictis ac factis, Respondit, utrum horum fecisset, pœnitentiam acturum*: quod ex iis quæ mox præcedunt, facile liquet, cujus rei sit pœnitudo. Veluti cum dicimus, Duxi uxorem, sed pœnitet. Fabius lib. 9. indicat Sallustium scripsisse *non pœnisturum* pro *non acturum pœnitentiam.* Cæterum non admodum amsit periphrasis, *Vitæ prioris pœnitentiam agite*, aut, *Delictorum pœnitentiam agite*; & tamen erant homines pii juxta ac eruditi quibus circumitio magis placuit, ne quis calumniaretur, ut nunc sunt mores ac tempora, pœnitentiam ab Euangelio profligatam. Quanquam non protinus ideo profligatur salubris illa satisfactio quæ comitatur resipiscentiam, ac lacrymis piisque officiis delet & quodammodo pensat delictum, si Græca vox non à *pœna* (ut quibusdam videtur ducta *pœnitentia*, cum probabilius sit dictam à *pone tenendo*) sed à *resipiscendo, mutataque sententia* deducitur. Nos igitur utrumque vertimus, ut omnibus quantum licet gratificemur. ¶ *Appropinquabit enim*, ἤγγικεν] Dubium non est quin errore librariorum acciderit quod perpetuo pene legatur futurum pro præterito in hoc sane verbo, cum sit *appropinquavit.* Atque ita citat Chrysostomus hom. 14. Id eo frequentius accidit quod nonnullæ nationes præpostere vice *b* pronunciant *v*, & contra, ut *vivere* pro *bibere*, *bibere* pro *vivere.* Quanquam in hujusmodi verbis Græci nonnunquam abutuntur præterito vice præsentis. Mollius erat, *instat*, sive *adest*, sive *in propinquo est regnum Dei.* Nam id est *appropinquasse*, in propinquo esse. Siquidem Judæis adhuc in umbris & cæremoniis versantibus adventabat quidem, sed eminus. Certe *appropinquavit* præt. temporis scriptum reperi in vetustiss. exempl. Latinis in hoc consentientibus, atque etiam in excusis plerisque castigatioribus. Subindicavit & Origenes verbum *appropinquavit* non ad tempus sed ad actum referri, hom. in Matth. 1. In uno Donatiano erat *appropinquat.*

3. *Vox clamantis*] Ipse Joannes Baptista apud Joannem Euangelistam testatur hoc de se dictum. Est apud Esaiam cap. 40. consentiente Hebraica veritate cum editione LXX: nisi quod LXX non repetunt *Insolitudine.* Græca sic habent, Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου. εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Porro quod apud Prophetam est *Dei nostri*, Euangelista sensum reddens, non verba, posuit *Ejus.* Cæterum *Parate* Græce est Ἑτοιμάσατε, h. e. *Promptam, paratam, & expeditam reddite.* Hebraica vox ea proprietatem habet, ut significet, Viam apertam & oculis intuentium conspicuam

facere, à verbo ראה, quod eſt *Reſpexit*. Obſtant enim affectus mundani quo minus homines videant Chriſtum adventientem; quibus ſublatis, jam ceu præparata via Domini, conſpicitur adveniens filius.

4. *Habebat veſtimentum de pilis*; ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν] i. *Indumentum ſuum*: &, *è pilis* magis quam *de pilis*: deinde *cameli*, non *camelorum*. Quanquam hæc non magnopere faciunt ad ſententiam, tamen quo Scripturæ ſervaretur integritas, non abs re putavimus admonere. ¶ Et *zonam* Græce dixit pro *cingulo*: tametſi *zona* vocabulum Latinis receptum ſcio. ¶ *Eſca autem*, τροφή] i. *cibus*, ſive *alimonia*, à τρέφω *nutrio*. ¶ Quod interpres vertit *locuſtas*, Græce ſunt ἀκρίδες, vox inde dicta, quod id animal ſummas ariſtas advolans depaſcatur. Coactior enim videtur etymologia quæ ἀκρίδας hinc dictas exiſtimat quod exiguo ſint capite, q. ἀκραιόδας. Theophylactus, quem quidam titulo decepti putant Athanaſium eſſe, indicat ἀκρίδας herbæ aut fruticis agreſtis genus intelligi poſſe, non animal. D. Hieronymus ſuper hac voce nihil annotavit, non taciturus opinor ſi de frutice ſenſiſſet Euangeliſta. Hilarius autem, atque etiam recentiores Rabanus & Lyranus animal accipiunt. Qui ἀκρίδα nolunt eſſe animal, vocem dictam exiſtimant à particula Græcis augente α, & γρίω, quod eſt *edo*; inde *fruticem* aut *herbam* dictam γρίον, quod virens etiamnum edatur ab animantibus. Quanquam hæc etymologia rectius quadrat in animal quod ſegetes depopulatur, quemadmodum legimus Exod. 10. At Ælius Dionyſius negat Atticis *herbam* γρίον dici, ſed κρίον· quanquam hæc adhuc multum abſunt ab *Acridibus*. Nec huc pertinet quod quidam tradunt ἀκρίδας dici panniculos ab avena dependentes. Verum hæc utcunque habent, apud Latinos certe veteres non memini legere *locuſtam* pro *frutice* aut *herba*, ſed tantum pro animante; quod geminum memorant, terreſtre ac marinum. Illud probabiliter colligitur ex iis quæ de locuſtis prodidit antiquitas, eas fuiſſe non per omnia ſimiles noſtratibus: Nam illæ volabant quaternis alis, & ex Africa nonnunquam commigrabant in Italiam; cum de noſtratibus non quærantur agricolæ, nec ipſæ in alienam regionem agminatim devolent. Id ſi cui mirum videtur, conferat noſtrates columbas cum columbis Italicis, dicas eſſe diverſi generis. Simile diſcrimen eſt & in piſcibus & in arboribus permultis. Cogor hoc loco deſiderare prudentiam in nonnullis ſcriptoribus, quorum de numero eſt Nicolaus Perottus, vir alioqui pulcre doctus, variæ lectionis, ac ſuo ſeculo de ſtudiis præclare meritus; qui nolunt Locuſtam hoc loco animal eſſe, ſed fruticem neſcio quem aut furculum delicatum: & ceu rem vehementer impiam exſecrantur ſi Joannes Baptiſta tum vili cibo paſtus dicatur. Atque hic, Deum immortalem! quam inſulſe rhetoricatur λεξιθηρατῶν quidam, rogans cur non eadem opera amicus Dei muſcas cæteraque portenta ederit, quibus Deus afflixit inimicos ſuos Ægyptios! quaſi vero non reddamur ob idipſum Deo chariores quod pietatis amore ciborum delicias contemnimus. Primum ſi illis abſurdum videtur hominem veſci locuſtis, meminiſſe debebant ab claris autoribus prodi tum, non Parthos modo, ſed alias quoque nationes locuſtarum eſu victitaſſe. Siquidem Plinius l. 11. c. 29. teſtatur hoc iſtis tam abominandum animalculum Parthis etiam in deliciis fuiſſe. Idem lib. 6 c. 30. refert quoſdam Æthiopiæ populos non alio cibo vivere ſolitos quam locuſtarum, quas in hunc uſum fumo ſaleque durant: nec id latuit Perottum; tantum cibi vilitate offenditur. Qui luſtrarunt procul ſemotas regiones, narrant & hodie Ægyptios vulgo veſci locuſtis. Itaque ſi locuſtam immundum animal vocant quod plebeium, vile, parabile, ac pauperum cibus fuerit, hoc ipſum in laudem ſanctiſſ. viri retulit Euangeliſta, quod cum juvenis eſſet, magni Sacerdotis filius, magna tum apud populum tum apud Regem autoritate, in deſerto potius ferarum ritu, vili parabilique cibo vivere maluerit; non quod hoc cibi genus ſuperſtitioſe affectarit vir pius, ſed partim quod eremus hunc cibum ultro ſuppeditaret, (opinor enim illum cum apud cives aut Regem ageret non requiſiviſſe locuſtas) partim ut juxta vaticinium Eſaiæ Chriſtique teſtimonium Heliam prophetam referret. Adhæc, quos offendit cibi vilitas, cur iidem non offenduntur pilis camelorum & cingulo coriaceo? Quaſi vero magis convenerit ut pauperis Chriſti prodromus, & ad crucem deſtinati, placentis & Artiſis bellariis faginaretur, muſſum & aromatitem pro aqua biberet, pro pilis camelorum byſſinis & holoſericis veſtiretur, pro loro balteo bullis aureis inſignito cingeretur. Videntur igitur hæc non minus ethnico ſpiritu dicta quam Platina, vir ſane doctus, Gregorio Pontif. R. ejus nominis primo patrocinatur adverſus neſcio quos qui illius gloriam hac calumnia conabantur obſcurare, quod dum Urbem templis, baſilicis, monaſteriis ac xenodochiis exornat, quaſdam vetuſtas ſtructuras ſit demolitus. Sic autem agit cauſam illius ut utatur inficiatione: quaſi fuiſſet Gregorius natione Romanus vehementer impius in patriam futurus, ſi quas columnas, arcus & amphitheatra veteris paganiſmi reliquas fuiſſet hoc animo demolitus, ne hoſpites ejuſmodi ſpectaculis à templis ac baſilicis avocarentur, cum hodie videamus ſiqua ſuperſunt paganicæ vetuſtatis monimenta, à multis longe pluris fieri quam loca ſacra. Sed ad rem. Si vilitas iſtos offendit, hoc vituperant quod in ſummam laudem commemorat Euangeliſta: ſin immundum appellant animal quod Judæis veſci nefas erat, declarant quam non diligenter verſati ſint in ſacris voluminibus, cum Lev. 11. inter volucres nominatum excipiantur Bruchus, Attacus, Ophiomachus, & Locuſta, quæ inter ſe finitimi generis ſunt, & inter munda cenſentur, eo quod licet habeant quaternos pedes, tamen poſterioribus longioribus ſaliunt ſuper terram. Plin. l. 11. c. 29. referens locuſtas feminas mox à partu perire, vermiculo circa fauces innaſcente, & eodem tempore perire mares, miratur eas tam frivola ratione mori, cum ſingulæ quoties libuit ſerpentem necent faucibus ejus apprehenſis mordicus. Hoc locuſtarum genus videtur eſſe quod alii vocant *ophiomachum* ſerpentibus infenſum. Nec recte colligit Lyranus hinc ophiomachum veſci ſerpentibus, quod Ariſtoteles dicat animantia coitus aut cibi cauſa pugnare, cum aranea perimat ſerpentem, quo tamen non veſcitur. Rurſum alienum eſt quod ait ophiomachum eſſe mali nutrimenti quod veſcatur ſerpentibus, innuens ophiomachum inter immunda cenſendum, cum illic referatur inter munda. Et ſi mali nutrimenti eſt quod veſcitur homini noxiis, abſtinendum eſſet à cervina, quod cervi veſcantur ſerpentibus; demum & à gallinis, quod delectentur araneis & ſcorpiis. Non hæc commemoramus quod omnino negem hic ἀκρίδας accipi poſſe pro frutice aut herbæ genere, licet id nondum ſatis liqueat, cum de locuſtis nulla ſit controverſia quin & in cibis fuerint, alioqui Leviticus ridicule commemoraſſet eas inter munda non ſacrificiis, ſed hominum eſui. Verum ut eos refellam qui pernegant & abſurdum exiſtimant hoc loco animal eſſe locuſtam, interim & interpretem accuſantes qui ſic verterit, & Hieronymum qui non emendarit, ni doceant & *locuſtam* apud Latinos pro herba aut frutice inveniri. Porro cum eremus multas gignat arbores frugiferas, licet fœtu fortaſſis imminitiore, cum ultro multos gignat frutices & olera quibus olim victitabant prophetarum filii, deliciarum genus erat unica tantum herba veſci, aut ſumma virentium decerpere, præſertim cum his per hyemem deficientibus locuſtæ ſolis æſtu deſiccatæ hybernis quoque menſibus ſint uſui.

5. *Et omnis regio circa Jordanem*, καὶ πᾶσα ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου] i. *Et omnis regio undique finitima Jordani*. Omitto levicula illa, quod ἰδὼν vertit *Videns*, pro *Cum vidiſſet* quod πολλοὺς τῶν Φαρισαίων, i. *Multos Phariſæorum*, Græce magis quam Latine dixerit, pro *Multos è Phariſæis*, ſive *Multos Phariſæos*.

7. *Progenies viperarum*, γεννήματα τῶν ἐχιδνῶν] Idem eſt quod alias vertit *Genimina viperarum*, ſed parum Latine. Nam *progenies* dicuntur ab alio progeniti: atque idem ſonat Græca vox. Poterat dicere *filios* ſive *germina*. *Genimen* enim haud arbitror uſquam comperiri apud probatos autores. Nam *gena* pro *gigno*, quo uſus eſt Varro & Lucretius, ſed in poemate, verbum eſt obſoletius quam ut hodie quiſquam uti velit. Atque ut hoc utcunque reperitur, ita *genimen* nuſquam eſt invenire. Ego ſane, quod ad me pertinet, vellem inveniri ac receptum eſſe. ¶ *Quis demonſtravit vos*] In vetuſtis & emendationibus cod. ſcriptum eſt *vobis*, non *vos*, ὑμῖν δεῖξεν· & magis *ſubindicavit* ſive *ſubmonſtravit*, quam *demonſtravit*: q. d. *Clanculum indicavit & admonuit ut fugeretis imminens periculum*. Nam quod τὴν τῆς μελλούσης ὀργῆς, i. *à futura ira*, vertit *à ventura ira*, recte mutavit: niſi quod apertius erat, *ab ira quæ futura eſt*, ut certam intelligas iram jam inſtantem. Certe *futura* legitur in aureo codice.

8. *Fructum dignum pœnitentiæ*, καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας] i. *fructus dignos pœnitentia*. Quanquam ambiguum eſt utrum genitivus *pœnitentiæ* pertineat ad nomen *fructûm* an ad *dignos*, quod raro jungitur apud Latinos paterno caſui. Et ita poſitum eſt ut magis videatur referendum ad proximam vocem *dignos*: ut ſit ſenſus, Si vere vos pœnitet, ut præ vobis ſertis, ſic vivite ut appareat vos relipuiſſe, & ex animo priſtinæ vitæ pœnitentia teneri. In eum ferme ſenſum Chryſoſtomus enarrat, Nos vertimus *Facite fructus qui deceant pœnitentiam*, quo vitaremus amphibologiam, vel ſenſum potius abſurdum. Nam *fructus digni pœnitentiæ* ſunt quorum merito aliquem pœnitere debeat. Nec mihi diſplicet ut *Dignos* accipiatur abſolute pro *legitimos* & *idoneos*, quomodo non infrequenter uſurpatur apud Græcos, apud Latinos quoque nonnunquam.

9. *Et ne velitis dicere*, Καὶ μὴ δόξητε λέγειν] i. *Ne videamini dicere*: ut ſit ſenſus, Ne ſic vivatis ut videamini totam fiduciam pietatis collocaſſe in affinitate Patrum. Quanquam poteſt & ſic accipi,

accipi, *Ne ſitis in hac opinione ut dicatis vos eſſe filios Abrahæ:* tanquam id ſufficiat ad juſtitiam, è ſanctis eſſe prognatos. ¶ *Quoniam potens eſt*] Ὅτι conjunctio aut omittenda erat, aut vertenda in *quod*; non in *quoniam*, aut *quia*. ¶ *Filios Abrahæ, τέκνα τῷ Ἀβραάμ*] Articulus Græcus indicat *Abrahæ* dativi caſus eſſe, non paterni: q. d. Abrahæ non defuturos filios, etiamſi illi non ſint nati. Quidam in hujuſmodi vice articuli addunt pronomen *ipſi*, ſed amphibologia tolletur ſi legas *Abrahamo*.

10. *Jam enim ſecuris, ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη*] i. *Jam enim & ſecuris*. Nec eſt otioſa conjunctio: indicat enim cum epitaſi proximum inſtare periculum. Siquidem quamdiu ſpes eſt remedii, ſtercoratione aut putatione ſubvenitur arborum vitiis: Cæterum ultimæ deſperationis indicium eſt quoties ſecuris admovetur radici. D. Hieronymus citat ſubinde *ad radices*, non *ad radicem*, licet reclamantibus Græcorum exemplaribus. ¶ *Exciditur, & in ignem mittetur*] Utrumque verbum Græcis præſentis temporis eſt, *Exciditur, & mittitur*, ἐκκόπτεται καὶ βάλλεται: primum, ut ſententia ſit generalis: deinde, quod abuſus temporis magis facit ad emphaſim periculi proxime imminentis; velut admota radicibus ſecuri, jamjam futurum ſit ut funditus excidatur arbor. Atque ita legiſſe Cyprianum conjicere licet ex ipſius verbis quæ ſcribit in Expoſitione orationis Dominicæ. *Nam cum omnis*, inquit, *arbor non faciens fructum, excidatur, & in ignem mittatur, utique & ſermo*, &c. Alioqui dicturus erat, *Cum omnis arbor ſit excidenda, & in ignem mittenda*. Illud levius, quod εἰς μετάνοιαν vertit *in pœnitentiam* pro *ad pœnitentiam*.

11. *Qui autem poſt me venturus eſt, ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος*] *Qui venit*, præſentis temporis; aut, *qui venturus eſt*. Eſt enim hoc participium, quemadmodum & illius verbum, anceps; ut intelligas vel ætate juniorem Chriſtum, vel ſucceſſurum in munus prædicandi. ¶ Illud minutulum, *Non ſum dignus, οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς*] i. *Non ſum idoneus*. ¶ Et *fortior* ad vires refertur, non ad animi magnitudinem, *ἰσχυρότερός*, i. *valentior*, ſive *plus potens, quam ego*; cum juxta Latini ſermonis elegantiam fortitudo magis ſit animi quam corporis. ¶ Et *σανδάλια* ſolea ſonat magis quam *calceamenta*: hinc dicta Græcis quod pedibus *ſubligentur*. ¶ *In Spiritu ſancto*] Quod in noſtris additum eſt, *& igni*, in nonnullis Græcorum exempl. eraſum eſt, fortaſſis odio quorundam hæreticorum, qui pro lotione utebantur inuſtura. Certe Hieronymus legit, *In Spiritu & igni*; atque item Hilarius, cumque his Cyprianus: & in nonnullis Græcorum cod. additum conſpicitur. Atqui Chryſoſtomus hom. in Matth. 11. legit & interpretatur, *In Spiritu & igni*. Quanquam ſecus legit Theophylactus. Porro ne quis in noſtris cod. arbitretur caſu additum, ſic legit & interpretatur Hieronymus. Quod autem ait, *In Spiritu & igni*, trifariam poteſt accipi: Primum, ut referatur ad Spiritum S. ſpecie linguarum ignearum in die Pentecoſtes miſſum in diſcipulos, quem ipſe Dominus Act. 1. *baptiſmum* appellat; *Joannes baptizavit vos aqua; vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies*. Dein, ut pertineat ad ignem afflictionum & crucis: Nam hunc quoque *baptiſmum* appellavit Dominus, ita reſpondens filiis Zebedæi, *Poteſtis bibere calicem quem ego bibo, & baptiſmo quo ego baptizor baptizari?* Tertio, per *ignem* intelligi poteſt vigor Euangelicæ gratiæ qui intus datur, cum Judaici ritus fuerunt frigidi. Ignis enim inter omnia elementa maximam habet agilitatem, omnia in ſe transformans ac ſurſum rapiens. Tametſi *in* præpoſitio juxta idioma Hebræi ſermonis addita eſt; Quod genus eſt illud apud Joannem *In Spiritu Dei ejicio dæmonia*, quod perinde valet q. diceret, *Spiritu Dei ejicio*. Annotat hoc ut rem ſeriam Auguſtinus in hom. De verbis Domini ex Matthæo 11. proferens ſimiles formas, *Percuſſerunt in gladio*; *Succenderunt in igni*; *& Accepit cultros petrinos in quibus circumciderat filios Iſrael*.

12. *Cujus ventilabrum*] Πτύον Græcis inſtrumentum quo grana repurgantur à paleis. Auguſtinus ediſſerens Pſal. 92. legit *palam* pro *ventilabro*; quod idem pala quoque fieri conſueverit. ¶ *Triticum in horreum ſuum, τὸν σῖτον αὐτοῦ*] i. *Triticum ſuum*: ut *ſuum* pertineat ad *triticum* non ad *horreum*. Atque ita ſcriptum eſt non ſolum in omnibus Græcis exempl. verum etiam emendatis ac vetuſtis Latinorum cod. non ſolum calamo deſcriptis, verum etiam formulis excuſis. ¶ Deinde *paleam* eſt, non *paleas τὸ ἄχυρον*, licet reclamantibus noſtris exempl. Verum hoc nihil ad ſenſum.

14. *A te debeo baptizari*] Non eſt *debeo*, ſed *χρείαν ἔχω*, i. *Opus habeo ut abs te baptizer*. Porro verbo *baptizandi*, tametſi Græco, tamen quoniam res ipſa nova eo ad nos permanavit, placuit conſtanter uti. Quanquam Cyprianus in epiſtola ad Cæcilium auſus eſt ita legere: *Docete omnes gentes, tingentes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*.

15. *Sine modo, ἄφες ἄρτι*] Quod hic vertit *Sine*, mox transfert *Dimiſit*, cum utrobique ſit idem verbum: Quanquam non eſt idem *ſinere* & *dimittere*. Rogo quis eſt hic luſus in literis Divinis? Aut dicendum erat *Omitte nunc*, ut intelligas id quod eſt conſentaneum, Joannem injecta manu conatum vetare Jeſum; ac mox *Tunc omiſit illum*: aut, *Sine nunc*; &, *tunc ſinit illum*. Nam ἀφίησιν præſentis temporis eſt, non præteriti.

16. *Baptizatus autem Jeſus*] *Jeſus* in aureo codice non addebatur, nec in uno Donatianico. Siquidem cum eſſemus proxime Brugis, qua non alia civitas hodie florentior, aut bonorum ingeniorum feracior, in omnium celeberrimo congreſſu, cum aliorum Principum innumerabilium, tum præcipue Caroli Cæſaris ſemper Auguſti, & R. D. Thomæ Cardinalis Eboracenſis, ſcrutati ſumus bibliothecam vetuſtiſſimi collegii vulgo dicti S. Donatiani, quod hodieque veteris eruditionis ac diſciplinæ non pauca tenet veſtigia. Ibi reperimus Euangeliorum codices complures, quorum aliquot inſcriptione etiam teſtabantur ſe deſcriptos ante annos octingentos: Unum, in quo Teſtamentum Novum totum habebatur: Alterum omnium vetuſtiſſimum & uſu tritiſſimum, ſed mutilum & acciſum; in quo nihil erat Novi Teſtamenti, præter Epiſtolam Pauli ad Romanos, epiſtolas Jacobi, Petri, Joannis, & Judæ. Horum nobis copia facta eſt per omni virtutum genere præcellentem Marcum Laurinum ejus collegii Decanum. Habebat ea bibliotheca complures alios libros antiquitatis venerandæ, qui neglectu quorundam perierunt, ut nunc ferme ſunt ſacerdotum mores magis incumbere patinis quam paginis, & potiorem habere curam nummorum quam voluminum. Hoc te neſcire nolui, lector, quod horum codicum teſtimoniis ſum frequenter uſurus in hoc opere. ¶ Et *ἰδοὺ*, quod hic eſt apud Græcos, in pleriſque Latinis cod. non additur. ¶ *Sicut columbam, ὡσεὶ περιστερὰν*] Obſcurius reddidit interpres. Videtur enim dicere, *more columbæ deſcendiſſe Spiritum S.* cum ſentiat eum ſpecie columbæ deſcendiſſe. ¶ *Et venientem ſuper ſe*] Ex Græco ſermone non liquet utri ſint aperti cœli, Chriſto, an Joanni; tum uter viderit columbam deſcendentem. Atqui ex Euangeliſtæ verbis magis videtur ad Chriſtum referri quam ad Joannem, niſi quod ſequitur, *ἐπ' αὐτὸν*, quod interpres vertere debuiſſet, *ſuper eum*, ſive *ſuper ipſum*. Alioqui ſi *ſuper ſe* ſentiendum erat, dixiſſet *ἐφ' ἑαυτόν*. Ad hæc, non referebat ut Chriſtus hæc videret, quæ fiebant propter Judæos, quo evidenti ſigno intelligerent eum eſſe Meſſiam, non Johannem, ad quem alioqui vox Patris miſſa videri poterat, niſi columba palam deſignaſſet Jeſum. At Marcus, qui Matthæum redegit in compendium, aliquanto etiam obſcurius facit; & niſi res ipſa loqueretur, & obſtarent hæc duo verba, *ἐπ' αὐτόν*, prorſus intelligeremus Chriſtum vidiſſe, non Joannem. Lucas ita recenſet ut quis viderit non aperiat. Solus Joannes palam explicat Joannem Baptiſtam vidiſſe.

17. *In quo mihi complacui, ἐν ᾧ εὐδόκησα*] Verbum eſt peculiare Divinis literis, quo propenſum animum ac præcipuum quendam affectum ſignificant. Perinde ſonat q. d. *In quo bonam de meipſo habeo opinionem*, &, ut ita loquar, *Ipſe mihi placeo*; ſive, *In quo mihi complacitum eſt*. Auguſtinus Serm. 63. legit, *In quo bene ſenſi*, ſecutus Cyprianum ſuum, qui itidem legit libro adv. Judæos 1. c. 14. Uterque ſecutus videtur Tertullianum, qui libro contra Praxean legit, *In quem bene ſenſi*, & hic ſecutus, ut opinor, Irenæum, qui frequenter hoc modo loquitur. Nam *εὐδοκῶν* id Græcis ſonat. Unde illis *εὐδόκιμοι* dicuntur *celebres* & *de quibus magnifica eſt opinio*. Cæterum illud *dilectus*, quod mox præceſſerat, *ἀγαπητὸς* eſt Græcis, quod plerumque vertere ſolet *chariſſimus*. Eſt enim nomen, non participium; & omnino plus quiddam indicat quam *dilectus*. Atqui ſi uſquam erat *chariſſimus* dicendum, hîc certe dicendum fuerat, cum de Filio Chriſto loquatur. Et ita citat aliquoties Hieronymus.

VATABLUS.

1. VEnit, *παραγίνεται*] *Accedit*. ¶ *Prædicans κηρύσσων*] *Ut prædicaret*.

2. *Pœnitentiam agite*, Μετανοεῖτε] *Reſipiſcite*: vel, *Mentem mutate*, i. Meditamini emendationem vitæ. ¶ *Appropinquabit, ἤγγικε*] *Appropinquavit*. V. ¶ *Regnum cœlorum, ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*] i. cujus Rex eſt Chriſtus; & adminiſtratio ſpiritualis. Carnali regno opponitur.

3. *De quo dictum eſt, ὁ ῥηθεὶς*] *Qui dictus*. V. ¶ *Vox clamantis in deſerto, Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ*] i. Clamaturus in deſerto dicet, &c. ¶ *Parate viam Domini, ἑτοιμάσατε*

εαυτ ✠ ὁδὸν Κυρίου] Iſtud paulo poſt exponit cum dicit, *Facite fructum*, &c.

4. *Ipſe autem*, Αὐτὸς δὲ] *Ipſe vero.* ¶ *Veſtimentum*, τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ] *Veſtimentum ſuum.*

7. *Demonſtrabit*, ὑπέδειξεν] *Demonſtravit.* V. vel *ſubmonſtravit*, aut *præmonſtravit vobis ut fugeretis.*

8. *Facite*, Ποιήσατε] *Ferte.* ¶ *Fructum dignum pœnitentiæ*, καρπὸς ἄξιος τῆ μετανοίας] *Fructus qui deceant pœnitentiam.*

9. *Ne velitis dicere*, μὴ δόξητε λέγειν] *Ne ſitis hac mente ut dicatis*; vel, *ne cogitetis ita.* ¶ *Potens eſt*, δυνατὸς] *Poteſt.* V. ¶ *Suſcitare filios Abrahæ*, ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ] i. ſuſcitare poſteritatem ipſi Abrahæ.

10. *Enim*, δὲ] *Vero.* ¶ *Securis*, ἡ ἀξίνη] *Et ſecuris.* ¶ *Quæ non facit*, μὴ ποιοῦν] *Non ferens.* ¶ *Excidetur, & in ignem mittetur*, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται] *Exciditur, & in ignem mittitur.* V.

11. *Baptizo vos in aqua in pœnitentiam*: Βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν] i. aqua vos abluo ut reſipiſcatis. ¶ *Dignus*, ἱκανὸς] *Idoneus.* ¶ *Vos baptizabit in Spiritu S. & igni*, ὑμᾶς βαπτίσει ἐν Πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί] Heb. pro abluet vos à peccatis, dato vobis Spiritu S. igne purgante & inflammante.

12. *Cujus ventilabrum in manu ſua*, Οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ] Heb. altero relativo redundante, pro, *In cujus manu.* ¶ *In horreum ſuum*, αὐτοῦ εἰς τὸν θησαυρὸν] *Suum in horreum.* V.

14. *Debeo*, χρείαν ἔχω] *Opus habeo.*

15. *Reſpondens*, Ἀποκριθεὶς] Hebr. pro, *Locutus.* ¶ *Sine modo*: Ἄφες ἄρτι] *Omitte nunc.* ¶ *Juſtitiam*, δικαιοσύνην] i. quicquid præcepit Pater. Ita nunc eſt nobis faciendum. ¶ *Dimiſit*, ἀφίησιν] *Omittit.*

16. *Vidit*, εἶδε] Sub. *Johannes.* ¶ *Super ſe*, ἐπ' αὐτὸν] *Super ipſum.* V. i. Chriſtum.

17. *Dicens*, Λέγουσα] Hebr. participium pro verbo *dicebat* ¶ *In quo mihi complacui*, ἐν ᾧ εὐδόκησα] i. quem unice diligo. Hebr. vel, *in quo placatus ſum.*

CASTALIO.

1. JOhannes Baptiſta] Quod ſecundam ſyllabam in *Johannis* nomine aſpiro, hoc facio quoniam in Hebræo nomine aſpiratus: quod ideo in Græco non fit, quoniam non habent Græci aſpirationem niſi in verborum principiis, exceptalitera *ρ*. Idem puta de *Gehenna*, *Abrahame*, & multis alus: in quibus tamen per me ſuo quiſque utatur arbitrio. Nam video hæc in ſacris literis paſſim mutari; ut *Hieroſolyma* prima ſyllaba in Græco aſpiretur, in Hebræo non item: quod contra fit in *Anna.*

CLARIUS.

1. APpropinquavit regnum cælorum] Hic primum *regni cælorum* mentio fit, rei hactenus mundo ignotæ. Joannes vero primus id annunciat, ea ratione qua & primus baptizavit, ut præpararet populum ad Chriſti prædicationem.

4. *Locuſtæ*] Non eſt quod miremur Joannem Baptiſtam locuſtis uſum pro cibo, cum in lege Moſis inter mundos cibos quædam numerentur genera locuſtarum.

7. *Progenies viperarum*] Sicut viperæ cum naſcuntur perimunt matres ſuas, ſic iſti eos occidebant qui parentes illis & magiſtri erant ad veritatis agnitionem; iccirco miratur, *Quis*, inquiens, *demonſtravit vobis fugere à futura ira!* cum id raro in tam ſceleſtis mentibus uſu veniat.

8. *Fructus dignos pœnitentiæ*] *Nam digna pœnitentia*, ait M. Baſilius, *firmam habet ſpem remiſſionis*: & alibi, *Fructus digni pœnitentia, ſunt oppoſita peccato facta juſtitiæ.*

10. *Jam vero & ſecuris*] Hactenus (inquit) pertulit patientia Dei infœcundas arbores; nunc autem fructus eis faciendum eſt, aut excidendæ. Prædicit autem hic perdendam eſſe Judæam gentem præter exiguos illos qui eſſent crediturі.

11. *In Spiritu ſancto & igni*] Ut ſignificaret efficaciorem vim baptiſmi Chriſti futuram, quanto eſt efficacior Spiritus atque dignior quam aqua.

14. *Ego debeo à te baptizari*] Notat ergo eum: quid igitur alibi dicit, *& ego neſciebam eum!* Reſpondendum eſt, Joannem noviſſe quidem antea Chriſtum ut ſummæ ſanctitatis virum, quamobrem non ſe arbitrabatur idoneum qui eum baptizaret, quem ſe crederet ſanctiorem; ſed nondum revelata fuerat ei illius majeſtas, quod in eo ſcilicet ſalus omnium eſſet exſpectanda. Sunt tamen qui credant ea ipſa hora fuiſſe ei revelatum etiam antequam ſignum ſibi à Spiritu prædictum vidiſſet.

ZEGERUS.

2. APpropinquabit enim regnum cælorum. *Hic eſt enim qui dictus eſt*] Hoc pacto hic locus ſcribendus atque legendus eſt, ad imitationem B. Hieronymi, per cujus limam quatuor Euangelia habemus recognita: quem ſequitur B. Auguſtinus De conſ. eu. 2. cap. 12. & alii. Nec obſtat ἤγγικεν temporis præteriti, cum præteritum hic ponatur vice inſtantis, aut jam jamque certo futuri. Idem arguunt & vetuſta exemplaria.

4. *Locuſtæ*] Hoc loco, ſi vetuſtioribus fidimus autoribus, non *herbas* aut *fruticum extremitates ſummitateſve* ſignificant, ut nonnulli arbitrantur; nec rurſus genus illud locuſtarum de quo Plinius l. Nat. Hiſt. 11. c. 29. & alibi, ſcribit ſatis prodigioſa; ſed animalcula quædam in Scripturis ſæpe nominata, ſecundum uſitatam & notam acceptionem ſignificant. Neque id mirum aut abſurdum cuiquam videri debet, ſi Baptiſtam intelligamus locuſtis victitaſſe, iis videlicet quæ terreſtria ſint animalcula, cum Plinius lib. 11. cap. 29. & lib. 6. cap. 30. teſtetur etiam populos quoſdam ac regiones, nominatim Parthiam, ejuſmodi habere & eſitare cibum, & à nonnullis etiam locuſtam fumo & ſale durari in annua alimenta. Unde etiam B. Hieronymus l. adv. Jovin. 2. *Orientales*, idquit, *& Libya populos, quia per deſertum & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt. Hoc verum eſſe Johannes quoque Baptiſta probat.* Hactenus ille. Huic accedit quod Levit. 11. 22. etiam Locuſta inter animalia munda, & quibus veſci licitum erat, expreſſe recenſetur. Cujuſmodi autem fuerit hoc locuſtarum genus, aperte nos docet homilia quædam in Marcum Chryſoſtomo inſcripta. Certius tamen idem nobis tradit B. Hieronymus utpote certus ſanctæ illius regionis explorator & incola: qui in Comment. ſuper Jonam cap. 4. de locuſta II. Baptiſtæ victu loquens, *Animal eſt*, inquit, *parvum infirmas habens alas, de terra quidem ſurgens, ſed altius non valens evolare, ut plus ſit quam reptile, & tamen avibus non æquetur.* Eandem quoque de locuſta opinionem & in Terræ ſanctæ vetuſtiſſima quadam deſcriptione reperimus, ubi & de melle ſylveſtri ita ſcriptum erat. ¶ *Mel ſylveſtre*] *In eodem*, inquit, *deſerto ſunt arbores folia lata & rotunda lactei coloris & mellitis ſaporis habentes, quæ natura fragilia manibus confricantur. Hoc eſſe mel ſylveſtre dicitur.* Huic ſententiæ adſtipulatur & Rabbinus quem adducit Lyranus. Verum ex eo quod ab antiquioribus idipſum proditum non video, arbitror magis illos ſimpliciter de melle apum agreſtium, quod in arboribus & ſciſſuris petrarum reperitur, intellexiſſe, juxta Euthymii & Theophylacti expoſitionem.

9. *Et ne velitis dicere*] Interpres noſter nonnihil recedit à ſermone Græco, quemadmodum & Eraſmus, qui vertit, *ne ſitis hac mente ut dicatis.* Græce enim eſt, καὶ μὴ δόξητε λέγειν, pro quo commodius Opus imperfectum, adſtipulante & Hilarii commento, habet, *Nolite gloriari, dicentes.* Volebat enim B. Johannes, ne Judæi hoc nomine gloriarentur, ſibique placerent, quod patrem haberent Abraham. Chryſoſtomi tamen interpres cum vetere conſentit lectioné, vertens, *ne velitis dicere.* Irenæi interpres vertit, *nolite dicere*, lib. 3. ¶ *Filios Abrahæ*] Eſt quidem *Abrahæ* Græcis dativi caſus, ſed qui per antiptoſin genitivi vice poſitus ſit; quemadmodum & Luc. 7. 12. υἱὸς μονογενὴς τῇ μητρὶ αὐτοῦ, *filius unicus matris ſuæ.* Neque enim de Abraham hic agit, ut dicat illi aut ad illius gloriam ſuſcitandos filios, ſed de ſpiritualibus loquitur ipſius filiis.

11. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni*] Hebraiſmus eſt, pro, Abluet vos à ſordibus peccatorum, dato vobis Spiritu S. qui veluti ignis quidam vos purgabit, illuminabit, & inflammabit.

12. *Cujus ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum in horreum ſuum, paleam autem*, &c.] Hoc paradigmate præſignabat futurum ut Chriſtus ſecerneret pios ab impiis, illoſque ſibi coacervaret in æternæ ſecuritatis horreum collocandos, hos vero æternis ignibus excruciandos. *Ventilabrum* inſtrumentum eſt quo grana in altum projecta & quaſſata à paleis repurgantur. *Area* planities eſt indurata, in qua teruntur & excutiuntur frumenta; verum hic per metonymiam pro *ſegete* & *frumento* ponitur, nimirum continens pro contento. *Palea* hoc loco non proprie ſollicula illa quibus grana includuntur, ſed culmos ipſos, & quicquid illud eſt quod cum grano natum à grano ſecernitur & abjicitur. Opponitur enim hic Palea Tritico.

16. *Et vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ipſum*] Non ad Baptiſtam, ſicuti quidam neote-

neotericorum præter aliorum explanatorum autoritatem arbitratur atque enarrat, ſed ad Chriſtum hæc referenda ſunt: ut intelligamus hic Euangeliſtam inſinuare à Chriſto viſum eſſe Spiritum S. qui deſcenderit ac venerit in ipſum, nempe Chriſtum. Id enim ſatis apte liquet ex verbis quæ Euangeliſta immediate præmittit, dicens, *Baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit de aqua: & ecce aperti ſunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei*, &c. Vidit quidem eandem hanc viſionem & Johannes Baptiſta, verum id non hic Euangeliſta, ſed Johannes tantum commemorat, ubi dicit, *Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum* Joh. 1. 32. Neque huic ſententiæ obſtat quod hic non ἐφ' αὐτὸν i. *ſuper ſe*, ſed ἐπ' αὐτὸν ſcriptum ſit i. *ſuper illum*, vel *ſuper ipſum*, cum etiam & per αὐτὸν lævigatum frequenter fiat reciprocatio, ut patet ex illo Luc. 12. v. 27. Οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τούτων, & rurſus ex illo 1 Cor. 7. 37. ὃς τῶν κεκρικεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ ἕ τηρεῖν τὴν ἑαυτοῦ παρθένον. Et propterea fortaſſe potius ἐπ' αὐτὸν quam ἐφ' αὐτὸν ſcriptum eſt, ut intelligeremus reciprocationem longius ſe extendere, nimirum non ad Spiritum S. quod proxime præmittitur, ſed ad Jeſum, quod altius præmiſſum eſt. Eodem etiam conſilio puto & ab Interprete non *in ſe*, ſed potius *in ipſum* verſum eſſe: ita enim fideliora habent exemplaria; & ſic eſt in Marco 1. 10. Nam & in hac voce *ipſe* vis quædam ſubeſt reciprocandi, at non tanta ut ea ſpiritus ſubaudiri poſſit, ſicut in illo *ſuper ſe*. ¶ *Venientem ſuper ſe*] Sic legendum juxta codices antiquos & Auguſtinum, potius quam *ſuper ipſum*, quemadmodum habent nonnulli codices novi: ut intelligas Chriſtum conſpexiſſe deſcendentem in ſe Spiritum S. Eadem tamen reciprocatio etiam in τῷ *ipſum* intelligi poteſt, ſicut in ſcholiis dictum eſt, ut non magni referat utrum legatur.

LUCAS BRUGEN.

16. ET *vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem* [*manentem* q.] *ſuper ipſum.*] Hæc unius MS. lectio, ejus quod à Pariſienſibus notatum eſt, S. Germani lati, minime eſt contemnenda: ſic enim recte & Græca vertuntur & Syra. Cæterum altera, *Et venientem ſuper ſe*, quæ vulgo recepta eſt, eſtque in omnibus MSS. noſtris, numero 33. ac prioribus typographorum editionibus, germana Interpretis tranſlatio eſſe videtur: nam & eam Græca, necnon Syra, admittunt. Nicolaus Zegerus, in ſuis in Matthæi Euangelium ſcholiis, putare ſe ait, Interpretem vertiſſe *ipſum*, quia id fideliora habeant exemplaria: verum poſt, cum ad caſtigandum textum ſe dedit, melius editionis noſtræ exemplaria perſcrutatus, ſcripſit, ſuper ſe *legendum juxta codices antiquos potius quam* ſuper ipſum, *quemadmodum habent nonnulli codices novi.* Novi codices qui *ſuper ipſum* habeant, ſunt poſteriores aliquot Typographorum excuſiones, Quentelianorum duæ, & quædam aliæ. Quidam, quod dicitur, *Et vidit ſpiritum Dei*, ad Baptiſtam referunt, itaque malunt *ſuper ipſum* vertere: quidam ad Chriſtum referunt, probantque *ſuper ſe*. Utrumque intelligendi modum admittat fortaſſis Interpretis tranſlatio, *ſuper ſe*, quemadmodum id quod Marci primo tranſtulit, *in ipſo*, *Deſcendentem & manentem in ipſo*: neque enim perpetuo reciproci & non reciproci pronominis differentiam obſervare eſt ſolitus.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον γ, Περὶ τοῦ Ἰωάννης ὑπέρχει βασιλείαν οὐρανῶν.

Ματθ. ἐν τῷ Λουκ. τμ. γ, ἐν ᾧ ἡμέρᾳ ὑπάντων αὐξηθέντων Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς παρῆσαν ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆ Ἰουδ.

Μετάνοιτε βασιλείαν ἔλπιζετε ἄλλαιμον ἡμῖν.

Ἄδου,

Χρεστὸν Ἰωάννης ἐστιφέλιν ἔπειτ ἄφιξιν.

1. Παραγίνεται] *Advenit.*

2. Μετανοεῖτε] *Reſipiſcite*: vel, *Mentem mutate.*

3. Τρίβους] *Semitas.*

4. Ἀκρίδες] *Locuſta.* Alia exp in Ann.

6. Ἐξομολογούμενοι] *Confitentes.*

7. Γεννήματα ἐχιδνῶν] *Progenies viperarum.*

8. Ἄξιον τῆ μετανοίας] *Dignos pœnitentia*, i. qui deceant pœnitentiam.

9. Μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς] *Ne pro vobis ferate, vos cogitare.*

10. Ἡ ἀξίνη] *Securis.*

12. Πτύον] *Ventilabrum.* ¶ Ἅλωνα] *Aream.* ¶ Ἄχυρον] *Paleam.*

17. Εὐδόκησα] *Acquieui*: q. d. *Animo meo ſatisfeci.*

DRUSIUS.

1. JOhannes Baptiſta] Hujus mentio in hiſtoria Ebraica, l. 6. c. 63. Vocatur ibi *Sacerdos magnus*, & *Johannes qui baptizatus fuit* יוחנן אשר נטבל, cum potius dici debuit יוחנן ὁ βαπτίσας, aut ὁ βαπτιζων i. *baptizans. Forte* נטבל *baptizans eminenter*, ut נדבר *locutus eſt frequenter* נעבר *ſervivit eminenter.* Hiſtoriam autem Ebraicam voco quam compoſuit Aben-Gorion, ſive Gorionides, qui & Joſeph Gorione natus, vel ſi mavis, filius Gorion.

3. *Eſaiam*] Græce Ησαΐαν, quod perperam adſpirant. Syrus habet ישעיה cum Aleph in capite: quod inde profectum, quia nonnulli veterum Joth cum ſua vocali pronuntiabant ac ſi Aleph eſſet, יפכד *Iphcod* dicentes pro *Jiphcod*, יצחק *Iſahac* pro *Jiſhac*, ישראל *Iſrael* pro *Jiſrael.* In lib. Nom. *Eſaias*, *Salus Domini*; (alibi, *Iſaias*, *Saluator Dei*) *Verum apud Ebræos ab* J *litera ſumit exordium.* Tu intellige J conſonantem: Nam ſcribunt ישעיה *Jeſaias.* Hilarius non aliter eum nominat quam *Jeſſe.* Sed & 2 Paral. 26. diſerte legitur ἐκ Ἠσαΐου τοῦ προφήτου, cum tamen ibi ſermo ſit de Jeſaia. Vide Rom. edit. ad eum locum. Hunc ſerra diſſectum antiqui crediderunt. Origenes in fragmento Matthæi, pag. 68. *Hiſtoria narrat Eſaiam à populo diſſectum fuiſſe.* Lactantius l. 4. c. 11. *Eſaiam Judæi ſerra confectum crudeliſſime necaverunt.* Vide Obſerv. meas l. 10. cap. 19.

4. *Eſca ejus erat locuſta*] ארבה quæ eſui erant. Moſes de Kotſi in lib. magno Præceptorum, 139. 4. *Comedit homo locuſtas tam vivas quam jugulatas.* Hieron. adv. Jovinian l. 2. c. 6. *Apud Orientales, & Libya populos, quia per deſertum & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt: hoc verum eſſe Joannes quoque Baptiſta probat. Compelle Phrygem & Ponticum ut locuſtas comedat, nefas putabit.* Julius Scaliger contra Cardanum, 639. *Apud Syros in cibum recipiuntur illa quæ carent alis. Aſtraci à Dioſcoride nominantur, à Plinio attelabi.* Johannes Leo in Deſcriptione Africæ, l. 9. *Arabia deſerta & Libya populi locuſtarum adventum pro felici habent omine. Nam vel elixas vel ad ſolem deſiccatas in farinam tundunt atque edunt.* Mercurialis de Morbis puerorum l. 1. c. 3. *Refert Agatharchides in libro de mari Rubro* ἀκριδοφάγους *h. e. eos qui veſcuntur locuſtis, corpora habere maxime extenuata & macilenta.* Horum ἀκριδοφάγων meminit etiam Diodorus Biblioth. lib. 3. c. 11. ſed & alii meminerunt. Appellati autem fuerunt ἀκριδοφάγοι quod locuſtis veſcerentur, ſicut qui piſcibus ἰχθυοφάγοι. Vide ſis Plinium l. 6. c. 30. & l. 11. c. 29. Strabonem lib. 16. Parthi & alii populi utebantur ut cibo parabili. Fortean & Johannes noſter. Nam cibus erat vilis nec magni pretii. Ideo Clenardus ait ſe malle perdicem unam quam locuſtas viginti. Verba ſunt in epiſt. ad Jacobum Latomum, *Fela vidiſſes cœlum obdu-ctum locuſtarum agminibus, quæ hic non ſolum ſaltant ſed avium ritu volitant. Jam coram video minas priorum Prophetarum multis in locis: noſte una ſata perdunt univerſa. Bellum ſtrenue cum iis gerunt ruſtici; nam plauſtra plena locuſtis advehunt Feſam: nam hoſtes vulgo hic conedunt. Ego tamen ſum tam delicatus ut malim perdicem unam, quam locuſtas viginti.* Inter ea quorum uſus conceditur Hebræis Lev. 11. 22. ארבה *locuſta*, unde pluralis ארבים Num. 13. 33. ubi Thargum ארבין, & LXX ἀκρίδες.

5. *Tota regio circumjacens Jordanem*, πᾶσα ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου] Ἰορδάνης, Ἰορδάνου. Sed Latini dicunt *Jordanis.* Reperias & *Jordanes.* Apud Pauſaniam in Eliacis eſt Ἰόρδανος. Ebraice ירדן *Jarden.* In Syriacis ירדנן *Iurdanan*, & in verſione Latina *Iurdan.* Dictus ita vel quod *è Dan deſcendat*, vel nomine compoſito ex duobus ejus fontibus *Ior* & *Dan.* Suidas, Ἰορδάνης, ὁ ποταμὸς· συλλήβδην ἓν ὕστω λέγ· τὸ συμμίγνυσθαι δύο ὕδατα ποταμοῦ, Ἰορ καὶ Δάνου. Apud eundem, Ἰορδάνειον ῥεῦμα, *fluenta Jordanis.* Manahemus de Recanati Geneſ. 2. *Jordanis exit è ſpelunca Paneas, & vadit in mare Tiberiadis, indeque deſcendit in mare magnum. Paneas*, i. פנס, cujus meminit & Kimchi Joſ. 19. Omnino eſt Paneas, fons in monte Libani, unde Jordanus fluvius erumpit. Vide Joſephum De Bell. Jud. l. 3. c. 18. *Paneum, Paneas*, ut *Spania, Spamia.* Nam ן & ם alternant. Sic *Moph* dicimus & *Noph.* Hieron. in Quæſt. Ebr. *Dan unus è fontibus eſt Iordanis. Nam & alter vocatur Ior, quod interpretatur* ῥεῦμα. *Duobus ergo fontibus, qui haud procul diſtant, in unum rivum federatis, Iordanis deinceps appellatur.*

7. Sa-

7. *Saducæi*] De Saducæorum nomine ac doctrina, etſi ſatis plana res eſt, obſervabo tamen aliquid quod ante me nemo obſervavit. Ac primum de nomine. Theophylactus, Σαδδουκαῖοι ἐρμηνεύονται Δίκαιοι. Σεδὲκ γὰρ Δικαιοσύνη· δικαίους γὰρ ἑαυτοὺς αὐτοὶ ὀνομάζουσι· ἢ ὅτι αἱρετίσαχε Σαδὼκ ὀνομάζεται. Duplex ſententia: Prior dicit quod appellati ſint *Saducæi* à *juſtitia*: Nam *juſtitia* Ebraice *Sedec* dicitur. Altera dicit quod hic appellati ſint ab hæreſiarcha *Sadoc*. Hæc vera eſt. In lex. Juris, צדוקים על שם צדוק. *Vocati ſunt Saducæi de nomine Sadoc.* Hic obiter obſervo ſcribendum *Saducæi* unica *d*, non *Sadducæi*. Id eruo ex ſcriptura nominis *Sadoc*, 2 Sam. 8. 17. Nam ſcilicet idem nomen fuiſſe & ei à quo ſecta appellata eſt. Porro à *Sadoc* qui ſcribit *Sadducæi*, peccat bifariam, primum quia literam conſonantem geminat tanquam per Daghes, deinde quia legit Phatach ſub Tſade, cum ſit Camets. Hoc poſito, quæramus quis fuerit Sadoc iſte. Nam ignotum hoc vulgo. Vir doctus in Notis ad Auguſtini libellum De hæreſ. ex Epiphanio ita ſcribit, *Saducæi tanquam juſtitiarii aut juſti dicti ſunt, vel à Sadoc ſummo ſacrificatore.* Si hoc dicit Epiphanius, fruſtra eſt: ſed meo animo non videtur hoc dicere. Ponam ipſius verba, Ἦν γάρ τις Σαδὼκ τῷ χρόνῳ τῶν παλαιῶν τοῦ ἱερέως, ἀλλ' οὐκ ἐμμείναντα τῷ τῆς ἕδρας αὐτοῦ διδασκαλίᾳ. *Fuit priſcis temporibus ſacerdos quidam nomine Sadoc: ſed non manſerunt iſti in præſulis ſui doctrina.* Quod Epiphanius hic ait, veriſſimum eſt. Sadoc autem, à quo *Saducæi*, diſcipulus fuit Antigoni Sochæi. R. Nathan in Vitis Patrum, Jehielides in Lex. Juris, Elias Germanus Tisbite. Amplius reperio citatum ex libro Alcoſder Judæ Levitæ, *Ezdras Cabalam tradidit Simeoni Juſto; is Antigono & ſociis ipſius, è quibus Sadoc & Baithos hæreſiarchæ, unde Saducæi & Baithuſæi.* Vixit non multo poſt tempora Ezræ. In Avoth, *Moſes acceptam Legem tradidit Joſuæ, Joſua Senioribus, Senieres Prophetis, Prophetæ Viris Synagogæ magnæ, è quorum reliquiis Simeon Juſtus, cui ſucceſſit Antigonus Socheus.* Hæc de nomine: in quo falluntur qui à *juſtitia* appellatos cenſent *Saducæos*. De doctrina res clarior. Negabant reſurrectionem argumentis ab abſurdo, Matth. 22. 23. à non ſcripto, ut quod refutat ibidem ὁ Σωτήρ. Item dicebant, *Si patres noſtri ſciviſſent mortuos reſurrecturos, & præmia manere juſtos poſt hanc vitam, non tam ſæpe rebellaſſent.* Jehielides in loco memorato, *Rejiciebant traditiones Patrum, adeoque omnem omnino Legis expoſitionem.* Joſeph Ben Gorion Hiſtor. ſuæ l. 4. c. 29. *Ecce Saducæi dicebant, Ne credamus neque auſcultemus ulli traditioni aut ulli expoſitioni, ſed tantum legi Moſis.* Elias Levita Germanus in Tisbite, *Negabant Legem ore tenus traditam, & non credebant niſi quod exſtat in lege ſcripta. Ideo vocati ſunt Caraim: nam* מקרא, *Scriptura.* De Phariſæis aſſeverabant *quod ſe miſere affligerent in hac vita propter traditiones, neque tamen in altera vita, quam eſſe credebant, mercedem inde ullam reportarent*; Nathan Juſtus Jehielides author Lexici quod vocant *Baal Aruch.* Nata hæc hæreſis ex dicto quodam Antigoni ſequius accepto quam ipſe intellexerat. Meminit Jehielides, & exſtat in Sententiis Patrum: eſt autem hujuſmodi, *Nolite ſimiles eſſe ſervis iis qui ſerviunt domino pro mercede; ſed eſtote ſimiles ſervis iis qui ſerviunt quidem domino, non tamen pro mercede: ſitque timor cæli ſuper vos.* Sed de his ſatis ſuperque. Vide tamen plura ad Matth. 22. 23.

9. *Patrem habemus Abraham*] Reſpexit ad vulgatum illud, quod frequens in ore Judæorum, אברהם אבינו, *Abraham pater noſter.* Addunt interdum עליו השלום, *ſuper eum pax.* Quæ per ſigla ſcribunt עה"ש. Et aliter legunt qui interpretantur, *Dicit Abraham, Super eum pax.* Vera interpretatio quam dixi. Vide ſis Abbreviaturas Merceri: quem refellit liber Ebraicus, qui vocatur ראשית חכמה הקצר *Principium breve ſapientiæ*, ubi מתלמידיו של אברהם *Ex diſcipulis Abrahami patris noſtri, ſuper quem pax ſit.* Cave aliter legas: namquis ille Abraham qui ſimpliciter & abſolute ſic nominatur? Hoc nomen male quidam initio aſpirant, ſcribentes *Habraam*, & Græce Ἁβραάμ, cum ſcribi debeat Ἀβραάμ, & Latine *Abraham*, ſpiritu leni, cui reſpondet Aleph Ebræorum, quoad vim ac poteſtatem ejus. Sic dico, ſcribi debet Latine *Abraham* cum aſpiratione in ultima. Nam *Abraam* à Græcis dimanavit, qui voces in medio non aſpirant. Nos tali neceſſitate non conſtringimur. In nominibus Ebraicis Ebraica conſuetudo ſequenda eſt. Declinatur *Abraham*, *Abrahæ*, ut *Adam*, *Adæ*. Sane apud interp. noſtrum *filius Abrahæ*, Luc. 19. 9. & *filia Abrahæ*, 13. 16. & *Semen Abrahæ* Joh. 8. 33. & *filii Abrahæ*, ibid. v. 37. item Gal. 3. 7. Hi à Græcis etiam Ἀβραμιαῖοι vocantur. Suidas, Ἀβραμιαῖος, ὁ ἀπόγονος Ἀβραάμ, *oriundus Abrahamo.* Exponitur etiam ab eodem γιγαντιαῖος, *gigantæus*, aut *magnus*, καὶ ἱερεμαϊκὸς, *ſacer, divinus*, vel potius *ſanctitatem decens, ſanctitati conveniens.* Heſychius quoque Ἀβραμιαῖος interpretatur εἶδος ἔχων Ἀβραάμ, γιγαντιαῖος. Filii Abrahæ duplices, alii ſecundum carnem, videlicet Iſraelitæ qui abs eo genus ducunt; alii ſecundum fidem, quo ſenſu omnes fideles filii ejus dicuntur: nec injuria. Nam qui Deo credit, ut olim Abraham fecit, quod ei ad juſtitiam imputatum fuit, revera eſt filius Abrahæ. Vide Matth. 3. 9. Luc. 3. 8. & 19. 9. Joh. 8. 33, 37, 39. Act. 13. 26. Rom. 4. 11, 16, 17. & 9. 7. Gal. 3. 7, 29. Quin ipſe quoque Abraham vocatur *pater fidelium.* Legimus & *Pater Abraham*, Luc. 16. 24. 30. De quo peculiariter gloriabantur Judæi, dicentes, *Patrem habemus Abrahamum.* Quanquam aliarum quoque gentium pater fuerit, ut Iſmaelitarum, Idumæorum, &c. De hoc multa Suidas in Ἀβραάμ, ad quem te adire cupio. Ratio nominis alibi explicata fuit. Non libet eadem repetere.

10. *Exciditur & in ignem projicitur*] In libro quem modo citavi, *Sicut arborem aridam, quæ non fert fructum, excindunt, ad nullam rem utilem quam ad ignem, talis eſt qui hodie diſcit quod nudiuſtertius didicit, & ſemper manet in lectione una.*

17. *Vox è cælo*] Non tam *vox* quam *filia vocis*, בת קול, aut בתי קלין. Sic enim certe Doctores appellant, qui crebram ejus mentionem faciunt, In Sanhedrin. c. 1. *Tradiderunt noſtri doctores, ex quo mortui ſunt Prophetæ poſteriores, Haggæus, Zacharias & Malachias, aſcendit Spiritus ſanctus ab Iſrael: nihilominus utebantur filia vocis.* Ad hunc locum gloſſa eſt, quæ Latine ſonat, *Sunt qui dicunt quod non audierint vocem exeuntem è cælo, ſed è medio vocis illius exibat alia vox, ut ſæpenumero cum homo percutit aliquid valide, audit vocem aliam quæ exit ex ea de longe. Hanc igitur vocem audiebant, propterea vocabant eam Filiam vocis*, quaſi natam ex alia voce: cujuſmodi ea eſt quam ἠχὼ appellaverunt Græci. Aboth c. 6. *Filia vocis exibat è monte Horeb*; & in commentario, qui penes me, *Invenitur in Medras R. Tanchuma, quod ideo dicat Filia vocis, quia non erat Angelus, ſed vox debilis egrediebatur ante ipſum vento flante.* Erat autem genus revelationis Divinæ ſive prophetiæ quæ viguit maxime ſub templo ſecundo; ſed & antea in uſu fuiſſe videtur. Certe Jonathan ejus meminit, Num. 21. 27. & Deut. 28. 15. Manahem Ricinenſis in Prophetia generaliter accepta tres partes conſtituit: unam, quæ peculiariter *Prophetia* dicitur; alteram, quæ vocatur *Spiritus ſanctus*; tertiam, quæ dicitur *Filia vocis.* Ergo Spiritus ſanctus medius inter Prophetiam & Filiam vocis. Alii interponunt Urim & Thummim. Sic enim profecto Gerundenſis, in Exod. ſcribens 146. 1. *Inter Filiam vocis & Prophetiam erant Urim & Thummim.* Hic ſub Prophetia comprehendo etiam Spiritum ſanctum, nomine latius accepto: quo ſenſu & Daniel Propheta fuit, & David quoque, & Salomo, & alii: qui tamen inter Prophetas non numerantur, ſed tantum inter hagiographa, quæ כתובים vocantur, quia ſcripta per Spiritum ſanctum. Vides gradus in Prophetia quatuor: Primus eſt Prophetia; ſecundus, Spiritus ſanctus; tertius, Urim ac Thummim; quartus, qui & infimus, Filia vocis. Hanc Tremellius ait fuiſſe vocem articulatam. Vide illum, ſi placet, in Notis ad Syrum interpretem, Act. 12. 22. Antiquitus etiam vox audiebatur debilis & ſubmiſſa tacitaque, quæ vocatur *vox ſilentii debilis*, 1 Reg. 19. 12. Vide Mercerum Job 4. 16. Ad quem locum R. S. *Hinc eſt*, inquit, *quod priores niſi ſint voce, poſteriores filia vocis.*

CASAUBONUS.

1. Ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας] Vide infra ad Joh. 1. 28.

2. Ἤγγικε γάρ] Nihil vetat vertere *appropinquat.* Nam ἤγγικα unum eſt de iis verbis quæ in præterito ſignificationem habent præſentis; cujuſmodi multa ſunt apud Græcos, quædam apud Latinos. Sic ἤλπικα pro ἐλπίζω, 1 Tim. 6. 17.

4. Ἡ δὲ τροφὴ ἦν ἀκρίδες] Strabo de gente quadam Æthiopica, Πλησιόχωροι δὲ τούτοις εἰσὶ μελανόχροοί τε τὰ σώματα, καὶ βραχύτριχοι καὶ βραχυβιώτατοι, τὰ μὲν πεπλανημένοις ἔτη ἑκατὸν ἐπιβιῶναι, σπανιωτάτοις δὲ τῶν ἑπτά. Ζῶσι δὲ ἐπὶ ταῖς ἀκρίσιν. Mox, Συγκόπτουσι δ' αὐτὰς μετ' ἁλμυρίδος καὶ μείζας πτῶν καὶ χερῶν. Audiamus nunc optimum interpretem qui docebit nos quid ſint ἀκρίδες. Plinius is eſt, qui l. 7, c. 30. ſic ſcribit de eadem gente de qua loquitur Strabo, *Pars quædam Æthiopum locuſtis tantum vivit fumo & ſale duratis in annua alimenta: ii quadrageſimum annum vitæ non excedunt.* Agatharchides autem, à quo ſumſit uterque, diſerte ζῶσι eſſe ait: ut nemo poſthac de vera hujus loci interpretatione dubitare queat.

6. καὶ

6. καὶ ἐβαπτίζοντο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ] Hic enim fuit baptizandi ritus, ut in aquas immergerentur: quod vel ipſa vox βαπτίζειν declarat ſatis; quæ ut non ſignificat *dúnein*, quod eſt *fundum petere cum ſua pernicie*, ita profectò non eſt ἀνατραλίζειν. Differunt enim hæc tria, ἀνατραλίζειν, βαπτίζειν, δύνειν. Unde intelligimus non eſſe abs re quod jam pridem nonnulli diſputarunt de toto corpore immergendo in ceremonia Baptiſmi: Vocem enim βαπτίζειν urgebant. Sed horum ſententia merito eſt jampridem exploſa, cum non in eo poſita ſit myſterii hujus vis & *integra*.

CAMERO.

1. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις] Hebraiſmus paſſim in Vet. T. obvius, בימים ההם.

5. Ἱεροσόλυμα καὶ πᾶσα ἡ Ἰουδαία] Phraſis eſt iſti ſimilis, Πέτρος καὶ οἱ Ἀπόστολοι, 1 Cor. 9. 5. ὡς καὶ οἱ λοιποὶ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου, καὶ Κηφᾶς. Sic etiam Μαρία σὺν ταῖς γυναιξί, Act. 1. 14. Et apud profanos Scriptores, ὁ Ζεῦς, ἡ πόλις οἱ θεοί.

7. Ἰδὼν δὲ πολλοὺς τῶν Φαρισαίων] Sunt, & quidem ii viri longe doctiſſimi, qui *Phariſæos* dictos eſſe putant quod eſſent Divinæ Legis Interpretes; nam פרש eſt *interpretari*. Qui ſe tuentur primum authoritate Judæorum: ſunt enim inter Judæos qui dicant *Phariſæos* eſſe nominatos quod eſſent מפרשים *Legis interpretes*. Et Joſephus lib. 1. De bello Jud. cap. 4. tradit Phariſæos fuiſſe σύστημά τι Ἰουδαίων ἐνηθεστέρους τὸ βίον, καὶ δοκοῦν ἀκριβέστερον τῶν ἄλλων τὸν νόμον ἐξηγεῖσθαι, *ordinem quendam Judæorum qui videbantur reliquis Judæis ſanctius vivere, & Legem accuratius interpretari*. Quorſum etiam & illud accedit quod in N. Teſt. mentio ſit Diſcipulorum hujus ordinis hominum: Quærunt enim Judæi cur Chriſti Diſcipuli non jejunent, cum jejunent Johannis & Phariſæorum Diſcipuli, Matth. 9. 14. Unde videtur concludi non abſurde, Phariſæos eoſdem eſſe Doctores & Interpretes Legis. Nec huic ſententiæ obſtat (inquiunt) quod à doctiſſimo viro obſervatum eſt, Phariſæos non dici מפרשים, quod dicendum omnino foret, ſiquidem *Phariſæi* Interpretes ſunt. Nam forma Pahul activam habet ſignificationem apud Chaldæos & Syros: Itaque mirum videri non debet ſi nomen hujus ordinis, etſi juxta rem Grammaticam Hebr. paſſivam habet ſignificationem, tamen ea ætate qua lingua Hebræa corrupta fuit, & tota pene Chaldaica reddita, Syra (inquam) illa lingua, cujus uſus fuit vernaculus inter Judæos, activam habeat ſignificationem; Sic ילד *pater*, קטל *homicida*, חטף *raptor*, & hujuſmodi ſexcenta. Hæ rationes eo permoverunt doctiſſimum Interp. ut poſteriore N. Teſt. editione ſententiam de hujus nominis etymo mutarit. Nam in prioribus editionibus N. Teſt. adductus authoritate maximi & incomparabilis viri Merceri, notaverat *Phariſæos* non eſſe dictos ideo quod eſſent *Interpretes* Divini juris, ſed (ut Mercerus autumat) quod eſſent à reliqua turba *ſegregati*. Et, ut fuit candidus & ingenuus, profitetur ultro Druſii rationibus, viri in hoc genere literarum doctiſſimi, ſe ut ſententiam mutaret permotum. Alii ſunt, & hi viri docti, qui מפרשים dictos putant *Phariſæos* quod vitæ genere omnium oculis à reliqua turba internoſcendi *exponerentur*. Sed ut פרש *expandere* & *explicare* ſign. *quod erat involutum*, atque *ob oculos illud conſtituere*, tamen metaphorica ſignificatione id non ſign. Nec eo juvantur quod Φαρισαῖοι per σίγμα unicum ſcribitur; nam & Φαρισαῖοι antiquitus ſcriptum eſt hoc nomen, & ν ſimplici etiam σίγμα exprimitur. Sed hæc etymologia arguta nimis eſt, & à nemine Veterum obſervata. Ut illud interim taceamus, non eſſe veriſimile ſectam quam αἵρεσιν τελειοτάτην Apoſtolus vocat Act. 26. 5. aſſumpſiſſe nomen quo aſſumpto ſe exoſam reddidiſſet. Etenim manifeſta eſt hypocriſeos profeſſio, ut quis ſe eo nomine cenſeri exigat quod notat animum hypocritæ. Itaque hæc etymologia & petita longius eſt, & diſconvenit rei. Eorum autem qui *Phariſæos* dictos putant מפרשים ἀποτετομμένην ſententia exploſa eſt merito à viris doctis, idque, ſi nihil aliud eſſet, ob inſolentiam hujus appellationis. Nam ἀποτετομμένοι Græce dicuntur, non *qui ſe ſponte ſegregarunt*, ſed *qui reciſi ſunt*; quanquam & ratio jam allata à viris doctis hanc etymologiam refellit: nam פרש ἀποκόπτειν ſane ſign. at פרש non idem ſign. Sed hoc loco tamen vindicanda eſt Epiphanii ſententia, qui *Phariſæi* vocem ἀφωρισμένους interpretatur, quod (inquit) Φάρες Hebraice ſit ἀφορισμός, quod Epiphanii dictum reprehenditur injuria, ut videtur: Cum enim ἀφορισμὸν dixerit ſuum illud Φάρες, non eſt credibile virum haud plane imperitum linguæ Hebraicæ intellexiſſe פרץ, quæ vox *ruptura* ſign. & *ſciſſionem*, ſed eſt Hebraicum פרש, quod æque facile Græcis literis Φάρες exprimi poteſt. Verum quidem illud eſt פרש ſignificare *rem ex-*

crementum, ſed hoc fit κατ' ἐυφημισμὸν, quia hic fit ſeparatio & excretio quædam; cæterum nativa & primigenia vocis ſignificatio eſt ἀφορισμός. Alii denique (quorum ſententiæ nos aſſentimur) *Phariſæos* appellatos dicunt quod eſſent *ſegregati* inſtituto vitæ à reliqua turba: Atque in hac ſententia ſunt Judæorum doctiſſimi, qui *Phariſæos* dictos putant quod eſſent פרושים מדרכי דעות, h. e. *ſegregati à ratione & conſuetudine vitæ hominum ſeculi*. Atque hæc eſt vera hujus nominis etymologia. Id quod multis argumentis probari poteſt. Ac inde primum, quod Phariſæi dicuntur quidem מפרשים ſed ab iis qui ſtudent ſcribere Hebraice: (jam Hebraiſmi hæc eſt ratio, ut quæ ſic terminantur paſſivam habeant ſignificationem, aut neutram, nunquam apud Hebræos hujus formæ nomina actionem ſignificant, itaque מפרשים non ſunt *interpretes Legis*) at vero qui inter ſcribendum vel æmulantur vel uſurpant Chaldaicas locutiones, illi non jam מפרשים ſed פרשי potius eos vocant, nomina vero hac forma Chaldæis & Syris paſſivæ ſunt ſignificationis, vel neutrius. Secundo, נזר Onkelos vertit פרשא Geneſ. 49. 26. nam quo loco Hebraice dicitur נזר אחיו illud vertit לנכרא דאתפרש מאחוהי, h. e. verbum verbo *viro Phariſæo*, i. *ſeparato*: Græce ἐξαίρετον, Latine *egregium*, *eximium* diceretur. Denique res ipſa id docet. Nam qui ſe ſanctitatis vitæ nomine commendant, ſolent itidem profiteri ſe eximium & ſingulare quid ut conſequantur ſtudere, ut non ſit dubitandum quin eadem mens Phariſæis fuerit. Nam arrogaſſe ſibi ſolis jus interpretandi Legem tam fuiſſet ab inſtituto ſuo alienum, quam ſi Jeſuitæ hodie ſibi arrogarent jus Epiſcoporum. Jam qui ſunt in Eccleſia conſtituti in aliqua dignitate, ut plurimum non invident ulli gloriam ſanctitatis, tametſi non patiantur (& quidem fortaſſe non injuria) turbari, niſi gravi de cauſa, Eccleſiæ ordinem. Non eſt igitur credibile Phariſæos, homines aſtutos & callidos, hanc laudem ſibi ut peculiarem arrogaſſe, quod eſſent Divinæ Legis Interpretes, quanquam reapſe eam ſibi vendicarent, quod & Jeſuitæ hodie faciunt, cum erubeſcant tamen id profiteri. Itaque non valet ea ratio, *Sic ferè & poſcit forma nominum Chaldaicorum, ut quæ Hebræa forma Pahul ſunt, apud Chaldæos nihil nominum activam habeant ſignificationem:* nuſquam enim occurrit hac ſignificatione פרש apud Chaldæos, aut eos qui eorum dialecto ſunt uſi; quin illis interpres Scripturæ & Legis eſt מפרש. Certe ne Hebraice quidem qui loquuntur ſolent Interpretes appellare מפרשים. Verbum quidem פרש ſemel in Scriptura ſign. *interpretari*. Levit. 24. 12. לפרש להם *ut exponeret ipſis*, &c. Sed tamen ab eo verbo non ſolent R R. formare מפרשים, quin & *Interpretum* & *interpretationis* nomen deducunt à Pihel. Phariſæi igitur dicuntur *ſegregati*, non מפרשים ſed פרושים. Porro nomina hujus formæ duplicem habent ſignificationem: vel enim actionem ſignificant ſuſceptam ab alio, vel ſignificant aliquid inhærens & permanens, ut v. g. Latine nomen hoc *electum* aliquando ſign. *id quod eligitur*, aliquando ſign. ſimpliciter *id quod eximium eſt & egregium*, ut cum dicimus *aurum electum*. Sic lingua Hebraica קרוא & בחור, quorum alterum *vocatum*, alterum *electum* ſign. aliquando participia ſunt, quæ notant ſuſceptam actionem aliquam ab alio profectam, aliquando rei ipſius dignitatem notant, & adjectiva ſunt. Certe פרושים non eſt uſurpatum à Phariſæis ut participium ſignificans actionem, ab alio profectam, ſed ut adjectivum, quomodo Chriſtus Hebr. 7. 26. dicitur κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. Eſtque id vocabulum non Muneris, ſed ſectæ nomen, nec eos ſign. qui certa quædam munia obeunt, ſed quorum vitæ genus & ratio ſingularis eſt. Itaque R. D. K. dum exponit Sophon. 1. 8. quo loco Dominus prænunciat fore ut *viſitet Principes, & eos quorum amictus peregrinus eſt*, citat veterem gloſſam his verbis, יש מפרשים שמראים עצמם פרושים שלא כשאר העם בני חסידים חלכים מלאים מצות שבידיהם בחלוניהם שהם מראים חיצוניהם רעים, *Sunt qui ſic locum iſtum interpretantur, Homines qui ſemetipſos oſtentant tanquam ſi eſſent Phariſæi, i. ſeparati, & pii, quique induunt ſe veſtimenti genere peregrino, ſeu ἀλλοδαπῷ, & quo vulgus nequaquam utitur, ut agnoſcantur ex veſtibus quaſi eſſent* פרושים, h. e. *pii* ſeu *ſancti, cum tamen moribus ſint corruptiſſimis*. Cæterum de etymo hujus nominis vide rurſus infra ad Act. 26. 5. ¶ Γεννήματα ἐχιδνῶν] Videtur reſpicere & alludere ad locum Eſai. 59. 5. ביצי צפעוני בקעו *ova viperarum excluſerunt*.

9. Μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς] Phraſis eſt iſti affinis quæ habetur Eſth. 4. 13. אל תדמי בנפשך להמלט. ¶ Ἐγεῖραι τέκνα] Hebr. להקים אבן זרע לאברהם.

10. Εἰς πῦρ βάλλεται] Simile eſt illi quod eſt Ezech. 15. ver. 4.

11. Πνεύματι καὶ πυρί] Si Johannes hac phraſi hoc voluiſſet, *Chriſtus baptizabit vos Spiritu, qui eſt veluti ignis quidam ſpiritualis*, non dixiſſet, πνεύματι καὶ πυρὶ, ſed πυρὶ

ἐν πνεύματι, quomodo Iohan. 3.5. Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος. Atque ſic apud profanos etiam authores. Cicero, *Semper conſilia mea toga ac pacis, non armorum atque belli ſocia fuere;* Non dixit *pacis atque togæ, belli & armorum*, ſed *togæ ac pacis, armorum & belli.* Sic dici debuerat: *baptizabit vos igni & Spiritu*, non vero *Spiritu & igni.* Itaque reſpexiſſe potius videtur Iohannes ad ignem illum qui ſpecie linguarum apparuit ſuper caput Apoſtolorum & fidelium die Pentecoſtes, Act. 2.

12. Διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα αὐτοῦ] *Aream* nomine communiter intelligitur miſcellanea turba piorum & hypocritarum in Eccleſia viſibili; ſed perperam: mundatio enim non pertinet ad impios & hypocritas bonis permixtos. Cum itaque Area ſit quæ mundetur, ſane *Aream* nomine vel nihil eſt intelligendum, (niſi quod hic adhibetur illud nomen propter ſimilitudinem, non quidem ullius rei quæ huic nomini reſpondeat, ſed actionis quæ ſequitur hoc nomen: nam in Area fit ventilatio) vel ſi quid eo nomine ſignificetur, electi & fideles ſignificabuntur, qui dicuntur *permundari*, non quod ipſi immundi ſint, (hactenus, inquam, qua fideles; nam natura immundi fuerunt) ſed quia ſegregantur ab iis qui immundi ſunt; quomodo triticum purgari dicitur, non quod triticum ſit impurum in ſe, ſed quia permixtum fuit impuro. Duplex enim impuritas eſt; altera interna & inhærens, de qua nulla hic proprie fit mentio; altera externa ab eo quod comitatur atque extrinſecus accedit; de qua impuritate *mundatio* hoc loco eſt intelligenda.

15. Πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην] Phraſis eſt illi Hebraici affinis, מלא אחרי יהוה, quæ de Caleb uſurpatur bis, Deut. 1.36. & Ioſ. 14. 14. qua denotatur plenum Deo exhibitum obſequium. Hoc ergo voluit Chriſtus ſignificare, *Oportet me defungi, non modo legali œconomia, ſed & tua.* Doctrina nempe Iohannis non fuit mere Prophetica, neque etiam mere Euangelica: Itaque obtinuit ſub Iohanne novus quidem Eccleſiæ ſtatus, quia mutatio doctrinæ mutat ſtatum Eccleſiæ; & doctrina indicat Baptiſmum; qualis enim fuit doctrina, talis fuit & Baptiſmus. Hinc factum eſt ut Chriſtus voluerit baptizari baptiſmate Iohannis, quia voluit Chriſtus defungi omni œconomia. Itaque voluit ſubjici Legi Ceremoniali, & Politicis Iudæorum legibus, & Baptiſmati Iohannis, ita ut nihil ſit quod Chriſtus non præſtiterit, ut omnis generis peccatores conſolationem haberent, eoſque ſui conſortes faceret.

17. Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου] Videtur reſpicere atque alludere ad locum qui eſt Proverbior. 8.30. *Aderam illi velut nutrium, eramque illi in delicijs, & oblectabam me in eo omni tempore.*

GUALTPERIUS.

4 Αὐτὸς δὲ ὁ Ἰωάννης εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην] κάμηλος *Camelus* animal magnum & ſatis notum. Hebraice גמל *gamal.* Syriace גמלא & גמלא *gamla* & *gimlaja.* *Exſtat*, inquit Guido, *apud Matthæum cap. 19. CHRISTI dictum παροιμιῶδες, quod ſic habet vernacula ipſius IESU CHRISTI lingua,* גלגל זה לגמלא למעל בחורא דמחטא זו עדיפא ועשיר לכלכותא דאלהא: *Facilius eſt Camelo intrare in foramen acus quam diviti ut intret in regnum Dei.* Hæc ille. Perperam autem ibi nonnulli *Camelum* interpretantur *funem nauticum craſſiorem*, quem *fultem anchorarium* appellant nautæ, Daß Ancker-tau: cum in hoc ſignificatu ſcribatur κάμιλος per ι, non per η. Sic enim & ipſe Suidas, Κάμηλος, τὸ ἀχυρόφορον ζῶον· κάμιλος ἡ, τὸ παχὺ σχοινίον. § Ζώνη, *Zona*] Origine Græcum eſt, à ζωννύω vel ζώννυμι, *cingo.* Ex quo ζῶμα, ζωστὴρ & ζώνη ſignificationis ejuſdem, i.e. *cingulum*, *balteum.* Sophocl. Scholiaſt. Euſtath. Homer. & alii. Synecdochice pro *tota corporis armatura* accipitur: vel pro *lorica:* ut Cic. pro Mur. *Deſcendi in campum cum illa lata inſignique lorica, &c.*

16. Καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος] Verbum βαπτίζομαι Græcum eſt, *mergor, immergor, ſubmergor*, à βάπτω, *mergo, immergo.* Inde βαπτισμὸς & βάπτισμα, *Baptiſma, merſio, lotio, ablutio* & ipſe *lotionis actus:* βαπτιστὴς *baptiſta.* Hebræis eſt טבל, *tingere, intingere, lavare, baptizare.* Syris ܥܡܕ, unde ܡܥܡܕ *baptizans*, & ܡܥܡܘܕܝܢܐ *baptiſmus*, Marc. 1. 4. ܥܡܘܕܐ idem ܡܥܡܘܕܐ *Baptiſta.* Sed hæc cum Græco nullam habent affinitatem.

LUD. CAPPELLUS.

4. Ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον] De locuſtarum eſu obſervarunt alii quod ſatis eſt: μέλι ἄγριον eſt mel de arboribus in ſylvis ultro defluens, quale fuit illud cujus fit mentio 1 Sam. 14. in hiſtoria Ionathæ Saulis filii, quod ibidem v. 27. vocatur יער דבש q. diceres *ſylva mellis*, pro *mel ſylveſtre*, μέλι ἄγριον, nam יער *ſylvam* ſign. ubi male יערת reddi ſolet *favus*, cum propria *ſylvæ* ſignificatio eo loci retineri poſſit.

11. *Ille vos baptizabit Spiritu ſancto & igne*] Recte jam olim ab aliis obſervatum eſt ἐν ἅγιῳ δυοῖν in his verbis *Spiritu & igne*, pro *Spiritu qui eſt ignis*, ſpiritualis nimirum & plane divinus ignis. Sed non videntur Interpretes animadvertiſſe hic & alibi, quotieſcunque Apoſtolis, & in eorum perſona fidelibus omnibus, promittitur fore ut baptizentur Spiritu qui ignis eſt, alludi (uti videtur) ad Eſai. 6. 6, 7. ubi dicitur unus è Seraphim cepiſſe ex altari prunam candentem, eaque tetigiſſe labra Prophetæ, cum his verbis, *Ecce tetigit iſtud labia tua, propterea receſſit iniquitas tua, & pro peccato tuo facta eſt propitiatio.* Nam certum eſt pruna illa ardente ſignificari Spiritum ſanctum, ſeu vim ejus purgandi efficaciſſimam; verbis autem illis *receſſit iniquitas tua* &c. denotatur Baptiſmus interior, qui totus eſt in purgatione peccatorum, & expiatione eorum. Ita ergo eo loci ſymbolice innuitur Spiritus S. vi quadam veluti ignea efficaciſſima nos purgari à peccatis, quod reapſe eſt *baptizari Spiritu S. & igne.* Neque illhic tantum, ſed & alibi ſæpius in Vet. Teſt. Spiritus S. vis & efficacia igni comparatur, ut cum ejuſdem Prophetæ Eſaiæ c. 4. 4. dicitur fore ut Dominus *abluat ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem lavet è medio eius, Spiritu judicij, & Spiritu* בער *comburentis*, quibus verbis rurſus innuitur Baptiſmus Spiritus S. & ignis: *Spiritus* enim iſte *comburens* proculdubio eſt Spiritus S. qui ignis eſt divinus, comburens & abſumens peccata, & quo *ablui* dicuntur *ſordes filiarum Sion.* Porro & hoc loco & cap. 6. 7. videtur omnino Spiritui S. tribui non ſanctificatio modo noſtra, ſed & juſtificatio: nam cap. 6. 7. *pruna* illi *candenti* tribuitur *propitiatio pro peccato*, in qua eſt juſtificatio noſtra, hic autem *ſordes & ſanguis filiarum Sion ablui* ſive tolli dicuntur *Spiritu judicij*, quo judicio videtur omnino intelligenda juſtificatio noſtra, quæ eſt actus judicialis, ſive Iudicis ſententiam abſolutoriam pronunciantis. Quod non eſt ita accipiendum quaſi Iuſtificatio noſtra non minus quam Sanctificatio (quæ eſt propria Spiritus S. actio) à Spiritu S. peragretur. Pater enim eſt, proprie loquendo, qui nos juſtificat, h. e. abſolvit, remittitque peccata, idque propter Chriſti ſanguinem; verum quoniam ſatisfactio quæ eſt in ſanguine Chriſti nobis non applicatur, propterea que ſalutifera non eſt, niſi fide apprehendatur, quæ fides Spiritus S. virtute in nobis accenditur, eaque corda noſtra purificantur, inde eſt quod & Iuſtificatio & Sanctificatio Spiritui tribuitur; non enim juſtificaremur niſi vera fide, per Spiritum S. in nobis excitata, Chriſti ſatisfactionem amplecteremur. Et ſane utrumque tum Sanctificationis tum Iuſtificationis noſtræ beneficium nobis in Baptiſmo aquæ adumbratur & obſignatur, Remiſſio nempe peccatorum in ablutione quæ per aquam fit, nativæ autem corruptionis noſtræ Mortificatio in immerſione quæ fit in aquam, vel affuſione aquæ in faciem & os baptizati, qua mors illa ſpiritualis ſignificatur. Recte ergo Spiritui S. (per quem Baptiſmus interior peragitur) tum Iuſtificatio tum Sanctificatio noſtra tribuitur, ſed aliter tamen Iuſtificatio, aliter Sanctificatio. Porrò non videtur negandum eſſe cum nonnullis, his verbis ἐν πνεύματι & *igne* reſpici ad illud quod contigit die Pentecoſtes, cum ignea linguæ ſeſe poſuerunt ſuper Apoſtolos; neque enim Spiritus S. efficacia in eo facto reſtringenda eſt ad donum illud extraordinarium linguarum, quandoquidem Spiritus ille conſolator (quem Chriſtus Diſcipulis ſuis promiſerat, & ea die in eos immiſit) potiſſimum ſanctificationem in nobis operatur: neque vero nos proprie conſolatur niſi quatenus ſanctificat, fidem, ſpem & charitatem in nobis accendendo. Donum quidem linguarum extrinſecus erat conſpicuum, quo omnes qui eos videbant raperentur in admirationem, ſed intrinſecus Spiritus S. aliud etiam, vel maxime præcipuum, operabatur, nempe Chriſti & proximi dilectionem.

16. *Et vidit Spiritum Dei*, &c.] Umbram aliquam, licet obſcuram & deformatam, hujus hiſtoriæ videre eſt in Bereſchith rabba, §. 2. in hæc Moſis verba, *Et Spiritus Dei incubabat aquis:* ſic enim illi in ea commentantur, רוח שר המשיח מן המשוח *Hic eſt Spiritus Regis Meſſiæ, juxta illud Eſaiæ* 11. *Et requieſcit ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ, &c.* Sed (inquiunt) בזכות מי *cujus merito venit ille Spiritus, & miniſtrat incubando aquis?* בזכות התשובה, h. e. *merito pœnitentiæ, quæ comparatur aquis, juxta illud*

Luc. 2. *Effunde ſicut aquam cor tuum.* Hæc illi Magiſtri. Quibus videntur innuere hanc hiſtoriam, in qua Chriſti Spiritus ſpecie columbæ ipſi incubuit, ſimulatque ex aquis Baptiſmi aſcendit, qui baptiſmus erat baptiſmus pœnitentiæ. Atque hic obſervanda eſt in verbis Moſis vis verbi מרחפת, quæ proprie uſurpatur de ave vel pullis incubante, eoſque fovente, vel ſuper illos volitante, quod adumbrare videtur deſcenſum illum Spiritus in Chriſtum ſpecie columbæ ſuper eum requieſcentis.

17. *Hic eſt Filius meus dilectus ἐν ᾧ ἐυδόκησα*] h. e. Hebraice אשר חפצתי בו, nam LXX Interp. חפץ per *ἐυδοκεῖν* reddunt. Eſtque hic alluſio (& tacita quædam antitheſis) ad id quod habetur Eſai. 62. 4. ubi Deus Eccleſiam ſuam ſic conſolatur, *Non vocaberis amplius Derelicta, neque terra tua dicetur amplius Deſolata;* כי לך יקרא חפצי בה *quin tu potius vocaberis ἡ ἐυδοκία μου ἐν αὐτῇ, & terra tua dicetur Maritata,* כי חפץ יהוה בך, *ὅτι ἐυδόκησεν ἐν σοὶ ὁ Κύριος, & terra tua maritabitur.* Sane magna eſt Eccleſiæ gloria, quod Deus eam dignatur tam glorioſo titulo & nomine, ut vocet eam חפצי בה *ἡ ἐυδοκία μου ἐν αὐτῇ*, ſive *ἐν ᾗ ἐγὼ ἐυδόκησα.* Atqui ſi titulus ille convenit Eccleſiæ, ſane longe potiori jure convenit Chriſto, ut is merito dicatur אשר חפצתי בו *ἐν ᾧ ἐυδόκησα*: neque enim Eccleſia dicitur חפצי בה niſi in Chriſto, per Chriſtum, & propter Chriſtum; in ſe enim eſt exoſa, ſiquidem ſumus omnes natura filii iræ: quomodo cum alibi eadem vocatur יהוה צדקנו *Dominus juſtitia noſtra*, id fit duntaxat ſecundario & per communicationem, quatenus Eccleſia conſtituit corpus Chriſti, qui vere, proprie & primo eſt *Dominus juſtitia noſtra.* Ergo Chriſtus prius eſt בו חפצתי, atque hac compellatione qua Pater eum hic alloquitur alluſiſſe omnino videtur ad illum Eſaiæ locum; ut nos doceret unde habeat Eccleſia quod iſthic dicatur בה חפצי, nempe à Chriſto, cui proprie & primo competit ille titulus. Atque hic obiter etiam obſervandum eſt, matrem Meſſiæ à Judæis vocari בה חפצי, q. ea intelligeretur & deſignaretur ab Eſaia loco illo modo citato; quod ſane verum eſt ſi per *matrem Meſſiæ* intelligamus non B. Virginem, ſed Eccleſiam, quæ Apoc. 12. 5. dicitur peperiſſe Chriſtum: quanquam & B. Virgo, ſi comparetur cum reliquis feminis, merito dici poteſt בה חפצי; Deus enim eam ſingulariter delegit inter omnes feminas ut illam tanto honore dignaretur quæ Filii ſui mater eſſet.

GROTIUS.

2. Μετανοεῖτε, *Pœnitentiam agite*] Vide Marcum. ¶ Τῶν οὐρανῶν, *cœlorum*] Hebræi quidem cœlum, etiam cum aëream aut ſideream regionem ſignificat, appellant voce ſoni pluralis, aut potius binarii; at Græci id non faciunt: ideoque paſſim etiam in his ſcriptoribus utramvis illam regionem dictam invenies numero unitatis. Quid ergo & hic & aliis multis in locis ſibi vult plurale hoc οὐρανῶν; [*cœlorum?*] Nimirum idem quod Hebræi dicunt שמים שמי [*cœlum cœlorum*], id eſt, cœlum ſupremum atque inadſpectabile, qui Chryſoſtomo in VIII caput ad Romanos ὁ ἐξ οὐρανοῦ οὐρανός [*cœli cœlorum*]. Mos enim eſt Hebræis in ejuſmodi conſtructionibus interdum prius membrum ſubticere: ita חכמות dicitur pro חכמות חכמות, id eſt, excellentiſſima ſapientia; בהמות pro בהמות בהמות, id eſt, eximia ferarum; אלהים pro אלהי אלהים, id eſt, Deus ſummus. Simili plane modo ſcriptor ad Hebræos, quæ primum nominarat ἅγια ἁγίων [*ſancta ſanctorum*] mox per compendium ἅγια [*ſancta*] nominat cap. IX. *Regnum* autem *cœli* apud Hebræos, quorum ſermonem Chriſtus ſequitur, interdum ſignificat beatiſſimum illum ſtatum poſt reſurrectionem, cum Deus erit omnia in omnibus; interdum quæ eo ducunt, id eſt, Legem tum Veterem (nam hanc quoque eo nomine appellant), tum Novam, id eſt, regnum Meſſiæ, quomodo hic *regnum cœli* ſumitur: Reſpicitur enim Danielis vaticinium, cujus implementum circa hæc tempora etiam à populo exſpectabatur. Hæc omnia dici ſolent & *regnum Dei* ex Pſalmo XLVII, 9. Idem enim eſt regnum Dei & regnum cœli. Nam quia ſummum illud cœlum velut arx & regia eſt Dei, ideo pro Deo poni ſolet. Maxima autem bona Meſſiæ temporibus cum exſpectarent Hebræi, ſatis intelligere poterant, ad ea adipiſcenda opus eſſe amoveri impedimenta, id eſt, crimina, quæ ipſos indignos tantis beneficiis eſſent redditura.

3. Ἑτοιμάσατε, *Parate*] Recte LXX & hos ſecutus Matthæi interpres ita vertit *imparate*. Apertum eſt ita ſumi hoc verbum Geneſ. XXIV, 31. de ſenſu vide quæ dicentur ad caput Lucæ III.

4. Δὲ τρίχας καμήλου, *de pilis camelorum*] Habitus haud dubie ſeverior, victus parſimoniæ congruens: qualem Catoni ſuo Lucanus adſcribit,

Hinc epulæ victuſſe famem, magnique penates
Summoviſſe hiemem tecto, pretioſaque veſtis
Hirtam membra ſuper, Romani more Quiritis,
Induxiſſe togam.

Antea dixerat,

Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſim erat, mœſtamque genis increſcere barbam.

Apud Hebræos in luctu pilis veſtiri mos erat, ut ex Joſepho libro XVI. Antiquitatum diſcimus. Plane tales erant Hebræorum Nazaræi, ſive temporarii ſive perpetui. Nam & comam barbamque promittebant, & hirta togæ induebantur, cui togæ nomen erat אדרת, ut nos docent Hebræorum Magiſtri. Fuit autem Johannes perpetuus quaſi Nazaræus, quod nos docet Lucas I, 15. Cum vero & Elias deſcribatur nobis coma promiſſa II Reg. I, 8. & toga ipſius illo ipſo nomine אדרת vocetur I Reg. XIX, 19. ſequitur aut hunc quoque fuiſſe Nazaræum aut eundem fuiſſe habitum Prophetæ & Nazaræi. Quod eo magis credibile eſt, quia Zacharias XIII, 4, habitum Prophetæ vocat אדרת שער *togam hirſutam*, & ſcriptor ad Hebræos, forte & de aliis, ſed de Prophetis præcipue agens eos nobis deſcribit ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν [*in meloteis, in pellibus caprinis*]. Clemens autem Romanus ſcriptorem ad Hebræos in multis imitatus, ut veteres nos docent, in epiſtola ad Corinthios, de Prophetis, quos inter & Johannem Baptiſtam nominat, ita loquitur, ἐν δέρμασι αἰγείοις ἢ μηλωταῖς, ἢ τριχῶν καμηλείων πλῆρες μασιν ἐβεβαδίζον [*in pellibus caprinis & meloteis & camelorum tortis crinibus incedebant*]. Illud obſervatu non indignum, factum Divina providentia ut qui veniebat in ſpiritu Eliæ, *Elias* propterea à Prophetis nominatus, etiam habitu exteriori Eliam referret. ¶ Ζώνην δερματίνην, *zonam pelliceam*] Scripſerit Matthæus אזור שער, quod de Elia dicitur II Reg. I, 8. ubi LXX ſimiliter vertunt ζώνην δερματίνην. Etiam hoc ad ſeverioris vitæ profeſſionem pertinuit, cum Judæi cæteri cinctum haberent de materie exquiſitiore, eumque ditiores etiam auro & monilibus variarent. ¶ Περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ, *circa lumbos ejus*] מתניו, ut eſt dicto loco. Apparet ita vocari partem corporis quæ cingi ſolet, Lucæ XII, 35. Epheſiorum VI, 14. I Petri I, 13. ¶ Ἀκρίδες, *locuſtæ*] Ad ea quæ viri docti de locuſtarum uſu ad cibum notarunt adde quæ habet Leo Afer libro IX.

5. Ἡ περίχωρος, *regio circa Jordanem*] Denotari mihi videtur regio quæ Judææ erat trans Jordanem. Certum enim eſt hac voce non circumſita tantum, ſed & adſita ſignificari.

6. Ἐβαπτίζοντο, *baptizabantur*] Ceremonia hæc neque nova plane fuit & vocationi Gentium præluſit. Tradunt enim Hebræi eos qui circumcidi vellent, ſi ab idololatria venirent inſuper ablutos; ſed & feminas extraneas Judæis nubentes ajunt ablutas: idque ipſum factum olim Saræ ac Rebeccæ. Et hujus baptiſmi Judaici meminit Scholiaſtes ad Juvenalem, & Arrianus Epicteto. Et qui ex gentibus circumciſis, ut Iſmaelitis, Perſis, Turcis, ad Judaiſmum veniunt baptizari debent. Credibile eſt ablutionem hanc fuiſſe inter vetera inſtituta, orta, ut arbitror, poſt magnum diluvium in memoriam purgati mundi; unde illud celebre apud Græcos

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.
[*Mortalium omnes abluit culpas mare.*]

Certe baptiſma ἀντίτυπον [*reſpondens*] eſſe Diluvio etiam in Petri epiſtola legimus. Et à Gentibus ablutiones præmiſſas myſterius oſtendemus ad finem Matthæi. Cum vero τὸ βάπτισμα [*baptiſmum*] multa deſignet quæ paſſim apud Apoſtolos videre eſt, prima tamen ejus inſtituti ratio proprie ſpectaſſe videtur ut obſignaret propoſitum ac pollicitationem vitæ emendatioris, quomodo lavacrum hoc deſcribit Petrus I epiſt. III, 21. cui conſequens deinde fuerit peccatorum remiſſio. Paſſim enim Johannis βάπτισμα [*baptiſma*] vocatur βάπτισμα μετανοίας [*baptiſma pœnitentiæ*], addito interdum εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν [*ad remiſſionem peccatorum*]. Videtur igitur Johannes hac ſacra ceremonia indicare voluiſſe, Judæos, quantumvis Dei veteres federatos, in tantum jam à vera pietate deſciviſſe ut idolorum cultoribus accenſendi eſſent, planeque eorum exemplo totum vitæ genus mutare deberent, ſi vellent eſſe ſalvi. Nam is mos Eſſenorum fuerat, qui purius cæteris vitæ genus inſtituerant & unde plurimi ad Chriſtianiſmum tranſiere, omnes ad cœtum ſuum venientes, etiam Judæos, baptizare; cum Phariſæi & alii Judæi non baptizarent niſi à paganiſmo venientes. Joſephus, ut hanc Joannis lotionem diſcerneret à luſtrationibus profanarum gentium, quæ aqua marina aut etiam vivo flumine culpas ipſas elui animoſque purgari delictorum conſcientia exiſtimabant, de quibus Poëta,

O nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Tolli fluminea poſſe putatis aqua.

& Tertullianus ad Uxorem II, *Penes veteres quiſquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aqua ſe expiabat.* ait illo auctore mentibus primum juſtæ vitæ propoſito purgatis, uſurpatam deinde aquam quæ corpora ablueret. Verba ſunt, ὅτου γὰρ καὶ τὸν βάπτισιν Ἰωάννην λέγειν (τῷ Θεῷ) φανῆσθαι (docebat nimirum Johannes) μὴ ἐπὶ ποσὶ ἁμαρτάνειν (quibus ſcilicet indulgere adhuc vellent) ἀφεσιτίου χρωμένων, ἀλλ' ἐφ' ἁγνείᾳ ἤδη σώματος, ἂν δὲ καὶ τῆς ψυχῆς ἀνεκκαθαιρομένης [*ita enim acceptam Deo fore ablutionem, ſi ea uterentur non ad excuſandam vitam malam, ſed ad corporis puritatem poſtquam jam bene purgatus eſſet animus*]. Simile eſt quod dicit Tertullianus libro de Pœnitentia: *Non ideo abluimur ut delinquere deſinamus, ſed quia deſimus: quoniam jam corde lotis ſumus. Hæc enim prima audientis inſtitio eſt, metus integer*: legendum forte *mens integra* aut *motus integer*. Sic & Juſtinus adverſus Tryphonem, τὸ μόνον βάπτισμα καθαρίσαι δυνάμενον [*ſolum baptiſma quod purgare poſſit*] ait eſſe μετάνοιαν καὶ γνῶσιν τοῦ Θεοῦ [*pœnitentiam & Dei notitiam*], addens & hanc ſententiam, Joſephi dicto non diſſimilem, τί γὰρ ὄφελος ἐκείνου τὸ βαπτίσασθαι τὸ τὸ σῶμα μόνον τὸ σῶμα φαιδρῦναι; βαπτίσθητε τὴν ψυχὴν ἀπὸ ὀργῆς καὶ ἀπὸ πλεονεξίας, ἀπὸ φθόνου, ἀπὸ μίσους, καὶ ἰδοὺ τὸ σῶμα καθαρὸν ἔσται [*Cui enim bono illud baptiſma quod carnem aut corpus ſolum mundat? Abluite carnem ab ira, ab avaritia, ab invidia, ab odio, & ſatis mundum erit corpus*]. Clemens Alexandrinus eundem in ſenſum adfert dictum vetus, Ἔστω μὴ λουτρῷ ἀλλὰ νῷ καθαρός [*Eſto purus non lavacro, ſed mente*]· deinde addit, ἱκανὴ δ', οἶμαι, ἀνδρὶ πρὸς καθαρότης, μετάνοια ἀληθὴς καὶ βεβαία, ἣν καταγνόντες ἑαυτῶν ἐπὶ ταῖς προτέραις πράξεσι, προϊέμεθα εἰς τὸ μηδέν, μὴ ταῦτα ποιοῦντες, καὶ τὸ νοερὸν ἐξανδραποδίζοντες τοῦτο κατ' ἄνθρωπον τερπνὸν καὶ τὸ μηδὲν πλημμελήματον [*Sufficit, ni fallor, homini purificatio hæc, Sincera & conſtans pœnitentia, id eſt, ſi noſmet damnantes de ante actis procedamus in ante nos poſita, poſtpoſitis illis pejoribus, ac mente exuta ab iis quæ ſenſus titillant & ab ante delictis*]. Merſatione autem non perfuſione agi ſolitum hunc ritum indicat & vocis proprietas, & loca ad eum ritum delecta, Joh. III, 23. Act. VIII, 38. & alluſiones multæ Apoſtolorum quæ ad adſperſionem referri non poſſunt, Rom. VI, 3, 4. Coloſſ. II, 12. Serius aliquanto invaluiſſe videtur mos perfundendi ſive adſpergendi in eorum gratiam qui in gravi morbo cubantes nomen dare Chriſto expetebant, quos cæteri κλινικοὺς [*Cubitorios*] vocabant. Vide epiſtolam Cypriani ad Magnum. Quod autem *tingere* pro *baptizare* uſurpant Latine veteres mirum videri non debet, cum Latine *tingendi* vox & proprie & plerumque idem valeat quod *merſare*. ¶ ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας, *confitentes peccata ſua*] Verum eſt hoc loquendi genere ſæpe nihil aliud indicari quam actum ſive internum ſive externum ſontem ſe profitentis, 1 Johan. I, 9. Attamen acceſſiſſe etiam ſpecialem deteſtationem eorum peccatorum quæ præcipue Deum irritant, ex loco Actor. XIX, 18. intelligi datur, ubi voci ἐξομολογούμενοι [*confitentes*] additur καὶ ἀναγγέλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν [*& annuntiantes peccata ſua*]. Hoc autem & eos qui Johannem adibant facile credibile eſt, tum ut precibus ipſius apud Deum juvarentur, Jac. V, 16. tum ut inſtruerentur conſilio ad ſpeciales circumſtantias accommodato, Lucæ III, 12, 14. Ἐξαγορεύειν [*edicere*], quod ſunt qui putant multum differre ab ἐξομολογεῖσθαι [*confiteri*], pro eodem uſurpant LXX interpretes Levit. V, 5. Numer. V, 7. Neque eos terruit quod ea vox in ſacris Gentium uſurparetur, cum alioqui & *altaris* & *templi*, multiſque aliis vocibus abſtinendum fuerit. Quod autem diſputant viri eruditi an dictis legibus Leviticis & Numerorum exigatur tantum confeſſio apud Deum & eum cujus intereſt, an vero etiam apud Sacerdotem, ea de re probabilis maxime videtur eorum ſententia qui exiſtimant etiam apud Sacerdotem factam aliquam particularem culpæ confeſſionem, in iis quæ cognita capitis pœnam non adferebant; in cæteris ſuffeciſſe generalem: eundemque morem etiam ſolito religioſius ac liberius obſervatum credibile eſt à Judæis qui ad Baptiſtam optimæ fidei hominem, nec Sacerdotem tantum ſed & Prophetam, accedebant.

7. Γεννήματα ἐχιδνῶν, *Progenies viperarum*]

Δεινῆς ἐχίδνης θρέμμα
[*Mala propago viperæ*]

dixit Sophocles. Et in Proverbio eſt κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν [*Mali corvi malum & ovum*]. Viperæ venenum in lingua, pellis ſpecioſa. Alluditur ſimul ad locum Geneſeos, ubi diabolus ſerpens.

8. Καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας, *fructum dignum pœnitentiæ*] Idem eſt quod Act. XXVI, 20. ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα [*digna pœnitentiæ opera*]. Et paſſim opera *fructuum* nomine appellantur. Lucas plurali numero dixit καρποὺς ἀξίους [*dignos fructus*], quod & hoc loco in codices quoſdam pervaſit, ſequente Syro. Sed illam lectionem Latinus & plurimi codices præferunt.

9. μὴ δόξητε λέγειν, *ne velitis dicere*] *Ne lubeat vobis dicere*, ut Demoſthenes, οὐκ ἠδέως μ' ὁρῶν ἔτι, *non lubebat ipſis amplius me videre.* Neque longe diſcedit illud, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, Marci X, 42. *qui in eo ſibi placent quod gentibus imperant.* Simile 1 Cor. XI. 16. ¶ ἐκ τῶν λίθων τούτων, *de lapidibus iſtis*] Figuratum loquendi genus, quanquam Divinæ potentiæ menſuram non excedens. Simile eſt Lucæ XIX, 40. οἱ λίθοι κεκράξονται [*lapides ſtamabunt*]. Nec abſurdum utroque loco gentes extraneas obſcure indicatas intelligere. Nam ab his non magis quam à lapidibus fidem ac pietatem Judæi exſpectabant. Et ſolent Sacræ literæ lapidibus comparare eos qui lapides colunt. Sed & alia videtur alluſio ſubeſſe, quaſi dicat Chriſtus, Ne incredibile vobis videatur, ſi ex lapidibus faciat Deus liberos Abrahami, cum ipſe Iſaac ex Abrahamo jam effoeto natus ſit: nam corpus effœtum Abrahami lapidi comparatur Eſaiæ LI, 1. ¶ ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ, *ſuſcitare filios Abrahæ*] תקים בנים לאברהם ut Geneſ. XXXVIII, 8. quod alias vertit hic interpres ἀναστῆσαι σπέρμα [*ſuſcitare ſemen alicui*] XXII, 24. Nam ut nati ex fratre ſuperſtite filii erant fratri defuncto non natura ſed lege, ita credentes omnes Abrahamo inſeruntur, fiuntque non quidem τέκνα τῆς σαρκὸς [*filii ſecundum carnem*], ſed τέκνα τῆς ἐπαγγελίας [*filii promiſſionis*], Rom. IX, 8. Paſſim Baptiſta, Chriſtus, Apoſtoli dant operam ut Judæis adimant ſuperbiam & ſpem impunitatis de parentum ſanctitate conceptam, quod illis maximum fuit bonæ mentis impedimentum. Vide Epiſtolam ad Romanos, & Juſtinum in Colloquio cum Tryphone.

10. Ἤδη δὲ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται. *Jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt*] Jam Deus vobis ni reſipiſcatis non levia mala minatur, ſed federis ſui derelictionem, quod eſt velut arborem radicitus exſcindere. ¶ πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν ἐκκόπτεται, *omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur*] Explicatio συμβολική [*ſacramentalis*] legis ejus quæ exſtat Deuteron. XX, 20. quam ſimili modo Philo interpretatur non uno loco. Vide & Dan. IV, 11.

11. εἰς μετάνοιαν, *in pœnitentiam*] Poteſt non incommode exponi hoc modo: *Baptizo vos ſuper profeſſione pœnitentiæ, quam facitis.* ¶ ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *qui autem poſt me venturus eſt*] *Is qui paulo poſt me mittus ſum auſticabitur.* Id enim voce ἔρχεσθαι [*venire*] ſignificant ſancti Scriptores. ¶ ἱκανός, *dignus*] Idem valet quod ἄξιος Johannis I, 27. Actorum XIII, 25. ubi λύειν τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν ſive τὸ ὑπόδημα [*ſolvere corrigiam calceamenti* aut *calceamenta*] idem plane miniſterium denotat quod hic βαστάσαι τὰ ὑποδήματα [*portare calceamenta*], viliſſimus ſcilicet ſervis mandari ſolitum. Quo ſpectant illa in comœdiis, *date jam ſoleas*; & apud Æſchylum Agamemnone,

—— ὠκαί τις ἀφύλας
Λύσει ποδός, ταχύπους ἁμᾶται πέδας.
[—— *calceum celerrime*
Diſſolvat aliquis, quod miniſterium eſt pedis.]

Apud Terentium Heautontimorumeno: *Accurrunt ſervi, ſuccos detrahunt.* Apud Tibullum:

Vinclaque de niveo detrahet ipſe pede.

Ideo & David ait *Idumæo ſe objecturum ſoleas*, Pſalmo CVIII, 10. nimirum ut exutas auferat: hoc enim eſt βαστάζειν [*portare*]. Sic & in expoſitione præcepti vetantis CLXXVI, Hebræi vile miniſterium hoc explicant exemplo, puta ut ſolvat corrigiam calceamentorum, aut ut extrahat ea. ¶ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. *In Spiritu Sancto & igni*] Agi hic de Spiritu illo quem in ſe credentibus daturus erat Chriſtus, ita tamen ut non interna tantum ejus Spiritus dona, ſed & externa teſtimonia intelligi debeant, facile viſurum puto qui recte attenderit ad loca Actorum I, 5. & Actorum XIX, 2. Priore loco Chriſtus ipſe opponit Johannis baptiſma quod per aquam fiebat baptiſmo per Spiritum, quem à ſe brevi accepturi erant Apoſtoli. Altero loco oſtenditur eos qui à Johanne aut diſcipulis Johannis baptizati erant cum baptiſmo nulla accepiſſe dona qualia accipiebant hi qui ab Apoſtolis baptizati nomen Chriſto dederant. His adde locum eum qui eſt Johan. VII, 38, 39. ubi verba Chriſti de *fluminibus aqua vivæ* Apoſtolus Johannes

in-

interpretantur de *Spiritu quem accepturi eſſent credentes in Chriſtum. Nam ad id tempus non fuiſſe Spiritum Sanctum.* Quod hic & apud Lucam dicitur *baptizare Spiritu Sancto & igne*, id Marcus I, 8. & Johan. I, 33. dixerunt ſimpliciter *baptizare Spiritu*; ut appareat illud πυρὶ [*igni*] adjectum ἐξηγητικῶς [*explicandi cauſa*], nimirum quia ut aëris ita ignis ſubtiliſſima atque efficaciſſima natura vim illam Divinam quam in ſe credentibus Chriſtus erat collaturus, τὸ σφοδρὸν & χιέστερον [*vehementiam gratiæ*], ut hic loquitur Chryſoſtomus, optime exprimit; unde & linguæ ſuper Apoſtolos miſſæ cum venti ſono ignis ſpeciem prætulerunt, Actorum II, 2, 3. Vide vaticinium Eſaiæ IV, 4, 5. Vox autem *baptizandi* de donis illis per tranſlationem uſurpata eorundem ubertatem ſignificat: ut & Joelis illud, *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem*, Actorum II, 17. Quod autem Æthiopes juxta baptiſmum uſtionem quoque uſurpant, factum arbitror more veterum Chriſtianorum, qui traditis à Chriſto ceremoniis ſigna addebant quæ verba Scripturæ eandemrem aliteratque aliter adumbrantia ſimul in memoriam revocarent: Talis fuit lactis & mellis præguſtatio, ſignatio crucis, dæmonum adjuratio, ſalis admotio, unctio, aliaque ejuſmodi. Morem autem hunc vetuſtiſſimum eſſe, neque proprium gentis Æthiopicæ docet nos Heracleon citatus à Clemente Alexandrino in libro de Prophetia: ἔνιοι, inquit, πυρὶ τὰ ὦτα τῶν σφραγιζομένων κατοπτεύουσιν [*quidam obſignatorum aures igni notabant*]. An Seleuciani & Hermiani, quos igne baptizaſſe legimus, hunc morem obſervarint incertum habeo, ut & de Valentino, de quo Tertullianus:

Hic dicunt tingi, tradutto corpore flamma.

Horum mos, ut videtur, librariis audacioribus cauſam dedit delendi hoc loco voculam πυρὶ [*igni*], quod in quibuſdam codicibus videre eſt. Cæterum ſenſus magis reconditus hic videtur eſſe, Non ſatis eſſe, Chriſto judice, ſi malis factis abſtineamus, quod lotio indicabat; ſed requiri vim ad bona agentem magno quodam impetu, quæ donis illis conſpicuis adumbrata eſt.

12. οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, *cujus ventilabrum in manu ſua*] Hebraiſmus pro ἐν ᾧ χειρὶ τὸ πτύον [*in cujus manu ventilabrum*]. Sicut autem poſteriora hujus commatis verba de colligendis frugibus & comburendis paleis ad ultimi judicii diem pertinent, ut apparet ex collatione verborum Chriſti infra XIII, 30, & 49. cujus judicii adumbratio quædam eſt Pſalmo I, 4. & Danielis II, 35. ita priora ad ipſam verbi annunciati naturam non incommode poſſunt referri, cujus tanta eſt puritas, ut magna ex parte etiam in hoc ævo, præſertim quoties crux accedit, probos ab improbis ſegreget. Sed & in ſingulis hominibus ſimilis quædam purgatio inſtituenda, quam ſimilitudine plane eadem qua hic Baptiſta utitur Philo depingit libro de Caino, Καθάπερ οὖν ἐν τῇ ἅλῳ εἰσὶ πυροὶ καὶ κριθαὶ καὶ ὅσα παῦτα καθ' ἑαυτὰ χωρίζεται, ἄχυρα καὶ ἄχνη καὶ ἄπιτα ἄλλα φαυλότερα ἐπιφυόμενα συνέπνιγε, ὅταν καὶ παρῇ, τὰ μὲν ἱερὰ καὶ ὠφέλιμα καὶ τοῖς ἀληθῶς τέλεσι παρέχοντα, δι' ὧν ὁ ἱερὸς λαὸς τελεῖται θεῷ, ἅπερ ἀναθήματα θεῷ· τὰ δ' ἄλλα ὅσα μὴ θύρα ἐπιτηδείως ἔσται συνβαλεῖν γῆτε τῷ θυσιῷ [*Quomodo igitur in area ſunt frumentum & hordeum, ac talia quæ ſunt ſeorſim ponuntur, ariſta vero & palea & ſordes cætera ſpargunter alio: ſic & in nobis optima & utiliſſima & vere alentia ſunt perquæ recta vita conſummatur, eaque Deo ducenda: cætera vero quæ divina non ſunt, tanquam retrimenta, aſſignanda mortali generi*]. Servius ad illud I Georg. —— *myſtica vannus Iacchi, Ideo quod Liberi patris ſacra ad purgationem animi pertinebant: & ſic homines ejus myſteriis purgabantur ſicut vannis frumenta purgantur.* ¶ ἅλωνα, *aream*] Hæc vox ſimili flexione eſt apud Dionyſium Halicarnaſſenſem. ¶ καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτοῦ, *& congregabit triticum ſuum*] ויאסף בּרו *συνάξει αὐτοὺς ὡς δράγματα ἅλωνος* [*ſegregavit eos ut manipulos areæ*], Mich. IV, 12.

14. Ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι, *Ego à te debeo baptizari*] Si alter noſtrum omnino baptizandus ſit, ego potius abs te, ut digniſſimo, baptiſmum petere debui.

15. Ἄφες ἄρτι· *Sine modo*] Ἄφιναι hic eſt *ſinere*, ut infra VII, 4. VIII, 22. *Sinito* autem tantundem eſt ac ſi diceret, *Fiat nunc quod volo.* ¶ δικαιοσύνην· *juſtitiam*] Vox hæc hoc quidem loco latiſſime ſumitur, ita ut ſignificet non modo τὸ εὔμορον, ſed & quicquid ullam æqui atque honeſti habet rationem. Nam Lex Moſis de hoc baptiſmo nihil præſcripſerat, & cœleſte mandatum quod Baptiſta acceperat ad peccatores reſipiſcentes proprie pertinebat. Attamen cum Chriſtus perfectiſſimæ innocentiæ exemplar fuerit, ne in ipſo quidem inanis erat ceremonia quæ innocentiæ propoſitum obſignabat. Neque efficacius oſtendi potuit quantus bonos inſtitutis à Deo ritibus deberetur, quam ſi Chriſtus ipſe uſum eorum nobis exemplo ſuo commendaret. Præterea ipſe per hanc cæremoniam, quæ nos populo Dei inſerit, eidem populo velut concorporatus eſt, certoſque ſuo exemplo fecit omnes, qui, ut oportet, baptizantur, apertæ ipſis regiæ cœleſtis, conſequendi ſpiritus & juris filiorum Dei. Ita δίκαιον [*juſtum*] ſumitur & Philip. III, 7. & aliis aliquot in locis. In Clementis quæ dicuntur Conſtitutionibus legimus libro VII, cap. XXIII. βαπτίσθη γὰρ καὶ ἐνήστευσεν (Jeſus) οὐχ ὡσὰν δεόμενος ἁγνισμοῦ ἢ νηστείας χρείαν ἔχων ἢ καθάρσεως, ἀ τῇ φύσει καθαρὸς ἦν ἀρχῇ, ἀλλ' ἵνα ἡμῖν ἀληθῆ βάπτισμα μετανοίας ἢ ἱερὸν ἐπαγγελμάτων μεταλάχωμεν [*Et baptizatus eſt, & jejunavit, non ipſe indigens mundationis aut jejunii aut expiationis, quippe per ſe purus ac ſanctus; ſed ut & Johannem redderet veracitatis teſtimonium & nobis daret exemplum*].

16. εὐθὺς ἀνέβη, *confeſtim aſcendit de aqua*] Ideſt, *vix aſcenderat.* Non enim vult ſubito aſcendiſſe Chriſtum ex amne, ſed ut aſcenderat ſubito factum quod ſequitur. In hunc ferme modum εὐθὺς [*protinus*] utitur Marcus I, 29. & XI, 2. Non diſſimile loquendi genus eſt apud Æſchylum Prometheo, ἅμα πάντ' ἤρξαντο [*ſimul repente cœperant*] pro πάντ' ἄρξαντο [*repente ſimulac cœperant*]. Et apud Ariſtotelem III Polit. XIII. ἅμα δὲ τῶν ἐπιτιμίων ἰσχυσάντων [*poſtquam ſubito imperium firme tenuere*] pro ἐπιτίμια ἅμα [*ſubito poſtquam.*] ¶ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ, [*aperti ſunt ei cœli*] Id velut ſolenne ſignum prævium τῆ ὀπτασίας [*viſis*] Ezechielis I, 1. Johan. I, 52. Actor. VII, 56. Puto autem cum Origene, Hieronymo & aliis intelligendum hoc κατὰ φαντασίαν [*ſecundum id quod videtur*] potius quam reipſa. Hebræorum quidam nihil aliud eſſe volunt quam figuratum loquendi genus, quo ſignificetur factum aliquid aut oſtenſum cœleſti virtute. Sed & pagani cœleſtibus oſtentis tale aliquid præmitti crediderunt. Livius libro XXXII. *Faleriis cœlum findi viſum, velut magno hiatu; quaque patuerit, ingens lumen effulſiſſe.* Servius ad illud IX Æneidos, *diſcedere cœlum: In Auguralibus libris inter oſtenta etiam cœlum diſceſſiſſe dicitur.* ¶ καὶ εἶδε, *& vidit*] Ego nullam cauſſam video cur non hunc locum interpretemur ex eo qui eſt Johann. I, 32. cum appareat rem eandem narrari, neque inſolens ſit tum profanis tum ſacris Scriptoribus ut verbum aptetur perſonæ etiam quæ non proxime notata eſt. ¶ τὸ Πνεῦμα τὸ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, *Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam*] Recte annotatum eſt jampridem ambiguum videri poſſe loquendi genus. Poteſt enim intelligi aut ſpecies columbæ viſa, aut quod viſum eſt ita deſcendiſſe quomodo columbæ ſolent. Cæterum cum Lucas dicat diſerte deſcendiſſe Spiritum σωματικῷ εἴδει [*corporali ſpecie*] III, 22. & Juſtinus aperte exprimat columbæ ſpeciem, cum dicit ἐπελθόντος ἐν εἴδει περιστερᾶς Πνεύματος [*ſuperveniente Spiritu in forma columbæ*], nec quiſquam veterum, quod ſciam, aliter ſentiat, plane credo columbæ ſpeciem apparuiſſe, igneam forte, quomodo linguæ igneæ viſæ ſunt ſupra Apoſtolos. Φάσμα ὄρνιθος [*ſpeciem avis*] dixit Origenes: quanquam veram fuiſſe columbam affirmat Tertullianus libro de Carne Chriſti. Ignem autem eodem hoc tempore in Jordane apparuiſſe diſerte prodit Juſtinus Colloquio cum Tryphone, ex tradita haud dubie fama. Nam & in Ebionæorum Evangelio, quod idem erat cum Nazaræorum, præter ſiqua Ebion ἑαυτοῦ χάριν [*poſitionis ſuæ cauſa*] interpolavit, ita legebatur, καὶ εὐθὺς περιέλαμψε τὸν τόπον φῶς μέγα [*& ſtatim lux ingens circa locum fulſit*]. Et idem reperitur in Liturgia Syrorum in hujus hiſtoriæ narratione circa Baptiſmum. Columbæ autem ſpeciem huc pertinuiſſe puto, quod is qui in Chriſto erat ſpiritus ſpeciali manſuetudinis nota jam olim deſcriptus eſſet ab Eſaia XLII, 1, 2, 3. ut infra explicatur XII. quo reſpicere etiam videntur Chriſti verba quæ ſunt apud Lucam IX, 55. Notum eſt autem proverbium Περιστερὰ ἀπόστειλον [*Columba mittitur*], ſicut & τὸ ἀκέραιον [*ſinceritatem*] columbæ ſimilitudine exprimit Chriſtus infra X, 16. Eo autem credibilius eſt vaticinium illud Eſaiæ à Deo hic peculiariter ſpectatum, quod & vox prolata, quæ ſequitur, eadem prope verba, quæ in eadem Eſaiæ pericopa exſtant expreſſerit. Philo ex Hebræorum diſciplina per Columbam ſignificari ait ſapientiam, non illam φιλεήμον [*ſolitudinis amantem*] (qualis erat Baptiſtæ) ſed eam quæ ſit ἥμερος καὶ πρᾶος καὶ ἀγέλαιος [*manſues, civilis & gregalis*]. Negare tamen nolim tacite reſpici veterem figuram columbæ quæ poſt diluvium ſigna renovati orbis ad Noam pertulit. Volatu autem ſignificari influxum Divinum notatum & Joſepho Jacchai ad IX Danielis.

17. ἀγαπητός, *dilectus*] Quod apud Eſaiam eſt יחיר, ἐκλεκτὸς,

ἐκλεκτός μου [*electus meus*], nam ἐκλεκτὸς & ἀγαπητὸς pro eodem poni ſolent. Vide Pſalm 11. ¶ ἐν ᾧ ἐυδόκησα, *in quo mihi complacui*] Vox hæc, ut Latina, *placet*, modo ad voluntatis decretum, modo ad propenſum affectum refertur. Hoc intereſt, quod Latina vox de objecto, Græca de ſubjecto dicitur. Ad affectum ſignificandum Græci Scriptores dicunt *ἐυδοκεῖν τινι* [*bene velle alicui*]. At *ἐυδοκεῖν ἐν τινι* [*in aliquo complacere*], ut hic & infra XVII, 5. Marci I, 11. Lucæ III, 22. I Cor. X, 5. Hebræor. X, 38. aut *εἰς τινα*, ut infra XII, 18. II Petri I, 17. manifeſtus eſt Hebraiſmus בּ רצה, ut Geneſ. XXXIV, 14. aut בּ ורצה ut I Paralipomenôn XXVIII, 4. Quod Hieronymus dicit loquendi hoc genus à Lxx interpretibus eſſe confictum, intelligendum eſt de iſta conſtruendi forma, & de nomine inde derivato *ἐυδοκία* [*beneplacitum*], quod niſi apud Judæos Helleniſtas non eſt invenire. Sæpe autem & רצה hoc modo vertunt Lxx, ut Pſal. XL, 14. (in Hebræo : ita enim Pſalmos citare ſoleo) XLIV, 4. CXLVII, 10. CXLIX, 4. ubi יעתר רצון vertitur *ἐυδοκεῖ ἐν τῷ λαῷ* [*beneplacitum eſt Domino in populo ſuo*]. Eſt autem plane ſenſus idem in his verbis *ἐν ᾧ ἐυδόκησα* [*in quo mihi complacui*] qui in illis Eſaiæ נפשי רצתה, ubi & Græci quidam interpretes habent *εἰς ὃν ἐυδόκησεν ἡ ψυχή μου* [*complacuit ſibi in illo anima mea*]. Invenies eodem ſenſu & *ἐυδοκεῖν* cum dativo, omiſſa *ἐν* [*in*] particula. Sic *ἐυδοκεῖν τῇ λατρείᾳ* [*conſentire ſervituti, ſive cultui*] dixit Scriptor primi Maccabæi I, 45. Irenæi interpres hoc *ἐν ᾧ ἐυδόκησα* vertit, *in quo bene ſenſi*, libro III, cap. II.

P R I C Æ U S.

Com. 3. Ὁ τοῦ δὲ, &c.] τὸ, δὲ, ut & alibi, heic abundare videtur.

Com. 4. *τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἦν τρίχων καμήλου, &c. ἢ ἦ περὶ αὐτοῦ ἀκρίδες, καὶ μέλι ἄγριον*] Anonymus de Zenone apud Suidam (in ἄπυρα σῖτα) Ἀπύρῳ περιῆν ἐπίηρτον, καὶ πίνων λιτῷ.

Ibid. *καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ*]

Brevis expeditos zona conſtrinxit finus.

Ait, *δερματίνην*. Moſchopulus, Σκυτίνη, σφίγγουσα ἀντὶ λαίρου, περὶ σκύτος, ὅ ἐστι, δέρμα. Nota & τὸ, περὶ, hinc *zona circumveniri* apud Petronium.

Ibid. *ἢ ἦ περὶ αὐτῷ ἀκρίδες, καὶ μέλι ἄγριον*] Virgilius,

Victum infœlicem baccas, lapidoſaque corna.

Seneca Hippolyto,

Excuſſa ſylvis poma compeſcunt famem,
Et fraga parvus vulſa dumetis cibum
Facilem miniſtrant. ——

Petronius,

—— *Durâ barentia mora rubetis,*
Pugnantis ſtomachi compoſuere famem.

Strabo de Brachmannis, Ζῶντες ἐν ταῖς ὕλαις ἀντὶ φυκῶν καὶ κρεῶν ἀκρίαν.

Com. 6. *ἐβαπτίζοντο, &c. ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν*] Tertullianus, *Ingreſſuros baptiſmum, orationibus crebris, jejuniis, geniculationibus, & pervigiliis orare oportet ; & cum confeſſione omnium retro delictorum.* Ejuſmodi & apud Gentes mos cum traderent myſteria ſua. Plutarchus, Λάκωνά τινα τῶν μυσταγωγῶν, ἐρώτων τί περίξυς ἑαυτῷ σιωπᾶν διετέλουν. Suidas, Ἐξομολόγησις, &c. ἀφίγησις τῶν βεβιωμένων.

Com. 7. *γεννήματα ἐχιδνῶν*] Proverbiale eſt, cui ſimile apud Euripidem convicium, *ἀχάλεων πτῆμα* apud Juvenalem, *ſeviſſima vipera* : unde & apud Plautum Trucul. *ingenio colubrino* eſſe. Apuleius 9. *Quendam Barbarum* : &c. *quem puigna pro morum acritudine Scorpionem vocat.* His adde quæ ad Luc. 3. 7. annotavimus.

Com. 8. *ποιήσατε καρπὸς ἀξίους τῆς μετανοίας*] Vide quæ ad Luc. 3. 8. dicta.

Com. 9. *καὶ μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ*] Optatus Milevitanus, *Abraha proſapia quia Judæi cenſentur, hoc ſigillo ſe inſigniri gloriantur.* Πατέρα ἐν σαρκὶ ἔχειν, Paulus ad Philippenſes dixit. Vide & Scriptorem Tobiæ 3. 4. At pluſquam nomen requiri Joannes docet, nec ſancti viri progeniem eſſe quidquam profuturum iis, dum procul recederent à fide & operibus ejus. Juſtinus eandem in ſententiam ad Tryphonem, Ἐξαπατῶν ἑαυτοὺς, ὑπονοοῦντες δεῖν τι εἶναι δι' Ἀβραὰμ καὶ σπέρμα σπέρματι, κληρονομεῖσθαι τὰ κατηγγελμένα παρὰ θεοῦ δεδιηκέναι ἀγαθὰ· ἀδύνατα γὰρ ἀδύνατον ἀδικεῖσθαι

μᾶλλον λαβεῖν ἔχει, πολλῷ οἱ τῇ γνώμῃ ἐξομοιωθέντες τῷ Ἀβραὰμ πίστει. Vide & Joh. 8. 39. Neque aliter, ne venditemus noſmet, nobiſcum agetur : ſi quo decoramur titulo opera aliena fuerint. Salvianus lib. 4. *Qua ratio eſt ut ipſi nos falſæ opinione fallamus, exiſtimantes ſcilicet quia Chriſtiani eſſe dicamur, quod opitulari nobis inter mala quæ agimus bonum nomen poſſit?* Baſilius ad Amphilochium, Ἐὰν ἐπὶ τὸ ὄνομα δὲ Χριστιανισμοῦ λαβεῖν, τὸν Χριστὸν ἐνδείξῃ, οὐδὲν ὄφελος· αὐτὸ γὰρ τοῦτό ἐστι τὸ πονηρίας· & Chryſoſtomus ad Matth. 1. 6. (in Catena Toloſæ edita) ὅτι τὸ ἐξ ἀγαθῶν φῶτα ὀφελεῖ τὰ ἀνύμνως βιῶντα, ὅτι τὸ ἐκ πονηρῶν κατάγνωθι βλάπτει τὰ ἐναρέτως. Adde quæ ad Luc. 3. 8. & 15. 19. in hanc mentem plura annotavimus.

Com. 10. *πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν*, &c.] Apuleius in Apologia, *Arbor*, &c. *quæ nullum ex ſe fructum gignit, tanti eſt in pretio quanti lignum ejus in trunco.*

Ibid. *ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται*] Deſumpta ex Græco Jeremiæ 22. 7. illis, Ἐκκόψουσι τὰς ἐκλεκτὰς κέδρους σου, καὶ ἐμβαλοῦσιν εἰς τὸ πῦρ. Ovidius,

—— *& caſa ſecuribus ureor.*

Conſer Eſai. 27. 4. Luc. 13. 7, & 9. Joh. 15. 6. Heb. 6. 8. & infra hic 21. 41.

Com. 11. *ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ἰσχυρότερός μου ἐστί*] Idem de eodem Joh. 3. 30. Ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν, ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι. Plinius in Panegyrico, *Eſt hæc natura ſideribus ut parva & exilia validiorum ortu obſcurent.* Paulus I Cor. 13. 10. Ὅταν ἔλθῃ τὸ τέλειον, τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται. Quibus adde quæ ad dictum Lucæ locum attulimus.

Com. 14. *ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι*, &c.] Τὸ ἔλαττον δὲ ὑπὸ τοῦ μείζονος εὐλογεῖται, Heb. 7. 7.

Com. 15. *πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην*] Sic, *πᾶσαν εὐδοκίαν πληροῦν*, 2 Theſſ. 1. 11. &, *πᾶσαν ἐντολὴν ἀναπληρῶσαι*, in Epiſtola Barnabæ.

Ibid. *τότε ἀφίησιν αὐτὸν*] Act. 21. 14. Μὴ πειθομένου δὲ αὐτοῦ, ἡσυχάσαμεν· ad quem locum annotata vide.

Com. 16. *ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος*] Vulgat. *conſeſtim aſcendit ex aqua.* Senſus eſt, Cum primum baptizatus ex aqua aſcendiſſet, ei cœli aperti ſunt : vel, ut monuit Vir maximus, Vix dum ex aqua aſcenderat, cum cœli, &c. Similem & εὐθὺς & εὐθέως uſum habemus infra hic 13. 20. Marc. 6. 54 9. 15, & 20. item 11. 2. Luc. 12. 36. Joh. 13. 30. Act. 12. 10. Gal. 1. 16. Jacob. 1. 24. Nec abeunt ab ea forma Latini. Quadrigarius apud Gellium, *Quod poſteaquam lictor ille qui proxime apparebat, cito intellexit*, &c. Apuleius 3. *Quod*, &c. *ſervulum meum*, &c. *repente conſpiciens, indignatus exurgit.*
Plautus Trinum.

Cum ſalillum anima extemplo amiſimus, &c.

& Mercat.

Senex cum extemplo eſt, jam nec ſentit, nec ſapit.

Ibid. *ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί*] Apuleius 6. *Cedunt nubes, & cœlum filia panditur.*

Com. 17. *ὁ υἱὸς ὁ ἀγαπητός μου ἐν ᾧ ἐυδόκησα*] Ἐν ᾧ ἐυδόκησεν πᾶν τὸ πλήρωμα (τῆς θεότητος nempe) κατοικῆσαι. Ita non male ex Coloſſ. 1. 19. ſupplere & explicare poteris. Vulgat. *in quo complacui mihi* : bene quidem, ut frequentiſſime. Potes & ad hunc modum, *in quo me oblecto.* Terentius 1. 1. Adelp.

—— *Ego hunc majorem adoptavi mihi,*
Eduxi à parvulo, habui, amavi pro meo :
In eo me oblecto. ——

Ad quem locum Donatus, *Nove dixit, pro, eo me oblecto.* Apage moleſtam conjecturam illam, locutus eſt enim Terentius & pure, & ex Latini ſermonis conſuetudine. Sic è converſo, *offendi in aliquo* homine dixit Cicero ad Q. Fratrem ; & *offenſus jam in eo* 9. 15. A. Gellius. Ita enim putamus legendum, non, ut vulgo, *offendens.* Ὁ ἀγαπητὸς heic, eſt Coloſſ. 1, 13. ὁ τῆς ἀγάπης υἱὸς & Epheſ. 1. 6. ὁ ἠγαπημένος.

CAP.

CAP. IV.

MUNSTERUS.

2. *Poſtea eſuriit*] Exactis quadraginta diebus & quadraginta noctibus, cum ad homines ex illo receſſu redeundum eſſet, eſurire cœpit, virtute Divina abſque humano cibo interim ſuſtentatus. Fruſtra igitur impugnant increduli Judæi hunc locum, ſic arguentes, לשרי נתקב אירית סמני הכשר הכשר הזאן יכל לצום מ״יום ומ״ לילות כמי פוחז חקדוש ואמת חוח חקודש נתן כו סת לצום מי יום ומי לילות לשרי לא סרנטו כל חסים כולא אכילנו וכולא שתירת וכולא רעב ומצאר ייאל כי רצח לחראות עצמו אלהים נאמרים: ועוד כשוסר לו חשמן אם אלוהים אחרת עשרה לחם מן חשבנים ומבל לחם חשב לו כי לא על הלחם לבדו יחיה האדם חשובה ו משבשרת והא כי חשמן הית יבל להשיב לי חשיאל כי לא חלחם לבדו יחיה האדם כי על כל מוצא פי הי יחיה האדם לבן עשה לחם מן חשבנים שחרי על מוצא פי חשם יחיה חאדם בין מן העצים בין מן חאבנים ייאל על דבר הי לבדו אשר פי נגרשו השמים ותארץ יכול אדם לחיות ואין צריך שרנחר יצא על עץ או אבן שמשם יאבל אדם כמו כן משרה על רבר חשם לא נרעב מי ימים חלילה Senſus eſt, *Quare eſuris? Si dicis, Propter carnem; quomodo enim poſſet caro* XL *diebus & noctibus jejunare, niſi per Spiritum ſanctum, qui dedit virtutem ſubſiſtentiæ illi* XL *diebus & noctibus? Sed quare non ſuſtentavit eum cunctis vitæ diebus abſque cibo & potu, ut nunquam eſuriret, aut ſitiret? Reſpondemus; Quia voluit ſe oſtendere Deum & hominem. Præterea, quando dixit Satan, ſi Filius Dei es, fac panes ex lapidibus, & comede; quare reſpondit ei, Quoniam non in ſolo pane vivit homo? Reſponſio iſta eſt inepta: quia Satan potuiſſet dicere, Eſto quod non ſolus panis cibet hominem, ſed quicquid egreditur de Ore Dei, in hoc vivere poteſt homo: propterea fac panes ex lapidibus: nam ſuper eo quod egreditur de ore Domini vivet homo, ſive ſit de ligno, ſive de lapide. Reſpondemus, In ſolo verbo Domini, per quod facti ſunt cœli & terra, vivere poteſt homo; & non eſt opus ut verbum ejus exferatur ſuper lignum aut lapidem unde comedat homo, ſicut & Moſes ob colloquium Domini non eſuriit* XL *diebus & noctibus.* Rurſum arguunt hic Iudæi, לשרי נסוי חשמן מכל אלו נסיונות וחלא גלוי לכל חשלום שחשמן מלאך רע חוא ויודע נלוחות ונסחרות כמו מלאך אחר אם חדבר אשר שחוא אלוהי לשרי חסריחו בכל זאת ולא חיה יריא ממני יוכל יש חדבר אשרי שחוא אלוהי אבל אין רוצה חאמת לחראות לשמן עד סתו וחוא אין יכול לרעת את אשר אלוה אין רוצה לחדריע אותי *Quare*, inquiunt Iudæi, *tentavit eum Satan omnibus iſtis tentationibus? Nonne manifeſtum eſt toti mundo quod Satan angelus eſt malus, & novit tam occulta quam manifeſta, ſicut alius angelus? Si verum eſt quod iſte eſt Deus, quare vexavit eum in omnibus iſtis, & non magis timuit ab eo? Reſponſio, Verum eſt quod eſt Deus, ſed maluit illud oſtendere ipſi Satan uſque ad mortem ſuam; nos poteſt cognoſcere ea quæ Deus illum vult ignorare.*

3. *Si Filius Dei es*] Quærunt hic Iudæi, Quare Deus non revelavit in Lege Filium ſuum, ſi habet Filium, ut nos Chriſtiani confitemur: Quibus ſic reſpondemus, לפיכך לא גלה־אלוהים ארץ בנו בגלוי ישראל בתורת שחיו בני ישראל במדבר ששים בעו״ כמו שמצינו שעשו חעגל ותכרו לבעל פעור לפי כך אם יכתוב להם חי ורבי שים בגלוי יכולו להחרע בו מעמים ויאמרו כי שחיון רשעות ולא יקבלו עליהם התורה ומצות כי מקצתן יאמרו יפה כח חאב ומקצתן יאמרו לחפך

10. *Eum ſolum cole*] Irridebat nos hic Iudæi propter cultum quem quidam uſque in hunc diem ſanctis impendunt, illos in neceſſitatibus invocantes, quaſi in manu eorum ſit ſanare languidos, ſubvenire in periculis, dare ſobolem, & alia id genus, quæ ſolius Dei eſſe Prophetæ in multis locis indicant. Si quiſpiam poteſt illis reſpondere, reſpondeat: ego nihil habeo.

17. *Appropinquat regnum cœlorum*] *Regnum cœlorum* vocatur tempus gratiæ, inquo vocamur per Chriſtum ut filii Dei efficiamur, ſimuſque hæredes & cives regni cœlorum. Hic multi Chriſtianorum incaute egerunt cum Iudæis, aſſerentes quod regnum cœlorum fuerit uſque ad Chriſtum clauſum, & omnes Patres deſcenderint ad infernum: quod occaſionem illis præbuit calumniandi fidem noſtram. Nam ita arguunt ex Euangelio, putantes ſeſe nos proprio confodere gladio; ſed toto errant cœlo: חמשיחים אומרים קודם שבא ישו לארץ חיתה אותו מעשרת שרל לחם שחיתה שוכב לפני פתח העשיר שחיתה צוחק כל שעת לעשיר שיעשרת לו ומסר ולא רצרת לסוף סוא שנחסם העשיר חלך לגיחנם ולחם חלך בחיק של אברחם וכשראת העשיר שלחם יושב בלא צער בחיק של אברחם נתחיל בגיל ובחחדה חזא בצער נחל נתן כאש ולחחרה בתך פיו צעק אברחם אבי אסר ללחם שישבל אצבע חקטן בסם ושוף לי בפי מפני חלחבת חנהלת וחצערת סגי ובקשו שאברחם ילחם לא חיו בניחם וחאן חם אומרים שכלם חיו בגיחנם חשמיד אמת חוא כי קודם שבא ישו על כל צריקים יחיו אל שמל ריל לא יכלו לחכנס למלכות השמים כי אם חם פרחת וחכושע וישמו בסקום וחיתן לאלחים חן בגן עדן חן בסקום אשר שבראו חק של אברחם ולא חרשעים יחיו לשמל ותחזית חשרה לומר אל ניחנם אשר שם אשם לעולם לא תכבה· Senſus eſt; *Chriſtiani dicunt quod ante adventum Chriſti ſuper terram omnes homines ierunt ad infernum, ſive boni, ſive mali. Ego autem dico, Quomodo poſſum ſic loqui, qui etiam aſſerunt ante Meſchia adventum contigiſſe factum illud Lazari jacentis ante oſtium divitis?* ים. *Cum hinc conſtet Abraham & Lazarum non fuiſſe in gehenna, quomodo dicunt ipſi omnes fuiſſe in inferno? Reſponſio: Verum eſt, antequam venit Jeſus, deſcenderunt omnes juſti ad infernum*, h. e. *non poterant ingredi in regnum cœlorum, ſed exſpectaverunt redemptionem Salvatoris, manentes in loco Deo noto, ſive fuerit paradiſus, ſive locus alius, qui vocatur Sinus Abrahæ. At impii deſcenderunt ad infernum inferiorem*, h. e. *in gehennam, ubi ignis eorum in æternum non exſtinguetur.* Mirantur etiam hic Iudæi quare Chriſtus prædicationem ſuam diſtulerit in XXX ætatis annum, & ante non cœperit docere atque miracula facere: Quibus in hunc modum reſpondemus, טעם שהלך ישוע על חארץ לי״ שנים קודם שחיה מתגלה לכל שלם אין חוא עשוה ודי כרי למלאות התורה חלסוף שנר שלשים שנה יכול כל אדם ללמוד כל חתורה וכלל מי שלא למד כשנים אלו אין חואה סיון נחשב לקולם כמו שמצינו אצל שחיו חלדים שחיו למורים חמובחרים אחד שחיתן סבן חמש עשרים שנה עד לי״ שנים אבל מיד אחר חליכתו על חארץ לי״ שנים חיה מתגלה לישראל אין חוא עשוה מי חיה מראה לכל חעולם אין חוא טא לשרחיו אלא אדם מן חשן כמו שני בישעיה וחוא מחלל מששיעו מחכא משמחיו כלי שיעשה אחתו סריעו של ניחנם וכחה עסנו נחית חדשה וגו׳.

18. *Mare Galilææ*] Mare illud eſt lacus Tiberiadis, qui Hebraice vocatur ים כינרת *mare Cinareth*, à Chaldæis autem appellatur נינסר *Genaſereth*, Ioſ. 11. ¶ Porro כיפא *Cepha* Chaldaicum eſt, pro quo Græci verterunt πέτρα. & hinc *Petrus*, qui prius vocabatur שמעון *Simon.*

VALLA.

4. *Non in ſolo pane vivit homo*] Græce eſt futuri, ζήσεται. *Itidem in Luca*, 4. 4.

6. *Quoniam angelis ſuis mandavit de te*] Græce eſt *mandabit*: quam culpam librarii arbitror, aut alicujus temerarii correctoris, tam hic quam in Pſalmo 91. 11. nam è Pſalmo hic locus eſt ſumptus, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ. ¶ *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*] Ego mahuiſſem dicere *Ne quando*, vel *ne unquam*, μήποτε, ut eſt in Pſalmo 13. 4. *ne quando dicat inimicus, Prævalui adverſus eum*, μήποτε.

10. *Vade Satana*] Græce eſt, *Abi poſt me Satana*, ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ. ¶ *Et illi ſoli ſervies*] λατρεύσεις. Hoc Græco verbo non utuntur noſtri, ſed nomine, quod eſt *Latria*, volentes hunc actum ſoli Deo deberi. Is etſi frequenter Deo exhibetur, non tamen ſemper. Nam, quantum ego ſentio, magis ad homines pertinebat. Ideoque principes Græcæ linguæ, quorum auctoritate nitimur in verborum ſignificationibus, ita uſurpant: ut apud Xenophontem, l. 8. in Cyripædia, ἐγὼ μὲν, ἔφη, ὦ Κῦρε, καὶ τὴν ψυχήν σοι περιαιμᾶμαι, εἴπερ μήποτε λατρεύσω τινί. Hoc autem eſt, *Equidem, Cyre, ego vel animam redimerem, nequando ipſa ſerviret.* Hæc viri ſunt verba. Tum uxor eodem loquitur alio verbo, ut appareat inter ipſa verba *latriam* & *doliam* nihil intereſſe, ὡς τὴν αὐτοῦ ψυχὴν ἂν περίαιτο, εἴ τι μή με δουλεύειν. Et certe cum priores fuerint autores Gentiles quam fideles, ſive Græci, ſive Latini, nimirum multo plus obtinent autoritatis, quippe cum eos omnis poſteritas tam fidelium quam infidelium habeat autores, & eatenus recte loquatur quatenus ab illorum uſu non diſcrepat. Nam conſulto quidem & de induſtria velle ab illis diſſentire, niſi vehemens cauſa coegerit, inſania eſt; inſcientem vero hoc facere, inſcitia. Quanquam ſint qui negent Theologiam inſervire præceptis artis Grammaticæ; at ego dico illam debere ſervare etiam cujuſlibet linguæ uſum, quæ loquitur, nedum literatæ. Nam

quid

quid ſtultius, quam linguam qua uteris velle corrumpere, & committere ne ab iis apud quos loqueris intelligaris? Nemo enim intelligat eum qui proprietatem linguæ non ſervat, quam nemo unquam fuit qui non ſervaret volens & prudens, ſed per imprudentiam labens, velut in illo Pſal. 122. 2, 3. *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis, Hieruſalem; Hieruſalem, quæ ædificatur ut civitas*; pro *ædificaris*. Nimirum non conſulto ſic dixit interpres, ſed deceptus eſt participio Græco paſſivo temporis præſentis, οἰκοδομουμένη, in quo ipſe reſolvendo per verbum fuit indiligens: Sicut alibi deceptus eſt articulo Græco, Adject. ad Daniel c. 3. v. 60. *Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt*, pro quod eſt, *quæ ſuper cælos eſtis*, τὰ ὑπεράνω. Et iterum v. 79. *Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis*. Hic eum articulus cum participio decepit, τὰ κινούμενα. Sed ut ad *latriam* redeam, ne ſolum videar exempla à Gentilibus attuliſſe, afferam ex Eccleſiaſticis quoque, in Levitico, 23. 7. *Omne opus ſervile non facietis in eis*, λατρευτόν. Et iterum, cap. 18. 21. *De ſemine tuo non dabis ſervire Principi*, λατρεύειν. Et in Iobi c. 2. 9. in Græco exemplari, *Mendica*, λατρεῖα. Proinde mihi faciendum puto, ut cum hæc dictio varie transferatur, ubicunque reperero non referri ad Deum, lectorem ejus admoneam.

16. *Populus qui ambulabat in tenebris*] Melius habent ü codices in quibus legitur *Sedebat*, καθήμενος. ¶ *Et ſedentibus in regione umbræ mortis*] Legendum eſt, *Et ſedentibus in regione & umbra mortis*, ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου.

19. *Et faciam vos fieri piſcatores hominum*] Non eſt apud Matthæum *Fieri*, ſed apud Marcum, 1. 17. hic enim tantum eſt, *Faciam vos piſcatores hominum*.

21. *Una cum Zebedæo patre eorum*] Dicendum fuit *ſuo*, non *eorum*.

24. *Et abiit opinio ejus in totam Syriam*] Inuſitato nomine uſus eſt *opinio*, pro eo quod eſt *fama*, *rumor*, ἀκοή, quæ dictio, ut ad vocem magis quam ad elegantiam transferatur, Latine dicitur *auditio* ſive *auditus*, ut in Ioanne transfertur ex Eſaia 53. 1. *Domine, quis credidit auditui noſtro?* Neque ſolum hic transfertur *opinio*, ſed etiam poſterius, 24. 6. *Auditurí eſtis prælia & opiniones prælíorum*, πολέμους, καὶ ἀκοὰς πολέμων. Et in Marco 13. 7. *Cum autem audieritis bella & opiniones prælíorum*. Eadem ſunt apud Marcum quæ apud Matthæum verba, & tamen *prælia* & *bella* indifferenter ponit interpres, cum potius ſit *bella*: nam unum ſemper eſt nomen, ut in *plebs* & *populus* λαός.

25. *De Judæa, & de trans Jordanem*] Duæ præpoſitiones cohærentes, præter Latinorum morem, quaſi ſibi mutuo ſubleviant, in his verbis conculcantur: quod & alibi facit, ut in Pſalmo 78. 70. *Et elegit David ſervum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ovium, de poſt fetantes accepit eum*. Quem locum in Vita Clementis imitatus eſt qui dixit, *Apparuit fons de ſub pede*, &c. Sed quantum mihi eſt judicii, hoc in loco ignoravit interpres poſſe dici *Trans Alpes venio*, quia raro reperitur, quippe de quo nec Priſcianus præcipit. Ego omiſſo exemplo illo, *Trans Alpes*, afferam exemplum ad aquas pertinens, quoniam de aqua nunc ſermo eſt. Quintilianus de paſtu cadaverum, *Ergo ut vidimus ſalutem publicam trans mare petendam*. Cæſar in commentariis, *Pleroſque Belgas ortos eſſe à Germanis, Rhenumque antiquitus traductos*.

REVIUS in VALLAM.

10. Οἰκοδομημένη] Tranſpoſitum erat.

Servire Principi] Ita LXX. ubi recte ſcholiaſtes, τὸ ἱερεύειν μεγάλῳ ἔχει, ἂν εἰ λοιπὸν ἡ ἱερωσύνη τοῦτο σημαίνοι· inter eos eſt & interpres Latinus.

Mendica, λάτρις] Totum iſtud aſſumentum abeſt à textu Iobi Hebraico.

24. Ἀκοή] Bis inculcatum erat: alterum delevi.

28. *De ſub pede*] Florus tamen, non ineptus auctor dixit, *De ſub Alpibus*, &, *De ſub ipſis Italiæ faucibus*, lib. 2. cap. 3.

ERASMUS.

1. *Tunc ductus*, ἀνήχθη] i. *ſubductus* ſive *ſublatus*, velut è medio abductus. Nec enim protinus cœpit prædicare, ſed abdidit ſeſe dies aliquot. Porro quod ſimpliciter dixit à *Spiritu*, ſolitus addere *ſanctum*, palam eſt eum loqui de *Spiritu* cujus modo meminerat, & ob id addidit articulum, τοῦ ἁγίου πνεύματος. Nam quoties is accedit, fere de Spiritu S. ſentiendum eſſe docet Didymus in opere de Spiritu S. Etiam πνεῦμα pro quocunque *ſpiritu*, nonnunquam & pro *mentis impetu* uſurpetur; cum πνοὴ non aliter quam pro *flatu* poſitum reperiatur in arcanis literis, ſubnotante Auguſtino lib. De civ. Dei 13. ¶ Rurſum *diabolo* nomen ubique reliquit interpres & in Paulinis epiſtolis aliquoties, ubi non ſpiritum impium, ſed ſimpliciter *delatorem* aut *calumniatorem* ſignificare videtur. Id enim Græcis ſonat διάβολος, à verbo διαβάλλω, quod eſt *deferre*, *traducere*, ſive *infamem reddere*. Cæterum quod in Hilario *à diabolo* legitur *à Zabulo*, fortaſſis errori librariorum eſt aſcribendum. Tametſi eadem vox & alias apud hunc legitur; nec tamen apud hunc ſolum. Verum undecunque hoc molestæ, certe conſtat ab Euangeliſtis *diabolum* appellari, non *zabulum* ſive *zabelum*, ut ſcriptum reperi in emendatioribus cod. Sunt qui ζα politum exiſtimant pro διά, quod à veteſtis Græcis in aliquot dictionibus factum eſſe veriſſimum eſt, nimirum juxta proprietatem Æolicam. Sed mirum unde recentiores Latini affectarent eam antiquitatem. Frivolum enim eſt quod nonnulli *zabulum* media producta compoſitum putant ex ζα ſyllaba, quæ Græcis nonnunquam vim habet augendi, ut in ζάηλος, & βυλή, quod abundet conſiliis. Dictus eſt enim *accuſator fratrum* à διαβάλλω.

2. Ad hæc, quod hic vertit *poſtea*, ὕστερον, ſæpe vertit *noviſſime*, verti poterat, *Tandem eſuriit*, ſive *Denique eſuriit*; ut intelligas, eum tum demum ſenſiſſe famem.

3. *Accedens tentator*, ὁ πειράζων] i. *Is qui tentat*. Ad eundem modum Paulus Apoſtolus, μή πως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων, *Ne quo modo tentaſſet vos ille qui tentat*, h. e. ille qui ſolitus eſt tentare. Quanquam nomen videri poterat πειράζων, velut ὑφων pro *diſſimulatore*.

4. *Non in ſolo pane*] Teſtimonium eſt Deut. 8. quod ad verbum pene retulit Chriſtus, *Ut oſtenderet tibi quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Domini*. Cæterum tam Græce quam Hebraice *vivet* eſt futuri temporis, ζήσεται, יחיה.

5. *Tunc aſſumit*, παραλαμβάνει] i. *aſſumit*, h. e. comitem abducit. Ac rurſum paulo inferius παραλαμβάνει eſt præſentis temporis. ¶ Cæterum *pinnaculum* πτερύγιον eſt diminutivum ab *ala*, quod in alarum morem motetur.

6. *Angelis ſuis mandavit*, ἐντελεῖται] i. *Mandabit*, futuri temporis. Atque ita ſcriptum comperi in exemplari Corſendoncenſi, conſentientibus tribus Donatianicis. Similiter & apud Hebræos, יצוה. Atque ita legitur in Pſalmo 91. unde locus hic deſumptus eſt, conſentientibus & LXX. ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ. Calumniatur autem Hieronymus hoc in loco calumniatorem, quod perperam citarit Scripturæ teſtimonium, decerpens quod erat commodum, & prætermittens quod offendebat. Omiſit enim illud, *Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*. Deinde tacuit quod ibidem ſequitur, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis*. Poſtremo quod de quovis viro bono dictum eſt, id detorſit ad Chriſtum, cum ei totus Pſalmus non queat accommodari. Verum opinor diabolum non ob hoc vocandum in jus quod ineruditè citarit Scripturam, ſed quod malitioſe & impie. ¶ Adhæc μή ποτε, quod ſuo more vertit *Ne forte*, rectius erat, *Nequando*.

7. *Dixit illi Jeſus rurſum*] Πάλιν ita poſitum eſt ut utrovis referri poſſit, *Dixit rurſum*, aut, *Rurſum ſcriptum eſt*. Deinde, vox ea nonnunquam ſonat Iterationem, nonnunquam Contrarietatem. Si ad *dixit* referatur, *iterationem* ſignificat; nam ſemel ante reſponderat. Si ad ſequens verbum, *contrarietatem*; q.d. *E diverſo ſcriptum eſt*, ut opponat Scripturam illius Scripturæ. At mox haud dubie ſignificat *iterationem*; πάλιν παρελαμβάνει. ¶ *Non tentabis*] Locus eſt Deut. 6. Apud Hebræos plurativo numero legitur, *Ne tentetis Dominum Deum veſtrum, ſecundum quod tentaſtis in loco tentationis*. Et hic Chriſtus tantum decerpſit quantum erat commodum. Reliquit enim quod ſequitur, *Sicut tentaſtis eum in loco Tentationis*, quod ea pars non competebat niſi in populum Iſraeliticum.

9. *Si cadens*, ἐὰν πεσὼν] i. *Si proſtratus*, ſive *pronus*. Qui geſtus eſt adorantis. Eodem verbo uſus eſt de Magis.

10. *Vade ſatana*] Quid eſt *vade*? Num eum aliquo mittit Chriſtus, ut dicat, *Vade*? Græce eſt ὕπαγε, i. *Abi*, ſive *diſcede*. Et additum eſt in Græcorum cod. vulgatis ὀπίσω μου σατανᾶ, i. *Poſt me ſatana*: at perperam, ſiquidem Origeni credimus. Is enim annotat hanc differentiam hom. 1. Petro dictum eſſe; *Vade poſt me*; Satanæ tantum dictum *Abi*: quod prius illud competat in diſcipulum; juxta illud, *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum*; poſterius conveniat in eum qui tantum rejiciendus eſſet, non etiam ad morem gerendum invitandus. Nec addit hæc verba, *poſt me*, Chryſoſtomus hunc enarrans locum hom. 13. Contra apud Theophylactum adduntur. Proinde noſtris exempl. hac in parte aſſentiendum puto, quod conjiciam eas voces ex altero Matthæi loco

loco huc additas à ſcriptore memori ſcioloque, quod locis aliquot factum oſtendemus. Auguſtinus enarrans Pſalmum 9. legit, *Redi retro ſatana.* Atque ita legitur non ſolum in pleriſque cod. per typographos excuſis, verum etiam in vetuſtiſſ. codice ex bibliotheca Paulina apud Londinum, ſed diſſentiente exemplari Corſend. Apparet *retro* poſitum pro ὀπίσω μου. Sed mihi, ut dixi, probatur Origenis annotatio, præſertim cum videam Ambroſium aliquoties hoc citato loco ſuffragari. Porro שטן Hebræis ſonat *adverſarium*, & *qui obſiſtit atque obturbat.* At qui à tergo eſt, non obſiſtit. Proinde Petro, qui jam præire Domino conabatur, increpans ne ſubiret mortem, dictum eſt, *Sequere me*, diſcipulum agens, non adverſarium. ¶ *Dominum Deum tuum*] Locus eſt Deut. 6, 13. Niſi quod illic pro *adorabis* ſcriptum eſt *timebis* in editione Vulg. nec aliud verterunt LXX. Cæterum qui adorat, is reveretur ac timet quem adorat. ¶ Præterea quod additum eſt, *ſoli*, μόνῳ, Hebræus expreſſit per articulum את, חוא את i. *Ipſum Dominum.* Item *Et illi ipſi ſervies:* ut intelligamus nullum præterea adorandum, ac nulli præterea ſerviendum. Cæterum quæ de λατρείᾳ Laurentius differit adverſus Theologos, qui volet ab ipſo petat: nos brevitati ſtudemus.

11. *Tunc reliquit*, ἀφίησιν] i. *relinquit*, præſentis temporis. Idem verbum quod ſuperius vertit *dimiſit.*

13. *In civitate Capharnaum*, εἰς Καπερναούμ] Ita ſcriptum conſpicimus in aureo codice, conſentientibus aliquot Donatianicis. *Civitatem* interpres Lat. addidit de ſuo. At id magis factum oportebat in Nazareth, ob Græcum articulum appoſitum, τὴν Ναζαρέθ.

15. *Via maris*] Græcis accuſandi caſus eſt ὁδὸν θαλάσσης, i. *Viam maris.* Theophylactus Græcus interpres ſubaudiendam putat præpoſitionem ἐξ, aut πρὸς, h. e. *Juxta viam maris.* Nam hic *mare* vocat lacum Genezareth, in cujus litore ſitæ ſint Capernaum, Tiberias, Bethſaida, & Chorozaim. ¶ *Galilæa gentium*, τῶν ἐθνῶν] Expreſſius erat ἡ τῶν ἐθνῶν, articulo appoſito. Sunt enim duæ Galilææ, altera cognomento *Gentium*, in ſorte tribus Neptalim, finitima Tyriis, in qua Solomon XX civitates donavit Chiram regi Tyriorum. Altera eſt in tribu Zabulon è regione Tiberiadis ac ſtagni Genezareth, autore Hieronymo. Tametſi quidam ſic diſtinguunt ut *gentium* referatur non ad *Galilæam*, ſed ad *populum*; *Gentium populus qui ſedebat in tenebris.*

16. *In regione umbræ mortis*] Græci ſecus legunt, ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, i. *In regione & umbra mortis:* etiamſi juxta Hebraicam veritatem ita vertit Hieronymus, *habitantibus in regione umbræ mortis.* Et Hebræis unica dictio eſt צלמות, compoſita ex *umbra* & *morte*, ut intelligas altiſſimam caliginem, qualis eſt apud inferos. Illud annotandum, *habitantibus* mutatum eſt in *ſedentibus*: etiamſi *ſedes* habitacula dicuntur. Alioqui *qui ſedent*, iidem qui modo *ambulare* dicebantur. Quanquam etiam pro illo *ambulabat* poſitum eſt καθήμενος, *ſedens*, quemadmodum habebat unus codex Donatiani. Unde liquet ſeu Matthæum, ſeu hujus interpretem, ſententiam reddere voluiſſe potius quam annumerare verba Prophetæ. Hieron. enarrans hunc locum apud Eſaiam, teſtatur à Matthæo juxta Hebraicam veritatem citari, etiamſi verbis nonnullis præteritis. Omittit enim Euangeliſta, *Primo tempore alleviata eſt, & noviſſimo aggravata eſt.* Quod tamen mire diſſidet apud LXX. Siquidem pro eo quod Hieronymus vertit ex Hebraica veritate, *Primo tempore alleviata eſt terra*, LXX verterunt, τῷ πρώτῳ ταχὺ ἐποίησε, ταχὺ πίε, i. *Hoc primum velociter bibe, velociter fac.* Nam itidem citat Tertullianus lib. adv. Marcionem 4. *Hoc primum bibito, cito facito.* Nec hanc interpretationem, quæ nihil habet affine cum Hebræis, rejicit aut inſectatur Hieronymus.

17. *Pœnitentiam agite*, μετανοεῖτε] *Reſipiſcite.* De quo ſuperius dictum eſt. ¶ Et ἤγγικεν, *appropinquavit*, ſive *inſtat & adeſt*, aut *in propinquo eſt.*

18. *Ambulans autem Jeſus*] *Jeſus* non erat in aureo codice. Quanquam arbitror & apud Græcos hæc nonnunquam addi ob ſermonis conſequentiam, præſertim ſi quando decerpta recitantur è cod. Euangelicis. ¶ *Mittentes rete*, βάλλοντας ἀμφίβληστρον] Eſt retis genus, quemadmodum & *ſagena*, hinc dictum quod *undique complectatur.* Nam *rete* Græcis δίκτυον eſt.

19. *Vos fieri piſcatores*] *Fieri* redundat. Græceeſt, *Faciam vos piſcatores.* Porro *piſcatores hominum*, mollius eſt apud Græcos, ἁλιεῖς ἀνθρώπων. Nam *piſcator* à *piſcibus* dictus eſt, ἁλιεὺς à *mari*, q. juxta Gallorum linguam dicas *marinateres*, quod in mari venentur. Quanquam hoc minutulum, velut & illud aliquanto poſt, *Relictis retibus & patre*, Græce addunt *ſuo*, αὐτῶν.

23. *Et ſanans omnem languorem*, θεραπεύων] Quod ſæpe vertit *curans*: & omnino θεραπεύειν eſt *mederi pharmacis.* Unde Galenus opus ſuum De morborum remediis θεραπευτικὸν inſcribit. Proinde miror Euangeliſtæ interpretem hoc verbo abuſum, quod magis videbatur fugiendum. Quanquam eodem verbo abuſus eſt Marcus c. 1. ἵνα θεραπεύσῃ νόσους: item Lucas c. 4. θεραπεύσαι αὐτούς. Eadem ratio in verbo Latino *curare* quæ in Græco. Hoc loco fuit interpres Latinus, ac vertit *ſanans* pro θεραπεύων. Cæterum in Marco ac Luca non vitavit. Non enim ſtatim ſanantur qui curantur; & multi ſanantur non curati. ¶ Deinde νόσον, quod plane *morbum* ſignificat, hic plerumque vertit *languorem.* ¶ Rurſum μαλακίαν, quod ad verbum ſonat *mollitiem*, non male vertit *infirmitatem*, rectius tamen verſurus *languorem.* Eſt enim *languor* levis ac lentus morbus, qui non affigit quidem lecto, ſed tamen facit quo minus firma ſimus valetudine. ¶ Denique fortaſſe melius erat *Quemvis morbum* quam *omnem.* Neque enim ſanavit omnes ægrotos, ſed quemvis morbum: quoſdam enim morbos medici putant immedicabiles. Niſi quod *omnis* pro *quivis* abutuntur nonnulli Latinorum.

24. *Abiit opinio*, ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ] i. *Abiit auditus*, ut verbum verbo reddam. Nec inficior *opinionem* inveniri pro *fama:* verum non omnia quovis loco quadrant. Nos vertere maluimus, *Dimanavit fama ejus*, vel ob hoc quo vitaremus amphibologiam. ¶ *Tormentis comprehenſos*, βασάνοις συνεχομένους] i. *Qui cruciatibus*, ſive *terminibus coarctabantur*, ſive *contrahebantur.* A *morbis* ſeparavit *tormina*, quorum violentia corpus omne contrahitur. *Torminibus* ergo malim ob vitandam amphibologiam: ſunt enim quæſtionum *tormenta.* ¶ *Qui dæmonia habebant*, δαιμονιζομένους] Unica vox eſt, *qui à dæmonibus agebantur.* ¶ Simile eſt quod ſequitur, σεληνιαζομένους, quod interpres vertit, *Lunaticos*, quod certis intervallis furor illos repeteret. D. Hieronymus negat hos vere affectos fuiſſe vi ſideris Lunæ, cum eſſent dæmoniaci; ſed arte dæmonum factum, quo creaturam Dei infamarent. Arbitror ob id *Lunaticos* dictos, quod furor non eſſet perpetuus, ſed certis recurreret intervallis.

25. *De trans Jordanem*, ἀπέραν τοῦ Ἰορδάνου] *Trans Jordanem.* Interpres addidit *de.* Reperiuntur enim hujuſmodi ſic poſita, ut motum à loco ſignificent. Ut Quintilianus, *Salutem publicam trans mare petendam*, i. e. tranſmarinis regionibus; & *Peregre rediit*, i. ex peregrinatione; & *Foris acceſſit*, i. alionde. Nam, *De ſub pede, de poſt ſentes*, orationes ſunt inauditæ Latinis. Poterat explicare periphraſi, *è regionibus ultra Jordanem ſitis.*

V A T A B L U S.

1. DUctus eſt, ἀνήχθη] *Sublatus fuit.*

2. *Poſtea*, ὕστερον] *Tandem.*

3. *Tentator*, ὁ πειράζων] *Ille qui tentat*, ſive ad malum incitare ſolet. ¶ *Dic*, εἰπέ] Hebr. pro *jube.*

4. *Vivit*, ζήσεται] *Vivet.* V. ¶ *In omni verbo*, &c. ἐπὶ παντὶ ῥήματι, &c.] i. in omni re alia qua volet Deus illum ali.

5. *Aſſumpſit*, παραλαμβάνει] *Aſſumit.* Et ſic infra 8. ¶ *Pinnaculum templi: τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ*] Vox Græca ſignificat *culmen templi.*

6. *Mandavit*, ἐντελεῖται] *Mandabit.* V. ſive, *mandata dabit.* ¶ *Ne forte*, μήποτε] *Nequando.*

9. *Cadens*, πεσὼν] *Proſtratus.*

10. *Satana*, Σατανᾶ] *Poſt me, Satana.* Vetera legunt *retro.* Emendatiora Græca exemplaria non legunt hæc. ¶ *Illi ſoli ſervies: αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις*] *Illum ſolum coles.*

11. *Reliquit*, ἀφίησιν] *Omittit.* ¶ *Acceſſerunt*, προσῆλθον] *Accedebant.*

12. *Traditus eſſet*, παρεδόθη] Sub. *commentarienſi.*

13. *Nazareth*, τὴν Ναζαρέθ] *Civitate Nazareth*, V.

14. *Quod dictum eſt*, τὸ ῥηθὲν] *Quod dictum fuerat.* ¶ *Prophetam*, διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος] *Prophetam dicentem.*

15. *Via*, ὁδὸν] *Viam.* V. pro *juxta viam*: aut, *vergens ad mare*: vel, *verſus mare.* Nam *viam maris*, Hebraiſmus eſt. ¶ *Galilæa*, Γαλιλαία] *Galilæa.*

16. *Qui ambulabat*, ὁ καθήμενος] *Sedebat*, V. ¶ *Umbra*, καὶ σκιᾷ] *Et umbra*, V. pro, *in regione umbra mortis*, i. in regione tenebrarum exitialium.

17. *Pœnitentiam agite*, Μετανοεῖτε] *Reſipiſcite.* ¶ *Appropinquabit*, ἤγγικε] *Appropinquavit*, V.

18. *Mare*, τὴν θάλασσαν] i. *lacum.* ¶ *Qui vocatur*, τὸν λεγόμενον] *Qui vocabatur.*

21. *Procedens inde* ,, προβὰς ἐκεῖθεν] *Progreſſus illinc.* ¶ *Zebedæi*, τὸ τῦ Ζεβεδαίου] Sub. *filium.*

22. *Relictis retibus*, ἀφέντες τὸ πλοῖον] *Relicta navi.*

24. *Opinio*, ἡ ἀκοὴ] *Fama*, V. ¶ *Obtulerunt ei*, προσήνεγκαν αὐτῷ,] *Adduxerunt ad illum.* ¶ *Tormentis comprehenſos*, βασάνοις συνεχομένους] *Terminibus contractos.*

15. *De trans Jordanem*: πέραν τῦ Ἰορδάνου] vel, *à regionibus trans Jordanem ſitis.*

CASTALIO.

1. UT *tentaretur à diabolo*] *Diabolus* Calumniator & Criminator eſt. Nam διαβάλλειν non ſolum *calumniari* ſed etiam *criminari* notat. Itaque Apoc. 12. vocatur κατήγορος, quod ſanctos apud Deum dies & noctes accuſet, *Tentatorem* autem quod verto participium eſt ὁ πειράζων ſed participiis utuntur Hebræi pro deductis à verbo nominibus, ut Marc. 6. Ἰωάννης ὁ βαπτίζων dicitur, qui alias βαπτιστὴς appellatur.

13. *Capharnaum profectus*] Quædam verba Græcis non aſpirata Latinis aſpirantur, ut Ἰώσηπος, Καλπέρνιος, quos Latini *Joſephum* & *Calphurnium* dicunt; & τρόπαιον *trophæum*. Hujus generis ſunt Καπερναούμ & Κλεόπας, quæ Vetus interpres recte *Capharnaum* & *Cleophan* dixit.

CLARIUS.

4. NON *in ſolo pane*] Significatur hic verbum Dei poſſe etiam corpus ſervare atque enutrire : quod & ex ethnicis Philoſophis quidam auſi ſunt dicere, Animum ſcilicet qui ad pietatem & recte facta bene aſſueverit poſſe etiam fragile corpus ſervare. Eſt tamen hic Hebraiſmus ut *verbum* pro *qualibet re* accipiatur. Sicut ergo populum Iſraelitarum juſſum exire ex Ægypto pavit Deus ſine ulla eorum cura, ſic cum ego, inquit, à Spiritu Dei huc ductus fuerim, non debeo metuere ne quid mihi ad victum neceſſarium deſit. Sed obſerva, ante omnia facta Servatorem experiri tentationes voluiſſe, ut diſcas tolerantiam tentationum ſolidiſſimum bene atque honeſte degendæ vitæ eſſe fundamentum. Illud etiam obſerva, Non poſtulaſſe diabolum ut adoraretur niſi cum regnum mundi pollicitus eſt. Vere enim honorum appetitio plena à Deo averſio eſt.

7. *Non tentabis*] Non me, inquit, in hoc pinnaculum duxit Spiritus Dei, ſed tu, cujus conſilio non eſt acquieſcendum, ſed Dei, de quo ſcriptum eſt *Angelis ſuis mandabit de te, ut cuſtodiant te*, nimirum de iis loquens qui ipſi Deo, non tibi, obedirent. Si ergo me hinc demitterem temere, eſſet tentare Deum, non Deo obedire.

15. *Terra Zabulon*] Hujus loci explanationem quære Eſa. 9.

23. *Prædicans euangelium regni*] *Regni* fit mentio, ejuſque cœleſtis atque æterni, & homines, puerorum adhuc more, de hac brevi & exigua vitæ ſcena cogitant. Aptum vero huic philoſophiæ nomen datum eſt, nempe *Euangelium*, h. e. *nuntium bonum*, qua appellatione una ex omnibus hæc philoſophia digna eſt: Quanquam Homerus & Ariſtophanes & reliqui ethnici autores appellatione *euangelii* præmium pro bono nuntio intelligunt, ut illud, Εὐαγγέλιον δέ μοι ἔσω.

ZEGERUS.

1. IN *deſertum à Spiritu*] Articulus additus ἐν τῷ πνεύματι declarat de Spiritu S. accipiendum, nimirum cujus in fine præcedentis capitis meminerit.

13. *In Capharnaum maritima*] Quod hodie adjunctum cernitur *in civitate Capharnaum* juxta Hieron. in Jeſ. Aug. De conſenſu Euang. 2. c. 17. Opus imperfect. Theoph. edit. Græcam, & vetuſtos cod. Latinorum, redundat. Pro *maritima* multi cod. vetuſti habent *maritimam*. Eſt enim Græce non ἐν ſed εἰς.

15. *Trans Jordanem Galilæa Gentium. Populus*] Nonnulla exemplaria ſic diſtinguunt, *trans Jordanem Galilæa. Gentium populus*, &c. verum hanc diſtinctionem non invenio apud explanatores veteres : niſi quod in Theophylacto ita ſcriptum viſitur, *trans Jordanem. Galilæa Gentium populus : qui ſedebat.*

16. *In regione umbræ mortis*] Quod Græce legitur, ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, *in regione & umbra mortis*, juxta LXX editionem poſitum eſt, cum hic Euangeliſta, Hieronymo teſte Hebraicam magis ſequatur veritatem, in qua ſcriptum eſt בארץ וצלמות *in terra*, ſive *in regione*, *umbræ mortis*, duabus tantummodo dictionibus, quarum poſterior ab *umbra* & *morte* compoſitionem habet : ut intelligas profundiſſimas tenebras, quales ſunt mortis, & regionem caliginoſiſſimam deſignari.

LUCAS BRUGEN.

10. TUNC *dicit ei Jeſus*, *Vade Satana.*] Tres noſtri codices addunt *retro*, *Vade retro Satana*; F. Pl. m. Atr. f. quibus tres Pariſienſium conſentiunt, Ge. l. Compl. Pau. quanquam Complutenſis *retro me* habeat. B. Auguſtinus, in Pſalmum ſcribens nonum, ad ſimilem profert modum, *Redi retro Satana.* Beda utriuſque lectionis meminit; *Vade Satana*] *ſc. in æternam damnationem. Si autem ſecundum aliud exemplar quis voluerit legere*, Vade retro Satana; *poteſt ita ſentire, quod*, &c. Hentenius ſignavit quatuor codices *poſt me* addere; falſuſne Pariſienſium ſignatione, multum equidem ambigo. His Latinis codicibus Græci complures volunt, qui ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ [σατανᾶς citat quidam] legunt, quomodo & apud Græcum Theophylactum legitur. Porro pleraque noſtra Latina exemplaria, tum excuſa tum ſcripta, nihil adjiciunt hujuſmodi; tantum, *Vade Satana*, aut *Satana*, habent; Brug. Lob. Leod. O, Q, L. Mog. & cætera viginti novem, quibus antiqua Epanorthotæ ſuffragantur. Suffragantur & Græca antigrapha non pauca, quæ ὕπαγε σατανᾶ duntaxat ſcribunt : nec in Syrico textu quidquam illiuſmodi invenitur. اذهب عنى ايها المخالف *Abi tibi, adverſarie.* Apud Chryſoſtomum hunc enarrantem locum nihil tale additur. Hieronymus, Druthmarus, Anſelmus & Euthymius, in proprio loci commentario, denique Origenes tract. 1. in Matth. id ſe non legiſſe apertiſſime docet. Tranſlatum fortaſſis huc fuit à memori ſcriba ex Matth. 16. 23. aut Marci 8. 33. ubi Petro dicit Chriſtus, ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, *vade poſt me*, ſive *retro me*, aut *retro, Satana.* His enim modis Latinis in libris legitur. Notat his locis Epanorthotes in antiquis codicibus *Satanas* eſſe; id quod & nos, primo præſertim loco, obſervavimus.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ἅ, Περὶ τῆς διδασκαλίας & Χριστῦ.

Matth. ἐν τῷ Λατ. ἴῳ. ἅ, καὶ ἀφεὶς τὴν ὅλην ¶ Γαλιλαίαν ὁ Ἰησῦς, διδάσκων ἐν ¶ συναγωγαῖς αὐτῶν.

Στίχοι, ἤτοι ἅ περὶ θεῦ καὶ ἀνθρώπων πολλῶν.

Ἄλλως,

Ἐν Γαλιλαίᾳ ὅλῃ ἃ διδάγματα Χριστὸς ἐδίδαξεν.

5. ΕΠΙ *τὸ πτερύγιον & ἱεροῦ*] *Super eam in tecto templi partem quæ primis ambiebatur.*

7. Πάλιν] *Viciſſim*: at in ſeq. *Rurſum.*

12. Παρεδόθη] *Traditus eſſet* in cuſtodiam. Vel, in manus inimicorum.

18. Περιπατῶν) *Ambulans.* ¶ Ἀμφιβλήστρον] *Rete.* ¶ Ἁλιεῖς] *Piſcatores.*

20. Δίκτυα] *Retia.*

21. Καταρτίζοντας] *Sarcientes.*

23. Πᾶσαν μαλακίαν] *Omnem languorem.*

24. Βασάνοις συνεχομένους, καὶ δαιμονιζομένους, καὶ σεληνιαζομένους] *Qui cruciatibus tenebantur, & dæmoniacos, & lunaticos.*

DRUSIUS.

1. IN *deſertum*) *Hoc deſertum*, inquit Anſelmus in Matthæum fol. 41. p. 2. *eſt inter Jeroſolymam & Jericho, ubi morabantur latrones, in loco qui Damim vocatur, i. Sanguinum, propter effuſionem ſanguinis quam ibi faciebant latrones.* Mirum unde habeat. *Damim*, i. דמים, quæ vox etiam cædes notat. Vide quæ notavimus Luc. 10. 30. ¶ *Ut tentaretur à diabolo*] Apud Hilarium, *à Zabulo*, vel certe *Zabolo:* quod poſterius habent, teſte Eraſmo, libri emendatiores. Idem Eraſmus exiſtimat ex dialecto Æolica ζα poſitum eſſe pro διά. Scaliger autem ſcribit vitium eſſe, ἡ πρὸς διαβολῶ vulgi ſic loquentis, & *zata* pro *diata* uſurpantis. Sic dicebant *Azabenicus* pro *Adiabenicus*. Animadv. Euſeb. 109. 1.

4. *Non è ſolo pane*, &c.] Homo, ut nomen eſt, conſtat ex anima & corpore. Anima verbo Dei, corpus pane alitur. Unde dictitant, *Lex eſt cibus animæ*, & *Cibus animæ eſt per legem.* Quin Lex ipſa *vita* dicitur & *longævitas* noſtra. Cur *vita*? Quia ſine Lege homines non vivunt, ſed mortui ſunt. Ex quo illud, *Improbi dum vivunt pro mortuis habentur.* Imo vere mortui ſunt: nam anima eorum non vivit.

Hinc

Digitized by Google

Hinc intelliges quid ſit, *Mortui ſepeliant mortuos ſuos.* Ut piſces non vivunt extra aquam, ſic nec homo pius extra Legem. Quo referendum, *Abſque farina non eſt Lex; & contra, abſque Lege non eſt farina.* Dicunt etiam, *Nemo militatem capit ex Lege niſi ejus verba dentibus moluerit.* Interdum *panis* à corpore ad animam transfertur, & Lex ita vocatur eo quod ſit quaſi panis quo anima ſuſtentatur: nam *panis* quemvis cibum denotat.

5. *Tunc aſſumpſit*] In Græcis eſt verbum præſentis temporis, παραλαμβάνει, *aſſumit*, ut & infra v. 8. & eſt ſenſus *aſſumptum transfert.* Sic Eſth. 2. 16. *Aſſumptaque fuit Eſther in domum regni, ſive regiam.* Plenum eſſet, *aſſumpta & deducta*, Qualia ſunt, *accepit dona*, pro *accepta dedit* aut *diſtribuit*; *capies carbones ignis ſuper caput ejus*, pro *capies & ponet.*

9. *Si cadens adoraveris me*] Juvabo nunc memoriam Hieronymi. Nam ut homo, ita labi potuit. *Omnem*, inquit Dan. 3. *Scripturam ſanctam mente percurrens, niſi tamen me fallit oblivio, nunquam reperio quod ſanctorum quiſquam Deum cadens adoraverit, ſed quicunque idola & dæmones & res illicitas adoraverit, cadens dicitur adorare, ut in præſenti loco non ſemel, ſed crebrius. Et in Euangelio diabolus loquitur ad* DOMINUM, HÆC OMNIA DABO TIBI SI CADENS ADORAVERIS ME. *Et de ſtatua Nabuchodonoſor jubetur ut* OMNIS QUI AUDIERIT SONITUM BUCCINÆ, *&c.* CADENS ADORET STATUAM. Hæc ibi Hieron. cum tamen omnis qui adorat pronus cadat in terram. Sane Gen. 17. 3. Abraham Deum adorans *cecidit pronus in faciem*, & Joſ. 5. 14. legimus, *Cecidit Joſue pronus in faciem, & adorans ait.*

13. *In Capharnaum*] Ebraice כפרנחום. Id ſonat *vicus*, aut *pagus*, *Nahum*, ſive *Nochum.* Sic כפר חנינה *Caphar Hanina*, i. *pagus Hanina.* Minus ſe probat mihi quod in Græcis codicibus, Καπερναούμ. Nam Græco π, ut & Latino *p*, carebant olim Ebræi, teſte Hieronymo. In *Capharnahum* Chaph mutata in Koph, quod etiam factum in *Carmelus*, h. e *c* aſpiratum in tenue. Apud Nonnum & in codicibus aliis. Καφαρναούμ. Meminit Benjamin in Itinerario ſuo, quam ait abeſſe à torrente Ciſon quatuor paraſangis, fol. 9. p. 1. A Caphar Hanina eſt איש כפר חנינה in Johaſin, fol. 52. p. 1. Sic forte איש קריות *Iſcarioth*, *Cariothites.* ¶ *Zabulon*] זבולן vel זבלון *Zebulun.* Sed antiqui legebant *Zabulon*, h. e. *o* pro *u*; contra ac Syri faciunt, qui *o* in *u* mutant. Vide quæ ſcripſimus Gen. 30. 20. ¶ *Nephthali*] *Nephthali* legitur apud interp. Vulg. Græci habent Νεφθαλείμ, *Nephthalim*, cum *m* in fine. Critici Ebræorum ſcribunt נפתלי *Naphthali.* Sic etiam interpres Syrus, *Naphthali*, *Nephthali*, ut *Malchi*, *Malchi*, unde & *Melchiſedec.* Et *Nephthali*, *Nephthalim*, ut *Jari*, *Jarim*, & ſi quæ alia ſunt; in quibus *m* redundat, non tam vitio ſeculi quam culpa ſcribarum. Hinc etiam *Siloam* pro *Siloa.*

15. *Galilæa Gentium*] Galilæa duplex, Superior, Inferior. Hanc Thalmudici vocant גלילאה תחתונה: illam appellant גלילאה עלונה. Utrumque nomen exſtat in Sanhedrin, cap. 1. ubi & illud, *Scribe fratribus noſtris filiis Galilææ inferioris, Pax veſtra multiplicetur in æternum.* Superior in hiſtoria Iudithæ vocatur ἡ ἄνω Γαλιλαία. Qua ratione inferior dici poſſet ἡ κάτω Γαλιλαία. De Galilæa Gentium duæ opiniones ſunt: Una eſt eorum qui eo nomine ſignificari putant Galilæam inferiorem, ubi fuit Capharnaum. Sed falli eos exiſtimo, etiam in eo quod pro *Galilæa Gentium* reponant *Galilæa populoſa.* Altera eſt eorum qui locum Jeſ. 9. 1. Γαλιλαία ἐθνῶν enarrant de Galilæa ſuperiore: quibus & ego accedo. In lib. Interpretationum, *Galilæa duæ ſunt: Una vicina Tyriis, de qua ſcriptum eſt, Galilæa Gentium; Altera circa Tyberiadem & ſtagnum Genneſareth.* Hieron. in Locis Actorum, *Duæ ſunt Galilæa; ex quibus una Galilæa Gentium vocatur, vicina Tyriorum finibus, ubi & Salomo viginti quinque urbes donavit Hiram regi Tyri in ſorte tribus Nephthali. Altera Galilæa dicitur circa Tiberiadem & ſtagnum Genneſareth in tribu Zabulon.* Anſelmus in Matth. fol. 48. *Duæ Galilæa ſunt: una quæ dicitur Judæorum?* (ubi ita dicitur?) *altera quæ dicitur Gentium. Zabulon eſt in Galilæa Judæorum; Nephthalim in Galilæa Gentium; Capharnaum vere in confinio utriuſque.* In lib. Interpretationum Plantini, *Tradunt hiſtorici duplicem eſſe Galilæam, Superiorem ſcilicet & Inferiorem. Superior juxta Tyrum, Sidonem & Cæſaream Philippi ſita eſt, qua Gentes attingit ad Aquilonem. Hæc Galilæa Gentium Matth. 4. 15. vocatur, vel quia illic Gentes uſque ad Salomonis tempora habitarint, vel quod Hiram Regi Tyriorum oblata ſit 3 Reg. 9. Hæc in tribu Nephthali ſita eſt. Inferior Galilæa circa Tiberiadem & ſtagnum Genneſaret in tribu Zabulon poſita eſt: de qua Matth. 7. & 4.* Ab hac opinione temere diſcedendum non eſt; quod illi faciunt quibus nova omnia placent, vetera ſordent. Tales docti omnes rident, licet indoctis admirationi ſint. In Hiſtoria Ebraica Galilæa vocatur גלילי, & aliquando גלילי, niſi mendum in libris. Sane apud Gorionidem, c. 69. גלילי העליון eſt *Galilæa ſuperior*, ubi גוש חלב *Guſchalab* non exiguum opidum, quod Veſpaſianus captum evertit. Mar. 1. 16. *Mare Galilææ* vocatur ſtagnum Genneſareth, quod & *mare Tiberiadis.* A *Galilæa* τὸ ἐθνικὸν *Galilæus*, Γαλιλαῖος. Sic olim Chriſtus dicebatur, quod in Galilæa frequenter verſaretur, ubi duas patrias habuit, Naſareth & Capharnahum. Hinc Chriſtiani à Juliano apoſtata *Galilæi* appellabantur. Nazianzenus Steliteut. ά. pag. 103. Γαλιλαίους ἀντὶ χριστιανῶν ὀνομάσας τῷ ἐμῷ νομοθέτῃ, &c. Invenio etiam 1 Mach. 15. Γαλιλαία Ἀλλοφύλων, i. *Philiſtæorum*, an *alienigenarum?*

18. *Simonem*] Nomen hoc varie ſcribitur Græcis, Σίμων, Συμεών, & Συμεών. Ebræis unica & conſtans ſcriptura, שמעון. Scriptura prior non caret exemplo. Nam veteres ſcilicet aſpiratam ע in medio ſolitos abſcondere. Itaque שעוה dicebant pro שעוה, *cera*: Teſtis David Camius primæ notæ Grammaticus in Comment. ſuper Pſalmos. Non minus abſurdum erit ſi quis dicat eoſdem uſitaſſe Σίμων contracte pro Συμεών, licet ejus contractionis exemplum apud Ebræos in hoc nomine mihi nondum obſervatum ſit. Nam שמעון potius Græcum videtur Σίμων. *Simeon*, Συμεών aut Συμεών. Poſterior ſcriptura melior. In utraque videtur ε poſitum loco ע, quod non dicerem niſi certo ſcirem veteres uſos fuiſſe hac litera pro vocali. Hieron. lib. De nom. Ebr. *Segor parva ipſa eſt quæ & ſupra Seor. Sed ſciendum quia literam* g *in medio non habent, ſcribaturque apud Ebræos per vocalem Ajin.* Sed hoc leve. Addam aliud, ne inane hoc caput. Locus eſt Matth. 10. in Theophylactis qui noſtram hîc ſubibit cenſuram, Τρεῖς Σίμωνες· ὁ Πέτρος, ὁ Καναανίτης, καὶ ὁ θεοδότης. Σίμων δὲ Ἰούδας Ἰσκαριώτης ἐλέχθη. Dicit in numero Apoſtolorum tres Simones fuiſſe, nec probat. Joh. 12. 4. lectum, Ἰούδας Σίμωνος Ἰσκαριώτης. & 6. 71. Ἔλεγε δὲ τὸν Ἰούδαν Σίμωνος Ἰσκαριώτου, ut dubium non ſit quin Judas habuerit patrem Simonem. Nam Σίμωνος eſt *Simonis filius*: at Ἰούδας Σίμων Ἰσκαριώτης nuſquam repertum, quod ſciam. Quare fruſtra eſt Theophylactus.

21. *Jacobum*] Jacobi duo fuerunt inter diſcipulos, Jacobus Zebedæi F. Frater Johannis Marc. 3. 17. & 5. 37. ab Herode occiſus Act. 12. 2. & Jacobus Alphæi F. Matth. 10. 3. qui *frater* Domini vocatur Gal. 1. 19. Et Jacobus minor Marc. 16. 40. Jeroſolymitanæ Eccleſiæ præſt Act. 12. 17. & 15. 13. & 21. 18. Uxorem habuit *Mariam* nomine, quæ propterea *Maria Jacobi* dicitur Luc. 24. 10. fratrem Judam, cujus exſtat epiſtola inter canonicas, Judæ 1. *Frater* Domini *dicebatur propterea quod eſſet filius Mariæ matertera Jeſu: ipſa eſt Maria Cleophæ.* Beda, citante Zacharia Chryſopolitano Epiſcopo, pag. 357. Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. 2. c. 1. ex Clemente meminit Jacobi cognomento *Juſti*, qui Jeroſolymorum primus Epiſcopus, & de pinna templi dejectus fuerit; item alterius, cui Herodes caput amputaverit. Sunt qui tres Jacobos faciunt; ſed eos errare putarim. *Jacobus minor filius fuit Alphæi & Mariæ, ſororis Mariæ virginis, quod ex Joh. 19. colligi poteſt. Hic erat Epiſcopus Jeroſolymæ*, Chryſoſtomus hom. 33. in Acta Apoſt. *Frater* Domini *dicebatur eo quod eſſet filius Joſeph, qui Chriſti quaſi pater habebatur.* Euſebius Hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 1. *Quidam tradunt fuiſſe filium Joſeph ex priore uxore, quæ convenerat ipſi antequam duceret Mariam*, Orig. in Matth. pag. 62. Loquor de fragmento Origenis, quod Eraſmus edidit. ¶ *Filium Zebedæi*, τοῦ τοῦ Ζεβεδαίου] Syriace זבדי, quod legunt *Zabdai.* זבדי *Zebdeus*, ut תלמי *Tholomæus.* Caninius ſcribit זבוי *Zibdai*, quod Ζηβαϊκῶς *Zebdai*; unde forte *Zebedeus. Zibdai*, *Zebdai*, *Zabdai*; ut *Nimrod*, *Nemrod*, *Namrod.* In lib. Nom. *Zebedæus*, *Donatus.* Caninius interpretatur, *Liberalis*, *Munificus.* Ebraice זבד *donum* Gen. 30. 20. ubi & זבד, quod exponunt נתן *dedit.* R. Jona dicit idem ſignificare in lingua Arabica. Sunt qui *dotem* interpretantur. Sed in LXX δῶρον, & in Hieron. *donum.* Uxorem habuit *Salome* dictam. Zacharias ex Chryſoſtomo, *Mater filiorum Zebedæi eſt Salome, & interpretatur Pacifica, quia genuit filios pacis. Intra tempus vocationis Apoſtolorum & paſſionem* Domini *mortuus eſt Zebedæus; & ſic illa ſecuta eſt Jeſum.* Hæc ille pag. 111. Nomen hoc exſtat in Juchaſin, 101. 1. *Aquiba F. Zebedæi*, & 79. 2. *R. Jacob F. Zebedæi*, & 100. 1. *R. Juda F. Zebedæi.*

CASAUBONUS.

15. Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν] Aſſentior doctiſſimis V. T. interpretibus, qui *Galilæam τῶν ἐθνῶν* interpretantur ex perpetua loquendi conſuetudine Hebræorum *Galilæa populoſa*. Iidem rectiſſime videntur mihi de inferiore non ſuperiore Galilæa hæc accipere: Nam ibi fuit Capernaum.

16. Ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει] Græcis καθήμενα loca dicuntur in convallibus poſita, & depreſſa: itaque pereleganter vocatur populus ἐν σκότει καθήμενος, quem in tenebris eſſe voluit intelligi. Vulgaris tranſlatio Bibliorum habet ὁ πεδίνιος, quod Hebraicæ voci reſpondet.

CAMERO.

3. Ἀνήχθη] Hebræum eſt נעה, ut Ezech. 8. 3. ותשא אותי רוח, ubi de tranſlatione Ezechielis Jeroſolymam, facta in viſione Prophetica, agitur.

3. Ὁ πειράζων] Reſpondet Hebræo המסית, quod de Satana uſurpatur 1 Par. 21. 1. & 2 Sam. 24. 1. ויסת את דויד *incitavit Davidem ad numerandum populum*. Rabbinis מסית eſt ille qui alium ad Idololatriam ſolicitat, ex Deut. 13. 7. quomodo Diabolus eo etiam hic Chriſtum ſolicitat. ¶ Εἰπέ] h. e. *Jube, præcipe*, phr. Heb. אמר enim illis *jubere, præcipere*, ſæpe ſign. ut Job 9. 7. ואמר לשמש *Qui præcipit Soli, & non oritur*. ¶ Λίθοι ἄρτοι] Non eſt Græciſmus (dicendum enim erat ἄρτος ἐκ λίθου) ſed Hebraiſmus האבנים האלה.

4. Γέγραπται] Rabbinicum eſt כתוב vel נכתב, ab illis paſſim uſurpatum, cum aliquem locum ex Scriptura citant.

5. Παραλαμβάνει] Sic Hebræum לקח Geneſ. 12. 15. וחקח האשה בידו שרי. ¶ Ἁγίαν πόλιν] Titulus eſt quo Jeruſalem deſignatur apud Prophetas, Eſa. 48. 2. *De urbe ſancta nuncupati ſunt*. Et Neh. 11. 18. *Omnes Levita qui habitarunt in civitate ſancta, fuerunt ducenti octoginta quatuor*. Inde eſt quod in antiquis Judæorum nummis occurrit inſculptus titulus ille, JERUSALEM SANCTA. Philo etiam in Flaccum vocat eam ἱερόπολιν, καθ' ἣν ἱδρυθὲν ἦν τὸ τοῦ ὑψίστου Θεοῦ ταμεῖον ἅγιον.

7. Πάλιν] Non eſt hic *repetitivum*, neque etiam proprie *oppoſitivum*, ſed ſimpliciter (ut ita dicam) *additivum*, quomodo Syris ותו, & Rabbinis שוב.

8. Ὑψηλὸν λίαν] Hebræum eſt הר גבוה מאד vel etiam גבוה עד מאד. Sic & ibidem, βασιλείας κόσμου, ממלכות העולם, item δόξαν αὐτῶν, את כבודם.

9. Εἰς πᾶσιν ἀφορισμούς] Hebræum eſt אם תאיל לי ממנו ut 2 Sam. 14. 4. Ruth. 2. 10. Job 1. 20.

10. Ὕπαγε ὀπίσω μου] Hebræum eſt לך אחרי שטן, quod habetur 2 Reg. 9. 18, 19.

12. Παρεδόθη] Chaldæum eſt & Rabbinicum נמסר, quod hoc ſenſu uſurpatur in Targum 1 Sam. 26. 23. ubi pro Hebræo מגר, Chaldæus Paraphraſtes habet מסר *tradidit Dominus hodie*, &c. videturque deſumptum ex Hebræo מגר Num. 31. 5.

23. Κηρύσσων] Apud Græcos ſcriptores non occurrit metaphorica hac ſignificatione, pro *prædicare*, ſed proprie tantum de Præconis voce. At Chaldaice & Rabbinice כרז (deformatum à Græco κηρύσσω) metaphorice uſurpatur paſſim eodem quo hic & in Euangeliis ſenſu. Vide Prov. 1. 11. ubi pro eo quod eſt in Hebræo ראשי המיות בראש *in capite tumultuantis turbæ clamat*, Targum habet כרוזא דכרוזי, h. e. ἐν ἐκκλησίᾳ κηρύσσει. ¶ Τῆς βασιλείας] Κατ' ἐξοχὴν hic ponitur pro Meſſiæ regno, quomodo Dan. 2. 44.

24. Προσηνέχθησαν αὐτῷ] Hebræum eſt והביאו לו.

GUALTPERIUS.

5. Ὁ διάβολος] Græcum eſt διαβάλλω, *trajicio*; item *calumnior, obtrecto*. Unde διαβολὴ *calumnia, criminatio, obtrectatio*: & διάβολος *calumniator, obtrectator*. Eſt enim Diabolus ſpiritus mendax, & pater mendacii, Joh. 8. 44. Hebræis dicitur שטן *Satan, Satanas, Adverſarius*: quam vocem paſſim uſurpant Euangeliſtæ: σατανᾶς, Matth. 12. 26. Syris שטנא vel שטנה ibid. per ט. Hebr. & Syr. ש, i. e. *vaſtator*: & השטן & רשף *Dæmon lædens*, vel *damnum afferens*: unde שטנא *pruna, carbo ignitus*. In paraphraſi Syriaca hoc loco appellatur אבל קרצא *Abel-kartza*, i. e. *promulgator obtrectationis*; quia nullum ei gaudium majus quam ut ipſe Deum & homines calumnietur, & obtrectationes, mendacia atque calumnias diſſeminando, litem ex lite ſerat. Radix erat קרץ *divulgavit, promulgavit, palam fecit, prædicavit*. Unde קרצה *kartza* eſt *obtrectatio*, quam Hebræi vocant מלשינות *Malſchinuth*: quæ locutio etiam Chaldæis ſcriptoribus eſt uſitata, & ſæpe recurrit in T. Novo. Verſ. 3. appellatur ὁ πειράζων, *qui tentat*; Syr. *aſſuetus ut homines tentet*, particip. pro verbali, ut ſæpe.

10. Ὕπαγε Σατανᾶ, *Abi Satana*] In Syro, *Abi tibi*; pleonaſm. Hebraic. Σατανᾶς Hebræum eſt, ut modo eſt explicatum, ex radice שטן *adverſatus eſt, odio habuit*. Hinc igitur שטן *inimicus, oſor, adverſarius*. 1 Reg. 4. & שטנה *odium, inimicitia*, Gen. 26. 21.

24. Δαιμονιζομένους, *dæmoniacos*. Δαίμων Græcis *Deus* eſt, q. δαήμων, ut vult Plato in Cratylo. Deinde accipitur pro *genio*, cum bono, tum malo. In Scripturis autem Divinis ſemper pro noxiis & immundis iſtis ſpiritibus accipitur, qui & *Diaboli*. Inde δαιμονίζω *pro Dæmone*, i. e. Deo, *habeo*: δαιμονίζομαι & δαιμονιάω *à dæmone teneor*, ſeu *poſſideor*: δαιμονιαζόμενος, *dæmoniacus*.

LUD. CAPPELLUS.

21. Vidit alios duos fratres, *Jacobum filium Zebedæi* &c. Exſtant apud veteres Judæos ſcriptores quædam licet rara & obſcura atque deformia Euangelicæ hiſtoriæ veſtigia, quæ obſervare eſt operæ pretium: faciunt enim ad fidem ſeu confirmationem veritatis hiſtoriæ Euangelicæ, tanquam totidem teſtimonia pro veritate in ore hoſtium ſuorum. In Bereſcith rabba ergo fit mentio cujuſdam Rabbi qui vocatur Jacobus F. Zebedæi, his verbis, ר' ברכיה בשם ר' יעקב בר זבדי ר' ברכיה בשם ר' יעקב קמי רבי יהושע, h. e. *R. Barachias in nomine R. Jacob F. Zebedæi quæſivit coram R. Joſeph*, &c. Fieri poteſt ut iſte R. Jacob F. Zebedæi ſit iſte Chriſti diſcipulus cujus hic fit mentio. Fuit enim poſt Chriſti aſcenſum in cœlum, & poſt interfectum ab Herode Jacobum Alphæi F. conſtitutus fidelium Jeroſolymis Epiſcopus Actor. 12. Judæiſque, qui in Chriſtum crediderant, Legis Moſaicæ zelotis multum favens, uti conſtat ex Actor. 15. & 21. 20. atque ea propter inter Judæos valde celebris, eiſque tota urbe notiſſimus, adeoque (uti obſervant nonnulli Scriptores Eccleſiaſtici) omnibus Judæis gratiſſimus, & tantum non venerationi habitus fuit ab eis, licet poſtea per ſeditionem à Sadducæorum factione interfectus fuerit; quod à Joſepho ipſo obſervatum eſt lib. ult. Antiq. Judaicarum.

GROTIUS.

1. Ἀνήχθη, *ductus eſt*] Omnino vero puto tam hic quam aliis ſacrorum Scriptorum locis huic voci ineſſe vim τοῦ ἄνω [*ſurſum*], ut ſcilicet à Jordane ſurſum ductus eſſe Chriſtus intelligatur. Surſum autem dicitur quod propius abeſt ab Hieroſolymis. Erat quidem & Johannes in loco deſerto; ſed Chriſtus in horridiorem ſolitudinem actus eſt, in qua feræ degebant, ut apud Marcum videre eſt. ¶ εἰς τὴν ἔρημον, *in deſertum*] Ad complementum veteris figuræ. Nam & populus Iſraelis per ſolitudinem ductus. ¶ ὑπὸ τοῦ Πνεύματος, *à Spiritu*] Non errare Syrum interpretem & alios, qui articulo iſto indicari putant relationem ad id quod proxime antecеſſit, Lucas nos docet, qui quia generis recenſionem interpoſuerat, hiſtoriam hanc cum hiſtoria baptiſmi & Spiritus ſancti continuat hoc modo, Ἰησοῦς ὁ Πνεύματος ἁγίου πλήρης ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου, καὶ ἦγετο ἐν τῷ Πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον [*Jeſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Jordane & agebatur à Spiritu in deſertum*]. Quo in loco breviter dictum eſt ἐν πνεύματι pro quo plenior Hebraiſmus diceret ἐν χειρὶ τοῦ Πνεύματος [*in manu Spiritus*]: id enim idem valet quod διὰ τοῦ Πνεύματος [*per Spiritum*], ut infra v, 13. ἐν τίνι; [*in quo?*] eſt διὰ τίνος; [*per quod?*] Lucas eundem ſenſum extulit iv, 14. his verbis, ἐν τῇ δυνάμει Πνεύματος [*in virtute Spiritus*]: quæ omnia eo libentius noto, ne quis cum veteribus quibuſdam noviſque exiſtimet, quæ hic narrantur Chriſto non vere ſed κατὰ φαντασίαν [*imaginarie*] eveniſſe. Diſcimus autem in hoc Chriſti exemplo, ſtatim poſt baptiſmum, id eſt vitæ ſinceræ profeſſionem, imminere tentamenta. Sapiens Hebræus Eccleſiaſtici 11, 1. Τέκνον, εἰ προσέρχῃ δουλεύειν τῷ Κυρίῳ, ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου εἰς πειρασμόν [*Fili, accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*]. ¶ Διαβόλου. *Diabolo*] Vox ab Helleniſtis reperta, qua vim vocis Hebrææ *Satan* exprimerent. Generalis enim *adverſarii* ſignificatio nulli magis quam calumnioſo accuſatori convenit. Quod autem ab Hilario, Phœbadio aliiſque Latinæ Eccleſiæ Doctoribus *Zabulus* ſcribitur non ex Græca vetere dialecto petendum eſt, ſed ex poſteriorum temporum corrupta pronuntiatione; duabus enim ſyllabis in unam

unam coaleſcentibus factum eſt ex *dia* idem ſonus qui per *za* exprimi ſolebat. Ita in Scriptoribus hiſtoriæ Auguſtæ *zeta* pro *dieta* legimus.

2. νηστεύσας, *cum jejunaſſet*] Preces accendit jejunium. Ideo Chriſtus, cujus omnis actio noſtræ ſerviebat inſtitutioni, functionem mandati ſibi muneris jejunio initiabat. Imitati hoc ſunt Chriſtiani veteres, ut apparet Actorum XIII, 3. XIV, 23. ¶ ἡμέρας τεσσαράκοντα, *quadraginta diebus*] Solenne jejunii tempus, ut ex Moſis & Eliæ hiſtoria apparet: quo multi pertinere putant dies quadraginta Ninevitis ad pœnitentiam datos: unde mos ad Chriſtianos videtur derivatus. Certe in Æthiopica aliiſque Eccleſiis etiam nunc jejunium, quod rigidiſſime exercent, *Nineviticum* appellatur. Sed & quadraginta dies, quibus aquæ creverant in cataclyſmum, & dies totidem quibus peccata populi portare juſſus eſt Ezechiel, ſunt qui non improbabiliter huc referunt.

3. ὁ πειράζων, *tentator*] Hebræi, cum verbalibus deſtituantur, vice eorum participia uſurpant: quod ſæpe ſequuntur Helleniſtæ. Itaque ὁ πειράζων [*tentans*] eſt ὁ πειρασὴς [*tentator*]. Uſitatam fuiſſe hanc vocem ad Satanam ſignificandum oſtendit Pauli locus I Theſſalon. III, 5. Eſt autem πειράζειν [*tentare*], ut *explorare* Latine, vox media; ſed pro circumſtantiis modo in bonam, modo in malam partem ſumitur; in malam quoque non uno modo: nam eſt illicere ad peccandum, ut hic, aut calumniam ſtruere, aut etiam irritando patientiæ periculum facere. נסה inter alia *tentare* ſignificat: & ſic vertit Chaldæus Geneſ. XXX, 27. Hinc נחש ſerpens qui diabolo figuram & nomen præbuit Geneſ. III, 1. Apocalyp. XII, 9. XX, 2. ¶ εἰπὲ, *dic*] Poteſt intelligi εἰπὲ τῷ Θεῷ, ut ſenſus hic ſit, Si te Deo carum eſſe confidis, compella Deum, ut hi lapides panis fiant tui cauſa. Sane Diabolum majus aliquid homine in Chriſto agnoviſſe hoc quidem tempore conſtanter, nec ſine magnis argumentis, negant ſcriptores antiqui. Neque dixit ὁ υἱὸς [*ille filius*], ut ſæpe Apoſtoli, ſed υἱὸς [*filius*]. Tentatio omnis diaboli ad peccatum tendit. Peccant autem qui non generaliter Dei auxilium implorant, ſed & modum ei præſcribunt.

4. Ἐπὶ παντὶ ῥήματι, *in omni verbo*] Id eſt, In omni mandato Divino, ſive generali ſive ſpeciali, ineſt aut expreſſa aut tacita promiſſio rerum neceſſariarum. Ex horum mandatorum numero Lex non eximenda, quæ inter alias hanc quoque promiſſionem habet obedientibus propoſitam, *Benedictus corbus tuus & maſtra tua*, Deut. XXVIII, 5. Imo ipſa Dei verba Deut. VIII, 3. unde hæc Chriſtus depromſit, eo tendunt ut ad Legis obedientiam animarentur Hebræi, cum certa ſpe Deum quæ neceſſaria eſſent ipſis ſuppeditaturum, ſive naturæ miniſterio, ſive inſolitis atque admirandis rationibus, ſicut jam fecerat, cum ad ipſius imperium populus ex Ægypto in vaſtam ſolitudinem exiiſſet. Recte autem Chriſtus id quod occaſione legis communis dictum erat univerſaliter, etiam ad legem ſibi pro eo tempore peculiariter impoſitam aptat.

5. παραλαμβάνει, *aſſumſit*] Ut Philippum Dei Spiritus Actorum VIII, 39. ¶ εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, *in ſanctam civitatem*] Ita Matthæus Hebræis ſcribens urbem Hieroſolyma appellavit, & infra XXVII, 53. ſicut & Joannes in Apocalypſi, nimirum ex receptiſſima conſuetudine. vide Dan. IX, 16. Siclorum inſcriptio erat JERUSALEM SANCTA. Et Chriſtus ipſe eam vocat *urbem magni Regis*, Dei nimirum. Sirachides pro eadem urbe Deum orans, οἰκτειρον πόλιν ἁγιάσματός σου Ιερουσαλὴμ, τόπον καταπαύσεώς σου [*miſerere civitatis ſanctificationis tuæ Jeruſalem, civitatis requietis tuæ*]. עיר הקדש [*civitas ſancta*] Eſai. XLVIII, 2. Nehem. XI, 1. ¶ ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ *ſuper pinnaculum Templi*] Non in columen tecti, quod neque planum erat ut Thalmudiſtæ notant, & horrebat aureis verubus, ut ex Joſepho diſcimus, ſed in id quod Hieronymus dixit *Lariculam*, LXX στεφάνῃ Deuteronom. XXII, 8. quod enim lex in planis tectis requirit, id in Templi tecto ornatus cauſa erat additum. Eſt autem πτερύγιον vox Helleniſtica adumbrata ex Hebræo כנף quod *oram* aut *marginem* ſignificat. Græci idem ſimili voce περίπλειον vocant, interdum & περίδρομον, Latini *circuitionem*.

6. μήποτε, *ne forte*] Hebræum פן ſignificat *ne*, ſed ita ut plerumque oſtendat id quod ſequitur eſſe non τῶν ἀναγκαίων [*ex neceſſariis*] ſed τῶν ἐνδεχομένων [*ex iis quæ fieri & non fieri poterant*], ut & infra XXVII, 64. & alibi. Ab eadem radice eſt מפנה *dubitabo* Pſalmo LXXXVIII, 16. Idem valet apud Græcos μήποτε, quod ad פן exprimendum uſurpant ſæpe Lxx interpretes. Nam πότε ἄτονον [*tono carens*], ut Grammatici Græci annotant, plerumque non temporis ſed incertitudinis habet ſignificationem; ut apparet in ποῦτον [*quiſnam*] aliiſque id genus vocibus. Quo minus mirandum eſt, ſi vetus Latinus interpres & hic & aliis aliquot in locis Hebræum פן aut Græcum μήπως per *ne forte* tranſtulit. Reperitur pari ſenſu & ἴσως [*forte*] in Græca verſione, pro Hebræo אולי, ut Jeremiæ XXXVI, 3. ad quem locum Chryſoſtomus in oratione Cur obſcura ſint vaticinia, uſurpatam eam vocem ait ἵνα μὴ ἡ προγνωσις αὐτῶ νομισθεὶη ἀναγκασμόν τινα ἔχειν τῆς ὑπακοῆς [*ne Dei præſcientia videretur non obediendi neceſſitatem imponere*]. Paria de ea voce dicit Origenes in Fragmentis Φιλοκαλίας. Significat Pſalmographus Deum peculiari cura ſibi dilectos proſequi, ita ut Angelorum miniſterio ipſos à malis fortuitis ſervet. Palam eſt fortuita hoc loco dici ea quæ contingere poterant aut inſciis aut invitis. Cavillatur igitur ſuo more ſpiritus mendax cum hoc transferre vult ad mala ſponte quæſita. ¶ προσκόψῃς πρὸς λίθον, *offendas ad lapidem*] Παροιμιώδης [*proverbialis*] locutio non Hebræis tantum, ſed & Græcis uſitata ad damni cujuſlibet ſignificationem.

7. ἐκπειράσεις, *tentabis*] Si locum Deuteronomii cum hiſtoriis antecedentibus & cum Pſalmo XCV, 8. conferas, apparebit ἐκπειράζειν proprie hic eſſe Dei potentiam aut providentiam velle amplius experiri cum ſatis magna jam ejus documenta apparuerint. Sic Actorum XV, 10.

8. δείκνυσιν αὐτῷ, *oſtendit ei*] Nimirum quaſi in pictura ponens omnem qui uſquam eſſet Regiæ fortunæ apparatum. Nam neque oculos neque vim imaginatricem Chriſti illuſam puto, ſed potius à dæmone effictas quaſdam imagines rerum quæ εἴδωλα Græci vocant, & exponunt φαντάσματα ἐν τῷ ἀέρι φαντάσματα ἔκτυπα ἐν τῷ ἀέρι καὶ ἀστάθμητα [*apparentes in aere ſpecies fluxas & non diuturnas*].

9. πεσὼν προσκυνήσῃς, *cadens adoraveris*] De more hoc venerandi proſtrato in humum corpore egimus ſupra cum diceremus Regibus Orientis exhibitum id honoris. Sed & Deum eodem modo venerabantur Judæi, cæterique Orientis populi, quin & Græci, quo illud ſpectat Herodoti cum negant Spartiatæ ὀφὶ ἐν νόμῳ εἶναι ἀνθρώπῳ προσκυνέειν [*moris ſibi eſſe hominem procumbendo honorare*]. Sed & Prophetis is honos habitus, I Regum XVIII, 7. unde quæri poteſt Regeſne Prophetis, an Prophetæ Regibus, an neutri neutris id honoris detulerint. Mihi diſtinguendum videtur, an Prophetæ Reges acceſſerint cum ſpeciali ad ipſos mandato, an vero aliis de cauſis. Nam Nathan de publica re Davidem alloquens citra mandatum ſpeciale, coram Davide procumbit, I Regum I, 23. Contra Nabuchodonoſor Danielem ut à Deo miſſum ad ſe arcanorum interpretem procumbens veneratur, Danielis II, 46, 47. & Saul eum quem putabat eſſe Samuelem. Cum ergo ipſum illud externum reverentiæ ſignum Divini cultus proprium non fuerit, quoties extra Divinum cultum uſurpatum eſt, recte ne id an ſecus fieret, ex ſenſu tum exigentis tum præſtantis erat æſtimandum. Ideo laudatur apud Sozomenum vir Chriſtianus, qui prius προσκυνήσαι [*procumbendo honoraverit*] Regem Perſarum κατὰ τὸ νενομισμένον [*ex more*], poſtea vero ſollicitatus ad defectionem à Chriſto eodem modo iterum venerari Regem recuſavit. Et apud Nazianzenum legimus non Imperatores tantum Romanos ſed & eorum ſtatuas etiam à Chriſtianis adorari, προσκυνεῖσθαι, ſolitas: ſed cum Julianus ſuis imaginibus Deos Gentium appingi juſſiſſet, ut faceret μικτὴν τὴν προσκύνησιν [*mixtam adorationem*], deceptos quidem ſimpliciores, ſed prudentiores quaſvis potius pœnas ſubiiſſe quam ut venerantium ſpeciem præberent: Δίκλω, inquit, ἰδόσαν τὰς εἰκόνας, προσέχρησαν μὲν ὡς ἐπὶ πολὺ βασιλέως φαντασίαν, τὸ δὲ ἀληθὲς, ὑπὲρ τῆς ἀληθοῦς βασιλέως καὶ ὀρθῆς δόγματος κινδυνεύσαντες [*Pœnas dederunt ſapientia, obtentu quidem quaſi adverſus Imperatoris majeſtatem deliquiſſent, revera autem in periculum adducti veræ Regis & pii dogmatis cauſa*].

10. Ὕπαγε, *vade*] Latine dixeris *faceſſe hinc*. Eſt enim averſantis dictio. Quod in quibuſdam codicibus additur ὀπίσω μου [*mihi à tergo, in averſum*] aliunde aſſutum eſt, quod & Syrus & Græci ad hunc locum Scriptores oſtendunt. ¶ προσκυνήσεις, *adorabis*] In Hebræo eſt ירא, quod internam reverentiam ſignificat: quomodo & προσκυνεῖν Græcum ſæpe uſurpatur. Recte autem ab interna reverentia ad ſignum ejus externum procedit argumentatio. Quanquam enim diabolo, ut Dei perfugæ, nullus honos debetur, imo omnis honos negandus eſt, ſatis tamen Chriſto viſum eſt reſponſum dirigere ad quod petebatur. Volebat autem diabolus honorem ſibi exhiberi tanquam plenam poteſtatem habenti in Regna omnia, quod eſt unius Dei. Multum ab hac Chriſti pietate abfuit R. Juda, qui in libro Chaſidim ait, *Siquis diabolum videat, ſibique ab ipſo metuat, procidat coram eo.* ¶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, *illi ſoli ſervies*] In Hebræo eſt יעבד, quæ vox etiam de debita aut exhibita hominibus ſubjectione uſurpatur. At hic quid ſignificet oſtendunt præcedentia ac ſubſequentia, præcipue vero addita jurisjurandi mentio. Græcam quoque vocem λατρεύειν neque

ſui origine neque uſu eorum quos optimos Græci ſermonis auctores habemus propriam eſſe Divino cultui recte ab aliis eſt demonſtratum. Quin & Lxx, quanquam rarius, aliquot tamen locis λατρεύειν laxius uſurpant. Sed plerumque λατρεία ipſis eſt עבודה cultus qui conſpicuis ſignis Deo exhibetur. Fatendumque eſt, Scriptores Novi Fœderis eam vocem vix uſquam uſurpare niſi de cultu qui Deo vero exhibetur, ut plerumque, aut ſane de cultu qui exhibetur tanquam Deo, ut Act. VII, 42. Rom. I, 25. Nam quod Levitæ dicuntur τῇ σκηνῇ λατρεύειν [*tabernaculo deſervire*] Hebr. XIII, 10. item ὑποδείγματι & ἐκτυπώματι [*exemplari cœleſtium*], Hebr. VIII, 5. ad locum mdumque ſerviendi commode referri poteſt. Hinc igitur nata eſt illa, Auguſtino etiam celebrata, λατρείας & δουλείας diſtinctio: non quod δουλεία non ad Deum quoque pertineret (contrarium enim multa Scripturæ loca evincunt), nec quod proprietas vocis λατρείας aliquid haberet peculiare, ſed quod uſus primum Judæorum Helleniſtarum, deinde Chriſtianorum, voci δουλείας relicto ſignificatu generali atque communi, λατρείας nomen Divino cultui aſſignaſſet. Græci veteres pagani θρησκείαν dicebant, quod ipſum quanquam, ut creditur, ab Orphicis myſteriis ductum, Apoſtoli non reformidarunt, adeo verborum incurioſi, dum mentem commode explicarent. Proximam huic venerationem iidem Græci θεογνωσίαν vocabant. Scriptor libri de Mundo, θεῶν θυσίαν καὶ ἡρώων θεραπείαν [*Deorum cultus & Heroum veneratio*]. Quod diſcrimen ſecutus Origenes adverſus Celſum lib. VIII. de Dæmonibus agens, ὅσοι οὔτε μηδὲν ἐνεργετοῦντας αὐτοὺς καὶ ὠφελεῖν μηδὲν ἀφ' ἑαυτῶν ἡμᾶς ποιοῦν ὅταν αὐτοῖς μὴ θύωμεν, ἀλλὰ μηδὲ βλάπτοντας [*in eos qui non modo nihil proſunt ſed & obſunt nihil facimus unde ingrati dicamur, ſi non tantum eis non ſacrificamus, ſed nec eos veneramur*]. Ut autem illud μόνῳ [*ſoli*] hic adjicerent Lxx, quos ſequitur interpres Græcus Matthæi, ipſe etiam Hebræorum verborum ordo exigebat: neque enim ſcriptum eſt תעבדו [*ſervies ei*], quod fuiſſet καὶ αὐτῷ λατρεύσεις, ſed תעבד ואתו [*ipſi ſervies*], quod plane emphaſim continet, quæ in Græcis verbis intelligi non poteſt niſi viva pronuntiatione: ideoque addendum aliquid fuit, quo lector ejus ἐμφάσεως [*altioris intellectus*] admoneretur. Eſt enim tacita relatio ad id quod eodem capite commate 4. præceſſerat, *Deum unum eſſe*. Quare nec Joſephus dubitavit eandem vocem in præcepto hoc explicando adjicere, ὅτι Θεὸς εἷς ἐστιν οὗτος [*Deum eſſe unum*], inquiens, καὶ τοῦτον σέβεσθαι μόνον [*& hunc ſolum eſſe colendum*]. Adde quod in Deuteronomii loco ſequitur continuo, *Non ſectaberis Deos alienos*. Et Samuel idem hoc præceptum populo inculcans diſerte dixerat תעבדו לבד, & *ei ſoli ſervite*, 1 Samuelis VII, 3.

11. Τότε ἀφίησιν αὐτὸν ὁ Διάβολος· *Tunc reliquit eum Diabolus*] Tergemina tentatione, ut olim primorum parentum, diuque humani generis victor, ita nunc victus à Chriſto, & à Chriſtianis vincendus, 1 Johan. V, 18. Tentationes autem iſtæ ſunt ab egeſtate, à confidentia prædeſtinationis, & à ſpe ſplendoris humani.

12. ἀνεχώρησεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, *receſſit in Galilæam*] Intellige Galilæam non Herodis (cujus ſævitiam certo conſilio, & non ſui ſed hominum quibus profuturus venerat reſpectu, vitabat) ſed Philippi: Nam huic pars maritima, in qua Bethſaida & Capharnaum, obvenerat, ut clare perſpicere eſt ex Joſepho Originum libro XVIII, capite 3. Erat autem Philippus ingenii minime ſanguinarii.

14. ἵνα πληρωθῇ, *ut adimpleretur*] Quod ante diximus de ſenſu hujus vocis πληρῶσθαι [*compleri*] idem hic repetitum volumus. Plane enim videntur Eſaiæ verba directe agere de liberatione aliqua quæ propius illa tempora contigerit, ita tamen ut ſubeſſet ἀπόκρυφον [*latens intellectus*] temporum Chriſti. Citavit autem Matthæus κατὰ λέξιν [*verbo tenus*] comma 2 capitis IX Eſaiæ. Sed quia non ſatis inde intelligi poterat quo de populo ageret Propheta, ideo ex antecedenti commate addidit ea duntaxat quæ ad populi illius deſignationem pertinebant, omiſſis cæteris, inter quæ vox eſt Hebræa הקל, quam Lxx ſenes verterant ἐπαχυναθεὶς [*craſſeſcit*], voce ab ipſis noviter conficta, qualis eſt & μοσχοποιῶν [*vitulificare*] apud Lucam Actor. VII, 41. Nam הקל proprie eſt ταχὺς [*citus*]· & forma verbi eſt Hiphil, quæ Græce vocibus ex ποιῶν [*facere*] compoſitis optime exprimitur. Sed deſcriptorum vitio vox noviter compoſita in duas diſſiliit, factumque eſt ταχὺ ποιεῖ [*fac citum*], deinde etiam corruptius ταχὺ πίε [*citum bibe*]· poſtremo lectio utraque, hæc mendoſior, illa propius originem referens, in contextum recepta eſt: jamque Tertulliani tempore id mendum inoleverat, ut apparet ex Latina ipſius citatione.

15. ὁδὸν θαλάσσης, *via maris*] Id eſt, καθ' ὁδόν [*ſecus viam*]. Vide Ezechielis XLVII. ¶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *trans Jordanem*] *Ad Jordanem*. Sic enim vox πέραν ſumitur & alibi & Joh. I, 28. & in Græco Numer. XXXII, 19. ¶ τῶν ἐθνῶν, *Gentium*] Id eſt *Galilæa Convenarum*. Nam tractus iſte non unius nationis hominibus ſed undique collectis ob adjacentis maris commoda habitatus nomen hoc habuit; non ex Solomonis cum Hiromo pactione, ut quidam exiſtimant, ſed ab antiquiſſimis uſque temporibus. Nam Gen. XIV, 1. nominatur Tidhal מלך גוים βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν [*Rex Gentium*], & Joſ. XII, 23. poſt multos Reges Syriæ Palæſtinæ itidem recenſetur ὁ βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν [*Rex Gentium*]· addito הגלגל: ubi *Gilgal* idem eſſe videtur quod apud Prophetam hoc loco & 1 Regum IX, 11. גלל alibi גלילות aut גלילות proprium nimirum Galilææ nomen, ſed ex communi limitis notione veniens. Et Strabo notat Galilæam habitatam ab Ægyptiis, Arabibus, Phœnicibus. Σύγκλυδας [*convenas*] multos fuiſſe Tiberiade ait Joſephus.

16. καθήμενος, *qui ſedebat*] Duas voces Hebræas הולכים & ישבי recte una eademque voce Græca interpres tranſtulit: neque ſubtilior explicatio hic quærenda eſt. Nam καθήμενος ſimpliciter eſt *degens*. Quod Hebræi modo *ambulandi* modo *ſedendi* voce exprimunt. Eadem locutio & eundem Prophetæ locum reſpiciens, eſt in Zachariæ carmine Lucæ I, 79. Unde apparet his vocibus non ſolum locorum ſed temporum calamitates indicari. ¶ ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, *in regione & umbra mortis*] Ita hoc dicitur quomodo βίου φάος [*lux vitæ*]. Eſt autem χώρα καὶ σκιὰ [*regione & umbra*] dictum per ἓν διὰ δυοῖν [*Unum per duo*] pro χώρᾳ σκιᾶς θανάτου [*regione umbra mortis*]. Sic 1 Macc. XII, 17. φῶς τῆς ἀνανεώσεως καὶ ἀδελφότητος [*de innovatione & fraternitate*], id eſt, τῆς ἀδελφότητος [*fraternitatis*].

18. ἀμφίβληστρον, *rete*] *Rete jaculum. fundam* dixit Virgilius. Locutio ſumta eſt Eſaiæ XIX, 8.

19. ἁλιεῖς ἀνθρώπων, *piſcatores hominum*] Simili modo ἀνθρωπαγρίαν [*venatum hominum*] dixit Plato πλόκον τῆς ἀνθρώπων εἰκειώσεως [*artem homines ſibi conciliandi*]. Veritatem prophetiæ piſcatoribus patefactam ait Iſaac ben Aram. Vide Nebienſem ad Pſalmum CVII.

23. ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, *in ſynagogis eorum*] Vox hæc συναγωγὴ tam late patet quam Hebræa עדה aut Latina *conventus*. Omnis enim hominum cœtus qui ex inſtituto eſt ſive judiciorum, ſive publici conſilii, ſive rerum ſacrarum gratia hoc nomine appellatur. Deinde vero cœpit & ad loca transferri in quibus iſti conventus habebantur, ut Lucæ VII, 5. Hic ſive cœtum, ſive locum in quo Lex Divina exponi ſolebat intelligas, nihil refert. Ne Chriſtianos quidem ab hoc vocabulo abhorruiſſe apparet Jacob. II, 2. Theophilus adverſus nationes libro II, ὅτι δέδωκεν ὁ Θεὸς τῷ κόσμῳ λυμαινομένῳ καὶ χρῄζοντι ὑπὲρ τῶν ἁμαρτημάτων, τὰς συναγωγὰς, λιμένας σωτηρίας ἁγίας [*ita dedit Deus mundo corrupto ac periclitanti ob peccata, Synagogas, quas ſanctas Eccleſias dicimus*]. Eadem loca Philo modo διδασκαλεῖα modo φροντιστήρια appellat, alibi ἰερὰ τόπον. Sed & à precibus *Proſeucha* vocabantur, Romæ præſertim: quod nos docent Satyræ. Fruſtra enim dubitaſſe mihi videtur vir doctiſſimus an idem fuerint Proſeuchæ & Synagogæ, cum omnem, ni fallor, hæſitationem eximat Philo Legatione ad Cajum his verbis: Ἔστιν ἴδιον (Auguſtus) καὶ σεμνοῦχος ἔχοντας καὶ συνιόντας εἰς αὐτὰς, καὶ μάλιστα τοῖς ἑβδόμαις, ὅτε δημοσίᾳ τὴν πάτριον παιδεύονται φιλοσοφίαν· τὰ γὰρ καθ' ἑκάστην πόλιν σεμνοδιδασκαλεῖα τί ἕτερόν ἐστιν ἢ διδασκαλεῖα φρονήσεως & ἀνδρίας, καὶ σωφροσύνης, καὶ δικαιοσύνης, ἁπασῶν τε καὶ ὁσιότητος καὶ συμπάσης ἀρετῆς; [*Norat eſſe eis Synagogas, in quas convenirent, ſeptimis maxime diebus, quo tempore publice inſtituuntur de avita ſapientia: nam illis oppidatim precum loci quid ſunt aliud quam ludi ad diſcendam prudentiam, fortitudinem, temperantiam, juſtitiam, pietatem, ſanctitatem, virtutem denique omnem?*] Neque mirari debemus ſi Chriſto permiſſum eſt in Synagogis verba ad populum facere. Solebat enim ab Archiſynagogis is honos deferri viris gravibus & non inerudite, ut nos docet hiſtoria quæ eſt Actorum XIII, 15. Quod recte adverſus Marcionem obſervat Tertullianus libro IV. *Sed etſi paſſim Synagoga adiretur, non tamen ad docendum niſi ab optime cognito & explorato & probato jam pridem in hoc ipſum, vel aliunde commendato.* Manſit is mos aliquamdiu in Eccleſia Chriſtiana, ut conceſſu Epiſcoporum Scripturas interpretarentur, non Presbyteri tantum aut Diaconi, ſed & οἱ τῆς χειροτονίας ἀδέκτου πτυχηνῆς [*ii quibus manus nondum impoſita erant*]. Vide Euſebium, qui Origenis aliorumque exemplo probat λαϊκοὺς ἐμεῖν οὐκ ἀνεῖσιν [*non eſſe præter morem ut & laici populum alloquantur*], ſed τῇ τοῦ πρώτου ἐπιτροπῇ [*permiſſu præſidis*]· quo & illa ſpectant quæ leguntur 1 Corinth. XIV, 29. ¶ Clemens Conſtitut. VIII, 32. Ὁ διδάσκων

διδάσκων ἐν ᾧ λαϊκὸς ἦ, ἰατρικῷ ὢν ᾧ λόγῳ καὶ τέχνῃ τοιούτῳ, διδασκέτω [*Qui docere vult, etiamſi laicus ſit, ſed ſermonis peritus & moribus gravis, doceat*]. ¶ μαλακίαν, *infirmitatem*] Satis late patet hæc vox Judæis Græce loquentibus, ita ut dolorem malumque omne includat, reſpondens Hebræis vocibus חולי, ut Jobi XXXIII, 19. & כאב, ut Geneſeos cap. XLII, ver. 4. Impletur autem hic promiſſum legis Deuteronomi XXVIII.

24. δαιμονιζομένους, *damonia habentes*] Apud Græcos media eſt vox δαίμων [*damonis*], & quidem, ut arbitror, initio in partem meliorem uſurpata, non ex Græca origine quod ſint δαίμονες [*guari*], ſed ex Arabica potius دائم [*perènnis*]. Græcam vocem leviter mutatam eodem ſenſu Syri uſurpant: dicunt enim מרא. Nam ab Oriente ferme venerunt antiquiſſimæ ſacrorum voces: quomodo & illud ſimilis notionis καθέσιοι, *divi potes* Latine. מבורך. Sicut autem Hebraiſtæ Judæi Deum noluerunt appellare בעל, quod ea vox à profanis gentibus eſſet occupata, alioqui nihil aliud quam *dominum* ſignificans: ita & Helleniſtæ Angelos lucis noluerunt appellare *Damonum* vocabulo, ſed in deteſtationem paganicæ ſuperſtitionis nomen id proprium eſſe voluerunt ſpiritibus noxiis, quos Græci diſcriminis cauſa καταδαίμονας, veteres Latini *Vejoves* appellarunt. Δαιμονιζομένους [*damonia habentes*] autem eſſe apparet non quovis modo inſanientes, ſed impurorum ſpirituum vi majore correptos atque agitatos, quales erant quos Græci νυμφολήπτους, Latini *larvatos*, *ceritos*, *limphaticos* vocabant. Cum hoc enim malo conflictantium copiam magnam exhibuit non Chriſti tantum Apoſtolorumque, ſed & ſerior ætas, ut videre eſt apud Origenem, Tertullianum, Cyprianum. Exſtitit vox δαιμονιζομένων in Thiraſylli Ægyptiacis. ¶ σεληνιαζομένους, *lunaticos*] Quanquam Græci morbo caduco laborantes σεληνιακὸς interdum vocant, videtur tamen hic malum gravius & à naturalibus cauſis remotius indicari, cui tamen adſit ἐπιληψίας [*morbus comitialis*]. Nam infra XVII, 15. & deinceps, qui σεληνιαζόμενος [*lunaticus*] vocatur, oſtenditur fuiſſe & ἐπιληπτικὸς [*caducus*] & δαιμονιζόμενος [*à damone vexatus*]. Firmicus aperte diſtinguit *lunaticos* à *caducis*; & Ægineta quoſdam σεληνιακὸς [*lunaticos*] ait eſſe ὡς ἐφηλιάζοντας [*quaſi aſſilatos*]. Neque aliter interpretantur σεληνιαζομένους tum Baſilius tum Hieronymus. Luna moveri ἐπιληψίαν [*morbum comitialem*] notatum & aliis & Antyllo apud Stobæum. ¶ παραλυτικούς, *paralyticos*] *Sideratos*. Plautus, *Sideratus eſt, moveri non poteſt*. Scribonius Largus, *Facit ad tremulos & ſideratione tentatos utralibet, una enim ex contractione, altera cum revulſione nervorum conſtitutur*; παρείλυσιν hoc utrumque vitium vocant. Tralatio ducta eſt ab arboribus quæ Caniculari ſidere tactæ exareſcunt. Celſus παρείλυσιν transfert *nervorum reſolutionem*.

P R I C Æ U S.

Com. 1. Ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος ἐπὶ τῷ πνεύματι] Vide quæ ad Luc. 4. 1.

Com. 4. οὐκ ἐπ' ἄρτοις μόνοις ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι, &c.] Philo in Allegoriis, Οὐ γὰρ ἄρτοις ἡ φύσις τρέφει τὴν ψυχὴν, ἀλλ' οἷς ἂν ὁ θεὸς ἐμβρέξῃ λόγοις ἐκ τῆς μετριότητος καὶ καθαρότητος φύσεως· quibus conſona etiam apud eundem leguntur in De Profugis libro.

Com. 5. εἰς τὸ ἅγιον πόλιν] Sic 2 Maccab. 9. 14. Ita vocat eam etiam Julianus ἀποστάτης ad Judæos ſcribens. Sirachides de eadem loquens capitibus 36 & 49. πόλιν θεοῦ ἁγιάσματος dixit. Ἁγία ergo videtur dicta fuiſſe ob eximium Numinis ſummi & unici cultum. Chryſoſtomus Homil. 18. in Act. Apoſt. *Olim aliis civitatibus honoratior fuit, non autem ſimpliciter, ut propter pietatem quæ in ea tum temporis vigebat.* Didymus ad Odyſſ. ά. illud, —— Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον. Ἱερὸν, ἀφ' τὸ τετιχίσθαι ὑπὸ θεῶν, ἢ ἀφ' τοῦ τὸν Δία ἐνοίκειν. Ab eodem ſedulo in fictitios Deos illos obſequio, Apuleius noſter Mileſ. 11. Romam *civitatem ſacroſanctam* vocavit: & in fragmentis quæ *Florida* dicuntur, Carthaginem, *civitatem ſanctiſſimam*.

Com. 8. ἀφελάμενος ἀνὴρ ὁ Δεβόλος τὸν ὄρος ὑψηλὸν λίαν]

Unde omnes terras, atque omnia littora poſſet
Proſpicere, ac toto volitantes orbe catervas.

Spartianus in Severo, *Ex altiſſimi montis vertice orbem terrarum Romanumque deſpexit.* In Charonte Luciani, Ὑψηλὸν πινα τὸν ἡμῖν ἐδὲ χωρίον, ὡς ἀπ' ἐκείνου πάντ' ἰδοῦσι.

Ibid. καὶ δεικνύουσιν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου]

—— *Mare velivolum, terraſque jacentes,*
Litoraque, & latos populos. ——

Confer Apoc. 21. 10. Quæri video autem ab Euthymio, ſummoque hujus ſeculi Expoſitore, regnane ipſa oſtenderit Chriſto, an vero ſimulacra eorum. Potius ipſa in conſpectu puto poſita fuiſſe quam eorum imagines. Tertullianus in Apologetico, *Omnis ſpiritus ales eſt, hoc Angeli, hoc Damones: igitur momento ubique ſunt; totum orbin illis unus locus eſt.* Non de nihilo igitur ἐν στιγμῇ χρόνου heic à Luca additur.

Com. 9. ταῦτά σοι πάντα ἐγὼ δώσω ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι] Superbiam hanc iſte pater ſuperbiæ humanis mentibus inſeminavit. Apud Q. Curtium R. Alexander ad Darium, *Si veneris ſupplex, & matrem, & conjugem, & liberos ſine pretio recepturum te eſſe promitto.*

Ibid. κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, &c.] Vide ad Lucam dicta.

Com. 13. ἐλθὼν, &c.] Abundat, ut Luc. 12. παρελθών.

Com. 15. Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν] Corrige ex hoc loco Heſychium, apud quem Γαλιλαί, πόλις ἔθνων legitur.

Com. 16. ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει, εἶδε φῶς μέγα] Vide ad Luc. 1. 79. dicta.

Com. 18. περιπατῶν, &c. περὶ τὴν θάλασσαν] Quod, περιπατεῖν πρὸς τὴν θάλασσαν, Plutarchus in vita Syllæ dixit: *ad mare litus inambulare*, Minucius in Octavio. Θάλασσαν autem *lacum* intellige in Contextu noſtro.

Ibid. ἦσαν γὰρ ἁλιεῖς] Tale Actor. 18. 3. illud, Ἦσαν γὰρ σκηνοποιοί.

Com. 19. δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων] Vide ad Luc. 5. 10. annotata. Nota & ἀνθρώπων ἁλιεῖς. Hinc, γλαυκίσας τὸ ἰδίον ναυλωτήριον, apud Baſilium Seleucienſem.

Com. 21. καὶ καταρτίζοντας τὰ δίκτυα αὐτῶν] Symeon Metaphraſtes de Joanne Euangeliſta, Περὶ ταύτην (βραχεῖαν λίμνην) ἱστόρητο, διηρτισμένα μὲν ἁπάντων δίκτυα. Heliodorus l. 5. Ὀλίγον ὕστερον φανέντων, ἐγὼ πεισθέντων ἁλιδούλων, &c. δικτύοις καθηρμόσατο βορᾶς ἀπείρονας. Vulgat. καταρτίζοντας *reficientes* vertit. In vetere Onomaſtico, *Reficio*, καταρτίζω.

Com. 23. θεραπεύων] Eſt quod Luc. 8. 1. καὶ πάλιν καὶ κώμας διοδεύων.

Ibid. πᾶσαν μαλακίαν] Μαλακίαν hoc ſenſu habemus item apud Pollucem, lib. 3. cap. 21.

Com. 24. ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν, καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας] Apud Ovidium,

Sparſerat agricolæ nomen vaga fama per urbes
Theſeos, & populi quos dives Achaia cepit,
Hujus opem magnis imploravere periclis.

Confer Marc. 3. 8. & 6. 55. Act. 5. 16. & infra hic 14. 35. Ἀπῆλθεν autem pro ἐξῆλθεν, quæ voces locos mutuo migrant. Infra 9. 26. Luc. 5. 8. & 7. 17. Act. 16. 19.

Ibid. νόσοις καὶ βασάνοις συνεχομένους] Βασάνοις eſt ὀδυνώμενος. Suidas de Æliano, Ἐχρήσατο τῷ βασανίσαι, ἀντὶ τοῦ, ἀνδρὶ ὀδυνῶντι. Vide infra 8. 6. De voce συνέχεσθαι hoc argumento poſita dicemus ad Luc. 4. 38.

Ibid. δαιμονιζομένους] Quales Act. 10. 38. οἱ ὑπὸ τοῦ Διαβόλου καταδυναστευόμενοι vocati. Heſychius, Δαιμονᾷ, ὑπὸ δαίμονος κατέχεται. Firmicus 6. 12. *Ipſos vero qui nati fuerint, acerbis damonum faciet incurſionibus implicari; ita ut animæ maligni ſpiritus poteſtate poſſeſſa, damoni in corpore damnandi* (lege *dominandi*) *tribuat poteſtatem.* Cyprianus (in De Idolorum vanitate) de Dæmonibus loquens, *Irrepentes in corporibus, occulte mentem terrent, membra diſtorquent: valetudinem frangunt, morbos laceſſunt.* Lactantius 2. 14. *Quoniam ſint ſpiritus tenues & incomprehenſibiles, inſinuant ſe corporibus hominum, & occulte in viſceribus operati valetudinem vitiant, morbos cient*, &c.

Ibid. σεληνιαζομένους] Id eſt, ut apud Lucianum in Philopſeude, καταπλήττοντας περὶ τὴν σελήνην. Et bene hic vir ſummus malum à cauſa pluſquam naturali ortum intelligit. Baſil. de fœneratoribus agens, Μανιῶσι ἀκριτόποδες, ὥσπερ οἱ τὰς ἐπιληψίας πάσχοντες δαίμονες καὶ τὰς αἰθρίους τῆς σελήνης πρὸς πλοκὴν ἐπηρμένοι. Iſidorus Orig. 4. 7. de Epilepticis, *Hos vulgus Lunaticos vocat, quod per hunc curſum comitetur eos inſania damonum.*

Com. 25. ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας καὶ Δεκαπόλεως, &c.] Vide Luc. 5. 15. & 6. 17. In fragmentis Diodori Siculi, de Hannibale, Διὰ μέσης τῆς νῦν αὐτὴν φέρουσι καθ' ὅλην τὴν εἰκουμένην αἰθέριος ἐφίετο, καὶ πᾶσαν πάλιν ἐκάστου καρδιοῦσθαι φιλοσοφίαν τοῦ ἀνέφικτον. Apuleius 4. *Jam multi mortalium longis itineribus atque altiſſimis maris meatibus ad ſeculi glorioſum ſpectacum confluebant.*

CAP. V.

CAP. V.

MUNSTERUS.

1. *Aſcendit in montem*] Ut ſcilicet *oraret*, quemadmodum alii habent Euangeliſtæ: & deſcendens de monte ſtetit in loco campeſtri, & cœpit docere populum ea quæ ſcribuntur in iſto capite. Dicit autem *Beatos eſſe pauperes ſpiritu*, h. e. qui miſeri ſunt & afflinguntur in hoc mundo: & his peculiariter prædicandum eſt Euangelium regni cœlorum. Qui vero terrena fulgent & tument proſperitate, deliciantur, & oblectantur, gaudent, rident, & ob omnium rerum ſucceſſum extolluntur, illi ſurdi ſunt ad Euangelium, neque ſapiunt illis cœleſtia quam diu terrenis rebus totis affectibus ſunt addicti. Contra, qui turbato ſunt animo, qui *lugent*, premuntur calamitatibus, ſecundum carnem peſſime habent, agnoſcunt animi morbos, hi audito Euangelio magnifice *conſolantur*, gaudent ſe per Chriſtum futuros cives *regni cœlorum*, *poſſident terram*, & veluti omnibus *ſaturantur* bonis, ſcientes ſe Deo curæ eſſe, ab ipſo pendent, in eum ſolum totam ſuam collocant fiduciam, habent in eo pacem, & gaudent ſi pro nomine ejus patiantur. Hi, inquam, qui taliter ſunt affecti, aptiſſimi ſunt Euangelii auditores: & hæc eſt via ad ſolidam & veram felicitatem. A qua nec divites quoſdam excludimus, quales fuerunt Abraham, Job, David, & ſimiles quidam viri ſancti.

13. *Vos eſtis ſal terræ*] 2 Paralip. 13. 5. habetur, quod *Dominus dederit David & filiis ejus regnum ſuper Iſrael fœdere ſalis*, h. e. firmiſſimo fœdere. Conſervat enim ſal carnem à corruptione. Sic Chriſtus elegit Apoſtolos ut eſſent ſal hominum, annunciarent eis Euangelium ſuum, atque imbuerent eos ſolida fide, idque ſanis verbis & exemplis, ne corruptioni ulli eſſent obnoxii.

17. *Non veni ſolvere legem*] Non eſt in toto Euangelio ſententia aliqua quam Judæi nobis magis objiciunt atque iſtam, quam & Latine probe tenent, & Chriſtianorum auribus perpetuo ingerunt, perinde quaſi Chriſti verba & facta parum ſibi conſtent, cum tot ceremoniæ, purificationes, delectus ciborum, ſacrificia, judicialia & alia id genus ſint ablata per Chriſtum, & tamen hic dicat *ſe non ſolviſſe Legem & Prophetas.* Arguunt autem ſic, כתיב בספר מתי לא באתי לחסר ובתורת משה כתיב ביום חי יחיל בשר שלחו וכתיב כל המצוה אשר אנכי מצך היום השמרון לעשות לא תסיף עליו ולא תגרע ממנו נמצא שיש חפר בתורת משה וכתב תורה שכתי לא יהליפו מצוות משה משמע שאתר הוא מוסף וגורע בתורה כמצוותי ולי כי המשיח אין האר אין בפל את התורה כי אם כלא אותה ולמר לשמר עיקר ותוספת אשר הוא עתר באלה שתים מצות באהבת אלהים ובאהבת הרעך באהבת האלהים תבין כל עבודת אלהים ולי אמונת האלהים יראת האלהים מכמה ואהבת האלהים כשני ואהבת את יהוה אלהיך בכל לבבך ובכל נפשך ובכל מאדך ותאהב את רעך כמו עצמך במצות ואת תלוים כל חורת ודברי כל הנביאים ואתר הקרוב ובמצות הם נתונות עד זמן כמו קרבנות ותורות החיכל ומכאות נמצאות ומשפטים אשר כלם הם לחזק ואהבת ותבטחון ויראת ואמונה הם כתוך הלב והם נכונות עבודת האלי וכן נאמי בהושע כי חסד חפצתי ולא ובח ודעת אי מעלות לסדה לי רוב זבחיכם יאמר אי שבעתי עלות אילי וחלב מריאים רחצו והכו הסירו רע מעלילכם מנגד עיני חדלו הרע ובירמיה נבתב לא דברתי את אבותיכם ולא שיחים ביום הוציאי אותם מארץ מצרים על דברי עולה וזבח: כי אם את הדבר הזה צויתי אותם לאמר שמעו בקולי והייתי לכם לאלהים ואתם תהיו לי לעם ועוד בתיב בירמיה הנה ימים באים נאם יי וכרתי את בית ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה לא כברית אשר כרתי את אבותם כי ואת הברית אשר אברית את בית ישראל אחרי הימים ההם נאם יי נתתי את תורתי בקרבם ועל לבם אכתבנה וגו נאמי ביחזקאל ונתתי לכם לב חדש ורוח חדשה ואת רוחי אתן בקרבכם וגו משמע מן הסקראות האלו שבזמן המשיח עבודת האלהי שתהיה להיות נחוה ואמרי ואין בקרבנות הוצאות ותוספות נמצאות אשר הם רבוי על אמונה ועל שתהיה הלב בי כל תקות האלה הם הימים היו על תורת חדשה ועל זמן המשיח שמו בני אדם עבודת את יי נחוה ואמרי כמו התנבא נביאי ועל כן משיחנו לא הפר את התורה כאי מלא וכתב אתה נלך אדם וכן שלות הבשר רמז שלות הלב כשני בירמיה: Senſus eſt; *Apud Matthæum ſcriptum eſt*, *Non veni minuere*, ſeu *ſolvere*, *legem*, &c. *Et in lege Moſi ſcriptum habetur*, [*Die octava circumcidetur caro præputii*] *Et rurſum ſcriptum eſt*, [*Omne præceptum quod ego præcipio tibi hodie, cuſtodietis ut facias: non adjicies, neque minues ab eo.*] *Conſtat autem Jeſum ſolviſſe legem Moſi, & mendacem feciſſe legem ſuam, in qua ſcriptum eſt quod nihil mutaverit de lege Moſi, cum tamen adjecerit & ſubtraxerit in multis locis. Ad quam objectionem ſic reſpondemus, Chriſtus non ſolvit aut evacuavit Legem, ſed implevit eam, & docuit obſervare vim Legis, quæ conſiſtit in his duobus præceptis, in Amore Dei, & Dilectione proximi. Per Dilectionem Dei intellige univerſum cultum Dei, nempe, fidem Dei, timorem Dei, fiduciam & dilectionem Dei: ſicut dicitur,* [*Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, in tota anima tua, & in toto conatu tuo: & diliges proximum tuum ſicut teipſum. In præcepto iſto pendet tota lex & dicta omnium prophetarum.*] *Reliqua ceremoniæ & mandata fuerunt data ad tempus: ut ſunt ſacrificia, leges Templi, immunditiæ corporales, atque judicialia, quæ omnia ſunt externa: Dilectio autem, fiducia, timor, & fides ſunt in corde; & in eis conſiſtit verus Dei cultus. Et ſic dicitur in Hoſea* [*Pietatem volui, & non ſacrificium; ſcientiam Dei magis quam holocauſta.*] *Et in Iſaia* [*Ad quid mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum, dicit Dominus? plenus ſum holocauſtis arietum, & adipe pinguium. Lavamini, mundamini, & auferte malitiam ſtudiorum veſtrorum à conſpectu oculorum meorum, atque ceſſate male agere.*] *In Jirmeia quoque ſcriptum habetur,* [*Non locutus ſum cum patribus veſtris, neque præceptum dedi eis in die quo eduxi eos de terra Ægypti, de rebus holocauſti & ſacrificii: ſed hoc verbum præcepi eis, dicens, Audite vocem meam, & ero Deus veſter & vos eritis populus meus.*] *Et rurſum ſcriptum eſt in eodem Propheta,* [*Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & percutiam cum Iſrael & cum Jehuda fœdus novum non ſecundum fœdus quod inii cum patribus eorum: ſed hoc eſt fœdus quod percutiam cum eis; Poſt dies illos dabo legem meam in viſceribus eorum atque in corde dabo eam.*] *Sic etiam in Jehezeciel* [*Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum: ſpiritum meum dabo intra vos &c.*] *Patet ex ſententiis Biblicis, quod tempore Meſchiæ cultus Dei futurus erat in ſpiritu & veritate, & non in ſacrificiis externis atque in purificationibus corporalibus, quæ magis ſignificabant fidem & munditiam cordis. Omnes enim ceremoniæ iſtæ figura erant novæ legis, & temporis Meſchiæ, quod tunc homines eram ſervaturi Deo in Spiritu & veritate, quemadmodum prædixerunt Prophetæ: Et ob id Meſchia noſter non ſolvit legem, ſed implevit, ſcripſitque eam in corde hominum. Sic præputium carnis ſignificavit præputium cordis, ſicut dicitur in Jirmejahu.*

22. *Raca*] Venit רקא vel à רק, quod *ſpuere* ſign. vel à ריק quod *otioſum* atque *inanem* ſign. Utrumque autem convitioſum eſt, vocare fratrem vel *ſputo dignum*, vel, *otioſum* atque *ponderoſum onus terræ.* ¶ De vocabulo *gehenna* non eſt quod hic multa dicantur, cum ſit ab Hebraico גי הנם, i. *Vallis Hinnom*, ubi ſcilicet in honorem dæmoniorum filii offerebantur, & vivi comburebantur; de quo Jer. 7. ac deinde uſurpari cœpit ab Hebræis pro æterna perditione.

29. *Erue eum*] Occaſionem jubet fugere; ut quicquid remoratur aut facit impingere in via Domini, tollatur, etiamſi illud tam charum & gratum ſit quam ſunt oculi, manus & pedes.

43. *Diliges proximum tuum*] Nomine *proximi* intelligitur omnis qui quacunque ratione nobis junctus fuerit, ſive vinculo affinitatis & ſanguinis, ſive vinculo civilitatis, ſodalitatis, vicinitatis, officii, aut etiam fortuiti congreſſus.

VALLA.

1. ET *acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus*] *Sui* dicendum fuit, non *ejus*, ut in opere quodam diſputavimus.

6. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*] Ego dixiſſem, *juſtitia*. De iis enim opinor Deum loqui qui propter juſtitiam eſuriunt & ſitiunt, cum addatur, *quoniam ſatiabuntur*. Tranſtuliſſem quoque illud in Pſalmo per ablativum potius quam per accuſativum, etſi Græce eſt accuſativus: nam ſuus eſt illis loquendi modus, Pſal. 51. 14. *Et exſultabit lingua mea juſtitiam tuam*: ut ſit in altero Pſalmo, 145. 7. *Et juſtitia tua exſultabunt.* Quod Græci ſoleant ponere accuſativum pro dativo, qui inſtar eſt ablativi noſtri, ſive progenitivo, cum ea quæ poſterius dicam teſtimonio ſunt, tum illud ſuperius, Matth. 2. 23. *Habitavit in civitate Nazareth*, εἰς πόλιν Græce eſt, *in civitatem.* Taceo quod interpres pro *urbs* ponit *civitas.*

11. *Et dixerint omne malum adverſus vos*] Deeſt *verbum*, ut ſit *omne malum verbum*, ῥῆμα.

13. *Quod*

13. *Quod ſi ſal euanuerit*] Græce eſt *infatuatus fuerit*, μωρανθῇ· ego dixiſſem, *deſipuerit*. Nam *euaneſcere* eſt in modum fumi deficientem conſumi, & in nihilum reverti.

15. *Ut luceat omnibus qui in domo ſunt*] Græce eſt *& lucet*, καὶ λάμπει.

18. *Amen quippe dico vobis*] In multis nos ſumus quam Græci locupletiores. Nam pro una illorum cauſativa γὰρ nos multas habemus, *quia*, *quoniam*, *enim*, *nam*, *namque*, *ſiquidem*, *quippe*, & (quæ in Euangelio non ſunt) *quando*, *quandoquidem*, *quatenus*, & ſiqua ſunt alia. Proprium autem Latinum quod illi Græco reſpondet, eſt *enim*. Nam ipſorum ὅτι reſpondet apud nos *quod*. Item pro una illorum diſcretiva δὲ nos plures habemus, *vero*, *autem*, *porro*, *tamen*, *at*, & quod ſemel in Euangelio reperitur, *niam*, ut ſuo loco oſtendam, 1 Tim. 5. 6.

22. *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo*] Melius ii codices qui *ſine cauſa* habent, ut ſit, *Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit gehennæ ignis.* Græce eſt, *in gehennam ignis*, εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός.

23. *Et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te*] Huic ſimile eſt illud poſterius, c. 20. 20. *Adorans & petens aliquid ab eo.* Item apud Lucam 7. 40. *Habeo tibi aliquid dicere.* Et in Marco 15. 21. *Et angariaverunt quempiam prætereuntem Simonem.* Et in Luca 8. 1, 2. *Et duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ ab illo à ſpiritibus immundis.* Et iterum Luc 9. 27. *Sunt aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem.* Ego potius quam *aliquid*, & *alique*, & *aliqui*, & *quempiam*, dixiſſem *quiddam*, ſive *quandam* rem, & *quadam*, & *quidam*, & *quendam*. Nam utroque modo dictio Græca transferri poteſt. De qua differentia diſputavi alibi latius, oſtendens per *quidem* ſignificari hominem certum, per *aliquem* & *quempiam* hominem incertum. Ideo illud apud Hebræos, 2. 6. *Teſtatus eſt quodam loco quis*, tranſtuliſſem, *quidam*, *nic.* Aliud enim eſt, *dicat quis*, i. *aliquis*, nempe quicunque is ſit; & *dixit mihi quis* hanc rem, quia non poſſum ſubjicere *quicunque is ſit*, quia nunc ille certus apud me eſt: proinde *quidem* dicendum fuit.

27. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis.*

28. *Ego autem vobis dico, Quicunque viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo*] *Mœchari* Græcum eſt verbum, ἀπὸ μοιχεύεσθαι. *Concupiſcere* vero, i. ἐπιθυμῆσαι, non ſemper in malam accipitur partem: ut apud Lucam, 22. 15. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα. Cur itaque nunc peccatum eſt *mulierem concupiſcere*, veluti ut eam habeas uxorem, quemadmodum fecit Judas filius Jacob, & Sampſon, & alii infinni? etiamſi peccatum ſit, cur tamen adulterium, cum idem ſit *mœchari* quod *adulterare*? Neſcio an nunc transferre debuerit *uxorem* ſive *matronam*, quoniam hoc nomen pro *femina* & pro *uxore* accipitur, ut in 1 epiſt. ad Corinthios 9. 5. oſtendam, an *mœchari* accipiatur pro *ſcortari*, ſive ut conſueto magis vocabulo utar, *fornicari*, quod propriæ ſignificationis eſt habere in fornice meretricem; quoniam qui cum *muliere*, non cum *uxore* coit, in matrimonium injurius eſt, tanquam cauſa ſit ne illa nubat. At ſi ipſe maritus eſt, quaſi in ſuam uxorem adulterium committit: ideoque paulo poſt dicitur, v. 32. *Qui dimiſerit uxorem, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Nonne hæc fornicatio uxoris tuæ adulterium eſt? Ergo ſicut *fornicari* accipitur pro *mœchari*, ita *mœchari* pro *fornicari*. *Mœchari* vero & *adulterare* more ſuo variavit interpres, cum tamen Græce idem ſit verbum, μοιχᾶσθαι, μοιχᾶται.

29. *Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.*

30. *Et ſi dextera manus tua ſcandalizet te, abſcinde eam, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.*] Græce eſt, *Et non totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Neſcioque quid in mentem venit interpreti, ſi hoc vitium interpretis eſt, ita loqui ut nec Latine dicatur, nec Græco reſpondeat. Neque enim memini talem figuram dicendi uſquam apud eruditos reperiſſe: & aliud eſt *expedit*, aliud *præſtat* legere quam ſcribere. Sed forte eum induxit, quia poſterius legit *bonum* pro *melius* in ſimilliano huic loco, cap. 18. 8, 9. *Bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus & duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum eſt tibi, unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Sunt forſitan aliqua exempla Græca ſermonis iſtiuſmodi. Addo etiam aliquorum veterum Latinorum Græciſſantium: tamen ſuperior locus non proprie tranſlatus eſt.

37. *Sit ſermo veſter, eſt eſt, non non*] Græce non legitur, *eſt eſt*, ſed adverbium, quo Latini veteres utuntur: ut Terentius, *Na ille haud mecum ſentit.* Et Cicero, *Na tu homo ineptus es, vai vai*, quod proprie transferatur nunc, *etiam etiam*: ut facit aliquando interpres, ut in illo c. 13. 51. *Intellexiſtis hæc omnia? dicunt ei Etiam, vai.* Nam reſpondere, ut nunc vulgo ſolent, *ſic*, barbarum eſt: qui barbari hunc locum transferrent, *ſic ſic*, *non non.*

39. *Sed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram*] Græce non eſt, *præbe*, ſed *verte*, στρέψον.

41. *Et quicunque te angariaverit mille paſſus, vade cum eo alia duo*] Quidam codices habent, *alios duos.* Ergo dicendum erit aut *alios duos paſſus*, aut *alia duo mille*, quorum neutrum recte dicitur. Cujus rei cauſa eſt quod Græce legitur *unum miliarium*, μίλιον ἕν, ut probe ſequatur *alia duo.* Itaque ſic ego tranſtuliſſem.

46. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne Publicani hoc faciunt?*

47. *Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis; nonne & Ethnici hoc faciunt?*

48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* [Annotationem habebis ſub initium ſexti capitis.]

REVIUS in VALLAM.

6. *Juſtitia*] Quid hoc monſtri eſt, *eſurire juſtitia*? hoc nec cum Græco textu, nec cum ſequenti gloſſemate, nec cum ſana ratione ſatis convenit.

Et juſtitia tua exſultabunt] Imo poſteriore Pſalmo male ablativus ponitur pro accuſativo, & utrobique perperam *exſultare* pro *canere.*

Εἰς πλῆν.] Non ponitur accuſativus pro dativo, ſed εἰς pro ἐν, quam præpoſitionem neceſſario ſequitur accuſativus. Sed ſenſus fortaſſe idem eſt. Uſitatus autem eſt hic archaiſmus apud ſacros ſcriptores. Pſal. 16. 10. οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου. Marc. 1. 9. ἐβαπτίσθη εἰς τὸν Ἰορδάνην. 2. 1. ὅτι εἰς οἶκόν ἐστι. 13. 16. ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν ὤν. Luc. 11. 7. εἰς τὴν κοίτην εἰσίν. Joh. 1. 8. ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός. 20. 19. ἦν εἰς τὸ μέσον. Actor. 8. 40. εὑρέθη εἰς Ἄζωτον. 19. 22. ἐπέσχε χρόνον εἰς τὴν Ἀσίαν. 2 Cor. 11. 3. τῇ ἁπλότητι τῇ εἰς Χριστόν. Eph. 5. 32. ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστόν, &c. 2 Theſſ. 2. 4. εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ εἰς Θεὸν καθίσαι, &c. etiam apud alios auctores: Thucid. l. 3. καθίζουσιν εἰς τὸ τοῦ Διοσκούρων ἱερόν. Baſil. Hexaem. ſerm. 6. σὺν καθεζομένῃ εἰς τὸ σκάφος. Epiph. Hær. 66. εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ θεῖναι τὸ μυστήριον. Etiam Latinos: Exod. 5. 19. in Vulgata, *Videbantque ſe prapoſiti filiorum Iſrael in malum*, בְּרָע, ἐν κακῷ. Tertull. adv. Judæos, *Illic celebrarentur ſacrificia & holocauſta tam pro peccatis quam pro animabus, & nuſquam alibi quam in terram ſanctam.* Idem adv. Marcionem lib. 5. *Inoperatus eſt in Chriſtum*, dixit pro ἐνεργοῦντα ἐν τῷ Χριστῷ. Hieron. in Jer. 7. *Habitabo vobiſcum in loco iſto quem vocatis Templum Domini, & in terram quam dedi patribus veſtris.* Ibid. ex Luc. 18. 8. *Putaſne veniens Filius hominis inveniet fidem in terram?* Sic Varro De re ruſt. lib. 3. c. 17. *Piſcinæ ejus deſpiciebat, quod in reſidem aquam & locis peſtilentibus habitarent piſces ejus.* Maximus Scaliger in illud Catulli, *Non ita me DI amant*, frequens hoc eſſe ait apud Ciceronem & JCtos. Ulpianus, *In pubertatem mortuus fuerit*, v. eundem in Manilium pag. 261. ſic apud Hebræos ל pro ב deſerviente. Geneſ. 49. 29. אל־עמי, quod notavit Beza ad Matth. 2. 23.

13. Μαρανθῇ.] Loco ſuo motum erat.

22. *Sine cauſa*] Hoc in bonæ notæ exemplaribus deeſſe Hier. ait, non iis tantum locis quæ Eraſm. notavit, ſed & in Eph. 4. p. 229. abeſt & à textu Hebræo.

23. *Diſputavi alibi latius*] Dialecticarum diſput. l. 2. cap. 5.

28. *Tranſferre debuerit uxorem*] Sed ita adjectum oportuit τὸν vel ἀδελφῆ, ut recte obſervatum Bezæ: quem vide.

41. Μίλιον ἕν] Tranjectum erat.

ERASMUS.

1. *Videns autem Jeſus*] *Jeſus* hoc loco non additur nec in Græcis nec in veteſtis Latinorum cod. Ἰδὼν δὲ αὐτὸν ὄχλους, i. *Cum vidiſſet autem turbas.*

3. *Beati pauperes ſpiritu*] Vides Theologorum vulgus, inter quos eſt & Beda, id interpretari de tenuitate facultatum. Et

qui ſcripſit in hunc Euangeliſtam Opus imperfectum, annotat quod dictum ſit πτωχοί, non πένητες, i. *mendici*, non *egeni*, ut exprimeret ſummam egeſtatem: cum potius referendum ſit ad animi celſitudinem ac ferociam. Siquidem Græci μέγα πνέειν dicunt *elato eſſe animo ac præferoci*, cujuſmodi fere ſunt Principes, aut qui regnum ambiunt. Atque hic eſt ferme malorum omnium fons. Ad hunc ſenſum facit & id quod annectitur, *Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Porro *pauperes ſpiritu* dixit, quod divitum familiaris ſit ferocia. Certe D. Auguſtinus palam in hanc ſententiam interpretatur Commentariorum quos in hunc Domini ſermonem edidit lib. 1. ac rurſum enarrans Pſalmum 73. Neque diſſentit Hieronymus, ita ſcribens, *Adjunxit, ſpiritu, ut humilitatem intelligeres, non penuriam.* Itidem interpretatur & Chryſoſtomus hom. in Matth. 15. & huic conſentiens Theophylactus. Neque ſecus D. Hilarius in Canone Matthæi. Itaque coactius & alienius mihi videtur hic inducere quæſtionem de profeſſione Mendicitatis aut Voluntariæ paupertatis: ſed Dominus per modeſtiam ac ſubmiſſionem ſui oſtendit viam ad veram ſublimitatem. Nam Adam per ſuperbiam dejectus eſt à regno in ſervitutem.

4. *Beati qui lugent*] In Græcis cod. prius eſt, *Qui lugent*; poſtea, *Beati mites.* Id opinor caſu factum, quod in hujuſmodi recenſionibus ſubinde labi ſoleant librarii.

7. *Miſericordiam conſequentur*, ἐλεηθήσονται] Cur non eſt auſus uti periphraſi in *conſolabuntur*, cum hic non vereatur facere? Hilarius longiore ſed dilucidiore circumitione eſt uſus, *Quia ipſis*, inquiens, *miſericordiam præſtabit Deus*: & Auguſtinus, *Quoniam ipſorum miſerebitur Deus.*

8. *Beati mundo corde*, καθαροὶ τῇ καρδίᾳ] i. *mundi corde.* Pro quo Auguſtinus dictione compoſita legit *mundicordes*, cum Græcis duæ ſint dictiones. Fortaſſis hic non parum quadraſſet, *Puri corde*; quod *mundities* ſordibus magis opponatur, *purum* autem proprie dicatur quod nullius admixtione ſit vitiatum. Nam *oculorum* vice poſuit *cor.* Et alias *oculum ſimplicem* vocat.

9. *Beati pacifici*, εἰρηνοποιοί] Ut intelligas haud ſatis eſſe Chriſtianis ipſos eſſe pacatos, niſi acceſſerit & inter alios pacis conciliandæ ſtudium. Annotavit hoc diligenter Chryſoſtomus. Sed hæc, ut nunc fere ſunt mores, ſurdis canuntur.

11. *Cum maledixerint vobis homines*] *Homines* non eſt in Græcis libris, ſed hoc vel interpres vel, quod probabilius eſt, librarius addidit de ſuo; quanquam non erat admodum opus. Ideo viſum eſt admonere, ne quis fruſtra philoſophetur hic in dictione *homines.* Quod genus eſt apud Paulum, *ſi adhuc hominibus placerem.* ¶ *Et perſecuti vos fuerint*] Haud perperam interpres de ſuo repetit *Vos*, quod apud Latinos *maledicere & perſequi* non recipiant eundem caſum quem apud Græcos. Addidit iterum *homines*, quod nec apud Græcos eſt, nec in aureo codice. ¶ *Omne malum*] Græci cod. quidam addunt *verbum* πᾶν πονηρὸν ῥῆμα, i. *Quodvis malum verbum.* Conſentit exemplar quod à Leone Pontifice miſſum ſecuti ſunt Hiſpani; licet Chryſoſtomus citans hunc locum l. 3. c. 11. De ſacerdotio non addat ῥῆμα, ἢ εἶπαν πᾶν πονηρὸν καθ' ὑμῶν, *& dixerunt omne malum adverſum vos.* Nam quod mox πολύ, i. *multa*, vertit *copioſa*, probe fecit. Atque hæc ſunt illius ſacroſanctæ philoſophiæ dogmata quæ Chriſtus tanta cum tantaque autoritate tradidit; neque id promiſcuæ turbæ, ſed peculiariter *ſuis*, h. e. Sacerdotibus & Epiſcopis, imo omnibus ingenue Chriſtianis; neque quovis loco, ſed in *monte*; nec fruſtra addidit Matthæus, *aperiens os ſuum.* His nominibus ipſa Veritas, quæ neque fallit neque fallitur, nobis felicitatem promiſit. Et tamen nimirum quam ad hæc frigemus omnes. Imo non pudet quoſdam abſolutam profitentes religionem hæc eludere, velut antiqua jam & obſoleta. Impium fere habetur, non conſtabiliſſe rem quocunque modo. Bellum etiam in templis laudatur ab Epiſcopis, à Theologis, à Monachis: nam ipſe novi quoſdam qui decantandis belli laudibus ad Epiſcopi dignitatem emerſerunt. Ariſtotelis decreta nos magis commovent quam Chriſti. Atqui hæc eſt illius cœleſtis Doctoris propria peculiariſque doctrina, quam nemo Philoſophorum unquam efficaciter tradidit. Audivi quoſdam qui ſibi vehementer Theologi viderentur, ad hæc, adoranda nobis ſi modo vere Chriſtiani ſumus, naſum ſanna corrugantes, & ea modis omnibus abominantes quæ Chriſtus æterna felicitate penſat. Neque veritus eſt optimus ille Chryſoſtomus ad ſingulos beatitudinis gradus interpretari, quod Chriſtus pronunciavit beatum, etiam in hac qualicunque vita beatius eſſe quam illud quod mundus beatiſſimum eſſe judicat. Nos qui nobis videmur plus quam ſeſquichriſtiani, ne id quidem æquis auribus accipimus, ſi quis ſimpliciter accipiat eorum quæ Chriſtus docuit hic præſtanda, præmium ab ipſo reponendum in futuro. Et cum nobis permittamus ut in his, in quibus totius religionis noſtræ cardo eſt, impune ſimus impii blaſphemique, dictu mirum quas tragœdias excitemus ſi quis ad commentitias quorundam propoſitiones audeat hiſcere. Sed his deplorandis alius fortaſſis commodior dabitur locus.

13. *Sal evanuerit*, μωρανθῇ] Ut nihil cauſer de genere *ſalis*, quid eſt *evaneſcere?* Qua voce reddidit in Paulo ἐμωράνθησαν. Hic, cum de ſale loquatur, dicere debuit *infatuatus fuerit*, Sive *inſipidus factus fuerit*, aut certe, ut Vallæ placet; *deſipuerit.* Quandoquidem Martialis & betas, quod inſipidæ ſint, *fatuas* vocat. ¶ Porro quod taxat Valla πόλιν non *urbem* ſed *civitatem* eſſe verſum, non ſolum minutius eſt, verum etiam iniquius. ¶ Quod genus eſt & illud, ὑπὸ μόδιον, i. *Sub modium*, ſive *ſubter modium*: cum alioqui Græcis μόδιος & *modius* ſit. Annotandum autem, interpretem, aut fortaſſis Euangeliſtam ipſum, Romana uſum voce, quod & alias ſæpicule facit, velut indicabimus ſuis locis.

15. *Ut luceat*, καὶ λάμπῃ] i. *Et lucet.* Oſtendit enim quid conſequatur, non quid affectandum ſit. In exemplari Paulino ſcriptum erat, *Et luceat.* Refertur enim ad *lucernam*, quæ ſic lucet ſi fuerit poſita candelabro.

17. *Quoniam veni ſolvere*, ὅτι ἦλθον] i. *Quod veni*, ſive *quod venerim*, ſive, quod Latinius eſt, *Ne putetis me venſſe*: &, *ad ſolvendum* potius quam *ſolvere.* Quanquam hoc ipſum καταλῦσαι potius ſign. *deſtruere* ac *demoliri* vel *abrogare* quam *ſolvere.* Aliter enim ſolvitur lex, aliter pecunia debita, aliter zona ſive nodus.

18. *Amen dico vobis*] אמן, quod apud Hebræos ſonat *Fiat*, ſive *Vere*, ceu vocem Hebræis peculiarem, nemo Latinus vertit, neque quiſquam Euangeliſtarum Græce ſcribens. Eſt autem vox confirmantis & aſſeverantis. ¶ *Jota unum aut apex*] Cum probabile ſit Jeſum Hebraice fuiſſe locutum, dubium non eſt quin quod hic *Jota* vocat, ea ſit litera quam Hebræi *Jod* appellant, omnium minutiſſima, quæ ſic nonnunquam adjicitur ut propemodum ſupervacanea videri queat. Sed quid *apicem* dixit? Cum ne Græcorum quidem vetuſtiſſimis mos fuerit apicibus uti, & ſero apud Hebræos receptum ſit accentiuncularum notas aſcribere, quibus tamen hodie non utuntur; niſi forte ſummum elementi faſtigium *apicem* vocavit, aut eam notam quæ nonnullis addita facit ה או. Mihi videtur ſic ſermo κατ' ἐπαφορὰν dictus. Neque enim laboratur de literarum apiculis, cum conſtet non pauca etiam volumina V. Inſtrumenti intercediſſe, quorum nomenclaturam adhuc videmus in canonicis voluminibus, veluti libros Bellorum Domini, qui citantur Num. 21. & librum Juſtorum qui citatur Joſ. 10. & 2 Regnorum cap. 1. aliſque qui citantur in libris Regum & Paralipomenon. Oportuit autem ſummæ fuiſſe autoritatis quorum autoritate toties nititur Scriptura Canonica: An vero fuerint in Canone Hebræorum, aliis excutiendum relinquo. Non igitur laboratur de apicibus, ſed aſſeveratur nihil omnino promiſſum aut proditum in lege Moſaica quod Euangelium non abſolvat. Ab hac ſententia non abhorret Auguſtinus exponens Sermonem Domini in monte habitum.

20. *Non intrabitis*, οὐ μὴ εἰσέλθητε] Apparet poſitum eſſe ἐμφατικῶς, ob geminatam negationem. Etiamſi non negarim hæc aliquando ſignificare tempus futurum, præſertim conduplicata negatione.

21. *Reus erit*, ἔνοχος ἔσται] i. *Obnoxius erit.* Quanquam & *rei* dicuntur obnoxii; veluti *reus voti*, qui voto ſeſe adſtrinxit, ac debitorem conſtituit.

22. *Qui iraſcitur fratri ſuo*] In nonnullis Græcorum cod. aſcriptum eſt εἰκῇ, i. *Temere*, aut *ſine cauſa.* Verum Hieronymus edidiſſe hunc locum, itemque 2. dialogo adv. Pelagium, negat id in vetuſtis ac bonæ fidei exemplaribus repertum. Et additum videtur ab audaculo quopiam, qui eam mitigare voluerit quod alioqui durius dictum videbatur. At quin eadem opere in cæteris idem adjecit εἰκῇ, *Qui dixerit*, *Racha*, *ſine cauſa*; *qui dixerit*, *Fatue*, *ſine cauſa.* Proinde D. Hieronymus duas has voces *ſine cauſa* jubet eradi. Quanquam prior lectio magis probatur Laurentio. Et Chryſoſtomus hom. in Matth. 16. legere videtur εἰκῇ, diſtinguens iram opportunam ab intempeſtiva, & negans affectum penitus eximi nobis, ſed cohiberi duntaxat ac regi. His conſentanea ſcribit Theophylactus. Non erat opus hic diſtinguere iram *juſtam* ab *injuſta*, aut iram *carnis* ab ira *animæ*, aut iram qua iraſcimur *hominis* & qua iraſcimur *hominis vitio*, ſi ſentiamus Dominum hic loqui de ira vulgari, qui eſt motus animi tendens ad ultionem doloris, nimirum primus ad homicidium gradus. Alioqui & Judex qui cum ira punit nocentem, peccat, aut certe imperfectus eſt, cum hic Chriſtus doceat perfecta. Verum ut redeamus ad particulam εἰκῇ, i. *ſine cauſa*, quam D. Hieronymus negat eſſe in veris exempl. quid hic adferent qui contendunt hanc tranſlationem

ab Hieronymo fuiſſe caſtigatam? Quod damnat, relictum eſt; quod relictum eſt, ad ſenſum pertinet, non ad verba, quæ videtur alicubi neglexiſſe. Auguſtinus lib. Retract. 1. cap. 19. teſtatur in Græcis cod. non addi *Sine cauſa*. Nam in Sermone habito in monte, vult etiam in cæteris duabus partibus ſubaudiri, *qui dixerit, Racha, ſine cauſa; qui dixerit, Fatue, ſine cauſa.* ¶ *Qui dixerit fratri ſuo, Racha*] Apud Hebræos contumeliæ vox eſt, q. Latine dicas *cerebroſum*, aut *cerebro carentem* ſive *vacuum*. In Pſalmo 7. exponitur ריק per *vanitatem*; *Decidam merito ab inimicis meis inanis.* Atque in hac quidem ſententia eſt Hieronymus, qui perinde valere putat *racha* ac ſi Græce dicas κενέ. Quin & Græci *hominem nihili* ῥακὸν appellant, à veſte detrita rejiculaque ſumpto convitio. Quod indicat & D. Auguſtinus Comment. quos in hunc edidit locum lib. 1. At videtur *Racha* magis eſſe vox indignantis, velut interjectio. Alioqui quid intererit inter *Racha* & *fatuum?* Conſentaneum eſt enim Chriſtum gradus quoſdam ollendere, quorum primus ſit iraſci, ſecundus ſono aliquo incerto motum animi ſignificare, tertius in manifeſtum convitium prorumpere. Atque ita ſentit Auguſtinus eo loco quem paulo ante adduxi, addens ſe id à Judæo quopiam accepiſſe, *Racha Hebræis interjectionis inſtar eſſe, eaque voce nihil certi, ſed tantum animi indignationem ſignificari.* Chryſoſtomus hom. 16. tradit *Racha* non eſſe vocem gravioris aut atrocis convitii, ſed ab impatientia ſtomachoque loquentis proficiſci; quomodo ſervis nonnunquam ſtomachoſius loquentes dicimus, *Abi tu*, *Dic illi tu.* Quin & Syriacæ linguæ teſtimonium adducit, in qua *Racha* ponatur pro eo quod eſt, *Tu.* Sic enim ſervis loquimur, & his quos contemnimus. Cum Chryſoſtomo concordat Theophylactus. Nonnulli ſic diſtinguunt inter *Racha* & *fatuum*, ut differentia peccati non ſit in dictis ſed in animo dicentis. Nam Dominus ſuo more doctrinam ſuam attemperans ad captum ſimplicium, hoc modo propoſuit exemplum iræ levis quæ nondum decrevit ultionem, & iræ gravioris per *Racha*, & iræ graviſſimæ, quæ proxima ſit homicidio, per *Fatue.* Alioqui plerumque gravius peccat qui tacitus iraſcitur quam qui convitiis debacchatur. Nec deſunt qui *Recha* doceant eſſe legendum, non *Racha*, quod Chaldæis ſonet *Rocho.* Eam vocem nolunt eſſe interjectionem, ſed ſimpliciter ſignificare *vacuum.* Nec eſſe convitium, aut ſi eſt, levius eſſe convitium, quod competat in eum qui careat eruditione, aut alia re quam ſibi quiſque parare valeat ſua induſtria, cum *fatui* convitium pertineat ad impietatem. Quod attinet ad dictionem *Racha*, ſi *Recha* legendum eſt, cum in cod. Græcis ac Latinis ſummus ſit conſenſus, aut Euangeliſta reprehenditur ſi Græce ſcripſit, aut interpres, quem oportet antiquiſſimum fuiſſe, quiſquis fuit; nam quidam autumant fuiſſe Joannem Euangeliſtam. Deinde cum Dominus ſit uſus vulgari lingua, quæ Syro Chaldæoque ſermone corrupta fuit, ſi Chaldæi pro *Racha* dicunt *Rocho*, quid mirum ſi Dominus pro *Recha* dixit *Racha?* Neque enim conſequitur, Sic conſcribitur in V. Teſtamenti voluminibus, igitur ſic pronunciavit Chriſtus; tametſi Græci codices *Rhaca* habent, non *Racha.* Quod attinet ad diſtinctionem *fatui*, conſtat Græce ſcriptum μωρέ. Quid Hebraice ſcripſerit Matthæus, nobis incertum. Qua voce Paulus uſus eſt de diſcipulis Domini, *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus*; non utique ſignificans impios, ſed humiles & imperitos juxta mundum. Et ipſe Paulus agnoſcit *ſtulti* vocabulum, non quod vere ſtultus eſſet, ſed quod ſtultorum ſit de ſeipſis magnifice prædicare; quod tamen non eſt impietatis, ſed ineptum potius, ſi modo vera prædicent. Jam ut non eſt convitium ſi quis hominem tardum objurgans appellet *tardum*, ita non ſit convitium ſi quis hominem impium emendare cupiens appellet *ſtultum.* In ſingulis igitur ſubaudiendum eſt, *Si quis iratus dixerit, Racha; Si quis iratus dixerit, Fatue.* Quidam philoſophantur in dictione *fratris*, quaſi *fratres* non ſint niſi qui communem agnoſcunt patrem. Ego arbitror hic nomine *fratris* omnes homines intelligi. Etenim cum Dominus præcipiat ut maledicentibus impiis benedicamus, cui concedit dicere *fatue* duntaxat juxta ſenſum quem indicavimus? ¶ *Concilio*] Non eſt βουλῇ, quod & ipſum ſign. *concilium*, ſed συνεδρίῳ, quod *conceſſum Judicum* ſign. id quod indicatum eſt & à Chryſoſtomo. In hujuſmodi conceſſibus, velut Athenis in curia Martis, graviores cauſæ ſolent agitari. Nam in Judicio, quod interdum ab uno peragitur, multa ſpes eſt elabendi: ad Synedrion non niſi gravis cauſa defertur, jamque non tam de damnando reo quam de ſupplicii modo deliberatur. ¶ *Gehennæ ignis*, εἰς γέενναν τοῦ πυρός] i. *ad gehennam ignis.* Sed Hebraice magis quam Græce aut Latine dictum eſt *gehennæ ignis* pro *gehenna incendio*, ſive *gehenna ardente.* Porro apud Hebræos *gehenna* גיא בן הנם *Vallis Ennon*, de quo inferius plura dicemus cap. 10.

24. *Reconciliari fratri tuo*] Palam eſt hic verbi modum errore librariorum fuiſſe mutatum, *reconciliari* pro *reconciliare* imperativi modi, διαλλάγηθι. Unde nos vertimus *reconciliieris*, ne perinde facilis eſſet depravatio. Certe *reconciliare* legitur & in pervetuſtis Latinorum exemplaribus, velut in Paulino. Et in Corſendoncenſi manifeſtum raſuræ veſtigium indicabat & illic ſcriptum fuiſſe *reconciliare.* ¶ Omittam ὕπαγε *abi* potius vertendum fuiſſe quam *vade.* Neceſſe *offeres*, ſed πρόσφερε, i. *offer*, ſive *adfer.*

25. *Eſto conſentiens, ἴσθι εὐνοῶν*] i. *Eſto benevolus*, ſive, quod addit Hieron. *benignus*: etiamſi non videam quid *benignus* reſpondeat ad εὐνοῶν. Nonnulli verterunt *concors*, quemadmodum indicat Auguſtinus. ¶ *Et adverſario, ἀντιδίκῳ*] Non abſolute ſonat *adverſarium* ſed *adverſarium cauſæ* ſive *litis.* Siquidem actorem ſentit, qui reum facit, & in jus trahit. ¶ Rurſus autem μήποτε *ne forte* vertit, cum rectius ſit, *ne quando*, aut ſimpliciter *ne.* ¶ Præterea ὑπηρέτῃ, quod hic vertit *miniſtro*, nonnunquam *carnificem* tranſtulit, alias *exactorem.* Eſt autem is qui exſequitur Judicis ſententiam. ¶ *Noviſſimam quadrantem, ἔσχατον κοδράντην*] Cur non potius *extremum* quam *noviſſimum?* Nec enim de temporis agitur ordine, ſed de ſumma. Deinde apparet hic quoque Romanam vocem uſurpatam ab exteris, id quod in pleriſque fit, ſed depravate. Eſt autem *Quadrans* nummulus, quarta pars aſſis, quam à tribus unciis Plinius *triuncium* vocat. Gulielmus Budæus immortale ſuæ gentis decus, utpote vir non ſolum omnium quos unquam Gallia genuit eruditiſſimus, verum etiam diligentiſſimus, eundem eſſe putat qui Ciceroni dicitur *Teruncius.* Atque eum nummum vulgo ceu minutum contemptui fuiſſe, proverbio quoque teſtatum eſt; id quod in Chiliadibus noſtris adnotavimus.

28. *Mœchatus eſt eam*] Ut diſſimulem interim, quod toties jam vertit *quia* pro *quod*; ut demus *mœchari* Latinis eſſe receptum: nam & Catullus *mœchari* dixit, & Terentius *mœchum*: Quis unquam Latinus dixit, *mœchatur illam?* Proinde ſi *mœchari* hoc loco ſignificat Adulterium committere, vertendum erat ad hunc modum, *Qui viderit uxorem*, ſive *matronam, ad concupiſcendam eam, jam adulterium cum illa commiſit.* Sin *mœchari* poſitum eſt pro quovis illicito concubitu, quemadmodum aliquoties invenitur, pro *mœchatus eſt* dicendum erat *ſtupravit eam*, ſive, ut Suetonius loquitur, *adulteravit eam.*

29. *Scandalizat te*] Mirum eſt Græcam vocem uſque adeo placuiſſe, cum dicere licuerit *offenderit*, ſive *obſtaculo* aut *offendiculo fuerit.* ¶ Nam quod ἔξελε, i. *eximе*, ſive *extrahe*, vertit *erue*, reprehendi non poteſt. ¶ *Quam totum corpus tuum*] Hujuſmodi ſermonis character apud Græcos invenitur, & apud nonnullos Latinos, ſed Græciſſantes; verum id cum additur ἤ, ut ſubaudias μᾶλλον. At hic ſecus habetur, ἢ μὴ ὅλον, *& non totum*, &c. atque itidem in parte proxima. Proinde mirum eſt interpretem affectaſſe Græcanicum ſchema quod ſermo Græcus non habebat. ¶ Nec eſt *eat in Gehennam*, ſed βληθῇ, i. *conjiciatur.* Etiamſi ſic loquuntur Græci, βαῖνε εἰς κόρακας, *Abi ad corvos*, ſed ſubaudientes σεαυτὸν q.d. *Abjice teipſum*, ſive *Aufer te.*

31. *Libellum repudii*] Quod Græce unico verbo dicitur ἀποστάσιον, q. d. *divortionale*, h. e. *libellum divortii.* Annotavit hoc loco Chryſoſtomus, quod præcipit de uxore non relinquenda, pendere ex ſuperioribus: inter tales enim, quales paulo ante deſcripſit, neque quiſquam ejicit uxorem niſi adulteram, neque quiſquam recipiet alienam cum injuria prioris mariti. ¶ Moxque ſubjungit de non jurando, quod ita vetuit ut nihil omnino exceperit. Et tamen quaſi non ſit hoc à Chriſto ſerio dictum, paſſim juramus. Certe votis omnibus optandum ut tales ſint Chriſtiani ut neque divortio ſit opus neque jure jurando.

32. *Qui dimiſſam duxerit, adulterat, μοιχᾶται*] Quod verterat *mœchatur*, tandem transfert *adulterat.* Quanquam aliud eſt *adulterare* quam *adulterium committere*, quoties abſolute ponitur. Auguſtinus de adulterinis conjugiis ad Pollentium, indicat hanc clauſulam, *Et quicunque dimiſſam duxerit, mœchatur*, in nonnullis cod. Græcis ac Latinis non aſcriptam fuiſſe, quod ex ſuperiore ſermone ſatis conſequatur. Quod tamen apud neminem alium reperi vel ſcriptum vel annotatum.

33. *Iterum audiſtis, πάλιν ἠκούσατε*] *Rurſum audiſtis.* Nec enim Iterationem ſignificat, ſed Ordinem.

34. *Neque per cœlum, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ*] i. *Neque in cœlo*, quam tamen præpoſitionem, opinor, juxta proprietatem Hebræi ſermonis, Apoſtoli ſubinde uſurpant pro *per*; ut *In digito Dei*, &, *In nomine tuo prophetavimus*; quemadmodum ſuis indicavimus locis.

37. *Eſt, eſt; non, non; ναὶ, ναὶ· ὲ, ὲ*] Quod hic vertit *eſt*, Græcis eſt adverbium affirmandi, *ναὶ*, ſed quod uſurpetur & à Latinis. Interpres aliquoties vertit *Etiam*, quod vulgo parum eruditi dicunt *Ita*; quaſi *Ita* reſpondeat negationi *Non*. Ac reperitur quidem apud Terentium *ita*, ſed dictum ab improbius reſpondente. Quod genus eſt illud, *Sic erit*. Cæterum nemo putet conduplicationem ad eundem pertinere, ſed prior pars ad interrogantem pertinet, poſterior ad reſpondentem: Niſi ſic accipias, Si ſermo veſter affirmat, vere affirmet; ſin negat, vere neget: Quod ſecus habet apud iſtos qui quod pollicentur non præſtant & quod ſe negant facturos faciunt. ¶ *His abundantius eſt*, *τὸ δὲ περισσὸν τούτων*] i. *Quod præter hæc acceſſerit*. Mire torquent hunc locum Theologi quidam. *A malo eſt* alii interpretantur, *à malo diffidentiæ, non à malo juramenti*; alii, *à malo pœnæ, non à malo culpæ*. Verum opinor Chriſtum ſimpliciter ſenſiſſe, perfectis (nam de his loquitur) omnino non eſſe jurandum pro rebus hiſce pro quibus vulgus dejerat. Alioqui in cauſa fidei aut pietatis etiam Chriſtus & Apoſtoli jurant. Vult enim ſuos eſſe tales ut non ſit opus ullo jurejurando. Quorſum enim attineat jurare, ſi nemo ſit qui quenquam velit circumvenire, etiamſi id poſſit impune, ſed è ſuo quiſque alterum æſtimans animo nemini diffidat? Nam qui vere ſit Chriſtianus, etiam ſuo incommodo conſulit commodis alienis; tantum abeſt ut ullum velit fallere. Et charitas adeo credit omnia, adeoque non diffidit, ut parum etiam honeſta, quoad poteſt, interpretetur in bonum. Hac autem ratione multarum quæſtionum nodi diſſolvi poterunt, ſi intelligamus Chriſtum non ſimpliciter hæc vetuiſſe; ſed vetuiſſe eo more fieri quo vulgato more hominum fiebant. Sic vetuit *iraſci*, ſic vetuit *ſalutare quenquam in via*, ſic vetuit *diteſcere*, ſic vetuit *reſiſtere malo*, ſic vetuit *appellari Magiſtros*, ſic vetuit *vocare Patrem in terris*. Verum hæc ad inſtitutum proprie non pertinent.

38. *Dentem pro dente*] Græci addunt conjunctionem *&*, *καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος*. Eadem additur in vetuſtis exempl. Latinis. Illud obiter adnotandum, in hujuſmodi orationibus ne poſſe quidem apponi Græcum articulum, quod quilibet oculus & quilibet dens ſignificetur.

39. *Non reſiſtere malo, μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ*] *Malum* vel ad rem referri poteſt, vel ad hominem; præterea poteſt ablativus eſſe inſtrumenti, *Nolite reſiſtere cuiquam, malo*, h. e. injuria, ſive verſutia. Hic ſenſus placuit Chryſoſtomo, cum ait *reſiſtendum homini malo, ſed patientia: non enim ignem igni extingui, ſed aqua*. Mirum eſt autem hic additus articulus quam vim habeat, *τῷ πονηρῷ*, q. certum malum ſignificet. Niſi forte voci appoſitive adjunctus eſt; q. d. *ei qui malus eſt*. Quidam interpretantur nomine *mali* ſignificatum diabolum, quorum eſt Theophylactus. Quis autem ſic loquitur, *Dico tibi non abire*, pro eo quod eſt, *Jubeo ne uſquam abeas*? Deinde quid facient huic loco qui lites, qui bella calculis omnibus approbant inter Chriſtianos? Chriſtos abſolute vetuit *reſiſti malo*, nimirum vulgari via, ut malum malo repellatur, h. e. convitium convitio, vulnus vulnere, bellum bello, cædes cæde. Imo quid prætexent ii qui beneficium maleficio repenſant? ¶ Illud leviculum, quod ὅστις vertit *ſi quis*, pro *quiſquis*, niſi forte legit ὅτις. ¶ Item quod στρέψον, i. *verte*, ſive *obverte*, tranſtulit *præbe*. Auguſtinus alicubi legit *para*. ¶ *Præbe ei & alteram*] Hæc Chriſti hyperbole mea ſententia nihil aliud docet quam ſummam patientiam animique moderationem, utque tantum abſimus à cupiditate vindictæ ut ultro parati ſimus alteram potius injuriam admittere quam malum malo penſemus. Atque hoc fortaſſe ſenſit Auguſtinus, cum alias tum in libello De mendacio, & lib. 22. contra Fauſtum, ſcribit illam præparationem alterius maxillæ in corde faciendam, non in corpore. Nec enim hoc ſenſit Chriſtus, obvertendam ſiniſtram malam ei qui dextram percuſſerit, ſed ea nos voluit eſſe lenitate ut ad alteram injuriam accipiendam ſimus paratiores quam retaliandam priorem. Neque vero continuo cum mendacio conjunctum videri debet quicquid habet hyperbolen. Quam & alias annotavit præter Origenem, Hieronymum, & Chryſoſtomum, D. Auguſtinus in Divinis literis: Quod genus illud in libro Judicum, *Camelis eorum non erat numerus; & erant ſicut arena quæ eſt in littore maris*. Rurſum illud in Pſalmis, *Aſcendunt in cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſum*; nempe de undis maris viciſſim attollentibus ſeſe, ac ſubſidentibus. Certe ſchema hoc palam annotavit Auguſtinus in epiſtola ad Marcellinum 5. oſtendens, ſi quis tropum ſermonis rejiciat, magis convenire ut in ſiniſtram primus ictus dicatur exceptus, quod in hanc magis quam in dexteram fertur impetus ferientis. Idem admonet in Luca non fieri ullam *ſiniſtræ dextræve* mentionem, ut intelligamus hoc loco *ſiniſtram ac dextram* nihil aliud eſſe quam *unam & alteram*: quemadmodum in alia quadam parabola *quinque talenta* poſuit pro *plurimis dotibus*; *duo*, pro *mediocribus*; *unum*, pro *minimis*. Cæterum animadvertendum eſt, ut ſubito mutarit numerum, *Ego autem dico vobis, Sed quiſquis percuſſerit te in maxillam*, &c. non ob aliud niſi quod hic numerus accommodatior eſt ad infigendum animo quod dicitur, dum quiſque ſibi dici putat quod dicitur.

40. *Et pallium, καὶ τὸ ἱμάτιον*] Hic recte diſtinxit veſtimentigenus. Siquidem *χιτὼν tunica* veſtis eſt interior, *ἱμάτιον* exterior, quæ Romanis eſt *toga*, Græcis *pallium*. Niſi quod *ἱμάτιον* apud Græcos interdum pro quovis veſtimenti genere ponitur. Unde recte monet Auguſtinus hunc eſſe ſenſum, Si quis tollat unam aliquam veſtem, concede illi potius ſi quid aliud habes veſtium quam contendas. Alioqui præpoſterus eſſet ſermo: Pallium enim, quæ ſumma veſtis eſt, primum detrahitur, deinde tunica.

41. *Mille paſſus, μίλιον ἕν*] i. *Milliarium unum*. Alioqui non reſpondet quod ſequitur. ¶ *Alia duo*] Ne illud quidem, *alios duos*. Atque hic rurſus Græcus uſurpavit vocem Latinam: Etiamſi hujus vocis mentionem fecit Heſychius. Nec eſt *alia duo* Græcis, ſed *ἕτερα μετ' αὐτοῦ δύο*, ut intelligas duplum oportere concedi ſimplum extorquenti; quemadmodum docuit de Maxilla, & Veſte. Etiamſi D. Auguſtinus philoſophatur hic in numero ternario, Theophylactus & Chryſoſtomus non attingunt. Nam quod *αἰτοῦντί σε*, i. *Poſcenti te*, vertit *petenti abs te*, recte fecit.

42. *Ne avertaris, μὴ ἀποστραφῇς*] *Ne averſeris*, ut legit Auguſtinus, h. e. *ne rejicias*. Quanquam & *avertor* reperitur, ut ſit verbum depoſitivum, ſed in carmine uſitatius ut apud Boëtium,

Eheu quam ſurda miſeros avertitur aure,

ſicut *prævertitur*.

43. *Diliges proximum tuum*] Græci τὸν πλησίον appellant familiares, & quibuſcum habemus arctam ac domeſticam conſuetudinem, non ſolum cognatos. Neque enim eſt ſuperlativus gradus apud illos. ¶ *Et odio habebis inimicum*] Hoc quonium non legitur in V. Inſtrumenti literis, quidam interpretantur hanc eſſe additionem Phariſæorum, non Scripturam. Idem prædicant de cæteris articulis, quaſi Chriſtus nihil addiderit præceptis legalibus, ſed tantum explanaverit. Certe D. Auguſtinus in priore libro quo enarrat hunc locum ſic refert quaſi reperiatur in Sacris libris: Sic enim ait, *Nec quod in Lege dictum eſt, Oderis inimicum tuum, vox jubentis juſto accipienda eſt, ſed permittentis infirmo*. Tale nimirum erat Judæorum vulgus. Quemadmodum in Iraſcendo accipimus tropum, itidem & in Odio receptus nodum explicat. Certe Chryſoſtomus fatetur, Dominum olim non exegiſſe ab infirmis quod ſuo tempore præcepit jam inſtructioribus.

44. *Diligite inimicos veſtros*] Poſt hæc verba particulam addunt Græci codices, inter quos & Theophylactus, quam in noſtra editione non reperio, *εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς*, i. *Bene precemini devorentibus vos*. Quam ſane nec Hieronymus addit, nec Chryſoſtomus. Proinde haud ſcio an eam ſtudioſus aliquis ob affinitatem ſententiæ ex epiſtola Pauli ad Romanos huc aſcripſerit. Nam hac occaſione comperimus locos aliquot immutatos. ¶ *Pro perſequentibus & calumniantibus, ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων καὶ διωκόντων*] Quorum utrumque pene idem valet: nam *ἐπήρεια* Græcis dicitur *inſidiæ*, proprie in bello, q. d. *ἐπὶ ἠῖα*, à *Marte*. Hinc dictum apparet verbum *ἐπηρεάζω*, quod eſt *vexo*, ſive *vim facio*, & *impeto*. Sed quoniam Græci docent *ἐπηρεάζειν* nonnunquam idem valere quod *βλάπτω*, nos vertimus *ladunt*.

45. *Qui ſolem ſuum, ὅτι τὸν ἥλιον*] i. *Quia ſolem ſuum*. Licet refragantibus exempl. Latinis. Et fieri poteſt ut interpres pro *ὅτι* legerit *ὃς*, ſive *ὅστις*: quanquam hoc nihil refert ad ſenſum. ¶ Et *ἀνατέλλει* recte circumlocutus eſt, *Oriri facit*, ſive *expromit*. ¶ Item *pluit* Græcis eſt *βρέχει*, *rigat*.

46. *Quam mercedem habebitis*] Græce eſt *ἔχετε*, *habetis*, præſentis temporis, ut rei ſignificatio ſit, non temporis. Porro *mercedem* pro *gratia* poſuit. ¶ *Et publicani, τελῶναι*] i. qui vectigalia redimunt: unde & *redemptores* dicuntur. Genus hominum olim infame apud Judæos, nunc apud Chriſtianos cum primis honeſtum. Nec id ſane mirum, cum inſtitores ac menſarii omnibus pene ante ponantur apud utriuſque Reipublicæ ſummates, quos nec Ariſtoteles nec Tullius inter honeſtos cives haberi vult. ¶ Nec eſt *hoc faciunt*, ſed *τὸ αὐτὸ*, *idem faciunt*.

47. *Salutaveritis*] Eſt *ἀσπάσησθε*, quod non eſt ſimpliciter *ſalutare*, ſed *oſculo & complexu ſalutare*; quod olim ex more fiebat inter amicos, non ſolum apud Judæos, verum etiam

apud

apud Græcos & Romanos. Alioqui vulgare eſt officium obvio dicere, *Salve.* ¶ *Fratres veſtros*] Plerique Græci codices habent τοὺς φίλους ὑμῶν, *amicos veſtros.* Verum Judæi *fratres* appellant quomodolibet cognatos: atque ita legit Hieronymus. ¶ *Quid amplius facitis? τί περισσὸν*] *Quid eximium*, aut *quid ſupra cæteros.* ¶ *Nonne & ethnici?*] Rurſus hoc loco nonnulli cod. Græci habent τελῶναι, *publicani.* Cæterum ex interpretatione Chryſoſtomi deprehendere licet illum *ethnici* legiſſe, cum ait, *Propter quod etiam hic Gentiles & publicanos producit in medium, ut talibus diſcipulos comparando perſonis, etiam pudore ad virtutem accendat.* Certe Theophylactus repetit hic τελῶναι, *publicani.* Nam *ethnicus gentilem* ſonat, qua Græca voce videtur interpres delectatus, ob id, opinor, quod *gentilis* aliud quiddam ſignificet Latinis auribus, nempe *gentis affinitate conjunctum.* ¶ Ac rurſum non eſt hic *hoc faciunt*, ſed *ſic faciunt*, οὕτω ποιοῦσιν.

48. *Eſtote igitur vos*, ἔσεσθε] i. *Eritis.* Interpres legiſſe videtur ἔσῃ. ¶ Omitto quod ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, quod vertere ſolet *qui eſt in cœlis*, nunc mutavit *cæleſtis.* ¶ Cæterum conjunctio *&*, *ſicut & Pater*, non additur apud Græcos. Tantum eſt, *ſicut Pater veſter cæleſtis.*

VATABLUS.

4. BEati mites] Apud Græcos præcedit, *Beati qui lugent*; & ſequitur, *Beati qui mites.* ¶ *Poſſidebunt*] *Hæreditate conſequentur*: vel, *obtinebunt.* Creber Hebraiſmus.

5. *Conſolabuntur*] *Conſolationem accipient.*

9. *Filii Dei*] V. *ipſi filii Dei.*

11. *Maledixerint vobis*] *Probra jecerint in vos.* ¶ *Omne*] *Quodvis.*

7. *Evanuerit*] *Inſatuatus fuerit*: vel, *inſipidus factus fuerit.* ¶ *Quo ſalietur*] Sub. *ipſe ſal*, qua re illi reſtituetur ſapor amiſſus? ex Mar. 9. 50.

15. *Et ponunt*] *Ut ponant.* Hebræi enim una conjunctione vice multarum utuntur.

16. *Glorificent*] Vel, *glorioſe celebrent.*

17. *Solvere*] *Ad deſtruendam.* ¶ *Solvere*] *Ut deſtruam.*

18. *Amen*] i. *Veritatem*: ſive, *Id quod res habet*, aut, *Quod verum eſt.* ¶ *Fiant*] *Facta fuerint.*

20. *Autem*] V. *igitur.*

21. *Reus obnoxius*,] i. condemnabitur.

22. *Fratri ſuo*] *Frater* pro *quocunque*, more Hebraico. Hic in aliquibus Græcis cod. additur *ſine cauſa.* ¶ *Qui autem*] Debet rurſum ſubaudiri, *Audiſtis*, &c. nam hæc verba, *Qui autem*, &c. *Raca*, &c. verba ſunt Scribarum. Quæ autem ſequuntur verba ſunt Chriſti: eoque ante illa ſubauditur, *Ego autem*, &c. hoc ſenſu, Majores veſtri, cum Legem non ſatis intelligerent, dixerunt illum qui fratrem vocaſſet *Raca*, &c. Ego autem Legem ſic interpretor, Eum qui *fatuum* vocaverit, quod eſt minus convitium quam ſi vocaſſet *Raca*, reum fore gehennæ ignis. ¶ *Raca*] Vox Chaldaica, quæ *hominem nequam & nullius frugi* ſignificat. ¶ *Reus erit concilio*] *Obnoxius erit confeſſui Judicum*, i. trahetur in jus. ¶ *Gehenna*] Vel, *incendio.*

24. *Reconciliari*] *Reconciliare*, impetrativum, V. ¶ *Offeres*] *Offer.*

25. *Eſto conſentiens*] Vel, *Fac convenias*, In avaros debitores invehitur qui reddere non curant. ¶ *Ne forte*] *Ne quando.* ¶ *Mittaris*] *Conjiciaris.*

26. *Exies*] *Exibis.* ¶ *Noviſſimum*] *Extremum.*

28. *Mulierem*] Vel, *uxorem*, ſc. alterius.

29. *Oculus tuus dexter*] i. quod oculo vides, eſt tibi cauſa ruinæ, miſſum illud fac. ¶ *Eat*] *Mittatur*: & ſic infra. ¶ *Ignis*] Hoc quædam exemplaria Græca non legunt.

30. *Dextera manus tua*] i. Quod agis.

31. *Dimiſerit*] *Repudiarit*: ſic infra.

33. *Juramenta tua*] i. quæ jurando promiſeris.

37. *Eſt, Eſt*] *Certe, certe.* ¶ *Abundantius eſt*] Ultra hæc adjungitur.

39. *Percuſſerit*] Proprie, *palma ceciderit*, ſive *depalmarit.* ¶ *Præbe*] *Obverte.*

41. *Angariaverit mille paſſus*] *Adegerit ad milliarium unum.*

44. *Inimicos veſtros*] In quibuſdam cod. hæc interſeruntur, *bene precemini devoventibus vos.* ¶ *Calumniantibus*] Vox Græca ſign. *vexare*, *vim facere.*

46. *Habebitis*] *Habetis.* ¶ *Publicani*] Quos tum fovebant Romani: apud Judæos autem infames erant. ¶ *Hoc*] *Idem.*

47. *Saluta veritis*] *Complectendo ſalutaveritis.* ¶ *Amplius*] *Eximium*, præter cæteros. ¶ *Ethnici*] *Publicani.*

48. *Cæleſtis*] *Qui in cœlis eſt.*

CASTALIO.

11. VObis convicia bunt homines] Quod apud Latinos fit in paucis verbis, ut perſonalibus activis utantur pro impersonalibus, *ajunt*, *ferunt*, *perhibent*, ſcilicet homines, pro *fertur*, *perhibetur*, id fit apud Hebræos in quibuſlibet verbis, quæ cum activa ſint interpretanda ſunt per paſſiva aut impersonalia, aut eſt aliquid addendum. Tale eſt quod paulo poſt hunc locum ponitur, οὐδὲ καίουσι λύχνον, quod ſi ad verbum vertas, addendum erit *homines*, *Neque accendunt lucernam homines*; aut per paſſivum ſic, *Neque accenditur*, aut *accendi ſolet*, *lucerna.* Talis eſt & hæc locutio, *Vobis convicia bunt*: addendum eſt enim *homines*, ut Latinus ſermo poſtulat, & Vetus interpres recte addidit; aut paſſivo utendum, *Vobis fient convicia.*

19. *Licet ita docuerit homines*] h. e. hæc præcepta. ¶ *Minimus numerabitur*] Latine *Nullus dixeris* pro *Non dixeris* dicitur; ita hic, *Minimus numerabitur*, ſive *vocabitur*, pro *minime vocabitur* poſitum eſt. *Vocari* autem pro *eſſe* dicitur: ut cum dicit Eſaias, Meſſiam *vocatum* ſive *nominatum iri Admirabilem*, *Conſiliarium*, *Deum fortem*, &c. ſignificat eum non ſolum dicendum eſſe, ſed reipſa fore. Itidem cum in Luca dicit Angelus, Jeſum *vocatum iri Dei filium*, non ſolum de nomine ſed etiam de re loquitur. Eſt igitur hæc ſententia, Nullo loco habebitur, ſive nullum locum habebit, in regno cœleſti. Nec longe aliter loquitur Cicero cum dicit, *Inter vivos numerari*, pro *vivum eſſe*, in oratione pro Sexto Roſcio.

20. *Niſi juſtitia Scribis & Phariſæis excelluerit*] Attende, lector, diligenter hanc ſententiam, ut ſequentes intelligas. Docet hoc loco Jeſus ubi ſita ſit vera virtus & juſtitia, videlicet in parendo legi. Sed quid ſit vere parere legi, oſtendit. Vetabat lex occidere & adulterare, &c. Scribæ & Phariſæi non occidebant, non adulterabant; itaque videbantur eſſe juſti: quoniam legi parere, juſtitia eſt. At Chriſtus negat eos legi parere. Non eſt enim ſatis reipſa non occidere, niſi animum habeas ab homicidio alienum. Cum ſit enim animus tanto corpore excellentior ut ab animo nominentur homines (ſiquidem ונש Hebræi pro *homine* dicunt, & Latini *animas*: quale eſt illud,

Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primum,
Inque domos ſuperum ſcandere cura fuit.)

Is vere homicida eſt qui homicidam habet animum. Atqui qui ſine cauſa alteri iraſcitur, aut conviciatur; hujus animus eſt homicida. Nam qui ſine cauſa & ratione poteſt iraſci, idem ſine cauſa & maledicere & pulſare & occidere poteſt. Neque enim longius abeſt maledictum ab ira, aut pulſatio à maledicto, aut cædes à pulſatione, quam injuſta ira à ratione: ut qui rationem ira opprimat, idem facile ad convicia cædemque impellatur. Nam ubi ſemel rationis limites tranſieris, nullus eſt peccandi modus. Dicet aliquis, At lex non tam ſevera eſt: nec enim iram aut convicium capite ſanxit. Credo. Commiſit enim ſupplicii irrogationem magiſtratibus, qui cum homines ſint, facinora non voluntatem, & illata damna non cogitata puniunt: nec enim poſſunt hominum animos convincere duorum aut trium hominum teſtimonio, ſine quo quenquam punire non licet. Idque ut ſis tutus à magiſtratu, ſatis eſt hominem non occidere, etiamſi animus tuus ſit homicida: Hac quidem ratione juſti ſunt Phariſæi. Quod ſi Chriſti regnum terreſtre foret, non haberet quod aliud doceret: ſed cum ſit id regnum cœleſte, judex erit cœleſtis, teſtimonia cœleſtia, cœleſte judicium, in quo nullus ignorantiæ locus erit. Ibi non ſolum corpus homicida (ut fit apud homines, apud quos corporeum regnum eſt) ſed etiam animus homicida punietur. Itaque ſi vis æternam vitare pœnam, non in ſpeciem, ſed vere & ex animo obediendum legi eſt, conſcio & teſte Deo, qui facinoris cupiditatem pro facinore habet atque punit. Hæc eſt Chriſti ſententia: ex qua perſpicuum fit, non eum hoc dicere, Qui ſine cauſa ſuccenſeant, debere à magiſtratu puniri: nam id fieri juberet quod fieri non poſſet: Sed hoc docet, Eum qui ſine cauſa iraſcitur eſſe animo homicidam, & cœleſti Chriſti cœlitumque judicio atque conſenſu damnatum iri, & æternas in ignis gehennæ pœnas daturum. Ac quod hic de homicidio diximus, idem deinceps de adulterio & cæteris intellige. Quod autem dicit, *Fratri*

ſuo, fratrem vocat quemvis hominem; quoniam omnes ab eodem Adamo generis humani parente prognati fratres ſumus. Et quanquam *frater* pro *altero* dici Latine non ſolet apud veteres; tamen id nunc licere puto, & hoc in conſuetudinem, ut & alia quædam, vocandum; ne dum in ſermone ſumus religioſiores, in re parum ſimus religioſi. *Gehenna* ſignificat Hinnomi vallem, de qua Jeremias 7. Ea ponitur pro æterno ſupplicio etiam apud Sibyllam, his verbis,

—— Supplicioumque
Ignis inexſtinctis juſſi perferre gehenna.

22. Quod nos *balatronem* vertimus, convicii verbum eſt, à רק deductum, quod proprie *vacuum* ſignificat: & tranſlatum ad alia, ſignificat *nequam*. Græci eodem nomine vocant ῥακᾶ, Latini, *balatronem*, *nebulonem*; Galli, *belure*, *coquin*, *babevin*.

25. *Compone cum adverſario tuo*] Cum ad cœleſte regnum viam doceat Chriſtus, & ante hunc locum locutus ſit de offerendis Deo, non homini, muneribus, non hic ſuos inſtruit quo pacto ſe debeant in humanis controverſiis gerere; ſed docet, quod prudenter faciunt in humanis controverſiis, idem in Divino negotio faciendum. Quemadmodum malunt prudentes homines cum adverſario decidere quam ad judicem venire, quoniam adverſarius poteſt agere mitius, judex autem eſt ſeveriſſimus, & ſummo jure agit; ita præſtat, ſi quem offendiſti, aut ſi odio ab aliquo diſſides, cum eo componere, & inimicitias mature, dum in hujus vitæ curſu licet, deponere, quam in ſeverum Dei judicium incurrere, in quo ſera futura ſit pœnitentia. Quod autem imperativo utitur, ſimilitudinem breviorem facit & elegantiorem: qualis eſt illa, *Aut facite arborem bonam, & ejus fructus bonos*, &c. Nec enim jubet arborem fieri bonam; ſed docet, ut arbor bona malum, aut mala bonum fructum ferre nequit, ſic nec probum hominem improbe, nec improbum probe agere. Item illa, *Purga prius interiora poculi*. Item illa de accubando in inferiore parte menſæ in conviviis. Nec aliter loquuntur Latini cum dicunt, *Noli irritare crabrones*. Nec enim de crabronibus præcipiunt; ſed perinde eſt ac ſi dicant, Ut crabrones irritare periculoſum eſt, ita hominem illum laceſſere, aut aliquid tale. Hujus generis eſt illud, *Ne date rem ſacram canibus*.

29. *Quod ſi oculus tuus*] Quicquid ad peccandum pellicit aut impellit, vitandum & abjiciendum eſt, etiamſi ſit oculo charius.

37. *Quod præter hæc eſt, id à Malo eſt*] Malum vocat diabolum: ut 1 Joh. 3. cum dixiſſet, *Qui peccatum committit, à diabolo eſt*, paulo poſt ejus rei exemplum adducens, dicit, *Non ut Cainus, qui cum à Malo eſſet, fratrem ſuum occidit*.

39. *Non eſſe reſiſtendum injuriæ*] רע, quod hic πονηρὸν vocat, apud Hebræos ſæpe ſignificat *injuriam*, ut & apud Græcos κακὸν, ut apparet in verbo μοιχαλίδι, h. e. *injuria memorem eſſe*. Atque ita transferre maluimus quam *malum*, ne quis eſſet ambiguitati locus. Nam malum eſt peſtis, malum fames, frigus, feræ, peccatum, & talia multa, quibus reſiſtere non vetat Jeſus, ſed injuriis, quales commemorat. Quod ſi locum hunc voles intelligere, lege 1 Cor. 13.

43. *Proximum tuum amabis*] רעך modo *proximum* aut *amicum*, modo *quemvis alium* ſignificat. Itaque cum præcipitur ut ames רעך, ambiguus eſt apud Hebræos ſermo utrum amicum an omnes amare jubearis: quæ ambiguitas, ſi Latine interpreteris *Alterum*, nulla eſt. Sed ut eſſet ambiguitati locus, hic nobis *Proximum* dicendum fuit, ut etiam Luc. 20. Igitur cum in Dei præcepto verbum id ſignificet *alterum*, h. e. quemvis hominem, erant qui in altera notione acciperent, & ſe *amicos amare* juberi interpretarentur: ex quo conſentaneum eſſe videbatur, *odio* contra *habendos inimicos*. Igitur Magiſter hoc loco, ut errorem illum tollat, docet eo præcepto juberi ut amentur omnes, etiam inimici cujuſque: ut intelligatur illic רעך non *amicum* ſed *alterum* ſignificare, quicunque ſit.

CLARIUS.

1. *Aſcendit in montem*] Daturus Euangelicam legem, quia & veterem dederat Moſi in monte, nunc quoque montem ſubit. Tu vero attende unde principium docendi faciat. Summa earum rerum ad quas ſe referunt homines eſt finis bonorum & malorum, de quo ſapientes mundi tam anxie digladiati ſunt ut ſectas hac de re colligat Varro ducentas octoginta octo eſſe poſſe: In eo enim ſita eſt beatitudo, quam naturaliter expetunt homines. Hanc igitur Filius Dei h. e. ipſa Veritas, docet, ubi ſit poſita, nempe in humilitate primum, deinde in luctu malorumque tolerantia, ac cæteris quæ hic deſcribuntur: Quæ, niſi in montem aſcendamus, & proxime accedamus ad Chriſtum, non facile intelligemus. Et ne opineris hanc beatitudinem nos in futura tantum vita aſſecuturos, de hoc præſenti etiam tempore dicit, *Beati eſtis cum vos probra aſſecerint homines*, &c. Poſt enumeratas vero beatitudines, convertitur ad eos inſtruendos qui cæteris viæ duces eſſent futuri, admonens eos eſſe *ſal terræ*, & quaſi *civitatem* quæ conſpicua ſit omnibus. Quales autem principum mores ſunt, ejuſdem generis & ſubjectorum vita eſſe conſuevit.

13. *Quo ſalietur?*] Hoc ambiguum eſt quo referatur, vel ad res condiendas, vel ad ipſum ſalem, ut ſcilicet dicatur vel, Qua alia re condientur ea quæ ſunt condienda? vel, Sal ipſe quo condietur, ſi deſipuerit? Sed apud Mar. 9. 50. apertius eſt: nam ibi ſic legitur, *Si ſal inſulſum fuerit, in quo illum condietis?*

16. *Ut videant*] h. e. ut dum vident veſtra bona opera, glorificent Patrem.

17. *Nolite putare quod venerim*] Vide quam ſit metuenda ſuſpicio novitatis. Daturus ceſſiores leges quæ novæ viderentur, docet, non eas adverſari legi eorum, ſed ſupplere quod legi deerat, quam tantum abeſt ut ſolvere velit, ut teſtetur nihil in ea ne minimum quidem eſſe prætermittendum.

19. *Qui ergo ſolverit*] Dixerat ne apicem quidem unum prætermittendum ejus legis ad quam ipſe veniſſet implendam, quod multo magis ab aliis præſtandum eſt, qui ſi tantum docere & non etiam facere ſtudeant, erunt inter regni filios contemptiſſimi. ¶ *In regno cœlorum*] *Regnum cœlorum* ſæpe vocatur ipſa reſpublica credentium in Chriſtum: ut & illud, *Qui, putas, major eſt in regno cœlorum?*

20. *Niſi abundaverit*] Si mandatorum legis obſervatio non ſatis eſt ut quis regnum cœlorum intret, cur Dominus reſpondit ei qui præcepta legis enumerat, *Hoc fac & vives?* Sed vide, Dominum hic non dicere, *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam juſtitia legis*, ſed *plus quam Scribarum & Phariſæorum*, qui neglecta vi legis, literæ tantum adhærebant. Sed *litera* (ut Paulus ait) *occidit*, niſi ad interiorem legis mentem ingrediare. Quod autem id velit Dominus, ex eo etiam apparet, quod cum toties repetit, *Audiſtis quod dictum eſt antiquis*, allegat eo modo Scripturam quo Phariſæi illam interpretabantur; ut illud, *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, de quo odio tamen non eſt ullus evidens Scripturæ locus.

22. *Qui iraſcitur*] Qui iraſcitur, nec dum tamen iram prodidit, dignus eſt qui in judicium vocetur, ut qui aliquid de fraterna charitate videatur detraxiſſe: Qui autem vultu ſe prodiderit, jam in hunc major judicum conventus fiat oportet: Si vero ipſa jam ira odium conceperit, ut contempto fratre eum appellet *fatuum*, decreta ſententia eſt *Gehenna* videlicet *ignis*. At hæc Dei oracula quam parum curantur? Facta ergo de ira in fratrem mentione recte addit, *Si ergo offers*, &c.

25. *Dum es in via cum eo*] Dum adhuc ipſa res agitur. metaphora eſt.

29. *Si oculus tuus*] Manifeſtum eſt per *oculum* & *manum* intelligi res charas imprimis aut neceſſarias; alioqui quomodo unus oculus ſine altero offendiculo eſſe poteſt? Sic autem connecte; Dixit adulterum jam eſſe qui aſpiciendo concupierit: Ne ergo in hoc pecces, prohibe oculos ab aſpectu, neque ullius ſenſus tam gratus ſit uſus quin paratus ſis privari illo ob regnum cœlorum: nam prohibere ab aſpectu, *oculum* quaſi *eruere* eſt.

34. *Quia thronus Dei eſt*] Nam, ut alibi Dominus ait, *qui jurat per cœlum jurat per thronum Dei, & per eum qui ſedet ſuper illum*.

36. *Neque per caput tuum*] Vetat etiam per quamlibet rem creatam jurare, cum in ea quoque & majeſtas & poteſtas Dei luceat, ut demum ipſa juratio ad Deum referatur, cujus & à quo ita ſint omnia ut nemo vel capilli unius colorem mutare poſſit. Quod ſi dicat quis non ſe intelligere Deum in illa per creaturam juratione, nihilo tamen minus peccat, dum Divinam quandam dignitatem rei creatæ jurando tribuit: omnes enim per majorem ſe jurant. Quidam tamen illud, *Non potes unum capillum*, &c. ſic interpretantur, ut in capite, quod tuum eſſe putas, non potes colorem capilli immutare, magis timendum eſt ne jurando nos id facturos affirmemus quod minus in poteſtate noſtra ſitum eſt quam quod noſtrum videtur.

44. *Di-*

Digitized by Google

44. *Diligite inimicos veſtros*] Hoc loco deberemus Chriſtiani id præſtare quod cujuſque ſectæ homines faciunt, ut Platonici ea maxime tuentur quæ peculiariter Platonis ſunt dogmata. At hic locus Chriſtianæ philoſophiæ proprius eſt. Ubi enim obſecro & apud quos alios hominem invenitur ut quis conviciis affectus bene precetur, maledictis laceſſitus oret, ſi ſpolietur una veſte alteram ſpolianti addat, perſecutionem paſſus decedat? Quæ igitur proprie noſtra ſunt, in hæc accuratius incumbamus. At cur hæc præcipit Servator? *Ut ſitis*, inquit, *filii Patris veſtri qui in cœlis eſt.* Ad Divinam nos celſitudinem invitat Euangelica doctrina, quibus turpiſſimum eſt non eſſe aliquanto meliores ethnicis, & iis qui ſine Deo erant: idcirco ait, *Si enim dilexeritis eos tantum qui vos diligunt*, &c.

ZEGERUS.

3. B*Eati pauperes ſpiritu*] Alii id de ultronea accipiunt egeſtate; alii, de animi modeſtia atque dejectione. Atqui prior ſententia mihi magis probatur, tum quod B. Lucas *ſpiritu* vocabulum non adjiciat, 6. 20. tum quod utrobique ſit πτωχοὶ, quod proprie *mendicos* declarat.

11. *Cum maledixerint vobis* [*homines:*] *& dixerint omne malum* [ῥῆμα *verbum.*] Clemens Papa ſcriptor omnium poſt Apoſtolos primus Epiſt. ad Jac. 1. non addit has voces, *homines*, & *verbum*; neque Chryſoſtomus in epiſt. ad Ephe. c. 4. neque Auguſtinus de Serm. Dom. in monte, neque exemplaria Latinorum vetuſta; neque commentaria Bedæ inſcripta. Solus inter veteres autor operis imperfecti utrumque habet: nam apud Hieronymum in comment. & Chryſoſtomum à ſcribis adjectum puto *homines.*

13. *In quo ſalietur?*] Subaudiendum *ſal.* Tanquam ſi dicat, Si ſal ſemel infatuatum fuerit, ſive computruerit, non erit unde poſſit ipſius virtus reſtitui. Quo quid ſignificaverit Dominus, ſatis arbitror eſſe manifeſtum.

19. *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*] D. Hieronymus hæc cum ſuperioribus conjungit, ubi dictum eſt, *Jota unum, aut unus apex non præteribit à lege*, docetque hic fugillatos Phariſæos, qui contemptis mandatis Dei proprias ſtatuebant traditiones; quod nihil eis prodeſſet vel hujuſmodi traditionum obſervatio vel doctrina, niſi etiam minima quæque legis Divinæ obſervarent. Chryſoſtomus autem atque item alii hæc de ſubjectis paulo inferius & reliquis novæ legis mandatis tradunt intelligenda. Si quis copioſius ſuper his edoceri voluerit, videat Commentarios imperfectos titulo Chryſoſtomi. Cæterum *regnum cœlorum* quidam putant hoc loci pro præſentis temporis Eccleſia accipiendum: nil tamen vetat quo minus etiam de perpetuo Chriſti regno accipiatur.

22. *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio: Qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio: Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis*] Ubique ſubaudiendum *ſine cauſa*, aut *temere*, i. εἰκῇ quod in Græcis ſemel exprimitur, ut legunt vetuſtiſſimi ſcriptores, uno Hieronymo dempto, qui εἰκῇ radendum putat. Alioqui ſi de qualibet ira & quolibet convitio accipias, peccaſſet & Chriſtus, qui dicebat, *O ſtulti & tardi corde*; peccaſſet & Apoſtolus, qui dicebat, *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit?* Jam quid interſit inter eum qui *iraſcitur*, & eum qui *dicit*, *Raca*, & eum qui *dicit*, *Fatue*; rurſus, quid diſcriminis ſit inter *reum eſſe judicio*, *concilio*, & *gehennæ ignis*; probe expreſſit D. Auguſtinus his verbis, *Gradus*, inquit, *ſunt in iſtis peccatis: ut primo quiſquam iraſcatur, & cum motum comitat corde conceptum. Jam ſi exerſerit vocem indignantis ipſa commotio non ſignificantem aliquid, ſed illum animi motum ipſa eruptione teſtantem, qua feriatur ille cui iraſcitur, plus eſt utique quam ſi ſurgens ira ſilentio premeretur. Sin vero non ſolum vox indignantis audiatur, ſed etiam verbum quod jam certam ejus vituperationem in quem profertur deſignet, quis dubitet amplius hoc eſſe quam ſi ſolus indignationis ſonus ederetur? Itaque in primo unum eſt, id eſt, ira ſola; in ſecundo duo, ira, & vox qua iram ſignificat; in tertio tria, ira, & vox, & in voce ipſa certa vituperationis expreſſio. Vide nunc etiam tres reatus Judicii, Concilii, & Gehennæ ignis. Nam in judicio adhuc datur defenſioni locus. In concilio autem quanquam & judicium eſſe ſoleat, tamen quia intereſſe aliquid hoc loco fateri cogit ipſa diſtinctio, videtur ad concilium pertinere ſententia prolatio, quando non jam cum ipſo reo agitur utrum damnandus ſit, ſed inter ſe qui judicant conferunt quo ſupplicio damnari oporteat quem conſtat eſſe damnandum. Gehenna vero ignis nec damnationem habet dubiam, ſicut judicium, nec damnati pœnam* [Sup. *habet dubiam,*] *ſicut concilium: in gehenna quippe ignis certa eſt & damnatio & pœna damnati.* Porro רקא *racca* Hebræis veluti interjectionis particula eſt, qua indignantis atque commoti animi produnt affectum. Ita propemodum Auguſtinus, Hebræum quendam hujus ſententiæ profetens autorem. Hieronymus autem, רק ſcribens per ק, idem eſſe tradit quod κενὸς, i. *manis* aut *vacuus*; *Quemnos*, inquit, *poſſumus vulgata injuria, Abſque cerebro, nuncupare.* Mihi quidem prioris ſententia magis arridet; cui nec hoc probatur, ut ῥάκος, i. *panno*, hujus vocis ſignificantia mutuetur. *Raca* verius vox Chaldaica eſt.

24. *Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*] Probabile eſt modum imperativum & hic & apud explanatores mutatum eſſe in infinitum errore librariorum. Græce enim eſt διαλλαγηθι, *reconciliare*, & προσφερε *offer.* Unde *reconciliare* adhuc exſtat apud Chryſoſtomum in utroque opere in Mat. & in nonnullis Bibliis; & *offer* apud Auguſtinum, De ſerm. Dom. in monte.

25. *Eſto conſentiens adverſario tuo cito dum es in via cum eo*] Hoc ſermone, ut teſtatur D. Hieronymus *Salvator noſter, dum in hujus ſeculi via currimus, ad pacem & concordiam cohortatur, juxta Apoſtolum dicentem, Si fieri poteſt, quantum ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*, Rom. 12. 18. Cui ſententiæ aptiſſime reſpondent tam ea quæ præcedunt quam quæ ſubſequuntur. Adſtipulatur & quod pro *conſentiens* poſitum eſt εὐνοῶν *benevolus*, & *benignus.* Paulinus *adverſarium* interpretatur Spiritum & verbum Dei; *quod nobis*, inquit, *peccantibus adverſatur. Nam & Spiritus arguit mundum de peccato. Et ſermo Dei (ut Dominus in Euangelio conteſtatur) ſi ei non pareamus, accuſator noſter erit; & tradet nos judici verbo, qui rationem talenti ſui uſque ad noviſſimum quadrantem exiget*, &c. Epiſt. ad Aman. 1.

29. *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te*] i. Offendiculo, vel cauſa perditionis tibi eſt. ¶ *Erue eum, & projice abs te*, &c.] *Non ex cauſis* (inquit Hilarius) *peccantium membrorum corporis damna præcepta ſunt. Dextero enim oculo non minus ſiniſter erraret. Certe Pes ſenſu concupiſcentiæ carens damno inutilis eſt, in quem pœna cauſa non incidet. Sed quia diverſa invicem membra, corpus tamen omnes unum ſumus, abjicere à nobis, vel potius eruere, propinquitates chariſſimorum hominum admonemur, ne in conſortium criminis eorum de familiaritate veniamus, reſtius utilibus & maxime neceſſariis, tanquam oculi & pedis membris, carentes, quam uſque in ſocietatem gehennæ vitioſa propinquitatis teneamur affectu.* Poſſunt quoque hæc membra ad animum pertinere, ut intelligamus Intellectum, Voluntatem, Cogitationem, Affectum, &c. quatenus nos ſcandalizant, reſecanda. *Quod autem additum eſt*, DEXTER, inquit Auguſtinus, *fortaſſe ad augendam vim dilectionis valet. Quanquam enim ad videndum iſti oculi corporis communiter intendantur, & ſi ambo intendantur æqualiter poſſint, amplius tamen formidant homines dextrum amittere: ut iſte ſit ſenſus, Quicquid illud eſt quod ita diligis ut pro dextro oculo habeas, ſi ſcandalizat te, i. e. ſi tibi impedimento eſt ad veram pietatem, beatitudinem, erue illud & projice abs te.*

32. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat*] Sola igitur fornicatio divortium facit inter conjuges: ita tamen ut interim nec vir alteram ducat uxorem, nec uxor alteri nubat viro, vivente videlicet priore conjuge. Id ſiquidem Apoſtolus præcipit 1 Cor. 7. 10, 11. cum ait, *Eis qui nupti ſunt præcipio, non ego ſed Dominus, Mulierem à viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Ubi & ſubaudiendum eſt, *excepta fornicationis cauſa.* Ob quam ſi forte dimiſerit, ſicut mulier, ita & vir, abſque conjuge perſiſtere debet, aut uxori reconciliari.

33. *Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta*] h. e. Non falſe jurabis, vel non infringes juramentum tuum, ſed perſolves veluti obnoxius etiam Deo, nedum homini. Alii per hoc quod dicitur, *reddes autem Domino juramenta tua*, intelligunt non per creaturas, ſed per Creatorem Judæis præceptum fuiſſe jurare. Scriptum eſt enim Deut. 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis.*

34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum*, &c. *Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt; Non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*] Sunt inter vetuſtiſſimos ſcriptores qui ita hunc locum edidiſſe videantur

tur

tur damnare juramentum, quod ſcilicet inter Chriſtianos ſanctior ac firmior eſſe debeat ſermo ſimplex quam apud Hebræicum illum populum quamlibet religioſum jusjurandum. Atque id ſane prima facie videtur ſenſus habere Euangelicus. Verum D. Auguſtinus adductis rationibus comprobat juramentum licitum & abſque crimine eſſe, cum non temere ſed neceſſitate cogente adhibetur. Sic enim ſcribit, præſentem ediſſerens locum, *Juſtitia*, inquit, *Phariſæorum eſt non perjurare: hanc confirmat qui vetat jurare, quod pertinet ad juſtitiam regni cœlorum. Sicut enim falſum loqui non poteſt qui non loquitur, ſic perjurare non poteſt qui non jurat. Sed tamen quoniam jurat qui adhibet teſtem Deum, diligenter conſiderandum eſt hoc capitulum, ne contra præceptum Domini Apoſtolum feciſſe videatur, qui ſæpe hoc modo juravit, cum dicit,* Quæ autem ſcribo vobis, *ecce coram Deo, quia non mentior*, Gal. 1. 20. *Et iterum, Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſecula, ſcit quia non mentior*, 2 Cor. 11. 31. *Tale eſt & illud* Rom. 1. 9. *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Euangelio Filii ejus, quomodo*, &c. *Ne forte quis dicat tunc cavendam eſſe jurationem cum Per aliquid dicitur quod juratur: ut non juraverit quia non dixit,* PER DEUM, *ſed dixit,* TESTIS EST MIHI DEUS. *Ridiculum eſt hoc putare. Tamen propter contentioſos aut multum tardos, ne aliquid intereſſe quis putet, ſciat etiam hoc modo juraſſe Apoſtolum, dicentem, Quotidie morior, per veſtram gloriam*, 1 Cor. 15. 31. *Quod ne quis exiſtimet ita dictum tanquam ſi diceret, Veſtra gloria me facit quotidie mori, ſicut dicitur, Per illum magiſterium doctus factus eſt, i. e. Illius magiſterio factum eſt ut perfecte doceretur. Græca exemplaria dijudicant, in quibus ſcriptum eſt,* νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, *quod non niſi a jurante dicitur. Ita ergo intelligitur præcepiſſe Dominum ne juretur, ne quiſquam ſicut bonum appetat jusjurandum, & aſſiduitate jurandi ad perjurium per conſuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit non in bonu ſed in neceſſariis juration em habendam, refranat ſe quantum poteſt ut non ea utatur, niſi neceſſitate, cum videt pigros eſſe homines ad credendum quod eis utile eſt credere, niſi juratione firmentur. Ad hoc itaque pertinet quod ſic dicitur,* [*Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt; Non, non*] *Hoc bonum eſt, & appetendum:* [*quod autem amplius eſt, à malo eſt*] *i. e. ſi jurare cogeris. Scias de neceſſitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid ſuades: Qua infirmitas utique malum eſt. Unde nos quotidie liberari deprecamur cum dicimus, Libera nos à malo. Itaque non dixit,* [*Quod autem amplius eſt, malum eſt*] *Tu autem non malum facis qui bene utens juratione: qua & ſi non bona, tamen neceſſaria eſt ut alteri perſuadeas quod utiliter perſuades: ſed* [*à malo eſt*] *illius cujus infirmitate jurare cogeris.* Deinde & rationem ſubjicit cur Dominus adjecerit, *neque per cœlum, quia thronus Dei eſt*, &c. *Credo*, inquit, *propterea quia non putabant Judæi ſe teneri jurejurando ſi per iſta juraſſent. Et quoniam audierant,* [*Reddes autem Domino jusjurandum tuum*] *non ſe putabant Domino debere jusjurandum, ſi per cœlum, aut terram aut per Jeroſolymam, aut per caput ſuum jurarent, quod non vitio præcipientis, ſed illis male intelligentibus, factum eſt: Itaque Dominus docet nihil eſſe tam vile in creaturis Dei, ut per hoc quiſquam perjurandum arbitretur: quando à ſummis uſque ad infima Divina providentia creata regerentur; incipiens à throno Dei uſque ad capillum album aut nigrum*, &c. Eandem quoque quæſtionem copioſiſſime pertractat Serm. de verbis Apoſt. 28. ſi quis copiolius edoceri voluerit.

39. *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo*] Sentit malum non eſſe propulſandum malo, ut vulgus hominum ſolet: alioqui licet reprehendere peccantes, licet & coercere. ¶ *Si quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram*] Metaphora eſt, qua docet nos Chriſtus ut tantum abſimus à cupiditate vindictæ, ut ultro parati ſimus alteram potius injuriam admittere quam malum malo penſemus.

41. *Angariaverit mille paſſus*] i. onere impoſito compulerit ut eas ad ſpatium unius milliaris. Sic enim & Simon Cyrenenſis *angariatus* legitur. Vel *angariare* ſimpliciter dici poteſt qui vi aliquem & invitum ſecum deducit.

44. *Diligite inimicos veſtros*] Quæ ſub hæc verba in Græcis ſubjiciuntur, ἀλογῶν ἐστὶ καζαμῦσαι ὑμᾶς, à ſtudioſo quopiam ex Lucæ 6. huc tranſlata ſunt. Nam neque Chryſoſtomus hanc particulam addidit, neque Hieronymus, ut cæteros ſileam. Unde conſtat Theophylactum qui eam legit mendoſo uſum eſſe exemplari: id quod evidentius etiam conſtare poteſt ex eo quod ſupra cap. 3. ubi legimus, *Ipſe vos baptizabit in Spiritu S. & igni*, illud *& igni* prætermittat: quod ſane Chryſoſtomus aliique antiquiores prætermittendum non eſſe ſua ipſorum lectione atque elucidatione manifeſtant.

MASIUS.

QUæ Matthæus 5. 6. & 7. capite deſcribit, ea acciderunt inter ea Sabbatha, quibus Chriſtus in Capernaum in ſynagoga Judæorum docuiſſe Marcus & Lucas ſcribunt, duoque illa miracula de dæmoniaco liberato, & ſocru Petri à febri curata feciſſe. Non enim uno eodemque ſabbato illa facta ſunt ſed pluribus, ut uterque Euangeliſta clare dicit. Quæ res Auguſtinum valde torſit, unde nec ſe unquam explicuit. Tum nec concio quam illic Matthæus deſcribit eadem eſt cum ea quam Lucas cap. 6. ſubjecit. Nam integer annus inter unam & alteram fere interceſſit. Item nec hiſtoria de Centurione Luc. 6. eadem eſt cum illa Matthæi 8.

31. Exemplar Libelli repudii quo Hebræi utuntur, forma accuratiſſime obſervata. בשלישי בשבת בתשרה וקשרים ליח מחשון בשנת חמשת אלפים ושמונה עשרה לבריאת עולם מנין שאנו מונין כאן בפרש פתאח דיתבא על נהרי שינאי וכייכא אנא פלוני דמתקרי פלוני בר רבי פלוני הכהן העומד היום בפרש פתאח דיתבא על נהרי שינאי ובייכא צביתי ברעות נפש בולא אניסנא ושבקית ושטריא ותרוכית יתיבי ליבי אנת אנתתי פלונית דמתקריא פלונית בת ר״י פלוני הכהן דהרית אנתתי מן קדמת דנא וכדו קטרית ושבקית ותרוכית יתיבי ליבי דיתהויין רשותי ושלטנית בנפשיכי למיהך להתנסבא לכל גבר די צבייין ואנש לא ימחא בידיכי מן יומא דין ולעלם והוי את מותרת לכל ארם ודן די יהוי ליבי בגוי בפר תרוכין והנירת שבוקין וגם פיטורין כדת משת וישראל׃ Hæc ſic vertit Oſiander. *Die tertia hebdomadis vigeſima nona menſis Octobris, anno quinquies milleſimo, decimo octavo ab orbe condito, quemadmodum numeramus hic Parrhiſiis urbe, qua ſita eſt ad flumina Senia & Bibera, Ego N. cognominatus N. Filius N. Sacerdotis qui conſiſto hodie Parrhiſiis urbe, qua ſita eſt ad flumina Senia & Bibera, deliberavi in cogitatione animæ meæ, nemine me cogente, & dimiſi & liberavi & repudiavi te tibi, te uxorem meam N, cognominatam N. filiam N, ſacerdotis, quæ fuiſti uxor mea ante hac, & nunc liberavi, & dimiſi & repudiavi te tibi, ut ſis tui juris, & domina animæ tuæ, ad abeundum ut ducaris abs quolibet viro quem volueris, nec vir quiſquam prohibeat in manu tua ex hoc die & in æternum. Et ecce permiſſa es unicuique viro, & hic eſto tibi à me libellus repudii, & Epiſtola dimiſſoria, & inſtrumentum libertatis, juxta legem Moſis & Iſraelis.*

LUCAS BRUGEN.

23. *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.*] In Græcis codd. εἰκῆ & Syris [ܠܥܠ] additur, *temere*, ſeu *ſine cauſa*; quod etiam legunt inter Græcos Euthymius, Theophylactus, Auctor operis imperfecti, Chryſoſtomus; inter Latinos, Auguſtinus, hunc enarrantes locum. Verum Hieronymus in cap. 5. Mat. & lib. 2. adv. Pel. etſi in quibuſdam codicibus reperiri fateatur, radi vult, eo quod in veris & antiquis pleriſque non inveniatur. Auguſtinus quoque l. 1. Retract. cap. 19. in Græcis libris non addi teſtatur; quibus hodie conſentit Vaticanus, ad quem caſtigatus fuit codex, quondam doctiſſimi & pietate præſtantiſſimi viri, D. Werneri Neomagi, S. Theologiæ Licentiati, & Atrebatenſis collegii Præſidis; quo uſi, & mirum in modum adjuti fuimus. D. Anſelmus, SINE CAUSA, inquit, *addunt quidam codices: ſed in Græco non additur, nec eſt opus.* Hodie in Latinis libris non, aut vix, legi videtur: ex noſtris omnibus, tum ſcriptis tum impreſſis, tum antiquis tum novis, unicus eſt ſcriptus qui habeat [Pl. m.] hoc modo, *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa reus erit judicio*; in quo & prætereundum ſignatur. Quamobrem demiror id quod Eraſmus ait, *Quid hic adferent qui contendunt hanc tranſlationem ab Hieronymo fuiſſe caſtigatam? Quod damnat, reliquum eſt.* Imo vero hoc ex loco ſimul & aliis collegerim, fuiſſe eam ab Hieronymo caſtigatam, quod non ita habeat ut olim lectum fuit: quanquam vetera molitaque menda aliquando reverſa ſint, novaque poſtea nata. Iſtud de quo nunc agimus, *ſine cauſa*, omnino veriſimile eſt fuiſſe primum ab aliquo explicationis gratia additum, aut ex adſcripto commentario in textum relatum: id quod Laurentius Valla, quem Magdalius Jacobus Gaudenſis ſecutus eſt, inconſulte, addi melius quam omitti docet.

39. *Sed ſiquis* ■ *percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram.*] In multis Latinis codd. olim non fuiſſe *dextram*, teſtis eſt Auguſtinus, lib. 1. cap. 30. De ſermone Domini in monte. Fuiſſe autem ■ exemplaribus Græcis quibus major fides adhibenda fuerit, ibidem teſtatur; ſicut hodie & à Latinis & à Syriis, & à Græcis concorditer legitur: nullis enim abeſſe invenimus. Inter Græcos tractatores, Euthymius; inter

inter Latinos, præter Auguſtinum, Hieronymus, cum in proprio commentario, tum in fine lib. 12. in Ezech. Druthmarus & Anſelmus diſerte expoſuerunt. Apud Autorem operis in Matthæum imperfecti omittitur, apud Chryſoſtomum legitur. Apud S. Lucam cap. 6. verſ. 29. nulla fit *dextræ* mentio, ſed tantum *maxillæ* & *alterę* nominatur: id quod epiſt. 5. Auguſtinus notat.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ε, ****

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. 5, Μὴ ὀμνύειν ὑμᾶς ὅλως· ἀλλ' ἢ τὸν θρόνον τοῦ θεοῦ.

Ὃς δὲ τὸ μικρὸν λίαν ἐστὶ, μακάριος ἐν ἀνθρώποις ἐστὶν ἀνήρ.

Ἄλλως,

Οὐδενὶ ἐξεστὶν ὀμνύειν, οὐ τὸν θεὸν, οὐ τὸν οὐρανὸν, οὐ τὴν γῆν.

6. Χ Ὀρεχθήσονται] *Saturabuntur.*

7. Ἐλεηθήσονται] *Miſericordiam conſequentur.*

9. Οἱ εἰρηνοποιοὶ] *Pacifici.*

10. Οἱ δεδιωγμένοι] *Qui perſecutionem paſſi fuerint.*

13. Μωρανθῇ] *Infatuatus fuerit*, vel, *factus inſipidus.*

19. Ἐλαχίστος] *Infimus.*

20. Περισσεύσῃ] *Abundaverit.*

21. Τοῖς ἀρχαίοις] *Veteribus*, vel *A veteribus.*

22. Ῥακά] *Raca.* Vox contemptus. Quidam exp. *imprudentem, & quaſi cerebro vacuum.* ¶ Ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ] *Addictus erit conſeſſui*: vel, *obnoxius.*

23. Θυσιαστήριον] *Altare.*

24. Διαλλάγηθι] *Reconciliator.*

25. Ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου] *Eſto benevolus litiganti adverſus te.*

31. Ἀπόστιον] q. d. *divortiale.* Magis ad verbum, *abſceſſionale*, aut *diſceſſionale.*

39. Ῥαπίσῃ] *Cedet* fuſte vel virga. ¶ Στρέψον] *Obverte*, ad excipiendum & in illa ictum.

41. Ἀγγαρεύσει] *Adiget te ad ſe deducendum.*

42. Δανίσασθαι] *Mutuari.*

44. Ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς] *Pro infeſtantibus*, vel *contumeliis afficientibus, vos.*

46. Τελῶναι] *Publicani.*

DRUSIUS.

5. P*Oſſidebunt terram*] Melius alii *hæreditario jure poſſidebunt*, h. e. ſine labore ac moleſtia; ut hæreditatem poſſidemus quæ obtingit nobis à patribus. Nam poſſidemus etiam labore parta. Vide commentar. ſuper Aboth. 65. 2.

7. *Miſericordiam conſequentur*, ἐλεηθήσονται] Ebræi dicerent יחמרו. Legitur hoc verbum Prov. 28. 13. *Qui confitetur & deſerit* יחמר, ubi idem interpres, *miſericordiam conſequetur.* Paulo ante παρακληθήσονται, i. ינחמו, vertit *conſolabuntur. Cur non potius*, inquit Eraſmus, *conſolationem accipient?* Forte quia *conſolor* inter deponentia. Nam ſignificat & *ſolatium præſto & accipio.* Aſinius, *conſolabor ob ea quæ timui.* Sic Matth. 2. 18. *noluit conſolari*, i. conſolationem accipere.

10. *Qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*] Autor libri מעדיאה, *Beati vos juſti, quibus accidit in hoc ſeculo ſecundum opera improborum ſeculi futuri. Va vobis improbis quibus accidit in hoc ſeculo ſecundum juſtos ſeculi futuri. Nam Deus teſtatur ſe retributurum retributionem bonam facienti præceptaipſius, omnique qui prævalet figmento ſuo* (Sic vocant naturam corruptam) *ad faciendum voluntatem ejus; tum etiam pœnas ſumpturum de iis qui calcitrant contra præcepta ejus.*

12. *Gaudete & exſultate*] *Juſti vexantur, non vexant; audiunt probrum ſuum, nec reſpondent; gaudent in caſtigationibus, & juſtificant judicium*, ex libro cui titulus per ſigla פרת. Gaudemus per intellectum: an etiam per fidem? In lib. Selectarum gemmarum, c. 1. de Sapientia, *Intellectus eſt ſupra fidem. Nam per intellectum homo ſuffert caſtigationes animo læto, & accipit decreta corde hilari.*

14. *Lux mundi*] אור העולם, & Chaldaice נהורא דעלמא, Sic vocant ſapientes in genere. In lib. Selectarum gemmarum, *Sapientes in terra ſunt quod luminaria in cœlo. Nam illuminant mundum, & pellunt tenebras errorum*, ex cap. de Sapientia. Peculiariter autem ita vocatur caput Academiæ ſive Scholæ, Juch. 121. 1. item R. Meir, qui & *R. Miſæa*, ex genere Neronis ducis, quem Nero Imp. miſerat in Judæam ante Veſpaſianum; tum R. Aquibæ ejus præceptor; necnon R. Juda princeps, qui *Rabbenu hakkadoſ*, i. *Doctor noſter ſanctus*, cognominatur, Juch. 63. 2. & 2. 2. Salmanticenſis autor ſapientes vocatos fuiſſe אור העולם à Baba filio Buta, Juch. 53. in principio. Vocatur etiam *lux mundi*, i. אור של עולם, ipſum ſanctuarium, ſive domus ſanctuarii. In eodem libro Johaſin, *Multiſunt* חשוכא דעלמא *tenebræ mundi, qui tamen vocantur* נהורא דעלמא *lux mundi.* O dictum vere aureum, & è tripode non Apollinis, ſed ipſius Veritatis prolatum!

18. *Jota unum*] Syrus, יו חדא *Iud unum.* In Alphabeto Ebraico Jod, cui reſpondet Græcum Ἰῶτα (nam & Ἰωθ ſcribebant, unde Ἰῶτα, aſpirata in tenuem verſa, ut בית Βῆτα, תית Θῆτα) minima literarum eſt: unde Irenæus eam appellat *dimidiam literam*, quod ejus figura ſive character ad dimidium aliarum vix accedat. Sic eam vocat cum ait nomen יי *Jeſu* conſtare ex duabus literis & dimidia: quæ per ſigla valent, יהוה שמים וארץ, *Dominum cœli & terræ.* Ab hac minuta figura factum eſt proverbiale, *Ne Iota quidem*: quod elegantèr uſurpat poeta recentior,

Neſcit Scriptura vel breve Iota ſacra,

de homine ſacrarum literarum imperitiſſimo, qui nihil quicquam ſcit de Scriptura ſacra: quales nimium hodie multi, proh dolor! inveniuntur. ¶ *Aut unus apex*] Apex Ebraice קרן dicitur, & Græce κεραία. Sunt autem apices vocalium & literarum. Qui de apicibus vocalium Chriſtum loqui cenſent, doceant Chriſti tempore vocales aſcriptas fuiſſe. Nam hoc nunc in quæſtione verſatur. Ego de apicibus literarum ipſum loqui non dubito. Erant autem eminentiæ & ſumma faſtigia quibus literæ inſigniebantur & diſtinguebantur. Quod de Reſ & Daleth ſcribit Hieron. Jer. 6. Soph. 3. Zach. 12. Meminit eorum quoque in Prologo galeato & Præfat. in lib. Regum his verbis, *Samaritam etiam Pentateuchum Moſi tetidem literis ſcriptitant figura tantum & apicibus diſcrepantes.* Abraham de Balmes artium ac medicinæ Doctor, *Qui ſcribit Daleth, faciet ei apicem poſt eam.* Heſychius κεραίαν vocat, h. e. *apicem*, lineam quæ in lemniſco, quæ hoc modo ſcribebatur ⸗. Vide ſis Notas ad edit. Rom. Pſal. 12. Verba ſunt ἕως μιᾶς τῆς κεραίας τοῦ μέσου, quæ interpres convertit *per mediam quidem virgulam.* Nam ibi non tam apex eſt quam jacens linea ſeu virgula. Apud autores Græcos κεραῖαι dicuntur etiam apices eminentes in aliqua re, ut cornua è cornigerorum capitibus.

21. *Auditis dictum eſſe antiquis*] Ebræi ſimplicem ſenſum appellant משמע *auditum*, cum dicunt לפי משמעו *ſecundum auditum ejus*, & כמשמעו, ut verba ſonant in proprio & nativo ſenſu.

22. *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo*] In quibuſdam Græcis additum εἰκῇ *temere*, vel *ſine cauſa*: quod Hieron. eradendendum exiſtimat. Quapropter? *Quia*, inquit, *ne cum cauſa quidem iraſci debemus.* Cur igitur Apoſtolus dixit, *Iraſcimini, & nolite peccare: ſol ne occidat ſuper iracundiam veſtram?* q. d. Si contingat vos iraſci, ne peccate. Qui locus evincit aliquam iram eſſe ſine peccato. Quamobrem aſſentior Chryſoſtomo iram opportunam ab intempeſtiva diſtinguenti, qui etiam negat affectum penitus hoc præcepto eximi nobis, ſed tantum cohiberi ac regi. Quibus conſentanea ſcribit Theophylactus. ¶ *Fratri ſuo*] Alteri. Sic, *qui dixerit fratri ſuo*, i. alteri, vel certe ei qui ejuſdem ſecum religionis eſt. Nam tales ſe invicem *fratres* appellant. Sed præſtat latius accipere ut omnes homines comprehendat. Sic *Diligite fratres veſtros*, i. alii alios: *vir ad fratrem ſuum*, alter ad alterum. Exod. 10. 23. *Non videbat homo fratrem ſuum.* Ad hunc locum Auguſtinus, *Notandum etiam Fratrem hominis quemlibet hominem dici.* Scribit hoc in lib. Locutionum, p. 78. Aliter ſumitur in illo, *Non fœnerabis fratri tuo*: nam ſequitur, *ſed extraneo fœnerabis. Frater* igitur Judæus; & *extraneus*, qui non eſt Judæus, ſed alterius populi. Nam *fratres* vocantur & qui ejuſdem gentis ſunt: ita Judæi omnes inter ſe *fratres* erant. Sunt qui putant, *ſed fœnerabis extraneo*, concedi ſionem tantum eſſe, ſicut Deus aliqua permiſit populo ſuo in lege veteri quæ per ſe illicita erant. Sane David ait de viro pio loquens, *Non dedit pecuniam ſuam ad uſuram*, ubi neminem excipit. Nicolaus à Lira Deut. 14. *Ad ſecundum dicendum aliquid eſſe illicitum quod tamen lege permittitur: Uno modo per Prophetam à Spiritu ſancto loquentem: & hoc modo uſuram illicitam eſſe etiam cum extraneo David Prophetæ oſtendit, dicens*, QUI PECUNIAM SUAM NON DEDIT AD USURAM, *abſolute loquendo & nullum excipiendo: quia indefinita juris æquipollet univerſali. Unde in libro Machbet, qui apud Judæos eſt authenticus, ubi exponitur Pſalmus prædictus, ſuper illud verbum*, QUI PECUNIAM SUAM

Digitized by Google

NON DEDIT AD USURAM, *dicit gloſ.* ETIAM GENTILI. *Alio modo oſtenditur eſſe illicitum per communem obſervationem bonorum, quia conſuetudo eſt optima interpres legis; & ſic repudium eſt illicitum, quia nullus eorum qui commendantur in Scriptura legitur hoc feciſſe, niſi de mandato Dei.* Divortium olim licitum fuit ob cauſam adulterii; conceſſum ob alias leviores cauſas. ¶ *Temere*] εἰκῆ, quod alii reddunt *ſine cauſſa*. Hanc vocem Hieron. eradendam cenſet, quem videſis in comment. ad hunc locum. Abeſt etiam in Lat. Vulgata. Auguſtinus Retract. l. 1. c. 19. *Codices Græci non habent* SINE CAUSSA, *ſicut hic poſitum eſt.* Rurſum Hieron. l. 2. adv. Pelag. *In pleriſque codicibus antiquis* SINE CAUSSA *additum non eſt, ut ſcilicet ne cum cauſa quidem debeamus irasci.* ¶ *Reus eris*] ἔνοχος ἔσῃ. *Reus* intelligo qui ſapientibus Ebræis חייב dicitur, quem Græci ἔνδικον appellant, nos *reum ſontem*. A Davide etiam רשע vocatur, i. *improbus*, ut ibi, *Cum judicabitur, exeat improbus*: Quod pro eo habendum ac ſi dixiſſet. *Cum litigabit*, aut *judicio contendet, exeat reus ſons.* Quia vero reus etiam inſons eſt, ideo vir doctus reponit, *tenebitur judicio.* Sic Matth. 26. 66. ἔνοχος θανάτου ἐστί, *tenetur mortis pœna.* Cicero ad Q. fratrem lib. 2. *Ut pœna quæ eſt de vi tenerentur.* Cæterum ratio judiciorum talis erat, ut ait R. Nehemias, *Stabant partes coram judicibus, qui audiebant verba eorum; poſt jubebant eos exire:* בדקו ותחזרו ועשים *examinabant cauſam, deinde definiebant. Cauſſa definita, faciebant eos intrare. Tunc maximus judicum dicebat, Tu N. juſtus es; tu vere, reus.* Habentur hæc in lib. Muſar. 114. 1. ¶ *Judicio*] i. pœna judicii. Alluſit autem ad rationem civilium judiciorum, quæ tria erant, Minimum, Parvum, & Magnum. Minimum conſtabat ex tribus judicibus; & vocabatur *judicium trium*, ſive *domus judicis triumviralis*. Parvum habebat judices viginti tres; quæ *domus judicis parva* dicebatur, & *ſynedrion minus*. In magno autem erant judices ſeptuaginta, præter Hannaſi, qui eis præerat; vocaturque *domus judicii magna*, & *ſynedrion majus*. Nunc quæri poteſt de quo judicio hic locus accipiendus ſit: Et Beza quidem accipit de judicio triumvirali. Nam ait *Judicium intelligit in quo ſedebant triumviri, qui de pecuniariis & minimis ejuſmodi cauſis cognoſcebant.* Cui adverſatur quod verſu qui antecedit, *Quiſquis occiderit, reus erit judicio.* Pœna enim homicidii capitalis erat: Triumviri autem non judicabant de capite. Hoc notius eſt quam ut probari debeat. Aut igitur *judicii* vox aliter hic ſumitur, aut eo nomine ſignificatur judicium non minimum, ſed parvum, h. e. ſynedrion minus. Quod eo probabilius mihi videtur, quia majus ſynedrion aliquando ſimpliciter *Sanhedrin* vocatur, i. *ſynedrion*. Sed nihil definio. Tempus & aſſidua lectio certiora nos docebunt. ¶ *Racha*) Eſt vox convitii levioris, ſive à verbo deducatur quod *ſpuere* ſignificat, q. καταπτύστην dicas, *conſpuendum*; ſive, quod malo, nomen eſt *vacuum* denotans, ut ante me alii annotarunt. Heſychius, Ῥακά, κενέ. Hilarius in Matth. *Racha, vacuitatis opprobrium eſt.* Utrobique ſcribendum ῥαικά, *Raca*. Autor operis imperfecti hom. 11. in Matth. *Raca quidem dicitur Ebraice Vacuus, quamvis quantum ad ſenſum verbi unum eſt dicere Fatue, & Raca. Nam qui vacuus eſt, ille fatuus eſt; & qui fatuus eſt, ſine dubio vacuus eſt: & utriuſque verbi una videtur eſſe injuria.* Et aliquanto poſt, *Raca vulgare verbum erat apud Judæos, quod non ex ira neque ex odio, ſed ex aliquo motu varie dicebant, magis fiducia cauſa quam iracundiæ.* Hæc ille: quem Johan. Mahuſius popularis meus Chryſoſtomum eſſe cenſet. Probavi *Raca vacuum* ſonare. Idem *Rec* Ebræis, i. ריק. Unde מה ריק *vacui cerebro* in Abenezra Exod. 31. 18. ubi ait quoſdam tales mirari quid Moſes egerit in monte Sinai per dies quadraginta. Utitur idem eodem convitio Exod. 34. 8. & alibi. De uſu vocis ריקה notarunt alii, ut Caninius & Tremellius: quorum ſcrinia non compilo. Nam ſupellex mihi domi ſatis ampla. Addo tamen ex libro Muſar. cap. 11. *Homo quidam, cum pœnitentiam agere vellet, cogitabat de reſtituendo quod ſuum non erat. Dixit ei uxor, Rica, ſi tu egeris pœnitentiam, etiam baltheus quo cingeris non erit tuus. Ea hora prohibuit eum ne reſipiſceret.* Et ex tractatu qui vocatur *Via terræ*, *R. Joſua filius Levi, cum quendam hoſpitio excepiſſet, poſt cœnam deduxit eum cubitum in tectum domus, & ſcalas abſtulit. Media nocte homo ille ſurgens abſtulit vaſa: cumque deſcendere vellet, cecidit & fregit* מפרקת *cervicem*, aut *occiput.* [*pedem ſuum* eſt in lib. Muſar, ubi hæc paulo aliter habentur.] *Mane venit ad eum R. Joſua, & dixit, Reca, ſic faciunt tui ſimiles* [*cives*] *Cui ille, Neſciebam ablatas eſſe ſcalas. Rurſum Joſua, Reca* ſive *Rica*, &c. In Thanchuma 16. 1. *Gentilis quidam dicebat Iſraelitæ, Eſt mihi cibus egregius & pulcher ad cibandum te. Dixit, Qualis eſt? Reſpondit, Caro ſuilla. Tum Iſraelita, Rica, etiam quod mactatum apud vos, licet fuerit beſtia munda, nobis edere non licet; quanto minus carnem porcinam?* Vide quoque Maſſecheth Berachoth & Maſſecheth Rabba, qui tractatus Thalmudici ſunt, ut & ille qui vocatur דרך ארץ, *Via terræ*. Quid autem ſit *via terræ* diximus alibi. Vide & Angelum Caninium De locis N. T. pag. 37. Syrus habet ריקא, quæ ſcriptura plane firmat expoſitionem Hieronymi, cui ego, dum meliorem edoctus fuero, libenter accedo. Hieron. adv. Pelag. lib. 2. *Qui autem dixerit Raka, quod interpretatur Vanus* [Malim, *Vacuus*] *& Abſque cerebro.* Idem in Comment. Matth. 5. ad hanc vocem, *Hoc verbum proprie Ebræorum eſt. Raka enim dicitur κενὸς, i. Inanis aut Vacuus; quem nos poſſumus vulgata injuria Abſque cerebro nuncupare.* In Proverbiis Ebraicis *Hiſaſernurali*, i. *Vacuum cerebro*, convicium proverbiale eſt, ut *Raka*. Pro *Raka* vir doctus poſuit ריקה, quod jubeo illum quærere apud Ebræos. Syrum eſt ריקא ad inſtar מבא, niſi fallor. Apud Magiſtros invenio ריקה, ut opinor, ſubſtantive propter He, quæ alioqui eſſet nota generis feminini. Fallitur autem Caninius dum ריקה ſcribit per Patach, quod natum putat ex ריקה uſitata vocalium mutatione. Fallitur, inquam, quia thema eſt ריק. Etiam in eo fallitur quod ריקה ſcribat ſub Reſch Chirec minus, quæ ſcriptura analogice poſtulat Daghes, ſcriptura in hoc ordine nominum plane peregrina. Ex libris Magiſtrorum paret hanc vocem olim in frequenti uſu fuiſſe, aut potius abuſu, quem Servator ibi merito damnat. In Theophylacteis, Τοῦτ' ἔστι Ῥακὰ Συριστὶ Κατάπτυστε Φασὶ σημαίνειν recte Συριστὶ eſt enim vox linguæ Syræ citata in Lexico Juris ex ea parte Thalmud quæ Gemara vocatur, & ex Niddah; עד שתריק הפה, i. *donec ſaliva eſt in ore.* In eodem Lexico, רק. ותו הדיוט, i. *ſpuit.* Item, ראתה רק למעלה בקורה, *Vidit ſputum ſupra in trabe.* Igitur à רק *ſpuit* in Benoni, quod vocant פ״י, ſive ריקא paſſive, ut אבד *perditus*, ita Ῥακὰ *ſputo dignus, conſpuendus*, καταπτύστου, ut בזוי *contemptibilis*, καταφρονητοῦ, *condemnandus, condemnabilis*, & quæ alia Grammatici notarunt. Peccem in Deum meum, ſi negem hanc declarationem præ illa altera quam Theophylactus ibi adfert non vehementer mihi placere. Sed amabo, quænam eſt illi altera? ait Theophylactus ex Chryſoſtomo, τὸ δὲ Ῥακὰ σημαίνει ἀνὴ ἓξ Σύ. Citius inveniam cornua cervi quam ſi quæram apud Syros Ῥακὰ pro *Tu*: ſed credamus affirmanti hoc Chryſoſtomo. Pro clauſula tollam leviculum mendum quod hæret in pleraque Latinorum codicum parte. In lib. De nom. Ebr. *Racha, Vanus.* Leg. *Raka*: nam *Racha* eſt רכא, vel ipſo Hieronymo teſte, qui ſic diſtinguit inter has literas in eodem libro his verbis, *Hactenus per ſimplicem C literam ſcripta ſunt nomina quæ Græci per κ efferunt: exin aſpiratione addita legendum, quam illi literam Chi vocant.* C ſimplex, quod caret aſpiratione, reſpondet Caph elemento Ebraico & Græcorum κάππα. Itaque *Raca* ſcribendum, non Racha; & *Sabachthani*, non *Sabachthani*. Sic alibi σαβαχθανεί legitur pro σαβακθανεί. Nam literæ cognatæ ſunt, & librarii non adeo accurate differentiam earum obſervant. Sæpe hanc cum illa confundunt, & contra. Nos ex Hieronymo didicimus ק eſſe *c* ſimplex, כ vero *c* aſpiratum, quod vocant χί. Hoc ille ſæpius inculcat in lib. Nominum. Syrus habet ריקא, quod legitur *Raca*. Eſt autem vox convicii liberioris, ut ſi dicas, *Vacuus cerebro*. Auguſtinus De doctr. Chriſt. l. 2. *Dicunt Raca indignantis eſſe vocem; Oſanna, lætantis.* Idem De ſermon. DOMINI in monte, *Nonnulli de Græco trahere voluerunt interpretationem hujus vocis, putantes Pannoſum dici Raca, quoniam Græce dicitur Pannus* ῥάκος. *A quibus tamen cum quæritur quid dicatur Græce Pannoſus, non reſpondent Raca: ſed deinde non poſſet Latinus interpres ubi poſuit Raca, Pannoſum ponere, nec uti verbo quod & in Latina lingua nullum ſit, & in Græca inuſitatum. Probabilius eſt ergo quod audivit à quodam Ebræo, cum id interrogaſſem. Dixit enim eſſe vocem non ſignificantem aliquid, ſed indignantis animi motum exprimentem. Has interjectiones Grammatici vocant, particulas orationis ſignificantes commoti animi affectum, velut cum dicitur à dolente Heu, velut ab iraſcente Hem.* Chryſoſtomus Hom. 16. in Matth. *Racanon grandis alicujus eſt ſermo convicii, ſed magis à contemptu natum & negligentia dicentis, ut ipſi nonnunquam vel ſervulis vel inferioribus quibuſque aliquid imperantes dicimus, Vade tu, dic illi. Sic etiam qui lingua utuntur Syrorum Raca pro eo quod eſt Tu dicere ſolent.* Mens horum verborum non quod *Raca* ſignificet *Tu*, ſed quod utrumque cum quodam contemptu dicitur, eò quidem apud Græcos, & *Raca* apud Syros. Sic in Gallia per contemptum domini ſervis dicunt *tu*: unde verbum *tutover*. Sic in Belgio tu uſurpatur. Pro *Raca* hodie Thalmudici dicunt *Rica* ריקה, *Raca*,

Raca, *Rica*, ut *Bar*, *Bir* בר. i. *filius*. Sic *Rabbi*, *Ribbi*. Quanquam ibi vocalis longa, hic brevis. Nam thema ריק: unde & ריקם, qui segne otium tempusque conterunt. Pro *Rica* posses legere *Reca*. Id occurrit in tractatu De benedictionibus, item in Sanhedrin cap. *Helec*. ¶ *Concilio*] vel *confessu*, i. τῷ συνεδρίῳ, unde forte *Sanhedri*. Videtur autem innuere synedrion majus, quod כתורי גדולה Ebræi vocant. Id de gravissimis rebus statuebat, ut de pace ac bello, de defectione tribus aut urbis alicujus ad cultum deorum falsorum, de summo Sacerdote, de pseudopropheta, &c. Significat ergo convicium *Raca* non leve esse, ut vulgus Judæorum opinabatur, sed longe gravissimum, ita tamen ut eo gravius esset convicium sequens, quod qui proferebat tenebatur pœna gehennæ, quæ non corporis tantum est sed etiam animæ, h. e. totius hominis. ¶ *Fatue*, μωρὲ] Vox convicii gravioris, quod ideo Gehennæ pœnam demeretur, Ebraice שוטה *Sote*, & in plurali שוטים μωροί. Legitur hoc sensu in principio libri Thaanith, & *jejunii*, ut fol. 21. col. 1. & alibi. ¶ *Gehennæ igni*] In libris Ebræorum invenio אש של גיהנם *ignis ipsius gehennæ*, quod Chaldaice enuntiant נורא דגיהנם *ignis Gehennæ*. Dictum ergo q. per hypallagen *gehennæ ignis* pro *igne gehennæ* ex idiotismo linguæ, ut *viriditas herbæ* pro *herba viridis*. Sermo obvius passim. Vide quæ habentur ad cap. 18. 9. & Marc. 9. 47.

24. *Prius reconciliare fratri tuo*] In lib. Musar, fol. 18. pag. 2. *Qui offendit fratrem suum, debet eum placare, si nolit, adducit secum tres ex amicis suis qui pro eo intercedant; idque facit bis terve. Si nec tunc velit reconciliari, abit sibi & relinquit illum. Talis quia implacabilis est vocatur* רשע *peccator. Hic est mos Israelis, si frater ejus mortuus fuerit ante reconciliationem, adducit secum decem homines ad sepulcrum ejus, & dicit coram illis, Peccavi in Deum & in hunc fratrem meum, cui sic & sic feci. Si debet ei pecuniam, reddit eam heredibus ejus. Si non novit ullos heredes, relinquit pecuniam in curia, & confitetur.* Hæc ibi.

31. *Det ei libellum repudii*] Formulam libelli, quam ספר כריתות vocant, habes in Observ. meis lib. 14. cap. 10. Sed & alias duas invenies in lib. Præceptorum majore. Una est Rabbenu Jehieli, Parisiensis, qua utebantur Judæi Galli circa annum mundi 5018. altera est Mosis de Kotsi autoris libri illius, ubi etiam ex professo de repudio agit, & inter alia notat solemnia verba libelli fuisse, *Esto expulsa à me, & licita cuivis viro*. Vide sis fol. 133. col. 4. item 129. 1. & deinceps, ubi & exemplar instrumenti quod magistratus dabat ei qui libellum accipiebat à marito, *Nos judices infra scripti eramus in consessu trium, venitque coram nobis N. qui cognominatur*, &c. Hæc omnia fiebant coram testibus duobus ad minimum; qui etiam præsentes erant cum libellus à marito traderetur uxori quam repudiabat, aut ei qui missus erat ab ea, quem שליח vocant, i. *missum* aut *legatum ejus*. Dicam plura hac de re alias, si Deus voluerit.

34. *Per cælum*] Mos jurandi Ebræis olim usitatus, qui manavit, ut credibile est, ex intellectu pravo quorundam locorum Scripturæ, cujusmodi est Amos 4. 2. *Juravit* DOMINUS DEUS *per sanctitatem suam*, i. per seipsum. Sed Ebræi D. Camus & Ebenezra exponunt de cœlo, *Juravit per sanctitatem suam*, i. *per cælum*. Nam jurantes manum ad cœlum elevabant, Gen. 14. 22. Deut. 32. 40. Quo accommodabis & locum qui habetur Exod. 17. 16. *Manus super tronum Jah*. Hoc ut verum est, ita probari non potest Deum unquam per rem creatam juralse. Quocirca locus ille melius exponitur, *juravit per semetipsum*. Nam *sanctitas Dei* & *Deus ipse* se mutuo explicant: Sic *gloria Dei*, & *nomen Dei*, unde dicunt, *Deus est nomen suum, & nomen ejus ipse est*.

35. *Per Jerosolymam*] Salmanticensis in Johasin fol. 56. pag. 1. *Mos hic in Israel erat, ut jurarent* ירושלם. Quid ירושלם? Psal. 90. משכן אתה, quod reddunt *habitaculum tu fuisti nobis*. Ergo משכן *habitaculum*. Id nonnulli de Jerosolyma dictum accipiunt. Sed & de Templo intelligi potest. Nam per Templum etiam jurabant. Relinquamus hoc in dubio. Illud certum & indubitatum, Jerosolymam dici *excellentiam Jacobi*, Psal. 47. 4. *Excellentiam Jacobi quam dilexit*, vel, si mavis, *quem dilexit*. Per hanc excellentiam Deus jurat, Amos 8. 7. *Juravit* DOMINUS *per excellentiam Jacobi*. Ergo per Jerosolymam, quod antea negatum fuit. Respondeo, *excellentiam Jacobi* hoc postremo in loco non Jerosolymam sed ipsum Deum intelligi. Est igitur simile ut *juravit per animam suam*, i. per seipsum. Nam alioqui Deus non habet animam. ¶ *Civitas magni Regis*] קריה של רב, Psal. 48. 2. quod de Davide enarrant; ego de Deo, qui sic vocatur cum alibi, tum Mal. 1. 14. ubi in Ebræo מלך גדול *Rex magnus*. Sic Tob. 13. 17. ἐυλογήτω ὁ Θεὸς ὁ βασιλεὺς ὁ μέγας. Alioqui βασιλεὺς ὁ μέγας dicebatur olim peculiariter de Regibus Assyriorum & Persarum. Vide observ. meas. Deus vocatur etiam *Rex regum* & *Rex* simplicitur, i. המלך ὁ βασιλεὺς Jes. 6. 5. Ps. 145. 1. Sic etiam Æthiopes cum appellant, si credendum Angelo Caninio. Dicunt enim אמלך absolute de Deo, cum alioqui Regem עגו vocent. Ergo *urbs Regis magni*, tam Dei quam Davidis.

36. *Neque per caput tuum*] Ut ille apud poetam, *Per caput hoc juro*. *Ægyptii*, teste Abenezra, *jurabant per caput regis; quod jusjurandum qui violabat, capite plectebatur, nec ulla pecunia se redimere poterat*. Scribit hoc Sapiens ille in comment. Exod. 6. 8. R. D. Jer. 4. 2. *Consuetudinis mundi est ut jurent per id quod multum amant, ut per caput, & per animam*.

37. *Est, est; non, non*] Sic Ausonius ad Paulinum,

—— Cum multa loquaces
Ambiguis ferverent verbis, contra omnia solum
Est respondebat, vel Non.

Syrus habet אין אין. Quomodo Samaja & Abatalion proselyti olim pronuntiasse perhibentur, quod aliis הין, aspirata in tenuem versa. Sed אין hic valet *vai etiam*. Sapientes dicunt הן, quæ particula respondentis & approbantis reperitur in Tobia Ebraico, & in S. Jario Deut. 2. 23. tum etiam Exod. 20. 1. *Respondeat ad* הן הן, *etiam, etiam*: & *ad non, non*: & in Johasin 33. 2. Dicunt etiam q. proverbio, *Justorum Etiam est Etiam, & Non eorum est Non*, לא שלהם לא. Vide quæ scripsimus hac de re in Particulis Rabbinicis.

38. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*] Hæc ad literam intelligebant olim Baithusæi hæretici veteres. Nam Baithus sive Baithos, discipulus fuit Antigoni Sochæi una cum Sadoco hæresiarcha, unde *Saducæi* appellati. Vixit autem Antigonus ille post Simeonem Justum, cui etiam successit. Sic igitur hunc locum enarrabant Baithusæi. Sapientes autem satis esse putabant si reus pretium oculi aut dentes solvebat. Qua de re diximus in A. M. Exod. 20. 24. & Lev. 24. 20. Vide sis lib. Jejunii fol. 29. col. 3.

41. *Quisquis te angariabit*] מי שיעשה כך אנגריא i. ad verbum, *omnis qui fecerit in te angariam*. A nomine *angaria* factum est Græcum ἀγγαρεία. Sed quid אנגריא? David de Pomis interpretatur dicens esse עול *jugum*. Aliquid dicit, non omnia. Isahac Satizan in eo libro ubi præcepta affirmantia illustrat, melius intellexit hoc vocabulum, cum ita scriberet, *Ratio angariæ est cum aliquis aufert asinum hujus, domino sequente illum; & omnem asinum primum occurrentem aufert, & restituit priorem ei cujus est; secundus autem sequitur asinum suum donec obviam factus fuerit alius*, &c. Cujus explicationis autorem citat S. Jarium. Declaratur igitur hac voce servitutis genus pene intolerabile, ut colligere licet ex exemplis quæ nunc subjiciam. In Nedarim cap. 4. *Cur punitus fuit Abraham pater noster? & cur servierunt filii ejus ducentos & decem annos? Quia scilicet angariavit discipulos sapientum. Nam scriptum est,* ET ARMAVIT INSTITUTOS A SE VERNAS DOMUS SUÆ. In Suta capite, *Qui emulatur aut invidet, Cur punitus est Asa? Quoniam angariavit discipulos sapientum. Nam dicitur,* REX ASA FECIT UT AUDIRET UNIVERSUS JUDA NEC ERAT PURUS. *Quid hoc sibi vult quod ait,* NEC ERAT PURUS? *R. Jehuda dicit, Etiam sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo: quanto magis discipuli sapientum?* In Gemara cap. Sanhedrin, *David pater tuus fregit murum, quo facilius Israel ascenderet ad festum: sed tu obsepivisti eos sic ut feceris angariam filia Pharaonis*, &c. Videndus Baal Aruch in voce אנגריא. Quibus addo ex libro *middoth*, cap. 10. *R. Eleazar filius Harsum peragrabat opida & regiones studio discenda legis. Quadam vice invenerunt eum servi ejus, fecerunt ei angariam: dixit eis, Sinite me ut abeam ad discendum legem.* Vocabulo *angaria* usus fuit P. Nigidius apud A. Gellium l. 19. cap. 14. In Lex. Chaldaico Munsteri, אנגריא *habitatio, mansiuncula*. Non omnino vanum est. Nam ἀγγαρεῖαι proprie *mansiones* sive *deversoria*, in quibus *angari*, i. Persarum tabellarii, diversabantur. De angaris, quos vetus Josephi interpres *aggaros* vocat sicut *aggelus* dicimus & *angelus*, videndus Suidas, qui ait eos alio nomine *astandas* dictos fuisse, & utrumque vocabulum Persicum esse. Vide quoque Herodotum l. 8. & Josephum Orig. Jud. lib. 13. cap. 3. in epistola Demetrii ad Jonatham & populum Judæum, ubi Rufinus interpres, *Nec post hanc sanctionem Judæorum jumenta violentis angariarum subjaceant*.

CASAUBONUS.

22. Ὃς δ' ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ, Ῥακά] Doctissimi viri tradunt voce ῥακὰ sive ῥεκὰ significari *hominem fatuum*, q. d. *cerebro vacuum*, רק a רק in Hebraica dictione. Atque huc referenda est Hesychii doctiss. Grammatici glossa, Ῥακά, κενός.

31. Ὅστις ἀπολύσῃ γυναῖκα] h. e. βιβλίον ἀποστασίου, ut infra 19. 7. Sic enim Græci interpretantur libellum כריתות i. *repudii* sive *divortii* quem jubet Moses dari uxori à marito, qui eam domo sua exire, & suas res sibi habere jubet, Deut. 24 1. Itaque nescio quam firmum sit quod quidam annotant, in hoc de quo hic agitur facto uxorem à marito non recedere. Præterea malim *libellum divortii* vertere, vel *repudii*, ut vetus interpres, quam *abscessionis*, ut alii. Nec urgenda videtur vocis etymologia ἀπὸ τοῦ ἀφίεσθαι, cum vox Hebraica, cujus potius habenda est ratio, sit à radice ברה, quod est *frangere*, & *abrumpere*, sive *exscindere*.

37. Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ, ναί· οὒ, οὔ] Vetus interpretatio, *Sit autem sermo vester, est est, non non.* Sic Ausonius ad Paulinum,

——— *cum multa loquaces*
Ambiguis fererent verbis, contra omnia solum
Est respondebas, vel Non.

39. Ἀλλ' ὅς τε σὲ ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιὰν σιαγόνα] Quid sit ῥαπίζειν merito quæruntur eruditissimi interpretes. Nam si originem spectes, nihil aliud significari videbitur quam *ferire baculo*: idem enim est ῥάπις unde Mercurius κηρύκειον à Poetis dictus. Contra tamen significari *alapam impingere*, ex his apparet. Glossarium vetus, Ῥαπίζω, *expalmo*, *alapo*. Nonnus apud Johannem τὸ ῥαπίζειν ita exprimit 18. 22.

τολμηρὴ παλάμη ζαθέῳ ἐπέπηξε προσώπῳ.

& rursus 19. 4.

Χερσὶν ἀμοιβαίῃσι παρειὰ δ' ἄχεον ἀεῖραν.

Præterea quæ à Græcis JC. ῥαπισματα servorum manumittendorum vocantur, Latini auctores *alapæ* vocant: & Sedulius poeta ῥαπίζειν vertit *cædere palmis*.

40. Καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον] Probo V. interpretis versionem vocum χιτὼν & ἱμάτιον. Nam χιτὼν est *tunica* sive vestis interior & minoris pretii, ἱμάτιον exterior & majoris pretii. Sic perpetuo accipiendæ sunt hæ voces quando conjunguntur. Plutarchus in Gracchis, αὐτὸς δὲ τὸν ἀδελφὸν φεύγοντα, ἀντιλαβόμενος τοῦ ἱματίου· ὁ δὲ τοῦτον ἀφεὶς, ἔφυγεν ἐκ τῶν χιτῶνα ἐσφάλη. Vide eundem Rom. cap. XIIX. Eustathius χιτῶνα ait esse quod ipsius ætate ἐπενδύτην vocabant. Quid sit autem ἐπενδύτην docet nos D. Hieron. cujus verba adscribam ex epist. ad Fabiolam quæ est de veste sacerdotali, *Secunda*, inquit, *ex lino tunica est ποδήρης, i. talaris, duplici sindone, quam & ipsam Josephus Byssinam vocat, appellaturque* כתנת *Cetonet, i.* χιτὼν, *quod Hebræa sermone in lineam vertitur. Hæc adhæret corpori, & tam arcta est, & strictis manicis, ut nulla omnino in veste sit ruga, & usque ad cyrtos descendat. Volo pro legentis facilitate nostri sermone vulgato. Solent militantes habere lineas quas Camisias vocant, ne aptæ membris, & adfrictæ corporibus, ut expediti sint vel ad cursum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum, ensem librare, & quæcunque necessitas traxerit.* Ex his tanti viri verbis & quid sit χιτὼν intelligere est, & quid ἐπενδύτην sive *camisia*, unde nos *chemise* diximus; & hoc amplius, quam vana sit Græcorum Grammaticorum vocis χιτὼν ἀπὸ τοῦ χέειν etymologia.

43. Ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις] Observant quidam quod negligendum non videtur, vocem רע *rea*, cui respondet vox πλησίον, aliquando significare *socium & amicum*, aliquando generaliter alium quemlibet. Paulus igitur cum idem Dei mandatum referret Rom. 13. 8. non dixit ὁ πλησίον, sed ὁ ἕτερος. Sic sane etiam apud Græcos ὁ πλησίον sive ὁ πέλας de quolibet dicitur, etiam de hoste, ut cum ait Polybius lib. 9. ὁ δὲ πέλας ἀπεχθὲς μέρος ἐφόδου χάριτος τοῖς ἐμπείροις περὶ κατόρθωσιν. At mali legis Divinæ interpretes Pharisæi vocem *Rea* interpretabantur de *amico & socio*; deinde à positione unius contrarii ad positionem alterius argumentabantur, & ut amandos amicos, ita odio esse habendos inimicos docebant: quo de argumentandi genere ad Strabonem nostrum quodam loco diximus.

44. Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς καὶ διωκόντων ὑμᾶς] Placet mihi vehementer vetus interpretatio vocis ἐπηρεαζόντων. Nam ἐπηρεάζειν vocabulum est forense, & significat *calumniari*. Glossarium, Ἐπηρεάζω, *calumnior*. Dionys. l. 52. Συχνοὶ γὰρ οἱ μὴ μισοῦντες τινας, οἱ δ' ὑπὸ φθόνου ἀνιῶντες, ἀλλ' ἐπηρεάζοντες τισιν, ἄδικοι χρήματος αἰτίους ποιοῦντες τινας, καὶ μὴ λαβόντες ἐπηρεάζειν αὐτοῖς ὡς πεπαυσόμενοι. Sic & 1 Pet. 3. 16. interpretandum videtur.

45. Τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει] Recte Interpretes ἀνατέλλει interpretantur *ἀνατέλλειν ποιεῖ*: sic βασιλεύειν passim apud LXX est *Regem aliquem constituere*, & alia id genus sexcenta in libris sacris Græcis.

CAMERO.

2. Ἀνοίξω ἐν παραβολῇ τὸ στόμα μου] Quando agitur de re magna usurpatur hæc phrasis, ut Psal. 78. 2. *Aperiam in parabola os meum.*

11. Πᾶσι τοῖς ἐν τῇ οἰκίᾳ] Hebraismus, כל דבר בית Sic Ps. 64. 5. דבר רע & ver. 3. דברי כזב *verbum amarum*, usurpantur pro conviciis & calumniis, isthicque describitur eorum status de quibus agit hic Christus.

14. Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου] Pontificii perinde id dictum interpretantur ac si Apostolis, non quatenus Apostoli, sed quatenus simpliciter Discipuli sunt, dictum foret; indidemque concludunt, Ecclesiam Dei semper esse aspectabilem, non modo fide, oculis, qui animæ sunt oculi, sed etiam corporis oculis. Absurde: hoc enim dictum est Apostolis quatenus Apostoli fuerunt; Apostolici autem muneris ea ratio fuit, ut cum missi essent ad prædicandum toto orbe Euangelium, neque eorum doctrina neque vita debuerit aut potuerit esse clancularia: Imo illis præscriptum fuerat à Christo ut quæ audierant clam ea publicitus efferrent. Id vero non incumbit semper agendum omnibus Christianis ubique, ne iis quidem qui aliorum sunt Doctores; quod vel ipsi Jesuitæ fatentur: nihil enim est quod non conentur ut lateant iis in locis in quibus sine certa pernicie in publico versari nequeunt.

17. Καταλῦσαι] Heb. לבטל, idem quod καταργῆσαι. Nam LXX בטל reddunt ἐργῶσι Eccles. 12. 3. & Esdr. 4. 24.

22. Εἰκῇ] Heb. תמה, h. e. *sine causa*, quod & alias ματαίως dicitur.

28. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν] Sic loqui solent R. R. שמי אני, cum alicujus sententiam corrigunt vel refellunt, aut in eam aliquid annotant.

48. Ἔσεσθε οὖν τέλειοι] Consequens hic ponitur pro Antecedente. Nam *perfectio* eo loco Patientiam sign. Non enim nos jubet Christus imitari excellentiam naturæ Dei; tantum hortatur ut ejus patientiam imitemur: Quoniam vero patientia est documentum animi exercitatissimi in pietate, ideo *perfectio* dicitur, & metaphora hinc ducta Deo tribuitur. Est sane quoddam rudimentum veræ pietatis *amare a quibus amaris*; at eos amare quite odio habent, id vero est documentum animi defuncti omnibus officiis veræ pietatis. Hinc est quod *qui sunt patientes* τέλειοι à Christo dicantur.

OUALTPERIUS.

12. Οὕτω δὲ ἐδίωξαν τοὺς προφήτας τοὺς πρὸ ὑμῶν] Προφήτης *Propheta*, Græcum est, ex προφημι *prædico*. Apud veteres προφῆται erant *fanorum antistites & interpretes oraculorum*, teste Festo. Apud Lucianum, ἀληθείας καὶ παρρησίας προφήτης *veritatis & libertatis in dicendo antistes ac interpres*: fem. προφῆτις *Prophetissa*, quæ prædixit futura: λόγος προφητικὸς *sermo propheticus*, & γραφαὶ προφητικαὶ *scriptura prophetica* in Epistolis Pauli & Petri. Unde προφητεύω *prædico futura*, *vaticinor*, Matth. 7. 22. & 11. 13. Item, *sacram Scripturam interpretor*, seu *enarro*, 1 Corinth. 14. 1. προφητεία *prædictio futurorum*, Matth. 13. 14. Item, *Scripturæ interpretatio*, Rom. 12. 6. 1 Thess. 5. 19. Hebræis dicitur נביא *vates*, *propheta*, seu verus, seu falsus. Verus, ut Deut. 18. 18. & passim; falsus, 1 Sam. 18. 18.

13. Τὸ ἅλας] Idem quod ὁ ἅλς *Sal*. Marc. 9. 50. καλὸν τὸ ἅλας *Bonum est sal*. Græcum.

15. Οὐδὲ καίουσι λύχνον, καὶ τιθέασιν αὐτὸν ὑπὸ τὸν μόδιον] Ὁ μόδιος *Modius*, vox Latina. *Modius* enim apud Latinos erat (ut quidam putant) aridorum mensura maxima, continebatque Sextarios XVI. Sextarius autem capiebat Heminas duas seu Cyathos XII. Syrus paraphr. exponit per סאתא *Seatha*, i. e. *Satum*. Hebræis est סאה *Seah*, quam vocem Hieronymus nunc *Satum* nunc *Modium* interpretatur. Quidam putant Satum esse Sesquimodium, i. e. Sextarios XXIV. Antiquissimum fuse usum obtinet cum in aridis tum in liquidis mensuræ illud genus quod dicitur nec *Satum*. Ita Saram legimus

justa

juſſu viri Abrahami hoſpitibus exceptis *tria ſata ſimila* exhibuiſſe Gen. 18.6. Divila autem fuit hæc menſura in minores etiam, majoris commoditatis ergo. Minima autem fuit קב *Chachal*, quæ continebat Ovum commune, cum quinta ejus parte. Deinde קב *Kab* capiebat ova XXIV. *Seminatur tritici Kabus unus*, inquit auctor Apparatus ſacri Biblior. Regal. *in arvi cubitis decem cum dimidio quadratis. Hujuſmodi etiam panis & ciborum quantitatem ſatis ad paſtum hominis diurnum eſſe tradiderunt antiqui, quandoquidem duodena ova ſatis ſunt ad binos paſtus ſingulis diebus.* Porro, *Sex Kabus unum Zzeah efficiunt, h. e. ova* CXLIV. *Erat autem hæc menſura certa vaſis forma ſatis vulgo notabilis, in cujus medio ſignum erat expreſſum quo dimidium menſuræ iſtius dignoſcebatur.* Vide plura in Apparatu ſacro, in tractatu qui inſcribitur *Thubal Cain*, parte 2. de Sato, &c. *Summa hæc redit in menſuris aridis*, 1. *CHACHAL continet ovum unum & quintam ejus partem.* 2. *KAB continet ova* XXIV. Dividebatur autem *Kabus* in partes quatuor, quarum ſingulæ continebant ova VI. v. g. 2 Reg. 6.25. legimus, *Quartam partem ſtercoris columbarum* (i. lex ova ſtercoris columbarum) *quinque argenteis venuſſe aliquando in Samaria, civibus fame ac bello oppreſſis.*

3. *ZZEAH ſive Satum continet ſex Kabus, h. e. ova* CXLIV. v. g. *pro tribus hoſpitibus Abraham uxorem juſſit tria ZZEIM ſimilæ parare*, Gen. 18.6. *Abigail quinque Sata polentæ inter alia munera Davidi obtuliſſe commemoratur. Hæc etiam illa menſura eſt quam Heliſæus Propheta indicabat, cum prædiceret futurum ut poſtero die Modius ſimilæ uno ſtatere, & duo modii hordei eodem pretio venirent in foro Samariæ*, 2 *Reg.* 7. Erat & peculiaris menſura quæ dimidium ZZEAH continebat. *Hanc vero menſuram Templi ſecundi tempore etiam in uſu fuiſſe declarat Euangelium*, Matth. 13. 33. *Sed antequam Iſraelitæ terram promiſſam tenerent, in deſertoque agerent, minori utebantur ZZEAH quam poſt captam regionem habitatamque Hieroſolymam, ut traditur in libro Miſnajoth; quo loco* VI *ZZEIM deſerti* V *Hieroſolymitana ZZEIM efficere memorantur.* 4. *EPHAH tria continet ZZEIM*, i. e. *Sata tria, h. e.* XVIII *Kabos*, Ruth 2.16. *Atque hanc regiam & maxime communem ac celebrem menſuram fuiſſe* manifeſtum eſt.

5. *GOMER decima pars eſt Ephæ*, Exod. 16.36.

6. *CORUS & HOMER capiunt* X *Ephas, h. e. Sata* XXX.

7. *LETHECH dimidium Cori ſive Homer eſt.* Quibus moleſtum non eſt, legant & Epiphanium De menſuris & ponderib. cujus συλλογὴ hæc eſt, CORUS, Luc. 16. de iniquo diſpenſatore, ſive CHOR in Hebræo, *ſunt* XXX *Modii. Appellationem habet ex argumento Collis. Cooria enim vocatur Collis. Triginta autem Modii in collem ac acervum collecti faciunt onus cameli.* LETHEC, i. e. *Elevatio, ab eo quod poſſint ab adoleſcente elevari* XV *Modii, & aſino imponi. Eadem menſura etiam* GOMER *vocatur. Sunt autem duo Gomer, magnum, & parvum. Magnum ejuſdem menſuræ eſt cum Lethec*, XV *Modios completiens; parvum vero*, XII *Batos.* BATUS *ſignificat vas in officinis olearia, eſtque Sextariorum quinquagenta.* Hebr. BITH. MNAS15; *ſeu* MEDIMNUS. MNASIS *apud Cyprios continet* X *Modios frumenti aut hordei.* MEDIMNUS *diverſus eſt: apud Salaminios modios habet quinque, apud Paphios & Siculos quatuor cum dimidio.* MODIUS *apud Cyprios, Sextariorum* XVII. *Apud Hebræos Modius juſtus Sextarios habet* XXII, *ſecundum* XXII *opera quæ fecit Deus in diebus ſex hebdomadis.* SATON *eſt Modius ſuperexpletus, ut plenus quidem ſint Modius, verum per id quod ſuperfluit quarta Modii pars ſint.* CABUS, *quarta pars Modii.* CHOENIX, *ſeu* HYPHE. *duorum Sextariorum, & aliquantula partis.* DRAX *farina, h. e. Pugillus.* ARTABA *apud Ægyptios, Sextariorum* LXXII. *Septuaginta duo viri tunc virtim adificabant, quando in* LXXII *linguas ex una confuſi ſunt: Unde & pisces appellati ſunt, propter diviſam vocem.* METRETA *eandem menſuram habet.* GOMON, *decima pars magnæ menſuræ, h. e. Artabæ, viz. Sextariorum ſeptem, & quintæ unius partis.* TRIA CANA *panum Chondritorum. Eſt autem panis Chondrites in duas partes conſectus, ex alica conſtans.* NEBEL *unus eſt menſura Sextariorum* CL. SATON, *Sextariorum* LVI. ALABASTRUM *unguenti capit Libram olei: menſura vero eſt Sextarii dimidii.* CAMPSACES *aquæ*, XII *Sextariorum. At* CAMPSACES *Heliæ præparatus, quatuor Sextariorum eſt.* COTYLA *dimidium Sextarii eſt.* CYATHUS, *ſexta pars Sextarii.* TRYBLIUM, *vas ad immittus obſoniorum, mon-ſurem habet dimidii Sextarii.* SEXTARIUS *Alexandrinus duarum Librarum pondus in oleo habet.* APORRHYMA, *apud Thebanos, dimidium Satæ eſt*; SAITES *autem Sextariorum* XXII *eſt.* SABITHA *apud Aſcalonitas, Sextariorum* XXII. IN, *quod Magnum dicitur, Sextariorum* XVIII. IN *vero ſanctum, Sextariorum* IX. CONGIUS, *Sextariorum* VIII. *Sanctus vero Congius Sextariorum* VI, *quæ eſt* XII *pars Metretæ.* TALENTUM, *pondus Librarum* CXXV. *Sex minuta Talenti* VII *Aſſaria ſunt. Septem minuta Aſſariorum centum Denarii ſunt.* ARGENTEUS *excuſus, ex partibus* CXXV *Talenti, i. e. Libra una.* LIBRA, XII *Unciarum.* UNCIA *habet Stateres duos.* STATER, *dimidium Unciæ, habet duo Didrachma.* SICLUS, *qui &* QUADRANS *dicitur, quarta pars eſt Unciæ, dimidium Stateris, habens Drachmas duas.* HOLCE, *ejuſdem ponderis cum Siclo, apud eum qui ponderavit per temporis occaſionem Capillum Abſolonis quando tondebatur, habentem Holcen Siclorum* CXXV, *h. e. Libras duas & dimidiam.* OBOLES *pondus Unciæ habebat, factus ex ferro. Alius Obolus argenti, numiſmatis genus, nempe octogeſima pars Unciæ.* DIDRACHMON, XX *Oboli.* ÆRROLUS *argenteus, octavæ partis Unciæ.* MNA, *Latinis* MINA, XL *Staterum, h. e. Unciarum* XX, *i. e. Libra unius & duarum tertiarum partium Libræ.* NUMMUS, *à Numa Rege excuſus.* DICHRYSON, *dimidium Argentii. At Argentum hoc eſt quod Romani* MILIARESIUM *vocant, h. e. militare donum.* PHOLES *ſive* TALANTIUM *duplex eſt, ex duobus Argenteis compoſitum; & fiunt* CCVIII *Denarii. Et* PHOLES, *duo minuta juxta denariſſimum, non juxta argentiſſimum.* MARES, *apud Ponticos menſura duarum Hydriarum.* HYDRIA X *Sextariorum eſt, ut* MARES *ſit* XX *Sextariorum Alexandrinorum.* CYERBE *apud eoſdem Ponticos menſura eſt ſiccarum frugum, Modii duo, Chœnicum quinque.* CHOENIX *Sextariorum quinque: ut ſit* CYPROS *Sextariorum* XXV. COLLATHON *apud Syros, dimidium liquidi Satæ, ſive Sextariorum* XXV. CONGIARIUM, *prout quiſque Regum populo Romano exhilarando largitus eſt. Hæc Epiphanius.* Judicium vero penes lectorem ſobrium eſto.

18. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται.] Ἀμὴν *Amen.* Hebr. אמן *vere, veritas.* Eſa. 65.16. *Qui juraverit, jurabit in Deo veritatis*, vel *Amen.* Deut. 27.26. *Et dicet omnis populus, Amen, i.e. Sit verum, Sit ratum.* In Pſalmis libri diſtinguuntur hac voce *Amen.* Ubi enim ſcribitur in Hebræo in fine verſuum אמן אמן *Amen, amen*, ibi novus incipit liber; ut Pſal. 41. & ita in reliquis. Radix eſt אמן *Aman, verax & fidelis fuit, enutrivit fideliter, præfuit bona fide, ſuſtentavit.* Deus igitur per hanc vocem juratus jurat per ſeipſum, quia majorem ſe non habet; & ipſe ſolus eſt qui res omnes creatas ſuſtentat, cibat & nutrit, ſecundum illud Apoſtoli, Actor. 17. 28. *In ipſo vivimus, movemur & ſumus*; ut & Aratus Poeta Græcus in Φαινομένοις, v. 5. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Syris ܐܡܝܢ *certe, vere*; ab ܐܡܢ, quod ſignificat *credere.* LXX alias reddunt γένοιτο *fiat*: alii, *confirmetur, ſtabiliatur.* Placet aſcribere πιστόν quæ recitantur apud Guidonem in hac Radice: *Receptum*, inquit, *fuit in primitiva Eccleſia, teſte Paulo* 1 Cor. 14. *ut populus poſt recitatas preces reſponderet* AMEN; *quod neminem recte dicere ait qui preces non intellexerit. Cui valde conſentanea ſunt quæ in Thalmudicis dicuntur. Dicunt Thalmudici, ſuorum hominum ſomnolentiam carpentes, triplex eſſe Amen, nimirum* ܐܡܝܢ *pupillum*, ܐܡܝܢ ܣܘܪܩܢܝܐ *ſurreptitium*, & ܐܡܝܢ ܣܬܝܡ *ſeſſile. Quodnam eſt Amen pupillum? Reſpondet R. Henna, Eſt cum quis precatione tenetur, nec intelligit quod reſpondet. Surreptitium; cum ſurripit & dicit Amen antequam abſolvatur precatio. Seſſile; cum ſecat in duas partes, nempe oſcitanter audiens, & alias res agens. Idem ex Maſſechoth Succa, Suggeſtus ligneus in medio erat, & lector Synagogæ in eo ſtabat ut Legem recitaret. Et Synagoga Præfectus Judæorum circumagebat, & ipſi reſpondebant, Amen. Is enim mos diu permanſit in Eccleſia, ut populus frequens preces & cæteraqua in Eccleſia recitabantur audiret, & tum reſponderet, Amen. Quod etiam facit populus Iſraeliticus, Deut. 27.* Hæc ille. ἰῶτα, *Jota*] Syrus ܝ *Jud.* Alludit ad literam Hebræam Jod, quæ omnium literarum minima, & inſtar apicis eſt. Proverbialis loquendi forma, & ea quidem periphraſtica, ut Pſ. 72.5. *Timebant te cum Sole, & diem fuerit Luna, in generatione generationum. Unde rectiſſime Lutherus*, Biß daß Himmel und Erde zergehe / wird nicht der kleinſte Buchſtab / noch ein Tüttel vom Geſetz zergehen / biß daß es alles geſchehe.

22. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῇ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει· ὃς δ' ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ Ῥακά, ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ] In hoc verſu primo obſervandum eſt, paraphraſten Syrum in ſua lingua retinere vocem Græcam εἰκῇ, *Ika*: quod argumento eſſe poteſt, Contextus Græci auctoritatem D. Marco plane fuiſſe authenticam. Secundo, Vox ῥακὰ *Raka* רקא vel ריקא Syriaca eſt. Quo idiomate, licet impuro, Judæos poſt captivitatem uſos fuiſſe conſtat, ut & à Chaldæis & Babyloniis intelligerentur. A Rad. ריק ſive פרק *ſpuit*, *conſpuit*. Talmudice ריקא RIKA *Inanis*, *vanus*. Eſt autem minus convitium quam *Fatuus*. Tremellius in gloſſa marg. *Hanc vocem objurgantis*, inquit, *in Talmudicis libris*, *præſertim autem in libro Beracboth*, *& in lib. Sanhedrin*, *legi ſemper ita ſcriptam* ריקא RIKA, *vel* ריקה REKA: *& ſonat* Vacuum, *ſubaudi* judicio, ratione & cerebro. *Germanice* Dummer Johan: *venitque à* ריק *Rajak*, *quod etiam Hebraice ſignificat* evacuare. *Unde* ריק REK, inanis, vacuus, *Gen.* 37. 23. *&* ריק RIK, inanitas, vacuitas. *Item*, inaniter Eſai. 39. 7. *Et cum paragoge* ם, ריקם vacuus: *indeclinab. & utriuſque numeri.* Th. Beza in vocis hujus explicatione nonnihil diſcrepat: *Haud ſcio*, inquit, *an ſit levius convitium*, *ac non potius hoc ipſum quod mox voce μωρὸς ſignificatur.* Et paulo poſt tres gradus conſtituit indignationis, & ordines eorum qui pro homicidis hoc loco à Filio Dei habentur. Primus eſt *illorum qui intus duntaxat adverſus proximum commoventur*: quam *Iram* Tertullianus vocat *animi reſtricti*. Secundus *eorum qui conſque efferveſcunt ut iracundum aliquid evomant*. Tertius denique *eorum qui in apertum aliquod convitium erumpunt*. Hæc Beza. Vocem autem *Raka* tribuit primo generi. Ego vero exiſtimarim Chriſtum ab ira leviori ad graviorem progreſſum eſſe, id quod etiam ex pœnæ diverſitate annexa conſtare poteſt. Et inſuper additur, *Qui dixerit Raka*; ſic ut non vocem notet inconditam ſed articulatam. Et rectè Baſilius, Ῥακά ἐστιν ἀλλοκότου ῥήματος, ὑποπτέρους ὄρνεις, πρὸς τὰς οἰκετικὰς λαμβανούσης, RAKA *eſt dictio illis locis uſitata*, *minoris probri*, *qua adverſum domeſticos & familiares utuntur.* ¶ Συνέδριον Græcum eſt. Significat autem *Conceſſum*, *Concilium*, præcipue *conſeſſum Judicum*. Unde Æſchines ita vocat Areopagum. Συνέδρου *confeſſor*, *aſſeſſor*, *Conſiliarius*, Græce βουλευτής. Subſellia Judicum vocant συνέδρας. Vide Carol. Sigonium lib. 6. cap. 4. De Repub. Hebr. Ex hac voce aliquantulum corrupta Hebræorum eſt סנהדרין *Sanhedrin*; De quo vocabulo multi multa, nos præcipua paucis attingemus. Joſephus narrat cum Templo curiam etiam conflagraſſe, quam *Bulenterium* nominat. Idem ex Lege retulit, *Nihil agat Rex ſine Pontificu ac Senatorum ſententia.* Omnes interpretantur *Sanhedrin* Judices ordinarios qui olim in portis civitatum decernebant judicia. Elias in Thisbi, *Septuagima Sanhedrin*, inquit, *erant ſeptuaginta Seniores prætoris magni*, *quod erat Hieroſolymis.* In paraphraſi Chaldaica vocabulum hoc ſæpiſſime reperitur. Ruth 4. *Boaz aſcendit ad portam*: Targum explicat, *ad portam conſiſtorii Sanhedrin*: & ſimilia multa. Non injucundum autem erit ſacerrimi hujus Collegii originem ex Scripturis Divinis repetere. Num. 11. legimus Moſen conqueſtum eſſe Domino ſe minime parem eſſe oneri ferendo quod humeris ſuis, ut populum regeret Iſraeliticum, imponeretur; reſpondiſſe autem Jehovam his verbis, *Collige mihi ſeptuaginta viros è Senioribus Iſrael*, *quos tu noſti quod ſenes populi & prafecti ejus ſint*, *& duc eos ad tabernaculum teſtimonii* (ſeu *conventionis*) *ut ſtent ibi tecum. Et deſcendam ego* (Chald. *revelabo me*) *loquarque tecum ibidem*; *& ſegregabo de ſpiritu qui eſt ſuper te* (Chal. *augebo de ſpiritu*) *& ponam ſuper eos*; [Hebræi, *Non quod minui debeat ſpiritus Moſis*, *ſed quod eodem ſpiritu illuminari debeant LXX*, *haud ſecus atque ignis ab igni accendi ſolet.*] *portabuntque tecum onus populi*, *ne tu ſolus ferre cogaris.* Et rurſum Deut. 16. 18. *Judices & prafectos conſtituas tibi in omnibus urbibus tuis quas Dominus Deus tuus dat tibi*, *ſecundum tribus tuas*, *qui judicabunt populum judicio juſto.* Ita Jehovah ad Moſen. *Sunt*, autem, ait Fagius, *de Senioribus & Prafectis iſtis diverſa Hebræorum ſententia. Quidam enim putant eos fuiſſe*, *qui & in Ægypto Seniores & Prafecti populi fuerant*, *qui cum condolerent populo preſſo laboribus*, *neque tam ſevere ab ipſis exigerent ſummam conficiendorum laterum ut illis à Pharaone erat præceptum*, *& ob id à ſervis Pharaonis populi cauſa verberarentur*, *ideo meruiſſe eo beneficio ut ad regimen populi una cum Moſe adlegerentur. Alii dicunt eoſdem fuiſſe Seniores qui prius cum Moſe in temporalibus regerent*, *non autem in ſpiritualibus*, *nunc autem illis & earum rerum ſpiritualium una cum Moſe demandatam fuiſſe*, *ideoque Spiritum prophetiæ etiam accepiſſe*, *ut eas felicius adminiſtrarent. De iſtis LXX Senioribus ſcribunt quoque Hebræi*, *quod Moſes ipſis tradiderit & revelaverit verum Legis Divinæ intellectum*, *quem in monte Sinai à Domino acceperat. Sic enim ſcribunt in ſuo Talmud*, Moſes accepit legem de Sinai, & tradidit eam Jehoſuæ, Jehoſua vero Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetæ tradiderunt eam viris Synagogæ magnæ. *Per* SYNAGOGAM MAGNAM *vero intelligi Eſram ſcribam cum ſuis ſodalibus revertentibus ex Babylonia*, *qui obliteratam quodammodo Legem priſtino reſtituerunt nitori. Atque ab illis hæc ratio derivata fuit in poſteros per Sapientes*, *ſuccedentibus generationibus. Hinc etiam factum eſt tandem*, *ut cum Synagoga inſtituerentur in Iſrael*, *unicuique Synagoga ſeptuaginta Doctores præficerentur.* Vide Hilarium in Pſal. 2. *Ab his igitur LXX Senioribus deſcenderunt Judices ordinarii in ſingulis civitatibus*, *quos vocant Hebræi* SANHEDRIN. Hæc Fagius ad Num. 11. 16. Deuteronomii vero 16. aliquanto dilucidius ex Hebræorum commentariis, idem Fagius diſtinguit inter Judices, Præfectos & alios Magiſtratus. *Judices*, Hebræis שופטים *Schophtim*, *ſunt qui determinant cauſam ſive judicium.* *Schotrim*, שוטרים, i. *Præfecti*, *ſunt qui dominantur populo*, *& exſequuntur mandata eorum*, *ſcilicet Judicum*, *cum virga & flagello. Et qui ſummus eſt inter omnes Judices*, *is vocatur* נשיא NASI, *i. Prælatus*, *&* מופלא MUPHLA, *i. Excellens. Atque is eſt loco Moſis Magiſtri noſtri*, *cui fuerunt LXX Seniores*, *à quibus veniunt Sanhedrin. In qualibet autem civitate Iſraelitica erat Sanhedrin*, *i. Concilium*, *Senatus ſive Conſiſtorium parvum*, *quod conſtabat XXIII Sapientibus*; *eratque collocatum in porta civitatis. Et in conſpectu eorum ſedebant tres ordines diſcipulorum Sapientum*, *qui in locum Judicum decedentium ſuccedebant*, *ii videlicet qui erant propinquiores. In civitate vero in qua non erant* CXX *homines*, *non collocabatur in ea Sanhedrin. Stabant quoque coram Sanhedrin duo Scriba*, *unus ad dextram*, *alter ad ſiniſtram. Unus ſcribebat verba eorum qui dimittendum reum cenſebant*; *alter vero eorum qui damnandum judicabant. Duo item præcones*; *duo qui judicio contendebant*, *duo teſtes*, *& duo eorum adverſarii*, *atque duo collectores eleemoſyna. Porro ſi qua civitas non habebat* CXX *homines*, *conſtituebantur in ea tres tantum Judices. Adlegebantur autem in conſiſtorium magnum & parvum tantum Sacerdotes*, *Levita & Iſraelita nobiliores*, *qui digni erant ad Sacerdotium ſuſcipiendum*, *quique mundi erant ab omnibus vitiis corporis. Atque hi debebant eſſe viri ſapientes*, *divites*, *periti artis Magicæ*, *ut ſcirent deſtruere Magiam*, *gnari LXX linguarum*, *ita ut Judex qui ex Sanhedrin erat non opus haberet aliquid audire ex ore interpretis. Nec porro in Sanhedrin recipiebatur qui nimis ſenio confectus erat*, *nec eunuchus*, *idque propter crudelitatem*; *neque niſi cui eſſent liberi*, *quo eo magis miſericors eſſet. Sed nec Rex in Sanhedrin admittebatur*, *eo quod prohibitum ſit contendere cum eo. Sacerdos vero magnus recipiebatur*, *modo ſapientia præditus eſſet. Judices quoque eſſe debebant viri ſapientes & magnanimi*, *ad liberandum ſc. eum qui vim patitur de manu violenti*, *pauperes item oppreſſos*, *atque timentes Deum. Neque inhient avaritiæ ad colligendam pecuniam*; *ſed ſint viri veraces*, *alieni à mendaciis*, *& qui juſtitiam ſectentur.* Hæc Fagius. In eandem ſententiam de iiſdem judicibus R. Moſe quoque pronunciat, *debere ſapientes eſſe viros*, *corde intrepido*, *qui tyrannis ſeſe auſint opponere*, *Deum timentes*, *mites*, *patientes*, *veraces*, *& juſtitiæ zelatores.* Cœlius Rhodiginus lib. 10. cap. 1. de triplici Hebr. doctrina differens, Talmudica. Philoſophica, Cabaliſtica; poſtremam, nempe Cabalam, *omnium vetuſtiſſimam & cum primis veracem* eſſe ait, profectam videlicet ab ipſo Deo ter opt. max. qui eam primus Moyſi inſinuarit, hic vero aliis porro maxime idoneis. *Conſtans* liquidem *opinio eſt initio Moſen duplicem in monte* Sina *accepiſſe legem*, *literalem* alteram, alteram *ſpiritualem*: *Priorem ex Dei mandato* eum *conſcripſiſſe & populo* tradidiſſe, *alteram vero minime*, *ſed ſapientibus tantum ſeptuaginta numero communicaſſe*; *à quibus poſtea cæteris ad id item deſtinatis voce duntaxat ſit tradita. Unde & Cabala nomen exortum*, *quod gentis illius vocabulo* RECEPTIONEM *ſignat*, *quia per ſucceſſionum gradus citra literarum monumenta omnino nulla ſervaretur incolumis.* Ita Cœlius. Prolixe etiam de his Judicibus ex Hebræorum commentariis diſſerit Petrus Galatinus lib. 4. cap. 5. & 56. Inter cætera hæc habet; *Sanhedrin vocabantur quos nos Judices ordinarios appellare poſſumus. Dicebantur quoque* חכמים MECHOKEKIM i. *Scriba ſeu Legum-latores*, *eo quicquid tradebant & ſcribebant*, *tanquam lex ab aliis haberetur. Quorum Collegium* SCEPTRUM *datum à Spiritu S. domui Juda repræſentabat*, *& in ipſis*

Scepirum

Sceptrum ipſum pendebat. Quare non ſolum ſub Regibus & Ducibus reſidentes judicandi poteſtatem exercebant ; verum nullo etiam Rege aut Duce in Judæis exiſtente eorum nihilominus adhuc durabat auctoritas. De quorum qualitate in libro Talmudico Sanhedrin habetur. R. Johanan , „*Non erant* „*conſtituentes in Sanhedrin , niſi Dominos ſapientia , ſtatura* „*& apparentia , ac ſenaſſutis , & dominos incantationum,* „*nec non & ſcientes LXX linguas , ne oporteret illos interpre-* „*tes alios audire. Ubi gloſſa R. Salomonis ſic ait, Statura &* „*apparentia in eis requirebatur , ut in reverentia haberentur.* „*Quod autem eſſent incantationum domini , ideo exigebatur,* „*ut incantatores & maleficos in ſuis maleficiis & incantatio-* „*nibus confidentes convincerent & occiderent. Et alibi,* „*Quatuor mortes , i. quatuor occidendi modi traditi ſunt do-* „*mui judicii, i. ipſis Sanhedrin; videlicet, Lapidare, com-* „*burere, occidere, & ſtrangulare. Ibidem, Judicia divi-* „*tiarum ſive pecuniarum & bonorum mobilium per tres Judi-* „*ces fiebant ; Judicia vero animarum , per viginti tres , h. e.* „*XXIII de LXX Judicibus ordinariis, & non pauciores,* „*poterant hominem mortis reum ſive mortis obnoxium judica-* „*re. Non erant autem judicantes* Tribum , vel Sceptrum, „ neque Pſeudoprophetam, neque Sacerdotem magnum , *niſi* „*domus judicii LXXI Judicum. Nec erant egredientes* „*ad licitum bellum niſi ſecundum os domus judicii LXXI* „ *Judicum. Nec addebant civitati , nec Salariis Templi,* „*niſi per os judicii LXXI Judicum. Nec faciebant San-* „*hedrioth , i. Conventus Judicum ordinariorum , tribubus,* „*niſi per domum judicii LXXI Judicum. Quod per ma-* „*nuum impoſitionem in tribum fiebat. Collegium quoque Ma-* „gnum , *quod* SANHEDRE GEDOLA *dicebatur , LXXI* „ *Judicum erat ; Minus vero , viginti trium. Obſerva,* „*Septuaginta & unum Judices fuiſſe , ex eo quod dictum eſt* „Num. 11. CONGREGA MIHI LXX VIROS DE SE- „NIORIBUS ISRAEL. *Moſes autem fuit ſuper eos. Sic* „*ergo fuerunt* LXXI. Unde habetur argumentum, quod tota domus judicii LXXI judicum ad judicandum Chriſtum ſimul convenit , eo quod dictum eſt , *Non judicabat tribum, neque ſceptrum, neque Sacerdotem magnum*, &c. Chriſtum autem habebant pro pſeudopropheta. Minoris Conſiſtorii Judices ſuperioribus erant ſubjecti, à quibus etiam conſtituebantur. Summatim , Conſiſtorium Magnum in urbe Hieroſolymitana, in loco Gazith , i. camera dolata & polita, ejus erat auctoritatis cujus eſt hodie Camera Imperialis in Germania, & Parlamentum in Regno Franciæ ſeu Galliarum. Cæterum de occaſu cum Regni Judaici tum judiciariæ hujus poteſtatis Galatinus ibidem, *Utrumque* ait *Herode Aſcalonita regnante (qui genere paterno Idumæus, materno Arabs fuit) defeciſſe.* Quamvis autem Herode permittente alii poſtea hujuſmodi Collegii Judices inſtituti fuerint qui ſub ipſo Rege eſſent, ſicut & antea ſub aliis exſtiterant, quia tamen non erant veri Judices, nullam in rebus gravibus aut criminalibus judicandi poteſtatem habebant. Ut inde plane oſtenderetur , ſub ipſo Herode hanc judicandi auctoritatem una cum dominandi Sceptro in Judæis penitus defeciſſe. Eam ob rem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, dum de his Judicibus loqueretur, qui ea tempeſtate de Scribis & Phariſæis eligi ſolebant, *Super Cathedram*, inquit, *Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi* , Matth. 23. 2. Aoriſt. *á.* Syr. futurum ut ſæpe, pro omni tempore. *Sederunt*, dixit , & non *ſedent* , ut manifeſte demonſtraret quod eorum tunc jam ceſſaverat poteſtas. Quod etiam ipſimet confitebantur , dicentes Pilato , *Nobis non licet interficere quenquam* , cum à nobis ſcilicet ſanguinis ablatum ſit judicium. Et tunc ob falſum judicium in ſanguinem ipſius juſti Chriſti prolatum de Conſiſtorio Gazith expulſi fuerunt, anno ante ultimi Templi excidium XL. & poſtea juſſu Romanorum cœleſtis quoque vocis perſuaſu, omnes denique interfecti. Legitur præterea in lib. Sanhedrin Hieroſolymitano , *R. Rahamon dixiſſe, quod cum Sanhedrin migraſſent de conſiſtorio Gazith, & ab eo ablata fuiſſent judicia animarum , conſuerunt ſuper pellem ſuam cilicium , depilaveruntque ſibi calvitium , plorantes & dicentes, Væ nobis, quia receſſit ſceptrum de Juda, & nondum venit Filius David , i. Meſchias*, &c. Addo præterea lectu digniſſimam commentationem Caroli Sigonii, de omnibus circumſtantiis judicii hujus, quæ exſtat l. 6. De Repub. Hebræorum , c. 5, 6 & 7. *Judicia*, inquit, *Hebræorum illa Græci Bibliorum interpretes modo κρίσιν modo δίκλω verterunt, nimirum vim ipſam duplicem judiciorum ſtectantes , in quibus condemnatio & abſolutio continetur. Judiciorum item tribunalia fuere duo, Unum in ſingulis Civitatibus, κρίσις vocatum, alterum præcipue Hieroſolymis, συνέδριον nominatum. Judices dico civitatum cum Principibus ſuis, qui Græce γερουσιάρχαι dicti ſunt, inſtitutos eſſe in ſolitudine à Moyſe, primum ex auctoritate ſoceri ſui Jethro , deinde ex præcepto Dei. Cum enim Moyſes anno primo in deſerto ad cauſas audiendas aſſediſſet, monitus eſt à Jethro ſocero ut labori illi parceret, ac viros ſapientes, gnaros & prudentes pro ſe ad judicandum ſtatueret , ac ſibi tantum rerum graviorum curam reſervaret. Itaque ille tum Principes , Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios & Decanos , ſive, ut Græcum tradit, Chiliarchos , Hecatontarchos, Pentecontarchos & Decadarchos, Judicibus cauſarum Introductores ſeu Grammateiſagogeas præpoſuit*; Exod. 18. Deuteron. 1. *Hi deinceps à Joſaphate ſunt confirmati , ut eſt* 2 *Paral.* 19. *Perturbatu inde in Babylonica terra judiciis, Judæi , poſtquam in patriam redierunt , ut cætera, ſic hæc quoque reſtituerunt : Atque ita deinde uſque ad extrema tempora Judæorum. Judices autem hi e corpore ſenatorum cujuſque civitatis videntur fuiſſe lecti; quemadmodum à primis etiam temporibus apud Romanos judicia à Senatoribus agitata ſunt. Vide Deut.* 19. *&* 21. *Ruth* 4. *Conditiones porro proborum Judicum quatuor ex Lege elicuit Philo in libro De Judice ; Unam, Ne vanos auditus excipiat. Quod in Lege interpres vertit Exod.* 23. NON SUSCIPIES VOCEM MENDACII : *cujus præcepti Philo hanc rationem reddidit* , „*Quia oculi , inquit, rebus ipſis interſunt, & con-* „*trectant quodammodo , adjuvante luce , per quam illuſtran-* „*tur deprehenduntque omnia; aures autem (ſicut recte dixit* „*quidam ex veteribus) minus fidei habent quam oculi , ut* „*quibus non cum rebus ipſis ſit commercium , ſed cum verbis* „*rerum interpretibus , non ſemper veritatem ſectantibus. Alteram* ; Ne munera *accipiant, quod etiam excæcent prudentes, & ſubvertant verba juſtorum. Nam muneribus induci ad juſtitiam, eſt hominis ſceleratis ; ſemimali , non reddere jus abſque opera præmio. Sunt enim quidam inter juſtos injuſtoſque medii inſtituti ad tuendos oppreſſos ab oppreſſionibus , qui tamen nolunt gratis ferre ſententiam pro cauſa meliore. Oportet autem ut ſententia Judicis ſit non ſolum legitima ſed etiam incorrupta. Tertiam ; Ut cauſas partium examinent ante judicium , ſemoto omni perſonarum reſpectu, ſive ſint cives , amici, familiares , ſive contra ; ne quid benevolentia vel odium cognitioni officiat. Quartam ; Ne in judicio pauperis miſericordia moveantur, ſic enim inquit Lex ,* NON MISEREBERIS PAUPERIS IN JUDICIO. *Cujus dicti rationem hanc* „*idem adfert, Pauperes in ſolo judicio miſerari nefas. Nam* „*miſericordia debetur infelicibus ; quiſquis autem ſponte male* „*fecit, non infelix ſed iniquus eſt : iniquis autem pœna, juſtis* „*præmium proponitur. Itaque nemini miſero propter ſuam* „*inopiam pœna remittatur , quia non miſericordiam ſed iram* „*meretur : & qui ad judicandum accedit , debet more boni* „*nummularii naturas negotiorum diſcernere , ne turbatis ſignis* „*confundantur proba cum improbis. Judicia porro quæ in* „*portis ſingularum civitatum exercebantur deſcripta ſunt Deut.* 26. 21, 25. *Joh.* 8. *Ruth* 4. *Prov.* 22, *&* 31. *Pſal.* 126. *De teſtibus vide Deut.* 17. *&* 19. *quæ loca explicans Joſephus,* „*Uni teſti, inquit , fides non habeatur , ſed tribus aut duobus* „*quorum vita ſtectata ſit. Mulieribus propter levitatem aut te-* „*meritatem non credatur , neque ſervis propter generis humi-* „*litatem, quos aut lucro aut timore ad teſtimonium dicendum* „*adduci videtur veriſimile. Si quis teſtatus falſum deprehen-* „*detur, eadem pœna afficiatur qua ille afficiendus fuit pro quo teſtimonium dixit. Eadem etiam lege ſanctum , ne quis indicta cauſa damnaretur. Sic enim Nicodemus apud S. Johannem* 7. NUNQUID LEX NOSTRA JUDICAT HOMINEM, NISI PRIUS AUDIERIT AB IPSO, ET COGNOVERIT QUID FECERIT? *Vide & Deut.* 25. SI FUERIT CAUSA INTER ALIQUOS, &c. *De Concilio Hieroſolymitano* hæc habet, cap. 7. *Conſiſtorium Gazith , quod Græci* συνέδριον *&* CATHEDRAM, *Latini* CONCILIUM, *Talmudiſtæ* SANHEDRIN *nominarunt , fuit tribunal omnium & numero & dignitate judicum ampliſſimum , in ea urbe quam Deus elegit , ac caput eſſe ſanctitatis atque Imperii ſtatuit , id eſt, primum in Silo , deinde Hieroſolymis, ſive primum in tribu Ephraim, deinde Judæ, eo conſilio conſtitutum ut quæ à judicibus ſingularum civitatum , variantibus de jure factove ſententiis , definiri non poſſent , huc denique referrentur. De hoc vero tribunali dicturus , primum omnia quæ à Talmudiſtis dicuntur exponam , deinde quid ipſe apud ſacros ſcriptores legendo compererim addam. Sic igitur varie in locis illi ; Tempore Moyſis Dei juſſu LXX Seniores ætate provecti ac ſcientia probati delecti fuerunt , qui ipſius Moyſis in populi regimine coadjutores eſſent; ad quos & omnes Legis difficultates declarare ac definire , & in rebus gravibus & cauſis arduis judicare pertinebat. De quibus illud in Deuteronomio ſcriptum eſt*, Si difficile atque ambiguum apud te judi-

cium

cium eſſe perſpexeris, ſurge, & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, ut ibi nomen ejus evoces. *Hi autem* Sanhedrin *vocabantur, & ſedebant in Conſiſtorio Gazith ad judicandum judicia animarum. Dicebantur quoque* סופרים Mechokekim, *id eſt*, Scribæ, *ſive* Legumlatores, *eo quod quicquid tradebant & ſcribebant tanquam lex ab aliis haberetur. Quorum collegium Sceptrum datum à Spiritu Sancto domui Juda repræſentabat, & in ipſis ſceptrum ipſum pendebat. Quare non ſolum ſub Regibus & Ducibus reſidentes judicandi poteſtatem exercuerunt; verum nullo etiam Rege aut Duce apud Judæos exiſtente eorum tamen duravit auctoritas. Quatuor autem modi occidendi traditi ſunt eis*, Lapidare, Comburere, Occidere, & Strangulare. *Unde habebant, quod quando interfeciſſent animam, i. cum aliquem occidendum judicaſſent, tota die illa nihil guſtarent. Judicia porro de pecuniis & bonis mobilibus fiebant per tres Judices, animarum per viginti tres. Nemo autem judicabat* tribum, ſceptrum, Pſeudoprophetam, *aut Sacerdotem magnum, niſi domus judicii LXXI Judicum. Nec egrediebatur ad bellum niſi ſecundum os domus judicii LXXI Judicum. Nec addebant civitati, nec ſalarius Templi, niſi per eoſdem. Nec faciebant Sanhedrioth, i. conventus Judicum tribubus, niſi per eoſdem. Collegium magnum erat LXXI Judicum; minus, XXIII. Erant autem LXX Seniores* (*de quibus Num.* 11. Congrega mihi LXX Seniores) *& unus Moſes. Minor ipſorum Sanhedrin conventus non poterat niſi à LXX majorum Conventu ordinari. Ipſi namque Judices LXX ordinabant aliorum Judicum conventus, qui in aliis civitatibus & locis circumquaque populum regebant; hac tamen conditione, ut unuſquiſque cujuſque regionis Conventus magno majorum conventui Hieruſalem & in loco* Gazith *vocato exiſtenti ſubeſſet. Judices autem manuum impoſitione legebantur, ita ut quinque neceſſarii eſſent qui id munus præſtarent. Hos vero Sanhedrin Herodes Rex ſuſtulit. Inde alii ſubſtituti ſunt, ſed ſine poteſtate ſanguinis. Unde Pilato reſponderunt*, Nobis non licet interficere quenquam. *Inde ob falſum Chriſti judicium annos* XL *ante quam Templum à Romanis incenderetur, ex Conſiſtorio Gazith expulſi ſunt, & in Hamith conſederunt. Non licebat autem de capite agere niſi in Gazith; ut Deuter.* 17. Et facies ſecundum verbum oris quod nunciabant tibi de loco illo. *Item*, & ſurges, & aſcendes ad locum. *Ad extremum hi Judices quoque omnes à Romanis iterum interfecti ſum. Atque hæc quidem Talmudiſta, qui certam harum rerum notitiam ſibi vendicant, Petro Galatino auctore. Nos autem hæc ad ea quæ illi quaſi oculis comperta ſcripſerunt, ex ſacris & V. & N. Teſtamenti theſauris, ac præterea ex Joſephi monumentis, adjungimus, quibus inſtitutionem, confirmationem, jus ac poteſtatem hujus Concilii explicemus. Inprimis ergo hoc tribunal à Deo inſtitutum eſſe apparet, ut à judicio Judicum ad concilium Seniorum & Sacerdotum veniretur, ut ſcriptum eſt Deut.* 17. Si vero difficile, *&c. Ex quo loco apparet hoc judicium mandatum eſſe Regi, Sacerdotibus & Senioribus populi. Hi enim præcipui erant, qui præerant loco quem elegerat Dominus. Itaque Joſephus hanc legem ſic reddidit ut præcipuam Senatus mentionem fecerit. Sic enim ſcripſit*, Si vero Judices neſciunt de rebus ad ſe delatis pronunciare, integram cauſam in urbem ſanctam mittent, & convenientes Pontifex & Propheta & Senatus, quod viſum ſit, pronuncient. *Poſt autem Moyſes aperte Judices nominat ipſos, quos diximus, Sacerdotes Deut.* 19. *inquiens*, Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum prævaricationis, ſtabunt ambo ante Dominum coram ſacerdotibus & coram judicibus qui erunt in illis diebus. *Joſephus autem ipſos etiam Sacerdotes commemoravit lib.* 2. *ad Appionem, cum ſcripſit*, Sacerdotes inſpectores omnium, judices controverſiarum, punitores damnatorum conſtituti ſunt à Moyſe. *Quinetiam Moyſes ipſe in concilio cauſam cognovit ejus qui Sabbato ligna collegerat, Levit.* 15. *Sic enim Philo* 3. *De vita Moyſis inquit*, Comprehenſum hominem adduxerunt ad Principem, cui aſſidebant in Concilio Sacerdotes, aderat vero univerſa multitudo ad audiendum in die Sabbati. Moyſes autem, quo ſupplicio dignus eſſet ignarus, Deum conſuluit; qui lapidibus cædendum eſſe reſpondit. *Ut autem hoc tribunal Moyſes inſtituit, ſic poſtea Joſaphat Rex Juda ſancivit, quomodo etiam judicia in civitatibus confirmaret. Sic enim ſcriptum eſt* 2 *Paral.* 19. In Hieruſalem quoque conſtituit Levitas & Sacerdotes & Patriarchas ex Iſrael, ut judicium & cauſam Domini judicarent habitatoribus ejus: præcepitque eis, dicens, Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. Omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in urbibus ſuis, inter cognationem & cognationem, ubicunque quæſtio eſt, de lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus, oſtendite eis ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos & ſuper fratres veſtros. Sic ergo agentes non peccabitis. Amazias autem pontifex veſter in iis quæ ad Deum pertinent præſidebit. Zabadias filius Iſmael, qui eſt dux in tribu Juda ſuper ea opera erit quæ ad Regis officia pertinent. Magiſtri Levitæ erunt coram illis. *Invere ergo hoc Concilium, ut ex his apparet, Rex cum principibus populi, ac LXX Senioribus populi, & Pontifex cum Principibus ſacerdotum, & Scribis, i. Legis Doctoribus, ut perſpicere licet ex Euangeliis, ubi agitur de judicio Chriſti. Veco autem Principes populi duodecim Principes tribuum, qui Regi aſſidebant: Seniores vero ipſos, quos dixi LXX* populi Senatores. *Quare Joſeph ab Arimathea, Senator ſive Decurio nobilis, idem Concilii particeps fuit; ſiquidem ſcriptum eſt ipſum cum cæteris aſſenſum damnationi Chriſti non præbuiſſe.* Principes *autem* Sacerdotum *dico illos qui vicenis quaternis Sacerdotum claſſibus ſeu vicibus ſinguli ſingulis præerant: Scribas vero ipſos* Legis Doctores, *quos* Prophetas *Joſephus vocavit. Deleto inde Babylonica tranſmigratione Concilio, cum reverſis in patriam Judæis reliqua inſtituta reſtituerentur, etiam Sacerdotibus poteſtas in Concilio judicandi eſt data: quod præmonuit Ezechiel cap.* 44. *mandato Dei inquiens*, Sacerdotes populum meum docebunt quid interſit inter ſanctum & profanum, & inter impurum ac purum, judicabunt eis: & circa judicium ſanguinis ipſi inſiſtent ut dijudicent: & juſtificationes meas juſtificabunt, & judicia mea judicabunt, & leges meas & præcepta mea in omnibus diebus feſtis meis cuſtodient, *i. de cauſis religioſis & capitalibus cognoſcent, atque homines juſtificabunt, i. abſolvent, & judicabunt, i. condemnabunt, prout ego in lege faciendum eſſe præſcripſi, ubi qui digni venia & qui pœna eſſent demonſtravi. Sunt autem qui hoc Concilium poſt è familia Davidis lectum fuiſſe dicant, atque eos poſtea ab Herode Rege fuiſſe ſublatos. Quod ſi ita eſt, videndum eſt num eo verba Pſalmi in reſtitutione urbis Hieroſolymitanæ, teſte S. Athanaſio cantata, referre poſſint*, Quia illic, *i. in Hieruſalem*, ſederunt ſedes ad judicium, ſedes ſuper domum David, *i. è domo David. Advocarunt vero hoc Concilium aut Rex, aut Pontifex, prout crimen delatum aut civitatem attigit aut religionem. Caterum ordo rei apud hos Judices peragendæ ferme fuit hujuſmodi. Qui nomen deferre alterius cupiebat, is ferme aut Regem aut Pontificem aut Principes adibat, rerumque denunciabat. Quo facto illi miniſtros ad hominem capiendum mittebant, &, ſi res tuliſſet, cohortem etiam a Præfecto Templi acceptam adjiciebant: eumque ad ſe adductum ferme in carcere atque in cuſtodia militari habebant donec de illo judicaretur. Inde univerſo convocato Concilio opera cognitioni dabatur. Intendebatur autem ab accuſatore crimen, & pœna his verbis*, Judicium mortis eſt viro huic, quia hoc aut illud fecit. *Repellebatur autem à defenſore his*, Judicium mortis non eſt viro huic, quia illud non fecit, aut quia juſte fecit. *Ubi vero perorata utrinque cauſa erat, tum Judicibus ſuffragia dabantur; atque ille pro numero ſententiarum aut condemnabatur aut abſolvebatur. Ubi vero res ad Romanos redacta eſt, Concilio relicta tantum eſt condemnatio, animadverſio vero erepta, ſed Procuratori Romano permiſſa. Quod in judicio Chriſti evenit. Nam Concilium damnavit Chriſtum & morti addixit, populus vero à Concilio incitatus à Pilato Procuratore popoſcit ut crucifigeretur; atque ille ut ita fieret judicavit. Formula porro intendendi aut repellendi criminis eſt Ierem.* 26. Locuti ſunt ſacerdotes & prophetæ ad principes Juda, dicentes Judicium mortis eſt viro huic, quia prophetavit adverſus civitatem iſtam. Et dixere principes ad ſacerdotes, Non eſt viro huic judicium mortis, quia in nomine Domini Dei noſtri locutus eſt ad nos. *Formula vero damnationis eſt apud S. Matthæum* 26. Ecce nunc audiſtis blaſphemiam; quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt, Reus eſt mortis. *Quod Marcus dixit*, Qui omnes condemnaverunt eum eſſe reum mortis. *Verum hæc qua dixi omnia clarius cognoſcentur, ſi ſingula quæ ab hoc ordine judicia facta ſunt, de quibus literis proditum ſit, exponentur. Mentio ergo* judicii & concilii *fit in Pſalmo primo*, Ideo non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio juſtorum. I. *Primum autem judicium quod nominatim peractum à Concilio ſit, in ipſo Aſſamonæorum imperio, nempe Hyrcano regnante, apud Joſephum lib.* 14. *traditur, cum Herodes reus factus eſt, is qui poſtea rex fuit. Quo tempore vigebat lex cujus idem meminit, Ne cui nocenti vita eriperetur niſi Concilii ſive* (*ut Græco vocabulo utar*) *Synedrii ſententia condemnato, Herodes, inquit, Antipatri filius quoſdam latrones ſine Concilii ſententia interfecerat, ac potentia ſua terrorem omnibus inferebat. Quare multi Hyrcanum Regem & popu-*

populum hortati ſunt ut ipſum cauſam dicere in Concilio cogerent. Hyrcanus autem Herodem ad cauſam in Concilio dicendam adeſſe juſſit. Ille vero in Concilium cum cohortibus ſuis progreſſus adeo terruit omnes ut nemo ad accuſandum accedere auderet. Silentibus autem omnibus unus Sameas, vir juſtus, dixit, Viri ex Concilio, & Rex, credo neminem veſtrum unquam vidiſſe ſimilem huic aliquem in hoc Concilio conſiſtentem. Nam qui huc accedere conſueverunt ut cauſam dicant, humiliter aſtare, & miſericordiam à vobis poſcere capillis promiſſis & veſte atrata ſoliti ſunt: Hic vero de cæde cauſam dicturus, adeſt purpuratus, & capite ornato armiſque ſtipatus, ut ſi condemnatus ex lege fuerit, nos morte afficiat, ipſe vero vi facta veritati evadat. Verum Herodem non accuſo, ſiquidem commodo ſuo, non legi conſuluit; ſed vos aut Regem, qui ei tantam licentiam tribuiſtis. Unum ſcitote maximum eſſe DEUM. Quare hic, quem nunc propter Hyrcanum dimittere vultis quandoque vos & ipſum Regem torquebit. *Hyrcanus autem cum vidiſſet Judices ad necem Herodis propendentes, judicium in poſterum diem diſtulit, & clam monuit ut urbe abiret. Judæa inde poſt Ariſtobulum victum in poteſtatem Rom. redacta, ac provincia facta, Antipatrum Herodis patrem Procuratorem accepit, eo jure ut nec Pontifex Concilium ipſo inſcio atque invito Procuratore convocare, nec Concilium ſine auctoritate Procuratoris Rom. in damnatum animadvertere poſſent, ut ſcribit Joſephus lib. 20. ubi de S. Jacobo fratre Domini loquitur. Inde P. Gabinius, ut idem prodit, Syriæ Proconſul ab Alexandro Ariſtobuli F. provocatus, nova victoria parta rurſus Judæam conſtituit. Etenim quatuor Conciliis additis gentem in quinque partes diſtribuit; quarum una, teſte Joſepho, Hieroſolymis egit, altera Gadaris, tertia Amathunte, quarta Hiericunte, quinta Sephoris Galilææ. Quare cum quinque Concilia eſſent, merito Chriſtus ad Apoſtolos dixit Matth.* 10. Cavete ab hominibus: tradent enim vos in conciliis, (*Græce εἰς συνέδρια, i.* Concilia) & in Synagogis flagellabunt vos. *Poſt autem Herodes Rex à Romanis appellatus, ac Hieroſolymorum potitus, ut idem tradit Joſephus, epiſtolas quaſdam Hyrcani ſuſpicioſas huic Concilio indicavit, atque illum jam Regno orbatum, ut Sameas vaticinatus fuerat, interemit, & LXX Senatores morte affecit, atque eis humiliores alios ſubdidit; ut Talmudiſta quoque cum Philone notarunt, qui ſcripſit in libro De Temporibus*, Herodes anno XXX Principatus ſui Sanhedrim ex domo David ſuſtulit. *Mortuo inde Herode, atque Archelao filio ejus Rege ab Auguſto Imp. Viennam relegato, Judæa iterum provincia Romanorum facta Procuratori ſubjecta, Herode Antipa Herodis Regis F. Galilææ nomine Tetrarcha tenente. Quo tempore Phariſæi & Sadducæi magnas in Concilio opes habuerunt (hæ duæ hæreſes Aſſamonæorum, ut dixi, temporibus excitatæ tum civitatem præcipue obtinebant) quod ex Senioribus, Sacerdotibus, Scribis & Principibus alii in una, alii in altera hæreſi verſarentur. Quare Chriſtus, qui per hos annos Euangelium docuit, ſæpe hujus Concilii, & eorum qui illud inierunt, mentionem fecit. Primum enim, cum quodam die ſermonem longum in monte inſtituiſſet, ac correctionem veteris legis afferret, novaſque pœnas homicidio conſtitueret, veritus mortis Judaicæ ſpirituales pœnas temporariis ipſis, quæ tum ex lege uſurpabantur, expreſſit*, judicium *nominans, &* concilium. *Quemadmodum enim dictum erat in Pſalmo*, Impii non reſurgent in judicio, neque peccatores in concilio juſtorum; *ſic ipſe dixit*, Audiſtis dictum eſſe antiquis, Non occides. Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quod omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. *Quibus verbis ſignificavit majus periculum impendere ei qui reus ad Concilium adducatur quam ei qui ad judicium, quorum illud συνέδριον, hoc κρίσιν S. Matthæus vocavit. Nam ut in judicio crimina leviora, in Concilio graviora diſquirebantur, ſic in illo pœnæ leviores, in hoc acerbiores infligebantur. Nam* gehennam *locum fuiſſe tradunt quo cadavera damnatorum cremanda projiciebantur. S. autem Auguſtinus longe aliter interpretatur, inquiens*, Tres reatus ſunt, judicii, concilii, & gehennæ ignis. Nam in judicio adhuc defenſioni datur locus. In Concilio autem quanquam & judicium eſſe ſoleat, tamen quia intereſſe aliquid hoc loco fateri cogit ipſa diſtinctio, videtur ad Concilium pertinere ſententiæ prolatio, quando non jam cum ipſo reo agitur utrum damnandus ſit, ſed inter ſe qui judicant conferunt quo ſupplicio damnari oporteat quem conſtat eſſe damnandum. *Apparet autem ipſum judicialis rationis Hebraicæ notionem non habuiſſe. Alio inde loco Chriſtus prænuncians Diſcipulos ſuos de morte qua afficiendus eſſet à Concilio Hieroſolymitano, dixit item apud S. Matthæum* 16. ſe oportere ire Hieroſolymam, & multa pati à Senioribus & Scribis & Principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere. *Inde cum prædicatio ejus omnibus innotuiſſet, ac legi veteri officere videretur, præcipue hoc Concilium ei obſiſtere inſtitit. Sic enim ſcripſit S. Lucas*, 20. Principes ſacerdotum & Scribæ cum Senioribus quæſierunt à Chriſto, Dic nobis, In qua poteſtate hæc facis? aut quis dedit tibi hanc poteſtatem? *Cumque eo modo capere non potuiſſent*, obſervantes miſerunt inſidiatores, qui ſe juſtos ſimularent, ut caperent eum in ſermone, & traderent illum principatui & poteſtati Præſidis. Et interrogaverunt eum, dicentes, Licet nobis tributum dare Cæſari, an non? *Et Joan.* 11. Quidam ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Jeſus. Collegerunt ergo principes ſacerdotum & Phariſæi concilium, & dicebant, Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani & tollent locum noſtrum & gentem. Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet pontifex anni illius, dixit eis, Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis quia expedit nobis ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum: *& poſt*, Dederunt principes ſacerdotum & Phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit ubi ſit, indicet, & apprehendant eum. 11. *Inde ſecutum eſt ipſum Concilii judicium omnium celebratiſſimum, in quo idem morte condemnatus atque affectus eſt. Id vero pluribus locis Euangeliſtarum in unum collatis exponetur, quod ex eo mos hujus judicii facilius quam ex ullo alio percipi poſſit. Ordinem autem acta rei, nullo citato præcipuo loco, quod ſingula notiſſima ſint, exſequemur.* Convocati quippe ſunt Principes ſacerdotum & Scribæ & Seniores populi in atrium Pontificis qui dicebatur Caiphas, & conſilium inierunt quemadmodum Chriſtum dolo tenerent & interficerent. Judas autem unus de duodecim Diſcipulis Chriſti acceſſit ad eos tum, & pollicitus eſt ſe illum traditurum, ſi ſibi triginta denarios darent. Et accepta pecunia abiit, quærens opportunitatem tradendi eum ſine turbis. Interim Jeſus Paſcha cum Diſcipulis ſuis celebravit, cœnamque ultimam fecit, in qua ſe proditum iri ab uno eorum dixit. *Tum myſteriis omnibus perfectis exiit cum Petro & filiis Zebedæi in hortum extra urbem, atque orationi ſe tradidit.* Tum Judas miniſtris & cohorte à Principibus ſacerdotum & Senioribus populi & magiſtratibus Templi acceptis, *noctu acceſſit, atque illum prodidit.* JESUS autem dixit ad eas quæ ad ſe convenerant turbas, Tanquam ad latronem acceſſiſtis cum gladiis & fuſtibus ut me caperetis; cum quotidie eſſem vobiſcum in templo, in me manus non injeciſtis. Cohors autem & Tribunus & miniſtri Judæorum eum corripuerunt, & vinctum adduxerunt ad Caipham, qui erat Pontifex illius anni. Pontifex autem interrogavit illum de Diſcipulis & doctrina ſua. Qui vero tentabant eum, illuſerunt ei cædentes eum. *Alii vero Petrum Diſcipulum ejus ad focum flammæ varie fatigaverunt.* Ubi vero illuxit, convenere Seniores populi, Principes ſacerdotum, & Scribæ cum univerſo Concilio, ut eum morti traderent, & duxerunt eum in Concilium ſuum, quærentes falſum teſtimonium adverſus eum, & non invenerunt. Tum dixerunt, Si tu es Chriſtus, dic nobis. Quibus ille, Si dixero vobis, non creditis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis DEI. Dixerunt autem omnes, Tu ergo Filius Dei es? Qui reſpondit, Vos dicitis, quia ego ſum. Tum illi dixerunt, Quid deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audivimus ex ore ejus. Et reum mortis condemnaverunt. Et ſurgens omnis multitudo duxerunt eum à Caipha in prætorium ad Pilatum Præſidem, ut eum morti traderent. Exivit autem Pilatus ad eos foras, & dixit, Quod crimen objeciſtis homini huic? Reſponderunt, Si non eſſet hic facinoroſus, non tradidiſſemus eum tibi. Dixit eis Pilatus, Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate. Dixere Judæi, Non licet nobis interficere quenquam. Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum eſſe Regem. Pilatus autem rogavit eum num eſſet Chriſtus Rex Judæorum? cui ille, Tu dicis. Pilatus autem ad Principes ſacerdotum & turbam, Nullum crimen invenio in hoc homine. At illi invalescebant, dicentes, Commovet populum, docens per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa uſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, rogavit num Galilæus eſſet; & ut cognovit eum Herodis ditionis eſſe, miſit ad Herodem, qui Hieroſolymis erat. Herodes autem cum nullum reſponſum ab eo elicere potuiſſet, ſprevit, & remiſit ad eum veſte alba. Pilatus autem convocatis Principibus ſacerdotum & Principibus & populo, dixit, Obtuliſtis mihi hominem hunc, quaſi avertentem populum, ego vero nullum crimen invenio, ſed neque Herodes. Cum autem moris eſſet, ut per diem feſtum Præſes

vinctum unum populo dimitteret, quem vellent, & latronem inſignem in vinculis haberet nomine Barabbam, rogavit populum utrum vellet dimitti, Barabbam an Jeſum. Illi a Principibus ſacerdotum, & Senioribus incitati, dixere, Barabbam. Tum ille, Quid faciam de Jeſu? Dixerunt, Crucifigator. Tum Pilatus, Nullum crimen invenio in eo. Reſponderunt, Nos legem habemus & ſecundum legem debet mori, quia Filium DEI ſe fecit. Quærente autem Pilato dimittere Jeſum, clamavere Judæi, Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim qui regem ſe facit, contradicit Cæſari. Videns autem Pilatus ſe nihil proficere, ſedens pro tribunali, lavit manus coram populo, dicens, Innocens ego ſum à ſanguine hujus, vos videbitis. Reſpondet autem univerſus populus, Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios. Tunc Pilatus volens populo ſatisfacere adjudicavit fieri petitionem eorum, ut crucifigeretur. Tunc milites ſuſceperunt Jeſum, & eduxerunt eum portantem ſibi crucem in Calvariæ locum; & hora ſexta crucifixerunt. *Ex his apparet, cum dictum eſt* convocatum eſſe ſummo mane concilium, atque eos deduxiſſe Chriſtum in concilium ſuum, *convocatum eſſe in Gazith, atque eo è domo Pontificis adductum eſſe Chriſtum, ibique morti obnoxium eſſe ſancitum; unde à populo mortis genus eſſe inditum, idque Pilati Præſidis ſententia comprobatum.* III. *Tertium inde hujus Concilii judicium (ut ordinem temporum perſequamur) memoratur in Actis, ubi de S. Petro & Johanne agitur c.* 3, *&* 4. Petrus & Johannes cum Templum ingredientes claudum quendam ab utero matris ſanaſſent, & mirante populo multa ſuper ea re verba facerent, ſupervenere Principes ſacerdotum, magiſtratus Templi & Sadducæi dolentes quod populum docerent, & annunciarent in Jeſu reſurrectionem mortuorum; & injectis manibus condiderunt in carcere. Poſtridie vero congregati ſunt Principes eorum, Seniores & Scribæ in Hieruſalem, & Annas Princeps ſacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant ex genere ſacerdotali. Et ſtatuentes eos in medio rogabant in qua virtute hæc feciſſent: *& mox*,* Jufferunt autem eos extra Concilium ſecedere. *Hoc enim in loco Caiphas erat Pontifex, Anna Pontificius, ſed poteſtatem Pontificis Caipha generi ſui gerebat, Joannes & Alexander, ut ſupra diximus, erant Principes ſacerdotum.* IV. *Quartum eſt cap.* 5. *ubi agitur de Apoſtolis prodigia facientibus;* Exſurgens autem Pontifex, & omnes Sadducæi qui cum illo erant, repleti ſunt zelo, & injecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica. Adveniens inde Pontifex, & qui cum eo erant, convocavere concilium & omnes Seniores (*Græce* πᾶσαν γερουσίαν) filiorum Iſrael; & miſerunt ad carcerem ut adducerentur. Ut autem neminem in carcere inventum audiverunt, magiſtratus Templi & Princeps ſacerdotum ambigebant de illis quidnam fieret. Tunc abiit magiſtratus cum miniſtris, & adduxit illos ſine vi: & cum adduxiſſet, ſtatuerunt in Concilio: quos monuit Pontifex ne verba facerent in nomine Jeſu. Cum autem reſpondiſſet Petrus, Deo magis quam illis obedire oportere, ſurgens quidam in Concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legis Doctor, juſſit eos paululum foras ſecedere. *Demum*, Et convocantes Apoſtolos cæſis denunciaverunt ne omnino loquerentur in nomine JESU, & dimiſerunt eos. V. *Quintum judicium fuit S. Stephani, c.* 6. Tunc ſubmiſerunt viros qui dicerent ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moſen & DEUM; commoveruntque plebem & Seniores & Scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium, & ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent, Homo iſte non ceſſat loqui adverſus locum ſanctum & legem. *Et poſt multa*, Exclamantes voce magna continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. VI. *Sextum exſtitit S. Pauli c.* 23. Tribunus timuit poſtquam audivit Paulum civem Rom. eſſe, & vinctum. Poſtridie vero ſcire cupiens diligentius cur accuſaretur à Judæis, ſolvit eum, & juſſit Principes ſacerdotum convenire & totum Concilium. Intendens autem in Concilium Paulus ait, Viri fratres, ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante DEUM uſque in hodiernum diem. Ananias autem Pontifex præcepit aſtantibus ut os ejus percuterent. Tum Paulus dixit ad eum, Percutiet te Deus, paries dealbate, & ■ ſedens judicas me ſecundum legem, & contra legem me percuti jubes? Et qui aſtabant dixerunt, Summum ſacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus, Neſciebam, fratres, quia Princeps eſt ſacerdotum: ſcriptum eſt enim, Principem populi tui non maledices. Sciens autem Paulus quia una pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamavit in Concilio, Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæi: de ſpe & reſurrectione mortuorum ego judicor. Et cum hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos & Sadducæos; & finita eſt multitudo. VII. *Septimum fuit S. Jacobi Minoris, de quo ſic Joſephus l.* 20. Ananus Pontifex ab Agrippa Rege factus audacia præſtitit, & ut Sadducæus, acerbus in judiciis fuit. Putans autem ſe idoneam occaſionem nactum, quia Feſtus Procurator vita ceſſiſſet, Albinus vero adhuc in itinere eſſet, convocat Concilium Judicum, & ad id adducit Jacobum fratrem Jeſu qui dicebatur CHRISTUS, & quoſdam alios, crimine oblato, quod Legem violaſſent. Qui vero moribus erant mitioribus, ægre hoc tulerunt, & clam ad Regem miſerunt, hortantes ut Ananum ab ejuſmodi incepto revocaret. Quidam vero eorum etiam Albino obviam prodierunt, eumque docuerunt, non licere Anano injuſſu ejus Concilium convocare. Quare Albinus mandavit Anano ne quid tale tentaret, niſi pœnas dare vellet; atque ei propterea Pontificatum ademit. VIII. *Octavum fuit S. Matthiæ Apoſtoli, ut eſt in Vita ejus.* Cum Matthias inſtantius de Jeſu ſermonem faceret, Judæi zelo repleti duxerunt eum vincientes & nunciaverunt Pontifici & Senioribus, Jeſu Diſcipulum comprehendimus, quem ſubvertentem populum in Synagogis deprehendimus. Illi adduci juſſerunt. Abeuntes igitur cum miniſtris adduxerunt in Concilium. Quem multis allocutus eſt Pontifex. Cui reſpondit Matthias, Chriſti ſervus ſum. Tunc Pontifex obturans aures ſuas, & ſtridens dentibus, ait, Blaſphemavit Matthias. Audiat legem, QUI BLASPHEMAVERIT NOMEN DOMINI, MORTE MORIATUR; LAPIDIBUS OBRUET EUM OMNIS MULTITUDO: atque ita damnatum ad locum lapidationis perduxerunt. IX. *Nonum judicium eſt apud Joſephum lib.* 4. *Belli, ubi ſcribitur*, Septuaginta plebejorum honeſtiſſimos ex præcepto convocant ad Judicum ſpeciem, poteſtate carentes, & apud eos Zachariam, quaſi res proderet Romanis, accuſant. X. *Decimi mentio fit anno eo quo urbs Hieruſalem à Tito everſa eſt, apud Joſephum Gorionis.* Convocavit, *inquit*, Judices populi, & LXX Seniores, qui etiam SANHEDRIN dicuntur, dixitque Jehochanam ad omnes Sacerdotes & Seniores & Judices, Niſi judicaveritis quoſcunque ad vos adducemus pro arbitrio noſtro, omnes morietmini, *Atque hæc quidem de Concilio Hieroſolymitano à nobis dicta ſint: in quo rei capitalis præcipue apud Hebræos tractata cognitio eſt. Hactenus Sigonius.* ¶ Ὅς δ' ἂν εἴπῃ, Μωρέ, ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός] Γέεννα *Gehenna*: Syrus ܓܗܢܡ *Gihanna*. Vox Hebræa compoſita ex גי, *vallis, locus terræ profundior*, Num. 21. 21. in Regim. גא, Eſai. 22. 1. unde Græcum γαῖα vel γῆ: & הנם *Hinnom*. Hoc vero proprium nomen viri eſt, cui amœniſſima vallis prope Hieroſolymam per ſortem in diſtributione hæreditaria contigit, ubi deinde inter Judæos creſcente idololatria exſtructa ſunt excelſa Topheth, in quibus proprios ſuos liberos luſtraverunt per ignem ipſi Molech. Præfigi huic voci ſolet בן, *filius*; vel גי, *vallis*. Vide Jer. 7. 32. Ratio ſignificationis τῆ γεέννης addenda eſt. *Quandoquidem* enim *in valle Hinnom*, inquit Tremellius, *Iſraelita vicinorum populorum horrendam ſuperſtitionem ſecuti filios ſuos idolo Moloch conſecrarunt, factum eſt inde ut poſtea à Chaldæis, Syris & Hebræis* GIHANNA *vel* GEHINNAM *uſurparetur ad ſignificandum locum reprobis in æternum cruciandis deſtinatum.* Elias, *Gehinnam*, inquit, *locus eſt ubi impii poſt mortem puniuntur. Fuit ita dictus locus ab ejulatu & vociferatione puerorum qui ibi comburebantur.* R. Joſeph Caſtilienſis, *Duæ ſpecies*, ait, *gehennæ ſunt, ſuperior, & inferior. Una ad corpus in mundo vel ſeculo iſto, altera ad animam in mundo ſeu ſeculo poſt hoc venturo. Locus autem comprehendens hæc omnia, ipſe vocatur* ARKA; *quoniam in eo ſunt Gehinnom, & Porta mortis, & Umbra mortis, & Puteus corruptionis, & Lutum fecis, & Perditio, & Infernus.* Repetit hæc Reuchlinus in libr. 1. Cabalæ, p. 456. *Tribuuntur etiam Gehennæ ſeptem manſiones quæ reſerventur impiis. Prima dicitur* SCHEOL, *Infernus*; 2. ABADON, *Perditio*; 3. GHE, *Vallis, vel Profundum*; 4. DIMA, *Taciturnitas*; 5. ZALMAVETH, *Umbra mortis*; 6. ERETZ TACHTITH, *Terra inferior*; 7. ERETZEZIA; *Terra fiſiens.* Hæc ex traditione Galatinus, l. 12. c. 6. ſub finem. Eadem nomina apud eundem lib. 6. cap. 7. paulo aliter enumerantur, videlicet, SEOL, *Infernus*; AVADON, *Perditio*; BOR SAHATH, *Puteus*, vel *Lacus, corruptionis*; BOR SEON, *Puteus tumultus*, vel *mugitus*; TITHAJAVEN, *Lutum fecis*; ZALMAVETH, *Umbra mortis*; ERETZ TACHTITH, *Terra contritionis*, vel *paveris*, vel *Terra inferior*, &c. תפת TOPHETH, locus in Gehenna, i. e. valle Hinnom prope Hieruſalem, ubi concremabantur liberi idolo Moloch, 2 Regum 23. Inde תפתן TOPHTEH, *Tartarus, locus inferorum.* Radix eſt תף *pulſavit, tympanizavit.* Quando enim liberi idolis comburebantur, adhibebatur tympanorum pulſus, ne illorum clamor exaudiretur. TARTARUS. Reuchlinus, lib. 2. Cabalæ, pag. 472. TARTARUS, *ab horribili ſono, q.* TORTOR TETER TERROR *vocatus illorum quibus ſua damna ſunt infimis, qui Cylindris radiſque rotarum diſtrictis pendent,*

pendent, ubi ſedet æternumque ſedebit infelix Theſeus & ei ſimiles, ὅθεν οὐκ ἐκβαίνουσιν, ut eſt à Platone Pythagoram imitante ſcriptum, i. e. unde nunquam egrediuntur. מלך MOLECH, nomen idoli Ammonitarum. Quidam putant fuiſſe Saturnum, cui filios ſuos immolarint & concremarint tanquam Regi ſuo. Dicitur alias מלכם *Malchom*, & *Molech*.

26. Οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην] Κοδράντης *Quadrans* vox Latina eſt ad formam nominum Græcorum in ης. Simpl. inflexa. Syrus habet סימונא זעירתא, i. e. *octavum* (numulum) *ultimum*. Exponit monetam hanc Immanuel Tremellius, Marc. 12. 42. ad textum, *Vidua quædam pauper injecit duo Manin* (ASSIRES, Gr. δύο λεπτὰ) *quæ ſunt octava. Dum percurro*, inquit, *omnium numiſmatum Hebræorum nomina, & ſingulorum valorem expendo, nullum invenio quod præciſe octo minora numiſmata contineat, præter* ASSIR, *cujus Lucas meminit* 12. *& Matthæus* 10. *Valet autem quartam partem Drachmæ, i. e. tantum argenti quantum eſt pondus quatuor granorum hordei. Diſtributum autem in octo partes conſtituit minutulos nummos quos vocant* PERUROTH, *quorum quiſque ſi ex argento eſſet, non plus ponderis haberet quam dimidium granum hordei. Sed propter ejus parvitatem ſolebat fieri ex ære. Cum ergo tantum* ASSIR *inter antiqua illa Judæorum numiſmata octo numulos, qui dicuntur* PERUROTH, *i. e. Minimi & Individui, contineret, videtur Euangeliſta*, Marc. 12. *cum dicit mulierem* duo Manin injeciſſe, quæ ſunt octavæ numiſmatis, *cujus nomen reticet, neceſſario intelligere* ASSIR: quod nomen ibi à Tremellio perſpicuitatis gratia eſt expreſſum. Franc. Junius, SEXTANTEM *Latine dixeris, i. e. octavam partem Oboli. Syrus enim, ut Atticus, Drachma capit ſex Obolos; Obolus, quatuor κοδράντας vel τετρημόριον, Quadrantes; Quadrans, duos Chalcos; Chalcus, duo Minuta. Græci ergo Obolum per Chalcos dividentes, Quadrantem vocant; quem Syri per Minuta dividentes, vocant* SCHEMUNA, *q. d. Octavum partem, i. e. ſextantem Oboli.*

41. Καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν] Μίλιον *Milliare*. Syrus מילא *Mila*: Rabbinis מיל *Mil*: Ein Meil. Ita Kimchi Joſ. 12 dicit, Jordanem fluvium eo in loco per quem filii Iſrael tranſierunt habuiſſe XII מילין *Milliaria*. Vox Latina eſt, à *Mille*, ut notum eſt ſatis. Alias Græci locorum intervalla, Stadiis ſolent metiri, ut Perſæ Paraſangis, vel Paraſangaris, Ægyptii Schœnis. Suidas, μίλιον, μέτρον γῆς. τὸ δὲ ἓν μίλιον ἔχειν σταδίους ρ'. § *Angariabit*] Gr. ἀγγαρεύω, *cogo*, ſeu *adigo*, *ad miniſterium angarorum præſtandum*, *angario*: οἱ ἄγγαροι vocabulum eſt Perſicum; & dicebantur regum nuncii ſeu tabellarii, qui ex ſucceſſione literas perferunt. Hodie vocamus Die Poſtboten / oder die Poſt / Budæus *Poſtas*, quaſi poſitas curſorum ſtationes, vocat. Solebant autem Reges Perſarum certis ſtationibus diſpoſitos habere tabellarios & nuncios, quorum alter alteri traderet mandata, ut ita celerius perferrentur. Beza; *Perſarum curſoribus* (*ſicut etiam hodie Turcarum*) *fas erat cujuſvis equos, vel naves, aut ipſos etiam homines rapere ad curſum. Unde factum ut* ANGARIARE, ἀγγαρεύειν, *accipiatur pro adigere ad currendum vel ferendum aliquid, ut infra cap.* 27. 32. *refertur de Cyreneo illo, quem angariaverunt Judæi*, ἠγγάρευσαν, *ad bajulandum crucem.* Late igitur ἄγγαρος accipitur pro quovis *qui aliquid bajulat.* In neutro genere τὰ ἀγγάρεια *dicuntur manſiones ac diverſoria in qua οἱ ἄγγαροι paratis diei penſo diverſabantur.* Suidas, in voce Ἄγγαρος, Οὗτοι ἐκάλουν, inquit, οἱ Πέρσαι τὸν βασιλέως ἀγγέλους· πεμπτὴ τῶν ταχυτάτων ἄγγαρος ἀπὸ τῆς Βαβυλῶνος, ἀφ' ἑσπέρου τὸ ἄρκτον. Idem, Ἄγγαροι, οἱ ὑπὸ Δημοσθένους χαμμαναφόροι. Οἱ δὲ νῦν λέγουσιν Ἀσπάδαι· τὸ δὲ ὄνομα Περσικόν.

JAC. CAPPELLUS.

2. BEati *pauperes ſpiritu*] h. e. humiles. Heſychius, Πτωχοί, ἀπόροι κατηφεῖς, φοβεῖται, δέονται. Πτωχαζόμενον, πρόσκλησιν, παράκλησιν. Πτώσσοντας, δειλιῶντας. Πτωχεύειν, ἀπορεῖν (λέγει δὲ πτώσσειν ἢ πτήσσειν) ἤγουν ταπεινοῦσθαι. Summa eſt, Πτωχὸς ejuſque conjugata tria ſignificant, *petere, timere, humilem eſſe*, vel *abjicere ſe*. Nos putamus tertiam ſignificationem hic locum habere. Sed etiamſi *petendi* ſive *mendicandi* ſignificationem urgeas, etiam illa poteſt hic locum habere. *Pauper* eſt qui caret, vel qui putat ſe carere re quapiam, eoque petit illam vel expetit avide. *Pauper* ergo *ſpiritu* dici poteſt is qui ſentiens quam ſibi multa deſint ad vitam ſpiritualem pertinentia, petit illa, cupit, expetit avidiſſime.

11. *Beati eritis cum convitiati fuerint vobis, & perſecuti fuerint vos*] Generoſas voces jactat etiam Philoſophia, ſed jactat potius quam præſtat. Operæ pretium tamen eſt audire quam generoſe loquatur Seneca De beneficiis, lib. 4. cap. 21. *Si bonam fidem perfidia ſuppliciis affici videt, non deſcendit è ſuſtigio, ſed ſupra pœnam ſuam conſiſtit*, cap. 22. . *Prodeſt bona voluntas & in equuleo, prodeſt & in igne; qui ſi ſingulis membris admovetur, & paulatim vivum corpus circumeat, licet ipſum corpus plenum bona conſcientia ſtillet, placebit illi ignis, per quem bona fides collucebit. Eſt videlicet magna in ipſo opere merces rei, & ad allicienda mentes hominum ingens honeſtæ potentiæ, cujus pulchritudo animos circumfundit, & delinitos admiratione ſui luminis ac fulgoris rapit.* Quanto nobis optabilior debet eſſe vera pietas, cum præter illam mercedem quam intra ſe continet ipſum ejus opus, paratam videat inſuper aliam mercedem, ingentem, æternam?

14. *Vos*, Apoſtoli, fideles, electi, *mundi lux eſtis. Non poteſt abſcondi civitas ſupra montem poſita*] Sunt hæc comminantis potius quam promittentis verba. q. d. Cum fatis filii lucis, adeoque lux mundi, ſedulo vobis cavendum ab operibus tenebrarum. Quemadmodum enim abſcondi non poteſt civitas edito loco ſita, ita nec latere poterunt quæ ſecus feceritis, ſed tanto majus ſcandalum parient quanto major eſt dignitas veſtra quam eorum quos ſuſpicit ac veneratur mundus.

18. *Amen dico vobis, uſque dum*, &c.] h. e. Antequam præterant cœlum & terra, tota Scriptura complementum ſuum accipiet ad minimam uſque literam, ad minimam uſque vocalem. Proverbialis locutio petita quidem ex hominum conſuetudine, qui paſſim hoc proverbium uſurpabant, & quidem ut plurimum hyperbolice. Neceſſe tamen non eſt ita Chriſti ſermonem interpretari ut hyperbolica dicatur ejus oratio, cum certum ſit tantam oraculorum Divinorum eſſe veritatem ut ne minima quidem eorum pars poſſit ab hominibus irrita reddi; quæ Chriſti mens eſt.

21. *Audiviſtis dictum antiquis fuiſſe, Non occides. Qui vero occiderit, reus erit judicio*] Nempe XXIII-virali, ut colligitur ex Miſnajoth de Synedrio, c. 1. Ejuſdem tractatus cap. 10. §. 1. ſic legitur, *Omnibus Iſraelitis eſt pars in ſeculo venturo*, h. e. in æterna vita. Quam paucos excipiant, vide. *Hi tamen ſunt Iſraelitæ quibus non eſt pars in ſeculo venturo: Qui dicit, Non eſt reſurrectio mortuorum; Lex non eſt cœlitus data: Epicureus. R. Akiba dixit, Etiam qui legit libros exoticos*, (h. e. ad confirmationem cujuſvis religionis præter Judaicam ſcriptos. Quod enim R. Abdias Bartenurenſis id refert etiam ad libros Ariſtotelis, & hiſtorias, id à multis Judæis non creditur, ut qui quoſvis noſtrorum Medicorum libros legunt & hiſtorias quaſdam.) *Qui vulnera curans incantationibus ait,* NULLAM QUAM ÆGYPTIIS IMPOSUI PLAGAM IMPONAM TIBI; QUONIAM EGO DOMINUS SANATE. *Abba Saul dixit, Etiam qui pronunciat nomen Domini ſecundum ejus literas.* §. 2. *Tribus regibus & quatuor idiotis* Judæis *nulla pars erit in ſeculo venturo. Tres reges ſunt, Jeroboam, Achab, Manaſſe. Quatuor idiota ſunt, Balaam, Doeg, Achitophel, & Giezi.* Hæc ſunt pauca de multis quæ ſufficiunt nunc quidem ad ſpecimen, ut ſcias 1. quænam Theologia, quænam Juriſprudentia Judæorum veterum fuerit. 2. quam iniqui ſint rerum æſtimatores. 3. quam paucos Judæos excludant ab æterna vita, eoque quam pauca crimina cenſeant æterna morte puniri. Huic tam craſſæ Judæorum ignorantiæ Chriſtus tremendos ſed juſtos & veros canones opponit, quibus docet coram Deo morte dignas etiam eas eſſe culpas quibus homines nullam pœnam infligunt.

22. *Ego vero dico vobis, quiſquis iratus fuerit fratri ſuo εἰκῇ*, (id in multis codicibus non inveniri teſtatur Hieronymus adverſus Pelagianos dialogo 2. Sed habent hodie codices omnes Græci, Latini, Syrus, Arabs) *tenebitur judicio.* Nempe XXIII-virorum, eoque morte dignus erit. Nam ea demum ad XXIII-viros deferebantur crimina quæ morte plecti Lex jubet. § *Qui vero dixerit fratri ſuo, Raka.*] Magnum eſſe convitium hoc patet, quia Judic. 9. 4. *Rekim* dicuntur ii quorum opera LXX fratres occidit Abimelec, & 2 Chron. 13. 7. ii quorum opera Jeroboam ſuum Schiſma conflavit; & apud Rabbam in Geneſim, §. 31. Noe *Rekim* vocat ſuæ generationis homines. Ita *Raka* ſignificat idem quod *nabal*, *belial*, & id genus atrociſſima convitia. *Vanitas* Hebræis dicitur הבל *Hebel*. *Raka* vero deſignat non ſolam *vanitatem*, ſed *cerebri vacuitatem, non riſu tantum ſed & ſputo dignam, exſecrandam ſimul & exſecrandam.* Nam & *conſpuere* ſignificat verbum RIK. Etiam Græcis κενὸς aliquando valde odioſum eſt. Damoxenus apud Athenæum, lib. 3. κατηγέλα, οἷς κενῶ. § *Tenebitur Synedrio*] LXX-virali videlicet. R. Moſes Maimonis F. in Miſna de

Synedrio, cap. 5. §. 2. *Cauſa capitales non judicantur à paucioribus quam à* XXIII *viris, qui conſtituunt Synedria minora.* Miſnajoth tract. de Synedrio, cap. 1. §. 6. *Synedrium magnum erat* LXXI *virorum, minus autem erat* XXXIII *virorum.* Eſt autem Hebræis tralatitium, ut pluribus commune nomen ſibi καθ' ἐξοχὴν vendicet id quod dignitate vel etiam ordine primum eſt. Ut igitur κρίσις abſolute cum dicitur, intelligitur judicium XXXIII-virorum; ſic Synedrium abſolute cum dicitur, intelligitur magnum & LXXI-virale, quod judicabat de criminibus atrocioribus quam XXIII-virale. Chriſtus tamen ait, Etiamſi qui fratri ſuo dicit *Raka* ſæpe levius peccet quam qui fratri ſuccenſens abſtinet convitio, tamen hæc culpa coram Deo mortem meretur non ſecus ac ea crimina de quibus judicare ſoletis in veſtro magno Synedrio. ¶ *Quiſquis autem dixerit, Fatue, tenebitur gehenna ignis*) q. d. Quantumvis gravius convitium ſit *raka* quam *fatue*, μωρὲ, quantumvis leviculum vobis videatur delictum quo quis fratrem *fatuum* vocat, tamen id quoque dignum eſt ignis gehenna, multoque magis antecedentia. Licet autem in gehenna poſſit eſſe pœnarum non minus quam delictorum inæqualitas, Chriſtus tamen inæqualitatem illam non conſiderat hic, ſed id quod illis omnibus eſt commune, nempe quod hæc eſt illa mors quæ ſtipendium eſt peccati. Itaque pœnarum quidem hic gradatio nulla proponitur: Gradatio tamen hic eſt aliqua ſane, eaque duplex, *Tribunalium* ſcilicet & *Delictorum*: gradatio *Tribunalium* fit per aſcenſum; *Delictorum* vero gradatio per deſcenſum, ut ſciamus etiam ea quæ videntur hominibus leviſſima, ſufficere tamen nobis ad ignis gehennam relegandis, ſi Deus ſummo jure nobiſcum agere velit. Judæi nonnunquam quidem ea ſola gehennæ flammis addicunt crimina quæ judicantur à Synedrio magno, ut patet ex tract. de Synedrio, cap. 10. §. 1, 2. aliquando tamen melius loquuntur. R. Moſes Maimonis F. in Miſna, tract. De ingeniis, cap. 2. tom. 1. fol. 12. *Dixerunt veteres ſapientes, Quiſquis iraſcitur, perinde* reus eſt *ac ſi ſerviret idolis.* Idolis autem qui ſervit judicatur à Synedrio magno. Itaque tantum abeſt ut ex hoc loco poſſit colligi quædam peccata non eſſe mortalia, ut contrarium ejus à Chriſto diſerte propugnetur. Nam ut demus gravius eſſe dicere fratri *Fatue* quam *Raka*, num poteſt eſſe tanta diverſitas illa ut alterum æterna, alterum momenta nea tantum pœna ſit dignum? Præterea quis unquam negavit eſſe mortalia peccata quæ puniebantur à Synedrio LXXI-virali, à judicio XXIII virorum? Quam delicti ſpeciem fingere poſſumus tanto leviorem eſſe quam dicere fratri *Fatue*, ut alterum finita tantum, alterum infinita pœna ſit dignum: Dixerit aliquis non ſatis conſtare fiatne per deſcenſum gradatio delictorum. Demus id non conſtare. Certe multo minus probari poteſt eam fieri per aſcenſum. Si per deſcenſum non ſit, quid vetat quo minus ſit progreſſio potius quam gradatio? Certe ſi quis hic clivus eſt, tam lenis eſt ut quod huic declive videtur alteri videatur acclive, quemadmodum placida flumina quam partem petant non facile judicat oculus. Quemadmodum igitur hic pœnarum inæqualitas nulla proponitur; nec enim tribunalium varietatem continuo ſequitur etiam pœnarum diverſitas; ſic fieri poteſt ut ne delictorum quidem ulla proponatur inæqualitas, ut quæ ſermonis ſcopo neceſſaria non ſit. Utut ſit, tres delictorum ſpecies ὡς ἐν τύπῳ nobis proponit Chriſtus, quibus hoc eſt commune, 1. quod in civili Judæorum foro nulla pœna puniebantur. 2. quod ne in populi quidem foro mortalia credebantur à Judæis. Chriſtus autem docet etiam illa mortalia eſſe. Itaque ſive ſubjectum ſive prædicatum ſpecies, hic habemus quod Rabbini dicunt רבי בחלוף שנוי, cum unum idemque duabus tribuſve diverſis locutionibus exprimitur. Subjectum eſt, *ea quæ vobis leviſſima videntur*, prædicatum autem, *ea coram Deo ſunt morte digna.*

31. *Dictum eſt autem, Quiſquis dimiſerit uxorem, det ei libellum diſceſſionis,* ἐρρέθη δὲ ὅτι Ὃς ἀπολύσει κ.τ.λ.] Hebræis 𝔇𝔇. Plutarchus De virtute & malitia vocat id κάψασθαι διπλόην. Τιμαιὸς, inquit, ὁ χαλκοῦς [illegible] ἀπαλλαγὴν ποιησῆς, εἰπὲ δὲ, μᾶλλ' ἀνδράποδον ἀφεὶς ὃ τὸν ἑαυτοῦ κακίονα οἴεται ἐᾶν χαλκοῦν διπλόην ἄδην πεπραμένων ἀφεῖσθαι. Ἀποστάσιον autem apud Græcos dicebatur *prævaricatio libertorum dominos ſuos deſerentium*, Harpocratione teſte. Cæterum locus quem hic Chriſtus reſpicit, Deut. 24. 1, 2, 3. continet ſpeciem facti, quam Accurſius *caſum* vocat. Lex proprie dicta verſu demum quarto exprimitur. Tamen ex hac ſpecie facti colligi quidem poterat legis ſpecies hæc, ut ſi quis uxorem dimitteret ſaltem non faceret abſque libello repudii. Sed ipſam dimiſſionem à Legiſlatore probari non poteſt inde conſequi, non magis quam odium, cujus hic quoque fit mentio, v. 3. Cancellos quidem circumſcribit Moſes huic malo, malum ipſum neque probat neque proprie permittit.

32. *Qui dimiſerit uxorem extra rationem adulterii, facit eam mœchari*] Sic Matth. 19. 9. *Quiſquis dimiſerit uxorem ſuam, niſi propter ſtuprum, & aliam duxerit, mœchatur.* Exceptionis quam hic exprimit Chriſtus vim cepiſſe non videtur Auguſtinus, De conjugiis adulterinis, lib. 2. cap. 13. contendens *omni modo mœchari, qui vivente uxore, etiam propter adulterium dimiſſa, alteri copulatur.* Quæ lex juſtitiæ patitur ut innocens propter ejus à quo læſus eſt culpam plectatur?

33. *Rurſus audiviſtis dictum antiquis, Non pejerabis, ſed reddes Domino quæ juraveris*] Hæc præcepta Divina cum ſint, Exod. 20. 7. Levit. 19. 12. Deuter. 5. 11. non improbantur à Chriſto, ſed improbatur horum præceptorum abuſus, quod videlicet putarent Judæi ſatis eſſe ſi non pejerarent, cum duobus modis abuterentur jurejurando, 1. quod eo paſſim utebantur in convictu quotidiano, 2. quod multas juramenti formulas uſurpabant illegitimas. Neutrum vitium permiſſum fuerat ab ipſa Lege, ſed utrumque toleratum fuerat in praxi; cui Chriſtus opponit interdictum ſuum.

34. *Ego vero dico vobis, Ne juretis omnino, neque per cœlum*] Duo docet Chriſtus, 1. eſſe ſermones aliquot, imo pleroſque, in quibus nullo jurejurando ſit utendum. 2. eſſe quaſdam juramenti formulas quibus nunquam ſit utendum. Miſnajoth tract. De dotibus c. 2. §. 9. quidam Zacharias ita jurare inducitur, בזה נעזה *Per habitaculum iſtud*, nempe cœlum, *non diſceſſit manus illius à manu mea. Cœlum* aliquando ſignificat Deum ipſum; ſed hic ſumitur proprie. Quippe perſuadebant ſibi Judæi mandatum quo Deut. 6. 13. jubemur per *Dei nomen* jurare, de ſolo tribunali Magiſtratus intelligendum; quod eſt ſane verum: ſed inde perperam colligebant extra tribunal licere per creaturas jurare, adeoque tum præſtare per creaturas jurare, ne frequentioris per Creatorem juramenti uſu violetur majeſtas ejus. Chriſtus vero docet violari majeſtatem Creatoris etiam tum cum per creaturas juratur, quia creaturæ ſunt Dei, adeoque ſunt in unius Dei poteſtate. Eſt & alia ratio, nempe quod violatur majeſtas Dei quando cum creaturis communicatur honos qui debetur uni Creatori. Sed hanc rationem hic non attingit Chriſtus.

36. *Neque per caput tuum*] Miſnajoth tract. De Synedrio, cap. 3. §. 2. *Tenetur aliquis ſocio ſeſe purgare jurejurando. Si dixerit* ſocius, חי ר' בחיי ראשך *Vivito mihi*, h. e. jurato, *per vitam capitis tui. R. Meir ait, Poterit revocare ſe*, poterit exigere formulam aliam jurisjurandi. *Sapientes dicunt, Non poterit revocare ſe*, h. e. Cum ſemel teſtatus ſit ſibi ſatisfactum iri ſi per capitis ſui vitam juret, non licebit illi de ſententia recedere, novumque jusjurandum exigere. Maimonides tamen De juramento, cap. 12. *Qui jurat per cœlum, per terram, per ſolem, & ſimilia, licet non alia ſit mens ejus quam ut juret per eum qui creavit illa, non eſt hoc jusjurandum: & qui jurat per aliquem è Prophetis, aut per aliquem è Scripturis ſanctis, licet non alia ſit mens ejus quam* ut juret *per eum qui miſit Prophetam, qui juſſit hæc ſcribi, non eſt hoc jusjurandum. Sed quamvis non ſint hæc juramenta, tamen terrendus eſt & docendus populus ut non aſſuefiant ſic levibus & inanibus juramentis.*

37. *Sed ſit ſermo veſter* quotidianus, *Etiam, Etiam, Non, Non*] h. e. ſine jurejurando. ¶ *Quod autem ultra hæc* adjungitur, à vobis ſcilicet injuſtis, ac in convictu quotidiano, *à maligno eſt*] Beza, *Quod autem ſupra hæc redundat.* At quis non dicturus eſt non redundare jusjurandum ſuum? Et præterea τὸ περισσὸν non tantum id ſignificat *quod redundat*, ſed in genere *quod abundat*, etiamſi cum laude abundet, ut Rom. 3. 1. Hebr. 6. 17. Chriſtiani veteres multi putarunt id ſibi non licere. Circa ducenteſimum annum Chriſti Baſilides apud Euſebium, l. 6. c. 4. ἕνιον λέγει τινα κανόνα περὶ τῶν ἐπιορκιῶν ἀπηθεὶς, μὴ ἐξεῖναι κατὰ τὸ παράκαιρον ὀμνύειν διδάσκων, Χρεὼν δὲ εἶναι ἐπαίρειν. Tertullianus De Idololatria, pag. 733. *Taceo de perjurio, quando ne jurare quidem licet.* & pag. 738. *ne juret quidem.* Ambroſius De Virginibus, lib. 3. *Non immerito Dominus in Evangelio jubet non eſſe jurandum, ne ſit cauſa perjurii, ne ſit neceſſitas delinquendi.* Gregorius Neocæſarienſis in Eccleſiaſtem, cap. 8. diſerte contendit *jusjurandum omni ratione fugiendum.* Chryſoſtomus in eo multus eſt & acer ad Antiochenos, hom. 5 Μή μοι λέγε, Τί δ' ἐὰν μὴ πιστεύῃ, τί δ' ἐὰν ἕνιον ἀναγκάσῃ ὀμόσαι με; Μᾶλλον μὲν γὰρ ὅτι παραβαίνεται νόμος, ἀναγκαῖος μενέτω κἂν χρῇ. Μία γὰρ ἀνάγκη ἀναγκαία τὸ μὴ ὀμνύειν τὸν Θεόν. Dixeris eum tum Presbyterum tantum fuiſſe; at ex quo factus eſt Epiſcopus, ſerius id adhuc ungere cœpit in homiliis ſuis in Acta, hom. 8. Μηδεὶς ὀμνύτω τὸν Θεόν. hom. 9. pag. 116. Οὔτε ὀμνύειν, ὅτι ὀμνύουσιν ἄλλοι. & pag. 118.

Pa-

Παραινῶ καὶ παρεγγυῶ μηδενὶ ὀμνύειν ἁπλῶς ἐξεῖναι. hom. 11. Τίνος ἕνεκεν ὁ νόμος ὁ μὲν ἓξ ὅρκου καθαρεύουσαν καὶ βεβαιοῦσαν· καὶ ὁ φυλάξας ὁ μὴ φυλάξαντος δῆλον ποιεῖται, καὶ ἱκανὸν λοιπὸν καὶ θηλυμάτου σφόδρα. Ἡ γὰρ παρθενία ἐγγὺς, καὶ ἐξεῖναι πάντα ἓν ἐμοὶ παράγματος, καὶ τὰ ἀλλότρια ἀφορᾶν καὶ ἀπιέναι. hom. 12. ſub finem. Οὐκ ἔστιν ὀμνύοντα μὴ ἐπιορκῆσαι καὶ ἑκόντα καὶ ἄκοντα. Iſidorus Peluſiota, l. 1. ep. 55. Theophilo nauclero, *Si noſtri gregis es, ac ſub bono illo paſtore cenſeris, ferarum naturam ac ſimilitudini renuncia, ac illum obtempera voci* μὴ ὀμόσαι ὅλως παλδίοντος, *qui ne omnino jures prohibet.* Τὸ γὰρ μὴ ὀμόσαι, μηδ' ἀπαιτεῖσθαι ὅρκον ἐστὶν, *Porro non jurare eſt, ne jusjurandum quidem exigere.* Ita manebat hic ſcrupulus adhuc in Oriente circa quadringenteſimum trigeſimum annum Chriſti. In Occidente vero jam ſcrupulum illum ſuis ovibus exemerat Auguſtinus, cujus ea de re ſententiam vide c. 22. q. 1. Sed certe non ſatisfacit, cum in ſerm. Domini De monte, l. 1. & in Galatas, c. 1. dicit, *Non eſt contra præceptum juratio, quæ à malo non eſt juramin, ſed incredulitate ejus cui jurare cogitur.* Num enim etiam intra privatos parietes aut in plateis toties jurare mihi licebit quoties contentioſus aliquis negabit ſe mihi credere? Non eſt hæc Chriſti mens. Waldenſibus hæreſeos inſtar objiciebatur, quod omne jusjurandum improbarent, cum tamen hoc nomine Chryſoſtomum, Ambroſium, Tertullianum hæreſeos inſimularit nemo. Sed & illis fit injuria. Quippe Seiſſellius adverſus eos ſcribens, & quidem acerbe, tamen, *In reliquis*, inquit, ſ. 9. *ferme puriorem quam cæteri Chriſtiani vitam agunt. Non enim niſi coacti*, h. e. à Magiſtratu juſſi, qui cogendi jus habet, *jurant, rareque nomen Dei in vanum proferunt*: & ſ. 77. *Eorum in hac parte opinionem probamus ut ab omni prorſus juramento voluntario ſe contineant*, h. e. ut nemo prorſus juret niſi juſſus, & quidem à Magiſtratu. Hæc omnino mens eſt tum Chriſti, tum Jacobi.

38. *Audiviſtis fuiſſe dictum, Oculum pro oculo, dentem pro dente*] Nempe Magiſtratui legem hanc fixerat Moſes Exo. 21. 24. Ut ſcilicet pœnas pro modo criminis infligeret. Judæi vero paſſim ita verbis illis abutebantur ac ſi liceret etiam privatis hujuſmodi ultiones exigere pro modo damni vel injuriæ quam acceperant. Impius igitur eſt Ptolemæus apud Epiphanium hæreſi XXXIII, cum hanc Judæorum iniquitatem imputat ipſi Deo.

39. *Ego vero dico vobis, Ne reſiſtatis malo*] Ita videlicet ut ei qui vobis oculum effoderit oculum effodiatis. Chriſti præceptum adeo verum eſt ut etiam ethnicus Maximus Tyrius idem præcipiat Orat. 2. cujus titulus eſt, Μὴ ἐξεῖναι τὰ ἀδικήματα ἀντιδιδόναι. Inter cætera ſic ille pag. 12. Εἰ τὸ ἀδικεῖν, πονηρὸν, καὶ τὸ ἀντιδιδόναι, ὅμοιον· & pag. 13. πῶς βαδίσεται τὸ καλὸν, καὶ πῦ στήσει; ἆρα οἶσθα ὅτι πηγὴ κακῶν αἴτιον κακὸς πολεμίας; καὶ γεωφόρος νόμος ἀχάνειαν πάσῃ γῇ; p. 14. Ἀπαλλάττομαι δ' ἂν ἴσως εἰπεῖν, ὅτι ἄπορ ἐστὶν ἀδικίας ἀρχὴν ἀδικίαν ἐκριζῶσαι, ὁ τιμωρὸς δὲ ἀφανίζεσθαι τὸ ἀδικοῦν. ¶ *Sed quiſquis te cædet in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram*] Nempe potius quam ita malo reſiſtas ut dentem ejus velis infringere qui tibi dentem fregerit, aut arbitratu tuo vindictam exigere. Idem intelligendum de ſequentibus membris. Seneca De beneficiis lib. 7. cap. 22. *Quædam præcipimus ultra modum, ut ad verum & ſummum redeant. Cum dicimus, Meminiſſe non debet* dati beneficii, *hoc volumus intelligi, Prædicare non debet, nec jactare, nec gravis eſſe*: & cap. 23. *In hoc omnis hyperbole excedit, ut ad verum mendacio veniat. Ego vero dico vobis, Ne reſiſtatis malo*; per vindictam; *ſed quiſquis te percuſſerit in dextram tuam maxillam, obverte ei etiam alteram*, potius quam ut de vindicta cogites. Dicuntur hæc & quæ ſequuntur v. 40, 41. non tantum proverbialiter & hyperbolice, ſed etiam κατ' ἀνθυποφορὰν & μιμητικῶς. Sic enim vindictæ cupidus ratiocinari ſolet, Egone feram hanc injuriam? Egone percutienti maxillam obvertam alteram? Egone rapienti tunicam etiam pallium offeram? Egone cogenti me unum milliare cum ipſo facere, duo milliaria cum ipſo facturus ſum? Chriſtus autem cogitationibus iſtis reſpondet quaſi συγχωρητικῶς, *Vel alteram maxillam potius obvertere: Vel tunicam cum pallio potius dimitte*, &c. quam ut acceptam injuriam ulciſcaris ipſe. Dicuntur autem hæc privato privatam injuriam ulciſci meditanti, non Magiſtratui ſceleratum hominem ex officio punire cogitanti. Conſimilem fere conceſſionem habes Matt. 6. 17.

40. *Et qui tecum litigare vult ut tunicam tuam*, veſtem interiorem, *capiat, concede illi etiam pallium*, veſtem exteriorem] His duobus vocabulis ſynecdochice totum hominis veſtimentum complectebantur veteres, quod multis ſufficerent iſta duo. Plutarchus De conjugalibus præceptis, Ἡ γὴ γάμου μὲν τὸ πυρὸν θερμῇ θερμὴν φορμίζουσα, ὅταν παυμαλίζωμεν, καὶ τὰ χιτῶνα τῷ ἱματίῳ μεγαλύνουσα.

43. *Audiviſtis dictum, Amabis proximum tuum, inimicum autem tuum odio proſequeris*] Hic ad marginem notari ſolet Levit. 19. 17, 18. At eo loci non odium permittitur, nedum imperatur, ſed tantum amor, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo*, etiamſi videlicet hoſtiliter erga te ſe geſſerit, & injuriam tibi fecerit. *Corripiendo corripies tuum proximum, peccatum autem adverſus illum non admittes. Non ulciſceris, non ſervabis* acceptæ videlicet injuriæ memoriam *adverſus populares tuos; ſed amabis proximum tuum ſicut teipſum.* A quibus igitur audiverant dictum, *Odio proſequeris inimicum tuum?* A Phariſæis ſcilicet, ac id genus Scripturæ corruptoribus, quorum hodieque ſcitum iſtud exſtat apud R. Moſem de Kotſi mandato negativo V. Is locum hunc ita ἀποφορίζει, *Non ſilentio premes altum corde dolorem, ut Abſolon, qui nihil dicebat Ammoni; ſed dices illi, Quare ſic feciſti mihi? Quod ſi ſæpius corripueris, & non admiſeris correptionem tuam, tum tibi licebit illum odiiſſe.* Themiſtius orat. 9. οὗ δ' ἐνοεῖ ὁ Σωκράτης τὰ εἰθισμένα τοῖς πολλοῖς ἐνδοκιμοῦντα λόγου ἀπαιτεῖσθαι, ὅτι δεῖ σὲ μὲν φίλον τὸν πολίτην, σὲ δ' ἐχθρὸν κακῶς πολεῖν. Socrates ergo monebat dicendum μὲ δ' ἐχθροὺς φίλους ποιεῖν, idque ſuo confirmabat exemplo: ὡς τὰ ἀπειλούμενος, Ἂν μή τις λαβὼν δοκοῦσιν, ἀπειλήσας, Ἂν μή τις φίλον ποιήσῃ, *Cum quis minitabundus dixiſſet, Ego te correptum occidam, ille quaſi viciſſim minitabundus reſpondit, Ego te amicum faciam.* Illud enim ἂν μὴ eſt affirmantis ſimul & minitantis, Hebræorum more, prout monuimus in Pſal. 95. ult.

46. *An non hoc ipſum faciunt etiam publicani?*] Qui vobis adeo ſunt inviſi? quinetiam infames? Romæ contra publicanorum erat authoritas magna. Cicero pro Cn. Plancio, *Qui* publicanorum *ordo quanto adjumento ſit in honore, quis neſcit? flos enim Equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipub. Publicanorum ordine continetur.* Nempe quæ Publicani corradebant ex provinciis, ea Romam perferebant. Tam igitur provincialibus odioſos quam Romanis in pretio fuiſſe publicanos, rationi conſentaneum eſt. Maxime vero qui Judæi ſuam operam Romanis locabant expilandis ſuis popularibus, eos perquam inviſos fuiſſe nihil mirum eſt.

LUD. CAPPELLUS.

13. Εἰς οὐδὲν ἰσχύει] Hebraiſmus eſt, לא יועיל לה Jer. 13. 7, 10.

17. *Ne putetis me veniſſe καταλῦσαι τὸν νόμον, ut ſolverem Legem*] Hic καταλῦσαι τὸν νόμον eſt quod RR. dicunt להפר תורה *abolere Legem*, h. e. docere neminem teneri ejus obſervatione, omnes pronuntiare liberos & ſoluros ab ejus obſervatione: hoc ſolent R. R. dicere פרי *ſolvere*, λῦσαι. Jam vero quoniam Judæi putant à Chriſto Legem Moſaicam eſſe abolitam, ideo Maimonides in ſua Miſna lib. 1. Tract. de fundamentis Legis, pro innato in Chriſtum & Chriſtianam religionem odio, integrum caput 9. habet de pœna Pſeudoprophetæ qui docet ſe veniſſe ut Legem ſolvat, vel in totum & ad ſemper (ut loquuntur) vel ex parte tantum & ad tempus. Porro quo ſenſu Chriſtus neget ſe veniſſe ut ſolveret Legem, cum tamen per Evangelii prædicationem liberi & ſoluti à ceremoniis Moſaicis homines pronuntientur, à Theologis explicatur.

18. Ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ] Proverbialis eſt loquendi formula, qua id ſignificatur quod nunquam futurum eſt, quomodo ſi Latine dicas, *Citius cælum ruet*; vel, *Cælum terræ miſcebitur potius quam ut id fiat.* Huic ſimilis eſt locutio quæ eſt Pſal. 72. 5. *Timebunt te* יראוך עם שמש ולפני ירח *cum Sole & coram Luna*, h. e. quamdiu Sol & Luna erunt, i. (ut ſtatim ſubjicitur) לדר דרים *in ſecula ſeculorum.* Sic & Pſal. 89. 37. *Thronus ejus erit* כשמש נגדי *ſicut Sol coram me.* Neque enim David hoc vult fore ut Chriſtus timeatur & regnet duntaxat ad finem uſque mundi, poſtea vero neque regnet neque timeatur; neque Chriſtus etiam hoc vult, fore ut Lex complementum ſuum accipiat eo uſque tantum donec tranſeat cælum & terra, poſtmodum vero violandam & abolendam eam eſſe, cum vel maxime tum ſit perfectiſſime implenda, ſiquidem charitas (quæ Legis eſt complementum) erit tum perfectiſſima; ſed uterque ejuſmodi phraſi durationem deſignavit nunquam in æternum finiendam. ¶ Ἰῶτα ἓν, μία κεραία] Alludit proculdubio Chriſtus ad veterem Judæorum ſententiam, qua putant tempore Propheratum fuiſſe quoſdam qui non modo omnes Legis literas habebant in numerato, eaſque excutiebant ut ſingularum mentem & ſenſum exquirerent, ſed etiam omnium & ſingularum literarum יקר יקר *ſingulos apices.* Ubi per יקר non puncta vocalia aut accentus (quæ tum nulli erant) intelligunt, ſed cornicula quædam, quæ in capite elementorum Hebraico-

braicorum, quibus Volumen Legis deſcribunt, ſunt conſpicua. קץ enim *ſpinam* ſign. ſeu *ſpinarum aculeos*; cornicula autem illa literarum Hebraicarum referunt plane figuram aculeorum quibus horrent ſpinæ. R. Meir in Semitis fidei, paulo poſt initium Semitæ octavæ, fol. 104. col. 4. circa finem hæc habet, בזמן הנביאים היו מקוקים בכל אות ואות שבתורה וחורשין כל אות ואות בפני עצמה h.e. *Tempore Prophetarum erant qui ſingularum Legis literarum minutias ſectabantur, ſingulaſque literas ſeorſim excuſiebant, myſticumque earum ſenſum exquirebant.* Et fol. 105. col. 1. אל תתמה להיותם חורשין כל אות ואות בפני עצמה שמסלו על בכל קוץ ויקוץ שעל כל אות ואות הוי חורשין, *Et ne mireris quod ſic excuſſerint ſingulas ſeorſim literas; nam & ſingulos literarum omnium apices pari ratione excuſſerunt.* Hæc ergo videtur eſſe Chriſti mens hoc loco, Vos putatis me docere Legis abolitionem, me homines ſolicitare ad ejus neglectum & violationem; at vero tam longe abſum ab hoc crimine ut contra per me futurum ſit ut non modo omnes ſententiæ & periodi Legis, ſed etiam omnes omnino ejus literæ vel minimæ (quale eſt Jod, ἰῶτα ἓν) adeoque omnes omnium literarum apices ſive cornicula (κεραία μία) in quibus putatis magna latere myſteria, complementum ſuum accipiant, ita ut nihil omnino ſit in tota Lege quod per me non impleatur. Hyperbolica omnino eſt locutio, qua Chriſtus abſolutiſſimum Legis complementum ſignificavit, phraſi accommodata ad Judæorum de Legis myſteriis opinionem & ſententiam, at non qua comprobet tamen uſquequaque & per omnia ſententiam illam quæ ſuperſtitionem magis quam veram pietatem in ejuſmodi minutiſſimis minutiis literarum & apicum perſequendis & conſectandis ſapere & redolere omnino videtur. Aliud etiam eſt Talmudicorum dictum quod ad hujus loci illuſtrationem facere poſſit, cum dicunt, אות מיותרת לא תהיה ולא יתרה, *Nulla eſt Legis literula quæ vel deficiat vel abundet.* Sic nempe volunt ſignificare Legis abſolutiſſimam perfectionem, nihil omnino in ea deeſſe aut ſuperfluum eſſe.

21. Ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις] Durum eſt ut τοῖς ἀρχαίοις dictum hic ſit pro τοῦ ἀρχαίου, quod nonnulli tamen volunt, qui ἀρχαίων nomine volunt intelligi Doctores Judæorum qui Chriſti tempore, vel paulo ante Chriſti tempora, falſis ſuis Legis Moſaicæ interpretamentis Majorum nomen & authoritatem prætexebant. Imo potius קדמונים ἀρχαῖοι hoc loco ſunt Iſraelitæ, quibus Lex à Deo per Moſen eſt data, qui Chriſti tempore jure dici poterant à Judæis קדמונים ἀρχαῖοι *antiqui* ſive *majores*. Hoc autem vult Chriſtus, Vos putatis me veniſſe ut ego Legem ſolvam atque aboleam; at vero tantum abeſt ut doctrina mea eam ſolvam, ut contra ſenſum Legis pleniorem, longeque perfectiorem & exactiorem ejus intelligentiam ego tradam, quam hactenus vobis à Doctoribus veſtris eſt propoſita. Nam quia Lex dicit, *Non occides*, &, *Qui occiderit reus erit judicii*, ideo vos putatis (& ſic quidem à Doctoribus veſtris edocti eſtis) nihil aliud ea lege interdici præter homicidium, legique illi ſatisfeciſſe plene eum qui ab homicidio temperavit: At vero ego moneo, voſque doceo, atque edico, Lege illa, *Non occides*, non modo homicidium, ſed & iram omnem injuſtam adverſus proximum prohiberi. Unde poteſtis perſpicere quam ego longe abſim à diſſolvenda Lege, qui abſolutiorem ejus intelligentiam vobis tradam quam hactenus unquam edocti eſtis. Hanc autem eſſe Chriſti mentem, & illud τοῖς ἀρχαίοις ſic eſſe accipiendum quomodo nos illud expoſuimus, liquet ex v. 27. hujus capitis, ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις, Οὐ μοιχεύσεις, ubi Chriſtus ſimili modo exactiorem tradit Præcepti illius intelligentiam quam Judæis tradita fuerat à ſuis Doctoribus. Certe τοῖς ἀρχαίοις non poteſt pro τοῦ ἀρχαίου: non enim Judæorum Doctores, qui Chriſti tempore vivebant, authores ſunt Legis illius, Οὐ μοιχεύσεις, uti neque iſtius, Οὐ φονεύσεις, ſed utraque fuit Iſraelitis à Moſe in deſerto tradita. Ergo hic ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις ſign. *dictum eſt* à Moſe *majoribus veſtris*. Sic autem vocant Judæi Majores ſuos, Abrahamum, Iſaacum, &c. in Seder Tephilloth, *Memento, Domine Deus*, inquiunt, אהבת הקדמונים אברהם יצחק וישראל עבדיך *amoris illius quo complexus es* ἀρχαίους *Majores noſtros Abrahamum, Iſaacum & Iſraelem.*

23, & 24. Jubet Chriſtus ut fratrem nobis iratum conveniamus atque ei reconciliemur. Sic propemodum R. Jonah in libro Timoris, *Ne moretur*, inquit, *ſuper te indignatio cujuſquam, & ne dormiat tecum nox & ira adverſus aliquem*, אלא לך הרחק עד שתשרים *ſed abi & reconcilia eum tibi, donec perſuadeatur, quamvis ipſe te offenderit: & ne dicas apud te, Ecce talis me offendit, eſt ipſius me convenire, & me ſibi conciliare: Nam hoc argumentum eſt ſuperbiæ cordis, ſcriptum eſt autem, Abominationi Domino eſſe ſuperbum corde.* Hæc Judæus ille, non Judaice ſane, ſed Chriſtiane vel maxime.

28. Πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα] Ipſi Ethnici ſic ſenſerunt. Sic enim Propertius l. 2. Eleg. 12.

Qui videt, is peccat: qui non te viderit ergo,
Non cupiet, facti crimina lumen habet.

Nec abſimilis locus qui eſt apud Juvenalem Sat. 13.

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. ———

& paulo ante dixerat,

Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.

32. Παρεκτὸς λόγου πορνείας] Hebraiſmus eſt חוץ כדבר זנות quomodo Eccleſ. 2. 25. dicitur חוץ ממני *prater me*, ſive *me excepto.*

33. Ἀπόδώσεις δὲ τῷ Κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου] Videntur omnino hæc deſumpta ex Deut. 23. 21. *Cum aliquid voveris Domino Deo tuo, non differes illud reddere*, לשלמו. Ita ὅρκος hic erit *votum quod jurejurando confirmatum eſt.* Sic enim vota ut plurimum concipiebantur, ut eo eſſent rata magis atque certa.

34. *Ne juretis omnino*, &c.] Sic fere R. Jonah ille, quem modo citavimus, in libro Timoris ולא ישבע כלל, *Non jurabit omnino*, inquit, *ne quidem per agnomina Dei, qualia ſunt* שדי, אל, *neque per proprietates ejus, ut ſunt*, חנון, רחום, *ſed neque per opera ejus, ut ſunt Cœlum & Angeli miniſtri ejus glorioſi. Sic etiam non jurabit per Legem, neque* באמת *per Veritatem, quia Deus vocatur Veritas: dictum eſt enim, Et Dominum Deum Veritas.* Hæc ille, ubi obſervandum, poſtremum iſtud ולא באמת *neque per Veritatem* videri oppoſitum formulæ illi aſſeverandi à Chriſto paſſim uſurpatæ, *Amen, Amen dico vobis*, quaſi eam ex odio in Chriſtum improbare & damnare voluerit Judæus ille.

37. Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ, ναί· οὒ, οὔ] Formula eſt iſta Rabbinica Judæis familiaris, ab aliis jam obſervata. Exſtat apud Maimonidem in Miſna, lib. 1. Tract. דעות Cap. 5. *Sapientum*, inquit, *Diſcipulus in dando & accipiendo gerere ſe debet in veritate ac fidelitate*, ואומר עליו לא לא ועליו כן כן, *ac cum negandum eſt, dicit Non; cum vero affirmandum, dicit Etiam:* vel etiam, *Qua neganda ſunt negat, quæque affirmanda ſunt affirmat, non contra.* Τὸ δὲ περισσὸν τούτων] Hebraiſmus eſt ויתר מאלה. Sic enim Eccl. 12. 12. ויתר מהמה בני, והזהר, *Cave, fili, ab iis quæ ſunt præter iſta.*

40. Τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι] Phraſis eſt Hebraica לדין, vel ב, quomodo Gen. 6. 3. לא ידון רוחי באדם *Non diſceptabit, non litigabit, Spiritus meus cum homine.* Et in conjugatione paſſiva Niphal 2 Sam. 19. 9. והעם נדון בכל שבטי *Populus totus diſceptabat, contendebat*, (nempe alii adverſus alios) *in omnibus tribubus Iſrael.* ubi נדון eſt Benoni Niphal, κρινόμενοι (quomodo hic κριθῆναι paſſivum eſt) active tamen uſurpatur. Ab eadem radice eſt מדון *lis, contentio, jurgium.* Nihil itaque neceſſe eſt hanc phraſim σοὶ κριθῆναι accipere (cum nonnullis) de legitima lite apud Judicem conteſtanda, cum poſſit accipi, ut videtur omnino hic accipienda, de lite ſeu rixa & jurgio inter privatos ſubito exorto, in quo alter quod eſt alterius per vim vult illi ereptum.

GROTIUS.

1. Εἰς τὸ ὄρος] *in montem*] Sicut Lex vetus de monte erat promulgata, ita & novam Chriſtus in monte propoſuit. Quomodo autem cum hac narratione conveniant ea quæ dicit Lucas capite VI, ad Lucam dicemus. καθίσαντος αὐτοῦ, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ [*& cum ſedißet acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus*] Non Duodecim aut Septuaginta ſolum, ſed omnes qui doctrinam ejus ſectabantur. Quare οἱ μαθηταὶ [*diſcipuli*] ſunt iidem qui & hic & infra VII, 28. ὄχλοι [*plebs*] & Lucæ VI, 17. ὄχλῳ μαθητῶν [*plebs diſcipulorum*] dicuntur. Atque ita vocem μαθητῶν [*diſcipulorum*] ſcimus paſſim uſurpari, ut infra XII, 49. Lucæ VI, 13. Actor. XI, 26. multiſque aliis in locis. Præcepta quæ propria ſunt ac peculiaria ſegregatorum ad prædicationem Euangelicam infra ſequentur capite demum decimo.

3. Μακάριοι, *Beati*] Imitatur Chriſtus Davidem, aut certe eos qui Pſalmos veteres in unum corpus collegerunt. Nam quod ei libro ἐξορμῶσι [*exordii*] vice præponitur, deſcriptionem hominis beati continet, ſimili verborum initio אשרי האיש [*Beatus vir*]. Neque id ratione caret: nam diſciplinæ activæ à finis tractatione ordiendæ ſunt, unde pendet bonorum malorumque notitia. Bonum enim ſummum finis ipſe, deinde & alia quatenus eo ducunt; mala quæ abducunt. Oſtendit igitur Chriſtus finem homini propoſitum eſſe debere vitam alteram me-

meliorem; & in hac vita pacem conſcientiæ & quæ eam conſequuntur: proinde cætera hinc æſtimanda. Et quo attentiores reddat auditores explicat hoc ipſum per enuntiata quædam παραδόξα [*inopinata*], beatos pronuntians eos qui vulgo miſeri vocentur. ¶ οἱ πτωχοὶ τῷ, *pauperes*] Cum duæ à veteribus afferri ſoleant horum verborum explicationes, quarum altera ad tenuitatem facultatum, altera ad animi demiſſionem pertineat, cur priorem præferendam exiſtimem has habeo cauſas: primum quod Lucas ſimpliciter ſcribat Μακάριοι οἱ πτωχοὶ [*Beati pauperes*] VI, 20. eiſque opponat divites, non addita ſpiritus voce: deinde quod πτωχὸς [*pauperes*] illo altero ſignificatu vix exiſtimem reperiri. Beatos ergo pauperes Chriſtus pronuntiat eodem ſenſu quo & lugentes commate ſequenti, quia plerumque res opimæ & ſecundæ fomenta ſunt vitiorum. Sic alibi dixit, vix evenire ut dives in Regnum cœleſte perveniat, infra XIX, 23. Cui convenit illud Pauli, *Conſiderate vocationem veſtram, fratres: Non multi potentes, non multi nobiles*, 1 Cor. I, 26. Et Jacobi, *Nonne elegit Deus pauperes mundi hujus divites in fide?* II, 5. Satis quippe eſt ad veritatem pronuntiati moralis ut valeat ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ [*plerumque*]: neque τὰ ἀκριβῆ [*exquiſita tractationis libramentum*] ultra exigendum eſt quam rei fert natura, ut eſt apud Ariſtotelem initio ad Nicomachum. Tales ſunt & iſtæ Græcorum ſententiæ:

Euripidis,

> Δεινόν γε, πᾶς πλοῦτεῖ τῶν δ' ἔμφυτον,
> Σκαιοῦσθαι εἶναι.
>
> [*Res miſera, verum propria divitibus tamen,*
> *Carere mente.*]

Ejuſdem,

> Πλοῦτος; ὁ πλοῦτος δ' ἀμαθία, δουλεία δ' ἄμα.
>
> [*Es dives? at iners res & ignava eſt, opes.*]

Et hoc,

> Ἄλογον δ' ὁ πλοῦτος, πολλὰ δ' εἰκῇ ἐρᾷς πεσεῖν.
>
> [*Divitiæ iniqua multa meditari ſolent.*]

Item,

> Εὐπορῶ· δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος, ἡ φιλόψυχον κακόν.
>
> [*Cerno; verum ignava, vita parca res, opulentia eſt.*]

Et hoc,

> Ἐν τῷ δὲ ὄλβῳ φαυλότης ἕπεσί τις,
> Πενία δ' σοφίαν ἤλαχε δι' τὸ δυσχερές.
>
> [*Solet divitiis comes eſſe imperitia:*
> *Magis malo coacta paupertas ſapit.*]

Euphorionis,

> Κακὸν τὸ πλοῦτος· ἐσὶν εἰς ἀνωφελείαν
> Ὁ πλοῦτος ἀνθρώποισιν, αἵ τ' ἄγαν τρυφαί.
>
> [*Conſilia nunquam animoſa ſuppeditant opes,*
> *Nec auctor eſſe luxus audendis ſolet.*]

Antiphanis,

> Ὁ δὲ πλοῦτος ἡμᾶς, καθάπερ ἰατρὸς κακός,
> Τυφλοὺς, βλέποντας σφηλαδὼν, πέπλας ποιεῖ.
>
> [*At nos divitiæ, mos ut eſt Medicis malis,*
> *Cæcos efficiunt, cum oculatos acceperint.*]

Menandri,

> Ἀεὶ νομίζετ' οἱ πένητες ὑφ' ἡμῶν.
>
> [*Deorum cura pauperes credi ſolent.*]

Tale & Latinum illud, *Bona mentis ſoror paupertas*. Diogenes dicebat paupertatem ſubſidium eſſe ad ſapientiam αὐτοσχέδιον [*ſponte partam*], quia te doceat quod alii verbis vix docentur. Teles Philoſophus duas adferebat cauſas cur aptior ad ſapientiam eſſet paupertas divitiis; priorem, quod labores minus ſubterfugeret; alteram, quod aliarum rerum curis minus diſtraheretur: quod ipſum Chriſtus quoque ſignificat infra VIII, 22. Lactantius hac de re ſic diſſerit: *Eo fit ut pauperes & humiles Deo credant facilius qui ſunt expediti, quam divites qui ſunt impedimentis plurimis implicati.* ¶ τῷ πνεύματι. *ſpiritu*] Hoc quod à Luca prætermiſſum eſt expreſſit Matthæus ut oſtenderet μακαρισμὸν hunc (*beatitudinis* hanc *prædicationem*) ad eos pauperes pertinere qui malam fortunam non haberent oſtentui, neque vero eſſent μεμψίμοιροι [*queruli*], ſed animo placido in re ſua modica acquieſcerent, neque divitias appeterent. πνεῦμα enim *animum* hic ſignificat, ut Eſaiæ LXVI, 2. infra XXVI, 41. Joh. XI, 33. & XIII, 21. Rom. I, 9. 1 Cor. II, 13. VII, 34. Eph. IV, 3. Sic Hebræis רוח נמוכת *ſpiritus pauper*, id eſt, patiens. Sunt ergo πτωχοὶ πνεύματι [*pauperes ſpiritu*] hi qui non fortuna tantum ſed & animo ſunt pauperes, ſicut infra καθαροὶ καρδίᾳ [*mundi corde*] qui non operibus tantum, ſed & animo ſunt innocentes. ¶ αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τ' οὐρανῶν· *ipſorum eſt regnum cœlorum*] Idem loquendi genus infra XIX, 14 *Talium* (nimirum qui moribus puerilem ætatem referunt) *eſt regnum cœlorum*. Senſus eſt, Talibus enim ſolent contingere divitiæ cœleſtes, cognitio veritatis, remiſſio peccatorum, donum ſpiritus, & quæ alio Regni iſtius nomine veniunt. Eſt enim oppoſitio in voce πτωχοὶ [*pauperes*] & in voce βασιλεία [*regnum*]. Scriptor Tobiæ IV, 22. μὴ φοβοῦ, παιδίον, ὅτι ἐπτωχεύκαμεν· ἔχεις γὰρ πολλὰ ἐὰν φοβῇ τὸν Θεὸν [*ne time, fili, eo quod pauperes ſumus. Multa habes, ſi Deum timeas*]. Memineris enim ubi uni virtuti beatitudo, aut vita æterna promittitur, id ſumendum comparate ad eos qui tali careant virtute, eoque minus ſint ad illa beneficia accipienda idonei, aut id eo pertinere ut vis magna in tali virtute ſita intelligatur, aliis tamen non excluſis.

4. οἱ πενθοῦντες· *qui lugent*] Γνώμη [*ſententia*] ſimilis ſuperiori, quam paulus explicat, θλῖψις, inquiens, ὑπομονὴν κατεργάζεται [*tribulatio patientiam operatur*], & quæ ſequuntur Rom. V, 3. Nimirum

> ——— *gaudet patientia duris:*

contra autem res ſecundæ vitiis ſunt obtentui. Neque fruſtra dictum, Τοῖς μαλέοις πλώοντας ἐυσελὲς εἶη [*Super Maleam navigans pius eris*], & Plinio, *Optimos eſſe nos dum infirmi ſumus.* Sed proprie hic lugentes intelliguntur cum ſua qualitate, id eſt, qui mala ab hominibus aut à Deo inflicta patienter ferunt. ¶ παρακληθήσονται. *conſolabuntur*] Hic pro parte, plene in poſtremum. vide Paulum II Cor. I, 4. Joh. XVI, 20. Jacobi I, 12. Apocalyp. 7, 17.

5. πραεῖς· *mites*] Qui alios placide ferunt & blande inſtituunt. Opponuntur πραεῖς [*mites*] ſive πρᾶοι proprie τοῖς ὀργίλοις [*iracundis*], Ariſtoteles Magnorum moralium libr. I, 23. Plato II de Republica, ἐναντία γὰρ πρᾳότητι θυμοειδὴς πραότης φύσις [*contraria enim iracundiæ mitis indoles*]. ¶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν. *poſſidebunt terram*] Ex Pſalmo XXXVII, 11. Uſurpant hoc verbum Helleniſtæ ut Hebræum ירש exprimant; id autem non ſignificat *titulo hereditatis acquirere*, ſed *jure mancipii adipiſci* aut *poſſidere*, quia talia quæ ſunt ad heredes tranſeunt. Et hoc eſt quod proprie Græcis dicitur κτᾶσθαι. Opponi enim ſolet κτᾶσθαι τῇ χειρὶ, ut Latinis *mancipium uſui*. τὴν γῆν autem dicere videtur firmas atque conſtantes amicitias, quæ in terris longe optima eſt poſſeſſio. Has autem comparare ſibi facillime ſolent qui miti placidoque ſunt animo: quanquam & ad alias res minores tuendas multum valet hæc virtus. Quippe ὁ θυμὸς [*ira*], ut eſt apud Philoſophum, φύσιν αἴτιον, συμφοραῖς συμμαχεῖν, βλάβης σύντροφον καὶ ἀπιμίας, χρημάτων ἀπώλειαν, ἴλη ἢ καὶ φθορᾶς ἀρχηγόν [*cauſa cadium, fautor calamitatis, comes damni & probri, pernicies rerum, auctor exitii*]. Adde Pſalmum XLI, 1.

6. οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην· *qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*] Fames & ſitis tralatione uſitata vehementem quandam appetitionem ſignificant, ut cum dicitur *auri ſacra fames*. & apud Plutarchum, ὁ μὴ πεινῶν μηδὲ διψῶν τιμωρίαν [*qui non eſurit aut ſitit vindictam*]. Atque ita διψᾶν [*ſitire*] ſumitur Eſaiæ XLI, 17. & LV, 1. Joh. VII, 37. & aliis aliquot horum librorum locis. δικαιοσύνης [*Juſtitiæ*] autem vox hic ſignificat ὁδὸν δικαιοσύνης [*viam juſtitiæ*], ut infra hic Scriptor loquitur XXI, 32. id eſt, doctrinam ejus obedientiæ quam à nobis Deus exigit, quæ obedientia & infra commate 20 voce eadem δικαιοσύνης [*juſtitiæ*] notatur. Etiam Philo dixit λιμὸν ἀρετῆς [*famem virtutis*] libro de Allegoriis. Cæterum ſi quis Lucam cum Matthæo conferat, videbit tale deſiderium hic indicari quo acti homines alia incommoda, puta famem ſitimque, libenter ſubeant. ¶ χορτασθήσονται. *ſaturabuntur*] Ex Pſalmo XVII, 15. Omnia quidem Dei beneficia ſub imagine cibi ac potus deſcribi ſolent: Eſaiæ LXV, 13. Luc. I, 53. præcipue vero doctrina cœleſtis. Nam & Hebræi Legem *cibum animæ* vocant, & Chriſtus Euangelium ſuum modo *panis* modo *aquæ* nomine appellat.

7. οἱ ἐλεήμονες· ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται. *miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*] Eſt quidem & in uſu humano verum illud Publii,

Bona

Bona comparat præsidia misericordia.

Item:

Habet in adversis auxilia qui in secundis commodat.

Cæterum hic arbitror recte à Latino interprete aliisque scriptoribus antiquis illud ἐλεηθήσονται [*misericordiam consequentur*] ad Divinam misericordiam referri. Nam licut omnes hi μακαρισμοὶ [hæ *beatitudinis attributiones*], si recte advertas, in præceptorum traditione explicantur: ita quod hic dicitur γνωμικῶς [*per modum sententiæ*] infra traditur ἀποτρεπτικῶς [*per modum exhortationis*] v, 45. & vi, 14. Stoici docebant *succurrere esse sapientis, misereri non esse*: & misericordiam *vitium* vocabant *animi*. At Christus non opera tantum misericordiæ præcipit, sed & affectum suo exemplo commendat. Sæpe enim legitur σπλαγχνισθῶμεν [*misertus fuisse*], quo affectus & quidem vehemens denotatur. Sic Paulus vult τὰ μέλη συμπάσχειν [*membra compati*], 1 Corinth. xii, 26. Nimirum ut recte monet Lactantius, Christiana disciplina neque exscindit affectus, neque mediocritatem indistincte præcipit, sed rectum eorum usum monstrat, modo intensiorem, modo remissiorem pro rei dignitate. Qua de re plenius agemus ad Lucam xix, 41.

8. οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ· *mundo corde*] Intelligi possunt οἱ εἰλικρινεῖς, id est qui à fuco omni & fallaciis absunt, quos *sinceros* vocant Latini. Solet enim τὸ καθαρὸν [*mundum*] conjungi τῷ ἀνυποκρίτῳ [*non fictio*], 1 Tim. i, 5. 1 Petri i, 22. Atque ita erit hujus γνώμης [*sententiæ*] explicatio ἀποτρεπτική [*hortatoria*], petenda ex iis quæ infra capite vi differuntur. Sed magis mihi placet καθαρὸν [*mundum*] hic accipi eum qui sit

Integer vitæ scelerisque purus,

quem scriptores Latini etiam *sanctum* & *castum* vocant. Græce καθαροὶ τὰς χεῖρας [*manu puri*] dicuntur qui homicidio affines non sunt, & femina καθαρεύειν [*in casto esse*] quæ concubitu abstinet. ideo addidit Christus καρδίᾳ [*corde*] ex Ps. lxxiii, 1. nimirum etiam exigens animi innocentiam. Illo enim censore (ut Taciti utar verbis) *qui deliberant desciverunt*. Ut autem καθαρὸν [*mundum*] ita interpreter movet me quod sequitur, ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται [*quoniam ipsi Deum videbunt*]. Nam & apud Johannem 1 Epist. iii, 2. itidem legimus, ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι [*videbimus eum sicuti est*]· deinde subjungitur, καὶ πᾶς ὁ ἔχων τὴν ἐλπίδα ταύτην ἐπ' αὐτῷ ἁγνίζει ἑαυτὸν, καθὼς ἐκεῖνος ἁγνός ἐστι [*Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est*]. Solent enim pro eodem usurpari ἁγνὸς & καθαρός. Quæsivit nimirum Christus attributa quæ aut ex simili aut ex dissimili subjectis convenirent. Ideo his qui puro sunt corde (quatenus scilicet id in hac vita obtineri potest) præmium proponit, quod conspecturi sint Deum, purissimam scilicet mentem. Quare petenda est hujus γνώμης [*sententiæ*] explicatio ex his quæ infra in præceptis sequuntur commate hujus capitis 21, 27. & deinceps.

9. εἰρηνοποιοὶ· *pacifici*] Proprie Græcis ita vocantur *pacificatores*, qui aliis dissidentibus medios se interponunt. At Hebræa vox quam Græca voce expressit Interpres שלמים latius patet, *pacisque studiosos* significat, neque aliter hoc loco ea vox accipienda est. Sequitur enim hujus dicti explicatio infra commate 23 & deinceps. ¶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται. *filii Dei vocabuntur*] Deus vocatur *Deus pacis* Rom. xvi, 20. 1 Cor. xiv, 33. II Cor. xiii, 11. Phil. iv, 9. 1 Thess. v, 23. II Thess. iii, 16. Hebr. xiii, 20. Sensus est, Eos qui paci studeant, Deo simillimos, ac proinde etiam Deo dilectissimos fore. Sic infra, ἵνα γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς [*ut sitis filii patris vestri qui in cœlis est*], commate 45. Sirachides olim dixerat, Γίνου ὀρφανῷ ὡς πατὴρ, καὶ ἀντὶ ἀνδρὸς τῇ μητρὶ αὐτῶν, καὶ ἔσῃ ὡς υἱὸς ὑψίστου· καὶ ἀγαπήσει σε μᾶλλον ἢ μήτηρ σου [*Esto pupillis ut pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altissimi, & miserebitur tui magis quam mater*], iv, 10. Philo de sacrificantibus, Οἱ τὰ ἀρέσκοντα τῇ φύσει δρῶντες καὶ τὰ καλὰ, υἱοὶ εἰσι τοῦ Θεοῦ [*qui id faciunt quod natura probum honestumque est, filii sunt Dei*]. Hierocles docet nos ita locutos & Pythagoristas, haud dubie accepto ab Hebræis more, τῷ ἤδη παρεμφαίνεσθαι τοῖς παισὶν ἄξια τοῦ Θεοῦ πατέρος καλῶν [*Deum patrem vocans quod jam fecerit ea quæ filium decent*]. Est autem καλεῖσθαι [*vocari*] hic, rem ea voce indicatam consequi. 1 Johan. iii, 1. Ἴδετε ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν ἡμῖν ὁ πατὴρ, ἵνα τέκνα Θεοῦ κληθῶμεν [*Videte qualem caritatem dedit nobis Pater ut filii Dei nominaremur*]· quod alibi dixerat, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι [*dedit eis potestatem filios Dei fieri*], Euang. i, 12. Sic quod Esaiæ xiv, 20. est נצר [*vocabitur*], Chaldæus vertit יתקרי [*manebit*]; & quod est Esaiæ lvi, 7. Lucas vertit per ἐστὶν [*est*] xix, 46. ut notavimus supra i, 22. Nec aliter Syrus id quod est Genes. xxi, 12. Sic & Philo De linguarum confusione, Οἱ ὄντως μὲν ἀκριβεῖς ἢ εἰσὶ καὶ υἱοὶ Θεοῦ προσαγορεύεσθαι δίκαιοι [*Scientia præditi recte unius Dei vocantur filii*]. Ex hac vera Dei imitatione sequitur porro etiam Divinæ gloriæ participatio, ut ostendit Johannes dicto Epistolæ loco & Paulus Romanorum viii, 17.

10. δεδιωγμένοι, *persecutionem patiuntur*] Græcis διώκειν est non tantum *accusare*, sed & *expellere*, ut διώκειν ἐκ τῆς γῆς, διώκειν τῆς οἰκίας [*pellere terra, pellere domo*]. Sed apud Hellenistas Judæos latius ea vox patet, ut exprimat Hebræum רדף, quod omne genus vexationis, præsertim gravioris, continet. Latine *persequi* nulla re adjecta hunc sensum non habet. Alioqui *persequi judicio*, *persequi bello* recte dicitur. Sed Christiani Hebræos & Hellenistas imitati dixerunt *persequi*, pro quo veteres Romani dixissent *vexare* aut *exagitare*. ¶ ἕνεκεν δικαιοσύνης· *propter justitiam*] Vox hæc vix unquam in his libris Finem, at plerumque causam significat qua agens impellitur. Latinis *ergo* eandem habet notionem, ut *virtutis ergo*. Δικαιοσύνη autem hic iterum *obedientiam Divinorum mandatorum* significat. ¶ αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, *ipsorum est regnum cœlorum*] Cum βασιλεία οὐρανῶν [*regnum cœlorum*] modo doctrinam cœlestem & quæ eam in hac vita consequuntur, modo gloriam cœlestem significet, ut multis in locis videre est, ut priorem sensum supra, ita posteriorem hic amplectendum sentio, tum ut singulis subjectis singula attributa respondeant, tum quod omnino proxime sequens comma videatur dicti hujus generalis particularem ἐκτέλεσιν [*latiorem expositionem*] continere; ibi autem *mercedis cœlestis* expressa est mentio. Atque hinc factum est ut jam Clementis temporibus diverso modo hic locus legeretur, Ipse citat, ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται [*quia ipsi filii Dei vocabuntur*], quod ex præcedenti commate irrepsit. Ab aliis legi testatur, ὅτι αὐτοὶ ἔσονται τέλειοι [*quoniam ipsi erunt perfecti*] atque etiam, ὅτι ἕξουσι τόπον ἵνα διωχθήσονται [*quoniam locum habebunt ubi nemo eos persequetur*]. quæ omnia glossemata esse arbitror explicantia quid esset βασιλεία τῶν οὐρανῶν [*regnum cœlorum*] hoc loco.

11. ὅταν ὀνειδίσωσιν, *cum maledixerint*] Ut olim Elisæo factum II Reg. ii, 23.

12. ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς, *quoniam merces vestra copiosa est*] Ex Genesi xv, 1. ¶ οὕτως ἐδίωξαν οἱ πατέρες, *sic persecuti sunt Prophetas*] Josephum, Mosem, Samuelem, Davidem, Esaiam, Jeremiam, atque alios. Vide Nehemiam ix, 26. orationem Stephani in Actis, & quæ infra dicuntur xxiii, 31. Nimirum ita est, *veritas odium parit*, præsertim ea quæ ad mores emendandos pertinet. Hoc si Heraclito, si Democrito, si Socrati evenit, tantillam faculam allucentibus, quanto magis Christi discipulis exspectandum est? Plato secundo de Republica ait, ad explorationem veræ virtutis opus esse ut vir bonus μηδὲν ἀδικῶν, δόξαν ἔχῃ τὴν μεγίστην ἀδικίας, ἵνα ᾖ βεβασανισμένος εἰς δικαιοσύνην τῷ μὴ τύγχανειν ὑπὸ κακοδοξίας καὶ τῶν ἐπ' αὐτῇ γιγνομένων, ἀλλ' ἕως ἂν ἀμετάστατος μέχρι θανάτου [*cum nihil injuste agas famam tamen sustinent maxima injustitiæ, ut explorata sit justitia eo ipso quod non inflectitur amota fama & quæ eam consequuntur, sed immobilis manet ad mortem usque*].

13. Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς· *Vos estis sal terræ*] Ut modo dicere occepi, nihil satis causæ video cur hæc ad Apostolos restringantur. Nam & μακαρισμοὶ [*beatitudinis prædicationes*] communes sunt omnibus: & allocutio quæ præcessit commatibus duobus antecedentibus omnes spectat qui pro veritate injurias sustinent. Tum vero clarum est eosdem dici ἅλας τῆς γῆς [*sal terræ*], & commate sequenti φῶς τοῦ κόσμου [*lumen mundi*]. At φωστῆρες ἐν κόσμῳ [*luminaria in mundo*] dicuntur non Episcopi tantum, sed omnes vere Christiani, ut apparet Philip. ii, 15. Cui simile est illud apud Justinum, Ὅπερ ἐστὶν ἐν σώματι ψυχὴ, τοῦτ' εἰσὶν ἐν κόσμῳ Χριστιανοί [*Quod in corpore est anima, id in mundo Christiani*]. Jam vero hoc ipsum quod de Sale dicitur, Lucas directe dictum ait πρὸς τοὺς ὄχλους [*ad turbas*] xiv, 25, 34. Sensus ergo est, Eos, qui ab ipso Christo veram ac salutarem doctrinam percepissent, non exemplum vivendi ab hominibus aliis petere, sed aliis exemplo esse debere. Salis autem præcipua vis est adversus putredinem. Hinc illud Varronis, *Suillo pecori animam pro sale datam ne putisceret*, ex Cleanthe desumtum, cujus hæc erant verba, τὸν νοῦν ἀντ' ἁλῶν ἔχειν τῆς ψυχῆς ἵνα μὴ σαπῇ τὰ κρέα. Neque alia de causa ἅλα θεῖον [*sal divinum*] dixit Homerus. Hinc *sapientia sal* dici cœpit, ut est apud Comicum, *qui habet salem quis ante est*. Atque eodem respicit Paulus, cum sermonem nostrum ita blan-

blandum vult eſſe ut tamen *ſale condiatur*, Coloſſenſ. IV, 6. Sed proxime ad hoc loquendi genus accedit quod Livius Græciam *ſal gentium* vocat. Oſtendit ergo Chriſtus officii eſſe eorum qui veræ ſapientiæ præcepta hauſiſſent, aliorum ſordes expurgare. ¶ τὴν γῆν· *terræ*] Vox γῆς, & quæ eſt commate ſequenti vox κόσμε [*Mundi*], haud dubie generis humani univerſitatem ſignificant, quomodo & *terrarum* & *mundi* vox Latinis uſurpantur. Nimirum pauci iſti à Chriſto inſtituti fermentum fuere quo tota farina fermentata eſt, infra XIII, 33. ¶ μωρανθῇ, *evanuerit*] Quod Græci dicunt ἄναλον [*inſulſum*], ut & Marcus IX, 50. id Hebræis dicitur תפל, ut Jobi VI, 6. eademque vox τὸ μωρὸν [*ſiultum*] ſignificat Jobi XXIV, 12. Jerem. XXIII, 13. Thren. II, 14. Hebræam igitur vocem quam proxime potuit expreſſit Græcus interpres. ¶ ἐν τίνι ἁλισθήσεται; *in quo ſalietur?*] Non abſolute ſumendum, ſed relate. ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; [*in quo illud condietis?*] inquit Marcus omni ambiguitate remota. Sal in ſe habere debet vim excoquendi: nam ſi putruerit, non eſt quo corrigatur. Sic illi qui à Domino Jeſu veram doctrinam hauſerant, ipſi emendare alios debebant, non autem exſpectare ut ab aliis ipſi emendarentur. Simile eſt huic proverbio illud Græcis uſitatum, Ὅπου τὸ ὕδωρ πνίγει, τί δεῖ; [*Ubi aqua ſuffocat, quid opus ultra bibere?*] ¶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. *conculcatur ab hominibus*] Παροιμιώδης [*proverbialis*] locutio de re nihili. Sed intelligenda hic ſimul pœnæ comminatio, quam explicat Lucas XXI, 24. ὑπὸ Hebræis eſt quod ὑπὸ [*quilibet*] Græce loquentibus, ut fine libri Judicum vertunt LXX.

14. πόλις κρυβῆναι, *civitas abſcondi*] Vult Chriſtus auditorum ſuorum integritatem non minus eſſe conſpicuam quam ſolent eſſe urbes quæ in montis vertice ſunt collocatæ: qualis erat Hieroſolyma, Eccleſiæ figura. Vide Ezechielem in fine. De cœtu autem piorum hic directe non agi & præcedentia & ſequentia oſtendunt.

15. μόδιον, *modio*] Modii vox quanquam Græcis minus uſitata, ex Græcia tamen in Latium venit. Nam & Dinarchus ea utitur. Credibile eſt à Matthæo ſcriptum *nuu*, quod hic habet Syrus, quando & Hieronymus in Veteri Fedre *nuu modium* vertit. ¶ καὶ λάμπει, *& lucet*] Hebraiſmus pro ἵνα λάμπῃ [*ut luceat*] recte notatus à veteri Latino interprete. Sic candelabrum in medio Tabernaculo, deinde in media æde Templi lucebat.

16. ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα καὶ δοξάσωσι, *ut videant opera veſtra bona & glorificent*] Eſt & hic Hebraiſmus pro ἰδόντες δοξάσωσι [*videntes glorificent*]. tum vero vocis δοξάζειν [*honorare*] notio non Græca eſt ſed Helleniſtica, auctoribus LXX, qui ita optime putarunt exprimi Hebræum כבד & גדל [*magni facere*]. ¶ τὸν πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*] Inter nomina Dei quæ commentatores Hebræi tradunt eſt אבינו שבשמים [*Pater noſter qui in cœlis*]. Quanquam vero Deus omnium opifex recte eam ob cauſam *Pater* dici poſſit, ut

——— πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,
[——— *deum pater ille hominumque,*]

apparet tamen ex eo quod hic additur ὑμῶν [*veſtrum*], Chriſtum & hic & aliis in locis magis reſpexiſſe ad amorem peculiarem vereque paternum, quo pietatis ſtudioſos Deus proſequitur. Senecæ vir bonus, *vera Dei progenies*, libro de Providentia. Quid vox pluralis οὐρανῶν [*cœlorum*] in Helleniſtarum ſermone ſignificet, ſupra diximus, nimirum beatiſſimam illam regionem quam ſola mente complectimur, τὸν κόσμον τὸν νοητὸν [*mundum illum qui animo comprehenditur*]. Quanquam autem Deus ſæpe dicitur eſſe ἐν τοῖς οὐρανοῖς [*in cœlis*], non id tamen intelligendum eſt quaſi Deus ullis extra ſe ſpatiis terminetur. Vere enim dixit Solomo Deum neque cœlo adſpectabili neque illo ſupremo cœlo, quod שמי השמים [*cœlum cœlorum*] vocat, comprehendi, 1 Regum VIII, 27. Ante res conditas Deus haud dubie ſibi ſuffecit pro loco: neque cum res condidit natura ipſius immutari aut à ſui ipſius opificio limitari potuit. Recte ergo Hebræi Magiſtri Deo inter alia nomen tribuunt מקום [*Locus*], quia ipſius immenſa natura nullo extra ſe loco tenetur, atque adeo ſibi eſt quaſi locus rebus à ſe factis infinito major, eaſque excellentius & efficacius continens, quam locus ſoleat res locatas: Quam Hebræorum veterum ſententiam hunc in modum exponit Philo, Θεὸς αὐτὸς ἑαυτῷ τόπος (hoc eſt מקום) καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ πλήρης καὶ ἱκανὸς ὢν ἐφ' ἑαυτῷ πλήρωμα καὶ περιοχή, κόσμος δ' οὐκ ὢν ἑαυτοῦ ἄμεινον περιεχόμενος [*quoniam ipſe ſibi locus, & ipſe ſui plenus, & tot illa quæ ſunt implet ac continet, ipſe vero à nullo continetur*]. Eademque veterum Chriſtianorum ſententia, Θεὸς περιοχὴ τῆς βουλήσεως τῶν πάντων, μείζων ὢν πάντων, ὥσπερ καὶ τῇ οὐσίᾳ ὅλως καὶ τῇ ἀξίᾳ [*Deus voluntate totum hoc cominet, major Univerſo, ut ſubſtantia, ita & majeſtate*], ut docte diſſerit Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos quæſtione undecima. Theophilus libro ſecundo adverſus Gentes, Θεὸς δὲ χωρεῖται, ἀλλὰ αὐτὸς ἐστι τόπος τῶν ὅλων [*Deus non comprehenditur, ſed ipſe Locus eſt omnium*]. Dicitur tamen ἐν οὐρανοῖς [*in cœlis*] eſſe potius quam alibi, quia ſicut in illa regione majeſtas Dei ſingulari & eximio modo apparet: ita & olim in ea regione ſumma ab ipſo præmia exſpectamus, tunc cum ſe pleniſſime nobis & Deum & Patrem eſt demonſtraturus. Sed & Græci ut multa ex Oriente ita hoc quoque hauſerunt. Nam ſedem Deorum ponunt ſupra ſideream regionem. Aratus de Eridano aſtro,

——— θεῶν ὑπὸ ποσὶ φορεῦσι.
[——— *deum ſe ſub pedibus fert.*]

Quod imitatus eſt Callimachus & ex Callimacho Catullus in coma Berenices,

Sed quanquam me nocte premunt veſtigia Divum.

17. Καταλῦσαι, *ſolvere*] Quod hic καταλύειν, infra λύειν dicitur commate decimo nono. Eſt quidem λύειν νόμον [*legem ſolvere*] ſæpe apud Demoſthenem *abrogare*. Sed hic vox iſta laxius paulo ſumenda eſt, pro eo quod eſt *Legem oppugnare factis dictisve*. Tale eſt illud οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφὴ [*non poteſt ſolvi Scriptura*] Joannis capite decimo, verſu trigeſimoquinto, & quod λύειν τὸ σάββατον [*ſolvere Sabbatum*] dicitur qui contra Sabbatum facit, capite quinto, verſu decimo octavo. Imo illud ipſum λύειν τὸν νόμον [*ſolvere Legem*] apertum eſt ita ſumi Johannis VII, 23. pro quo & καταργεῖν τὸν νόμον [*deſtruere Legem*] dixit Paulus Rom. III, 31. Atque hanc veram eſſe hujus loci explicationem oſtendit id quod ſequitur commate decimo nono, ubi ποιεῖν καὶ διδάσκειν [*facere & docere*] opponitur τῷ λύειν [*ei quod eſt ſolvere*]. Sed hic inſurgunt in nos Judæi clamitantes itum ab Apoſtolis contra hanc Magiſtri profeſſionem. Sed labi illos rerum noſtrarum ignorantia vel hinc pateat, quod hæc ipſa Domini verba Apoſtoli memoriæ conſecrarunt, nunquam id facturi, ſi ipſorum documenta ab hoc documento diſcrepaſſent. Adde quod ille ipſe Apoſtolus, quo nemo conſtantius libertatem Chriſtianam contra neceſſitatem Hebraicorum rituum defendit, idem de ſe dicit quod Magiſter dixerat: νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν [*Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit, ſed Legem ſtatuimus*]. At idem eſt qui alibi dicit Chriſtum νόμου τὸ ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργῆσαι [*Legem mandatorum decretis evacuaſſe*], Eph. II, 15. Rurſum quod hic Chriſtus dixerat veniſſe ſe πληρῶσαι τὸν νόμον [*adimplere Legem*], hoc & ille Apoſtolorum eximius non ſemel agnoſcit, ut cum Chriſtum vocat τέλος τοῦ νόμου [*finem Legis*], Rom. X, 4. & νόμον παιδαγωγὸν εἰς Χριστόν [*Legem pædagogum ad Chriſtum*], Gal. III, 24. Jam vero in ſcriptis Apoſtolicis eſt ubi invenias νόμον [*Legem*] dici πνευματικὸν [*ſpiritualem*], Rom. VII, 14. eſt iterum ubi vocatur νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς [*lex mandati carnalis*] Hebræor. VII, 16. Quare cum ſano nemini in mentem venire poſſit viros graves & in defenſione doctrinæ ſuæ adeo conſtantes, non modo alios aliis, ſed ipſos ſubimet pugnantia ſcripſiſſe, videndum eſt quomodo dicta iſta inter ſe conſentiant. Primum igitur notiſſimum eſt, Jus aliud eſſe Naturale, perpetuum, commune omnibus, aliud conſtitutum, quod plerumque ſolet eſſe peculiare ac mutabile: quale eſt jus populi cujuſque proprium, quod Civile vocamus. Jus Naturale, hoc eſt rectæ rationis præſcriptum, animum præcipue reſpicit, & externas actiones ex animo æſtimat. Jus Civile eodem quidem tendit, ſed cum id per hominum pravitatem obtinere nequeat, contentum eſt exteriori innocentia: &, quod inter homines fieri neceſſe eſt, animum ex factis metitur. Itaque corpori præcipue ponitur, & de rebus agit quatenus cerni oculis manibuſque tangi poſſunt. Conſilia conatumque non punit, niſi in rebus atrociſſimis. Hinc Seneca *exiguam rem eſſe* dicit *ad legem bonum eſſe*. Cumque perpetuum illud Jus bonos certet efficere virtutis amore, hoc Civile malos formidine pœnæ coercet, quo jure opus non fuiſſet, ſi homines ſinceris naturæ (id eſt, rationis à Deo illuminatæ atque adjutæ) præceptis obtemperaſſent: Sed cum parentes darent progeniem in dies vitioſiorem, refrænanda fuit gliſcens malitia, & reſuſcitanda notitiæ veſtigia, quæ prava conſuetudo pæne obliteraverat. Ergo παραβάσεων ἕνεκα νόμος προσετέθη [*propter tranſgreſſiones lex appoſita eſt*], id eſt, addita eſt lex ſcripta in talibus ad legem illam in mentibus ſcriptam Gal. III, 19. Atque adeo quod de lege Moſis dixit Paulus δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται [*legem juſto non eſſe poſitam*] 1 Tim. I, 9. hoc

in univerſum de lege Civili Socrates pronuntiaverat, νόμων ἕνεκα ἀγαθῶν ἀνδρῶν [*legem non eſſe factam virorum bonorum cauſa*]. Quin ad minora etiam quædam delicta externa connivere coguntur leges Civiles, ne irrito adverſum adulta vitia niſu hebeſcat acies publicæ auctoritatis. Lex igitur Moſis, cum data ſit uni populo Iſraelitico, non minus quam leges Civiles humanæ, habere debuit quædam tralatitia ex jure naturali, quædam vero propria illi populo iſtiſque temporibus accommodata. Agnoſcit hoc diſcrimen in lege Patria Joſephus accurate ea de re diſſerens Originum lib. XVI, cap. X. ubi illud jus conſtitutum vocat τὰ ἔθη [*Conſuetudines*], illud autem perpetuum partim τὸ δίκαιον πᾶσιν ἀνθρώποις ἐμοίως ἀνυπαλλάκτον [*Juſtum illud quod omnibus ex æquo hominibus utile eſt*], partim τὸ πρὸς καλοκἀγαθίαν κοινὸν ἅπασι καὶ μόνον ἱκανὸν ἀρκεῖσθαι τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον [*id quod ad probitatem omnibus communiter patet, ſolumque per ſe ſufficit ad tuendam hominum vitam*], quod quidem jus potiſſimum à Lege ait reſpici. Hebræorum Magiſtri hæc proprie volunt dici מצות [*præcepta*], illa חקים [*ſtatuta*], ut initio ad Lucam dicetur. Juſtinus in Colloquio cum Tryphone idem diſcrimen clare Judæo ob oculos ponit, cum alia ait eſſe καθόλου καὶ φύσει καὶ αἰωνίως καλὰ [*generatim ac per ſe & ſemper honeſta*], quæ qui olim præſtiterunt, communem cum Chriſtianis gloriam erunt reportaturi, alia vero πρὸς συμπεραίνειν τὸ λαὸς (addere poterat, *& ob occaſiones temporum ac locorum*) διὰ τὴν σκληροκαρδίαν [*ob populi duritiem conſtituta*]. Sic & in Conſtitutionibus quæ dicuntur Clementis plurimis locis diſtinguuntur τὰ φυσικὰ τοῦ νόμου [*naturalia Legis*] & τὰ ἐπείσακτα [*ſuperinducta*]. Irenæus quoque IV, 27. illa prioris potioriſque generis *naturalia Legis* vocat. Sicut igitur ante Legem conditam vera pietas, ſive fiducia in Deum per caritatem efficax, id fuit quod hominem Deo acceptiſſimum faceret, ita in ipſa Lege voluit Deus exſtare ejus εὐδοκίας [*ſui beneplacitis*] veſtigia. Itaque *amari ſe integro corde* poſtulat, cor vult *circumcidi*, & quæ alia ſunt ad eam formam. Sed hoc omne ut dixi tralatitium eſt, neque pars proprie Legis ejus quæ erat Civilis, ſed ſcopus atque propoſitum: quomodo & in Zaleuci & in Charondæ legibus & XII Tabulis quædam inſerta erant ad animi caſtimoniam pertinentia. Apparet hoc ex ſanctione Legis quæ erat Civilis. Ea enim capitale ſupplicium legirupis minabatur; tantum autem abeſt ut intra animum peccantibus tale ſupplicium irrogatum fuerit, ut etiam externa quænam delicta victimis aut verberibus expiarentur. Hoc vero præcipuum habebat Lex illa Civilis ſupra humanas leges, quod obſequentibus, hoc eſt, ad Legis normam viventibus, non tantum impunitatem ſed & vitam longam atque proſperam præſtabat. At Chriſti lex, ut comminationem graviorem habet, perpetui ſcilicet ſupplicii, Hebræor. II, 3. ita & *melioribus promiſſis firmata eſt*, Hebr. VIII, 6. nimirum regni cœleſtis. Videamus nunc quid ſit quod Chriſtus dicit ſe veniſſe νόμον πληρῶσαι [*adimplere legem*]. Legis ſcopus erat homines quam optimos efficere, quales fiunt Dei reverentia & caritate mutua hominum inter ſe. Hæc duo maxima Legis præcepta vocat Chriſtus Matth. XXII, 37. 38. 39. Imo ait *hinc pendere legem totam & Prophetas*, 40. Paulus *diligendo hominem alterum legem* ait πεπληρῶσθαι [*impleri*] Romanor. XIII, 8. Galat. V, 14. Et Jacobus II, 8. *legem regiam* ait τελεῖσθαι [*perfici*] eadem dilectione, addens κατὰ τὴν γραφήν [*ſecundum Scripturam*], V. Fœderis libros intelligens. Sed quod Lege monſtrabatur quidem, Legis tamen tempore à paucis in ipſo etiam Iſraelitico populo præſtabatur, id ut omnes in ſe credentes præſtare poſſent, Chriſtus effecit, idque non vi Legis (quæ malos coercebat magis quam faciebat bonos), ſed peculiaribus Dei prælidiis, remiſſionem promittens antecedentium peccatorum omnium, certam faciens fidem beatæ immortalitatis, & large effundens Spiritus ſui copiam. Apparet igitur quomodo Chriſtus id quod in Lege erat præcipuum atque immutabile, non modo non everterit, ſed & ſtabiliverit atque confirmaverit. Jus autem alterum quod Conſtitutum diximus, partim ad cultum Divinum, partim ad ſocietatem civilem pertinet. Agamus primum de jure ad cultum Divinum pertinente, quod Rituale aut Pontificium jus liceat vocare. Hoc igitur jus Chriſtus neque exemplo neque doctrina oppugnavit. Nam dum in terris vitam vixit mortalem, & ipſe præſcriptis ritibus paruit, & aliis Hebræis ut itidem facerent auctor fuit, ut videre eſt infra VIII, 4 & XXVI, 18. Quod vero poſtea id jus evanuit, factum eſt ex ipſius juris natura. Neque enim tale erat ut Deo per ſe placeret, ſed populi ingenio temporibuſque illis aptatum. Nam ſacris illis ceremoniiſque populum Iſraeliticum, nimis patentem ad ſuperſtitionis contagia, Deus ab aliis gentibus ſegregare voluit, & occupatum deſtinere ne ad falſorum numinum cultum deficeret. Quare cum veniſſet tempus tot vaticinis prædictum, quo gentes aliæ cum piis Judæis in unius veri Dei cultum coaleſcerent, impleta circumciſionis promiſſione, Legis cauſa ceſſante, æquum erat Legem quoque Ritualem ceſſare. Data enim hæc lex erat uſque dum veniret ſemen illud Abrahamo promiſſum, Galat. III, 16. Et hoc ipſum non obſcure indicaverant Prophetæ, novum fœdus, ſacrificiaque nulli loco adſtricta, & animo peragenda prænuntiantes, & Prophetis conſentiens Chriſtus, cum diceret imminere tempus quo Deus coleretur non alibi minus quam Hieroſolymis, in ſpiritu & veritate. Nihil igitur opus fuit Legem antiquari quæ ad tempus conſtituta ipſa temporis maturitate evanuit; ſicut leges propriæ belli temporibus pace facta ſponte ſua exoleſcunt. Tantum opus erat pacem hanc Judæorum & Gentium promulgari: quod fecit Chriſtus tum voce ſua, jam à diſcipulis diſceſſurus, tum viſis cœlitus miſſis, tum palam Spiritu, miraculorum opifice, dato non tantum Judæis, ſed & alienigenis qui in ipſum crediderant. Nihil ergo à Chriſto factum eſt contra legem ritualem, ſicut nec contra leges ad belli tempora pertinentes facit qui pacem ſancit atque promulgat. Imo jus hoc quoque à Chriſto πεπληρῶται [*impletum*], primum quia & paruit ei & pareri præcepit, quamdiu jus illud valere juris auctor voluit: deinde quia homines perduxit ad puram piamque Dei venerationem, quod ſolum principaliter Deo fuiſſe propoſitum, ſacrificiorum autem ritus ex occaſione duntaxat inſtitutos, Moſes Maimonides ingenue fatetur, probatque ſententiam ſuam his Jeremiæ verbis, *Non ego cum majoribus veſtris neque præcepta ipſis dedi de holocauſtis & victimis quo die eos ex Ægypto duxi, ſed hoc eſt quod eis præcepi, ut voci meæ auſcultarent, egoque eſſem eis Deus, & ipſi eſſent mihi populus*, VII, 22, 23. quo ipſo loco adverſus Tryphonem idem probat Juſtinus Martyr. Ut autem πλήρωσις [*impletio*] iſta magis eſſet conſpicua, voluit Deus opt. max. ſingulas prope circumſtantias Judaicorum rituum congruere rebus Chriſti. Atque adeo demonſtratu facile eſt, ut inquit idem ille Martyr, πάντα τὰ ὑπὸ Μωσέως διαταχθέντα εἶναι τύπους καὶ σύμβολα τῆς καθ' ἡμᾶς τοῦ Χριστοῦ γενέσεως μελλόντων, καὶ τῶν εἰς αὐτὸν πεπιστευκότων ἐσομένων, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ ἢ Χριστοῦ ἐμοίως γενέσθαι μελλόντων [*omnia illa quæ à Moſe conſtituta ſunt eſſe figuras & ſigna & annuntiationes eorum quæ Chriſto, & eis qui in ipſum crediturі providebantur, erant eventura, & quæ à Chriſto ipſo erant facienda*]. Quare quod de vaticiniis dicit Chriſtus, oportuiſſe ea in ſe πληρωθῆναι [*adimpleri*], idem ad cæremonias etiam ſuo modo referri poteſt. Sed ejus rei accuratius tractandæ materiam præbebit epiſtola ad Hebræos. Reſtant inſtituta ad ſocietatem civilem pertinentia. In his autem exigit ubique gentium ipſa reipublicæ neceſſitas ut multa quæ per ſe non probantur legum auctoribus, permittantur tamen ne majoribus malis detur occaſio, aut etiam ne vileſcant ſine moribus leges. Quamobrem Cicero ſententiam vult dici *ut in face Romuli*, non *ut in Platonis Politiæ*. Sed & ipſe Plato cum finxiſſet quandam ex ſuo ingenio Rempublicam, nullo ad homines reſpectu, aliam deinde deſcripſit in Legibus quam vocat ἐξ ὑποθέσεως [*ex ſuppoſitione*]. Alius quidam interrogatus εἰ ἆρ' οὖν καλλίστους ἔδωκε τοῖς πολίταις νόμους; [*An optimas leges civibus ſuis præſcripſiſſet?*] reſpondit, οὐ δῆτα καλλίστους γε, ἀλλ' οἵους ἐδύναντο ἆρ' οὖν καλίστους [*Non optimas ſimpliciter ſed optimas ex iis quas potuiſſet*]. Talibus ergo inſtitutis, quæ legum auctori expreſſit neceſſitas, ſi quis non utitur, aut alios etiam tam bonos reddit, ut uti eis nolint, nihil profecto committit aut contra legis verba, aut contra ſententiam: imo vero cenſendus eſt id facere quod legis auctori maxime placet. Nam, ut ab Ariſtotele veriſſime ſcriptum eſt, omnibus legem auctoribus propoſitum eſt cives bonos efficere. Cætera vero inſtituta quæ ad veram virtutem videri poterant ἀδιάφορα [*media*], Chriſtus nuſquam oppugnavit: imo ipſe eis paruit, & diſcipulos docuit cujuſque reip. legibus, quantumlibet humanis, obedire. Bene de Chriſtianis ſcriptor ad Diognetum, Πείθονται τοῖς ὡρισμένοις νόμοις, καὶ τοῖς ἰδίοις βίοις νικῶσι τοὺς νόμους [*obediunt legibus conſtitutis, & vita ſua ſuperant leges*]. Quod ſi humanis ejus generis legibus parere juſſi ſunt Chriſtiani, multo magis iis quæ Deum habebant auctorem. Attamen hoc etiam jus emortuum eſt, cum in pœnam Judæorum contumaciæ exſtinctum eſt quicquid reipublicæ reſtabat: quia ſublato eo quod principale eſt neceſſe eſt etiam acceſſiones corruere. Quare ne hanc quidem juris partem Chriſtus oppugnavit: imo cum omnia ejus generis inſtituta tendant ad alendam civium inter ſe concordiam, ipſe ad veram pacem hominum animos flectendo, propoſitum illius etiam partis implevit. Videmus igitur optime conſentire Apoſtolos & ſecum & inter ſe & cum Chriſto. Nam

illa

illa quæ in lege ſunt, ut Juſtinus loquitur, φύσει καλὰ καὶ ὁσιότῃ καὶ δίκαια [*natura honeſta, pia ac juſta*], *naturalia legis*, ut loquitur Irenæus libro IV, capite XXVII. perfecit Chriſtus, explicans ea clarius quam ante unquam explicata fuerant, & præceptis quibuſdam exactioribus muniens, & in eorum obſequium animos redigens, promiſſorum magnitudine & certitudine, ſpirituſque ſui obſignatione. Atque hic eſt νόμος ille τέλειος, ut eum [*legem illam perfectam*, ut eam] appellat Jacobus I, 25. Ritus autem implevit & conſummavit Chriſtus, id exhibendo cujus cauſa ritus erant reperti, quodque ritus ipſi figurabant. Delevit autem eoſdem eo ipſo implemento ac conſummatione, non tollendo legis vinculum, ſed cauſam ſubtrahendo propter quam lex ea nata erat, & cui morienti ex primævo decreto erat commoritura. Νόμος πνευματικὸς [*Lex ſpiritualis*] dicitur ob ſcopum illum in quem dirigitur. Dicitur & σαρκικὸς [*carnalis*] ob ritus in ſe ſpectatos, qui corpus à pœna defendunt, cæterum ſpiritum hominis non perficiunt Hebr. VII, 11. IX, 9. ¶ ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται. *donec tranſeat cœlum & terra, non tranſibit iota unum aut apex unus a Lege, donec omnia fiant*] Tranſire hic *Prophetæ non tantum ut futurorum præſagi, verum etiam ut Legis interpretes & quotidiani commentatores.* Quo ſenſu à præcepto dilectionis *pendere* dicuntur *Lex & Prophetæ* Matth. XXII, 40.

18. Ἀμὴν, *Amen*] Vox hæc Hebræa, quæ modo in exordio, modo in clauſula ſermonis ponitur, diverſas ſignificationes habet, quæ una voce Latina reddi nequeunt. Nam ſi λόγος ſit ἀποφαντικὸς, ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν καὶ ψεύδεσθαι ὑπάρχει [*ſermo ſit enuntiativus, in quo verum aut falſum dicitur*], ut Ariſtoteles loquitur, idem valet quod Græcum ἀληθῶς [*vere*]: atque ita vocem Hebræam reddi tum à Lxx Senibus, tum à Luca, viri doctiſſimi pridem annotarunt. At precandi optandive verbis adjunctum eam vim habet quam apud Latinos aut *quæſo* aut *utinam*; quo ſenſu à Septuaginta recte redditur γένοιτο [*fiat*]. Utramque autem ſignificationem complectitur vox Græca ναὶ, ut quæ modo aſſeverat, modo deſiderii vehementiam exprimit. Quare accurate Lucas Ἀμὴν voce Ναὶ tranſtulit; Paulus autem & Johannes ναὶ & ἀμὴν conjunctum poſuerunt, ut altera vox ab altera lucem acciperet. Vox autem hæc Hebræa, ut valde efficax, etiam in Græca lingua ab Helleniſtis Judæis ſervata eſt: quos ſecuti Chriſtiani, non in libris duntaxat ſed in uſu quoque populari eam retinuerunt, ut videre eſt I Corinthior. XIV, 16. ¶ ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς, *donec tranſeat*] Παρέρχεσθαι quidem *interire* hic ſignificat, ut & apud Petrum II Epiſt. III, 10. Neque tamen hic reſpici tempus τὸ ἐκπύρωσιν [*incendium univerſale*], ut in Petri Epiſtola, ſed dictum eſſe παροιμιῶδες [*proverbiale*], quaſi Latine dicas, *uſque dum cœlum ruat.* Lucas nos docet, apud quem hæc ſententia hunc in modum effertur: *Facilius fit cœlum & terram perire quam ullum Legis apicem collabi.* In quo loquendi genere non Dei potentia ſed naturalis ordo reſpicitur. At ſecundum naturam videtur hoc eſſe τὸ ἀδύνατον [*inter impoſſibilia*], ut cœlum aut terra pereat, quorum utrumque Heſiodus dixit Deorum immortalium

——— ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.

[——— *ſolidiſſima ſedes.*]

Similia apud Græcos & Latinos paſſim reperire eſt, *Dum terra ſtabit, Dum aſtra current*, aut in hunc modum,

Definet eſſe prius contrarius ignibus humor.

Atque id ipſum clarius conſpicere eſt infra XXIV, 35. Marci XIII, 31. Lucæ XXI, 33. ubi ita loquitur Chriſtus de ſuis prædictionibus agens, Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι [*Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*]. Nam poſtrema vox, quæ eſt modi potentialis, oſtendit ſenſum eſſe, Prius fieri poſſe ut cœlum ac terra pereant quam ut prædicta non impleantur. Quod autem prior vox illis locis poſita eſt δεικτικῶς [*in indicativo*] id ex Hebraiſmo venit. Sic Eſaiæ LIV, 10. כי ההרים ימושו והגבעות תמוטינה מאתך לא ימוש וברית שלומי לא תמוט. Ad verbum, *Nam montes movebunt ſe & colles nutabunt, & miſericordia mea non recedet, & fœdus pacis mea non movebit ſe*: id eſt, Prius montes ſe moverent & colles nutarent quam hoc fieret. Simillimum loquendi genus Pſal. LXXII, 7. עד בלי ירח [*donec auferatur Luna*], Græce ἕως οὗ ἂν ἀναστῇ (male vulgo legitur ἀνταναστῇ) ἡ σελήνη. Adde quod eſt Jerem. XVIII, 8 & 10. XXXIII, 20, 21. ¶ ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία, *Jota unum aut apex unus*] Certum quidem eſt & hoc eſſe παροιμιῶδες [*proverbiale*], qualia ſunt pleraque in Domini noſtri ſermonibus de medio uſu ſumta. Atque neceſſe eſt id adagium ex ſcribendi ratione quæ tum vigebat originem duxiſſe; unde ſequitur jam tum in lingua Hebraica Jod literam minus ſpatium occupaſſe quam literas cæteras: ac proinde eos characteres quos ſicli præferunt, jam Chriſti tempore uſurpari deſiiſſe, & in uſu fuiſſe quas habemus Aſſyriacas, ab Eſdræ, ut creditur, temporibus ſcribi Hebræis cœptas. Κεραία autem nomen ad puncta vocalia à quibuſdam trahitur, ſed idem eſt quod *apex* Latine. *Apices literarum* ipſos literarum ductus aut partes dixit Gellius, & hinc nata tranſlatio, *de jure apicibus diſputare.* Etiam Ariſtides de Græcorum legibus ajens dixit νόμων κεραίαν [*legis apicem*]. In gloſſis veteribus, *Apex*, κεραία, γράμματος ἄκρον. Sed & apud Plutarchum, Dionem, Chryſoſtomum, Philonem Judæum, Clementem Alexandrinum, & in Pſeudoſibyllinis exſtat vox κεραία eo ſenſu. Apicem literam Reſch à Daleth differre dixit Hieronymus. Eundemque, niſi fallor, ſenſum recipit ה quod hic poſuit Arabs. Libros veteres etiam poſt Eſdram ſine punctis vocalibus ſcribi ſolitos, adeo perſpicuis argumentis à viris harum rerum doctiſſimis demonſtratum eſt, ut id amplius inficiari non niſi pertinacium ſit. ¶ οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται. *non præteribit à Lege, donec omnia fiant*] Παρέρχεσθαι eſt *irritum fieri*, ut infra XXIV, 34. quare ἕως [*donec*] hic vim habet adverſativam: Non peribunt, inquit, quin imo penitus implebuntur. Quod quomodo ad ceremonias etiam pertineat, ſupra diximus. Sed de induſtria eam rem Chriſtus obſcurius tractat, ne teneriores animos offenderet. Nam hoc vel præcipue, ut prudenter ab Origene eſt annotatum libro contra Celſum ſecundo, inter illa erat quæ ipſi Apoſtoli ferre nondum poterant, & quamobrem venire debebat Spiritus qui eos *duceret in omnem veritatem*, Johan. XVI, 13.

19. τῶν ἐντολῶν τούτων, *de mandatis iſtis minimis*] Hieronymus ad verba Legis refert; melius alii veterum ad mandata Regni cœlorum, quæ ſunt τὸ πλήρωμα τοῦ νόμου [*implementum Legis*]. Ideo non dicit Chriſtus ἐκείνων [*illis*] ſed τούτων [*his*], reſpiciens tum ad præcedentia, in quibus ſub beatitudinis deſcriptione compendium quoddam eorum mandatorum erat traditum, tum ad ſequentia, quæ ſuſiorem eorum erat explicationem continent. Eſt autem talis Chriſti argumentatio, Si Legem rumpere nulli licet, multo minus impune feret qui ea ruperit quibus præparandis Lex ancillatur. Vide Hebræor. II, 2. Sua autem eſſe talia oſtendit in ſequentibus, λέγω γὰρ ὑμῖν [*dico enim vobis*], & deinceps. ¶ τῶν ἐλαχίστων, *minimis*] Subauditur κἂν [*vel*]. Senſus enim eſt, Si quis vel id contemſerit quod minimum eſt in his præceptionibus. Ita infra XXV, 40. ἐφ' ὅσον τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων *ex his fratribus meis minimis*], valet κἂν ἐλαχίστων [*vel minimis*]. Diſcant hinc Chriſtiani, nullum eſſe in his Chriſti ſermonibus præceptum tam leve quod ſine ſalutis detrimento liceat adſpernari. ¶ καὶ διδάξῃ οὕτω, *docuerit ſic*] Hoc eſt διδάξῃ λύειν [*docuerit ſolvere*]. Poſitum eſt autem καὶ [*& pro ἢ [vel*]. Nam conjunctionem ſæpe pro disjunctione accipi & Grammatici & Juriſconſulti notant. Senſus eſt, Qui contra fecerit quive contra facere docuerit, minimi erit pretii. Clarum hoc faciunt quæ ſequuntur verba his verbis directe oppoſita. ¶ ἐλάχιστος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν· *minimus vocabitur in Regno cœlorum*] De verbo καλεῖσθαι [*vocari*] diximus ſupra: illud autem ἐν [*in*] hic poſitum arbitror ad temporis deſignationem. Plane ut apud Lucam XIV, 14. ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων [*in reſurrectione juſtorum*]. Nam & alio loco idem Lucas quod dixerat ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ [*in Regno Dei*] XXII, 16. mox exponit ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ [*donec Regnum Dei veniat*], 18. Neque de Eccleſia hæc interpretanda judico, ſed de ſumma illa patefactione Divinæ majeſtatis in fine temporum, propter id quod ſequitur, *non intrabitis in Regnum cœlorum.* Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, Βασιλείαν Θεοῦ οἶδεν ἡ θεία γραφὴ λέγειν τὴν ἀνάστασιν ἁπλῶς, ἀλλὰ τὴν μὲν τῶν ἀναστάσεων διαφοράν, ἐν ᾗ τοῖς κολαζομένοις τε καὶ δεξαζομένοις ἡ διαίρεσις [*Regnum Dei ſolet Scriptura dicere non nude ipſam reſurrectionem, ſed reſurrectionem eam quæ eſt poſt reſurrectionem in qua fiet diſcrimen eorum qui punientur, & qui honorabuntur*]. Senſus ergo hujus loci eſt, eum qui contra fecerit docueritve minimi habitum iri, tunc cum Regni cœleſtis conſummatio advenerit. ¶ ὃς δ' ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, *qui autem fecerit & docuerit*] Quanquam hæc præcipue Apoſtolos ſpectant, non ita tamen ad eos adſtringenda ſunt ut alii excludantur. Nam Chriſtianorum omnium eſt non modo exemplo præire aliis; ſed & alios verbis commonefacere, Romanorum XV, 14. Coloſſ. I, 28. ubi hæc ipſa vox διδάσκειν [*docere*] reperitur.

20. ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον, *niſi abundaverit juſtitia veſtra plus*] Δικαιοσύνης voce *obedientiam* ſigni-

ſignificari ſupra diximus. Illud autem περισσεύσῃ πλεῖον Latine uno verbo vertere poſſis *ſuperaverit*. ¶ τ γραμματέων ἡ Φαρισαίων, *quam Scribarum & Phariſæorum*] *Legiſperitos* Chriſtus nominat ut Judæorum eruditiſſimos; Phariſæos ut peculiaris ſanctimoniæ fama nobiles, & quorum ſecta erat in Judaiſmo ἀκριβεστάτη [*accuratiſſima*], Actor. XXVI, 5. Hinc autem intelligi datur quam neceſſaria eſſet novæ hujus doctrinæ promulgatio, cum qui ſapientiſſimi ac religioſiſſimi inter Judæos habebantur, tum à ſapientia tum à religione tam longe aberrarent, ipſique *filii Levi* aliorum purgatores *purgandi eſſent*, Malach. III, 3. Multum autem ad horum verborum & eorum quæ ſequuntur intellectum refert, recte noſcere quale fuerit de obedientia præſtanda Deo dogma Legiſprudentium & Phariſæorum. A quo autem potius hoc diſcemus quam à Paulo Apoſtolo, qui & doctrinam Judaicam à ſummo Legiſperito Gamaliele hauſerat, & Phariſaicæ ſectæ nomen dederat? Is igitur eo tempore vixiſſe ſe ait *inculpatum, quod juſtitiam attinebat eam quæ eſt in lege*, Galat. III, 16. Ubi *legis* nomen palam eſt ita uſurpari quomodo retulimus à Seneca dictum, *exiguum eſſe quiddam ad legem bonum eſſe*. Quare & legem hanc idem Apoſtolus paſſim diſcriminis cauſa *legem factorum* vocat, eam nimirum legem indicans quam in cognoſcendis cauſis Hebræi Judices ſequi tenebantur: qui neque animum poterant introſpicere, neque vero ad punienda omnia ſecus facta, ſed ea duntaxat quæ ſocietatem civilem præcipue læderent, poteſtatem acceperant. Quo ſenſu & Clemens Alexandrinus cordis delictum vocat ἁμαρτίαν νόμῳ οὐ ὑποτασσομένου [*peccatum quod legi non ſubjacet*]. Sed paganos tali quadam innocentia contentos vixiſſe minus mirum eſt, quos cum Chriſtianis comparans Tertullianus ita loquitur: *Nos ergo ſoli innocentes? quid mirum, ſi neceſſe eſt: innocentiam à Deo edocti & perfecte eam novimus ut à perfecto Magiſtro revelatam, & fideliter cuſtodimus ut ab incorruptibili diſpenſatore mandatam. Vobis autem humana æſtimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio imperavit: unde nec plena nec adeo timenda eſtis diſciplina ad innocentiæ veritatem.* At de Judæis minus id videtur credibile, ut qui ſcirent Legem latam à Deo mentium inſpectore, qui & ex animo ſe diligi vellet, & pravas cupiditates interdiceret. Sed nimirum ita res fuit, quia talibus præceptis pœna nulla diſerte erat appoſita, ideo eam interpretabantur in conſilii magis partem quam in Legis neceſſitatem, aut certe partim quotidianis victimis, partim annuo ſacro piaculari, ita putabant eas labes expurgari ut nulla earum memoria apud Deum reſtaret. Verum eſſe quod dico, docet nos idem ille Paulus, qui ſe attenta demum Legis conſideratione didiciſſe ait, pravas cupiditates in peccati eſſe cenſu, cum alioqui idipſum fuiſſet ignoraturus, Phariſaicis nimirum præjudiciis impeditus, Romanor. VII, 7. Hinc eſt quod Tryphon Judæus adverſus Juſtinum diſputans, ait tam magna tamque admiranda ſibi videri τὰ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ παρηγγελμένα [*præcepta quæ ſunt in Euangelio*] ut plane videantur à nemine poſſe præſtari, interioris nimirum innocentiæ mandata, & eorum quæ pro parvis haberi ſolent vitiorum fugam intelligens. Sed nihil apertius dici potuit eo quod ſcriptum reliquit Hebræorum doctiſſimus David Kimchi, qui verba iſta Pſalmi LXVI, 18. *Iniquitatem ſi vidiſſem in corde meo, non exaudiſſet Dominus*, plane contra Scriptoris ſententiam ita interpretatur, *Etiamſi viderim iniquitatem in corde meo, quam vel paratus eſſem in actum perducere, ut illa ſit coram Deo ac ſi eam labiis protuliſſem, tamen non audiet eam Dominus, quaſi dicat non ducet mihi eam ſceleri: cogitationem enim pravam Deus non habet vice facti, niſi concepta fuerit in Deo fidem atque religionem.* En quam manifeſte omnia animi decreta, etiam quæ quominus implerentur penes hominem non ſterit, excepta ſola defectione à Judaiſmo, ait à Deo non imputari, neque pro peccatis duci. Et hanc ipſam ſententiam à multis Hebræis probatam notat ad Decalogum Abeneſdra. Quin & Joſephus in Phariſaiſmo, ut ipſe fatetur, accurate inſtitutus Polybium nobiliſſimum hiſtoriarum Scriptorem reprehendit, quod mortem Antiochi adſcribat cogitato quidem ſed non perpetrato ſacrilegio, ſubjiciens, τὸ γὰρ μηδὲν πεῖσαι τὸ ἔργον βουλόμενον οὐκ ἐπὶ τιμωρίας ἄξιον [*nam cum nondum actu impleſſet id quod deſtinaverat, non erat eatenus pœna digna*]. Hæc igitur eſt illa innocentia Phariſaica, quam Chriſtus contra receptam tunc ſententiam apud Deum non ſufficere pronuntiat. Clemens Alexandrinus Phariſaicam & Chriſtianam juſtitiam hoc modo explicat, Καὶ μὴ πλεονασάτω ὑμῶν ἡ δικαιοσύνη πλεῖον τ γραμματέων καὶ Φαρισαίων, τ μὲν δοκοῦσι πολλῶν ἁμαρτάνειν, σὺν τῷ μὴ τ ἐν τέχνῃ πλουσίους ἢ τῷ τ πλησίον ἀγαπᾶν ἢ εὐεργετεῖν ἐπαινεῖσθαι, οὐκ ἔσεσθε βασιλεῖς [*Niſi abundaverit veſtra juſtitia plus quam Scribarum & Phariſæorum, qui juſtitiam ponunt in mali abſtinentia, nempe ut præter talium implementum etiam proximum amare eique benefacere nolint, non eritis Regales*]. Quod eodem ferme recidit. Nam lex dilectionis, quamquam factis impletur, tamen non venit ex certo præſcripto, ſed ex ubere animi bonitate. Sapientiſſimo autem conſilio Chriſtus veræ ſanctimoniæ præcepta ſuis inſtillaturus primum amovet dogmata quæ ejus neceſſitatem conſpici vetabant. Nam, ut recte ait Seneca, præmitti debent præceptis decreta quædam, ut illis decretis præcepta velut infixa penitus animo hæreant. ¶ οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τ οὐρανῶν, *non intrabitis in Regnum cœlorum*] Βασιλεία τ οὐρανῶν [*Regnum cœlorum*], ut jam diximus, diverſas notiones habet. Hic tamen non de doctrina aut cœtu piorum, ſed de præmiis æternis has voces accipi æquiſſimum eſt: Primum, quia ferme ubicunque in his libris inventur *Regnum cœleſte* junctum *intrandi* verbo, gloria illa cœleſtis intelligitur, Matth. VII, 21. XVIII, 3. XIX, 23, 24. Marci X, 23, 24. Lucæ XVIII, 24, 25. Johannis III, 5. Actorum XIV, 22. In quibus locis, ut in hoc noſtro, tacita eſt alluſio ad comminationes illas in Lege, *Non intrabitis in Terram*, Numerorum XIV, 30. Pſalmo XCV, 11. Deinde quia in ipſius ſermonis continuatione Chriſtus τ βασιλείαν τ θεοῦ [*Regnum Dei*] oppoſuit *Gehennæ*, ut palam videre eſt apud Marcum IX, 47. Hieronymus adverſus Pelagium, qui dixerat Regnum cœlorum in Veteri Teſtamento repromitti, *perſpicuum eſſe* inquit *Regnum cœlorum primum in Euangelio prædicari*. Cui convenit illud Chryſoſtomi, *Legens Legem, legens Prophetas, legens Pſalterium, nunquam Regnum cœlorum audivi niſi in Euangelio*. Quibus conſentit Auguſtinus: *Denique quod non temere dixerim, neſcio utrum quiſquam in illis libris inveniat nomen Regni cœlorum, quod tam crebro nominat Dominus.* Et hoc quidem dictum ſit quod vocem ipſam attinet. Dere vero ipſa agens adverſus Pelagium Auguſtinus in libro de geſtis Synodi Palæſtinæ, diſtinguit nomen *Veteris Teſtamenti*: nam eo intelligi ait aut pactum illud quod in monte Sinai factum eſt, aut omnia quæ in Moſe & Prophetis continentur. Pactum in Sinai monte factum, quod & ſæpe *Legem* vocant, promiſſa dicit habuiſſe terrena, & quidem terrena tantum: quod ſæpe probat verbis Pauli ad Galatas III, 12. *qui fecerit ea* (ſcilicet opera Legis) *vivet in eis*, id eſt habebit præmium ne iſta morte moriatur, ne lapidationem, gladium vel aliquid hujuſmodi patiatur. Nihilominus fatetur & Auguſtinus & Chriſtiani Scriptores alii, etiam Legis tempore non defuiſſe qui majora terrenis bonis ſperarent. Sed hoc hauſtum ajunt non ex Lege ſed ex Patribus, quibus Deus multis indiciis ſpem majoris boni fecerat: in quo indiciorum genere non minimum eſt & illud, quod multi eximiæ boni terreſtris felicitatis expertes vixerunt, quod argumentum late proſequitur Scriptor ad Hebræos cap. XI. Addunt iidem Scriptores terrena illa promiſſa data Legi operum, ſigna fuiſſe eorum bonorum quæ Legem ſpiritus ſequebantur; [illegible] hoc intellectum à paucis: qui ſcilicet quamquam Veteris Teſtamenti tempore vixerunt, ad gratiam tamen pertinebant eam quæ Novi Teſtamenti temporibus revelata eſt. Philo in hiſtoria Legationis ſuæ, ἢ οὐκ ἐπαΐεις, ἀλλ' ἐπιπεπλῆχθαι σοὶ ἱεροῖς γράμμασιν· ἐλπίδων εἰσὶ πλήρεις οἱ ὄντως εὐγενεῖς· καὶ οἱ νόμοι τοῖς εὐψύχοις μὴ χείλεσιν ἀγαθῶν ἐλπίδας ἀγαθοὺς ἐπαμέργουσιν [*an non educatus exercitatuſque es in ſacris literis? Pleni ſunt ſpei illi qui vere ſunt generoſi: ipſaque Leges iis qui non ſummis tantum labiis eas delibant, ſpes optimas efficiunt*]. Joſephus Albo Judæus hac de re diſputans ait, *Diſerte quidem in Moſis Lege non promitti ſpiritualem felicitatem, ſed ſignis tamen quibuſdam & involucris eam indicari: adeoque factum quia Lex non tantum data eſt doctis & ſapientibus, ſed univerſo populo, in quo rudes perſpicacioribus erant permixti: quare in communi promulgatione ea poni debuiſſe quæ ab omnibus percipi omniumque animos movere poſſent; eſſe autem ejuſmodi αἰσθητὰ* [ſenſibus obnoxia], *cum τὰ νοητὰ* [quæ intelliguntur] *apud ſapientes tantum valeant, vulgi autem judicio ne credibilia quidem videantur. Hæc*, inquit, *de cauſa Lex res corporales atque conſpicuas & in vulgi notitiam cadentes explanate propoſuit, ea vero quæ ſolo intellectu capiuntur ſub ſignorum involucris.* Hæc ille acerrimi judicii Judæus. Nimirum id quod mente ſola percipitur tale eſt quale dixit Xenophanes,

> Οὐκ ἔστι πλάσσαι· ἀλλ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρᾶσθαι
> Ἡμετέροις, ἢ χερσὶ λαβεῖν· ἔστιν τε μεγίστη
> Πειθὼς ἀνθρώποισιν ἀμαξιτὸς εἰς φάτιν πίπτει.
> [*Res ad eas non eſt accedere, ſed neque noſtris*
> *Uſurpare oculis manibuſve prehendere fas eſt,*
> *Ducit ad humanas via quæ certiſſima mentes.*]

Talia

Talia autem eſſe bona vitæ alterius aperte pronunciat Paulus 1 Corinth. 11, 9. Non mirandum igitur, ſi populo craſſo, &, quod ex omni hiſtoria apparet, valde σαρκικῷ [*carnali*] Deus non aperte propoſuit ea quæ captum illorum excederent; ſed ipſorum ingenio ſe accommodans rerum adſpectabilium commodis atque incommodis imminuere voluit adultam peccandi conſuetudinem. Sicut nimirum parentes primæ ætatis liberos non alliciunt ſpe hereditatis, quam non intelligunt, ſed partim verberum metu à delinquendo abſterrent, partim, ut ait ille,

—— pueris dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere prima.

Neque tamen per hæc rudimenta exercitis via erat ademta profectus melioris. Aderant quippe Prophetæ qui obtecta evolverent, & ſingulis tantum aperirent quantum captus ipſorum & utilitatis ratio ferebat. In publicis autem concionibus Prophetæ ac ſapientes ita loquebantur, ut nec in contemtum adducerent arcana ſanctioris diſciplinæ, & tamen auditorem attentum ad inveſtigandi ſollicitudinem excitarent. Bene Juſtinus, Ὅσα εἶπον καὶ ἐποίησαν οἱ προφῆται συμβολικῶς καὶ τύποις ἀπηγγελμένα, εἰς μὲν ῥᾳδίως τὸ σαφὲς ἅπαν πάντων νοῆσαι, κρύπτοντες τὴν ἐν αὐτοῖς ἀλήθειαν, εἰς δὲ πόνον σὺν ζητοῦντας ἐμβιῶναι καὶ μαθεῖν [*Quæ dixere & fecere Prophetæ ea comparationibus & figuris involverunt, ut non facile pleraque ab omnibus intelligerentur: ideo vero abſconderunt veritatem, ut laborandum haberent qui illam invenire ac diſcere cuperent*]. Quem ſequitur Origenes contra Celſum VII. Οἱ μὲν οὖν προφῆται ὅσα ἦν δυνατὸν νοηθῆναι τοῖς αἰεὶ χρήσιμα καὶ συμβαλλόμενα τῇ τῶν ἀθρόων ἐπιτροθάσει χωρὶς πάσης ὀκνηρίας καὶ τὸ βέλτιστον τῆς θεοῦ ἐφέσεως· ὅσα δὲ μυστικώτερα ἦν καὶ ἐποπτικώτερα, καὶ ἐχόμενα θεωρίας τῆς περὶ τὰ πανδήμια ἀκοῆς, ταῦτα δὲ αἰνιγμάτων καὶ ἀπορρήτων καὶ τῶν καλουμένων σκοτεινῶν λόγων καὶ τῶν ἀνομαζομένων αἰσθητῶν ἢ παροιμιῶν ἀπεφήναντο, ἵνα οἱ μὲν φυγοπονοῦντες, εἰδωλοποιοῦντες πάντως πάντα τὰ χρηστὰ καὶ ἀληθείας ἀνάδεκτα ὄντα, ἐξευτελίσωσι λυπῶν, καὶ λυμῶνται, ὡς λόγῳ αἰρεῖ, εἰκαιομύθοις [*Prophetæ ea quæ facile percipi poterant eſſe audientibus utilia, & ad mores ſanandos conducentia, ſine ullis involucris ſecundum voluntatem Dei dixere; quæ vero magis erant myſtica atque recondita, & conſiderationem requirentia ſupra quam ferè vulgaris auditus, hæc per ſcirpos & locutiones aliud ſonantes, per ſermones qui dicuntur obſcuri, per ea quæ parabola & adagia nominantur, extulerunt: ita ut qui ſegnes non eſſent, ſed laborem quemvis veri piique cauſa ſuſciperent, quærendo invenirent, & inventis ut ratio poſcit, uterentur*]. Atque hinc natum arbitror diſcrimen antiquitus inter Judæos celebratum, ut ex Joſepho, Philone, aliiſque apparet, ſcriptæ Legis & legis vocalis, תורה שבעל פה [*lex quæ per os*], quam & מסורה [*traditionem*] hoc eſt παράδοσιν vocant: utramque dicentes à Moſe profectam: quod ea quæ Lege ſcripta occultius continebantur, ſtudioſis indagatoribus enodaret accurata interpretatio. Et hæc quidem docendi ratio apud populum craſſior, limatior apud τοὺς περιττοτέρους [*eos qui multum profecerant*] obtinuiſſe videtur ad ea tempora quæ Babylonicum exſilium ſunt ſecuta. Tum vero gravi periculo imminente, ne populus ſolitus ea tantum audire quæ in ſenſum caderent, ablato ſplendore Judaici imperii, gemens ſub externo dominatu, damni, cruciatus, mortis denique metu ſollicitus deficeret à Judaiſmo, primus omnium Daniel *reſurgendi* verbo uſus eſt, ambiguo quidem, ſed in quo magnum aliquid latere crederetur. Danielem ſecutus Ezechiel. Ad quod reſpiciens Scriptor Paræneſeos ad Græcos, inter opera Juſtini, quæ de Judicio poſt hanc vitam habet Plato, ait è Prophetis hauſta. Hinc incipiunt Sapientes, quos חכמים vocant, qui humanitus non Divinitus eruditi, Prophetis, ſed impari auctoritate, ſucceſſerunt. Hi quoque neceſſarium judicarunt ex Danielis verbis ſublimius intellectis populum adverſus tentamenta præmunire. quod fieri ſatis non poterat, niſi palam Dei cauſa morientibus propoſita ſpe vitæ melioris. Itaque ea tum doctrina velut è latebris educta & certis vocibus obſignata eſt. Hinc illud Taciti de Judæis, *Animas prælio aut ſupplicio peremtorum æternas putant. Hinc moriendi contemtus.* Numenius quoque libro primo de Bono, inter nationes Platoni de animorum immortalitate conſentientes poſuit Brachmanas, Judæos, Ægyptios. Neque vero animarum tantum immortalitatem, ſed & reſurrectionem, id eſt, quandam corporis recuperationem, palam traditam creditamque, tum ex Scriptoris ad Hebræos capite XI, tum ex Actor. XXIII, 8. manifeſtiſſime apparet. Quibus addendi loci illuſtres duo ex hiſtoria Maccabaica lib. II, cap. 7. quorum prior ſic habet, Ὁ μὲν πρῶτος βασιλεὺς συνῳκονόμησεν ἡμᾶς ὑπὸ τῆς τοῦ κόσμου βασιλείας ἀναστήσει [*Rex Mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æterna vita reſurrectione ſuſcitabit*]· alter vero ita, Οἱ μὲν γὰρ νῦν ἡμέτεροι ἀδελφοὶ βραχὺ ὑπενέγκαντες πόνον, εἰς ὑπὸ διαθήκην ζωῆς ὑπὸ Δεσπότου Θεοῦ πεπτώκασιν [*Fratres noſtri, modico nunc labore ſuſtentato, ſub teſtamento vitæ æternæ effecti ſunt*]. Statum piarum animarum poſt mortem, ab horto illo in quo Adam initio conſtitutus fuerit גן עדן Hebraice, Græce παράδεισον [*Paradiſum*] appellarunt, ut apud Philonem etiam & Joſephum videre eſt: At ſtatum poſt reſurrectionem excellentiori vocabulo dixerunt Hebraice מלכות אלהים [*Regnum Dei*] aut מלכות השמים [*Regnum cœlorum*], Græce βασιλείαν τοῦ Θεοῦ aut βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· quo pertinet inter cætera locus ille Sirachidæ, Δίκαιοι δὲ εἰς τὸν αἰῶνα ζῶσι, καὶ ἐν Κυρίῳ ὁ μισθὸς αὐτῶν, καὶ ἡ φροντὶς αὐτῶν παρὰ ὑψίστου· διὰ τοῦτο λήψονται τὸ βασίλειον τῆς εὐπρεπείας καὶ τὸ διάδημα τοῦ κάλλους ἐκ χειρὸς Κυρίου [*Juſti autem in ſeculum vivunt, & in Domino merces eorum, & cogitatio ipſorum apud Altiſſimum: idcirco accipient Regnum decoris & diadema ſpeciei de manu Domini*]. Hoc dogmate animati Maccabaicis temporibus plurimi præ Legis ſtudio exquiſitiſſimas mortes pertulerunt, ut illorum temporum Annales nos docent, & à Scriptore ad Hebræos ſapienter annotatum eſt. Et Chaldæus Paraphraſtes ad Geneſin, qui ante Chriſtum fuiſſe creditur, Judicii poſt hanc vitam, tum alibi tum in Abelis hiſtoria apertam facit mentionem. Quæ cum ita ſint, haud immerito quæritur, quo igitur ſenſu Chriſtus *vitam atque immortalitatem per Euangelium in lucem produxiſſe* dicatur, II Timoth. 1, 10. Nimirum, ſicut inter Græcos Philoſophos immortalitatem animorum alii aſſerebant, alii negabant, Socrates vero id tanquam in medio relinquebat, quem ſecutus videtur Ariſtoteles multum hic hæſitans, ut & Latinorum Cicero & Seneca: ita apud Judæos δόγμα [*placitum*] tanti ad pietatem momenti erat τῶν ἀμφιζητουμένων [*inter controverſa*]. Ajebant Phariſæi, ſed negabant Sadducæi, quippe nihil recipientes niſi quod totidem verbis in Moſe expreſſum invenirent. Phariſæis contra ferme nihil habentibus quo probarent quod contenderent præter Traditionis auctoritatem, inter diverſæ Scholæ certamina fluctuabant multorum animi. De impiorum exitu res erat plane incerta, ut & nunc eſt apud Judæos: Nam alii reſurrecturos credebant, contradicentibus aut diſtinguentibus aliis. Chriſtus his tam controverſis atque caliginoſis attulit definitionis ſuæ lucem, & pœnas impiorum & piorum præmia non tantum diuturna, ut multi putaverant, ſed & æterna, & quidem non qualiscunque, ſed quæ in Angelorum conſortio & Dei ipſius conſpicua ac ſingulari præſentia conſiſterent, ut rem certam minimeque dubiam, publice omnibus annuntians. Cui doctrinæ obſignandæ cum mortuos in vitam palam revocaverit, ipſe ſe poſt mortem obitam vivum multis oſtenderit, quoſdam etiam per Apoſtolos vitæ reddi curaverit, nihil jam potuit ab æquis animis amplius ad fidem ei rei faciendam deſiderari. Ex his quæ diximus apparet verum quidem eſſe quod dixerant citati à nobis Scriptores, vocem *Regni Divini* aut *cœleſtis* hoc ſenſu à Moſe & Prophetis non uſurpari, attamen non eam à Chriſto primitus repertam, ſed deſumtam ex ſermone populari, unde & *Paradiſi* & *Gehennæ* nomina accepit. His ſi jungamus ea quæ modo de Phariſaica Legis obedientia dicta à nobis ſunt, jam clare apparebit fons ejus erroris qui hic & omni conſequenti ſermone à Chriſto tam diligenter refellitur. Innocentia enim illa factorum habebat ſuam δικαίωσιν [*juſtificationem*], ſed apud homines; & proderat ad temporalem felicitatem. At Regnum cœlorum à Deo ſpiritu, non iſti corporali innocentiæ, ſed ſpirituali juſtitiæ erat deſtinatum, cujus fons eſt fides vera quæ in animo ſita eſt. Nam lex illa exterius ſpectata non poterat πλεῖον τὴν συνείδησιν [*conſcientiam perfectam facere*], Hebræor. IX, 9. ſed proderat πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα [*ad emundationem carnis*], ibid. 13. Ex hoc pernicioſo errore illud etiam ſequebatur, quod cum facta illa externa crederent non minus apud Deum quam apud homines ſufficere, de ſerio expetenda peccatorum remiſſione non erant ſolliciti, neque vero expurgandis animis, exſtirpandiſque vitiis illis quæ inter homines diſſimulari ſolent, operam navabant, neque Meſſiæ tali opus ſibi putabant qui medicinam afferret ei parti quam ipſi ægrotare non ſentiebant. Et hoc eſt quod multis locis Chriſtus illis exprobrat, & Paulus ad Romanos Epiſtola, dilucide oſtendens hoc eſſe illis exitiale, quod *Dei juſtitiæ*, quæ eſt ſpiritualis, *ſe non ſubjicerent, quærentes ſtabilire ſuam* quandam, hoc eſt humanam, *juſtitiam*. Erant & alii errores Phariſæorum, ut Quod hominum conſtitutiones Divinis mandatis æquarent, interdum præferrent etiam; Quod ſæpe ne exteriorem quidem illam innocentiam præſtarent, intenti frigidis quibuſdam ceremoniis, quibus etiam gravia delicta expiari poſſe confiderent: ſed iſtos hoc loco Chriſtus non attingit. Nam

benigè illis largiens præſtari ab ipſis eam innocentiam quæ pœnas in Lege expreſſas effugeret, oſtendit inde falſo ab ipſis concipi ſpem adipiſcendi regni cœleſtis. Aliam enim longè obedientiam ab iis requiri qui tantæ gloriæ eſſent candidati. Bene Clemens Alexandrinus, Τῷ τελείῳ οὐκ ἐν συμβολαίοις πολιτικοῖς, οὐδὲ ἐν δικαιοφύλαξι νόμοις, ἀλλ' ἐξ ἰδιοπραγίας ἡ τοῦ θεοῦ θέσις ἐστὶν ἀγαθὸν ἡ δικαιοσύνη. [*Homini perfecto juſtitia ſita eſt non in Civilibus contractibus, aut in Lege interdictis, ſed in ſponte factis & Dei dilectione*]. Hæc ſi quis diligenter conſideraverit, facile animadvertet ea quæ deinceps dicturus eſt Chriſtus in hoc ſermone, non relinquere conſilii libertatem, ſed intra certos fines imponere præcepti neceſſitatem, neque ad ſolos Apoſtolos & Epiſcopos, ſed vero ad omnes eos qui regni cœleſtis participes fieri expetunt pertinere.

21. Ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις, *quia dictum eſt antiquis*] De horum quoque verborum ſenſu, qui non parum ad conſequentium intelligentiam facit, variant interpretes. Alii enim τοῖς ἀρχαίοις [*antiquis*] poſitum putant pro ὑπὸ τῶν ἀρχαίων, [*ab antiquis*], alii pro πρὸς τοὺς ἀρχαίους [*ad antiquos*]: rurſum ἀρχαίοις [*antiquos*] alii referunt ad Moſis tempora, alii referunt ad Moſis tempora, alii ad ætatem quæ Eſdræ & Chriſti tempora interceſſit. Ego pro comperto habeo dandi caſu non eos qui verba fecerant, ſed eos ad quos verba facta erant, indicari. Evidens enim eſt oppoſitio, *Dictum eſt antiquis, Ego autem dico vobis*: quare quomodo hoc *vobis*, ita & illud *antiquis* ſumendum eſt. Ac paſſim videre eſt in his libris nomina δοτικῆς πτώσεως [*caſus dativi*] adjuncta verbis quæ dicendi habent notionem hoc ſenſu uſurpari: nec Græcorum qui in hunc locum ſcripſere quiſquam aliter eſt interpretatus. Supereſt videamus ad quæ tempora Antiquitas hæc ſit referenda. Cur eorum accedam ſententiæ qui ab ipſo Moſis tempore hanc antiquitatem repetunt, has cauſas habeo. Primum quod vox illa ἀρχαῖος [*antiquus*] & plerumque apud Græcos longævam quandam vetuſtatem ſignificat, & apud Novi Teſtamenti ſcriptores eundem ferme uſum habet. Nam excepto eo loco qui eſt Actor. XXI. 16. alibi ad Prophetarum aut Moſis ætatem aut etiam ulterius refertur, ut videre eſt Luc. IX. 8, 19. Actor. XV. 7, 21. II Corinth. 5, 17. II Petr. II, 5. Apocalyp. XII, 9. & XX. 2. Deinde verba quæ recitat Chriſtus, ea ipſa ſunt quæ in Lege reperiuntur, interdum nulla interpretatione adjecta, ut infra 27, 31, 33, 38. Et quod hic adjicitur *obnoxius erit judicio*, quodque infra additur commate 45, *Hoſtem odio habebis*, non eſſe extra Legis ſententiam infra explanabitur. Adde jam quod plerumque Apoſtoli comparationem inſtituunt inter eos qui Moſem doctorem ducemque habuerunt, & Chriſti ſectatores, & ita quidem ut his majorem multo quam illis lucem affulſiſſe teſtentur, I Corinth. X. Hebræor. II. Quin & pactum hoc Novi Fœderis oſtendunt multis partibus præſtare ei pacto quod in monte Sinai promulgatum eſt, Galat. IV, 24. Hebræor. VIII, 6. & deinceps. Quare videtur Chriſtus de jure Moſaico hic agere eo ſenſu quo de eo jure loquebantur Legis periti & Phariſæi, & quomodo id jus in judiciis forenſibus vigebat, ad quæ Chriſtum alludere ex commate proxime ſequenti manifeſtum eſt. Et vero credibile eſt etiam Moſis tempore multos de populo illo, ut erant σαρκικοὶ [*carnales*], nec penetraſſe in ea quæ ſub umbra latebant, nec multum attendiſſe ad ea mandata quæ contra facientibus nullum ſupplicium minabantur. Senſus ergo eſt, Majoribus quidem veſtris iſta dicta ſunt, quæ illi ut erant σαρκικοὶ [*carnales*] non niſi σαρκικῶς [*carnaliter*] interpretabantur: At ego, qui colligere volo populum ſpiritualem, ſicut clare & ſine involucris præmia vobis propono ſpiritualia, & pœnam, quæ non ſit hujus vitæ, contumacibus denuntio, ita etiam aperte atque explicate vobis dictabo præcepta, quorum vim potiſſimam in ipſo ſpiritu conſiſtere minime obſcurum ſit. ¶ ὃς δ' ἂν φονεύσῃ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει. *qui autem occiderit, reus erit judicio*] Non exſtat quidem hoc totidem verbis in Lege, ſed ſenſus eſt apertus, Lege præcipi ut homicida deducatur ad Judices & ex eorum ſententia condemnatus capitali ſupplicio afficiatur, Levitici XXIV, 21. Num. XXXV, 16, 17, 30. Unde apparet ut hoc, ita & ſequenti commate κρίσιν [*judicium*], quod Matthæus dixit דין non eſſe confeſſum Triumvirorum ſive pedaneorum Judicum, ſed auditorium Judicum qui in portis cujuſque civitatis jus ſuper cauſis majoribus reddebant, & in homicidas etiam lege agere ſolebant, de quibus agitur Deut. XVI, 18. XXI, 2. Quanquam enim capitalia judicia jam eo tempore cum Chriſtus hæc diceret Judæis erant ademta, erat tamen mos ille judiciorum notus omnibus & in recenti memoria. Cum autem conſeſſum iſtorum Judicum Hebræi omnes dicant fuiſſe viginti trium, mirum multis videtur quod Joſephus, quem patrii moris nihil latuit, ſeptem ſolos ſtatuere videtur: ita enim ait in Legum deſcriptione, Ἀρχιθέσιον δ' ἑκάστῃ πόλει ἀνδρῶν ἑπτὰ καὶ εἴκοσι τοῖς ἐν τέλει καὶ τοῖς ἀφ' ἱερέων καὶ τοῖς ἀφ' ἑκατέρας τῶν φυλῶν ἐπιλεκτοῖς ἐπιμελεῖσθαι τῶν νόμων καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς γεγραμμένων δικαίων. [*Præſint autem civitati cuique homines ſeptem, qui in virtute & æquo ſtudio ante exercuiſſe fuerint*]. Sed mihi ipſe Joſephus hunc nodum ſolvere videtur, cum verbis ſequentibus dicit, Ἑκάστῃ δ' ἀρχῇ ἄνδρες δύο ἐπιστατοῦσι διδόασιν οἱ ἀπὸ τῆς Λευιτικῆς φυλῆς [*Cuique autem Magiſtratui bini attribuantur adminiſtri ex Leviticâ Tribu*]. Nam ἀρχὴν intelligit ſingulos magiſtratum gerentes, quibus ſingulis bini erant additi aſſeſſores periti juris, quos Joſephus ἐπιστάτας vocat, quod eſt Hebraice סופרים. Septem ergo municipes loci erant Judices, præterea Aſſeſſores XIV qui ex Levitis maxime ſumebantur. His ſupernumerarii acceſſiſſe videntur unus & alter.

22. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, *Ego autem dico vobis*] Sapientiſſime Chriſtus delicta omnia refert ad ejuſdem generis præcepta. Nam quis ex ira atque convitiis naſci ſolent homicidia, ut modo ex Ariſtotele recitabamus, ὁ θυμὸς πάθος φόνου αἴτιον [*ira affectus eſt qui cædibus cauſam dat*], ideo iram ejuſque propagines ad præceptum de homicidio refert. ¶ Ὁ ὀργιζόμενος, *qui iraſcitur*] In hac tractatione diligenter diſtinguenda ſunt τὰ παθητικὰ, ἡ ὁρμὴ, ἡ συγκατάθεσις [*innata qualitas, impetus, conſenſus*]. Πάθος eſt facultas illa qua iraſcimur, τὸ θυμοειδὲς, quod à natura nobis inſitum evelli nequit, & in rebus eſt mediis quibus recte aut ſecus uti liceat. Quia autem pars iſta animi in qua ſunt τὰ παθητικὰ [*qualitates innatæ*] per ſe eſt ἄλογος [*rationis expers*], inde fit ut non exſpectato rationis judicio ὁρμαὶ [*impetus*] ſe exſerant: quæ niſi diligenter refrænentur, ſolet ſequi συγκατάθεσις [*conſenſio*], cum ſcilicet pars illa quæ data eſt moderandis affectibus, habenis remiſſis trahi ſe patitur. Eſt igitur, ut Gellius dicit, συγκατάθεσις voluntaria, fitque hominis arbitratu: Sed & primi illi motus, quos Philoſophi comparant oculorum nictibus, ne aut durent diu aut invaleſcant, diligenti attentione atque exercitatione, ante omnia vero Dei Spiritu, obtineri ſolet. Oportet igitur, ut Plutarchus loquitur, τὰς ἐπιόσας προπετείας ὀργὰς διορθοῦσθαι καὶ διαστρέφειν [*iras ſubinde incidentes corrigere & detorquere*]. Deinde addit, ἀλλ' ἐπιμελείας εἰς αὐτὰ δεῖ καὶ μελέτης [*ſed hæc ad res cura & exercitatione opus*]. Alii ὁρμὰς [*impetus*] vocant προπαθείας: eaſdem autem adultas vocant πάθη. Hieronymus epiſtola ad Demetriadem, *Difficile quin potius impoſſibile perturbationis motibus carere quempiam, quæ ſignificantius Græci προπαθείας* vocant. Idem ad Euſtochium De cuſtodia virginitatis, *Ille laudatur, ille prædicatur qui ut cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petram. Petra autem Chriſtus eſt.* Ipſa quoque πάθη gradibus quibuſdam diſtingui ſolent. Egregius eſt ad hoc argumentum pertinens locus Senecæ libro de Ira II, cap. 4 *Et ut ſcias quemadmodum incipiant affectus, aut creſcant, aut efferantur; eſt primus motus non voluntarius, quaſi præparatio affectus, & quædam comminatio; alter cum voluntate non contumaci, tanquam oporteat me vindicari, cum læſus ſim; aut oporteat hunc pœnas dare, cum ſcelus fecerit. tertius motus eſt jam impotens, qui non, ſi oportet, ulciſci vult; ſed usque, qui rationem evicit. Primum illum animi ictum effugere ratione non poſſumus; ſicut ne illa quidem quæ diximus accidere corporibus, ne nos oſcitatio aliena ſollicitet, ne oculi ad intentionem ſubitam digitorum comprimantur. Iſta non poteſt ratio vincere; conſuetudo fortaſſe & aſſidua obſervatio extenuet. Alter ille motus, qui judicio naſcitur, judicio tollitur.* ¶ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ, *fratri ſuo*] Id eſt, alteri cuivis. Hebraiſmus. Nam Hebræi ita loqui ſolent: Geneſ. XXVI, 31. Joel II, 8. etiam de rebus inanimis, ut Exodi XXVI, 3. Ezech. I, 9. & 23. III, 13. Hic igitur *frater* eſt homo quivis. Sic infra, *Niſi remiſeritis hominibus.* ¶ εἰκῇ, *inconſulto*] Merito hoc additum. Neque enim iracundus eſt quiſquis iraſci ſolet, ſed qui οἷς οὐ δεῖ, ἢ ἐφ' οἷς οὐ δεῖ, ἢ μᾶλλον ἢ δεῖ [*quibus non oportet, & ob quæ non oportet, & pluſquam oportet*], ut Ariſtoteles loquitur. Eſt igitur εἰκῇ aut *ſine cauſa*, aut etiam *ſine modo*. Illa ira optimam cauſam habet quæ concipitur ex dolore læſi Numinis, qualis illa fuit Chriſti Marci III, 5. Sed & in humanis rebus honeſta eſſe poteſt ira, præſertim cum non tam noſtra quam aut virtutis ipſius, aut etiam hominum aliorum res agitur: cumque dicere licet illud Soſiphanis,

> Νῦν σοι πρὸς ὄλεθρον θυμὸς ἡδέως γέρον·
> Νῦν δεῖ γὰρ ὀργὴν, οὐκ ἐνόντων, λαβεῖν.
> [*At nunc tibi ira purpuret vultum, ſenex:*
> *Quum jus & æquum poſcit iraſci decet.*]

Sed tunc quoque oportet nos παραδείγμασι τῶν θυμοῦ εἰς σύμμαχοι ἀρετῆς, δυσλαίνειν ἔσον χρεκμὸν ἐᾷ· τὸ γὰρ πολὺ αὐτὰ καὶ τὸ ἀπαλλαγὴν ἐκκόπτειν καὶ ἐκβιάζεσθαι τῆς ψυχῆς [*accepta ira velut pro-*

propugnatrice virtutis mei, quatenus expedit; ita nimium ejus & ſupervacuum excernere & ex animo ejicere], ut Plutarchi utar verbis. In modo autem comprehenditur, tum ne plus æquo iraſcamur, tum ne æquo diutius. Adverſus priorem partem hûjus cautionis delinquunt οἱ ἐπὶ μικροῖς ἁμαρτήμασιν ἀνυπερβλήτως ὀργιζόμενοι [*qui ob modica delicta ſupra modum iraſcuntur*], qui, ut ajebat Philoſophus Apollonius, non permittunt delinquentibus ſcire quando plus minuſve deliquerint. In alteram partem peccant illi, qui plumbeas, &, quod dici ſolet, immortales iras gerunt, quos Arianus comparat τοῖς λεπτῶς πυρέσσουσι [*tenuiter febrientibus*]. Hæc eſt nimirum radix illa πικρίας [*amaritiæ*] in corde germinans, quam caveri præcipit Scriptor ad Hebræos XII, 15. quo & illud Pauli monitum pertinet, cum nos ita vult iraſci ut ne peccemus, id eſt, ne æqui modum excedamus, quod ipſe ita explicat, ne ad Solis occaſum producamus iram, Epheſ. IV, 26. Et hæc dicta ſumto quo rectius intelligatur vis vocis εἰκῇ, quam quidem Syrus interpres tam propriam atque ſignificantem hoc loco exiſtimavit, ut retinere eam maluerit quam vertere. Quominus accedendum Hieronymo hanc vocem eradenti ex quorundam exemplarium fide, præſertim cum & Græcos interpretes eam legiſſe appareat, & Juſtinus ipſe ita proferat hanc ſententiam Epiſtola ad Zenam & Serenum; deinde & Irenæus duobus locis libro II, capite LVI. & libro IV, cap. 31. Multo credibilius eſt, inductam ab iis qui metuebant ne hic omnis ira ex juſta aliqua cauſa procedens probari videretur, cum vox εἰκῇ, ut diximus, latius pateat. ¶ *Ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει reus erit judicio*] Legis periti, inquit, Chriſtus, ea tantum pro delictis habent quæ ſolent legitimis pœnis coerceri: ideoque ab homicidio abſterrent homines, quia homicidas gladio feriri lex imperat. At ego etiam iracundiam volo caveatis, certo perſuaſi ei quoque propoſitam eſſe pœnam in ſeculo altero, non minus gravem quam ea eſt quam hic homicidæ ſuſtinent. Quod ſi quis iracundiæ maledicentiam adjunxerit, is pœnam iſta graviorem feret, qualis eſt pœna lapidationis; aut etiam, ſi atrocior fuerit maledicentia, exquiſitiores cruciatus ſentiet, quales eſſe illorum ſolent qui in valle Hinnomi lentis ignibus uſtulantur. Hæc mihi ſimpliciſſima videtur hujus loci πλατυσμὸς [*uberior explicatio*], cujus rationes membratim reddemus. Κρίσις [*Judicium*], ut commate præcedenti didicimus, eſt Conſeſſus XXIII virûm, quanquam & Magnus, Senatus, de quo poſt acturi ſumus, vocatus eſt דין, unde is qui alter erat à principe Senatus vocari ſolebat אב בית דין ὁ πατὴρ τῆς οἴκου τῆς κρίσεως [*Pater domus judicii*], ſicut & viciſſim Conſeſſus XXIII Judicum appellabatur συνέδριον [*Synedrium* ſive *Senatus*]: ſed diſtinctionis cauſa videtur uſu receptum ut Conſeſſus ille ſingularum civitatum κρίσις [*Judicium*], ſummus autem ille συνέδριον [*Senatus*] vocaretur. Κρίσεως [*Judicii*] autem pœna uſitatiſſima erat gladius, quia de homicidiis inibi cognoſcebatur, ut & Moſes nos docet, & Chriſtus commate antecedente. Volens autem indicare Chriſtus pœnarum gradus futuros in altero ſeculo, pro delictorum gradibus, ei rei explicandæ ſimilitudinem adhibuit diverſarum mortium quæ populo notæ, cruciatus magnitudine differebant. ¶ *ὃς δ' ἂν εἴπῃ, qui autem dixerit*] Repetendum λόγῳ κενῷ [*ut communiter dictum*] quod præceſſit εἰκῇ ὀργιζόμενος [*inconſulto iraſcens*]. Agit enim de eo qui temerariæ iracundiæ indulgere ſolitus etiam ad maledicta prorumpat. Nam ut Ariſton dixit, τὸν καταλοιδορίας ἢ ὀργὴ φαίνεται ἐκπυροῦσα, ὅσπερ ἡ μήτηρ τὸν ἀσελγῆ [*videtur ira maledicentiam ex ſe gignere, ut inelegans mater*]. Vox *Rica*, quod mutata vocali Syrorum ſermo *raca* pronuntiat, ut apparet, minus aliquid eſt quam μωρὲ [*fatue*]. Significationem autem habet *vani*, quod & Latinis in convitio, ut, *vane Ligur*; *ſenior vaniſſime*. Non eſt autem in ipſa voce crimen poſitum. Quippe & ἄνθρωπε κενὲ [*homo inanis*] dixit Jacobus II, 20. quod eſt proprie *Rica* (nam & Græci quidam interpretes quod eſt Judicum XI, 3. רקים אנשים verterunt ἄνδρες κενοὶ [*vani homines*] & Heſychius ῥακὰ κενὸς [*Raca, vanus*]) & illud quod diximus μωροὶ [*ſtulti* ſive *fatui*], ad Phariſæos Chriſtus extulit infra XXIII, 17, 19. & ἀνοήτους [*ſtultos* ſive *vecordes*], diſcipulos ſuos vocat Chriſtus Lucæ XXIV, 25. & Galatas Paulus Galat. III, 1, 3. ut jam omittam quæ duriora ſunt, ut, *progenies viperarum*, *ſimulatores*, atque alia ejuſmodi. Sed nimirum dicta ſunt hæc ab iis quibus alios caſtigandi officium incumbebat, quique nihil in eo privatim ſpectabant, ex cauſis graviſſimis, atque eo propoſito ut aliorum animi talibus ſtimulis ex veterno excitarentur. At Phariſæi non tantum modum non ſervabant, ſed innocentiſſimum quemque convitiis impetebant animo malevolo, quod Chriſtus & ipſius ſectatores ſapiſſime ſunt experti. Nimirum hic quoque morbus ab aliquoties jam indicato errorum fonte proceſſerat. Lex enim Moſis id genus injurias non exſequebatur, niſi quis aut parentibus aut Principi maledixiſſet. ¶ *Ἔνοχος τῷ συνεδρίῳ reus erit Concilio*], Quia hic primum hæc vox occurrit, quanquam ab aliis multa ſatis dicta ſunt, addam tamen quæ hiſtoriæ lucis aliquid afferant. Sicut in memoriam duodecim liberum marium primi gradus quos genuerat Jacobus, factæ ſunt tribus duodecim, & Phylarchæ totidem: ita in memoriam eorum capitum quæ Jacobus in Ægyptum adduxerat, Iſraelitæ, ut qui à cæteris ſeorſim habitarent, viros ſeptuaginta, (aut potius ſeptuaginta duos, qua de re dicemus ad Lucam) ſibi præfecerunt, qui res eorum curarent ac moderarentur quantum Regia imperia permittebant. Hi ab ætate ex qua legebantur *Senes* ſunt vocati, unde & apud Græcos γερουσίας, & apud Romanos *Senatus* vocabulum. Sed & apud Homerum eſt,

Βουλὴν δὴ πρῶτον μεταδήμεναι ἴζε γερόντων.

[*Cogе prior conventum magnanimum ſenιorum.*]

Apud hos Senes ante alios jubetur Moſes exponere mandata quæ à Deo acceperat, Exodi III, 19. quod & fecit, Exod. IV, 29. Ex horum numero & illi videntur fuiſſe à quibus Ægyptii ἐργοδιώκται [*operum exactores*] quotidiani laboris rationem exigebant, v. 14. Poſtea cum ſoceri conſilio Moſes Judices conſtituiſſet qui lites minores dijudicarent, cauſarum majorum cognitio penes Moſem ſolum manſit, ad quem & de minoribus cauſis difficiliores controverſiæ referebantur, Exodi XVIII, 22. Ergo ad id tempus Septuaginta illi nullam habebant judicandi poteſtatem: cujus rei indicium eſt quod Moſes juſſus cum Aarone, Naddabo, Abihu & illis Septuaginta (nam numerus iſte diſerte exprimitur) ad montem accedere, cum deinde ſolus à Deo in montis verticem ſevocaretur, juſſit inferius ſubſiſtere Septuaginta Senes. *Sunt*, inquit, *vobiſcum Aaron & Hur; ſi quis aliquid habet controverſiæ, illos accedat*, Exodi XXIV, 14. ubi aperte Moſes pro abſentiæ ſuæ tempore ſuas judicandi partes, non illis Septuaginta, ſed Aaroni & Huri delegat. Aliquanto demum poſt tempore cum quereretur Moſes ſibi quoque ſupremorum judiciorum ac relationum oneri ſe non ſufficere, ita ad eum locutus eſt Deus, Numer. XI. 16. *Summe tibi è ſenibus Iſraelitis ſeptuaginta, quos ſcis populi Senatores & moderatores.* Habebant ergo jam tum curam rerum populi: deinde eos Deus ſpiritu novo, judiciali ſcilicet, inſtruens, jubet partem oneris ferre, quod ſolus Moſes hactenus ſuſtinuerat: id autem eſt, ut diximus, ſupremorum judiciorum & relationum. Eorum autem verborum quæ Deuteronomii leguntur XVII, 8. hæc videtur eſſe ſententia. Cum Sacerdotes opimo fruentes otio omnibus ſapientiæ partibus præter cæteros operam darent, æquum erat ex horum numero aliquammultos allegi in ordinem illum, cui jam ſuprema etiam judicia credita fuiſſe diximus: quanquam neminem fuiſſe qui originis dignitate eum locum ſibi poſſet vindicare, ſcripſit Maimonides, atque adeo ne Pontificem quidem maximum eo adlectum, niſi de ſapientia ipſius probe conſtaret: quam in rem inſtituta erat δοκιμασία [*exploratio*], quæ manuum impoſitione obſignabatur. Sed, ut dixi, florentibus Hebræorum rebus fieri aliter non poterat, quin in Sacerdotum claſſe plurimi reperirentur digni eo loco. His addebantur alii, qui in aliis Tribubus doctrina & ſanctimonia eminebant. Ita enim vox שרי [*principes*] accipienda videtur II Paralip. XIX, 8. Quamobrem Moſes Deuteronomii XIX, 17. de falſi teſtimonii cognitione agens & Senatum hunc deſcribens, *Sacerdotes & Judices* nominat. Alibi autem, ubi agitur de exploranda diligentia Judicum inferiorum in conquirendo homicida, ſoli Sacerdotes, tanquam ejus Senatus pars præcipua, nominantur; additurque ex eorum præſcripto omnes controverſias & vulnerum quæſtiones definiendas. Quoties autem Deus cœleſti indicio aliquem populo præfecerat, qualis fuit Joſua, Gedeon, Jephthes, Samſon, Samuel, eis etiam citra Senatum judicandi jus erat, ut apparet Judic. VIII. Vocabantur autem tales Reipublicæ liberæ ſummi Magiſtratus ac velut Interreges שופטים, quod nomen etiam vicinæ gentes uſurparunt. Nam & apud Tyrios Interreges ita vocabantur: ex quorum Archivis hæc adfert Joſephus, Μετὰ τοῦτον δικαστὰς κατεστάθησαν καὶ ἐδίκασαν· Βαιτίλεμος Βασλάχου μῆνας δύο, Χίλκος Ἀβδαίου μῆνας δέκα, Ἄββαρος ἀρχιερεὺς μῆνας τρεῖς, Μύττωνος καὶ Γεραίστρατος Ἀβδηλίμου δικασταὶ ἔτη ἕξ [*Poſt hunc judices conſtituti ſunt & judicarunt: Ecnibalus Baſlachi menſes duos, Chelſes Abdæi menſes decem; Abbarus Pontifex menſes tres, Myrgonus & Geraſtratus Abdelimi filius annos ſex*]: ubi δικασταὶ [*Judices*] haud dubie Joſephus vertit quos Tyrii vocabant שופטים. Nam & Tyriorum coloni Carthaginienſes idem nomen retinuerunt, quod Romani Scriptores *Suffetem* pronuntiant, litera Schin emollita, quomodo Ephraimitæ

in

in eam partem vergentes pronunciabant. Joſephus talem à Deo excitatum Præſidem etiam *Prophetam* vocat, quia Prophetiæ dono, ut Joſua & Samuel, aut alio non diſſimili ipſos animante & ſucceſſus dante, præfulgere ſolebant, quod & Maimonides notat Ducis dubitantium lib. II, cap. 45. Iiſdem quanquam minus proprie ob poteſtatem ἀνυπεύθυνον [*neminî ſubditam*] & *Regum* datur nomen Judicum IX, 6. & XVIII, 1. Quibus vero temporibus neminem talem Deus exciverat, recurrendum omnino erat ad Senatum, in quo ferme eminebat Pontifex Maximus. Nam & Moſes, ut modo diximus, cum abeſſe à populo cogeretur Aaroni partes ſuas mandabat. Hoc jure Heli Sacerdos Summus principatum in Republica obtinuit, idemque obſervatum fuit Aſmonæorum temporibus. Vult igitur Deus à Judicibus civitatum, ſi quid inciditſet obſcurius, quod aut juris ſubtilioris, aut etiam Medicinæ peritiam deſideraret, adiri Pontificem Maximum, ut eruditione præſtantem; ſive eum qui à Deo exitus Suffetis dignitatem obtineret. Ad utraque enim tempora Deus ſermonem accommodat. Horum reſponſo parere omnes tum minores Judices, tum privati jubebantur, propoſita etiam mortis pœna in contumaces. Indicat autem Deus ſedem ejus Senatus fore in loco publicorum conventuum, qui primum habiti ſunt Silunte, poſtea Hieroſolymis. Quod ergo dicitur commate 9, *Adibis Sacerdotes Leviticos & Suffetem*, explicandum eſt ex eo quod ſequitur commate 12, *Sacerdoti, vel Suffeti*. Nam in Hebraiſmo non minus quam in linguis omnibus receptum eſt ut conjunctiva vim habeat disjungendi. Neque vero alia fuerunt judicia Sacerdotis, alia Senatus; id enim omnes Hebræorum Magiſtri conſtanter negant. Joſephus, qui patriæ ſuæ morem ignorare non potuit, clare oſtendit eundem fuiſſe conſeſſum: ita enim loquitur ſecundo adverſus Appionem, καὶ δὴ ἐπόπται πάντων καὶ δικασταὶ τῶν ἀμφισβητουμένων οἱ ἱερεῖς ὑπάρχουσιν [*Inſpectores rerum omnium & controverſiarum Judices conſtituti ſunt Sacerdotes*]. Idem nos docet Philo, Συνέδρων μὲν οἱ ἱερεῖς [*aſſidebant Sacerdotes*], libro De vita Moſis. Et in libro de Principe conſtituendo, Ὅταν οὖν αἰμαγεῖν πάντη ἢ ἀνύπλητον ᾖ πραγμάτων ἀσάφεια ἢ πολὺ σκότος ἀντεχόμενον, ἀθρείτω τὰς κρίσεις, ἢ ἀπαιτείτω παρὰ ἀκριβεστέρας δικαστὰς· ἔστι δ' οἵτινες ἂν εἶεν ἢ ἱερεῖς ἢ ὁ τῶν ἱερέων ἐξαρχῶν ἡγεμών; [*Ubi igitur difficilem faciet inſpectionem rerum obſcuritas & factorum multa caligo, excuſent notionem & mittant ad exactiores Judices: hi autem qui potius quam Sacerdotes & Sacerdotum Ductor eximius?*] Qui omnes quanquam in tam nota hiſtoria teſtes haberi debent locupletes, tamen idem veritatis diſcendæ cupidis ex Sacro codice demonſtrare non eſt difficile. Nam primum hoc ipſo loco non diſtinguuntur cauſarum genera, neque vero cauſæ ullæ nominantur, quæ proprie videri poſſint ſacerdotales, ſed ſi quid controverſi inciditſet, de homicidio, de lite, de vulnere, jubentur adiri Sacerdotes, aut is quem Suffetem diximus nominari. Rurſum ſine ullo cauſarum diſcrimine, quod hi pronuntiaverint, id omnes jubentur exſequi. Pœna nec in parentes eadem. Deinde vero conſtat, tam inter Hebræos quam inter recentiores Interpretes, à Joſaphato Rege reſtituta fuiſſe judicia ad vetus inſtar. Eſdras autem, aut quiſquis eſt Paralipomenon Scriptor, primum narrat ab optimo Rege conſtitutos Judices civitatum, ſuique officii admonitos. Tum pergens, *At Hieroſolymis*, inquit (nempe in urbe publicorum conventuum, ut lex jubebat), *conſtituit Joſaphat è Levitis & Sacerdotibus* (quia inter eos, ut diximus, maximam hominum peritorum copiam erat reperire) *& ex principibus Iſraeliticarum gentium ad judicia Dei & ad lites, qui redierunt Hieroſolyma. Judicia Dei* ex notiſſimo Hebraiſmo judicia ſignificat quæ non humano arbitratu ſed ex Legis juſſu peragenda ſunt. Sequitur in hiſtoria, *Præcepit autem eis Rex in hunc modum, Hoc agite, religioſe, fideliter, atque ſincero animo: Quacunque lis ad vos relata fuerit à popularibus veſtris qui in civitatibus morantur, de diſcrimine homicidiorum, de Lege, de præcepto, de inſtitutis, de judiciorum ordine, admonete eos ne rei Deo teneantur, Deique vehemens ira vobis popularibuſque veſtris incumbat. Hoc, inquam, agite, ne ſontes ſitis.* Ecce quam aperte omnes illos quos Hieroſolymis conſtituerat de omni cauſarum genere vult cognoſcere. Neque his obſtat quod ſequitur, *Enimvero Amarias Sacerdos, princeps veſter in omni negotio Dei, & Sabadias filius Iſmaelis dux domus Judæ in omni negotio Regio, & magiſtri Levitæ vobis adſunt. Eſtote bono animo, & hoc agite. Deus bono aderit.* Nam primum hinc quoque apparet in eodem Senatu fuiſſe agitatas res Dei, id eſt, Legis & res Regias: ei autem Senatui interfuiſſe & Amariam, ſive is Pontifex Maximus, ſive alius Sacerdos fuerit, & Sabadiam. Neque poſſet per *Dei negotia* res ſolis Sacerdotibus mandatas intelligi, palam eſt ex altero ejus hiſtoriæ loco, ubi Hebronitæ quidam narrantur à Davide præfecti partibus Rubenis, Gadis & Manaſſis, impoſitique omni negotio tum Dei tum Regis. Solebant ergo utriuſque generis negotia, tum judiciorum tum deliberationum politicarum, à Senatu tractari. Sed nimirum hæc eſt dicto loco μεγίστη ἔφεσις [*ulterior explicatio*]. Nolite animum deſpondere quaſi pares non ſitis tanto oneri, inopia eruditionis quæ ad res tantas deſideretur. Habetis viros egregios qui vobis conſilio prælucere poſſint, qualis eſt princeps veſtri Senatus Amarias Sacerdos, vir in judiciis verſatiſſimus: quod ſi quid inciderit ad Civilem magis prudentiam quam ad juris cognitionem pertinens, adeſt vobis Sabadias Iſmaelites, qui in eo deliberandi genere primas obtinet: deinde habetis aſſeſſores Levitas multarum artium peritia excellentes. Tantum bene animati eſte & æquo bonoque operam date. Deus cætera ſecundabit. Videtur omnino Sabadias fuiſſe princeps Senatus. Nam vocem נגיד Hebræi per נשיא exponunt. Ita autem conſtat appellatum Senatus principem. Ex his quæ diximus apparet etiam Regno conſtituto magnam fuiſſe Senatus auctoritatem & Regiæ velut parem: quippe, ut Hebræi Magiſtri recte notant, Rex ipſe de quibuſdam cauſis non judicabat, & ſua judicia non niſi gladio exſequebatur. Atque huc pertinere videtur quod dixit Sedecias, Senatoribus Jeremiam Prophetam ad mortem depoſcentibus, *Rex contra vos nihil poteſt.* Quin ne veniſſe quidem Regem in Senatum, ne ſua ſententia aliis cenſendi adimeret libertatem, Hebræi notant; excepto Davide. Quod diximus cum Joſepho, Philone, cumque ipſis Sacris literis, in ſummo hoc Senatu fuiſſe Sacerdotes, non refellitur Hiſtoria Jeremiæ quæ eſt libri ejus cap. XXVI. ubi Sacerdotes videntur accuſare Jeremiam, & Senatores abſolvere. Nam ut taceam poſſe videri magis eſſe diſputationem collegarum inter ſe, qualis deſcribitur Johan. VII. 50. & Actorum V, 35. quam legitimam acculationem judicantibus aliis, certum eſt multos fuiſſe Sacerdotes extra Senatum, & ſi qui eorum accuſatoris perſonam ſuſceperint, ſibimet judicandi ademiſſe poteſtatem. Erant quidem munia Sacerdotalia, docere populum univerſum & ſingulos conſulentes tum de rebus aliis, tum præſertim de iis omnibus quæ ad ſacra ceremoniaſque pertinerent, Levit. X, 10, 11. Ezech. XLIV, 23. Agg. II, 12, 13. Præterea ſicut aliæ Tribus ſuos habebant moderatores qui Tribus communia curarent: ita & in Levitica Tribu Sacerdotum potiſſimi Tribus ſuæ rebus erant præpoſiti, per quos curabatur perceptio & erogatio decimarum aliarumque obventionum, quæ Sacerdotum ac Levitarum alimentis, Templique uſibus erant deſtinata, ut videre eſt II Regum XXII. & II Paralipomen. XXXIV. & apud Joſephum pluribus locis. Sed hæc omnia nihil ad Judiciariam poteſtatem pertinebant, quæ non erat penes collegium aliquod mere Sacerdotale aut Leviticum, ſed penes Senatum quem dixi, cujus bona pars ex Sacerdotibus conſtabat, ut aliquot petitis ex Moſe teſtimoniis ſupra probatum eſt. Ideo de Sacerdotibus ut in eo Senatu præcipuis per Ezechielem dicitur, *In cauſis cognoſcendis jus ſervanto, ſecundum jura legeſque & ſtatuta mea judicanto*, XLIV, 24. Idem vero Ezechiel aliquanto ante, deſcribens corruptos mores populi, ſpeciatim meminerat Senatus magni, *Septuaginta Senes* nominans, & eorum principem *Jaazaniam*, VIII, 11. In exſilio Babylonico hos Septuaginta auctoritatem ſuam apud Judæos retinuiſſe non eſt dubitandum. Imo & judicia capitalia ab hoc Senatu exercita conceſſu Regum Perſarum tradunt Hebræi. Domum autem reverſis Judiciaria poteſtas conceſſa eſt à Rege Artaxerxe, Eſdræ VII, 25, 26. Poſtea armis adverſus Antiochum reddita libertate, ſumma rerum penes hunc Senatum fuit, unde & ſceptrum Regium in curia aſſervabatur. Erat autem curia in ipſo Templo parte Auſtrina, vocabaturque לשכת הגזית *conclave exciſi lapidis*. Manſit is ordo continua ſurrogatione, per manuum, ut diximus, impoſitionem, ad Herodem uſque Magnum, cujus potentiam atque audaciam magis magiſque contra leges inſurgentem, cum non in tempore ſeveris, ut oportuit, judiciis repreſſiſſent Senatores, Deo ita res diſponente, graves neglecti muneris pœnas dedere, interfecti ab Herode omnes, extra unum Sameam, quem talia monentem ſæpe contemſerant. In peremptorum locum Herodes alios ſurrogavit, ſuam haud dubie factionem, ex iis qui beneficio ipſius ad Sacerdotia aut honores alios pervenerant. Sed & ante non parum imminuta erat Senatus Hieroſolymitani auctoritas, cum poſt Pompeji victoriam Gabinius Syriæ Præſes alios quatuor conſeſſus erexiſſe Gadaris, Amathunte, Hierichunte, Sephoris, ſed non pari jure cum Hieroſolymitano. Nam Herodes nondum Rex de rebus in Galilæa geſtis cauſam dixit apud Senatum Hieroſolymitanum. Fuerunt ergo conſeſſus illi curandæ magis Reipublicæ quam judiciorum cauſa inſtituti, aut ſi & judiciorum cauſa, ſub Senatu tamen Hieroſolymitano. Quin & extra Palæſtinam Judæi ad exemplum hujus Synedrii Senatus ſuos habebant. Ita γερουσίας [*Senatus*]

Judæo-

Judæorum Alexandriæ habitantium mentio est apud Philonem. Ipse Josephus simili Senatorum numero γερουσίαν in Galilæa constituit, cum bello inibi præfectus esset. At Senatus Hierosolymitani arctior facta est potestas Augusti temporibus, cum pars Judææ potior in provinciam esset redacta, constituto, ut ferme in omnibus provinciis Romani Imperii, ne Senatus quenquam mortis supplicio afficeret nisi Romani Præsidis consensu: servata ei reliqua Judiciaria potestate. Et hoc est quod ajunt Thalmudici tatulis de Synedrio & de Sabbato, *judicia animarum*, id est capitalia, *ablata fuisse ab eo Senatu* XL *annis ante exidium Urbis.* Nam excisis demum à Tito Hierosolymis simul & is Senatus plane interiit. Nomen usitatissimum hujus Senatus fuit συνέδριον, non quod alii quoque Judicum cœtus non ita appellarentur, sed quod ob excellentiam proprie maximus ille Consessus eo nomine honestaretur, qui & Athenis atque in aliis Græcis civitatibus usus erat ejusdem nominis. Postquam Macedones illis in partibus præpolluerant, ut multæ aliæ voces Græcæ, ita hæc quoque in Hebræorum sermonem migravit. Itaque Thalmudistis vocatur hic Senatus modo סנהדרין simpliciter, modo cum additamento סנהדרין גדולה [*Magnum Senatus*], τὸ συνέδριον τὸ μέγα. Vix hæc συνέδρια pro *Senatu*, aut etiam pro *Senatus curia* posita conspicitur multis in locis in Euangelica historia & Actis Apostolicis. Vocatur & γερουσία in edicto Antiochi & alibi apud Josephum; Judith. XI, 11. I Maccab. XII, 6. II Macabæorum & III Maccabæorum non longe ab initio, itemque Actor. V, 21. quo nomine etiam Spartiatæ utebantur. Item πρεσβυτέριον & λαῦ [*Senatus populi*], Lucæ XXII, 66. ut distinguatur à consessibus civitatium, qui itidem πρεσβυτέρια vocabantur. Senatores ipsi modo communiter vocantur πρεσβύτεροι [*Senes*], aut etiam ἄρχοντες & λαῦ [*principes populi*], Josepho etiam γερουσιασταὶ & δήμου [*Seniores populi*], modo distincte ita appellantur hi qui Senatores erant extra Sacerdotes. Adsidebant his consilii causa Legisperiti, ut ante diximus, οἱ γραμματεῖς τῆς βουλῆς [*Scriba Curiæ*] ut Josephus loquitur, qui Aristæum quendam eo honoris nomine indigitat: unde passim videmus eum Senatum hisce partibus describi, præcipuis Sacerdotibus, Senibus aliis, & Legisperitis. His explicatis ad Christi verba veniamus. Si quis recte advertat ad ea crimina quæ soli summo Synedrio reservabantur, inveniet gravissimis eorum pœnam lapidationis aut usu aut Lege esse constitutam; quæ ad ipsos etiam falsos Prophetas & perduellionis reos pertinebat, Deuteronomii XVII, 5. I Regum XXI, 10. Quare hanc pœnam ut gladio graviorem in secundo gradu positam arbitror. ¶ εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός· *gehennæ ignis*] Hic jam tertius sequitur gradus. Ut autem priores duo gradus enunciati sunt per comparationem adspectabilium cruciatuum, ita & hic tertius. Cum autem supra lapidationem nulla pœna in usu Judaico esset (nam ignis pœna non erat lenti vivicomburii, sed immisso in viscera candente illychnio) quæsivit Christus aliunde nomen horrendi cruciatus, qui & gladium & lapidationem excederet. Nota autem res erat Judæis omnibus, quomodo extra urbem Hierosolyma majores ipsorum, turpiter imitati crudelem Phœnicum superstitionem, instituissent miseros infantes ignibus ad mortem usque cruciare, circumstrepentibus interim tibiis tympanisque, ne dolore expressus clamor exaudiretur. Locus tam sævo sacro dicatus *Tophet* dicebatur: ipsius loci locus amplior, *Vallis filiorum Hinnomi* גי בן הנם, quod posteriorum temporum pronuntiatio extulit γέεννα. Quod autem ex Hebræis Magistris affertur in eundem locum delata fuisse cadavera, cum Jeremiæ vaticinio congruit VII, 32. cœptumque id fieri temporibus Josiæ, II Reg. XXIII, 10. Nam is legitur eum locum polluisse, illatis nimirum cadaveribus. Mos enim erat Judæis loca vetitis cæremoniis usurpata eo modo impura atque abominanda efficere, ut videre est dicto capite XXIII, commate 16. Sic Samaritas narrat Josephus odio Judaici templi ἀλφίτων ἀνθρωπείων ὀστᾶ διὰ τῶν στοῶν πεῖσαι [*ossa humana dejecisse per porticus*]; Originum XVIII, 3. Sed hoc ad verborum Christi explicationem non pertinet. Apparet enim à Christo cruciatum & quidem gravissimum indicari. Sicut autem hic graviora futuri sæculi supplicia Gehennæ ignibus comparantur, ita alibi, comparatione in consuetudinem migrante, hoc ipso nomine pœnæ æviternæ significantur. Et hoc sensu vox hæc invenitur in paraphrasi Hierosolymitana Geneseos III.

23. προσφέρῃς, *offers*] Id est offerre cupias, oblatum eas, ut sequens comma ostendit. Nam proprie fit oblatio cum res altari imponitur. ¶ δῶρόν σου, *munus tuum*] Syrus קרבנך. Significatur autem eo nomine alibi quidem pecunia quæ in gazophylacium mittebatur, hic vero sacrificium voluntarium, cujus ritus præscribitur Levit. I, 2. ubi eandem vocem Hebræam reperire est. Idem plenius vocatur δῶρον τὸ ἐπίτιμον & ὁλοκαύτωμα [*donum quod est super altare*] infra XXIII, 18. Est & ubi id quod ex imperio legis offerebatur venit δώρημα [*muneris*] nom. sine, ut infra VIII, 4. Duo autem sunt quæ per hunc χαρακτῆρα [*hanc vivam descriptionem*] Christus nos docet: Primum, quanquam vera in Deum religio cæteris officiis præstat, id tamen non protendendum ad rituum observationem. Caritatis enim benevolæ officia rituali curæ antevertenda: quod latius infra prosequitur IX, 13. XII, 7. Deinde ne placere quidem Deo sacra quantumvis sumtuosa aut operosa quæ animo celebrantur ira aut odio æstuante, quod clare nobis ob oculos ponit Caini historia: nimirum quia, ut Seneca etiam vidit, *non in victimis, licet opima sint auroque præfulgeant, Deos sibi bonos, sed in pia ac recta voluntate venerantium.* Plato Alcibiade secundo, Δεινὸν οὖν εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέψουσιν ἡμῶν οἱ θεοί, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸν ψυχὴν, ἂν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ [*Durum sit si ad dona & sacrificia nostra respiciant dii, & non ad animum, nempe si quis sit pius ac justus*]. Philo De victimis, Βέλτιον οὖν ἀναδιδάξαι δι' ὧν συμβόλων, ὁπόταν προέρχωνται εἰς βωμούς, ἢ εὐξόμενοι ἢ ἱκεσίας ἢ ἱερουργίαν ποιησόμενοι, μηδὲν αἰσχρὸν μηδὲ πάθος ἐμφιλοτιμεῖσθαι τῇ ψυχῇ [*Vultcos docere per signa, ubi ad aras accederent, precum aut gratiarum causa, ne quid labis aut morbi in animo secum ferrent*]. At contra Legisperiti & Pharisæi sacrificia & dona Templo oblata valere putabant ad expiationem omnium culparum quas Judices non puniunt, etiam citra animi emendationem. ¶ ὁ ἀδελφός σου, *& frater tuus*] Id est *alter*, ut modo dictum est. ¶ ἔχῃ τι κατὰ σοῦ. *habet aliquid adversum te*] Id est, habet quod de te queri posset. Ita enim locutio eadem sumitur Apoc. II, 4, 12, 20. pro quo Paulus dicit μομφὴν πρός τινα ἔχειν [*querelam adversus aliquem habere*] Col. III, 13. Videntur mihi hæc cum præcedentibus hoc modo cohærere: Cum jam intellexeritis quantopere Deo displiceat irascendi & convitiandi libido, primum quidem fuit ab omni tali delicto diligenter sibi cavere; Quod si quid tamen per humanam infirmitatem tale tibi evenerit, superest πάλιν ὁ δεύτερος [*altera navigatio*], nempe ut celeri pœnitentia id ipsum eluas. Id fiet si qui prior offendisti prior quoque ineas pacis viam: & id quidem properiter adeo, ut nihil sit, quantumvis speciosum, quod ei curæ prævertendum putes.

24. διαλλάγηθι, *reconciliator*] Non est semper διαλλάσσεσθαι, quod vult Scholiastes ad Thucydidem, τὸ δι' αὐτοῦ ἐχθρὸν κεκλῆσθαι καὶ φίλον αὐτῷ [*ab ipso inimico invitari & sic amicum ei fieri*]. Nam & hic ei tribuitur qui de restituenda amicitia sollicitus est, quomodo & καταλλάττεσθαι θεοῖς [*cum dis redire in gratiam*]. Etiam Latini utrovis sensu dicunt *redire in gratiam.* Sensus autem est, dandam operam ut cum eo quem atrociore vultu aut facto offendimus, redeamus in gratiam: id autem fieri solet testando nolle nos factum, quod Latini vocant *satisfacere.* Eventus enim non semper in nostra est manu. Sed ut hic eum qui læsit ad quærendam pacem Christus excitat, ita apud Marcum XI, 25. eum qui læsus est monet, ne difficilem se præbeat ad condonandam injuriam; quod dilucide explicat Paulus Colossensium III, 13. ¶ ἐλθών, *veniens*] Πλεονάζει [*abundat*] hæc vox, ut apud Diphilum ἄφες μ' ἀπελθὼν [*facesse hinc abiens*], & in his libris sæpe. ¶ πρόσφερε τὸ δῶρόν σου· *offer munus tuum*] Id est, consumma oblationem, munus imponendo altari. ante enim dixerat, *relinque munus pro altari.*

25. ἴσθι εὐνοῶν, *esto consentiens*] Plane idem est quod ante dictum erat διαλλάγηθι. Est sententia frequens apud Thalmudicos אזל איתך לבעל רבנך אסתייע [*Dum es in via obedito inimico tuo*]. Errant autem qui hæc trahunt ad ἀποστροφὰς [*sensus inversiones*] obscuriores, cum hæc dicta Christi sint admodum popularia. Tantum id notandum est, ex eo quod inter homines fieri videmus, doceri nos conjecturam capiendam quid à Deo sit exspectandum, quod aperte indicat Lucas XII, 58. Inter homines benignioribus conditionibus depacisci tur qui cedit in tempore. At qui pertinaciter judicio contendit, is in solidum condemnatur, & sine gratia cogitur judicatum facere. Sic & apud Deum, in quem præcipue delinquunt etiam quorum injuria directe hominem alterum petit, matura pœnitentia veniam impetrat, dilata severitatem provocat. Hæc sine dubio verborum sententia; sed quia satis manifestum est quo tendat comparatio, ideo hic, ut alibi sæpe, ἀντιπαίδευσις [*quod respondes*] subtricetur. Cæterum non alienum forte ab hoc loco est quod ex libro Tanaith discimus, Hebræis creditum à mortuis accusari apud Deum vivos eos quibus in hac vita conciliati non fuere. ¶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ, *Judex tradat te ministro*] Τῷ πράκτορι [*exactori*] Lucas XII, 58. In Hebræo fuerit שוטר Latine dicendum est *viatori.* Ita enim in Jure Romano appellantur executores litium, ut explicat ipse Tribonianus Institutionibus de Actionibus, § Tripli. Græci Jurisconsulti vocant ἐκβολεῖς. Est autem vocis παραδόναι [*tradere*] usus valde similis apud Aristidem Pro arte oratoria,

Ὁ μὲν γὰρ ἐλέγχει τὰ ἀδικήματα ἦτορ ἡ ἀφηδίουν τῷ δικαστῇ, ὁδὲ ἀκούσας ἢ μαθὼν ἀφηδίουν αὐτὸν ὑπηρέταις [*Orator patefacit crimina, traditque Judici; Judex autem, ubi ea audiit ac didicit tradit hominem miniſtris*]. 5 εἰς φυλακὴν βληθήσῃ· *in carcerem mitteris*] Hinc apparet apud Judæos, itidem ut apud Græcos Romanoſque, ſolitos fuiſſe in carcerem conjici, qui ſe ære alieno non exſolvebant. Vide L. 1. C. Qui bonis cedere poſſint. Adde quod infra eſt XVIII. 29.

26. κοδράντην, *quadrantem*] Quadrans minimum in nummorum genere. Plutarchus Ciceronc, τὸ λεπτότατον ἐ χαλκῆ νομίσμα ⊙ κοδράντην ἐκάλουν [*Minimum in nummis æreis quadrantem vocabant*]. Juvenalis,

—— *Pieria quadrans tibi nullus in arca.*

Hinc *meretrix quadrantaria*. Apud Horatium,

—— *& qui nondum ære lavantur*,

tanti enim plebeji lavabantur in balneis.

27. Οὐ μοιχεύσεις· *Non mœchaberis*] לא תנאף, quod Hebræi plerique explicant de concubitu cum femina nupta, de quo agitur Deut. XXII, 22. Abenezras putat latius protendendam ſignificationem ad omnem Venerem non conjugalem. Et ſane ſicut πορνεία [*fornicatio*] interdum μοιχεία [*adulterium*] ſignificat, ut infra verſu 32. & XIX, 9. ita novum non eſt μοιχείαν [*adulterium*] dici quæ πορνεία [*fornicatio*] proprie diceretur. Ita Danaen Jupiter dicitur μοιχεῦσαι [*adulteraſſe*] apud Lucianum, & Ovidius Medeam vocat *adulteram virginem*. Fuit autem in Judaico populo etiam πορνεία [*fornicatio*] hactenus vetita, quod neque meretriciam vitam agere puellæ permittebantur, & qui innuptam ſtupraverat, ducere eam, aut ſi parentes nollent dotare cogebatur; & quæ polluto corpore nupſerat, aut ſponſa cum eſſet alteri ſe ſubſtraverat, lapidationis pœnam ſubibat: quæ omnia videre eſt Deuteronomii XXII. Et hoc eſt quo nomine Legis Hebraicæ puritatem eximiam prædicat Origenes, Θαυμαζὸν ἢ ἐ τὸ τῶν νέων ὑπηκτικὰ τοῖς ἑταίραις ἀναιρεθὴν ὑπὸ τῆ πολιτείας αὐτῶν [*Admirandum hoc eſt quod incitamenta juvenum, ſcorta, ex ipſorum republica aberant*]. Et Philo, cujus ad hanc rem inſignis eſt locus De vita Joſephi, Τοῖς δ' ἄλλοις ἐφῆκεν μὴ τὸν παραπλησιωδεκάτῳ ἡλικίαν πόρναις καὶ χαμαιτύποις ἢ ταῖς ὅσαι μισθαρνοῦσιν ἐπὶ τῷ σώματι μὴ πεῖραν ἀδίκου χρῆσθαι· παρ' ἡμῖν ἢ νόμῳ ἑταίρᾳ ἔξεστι, ἀλλὰ χρῆ τὰ ἑταιρίσεις ἄρχεσθαι δίκῃ βιαίᾳ· σφὲ δ' ἐπιτιμίοις νομίμων ὁμιλίαν ἐπιέσῃς γυναικὸς οὐκ ἰσομοῖρ, ἀλλ' ἀγροὶ γάμων ἀγραύλοις παρθένοις σπειρόμενοι, σπερμαθήσει πλῷ ⊙ κ' ἡδονῇ, ἀλλὰ γενείων παίδων ἀποφύσι [*Aliis permittitur poſt annos quatuordecim cellulariis & fornicariis, aliſque feminis quæſtum corpore facientibus impune uti; at apud nos ne amica quidem uti licet: ſed contra feminam talem mortis pœna conſtituta eſt. Ante igitur legitimum thalamum nullius femina habemus notitiam, ſed puri cum virginibus puris nuptias auſpicamur, propoſitam in eo habentes non voluptatem, ſed liberum ſationem*]. Verumtamen ſervanda potius videtur vocis proprietas, quæ ſolet μοιχείαν ἀπὸ τ πορνείας [*adulterium à fornicatione*] diſcernere, ut apparet infra XV, 19. Galat. V, 19. Hebr. XIII, 4. quomodo & Hebræi diſcernunt נאף & זנה, ut videre eſt Oſeæ IV, 4. quia in Decalogo non omnia delicta, ne ea quidem quæ Lege Civili puniuntur, comprehenſa ſunt, ſed ea duntaxat quæ in quoque genere ſummam habent atrocitatem; neque enim vulnerationis fit mentio ſed homicidii; neque omnis lucri cum jactura alterius, ſed furti; neque omnis perfidiæ, ſed falſi teſtimonii. Accedit huc quod Judæorum haud pauci ita Legem de meretricatu interpretabantur, ut cenſerent id vitæ genus puellis Hebræis interdictum, non etiam vetitum ne peregrinæ in populo habitantes, ſed à Judaiſmo alienæ, quæſtum corpore facere finerentur; imo & cum bello capta primum concubitum cenſent impune habitum; neque vero virili ſexui legem poſitam exiſtimabant: nimirum, ut in Comœdia eſt, *non eſſe flagitium ſcortari hominem adoleſcentulum*; ex Catonis etiam ſententia,

Nam ſimulac venus inflavit dira libido
Huc juvenes æquum eſt deſcendere.

Hæc opinio cum moribus etiam invaluiſſet (nam & coram Solomone judicio ſe ſtitiſſe ejus quæſtus feminas legimus) factum inde eſt ut זונה, quod *peregrinam* ſignificat, ad meretricem denotandam uſurparetur, ut Prov. V, 3. Sic & veteri jure Attico, quod ex Hebræo derivatum diximus, nulli civi Atticæ proſtare licebat: & ſi quis virginem Atticam vitiaſſet ducere eam cogebatur, ut Comœdiæ etiam nos docent. Neque tamen meretrices deerant, quas propterea ſimiliter, ut Hebræi, appellabant ξένας· quod ſecutus eſt & Terentius, cum *peregrinam* Andriam dixit. Sed quod de aliis rebus jam ante diximus, etiam hic repetendum eſt, non omnino fuiſſe excuſandam hanc Judæorum ſibi blandientium ſupinitatem. Satis enim conſtare ipſis poterat, multa Deo non placere quæ tamen erant extra Legum pœnam. Inſtituerat Deus nuptias liberum quærendum & honeſte educandum gratia. Non poterat cum eo inſtituto non pugnare concubitus qui & à matrimonio arcet, & ſui natura efficit ut aut proles incerti ſit patris, aut certe non ita uti par eſt communi parentum ſtudio educetur. Apparet enim cauſam verandi fuiſſe ipſam facti turpitudinem. Merito igitur Apoſtolus Paulus ſtragem illam tot millium, cujus mentio eſt Numerorum XXV. evenuiſſe refert ob crimen πορνείας [*fornicationis*], 1 Corinth. X, 8. ſcilicet id vel ſolum, etiamſi falſorum Deorum cultus non accefſiſſet, ſatis dignum eo ſupplicio meritum exiſtimans. Neque ſane debebant Judæi Lege adjuti neſcire quod multos in Gentibus ſola ratio ac recta inſtitutio docuerat. Job ſuam non à nuptis tantum ſed & ab innuptis abſtinentiam prædicat. Epictetus jubet καθαρεύειν τ ἀφροδισίων πρὶν ἢ γάμου [*abſtinere à Venere ante nuptias*], idemque aliquot argumentis probat Dion Chryſoſtomus. Sed imprimis præclara ſunt illa Muſonii, Ὅσαι συμπλοκαὶ μοιχείας ἐκτὸς ὧσιν ταύτης ἀθλίας εἰσὶν, ἐπιτιμῶσι ἢ γίνεσθαι τῷ νόμῳ· καὶ ἅπασι πᾶσαι αἰσχραὶ πεφήνασι τὴν μὲν δι' ἀκολασίαν, αἷς μετὰ γε σωφροσύνης οὔσης ἂν ἑταίρᾳ παιζούσῃ ἀκωμάζοντί τις ἔτ' ἂν ἐλεύθερα γάμου χωρὶς, ὥστε, μὰ Δία, διαφέρειν τῇ αἰτίᾳ· τὸ μὲν μὴ νόμιμον μήτ' ἐνδεκτὸν τῶν σωφρονούντων τίθεσθαι, αἰσχρὸν ἢ ἢ ἀνόσιόν μόνα τοῖς δικαιοῦσιν αὐτὸ [*Quicunque ſunt extra adulterium cum femina congreſſus, ideo quod non ſecundum legem ſiunt, turpes ſunt: ſunt enim ob intemperantiam, cum verecundia enim nemo poſſit ad amicam accedere, ſive ea libera innupta ſit, ſive ipſius ancilla. Quod enim in tali concubitu lege vacat, vacat etiam honeſtate: ideoque dedecus & probrum adfert ſe quærentibus*]. Ejuſdem hoc, χρὴ ἢ οὐ μὴ τρυφῶντας, ἢ μὴ κακοὺς μόνα μόνοις ἀφροδίσια νομίζειν δίκαια τὰ ἐν γάμῳ, ἢ ἀνδ χρῆσθαι παιδῶν [*Oportet eos qui nec delicati ſunt, nec mali, ſolum juſtam cenſere Venerem in matrimonio*]. Charond: vero, Γυναῖκα ἢ τὴν κ' νόμῳ ἔχειν ⊙ ποιεῖσθαι, καὶ ὃν τινὰ τρόπον πειστέον ἐστὶ, δηλώσω· ἄλλο ἢ μηδὲν πειστέον τούτων τ αὐτῷ ποιεῖν· μηδὲ τὸ φύσει καὶ νόμῳ τίμιον ἀνόμως ἀναλίσκειν, καὶ ὑβρίζειν· ἡ μὲν φύσις παιδοποιίας ἕνεκεν, οὐκ ἀκολασίας ἐποίησε τὴν ἀφροδίσια [*Feminam legitime ductam quiſque amet & ex ea liberos quærat, alio autem ne projiciat id quod ſerendæ proli datum eſt; neque id quod & natura & lege pretioſum eſt inique prodigat & contumelia afficiat: natura enim ſobolis non intemperantiæ cauſa ſemen dedit*]. Porphyrius de non eſu Animantium IV. ἐπεὶ τοίνυν ἐπιτρέπουσι ὁμιλεῖν ἀπηγορευκότες τοῖς πολίταις (nempe ὁ νόμος ⊙ ὁ πολιτικὸς), ἀλλὰ ἢ πανδήμῳ ⊙ τοὺς ἑταίρους τὸ μίσθωμα ἐπονείδιστον ἡγοῦνται τοῖς μετρίοις ἀνδράσιν ἢ αἰσχρὸν τὴν πρὸς ταύτας ὁμιλίαν [*Lex enim Civilis ad amicas accedere non vetat; ſed cum tales proſtare faciat, tamen honeſtis viris indignum judicat ex lupanari quæſtum & turpem talem concubitum*]. Hæc naturalis ſuggeſtio obſtitit quo minus vaga Venus uno impetu aut etiam ſine diſcrimine pudoris ſepta perrumperet. Eſt enim memoria non indignum quod ea de re Chryſippus prodidit, Πρῶτον μὲν ἔξω πόλεως καὶ περιωπῆς ἀδεκτέμμενα αἰ ἑταῖραι ἐξοικεῖσθαι ἐώασιν τοῖς βουλομένοις· εἶθ' ὕστερον καταφρονήσασαι ἀπέβησαν τὰ περιωπῆα, ἢ οὐκ ἔτ νόμων μὴ ἐπιτρεπόντων οἰκεῖν εἰς τὰς πόλεις, ἔξω ἦσαν αὐτῶν [*Primum meretrices extra urbes & perſonam ſibi imponentes volentibus ſui faciebant copiam; poſtea inverecundiores abjecere perſonam: attamen Legibus non ſinentibus eas in urbes ingredi, extra eas ſe tenebant*]· quæ verba eo libentius refero, quia quod dicit antiquitus meretrices non in urbibus ſed in agro (moris cujus veſtigia etiam apud ipſos Peruanos & Tartaros reperta ſunt) neque aperto ſed obtecto vultu proſtitiſſe, veriſſimum eſſe ex ipſius Moſis narratione apparet, Geneſ. XXXVIII, 14. Apud Romanos qui virginem ingenuam ſtupraſſet pœna capitali afficiebatur. Neque meretricia vita permittebatur niſi eam vitam profeſſis, quas Leges exiſtimabant, ut inquit Tacitus, ſatis ipſo pudore cruciari. Quare quod ad Judæ ac Thamaris hiſtoriam Hebræi notant, ſcorti uſum ante Legem permiſſum fuiſſe, concedi poteſt ſi de impunitate eſt quæſtio; non item ſi de eo agitur quod ſine turpitudine fieri potuit. Atque adeo etiam primum cum bello capta congreſſum illicitum cenſuit Rabbinus Johannes Maimonidæ memoratus. Gerundenſis vero & alii cenſent diſſimulatum magis quam probatum. In libro qui inſcribitur Conſtitutiones Clementis refertur decretum Apoſto-

Apoſtolicum quod exſtat Actorum xv hiſce verbis, Φυλάσσεσθαι ἀνάγκη ἀπέχεσθαι τῶν εἰδωλοθύτων καὶ αἵματος καὶ πνικτῶν καὶ πορνείας, ἄνωθεν ἐν τοῖς πάλαι ἐστὶ κηρυσσομένους τοῖς κατὰ πόλιν Φαρισαίοις, Ενὼς, Ενὼχ, Νῶε, Μελχισεδὲκ, Ἰὼβ καὶ εἴπερ τισὶν ἐγγένοιτο [*mandare eis ut abſtineant à Gentium inquinamentis, immolatitiis & ſanguine & fornicatione: quæ præcepta data fuerant etiam illis qui ante Legem, Naturæ Jure vixerunt, Enoſo, Enocho, Noa, Melchiſedeco, Jobo, & ſi qui alii tales*]. Adde quæ dicentur infra xv, 19.

28. ὁ πᾶς ὁ βλέπων, *quia omnis qui viderit*] Quia nimirum

—— *oculi ſunt in amore duces,*

ut ille ait; aut ut Plato loquitur ἀρχὴ δὲ ἐρωτος ἔφεσις [*principium amoris datus adſpectus*]. Apud alium eſt, Η ἐπιθυμία διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἔρχεται [*Cupido per oculos intrat*]· quod ipſum exſequitur Platonem ſequens Plutarchus Sympoſiacon III, 6. Bene Salvianus dixit *feneſtras quodammodo eſſe noſtrarum mentium lumen oculorum, & omnes cupiditates in cor per oculos, quaſi per naturales cuniculos intrare.* Hinc *oculi plens adulteris* apud Petrum II Epiſt. II, 14. Tertullianus De Pudicitia, *Carnem ſpiritu librare, animum fide moderari, oculum metu temperare Chriſtiani eſt.* ¶ Γυναῖκα, *mulierem*] Poteſt de quavis muliere ſumi, ita ut quod ſequitur μοιχᾶται [*mœchatur*] ſumatur laxius: atque adeo vetetur hic etiam πᾶσα πορνεία [*fornicationis*] proluſio. Simplicius tamen eſt ut γυναῖκα [*mulierem*] intelligamus τὴν γαμετὴν [*uxorem*], quomodo ſæpe ea vox ſumitur, ut & Latina *mulieris*: non quod non etiam τὴν πορνείαν [*fornicationem*], quippe etiam Judæis non probatam, vehementer improbet Chriſtus, ſed quod in eodem peccandi genere intraque eaſdem perſonas maluerit conſiſtere, quo apertior eſſet actuum internorum atque externorum comparatio. ¶ Πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, *ad concupiſcendum eam*] Hoc eſt proprie quod dicit Job xxxi, 7. *Si animus oculos eſt inſecutus.* Hebræi poſteriores id vocant רעה ע רעי *paſcere oculos illicito ſpectaculo*: ἐμβλέπειν ἀκολάστως [*adſpicere intemperanter*] Chryſoſtomus VIII ad Roman. Apparet ergo à Chriſto eum hic notari qui impuro amori animum mancipans vulnus ſuum fovet adſpectu. Petulcos impudicorum hominum intuitus hic notari ait Salvianus. Tertullianus, de Velandis Virginibus, *Chriſtianum ſalvis oculis feminam videt, animo adverſus libidinem cæcum eſt.* Quintilianus pater, *Tu alienam matronam aliter quam Leges permittunt adſpexiſti.* Lactantius libro VI, c. 23. *Non tantum adulterium eſſe vitandum præcipit Deus, ſed etiam cogitationem, ne quis adſpiciat alienam & animo concupiſcat.* Quamvis autem τὸ ἐπιθυμεῖν [*concupiſcere*] ſoleat & in bonam partem accipi, hic tamen ut multis aliis in locis in vitio ponitur, ut *cupere* apud Afranium, *Amabit ſapiens, cupient cæteri.* Juſtinus τὸ ἐπιθυμεῖν exponit τὴν ὀρέξεως ἀναθυμίασιν [*appetitus exhalationem*]. Idem ad Zenom. Παίσης ἄνω ἐπιθυμίας καὶ ὀρέξεως ἀφετικῆς ἐκτὸς δεῖ εἶναι τὸν σπόν [*Debet ergo vir fidelis eſſe extra omnem concupiſcentiam & appetitum carnalem*]. Clemens paulo ſubtilius, Ἐὰν εἴς τινα σώματος βλέψῃ τις, ὁ λόγος φησὶ, καὶ αὐτὸ τὸ ἁπτὸν εἶναι καὶ ἐπιθυμίαν δόξῃ καλὴ, ἀφετικὸς ἰδὼν καὶ ἀκρατηλικὸς, εἰ ἄρα τι θεωρήσειεν, κρίνεται [*Si ad formam corporis quis reſpexerit, ait Sermo, & ei caro pulchra viſa fuerit ſecundum concupiſcentiam carnaliter, quia vitioſe adſpexit, per id ipſum quod contemplatus eſt damnatur*]. Athenagoras, Ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον ἀδιάφοροι εἶναι ἀπέχομεν ὡς μηδὲ ἰδεῖν ἡμῖν πρὸς ἐπιθυμίαν ἐξεῖναι [*Nos tantum abeſt ut talia ponamus in rebus mediis, aut ne adſpicere quidem ad concupiſcentiam nobis liceat*]. Poſſet & ἐπιθυμῆσαι hic interpretari *ſollicitare*, quomodo & חמד Hebraicum ſumi ſolet. Sic in Canone IV Synodi Neocæſarienſis, ἐὰν προθῆταί τις ἐπιθυμῆσαι γυναικὸς, συγκαθεύδειν μετ' αὐτῆς [*ſiquis propoſuerit ſollicitare feminam ad concubitum*]. ¶ ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. *jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*] Homines qui de animo niſi ex ſignis exterioribus judicare non poſſunt, delicti nomen actui ultimo imponunt. Ex tamen ipſi Juriſconſulti fatentur animum diſtinguere maleficia. Itaque ſi telum manu fugit, qui hominem occidit homicida non eſt: Contra Romanis Legibus etiam is homicida eſt qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulavit, quod & ad Moſis Legem trahit Philo, καὶ ἂν ἐξ ἐπιδρομῆς μέν τοι τις ἐπιχειρήσας ἀνελεῖν τινα, μὴ θανατοῦ κεῖναι, τῇ δ' ἀνδροφόνων ἔδει μηδὲν ἧττον ὑπόχρεω δίκῃ καθέστηκεν, ὡς ὁ χαφεὶς αὐτὸ τούτου δηλοῖ νομοθέτου· ἐκεῖ γάρ φησι τὸν ἐπιθέτην τῷ πλησίον, ἐπαμῦναι αὐτὸν δέλῳ, καὶ καταφύγῃ ἐπ' ἔμ θυσιαστήριον, λύειν αὐτὸν θανατοῦσι, καὶ τι ἐπιθέτην μόνον, εἶτα ἀτίμητον, ἀλλ' ἴσον ἡγήσατο ἀδίκημα τῷ κλεῖναι τὸ βουλεῦσαι τὸν φόνον [*Si quis ex inſidiis conatus aliquem interficere, non potuerit, is nihilominus homicidium pœna ſubjacet, ut oſtendit de eo ſcripta lex: Siquis, inquit, inſidiatus ſit proximo, ut eum dolo necet, & profugiat ad altare, capies eum ut occidas. Atqui inſidiatus eſt, non occidit; ſed par judicavit crimen hoc egiſſe ut occideret, & occidiſſe*]. Oſtendunt nimirum Leges quid cupiant; ſed quod cupiunt plene præſtare non poſſunt. Bene Tertullianus, *Mediocritas humana de factis ſolum judicat, quia voluntatis latebris par non eſt. Latro eſt*, inquit Seneca, *etiam antequam inquinet manus. Exercetur atque aperitur opere nequitia non incipit.* Ejuſdem eſt, *Fecit quiſque quantum voluit.* Ariſtophanes, Ἰσάκαιμ ἦν ἴσον τῷ δρᾶν τὸ νοεῖν [*Par eſt facere & voluiſſe malum*]. Apud Deum mentium exploratorem, qui voluit ſcelus is fecit. Vide apud Herodotum de Glauco hiſtoriam, quæ & apud Juvenalem exſtat cum hoc epiphonemate,

Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.

Ejuſdem eſt,

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

In ipſo hoc adulterii crimine verum hoc eſſe vidit magiſter nequitiæ, plane idem de muliere dicens quod hic de viro dicitur:

Signa metu demto caſta eſt, ea denique caſta eſt.
Quæ quia non licuit non facit, illa facit.
Ut jam ſervaris bene corpus adultera mens eſt:
Omnibus exclusis intus adulter erit.

Quod imitatus Lactantius dixit, *adulteram fieri mentem, ſi vel imaginem voluptatis ſibi ipſa depinxerit.* Seneca, *Non immerito in numerum peccantium refertur qui pudicitiam timori præſtitit, non ſibi.* Pater Seneca, *Inceſta eſt etiam ſine ſtupro, quæ cupit ſtuprum.* Præcipue autem hoc dictum Chriſti locum habere poſſit τὴν συγκατάθεσιν [*conſenſionem*] prudenter vidit Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, cujus hæc ſunt verba, Οὔτε εἰ ἡ γνῶσις ἐξυπνίσει τὸ τῆς ἐπιθυμίας πάθος, ἀλλ' ὅτως πέρας ἔσται· ἐὰν ἡ συγκατάθεσις τῷ παθεῖ ἡ φαντασία, τότε ἔσται πέρας ἢ κατὰ πρᾶξιν ἢ κατὰ διάθεσιν [*Si notitia excitaverit cupiendi affectum, non utique erit ſcortator; at ſi voluntas affectui conſenſerit, tunc erit talis aut actu aut animi propoſito*]. Tertullianus De Pœnitentia, *Voluntas facti origo eſt, quæ ne tunc quidem liberatur, cum aliqua difficultas perficiendi intercepit: ipſa enim ſibi imputatur, nec excuſari poterit per illam perficiendi infelicitatem, operata quod ſuum fuerat.* Pertinet huc quod Judæi olim dixerunt teſte libro Alcath Rochel, *Meſſiam ablaturum ab homine* יצר הרע *malum fomentum* τὴν ἐπιθυμίαν [*cupiditatem*].

29. εἰ δὲ ὁ ὀφθαλμός σου ὁ δεξιὸς, *Quod ſi oculus tuus dexter*] In hunc quoquelocum, ni valde animi fallor, multa congeruntur ſubtiliora quam ferat ſermonis popularitas. Mihi tum illud εἰ δὲ, tum quod hæc verba non præceptorum congeriem ſequuntur, ſed individua continentia annectuntur ei quod de adulteris amoribus dictum eſt, præterea vero repetitum *oculi* nomen quod paulo ante præceſſerat, planum facere videntur hujus ſententiæ, quamvis ejus vis latius ſe porrigat, occaſionem natam ex his quæ dicta erant commate antecedente, ita ut ad tacitam quandam objectionem reſponderetur, argumento ab eo quod majus eſt ducto hunc in modum. Dicat forte aliquis hæc audiens, Feminæ præſertim formoſiores ſunt ἀλγεδόνες ὀφθαλμῶν [*dolores oculorum*], quod de Perſicis dici ſolebat; & natura ita eſt comparatum ut difficile ſit non amare quod pulchrum eſt: Quapropter

caſſo ſaltem deleſtamine
Amare liceat ſi potiri non licet.

Reſpondetur ex duobus incommodis eligendum eſſe id quod eſt minus; nempe ut modo citatus Poeta hoc argumentum ex prudentiæ non ex pietatis præſcripto tractans dixerat,

Dura aliquis præcepta vocet mea: dura fatemur
Eſſe, ſed ut valeas multa dolenda feres.

Si gangræna aut morbus ſimilis partem corporis quamvis caram occupaſſet, æquum eſſet ut patereris eam præcidi potius quam proſerpens malum toti corpori exitium crearet; ut apud Plutarchum eſt, Καὶ τὸ πάθος ἡ τῶν χειρῶν ὁ γλυκύτατος ἐπιν-

ετι· ἀλλ' ἐαν αιτῇ, μισθὸν δίδωσι τῷ δουκόπτοντι [*Pater & pedem & manum filii effecit; ſed ſi ea putuerint, dat ultro abſcindenti mercedem*]. quanto juſtius id faciendum eſſet ubi æterna animi corporiſque pernicies imminet ni antevertas. Simili ferme modo argumentatur idem ille quem dixi,

Ut corpus redimas ferrum patieris & ignes,
Arida nec ſitiens ora levabis aqua.
Ut valeas animo quicquam tolerare negabis?

Subticetur autem id quod ab auditore facile ſuppleri poteſt in hunc ſenſum. Atqui cum majus ſit periculum quod tibi monſtro quam hujus vitæ mortalis jactura, minus tamen eſt quo vitari id periculum poteſt. Deberes, ſi aliter te ſervare non poſſes, vel oculum tibi eruere; at mihi ſatis eſt ſi eum à vulku illecebroſo avertas: manum deberes tibi præcidere; ego nihil amplius poſtulo quam ut eam arceas ab impudicis contrectationibus. Eorum qui pedem ſibi abſcindi paſſi ſunt habemus exempla; mihi ſufficit ut alio quam ubi mali fomenta ſunt gressum dirigas:

Perfer & invitos currere cege pedes.

Non diſſimile eſt dictum apud Senecam, *Projice quæcunque cor tuum laniant, qua ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis evellendum erat.* Senſus hic ipſe quem dicimus late fuſeque tractatus exſtat apud Porphyrium libro primo circa finem De abſtinentia ab animalibus. Oſtendit enim & ille, cum corporis ſervandi cauſa tam dura patiamur, multo majora patienda ut divina immortalitas animis paretur; & hanc tamen plerumque minoris cónſtare, nempe voluptatum abſciſſione. Philo, ἐαν καλὸν ἰδὼν αἰρεθῇς ωπρὸς ἡδονὴν πλεῖον ἐκεῖ αὐτὸ, φύγε λαθὼν δοὺ τῆς φαντασίας αὐτὸ [*Si conſpecta pulchritudine ab ea captus ſis & inde labi periclitaris, clam fuge ab iſta imagine*]. In hac circumlocutione Pedum quoque memini, quia & eorum fit mentio infra XVIII, 8. & Marci IX, 45. quibus in locis id quod hic occaſione ejus affectus qui ſolet eſſe impotentiſſimus dictum erat, generaliter omnibus vitiis aptatur. Eſt enim eadem ratio. Hinc Job cap. XXXI. de fuga tam injuſtitiæ quam obſcœni amoris agens ait, *fœdus ſe cum oculis pepigiſſe, manibus nihil adhæſiſſe iniqui, pedem ſuum non feſtinaviſſe ad dolum.* Summa igitur hujus præcepti eſt, Vitanda pravarum cupiditatum alimenta. Cupiditas enim actum parturiens, ſi eum eniti prohibeatur, abortum faciens, ipſa quoque interit. Neque vero dubito quin & hoc Chriſtus, minime novandi cupidus, ſumſerit ex veterum Hebræorum præceptis, unde & Philo hæc hauſit, Διὸπερ ἐλέσθαι ἂν μᾶλλον δοκοῦσιν οἱ μὴ πλείους αἰσθήσεσι πεπηρῶσθαι μᾶλλον ἢ τὰ μὴ σεμνὰ ὁρᾶν, κεκωφῶσθαι μᾶλλον ἢ βλασφήμων ἀκοῦσαι λόγων, ἢ ἐκτεμεῖσθαι γλῶτταν ὑπὲρ ἢ μηδὲν ἧττον ἀρρήτων, ἐκλαλῆσαι [*Ideoque homines non plane imperiti, potius optabant excæcari quam illicita cernere, potius obſurdeſcere quam noxios audire ſermones, & linguam exſcindi quam dicere non dicenda*], & quæ ſequuntur. Chryſoſtomus de Jejunio ſermone ſecundo, præceptum hoc Chriſti, quod durum videtur, ait eſſe mitiſſimum: Durum futurum fuiſſe, ſi juſſiſſet nos adeſſe feminis, eas adſpectare & abſtinere: Adde ſi id præcepiſſet quod Xenocratem præſtitiſſe narrat Valerius Maximus. ¶ ὁ δεξιὸς, *dexter*] ■ eſt, καὶ ὁ δεξιὸς [*quamvis dexter*]· quod ideo dictum quia, ut ait Ariſtoteles, Φύσει βέλτιον τὸ δεξιὸν ἢ ἀριστερόν [*natura dextrum ſiniſtro melius*]. ¶ σκανδαλίζει σε, *ſcandalizat te*] לך יפיע, ut loquuntur Prophetæ. Nam quod inde venit יפיע σκάνδαλον vertunt Lxx Pſalmo LXIX, 23. CVI, 36. CXL, 6. quos ſequitur Paulus Romanorum XI, 9. Ex certe reſpondet primitiva ſignificatio. Nam σκανδαληθρον apud Ariſtophanem interpres exponit τὸ ἐν τῇ παγίδι ἐπικαμπὲς ξύλον [*obliquum in pedica lignum*], Pollux τὸ ἐν ᾗ μικίχεται ἐπικαμπὲς πασσάλιον [*flexum in muſcipulis paxillum*]. Idem autem eſſe σκάνδαλον docet nos Heſychius. Sed & σκόλυ nomine res eadem ſignificatur, qua voce יפיע interdum transferunt Lxx interpretes. Per tralationem delignat hæc vox omne id quod exitii cauſam præbet, ut Pſalmo CXL, 6. ἐχώμωσαν πρόθυ σκάνδαλα ἕρπετά μοι [*juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*], quo ſenſu reperitur & in libro Judith V, 22. & XII, 2. Ac proinde etiam id quo quis ad delinquendum incitatur, uti Deuteronomii VII, 16. & paſſim apud Novi Fœderis Scriptores. Senſum affinem, quanquam aliunde ducta ſimilitudine, habet vox מכשול, quod proprie eſt σκόμμαμμα [*offendiculum*], cujus vocis additamento vocem σκάνδαλον interpretatur Paulus Romanorum XIV, 13. Quare mirum non eſt quod Syrus hic σκάνδαλον vertit מכשלא, cum & Lxx מכשול verterint σκάνδαλον, Levitici XIX, 14. Id ipſum *offenſam* dixit Seneca, *Per hujuſmodi*, inquiens, *offenſa emetiendum eſt confragoſum hoc iter.* ¶ βάλε σοὶ [*projice abs te*] *Projice.* quo verbo Latini quoque rei contemtum indicant. ¶ συμφέρει γάρ σοι, *expedit enim tibi*] Ἀγαθὸν γὰρ αἱρεῖ μείζονος καὶ πολλῷ πλείονος κῆδος [*bonum enim eſt minoris mali ſumtio pro majori*], ut inquit Ariſtoteles Rhetoricum I, cap. VI. ¶ καὶ μὴ, *& non*] Hebraiſmus ולא, quod valet *ne*. Quare ita optime verteris, *Expedit enim tibi unum membrorum tibi perire ne totum corpus projiciatur in gehennam.* ¶ γέεννα. *gehennam*] Vox iſta quæ modo comparate ſupplicia alterius ſeculi figurabat, nunc tranſlate eadem notat. Et Matthæus quidem nihil ultra addidit, quippe Paleſtinæ habitatoribus ſcribens, apud quos pridem vox illa eum ſenſum acceperat: ut ex veterum Hebræorum libris apparet. Marcus vero, ut & qui ei vocabulo minus ſueti erant vim ejus intelligerent, appoſuit πῦρ τὸ ἄσβεστον [*ignem inextinguibilem*]. Ponitur autem in his libris ubique pro ſuppliciis poſt Reſurrectionem, non pro ſtatu qui mortem & reſurrectionem intercedit.

31. Ἐρρέθη δὲ, *Dictum eſt autem*] Nimirum à Moſe, juſſu Divino, non privato Moſis conſilio, quod ſenſit Origenes & eum ſecutus Ambroſius; quem errorem in Ptolemæo quodam graviter accuſat Epiphanius: niſi hoc potius ſenſiſſe putemus Origenem & Ambroſium, à Moſe hæc & alia quædam hujus generis pro prudentia ſua excogitata & relata ad Deum, qui ea deinde ut iſti populo & temporibus commoda probaverit. Certe Deuteron. I, 3. V, 1. VI, 1. aperte dicitur Moſes populo propoſuiſſe ea quæ Deus præceperat: Inde autem ad caput uſque de divortio unus eſt atque continens ſermo. Neque vero credibile eſt Moſem, qui de ſpecie controverſia juris hereditatium reſpondere nihil voluit Deo inconſulto, in re momenti multo majoris quicquam conſtituiſſe Dei injuſſu. Neque *movere* quemquam in contrariam ſententiam debuit, quod Moſi hoc factum aſcribit Chriſtus infra XIX, 8. Nam paſſim ea etiam quæ à Deo profecta nemo dubitat, Moſes, quippe lectus in eam rem à Deo miniſter, dixiſſe ac præcepiſſe memoratur, ut infra VIII, 4. Marci I, 44. VII, 10. Lucæ V, 14. ¶ ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, *quicunque dimiſerit uxorem ſuam*] Nam maritis id jus conceſſum, non viciſſim mulieribus, ut apud Romanos. Prima enim apud Judæos Salome Coſtobari uxor contra antiquos mores eam licentiam uſurpavit, teſte Joſepho. Differentia hæc originem habuit ex jure maritali. Nam uxores jure Hebræo in manu erant conjugis, ut multis indiciis apparet. Recte autem verteris ἀπολύσῃ *repudiaverit*, quia id actum animi maxime denotat quem teſtatur libellus, unde ſequitur divortium. Neque enim recepit uſus, ne Juriſconſultorum quidem, ut divortium poſt nuptias, repudium tantum ante nuptias dicatur, ſed ipſa renuntiatio ſive ante nuptias ſive poſt eas ita appellari ſolet. Cajus Juriſconſultus, *In repudiis autem, id eſt in renuntiatione, comprobata hæc ſunt verba*, Tuas res tibi habeto. *Item hæc*, Tuas res tibi agito. *In ſponſalibus quoque diſcutiendis placuit renuntiationem intervenire oportere, in qua re hæc verba probata ſunt*, Conditione tua non utar. Paulus, *Per calorem miſſo repudio ſi brevi reverſa eſt uxor nec divertiſſe videtur.* Juſtinus Martyr ad Senatum Romanum, τὸ καλούμενον παρ' ὑμῖν ἀποπέμπειν [*id quod à vobis dicitur Repudium*], de matrimonio dirimendo agens. ¶ δότω αὐτῇ ἀποστάσιον. *det illi libellum repudii*] Infra, βιβλίον ἀποστασίου. Joſepho γραμματεῖον ἀπολύσεως. *Libellum divortii dare*, dixit Papinianus; *libellum repudii tradere*, Imperator Diocletianus. Origo nominis ab ἀφίστασθαι, quod eſt *diſcedere*. *Divortere* autem & *diſcedere* proprie in Latino ſermone uxor dicitur quæ ſponte ſua matrimonium dirimit: Quod Attici vocabant ἀπολείπειν. At feminis Judæis ut diximus id non licebat. Virorum autem proprie eſt τὸ ἀποπέμπεσθαι [*dimittere*], qua voce & Joſephus utitur: Hebræis שלח. Recte autem libellus divortii aut diſceſſionis dicitur etiam is quo maritus jubet uxorem à ſe divortere aut diſcedere. Id autem continebat expreſſe, continetque etiamnum hodie Judaici libelli formula, quæ talis eſt, *Mea ſponte, nullius coactu te uxorem hactenus meam dimittere à me, deſerere ac repudiare decrevi; jamque adeo te dimitto, deſero ac repudio, atque à me ejicio, ut tua ſis poteſtatis, tuoque arbitratu ac ſubitu qua libet diſcedas: neque id quiſquam ullo tempore prohibeſſit. Atque ita dimiſſa eſto ut cuivis viro nubere tibi liceat.* Veterem eſſe hanc formulam Joſephus nos docet cum ait, Γυναικὶ δὲ διὰ λέγεσθαι καθ' ἑαυτὴν ἔξεστι γαμηθεῖσαν μὴ ἄνευ σεσθαι ἀνδρὸς ἀφίστασθαι· [*Mulieri vero ne quidem ſi divorterit ſuo arbitratu nubere permittitur, ſed ita demum ſi vir ſuus eam à ſe dimiſerit*]. & alibi, λαβοῦσα γὰρ ἂν ἔτερος ἐξουσίαν συνοικεῖν ἑτέρῳ [*ita enim facultatem accipiet nubendi viro alteri*]. Et hinc eſt quod hic actus dicitur ἀπόλυσις [*dimiſſio*]. *Domo egredi juſſa*, inquit Quintilianus; & Juvenalis,

Collige ſarcinulas dicet libertus & exi.

Martia-

Martialis, *Uxor vade foras.* Titinnius, *adibus facessat.* Varro, *foras betere jussit.* In Epistola Medeæ ad Jasonem, *Cede domo.* Sed & *ejiciendi* verbum, quod Judæi usurpant, Latinus sermo eodem sensu recepit. Cicero, *Mimam exegit.* Hebræa vox ספר כריתת ad verbum si reddas, erit *libellum abscissionis*, id est χωριστῆ. Nam & χωρίζεσθαι pro *divortium facere* dixit Paulus 1 Corinth. VII, 10, 11, 15. Justinus τὸ συζυγίας χωρίζεσθαι [*à conjugio abscindi*]. *Dissolvere, separare, dirimere matrimonium* dicunt Latini Jurisconsulti. Errare autem eos qui putant Judæis non licuisse uxorem dimittere nisi causa apud Judicum probata, satis ex hoc loco apparet. *Dictum* enim *esse* ait Christus, *Qui uxorem dimissam vult, libellum det repudii.* Dubitationem omnem nobis Josephus eximit, qui de se agens ita ait, καθ' ὃν δὴ καιρὸν ἠγάγετο τὴν γυναῖκα μὴ ἀρεσκόμενος αὐτῆς τοῖς ἤθεσιν ἀπεστερήμην [*Quo tempore & uxorem duxi quod ejus mores mihi non placerent*]. Verum tamen est hunc actum non minus quam hereditatis cessionem atque alios solenniores solitos coram Judicibus peragi, quod nos Digesta Thalmudica docent: sed erat hoc jurisdictionis voluntariæ, non contentiosæ, quomodo manumissio apud Prætorem Jure Romano. Cognitionem igitur suam Judex non interponebat, nisi de dote aut donatione propter nuptias controversia inciderat; plane ut & apud Romanos. Nam Romano veteri jure instituta erat de moribus actio, qua victa mulier dotem aut totam aut partem ejus amittebat. Sed & postulare mulier poterat si innocentiæ suæ confideret, ut scripto testaretur aut maritus aut Judices nullius se flagitii compertam. Alioqui quoties, ut Romani loquebantur, bona gratia fiebat divortium, nulla opus erat cognitione. Exemplum hujus illustre est apud Josephum Originum XVII, 1. Ἐν τούτῳ δὴ τῷ καιρῷ καὶ Ἡρῴδης ὁ βασιλέως Ἡρῴδης υἱὸς τὴν αὐτοῦ γυναῖκα ἐξέπεμψεν Ἀλεξάνδρου θυγατέρα, ἐκ δὲ αὐτοῦ τὴν προῖκα δούς, ὡς ἀμφισβητήσεως αὐτοῖς μηδὲν εἶναι [*Hoc ipso tempore Herodes Regis Archelai filium Alexandri uxorem ad patrem emisit, de suo dotem reddens ne quid esset controversiæ*]. Sed & illos fallit apertum est, qui apud Mosen דבר ערות [*propter aliquam fœditatem*] ad stupri suspicionem trahunt: quanquam ea non nova est sed vetus Sameæ interpretatio, dissentiente Hillele quem *Politionem* Josephus appellat. Nam Moses in ea duntaxat specie divortium concessisset in qua eam concedit Christus, non diceret Christus, eam concessionem factam *ob duritiem* Judæorum contra originale institutum, ad quod ipse nos revocat, infra XIX. 8. Marci X, 5. Neque recte tum dixisset Moses, *Si non sit gratiosa apud eum.* Quid enim id opus dicere de adultera? Ex diversis igitur Scholæ auctoribus nata illa quæstio, *An liceret viro uxorem dimittere* κατὰ πᾶσαν αἰτίαν [*ex quavis causa*], infra XIX, 3. Hodie Judæi neque Sameam sequuntur neque Hillelem. Probant enim divortium non κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, ut Hillel, sed ob multas tamen causas *extra fornicationem* [*extra fornicationem*], quæ enumerantur in Digestis Thalmudicis, & nunc quoque à Magistris istis expenduntur. At Sameæ sententiam ille sequebatur cujus hoc proverbium exstat de uxore, *Os quod mihi contigit rode.* Huic quæ de vocum istarum explicatione est quæstioni adhæret altera inter Sacrorum librorum interpretes multum agitata, An scilicet jus illud in Deuteronomo constitutum effecerit ut recte id de quo agitur fieret, an duntaxat ut fieret impune. Quin Deus potuerit introductum à se matrimonii vinculum relaxare, si vellet; quin etiam potuerit manente vinculo Judicibus dissimulationem imperare, dubitari non potest: sola ergo voluntatis conjectura est. Mihi id quod posterius dixi verosimilius videtur. Primum, quia ob duritiem Judæorum permissionem hanc factam Christus docet, nimirum ne duriori tractationi aut etiam veneficiis daretur occasio. Ad talem autem finem sufficit sola impunitatis concessio: neque solet malitia hominum privilegiis sublevari. Accedit huc, quod consuetudo legis interpres nullam à marito causam diremti matrimonii exegerit. Alioqui enim non potuisset Josephus Mariam clam dimittere. Potuit igitur maritus dicere quod Romæ dixit Paulus Æmilius, *Sibi optime notum qua calceus urgeret.* Atqui aut nulla aut levissima de causa uxorem dimittere, ut jam de primæva Dei institutione nihil dicam, vel sola caritatis lex prohibebat, sive uxorem respicias, quæ veluti supplex ad mariti tutelam confugit, sive communes etiam liberos. Non potuit igitur factum quavis ex causa divortium rectum probumque censeri. Unde sequitur permissionem hanc, saltem in nonnullis casibus, à pœna, non à vitio liberasse. Quin ne exemplum quidem ullius laudati viri, qui licere id sibi voluerit, invenitur. Et Romani, cum nulla lex repudium vetaret, annos tamen quingentos & viginti sine exemplo repudii egerunt. Nec quisquam ferme Scriptorum est qui non graviter reprehendat M. Tullium Ciceronem quod levibus de causis Terentiam dimiserit. Voluit igitur Deus vocibus illis ערות דבר, quæ *probrum* aut, ut LXX verterunt, ἄλογον πρᾶγμα significant, admonere Hebræos ne temere uxores dimitterent: cæterum ut graviora mala evitarentur, & veritatem & gravitatem causæ noluit ad alienum arbitrium referri, sed ipsius mariti animo id æstimandum permisit. Quid mirum non est, cum veterum Gallorum aliarumque gentium leges jus vitæ ac necis in uxores maritis concesserint. At notum est quosvis Judices, quorum summæ ac libernimæ potestati res aliqua permittitur, insontes non esse si ab æqui bonique regula discedant. Jus ergo fuit ut quavis de causa uxorem maritus posset expellere, sed ea notione qua Prætor *jus reddere* dicitur etiam cum injuste decernit, ut Paulus Jurisconsultus loquitur: qui & alibi dixit *non omne quod licet honestum esse. Licere* enim in communi usu aliquid dicitur quod extra pœnam est, & quominus fiat à nemine impediri potest. Ita licebat ante Antonini tempora dominis servos occidere indicta causa; sed tamen qui id facerent ob causas non admodum graves eorum inhumanitas bonis odio erat: & Augustus narratur Senatori cuidam eo nomine succensuisse. Seneca optime, *In mancipio cogitandum est non quantum illud* IMPUNE *pati possit, sed quantum tibi permittat* ÆQUI BONIQUE *natura.* Sed Judæi & humanitatis & caritatis immemores, quod Lex dissimulabat, in eo nihil à se peccari arbitrabantur, aut certe causas quantumvis futiles admittebant in morositatis suæ patrocinium. De loco Malachiæ II, 15. qui est obscurior, illis assentior qui כי שנא שלח interpretantur *si odisti, dimitte.* Fert hanc interpretationem Hebræa constructio: nempe potius quam ut uxorem Hebræam velut mancipium tractes in gratiam extranearum mulierum. De hac duritie ait Propheta feminas apud Deum conqueri: & ut ostendat facti iniquitatem, exemplo utitur Abrahami, viri cordatissimi, qui cum justissimo teneretur desiderio prolis, tamen eam noluit habere nisi ex piis matribus. Nam אחד [*Unum*] Abrahamum vocari solere Judæi magno consensu tradidere. Videtur autem nomen illud אחד Abrahamo adhæsisse ex eo quod unus ex tanto hominum numero à Deo esset electus auctor sancti & immensi generis. Indicare hoc videtur Scriptor ad Hebr. XI, 12. Διὸ καὶ ἀφ' ἑνὸς ἐγεννήθησαν [*propter quod & ab Uno orti sunt*], ubi ἀφ' ἑνὸς [*ab Uno*] est מאחד. quo trahi potest illud ejusdem Scriptoris II, 11. Ὁ τε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες [*qui enim sanctificat & qui sanctificantur ex Uno omnes*]. Nam mox sequitur, σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται [*semen Abrahæ apprehendit*]. Sicut autem Abrahamus אחד [*Unus*], ita filius ejus Isaacus cognomento vocatus creditur יחיד, id est, μονογενὴς [*Unigenitus*], Genes. XXII, 2. Hebr. XI, 17. Sanchuniatho in Phœniciis, Ἐν δὲ Βύβλῳ τοῖς παλαιοῖς ἐκ τῆς μεγάλης συμφορᾶς τῆς κινδύνων ἐπὶ πάντων φθορᾶς τὸ ἡγαπημένον τῆς τέχνης σὺν περιστάσει ἡ πόλις ἡ ἱερὰ εἰς σφαγὴν ὑπεδέξατο τοῖς τιμωροῖς δαίμοσι· κατεφάστησαν δὴ οἱ δεδεμένοι μύστικῶς· Κρόνῳ τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ ἐπονομάζουσι, βασιλεύοντι τῆς χώρας, καὶ ὑὸν μὲν τὸν ἐξ Βίβλου πλησίον εἰς τὸ ἔξω Κρόνου αἰτίᾳ καθιερωθῆναι, ἐξ ἐπιχωρίας νύμφης Ἀνωβρὲτ λεγομένης υἱὸν ἴδιον ΜΟΝΟΓΕΝΗ, ὃν δὴ τῶν Ἰεοὺδ ἰκάλεσαν, ἐξ μονογενὴς ὄντως ἐπὶ τῇ νυὶ καλουμένῃ παρὰ τοῖς Φοίνιξι, κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσαντες σχήματι τὸν ὑὸν, βωμὸν τε κατασκευάσαντες κατέσφαξαν [*Mos fuit antiquis ut ibi magna pericula supervenerant, is qui in civitate aut gente regnaret dilectissimum filiorum in eadem daret, velut pretium diis Ultoribus pro communi exitio. Saturnus igitur, quem Phœnices Israel vocant, in ea regione regnans, qui & post vitæ exitum in Saturni stellam consecratus est, filium habens* Unigenitum *ex Nympha indigena dicta Anobret, quem ob id Jehud vocabant, quo nomine etiam nunc Phœnices unigenitum appellant, cum maxima ex bello pericula eam regionem invasissent, filium ornatum regaliter altari exstructo mactavit*]. Quibus verbis homo Tyrius multis modis Sacram historiam depravans, quod fere omnibus contigit non Judæis qui res Judaicas tradiderunt, Israelem pro Abrahamo, hoc est nepotem pro avo nominasse putatur, eundem dicens esse *Saturnum*, nimirum quia posteri ejus Saturni die feriabantur: Ἀνωβρὲτ autem, id est הנבחרת ἐκλεκτὴν [*electam*], vocasse Saram. Nam Ἰεοὺδ pro Ἰεσὺδ dialectus magis est quam corruptio vocabuli. Sic & Orpheus μονογενῆ [*Unigenitum*] posuit ἀντὶ ἑνὸς [*pro Uno*], יחיד pro אחד, id est, Isaacum pro Abrahamo, cum ei dicitur nemo fuisse qui Deum verum recte cognosceret,

Εἰ μὴ μονογενὴς τε Χαλδαίου φύλα ἄνωγεν
Χαλδαίων· ἱερὸς γὰρ ἦεν ἀρότοιο τροπαίας.

[*Unigena ille nisi Chaldæo sanguine cretus,*
Norat enim Solis qua sit aßrum lege rotaret.]

Nam ſideralis ſcientiæ famam Abrahamus habuit, non Iſaacus. Beroſus, μετὰ τὴν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ Χαλδαίοις τις ἐν δικαίῳ ἀνὴρ, καὶ μέγας, καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος [*Poſt Diluvium generatione decima apud Chaldæos vir fuit juſtus, & magnus, & cæleſtium peritus*]. Eupolemus, γενέσθαι Ἀβραὰμ γενεᾷ δυνάμει καὶ σοφίᾳ πάντας ὑπερβεβηκότα, εὑρεῖν δὲ καὶ τὴν ἀστρολογίαν καὶ Χαλδαϊκὴν δίκην [*fuiſſe hoc tempore Abrahamum nobilitate & ſapientia ſupra cæteros eminentem, qui & Aſtrologiam & Chaldaicam artem invenerit*]. Artapanus, τὸ μὲν Ἀβραὰμ τὴν ἀστρολογικὴν ἐπιστήμην παιδεύσαντα πρῶτον μὲν ἐλθεῖν εἰς Φοινίκην, καὶ τοὺς Φοίνικας ἀστρολογίαν διδάξαι· ὕστερον δὲ εἰς Αἴγυπτον ἀφικόμενον [*Abrahamum inſtitutum in Aſtrologica diſciplina primum veniſſe in Phœnicen, ubi Phœnicas in Aſtrologia inſtituerit, inde veniſſe in Ægyptum*]. Nicolaus Damaſcenus, θαυμασθεὶς παρ' αὐτῶν (Abrahamus ſcilicet ab Ægyptiis) ἐν τε συνουσίαις εἰς συνετώτατος καὶ δεινὸς ἀνὴρ ἐν ἅπασι φανεὶς διδάσκειν, τήν τε ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεσθαι, καὶ τὴν περὶ ἀστρολογίαν παραδιδόναι· πρὸ γὰρ τῆς Ἀβραάμου παρουσίας Αἰγύπτιοι τέχνου οὐχὶ ἐμάθησαν· ἐκ Χαλδαίων δὲ ταῦτ' ἐφοίτησεν εἰς Αἴγυπτον· ὅθεν ἦλθε καὶ εἰς τοὺς Ἕλληνας [*Cum ex colloquiis admirati illum eſſent, ut qui peritiſſimus eſſet & aptiſſimus ad ea quæ vellet alios docenda, ipſe eis & Arithmeticam & Aſtrologiam tradidit: nam ante Abrahami adventum ignorabant iſta Ægyptii. A Chaldæis quippe iſta in Ægyptum, inde ad Græcos pervenerunt*]. Orpheus igitur, quem in Ægypto fuiſſe docet nos Diodorus Siculus, ibi de Abrahamo deque Moſe ea intellexit quæ deinde aut ab ipſo aut (quod Tatiano placet) ex ipſius libris ab Onomacrito in verſus relata ſunt. Hæc quidem ita probabiliter de illo Philonis Byblii loco ſecundum alios dicta ſunto. Ego enim magis credo ιερομλ errore apud Euſebium ſcriptum pro ιλ, qui tali compendio ιλ Græcis Chriſtianis ιερομλ notabatur: ιλ autem apud Philonem Byblium nomen fuerit Regis, cujus vocabulum datum fuerit ſideri Saturni. Nam & alibi idem Philo Byblius ιλον [*Ilum*] ait Phœnicibus dici qui κρόνος [*Saturnus*] eſt Græcis; ῥωμ [*fortitudo, virtus*] ſcilicet, pro quo alii ῥωμ.

32. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, *Ego vero dico vobis*] Quod ante diximus, nullam juris per Moſem promulgati partem à Chriſto infringi, at præcepta interim dari meliora quam Lex illa, præſertim quatenus in judiciis obſervabatur, exigebat, ei tamen Divinæ voluntati convenientia cujus veſtigia in Moſe & Prophetis apparerent, hic in memoriam revocandum eſt. Senſus enim eſt, Lex Moſis ne quid gravius eveniret, tibi de uxore judicium indulſit: Tu vide ut tanta poteſtate humane utaris, certus nulla Deo placere divortia niſi quæ ſumma neceſſitas extorſit. In expoſitione ſententiarum Benſyræ legitur, *Si quis uxorem habeat moroſam & eam non repudiet, cum non venire in judicium*, id eſt, ea patientia Deum obtinere propitium. ¶ παρεκτὸς λόγου πορνείας, *excepta fornicatione*] Ei מִבַּלְעֲדֵי זְנוּת, infra XIX, 9. לבר מן סלתא דזנותא Syrus hoc loco, id eſt, *extra cauſam ſtupri*; altero loco דלא זנותא, *qua non ſit adultera*. *Præter crimen adulterii* dixit Lactantius. Πορνείας [*fornicationis*] nomine omnem modum imminutæ pudicitiæ intelligi poſſe pridem diximus: quomodo & Plautus aliique *ſtuprum* pro *adulterio* poſuerunt. At ſunt qui πορνείας vocem imitatione Hebraiſmi latius porrigi velint, ad ea etiam delicta quæ ad pudicitiæ damnum non pertinent. Argumentum ſumunt ex loco Jud. XIX, 2. ubi de concubina Levitæ dicitur זנתה עליו, quo ſignificari videtur non concubinam cum ipſo Levita conſueſſe (id enim nihil novi, neque concubina apud Hebræos ſtupri aut lege aut infamia tenebatur, cum à matre familias tantum dignitate diſtaret, & eo quod liberis ex ea natis jus non eſſet ſuccedendi patribus in rebus ſoli: unde Joſephus παλλακὴν [*concubinæ*] directe opponit εὐγενίδας [*nobiles feminas*]· & alibi τὰς ἀφ' ὁμοίων γονέων [*virorum illuſtrium filias*]), ſed potius eam ipſi contumaciter immorigeram fuiſſe, ac tandem (quod ſequitur) fuga deſeruiſſe ipſius contubernium. Quam interpretationem & conſtructio vocum exigere videtur, & clare exprimit Chaldæus interpres. Lxx verterunt ἀφίεσθαι αὐτὴ [*irata ei fuit*]. Joſephus, ἀλλοτρίως ἔχει [*alieno fuit animo à viro*]· deinde, καταλιπεῖν τὸν ἄνδρα [*cum virum deſeruiſſet*]. Alterum quod affertur de [illegible]ſorum Deorum cultu, qui eodem nomine indicari ſolet, minus firmum eſt, cum in ea tralatione maneat adulterii ſignificatus, quia nimirum fœdus cum Deo initum matrimonii habet ſimilitudinem. Ego, cum vox πορνείας [*fornicationis*], & quæ huic ſunt συγγενικὰ [*cognata*], tum apud Græcos tum apud horum librorum Scriptores perpetuam impudicitiæ ſignificationem habeat, ne hic quidem recedendum ab uſu & proprietate vocis exiſtimem. Interim, ut hujus loci ſenſus recte accipiatur, obſervandum eſt Chriſtum toto hoc ſermone non Leges conſtituere Civiles, ſed animis ſingulorum dare Præcepta: & hic nominatim ab eo exponi, quo caſu vir bonus legis communis ad divortia ſpectantis beneficio uti poſſit. Quare cum lex ipſa maritum ad judicem non remittat, ne Chriſtus quidem id facere cenſendus eſt. Et ſane ſi maritus paratus eſſe probare adulterium judici, jam non de dirimendo matrimonio, ſed de punienda adultera ageretur. Quod ergo ſtuprum juſta eſſet divortii cauſa dicitur, id referri debet aut ad mantos lenes, qui ad pœnam depoſcere uxores nolunt, qualis erat Joſephus Mariæ conjunx; aut ad eos qui quod ipſi credunt aut forte etiam certo compererunt probare tamen ſe in judicio poſſe diffidunt, quo illud Hieronymi pertinet, *Ubicunque eſt fornicatio & fornicationis ſuſpicio, libere uxor dimittitur*. Quod tamen non ita accipiendum eſt ut quivis motus animi ſuſpicacis ad pie ſancteque faciendum divortium valere debeat; ſed ne ad legum ſubtilitatem res exigatur. In iſto autem quæſtionum genere nihil certi definiri poteſt: ſed omne hoc ex æquo bonoque æſtimandum eſt, medio itinere inter anxiam credulitatem & craſſam ſupinitatem. Theodoſius junior Imperator Chriſtianus, & pius, & Epiſcoporum quotidiano uſus conſilio, in quæſtione divortii, impudicitiæ conjecturas ad ſui ſeculi mores temperans, ſufficere judicavit ſi mulier viro ignorante vel nolente extraneorum virorum convivia appeteret; ſi ipſo invito, ſine juſta & probabili cauſa, foris pernoctaret niſi apud ſuos parentes; vel ſi Circenſibus Theatralibuſve ludis aut arenarum ſpectaculis ipſo prohibente gauderet. Quibus iſtas addidit Juſtinianus, Si uxor de induſtria abortum fecerit; ſi commune lavacrum cum viris habuerit ſi dum eſt in matrimonio cum alio viro de matrimonio egerit. Reſtat difficilis quæſtio, An quod hic dicitur *extra adulterii cauſam* tam rigide ſit accipiendum ut nulla alia cauſa animum poſſit tranquillum reddere. Qui in hac ſola cauſa conſiſtunt urgent verba ἐκτὸς [*extra*], εἰ μὴ [*niſi*], &, quod dici ſolet, eam eſſe vim exceptionis ut poſitæ definitionis generalitatem adſtruat. Sed contra notat Origenes verba hæc poni magis enuntiando quam jubendo. Neque rarum eſt ut in tali ſermone id quod ex occaſione dicitur exempli magis quam adſtringendi vim habeat. Non enim in humanis tantum ſed & in Dei legibus palam eſt ſæpe facti aliquam ſpeciem frequentiorem exprimi, ex qua deinde cætera colligi debeant, ut Exodi XXI, 18, 19, 20, 26. Deuteronomii XIX, 5. Atque ea interpretatio multo facilius procedet, ſi παρεκτὸς λόγου πορνείας hic interpretemur *cum nulla ſubſit cauſa adulterii*, & ſi infra XIX, 9. cum codice Complutenſi legamus non ἐπὶ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ ſed μὴ ἐπὶ πορνείᾳ id eſt *non ob adulterii cauſam*. Nam tales locutiones (quas utroque loco de induſtria Syrus videtur expreſſiſſe) ſpeciem facti declarant magis quam ſtrictam exceptionem. Sed etſi ponamus eſſe exceptionem, poteſt eadem manere ſententia. In omnibus enim legibus, etiam maxime odioſis, quales ſunt quæ pœnam irrogant, receptum eſt, ut ubi eadem eſt ratio jus idem valeat: in benignioribus autem legibus etiam à paribus ad paria procedit interpretatio. Quod ſi diligenter advertamus ad naturam omnium Chriſti præceptorum, reperiemus & originem eorum & conſummationem in caritate conſiſtere, quæ ita nos vult aliis conſulere ut ne in nos ipſos crudeles ſimus, quemadmodum docet Paulus II Corinth. VIII, 13. Quavis de cauſa uxorem protrudere, ſævum eſt, inhumanum eſt. Ciceroni exprobrabat Antonius ἐκβαλεῖν ἀνὴρ γυναῖκα καὶ ἢ ἐμίγνυτο [*quod uxorem ejeciſſet cum qua conſenuerat*]. Dictum prudenter à Varrone,

> *Uxorii vitium tollas opus eſt, aut feras.*
> *Qui tollit vitium, uxorem commodinſculam*
> *Sibi præſtat; qui fert, ſeſe meliorem facit.*

Ad quem locum appoſite Gellius *vitium* ait *ferendum eſſe quod ferri ſcilicet à viro honeſte poteſt: vitia enim flagitia leviora eſſe*. Quanto autem hoc juſtius à Chriſtiano patientiæ diſciplinam profeſſo exigitur? qui in ipſos inimicos benignus eſſe jubetur, is in ſociam vitæ erit implacabiliter iracundus? Hic ſtatim ſuccurrit, Nullane igitur de cauſa dimittere licet, nequidem ſi alienæ libidini ſe ſubſtraverit? Imo vero eadem æquitas quæ uxori conſuluerat, hic & viro conſulit, ne retinere cogatur impudicam. In Clementis Conſtitutionibus legitur, Ὁ κατέχων τὴν ἀσέλγειαν, φύσεως ἥμερον παραγνώμων· ἐκεῖ γὰρ ὁ κατέχων μοιχαλίδα ἄφρων καὶ ἀσεβής [*qui impudicam retinet in naturæ leges eſt injurius: nam qui adulteram retinet & imprudens eſt, & impius*]. In canone VIII Synodi Neocæſarienſis, ἐὰν μετὰ τὴν χειροτονίαν μοιχεύθῃ γυνὴ τινος· ἐφείλε ἀπολῦσαι αὐτὴν [*Si poſt ipſum ordinationem uxor ipſius machetur, debet eam dimittere*]. Eliberini Concilii canon LXV. *Si cujus Clerici uxor fuerit machata, & ſcierit eam maritus ſuus machari, & non ſtatim eam projecerit, nec in fine accipiat communionem: ne ab his qui exemplum bona converſationis eſſe debent,*

debent, ab eis videantur ſcelerum magiſteria procedere. Et hæc cauſa videri poteſt, cur Marcus X, 11. & Paulus I Corinth. VII, 10. hoc Chriſti præceptum commemorantes, verbis utantur generalibus, nulla exceptione appoſita: nimirum quia tales exceptiones ex naturali æquitate venientes tacite inſunt legibus quantumvis generaliter pronuntiatis. Videndum ergo eſt an eadem æquitas non poſſit etiam in aliis caſibus, quanquam minus frequentibus, ideoque memoratu haud æque neceſſariis, locum habere. Quid ſi enim uxor veneno vitæ mariti inſidiata fuerit? quid ſi, quod ponit Origenes, communia pignora interfecerit? aut abortum ſibi procuraverit, quod adqus divortii valere voluit Imperator Leo? Dicat hic forte aliquis adulterium magis quam cætera crimina pugnare cum fine matrimonii. At enim non prolis ſolius, ſed & mutui auxilii cauſa conjugium eſt inſtitutum: nec quicquam poteſt contractui tam arctæ ſocietatis magis eſſe adverſum quam quod in vitam committitur. Romani veteres diſtinguebant in divortiis inter mores graviores & leviores: ac forte putet aliquis tale diſcrimen à Chriſto reſpici & notiſſimo exemplo declarari. Chriſtiani quos dixi Imperatores extra adulterium aliquot ſcelera enumerant, quibus probatis maritus ſine ullo damno uxorem repudiet: & quod eſt amplius, ea ſi probare nequeat, non ſimpliciter repudium vetant, ſed in arbitrio mariti relinquunt, malitne uxorem retinere, an dotem reddere & amittere quod propter nuptias donavit. Feminis Judæis non licebat ſponte ſua à marito divortere. Neque Chriſtus quicquam de illis pronuntiat, ne quidem in adulterii caſu. At legibus Romanis par erat jus mariti & feminæ, quos propterea pari ſorte componit Paulus Apoſtolus I Cor. VII, 15. Juſtinus Martyr Apoſtolicis temporibus proximus in Oratione ad Senatum Romanum laudat feminam Chriſtianam quæ uſa Romano legis beneficio marito ultra fas libidinanti repudium miſit & ab eo divortit, ὅπως μὴ κοινωνὸς τῶν ἀδικημάτων ᾖ ἀσεβημάτων ᾖς εἶδεν, *μέρισιν ἐν τῇ συζυγίᾳ, ᾗ ὁμοδίαιτος & ᾗ ὁμόκοιτος γενομένη* [*ne particiaret ipſius flagitia & impietatem, ſi in conjugio maneret vita et & cubilis conſors*]. Sed additur, feciſſe hoc illam poſtquam diu monendo precandoque nihil apud eum profecerat. Viri autem ſcortantis uxorem eam ob cauſam diſcedere à matrimonio non potuiſſe, obſervatum perpetuo inter Chriſtianos notant Græci ad Canonem Apoſtolicum XLVIII. & Baſilius Reſponſo IX. Idemque in Occidente obſervatum apparet ex Eliberino canone IX. *Femina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxit, prohibeatur ne ducat: ſi duxerit, non prius accipiat communionem niſi quem reliquerit prius de ſeculo exierit.* Hæc aliaque hujus generis cogitatu ſunt non indigna. At mihi expendenti ea quæ Paulus ad Corinthios ſcribit, certum ſit Chriſti hæc verba non ulterius extendenda quam ad conjuges quorum uterque Chriſti diſciplinam profiteatur. De his enim Paulus præceptum Dominicum ait extare; de aliis diſſerre aliquid à Domino præceptum negat. Auguſtinus Epiſtola LXXXIX. *Ambobus quippe Chriſtianis Dominus præcepit, ne quiſquam dimittat uxorem, excepta cauſa fornicationis:* quæ diſtinctio maximi eſt momenti. Nam inter tales, etiamſi quid peccatum ſit gravius, non eſt deſperanda reconciliatio, quamdiu uterque manet in eadem profeſſione. Sunt enim communes monitores quorum æquis conſiliis parere debeant. Ab hac profeſſione non vitium quodlibet ſed præfracta in vitiis contumacia excludit: *Qui* enim, ut Tertullianus loquitur, *exceſſit de regula diſciplinæ, deſinunt haberi Chriſtiani.* Quo recte expenſo ceſſare videntur præcipuæ quas movimus difficultates. Eſto enim, deliquerit conjunx in conjugem: Debet eſſe pœnitentiæ, debet & veniæ locus. Iracundia & ultionis cupiditas abeſſe debent. Quid igitur obſtat, quominus in matrimonio retineatur ea quam ſerio facti pœnitet, niſi pudicitia ſit imminuta? Quo tamen ipſo caſu multi Chriſtianorum ab altero matrimonio abſtinebant, quod ipſum ita probare videtur Clemens Alexandrinus ut tamen non exigat quaſi neceſſarium. Quidam etiam, ut Hermas, putabant mulierem poſt unum delictum vera pœnitentia tactam recipi iterum debere; atque ob eam ſpem ab altero matrimonio abſtinendum. Quam ſententiam ex bonitate peculiari magis ortam quam ex communi receptaque lege tum ex aliis tum ex Tertulliano apparet, qui non uno loco oſtendit ſolitos ſuo tempore ad matrimonium alterum admitti qui ob adulterium uxorem dimiſiſſent. Idem ſuo tempore à quibuſdam Epiſcopis permiſſum narrat Origenes: ſed & ſerius Conciliis Eliberino & Aurelianenſi & Arelatenſi primo & Venetico decretum eſt id licere: quod nunc quoque Græci obſervant. Vide Chryſoſtomum Oratione altera De his qui cum Judæis jejunabant, circa finem. Etiam Lactantius dixit, *adulterum eſſe qui à marito dimiſſam duxeris, & eum qui præter crimen adulterii uxorem dimiſerit ut alteram ducat.* Vide notas doctiſſimas Jacobi Sirmondi ad Aviti Epiſtolam XLIII. ¶ *ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι facit eam mœchari*] Lex per Moſem data feminæ dimiſſæ libertatem concedit migrandi ad alteras nuptias; ſed poſt eas contractas vetat eam ad priorem maritum redire, ne ſcilicet ſpecie divortii alii aliis uxores darent uſuratias, quod profani etiam Scriptores in Lacedæmoniis & Catone reprehendunt. Et libellus ipſe, ut diximus, continet expreſſam ejus libertatis mentionem. Neque hic poteſt dici, quod modo de marito dicebamus, permitti quidem ipſi arbitrium, ſed quo debeat ex bono & æquo uti. Nam marito liberum eſt uxorem retinere; uxori autem non ſemper liberum eſt ad maritum reverti. Neque poterat maritus judicio cogi ut dimiſſam reciperet. Nec cuiquam interdictum erat repudiatam ducere præterquam Sacerdoti, cujus uxor, ut ille dicebat, non culpa tantum ſed & culpæ ſuſpicione vacare debebat, Levitici XXI, 7. Ezechiel. XLIV, 22. Cæteris ergo rite nubebat. At Chriſtus, quod majoris mali vitandi cauſa Lex Moſis diſſimulabat, ex naturali æquitate prohibet ſua inſtituta ſectantibus. Quomodo autem qui dimittit uxorem adulteram eam efficiat videamus. Nimirum fieri poterat fiebatque ſæpe apud Judæos (quos *projecta libidinis* Tacitus notat) ut mulier ignominia divortii notata, & ut Moſes loquitur *polluta* maritum alterum non inveniret, atque ita dejecta à ſpe nuptiarum tandem ad vagos concubitus delaberetur; nam eos quoque μοιχείας [*mœchia*] voce indicari ſolere jam ante indicatum eſt. Ejus autem mali culpam merito Chriſtus in eum rejicit qui levi de cauſa ſuæ fidei tutelæque traditam, neque dum ullius talis flagitii compertam, à ſe ipſe clementer amoverat. Quin etiamſi caſu forte eveniret ut illibata maneret mulieris pudicitia, tamen quia per illum non ſtetit quo minus res peſſime verteret, merito illi quod fieri potuit pro facto imputatur. Hunc ſenſum recte mihi videtur attigiſſe Ambroſius: *Quam periculoſum*, inquit, *ſi fragilem adoleſcentulæ ætatem errori offeras!* ¶ ᾗ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ μοιχᾶται. *& qui dimiſſam duxerit, adulterat*] Abfuiſſe hanc particulam à quibuſdam exemplaribus teſtatur Auguſtinus. At nunc in omnibus legitur, ut & infra cap. XIX. Videtur autem Chriſtus agere de ducente dimiſſam à viro qui tamen diſciplinæ ejuſdem maneat, ac cujus proinde ingenium haberi debeat ſanabile. Nam de talibus conjugiis à Chriſto agi Paulus, ut dictum eſt, nos docet. Alioqui manente Moſis Lege, ut certe manebat eo tempore, durum fuiſſet ſine diſcrimine tanquam adulteros damnari qui dimiſſam duxiſſent. Quid ſi enim feminam aliena injuria proculcatam & de pudicitia periclitantem miſericordia motus aliquis in matrimonium ſuſcepiſſet? Intelligendum hoc ergo de illis qui dimiſſas excipiebant, non tentatis prius omnibus viis ad reconciliandum prius matrimonium, quod omnino faciendum docet Paulus I Corinth. VII, 11. aut quod pejus eſt, alienis uxoribus inhiantes per divortia ſibi nuptiis ſternebant viam. Neque alio mihi ſpectare videntur pleniora verba quæ infra legimus XIX, 9. ubi dicitur *committere adulterium* maritus prior, hoc addito *ſi aliam duxerit*; atque itidem *committere adulterium qui dimiſſam ducit:* ut ſcilicet in illum recidat adulterii crimen qui novo matrimonio interjecto ſpem reſtituendæ concordiæ abrupit. Clemens Strom. II. Οὐ μόνον ὁ ἀπολύσας αἰτίαν τούτου, ἀλλὰ καὶ ὁ ἀποδεξάμενον αὐτὸν, ἀφορμὴν παρέχων ἁμαρτάνειν τῇ γυναικί· εἰ γὰρ μὴ δέξαιτο, ἀνακάμψει πρὸς τὸν ἄνδρα [*Non ſolum is qui dimiſit culpam hanc contrahit, ſed & is qui eam recipit, peccandique occaſionem dat mulieri: nam ſi eam nemo reciperet, rediret ad maritum*]. Canon decimus Concilii Eliberini ſic habet: *Quod ſi fuerit fidelis quæ ducitur ab eo qui uxorem inculpatam reliquit, & cum ſcierit illum habere uxorem quam ſine cauſa reliquit, placuit huic nec in fine dandam communionem.* Hac ſcilicet de cauſa Theodoſii Lege conſtitutum fuit, ut mulier quæ viro miſiſſet repudium, intra quinquennium nubendi non haberet poteſtatem: & Anaſtaſii Lege, ne etiam bona gratia ſive communi conſenſu facto divortio intra annum liceret mulieri ad ſecundas nuptias convolare. Nec longe abit quod Athenis mulier à viro divertere volens non per aliam ſed per ſe ipſa ferre libellum ad Magiſtratus debuit, eoque virum vocare, ut Plutarchus Alcibiade notavit. Quæ omnia ſicut prudenter ac ſalutariter ſunt conſtituta ad fovendam ſpem reconciliationis, & ne per divortiorum facilitatem adulteria nuptiis agglutinarentur: ita durum viſum eſt Imperatoribus eam quæ à viro ſit dimiſſa, nullo unquam tempore, ac ne quidem poſt tentata omnia quæ ad reconciliationem faciebant, exploratamque inſanabilem & indignam Chriſtiano homine mariti contumaciam, ad alteras nuptias admitti. Itaque Conſtantini Lege uxor mariti abſentis, poſt interventum annorum quatuor, nullo ſoſpitatis ejus accepto indicio nubere alteri permittitur: quod quanquam ſublatum eſt ab Imperatore Juſtiniano, aliud tamen ab eodem con-

conſtitutum eſt in quo multo minus eſt æquitatis, nimirum ut marito aliquanto tempore in captivitate detento ſolvi poſſit matrimonium. Quod vero Paulus ait 1 Cor. 7. 39. manere feminas maritis obnoxias vita manente, ad divortiorum quæſtionem non pertinet, cum nihil aliud ibi probare inſtituerit Paulus quam ultra mortem mariti conjugale vinculum non extendi, ac proinde ſecundas nuptias non recte damnari. Quin idem Apoſtolus alibi, quanquam diverſo fine, idem enuntiatum uſurpans legem Moſis citat autorem Roman. VII, 1. At lege Moſis dubium non eſt etiam ante mortem poſſe divortio connubium dirimi. Sed ad Chriſti verba redeamus. Dicit iş adulterii crimine teneri eum qui dimiſſam arripit, non modo quia feſtinatæ poſt divortium nuptiæ ſuſpectæ eſſe ſolent retro adulterii: quo ſpectans Martialis dixit,

—— toties quæ nubit adultera lege eſt:
Offendor macha ſimplicitore minus.

Et Mimus,

Habent locum maledicti crebra nuptia.

Verum etiam quia adulterium eſt apud Deum quicquid matrimonio adverſatur, neque multum refert amorem quis conjugi debitum in ſe derivet, quod adulterium eſſe etiamſi actus non ſequatur jam ante apparuit, an vero ſemet interponat ne poſt friguſculum amor redintegretur. Sed hæc quæ de divortiis dixi poſt Eraſmum, Cajetanum, Catharinum & alios, eo dixi animo ut piis & eruditis occaſionem darem rei diligentius excutiendæ. Nihil definio, nihil certi pronuntio. Valeat in dubio ea ſententia quæ quam maxime ſanctam & inconcuſſam vult eſſe matrimonii fidem, ne temere rumpamus vinculum à Deo inſtitutum.

33. οὐκ ἐπιορκήσεις, *Non perjurabis*] Quid ſit τὸ ἐπιορκεῖν [*perjurare*], de eo non idem Philoſophi exiſtimarunt: atque inter alios duo nobiles Magiſtri Porticus diverſa tradiderunt. Cleanthis erat ſententia, τὸ ὀμνύοντα διορκεῖν ἢ ἐπιορκεῖν καθ' ὃν ὄμνυσι χρόνον· ἐὰν μὲν γὰρ ὦσιν ὀμνύς ὡς ἐπιτελέσων τὸ ᾧ τὸ ὄμνυσι, διορκεῖν· ἐὰν δ' ἀποθάνῃ ἔχων μὴ ἐπιτελῶν, ἐπιορκεῖν. [*eum qui jurat, ſancte agere aut perjurare quo tempore jurat; nam ſi eo animo juret, ut effecturus id quod jurat, ſancte eum jurare: ſin propoſito id non efficiendi, perjurare*]. At longe aliter ſentiebat Chryſippus: aliud enim eſſe τὸ ἀληθορκεῖν [*verum jurare*], aliud τὸ διορκεῖν [*ſancte agere in jurejurando*]· item aliud τὸ ἐπιορκεῖν [*perjurare*], aliud τὸ ψευδορκεῖν [*falſum jurare*]· quod ita explicat; verba enim ipſa apponam, quia ad horum verborum intellectum apprime faciunt; τὸ μὲν γὰρ ὀμνύειν καθ' ὃν ὀμνύς καιρὸν πάντως ἢ ἀληθορκεῖν ἢ ψευδορκεῖν· τὸ δὲ ὀμνύμενον εἶναι αὐτὸ ἢ ἀληθὲς εἶναι ἢ ψεῦδος, ἐπειδὴ ἄξιόμα πυγχάνει ὄν· τὸ δὲ ὀμνύοντα μὴ πάντως καθ' ὃν ὀμνύς χρόνον ἢ διορκεῖν ἢ ἐπιορκεῖν, ὅτε μὴ πάρεστιν ὁ χρόνος εἰς ὃν ἡ ἀναφορὰ τοῦ ὄρκου ἐγίγετο· ὃν τρόπον δὲ λέγεταί τινα διεψευσθεῖν ἢ ἀπεψεύσθαι, οὐχ ὅτε ἐψεύσθη, ἀλλ' ὅτε οἱ χρόνοι ἐκείνου τοῦ τῆς ὁμολογίας, ὅτε καὶ διορκεῖν τις καὶ ἐπιορκεῖν ῥηθείη τότε, ὅταν οἱ καιροὶ ἀφίκωνται καθ' οὓς ὡμολόγησεν ἐπιτελέσειν τὸ ᾧ σὺν ὄρκῳ ἔχοις [*Nam cum qui jurat quo tempore jurat, omnino aut verum aut falſum jurare; nam quod juratur aut verum eſſe aut falſum, cum ſit enuntiati genus. At cum qui jurat non ſemper quo jurat tempore aut ſancte obſervare jusjurandum, aut perjurare, ubi tempus nondum adeſt ad quod ſe refert juratio. Sicut enim dicitur aliquis pacta ſervare aut frangere, non cum paciſcitur, ſed cum dies advenit pacto præfinitus: ſic & ſervare ſancte jusjurandum aut perjurare quis dicitur, poſtquam advenerit tempus quo ſe impleturum jurata dixerat*]. Quibus verbis ſignificat Chryſippus verba juramenti promittentis in futurum tempus concepta veritatem ſuam aut falſitatem habere non ex eventu, qui ſit incertus, ſed ex animo jurantis; quare verbum *Hoc faciam* ita accipiendum, *Dico ex animi ſententia me facturum.* Nam ita ſi proferatur enuntiatio, jam hoc ipſo tempore aut vera eſt aut falſa: quia vero per talem prolationem juratam voluntas ante ſoluta ita colligatur ut perſeverare debeat, eo fieri ut cum ab eo propoſito diſceditur, quod apparet ubi implendi tempus advenit, dicatur tum demum perjurium committi. Et hanc ſententiam amplexus eſt Cicero De officiis tertio. Cæterum communior uſus non tam ſubtiliter iſta diſtinguens promiſcue uſurpat ἐπιορκεῖν [*perjurare*] & ψεύδορκεῖν [*falſo jurare*], tum de eo juramento quod faliendi animo committitur, tum de levitate ejus qui promiſſa non implet. Quare quod hic eſt οὐκ ἐπιορκήσεις Syrus vertit לא תחלף בשמיך *Non mentieris in jurejurando.* Omnino autem arbitror hoc loco à Chriſto uſurpata ipſa Decalogi verba לא תשא את שם יהוה אלהיך לשוא [*Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*]. Nam שוא, quod Philo vertit εἰς ματαίαν [*in vanum*], quomodo & LXX, Hebræorum doctiſſimi, quos inter Rabbinus Abraham, interpretantur *falſo*, ut nimirum proprie ac primario vetetur omnis diſconvenientia aut animi aut facti cum jurejurando. Sane שוא, & שקר quod *mendacium* denotat, pro eodem poni ex ipſo etiam Decalogo apparet. Nam quod in Exodo eſt לא תענה ברעך עד שקר [*Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*], id ipſum in Deuteronomio ſcribitur לא תענה ברעך עד שוא. Utroque autem loco Lxx verterunt οὐ ψευδομαρτυρήσεις καὶ τὸ πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ [*Non loqueris contra proximum tuum teſtimonium vanum*]. Sic Exodi XXIII, 1. לא תשא שמע שוא [*Non ſuſcipies vocem vanam*] Hieroſolymitanus interpres vertit רשקר [*mendacii*] quo ipſo loco Lxx cum vertant ἀκούσῃ ματαίαν [*ſermonem vanum*], ſatis oſtendunt ſibi ματαίαν idem valere quod ψευδῆ [*falſum*]. Sic & in Pfalmo XII, 3. שוא ידברו ματαίαν ἐλάλησαν ἕκαστος, haud dubie eſt *mentiti ſunt*: ſequitur enim χείλη δόλια [*labia doloſa*], Zachariæ X, 2. חלמות השוא iidem Lxx vertunt ἐνύπνια ψευδῆ [*ſomnia falſa*]. Sic & Pſalmus XXIV in deſcriptione ejus qui in Domini montem eſſet adſcenſurus, cum dixiſſet לא נשא לשוא נפשי οὐκ ἔλαβεν εἰς ματαίαν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ [*non accepit in vano animam ſuam*] (reſpicitur formula jurisjurandi, *Ita vivam*) ſtatim explicat ולא נשבע למרמה καὶ οὐκ ὤμοσεν ἐπὶ δόλῳ [*nec juravit in dolo*]. Hieronymus etiam שוא voce *mendacii* aliquoties reddidit: unde apparet non ſatis certam eſſe eorum ſententiam qui dictis Decalogi verbis directe putant vetari juramenta ob cauſas non ſatis graves. Nam, ut modo dixi, Decalogus ſumma peccata nominat, cætera ex mente auctoris vult colligi. ¶ ἀποδώσεις δὲ τῷ Κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου *reddes autem Domino juramenta tua*] Expoſitio eſt ejus quod præceſſit: nam qui nolit pejerare, eum oportet implere fidem jurisjurandi. Sed & verba prope eadem exſtant Numer. XXX, 2. Vocem ἀποδιδόναι [*reddendi*] eodem ſenſu de voto uſurpat Ariſtides ubi ait, *Si totum perſolvi nequeat, certe partem perſolvendam*: ἐπεὶ γὰρ ἐκλιπεῖν οὐδὲν εὐκταῖόν φασιν, ἀλλὰ καὶ τῶν ὀφειλομένων πρόσθεν ἢ καθάπαξ ἐκλιπεῖν [*nihil omittendum, ajunt, de eo quod quis voverit: ſed quidvis reddatum melius eſt quam ſi totum omittatur*]. Deo autem perſolvi dicitur id quod juratum eſt, quia etiam qui homini aliquid promittit Deum teſtem & perfidiæ ultorem invocans, ſimul Deo ſe obligat. Ideo dicto Numerorum loco conjunxit Moſes Votum & Jusjurandum. Apparet hinc proprie Chriſtum hoc loco agere de Juramento quod Promiſſorium dicitur. Nam de Jurejurando Teſtimoniali exſtat alterum Moſis præceptum: quanquam verum eſt quæ de illo dicuntur etiam ad iſtud ex paritate rationis intra certos limites & poſſe & debere aptari. Vir bonus Pſalmo XV inter alia hac nota depingitur, *Quod juratus aliquid, etiam cum damno ſuo id præſtet.* Sapienter à Seneca notatum eſt quædam non recte facta extra fori cognitionem poni debere, quo magis in voluntariis actionibus eluceat virtutum vitiorumque diſcrimen; atque ideo in ingratos nullam apud pleroſque populos prodi Actionem. Plato De Legibus undecimo, venditori qui de rei venditæ pretio in creditum iverit, Actionem negat; quod & Charondæ placuiſſe notarunt alii. At Romæ ex pacto Actio non dabatur, niſi aut ἐνσύναγμα [*contractus*] aut ſolennis ſtipulatio acceſſiſſet. Apud Judæos nulla pacta in Judiciis valuiſſe videntur niſi quæ firmata eſſent religione jurisjurandi, neque vero cujuſlibet jurisjurandi, ſed talis in quo Deus aut expreſſe nominaretur aut ex ſapientium interpretatione pro nominato haberetur. Quemadmodum vero apud Romanos veteres, narrante Polybio, rarus fuit uſus jurisjurandi, imo & teſtium & ſignorum in contractibus, quia vix inveniebatur qui quovis modo datam fidem læderet, ita par credi eſt, & apud Judæos initio non adeo frequentem fuiſſe jurisjurandi conſuetudinem: ſed creviſſe eam creſcente perfidia.

34. μὴ ὀμόσαι ὅλως *non jurare omnino*] Graviter falluntur qui ſolam à Chriſto improbari putant conſuetudinem jurandi per res alias extra Deum. Nam Jacobus optimus Chriſti interpres ait *Non jurandum, neque per cœlum, neque per terram, neque alia quavis jurandi formula.* Imo ſenſus Chriſti eſt, Non jurandum ne quidem per cœlum, per terram, per Hieroſolyma, per caput, quod oſtendit membrum oppoſitum, *Sis autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non.* Cauſa hujus dicti non dubie hæc eſt, quod Judæorum Magiſtri probatiores ita abſterrerent homines à facilitate jurandi, ut id tamen vellent ad eas duntaxat formulas pertinere quibus directo Deus nominaretur, quale eſt illa Judæis ſanctiſſima חי יהוה [*Deus vivit*], quod corrupte Martialis extulit, *jura, perpe, per Anchialum.* At quominus in uſu quotidiano per res minores juraretur non intercedebant. Apertiſſimum hoc facit Philo in libro περὶ τῶν ἐν μέρει νόμων [*De ſpecialibus Legibus*]. Cum enim indecorum eſſe dixiſſet ob res quaſlibet ἐπὶ τοῖς πυκτικοῖς καὶ παγκρατικοῖς τῶν ὁλυμπιακῶν

τείχων

τέχνη [*recurrere ad omnium auctorem ac patrem Deum*], addidit jurari poſſe per parentes, terram, Solem, aſtra, Univerſum. Plane ut ad Homerum notant interpretes, Græcorum veteriſſimos non eſſe ſolitos πρὸς τῶν Θεῶν ὀμνύειν, ἀλλὰ πρὸς τῶν προσηγχωρότων (*facile per Deos jurare, ſed per res obvias*). At optimus veri Magiſter oſtendit hæc miſera eſſe mali moris præſidia, hoc uſus argumento, quod illæ etiam formulæ *per res alias* tacite tamen ad Deum referrentur, quod deinde ſingulatim explicat. Verum hoc eſſe vidit & Ulpianus Juriſconſultus: *Qui per ſalutem*, inquit, *ſuam jurat Deum jurare videtur; reſpectu enim Divini numinis jurat.* Erat & alius Judæorum error, quod ex illis formulis minoribus jurandi alias putarent vim obligandi habere, alias non habere; ſed iſtud quia ad horum Chriſti verborum explicationem proprie non pertinet alibi tractabitur. Videamus ergo quid ſit ὅλως [*omnino*]. Maimonides ex antiquiſſimis Hebræorum Magiſtris hauſit hanc ſententiam, *Optimum eſſe homini non jurare* כלל, id eſt, *prorſus.* Et ſimilis eſt apud Epictetum locutio, Παραίτησαι ὄμνυε τὸ ὅλως, εἰς ἅπαν. Sic & Juſtinus ait Chriſtianos μὴ ὀμνύειν ὅλως [*omnino non jurare*]· & Chryſoſtomus ex hoc Matthæi loco, Οὐχὶμὴς ὅλως ὀμνύειν, ἀλλ' ἀναγκαίαν ἐπάγειν ἔχειν [*Neſas omnino aut jurare aut jurandi neceſſitatem imponere*]. idemque VII ad Romanos, Κωλύει οὐκ ἐπιορκίαν, ἀλλὰ τὸ ὀμνύειν καθόλου [*Vetat non perjurium ſed jurare omnino*]. Et De ſtatuis octavo, Καθόλου μὴ ὀμνύειν ὁ Θεὸς ἐπέλαβε [*Omnino non jurare Deus juſſit*]. Cui ſimilia legere eſt apud Hilarium, Ambroſium, Hieronymum, Chromatium, Oecumenium, Theophylactum, Euthymium. Apud Euſebium Baſilides quidam Origeni coævus jusjurandum exactus ait μὴ ἐξεῖναι αὐτῷ τὸ παράπαν ὀμνύειν: Χριστιανὸν γὰρ εἶναι ἔχειν [*non licere ſibi omnino jurare; Chriſtianum enim ſe eſſe*]. Sed & apud alios Scriptores, quantumvis paganos, exſtant dicta non minus late patentis ſoni; ut Platonis, Ὅρκῳ πρὸς πάντας ἀπέχου [*Juramentum de re quavis abeſto*]. Chœrili,

Ὅρκον τ' ὀρθῶς ἄδικον ἔμμεναι ἠὲ δίκαιον.
[*Injuſte juſteve nefas jurare putandum eſt.*]

Et Menandri,

Ὅρκον ὃ φεύγε πᾶν δίκαιος ὀμνύῃς.
[*Jusjurandum omne, quamvis ſit juſtum, fuge.*]

De Phrygibus Nicolaus Damaſcenus, Ὀρκοις δ' χρῶνται, ὅτι ὀμνυοῦσιν ὅτι ἅπαξ ἐξορκοῦσιν [*Jurejurando non utuntur, id eſt nec ipſi jurant nec alios jurejurando adigunt*]. Opponitur ergo τὸ ὅλως μὴ ὀμνύειν [*omnino non jurare*] tanquam majus atque ſanctius quiddam ei quod præceſſerat, id eſt τῷ διορκεῖν [*ſervare jusjurandum*], quaſi dicat Chriſtus, Quamvis propoſueris ſacturum te quod promittis, tamen jurare noli. Sic explicatur hoc præceptum collatum cum præcepto Legis Veteris in lib. VII Conſtitutionum quæ dicuntur Clementis, Ὁ διορκεῖν κωλυθῆναι, καὶ τὸ ὅλως διορκεῖν ἀπαγορεῦσαι, τὸ μηδὲ ὀμνύειν παραγγεῖλαι [*Is qui ſervare jurata juſſerat & perjurare vetuerat, præcipit non jurare omnino*]. Hic vero rurſus illa exoritur quæſtio, An igitur hæc interdictio nullam ferat exceptionem. Veteres Chriſtiani, quorum aliquos jam nominavimus, ſæpe ita loqui videntur quaſi nulla admittenda eſſet exceptio: ſed benigna interpretatio illorum quoque dictis debet ſuccurrere. Quis enim credat Paulum Præcepti Dominici fuiſſe immemorem? At ejus ſunt verba, *Teſtis mihi eſt Deus*, Romanorum primo, verſ. 9. & *in conſpectu Dei non mentior*, Galat. I, 20. *Scit Deus pater Chriſti me non mentiri*, II Corinth. XI, 31. Non potuit jurari expreſſius. Nihil enim aliud eſt jusjurandum quam *religioſa affirmatio*, ut Cicero definit, aut, ut ait Clemens Alexandrinus, ὁμολογία καθεστηκυῖα μετ' ἐπιθέσεως θείας [*definita locutio cum Dei aſſumtione*], aut, ut Philo duobus locis definit, μαρτυρία Θεοῦ πρὸς πράγματος ἀμφισβητουμένου [*Dei teſtimonium de re dubitata*]. Ergo aliquod adhibendum eſt temperamentum. Ideo Epictetus addidit εἰ μὴ ἔστιν τι [*ſi fieri poteſt*]. Quintilianus, *In totum jurare, niſi ubi neceſſe eſt, gravi viro parum convenit.* Auguſtinus, *Juramentum cave*, inquit, *quantum potes.* alio loco dixit, *quantum in te eſt.* Clemens Alexandrinus Chriſtianum ait eſſe οὐκ εὐπρόσοδον ἐπὶ τὸ ὀμνύειν [*Non facilem ad jurandum*], quod interpretatur σπανίως ἐπὶ τὸ ὀμνύειν ἐφικνούμενον [*raro venientem ad jurandum*]. Illud primum extra controverſiam eſt, peſſime facere τοὺς ἐπὶ πονηρᾷ συνηθείᾳ καὶ ἀπεξετάστως ὀμνύοντας ἐν ταῖς τυχούσαις [*eos qui mala conſuetudine frequenter ac re non expenſa de incidentibus jurant*], ut Philo loquitur, addens naſci ἐκ πολυορκίας ψευδορκίαν [*ex multa juratione perjurium*]· ſicut & Ulpianus dixit *nonnullos eſſe faciles ad jurandum contemtu religionis.* Sapiens Hebræus Eccleſiaſt. XXIII, 9. Ὀρκου μὴ ἐθίσῃς τὸ στόμα σου, καὶ ὀνόματος ἁγίου μὴ συνηθισθῇς [*Juratoni non aſſuefcat os tuum: nominatio vero Dei non ſit aſſidua in ore tuo*]. Et mox, Ἀνὴρ πολύορκος πλησθήσεται ἀνομίας, καὶ οὐκ ἀποστήσεται ἀπὸ τοῦ οἴκου αὐτοῦ μάστιξ [*Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga*]. Quò & illud Platonis pertinet undecimo De Legibus, Θεῶν ὀνόματα μὴ χαλεπὸν ἁρπάζειν [*Deorum nomina non facile uſurpanda*]. & Hierocles iſtud, Μελέτη ἡ ἀρίστη δ' πρὸς τὸ σῶν αὐτὸν σῴζειν, τὸ μὴ πανταχοῦ μηδὲ ὡς ἔτυχε χρῆσθαι τῷ ὅρκῳ, μηδὲ ἐπὶ παντὶ σφοδρύνεσθαι, μηδὲ εἰς ἀναπλήρωσιν λόγου, μηδὲ εἰς πίστωσιν δικημάτων [*Optima exercitatio ad ſervandam ei venerationem, nec ſæpe, nec quavis de re uti jurejurando, id eſt, non de levibus, aut ad ſermonis implementum, aut ad adſtruendam narrationi fidem*]. & poſtea, Τὸ δὲ, Σῶν ὅρκον, οὐ μόνον διορκεῖν αἰσχρὸν καὶ ἀπίστεσθαι ὅρκου παραγγελία· ὅτου γὰρ ἂν τιμήσωμεν τὸ ἀεὶ ἐνορκεῖν, εἰ μὴ καθ' ἑκάστην χρείαν τοῦ ὅρκου, οὐ γὰρ ἐν τῇ συνεχείᾳ δ' ὀμνύειν ῥᾳδίως ἂν μεταπέσοι τις εἰς ἐπιορκίαν· Φειδοῦ ἡ τιμὴ ἔστω· οὐ γὰρ οὕτω ὀμοῦμαι, οὐ ὅταν ὄμνυσιν ἐνορκῶ· καὶ ὅτε ἂν οὕτω συνηθείας παρέλθῃ ἡ γλῶσσα, ὅτε οὐκ ἐκ πολλῶν ἀκριβείας ἡ ἀσφάλεια· τὸν μὲν γὰρ ὁ τέως εὐθαίρει χρῆσις ἂν, τὸν δ' τὸ εὐθὲς ἐπέχειν δ' ὀμνύειν [*Illud, Jusjurandum reverenter habe, non ſolum præcipit ſervare jusjurandum, ſed & jurejurando abſtinere. Nam ita implebimus illud de ſervando jurejurando, ſi jurejurando non abutamur; nam aſſidue jurando facile quis incidet in perjurium: parco uſu conſequens eſt rei obſervatio. Nam aut non jurabit aliquis, aut ſi juraverit, ſtabit jurato; neque aut ex aſſuetudine lingua prolabetur, neque animus abducetur ab affectuum intemperantia: nam hanc corriget vita honeſta, illam conſuetudo abſtinendi à juramento*]. Deinde iterum, Σῶν ὅρκον, δ μὴ προχείρως αὐτῷ καταχρῆσθαι, ἵν' εὐλαβῶς διορκεῖν ἐν δ μὴ εὐπαθῶς ὀμνύειν [*Jusjurandum reverenter habe, ne temere eo abutaris; neque non jurando ſanctæ agere in jurando aſſuefcas*]. Neque tamen hic videtur conſiſtendum, ut facilitas duntaxat & aſſidua jurandi conſuetudo vetetur, quo ſcilicet tutiores à perjurio ſimus. Mihi perſuaſum eſt, non tantum à Chriſto, ſed & ab his quos dixi, Judæo Maimonide, Græcis Chœrilo, Menandro, Epicteto plus indicari. Juravit Paulus, at non in re ſua, non in re modica alterius, ſed in negotiis maximi momenti ad Deum & ſalutem aliorum pertinentibus. Nos hodie, ſi ita res ferat, de pecuniola juramus, & quidem in re etiam noſtra, quod Plato valde improbat. Et tamen Chriſtiani haberi volumus, quaſi nefas ſit reverentia Divini numinis nummorum aliquot jacturam facere. Utinam ea ſaltem jurisjurandi religio nos teneret quæ non paucos à Chriſto alienos tenet. Iſocratem audiamus, Ὀρκον ἐπιτρέπω προσδέχεσθαι δύο προφάσεις, ἢ σωτηρίαν αἰτίας αἰσχρᾶς λυσάμενον, ἢ φίλους ἐκ μεγάλων κινδύνων διασώζοντ· ἕνεκα δ' χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσης, μηδ' ἂν ἐνορκεῖν μέλλῃς· δόξεις γὰρ τοῖς μὲν ἐπορκεῖν, τοῖς δ' φιλοχρήματος ἔχειν [*Jusjurandum ſi deferatur accipe duabus de cauſis, Aut ut teneat à turpi criminatione liberes, aut ut amicos ex magnis periculis eripias; ob pecuniam vero neminem Deum jures, ne quidem ſi verum juraturus ſis: aliter enim putaberis perjurare, aliis avarus eſſe*]. Ecce duas tantum cauſas admittit jurisjurandi, & quidem Judicialis, ut infamiam fugias, aut ut amicum è magno periculo ſerves: quo exemplo & Simplicius ad Epictetum utitur, adjiciens, aut ut patriæ utilem operam naves. Hi ergo de re pecuniaria jusjurandum omne improbant. Clinias Pythagoricus cum trium talentorum mulctam jurejurando effugere poſſet, maluit tantæ pecuniæ damnum facere quam jurare, quod exemplum ſui ſeculi Chriſtianis exprobrat Baſilius. Hierocles ille quem dixi ſimiliter nullum probat jusjurandum niſi ob res neceſſarias atque egregias & quæ obtineri citra jusjurandum nequeant. Verba ejus aurea ad Aureum Pythagoræ carmen hæc ſunt, Τηρεῖν αἰεὶ (δ' ὅρκα) τὰ χρείαν ἐν ταῖς ἀναγκαίοις ἅμα καὶ τιμίοις, ἢ πάνυ ὀλίγα ἄλλα τῶν τοιούτων συντελεῖν ἀδυνατεῖται, εἰ μὴ δι' ὅρκου μόνης ἐν δ ὅρκος ἀληθείας [*Servandus jurisjurandi uſus ad res neceſſarias, & magni æſtimandas, & tunc cum talia aliter obtineri non poſſunt quam per jurisjurandi veritatem*]. Et hæc quidem illi dixerunt de jurejurando quod præſtatur teſtandæ veritatis ergo. In pollicitationibus autem & pactionibus, de quibus proprie hic agit Chriſtus, vix eſt ut tam gravis aliqua cauſa poſſit obtendi, niſi forte ea res ſit in qua ſalus publica vertatur; quanquam & in ejuſmodi negotiis idem forte præſtare poſſet nuda promiſſio ſi adjiceretur ad eam ſanciendam pœna perjurii, quæ pleroſque plus terret quam jurisjurandi religio: & monerentur qui aliquid ſpondent ne quid agerent niſi deliberato ſerioque & quod apud Romanos etiam vicem jurisjurandi implevit, Ex ANIMI SUI SENTENTIA. Ad hoc jurisjurandi genus ſpectant iſta Hieroclis, Ὁ δ', Σῶν ὅρκον,

ner, ἐν ἀρχῇ παρεγγύλας, τ̀ ὀμνύειν παραιτεῖσθαι τ̀ ἐνδεχομένων ἢ αἱρεῖσθαι τ̀ ἐκβαίνοντα τὸ πρᾶγμα. Ταῦτα γὰρ τὰ μικρὰ καὶ μεταπίπτοντα· διὸ ὅτι ἄξιον ἐπ' αὐτοῖς ὀμνύειν ὑπ' ἀσφαλείας. τ̀ γὰρ ἐφ' ἡμῖν εἰς πρᾶγμα αὐτὸ ἀγαγεῖν· οὐδὲ ἡ τ̀ περὶτων ἀναγκαίως τι συνιδεῖν ἢ μεγίστων ὄντων ἀσφαλὲς τὸ ὀμνύειν ἢ πιστὸν· ὅτι γὰρ τὸ μεταπεσεῖν τ̀ πραγμάτων ἡμᾶς ἂν ποτε σφαλῇ, ὑπὸ τὸ τιμιώτατον αὐτὸ καὶ χαριέστατον ἢ ζῆν τὴν ἐπιορκίαν φέρῃτε [*Idem qui initio reuerenter habendum jusjurandum dixerat, imperat jurejurando abstinere de rebus fortuitis & quorum incertus est exitus; hæc enim sunt & exigua & mutabilia, nec enim in nobis positum est ea ad exitum perducere: quare nec digna sunt de quibus juretur, nec id tutum est. De rebus autem præsentibus certoque connexis & momenti maximi & tutum est jurare & honestum: nam neque rei mutabilitas nos decipiet, neque rerum vilis & abjecta conditio Divinum respuit testimonium*]. Cæterum eos etiam qui indistincte videntur omne jusjurandum rejicere, aliquas tamen admittere exceptiones, præsertim magnæ utilitatis publicæ, multis indiciis apparet. De Essenis dixit Josephus, τὸ ὀμνύειν αὐτοῖς περίεστιν [*Jurare ſupervacuum habent*]. quod & alii testantur. Atqui eosdem jurejurando adactos ad observationem religionis idem Josephus apertum facit, Περὶ ἡ τ̀ κοινῆς ἄψασθαι τροφῆς, ἔρκος αὐτοῖ ὅμνυσι φειδωλόν· πρῶτον μὲν διεσβύσιν τὸ θεῖον, ἵνα τὰ πρὸς εὐσεβείας δίκαια φυλάξῃ, ἢ μήτε τῶν γνωμῶν βλάψαι τινὰ, μήτε ἐξ ἐπιτιμωμένου· μισεῖσθαι ἢ ἀεὶ σὺν ἀδίκοις ἢ συναγωνιᾶσθαι τοῖς δικαίοις. τὸ πιστὸν ἀεὶ παρέχειν πᾶσι, μάλιστα ἡ τοῖς κρατοῦσι· κὰν αὐτὸς ἄρχῃ, μηδέποτε ἐξουσίαν οἷς τ̀ ἐξουσίαν, μηδὲ ἰδιώτης ἢ τινι φθονοῖτο πρόμος εἶναι ἢ ἐπιφαίνεσθαι ὑπερλαμπτεύειν ἢ ἀλλήθειαν ἀγαπᾶν αἰεὶ, ἢ τοὺς ψευδομένους ἐλέγχειν· πρεσβύτας χεῖρας κλοπῆς, ἢ ὑγιᾶ αὐτοῦ κτῆσιν φυλάξειν· ἢ μήτε κρύψειν τι τῶν αἱρετικῶν, μήτε ἑτέρους αὐτῶν τι μᾶλλον εἰδέναι, πλὴν μόνοις θιασίταις. πρὸς τοῦτο ὀμνύουσι μηδενὶ μὴν μεταδώσειν τ̀ δογμάτων ἑτέρως ἢ αὐτὸς παρέλαβεν· ἀφέξεσθαι ἡ λῃστείας ἢ συντηρήσειν ὁμοίως τὰ τε τ̀ αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία ἢ τὰ τ̀ ἀγγέλων ὀνόματα. τούτοις μὲν ἔρκοις τὰς προσιούσι μυήσεις ἐξασφαλίζουσι [*Priusquam vero communes dapes attingant, horrenda præstant juramenta. Primum quidem, pie se culturum Deum: Deinde & jus servaturum cum hominibus, neque se lasurum quenquam sive sponte sive ex imperato; improbum se inimicum, justis vero hominibus adjuturem fore; fidem se servaturum omnibus, maxime iis qui imperant: quod si ipse imperium sit adeptus, non superbe usurum potestate, neque ant vestitu aut ornatu cetero subditos se exsuperaturum; amatorem se veri fore, detesturum mendacii, procul se manus a furto habiturum, & animum ab iniquis lucris custoditurum; nec quenquam se celaturum sodales de dogmatis, neque aliis ea indicaturum, nec si ad mortem cogatur. Præterea jurant quisque, nemine se aliter dogmata proditurum quam ipse acceperit, se abstenturum latrocinus, parique reverentia servaturum secta sua libros & Angelorum nomina. His illi juramentis ad cœtum suum venientes devinciunt*]. A qua narratione non longe discedit quod de veteribus Christianis, quorum instituta multis partibus cum Essenis congruebant, narrat Plinius, *quod essent solutis se sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati negarent.* Juralle Christianos *per salutem Cæsarum* memorat Tertullianus. & alii juramentum *per genium Cæsaris* detrectantes causam attulerunt, quod is genius esset dæmon, non quod jurare sine ulla exceptione esset illicitum, ut mox videbimus. Athanasius qui sermone De passione & cruce Domini jusjurandum videtur indiscriminate rejicere, ipse tamen per calumniam accusatus purgat se Constantio hunc in modum: *Tua pietatis magna & clara voce manuque extenta, quod ab Apostolo didici, Deum in meam ipsius animam testor, &, ut scribitur in libris Regum, jusjurandum concipio, Testis sit Dominus & testis Christus ejus, quod nunquam in malum tui mentionem feci apud fratrem tuum Constantem Augustum, neque illum adversum te irritavi.* Et mox, *Vellem hunc hominem quisquis is est hic in præsentia adesse, ut dedato juramento sub attestatione veritatis hac ab eo susciperet: qua enim ita dici audirique volumus quasi Deo præsente ea, sub hac formula jurisjurandi* NOS CHRISTIANI HOMINES CONCIPERE SOLEMUS. In Synodo Ephesina, cui multi interfuerunt quorum scriptis itidem jurandi mos videtur oppugnari, & Nestorio & Victori impositum videmus jusjurandum, ita ut sequentium temporum mentionem facere nihil sit necesse. Monachi vice jurisjurandi, si quid affirmarent aut testarentur, addebant, *tanquam coram Domino.* ¶ μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, *neque per cælum*] Id est, *ne quidem per cælum*, ut jam diximus. Est autem Hebraismus ὀμνύειν ἐν τῷ οὐρανῷ [*jurare in cælo*], pro quo Græci dicerent ὀμνύειν τ̀ οὐρανὸν [*jurare cælum*], aut etiam κατὰ τ̀ οὐρανὸν [*per cælum*]. Jam diximus non hos modos jurandi à Christo specialiter prohiberi, sed ne hos quidem à prohibitione excipi. Judæis Lege Mosis vetitum erat Deum alium jurare præter Deum Israelis; itaque jurare illis nefas erat per Baalem, Astarten, aliaque id genus falsa numina. Quamobrem & Christianos sui temporis reprehendit Tertullianus, qui aut ignorantia aut consuetudinis vitio dicerent *Mebercule* & *Medium-fidium*: quod & post eum fecit Hieronymus. Eadem hac causa Judæi Alexandrini recusabant Caji Cæsaris ὄνομα ὅρκον ποιῆσθαι [*nomen jurando usurpare*] ut Josephus narrat, quia nomen suum ut Dei in jurejurando Cajus usurpari volebat. At nominare quædam, ut Philo loquitur, τ̀ θείας δυνάμεως εἰκονισμάτων [*Divinæ potestatis simulacra*], ita scilicet ut animi religio Deum spectaret, inter vetita habitum non est. Jurat Josephus Geneseos XLII, 15. *Ita vivat Pharao*, more quidem Ægyptiorum, ut recte ab Abenezdra est annotatum; sed quem imitaturus non fuisset vir eximie pius si quid in eo irreligiosi esse existimasset. Et quid est aliud, *Ita vivat Rex*, quam, *Ita Regem sospitem Deus præstet?* Elisæus Propheta II Reg. II. Eliæ ita jurat, *Vivit Deus & vivit* (aut *vivat* potius, nam Hebraismus ista non distinguit) *anima tua.* Nec aliter Urias II Samuelis XI, 11. Sed & Paulus jurare videtur, cum dicit, τὴν ὑμετέραν καύχησιν [*per vestram gloriam*] I Corinth. XV, 31. Narrat in Apologetico Tertullianus Christianos non juralle, ut cæteros, *per Genium Principis*, quod Græci dicunt τ̀ Καίσαρος ὄμνυμι, quod jusjurandum Polycarpo delatum & ab eo recusatum legimus, merito, qui illi voci inerat falsi numinis sensus, quod ita explicat Origenes, Τύχην μέντοι βασιλέως εἰκὸς ὁμνύειν, ὡς ἀγαθόν τινα νομιζομένην θεοῦ· εἰπὲ γὰρ (ὡς ἀναίσθητοί τινες) ἐπιφορὰ μόνον ἐστὶν ἡ τύχη, οὐκ ὀμνυμένου τοῦ μηδαμῶς ὄντος θεοῦ, ἢ ὅλως ὑφεστηκότος ἢ δυναμένου τι ποιῆσαι· ἵνα μὴ τ̀ ἀναλήθη δυνάμει εἰς ἀμή δὴ περιλαμβάνωμεν· εἰ γὰρ ἐστὶν ἐδόξεν, εἴπωμεν ἢ Ῥωμαίων βασιλέως τ̀ δαίμονα (id est *Genium*) ὀμνύειν οἱ τ̀ τύχην αὐτὸ ὀμνύοντες, δαίμονα εἶναι ὀνομαζομένην τύχην ἢ βασιλέως, καὶ ὅτως ὑποπτεύειν ἐστὶ μᾶλλον ὑπὲρ ἡ μὴ ὁμόσαι μοχθηρὸν δαίμονα ἢ ἄπιστον, ποὸ ἀκὶς συνεξαμαρτάνοντα ὧ ἥλαττον ἀνθρώπῳ τ̀ καὶ πλέον αὐτῷ ἁμαρτάνοντα [*Per Fortunam Imperatoris non juramus, nec per alium qui creditur Deus; nam si (ut quidam explicant) eventus est tantum qui Fortuna dicitur, non juramus per id quod Deus omnino non est, imo nec subsistit, nec efficere quicquam potest: ne scilicet vim juramdi in ea in qua non æquum est impendamus. Quod si dicant, ut quibusdam placet, se per Fortunam Romani Imperatoris jurando per Genium ejus jurare, jam Fortuna illa Imperatoris quæ dicitur, erit ex dæmonum numero: ac proinde metuendum potius ne juretur per dæmonem malum & infidelem, & sæpe peccantem cum eo homine cui est additus, aut etiam plus ipso peccantem*]. Sed eosdem Christianos Tertullianus eodem loco juralle ait *per Salutem Principis omnibus genii augustiorum.* Postquam vero Imperatores Christo nomen dederant, institutum est hoc sacramentum militare, ut jurarent *per Deum & Christum & Spiritum sanctum & per majestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est & colenda*: quod nos Vegetius docet. Sic Marcellinus in collatione Carthaginiensi secundum allegationes partium se judicaturum *per salutem Principum* jurat. Et hoc ipsum esse juramentum quod Episcopi faciebant, memoratum canone XXV. Chalcedonensi, notant ibi Græci interpretes. Jurisjurandi *per cælum* etiam Philo meminit. Sed & Origenes adversus Celsum sexto, Judæos ait solitos *per cælum* jurare. *Cælum* autem hic par est regionem ibidem intelligi. ¶ θρόνος θεοῦ ἐστὶ ὁ θεοῦ *thronus Dei est*] Ex Esaia LXVI, 1. Hæc eo dicta sunt ut ostendatur omnibus jurandi modis tacite Deum contineri. Id clare apparet infra XXIII, 22. ubi ita infert Christus, *Qui per cælum jurat simul jurat per eum qui cælo tanquam solio insidet. Solium* autem *Dei* dicitur quod in eo opificio pulcherrimis astris picturato ejusque perpetuo & æquabili motu Divina majestas eximie eluceat, quemadmodum Regum gloria tunc maxime conspicua est cum solio suo insident. Et formula hujus juramenti, & causa ejus apparet in versu ilto ex Sophoclis Menalippa,

Ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ' οἴκημον Διός.
[*Sacrata juro templa cæli, arcem Jovis.*]

Sed & Julianus contra Christianos οὐρανὸν [*cælum*] vocat θεοῦ θρόνον [*Dei solium*].

35. ὑποπόδιόν ἐστι τ̀ ποδῶν αὐτοῦ *scabellum est pedum ejus*] הדם habet Esaias, quo obiter significari videtur vilitas terræ cælo comparatæ. Nam eo sensu הדם Hebræi usurpant, quod ὑποπόδιον vertunt LXX, ut Psalmo CX, 2. Varro nos docuit quæ unius sunt scansionis, *scabella*, quæ plurium, *scamna* appellari. At Syrus vertit כרסיא satis apposite, quia θρόνον [*thronum*] mentio præcessit. Est enim כרסי II Paral. IX, 18. scabellum soli regalis, quod ipsum LXX eo loco ὑποπόδιον vocant, quale

quale pictum videre eſt ſub ſeliquaſtro Caſſiopeæ in libro Germanici quem edidimus olim. Alterius generis ſunt *cava ſcamna*, quorum Ovidius meminit, quæ Græci ἀῖθρια appellant. Suppedanei ſub throno regali meminit Pauſanias non uno in loco. Quod autem hic de Terra dicitur, idem Proclus in Timæo Terræ aſſcribit ex Orpheo, qui cum Deum deſcriberet dixit,

—— πυμάτη ἦ βάσις χθονὸς ἔνδοθι ῥίζαι.

[—— *ima pedum ſola ſunt fundamina terræ.*]

Macrobius ex Oraculo citat,

Γαῖα ἦ ζῷ πόδες εἰσί.

[*Suntque pedes tibi terra.*]

Apud Clementem Alexandrinum & alios habemus hoc Orphei de Deo,

Αυτὸς γὰρ χάλκειον ἐς οὐρανὸν ἐσπέρηται,
Χρυσείῳ εἰνὶ θρόνῳ· Γαίῃ δ' ἐπὶ πουσὶ βέβηκε.

[*Æratæ ſedi, quam ſuſtinet æneus æther,*
Inſidet; in terra vero veſtigia figit.]

μήτε εἰς Ιεροσόλυμα, *neque per Hieroſolymam*] Helleniſtæ promiſcue pro Hebræo ב modo ἐν [*in*] modo εἰς [*per*] uſurpant. Ita hic Matthæi interpres εἰς Ιερουσάλημα dixit, cum ante ἐν τῷ οὐρανῷ, ἐν τῇ γῇ [*in cœlo, in terra*] dixiſſet. Jurarunt autem Judæi *per Hieroſolyma*, ut Romani *per Romam*. Ovidius,

——— *Per Patria numen.*

πόλις ἐστὶ βασιλέως μεγάλου· *civitas eſt magni Regis*] In Pſalmo XLVIII plane idem ſignificantia ſunt עיר אלהינו [*civitas Dei noſtri*] & קריה מלך רב [*civitas Regis magni*]. Et apud Syrachiden τόπος καταπαύσεως Θεοῦ [*locus quietis Dei*]. Hoc igitur eo pertinet, ut qui per Hieroſolyma jurat intelligatur per eum jurare qui Hieroſolymis Regnum ſuum poſuit, quemadmodum qui per Templum jurat, jurat per habitatorem Templi, infra XXIII, 21.

36. Μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ ὁμόσῃς, *Neque per caput tuum juraveris*] Ulpianus, *Caterum ſi ego dixero ut per Deum jurares, tu per caput tuum juraſti.* Ovidius,

Per caput ipſe ſuum ſolitus jurare.

Martialis,

Per tua jurares ſacra tuumque caput.

De eo jurandi modo hic agitur, non de eo ad quem alludit Juvenalis cum ait,

——— *nondum Græcis jurare paratis*
Per caput alterius.

Cujus itidem paſſim exſtant exempla: & conjunctim,

Perque tuum noſtrumque caput.

Apud Syneſium, Νὴ τὸν ἱερὸν σου κεφαλὸν καὶ τὸν τῶν παίδων μου σωτήριον [*per ſanctum caput tuum, perque liberum meorum ſalutem*]. ❡ ὅτι οὐ δυνασαι, *quia non potes*] Hoc eo pertinet ut probetur per Deum jurare qui *per caput ſuum* jurat, non minus quam qui *ſalutem ſuam* jurat, quod jusjurandum *reſpectu Divini numinis* fieri Ulpianus etiam Dixit. Cauſa utriuſque dicti eſt, quia homo nec ſalutis nec capitis ſui eſt dominus. Sic Menander Dyſcolo dixit hominem κύριον εἶναι μηδ' ἑαυτοῦ [*ne ſui quidem eſſe dominum.*] ❡ μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι. *unum capillum album facere aut nigrum*] Hoc tale eſt quale quod infra dicimur *non poſſe cubitum unum ad ſtaturam adjicere.* Sed *pili* hic potius fit mentio, ut ne minimum quidem naturæ à nobis poſſe immutari oſtendatur. Nam Hebræi, ut & Græci & Latini, *pilum* dicunt ad rei minimæ indicationem.

37. Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ, ναὶ, οὒ, οὔ· *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non*] Id eſt, ut Jacobus explicat, ἤτω δὲ ὑμῖν τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὒ, οὔ [*ſit veſtrum eſt, eſt, & non, ſit non*]. Tam ναὶ quam οὒ hoc loco formulæ ſunt quibus ad ſtipulationem reſpondebatur. Nam de promiſſionibus, ut diximus, inſtitutum ſermonem Chriſtus proſequitur. Itaque Syrus recte pro ναὶ poſuit אין quæ reſpondendi particula eſt. Romana lingua in reſpondendo verbum interrogantis repetit: ut, *Dabis? Dabo. Facies? Faciam.* Sed & ſi quis interrogatus *Dabis?* reſpondet *Quid ni?* in ea cauſa eſſe ut obligetur ſcripſit Ulpianus; quia vox *Quid ni?* ſolet habere ſignificationem Græci ναί. Sicut autem ad interrogationem ajentem per ναί, ita ad negantem per οὒ reſpondebatur. Quod vero hic & apud Jacobum dicitur oportere ut ναὶ ſit ναὶ & οὒ ſit οὔ, eum ſenſum habet, Debere facta dictis congruere: aut, ut Juſtinus recte explicat Apologetico ad Antoninum, debere nos τῇ ἀληθείᾳ λόγῳ αἰεὶ [*ſemper vera dicere*]. Eſt enim figura quam Græci ἀνταπόδοσιν, [*Refractionem*] quidam & συζευξιν [*Copulationem*], vocant, ubi vox eadem continuo repetitur ſignificatu paululum mutato, ut

Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.

Ad illum diem Memmius erat Memmius, & ſimilia. Nam priore loco ναὶ dictum ſignificat, poſteriore factum ipſum quod dicto ſignificatur. Ita Paulus *Dei promiſſa in Chriſto* ait eſſe ναὶ II Corinth. I, 21. voculam hanc poſteriore quem dixi ſignificatu uſurpans, ut indicaret omnia promiſſa per ipſum impleri. Quod autem de ναὶ diximus, idem de οὒ vocula intelligendum eſt; nempe eam quoque primum pro nova promiſſi negantis, deinde pro effectu poni. Eſt autem locutio hæc ut pleræque aliæ Chriſti & Apoſtolorum ſumta ex medio uſu illorum temporum. Nam ut ab aliis notatum eſt, γνώμη [*ſententia*] erat tritiſſima, Τῶν Ἀκαίων ναὶ ἐστι ναὶ, καὶ οὒ ἐστιν οὔ [*Juſtorum fiat eſt fiat, & non eſt non*]. Contra quorum facta dictis diſcrepabant, apud hos dicebatur eſſe ναὶ καὶ οὔ [*fiat & non*], id eſt ναὶ [*eſt* vel *fiat*] ipſorum dicebatur eſſe οὔ [*non*], & οὔ [*non*] dicebatur eſſe ναὶ [*eſt* vel *fiat*], quo loquendi genere Paulus utitur dicto loco II Corinth. I, 18, 19. idque ipſum explicat, cum negat ſe χρήσασθαι ἐλαφρίᾳ *levitate uſum*. Feſtus ad vocem *nancum*, *Quidam ex Græco* ναὶ καὶ οὐχὶ [*eſt & non*] *levem hominem ſignificari*. Quo manifeſtius eſt ibidem commate 17 in quibuſdam codicibus male repeti ναὶ & οὔ, cum ſemel duntaxat ponenda fuerint: quanquam veterum eſſe errorem librariorum ad Matthæi & Jacobi loca imprudenter reſpicientium ex Syro & Arabe interpretibus apparet. Cum vero ναὶ, ut & hujus loci cohærentia & Pauli verba oſtendunt, ad ἐπαγγελίαν [*promiſſa*] pertineat, rectius Latine per *fiet* quam per *eſt* transferetur. Senſus verborum Chriſti eſt, Fidem à nobis præſtari debere in promiſſis etiam injuratis, perinde quaſi jusjurandum acceſſiſſet: quem ſenſum apertiorem facit quod apud Jacobum ſequitur μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε [*ne in ſimulationem incidatis*, id eſt, ne fallaces inveniamini, quod Chriſtianos minime decet. Simile eſt illud Alexidis,

Ὅρκος βέβαιός ἐστιν, ἂν νοῦν μόνον.

[*Nutus mei pro jurejurando valent.*]

Et quod apud Philonem eſt, Ὁ δὲ σπουδαῖος λόγος ὅρκος ἐστὶ βέβαιος, ἀκλινὴς, ἀψευδέστατος [*Viri boni ſermo pro jurejurando ſit firmus, immutabilis, nunquam mentiens*]. Et Hierocles dixit, *nihil viris bonis veritate carius eſſe debere*; εἴτε ὀμόσωσιν εἴτε μὴ ὀμόσωσιν. [*ſive jurarint ſive non jurarint*]. Talis eſſe debet Chriſtianus, &, ut Clemens Alexandrinus loquitur, τὸ πιστὸν τῆς ὁμολογίας ἐν αἰσχροῖς πάσιν καὶ ἀθέμιτον βίου τε καὶ λόγου [*fidelitatem promiſſionis oſtendere in firma atque immutabili tum vita tum oratione*]. Optime autem hoc cohæret cum præcedentibus; quia, ut inquit Philo, καλὸν καὶ βιωφελὲς καὶ ἀρεμάτιον λογικῇ φύσει τὸ ἀνώμοτον, ὅταν ἀληθεύειν ἐφ' ἑκάστοις διδάσκῃ, ὡς ὅσπερ λόγῳ ὅρκος οὕτω νομίζεσθαι [*pulcherrimum & vitæ utiliſſimum ac Naturæ rationi menti conſentaneum, abſtinere à jurejurando, quippe cum ea ita ſit inſtituta ut de re quavis verum dicat, poſſintque vel nudi ſermones pro juramento haberi*]. Joſephus de Eſſenis, Πᾶν τὸ ῥηθὲν ὑπ' αὐτῶν ἰσχυρότερον ὅρκου· τὸ δ' ὀμνύειν αὐτοῖς φεύγεται, χείρον τι τῆς ἐπιορκίας ὑπολαμβάνοντες· ἤδη γὰρ ἀπηγόρευται Φασὶ τὸ αἰσχρόμυθον ἄνευ Θεοῦ [*Quicquid ab ipſis dictum ſit firmius eſt jurejurando; jurare autem ipſis ſupervacuum, ita ut perjurio pejus æſtiment: jam enim eum damnatum dicunt cui abſque Dei nomine non creditur*]. Quoniam igitur apparet de promiſſorum præſtatione hic agi à Chriſto, exigis hic locus videamus id quouſque pertineat. Sunt qui exiſtimant promiſſa per ſe vim obligandi non habere, ſed eam accipere à Lege Civili certa forma, modoque. Sed ei ſententiæ conſenſus Gentium repugnat. Verum ſane eſt ſimplicem aſſeverationem de eo quod quis facturus ſit debere quidem ex eo animo proficiſci qui tum temporis id velit facere quod ſe facturum dicat, at non item ex eo teneri eum, qui dicit, in propoſito perſeverare; quia voluntas humana habet jus ſua decreta mutandi, neque id jus ſolo ſui reſpectu ſibi poteſt auferre. At in promiſſione plus eſt: Habet enim promiſſio ſimul juris tranſlationem. ſicut enim dominus rei corporalis eam poteſt in alium transferre ſigno aliquo voluntatis: ita etiam jus ipſum quod quis habet ad ſuos actus aut res, poteſt in alterum transferri, in ſolidum aut pro parte definita. Ex quia tali facto jus aliquod in alterum tranſit, ideo voluntas jam ultra ſe honeſte mutare non poteſt, quia nemo honeſte poteſt aut velle aut facere contra jus alteri quæſitum. Hinc vocorum quæ Deo fiunt & promiſſorum inter homines vis oritur. Sed ut Jure Naturæ valeat Promiſſio, tria ſunt neceſſaria: nempe ut qui pro-

ed by Google

mittit ad promittendum ſit idoneus, & ut res ipſa promiſſi ſit capax, deinde ut res poſſit præſtari à promittente. Prima conditio deficit in his qui rationis uſum non habent: Nullum enim velle eſſe poteſt ſine intellectu: Ideo infantium & furioſorum verba non habent promiſſi efficaciam. Secunda deficit in rebus quæ aut per rerum naturam fieri non poſſunt, ut cœlum digito attingere, aut quæ per ſe ſunt inhoneſta, quale erat Johannem Baptiſtam innocentem & Dei Prophetam occidere: Quod enim facere non licet, id ne promitti quidem valide poteſt, cum promiſſio ad factum tendat. Tertia conditio deſideratur quoties actus qui promittitur non eſt in jure promittentis, ut ſi ſervus non domino operas promittat: Nam cum promiſſum emanet è jure promittentis, nihil poteſt efficere ultra juris illius amplitudinem. Et hæc quidem ipſo Naturæ lumine ita ſunt clara ut probationis non indigeant. Verumtamen ſæpe Lex aliqua efficit ut recte promiſſa non præſtentur. Quod mirum videtur his qui judicium in iſtis rebus ſubactum non habent; putant enim legem ejuſmodi pugnare cum Jure Naturali, quod ſit immutabile: id vero non ita eſt. Neque enim conſtituunt Leges ne promiſſa quæ quis promittendi jus habuit alteri jus ex promiſſione natum non præſtentur; quod eſſet contra Jus Naturæ: ſed ipſa materia mutationem accipit; quod etiam citra legem fit, quoties ſtipulator promiſſorem liberat. Hic enim nemo dicturus eſt promiſſorem adhuc teneri, & contra naturam facturum ni faciat quod dixerit. Jus enim ejus cui promiſſum eſt, quod fundamentum erat obligationis, interiit, ac proinde nulla jam reſtat obligatio. Solet autem lex efficere ne promiſſa ad effectum perduci debeant duobus modis, aut antevertendo orturam alioqui obligationem, aut ortam tollendo. Utrumque ex probabili cauſa facere Lex poteſt, ut quæ in ſingulos atque jura ſingulorum ad utilitatem publicam jus quoddam ſuperius obtineat eo jure quod eſt penes ſingulos. Antevertitur obligatio, ut cum conſtituitur ne efficax ſit promiſſum uxoris niſi maritus auctor acceſſerit. Hic enim jure ad obligandum ſe uxori ademto naſci obligatio non poteſt. Orta exſtinguitur duobus iterum modis, aut quia Lex jus quod alicui quæſitum eſt aufert, aut quia non hoc tantum facit ſed etiam ei qui promiſit aufert implendi libertatem, Illo caſu licet non implere, quia Lex jus alteri quæſitum abſtulit; hoc caſu non licet implere, quia hoc quoque jus ſublatum eſt imperio Legis, quæ plus ſingulis poteſt poſſetque. Illud addam, eſſe Leges quaſdam quæ obligationem nec oriri impediant nec ortam reſcindant, ſed tantum in foro de eo jus dici vetent, ut Leges Romanæ de pactis nudis: Charondas de rebus creditis. Hoc caſu promiſſor adverſus fidem delinquit ſi non ſtet promiſſo. Non enim jus omne ſtipulatoris ſublatum eſt, ſed ſola coactio ei denegatur. Quod religioſis animis diligenter eſt annotandum, ne pravis Magiſtris uſi latebram perfidiæ quærant. ¶ τὸ δὲ περισσότερον τούτων, *quod autem his abundantius*] Id quod eſt ultra ναὶ καὶ οὔ [*eſt & non*]. ¶ ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστι. *à malo eſt*] Quidam iſtud πονηρῷ eſſe putant à recto ὁ πονηρὸς [*malus*], qua voce diabolus indicatur. Mihi magis placet & hic & aliis aliquot in locis ſumi à recto quod eſt τὸ πονηρὸν [*malum*]· quomodo Johannes dixit *mundum jacere in* τῷ πονηρῷ [*in malo*] v, 19. Intelligo hic τὸ πονηρὸν [*malum*] morem non ſtandi promiſſis. Nam ut ex Polybio dicebamus, mos jurandi ex eo maxime eſt frequentatus, ex quo labare cepit dictorum fides. Qui enim juramentum poſcitur, ut Philo notat, ἤδη εἰς ἀπιστίαν ὑποπέπτωκε [*jam de infidelitate ſuſpectus eſt*]. Sic & Eſſeni ἤδη κατεγνῶσθαι φασὶ τὸ ἀπιστούμενον ἄνευ θεοῦ [*eum jam damnatum dicunt cui non creditur ſine Dei nomine*], ut eſt apud Joſephum. Apud Sophoclem ille in Colono Oedipus ad Theſea,

Οὐδεὶ σ' ὑφ' ὅρκου γ' ὡς κακὸν πεῖσαι θέλω.
[*Non te alligabo jurejurando ut malum.*]

Levitas hominum & inconſtantia diffidentiam genuit, cui remedium quæſitum eſt jurejurando. Eſt autem hujus dicti cum ſuperioribus hæc connexio, Ne putate vos ab hominum commercio excludi, ſi jurejurando quam religioſiſſimi abſtineatis. Nam cum de vitiis ortus ſit jurandi mos, facile erit iisdem ſublatis tollere jurisjurandi neceſſitatem. Id autem fiet, ſi, quemadmodum dixi, tam conſtanter quævis dicta ac promiſſa impleatis ut injuratis vobis potius quam juratis aliis credatur. Socrates dixit, Δεῖ γὰρ οἶμαι τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα πρότερον ὄμνυσι παρέχεσθαι τὴν πίστιν ἢ ὀμνύναι [*Debent viri boni palam præſtare vitam ſuam dignorem fide quam ſit jurejurandum*]. Non igitur eo tantum pertinet Chriſti præceptum, ne Chriſtiani à Chriſtianis exigant jurejurandum; verum etiam ne jurent Chriſtiani à quocunque tandem exigatur. Nam, ut recte explicat Clemens, decet Chriſtianum etiam πρὸς τοὺς ἔξω τὸ βίου ἦθος αἰδέσιμον, εἰς μηδὲ ὅρκου δεῖσθαι [*etiam apud extraneos ſanctum vitæ ſuæ*

fidem mereri, ut juſjurandum ab eo nè poſtuletur qui dem] Sed, ut ante etiam dixi, omnia hæc præcepta non tam ex verborum apicibus quam ex rei ipſius natura metienda ſunt. Non vetat Chriſtus juſjurandum ut rem per ſe malam, ſed ut rem quam niſi in negotiis maximi momenti uſurpare non liceat. Quæ autem ſint res ejuſmodi non tam certis definitionibus comprehendi poteſt quam ſpiritu charitatis dijudicari. Concludam hanc tractationem dicto Auguſtini, *Qui intelligit non ut bonum ſed neceſſarium juramentum habendum, refrenet ſe quantum poteſt, ut non ea utatur niſi neceſſitate, cum videt pigros eſſe homines ad credendum quod eis utile eſt credere, niſi juratione firmetur.*

38. Ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη· *Audiſtis quia dictum eſt*] Intellexiſtis dictum eſſe, majoribus nimirum veſtris. Oſtendit autem hoc quoque illud ἐρρέθη ad antiquum tempus referri, cujus ad poſteros fama pervenerit. ¶ Ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος· *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*] Defectivam orationem commode ſupplebis ſi addas *reddet qui injuriam fecit.* Eſt autem hoc jus veteriſſimum apud omnes prope gentes. Ariſtoteles τὸ ἀντιπεπονθὸς [*talionem*] vocat, & dictum ait Jus Rhadamanthi iſto verſu deſcriptum,

Ἔστιν παθὼν τά κ' ἔρεξε δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.
[*Qua fecit ſi quiſque ferat, jus fiat & æquum.*]

Ex Græcia & hoc Romam tranſiit: unde in XII Tabulis, *Si membrum rupit, talio eſto.* Apparet autem ex Lege Moſis, præcipue ex verbis quæ ſunt Deuteronomii XIX, 21. non exactam talionem niſi Judicis decreto. Nimirum, ut recte Lucretius dixit,

Amplius ex ira quod enim ſe quiſque volebat
Ulciſci, quam nunc conceſſum eſt legibus æquis,
Idcirco eſt homines pertæſum vi colere avum.

Quam ſententiam Honorius & Theodoſius Imperatores ita expreſſerunt: *Idcirco Judiciorum vigor Juriſque publici tutela videtur in medio conſtituta, ne quiſquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem.* Verum quidem eſt in quibuſdam caſibus Leges aliquid indulſiſſe juſto dolori, ſicut Jura Romana permittunt patri adulteram filiam aut filiæ raptorem occidere: Quomodo & apud Hebræos homicidium vindicare manu privata proximus agnatus potuit, ita tamen, quemadmodum ab Hebræorum Magiſtris recte notatum arbitror, ut ſi prius illud homicidium ſine dolo malo patratum eſſet, ipſe ultor capitis pœnam ſubiret. Sed in delictis quæ infra homicidium ſunt nihil ultra conceſſum læſis quam adire Judicem & ab eo ultionem, tanquam jure ſuo, expoſcere. Et hoc pœnæ genus eſt quod τιμωρίαν proprie vocant Plato, Ariſtoteles, & Taurus Philoſophus apud Gellium, quam definit Clemens Alexandrinus κακοῦ ἀντιπάθειαν εἰς τὸ ἴδιον τιμωρητικῷ συμφέρον ἀναφερομένην [*repoſitionem mali eam quæ refertur ad utilitatem ſe vindicantis*]. Ubi τὸ συμφέρον [*utilitas*] paulo laxius ſumitur, ut & apud Ariſtotelem κέρδος [*lucrum*] in hoc ipſo argumento. Quia enim pleriſque

——— *vindicta bonum vita jucundius ipſa*;

ideo quod adverſario nocet, ipſa quaſi prodeſſe intelligitur; quod ita Minus extulit,

Læſo doloris remedium inimici dolor.

Ariſtoteles in arte Oratoria τιμωρίαν [*ultionem*] eſſe dicit ἣν ποιεῖ τοῦτο ἵνα ἀντιπάθῃ [*exigentis cauſam ei ſatisfiat*], ubi ὁ ποιῶν eſt is qui ultionem exigit. Facere enim cenſemur etiam quod per Judicem facimus. Non dubito autem, quin ſi jus ſtrictum reſpicimus, licuerit vulnerato à Judice præcise exigere ut adverſario quoque vulnus infligeretur, quemadmodum Bathos docebat, & Joſephus diſerte teſtatur. Quod autem apud Hebræos, ut notant eorum Magiſtri atque idem Joſephus, & apud Romanos teſte Gellio, pro membro pecunia ſolvi ſolebat, id natum ex læſorum æquitate, quæ multis exemplis in morem tranſierit. Sed hæc ipſa pecunia quatenus damni dati æſtimationem & impendia excedebat, μίσθιον erat; non imperata Hebræis, ſed conceſſa: cujus generis & apud Romanos erant tum accuſationes publicorum judiciorum, tum ex privatis delictis Actiones pœnales, in duplum, triplum, quadruplum.

39. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo*] Recte eos ſentire arbitror, qui illud πονηρῷ de homine interpretantur, & eſſe id ipſum quod Hebraice Moſes dixit Exodi II, 13. רע, quod LXX vertunt τῷ ἀδικοῦντι· quo exemplo τῷ πονηρῷ vertere ſic liceat, *ei qui injuriam fecit.* Et manifeſtum eſt non poſſe τὸ ἀντιστῆναι [*reſiſtere*] univerſe ſumi. Nam reſiſtit & qui innocentiam ſuam verbis teſtatur, quod fecit Chriſtus, & poſt eum Apoſtoli.

Sed

Sed cum præcedentia verba, quibus hæc ſententia opponitur, agant περὶ τ τιμωρίας [*de ultione*], omnino τὸ ἀντιστῆναι [*reſiſtere*] eodem referri debet, quod & Paulus nos docet, hoc præceptum his verbis explicans, Μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες [*Nulli malum pro malo reddentes*], Roman. XII, 17. quæ eſt ut diximus τ τιμωρίας [*ultionis*] perſpicua deſcriptio. Ex quo etiam apparet quid ſit eodem Pauli loco μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες [*non vosmetipſos defendentes*, id eſt, *ulciſcentes*]. Nam ἐκδικεῖν cum modo *ulciſci* ſignificet, modo *defendere*, neceſſe eſt ibi pro ultione accipiatur; qui enim ſe defendit tantum, is non reddit malum pro malo, ſed is demum qui ſe ulciſcitur: quod & ſequentia Pauli verba declarant, *ſed dantes locum iræ*, id eſt, Divinæ ultioni, ut ibidem videre eſt. Ariſtoteles paſſim τὸ ἀμύνεσθαι [*vindicare*] ponit in virtutis parte; quem ſecutus Cicero vindicationem ad Jus Naturæ refert, *per quam*, inquit, *vis & injuria defendendo aut ulciſcendo propulſatur*. Ejuſdem eſt in Officiis illud, *Juſtitiæ primum munus eſt ut ne cui noceas, niſi laceſſitus injuria. O quam ſimplicem veramque ſententiam*, inquit Lactantius, *duorum verborum adjectione corrupit. Nocendum enim nemini, ne ei quidem qui prior nocuerit.* Quod Plato propius cæteris perſpexit; ejus enim eſt in Critone, οὐδὲ ἀδικουμένον δεῖ ἀντιδικεῖν [*nec ſi injuriam acceperis, reponenda ea eſt*]; item, Οὔτε δεῖ ἀντιδικεῖν δεῖ, οὔτε κακῶς τινὰ τῶν ἀνθρώπων, ὅσα ἂν ὑπ' αὐτῶν πάσχῃ ἀνταδικεῖν [*Non igitur reponenda injuria eſt, neque nocendum cuiquam, etiamſi quidvis ab aliis patiendum ſit*]. quod late explicat, demonſtratis incommodis quæ ultionem ſequi ſolent, ſectator dogmatum Platonis Maximus Tyrius diatriba cui titulum fecit, Εἰ τὸ ἀδικεῖσθαι ἀντιδικητέον [*An injuria retorquenda in auctorem*]. Sed & Hierocles dixit, τῇ ἀντιδόσει τὰς εἰς ἑαυτὸν ἐκείνου εἰς ἐκεῖνον ἀδικίας παρεξίσου ἔρχεσθαι [*injuriam reponendo in eundem mos morbum incidere cum iis qui priores injuriam fecere*]. Lacedæmonii precibus addere ſolebant τὸ ἀδικεῖσθαι δύνασθαι [*poſſe injuriam pati*]. Dignum memoria & Menandri illud,

Οὕτω κρείσσὼς ἐσ' ἀνὴρ, ὦ Γοργία,
Ὅστις ἀδικεῖσθαι πλεῖστα ἐπίσταται βροτῶν.

[*O Gorgia, ille vir virorum eſt optimus,*
Qui maxime aliis callet ferre injurias.]

Inter Pythagoræ ſcita refert Jamblichus, Μήτε λοιδορεῖσθαι, μήτε ἀμύνεσθαι τὸν λοιδοροῦντα [*Neque convitiari priorem, neque reponere convitium*]. Idem, Πολλῷ μᾶλλον ἀδικεῖσθαι ἔφη παραινεῖν ἢ ἀδικεῖν ἄνθρωπον· ἐν ᾅδου γὰρ κεῖσθαι τὸν πρῶτον [*Monuit multo potius ferre injuriam quam hominem occidere: Eſſe enim apud Inferos judicium*]. Metellus Numidicus in Oratione ad populum, *Probi injuriam facilius accipiunt quam alteri tradunt.* Eſt in iiſdem partibus Seneca: *Immane*, inquit, *verbum eſt ultio & ab injuria tantum diſtans ordine. qui ulciſcitur non niſi excuſatius peccat.* Sed & hoc ipſum, excuſatius peccare qui rependit injuriam, non concedit is quem dixi Maximus, quo judice ὁ τιμωρῶν ἢ πρωτίεξωθεν & ἀδικηθεὶς [*qui ulciſcitur pejor eſt eo à quo cæpit injuria*]. Addam his Muſonium, Τὸ σκοπεῖν ὅπως ἀνταδήξεταί τις ὁ δακνόμενος, ἢ ἀντιπαίσει κακῶς ὁ ὑπαίξας, θηρίου μὲν ἐστὶ, οὐκ ἀνθρώπου ἔργον [*Hoc agere ut mordentem remordeat, & malum reddat ei qui fecerit, fera eſt, non hominis*]. Et hæc quidem videri poſſunt proprie ad ultionem eam pertinere ubi quis aut manu ſtatuit

Ἀνδρὶ ἀμυνόμενος ἔστι πρόσθεν κακὰ πάσχειν,
[*Fortiter ulciſci ſi quis male feceris ante,*]

aut etiam,

Ἀλωπεκίζειν πρὸς ἀλώπεκα πανοῦργον,
[*Adverſus vulpes moribus uti vulpinis.*]

At Chriſti præceptum aperte illud ultionis genus reſpicit quod minus immodeſtum videri ſolet: certe publice non æque periculoſum eſt cum apud Magiſtratum exercetur Actio ad vindictam inſtituta. Nam hoc ipſum vetat quod Deus per Moſem non quidem indiſtincte probaverat (ſemper enim ei lenitas præ iracundia placuit), ſed quod fieri erat paſſus, & de quo judicium reddi voluerat, ut majoris mali vitaretur occaſio. Nam alioqui Lex ipſa hoc agebat, ut ſi fieri poſſet homines à vindictæ cupiditate retraheret: quod agnoſcit Philo apud quem Judæi Alexandrini Deum ita alloquuntur, Οὐκ ἐφαδόμεθα, ὦ Δέσποτα, τιμωρίαις ἐχθρῶν, διδάσκαλοι πρὸς τῶν ἱερῶν νόμων ἀνθρωποφιλῶν [*Non delectamur, o Domine, hoſtium malis, per ſanctas leges edoctis miſericordiæ affici*]. Sed quis ſcopus ſuerit legis per Moſem latæ, ac quomodo ea non pugnet cum præcepto hoc Chriſti congruente cum Prophetarum monitis, videtur mihi ſatis perſpicue expoſuiſſe Tertullianus adverſus Marcionem IV. *Novam plane patientiam docet Chriſtus, etiam vicem injuriæ prohibens permiſſam à Creatore, oculum exigentem pro oculo & dentem pro dente: contra ipſe alteram amplius maxillam offerri jubens, & ſuper tunicam pallio quoque cedi. Plane hæc Chriſtus adjecerit, ut ſupplementa conſentanea diſciplinæ Creatoris. Atque adeo hoc ſtatim renuntiandum eſt, an diſciplina patientiæ prædicatur penes Creatorem. Sic per Zachariam præcepit, ne unuſquiſque malitiæ fratris ſui meminerit, ſed nec proximi. Nam & rurſus, Malitiam, inquit, proximi ſui unuſquiſque ne recogitet. Multo magis patientiam indixit injuriæ, qui indixit oblivionem. Sed & quum dicit, Mihi vindictam & ego vindicabo, proinde patientiam docet vindictæ exſpectatricem. In quantum ergo non capit, ut idem videatur, & dentem pro dente, oculum pro oculo in vicem injuriæ exigere, qui non modo vicem, ſed etiam ultionem, etiam recordationem & recogitationem injuriæ prohibet, in tantum aperiens nobis, quomodo oculum pro oculo & dentem pro dente cenſueris, non ad ſecundam injuriam talionis permittendam* (intellige, ut recte ac pie exigeretur) *quam prohiburat interdicta ultione, ſed ad primam coercendam quam prohibuerat talione oppoſita, ut unuſquiſque reſpiciens licentiam* (id eſt, permiſſionem illam facti cum auctoritate Juris Civilis) *ſecundæ injuriæ, à prima ſemetipſum contineret. Facilius enim vim comprimi ſcit repræſentatione talionis quam repromiſſione ultionis. Utrumque autem conſtituendum fuit pro natura & fide hominum, ut qui Deo crederet, ultionem à Deo exſpectaret; qui minus fideret, leges talionis timeret. Hanc legis voluntatem de intellectu laborantem, Dominus & Sabbati & Legis & omnium paternarum diſpoſitionum Chriſtus & revelavit & compotem fecit, mandans alterius quoque maxillæ oblationem, ut tanto magis vicem injuriæ exſtingueret, quam & Lex per talionem vulnerat impediſſe, certe quam Prophetia manifeſte coercuerat, & memoriam injuriæ prohibens, & ultionem ad Deum redigens. Ita ſi quid Chriſtus imulit, non adverſario ſed adjutore præcepto, non deſtruxit diſciplinas Creatoris. Denique ſi in ipſam rationem patientiæ præcipienda & quidem tam plene atque perfecte conſiderem, non conſiſtet, ſi non eſt Creatoris qui vindictam repromittit, qui Judicem præſtat. Alioquin ſi tantum patientiæ pondus non modo non repercutiendæ ſed & aliam maxillam prahendi, & non modo non remaledicendi ſed etiam benedicendi, & non modo non retinendi tunicam ſed amplius & pallium concedendi, is mihi imponit qui non ſit me defenſurus, in vacuum patientiam præcipit, non exhibens mihi mercedem præcepti, patientiæ dico fructum, quod eſt ultio, quam mihi permiſiſſe debuerat ſi ipſe non præſtat; aut ſi mihi non permittebat, ipſe præſtaret. Quoniam & diſciplina intereſt injuriam vindicari. Metu enim ultionis omnis iniquitas refrenatur. Cæterum paſſim emiſſa libertate dominabitur, utrumque oculum effoſſura, & omnem dentem excitaura præ impunitatis ſecuritate.* Locum hunc lectu & conſideratu non indignum tranſcripſi eo libentius quod inde intelligi poſſit cur & quatenus etiam in Chriſtianorum terris retineri poſſent ejuſmodi leges, quæ talionis aut pœnæ formidine eos coercent qui ſponte recte facere nondum didicerunt: incolumi interim piis omnibus manente patientiæ regula, quam obſcure natura inſinuat, commendant non Prophetæ tantum, ſed & Philoſophi, præcepit autem diſerte Chriſtus. Idem ille Tertullianus libro de Patientia, *Chriſtus gratiam Legi ſuperducens, amplianda adimplendaque Legi patientiam ſuam præfecit, quod ea ſola ad juſtitiæ rationem retro defeciſſet.* Hujus præcepti memores Chriſtiani illi meliorum ſeculorum non dubitabant ad ipſorum hoſtium teſtimonium provocare. Juſtinus in Apologetico, Ὁ δὲ ἡμῖν παρ' ἡμῶν μισουμένοις ἀποδείξει ἔχομεν, ὅτι βιαίων καὶ τυράννων μεταβολὰς ἢ πληθύοντες ἢ γενόμενοι καρπείας βίᾳ ἀναλαβόντες, ἢ συνεδρίων πλειονάκις ἀναιρεῖν ξίφει καθυποστάντες, ἢ συμπεφυκυῖαν ὑπομένοντες [*Nam, quod multis apud nos exemplis oſtendere poſſumus, multi de violentis & tyrannis alii facti ſunt, ſuperati exemplis ſive dum vicinorum in vita conſtantiam imitantur, ſive conſpecta admirabili patientia comitum itineris injuriam paſſorum, ſive periculo facto eorum quibuſcum negotium habebant*]. Athenagoras, Οὕτως ἐκκεκαθαρμένοις αὐτοῖς τὰς ψυχὰς, ὡς ἀντὶ ἡμῶν ἐκείνοις ἐχθροῖς αἰτεῖσθαι, καὶ ἀντὶ τοῦ, τὸ μεταβαίνειν, κακῶς ἀγορεύειν ἐκεῖνο μεταπαίξαντας λοιδορίαν, εὐλογεῖν, καὶ ἐπὶ τὴν Χριστιανίσεως ἐλθεῖν, προδιδαχθέντας [*Ita purgati ſint animis ut inimicos pro odio amare proſequantur: & prave, quod in mediocribus ducitur, eos qui priores convitiati ſunt rurſum convitiis impetere, bene de iis ſequantur, & precentur pro*

eis qui vita ipſorum inſidias ſtruunt]. Ipſe Juſtinus de accuſatoribus Chriſtianorum ita loquitur, Οὐ γὰρ εἰς τοῦτο παρεχόμεθα ὑμᾶς αἰτούμενοι· ἀρκοῦσι γὰρ τῇ ἑαυτῶν πονηρίᾳ καὶ τῇ τῶν καλῶν ἀγνοίᾳ [*Neque enim à vobis id expetimus ut accuſatores noſtros puniatis. Sufficit eis pravitas in qua verſantur & rerum bonarum ignorantia*]. Julianus, qui dogmata Chriſtianorum perdidicerat, vetuit Chriſtianorum querelas de injuriis apud Magiſtratus audiri, addita cauſa, Τμέτερον τὸ κακοπαθεῖν [*Veſtrum eſt ferre injuriam*]. Lubet in pudorem eorum qui ſe nunc Chriſtianos dici volunt verba adferre Muſonii proprie ad hanc judicialem vindictam pertinentia. Ait is, Τρεῖς γεγόνασιν ἐν αὐτοῖς γεγράφθαι τινα παρ', ἐν' ἀν ἐπὶμη συμβουλεύσαι [*Injuriæ actionem neque ſe cuiquam intentaturum, neque cuiquam ut id faciat auctorem fore*]. Et apud Lyſiam legimus, Ἀνελεύθερον καὶ πάνυ φιλόδικον κακηγορίας δικάζεσθαι [*Hominis eſt non ingenui, ſed litigioſi, injuriarum inſtituere actionem*]: cauſamque ſententiæ ſuæ explicans, *Irrideri, conſpui, verberari denique non eſt turpe*, ait, *ſapientis; ſed irridere, conſpuere, verberare.* Mox prolatis exemplis eorum qui illatas injurias diſſimulaverant, ita concludit, Πόσῳ δὴ κρεῖττον ὅτως ἔχοντα φαίνεσθαι τὸν φιλόσοφον ἢ συγγνώμης ἀξιοῦν εἶτις πλημμελήσειέ εἰς αὐτὸν, ἢ δοκεῖν μὲν ἀμύνειν ἑαυτῷ δικαζόμενον καὶ ἐγκαλοῦντα, τῇ δ' ἀληθείᾳ ἀσχημονεῖν, ἀναπολόγητα πρὸς ἑαυτὸν λέγειν πράττοντα [*Quanto rectius Philoſophum talem ſe oſtendere ut venia dignetur eum qui in ipſum peccaverit, quam videri quidem ſemet vindicare, in jus eundo & accuſando, at re ipſa indecore ſe gerere, & dogmatis ſuis non conſentanea agere*]. Zenon dicenti, Ἀπολοίμην ἐὰν μή σε τιμωρήσωμαι [*Peream niſi te ulciſcar*], reſpondit, Ἐγὼ μὲν ἐὰν μή σε φίλον ποιήσωμαι [*Ego vero niſi te amicum reddam*]. ¶ ἀλλ' ὅστις σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιὰν σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην· *ſed ſi quis te percuſſerit in maxillam dexteram tuam, prabe illi & alteram*] Sæpe in Hebraiſmo accidit ut adverſativa comparationem in ſe includat; qua addita ſententia hæc erit planiſſima hunc in modum, Noli ſi quis te malo affecit ei viciſſim malum rependere aut odium ejus induere; quin potius ferienti maxillarum unam, alteram quoque cædendam obverte: Potius ſcilicet quam te ulciſcaris. Deinde ex proverbio petitum eſt *maxillam obvertere cædenti* pro eo quod eſt *patiemur aliquid ferre*, ut videre eſt Threnor. III, 30. Julianus dixit præceptum Chriſtianus, μήτε τὴν παιομένην παρειὰν φείδεσθαι τῆ ἑτέρας [*nec ſi in maxillam verberetur alteri maxilla parcere*]. Eſt autem & hic, ut ſupra aliquoties, ſolutio tacitæ objectionis. Nam qui jubetur ab ultione omni abſtinere, ei ſtatim in mentem venit Mimi illud,

Veterem ferendo injuriam invitas novam.

Chriſtus igitur, ne quis hoc obtentu ſibi blandiatur, multo ait potius eſſe ut altera injuria accipiatur quam ut fumatur ultio. Et hoc eſt quod Plato dixit, non referendam injuriam εἴτε δεῖ ἡμᾶς ὑπὸ τῶνδε χαλεπόν τινα πάσχειν [*etiamſi quid gravius ferendum ſit*]. Eſt eadem objectio & apud Maximum Tyrium, Διὰ τοῦτο, φαίη ἄν τις, ὁ δίκαιος ἀνὴρ περιφρονεῖται, καὶ συκοφαντεῖται, καὶ δικάζεται, καὶ χρήματα ἀφαιρεῖται, καὶ εἰς δεσμωτήριον ἐμβάλλεται, καὶ φεύγει, καὶ ἀτιμάζεται, καὶ ἀποθνήσκει [*Ob hoc ipſum, dicet aliquis, vir juſtus & contemnitur, & injuriis impetitur & pecuniis ſpoliatur, & in carcerem conjicitur, & in exilium agitur, & dedecore afficitur, & interficitur*]. Reſpondet, nihil mirum talia viro bono evenire, quia parum præſidii ſit in nuda innocentia apud pravos judices: licere illi interum cum magna animi fiducia exclamare Achilleum illud,

—— Φρονέω δὴ τιμηθῆναι Διὸς αἶσαν.

[—— *Mihi ſpero decus Jove dante futurum.*]

40. Καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι, *Qui vult tecum Judicio contendere*] Latinus interpres vertit *Judicio contendere.* Nec dubium eſt quin olim ita intellexerint plerique. Et habet eum ſenſum vox κρίνεσθαι apud Græcos interpretes, ut Jobi IX, 3. Eccleſiaſtici VI, 10. Joelis III, 2. Oſeæ II, 2. Salvianus hoc loco juberi ait ut ea ipſa de quibus lis eſt relinquamus dum litibus exuamur. Irenæus, *Ut non quaſi nolentes fraudari contriſtemur, ſed quaſi volentes donaverimus gaudeamus.* Alii vero κριθῆναι *rixari* malunt exponere. Et ריב quidem pro *contentione* poni aliquot exemplis demonſtratum eſt. Addendum vero quod hic eſt κρίνεσθαι proprie reſpondere Hebræo ריב; id autem *contendere* ſignificat, ut videre eſt II Sam. XIX, 9. ubi Græci habent alii ἐν πολέμῳ, alii ἐν διακρισμῷ [*certabat*]. Quo ſenſu & ἄνδρα διακρισμῶν [*virum diſcordiæ*] poſuere Græci Jeremiæ XV, 10. pro Hebræo איש ריב, quod alibi vertunt μάχιμον. Illud autem ריב hic poſuit Syrus: unde videri poſſet κριθῆναι hic eſſe μαχέσθαι [*vi contendere*]: eoque magis quia Lucas quod hic eſt κρίνεσθαι [*contendere*] dixit αἴρειν [*auferre*] vi ſcilicet non Judicio. Chriſtus ab uno injuriæ genere quod ad corpus aut etiam ad dignitatem pertinet, tranſit ad alterum quo fortunæ læduntur, quod oſtendit ipſa copula quæ præcedens comma cum illo connectit. Quare & hic pari modo ſenſus videtur ſuppleri poſſe addito comparandi ſigno: Si quis vi cupiat à te tunicam auferre, etiam pallium potius illi permitte quam illi noceas aut odium ejus animo concipias. *Tunicam ſumere ſupra pallium* proverbiale, Michææ II, 8. Et hoc eſt quod Lucas dixit μὴ κωλύσῃς [*ne prohibe*]. Nam κωλύειν ibi eſt non verbis raptorem commonefacere, aut etiam quod ſuum eſt retinere, ſed nocendo abſterrere aut abſpellere. Quod ſi tamen demus κρίνεσθαι ſignificare hoc loco *litem movere*, ſicut Julianus hanc vocem expreſſit voce δικάζεσθαι, & Hieronymus dicens, *Docet nos Euangelium ei qui nobiſcum velit Judicio contendere, & per lites ac jurgia auferre tunicam, etiam pallium eſſe concedendum*, potent & hoc intra certum modum intelligi, nimirum ne cauſa rei cujuſvis, & talis qualis eſt pallium aut tunica, litem ſubire liceat. Nam quæ adverſus lites hoc loco dicit à tractatoribus ſolent, ea mihi videntur circumſtantias ſatis frequentes litium magis quam ipſa Judicia reſpicere. Dixit quidem Paulus hoc ipſum eſſe ἥττημα [*delinquentiam* aut *defectum*] quod Corinthii Chriſtiani lites inter ſe haberent, additque, *Cur non potius perferte injuriam? cur non potius patimini vos deſpoliari?* Sed ἥττημα [*defectum*] dixit non ἁμάρτημα [*peccatum*]: quia ſcilicet ſicut præclari atque excelſi eſt animi ſuum amittere potius quam Judicio perſequi, ita nullum de ea re præceptum Chriſti omnino univerſale exſtabat. Alioqui non rejeciſſet lites ad arbitria piorum hominum. Quid enim differt pius Judex, præſertim cum bona partium gratia aditus, ab arbitro, niſi quod publice eſt lectus juris miniſter? quare ſi diu de jure ſuo incerti Judicem adeant, aut aliquis ut viduam aut pupillum defendat, aut domui ſuæ conſulat, aut ut habeat quod pauperibus largiatur juri ſuo confiſus ob rem momenti maximi ad Judicium provocet, nullo interim odio flagrans, ſed æquo animo laturus quicquid judicatum fuerit, neſcio an in caritatem peccare ſit dicendus. Verum ſi ſpectentur quæ plerumque litibus ſolent accedere, animus exulceratus, vafræ artes, ſine fine ampliatio, impendia, avocatio à negotiis melioribus, odia denique, non dubium eſt quin vir bonus & prudens multo, ſi poſſet, libentius ſit iturus ad arbitrum, aut etiam quavis tolerabili pactione tot moleſtias redempturus; maxime ſi de re agatur facile reparabili, quales ſunt tunica & pallium & ſimilia. *Non improbat Prator* (inquit Ulpianus) *factum ejus qui tanti habuit re carere, ne propter eam ſæpius litigaret: Hæc enim verecunda cogitatio ejus qui lites exſecratur non eſt vituperanda.* Iſocrates de ſe Oratione περὶ ἀντιδόσεως [*De ſurrogatione*] ſic ait, Ἡπιστάμην αὐτὸς μὲν εἰς οὐδένα πώποτε ἐξαμαρτάνων· ἀδικούμενος δ' ἧττον μὲν βουλόμενος τῶν τιμωριῶν τυγχάνειν, ἀπ' ἐν τοῖς φίλοις δ' ἑαυτὸν διαλύεσθαι περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων [*Didiceram ego in alios quidem nihil peccare: at ſi injuria eſſem affectus, non Judicio me ulciſci, ſed apud eorum amicos diſcedere de controverſia*]. Ariſtides, τῶν ἰδιωτῶν ἐπαινῶν τοὺς ἐθέλοντας καὶ βλάβην τινὰ μᾶλλον αἱρουμένους ἢ διαφέρεσθαι τισίν [*Laudatis privatos qui æqui ſunt & aliquid damni malunt pati quam litigare*]. Cic. De Off. II. laudat à litibus quantum liceat, aut etiam paulo pluſquam liceat, abhorrentem. Certe de veteribus Chriſtianis, qui non tam ſubtiliter quam fieri nunc ſolet, Conſilia à Præceptis diſtinguebant, ſed in omnibus rebus id ſectabantur quod erat optimum, dixit Athenagoras, τὸ δικάζου τοῖς αἰρουμένοις [*non litigare cum raptoribus*]. Altera ex hoc loco difficilior oritur quæſtio, An quod Leges permittunt vim vi repellere, id Chriſtianæ etiam diſciplinæ conveniat. Nam quin Legibus multa concedantur quæ bonitatem ac patientiam hominis Chriſtiani non decent dubitandum non eſt. Et eſſe quædam talia in hoc etiam genere exiſtimo, quale interdum eſſe poteſt quod lex Moſis concedit furem nocturnum occidere, & quod lex Romana addidit etiam diurnum, ſi ſe telo defendat: multoque magis quod interpretes Juris Romani addiderunt, quemlibet bonorum noſtrorum invaſorem recte necari ſi aliter ſervari poſſeſſio nequeat. Neque hac ſtetit Juriſconſultorum indolgentia, non animis tantum ſed & reipublicæ, ni fallor, periculoſa. Si ob bona hoc licet, quid ni ſervandæ exiſtimationis cauſa? inquiunt. Eſt autem turpe fugere; licet igitur homicidium facere etiamſi fuga pateat. Item turpe eſt convitium pati, præſertim viro nobili; ergo etiam ea de cauſa homicidium patratum culpa vacat. Quin & ſingulares dimicationes habent ſuos patronos, & res omnibus legibus vetanda, etiam legibus ordinatur. Eo ventum eſt ut inter Chriſtianos, crucis candidatos, quotidie palam publice fiat quod profanarum gentium leges ſevere puniiſ-

ſent.

ſent. Adeo pati injuriam dedecus putatur; laus hominem occidere. Ego vero neque illud quod honorem vocant, qui non eſt honor ſed vanorum hominum ſtulta perſuaſio; neque poſſeſſiones ullas cum vita hominis etiam viliſſimi comparandas puto. Et quæ tandem caritas ſinit nos iſtas reculas noſtras pluris facere quam quod hic orbis dignißimum habet vitam humanam, cui res conditæ omnes famulantur? At Leges permittunt. Imo horum pleraque Leges improbant: ſed ſunt iſta Juriſconſultorum ſeculo ſuo blandientium commenta. Longe aliter olim Ulpianus, *Furem nocturnum ſi quis occiderit, ita demum impune feret ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuit.* Quid ſi tamen permitterent? Non probant, non laudant; tantum præſtant impunitatem. Eſtne autem qui Chriſtiano exiſtimet ſufficere, ſi pœnas legum effugiat, in ſcelera tantum non etiam in vitia conſtitutas? Sed illud etiam videamus quantum liceat homini pro vita tuenda facere. Sunt & hic Juriſconſulti qui exiſtiment, etiam innocentem qui dirimendæ rixæ ſe interponit interfici poſſe ſi alia ratio nulla ſit expediendæ ſalutis; quod confido paucis placiturum: & ne illud quidem recipit religioſus animus quod à nonnullis eſt proditum, non eſſe exſpectandum dum præſens imminent periculum, ſed tollendum in tempore qui creditur nociturus. Non enim eouſque timori indulgendum eſt. Rectius Cicero, *Quis hoc ſtatuit unquam, aut cui conceſſit ſine ſummo omnium periculo poteſt, ut eum jure putaverit occidere a quo metuiſſe ſe dicat ne ipſi poſterius occideretur.* Eſtque in eandem rem apud Gellium diſſertatio libro VII, cap. 3. Sunt rurſum alii qui ne aggreſſorem quidem occidi poſſe arbitrantur etiamſi vita, ni id fiat, omnino ſit amittenda. Quæ ſententia multos habuit auctores in primis Chriſtianiſmi ſeculis, quo tempore fervida pietas facile honeſta omnia pro præceptis amplectebatur. Origenes Celſo Chriſtianos ſeditioſos appellanti, ita reſpondet, *Καὶ τοι γε εἰ εἰώθει ἡ συνήθεια τῶν Χριστιανῶν ἡ αἰτία, τὸ δέχεσθαι δοῦναι Ἰουδαίων ἐπιβουλὴν, οἷς ἐξῆν ἡ ὅπλα λαβεῖν ἐπὶ τὸ εἶναι ἀναλαβεῖν, καὶ πολεμίους ἀναιρεῖν, οὐκ ἂν ὁ νομοθέτης Χριστιανῶν πάντη ἀναίρετον ἀνθρώπου ἀπεφήνατο, μήποτε δίκαιον εἶναι δόξαντος τοῦ κατ' ἀνθρώπου πόλεμον τῶν ἰδιωτικῶν, καὶ ἀδικουμένου ἑαυτῷ ἢ τοῖς πέλας ἡγεῖται τῇ ἐαυτοῦ ἰδίᾳ νομοθεσίᾳ τὸ συγχωρεῖν εἶναί τινων ἀνθρώπων ἀναίρεσιν* [*Atqui ſi Chriſtianis factio cauſſa eſſet conveniendi, cum originem a Judæis trahunt, quibus licebat & arma pro rebus ſuis ſumere, & hoſtes tollere, non illis Legiſlator ipſorum omnem hominis interfectionem prohibuiſſet, docens illicitum eſſe ſuis ſectatoribus talem conatum adverſus hominem quamvis injuſtiſſimum. Neque enim convenire exiſtimabat Divina ſua diſciplina pati qualemcunque hominis cædem*]. Ego ſi quis ſit tam forti animo ut vitam eripi ſibi patiatur potius quam alterius quantumvis infeſti morte eam redimat, laude aut etiam admiratione dignum cenſeam. Rara dilectio eſt pro inimicis atque improbis mortem oppetere, inquit Paulus Roman. v, 6, 7, 8. Sed an præcepti jure à Chriſtianis hoc exigatur, videndum eſt amplius. Nam Chriſti hæc verba proprie de ultione agere videntur, aut etiam de vi ad arcendum malum quod facile ſit reparabile. At hinc utrinque vitæ res vertitur: ut aut inde moriatur qui hoc malum in ſe accerſivit, aut hinc qui invitus eo neceſſitatis detruditur. Jam vero ne in bonis quidem vitæ huic ſervientibus, ne inter amicos quidem, per præcepti modum à nobis exigitur ut aliis eſſe velimus ἄνεσιν [*remiſſionem*], nobis θλῖψιν [*tribulationem*], ut Paulus loquitur II Corinth. VIII, 13. Cur igitur de vita aliud dicamus? Nam ſi dicas vitam alterius bonis eſſe digniorem; ſane tanto & vita noſtra bonis eſt dignior. Itaque manet eadem ἀναλογία [*proportio*]. Sunt qui præceptum Noë ejuſque liberis datum urgent, quo vetatur fundi ſanguis humanus. Verum idem hoc Natura præcipit. at omnia præcepta Naturalia, quantumvis univerſaliter enuntiata, habent ſuas ex æquo & bono exceptiones. Et videmus populos omnes, quorum conſentiens judicium non temere ſperni debet (nam, ut Heraclitus dicebat, *ὁ ξυνὸς λόγος πιστὸν κριτήριον* [*communis ratio fidum eſt indicium*]), ita Jus illud Naturæ interpretari ut innocentem pronuntient qui cum aliter vitam tueri nequiret vim ſibi inferentem occiderit. De quo Cicero dicit *non ſcriptam exſtare ſed natam legem, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex ipſa natura arripuimus, hauſimus, expreſſimus.* Videtur autem debere Lex Dei idem dictans quod Natura, ita accipi, quomodo ipſa Natura accipiendam monſtrat, niſi addatur aliquid expreſſius. Una cauſa eſt quæ vitæ periculo æquanda videatur, ſi quis ſtuprum corpori parans inferre, aliter quam occidendo arceri nequeat. Neque enim Leges tantum hoc permittunt, ſed ſolent facta ejuſmodi apud omnes populos magnis laudibus celebrari, exſtantque etiam in veteri Chriſtianiſmo ejus exempla. Quod tamen de vita armis, ſi neceſſitas urgeat, tuenda dictum eſt, id non audeam proferre ad arcendam vim, quæ infertur à publica poteſtate. Nam id neque Leges indulgent, & ſi indulgeatur, reipublicæ ſit periculoſum. Ceſſat & ratio quam attulimus. Non enim æqualia inter ſe ſunt bona, tranquillitas publica, & vita quantumvis innocentis. Itaque Petrus in cauſa, quæ omnium juſtiſſima videri poterat, armatam vim inceptans, à Chriſto reprehenſus eſt, & ipſe Dominici præcepti memor aliis in ſimili poſitis neceſſitate præſcribit patientiæ leges I Epiſtola IV, 15, 16. Et hoc Chriſtiani religioſiſſime obſervarunt, adeo ut ſi quam per vim obſtitum eſſet graſſanti ſævitiæ, id publice ipſorum univerſitas improbaret. Videtur tamen alia eſſe cauſa eorum qui decreto ſuperiorum poteſtatum inferioribus reſiſtunt: Inferiores enim quatenus ſuperiorum mandata egrediuntur, privatis ſunt accenſendi. Quo referendum eſt factum Nehemiæ & ſociorum, quos contra vicinos Præſides armabat Regii edicti auctoritas. Abſoluta quæſtione de ſui tutela, veniamus ad alteram quæ eſt de Judiciis publicis, præſertim capitalibus. Nam ea quoque à Chriſto his verbis prohiberi, ſunt qui exiſtimant. At jam oſtendimus de Ultione Chriſtum agere ſive ea in Jure, ſive extra Jus exigatur. Longe autem aliud eſt Ultio, ut plerumque ea vox ſumitur, aliud Pœna, quam nullo poſtulante Leges exigunt. Ultio ex ira poſtulatur. *Judex* vero, ut Seneca vere dixit, *nunquam minus iraſcitur quam cum punit.* Exigitur Ultio, quia factum eſt quod non oportebat; Pœna vero publicorum Judiciorum ideo exigitur, ne peccetur in poſterum. Eſt enim aut νουθεσία [*admonitio* ſive *caſtigatio*], aut παράδειγμα [*exemplaris pœna*], ut Philoſophi recte diſtinguunt. Νουθεσία [*admonitio*] vult eum qui peccavit meliorem facere, ut paterna caſtigatio liberum, quam ab iis quoque uſurpari intelligo domi qui eam in republica reprehendunt. παράδειγμα autem exemplo triſtiore alios à delinquendo abſterret. Sæpe autem conjungitur caſtigatio cum exemplo. Utrumque autem ab ultione longiſſime differre tum ex origine tum ex fine apparet. Quomodo igitur quæ de ultione dicta ſunt à Chriſto ad rem adeo diverſam producentur? Dicam aliquid amplius. Ipſa illa ſupplicia ultionis ſive τιμωρίας quod attinet, Chriſti præcepto is qui leſus eſt ea exigere doloris reponendi cauſa prohibetur, non prohibetur Judex ſi exigantur Lege agere. Nam manebat adhuc Moſis Lex tota, quam Chriſtus profitetur hoc ipſo ſermone à ſe nulla in parte infringi. Poterat autem Chriſtus ſalva Lege imperare læſo ne talionem poſtularet: quia hoc Lex illi non imperabat, ſed concedebat. nihil autem contra Legem facit qui conceſſo non utitur. At Judici interdicere ne ſecundum Legem judicaret, incolumi Lege non poterat. Quia non permittebat hoc Lex Judicis arbitrio, ſed diſtricte & addita comminatione hoc ei imperabat, ut videre eſt tum alibi, tum præſertim Deuteron. XIX, 21. Pertinet autem hoc argumentum etiam ad capitis Judicia. Nam ad ea quoque Judicem Lex obligabat, niſi quatenus vi majore, ut puta poteſtate Romanorum, prohibebatur. Quare cum & Lex Chriſti ſtatim ut promulgata erat auditores obligaverit, & Lex Moſis eo tempore non fuerit antiquata, ſequitur ut utrique ſimul pareri potuerit. Quod ſi tempore promulgationis verba Chriſti non obſtiterunt pulicis Judiciis, ne nunc quidem obſtare poſſunt. Manet enim ea quæ initio fuerat verborum ſententia. Nec eſt quod quiſquam regerat excidio Judaicæ Reipublicæ leges Moſis concidiſſe; neque enim id quæritur an ex Legibus Moſis judicari debeat in illis populis quos Lex Moſis ne tunc quidem obſtrinxit cum publicaretur, ſed an cum Chriſti præcepto pugnet aut eaſdem aut ſimiles Leges figere. Illud quidem certum eſt, ſupervacuum eſſe ut tales Leges ferantur in eos qui ex Chriſti vivunt diſciplina. Nam qui ſponte ſua recte faciunt, eos nihil opus eſt coerceri mali formidine. Verum docent nos vaticinia, docet rerum eventus Mundum non eſſe Chriſtianum, ſed vere Chriſtianos minimam eſſe Mundi portionem: Leges autem reſpiciunt id quod plerumque accidit. Quare cum humani generis pars major nunc ſit non minus σαρκικὴ [*carnalis*] quam erat Moſis ætate gens Judæorum, ſimili morbo ſimilia ſunt adhibenda remedia. Neque enim ſine publicis Judiciis nunc tutior eſſe poteſt innocentia quam tum fuit. Quanquam vero Lex Hebræa, ut diximus, à Deo data ſit ſoli populo Hebræo, tamen dubium non eſt quin eam recte imitari potuerint gentes cæteræ. Nihil igitur allatum quo conſtet hæc publica Judicia Deo diſplicere. Imo contrarium Paulus docet, cum dicit publicam poteſtatem *à Deo ordinatam, & Dei miniſtram eſſe.* Neque enim intelligi id poteſt de ſola provida permiſſione & directione, quomodo etiam latrocinia Deus permittit eiſque utitur. Nam ex ea ordinatione ſive inſtitutione Paulus colligit honorem eis & obedientiam etiam ex animo deberi: quod de latrociniis rebuſque aliis à Deo permiſſis dici non poteſt. Sentit ergo Deo grata eſſe ac placere publica imperia. Quicquid autem eſt in quo Deus *ἐνδοκεῖ* [*ſe oblectat*], id recte præſtatur. Capitalia autem judicia adeo non excludit Paulus, ut de ea parte imperii publici præcipue agat. Ait enim

publi-

publicam poteſtatem Dei eſſe *miniſtram ad iram* (id eſt, ad pœnam, nam eum ſenſum plerumque ea vox habet) *adverſum maleficos*: & quod amplius eſt, ait *non fruſtra ab ea gladium ferri*, ad iſtud ſcilicet miniſterium, ut contextus verborum docet. *Gladii* autem nomine publica Judicia tanquam à nobiliſſima ſui parte nuncupantur; unde & in Jure *jus gladii* eſt Jus publicarum animadverſionum. Colligitur hinc probari à Deo ipſum etiam gladii uſum adverſum maleficos. Cum vero Deus non habeat decreta ſibi contraria, neutiquam poteſt peccatum eſſe in eo quod Deus probet, niſi aliunde vitium accedat. Ac ne quis putet probari à Deo hanc poteſtatem, ſed non probari ut ea ſit penes Chriſtianos, notet primum ea quæ hic exſtant præcepta comminationem habere jacturæ Regni cœlorum & gravis ſupplicii. Ad omnes igitur pertinent. Deinde aperte teſtatur Paulus *velle Deum omnes homines ſalvos fieri & ad cognitionem veritatis Euangelicæ venire*, etiam *Reges*, 1 Timoth. II, 2, 3, 4. Poſſunt igitur & Reges per Euangelium ſervari; quod intelligendum etiam non exuta Regia dignitate oſtendunt verba præcedentia; vult enim *pro Regibus orari, ut quietam & tranquillam vitam agamus*: at hoc præſtare Reges non poſſunt niſi qua Reges ſunt. Vult ergo orari pro Regibus etiam qua tales ſunt, addita cauſa quia vult eos Deus ſervari, etiam qua tales ſcilicet, ut recte procedat argumentatio. Tranquillam autem & quietam vitam quomodo Reges præſtant? Laudando bonos, malos puniendo, etiam gladii jure ut idem Apoſtolus explicat Romanorum XIII, 3, 4. Vult ergo Deus Reges, qua Reges ſunt, & qua utuntur gladii jure, poſſe per Euangelium ſervari. Neque aliter verba Apoſtoli acceperunt Chriſtiani veteres, ευχόμενοι, ut Juſtinus loquitur Apologetico ſecundo, ὅτι βασιλεῖς καὶ ἄρχοντες μὴ ἀ βασιλικῆς δυνάμεως καὶ τοῦ φρονεῖν τὰ λογισμὰ ἔχοντας ἐυρεθῆναι [*precantes ut Reges & Principes cum Regia poteſtate etiam ſapientis ratione præditi reperiantur*]. Preces autem illæ Chriſtianorum, & antiquiſſima vaticinia de Regibus Chriſto famulaturis, extra controverſiam in Conſtantino ejuſque Succeſſoribus eventum habuerunt. Ab his autem ita recepta eſt Chriſti doctrina, ut nec imperio excederent, neque publica Judicia abolerent. Neque vero in tanta Epiſcoporum multitudine quiſquam fuit qui eos ut id facerent hortaretur; quod mihi certiſſimum eſſe videtur indicium, conſtanter ab omnibus creditum, nihil eſſe in iſtis Judiciis Chriſti præceptis & Imperatorum ſaluti contrarium, cum alioqui libertatis Epiſcoporum adverſus Reges peccantes illuſtria exſtent exempla. Nimirum meminerant & Sergium Proprætorem olim à Paulo ad Chriſti fidem converſum, neque tamen ab eo exactum ut ſe Propratura, in qua continebatur & jus gladii, abdicaret. Videbitur forte quibuſdam aliter ſenſiſſe Tertullianus, cum dicit, *Sed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſeculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares.* Sed forte hoc voluit Tertullianus, cum is eſſet Romani Imperii ſtatus ut Chriſtianum Imperatorem ferre non poſſet, Divino interim numine ita res gubernatas ut per paganos Imperatores aliquatenus publicæ tranquillitati conſuleretur. Nam idem ille Scriptor jam ſuo tempore dicit Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum impleta fuiſſe Chriſtianis. Alia etiam veterum loca, quæ obſtare publicis Judiciis videntur, commodiorem longe interpretationem recipiunt. Nam aut hoc dicitur, Chriſti præcepta nullas habere ſanctiones adſpectabilium pœnarum, quales Lex Moſis habuit, & ſine ejuſmodi ſuppliciis in Chriſti populo ſervari diſciplinam; quo ſenſu ab eodem Tertulliano dictum eſt, *Nova Lex ſe non vindicat ultione gladii*: aut magiſtratum ſuſcipere diſſuadent, non ut rem illicitam, ſed ut multis delinquendi periculis expoſitam. Hoc ſenſu Tatianus ex Chriſtiani perſona dicit, πραιτώρια παρήτημαι [*Prætoram defugio*]. *Chriſtianus nec Ædilitatem affectat*, inquit Tertullianus, *multoque juſtius æſtimat abſtinendum judiciis de capite & pudore.* Et tamen ejuſdem eſt, *Bonum eſſe cum puniantur nocentes nemo negat.* Et alibi juſtitiam vocat *violentiæ vindicem.* Origenes vero adverſus Celſum objicientem Chriſtianis quod Prætoras aliosque magiſtratus defugerent ita reſpondet, Οὐ φεύγοντές γε τὰς κοινοτέρας ἢ βίου λειτουργίας χρῄζουσί τε τοιαύτης θεάσασθαι, ἀλλὰ τηροῦντες ἑαυτοὺς θειοτέρᾳ καὶ ἀναγκαιοτέρᾳ λειτουργίᾳ [*Chriſtiani non ab his ſe excuſant quod communia vitæ miniſteria defugiant, ſed quod ſemet ſervent diviniori magiſque neceſſario miniſterio*]. Clemens autem, utroque antiquior, loquens de Chriſtiano qui jam ad ſummum probitatis gradum pervenerit, κἂν εἰς ἀρχὰς ἔλθῃ, inquit, κατασκήπτει αὐτῷ, καθάπερ ὁ Μωσῆς, ὅπλα τῇ στρατείᾳ τῇ ἀρχομένων ἡγήσεται, καὶ τὸ ἄγγελον ἢ τὸ ἄπτερον ἐξημοιούσθω τιμῇ μᾶλλον τῶν ἀρίστων, πολλοὶ ἢ τῶν μοχθηρῶν, τῇ τοῦ λόγου εἰς παιδείαν ἐγγεγραμμένῃ· μᾶλλον δὲ ἄγαλμα θεῖον καὶ θεῷ ἀφομοιούμενον ἀνθρώπου ἁγίαν ψυχὴν, ἐν ᾗ δὴ καὶ τῶν μοχθηρῶν ὑπάνοιαι πυθόμεναι καὶ ἐνδύνουσι ὁ πάντων ἡγεμὼν θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων βασιλεὺς τε καὶ θεὸς τῶν ὅλων, νόμῳ ὧν ὕστατος, καὶ θεσμοῖς ἐκ λόγου αἰωνίου ἰδίᾳ τε ἑκάστοις ἐκ νεωτέρων πάντας εἰς ὧν ἑαυτὸν [*Quod ſi, ut Moſes, ad imperium vocetur, fungetur eo ad bonum ſubditorum, & id quod ferum atque infidum eſt ad manſuetudinem perducet, bonos honorando, malos puniendo, efficiendo ea pœna quæ ſecundum rationem ad correctionem ipſis velut inſcribatur. Maxime enim Dei inſtar & ad Deum accedens eſt juſti hominis mens, in qua per obedientiam præceptis præſtitam templum ſedemque habet omnium mortalium & immortalium Rex bonorumque genitor, qui revera lex eſt & norma & æterna ratio ac ſoſpitator tum ſingulis tum univerſis*]. Verumtamen ut illa publicorum Judiciorum poteſtas exerceatur citra diſpendium Chriſtianæ lenitatis, multis cautionibus opus eſſe video, quæ paſſim negligantur. Ut notiſſimis utar exemplis, Legem de necandis ob captam feram agricolis, mirortanta diligentia à Juriſconſultis defendi, cum multo meliorem poſituri eſſent operam in ſeria talium diſſuaſione. Tale etiam eſt quod necari fures jubentur, & quidem iis in locis ubi adulterium, tanto extra controverſiam gravius delictum, vix cenſoria nota perſtringitur. Ego ſane non video quid nos cogat Lege Hebræa eſſe immitiores. In ipſis homicidiis non tam factum nudum ſpectandum mihi videtur, quam quæ antea acta vita occiſoris fuerit, veneritne ad hoc facinus impetu an deliberatione, &, quod præcipuum eſt, ſitne ingenium ſanabile. Nam hoc & Seneca præcipit, *ne quo pereas niſi quem perire etiam perentis interfit*: quod ipſum tamen videtur aut nunquam aut rariſſime locum habere poſſe. Quando enim conſtabit ſpem omnem pœnitentiæ præciſam? Hæc diſcrimina à Judicibus expendi multo eſſet ſatius quam alios ex ſolo facti nomine audito ad mortem rapi, aliis qui gratia & amicis valent per indulgentiam Principalem plenam contingere, quantumvis atrocium facinorum, impunitatem. Nam quod quidam exiſtimant homicidio naturaliter reſpondere capitis pœnam, in eo fallutur. Pœnæ enim delictorum non ſunt ipſo Naturæ Jure aut ulla Dei perpetua Lege conſtitutæ, ſed pro modo inde imminentis periculi intendi ac remitti ſolent. Docet nos Caini hiſtoria prima illa Mundi ætate; pœnam homicidii fuiſſe latam fugam, cujus acceſſio erat quod pii purique homines ita contaminatorum adſpectum contactumque declinabant. Cujus antiquiſſimi inſtituti & Euripides meminit,

Καλῶς ἔθεντο τοῦτο πατέρες οἱ πάλαι,
Εἰς ἐμμάτων μὴ ἔρχεσθαι τοὺς ἄπαξ πεφῶ
Οὐδ' εἰς ἀπαντῶντ' ὅστις αἷμ' ἔχων κυρεῖ,
Φυγαῖσι δ' ἐκπέμπειν, ἀντικλέπτειν ὃ μή.

[*Quam bene parentum provida ætas ſtatuerat,*
Ut cogeretur de via decedere
Hominumque viſu cade parata nocens,
Fugaque lueret triſte non letho ſcelus].

Quem morem reduci volebat Plato. Feritas quæ ante Diluvium humanos mores invaſerat occaſionem novæ Legi dedit, ut nimirum homicidæ ſanguis effunderetur: quæ Lex, ut illis temporibus accommodata, à Deo in ipſa humani generis poſt Diluvium inſtauratione promulgata eſt. Sed optimus ſuæ Legis interpres Deus id refert ad eædem quæ fit dehberato ſtructiſque inſidiis, Exodi XXI, 14. Diu ſtetit & floruit Romana Reſpublica, cum Magiſtratuum cognitio deportationem non excederet. Poſtea quoque cum jam Leges latæ eſſent de morte puniendis homicidis aliorumque criminum convictis, multas tamen exceptiones uſus repperit, ita ut ſæpe intra relegationem ſeveritas conſiſteret. Difficile eſt exactam ſervare mediocritatem; at ſi quid peccandum eſt, in iſtam lenitatis partem potius peccandum eſt. Forte non pauciores à delinquendo abſterreret ad opus damnatio quam mors ipſa: & ſimul, quod præcipue ſpectandum eſt Chriſtianæ dilectioni, daretur ſpatium agendæ pœnitentiæ, quæ nunc interdum ſupplicii præcipitatione præciditur. Certe & Conſtantinus, cum primum Chriſtianam probavit religionem, in pleriſque delictorum generibus ſupplicia capitalia inhibuit, quæ mox reducta ſunt ἀφ' ἧς τὴν τῶν μοχθηρῶν ἄδειαν [*ab licentiam ab improbis ſumtam*], ut nos docent hiſtoriæ. Itaque & quod de puniendis gladio adulteris legimus Conſtantini Conſtitutione, quæ inſerta eſt Codici Juſtinianeo, deeſt in antiquiori Codice Theodoſiano. Reſtat controverſia de Bello, quæ itidem à pleriſque ad hunc locum tractari ſolet. Si Chriſti verba moderatam ſui defenſionem ſingulis non prohibent, minus obſtabunt iis armis quæ publica auctoritate pro neceſſaria totius populi defenſione ſuſcipiuntur. Nam quanto pluris eſt multorum quam unius ſalus, tanto etiam juſtius propugnatur. Rurſus ſi piis Regibus licet uti jure gladii in latronem unum, quid ni liceat in plures, qui, ut rei fiant, acie vincendi ſunt? Neque Sacrarum literarum,

rum, etiam Novi Federis, auctoritas hic nobis deeſt, quanquam vetitum affirmantibus juſtitius incumbit onus probandi. Ut enim omittam Baptiſtæ verba de quibus agemus alias, & Centurionis illius fidem à Chriſto prædicatam, & operam à Paulo datam ut contra Judæorum inſidias ſervaretur, vel unum illud ſufficere mihi videtur, quod Cornelius non depoſito Centurionatu & Baptiſmum à Petro accepent, & à Deo Spiritum ſanctum; neutiquam tacituro Luca, ſi Cornelius vitæ prioris profeſſionem deſeruiſſet, cum nunquam ſoleat omittere ſigna reſipiſcentiæ, & hoc vel maxime ad docendam poſteritatem pertineret. Neque aliter ſenſiſſe reperio Chriſtianos veteres. nam & ſub Marco conſtat Chriſtianos militaſſe, & Tertullianus non ſolum militum Chriſtianorum meminit, ſed tantum eorum indicat fuiſſe numerum ut caſtra prope implerent. Origenes quoque apes ait nobis documentum à Deo datas *περὶ τὸ δικαίως καὶ πατριμίως πολέμους εἶναι δεῖν γίνεσθαι ἐν ἀνθρώποις* [*ut juſta ac bene ordinata bella, ſi quando ita ferret neceſſitas, ab hominibus gererentur*]. Quod autem interdum Chriſtianos militiam detrectaſſe legimus, ideo evenit quod illorum temporum Imperatores à militibus exigerent aut expreſſam à Chriſto diſceſſionem, aut tacitam, dicto ſcilicet ſacramento per Deos, vel per Imperatorem ut Deum; aut etiam quod propoſitis contra Chriſtianos edictis quotidie ad ea exercenda manu militari uterentur. Talibus enim temporibus Chriſtiani monebantur defugere militiam, & ſi qui militarent à piis cœtibus arcebantur. Neque alio pertinet quod in Nicena Synodo conſtitutum eſt adverſus eos qui ſemel depoſita ſub Licinio militia cingulum reſumſiſſent, nempe ſub eodem Licinio, qui, ut nos Euſebius docet, *τὺς χριστιανὺς ἐπιλέλοιπε λειτουργεῖν ἢ ἀξιώματος εἰ μὴ τῶν δαίμοσι θύειν αἱροῖντο* [*milites juſſit militari dignitate exui, niſi diis ſacrificare vellent*]. Nam ut generaliter de omni militia is canon intelligatur hiſtoriæ temporum repugnat: Quippe major pars exercitus Conſtantini ex Chriſtianis erat. Et ſi qui Chriſtiani ſub Licinio militiam omiſerant, iis liberum fecit Conſtantinus an militiam reſumere vellent, an à militia vacare. Quod autem militiam interdum diſſuadent Scriptores, ſimile eſt ei quod de honorum fuga dicebamus: partim etiam cauſas habet temporum illorum proprias, ut ad Lucæ caput III. oſtendemus. Neque vero dubito quin multo impenſius diſſuaſuri fuerint, ſi bellorum noſtri temporis rabiem & caſtra, perjuriis, ſtupris, latrociniis, omni denique vitiorum confluxu inquinata vidiſſent. Eo ventum eſt ut rem magnam præſtare videatur miles Chriſtianus, ſi non veteris & paganæ Romæ militem, ipſos denique Turcas flagitioſis moribus vincat. Longe alii milites ſint oportet cum quibus ex Euangelio agamus: nam iſtos & ſenſus communis & comparatio veteris diſciplinæ ſatis condemnant. Ut vero quæ fuſius à multis de bello tractata ſunt paucis complectar, & ſi quid à pietate alienum illis probatur, obiter refellam, conſtat tres eſſe belli partes, initium, progreſſum, exitum. In ipſo initio ſpectari debent leges juſtitiæ, prudentiæ, caritatis. Juſtam cauſam belli ſuſcipiendi eſſe non arbitror hoc unum, quod populus alter à recta pietate abhorreat. Quis enim in illum populum alteri populo aut Regi id judicium dedit?

Σπάρτην ἔλαχες πάντῳ πόρμῳ.
[*Spartam tibi qua contigit orna.*]

Et recte à Plutarcho dictum, *μεγάφασιν εἶναι πλουτεῖας ἡμερῶσαι τὸ βαρβαρικὸ* [*alieni cupidiſtatem eſſe uti hoc prætexto quod barbariem emolliat*]. Quod ſi etiam populus alter nos læſerit, tamen ad vim confugiendum non eſt quamdiu res poteſt verbis diſceptari. Hinc mos res repetendi antequam bellum indicatur apud Hebræos, Græcos, Romanos. Si is quicum agimus paratus ſit de rebus controverſis ad arbitros ire, abſtinendum adhuc bello eſt, *Οὐ γὰρ νόμιμον ἐπὶ τὸν ἐκεῖνα δίκην ὑπέχοντα ὡς ἐπ' ἀδικοῦντα ἰέναι* [*Non enim æquum eſt in eum qui ſe Judicio præbeat, tanquam in injurioſum agere*], ut ait apud Thucydidem Archidamus. Nullo autem modo recipiendum eſt, quod quidam tradiderunt, juſtum utrinque eſſe bellum poſſe: nam id ne in lite quidem poteſt contingere: niſi juſtum intelligi volumus id quod ex moribus receptis jura habet captivitatis, prædæ, poſtliminii. Sed quæ hoc ſenſu juſta dicuntur plerumque nihil ſunt aliud quam magna latrocinia. Vel Senecam audiamus: *Homicidia compeſcimus & ſingulas cades. Quid bella & occiſarum gentium glorioſum ſcelus? Non avaritia, non crudelitas modum novit. Ex Senatuſconſultis plebiſque ſcitu ſæva exercentur, & publice jubentur vetita privatim. Qua commiſſa capite luerent, tum quia paludati fecerunt laudantur. Non pudet homines, mitiſſimum genus, gaudere ſanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere, cum inter ſe etiam mutis & feris pax ſit?* Sane ſi Jus Naturæ reſpicimus, quid intereſt uno myoparone pirata mare infeſtum habeat, an Aſiam cum exercitu & claſſe Alexander? Nec multis refutandi ſunt qui juſta bella ſuſcipi docent ab his qui ſedibus ſuis expulſi aut egreſſi in alienarum ſedium poſſeſſionem recipi volunt; aut qui metuunt ne creſcens potentia aliquando ipſis periculum faciat. Verum etiam cum juſta eſt cauſa bellandi, ſæpe obſtabunt prudentiæ leges. Utrinque ferrum & corpora humana: nec in ejuſdem poteſtate eſt initium belli & finis. Bene Euripides,

Ὅταν γὰρ ἐλθῇ πόλεμος εἰς ψῆφον λεῴ
Οὐδεὶς ἑῷ' αὐτῷ θάνατον ἐπιλογίζεται·
Τὸ δυσχὲς ἢ τοῦτ' εἰς ἄπαν ἐκπέσῃ.
Εἰ δ' ἦν πρὸ δόμων θάνατος ἐν ψήφου φορᾷ,
Οὐκ ἂν πρὸ' Ἑλλὰς δορυμανὴς ἀπώλετο.
[*De Marte quoties itur in ſuffragia*
Nemo imminere cogitat mortem ſibi;
Sed quiſque cladem deſtinatam alteri.
Quod ſi in comitiis funera ante oculos forent,
Furiata bello non periſſet Græcia.]

Sed imprimis Chriſtiano ſpectandum eſt, quid caritas exigat. Nam ſi lites vitari diſſuadens Paulus dixit, *Cur non potius injuriam ſuſtinetis?* quanto magis æquum eſt quantumvis dura nos pati quam ad eam venire diſceptationem quæ bonos malosque iiſdem malis involvit? Privata defenſio in periculum adducit ſolum invaſorem. Supplicia capitalia in facinoroſos ſunt conſtituta. At in bello innocentes non minus quam nocentes utrinque pereunt & ſpoliantur. Principi Seneca præſcribit ut *alieno ſanguini tanquam ſuo parcat, ſciatque hominis non eſſe homine prodige utendum.* quid illum exigere credimus qui pacem nobis *cum omnibus quantum fieri poteſt* tam ſollicite commendavit? Nimirum iſta omnia ſi quo modo debent expendantur, videbimus non fruſtra ad externa quoque bella & alias bellorum cauſas aptari poſſe quod Favonius dixerat, *χεῖρον εἶναι μοναρχίας πεφυκόμι πόλεμον ἐμφύλιον* [*pejus eſſe injuſto dominatu bellum Civile*], & pia arma ea demum eſſe quæ ſunt neceſſaria, hoc eſt quæ ſuſcipiuntur ad evitanda mala armis ſæviora. Ad belli progreſſum leges iſtæ pertinent, ut pacta ſerventur quam religioſiſſime, ut pacato noceatur nemini, ut quam minimo ſanguine decertetur, ne ſæviatur in captos, in deditos, in pueros, in feminas, in agricolas, & cæteram imbellium turbam. Poſtremo circa exitum belli videndum eſt, ne ira & ultionis cupiditate bellum trahatur; ſed appareat nihil aliud bello quam pacem quæſitam: quod fiet, ſi quavis tolerabili pactione ab armis diſcedatur, aut etiam poſt victoriam nihil victis dematur præter injuriæ licentiam. *Bellorum*, inquit ille, *egregii fines, ubi ignoſcendo tranſigitur.* Et hæc quidem ad eos præcipue pertinent quos penes belli ſuſcipiendi, regendi, finiendique jus eſt. De ſocii illud addendum eſt, non caritati tantum ſed & juſtitiæ adverſari ea fœdera qua aut inferentibus aut etiam propulſantibus bellum auxilia pollicentur ſine cauſarum diſcrimine. Hi vero qui bello miniſterium duntaxat exhibent, ſcire debent, ſi ſubditi ſunt, ſubditos quoque Regibus obſequium non ſine exceptione debere. Et ut probabilis aliqua cauſa excuſet parendi neceſſitatem, certe qui mercede conducti militant cives, multoque magis externi, nihil habent quo cauſam ſuam poſſint tueri, niſi plane ipſis conſtet juſte pieque ſuſceptum eſſe bellum cui operam addicunt. Et ut hoc conſtet, tamen graviter peccant quicunque non caritate populi periclitantis, ſed mercede aut præda illecti bellum in genere quæſtus habent. Rident hæc multi, & negant rempublicam ſine injuria geri poſſe; ſua retinere privatæ domus, de alienis certare Regiam ajunt eſſe laudem; qui alios perdere poſſit eum perdendum in tempore; nihil injuſti in eum qui quod juſtum eſt recuſet: quæque alia ſunt in eam formam. Dicant quod velint, & ubi ſolitudinem faciunt pacem appellent. Ex illorum ſcitis, quæ vere ſcripta ſunt humano ſanguine, Rex ille pacis de genere humano non judicabit. Imo vero id potius vereor, ne in hac tractatione in eam partem quæ bello nimium indulget fuerim æquo pronior. Quare ſciat lector non definiendi animo hæc à me dicta, ſed ut verum diligentius inquiratur: Interim ſuadeo omnibus injurias ferant potius quam humanum ſanguinem quamvis nocentium fundant, & illius dicti ſæpe meminerint, *Quod dubitas ne feceris.*

41. Καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν, *Et quicunque te angariaverit mille paſſus*] Tria injuriarum genera Chriſtus ponit; primum quod in corpus committitur, alterum quod contra jus dominii, tertium quod contra libertatem. Hebræi, ex quo Perſarum potentia Orientem invaſerat, coacti fuerant inter cæteros ejus ſervitii incommoda etiam onus Angariæ ferre, cujus immunitas ipſis à Demetrio conceſſa eſt: ut apud Joſephum videre eſt Originum XIII. Inde factum ut rei vehementer exoſæ nomen etiam ad privatas vexationes producerent, ut apparet infra XXVII, 32. & ex multis Hebræorum Scripturæ interpretum locis. Atque in eum ſenſum vocem hanc Chriſtus uſurpat. ¶ *μίλιον ἕν*, *mille paſſus*] Hæc una eſt earum vocum quæ cum Ro-

Romano Imperio non in Græciam tantum ſed & in Palæſtinam pervenerunt; quam & Syrus hic uſurpat, & paſſim Hebræorum Magiſtri. ¶ *Ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο. vade tum illo & alia duo*] Et hic ſupplenda ſententia, addito μᾶλλον [*potius*]. Ut enim iterum vapulare, majuſque damnum accipere, ita & duplum operæ ejus quæ exigatur præſtare non ſatius eſt, quam ultionem aut per nos ipſos aut per Judices exigere, aut alio quovis modo peccare in diligendi Legem. Aut certe hoc vult Chriſtus, quæ præſtari à nobis ſine magno incommodo poſſunt, qualis eſt miliaris unius deambulatio, ea non recuſanda etiamſi per injuriam exigantur: Irenæus, *ut non quaſi ſervum ſequaris ſed quaſi liber præcedas.* Nihil autem hæc obſtant, quo minus placidis atque ſedatis rationibus jugum grave à nobis arceamus. *Si liber eſſe potes*, inquit Paulus, *eo potius utitor.* &, *Nolite fieri ſervi hominum*, 1 Cor. VII, 21, 23. Eſt enim ad res multas agendas inſtrumentum partim utile, partim neceſſarium libertas: ut non immerito vetus Poëta dixerit,

Ἥμισυ τ' ἀρετῆς ἀποαίρει δοῦλιον ἦμαρ.

[*Dimidia virtute caret ſervire coactus.*]

42. Τῷ αἰτοῦντί σε δὸς· *Qui petit à te da ei*] Aliam morum partem Chriſtus ordinat, eam ſcilicet quæ ad beneficia pertinet, ut rectè explicat Tertullianus adverſus Marcionem IV Beneficium autem maxime neceſſarium eſt ſublevare egentes: Qui ſolent duorum eſſe generum, aut enim ſunt πτωχοὶ [*inopes*], qui nullam ſpem habent reddendi quod accipitur; aut ſunt δανισταί, qui temporaria fortuna affluctu pecuniam non donatam ſed mutuam poſtulant. Ab his igitur beneficiis quæ non tam homini præſtantur quam humanitati, neminem vult Chriſtus excludi: quod haud dubie ex æqui bonique regula intelligendum eſt, quatenus & noſtræ facultates ferunt, & ipſorum neceſſitas poſtulat, ut Paulus ad Corinthios docet. Quod ſi omnibus ſublevandis pares non ſimus, æquum eſt eos præferri quos pietatis profeſſio nobis conjungit. ¶ Δανίσασθαι, *mutuari*] Solet iſta vox Græcis uſurpari modo ut ſignificet *pecuniam ſumere mutuam*, modo ut ſit *fœneri ſumere*. Sed cum fœnus Judæis inter ſe interdictum fuerit, & quorum in arcto res ſunt fœnore jugulentur magis quam adjuventur, omnino ad ſignificatum priorem vox hic trahenda eſt. Nam fœnus ne ſpeciem quidem habet beneficii.

43. Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, *Diliges proximum tuum*] In Hebræis & Græcis ὁ πλησίον plerumque non ſimpliciter alterum ſignificat, ſed eum qui conjunctus nobis ſit ſanguinis, vicinitatis aut amicitiæ vinculo. Et quidem apud Moſen Levit. XIX, 18. quem locum hic reſpicit Chriſtus, רע eſt is ipſe qui ibidem dicitur עם בני, id eſt, *populares*. Judæi hoc arripientes ab alienigenis adeo liberalitatem ſuam arcebant ut ne communia quidem humanitatis officia illis præſtarent, quale eſt viam monſtrare comiter: quod qui non faceret is apud Athenienſes diris devovebatur, ut nos Diphilus docet,

—— ἀγροῦσε τε τοῖς ἀφανῆ
Ὅτι ἰσὺν, εἴπερ μὴ φράσειεν ἑρμῆ ἰδὼν,
Ἢ πῦρ ἐναύσαι, ἢ ἄλφιτ' οὐδενὶ δοῦναι.

[—— *neſcio in Divorum carmine*
Hoc eſſe, Ni quis rectam monſtraſſit viam,
Ignem ni accenſit, ſiquis aquas infeceris.]

Hujus generis & illa ſunt quæ Cicero dicit tribuenda vel ignoto, *Non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, conſilium fidele deliberanti dare.* Hæc ipſa autem non ſolita eſſe à Judæis præſtari hominibus extraneis teſtantur verſus Juvenalis,

Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti;
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Sed & Tacitus, *Apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promtu, adverſus omnes alios hoſtile odium.* Sed nimirum hic quoque error inhumanus Judæorum ex fœpe jam indicato fonte oriebatur, quod abunde ſe omnes officiorum partes impleſſe crederent ſi iis præceptis paruiſſent quibus ipſorum Civilis ſocietas continebatur. At certe neque Lex Judaica naturalem tollebat, neque ſocietas illa propior antiquiorem generis humani ſocietatem, ad quam ille reſpexit qui ſe κοσμοπολίτην [*Mundi civem*] dixit, & Florentinus Juriſconſultus cum à Natura cognationem quandam inter homines ait inſtitutam. Inde illud,

Homo ſum: humani nihil à me alienum puto.

Et quæ ſunt alibi in eandem ſententiam. Hoc ipſum eſt quod apologo Samaritani Judæo vulnerato ſuccurrentis, quem Sacerdos & Levita præterierant, Chriſtus docuit. Non negat Judæum Judæo eſſe τὸν πλησίον [*proximum*], arctiore nexu conſanguinitatis & propriæ ipſorum Legis vinculo: Sed oſtendit id non obſtare quominus communis ortus & Lex ipſa Naturæ omnem hominem omni homini faciat eſſe τὸν πλησίον, id eſt, non alienum, ſed neceſſitudine quadam cohærentem, ac propterea neminem eſſe cui non data occaſione benefacere debeamus. Illud quidem fatendum eſt, cum victus rationem peculiarem Deus Iſraelitis præſcripſit, hoc ipſo conſuetudinem admodum familiarem externarum gentium redditam eſſe difficilem: poſtea etiam, cum ſummum imperium Judæi amiſiſſent, arctiorem eam redditam ex Sapientum præſcripto. Atque hinc eſt quod paſſim legimus in his libris Judæos non ſolitos συγχεῖσθαι, συνεσθίειν, κοινᾶσθαι, προσερχεσθαι [*coire, una manducare, conjungi, accedere*] alienigenis. Et hoc ipſum Apollonius Molo, M. Tullii Ciceronis præceptor, invidioſe objiciebat Judæis, ὅτι μὴ παρεδείκνυσαν τοῖς ἄλλοις φιλανθρωπίας δεξιὰς περὶ θεῶν, μηδὲ κοινωνεῖν ἤθελον περὶ τῶν αὐτῶν συνθήκας ἕνεκα ζῆν ἑτεροτρόπως [*quod non reciperent aliter de Deo ſentientes, neque commercium haberent cum alterius inſtituti hominibus*]: quod Joſephus non negat, ſed exemplo Laconicæ ξενηλασίας [*peregrinorum expulſionis*] defendere conatur. Et paſſim apud Joſephum inimici Judæis objiciunt τὸ ἄμικτον, τὸ ἀποκεκρυμμένον [*vitam ſegregem atque ſepoſitam*], quod alio loco vocat τὴν Ἰουδαίων ἀμιξίαν [*vitæ inſociabilitatem*]. Sed qui ſapiunt, facile vident extra Legis præſcripta & Sapientum ſententiam à Judæis itum, cum communia quædam officia etiam iis debeantur quos à propioris neceſſitudinis vinculo aut lex arcet aut ratio. In Lege Moſis Deus, ut cum Tertulliano loquar, *quorundam fidem paulatim ad diſciplinæ Chriſtianæ nitorem, primis quibuſque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat.* Quare cum illam indefinitam dilectionem illi præſtare nondum poſſent, neque promiſcuam conſuetudinem ferret ipſorum infirmitas, in tanto præſertim vitiorum atque impiarum ſuperſtitionum Regno, ſaltem in conſortes ſanguinis ac religionis omnia benevolentiæ officia exhiberi Deus voluit, idque ipſum, præter communes Naturæ regulas, Lege promulgata ſanxit. *Quandiu*, ut ad Tertulliani verba redeam, *intra Iſraelem erat ſacramentum, meritò in ſolos fratres miſericordiam mandabat* (nempe in Federis formula); *At ubi Chriſto dedit Gentes hereditatem & poſſeſſionem terminos terræ, & cœpit expungi quod dictum eſt per Oſee, Non populus meus, populus meus, & non miſericordiam conſecuta, miſericordiam conſecuta, Natio ſcilicet, exinde Chriſtus in omnes legem paternæ benignitatis extendit, neminem excludens in miſeratione, ſicut in vocatione.* ¶ καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου· *& odio habebis inimicum tuum*] Hic multi putant firmum ſe habere argumentum quo probent omnia quæ Chriſtus antiquis ait dicta, non ad Moſis Legem, ſed ad interpretationem Legiſperitorum referenda. Nos autem, qui cum veteribus pleriſque arbitramur Moſis verba reſpici, ſed ita ut ſimul refellatur prava interpretatio eorum qui ex obedientia Legis illius, quæ proprie erat Judæorum, non tantum vitæ hujus commoda, ſed & Regnum cœleſte ſibi ſpondebant, neglectis Naturæ & Caritatis legibus, etiam horum verborum ſenſum in Moſis Lege exſtare non dubitamus. Jubentur quidem in ea Lege Judæi beneficia quædam vulgaria præſtare etiam inimicis. Exodi XXIII, 4. ſed popularibus ſcilicet, quod collatus locus qui eſt Deuteronomii XXII, 1. apertum facit. Rurſum vero Exodi XXXIV, 11. & Deuteronomii VII, 1. vetantur Hebræi cum ſeptem illis populis, Hettæo, Girgaſæo, Emoræo, Chananæo, Perizæo, Chivæo, & Jebuſæo, affinitatem jungere, fœdus facere, aut etiam eorum miſereri. Habemus ergo hoſtes, habemus & odium, non tamen ferinum, ſed certis limitibus circumſcriptum. Nam his ipſis populis pacis conditiones offerri debuerunt, ut, ſi vellent, exitium imminens ſervitute redimerent; quemadmodum rectè ab Hebræis annotatum eſt ad locum Deuteronomii XX, 20. Et quod poſt pacem repudiatam ſine ulla venia jubentur internecione deleri, ad ejus ætatis homines, non etiam ad eorum poſteros pertinet: nam eos in ſervitutem Solomo recepit laudatiſſimis Regni ſui temporibus, 1 Regum IX, 20. His ſeptem populis aſſcribi poſſunt Amalecitæ, in quos Hebræi jubentur habere πόλεμον ἄσπονδον [*bellum inſpatiatum*], atque eorum memoriam delere funditus, Exodi XVII, 16. Deut. XXV, 19. quod itidem intelligendum puto, ut aut occidione delerentur, aut dedititiorum eſſent numero. Ammonitarum & Moabitarum paulo eſſe alia videtur ratio. Nam quod de illis dicitur Deuteron. XXIII, 6. nolim cum Hebræis quibuſdam ita accipi quaſi arma illis inferri poſſent priuſquam ad pacem invitarentur. Neque enim jus ullum Hebræis Deus in illorum populorum terras conceſſerat, ut liquet Deut. I, 19. Sed nec Jephthes Ammonitis bellum intulit niſi poſt tentatas æquæ pacis vias, Jud. XI, 14. & David pacem cum iis ſervavit uſque dum atrociſſimis injuriis laceſ-

laceſſeretur, II Sam. X. Quare illis Deuteronomii verbis ſola fœdera συμμαχίας [*conſociationis armorum*] vetari exiſtimo, aut, ut alii volunt, prohiberi Iſraelitas pacem ab illis poſcere, ſi illi bellum cœptaſſent. Videmus igitur quouſque Hebræi illos populos odiſſe, aut etiam, ut Moſes loquitur dicto Deuteronomii loco, abominari potuerint. Neque vero ea præcepta cum Lege Naturæ pugnant; nam ut fontes juſta pœna afficiantur cum Jure Naturæ non pugnat, quin potius ei valde eſt conſentaneum. Sicut autem quælibet poteſtas publica in ſui imperii ſubditos id jus habet, ita in Reges ac populos ſummus omnium Rex Deus: qui hanc pœnæ exſecutionem, quam per ſe facere potuerat, maluit Hebræo populo mandare, idque poſt longiſſimi temporis patientiam, cum jam ipſarum gentium ſacrilega ſacra, ferina crudelitas, inceſta libido ad ſummum pervenirent, ut legere eſt Levit. XVIII, 24. & ſacunde explicatur libro Sapientiæ qui dicitur capite XII, & XIII. Quare hoc jus ex ſpeciali Dei ſententia venit, non ex lege aliqua communi, ac proinde in cæteros ἀλλοφύλους [*alienigenas*] idem non licuit. Quodut rectius intelligatur, diſtinguenda ſunt tria ἀλλοφύλων [*alienigenarum*] genera. Alii enim ſunt qui cum Circumciſione Judaiſmum recipiunt, qui vocabantur προσήλυτοι [*Proſelyti*], ac proinde pari ferme cum Hebræis jure erant, hoc inter alia excepto quod qui ex Ammonitis & Moabitis facti erant προσήλυτοι ad honores non admittebantur. Juſtinus recte, Προσήλυτος ὁ περιτμηθεὶς εἰς τὸ λαῷ προσεκχώρησαι ἐστιν ὡς ἀυτόχθων [*Proſelytus circumciſus qui ſe populo adjunxit, æquatur indigenæ*]. Erant alii qui à falſorum Deorum cultu abſtinebant, & cæteris parebant quæ in commune Adami Noæque poſteris erant imperata, liberi tamen à peculiaribus Hebræorum inſtitutis. His quoque permiſſum erat inter Hebræos vivere, quod oſtendit aperte lex Deuteronomii XIV, 20. ubi de cadavere beſtiæ ſuopte fato emortuæ ita imperat Moſes, *Peregrino qui intra portas tuas eſt illud dabis ut comedat, aut vendes extraneo.* Ubi *peregrinus* eſt ἀλλοφύλῳ [*alienigena*] cum Judæis habitans, ſed jus non habens civitatis; *extraneus* autem, cui extra fines Judæorum domicilium erat. Judæi igitur veteres incolas iſtos Judaiſmum non profeſſos, ſed pios tamen, quos vocabant חסידי אומות [*Pios ex Gentibus*], ut non lædebant, ita nec communioribus excludebant; At poſtquam ſumma poteſtate ad extraneos delata non potuere diſcerni qui Noæ præcepta obſervabant ab eadem non obſervantibus, inſtitutum fuit, vitandi contagii cauſa, ne quis eos extra neceſſitatem accederet, aut alloqueretur, ut apparet Actorum X, 28. Cæterum quicunque falſorum deorum cultu ſe inquinabant, eos Judæi, qui Chriſti vixere temporibus, nullo diſcrimine pro hoſtibus habebant, neque eos aut necare aut ſpoliare, ſi qua poſſent, religio erat: quod fatetur atque etiam defendit Joſephus Albo in diſputatione adverſus Chriſtianos, hanc rationem adferens, quod qui ſine Lege vivat, is communis omnium hoſtis merito habeatur, ideoque in eum nihil ſit illicitum. Vere igitur Tacitus dixerat eſſe Judæis *adverſus alios omnes* (nam omnes populi à vero Deo deſciverant) *hoſtile odium.* Addit is quem dixi Joſephus Albo idem Philoſophis placuiſſe. Et ſane ſunt quædam apud Philoſophos talia. Nam Democritus plane maleficos homines quoſvis feris & ſerpentibus comparabat, atque ideo qui eos occidiſſet, innocentem pronuntiabat, ſive id feciſſet privata manu, ſive juſſu publico. Neque longe hinc abit Ariſtoteles, qui ait τὸν πολεμικὸν εἶναι φύσει κτητικὸν [*bellum eſſe acquirendi modum naturalem*], & cum Euripide, Græcos in id natos ut Barbaris imperent, qua in re creditur Philippo & Alexandro bellum in Aſiam molientibus ultra æquum gratificatus. Neque Judæi ſoli tales fuere in externos, ſed & Græci ut Thucydides ex Homero probat. Quin & in Romanorum Jure inhumanitatis iſtius exſtant veſtigia: cenſebant enim ſuum fieri quod ad ſe perveniſſet ex populo non fœderato. nec quodvis fœdus adverſus hoc jus proderat, ſed id demum in quo de amicitia aliquid convenerat: plane quaſi Natura nullam inter homines amicitiam conſtituiſſet. Sed lux artium & diſciplinarum Legem Naturæ ſub pravis moribus ſepultam paulatim reſuſcitavit. Verum ad Hebræos poſteriores ut redeamus, receptam fuiſſe apud ipſos ſententiam recte occidi ac ſpoliari eos qui Idolis ſerviebant, ipſorum ſcripta oſtendunt. Atqui in Lege Moſis Deus certos populos nominatim puniendos delegans ſatis oſtendit in alios quamvis falſis cultibus implicatos non idem juris eſſe, præſertim cum temporis maturitatem ſui voluerit eſſe arbitrii. Quanquam enim valde corrupti erant iſtarum gentium mores jam Abrahami temporibus, tamen nondum eum impleverant modum quem Divinæ lenitati viſum erat operiri, ut Moſes nos docet Geneſeos XV, 16. Jam vero ut de Idumæis taceam, Ægyptios conſtat ante Hebræorum exitum Bovis ſimulachrum coluiſſe: nam inde exemplum fœdæ ſuperſtitionis ad Hebræos manavit: Neque tamen permittit Lex Hebræos nocere Ægyptiis. Sed & meliorum temporum conſuetudo legis interpres Judæis adverſatur. nunquam enim aut populus Hebræus aut boni Principes in populos quantumvis ſuperſtitioſos bellum moverunt, niſi novis cauſis provocati. Mendoſe igitur Judæi quod in populos definitos à Deo conſtitutum erat, aliovorſum traxere. Sed illud quoque notari convenit, non omnia præcepta Divinæ Legis omnium fuiſſe temporum. Nam quæ de prædiis erant conſtituta, ea certum eſt in exſilio Babylonico non potuiſſe obſervari, cum prædia victor obtineret. Sic etiam poſt tranſlatam in Romanos ſummam imperii, etſi manebant aliqua veteris Reipublicæ veſtigia, leges tamen de bello indicendo gerendoque illebant, quia eminentior illa poteſtas, quæ armorum movendorum jus in ſe complectitur, ad Romanos tranſierat. Non erat ergo quod Chriſti tempore Judæi leges ejus generis ſuo in alios gentes odio obtenderent. Sublatis igitur illis exceptionibus quas certis cauſis Deus præſcripſerat, integrum manebat Jus Naturæ, quod homines omnes hominibus commendat. Οὐδεὶς ἐχθρὸς τῷ ἀνδρὶ ἀγαθῷ [*Nemo hoſtis viro bono*] veteres ſapientes dicere ſolitos ait Hierocles. Huc Chriſtus Judæos retrahens præcipit aliquid majus Lege Civili Judaica. Ideo non male Tertullianus, *Lex vetus amorem docet in proximos, Nova in extraneos.* Neque tamen quod Chriſtus docuit cum Lege Moſis pugnabat, imo & apud Moſem Juris iſtius perpetui non obſcura exſtabant veſtigia. Nam eo jure vixerant Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, Joſephus, homines demerendis hominibus nati, qui omnem beneficii collocandi occaſionem ponebant in lucro; quanquam illorum temporum dilectio non talis ac tanta erat quantam Chriſtus præcepit & exemplo ſuo monſtravit: Ideo hæc præcepta non niſi apud Chriſtianos reperiri, ait Nazianzenus.

44. ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, *diligite inimicos veſtros*] Ἐχθροὺς [*inimicos*] vocat eoſdem quos μισοῦντας [*odio accenſos*], qui hoſtili in nos ſunt animo: poteſtque id de totis populis intelligi, ut quod ſequitur μισοῦντες ad ſingulos pertineat. Præceptum diligendi inimicos nos didiciſſe per Euangelium ait Ambroſius De Joſepho capite I. Docet Chriſtus delicto alterius non tolli naturam, & propterea benevolentiam in neminem debere claudi. Neque ſane ulla poteſt eſſe præclarior victoria quam ſi cum ab altero cœperit injuria, à nobis beneficium incipiat. Plutarchus libro De utilitate ex inimicis capienda, Ἐχθρὸς ὤν, ἢ τὸ πρωτεῖον παρελθεῖν εἰς καιρῷ πλεονεκτοῦντα δύνηται ἐφ. Τὸν δὲ ἢ παίσωνα συμπαθήσαντα καὶ δεηθέντα συναλγοῦμεν, καὶ πικροῖς ἐχθρὸν καὶ οἰκείοις πράγμασιν ἐν χρείᾳ γενομένοις συνδιώκωμεν πικρίαν καὶ παρρησίαν ἐνδεικνύμενοι, ὅσης ἐστὶν ἀγαπητὸν τὸ ἡμερῶσαι, ἐκόντα δὲ ἐξ ἀδικοῦντος ἢ σιδήρῳ κεχαλκευμένην μαλάξαι καρδίαν [*Eſt & illud humanitatis, ultionem de inimico cujus occaſio ſe dedit prætermittere. Quod ſiquis præterea infortunio ejus moveatur, & precantem ſublevet, & liberis inimici aut rebus ipſius ſic exigentibus promptum oſtendat animum: Qui talem benignitatem non amat, is cor habet nigrum ex adamante aut ferro fabricatum*]. ¶ εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους, *benedicite maledicentibus*] Per gradus ſcandit oratio, ab affectu ad verba, à verbis ad res ventura. Ut autem differat τὸ εὐλογεῖν [*benedicere*] ab eo quod ſequitur προσεύχεσθαι [*precari*], omnino putem εὐλογεῖν [*benedicere*] hic eſſe *benignis verbis compellare*, quo ſenſu & Hebræum ברך poni ſolet. Nam & Paulus εὐλογίας [*benedicentia*] vocem ita videtur uſurpare Romanorum XV, 18. Et κατάρα, quæ [*maledictum*, quod] τῇ εὐλογίᾳ [*benedicentiæ*] directe opponitur, tum hic tum Romanorum XII, 14. & Jacobi III, 10. frequenter idem valet quod Latine *maledicti* voce exprimitur. Certe Paulus quoque oppoſuit inter ſe εὐλογοῦμεν & λοιδορούμεθα [*maledicimur & benedicimus*] I Cor. IV, 12. Recte ergo verteris *benedicite maledicentibus*, non tamen ex vulgari uſu earum vocum, ſed quomodo Plautus & Cicero loquuntur. ¶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς, καὶ διωκόντων ὑμᾶς· *Orate pro perſequentibus vos & calumniantibus vos*] Quod olim Moſes fecit, poſtea Chriſtus, ejuſque exemplo Stephanus, Paulus, alii. Differunt enim ὑβρίζειν & ἐπηρεάζειν ferme quomodo *injuria & contumelia.* Quid ſit ὕβρις ſupra diximus. ὁ δὲ ἐπηρεάζων φαίνεται καταφρονῶν [*qui contumelia aliquem afficit oſtendit eum à ſe contemni*], ut Ariſtoteles nos docet Rhetoricorum II, capite II. Vetus Gloſſarium ἐπηρεάζειν vertit *calumniari.* Narrant Hebræi inter Haſidæorum inſtituta fuiſſe ita precari Deum, *Remitte & condona omnibus qui vexant nos.* Hi Haſidæi, iidem qui aliis Eſſeni, potiſſima ſementis Chriſtianorum in Judæa. Juſtinus Apologetico altero de Chriſtianis, ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν ἐγκείμενοι, καὶ τοὺς ἀδίκως μισοῦντας πειθοῖ πειρώμενοι [*precantes pro inimicis, & conantes mitigare eos à quibus injuſte odio habentur*].

45. Ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς, *Ut ſitis filii Patris*] *Filii Patris*, id eſt, ſimiles Patri, ut ſupra explicavimus commate 5.

quod oſtendit & collatio verborum quæ infra ſunt commate 48. Unde etiam factum ut in quibuſdam codicibus pro υἱοὶ [*filii*] legeretur ὅμοιοι [*ſimiles*], interpretamento in textum recepto, quod ex Chryſoſtomo apparet. Ergo illud ὅπως γένησθε [*ut ſitis*] non finem ſed connexionem ſignificat; ut ſi cui dicam, Præſta te bonum civem ut patrem imiteris. ¶ Ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ τοὺς πονηρούς, *qui Solem ſuum oriri facit ſuper malos*] Seneca ad rem eandem eodem utitur argumento, *Sceleratis*, inquiens, *Sol exoritur*, Et alibi, *Quam multi indigni luce ſunt, & tamen dies oritur.* Rurſus alio loco, *Ne Deos quidem immortales ab hac tam effuſa benignitate ſacrilegi negligenteſque eorum deterrent: Utuntur natura ſua, & cuncta, interque illa ipſos munerum ſuorum malos interpretes, juvant.* Plinius Panegyrico, *Sol & dies non oritur uni & alteri, ſed omnibus in commune.* Adde & Jobum XXV, 2. Ἀνατέλλειν autem etiam apud Homerum eſt μεταβαλλόμενον [*tranſitivum*]. Et ſolent alioqui Helleniſtæ omnia verba per ſe ἀμεταβάτα [*neutralia*] eo ſignificatu uſurpare, ut exprimant Hebræum Hiphil. Itaque & in Pſalmo CXLVIII. πῦρ rectius vertitur τῷ ἐξαναστῆσαι [*oriri faciens*]: ita ſupra 15. καίεται eſt *facium ut ardeat.* Senſum hunc Hierocles non male expreſſit de viro bono in hunc modum loquens, Μιμεῖται δὲ καὶ τὸν ἐν φιλίαις μέτροις τὸν Θεόν, ὃς μισεῖ μὲν οὐδένα ἀνθρώπων, τὸν δὲ ἀγαθὸν ἀγαπᾷ διαφερόντως ἀεί [*In amicitiæ menſuris Deum imitatur qui neminem odit, ſed viros bonos eximie amat*]. ¶ Βρέχει, *pluit*] Mos antiquiſſimus omnium prope gentium naturæ effectus referre ad naturæ auctorem. Ita Romani veteres *Jove tonante, Jove fulgurante* dicebant: nec aliud intelligitur cum κατ' ἔλλειψιν [*per defectum*] dicimus, *pluit, tonat.* ¶ Ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους· [*ſuper juſtos & injuſtos*] Reſtricte igitur intelligendum eſt quod dicit Scriptor Syrachidæ capite XII. μὴ δῷς ἀσεβεῖ [*ne des impio*], & quod bis ponit μὴ ἀντιλάβῃ ἁμαρτωλῷ [*ne ſuſcipias peccatorem*]: ut ſenſus ſit, aut ſi tale ſit liberalitatis genus quod in multos ſpargi nequeat ut tum præferatur vir melior, aut etiam ne mali adverſus juſta judicia protegendi ſuſcipiantur. Hierocles, Ἐν τάξει δὴ τῇ τετάρτῃ τὰ τῆς φιλίας μέτρα πεποιήμεθα, τὸν μὲν ἀγαθὸς, ὡς ὑπερβάλλοντας τιμῇ τὸν ἄνθρωπον τελειότητα, καὶ δὴ καὶ τιμῇ φύσει καὶ τιμῇ γνώμῃ πάντοτε ἀσπαζόμενοι· τὸν δὲ φαύλως, ὡς μηδὲν ἔχοντ' εἰς ἄρτιον φιλίας ὑπάρχοντας, διὰ δὴ μόνον τὸν κοινὸν φύσιν ἀγαπῶντες [*Amicitiæ menſuras in ſuo ordine ſervabimus: bonos quidem viros, ut qui in ſe ſervent id quod homines perfectos facit, & ob indolem & ob animi propoſitum ſummo amantes: malos autem diligentes ob ſolam communem naturam, cum ipſi ex ſuopte ingenio nihil exhibeant de cætero quod dignum ſit amicitia*]. Eſt in hanc rem notabilis Senecæ ſententia.

46. τίνα μισθὸν ἔχετε; *quam mercedem habebitis*] Nimirum apud Deum. Nam apud homines habent iſta mercedem. Vide quæ ſequuntur infra VI. ¶ οἱ τελῶναι, *publicani*] Publicanos Judæos fuiſſe male negat Tertullianus; quem & Matthæi & Zacchæi exemplum revincit. Quanquam exiſtimo etiam in Judæa, ut in aliis provinciis Romanis, mancipes fuiſſe Equites Romanos; ſed quia illi per ſe exercere publicum non poterant, Judæis elocaſſe, aut certe eos admiſiſſe in partem quæſtus: quod ipſum nos docet Gemara Thalmudica de damno dato libro I, capite 10. Quanta autem fuerit Publicanorum improbitas, tum Baptiſtæ ad ipſos ſermo docet, tum & Juriſconſulti, in quorum numero Ulpianus, *Quanta audacia, quanta temeritatis ſint Publicanorum factiones, nemo eſt qui neſciat.* Exſtat apud Livium narratio de Poſthumio publicano qui multis annis parem fraude avaritiaque neminem habuerat. Apud Plutarchum eſt de Græcis, τὸ τελωνῶν ὄνειδος ἡγοῦνται [*Vectigal conducere probro ducunt*]. Verum Judæi non tantum improbitatem quæſtui plerumque connexam, ſed ipſum etiam quæſtum exſecrabantur: nimirum quod indignum crederent Judæo homine inſtrumentum fieri externæ ſervitutis, quam ipſi ægerrime tolerabant, adeo ut multi ipſa etiam tributa & vectigalia ſpecie pietatis abnuerent, ut Joſephus nos docet & Euangelii hiſtoria. His de cauſis Publicani plane eodem loco habebantur quo ἐθνικοὶ [*Gentiles*], id eſt, ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*] à Deo alieni. Et quia ἁμαρτωλοὶ Hebræorum Magiſtris dicti פרוצים, hoc eſt παράνομοι, ἄτακτοι [*exleges, diſſoluti*], qui neque Legis neque diſciplinæ Judaicæ ullam habebant rationem. Propterea Publicani modo junguntur ἐθνικοῖς [*Gentilibus*], modo ἁμαρτωλοῖς [*peccatoribus*], ac nominatim πόρναις [*meretricibus*], ut multis in locis videre eſt. Et hunc ipſum locum deſignans Juſtinus Apologetico ſecundo, pro eo quod hic eſt τελῶναι [*Publicani*] ponit πόρνοι [*cinædi, exoleti*], quia pariter iſti omnes impuri atque inteſtabiles habebantur, neque Sacris tantum, ſed & communi convictu indigni, ut alibi apertum fiet. Ac ne ad teſtimonii quidem dictionem admiſſos fuiſſe Publicanos apud Judæos Judices in Pandectæ Thalmudico perſcriptum eſt. Atque hinc etiam factum reor, ut ſequenti commate pro οἱ τελῶναι [*publicani*] quidam codices ſcriberent οἱ ἐθνικοὶ [*Gentiles*], tanquam iſta tantundem valerent. Optime autem Chriſtus oſtendit quam exiguæ virtutis ſit benemerentibus benefacere. quando idem faciant non modo Legiſperiti & Phariſæi, quos longe ſuperandos à nobis antea dixerat, ſi in cœlum ingredi vellemus, verum ipſi etiam profani & vitæ alterius ſecuri homines, quales vulgo exiſtimabantur eſſe publicani. Talium enim eſt iſta ſententia,

Μισῶν μισοῦ, καὶ φιλῶν φιλοῦντα μᾶλλον ἀγάπησον.

[*Malus malevolo ſis, amantem plus ames*].

Et quæ alia ſunt ad eam normam.

47. ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς, *ſalutaveritis fratres veſtros*] Recte interpretatur Syrus de blanda compellatione, qualis eſt iſta, *Ut vales? Rectene omnia?* Vide II Regum IX, 17, 18, 19, 22. Id enim proprie eſt quod Hebræi & Syri dicunt *de pace interrogare.* Hæc autem officia Judæi ſolis fratribus, id eſt, Judæis præſtabant; cæteros indignos habentes quos ſalutarent: quos Chriſtiana diſciplina adverſus eos ſolos obſervavit qui Chriſtum profeſſi poſtea ab eo defecerant, ut docemur Epiſtola Johannis II, commate 10. Quod hic quidam codices habent φίλους [*amicos*] ex interpretamento eſt. ¶ περισσὸν, *amplius*] Scilicet τῶν τελωνῶν [*quam publicani*]; ſicut in Phariſæorum comparatione τὸ περισσεύειν [*abundare*] ſupra uſurpavit.

48. Ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, *Eſtote ergo vos perfecti*] Fuerit forte in Hebræo Matthæi קדושים [*ſancti*], ut ſumta ſit ſententia ex Levitico XI, 44. XIX, 2. XX, 7. unde eam Petrus accepit, ut videre eſt priore Epiſtola I, 16. aut תמימים [*perfectus*], ut Deuteronomii XVIII, 13. Valde affinis ſunt ſignificationis ἅγιος [*ſanctus*] & τέλειος [*perfectus*], unde & τελεῖν [*perficere*] Græcis & Scriptori ad Hebræos eſt ἁγιάζειν [*ſanctificare*]. Proprie autem τὸ τέλειον ſive ſanctitatem hic Chriſtus vocat bonitatem veram atque ſinceram, quæ ſit ἐν τῷ ὄντι [*in re ipſa*] non ἐν τῷ δοκεῖν [*in eo quod appareat*]. Nam & תמים [*perfectum*] LXX modo vertunt τέλειον, ut Geneſeos VI, 9. modo ἄμεμπτον, ut Geneſeos XXV, 27. Joſephus non male in hanc ſententiam dixit de Moſe agens, Ὁ μητρὸς νομοθέτης ἀναγκαιοτάτην ἡγησάμενος τὴν περὶ τὸν ἱερὸν ἔχουσαν τοῦ Θεοῦ δόξαν φύλαξιν εἶναι, φίλην δεῖν τὸν ἀνθρώπων ἑαυτοῖς ποιεῖσθαι παραλαμβάνειν [*Noſtrarum legum auctor cum docuiſſet in Deo eſſe ſinceram puramque virtutem, exiſtimavit hominibus hoc agendum ut ejus virtutis fierent participes*]. Rem ipſam antiquiſſimi Scriptoris ad Diognetum verbis rectius quam meis explicabo, Ὅσοι τὸ δὲ πλησίον ἀναδέχεται βαρὺ, ὃς ἐν ᾧ κρείσσων ἐστὶν ἕτερον τὸ ἐλαττούμενον εὐεργετεῖν ἐθέλει, ἅπερ ἔλαβε δὲ Θεοῦ λαμβάνων τούτοις εἰς ἑτέρους χορηγῶν, Θεὸς γίνεται τοῦ μεταδιδόντος, ὕστε μιμητὴς εἶ Θεοῦ [*Quiſquis onus proximi in ſe ſuſcipit, qui in quo plus valet in eo munus valenti opitulari vult, ea quæ à Deo accepta habet aliis indigentibus impartiens, Deus fit accipientium in eo quod Deum imitatur*]. Ita optime cohæret hoc ἀποφώνημα [hæc *acclamatio*] monitis ſuperioribus ſimulque ſequentia connectit. Confirmat eandem interpretationem Lucas qui quod hic eſt τέλειοι [*perfecti*] exponit οἰκτίρμονες [*miſericordes*], quod eſt *beneficii*: Sic & Juſtinus Martyr pro eo quod hic ſcribitur τέλειοι [*perfecti*] poſuit χρηστοὶ καὶ οἰκτίρμονες [*benigni ac miſericordes*]. Ita enim Helleniſtæ eam vocem uſurpant. In Dei imitatione ſummam hominis felicitatem eſſe poſitam quidam etiam Philoſophorum viderunt. Plato dicebat, Τέλος τὸ ἀγαθὸν τὸ ὁμοιωθῆναι Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι [*Finis bonorum Deo ſimilem fieri quoad fieri poteſt. Similitudo vero in eo conſiſtit ut juſti & ſancti ſimus accedente & prudentia*]. Idemque optimus eſt Dei cultus, ut Pythagorei dicebant, Τιμήσεις τὸ Θεὸν ἄριστα ἐὰν τῷ Θεῷ τὸ δεξιώτατον ὁμοιώσῃς [*Optime Deum honorabis ſi ei mente ſis ſimilis*]. Hanc autem imitationem Pythagorei peculiariter etiam ſpectari volebant in beneficentia erga homines quoſvis. Nam vir bonus, inquit Hierocles, μιμεῖται δὲ ἐν τοῖς τῆς φιλίας μέτροις τὸν Θεὸν, ὃς μισεῖ μὲν οὐδένα ἀνθρώπων, τὸ δὲ φιλανθρωπίας ἀγαθὸν πᾶσιν τῷ γένει παρέχων [*etiam in amicitiæ menſuris Deum imitatur, qui neminem hominum odit, toti generi porrigens bonitatis ſuæ munera*]. Iamblichus, Εὐδαίμων ἐστὶν ὁ Θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ὅμοιος [*Felix eſt qui Deo quantum poteſt eſt ſimilis*]. Errant autem qui hinc colligunt ea quæ in his ſermonibus à Chriſto dicuntur, conſilia eſſe non præcepta, aut certe præcepta peculiaria πᾶσι τελειότητι ἐφιεμένοις [*ad perfectionem tendentibus*]. Verba enim apertiora ſunt quam ut negari poſſit

possit præcipi hæc, & quidem omnibus qui intrare cupiant in Regnum cœleste. Ita & Paulus omnes Christianos vult esse τελείους [*perfectos*], 1 Corinth. XIV, 20. Colossensium 1, 28. & IV, 12. & imitatores Dei, Ephes. V, 1. Adde Lucæ VI, 36. Jacobi 1, 4. III, 2. 1 Johannis 1, 7. III, 3. 1 Petri 1, 15. Sed & Justinus in dialogo cum Tryphone τέλειον γενέσθαι [*perfectum fieri*] ipse interpretatur Christianum fieri. Quanquam scio alibi vocem τελείων [*perfecti*] Christianorum inter se comparatione accipi: sed hic ei significationi locus non est.

PRICÆUS.

Com. 3. Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι] Πτωχὸς non male exponas ταπεινὸς· opponitur 7. 8. Ecclesiastis ὑψηλὸς τῷ πνεύματι· Sunt qui τῷ πνεύματι in Matthæo delendum censent, ajunt nullibi enim πτωχὸν τῷ πνεύματι pro homine mente humili occurrere. At si πτωχὸς τὰς φρένας (quod in Græco Epigrammate legimus) ponitur pro homine sapientia vacuo, cur non & πτωχὸς τῷ πνεύματι dici posset de eo qui ea ret superbia? Magis ergo me movet quod in Luca innuunt legi simpliciter μακάριοι οἱ πτωχοί· quin & ejusdem (ab iisdem non adductus) 12. 32. locus, Μὴ φοβοῦσθε τὸ μικρὸν ποίμνιον (ubi μικρὸν, ut Matth. 18. 6, 10, & alibi, est πτωχόν) ὅτι ηὐδόκησεν ὁ πατὴρ δοῦναι ὑμῖν τὴν βασιλείαν· quibus respondent hoc in Matthæi loco, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

Com. 4. Μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται] Sunt qui ad Esaiæ 57. 18. hic allusum putant, quin potius ad hæc Psalmographi? 125. 5. Οἱ σπείροντες ἐν δάκρυσιν, ἐν ἀγαλλιάσει θερίσουσιν. Exemplum Luc. 16. 25. vide, & ibi annotata. Adde Scriptorem Tobiæ 3. 21. Apostolum 2 Cor. 1. 7. ubi & vox παράκλησις.

Com. 5. Μακάριοι οἱ πραεῖς] Hæc varie exponi possunt, nimirum, ut πραεῖς sint, οἱ τὰ ἀδελφῶν (ut Galat. 6. 1.) ἐν πνεύματι πραότητος καταρτίζοντες· οἱ ἐν πραότητι (ut 2 Tim. 2. 25.) τοὺς ἀντιδιατιθεμένους παιδεύοντες· vel saltem (ut Ephes. 4. 2. & Colos. 3. 13.) qui condonant, & sustinent. Malim tamen hic intelligi ea voce τοὺς τῇ καρδίᾳ πραεῖς καὶ ταπεινούς· ut infra 11. 29. τοῦ πραέως (ut 1 Pet. 3. 4.) ἤ πραΰς καὶ ἡσυχὺς πνεύματος ἑαυτὸς κοσμοῦντας· πικρὸν ζῆλον καὶ ἐριθείαν (ut Jacob. 3. 13, 14.) ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν οὐκ ἔχοντας, ἀλλ' ἐν καλῇ ἀναστροφῇ τὰ ἔργα αὐτῶν ἐν σοφίας πραΰτητι δεικνύοντας.

Ibid. ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν] Ita Proverb. 2. 21. Χρηστοὶ ἔσονται οἰκήτορες γῆς· ut contra Proverb. 10. 30. Ἀσεβεῖς γῆν οὐ κατοικήσουσι.

Com. 6. οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην] Metaphora est, intensam cupidinem notans. Suidas, Διψῆσαι, ἐπιθυμῆσαι. Artemidorus Oneirocrit. 1. 68. Διψᾶν ἰδεῖν ἄδοξόν ἐστι καὶ ἀπράγμονα. Hinc, δόξης καὶ δικαίων διψᾶν, apud Plutarchum, lib. An seni sit gerenda respubl. &, πόνων καὶ διψᾶν τὴν ἐν πρακτέοις ἐχεσθαι, apud eundem lib. De in virt. profic. apud Ælianum Var. 3 7. κακῶς (τ. ἄδικα) ἀγαπῶντα διψῶντες· & ibid. 10. 16. διψῶν αὐτὰ εἶπεν. Horatius,

Quem tenet argenti sitis importuna famesque.

Eunapius Sardianus de Juliano, Ὥσπερ οἱ (κατὰ τὸν μῦθον) ἐπὶ τὴν διψάδα διηγήσεως, χανδὸν καὶ ἀμυδὶ τῶν μαθημάτων ἤλπιον ἐμπίπλασθαι· quo plane modo, *literas biantibus faucibus haurire*, Festus Avienus dixit.

Com. 8. οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι τὸν θεὸν ὄψονται] Et hæc exponi possunt non uno modo, ut nempe καθαροὶ opponantur τοῖς ἀδύχοις, unde Jacob. 4. 8. Ἁγίσατε καρδίας, δίψυχοι· aut sint οἱ τὰς καρδίας (ut Heb. 10. 22.) ἐῤῥαντισμένοι συνειδήσεως πονηρᾶς (quæ enim ῥαντίζονται, sunt καθαρά·) vel (ut Joh. 1. 48.) οἱ ἐν οἷς δόλος οὐκ ἦν· aut (quia τὸν θεὸν ὄψονται continuo additur) οἱ ἁγιασμοὶ (ut Heb. 12. 14.) ἁγιασμοὶ, οὓς χωρὶς οὐδεὶς ὄψεται τὸν Κύριον· in quem sensum hic Euthymius. Sophia ad Apollonium Tyanæum 6. 6. Philostrati, Καθαρῷ ἔγνωσται, καὶ ἀφθαλμοὶς οὕτω σοφοῖς ἐμπλέκεσθαι ἀκίνδυνος, ὡς ἀφθαλμοῖσιν μὴ θεοῖς, &c. Arrianus 2. 18. in Epictetum, Ἐπιθυμοῦσι καθαροῖς μὴ καθαρῶς σταῦτα γίνεσθαι, καὶ μὴ ὡς θεοῖς. Hierocles, Εἰς γὰρ θεὸν θεοῖς ἀφικνεῖσθαι οὐ θέμις ἄλλῳ ἢ τῷ ἀκηράτῳ ἀλήθειαν μὲν καὶ ἀρετὴν ἐν ψυχῇ, καθαρότητα δ' ἐν τῷ σώματικῷ αὐτῆς ὀχήματι. Seneca Præfat. lib. 1. Natur. quæst. *Malo carnisse, animum præparat ad cognitionem cœlestium, dignumque efficit qui in consortium Dei veniat.* Idem Epist. 87. *Animum nisi purum ac sanctum Deum non capit:* ubi *capere* est quod *videre* in Contextu nostro. D. Augustinus in Psalm. 5. *Non ille es qui possis videri ab iis quorum ab oculis nox peccatorum non recessit.* Deus ad animum humanum apud Claudianum Mamertum, *Nequaquam me, vel incorporeus, nisi purgatus videt*, lib. 1. cap. 26.

Com. 9. οἱ εἰρηνοποιοὶ] *Qui sanata simultate, reconciliata gratia, purgata suspicione, amicos ex infensis reddunt.* Ita εἰρηνοποιὸς exponere libet verbis Apulei nostri. *Vitium virtuti ipsi oppositum est, litigantes desistere, dederequo eos advocatis malevolis aut avaris, qui lites animosque eorum inflamment aut odii aut lucri studio.* Sunt verba A. Gellii 2. 12.

Ibid. ὅτι υἱοὶ θεοῦ κληθήσονται] Isocrates non absimili forma, τὸ λέγειν εὐφρονούντως ἀξιοῦσθαι, Διὸς παιδεῖαι γενέσθαι καὶ καλεῖσθαι dixit.

Com. 10. Μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν] Lactantius 7. 11. *Qui justitiam sequentes in hac vita miseri fuerint, & contempti, & inopes, & ob justitiam ipsam contumelias & injurias sæpe vexati, &c. semper beati sunt futuri.*

Com. 11. Μακάριοί ἐστε ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς, &c. καὶ εἴπωσι πᾶν πονηρὸν ῥῆμα καθ' ὑμῶν, &c.] Ut contra Luc. 6. 26. Οὐαὶ ὑμῖν ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσιν, &c. Πονηρὸν ῥῆμα εἰπεῖν, &c. hic est quod Judith. 8. 8. πονηρὸν ῥῆμα θεοσέβειαν dicitur.

Ibid. καὶ διώξωσιν] Hoc nomine Apostolus Thessalonicenses 1. 2. 15. & instruit, & consolatur.

Ibid. ἕνεκεν ἐμοῦ] Id est, ut Joh. 5. 21. in eodem argumento, διὰ τὸ ὄνομά μου. Act. 5. 41. & 9. 16. ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου.

Com. 12. Χαίρετε] In Græca Comœdia ille,

—— Μεθ' αὑτὸ ταυτί, καὶ πλέον λέγε,
Ἀεί σοῦ' ὅτι ΧΑΙΡΩ πρὸς' ἀεί τι κακόν.

Et ibidem,

Λοιδορῶμαι σοῦτ' πονηρὸς οὐδὲν ἐς' ἐπιφθονον.
Ἀλλὰ τιμῶ πᾶς χρησὶς ὅστις εὖ λογίζεται.

Χαίρειν hic est quod in materia simili plane, Jacob. 1. 2. χαρὰν πᾶσαν ἡγήσασθε.

Ibid. χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε] Sic Tobiæ 13. 13. Χάρηθι, καὶ ἀγαλλίασαι. Dum addit ἀγαλλιᾶσθε, non solum vult gaudere eos, sed & exultare. Strenue & fideliter autem hoc præceptum postea impleverunt ii qui falsis criminationibus appetiti, quin & verberati, ἐπορεύοντο ΧΑΙΡΟΝΤΕΣ, &c. Act. 5. 41. Vide & Act. 15. 32. 1 Pet. 4. 13. Colos. 1. 24.

Ibid. ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολύς, &c.] Exemplum Moses, ὁ μείζονα πλούτου ἡγησάμενος τὰ ἐν Αἰγύπτῳ θησαυρῶν τὰ ὀνειδισμὸν τὸν Χριστοῦ, ἀπέβλεπε γὰρ εἰς τὴν μισθαποδοσίαν. Scriptor ad Hebræos 11, 26. qui & 10. 35. conferendus. Adde Sapient. 3. 4. & quæ ad Luc. 6. 23. dixi.

Ibid. ἐδίωξαν τοὺς προφήτας] Ignatius ad Magnesios, Οἱ βιώσαντες προφῆται καὶ ἐκεῖνοι Χριστὸν ἔζησαν, διὰ τοῦτο καὶ ἐδιώχθησαν. Vide Jacob. 5. 10.

Com. 13. Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς] Scholiastes ineditus in Florent. Bibliotheca, pluteo 59. cod. 38. Ἅλας πᾶσι τὸ ἀναγκαῖον, ἡ φρόνησις, &c. διὸ τὸ, Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς. Πλὴν καλεῖ τὸν ἀνθρώπων ψυχάς, ψυχὴ γὰρ ἡ μὴ ἁλισμένη ἀχρεῖον πνεύματι, σήπεται. Catechumenis in vetere Ecclesia sal solebat dari, ut condimentum sapientiæ perciperent, & alios condirent. Isidorus Offic. Eccles. 2. 21.

Ibid. ἐὰν τὸ ἅλας μωρανθῇ] Vulgatus, *evanuerit*. Budæus, *infatuatum fuerit*.

Ibid. εἰς οὐδὲν ἰσχύει] Sic, εἰς οὐδὲν θαυμάσιον, de immaturo fructu, 4. 5. dixit Sapientiæ Scriptor. εἰς οὐδὲν ἰσχύϊ volunt Hebraismum esse: potest fieri, est autem & Latinismus.

Ibid. βληθῆναι ἔξω] Ὡς ἄτιμόν τι, καὶ μὴ ἐν αὐτῇ τοῖς ἀνθρώποις, ut 3. 1. apud Philostratum. Hesychius, ἐξέβλητο, &c. ἐκπέπτωκε.

Ibid. καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων] Suidas de Hecabolio Sophista se Christianum simulante, Ῥίψας ἑαυτὸν πρὸς τὰς πύλας τῆς ἐκκλησίας οἴκου, Πατήσατέ με (ἔφη) τὸ ἅλας τὸ ἀνάλωτον.

Com. 14. Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου] Φαίνεσθε ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ, Philip. 2. 14. vide Joh. 8. 12. & 9. 5. Imperator Probus ad Senatores apud Vopiscum, *Vos estis mundi Principes.* Illud ὑμεῖς acute pronunciandum forte, q. d. non Rabbini, qui proverbialiter eo titulo insigniri soliti: vide Rom. 2. 19. Tale & Apostoli illud, Ἡμεῖς ἐσμὲν ἡ περιτομή, non autem Judæi illi.

Ibid. ἡ δυνατὴ πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη] q. d.

Non eadem vulgusque decent, & lumina rerum.

Seneca 1. 8. de Clementia, ad Neronem, *Alia conditio est re-*

rum qui in turba quam non excedunt, latent, &c. *veſtra dicta factaque rumor excipit: & ideo nullis magis cavendum eſt qualem famam habeant, quam qui qualemcunque meruerint, permagnam habituri ſunt.* Et poſt, *Tibi, non magis quam Soli, latere contigit: multa contra te luxeſt, omnium in iſtam converſi oculi ſunt.* Idem cap. 25. Conſolat. ad Polybium, *Nihil horum quæ facis poſſunt ſubduci: magnam tibi perſonam conſenſus hominum impoſuit:* deinde, *Tibi nullum ſecretum liberum eſt; in multa luce Fortuna te poſuit.* Ovidius ad Luciam,

Impoſuit te alto Fortuna.———

Et poſt,

Ad te oculos aureſque trahis, tua facta notamus.

Imperator ad Honorium filium apud Claudianum,

Hoc te præterea crebro ſermone monebo,
Ut te totius medio telluris in orbe
Vivere cogneſcas, cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam.———

Et Cyrus ad liberos ſuos apud Xenophontem, Οὐ γὰρ ἐν σκότῳ ὑμᾶς οἱ θεοὶ ἐστεκρύφθοντα, ἀλλ' ἐμφανῆ πᾶσιν ἀνάγκη εἶεί ζῆν τὸ ὑμέτερον ἔργα. Cæſar apud Saluſtium, *Qui in exceſſo ataxem agunt, eorum facta cunctis novere mortales.* Cicero ad Marium Epiſt. famil. 11. 23. *Dignitas tua facit ut animadvertatur quicquid facias.* Seneca Epiſt. 19. ad Lucilium ſuum, *Tanta notitia te invaſit*, &c. *tenebras habere non potes*, (κρυβῆναι ἢ δύνασαι) *ſequetur*, &c. *multum lucis quocunque fugeris.*

Ibid. πόλις ἐπάνω ὄρους κειμένη] Etymologus in verbo ἄσυ, Οἱ ἀρχαῖοι ἀφ' ὑψηλῶν πόλεων τὰς πόλεις ᾠκοδόμουν.

Com. 15. Οὐδὲ καίουσι λύχνον, &c.] Vide ad Luc. 11. 33. annotata.

Com. 16. Οὕτως λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, &c.] Id eſt, Τύπος γίνεσθε (ut 1 Tim. 4. 12.) τοῦ λόγου, τοῦ ἀναστροφῆς, &c. Baſilius Imperator ad filium in Paræneticis, Ἔστω τὸ φῶς σου λαμπρὸν ἐνώπιον τῶν ἄλλων ἀνθρώπων. Theophylactus ad Luc. 11. Ἐπὶ τούτῳ ἱλαίζομεν τὸν θεὸν, ἵνα ὅλην λυχνίαν πυρώσῃ, ὡς ἂν ἡ ἄνωθεν βλέπωσι τὸ φῶς. Euthymius ad Luc. 12. ea, Sint lucernæ veſtræ accenſæ, *Per lucernarum accenſionem ſplendorem interioris ac eloquentis ſermonis ſtatuit, oportet enim ut hic ſemper illuminet tum nos, tum eos qui à nobis docentur.* Cicero Famil. 4. 3. ad Servium Sulpicium, *Et Cæſar ipſe ita de te judicat, & omnes cives ſic exiſtimant, quaſi lumen aliquod, exſtinctis cæteris, elucere ſanctitatem, prudentiam, & dignitatem tuam.*

Ibid. Λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων] Paulus 4. 5. ad Philippenſes, Τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν γνωσθήτω πᾶσιν ἀνθρώποις.

Ibid. ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα] Ἵνα ὑμῶν ἡ σεμνότης (ut 1 Tim. 4. 15.) φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσι. Quod 1 Cor. 9. 26. οὐκ ὡς ἀδήλως τρέχων· vide & Philipp. 4. 9. Suidas, Ἔλαμψαν αὐτῶν τὰ ἔργα, φανερὰς ἑαυτὰς ἐποίησαν. Simplicius in cap. 69. Epicteti, Κ' ἂν δυνηθείη χρὴ ποτε τῷ ἑαυτοῦ σεμνοπρεπῆ διδασκάλῳ ἐπιζητοῦντι, τὰ ἔργα χρὴ δεικνύειν ἀντὶ τῶν ἀποφθεγμάτων λόγων, ἢ τὰ ἔξω θρυλλούντων ἐπιδείκνυσθαι, ἀλλ' ἐγὼ τοὺς λόγους· καὶ γὰρ τὸ μεγέθους τε καὶ χάριτος ἐξαιρέτως δεόμενον τοῖς σιωπῶσι πολὺ ἧττον ἐφαίνετο, αἰδοῖ τῷ νομίμῳ πίψαντα, ἔργα φέρε ᾖ γράφε.

Non iſtud ſatis eſt ſolo vos dicere verbo;
Sed facere, ut quivis ſentiat, & videat.

Vide Jacob. 3. 13. Arrianus 3. 13. in Epictetum, ad quemvis nomen Philoſophi præ ſe ferentem, Φίλος ἀνθρώπου (i. e. genus humanum) ὠφελήσαι; δεῖξον αὐτῷ ἐπὶ σαυτοῦ οἷός ποιεῖ φιλοσοφία, ἢ μὴ φλυάρει. Cicero (etſi alio ſenſu) ad Tyronem, *Fac opus appareat.*

Ibid. ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα] Marcus Antoninus, lib. 10. Ζῆσον ὡς ἐν ὄρει, &c. ἰδέτωσαν, ἰσχνηνάτωσαν οἱ ἄνθρωποι ἀνθρώπου ἀληθινοῦ, &c. ζῶντος· quo loco & ea notabilia, ὡς ἐν ὄρει, &c. Supra hic com. 14. πόλις ἐπάνω κειμένη.

Ibid. ᾖ δοξάσωσι τὸν πατέρα ὑμῶν] Id eſt, ᾖ δοξάσωσιν (ut Galat. 1. 24.) ἐν ὑμῖν ᾖ ἐμοί. Idem qui hic Chriſtus Joh. 15. 8. Ἐν τούτῳ ἐδοξάσθη ὁ πατήρ μου ἵνα καρπὸν φέρητε· ubi καρπὸς eſt quod hoc loco καλὰ ἔργα. Vide & 1 Pet. 2. 12. Euthymius ad Matth. 6. *Si juxta virtutis normam converſamur, glorificatur Deus ab his qui nos conſpiciunt.*

Com. 18. μία κεραία] In Gloſſario, *Apex*, κορυφὴ, γράμματος ἄκρον, &c. & in vetere Onomaſtico, *Apex*, κεραία.

Com. 19. καὶ διδάξῃ οὕτω τοὺς ἀνθρώπους] Subaudiendum puto ποιεῖν, non λύειν, ut vir maximus. Sic & Luc. 12. 37. ubi dicta vide. Anonymus in Biblioth. Medic. (plut. 17. num. 4.) ad Pſal. 1. illud, In cathedra peſtilentiæ non ſedit; *In cathedra peſtilentiæ ſedent qui mala quæ agunt alios facere docent.*

Com. 20. ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, &c.] Seneca de Ira 2. 28. *Quam anguſta innocentia eſt ad legem bonum eſſe! quantò latius patet officiorum quam juris regula! quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas ſunt!*

Com. 21. Ἠκούσατε, &c.] Vult dicere (ut Pſal. 44. 1.) πᾶς ὃν ὑμῶν ἀκούσῃ, οἱ πατέρες ὑμῶν ἀνηγγείλαν ὑμῖν· id eſt (ut Joh. 12. 34.) ὃν ἡ νόμος ἀκούσῃ.

Com. 22. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν] Clemens ad hæc Chriſti Stromat. 3. Ἡ δὲ ΕΓΩ' περιττὴν περιεχέτω διάνοιαν ἡ ἐντολῆς ἢ ἐπιτάξεως. Eſt autem (ni fallor) ſimplicius, ut dicamus notam eſſe ſe ab aliis ſecernentium, ſuiſque quam aliorum verbis plus tribui volentium. Tale Apoſtoli illud ad Galatas, Ἐγὼ Παῦλος λέγω ὑμῖν, &c. q. d. Prædicant illi circumciſionis neceſſitatem, ego autem, &c. Apud Terentium,

Militem ego vivalem recipiendum cenſeo.

Ad quem locum Donatus, *Quod EGO addidit, eo dicto uſus eſt quo uti ſolent qui plus in negotio vident.* Adde & Act. 15. 19.

Com. 24. πρῶτον διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου καὶ τότε ἐλθὼν προσφέρε τὸ δῶρόν σου] Ἐπαίρων (ut 1 Tim. 2. 8.) ὁσίας χεῖρας χωρὶς ὀργῆς. Philo diligentem illam ſub Lege victimarum inſpectionem ſymbolice inſtitutam ait, nec animalium oblatorum gratia, ſed offerentium ea, ut caverent nempe, ἐπὶ τοῖς βωμοῖς, ἢ ἐνδεεῖσθαι ἢ δίχα θυσιάσαντες προσέρχοιντο, μηδὲν ἀῤῥώστημα ἢ πάθος τῇ ψυχῇ ἐπιφιτεῦον, παρεσθῇ δ' ὅλων ἀκηλίδωτον αἰτιάζειν, ὡς ἰδόντα θεὸν μὴ ἀποτραφεῖν. Quæ de ſacrificantibus ſub Lege dicta, univerſi ſub Euangelio viventes ſibi in dicta arbitrentur: ſaltem qui θυσίαν ζώσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον ἑαυτὸν τῷ θεῷ παρασχεῖν θέλουσι.

Ibid. διαλλάγηθι] Vulgat. *reconciliare.* In Gloſſis, Διαλλάσσω, *reconcilio.* Heſychius, Διαλλαγή, φιλία.

Com. 25. τῷ ἀντιδίκῳ σου] Idem, Ἀντιδίκῳ, ἀντιπάλῳ, ἐναντίῳ.

Ibid. ἕως ὅτου εἶ ἐν τῇ ὁδῷ] In via vitæ nempe.

——— *Noli*
Differre in ſeram commiſſa piacula noctem.

Ibid. τῷ ὑπηρέτῃ] Commentarienſi, ἢ ἐγκληματικῆς δίκης ὑπηρετοῦντι. Vide in Καμψιτηρίοις Etymologum. Euripides Troad.

——— Ἀσπίδημα πάγκοινον βροτοῖς
Οἱ μὲν πονηροὶ καὶ πόλεις ὑπηρέται.

Utitur voce iſta eodem ſenſu & Plutarchus in vita Marii.

Com. 26. ἐὰν μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν ἕως ἂν, &c.] Vide quæ ad Luc. 12. 58. annotata.

Com. 28. βλέπων γυναῖκα, πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς] Per oculos enim cor concipit cupidinem. Τὸ ἐπιθυμητικὸν λέγ ἢ ὀφθαλμῶν ἐπαγωγὸν Philoſtratus 1. 21. dixit, in vita Apollonii. Seneca, *Huic oculi adulterium monſtrant, hunc inceſtum*, &c. Firmicus Mathef. 5. 1. *Eum ad Venereos coitus collecta per oculos deſideria ſemper compellunt:* & Declam. 2. Quintilianus, *Oculi noſtri tota luxuria, hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant: mirantur, adamant, concupiſcunt.* Plura id genus attulimus ad Apulcii 10. illa, *Tui oculi per meos oculos ad intima præcordia delapſi*, &c. Quibus adde quæ Pædag. 3. 11. habet Clemens Alexandrinus. Βλέπειν πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι, eſt quod *luminibus videre oculis*, Plautus in Mercatore vocat; *oculos libidinoſe impingere*, Tertullianus; *adjicere oculos* lib. 10. Apuleius; *deponere patres oculos*, Horatius; Sirachides 9. 5. καταβάλλε κατέναντι γυναικός· Athenagoras in de Legatione, ἰδεῖν ἐπιθυμεῖ· Judithæ cap. 12. ἡ καρδία ἐπὶ γυναικὶ ἐξίσταται, &c. ᾗ συγγενέσθαι μετ' αὐτῆς καταπέπηγεν· εἶναι. Secum dicere, Ὅτι ἔφιλον, ᾗ, Μακαρίζω ὁ ἀνὴρ αὐτῆς· ut apud Arrianum in Epictetum. Plutarchus in Amator. narrationibus, Σωτιχῶς ἐπῆνουν τοὺς κόρακας, μακαρίζοντες σὺν γαμήσαντας. Plane ut pellex (è converſo) apud Xenophontem illa, ἐπαινοῦσα αὐτὸν ὡς καλὸν ὄντα, ᾗ μακαρίζουσα ἢ μέγαν αὐτὸν γυναῖκα ἔσεσθαι· quam ſic imitata eſt & altera apud Plautum,

——— *Eccaſter pulcer eſt,*
Ne illa fortunata ſunt quæ cum iſto cubant.

Ibid. ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν] Ἀναφορὰ enim (utrecte 1. 16. Jacobus) ex ipſa ἐπιθυμίας συνθήκη πάλιν. Salvianus lib. 5.

Ipſa

Ipſa rei turpis cupiditas pro actione damnatur: & ibidem, *Hoc ipſo quod quis rem obſcœnam cupit, dum ad immunda properat, immundus eſt.* Baſilius in de legend. Gentil. libris. Ὁ ἐμβλέψας πρὸς εἰδωλίῳ γυναικί, κ' ἂν μὴ τῷ ἔργῳ ἡ μοιχείαν πληλίκην, τῷ γε ἡ θυμῷ τὴν ψυχὴ ἀφανιδέκασδ ἐκ ἀφίετ' ἐγκλήματ@· & Juſtinus ad Serenam, Ἐπὶ τ πλησίον γυνῆς ὁ χρεμπτήριον, χρεμπτίζ ὁ καὶ ὁ μηδέπω πεπιηκὼς τὴν ἐπιθυμίαν, ἀναθυμιωμένης αὐτοῦ τ ὀρέξεως, κ' ἂν μὴ λαμβάνῃ τ τέλ@. Ambroſius de Officiis 1. *Adulterium non ſolum factis colluvione, ſed & aſpectus attentione committitur.* Cicero Tuſculan. 4. de inordinatis affectibus, *Suſcepti continuo in magna peſtis parte verſantur.* Idem in de Finibus, &c. *In libidine eſſe peccatum certum eſt, etiam ſine effectu.* Tertullianus de cultu fœmin. lib. 2. *Admiſit jam in animo quod concupivit.* Idem alibi, *Adeo & ſine effectu cogitatus cordis eſt actus.* Varro in de Lat. ling. *Actionum trium prima cogitatus mentis, quod primum ea qua ſunt rem facturi cogitare debemus, deinde dicere, ac poſtremum facere. De his tribus minime putat vulgus cogitationem actionem eſſe, tertium, in quo quid facimus, id maximum: Sed & cum hoc agitamus, & quod in eam rem cogitamus, in mente agimus*, &c. Servius ad Virgilii ea,

Nec jam furtivum Dido meditatur amorem;

Meditatur, exercet; non incongrue. Actus enim inest in meditatione, nam exercitium eſt ipſa meditatio. Phœdra (inconceſſo privigni amore percita) apud Euripidem,

Χεῖρες μὲν ἁγναὶ, φρὴν δ' ἔχει μίασμά π'

& altera ſimilis notæ apud Ovidium,

——*Temerata eſt noſtra voluntas:*
Ut nihil adjiciam, non poſſum innoxia dici.

D. Auguſtinus contra Manichæos, *Juſtitia peccantes tenet ſola mala voluntate, quamvis quod voluerint implere nequierint.* Ovidius ad cuſtodem puellæ Amor. 3.

Nec mentem ſervare potes, licet omnia claudas:
Omnibus excluſis intus adulter erit.

Ubi *intus adulter erit*, eſt plane quod apud Matthæum, μοιχεύσει ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς. Lactantius, *Mens eſt quæ peccat, quæ immoderata libidinis fructum cogitatione complectitur: in hac crimen eſt, in hac omne delictum: Nam etſi corpus nulla ſit labe maculatum, non conſtat tamen pudicitiæ ratio ſi animus inceſtus eſt: nec illibata caſtitas videri poteſt, ubi conſcientiam cupiditas inquinavit.* Ejuſdem eſt, *Illud quoque ad conſummandum pudicitiam injungitur, ut non modo peccatum abſit, verum etiam peccati cogitatio: polluit enim mentem quamvis imago cupiditate manifeſtum eſt.* Ita furtum ſine ulla quoque attrectatione fieri poſſe, ſola mente atque animo ut furtum fiat annitente, ex veteribus Juriſconſultis 11. 18. docet Aulus Gellius. Quo pertinent & iſta legis 225. de V.S. *Furem, adulterum, aleatorem, aliqua ſignificatione, ex animi propoſitione cujuſque quis dicere poſſit*, &c. *ſi modo ejus mentis ſit, ut occaſione data id commiſſurus ſit.* Quibus adde & quæ Sentent. 5. 4. apud Paulum Juriſconſultum.

Com. 29. Εἰ ὁ ὀφθαλμός ζε ὁ δεξιός σκανδαλίζ σε, ἔλεξ αὐτῶ] *Miſerior* enim *es cum in fraudem oculis raperis, quam ſi omnino oculos non haberes*: ut huc aptemus quæ ante hæc Chriſti verba dixit Cicero ad Clodium. Voce σκανδαλίζειν (in qua tota præcepti hujus vis nititur) non puto deſignari offendicula quædam leviora ſubinde ſe objicientia nobis, at ea quorum magnitudine ac viribus noſmet obrui patimur: id eſt, affectus adeo potentes ut totos nos mancipatos teneant, tyrannorumque aut imperioſarum Dominarum vicem agant ferantque. Ejuſmodi ne omnino bonæ vitæ curſum præcidant, ipſi præcidendi nobis: καὶ ἀλλήλοις (ut 1 Cor. 5. 5.) σκηνὴς, ἵνα σωθῇ τὸ πνεῦμα. Philo (ſed ſymbolice) Libro de Temulentia, Ἡμῖν ἐνυπάρχουσι καὶ ἐμφυόμενοι οἱ ἀναίσιοι καὶ ἐπιληπτοι λογισμοὶ, ὡς, ἐάνπερ ἀνίατος ἔχοιεν, ἀναιρέσεων καὶ ἀμφοτέρων δίκη. Et ad Deuteron. 25. 12. lib. de Allegoriis, Εἰκότως ἡ ἱφαψαμένου χεῖρα ἡ διδύμων ἀναιρέσεως διάφορος, ἐκ ὅτως ἀκρατηριάζῃ τὸ σῶμα, τεμνόμεν ἀναγκαιοτάτα μέρη, ἀλλ' ὑπὲρ ἡ τ ψυχῆς αἰθῆς ἐκτέμνει λογισμούς. Nec aliter Maximus Tyrius Diſſert. 41. Ὅταν ὕπουλ@, καὶ ἀμφιβεβρωμένη, καὶ πυρὸς ἔσω ἡ ψυχὴ ἐπινέμῃ, σχέσεω τε καὶ πλησίον εἰς καταλαμβάνῃ, ἐκτέμνειν αὐτῆς, καὶ ἀφαιρεῖσδ τὰς δυνάμεις ἡ σωμάτων, ὡς λησῇ χεῖρας, ὡς ἀκολάσῃ ὀφθαλμούς, ὡς λίχνῳ γαστρός. Chriſtum autem ſecundum literam accipio, nec tamen ſine temperamento; nempe, ſi vitio quis alias incurabili laboret: alioqui enim pretioſiſſimum & receptiſſimum Philippi illud apud Frontinum, *Si partem ægram corporis haberem, abſcinderem potius quam curarem?* Lib. 4. cap. 7.

Ibid. κ' βάλε ἀπὸ σοῦ σύ] In verſiculis Catonis nomen præferentibus,

Quæ nocitura tenes, quamvis ſint chara, relinque.

Seneca Epiſt. 51. ad Lucilium ſuum, *Projice* (quod hic, βάλε ἀπὸ σοῦ σύ) *quæcunque cor tuum laniant, quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis revellendum erat.*

Ibid. συμφέρ γάρ σοι] In Gloſſario, Συμφέρ, *expedit.* Heſychius, Συμφέρ, ἀρμόζ, ὠφελῖ· quo loco legi malim, ὠφελῖ ἐσ.

Ibid. συμφέρ γάρ σοι ἵνα ἓν τ μελῶν σου ἀπόληται, κ μὴ ὅλον τὸ σῶμα, &c.] Simillime Joh. 11. 50. Συμφέρ ἡμῖν ἵνα εἷς ἄνθρωπ@ ἀποθάνῃ, &c. κ μὴ ὅλον τὸ ἔθν@ ἀπόληται. At hoc ad locutionem loci; ad ſenſum ejus Philo lib. Quod deter. infid. pot. ἐξόν τινας ἐκβαλεῖν ἀμέτοκον ἡ ἀφῆς σωτηρίας ἀπέχεσδαι λυπῆσ. Cicero 3. de Officiis, *Amputantur membra quædam, ſi*, &c. *necem reliquis partibus corporis.* Idem in Philippicis, *In corpore ſi quid ejuſmodi eſt quod reliquo corpori noceat, uri ſecarique patimur, ut membrum aliquod potius quam totum corpus intereat:* quæ etiam ad locutionem quæ in Contextu accedunt. Ex Cicerone (ut videtur) Apuleius libello de Philoſophia, *Urenda & ſecanda ea partes, quarum dolore incolumitatis reſiduarum partium conſulatur.* Chryſoſtomus in Johannem, Τὸ σκῆπτρον κ διάδημα ἔχω ἀποβαλέσθαι, φοβούμενος μὴ τὸ λοιπὸν τὴν ἀνατιμὴν ὑπομείνῃ σῶμα. Apud Nonnium Varro, *Cum ſciamus digitum præcidi oportere, ſi ob eam rem gangræna non ſit ad brachium perventura.* Seneca lib. Cur bonis viris, &c. cap. 3. *Remedii cauſa quibuſdam & radi oſſa, & legi, & extrahi venas, & quadam amputari membra, quæ ſine totius pernicie corporis hærere non poterant.* Panegyriſtes ad Conſtantinum Cæſarem, *Ægra corpora*, &c. *reſecata aliqua ſui parte ſanantur, ut immunia vigeant, quæ exacerbata torpebant.* Hieronymus in cap. 3. Galat. *Fermentum à maſſa vicina ſemovendum eſt, ſecanda putrida carnes, & ſcabioſum animal à caulis ovium repellendum: ne tota maſſa, corpus, & pecora, corrumpantur, putreſcant, intereant.* Maximus Tyrius Diſſert. 2. de malis ἐρασιχθῖς, Δεῖ τοίνυν ἐπικειρεῖν μοίρᾳ, ἵνα τὸ σῶμα σωθῇ. Idem Diſſert. 33. Τῶν σωμάτων ἐνίοτε μέρη ἔστιν ἃ ἀφαιρεῖσδαι βέλτιον ἢ ὅλα. Arrianus 4. 7. in Epictetum, Τὰ μέρη τοῦ ὅλου εἶναι πάλιν ἔχει. Κυνηγετέον (γὰρ) ut Ejuſdem 2. 10. τὸ ὅλου ἕ μέρους. Μέρ@ ἐστιν ὅλου, ἡ ἐχ ὅλον μέρος ἕτερον κατηρτίζεδ, dixit & Plato lib. 10. de Legibus. Citatus modo Tyrius ille 30. Diſſert. Εἰ τὸ μέρος ἕ σώματ@ φοβοῖτο λαβέσθαι, ἐπειδὴ πάσχει τι αὐτῶν ἕκαστ ἕ ἐκ τοῦ πεπόνθοτος ἐπὶ σωτηρίᾳ ἕ ὅλου, ἔξεστι, τῇ πίστει μὴ φθονοῦσαι, εἶτα ἀποτέμνῃ ὁ Ἀσκληπιὸς αὐτῶν, ὡς ἐχ ὑμῶν ἕνεκα, &c. χρὴ δὲ χρᾶδ τὸ σὸν σῶμα, ἀλλ' ἑαυτὸν ἀγαπᾶν ὑμῶν ἀποπυμένους; Simplicius ad cap. 13. Epicteti, Ἡ ἐντεχνὴ πίστις, &c. αὐτὴ τὰ ἀποτμήματα, περικ, ἡ καίει, ἡ καθαιρεῖ, ἡ ἑαυτῆς μέρος ἀφῆ τὸ σῶμα τ ὅλου. Claudianus,

——*Truncantur & artus,*
Ut reliquis liceat ſecurum vivere membris.

Quæ ita lib. 17. imitatus videtur Amminanus Marcellinus, *Prudenter reputans medelarum quoque artifices urere nonnumquam, & ſecare, & partes corporum amputare, ut reliquis uti liceat integris.*

Com. 30. Καὶ εἰ ἡ δεξιά ζε χεὶρ σκανδαλίζῃ σε, ἔκκοψον αὐτὴν] Ita de uxore loquens Sirachides 25. 34. Εἰ μὴ πορεύεται ἡ χεῖρ ζε, ἀπὸ τ σωμάτ ζε ἀπότεμε αὐτήν.

Com. 31. Ἀπολύσῃ] Τῆς ἀπολύσεως γεγράμμαδ, Plutarcho in Alcibiadis vita.

Com. 33. Ἀποδώσεις δὲ τοὺς ὅρκους] Odyſſ. ω. —— Τελεῖτέ μοι ἃ τ ὤμοσε· ubi Didymus, τὸ ἀποδώσει τ ὑποχρεωτικὸν λόγον.

Com. 34. μὴ ὀμόσαι ὅλως] Lactantius cap. 4. Epit. de vire bono, *Non pejerabit, ne Deum ludibrio habeat, ſed ne jurabit quidem, ne quando vel neceſſitate, vel conſuetudine in perjurium cadat.* In verſu Græco,

Ὅρκου ἡ φεύγε· κ' ἂν δικαίως ὀμόσῃς.

Firmicus 2. 33. ad Lollianum ſuum, *Jurisjurandi fidem nec permittas* (ſc. *promittas*) *nec exigas.* Idem 3. 7. *Ab omni mendacio ſeparatos, & qui nec de veris rebus jurisjurandi neceſſitatem aut dare, aut accipere velint.*

Ibid. ἔν ὁ θρόν@ ἐσ ἕ Θεοῦ] Videquæ ad Act. 7. 49.

Com. 35. πόλις ἐσ ἕ μεγάλ@ βασιλέως] Πόλις ἡ ἐξαίρετον ἐπωνυμίαν τὸ ὄνομα αὐτοῦ, 2 Par. 12. 13. πόλις καταπονουμένης αὐτοῦ, Scriptori Sapient. 9. 8. Vide & 2 Paralip. 6. 6. Nehem. 1. 9. Jerem. 3. 17. Zachar. 8. 22. Pſal. 47. 9. Apoc. 3. 12.

Ἐκεῖ-

Βασιλεὺς μέγας hic eſt qui 2 Maccab. 12. 15. ὁ μέγας ἐν πάσῃ δυνάμει· & 1 Tim 6. 16. ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων· ad quem locum annotata vide. Et proprie hic ſolus βασιλεὺς ὁ μέγας dicendus. Dico *proprie*, quia ſæpe titulus iſte non ſine ſumma tanti Numinis injuria quibuſdam inter homines Principibus tribuebatur: nomenque ejus (ſi loqui Apuleiana lingua licuerit) cœlo conditum terrenis ſordibus profanabatur. Æſchylus de Perſarum Rege,

Βασιλεῦς βασιλέως ὕοχος μεγάλου.

De ſeipſo in Miſopogone Julianus, Κἀκεῖνος ἐδέου καὶ ταῦτα, βασιλεὺς εἶναι μέγας· id eſt, κατ' ἐξοχὴν ὁ μέγας βασιλεύς.

Com. 36. Μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς] Id eſt, per vitam, incolumitatem, ſive, ſalutem tuam: nam & ita per Deum juras auctorem ſalutis tuæ. Ita in l. qui per, &c. F. de jurejurando, *Qui per ſalutem ſuam jurat, per Deum jurare videtur, quia reſpectu Divini Numinis ita jurat.*

Com. 37. Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ ναί, οὒ οὔ] Frequentiſſime in uſu vitæ comprobatur veritas Plautini illius,

——*Scio quo vos pacto ſoleatis perplexarier:*
Pactum non pactum eſt, non pactum pactum eſt, quod vobis lubet.

Et ſi quis Chriſti hæc ad Jacobi (quæ ſub forma tantillum diſcrepante 5. 12. concipiuntur) verba expendat, putabit (cum celeberrimæ doctrinæ Viro) Chriſtum hoc dicere, Concordent dictis facta veſtra, pactis promiſſiſque veſtris, acti firmata juramentis eſſent, idem robur eſto; coram Deo enim (qui mentem loquentis, non verborum Formulas intuetur) negatio vel affirmatio ſimplex loco juramenti habetur: nec qui irritam alterutram illarum reddiderit minore apud illum crimine obligatur, quam ſi juramentis, omnique imprecationum genere obſtrinxiſſet ſe. In Epiſtolis Phalaridis, Τί ἀληθέστερον πρὸς εὐσέβειαν ἔροι τις ἢ πίστιν ευσχεῖν; ἀμφότερα γὰρ ἡ γνώμη βεβαιοῖ. Qui autem ad ὅλως illud præcedens bene animum adverterit, ſimulque, hujuſmodi admiſſo ſenſu, ad ἀναγκαῖον illorum, τὸ δὲ βέλτιον τούτων, &c. concedet (ni fallor) mecum in eorum ſententiam qui non de affirmandi vel negandi veritate, ſed ſimpliciter de non jurando hic agi exiſtimarunt.

Ibid. τὸ δὲ περισσὸν τούτων ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστι] Τὸ περισσὸν τούτων, *quod ultra hæc eſt*, nempe, ultra ſimplicem (at veram) affirmationem, negationemve. Scholia vetuſtiſſima in Biblioth. Horent. plut. 4. poſt adducta ad Jacobi 5. 12. iſta Chriſti verba, Τί ἐστι τὸ περισσὸν τούτων; ὁ ὅρκος, τὸ τὴν ἐπορκίαν· ὁποῖόν δὲ ἡ ἀλήθεια δεῖται μαθεῖν ὅτι οὐκ ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν. Πονηροῦ in verbis Chriſti, quidam *Satanam* exponunt: quorum valide ſententiam facit non tam articulus hic præpoſitus (nam & 1 Epiſt. 5. 19. Joannes mundum κεῖσθαι ἐν τῷ πονηρῷ dixit; ubi tamen non perſona, ſed res intelligenda eſt) quam alius ejuſdem Joannis locus Epiſt. 1. 3. com. 12. Οὐ καθὼς Κάϊν ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν· quæ viciſſim, non de re, ſed perſona capienda videntur. Adde & Baſilii iſta Conc. de Pœnitentia, Τὸ περισσὸν (ἤ ναὶ καὶ οὔ nempe) τῷ διαβόλου προσνεύματι. Habent tamen quo tueantur conjecturam ſuam qui πονηροῦ hic à recto non ὁ πονηρὸς, ſed τὸ πονηρὸν deducendum putant: ut ſenſus ſit, ex malo more, mala conſuetudine. Ita, non ἐξ ἀληθείας, ſed ἐκ τῆς ἀληθείας εἶναι 1 Joh. 3. 19. Non ſemper ergo articulus appoſitus perſonam, quandoque vero etiam rem denotat.

Com. 38. ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ] Caſſius Severus pro execrato apud Senecam Controverſ. 3. 2. *Si circumventus eſt, injuriam perſequatur, talionem petat.* Huc proprie etiam ſpectat Gloſſarii illud, *Talio*, ἀντιπάθεια. Quintilianus Declam. 297. *Nam id quoque lex juſtiſſime conſtituit, Præſtet oculos qui eruerit, & in vicem eruentis hominis ipſa ſuccedat.*

Ibid. ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος] Oculorum dentiumque præcipue heic mentionem factam exiſtimo, quia in jurgiis rixiſque hi præcipue injuriis expoſiti videntur. Eo & ſpectant Juvenalis iſta,

——*Nec*
Audeat excuſſos Prætori oſtendere dentes, &c.
Atque oculum medico nil promittente relictum.

Com. 39. μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ] Jacobus ſenſu ſimili 5. 6. οὐκ ἀντιτάσσεται dixit. Baſilius Lib. de legend. Gentil. lib. οὐκ ἀντιλέγει. Verba ejus, Ἐπειδή τις, &c. Συμφέρειν, ἀντὶ τοῦ ἀφέλιμον ὑπολαβεῖν ἀφοδεῖν· ὁ δὲ οὐκ ἀντέχειν, ἀλλὰ παρεῖχε τῷ παροινοῦντι τὰ ὀρχεῖα ὑμφορεῖσθαι. Ubi & παρέχειν (qua voce in hac ipſa tractatione utitur D. Lucas, & *præbere* heic Vulgata verſio) eſt quod ῥάπισμα hic in verbis continue ſequentibus.

Ibid. ὅστις σε ῥαπίσει εἰς τὴν δεξιὰν σου σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην] Vide quæ ad Luc. 6. 29. annotavimus.

Com. 40. καὶ τῷ θέλοντι, &c. τὸ ἱμάτιόν σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον] Confer quæ jam dicto loco ad Lucam attulimus.

Com. 41. Καὶ ὅστις ἀγγαρεύσει σε μίλιον ἕν, &c.] Appoſite 3. 26. Arrianus (qui ad plurima ſacri Contextus loca illuſtranda præbuit lucem nobis & utilem & jucundam) Περὶ τοῦ σῶμα ἄτιμον ἔχειν ὅτι δεῖ ὡς ὑπάρχιον ὑποζυγίου· ἂν ἀγγαρεύσῃ τις, καὶ τρία μίλια ὑπαλθῇ, ἄφες, μὴ ἀντίπαττε, μηδὲ γογγύζε. Gloſſæ, *Angaria*, &c. ἀγγαρία ἑρμαία. Gloſſæ MSS. in Bibliotheca Cæſarea Viennenſi, Ἄγγαρος, ἱππεύς, ὑπηρέτης, ἀγγαρεύω· ὅθεν ἀγγάρειον ἢ ἀγγαρίαν λέγομεν, καὶ ἐπὶ βίας γινομένην ὑπηρεσίαν. Τὸ σὸν hic intelligo non ſeipſum tantum, ſed & jumenta tua, & quæ aliacunque tuæ proprietatis ſunt.

Ibid. ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο] Τῶν δὲ ἡ λαμπρὰ νίκη· τὸ πλεῖον αὐτῷ ἀφεῖλεν οὐ βίᾳ), ἡ τὸν ὄρκον τῆς πονηρᾶς ἐπιθυμίας αὐτοῦ τῇ ἀναλήψει τῆς οἰκείας μακροθυμίας ὑπερέβαλεν· ut Chryſoſtomus (at in re alia) ad Rom. 7. locutus.

Com. 43. Ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη, Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου] Τὸν πλησίον intellige τὸν φίλον. Amphitryo ad Herculem apud Euripidem in Herc. fur.

Πρός σ' ἐμοὶ μὲν οὐ πάλαι τῶν φίλων ἦσθ' φίλος,
Τοὺς τ' ἐχθροὺς μισῶν.——

Medea de ſeipſa apud Eundem,

Βαρεῖαν ἐχθροῖς, ἡδὺ φίλοισιν ἐμφανῆ.

Heſiodus,

Τὸν φίλεντα φιλεῖν, καὶ τῷ προσιόντι προσείναι·
Καὶ δόμεν ὅς κεν δῷ, καὶ μὴ δόμεν ὅς τ' οὐ δῷ μὴ δῷ.

De Mercurio Julianus in Cæſaribus, Ἀστεῖος καὶ ἐραστὴς, χρηστὸς ὁ φίλος.

Com. 44. ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν] Vide ad Luc. 6. 27. dicta.

Ibid. εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς] Rependite iis bona dicta, ominibus fauſtis ac fælicibus proſequimini. In Comœdia Latina ille,

Cui libet maledicere, equidem tibi bona exoptavi omnia.

Apud Arrianum 1. 25. in Epictetum cuivis inſolentius jactanti ὕβρεις σοι παραίνημα, reſpondetur ex boni viri perſona, καλῶς σοι γένοιτο. Τοὺς καταρωμένους verbis Apuleianis vertas, *qui diras in vos devotiones deprecantur.*

Ibid. προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς] Vide ad Luc. 6. 28. annotata.

Ibid. καὶ διωκόντων ὑμᾶς] Διώκειν heic, ex l. 6. § 2. F. de Offic. Præd. non male exponas, *calumnioſis litibus inſectari.* Suidas, Διώκειν, ἀντὶ τοῦ, ἄγειν εἰς κρίσιν, καὶ κατηγορεῖν· malim accipi autem pro διωγμὸν ὑφίεσθαι, fidei cauſa nempe. Vide infra 13. 21. Act. 13. 50. & ſæpe his in libris.

Com. 45. ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς] Clemens Strom. 7. Ὁ υἱὸς πατρὶ ἀγαθῷ χαρίζεται, συνδιαιτᾶν ἑαυτὸν καὶ ὁμοιοῦν τῷ πατρὶ παρεχόμενος. Id maxime fit adimplendo ea de quibus præcedente commate. Chryſoſtomus ad Rom. 1. Ἄνθρωποι κατ' ἀνάγκην ὁμοιοῦνται θεῷ, ὅταν μηδὲν ἐπιχειρῶσι πρὸς τὸ ὑπερβάλλον βουλόμενον, μηδὲ ὑβρίζοντος ὑβρίζοντες, μηδὲ τυπτόντων τύπτωσι, &c. Photius P. C. Epiſt. 193. Τὸ μὲν ὅπλον ἀπαντᾶν τὸ κλαπέντος, ἀνθρώπινον· τὸ μὴ ἀμύνασθαι, φιλόσοφον· τὸ δὲ καὶ διηρτυσμένως ἀμύνεσθαι, λοιπὸν ἤδη θεῖον, καὶ μιμητὰς ἂν ὑφ' ἡμῶν ποιοῖτο πατὴρ τοὺς γηγενεῖς ὁσιοφαῖος. Et hoc eſt quod θεοῦ μιμηταὶ γίνεσθαι ὡς ἀγαπητὰ τέκνα, Epheſ. 5. 1. vocat Paulus Apoſtolus. Maximus Tyrius Diſſert. 6. Πῶς γένοιτ' ἂν ἄνθρωπος Διὶ ὅμοιος; μιμούμενος αὐτοῦ τὸ εὐεργετεῖν, φιλανθρωπεύεσθαι καὶ πατρικόν. Seneca 7. 31. de Beneficiis, *Ad illa itaque cogitationes tuas flecte, Non eſt mihi relata gratia, quid faciam? quod Dii, omnium rerum optimi auctores, qui beneficia dare ignorantibus incipiunt, ingratis perſeverant. Alius illis objicit negligentiam noſtri, alius iniquitatem: alius illos extra mundum ſuum projicit, & ignavos hebetesque ſine ullo opere deſtituit, &c. minime tamen mare optimorum parentum, qui maledictis ſuorum infantium arridem, non ceſſant beneficia congerere de beneficiorum auctoribus dubitantibus.* εἶναι δὲ τὸ μακρὸς πονηρὸν διαγωγὴ καὶ γλυκεῖα, βλασφημεῖν αὐτὸν, ἢ ἧς ἡ πανήγυρις πάντων ἀναβλύσαι, τ' ἀν πλὸν ἐμβαλεῖν, τ' ἀν πονηρὸν, &c. quæ verba 8. 43. ſunt M. Antonini.

Ibid. γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν] Dum eum nempe moribus hiſce effingitis & repræſentatis. Τῷ πατρὶ τὸ πατρῷον (eodemque ſenſu) fuit olim Satyræ cujuſdam Menippeæ titulus.

Ibid. τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς] Petronius, *Sol omnibus lucet.* Symmachus, *Omnibus*, &c. *communis eſt cœli ſpiritus, lux diei.* Seneca 73. Epiſt. *Soli Lunæque plurimum debeo, & non uni mihi oriuntur.* Epiphanes Carpocratis filius apud Clementem Alexandrinum Stromat. 3. Τὸν δ' ὑμᾶς αὐτὸν καὶ πατέρα ἡ Φωτὸς Ἥλιον ὁ θεὸς ἐξέχεεν ἄνωθεν ἐπὶ γῆς ἅπασι τοῖς βλέπειν δυναμένοις. Lactantius 5. 14.

Omni-

Omnibus unicum ſuum lumen æqualiter dividit. Jobus 25. 3. *ſuper quem non ſurgit lumen illius?* Legati Tenćterorum apud Tacitum de Natura Dei famulatrice, *Lucem noctemque omnibus hominibus*, &c. *aperuit.* (Hiſtor. 4.) Ἀνατολὴν autem μετωδικῶς non ſolum apud Homerum ponitur, ſed & in Græco Geneſ. 3. 18. Pſalmi 103. 14. & 146. 8. in Clementis ad Corinthios Epiſtola, item in Apollonii Argonauticis.

Ibid. Βάλ' πονηρὸς ἢ ἀγαθούς] Themiſtius Orat. 16. perappoſite, Σὺ ἢ παίπαις (irriſoribus nempe & oblocutoribus) μὴ σφετέρχου, μιμεῖσθ ἢ τ Ἀπόλλωνα τ Πύθιον. Ἐκεῖνος χαρὰς ἐ μέσον ἐιδέσι ἀνθρώποις, ἀλλ' ἐ ἢ δήμοις ἀθρόοις ἐν μέσῳ τ γῆς ἐπὶ ἧ ὀμφαλὸ καθημένος ἐξηγᾶτο, οὐδὲ φιλεκκλησιᾶ, ἀναιρῶν τὰς χρησμὰς, ὅτι ἀκούοντες αὐτῶν ἐν τῇ Ἀθηναίων ἐκκλησίᾳ μόνον Θεμιστοκλῆς, ἀλλὰ ἢ Τιμόθεος ὁ λυχνοποιὸς, ἢ Μελησίδης ὁ αὐλητής. Ἐπὶ πονηροὺς ἢ ἀγαθούς, locutio qualis apud Senecam illa, itidem de Diis agentem, *Horum beneficio in lucem editmur tam boni quam mali*, 1. 5. De Clementia.

Ibid. ἢ βρέχει ἐπὶ τοὺς δικαίους ἢ ἀδίκους] Πλατῶνι ἁπάντας, ut de eodem Paulus Apoſtolus. —— *Omnibus idem:* ut (nec de alio loquens) Virgilius. Hierocles, Τὸ τ φιλανθρωπίας ἀγαθὸν κοινὸ τῳ γένει πρεσκεῖσθαι. Sirachides 18. 12. Ἔλεος ἀνθρώπου ἐπὶ τ πλησίον αὐτῦ, ἔλεος ἢ Κυρίου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα. De Diis cap. 3. Saluſtius Philoſophus, Τὰ ἐκ τ αἰσθητῶν ἀγαθὰ κοινὰ πᾶσιν ἐπίκεται. (Vide quæ ad Act. 14. 17. & 17. 25. annotavimus.) Seneca, *Æquali tenore bona ſua per gentes populoſque diſtribuunt, unam potentiam ſortis prodeſſe.*

Ibid. βρέχει ἐπὶ τοὺς δικαίους ἢ ἀδίκους] Philo in Allegoriis Legis, Φιλάνθρωπος ὢν ὁ θεὸς, χαρίζεται τὰ ἀγαθὰ πᾶσι, καὶ τοῖς μὴ τελείοις, προκαλούμενος αὐτοὺς εἰς μετουσίαν ἢ ζῆλον ἀρετῆς, ἅμα ἢ ἃ αὐτὸς ἀφθόνως πᾶσιν ἐπιδεικνύμενος, ὅτι ἐξαρκεῖ καὶ τοῖς μὴ λίαν ὠφελημένοις, &c. ὅταν γὰρ αὖ ἢ γαλαζίνης πηγαῖς ἢ ἐν τοῖς ἐρημοτάτοις ἐπομβρῇ, τ ἢ λειβήθρων, ἢ τραχέων, καὶ ἄγονον γλῶ ἄρδει, ποταμοὺς ἀναχέων τ πλημμύρους, τί ὄφελος παρέχειν ἢ τῷ ὑπερβολῇ ἢ πλάτει ἢ τ ἀγαθότητος αὐτῦ; Seneca, *Spargunt* (Dii) *opportunis imbribus terras*, &c. *imitemur illos.*

Ibid. Βρέχει ἐπὶ δικαίους ἢ ἀδίκους] De die, nocte, pluvia, &c. Zeno Veronenſis, *Qua humano generi ſine perſonarum aliqua exceptione æquabiliter juſtitia divina eſt largita.* Cyprianus, *Cum imbribus* (Deus) *terram rigat, nemo à beneficiis ejus excluditur:* imitatus (ni fallor) Senecæ iſta, *Dem quædam in univerſum humano generi dedit, à quibus excluditur nemo.* Quod bene ſane dictum: ſed & addit, *Nec enim poterat fieri ut ventus bonis viris ſecundus eſſet, contrarius malis: nec poterat lex caſuris imbribus dici, ne in malorum improborumque rura deſluerent.* Quam ſimplicem veramque illam priorem ſententiam poſteriorum iſtorum adjectione corrupit! nam nec hæc, nec hujuſmodi Deus, quia aliter non poteſt, ſed quia non vult, facit. Οὐκ ὀθεὸς (Clementis ſunt Stromat. 7.) ἄκων ἀγαθὸς ἐν τέχνῃ τι πῦρ θερμαντικὸν, ἰατικὸς ἢ ὑγιεινῶν ἀγαθῶν μεταδόσεως αἴτιος· voluntatis, non neceſſitatis eſt quod promiſcue benignus eſt. Mutant elementa vices, cum libuerit illi, totuſque ordo naturæ migrat leges ſuas. (Vide Script. Sapient. 19. 6, 7, 18, 19, 20. 21.) Sed hæc verboſus Philoſophus non perſpexit, ſapientiæ mundanæ ſectator non aſſecutus eſt.

Com. 47. τί περισσὸν ποιεῖτε] Non, *quid amplius aliis?* ut hic magni Viri expoſuerunt: ſed ſimpliciter præciſeque, quid magnum, quid eximium, vel quid inſigne facitis? & ita (qui, ni fallor, hunc ipſum Matthæi locum reſpexit) exponit fere Heſychius, Περισσὸν, (inquit) μέγα, πολύ. Comparativa poſitivorum loco frequenter in hac Lingua poni res nimis pervulgata eſt.

Com. 48. Ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν, &c. τέλειός ἐστι] Moſes Deuter. 18. 13. Τέλειος ἔσῃ ἐναντίον Κυρίου τ θεοῦ σου. Idem ex perſona Dei ipſius ibidem 11. 44. Ἅγιοι (ἢ τέλειοι) ἔσεσθε, ὅτι ἅγιός εἰμι ἐγὼ Κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν. Simile Joannis illud 1 Epiſt. 1. 7. ἐν τῷ φωτὶ περιπατῶμεν, ὡς θεὸς ἐν τῷ φωτί ἐστιν. Τέλειος autem ὡς ὁ θεὸς τέλειός ἐστι, videtur mihi fere eſſe quod Paulo Rom. 12. 2. δοκιμάζειν τί τὸ θέλημα τ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον, καὶ τέλειον· Muſonio apud Stobæum, τ πρὸς θεὸν ὁμοιότητα ἐπιτήδειον ποιεῖσθαι· Senecæ 1. 19. De Clementia, *ex natura Dei ſe gerere:* Eidem 92 Epiſt. *habere animum qualem Deum decet:* Philoni in De Sacrif. Caini & Abelis, τ διδασκαλον τέλειον τελείως μιμεῖσθαι καὶ ζηλοῦν. Τέλειος (etſi alia Salmaſius p. 291. De fœnore trapezit) *perfecti* hic ab Interprete vulgato puto optime verti. Apuleius in De Socratis Genio, *Nihil eſt Deo ſimilius quam vir animo perfecte bonus.* Idem in De Philoſophia libello, cum (ex Platone puto) dixiſſet Sapientiæ finem eſſe ut ad Dei meritum ſapiens pervehatur, hancque futuram operam ejus ut æmulatione vitæ ad Deorum actus accedat, ſubjunxit, *verum hoc ea poterit provenire, ſi virum perfecte juſtum*, &c. *ſe præbeat.* In Excerptis vet. Gloſſarii, *Perfectus*, ἐντελὴς, τέλειος. Seneca 34 Epiſt. *Scis quem dicam bonum? perfectum, abſolutum: quem malum facere nulla vis, nulla neceſſitas poteſt.* Idem 120. de Catone, *Vir ille perfectus:* & poſt, *Habebat perfectum animum, ad ſummam ſui adductum.* Nec alio ſenſu materteram ſuam, cap. 17. Conſolat. ad Helviam, *fœminam perfectiſſimam* vocavit. Tertullianus in Apologetico, *Innocentiam a Deo edocti, perfecte eam novimus, utpote à perfecto magiſtro revelatam.* Perfectionem his omnibus locis (ut & in iis quos initio hujus Notæ adduximus) intellige eam portionem ejus quæ maxime poteſt cadere in humanam imbecillitatem: hoc eſt, quæ (prout res & occaſio ferunt) in exerendo virtutis ſpeculativæ practicæque actus conſiſtit, ἢ πάντι (ut cum Apoſtolo loquamur) ἀγαθῷ ἔργῳ ἐπακολουθεῖ. Interpres Nicomachæorum 10. 2. τελείωσις δὲ ἐν τ ἀρετῆς ἄθλητῦ, τί, ἀγαθὸν αὐτὸν ἡγεῖσθ, ἢ περιλικὸν τ καλῦ. Simplicius item ad Epicteti illud, ἀξίωσον σαυτὸν βιοῦν ὡς τέλειον, Ὡς τέλειον, οὐκ ὡς τέλ@ ἀπειληφότα, &c. ἀλλ' ὡς χῆ τὸ προκόπτον τέλειον, τῷ δεῖ προκόπτειν, ἢ μηδαμῶ ἀφιστάναι τ προκοπῆς. Vox ὥσπερ ergo in verbis Chriſti non æqualitatem notat, (proprie perfectus enim nemo niſi Deus. Philo, Αἱ τελειότητες ἢ ἀκρότητες ἑνὸς εἰσι μόνου· & Pædag. 1. 10.[a] Clemens Alexandrinus, Σοφὸς ὁ μόν@ θεὸς, ἢ τέλει@ μόν@. Unde τελειότατον ἢ θειότατον Plutarchus in Catone junxit:) ſed ſimilitudinem quandam Divinæ naturæ quæ acquiritur imitando eam, præcipueque (ut ſupra hic com. 44.) vel inimicis benefaciendo. Non poſſe homines niſi δίχ' ἢ πατρὸς (i. e. ἢ τ πάντων πατέρ@) τοιῦ τελειῦσθ, etiam impius Porphyrius dixit.

CAP. VI.

MUNSTERUS.

1. *Eleemoſynam*] Monet Chriſtus in hoc capite, ut hæc tria, Eleemoſyna, Oratio & Jejunium, à fidelibus recte & non more Phariſæorum fiant, qui in ſuis operibus vanam quærebant gloriam, & mundanum ambiebant favorem. *Eleemoſynam* Græci à *miſerendo* deducunt; Hebræi autem, à פרץ *juſtitia*; quod vel juſtum ſit ut miſeros noſtro foveamus beneficio, vel homo in hoc opere foris oſtendat quis ab intra per Dei gratiam ſit. De hoc habes Dan. 4. 27. Cæterum in oratione jubet Chriſtus duo cavere, conſuetudinem ſcilicet Phariſæorum, & Gentilium: Phariſæi orabant ad oſtentationem, & Gentiles putabant exaudiri in multiloquio.

9. *Sanctificetur nomen tuum*] q. d. Da ea quibus ad præſentem vitam degendam in diem opus habemus, & da ut celebris ac glorioſus ſis in terra, ut adorent te univerſæ familiæ gentium, & ſit nomen tuum glorioſum & benedictum apud omnes gentes. Eſt enim hic *ſanctificari* idem quod *celebre & auguſtum reddi*; ſicut *advenire regnum Dei* eſt idem quod *Deum in nobis per Spiritum ſuum regnare, quo à Satanæ liberemur tyrannide.*

11. *Panem noſtrum quotidianum*] Hebræi legunt, *Panem noſtrum continuum da nobis hodie.* Et intelligitur per hunc *panem* victus & quicquid eſt quo præſens vita opus habet. Per *hodie* tollitur ſuperflua cura craſtinæ diei; ut & cras rurſum opus habeamus rogare Deum, & ſic ſemper ab eo pendeamus. ¶ Jejunium, de quo mox poſt Orationem fit mentio, propter hoc fieri debet ut mens poſſit intentius orationibus vacare: unde hæc duo fere ſemper conjunguntur, jejunium & oratio. Et jejunium aliud nihil eſt quam temperantia cibi, qua caro in officio retinetur, ne ſpiritus in oratione per carnem impediatur. Sic igitur pio & Chriſtiano homini ſemper eſt jejunandum: nec refert quibus veſcatur cibis, modo illis non ad carnis luxum abutatur.

22. *Lucerna corporis tui*] Significatur hic per *oculum* mens ipſa, & per *corpus* tota vita & converſatio hominis; per *tenebras* vero, ignorantia Dei, vel pronitas naturæ ad malum.

24. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*] *Servire*, i. habere animum addictum & affixum huic & illi domino: adduciturque à domino, ut vulgo celebratum proverbium. ¶ Cæterum *mammona* Hebraice ממון, & Chald. ממון, in V. Teſtam. non invenitur: ſed purus Hebraiſmus utitur pro eo vocabulo עשר & הון. Apud Magiſtros vero ſeu Rabbinos frequens eſt *mammon.*

V A L L A.

1. *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioqui mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.*

2. *Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ*] Non eſt *mercedem habebitis* legendum, ſed *habetis*, ἔχετε· & *amicos*, non *fratres*, φίλους· neque *hoc faciunt*, ſed *idem*, τὸ αὐτό· neque tantum *idem*, ſed *ſic*, ὅτως· nec *juſtitiam*, ſed *eleemoſynam*, ἐλεημοσύνην, ideoque ſubjungitur, *Cum ergo facis eleemoſynam.* ¶ *Hypocritæ*] Neſcio cur non transferatur *hiſtrio*, ſive aliud quippiam. Sed nonnunquam interpretem delectat Græca vox, ut *Ethnicum* pro *Gentili*, & *thronum* pro *ſede*, & alia multa. ¶ *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*] Græce eſt *accipiunt*, ἀπέχουσι· quod congruit cum illo ſuperiore, 5. 46. *habetis mercedem.* ¶ *Ut honorificentur ab hominibus*) Δοξασθῶσιν. Idem verbum hic quod ibi ſuperius, 5. 16. *ut glorificent Patrem veſtrum*, δοξάσωσι.

5. *Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ*] Singulariter Græce dicitur, non pluraliter, *Et cum oras, non eris*, ὅταν προσεύχῃ, οὐκ ἔσῃ, ut ex ſequentibus datur intelligi.

6. *Tu autem cum orabis*] Προσεύχῃ. *Ora* legendum eſt, non *orabis*. Nam & illud proximum temporis eſt præſentis, non futuri.

8. *Quid opus ſit vobis*] Ad literam Græce eſt *quibus neceſſe habetis*, ſive *quorum neceſſitatem habetis*, ὧν χρείαν ἔχετε.

11. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem*] Quoniam durum videbatur vocabulum *ſuperſubſtantialem* (quanquam Græce eſt *ſupereſſentialem* ἐπιούσιον) ideo fortaſſe factum eſt ut in oratione Dominica, qua ſecundum Matthæum utimur, ſimus unum vocabulum mutuati ex Luca, 11. 3. *quotidianum*; præſertim ne illud *ſubſtantia* ſive *eſſentia* moveret ambiguitatem : & hoc quidem ratione nititur. Illud autem qua ratione niti poteſt, quod bonam partem Dominicæ orationis decurtavimus? ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν. i. *Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula. Amen.*

14. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum*] Ego *peccata ſua* dixiſſem, αὐτῶν.

16. *Exterminant enim facies ſuas*] Ἀφανίζουσι. Idem verbum quod mox, ver. 19. *Ubi ærugo & tinea demolitur*, ἀφανίζει. Et tamen diverſum in Pſal. 80. 13. *Exterminavit eam aper de ſilva*, ἐξερημώσατο, *vaſtavit & profligavit.* At *exterminare* eſt extra terminos fineſque expellere. Hic autem de hypocritis dicitur, quod *extenuant* & *deformant* facies ſuas. ¶ *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam*] Superius admonui legendum eſſe in præſenti *recipiunt*, non in præterito *receperunt*, ἀπέχουσι.

21. *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*] *Erit* legendum eſt, ἔσται· & *veſter theſaurus*, non *tuus* : & *cor veſtrum*, non *tuum*, ὑμῶν.

22. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus*] Neque *tui* neque *tuus* eſt Græce. Habetque majorem quandam in ſe dignitatem generalis oratio de omni loquens quam ad unum directa. Idem dico in Luca, 11. 34.

23. *Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt!* Græce non legitur *erunt*, ſed ſubauditur : verum non minus proprie in præſenti, ut cum altero præſenti congruat. *Ipſæ* quoque eleganter propter repetitionem verbi additum eſt. Nam Græce ſic habet, *Si ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, tenebræ quantæ?* i. *ſunt:* τὸ σκότος πόσον;

25. *Ne ſolliciti ſitis anima veſtra, quid manducetis; neque corpori veſtro, quid induamini*] Deeſt apud nos & *quid bibatis.* Sed quia potus utique aquæ ſollicitudinem non requirit, ideo viſum eſt aliquibus ſatis eſſe ut dicatur, *Ne ſolliciti ſitis anima veſtra, quid manducetis*, nec oportere addi, & *quid bibatis*, cum præſertim ſequatur, *Nonne anima plus eſt quam eſca?* non facta mentione potus. Verum ego neſcio an minus ſimus ſolliciti de pane edendo quam de vino potando, aut ficera, cæteriſque potionibus, præter aquam. Et Græce non tam *eſca* dicitur quam *alimentum*, quod etiam potum comprehendit, τροφῆς. Sed quid attinet diſputare? Certe Græce legitur, & *quid bibatis*, καὶ τί πίητε. Et poſterius dicitur, v. 31. *Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus?* ex quo liquet de potu quoque fieri mentionem.

26. *Nonne vos magis pluris eſtis illis?*] Non ſunt duo comparativi Græce, quod ſic transferri poteſt, atque etiam debet, *Nonne vos magis diſſertis ab eis?* Ergo melius in Luca, 12. 7, 24. *Multis paſſeribus plures eſtis vos*, μᾶλλον διαφέρετε.

27. *Quis autem veſtrum cogitans poteſt adjicere cubitum unum ad menſuram ſuam?*

28. *Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis?*] Idem verbum eſt Græce pro *cogitans* & *ſolliciti eſtis*, μεριμνῶν, μεριμνᾶτε. Et apud Marcum 4. 19. pro *erumnæ*; *erumnæ hujus ſeculi*, μέριμναι· pro quo ego maluiſſem dicere *ſollicitudines*. Nam *erumnæ* gravius juſto verbum eſt, ſicut *cogitans* juſto levius.

30. *Quanto magis vos, minimæ fidei.*] Græce eſt, *nonne multo magis vos, parvæ fidei?* οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς, ὀλιγόπιστοι; ideoque melius poſtea, 14. 31. *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* & apud Lucam, 12. 28. *Puſillæ fidei*, ὀλιγόπιστοι.

34. *Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi*] Recte quidem tranſlatum, ſed ad literam ſic ego tranſtuliſſem, *Craſtinus enim dies curabit ſua ipſius*, μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς.

R E V I U S in V A L L A M.

2. Ἀπέχουσι] Et hoc ſede motum.

11. Ἐπιούσιον] Et hoc.

Simus unum vocabulum mutuati ex Luca, Quotidianum] Non ex textu Lucæ Gr. nam & ibi eſt δίδου τὸ, ſed è verſione Lat. Ita etiam accipe quod divinus Scaliger dicit Ep. 444. veterem interpretem ἐπιούσιον vertiſſe *quotidianum* : apud Lucam videlicet non apud Matthæum. v. ep. iſtam. Caſaub. item Exerc. 16. c. 39. & dulce decus literarum Heinſium Exerc. ſacr. c. 16. circa finem.

Quia tuum eſt regnum] Hoc & in Hebræo eſt. Eraſmus autem contumelioſe coronidem hanc rejicit, eo maxime argumento, quod alioqui totam Eccleſiam Romanam hæc pars precationis Dominicæ fugiſſet, &c. quaſi majus in eo eſſet flagitium quam totam Eccleſiam Græcam falſimoniæ arguere, quæ conſtanter eam legit. Obſerva, Bezam etiam Chryſoſtomum ponere inter eos qui hanc appendicem non explicent, cum contrarium recte fateatur Eraſmus, quod per incogitantiam Bezæ excidiſſe puto, an ejuſdem ſit ἀλεξάνδρια quod eam in antiquiſſimis aliquibus Græcis cod. deeſſe, non tam ſuo nomine, ut videtur, loquens, quam aliorum opinionem referens, ibidem ait, dicere non auſim. & tamen conſiderandum id eſt. nam Eraſmus fatetur in omnibus codd. Græcis inveniri.

26. Διαφέρετε] Διαφέρεσθε vulgatum erat.

30. Ὀλιγόπιστοι] Ὀλιγόπιστοι erat ſcriptum, & verſus 30. ante 27. poſitus.

E R A S M U S.

1. NE *juſtitiam veſtram*] Græcis eſt ἐλεημοσύνην, i. *eleemoſynam*, non *juſtitiam*; ut reſpondeat quod ſequitur, *Cum ergo facis eleemoſynam.* Ita legit & interpretatur Chryſoſtomus & Theophylactus. Tametſi Hieronymus *juſtitiam* legit, ſed interpretans *eleemoſynam.* Atque item Auguſtinus Serm. 2. De verbis Domini ex Matthæo ſimiliter interpretans ut legit Illud obiter admonendum, Latinos uſurpantes Græcam *eleemoſyna* vocem, fraudare illam una ſyllaba, cum Græcis habeat ſex ſyllabas. ¶ *Videamini ab eis*] Auguſtinus eo quem modo citavimus loco indicat hanc particulam ſic addendam orationi ſuperiori ut Finem ſignificet conjunctio *ut*, non Sequelam. Neque enim vetat conſpici recte facta, ſed non vult hoc animo fieri. Apud Latinos enim hic ſermo anceps eſt, *ut videamini*, i. *ſic ut videamini*, aut *hoc animo ut videamini.* Cæterum in Græcis nulla eſt amphibologia, πρὸς τὸ θεαθῆναι. ¶ Rurſum in eo quod ſequitur, *Mercedem non habebitis*, verbi tempus mutavit. οὐκ ἔχετε, i. *non habetis.*

2. *Sicut hypocritæ*] Hæc quoque de vocum eſt numero quibus interpres videtur delectatus. Alioqui ὑποκριτὴς Græcis *hiſtrionem* ſignificat, h. e. qui ficta perſona fabulam agit apud populum; quos eoſdem *actores* vocamus. Unde quam nos *pronunciationem* aut *actionem* dicimus, illi ὑπόκρισιν appellant. Quanquam quiſquis quovis modo ſimulat ac fingit, *hypocrites* vocari poteſt. Unde Paulus, ἀνυπόκριτος, i. *charitas non ficta*, ſimulandi neſcia. Cæterum quod ad hiſtrionicam geſticulationem attinet, belle quadrat quod modo dixerat, πρὸς τὸ θεαθῆναι, *ut ſpectentur*; quod actorum eſt : & hinc *theatrum.* Quis enim mimus, quis hiſtrio minus eſt id quod videtur quam iſti qui inani labiorum motu & vocum ſtrepitu videri volunt precari Deum, cumque illo colloqui? aut qui Judaïcis ceremoniis ſanctimoniam mentiuntur? ¶ Rurſum quod hic vertit, *in ſynagogis*, apertius erat, *in conciliabulis.* Significat enim conventicula quæ ſolent fieri in plateis, ac foro, ſeu triviis. ¶ Et *vicos* hoc loco ignoſce, non eos qui non ſunt oppida, ſed in quos dividitur urbs. Nam paulo poſt memini *platearum*, quæ proprie dicuntur viæ latiores, in quibus ſolent

ſolent fieri plebis conventicula: In qua dictione philoſophantur quidam, quod impiorum civitates plateas habent, cum via virtutis ſit arcta. ¶ Ad hæc. *Receperunt mercedem*, ἀπέχουσι] i. *Habent*, ſive *tulerunt*. Nam ἀπέχω ſonat quod alicunde ſit acceptum.

3. *Neſciat ſiniſtra tua*] Græcè duæ ſunt dictiones, μὴ γνώτω, *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera*] Non abſque figura dictum eſt, ſed ὑπερβολικῶς, q. d. Ipſe neſcias quod facis, ſi fieri poteſt; tantum abſit ut aliis oſtentes. Figuram annotavit & Chryſoſtomus hom. 19. & hunc ſecutus Theophylactus.

4. *Reddet tibi*] Addunt Græci ἐν τῷ φανερῷ i. *in propatulo*, ſive *in aperto*. Quod tamen Auguſtinus negat ſe comperiſſe in Græcis cod. & ideo nec exponendum arbitratur. Theophylactus interpretatur etiam ἐν φανερῷ, *cum manifeſtabuntur omnia bona malaque opera*. Mihi germana lectio videtur quam probat Auguſtinus. Gr. αὐτὸς ἀποδώσει σοι, *ipſe* ſive *idem*, *reddet tibi*; quo dilucidius diſtinguat perſonam Patris ab eorum perſona quibus confertur beneficium.

5. *Et cum oratis*, καὶ ὅταν προσεύχῃ] i. Cum oras. Nam & paulo ante uſus eſt numero ſingulari, *Cum facis eleemoſynam*: etiamſi mox variat. ¶ Nec eſt *Non erunt*, ſed οὐκ ἔσῃ, *non eris*. ¶ Et in nonnullis Latinorum cod. aſcriptum eſt, *ſicut hypocritæ*, *triſtes*, cum hæc dictio *triſtes* nec apud Græcos ſit, nec in noſtris emendatioribus. ¶ *Qui amant*, φιλοῦσι] Quod licet ſignificet *amant*, tamen Græcis frequenter uſurpatur pro *ſolent*. Hoc certe loco magis quadrabat *ſolent*. ¶ Rurſum eſt, *Synagogis*] Quod nos vertimus *conciliabulis*. ¶ Et *angulis* vocantur non receſſus, ut vulgus accipit, ſed flexus viarum, velut juxta compita ac trivia. ¶ *Ut videantur ab hominibus*, ὅπως ἂν φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις] i. *Conſpicui ſint hominibus*, ſeu potius, *ut conſpicum poſſint eſſe*.

6. *In cubiculum*] Eſt ταμεῖον, quod Latine *penus* ſive *cellam* appellant, ubi reconduntur quæ ad uſum domeſticum pertinent: nos *conclave* vertimus. Interp. Origenis (quiſquis fuit. Nam Hieronymum non eſſe ſtylus arguit) hom. in Matth. 23. vertit *promptuarium*: quod *tamia* Græcis dicantur quos nos *promos condos* appellamus: ταμεῖον tamen utrumque ſignificare, vel *cellam promptuariam*, *vel conclave*, ſeu *cubiculum*, teſtis eſt Heſychius. ¶ *Clauſo oſtio*] Græci addunt *tuo*, καὶ atque item veruſti Latinorum cod. quod ſuæ quiſque domi maxime in occulto ſit. ¶ *Patrem tuum in abſcondito*] Nonnulli cod. habebant τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ, i. *Patrem tuum qui eſt in abſcondito*, ut certum intelligas Patrem diverſum à corporali, & arcanum ſingulare quo Pater occultatur cœleſtis, qui nuſquam non adeſt, ſed nobis occultus. Ac rurſum additur, ¶ *In manifeſto*, ἐν τῷ φανερῷ] Atque ita legit Chryſoſtomus hom. 16. Annotavit & hoc loco tropum ſermonis Chryſoſtomus. Neque enim hoc ſenſit Chriſtus, non eſſe Chriſtianis precandum niſi in penuario domus, ſed non magis affectandum ut homines laudent precantem quam ſi abditi in retruſiſſima ædium parte ſoli precentur.

7. *Nolite multum loqui*, μὴ βαττολογήσητε] Græcis eſt dictio compoſita proverbialis à Batto quodam pœta, qui conſcripſit hymnos in quibus eadem ſubinde inculcavit; quemadmodum copioſius explicatum eſt in Chiliadibus noſtris. Huc alluſit Ovidius cum Battum indicem eadem facit iterantem;

> *In illis*
> *Montibus, inquit, erant, & erant in montibus illis.*

cujus βαττολογίαν ridicule imitatus Mercurius,

> *Et me mihi, perfide, prodis?*
> *Me mihi prodis? ait.*

Sunt qui malint Battum fuiſſe quempiam balbum, & hæſitanti ore, impeditaque lingua: cui videlicet hominum generi peculiare videmus, cum ne ſemel quidem quod cupiunt poſſint effari, voces eaſdem iterum atque iterum repetere. Unde quod hic docet Chriſtus, non ſolum pertinet ad immodice prolixas preces (cum alioqui Paulus jubeat nos *citra intermiſſionem orare*, & ipſe Chriſtus legatur oraſſe prolixius) verum etiam ad illos qui ſuperſtitioſe preculas eaſdem ſine fine iterant. Quo quidem morbo uſque adeo non vacant Chriſtiani quidam ut in his ſummum pietatis faſtigium collocent. Porro quod hodie videmus ſacerdotes, nihil dicam qualibus, ſed certe nimium prolixis precibus, hiſque præſcriptis, aliquoties inepris ac ridiculis, ne dicam impiis, oneratos, quid ſuper hac re ſentiam, ſatius eſt non attingere; partim quod res paucis explicari non poſſit, partim quod fortaſſis nec citra periculum; ne dum huic malo mederi conamur, alterum invitemus gravius, ut ſunt qui vitiis ſuis, patrocinium undelibet aucupentur. Illud dicam, non eſſe prudentis cum ſuo ſeculo pugnare. Et bonæ mentis eſt, majorum decretis libenter ac ſimpliciter obſequi. At rurſum illorum eſt, ut ſumma vigilantia quod ſit optimum & cum Chriſti dogmatis maxime conſentiens ſtatuant. Hieronymus admonet ex hoc loco natam hæreſim quorundam qui Chriſtianorum precationes veluti ſupervacaneas in totum aſpernabantur. Fuit his diverſa factio Pſallianorum, ſive Euchitarum, nomen inditum ab *orando*, qui totos dies otioſi tantum precularum emurmurabant mira linguæ volubilitate ut Auguſtinus id ſcripſerit incredibile: Monachos vetabant ſuſtentandæ vitæ cauſa manibus operari, ne quando cogerentur precationes interrumpere. Utinam quicunque Chriſti philoſophiam profitentur, ſic abhorreant ab hac ſuperſtitione ut precum puram & illibatam victimam Chriſtoque gratam offerant. Nam cantiuncularum, clamorum, murmurum ac bomborum ubique plus ſatis eſt, ſiquid iſta delectant ſuperos. Abunde ſatis erat hoc indulgere idiotarum ac rudiorum affectibus, ut cuique liberum eſſet privatim quæ vellet aut quantum vellet precari. Cæterum publicas preces optarim eſſe moderatas, nec in his quicquam admiſceri non depromptum ex Sacris literis, aut certe ab his viris profectum quorum ſcripta Spiritum Apoſtolicum reſipiunt. Nunc cujuſmodi eſt, compelli tanta cenſura ſacerdotes ut deliri ſenis aut mulierculæ nænias legant ſacris admixtas? ¶ Levius videri poterat quam ut operæpretium eſſet admonere, apud Græcos non eſſe verbum *nolite*, etiamſi Latine vertit interpres, niſi viderem Auguſtinum hac voce fruſtra philoſophari, cum alias, tum in lib. De gratia & libero arbitrio ad Valentinum c. 2. Ratiocinans enim hominem ſua voluntate in lege Dei conſiſtere, ſubjicit hæc verba, *Deinde tam multa mandata, quæ ipſam quodammodo nominatim conveniunt voluntatem, ſicut eſt, Noli vinci à malo.* Et hujus formæ multa refert è ſacris voluminibus. Hoc ſemel admonitum volui, ne quis imprudens ad eundem impingeret lapidem. ¶ *Sicut Ethnici faciunt*] *Faciunt* non additur, nec apud Græcos, nec in aureo cod. nec in Donatianicis. ¶ *In multiloquio*] Hic non eſt βαττολογία, ſed proprio uſus eſt verbo πολυλογία, velut exponens quid dixerit βαττολογεῖν.

8. *Petatis eum*, αἰτῆσαι αὐτόν] Et Latinius & apertius dixiſſet, *Priuſquam petatis ab eo.*

9. Deinde, προσεύχεσθε ὑμεῖς, i. *Orate vos*, non *vos orabitis*. Major enim eſt pronominis emphaſis in fine appoſiti, quo diſcernat illos ab ethnicis. ¶ *Qui es in cœlis*,] Articulus Græcus veluti diſtinguit illum Patrem à patre terreſtri, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Perinde q. dicant, Nos in terris patrem neſcimus: ex te uno pendemus, Pater cœleſtis, à quo nobis petenda ſunt omnia quibus opus eſt ad veram vitam. ¶ *Sanctificetur nomen tuum*, ἁγιασθήτω] *Sanctum* dicitur non ſolum purum & impollutum, verum etiam venerandum & inviolatum. Et Auguſtinus explicans tropos V. Inſtrumenti lib. 4. oſtendit hic *Sanctificetur* dictum, non pro eo quod eſt *Fiat ſanctum*, ſed pro *Declaretur ſanctum*. Quanquam apud Jeremiam queritur Deus *nomen ſuum pollui inter gentes culpa ſuorum*. Nullum autem probri genus intolerabilius ingenuis animis quam parentum ignominia. Siquidem veriſſime dictum eſt apud Græcum tragicum,

> Δυοῖν γὰρ ἄνδρε, καὶ θεραπαινολαγχός τις ἦν,
> Ὅταν σπουδὴν μητρὸς ἢ πατρὸς κακά.

Rurſum nulla res æque fulcit & exhilarat filiorum animos ac parentum gloria. Nam hos affectus quos hominum vulgus habet erga corporeos parentes, transfert in Deum. Quod genus eſt & illud quod ſequitur,

10. *Adveniat regnum tuum*] Si patres ad amplos honores provehantur, ſub eorum umbra regnant & filii, & ſibi putant accreſcere quicquid dignitatis aut autoritatis accrevit patri. Jam ut regni ita & familiæ in hoc ſita eſt felicitas, ut autoritati patris aut Regis morigeri ſint omnes, nec ulla ſit factio diſſidiumve, ſed ab unius voluntate pendeant omnia. ¶ *Fiat voluntas tua*] Tropi novitatem annotavit & Auguſtinus. Non enim *fiunt verba* noſtra cum perficitur quod juſſimus, ſed cum jubemus: Nec *facit ſermonem* qui re præſtat quod dictum eſt, ſed qui loquitur: Nec *fiunt vota* noſtra cum contingit quod optamus, ſed optando fiunt. Ita *fit voluntas* noſtra cum datur volendi facultas. Verum hæc ſermonis forma ſumpta ab Hebræis adeo frequens eſt in literis Sacris ut mutanda non fuerit. Alioqui Latinus erat, *Fiat quod vis etiam in terra, quemadmodum fit in cœlis.* ¶ *Sicut in cœlo, & in terra*, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς] i. *Quemadmodum in cœlo, ſic etiam in terra.* Interpres dum exprimit Græcam figuram obſcurius extulit ſententiam. Senſus autem eſt, *ſic fiat quod tu vis in terris*, h. e. in tuo populo cœlesti qui adhuc corpore

verſatur in terris, *quemadmodum ſit in cœlo*, ubi nemo repugnat voluntati tuæ.

11. *Panem noſtrum quotidianum*, τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον] Quod hic vertit *ſuperſubſtantialem*, ad verbum *ſupereſſentialem* ſonat. Id autore Hieronymo LXX plerumque transferunt ἐπιούσιος, pro quo apud Hebræos reperitur נחמד, quod Symmachus ἐξαίσιον, *eximium* ſive *egregium*, vertit: quanquam idem alicubi verterit *peculiare*. In Euangelio quod appellatur Hebræorum pro *ſuperſubſtantiali pane* reperit Hieronymus מחר, quod dicitur *craſtinum*. Equidem ut nihil horum improbo, ita quod poſtremo loco poſitum eſt mihi maxime probatur. Nec enim in precatione tam cœleſti Chriſtus de hoc, opinor, loquitur pane quem à ſuis parentibus accipiunt & gentes. Et apud Græcos μάθον *craſtinus* dicitur *dies*. Sic enim uſus eſt & Lucas in Actibus Apoſtolorum cap. 7. τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ, *poſtero die*. Et indicat Auguſtinus nonnihil tale Serm. 28 ut hic ſit ſenſus, Quemadmodum patres terreni proſpiciunt liberis ſuis panem quo corpus alatur etiam in poſterum diem, ita tu nobis proſpice panem cœleſtem animi cibum, qui Pater es cœleſtis & Pater ſpirituum. Verum hac de re nonnihil dicemus & alias.

12. *Et dimitte*, ἄφες] Cur non potius *remitte*? Nam Græca vox polyſemos eſt. Audio quoſdam offenſos quod pro *dimitte* verterim *remitte*. Cur iſti non item offenduntur quod 2 Par. 36. Manaſſes ſic oret, *Peto, roganſte, Domine, remitte mihi, remitte mihi?* quod in Symbolo Apoſtolorum, ut vocatur, credamus *remiſſionem peccatorum* potius quam *dimiſſionem?* Quod ſi primus omnium pro *dimitte* dixiſſem *remitte*, quid erat flagitii? Nunc D. Cyprianus enarrans hunc locum toties iterat *remitte* pro *dimitte*, idque in voluminibus à me non editis, ut quod aliquoties relictum eſt, *dimitte* probabile ſit à ſcriba poſitum. Ad eundem modum citat lib. ad Quirin. 3. c. 22. referens ex Marco, *Remittite, ſi quid habetis, ut & Pater veſter qui in cœlo eſt remittat vobis.* Item ejuſdem operis cap. 28. Iterum in Pſalmis, *Remiſiſti iniquitatem peccati mei:* &, *Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ.* Quin & Auguſtinus lib. ad Catechumenos 2. cap. 10. quoties utitur *remittendi* verbo. *Fili, confide, quoniam remiſſa ſunt tibi peccata tua*, Rurſum, *& hanc profeſſionem fidei ſuæ, in qua remittuntur omnia peccata*, &c. Quod ſi apud hunc frequenter invenimus *dimittere* pro *remittere*, aut datum eſt vulgatæ conſuetudini ſermonis popularis, aut à librariis depravatum eſt. Quorſum autem attinet excutere quoties hoc verbum ſit obvium apud alios ſcriptores Eccleſiaſticos pro *condonare* cum toties occurrat in Euangelicis & Apoſtolicis literis, velut Mat. 12. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus*, & Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* & Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, quod ſi uſque adeo ſanctum exiſtimant male Latine loqui, non obſtamus quo minus iſti fruantur ſuo *Dimitte*. Quod, quæſo, eſt illud hominum genus? Nos modeſtiſſime duobus verbis annotavimus quod rectum eſt, neque cuiquam unquam vel verbo moleſti fuimus, ſi cui magis arrideat, *dimitte*; Iſti recte admoniti, quiritantur in concionibus apud indoctam plebeculam, ad lapides provocantes, debacchantur in conviviis, latrant in gynæceis, in navibus, in vehiculis, & ubi non? Clamant actum eſſe de religione Chriſtiana, ſe fruſtra Theologos eſſe: repertum qui non veritus ſit precationem Dominicam corrumpere. O linguas exſecrandas, & indignas quibus Euangelium Chriſti prædicetur! ad hoc explicandum infantes & inſulſi, ad lacerandam hominis benemerentis famam & diſerti ſunt & venuſti ſcilicet. Sycophantas præſtant, hierophantas profeſſi. Quid autem arrogantius? Per nos illis licet quantum libitum fuerit σολοικίζειν, nullus obſtrepit, nullus reclamat; nobis per illos emendate loqui non licebit? Sed præſtat id quod erat inſtitutum perſequi. ¶ *Debita noſtra*, ὀφειλήματα] Quidam hic argutantur *debita* vocem plura complecti quam *peccata*, videlicet pœnam culpæ debitam; quod an verum ſit nunc non excutio. Certe D. Auguſtinus ſimpliciter interpretatur *debita*, *peccata*; & Lucas 11. pro ὀφειλήματα ponit ἁμαρτίας, & interpres vertit *peccata noſtra*. ¶ *Sicut & nos*, ὡς καὶ ἡμεῖς] Hoc loco non conditio ſed ſimilitudo ſignificatur; id quod evidentius explicat Lucas. Sentit enim alterum fieri inter filios cœleſtis Patris, alterum rogat ut fiat. Neque enim rogant ut viciſſim inter ſeſe ſibi dent veniam, quod in ipſis ſitum eſt; ſed quemadmodum ipſi inter ſeſe mutuis erratis ignoſcunt, ut facere par eſt ejuſdem familiæ filios, ita ſit & ille propitius Pater, nec ulciſci velit, ſi quid forte adverſus ipſum deliquerunt.

13. *Et ne nos inducas*, εἰσενέγκῃς] Auguſtinus indicat in nonnullis cod. fuiſſe ſcriptum *ne inferas*; ad ſenſum tamen arbitratur nihil refert. Nec refert, niſi quod εἰσενέγκῃς magis ſonat *impingere* ac *vi inducere*, cum inducatur & volens amicus. Hoc indicaſſe ſatis eſt huic propoſito: cætera petantur ab aliis. ¶ *A malo*, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ] Poteſt & ad rem referri, q. d. *à malitia*. Verum articulus additus ſuadet ut magis referatur ad diabolum. Nam hujus eſt tentare. Et hunc opponit Patri unde cœpit precatio. Ita docet Chryſoſtomus, hunc edidiſſe locum. ¶ *Quia tuum eſt regnum*] Hanc coronidem in omnibus Græcorum exempl. adjectam comperio, ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν i. *Quoniam tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria in ſecula, Amen.* Verum quando nec in ullis Latinorum exempl. ſcriptum vilitur, neq; exponitur ab Hieronymo, aut ullo prorſus interpretum, præter Chryſoſtomum, & hujus abbreviatorem recentem Theophylactum, apparet ex ſolenni conſuetudine ſic additum, ut Angelicæ ſalutationi quædam adjecerunt nec ab Angelo dicta nec à quopiam alio. Nam, *Benedicta tu in mulieribus*, Elizabeth verba ſunt, &, *Quia peperiſti Servatorem animarum noſtrarum*, à nemine dictum eſt. Conſimili ſtudio adjectum eſt in fine Pſal. *Gloria Patri.* Proinde non eſt cur L. Valla ſtomachetur bonam precationis Dominicæ partem fuiſſe decurtatam. Magis taxanda fuerat illorum temeritas qui non veriti ſint tam Divinæ precationi ſuas nugas affluere. Nugas enim jure dixerim ad Divinam doctrinam, quicquid ab hominibus profectum fuerit; præſertim ſi quod ab hominibus annexum ſit ad Chriſtum autorem conferatur. Quod ſi quis contendat hoc ab ipſo Chriſto fuiſſe additum, neceſſe eſt ut fateatur omnes noſtros ac totam Romanam Eccleſiam hactenus fugiſſe bonam partem Dominicæ precationis: Ac ne Africanam quidem recte legiſſe. Nam Cyprianus enarrans peculiari libello locum hunc Euangelii, ne verbo quidem agnoſcit hanc coronidem. Porro qui ideo putant ab Euangeliſta fuiſſe additam quod Chryſoſt. interp. levi nituntur argumento: Siquidem interp. ille quod ſolennis uſus Eccleſiæ Græcanicæ quotidie ſonabat: perinde quaſi quis enarrans Pſalmos, interpretaretur ſolennem illam coronidem *Gloria Patri & Filio.* Nec mirum ſi hoc dignatus eſt facere Chryſoſtomus, cum in Homiliis diligenter exponat hymnum quo monachi quidam ſoliti ſunt conſecrare convivium ſuum. In Aurea catena hoc modo citatur Chryſoſtomus, *Quia vero ſolicitus nos fecerat inimici memoria, in hoc quod dixerat*, LIBERA NOS A MALO, *rurſum audaciam præbet per hoc quod in quibuſdam libris ſubditur*, QUIA TUUM EST REGNUM, *&c.* quod unde ſumptum ſit neſcio, nam hæc verba non reperiuntur in Chryſoſtomi commentariis. Qui contendunt hanc coronidem adſcriptam fuiſſe ab Euangeliſta, iidemque confirmant hanc editionem aut eſſe Hieronymi, aut certe ab illo caſtigatam, velim ut explicent nobis cur ille tantam ſacræ precationis partem auſus ſit omittere, qui ne in commentariis quidem ullam hujus fecerit mentionem. Hæc cum ſint dilucidiora quam ut argumentis egeant, tamen non defuerunt qui mihi ex hoc quoque loco gravem ſtruerent calumniam. ¶ Cæterum *Amen*, quod Aquila interpretatur *fideliter*, & his ſimili modo videri poterat adjectum, Hieronymus admonet precationis Dominicæ eſſe ſignaculum.

14. *Peccata eorum*, παραπτώματα] i. *delicta*, ut mox vertit, ſive *errata*, ſive *lapſus*. Siquidem à *labendo* vox dicta eſt. Et Latinius *ſua* quam *eorum*, id quod conſtanter contemnit interpres. ¶ Acrurſum, *dimittet*, pro *remittet*.

16. *Hypocritæ triſtes*, σκυθρωποὶ] i. *Tetrici, parumque alacres.* Latine vertit interpres, modo intelligatur *triſtis*, non qui doleat, ſed qui vultu ſit inamœno ac ſevero. Nam alias *Triſtis eſt anima mea* pro *dolente* vertit; & *contriſtare* pro *dolore afficere*, λυπεῖν. Miror *hypocritæ* Græcam vocem uſqueadeo placuiſſe Chriſtianis Latinis, cum *ſimulator* dicatur Latine. Non mihi tempero quin animi gratia recenſeam quod adjectum eſt in Lyrani commentariis. Neque enim ſuſpicari libet illum uſque adeo ineptiſſe, *Hypocrita*, inquit, *dicitur ab Hypos, quod eſt Sub; & Criſis, Aurum: quia ſub auro vel ſub honeſtate exterioris converſationis habet abſconditum plumbum falſitatis.* Eant nunc & negent referre utrum Græce norit aliquis an ſecus. ¶ *Exterminant enim*, ἀφανίζουσι] Quod Chryſoſtomus interpretatur διαφθείρουσι καὶ λυμαίνονται, i. *corrumpunt ac perdunt:* Quod videlicet odioſius putat perſonis hiſtrionum: Siquidem illi nativam faciem perſona tegunt duntaxat, iſti vero corrumpunt ac perdunt propriam faciem, & citra perſonam agunt fabulam. Qui ſic interpretantur, hoc mihi videntur ſecuti, quod qui perit *e medio ſublatus* dicitur etiam Græcis. D. Hieronymus vertendum putat *demoliuntur*, addens *exterminandi* verbum inſcitia interpretum frequenter obvium eſſe in S. Scriptura; cum aliud quiddam ſignificet quam illi ſentiri volunt. Siquidem *exterminare* eſt E terminis ac finibus profligare; quemadmodum *eliminare*, Extra limen ac foras efferre. Sic uſus eſt Cicero lib. Offic. 3. & alius præterea locis. Hilarius hoc

loco

loco ἀφανίζειν interpretatur *conficere*, nec id ſine ineleganter. Eſt enim *obſcurare*, ac *velut e conſpectu tollere*; velut qui fucis utuntur, celant ſuam faciem, ac ceu perſona tegunt; ita qui ficta macie triſtique pallore ſanctimoniam ſimulant. Nam & pietas ſuam habet tenuitatem, ſuum pallorem, ſed in quo Chriſti reluceat alacritas. ¶ *Ut pareant hominibus*, ὅπως φανῶσι] Quod modo vertit *ut videantur*, nunc vertit *ut pareant*, mire laſciviens ſua copia. ¶ Cæterum νηστεύοντες participium verbi infiniti vice poſitum videtur, more Græcorum; unde nos ita vertimus, *quo perſpicuum ſit hominibus ipſos jejunare*. Nec enim in hoc reprehenduntur quod ſtuderent videri jejunare cum non jejunarent, ſed quod jejunium omnibus conſpicuum eſſe vellent, quod potius erat diſſimulandum. Itidem mox, *ne videaris hominibus jejunans; ne conſpicuum ſis hominibus te jejunare.* ¶ *Receperunt mercedem*,] Rurſus eſt ἀπέχουσι, i. *habent*, ut ante commonſtravimus.

18. *Reddet tibi*] Et hic addunt Græci cod. ἐν τῷ φανερῷ, *in propatulo*; ut opponatur ei quod eſt *in occulto*.

19. Cæterum hic quod ἀφανίζει vertit *demolitur*, ex ſententia Hieron. facit. Quanquam ego malim *Corrumpi*, cum de tineis loquatur & blattis. Nam *demoliri* potius eſt Parietem aut murum deſtruere, verbum à *mole* dictum.

20. *Theſaurizate*] Mirum cur Græca vox uſque adeo delectarit, θησαυρίζειν, cum dicere potuerit *reponite*, *recondite*, *colligite*, *conſervate*. *Theſaurum* enim proprie divitiæ ſunt ſepoſitæ & in longum tempus reconditæ, quam Perſæ *gazam* appellant. Conſtat enim Græcis θησαυρὸν dici τὸ εἰς αὔριον θεῖναι, h.e. *in craſtinum*, ſive *in poſterum*, *reponere*. ¶ Neque tam eſt *effodiunt* quam *perfodiunt* διορύσσουσι. Siquidem perfoſſo pariete fures ad ſcrinia penetrant. ¶ *Nec arugo nec tinea*, οὔτε σὶς οὔτε βρῶσις] Cyprianus lib. 3. ad Quirinum legit, *Neque tinea neque comeſtura exterminabit*. Nec eſt

21. *Theſaurus tuus*] ſed *veſter*, ὑμῶν. Etiamſi mox numerum mutat, *Si oculus tuus ſimplex*. Nec eſt *eſt cor tuum*, ſed ἔσται *erit*.

22. *Lucerna corporis tui*] Nec additur in Græcis exempl. *tui*, ſed tantum *corporis*: & ſententia pluſculum habet dignitatis, ſi omittatur, ut ſit abſoluta. Quod Lucerna eſt in domo, id eſt Oculus in corpore, non in tuo ſolum, aut meo, ſed in quovis hominis aut animantis corpore. Atque ita legit D. Chryſoſtomus in his homiliis quas Baſileæ vidimus Græce ſcriptas, conſentiente Theophylacto & editione Hiſpanienſi: Atque ita citat Hieronymus ſcribens adv. Luciferianos. Denique ſic ſcriptum comperimus & in pervetuſtis Latinorum cod. Sumitur enim ſimilitudo ab oculo corporis ad oculum mentis. Quod eſt oculus in corpore animantis, id eſt affectus in animo, qui ſi purus fuerit, totus animus erit ſincerus. Proinde prior illa pars, *Lucerna corporis eſt oculus* pertinet ad id unde ducitur collatio: poſterior, *Si oculus tuus fuerit ſimplex*, &c. pertinet ad ea ad quæ accommodatur ſimilitudo: unde addit *tuus*, qui ſpiritualis es, & cujus oculos ſinceros requiro.

23. *Si oculus tuus nequam*, πονηρὸς] i. *malus*, ſive *perverſus*, Nam Græca vox magis ſonat *verſutum* ac malitioſum, ut opponatur *ſimplici*. *Simplex* oculus eſt nulla re vitiatus, puta lemis, aut pituita, aut morbo: Cæterum lippus, aut ſtrabus, aut luſcioſus *depravatus* eſt. Alioqui *nequam oculus* emendate loquentibus magis ſonat libidinoſum quam vitiatum. ¶ *Ipſa tenebræ quantæ?* αὐτὸ τὸ σκότος πόσον;] Quod addidit *ipſa* recte explicuit vim articuli Græci. Cæterum feſtivior erat oratio ſi non addidiſſet *erunt* quod apud Græcos non additur: tantum eſt, *tenebræ quantæ!*

24. *Unum odio habebit*, ἢ ἑνὸς μισήσει] Sermo nonnihil habet obſcuritatis, etiamſi ſenſus liquet. Duos enim ponit, puta Demeam ac Mitionem, quorum alterutri ſit adhærendum; nam utrique ſimul non poteſt: Aut Demea diligendus eſt, ut oderis Mitionem; aut Mitio diligendus, ut oderis Demeam. Proinde mea ſententia rectius vertiſſet per *hunc* & *hunc* quam per *unum* & *unum*. Deinde non eſt otioſus Græcus articulus: certum enim ſignificat, perinde quaſi demonſtret aliquem, ἢ τοῦτον, ἢ τοῦτον. Quanquam illud τὸν ἕνα non ſic accipiendum eſt ut prius referatur ad Deum, alterum ad Mammona; alioqui bis idem diceret: ſed utrumque ἢ ἕνα ad utramlibet perſonam pertineat; quam utramcunque delegeris, ei opponitur ἢ ἕτερον. Quod ſi hic accipias ut juxta conſuetum diſtribuendi morem prius ἕνα notet Demeam, poſterius Mitionem, jam hic erit ſenſus, *Demeam odio habebit, ac Mitionem diliget; aut Mitioni adhærebit, & contemnet Demeam.* Itaque vides idem bis dici, cum aut conjunctio ſignificare ſoleat diverſitatem. Sed tota oratio ad utramlibet perſonam pertinet, nec *aut* conjunctio mutat perſonam, ſed rem. Annotavit ſuper ea re nonnihil & Chryſoſtomus hom. 22. ¶ *Et mammonæ*] *Mammona* neque Græca vox eſt nec Hebraica, ſed Syriaca, ut oſtendit D Hieronymus, idem apud eos ſignificans quod apud Græcos πλοῦτος, quem poetæ deum faciunt. Eſt enim vox ſing. numeri, generis maſc. D. Auguſtinus indicat linguam Pœnorum affinitatem habere cum Hebræorum lingua: id quod alicubi fatetur & Hieronymus. Porro Pœnorum lingua *Mammon* vocari lucrum. Cæterum quod idem *mammona* vocem putavit Hebraicam, cum Syra ſit, mirum non eſt, cum inter Hebræam quoque & Syram nonnulla ſit cognatio.

25. *Anima veſtra*, τῇ ψυχῇ] *Animam* pro *vita* poſuit; velut & alias, *Qui perdiderit animam ſuam.* Cæterum ¶ *Quid bibatis*] Etiamſi reperitur additum in nonnullis cod. ſuperfluum eſt, quod *cibi nomine* potus contineatur, & aquæ potus nemini non pateat. Certe nec apud Chryſoſtomum additur, nec apud Hilarium. Hieronymus indicat in nonnullis cod. adſcriptum fuiſſe, verum ediſſerens negligit. Nos paſſi ſumus adjici, ne Latina non reſponderent Græcis. Certe in pervetuſtis exempl. non aſcribitur, licet paulo inferius etiam potus fiat mentio, *Nolite eſſe ſolliciti, dicemes, Quid manducabimus, aut quid bibemus?* Ac rurſum ¶ *Nonne anima*] Apertius erat, *nonne vita.* ¶ *Quam eſca*, τῆς τροφῆς] i. *Cibo*, ſive *alimonia*; ut potum quoque complectatur. Etiamſi Ariſtoteles potum eſſe neget qui nutriat, utcujus vis ſit cibum in membra digerere. ¶ Cæterum pro πλεῖον, quod Græcis ſonat *plus*, recte mutatum eſt *pluris*, & Latinitatis habita ratio.

26. *Reſpice volatilia*, ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ] i. *Intuemini ad volatilia*, ut verbum verbo reddam. Certe *reſpicit* qui in tergum deflectit oculos. Unde maluimus circumloqui, *Vertite oculos ad volatilia cœli.* ¶ *Quia non ſerunt*] Sic enim legitur in pleriſque cod. ὅτι, i. *Quia non ſerunt*, & D. Hieronymus legit *quoniam*. Ego malim *quod*, ut accipiatur εἰδικῶς. Siquidem idipſum eſt quod nos vult intueri, aves non facere ſementem, cum tamen hominum more vivant, nec interim ulla diſtringantur ſolicitudine parandi victus. ¶ *Magis pluris eſtis*, μᾶλλον διαφέρετε] i. *Magis antecellitis*, ſive *præſtatis illis.* Siquidem διαφέρειν Græcis non ſolum eſt *differre*, ſed & *præcellere*. Quoniam in ipſo verbo vis eſt comparativi: aut congeminatio epitaſin habet eminentiæ, aut μᾶλλον poſitum eſt pro *potius*. Proinde nos vertimus; *Nonne vos longe præcellitis illa?* Nam interpres videtur etiam affectaſſe ſermonis abſurditatem. Auguſtinus De tropis V. T. demonſtrat apud Hebræos adverbium comparandi nonnunquam adjici ex ſuperfluo. Et fieri poteſt ut hanc quoque ſermonis formam expreſſerit Græcus interpres.

27. *Quis ex vobis cogitans*] Μεριμνῶν, plus eſt quam *cogitans*, ſc. *anxie ac ſolicite cogitans*, Participium ejus verbi quod ſæpe vertit *ſolicitum eſſe*. Porro, quod ſequitur ¶ *Ad ſtaturam ſuam*] Græcis eſt ἡλικίαν, quæ & *ætatem* ſign. q. d. *granditatem*. Unde & *major* & *minor* & *grandis* ad ætatem referuntur; quod ex auctu corporis ætas deprehenditur in adoleſcentibus.

28. *Lilia agri*, τοῦ ἀγροῦ] Non otioſe addidit ἀγροῦ, quod hortenſia lilia nonnihil debere videri poterant curæ humanæ: quemadmodum ante dixerat *volucres cœli*, ut diſtingueret ab altilibus. ¶ Nec eſt *conſiderate*, ſed καταμάθετε, i. *cognoſcite*, ſive *cognoſcitis*. Nam Græca vox anceps eſt. ¶ Ut omittam quod ὅτι rurſum vertit *quoniam* pro *quod*, tametſi præſtabat omitti. ¶ Ac rurſus, *cooperuit eſt* pro *amictus fuit*, ſive *indutus*, περιεβάλετο. ¶ Ad hæc, pro *unum* rectius vertiſſet *unum quodlibet horum*.

30. *Quanto magis*, οὐ πολλῷ μᾶλλον] i. *An non multo magis.* Ubi, quæſo, quid erat cauſæ cur interpres variaret Græcum ſermonem? ¶ *Modicæ fidei*] Græcis eſt dictione compoſita ὀλιγόπιστοι quod in Luca vertit *Puſillæ fidei.* ἀξιόπιστος eſt *gravis & idoneus cui fides habeatur*: ὀλιγόπιστος ſive *cui parum fidendum*, ſive *qui parum fidit.* Sunt enim in S. literis voces aliquot receptiores quam ut poſſint loco moveri, quarum eſt *Fides*; quæ Latinis magis pertinet ad eum qui pollicetur aut præſtat quam ad eum qui fidit; niſi cum dicimus *fidem habere* pro *credere*. Proinde magis hic quadrabat *exigua fiducia* quam *modicæ fidei*, ſive, ut nos vertimus, *parum fidentes.*

32. *Scit enim Pater veſter*] Hoc loco Græci addunt ὁ οὐράνιος *cæleſtis.* Nec eſt in pleriſque.

34. *Solicitus erit ſibi*, ſed *curam habebit ſui ipſius*, μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς, i. *curabit ſua.* Auguſtinus in lib. adv. Adimantum legit, *Nolite cogitare de craſtino; nam craſtinus dies ipſe cogitabit ſibi.* Eundem ad modum legit Cyprianus, enarrans precationem Dominicam. Et nonnulla exemplaria habent μεριμνήσει ἑαυτῆς. ¶ *Sufficit diei malitia ſua*] Ἡ κακία, *Malum*,

lum. Ut apud Græcos κακὸν, itidem apud Latinos anceps eſt ad Afflictionem & Improbitatem. At κακία Virtuti opponitur, quam Latini nonnulli *malitiam* vocant, alii *vitium*. Cæterum κάκωσις *afflictionem* ſonat, à verbo κακόω, quod eſt *malo afficio*. Abuſus eſt igitur κακία pro κάκωσις, ut indicat Hieronymus, ediſſerens hunc locum. Præterea in Commentariis Eccleſiaſtæ; Rurſus in Commentariis Amos, & Chryſoſtomus hom. 13. Satis malorum adfert ipſum tempus, ut non affligamus noſmetipſos ſolicitudine futurorum malorum. In hanc ſententiam ad lucit hunc Euangeliſtæ locum Auguſtinus in 2. Commentario Sermonis Chriſti in monte dicti, *malitiam* interpretans *malum penale*. Docuit hoc primus omnium Tertullianus lib. adv. Marcionem 2.

VATABLUS.

1. *Juſtitiam*] i. eleemoſynam, i. miſericordiam, cum voletis in pauperes eſſe benefici. ¶ *Habebitis*] *Habetis.*

2. *Synagogis*] i. congregationibus, conciliabulis, conventiculis, i. locis in quibus Judæi ad tractanda ſacra conveniebant. ¶ *Receperunt*] *Habent.* ¶ *Mercedem ſuam*] *Præmium ſuum.*

4. *Reddet tibi*] *Tibi in propatulo*; vel *in manifeſto.* Vetera, *in palam*, legunt.

5. *Cum oratis, non eritis*] *Cum oras, ne ſis.* ¶ *Qui*] *Nam.* ¶ *Amant*] *Gaudent*, aut *ſolent.* ¶ *Receperunt*] *recipiunt.*

6. *Autem cum oraveris*] *Vero cum oras.* ¶ *Cubiculum tuum*] *Cellam tuam, conclave tuum.* ¶ *Oſtio*] *Oſtio tuo.* ¶ *In abſcondito*] *Qui eſt in abſcondito.* ¶ *Tibi*] *Tibi in propatulo.*

7. *Ethnici*] *Ethnici faciunt*, V. ¶ *In multiloquio*] *In* pro *per.*

9. *Orabitis*] *Orate.* ¶ *Sanctificetur nomen tuum*] Vel, *Sancte obſervetur*; aut, *Sancte prædicetur*; vel, *Sanctum tribuatur nomini tuo*; *Sancte colatur.*

10. *Et*] *Sic etiam.*

11. *Superſubſtantialem*] *Subſtantialem*, i. quo ſuſtentamur: vel, *quotidianum.*

12. *Dimitte*] *remitte*: & infra.

13. *A Malo. Amen*] V. *à Malo. Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

14. *Peccata eorum*] *Errata ſua.*

15. *Hominibus*] *Hominibus delicta ſua.*

16. *Triſtes*] *Tetrici*: vel, *mœſti vultu.* ¶ *Exterminant*] *Deformant*: aut *obſcurant.* ¶ *Pareant*] Vel, *appareant.* ¶ *Mercedem ſuam*] *Præmium ſuum.*

18. *Tibi*] *Tibi in propatulo.*

19. *Theſaurizare*] *Cumulare*: vel, *congregare.* ¶ *Theſauros*] *Opes.* ¶ *Demolitur*] *Corrumpit.*

21. *Ubi*] *Ubi enim*, V. ¶ *Eſt*] *Fuerit.* ¶ *Eſt*] *Erit.*

22. *Corporis*] *Corporis tui*, V. ¶ *Oculus*] *Oculus tuus*, V. ¶ *Si*] *Si igitur*, V. ¶ *Oculus tuus*] *Oculus* pro *animo*, & *corpus* pro *operibus.*

23. *Nequam*] *Malus*, *perverſus*, aut *vitioſus.* ¶ *Lumen*] *Lumen* pro *animo.*

24. *Unum ſuſtinebit*] *Uni adhærebit.* ¶ *Mammona*] Vox Chaldæa, quæ ſign. *opes & divitiæ.*

25. *Animæ*] i. vitæ. ¶ *Quid manducetis*] *Quid manducetis*, & quid bibituri ſitis. ¶ *Eſca*] *Cibus.*

26. *Reſpicite*] Vel, *Oculos vertite ad.* ¶ *Et*] *Et tamen*, Hebr. ¶ *Magis plures eſtis illis*] *Excellentiores eſtis illis.*

27. *Cogitans*] *Solicitus exiſtens*: vel, *ſolicite cogitando.*

28. *Veſtimentis*] *Veſtimento*, V. ¶ *Conſiderate*] *Cognoſcite.* ¶ *Lilia*] Vel, *flores.*

29. *Coopertus eſt*] *Coopertus fuit.*

30. *Si enim*] *Si autem*, V. ¶ *Hodie eſt*] Sub. *in agro.* ¶ *Quanto magis*] *Annon multo magis.* ¶ *Modicæ*] *Minimæ*, V.

32. *Veſter*] *Veſter cæleſtis*, V.

34. *Solicitus erit ſibiipſi*] *Curam habebit ſuiipſius, ſolicitus erit de ſuis rebus.* ¶ *Malitia ſua*] *Afflictio ſua*, i. Labor quotidianus non eſt augendus cura futuri.

CASTALIO.

2. *Eos jam habere ſuam mercedem*] Laudari cupiunt. Laudantur ab hominibus: quæ una eorum merces eſt.

5. *Amant in collegiis eſſe*] Ἐστῶτες. Verbum hoc non ſemper *ſtare* ſignificat, ſed aliquando *eſſe*, aut *adeſſe*: ſicut Hebraice עמד, ut ponitur Matth. 16. & Joh. 12. Atque ita ponitur Luc. 19. σταθεὶς ὁ Ζακχαῖος εἶπε πρὸς τὸν Κύριον nec enim ſignificat illic ſtatum corporis. Hoc pacto intelligendum eſt hic de Deum precantibus ſimulatoribus. Nec enim docet quo corporis ſtatu precarentur: & credibile eſt eos in genua potius quam ſtantes orare, ut Actor. 20. Idem dico de verbo καθίζειν, quod non ſemper *ſedere*, ſed aliquando *manere* eſt, ut Luc. 24. 49.

7. *Ne garrite ut extranei*] Hebræi omnes non Hebræos vocant *gentes* h. e. extraneas gentes, ſive alienigenas; Latini Græcique, *barbaros*. Itaque quæ גוים dicuntur Latine duobus vocabulis dici poſſunt *extera gentes*: quale eſt illud, *Ut ſint hominibus conſpicui*, h. e. aliis hominibus. Inde ἐθνικοὶ, *exteri* aut *barbari.*

10. *Fiat voluntas tua*] h. e. Fiat quod tu vis. Eſt enim apud Latinos quoque uſitatus hic loquendi modus. Itaque & Quintilianus *Facere voluntatem* dixit; & Cicero, *Conſervare voluntatem*, h. e. id facere quod quis voluerit. Et idem Cicero, *Chaldæorum promiſſa conſequi*, h. e. res promiſſas, & *propoſitum aſſequi*, h. e. id quod tibi propoſueris. Quale eſt illud Maronis, —— *Sua nunc promiſſa repoſci.* Sic ſæpe χαρὰ pro τὰ χαμαιπέτεια, & ἐλπὶς pro τὸ ἐλπιζόμενον, & ῥῆμα ſive λόγος pro τὸ λεγόμενον.

11. *Victum noſtrum alimentarium*] Ἐπιούσιον. Alii מחר apud Hebræos, h. e. *craſtinum*, alii תמיד, h. e. *continuum*, legi teſtantur: quæ varietas indicare videtur Hebræos non ita in ſua lingua legiſſe (conſtaret enim ibi lectio) ſed ex Græco aliis aliter in Hebræum tranſtuliſſe: ut appareat etiam apud eos, ſicut & apud nos, de hujus verbi notione dubitari. Ἐπιούσιος ut ab ἡ ἐπιοῦσα ducatur, nec verbi ratio patitur, nec ſententia. Nam nec hujuſmodi nomina à femininis participiis deducuntur: & ſi *victum craſtinum* hic petendum Chriſtus doceret, pugnantia doceret, cum paulo poſt vetet *in craſtinum eſſe ſolicitos.* Ἐπιούσιος igitur dicitur ἀπὸ τῆς ἐπιούσης. Nec refert quod non ἐπιούσιος, ſicut ἐπιούσιος, dicitur: nec enim ſemper amittit præpoſitio ἐπὶ ultimam literam in compoſitione, ut videre licet in ἐπιφανὴς, ἐπιμὴς, & multis aliis. Eſt autem οὐσία in ſacris literis idem quod τὰ ὑπάρχοντα, aut βίος, h. e. *facultates* aut *victus*, ut apparet Lucæ 15. Hinc ἄρτος ἐπιούσιος eſt, *quod ad victum pertinet.* Vetus interpres in Matthæo *quotidianum* interpretatus eſt, in Luca *ſuperſubſtantialem.* Quod ſi *ſubſtantialem* reddidiſſet (nam ἐπὶ non ubique in hujuſmodi vocibus eſt *ſuper*: eſt enim idem ὑπερφυὴς quod ὑπερφυὴς, ſicut Latine *Inalpinus* idem eſt qui *Alpinus*) parum Latine ille quidem ſed & vere & plane ſententiam reddidiſſet, ſiquidem *ſubſtantiam* interpretere non ὑπόστασιν, ſed οὐσίαν, quod tum faciendum eſt cum οὐσία *facultates* ſignificat.

13. *Ne nos in tentationem inducito*] Πειρασμὸς aliquando *periculum* ſignificat, ut Luc. 22. & 1 Tim. 6. aliquando *tentationem & ad malum ſolicitationem*, ut hoc loco & alibi ſæpe. Atque in hac notione Latine dici poſſe *tentationem* deprehendet qui hoc diligenter conſideraverit: ut à Cicerone *tentationes morborum* dicuntur, cum morbus nos tentat & invadit. Inde *tentator* dicitur diabolus, qui hoc loco *Malus* appellatur.

16. *Qui vultus ſuos deformant*] בי, quod hic, ut paulo ante, eſt ὅτι, ſæpe relativum eſt. Ἀφανίζειν autem, quod *deformare* interpretor, ſignificat *aliquid ad nihilum redigere & corrumpere ita ut nuſquam appareat*: unde ἀφανίζεσθαι, *perire*, ut Actor. 13. & *evaneſcere*, Jac. 4. Itaque ἀφανίζειν τὸ πρόσωπον eſt *vultum ſqualore deformare*: quod Gallice ſignificanter exprimitur cum dicitur aliquis habere *le viſage defait*, vultum infectum, h. e. ſqualidum & macie deformem.

25. *Quaſi vero non & vita pluris ſit*] Qui vitam corpuſque, quæ pluris ſunt, dedit, ab eo victum & veſtitum, quæ minoris ſunt & illorum cauſa dantur, non ſperare eſt abſurdum.

CLARIUS.

1. *Attendite ne juſtitiam veſtram*] Addita legi ſua perfectione, admonet plurimum referre quo quis animo quid faciat. *Bonum enim*, ait Theologus Nazianzenus, *non eſt bonum*

num niſi bene fiat. In eleemoſynis ergo faciendis, & in precationibus & quibuſvis recte factis ad unum ſpectandum eſt, ad cœleſtem ſcilicet Patrem. Hic autem tria præcipue tanguntur tribus illis quæ in mundo ſunt oppoſita : Nam *concupiſcientiæ carnis* jejunio, *concupiſcentiæ oculorum* (quæ eſt avaritia) Eleemoſyna, & *faſtui vitæ* humili ac pia Oratione medemur. Vel, Oratione quod in Deum commiſſum eſt, Eleemoſyna quod in proximum, Jejunio quod in ſeipſum peccatum eſt quodammodo expiatur. Quod vero ait, *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis*, Græci codices quæ vulgo habentur legunt *eleemoſynam :* in quibuſdam tamen manu ſcriptis eſt, δικαιοσύνην, h.e. *juſtitiam*; & eſt Hebraiſmus ut *juſtitia* ponatur pro *eleemoſyna*, ut eſt illud, *Diſperſit, dedit pauperibus : juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.*

3. *Neſciat ſiniſtra*] Non tam hic per *ſiniſtram* & *dextram* cogitandum eſt pravum & rectum quam ut curemus latere etiam eos quos maxime familiares habemus.

5 *In angulis platearum*] Ubi ex pluribus viis cerni poſſent ab hominibus.

11. *Panem noſtrum quotidianum*] Ἐπιούσιον, *ſubſtantialem*; ut ſit ἐπιούσιος, quaſi τῇ ἑκάστῃ οὐσίᾳ ἡμῶν ἀρμόζων, *unuſcujuſque noſtrum ſubſtantiæ congruens* ; vel, ut ait M. Baſilius ἐν τοῖς ἀναγκαίοις, *ad quotidianum victum ſubſtantiæ noſtræ neceſſarius :* atque hoc idem intellexit qui vertit *quotidianum*, nimirum utens verbo quod magis tritum eſſet quam *ſubſtantialem*. At ſubſtantiæ noſtræ tunc datur panis congruens cum quotidie neceſſaria vitæ ſubminiſtrantur, quæ appellatione *panis*, Hebræorum more, comprehenduntur. Et vide quam pulchre divina hac oratione admonet quod in omni vita eſt faciendum, ut primum Divinus honor & ejus gloria rebus omnibus anteponatur; deinde optemus ante cogitationem corporeæ cujuſquam neceſſitatis, & regnum Chriſti per orbem omnium terrarum propagari, & vitam dari nobis cœleſti reipublicæ ſimilem; poſt cum corpore conſtemus atque anima, quæramus quidem corpori neceſſaria, ſed ita ut neceſſaria non ſuperflua, idque Dei beneficentiæ referamus acceptum : præterea cum vix fiat ut ſine proximorum offenſione vivatur, obſerva ut nos neceſſitatis quadam lege conſtringat ut proximo cuique ignoſcamus quicquid in nos peccaverit, ſi velimus multo majora nobis à Deo remitti debita.

19. *Ubi ærugo & tinea*] Non invideo, inquit, veſtris ego theſauris, ſed doceo ubi tuto recondatis, ut quæ tam perdite amatis ea vobiſcum eſſe perpetuo poſſint. Id etiam aliam ob cauſam fit, ne minimarum harum rerum cura à gravioribus utilioribuſque cogitationibus nos avocet : Idcirco ait, *Ubi enim eſt thеſaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Ad hunc ſenſum pertinet quod ait, *Lucerna corporis eſt oculus*, præcipuam in homine partem *oculum* appellans. Si enim mens in inferioribus his occupata lumen amittat, quo monſtrare viam etiam inferiori debuerat parti, quantæ hujus inferioris partis, quæ per ſe tenebricoſa eſt, erunt poſtea tenebræ? atque hinc fit ut multa & gravia peccent homines quæ ne peccata quidem eſſe intelligunt. Alio quoque exemplo, ejus qui duobus ſerviat, idem docet, non eſſe ſcilicet trahendum in diverſa animum. Illa autem verba, *aut unum odit habebit*, &c. ſic intellige, Si *diligit* Deum, neceſſario *odio* mammona; ſin *adhæret* mammonæ (nam proprie *amare* rem quæ tantas præbeat moleſtias dici non debet) *contemnit* Deum, quem *odiſſe* nemo jure dici poteſt. Videtur tamen duo hic obſervare, & affectum, & obſequium ac ſervitutem. De affectu prius loquitur cum ait, *Aut unum odio habebit, & alterum diliget :* de officio vero & obſequio præſtando addit, *Aut uni adhærebit, & alterum contemnet.*

26. *Pater veſter cœleſtis paſcit ea*] Cernis ut Euangelica lex nullo negotio Philoſophorum commenta demoliatur? qui metuebant, opinor, ne Divina providentia violaretur ſi ad hæc ſe inferiora demitteret : idcirco videtur Theologus appellaſſe Ariſtotelis *parcam providentiam.* At Pater cœleſtis dat eſcam etiam *pullis corvorum illum invocantibus*, quo tempore, ut ferunt, ab ipſis eorum parentibus deſeruntur.

32. *Hæc enim omnia gentes inquirunt*] Audiant qui nil aliud fere unquam curant quam hæc terrena. Servator ait eorum eſſe qui Deum ignorent de victu & cultu eſſe ſolicitos. ¶ *Scit enim Pater veſter*] Cur ergo non ante dat quam petamus? Id utilitatis noſtræ gratia facit, ut per orationem & illi efficiamur propinquiores, & ab eo nos omnia habere agnoſcamus.

33. *Quærite primum regnum Dei*] Neque adjecit, *deinde iſta*, ſed, *hæc omnia adjicientur vobis.* Additamenta iſta ſunt, quæ poſt data multo maxima deeſſe nunquam poſſunt. Quid ergo exercemus opera? Reſpondet M. Baſilius, *exercendum eſſe quidem laborem non ob metum ne quid deſit, ſed ob præceptum Dei, cui obtemperandum eſt.*

34. *Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum*] *Cras* apud Hebræos non tantum ſequentem mox diem ſignificat, ſed poſterum quodvis tempus. Uti illud, *Reſpondebit mihi cras juſtitia mea.* Reprehendit ergo ſuperfluam illam & infinitam providendi curam : ſufficere enim eam rerum ſolicitudinem quæ nunc urget, cætera, inquit, ſuo tempore curabuntur ; ideo adjecit *Craſtinum enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi.*

ZEGERUS.

1. NE *juſtitiam*] Rectius legeris τὴν δικαιοσύνην, juxta antiquiores interpretes, quam τὴν ἐλεημοσύνην. Nec mirum quod Chryſoſtomus utrumque ſcribat interpretando, *Attendite ne eleemoſynam*, &, *Attendite ne juſtitiam* : ſentit enim Chriſtus inprimis de juſtitia quæ fit per eleemoſynam, ut ipſam ſermonis ſeriem intuenti manifeſtum eſſe poteſt. De Theophylacto modo diximus.

3. *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextra*] Hyperbolice dictum eſt, pro eo quod dici poterat, Tantum abſis ab oſtentatione juſtitiæ ut ne conjunctiſſimo tibi eam manifeſtam eſſe velis. ¶ *Qui videt in abſcondito, reddet tibi*] Quod his ſubjungitur in Græcis duntaxat, ἐν τῷ φανερῷ, i. *palam* primo videlicet loco (nam prædicta verba tertium repetuntur) D. Auguſtinus teſtatur ſe in Græcis non inveniſſe, ſed tantum in aliquot Latinis ; atque ideo tollendum eſt. Secundo loco apud Chryſoſtomum & in Opere imperfecto additum reperio : tertio vero apud nullum authorem probatum, ſed nec in edit. Complutenſi.

7. *Orantes autem nolite multum loqui*, &c.] Ad hujus loci explanationem advertendum trifariam poſſe diſtingui orationem. Eſt ſiquidem una, qua à Deo quippiam poſtulamus ; nempe de qua hic loquitur. Hanc itaque brevem quidem vult eſſe verbis ; ne ethnicis videlicet ſimiles ſimus, qui arbitrantur ſe non exaudiendos niſi multis & prolixis verbis explicent ſuum deſiderium, cum Pater noſter vel antequam deſideremus ſciat quid ſimus petituri ; ied eandem prolixam vult eſſe pio ferventique ac jugi impetrandæ bonæ petitionis affectu. Quod ipſum ut & opere nos doceret Salvator noſter, *pernoctaſſe in oratione* legitur, ut habes apud Lucam 6. 12. Unde & de Apoſtolis ſcriptum eſt Act. 1. 14. quod *erant perſeverantes unanimiter in oratione & obſecratione.* Alia eſt oratio quæ in laudibus, gratiarum actionibus, lectionibus, cantibus, & id genus cæteris pis exercitiis conſiſtit; ad quam fere pertinent diurnæ illæ preces quas *horarias* vocamus : quas nihil vetat quo minus poſſint eſſe etiam verbis prolixæ, præſertim cum myſticus ille Pſaltes dicat, *Benedicam Dominum in omni tempore : ſemper laus ejus in ore meo*, Pſal. 34. 1. Unde etiam in ejuſmodi laudibus, quæ proprie precationes vocantur, quas *Collectas* dicimus, non niſi breviſſimæ ſunt. Sunt vero & Pſalmi nonnulli deprecatorii, ſed nec hi admodum prolixi. Nam & Pſalmus ille cujus initium *Beati immaculati*, quia prolixior quam par erat videbatur, in quaternas partes diverſis decantandas temporibus diſtributus eſt. Tertium orationis genus eſt quod in piis conſiſtit operibus; de qua vulgo illud Auguſtini fertur, *Non ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere.* De quo etiam illud Apoſtoli intelligi poteſt, *Sine intermiſſione orate*, 1 Theſſ. 5. 17. Vide Auguſtinum, De orando, ad Probam, cap. 10. ¶ *Sicut ethnici faciunt*] *Facium* non habetur quidem in Græcis, nec in Latinis antiquis : invenitur tamen apud veteres ſcriptores, nominatim Hieronymum, Auguſtinum, & Chryſoſtomum l. De ſerm. Dom. in monte 2. in opere utroque.

10. *Sicut in cœlo & in terra*] Hyſterologia eſt, hoc pacto convertenda, *Fiat voluntas tua in terra ſicuti fit in cœlo.*

11. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem*] Veteriſſimi interpretes hoc de ſpirituali potius cibo intelligendum tradunt quam de temporali. Spiritualis autem cibus noſter ipſe Chriſtus eſt, qui in Euangelio loquitur, *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi*, &c. Joh. 6. 41. vel ſermo Divinus, de quo item ſcriptum eſt, *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, Matth. 4. 4. ſive etiam panis Euchariſtiæ qua Eccleſia quotidie utitur. Euthymius vero de corporali hæc cibo intelligens, Ἐπιούσιον, inquit, *appellavit, quia ad corporis ſubſtantiam, vitam & conſtitutionem conveniens eſt.* Chryſoſtomus hom. in Johan. 42. *ſuperſubſtantialem* interpretatur *quotidianum.* In precatione Dominica vulgo legimus *quotidianum* pro *ſuperſubſtantialem*, quod verbum non ex hoc loco ſed ex Luca ſumptum eſt, ut ne forte mireris diverſitatem. Ἐπιούσιον autem utrunque declarat, *quotidianum*, & *ſuperſubſtantialem* ſive *ſupereſſentialem* ; nonnulli etiam *craſtinum* interpretantur : nam & vox Hebraica מחר, quam D. Hieronymus

mus teſtatur ſe reperiſſe in *Euangelio quod*, inquit, *appellatur ſecundum Hebræos* & quod alibi *Euangelium Nazarenorum* vocat, *craſtinum* declarat. Ex qua Hieronymi adnotatione colligi poteſt Euangelium illud Hebraicum quod nuper Munſterus evulgavit, non eſſe idem de quo Hieronymus meminit: nam in hoc non מחר ſed מחרת ſcriptum eſt. Idem quoque manifeſtius arguitur tum ex aliis tum ex iis quæ ſcribit ſuper illud Matth. 12. 13. *Tunc ait homini, Extende manum tuam*: ubi ſic ſcribit, *In Euangelio quo utuntur Nazareni & Ebionitæ, quod nuper in Græcum de Hebræo ſermone tranſtulimus, & quod vocatur à pleriſque Matthæi authenticum, homo iſte qui aridam habet manum, cementarius ſcribitur, iſtiuſmodi vocibus auxilium precans, Cementarius eram, manibus victum quærisans: precor te, Jeſu, ut mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter mendicem cibos.* Quæ ſane verba in illoc Euangelio prorſus non habentur.

13. *Libera nos à malo*] Articulus additus τοῦ ἑνὸς πονηροῦ ſuadet de diabolo accipiamus. ¶ *Amen*] B. Hieron. addit & exponit *Amen*. At non Auguſt. nec Opus imperfectum, nec Petrus Chryſologus, nec multi codices antiqui. Libentius mimen ſequor Hieronymum. ¶ *Quia tuum eſt regnum*] Ad calcem precationis Dominicæ Græci cod. hanc adnectunt coronidem, ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν. *Quia tuum eſt regnum & poteſtas & gloria in ſecula, Amen*: quam tamen nec Latini cod. agnoſcunt, nec veteres legunt interpretes præter Chryſoſtomum, & eum qui Opus ſcripſit imperfectum: ideoque & addita à quopiam putatur ex ſolenni more cultus Eccleſiaſtici; quomodo ad finem Pſalmorum accinitur *Gloria Patri*; & quomodo ad ſalutationem Angelicam præter Eliſabethæ verba adjicitur, ὅτι σωτῆρα ἔτεκες τῶν ψυχῶν ἡμῶν, *Quia Salvatorem peperiſti animarum noſtrarum*.

15. *Si autem non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter dimittet vobis*] Hæc verba quanquam cernantur tam in Græcis quam in Latinis etiam antiquis, in ſuſpicionem tamen inducor adjecta eſſe ex adnotatione marginali, cum quod varie ſcripta cernantur (nam præter alias diverſitates, in nonnullis non additur *peccata eorum*) tum maxime quod nemo veterum explanatorum ea attingat, ne Theophylactus quidem, ſi ipſius verba exacte trutines: unum excipio authorem Operis imperfecti. Nolim tamen temere hæc ipſa prætermitti, ſed aſcribi cum nota.

16. *Exterminant enim facies*] *Exterminant* improprie dictum eſt pro *demoliuntur*, vel *corrumpunt*. Nam *exterminat* proprie qui extra terminos mittit profligatve. Hieronymo non probatur *exterminandi* verbum pro ἀφανίζειν, ſed *demoliendi*: unde liquet Hieronymi emendationem non eſſe ubique receptam: niſi forte hic dicas hoc verbum relictum eſſe quod tritum eſſet in Scripturis, ut ipſe teſtatur. ¶ *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*] Hæc verba tametſi apud paucos veterum explanatorum inveniantur, hoc quidem loco, nempe poſt illud, *ut pareant hominibus jejunantes*, quia tamen in Græcis, & apud Auguſtinum, De ſer. Dom. in monte, & ſer. 172. & in Opere imperfecto adjecta reperio, non puto hic rejicienda, etiamſi ſemel præceſſerint; quo factum puto ut hic ab explanatoribus non attingantur.

17. *Unge caput tuum, & faciem tuam lava*] *Ungere caput*, inquit Auguſtinus, *ad lætitiam pertinet; lavare autem faciem, ad munditiam: & ideo caput ungit, qui lætatur interius mente atque ratione. Hoc enim recte accipimus Caput quod in anima præeminet, & quo cætera hominis regi & gubernari manifeſtum eſt.* Cæterum quod ad ſimplicem verborum ſenſum attinet, nihil aliud hic ſentit Chriſtus quam in benefactis non captandam oſtentationem: nam ita ſubjungit, *ne videaris hominibus jejunans.*

22. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus*] Henricus Gravius expungit *tui*, & *tuus*, juxta Græca, & quædam exemplaria Latina, ſed contra Auguſtinum. ¶ *Si igitur oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus*, &c.] Rurſus Auguſtinus, *Qui locus*, inquit, *ſic intelligendus eſt, ut noverimus omnia opera noſtra tunc eſſe munda, & placere in conſpectu Dei, ſi fiant ſimplici corde, id eſt, intentione ſuperna, ſine illo cupiditatis, quia & plenitudo legis charitas eſt. Oculum ergo hic accipere debemus ipſam intentionem qua facimus quicquid facimus: Qua ſi munda fuerit & recta, & illud aſſiciens quod aſpiciendum eſt, omnia opera noſtra qua ſecundum eam operamur neceſſe eſt bona ſint. Quæ omnia opera totum corpus appellavit, quod & Apoſtolus Membra noſtra dicit quædam opera qua improbat, & mortificanda præcipit, dicens*, Col. 3. 5. *Mortificate membra veſtra qua ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, avaritiam*, &c. Deinde paucis interpoſitis exponens reliquam præſentis loci partem, nimirum, *Si ergo lumen quod in te eſt*, ita ſubdit, *Lumen dicitur, quia novit quiſque quo animo faciat, etiam cum malo animo facit. Sed ipſum lumen tenebræ ſunt, quia non in ſuperna dirigitur ſimplex intentio, ſed ad inferiora declinatur.* ¶ *Si ergo lumen*, &c.] i. *Si ipſa cordis intentio qua facis quod facis, quæ tibi nota eſt, ſordidatur appetitu rerum terrenarum & temporalium, atque cæcatur, quanto magis ipſum factum, cujus incertus eſt exitus, ſordidum & tenebroſum eſt?*

24. *Mammonæ*] ממונא *Mammona* Syris divitiæ nuncupantur, quas Hebræi עושר & הון vocant.

25. *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ*] *Animam* hic & paulo inferius pro *vita* poſuit. Non dicit autem, *Ne laboretis*; ſed, *Ne ſolliciti ſitis*. Ergo ſolicitiſſe vetamur, laborare autem jubemur, dicente Apoſtolo, *Si quis non vult operari, nec manducet*, 2 Theſſ. 3. 10. ¶ *Quid manducetis*] Quod B. Hieronymus adnotavit, in nonnullis cod. adſcriptum fuiſſe, *neque quid bibatis*, ſubditicium eſſe arbitror, propterea quod hujus particulæ nemo aliorum meminerit veterum: etiamſi non ignorem non deeſſe in codice Hebræo; quem puto non fontem eſſe, ſed rivum potius Euangelii Græci & Latini: qua de re non nihil ſupra diximus. Tandem hoc verbi & apud Petrum Chryſologum Serm. 67. 70. offendimus.

30. *Fœnum agri*] *Fœnum* ex Scripturæ conſuetudine pro *gramine* poſitum eſt. ¶ *In clibanum*] i. in furnum, vel in ignem.

34. *Sufficit diei malitia ſua*] Ac ſi dicat, ſecundum eum qui Opus ſcripſit imperfectum, Sufficit tibi labor & miſeria quam pateris in vita propter uſus quotidianos quos neceſſarios habes: Noli ſuperflue pro ſuperfluis laborare, ne labor quidem fiat tuus, fruitio autem alterius. *Malitiam* autem *diei* ipſam afflictionem appellat ſolicitudinum præſentium & laborum.

LUCAS BRUGEN.

4. ET *pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi*] Multa Latina exempl. teſte Auguſtino in hunc Domini ſermonem circa initium lib. 2. addunt *palam*, *Et pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi palam.* Addit & unum eorum quæ hodie exſtant, quod Pariſienſes S. Germani latum dixerunt, *in palam.* Conſentiunt Syra ﻇﺎﻫﺮ conformia ſunt Græca, ἐν τῷ φανερῷ, non ea ſolum quæ nunc paſſim exſtant, ſed & ea quibus uſi ſunt Interpretes Græci, Chryſoſtomus, Autor operis imperfecti, Theophylactus, Euthymius. Veruntamen in iis exemplaribus Græcis quæ olim conſuluit Auguſtinus lectum non fuit: quamobrem non potuiſſe ait de eo aliquid differendum eſſe. Nunc etiam in Græco Vaticanæ Bibliothecæ codice haud additur: nec in ullis eſt Latinis libris eorum omnium quos nos vidimus. Neque Zegerus ac Hentenius quenquam obſervavere. Quin & eum quem Pariſienſes obſervaverunt, ad Græca ſuſpicio mihi eſt immutatum: nam & in fine Dominicæ orationis adjicit, *Quia tuum eſt regnum & potentia & gloria in ſecula ſeculorum.* Sublatum fortaſſis eſt ἐν *palam* à B. Hieronymo noſtræ editionis caſtigatore.

6. *Et pater tuus qui videt* * [* *te* o.] *in abſcondito, reddet tibi.*] Etiam hic addunt, cum Syris, plerique codices Græci ἐν τῷ φανερῷ *in manifeſto*, ſeu *in proſtatulo*: conſentiuntque Interpretes Græci. Attamen exemplar Vaticanum iterum conſanat Latinis libris; quorum hic nec Pariſienſes ullam notarunt varietatem.

11. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.*] Undecim noſtra MSS. exemp. habent *Panem noſtrum quotidianum*: ſed ut plura, ſic antiquiora melioraque Vulgatæ editionis ſcripta, tum noſtra tum Epanorthotæ, quod impreſſi libri, *ſuperſubſtantialem* [*ſubſtantialem* 2 MS.) ſervant: id quod, hunc edifferens locum, B. Hieronymus à ſe expreſſum teſtatur. In Euangelio Lucæ *quotidianum* legitur; in Matthæi quoque, ante Hieronymum, Latini *quotidianum* legerunt; id quod ex DD. Cypriano, Ambroſio l. 5. De Sacramentis c. 4. Auguſtino Enchir cap. 115. & alibi, aliiſque, manifeſtum eſt. Unde adhuc hodie orationem orantes Dominicam, qua ſecundum Matthæum utimur, dicimus *panem noſtrum quotidianum*, ita nempe ut à primis Eccleſiæ fidelibus continua ſucceſſione, parentes filios viva voce docuerunt. Græce eſt τὸν ἐπιούσιον, quod ab ἐπὶ & οὐσία deduci poteſt (ſicut à οὐσία & οὐσιάζω factum videtur) quaſi *ſuperſubſtantiam*, quod eſt, præci-

præcipuum ac peculiarem, aut, qui ſuper omnes ſubſtantias eſt, & univerſa ſuperat creaturas, ut Hieronymus intellexit ſecundum epiſtolæ ad Titum caput enarrans, *Unde & illud*, inquit, *quod in Euangelio ſecundum Latinos Interpretes ſcriptum eſt*, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, *melius in Græco habetur* Panem noſtrum ἐπιούσιον, *i. Præcipuum*, &c. vel, quaſi *ad ſubſtantiam*, ut eum panem, i. victum (*panis* enim appellatione cætera omnia nutriendo corpori noſtro neceſſaria Hebræorum more comprehenduntur) ſignificari intelligamus qui noſtræ ſubſtantiæ, noſtræ naturæ ſuſtentandæ, ſufficiat, h. e. ut Græci interpretantur, ὁσὶ τῷ ἡμῶν εἶναι ἐμὶ τροφὴν ἱκανῶν, minime ſcilicet delicatum, ſed frugalem. Hunc panem ſignificare voluiſſe videtur qui vertit *quotidianum*, i. cibarium, quo veſci & ſuſtentari quotidie ſolemus: quem & Syrus dixit ܠܚܡܐ ܕܣܘܟܢܢ *panem indigentiæ*, ſeu *neceſſitatis noſtræ*.

13. *Et ne nos inducas in tentationem.*] Hæc noſtræ editionis ſcriptura eſt. Auguſtinus lib. 2. De ſermone Domini in monte cap. 14, & ſermonibus De diverſis decimo atque undecimo, rurſus epiſt. ad Probam 121. cap. 11. legit, *Et ne nos inferas in tentationem*; quod ad vocem Græcam εἰσενέγκῃς magis accedit. Meminit autem libro illo 2. & noſtræ lectionis, his verbis, *Nonnulli codices habent* inducas, *quod tantundem valere arbitror: nam ex uno Græco, quod dictum eſt* εἰσενέγκῃς, *utrumque tranſlatum eſt.* Subjungit, *Multi autem precando ita dicunt*, Ne nos patiaris induci in tentationem, *exponentes videlicet quomodo dictum ſit* inducas. Hunc ad modum Cyprianus atque Ambroſius, ubi Dominicam orationem tractant, legunt: de quo optime cenſet Auguſtinus.

18. *Et pater tuus qui vidit in abſcondito reddet tibi*] Non pauci Græce impreſſorum librorum tertio hic addunt ἐν τῷ φανερῷ, *in manifeſto*. Verum Latinis codicibus, quibus rurſus conſtanter haud norunt (quanquam apud Bedam additum legatur *in propatulo*) non tantum Græcum Vaticanæ Bibliothecæ exemplar hic ſuffragatur, verumetiam ea univerſa, 16 numero, ad quæ Pariſienſes ſuam N. T. Græcam edit. contulere, inter quæ Complutenſe eſt. Quibus adde id quod anno 1534 Colinæus excudit, & Pagnini ex Græco tranſlationem. Quinetiam Syricus textus hoc loco id ignorat: nec apud Græcos interpretes, Euthymium, quod ejus annotavit Interptes, & Theophylactum, quod ipſi in Græca editione vidimus, legitur. Chryſoſtomus tamen, commentario ſuo, ut ſupra cum de eleemoſyna ageretur, videtur, agnoſcere: & Origenes, Homil. 4. in diverſos, legit exponitque his verbis, *Hæc ita omnia facite ut pater veſter qui videt in occulto, reddat vobis in manifeſto, in illa manifeſtatione de qua dicit Daniel*, (cap. 12. verſ. 5.) *Et tunc prudentes fulgebunt ſicut luminaria cœli: & iterum, Juſti atque alii plures ſicut ſtellæ in æternum.*

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ς, περὶ ἐλεημοσύνης.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. τμ. η, Καταβαίνει ἡ αἰτία ἀπὸ τοῦ ἔργου ἡνεκλήθησαν αἰτίαι ὀχλοι πολλοί· καὶ ἰδοὺ λεπρὸς ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, λέγων, Κύριε, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι.

Ἀντὶ τοῦ λεπρὸν ἰάσατο, ἐμβεβαιοῖ.

Ἄλλως,

Λεπρὸν ἐθεράπευσε λέπρας χειρὸς καθαίρεσιν αἰτίαν.

2. Μὴ σαλπίσῃς] *Ne buccinam adhibeas*: proprie *buccina canas.*

5. Ἀπέχουσι] *Recipiunt.*

6. Τὸ ταμεῖον] *Conclave.*

7. Μὴ βαττολογήσητε] *Ne fiat verboſi.*

14. Τὰ παραπτώματα] *Offenſas.*

16. Ὅταν δὲ νηστεύητε] *Cum jejunatis.* ¶ Ἀφανίζουσι] *Obſcurant.*

19. Σὴς δὲ βρῶσις ἀφανίζει] *Tinea & eroſio corrumpit.*

27. Τὴν ἡλικίαν] *Staturam.*

28. Τί μεριμνᾶτε; καταμάθετε τὰ κρίνα] *Quid ſolliciti eſtis? animadvertite lilia.*

29. Περιβέβλεται] *Amictus fuit.*

34. Ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς] *Sua cuique diei arumna ſatis eſt.*

DRUSIUS.

1. Juſtitiam veſtram] Non eſt dubium quin is qui Chriſti verba interp. eſt, in mente habuerit vocabulum *Seduca*: id proprie *juſtitiam* denotat, i. δικαιοσύνην. Sed & *eleemoſynam* ſign. quo ſign. uſi ſunt Daniel & poſterior ætas: nam antiquior aliter uſurpat. Hinc varia lectio in cod. Græcis: Nam in aliis τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν, & in aliis τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν. Quam lectionem ſecutus eſt interp. noſter, qui vertit *juſtitiam veſtram*: Id exponunt *opera veſtra juſta & bona.* Nam *facere juſtitiam* dicunt pro *facere opus juſtitiæ*, ut *facere veritatem* eſt *facere opera veritatis*. Auguſtinus De tempore, ſerm. 59. *Attendite*, inquit explicans hunc locum, *ne hoc animo juſte vivatis ut vos videant homines.* Et poſt, *Juſtitiam generaliter nominavit, deinde particulariter exſequitur. Eſt enim pars aliqua juſtitiæ opus quod per eleemoſynam fit.* Poteſt ita eſſe; tamen quia poſterior ætas vix aliter utitur hac voce quam pro *eleemoſyna*, labor eſt ut credam Chriſtum quoque locutum fuiſſe de ſtipe in pauperes collata, quam *eleemoſynam* appellant. Quod firmant conſequa verba, *Cum ergo facis eleemoſynam.* Nec aliter capio vetuſtum Interp. ut nec eam lectionem quæ δικαιοσύνην refert. Nam habenda ſemper ratio vocabuli originalis צדקה, quæ illa ætate ſonabat *eleemoſynam*; de qua caput integrum exſtat in libro Muſar, unde multa depromi poſſent ad hunc locum illuſtrandum, ſi quis otio abundaret & librum illum probe intelligeret, nam non cuivis datur adire Corinthum. ¶ *Attendite*] השמר לכם, ut Exodi 34. 12. השמר לך. LXX προσέχετε σεαυτοῖς. Sed pronomen redundat in Latio; itaque omiſſum fuit ab Hieronymo, qui vertit *Cave*. Idem lib. 2. adv. Pelag. cap. 4. *Cavete ut juſtitiam, i. eleemoſynam veſtram, faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; neſcio quis poſſit implere.* Quem locum adduxi ſententiæ meæ firmandæ. Nam ut non dubito quin Chriſtus uſurparit vocabulum *juſtitiæ*, ita mihi perſuadeo populum, ad quem ſermo ei, non aliter accepiſſe quam de eleemoſyna: Nam vulgus non aliter vocabat eleemoſynam. Quid dico vulgus? ipſi doctores pleraque omnia loca Scripturæ, in quibus *juſtitiæ* mentio, de eleemoſyna enarrant. Quin ipſe Jeſus Sirach autor antiquiſſimus Salomonis locum *Juſtitia liberat à morte*, ita Græce transferens expreſſit, ἡ ἐλεημοσύνη ῥύεται ἐκ θανάτου καὶ οὐκ ἐάσει ἐλθεῖν εἰς σκότος. Ecce צדקה interpretatur *eleemoſynam*, & ממות *ab omni vexatione.* Nam vita miſera & ærumnis plena mors eſt, non vita.

4. *Ut ſit eleemoſyna tua in occulto*] Eleemoſyna occulta eſſe debet: unde vocatur ab Ebræis *donum in occulto*: quod etiam uſurpant de gazophylacio Templi, ſive de corbona, cui hanc ſententiam Salomonis ſuperſcribunt, מתן בסתר יכפה אף *Donum in occulto flectit iram.* In lib. Muſar, fol. 12. pag. 1. *Qui dat aut vovet eleemoſynam in nomine Dei eo fine ut laudetur ab hominibus, mercedem recipit ille quidem, ſed tamen major eſt merces ejus qui dat in occulto, ita ut nemo ſciat niſi qui dat & qui accipit.* Et mox, *Major merces ejus qui dat eleemoſynario ſtipem pauperibus erogandam, quam reponat in gazophylacio, ita ut qui accipit neſciat à quo accipiat. Nam occulte data fuit.* Dicunt etiam, *Debet homo facere præcepta propter ipſa, non ut laudetur ab hominibus.* Item, *Qui facit præcepta, intentio ejus ſit cum facit ea* לשמה, *quod valet* שמים *in nomine Dei.*

5. *In angulis platearum*] Nam ibi conventus civium. Sic Proverb. 7. 12. Meretrix *inſidiatur juxta omnem angulum*, על כל פנה. Vide Gen. 14. & 15. ¶ *Stantes orare*] Veteres orabant ſtantes, non de geniculis, ut nunc: unde *ſtationes*, in quibus legebant in opere Breſith, & precabantur, & jejunabant quater in hebdomada. R. Juda in lib. Muſar, *Sine ſtationibus non ſubſiſteret mundus.* Chriſtiani quoque ſuas *ſtationes* habebant, in quibus ſtantes orabant: Autor Tertullianus. Hinc עמידה *ſtatio*, unum ex ſeptem nominibus orationis. Pheſictha, fol. 66. col. 3. Manahen Ebræus in Moſen, *Non eſt ſtatio niſi precatio*, ſive, *aliud quam precatio.* Scribit hoc fol. 52. col. 3. ad illud, *In loco ubi ſteterat Abraham ante Dominum*, quod explicat, *ubi oraverat*, ſive *precatus fuerat.*

7. *Orantes nolite multum loqui*] Brevitas in precatione ante omnia requiritur ut Deo grata ſit: unde quidam, *Non veretur Deum ex corde, qui multum loquitur.* Joſeph Albo Judæus Hiſpanus Sorienſis, *In precatione qua Deo placeat tria requiri ait, brevitatem, conſenſum oris cum corde, & humilitatem* ſive *dejectionem.* Hoc ait ſerm. 4. cap. 23. in libro qui De articulis ſive fundamentis fidei, quæ Ebræis עקרים, i.

radices, dicuntur: Quem librum dono accepi à docto quodam Theologo, mihi olim amico non vulgari, & harum literarum perstudioso.

9. *Pater noster*] Deus absolute, quod sciam, non dicitur *Pater noster*, ideo adjecit, *qui es in cœlo*. Quod Ebræi enunciant אבינו שבשמים. Nam & in terra habebant patriarchas; unde illud nusquam non obvium, *Abraham pater noster*. Sic dicunt, *Isaac pater noster*, *Jacob pater noster*, &c. ¶ *Sanctificetur nomen tuum*] In lib. Musar, 49. 1. *Deus noster qui in cœlo unicus es, stabiliatur nomen tuum semper, regnum tuum regnet super nos in seculum & æternum. Sanctificetur autem nomen tuum per opera nostra.* Rursus in eodem loco lib. 78. 2. *Postquam omnia opera nostra conformari debent ad similitudinem operum Dei benedicti, liquet quocunque tempore facimus quod bonum & rectum est, nos sanctificare nomen ejus magnum, sicut ipse dicit*, ET QUÆ GENS MAGNA CUI STATUTA ET JUDICIA JUSTA? *quia nos similes summus per illa opera Creatori nostro benedicto, &c. Summa horum quæ diximus, Quandoquidem ei similes sumus operibus nostris, sanctificatio & pollutio sive profanatio nominis pendet ab iis, h. e. ab operibus nostris.*

10. *Fiat voluntas tua*, γενηθήτω τὸ θέλημά (σ)] Quod reddunt Ebraice יעשה רצונך. Sed verti etiam potest יהי רצונך *Sit voluntas tua*, ut Gen. 1. 3. יהי אור, LXX γενηθήτω τὸ φῶς, & Hieron. *Fiat lux*: quod alii transferunt ex Ebræo, *Esto*, vel *Sit*, *lux*.

12. *Remitte nobis debita nostra*] Hoc ex scitis antiquæ Synagogæ. In comment. super lib. Aboth fol. 24. pag. 2. *Pii priores dicebant, Remitte & condona omnibus qui affligunt nos.* In Ebræo ad verbum, *qui affligunt* sive *vexant me*. Et est sensus, Quisque dicebat in precibus suis ad Deum, *Remitte & condona omnibus iis qui vexant me.*

13. *Ne nos inducas in tentationem*] Hoc Ebraismus diceret אל תביאנו לידי נסיון, *Ne inducas nos in manus tentationis*. Sic enim Ebræi loquuntur. In lib. Musar, 9. 12. *Ne inducas nos in manus peccati, neque in manus tentationis.* Ibid. *Sed libera nos ab occursu malo.* In alio libro qui *Principium sapientiæ breve* inscribitur, *& destructo Templo non licet homini contemplari rem quæ adducit eum in manus gaudii.* Et alibi, *Adducet eum in manus timoris & mansuetudinis.* Et, *Cibus multus vel potus superfluus adducit hominem in manus peccati*, i. facit hominem peccare. Item, *Ne saltura te, & non venies in manus peccati*, i. non peccabis. Et, *Vinum adducit hominem in manus somnii*, i. somnum conciliat: & alibi, *in manus morbi*. Et, *Procul recede à præcepto* prohibitivo *levi; forte adducet te in manus gravioris. Curre ad præceptum* affirmativum *leve, ut inducat te in manus gravioris.* Dictum est Sapientum, quod ex lib. Aboth ibid. refertur. Rursum, *Timor inducit in manus amoris, invidia inducit in manus tabis, doctrina inducit in manus operis.* Rursum in lib. παιδείας, *Non ingreditur manus peccati sui.* Et mox, *Ne adducas me in manus peccati, tentationis, contemptus.* ¶ *Amen.* Hier. in lib. Nom. *Amen, Vere, sive Fideliter.* Vere, i. ἀληθῶς, *fideliter*, i. πεπεισμένως. Hoc Aquila olim edidit; illud Symmachus, vel Theodotio. Potest etiam fieri ut ambo ita verterint. Idem in Comment. super epist. ad Galatas. *Amen LXX interpretes, Fiat; Aquila, Symmachus & Theodotio Fideliter sive Vere interpretati sunt. Fiat*, i. γένοιτο. Suidas, Ἀμήν, πεπεισμένως, ἀληθῶς. Addit Phavorinus, ἢ οὕτω γένοιτο. Justinus in Apologia pro Christianis, *Amen vox Ebraica lingua significat idem quod Fiat.* Primasius Uticensis quondam Episcopus, *Amen LXX transtulerunt* Γένοιτο· *Aquila* πεπεισμένως (lege, πεπεισμένως.) *Nos vero, Vere, sive Fideliter: quod etiam in Euangelio à Salvatore semper assumitur per Amen verba firmante.* Rursum Hier. in 1 Cor. 14. *Amen, amen*, i. *Vere vere, dico vobis.* Hæc interpretatio robur accepit ex Euangelio. Sane quidem Luc. 12. 44. legitur, Ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, cui æquipollet quod in aliis, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Thalmudici dicunt esse triplex *Amen*; יתומה *pupillum*, cum quis non intelligit quod respondet תמוהה *furreptitium*, cum dicit *Amen* antequam absoluta sit precatio, קטורה (alias קטופה) *fellile*, cum secat in duas partes, nempe oscitanter audiens & alias res agens. Hæc fere Caninius. Addit commentator super Avoth fol. 65. p. 2. אמן צדק *Amen justum & verum.* Sunt qui enumerant *Amen* inter formulas jurandi: hoc alibi refutamus. Lege igitur, sed cum judicio. Origenes in 26. Matth. *Jesus dixit de Juda consueto sibi jurejurando*, AMEN DICO VOBIS, UNUS EX VOBIS TRADET ME, Hieron. in 6. ad Galat. *Quomodo in V. Testamento quadam jurandi consuetudine Deus sua verba confirmat, dicens*, VIVO EGO, DICIT DOMINUS, *ita Salvator noster in Euangelio per verbum* AMEN *vera esse quæ loquitur ostendit.* Idem in Comm. Jes. 25. *In Vet. Testam. Dei juramentum est*, VIVO EGO, DICIT DOMINUS; *in novo autem*, AMEN, AMEN DICO VOBIS. Chrysostomus Hom. 10. in Marcum, *Amen dico vobis. Jurat Christus: debemus Christo juranti credere. Quod enim in V. Test. dicitur*, VIVO EGO, DICIT DOMINUS, *in novo dicitur*, AMEN, AMEN DICO VOBIS, *i. Vere, vere.* Videtur etiam fuisse genus hymni quod *Amen* dicebatur: Apoc. 19. 4. *Et adoraverunt Deum insidentem throno, dicentes, Amen, Halleluja.* Paulo aliter usurpatur Apoc. 3. 14. Τάδε λέγει ὁ Ἀμήν. Nam Christum intelligit. Hieronymus in Comm. Ezech. 16. *Qui jurat in terra, jurat in Deo Amen*, i. ἀληθινῷ. Locus est Jes. 65. 16. In Cabbala *Amen* resolvitur אני מלך נאמנים, *Ego sum Rex Christianorum.* Quod etsi parum solidum sit, tamen annotandum duxi propter eos qui hujusmodi nugis capiuntur. Augustinus Tract. 41. in Johan. *Quodammodo, si dici fas est, juratio ejus est* AMEN, AMEN DICO VOBIS. *Amen quippe interpretatur Verum: & tamen non est interpretatum, cum potuisset dici, Verum dico vobis. Nec Græcus hoc interpres ausus est facere, nec Latinus: nam hoc verbum, quod est Amen, nec Græcum nec Latinum est, sed Ebraum. Sic mansit, non est interpretatum, in honorem haberet velamento secreti, non ut esset negatum, sed ne vilesceret nudatum.* Idem Contra Faustum Manich. l. 15. c. 9. *Amen interpretatur Verum, non ubicunque & quomodocunque; sed mystica religione.* Et De doctr. Christ. l. 2. *Ebræa verba non interpretata sæpe inventas in libris, sicut est Amen, & Alleluja, & Raca, & Osanna, & signa sunt alia. Quorum partim propter sanctiorem auctoritatem, quamvis interpretari potuissent, servata est antiquitas, sicut est Amen, & Alleluja; partim vero in alteram linguam transferri non potuisse dicuntur, sicut alia duo quæ posuimus.* Claudam verbis Hieronymi, *Quod Amen consensum significet audientis, & sit signaculum veritatis, ad Corinthios quoque prima nos docet, in qua Paulus ait*, CÆTERUM SI BENEDIXERIS SPIRITU, QUI SUPPLET LOCUM IDIOTÆ, QUOMODO DICET, AMEN, SUPER TUA BENEDICTIONE, QUONIAM QUIDEM NESCIT QUID DICAS? *Ex quo ostendit, non posse idiotam respondere Verum esse quod dicitur nisi intellexerit quod docetur.* Finiam, si prius hoc notavero; Psal. 72. 19. אמן אמן, Camius interpretatur קיים קיים, in quo significatio *rei firmæ ac stabilis.* Sic ἀληθὲς usurpatur in illo, *In ore duorum trium ve verum erit*, i. *ratum, firmum, stabile.* Adhibe Parallela mea. Cæterum pro *Amen* in editione Syra legitur *Amin.* Sic *Cipha* dicunt Syri quod alii *Cepha.* Alias *Ammin*, *E* in *I* versa. Quod inde manavit, quia olim, ut etiam patrum ævo, η Græcam vocalem sono *I* efferebant, *Ita* non *Eta* pronunciantes.

19. *Ne thesauros congeritis*, &c.] In tractatu Thalmudico qui *Baba Bathra* vocatur cap. 1. *Mombaz rex* [*Monobazus* Josepho] *prodigebat thesauros suos & patrum suorum. Monitus hac de re ab amicis respondit, Patres mei recondiderunt thesauros infra, h. e. in terra, ego supra, i. in cœlo.* Item, *Recondiderunt in loco ubi manus dominatur, ego recondo in loco ubi non dominatur manus. Patres mei recondiderunt thesauros pecuniæ; ego, animæ*, vel *animarum: recondiderunt quod nullum fructum profert; ego, quod fructum profert. Patres mei recondiderunt alius; ego mihi.* ex lib. Musar, 7. 2.

24. *Mamona*] Hic dicam de *Mamona*, ejusque apud Chaldæos scriptura ac sensu: est enim vocabulum Chaldaicum sive Syriacum. Primum quæro μαμωνᾶ scribendum an μαμμωνᾶ; utraque enim scriptura reperitur in libris Græcis. In Latinis fere est *mammona.* Aut me animus fallit, aut recte divino ממונא ab אמן argumento *firmitudinis* juxta proverbium, חזק עשיר מגדל עוז, quemadmodum Ebraice opes vocantur חיל *à robore.* Si hoc recte, scribi quidem potest μαμμωνᾶ, videlicet ממונא, ac defendi exemplo כליף, quod est ab אלף, de quo non contenderim: tamen malo μαμωνᾶ duabus de causis; primum quia reperio ממונא sub Mem Camets in omnibus libris Chaldæorum; deinde quia me docuit Grammatica, si prima radicis Aleph, magis esse ut quiescat quam ut indicetur per Daghea. Igitur ממנא, more contrahendi in eo ordine usitato, pro מאמנא, simile ut מרא pro מארא *fermo*, ab אמר. Tantum de scriptura; venio ad sensum. Hieronymus Matth 6. *Mammona sermone Syriaco Divitiæ nuncupantur.* Suidas, Μαμωνᾶς, πλοῦτος, χρυσὸς παρὰ Σύροις· *divitiæ*, i. עתרא: χρυσὸς, i. זהב. In Chaldæorum Thargum declaratio est זהב וכסף ומטע, quorum unum *lucrum* significat, alterum *opes*, tertium exponit David Grammaticus dicens eo nomine non solum aurum

& ar-

& argentum ſed res omnes mobiles & pecora contineri. In *lucro* convenit vox Punica. Non Pœni *lucrum Mamon* vocant. Auguſtinus Serm. 35. De verbis Domini, & l. 2. ſuper Sermone Domini in monte. Apud Juriſconſultos דיני ממונות, *judicia pecuniaria*; ענש בממון, *mulcta pecuniaria*. Lexicon Eliæ, ממון בלעז העבא בלעז רוטא, *Mamon Germanice* ḥabe; *Italice*, *Robba*. *Mamona iniquitatis* Luc. 16. 9. μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας, i. ממונא דישלא. ita Syrus tranſtulit: aut ממון דשקר Jonathan Hab. 2. 9. aut ממון דשקר, idem Hoſ. 5. 11. ſed hoc poſtremum proprie ſignificat opes vanas ac fallaces. Porro apud Euangeliſtam varie exponitur. Mea ſententia *mamona iniquitatis* capiendum ex ſimilitudine qua ibi uſus Servator: qua de re dicam plene alias. Vide annotata ad Luc. 16. 9.

28. *Conſiderate lilia agri*, καταμάθετε] Lex. vetus: καταμανθάνω, *conſidero*. Sirach. 9. 5. περίβλεπε μὴ καταμάθῃς, *ne contemplare*. Ita recentior interpres: prius erat *ne aſpicias*.

29. *In omni gloria ſua*] In omni veſtitu aut amictu ſuo glorioſo. Sic Pſal. 45. *omnis gloria filiæ regis*, i. veſtis glorioſa, vel amictus glorioſus. Eſth. 15. 4. *indutus fuit gloria*, i. veſte glorioſa. Jeſ. 10. 16. & *pro gloria ejus*, i. veſtibus glorioſis aut honoratis.

31. *Nolite ſoliciti eſſe*, &c.] In lib. Selectorum, qui continet Arabum apophthegmata, quem magna ex parte Latinum fecimus, & Thomæ Bodlæo equiti aurato amico veteri dedicavimus, *Dolor vel ſolicitudo de eo quod non eſt aut fuit, malum eſt ægrum.* Ben Syra, qui creditur fuiſſe nepos Jeremiæ prophetæ, quem nonnulli eundem faciunt cum Sirachide, *Ne anxius eſto de craſtino, quia neſcis quid pariturus ſit dies.*

33. *Quærite primum regnum Dei*, &c.] In hanc ſententiam exſtat apophthegma Nehuniæ Haccanæ filii, *Qui ſubit jugum legis, immunis fit à jugo regni, tum etiam à jugo vitæ terræ*, h. e. à ſolicitudine de quærendo victu. Vide Apophthegmata Ebræorum & Arabum, pag. 20.

34. *De craſtino*] מחר ליום. Prov. 27. 1. *Ne glorieris de die craſtino*, i. de futuro tempore. Sic Exod. 13. 14. *Quod ſi interrogaverit te filius tuus cras.* Ubi R. S. *Cras proprie ſumitur, & pro tempore poſtero, ut hic, & in illo*, CUM DIXERINT FILII TUI CRAS. Vide nunc Zachariam Chryſopolitanum Epiſc. in Unum de quatuor pag. 86. ¶ *Sufficit diei malum ſuum*] רעתו *æruinna, vexatio.* Adagium eſt quod Ebraice ſic efferes, די ליום רעתו, *Sufficit diei malum ſuum.* In lib. Selectarum gemmarum. quem manu ſcriptum habeo ex Syria uſque allatum & mihi miſſum, *Cur mœſtus eris ob vexationem quæ nondum advenit? ſufficit vexatio in hora ſua* ex cap. de Tolerantia. Thanchuma fol. 29. col. 4. *Dicit R. Eleazar Modeita, Quicunque habet quod edat hodie, & dicit, Quid edam cras? ecce hic fide caret.* Autor libri Muſar 127. 2. *R. Eliezer magnus, Omnis, inquit, qui panem habet in corbe, & dicit, Quid edam cras? ecce hic eſt* מקטני אמנה *ex iis qui parvam fidem habent.* Hunc locum Hieron. explicat epiſt. 147. quæ ad Amandum, *Interrogas quid ſignificet illud in Euangelio juxta Matthæum*, NOLITE SOLICITI ESSE DE CRASTINO: SUFFICIT ENIM DIEI MALITIA SUA. *Craſtinum in Scripturis ſanctis futurum tempus ſignificat, ſicut & Jacob in Geneſi loquitur*, EXAUDIET ME CRAS JUSTITIA MEA, &c. *Qui ergo de futuris nos cogitare prohibuit, conceſſit de præſentibus, propter humanæ vitæ fragilitatem. Quod autem adjicit*, SUFFICIT DIEI MALITIA SUA, *hoc modo intellige, Sufficit nobis de præſentibus hujus ſeculi cogitare anguſtiis. Quid neceſſe eſt ſenſum ad incerta & futura extendere, quæ aut conſequi non poſſumus, aut forſitan cito inventa perdamus?* Kακία *enim, quam Latinis vertit in Malitiam, apud Græcos duo ſignificat, & Malitiam & Afflictionem, quam* πόνον *Græci dicunt, & hic magis pro Malitia transferri debuit Afflictio. Quod ſi contentioſe quis ducitur, nolens* κακίαν *Afflictionem ſonare & Anguſtias, ſed Malitiam, illo ſenſu explanandum eſt quo*, MUNDUS IN MALIGNO, *h. e. in malo*; POSITUS, *ſit, & in Dominica oratione dicimus*, LIBERA NOS A MALO; *ut ſufficiat nobis contra malitiam hujus ſeculi præſens habere certamen.*

S C A L I G E R.

11. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον] Recte vertit Vet. interpres *quotidianum*, i. *du jour au lendemain*; Gallice, *ordinaire*; ἐπιούσιος non ἰὼν τῆς οὐσίας componitur; dicendum enim fuiſſet ἐνούσιον ſed ab ἐπὶ & ἰὼν, ἰόντος, ἴωμι, ἰέναι, ab *io*, unde *ibimus ſequar.* Poſtea ἐπιῶσα, *ſupple* ἡμέρα, *le jour de demain.* מחר Hebræi, i. *le pain du jour au jour*, dicunt, *Panem demenſi noſtri*, καθημερινὸν, *panem ſufficientiæ*, q. *demenſi*, Syrus paraphraſtes & Arabicus recte dixerunt.

C A S A U B O N U S.

16. Ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν] Homerus ζ. α. verbo συσφύζω ita utitur,

Μηκέτι νῦν χρόα καλὸν ἐρύκετε.

Scholiaſtes eruditiſſimus explicat ἀφανίζε, quæ aptiſſima vox eſt. Paulo aliter Ælianus ἀφανίζων τὴν πλοῦτον.

19. Ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει] Videtur eſſe ἐν ἀλῷ δυοῖν, & dictum ut illud Latini Poetæ,

—— *patera libamus & auro.*

Nam nihil eſt aliud σὴς καὶ βρῶσις quam σὴς βρώσιμος, unde *veſtimenta* σητόβρωτα apud Jacobum 5. 2.

24. Ἢ γὰρ μισήσει, καὶ τὸν ἕνα καταφρονήσει] Torſit hic locus doctiſſimos interp. cum toto iſto libro nullus eſſe queat facilior, ſi modo quid ſingulæ voces ſignificent attendatur: Nam ita facillime intelligemus nullam hic φορήλως repetitionem, ut quidam putant. Docet Dominus noſter qui fieri nequeat ut duobus dominis idem ſerviat; Quia, inquit, vel unum odio habebit, alterum amans; aut etiam, licet amet utrumque, fieri poterit ut dum in alterius voluntate exſequenda erit intentior, erga alterum gerat ſe negligentius. Quid, quæſo, in hac interpretatione obſcuri? Diſtinguatur igitur diligenter inter ἀγαπᾶν & ἀντέχεσθαι, & omnis fuerit ſublata difficultas.

30. Εἰ δὲ τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ] Non puto χόρτον ad ſegetem quicquam pertinere. Et ex ſuperioribus apparet ſignificari hac voce iſto loco quicquid in hortis & pratis naſcitur, quod ſiccatum nulli rei utile eſſe poſſit niſi ut in ignem conjiciatur. Nam quod *clibani* fit mentio, non eo pertinet ut dicatur χόρτος mitti in furnum ut mittitur panis coquendus, ſed ut ſtipulæ, ſiliquæ, & alia id genus quibus in illis regionibus ſolitos furnos calefieri probabile eſt. κλίβανος autem ἀπὸ τοῦ κλίνω & generaliter pro quolibet furno accipiendum.

34. Μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον] Hebræorum eſſe phraſin recte à doctiſſimo interprete eſt obſervatum. Sed eſt & Græcorum: Nam apud Athenæum l. 7. leges φορτίζειν εἰς ἄνεμον.

C A M E R O.

29. Οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ] *Gloria* hic eſt ſplendor, ſeu pulchritudinis magnitudo. Sic Act. 22. 11. Paulus ait *oculos ſuos perſtrictos fuiſſe* ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ φωτὸς, h. e. *à lucis magnitudine.* Porro magnitudo lucis ſplendor eſt & fulgor: nam lux mediocris non dicitur *ſplendor.* Et ſane Hebræum כבוד & Chaldæum יקר *ſplendorem & gloriam* ſignificant. *Gloria* nempe non animo modo ſed & corpori tribuitur, atque tum pulchritudinem ſign. ut cum Eſai. 35. 2. dicitur *gloria Libani*, ſequitur enim continuo, *& decor Carmeli: gloria* igitur & *decor* idem ſunt. Cum autem pulchritudo corporis *gloria* dicitur, non intelligitur quævis corporis pulchritudo, ſed ea quæ dignitatem habet & majeſtatem. Ea ſignificatione 1 Cor. 15. 40. dicitur *alia eſſe gloria corporum cæleſtium, alia gloria corporum terreſtrium*, h. e. alia pulchritudo. Item, *alia Lunæ & Solis gloria eſt, alia Aſtrorum*; ubi *gloria* lucem, ſplendorem & fulgorem ſign.

G U A L T P E R I U S.

2. Ὅταν ποιῇς ἐλεημοσύνην] Ἐλεημοσύνη *Eleemoſyna.* Hebræi, Chaldæi & Syri צדקה & צדקתא, i. *juſtitiam*, vocant: Quo docent Munificentiam erga inopes non eſſe poſtremam Juſtitiæ partem, quæ etiam Lege diſtricte præcipitur Deut. 15. Remanſit autem ejuſdem nominis uſus in Novo quoque Teſtamento. Beza; *Theologi hanc vocem ſuam fecerunt, pro ſtipe qua pauperibus erogatur.* Alias generaliter accipitur pro *omni genere beneficii quod in miſeros confertur.* Verbum eſt ἐλεέω *miſereor*: ἔλεος *miſericordia.* ¶ Ἐν ταῖς συναγωγαῖς] Συναγωγὴ *Synagoga*, ἄγω & συνάγω *congregare, colligere.* Sigillatim dicitur de *Conventu Judæorum, & loco ipſo in quem convenire ſolebant ad Scripturam tractandam.* Hebræis eſt קהל KAHAL, & קהלה KEHILLAH, *Congregatio*: item עצרת & כנסיה. *Has vero voces*, ait Elias in Thisbi, CAHAL & KIBBUTZ, i. *Eccleſia & Cœtus, Chaldæi reddunt per* כנישתא CNISCHA *per* ש, & כניסתא *per* ס. Significat etiam CAHAL *Cœmeterium*, locum ubi quieſcunt corpora defunctorum. Syrus habet

habet בנושתא *in Conciliis.* Erasmus late accipit vocem συναγωγὰς, ut quosvis hominum in foro ac locis celebrioribus coetus seu circulos notet.

5. Ὑποκριτὰ, σὺ ἐσῃ ὡσπερ οἱ ὑποκριταί] Ὑποκριτὴς *Hypocrita, simulator:* ὑποκρίσις *simulatio*, ab ὑποκρίνομαι *simulo, fingo.* Syrus vocat נסבי באפא *assumentes faciem.* Hypocritæ enim dicuntur facies assumere, h. e. larvas induere, ut se transforment, quo alii appareant quam sint. Alias hæc locutio prosopolepsiam declarat, qua non pro causa sed pro persona judicatur. Quod qui faciunt, ipsi quoque hypocritæ sunt, ut qui justitiæ simulent studium, à quo tamen abhorrent. ¶ Τῶν πλατειῶν] Πλατεῖα, subintelligitur ὁδὸς, *via lata.* Latinis *platea.*

7. Μὴ βαττολογήσητε] Βαττελογέω *nugor, deblatero, unum & idem verbum sæpius repeto*, ut Battus ille poeta in hymnis suis, de cujus ineptiis Ovidius in Metamorphosi,

Montibus, inquit, erant, & erant in montibus illis.

cui par pari referens Mercurius,

—— *Es me mihi, perfide, prodis?*
Me mihi prodis? ait.

Syrus כסקקי *mepakekin* i. *multiloquos*, vocat. ¶ Οἱ ἐθνικοὶ] Ἐθνικὸς *ethnicus*, apud Ecclesiasticos scriptores *a religione Christiana alienus, profanus:* ab ἔθνος *gens, natio.* Syriace תנפא *Gentilis, infidelis, profanus.*

11. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν] Syrus significanter exprimit, *Panem necessitatis nostræ da nobis.* Quod volui monere παρεργως.

19. Μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς] Θησαυρὸς *Thesaurus, id quod pretiosum est & magna cura repons ac custodiri solet.* Ex quo θησαυρίζω, & θησαυροφυλάκιον apud Suidam. Syrus, סימתא SIMATHA. *Thargumice*, inquit Guido, סימא *Argentum significat, vel Thesaurum. Radix est* סים, *& significat Exoculare, Excæcare: unde* סמיא *Cæcus. Excæcant sane Thesauri hujus mundi, ut persæpe veri Thesauri, qui in cœlis sunt repositi, sic amittantur.*

22. Ὁ λύχνος] *Lychnus, lucerna, lumen:* ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός, τουτέστι σκότος. Ex quo λυχνοῦχος, φανὸς, λαμπάδης, apud Suidam.

24. Οὐ δύνασθε Θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ] Ὁ μαμμωνᾶς *Mammona.* Syriaca vox est ממונא MAMMON, vel ממונא MAMMONA, i. *substantia, opes, divitiæ, facultates.* Alii *lucrum* interpretantur. Elias, *Lucrum, sive quæstus, & substantia, & divitiæ Chaldaice significantur per* MAMON *&* MAMONA. *Germanice* Hab und Guter. *Cognationem habet cum Hebræo* מום MUM, *Vituperium. Quæstus enim immodicus & illicitus vere reprehensione & vituperatione est dignus. Græce* μῶμος, &c. Suidas, Μαμωνᾶς, πλοῦτος, χρυσὸς, ἀλλὰ ὁ ἐκ δικαίας κτησεως, ἀπὸ ὁ σφετέρου καὶ ὑπὲρ ἢ χρείαν, *divitiæ illæ quæ non sint ex Satana, sed quæ præter substantiam & usum necessarium adsint.*

30. Εἰς κλίβανον] Κλίβανος, ἡ κάμινος, ἑστία, *focus, lar*, ut Suidas. Attice κρίβανος *fornax*, q. κεραῖος βαύνος, *in quo hordeum coquitur.* Alii vocant *testum.* Utuntur hac voce cum Græci tum Latini; Græca tamen magis est. Syrus habet vocem תנורא TANURA, *furnus, clibanus.*

JAC. CAPPELLUS.

3. TU *vero cum facis eleemosynam, ne sciat sinistra tua quod facit dextera tua*] 1. cave ne per ambitionem ostentes ei quid sinistram adsidet id quod dextra tua porrigis. Proverbialis locutio petita ex consuetudine vulgi, quod sic loqui solebat hyperbolice. Ita tamen explicari potest ut sit metonymica potius oratio quam hyperbolica.

17. *Tu vero, cum jejunas, unge tuum caput, & faciem tuam lava*] Id Judæi lugentibus licere negabant, ut patet ex Talmudis tomo primo De benedictionibus f. אסור לאבל לרחוץ *Nefas est lugenti se lavare*, nempe faciem. At etiam caput ungere fakem oleo tam licitum putabatur quam indecorum μυρίζεσθαι. Plutarchus De conjugalibus præceptis, Ἡ φαινομένη χρᾶσις πρὸς ἡδονὴν καὶ πειθὼ, ἵνα μὴ φαίνῃ θρέμματα καὶ ἀκόλαστος, ἐδὲ ἀμφιέσει τὴν, ἵνα μὴ δοκῇ μυρίζεσθαι τὴν κεφαλὴν μηδὲ οἰκονομεῖν, ἢ ἵνα μὴ φυκιοῦσθαι τὸ πρόσωπον, μηδὲ ἀναπλάσσηται. Dicuntur autem hæc non imperandi sed concedendi modo, eadem fere ratione quam indicavimus in Matth. 5. 39. Hypocritarum enim objectio tacita potuit hæc esse, Quidni, cum ad jejunium me paro, faciem meam obscurem ac fœdem? an ego tum faciem meam lavaturus sum? caput meum uncturus? Christus vero respondet, *Vel faciem tuam potius lava, caput tuum unge potius* quam ut affectata deformitate caput tuum inquines.

24. *Non potestis Deo servire & mammonæ*] August. De serm. Domini in monte l. 2. *Lucrum Punice* MAMMON *dicitur.*

26. *Nonne vos multo præstatis passeribus?*] Rabba in Genesim sect. B. *Avis sine voluntate cœli non capitur, quanto minus hominis anima!*

LUD. CAPPELLUS.

2. —— *mercedem suam*] h. e. nihil amplius à Deo referet: Sic arguitur vana hominum gloriatio.

IDEM.

2. Ἄρχει τὸ μισθὸν αὐτῶν] Sic etiam loquuntur Judæi. R. Jona in libro Timoris, *Qui gloriatur*, inquit, *de mandato à se præstito* הוא נוטל את שכרו *is refert* sive *accipit mercedem suam.*

5. *Cum precaris, ne sis ut hypocrita.*] Simile quid præcipiunt Judæorum nonnulli. R. Jonah libro illo jam non semel memorato, Timoris, ואל יהיה כוונתך בתפלתו כדי בצבור מן חשבתו לכבד ולץ, *Ne inter orandum in Synagoga plus æquo sis prolixus, ne forte id deputetur ipsi tuæ gloriæ*, vel, *derisioni*, h. e. ne videatur velle laudem & gloriam hominis valde pii inde captare, aut vero sit ea propter reliquis deridiculo.

7. Μὴ βαττολογήσητε] Idem aliis verbis jam olim præceptum fuerat à Syracide, c. 7. 5. μὴ δευτερώσῃς λόγον ἐν τῇ προσευχῇ σου.

9. *Pater noster qui es in cœlis*] Sic Judæi totidem verbis Deum compellant in Seder Tephilloth Judæorum Lusitanorum אבינו שבשמים עשה עמנו חנון *Pater noster qui es in cœlis, fac nobis gratiam.* Et in Machazor fol. 76. 2. *Acceptæ sint orationes & supplicationes totius Israelis* קדם אבוהון דבשמיא *coram Patre eorum qui est in cœlis.* ¶ Ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου] Sic & Judæi in suis Euchologiis. Seder Tephilloth Lusitanorum, pag. 115. קדש את שמך הנקרא הטהור מלכנו בשמים כמש״ ועל הארץ מחחת h. e. *Nomen tuum, Domine Deus noster, sanctificetur, & memoria tua glorificetur, Rex noster, in cœlo desuper, & super terram inferne.*

13. *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*] Similem habent Judæi precationem in suo Seder Tephilloth, quam sic concipiunt, ואל תביאני לידי חטא ולא לידי עבירה ולא לידי נסיון ולא לידי בזיון והרחיקני מבני יצר הרע, h. e. *Ne me inducas in peccatum, neque in transgressionem, neque in tentationem, neque in contemptum; & remove a me figmentum malum.* Porro יצר הרע vocant *τὸν πονηρὸν Diabolum*, item *Concupiscentiam innatam* sive *peccatum originis.* ¶ *Quia tuum est regnum*, &c.] Sic etiam Judæi in suis Euchologiis. Seder Tephilloth Lusitanorum, pag. 222. כי תמיד שלך היה ועולם מיום עד תמלוך בכבוד h. e. *Quia tuum est regnum, & in secula seculorum regnabis gloriose.*

16. Ὅταν νηστεύητε, &c.] Simile quid habet author libri חובת הלבבות h. e. *de interno cordis cultu*, Tract. השערים h. e. *de vita instituto religioso*, cap. 4. *Dixerint*, inquit ille, *nonnulli* יש הרואים צהלתו בפניו ואומרו בלבו לבורחים מאד ונפשו שמלאה מאור h. e. *homo religiosus hilari & renidenti est facie cum cordis lætum suum premit, ac læto & hilari corde ipse videatur cum anima ejus humilis est intus & abjecta.*

GROTIUS.

1. ΤΗΝ δικαιοσύνην ὑμῶν, *justitiam vestram*] Cum ita legisse Syrum & Arabem appareat, nec desit librorum auctoritas, omnino hic accidisse arbitror quod alibi sæpe in his libris, ut altera lectio ex interpretamento glossematis nata sit. Quia enim ἐλεημοσύνη [*justitia*] in sensu ἐλεημοσύνης [*misericordiæ*] erat glossema, id est, vox minus usitata, & Judæis Hellenistis quam Græcismotior, ideo adscripta est vox altera usus frequentioris. Docet hic Christus exemplis beneficentiæ, precationis & jejuniorum non posse Deo probari quæ ideo fiunt ut aut laus captetur aut gratia. Quam sententiam Philo facunde, ut solet, his verbis expressit libro De Caino, βούλεται τοίνυν σκοπῶν ἀπαιδεύτως καὶ οὐδὲν λογιζόμενος χαρίζεσθαι πεπαιδευκόσι μᾶλλον ἢ δυσμαθέσι, καὶ ὡς οἰόμενος λαμβάνειν χάριτας, ἀφεὶς ἀληθεστάτην ὀνομάσας· εἰ μὲν γὰρ ἀδίδοτο ἀμοιβὴν ἐπαινος ὁ παιδεύσαντος, ζητοῦντες χαίρειν ἀντίδοσιν, ὑπερεπῄνουν ἂν μᾶλλον ἢ νῦν πάσιν ἐφιέμενοι [*Si ratio consideres, invenies plerosque*

corum

rorum qui beneſici dicuntur vendere magis ſua quam donare, & eos qui accipere putantur ea emere verius. Nam qui pro datis repenſationem venantur honoris aut laudis, ac ſibi beneficio vicem expetunt, ſub honeſto liberalitatis nomine auctionem potius faciunt], & quæ ſequuntur. Sic & Abenefdra ad Decalogi initium, *Si quis*, inquit, *pauper largiatur aliquid, ne id faciat ſpe gloriæ ab ipſo conſequendæ, aut ut hominibus ſe jactet: nam ſi id faciat, potiorem ducet gloriam quæ eſt apud homines quam eam quæ à Deo eſt opum largitore.* Eſt in hunc ſenſum inſignis locus in ſecundo de Republica Platonis, ubi τὸ δίκαιον [*juſtum*] deſcribit ἀνδρὸς ἁπλοῦ καὶ γνησίου, κατ' Αἰσχύλον, οὐ δοκεῖν ἀλλ' εἶναι ἀγαθὸν ἐθέλοντος [*virum ſincerum atque generoſum, qui ſecundum Æſchylum bonus non videri ſed eſſe velit*]. Nam, inquit, ἀφαιρετέον τὸ δοκεῖν· εἰ γὰρ δόξει δίκαιος εἶναι, ἐσται αὐτῷ πρὸς τὰς δόξας δοκοῦντι τοῦτο εἶναι· ἄθλων οὖν ἕνεκα τοῦ δικαίου οὐ δοκοῦντος δεῖν τοῦ δικαίου εἶναι τοῖς μὲν γνωσθησομένοις καὶ πρὸς ἀνθρώπους ἤδη δικαστὰς [*Removendum eſt illud Videri velle. Si enim juſtus eſſe videri velit, honores & munera ejus erunt qui juſtus eſſe videtur; incertumque evadet, ſane ille eius quod juſtum & rectum eſt an vero honorum & munerum cauſa talis. Exuendus ergo prater juſtitiam omnibus*], & quæ ſequuntur. Æſchyli verſus quos reſpicit noti ſunt, de Amphiarao quidem dicti à Poeta, at de Ariſtide Athenis intellecti,

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα ἐν φρενὸς καρπίμου,
Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

[*Namque allaborat eſſe, non credi, optimus,*
Sulcos profundos mente demerſos gerens,
Unde illius ſeſe pulchra conſilia exerunt.]

Quibus addere liceat & hos Philemonis verſus,

Ἀνὴρ δικαίος ἐστιν, οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
Ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνατὸς & μὴ βούλεται·
Οὐδ' ὅστις μικρὰ λαμβάνειν ἀπέχεται,
Ἀλλ' ὃς τὰ μεγάλα καρτερῶν μὴ λαμβάνων,
Ἔχειν δυνατὸς & καὶ κομίζειν ἀζήμιος.
Οὐδ' ὅστις ταῦτα πάντα διαθρηλεῖ & λέγει,
Ἀλλ' ὅστις ἄδολον γνώμην τ' ἔχων φύσιν
Εἶναι δίκαιος & δοκεῖν εἶναι θέλει.

[*Non juſtus omnia abſtinens injuria eſt,*
Sed qui nocere cum poteſt tunc abſtinet;
Nec qui recuſat parva, ſed qui maximis
Tematus animi robur invictum gerit:
Nec quiſquis iſta quolibet præſtat modo,
Sed qui dolos neſcius fugit, integra
Probitate, juſtus eſſe, non credi, cupit.]

Et illa egregia Hierocles, Πᾶν δὲ ὃ ἀμείνονα τὴν ψυχὴν ποιεῖ τοῦτο ἔστιν ἀρετὴ καὶ φιλοσοφίας νόμος. Τὰ δὲ μόνον πρὸς ἀνθρωπίνην ὑπόκρισιν τείνοντα, δυλοπρεπῆ ἐστι σοφίσματα καὶ σκιαγραφία τοῦ καλοῦ, τὸ σῶμα τοῦ παντὸς ἕκαστον ὑποκρινόμενα, καὶ δοκεῖν μόνον αὐτῶν εἶναι ἀγαθὸν τὴν πᾶσαν σκηνὴν φρονήσεως [*Omne enim id quo melior redditur animus, hoc virtus eſt & lex Philoſophiæ. Quæ vero in hoc tendunt ut apud homines ſpecioſi ſimus, ſervilles ſunt fallacia & rerum honeſtarum adumbrationes, quæ laudem ab aliis venantur, & omnem curam in eo ponunt ut quis bonus videatur*]. At *pleriſque hominum*, ut dicebat ille, *major fama ſitis eſt quam virtutis.* Quod autem Chriſtus cohærenter hic poſuit opera miſericordiæ, preces, & jejunium, fecit hoc quoque non ſine exemplo. Paſſim enim illa ut ὁμόφυλα [*congenera*] jungi ſolebant. Vide Tobiæ XII, 9. ¶ μισθὸν, *mercedem*] Voces Hebrææ quæ Græcæ huic ſæpe reſpondent שכר & מתנה promiſcue *mercedis & doni* habent ſignificationem, quo magis apparet non eam eſſe vim hujus vocis ut æqualitatem inter factum & rem deſideret. Sed neque Latina vox id exigit. Eſt quidem *merces*, ut Varro vult, à *merendo*: at *merere* aut *mereri* Latinis veteribus erat *conſequi pro re aliqua.* Terentius, *Egone illam cum illo ut patiar uxorem unam diem! qui ſuave meritum eſt.* Cicero, *Quid enim mereas ut Epicurum eſſe deſinas*, & ſimilia. Strictius autem *mercedis* vox uſurpatur ubi anteceſſit promiſſio; ea enim jus dat etiamſi origo promiſſi ex liberalitate & miſericordia procedat, ut inter Deum & nos evenit. Nam ſi obedientiam noſtram cum vita æterna commetimur, non digna ſunt quæ hic patimur (eſt autem patientia pars nobiliſſima obedientiæ noſtræ) glorioſo præmio quod nobis obventurum eſt. Breviter & bene Salvianus, *Indignum eſt ad futuræ gloriæ comparationem omne opus humanum.* Sed de his plenius ad Lucam capite XVII.

2. μὴ σαλπίσῃς, *noli tuba canere*] Recte poſt Chryſoſtomum Theophylactus notat non moris id fuiſſe apud Judæos, ſed locutionem eſſe παροιμιώδη [*proverbialem*]. Nam tuba convocare populum Hebræi ſolebant, ut Moſes nos docet: atque inde ad Tyrios, à Tyriis ad Tyrrhenos, qui & ipſi propago ſunt Tyriorum, ut nominis veſtigium indicat, à Tyrrhenis ad Græcos tubæ uſus pervenit. Eſt autem σαλπίζειν [*tuba canere*] populum teſtem quærere. Baſilius facunde dixit, ut ſolet, τῆς ἐυποιΐας σαλπιζομένης ὥσπερ διὰ κήρυκος [*Beneficentia quaſi per tubam proclamata nullus uſus*]. ¶ Οἱ ὑποκριταὶ, *hypocritæ*] Quorum ſunt, ut cum Poeta loquar, *mores perſonati.* Vetus dictum eſt, *Totus mundus exercet hiſtrionam.* ¶ ἐν τῇ συναγωγαῖς, *in ſynagogis*] Recte transferas *in circulo.* Latiſſime enim patet vocis uſus; neque hic reſtringi debet ad Profeuchas, quod & ſequentia oſtendunt: quin & nunc Judæi liberalitatem ſuam maxime oſtentant in exſequiis mortuorum. ¶ ἀπέχουσι, *receperunt*] Ita & Latine dicimus *habeat ſibi*, id eſt, nihil ultra exſpectet. Apud Arrianum Epicteto, ἀπέχεις πάντα [*habes omnia*]. Plutarchus Solone, Ὁ ἐν γάμοις παρορῶν τὸ καλὸν ἵνεκα δῆλός ἐστιν αὐτὸν ἡδονῆς ἀγόμενος γυναῖκα, τὸν τῷ μισθὸν ἀπέχειν [*Qui in nuptiis id quod honeſtum eſt præterviderit, oſtendit uxorem ſe ducere voluptatis non liberum cauſa: habet ergo mercedem*]. Directe opponitur hoc Chriſti enuntiatum opinationi Hebræorum ſentientium opera miſericordiæ quæ fiunt invocato Deo, ſpe tamen & reſpectu humanæ laudis, minus habitura mercedis apud Deum, neque tamen mercede caritura. At Chriſtus docet habituros eos quod voluerunt, inanem ſcilicet gloriam nec quicquam præterea.

3. μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου, *neſciat ſiniſtra tua*] Eſt & hoc è proverbio ſumtum, cui non diſſimile illud Imperatoris, qui interrogatus quando ſignum itineri daret, dixit ſe tunicam quoque abjecturum ſi conſciam putaret. Senſus eſt, Benefac quam potes occultiſſime.

4. Ὅπως ἡ σου ἡ ἐλεημοσύνη ἐν τῷ κρυπτῷ. *Ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito*] ᾖ [*ſit*] id eſt γένηται [*fiat*]· & ἐν τῷ κρυπτῷ [*in abſcondito*] expreſſum eſt ex Hebræo. Nam quod Græci uno verbo dicerent κρύφα [*clam*] id Hebræi dicunt בסתר, atque ita cætera ejuſdem formæ. Græci quidam Judicum IV, 21. בסתר vertunt ἐν κρυφῇ [*abſcondite*]. Vocem hanc ἐλεημοσύνης [*eleemoſynæ*] imprudenter irridet Julianus. ¶ ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, *qui videt in abſcondito*] Deeſt articulus, ut ſit ὁ βλέπων τὸ ἐν τῷ κρυπτῷ [*qui videt id quod clam eſt*], quod eſt, ut diximus, τὸ κρύφα γε μένον [*quod clam fit*]. Sic quod infra XXII, 30. dicitur ἐν οὐρανῷ [*in cœlo*], Marcus addito articulo explicat οἱ ἐν οὐρανῷ [*qui in cœlo*]. Sic infra X, 23. ἐν τῇ πόλει [*in civitate iſta*] poſitum eſt pro οἱ ἐν τῇ πόλει [*ii qui in civitate iſta*]. Marci VIII, 26. ἐν τῇ κώμῃ [*in vico*] pro τοὺς ἐν τῇ κώμῃ [*eorum qui ſunt in vico*].

5. ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν, *in angulis platearum*] Latine *in compitis*, ut Cicero atque alii loquuntur. Eodem ſenſu dicitur *in triviis.*
Catullus,

Omnibus in triviis vulgatur fabula paſſim.

Muſæus,

——— ἐν ᾗ σιωπῇ
Ἔρχου ἔπερ πόλεί πε ἐνὶ τριόδοισιν ἰκνεῖ.
[——— *in caligine ſiquid*
Feceris, in triviis hoc ideo protinus audit.]

Solebat enim plebis concurſus eſſe in triviis: inde *verba trivialia.* ¶ ἑστῶτες, *ſtantes*] Stantes orabant Judæi niſi luctus tempore; tunc enim orabant proni aut in genibus. Vide Danielis IX, 20. Imitati hoc Chriſtiani: nam in Quadrageſima, quod tempus pœnitentiæ dicatum, orabant in genibus: diebus Dominicis, & in Pentecoſte, id eſt, totis quinquaginta diebus poſt Paſcha, non niſi ſtantes; ut docet Tertullianus De corona militis, & canon ultimus Synodi magnæ Nicænſis. Et qui pœnitentiam agebant delictorum intra præſtitutas tempora erant ὑποπίπτοντες, poſtea σταθέντες. *Statio* igitur apud veteres non quemvis ſed receptiſſimum orandi modum ſignificat. Ita Marci XI, 25. ὅταν στήκητε προσευχόμενοι [*& cum ſtabitis ad orandum*]. Lucæ XVIII Phariſæus ſtans orat, & apud Nehemiam IX, 5. populus ad preces jubetur conſurgere. Et Geneſeos XVIII, 22. ubi in Hebræo eſt *Abraham ſtabat coram Deo*, Chaldæus vertit *orabat.* Neque aliter verbum *ſtandi* uſurpatur Jeremiæ XV, 1. XVIII, 19. & Jobi XXX, 20. Atque ita vocem *ſtationis* uſurpant tum Judæi tum Chriſtiani veteres; interdum & συνεδοχικῶς [*per complexionem*] pro piorum

conventu. Loca passim obvia apud Hermiam, Tertullianum, Cyprianum, qui libro de Oratione, *quando stamus ad Orationem.*

6. *εἰς τὸ ταμιεῖόν σου, in cubiculum tuum*] Agit hic Christus maxime de precibus quæ non in commune fiunt, sed in usus peculiares; quales erant illæ Cornelii Centurionis. Alioqui *δοξολογίαι* [*laudationes*] & preces pro bono communi non vetat palam in conventibus fieri, imo alibi etiam jubet, ut infra XVIII, 19. Praterea omnia illa quæ de conclavi & obsetando ostio dicuntur sunt desumta ex communi usu ad ea denotanda quæ sine strepitu fiunt. Vide Esaiam XXVI, 20. ✠ *τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ· quæ est in abscondito*] Placet hæc lectio, quam & infra commate 18. ipse Latinus interpres sequitur; ut id notet quod ex Hebræorum literis hausit Orpheus ita de Deo unico loquens,

——— *οὐδὲ τις αὐτὸν*
Εἰσορόα θνητῶν· αὐτὸς γε ἅπαντας ὁρᾷ.
[——— *nec conspicit illum*
Mortalis quisquam; videt ipse sed omnia solus.]

Sed & Philemoni idem est,

Ὁ πάντ' ὁρῶν τε, κ' αὐτὸς ὑφ' οὐδενὸς ὁρώμενος.
[*Qui cuncta cernit, ipse sed non cernitur.*]

Est locus huic loco non dissimilis in Epicteto Arriani I, 14. *Ὅταν κλείσητε τὰς θύρας καὶ σκότος ἦτε ποιήσητε μέσον ἡμῶν λέγειν ὅτι μηδεὶς ὑμᾶς ὁρᾷ, μὴ λέγετε· οὐδὲ ὑμᾶς, ἀλλ' ὁ Θεὸς ἔνδον ἐστί* [*Ubi ostia occluseritis, & tenebras feceritis intus, nolite dicere Solos vos esse: nam Deus intus est*].

7. *μὴ βαττολογήσητε, ὥσπερ οἱ ἐθνικοί· nolite multum loqui, sicut ethnici*] Non vetamur aliquandiu continuare orationem, quod fecit Christus & Apostoli, neque id quod sollicite expetimus repetere aliquoties, quod itidem Christum fecisse videmus, præsertim in suprema illa pro Apostolis & credentibus precatione, ut & Paulum; sed prohibemur Deo verba annumerare, quasi ille preces ex prolixitate potius & labore externi illius operis quam ex intimo animi affectu, cui excitando non indicando in precibus verba inserviunt, metiretur: *Ne agmine verborum adeundum putemus ad Dominum*, ait Tertullianus. *Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus*, ait Augustinus Epistola CXXI. Erant autem huic vitio minus obnoxii Judæi, ut qui potius docerent preces concisas esse debere; quod hodieque exstat apud Abeneldram initio ad Ecclesiasten, & in aliis ipsorum libris: & apud Sirachiden est, *Μὴ δὶς τὸν αὐτὸν λόγον ἐν τῇ προσευχῇ σου* [*Non iteres verbum in oratione tua*]; ubi *δὶς τὸν αὐτὸν λόγον* [*iterare verbum*] idem est quod hic *βαττολογεῖν*, *petitionem commendandam molestæ Deo tumultuosa loquacitate jactare*, ut loquitur Cyprianus sermone De oratione Dominica. Ideo Christus exemplum vitandi moris ab exteris gentibus petit, quibus id erat perquam familiare. Unde illud in Comœdia,

Obe jam desine deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam: nisi illos tuo ex ingenio judicas,
Ut nil credas intelligere nisi idem dictum est centies.

Contra eum morem est illud Plauti in Pœnulo,

Paucis verbis rem divinam facito.

Centies idem dicere est *βαττολογεῖν*. Quod vero ibi de gratiarum actione dicitur, idem in precibus fieri consuesse ostendunt hymni Græcorum, & quæ in eam rem differunt Plato, Juvenalis, Persius: *ἐθνικοὶ* [*Gentiles*] autem Judæi Hellenistæ vocabant *τοὺς ἀλλοφύλους* [*alienigenas*] ex strictiore usu ejus vocis. Quanquam enim significatu laxiore etiam Judæi *ἔθνη* [*Gentes*] vocantur Johan. XI, 51. Actorum X, 22. XXIV, 10. & alibi; receptius tamen erat ut Judæos vocarent *λαὸς* [*populum*], cæteros *ἔθνη* [*Gentes*], quomodo Hebraice illi עם, isti גוים vocabantur. Atque ita opposita inter se inveniuntur *λαὸς καὶ ἔθνη* [*populus & Gentes*] Actorum XXVI, 17, 23. Causa distinctæ appellationis hæc, quod *ἔθνη* [*Gentes*] vocarent quamvis hominum multitudinem, *λαὸν* [*populum*] autem cœtum jure ac legibus sociatum, quod in Judæos eximie competebat. Quo sensu Deus gentes profanas ad Euangelium vocans dicitur sibi comparasse *λαὸν ἐξ ἐθνῶν* [*populum ex Gentibus*], Actorum XV, 14. ✠ *ἐν τῇ πολυλογίᾳ, in multiloquio suo*] Id est, *πολυλογίας ἕνεκα* [*longæ orationis causa*]. Sperant, inquit, profanæ illæ gentes ideo se exauditum iri quia longæ orationis tædio se defatigant. *πολύλογοι* [*multiloqui*] autem solent iidem esse *βαττολόγοι* [*verborum repetitores*], quia ut multa dicant necesse habent sæpe jam dicta repetant. At quæ nihil nisi quod opus est complectitur oratio non potest *πολύλογος* [*verbosa*] dici. Facete Philemon,

Τὸν μὴ λέγοντα τἀ δεόντων μηδὲν τὸν
Μακρὰν νομίζε· πολλὰ δ' εἴπ' ἀνοήτως·
Τὸν δ' εὖ λέγοντα κἂν βραχύν τινα μακρὸν.
Μηδ' ἂν ἑξῆρ' εἴπῃ πολλὰ κ. πολλὰ χρόνον.
Τὸ κυμβαλον γὰρ τῇδε ἢ Θαμυρᾶ λάλει.
Οὐκοῦν γὰρ κἀμὲ μυρίακις ἐπαν γερρᾶς,
Ἀλλ' οὐδὲ εἷς Θαμυρᾶ ὑφορᾷ μάκρος.
[*Quicunque dicit ad rem quæ non pertinent,*
Deus locutus syllabas prolixas est;
At bene dicentem ne prolixum dixeris;
Quantumvis dicat multa & multo tempore.
Ab Homero sume testimonium tibi;
Is cum exaraxit versuum tot millia,
Nemo est Homerum qui prolixum dixerit.]

8 *οἶδε γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὧν χρείαν ἔχετε. scit enim Pater vester quid opus sit vobis*] Solebant Græci Romanique etiam scelerata & inhonesta à Diis suis petere, votis etiam conceptis, ut passim docemur. Christus tamen eo non respicit, sed quod non contenti in genere se suaque commendasse, longo verborum ambitu exprimerent quæ bona sibi vellent dari, viram longam, robur corporis, formam, victoriam, eloquentiam, gratiam potentum; quæ omnia late exsequitur Juvenalis. At Plato potius ita orandum ait ut Poeta quidam præscripserat,

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ ἡμῖν καὶ μὴ δώης ἃ μή μοι
Λώιμ' εἴδῃ· τὰ δ' ἀνωγὰ καὶ ὑπερβασίῃσι δίδοιεν.
[*Da, Deus, hæc nobis quæ sunt bona, sive precemur*
Seu non; quæ mala sint, etiam illa precantibus aufer.]

aut ut Lacedæmonii, *τὰ καλὰ ὦν τοῖς εὐχομένοις θεοῖς εἶναι δοτέα* [*ut honesta cum bonis detur Deus*]; nec quicquam addendum ultra. Consentit Platoni vetus Poeta cujus hic est versus,

Μὴ μοι γένοιτ' ἃ θέλεμ' ἀλλ' ἃ συμφέρει.
[*Ne sit mihi quod opto, sed quod expedit.*]

Quos secutus Juvenalis, cum dixisset,

Evertere domos totas optantibus ipsis
Di faciles.

idque multis comprobasset exemplis, tandem ita concludit,

——— *Si consilium vis,*
Permittes ipsis expendere numinibus quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Di.
Carior est illis homo quam sibi; nos animorum
Impulsu & cæca magnaque cupidine ducti
Conjugium petimus, partumque uxoris; at illis
Notum qui pueri, qualisque futura sit uxor.

Addit & formulam precandi,

Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.

Ex quibus satis apparere arbitror, quomodo hæc Christi verba cum superioribus cohæreant. Quid, inquit, multis verbis opus est ea commemorare quæ ad vitæ hujus usum pertinent? satis sit generaliter optare id quod expedit. Nam quid cuique expediat plerumque ipsi homines nescient; at scit Deus. Adde quod infra est commate 32. Ex hoc loco sumsit Julianus quod dicit, *ἐφθάκασιν οἱ θεοὶ τὰς εὐχάς* [*Dii preces antevenerunt*], ut illud quod apud eundem sequitur, *καὶ οὐκ ἀναγκαῖον ἦν ἡμᾶς δόντας ἃ δεόμεθα καὶ ἀφροντίστους ἐᾶσαι* [*& prius ei dederint quæ divina sunt, ne ea quidem quæ humana jam negarint*], est ex eo quod infra est commate 33. Hoc enim ille agebat, sed irrito consilio, ut Christianorum bene dicta sacrumque ad Paganos transferret.

9. *Οὕτως*, *Sic*] In hunc sensum. Non enim præscripsit Christus verba recitari (quod nec legimus Apostolos fecisse, quanquam id quoque fieri cum fructu potest), sed materiam precum hinc promere. Et sane nihil est dignum oratu quod non in partes hujus formulæ tanquam in locos suos recte digeri possit. *Oratio enim hæc*, ut Tertullianus loquitur, *quantum substringitur verbis, tantum dissunditur in sensibus.* Docent autem rosca quæ ex Hebræorum libris ab aliis sunt citata, non tam formulam hanc à Christo suis verbis conceptam quam in eam congestum quicquid in Hebræorum precibus erat laudabile: sicut & in admonitionibus passim utitur notis eo seculo proverbiis. Tam longe abfuit ipse Dominus Ecclesiæ ab omni affectatione non necessariæ novitatis. ✠ *Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· Pater noster qui es in cœlis*] Vide quæ supra à nobis dicta sunt. ✠ *ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, Sanctificetur nomen tuum*] Recte Hebræorum Magistri ἁγιασμὸν τοῦ ὀνόματος Θεοῦ, *sanctificationem Divini nomini*] ad pietatis opera referunt. Vide quæ

habuimus supra v, 16. II Petri II, 12. & Hebræos ad Psalm. LXVIII, 35. Rabbinum Israelem De Anima cap. 7. Bene autem notant veteres, primis his tribus membris pia desidera potius exprimi quam petitiones; neque vero opus est ut singulis sensus proprios atque distinctos assignemus. Nam & Lucas videtur tertium omisisse ut prioribus comprehensum.

10. Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. *Adveniat Regnum tuum*] Non puto eum esse sensum quem nonnulli arbitrati sunt, quasi rogare jubeamur ut gloria vitæ alterius quam celerrime adveniat. Quare magis est ut hoc pertineat ad ejus doctrinæ quæ tum Judæam duntaxat personabat propagationem per omnes terras. Vide Lucæ IX, 27. ¶ Γενηθήτω τὸ θέλημά σου, *Fiat voluntas tua*] *In hoc dicto ad sufferentiam nos ipsos admonemus*, inquit Tertullianus. Neque aliter hoc loquendi genus usurpatur infra XXVI, 42. Lucæ XXII, 42. Actorum XXI, 14. Sed quæ sequitur comparatio videtur ad imperia potius Divina pertinere, non excluso tamen eo quem dixi sensu. Nam & hoc inter imperata est, ut quicquid de nobis statuerit Divina providentia æquo feramus animo. Quo pertinet Cleanthis illud sane intellectum,

Ἆγέ δή με, Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη,
Ὅπῃ ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος.
Ὡς ἑψομαι γ' ἄοκνος· ἢν δὲ γε μὴ θέλω,
Κακὸς γενόμενος, οὐδὲν ἧσσον ἕψομαι.
[*Duc me, Parens celsique dominator poli,*
Quocunque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum impiger. fac nolle, comitabor gemens,
Malusque patiar quod pati licuit bono.]

Et vetus Epigramma,

Εἰ πῶ φέρον τε φέρῃ φέρε καὶ φέρου· εἰ δ' ἀμαυρότερος,
Καὶ σαυτὸν κυκήσῃς καὶ τὸ φέρον σε φέρῃ.
[*Si quem fors agat atque ferat, ferat atque feratur;*
Sin minus, & feret hunc Fors magis & feriet.]

Ex Pythagoræ scito quod apud Jamblichum, Ἐπιστημονικὸν τοῦτο καὶ δικαιοσύνης, τὸ μὴ ἀντιτείνειν καὶ ἀντιμαχόμενον τῇ θείᾳ προνοίᾳ [*Sapientiæ & æquitatis est, non contra niti nec irasci Divinæ providentiæ*]. Vide si lubet Hieroclem ad illa Aurei carminis,

Οὗτα τε δαιμονίαισι πάσχῃς βροτοὶ ἄλγε' ἔχοντι,
Μὴ ἂν μοίρης ὕπερ ἄλγε' ἄτερθε φέρῃ, μηδ' ἀγανάκτῃ.
[*Qui veniunt homini Divina lege dolores*
Fer placide atque ira sine quæ tibi contigerit pars.]

Quam sententiam Christiane admodum hunc in modum explicat Clemens Alexandrinus, εἰκὼν δ' ἂν ἡ τελεία εἰρηνοποιΐας, ἣ ἀπὸ παντὸς τοῦ συμβαίνοντος ἀτρέπτως φυλάσσουσα τὸ εἰρηνικόν, ἀρίστη τε καὶ καλλίων ἂν δικαιοσύνη λέγοιτο, ἐν θείοις τε καὶ ἀνθρωπίνοις πράγμασιν καθεστῶσα· δι' ἧς τὰς ἐν τῷ κόσμῳ ἐναντιότητας ἁρμονίαν κτίσεως καὶ δίκην λογίζεται [*Perfecta pax animi est quæ circa omne quod evenit immutabilem servat tranquillitatem, sanctam & pulchram dicens talium dispensationem, ipsa firmam se tenens in notitia Divinarum Humanarumque rerum; unde quæ in Mundo inter se sunt contraria pulcherrimum rerum conditarum consensum esse judicat*]. ¶ ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς· *sicut in cælo, & in terra*] Hic καὶ [&] vim habet ἀποδόσεως [*redditionis in Comparatione*]. Plutarchus similiter, ὡς γὰρ διὰ ὁμίχλης τὰ σώματα, καὶ δι' ὀργῆς τὰ μεγέθη μείζονα φαίνεται [*sicut corpora per nebulam, & per iram res majores quam sunt apparent.* Illud ἐν οὐρανῷ [*in cælo*] possis de Astrorum cursu interpretari: ἐν οὐρανῷ οὐδὲν κατὰ συμπάθειαν γίνεται [*in cælo nihil casu fit*] inquit Aristoteles. Sic & Lucanus sapientis animum ita se habere ait,

——— *Sicut cælestia semper*
Inconcussa suo vultuntur sidera motu.

Sed probabilius est de Angelis sensisse Christum, & spectatum ab eo Psalmi locum CIII, 21. *Laudate Dominum omnes exercitus ejus, ministri ejus facientes voluntatem ejus.* In Clementis Constitutionibus lib. II, cap. 56. ἕνωσις ἐστὶ καὶ ἑκουσία φύσεως τὸ ἀσυμφώνως ἀλλήλοις πᾶσιν δοξάζειν τὸ Θεῖον συμφώνως, ὥστε καὶ τὰ γνωστικώτερα τῶν ἀνθρώπων ἐν ἑνὶ στόματι ὁμοῦ καὶ διὰ μιᾶς δοξάσαι τὸν μόνον Θεόν [*Ut, quomodo supercælestes Naturæ virtutum incorporalium omnes concorditer Deum celebrant, ita & qui in terra sunt homines omnes uno ore parique proposito unum celebrent Deum*].

11. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, *Panem nostrum crastinum*] Longe aliud est ἐπιούσιος [*eximius*], quod LXX usurpant ut significent τὸ ἐξαίρετον, aliud ἐπιοῦσα, quod eo sensu hic invenitur neque reduci potest ad ejus significationis originem. Quod si voluisset Scriptor dicere *supersubstantialem*, dicendum fuerat ὑπερουσιώδη. Nam ἐπὶ in compositionibus eam significationem non habet. Adde quod ἐπὶ in compositione ante vocalem literam solet amittere. Itaque Platonici ἐπιοῦσάδες vocant *quod substantiæ accedit*; quæ significatio præterea hic locum non habet. Denique non patiuntur Grammaticæ leges ἐπιούσιος aliunde deduci quam à nomine ἐπιοῦσα quod *diem posterum* significat, ut monuit Ambrosius. Hoc vero quanquam per se sufficere debebat, accedit tamen maximi ponderis argumentum ab Hieronymi testimonio, qui consuluit à se scribit Hebræum Euangelii codicem quo Nazareni, hoc est Christiani ἑβραΐζοντες [*Hebræa utentes lingua*], utebantur; atque ibi reperisse מחר, id autem est *crastinum*. Quare περὶ τῆς λέξεως [*de vocabulo*] amplius quæri non debet: tantum restat videamus quæ sit τῆς λέξεως significatio. Mirum enim videtur, cum Christus vetet nos esse sollicitos pro crastino die, hic tamen ab eo præcipi ut oremus dari nobis panem crastinum. Sed sciendum est, quod & ab Hieronymo est annotatum, מחר Hebræis non significare stricte *diem proxime sequentem*, sed *quicquid futurum nominat*, ut Exodi XIII, 14. ubi LXX habent μετὰ ταῦτα [*post id*]. Exodi XIX, 10. Josuæ IV, 6. Proverbiorum XXVII, 1. quibus locis servarunt LXX vocem αὔριον [*cras*]. quo sensu & αὔριον usurpat Lucas XIII, 33. Sicut & exactum tempus Hebræis dicitur מחר, id est, *hora*. Est ergo ἐπιοῦσα omne id spatium vitæ quod nobis emetiendum restat, incognitum nobis, Deo cognitum; ἐπούσιον id quod ei spatio sufficit. Multi homines incerti quamdiu sint victuri, senectutis exspectationem avaritiæ prætendunt: & sæpe quo minus est viæ eo plus quæritus viatici. Vult Christus nos Deo hanc curam committere, ut quantum vitæ supereſt tantum nobis suppeditet alimentorum: neque ita tamen ut poscamus id omne nobis repræsentari. Est enim valde illiberalis animi non credere Deo nisi sub pignore. Quemadmodum igitur hi qui in potestate sunt patris familias & boni & sapientis & divitis, non postulabunt ut alimenta in multos annos sibi in cellis recondere liceat, sed contenti erunt dimensо diurno: ita & Christus abesse vult à nostris precibus tum diffidentiam, tum aviditatem. Est ergo hic σήμερον [*hodie*] positum pro eo quod pleniore Hebraismo diceretur σήμερον σήμερον [*hodie hodie*], id est Luca interprete τὸ καθ' ἡμέραν [*in diem*]; unde Græce καθημερόβιοι, & ἐφ' ἡμέραν ἔχοντες apud Herodotum libro I. Latine *in diem viventes* dicuntur, qui contenti sunt præsentibus neque in longum sunt solliciti. Sic & τροφὴν καθ' ἡμέραν [*victum in diem*] dixerunt Alexis & Antiphanes. Quod Græci interpretes Daniel. I. 5. dixere τὸ τοῦ ἡμέρας καθ' ἡμέραν [*id quod est de die in diem*]. Ita optime cum hac prece consentit præceptum Christi quod infra est commate 34. Omninoque idem nobis aperte significat quod quotidiana Mannæ largitione olim adumbrabatur, quam historiam ita explicat Philo ut vice interpretis sit ad hæc Christi verba, καλὸν τὸ ἀναθήμενον καὶ μεμετρημένον, καὶ μὴ τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς λαμβάνειν πλεονεξίας· τῷ γε τὸ καθ' ἡμέραν ἐν ἡμέρᾳ πεπαγέναι τὴν ψυχήν, ἵνα μὴ ἑαυτῷ φύλακα τοῦ ἀγαθοῦ, αὐτὸν τὸν φιλόδωρον Θεὸν ἀποφῶσι [*pulchrum est id quod in numero ac mensura consistit, & non ex aviditate id sumere quod modum excedit. Congreget ergo anima id quod de die in diem sufficit, neque se bonorum custodem censeat, sed liberalissimum Deum*]. Ἄρτον [*panem*] autem dixit Interpres, ut exprimeret Hebræum לחם, aut Syriacum ܠܚܡ, quod *cibum* significat, & peculiariter pro ciborum præcipuo, pane, usurpatur: imo, si Athenæo credimus, Syri panem non merum sed cum lacte, oleo & sale λάγμαν vocabant. Sic & apud Scriptorem Tobiæ I, 10. ἄρτοι τῶν ἐθνῶν sunt *edulia Gentium*; quod patebit si conferas locum Danielis I, 8. Laxior usus ad ea omnia protulit

Queis humana sibi doleat natura negatis.

Nempe scilicet καὶ σκεπάσματα [*alimenta & quibus tegamur*], ut Paulus loquitur I Timoth. VI, 8. aut ut Philo loco quem infra adducemus, τροφὴν καὶ σκέπην [*alimentum & tegumentum*]. Æque late patet in Jure Romano *victus* appellatio: comprehendit enim ea *quæ esui, potui, cultuique corporis, quæque ad vivendum hominibus sunt necessaria*, ut tradidit Ulpianus. Hæc sola nobis in Novo Fœdere Deus promittit, hæc sola vulgò nobis postulari, neque in antecessum, sed quantum in præsens sat est; cum contra Judæi à Magistris suis didicissent magnam sibi opulentiam precari. Sensus ergo horum verborum est, Da nobis Deus victum qui ætati in posterum agendæ sufficiat: & si non placet dare annua, da menstrua, da saltem diurna: quicquid ultra dabitur, id erit adventitium.

12. ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, *dimitte nobis debita nostra*] Sicut Græci dicunt ὀφείλειν δίκην, Latini *pœnas debere*: ita Hebræis חוב, quod *debitorem* significat, etiam de his qui pœnæ obstricti sunt usurpari solet, ut Daniel. I, 10. Tertullianus, *Debitum in Scripturis delicti figura est, quod perinde fœdere debeatur & ab eo negatur.* Quod ergo hic interpres

Digitized by Google

κατὰ λέξιν [*verbotenus*] expressit, id Ἐπιλυπώτερον [*magis Græce*] reddidit Lucas cum posuit ἁμαρτίας [*peccata*]. Sic idem Lucas in eodem sensu, cum prius dixillet ἁμαρτωλοὺς [*peccatores*] mox posuit ὀφειλέτας [*debitores*] XIII. 2, 4. ἀφίεναι autem ἁμαρτίας [*dimittere autem peccata*] opponitur τῷ κρατεῖν [*ei quod est retinere*]. Est autem utrumque dictum de Deo ἀνθρωποπαθῶς [*more humano*], quia homines ea quæ bona fide condonant quasi ex animo projiciunt; quæ condonare nolunt, asservant. Similia sunt *non meminisse delictorum* Jerem. XXXI, 34. & *in mare delicta projicere* Michææ VII, 19. Sic etiam inter se opponuntur χαρίζεσθαι [*condonare*] & λογίζεσθαι [*imputare*], sed apertius ducta tralatione à debitis pecuniariis. Servius ad XI Æneidos, *Lusisti supplicium: Iuris verbo usus est. Luere enim debitor dicitur, qui pecuniam solvit: quod hic usurpatum est in capitalem pœnam.* Illud *usurpatum est*, Servio significat λελεξιλογῆσθαι κατὰ καταχρησιν [*dictum per abusionem*]. Erraſſe autem eos qui putarunt hanc precationem ad paucos duntaxat pertinere, aut debere quidem omnes ita precari, non tamen pro se, aut à quibusdam hoc pronuntiari etiam pro se humiliter non veraciter, docet nos optimus Christi interpres Johannes Epistola I. cap. I, v. 8, 9, 10. Ex quo simul intelligimus hanc oratiotem non esse alligandam ad sola peccata quæ fiunt post datum nomen Christo, sive illa sint ἁμαρτίαι stricte nominatæ [*peccata* stricte nominata], de quibus Johannes pergit agere II, 1. sive πταίσματα [*offensiones*], de quibus agit Jacobus III, 2. & quæ potissimum hic respici putat Augustinus, sed referendam insuper ad delicta quæ Christianam professionem antecesserunt. Quanquam enim Novi Fœderis ictu promisit Deus veniam antecedentium delictorum omnibus in Christum credituris, eamque etiam in animis credentium obsignat, noluit tamen ejus juris effectum, id est, liberationem à morte, cui connexa est gloria æterna, nobis contigere, nisi hac Lege ut dum in hac vita sumus demisse semper coram Deo agnoscamus etiam exacti temporis culpam, & in petenda eo quoque nomine venia perseveremus. Vide Paulum I Corinth. XV, 9. & I Timoth. I, 15. ubi se vocat πρῶτον ἁμαρτωλῶν πάντων [*primum inter peccatores*], quæ pia est ὑπερβολὴ [*Superjectio*]; qualis & illa in epistola Barnabæ, ὅτι ἐξελέξατο οἱ ἴδιος δεσπόται Ἰησοῦς ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἀνομίαν ἀνομωτέρους. [*quia elegit Jesus Apostolos suos cum essent super omnem improbitatem improbos*]. Utilia ad hanc rem habet Chrysostomus oratione de Statuis duodecima. Hieronymus III dialogo contra Pelagium, *De Baptismatis fonte surgentes & regenerati in Dominum Salvatorem, impleto illo quod de se scriptum est, Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata, statim in prima corporis communione Christi dicunt, Et dimitte nobis debita nostra, quæ illis fuerant in Christi confessione dimissa.* ¶ Ὡς καὶ ἡμεῖς, *sicut & nos*] Sensus est, Non frustra hanc indulgentiam à te speramus, cum nos filii tui tuo exemplo simili indulgentia homines alios prosequamur, id est, læsi vindictam nec facto nec voto expetamus. Idem plane Lucas voluit cum dixit, καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίομεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν [*siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis*]. Sunt autem ὀφειλὴν sive οἱ ὀφείλοντες [*debitores*] *qui in nos deliquerunt.* Sensus idem apud Sapientem Hebræum Eccles. 28. 2. Ἄφες τῷ ἀδικήματι τῷ πλησίον, καὶ τότε δεηθέντος σου αἱ ἁμαρτίαι σου λυθήσονται [*relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata tua solventur*]. ubi & quæ sequuntur vide.

13. Μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, *ne nos inducas in tentationem*] Frequens Hebræis בוא ביד. Non hic sensus est, ne Deus nos permittat πειρασμοῖς ἐμπίπτειν [*objici tentationibus*], quæ communis sors est Christianorum omnium, ac maxime eorum qui plurimum in Christi doctrina profecerunt, Jacobi I, 2, 3. sed, ne nos finat oneri succumbere. Nam בוא במסה εἰσέρχεσθαι εἰς πειρασμόν [*intrare in tentationem*], significat ita involvi illecebris aut periculis ut non extriceris, infra XXVI, 41. Marc. XIV, 38. Lucæ XXII, 40, 46. Plenius interdum dicunt Hebræi, *intrare in manum tentationis*, hoc est, in potestatem ejus ac dominium. Hinc in forma Hiphil dicitur Hebraice הביא. Syris (nam illis יע valet בוא) תעי, quod & hic reperitur & apud Danielem και' ἐπιθεσιν [*cum insertione literæ*] יתעי, *facere intrare*, quod Hellenistæ vertunt εἰσφέρειν. Certum autem est & ab Hebræis traditum, verba ejus formæ quam Hiphil vocant non semper significare actum καταφατικὸν [*affirmativum*], sed sæpe ἀποφατικὸν [*negativum*] duntaxat, sæpe etiam non causam sed occasionem ea flexione indicari. Deus non tantum homines impios vitiis suis sæpe relinquit, παραδιδοὺς εἰς τὰ ἐπιθυμίας τῆς καρδίας αὐτῶν [*tradens eos in desideria cordis eorum*], ut loquitur Paulus Roman. I, 24. sed eos etiam qui viribus suis plus æquo confidunt ad tempus velut abdicat. Hoc jubemur agnitione infirmitatis nostræ & assiduis precibus antevertere, ut appareat nos quos jam ad luximus locis. Cyprianus ostendit in veteri Latina versione fuisse, nisi forte ipse ita vertit, *ne nos patiaris induci.* ¶ Ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, *sed libera nos à malo*] Hebræi dicunt הצל מרע. Membrum hoc priori opponitur. Ita Petrus dixit ῥύσαι ἐκ πειρασμοῦ [*eripere de tentatione*], & Johannes τηρῆσαι ἀπὸ τῆς ὥρας τοῦ πειρασμοῦ [*servare ab hora tentationis*] Apoc. III, 10. Facit autem hoc Deus, aut explorationem clementer temperando ad eas quas cœpimus vires, aut vires etiam augendo arcanis & ineffabilibus auxiliis. Nam utroque modo præstatur τὸ δυνάσθαι ὑπενεγκεῖν [*ut possimus sustinere*], ut loquitur Paulus I Corinth. X, 13. Utrum autem sit potius, paternæ Dei providentiæ permittendum est. Quanquam vero multi πειρασμοὶ [*multæ tentationes*] sint ἐκ τῆς ἐπιθυμίας [*ex concupiscentia*], Jacobi I, 14. multi etiam ab hostibus nostræ professionis, Lucæ VIII, 13. solet tamen utrumque genus τῷ πονηρῷ [*malo*], diabolo scilicet, asscribi, quia ille miris artibus & cupiditates inflammat, & hostes instigat; unde ὁ πειράζων [*tentator*] dicitur. Ita I Corinth. VII, 5. ὁ πειρασμὸς ἐξ ἀκρασίας, [*tentatio ex incontinentia*] ad diabolum refertur, neque minus gravioris metus incussio Lucæ XXII, 31. Hæc quanquam vera sunt, tamen non refugerit istud ῥῦσαι ἀπὸ τοῦ πονηροῦ [*à malo*] volenti sumere paulo generalius ubi eo quod est τὸ πονηρὸν [*malum* in neutro], hoc sensu nimirum, ut jubeamur precari non immunitatem ab incommodis omnibus sed animum invictum adversus tentamenta. Nam & Hebræi ita dicere solebant, *Ne nos inducas in manum tentationis, sed nos libera ab occursu mali*, ut ab aliis observatum est. ¶ Quod sequitur, *Quoniam tuum est Regnum, potestas, & gloria in sæcula sæculorum*, cum in vetustissimis exemplaribus Græcis non exstiterit, exstet autem & in Syriaco & in Latino contextu & in Arabico, argumentum nobis exhibet unde discamus non Arabicam tantum & Latinam versionem, sed & Syriacam sactam postquam Ecclesiarum λειτουργίαι [*formulæ sacrarum actionum*] formam certam acceperat. Nam ex Græciæ consuetudine capta est asscribi hæc δοξολογία [*concelebratio*] magis quam pars precationis. Latinis omnibus ignota. ¶ Sed & *Amen* apparet non à Christo additum, sed ex more veteris Ecclesiæ publicam vocum recitationem ea voce approbantis. Id enim factitasse Christianos veteres docemur I Corinth. XIV, 16. idque, ut multa, exemplo Hebræorum, Deuter. XXVII, 15. & deinceps. Sic & in Latinis codicibus ex Rituali Latino multa adhæserunt, ut infra XXI, 17. hæc verba, *& docebat eos de Regno Dei*, Lucæ XVIII, 13, *Amen*, in quibusdam exemplaribus.

14. Ἐὰν γὰρ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum*] Est quidem ubi παράπτωμα [*lapsus*] oppositum τῇ ἁμαρτίᾳ [*peccato*] significet delicta minora, ut Ephes. I, 7. Sed & hoc loco, quod præcedentia quoque evincunt, & alibi, ut Romanorum IV, 25. Colossi II, 13. omnia delictorum genera complectitur. Docet hic Christus, sicut Regnum cœleste, ita eam quæ Regnum præcedit peccatorum indulgentiam, non patere nobis nisi sub conditione novæ obedientiæ, cujus pars magna sit lenitas in condonandis injuriis. Non vetat Christus παιδείαν καὶ κόλασιν [*institutionem & castigationem*] quam parentes liberis, imo & alii alii debent; neque, ut supra ostendimus, Judiciorum leges tollit, quanquam certum est in illis etiam exercendis clementiam requiri; sed vult nos ab ultione animo esse alieno, ita ut eam nec exigamus ipsi, nec à Judice, imo ne à Deo quidem postulemus, sed, ut modo dicebat, benefacimus iis qui nos læserunt. Beneficium autem est etiam precibus ipsos apud Deum adjuvare. Neque vero, ut quidam putant, præstandum hoc est iis solis qui pœnitentiam factis testantur, sed illis etiam qui errore quodam in nos sæviunt, Christi exemplo, Lucæ XXIII. 34. Illi vero qui maligno animi proposito inexcusabiliter peccant, Deo permittendi sunt, Romanorum XII, 19. Danda autem est opera ut delicta aliorum quam benignissime interpretemur, præsertim quæ in nos sunt commissa, cum alioqui in partem sequiorem nimium sua sponte provergat dolens animus. Est autem hæc etiam Christi sententia ex veterum Hebræorum placitis: quod & apud Thalmudicos legitur & apud sapientem Hebræum Eccles. XXVIII, 3. Ἀνθρωπος ἀνθρώπῳ φυλάσσει ὀργὴν, καὶ παρὰ κυρίου ζητεῖ ἴασιν; ἐπ' ἄνθρωπον ὅμοιον αὐτῷ οὐκ ἔχει ἔλεον, καὶ περὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ δέεται; [*Homo homini reservat iram, & a Deo quæris medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur. Ipse, cum caro sit, reservat iram, & quis exorabit pro delictis ejus?*] Ubi tacite ex nomine *hominis* & *similis* & *carnis* datur intelligi Deus tanto major, sicut hic ex voce *Patris cælestis* intelligitur opposition terre-

terreſtris & fructis. Senecæ eſt, *Ut abſolvaris, ignoſce*: & in Tragœdia,

Det ille veniam facile, cui venia eſt opus.

16. Ὅταν δὲ νηστεύητε, *Cum autem jejunatis*] Proprie agit hic Chriſtus non de communibus populi jejuniis, quale erat à Deo præceptum ſolenne unum circa dies Sacri piacularis, & tria alia addita Exſilii temporibus, ſed de his quæ privatim ſibi quiſque indicebat, ſive per continuos aliquot dies extra ordinem, ſive perpetuo quodam more ſtatis diebus, nimirum Lunæ & Jovis, ut plerique Phariſæi, quorum qui videri volebant religioſiores etiam Martis & Veneris diem adjungebant. Erat autem ſevera admodum Phariſæorum ἀσιτία [*inedia*]: nam cibum plane nullum ſumebant ante Solem occaſum, & tunc quoque non niſi oleribus aut ovis veſcebantur. Sed & in cubitu erant in ſe duriores: neque enim tantum ab uxoribus ſecubabant, ſed alii ſervabant χαμευνίας [*humi cubitationes*], alii, Epiphanio teſte, etiam ſpinas ſibi ſubſternebant quominus conquieſcerent. Chriſtus ut non improbat jejunii exercitationem, ita eos hic notat qui per talia famam ſanctimoniæ aucupabantur. Quod præcipue in Phariſæos convenit, qui nomen etiam inde acceperant, quod non contenti implere ritus Lege præceptos, aliis ſevērioribus inſtitutis à reliqua plebe *diſcernerentur*. Vide Lucæ XVIII, 12. ¶ σκυθρωποί] *Triſtes*: bene Vulgata verſio. Vide Lucæ XXIV, 17. Adde Græcos interpretes Geneſeos XL, 7. Danielis I, 10. ¶ ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα, *exterminant enim facies ſuas*] *Deformant*: quomodo faciem neglectam perire dixit Ovidius. Citantur ex Euplœa Antiphanis apud Stobæum hi verſus,

Ὥσπερ πικρῶν ζωγράφων τὰ χρώματα
Πρώτιστον ἀφανίζουσιν ἐν τῷ σώματι·

ſed legi debet Πόνηρα δ' ὥσπερ ζωγράφοι. Senſus eſt,

At res adverſæ, quomodo pictor ſolet,
Primum colorem delinunt de corpore.

Sic & fuco ac pigmentis ἀφανίζειν τὰς ὄψεις [*deformari faciem*] ait Nicoſtratus. Cæterum Chriſtus hic non tam agit de macie & pallore, quæ inediam naturaliter comitantur, quam de affectata quadam vultus triſtitia & geſtibus, quales deſcribit graphice Jeremias LVIII, 5. Mirari hoc in Phariſæis eo minus debemus, quod iidem & ſpinas inſeruerint veſtibus ſuis ut ſibi ſanguinem elicerent, & capita alliſerint parietibus.

17. ἄλειψαί σε τὴν κεφαλὴν, & τὸ πρόσωπόν σου νίψαι· *unge caput tuum, & faciem tuam lava*] Hoc eſt præfer vultum & habitum quotidianum. Nam & lavari & ungi ſolebant Judæi eorumque vicini extra luctus tempora; præcipue vero quoties ſolito erant lætiores, ut diebus feſtis, Ruth. III, 3. II Samuel. XII, 20. XIV, 2. II Regum IV. 2. Eſther II, 12. ad unctionem autem plerique utebantur oleo, Pſalmo CIV, 15. ſic apud Homerum Odyſſ. ζ,

Χρῶτ' ὀπιπεύεσθαι καὶ ὀπὶ χεῖρας ἀλοιφῇ.
[*Corpora mundari lymphis oleoque perungi,*]

Scholiaſtes ἀλοιφῇ interpretatur ἐλαίῳ [*oleo*]: nitidiores aliis etiam unguentis. Vide Judithæ hiſtoriam X, 3. & XVI, 8. Chriſtiani quoque veteres unguentis non in totum abſtinuerunt: qua de re videndus Clemens Pædagogo II, cap. 18. ubi τὸ μυρο-λοιφεῖν [*pigmentari*] improbat, τὸ δὲ χρεῖσθαι τῷ μύρῳ [*ungi unguento*] oſtendit uſus honeſtos interdum habere, etiam nobile illud Ariſtippi dictum referens, *Pereant einadi qui rem tam bonam infamarunt.* Sed rerum ejuſmodi honeſtas aut turpitudo non tam ex ipſarum natura quam ex gentium moribus æſtimanda eſt. Valeat hic illud,

Νόμοις ἕπεσθαι τοῖσιν ἐγχωρίοις καλόν.
[*Leges honeſtum patrias ſemper ſequi.*]

Juſtinus, aut quiſquis eſt Scriptor vetuſtiſſimus ad Diognetum, Chriſtianos ait vivere ubique terrarum inter Græcos & Barbaros τοῖς ἐγχωρίοις ἔθεσιν ἀκολουθοῦντας ἐν τῇ ἐσθῆτι καὶ διαίτῃ καὶ τῷ λοιπῷ βίῳ [*utentes moribus locorum tam in veſte ac victu quam in vita cætera*].

18. ἀποδώσει σοι, *reddet tibi*] Habet ergo jejunium ſuam quoque mercedem, nimirum non ſeorſim ſpectatum (nam σωματικὴ γυμνασία [*corporalis exercitatio*] *exiguum per ſe uſum habet*) ſed quatenus pietati inſervit, quæ *promiſſiones habet vitæ præſentis & futuræ*, I Timoth. IV, 8. Uſum jejunii non male explicat Salvianus libro I de Divina providentia, *Non imprudenter quidam hoc loco dixit, quod ſi repugnante corporis fortitudine quæ optamus facere non poſſumus, infirmandum nobis ſit carne ut optata faciamus. Infirmitas enim carnis*, inquit, *vigorem mentis exacuit, ut affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animorum, non turpibus ſi annis medulla aſſuens, non maleſanam mentem latens*

tia incentiva ſuccendant, non vagi ſenſus per varia oblectamenta laſcivient, ſed ſola exſultet anima, læta corpore affecto, quaſi adverſario ſubjugato. ¶ ἐν φανερῷ· *in aperto*] Quod pauciores codices hic addunt, ex locis ſuperioribus repetitum eſt.

19. Μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς, *Nolite theſaurizare vobis theſauros*] Putavit Cœleſtius hoc & aliis Euangelii locis omnem rerum non neceſſariarum poſſeſſionem, quas divitias vocamus, prohiberi. Quod valide refutatur Pauli verbis I Timoth. VI, 17. Sed in alteram quoque partem errari poteſt, ut ſi hic aut eos tantum putemus notari qui genium ſuum fraudantes auro defoſſo incubant, aut qui per vim dolumque malum lucra ſectantur, quorum illud vitium φιλαργυρίαν [*tenacitatem*], hoc πλεονεξίαν [*fraudationem aliorum*] diſtincte Græci vocant: cum hic potius notetur vitium τὸ φιλαργυρίας, *pecuniæ ſtudium*, ut Salluſtius loquitur, quod commatis 25 & ſequentium cum his antecedentibus connexio manifeſtum facit. Illi ſunt quos Paulus jam dicta Epiſtola VI, 8. vocat τοὺς βουλομένους πλουτεῖν [*qui volunt divites fieri*], quoſque ait illaqueari multis irritamentis, ac tandem in exitium ſolere demergi. ubi βούλεσθαι [*velle*] ita ferme ſumitur quomodo βούλεσθαι τὰ τῶν Συρακουσίων [*velle ea quæ ſunt Syracuſanorum*] dicuntur οἱ τὰ αὑτῶν φρονοῦντες [*qui ipſis ſtudent*]. Eſt quidem vox θησαυρίζειν [*theſaurizare*] per ſe media, ita ut & de factis laudabilibus I Corinth. XVI, 2. aliiſque non in vitio poſitis uſurpetur II Corinthior. XII, 14. Sed ei voci accidit quod aliis pluribus, ut interdum πρᾶξιν [*actionem*], interdum vero, ut hic, ἕξιν [*permanentem animi affectionem*] ſignificet, cui conjuncta eſſe ſolet tenacitas erogandæ in alienos uſus pecuniæ. Nam qui hoc agunt ut quamplurimum habeant, aut id faciunt ut ipſi lautius mollius ac ſuperbius vivant, aut nuda poſſeſſione delectantur. Utrumque autem obſtat beneficentiæ. Eodem ſenſu ſumitur τὸ θησαυρίζειν [*theſaurizare*] Lucæ XII, 21. & Jacobi V. 3. ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει, [*ubi arugo & tinea demolitur*] Hebræi אכל, quod Græco βρώσιμον [*comedere*] reſpondet, uſurpant de quavis conſumtione, etiam per ignem aut gladium. Hinc factum ut id præcipue quod rem intus depaſcitur diceretur אכלה, quod hic poſuit Syrus, ideſt, βρῶσις [*edeſio*]: unde σητόβρωτα *quæ à tineis depaſcuntur* Jacobi V, 2. Hoc vero loco cum σὴς [*tinea*] ſpecialiter nominetur, generis vox ad omnes alias ejuſdem generis ſpecies referenda eſt, ut id quod Græci ἰὸν, Latini pro materiæ diverſitate *æruginem*, aut *ferruginem* vocant. Nam quod σὴς eſt in veſtibus hoc ἰὸς ſive βρῶσις eſt in metallis: unde iſta frequenter conjungi ſolent, ut apud Menandrum,

Καὶ πάντα τὰ λυμαινόμεν' ἐντὸς ἐνδέδηε,
Οἷον ὁ μὲν ἰὸς τὸν σίδηρον ἂν σκέπῃς,
Τὸ δ' ἱμάτιον ὁ σής, ἡ δὲ θρίξ ξύλον.
[*Et rei cujuſque pernicies intus latet:*
Hoc eſt ferrugo ferro, ſi conſideres,
Ligno teredo, tineaque veſtibus.]

Quin & ipſe Jacobus Apoſtolus haud dubie hæc Chriſti verba reſpiciens τὰ ἱμάτια ὑμῶν σητόβρωτα γέγονεν· ὁ χρυσὸς ὑμῶν καὶ ὁ ἄργυρος κατίωται [*veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt: aurum & argentum veſtrum æruginavit*], dicto capite V, 2, 3. ἀφανίζειν [*demoliri*] hic eſt quod Menandro λυμαίνεσθαι, Lucæ διαφθείρειν. ¶ ὅπου κλέπται διορύσσουσι καὶ κλέπτουσιν· *ubi fures effodiunt & furantur*] Simili argumento Martialis homines ad liberalitatem invitat: nam cum enumeraſſet caſus quibus ſubjecta eſſe ſolent quæ poſſidemus, atque inter cætera dixiſſet quod huic loco apprime convenit,

Callidus effractæ nummos fur auferet arcæ,

tandem concludit,

Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

In Menandri etiam Dyſcolo filius patrem ad beneficentiam hortatur ex eadem poſſeſſionum inſtabilitate,

Περὶ χρημάτων λαλεῖς ἀβελτερώτατ' ἀνθρώπου,
Εἰ μὲν γὰρ οἶδα ταῦτα σοῦ μᾶλλον σὺ σοί
Εἰς πόνον τὸ χρῆσον, φύλαττε μηδενί·
Ἀλλ' εἰ μεταδιδοὺς αὐτὸς ὢν ἡδὺς κυρεῖς
Εἰ μηδὲ ἑωυτῷ, τὴν τύχης ἄπαντ' ἔχεις,
Τί δ' ἂν φθονοῖς, ὦ πάππε, τούτων τινί;
Αὐτὸς γὰρ ἄλλῳ τυχὸν ἀναξίῳ τινὶ
Παρελοιμήν σε πάντα πρεσθήσοι πάλιν.
Διόπερ ἐγώ σε φημὶ δεῖν, ὅσον χρόνον
Εἶ κυρεῖ, χρῆσθαί σε γνησίως, πάππε,
Αὐτὸν ὑπολαμβάνοντα κἄπειτ' ἐμοὶ τινὰ
Ὡς ἂν δυνῇ πλεῖστα λέγε σπεῦδε τὴν φίλην.

[*Divitias mihi commemoras, rem fluxa fide:*
Quas ſi perennaturas es certus tibi,
Non intercedo quo minus cuſtodias,
Nec quicquam partiaris. ſin nec tui
Es ipſe dominus, quæque habes ſibi vindicat
Fortuna, cur iſta alii invideas, pater!
Atque illa, ut levis eſt, jam tua pecuniis
Indigniorem forte munerabitur.
Quare, me ſi audis, dum te pro domino geris,
Mi pater, utëris illis liberaliter,
Opem feres pauperibus, & quantos potes
Amicos opulentabis ex opibus tuis.
Lam hæc perpetua, & ſiquid eveniat ſecus,
Idem exſpectabis quod tute ante feceris.]

Adde quæ jam ex Xenophonte adferemus. Rabirius dixit, *Hoc habeo, quodcunque dedi.* Seneca De vita beata, *Nihil magis poſſidere me credam quam bene donata.*

20. Θησαυρίζετε δὲ ὑμῖν θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ, *Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo*] Οὐρανὸν [*cælum*] hic & aliis aliquot in locis dixit quod frequentius οὐρανοὺς [*cælos*]. Senſus eſt, *apud Deum:* quomodo baptiſma Johannis dicitur fuiſſe ἐξ οὐρανοῦ [*ex cælo*], ideſt, à Deo, Lucæ xx, 4. Penu autem iſtud quod Chriſtus recondi jubet ſunt opera bona, ut Paulus interpretatur 1 Timoth. VI, 17, 18. ut quæ Deus in memoria ſua aſſervet olim nobis profutura, ut ibidem à Paulo exponitur. Inter hæc autem bona opera eximium quendam locum obtinent benefacta in pauperes, quæ peculiariter θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ [*theſaurum in cælo*] Chriſtus vocat Lucæ XVIII, 22. ſed & Tobiæ Scriptor: ut appareat & hoc ex veteribus eſſe dictis Hebræorum. Eſt autem locus plane huic ſimilis apud Xenophontem De Cyri inſtitutione libro ultimo, ubi Cyrus ait longe alios à ſe theſauros comparari quam à cæteris Regibus, tales nempe qui non marceſcant, niſi quod ille hæc ad hujus vitæ præſidia, non ad vitam meliorem refert. Verba ſunt, Ὁρᾷς, ὦ Κῦρε, ὡς εἰσὶ καὶ ἐμοὶ θησαυροί· αἰκαὶ σὺ μὲν κελεύοις με πᾶν ἐμοὶ αὐτῶν συλλέγοντα φυλάττεσθαί τε δι' αὐτῶν καὶ μισεῖσθαι, καὶ φύλακας αὐτῶν ἱφιστάντα μισθοφόρους, τύραννος πεφύκειν· ἐγὼ δὲ σοὶ φίλους πλοῦτον ποιῶν, τούτους μοι νομίζω θησαυρούς, ἐν φύλακας ἅμα ἐμοῦ τε καὶ τῶν ἐμετέρων ἀγαθῶν πιστοτάτους εἶναι, ἢ εἰ φονεῖς μισθοφόρους ἐπισπάμενος [*Vides, Cyre, eſſe & mihi theſauros. Tu vero ſuades ut eos apud me coacervans invidiam in me & odium accerſam, & cuſtodibus appoſitis conductitiis eos committam: Ego vero amicos ditans, hos mihi theſauros exiſtimo, & fidos magis ad mea meorumque bona cuſtodienda quam si quos mercede conducerem*]. Mox, Ἐγὼ δὲ ὑπηρετεῖν μὲν πᾶσι θεοῖς, καὶ ἡγοῦμαι αἰεὶ πλείονος· ἐπειδὰν δὲ κτεάσωμαι ἃ ἂν ἰδὼν αἰσθάνωμαι ὄντα τῶν ἐμοὶ ἀρκούντων, τότε καὶ τὰς τῶν ἐνδείας τῶν φίλων ἐξαιρήσομαι, καὶ πλουτίζων καὶ δωρεῖσθαι ἀνθρώπους οἴομαι ἐξ αὐτῶν πλῆθος καὶ φιλίαν, καὶ ἐκ τούτων κρείττονα ἀσφάλειαν καὶ δόξαν, ἃ ὅπη κατανέμεται ἐπὶ ὑπερφέρουσι λυμαίνεται [*Ego vero Deis quidem inſervio, & majora in id expeto; quæ aſſecutus ubi ea ſuperare video id quod mihi ſatis eſt, inde amicorum neceſſitatibus ſubvenio, & hominibus bene faciendo eoſque ditando benevolentiam & amicitias mihi acquiro: & ex his conſequor vitam tutam & laudem, quæ neque putreſcunt neque ſui abundantia corrumpuntur*]. Locutio huic noſtræ non diſſimilis apud Philoſtratum de Herode Sophiſta, ἐθησαύριζε τὸ πλοῦτον ἐν τῇ τῶν μετεχόντων αὐτῷ γνώμαις [*divitiarum theſaurum reponebat in animis eorum quos reddebat participes*].

21. Ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ ἔσται καὶ ἡ καρδία ὑμῶν. *Ubi enim eſt theſaurus veſter; ibi erit & cor veſtrum*] Καρδία [*cor*], id eſt, νοῦς [*animus*], ut Juſtinus hunc locum profert Apologetico II. Veriſſimam eſſe hanc ſententiam oſtendit Aululariæ Plauti. Diligenter aſſervare ea demum ſolemus quæ magni facimus. Hoc ergo vult Chriſtus, Prout de rebus judicamus, ita nos erga eas affici. Si in divitiis poſitam credimus felicitatem, futurum ut nihil prævertamus conquirendæ pecuniæ ſtudio; ſin veram virtutem ſolidum credimus bonum, ei nos omnem daturos operam. Et ſane verum eſt, quod Philoſophi etiam docent, ex decretis in animo conceptis ſequi τὰς ὁρμὰς καὶ τὰς ἐκκλίσεις [*impetus & fugas*]. Epictetus, ut ſolet, nervoſe, Ὅπου τὸ συμφέρον ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές [*Ubi utilitas, ea fertur veneratio*]. Unde etiam monent ſollicitos nos eſſe debere ut diſcamus rem quamque ſuo pretio æſtimare. Bene ergo Horatius,

—— quod magis ad nos
Pertinet, & neſcire malum eſt agitamus, utrumne
Divitiis homines, an ſint virtute beati.

atque alibi avaritiæ Staberii hanc cauſam adfert,

—— quoad vixit credidit ingens
Pauperiem vitium, & cavit nihil acrius, ut ſi
Forte minus locuples uno quadrante periret,
Ipſe videretur ſibi nequior.

Neque tamen excuſanda ſunt vitia, quia ex corruptis judiciis naſcuntur: nam ut recte dicit Hierocles, τὰ δεινήματα ὑπὸ θεοῦ οἱ πολλοὶ οὐχ ὁρῶσι, διὰ τὸ μὴ ὀρθῶς χρῆσθαι ἢ κοιναῖς ἐννοίαις ἂς προσφυεῖν ὁ δημιουργὸς τῷ λογικῷ γένει προὐνόησεν ἑαυτοῦ [*quæ à Deo offenduntur multi non vident, quia non recte utuntur communibus notitiis, quas Deus inſeviit rationis utentibus ad ſui cognitionem*]. Eſt ergo noſtri officii τὸ νοῦν προσέχειν [*diligenter attendere*], & pravas illas judicationes aut non admittere, aut admiſſas ejicere; quam ad rem datæ nobis ſunt illæ κοιναὶ ἔννοιαι [*communes notitiæ*] ſive προλήψεις [*anticipationes*], ut ad earum trutinam minime fallacem opinationum pondera examinemus, ad quas Chriſtus hic provocat.

22. Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός, *Lucerna corporis eſt oculus*] Hinc oculi φάεα Græcis, Latinis *lumina*. Comparat autem Chriſtus judicium oculis, animum corpori, ſimilitudine etiam apud Philoſophos uſitata. Ariſtoteles Topicorum I, 14. Ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν ψυχῇ [*Ut viſus in oculo, ita mens anima*]. Ariſtides, Καὶ γὰρ καὶ ἔχει τι προσφιλόσοφον ὁ νοῦς τῇ ὄψει· ὡς γὰρ ἐκεῖνος διεφθαρμένην μὲν ἑώρακεν οὐδὲ τὰ πλησιαίτατα ὁρᾷ, ὑγιὴς δ' ὢν μέχρις οὐρανοῦ τε καὶ ἄστρων ἐξικνεῖται, ταυτὶ δὴ τοῦτο ἡ μὲν φρονῆσις ἀφίησιν ἡμῶν πάντας ἀνθρώπους ἱκανοὺς γίνεσθαι διοικεῖν, ἡ δὲ ἄρα καὶ τὸ σῶμα τὸ ἑαυτῶν δυνατοὺς φυλάττειν, οὐδὲ ἵνα εἶναι [*Habet enim ſimile aliquid mens viſui; ſicut enim hic ubi corruptus eſt nihil videt etiam eorum quæ ſunt proxima, contra ubi ſanus eſt ad cælum & ſidera pervenit: pari modo prudentis intellectus vel omnes homines recte regat, imprudentis vero ne corpus quidem unum aut domum unam præſtet incolumen*]. Plutarchus Quæſtionibus Romanis, Φῶς γάρ ἐστιν ἡ ἐντὸς ψυχή [*lux enim eſt anima interior*]. Jamblichus in Symbolis Pythagoricis, Ὁ δὲ φρόνησιν νοῦς τῷ φωτὶ ἔοικε τῆς ψυχῆς, καὶ αἴσθησιν αὐτὴν αὐτῇ ἐείζει, περίγραπτόν τινα ὥσπερ ἐν σκότῳ εἰς φῶς [*Mens prudentia velut lux eſt animæ, & eam per ſe indefinitam definit, & quaſi transfert ex tenebris in lucem*]. Proclus ad libros Platonis De Republica comparat oculis τὸ ὅμμα τῆς ψυχῆς ᾧ δὴ νοῦν [*oculum illum animæ per quem anima videt*]. Galenus ſimiliter, Ὥσπερ ὀφθαλμὸς τοῦ σώματος, τοιοῦτον ἐν τῇ ψυχῇ νοῦς [*Sicut in corpore oculus, ita ſe habet mens in anima*]. M. Antonius libro XII. Ἡ τοῦ μὲν ἕξ λύχνου φῶς μέχρι σβεσθῇ φαίνει, καὶ τὴν ἀγχιβῆ οὐκ ἀποβαλόν· ἡ δὲ ἐν σοὶ ἀλήθεια καὶ δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη πῶς ἀποβήσεται; [*An vero lucerna lux donec exſtinguatur lucebit, & fulgorem ſuum non amittet; quæ vero in te eſt veritas & juſtitia & modeſtia ante evaneſcet?*] Sic & de Pythagora agens Ovidius,

—— Et quæ natura negavit
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

Sed & apud Judæos, Philo De Mundi conditura, Ὥσπερ γὰρ νοῦς ἐν ψυχῇ τοῦτ' ὀφθαλμὸς ἐν σώματι [*Quod mens in anima, id in corpore oculus.* Poſtea, Ἀνθρωπον, ᾧ νοῦν ἐξαίρετον ἐδωρήσατο (ὁ Θεὸς) ψυχῇ τινα ψυχὴν, καθάπερ κόρην ἐν ὀφθαλμῷ [*hominem dico, cui Deus eximium illud dedit mentem, quaſi animæ ipſius animam, qualis in oculo eſt pupilla*]. Clemens in Epiſtola ad Corinthios, ἀτενίζωμεν τοῖς ὄμμασι τῆς ψυχῆς εἰς τὸ μακρόθυμον αὐτοῦ βούλημα [*Intueamur animi oculis in lenem ejus voluntatem*]. Chryſoſtomus in prioris ad Corinthios caput IV. oculo comparat τὸ τῆς διανοίας προορατικόν [*vim animi providam.*] ¶ ἁπλοῦς, *ſimplex*] Ἁπλοῦς eſt oculus qui non fallit, cui opponitur πανοῦργος, oculus fallax. Hebræis ille תם, hic עו. ¶ Φωτεινὸν ἔσται· *lucidum erit*] Φωτεινὸν hic valet πεφωτισμένον *illuſtratum*; ut σκοτεινὸν, *ſcholiaſtæ interpreti tenebris involutum.* Pleræque corporis actiones ductu oculorum diriguntur: ideo corpus dicitur oculis recte ſe habentibus illuſtrari, ægrotantibus tenebris involvi. Hierocles, Ὥσπερ γὰρ ὀφθαλμῷ λημῶντι καὶ μὴ καθαρεύοντι τὰ σαφέστατα φωτεινὰ ἰδεῖν οἷόν τε, οὕτως καὶ τῇ ψυχῇ μὴ λιτῶς κεκτημένῃ τὸ τῆς ἀληθείας ἐκφανέστατον καλὸν [*Sicut enim oculus lippiens & impurus etiam maxime lucentia videre non poteſt, ita & anima virtute non pradita videre nequit veritatis pulchritudinem*].

23. εἰ οὖν τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστὶ, *ſi ergo lumen quod*

quod in te eſt tenebræ ſunt] Judicium, ut diximus, ὄψις τ̃ ἀξιοῦσι [*viſus animi*] Socrati in Sympoſio, ὄμμα τ̃ ψυχῆς [*oculus animi*] Hierocli, ὀφθαλμοὶ τ̃ ἀξιοῦσι [*oculi cordis*] Paulo Epheſiorum I, 18. σκότ@ [*tenebræ*] autem poſitum eſt pro σκοτεινὸν [*tenebricoſum*] more Hebræo. ¶ τὸ σκότ@ πόσον; *ipſæ tenebræ quantæ erunt?*] Quam cæcos affectus neceſſe eſt ſequi judicio mentis corrupto? Præclare Hierocles, Ἐπεὶ οὖν τὸ δεῖξαι ὁποιῳοῦν δύο φερομένων ἐνεργείας εἰς αὐτὸ δραμάτων ἐμφανὲς, (πῶς γὰρ ἂν δείξαις τυφλῷ, κἂν μυριάκις φερόμενος ὁ βάλλη δεῖξαι, ἢ πῶς ἂν τῷ ὁρᾶν δείξαις μᾶλλον φερόμενον) ἀμφότερα παρεῖναι δεῖ, τό, τε ὀφθὲν δ ὁτουοῦν@ φερομένων αἰσθητὸν, καὶ τὸ ὀφθὲν δ ᾧ δείκνυται διοριστικὸν ὄμμα, ἵνα ἐκεῖθεν μὲν τὸ ἐφορᾶν, ἐντεῦθεν δ ἡ ὄψεως συμπλήρωσις [*Nam oſtendere aliquid ſignificat duarum perſonarum efficacias in idem concurrentes, (quomodo enim oſtendas cæco, etiamſi millies proferas id quod velis oſtendere? aut quomodo viſu pradito homini oſtendas id quod non proferas?) utrumque igitur adeſſe oportet, tum bonum quod ab oſtendente producitur, ac præterea ejus cui fit oſtenſio praditus viſu oculus, ut illinc res viſibilis, hinc vero viſio ipſa concurrat ad oſtenſionis effectum*].

24. Οὐδεὶς δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*] Occurrit Chriſtus, ut mos eſt ipſius, objectioni tacitæ. Facile enim ὁ φιλάργυρ@ [*habendi ſtudio quis flagrat*] vitio ſuo hunc in modum patrocinetur, Fateor intendi à me animum ad divitias parandas; verum interim nec omittam ea quæ Divini ſunt cultus. Reſpondet Chriſtus, *Non poſſe quenquam duobus dominis ſervire; futurum enim ut aut hunc amet, illum oderit, aut certe alterum curet neglecto altero.* Intelligendum eſt hoc proverbium de dominis in ſolidum, quomodo & Juriſconſulti dicunt non poſſe duos eſſe dominos ejuſdem rei. Sunt autem tales domini, Pietas & Φιλοχρηματία (*Habendi ſtudium*)· utraque enim totum ſibi hominem poſtulat. Nam ſi ſtudia literarum & opum cupiditas in unam ſedem convenire non poſſunt, ut Juvenalis contendit,

> *Quis locus ingenio, niſi cum ſe carmine ſolo*
> *Vexant, & domino Cyrrha Niſæque feruntur*
> *Pectora veſtra, duas non admittentia curas?*
> *Magna mentis opus, nec de lodice parandæ*
> *Attonita.*

Et Quintilianus, *Neque enim ſe bona fide in multa ſimul intendere animus totum poteſt, & quocunque reſpexerit, deſinit intueri quod propoſitum fuerat.* & alibi, *Memem tanta rei intentam vacare omnibus aliis etiam culpa carentibus vitiis oportet.* Quanto minus unus idemque homo poterit & pietati ſe quantum opus eſt impendere, & ſimul circa divitias quærendas ſervandaſque perpetua ſollicitudine diſtrahi? Ælianus libro II, cap. 27. Ἀδύνατόν ἐστι, τὸν εἰς μικρὰ ὅτου καὶ οὐδενὸς ἄξια πονοῦντα φρενοῦσθαι κατὰ ταὐτὸν μέγιστον, ὑπὲρ μεγάλων πόνων ἀπεδάσαι· πᾶσαν γὰρ αἰτῶ τὴν ἀξιοῦσαν εἰς ἑαυτὴν ἀποπνεῦσαι ἀνάγκη ὀλιγωρεῖν τ ὄντως ἠσκαζεσθαι δικαίων [*Fieri non poteſt ut qui curam ponit in rebus exiguis & nihilis faciendis, idem magnis ſe rebus intendat. Nam qui cogitationem ad iſta dejecit, ei neceſſe eſt negligens ſit eorum quæ digna ſunt conſideratu*]. Epictetus, Τὸ ὅλῳ ὁλομελῶ@ καὶ ὅλῳ αὐτῷ πᾶσαν ἀνάγκη [*Omnino neceſſe eſt ut qui alteri ſe impendit negligat alterum*]. Perſius,

> —— *duplici in diverſum ſcinderis hamo.*
> *Hunccine, an hunc ſequeris? ſubeas alternus oportet*
> *Ancipiti obſequio dominos.*

Arrianus Epicteto IV, 2. οὐδεὶς γὰρ ὑπομφοτερίζων δυσὶν) ὠφελήσει [*nemo alternans proficere poteſt*]. ¶ μαμμωνᾷ. *mammonæ*] Vocem hanc Syriacam eſſe omnes teſtantur, & oſtendit hoc etiam loco Syriaca interpretatio. Quod ſi Syriaca eſt, etiam Punica, ut nos Auguſtinus docet ſermone XXXV De verbo Domini, ubi *lucrum* interpretatur. nam Pœni Sarra oriundi. Idem dicit Auguſtinus De ſermone Domini in Monte libro II. Vide & Chaldæum interpretem Pſalmo XLIV, 13. Quidam & Hebræam arbitrantur, ſed corruptam ex ממון quod eſt *theſaurus*. Id ſi verum eſt, optime hæc cohærent cum ſuperioribus, ὧν δ μὴ θησαυρίζειν [*de non theſaurizando*]. Heſychius certe μαμωνᾶν θησαυρὸν [*Mamonan, theſaurum*] interpretatur. Apud Thalmudiſtas ſæpe vox hæc occurrit: nam illis ממון דיני ſunt *judicia pecuniarum*. Non longe abit vox Chaldæa מנמנו, quam pro *theſauris* uſurpat Daniel XI, 43.

25. Διὰ τοῦτο, *Ideo*] Quia ſcilicet non poteſt animus ſimul in pietatis & divitiarum ſtudia intendi. ¶ μὴ μεριμνᾶτε, *ne ſolliciti ſitis*] Vox μεριμνᾶν [*ſollicitum eſſe*] & nomen μέριμνα [*ſollicitudo* ſive *cura*] haud dubie mediæ ſunt ſignificationis, I Corinth. VII, 32, 33, 34. II Corinth. XI, 28. Philippenſ. II, 20. Neque hic per ſe videtur poni in partem ſequiorem, quia infra ſequitur, Ἡ ἄνεσιν μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς [*craſtinus dies ſollicitus erit ſibi ipſi*]· ſed additæ circumſtantiæ vitium denotant. Nam iſta τί φάγητε, τί πίητε, τί ἐνδύσησθε [*quid manducetis, quid bibatis, quid induamini*], ad tempus futurum referenda ſunt. Unde apparet hoc commate & infra commate 31 ſollicitudinem quæ modum finemque neſciat deſcribi: quo ſenſu eadem vox uſurpatur Philipp. IV, 6. & I Petri V, 7. Lucas idem vocat μετεωρίζεσθαι, hoc eſt, *ſuſpenſo eſſe animo*. Res ut intelligatur, ſciendum & hic Chriſtum ſuo more objectionem tacitam ſolvere. Eſto enim, dicat aliquis, ut de ſupervacuis non ſit laborandum,

> Ἐπεὶ τό γ' αἰρετοῦ' ἱκανὰ πᾶσι σώφροσι·
> [*Animo modeſte quod ſat eſt, ſemper ſat eſt;*]

at eorum quæ natura deſiderat non eam habeo copiam quæ ita vitam omnem poſſit ſufficere: quam ubi ſum habiturus finem faciam ſtudio habendi. Chriſtus hanc objectionem oſtendit procedere ἐξ ὀλιγοπιστίας [*ex modica fide*] infra commate 30. quia de bonitate ac potentia Divina minus quam oportet magnifice ſentiamus. Nam Deum nobis & poſſe & velle proſpicere de neceſſariis, etiamſi nos, obiter tantum curantes ea quæ præſens uſus requirit, omnem animi vim intendamus in ſtudium pietatis: quod illuſtribus argumentis ſulcit. Laudat alicubi Seneca animum curioſum ad corpus pertinentium, non anxie tamen. ¶ τί φάγητε, καὶ τί πίητε· *quid manducetis & quid bibatis*] Aſſentior codicibus ita ſcribentibus. Græcus Poëta,

> Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνοι,
> Δήμητρ@ ἀκτῆς, πώματ@ θ' ὑδρηχόου;
> [*Homini quid eſt neceſſe, præterquam duo,*
> *Cereale germen atque limpharum latex?*]

Et Latinus,

> *Satis eſt populis fluviique Cereſque.*

Neque obſtat quod ſequitur τροφῆς [*victus*] ſolius mentio. Nam eo nomine, ut & Latino *cibariorum*, potus etiam comprehenditur. ¶ οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τ̃ τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τ̃ ἐνδύματ@; *nonne anima plus eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum?*] Recte Ariſtoteles, Κρεῖττον τὸ δι' ἑαυτὸ αἱρετὸν τ̃ ἄλλου ἕνεκεν [*Melius eſt quod propter ſe expetitur quam quod propter aliud*]· & trita eſt regula, *Qui finem vult, idem vult & neceſſaria ad finem.* Πλεῖον [*plus*], hoc eſt רב, *pluris faciendum:* ψυχῆς [*animæ*] nomine hic perſpicuum eſt vitam intelligi, σώματ@ voce corpus ipſum. Ad vitam ſuſtentandam cibariis opus eſt, veſtitu autem ad defendendum corpus contra cœli injurias; Deus autem eſt qui vitam & corpus nobis dedit: Quid ni igitur dare & poſſit & velit bonis quæ ad utrumque tuendum ſunt neceſſaria? Confer Philonis locum De præmiis, Πλοῦτ@ μὲν ὁ μὴ τ̃ φύσεως δεόμενος ἐστι, τροφὴ δὲ καὶ σκέπη. Τροφὴ μὲν ὕδατ@ καὶ ναματιαῖον ὕδωρ, ἃ πανταχοῦ τ̃ οἰκουμένης ἀνατέτακται· σκέπης δ' ἁπλοῦν εἶδ@, τὸ μὲν ἀμπεχόνη, τὸ δ' οἰκία, πρὸς τοὺς ὁσημέραι καὶ ἀπὸ τύχης παραγινομένους ζημίας, ὧν ἑκάτερ@, ὅπως ἐξελάσεται τὸ βλαβερὸν καὶ βλαβεῖ ἀφελεῖν πολυτελείαν, ἀπροσδεῆτον [*Divitiæ naturales quidem parabiles ſunt, victus & tegmen. Victus nempe panis & aqua de fonte, quæ ubique terrarum patent. Tegminis vero duplex genus, veſtis & habitatio ad vitanda mala quæ ab æſtu & frigore imminent: quorum utrumvis paratu facile, ſi quis ſupervacuo & inutili apparatu abſtineat*]. Ariſtides, Ἐσθῆτ@ δὲ εἶμαι καὶ σκέπες καὶ τροφῆς δεόμεθα [*Veſtitu, tegmine & victu nos puto indigere*].

26. τὰ πετεινὰ τ̃ οὐρανοῦ, *volatilia cœli*] Ex Hebræo לעוף השמים, Pſalmo CIV, 12. Lucas ſpeciem poſuit κόρακ@ [*corvi*], nimirum quod id animal in volucrium genere cibi ſit aviditſſimum. ¶ οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, *neque congregant in horrea*] Non reprehendit hic Chriſtus omnem συγκομιδὴν [*comportationem*], non magis quam ſementem & meſſem; ſed argumentum eſt à majori: Si Deus volucribus proſpicit adverſus inediam, quibus non eſt ea induſtria quæ eſt hominibus, quanto magis hominibus proſpiciet? Simile eſt argumentum infra commate 28. In Thalmudico libro Kidduſchim recitatur dictum Simeonis Eleazaridæ, *Vidiſtine unquam beſtiam vel avem quæ tenuerit artificium aliquod? & tamen aluntur, neque difficulter.* ¶ μᾶλλον διαφέρετε, *pluris eſtis*] Μᾶλλον hic γαρίεντ [*abundat*], ut & Marci VII, 36. II Corinth. VII, 13.

Ariſtoteles αἱρετώτερον μᾶλλον [*eligibilius*] & μᾶλλον καλὸν [*pulchrius*] dixit. Sed & apud Demoſthenem & Platonem ſimilia reperias.

27. Τίς ἢ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα; *Quis autem veſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?*] Argumentum eſt à minori ad majus, quod nos docet Lucas XII, 25, 26. Redit Chriſtus ad id quod dixerat περὶ ψυχῆς καὶ σώματος [*de anima & corpore*]. Hæc extra controverſiam pluris ſunt quam menſura corporis: parum enim refert qua quis ſit ſtatura. Quod ſi hoc quod minus eſt Deus efficit citra ſtudium noſtrum, quanto magis citra anxiam noſtram ſollicitudinem illa potiora in nobis conſervabit, ac proinde largietur quæ ad conſervationem eorum ſunt neceſſaria? Vocem ἡλικίας pro *ſtatura* reperies apud Ariſtotelem de Plantis I, 4. & Plutarchum De pueris inſtituendis, apud Lucianum de Vera narratione & de Dea Syria, apud Conſtantinum Porphyrogennetam capite De caſtro Cherſonis. Sic & Lucæ II, 52.

28. καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, *conſiderate lilia agri*] Μεταβατικῶς [*tranſitive*], ut recte verterunt Syrus & Latinus interpres: ita καταμανθάνειν τὴν φύσιν, *naturam rerum conſiderare*, dixit Plutarchus.

29. Σολομὼν, *Solomon*] Solomonem nominat quia ejus temporibus ob longam pacem & navigationem in terras auriferas res Judæorum fuerunt florentiſſimæ. ¶ Ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ, *in omni gloria ſua*] Id eſt, cum auguſta ſpecie in ſolio eburno aurato ſedens (de quo vide II Paralip. IX, 17.) jura daret civibus, aut reſponſa externis. Vocatur enim illud ſolium θρόνος δόξης [*thronus gloriæ*], quo alluditur infra XIX, 28. XXV, 31. aut etiam כסא דין [*thronus Judicii*], id eſt, ſolium Judicii. Moris autem erat apud omnes ferme populos ut Rex ſolio inſidens trabea aurata fulgeret. Sed illam quoque trabeam Chriſtus ait pulchritudine liliorum ſuperari, quia nimirum ars nullâ poteſt cum natura contendere. Simillimum huic Chriſti dicto eſt Solonis illud, qui cum Regem Cræſum in throno ſedentem conſpicatus interrogaretur, num pulchrius ullum vidiſſet ſpectaculum, Vidi, inquit, gallos ſcilicet, pavones & phaſianos: Φύσεως γὰρ ἄνθη κεκόσμηται καὶ μᾶλλον καλλίονι [*ornantur enim nativa elegantia & quidem multo pulchriore*]: quod ipſum facunde ad hunc locum explicant Chryſoſtomus & Hieronymus. ¶ Περιβάλλεται, *coopertus eſt*] Ita verti ſolet Hebræum לבש.

30. χόρτον, *fœnum*] Ita vocat ipſum lilium. Nam Hebræi τὰ φυτὰ [*plantas*] diſtribuunt in duo genera, עשב & עץ, ut videre eſt Geneſ. I, 11. Helleniſtæ cum voces Græcas non haberent æque late patentes, עץ verterunt ξύλον, quo continentur arbores, frutices, & ſimilia: עשב autem aut etiam חציר, χόρτον, quod Thalmudiſtæ ſcribunt כרתי, in quo genere ſunt farra, herbæ, flores. Hoc ſenſu ita δένδρον [*arbor*] & χόρτος [*fœnum*] pariter poſita comprehendunt omnia ea quæ terra naſcuntur, Apocalypſeos VIII, 7. Et apud Jacobum idem vocatur ἄνθος & χόρτος [*flos & fœnum*], & conjunctim ἄνθος χόρτου [*flos fœni*] I, 10, 11. quod & apud Petrum eſt I Epiſt. I, 24. Qui loci deſumti ſunt ex eo quod eſt apud Eſaiam XL, 6. ubi in Græco eſt χόρτος [*fœnum*], in Hebræo חציר, quod, ut dixi, Thalmudiſtæ voce à Græcis accepta כרתי interpretantur. ¶ σήμερον ὄντα, *quod hodie eſt*] Brevis duratio indicatur, ut Pſalmo XC, 5, 6. ¶ κλίβανον, *clibanum*] Bene Syrus תנורא, ut Geneſeos XV, 17. Exodi VIII, 3. Levit. II, 4. XXVI, 26. Pſalmo XXI, 10. Neque enim ſolere ſemper diſtingui ſubtiliter ἰπνὸν καὶ κλίβανον [*furnum & clibanum*] recte ab aliis eſt annotatum. Quin & Græci quidam κλίβανον exponunt καμινον [*caminum*], ut Scholiaſtes Acharnenſium Ariſtophanis, & Hebræi quidam תנור exponunt כמיני, id eſt, *furnum*, quamquam Kimchi iſtud diſtinguit. Solebant autem furni incendi non tantum ramalibus arborum, ſed & floribus poſtquam exaruerant, quemadmodum & paleis & lolio. Ulpianus, *Lignorum appellatione in quibuſdam regionibus, ut in Ægypto, ubi arundine pro ligno utuntur, & arundines & papyrum comburitur, & herbula quædam vel ſpina vel vepres continebuntur.* Exſtat l. 55. D. de Leg. III. ubi & ſarmenta, & ſuperamenta materiarum, & vitium ſtirpes dicuntur venire *ligni* nomine, ſi voluntas non refragatur. ¶ ὀλιγόπιστοι; *modicæ fidei*] מעטי אמונה Hebræis etiam vocantur hi qui cum in præſens habeant ſatis, futuri incertitudine cruciantur. Vox autem אמונה [*fides*], quam exprimit vox πίστις, præſertim in uſu Helleniſtarum, non ſemper ſignificat perſuaſionem qua credimus vera eſſe quæ dicuntur, ſed ſæpe fiduciam quam in alicujus bonitate ac potentia ponimus, etiam ſi verba nulla interceſſerint: quæ ſignificatio hoc loco videtur amplectenda. Quanquam enim promiſſiones exſtant in Lege ad hanc rem pertinentes, non tamen inde argumentum ducit Chriſtus, ſed à manifeſtis bonitatis potentiæque Divinæ teſtimoniis.

32. Πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητοῦσι· *Hæc enim omnia Gentes inquirunt*] Πάντα [*omnia*] ſignificat copiam ſufficientem in omne tempus, & ἐπιζητεῖν [*inquirere*] vehemens quoddam ſtudium deſignat. ¶ ὅτι χρῄζετε, *quia indigetis*] Opus eſſe vobis illis rebus ad vitam & valetudinem tuendam. Sunt enim hæc in genere τῶν ἀναγκαίων] *eorum quæ certo ſenſu neceſſaria ſunt*], ut loqui amant Philoſophi.

33. Ζητεῖτε δὲ πρῶτον, *Quærite ergo primum*] Hoc agite, ut in Sacris dici ſolebat. Neque enim contentus eſt Deus aut perfunctoria aut dimidiata opera: ſed vult in in ſui cultu præcipue nos eſſe occupatos. Nam plerique hominum

Τὸ μὲν σπουδῇ ἔχειν ὡς ποιήσωμεν,
Τὸ δ' ἔχειν ὡς περιττὸν ὀκνοῦμεν.

[*Operoſe id agimus, agere quod non eſt opus;*
At in eo quod opus eſt, opera perfunctoria eſt.]

Atqui egregie dictum eſt à Poeta,

Nec propter vitam vivendi perdere cauſas.

A Platone autem, Ἐπιμελητέον χρὴ τοῦ σώματος ψυχῆς ἕνεκα ἁρμονίας [*cura habenda corporis ad concentum animi*]. Nam certe, ut alter Poeta cecinit,

—— *pars hæc pretium corpore majus habet.*

Reſpicitur non obſcure id quod eſt in hiſtoria Solomonis, cui ſapientiam optanti, & ſapientia data eſt, & ea quæ non optaverat, I Regum III, 11. ¶ Τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, *Regnum Dei, & juſtitiam ejus*] *Regnum Dei* ſive Regnum cœleſte, ut metam; *Juſtitiam*, id eſt, viam qua ad Regnum perveniatur, quomodo hæ voces ſupra ponuntur V, 20. ¶ προστεθήσεται ὑμῖν· *adjicientur vobis*] Significanter admodum: nam προσθήκην Græci vocant quod & ἐπίδοσιν, προσόδημα, ἐπίμετρον, Latini *corollarium*, *acceſſionem*, *auctarium*, *manuſſam*. Habet quidem pietas promiſſa utriuſque vitæ I Timoth. IV, 8. Marci X, 30. Sed principale eſt gloria vitæ alterius: quæ ad hanc vitam deſiderantur acceſſionis habent vicem, quapropter etiam parcius ſolent piis contingere, quo magis illis rebus honos & pretium detrahatur. Atque adeo ipſo etiam Veteris Legis tempore, ſicut mercedis temporariæ gratia operantibus conſtanter Deus præſtitit eam ubertatem quam Lex pollicebatur: ita his qui Spiritus ductu ad cœleſtem patriam anhelabant, interna magis ſolatia exhibuit quam rerum exteriorum affluentiam, ſine ullo ipſorum damno, cum pro vilioribus meliora acciperent, ut videre eſt Hebræorum XI. Ac ſic in illis paucis anticipata eſt ea diſpenſatio quæ poſt Chriſti adventum latiſſime diffuſa. Vidit hic nonnihil Plato cum dixit, Διττὰ ἢ ἀγαθά ἐστι, τὰ μὲν ἀνθρώπινα, τὰ δὲ θεῖα, καὶ μὴν δεξαμενή τις τὰ μείζονα, κἄπειτα καὶ τὰ ἐλάττονα [*Duorum generum ſunt bona, Humana, & Divina: ac ſi quis majora amplexus fuerit, acquirit & minora*]. Hebræorum eſt proverbium: כל המקבל עליו עול תורה מעבירים ממנו עול מלכות ועול דרך ארץ, *Qui ſuſcipit in ſe jugum Legis, tollitur ab eo jugum onerum publicorum & moleſtia quærendæ vitæ.*

34. μὴ μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον· *in craſtinum*] Id eſt, Nolite curam in longum promittere. Nam *craſtini* appellatione, ut diximus, futurum Hebræis continetur. Simillimum loquendi genus, quanquam in ſenſum alium, eſt apud Philetærum Comicum,

Εἰς αὔριον ἢ μηδὲ φροντίζειν.

[*Nec quid futurum cras ſit noſtrum eſt quærere.*]

Alludit autem hic ἡ λέξις [*dictio*] ad id quod de Manna, nobili pignore Divinæ providentiæ, legimus Exodi XVI, 20. ¶ κακία, *malitia*] Bene olim verſum fuerat citante Tertulliano *vexatio*. nam in Hebræo proverbio quo Chriſtus utitur eſt צרה, quod Lxx θλῖψιν ſolent vertere. Sic & κακώσεως pro *vexatione* ſumi docet Plutarchus libro De legendis Poetis. Græci interpretes ſæpe ita uſurpant vocem κακία ut exprimant Hebræum רעה [*malum*], ut Amoſi III, 6. Vide, ſi placet, Chryſoſtomum Oratione adverſus eos qui dæmonibus aſſcribunt rerum humanarum regimen.

PRI-

PRICÆUS.

Com. 2. Μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου] Locutio proverbialis, qua quod nimio publicandi ſtudio fit, ſolet exprimi. Achilles Tatius lib. 8. Αὕτη ἡ σὺν ὕδατι σάλπιγξ μόνον, ἀλλὰ καὶ κήρυκα μοιχεύεται. Sic, *appenſis tantum non tintinnabulis facere* quid, in Oratione contra Ariſtogeitonem, quæ Demoſtheni attribuitur, Ἃ τῶν ἄλλων τῶν ἐπιχειρούντων ἐναντίον ἀψοφητὶ ποιεῖ, ταῦθ' οὗτος μόνος ἐν παιδιᾶς ἐξαψάμενος διαπεφόρτισται.

Ibid. ἐν ταῖς συναγωγαῖς καὶ ἐν ταῖς ῥύμαις, ὅπως δοξασθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων] Conventus, circulos, locos celebres captant, petuntque ab aliis teſtimonium, non à ſua conſcientia. Perſimile apud Julianum Imperat. χρήματα εἰς τὸ ἐμφανὲς δίδοσθαι, καὶ παρελθεῖν ὅπως ὅτι πλεῖστοι τὸ δοῦναι ἴδωσιν. Orat. 3. Cicero Offic. 1. *Videre licet pleroſque non tam natura liberales, quam quadam gloria inductos ut benefici videantur* (ὅπως ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων δοξασθῶσιν) *facere multa, quæ videntur magis proficiſci ab oſtentatione, quam à voluntate.* Demoſthenes de levibus quibuſdam debitoribus, (contra Phormionem) Δανείζουσι μὲν μετ' ὀλίγων μαρτύρων· ὅταν δ' ἀποδιδόασι, πολλοὺς παρεισάγουσι μάρτυρας, ἵνα ἐπιπλεῖς δοκῶσιν εἶναι τὰ συμβόλαια.

Ibid. ὅπως δοξασθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων] Πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις, ſupra hic com. 1. & infra 23. 5.

Ibid. λέγω ὑμῖν, ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν] *Hoc ipſo* (enim) *præmii gloria continetur, ne id cupiditate quærendi affectaſſe videamur.* Sunt verba Eumenii Rhetoris in Pro Scholis inſtaurandis.

Ibid. ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν] Αὐτὴ ἡ μερὶς ἦν μισθὸς αὐτῶν, ut 11. 18. Sirachides locutus. Sic cap. 187. in Achmetis Oneirocriticis, ἀπέχει τὸν μισθὸν αὐτοῦ & Luc. 6. 24. τὴν παράκλησιν ὑμῶν ἀπέχετε. Horatius non abſimili forma, lib. 1. Epiſt. 16. *habes pretium* dixit. Lactantius in argumento iſto, *Habeatque jam pretium gloriæ quod captavit.* Theophylactus hicce, Ἐπαινέμενοι τὸ πᾶν ἀπέλαβον. Quæ autem hoc loco Chriſtus de eleemoſyna, fere Seneca generaliter dixit de omni beneficio, *Qui dedit* (inquit) *taceat, narret qui accepit: dicetur enim quod illi ubique jactanti beneficium ſuum, Num negabo te recepiſſe? & cum reſpondiſſet, Quando? Sæpe quidem, inquit, & multis locis: id eſt, quoties, & ubicunque narraſti.* Ubi & *recipere* eſt quod hic ἀπέχειν. Eſt autem locus ille 2. 11. De Beneficiis. Martialis 5. 53.

Non bella quædam faciunt duo, ſufficit unus
Huic operi; ſi vis ut loquar, ipſe tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Poſthume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate ſui:

id eſt, dum ea ipſe tu prædicas, τὸν μισθὸν ζημιοῖς ἀπέχεις. Significanter autem compoſitum hic, non ſimplex ponitur. Iſidorus Peluſiota, Ἐλαφρὸς χάρις, μιᾶς, ἀπέλαβες ἀμοιβῆς. Occurrit & Philipp. 4. 8. item ad Philemon. com. 15. eodem ſenſu.

Com. 3. σοῦ δὲ ποιοῦντος ἐλεημοσύνην, μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου ἃ ποιεῖ ἡ δεξιά σου] Julianus 3. Orat. de Arceſilao, Διδάσκει, δὲ τὰ λαθόντας ἐπιτηδεῖα λαθεῖν.

Ibid. μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου ἃ ποιεῖ ἡ δεξιά σου] Eſt *dæmones*, cui non diſſimilem formare licet ſic Latine loquendo, *Occulte etiam plus quam potes, benefacito:* nec alia mens ineſt præcepto Chriſti. Seneca, at generaliter de omni beneficio, *Quædam præcepimus ultra modum, ut ad verum & ſuum redeant. Cum dicimus, meminiſſe non debet, hoc volumus intelligi, prædicare non debet:* & poſt, *Ut nimia*, &c. *memoria ſubſiderit, obliviſci eum qui dedit juſſimus: & plus imperando quam præſtari poterat, ſilentium juſſimus.* De Benef. 7. 22.

Com. 4. ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ] In verſu Græco,

Ὁ γὰρ θεὸς βλέπει σε πανταχοῦ παρών.

Plautus Captivis,

Eſt profecto Deus qui quæ nos gerimus auditque & videt.

De eodem Minucius Felix in Octavio, *Speculator omnium, à quo nullum poteſt eſſe ſecretum.* Julianus in Epiſtolæ fragmento, Ὁρῶσιν ἡμᾶς (οἱ θεοὶ) οὐχ ὁμοίως ὑφ' ἡμῶν· & ibidem, Σεβόμενος, &c. ἐξ ἀφανοῦς ἁπάντων εἰς αὐτὸν θεός. Vulgatus hic, & Rom. 2. 28. *in abſcondito.* Seneca cap. 3 de Tranquillit. &c. *in ſeducto* dixit.

Ibid. αὐτὸς ἀποδώσει σοι ἐν τῷ Φανερῷ] Καμίσιος τὸν τῆς δόξης σίφωνα, Χριστὸν (ut 1 Petr. 5. 4.) φανερωθέντα. Vide infra 25. 31. & ſequentibus, ubi quod hic ἐν τῷ φανερῷ vocatur, explicatius habes.

Com. 5. ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν ἑστῶτες προσεύχεσθαι] Judæis ſtando orare non nego receptiſſimum fuiſſe, poſt vocem ἑστῶτες tamen pronunciatio forſan pauliſper ſuſtinenda, ut non ad προσεύχεσθαι referatur, ſed ad præcedentia: neque enim hic prædictum morem illum puto reſpici, at merum idiotiſmum ſubeſſe. Sæpe in his libris obſervare eſt voces στῆναι & καθῆσθαι, non tam ſtationem, vel ſeſſionem in loco, quam præſentiam vel exiſtentiam ſignificare. Unde Joh. 1. 35. & 18. 5. εἱστήκει· Luc. 23. 10. εἱστήκεισαν· Marc. 9. 1. & 11. 5. ἑστηκότων· Actor. 11. 13. σταθέντα· Act. 5. 20. σταθέντες· & 7. 55. ἑστῶτα· Infra hic 20. 3. ἑστῶτας· 11. 16. & 27. 36. καθημένους. Imo & apud Artemidorum lib. 5. §. 68. ἐν τῇ πλατείᾳ ἑστὼς (i. e. ὤν) quod ipſum hic in Matthæo habemus.

Com. 6. εἴσελθε εἰς τὸ ταμεῖόν σου] i. e. In quemvis locum abditum ſemotumque. Id & proprio exemplo docuit: vide infra 14. 23. Euthymius ad Matth. 26. *Solus abit ad orationem, decens oportere eum qui*, &c. *oraturus eſſet, ſolitarium orare.* Sic, *ſecreto flere, ubi cubiculum*, &c. in Quintiliani Declamationibus.

Ibid. εἴσελθε εἰς τὸ ταμεῖόν σου, καὶ κλείσας τὴν θύραν σου] In Græco Eſaiæ 26. 20. Εἴσελθε εἰς ταμεῖόν σου, ἀποκλεισον τὴν θύραν σου. *Claude oſtium*, locutio eſt ſecretam & ſeriam cujuſvis rei aggreſſionem indicans. Vide 4 Reg. 4. 33. Quintilianus 10. 3. *Lucubrantes ſilentium noctis, & clauſum cubiculum*, &c. *tenent.* A. Gellius 14. 6. *Recondo me penitus, ut ſine arbitris legam.* Seneca Epiſt. 8. *In hoc me recondidi, & fores clauſi, ut prodeſſe pluribus poſſem.*

Com. 7. περισσολογοῦντες γὰρ μὴ βαττολογήσητε] Demophilus in Sententiis Pythagor. Γλωσσαλγὸς ἀνθρώπου, &c. ἐγχείμενος, &c. τὸ θεῖον μιαίνεις. Theſpeſion (apud Philoſtratum 6. 5.) ad Apollonium, ubi de Delphico Apolline, Ὃ ὑμᾶς δεσμῷ καὶ ἱματίῳ βραχὺ ἱμάντιον.

Ibid. μὴ γένησθε ὡσεὶ οἱ ἐθνικοί] Sic (ut Galat. 2. 15.) ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί.

Ibid. δοκοῦσι γὰρ ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται] Vult dicere, Deum longe aliter orandum eſſe. Οὐκ ἐν ἐκτάσει τῶν χειρῶν, οὐδὲ ἐν τῷ πλήθει τῶν ῥημάτων, ἀλλ' ἐν πίστει ἐχρῆν τὸ ἐπακουσθῆναι εἶναι, dixit Homil. 2. ad Timoth. 2. Chryſoſtomus. Artemidorus Oneirocriticorum 1. 3. Περιεργάζεται οὖν θεὸς ἰδεῖν ἐπιφώνημα· χαλεπὸν γὰρ ἂν εἴη ἀνθρώπῳ μὴ οὐ περιδεᾶ τινὰ μετ' ἀνάγκης αὐτῷ, καὶ βιαίως, μηδὲν παρέχειν, &c. θεὸς δὲ πρὸς βίαν αἰτησάμενος π, ὠφελεῖν. D. Auguſtinus (in De Virginitate) de Chananæa, *Quod aſſiduo clamore non impetrabat, humili confeſſione promeruit.* Legimus in Suidæ Collectaneis, Μὴ πάντα κατὰ βίαν ἐνχῦ· quod Eraſmus Proverb. Centur. 2. 2, 9. *ne contra bovem opta:* nec aliter Hier. VVolfius vertebat. Legendum autem καταβοῶν ἐνχῦ· omnino clamans ne precare: ut πάντα ſit ibi πάντως· vel καταβοῶν ἐξεις· non omnia clamoribus impetrabis; eo ſenſu qui in Artemidori verbis. Manuel Palæologus cap. 6. in Paræneticis, φιλεῖ (ὁ θεὸς) ἐπακούειν, οὐχ ὅταν τις ΒΟΩΝ, &c. αὐτῷ π, &c. Lucianus, etſi ipſe Ethnicus, Ethnicorum iſtum morem ineptum irridens; Οἷόν τι μέγα κεκραγέναι; καὶ ἐχλαλεῖν εἶναι, καὶ θερμόν, ἢ τοῖς δικαιολογοῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐνχομένοις τοῦτο (lego τύπος) χρήσιμον· ἰδοὺ γὰρ αὐτίκα μάλα πλήσομεν· ἐὰν πνεύσητε κατ' ἐμοῦ· ὁ Τίμων, ΒΟΗΣΑΣ, καὶ παῤῥησιασάμενον ἐν τῇ ἐνχῇ, καὶ ἐπιτρέψας τὸν Δία· εἰ δὲ σιωπῇ ἔσπαψεν, ἐπ' ἂν ἀμελήσῃ ἔσπαρεν. Quæ verba (nulli hactenus adducta) Dominico iſti monito haud parum concinunt: ſunt enim (ut modo diximus) irriſorie prolata.

Ibid. ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν]

Multa Deum orantes, onerantesque æthera votis.

Com. 8. μὴ οὖν ὁμοιωθῆτε αὐτοῖς] Ita Luc. 21. 8. Μὴ οὖν πορευθῆτε ὀπίσω αὐτῶν. Μὴ ὁμοιωθῆτε, eſt quod Rom. 12. 2. μὴ συσχηματίζεσθε. Vide & Epheſ. 4. 17. Suidas; Μὴ ἀφομοιάζειν, μὴ ὁμοιωθῆς. In Medæa Euripidis,

—— Οὐκοῦν χρεὼν σ' ὁμοιοῦσθαι κακοῖς.

In Epiſtola Jeremiæ dicta, Εὐλαβηθῆτε μὴ ὑμεῖς πῶς ἀθεοφύλοις ἀφομοιωθῆτε. Cæſar in Epiſtolis Ciceronis ad Atticum 9. 16. *Nihil malo quam & me mei ſimilem eſſe, & illos ſui.* Arrianus 2. 16. in Epictetum, Θέλεις σε ὧν ἡμεῖς πῶς παιδίοις ὁμοιοῦμεν; ἄ, νὴ τὸν Δία. Horatius ſecum meditans, Serm. 1.

—— *Hoc quidam non belle, numquid ego illi*
Imprudens olim faciam ſimile?

Calanus Indus ad Alexandrum M. apud Philonem, lib. ἐν πᾶς ὁ σπουδ. ἰαθῇ. Ἑλλήνων φιλοσόφους σὺν ἐξομοιώμεθα. Αἰ-

γένεθαι τὸν περὶ τὸν μυημεῖον ἐμοιχεύσαντα eſt & apud Plutarchum, in fine libri inſcripti περὶ Πολυπειθημοσύνης. Facit autem hic Chriſtus quod facere ſolent qui pueros & adoleſcentes inſtituunt.

Nam teneros animos aliena opprobria ſæpe
Abſterrent vitiis. ——

Et quia

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis commiſſa, ——

remittit eos ad exempla quæ quotidie intuebantur, monſtratque digito quorum mores Sectamque devitandum haberent. Horatius appoſitiſſime,

—— *Inſuevit pater optimus hoc me*
Ut fugerem, exemplis vitiorum quæque notando.
Cum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo quod mi ipſe paraſſet:
Nonne vides, Albi, ut male vivat filius, atque
Varus inops? magnum documentum ne patriam rem
Perdere quis velit: à turpi meretricis amore
Cum deterreret, Sectani diſſimilis ſis (μὴ ὁμοιωθῇς)
Ne ſequerer mœchas, conceſſa cum Venere uti.
Poſſem, deprenſi non bella eſt fama Treboni,
Aiebat. ——

Eugraphius ad Heautont. 1. 2.

Optima occaſione (legerim, *optima ratione*) *ſenex, dum aliorum mores & facta demonſtrat, occaſionem filii corrigendi repperit.* Plinius lib. 2. epiſt. 6. *Convenit autem amori in te meo,* &c. *ſub exemplo præmonere quid fugere debeas.* Ad quem locum itidem plura hujus materiæ annotavimus in Schedis jam plane abſolutis, i.e. prælo paratis. Vide & Epheſ. 5. 11. 1 Tim. 6. 11. 2 Tim. 3. 14. & infra hoc 23. 8.

Ibid. οἶδε γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὧν χρείαν ἔχετε] Non novit ſolum, ſed & melius quam vos ipſi, qui quid conveniat vobis neſcitis plane. Τυφλαιτέρῳ (Philonis verba ſunt in De Legatione) ἀνθρώπῳ τὰ περὶ τὸν ἑαυτοῦ καὶ συμφέροντος ὄντος αἰῶνα, ἐπιπλεῖν ἢ φυγαδικῷ μᾶλλον ἢ ἐπιεικεῖ χρῆσθαι δυναμένῳ. Seneca 2. 14. De Beneficiis, *Sæpe noxia concupiſcimus, nec diſpicere quam pernicioſa ſint licet, quia judicium interpellat affectus.* Arnobius, *Parvitate conſilii, & ignorantia cæcutiæ contraria ſibimet, atque inimica repoſcit:* de genere humano agit. Plautus Pſeud.

Stulti haud ſcimus fruſtra ut ſimus, cum quid cupiemus dari
Petimus nobis, quaſi quid in rem ſit poſſimus noſcere.

Simplicius in cap. 13 Epicteti, Πολλὰ ἡμῖν ἀρέσκει τῶν καθ' ἡμᾶς ἀσυμφόρων, ἢ δι' ἄγνοιαν τῆς φύσεως αὐτῶν, ἢ διὰ τὸ συνεπέχειν ἡμᾶς πολλάκις ἀρίζειν. Valer. Maximus, *Socrates (humana ſapientia quaſi quoddam terreſtre oraculum) nil ultra petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent, quia is demum ſcirent quid unicuique eſſet utile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrare melius foret. Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt; honores concupiſcis, quorum exitus ſæpe miſerabiles cernuntur; ſplendidis conjugiis injicis manus, at ea ut aliquando illuſtrant, ita nonnunquam domos funditus evertunt. Deſine igitur ſtulta futuris malorum tuorum cauſis, quaſi feliciſſimis, inhiare: teque totam cœleſtium arbitrio permitte; quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſima poſſunt.* Qui locus cumprime dignus ut huc in medium afferratur. Vos (inquit Chriſtus) & quomodo, & pro qualibus rebus orare oportet neſcitis: Deo ergo, τῇ δυναμένῃ ὑμᾶς πάντα ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ ὧν αἰτεῖσθε ποιῆσαι δυνάμει, quæ ad res veſtras potiſſimum conducant æſtimare permittite.

Ibid. περὶ ὧν ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτόν] De eodem Philo in De Joſepho, Ἐπικαίρως γὰρ ἐνοχλοῦντας· & in De Somniis, Τῶν μνηστήρων ὁ πάντα ἰφθιμώτερος εἰδέναι φησὶν ἃ δεῖται. Suidas in ἄκλητος, Οὐ φωνῆς δεῖται περὶ τοῦ δεδεῖχθαι τὸ δίκαιον, ἀλλ' ἀκριβῶς περὶ τοῦ μαθεῖν.

Καὶ κωφῇ ξυνίησι, καὶ ἀ λαλέοντος ἀκούει.

ut eſt apud Plutarchum, (lib. de Garrulit.) Lactantius 6 25. *Non opus eſt dicto ſcienti quid velimus.* Juvenalis De Diis 10.

Charior eſt illis homo quam ſibi. ——

ad quæ verus Scholiaſtes, *Ipſi etiam non petita hæc præſtabant.* Auſonius ad Gratianum Imperatorem, *Præſtare tibi, quam nobis optare velocius.*

Ibid. περὶ ὧν ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτόν] Apud Joſephum 6. 14. de eodem Jonathas, Περὶ ἐμοῦ συνεύχεσθαι με τοῖς λόγοις τοῦ Δαυείδου μου εἰδόσιν· & Zeno Veronenſis, *Per te allegata, priuſquam fundantur, audiuntur preces.* Auſonius manus velociſſimæ notarium alloquens,

Natura manum hoc tibi
Deuſque dedere tradidit,
Qua loquerer, ut ſcires prius.

In Menechmo Plautina,

Ego n'anſam tibi uſquam quidquam facinus falſum prolo-
qui,
Qui jam priuſquam fans locutus, ſcin ſi mentiri volo?

De Flacco Philo Judæus, Ὀξὺς, &c. καὶ περὶ ὧν λεγομένων τὸν ἐναντία ζήλωσιν αἰσθέσθαι.

Com. 9. Πάντες ἡμῶν] Lactantius 4. 3. *Omnem Deum qui ab homine colitur, neceſſe eſt,* &c. *Patrem nuncupari, non tantum honoris gratia, verum etiam rationis: quod & antiquior eſt homine, & quod vitam, ſalutem, victumque præſtat, ut pater.* De Diis Hierocles, Κατὰ τὴν αἰδίαν συγγένειαν πατέρων μὲν τάξιν ἔχοντες. Vide quæ plura ad Luc. 11. 2. annotavimus, non in hoc tantum, ſed & in cætera membra orationis iſtius Dominicæ.

Com. 10. Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου] Hæc multi referunt ad Euangelii propagationem: ego ea ita ſoleo intelligere, ac ſi præcipiatur nobis rogare ut cœleſtis regni gloria quam cito adveniat: quod Petrus 2. 3. 12. vocat τὴν τοῦ Θεοῦ ἡμέραν σπεύδειν· Paulus 2 Tim. 4. 8. τὴν ἠγαπηκόσιν τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ· & Rom. 8. 19. τὴν ἀποκάλυψιν, &c. σὺν ἀποκαραδοκίᾳ ἀπεκδέχεσθαι· vide & 2 Cor. 5. 2. Tertullianus cap. 41. Apologet. de Chriſtianis loquens, *Nihil noſtra refert in hoc ævo, niſi de eo quam celeriter excedere.*

Ibid. γενηθήτω τὸ θέλημά σου] Socrates apud Arrianum 1. 4. in Epictetum, Εἰ ταῦτα τοῖς θεοῖς φίλον, ταῦτα γενέσθω.

Com. 13. ἄφες ἡμῖν ἡμῶν τὰ ὀφειλήματα] Sic in libro Eſtheris, ῥῦσαι ἡμᾶς ἐκ χειρὸς τῶν πονηρευομένων. Πονηρὸν hic ſi ut dixi acceperis, erit quod 2 Theſſ. 3. 3. ἀπὸ τοῦ πονηροῦ φυλάξει· quod Joh. 17. 15. τηρεῖν (id enim hoc loco ῥύεσθαι) ἐκ τοῦ πονηροῦ· quod 2 Timoth. 4. 8. ἀπὸ παντὸς ἔργου πονηροῦ ῥύσεται· forte & quod 1 Theſſ. 1. 10. ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης ῥύεσθαι. Malim autem à recto πονηρὸς ſumi. πολὺν γὰρ ἀνθρώπων ὄντων πονηρῶν, μάλιστα ὁ Σατανᾶς πονηρὸς κατ' ἐξοχὴν λέγεται. Chryſoſtomi verba ſunt Homil. 15. ad Pop. Antioch. Ignatius ad Trallianos, Προσεφὼν τοῖς ἐναίρουσι τὸν πονηρόν· & ibidem de Theodoto & Cleobulo, τὸν τοῦ πονηροῦ ἰσχύσαντα. Nec alio ſenſu πονηρὸν habemus Matth. 13. 19. 2 Theſſal. 3. 3. 1 Joh. 2. 13. & 5. 18. Euthymius ad hunc ipſum locum, *Per antonomaſiam Malum eum* (Diabolum) *appellavit, tanquam in extremo malitiæ poſitum.*

Com. 16. μὴ γίνεσθε ὡσπερ οἱ ὑποκριταί, σκυθρωποί]

—— *Vultu frendem cultuque tegentes.*

Etiam Lucianus de Philoſophiæ Cynicæ ſimulatoribus, σιμοὶ, καὶ τὸ ἔξω σκυθρωποί· & Plutarchus de Archibiade quodam, Πώγωνα καθειμένῳ καὶ ὑπερφυᾶ μυχθίζοντι, &c. καὶ αὐτὸ σκυθρωπάζων. Julius Firmicus, *Hoc ſidere quicunque nati fuerint, aliud ex fronte pollicentur, aliud latenter in moribus, celant: ſunt enim,* &c. *obſtinata fronte, ita ut Catonis prorſus inſtitutum imitari videantur: ſed totum hoc fucate mentiuntur affectu.* Σκυθρωποὶ triſtes vertit Vulgatus Interpres injuria à Recentiore notatus: qui enim caſte loquuntur apud Latinos, affectatam gravitatis & auctoritatis ſpeciem indicare volentes, ea voce utuntur. Terentius Andr.

Cum faciem videas, videntur eſſe quantivis pretii,
Triſtis ſeveritas inſit in vultu. ——

Ovidius ex perſona Helenæ,

Si non eſt ficto triſtis mihi vultus in ore.

Plinius lib. 1. epiſt. 10. de Euphrate philoſopho, *Nullus horror in vultu, nulla triſtitia.* Quintilianus in Præfatione, *Non virtute, & ſtudiis, ut haberentur Philoſophi laborabant, ſed vultum & triſtitiam* (i. vultus triſtitiam) *& diſſentientem ab aliis habitum peſſimis moribus prætendebant.* Et quid aliud hypocritæ illi hoc à Chriſto notati?

Ibid. ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν]

—— *Vultum gravis, horrida ficca*
Sylva coma, nullus toto nitor in cute. ——
Pallor in ore ſedet, macieſque in corpore toto.

Pro-

Præpoſtero ſtudio, dum vel ſpeciem cultiorem negligunt, ἐν μέρει ὑποκρισιν ϕέλουσιν. Euthymius heic, *Occultant naturalem formam fictitio pallore.* Τὰ πρόσωπα eſt, ἡ τῶ προσώπου ὑπόκρισις, ut locutus eſt, de floribus agens, Jacobus, 1.11. Ἀφανίζειν (quod Gloſſarii Auctor, ſecutus, ut & multis aliis in locis, Vulgatum Interpretem, *exterminare* vertit) eſt

Natura formam neglecto perdere vultu,
Nec ſinere in propriis ora nitere bonis.

Auguſtinus (jam ſtatim citandus) *faciem demoliri* dixit. Ἠφανισαν autem πρόσωπα, non lavando ea, ſequitur enim in verbis Chriſti, τὸ πρόσωπόν ϲου νίψαι· quod Terentius argumento ſimus Phorm. 1.2. vocat *formam exſtinguere.* Jam & merito *hypocritas* Chriſtus hos impoſtores vocavit. Auguſtinus de Temp Serm. 59. *Hypocrita nomen tranſlatum eſt a ſpecie eorum qui in ſpectaculis tecta facie incedunt, diſtinguentes vultum cæruleo niveoque colore, & cæteris pigmentis, habentes ſimulacra oris linteæ, gypſata, & vario colore diſtincta,* &c. *qua ſpecies argumenti tranſlata eſt in eos qui falſo incedunt vultu, & quod non ſunt, ſimulant. Faciem demoliri* autem dum idem Vir ſanctiſſimus dixit, eum puto metaphora uſum ab urbibus funditus deletis ſumpta. Ἀφανίζειν πόλεις enim non ſemel in Variis ſuis Ælianus dixit.

Ibid. ἀφανίζει γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, ὅπως ϕανῶσι τοῖς ἀνθρώποις νηστεύοντες] *Non proficere, ſed conſpici cupiunt*, ut Seneca epiſt. 5. de quibuſdam philoſophiam mentientibus locutus. Hieronymus ad Paulinum, *Triſti & lurida facie vel ſimulant, vel oſtentant jejunia*: & Serm. 32. P. Chryſologus, *Jactantur* (jejunia eorum) *verbis, pallore proponuntur, venditantur defectu*: placent humanis oculis, non Divinis. Non male forſan huc aptes Petronii illud, *Vultum qui permutat, fraudem parat*: & Ciceronis in Piſonem iſta, *Vultu denique* (tuus) &c. *hic in fraudem impulit: hic eos quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit.*

Com. 17. 18. σὺ δὲ νηστεύων, &c. τὸ πρόσωπόν ϲου νίψαι, ὅπως μὴ ϕανῇς τοῖς ἀνθρώποις νηστεύων] Epictetus cap. 70. Enchiridii ſui, Ὅταν ἐυτελῶς ἡμεσάμϕῳ ἢ κὴ τὸ σῶμα, μὴ καλῶπίζε ἑαυτὸν τούτῳ· μηδ' ἂν ὕδωρ πίνῃς, &c. λέγε, ὅτι ὕδωρ πίνω. Deinde, ϰ ἂν ἀπόσῃ τοῦτο πρὸ πάντων ϕέλεις, σεαυτῷ, ϰαὶ μὴ τοῖς ἔξω, &c. Seneca Epiſt. 68. ad Lucilium ſuum, *Otium tuum ignotum ſit, non eſt quod inſcribas tibi philoſophiam*, &c. *aliud propoſito tuo nomen impone: valetudinem & imbecillitatem vocato, aut deſidiam.* De Fannia Plinius 3. epiſt. 16. *Cum diu cohibita lacrymas eminerent, prorumperentque, egrediebatur: tum ſe dolori dabat: ſatiata, ſiccis oculis, compoſito vultu redibat*, &c.

Com. 19. Μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς ἐπὶ τῆς γῆς] Ὥσπερ οἱ μοχθηροὶ χρυσοκόποι παιδόμϕυκοι κιβδήλων ἀγαθῶν. Sunt verba Maximi Tyrii Diſſert. 32.

Ibid. ὅπου σὴς ϗ βρῶσις ἀφανίζει]

—— *Ubi ſtragula veſtis*
Blattarum ac tinearum epula putreſcit in arca.

In Gloſſario, Βρῶσις, ἡ σῆψις· *tinea, robigo.* Claud. Sarravius, amicus quondam noſter (doctrina & ſinceritate conſpicuus) annotaverat hic ad oram libri ſui, Σὴς ϗ βρῶσις, ἐν δυσὶ, pro σὴς βρώσεως· unde & 5.2 Jacobi ἰώμεθα σπόρϕωμα· quod (ut non vivis tantum, ſed & mortuis ſuum reddentes) libenter & profitemur, & approbamus.

Ibid. ϗ ὅπου κλέπται διορύσσουσι, ϗ κλέπτουσιν] Ubi *hic ex profano, hic ex publico: hic ſacra rapit, hic effringit, hic tranſilit: hic ſpolia cruenta manu portat, nemo non fert aliquid ex altero.* Sunt verba Senecæ 7. 27. de Beneficiis. Apuleius de hujus vitæ commodis, quæ *bona* abuſive vocantur, *Immittunt poſſunt, vel fraudibus interire.* Illud κλέπται διορύσσουσι, refer maxime ad vecticularios: unde Feſti Pompeii illa, *Vecticularia vita dicitur eorum qui vectibus alienos parietes perfodiunt, furandi cauſa.* In vetere Onomaſtico, *Perfodio*, διορύσσω· & in Gloſſis, Διορυχὴ, *perfoſſio, perfoſſura.*

Com. 20. Θησαυρίζετε δὲ ὑμῖν θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ] Ποιήσατε ἑαυτοῖς (ut Luc. 12.) βαλάντια μὴ παλαιούμενα. Θησαυρὸς hic intellige ἀγαθῶν πράξεων, ut Orat. 6. Themiſtius locutus. Quintilianus 9. Declamat. *Ubi pecunia melius poni poteſt quam ubi fœnus bonitatis extenditur?*

Ibid. ὅπου οὐδὲ σὴς ἀφανίζει] Similiter, τοῖς ἐν τῇ ἀθανάτῳ ϕύσει ἀναγεγράϕοις, χαρτία ὥσπ' σήπεσθαι λεγόμενα, opponuntur apud Philonem Judæum in libro de Abrahamo.

Ibid. ϗ ὅπου κλέπται οὐ διορύσσουσιν] *Ubi nemo furatur, nemo proſcribit, nemo jugulat*; ſunt Zenonis Veronenſis verba: & ſtatim, *nemo ſuam veſtem, nemo ſuos margaritas abſcondit: nemo lapides pretioſos; nemo aurum, nemo argentum: & tamen nullum timet furtum.* In Nili Parænetica, Ὅσα οὖν γῆς, κλέπτεται· τὰ κατ' οὐρανὸν ἐρμαίζε, ταῦτα γὰρ οὐκ ἔστ' τοῦ συλῶντος δακτύλους οὐκ εἰσέρχεται. Chryſoſtomus (cujus Græca non ſunt ad manum) Homil. 58. in Joannis Euangelium, *Arca nonnunquam cum veſtibus direpta magno te damno afficit: quæ pauperibus damus cuſtodienda, neque morte amittuntur, neque ſero indigent, non ſervorum vigilia*, &c. *omnibus inſidiis libera ſunt quæ commendantur in cælo: nullis enim malitiæ locus ille pervius eſt.* Themiſtius jam dicta Oratione ad Theodoſium, Οὐχ ὁ τῶν ζῴων ἐν φρονιμῶτατος ἔϕυ ὁπόσοι τὸ χρυσίον ἔϕυ σοι, ἢ τὸ ἀργύριον, ἀλλ' ὁπόσοι σοι πλουσιώτατοι οἱ τῶν ἀγαθῶν πτήσεων ϕιλοσοϕοι οἱ μόνοι ἄσυλοι ϗ ἀνάλωτοι. Quibus adde quæ ad Luc. 12. 33. eam in mentem annotavimus. Arrianus 1. 18. in Epictetum, κλέπης ἐν τοῖς σοῖς τίνων σὺν ἔχῃ.

Com. 21. Ὅπου γὰρ θησαυρός ὑμῶν, ἐκεῖ ἔϕυ ϗ ἡ καρδία ὑμῶν] Apud eundem Arrianum ibidem 2. 22. Ὅπου ἐγὼ, ϗ τὸ ἐμόν, ἐκεῖ ἀνάγϰη ϕέρειν τὸ ζῴον· εἰ ἐν σώματι, ἐκεῖνο τὸ κυριεῦον εἶναι εἰ ἐν τῇ προαιρέσει, ἐκεῖνο εἶναι· εἰ ἐν τοῖς ἐκτὸς, ἐκεῖνο. Vegetius, *Miles qui ſumptum ſuos ſcit apud ſigna depoſitos, de deſerendo nil cogitat: magis diligit ſigna, pro illis in acie fortius dimicat: more ingenii humani, ut pro illis habeat maximam curam, in quibus ſuam videt poſitam eſſe ſubſtantiam.* Ex duabus apud Philonem cauſis cur qui domum recens ædificaſſent, vineam plantaſſent, &c. militiæ in Lege vetere immunes eſſent, hæc una, ἵνα μὲ τῷ σώματι πραττόμενοι, ϗ ψυχῆς ἀσχολῶσιν· ἀναγκαῖον γὰρ εἶναι τὸν αὐτὸν ἀμϕίονα ἐκεῖ πεπόθησι πόθῳ ϗ ὁπλίταις ὧν ἀϕηλικιώτατον.

Libello de Fortitudine.

Com. 22. Ὁ λύχνος τῦ σώματός ἐστιν ὀϕθαλμὸς] Athenagoras in Legatione, Ἔπλασεν οὖν ὀϕθαλμὸν, ὁ Θεὸς ἡμῖν, ϕῶς αὐτοῖς εἶναι, &c. Artemidorus 1. 28. Oneirocritici, Ὀϕθαλμοὶ τῦ σώματος οἰκῆαι εἰσι ϗ ἡμέτεροι. Baſilius Seleucienſis, Ὅσπερ ἥλιος ἐν τῇ κτίσει, τοῦτο ὀϕθαλμοὶ ἐν τῷ σώματι. Adde quæ ad Luc. 11. 34. annotata.

Ibid. ἐὰν οὖν ὁ ὀϕθαλμός ϲου ἁπλοῦς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά ϲου ϕωτεινὸν ἔϕυ] Οὐ προσκόψῃ, Joh. 11. 9. εἶδε πῶ ὑπταίγ. Joh. 12. 35. ἵνα ἐν ἡμέρᾳ περιπατῆ, Rom. 13. 13. id eſt, τοῖς τῦ σώματος ὄμμασι (ut Epheſ. 5. 11.) ϗ συγκοινωνῆ· de mentis oculo enim hic agitur: quo & ſenſu Epicharmus, καθαρὸν ἐὰν ᾖ τῶν ἔχῃς, ὅπερ τὸ σῶμα καθαρὸν ἔϕυ· quod infra hic cap. 23. ἐὰν δὲ ὁ πονηρὸς καθαρὸν, ϗ τὸ σῶμα αἰτῆ, &c. Τὸν ἐν τῇ ψυχῇ λογισμὸν, τῇ ἐν ὀϕθαλμῷ κόρῃ παρεϕήλον etiam Philo poſuit. His adde quæ ad Lucæ dictum locum annotavimus.

Com. 23. εἰ οὖν τὸ ϕῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἔϕυ, τὸ σκότος πόσον;] Ad ſententiam loci Plutarchus, Τῶν περὶ τὸ σῶμα νοσημάτων ἰρρώμῳ ὁ λογισμὸς αἰσθανῦ, τοῖς δὲ τῆς ψυχῆς συντόκοις οὐ πίστις, οὐκ ἔχει κρίσιν, πάσχει δὲ ὁ κρίνει· Ad Locutionem Cicero, *An eſt ullum majus malum turpitudine? quæ ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis, quanta illa depravatio & fœditas*, &c. *debet videri?*

Com. 24. Οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν] *Quia dum alterum colit, utique quem non colit, offendit: prælatio enim alterius ſine alterius contumelia non poteſt procedere.* Tertull. in Apologetico. In l. 23. ff. de oper libert. *Si patronus plures conſulto in diverſas regiones diſceſſerint, & liberto ſimul operas indixerint, poteſt dici diem operarum cedere, ſed libertum non obligari, quia non per eum.., ſed per patronos ſtetit quo minus operæ edantur.* Lactantius 4. 3. *Sicut natura neceſſitate non poteſt eſſe niſi unus Pater, ita nec Dominus, niſi unus: quid enim faciat ſervus, ſi multi Domini diverſa imperaverint?* Et poſt, *Teneri veritas non poteſt, ubi homo idem multis patribus dominiſve ſubjectus eſt: ubi animus in multa diſperſus huc atque illuc divagatur.*

—— *Carina*
Quam ventus, ventoque rapit contrarius æſtus,
Vim geminam ſentit, pareique incerta duobus.

Arrianus 4. 10. in Epictetum, Ἔργον ἔργῳ ὁ κυνικοῦ, ϗ δύναται ἢ τὸ ἐκτὸς ἔχειν θαυμαλείας πετυχηκότα, ἢ τὸ σαυτῦ ἠμεμονηκόν. εἰ δὲ ἐκεῖνα ϕίλεις, τοῦτο ἄϕες· εἰ δὲ μή, ὅτι τοῦτο ἔξεις, ὅτ' ἐκεῖνα, ἀξιοπαθήσῃ ἐπ' ἀμϕότερα. Ibidem, Οὐ δύναται ϗ ὑγιαινούσῃ ϕίλειν, ϗ ταῦτα· ἀρχὰς ἔχειν ἰατρικὰς, ϗ ταῦτα. Idem 4. 2. Οὐ δύναται Θερσίτῃ ὑπομένειν, ϗ Ἀγαμέμνονα. Iterum, Οὐ δύναται ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ διατηρεῖν, ἀλλ' ἀνάγκη καθῆσθαι ἂν ᾖ ἐπὶ κοινῆς, ἀκολουθεῖσθαι δὲ ἐν ἰατρείῳ.

Hanc

Haud facile est ita mentem animumque inflectere cuiquam,
Ut res oppositas mens ferat una duas.

Ibid. ἢ γὰρ τὸ ἕνα μισήσει, καὶ τὸ ἕτερον ἀγαπήσει] Ovidius,

Scilla bipartito cum mens discurrit utroque,
Alterius vires subtrahit alter amor.

Idem,

Tu mihi, tu certe (memini) Graeine, negabas
Uno posse aliquem tempore amare duas.

Theophylactus Simocatta, Οὐ δυνάσῃ θεῷ καὶ μαμμωνᾷ δουλεύειν, ὅτι γὰρ μαχέτην τὼ θεὼ, οἱ γὰρ ἔρωτες οὐ μερίζονται· ἀλλ' ὅτε διπλῆν αἰνίγματος τὴν ἔμφασιν. ὡς γὰρ οὐ γῇ δυσὶν ἡλίοις οὐ δυνάτην θαλπεσθαι, οὕτω μια ψυχὴ δυσὶ θεοῖς παρ' ἑαυτῆς ἐρωμένοις οὐκ ἀνίσχυεν.

Ibid. ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τὸ ἑτέρου καταφρονήσει] Aut alterius mandatis obsequetur, alterius neglectui habitis. Ἀνθέξεται non male Recentior *adhærebit* vertit, sunt enim hoc loco ἀντέχεσθαι & καταφρονεῖν, quæ infra 19 5. in alia re, περισπολλᾶσθαι, & καταλείπειν. Tertullianus, hunc locum citans, ἀνθέξεται *defendet* vertebat, respiciens, ut videtur, tempus quodvis quo pariter utriusque salus in discrimine versatur, nec utrique eadem opera servus propugnare potest. Quo casu etiam in Legg. Roman. electione sua nullum crimen contrahit. l. 3. §. 3. F. ad S C. Silan. Affine autem huic Christi præcepto est Luc. 10. illud, βαλάντιον μὴ βαστάζετε quod Theophylactus ἀφιλοφρονεῖσθαι, usus est verbis ἀσχολεῖσθαι & καταφρονεῖν. Ἀρκεῖ (inquit) ὑμῖν τὴν φροντίδα ἔχειν εἰ γὰρ βαλάντιον βαστάζετε, περιόψεσθε ὅτι εἰς ἑαυτὸν ἀσχολησόμενοι, καὶ τὸν λόγου καταφρονήσετε.

Ibid. οὐ δυνασθε θεῷ δουλεύειν, καὶ Μαμμωνᾷ] Hieronymus ad Nepotianum, *Qui dicit, Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest: quod si quidpiam aliud habuerit præter Deum, pars ejus non erit Dominus.* Vide Rom. 6. 18. & 8. 7. 1 Corinth. 10. 21. 2 Cor. 5. 6. Galat. 1. 10. Jacob. 4. 4. 1 Joh. 2. 15. Luc. 14. 33. Egregiè Salustius, *Ubi divitiæ* (i.e. Μαμμωνᾶς) *claræ habentur, ibi omnia bona vilia sunt: fides, probitas, pudor*, &c. Epist. 2 de Republ. ordin.

Com. 25. μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν, τί φάγητε, καὶ τί πίητε] De rerum quarum exigua quævis portiuncula naturæ sufficit, & quæ post condimentorum omnium impendia in latrinam abeunt, vel qualitate, vel mensura ne sitis solliciti: οὐ γὰρ λιμοκτονεῖ κύριος ψυχὴν δικαίου, Prov. 10. 3. In quem sensum (at paulo laxius) Paulus τὴν σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθαι, Rom. 13. 14. Porphyrius πρὸς ἔνιους τῶν ἀναγινώσκειν, &c. τὸν τροφὸν πολυπραγμονοῦσι; Optima autem magister optimus ratione hoc præcepit, sciens, quam & undique & assidue ea in re peccetur, quam varias sibi aliisque molestias gulæ libido creet. Plinius, *Plurimum homini negotium alvus exhibet.* Plutarchus in de Consolat. ex Platone, Μυρίας ἀσχολίας ἡμῖν παρέχει τὸ σῶμα δίχα τῶν ἀναγκαίων τροφῶν. Seneca (ad Marciam cap. 22.) appositissime ad hunc Euangelii locum, *In popinam ventremque projecta, summa illius curarum fuit quid ederent, quid biberent.* Talium è classe illi de quibus 56. 12. Esaias, *Sumamus vinum, impleamur ebrietate: & erit, sicut hodie, sic & cras, imo & multo amplius.* Basil. in Ejusdem cap. 5. Οἰνοπωλεῖα καὶ καπηλεῖα ἐκκαθαίρωμεν, &c. καὶ πᾶσαν ΤΗΣ ΨΥΧΗΣ ΜΕΡΙΜΝΑΝ ἐκ τῶν τοιούτων φροντίδα καταναλίσκοντες. Talis & quem Plutarchus ἐκ τῶν τοῦ χαιρὸς θησαύρων εἶναι καθιεῶτα dixit, libello contra Colotem. Talis Galienus Junior, qui apud Trebellium Pollionem, *Ecquid habemus in prandio? ecquæ voluptates parata sunt? &, Qualis cras erit cœna?* Quæ plane eadem sonant quæ hic Theophylactus, Τὸ φαγεῖν καὶ πιεῖν, τὸ δὲ λέγειν, τί φαγώμεθα; καλεῖ δὲ λέγωσιν ἐφ' ἑαυτοῖς οἱ πλείονες, τί φάγωμεν αὔριον; Philo de ejusmodi crapulonibus, lib. de Temulent. Τὸν εἰς ὑστεραίαν πόνον ἐξ ἡδέσεως καὶ συμβολῶν προσδοκῶντες, μέρος ὑπολαμβάνοντες τῆς ἐν χερσὶν εὐφροσύνης εἶναι τὸν ἐκ τῆς εἰς τὸ μέλλον μέθης ἐλπίδα. Quod Seneca, *dum corpus in præsenti segnia jacet, cogitationes ad futura præmittere*, vocavit, libro de Vita beata cap. 6. plane ut *dapibus futuris devotum*, de Eutropio Claudianus dixit.

Ibid. μηδὲ τῷ σώματι ὑμῶν τί ἐνδύσησθε] Seneca, *Tegumenta & fomenta corporum*, &c. *nunc ingens negotium facta sunt:* ubi & de cibis addit, de quibus & in Contextu nostro. Vacuus (eoque laudabilis) utraque sollicitudine ista parens Marci Antonini: Οὐ θέλει τὸν ἑαυτοῦ (inquit filius ejus) θησαυρὸν, ἢ θέλει τὴν ἐσθῆτων ὑφὰς & χρόας.

Ibid. οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς] Vide ad Luc. 12. 23. dicta.

Com. 26. Ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ] Arnobius lib. 6. *Eruboscite, atque ab animantibus mutis vias rationis accipite.*

Ibid. ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν] Ut statim de Liliis, οὐ νήθουσι, οὐδὲ ὑφαίνουσι. Plutarchus simili argumentandi ratione, Οὐ δανείζονται χελιδόνες, οὐ δανείζονται μύρμηκες, οἷς ἡ φύσις οὐ χρῆσις, οὐ λόγον, οὐ τόκον δίδωσιν. Arnobius de animalibus loquens universum, *Vestem illa non norunt, sellasque, naves atque aratra compingere: nec denique suppellectilem cæteram quam familiaris usus exposcit.* Lucretius lib. 5.

Non varias quarum vestes pro tempore cœli:
Denique non armis opus est, non mœnibus altis
Quem sua tuentur: quando omnibus omnia large
Tellus ipsa parit Naturaque dædala rerum.

Ibid. καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τρέφει αὐτά] Clemens Pædagog. 2. 1. Οὐ τὰ πλουσίᾳ, καὶ νηκτὰ, καὶ, σωτελούντα εἰπεῖν, τὰ ἄλογα ζῶα Διογενέφων ὡς ἔοικε ὁ θεὸς, λιπὼν ἡ αὐτὸς ὕδε ἦν. Julianus Imperator de victu necessario loquens, Ἱερέως ὁ πάντως πλοῦτος ἐν μάλα σεμνῇ τῆς φύσεως, & οὐκ ἔστιν αὐτὸ στρέφεσθαι ὅτι σὺν ὄρνιθας, ὅτε σὺν ἰχθύας, ὑδὲ τὰ ῥήτια. In Avibus Aristophanis.

Οὕτως ἦ δή τις ὁ μετ' ὀρνίθων βίος;
Σὺ γὰρ εἶδ' ἀκριβῶς. ΕΠ. Οὐχ ἅπαξ ἦ τρισσὰ,
Οὗ πρῶτα μὲν δεῖ ζῆν ἄνευ βαλαντίου.

Vide Job 38. 41. Psal. 103. 21. Psal. 146. 9. Arrianus l. 16. in Epictetum, Τοῖς ζώοις τὰ πρὸς τὸ σῶμα ἕτοιμα γίγνεσθαι, οὐ μόνον τροφὴ & πόμα, ἀλλὰ & κοῖτος, & τὸ μὴ δεῖσθαι ὑποδημάτων, μὴ ὑποστρωμάτων, μὴ ἐσθῆτος. Idem σὺν μέτρῳ λόγου φιλοσοφοῦντας, humiliusque de Deo seque ipsis quam oporteret sentientes arguens, ad ea, καὶ πόθεν φάγω μηδὲν ἔχων; ita 1. 9. respondet, Καὶ πῶς οἱ ὄρνιθες; πῶς οἱ θηρευταί; τίνι προσήκεις ἐκείνοις τῶν ἀπροσδιορίστων; πῶς ἀγροῖς, τοῖς αὐλίοις, ἢ τοῖς ἀγομένοις; ὑδενὶ, ἀλλ' ἑαυτοῖς, & ὅμως οὐκ ἀπολείπουσιν αὐτοῖς τροφὴ. ὁ δὲ φιλόσοφος ἡμῶν δείκνυσιν, ἅπερ ἐπιτηδεύοντα & ἐπαναπαυόμενον ἀποδημεῖν, καὶ μὴ θεμιτὸν εἶναι τοῦτον αὐτὸν, καὶ τὸ θηρίον τοῦ ἀλόγου εἶναι χείρονα καὶ δυλότερον, ὃν ἕκαστον αὐτῷ ἀρκοῦμενον, ὅτε τροφῆς ἀπορεῖ τῆς οἰκείας, ὅτε διέξαγωγῆς τῆς κατὰ φύσιν; Quibus similem habere videntur sententiam quæ ex Anonymo habet Suidas in verbo ἄνωθεν.

Ibid. οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τρέφει αὐτά] Nec serunt, nec metunt, tamen escam à Deo habent. Reduxit iste modus loquendi locum Luciani illum, ubi jactat saginam suam parasitus, Τὰς μὲν λοιπὰς inquit πίονας οὐ μόνον καθαπτόμενος, καὶ ἱδρῶντες, ἀλλὰ, νὴ Διὰ, καθιδρωτὰς καὶ ἐσῶντες ἐργάζονται, ἅπαντες ἀμέλει δοῦλοι & τεχνῶν· ὁ δὲ παράσιτος, &c. ὅτε φυτοῦσί χερσὶ φυτὸν, ὅτε ἀρῶσι, ἀλλὰ τὰ ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτος πάντα νέμεται. Apud Phædrum musca,

Labore nihil, atque opimis rebus fruor.

Apud Eundem canis,

Sic sine labore venter impletur meus.

Ibid. οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν] Clemens Alexandrinus ubi supra, Ἡμεῖς καὶ τῶν (ὀρνίθων) ἀμείνους, ὅσῳ καὶ κύριοι, καὶ θεῷ οἰκειότεροι, ὅσῳ σωφρονίστεροι. Arrianus jam dicto loco, Ἀλλὰ πρὸς μὲν τὸ καίσαρος ἡ συγγένεια, ἢ ἄδειν πρὸ τῆς μέγα δυναμένων ἐν Ῥώμῃ, ἱκανὴ παρέχειν ἐν ἀσφαλείᾳ διάγοντας, καὶ ἀκαταφρονήτους, καὶ δεδοικότας μηδ' ὃ τι οὖν, τὸ ἦ τὸ θεῖον πιστεύω ἔχειν πατέρα, καὶ κηδεμόνα, σοκέτι ἡμᾶς ἐξαιρήσονται λυπῶν καὶ φόβων; Idem alibi, Φοβεῖται τις αὐτὸς ἀγαθὸς μὴ λίπωσιν αὐτὸν τροφαί; πῶς πτῶσις ἢ λείψει, λείψουσιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ; Καὶ στρατιώτῃ μὲν ἀγαθῷ καὶ λείπει ὁ μισθοδοτῶν, ὑδὲ ἐργάτῃ, ὑδὲ πιστεῖ, τῷ δὲ ἀγαθῷ λείψει; Οὕτως ὁ θεὸς ἀμελεῖ τῶν αὑτοῦ δογμάτων; τῶν διδομένων οἷς μόνοις χρῆται παραδείγμασι πρὸς ἀπαιδεύτους, ὅτι καὶ ἔστι, καὶ καλῶς διοικεῖ τὰ ὅλα, καὶ οὐκ ἀμελεῖ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων; Τὸ μᾶλλον autem (salvo Principis eruditorum honore) non putem in Matthæo παρέλκειν, at duo hic loquendi genera in unum mixta esse; nimirum, οὐχ ὑμεῖς πολὺ διαφέρετε αὐτῶν; & οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον τίμιοι (vel ἔντιμοι) ἢ ἐκεῖνα;

Com. 27. Τίς ἦ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν πῆχυν ἕνα; Seneca Natur. quæst. Præfat. lib. 1. *Nos quid sumus? formicæ in angusto laborantes: nec quidquam illis & nobis interest, quam exigui mensura corpusculi.* Idem Consolat. ad Helviam, *Non vultis cogitare quam parva vobis corpora sunt? Nonne furor, & ultimus mentium error est, cum tam exiguum capias, cupere multum? Lacet itaque augeatis sensus, promoveatis fines, nunquam corpora vestra laxabitis.* Et Epist. 89. *Omnibus licet locis tecta vestra splendeant,*

deant, alicubi impoſita montibus in vaſtum terrarum mariſque proſpectum, alicubi ex plano in altitudinem montium edu-cta, &c. *tamen & ſingula corpora eſtis, & parvula.* Cur autem *parvula*, rationem hanc, nec inſuavem, Theodoretus 5. περὶ Προνοίας affert, Τῆς ψυχῆς ζητ (ὁ θεὸς) προμηθούμενος σωτηρίας, τὸ μέγα σου σῶμα φείδεται, ἵνα μὴ κατ' ἄμφω (nempe λόγον, καὶ σωματικὴν δύναμιν) πλεονεκτῶν, εἰς τὴν Διαβολικὴν ἀλαζονείαν πτοῇς. εἰ γὰρ καὶ μικρὸν ζητ τὸ σῶμα ἐστὶ, μέμνησο, καὶ λυπρὸς κἂν τὸ κτῆμα ᾖ, τί σὺν αὐ ἔδεσμας, εἰ καὶ τῦτο (animalium nempe) τὸ μέγα ἴλαθις; νῦν ὁ κύβος διδάσκει σε εὐφρονεῖν, &c.

Com. 28. καθαιρεθέντα τὸ κρίνα ἢ ἀγρεῖ] Simillime (in περὶ Πολυπραγμοσ.) Plutarchus, Πολυπραγμονεῖ (quod hic καταμανθάνειν) &c. πῶς ἡ φυτῶν τὰ μὲν ἀεὶ πθηλὰ, καὶ χλοάζει, καὶ ἀγάλλεται, παντὶ καιρῷ τὰ ἑαυτῶν ἐπιδεικνύμενα πλάττει. Καταμανθάνειν autem (quod non apud Plutarchum tantum μεταφορικῶς ponitur, ſed & alios jam ſtatim adducendos) videtur qui per verbum *diſcendi* reddidit, minus apte expreſſiſſe. In Græco Geneſ. cap. 24. Ὁ ἄνθρωπος καταμανθάνων αὐτὴν. Sirachid. 9. 5. περίσσευε μὴ καταμανθάνειν· qua voce Iſidorus Peluſiota ait indicari τὸν ἐπιμελῶς κατανοῆσαι. Itaque Vulgatus melius, qui *conſiderate.* In Gloſſario, *Conſiderat*, κατανοεῖ, καταμανθάνει. Non male etiam alius vertit, *cognoſcite.* Donatus in Terentium, *Cognoſcere, eſt diligenter & attende conſiderare.*

Com. 29. οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτῦ περιεβάλετο, ὡς ἓν τῶν.] Maximus Tyrius, Λειμῶνες ζωμάτων ποικιλώτατα. Plutarchus Sympoſiac. lib. 3. Ἄνθη, &c. ποικιλίαν ἀμιμήτοις χρώμασι καὶ βαφαῖς ἀνοιγόμενα. Zeno Veronenſis Serm. Attende tibi, *Fœcundi ceſpitis viridantes & herbidi tori, florum varietate melius quam fucatis coloribus Tyriis muricis pictis.* Claudianus,

> —— *Rapiunt Tyrios ibi vellera ſuccos,*
> *Et picturatæ ſaturantur murice veſtes:*
> *Hîc radiant flores, & prati viva voluptas,*
> *Ingenio variata ſuo.* ——

Propertius, à formæ lenociniis amatam ſuam alienam volens,

> *Aſpice quas ſummittit humus formoſa colores,*
> *Ut veniunt hederæ ſponte ſua melius:*

Philo in de Abrahamo, Καὶ τὴν ψυχήν μοι δοκῶ νικᾶν δυσὶ νικαῖς τὰς ἀνδρῶν ὁμοῦ καὶ γυναικῶν ἀνομοφύλους. His adde quæ ad Luc. 12. 27. annotata.

Ibid. φείδεται, &c.] Vox propria in argumento iſto. Vide dicto ad Lucam loco adducta. Philo in Flaccum, Μείζονα τιμὴν ἢ ἐνδοξίαν ἔχουσι ἢ οὐ φείδεται.

Com. 30. τὸν χόρτον τῦ ἀγροῦ, σήμερον ὄντα, καὶ αὔριον, &c.] Vide quæ ad Lucæ jam citatum locum dicta.

Com. 34. Μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον] Ἀμερίμνους (ut Heb. 13. 5.) τοὺς παρόντων.

> *Lætus in præſens animus quid ultra eſt*
> *Oderit curare* —— i.e. μεριμνᾶν.

Perſius,

> —— *Granaria, ſas eſt,*
> *Emole, quid metuas? ecce, & ſeges altera in herba eſt.*

Arrianus in Epictetum, Ὅταν χορτασθῆτε σήμερον, καθήσθε κλαίοντες φεὶ τὴν αὔριον, πῶς φάγητε. Ita de incertis dum ſolliciti eſtis, de certis non ſolum ingrati eſtis; ſed & de futuro dum ſuſpenſi eſtis, omnem fructum præſentium perditis. Bene Seneca, *Ille beatiſſimus eſt, & ſecurus ſui poſſeſſor, qui craſtinum ſine ſollicitudine exſpectat.* Idem Epiſt. 5. verba de ſpe & metu faciens, *Maxima utriuſque cauſa eſt quod non ad præſentia aptamur, ſed cogitationes in longinqua præmittimus: ita providentia, maximum humana vita bonum, in malum verſa eſt.* Bene itaque Ariſtippus, qui (apud Ælianum Var. 14. 6.) præcepit τὴν ἐπιοῦσαν μὴ προσκάμνειν, ἐφ' ἡμέρᾳ γὰρ τὴν γραμμὴν ἔχειν, καὶ αὖ πάλιν τὴν ἡμέραν ἐπ' ἐκείνῃ τῇ μίᾳ καθ' ὃ ἔκαστος ἡ πρᾶξίς τι ἢ ἐνδεῖ· μόνον γὰρ ἡμέτερον τὸ παρὸν εἶναι.

Ibid. εἰς τὴν αὔριον] Vulgat. *in craſtinum.* Ex eo, εἰς τὴν αὔριον, *in craſtinum*, apud Gloſſarii auctorem.

Ibid. ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς] q.d.

> *Adveniet juſtum pugnæ, ne accerſite, tempus.*

Propertius,

> *Quis furor eſt atram bellis accerſere mortem?*
> *Imminet, & tacito clam venit illa pede.*

Seneca Epiſt. 13. *Etiamſi futurum eſt malum, quid juvat dolori ſuo occurrere? ſatis cito dolebis cum venerit: interim tibi meliora propone.* Idem Epiſt. 24. *Quid neceſſe eſt mala accerſere, & ſatis cito cum advenerint patienda, præſumere?* & Epiſt. 74. *Quid clementius quam angi futuris, nec ſe tormento reſervare, ſed accerſere ſibi miſerias?* Iterum 98 Epiſtol. *Qua iſta dementia eſt malum ſuum antecedere!* & demum Epiſt. 78. *Circumcidenda duo ſunt, futuri timor, & veteris incommodi memoria: hoc ad me jam non pertinet, illud nondum.* Valerius Maximus, *Stultum eſt infelicitatis ſe prædamnare, ſpemque quæ etiam incerta recte fovetur, in certam deſperationem convertere.* Epicuri apud Ciceronem ſententia eſt, *ſtultam meditationem* (quod ibi μεριμνᾶν interpretor) *futuri eſſe, ac fortaſſe ne futuri quidem; ſatis eſſe odioſum omne malum cum venerit: qui autem ſemper cogitat accidere poſſe aliquid adverſi, ei fieri illud ſempiternum malum: ſi vero ne futurum quidem ſit, fruſtra ſuſcipi miſeriam voluntariam: ita ſemper angi eum, aut cogitando, aut male cogitando.* Vide & Plinii l. 8. Ep. 18. Cicero Epiſt. famil. 6. 4. *Equidem mihi omnia propono, nec ullum eſt tamen malum quod non putem impendere: ſed cum plus in metuendo mali ſit quam in illo ipſo quod timetur, deſino.* Κακία heic, Vulgato, *diei malitia:* ut & eidem Eccleſiaſtis 12. 1. *malitiæ dies.* Ubi in Græco, αἱ ἡμέραι κακίαι· quia mala multa ſenectus apportat. Tertullianus Matthæi loco, *vexationem* vertit, i. e. afflictionem. Hieronymus ad Amandum, Κακία *apud Græcos duo ſignificat*, malitiam & afflictionem.

CAP. VII.

MUNSTERUS.

1. NOlite *judicare*] Per *judicare* intelligitur Aliena dicta & facta iniquo obſervare oculo atque iniquo condemnare animo.

2. *Qua menſura menſi fueritis*] Proverbium eſt apud Hebræorum ſcriptores tritum, מדה כנגד מדה, i. *Menſura contra menſuram*, quando cuique pro meritis & demeritis ſuis fit compenſatio.

11. *Qui eſtis mali*] Mali ſumus à corrupta non à creata natura. An vero hæc corruptio naturæ ſit à corpore vel ab anima, Hebræi talem habent diſputationem, אילו הבשר הטא בלא רוח מוטב שנעשה: ובי רוח וטמא הוה נענש אלא כך חדבר שנתון ושמאים כאחד משל לחתר וסומא שמוד הפירות מעשה בסלע אחד שהיה לו פרדס נאה מאד וכל מיני פירות נשתים בו ושיטרי הגן אכלו ואמרי כי הוא טוב למאכל ונחמד למראה ולא יכול לסצוא שומרים נאמנים שישמרו הפרדס ולא יאבלו הפירות לסוף עלה ברעיון והכניס בפרדס קיסח וסומא ואמר כי הקיסח לא יכול לעלות באילנות והסומא אם יגלה אינו יכול למצא הפירות לימים נתיעצו יחד הקיסח והסומא והרכיב הסומא הקיסח על כתיפו ועשו ליקח הפירות מן האילנות ואכלו שניהם. Seſſus eſt; *Habuit Rex quidam hortum cum pretioſis fructibus; & cum illum nulli auderet committere cuſtodi, tandem conduxit claudum quendam & alium cæcum qui illum cuſtodirent. Claudus non poterat aſcendere arbores, nec cæcus poterat videre fructus. Sed illi conſilium ineuntes mutuo ſeſe juvabant, & tranſgrediebantur præceptum Regis: Nam cæcus ſubmiſſis humeris claudo ſcala fuit, ut ille arbores conſcenderet.*

14. *Quam anguſta eſt porta*] Aſſimilat perfectam Chriſtiani hominis vitam *anguſta porta & ſtricta via:* nam niſi hæc ſic ſit inſtituta ut quæramus ea quæ ſunt Deo gloriæ & proximis ſaluti, abnegantes noſipſos, & ſoli providentiæ Dei committamus, à recta via aberramus. Contendere ergo debemus, ſicut apud Lucam Dominus monet, ut per eam ingrediamur; & Pater cœleſtis rogandus eſt ut vires ſuppeditet.

16. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*] Quantumlibet pſeudoprophetæ ſimulent pietatem & diſſimulent impietatem, tamen opera & ſtudia eorum tandem teſtabuntur qui ſint & quid quærant. Qui non ex corde Deum quærunt, hypocritæ ſunt, quantumlibet ore Deum confiteantur, dicentes, *Domine, Domine*, &c. Hujuſmodi multi fuerunt qui etiam *prophetaverunt*, h. e. proficue docuerunt & diſſeruerunt de myſteriis Chriſti, quidam denique *miracula fecerunt*, ſed quia vacui fuerunt vera & ſolida fide à Domino non agnoſcentur.

V A L L A.

3. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ eſt in oculo tuo, non vides?*] Græce eſt, *non conſideras*, κατανοεῖς.

6. *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras porcis, ne forte conculcent eas pedibus*] Potius transferendum *nequando* quam *ne forte*, μήποτε. Et quoniam interpres per *nolite* loquitur, quod Græce non dicitur, faciendum ei fuit ut diceret, *Neque mittere margaritas veſtras porcis.* Ideo autem ſolemus uti imperativo verbi *Nolo*, quia raro jungimus adverbium vetandi cum imperativo, quod Græci faciunt, quale nunc foret, *Ne date ſanctum canibus, neque mittite margaritas veſtras porcis:* ut intelligant errare ſe qui illum locum Johannis 8. 11. ut alia multa, *Vade, & amplius noli peccare*, ſic exponunt, Dominum vetuiſſe ne vellet peccare mulier, non autem *ne peccaret*, ἵνα μηκέτι ἁμαρτάνῃ.

19. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur:*

20. *Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos*] Græce eſt, *exciditur, & in ignem mittitur*, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται. Hunc locum ideo reor ego aliquos emendare voluiſſe, mutantes præſens in futurum: quia mali, quos malis arboribus comparat Dominus, non exciduntur nunc, & in ignem mittuntur, ſed poſtea excidentur, & in ignem mittentur. Sed hi non vident Dominum per ſententias allegorice loqui, quaſi diceret, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, ſolet ab hominibus excidi, & in ignem mitti. Illud quod ſequitur, Latinius diceretur, *Igitur ex fructibus ſuis cognoſcetis eos.*

22. *In nomine tuo virtutes multas fecimus*] Δυνάμεις. *Virtus* hic non pro *honeſto* accipitur, quod dicitur ἀρετή, quod nomen nuſquam in Euangelio reperitur, ſed pro *potentia*, ſive pro *operibus potentiæ*, ut apud Paulum, *Virtus vero peccati mors*, i. *vis* ac *poteſtas*, 1 Cor. 15. 56.

24. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti*] Græce eſt *aſſimilabo eum*, ὁμοιώσω αὐτὸν· ſed interp. veritus eſt ne in Grammaticæ vitium incideret ſi diceret *omnis* & *eum*. Sed cur in ſequentibus inquit *ſimilis erit*, potius quam *aſſimilabitur*? v. 26. *Similis erit viro ſtulto.* Ut eſt Græce ὁμοιωθήσεται quod item poſterius facit, cap. 11. 16. *Cui ſimilem exiſtimabo generationem hanc?* cum Græce ſit *aſſimilabo*, ὁμοιώσω. Hoc ideo notavi, quod interdum idem verbum varie transfert, & diverſa eodem verbo.

29. *Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi*] Ego dixiſſem, *Erat enim docens velut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.* Licet enim ſit Græce eadem dictio ὡς tamen carent illi hac copia quam nos Latini habemus, qui diſtinguimus *velut* & *ſicut*, ut ſuo loco diſſerui, ſupra 3. 16.

R E V I U S in V A L L A M.

19. Ἐκκόπτεται] Hoc in primis editionibus inepte poſitum erat poſt *cognoſcetis eos*, quod videns is qui ultimam editionem adornavit, collocavit poſt *& in ignem mitti.* Ego eadem libertate tranſtuli ad locum quem videt, quique ei nativus eſt.

22. *Quod nomen nuſquam in Euang. reperitur*] At reperitur in epiſtolis Apoſtolorum, Phil. 4. 8. 1 Pet. 2. 9. 2 Pet. 1. 3, 5.

24. Ὁμοιώσω αὐτὸν] Hoc perverſe collocatum erat poſt *omnis & eum.* ſed & αὐτὸν, quod maxime ad rem facit, omiſſum.

E R A S M U S.

1. *Nolite condemnare, & non condemnabimini*] Hæc verba nec in ullis Græcorum exempl. reperi, nec apud Hieronymum referuntur, nec apud Chryſoſtomum, nec apud Hilarium, denique nec in vetuſtiſſ. cod. Latinis. Unde videntur è ſpatio marginali delata in contextum. ¶ Interpretatus eſt aliquis, quod dixit, *Judicare*, hoc loco nihil aliud eſſe quam *damnare*; ſicut & apud Paulum ſubinde *judicium* pro *condemnatione* ponitur. Nec eſt paulo ante ¶ *Et non judicabimini*] ſed *Ne judicemini*, ἵνα μὴ κριθῆτε. Atque ad eum modum legit Hilarius, conſentientibus exempl. D. Donatiani. Ut diſſimulem quod pro κρίνητε & μετρεῖτε, i. *judicatis* & *metimini*, verterit *judicaveritis*, & *menſi fueritis*; quodque pro μετρηθήσεται verterit *remetietur vobis*, reclamante Latinitate. Nam addito nomine dicere poterat, *alii metientur vobis.* Verum haud ſcio an ſatis Latine dici poſſit *judicabimini.* Neque enim opinor *judicatus* dicitur, de quo pronunciatum eſt; ſed *res judicata*, & *judicata cauſa*, *de homine judicatum*; niſi addas, *judicatur inſanus*, pro *habetur.* Proinde mea ſententia tolerabilior eſt Auguſtini lectio, *Nolite judicare, ne judicetur de vobis. Quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.* Optimum autem fuerit ſi legamus, *Nolite condemnare, ne condemnemini.*

3. *Et trabem in oculo tuo*, τὴν δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖς] i. *Quæ vero eſt in oculo tuo trabem non animadvertis.* Præterea

4. *Frater, ſine*] *Frater* nec aſcriptum eſt in Græcis nec in Latinis antiquis, ſed tantum ἄφες ἐκβάλω, *Sine ejiciam.* Conſentit & codex aureus. Rurſum ¶ *Et ecce trabes eſt in oculo*] Græce feſtivius eſt, ſubaudito verbo ſubſtantivo, καὶ ἰδοὺ ἡ δοκὸς ἐν ὀφθαλμῷ ſit, *Et ecce trabes in oculo tuo.* Ad hæc

5. *Videbis ejicere*] Nimium Græcanice dixit, βλέψεις ἐκβαλεῖν, i. *Diſpicies ut ejicias.*

6. *Nolite ſanctum dare*, μὴ δῶτε] i. *Ne detis.* id quod ad eundem modum perpetuo variat. Id indico, non quod male vertat interpres, ſed ne quis in verbis fruſtra philoſophetur, quaſi voluntas etiam ſit hic vetita. ¶ Et rectius erat *projiciatis* quam *mittatis*, βάλητε. ¶ Ut ne dicam quod μήποτε, i. *ne quando*, vertit *ne forte*, parum tempeſtiviter extenuans periculum quod auctum magis oportuit. ¶ Nec eſt *pedibus ſuis*, ſed ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, i. *inter pedes ſuos*; niſi placet ἐν uſurpatum pro *per* more Hebræorum. ¶ *Sanctum* autem poſitum eſt neutro genere pro *re ſancta*, τὸ ἅγιον. Nos vertimus, *quod ſanctum eſt.* Judæi *ſanctum* appellabant quod eſſet ſemotum ab uſu profani vulgi, & à conſecratis cum reverentia tractandum. ¶ *Et canes converſi*] *Canes* apud Græcos non additur, nec attingitur ab interprete Chryſoſtomo, neque in emendationibus Latinorum exempl. ac ne in aureo quidem. Poteſt autem *conculcatio* & *laceratio* ad Canes pariter & Porcos referri. Sæviunt enim & Apri. Canis profanum animal; & Sus, immundum, quod ab unguentis peculiariter abhorret. ¶ Cæterum *Margaritis* ſive *Unionibus* olim ſummum fuiſſe pretium, abunde teſtis eſt Plinius. ¶ Denique quod dixit *converſi*, ῥαγέντες, apertius erat, *verſi in vos.* Nec eſt *dirumpant* ſed ῥήξωσιν, i. *lacerent*, ſive *lanient.*

9. *Numquid lapidem porriget ei?*] Hanc locutionis duritiem mollivimus interpretatione, ſenſu tamen manente, ne quis calumnietur quod à verbis diſceſſimus.

11. *Bona data*, δόματα ἀγαθά] i. *Donationes bonas*, ſive *bona dona.* Eſt autem hic tropus ex idiomate ſermonis Hebræi: quod genus eſt illud in Numeris, *Ego accepi fratres veſtros Levitas de medio filiorum Iſrael, dationem datam Domino.* Sic enim legit Auguſtinus, indicans tropos hujus voluminis, cum Græci legant, δόμα δεδομένον. Nec enim hic *data* participium eſt, ſed nomen. Alioqui qui datur quod jam datum ſit? Ac malueram *dona* quam *data*: niſi quod δόμα recte dici poſſit quocunque modo datum, ut medici ſua pharmaca δόσεις vocant, cum *donum* ſit gratuitum, quod Græci ſua voce δῶρον appellant. Rurſus & illud, ¶ *Dabit bona petentibus ſe*] Quod nos explicuimus, *ſi poſtulatis ab ipſo*, quemadmodum & ſuperius fecit interpres. Item,

12. *Et vos facite illis*] Omiſit voculam οὕτως καὶ ὑμεῖς, i. *ſic & vos facite.* Atque ita legit Chryſoſtomus; Auguſtinus item Comment. 2. in hunc locum. Idem ait in Vulgatis cod. ſcriptum fuiſſe, *Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis.* Putatque *bona* additum ab interprete Latino explicandæ rei gratia, cum in Græcorum exemplaribus non habeatur. Quanquam ea dictio additur & apud Cyprianum in Expoſitione precationis Dominicæ. Rurſum

13. *Quæ ducit*, ἀπάγουσα] i. *Quæ abducit.* Ac mox,

14. *Quam anguſta porta, ὅτι στενὴ*] i. *quia anguſta porta.* quanquam diſſentientibus exempl. pleriſque Latinis. Interpres legiſſe videtur, ὡς στενή. Certe in Paulino codice utrobique ſcriptum erat *quia.*

15. *A falſis prophetis*, ψευδοπροφητῶν] Græcis una eſt dictio, ſicut *pſeudochriſti*, & *pſeudapoſtoli.* ψευδής Græce *mendacium* eſt, ac magis ſonat *falſo prophetas* quam *falſos.* Et mox

16. Ἐπιγνώσεσθε, *agnoſcetis* eſt potius quam *cognoſcetis*, Et, ¶ *Nunquid colligunt*] Quidam habent, μή τινες, i. *non quæ.* Rurſus,

17. *Arbor mala*] Σαπρὸν eſt, non πονηρὸν, quod magis *putrem* ſonat, *cariſ vitiatam*, aut *marcidam*, quam *malam*, ſi quid Suidæ credimus. Ut ne commemorem quod utrumque

verbum

verbum præſentis temporis vertit per futurum, ἐκκόπτεται καὶ βάλλεται, i. *excidituꝛ & mittitur*. Atque ita ſcriptum eſt in perveteribus exemplaribus. Nec enim Chriſtus prædicit quid ſit futurum malis arboribus; ſed quod vulgo fit vitioſis arboribus, idem oſtendit eventurum infrugiferis hominibus.

21. *Domine, Domine*, Κύριε, Κύριε] Non ſolum retulit βαττολογίαν precantium, quam ante taxavit, verum etiam expreſſit ſermonis Hebraici proprietatem; quæ quod exaggerat, congeminatione auget: quod genus illud apud Jeremiam 7. *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini.* Cæterum hæc verba, ¶ *Ipſe intrabit in regnum cœlorum*, in Græcis cod. non adduntur, nec repetuntur ab Hieronymo, refragantibus licet exemplaribus Latinis. Nec eſt

22. *In nomine tuo*] Sed *per tuum nomen*, τῷ σῷ ὀνόματι, abſque præpoſitione ἐν, quam ſolet apponere, quanquam id nihil refert ad ſenſum. *Virtutes multas*, δυνάμεις] ut intelligas potenter facta, quæ vim Divinam demonſtrarent.

23. *Omnes qui operamini*] *Omnes* nec eſt in Græcis cod. nec in antiquis Latinis, ſed tantum οἱ ἐργαζόμενοι, *qui operamini.*

27. *Et irruerunt*, καὶ προσέκοψαν] i. *impegerunt*, diverſum eſt ab eo quod mox præceſſit, προσέπεσον, ſive προσέκλιναν.

28. *Admirabantur*] Græcis eſt vehementius, ἐξεπλήσσοντο, i. *ſtupuerunt*, ſive *attoniti facti ſunt*, ſive *ſtupore perculſi ſunt.*

29. *Sicut poteſtatem habens*, ὡς ἐξουσίαν ἔχων] Ut condonem quod pro *tanquam* vertit *ſicut*; *Poteſtatem* non eſt hic δύναμιν, ſed ἐξουσίαν, quod magis ſonat *autoritatem*, h.e. poteſtatem & jus aliquid faciendi. ¶ *Non ut ſcriba*] Qui ſibi vendicabant autoritatem. Non enim dicit, *Hæc ait Dominus*, ſed, *Ego dico vobis.* Et in edendis miraculis non implorat opem Patris, ſed ait, *Adoleſcens, tibi dico, Surge.* ¶ *Scriba*] *Eorum* additur. Apud Græcos γραμματεῖς. Et de *Phariſæis* hoc loco nulla mentio in Græcis quæ quidem viderim exemplaribus.

V A T A B L U S.

1. ET *non judicabimini*] *Ut non judicemini: nolite condemnare, & non condemnabimini*, V.

2. *Remetietur vobis*] *Eadem menſurabitur vobis*, V. *metientur vobis alii.*

3. *Quid*] *Cur.* ¶ *Vides*] *Animadvertis.*

4. *Dicis*] *Dices*, fut. temp. ¶ *Sine*] *Frater, ſine.*

5. *Videbis ejicere*] *Perſpicies ut ejicias*: vel, *eximas.*

6. *Mittatis*] *Projiciatis.* ¶ *Et converſi*] V. *& canes converſi.* ¶ *Dirumpant*] *Lacerent.*

9. *Aut quis eſt*, &c.] *An quiſquam eſt ex vobis homo qui, ſi petierit filius ejus panem ex eo, lapidem daturus ſit illi?*

11. *Data*] *Dona.*

12. *Et vos*] V. *ita vos.*

14. *Quam angusta*] V. *Quoniam angusta.*

16. *Cognoſcetis*] *Agnoſcetis.* ¶ *Colligunt*] ſub. *homines.*

17. *Mala*] *Putris*: vel, *marcida*: vel, *vitioſa.*

19. *Excidetur, & in ignem mittetur*] *Exciditur, & in ignem mittitur.*

21. *Facit voluntatem*] *Obſequitur voluntati.* ¶ *In cœlis eſt*] V. *in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.*

22. *In nomine tuo*, &c.] i. Facultate à te accepta euangelizavimus, & tua virtute miracula edidimus, quibus confirmabas quæ docebamus? Marc. 16. 20. Hebr.

23. *Confitebor*] *Aperte dicam.* ¶ *Qui operamini*] V. *omnes qui operamini*: vel, *operam datis iniquitati.*

24. *Facit ea*] Vel, *factis exprimit.* ¶ *Aſſimilabitur*] *aſſimilabo eum*: vel, *ſimilem dicam eum.* ¶ *Petram*] *Rupem.*

26. *Non facit*] Vel, *factis non exprimit.* ¶ *Aſſimilabitur*] *Similis dicetur.*

27. *Irruerunt*] *Impegerunt.*

28. *Admirabantur*] *Stupuerunt*: vel, *attoniti facti ſunt.*

29. *Erat docens*] Habet vim frequentativi, pro, *crebro docebat.* ¶ *Poteſtatem*] Dictio Græca ſign. *autoritatem*, h.e. poteſtatem & jus aliquid faciendi. ¶ *Scribæ eorum*] V. *Scribæ eorum & Phariſæi.*

C A S T A L I Ò.

12. EA *lex eſt atque vates*] Hoc Lex Vateſque docent: hæc Legis Vatumque ſumma eſt.

C L A R I U S.

1. NOlite *judicare*] Docet quo pacto quis ſe erga proximum gerat, ne quis temere ſuo judicio damnet alterum: Quod fere ob eam cauſam accidit, quod pauci in ſe deſcendere curant & inquirere in ſeſe, ut ſæpe homines neglectis graviſſimis ſuis criminibus exigua aliorum vitia taxent. Hoc autem vitium latiſſime patet, & maxima ne progrediamur ad perfectiorem vitam affert impedimenta. Prudenti tamen judicio utendum eſt cum tractantur res Divinæ: unde ſubdit, *non dandum ſanctum canibus*, ut infidelibus, *neque margaritas projiciendas porcis*, impuris ſcilicet hominibus.

7. *Petite, & dabitur vobis*] Dat fiduciam ingentem poſtulandi, tantum ut bona petamus, quemadmodum ait, *Pater veſter cæleſtis dabit bona petentibus ſe.* At nos frequenter ea petimus quæ nobis ſint futura perniciosiſſima ſi præſtentur: Atque etiam in hoc indicat ſummam Deus in nos miſericordiam; qui ut pius Pater deneget ſtulte petentibus filiis quæ nocui illis futura detrimento.

13. *Arcta eſt via*] Cum Propheta dicat, *Via ejus via pulchra*, & ad pulchritudinem viarum pertineat ut latæ ſint, quemadmodum Homerus appellat interdum urbes quas laudat, εὐρυαγυίας, h.e. *lativias*, ut ſic dicam, cur hic dicit *viam quæ ducit ad vitam eſſe arctam?* Juſtam quidem habent viæ Domini ſuam latitudinem, eamque longe pulchriorem illis hujus ſeculi, ſed ita eas appellat quia illam infinitatem quam ſenſus expetunt amputat Deus in viis ſuis, quæ iis qui nondum illas ingreſſi ſunt arctæ videntur, at jam ingreſſis non ita.

18. *Non poteſt arbor bona fructus malos facere*] Nempe quandiu bona eſt: ſic *mala*, quandiu mala, *non poteſt bonos fructus ferre.* Atque ita non eſt neceſſe naturarum diverſitatem introducere. Singulare autem indicium agnoſcendi falſos à veris doctoribus ſunt eorum facta: nam à bonis bona proficiſcantur neceſſe eſt, à malis contra.

24. *Et facit ea*] Nimirum in rectè factis fundatur omnis ſtructura Chriſtiani ædificii.

Z E G E R U S.

1. NOlite *judicare, & non judicabimini*] Vel, *Ne judicemini*, ſecundum quoſdam. Hoc ſermone docemur ut aliena facta, quæ quo animo fiant ignorantur, in bonum potius quam in malum interpretemur. Nam de manifeſtis ita ſcriptum eſt, *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Ut exempli gr. Si quis virginem conſtupraſſe manifeſte deprehenſus fuerit, nihil vetat quo minus de illo poſſit judicari; atque ita de cæteris. Nam & Petrus Ananiam & Sapphiram mendacii coarguit, Actor. 5. 3, 9. & Paulus in Corintho judicavit fornicantem. Rurſus idem Timotheo ſcribens *delinquentes coram omnibus argui* jubet. Porro Hilarius hæc verba ad Chriſtum referenda putat, *Judicari*, inquiens, *de ſponſionibus ſuis vetuit: quia ut judicia ex incertis rebus inter homines ſumuntur, ita & hoc judicium adverſum Deum ex ſentiendi & opinandi ambiguitate ſuſcipitur, quod penitus repellit à nobis, ut conſtans potius fides retineatur.* Quod ſubſequitur in cod. vulgaribus, *nolite condemnare, & non condemnabimini*, ſuperfluum hic eſt, nec reperitur in exempl. vetuſtis, nec explicatur ab interp. antiquis; imo ne à Lyrano quidem, ſed neque ab Alberto. Unde neceſſe eſt fateamur, huc eſſe tranſpoſitum ex ſimili loco apud Lucam 6. 37. Eſt tamen qui potet hoc factum eſſe occaſione ambiguitatis verbi κρίνω, quod poſſit etiam *condemno* verti: ſed hoc mihi minus videtur probabile, maxime cum Lucas pro *condemnare* ponat καταδικάζειν. Quod autem Matthæus ipſe non adpoſuerit *nolite condemnare*, vel illud ſubindicat quod è veſtigio ſubnectit, *In quo enim judicio judicaveritis*, quod alioqui parum apte cohæreret.

6. *Nolite ſanctum dare canibus*, &c.] Ac ſi dicat juxta Opus illud imperfectum, *Mandavi vobis diligere inimicos veſtros, & non judicare eos, ut vos exhibetis miſericordes ad illos, & benefaciatis eis de corporalibus veſtris, non de meis ſpiritualibus bonis; quoniam in natura vobis communes ſunt, & non in fide. Mandavi autem vobis ut non judicetis eos qui in vobis peccaverunt: Id vero non ideo præcipit myſteriorum meorum ſecreta pandatis eis qui nolentes me ſcire blaſphemant & ſpernunt. Videte Patrem veſtrum Deum, ad cujus exemplum volui vos eſſe miſericordes: Carnalia beneficia dignis & non dignis ſimiliter præſtat: numquid gratiam ſpiritualem? Nec enim dixi vobis de illo, Quia Spiritum S. jubet deſcendere ſuper gratos & ingratos, & dat bene-*

benedictiones ſuas ſuper juſtos & injuſtos. Propter quod in veſtru quidem eſtote ſimplices & benigni; in meis autem, prudentes & cauti. Si quis exactius cognoſcere velit quid *canis*, quid *porci*, quid *ſanctis*, quid *margaritæ* nominibus deſignetur, videat idem opus, unde hæc depromplimus.

7. *Petite, & dabitur*] Quod ad contextus cohærentiam attinet, quoniam modo *ſanctis & margaritarum*, h. e. myſteriorum Chriſtianæ ſapientiæ, meminerat, hic docet nulli ea contingere niſi per ſedulas preces atque obſecrationes. Vel poſſunt hæc referri ad illa ſuperiora, ubi de precatione mentio facta eſt capite præcedenti: Ibi enim quid & quomodo petere debeamus edocuit; hic etiam confidentiam præbet, ut nihil hæſitantes petamus.

11. *Bona data dare*] *Data* in utroque textu ſubditicium eſſe arguunt explanatores & cod. antiqui.

12. *Quæcunque vultis*] h. e. Quicquid juxta rectæ rationis dictamen velle æquum eſt.

14. *Quam angusta*] Henricus Gravius emendat, *quoniam angusta*, juxta Græcum.

15. *Attendite à falſis prophetis*] Cum Dominus prædixiſſet *angustam eſſe portam, & arctam viam qua itur ad vitam, paucos quoque reperire qui hanc ingrediantur*, hoc etiam adjecit ad inſtructionem diſcipulorum, ut quicunque arctam hanc viam eſſent ingreſſuri, ſummo ſtudio *caverent ſibi ab his qui ſub ovilla pelle lupos geſtant rapaces*, h. e. qui ſpeciem quidem habent pietatis, virtutem autem ejus in tantum non poſſident ut eam & ejus poſſeſſores perſequantur. Hoc pro ſermonis continuatione dictum ſit.

21. *Ipſe intrabit in regnum cælorum*] Ex interpretibus non ſatis liquet, ne ex Hieronymo quidem, hæcne in Latinis redundent, an diminuta ſint in cod. Græcis; nam illi ab iſtis conſtanter diſcrepant. Illud conſtat, haberi hæc apud Chryſoſtomum verſum & in cod. Hebræo. Citra ullum tamen negotium ſubintelliguntur ex præcedentibus.

23. *Omnes qui operamini iniquitatem*] Omittendum *omnes*, juxta Hieronymum, Gregorium in Job, ut cætera ſileam.

29. *Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens*] Quia videlicet non miniſter, aut ſimplex Legis interpres ea docebat quæ Lex præcipiebat, ſed, ut Dominus & Autor Legis, ſuo jure atque autoritate addebat complebatque quæ deerant Legi. Unde & dicebat, *Audiſtis quod dictum ſit antiquis; Ego autem dico vobis*, Matth. 5.

LUCAS BRUGEN.

12. *Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*] Cyprianus, ſermone De oratione Dominica, legit, *Quæcunque voluerit is ut faciant vobis homines* bona, *ita & vos facite illis.* Similiter legit Auguſtinus, libro in hunc Domini ſermonem poſteriore, *Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines bona, ita*, &c. annotat autem hunc in modum, *In exemplaribus Græcis ſic invenimus*, Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis. *Sed ad manifeſtationem ſententiæ puto à Latinis additum* bona, &c. *Intelligendum eſt ergo, plenam eſſe ſententiam, & omnino perfectam, etiamſi hoc verbum non addatur.* Hæc & alia in eandem rem Auguſtinus. Græci tractatores hoc verbum haud agnoverunt, Chryſoſtomus, Autor operis imperfecti, Theophylactus. Euthymius. Hodie nec in Latinis, nec in Syriacis, nec in Græcis codicibus additur. Quid hic adferant qui editionem noſtram à veteribus vitiis negant fuiſſe caſtigatam?

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ζ, Περὶ ᾧ ἐκαπτοίεχε.

Matθ. ἐν τῷ Λατ. τμ. η, Εἰσελθόντι ἢ τῷ Ἰησῦ εἰς Καπερναοὺμ προσῆλθεν αὐτῷ ἑκατοντάρχης, παρακ.

οὐδ' ἑκατοντάρχοις πιὸν λίτην αὐδ' ὑέσσῃ.

Ἄλλως,

Παῖδ' ἑκατοντάρχῃ παρακλιθὸν ἴξελε νέου.

3. Τὸ κάρφος] *Feſtucam.* ¶ Δοκὸν] *Trabem.*

4. Ἢ πῶς ἐρεῖς] *Quomodo audebis dicere?* vel, *Qua fronte dices?*

6. Καταπατήσωσιν] *Conculcent.*

7. Κρούετε, καὶ ἀνοιγήσεται] *Pulſate, & aperietur.*

10. Ὄφιν] *Serpentem.*

13. Εὐρύχωρος] *Spatioſa.*

14. Τεθλιμμένη] *Arctata*, pro *arcta.*

15. Προσέχετε] *Cavete.*

16. Μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλὰς, ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα;] *Num colligunt ex ſpinis uvam, aut ex tribulis ficus?*

22. Οὐ] *Nonne.*

23. Ὁμολογήσω] *Profitebor.*

25. Ἡ βροχὴ] *Pluvia.* ¶ Τεθεμελίωτο] *Fundata fuerat.*

26. Τῇ ἄμμῳ] *Arenam.*

28. Ἐξεπλήσσοντο] *Percellebantur*: vel, *obſtupeſiebam.*

DRUSIUS.

1. NE *judicate*] Videtur mihi hic agere de præpoſteris judiciis, in quibus temere proximum damnamus, h. e. judicamus eum, ut Ebræi loquuntur, non lance æquitatis, quod ſignum eſt amoris, ſed lance peccati ſive condemnationis, quod ſignum eſt odii: unde dictitant, *Qui odit fratrem ſuum, ſemper judicat illum lance peccati: qui vero amat eum, judicat lance æquitatis.* Quo pertinet dictum illud, *Judica quemvis hominem* לכף זכות *lance meriti*, ſeu *æquitatis.* Auguſtinus in lib. De concordia Euang. *Hoc loco*, inquit, *nihil aliud præcipi exiſtimo niſi ut ea facta quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. De factis enim mediis, quæ poſſunt bono & malo animo fieri, temerarium eſt judicare, maxime ut condemnemus.*

6. *Ne projicite margaritas veſtras coram porcis*] Provetbium eſſe docet autor libri qui מבחר המרגלים *Electio gemmarum* inſcribitur, ubi ſic legimus, *Ne projicite gemmas coram porcis.* & in ſcholio, *Adagium eſt quod mox explicat, Ne tradite ſapientiam ei qui non novit dignitatem ejus. Nam eſt pretioſior gemmis, & qui non quærit eam pejor eſt porco, quæ fœdat & volutat ſe in ſterquilinio: ſic qui non novit dignitatem ſapientiæ, profanat gloriam ejus*, &c. ex cap. 1. de Sapientia.

23. *Nunquam novi vos*] i. approbavi, ut Pſal. 1. 6. *Deus novit viam juſtorum.* & Rom. 7. 15. *Quod enim facio, non novi*; non approbo. Infra 25. 12. *Non novi vos.* Cicero De leg. lib. 1. *Atqui vereor ne iſtam cauſſam nullus noſcat*, i. probet: paulo poſt, *Ego arbitrabar poſſe id populo noſtro probari.* Auguſtinus lib. ad Euodium, *Si ad ſcientiam referas, non ignorat Deus aliquos vel aliqua, qui tamen in judicio quibuſdam dicet*, NON NOVI VOS: *ſed eorum improbatio hoc verbo inſinuatur.* Idem Quæſt. l. 2. qu. 152. *Deus novit quos approbat. Matth. 25. Non novi vos. Sic ars dicitur neſcire vitia, cum improbat vitia.*

29. *Sicut ſcriba eorum & Phariſæi*] Ὡς οἱ γραμματεῖς αὐτῶν καὶ οἱ Φαρισαῖοι. Hanc lectionem etiam Syrus interpres expreſſit. Quod noto quia in cod. Græcis tantum ὡς οἱ γραμματεῖς, *ſicut ſcriba.* Sed quid? An etiam Phariſæi docebant legem? Compoſitor hiſtor. Ebraicæ, *Hi ſunt Phariſæi qui enarrant legem.* Quidam inde appellationem habere putant, ſed falluntur. Vide quæ ſcripſimus hac de re in De tribus ſectis Judæorum.

GUALTPERIUS.

6. Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, μηδὲ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων] In Syro duæ hic habentur voces qui origine ſunt Hebrææ. *Multa*, inquit Tremellius, *vocabula Syri ab Hebræis mutuantur, mutatis quibuſdam literis in alias quæ eodem organo pronunciationis efferuntur: quorum duo exempla habes in hoc verſu. Ponit enim* תתלון TETTELUN *pro* תתנן TETHNUN, *videlicet mutata litera* נ *Hebræa in Syram* ל. *Eſt enim Hebræis radix* נתן NATHAN, *Dedit*; *Syris* נתן NETHAN, *mutata tertia radicali* ת *in* ד. *Deinde ponit* מרגניתכון MARGANITECHUN *pro* מרגליתכון MARGALITECHUN, *ratione contraria, quia hic* ל *mutatur in* נ. Μαργαρίτης, ὁ, ἡ ſubintelligitur λίθος, μαργαρίτης λίθος in gen. fem. τὸ μάργαρον *unio*: & τὸ μαργαρον *margarita.* Apud Pauſan. in Arcadicis; Athen. l. 3. Ælian. l. 10, & 15. Apud Plinium, inter Latinos, l. 9. c. 35. Suidas, Μαργαρίτης δηλοῖ δακρύων ῥέων, *Margarita ſignificant lacrymarum fluxum.* Syris eſt מרגליתא & מרגלא *Margalita*; alias מרגניתא, ut hoc loco. Abſque dubio vox à Græcis accepta.

16. Μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλὰς, ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα;] Τρίβολος, ὁ, *Tribulus.* Vox Græca, ex τρὶς *ter* & βάλλω *jacio*, unde βόλος & βελὸς. Dicta *a triplici cuſpide*, quod ſcilicet cuſpidatus trifariam feriat; vel à *ſemine triangulari*; ut volunt alii. Vide Dioſcorid. lib. 4. cap. 15. & Theophr. lib. 4. cap. 11. Suidas ex Ariſtophane adfert vocem compoſitam τριβολοβέμπελα. In Nubib. ὑ σωμάτων τῷ τῶν ἀγγέων

Digitized by Google

ἀγαμὸν τελβολιπλεγμπλα σιάπτε οἱ νιῦ, i. *dura, incondita, abſurda, mala & deteſtanda & abſurda*: ἐκ δὲ τελβόλου ἡ ἐκτερπίλα. In Syro eſt ܐܢܬ ܬܐܬܐ ܡܢ ܬ *aut de Kurtobe, cardui, ficus?* Obſerva affinitatem vocis Syriacæ & Latinæ.

24. Ἐπὶ τὴ πέτραν] Vox Græca eſt ἡ πέτρα, vel ὁ πέτρος, *lapis, ſaxum:* Cui in Latinis reſpondet *Petra* ejuſdem ſignificationis.

JAC. CAPPELLUS.

21. NON *quiſquis dicit, Domine, Domine*, &c.] Poteſt enim fieri ut in has voces erumpat lingua ſine mente, ſine attentione, prout in perturbationibus magnis ſæpe lingua præcurrit mentem, ſæpe vocibus iſtis utitur tanquam interjectionibus: poteſt etiam mens quid dicat attendere, ſed ita tamen ut nullus adſit voluntatis concentus, ut ad voluntatem uſque non penetret veritatis his verbis expreſſæ ſenſus: poteſt etiam voluntatem afficere veritatis hujus ſenſus, ſed timore ſervili deſinent potius in ſtridorem dentium, in deſperationem, in horrorem quam in venerationem, ſpem & fiduciam. Talis eſſe potuit dæmonum motus cum ſub equuleo veritatis Chriſto dicebant, *Scimus quiſnam ſis, Dei Filius.* Quanquam poterant id etiam mala mente, malo animo dicere ut veritatem iſtam redderent ſuſpectam. Poteſt denique voluntas hæc dicens affici quodam approbationis aſſenſu, quodam etiam lætitiæ ſed ἀπαθοπαλαζίονι ſenſu, ſed non eas radices habentis quæ poſſit bonos fructus proferre & ſibi conſtare.

25. Τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν] Pluſquamperfectum eſt augmento ſuo deſtitutum. Sic Joſephus Ant. lib. 5. cap. 3. νενεμηκὲ γὰρ δυσὶ φυλαῖς ἡ τῆς ἐρημίας. Τέτμηται γὰρ ἡ πρόπυλον δεδηλώκαμεν.

LUD. CAPPELLUS.

1. ΕΝ ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν] Locutio eſt παροιμιώδης Judæis nota. Exſtat ea in Maſſecheth Berachoth, cap. 9. fol. 56. in Miſna, בכל מדה ומדה שהוא מודד לך הוי מודה לו, *Qua menſura ipſe metitur tibi, tu confitere illi*, vel *celebra eum.* Explicat iſthic Miſna illud Legis dictum, *Dominum Deum tuum amabis toto corde, tota anima*, ובכל מאודך *totiſque viribus tuis*, quæritque quid ſit illud ובכל מאודך, acgeminam adfert ejus explicationem, alteram quidem ut idem ſit quod בכל ממונך *omnibus opibus tuis:* alteram vero ut ſit בכל מדה ומדה &c. *omni menſura qua tibi admetitur, & tu ipſe celebra eum.* Senſus eſt, *Sive bono ſive malo te Deus afficerit, opertet te illi confiteri*, h. e. *agere gratias, eum celebrare.* Notiſſimo illo proverbio. *Qua menſura aliquis tibi admetitur admetire & tu illi*, exponunt illud Legis ובכל מאודך cum eleganti, qua ludunt, paronomaſia in vocibus מאד & מדה & מודד, quod illic ponitur pro מדה. Cum enim dici potuiſſet הוי מודד לו *admetire tu illi*, ipſi paronomaſia ludentes dicunt הוי מודה לו *confitere tu illi*, h. e. age illigratias. R. Salomon F. Gabirol in כתר מלכות, precatione qua peccata confitetur, & Dei judicium deprecatur, utitur illa proverbiali formula, *Si ego*, inquit, *male feci, velis tu mihi benefacere*, ולא תגמול מדה במדה *neque reddas mihi menſuram pro menſura*, h. e. noli ἀντιμετρεῖν, *par pari referre.* Quin etiam videtur in ea loquendi formula eſſe tacita alluſio ad aliam vocis מדה apud RR. frequentem ſignificationem, ſecundum quam מדה ſignificat *animi affectus, mores, ingenium, & agendi modum atque rationem.* Eſt enim Precatio quædam Judæorum in Seder Tephilloth Luſitanorum fol. 14. quam ſubjiciunt narrationi hiſtoriæ ſacrificii Abrahami, cum Iſaacum filium ſuum Deo obtulit, *Domine ſeculi*, inquiunt, *quomodo ille* (nempe Abraham) *vim quaſi attulit viſceribus miſerationum ſuarum, ut faceret beneplacitum tuum corde integro, ſic & viſcera miſericordiæ tuæ ſuperent indignationem tuam* ורגזך ורחמיך על מדותיך *& commiſerationes tuæ revolvantur ſuper affectus tuos.* (ubi forte legendum יגילו *exſultent* pro יגולו *revolvantur*, ut ſit eadem mens horum verborum cum eo quod habet Jacobus 2. 13. καταυχᾶται ἔλεος κρίσεως, h. e. affectus miſericordiæ reliquos iræ & juſtitiæ affectus in te ſuperet) ותנהג עמנו יי אלהינו במדת הרחמים ובמדת הסליחות *& age, Domine Deus noſter, nobiſcum ſecundum menſuram* (vel *affectum*) *benignitatis tuæ, & ſecundum menſuram* (vel *affectum*) *commiſerationum tuarum.* Vult ergo Chriſtus hoc loco ut benigne cum proximo noſtro agamus, atque ita pollicetur fore ut Deus etiam nobiſcum agat במדת הדין *ſecundum menſuram* (vel *affectum*) *commiſerationum ſuarum*, h. e. benigne & miſericorditer, quomodo Judæi apud illum R. Salomonem F. Gabirol orant ut Deus ita ſecum agat, & Abrahamo in poſteritate ipſius par pari velut referat, מדת כנגד מדת *menſuram pro menſura.*

3. Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος, &c.] Horatius rem illam non prorſus quidem eadem ſed affini phraſi ſignificavit, Ser. l. 1. Sat. 3.

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius: æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem reddere rurſus.

5. Ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου] Fuiſſe proverbialem iſtam loquendi formulam Judæis notiſſimam liquet ex Elia Levita in Thisbi, in radice נפר. *Significat*, inquit ille, *hæc radix interdum idem quod* לקח *Capere, Sumere, Tollere, ut Ruth* 1. 4. *Et ſumpſerunt ſibi uxores, Targum habet* ונפלו. *Atque ita frequenter RR. noſtri uſurpant hanc vocem hac ſignificatione, ut cum dicunt* סול קורה בין עינין *Cape trabem inter oculos tuos.* Hæc ille. ſed forte legendum eſt מבין. ita ſenſus idem plane fuerit qui eſt hoc loco, nempe *Tolle trabem de oculis tuis.*

GROTIUS.

1. ΜΗ κρίνετε, *Nolite judicare*] Melius transfertur *judicare* quam *condemnare*, quia Lucas cum dixiſſet μὴ κρίνετε [*nolite judicare*] addit μὴ καταδικάζετε [*nolite condemnare*]. Apparet autem ex ſequentibus, non de qualibuſcunque judiciis Chriſtum agere, ſed de iis quæ rigide exercentur; quomodo & Jacobus ἐλεος [*miſericordiam*] opponit τῇ κρίσει [*judicio*] 11, 13. Hebræi dicunt דון את כל האדם לכף זכות *Judico omnem hominem ad lancem innocentiæ.* Et de Haſidæis, *ſollicitos fuiſſe ut judicarent unumquemque lance innocentiæ, etiam ſi quem viderent peccare.*

2. ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. *remetietur vobis*] *Remenſum vobis ibitur.* Erat autem proverbium hoc quo Chriſtus ad res diverſas utitur, tritum uſu Hebræorum, quod enuntiare ſolebant במדה האדם מודד בה מודדין לו [*In menſione hominis metietur ille*], aut brevius מדה כנגד מדה [*Menſio ſicut menſio*]. Sunt & qui dicant במדה שמדדת לי אמדד לך [*Qua menſura menſus es metiar tibi*]. Utuntur & Arabes. Scholiaſtes vetus ad illud Horatii lib. 1, Sat. 3. *In trutina:*] *Idem judicium de ipſo erit, & eadem æſtimatio*; ἀνθυπομονή. *Nam qui ignoſcit peccatis alterius, mox eandem veniam conſequetur.* Polybius ubi de Timæo agit Hiſtorico in fragmentis à Valeſio editis, Πικρὸς γὰρ γενόμενος ἡ ἀπαραίτητος ἐπιτιμητὴς τῶν πέλας, οἰκότως οἶμαι καὶ αὐτὸς τοῦ πλησίον αὐτὸς ἀπαραίτητος τυγχάνει τιμωρίας [*Cum enim cenſor aliorum fuerit aſper & inexorabilis, merito & ipſe ab aliis cenſuram talem feret*]. Plane autem ſtatuo de Dei judicio hic agi, non minus quam apud Jacobum cum dicit, Ἡ κρίσις ἀνίλεως τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος [*Judicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam*], 11, 13. Mos nimirum erat Chriſto dicta de rebus humanis uſurpari ſolita ad Divinas transferre.

3. Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος, *Quid autem vides feſtucam*] Bene videtur mihi apud Heſychium exponi καρφος, περσὸς ξύλου λεπὶς [*feſtuca tenuis ligni particula*]. Septuaginta Senes פרס Geneſ. VIII, 11. vertunt καρφος. Quod autem Chriſtus hic explicat proverbio inter Judæos frequentato (ut ex ipſorum quoque libris apparet) idem ferme Phryx ille fabulator intellectum voluit narratiuncula de duabus manticis, quarum altera alienis vitiis onuſta ante oculos, altera vero noſtra ferens vitia retro nos pendeat: unde illud dictum eſt,

Sed non videmus mantica quod in tergo eſt.

Libet hoc illuſtrare Græcorum Poetarum verſibus. Menandri eſt,

Απαντες ἱεμεθ εἰς τὸ πλημμελὲ σοφοὶ·
Αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γινώσκομεν.
[*Alios quidem culpare ſapientes ſumus;*
At noſtra nos delicta non agnoſcimus.]

Ejuſdem,

οὐδεὶς ἐφ' αὑτῷ πῶ καλὰ συνορᾷ, Παμφίλε·
Σοφὸς· ἑπὶρ δ' ἀκριβοσκοπῶν ἔξη.
[*Quicunque ſædum admittit aliquid, Pamphile;*
Non videt hoc ipſe; at alius ſi faxis, videt.]

Alterius ignoti,

Τὸ μὴ ἀθέατον, ἄνθρωπε βασκαίνεις τινί,
Κακὸν ὀξυδερκὴς, τὸ δ' ἴδιον παρβλέπεις.
[*Alienum vitium, que tua eſt malignitas;*
Acute cernis; ac tuum prætervides.]

Cicero Tuſculanarum tertio, *Stultitia proprium eſt aliorum vitia cernere, obliviſci ſuorum.* Seneca, *Aliena vitia in oculis habemus, à tergo noſtra ſunt.* Et hæc quidem proprie pertinent ad vitia quæ nos cum aliis habemus communia, quæque in aliis ſevere advertimus, cum ignoſcamus nobis, ut apud Horatium Mænius. Certe, ut idem ille canit,

Stultus & improbus hic amor eſt dignuſque notari.

At quorundam malignitas ultra progreditur, ut etiam quæ bonam capiunt interpretationem in peſſimam partem rapiat,

At nos virtutes ipſas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incruſtare.

Cujus κακοήθους [*pravi moris*] exempla videre eſt in eadem Satyra lib. I, III. Aut etiam, quod ulcus hic proprie tangit Chriſtus, ad minora aliorum vitia perſpicaces, ad ſua longe majora connivent: qualis ille quem Flaccus ita objurgat,

Cum tua prævideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quam aut aquila aut ſerpens Epidaurius?

Et deinde ita admonet,

—— *denique te ipſum*
Concute; nunquam tibi vitiorum inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala.

Hoc enim facto apparituram quam nos dedeceat rigida illa Cenſoris perſona.

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius, æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem, reddere rurſus.

Aliter qui faciunt eos docet legem in ſe iniquam ſancire. Seneca De vita beata, *Papulas obſervantes alienas, ipſi obſiti plurimis ulceribus.* At certe, ut idem Seneca in Tragœdia dixit, æquum eſt

Det ille veniam facile cui venia eſt opus.

Porro ex Latinis quos citavimus verſiculis apparet quod hic eſt βλέπειν, & apud Menandrum σωφρεῖν, recte poſſe verti *videre* aut *cernere.*

3. τὸ κάρφος; *non vides?*] Οὐ γινώσκεις [*non agnoſcis*], ut Menander loquitur; ὑπερβλέπεις, ut alter Comicus; *prævides*, id eſt, *prætervides* Horatio.

5. Ὑποκριτά, *Hypocrita*] הנף Jobi VIII, 13. ¶ ἔκβαλε πρῶτον, *ejice primum*] Vetus eſt proverbium quod in Zemach David refertur ſub nomine R. Tarphon ſive Tryphonis. ¶ καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν, *& tunc videbis ejicere*] Non tantum quia culpa careat oportet qui paratus eſt in alterum dicere, ſed quia ſeveri iſti caſtigatores plerumque habent ulcus in animo latens, quod obſtat quo minus æqua lance aliorum facta examinent, ſuperbiam ſcilicet, cum contemtu aut etiam odio aliorum. Hunc morbum ubi expulerint, tum demum idonei erunt qui de aliis judicium ferant.

6. Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί, *Nolite dare ſanctum canibus*] Chaldæi, Hebræi, Ægyptii vetuſtiſſimi ſapientiæ profeſſores præcepta ſua tradebant ἐν συμβόλοις [*ſub ſignis*], ut docet Clemens Alexandrinus. Pythagoras hunc morem in Græciam attulit, ſive ex Ægypto, ubi vixit aliquandiu, ſive ex Syria, unde erat magiſter ipſius Pherecydes, & ut quidam exiſtimant ipſe Pythagoras. Nam Tyrrhenum fuiſſe multi prodiderunt; alii Tyrium. Sed & Tyrrheni origine, ut diximus, Tyrii erant: & ipſe Judæos adierat, ut complures de eo Scriptores prodiderunt. Neque vero morem tantum præcipiendi ſed & ipſa præceptorum verba à Barbaris Philoſophis accepit Pythagoras, cujus rei magnum eſt argumentum quod illud Τὸ πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν [*Ignem gladio ne fodias*], cujus ut Pythagorici præcepti in Numa Plutarchus meminit, totidem verbis reperitur in Gnomologico Arabum. Talia ſunt & illa, Χελιδόνα ἐν οἰκίᾳ μὴ ἔχειν. Τῆς χύτρας ἀφιεὶς ὀπὸ ἢ πυρὸς ἐν τῇ στοᾷ τῶν μὴ ὑπολιπεῖν. Ἀναστάντας ἐξ εὐνῆς συγχεῖν τὰ στρώματα. Ἐπὶ γῆς μὴ πλεῖν. Κυάμων ἀπέχεσθαι [*Hirundinem domi ne habe. Poſtquam olla de igne ſublata eſt in cinere notam ne relinquas. Qui de lecto ſurgunt ſtratum confundant. In terra ne navigato. Abſtine à fabis*]. Ejuſdem generis & hoc eſt, Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί, μηδὲ βάλητε ὑμῶν μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων [*Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos*]· quem ſenſum Pythagorici hoc dicto exprimebant, Σῖτον εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν [*Frumentum in matellam ne conjice*]. Egerat Chriſtus de temerario atque inclemente judicio, ne quis hinc ſuſpicaretur omnem etiam de rebus manifeſtiſſimis judicandi libertatem tolli, ſubjungit præceptum ad eam prudentiam pertinens quam alibi vuk cum ſimplicitate conjungi. Canis in Lege animal erat adeo exſecrandum ut ne pretium quidem inde redactum conſecrare fas eſſet, & quæ erant profaniſſima canibus darentur, Exodi XXII, 31. Suem edi vetitam Moſis Lege Græcis quoque & Romanis notum erat. Conjunxit hæc duo animalia etiam Petrus II Epiſtola II, 21. & in quo maxime conveniant docet, nempe in projectiſſima immunditie. Quod autem in univerſum de omnibus ſapientiæ præceptis dici ſolebat apud Hebræos, id Chriſtus ſuæ ſapientiæ præceptis, præſertim interioribus applicavit, docens qua cautione ea aliis ſint impartienda, quod erat non Apoſtolorum duntaxat, ſed piorum quoque omnium officium, etſi non æquali jure ac gradu. Senſus ergo eſt, Prudentiam adhibendam; neque hæc inculcanda iis qui admoniti de apertis manifeſtiſque flagitiis in veteri tamen luto fœdarum voluptatum pergerent volutari. Nam & Chriſtus pœnitentiæ prædicationem prædicationi cœleſtis Regni voluerat antecedere. Et cum Apoſtolos ad docendum mitteret, explorare eos juſſit in quaque urbe aut vico, ecquis ibi eſſet dignus ſermone, infra X, 14. Non diſſimilem ſenſum habet Platonis illa cautio, Εὐλαβοῦ μήν τι μᾶσσον ἐπιτρέψῃς τοῦτο εἰς ἀνθρώπους ἀπαιδεύτους· κινδυνεύει γάρ, ὡς ἔμοί δοκεῖ, σὺν ἐκ τούτων φορᾶς οὐκ οὔσης γελοῖόν τι ἀπεργάζεσθαι [*Cave ne hæc ad homines imperitos deveniant: nam, ut mihi quidem videtur, ſermonibus his apud multos nihil magis ridiculum*]. Et illud Heraclitі, Τὰ δ' γνώσιμα βαθεῖν κρυπτόν, ἀπιστίη ἐπαινητή [*Scientia profundum occultare, laudabilis diffidentia*]. Et Lyſidis Pythagorici in Epiſtola ad Hipparchum, Μὴ κοινὰ ποιεῖν τὰ σοφίας ἀγαθὰ πρὸς ἅπαντας, ἵνα μὴ τὰς ψυχὰς κεκαθαρμένους [*Ne fac ſapientiæ bona illis communia qui ne minimum quidem animo purgati ſunt*]. De his qui contra faciunt idem Lyſis ſic pronunciat, ἐγκείμενον γὰρ ἔθος παραφυλάσσειν τε καὶ ἀλεκτοῖς ῥήμασι καὶ λόγοις θείοις, καθάπερ εἴ τις φρέαρ βαθὺ βορβόρου πλῆρες ἐσχέοι καθαρὸν ἢ διειδὲς ὕδωρ· τοῦτο γὰρ βορβόρου ἀνατρέψας ἂν τὸ ὕδωρ ἐφάνισεν [*infundunt enim moribus turbidis & lutulentis præcepta ſermoneſque divinos, velut ſiquis in puteum profundum cœno plenum infundat aquam puram & limpidam: nam is & lutum commoveat & aquam perdat*]. Quod ſi accuratius libet diſtinguere inter canes & porcos, *canes* cum Clemente Alexandrino poterimus intelligere eos qui monitis impudenter oblatrant, quales erant Judæi illi Antiocheni ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες [*contradicentes & blaſphemantes*], Actorum XIII, 45. qui propterea dicuntur *ſemet indignos judicaſſe vita æterna.* Cujus ingenii Judæos etiam Paulus diſerte *canes* vocat Philipp. III, 2. ac forte iidem ſunt qui *canes* appellantur à Johanne Apocalyp. XXII, 15. Nam & Pſalmus XXII, commate 17. quos *canes* vocarat, interpretatur συναγωγὴν πονηρευομένων [*ſynagogam malignantium*]. *Porci* autem intelligi poterunt qui non contradicunt quidem, ſed vitæ impuritate oſtendunt quanto contemtui monita habeant. Nam hos proprie ſub porcorum imagine à Judæis intellectos apertum fiet ad caput VIII. ſub finem. Idque diſcrimen hic ſequitur Chryſoſtomus. Et ſane videntur hoc diſcrimen requirere quæ ſequuntur; nam aliud eſt datum proculcare, quod porcorum eſt; aliud porrigentem morſibus petere, quod canum. ¶ καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς. *& converſi dirumpant vos*] Plerumque fit ut obſtinati contemtores Divinæ veritatis in ejus profeſſores, ut commodis aut gloriæ ſuæ adverſos, & diverſitate morum ſua ipſis flagitia exprobrantes, immane odium concipiant, plebemque & Poteſtates in ipſos concitent: quod in Judæis præſertim Chriſtus ejuſque Apoſtoli experti ſunt. Talem Creſcentem Cynicum Philoſophum noverat Juſtinus, & ab eo non vanus vates mortis ſuæ cauſas exſpectabat. Sicut autem Chriſtus horum ſolorum cauſa non vult proponi ſacram doctrinam, ita neque illorum cauſa eam vult reticeri. στραφέντες autem hic eſt *commoti*, ut explicabimus infra ad caput XVI.

7. Αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν· *Petite, & dabitur vobis*] Diverſis modis hæc ſolent cum ſuperioribus connecti. Mihi videntur multis ſpecialibus præceptis generalia quædam ſubjungi; atque hic tradi ratio quomodo conſequi poſſimus dona illa quæ ad inſiſtendum conſtanter hoc iter à Chriſto monſtratum ſunt neceſſaria. Nam de impetrando Spiritu ſancto hic agi, recte ex Luca probat Maximus Dialogo contra ἀνομοίους [*eos qui Filium Dei Deo diſſimilem dicunt*]. Idem hoc donum ſapientiæ nomine videtur Jacobus appellare I, 5. Paulus utrumque conjunxit cum pro Epheſiis orare ſe ait *ut Deus ipſis det Spiritum ſapientiæ & revelationis ad cognitionem ipſius, mentis oculos illuſtratos ad cognoſcendum quæ ſit illa ſpes vocationis, & qua opulentia gloriæ ejus quæ hereditario jure ſanctis datur*, Epheſ. I, 17, 18. Nimirum ſupra dixerat Chriſtus ad affectus recte dirigendos opus eſſe ut mentis oculi luceant. Ad hanc rem

rem impetrari vult à nobis lumen cœleſte, idque contentis precibus.

8. *ὁ ζητῶν δίδοται, qui quærit invenit*] Sophocles,

——— τὸ γὰρ ζητούμενον
Ἁλώσιμ' ἐκφέρῃ γ' ἡ τιμελὴς μέλει.

[——— *quicquid quæritur*
Reperire ſpes eſt; quod nihil curæ, fugit.]

Sed hic verbis αἰτεῖν, ζητεῖν, κρούειν [*petere, quærere, pulſare*] idem denotatur, ſtudium ſcilicet precandi. Non male Hierocles, Ἔνιχι μεγίστου τοῦ παρ' ἡμῶν ζητουμένου καὶ τοῦ παρὰ θεοῦ δοτοῦ, ἰσχυρὸν τὸ αἴτιας ἡμῶν τὸ εἰς τὸ εἶναι προαγαγὸν ἡμᾶς καὶ πρὸς τὸ εὖ εἶναι τελειοῦν [*Precatio confinium eſt noſtræ quæſitionis & donationis Divinæ, cohærens cauſæ ei quæ ad eſſe nos produxit, & ad bene eſſe perficit*].

9. *Ἢ τίς ἐστιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, Aut quis eſt ex vobis homo*] Mirum videri poteſt quod interrogativo τίς alterum interrogativum μὴ [*numquid*] ſubjungitur. Sed notandum eſt apud Hebræos *quis* ſæpe poni non tam πραγματικῶς [*interrogative*] quam συνθηκικῶς [*conditionaliter*], pro *ſi quis*, ut & infra XII, 11, & XXIV, 45. Lucæ XI, 5 & 11. Jacobi III, 13. Sic & in Pſalmo CVII, 43. & Deuteron. XX, 8. Neque aliter interpretandum illud apud Aggæum II, 4. *Quis ex vobis reliquus qui viderit iſtam domum in gloria ſua priore?* Nemo enim videtur Zorobabelis comitum fuiſſe qui templum à Solomone conditum videre potuiſſet: ſed hoc vult Propheta, ſi quis nunc veſtrum eſſet qui prius templum vidiſſet, quam valde hoc templum præ illo ſorderet. Hujus igitur loci ſenſus eſt, *Si quis inter vos eſt quem filium panem poſcit, an lapidem ei dabit?* nam τὶ ἐὰν [*ſi*] poſt ὃς [*qui*] poſitum ſolet πλεονάζειν [*abundare*], ut ſupra cap. V, commate 19. infra cap. X, commate 14, 42. XI, 27. XII, 36. XV, 5. XVI, 19. XVIII, 5, 19. XX, 4, 7, 26, 27. & alibi. ſed & poſt ὅστις, ὅ, ὅπου [*quantus, ubi, ubi locorum*] aliaque relativæ notationis, ut paſſim in his libris videre eſt. μὴ [*numquid*] autem interrogativum hic eſt; quo ſenſu & vox Judaica ſed ex Græco ſermone veniens פ in Gemara & alibi. Adagium autem hoc de pane & lapide ab Hebræis ad alias etiam gentes tranſiit, ut ex Plauto apparet,

Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.

11. *πονηροὶ ὄντες, cum ſitis mali*] Deo ſcilicet comparati. Vide Jobum XV, 14, 15. ¶ *ἀγαθὰ δόματα, bona data*] Dona Spiritus ſancti, ut ſupra diximus. Vide Jacobi I, commate 17. & confer cum commate 5. eodem capite. Bene autem vetus interpres *δόματα data* tranſtulit. Eſt enim ea vox Latinis etiam ſubſtantiva. Gloſſarium vetus, Δόσις, *datum*. *Plenus datorum* de Deo dixit Auſonius.

12. *ὅσα ἂν θέλητε, quæ vultis ut faciam*] Cum de precibus dixiſſet Chriſtus, jam ea addit quæ conatus noſtros excitent. Oportet enim iſta conjungi, ὅπως ὃ ἐργαζόμεθα καὶ εὐχόμεθα, καὶ ὃ εὐχόμεθα ἐνεργῶμεν [*ut quod operamur & precemur, & quod precamur operemur*], ut ex Pythagoræ diſciplina tradit Hierocles. Jubet autem Chriſtus operam nos dare ut aliis præſtemus ea quæ ratio dictat non inique nos ab aliis poſtulaturos: hoc autem ideo dicitur, quia plerumque rectius videmus quid æquum ſit ubi nobis nihil decedit. Laberius hoc voluit,

Homo ſemper in ſe aliud fert, in alterum aliud cogitat.

Contingit autem hoc ex nimio noſtri amore. Euripides,

Ὡς πᾶς τις αὑτὸν ἢ πέλας μᾶλλον φιλεῖ.

[*Quam quiſque ſeſe plus amat quam cæteros!*]

Unde illud Salluſtii, *Nemini ſuæ injuriæ leves videntur.* Atqui æquiſſimum eſt id quod idem ille Mimus dixit,

Ab alio exſpectes alteri quod feceris.

Severus imperator narratur in ore habuiſſe nobilem hanc ſententiam à Chriſtianis aut à Judæis acceptam, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Iſocrates ad Nicoclem, Ἃ πάσχοντες ὑφ' ἑτέρων οὐκ ἐθέλετε, ταῦτα τοῖς ἄλλοις μὴ ποιεῖτε [*Quæ ſi vobis fieri nolunt, eadem aliis ne facite*]. Senſus idem in Appii Cæci oratione apud Halicarnaſſenſem. Non fruſtra autem adjicit Hiſtoricus *aut à Judæis*: nam & illis in ore fuit hoc dictum, Ὃ μισεῖς μηδενὶ ποιήσῃς [*Quod ab alio odieris fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*], ut patet Tob. IV, 16. Ergo ut recte judicemus, perſona mutanda eſt: idemque ſtatuendum in altero quod in nobis æquum ſimus exiſtimaturi. ¶ *οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται. hæc enim eſt Lex & Prophetæ*] Hoc eſt, *Hinc pendet Lex & Prophetæ*, ut infra habetur XXII, 40. Per hoc Lex πληροῦται [*impletur*], ut Paulus loquitur Romanorum XIII, 8. Gal. V, 14. Hic nimirum ſcopus eſt quem ſibi Lex proponit. nam quæ præceſſit ſententia idem plane valet illi ſententiæ, *Dilige alterum quemadmodum te diligis.* Quod autem dicitur & hic & apud Paulum *in hoc uno præcepto Legis & Prophetarum ſumma conſiſtere*, intelligendum eſt de Lege & monitis ſpectantibus mutua inter ſe hominum officia. Nam quæ ad Dei cultum pertinent altero præcepto comprehenduntur, ut infra apparebit. Cum autem de precibus diſſiſſet, rectè ſubjunxit Chriſtus ea quæ diligentiam noſtram excitarent, ob hoc quoque ne otioſi Divinam opem exſpectaremus,

Τῷ γὰρ πονεῖν ἡ θεὸς ξυλλαμβάνει.

[*Et ipſe fautor eſt laborantis Deus.*]

Quod & ſequente adhortatione proſequitur.

13. *στενῆς πύλης, per angustam portam*] Sicut פתח plerumque apud Hebræos, & ὁδὸς [*via*] apud Helleniſtas, ita & hic πύλη [*porta*] vitæ inſtitutum ſignificat. ¶ *ὅτι πλατεῖα ἡ πύλη, καὶ εὐρύχωρος ἡ ὁδὸς, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt*] Si compares verba membri oppoſiti, videbitur τὸ πλατὺ [*latum*] opponi τῷ στενῷ [*arcto*], at τὸ εὐρύχωρον τῷ τεθλιμμένῳ [*campeſtre impedito*]. Poteſt via aliqua lata eſſe quæ non ſit εὐρύχωρος, hoc eſt, campeſtris, ſed confragoſa, nam id valet πεθλιμμένη. Puto igitur viam pietatis *anguſtam* dici, quia ſuapte natura diſplicet carni; *confragoſam* vero, quia exterніs impedimentis quaſi muricibus quibuſdam ſtrata eſt: ſed has moleſtias vincit conſuetudo, auxilium Spiritus (Johan. Epiſtola I, cap. V, 4.) & ſpes præmii. De conſuetudine eſt Heſiodi ſententia,

Τῶν δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τραχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' ἐς ἄκρον ἵκῃ,
Ῥηιδίη δ' ἔπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.

[*Sudorem ante aditum virtutis dii poſuerunt;*
Et longa huc & celſa ſimul via ducit eumtem,
Ardua principio, ſed ubi eſt ad culmina ventum
Incipiet molli ſeſe ſubmittere clivo.]

quam Silius imitatur, Virtutem, Prodici exemplo, ita loquentem inducens,

Ardua ſaxoſo perducit ſemita clivo,
Aſpera principio (nec enim mihi fallere mos eſt)
Proſequitur: labor ad nitendum intrare volenti.
Nec bona cenſendum quæ fors infida dediſſet,
Atque eadem rapuiſſe valet: mox celſus ab alto
Infra te cernes hominum genus.

Exſtant in eandem ſententiam verſus in cataléctis quæ Virgilio ſubjungi ſolent De littera Pythagoræ. Non alienus ab hoc ſenſu eſt ille apud Plutarchum De Socratis Dæmone, Ἐυρεῖαι μὲν γὰρ αἱ τῶν βίων ὁδοὶ πολλαὶ· ὀλίγαι δὲ δι' ὧν δαίμονες ἀνθρώπους ἄγουσι [*Late patent vitarum viæ; at paucæ ſunt per quas dii homines ducunt*]. ¶ *πολλοί εἰσιν οἱ εἰσερχόμενοι δι' αὐτῆς. multi ſunt qui intrant per eam*] Bias vere πλείους κακοὺς ἔφη [*plures dixit malos*]. Neque id mirum,

Εὐθεῖα μὲν γὰρ ἀγαθοῖς, πονηθεῖσιν δὲ κακοῖς.

[*Unica namque bonis eſt via, multa malis.*]

Vitia late patent, & quibuſvis affectibus famulantur. Pietatis unica via eſt, non cupiditatibus noſtris indulgens, ſed Divinis præceptis undique circumſepta.

14. *Τί στενὴ, Quam anguſta*] Τί pro ὡς Helleniſtarum eſt. Nam in Pſalmo VIII, 1. ubi Lxx ὡς θαυμαστὸν τὸ ὄνομά σε [*quam admirabile nomen tuum*], alii Græci interpretes habent τί μέγα τὸ ὄνομα σε. Pſal. XXXI, 20. ubi Lxx ὡς πολὺ τὸ πλῆθός σου τῆς χρηστότητός σε [*quam magna multitudo dulcedinis tuæ*]; Symmachus poſuit τί πολὺ τὸ ἀγαθὸν σε. Ita autem hoc loco legiſſe Græcos apparet, ita Syrum, ita Latinum interpretem. Nihil igitur mutandum. Simile dictum Philonis libro de Agricultura, αἱ γὰρ Φρονήσεως καὶ σωφροσύνης καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν ὁδοὶ, εἰ καὶ μὴ ἄβατοι, ἀλλά τοι πάντως ἀτριβεῖς· ὀλίγοι γὰρ ἐπελθεῖν ἐπὶ τὰ αὐτὰς βαδιζόντων, ὀλιγοφιλοσοφίαν αἰνίττεται [*prudentia & temperantiæ & aliarum virtutum via non quidem plane invia ſunt, ſed parum trita. Exiguus enim eſt numerus pereat incedentium, qui ſincere philoſophantur*]. ¶ *οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν· qui inveniunt eam*] *Qui eam aſſequuntur*, ut infra XI, 29. Lucæ I, 30. & alibi. Quare autem non aſſequuntur? Quia de rerum finibus viiſque ad finem non recte judicant, neque ut recte judicare poſſint operam ponunt.

Incerte errat animus: præterpropter vitam vivitur.

Magna

Magna autem hujus rei culpa eſt penes malos magiſtros, de quibus conſequenter agit Chriſtus. Ulpianus ad Demoſthenis Orationem in Leptinem, Οἱ ἀγαθοὶ ὀλίγοι ἀναγκαῖοι· κακοὶ γὰρ οἱ πολλοί [*boni neceſſario pauci, quia multi mali*]. Opponitur autem hoc dictum, ut & caput VII Apocalypſeos, falſæ Judæorum opinioni, de univerſali hominum pietate temporibus Meſſiæ.

15. Ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, *à falſis Prophetis*] Id eſt, ψευδοδιδασκάλων [*falſis Magiſtris*], ut interpretatur Petrus II, cap. II, 1. Nam Hebræis *Propheta* dicebantur, non tantum præſagi futurorum, ſed & alii qui ad populum docendum procedebant, præſertim ſi mandata cœlitus data præ ſe ferrent. Qualis erat Simon, & Barjeſus quem ψευδοπροφήτην [*falſum Prophetam*] Lucas vocat Actorum XIII, 6. Hos Pſeudoprophetas Chriſtus diſtinguit à Pſeudochriſtis infra XXIV, 5, 11, 24. qualis erat Barchochebas. Neque tamen hic de quibuſvis Pſeudoprophetis agi arbitror, ſed de iis qui ſe Chriſti ſectatores profiterentur, ob ea quæ cohærent infra commate 21. *Falſos* autem vocat non ratione miſſionis, ut ex eodem commate 21 convincitur, ſed ob doctrinam falſam atque exitialem. Vide Petrum dicto loco. ¶ Ἐν ἐνδύμασι προβάτων, *in veſtimentis ovium*] Ἐν μηλωταῖς [*in melotis*], ut loquitur Scriptor ad Hebræos XI, 37. Namque is ferme habitus erat Prophetarum. At Chriſtus, ut ex oppoſito membro liquet, ſub habitus nomine omnem exteriorem innocentiæ ſpeciem in vultu, verbis & operoſis ritibus vult intelligi, præſertim vero illas χρηστολογίας καὶ εὐλογίας [*dulces ſermones & benedictiones*] de quibus agit Paulus Romanorum XVI, 18. idque exemplo Zachariæ XIII, 4. ¶ Λύκοι ἅρπαγες, *lupi rapaces*] *Non enim Chriſto ſerviunt, ſed ventri*, Romanorum XVI, 18. & *pietatem quæſtus habent*, 1 Timoth. VI, 5. Sic & in Æſopi fabulis lupus inducitur ovina pelle obtectus.

16. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς· *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*] Ex operibus iniquitatis, ut infra dicitur 23. Atqui, dicat aliquis, jam dictum eſt pietatem ab iſtis vel maxime ſimulari. Sane. ſed verum eſt illud Mimi,

Cito ad naturam ficta reciderunt ſuam.

Lyſias, Ὀλίγον χρόνον δυνατὰ ἂν τις πλάσασθαι ἢ πρόσωπον ἢ αὐτά [*Ad modicum tantum poteſt quis habere fictos mores*]. Interdum mora aliqua, interdum attentione ſola opus eſt. *Secerni*, inquit Cicero, *blandus amicus à vero, & internoſci tam poteſt adhibita diligentia quam omnia fucata & ſimulata à ſinceris & veris. Non diu proficient*, inquit Paulus; *nam inſipientia illorum manifeſta fiet. Habent enim ſpeciem pietatis, ſed vim ipſam everſum*, II Timoth. III, 5, 9. atque ita revera *repudiant Dominum ac Redemtorem ſuum*, II Petri II, 1. Fructus eorum hi eſſe ſolent, quod perpeſſiones defugiunt; allectant eos qui in vitiis hærent, præſertim opulentiores; quæſtiones movent nihil facientes ad profectum pietatis; libenter obtrectant aliis, præſertim in dignitate poſitis, ut ea libertatis ſpecie ſe apud populum jactent: & ad iſtas res dogmata ſua accommodant, ut videre eſt in utraque ad Timotheum, in Judæ Epiſtola & Petri ſecunda: atque ita oſtendunt ſe tales eſſe quales revera ſunt, faſtuoſos, odii & invidentiæ plenos, maledicos, avaros, neque tam alienos à voluptatibus quam exiſtimari volunt, ut iiſdem locis videre eſt. Quæ ſi quis diligenter conferat cum iis quæ de Cerintho deque Nicolao, aut ſi Clementi credimus, Nicolai nomen falſo obtendentibus Gnoſticis & Carpocratitis, aliiſque primævæ veritatis adulteris apud Eccleſiaſticos Scriptores leguntur, facile inveniet ab illis ferme omnibus ſummam religionis conſtitutam aut ἐν τῇ γνώσει [*incognitione*] aut in ceremoniis, multa autem cum Chriſti præceptis pugnantia poſita in numero ἀδιαφόρων [*rerum mediarum*], aut certe neceſſitatem præceptorum variis obtentibus imminutam. ¶ μήτι συλλέγουσιν, *numquid colligunt*] Et hic activum perſonale pro paſſivo impersonali eſt poſitum, ut ſæpe. Eſt proverbium etiam apud Arabas frequens, *Qui ſerit ſpinas, non metet cum eis uvas.*

17. τὸ δὲ σαπρὸν δένδρον, *malus autem arbor*] Σαπρὸν [*putre*] eſt רע, quod interdum ſic, interdum πονηρὸν [*malum*] vertunt Græci.

18. Οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν, *Non poteſt arbor bona malos fructus facere*] Tale eſt & Menandri illud,

Οὐδεὶς πονηρὸν πρᾶγμα χρηστὸς ὢν ποιεῖ.

[*Nemo ſceleſtum facinus vir faciet bonus.*]

Propius etiam accedit illud M. Antonini, Ὁ μὴ θέλων τὸ φαῦλον ἁμαρτάνειν, ὅμοιός τῷ μὴ θέλοντι συκῆν ἐν τοῖς σύκοις φέρειν [*Qui non vult peccare hominem vitioſum, par eſt ei qui nolit in ficu eſſe ſui generis ſuccum*]. Cauſam reddit Chriſtus infra XII, 34. quia *ex ubertate cordis os loquatur*; quod ſimili ratione ad facta protendi debet. Philoſophi dicunt, actiones ſimiles eſſe qualitatibus: quæ omnia ut in moralibus intelligenda ſunt ἐπὶ τὸ πολύ [*ut plerumque*]. Hoc ergo vult Chriſtus, Si vere eſſent iſti amantes pietatis, quales haberi volunt, non talia admitterent. Hoc autem non eo perducendum ut dicantur qualitates mutari non poſſe, recte adverſus ſui temporis ſectarios defendit Tertullianus, cujus verba adſcribam ex libro De anima, *Non dabit arbor mala fructus bonos, ſi non inſeratur: & bona malos dabit, ſi non colatur. Et lapides filii Abrahæ fient, ſi in fidem Abrahæ formentur: Et genimina viperarum fructum penitentiæ facient, ſi venena malignitatis exſpuerint. Hæc erit vis Divinæ gratiæ, potentior utique natura, habens in nobis ſubjacentem ſibi liberi arbitrii poteſtatem, quod αὐτεξούσιον dicitur: quæ cum ſit & ipſa naturalis atque mutabilis, quoque vertitur, natura convertitur.* Chryſoſtomus VII ad Romanos, Ὥσπερ οὖν ἐν τῇ διαλεκτῷ φησὶν, οὐ δυνατὸν δένδρον σαπρὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖν, εἰ μὴ πάλιν ἀπὸ κακίας εἰς ἀρετὴν μεταβάλοι κακὸν ὄντα, ἀλλὰ πάλιν ἐν τῇ κακίᾳ διαμένοι, λέγων μὴ δυνατὸν εἶναι φῦραν καρποὺς καλούς· εἰ γὰρ ἔστιν, οὐ δυνατὸν δένδρον πονηρὸν καλοὺς γενέσθαι· ἀπ' ὄντι φῦραν καρποὺς καλοὺς εἰ δυνατὸν μέλιτος πονηροῦ [*Sicut ergo in Euangelio dicit, Non poteſt arbor mala bonos fructus proferre, non impediens tranſitum à vitio ad virtutem, ſed hoc dicens, perſeverantiam in malo talem eſſe ut bonos fructus proferre nequeat: non enim dixit, Non poteſt arbor mala bona fieri, ſed hoc vult, dum manet mala non poſſe eam bonos proferre fructus*].

19. Πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν ἐκκόπτεται, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur*] Probat Baptiſtæ ſententiam ex Daniele deſumtam. Vide ſupra III, 10.

20. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς, *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*] Cum libenter homines moribus ſuis convenientia doceant, ex factis iſtiuſmodi ſuſpectos ipſos habete priuſquam dogmata ſua vobis inſtillent. Quales enim magiſtri ſunt tales facturi ſunt & diſcipulos.

21. Οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, Κύριε, Κύριε, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine*] Quanquam iſta locutio Hebræis univerſaliter negat, hic tamen manifeſtum eſt negationem eſſe particularem; nam & qui obediunt Deo comprehenduntur in iſta univerſalitate dicentium Chriſto, *Domine, Domine*, id eſt, eorum qui ſe Chriſti ſectatores profitentur, Joban. XIII, 13. Communis utriſque eſt profeſſio Chriſtianiſmi, ſecundum quam ἀκροατὴς ἢ λόγου [*auditores verbi*] dicuntur Jacobi I, 22. at obedientia eos diſtinguit. ¶ ποιῶν, *qui facit*] Ποιεῖν τὸ θέλημα ἢ πατρὸς [*facere voluntatem Patris*] dicuntur qui ſerium habent obediendi propoſitum, nimirum οἱ πίστιν ἔχοντες οὐ νεκρὰν, ἀλλὰ δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην [*qui fidem habent non mortuam ſed operantem per dilectionem*]. Neque enim tarum eſt ut agendi verbis ſignificetur ſtudium, ſed tale quod data occaſione actuoſum eſt. Hunc locum in Apologetico ita explicat Juſtinus, Οἱ δ' οὐ μὴ οὕτω βιοῦντες, ὡς ἐδίδαξε, γνωρίζεσθαι μὴ ὄντες Χριστιανοὶ, κἂν λέγωσι δι' γλώσσης τὰ ὑπ' Χριστοῦ διδάγματα· οὐ γὰρ σοῦ μόνον λέγοντος, ἀλλὰ σοῦ καὶ τὰ ἔργα πραττόντων σωθήσεσθαι ἔφη [*Qui vero deprehenduntur non ita viventes ut ille juſſit, norint ſe non eſſe Chriſtianos, etiamſi memoriter recitent Chriſti documenta. Dixit enim ſalvos fore non qui dicerent tantum, ſed qui & opere facerent*]. Idem in Colloquio cum Tryphone refutat noxiam opinionem non Judæorum tantum ſed & quorundam qui Chriſtiani dicerentur, οἱ λέγοντες ἐπὶ καὶ ἁμαρτωλοὶ ὦσι, Θεὸν δὲ γινώσκειν, καὶ μὴ λογίζεσθαι αὐτοὺς Κύριον ἁμαρτίαν [*qui dicunt etiamſi peccatores ſint, at Deum norint, Deum ipſis peccata non imputaturum*]. Bene in eandem ſententiam Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, Τὸ ἀγαθοὺς ἡμᾶς εἶναι ἢ κακοὺς ὁ Θεὸς οὐκ ἐν τῇ γνώσει ἔθηκε τῶν γινωσκομένων, ἀλλ' ἐν τῇ αἱρέσει τῶν αἱρετῶν [*Ut boni ſimus vel mali Deus non in cognitione poſuit rerum noſcendarum, ſed in electione eligendarum*]. Vetuſtior his Ignatius in Epiſtola ad Magneſios, Πρέπει ἡμᾶς μὴ μόνον καλεῖσθαι Χριστιανοὺς, ἀλλὰ καὶ εἶναι· οὐ γὰρ τὸ λέγεσθαι, ἀλλὰ τὸ εἶναι μακάριον ποιεῖ [*Oportet nos non dici tantum ſed eſſe Chriſtianos. neque enim dici, ſed eſſe beatos facit*]. Baſilius ad Amphilochium, Εἴ τις τὸ ὄνομα λαβὼν τοῦ χριστιανισμοῦ, ἐνυβρίζῃ τῷ Χριστῷ, οὐδὲν ὄφελος αὐτῷ ἐστὶ τῆς προσηγορίας [*Si quis nomen Chriſtianiſmi induens Chriſtum contumelia afficiat, nihil ipſi vocabulum proderit*]. Eandem ſententiam hunc in modum explicat & confirmat Salvianus, *Totum in id revolvitur, ut qui Chriſtiani nominis opus non agit, Chriſtianus non eſſe videatur. Nomen enim ſine actu atque officio ſuo nihil eſt. Nam ſicut ait quidam in ſcriptis ſuis, Quid eſt aliud principatus ſine meritis*

rum ſublimitate niſi honoris titulum ſine homine, aut, quid eſt dignitas in indigno niſi ornamentum in luto? Itaque ut iiſdem verbis etiam nos utamur, quid eſt aliud ſanctum vocabulum ſine merito niſi ornamentum in luto? & quæ porro ſequuntur initio libri IV. De providentia. Hi omnes illud εἰσελεύσεται εἰς βασιλείαν τ̃ οὐρανῶν [*intrabit in Regnum cœlorum*] de æterna felicitate interpretantur. Neque vero aliter eam locutionem ſumi ſolere à Scriptoribus noſtris ſupra obſervavimus v. 20.

22. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ· *in illa die*] Refer ad præcedentia. In illa die qua intrabitur in Regnum cœleſte. יום ההוא dicunt Hebræi. ¶ τῷ σῷ ὀνόματι, *in nomine tuo*] Hoc eſt, profitendo nos id facere ad teſtandam potentiam tuam. Ita enim in his libris paſſim ſumuntur iſta, τῷ ὀνόματι, ἐν ὀνόματι, ἐπὶ τῷ ὀνόματι [*nomine, in nomine, per nomen*]. quorum verborum explicatio petenda eſt ex Actorum locis XVI, 18. XIX, 13. Miror Origenem tantum Philoſophum hoc armento niti, ut contra Ariſtotelem probet nomina non eſſe ex inſtituto, quaſi ipſa ſyllabarum prolatio, & non potius Dei voluntas teſtatam facere cupientis veritatem ſyllabis expreſſam ad miraculum valeret, præſertim cum ipſe etiam narrat juxta nomen Jeſu in exorciſmis ſolitas etiam referri res geſtas Jeſu præcipuas. Cum vero, ut dixi, miracula in teſtimonium veritatis data ſint, mirum non eſt, etiam per eos fuiſſe edita qui veritatem palam agnoſcebant, quanquam animum ad ejus obedientiam non compoſuiſſent. Interdum enim non tam ad commendandos eos per quos fiebant quam ad convincendos ſpectatores adhibebantur: quanquam ipſa Chriſti promiſſio quæ exſtat Marci XVI, 17. præcipue credentes, hoc eſt pœnitentia ductos in Chriſtum confiſos eique obedientes reſpiciebat, teſte Petro Actorum II, 38. & V, 32. Juſtinus martyr Apol. II. Πιστεύοντες, μᾶλλον δὲ καὶ πεπεισμένοι, καὶ ἐπ' ἀξίαν τ̃ παρ' ἐκείνου ἐκλαβεῖν ποτὲ ἀφ' πυρὸς αἰωνίου δίκας, καὶ περὶ ἀναλόγων ὧν ἕκαστος ἔπραξε δυνάμεων παρὰ Θεοῦ, τ̃ λόγον ἀποτιθήσειν ἕξ [*Credentes, planeque perſuaſi, quemque pro actionum merito pœnam paſſurum per ignem æternum, & rationem redditurum pro modo efficaciarum quas à Deo acceperit*]. Origenes, Τοῦτο γὰρ λεγόμενον πολλάκις ἔστι δαίμονας ποιῆσαι ἀνθρώπων χωρισθῆναι, καὶ μᾶλλον' ὅταν οἱ λέγοντες ἀπὸ ἀληθείας ὑμῶν καὶ πεπεισμένως ἀκούσωσι λέγοντος. ποιεῖ μὲν γε δυνατὸν τὸ ὄνομα Ἰησοῦ κ τ̃ δαιμόνων, ὡς ἐπ' ἔνια καὶ ἀπὸ φαύλων ἀνομαζόμενον ἀνίησι [*Hæc enim enuntiata ſæpe effecere ut dæmones ab hominibus diſcederent, præcipue ubi qui ea enuntiant id faciunt ex animo ſano & ſincere credente. Tantum poteſt nomen Jeſu contra dæmonas ut interdum etiam à malis hominibus prolatum vim habeat*]. Quibus ſimilia ſunt apud Scriptorem Reſponſionum ad Orthodoxos quæſtione V. & in Clementis quæ dicuntur Conſtitutionibus lib. VIII, cap. II. ¶ προεφητεύσαμεν, *prophetavimus*] Cum hic de factis admiratione dignis agatur, plane hic futurorum præſagia intelligenda arbitror.

23. ὁμολογήσω αὐτοῖς, *confitebor illis*] Græci hanc vocem iſto ſenſu non uſurpant. Sed quia Hebræum יהודה, quod ſæpe valet *confiteri*, latius patet, & quamvis publicam profeſſionem ſignificat, ideo & τὸ ὁμολογεῖν Helleniſticus uſus eouſque extendit. ¶ οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς· *nunquam novi vos*] *Nunquam vos pro meis habui*, ut Galat. IV, 9. more Hebræo, apud quos ידע [*novit*] ita ſumi ſolet: Pſalmo I, 6. II Timoth. II, 19. I Corinth. VIII, 3. ¶ ἐργαζόμενοι τ̃ ἀνομίαν. *qui operamini iniquitatem*] Ita LXX verterunt in Pſalmo V, 6. פעלי און. Lucas vim participii recte vertit per verbale ἐργασίᾳ τ̃ ἀδικίας [*operarii iniquitatis*]. Utitur autem hoc Chriſti dicto Paulus, dicto jam ad Timotheum loco, ex oppoſito, hoc modo, Ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ· καὶ Ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα Κυρίου [*Cognovit Dominus qui ſunt ejus: & diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*].

24. ὅστις ἀκούει μου τοὺς λόγους τούτους, *qui audit verba mea hæc*] Sicut modo oſtendebamus ex Jacobo ἀκροατὰς [*auditores*] dici eos qui Chriſtianiſmum profiterentur, ita hic verbo ἀκούειν [*audire*] tota profeſſio deſignatur. ¶ κ ποιεῖ αὐτούς, *& facit ea*] Ποιεῖν [*facere*], ut modo diximus, propoſitum agendi ſignificat. Atque hic notandum eſt diſcrimen aſſenſionis contemplativæ tantum, & aſſenſionis activæ. Nam ut aſſenſio ſiat activa hæc tria requiruntur: primum, ut diligenter conſideretur quæ ſit via à Chriſto præſcripta, quæque difficultates internæ atque externæ eam comitentur; deinde, ut attente itidem expendatur magnitudo æternæ ejus gloriæ quam Chriſtus promittit; tertio, ut bene infigatur animo certa connexio viæ iſtius cum meta, & metæ cum via, nempe ut conſtet fieri non poſſe quin iſthac eo veniatur, nec alia eundo eodem poſſe perveniri. His bene perceptis atque meditatis, flectitur voluntas in obedientiam intellectæ veritatis, unde inſurgit in animo dilectio, quæ radicis & fundamenti vicem præſtat, Epheſiorum III, 17. Confer quæ infra ſunt capite XIII. & Lucæ XIV, 28. Hæc eſt quæ adverſus blanditias voluptatum, formidinem doloris, paupertatis, exſilii, ignominiæ, mortis denique, & novam falſi magiſterii diſciplinam, aſſenſionem illam priorem & contemplativam, ejuſque profeſſionem inconcuſſam retinet. Contra qui rebus non bene expenſis neque jacto tali fundamento veracem doctrinam intellectu atque etiam profeſſione approbant, peccandi illecebris, metu imminentis mali, novitatis lenocinio facile eo adducuntur ut quod lubidini ſuæ adverſatur malint non eſſe verum, & quovis modo quærentes effugium dubitent primum, paulatim labaſcant & à profeſſione deficiant. Conſequens enim eſt docente Paulo I Timoth. I, 19. ut qui bonam conſcientiam aut non acquirunt aut non conſervant, etiam fidei naufragium faciant. Bonæ autem conſcientiæ comitem ante dederat dilectionem ſinceri cordis commate 5. Eſt autem ſimilis ædificii comparatio apud Philonem libro de Caino, οὕτω μὲν οὖν ἐπίγειον τὴν ἀσεβοῦς ψυχὴν κ ἀσεβοῦς Θεοῦ λέγοντες ἐνδίκως κ κ τέλειον φήσομεν· ἵνα δ βέβαιον κ ἀσάλευτον εἴη ὁ οἶκος, θεμελίου μὲν ἐπιστατικ ἐπιθυμίαν ἰυφυᾶ κ διδασκαλίαν· ἀρετὴν δ κ καλῶν πράξεων ἐπιτηδευμάτων αὐτά. [*Vere igitur & ſecundum Legem loquemur, ſi dicamus inviſibilem animam Dei inviſibilis eſſe terreſtre domicilium. Ut vero hoc domicilium ſit quam firmiſſimum atque pulcherrimum, fundamenta ei ſubſtruentur bona indoles & inſtitutio. Ei autem ſuperſtruantur virtutes & pulchræ actiones*]. Senſus ferme idem in dicto Hebræorum, *Cujus ſcientia major eſt quam opera ſimilis eſt arbori cujus rami multi ſunt, radices panca; in quam irruens ventus evellit eam radicitus & ſubvertit.* Accedit illud Plutarchi Sertorio, Ἀρετὴν εἰλικρινῆ κ κ λόγον σύνεσιν, ἐκ ἄν τις δικαίᾳ τύχῃ τε ἐπιβοηθῇ πρὸς τοιοῦτον [*Sinceram virtutem atque conſilio firmatam nulla unquam fortuna videtur in contrarium deflectere poſſe*].

25. τεθεμελίωτο, *fundata enim erat*] Ita hæc vox exſtat in omnibus codicibus, cum uſus poſtularet ἐτεθεμελίωτο. Sic & apud Joſephum aliquoties invenies πεπιστικέναι. ¶ ἐπὶ τ πέτραν. *ſuper petram*] Subſtrato ſolo ſaxeo cui ſuperficies incumbat. Nam ut arces intelligamus in rupibus poſitas non ſatis patitur id quod ſequitur de fluminis impetu. Oppoſitum eſt in *arena ædificare*, etiam Latino proverbio tritum.

27. ἦλθον οἱ ποταμοί, *venerunt flumina*] *Inundatio* in Pſalmis ſæpe res adverſas ſignificat: quod & βάπτισμα [*baptiſma*] infra vocatur XX, 22. Sic & Eſaiæ LIX, 19. hoſtilis adventus *fluvio* comparatur. Et eidem Deus dicitur *proteſtio contra inundationem* XXV, 4. ¶ κ ἐπνεύσαν οἱ ἄνεμοι, *& flaverunt venti*] Compara Danielem VII, 2. Chriſtus contra fluvios & ventos firmum præſidium, Eſaiæ XXXII, 2.

29. ὡς ἐξουσίαν ἔχων, *ſicut poteſtatem habens*] Manifeſtum eſt ex eo quod ſequitur, non Prophetis veteſtis Chriſtum comparari, quos plebs illa nunquam loquentes audierat, ſed Legisperitis quos quotidie audiebant Legem interpretantes. Legisperiti omni efficacia miraculorum deſtituti, ne ipſi quidem aliud quam doctrinam humanæ inſtitutionis præ ſe ferebant, laudantes ſententiarum ſuarum auctores alii Sameam, alii Hillelem, alii alios: Chriſtus contra ea majeſtate loquebatur, qua ſolebant qui à Deo præfinita mandata acceperant, ἐν ἀποδείξει πνεύματος κ δυνάμεως [*in oſtenſione ſpiritus & virtutis*], ut loquitur Paulus. Atque hoc ipſum novum jam & inſolitum erat, quando jam aliquot à ſeculis Prophetia, certe illa quæ erat ordinaria & quaſi publica, deſierat. Solent annotare Judæi ad Eſdræ tempora, *Hallenus Prophetæ, deinceps viri eruditi*, עד הנה. Nam hoc erat vice ἐποχῆς [*notæ temporum*]. Hinc I Maccabæorum IX, 27. Καὶ ἐγένετο θλῖψις μεγάλη ἐν τῷ Ἰσραὴλ οἵα οὐκ ἐγένετο ἀφ' ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης αὐτοῖς [*Et facta eſt tribulatio magna in Iſrael, qualis non fuit ex die qua non eſt viſus Propheta in Iſrael*]. Et ſi quid erat difficilioris controverſiæ id indefinitum relinquebant μέχρις ἧ ἀναστήσηται προφήτης [*quoadusque veniret Propheta*], ut videre eſt I Maccabæorum IV, 46. quod eodem libro XIV, 41. dicitur ἕως ἧ ἀναστῇ προφήτης πιστὸς [*donec ſurgat Propheta fidelis*]. Hoc igitur eſt quod narrat Lucas VII, 16. dixiſſe populum, *Magnus Propheta inter nos excitatus eſt, & inviſit Deus populum ſuum.* Atque hinc apparet ἐξουσίαν hic ſignificare *jus ac poteſtatem extraordinariam.* Vide infra XXI, 23. Marci XI, 28. Lucæ XX, 2. Huic autem ἐξουσίᾳ [*poteſtati*] appoſite aliquot locis additur δυνάμει [*virtus*] tanquam nota τ ἐξουσίας [*poteſtatis*] Lucæ IV, 36. IX, 1. Juſtinus martyr Apologetico

logetico 11 de Chriſto, Οὐ γὰρ σοφιστὴς ἐπῆρχεν, ἀλλὰ δυνάμις Θεοῦ ὁ λόγος αὐτοῦ ἦν [*Non enim declamator erat, ſed ſermo ejus erat virtus Dei*]. Hæc explicatio loci Pſalmo XLV, 4.

PRICÆUS.

Com. 1. Μὴ κρίνετε] Vere olim Saluſtius, *Plerique mortales ad judicandum ſatis ingenii habent, aut ſimulant, verumtamen ad reprehendenda aliena facta aut dicta ardet omnibus animus.* Huic vitio ita paſſim vago opponitur iſta D. Chriſti monitio, qua vetamur, tot maculis ſcatentes ipſi, aliorum nævis infenſi eſſe: & dum in noſtro latent tam multa extirpanda, pariora, magiſque ſparſa in alieno ſolo curioſe riſpari. Μὴ κρίνετε eſt, ne rigide judicium ferte, (vide Rom. 14. comm. 4, 10, & 13.) vel, non temere.

—— Exploranda eſt veritas prius
Quam ſtulta præve judicet ſententia.

Vel forſan, μὴ πρὸς καιρὸν κρίνετε· Vide 1 Cor. 4. 5.

Com. 2. ἐν ᾧ γὰρ κρίματι κρίνετε κριθήσεσθε] Vide quæ ad Luc. 6. 37.

Ibid. καὶ ἐν ᾧ μέτρῳ, &c.] Confer Apocal. 18. 6.

Com. 3. τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου; τὸν δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖς;] Cicero Offic. 1. *Fit, neſcio quo pacto, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismetipſis, ſi quid delinquitur.* Socrates apud Stobæum,

Ἀγαθὸν δὲ τὸ καιρὸν ἰσχεῖν ἐφ' ἑτέρων ἰδεῖν,
Αὑτοὶ δ' ὅταν πταίωμεν, οὐ γνωσόμεθα.

Apud Macrobium ille Saturnal. 1. 11. *Nos jugo à Fortuna impoſito ſubjacentem* (de ſervis eorumque ſtatu loquitur) *tanquam miſerum vilemque calcamus; quod vero nos noſtru cervicibus imponimus, non patimur reprehendi.*

Sic nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo:
Sed præcedenti ſpectatur manica tergo.

Plura in hanc ſententiam ad Luc. 6. 40. annotata reperies.

Com. 4. πῶς ἐρεῖς, &c.] Qua fronte? ut jam ſupra diximus. Eodem plane ſenſu habemus locutionem eam in Græco Jeremiæ 2. 23.

Ibid. πῶς ἐρεῖς τῷ ἀδελφῷ σου, &c.] Vide & ibidem ad Lucam, com. 42. dicta.

Com. 5. ὑποκριτὰ πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου] Vide in ὑποκριθῆναι αὐτὸ Collectanea Suidæ. Apud Achillem Tatium lib. 4. ille, Ἄψω πῦρ ἐπὶ τὰς πλεμύρας; εἶπε δᾶδας ὁ ἱερεὺς αὐτῷ καὶ ἐμοῦ, τὴν πρώτην, Μενέλαε, τὸ πῦρ σβέσον. Arrianus 2. 16. in Epictetum, Ἀλλ' οὐκ εἰ Ἡρακλῆς, οὐδ' ἐγὼ δυνάσομαι καθαίρειν τὰ αἴτια τῆς κακίας· ἀλλ' εἰδὲ Θησεύς, ἵνα τὴν τοῦ Ἀττικῆς καθάρσεως. τὴν σαυτῆς καθάρειον, τοῦτ' ἔστιν, ἐκ τῆς ἀμαθείας ἐκβαλε, αἰτὴ Προκρύστου καὶ Σκίρωνος, λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, φθόνον, ἐπιχαιρεκακίαν, φιλαργυρίαν, μαλακίαν, ἀκρασίαν. Lactantius 4. 23. πρῶτ μάθησον, *Prius diſce qui doces, & antequam aliorum mores corrigas, tuos corrige.*

Com. 6. μὴ δότε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶν] Seneca Epiſt. 29. *Nulli niſi audituro dicendum eſt.* Chryſoſtomus contra Gentiles, Πόνος οὐδὲν κερδος ἔχων ἐγκωμίῳ παντὸς ἀκροατοῦ. Quintilianus 6. Declamat. *Labori incumbere oportet ubi effectus promittitur, ſtulta cura eſt quæ ſpem non habet.* Feſtus Avienus,

—— Cur ineffaciter
Secreta rerum in non tenacem effunderem?
In non ſequacem quæ profunda egganiat?

Ælianus, Τί μοι κωφοῖς καὶ ἀνοήτοις συμβαλεῖν τὰ λυσιτελέστατα; Salvianus, *Infructuoſum eſt & manus labor, ubi non recipit probationem prævus auditor.* Cyprianus contra Demetrianum, *Labor irritus, & nullius effectus, offerre lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto.* Vide quæ plura in mentem eam ad Act. 13. 46. annotavimus. *Canes* hic vocat Chriſtus, quales Paulus 2 Tim. 4. 3. τὰς τοῦ ὑγιαινούσης διδασκαλίας οὐκ ἀνεχομένους· Lucas Act. 19. 9. σκληρυνόμενοι, καὶ τὴν ὁδὸν, &c. κακολογοῦντας· Clemens Alexandrinus hic, & apud Photium Jobius ἀνελευθέρους, καὶ κακολοιδόρους. Lege & Photii ipſius epiſtolam 54. & quæ ad Philipp. 3. 2. Theophylactus. Idem in Coloſſ. 3. *Scriptura equos, canes, &c. nominat eos qui moribus hujuſmodi animalibus aſſimilantur.* De Hecuba ad Sat. 10. Juvenalis Scholiaſtes, *Quia Græcis convicia congerebat, canem nominabant:* quæ ex Servio ad Æneid. 3. deſumpta putem. Canum eſt, (quorundam præcipue) πᾶν σπίσθαδ' εἰ φίλῳ ὁ σεσωπηκὼς, ὑλακεῖν· ut loquitur 7. 10. § 1. Andronicus Rhodius. Hinc canibus jure aſſimilari polluntur, qui monitis, etſi amicis ac ſalutaribus, oblatrant: vel (quod eodem cadit) ſolent bene conſulentibus illudere. Julianus 6. Oratione, Τῶν λόγων ὀλιγωρῶσι σεσκωμμένοι τρόπον, ὥσπερ ἐπὶ τῶν παιδοτρίβων οἱ τοὺς δικαστηρίων οἱ κύνες τοὺς σεσωπηκόσι σεσωπῶσι.

Ibid. μήποτε καταπατήσωσιν αὐτὰς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς] Solomo 9. 7. Ὁ παιδεύων κακὸς, λοιδορίαν ἑαυτῷ ἀπεργάζεται. Idem 23. 9. Εἰς ὦτα ἄφρονος μηδὲν λέγε, μήποτε μυκτηρίσῃ τοὺς λόγους σου τοὺς καλούς. In Medea Euripidis,

Σκαιοῦσι μὲν γὰ καινὰ σεσοφίσμαι σοφά
Δέξῃς ἀκριβῶς κ' οὐ σοφὸς πεφυκέναι.

Caſſianus Collat. 1. 1. de Moſe Abbate, *Niſi fideliter deſiderantibus, &c. nequaquam acquieſcebat perfectionis doctrinam aperire: ne ſcilicet, ſi paſſim, vel nolentibus, vel tepide ſitientibus exhiberet res neceſſarias, & quæ ſolis perfectionis cupientibus deberent comperta eſſe, indigne & faſtidioſe ſuſcipientibus pandens, aut jactantiæ vitium, aut proditionis crimen videretur incurrere.* Καταπατεῖν in Contextu Matthæi eſt καταφρονεῖν, qua figura lib. 5. *præcepta calcare*, & 10. *religionem numinum calcare* dixit Apuleius noſter. Satis apte autem, etiam ſenſu phyſico vox illa de ſuillo genere effertur: vide 5. 4. Pollucis Onomaſticon. Plautus apud Servium,

—— Te conculcabo ut ſues catulos ſuos.

Nec minus convenienter de iiſdem ῥήξωσιν. Vide eundem Pollucem 5. 15. Vulgat. *ne vos disrumpant:* Cyprianus ad Demetrianum, *vos elidant.* Plinius de apro loquens, *lacerare* dixit: Apuleius lib. 8. *laniare:* Ovidius (ſtatim adducendus) *diſſipare:* unde mirum de voce Græca illa aberuditis adeo ſcrupuloſe agi. De verbo σεσοφίσμαι diſſentio, non puto enim commotionem eo indicari, ſed aut linguæ idiotiſmum ſubeſſe, (vide Luc. 9. 55. Joh. 20. 16. infra hic 18. 3.) aut potius ſignificari eo naturam illud genus animalium, quæ non recta & antrorſum irritata lædunt, at in latus deflexa. Horatius,

Verris obliquum meditantis ictum.

In Epiſtolis Ovidianis,

—— Obliquo dente timendus aper.

In Ejuſdem Metamorphoſeon libris,

Ille ruit, ſparguntque canes, ut quiſque furenti
Obſtat, & obliquo latrantes diſſipat ictu.

Apuleius in Apologia, de ſtellionum exuviis, *Niſi confeſtim eripias, illico conterruntur & devorant.* Uſum ſimilem vocis παρελθεῖν habemus Luc. 12. 37.

Com. 7. ζητεῖτε, καὶ εὑρήσετε] Arrianus 3. 22. in Epictetum, Ζήτει, καὶ εὑρήσεις. Alexis Comicus,

Ἅπαντα τοῖς ζητοῦσιν ἐξεύρίσκεται.

Cyprianus contra Demetrianum, *Quærentibus atque intelligentibus veritatem, facilis acceſſus eſt.* Minucius in Octavio, *Veritas obvia, ſed requirentibus.* Adde quæ ad Luc. 11. 9. dicta.

Ibid. αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν] Vide ad Lucam annotata.

Com. 8. ὁ αἰτῶν λαμβάνει] Heſychius, (&, ni fallor, hoc ex Matthæi loco) Αἰτῶν, ζητῶν, σφαλλόμενον.

Com. 9. ἢ τίς, ἐὰν αἰτήσῃ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἄρτον, &c.] Solere filios à patribus ſuis panem poſcere, monſtrat & locus ille in Pace Ariſtophanis,

Ἦκεν' ἂν αἰτήσ' ἄρτον Παῖπαν μὲ καλέσας.

Heſychius, Παῖπαι, σεσοφισμένε παιδὸς σεὸς πατέρα. Poſt αἰτήσῃ in Matthæo omnino αἰτεῖν ſubaudiendum puto ex uſu Linguæ. Unde Joh. 16. 23. αἰτεῖν τινα τι &, ἄρτον αἰτεῖν τινα, (i. e. panem ab aliquo petere) apud Plutarchum in vita Bruti. Vide & infra hic com. 11.

Ibid. μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ;] Panem & lapidem oppoſitos non tantum in Plauti loco videmus, ſed & illo Phædri,

—— memini quo
Me ſaxo petierim, qui panem dederit.

Et beneficium à duro homine maligne collatum, apud Senecam Fabius Verrucoſus *panem lapidoſum* vocavit. (Benef. 2. 7.)

Com.

Digitized by Google

Com. 10. Καὶ ἰὼν ἰχθὺν αἰτήσῃ, μὴ ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ;] Opponuntur & iſta apud Suidam παροιμιωδῶς enunciata. Ἔχεις τὸν ἐπὶ τ ἀγαθόν· ἢ ὄφιν, ἢ ἰχθύν;

Com. 11. οἴδατε ἀγαθὰ δόματα διδόναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν] Jamblichus cap. 18. de vita Pythagoræ, Πάντας δὲ μᾶλλον ἂν φιλοῖεν, ἢ εἴς ἂν χαίροιεν, τίνας δώσουσι τὰ ἀγαθά. Quia patres autem κατ' ἐξοχὴν amant filios, aut amare creduntur, ideo maxime de iis ſolet hoc loquendi genus efferri. Xenophon Παιδ. 8. Οἱ πατέρες φροντίζουσι τ παίδων, ὅπως μήποτε αὐτοῖν ἀγαθὸν ὀπλείψει. Epictetus cap. 38. Enchiridii, Ὁ πατὴρ οὐκ εἶπε μὴ λοιδορεῖσθαι ὅταν τ δοκίμων ἀγαθῶν ὦσι τῷ παιδὶ μὴ μεταδιδῷ. Quo alludens Solomo Proverb. 4. 1. Ἀκούσατε παῖδες (inquit) παιδείαν πατρὸς, δόσιν γὰρ ἀγαθὴν δωρεῖται ὑμῖν. Hinc & Luc. 16. 25. poſt vocem τέκνον, ſequitur, Μνήσθητι ὅτι ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου. Δόματα heic, ut & Sirachidis 18. 15. & 26. 16. Vulgatus bene *data* vertit. Ovidius,

——— *Nec non ingentibus ipſum*
Sollicitare datis. ———

Quibus adde à ſummo Viro è Gloſſis & Auſonio adducta.

Ibid. πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς δώσει ἀγαθὰ τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν] Jacobus 1. 6. Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, &c. ἄνωθέν ἐστι, &c. In verſu Græco,

Ἐσθλὴ γὰρ αἰνεῖ τ' ἐσθλὰ κ' ἐσθλοῦ βλάστ.

De Natura (i. e. Deo) apud Gellium 6. 1. *Auctori parentique omnium rerum bonarum.* Αἰτεῖν ἀγαθὰ autem & Lucianus dixit in Pſeudomante.

Com. 12. πάντα ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω κ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς] Quo modo vultis (aut exſpectatis) ut alii erga vos ſe gerant, in omnibus ita vos gerite erga illos. Lactantius lib. 6. *Fere in hoc juſtitiæ ſumma conſiſtit, ut non facias alteri quod ipſe ab altero pati nolis.* Idem alibi, *Radix juſtitiæ, & omnis fundamentum æquitatis eſt illud; Vide ut ne facias ulli quod pati nolis. Si acerbum eſt injuriam ferre, & qui eam fecerit injuſtum videtur, transfer in alterum perſonam quod in teipſum, & in tuam quod de altero judicas: & intelliges tam te injuſte facere ſi alteri nocens, quam alterum, ſi tibi.* Mecænas apud Dionem Caſſium, Ὅσα ἂν ἑτέρου τινὸς ἄρξαντι ζῆν παρ' ἡμῶν ἐθελήσεις, ταῦτα αὐτὸς αὐτοπαίγνιδι κατασβέσεις, &c. Iſocrates ad R. Nicoclem, Οὕτως ἐμοὶ τ πόλεων φρόντιζε σεαυτὸν ἡγοῦ, ὥσπερ ἂν τοὺς πρώτους φρόντιζε σεαυτὸν ἀξιώσειας ἡμῶν. In Ejuſdem Συμμαχικῷ, ἃ πάσχοντες ὑφ' ἑτέρων ὀργίζεσθε, ταῦτα μὴ ἄλλους μὴ ποιεῖτε. Idem ad Demonicum, Τὴν ὀργὴν φρόντιζε τοὺς ἁμαρτάνοντας ἧττον ἀηδεῖς ἔχειν, ὥσπερ ἂν φρόντιζε σεαυτὸν ἁμαρτάνοντα κ τοὺς ἄλλους εἶναι ἀξιώσειας. Petrus Chryſologus, *Quomodo vis, quantum vis, quam cito vis miſericordiam tibi fieri; tam cito aliis, tantum, taliter ipſe miſerere.* D. Laertius de Ariſtotele; Ἐραστὰς πῶς ἂν τοῖς φίλοις φροντίζοιμεν, οἷς ἂν (ἴδῃ) δίκαιόν ἐστιν ἡμῖν φροντίζειν· quibus conſonant Simplicii iſta in cap. 37. Epicteti, Ἡ χρῆσις αὐτῶν, &c. τὸ ὀρθὸν ἐξεῖ, δίκαιον δὲ τοῖς φίλοις ἡμῶν ὅταν πεχρῆσθαι οἷς ἡμῖν ἐκεῖνοι χρῆσθαι βουλόμεθα. Magna de cauſa autem datur hoc à Chriſto monitum: ἰδιὸν γάρ ἐστι τῶν μὴ τὰ αὐτὰ παθεῖν βουλομένων, ἅπερ αὐτοὶ τοῖς ἄλλοις διαπράττουσιν. Juſtini verba ſunt Colloquio cum Tryphone. Vox ὅτου in Matthæi contextu, (ut & Joh. 12. 50.) aut παρέλκει, aut id eſt quod πᾶσα. Vide ad Luc. 18. 11. annotata.

Ibid. οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος, καὶ οἱ προφῆται] Id eſt, ἐν τούτῳ ἐστὶν ὁ νόμος κ οἱ προφῆται· eorum nempe ſumma quæ in illa, aut ab iſtis dicta. Ita 12. 13. Eccleſiaſtis, *Deum time, & mandata ejus cuſtodi, hoc enim eſt omnis homo:* i. e. conſiſtit vel conſummatur ſalus omnis hominis.

Com. 13. εἰσέλθετε διὰ τ στενῆς πύλης] Idem fere ſenſus Pythagorici iſtius, τὰς λεωφόρους μὴ βάδιζε. Πύλη enim (quod & alii notarunt) hoc loco vitæ inſtitutum notat.

Ibid. Πλατεῖα ἡ πύλη, κ εὐρύχωρος ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουσα εἰς ἀπώλειαν]

Nec ire labor eſt, ipſa deducit via.

Apud Plutarchum in Artaxerxis vita, Λεία ἡ πορεία, καὶ παντὸς ὀλισθηρὸν τὸ χεῖρον. Diodorus lib. 12. Κατάντης ἡ πρὸς τὸ χεῖρον ὁδὸς, ῥᾳδίαν ἔχουσα τ ἀδοιπορίαν. Seneca de V. B. cap. 1. *Triſtiſſima quæque via & celeberrima maxime decipit:* i. e. vel in errorem, vel perniciem deducit. Sirachides 21. 10. Ὁδὸς ἁμαρτωλῶν ὁμαλισμένη ἐκ λίθων, κ ἐπ' ἐσχάτῳ αὐτῆς βόθρος Ἅιδου. Vide in Græco Prover. 7. 27.

Molle ofſerunt iter via lata, ſed ultima meta
Præcipitat miſeros, volvitque per ardua ſaxa.

Ibid. πλατεῖα ἡ πύλη] *Hiantes Ditis portas* & Apuleius dixit.

Ibid. κ πολλοί εἰσιν οἱ εἰσερχόμενοι, &c.]

——— *Maxima turba eſt.*

Seneca de V. B. cap. 2. *Non tam bene cum rebus humanis agitur ut meliora pluribus placeant, atqui ea quæ placent peſſima turba eſt.*

Ibid. πολλοί εἰσιν οἱ εἰσερχόμενοι] Cum portam latam dixiſſet, bene hæc accidit. Virgilius Tartari aditum deſcribens lib. 6.

Mania lata videt triplici circumdata muro:

Ubi Servius, *Quod ait* LATA, *nocentium exprimit multitudinem.*

Com. 14. ὅτι στενὴ ἡ πύλη] Vide ad Luc. 13. 24. Pro ὅτι habemus π in multis editionibus: nec aliter puto legiſſe Vulgatum Interpretem. Suidas, Τί καλὴ ἡ πύλη; αἰνιττόμενος, λέγω. In Græco Judic. 14. 14. Τί βρωτὸν ἐξῆλθεν ἐκ τ βιβρώσκοντος; &c. & Pſal. 133. 1. Τί καλὸν, &c. ἢ τὸ κατοικεῖν ἀδελφοὺς ὅτι τὸ αὐτό;

Ibid. πθλιμμένη ἡ ὁδὸς] Id eſt, θλίβουσα, ut δεδαυμμένη pro δακνόμενα, & multa id genus alia ex uſu Linguæ.

Ibid. κ ὀλίγοι εἰσὶν οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν]

——— *Non multis iter expeditum.*

Οὐχ εὑρίσκουσιν autem quia (ut Tit. 3. 3.) πλανῶνται δουλεύοντες ποικίλαις ἐπιθυμίαις.

Ibid. ὀλίγοι εἰσὶν οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν]

——— *Pauci quos æquus amavit Jupiter.* ———

Virgil. 6.

——— *Paucique per amplum*
Mittimur Elyſium, & pauci læta arva tenemus.

Euthymius in Matth. 13. illud, alia verò in bonam terram cecidêrunt, *Vide quam rara ſint bona, quamque pauci ſint qui ſalventur.* Vide & 4 Eſdræ 9. 15. Plato, Οὐ φημὶ δυνατὸν εἶναι ἀνθρώποις μαχαιρίοις, κ ἰνδαίμοσι γοιέδαις, πολλοὺς ὀλίγους. Philo lib. de Agricultura, Αἱ φρονήσεις κ σωφροσύναι, &c. ἰδιοπάτορες, ὀλίγοι ἀριθμοὶ ἰσι τ αὐτὰς βαδίζοντες. Maximus Tyrius, Ποῦσαι (δ' ἴσως) αἱ ἀδιάτρεπτοι, κ ἀπαράλλακτοι, ἐν αἷς μὴ πολλαὶ ἐπὶ χρημάτων κ βιαίων ἄγουσιν, αἱ δ' ἐπὶ τ Σειρήνων; αἱ δ' ἐπὶ τὰς Λαιστρυγόνας, αἱ δ' ἐπὶ τ Κιμμερίων δῆμον· μία δέ τις τοιαύτη, στενὴ, κ ἄτριβος, καὶ τραχεῖα, καὶ κ πολλοῖς πάνυ ὀδυνηρὰ, ἐπ' αὐτῇ ἄγαν τὸ τ δόξαν πῆμα, λιμὸς, καὶ μὴ πεφυκότων, σὺν πολλῷ πόνῳ καὶ ἰδρῶτι σύντονοι καματηραὶ καὶ ἐπίπονοι ψυχαί· Socrates de calle Virtutis, apud Ælianum, Ὀρθία ἡ ἄνοδός ἐστι, κ τοῖς πολλοῖς αἰθής. De ſemita τ ἀληθινῆς παιδείας Cebes Thebanus, Οὐ πολὺ ὀχλεῖται, ἀλλὰ πάνυ ὀλίγοι πορεύονται, ἅπερ δυσατίδη, καὶ τραχεῖαν, καὶ πετρώδεις εἶναι δοκοῦσαν. Ὀλίγον τὸ χρῆσιν εἶναι, dixit & in Ranis Ariſtophanes.

Ibid. ὀλίγοι εἰσὶν οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν] Ἀναριθμητοί πάνυ εἰσὶ κατ' ἄγαν τ ἀρετῆς ἢ κακίας. Sunt verba Conſtit. 83. Leonis Imperatoris.

Com. 15. προσέχετε δὲ τ ψευδοπροφητῶν] Ψευδοπροφῆται heic intellige doctores falſos,

——— *Animos ſub vulpe latentes,*
Fallere conſuetos ſpecie virtutis, & umbra.

Apuleius Floridis, *Nec vos prava quædam ſimilitudo falſos animi habeat, quod quædam, &c. palliata mendicabula obambulant.*

Ibid. οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων] Περιάγειν δόλιοι, οἷς Χριστοῦ διακόνους μετασχηματιζόμενοι 2 Cor. 11. 13. Ἐν ἐνδύμασι προβάτων, *alieni habitus fallacia tecti*, ut locutus eſt Apuleius noſter: nempe,

——— *Ut candida palla latentem*
Contegeret rabiem. ———

Guntherus,

——— *Ut explorans hoſtilia caſtra ſubire*
Poſſet, & innocuæ ſpeciem prætendere mentis,
Induerat Monachum. ———

Philo in de Moſis vita, Ἀνθρωπικὴ ἕξις, ἧττον δ' εὐμορφίαν ἐπὶ ἥβῃ καὶ ἀκμῇ προβεβλημένου. *Vultum qui permutat, frondem parat*, Petronianum eſt, jam & ſupra adductum. In vetere Onomaſtico, *Induviæ*, ἐνδύματα. Pro ἐνδύμασιν autem Ignatius hoc in argumento verſatus, (epiſt. ad Philadelph.) κωδίοις ἠμφιεσμένοι dixit: & Clemens Strom. 1. κωδίοις ἐσκεπασμένοι. Heſych Κώδιον, σκύλαξ· ἢ δέρμα

δέρμα περβάτου· ita & Pollux 5. 2. Onomaſtici ſui. Philo in de Caino, Πρόβατον ἡ δέρμα, (malim περβατὸν δέρμα) ἢ τὸ λεχθὲν κοίλιον, &c. Et ſane in voce ἐνδύμασι vix ægre acquieſco: nam pellem corpori detractam rectius exuvias dixeris, quam indumentum; ergo forſan heic ἐκδύμασι ſcribendum. Forte & (permiſſa vulgari lectione) ἐν ἐνδύμασι περβάτων dictum, pro ἐν περβάτοις ἢ ἐνδεδυμένοις.

Ibid. ἔσωθεν δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες, &c.]

Queis quo quemque modo capiagt teneantque nocendo,
Opportuna dolo, clauſaque accommoda fraudi
Sumitur exterior ſimulata fronte figura.

Ibid. Ἔσωθεν δὲ εἰσι λύκοι ἅρπαγες] *Oves quæ à lupis haud longe abſunt*, ut illi in Plautina Comœdia: Λύκοι βαρεῖς, quales illi Actor. 20. 29. ubi & ſimile argumentum tractatur. Ariſtophanes de Nubibus Simonem τὸ δημόσιον ἄρπαγα repræſentantibus,

Ἀμφαίνειν δ' φύσιν αὖτε λύκοι, &c. ἰγίνετο.

Ovidius,

—— *Vix ſunt homines hoc nomine digni:*
Quamque lupi ſæva plus feritatis habent.

Seneca 103. Epiſt. *Erras, ſi tibi iſterum*, &c. *vultibus credis, hominum effigies habent, animos ferarum.* In voce ἅρπαξ hoc loco κυριολογία eſt. Heſychius, Ἁρπαγή, (lege, ἅρπαξ) ξυσὶς, ἢ ὁ λύκος. Phædrus,

Rapere atque abire ſemper aſſuevit lupus.

Sic, *lupos raptores*, Ovidius & Virgilius dixere: Horatius, & Lactantius, *rapaces lupos.*

Ibid. Ἔσωθεν δὲ εἰσι λ. ἅρπαγες] Hermippus Comicus,

Τὸν μὲν Δημάλεικον ἢ τὸ περίσπουδον ἀμυὸν
Ἔχειν δοκεῖς, τὸ δ' ἔνδον ὄντα Δημόφιλος
Δερήνιός ἐστιν.——

Perſius,

Pelliculam veterem retines, & fronte politus,
Aſſuetam vapido ſervas ſub pectore vulpem.

Tacitus de Egnatio quodam, *Auctoritatem Stoica ſecta præferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti & exerciti: cæterum animo perfidioſus & ſubdolus, avaritiam ac libidinem occultabat.* Antipatrum Alexander M. dixit, ἔξωθεν λεοντοπάρυφον εἶναι, τὸ δ' ἔνδον ὀλοπόρφυρον. (Apud Plutarch. in Apophthegm.) Vide quæ infra hic 10. 16, 17. & 23. 27, 28. Non abit ab hoc Chriſti monito Theophraſti illud, Τὰ τῶν ἠθῶν μὴ ἁπλᾶ, ἀλλ' ἐπίκλοα φυλαττέσθω μᾶλλον δεῖ ἢ σοῦ ἔχειν.

Com. 16. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς] *Si tacent, tamen indicium eſt*, ut apud Gellium 2. 23. vetus Comicus locutus; ἐξ ἀναισθήτου enim τὰ ἔργα. (Jacob. 3. 13.) Prætendent larvam pietatis, graves compoſitoſque ſermones edent: ex moribus tamen (quos cavere non poſſunt) facile dignoſcetis eos. Ὁ λύκος τὸ τρίχα, κ' τὸ γνώμην ἀλλάττει, proverbiale eſt apud Græcos. Philo lib. de Nobilit. Ῥᾴδιον μὲν τῇ τυχούσῃ διατριβῇ λόγους εἰπεῖν, ἔθη δὲ ὑπαλλάξαι ποικίλῃ χρείᾳ κ' ῥᾴδιον. Adde quæ ad Luc. 6. 43. annotata. Proxima autem locutioni iſti Euangelicæ eſt illa Luciani, Γνώσῃ αὐτὸν οἷός ἐστιν ὅταν τὸ στόματον. Nec abit Taciti illa in Epiſtolis Plinianis, *Noſti me, & quidem ex ſtudiis.*

Ibid. μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλήν;] Theognis,

Οὔτε γὰρ ἐκ σινάπεος ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑάκινθος.

Plutarchus in de Animi tranquillitate, Τὴν ἄμπελον αὐτὴν φέρειν σῦκα ἀξιοῦμεν, οὐδὲ τὴν ἐλαίαν βότρυς. Maximus Tyrius Diſſert. 28. Ἀδύνατον φλοιὸν ἐν ἀνθρώπῳ ἀστέμφατον, ἢ ἄλογον ἢ οἷον τὸ ἀστέμφυτον· ἄνθρωπον μὲν ἐξ ἀνθρώπου, βοῦν δὲ ἐκ βοός, ἐξ ἐλαίας ἐλαίαν, ἢ ἐξ ἀμπέλου ἄμπελον. Arrianus 2. 20. in Epictetum, Πῶς δυνατὸν ἄμπελον μὴ ἀμπελικῶς κινεῖσθαι, ἀλλ' ἐλαϊκῶς; ἢ ἐλαίαν πάλιν μὴ ἐλαϊκῶς, ἀλλ' ἀμπελικῶς; ἀμήχανον, ἀδύνατον. Seneca, *Nemo naturæ ſanus iraſcitur: quid enim ſi mirari velit non in ſylveſtribus dumis poma pendere? quid ſi miretur ſpineta ſentesque non utili aliqua fruge compleri?* Boethius,

Non aurum in viridi quærimus arbore,
Nec vite gemmas carpimus:
Non altis laqueos montibus abdimus,
Ut piſce ditemus dapes:
Nec nobis capream ſi libeat ſequi,
Tyrrhena ſeptimus vada.

Com. 17. πᾶν δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖ] In verſu Græco,

Καλὸν φύσει καρπὸν εἰ καλὸν τρόπον.

Et in alio,

Τιμᾶς τὸ ἰθὺς ἔργα χρηστὰ γίγνεσθ'.

Ibid. τὸ δ' σαπρὸν δένδρον καρποὺς πονηροὺς ποιεῖ] Κακῶν πόσα κ' τὰ ὦα κακά. Leo Imper. Conſtit. 112. Σωτέρμων οἶδεν ἡ φύσις τοῖς προσήκουσιν οἷς ἐπὶ πολὺ σὺν καρπῷ. Themiſtius, Ἡ φύσις ἐπαναπαύζει τὸ σύμφυτον ᾧ λέοντι λέοντα εἶναι, καὶ τὸ βλαστὸν τῇ ἐκφύσει ῥίζαις ὁμοῦν. Ejuſdem eſt, Τῶν φυτῶν ἡ τὰ σπερμάτων καταμελοῦσι· ἐν μὲν τῷ χρησίμων ἢ ἡμέρων χρηστὰ καὶ ἄκαρπα φύεσθαι τὸ δένδρον ἢ ὀφέλιμα, ἐν δὲ τῷ ἀγρίων καὶ δυσχρώτων δυσχρέστερόν τε ἢ ἀχρειότερον. Theognis,

Τῶν ἀγαθῶν ἐσθλὴ μὲν ἐπίκτησις, ἐσθλὰ δὲ ἔργα·
Τῶν δὲ κακῶν ἄνεμοι δηλαὶ φέρουσιν ἔπη.

Seneca,

Quid mirum eſt malos mala facinora edere?

Com. 18. Οὐδὲ δένδρον σαπτὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖν] In Anthologia,

Θᾶσσον πικρὸν μέλι καθήρεις, ἢ χάλα κύκνῳ,
Ἢ σὺ τὸ πανήσιος σκαρπίῳ ὢν, ἀγαθόν.

Dionyſ. Halicarnaſ. 4. Πολλῆς μοχθηρίας ἡ ἀβελτερίας ἐστὶ σπεῖρε ποικιλῇ ἢ ἀνοσίοις τρόποις χρηστῶν καὶ φιλάνθρωπον ἐλπίζειν. Arrianus in Epictetum, Οὐ δυνατὸν δ' ἀναγνώστην μὴ ὄντα ἀγαθὸν, τὸ ὕπηγμενα ἀγαθὸν εἶναι. Seneca 87. Epiſt. *Non naſcitur ex malo bonum, non magis quam ficus ex olea; ad ſemen nata reſpondent.* Idem alibi, *Nunquam liquidum ſincerumque ex turbido ſtatim.* Maximus Tyrius, Οὐ ψυχρὸν εἰς θερμότητα, οὐ ξηρὸν εἰς ὑγρότητα μεταβάλοι ἄν. Arnobius 1. *In dulcedinem vertere ſe amaritudo non poteſt, aut aridas in humorem: calor ignis in frigora; aut quod rei cuicunque contrarium eſt, in ſuam ſumere atque immutare naturam.*

Com. 19. ἐκκόπτεται, ἢ εἰς πῦρ βάλλεται] Vide ſupra ad 3. 10. dicta.

Com. 20. ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς] Sirachides 27. 7. Γνώρισμα ξύλου ἐκφαίνει ὁ καρπὸς αὐτοῦ.

Com. 21. Οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, Κύριε, Κύριε, &c.] Οὐ γὰρ ἐν λόγῳ ἡ ἐν θεοῦ βασιλεία, 1 Cor. 4. 20.

Ibid. ἀλλ' ὁ ποιῶν τὸ θέλημα ἢ πατρός μου] Ἀλλ' ὁ ἑνούμενος κύριον καλῶν μι. 1 Cor. 12. 33. ὁ ἐν τῇ καρδίᾳ τὸ πνεῦμα κρατῖ, Ἀββᾶ, ὁ πατήρ. Galat. 4. 6. i. e. vitam vivens congruentem profeſſioni illi. Θέλημα γὰρ θεοῦ τὸ πάντων μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ βίων ὁρθῶς, Theophylact. ad 2 Tim. 2. Et hoc eſt quod hic θέλημα ἢ θεοῦ ποιῶν. Confer & 2. 4 Jacobum. Οὐ πᾶς hic ἐξ ὑποθέσεως accipio pro *pauci*, qui ſupra com. 14. ὀλίγοι· ubi & idem qui hic ſenſus videtur. Virgilius,

—— *Pauci læta arva tenemus:*

ubi Servius, *Non omnes.* Sic infra hic 11. 19. ὁ πάντως χαμαὶ τὸ λέγων τῶν.

Com. 22. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ] Ita & 2 Tim. 4. 8. ubi dicta vide.

Com. 23. οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς] Hecuba apud Euripidem,

—— Μηδὲ γνώσεσθέ μοι,
Οἱ σοὶ φίλοι βλαίσοντες ἀ φρονεῖτε.

Vide infra ad 25. 12. & Luc. 13. 26. annotanda.

Ibid. ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι ἀνομίαν]

—— *Valete, abite*
Illuc unde malum pedem attuliſtis.

Sophocles,

—— Σοφρονεῖς
Θεοῖ φιλῶν, ἢ συγγόν σοῦ κακός.

Job. 22. 18. Βουλὴ ἀσεβῶν ἀπ' ἐμοῦ πόῤῥω.

Ibid. οἱ ἐργαζόμενοι ἀνομίαν] Οἱ ἐργάται τῆς ἀνομίας, ut 1 Maccab. 3. 6. & jam dicto apud Lucam loco.

Com. 24. σοὶ λόγους μὲ τίτας] Μοῦ pro ἐμοῦ, genitivus perſonæ pro poſſeſſivo. Sic Euripides,

Ἃ γοῦν ἐκβήσομαι, ταῦτά μου δίξει γυνή.

Roman. 8. 9. ἢ ἐξουσία ὑμῶν ἄσθ. Julianus epiſt. ad Antiochenos, πάντων μὲ τῶν ἐπιτιμίων· & Jerem. 9. 1. ἢ λαόν μου τῶν.

Com. 25.

Digitized by Google

Com. 25. *κατέβη ἡ βροχὴ*] Vulg. *deſcendit*, malebam *ruit*. Vide Luc. 8. 23. Apud Ciceronem in de Oratore,

Grando miſta imbri largiſſimo ſubito præcipitans cadit,

id eſt *ruit*, *καταβαίνει*. Virgil. Georg. 1.

—— *Cœlo ruit agmen aquarum.*

Idem 5. Æn.

—— *Ruit æthere toto*
Turbidus imber aqua ——

& 11.

—— *Se nubibus imber*
Ruperat ——

ubi Servius, *Impetum pluviæ oſtendit*. Vide Pollucem 1. 9. §. 22, 23. *Pluviam* vertit & idem Vulgatus *βροχὴν* nec male *nimbum* recentior Interpres. Servius ad Æneid. 1. *Proprie nimbi repentina & præcipites pluviæ*. Apuleius in de Mundo; *Nimbus quanto repentinus eſt, tanto vehementior: & quanto improviſior præcipitatio ejus, tanto breviore caſu reſtinguitur*. Illud *κατέβη* eſt, & qui *decidit* vertebat, non hercle improprie.

—— *Decidit imber*, Horatius dixit.

De pluvia Symphoſius,

Ex alto venio, longa delapſa ruina.

Ibid. *κατέβη ἡ βροχὴ, καὶ ἦλθον οἱ ποταμοὶ, καὶ ἐπνεύσαν οἱ ἄνεμοι*] Admodum proprie dictum, his tribus enim ſubruit, & ob id ſubverti ſolent ædificia. Themiſtius 3. Orat. Τὸ μὲν δαιμόνιον οὐκ ἰδίους οἰκτρμελεῖς, ἢ τ αὐτὸ κινηθὲν, ἢ χειμῶν & ἐπιβρήσαντ&, ἢ πνεύματ& ἐπιπνεύσαν, ἢ ὕδατ& λαβὸν κατασφαγῆν&. Ποταμοὶ hic *torrentes*. Vide ad Luc. 6. 48.

Ibid. *κατέβη ἡ βροχὴ, καὶ ἦλθον οἱ ποταμοὶ, καὶ ἐπνεύσαν οἱ ἄνεμοι*] Hæc omnia conjunxit & Phocas Grammaticus vetus in Carmine de Virgilio,

Non flatus, non tela Jovis, non ſpumeus amnis,
Non imbres rapidi quantumcumque improba vaſtat.

Ibid. *ἦν γὰρ ἐπὶ*]

—— *Fruſtra ventum & unda fuerit.*

Ibid. *τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τῆς πέτρας*] Vide ad dictum D. Lucæ locum. Θεμελιῶσις hic allegorice eſt quod 1 Pet. 5. 10. στηρίζειν, σθενοῦν, ubi & additur θεμελιοῦν.

Com. 27. *ἦν ἔπνει*] Euripides,

Θύελλα καὶ δνόμα, συμπίπτει σίγη.

Vide Jobi 1. 19. ubi & in Græco, καὶ ἔπνευσε. Cecidit autem, quia (com. 26.) ἐπὶ τὴν ἄμμον ᾠκοδομήθη. Seneca Natur. quæſt. 3. 27. *Luteſa humo nihil ſtabile eſt*. Eadem porro comparatione qua hic Chriſtus de inſtabili fide, utitur Scriptor Sapientiæ 4. 4. de prole ſpuria: quo loco in libris Græcis, ὅτι ἀνίσχυρα παλεύθησεται, καὶ ὅτι βίας ἀνίσχυρα ἐκριζωθήσεται), addita inſuper (ut videmus) alluſione ad arborem, aut ſoli aut ſatoris culpa male fidis radicibus nixam.

Ibid. *ἡ πτῶσις αὐτῆς μεγάλη*] *Magno caſu cadere*, ſcimus (at figurate) Lucretium dixiſſe: legimus & in Gloſſario, *Caſus*; &c. *πτῶσις*. Cur autem hoc Euangelii loco Recentior *πτῶσιν caſum* verteret, nullam cauſam video; cum longe lateque ſignificantior ſit *ruina* vox, qua uſus eſt Vulgatus Interpres, ſonoque ac vi majore aures atque animum feriat: imo nulla in hoc genus argumentis ſolennior occurrat. Virgilius 2.

—— *Ea lapſa repente ruinam*
Cum ſonitu dedit. ——

Idem alibi,

—— *Dedit ampla ruinam*
Vulcano ſuperante domus. ——

Jul. Firmicus Matheſ. 1. 4. *Ille cadentium tectorum ruina comprimitur*. Seneca, *Ruinarum ſubito lapſu procidentium pondera*. Phædrus,

Ruina camera ſubito oppreſſit ceteros.

In vetere Onomaſtico, *Ruina*, ἐπίπτωσις· (i. e. *πτῶσις*.) In alio Gloſſario, Πτῶσις οἰκοδομῆς, *ruina*: & ibidem, *Ruina*, *πτῶσις μεγάλη*. Quæ poſteriora ex hoc Matthæi loco deprompta eſſe manifeſtum eſt, ut & ex aliis novi Fœderis locis non pauca alia.

Com. 28. *Καὶ ἐλθόντι δὲ αὐτῷ εἰς τὰ πέραν*, &c. *αὐτῷ λέγουσι τινες*] Scriptor Judithæ 10. 1. *Καὶ ἐλθόντι μου*, &c. *συνετέλεσε πάντα τὰ ῥήματα*, &c. Scholiaſtes ad Apollonii Argonaut. 1. *Ἤδη πάντα*, &c. *συνετέλεσε λέγων.*

Ibid. *ἐξεπλήσσοντο*, &c. *ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ*] Ἐξεπλήσσοντο (ut Marc. 10. 24.) *ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ.*

—— *Obſtupuere filentes,*
Converſique oculos inter ſe atque ora tenebant.

Ἐπὶ τῇ διδαχῇ ἐκπλήσσεσθαι dixit & Lucas Act. 13. 12. Vide ad Luc. 4. 32. annotata. Habet hic Verſio vulgata, *admirabantur ſuper doctrina ejus*: ita & Marc. 11. 18. At ἐκπλήσσεσθαι hic non aliud eſt quam quod Actor. 8. 13. ἐξίστασθαι· id eſt, *ſtupens admirari*, ut ibi eadem Vulgata verſio. Suidas in verbo Φοῦς, Τῶν θαυμαζόντων οἱ μὲν καθ' ὑπερβολὴν θαυμάζουσιν, οἱ δὲ μετρίως· ubi καθ' ὑπερβολὴν θαυμάζειν eſt ἐκπλήττεσθαι· vel (ut Gellii verbis loquamur) mente & animo non conſiſtere, ſed velut vi quadam nova ictus labaſcere. Eunapius Sardianus, Εἰς πᾶσαν ἦν περιὼν θαύματ& ὁ πατὴρ, (Ædeſii) ὥστε οὐκ ἐθαύμαζεν, ἀλλὰ κατεπλήττετο. Vide ad Act. 2. 6. dicta. Nec aliter in hoc & Marci loco Vulgatus intelligendus.

Com. 29. *ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων*] *Veluti jure ſuo docens eos*, Budæus in Pandectas vertit. Iamblichus cap. 12. de Pythagora, Ἐξουσιαστικῶς λέγων ἐπιχειρεῖ. Talia ſupra illa cap. 5. & alibi, Ἐγὼ γὰρ λέγω ὑμῖν, &c. Luc. 10 28. Τοῦτο ποίει, &c. Plinius lib. 1. epiſt. 22. de Ariſtone ſuo, *Jam quanta ſermonibus ejus fides! quanta auctoritas!* i. e. ἐξουσία. Philoſtratus 1. 13. Apollonium inter ſectatores ſuos ita loquentem inducit, Οἶδα, δεινὸν μοι, χρὴ εἰδέναι· & alia non diſſimilia. Additque, τὰ λεγόμενα ἔχει ἴσχιν ὥσπερ ὑπὸ σοφίας ἐκμισυρόμενα.

CAP. VIII.

MUNSTERUS.

2. *Doravit eum*] h. e. in faciem procidit, reverentiamque exhibuit. Eſt enim Hebræis verbum השתחוה idem fere quod עמד השתחוה *ſeſe humiliare corpore & animo*. Unde Geneſ. 43. ubi ſcribitur ויקדו וישתחוו *& inclinaverunt ſe atque adoraverunt*, ſcribit R. S. קידה כפיפת קדקד והשתחוה השתטחות לארץ, *Inclinatio eſt verticis incurvatio; adoratio autem eſt proſtratio in terram*. Porro verbum ipſum eſt de reciproca conjugatione, derivaturque à radice שחה, quod ſign. *incurveſcere*, & mutatur He tertia radicalis in Vau mobilem.

4. *Ut videaris à ſacerdote*] Licet hic leproſus vere eſſet mundatus, nec opus haberet hominis approbatione, voluit tamen Chriſtus eum deſtinare ad Sacerdotes propter teſtimonium, ſeu legem illis à Deo datam, obſervandam & honorandam; Sicut & mater ejus poſt partum purificationis ceremonias non intermiſit, quæ tamen nulla opus habuit purificatione. Produnt hic iterum Judæi ineptias ſuas, qui contra hunc locum ſic arguunt, ועכשיו נפלאתי לי מדוע צוה לאותו מצורע ללך אל הכהן ולהביא קרבן כיון שנתרפא על ידי לסרס הרוח צוהו ללך לכהן ושד אין שנו חכמים אין בין שאר מצורעים שבתורה אפי' אותן נעשים ע"י עוף אחר שנאמר כן האשה בנין שכרת ומלה וחזר ונלאעכם מוחזת כמה וכמה שהתיר אותו באותו תשובתי למה אתה כותב רבני שקר והלא לקח משיחנו מילה ואשה קראת שאכל בשר חזר ולבש בלאעכם הגוי הזאת בעצמו שכר את הרוה קר שכרת עמנו כרית חרשה אשר עלה נכתב בירמיה i. *Etiam mirum eſt apud me quare præceperit leproſo ire ad Sacerdotem, & offerre ſacrificium ſuum. Cum enim perfecte ſanatus eſſet ab eo, quid opus erat ire ad Sacerdotem? Et ecce non videmus quod omnia alia Legis præcepta, etiam unum, fuerint obſervata per Verbum poſtquam natus eſt ex muliere, ut eſt Sabbatum, Circumciſio; Caro porcina, Veſtes linea & lanea permixta, & alia tam multa quæ ipſe ſolvit poſt adventum ſuum*. Ecce qualia mendacia cæci illi homines excogitaverunt, cum nuſquam legerint Chriſtum eduſſe carnem porcinam, aut veſtitum indumento ex lana & lino contextum, ſed legalia ipſe obſervavit uſque ad mortem; & figuram agni Paſchalis, cum jam pergeret immolari, oſtendit in ſe terminari.

5. *Centurio*] Vocant Hebræi Centurionem שר מאה *principem centum ſubditorum*, ſicut & Tribunum vocant *principem mille militum*.

6. *Puer meus jacet domi*] Hebraiſmus eſt, in quo נער *puer* uſurpari ſolet pro משרת *miniſtro*.

10. *Non inveni tantam fidem*] Vocant Hebræi *fidem* אמונה, quæ eſt quaſi במוך *certitudo quædam* qua quis סבר שהוא אמת, ut ipſi definiunt, *non dubitat illud quod credit verum eſſe*.

Sic & nostri describunt fidem esse constantem quandam & indubitatam animi per Spiritum S. de Dei bonitate atque promissis persuasionem. Et qui sic est persuasus, nititur verbis Dei, & est certus de liberatione ab omni malo, atque de vita æterna. Sed hoc est donum Dei, & non licet illud nostro promereri opere, cum à pueritia ipsa propensi simus ad malum, & necesse sit quod ipse nos sua præveniat gratia. Et hæc Divinæ bonitatis receptio fides est, certa scilicet illa בטחון, *persuasio*, de ejus impensa bonitate, qua & sola justificamur. Primum quidem insinuatur verbum externum commendans Dei bonitatem, deinde Spiritus Dei persuadet cordibus electorum ut illis fidem adhibeant, & Deum agnoscant per Christum sibi omnia condonare peccata, & filios atque regni cœlestis constituere hæredes. Cum autem hæc persuasio animum obtinuerit, simul quoque timor & amor Dei animum ipsum pro modo persuasionis implent. Sed de his apud alios copiosiora invenies.

14. *Petri*] Hebraice *Cepha*, quæ tamen vox magis est Chaldaica sive Syriaca quam Hebraica. Est enim Hebræis סלע *petra*, Chaldæis autem כיפא. Hoc nomen Christus dedit Petro pro שמעון, quo antea vocabatur, ob gloriosam illam & firmam confessionem qua Christo respondit, *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Fuit autem lingua Chaldaica Hebræis in terra sua vernacula postquam redierunt ex captivitate Babylonica, id quod omnes voces peregrinæ Euangeliis insertæ attestantur, quas vulgus Hebraicas esse putat. Usus est enim Christus ad plebeios homines vernacula lingua, & non pure Hebraica, quam solum docti callebant.

19. *Rabbi*] Est רב Hebræis *magister*, & *præceptor*, & *qui aliquid præstare potest*. Et quando adjicitur affixum Jod, legunt Judæi רבי, sicut à בת *filia* fit בתי *filia mea* cum Hirec. In plurali absoluto legunt רבונים *rabbonim*, cujus smg. רבן *Rabbon* usurpant plerumque pro Deo & Domino mundi. Sic Joh. 20. dixit Maria Magdalene; *Rabboni*, i. *Magister*, vel *Domine, mi*. Cum pronominibus vero affixis legunt רבותינו *magistri nostri*. Duplicatur vero Beth per Dages, quia radix vocabuli est ex duplicantibus secundam radicalem.

20. *Filio autem hominis*] Offenduntur Judæi hoc modo loquendi, quando Christus se vocat *filium hominis*, arguentes in hunc modum, אם אלהים הוא למאי קרא עצמו בן אדם והלא מדיני בנמאי מקוסרין שמחדי לו שלא להמותו לבן אדם כמו שאמר בלעם לא איש אל ויכוב ובן אדם ויתנחם: ושר שאמר דור אל תבחו בנדיבים בבן אדם שאין לו תשועה: ושר כתוב אחר הגבר אשר יכתו באדם ושם בשר וחשק וכל אילו הדברים הוי בישו שנקרא שם בן אדם: תשובה אחרת כתב ואין המשיח שנא אל אברת ונם הוא בן אדם כשכיל אשות אשר לקח בייחד הסרת. Appellat se Christus *filium hominis* more Scripturæ, quæ hominem ex infima sorte natum appellat *filium hominis*. Sic Christus *factus est in similitudine hominum*, h.e. quasi unus è vulgo hominum, cum tamen *non rapinam arbitratus sit se esse æqualem Deo*. Respondit proinde Christus scribæ, *Vulpes foveas habent*, &c. ut illi adimeret animum cupidum, qui quæstus gratia venerat ad eum, cum tamen Dominus cœli & terræ pauperior esset bestiis terræ & volucribus cœli.

28. *Gergesæorum*] Hic locus alio nomine vocatur גרסאי. Ut Josue 1. 2. ubi in Hebræo habetur כינרת *Cineroth*. Chaldaica & vernacula lingua habet *Ginosar*. Alii vero Euangelistæ mentionem faciunt *regionis Gadarenorum*.

V A L L A.

2. DOmine, *si vis, potes me mundare*] Græce est, *si velis*, θέλῃς.

23. *Secuti sunt eum discipuli ejus*] Melius *discipuli sui*.

E R A S M U S.

1. CUm autem *descendisset*] *Jesus* hic apud Græcos non additur. Ut illa dissimulem, ἐὰν θέλῃς, *si velis*, quod transtulit, *si vis*. Et,

3. *Extendens manum*] Pro *extensa manu*, ἐκτείνας τὴν χεῖρα. ¶ *Volo; mundare*, καθαρίσθητι] *Mundare* passivum verbum est, imperandi modo. Proinde vertimus, *Volo; mundus esto*.

5. ἑκατόνταρχος] Quem hic *centurionem* vocat, sic enim Græce sonat qui decem decuriis præsit, Hilario *tribunus* dicitur. ¶ *Rogans eum*, παρακαλῶν] i. *obsecrans*. Est enim vehementius hoc, illud δεόμενος abjectius.

6. *Puer meus*, ὁ παῖς μου] Ea vox & ætatem significat, & *filium*, & *ministrum*. Tametsi Lucas δοῦλον, i. *servum*, appellat, voce non ambigua. ¶ Nec est simpliciter *jacet*, sed βέβληται, & aliquanto post, βεβλημένον, ubi quis toto corpore prostratus jacet, id quod in gravibus accidit morbis. ¶ Nec est *Male torquetur*, sed δεινῶς βασανίζεται, *graviter*, sive *acerbe, dilacerato*. Ut ne dicam quod ἄλλῳ pro *alteri* vertit *alio*, contempta Grammatica.

9. *Sub potestate constitutus*] *Constitutus* aliquis addidit de suo, nec reperitur in exempl. emendatioribus, nec in aureo.

10. *Non inveni tantam fidem* ἐφ' ὅλῳ τῷ Ἰσραήλ] i. *Ne in Israel quidem*. Ut intelligas Centurionem non fuisse Israelitem; id quod indicant Hilarius & Hieronymus; atque item Chrysostomus hom. 27. Putatque eundem hunc esse Centurionem cum eo de quo meminit Lucas, licet in nonnullis à Matthæi narratione videatur discrepare.

12. *In tenebras exteriores*] Græci subinde usurpant comparativa vice superlativorum. Unde nos vertimus *tenebras extremas*. Neque tamen est ἐσχάτας, sed ἐξωτέρας, q. d. *extimas*: ut intelligas, in regno lumen esse, à quo, quò longius absit aliquis, hoc magis versari in tenebris.

13. *In illa hora*] Post hæc in nonnullis exemplaribus ascripta reperi, καὶ ὑποστρέψας ὁ ἑκατόνταρχος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ εὗρε τὸν παῖδα αὐτοῦ ὑγιαίνοντα, i. *Et reversus Centurio in domum suam, in illa hora offendit famulum suum sanum*. Nos ea sequi maluimus quæ cum nostris consentiunt.

16. *Dæmonia habentes*, δαιμονιζομένους] i. *Dæmoniacos*, sive *qui à dæmonibus agebantur*. Sed addunt Græci codices, similiter & vetusti Latini, πολλούς, *multos*.

17. *Ipse infirmitates nostras*] Adduxit hoc testimonium Matthæus ex Esaiæ 53. nonnihil ad suum deflectens negotium. Et enim quod illic dictum est de passione Christi, & sublatis hominum peccatis, hic accommodat ad ægrotos sanatos: quanquam hæc sanatio illius typum habebat. Ad hunc modum excusat Euangelistam Chrysostomus hom. 28. LXX ita reddiderunt, καὶ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς φέρει. Cæterum quod in nostris legimus, *Et ægrotationes nostras portavit*, sciat lector *nostras* hoc sane loco nec esse apud Græcos, nec in aureo codice, nec in aliis emendatioribus, sed repetitur è proxima particula. Hebræa Hieronymus ita reddidit, *Vere languores nostros ipse sulit, & dolores nostros portavit*. Pro *languoribus* LXX verterunt *peccata*.

18. *Jussit discipulos suos ire*] *Discipulos suos* addidit interpres explicandæ rei gratia, ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν. Nec additum comperi in aureo codice. Cum enim turbam cuperet effugere, dubium non est quin discipulos voluerit comites, certe è turba pauciores. Verti poterat per impersonale verbum, *jussit abiri* sive *discedi*. Et quod sequitur, ¶ *Trans fretum*, εἰς τὸ πέραν] etiam ad montem referri poterat, aut simile quippiam, nisi mox fieret mentio *navicula*. Significat enim ulteriorem stagni ripam.

20. *Vulpes foveas habent*, φωλεούς] Fortassis aptius erat *cavernas*. ¶ Et quod hic vertit nidos, Græce est κατασκηνώσεις, quod magis sonat *obumbracula*. Augustinus adv. Faustum l. 22. c. 48. legit *diversoria*. Eodem modo refert Cypr. l. ad Quirinum 3. Habent enim aves in tempestate præter nidos receptacula sua, velut cavos arborum truncos, aut densa dumeta, aut arborum frondes. ¶ *Filius hominis*, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου] Ut nihil ex his verbis agat Augustinus, qui putat Christum non dici *filium Adæ*. Atque huc torquet quod dictum est in Psalmis, *Ego sum vermis, & non homo*, cum alias, tum epist. 120. Rursus agens contra Faustum l. 5. locum hunc adducit, probans Christum natum ex femina. Verum haud difficilis est hujus noduli solutio. Siquidem Christus se *filium Adæ* vocat, quod ex ejus posteris prognatus esset, ex quo prodissent & cæteri mortales universi. D. Hieronymus edisserens caput Ecclesiastæ 9. admonet juxta sermonis Hebraici proprietatem vulgus hominum *filios hominis* dici. Nam iis quoque locis ubi nos legimus *filii hominum*, apud Hebræos haberi בני אדם, h.e. *filii hominis*, videlicet Adam. ¶ *Ubi caput suum reclinet*] *Suum* pronomen nec additur in Græcis cod. nec apud Chrysostomum aut Theophylactum, nec in antiquis Latinis, ne in aureo quidem ac Donatianicis. Et absolutior est sermo, ut intelligas, adeo non esse ubi totum corpus acquiescat, ut nec sit ubi vel caput acclinet. Ut dissimulem quod paulo post ἄφες pro *fine* vertit *dimitte*. Nec est simpliciter *suos*, sed τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς, *suos ipsorum mortuos*.

23. *Et ascendente eo*, ἐμβαίνοντι αὐτῷ] i. *Ingressum eum*, sive *cum insedisset navim*. Nec est *naviculam*, sed *navim*, πλοῖον. Ne quis hic ingens somniet subesse mysterium quod *naviculam* dixerit, non *navim*. Sane *naviculam* dixit non Euangelista, sed interpres haud scio quis, & incertum quid secutus. Certe τὸ πλοῖον, i. *navigium* sive *navim*, scribunt Euangelistæ cæteri, quos Græce scripsisse consensus est omnium, ut dono-

mus

mus Matthæo Hebraice ſcriptum Euangelium: Quod ipſum mihi non ſit veriſimile, cum nemo ſat idoneis argumentis teſtetur ſe vidiſſe ullum illius Hebraici voluminis veſtigium. Siquidem illud quod *Nazarenorum* vocant, nec Hebraice ſcriptum teſtatur Hieronymus, ſed Chald. formulis duntaxat Hebr. inter apocypha cenſetur. Deinde ſtilus Matthæi cum ſtilo Marci plane conſentit, haud admodum diſſentiens à dictione Joannis. Proinde mihi videtur probabilius, hoc Euangelium eadem ſcriptum fuiſſe lingua qua exteri ſcripſerunt Euangeliſtæ. Idem ſentio de epiſtola ad Hebræos; quæ non ob aliud viſa eſt quibuſdam primum Hebraico ſermone conſcripta niſi quod ad Hebræos ſit inſcripta. Quaſi vero neceſſe ſit, ſi ipſe nunc librum edidero adverſus Judæos, me Judaice fuiſſe locutum; aut, ſi ad Scotos, Scotice. Verum demus, ut dixi, Matthæum Hebraice ſcripſiſſe, non Græce, certe apud alios item Euangeliſtas πλοῖον legimus hoc loco, non πλοιάριον, i. *navum*, non *naviculam*. Et tamen hinc ortum arbitror quod paſſim jam *naviculam* appellent *Petri*, quoties Eccleſiam ſignificant. At magis convenicbat ingentem eſſe navim quæ univerſum hominum genus reciperet, magiſque reſponderet ad typum Arcæ, quæ capaciſſima fuiſſe deſcribitur. Ad conſimilem modum *concilium* diſtinguunt à *conciliabulo*, exiſtimantes *conciliabulum* eſſe diminutivum, aut compoſitum, q. d. *concilium diaboli*, cum apud Hieronymum in partem bonam pro *concilio* poſitum reperiatur, velut in epiſtola ad Gerontiam vocat *conciliabula Chriſti*. At hæc pluribus fortaſſis admonemus quam res ipſa poſtulat, niſi quod video quoſdam in hujuſmodi nugis velut in re ſeria mire philoſophari, vel ſomniare potius. Nec mirum ſi labuntur in his ignari ſermonis Græcanici. Quis enim ſuſpicaretur hunc toties fruſtra dicere *naviculam* pro *navi*? Et tamen ſi quis interpretem percontetur cur toties *naviculam* dixerit, non habiturus ſit quod reſpondeat, niſi forte quod apud Lucianum in Inſulis fortunatis reſpondet Homerus, rogatus cur Iliadem exorſus eſſet à μῆνιν, *Sic mihi tum libuit*. Rurſus paulo poſt pro *navi naviculam* vertit, parum tempeſtiviter ἐπινηζιον. Item pro *fluctibus*, *à fluctibus*; eſt ἐκ κυμάτων· atque ita legit Chryſoſtomus: ut omittam quod hic de ſuo addidit aliquot voces, ut & mox addidit *Jeſus*, utique de ſuo. Non eſt in Græcis, nec in aureo codice.

25. *Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus*] *Diſcipuli ejus* non additur in aureo codice. In Græcis tamen reperio *diſcipulos*.

26. *Imperavit ventis*, ἐπετίμησεν] i. *increpavit*. Atque ita primitus fuiſſe ſcriptum opinor. Cæterum aliquis offenſus dandi caſu *ventis*, quem tamen hic more Græcanico ſolet addere, mutavit *imperavit*. Hieronymus hunc explanans locum utriuſque verbi meminit, *Creaturæ*, inquiens, *quas increpavit, & quibus imperavit, ſentiunt imperantem*. Quod quiſquis ἐπιλαθῆ, imperat quidem, ſed pœnam comminans ni pareatur. ¶ Atque illud *qualis*, non eſt ποῖος, quo ſimpliciter interrogamus, ſed ποταπὸς, quod admirationis habet ἔμφασιν. ¶ Mox autem perperam omiſit Græcam conjunctionem, *quia venti & mare*, ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα, *quia & venti & mare*. Conſentit Græcis codex aureus. Etiamſi prior conjunctio non tantum connectit, verum etiam auget: *Quia mare quoque & venti obediunt ei*, quæ nulli ſolent obedire.

28. *Et cum veniſſet Jeſus*, ὡς ἦλθεν αὐτὸ] i. *cum veniſſet*: nec additur *Jeſus*. ¶ *Geraſenorum*] Græci legunt Γεργεσηνῶν, i. *Gergeſenorum*. Hieronymus in Locis Hebr. prodidit, ſua etiamnum ætate viculum exſtiteſſe in monte ſitum haud procul à lacu Tiberiadis, ubi porcos in mare præcipites iſſe memorabant. Quanquam apud Marcum hic ipſe locus *Gadarenorum* vocatur, & eodem nomine apud Lucam. Unde colligere licet, eidem urbi, quæ regioni dedit nomen, diverſa fuiſſe nomina, & eandem dictam *Geraſam*, ac *Gadaram*. Id quod indicat & D. Hieronymus in Locis Hebr. addens Geraſenorum mentionem fieri in Euangelio. At idem mox in *Gergeſſa* refert, illic porcos præcipites iſſe in mare: ut conſequatur, aut Gergeſſam viculum eſſe in regione Gadarenorum, aut eandem eſſe Gergeſſam & Gadaram. Quam Græci vocant *Gergeſam*, opinor Hieronymo dici *Gargaſi*, quam ait eſſe *civitatem trans Jordanem, junctam monti Galaad*, quæ ipſius ætate dicta ſit *Geraſa, urbs inſignis Arabiæ*. Hanc, ut refert, *quidam exiſtimabant eandem eſſe cum Gadara*. ¶ *Sevi nimis*, χαλεποὶ λίαν] Hilarius legit *periculoſi* pro *ſevi*. Nam Græcis χαλεπὸς vox eſt πολύσημος, nunc *ſevum*, nunc *moleſtum* ac *difficilem*, nunc *atrocem*, nonnunquam & *periculoſum* ſign.

29. *Quid nobis & tibi*] Imo quid hic interpreti cum Græca figura? Vertendum erat, ſi Latine loqui voluiſſet, *Quid tibi rei nobiſcum eſt?*

30. *Erat autem non longe*] Græci habent *longe*, ὡῤ ἀπ' μακρὰν, magno quidem conſenſu codicum quos ego viderim, ſed reclamantibus item magno conſenſu noſtris. Ex Chryſoſtomo non poteſt certum colligi quid legerit, ne ex Hieronymo quidem; ex Hilario tantundem. Apud Theophylactum reperio ὡῤ ἀπὸ μακρόθεν ſcriptum; licet ex interpretatione parum liqueat quid legerit, quemadmodum Chryſoſtomus verſus. Probabilius autem eſt dæmones procul à Chriſto fuiſſe relegatos. Cum codicibus quos vidimus conſentit etiam editio Hiſpanienſis. Nihil tamen ad ſenſum refert utrum legas; *procul* an *non procul*. Nam ſi grex conferatur ad eos qui Chriſto erant proximi, procul erat. Sin ad alia loca ſemotiora, non procul erat, quia erat in proſpectu. Puta enim gregem abfuiſſe ad trecentos paſſus. Quod autem alii Euangeliſtæ addunt ἐκεῖ, *ibi*, ſive *illic*, non arguit magnitudinem intervalli. Hæc enim adverbia nonnunquam totam regionem complectuntur. Nec eſt

31. *Si ejicis nos hinc*] Sed εἰ ἐκβάλλεις ἡμᾶς, *Si ejicis nos*; conſentientibus & Latinis exemplar. pervetuſtis, cumque his aureo codice & Donatianicis. Nec video quid efficiat adverbium *hinc*. ¶ Rurſus, ἐπίτρεψον ἡμῖν ἀπελθεῖν εἰς τὴν ἀγέλην, *Permitte nobis ut abeamus in gregem porcorum*, ille vertit, *Mitte nos in porcos*.

32. *Magno impetu abiit*] Unicum verbum Græcum tribus eſt circumlocutus, ὥρμησεν, i. *Ferebatur*, ſive *ruebat*. Nam omnino ὁρμὴ *impetum* ſign. Et in aureo codice *impetu* tantum legitur, *magno* non additur, conſentientibus & Donatianicis. ¶ *In aquas*] Hilarius in Canone quem edidit in Euangelium Matthæi admonuit fuiſſe ſcriptum, *in aquas multas*, cum nihil hujuſmodi reperiam apud Latinos aut Græcos, quos ego ſane viderim.

33. *Hæc omnia*] *Hæc* pronomen addidit aliquis de ſuo, quod nec in Græcis exſtat cod. nec in vetuſtioribus Latinis, nec in aureo. ¶ Ac mox, *De iis qui dæmonia habuerant*, περὶ τῶν δαιμονιζομένων, quod commode verti poterat, *Eorum qui acciderant dæmoniacis*.

34. *Et rogabant eum*] *Eum* addidit aliquis. Nec additur in aureo codice. ¶ Et aliquanto poſt *à finibus eorum* dixit pro *à finibus ſuis*, vel *à finibus ipſorum*.

VATABLUS.

1. DEſcendiſſet] *Deſcendiſſet Jeſus*. V.

2. *Adorabat eum*] i. genu flectebat ei. Vide Marc. 1. 40.

3. *Extendens manum*] *Protenſa manu*. ¶ *Mundare*] Vel, *Mundus eſto*, imperat.

4. *Offer munus tuum*] i. offer munus illud quod offerunt à lepra curati, ut teſtentur te ſanum eſſe: vel, ut teſteris illis te eſſe ſanum.

6. *Puer*] i. ſervus, Luc. 7. 1. ¶ *Male*] *Graviter, acerbe*.

8. *Dic verbo*] *Dic verbum*, i. jube, Hebr.

9. *Sub poteſtate*] *Sub poteſtate conſtitutus*. V. vel, *alterius poteſtati ſubditus*. ¶ *Et dico huic, Vade, & vadit*] Latini ſic dicerent, *& tamen cum dico huic, Vade, vadit*.

10. *In Iſrael*] *Ne in Iſrael quidem*.

12. *Filii regni*] Pro, *regno deſtinati*. ¶ *Exteriores*] Obſcuriſſimas, & longe poſitas à vera luce: vel, quæ ſunt extra regnum.

13. *Ex illa hora*] *In illa hora*. V. Quædam exemplaria Græca hic habent, *Et reverſus Centurio in domum ſuam, ut illa hora offendit famulum ſuum ſanum*.

16. *Ejiciebat*] *Ejecit*.

18. *Juſſit ire*] *Juſſit diſcipulos ire*. ¶ *Trans fretum*] *In ulteriorem ripam*: ſtagni ſcilicet Geneſareth.

20. *Caput reclinet*] *Caput ſuum reclinet*. V.

23. *Aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt*] *Ingreſſum eum navim ſecuti ſunt*.

24. *Motus magnus factus*] *Tempeſtas magna facta*.

25. *Ad eum, &c.*] *Ad eum diſcipuli ejus, &c.* V. ¶ *Suſcitaverunt*] *Excitaverunt*. ¶ *Perimus*] Præſ. temp.

26. *Imperavit ventis & mari*] *Increpavit ventos & mare*.

27. *Quia venti*] *Quod & venti*.

28. *Cum veniſſet*] *Cum veniſſet Jeſus*. ¶ *Geraſenorum*] *Gergeſenorum*. ¶ *Nimis*] *Valde*.

29. *Quid nobis & tibi*] *Quid commercii inter nos eſt, ut res noſtras cures? Quid rei nobis tecum eſt?*

31. *Si ejicis nos*] *Si ejicis nos hinc*. V. ¶ *Mitte nos*] *Permitte nobis ut abeamus*.

32. *Abierunt in porcos*] Vel, *invaſerunt gregem porcorum*. ¶ *Impetu*] *Magno impetu*. V. ¶ *Abiit*] *Ferebatur*, vel, *ruebat*.

33. *Omnia*]

33. *Omnia*] *Hæc omnia.* V. ¶ *Et de iis qui dæmonia habuerant*] *Et qua acciderant dæmoniacis.*

34. *Rogabant*] *Rogaverunt.* ¶ *Ut tranſiret*] *Eumus tranſiret.* V.

CASTALIO.

4. UT *eſſet eis teſtimonio*] Ut eo munere teſtatum eſſet, ſanatos eſſe à lepra qui obtuliſſent.

12. *Cum interea regis*] In Græco eſt, *filii regni*; ut & cap. 9. *filii thalami*, pro iis qui nuptias agunt: de quo Hebraiſmo vide quæ ſcripſimus in Geneſ. 49. in Joſepho. Nec diſſimile eſt quod Chriſtus paulo poſt ſe vocat *hominis filium*, h. e. hominem: nam eodem modo ſæpe nominatur Ezechiel. Sed quia nominatim ſic vocari ſolet Chriſtus, & poſſent hoc loco offendi multi, nolui mutare.

CLARIUS.

3. VOlo, *mundare*] Solet interdum Servator uti iiſdem verbis quibus rogatur, appoſite ad fidem poſtulantis. Dixerat leproſus, *Si vis, potes me mundare*: ille par pari, *Volo, mundus eſto.* At ei qui dixerat, *Si quid potes, adjuva nos*, ille, *Si potes*, inquit, *credere.*

9. *Nam & ego*] Argumentum eſt à minori ad majus. Et fortaſſe aptius fuiſſet ob hanc cauſam, ſi illud καὶ γὰρ ἐγὼ verteretur, *etenim ego*: ut ſit ſenſus, Imperatu verbo tuo, & ſalus pueri conſequetur: etenim cum ego qui quamvis ſub aliena ſim poteſtate tamen habeo quibus imperem, tu tantus, qui naturæ domineris, quid non ſolo imperio poſſis?

20. *Vulpes foveas habent*] Subindicat oportere eum qui ſequi velit Chriſtum nulla humanarum rerum ope niti, cum ipſe Dominus ne id quidem habuerit quod non deeſt volucribus, & vulpibus, nempe domunculas & latibula in quæ ſe recipiant.

21. *Et ſepelire patrem meum*] Per *ſepulturam* intellige curam omnem patris uſque ad ejus mortem.

29. *Veniſti huc ante tempus*] Vel ut impudentes conqueſti ſunt, vel metuentes, ne intentatum illis judicii diem, in ignem tunc mitterentur. Quod autem petierint introire in porcos, aliqua quidem Pſellus de Dæmonibus ſcribit quæ viderentur hic facere, ſed præterquam quod curioſum eſt & ſuperfluum, periculoſum etiam eſt talia perquirere. Satis eſt in hac re diſcere, & perverſam Dæmonum naturam, & multo minus eos in nos quicquam poſſe, ſi ne porcos quidem ſine Domini voluntate lædere potuerunt.

34. *Rogabant ut tranſiret à finibus eorum*] Idem ipſum illi faciunt quibus quoties in quotidiana conſuetudine inſtituitur de Chriſto ſermo, nihil longius videtur quam dum ab ea collocutione ad ſuas ineptias & humues fabulationes revertantur.

ZEGERUS.

3. VOlo, *mundare*] Diviſim legendum eſt, ut intelligas *mundare* imperantis eſſe.

4. *Vide nemini dixeris: ſed vade, oſtende te ſacerdoti*] Ex hoc quod non illud, *Vade, oſtende te ſacerdoti*, ſed potius illud præmiſit, *Nemini dixeris*, ac deinde ſubjunxit, *oſtende te ſacerdoti*, datur intelligi quod tantiſper eum ſilere voluerit donec oſtendiſſet ſe ſacerdotibus. Hilarius vero de contactu ſilentium impoſitum intelligit. Aliter quoque Hieronymus, *Et re vera*, inquit, *quid erat neceſſe ut ſermone jactaret quod corpore præferebat?* Secundum Chryſoſtomum vero (qui ad moralem hoc potius ſenſum transferendum duxit) miraculum publicari prohibuit, & laudem ipſe fugiens, & ſimul eos qui beneficia in alium conferunt inſtruens, ut ambitionem & oſtentationem exſecrentur.

6. *Puer meus*] *Puer* hoc loco ſervum ſign. id quod ex Lucæ 7. manifeſtum ſit.

9. *Sub poteſtate conſtitutus*] Hoc *conſtitutus* adjectitium eſſe liquet ex Græcis, ex Latinis antiquis, & ex ipſo Hieronymo. Neſcio tamen an correctior Eccleſiaſticus id adjecerit ex Lucæ 7. ver. 8. Auguſtinus in Sermon. de ver. Dom. videtur non legiſſe, ſi verba ipſius exacte penſentur. Petrus Chryſologus legit *poſitus.*

18. *Juſſit* diſcipulos *ire trans fretum*] Hilarius legit & interpretatur, *Dominum diſcipulis præcepiſſe ut abirent trans fretum*: cui reſpondet quod paulo poſt ſequitur, *Aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus.* Chryſoſtomus vero, & Auguſtinus, & Petrus Chryſologus, omiſſo vocabulo *diſcipulos*, turbam fuiſſe dicunt quæ juſſa fuerit tranſmittere lacum: quibus conſonant exempl. antiqua, & edit. Græca.

25. *Et acceſſerunt ad eum*] *Diſcipuli ejus* non invenio apud Hieronymum nec in exempl. antiquis, nominatim in Aureo, & Corſendoncenſi, ubi nec *ad eum* habetur juxta Græca, quæ tamen hodie habent *diſcipuli.* Smaragdus quoque tantum ponit *& acceſſerunt & ſuſcitaverunt eum.* Ex aliis veteribus nihil certi habetur.

26. *Surgens imperavit ventis*] Græce quidem eſt ἐπετίμησεν ab ἐπιτιμᾶν, quod ſignificat *increpare & objurgare.* Veteſtiores tamen quique interpretes *imperavit* interpretantur, non *increpavit*; nominatim Hilarius, Hieronymus, & Auguſtinus tract. in Johan. 49. & inter recentiores Euthymius.

29. *Veniſti huc ante tempus torquere nos?*] Torquentur dæmones dum homines lædere & tentare prohibentur. *Ante tempus* vero, videlicet extremi judicii, quando graviſſimum illos manet ſupplicium, *ſe torqueri* queruntur, quia exiſtimant Chriſtum non laturum deinceps immenſam ipſorum malitiam.

30. *Erat non longe ab illis*] Deeſt in Græcis negatio οὐκ, incuria neſcio an temeritate omiſſa: nam hanc legiſſe antiquiſſimos quoſque quos equidem viderim interpretes, palam liquet ex ipſorum commentariis. Ad hæc vel alii Euangeliſtæ teſtimonio eſſe poſſunt quid ſit veritatis; ut ſileam interim de lectione Hebraica.

31. *Si ejicis nos hinc*] *Hinc* aliunde huc adſutum eſt: nam neque Hieronymus id habet, neque cod. emendatiores, neque Gregorius in Job, neque Petrus Chryſologus Serm. 2. 17.

32. *Magno impetu abiit*] In multis antiquis tantum eſt *impetu abiit*: Græce enim unica vox eſt, ὥρμησεν, i. *ruebat*, ſive *ferebatur.* Sed quia conſtanter in Marco eſt *magno*, puto poſitum ab interprete.

MASIUS.

MAtthæus hoc capite de duobus dæmoniacis curatis, & porcis præcipitatis ſcribit, Lucas vero & Marcus, hic quinto, ille octavo capite, de unico ſimiliter ſcribunt, ſed Matthæus in regione Gergeſenorum, Marcus autem & Lucas in Gadarenorum accidiſſe ajunt. Matthæi Locus ſcribitur ארגו, Marci vero iiſdem literis & punctis, item & Lucæ. Ergo ex Syro conſtat eundem fuiſſe locum, quamvis exemplaria Latina & Græca pleraque diverſa loca faciant. Hoc certum eſt, Matthæum, cum Chriſtus duos illos dæmoniacos ſanavit, adhuc in telonio fuiſſe, *ergo videntur* (inquit Oſiander) *qua ipſe de uno narrat, qua acciderunt quo tempore diſcipulus Chriſti jam fuit, diverſa eſſe ab illis, qua antea acciderant de duobus.* At eadem ratione dici poſſem, quia tum temporis non fuit diſcipulus, ideo non ita narraſſe, ut narrarunt Lucas & Marcus. Certe Matthæus cap. 9. ſub finem narrat hiſtoriam de dæmoniaco muto liberato, & item aliam cap. 12. de dæmoniaco muto & ſurdo reſtituto, quæ etſi videatur plane una eademque, tamen ſunt diverſæ. Vide Oſiandrum de regione Gadarenorum, quorum fit mentio Joſuæ ultimo cap. qui ex cujuſdam Hebræi auctoritate contendit Geſſuritidas & Maachatidas fuiſſe Gergeſuros, unam ſcilicet gentem ex ſeptem permiſſis habitare &c. Nam alioqui nuſquam legitur Gergeſenos exſtirpatos eſſe, Gadarenam vero fuiſſe regionem Amorræorum. Oſiander prolixus eſt in hac diſputatione ut oſtendat diverſa fuiſſe miracula & tempora. Ego nondum ſum certus, & valde me movent Syra, quæ in tribus Euangeliſtis idem nomen habent, videlicet Gadarenos.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον η, Περὶ τ̃ πνιγερ̃ῶς Πέτρ.

Ματθ. ἐν τῷ Λουκ. τμ. η, Καὶ ἐλθὼν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρ, εἶδε τὴν πενθερὰν αὐτῦ βεβλημ.

Πενθερὰν σὰν ἐφίλει Πέτρε πυρετοῖσι φίλτροις.
Ἄλλως,
Τὴν Πέτρε ἐνεχὴν πυρετῷ αἰτιάσατο κλῖνα.

5. Ἑκατοντάρχ@, ἑκατοντάρχου] *Centurio, regatus.*

6. Ὁ παῖς] *Puer*: vel, *filius*, vel *ſervus.* ¶ βεβλημ] *Proſtratus jacet.* ¶ Δεινῶς βασανιζόμ@] *Vehementer vexatus.*

8. Τὴν ϛ στέγην] *Sub tectum.*

11. Ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν] *Ab Oriente & Occidente.*

12. Ὁ βρυγμὸς] *Stridor.*

14. Βε-

14. Βεβλημένην κ) πυρέσσουσαν] *Projectam* in lecto *& febricitantem.*

20. Φωλεὸς] *Lustra.* ¶ Κατασκηνώσεις] *Habitacula.*

24. Σεισμὸς μέγας] *Agitatio magna.*

26. Τί δειλοί ἐστε, ὀλιγόπιστοι;] *Quid timidi eſtis, ô exigua fides?*

27. Ποταπὸς] *Qualis.*

28. Χαλεποὶ λίαν] *Savi valde.*

29. Βασανίσαι ἡμᾶς] *Ad vexandum nos.*

32. Ὥρμησε πᾶσα ἡ ἀγέλη τῶν χοίρων κ) ἀπέθανον] *Ruit totus ille grex porcorum è præcipitio.*

33. Τὰ τῶν δαιμονιζομένων] *Quæ contigerant dæmoniacis.*

DRUSIUS.

4. MΟyſes] Pronuntiari debet Μουσάεως. Juvenalis Satyra 14.

Tradidit arcano quodcunque volumine Moyſes.

Græce Μωσῆς & Μωσῆς *Moſes*, nempe ex Ebræo משה. *Moſe*, *Moſes*, ut *Joſe*, *Joſes*. Falluntur autem qui Dorice dici putant Μωσῆς pro Μωυσῆς. Germanum eſt Μωσῆς, nec adhuc ſcio unde illa altera ſcriptura Μωυσῆς, niſi forte ex etymo cujus Joſephus meminit, μῶ *aqua*, & ὑσῆς *ſervatus*, i. משה, משך מים. Inflectitur Μωσῆς, Μωσέ, & Μωυσῆς, Μωυσέως, & Μωσῆς, Μωσέως, & Μωυσῆς, Μωυσέ. Latine *Moſes*, *Moſis*, & *Moſi*, & *Moſeos*. *Moſeos* Græca declinatio eſt, quæ legitur apud Auguſtinum De doctr. Chriſt. l. 2. c. 8. *Moſi* autem pro *Moſis* ita dicitur ut *Achilli* pro *Achillis*, *Ulyſſi* pro *Ulyſſis*. Sic *Themiſtocli fuga*, *Ariſtoteli diſcipulus*, *Theophani confeſſus*. Nam dandi caſum in talibus pro generandi ponebant. *Moſeos impunitam linguam* dixit Fauſtus Manichæus. Invenitur & *Moſa*. Dictus eſt ita ἀπὸ τοῦ משה *extraho*. Nam ex aqua extractus fuit. Prius, ſi credendum Numenio philoſopho Pythagorico, *Joachin* dicebatur. Poſt in cœlum receptus, teſte Clemente, appellatus eſt *Melchi*. Ab Ægyptiis vero *Monios* nominabatur; cujus rei autor Abenezra. Manetho Ægyptius apud Joſephum ait eum vocatum fuiſſe Ὀσαρσὴφ *Oarſeph*. Artabanus autor eum ab Ægyptiis *Hermen* dictum fuiſſe, & ab eo *Hermopolim* urbem. Sunt qui putant eum eſſe qui à Græcis Μουσαῖος dicitur: ſed falluntur, meo judicio: Quod doceri poteſt ex tempore. Nam Muſæus multo poſterior fuit. Vixit enim poſt Orphea, vel certe ætate illius. Nam ejus diſcipulus fuit, ut ſcribit Tatianus Aſſyrius. Vide Euſebium Προπαρασκ. lib. 10. pag. 291. *Moſis tabula*, proverbiale de re ſacroſancta & inviolabili: Exſtat apud Gregorium Nazianzenum.

12. *Filii Regni*] Qui ad regnum pertinent cœli ſive cœlorum, h. e. Dei. Infra 13. 38. *hi ſunt filii regni*: & Baruch 5. υἱὸς ἐκ βασιλείας. Regnum Dei eſt ipſa Eccleſia, è qua ejecti veteres filii, h. e. Judæi, ſucceſſerunt in eorum locum ab Oriente & Occidente novi filii, h. e. fideles Chriſtiani. Ut hic *filii regni*, ſic Eſt. 1. 19. *verbum regni*, quod interpretantur ῥῆγμα βασιλικὸν *edictum regium*, & *vinum regni*, i. regium, Eſth. 1. 7. Sic enim certe Santes interpretatur. Videtur tamen diſcrimen eſſe, ut *vinum Regis*, ſive *regium*, ſit quod Rex ſolus bibebat; *regni* autem, ſive *regale*, quod reliqui etiam principes potabant à regia magnificentia ipſis propinatum. Hoc pono, non ſtatuo.

20. *Filius hominis*] i. Homo: ut Pſ. 8. 5. *Quid filius hominis, ut viſites eum?* Ebraice בן אדם, quod poſſet reddi *filius Ada*. Uſurpatur in V. T. de Ezechiele, c. 2. 1. & alibi paſſim; in Novo autem peculiariter de Chriſto. Excipitur unus locus Apoc. 14. 14. ubi angelum potius notare videtur. Ut *filius hominis* eſt homo, ſic *filii hominum* ſunt homines. Idem nomen in Ebræo. Nam אדם & *hominem* & *homines* deſignat: Caret enim certe numero multitudinis. Notatum etiam peculiariter de ſexu fem. uſurpari, ut mirum non ſit Chriſtum dici *filium hominis*, qui fuit duntaxat natus ex Maria virgine. Vide comm. meum in hiſtoriam ſacram Sulpicii Severi.

22. *Sine ut mortui*] i. improbi, qui Deo mortui ſunt & in peccatis conſopiti. Cui firmando dictum Ebræorum, *Improbi dum vivunt*, ſive *in vita ſua*, *mortui vocantur*. Habetur hæc ſententia cum alibi, tum in comm. ſuper Aboth, c. 3.

28. *Geraſenorum*] *Geraſenorum* habet edit. Lat. vetus, ubi Græci legunt Γεργεσηνῶν, & Γαδαρηνῶν Marc. 5. 2. item Luc. 8. 26. Quanquam exemplaria variant. Nam in aliis eſt Γαδαρηνῶν *Gadarenorum*, & in aliis Γεργεσηνῶν *Geraſenorum*. Syrus autem habet גרגסיא, i. *Gadaræorum* aut *Gedarenorum* ſive *Gadarenorum*, ut promiſcue *Nazareus* dicimus & *Nazarenus*. Nondum plane ſcio quid ſequendum ſit. Dies nos certiora docebit. Origenes tom. 8. in Johann. *Gergeſa, à qua Gergeſæi, urbs eſt antiqua juxta ſtagnum quod nunc Tiberiadis vocamus, juxta quam rupes eſt ſtagno adjacens, è qua oſtenditur porcos à dæmonibus in præceps delatos fuiſſe.* Idem ibidem, *Geraſa urbs eſt Arabiæ, neque mare neque ſtagnum in propinquo habens.* Plane firmant ſcripturam Γεργεσηνῶν. Contra videtur improbare eam quæ habet Γερασηνῶν, quam tamen Euſebius agnoſcit. Nam in lib. Locorum ita ſcribit, *Geraſa, urbs inſignis Arabiæ. Quidam autem ipſam eſſe Gadaram exiſtimant. Sed & Euangelium meminit Geraſenorum.* Idem tamen in eodem libro, *Gergeſa, ubi eos qui à dæmonibus vexabantur Salvator reſtituit ſanitati. Et hodieque ſuper montem viculus demonſtratur juxta ſtagnum Tiberiadis, in quod porci præcipitati ſunt.* Anſelmus in Matth. *Geraſa eſt urbs Arabiæ trans Jordanem juncta monti Galaad, quem tenuit tribus Manaſſe, non longe à ſtagno Tiberiadis, in quod porci præcipitati ſunt.* Eadem habentur in Zacharia Chryſopolitano Epiſcopo, pag. 105. Ad Marci locum annotat Theophylactus *pro* Γαδαρηνῶν *in libris melioribus eſſe* Γεργεσηνῶν. Videntur autem Γάδαρα & Γέργεσα duorum opidorum vicinorum eſſe nomina, in altero latere lacus Genneſareth: Quod diſerte affirmat Emmanuel Tremellius ita ſcribens, *Opida erant diverſa Gadara, à qua Gadareni, & Gergeſſa ſive Geraſa, à qua Geraſeni vel Gergeſſeni: ſed ambo vicina erant ad lacum Geneſareth ſita.* Vide notas Caſauboni ad locum Marci.

29. *Quid nobis & tibi?*] Locutio tam Ebræis quam Græcis familiaris, quam æmulatus eſt Hier. epiſt. 22. cap. 7. *Quid mihi & voluptati, quæ brevi perit?* Latine diceretur, *Quid mihi tecum?* & ſubauditur *rei*, aut *negotii*, aut aliquid tale. Anacreon, τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; *Quid mihi cum longis tibiis?* Demoſthenes, τί νόμῳ κ) βασάνῳ; *Quid legi cum quæſtione?* Joh. 2. 4. *Quid mihi & tibi, mulier?* Joſ. 22. 24. *Quid vobis & DOMINO?* Vide Maſium ad hunc locum. Joel 3. 4. מה אתם לי *Quid vos mihi?* LXX, τί ὑμῖν κ) ἐμοί; vel, ut Plantini codex habet, τί ἐμοὶ κ) ὑμῖν; מה לי ולכם *Quid mihi vobiſcum?*

CASAUBONUS.

2. Καὶ ἰδοὺ, λεπρὸς] Jam notatum à doctis viris lepram hanc ab Arnobio & Seneca aliiſque Latinis ſcriptoribus *vitiligi-nem* appellari. At in Gloſſario ita legitur, Λέπτα, *lepra*, *depetigo*. Λεπρὸς, *leproſus*, *depetigioſus*.

28. Καὶ ἐλθόντι αὐτῷ εἰς τὸ πέραν εἰς τὴν χώραν τῶν Γεργεσηνῶν] Putant docti viri *Gergeſſa* & *Geraſa* idem eſſe (quod Hieronymus quoque tradit) & *Geneſara*. Addunt amplius, & *Gadara* dici eandem urbem, quia Marcus 5. 2. & Luc. 8. 26. Γαδαρηνῶν χώραν appellant quæ hic Γεργεσηνῶν nuncupatur. Sed ignoſcant mihi doctiſſimi viri; non puto. Nam Geraſa quidem & Geneſara (unde lacus dictus eſt *Geneſareticus*) duarum eſſe urbium nomina, non unius, nemo, ut puto, dubitabit qui Ptolemæum conſuluerit. Gadara quoque nihil cum Geneſaris ſive Geraſi commune habere, docebimus infra pluribus Marc. 5. 2.

32. Ὥρμησε πᾶσα ἡ ἀγέλη τῶν χοίρων κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν θάλασσαν] *Mare* hic ex Hebræorum idiotiſmo lacum ſignificare, ut alibi paſſim in his libris, notum eſt. At quis ſit ille lacus in quem ſe conjecerit iſte porcorum grex, difficile eſt affirmare. Lacum Geneſareticum intelligi putat Hieronymus, ut obſervat Eraſmus. Alii aquas Gadarenorum, quæ procul abfuere à lacu Geneſaretico, putant intelligendas: unde fluxit inſignis Ziegleri & aliorum error, de quo alibi dicemus. Mihi aqua hæret: Hieronymo tamen potius aſſentior, qui in illis locis eſt verſatus.

GUALTPERIUS.

2. Λεπρὸς *leproſus* Λέπτα *lepra*, ἀπὸ τοῦ λέπειν, quod eſt *decorticare*: λέπος, & λέπυμα, & λεπὶς, *cortex*: λεπυρὸς *corticatus*, & quaſi per Syncopen eliſo τῷ υ, λεπρός. Eſt autem morbus longe graviſſimus, quem Avicenna vocat *impetiginem excorticativam*; alii, *ſcabiem malam*. Medici Ploram & Lepram conjunctim ſolent deſcribere. Galenus De tumor. præt. nat. cap. 13. Ἔστι καὶ ἡ ψώρα, inquit, ἣν ἡ λέπρα μελαγχολικαί πως μόνης δ' διεμαίνει, οὐκ ἔξω κατὰ τὸ φλεγμαίνειν καὶ τῷ σπερὶ γίνεσθαι, παρεῖναι δ' ὀνομάζεται, *Scabies quoque & Lepra melancholici affectus ſunt ſolius cutis: ut ſi quidem in venis quoque & carne fiant, Cancer nominantur.* Ægineta vero lib. 4. cap. 2. *Uterque affectus*, ait, *cutis aſperitudo eſt pruriens*,

in qua corpus paulatim abſumitur. Originem ex atra bile ambo hæc vitia trahunt : ſed Lepra altius circularibuſque eroſionibus cutem depaſcit, & piſcium modo ſquamulas ex ſe remittit : Pſora vero ſummam illam corporis cutem exedit, varias figuras habens. Et Actuarius lib. 2. περὶ διαγν. καὶ θερ. cap. 20. *Minus poſt Elephantem mala eſt Lepra : cui Pſora* (i. *Scabies*) *ſuccedit : huic Lichenes* (i. *Impetigines*) *ſuccedit. Sed Lepra altius deſcendit, & orbicularia exanthemata facit, & carnis quaſdam colliquationes ac λεπίδας*, h. e. *ſquamulas, remittit; unde etiam nomen adepta eſt. Nonnisi profunde Scabies penetrat, & variis figuris inſignitur, nec furfuracea corpuſcula rejicit. Lepram melancholicum ſuccum committit ; ſed Scabiem variis humores eorumque varia miſcella conſtituunt. Communis utrique eſt cutis aſperitas & pruritus : Si vero tenues acreſque & ſeroſa humiditates aliis craſſioribus ſuccis permiſcentur, impetigines ſuberiuntur, quæ celerrime in Scabiem ac Lepram neglecta commigrant. Sunt etiam qui Lepram & Elephantiaſin* (Medici *Elephantem* vocant) *unum & eundem morbum eſſe putant; ſed falluntur.* De hoc ſic Aretæus, *Non eſt in præſentia mihi opus de Elephanti* animalis *natura agere, niſi quatenus ex eo & morbus Elephas, ἐλέφας, vocatus pateſiat, quique ægrotantis formæ hujus animalis naturæ ſimilia obtineat agnoſcatur. Morbum quoque hunc* LEONEM *vocaverunt, ob extremarum frontis rugarum ſimilitudinem, quam partem Græci* EPISCYNIUM *nominant.* SATYRIASIS *etiam appellatur, ob malarum ruborem, atque inexplebilem impudentemque coeundi libidinem. Nec non &* HERCULEUS *dicitur, quoniam eo nullus major eſt neque valentior.* Et paulo poſt, *Superciliæ prominentia, craſſa, glabra, deorſum verſus pondere vergentia : contractis glabellis eminens humor inſurgit : Color lividus aut ater eſt : Epiſcynium vehementer contrahitur, ut oculos contegat, quemadmodum iraſcentibus aut leonibus accidit : unde & Leonina hæc agritudo vocatur.* Paulo poſt, *Ulcera in baſi aurium ſunt, ſæmes deſluit ; pruriunt : totum corpus rugis exaſperatur, nec non & alte deſcendunt ſciſſuræ, veluti nigri in corio ſulci : propterea & ELEPHAS hunc morbo nomen eſt.*

5. Ἑκατόνταρχος] Latine *Centurio.* Syr. ܡܐܬܪܝܐ *Kenturuna.* Idem ὑπατοντάρχης, *qui centum peditibus præeſt.*

6. Κύριε, ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικός, *Domine, puer meus* (*filius*, vel *ſervus*, ut *Hebræis* נער *Naar*, Syris ܛܠܐ *Tele*, vel ܛܠܝܐ *Talja*) *projectus eſt domi paralyticus*] Παραλυτικὸς *paralyticus.* Syris ܡܫܚܪܝ *Meſchari*, & ܡܫܚܪܝܐ *Meſcharja*, *membris & compaginibus ſolutus* : ex Rad. ܫܪܐ *ſolvere*, & *diſſolvere intricata* : παράλυσις, *paralyſis morbus ipſe* : de quo ſic Alex. Trallianus lib. 10 cap. 2. vel in Latina interpret. lib. 1. c. 16. *Reſolutionis vitium*, Παρέσεως πάθος, *quod Græci Pareſin & Paralyſin nominare conſueverunt, nihil aliud eſt quam ſenſus & motus privatio,* ἀναισθησία ἢ ἀκινησία ἢ κατηφότων ἅπαν· *differtque ab* ἐκπληξίᾳ *Apoplexia, quod ipſa quidem totius corporis ſenſus & motus ſit abolitio, cum principis animæ functionum nexa & quodammodo mors accidit ; Reſolutio autem* (Paralyſis) *eſt, qua dimidia pars corporis, vel una, emoritur, vel etiam particula quædam morboſa obſtructa, ita ut vel cerebrum vel ſpinalis medulla ſit immunis.* Aretæus lib. 1. cap. 7. *Apoplexia*, inquit, *Paraplegia*, vel ἔκπληξις, *Pareſis, Paralyſis, omnia genere eadem ſunt. Aut enim motionis, aut tactus, aut utriuſque defectus eſt, interdum & mentis, interdum & reliquorum ſenſuum. Sed Apoplexia, totius quidem corporis & ſenſus & mentis & motionis reſolutio eſt. Proinde Apoplexiam ſortem ſolvere nulla facultas poteſt, debilem vero tollere non facile eſt. Paraplegia eſt tactus motuſque remiſſio, ſed in membro uno, ut puta manu, crureve. Paralyſis autem motus tantum fere eſt actionisve defectio. Quod ſi nonnunquam ſolus tactus deficias* (*rare autem id evenit*) *potius* ἀναισθησία, i. *Senſus abolitio, quam Pareſis*, i. *Defectio, nuncupatur.* Galenus, *Apoplexia eſt mentis deprehenſio, amiſſo ſenſu, & corpore reſoluto.* Idem, *Apoplexia à Paraplexia ut pars à toto differt. Nam Apoplectici prorſus Paraplectici, at Paraplectici non omnino Apoplectici. Inter eos autem hoc intereſt, quod Paraplectici ſana mente ſint, & unam aut plures partes reſolutas habent ; Apoplectici & hæc habent, & mentem & totum reſolutum.* Et rurſum, *Apoplexia & Epilepſia propter cerebrum affectum fiunt.* Item, *In Apoplexia totum corpus repente ſenſu privatur ac motu : ſolus reſtat anhelitus : qui ſi & ipſe prohibeatur, maxima eſt & acutiſſima hæc Apoplexia. Quicunque vero reſpirant quidem, ſed magna cum vi, ſortis adeſt ipſis Apoplexia. Fortis autem adeſt & illis, ſed minus, qui neque intentum neque violentum, inæqualem tamen atque inordinatum, ac præterea intermittentem habent anhelitum ; ſicuti in quibus aliquem ſervat ordinem, debilior exiſtit.* Et alibi, *Apoplexia ex craſſorum humorum copia generatur, qui capitis vaſa, unde corpori ſentiendi movendique facultas advenit, obſtruunt. Quamobrem qui huic malo ſunt obnoxii, ſenſu, voce & motu privantur. Celſus* lib. 3. cap. 27. *Reſolutio nervorum*, ait, *frequens ubique morbus eſt : Sed interdum tota corpora, interdum partes infeſtat. Veteres auctores illud* ὁλοσχερέστερον, *hoc* μερικώτερον *nominaverunt. Nunc utrumque* παράλυσιν *appellari video. Solent autem qui per omnia membra vehementer reſoluti ſunt, celeriter rapi.*

9. Στρατιώτας *milites*] Syrus reſpondet Gr. ܐܢܫܝ ܚܝܠܐ *Aſtratejute.*

JAC. CAPPELLUS.

12. *Filii vero regni projicientur in tenebras exteriores*] Dei filiis eſt univerſitas ſua, extra quam quidquid eſt dicitur καὶ ἐκχωρὶς ἐξώτερον *exterius*, 1 Cor. 5. 12, 13. Intra lux regnat, extra nil niſi tenebræ ſunt. Sic & *exteri* libri dicuntur Judæis ii qui pertinent ad ἐπιρρόδιον παιδείας, ad doctrinæ, quam procul ab ejus populo relegandam cenſent, confirmationem. Quamobrem in Miſnajot tract. De Synedrio c. 10. exſortes æternæ vitæ pronunciantur quotquot legunt libros exoticos. Id quomodo ſit intelligendum docet Maimonides in Miſna De idololatria, cap. 2. fol. 24. *Multos*, inquit, *libros ſcripſerunt idololatræ de ſua religione, docentes quodnam ſit ejus fundamentum, quænam ejus opera judiciaque. Præcepit nobis Deus ut ab iis legendis abſtineremus omnino.* Hoc omnino ibi voluit Synedrium magnum cum (auctore R. Zacuto) ſub Hyrcano & Ariſtobulo canonem hunc condidit, *Maledictus ſit qui docuerit filium ſuum ſapientiam* יונית *Græcam*, h. e. gentilitiam.

20. *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*] Ita ſe paſſim vocat Chriſtus, & vix unquam aliter ſe nuncupat. Videlicet ex pluribus elogiis quæ Meſſiæ data fuerant à Prophetis, illud elegit quod eſt omnium modeſtiſſimum. Ita vero vocatus eſt Meſſias Pſal. 8. 4. *Quid eſt homo, quod memineris ejus? & Filius hominis, quod viſites eum?* Dicit enim hæc David de ſe, ſed in perſona Chriſti, ut docetur 1 Cor. 15. 27. & Hebr. 2. 6, 7, 8. Sic Pſal. 80. 17. *Sit manus tua ſuper filium dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis* quem *firmaſti tibi.* Dan. 7. 13. *Vidi quaſi Filium hominis venientem in nubibus.* Cum igitur ſe *Filium hominis* nuncupat Jeſus, perinde eſt ac ſi dicat, Ego ſum is de quo Pſal. 8. 4. & 80. 17. Dan. 7. 13. Vide quæ notamus in Pſal. 80. 17.

LUD. CAPPELLUS.

22. *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Mortui hic figurate dicuntur qui ſunt in peccatis ſuis mortui Sic apud Ariſtophanem in Ranis, Act. 1. Scen. 7. in choro, vox νεκροὶ uſurpatur de malis civibus & ſceleratis.

Νεωὶ δὴ δημαγωγεῖ
Ἐν τοῖς ἄνω νεκροῖς.

Inducit Chorum in Elyſiis campis de Archedemo quodam Athenienſi conquerentem, quem dicit apud ſuperos in civitate ſua, nimirum Athenienſi, δημαγωγεῖν ἐν τοῖς ἄνω νεκροῖς, h. e. dominari inſtar Rhetorum, vel Tribunorum plebis in Repub. Athenienſi, inter malos & deploratos cives, quos ideo vocat νεκροὺς, *mortuos.*

IDEM.

29. Τί ἡμῖν καὶ σοί] Doctiſſ. Beza notat phraſim iſtam eſſe Græcam, & nonnulla profert ex Demoſthene & Herodoto exempla, ſed in quibus additur πρᾶγμα, ita ut & hic ſubaudiri velit πρᾶγμα. Sed nihil opus eſt eo confugere : eſt enim Hebraiſmus uſitatiſſimus, cujus exempla non ſemel occurrunt in Vet. Teſt. ut 2 Reg. 16. 10. David ad Abiſai ſic loquitur, מה לי ולכם בני צרויה, *Quid mihi & vobis, filii Sarviæ?* Et Joſ. 22. 24. Rubenitæ ſic reſpondent Iſraelitarum legatis, *Metuebamus ne filii veſtri aliquando ſic noſtros convenirent,* מה לכם ליהוה, *Quid vobis cum Domino rei eſt?*

GRO-

GROTIUS.

2. Προσκυνεῖ αὐτῷ, *adorabat eum*] Projecto in terram corpore, ut Lucas explicat v, 12. Ita autem procidit ut genua Chriſti contingeret, quod eſt γονυπετῶν [*genua amplectens*] apud Marcum, non autem flexis genibus, ut quidam interpretantur, quæ minor erat venerandi ſpecies. Sic & quod infra Matthæi interpres dixit προσκυνῶν [*adorare*] IX, 18. Marcus & Lucas dixerunt πίπτειν παρὰ πόδας [*procidere ad pedes*]. Alibi quod hic noſter προσκυνῶν [*adorare*] dixit, Lucas exponit πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον [*procidere in faciem*]. Videtur omnino viriliginoſus iſte magnum aliquid & eximium de Jeſu animo concepiſſe, nimirum liberrimam ſanandi poteſtatem. Sed an hunc eſſe promiſſum Meſſiam crediderit, dubitari poteſt, cum ipſe Jeſus id nondum palam eſſet profeſſus neque is rumor in vulgus manaſſet. ¶ Κύριε, *Domine*] Moris erat Judæis hoc modo quemvis etiam ignotum appellare, Johan. XX, 15. ¶ ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι, *ſi vis, potes me mundare*] Perſuaſio de potentia Dei initium eſſe ſolet pietatis. Nam hinc fit ut *ad Deum accedamus*, Hebræorum XI, 6. & ſi quid promiſit ei habeamus fidem, quantumvis difficillimum videatur id quod promiſſio continet, Romanorum IV, 21. Hebræor. XI, 19. Sic etiam Chriſtianæ religionis principium eſt confidere Dei potentiæ in Chriſto, per quam etiam corpora noſtra ſint revictura: quod ut ſigno viſibili adumbraretur, ſanitatem corporis, alterius majoris ſanitatis imaginem, iis demum Chriſtus conferre voluit qui ipſum id poſſe confiderent. Vide quod infra eſt IX, 28. Simul notanda hominis modeſtia, qui à Deo correptum ſe humiliter agnoſcens (morbus enim ille plerumque à Deo in pœnam criminis alicujus, maledicentiæ præſertim, ut Numer. XII. immittebatur) nihil poſtulare aperte audet; tantum quid Chriſtum poſſe credat teſtatur: καθαρίζειν [*mundare*] autem τὸν proprie dicitur de lepra.

3. ἥψατο αὐτοῦ, *tetigit eum*] Ex hac hiſtoria, tum ex duobus aliis in quibus mortua corpora Chriſtus contigiſſe dicitur, argumentum trahunt Græci interpretes ut doceant Chriſtum non fuiſſe Legi ſubditum. Atqui Paulus diſerte dicit Chriſtum γενόμενον ὑπὸ νόμον [*factum ſub Lege*] Galat. IV, 14. & Chriſtus ipſe, ut jam diximus, negavit veniſſe ſe in terras ut quicquam contra Legem committeret committendive auctor eſſet. Sed præterquam quod iſtis factis immunditia quidem aliqua contrahebatur. non autem proprie peccabatur in Legem (nam alioqui nec pollincire nec condere corpora, nec ſcabiem ſanare licuiſſet), certum inſuper eſt omnia opera patrata virtute Divina ſemper exempta fuiſſe præceptis ritualibus, quemadmodum de lege Sabbati infra dicemus. Nam & Eliſæus puero mortuo incubuit ut vitam ei reſtitueret, II Regum IV, 34. neque eo facto quicquam admiſit Legi contrarium. Contactus autem iſte maximi erat uſus, ut appareret neque fortuito redditam ſanitatem, neque virtutem eam aliunde quam ab ipſo Jeſu profectam. ¶ καθαρίσθηθι, *mundare*] Actiones imperare etiam homines ſolent: at res ſolo imperio effectas dare vere Divinum eſt. Ideo Chriſtus ad miracula uſus ſæpe eſt vocibus imperandi paſſivis. Nam & Moſes creationem ita deſcripſerat, *Et dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux*: quibus in verbis majeſtatem eſſe miram & στόμωτον ἐκ λόγου recte animadvertit paganus homo Longinus Rhetor cujus hæc ſunt verba, Ταῦτη ἴσως καὶ ὁ Ἑβραίων θεσμοθέτης οὐκ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν κατ' ἀξίαν ἐνενόησε καὶ ἐξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τοὺς νόμους, Εἶπεν ὁ Θεὸς, φησὶ, τί; Γενέσθω φῶς· καὶ ἐγένετο· Γενέσθω γῆ· καὶ ἐγένετο [*Sic & is qui Judæis leges ſcripſit, homo minime vulgaris; nam is Dei potentiam digne ſignificavit & oſtendit cum in principio legum ſcripſit, Dixit Deus; quid vero? Fiat, inquit, Lux: & facta eſt. Fiat Terra: & facta eſt*].

4. Ὅρα μηδενὶ εἴπῃς· *Vide nemini dixeris*] Diverſæ cauſæ afferuntur indicti ſilentii. Alibi non nego modeſtiæ exemplum nobis à Chriſto datum. Sed hoc loco videtur mihi Chriſtus non diutius ſilentium imperaſſe quam dum ſe ille ſtatuiſſet Sacerdoti explorandum, ne ſi ante ad Sacerdotes perveniſſet rumor ab Jeſu hoc eſſe factum, Sacerdotes, quorum ea notio erat, invidiæ veneno tacti, hominem à ſcabie mundatum adhuc immundum pronunciarent. Notandum enim eſt hoc miraculum in Galilæa accidiſſe, quod priora ac poſteriora indicant & apertiſſime Marcus I, 39. Sacerdotes autem Hieroſolymis erant: quare ſanatus iſte à Chriſto juſſus eſt quantum poterat properare: id enim notant illa apud Marcum εὐθέως ἐξέβαλε [*ſtatimque ejecit illum*]· ſcilicet ne fama ipſum antevelteret. Evocandus autem erat extra portam Sacerdos, ut ibi de morbo judicaret. ¶ τῷ ἱερεῖ, *Sacerdoti*] Cuivis è Sacerdotum numero cui cæteri eam provinciam delegaverant, Levitici XIII, 2. Sacerdotes autem Hebræi, non minus quam Ægyptiorum παστοφόροι [*paſtophori*], omnibus Sapientiæ partibus operam dabant; atque inter eas etiam cognoſcendæ rerum naturæ corporumque affectionibus: in qua parte qui plurimum profeciſſet, ei morbidorum inſpectio mandabatur. ¶ τὸ δῶρον, *munus*] At duplex munus debebat ſcabie purgatus, primum paſſerculos duos cum cedro, cocco & hyſſopo; deinde & agnos duos, aut ſi pauperior eſſet agnum unum cum pari turturum aut columbarum addita ſimila & oleo. Sed cum Marcus & Lucas diſerte exprimant τὸ δῶρον περὶ τοῦ καθαρισμοῦ [*munus pro emundatione*], prius illud munus hic intelligi ſatius eſt quod dabatur מנחה ביום, id eſt, ἀντὶ τῆς ἡμέρας τοῦ καθαρισμοῦ [*in die emundationis ſuæ*], Levitici XIV, 1, 7. cum poſterius illud daretur octavo poſt die, idque partim in ſacrificium ἱλασμὸν [*pro peccato*], partim in holocauſtum. ¶ εἰς μαρτύριον αὐτοῖς· *in teſtimonium illis*] Ut nimirum poſt id munus acceptum fateri debeant mundum te eſſe. Neque enim recipiebatur munus niſi poſt valetudinem diligenter exploratam. Ita illud μαρτύριον αὐτοῖς [*teſtimonium illis*] pro argumento quo quis convinci poſſit ſumitur infra X, 18. Marci VI, 11. XIII, 9. Jacobi V, 3.

5. προσῆλθεν αὐτῷ, *acceſſit ad eum*] Sicut Latine, *convenire aliquem* dicimur etiam per epiſtolam, ita & προσέρχεσθαι [*accedere*] Græce uſurpatur citra præſentiam corporis. Sic & Deo προσέρχεσθαι [Deum *adire*] dicimur Hebræorum IV, 16. VII, 25. X, 22. XI, 6. Et προσελθόντος pro libello ſupplice ſumitur. Quamquam, etiamſi proprietas vocis hac in parte non ſuffragaretur, ſufficere deberet illud in Jure receptiſſimum, *facere nos & quod per alium facimus*. Ita & infra XI, 3. Johannes dixiſſe dicitur quæ per diſcipulos nuntiabat. Atque ita hæc & ſequentia exponenda eſſe non dubito. Nam ut aliam credamus hiſtoriam à Luca narrari, tanta circumſtantiarum συνέπεια [*in idem concurſus*] non patitur: neque magis vero ſimile eſt poſt allegatos ad Chriſtum Seniores Judæos & familiares alios, ipſum Centurionem veniſſe ad colloquium Chriſti, cum eadem plane ἐν λόγῳ [*verbo tenus*] Lucas narret per amicos dicta quæ hic adſcribuntur Centurioni, addatque cum rediiſſent amici ut legationis ſuæ eventum renuntiarent, jam revaluiſſe ſervum. His adde quod Lucas vocem λέγων [*dicens*] eandem quæ hic exſtat uſurpat de Centurione ea commemorans quæ verbis ipſius per alios dicebantur: Et τὸ παραγγεῖλαι [*præcipere*] ipſe à Centurione allegatis tribuit, quod hic tribuitur Centurioni. Eſt ergo hoc unum ex iisquæ à Matthæo παχύτερον [*craſſius*] tradita Lucas ἀκριβέστερον [*diſtinctius*] exſequi voluit.

6. παῖς μου, *puer meus*] Mos veterum duta molliter efferendi. Nec Hebræi tantum ita loquuntur, ut videre eſt I Samuelis XXI, 2. 5. I Regum XX, 15. Eſther. II, 2. ſed & Ariſtophani παῖς & Terentio, Ciceroni, Horatio *puer* ſervum ſignificat. Sic & dominus *paterfamilias* dicebatur. Macrobius, *Noſtri majores omnem dominis invidiam, omnem ſervis contumeliam detrahentes, dominum patremfamilias, ſervos familiares appellaverunt.* Vide ſi libet Servium ad illud Maronis, *Claudite jam rivos pueri.* & Plinium in Epiſtolis. Tertullianus, *Gratius eſt pietatis nomen quam poteſtatis: etiam familia magis patres quam domini vocantur.* ¶ βεβλημένος ἐν τῇ οἰκίᾳ, *jacet in domo*] Βεβλῆσθαι *decumbere* interpretor, ut infra de febricitante commate 14. & de alio cui nervi itidem reſoluti, initio capitis ſequentis. Decumbebat ergo iſte, &, quod Lucas in hac hiſtoria addidit, cum mortis periculo: quare credibile eſt παράλυσιν hic dici non partis ſed totius corporis reſolutionem, κατακλείαν ſcilicet. Nam ſuo tempore hanc etiam παράλυσιν dictam docet Celſus. Accedit quod Medici κατακλείαν vehementiorem dicunt infanabilem: quod auget orandi cauſam & magnitudinem beneficii. ¶ βασανιζόμενος. *& male torquetur*] Vox hæc eſt, ut multæ aliæ, iſto ſenſu Helleniſtica, quam propterea ut minus Græcam culpat Lucianus Pſeudoſophiſta: non autem dolorem vox iſta ſignificat, quo earent ſideruti, ſed miſeram corporis conſtitutionem.

8. ἀποκριθεὶς, *reſpondens*] Secunda legatione, quæ Chriſto jam adventanti obviam proceſſit. ¶ ἑκατοντάρχης, *Centurio*] Romani in Judæa non minus quam per alias Imperii ſui partes in potiſſimis urbibus milites habebant ad continendos in officio provinciales. Joſephus de Veſpaſiano, ἑκατοντάρχας ἑκάστοις πόλεσι [*cum Centuriones urbibus impoſuiſſet*]. Hieroſolymis major erat numerus ſub Tribuno & Centurionibus: Cæſareæ, Capharnaumi atque aliis in locis pauciores erant ſub Centurionibus, quam Romanam vocem ut vulgo notiſſimam Syrus ſervavit. ¶ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς, *non ſum dignus*] Sciebat ſe magnam vitæ partem exegiſſe in cultu falſorum deorum & aliis mundi inquinamentis. Videbat Judæos, in quorum gratiam

etiam synagogam exstrui curaverat, convictum ipsius propiorem abhorrere. His motus de se quam humillime sentiebat. ¶ ἀπὸ λόγου, *dic verbo*] Excitavit Centurionem fama tum eorum quæ sine capitis quinti narrata sunt, tum proxime sanatæ virilginis: neque enim ille servaverat reticentiæ Legem ut ex Marco & Luca apparet. Sed talibus narrationibus, etiamsi testimoniis validis nitantur, fidem nemo adhibet, nisi qui de Dei potentia recte sentit.

9. Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας· καὶ λέγω τούτῳ, *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic*] Hebraismus, εἰμὶ καὶ λέγω [*sum & dico*] pro ὢν λέγω [*cum sum, dico*]. Sensus enim est, Καὶ γὰρ ἐγὼ ἀνθρώπῳ ὢν ὑπ' ἐξουσίαν, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας, λέγω τούτῳ. *Nam & ego cum sim aliena subditus potestati, tamen militibus, in quos potestatem habeo, verbo quid fieri velim edico.* Simile est illud Pauli Rom. VI, 17. χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς [*Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrina in quam traditi estis*], pro ὅτι οἱ πρὶν ὄντες δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας ὑπηκούσατε [*quod qui prius fuistis servi peccati obedistis*]. Nec aliter infra XI, 25. & XVIII, 21. ut ibi dicemus. Nec longe aliter infra XXIII, 15. Neque enim reprehenditur in Pharisæis quod proselytos faciant, sed quod factos corrumpant. Centurio igitur tacite se alieno imperio subditum, nec potestate præditum nisi quæ esset ὑφειμένῃ [*subalterna*], Christo comparat, quem plane summa ac liberrima potestate præditum agnoscit. Ait autem se esse ὑπὸ ἐξουσίαν [*sub potestate*], nimirum non Imperatoris tantum & Procuratoris, sed & Tribuni. Et proprie hic sumitur vox ἐξουσίας [*potestatis*], quomodo οἱ ἐπ' ἐξουσίας [*potestate pradui*] dicuntur qui aliis imperant, & tutela definitur ἐξουσία κατ' ἐλευθέρας κεφαλῆς [*potestas in caput liberum*]. Quod autem hic ait Centurio se sub imperio constitutum, in alios vicissim imperium habere, ea de re locus est dignus legi in Papinii Sylvis,

—— *Vice cuncta reguntur,*
Alternisque premunt.

Ubi & exempla subjicit, imitatus ut videtur Philiscum, qui allatis itidem exemplis ita concluserat sententiam,

—— Πάντῃ δ' ἂν σκοπῆς, ἴσως
Σπάνιον πίφυκε μειζόνων ἐλαττόνα·
Τούτοις ἀναγκη ταῦτα δουλεύειν ἀεί.
—— —— *juris alieni vides*
Quodcunque rerum est: parva sub magnis jacent,
Aliisque debent alia servitii fidem.]

πορεύθητι, ἀπῆλθεν· *veni, & venit*] Citra exceptionem, ut mos habet disciplinæ militaris, quæ non scisciando imperia sed parendo constat. Ideo apud Tacitum reprehenditur miles qui imperia Ducum interpretari mallet quam exsequi.

10. οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον, *non inveni tantam fidem in Israel*] Πίστις [*fides*] hoc loco firmam de Divina in Jesu potentia animi persuasionem significat. Hæc autem in Romano homine major fuit quam in Israelitis antehac sanatis, quia vim Divinam credebat efficacem satis esse sine ullo contactu. Vide historiam quæ est II Regum IV, 30.

11. πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι, *multi ab Oriente & Occidente venient*] Sensus est, Quemadmodum hic ἀπόφυλος [*extraneus*] de Divina in me potentia supra Judæos persuasus sanitatem corpori afflicto impetravit, ita ex Gentibus plurimi simili persuasione ad me confugientes æternam salutem consequentur. Apud Lucam est plenius, ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἀπὸ βορρᾶ καὶ νότου [*ab Oriente & Occidente & Aquilone & Austro*], quomodo Græci quoque & Latini loqui solent quoties significare volunt omnes orbis regiones: sed & Hebræi, ut patet Esaiæ XLIII 5. & XI, 12. & alibi. Aperte autem respicit Christus promissionem Jacobo factam Genes. XXVIII, 14. ¶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ, *recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob*] Τὰ νοητὰ [*res intelligenda*] describi solent imaginibus τῶν αἰσθητῶν [*rerum sensibilium*]. Ita virtutes Divinæ humanis membris exprimuntur: cœleste gaudium convivii specie depingitur. Qui mos à vetustissima ætate deductus Poetis & Thalmudistis & Mahumeti uberem fabulandi materiam præbuit. De more discumbendi agemus infra XXVI, 20. Est autem notanda ἐμφασις [*pragnans locutio*] in hoc verbo ἀνακλιθήσονται [*recumbent*], quasi diceretur, Omnes Judæi tam sanctos se existimant ut cum extraneo nolint cibum capere; at multi extranei cum ipsorum majoribus, quorum nomina Judæi solent jactare, cibum capient, ipsis Judæis exclusis.

12. οἱ δὲ τῆς βασιλείας, *filii autem Regni*] Sicut בני מות [*filius mortis*] Hebræis est *mortis damnati*, υἱὸς θανάτου [*filius thalami*] is qui in thalamum admittitur, ita *filii Regni* sunt quibus ex Fœderis privilegio Regnum præ cæteris destinabatur, nisi ipsi sibi obsisterent. Vide Romanorum IX, 4. ¶ τὸ ἐξώτερον· *exteriores*] Locorum nominibus statum vitæ alterius exprimi ante diximus: quare τὸ ἐξώτερον σκότος [*tenebræ exteriores*] & hic & infra XXII, 13. & XXV, 30. pœnas significat non quaslibet, sed graviores, quibus ad pleniorem notationem omnibus iisdem locis additur *fletus & dentium stridor*. Agitur autem omnibus istis locis de iis quibus maxime testata fuit Dei voluntas, quod genus hominum duplici supplicio puniendum alibi Christus pronuntiat. Est ergo σκότος ἐξώτερον status qui longissime remotus est à cœlesti gaudio, quod *lucis* nomine solet appellari. Hunc statum mystice notat Psalmus XLIX, 20. Josephus ἄδου σκοτώτερον [*Inferos tenebricosiores*] dixit Belli Judaici libro III. quomodo Æschylo & Græcorum aliis τάρταρος κάτω ἄδου [*tartarus infra Inferos*]· & Statius,

Indeprensa tenent nobis qui Tartara, querum
Vos estis superi.

Ita Salvianus alicubi monet quosdam, *Ut si beati fieri posse desperent, certe operam dent ne urantur, ne torqueantur, certe ne in tenebras exteriores injiciantur.* Eandem interpretationem hic sequitur Theophylactus. ¶ κλαυθμὸς, *fletus*] Esaiæ LXV, 14. ¶ βρυγμὸς τ' ὀδόντων. *stridor dentium*] Ex Psalmo CXII, 10.

13. ὕπαγε, *vade*] Hebræi cum quod petitur concedunt solent dicere לך, ut I Samuelis XVII, 37. ubi LXX habent πορεύου [*vade*]. II Samuelis XIV, 8. ubi alii itidem habent πορεύου, ipsi βάδιζε. Sic ὕπαγε usurpatur infra Marci V, 34. VII, 29. X, 52. πορεύου apud Lucam VII, 50. VIII, 48. Johan. IV, 50. & VIII, 11. Diximus alibi ὕπαγε [*vade*] nonnunquam aversantis esse. Est & imperantis, ut infra XXI, 28. Marci VI, 38. XVI, 7. Has significationes distinguebat pronuntiatio. Interdum in prima illa notione addebatur ἐν εἰρήνῃ [*in pace*], vel simile aliquid, ut aliquot locis jam citatis videre est. Neque dubium quin Syri ܙܠ, quod hic habet interpres, simili modo usurpaverint, ut non tam verbi quam interjectionis vim haberet. Est eadem vox Esdræ V, 15. ¶ ἐπίστευσας, *credidisti*] Quod me posse credidisti, effectum habe. ¶ ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ· *in illa hora*] Sic αὐτῇ τῇ ὥρᾳ vertunt Lxx Danielis IV, 30. ubi in Chaldaico est בה שעתא *ipso illo temporis momento*. Occurrit & infra ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης [*ex illa hora*] sensu eodem XV, 28. XVII, 18.

14. εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρου, *in domum Petri*] In quam Petrus & Andreas quoties erant Capharnaumi recipere se solebant. Credibile enim est socrus domum fuisse, cum Petrus & Andreas Bethsaidæ habuissent larem antequam Christum sectarentur.

17. Ὅπως πληρωθῇ, *Ut adimpleretur*] Sicut veterum res gestæ rerum Christi figuram habuerunt, ita & ipsius Christi actiones aliæ aliis denotandis inserviverunt. Nam beneficium corporibus redditæ sanitatis quin figuram remissionis peccatorum & sanatarum mentium tulerit, dubitari non potest. Bis ergo impletum est vaticinium; prius, cum Christus semet defatigans ad vesperam usque aliorum morbis levandis vacavit, ut hic ostendit Matthæus; posterius, cum crucis supplicium perferens remissionem peccatorum nobis impetravit. ut docet Petrus II Epistola II, 24. Nam eundem locum Esaiæ à Petro respici docet collatio versionis Lxx, quam ferme κατὰ πᾶσαν [*verbo tenus*] Petrus sequitur. ¶ ἀσθενείας, *infirmitates*] חלי proprie admodum Lxx & Petrus ἁμαρτίας [*peccata*], respicientes sensum secundum ac pleniorem. ¶ ἐβάστασεν· *portavit*] *Abstulit* interpretatur Tertullianus. Sed est in hac voce, ut & in Hebræa נשא, & ei simili נטל quam hic Syrus posuit, *oneris* quædam, id est, molestiæ, significatio: sicut & quod præcessit ἔλαβε [*accepit*] est quasi dicas *in humeros sustulit*. Sensus est ergo, Christum ut morbos hominibus demeret, nullos labores quantumvis intempestivos defugisse. Nam quod hic, neque minus apud Marcum & Lucam, tempus exprimitur *post solem occasum*, habere suam ἔμφασιν [*locutionem pregnantem*] non male à Theophylacto notatum est. Sed neque altera circumstantia omittenda est, quod Christus inter hæc pene oblisus sit hominum concurrentium turba, quod Marcus & Lucas annotandum putaverunt cum paralytici sanati historiam referrent. Sane Esaias etiam præter mortem, molestias ærumnasque multas Christi in obeundo munere μυστικῶς [*sub figura*] describit. Eandem vim verbi נשא Paulus expressit cum dixit Rom. XV, 1. τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν [*imbecillitates infirmorum sublevare*], & Galat. VI. 2. Ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε [*Alter alterius onera portate*]. hoc enim vult, sublevandos alios etiam cum nostro aliquo incommodo. Bis igitur impletum est Esaiæ vaticinium etiam in Christo; primum in morborum sanatione, non sine Christi molestia, deinde multo perfectius in ipsa morte quæ animi morbos sustulit.

18. ὁπὸ-

18. ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν εἰς τὸ πέραν. *juſſit ire trans fretum*] Eſt ἔλλειψις [*dictionis defectio*] pro ἐκέλευσεν πάντα ἑτοιμάσαι εἰς τὸ ἀπελθεῖν [*juſſit parari omnia ad abeundum*]. Nam in navi cum eſſet, tum demum juſſit ſe transvehi.

19. ἀκολουθήσω σοι ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ. *ſequar te quocunque ieris*) Erat hic Legiſperitus, quales plerique ejus ævi, honorum & lucri ſtudioſus: quare cum magnam Chriſto tot miracula edenti potentiam brevi adfuturam opinaretur, ſectam ejus profiteri voluit. Sed Chriſtus paupertatem ſuam profitens, ipſum hominis ulcus tetigit.

20. Αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι, *Vulpes foveas habent*] Eſt in hac Comparatione ἔμφασις [*in dicendo vehementia*] quam Plutarchus obſervat in ſimili illa Tiberii Gracchi, Τὰ μὲν θηρία τῆς Ἰταλίας νομοὺς ἔχει, καὶ κοιτῶνάς ἐστιν αὐτῶν ἑκάστῳ καὶ καταδύσεις· τῶν δ' ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας μαχομένων καὶ ἀποθνῃσκόντων ἀέρος καὶ φωτὸς, ἄλλο δ' οὐδὲν μέτεστιν, ἀλλ' ἄοικοι καὶ ἀνέδρυτοι μετὰ τέκνων πλανῶνται) [*Fera quæ Italiam depaſcuntur & ſubra habent & cubilia & receptus. At iis qui pro Italia & pugnant & moriuntur patent aer & lux, præterea nihil: ſine lare, ſine certa ſede cum liberis palantur*]. ¶ καταφυλοῦσιν· *nidos*] Quin vox hæc ad arborum ramos pertineat dubitaturum non puto qui loca infra XIII, 32. Marci IV, 32. & Lucæ XIII, 19. inſpexerit. ¶ ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *filius autem hominis*] Objecerunt Chriſtianis pagani & ſectarii hanc appellationem, quaſi virginali partui contrariam: quod quomodo ſolverint veteres videre eſt apud Scriptorem Reſponſionum ad Orthodoxos. Simpliciſſimum autem erat id dicere quod Tryphoni dixit Juſtinus, πανταχοῦ τῶν γεννωμένων τῶν γυναικείων αὐτῶν τέκνων τοὺς τῶν γηγενῶν γεννήτορας ὀνομάζομεν. [*ſcimus feminarum genitores dici parentes eorum qui ex iis feminis nati ſunt*]. Sed cum Chriſtus nunquam hoc modo niſi à ſe ipſo appelletur, quærenda eſt alia vocabuli hujus ratio. Sciendum igitur אדם [*hominem*] & בן אדם [*filium hominis*] Hebræis ſæpiſſime deſignare hominem contemtæ ſortis. Palam eſt אדם [*hominem*] ita ſumi Jud. XVI, 6, 11. & Pſalmo LXXXII, 7. nec aliter בני אדם [*filius hominis*] Geneſ. VI, 2. veteres Hebræi interpretantur, quibus opponuntur, ut eorum multi cenſent, בני האלהים [*filii Dei*] id eſt, בני הגבורים, οἱ τῶν ἡρώων, aut ut Græci poſt LXX verterunt, τῶν δυναστευόντων [*Summatum*], ut & Chaldæus vertit; quomodo decem illos primæ ætatis pios Patres appellare ſolebant Hebræi. Sic & in Pſalmo XLIX, 3. opponuntur בני אדם [*filii hominum*] iis qui ibidem dicuntur בני איש [*filii viri*], ubi בני אדם [*filios hominis*] LXX verterunt γηγενεῖς, id eſt, *ignobiles*, quos & Latini *Terræ filios* vocabant. Sic Ezechiel, Daniel, Zacharias cum Angelis verſantes appellatione *filii hominis* ſuæ fragilitatis admonentur: quo ſignificari vilitatem notatum & Jacchiadæ ad Danielis X, 16. Neque aliter בר אנש [*filius hominis*] accipiendum apud Danielem VII, 13. Dicit enim ei qui *filium hominis*, hoc eſt, contemtæ ſortis videbatur, datam eſſe Regiam poteſtatem. Deſcripſit ergo hac voce Chriſtus ſuam illam ξένωσιν [*exinanitionem*] de qua agitur Philipp. II, 7. Nec aliud eſt hic ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου [*filius hominis*] quam apud Eſaiam LIII, 3. נבזה וחדל אישים [*deſpectus & noviſſimus virorum*]. ¶ οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ, *non habet ubi caput reclinet*] Adeo ſe remotum à divitiore fortuna Chriſtus oſtendit ut ne domum quidem habeat propriam. Habitavit ergo Capharnaumi in conducto, aut diverſit apud diſcipulos. Vide ſupra commate 14.

21. τῶν μαθητῶν, *de diſcipulis*] Philippum hunc fuiſſe docet nos Clemens Alexandrinus ex antiqua traditione. ¶ θάψαι, *ſepelire*] Id eſt, eouſque patri adeſſe donec ei faciam ſupremum officium. Vide Tobiæ IV, 3. XIV, 12. Satis mature poſt patris mortem putabat ſe Chriſti ſectatorem fore, & præcepta ejus hauſurum. Chriſtus oſtendit auditioni ſermonum ſuorum nihil eſſe antehabendum, ſed rapiendam ambabus manibus diſcendi occaſionem. Agi enim rem maximam, conſecutionem aut jacturam vitæ æternæ. *Etiam ſepelire patrem tardum erat fidei*, ait Tertullianus libro De Idololatria.

22. ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς. *dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*] Chriſtus ex rebus obviis occaſionem ſumere ſolebat ſuarum ſententiarum. Ita cum ille ab ipſo vocatus excuſaſſet ſe ſepulturæ officio, Chriſtus & Legem & Legis ſenſum ſpiritualem illi atque aliis in memoriam revocavit. Lex tum Pontifici Maximo tum Nazaræo præſcripta erat Levitici XX. & Numerorum VI. ne quantumvis proximorum exſequiis intereſſent. Nam corpus anima caſſum, ut Philo explicat fine τῶν ἐν μέρει νόμων [*De legibus ſpecialibus*], ſignificat res eas omnes quæ corporales ſunt & ad animum nihil pertinent. Ab harum rerum cura abſtrahere ſe debent qui Deo inſerviunt. Jam vero Chriſtiani *ſacerdotes* vocantur & *Nazarei*: Ad hos igitur & inter hos peculiariter ad Euangelii præcones præcipue pertinet præceptum illud intellectum πνευματικῶς [*ſpiritualiter*]. Philo De Sacerdote, Παρὰ τοῦ κοινοῦ κόσμου καὶ τῶν μερικωτάτων πολιτῶν, μὴ προσποιουμένου τεκροῦ σώματος, ὅπως τοῖς ὄντως ἐξ ἀρχῆς ἱερὰς καὶ θυσίας ἑτοίμου ἀεὶ ἐν καιροῖς τοῖς προσήκουσι καθαίρεσθαι δυνατὴ· ἡ δὲ ἄθυτος προσπελαμένου θεῷ τὴν ἱερᾶς νίκης ἡνιόχῳ τεταχίαρχον, ὀφείλει πάντων ἀποτρέπεσθαι τὸ ἐκ φύσεως, μὴ γονέων, μὴ τέκνων, μηδὲ ἀδελφῶν θνητὰ ὄντα ἡγούμενον, εἰς ἃ παρελθὼν ἡ ἁγνεία (hoc eſt proprie de quo hic agitur) τὸ τῆς ὄντως ἐκ παρχθείσης ἀνυπόκριτον ἀμιγὲς [*Ea de cauſa maneat ſemper impollutus, non attingens corpus mortuum, ut paratus ſuis temporibus peragat preces & ſacrificia pro genere humano, nullo intercedente impedimento. Nam certe cum Deo dicatus ſit, & ſanctiori ordini princeps, debet ſeorſum ſe habere à rebus genitis: neque liberum, neque parentum, neque fratrum amore ita vinci ut aut omittat aut differat quicquam eorum quæ quam primum fieri optimum eſt*]. Eſt autem in dicto hoc Chriſti docta alluſio in duplici ſignificatu vocis νεκρῶν [*mortuorum*]. Nam νεκροὶ [*mortui*] dicuntur proprie ipſa cadavera, ut in parte dicti poſteriore, per quæ tamen, ut diximus, intelligi debent res omnes ad animum non pertinentes; improprie vero, homines à vera diſciplina, quæ animi vita eſt, alieni. Ἐν γὰρ τῇ βαρβαρικῇ φιλοσοφίᾳ, inquit Clemens, νεκροὺς καλοῦσι τοὺς ἐκπεσόντας τῶν δογμάτων καὶ καταπεπτωκότας τοῖς παθεσι τοῖς ψυχικοῖς [*In Barbarica enim Philoſophia mortuos vocant eos qui recto placitis exciderunt, & mentem manciparunt animæ affectibus*]. Philo Θάνατον ἐπιμήνιον [*Panalem mortem*] definit, ὅταν ἡ ψυχὴ τὸν ἀρίστου βίον θνήσκῃ, τὸν δὲ κακίας ζῇ [*ubi anima, vita quæ ſecundum virtutem mortua, vivit vitiis*]· & alibi, Οἱ ἄθλιοι τῶν ψυχῶν νεκροὶ [*Miſeri mortui ſunt animos quod attinet*]. multaque in eam ſententiam occurrunt apud Hebræos & Arabas Scriptores. Hauſit hoc quoque ut alia ab Orientis Philoſophia Pythagoras, τῶν Ἰουδαίων δόξας μιμούμενος [*Judæorum ſectans ſententias*], ut de eo ſcribebat Hermippus; ſiquidem καὶ πρὸς Ἑβραίους ἀφίκετο [*nam & ad Hebræos pervenerat*], ut de eo ex Diogene ſcribit Malchus: unde mos ortus, ut his qui cœtu Pythagoreorum eſſent ejecti cenotaphia ſtruerentur, quod Hipparcho cuidam factum legimus. Arrianus Epicteto IV, 5. Τοῦτο τὸ αἰδήμον τοιοῦτόν ἐστι νεκρωθέν [*Verecundia talis hominis emortua eſt*]. Senſus ergo verborum Chriſti eſt, Eorum eſſe curam rerum corporalium animi culturæ antevertere quibus animus hebes atque iners torperet. Sunt & aliæ leges duæ apud Moſem quæ ſignificationem aliquatenus habent ſimilem. Nam qui nec Sacerdotes eſſent, nec voto adſtricti, non vetabantur cadaver tangere; ſed ſi tetigiſſent erant ad tempus aliquod impuri & aqua luſtrandi. Deinde Judæi omnes vetabantur edere carnem animalis fato ſuo emortui. Cujuſmodi inſtituta etiam extra Judaicam Rempublicam obſervare eſt. Nam prioris illius mentio eſt apud Euripidem;

> Τὰν τᾶς Θεοῦ δ' οὐ μέμφομαι σοφίσματα·
> Ἦπτε βροτῶν μή τις ἅψηται φόνου,
> Μήτ' ἐν λοχείαις, μήτε νεκροῦ θίγῃ χεροῖν
> Βωμῶν ἀπείργει.
> [*Mihi iſta Diæ non placet ſapientia,*
> *Qua ſiquis ulla cæde fœdavit manus,*
> *Vel inane corpus vel puerperium attigit,*
> *Hunc arcet aris.*]

In Chryſippi libris erat, Τὸ παρελθεῖν δοκοῦ λίχνος ἢ θυσίαν ἐπὶ ἱερὸν, ἄλογος διαβέβληται) [*Immerito culpatur ire ad templum recta à puerpera aut à mortuo*]. In Calpurnii ſententiis, *Magis religio pollutur funeſtate quam mortuo ſacerdote.* Apud Tacitum, *Neque Imperatorem auguratu & vetuſtiſſimis ceremoniis præditum attrectare feralia debuiſſe.* Quibus locis videre eſt etiam puerperarum contactu homines impuratos: quod & Lex Moſis præſcribit, incertum an, ut alia quædam, etiam ante moribus uſurpatum: ut videri hæc poſſint à Noæ liberis profecta. Alterius teſtem habemus Hieroclem, qui inter Pythagoræ præcepta refert, Τὸ θνησιμαίων ἅπτεσθαι [*Abſtine à morticinis,*] quo avocatos ait diſcipulos ipſius à cura rerum mortalium. Meminit ejus moris & Porphyrius Epiſtola ad Anebonem, & Ælianus libro IV.

23. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. *diſcipuli ejus*] Hic quoque plures illis duodecim intelligi ſatis apparet ex commate 27.

24. σεισμὸς μέγας, *motus magnus*] רוח סער Jonæ I, 4. *Motis fluctus* Virgilio; aliis *motum mare*. Sed & *quati æquora* dicunt Poetæ.

25. σῶσον ἡμᾶς, *ſalva nos*] הושיעה Pſalmo III, 8.

26. ὀλιγόπιστοι, *modicæ fidei*] Confidere debuerant, ſe, dum Chriſtum comitabantur, in peculiari eſſe Dei tutela; quia

id Divinæ bonitati erat conſentaneum. Oſtendit ergo Chriſtus δειλίαν, hoc eſt, trepidam illam formidinem quæ de fide ſua animum dimovebat, prolem eſſe τῆς ὀλιγοπιστίας [*defectus fidei*]. Nimirum, ut Varro olim dicebat, Deus à religioſo veretur, à ſuperſtitioſo timetur, anxio ſcilicet metu; cujus exemplum nobile habemus in illo qui ad quemvis tonitrus ſonum abditiſſimas latebras quærebat. Contra verum eſt quod Ariſtoteles alioverſum tamen dixerat, habere cur forti excelſoque ſint animo qui de rebus Divinis recte judicant. ¶ ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις, *imperavit ventis*] Figurata locutio, qualis Pſalmo CVI, 9. id eſt, ventos compeſcuit.

27. ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ; *quia ventis & mare obediunt ei*] Incipiunt majus quiddam humana magnitudine in Chriſto ſuſpicari. Nam Dei ἐπιτίμησις eſt in Pſal. LXV, 8. חֹשֵׁם שְׁאוֹן יַמִּים, *compeſcens fremitum maris*. Adde Pſalmum CVII, 25.

28. τῶν Γεργεσηνῶν, *Gergeſenorum*] Ex reliquiis Chananæorum. ¶ ἐκ τῶν μνημείων, *de monumentis*] Putat Theophylactus viguiſſe eo tempore dogma animas hominum mortuorum dæmonas fieri. Mihi vero ſimilius eſt creditum à multis animas mortuorum circa cadavera hærere, & in dæmonum eſſe poteſtate. Nam & nunc Judæi talia tradunt, & olim ei probando hiſtoria Pythoniſſæ Samuelem Sauli excitantis abutebantur. quæ opinio ad Chriſtianos etiam manavit, ut videre eſt in Colloquio Juſtini cum Tryphone. Hanc ergo opinionem περὶ τῶν νεκρομαντειῶν [*& vaticinia ex mortuis*], ut in animis hominum foverent diaboli, multum in ſepulchretis verſati ſunt, ac pleraque φάσματα [*ſpectra*] ad hominum mortuorum inſtar effinxerunt.

29. Τί ἡμῖν καὶ σοί, *Quid nobis & tibi*] Hoc ſi ex uſu Latini ſermonis interpreteris contemtum videtur inducere. Ita enim Latini ajunt, *Quid tibi mecum eſt?* At Hebræis aliud ſignificat, nimirum, Cur mihi moleſtiam exhibes? Quod clare apparet II Samuelis XVI, 10. & II Paralipom. XXXV, 21. Nec aliter accipio quod eſt Joelis III, 4. Negat enim Deus ſe Tyriis aut Sidonis cauſam ullam dediſſe cur populo ſuo infeſti eſſent. Et eodem prope ſenſu apud Curtium hoc loquendi genus uſurpant Scythæ, *Quid nobis tecum eſt? nunquam terram tuam attigimus.* ¶ πρὸ καιροῦ, *ante tempus*] Ante diem illum Judicii in quem ſervari ſe norunt impuri ſpiritus, II Petri II, 4. Judæ 6. ¶ βασανίσαι, *torquere*] Mali cum injuriam facere non ſinuntur injuriam ſe accipere exiſtimant. Hoc eſt mitti εἰς ἄβυσσον [*in abyſſum.*] Vide quæ ad Lucam & ad Apocalypſim.

30. ἀγέλη χοίρων· *grex porcorum*] Solere & ſues gregatim paſci Ælius Marcianus in Juris Romani inſtitutionibus probabat his Homeri verſibus,

Δμῶες τὸν γε σύεσσι παρήμενον· οἱ δ' νέμοντο
Πὰρ Κόρακος πίτυν, ὄφρ' τ πρὸς Ἀρέθοιο.
[*Invenies illum porcis adſidere, Corvi*
Qui paſcuntur apud ſcopulum fontemque Arethuſæ.]

31. ἐπίτρεψον ἡμῖν, *permitte nobis*] Ita & Marcus, ἐπέτρεψεν αὐτοῖς εὐθέως ὁ Ἰησοῦς [*conceſſit eis ſtatim Jeſus*]. Lucas quoque eandem vocem bis uſurpat, tum in exprimenda poſtulatione dæmoniorum, tum in narrando Chriſti facto. Quare cum hoc ipſum Marcus etiam πέμψον εἰς τοὺς χοίρους [*mittere in porcos*] vocet, apparet veriſſimum eſſe vocibus activis ſæpe nihil aliud quam permiſſionem, præſertim ſapientem ac providam, indicari. Vide loca Geneſeos XX, 6. XXXI, 7. Exodi III, 19. XII, 23. Pſalmo XVI, 10. Actorum II, 27. Ejicere diabolum ex homine, Chriſti fuit actio; in porcos ut irent nulla actione Chriſti erat opus: hoc enim optabant ipſi diaboli, & viribus nativis id ipſum efficere poterant, dum ne vi majore impedirentur. Non ergo Chriſtus in hac re vim agentem exſeruit, ſed vim impedire valentem ſuſtinuit; magnis haud dubie de cauſis. Habitabant illis in locis, ut ex Joſepho apparet, homines Judæi Græcis permixti. Græcis in more erat poſitum ridere Judaica inſtituta, præſertim vero abſtinentiam à ſuillis carnibus, tanquam humanæ ſuperſtitionis inane commentum. Notum eſt illud Juvenalis,

Nec diſtare putant humana carne ſuillam.

Sed jampridem Anaxandrides Comicus dixerat,

Οὐκ ἐσθίεις ὗν', ἐγὼ δέ γ' ἥδομαι.
[*Non veſceris ſuilla: mihi nulla eſt caro*
Quæ ſapiat melius.]

Et Plato itidem Comicus,

Τῶν γὰρ πετεινῶν ἥδιον ἀστακὸς ἔφυ
Ἡμᾶς τὸ λοιπὸν πρὸς ὑὸν· τοῦ γὰρ κρέα
Ἡδὺς' ἴσχυε, κ' ἥδιν ἀφ' ὑὸς ἦν
Πάλαι ὑπάρχει ἡμῖν ἡ πρὸς π ἡ βοΐ.

[*Profecto nullum nos quadrupedem occidere*
Prater ſues decebat: nam ſuavissima
Caro eſt ſuilla, & de ſue nil ad nos redit
Prater clamorem & canum & ſetas hispidas.]

Neque alia ſententia cujuſdam apud Plutarchum, qui Judæos dicebat abſtinere eo cibo qui omnium eſſet juſtiſſimus. Eandemque ob cauſam dicebat Æſopus ex omni animantum genere ſues maximum clamores tractas edere, quia ſcirent ſe niſi morientes nulli eſſe uſui. Sic & Caligula Judæos Alexandrinos cum irriſu interrogabat, Διὰ τί χοίρειον κρέας ἀπέχεσθε; [*Cur à ſuilla abſtinetis?*] cumque illi varia variarum gentium inſtituta memorarent, atque inter cætera eſſe qui ne agnina quidem veſcerentur, *Merito*, inquit, *neque enim tam ſuavis eſt.* Quidam etiam, ut idem Plutarchus notat, exiſtimabant Judæos veneratione quadam ejus animalis teneri, quod & Perſius voluiſſe videtur cum ait,

Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Alii alias cauſas conjectabant; ut illi ex quibus hoc hauſit Tacitus, *Sue abſtinent, memoria cladis quod ipſos ſcabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.* Chriſtus igitur permittens dæmonibus in ſues irruere, oſtendit Græcis, Judæorum religionem ex Dei eſſe præcepto, ſimulque Judæos qui ſe Græcorum moribus nimium aptabant, contra majorum conſtitutionem factam Hyrcani temporibus in ſepimentum Legis, Ne cui porcum alere liceret, admonuit de myſtico Legis ſenſu, ſignificans homines qui ſe in fœdis voluptatibus ſuum more volutarent, Deo quam maxime diſplicere & diaboli eſſe mancipia. Barnabas Apoſtolus, Οὐδὲ ἐν ὁδῷ ἁμαρτωλῶν ἔσῃ, καθὼς οἱ δοκοῦντες φοβεῖσθαι τὸν Κύριον ἁμαρτάνουσιν ὡς ὁ χοῖρος· τροφὴν μὲν λαμβάνει, πλησθεὶς δὲ τὸν δεσπότην οὐ γινώσκει [*Neque in via peccatorum ſtetis, ſicut quidam qui Deum timere videntur peccant ſuis inſtar; nam ſus dum eſurit clamat: ubi ſatiata eſt, dominum non novit*]. Philo, Παιδεύουσι τοὺς ὕπτιον βιοῦντας τὴν σοφιστὴν ὁ νομοθέτης τῷ σίνει ἀφορμὰς γῆς. Δέγων μὴ εἶναι καθαρὰ, βλαπτὰ ἢ καὶ βαρυβρώτα βίῳ καὶ τοῖς αἰσχίοσιν ἐμφερόμενα [*Egregie ſapientia ſimulatores qui ad eum vivunt modum Legum Scriptor ſuum generi comparat; qua vitam non quærunt limpidam ac puram, ſed cænoſam & res fœdas dictu*]. Idem alibi eos qui ſe ſaginæ & potui mancipant ait συὸς τρόπον ἐν βορβόρῳ ἡδυπαθοῦντας χαίρειν [*ſuis in morem gaudere cum in luto verſantur*]. Quibuſcum conferenda quæ legimus II Petri II, 22. Eandem interpretationem myſticam legis de ſuilla carne non edenda aut ex Philone aut ex Apoſtolorum traditione acceptam pulchre explicat Lactantius libro IV Inſtitutionum, cap. 17. *Eodem ſpectat etiam ſuilla carnis interdictio: A qua cum eos abſtinere Deus juſſit, id poſſimum voluit intelligi, ut ſe à peccatis atque immunditiis abſtinerent. Eſt enim luulentum hoc animal atque immundum, nec unquam cælum adſpicit, ſed in terra toto & corpore & ore projectum ventri ſemper & pabulo ſervit; nec aliud alium, dum vivit, præſtare uſum poteſt, ſicus cætera animantes, quæ vel ſedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plauſtra colle trahunt, vel onera tergo geſtant, vel indumentum exuviis ſuis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel cuſtodiendis domibus invigilant. Interdixit ergo ne porcina carne veſcerentur, id eſt, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad ſolam mortem nutriuntur: ne ventri ac voluptatibus ſervientes ad faciendam juſtitiam inutiles eſſent ac morte afficerentur.* Ad hanc ergo Moſis legem Chriſtus ut verbis alias, ita nunc facto digitum intendit. Simul autem oſtenſum voluit, quomodo Deus ſapientiſſimus vim diaboli limitibus quibuſdam circumſcribat, ut in Jobi hiſtoria videre eſt: quod ni eſſet, haud dubie acturum cum hominibus diabolum quemadmodum cum porcis iſtis agebat. Obſervat etiam contra Manichæos Auguſtinus tum ex hoc loco tum ex illo de ficus exſecratione, nullam eſſe hominibus juris ſocietatem aut cum balluis aut cum arboribus.

32. ὅπως μετενέγκῃ ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν, *ut tranſiret à finibus eorum*] *Præ metu*, ut Lucas explicat. Nimirum peccatorum ſibi conſcii vim in Chriſto Divinam metuebant. Confer locum I Regum XVII, 18. Et verba Jobi de hominibus ætate Diluvii, XXII, 17.

P R I C Æ U S.

Com. 2. Κύριε, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι] De Deo Scriptor Sapientiæ 12. 18. Σοὶ παρεῖναι ὅταν θέλῃς, τὸ δύνασθαι. Arrianus 3. 10. in Epictetum, Τί κολακεύεις τὸν ἰατρόν; τί λίγεις, Κύριε, ἐὰν θέλῃς, καλῶς ἔχω; Habet & peculiarem hic vim ſuam illud *δύνασαι*· neque enim ad exorandos oratos vox ſolennior & efficacior ulla. Vide quæ ad Luc. 5. 12. annotavimus. Horatius ad Canidiam,

Et tu (potes nam) ſolve meæ dementiæ.

Com. 3. Θέλω] Simul velle quid, ſtatimque id effectum dare, Divinæ eſt potentiæ: vide infra heic com. 13. & 16. Hanc poteſtatem tamen Deo ſoli competentem ad Poteſtates terrenas ſolet turpis adulatio aptare. Ariſtides in Smyrnenſi Oratione, Ὅλως γε μὴν ἐνθυμηθῶ σοὺς ἡμαυτὸν ὅτι τὸν πάλαι πεπαυκόσιν παθεῖν, ὡς λέγεται, καὶ μεταξὺ παρεθέγξασθαι μὴ βούλεσθαι Νασαμῶνας εἶναι, εἶτα ἀπώλοντο οἱ Νασαμῶνες, εἶμαι σφόδρα γε ὑμῶν εἰκότως ἂν ἐλπίζων, ὅτι σωθάζοντες, καὶ τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν ἤθεσι χρώμενοι, καὶ ποσῶν μόνον εἰπόντες, καὶ σαφὲς δείξαντες ὅτι βούλεσθε Σμυρναῖοι εἶναι, ταχέως ἅπασιν ἡμῖν ὁ παθεῖν δόξει. Plinius in Panegyrico, *Tam velox, Cæſar, potentia tua eſt, tamque in omnia pariter intenta bonitas, ut triſte aliquid ſeculo tuo paſſis ad remedium ſalutemque ſufficiat ut ſciat.* Apuleius 7. *Denique noluit eſſe Cæſar Hamis latronis collegium, & conſeſtim interiit.*

Ibid. ἅψασθαι αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς, &c. καὶ ἐκαθαρίσθη] Ut

—— Καιῇ νέον τι κυκώμενον ἀρχαλέῃ τε
Ἀφαμάρᾳ χεροῖν, αἶψα πίθηι ὑγιῆ·

in verſiculis Soloni adſcriptis. Notemus Chriſti ordinem autem, & agendi modum. Pater Dæmoniaci apud Marcum ejus opis indigus, dubio ac vacillanti animo accedens ait, εἴ τι δύνασαι, βοήθησον. Ei congrue & concinne Dominus, εἰ δύνασαι πιστεῦσαι. Leproſus ille certa fide nixus ſanari petit: Chriſtus tam magnam fiduciam adæquate remunerari volens, omiſſis moramentis & interrogationum ambagibus, Θέλω, (inquit) καθαρίσθητι. Petitionem effectus ſequitur, vel potius comitatur.

Αὐτίκα ἐκεῖ τό γε μοῦσα ἴδεν, πεπίλεσε δ' ἔχεν.
Ἅμα ἔπε εἶπε, καὶ ἔργα ἐκοίει.

Com. 6. βέβληται, &c.] Vulgatus bene, *jacet puer meus.* In Gloſſario, Βέβληται, *jaceo*, i.e. κεῖμαι· quod etiam *jaceo* vertitur in Onomaſtico. Potes & *cubat puer meus*, nam ſic Veteres Latini. Horatius Serm. 1.

—— *Menſes jam quinque cubantis.*

Scholiaſtes, *In infirmitate jacentis.* Idem ad Serm. 1. *Cubat: ægrotat, languet, jacet.* Beza hic *projectus* vertit, moleſtiſſime.

Ibid. δεινῶς βασανιζόμενος] Sic ſupra 4. 24. ποικίλαις νόσοις καὶ βασάνοις συνεχομένους. Improbat Lucianus hunc loquendi modum, alioqui non inſolitum; nam & vetus quis apud Suidam acceptione item σφόδρα dixit. Τοῦτον (inquit) πλουσίως ἐβλασφήμησαν, δεινῶς ἐσφόδρα. Qua & forma Seneca epiſt. 78. ex perſona graviter ægrotantis, *In equuleum impoſiti non ſic diſtrahuntur*: i.e. σφόδρα πάσχουσι, βασανίζονται.

Com. 8. οὐκ εἰμὶ ἱκανός]

—— *Non ſum me judice tanti.*

Com. 9. ἄνθρωπός εἰμι ὑπ' ἐξουσίαν, &c.] Vide ad Luc. 7. 8. annotata.

Ibid. λέγω τούτῳ, Πορεύθητι, καὶ πορεύεται] Militaris obedientiæ nota, qualis & in Apulcianis, *Miles Tribuni ſui præcepto debitum ſuſtinens* (lege *ſiſtens*) *obſequium, literas ad magnum ſcriptas Principem Romam verſus perlaturus*, &c. Adde quæ ad Lucam dicta.

Ibid. καὶ ἄλλῳ, Ἔρχου] Vulgat. & *alii*, *Veni*, ut nunc temporis codices; at olim *alio* videtur ſcriptum fuiſſe. Anonymus (qui vulgo Beda) in de Orthographia, ALIUS *nomen datiuum duplicitèr effert, alii & alio. Habes in S. Scriptura, Dico huic, Vade, & vadit: & alio, Veni, & venit.*

Ibid. καὶ ἄλλῳ, Ἔρχου, καὶ ἔρχεται] Prompte, non detrectans, non diſceptans: quod Act. 10. 29. ἀναντιρρήτως ἦλθον. Tacitus, *Sic ſe Ducum auctoritas, ſic rigor diſciplinæ habet, ut multa per Centuriones Tribunoſque tantum juberi expediat: ſi ubi jubeantur, quærere ſingulis liceat, pereunte obſequio etiam imperium intercidit.* Hinc Gellius 1. 13. de P. Craſſo architectona neſcio quem illum bene plagis multante, *Cauſis rationibuſque quas dicitabat ſpretis, veſtimenta detrahi juſſit, virgiſque multum cecidit: corrumpi atque diſſolvi omne officium imperantis ratus, ſi quis ad id quod facere juſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non deſiderato reſpondeat.* De Socrate Seneca 120. Epiſt. *Civem ſe eſſe, & militem Univerſi credens, labores velut imperatos ſubit.* Vide plura ad Lucam dicta. In loco Gellii *officium* eſt quod Arnobius, aliique, quin & alibi idem Gellius ipſe, *pontificium* vocat.

Ibid. πορεύθητι, καὶ πορεύεται, &c. ἔρχου, καὶ ἔρχεται] Similiſſime 2. 7. apud Gellium, *Uti juſſum, proficiſci; ut arceſſitum, venire:* & apud Arrianum 1. 25. in Epictetum, Κατηγορεῖς Ἀγαμέμνονα λίαν μοι, πορεύου πρὸς τὸν Ἀχιλλέα, &c. πορεύομαι· ἔρχου, καὶ ἔρχομαι· & ibidem, Ἐν Σατουρναλίοις λέλαχε βασιλεύς, &c. παρεσκεύασται, οὐ πίπτ, οὐ κέκραγεν, οὐ δάκνει, οὐκ ἄπελθε, οὐκ ἐλθέ. Idem alibi ex viri boni perſona Deum alacri animo ſequentis, Ὡς ἀγαθῷ στρατηγῷ πεθόμην, εἰκολυθῶ, ἐπιθυμῶν τὸν ἡγεμόνα, ὑμνῶν αὐτοῦ τὰ ἔργα· καὶ γὰρ ἦλθον ἐπ' ἐκεῖνα ἐδόκει, καὶ ἅπαντα πάλιν ἐκεῖνα διανοοῦτ@. Contra apud eundem inter notas hominis nulli imperio ſubjecti, 3. 26. Πορεύομαι ὅπου θέλω, ἔρχομαι ὅθεν θέλω· & apud Petronium eſt, *ire liberos homines quo deſtinant.*

Ibid. καὶ τῷ δούλῳ μου, Ποίησον τοῦτο, καὶ ποιεῖ] Poſt ποιεῖ, ſupple ex Tit. 2. 10. οὐκ ἀπολίγων· non enim hic, ut ſupra, de militari, ſed de domeſtico imperio agitur. Unde Luc. 14. 22. illa, Καὶ εἶπεν ὁ δοῦλ@, Κύριε, γέγονεν ὡς ἐπέταξας· ad quem locum quæ attulimus vide. Seneca in Controverſiis, *Servus heriles imperii non cenſor eſt, ſed miniſter.* P. Chryſologus, *Quicquid Dominus indebite, iracunde, oblitus, cogitans, ſciens, neſciens circa ſervum fecerit judicium, juſtitia, lex eſt; imperantis ira ſubdito jus eſt, & ad libitum Domini voces non habet conditio ſervitutis.*

Com. 11. καὶ ἀνακλιθήσονται μετ' Ἀβραάμ, &c.] Chryſoſtomus, & (forte ex eo) Euthymius legit ἀνακλιθήσονται ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Ἀβραάμ· ut Luc. 16. 23. Apuleius 6. *Accumbebat ſummum torum maritus, Pſychen gremio ſuo complexus.*

Com. 12. ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς, &c.]

Quocunque aſpicias, luctus gemituſque ſonabant.
—— *Crudelis ubique*
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Lucianus, ubi & de Inferorum tormentis, Πολλὰ ἐλεινὰ ἐκεῖ ἀκοῦσαί τε καὶ ἰδεῖν, μαστίγων τε ὑπὸ ἀμοῦ ψόφ@ πίνεται, καὶ οἰμωγὴ τοῦ ὄχλου ἅπαντος ἀπαύστους, καὶ σρίβλαι, καὶ κύφωνες, καὶ τροχοί, &c. Ἐκεῖ autem quam apte hic locum habeat, vide in ad Luc. 13. 28. annotatis.

Com. 13. ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ] *Illo ipſo temporis articulo*, ut locutus Apuleius noſter.

Com. 15. ἥψατο τῆς χειρὸς αὐτῆς, καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετός] Vide ad Luc. 4. 39. dicta.

Com. 16. Ὀψίας δὲ γενομένης, &c.] Heſychius, Ὀψίας, ἑσπέρας.

Ibid. ὀψίας γενομένης] Demoſth. in Κ. Midiæ, Τῆς ἡμέρας ὀψὲ ἐγένετο.

Com. 17. πρὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε]

Nobis erumna ſua libertatem parans,
Nobis ſervitutem ſua miſeria deprecans.

Voci βασάζειν quæ hic in Contextu ſequitur, in re ſignificata reſpondet Luc. 10. 34. ἐπὶ τὸ ἴδιον κτῆνος ἀναβιβάζειν· Luc. 15. 5. ἐπὶ τοὺς ὤμους ἀναθέμενος. Confer & 1 Pet. 2. 24.

Com. 19. εἷς γραμματεύς] Pro εἷς, vel τις, ut Marc. 14. 51. Sic Joh. 6. 9. ἓν παιδάριον, & 20. 7. ἕνα πρὸς· Luc. 5. 12. ἐν μιᾷ τῶν πόλεων· Luc. 8. 22. μιᾷ τῶν ἡμερῶν· Luc. 20. 3. infra heic 13. 46. ἵνα μαχαίρᾳ· & 21. 24. λαοὶ ἕνα· ibid. com. 19. συκῆν μίαν. Vide & Matth. 19. 16. Quod loquendi genus neſcio an à Latinis acceptum. Plautus Trucul.

—— *Quis is homo eſt, Aſiaphium?*
Unuſne amator? ——

Catullus de Suffeno,

—— *Unus caprimulgus aut foſſor*
Rurſus videtur. ——

Quadrigarius apud Gellium 15. 1. *Ut Archelai turrim unam, &c. ligneam incenderet.* Julius Obſequens, *Unus miles ejus (Syllæ) aggerem ferens, examinatus fulmine*, &c. Zeno Veronenſis de corpore humano loquens, *Procuratores ejus oculi aliquo ictu extincti ſubſidunt, nonne cadaver eſt unum?* Terentius, Andr.

—— *Forte unam aſpicio adoleſcentulam:*

ubi

ubi Donatus, *Tolle* UNAM, *& ita fiet ut sensui nihil desit, sed consuetudo miranti non erit expressa*: UNAM *ergo τῷ ἰδιωτισμῷ dixit, vel pro* QUANDAM.

Ibid. ἀδιάκλητε] Non stricta, id est relativa acceptione, at laxiore illa qua minus noti humaniter compellari solebant, non apud Hebræos tantum, & Græcos, sed & Romanos. Lucianus in de Merc. conduct. φιλοτιμία τι ὄφλει τύτῳ, ἢ σπύδων ἐυμεγέθη τις αἰτίαιτο, μεζόνως σοι, τῷ διδασκάλῳ, ἢ ὃ, πάντων μεγιστῶν. Donatus ad 3. 2. Adelph. *Magister, Medicus, Orator, sunt nomina ad aliquid, quibus tamen nos velimus ab omnibus appellari.* Quod diximus, verum esse appareret ex Luca, qui hic Κύριε habet.

Ibid. ἀκολυθήσω σοι ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ]

—— Usque sequar te. Etiam quo non jusseris, sequar.
—— Te quo libet ire, sequemur.
—— Sequar, quamvis terraque marique
Longinquo referam lassus ab orbe pedem.

Vide & quæ ad Luc. 9. 57. annotata. Ad Cyrum R. Tigranes apud Xenophontem, Οὐκ ἀποληψόμενός σε, ἀλλ' ἂν σπύδοφόρον με δέῃ σοι σωαγαλυβεῖν.

Com. 20. αἱ ἀλώπεκες φωλεὸς ἔχυσι] Phædrus,

Vulpes cubile fodiens dum terram eruit, &c.

Sic, cuniculos in effossis antris (i. e. cubilibus) habitare, Martialis dixit. Adde hic ad Lucam annotata.

Ibid. καὶ τὸ πετεινὰ τ. οὐρανῦ κατασκηνώσεις] Habuimus membro præcedente φωλεὸς, hoc autem κατασκηνώσεις. Eadem copula Manilius,

Pellitur omne loco volucrum genus atque ferarum,
Antiquosque domos, & nota cubilia linquunt.

Et Arnobius, *Alia* (animalia) *cernimus opportunissimis sedibus nidulorum sibi construere mansiones; alia saxis & rupibus tegere se & communire suspensis; excavare alia tellurem sola, & in fossilibus foveis tutamina sibimet & cubilia præparare.* Vide Psal. 83. 4.

Ibid. ὁ γὰρ υἱὸς τ. ἀνθρώπυ οὐκ ἔχει πῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ] Salvianus 4. contra Avaritiam, *Sunt quidam, quibus etsi vestimenta desunt, alimenta non desunt: multi sane hospitio egent, vestibus non egentes: multi domo carent, sed non substantia* (ubi malim è converso legi, *multi substantia carent, sed non domo:* qui enim substantia, (i. e. facultatibus) non caret, vix potest domo destitui) *sunt denique quibus etsi desunt multa, non desunt omnia; Christus tantummodo solus est, cui nihil est quod in omni humano genere non desit.* Οὐκ ἔχει πῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ, locutio proverbialis, ultimam egestatem denotans. Vide hic ad Lucam annotata. Oppositionem porro (sive illam ἀντίθετα vocaveris) ei quæ in Christi verbis est non dissimilem habent Catilinæ apud Salustium ista, *Illos* (de divitibus agit) *binas aut amplius domos continuare, nobis Larem familiarem vix quam ullam esse.* Nec abludit Aristophanis illud, Γεωργῶν τῷ μὲν πολλὼ (γλῶ,) τῷ δ' οὐκ ἔνι μηδὲ παρῆναι. Agapetus Diaconus, Καὶ οἱ μὲν (πλούσιοι) κατέχυσι δ' ἤδεμα τὰ πίσσατα, οἱ δ' (πένητες) οὐκ ἔχυσι πῦ σῆσαι τὰ πίλιματα.

Com. 21. ἐπίτρεψόν μοι πρῶτον ἀπελθεῖν, καὶ θάψαι τ. πατέρα μυ] Sine

Sedibus hunc referam ante suis, condamque sepulcro.

A rebus mundi avocatis semper aliquid moramenti obtenditur. Apud Lucianum ille, ne statim Charonæ cymbæ imponeretur deprecans, Τὴν οἰκίαν ἐκπλεῦσαί μοι πρόπερον ἐπίτρεψον, ἡμιτελὴς γὰρ ὁ δόμος καταλέλειπται.

Com. 22. ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς] Vult dicere, (ut in veterum Græcorum epistolis) τὸν γλυκὺν τῆς γῆς καταλείπων, τὸ ἀναγκαῖον μεταρσίου γοήμυ σφαλῆς i. e. ut hoc loco Lucas, τὸ βασιλικὸν δὲ θεῦ λόγυ ἐκκλίνε. Theophylactus Simocatta, Τοῖς θνητοῖς τὰ θνητὰ καταλείψωμεν. Curare patris funus & pia & necessaria res; vult tamen Christus eam posthaberi, dum eodem tempore melioris longeque majoris negotii opportunitas daretur. Observationis non alienæ vestigium etiam in Pontificio Romanorum Jure occurrit. Virgilius 11. de Æneа,

—— Quanquam & sociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens est,
Vota Deum primo victor solvebat Eoo.

Ubi Servius, *Consuetudo Romana fuit ut polluti funere minime sacrificarent: si tamen contingeret ut uno eodemque tempore funestaretur quis, & cogeretur operam dare sacrificiis; elaborabat ut ante sacra compleret quam funus agnosceret. Unde etiam Horatius Pulvillus in Capitolii dedicatione, cum filius ei ab inimicis nunciaretur occisus, (ut quidam putant falso, ut alii, pro vero) ait, Cadaver sit: nec voluit funus agnoscere, donec templa dedicaret. Secundum quem ritum etiam Æneas inducitur ante operam dare sacrificiis, & sic ad sociorum & Pallantis sepulturam reverti.* Quæ etiam apud Senecam legimus cap. 13. Consolat. ad Marciam. Est & locus apud Philonem in de Monarchia huc spectans pag. 828. a. edit. Paris. Adde quæ ad Luc. 9. 60. annotavimus.

Com. 24. σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσσῃ] Vide ad Luc. 8. 24.

Com. 25. κύριε, σῶσον ἡμᾶς] Ibidem annotata inspice.

Com. 26. τί δειλοί ἐστε, ὀλιγόπιστοι;] Vide ad Apoc. 21. 8.

Ibid. ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις]

Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.

Suetonius de Augusto Cæsare, *In urbe suburbana obstrepentes ranas silere jussit, & ex eo negantur ibi rana coaxare.*

Ibid. καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη]

Vix auditus erat, venti frenantur & unda.
—— Sua ventis cecidere vires,
Mitius stagno pelagus recumbit,
Alta qua navis timuit secare
Hinc & hinc fusis spatiosa velis,
Strata ludenti patuere cymba.

Panegyristes ad Constantinum, *Ita quieto mari navigavit, ut Oceanus tanto vectore stupefactus carnisse suis motibus videretur.* Adde quæ ad Lucam dicta.

Com. 27. ἐθαύμασαν, λέγοντες, Ποταπὸς ἐστιν οὗτος;] q. d.

Otium tanto subitum è tumultu
Quis Deus fecit? ——

neque enim vox hominem sonuit quæ tantam efficaciam habuit. Calpurnius Siculus,

Aspicis ut viridis audito Cæsare sylva
Conticuerit? memini quamvis urgente procella
Sic nemus immotis subito requiescere ramis;
Et dixi, Deus hinc certe, Deus expulit Eurос.

Apuleius 5. *Deam spirat mulier qua, &c. ventis imperat.*

Ibid. οὗτος οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ] Themistius 5. Orat. Ὑπηρετεῖ καὶ ἡ θάλαττα τῇ δ' βασιλέως ὁρμῇ.

Com. 28. χαλεποὶ λίαν] Καθαιρετικῶς nempe, καὶ ἰσχυρὸς καὶ τ. συμβαίνοντας. Vide Act. 19. 16. Hieronymus de Dæmone illo in vita Hilarionis, *Adulterum nasum & aures morsibus amputaverat: horum pedes, illorum gulam fregerat.*

Ibid. ὥστε μὴ ἰσχύειν τινὰ παρελθεῖν διὰ τ. ὁδῦ ἐκείνης] Sic de canibus illis lib. 9. Apuleius, *Transeuntium viatorum morsibus alumnatos*: & de lupis l. 8. *Jamque ipsas vias obsidere, & in modum latronum prætereuntes aggredi.* Deinde, *Denique ob iter illud quo nobis erat commeandum, jacere semesa hominum corpora, &c. ac per hoc nos quoque cautione summa via reddi debere.* De Sichemitis Judic. 9. 25. Διέπεμζαν τινὰς οἱ παραφυλάσσοντες ἐπ' αὐτὸν ἐν τῇ ὁδῷ.

Com. 29. Τί ἡμῖν καὶ σοί; ἦλθες ὧδε, &c. βασανίσαι ἡμᾶς;] Ita mulier illa 3 Reg. 17. 18. ad Eliam, Τί ἐμοὶ καὶ σοί; &c. εἰσῆλθες πρὸς με τ. ἀναμνῆσαι τὰς ἀδικίας μυ; Additur autem à spiritibus istis malignis, πρὸ καιρῦ q. d.

Prope adest cum alieno more vivendum est nobis,
Sine nunc nostro nos vivere interea modo.

Tertullianus in Apologetico, *Desperata conditio eorum* (de dæmonibus agit) *ex præjudicatione solatium reputat fruenda interim malignitatis de pœna mora.* Καιρὸς hic est μεγάλη ἡμέρα, in quem puniendi servantur: ut in Epist. Judæ com. 5.

Com. 30. Ἦν δὲ μακρὰν ἀπ' αὐτῶν ἀγέλη χοίρων] Ad Luc. 8. 32. diximus videri nobis legendum hoc loco, (cum Vulgato) Ἦν δὲ ὑ μακρὰν, &c.

Com. 31. εἰ ἐκβάλλεις ἡμᾶς, ἐπίτρεψον ἡμᾶς ἀπελθεῖν εἰς ἀγέλην τ. χοίρων] Malebant proculdubio jam statim illo ex domicilio pellendi, in aliud humani corporis hospitium immigrare: itaque Dæmon ille (ut fabulatur Philostratus) è puero ab Apollonio evocatus, invitissime, nec nisi summa carminum violentia coactus, ἀφεξιόδαι τ. αἰτῦ ὤμυ, καὶ μηδενὶ ἀνθρώπῳ ἐμπεσεῖσθαι. Cum prævideren autem maligni isti se neutiquam tantam potestatem à Christo impetraturos, petierunt vel in animalia licentiam

tiam dominandi, ut quomodo hominibus nocere possent, & quos torquere prohibebantur, saltem damno afficerent. Vide quæ ad Luc. 8. 32. ex B. Hieronymo.

Com. 32. ἰδὺ *idu*, &c.] Donatus in Phorm. 2. 1. *ECCE vox apta est his quæ nova & improvisa, &c. accidunt:* & in Andr. 2. 2. *ECCE demonstratio facti est.* Virgilius,

Ecce fera saxi dejecta vertice capra
Decurrere jugis. ——

ubi Servius, *ECCE adverbium demonstrationis est, ut ostenderet velociter factum: & bene hac particula utitur, facit enim nos ita intentos, ut quæ dicantur, putemus videri.*

Ibid. ἄρμησεν, &c. ᾧ ῥωμῷ] Ὥρμησεν, *ruit*: vide quæ ad Luc. 8. 33. hac in historia annotata. Illud ᾧ ῥωμῷ Vulgatus *per præceps* reddit, quod Beza, (at nullo jure) quasi non Latinum rejicit. Ovidius,

At tu per præceps tecto delabere aperto.

Apuleius 4. *Per altissimum præceps, &c. in vallem præcipitans.*

Com. 33. καὶ ἀπελθόντες, &c. ἀπήγγειλαν πάντα] Vide ad Luc. 8. 34. dicta. Post πάντα supple, *quæ facta sunt*, vel, *quæ contigerunt.* 1 Maccab. 4. 26. Ἀπήγγειλαν πάντα τὰ συμβεβηκότα.

Ibid. καὶ τὸν δαιμονιζόμενον] Non hæc necesse erat apponi post ἀπήγγειλαν πάντα· at idiotismus est sermonis qualis 1 Cor. 2. 10. ille, τὸ πνεῦμα ἐρευνᾷ πάντα, καὶ τὰ βάθη τοῦ θεοῦ· & Joh. 21. 17. ille, Σὺ πάντα οἶδας, σὺ γινώσκεις ὅτι φιλῶ σε.

CAP. IX.

MUNSTERUS.

2. *Virum paralyticum*] Cum paralysis sit dissolutio nervorum, ex dissolutione autem nervorum exteriora quoque membra tremula reddantur omnibusque viribus destituantur, hinc est quod Hebræi vocant paralyticum משול ומכים *dissolutum membris.*

5. *Utrum facilius est dicere*] h. e. Remittere peccata & desperatum ægrum subito sanare ex æquo Dei potentiam requirunt; & quando me non dicitis blasphemare Deum quod paralyticum sanum feci, quare cogitatis intra vos me blasphemare Deum quando dico, *Remittuntur tibi peccata tua?*

13. *Pietatem volo & non sacrificium*] Adducitur hic locus ex Hos. 6. 6. Est autem חסד, quod nos *pietatem* vertimus, secundum Hebræos טוב וגמילות *bonitas & retributio quædam*, seu *beneficentia*, quam Hebræi *retributionem* vocant. Et talem benevolentiam erga proximum præponit Dominus sacrificiis suis; sicut & supra dicit *relinquendum sacrificium ante altare, & lasam sarciendam charitatem.* Probat itaque Christus & pluris facit *studium bene merendi* de quibuslibet *pro victimis secundum*; & *scientiam Dei*, nempe fidem quæ efficax sit per dilectionem, *pro omnibus holocaustis.* Sacrificia veteris legis erant quædam exhortationes ad pœnitentiam: sicut & in Levitico offerentes jubentur imponere manus animali offerendo, & confiteri peccata sua. Unde dicunt Hebræi, כשאדם עכה כלבו אני יותר בהקרב ממה שהיא שאני חושבי ועל החטא שחטאתי אני מביאה ויתר הדם ואני לוקח והשאר שתאכלו יותר מן הבהמה ע"י קרבנו תהא יפים.

15. *Jejunabunt*] Intelligitur hic per *jejunium* luctum quem habuerunt Discipuli Christi post oblationem carnalis præsentiæ ejus. Et hic supra quam dici potest delirant stulti Judæi, qui solum metiuntur opus ipsum jejunii, non advertentes quo sint animo, contra tot & tam claras autoritates Prophetarum quibus eorum confutatur jejunium. Sed & Christianorum jejunium, quod non fiat per integrum diem, improbant illi stultis hujusmodi verbis: אם הצלה הלוהה אשר הים שחרוץ שכן כתוב רדי ערב ודד מקר יום אחר וכתוב מערב ועד ערב תחגגו שבתכם אכ"י ביום שני תענית שלהם מרוע אוכלים בשר לילה שלפני· ועוד למה מתענים ביום השני אם בעבור שהלי נהלה מדום ואכ"י יש להם לעשות יד משרה ומשחרת כי לפי הנראים ע"י תלייתו ויסרון נתלו מניחנם אך מתגלים כי יודע שמשמרים בו יותר לעלוקה למכשל הלפקרי Non possum stultas istas Judæorum opiniones vertere; sed qui Hebraice sunt docti facile intelligent Diem supputari à vespera ad vesperam juxta Legis præscriptum. At jejunium ob id non jubetur extendi à vespera ad vesperam, sed liberum cuique relinquitur ut castiget corpus suum juxta quod viderit sibi opus esse. Deinde quod nobis improperant stultitiam nostram, quod magis diem Veneris quam reliquos dies jejunio celebremus, fortasse non omnino male scribunt, qui exemplo eorum jejunium fecerimus opus ex se bonum, perinde quasi non semper sit jejunandum & corpus castigandum, ut animus crapula non gravatus libere ascendat in Deum, sicut & alibi dicitur, *Semper oportet orare, & nunquam deficere.*

16. *Nemo mittit fragmen panni rudi*] Docet his similitudinibus imperfectos & novitios in fide non onerandos severioribus præceptis, sed parvuli lacte nutriendi sunt donec grandescant. *Nemo enim mittit fragmen panni novi & rudis in vestimentum vetus: alioqui tollit supplementum ejus*, & quod prius in se videbatur esse integrum accessione durioris alimenti rumpitur pejus, &c. Sic si neophytus mox duris oneretur præceptis, periculum est ut & quod habere visus est amittat.

25. *Puella, surge*] Apud Marcum, qui hanc eandem scribit historiam, invenimus Christum vulgari lingua locutum ad puellam טליתא קומי, quod sonat *Talitha kumi*, & significat, *Puella, surge.* Quod si Hebraico usus fuisset sermone dixisset נערה, & non טליתא: sed uti voluit sermone qui etiam à plebeis intelligeretur.

35. *Sanans omnem infirmitatem*] Id de nullo alio quantumlibet sancto viro scribitur quod omnem curaverit infirmitatem; Imo nullam suis potuerunt tollere viribus infirmitatem, ut frustra contra Christum nostrum blaterarint impii Judæi, qui ita scribunt: מרה עשה ישו שלא עשו אנשים קודשים וגדי חנן ואליהו עלי לטובה כמו ישו שהם אמרו כי עליהם לשמים ואין אנו מאמינים בהם· ולדבריהם שהוא קוד בן אלהים מציגו כמו בן שישראל קודי בנים למקום שני בנים אתם להי אלהיכם· וכתיב בני בכורי ישראל ואין להאמין בהם וישראל קריים קודשים וכתיב קודשים תהיו וכתי תיהם קודשים תהם נפלאו אשר עשה מטים יין השביעי מרה" בטרי לחם אלף איש והחזיר חטרת ויפא את הזולים והלך על הטים כן הפך משה את הים לרם וחטתיק מי חטרים ויהלך ישראל בתוך הים ביבשה וחטה צור ויזבו טים ואלישע עשה מכר שכן אחר כמוה כלים מלאים ואקף נעמן מצרעתו והחזיר שני טתים אחר בחזיו ואחר בפתחי ואליהו כמו כן ויחזקאל החזיר כמוה אלפיי· ואם צם מ" יום ומ" לילה גם זה עשה משה ני מעמים שנם מ' יום ומי לילה וכן אליהו צם מ" יום ומ" לילה: תשובה· אמת הוא כי קרשים ונוכרים עשו נפלאות הנזכרות אלא אין בכחם כי אם בכח האלהים כמו משה אין עשה שם דבר כי אם ע"י ידי האלהים ואין דבר שום דבר שלא שם הקביה בפיו אלא משיחנו אין כן כי אם בכח שלו עשה כל אלה שעשה לאמר אני מצון אב חסן כדי שיהא הוא. Argumentum hujus objectionis est, *quod Christus nullum fere fecerit signum quod non aliquis sanctorum hominum fecerit: ut, Elias & Henoch ascenderunt in cælum; Israelitæ vocantur Filii Dei, vocantur Sancti, æque ut Christus: Moses, ut Christus vinum, mutavit aquam in sanguinem, & aquas amaras in aquas dulces; duxit populum per siccum maris; percussit petram, & fluxerunt aquæ. Quin & Elisæus fecit ex una lagenula olei repleri multas lagenulas, curavit insuper Naaman à lepra sua, & suscitavit duos mortuos, unum in vita sua, & alium post mortem suam. Simile quid fecit Elias. Sed & Ezechiel vivificavit multa millia. Nec obstat illum jejunasse XL. diebus & XL. noctibus, cum idem fecerit Moses tribus vicibus, atque Elias.* Sed his facile obviari potest, Quod Christus omnes illas virtutes fecit propria virtute & verbi sui imperio, sancti autem ea mirabilia quæ fecerunt, fecerunt per invocationem nominis & virtutis Dei, id quod patet legenti Scripturam N. & V. Testamenti.

VALLA.

38. *Rogate dominum messis ut ejiciat operarios in messem suam*] Cogor interdum mirari interpretis factum, qui nunc ait *ejiciat*, ἐκβάλῃ, cum superius 7. 6. dicat, *Neque mittatis margaritas porcis*, & non potius, *Emittat operarios*, &, *Neque projiciatis margaritas porcis*, cum idem sit verbum, μηδὲ βάλητε. Et alibi *diffamare* in bonam partem accipit, ut hic v. 31. *Diffamaverunt eum in tota illa terra*, διεφήμισαν, & in Marco, 1. 45. *At ille cœpit prædicare & diffamare sermonem*, διαφημίζειν. alibi in malam, ut apud Lucam 16. 1. *Diffamatus est apud dominum suum:* quanquam diversum est hic apud Gr. verbum, διεβλήθη. Item miror quod nunc v. 16. Latino utitur, *& pejor scissura fit*, χεῖρμα, nunc Græcum reliquit, ut apud Joannem 9. 16. *Et schisma erat inter eos.* Nam illud minus miror quod *sacrificium* & *hostiam* pro eodem ponit, ut hic v. 13. *Misericordiam volo, & non sacrificium*, θυσίαν· & in Luca, 2, 24. *Ut darent hostiam*, θυσίαν. Quod autem

nunc *filium* nunc *puerum* transferat, & quædam ſimilia, ſuo loco dicentur.

REVIUS in VALLAM.

38. *Quod ſacrificium & hoſtiam pro eodem ponis*] Scrupulum hunc Vallæ eximere conatur Beza ad ver. 13.

ERASMUS.

1. *Et aſcendens Jeſus*] *Jeſu* hoc loco non reperitur, nec in Græcis, nec in antiquis Latinorum cod. Etiamſi in prima editione haud ſcio quo caſu fuerat additum. Facit enim iteratio mox poſiti nominis ut de altero quopiam Jeſu loqui videatur. Nec eſt *aſcendens*, ſed ἐμβάς, i. *ingreſſus*, ſive *conſcenſa*, aut *inſcenſa navi*, pro quo hic rurſus *naviculam* quaſi *navem* non ſit Latinum. Præterea διεπέρασεν, *trajecit*, rectius quam *transfretavit*. Nam ut lacus *mare* dicatur, *fretum* haud video quomodo dici poſſit. Non enim quod *mare* eſt, ſtatim & *fretum*. Nam mare incluſum anguſtiis *fretum* dicitur, quanquam poetæ ſuo jure vocibus his abutuntur interdum. ¶ *In civitatem ſuam*, εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν] i. *in propriam civitatem*, videlicet Capernaum. Siquidem Matthæi 4. legimus, quod relicta Nazareth commigrarit Capernaum.

2. *Jacentem*, βεβλημένον] *Projectum*, de quo ſuperius admonuimus. ¶ *Videns autem Jeſus*, καὶ ἰδών] i. *Cum vidiſſet autem*. ¶ *Remittuntur tibi peccata tua*] *Tua* non additur in vetuſtis Latinorum cod. nec in Græcis aliquot habetur, ne in aureo quidem. Idem accidit paulo poſt in repetendo.

3. *Dixerunt intra ſe*] Sermo Græcus anceps eſt. Poteſt enim accipi ut intelligamus illos inter ſe murmuraſſe. Sed ſatius eſt ut accipiamus, illos tacitos ſic in animo fuiſſe locutos, propter id quod ſequitur, *Jeſum ſciens cogitationes illorum*.

4. *Et cum vidiſſet Jeſus*, καὶ ἰδών] Chryſoſtomus legit, καὶ εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς, i. *Cum ſciret Jeſus*. Theophylactus legit ἰδών. Ad ſenſum minimum refert. ¶ *Ut quid cogitatis*] Omiſit *vos*, ἵνα τί ὑμεῖς, *Ut quid vos*.

5. *Quid eſt facilius*, τί γάρ ἐστιν] i. *Verum enim eſt*, conſentientibus & Latinis vetuſtis, quod ad conjunctionem pertinet. ¶ *Dimittuntur*] Suo more pro *remittuntur*.

6. *Ut autem ſciatis*] Subito mutata perſona duriuſculam facit orationem: ſequitur enim, *Tunc dicit paralytico*.

8. *Turba timuerunt*] Græcis eſt ἐθαύμασαν, *admirata ſunt*. Ita legit Chryſoſtomus hom. 30. & huic concinens Theophylactus. Etiamſi Hilarius legit *timuerunt*. Addidit enim, *Opus iſtud admiratio conſequi, non metus debuit*. Unde apparet in quibuſdam ſcriptum fuiſſe, pro ἐθαύμασαν, ἐφοβήθησαν· quarum vocum magna inter ipſas affinitas eſt.

9. *In telonio*, ἐπὶ τὸ τελώνιον] i. *Ad teloneum*. Locus eſt in quo ſedet telones, i. publicanus exigens tributum, quod Græcis τέλος dicitur. Ut ne recenſeam illa minutula, quod *Matthæum nomine* pro Ματθαῖον λεγόμενον. Quod in,

10. *Ecce multi*] Conjunctionem & omiſerit. Quod ἀκούσας verterit *audiens*. Quod non vitarit amphibologiam, *Non eſt opus medico valentibus*, cum licuerit dicere, *Non egent qui recte valent medico*.

11. *Cum publicanis*] Notatus eſt ab Hieronymo Tertullianus, quod hos dictos *publicanos* putarit ethnicos fuiſſe. Vide libellum ad Damaſum de filio prodigo.

13. *Miſericordiam volo*] Locus eſt Oſeæ 6. Hebraica Hieronymus vertit ad hunc modum, *Quia miſericordiam volui, & non ſacrificium*, conſentientibus per omnia LXX, ὅτι ἐλέου θέλω, καὶ οὐ θυσίαν. Offenditur hic nonnihil Laurentius Valla quod θυσίαν verterit *ſacrificium*, cum eandem vocem in Luca verterit *hoſtiam*. Nam *ſacrificium* dici poteſt & ſuffitus & deprecatio, *hoſtia* proprie eſt mactatæ pecudis, quæ tamen & ipſa dicitur θυσία ob nidorem quem reddit cum incenditur. ¶ *Sed peccatores*] Græci addunt *ad pœnitentiam*, εἰς μετάνοιαν, etiamſi non addit Hieronymus: apud Chryſoſtomum tamen reperio. Nam leviculum eſt quod mox προσέρχονται, i. *accedunt*, vertit *acceſſerunt*.

15. *Filii ſponſi*, υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος] i. *filii thalami nuptialis*, id quod plus eſt quam *filii ſponſi*, h. e. ſponſi domeſtici ac proximi. νυμφὼν vocat Eccleſiam, quam opponit Synagogæ, quæ ſervorum eſt, non filiorum.

16. *Immittit commiſſuram*, ἐπιβάλλει ἐπίβλημα] i. ut ad verbum reddam, *Immittit immiſſuram*, ſive, ut alibi vertit, *aſſuit aſſumentum*. Horatius *pannum* vocat, *Aſſuitur*, inquiens, *pannus*. Vulgus *peciam* vocat. ¶ *Panni rudis*, ῥάκους ἀγνάφου] Quod modo dixit ἐπίβλημα, hic vocat ῥάκος, quæ eſt *particula panni*. ἄγναφον, *quod nondum eſt a fullonibus apparatum*, velut cum pannus à textore venit. Quanquam γναφεῖς *fullones* veteres etiam veſtes aut ſordidatas renovant ac repurgant. Et *rude* dicitur quod recens eſt. Sic enim vocat animos nondum humanis traditiunculis infectos. Operæ pretium eſt videre ac ridere quantum hic tumultuetur Hugo Cardinalis, diſputans num hinc colligi poſſit neophytis non eſſe indicendum jejunium. Imo putat hæc ipſa ad monachos quoſdam pertinere, qui quoſlibet illectant in naſſam ſui inſtituti. Denique notari & illos qui verſicolori amictu utuntur. O ſcriptorem copioſum! ſic naſcuntur ingentia volumina. ¶ *Et pejor ſciſſura fit*, χεῖρον] Quod *rupturam* vertere poterat. Nonnunquam vocem Græcam relinquit, ut apud Joannem, *Et erat ſchiſma inter eos*, cum potuerit dicere *diſſenſio*. ¶ *Plenitudinem ejus*, τὸ πλήρωμα] i. *ſupplementum*. Sic enim appellant pannum additum veſti ad farciendam rupturam. Offenſus enim diſſimilitudine novi panni, poſtea detrahit, & major ac deformior fit ruptura.

17. *Vinum novum in utres novos*] *Novum* & *novos* non reſpondent eidem voci apud Græcos. *Novum* enim dicitur νέον, quod proprie reſpondet ſenio, & competit iis quæ ſentiunt ætatem: καινὸς opponitur vetuſtati. Eſt autem & vinis ſua quædam ætas, utribus aut panno non item.

18. *Impone manum tuam*] *Tuam* non addebatur in aureo cod. cum ſit apud Græcos.

20. *Quæ ſanguinis fluxum patiebatur*] Græcis unica dictio eſt, αἱμορροοῦσα, i. *ſanguinis profluvio laborans* ab αἷμα ſanguis, & ῥέω fluxus. Omitto minutiora illa, quod ἐν ἑαυτῇ *intra ſe* verterit, pro *intra ſeſe*. Quod λέγει *dicit*, *dicebat*. Quod ὀπίσθεν, i. *à tergo*, tranſtulit *retro*. Cæterum θάρσει, quod hic male vertit *Confide*, quodque nos aliquoties vertimus, *Bono animo eſto*, Ambroſius enarrans Pſalmum, *Beati immaculati*, ſerm. 3. legit, *Conſtans eſto, filia*.

25. *Et dixit, Puella, ſurge*] Hæc quatuor verba nec habentur in Græcis exempl. nec in vetuſtis Latinis, nec adduntur ab Hieronymo: poſtremo nec in aureo cod. comperi, nec in Donatianicis.

28. *Et dixit ei Jeſus*, καὶ λέγει] i. *dicit*, conſentientibus & vetuſtis cod. Latinorum. ¶ *Quia poſſum hoc facere vobis*] *Vobis* non additur apud Græcos. Et ὅτι perperam vertit *quia* pro *quod poſſim*, ſive, *Creditis me poſſe*. Ac mox, *Utique* Græcis eſt ναί, quod alias vertit *etiam*. Eſt enim adverbium affirmantis.

30. *Et comminatus eſt eis*] Non eſt ἐνεβριμήσατο, quod aliquando vertit *increpare*, aliquando *comminare*, ſed ἐνεβριμήσατο, quod proprie ſign. *acriter ac velut iracunde comminari cum auſteritate*, vox à *fremitu* dicta: ut evidentius ſit quod ſequitur, illos omnia divulgaſſe. Sic enim rectius opinor tranſtuliſſet διεφήμισαν quam *diffamaverunt*. Certe circumloqui poterat, *ſparſerunt famam ejus*.

33. *Nunquam apparuit*] Recte omiſit ὅτι, quod tamen libenter ſolet addere. Ut diſſimulem quod hic κῶμας vertit *caſtella*, cum alibi frequenter transferat *vicos*. Cum *vici* mœnibus careant, *caſtella* minuta ſint oppida, ſed mœnibus cincta. Et quod νόσον *languorem* pro *morbo*. Nam quod μαλακίαν *infirmitatem* tranſtulit, tolerabile eſt: Siquidem & Græci dicunt μαλακὸν ἔχειν pro *parum commode habere*.

36. *Miſertus eſt eis*] Pluſculum emphaſeos habet Græca vox ἐσπλαγχνίσθη, i. *affectu miſericordiæ tactus eſt*: Siquidem Hebræi vehementem ac pium affectum *viſcera* vocant. Et rectius erat *ergo eos* quam *eis*. ¶ *Quoniam erant vexati*] Ad eum modum legit & interpretatur D. Hieronymus, & item Hilarius. Chryſoſtomus quoque legit ἐσκυλμένοι, quod ſonat *divulſos* & *divexatos*. Quandoquidem Grammatici *vexare* dictum volunt à *vello*. Nonnulli cod. habebant ἐσκεδασμένοι *diſſipati* ſeu *diſſoluti*. Alterum venit à λύω, alterum à σκίδνημι. ¶ Jam quod protinus ſequitur, ἐρριμμένοι, quod hic vertit *jacentes*, rectius vertiſſet *diſſectos* ſive *ſparſos*, à verbo ῥίπτω, quo participio uſus eſt & Lucianus, agens de ſtellis toto cœlo paſſim, temere nulloque ordine ſparſis. Quanquam poteſt ἐσκυλμένοι pertinere ad ovium vellera ſentibus lacerata; & hoc poſterius, ἐρριμμένοι, ad oves huc & illuc diſperſas; id quod accidere ſolet cum abeſt paſtor: Nec enim aliud eſt animal deſtitutius magiſque pendens de præſidio paſtoris quam Ovis: id quod etiam proverbio teſtatum eſt, μεγάλου κακοῦ, *Ovilli mores*.

38. *Ut mittat operarios*, ὅπως ἐκβάλῃ] i. ut ejiciat. Ita ſcriptum reperi in pervetuſtis cod. nominatim in aureo, ac Donatianicis; atque ita vertit paulo ſuperius interpres. Nos maluimus *extrudat*, ut intelligamus vel celeriter mittendos, ac vel invitos & contantes extrudendos in opus Dei: id quod alicubi notavit Hieronymus hunc citans locum. Hilarius pro *mittat* legit *ejiciat*.

V A T A B L U S.

1. *Aſcendens*] *Aſcendens Jeſus.* V. ¶ *Naviculam*] *Navim.* ¶ *Civitatem ſuam*] i. Capharnaum, ut Marcus indicat. *Suam* vocat, quod ex omnibus hanc ſibi peculiariter quaſi delegiſſe videretur.

2. *Offerebant*] Vel, *obtulerunt.* ¶ *Remittuntur*] *Remiſſa ſunt.*

3. *Dixerunt*] Cogitaverunt. ¶ *Blaſphemat*] Detrahit Deo, & authoritatem ejus minuit, h. e. ſibi ſumit quod Deo ſoli tribuendum eſt.

4. *Vidiſſet*] Chryſoſtomus legit, *ſciret.* ¶ *Ut quid cogitatis*] *Ut quid vos cogitatis.*

5. *Quid eſt facilius*] *Quid eſt enim facilius.* ¶ *Dimittuntur*] *Remiſſa ſunt.* ¶ *Peccata*] *Peccata tua.* V.

8. *Timuerunt*] *Admirata ſunt.* ¶ *Glorificaverunt Deum*] i. gratias egerunt Deo: vel, glorioſe celebraverunt Deum.

9. *In telonio*] i. in loco in quo ſedet publicanus exigens tributum.

10. *Peccatores*] Vel, *flagitioſi*, qui publice erant infames vitiis.

11. *Manducat*] Quædam exempl. habent, *manducat & bibit.*

13. *Euntes*] Participium pro imper. *Ite.* ¶ *Peccatores*] *Peccatores ad pœnitentiam.* V. vel, *emendationem vitæ.*

14. *Acceſſerunt*] *Accedunt.*

15. *Filii ſponſi*] *Filii thalami nuptialis*, i. qui veſtantur cum novo marito, qui intersunt nuptiis, Heb. ¶ *Lugere*] i. jejunare: ut vides Marc. 2. 19. & Luc. 5. 34. Hebr. Et paulo poſt jejunium vocat *luctum.*

16. *Immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à veſtimento; & pejor ſciſſura fit*] *Aſſuit additamentum panni impoſiti* (vel, *impexi*) *veſti vetuſtæ: aufert enim ſupplementum ſuum*, i. quod ipſe aſſuerit veſtimento; *& deterior fiſſura fit:* vel, fruſtum panni impexi quo ille rupturam expleverat, *aufert à veſtimento*, ſub. *aliquid*; vel, *partem veſtimenti.*

18. *Princeps*] *Princeps unus.* V. ¶ *Adorabat*] *Adoravit.* ¶ *Filia*] *Domine, filia.* ¶ *Manum*] *Manum tuam.* V.

19. *Sequebatur*] *Secutus eſt.*

20. *Sanguinis fluxum patiebatur*] *Profluvio ſanguinis laboraverat.*

22. *Videns*] *Intuitus:* vel, *ut vidit illam.* ¶ *Salva facta eſt*] i. ſanitati reſtituta eſt.

24. *Dicebat*] *Dixit ad eos.* V. ¶ *Recedite*] *Secedite.*

25. *Tenuit*] *Apprehendit.* ¶ *Ejus. Et ſurrexit*] *Ejus, & dixit, Puella, ſurge. Et ſurrexit.*

26. *Exiit*] *Emanavit.* ¶ *Terram*] *Terram illam.* V.

27. *Et tranſeunte inde Jeſu, ſecuti ſunt eum*] Hebr. pro, *Diſcedentem autem illinc Jeſum ſecuti ſunt.*

28. *Fili David*] *Domine, fili David.*

31. *Diffamaverunt eum*] Vel, *divulgaverunt famam ejus:* vel, *fama percelebraverunt eum.*

35. *Caſtella*] Vel, *pagos.* ¶ *Infirmitatem*] *Infirmitatem in populo:* i. qua populus opprimebatur.

36. *Miſertus eſt*] Vox Græca ſignificat, *affectu miſericordiæ tactus eſt: ipſa viſcera per miſericordiam commovit.* ¶ *Jacentes*] *Diſperſi.*

38. *Mittat*] Vehementior eſt vox Græca, *extrudat*, vel *expellat, ejiciat.* V.

C A S T A L I O.

1. *IN oppidum ſuum*] Capharnaum: ut eſt in Marco.

8. *Hominibus*] Chriſto homini.

10. *Domi*] Scilicet Matthæi. ¶ *Improbi*] Famoſi, infames.

16. *Neque vero quiſquam adhibet rudis panni pittacium, &c.*] Si rudis & nondum detriti panni particulam veteri tritæque aſſuas ut laceram veſtis partem reſarcias, ea particula quam veſti addideris erit rigidior quam veſtis, itaque aſſuta non diu hærebit, ſed uſu agitata divelletur, & eam veſtis partem auferet cui per futuram adhærebit: Ita fiet ut quam vis obſtruere rupturam, eam imperitia reddas majorem. Quod dicit autem τὸ πλήρωμα αὐτοῦ, nominativi caſus eſt τὸ πλήρωμα, idem ſignificans cum illo ante poſito ἐπίβλημα, ut ſit *veſtimenti ſupplementum*, particula adhibita ad id ſupplendum ac reſarciendum quod eſt vetuſtate conſumptum. Vocat autem *veterem* veſtem, tritam: ſicut contra Lucæ 5. *novam* vocat, non tritam, quomodo vulgo loquimur. De utribus quod dicit, loquitur ad Syriæ conſuetudinem, ubi vinum conditur in utres. Nam in noſtris finibus vinum novum in vetera dolia condi, nec abſurdum eſt, & vulgo fit. His autem duabus de veſte & vino ſimilitudinibus ſignificat quod ante docuerat de nuptias agentibus, ſcilicet tam ineptum eſſe diſcipulos ipſo adhuc præſente jejunare (quæ triſtitiæ res eſt, cum magis lætari debeant) quam ſi quis ita veſtem reſarciat ut dicit, aut vinum novum in veteres utres recondat: Quemadmodum proverbio dicimus, *In lente unguentum*, quo rem ſignificamus abſurdam.

23. *Tibicines*] Qui adhibebantur in luctu.

27. *Miſerere noſtri, Davidide*] Scio durum viſum iri hoc patronymicum. Sed certe eo proprie exprimitur qui Hebraico more dicitur *Davide natus.* Qua de re vide quæ ſcripſimus principio animadverſ. in Pſalmos. Neque tamen mihi interdictum puto quo minus modo *Davididem*, modo *Davide prognatum* aut *ortum*, aut *Davidis filium* interpreter. In verbis enim debemus eſſe faciles dum res ipſa intelligatur. Et quidem ſtatim initio Matthæi Jeſum *Davididem & Abrahamidem* vocaſſem, niſi metuiſſem ne vocabulorum novitas lectorem in ipſo ſtatim limine offenderet.

38. *Ut operarios emittat in meſſem ſuam*] ἐκβάλλειν non ſemper *ejicere* aut *extrudere* ſignificat, ſed etiam *emittere* aut *depromere*: ut Joh. 10. ὅταν τὰ ἴδια πρόβατα ἐκβάλῃ, & Matth. 12. ἐκ τῆς ἀγαθῆς θησαυροῦ τὰ καρδίας ἐκβάλλει τὸ ἀγαθόν. Nec enim vel ille oves ex caula vel hic bona ex cordis ſui repoſitorio extrudit, ſed emittit atque promit, h. e. προφέρει, ut eſt apud Lucam.

C L A R I U S.

1. *VEnit in civitatem ſuam*] De qua ſcilicet cap. 4. dixit, nempe *relicta Nazareth ipſum habitaſſe Capernaum.*

11. *Quare cum publicanis*] Vide quid vel ſuperbia, vel invidia, vel utrumque ſimul, mali faciat, ut in re plena pietatis offendatur: eadem uſu in tota hominum vita veniunt.

15. *Nunquid poſſunt filii ſponſi*] Pulchre meminit *ſponſi* dum alloquitur diſcipulos Joannis, cum ipſe Joannes appellaverit eum *ſponſum*, cum dixit, *Qui habet ſponſam ſponſus eſt*; & adjecit, *Amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi:* tantum abeſt ut lugere debeat.

16. *Nemo autem immittit commiſſuram*] Veteres, inquit, mores veſtri non ſunt apti novæ huic prædicationi: alioqui non ſolum nihil proficerent, ſed fierent deteriores, qui cum hac veſtitate inſtituerentur.

23. *Et vidiſſet tibicines*] Ferunt ſono tibiarum defunctas virgines conſueſſe defleri.

Z E G E R U S.

1. *IN civitatem ſuam*] Civitatem Chriſti, Capharnaum intellige; ſiquidem id temporis illic habebat domicilium; tametſi Bethleem natus, & Nazareth fuerit educatus. D. Auguſtinus *civitatem* poſitam putat pro *regione Galilæa*; *ſicut*, inquit, *univerſum regnum Romanum dicitur modo Romana civitas; ita tamen ut in Capharnaum factum miraculum intelligamus*, juxta quod narrat Marcus 2. 1. Docet hoc copioſius Auguſtinus l. 2. De Conſenſu Euang. cap. 25. Porro D. Hieronymus non aliam quam Bethleem vult intelligi.

13. *Sed peccatores*] Sub. *ad pœnitentiam*, id quod in Græcis exprimitur, conſentientibus Chryſoſtomo atque Hilario.

16. *Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus, &c.*] *Veſtimentum vetus* diſcipulos ſuos vult intelligi, qui nondum erant per omnia innovati: *pannum rudem*, i. novum, appellat novam gratiam, novaque arctioris vitæ præcepta: atque ideo non conveniebat ut ſeveriora illis præcepta ingererentur, ne forte eorum auſteritate frangerentur, fidemque perderent quam habebant. Id enim deſignat quod dicitur, *tollit plenitudinem*, ſive *ſupplementum* panni illius novi, *& pejor ſciſſura fit.* Idem quoque & ſequenti parabola conſignavit, ubi *utres* diſcipulos, *vinum* vero doctrinam vult intelligi. Quamdiu enim diſcipuli *utres* fuere *veteres*, novæ atque Euangelicæ doctrinæ vim perferre haudquaquam potuerunt: Verum ubi iidem *novi* effecti ſunt *utres*, ex alto virtute Spiritus S. tum demum *vinum novum utribus novis commiſſum eſt*: Tum nihil fuit tam arduum quod non alacri perferrent animo, nihil tam profundum quod Spiritus illius non

ſcrutarentur acumine. Secus aliquanto tractat hunc locum Hieronymus. Verum ne prolixitate oneri ſimus ſimplici lectori, cæteros ad illius commentarios remittimus.

18. *Adorabat eum, dicens Filia mea*] Sic lego apud Hieronymum & Auguſtinum cum in nonnullis cod. vetuſtis inveniam, *adoravit eum, dicens, Domine, filia. Domine* tamen non eſt Græce. Chryſologus addit, *Domine*, Ser. 24.

22. *Confide, filia*] Dixit, pro *Bono animo eſto*, vel, *Conſtans eſto, filia*, id enim eſt θαῤῥεῖ, ſive θάῤῥει, θάῤῥησον.

25. *Tenuit manum ejus: & ſurrexit puella*] Cave ne interjectis aliquot verbulis ita legendum exiſtimes, *Tenuit manum ejus, & dixit, Puella, ſurge. Et ſurrexit puella:* niſi forte Hebræo codici plus tribuendum cenſeas quam Græcis, quam Hilario, quam cæteris veteribus, quam multis exempl. vetuſtis, denique quam Gregorio in Job.

30. *Videte ne quis ſciat. Illi autem exeuntes diffamaverunt.*] i. divulgarunt eum. Noverat quidem Dominus illos non tacituros, verum hoc ita præcipiens, nobis voluit humilitatis contemnendæque gloriæ præbere exemplum.

36. *Quia erant vexati & jacentes*] Gr. ὅτι ἦσαν ἐσκυλμένοι καὶ ἐρριμμένοι, *quia erant vexati & dejecti.* Moderni autem cod. pro ἐσκυλμένοι, ἐκλελυμένοι habent, i. *deficientes*, ſed refragantibus antiquiſſ. interpretibus Hilario, Chryſoſtomo, Hieronymo.

38. *Ut mittat operarios*] Hic, ni fallor, unus eſt inter cæteros locus quem mutavit Hieronymus. Nam ipſe cum Auguſtino legit *mittat*, cum his antiquior Hilarius legat juxta Græcæ vocis ſonum *ejiciat*; id quod adhuc exſtat in nonnullis Bibliis, nominatim in cod. Enerbodienſi. In nonnullis raſura arguebat antiquam ſcripturam.

MASIUS.

HIſtoria de filia primatis à morte ſuſcitata, quam Matthæus cap. 9. recitat, alia eſt ab ea, quam Lucas cap. 8. & Marcus 5. narrant. Nam Primas apud Matthæum venit ad Chriſtum in Matthæi jam tum recens à telonio vocati, domo diſcumbentem. Apud Marcum vero & Lucam, in ipſo littore maris, quod jamjam trajecerat, & longo etiam tempore antequam vocatus eſſet Matthæus, & Matthæus ſuum vocat ἄρχοντα veluti in republica magiſtratu fungentem, at illi ſuum Jairum vocant Archiſynagogum, & Matthæi venit ad Chriſtum defuncta jam filia, Jairus vero dum adhuc vivebat. Et alter clare petit, ut mortuam vitæ reſtituat, impoſita manu; alter dum audit à ſuis Filiam jam mortuam eſſe, ait, *quid ultra vexas magiſtrum?* quaſi omnino deſperabundus. Et ſane quæ de muliere profluvio laborante utrobique ſanata dicuntur, & ipſa quoque inter ſe admodum diverſa ſunt. Nam altera in turba latebat, donec increpata prodiret ipſa atque ſe ad pedes provolveret, altera illico à reſpiciente conſpecta eſt, &c.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον θ, Περὶ τῆ ἰαθέντος ἀπὸ αἱμορροΐσης γύναι.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. η, Ὀψίας ἡ ἡμερήσιος ἀναγκαίως αὐτῷ δαιμονιζομένης πόλεως ἡ ἐξέβαλε τὰ πνεύματα λόγῳ, καὶ πάντας σὺν κακῶς ἔχοντας ἐθεράπευσεν.

Ἀνίεται ἀθετουμένης ἐπὶ ἐπιτιμήσεσιν αἰλῆς.

Ἄλλως,

Δαιμονίων πολὺς ἡ πολὺς ῥύσεων γύναι.

5. Τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον;] *Utrum enim eſt facilius?*

10. Αὐτῷ ἀνακειμένῳ] *Cum ipſe* Jeſus *accumberet.*

15. Οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος] *Filii thalami.* i. familiares qui eo admittuntur.

16. Ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου] *Additamentum panni impexi.*

17. Ἀσκοὺς παλαιούς] *Utres veteres.*

18. Ἄρχων] *Præfectus* Synagogæ, ex Marco.

20. Ἥψατο τοῦ κρασπέδου] *Tetigit fimbriam.*

21. Σωθήσομαι] *Incolumitati meæ reſtituar.*

22. Θάρσει θύγατερ] *Bono ſis animo.*

27. Κράζοντες καὶ λέγοντες] *Cum vociferatione dicentes.*

30. Ἐνεβριμήσατο] *Interminatus eſt quaſi fremebundus.*

31. Διαφήμισαν αὐτόν] *Famam de eo ſparſerunt.*

36. Βαρυλυπίχνιόθη] *Commiſeratione talium eſt ex intimis viſceribus profecta.*

DRUSIUS.

1. VEnit in urbem ſuam, εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν] *In propriam urbem*, h.e. in Capharnahum. Tres enim patrias habuit; Bethlehem, in qua natus; Nazareth, in qua educatus; & Capharnahum, in qua verſari ſolitus, poſtquam relicta Nazareth eo commigraſſet. A Nazareth, an ab hac urbe? dictus eſt etiam *Galilæus*, quemadmodum Jacob patriarcha vocatur *Syrus*, quoniam in Syria interamni apud Labanum ſocerum tot annos commoratus fuerat. Sic Moſes Maimonis filius cognominatur *Ægyptius*, licet eſſe domo Cordubenſis, quia diu medicinam fecerat in Ægypto; ubi etiam edidit More Nebuchim idiomate Arabico, cujus inſignem peritiam habuiſſe videtur.

2. *Remittuntur tibi peccata*] Ob quæ hic tuus morbus, qui nunc ſanatur condonatis peccatis. Scitum illud, *Niſi eſſent peccata, non eſſent flagella.* Rerum naturalium ſcrutatores, quos Ebræi *Sapientes Mecar* vocant, dicunt animæ accidere & morbum & ſanitatem: Morbus ſunt vitia & peccata; ſanitas, virtutes & opera bona. R. D. Pſalm. 41. 4. ad locum, *Sana animam meam*; *Non dicit*, inquit, *Sana corpus meum, quia cauſa morbi ejus iniquitas fuit; ſed, Sana animam meam. Nam cum ſanat Deus animam à morbo ſuo, quod fit expiatione iniquitatum, ſanatur etiam corpus.*

5. *Remiſſa ſunt tibi peccata*] Qui remittit peccata ſanat animam: condonatio enim peccatorum ſanitas eſt ejuſdem. Videndus R. D. Jer. 3. 22. Huc facit illud Ciceronis, *Sapientia ſanitas eſt animi:* imo *animi.* Verba D. Camii ad locum Jeremiæ, *Convertimini & ſanabo averſiones veſtras*, ſi Latine vertas, ita ſonant, *Sanare uſurpat de remiſſione peccatorum per tranſlationem: & ſic*, SANA ANIMAM MEAM, QUIA PECCAVI TIBI. *Nam ut plaga corporis ſanatur medicina, ſic plaga animæ, qua eſt iniquitas; cujus medela ſive remedium aut medicina eſt condonatio cum reſipiſcentia.*

9. *Matthæum*] Ματθαῖον, i. מתי, & Euangelium κατὰ Ματθαῖον, i. מתי, quod idem cum illo, *Euangelium Matthæi*, nempe conſcriptum à Matthæo. *Joſephus Matthia filius*, i. Ματθίου ita corrigendus Suidas: Nam in libris editis Ματθαίου. *Matthæus Ebraice ſcripſiſſe perhibetur eloquio, cæteri Græce*, Auguſtinus De conſenſu Euangeliſt. l. 1. c. 2. Euſebius autor exemplar Ebraicum à Pantæno in India repertum, inde primum allatum in Græciam. Hæc ille Hiſt. Eccl. l. 5. c. 10. Vide quoque lib. 3. cap. 24. & cap. 39. in extremo, & lib. 5. cap. 8. Alio nomine *Levi* dicebatur, patre Alphæo genitus Marc. 2. Luc. 5. Male Caninius *Matthæus* interpretatur *Donum Dei*, qui *Græce*, inquit, *Doſithæus, vel Theodorus.* In lib. Nominum, *Matthæus, Donatus, vel Donatus quondam*, [*Jesus quondo*, i. *Mathai.*] Sic etiam Oecumenius. Scholion, Ματθαῖος τὸ εὐαγγέλιον τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ γράψας ἐδόθη ἑρμηνεύειν ὑπὸ τοῦ ἱερέως τῆς Παρθίας, καὶ οὕτω φοιτᾶται. Alias plura, ſi Deus conceſſerit.

10. *Peccatores*] Homines improbi, qui κατ' ἐξοχὴν *peccatores* dicuntur, quod toti dediti ſint peccatis. Vocantur & *debitores*, i. חייבין, ſed in Thargum, h.e. in edit. Chald. ubi eſt interpretamentum רשעים *improborum.* Nam & *debita* ſive ὀφειλήματα vocant *peccata*, ἁμαρτήματα. Simul iſta leguntur in prophetia Henochi, in fragmento quod exſtat apud Judam Apoſtolum, v. 15. ὧν ἠσέβησαν κατ' αὐτὰ ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς, *quæ locuti ſunt contra eum peccatores impii.* Nam ἀσεβεῖς vetuſta declaratione רשעי, h. i. *improbi* potius quam *impii*, quod ἀσεβεῖς proprie ſignificat. Paulo poſt, *Non veni vocare juſtos, ſed improbos.* Ecce hic juſtis opponuntur peccatores, nempe quia iidem ſunt cum improbis. Utrumque verbum eſt forenſe. Nam in foro *juſtus* vocatur reus inſons, & *improbus* reus ſons, ἔνοχος. Unde lux illi loco, *Cum judicabitur exeat improbus*, Cum litigabit exeat reus ſons, condemnetur.

13. *Miſericordiam volo*] Aliud ἔλεος, & aliud ἐλεημοσύνη. Hæc חסד Ebraice, ille רחמים dicitur, i. *benignitas*: unde גמילות חסדים *collatio beneficiorum.* Commentator in lib. Aboth, 8. 2. *Cum quis manu dat pauperi ſiclum quo tempore indiget, major eſt eo qui dat eleemoſynam. Nam eleemoſyna ſimpliciter erogatur in pauperes, collatio beneficiorum tam erga divites exercetur quam erga pauperes.* Rurſum, *Eleemoſyna ſimpliciter datur vivis; collatio beneficiorum, tam vivis quam mortuis. Eleemoſyna fit pecunia; benignitas, tam corpore quam pecunia.* Eadem fere habentur in lib. Muſar. c. 9. *Major eſt benignitas eleemoſyna, quoniam eleemoſyna fit pecunia hominis, benignitas tam corpore quam pecunia: eleemoſyna in vivos tantum erogatur; benignitas exercetur erga vivos & mortuos: eleemoſyna pauperum eſt; benignitas tam pauperum quam divitum.* Quæ notata mihi propter eos qui hoc loco ἔλεον confundunt cum

ἐλεη-

ἐλεημοσυνὴν, h. e. *miſericordiam ſive benignitatem* cum *eleemoſyna*.

16. *Plenitudinem ejus*] πλήρωμα vocabulum proprium in hac re. Ebræi dicerent מלא : unde proverbiale, מלא מלא *quantum filum implet*, de re minima. Vulgo interpretantur, *quantum pilus implet*; ſed perperam. Nam חוט *filum*: quantum filum ad implendum fiſſuram.

23. *Tibicines*] Tibia utebantur in funere puerorum puellarumque. Nam inſtrumentum eſt exilis & anguſtæ vocis. Lactantius, *Jubet religio ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur. Tale aliquid apud nos*, inquit Nebriſſenſis. *Nam in funere virorum pulſantur campana majores; in puerorum vero minores.* Hæc ille, Annotat. 46. Tibiarum uſus erat non in funeribus tantum, ſed etiam in nuptiis: unde Thalmud, quod eſt jus civile Judæorum, *Tibia adhibentur ad exhilarandum ſponſum & ſponſam, aut ad plangendum mortuum. Ethnicum ſi attulerit tibias in ſabbatho non planget illis Iſrael.* Jer. 48. 36. ad locum, *ſicut tibia.* Targ. Jonathæ, qui Chriſti ævo floruit, *ſicut cantus tibiarum triſtis.* Intelligunt abſque dubio tibias funerum, quibus canebatur carmen lugubre in funeribus: de quibus Ovidius in 6. Faſtor.

Cantabat mœſtis tibia funeribus.

CASAUBONUS.

9. Καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον] Mirum eſt quod in optimo Gloſſario legitur, Τελώνιον, *Veſtigalium*, *Telonarium*, *Mancipatum.*

13. Μάθετε τί ἐστιν, Ἔλεον] Theophylactus, Μάθετο τί ἐστι τὸ ἔλεον.

16. Οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγναφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ] Vet. interpres ἄγναφον vertit *rude*: ſicut etiam in Gloſſario Ἄγναφον *rude* exponitur, & τὸ γεγναμμένον *politum.* Idem auctor alio loco, Ἀγναφῶ, *rudi, infullonicatu, impolito.* Doctiſſimus interpres mahuit vertere *impexum*: Nam & apud Martialem oppenuntur *pexata* veſtes & *trita*, ut hic τὸ ἄγναφον & τὸ παλαιόν, l. 11.

Pexatum pulchre, rides mea, Zoile, trita.
Sunt hæc trita quidem, Zoile, ſed mea ſunt.

quanquam non deſunt qui illum locum aliter interpretentur. ¶ Καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται] Etſi σχίσμα proprie *fiſſuram* ſignificat, hic tamen *rupturam* generaliori voce malim cum Eraſmo interpretari.

20. Ἤψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ] Recte, qui vertunt κράσπεδον *fimbriam.* Sic in Gloſſario, Κράσπεδον, *fimbria, lacinia. Limbus* aliud eſt, purpura videlicet ἡ ἀπὸ τῆ χλαμύδος κύκλῳ. Quare non recte ſic verteris.

23. Καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς] Apud veteres αὐλὸς fuit θρηνητικὸν ὄργανον. Nam mortuos deflebant σὺν τῷ αὐλῷ, ut Lucianus docet in elegantiſſimo libello περὶ πένθους. Lyra autem non niſi in rebus lætis utebantur: Ideo ait Deianira apud Sophoclem,

Ὁ καθιζάνει τάχ' ὑμῖν
Αὐλὸς οὐκ ἀναρίαν
Ἰάχων κατακλῶν ὑπόπτερον,
Ἀλλὰ θείαν
Ἀντίλυρον μόναν.

quem locum interpretes non videntur intelligere. Theophylactus aliam rationem affert cur deflereturhæc puella σὺν αὐλῷ· Ἐπειδὴ, inquit, ἄγαμός ἐστι, μὴ τῶ γαμικῶν αὐλῶν αὐτὴν θρήνου· quam obſervationem inanem puto.

30. Καὶ ἐνεβριμήσατο ὁ Ἰησοῦς] Aliquot locis de Chriſto uſurpatur hæc vox; hic, & Marc. 1. 43. itemque Joh. 11. duobus locis. Suidas explicat, μὴ ἀνυπομόνῳ ἐπιτιμᾶν, quod huic loco convenit, reliquis non item.

GUALTPERIUS.

20. Αἱμορροοῦσα] *Hæmorrhouſa, ſanguinis profluvio laborans.* Morbus ipſe vocatur αἱμορραγία & αἱμορροΐς. Eſtque *Hæmorrhagia*, teſte Galeno, *copioſa ſanguinis effuſio. Hæc ſi magnum ſit vulnus, large fluit; ſi anguſtum, per ejaculationem prodit. Hæmorrhous vero eſt, cum ſanguis diſſultando ac paulatim exit.* Idem, *Hæmorrhois eſt dilatatio vaſorum ſedem contexentium.* Nomen traxit ὅτι ῥεῖ τὸ αἷμα ἐκ αὐτῶν ῥύσιν. Sunt autem Hæmorrhoidum differentiæ quinque: de quibus Medici exproſeſſo.

JAC. CAPPELLUS.

17. Non *injicitur vinum novum in utres veteres*] Hanc doctrinam aliquot aliis parabolis confirmant Judæi apud Rab. in Geneſim §. 34. *R. Eleazar dixit*, Simile eſt *patrifamilias* (vel οἰκοδεσπότῃ) *habenti duas vaccas, quarum altera quidem eſt roboris eximii, altera vero roboris infirmi. Utri jugum eſt impoſiturus? annon illi cujus robur eſt eximium? Sic Deus non tentat niſi juſtum. Dicitur enim* Pſal. 11. *Dominus juſtum probat.* Hujuſmodi parabolas inchoare ſolent à voce מה, q. d. *Id de quo agimus comparari poteſt*, vel *ſimile eſt.* Et hanc ipſam vocem מה ſæpe ſupplent, ut hoc loco.

GROTIUS.

1. Εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. *in civitatem ſuam*] Etiam in Romano Jure *civitas noſtra* dicitur ubi larem fiximus. Capharnaumum autem Chriſtum immigraſſe jam ante à Matthæo erat proditum. Quare miror veterum & recentium quoſdam Nazaretham hic interpretari, cum Capharnaumi hæc eſſe acta mihi ſatis certum videatur Marci teſtimonio 11, 1.

2. Τὴν πίστιν αὐτῶν, *fidem illorum*] Sicut Centurionis ſervo profuerat domini fides, ita prodeſt huic ægroto fides amicorum: quanquam & ipſi fiduciam non defuiſſe credibile eſt. ¶ Θάρσει τέκνον· ἀφίενταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου. *Confide fili: remittuntur tibi peccata tua*] Percellebat ipſum haud dubie factorum graviorum conſcientia, quæ timebat obſtitura ſibi quominus ſanitatem reciperet. Nam quia non omnia contra Legem delicta ad Judicum cognitionem perveniebant, ideo Deus mortis intempeſtivæ atque etiam morborum comminationibus Legem ſanxerat, ut videre eſt Deuteronomii XXVIII, 22 & 27. Sunt quidem & naturales interdum morborum aut vitiorum corporalium cauſæ, Deo permittente, ut videbimus apud Johan. cap. IX. Sed hic morbus haud dubie cauſam trahebat ex ipſius hominis culpa. Quod ſæpe contingere docemur Johan. V, 14. 1 Corinth. XI, 30. Quare Chriſtus, ut eum in ſpem ſanitatis erigat, teſtatur veniam ipſi factam peccatorum. Θάρσει omnino vertendum eſt *Bono eſto animo*, ſicut etiam vertit Syrus & hic & infra 22. Hanc enim ſignificationem habet vox iſta ubi ponitur ἀμεταβλήτως [*neutraliter*]. Hinc θαῤῥεῖν τινὰ τινος *animum addere.* Deinde τέκνον [*fili*] amica & blanda eſt compellatio, ut Marci X, 24. Non omnino alienum eſt ab hoc loco quod Plato à Zamolxi dictum refert, ὅτι ὥσπερ οὐθαμοῖς ἄνευ κεφαλῆς ἐ δεῖ θεραπεύειν ἰᾶσθαι, οὕτω οὐδὲ κεφαλὴν ἄνευ σώματος, οὕτως οὐδὲ σῶμα ἄνευ ψυχῆς [*quomodo non tentanda eſt medicatio oculorum non ſanato capite, aut capitis non ſanato corpore, ita nec corporis non ſanato animo*].

3. βλασφημεῖ. *blaſphemat*] Vocem hanc ita Græco etiam ſermone proprie referri ad Dei injuriam præter cætera illis Menandri verſibus docemur,

Ὁ' λοιδορῶν τὸ πατέρα δυσφημεῖ λόγῳ·
Τὸν εἰς τὸ θεῖον ἡ μελέτῃ βλασφημίαν.

[*Qui patrem incilat, voce maledicit patri;*
At in hoc ſe parat ut ipſi maledicat Deo.]

Eſt & apud Pythagoricos frequens ejus vocis uſus. Hierocles τὸ βλασφημεῖν [*blaſphemare*] exponit ἀρᾶσθαι τῷ Θεῷ ἀνόσια [*impia contra Deum optare*]. Dicitur autem hic βλασφημεῖν [*blaſphemare*] non qui Deo maledicit, ſed qui quod Dei eſt ſibi arrogat. Vide infra XXVI, 65. & quæ ad Marcum hoc loco.

4. Καὶ ἰδὼν Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν, *Et cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum*] Erat id inter notas Meſſiæ, ut contra Barchochebam obſervant Thalmudici titulo De Synedrio.

5. εὐκοπώτερον, *facilius*] Plus eſt condonare peccatum quam ſanare morbum. Sed non æque facile vanitatis convincitur qui rem inconſpicuam pollicetur quam qui id ſe facturum ſpondet quod ſub adſpectum cadit.

6. Ἵνα δὲ εἰδῆτε, *Ut autem ſciatis*] Miraculum adſpectabile ſpecialiter adhibitum ad probandam rem alteram quæ ſpectari non poteſt, firmam ejus fidem facit. Neque ullas hic preces adhibet, ſed imperium nudum. Et æger non ſenſum, ſed ſubito totuſque revaleſcit. ¶ Ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι, *in terra dimittendi peccata*] Illud Ἐπὶ τῆς γῆς cum verbo ἀφιέναι conjungendum Marcus nos docet. ac ſimilis conſtructio λύειν ἐπὶ τῆς γῆς [*ſolvere in terra*], quanquam non eodem remittendi ſenſu, Invenitur infra XVIII, 18. Significanter autem à Chriſto dictum eſt, ſibi, quanquam inter homines vitam agenti mortalem, tantum jus eſſe conceſſum. Non igitur agit Chriſtus de annuntiatione veniæ, quæ Nathani etiam ad Davidem &

Prophetis aliis mandata fuerat, sed de potestate peccata suo arbitrio remittendi. Distinguenda tamen est potestas Christo ut homini in terris agenti data ab ea quam post Resurrectionem sibi datam profitetur. Illa potestas ad ea extendebatur quæ ad ministerii tum suscepti functionem pro locorum ac temporum ratione pertinebant, altera nullis locorum limitibus circumscripta, cœlestia omnia ac terrestria complectebatur.

8. *τοῖς ἀνθρώποις. hominibus*] ἐναλλαγὴ [*permutatio*] numeri familiaris omnibus prope linguis, quoties aliquid ἀόριστον [*indefinitum*] denotare volumus. Tale est, *Sepultus in urbibus Galaad, Descendit in latera navis* : & quæ notabimus infra XXI, 7. XXVII, 44. Sic & pluraliter positum Gen. XXVII, 29. mox 37. explicatur per singulare ; & Osee II, 1. in Hebræo plurale est, in Græco & Latino singulare : & Genes. XXI, 7. in Hebræo plurale, singulare in Græco. Non enim hoc plebs admirabatur, isti potissimum Jesu Nazareno hoc jus esse concessum, sed ulli hominum tantum juris datum esse cum stupore intelligebat. Nullum enim talis rei exemplum in omni vetustate exstabat. Hæc autem omnia eo tendebant ut libentius majoreque cum fiducia homines se in Christi traderent disciplinam, confisi se veniam peccatorum non tantùm per ipsum sed & ab ipso consecuturos.

9. *τελώνιον, in telonio*] Ita dictus locus in quo publicum exigebatur. Quare quod in veteri est Glossario, Τελώνιον, *vectigalium, telonatum, mancipatum*, scribendum est *vectigalarium, telonarium, mancipatium*, ea nimirum forma qua *spoliarium* dicitur. *Mancipes* vocabantur ipsi publicorum redemtores. ¶ *Ματθαῖον λεγόμενον· Matthæum nomine*] Eum nimirum qui Apostolus postea est factus, ut apparet infra X, 3. quique hunc librum scripsit sermone Hebræo. Video omnes hodie ita existimare hunc eundem esse quem Marcus & Lucas *Levin* nominant : & sane congruunt narrationum circumstantiæ. Tamen neque Matthæus usquam se *Levin* vocat, neque isti Levin *Matthæum* nominant, neque in recensione Apostolorum Matthæum alio quam *Matthæi* vocant nomine, cum alios cognomentis suis indigitent. Sed magis me movet quod Heracleon, illis temporibus proximus, recitans eos quibus publicum testimonium apud Potestates Christo exhibendi negata est occasio, nominat Matthæum, Philippum, Thomam, Levin ; quodque ea verba ita citat Clemens Alexandrinus ut quod dicitur non obscure approbet. Sed & Origenes adversus Celsum disputans, cum dixisset Matthæum publicanum fuisse, addit deinde : ἴσως δὲ καὶ Λεβὶς τελώνης ἀκολουθήσας τῷ Ἰησοῦ, ἀλλ' ἐπεὶ γε ἐξ ἀριθμοῦ τῶν δώδεκα ἀποστόλων αὐτὸς ἦν, εἰ μὴ ἕν τινα τῶν εὐαγγελίων ἑτεροκλῆ Μάρκον εὐαγγελίου [*esto vero & Levis qui Jesum sectatus est publicanus ; at is ex numero non fuit Apostolorum, nisi secundum quædam exemplaria Euangelii à Marco scripti*]. Ecce aperte negat Levin Apostolum fuisse, quanquam, ut ait, Marci quædam exemplaria id videantur præferre : unde conjectare licet in recensu Apostolorum libros quosdam Marci nomen *Levi* seorsim à nomine *Matthæi* habuisse. Forte is Levis simul cum Matthæo vocatus frater fuerit Jacobi, quando utrique pater Alphæus adscribitur ; unusque non illorum duodecim, sed aliorum Christi sectatorum. Quod si recipimus, in hujus domo, non in Matthæi domo, ut qui tum omnia sua reliquerat, dicemus celebratum convivium ; nam Levin dominum domus nominant alii ; Matthæus autem nude *domum* dixit, domino non nominato. Forte Levis fuit ἀρχιτελώνης, ut Zacchæus, in cujus ministerio fuerit Matthæus.

10. *καὶ ἁμαρτωλοὶ, & peccatores*] Supra diximus ita Judæis vocatos esse eos quos ipsi ob vitæ institutum aut morum impuritatem non minus quam profanos ἀλλοφύλους [*alienigenas*] detestabantur.

11. *ἰδόντες, videntes*] Id est, *cum animadverterent*. Neque enim præsentes fuisse videntur. Eodem sensu vox ista tum in his tum in aliis libris non raro invenitur. ¶ *ἐσθίει, manducat*] Contra quam fieri oportere Legisperiti docebant. Publicanos autem & similis vitæ homines eodem habebant loco quo τοὺς ἀλλοφύλους [*alienigenas*] : unde conjungi solent τελῶναι καὶ ἐθνικοὶ [*publicani & gentiles*].

12. *Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, Non est opus valentibus Medicus*] Loquitur Christus ex suppositione, Si vos tales estis quales vobis videmini, sane meæ operæ non indigetis. Sic Antisthenes, cum objectum illi esset quod cum improbatæ vitæ hominibus versaretur, *Etiam Medici*, inquit, *cum agrotis*. Pausanias, Οὐδὲ ἰατροὶ πᾶσί που ὑγιαίνουσιν, ὅπου καὶ οἱ νοσοῦντες ἀληθεύειν εἰώθασι [*Neque Medici ibi esse solent ubi sunt sani, sed ubi agroti*]. Ovidius III De Ponto, elegia IV.

Firma valent per se, nullumque Machaona quærunt :
Ad medicam dubius confugit æger opem.

Et Diogenes rogatus cum Lacedæmoniorum laudaret instituta cur non apud eos viveret, Οὐδὲ γὰρ ἰατρὸς, εἶπεν, ὑγιείας ἂν ποιήσοιτο ἐν τοῖς ὑγιαίνουσι τῶν Λακεδαιμονίων ποιεῖται [*nam nec Medicus sanitatis effector cum sanis versari solet*]. Pharisæi tam egregii erant pietatis simulatores ut non alios tantum sed & sibi imponerent. Vide Lucæ XVIII, 11. Interea animus erat plenus odii, invidiæ, fastus, avaritiæ, crudelitatis. Adeo verum est, facilius sanari corporis quam animi morbos ; quia cum corpus ægrotat, animus morbum intelligens corpori consulit ; at animo ægrotanti corpus, quippe brutum, consulere non potest, & animus ipse morbo impeditur quo minus morbum intelligat, quem sentire pars aliqua est sanitatis. Vide quæ ad Marcum cap. II.

13. *ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν· misericordiam volo & non sacrificium*] חסד apud Oseam est quod hic ἔλεος. Latine recte reddideris *beneficentiam*. Huic opponitur τὸ θυσία [*sacrificium*], quæ vox hic συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] omnem rituum observationem significat, quia in eo operum genere sacrificia excellebant. Sub priori membro comprehenditur, peccantem hominem ad bonam frugem revocare ; sub altero, abstinere à victu hominum flagitiosorum. Quanquam autem posterius hoc non erat disertè præceptum in Lege Mosis, tamen cum experientia doceat multos inquinari pravorum consuetudine, neque possint viri graves apertius ostendere quantum sibi displiceat vita turpis quam si talium hominum congressum conspectumque defugiant, qui mos ab antiquissimis seculis deductus omnes prope gentes pervaserat, non improbat tale institutum Christus, ut alibi apertius demonstrabitur ; sed comparatis inter se duabus legibus, altera naturaliter honesta, quæ dilectionem & beneficentiam erga quosvis homines à nobis exigit ; altera rituali, quæ vitari nocentes præcipit, ex Osea docet utra utri præponderare debeat. Nam illud לא, quod hic transfertur οὐκ ἀ [*& non*], non simplicem sed comparatam negationem designat, quod sequentia apud Oseam verba manifestissimum faciunt, ודעת אלהים מעלות, id est, *& religionem pro holocaustis*. Vide & infra X, 19, 20. Notus est apud Rhetoras locus de legibus non ex auctorum proposito sed casu aliquo inter se pugnantibus. Græci hanc ἀντινομίαν [*legum repugnantiæ*] speciem vocant τῶν ἐκ συμπτώσεως μαχῶν [*pugnam ex casu*]. Ad talis controversiæ dijudicationem regulæ quædam tradi solent, quarum præcipuam Ciceronis verbis explicabo, qui sic ait De Inventione secundo, *Primum igitur leges oportet contendere, considerando utra lex ad majores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores ac magis necessarias res pertineat : ex quo conficitur ut si leges duæ, aut si plures, aut quotquot erunt, conservari non possint, quia discrepent inter se, ea maxime conservanda putetur quæ ad maximas res pertinere videatur.* Jam docet nos Oseas Dei ipsius nomine, pietatem in animo positam & humanitatis officia apud Deum multo majoris esse momenti quam rituum cæremoniarumque observationem. Causa in promtu est, quia Dei reverentia & vitæ integritas ac beneficentia per se καὶ πρωτευόντως [*principaliter*] Deo probantur, ritualia autem opera ἐπιμόνως [*confectanter*] duntaxat, quatenus ex instituto, non naturaliter pietatem testantur : unde sequitur illa Deo nunquam non placere, hæc vero non aliter nisi illa præcesserint. Adduximus supra ad caput V. ex Platone & Seneca quædam in hanc sententiam : sed infra plenius hac de re agendi se dabit locus. Recte igitur Christus colligit ita observandum illud institutum de vitanda familiari consuetudine τῶν ἀτάκτων [*non ex ordine viventium*] ut non negligantur interim occasiones eos reducendi in rectam viam : quamobrem cum palam appareat se vocatum ad eos venire qui spem melioris vitæ facerent, neque alio animo quam ut Dei fugitivos ad Deum retraheret, iniquissimè id sibi vitio vorti. Hoc documentum sequens Paulus Thessalonicenses Christianos monet μὴ συναναμίγνυσθαι [*non commiscere*] iis qui verbo Euangelii non obedirent ; sed ne quis omnem ad eos aditum indiscriminatim vetitum putaret, adjecit, *non pro hostibus ducendos* (quod facere solebant Judæi) *sed fraterne admonendos*. Nimirum resoluto illo nexu propiore qui pietatis studiosos inter se colligat, manet commune humanæ naturæ vinculum & prioris amicitiæ memoria. Bene monet Hierocles, cum dixisset amicum à nobis separandum διὰ τὴν εἰς τὸ χεῖρον μετάβολὴν [*propter mutationem in pejus*], addidit, ἡ δὲ ἀποβολὴ φυλαττέτω τὸ μὴ εἰς ἔχθραν μεταπεσεῖν· δίον γὰρ, εἰ καὶ παύσεται τὴν φιλίαν ἑαυτῷ ἀποδείξαντα, ἡμᾶς γοῦν πλείονα ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι ὅπως ἐπανακληθήσεται πρὸς τὸ δίον, εἰδότας ὅτι ἀγαπῶντες τὸν ἀποβεβλημένον φίλον, οὐδὲ ἀπεφοιτῶντες τὸ καταδεὲς αὐτοῦ τῆς γνώμης [*ita autem observetur ista declinatio ut non in hostilitatem transeat ; oportet enim nos, etiamsi ille ab amicitia se subduxit, omnem curam adhibere ut ad officium revocetur, ut qui non deleti simus ipsius amici, nec spernamus sapientia*

ſapientiæ in ipſo penuriam]. ¶ οὐ γὰρ ἦλθον, *non enim veni*] Vide ad Marcum II, 17.

14. οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου, *diſcipuli Joannis*] Eandem controverſiam motam Apoſtolis etiam à Phariſæis Lucas & Marcus docent; an eodem tempore, incertum: quanquam Marcus illa connectit. ¶ νηστεύομεν πολλά, *jejunamus frequenter*] Agitur & hic, ut ſupra, non de publicis jejuniis, ſed de iis quæ privatim ſuſcipiebantur: quod fiebat à Phariſæis quidem ad aucupium famæ, à Baptiſtæ autem diſcipulis ob captivitatem magiſtri pro quo preces apud Deum fundebant. Hoc enim oſtendere videtur & ratio temporum, & quæ apud Lucam eſt δεήσεων [*obſecrationum*] mentio. ¶ οὐ νηστεύουσι; id eſt, *non ſolemi jejunare?* nam verbum hoc ut & alibi frequentiam actus ſignificat: ita Marci XIV, 12. ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον [*quo tempore Paſcha immolabant*], *quo tempore Paſcha mactare ſolebant*; & XV, 6. ἀπέλυε *ſolebat dimittere.* Lucas pro eodem dixit ἐσθίουσι καὶ πίνουσι [*edunt & bibunt*], id eſt, vivunt populariter: quo ſenſu & infra dicitur Baptiſta veniſſe μήτε ἐσθίων μήτε πίνων [*neque manducans neque bibens*], Chriſtus autem ἐσθίων καὶ πίνων [*manducans atque bibens*], XI, 18, 19.

15. οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, *filii thalami*] בְּנֵי [*ſodales*] in Judicum hiſtoria, ubi νυμφαγωγὸς verterunt Lxx. Sed νυμφαγωγὸς proprie eſt *auſtex*; cui reſpondet *pronuba:* hic magis eſt ut παράνυμφοι [*ſponſi deductores*] intelligantur, ἑταῖροι Græcis, *æquales* etiam Latinis, Hebræis poſterioribus שׁוֹשְׁבִין. Johannes Apoſtolus pro eodem dixit ὁ φίλος τοῦ νυμφίου [*amicus ſponſi*] III, 29. quomodo & αἱ παράνυμφοι virgines vocantur רֵעוֹת, id eſt, αἱ φίλαι [*amicæ*], Pſalmo XLV, 1. & רֵעוֹת ibidem comnate 15. ubi Lxx vertunt αἱ πλησίον. Eſt autem Hebraiſmus υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος [*filii thalami*], ſignificans eos qui intra thalamum admittebantur, nempe cum ſponſo ſicut cum ſponſa virgines. Sic apud Oſeam בְּנֵי [*filii aquarum*] ſunt *maritimi:* primo Maccabæico IV, 2. υἱοὶ τῆς ἄκρας [*filii Acræ*] *Acræ cuſtodes.* Apud Græcos prior cubitum ibat novus maritus, ad quem deinde nova nupta deducebatur, ut nos docet Epithalamium Helenæ apud Theocritum. Contra Romæ factum ex Catullo diſcimus,

Jam licet venias, marite:
Uxor in thalamo eſt tibi.

Utrum apud Hebræos obſervatum ſit haud facile dixerim. Narrant Judæi collocatis in cubili novis conjugibus hos ſodales extra thalamum ſtetiſſe, ac deinde in thalamum regreſſos ad cognoſcenda ſigna illa de quibus agitur Deuteronom. XXII, 17. Apud Pollucem invenio, Καλεῖται δέ πως ὁ τῶν νυμφίων φίλων ἢ ἑταίρων, ὁ τὴν θύραν ἐφεστηκὼς καὶ διέργων τὰς γυναῖκας βοηθὸν τῇ νύμφῃ βοώσῃ [*Vocatur & quidem amicorum ſponſi Janitor, qui januæ adſtat vetatque mulieres ſponſæ clamanti opem ferre*]. Hac autem comparatione Chriſtus, omiſſis jejuniis Phariſaicis, de quibus egerat antehac, proprie reſpondet Baptiſtæ diſcipulis, oſtendens cauſam propter quam ipſi jejunarent in ſuos diſcipulos nunc quidem congruere; ſed ventura tempora, cum ipſi quoque Magiſtro orbati non jejunia tantum, luctus ſcilicet ſigna, ſed graviora etiam tolerarent. Æquum igitur eſſe, quos tam acerba manerent, eos interim frui brevis gaudii interſurio. Sic obiter Baptiſtæ diſcipulis in mentem revocatur ipſius Baptiſtæ dictum qui Jeſum νυμφίον [*ſponſi*] nomine deſignaverat, & locus Oſeæ II, 16. ¶ πενθεῖν, *lugere*] Jejunia luctus ſigna, aut magni periculi, I Maccabæorum III, 17, 47. II Maccabæorum XIII, 12. I Samuelis XIV, 24. unde Sabbato jejunare religio erat Judæis, quia Sabbatum lætitiæ dicatum. Quare peccatum eſt à Romanis Scriptoribus ignorantia moris Judaici, aut certe vox *Sabbati* per abuſionem ſumta pro quovis religioſo die, cum ita ſcribit Martialis,

Et jejunia Sabbatariorum.

Perſius autem,

Exercent ubi feſta mero pede ſabbata Reges.

Nam nudipedalia certum eſt dies eſſe jejuniorum. Chriſtiani Judæorum exemplo à jejuniis abſtinuerunt diebus Dominicis & tota Pentecoſte, quia totum illud tempus quinquaginta dierum poſt Paſcha non minus quam Dominici dies conſecrati erant memoriæ Reſurrectionis. ¶ τότε νηστεύσουσι *& tunc jejunabunt*] Sæpiſſime in luctu erunt, interque multa incommoda etiam fame & ſiti torquebuntur, I Corinth. IV, 11. II Corinth. VI, 5. XI, 27. Sed & jejunia ſibi indicent, Actorum X, 30. XIII, 2, 3. XIV, 22. I Corinth. VII. 5. Chriſtianus apud Lucianum, Ἡλίου δίκην ἄσιτον διελθὼν ἡμέραν, καὶ δὴ καὶ νυκτὸς ὑφορδίαις ἐπικεκινδύνευκε [*Per decem ſoles manſimus abſque cibo, noctes autem pervigiles in cantibus exegimus*]. Oſtendit autem in ſequentibus Chriſtus factum Dei benignitate ne tanti labores diſcipulos ſuos exciperent adhuc infirmos.

16. οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ· *Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus*] Optime & Latiniſſime hunc locum expreſſit vetus Marci interpres Latinus, *Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri.* Nam *pannum aſſuere* etiam Horatius dixit. Et *rudis pannus* eſt ἄγναφος nunquam interpolatus: Nam & Juriſconſulti *nova veſtimenta* opponunt *interpolis.* Et Lucas quod hic eſt ῥάκος ἄγναφον [*pannus rudis*] dixit ἱμάτιον καινὸν [*veſtimentum novum*], quomodo & Syrus hic vertit. Tertullianus *plagulam* III in Marcionem. ἐπίβλημα [*commiſſura*] eſt συμβολή, מחברת Exodi XXVI, XXVIII, XXXVI. ¶ αἴρει γὰρ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἱματίου, *tollit enim plenitudo ejus à veſtimento*] Πλήρωμα [*plenitudo*] eſt nominativus, αὐτοῦ [*ejus*] intellige τοῦ ῥάκους [*panni*]· αἴρει ἀπὸ τοῦ ἱματίου [*aufert à veſtimento*] dictum ἐλλειπτικῶς [*defective*] pro τι ἀπὸ τοῦ ἱματίου [*aliquid de veſtimento*], ſicut & alibi τινὲς [*quidam*], cum ἀπὸ [*ab*] ſequitur, ſubaudiri ſolere infra oſtendemus XXVII, 9. Atque ita hæc omnia accepit Syrus. Significat autem hic πλήρωμα *commiſſuram* ſive *junCturam rudis panni cum veſte vetere*, Hebræorum exemplo, apud quos מלואים ſive מלוא dicuntur *commiſſuræ*, & מלא *committere*, ut Exodi XXV, 7. & XXVIII, 17. cujus originis nomen etiam Syrus tum hic tum apud Marcum poſuit. Hebræorum Magiſtri omne id quod concavitatem implet vocari ajunt מלואים aut מלוא aut מלואים. Vocem מלוא, quanquam ſenſu paulum diverſo, πλήρωμα [*plenitudinem*] verterunt etiam Lxx Cantici V, 12. Dicitur igitur illa commiſſura *partem veſtis abrumpere*, id eſt, cauſam rupturæ dare. Exſtat non diſſimilis ſententia apud Philonem ubi exponit legem quæ ἕρια ἢ λινᾶ συνυφαίνεσθαι [*una texti linum & lanam*] vetat, καὶ γὰρ ἐπὶ τούτων ἡ μίξις ἡ διαφορότητος ἀκινήτους, ἀλλὰ καὶ ἡ ὁμοφυὴς ἕνωσις, ῥᾳδίως ἀπεργασομένη μᾶλλον ἢ ἑτέρων ὅταν δέῃ χρῆσθαι [*Nam in his rebus non tantum differentia eſt inſociabilis, ſed & alterius rei prævalentia facilius fracturam quam junCturam efficiet ubi opus erit usi*].

17. εἰς ἀσκοὺς παλαιούς· *in utres veteres*] Cogitemus an apud Jobum XXXII, 19. *utres novi* dicantur hi in quibus eſt vinum novum, continens pro contento.

18. ἄρχων, *princeps*] Nimirum τῆς συναγωγῆς [*ſynagogæ*], quod addit Lucas VIII, 41. Notandum eſt Synagogæ Judaicæ præpoſitos fuiſſe viros ſpectatæ probitatis qui vocabantur Chaldaico vocabulo רברבי, id eſt, οἱ πρωτεύοντες [*Paſtores*] quæ vox & in Itinerario Benjamini non ſemel legitur, aut etiam רבים [*magiſtri*], ut Syrus apud Marcum poſuit, aut כנשתא, quod eſt *congregatores* aut *diſceptatores*, quod in Actis apud Syrum legitur. Helleniſtæ hos vocabant ἀρχισυναγώγους [*Archiſynagogos*], ut docemur Actorum XIII, 15. ubi plurimum ἀρχισυναγώγων unius ejuſdemque cœtus fit mentio. Sed inter eos unus eminebat, eruditionis nomine prælatus cæteris, cujus proprium erat munus Legem interpretari & preces concipere, ut Juſtinus adverſus Tryphonem nos docet. Is Hebræis vocabatur ממנה [*Præpoſitus*], aut etiam ריש כנשתא, Syriace, ריש כנושתא, Græce ἄρχων τῆς συναγωγῆς [*princeps ſynagogæ*], quam vocem hic Syrus retinuit, & κατ' ἐξοχὴν ὁ ἀρχισυναγωγὸς [*per excellentiam Archiſynagogus*] Lucæ XIII, 14. Philoni ὁ πρεσβύτης [*præſes*], interdum etiam ὁ πρεσβύτατος [*maximus natu*], cui tribuit τὰ μὴ γνώριμα ἐν ταῖς βίβλοις ἀναδιδάσκειν [*quæ in libris obſcuriora ſunt, enodare*], item τὸ διαλέγεσθαι καὶ ὑμνον ᾄδειν [*diſſertare & hymnum præire*]. Talis fuit Iairus iſte Capharnaumi, ubi unam duntaxat Synagogam fuiſſe arbitror. Quare nihil neceſſe eſt hic τις [*aliquis*] ſubaudiri, cum unus duntaxat ἄρχων [*princeps*] fuerit, quamvis ille idem eſſet, ut Marcus loquitur εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων [*unus Archiſynagogorum*]. Non erant autem iſti archiſynagogi Sacerdotes: nam Sacerdotum opera Templo erat aſſignata; iſti in ſuis urbibus morabantur. Quin & diruto Templo manſit ordinum diſcrimen. Conſtantinus in Lege quæ exſtat Codicis Theodoſiani titulo De Judæis, *Hierεos & Archiſynagogos & patres ſynagogarum*, ubi *patres* ſunt quos dixi רברבי [*Paſtores*]. Ephiphanius nominat ἀρχισυναγώγους, ἱερεῖς, πρεσβυτέρους [*Archiſynagogos, ſacerdotes, presbyteros*], & de quibus infra dicetur ἀζανίτας, [*Azanitas*]. Idem Epiphanius alibi ait Ebionitis ſuos fuiſſe πρεσβυτέρους καὶ ἀρχισυναγώγους [*presbyteros & Archiſynagogos*]. Et Severum Imperatorem, quod Judaiſmo favere crederetur, legimus convitio *Archiſynagogum* & *Archiereα* fuiſſe appellatum. ¶ ἄρτι ἐτελεύτησεν *modo defuncta eſt*] Id eſt, *jam mortua eſt.* Neque enim ἄρτι ſemper exactum tempus, ſed ſæpe præſens ſignificat: εἰς τὸ πα-

ρὸν

ρὶν [*in præſens*], ut interpretantur Græci Scholiaſtæ, quemadmodum apud Sophoclem,

Ἔνδον γὰρ ἀνὴρ ἄρτι τυγχάνει.

[*Eſt jam vir intus ille.*]

Apud Philoſtratum, ἄρτι καὶ ὁ καιρὸν τοῦ ῥήματος [*jam quo loquimur tempore*]. Atque ita plerumque in his libris ſumitur, ut ſupra III, 15. XXVI, 53. Johan. IX, 19, 25. XII, 7, 33, 37. XVI, 12. & hinc ἐπ' ἄρτι *deinceps*, & ἕως ἄρτι *hactenus*, paſſim occurrunt. Neque aliter hic ea vox interpretanda eſt. Non enim hoc ſignificat Jairus, multum parumve temporis effluxiſſe ex quo mortua ſit filia, ſed hoc ipſo tempore cum Chriſtum compellaret non dubitare ſe quin exſpiraſſet, idque ideo quia jam animam agentem reliquerat. Hoc enim eſt quod ait Lucas ἔμελλε ἀποθνήσκειν *quod mortua eſſet*]: cui convenit quod colloquenti cum Chriſto ſupervenit nuntius pro certo affirmans quod ille ex conjectura dixerat, filiam ſcilicet exſpiraſſe; ut nos idem Lucas docet. ¶ ἐπίθες τὴν χεῖρά σου [*impone manum tuam*] Notum erat Judæis ſolere Deum Prophetis hunc exhibere honorem ut in alios dona ſua conferret ad Prophetarum preces, quarum ſymbolum erat manuum impoſitio. Ita Moſes Joſuæ juſſus erat manus imponere, ut ille ea ratione ad Moſes preces Divini ſpiritus augmenta acciperet, Num. XXVII, 18. 20. Et Naaman Syrus invocationem Dei conjungit cum manuum impoſitione, II Regum V, 11. Proprie manuum impoſitio deſignat efficaciam Divinæ potentiæ. Nam χεῖρα ἐκτείνειν [*manum extendere*] de Deo eum in ſenſum uſurpatur Actor. IV, 30. Ideo quia per preces Divina potentia pro altero invocabatur, uſitata erat cum precibus manuum impoſitio. Vide quæ infra XIX, 13. Videtur autem Jairus minus præclare de Chriſto ſenſiſſe quam alii qui ſolo contactu ſanitatem à Chriſto ſperabant, quam Jairus, ut credibile eſt, arbitrabatur ab Jeſu non niſi precibus poſſe præſtari.

20. τὸ κρασπέδον τοῦ ἱματίου αὐτοῦ· *fimbriam veſtimenti ejus*] Videri poteſt hic alludi ad id quod de Meſſiæ temporibus dicit Malachias IV, 2. מרפא בכנפיו *ſanatio in fimbriis ejus.* Nam Deuteronomii XXII, 12. quod in Hebræo eſt כנפות in verſione Lxx eſt κρασπέδων. Et Syrus infra XIV, 36. vocem κρασπέδου vertit ܫܘܠܝܐ. Videntur autem & hic & dicto loco XIV, 36. & infra XXIII, 5. κρασπέδων nomine *amictoxικῶς* [*per complexionem*] intelligi filamenta illa ἐν τοῖς κρασπέδοις [*in fimbriis*] quæ ציצית Hebræi vocant: ut & Zachariæ VIII, 23. ubi itidem in Hebræo eſt כנף, in Græco κρασπέδου. Sic dicto Deuteronomii loco pro Hebræo גדילים, quod *filamenta* ſignificat, Chaldæus poſuit כרזפין, quæ vox eſt ipſa Græca κρασπέδον [*fimbria*]. Erat autem hæc peculiaris nota ſanctimoniæ Iſraeliticæ.

21. Ἐὰν μόνον ἅψωμαι τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσομαι· *Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero*] Videtur hæc femina partim recte partim non recte de Chriſto ſenſiſſe: Recte, quod Chriſtum totum quantus erat plenum eſſe intelligeret Divinæ virtutis; & quemadmodum unguentum fuſum in caput Sacerdotis ad imas uſque veſtimenti oras defluebat, ita ab ipſo undique vim mirificam emanare. Non recte, quod hanc emanationem putaret naturalem magis eſſe quam arbitrii ac diſpenſationis Chriſti ipſius: ſicut Philoſophi multi dicebant Deum agere omnia φύσει, οὐ βουλήσει [*natura, non voluntate*], quos ſolide refutat Scriptor Reſponſionum ad Græcos. Hinc ſpem aliquam conceperat ſanitatem ſe poſſe ab ipſo furtim ſubducere. Quod autem Chriſtus ab hac femina ſe paſſus eſt contingi, nihil ea in re fecit contra Legem, ut ſupra de factus ſimilibus dictum eſt: quanquam & illud addi poteſt quod adverſus Marcionem Tertullianus obſervat, Legis interdicto contineri profluvium ſolemne ex officio naturæ, non ex vitio valetudinis.

22. Θάρσει θύγατερ· ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. *Confide, filia: fides tua te ſalvam fecit*] Θάρσει, ut ſupra ſignificat, *Bono eſto animo.* Solent enim trepidare qui clam aliquid agunt, timentes ne deprehendantur, ſicut hæc mulier, quæ verebatur ne Chriſtus contactum ſuum ut impurum declinaret. At Chriſtus ſimul errorem ipſius corrigens, & tamen quid in ea probandum eſſet oſtendens, ſignificat non contactum ſed inſignem illam de Divina potentia perſuaſionem ipſi ad ſanitatem profuturam: quod præſagium fuit, ut aliquoties jam diximus, veniæ delictorum & ſalutis æternæ conſequendæ per obedientem in Deum & Chriſtum ejus fiduciam: unde etiam factum eſt ut hoc Chriſti effatum frequens eſſet in ore Chriſtianorum, quod etiam Celſus Chriſtianis objecit quaſi ſignum animi non rationibus ſulti, ſed cæco quodam aſſenſu occupati. Huic duobus locis reſpondens Origenes fatetur doctrinam Chriſti ſimpliciter traditam, ut quæ ſalutifera eſſe deberet non hominibus tantum ſtudio literarum vacantibus, ſed quibuſvis de plebe, etiam maxime occupatis, à quibus iniquum eſſet exigere diſputandi ſubtilitatem: Interim vero illam συγκατάθεσιν ſive καταλήψιν [*aſſenſionem*] niti certiſſimis argumentis, hinc Dei potentia, inde virorum optimorum conſentiente teſtimonio. Clemens autem idem dictum explicans recte monet, οὐχ ἁπλῶς σῶσαι πιστεύσαντας εἰκῇ φησιν [*non quovis modo credentes ſervatum iri*], ſed eos demum qui pia opera (data ſcilicet occaſione) fidei adjunxerint, hoc eſt, eos qui fidem habuerint vivam atque efficacem. De Pythagora Iamblichus, Παρῆν ἡ μεγάλη δόξα τῆς εὐσεβείας καὶ ἡ πρὸς τὸν Θεὸν πίστις· παρῄνει γὰρ καὶ πρὸς Θεῶν μηδὲν θαυμάζειν ἀπόρων, μηδὲ πρὸς θεῖον δόγματος, ὡς πάντα τοῦ Θεοῦ δυναμένου [*Inerat illi ex pietate magna etiam in Deos fiducia; ſemper enim præcipiebat, Nihil, quamvis mirum, in Deis pro incredibili habere, nec ullum Divinorum dogmatum, cum Dii poſſint omnia*]. Vide & Danielis VI, 23.

23. τοὺς αὐλητὰς, *tibicines*] Tibias in luctu uſitatas apud Judæos etiam Joſephus Belli Judaici lib. III. nos docet. Puto etiam falli eos qui à profanis gentibus morem hunc ad Hebræos putant deductum. Recte enim ab aliis demonſtratum eſt, exſtare in antiquiſſimis Hebræorum ſcriptis ejus moris veſtigia; ſicut & præficarum mentio eſt apud Jeremiam IX, 17. neque vero in Lege ulla ejus rei interdictio invenitur. Denique tota pompa funeralis non novitium erat inventum, ſed Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Joſephi exemplo nitebatur. Quo convincitur Taciti error putantis curam corporis, moremque condendi magis quam cremandi, ab Ægyptiis ad Judæos perveniſſe. Apparet enim ex Sacra hiſtoria multo ante quam Hebræi in Ægyptum immigraſſent eundem morem ab ipſorum majoribus uſurpatum. Vero autem ſimile eſt ritus funerales, præſertim vero humandorum corporum morem (qui apud omnes gentes crematione eſt antiquior) originem habere à primis poſt Diluvium temporibus, ad deteſtationem τῆς ἀνθρωποφαγίας [*moris edendi humanas carnes*], quæ inter cætera extremæ feritatis ſcelera priſtinum orbem invaſerat. Nam & ejus rei famam ad Græcos manaſſe oſtendunt verſus Moſchionis,

—— καὶ τὸ ἠχεμυθὲς
Εἰς ἦμερον ἤλλαττεν ἥμερον βίον·
Καὶ τοὺς θανόντας ἔρεμον νόμῳ
Τύμβοις καλύπτειν, καὶ μυσαττεσθαι πόνον
Νεκροῖς ἀθάπτοις, μηδ' ἐν ὀφθαλμοῖς ἔχειν
Τῆς πρόσθε θοίνης μνημόνευμα δυσσεβές.

[—— —— *Illud agreſte ac ferum*
Senſim domari cœpit & manſueſcere:
Tunc morte raptos imperatum legibus
Mandare terra, pulveremve inſpergere
Necdum ſepultis, ne darentur conſpici
Abominanda ſigna paſtus priſtini.]

Sic & luctus ſeptemdialis, cujus mentio eſt in hiſtoria ſepulturæ Jacobi, Geneſeos L, 10. & apud Joſephum fine ſexti & libro XVII. Originum, apud Judæos manſit, non ex lege ulla, ſed ex antiqua & Lege non vetita conſuetudine. Hinc Sirachides, Πένθος νεκρῷ ἑπτὰ ἡμέραι [*Luctus mortui ſeptem dies*], XXII, 13. Quin & apud Joſephum ejuſdem moris ad ultima uſque tempora ſervati memoria eſt, & apud Clementem Stromateon quarto. Sed ne hoc quidem peculiare fuiſſe Judæis, ſed aliis quoque gentibus uſurpatum ex Marcellino diſcimus, libro ejus XIX. Verba ſic habent, *Per dierum ſpatium ſeptem, viri quidem omnes per contubernia & manipulos epulis indulgebant, ſaltando & cantando triſtia quædam genera naniarum, Regium juvenem lamentantes; femina vero miſerabili planctu in primævo flore ſucciſum ſpem gentis ſolitis fletibus conclamabant.* His adde quæ infra dicentur XI, 17. Tibiam tamen non antiquiſſimis temporibus ſed ſerius adhibitam funeribus notat Plutarchus libro περὶ τοῦ ΕΙ [*De* EI]. At idem aut quiſquis eſt auctor libri De Muſica ait, Ὀλυμπον ἐπὶ τῷ Πύθωνι ἐπικήδειον αὐλῆσαι Λυδιστὶ [*Olympum Lydio more tibia cecinisse in Pythonis funere*].

24. οὐ γὰρ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, *non eſt enim mortua puella*] Εὐφημισμὸς [*emolliens ſermo*], qualis ille apud Antiphanem,

Οὐ γὰρ πεπράκασι, ἀλλὰ τὴν αὐτῶν ἰδὼν
Ἦν οὗτος ἀλγῶν ἐς ἀναγκαίους ἔχει
Προσελυσάμενος.

[*Nec enim perierunt; ſed eam quam neceſſitas*
Indixit cunctis anteverterunt viam.]

Vocem κοράσιον minus puris accenſet Phrynichus. ¶ ἀλλὰ καθεύδει. *ſed dormit*] Καθεύδειν ἐνταῦθα [*miſer ille dormit*] inquit Menander de mortuo. Hæ autem locutiones, ut & quod mortuos μακάρους aut μακαρίτας [*beatos*] vocabant, & quod

Ter-

Tertullianus apud Romanos antiquitus uſurpatum ſcribit, *Abiit, & reverti debet*, veſtigia eſſe videntur antiquiſſimæ traditionis, oppoſita Sadducæis, quorum ſententiæ faviſſe videtur Jairi domus.

25. ἐκφάτησεν τ̃ χεῖρὸς αὐτῆς· *tenuit manum ejus*] Sicut ſolemus facere cum aliquem ex ſomno excitamus. Ita demonſtravit Chriſtus non minus Deo in proclivi eſſe mortuos in vitam revocare quam expergefacere dormientes: quod ad fidem noſtram confirmandam maximi erat momenti. Alioqui κρατεῖν τ̃ χειρὸς eſt etiam *manu ducere* aut *ſuſtentare*, ut apud LXX Eſaiæ XLII, 13. & XLV, 1. Nihil autem hac contactione Chriſtum in Legem deliquiſſe apparet ex iis quæ dicta ſunt ad caput VIII.

27. ὑὶὲ Δαβὶδ, *fili David*] Frequentiora & majora veteribus exemplis miracula jam hoc effecerant ut à quibuſdam Jeſus non Propheta tantum ſed promiſſus ille Meſſias crederetur. Vide Johan. VII, 31. Idem autem valet ὁ ὑὸς Δαβὶδ [*filius David*] & ὁ Χριστὸς [*Chriſtus*], ut apparet infra XII, 23.

28. οἰκίαν, *domum*] Notant Juriſconſulti Romani *domum alicujus dici etſi quis in aliena domo habitet, ſive in conducto ſive gratuito.* Vide quæ ſupra ad caput VIII. ¶ ὅτι δυνάμαι, *quia poſſum*] Vide quæ dicta ſunt ad caput VIII.

29. Κατὰ τὴν πίστιν ὑμῶν, *ſecundum fidem veſtram*] Vide ibidem.

30. ἀνεῴχθησαν, *aperti ſunt*] Hebraiſmus ſignificans facultatem utendi inſtrumento ſenſus. Vide Marci VII, 34. ubi de auribus dicitur, ut hoc loco & alibi de oculis. Vide Pſal. CXLVI, 7, 8. cujus hic complementum.

33. Καὶ ἐκβληθέντ@ τ̃ δαιμονίου. *& ejecto dæmonio*] Hoc eſt *ſolvere vinctos* dicto Pſalmi loco. ¶ οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως, *nunquam apparuit ſic*] Subauditur τι [*aliquid*], ut ſupra quoque, ac præterea γεγράμμενον [*factum*]. Sic & Marci II, 12. Senſus eſt, Tot ſigna, tam admirabilia, tam celeriter, neque contactu tantum ſed & verbo, & in omni morborum genere, à nemine antehac edita, neà Moſe quidem. Locutio eadem Judic. XIX, 30.

34. Ἐν τῷ ἄρχοντι τ̃ δαιμονίων, *in principe dæmoniorum*] De hujus loci ſenſu agemus infra cap. XII. ἐν [*in*] autem hic eſt poſitum pro διὰ τῆς χειρὸς [*in manu*, id eſt, *per*], ut ſupra quoque admonuimus: ὁ ἄρχων τ̃ δαιμονίων [*princeps dæmoniorum*] eſt ὁ ἄρχων τ̃ κόσμου [*princeps mundi*], Johan. XII, 31.

35. καὶ τὰς κώμας, διδάσκων ἐν τ̃ συναγωγαῖς, *& caſtella, docens in ſynagogis*] Erant quidem plerumque in urbibus tantum Synagogæ, ad quas conveniebant omnes qui in earum urbium erant territorio, οἱ τ̃ παροικίας. Cæterum in vicis quoque majoribus ac frequentioribus aliquas conſtitutas ex hoc loco videtur poſſe colligi. Sic etiam primis Chriſtianiſmi temporibus fieri ſolebat, πάντων τ̃ πόλεις ἢ ἀγρὸς μᾶλλον συνέλθοντας ὅπῃ τὸ αὐτὸ [*conventus omnium qui in urbibus aut agris habitabant*]. Et Cenchreis, qui portus erat Corinthiorum, Eccleſia fuit jam Pauli tempore, cujus diaconiſſa erat Phœbe.

36. ἐσκυλμένοι, *vexati*] Apparet ita legiſſe non veterem tantum Latinum interpretem ſed & Syrum, qui poſuit ܡܬܒܥܝܢ. Videbat Chriſtus plebem Iſraeliticam peſſime haberi ab iis qui paſcere ipſos debebant, Sacerdotibus & Legiſperitis, ut qui ſuis ſtuderent commodis, *vindicantes* (quemadmodum loquitur Salvianus) *improbiſſimis quæſtibus nomen religionis, & præferentes ad ſordidiſſimas negotiationes titulum ſanctitatis.* Videbat præterea miſeros homines hinc à Phariſæis inde à Sadducæis in partes diverſas trahi, ita ut quid ſequerentur, quid fugerent non ſatis eſſet ipſis exploratum. Ita ἐσκυλμένοι [*vexati*] ad malam tractationem, ἐρριμμένοι [*dejecti*] ad ſectarum ſtudia pertinebit. Confer Jer. L, 6. Et figuram hujus rei Eſth. III, 8. ¶ μὴ ἔχοντ@ ποιμένα, *non habentes paſtorem*] Qui nimirum paſtorali animo gregem curet, gregis commodo non ſuo ſtudens, quod eſt καλῦ ποιμέν@ [*boni paſtoris*] officium, ut Chriſtus docet Joh. X, 11. Homerus de ovibus,

—— Αἳ γ' ἐν ὄρεσσι
Ποιμέν@ ἀφεσσάμεναι διέπουσιν.
[—— *Quæ per juga fuſa*
Ob culpam paſtoris eunt.]

Locutio hæc ſumta ex Numerorum XXVII, 17. & I Regum XXII, 17.

37. Ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς, *Meſſis quidem multa*] Hoc eſt quod apud Johannem IV, 35. dicitur, *agros albos eſſe ad meſſem*: id eſt, animos multorum ſatis erectos exſpectatione ſanioris doctrinæ ἢ ἐυφυΐας αὐτῶν εἰς τὴν βασιλείαν τ̃ Θεῦ [*aptos Regno Dei*]· λαὸς πολὺς [*populus multus*], Actorum XVIII, 10. Figura hujus rei in Ruthis hiſtoria cap. II.

38. ἐκβάλῃ ἐργάτας, *mittat operarios*] Ἐκβάλλειν ſæpe non eſt aliud quam ἐξαγειν [*emittere*], Johan. X, 4. aut προφέρειν [*proferre*], infra XII, 35. hic idem quod ἀπολύειν [*dimittere*] Paulo Romanorum X, 15. Utroque ſignificatur non ſola Divinæ providentiæ diſpenſatio, ſed collatio ſpecialis poteſtatis, cum peculiaribus mandatis doniſque. Ita olim miſſus Moſes, Elias, Jeremias, atque alii. Optime autem cum his verbis cohæret ſequens hiſtoria de miſſione Apoſtolorum, quo cœpit impleri id quod Chriſtus optandum dixerat. ¶ ἐργάτας, *operarios*) Ἐργάτην γᾶς *agricolam* vocant Græci, ut Plutarchus. Hic apparet *meſſores* intelligi, ut ſimilitudo ſuis partibus conſtet.

PRICÆUS.

Com. 4. Ἰδὼν ὁ Ἰησῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν] Ita (at in re alia) Lucæ itidem 9. 47. Chryſoſtomus hic pro ἰδὼν, *videns* legit, parvo ſenſus diſcrimine: vide infra 12. 25. Joh. 6 61. Ἰδὼν autem ἐμφαντικώτερον eſt, *cernens*, quaſi nempe quæ oculis videntur. Lactantius (vel apud eum Seneca) 6. 24. *Parietibus oculi hominum ſubmoventur, divinitus Dei nec viſceribus ſubmoveri poteſt.* Lucianus, Ὁρᾷ τὰ ἔνδον δι' ὅλου, καὶ ἀνέῳκται αὐτῷ τὰ πάντα. Quod Scriptori ad Heb. πάντα αὐτῷ γυμνὰ ἢ τετραχηλισμένα. Vide quæ ad Luc. 5. 22.

Ibid. τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν] Arrianus 2. 14. in Epictetum, Οὐκ ἔξι λαθεῖν (θεὸν) ἢ μόνον πάντα, ἀλλ' ἅδε, &c. ἐνθυμήμενον.

Ibid. ἵνα τί, &c.] Vulgat. *Ut quid?* ita & Luc. 13. 7. Vide & ἵνα τί, *ut quid?* in vetere Gloſſario.

Com. 5. τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον; &c.] Τί pro πότερον, ut 1 Cor. 4. 21. & forſan Luc. 6. 9. In Gloſſis, pag. 297. edit. Vulcan. Τίς πρώτ@ ἐφάνη; νῦξ ἢ ἡμέρα; Agrippa apud Philonem Hebræum, Ὧν (quorum duorum) τί ἂν εἴη μεῖζον κακόν; & bene hic Vulgatus, *Quid facilius?* &c. Firmicus Matheſ. 1. 2. *Quid difficilius putas eſſe, curſus ſiderum invenire*, &c. *an inventis ſtellarum curſibus*, &c? Tertullianus in Apologetico, *Quid plenius dicere, Non occides, an docere ne iraſcaris? Quid perfectius, prohibere adulterium, an etiam ab oculorum ſolitaria concupiſcentia arcere?* Ita *quis* pro *uter*, apud alios, etiam magis Latinos. Vide infra ad 21. 31. annotata. Ea iſta quidem recte ſe habere videntur, videamus tamen an hoc modo interpungere liceat, τί δέ; ἐστιν εὐκοπώτερον, &c. ut duplex interrogatio ſubſit: vide Rom. 3. 3. Sic & Philipp. 1. 18. τί δὲ habemus. Nec diſſimilia Actor. 26. 8. illa, τί; ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν δοκεῖ; &c.

Com. 6. ἔξεστι τ̃ γῆς ἁφάσθαι ἁμαρτίας] Poſt γῆς ſubaudi ὥστε ſenſus eſt, dum vel in terra verſatur poteſtatem habere, &c.

Com. 8. τ̃ δοῦν@ ἐξουσίαν τοιαύτην τοῖς ἀνθρώποις] Poſt τοιαύτην ſupple ὥστε τ. φθονεῖν ἐοικότα, ἢ τὰς ἁμαρτίας ἀφιέναι. Τοῖς ἀνθρώποις, homini nato.

Com. 9. καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον] Vulgat. *in telonio*, ita & ſummus inter nuperos Expoſitores, quaſi locus, non in loco negotium intelligatur. Cur ergo non τελωνεῖον potius quam τελώνιον dixit? Vide Suidæ Collectanea. Quin & ἐπὶ in uſu Linguæ iſtius ſolet ita poni ut operi, aut curæ alicui aſſignationem vel attentionem notet. Non itaque hic improbandum puto Recentiorem, qui *ad telonium* vertit: nempe, exigendum. Sic, *ad rationes ſedere*, Petronius dixit. Procopius, aut quis alius (voce δεξιός) apud Suidam, ἐπὶ τ̃ τραπέζης ἢ χαλκῦ καθήμενος.

Com. 12. οἱ χρείαν ἔχοντες ἰατρ̃] Theodoretus 3. περὶ Προνοίας, Οἱ ἐν μάλα τὸ σῶμα ἀλεεινόμενοι τ̃ ὑπὸ τ̃ ἰατρῶν θεραπείας ἢ δίου̃. Vide quæ ad Luc. 5. 31. dicta. Plutarchus de Phocione, Ἐγκαλούντων τ̃ φίλων ὅτι πονηρῷ τινι πεπολιτευμένῳ συνῆσαν, σὺν χρηστοῖς ὄφη μὴ δεῖσθαι βοηθείας. Laertius de Diogene, Πρὸς τ̃ συνιόντα τ̃ παῖδα, ἢ λίαν@ ὑπὸ ἐνφυΐας ἐστὶ, ἢ τὰ ἧττ κεφίζ@, Τί ὦν (ὄφη) ἐμοῦ χρείζεις; Apud Lucianum Demonax Philoſophus, Οἱ ἀγαθοὶ νόμων ἢ δέονται. Vulgatus hic, *non eſt opus valentibus medicus*: quod cum Recentior ille non caperet quam Latine diceretur, *qui valent, non egent medico*, putavit vertendum: cum tamen Cicero ipſe *dum nobis opus eſt*, Famil. 2. 5. dixit, Epiſt. ad Curionem.

Ibid. ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες] Artemidorus 2. 62. Οἱ νοσοῦντες δέον̃ τ̃ ἐπιμασίας τ̃ πλατείων, ἢ οἱ ὑγιαίνοντες. Idem 3. 39. Οὐ τῷ ὑγιαίνοντι λέγ@ τὶς, Ἀναβίβασον, ἀλλ' ὡς εἰκὸς, τῷ κάμνοντι. Ab hiſce non diſcedunt Apoſtoli ad Corinthios illa, Ἃ δοκοῦμεν ἀτιμότερα εἶναι ἢ σώματ@, τούτοις τιμὴν περιτιθέμεν περισσοτέραν, &c. τὰ ἢ ἐνσχήμονα ἢ χρείαν ἔχοντα. Plutarchus de Ariſtone Chio, Ἐπὶ τῷ πᾶσι διαλέγεσθαι τοῖς βουλομένοις ὑπὸ τ̃ σοφιστῶν κακῶς ἀκούειν, Ὀφιλέ, ἔφη, ἢ τὰ θεῖα λόγων περὶ δρεπανίου κτησιν ποιεῖται. Libello, ὅτι μάλιστα τ̃ ἡγεμόνα δεῖ τῷ φιλοσόφῳ διαλογίζεσθαι.

Com. 13. Πορευθέντες ἢ μάθετε, τί ἐστιν, Ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν] Ἐνσπείας καὶ κοινωνίας θυσίαις (ut Hebr. 13. 16.) ὁ θεὸς εὐαρεστεῖται. Proverbior. 21. 3. Ποιεῖν δίκαια, &c. χρεὼν

μᾶλλον ἢ θυτῶν αἷμα· vide & ibid. com. 17. Adde Michæz 6. com. 7. & 8. & infra hic 23. 23. Minutius in Octavio. *Qui innocentiam colit, Domino ſupplicat: qui juſtitiam, Deo libat: qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum: qui hominem periculo ſurripit, opimam victimam cadit.* Socrates apud Platonem 2. Alcibiade, Δεινὸν ἂν εἴη εἰ σοὶ μὲν τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀσυγκλείστους ἡμῶν οἱ θεοὶ, αἷμα μὴ σοὶς τοῦ ψυχοῦ, ἂν τις ὀρθῶς καὶ δικαίως ὁσίαν μᾶλλον εὔξηται ἢ σοὶς πλουτοῦσι πάντας τιμαῖς καὶ θυσίαις. Et Porphyrius in περὶ ἀποχῆς 2. de ſacrificiis, Τούτων χρείαν οὐκ ἔχειν οἱ θεοὶ, εἰς ἣ τὸ ἦθος τῶν σεμνοτάτων ἀσυγκλείστους. Ita 2. 17. Ariſtænetus de audacibus loquens, Τοιούτοις μᾶλλον ἡ Ἀφροδίτη πιθᾶται ἢ λιβανωτοῦ καὶ θυσίαις. Καὶ hic non abſolute, ſed comparate negat. Auguſtinus (& de operibus miſericordiæ) *Hæc præcipue fieri mandat Deus, eaque ſibi vel pro ſacrificiis, vel pro ſacrificiis placere teſtatur.* Ergo καὶ ὅ hic, eſt μᾶλλον ἤ. ut contra 1 Tim. 1. 4. μᾶλλον ἢ, pro καὶ ὅ· ad quem locum annotata inſpice.

Com. 15. πενθοῦσι] Id eſt, νηστεύουσι, ut hic Marcus & Lucas. Nimirum luctus comites jejunia. Apud Apuleium vidua illa, necdum conjuge ſepulto, *Abi, fatue, qui in domo funeſta cœnas, & parties requiris.* Scholiaſtes vetus Juvenalis, *Nec focum in noſtra domo fieri patimur, quod & lugentes obſervare ſolent. Focum*, nempe ad obſonia coquenda. Ἀνδ' (γὰρ) τῶν τεθνεώτων σβεννύουσιν, οὐκ ἴσον ἐφ' ἑστίας πῦρ ἰδεῖν, ut bene 2. 9. Artemidorus.

Com. 16. ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου] Ἐπίβλημα, *aſſumentum.* Ῥάκους ἀγνάφου Vulgato *panni rudis.* In Gloſſis, *Rudis*, &c. ἄγναφος.

Com. 17. οἶνον εἰς ἀσκοὺς, &c.] Artemidorus, Ἀπὸ νεκρῶν σκηνῶν ὁ ἀσκὸς γίνῃ, καὶ ὑγρὰ ἐς ξηρὰν. *Venarii utres* occurrunt in Apuleio. Additur in Matthæi contextu, πολαιούς. In Græco Jobi 13. 38. Παλαιώματα ἐν ἀσκῷ.

Ibid. οἱ δὲ μὴ, ῥήγνυνται οἱ ἀσκοὶ] *Multo dolia ipſa rumpuntur*, ait Seneca 83. Epiſt. multo magis utres ergo. Simile Græci Comici illud,

—— Ἐν πόλει φίλοις
Ἄρτος ἂν, ἀλλ' ὁ ζωμὸς, ἢ λεπτὴ τρίβος.

Heſychius, Ῥήγνυται, λεπτύνεται, &c.

Ibid. καὶ ὁ οἶνος ἐκχεῖται] Ita utriuſque jactura fit. Similis eſt locutio hæc Lyſidis Pythagorici, Εἴ τις εἰς φείσας βαθὺ βορβόρου πλῆρες, ἐγχέαι καθαρὸν καὶ δυσὶν ὕδωρ, τὸν μὲ βόρβορον ἐπέσχε, καὶ τὸ ὕδωρ ἐφάνη.

Com. 18. ἄρχων τις] Vulgat. *princeps unus*: i. e. *quidam.* Vide ſupra ad 8. 19. dicta.

Ibid. Προσκυνῶ αὐτῷ] Heſychius, Προσκυνῶ, σεβασμίζω.

Ibid. ἄρτι ἐτελεύτησεν] Optime Vulgatus, *defuncta eſt.* Plinius lib. 5. epiſt. 16. *Fundani filia minor defuncta eſt.* In Gloſſario, *Defunctus*, &c. πεθνηκώς. Ἄρτι, Eidem *modo*, commodiſſime. Scholiaſtes ad Nubes Ariſtophanis, Ἄρτι, ἀντὶ τοῦ νῦν· nec aliter (inter alias ejus ſignificationes) Heſychius. Suidas adhuc ſubtilius, Ἄρτι, τὸ μέρος τοῦ περιλαμβάνοντος συμπίπτον τῷ νῦν, ἐναντίως ἔχον τῷ αὐτίκα, τὸν δὲ ἐξ τὸ μέλλον συνάπτει τῷ νῦν. Itaque ἄρτι ἐτελεύτησεν, *by this time ſhe is dead:* plane ut in Plauti Aulularia,

—— *Jam credo mortuus eſt.*

Ibid. ἀλλ' ἐλθὼν ἐπίθες τὴν χεῖρά σου ἐπ' αὐτὴν, καὶ ζήσει] Fiducia non admodum diſſimili Menelaus apud Euripidem, *In magnis malis, ô Jupiter, erumnisque verſamur, tu tamen*

—— Κ' ἂν θέλῃς χερὶ
Ἥξομέν τε ἐλθόντ' ἐς Τροίαν βουλόμεθα.

Eadem poteſtas hic in verbo ἀλλὰ, cujus ἔμφασις prætervideri non meruit. Puto, inquit, filiam meam jam animam edidiſſe: tu tamen, vel in hoc rei ſtatu ſi veneris, eam ad vitam denuo vindicare poteris. Eſt itaque ἀλλὰ hic quod Joh. 11. 22. in non diſſimili hiſtoria, ἀλλὰ καὶ νῦν.

Com. 20. αἱμορροοῦσα δώδεκα ἔτη] Vulgat. *quæ fluxum ſanguinis patiebatur.* In Gloſſario, Αἱμορρέω, *ſanguinem fluo.* Morbi autem è profluvio ſanguinis nonnunquam diutini. Cujuſdam qui ὀκτὼ δέκα ἔτη αἷμα ἀνῆκεν, occurrit apud Heliodorum mentio.

Com. 22. θάρσει] Vulgat. *confide*: i. e. bono animo eſto. Apuleius, & de medico loquens, Florid. 4. *Ægrum jubet ut bono ſit animo.*

Com. 23. ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς] Qui frequentes funeribus apparebant, non apud Hebræos tantum (ut ex aliiſque multis locis diſcimus) ſed & Græcos, Romanoſque. Exemplis quæ heic adduxerunt doctiſſimi Viri liceat iſta apponere. Macrobius *Mortuos ad ſepulturam proſequi cum cantu plurimarum gentium vel* (i. e. *&*) *regionum inſtituta ſanxerunt.* Iſidorus Orig. 2. 20. de tibiis, *Hæ diu funeribus tantum adhibitæ* (ferunt) *mox & ſacris Gentium.* Seneca in Apocoloc. de funere Claudii, *Erat omnium formoſiſſimum*, &c. *tibicinum, cornicinum, omniſque generis aneatorum tanta turba, tantus conventus*, &c. Lucianus in mortui proſopopœia, Τί με ὁ κωκυτὸς ὑμῶν (amicorum conſanguineorumque) ὀνίνησι, καὶ ἡ σοὶς τὸ αὐλὸν αὐτὴ στρουθιτμός;

Ibid. καὶ ὁ ὄχλος θορυβούμενον] Poſt ὄχλος bene θορυβούμενον, *turba* enim (ut apud Gellium 13. 11. M. Varro) *plerumque turbulenta eſt.* Hinc & Act. 24. 18. occurrunt juncti θόρυβος & ὄχλος. Virgilius,

—— *Turbamque ſonantem:*

(i. e. θορυβούμενον) ubi Servius, *Aut quæ propter feſtinationem ſonabat, aut turba perpetuum eſt epitheton.* Specialius tamen (ut hoc Matthæi loco) ponitur vox illa ubi de re funeſta. Virgilius,

At domus interior gemitu miſeroque tumultu
Miſcetur. ——
—— *Majore tumultu*
Planguntur nummi quam funera. ——

apud Juvenalem legimus.

Com. 24. οὐ γὰρ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, ἀλλὰ καθεύδει] Vide ad Joh. 11. 12. ex Euthymio allata. Apud Artemidorum lib. 1. cap. 28. Ὁ πεπὼς (ut ὑπνῶν, ἀλλὰ κοιμᾶται. Adde & quæ ad Luc. 8. 52. adduximus.

Ibid. καὶ κατεγέλων αὐτοῦ] Ἐφαίνοντο (ut Luc. 24.) ἐνύπνιον αὐτῶν εἶναι λῆρος τὰ ῥήματα αὐτῶν, καὶ ἄπιστον. Et apte heic κατεγέλων. Ridere ſolent enim, quique audiunt, aut non facta eſſe, aut omnino non poſſe fieri arbitrantur. Arrianus 1. 25. in Epictetum, Τί παραδεξότερον ἢ πάντων τινὰ τὰ ὀφθαλμὼν ἵνα τις ἴδῃ; εἴ τις ἀπείρου τὰ ἰατρικῶν τῶν εἶπεν, οὐκ ἂν κατεγέλα ὅλος λέγοντος; Plutarchus Niciæ, Τοῖς Ἀθηναίοις ἐπῆλθε γέλωτα μᾶλλον ἢ πίστιν. Apuleius 1. Miles. *Exerto cachinno, parce, inquit, in verba iſthæc tam abſurda tamque immania mentiendo.* Idem 4. Florid. ubi de Aſclepiade, qui pollinctum clarumque hominem, quibuſdam ſignis animadverſis, vivere affirmavit: *Murmur interea exortum, partim medico credendum dicere, partim irridere medicinam.* Ita Sarah, cum ſe pariturum audiiſſet Geneſeos cap. 18. ἐγέλασε. Quibus adde & Actor. 17. 32. iſta, Ἀκούσαντες ἀναστασιν νεκρῶν, οἱ μὲν ἐχλεύαζον, &c. & Gellii 17. 3. illa, ubi de ſparto diu Græciæ incognito, *Referunt hoc ad illudendum ex iis qui aderant*, &c.

Com. 28. πιστεύετε ὅτι δύναμαι τοῦτο ποιῆσαι;] Vide ad Actor. 14. 9. annotata.

Com. 30. καὶ ἐνεβριμήσατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς] Suidas (ex hoc, ut videtur, Matthæi loco) Ἐνεβριμήσατο, μετ' ὀργῆς ἐλάλησεν, μετ' ἀνιαρότητος ἐπετίμησεν. Propius autem (certe mihi) Heſychius, & diſtinctius, Ἐμβριμώμενος, μετ' ἀπειλῆς ἐντεθυμημένος. Itaque Plinius cum lib. 6. epiſt. 8. *denunciationibus, & quaſi minis agere* dixit, videtur ἐμβριμᾶσθαι vim aptiſſime expreſſiſſe.

Ibid. ὁρᾶτε μηδεὶς γινωσκέτω] Gellius 15. 22. *Tacere juſſit, ac ne cui palam diceret, interminatus eſt.*

Com. 31. διεφήμισαν αὐτὸν] Vulgat. *diffamaverunt eum* Vide ad Apulei lib. 4. pag. 239. annotata.

Com. 33. ἐξενίμασαν οἱ ὄχλοι, λέγοντες, ὑδέποτε ἐφάνη οὕτως] Vide Judic. 19. 30. Joh. 7. 46. In Senecæ de morte Claudii ludo, *Stupebant omnes novitate rei attoniti, negabant hoc unquam factum.* Quin & hic ῥηθήσεται poſt ὄντως ſubaudiendum, ut Luc. 12. 38. οὕτως.

Com. 34. Ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια] Tertullianus in Apologetico, *Quem ſolum hominem præſumpſerant de humilitate, ſequebatur ut magnum exiſtimarent de poteſtate: cum ille verbo dæmonia ejiceret*, &c.

Com. 36. ἐρριμμένοι ὡς πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα] Apud Suidam in πρόβατον, Προβάτου δίδυ ὄφελος ἐὰν ὁ ποιμὴν ἀπῇ. Qui adeſt autem, nec prodeſt, recte pro abſente habetur; qui vero præſens obeſt, deteſtabilior jure eſt quam ſi abeſſet. Tales erant autem (de quibus hic Chriſtus) ſacerdotes ac Juriſperiti. Ἐρριμμένοι Vulgato *jacentes*: nec male vertit recentior *diſjecti* (i. e. palantes) eſt enim hic ἐρριμμένοι in re ſignificata fere quod Tit. 3. 3. πλανώμενοι· ad quem locum annotata vide. Plautus Bacchid.

—— *Paſtor harum dormit,*
Cum hæ eunt ſic à grege palantes.

Seneca

Seneca (imo & figurato ſenſu ut hic Chriſtus) 48 Epiſt. *Rogam ut ex tanta illos voluptatione extrahas: ut dejectu* (ἐξώμμασιν) *& palantibus* (πλανωμένοις) *veritatis clarum lumen oſtendas.* Ὡς φρέαρ μὴ ἔχοντας πηγήν, proverbiale eſt. Sic εἰς φρέαρ πηγὴν σηπόμενον, apud Simplicium cap. 37. in Epictetum: &, πίμπλη σεαυτὸν οἷον ἔχουσι ἀγγεῖα, apud Philonem in περὶ φιλανθρωπίας libro. Ita & de exercitu in libro Dictyos Cretenſis dicto, *Sine rectore, profuſe,* (ἐξώμμασιν) *ac ſine more militiæ vagatur.* Quod ad locutionem autem Contextus noſtri (quam ex Numer. cap. 27. & 1 Reg. cap. 22. depromptam volunt) manifeſtius putem ego alludi ad Ezechielis iſta, Διεσκόρπισα τὰ πρόβατά μου, ὡς τὰ μὴ ὄντα ποιμένος. Quod enim apud Matthæum ῥίπτεσθαι, eſt ibi ἀφανίζεσθαι.

Com. 37. ὁ μὲν θερισμὸς πολύς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι] Vide ad Luc. 10. 2. annotata nobis.

CAP. X.

MUNSTERUS.

2. *Apoſtolorum*] Ut Græci miſſum nuncium ab ἀποστέλλω, i. *mittendo*, vocant *Apoſtolum*, ita Hebræi à שלח *mittendo* nomen שליח, & aliquando שלוח per Vau Surec, vocantes ſic nuncium à Deo miſſum, qualis erat Moſes, vel ab hominibus, vel etiam à ſeipſis, quales erant pſeudoprophetæ, qui cum non eſſent miſſi tamen currebant & populum ſeducebant. Et quando hic recitantur nomina XII Apoſtolorum, notandum quod non omnia ſunt Hebraica. *Cepha* enim, quod Chriſtus Simoni impoſuit, eſt Chaldaica; quod idioma tunc Judæis erat vulgare. *Philippus* autem & *Andreas* ſunt Græca nomina, quorum primum *bellicoſum*, alterum *virilem* interpretatur. *Barthalmæus* eſt nomen compoſitum ex Syro vocabulo *Bar*, quod *filium* ſonat, & *Thalmai*, quod Græci & Ægyptii *Ptolemæum* vocant. Reliqua ſunt Hebraica, niſi quod *Thaddeus*, aut potius *Thadæus*, videtur eſſe Chaldaica à תר, quod Hebraice ſonat שד, i. *mamillam*, mutato Schin in Tau; quod his duabus linguis eſt familiare. Quare autem Judæi tunc externa nomina filiis ſuis impoſuerint, facile haberi poteſt ratio, nempe quod cum finitimis regionibus cœperunt habere conſuetudinem, & *commiſti inter gentes didicerunt opera eorum*, ut in Pſalterio ſcribitur. Et hinc eſt quod poſt reditum è captivitate Babylonica inveniuntur apud illos hæc externa nomina, *Machabæi*, *Haſmonæi*, *Ariſtobulus*, *Alexander*, *Herodes*, *Archelaus*, *Stephanus*, *Nicodemus*, & ſimilia. Noſtro ævo liberis ſuis plerumque imponunt nomina avium & animalium quadrupedum.

5. *In viam gentium ne abieritis*] Hoc dicitur quod Judæi eſſent filii regni, habentes Euangelii promiſſionem: ideo *in primis erat illis annunciandum regnum Dei, ſed quia indignos ſe faciebant illo, converſi ſunt Apoſtoli ad gentes; qua cum gaudio ſuſceperunt verbum Dei*, Act. 13.

9. *Ne poſſideatis aurum*] Hoc dicitur, quod illi qui Dei agunt negotium, & regnum ejus hominibus annunciant, omnem curam vitæ præſentis rejicere debent in eum, non dubitantes Deum illis ſuppeditaturum commeatum, victum & amictum, atque defenſionem in itinere, juxta illud proverbium vulgo jactatum, *Dignus eſt operarius cibo ſuo.*

10. *Virgam*] Intellige arma defenſoria.

16. *Sitis callidi ſicut ſerpentes*] Vult Chriſtus ut ſui circumſpecte & caute ambulent, & omnia prudenter atque callide agant, & nihilominus ſimplicitatem & integritatem vitæ teneant, neminem offendentes verbo aut exemplo. Aſtutia & prudentia Chriſti fidelibus opus eſt contra lupos, ne circumveniantur inſidiis diaboli & impiorum hominum: eſt & ſimplicitas vitæ neceſſaria, qua Chriſti humilitatem exprimant, & vitam agant eo dignam.

23. *Non conſummabitis civitates Iſrael*] Hoc dicitur, quod feſtinanter luſtrare debuerant civitates Iſrael, & illis annunciare regnum Dei ante Chriſti reditum è mortuis.

25. *Baalzebub*] Notandum quod *Baal* generale eſt nomen idolorum quæ colebantur ab infidelibus prope terram Iſrael. Habebant enim Ammonitæ ſuum Baal, habebant & Samaritæ ſuum, habebant quoque reliquæ circumjacentes regiones ſuos Bealim, ſicut & Hoſea 2. 17. ſcribit, ואסיר את שמות הבעלים, *Et auferam nomina Bealim.* Sed habebat quiſque Baal aliud ſuperadditum nomen, quo ab alio diſcernebatur; ut *Baalpeor*, *Baalzebub*, *Baalzephon*, &c. Sonat autem *Baal magiſtrum*, vel *dominum*; *Baalpeor magiſtrum apertionis*, quod in honorem ejus ab inſipientibus cultoribus ſecreta natium diſtenderentur. Quare autem alius vocatus fuerat *Baalzebub*, i. *Magiſter muſcæ*, non inveni apud Hebræos.

34. *Nolite cogitare quod venerim mittere pacem*] Arguunt hic Judæi contra nos in hunc modum, חץ חיה משחת שר שלום שהיה כל ימיו תער ומאז והלאה לא נשקם העולם ממלחמות ושוד כתיב אחריו מיד למרבה המשרה ולשלום אין קץ על כסא דוד ועל ממלכתו להכין אותה ולסעדה משפט וצדקה מעתה ועד עולם וזהו אמור בשן גילון לא באתי לשום שלום בארץ כאי חרב סכאן גלוי שרטוטים מוזרים זה את זה חשבתי לא בא משיח לשלח שלום בעולם בין אנשים ולזה שלום היצון כי אם שלום ותחי כמו שאמר כי יהיה לכם שלום ובשלם יהיה לכם צשר׳ סי שש נכון המשרה והוא יהיה בשלום שלם ויכתת ותרבו לאת תגיעו למטרי וכי רבות מלחמות חיו בשלום אשר ניארת המשרה זה לשיכן היה כי בני השלום הזה לא יוכלו למטול ארץ בני האלהים אשר הם בשלום האלהים אלא ירושם ושישם מה שרשם לעשות ועל כן אמר משיחנו לא באתי לשלוח שלום על הארץ כי אם חרב כלו׳ למעני לא יהיה שלום על הארץ כי אם בממלכתי שתוא ברוח חיה שלום ושתיקת חלב ובין בני בליעל שלא ישטוף ארץ ויבני יהיה שנאה בנגר בני האלהים ואשר יאמינו בשמי ותתראה כי דמיי תגביאים ודברי המשיח אין מותרים אלה באלה כי תנביאים ואמרו על שלום חלב אשר הוא בסודי האלהים כנגר האלהי תאנשים כי בתיי האלהי יראם לשמר שלום שם כל אנכל לרשעים אין שלום נאם הי הם משיחנו ויבר על שלום חלב כשאמר כי לכם שלום וגו׳. Senſus hujus objectionis eſt, *Quomodo fuit Meſchia eorum Princeps pacis, qui cunctis diebus ſuis diſſenſionem fecit, & ab eo tempore, & deinceps nunquam fuit mundus tranquillus à prœliis? Sed & rurſum ſcriptum eſt paulo poſt memoratum locum* (in Iſaia) *Multiplicationis imperii & pacis non eſt finis*, &c. *Et quomodo ipſe dicit in Euangelio, Non veni ponere pacem in terram, ſed gladium? Patet hinc aperte quod verba eorum inter ſe pugnant.* Reſp. *Chriſtus loquitur hic de pace externa, Prophetæ autem & Chriſtus in aliis locis loquuntur de pace cordis. Ut ille qui verus eſt Chriſtianus, quantum fieri poteſt, habet pacem cum omnibus, conflat gladios ſuos in vomeres, nec unquam cupit aliquem ledere. Mundus vero ſemper eſt & erit mundus, & facit quod ſuum eſt, rixatur, bella ſuſcitat, perſequitur filios Dei, furit & inſanit. Sic ergo Chriſtus dicit, Non veni mittere pacem in terram. Siquidem Chriſtus & Euangelium non poſſunt prædicari in terris ſine perſecutione: ſicut & Chriſtus paulo poſt ſubdit,* Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. *In me habebitis pacem, in mundo autem preſſuram. Qui invenerit animam ſuam, & noluerit eam propter me in periculum adducere, is perdet eam, cum alienus ſit à me, & extra me non ſit ſalus*, &c.

VALLA.

3. *Jacobus Alphæi, & Thaddæus*] Græce eſt, *Jacobus Alphæi, & Lebbæus qui cognominatus eſt Thaddæus*, Ἰακώβῳ τῷ ἐπικληθεὶς Θαδδαίῳ. Quod nomen niſi hoc loco legeretur, non diceret Hieronymus in libris Hebr. Nominum ſuper Matth. *Lebbæus, figuratum nomen à Corde, quod nos diminutive Cerculum poſſumus appellare.*

9. *Nolite poſſidere neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris*] An non *pecunia* eſt aurum & argentum, quod in zona poſſidetur? Neque vero Græce *pecunia* dicitur, ſed *as*, χαλκόν. Melius ergo transfertur in Marco. 6. 8. *Non peram, non panem, non in zona as*, χαλκόν. Et eſt pulcher ordo, Nolo vos poſſidere aurum modo, ſed etiam argentum; nec argentum modo, ſed etiam æs: niſi dicimus, Non de auro & argento dictum eſt, quod in zonis poſſidetur, ſed utrumque. Ergo quod in zonis poſſidetur, pecunia erit. Verum tutius fuit transferre *as*, quod etiam ſignificat tam ſuum apud Græcos quam hoc apud nos, quoniam æreus nummus fuit primus, & diu ſolus. *Pera* & *zona* Græca ſunt verba, pene idem quod *viduum* & *baltheus*, πήρα, ζώνη.

13. *Et ſi quidem fuerit domus digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſin autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos*] Imperativi modi eſt & præt. temporis, *veniat* & *revertatur*, non autem indicativi ac futuri, ut omnes cod. habent, ἐλθάτω, ἐπιστραφήτω.

19. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*] Non eſt Græce *nolite cogitare* (neque enim *cogitare* vetabantur) ſed *ſolliciti & anxii eſſe*, & ſi interpreti credere volumus, *anxiemini*. Idem enim verbum de quo ſuperius 6. 28. diſputavi, μὴ μεριμνήσητε.

21. Detraxi interpreti, nunc volo detractionem laude penſare. Nam quod Græce dicitur, *Necabunt eos*, θανατώσουσιν, ipſe nitidius dicere voluit, *Morte eos afficient*, ſicut aliis quibuſdam in locis fecit, uti oſtendam.

30. *Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt*] Gr. *pili capitis*, τρίχες. Nam cum dixeris *capilli* ſupervacuum eſt addere *capitis*, quoniam *capillus* putatur dictus *capitis pilus*. Ego præterea, ut Græce eſt, dixiſſem *veſtrum*, quia neſcio quid plus hoc modo ſignificat, q.d. Non modo omnia membra veſtra, ſed etiam veſtri omnes capilli, ſive pili capitis, numerati ſunt.

32. *Quicunque confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo*] ἐν ἐμοὶ, ἐν αὐτῷ. Quantum differat per accuſativum, ut poſtea in negando ſit, & per ablativum, ut nunc ſit, loqui, doctores Græci, qui hunc locum exponunt, ſunt conſulendi. Certe male legitur *confiſebitur me* & *confiſebor illum*.

REVIUS in VALLAM.

3. Λεββαῖον] Hoc alienum locum obtinebat.

9. *Nolo vos poſſidere aurum modo*] *Non aurum modo* dicendum erat. Senſus enim eſt, *Non modo nolo vos poſſidere aurum*.

Sed utrumque] Hic meo periculo pro *Utrumque* legatur *Utcunque* hac ſententia, Non de *auro & argento* dictum eſſe quod poſſidetur *in zonis*, ſed *Utcunque*, i. quocunque alio modo poſſidetur, *de pecunia* autem, quæ *in zonis* poſſidetur.

21. Θανατώσουσιν. 30. Τρίχες. Hæc ſuis locis reſtitui.

ERASMUS.

1. *ET convocatis duodecim*, καὶ προσκαλεσάμενος] Ita ferme vertit, nec omnino perperam, nec apte tamen, cum Græca vox ſonet *ad ſe vocatis*. Proinde nos vertimus, *acerſitis duodecim*. Et Græcus articulus additus τοὺς, indicat non poſſe accipi de quibuſlibet duodecim, ſed de certis, nempe illis quos delegerat Jeſus. ¶ *Poteſtatem ſpirituum immundorum*] Plerique Græci cod. habent ἐξουσίαν τῶν πνευμάτων ἀκαθάρτων, *poteſtatem adverſus ſpiritus immundos*. Quanquam apud Chryſoſt. ſi modo liber mendo vacat, non reperio additam præpoſitionem, nec apud Theophylactum. Alioqui *poteſtas ſpirituum* intelligi poterat poteſtas quam habent illi. Niſi quod Græcis *poteſtas* eſt ἐξουσία, i. jus in aliquem & autoritas. Proinde Hilarius offenſus amphibologia legit *poteſtatem ejiciendorum ſpirituum immundorum*. Quanquam & hoc mox addidit Euangeliſta. Subinde rurſum, *Omnem languorem* vertit νόσον, de quo jam dictum eſt.

2. *Primus, Simon*] Indicat D. Hieronymus non eodem ordine recenſeri Apoſtolos ab aliis Euangeliſtis quo à Matthæo, ne quis ob hoc omnium primum faciat Petrum quod hic primo loco ponitur. Nam cæteri in jugis Matthæum præponunt Thomæ, Matthæus ipſe Thomam præfert modeſtiæ cauſa. At in epiſtola ad Galatas Paulus primo loco recenſet Jacobum, *Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur eſſe columna*. Et Hieron. exiſtimat ejus eſſe ordinem ac merita ſingulorum Apoſtolorum diſtribuere qui illos delegit, innuens, ut videtur, autoritatem Apoſtolis omnibus parem fuiſſe, quod ad Apoſtolici muneris functionem attinet. Certe ex ordine recenſionis non efficaciter colligitur quis cui ſit præferendus: Siquidem ubi multi numerantur, aliquis primus ſit oportet. Cæterum ordo qui exſtat in noſtris voluminibus nonnihil diſſidet à Græcis: at Græci conſentiunt cum Hieronymo, qui per juga digerit Apoſtolorum numerum, ſic ut primo loco jungat Petrum & Andream, proximo Jacobum Zebedæi & Joannem fratres, tertio Philippum ac Bartholomæum, quarto Thomam & Matthæum, quinto Jacobum Alphæi & Lebbæum cognomento Thaddæum, ſexto Simonem Cananæum & Judam Iſcariotem. Simonem *Petri* cognomine diſtinguit à Simone Cananæo, & Jacobum Zebedæi filium ab Jacobo Alphæi filio. In quo obiter illud admonendum, ὁ τοῦ Ζεβεδαίου, articulum Græcum vertendum fuiſſe in id nomen quod in articulo ſubauditur, videlicet *filius*, quemadmodum in ὁ τοῦ Ἀλφαίου. Cæterum cum unus fuerit Matthæus, ut opus non eſſet nota qua diſcerneretur; & ſi fuiſſet opus, habebat & alterum nomen, nempe *Levi*; tamen addidit ὁ τελώνης, ſive ut ſe dejiceret, ſive ut oſtenderet omnibus aditum patere ad Chriſtum: etiamſi Græcus articulus patitur, ut vertatur, *qui fuerat publicanus*, aut, *ille quondam publicanus*. Cæterum Judæ proditori cognomen addidit, ſive ut diſcerneret ab Juda Jacobi fratre, qui idem *Thaddæus* ac *Lebbæus* dictus eſt, ut ſit trinominis, ſive ut ex cognomine ſignificaret eum ei facinori natum, quod *Iſachar* שכר Hebræis ſonat *mercedem*: atque à tribu unde fuit oriundus nomen ſortitus videtur. Quanquam non deſunt qui à viculo cognomen deductum malint. Nec eſt *Scariotes*, quemadmodum habetur in noſtris cod. ſed *Iſcariotes*. Nam idem facimus Latini cognomento Judæ quod Græci ſcriptores Eccleſiaſtici faciunt *Hiſpania*, Σπανία pronunciantes, cum, teſte Plinio, terra ſit inſigni fertilitate. Opinor id à Prænestinis natum, quibus, ut ait Plautus, *Conia eſt Ciconia*. Apud Chryſoſtomum *Iſcariotes* legitur.

3. *Lebbæus cognominatus*] In Latinis exempl. non legitur, ſed tantum *Thaddæus*. Hieronymum autem ita legiſſe declarat, quod in Nom. Hebræis apud Matth. meminit Lebbæi, *Corculum* interpretans.

5. *Miſit Jeſus*, ἀπέστειλεν] i. *emiſit*, ſive potius *emandavit*. Siquidem id eſt proprie ἐντέλλειν, *cum mandatis emittere*, à quo verbo dicti ſunt *Apoſtoli*. ¶ Nec eſt, *in civitates Samaritanorum*, ſed *in civitatem*, εἰς πόλιν· quod efficacius eſt: ut intelligas in nullam civitatem illorum eundum. Quanquam non inconvenienter accipi poteſt de civitate quæ regionis nomen obtinet, tanquam metropolis.

6. *Ad oves quæ perierunt*, πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα] i. *Ad oves perditas*, ut frequenter citat hunc locum Hier. Ut ne dicam quod ὅτι ἤγγικεν, primum omittenda fuerit conjunctio Græca; deinde *appropinquabit* Græcis non eſſe futuri temporis ſed præteriti, vertendum *adeſt*, ſive *inſtat*, ſive *in propinquo eſt*. Qua de re jam admonuimus.

9. *Nolite poſſidere*, μὴ κτήσησθε] Quod magis ſignificat *parare* quam *poſſidere*. Ut hæc tria ſimul referantur ad id quod ſequitur, *in zonas*: Siquidem ex hiſce tribus rebus ſolet cudi moneta, quæ primum ærea fuit ac ferrea, nam utrumque ſignificat χαλκός, deinde argentea, poſtremo aurea. Ut contra acciderit pecuniæ ac monibus hominum, qui ex aureis degenerarunt in pluſquam ferreos: χαλκὸν interpres vertit *pecuniam*, quaſi aurum & argentum non ſit pecunia. Certe Marc. 6. 8. χαλκὸν vertit *as*, cum illic tolerabilius verſuris fuerit *pecuniam*, ut generali nomine complecteretur omnem monetam: hic poſt commemoratas omnes ſpecies dare ſubjecit genus complectens & alia, præter monetam. ¶ Εἰς τὰς ζώνας] i. *in cingulos*. Juxta veterum morem locutus eſt, juxta quem milites, ſi quid erat æris, id in zonis geſtabant. Unde proverbium illud apud Flaccum, *Zonam perdidit*, de eo cui nihil erat pecuniæ, quemadmodum in Chiliadibus noſtris copioſius explicatum eſt. Nos vertimus *in crumenis*, non quod eſſet elegantius, ſed quod apertius idem ſignificaret.

10. *Neque duas tunicas*, δύο χιτῶνας] Latinius erat, *neque binas tunicas*. Nam Græci neſciunt hanc elegantiam, quæ tamen non erat negligenda Latino interpreti.

11. *Interrogate*, ἐξετάσατε] i. *exquirite*. ¶ Et ἄξιος *dignus* poſuit abſolute pro *idoneus*, quod nonnulli Latini perperam imitantur. ¶ *Donec exeatis*, ἕως ἂν ἐξέλθητε] Id pertinet ad illud quod proxime præceſſit εἰσέλθητε, & utrumque refertur ad civitatem. Nam præceptum eo ſpectat, ne crebro mutent hoſpitium, neve ambiant apud quem diverſentur; neque rurſus temere in quamvis irruant domum quæ paulo poſt ſit mutanda. Sic Ambroſius & Chryſoſtomus.

12. *Dicentes, Pax huic domui*] Horum verborum nihil eſt in Græcis exemplar. nec adduntur ab Hieronymo. Tantum eſt, *ſalutate eam*. Imo cum ait Hieron. *Occulte ſalutationem Hebraici ac Syri ſermonis expreſſit*, indicat ſalutationem non fuiſſe explicatam, ſed ex hoc colligi quod ſequitur, *Veniet pax veſtra ſuper eam*. In vetuſtiſſ. quodam exemplari Latino aſcriptum reperi, ſed in margine, *Primum dicite, Pax huic domui*. Unde conjicio, quod fere fit, hoc ex aliis Euangeliſtis huc additum fuiſſe. Quanquam ne quid diſſimulem, additur apud Hilarium in Canone, & apud Chryſoſt. hom. 33. ſed Latine verſa cum in Græcis commentariis non addatur. Rurſus apud Theophylactum non additur. Porro ne quis exiſtimet novum hoc ſalutationis genus primum à Chriſto fuiſſe repertum, qui ſic uſus eſt omnibus rebus vulgatiſſimis ut eas longe alio traheret, quemadmodum Græci ſolenni more dicunt χαῖρε, Latini *ſalve*, ſic Hebræi Syrique שלום, *Scholom lecho*, i. *Pax tibi*. Eam ſalutationem nunc ſibi ceu peculiarem vendicant Epiſcopi, parum decoram iis qui non ſolum ipſi belligerantur verum etiam alios ad bella concitant.

13. *Domus illa*] *Illa* addidit interpres de ſuo, cum non ſit nec in Græcis cod. nec in antiquis Latinis. ¶ *Veniet pax veſtra*, ἐλθέτω] *Veniat*. Nec eſt *revertetur* ſed *revertatur*, ἐπιστραφήτω· ſuffragantibus & vetuſtiſſ. Latinorum codicibus.

14. *De domo vel civitate*] Græci addunt ἐκείνης, *illa*.

16. *Et ſimplices*] Non eſt ἁπλοῖ, ſed ἀκέραιοι, quod alias vertit *ſinceri*. Mire vero pinxit Chriſtus hac ſimilitudine ſim-

ſimplicem prudentiam ac prudentem ſimplicitatem hominum vere Chriſtianorum. Innoxium animal Columba, & cui totum ſalutis præſidium in alarum pernicitate ſitum eſt : Eſt enim hæc avis perniciſſimi volatus. Et arte magis quam viribus ſuam incolumitatem tuetur Serpens. Nam hactenus conſilii collatio.

17. *Cavete autem ab hominibus*, ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων] i. *ab illis hominibus*, id indicante articulo. Neque enim monet omnes homines obſervare, ſed malos, de quibus mox dixerat, ac paulo poſt loquitur. ¶ *In conciliis*, εἰς συνέδρια] i. *in concilia*, h.e. conſeſſus Senatorum ac Judicum. Ac rurſus *Synagogas* rectius vertiſſet *conciliabula*, ſive *conciones*. Nec enim tantum loquitur de templis Judæorum.

18. *Ad præſides autem*] Gr. ἡγεμόνας· quod omnino *Præſidem* ſeu *Præfectum provinciæ* ſignificat aliquoties.

19. *Nolite cogitare*] Gr. μὴ μεριμνήσητε, *Ne ſitis anxii*, ſive *ſolliciti*. Non cogitationem Dominus jubet abjicere ſed ſollicitudinem.

22. *Odio omnibus*, μισούμενοι ὑπὸ πάντων] i. *odio habiti ab omnibus*. Variavit, ſed recte. Nec additur apud Græcos *hominibus*, ac ne in aureo quidem codice.

23. *Non conſummabitis civitates*, οὐ μὴ πλήσητε] Quid eſt *non conſummabitis*? Num illi ædificabunt civitates? Cur autem hic veritus eſt à verbis aliquantum recedere, cum idem ſæpenumero faciat ſine cauſa? Nam ſenſus eſt, Filium hominis cito venturum, & priuſquam illi poſſint peragrare omnes civitates Iſraeliticas. Proinde nos periphraſi explicavimus, *Non perambulaveritis omnes civitates*, &c. quo redderemus emphaſim Græcæ vocis πλήσητε. Itaque ſcriptum eſt in aureo codice. Ac rurſum *donec* ἕως durius poſitum quam in initio hujus Euangelii.

24. Ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, ὑπὲρ τὸν κύριον, *ſuper magiſtrum*, *ſuper dominum*] Cur non potius *ſupra præceptorem*, *ſupra dominum*, ſive *ſuperior*, aut *potior*, *domino*?

25. *Beelzebub*] Mirum cur Græci perpetuo mutent *b* in *l* in hac dictione, *Beelzebul* ſcribentes pro *Beelzebub*, cum neutrum elementum apud illos finale ſit β & λ. Alioqui hæc videri poterat cauſa; præſertim cum neque vocum neque figurarum ulla ſit affinitas, ut aurium aut ſcribarum errore factum videri poſſit. D. Hier. indicat idem eſſe *Beel* & *Baal*, & ſonare Hebræis *idolum*, à Sidoniis ad Judæos profectum, ſive à Babyloniis, בעל & *zebub* זבוב *muſcam*, q. d. *idolum muſcæ*; atque hoc nomine ſpurciſſimum idolum fuiſſe Accaronitis, qui ſunt quidem regione Judææ, ſed impii. Ab hoc Hebræos principem dæmoniorum *Beelzebub* appellaſſe.

26. *Quod non reveletur*, ἀποκαλυφθήσεται] i. *revelabitur*, atque ita legit Hilarius. Etiamſi nondum redditur Græcarum vocum inter ſeſe affinitas κεκαλυμμένον & ἀποκαλυφθήσεται, i. *tectum* & *retegetur*. ¶ Ac rurſum γνωσθήσεται, i. *ſcietur* non *ſciatur*.

27. *Prædicate*, κηρύξατε] Quod proprium eſt præconum & publicitus apud populum ſua voce promulgantium aliquid.

28. *Gehenna* vero vocabulum negat Hieronymus *in antiquis inveniri libris*, *ſed primum à Chriſto proditum*. Locus eſt in ſorte tribus Benjamin, ſed ab impiis poſſeſſus, in quo filios exuſtos igni devovebant & immolabant dæmonio Moloch, quemadmodum ethnici nonnulli Saturno. Is vocabatur *Tophet*, ſitus in valle filii Ennon, quemadmodum 4 Reg. 23. 10. *Contaminavit quoque Tophet*, *quod eſt in convalle filii Ennon*, *ut nemo conſecraret filium ſuum aut filiam per ignem Moloch*. Item 1 Par. 28. 3. de Achas ita legimus, *Qui adolevit incenſum in valle Ennon*, *& luſtravit filios ſuos in igni juxta ritum gentium quas interfecit Dominus*. Cæterum ge Hebræis *vallem* ſignificat. Et Dominus Jer. 7. 32. comminatur ſe commutaturum nomen loco, ut *non amplius dicatur Vallis Tophet aut Baal*, *neque Vallis Ennon*, *ſed* πολυάνδριον, i. *Tumulus multorum cadaverum*. Unde locus apud Judæos exſecrabilis habebatur, quemadmodum apud Græcos Κυνόσαργες, de quo dictum eſt à nobis in Chiliadibus. Apud Euangeliſtas uſurpatur pro loco in quo cruciantur impii. Apud Jeremiam autem legis c. 7. *Ædificaverunt excelſa*, ſive *aram*, *Tophet*, *quæ eſt in valle filii Ennon*, *ut incenderent filios ſuos & filias ſuas igne*, &c. Ac mox, *Et non dicetur amplius Tophet*, *& Vallis filii Ennon*, *ſed Vallis interfectionis*; *& ſepelientur in Tophet eo quod non ſit locus*, &c. Rurſus c. 19. *Non vocabitur amplius locus iſte Tophet & Vallis filii Ennon*, *ſed Vallis occiſionis*. Pro *Tophet* LXX verterunt πολυάνδριον. Rurſum 32. *Et ædificaverunt excelſa Baal quæ ſunt in valle filii Ennon*, *ut initiarent filios ſuos & filias ſuas Moloch*, &c. Hæc ideo, lector, retuli ut obiter indicem cujuſdam calumniatoris rabioſam inſectationem, qui tamen plurimorum judicio doctiſſimus habetur; ſuo ipſius plane deus eſt, niſi quod doctis etiam omne judicium eripit livor & odium. Scibit enim me *hoc loco tot fere mendacia aßuiſſe quot ſunt verba*. Primum mendacium facit, quod in locis quos cito ex lib. Regum 4. c. 23. & Jer. 7. hæ duæ dictiones *ge* & *Ennon* non legantur conjunctim, ſed alter habeat *gia Hennon*, i. *vallis Ennon*, alter *gia ben Hennon*, i. *vallis filiorum Hennon*. Quæſo quod hic mendacium eſt, cum ego de junctis aut disjunctis dictionibus non loquar, ſed indicem quibus in locis fiat mentio unde nomen hoc ſumptum eſt quo ſignificamus Inferos? Si illic nulla ſit mentio Tophet, ubi initiabant atque etiam occidebant filios ſuos idolo Moloch, jure mihi objiciet mendacium. Nihil enim aliud profeſſus ſum. Audi nunc alterum mendacium non à me poſitum, ſed in me ſcriptum; Aio *Tophet eſſe in Tribu Benjamin*. *Hoc*, inquit, *in locis quæ commemorat non habetur*. Quid? An iſtuc promiſeram haberi in locis quæ cito? Hieronymus in Locis indicat *Tophet eſſe in ſuburbanis Jeruſalem*; & Hieroſolyma erat in ſorte Benjamin, quemadmodum in iiſdem Locis teſtatur Hieronymus. Iſte profert nobis caput Joſue 18. *Ibi*, inquit, *invenies utrumque*. Quod utrumque? *Gehennon* unica dictione. Quis hoc negabat? & in Benjamin ſorte locum eſſe. Hoc ego docui, quanquam non citato loco, niſi quod autorem profiteor Hieron. Atque hoc ipſum iſte magno convicio objicit quod hoc autore nitor in Hebraicis. Me vero non pudet illum virum alicubi ſequi autorem, cujus interpretationem amplexa eſt, & quem inter præcipuos Doctores habet Eccleſia. Objicit & Hieronymo mendacium, quod dixerat *Gehenna* verbum in veteribus libris non inveniri, ſed primum à Chriſto proditum pro *inferis*, cum reperiatur in libro Abot: quaſi D. Hier. illic ſomniarit de apocryphis Judæorum libris, ac non potius agat de V. T. voluminibus. Rurſus impingit mihi quod ſcripſerim *illic liberos à parentibus immolari ſolere*, cum Hier. tantum dixerit *initiari*. Imo Hieron. hunc enarrans locum dicit, *filioſque ſuos incenderent vel initiarent*. Idem enarrans locum apud Jeremiam ita loquitur, *Filios ſuos in igne idolis conſecrarint*, *ſive holocauſtum obtulerint*. Arrodit & illud, quod cum Hier. ſcripſerit Tophet locum fuiſſe *deliciarum*, ego dixerim *Judæis fuiſſe nomen abominabile*, *quemadmodum apud Græcos eſt Cynoſarges*. Miræ vero deliciæ, idolo incendere filios. Atqui locus qui prius alliciebat amœnitate, poſtea factus eſt abominandus, videlicet impletus hominum cadaveribus, quemadmodum docet Scriptura S. Et ideo manebat abominabile nomen Judæis, quod illic deteſtabili ſuperſtitione perierint animæ plurimorum, filiorum etiam corpora. Impingit quod negem *me videre quid interſit inter Racha & Fatuum*, & hinc colligit homo dialecticus me Chriſto tribuere injuſtitiam. Imo ſic loquor, *Si verum eſt quod ſcribit Hier. Racha ſonare Cerebro vacuum*, *non video quid interſit inter Racha & Fatuum*: atrocius eſt carere cerebro quam appellari fatuum. Objicit quod unum tantum locum citarim ex Pſalmis ubi *Racha* ponitur pro *vacuo*, hinc ratiocinans me non legiſſe niſi unum aut alterum Pſalmum; quaſi quod ipſe fecit difficile fuerit vel ex Lexico facere, ſi ad id quod inſtitueram pertinuiſſet. Objicit quod cum cæteri dubitent de *Racha* ego ſolus affirmem. Imo Hieronymus affirmat, & item Chryſoſtomus, ego ſolus dubito, negans me videre diſcrimen inter *Racha* & *fatuum*, ſi vera eſt Hieronymi ſententia. Et Hieronymi ſententiam ipſe rejicit mecum faciens. Atque obiter admiſcet, *me detraxiſſe Virgini matri perpetuam integritatem*, *Chriſto ſuam Divinitatem*, perfricta fronte mentiens: adhæc, *Germanos decuſſe ſedis Romanæ contemptum*. Et his alia multa ſimilia blaterat homo qui ſibi videtur fato ſervatus fulciendæ Eccleſiæ Dei, vociferans *impudentiſſimum eſſe quenquam hoc ſæculo ſcribere libros quo vivit tale ingenium*. Quid autem poſt tot fumos, tot glorias, tot convitia docet nos? *Racha legendum*, *non Racha*; & *Rheca poſſe dici qui tamen abundet divinis dotibus*. Et unde hæc docet? Ex libris Judæorum quos non agnoſcit Eccleſia Chriſtianorum. Deinde, *Gehennon compoſitum legi in libro Judicum*, & *Gehennam pro Inferis inveniri in libris Abot*; ſimilia protaturus myſteria niſi veretetur *ne ſanctum canibus & margaritas objiciat porcis*. Nimirum hujuſmodi ſcriptores ſi nobis Eccleſia Romana miſerit, facient illam apud omnes gratioſam: Imo niſi tales aluiſſet evexiſſetque Romana ſedes, non veniſſet in publicum orbis odium. Nos humilia tractamus, nimirum pro natura argumenti quod ſuſcepimus, nulli obſtantes quo minus adferat ſublimiora. Imo niſi hæc humilia præceſſiſſent, fortaſſis non eſſent qui iſta ſublimia diſcere vel cuperent vel poſſent.

29. *Duo paſſeres*, δύο στρουθία] i. *duo paſſerculi*: & diminutio facit ad emphaſin. Ac mox Rurſum *ἀσσαρίου aſſe* diminutivum

nutivum eſt, q. d. *teruncíolo.* Quanquam Romanam vocem effinxit ſive interpres ſive Euangeliſta. *As* enim ſive *aſſis*, qui & *libella* dicitur, nummulus erat cujus vilitas etiam proverbiis teſtata eſt. Catullus,

Omnes unum æſtimemus aſſis.

Illud mirum, Hilarium ſubinde repetiſſe *unum* pro *unum*, quod ἓν θέλω apud Græcos neutri generis ſit: niſi forte malumus hoc imputare librariis. Cyprianus citat *neuter*, quod duorum eſſet facta mentio. Mirum autem quid ſecutus Chryſoſtomus legat, *& unus ex illis non cadet in laqueum ſine Patre veſtro.* Et ad eundem ſane modum legit Origenes hom. in Lucam 32. Nam ut Origenis non ſit hoc opus, tamen hominis eſt eruditi. Theophylactus nobiſcum legit *ſuper terram.* Unde probabile eſt Chryſoſtomo fuiſſe exemplar in quo ſcriptum erat *εἰς γῆν ἐκεῖνα*, pro ἐπὶ τῆ γῆ.

30. *Veſtri autem*] *Veſtri* hoc loco primitivum pronomen eſt potius quam derivativum; q. d. *De vobis.* Nam Græci carent hac diſtinctione. Significat autem viliſſimam hominis partem. Interpres aut certe ſcriba omiſit Græcam conjunctionem δὲ &, *Et capilli*, ſeu magis *pili*, quæ tamen ad emphaſin facit, cum ſentiat adeo nos non eſſe neglectui Patri cœleſti ut is capillos etiam noſtros habeat numeratos.

31. *Meliores eſtis*, διαφέρετε] *Præſtatis*; quod alibi vertit *pluris eſtis.* Nec eſt

32. *Confitebitur me*] Sed *in me*, ἐν ἐμοὶ. h. e. in nomine meo. Item, *confitebor in eo*, ἐν αὐτῷ. Sic legit & Chryſoſtom. Quanquam hunc ſermonem ſuſpicor eſſe idiomatis Hebraici.

35. *Separare hominem adverſus*, &c. διχάσαι] Quod ſignificat *in duo diducere quæ prius erant conjuncta:* quod ſubnotaſſe videtur & Chryſoſtomus hunc ediſſerens locum. Unde Græci διχοστατῶν vocant *per ſeditionem inter ſe contendere*; & *ſeditionem*, διχοστασίαν, quoties

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Locus autem eſt apud Michæam 7. 6. juxta veritatem Hebraicam, *Ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui, quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit adverſus matrem ſuam, nurus adverſus ſocrum ſuam: inimici hominis domeſtici ejus.* Græca vox eſt anceps, νύμφη, quæ ſi referatur ad maritum *ſponſam* ſonat; ſi ad parentes ſponſi, *nurum.*

39. *Qui invenit*, ὁ εὑρὼν] i. *Qui invenerit.* Eſt enim præt. temporis, ut & illud ὁ ἀπολέσας, *qui perdiderit.*

41. *In nomine prophetæ*] Scio quoſdam has particulas *in nomine juſti* & *in nomine prophetæ* referre ad Chriſtum, qui vere Juſtus ſit & Propheta. Quanquam mihi videtur hic eſſe ſenſus, Qui recipit juſtum non quia cognatus ſit, aut affinis, aut dives, aut potens, ſed quia juſtus, erit & ipſe juſtus accepturus mercedem ſuæ juſtitiæ. Et *in nomine* reliquimus, quod aliquoties nec *ſub nomine*, nec *per nomen*, nec *nomine* omiſſa præpoſitione ſatis explicat idioma ſermonis Hebraici. Ac mihi ſane nimium moroſi videntur qui nuſquam concedunt Euangelicis literis ſua peculiaria vocabula, cum in Rhetoricis ferant *ſtatum* & *conſtitutionem* voces longe aliud ſignificantes Latinis auribus, & *finem* pro *definitione*, & *ſuperlationem* vocem Latinis inauditam pro eo quod Græci vocant *hyperbolen.* ¶ *Mercedem prophetæ accipiet*] Neque *prophetæ* neque *juſti* apud Græcos additur articulus ὁ, unde non poteſt accipi de certo propheta ſeu juſto, ſed de quocunque, non de eo qui recipitur: ut ſenſus ſit, Ipſum quoque qui prophetam receperit, fieri prophetam; qui juſtum receperit, fieri juſtum. Nam hic ſenſus arridere ſolet Joanni Coleto: quanquam ſecus interpretari videtur Chryſoſt.

42. *Ex minimis his*, ἐκ μικρῶν τούτων] i. *E puſillis bis*, ſive *è parvis*, ne fruſtra ſibi placeant quidam qui ſe *Minimos* vocant, cum alii Minorum occuparint cognomen. Quanquam *minimis* legit & interpretatur Hilarius. Ex Hieronymi Chryſoſtomique interpretatione non ſatis liquet quid legerint. Et hujus ipſius Euangeliſtæ 25. 40, 45. ἐλαχίστων legitur, *Quamdiu feciſtis uni ex minimis iſtis*, &c. ¶ *Calicem aquæ frigidæ*] Gr. ποτήριον ψυχροῦ, *poculum frigidæ*, ut ſubaudiendum ſit ὕδατος. Sic enim loquuntur & Latini, *Frigida lavat*, &, *Frigidam popoſcit.* ¶ Μόνον, *tantum*] Referri poteſt vel ad ſuperiora, ut ſit ſenſus, Sufficere ſi quis vel frigidam duntaxat aquam exhibeat; vel ad ſequentia, ut intelligas, Satis eſſe quidvis, modo id fiat tanquam diſcipulo Chriſti.

VATABLUS.

1. S *Piritum immundorum*] *Adverſus ſpiritus immundos.*

2. *Diſcipulorum*] *Apoſtolorum.* V. i. legatorum. ¶ *Dicitur*] Vel, *cognominatur.* Act. 10. 5, 18, 32. ¶ *Zebedæi*, Sub. *filius.*

3. *Publicanus*] *Qui furtæ publicanus.* ¶ *Et Thaddæus, & Lebbæus, qui cognominatus eſt Thaddæus.* V.

4. *Tradidit*] *Prodidit.*

5. *Miſit*] *Emiſit*, vel *amandavit.* ¶ *Præcipiens eis*] Vel, *cum prius eos inſtruxiſſet monitis & præceptis.* ¶ *Viam Gentium*] i. quæ ducit ad Gentes. ¶ *Civitates*] *Civitatem.*

7. *Appropinquabit*] *Appropinquavit.* V.

8. *Infirmos*] Vel, *ægros.*

9. *Poſſidere*] Vel, *parare.* ¶ *Pecuniam*] *Æs.* Erea enim fuit primum moneta, vel ferrea: quæ olim in Zonis gerebatur.

10. *Virgam*] Vel, *baculum.* ¶ *Cibo ſuo*] i. mercede ſua.

11. *Interrogate*] *Exquirite.* ¶ *Dignus*] Sub. *pace Euangelica.* Luc. 10. 6. *filius pacis.*

12. *Dicentes, Pax huic domui*] Quædam exempl. Græca non legunt hæc verba.

13. *Domus digna*] *Domus illa digna* V. ¶ *Veniet*] *Veniat.* V. ¶ *Revertetur*] *Revertatur.* V.

14. *Exeuntes de domo*] *Exeuntes foras de domo.* ¶ *Civitate*] *Civitate illa.* V.

15. *Tolerabilius erit*] Vel, *tolerabiliora contingent*, i. Minus punientur Sodomitæ.

16. *Oves*] Accuſ. caſus. ſub. *emitteret quis.* ¶ *Simplices*] Græca vox ſign. *expertes injuriæ, innocentes, & mites.*

17. *Ab hominibus*] Scil. quibuſdam. Certos enim, non omnes, ſignificat articulus Græcus. ¶ *In conciliis*] *In concilia*, i. Judicibus. Vox Græca ſignificat *conſeſſus Senatorum.* ¶ *Synagogis*] Vel, *congregationibus.*

18. *In teſtimonium illis*] i. ut teſtatum ſit ipſis perveniſſe ad eos Euangelium.

19. *Tradent vos, nolite cogitare*] *Tradiderint vos, ne ſitis ſoliciti:* vel, *anxii.*

22. *Omnibus*] *Omnibus hominibus.* V. ¶ *Propter nomen meum*] i. propter me, Hebr. ¶ *Perſeveraverit*] *Suſtinuerit.*

23. *Non conſummabitis*, &c.] Gr. *non abſolveritis*, i. non finem feceritis prædicandi in civitatibus Iſrael, quin ego vos ſubſequar. ¶ *Donec*] *Quin jam.*

24. *Super magiſtrum*] *Supra præceptorum:* vel, *potior præceptore.*

26. *Reveletur, & occultum quod non ſciatur*] *Revelabitur, & occultum quod non ſcietur:* vel, *quod non retegendum ſit, & occultum quod non futurum ſit ut ſciatur.*

27. *In tenebris, dicite in lumine*] i. domi, dicite publice. ¶ *In aure*] *In aurem.* ¶ *Super tecta*] *De tectis.* i. de locis editis, ut à pluribus audiatur.

29. *Paſſeres*] *Paſſerculi.* ¶ *Aſſe*] i. quatuor denariis.

31. *Meliores*] *Excellentiores.*

35. *Separare*] Vel, *diſſidere facere.* ¶ *Nurum*] vel, *ſponſam.*

37. *Non eſt me dignus*] Indignus eſt qui me ſequatur, & ſit meus diſcipulus, Luc. 12. 26.

38. *Qui non accipit crucem ſuam*] i. Qui non fert æquo animo afflictiones propter me.

39. *Invenit animam ſuam*] *Invenire animam* pro *amare vitam ſuam.* ¶ *Inveniet eam*] i. cuſtodiet eam in vitam æternam.

41. *In nomine prophetæ*] i. quod propheta ſit, quod [redacted] juſtus, &c.

42. *Ex minimis iſtis*] *E puſillis iſtis.* ¶ *Calicem aquæ frigidæ*] *Poculum frigidæ*, ſc. *aquæ.*

CASTALIO.

5. *Dimiſit Jeſus, eis ita præcipiens*] Et hoc bene ab Antiquo interprete verſum erat: nec refert quod ἀπεστείλας præteriti temporis eſt. Nam hujuſmodi præterita ſæpe per præſentia reddenda ſunt; quale eſt illud, ἀποκριθεὶς εἶπεν, *reſpondens dixit*, aut *reſpondit & dixit*: nec enim prius reſpondit quam dixit, quin ea reſponſio ipſa dictio eſt: ut ſit ἀποκριθεὶς pro ἀποκρινόμενος. Similiter quod hic dicitur ἀπέστειλεν παραγγείλας idem eſt quod ἀπέστειλεν παρήγγειλεν, *dimiſit præcipiens*, aut *dimiſit & præcepit*. Nam ea miſſio ipſa præceptio eſt, cum jubet eos *ire ad perditas oves Iſraeliticas*: Iiſdem enim verbis & mittit & præcipit. Hoc moneo, ne quis miretur non ſemper verbi tempus reſpondere. Sæpe enim tempus pro tempore ponitur: ut ἔρχεται & ἐρχόμενος pro *venturus eſt*, & ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος οὐκ ἀποθνήσκει, *Diſcipulus ille non eſt moriturus*, & alia innumera: qualia ſunt etiam illa apud Latinos, *Tityre, dum redeo*, i. donec redeam; &, *Quid agimus?* pro *quid agemus?* item *Non cæno domi*, pro, *Non ſum cænaturus*. Quod idem moneo etiam de propria verborum ſignificatione, ſicubi forte minus proprie reddere videmur; ut cum ἐκεῖνος pro *ille*, & ὅτι pro ὃς ponuntur, & alia hujuſmodi multa. ¶ *Neve in ullam Samaritanorum urbem*] Εἰς πόλιν μὴ εἰσέλθητε pro εἰς μηδεμίαν πόλιν εἰσέλθητε. Hebr. eſt: qualis & ille Joh. 19. ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ, *Nullum ejus os confringetur*. Eodem modo loquuntur Galli, *Il n'y a ame. Non eſt anima*, pro, *Nulla eſt anima*, h. e. homo. *N' entrez en ville de Samarie*, pro, *en aucune ville*.

11. *Dignitate præditus*] Gravis & bene audiens. ¶ *Illic manete*] Apud illum hoſpitem. ¶ *Donec diſcedatis*] Scilicet ex urbe aut vico.

12. *Salveat hac domus*] שלום, quod hic εἰρήνη dicitur, verbum eſt ſalutantis, quod etiamnum retinent Turcæ: Salutantes enim dicunt *Schalamalech*, quod eſt שלום לך, *pax tibi*, h. e. ſalve. Et ſane *pacis* & *ſalutis* vocabula cognatæ ſunt ſignificationis. Nam & qui in pace eſt, ſalvus eſt; & qui ſalvus non eſt, pace caret. Nec enim *bellum* voco id ſolum quod vulgo hoc nomine notum eſt; ſed qui ægrotat, dolet, eſurit, huic cum morbo, dolore, fame bellum eſt: neque poteſt (quamvis abſint homines) dici pace frui cum tam moleſtis hoſtibus conflictandum ſit. Itaque apud Livium ſæpe *pacem deum expoſcere* dicuntur qui à diis ſalutem & omnium rerum proſperitatem poſtulant. Sed in ſalutationibus *ſalvere* & *ſalus* aptiora & apertiora verba ſunt, deducto inde etiam *ſalutandi* verbo. Itaque Gabriel Mariam ſalutans, quod eſt Hebraice *Pax tibi*, dixit χαῖρε, h. e. *ſalve*, aut *ave*. Quod autem dicit, *Siquidem erit digna domus, eveniat ei veſtra ſalus*, imperativo utitur pro futuro, in hanc ſententiam, Si ſalute digni erunt, eveniet eis veſtra ſalus, h. e. felicitas, quam eis optabitis ſalutando: Sin minus, non magis eis proderit veſtra ſalutatio quam ſi non ſalutaviſſetis.

14. *Excutite pedum veſtrorum pulverem*] Hoc eſt teſtantium ſe nullam velle ſibi eſſe cum illis communionem.

15. *Gomorrhæorumque gente*] Gr. *terra*.

39. *Animam ſuam qui invenerit, perdet*] εὑρίσκειν & *reperire* & *parere*, ſive *quærere* ac *comparare* eſt. Sed neque hic *parere* aut *comparare animam ſuam* recte dici poteſt (dicendum enim eſſet, *ſervare animam ſuam*, aut *vitæ ſuæ conſulere*) & propter *perdendi* verbum, fuit utendum verbo quod contrariæ notionis eſſet. Gallicæ pulchre exprimi poteſt hoc verbis *gaigner* & *perdre*.

41. *Qui vatem nomine vatis accipit*] Idem quod ante dixit, Qui miſſum accipit tantum meretur quantum ſi mittentem acciperet. *Qui vatem aliquem nomine vatis alterius*, h. e. quoniam à vate miſſus eſt, *accipit, is mercedem vatis adipiſcetur*, h. e. idem præmium habebit quod haberet ſi vatem illum à quo is miſſus eſt accepiſſet. Verbi gratia, Qui Eliſæum vatem nomine Eliæ vatis accipit, eandem habebit mercedem quam ſi ipſum Eliam accepiſſet. Dicit autem *mercedem vatis* brevius, & ideo obſcurius, pro *mercedem ob acceptum vatem*; ſicut cap. 12. eſt βλασφημία πνεύματος pro κατὰ τοῦ πνεύματος.

CLARIUS.

1. ET *convocatis duodecim diſcipulis*] Dixerat *rogandum Dominum meſſis ut extruderet operarios in meſſem*, & non exſpectatis eorum precibus præparat ipſos operarios. Nam non iccirco rogari Deus vult quod minorem is quam nos ipſi noſtri curam gerat, ſed id præcipitur ut aptiores ſimus agnoſcendæ Divinæ erga nos beneficentiæ: nam *oratio*, ait Dionyſius, *eſt tanquam catena quædam aurea, quæ è cœlo uſque ad terram demittatur, quam ſi quis apprehendat ut per eam aſcendat, is videtur quidem catenam ad ſe trahere, ſed illa potius eum ad cœlum vehit.*

5. *Hos duodecim*] Tanquam verus Iſrael, h. e. *Potens cum Deo*, nempe æqualis Patri, duodecim eligit filios: Quibus nunc præcipit *ne in gentium* viam *abeant*, ne occaſionem odii præberet ſuæ genti, quæ quantum hoc abominaretur declarant Acta Apoſtolorum: In quibus cum Paulus ipſis Hebræis Hebræa lingua loqueretur, tamdiu auditus eſt quamdiu loqui voluit: at ubi ad eum locum venit ubi ait Dominus, *Vade, quoniam in nationes longe mittam te, Extulerunt*, ait Lucas, *vocem ſuam, dicentes, Tolle de terra hujuſmodi hominem: non enim fas eſt eum vivere.* Perinde quaſi blaſphemum quid eſſet locutus, perinde ſunt vociferati. Quid? ipſi qui jam crediderant, cum cernerent etiam in Gentes hanc effundi gratiam, mirabantur tanquam de re quæ credi vix unquam potuiſſet. Inſtruit autem hoc capite in Apoſtolis omnes Euangelii prædicatores.

14. *Excutite pulverem*] Nempe *in teſtimonium illis*, ut eſt apud Marcum; ut indicarent ſe labores ſuſcepiſſe pro eorum ſalute, quos ſi rejicerent eſſent inexcuſabiles.

16. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes*] *Prudens*, ait Baſilius ὁ πρὸς ἀσυνήθειαν, *ut ſerpens eſt qui cum circumſpectione & conſideratione quid fieri poſſit, & quo pacto, ad perſuaſionem audientium doctrinam ſuam diſponit: Simplex autem ſicut columba, qui ne animo quidem & cogitatione admittit ulciſci eum qui ſibi inſidietur, ſed perſtat in beneficentia, juxta Apoſtoli præceptum*, VOS, *inquit*, NE DEFATIGEMINI DUM BENEFACITIS. *Nam ad prædicationem diſcipulos mittens Dominus hæc eis mandat, ubi & prudentia opus erat ad perſuadendum, & adverſus inſidiatores tolerantia, ut ſicut illic Serpens novit & vultu accommodo accedere & appoſite ad perſuaſionem loqui ut avocaret homines à Deo & ſub peccatum duceret, ſic & nos & perſonam & locum & tempus eligamus, & omnibus modis ſermones diſponamus cum judicio, ut abducamus à peccato homines, & reducamus ad Deum: tolerantiam vero in tentationibus in finem uſque ſervemus, quemadmodum ſcriptum eſt.* Hæc ille.

23. *Donec veniat Filius hominis*] Latenter indicat tempus crucis, quod primi adventus ejus ſumma fuit.

26. *Nihil enim eſt opertum*] Veſtra, inquit, tandem ſinceritas & veritas prædicationis agnoſcetur à mundo.

30. *Et capilli capitis veſtri*] Nos ingratos, qui tam pium Patrem averſemur, cui etiam capilli noſtri curæ ſint ne temere pereant!

41. *Nomine prophetæ*] Quatenus propheta eſſe creditur.

ZEGERUS.

1. POteſtatem ſpirituum immundorum] i. poteſtatem adverſus ſpiritus immundos: quod ut eſſet manifeſtum, Græcus aliquis de ſuo interjecit κατ particulam, ἐξουσίαν κατ πνευμάτων, quam neque Chryſoſtomus neque Theophylactus addiderunt.

3. *Et Thaddæus*] Is eſt qui Luc. 6. 16. & Act. 1. 13. *Judas Jacobi* appellatur, h. e. Jacobi frater, & illam reliquit epiſtolam quæ de VII catholicis eſt. D. Auguſtinus lib. 2. De conſenſu Euangel. c. 30. teſtatur in aliquot codicibus *Lebbæus* ſcriptum fuiſſe pro *Thaddæus*; unde putat eundem fuiſſe trinominem. In Græcis hodie utrumque ſcriptum eſt, hoc modo, ὁ Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, *& Lebbæus cognomento Thaddæus.* ¶ *Lebbæus cognominatus*] Extra contextum habendum eſt. Nam Hieronymus adnotat *alibi* ſic *vocari* hunc.

11. *Quis in ea dignus ſit*] i. idoneus & probatæ vitæ, qui vos excipiat hoſpitio, ne ſubinde cogamini mutare diverſoria ob hoſpitis improbitatem.

12. *Salutate eam, dicentes, Pax huic domui. Et ſiquidem fuerit, &c.*] Abſunt in Græcis hæc verba, *dicentes, Pax huic domui*: ſed adjicienda eſſe, palam arguit primum Hilarii autoris antiquiſſimi interpretatio, deinde ipſe ſermonis tenor. Quo enim referetur quod ſubditur, *Et ſi quidem fuerit domus digna, veniet pax veſtra ſuper eam*, ſi nulla imprecandæ pacis præcedat mentio. Certe, ut citra hæc verba probe cohæreret ſermo, potius dicendum fuerat, *ſalutatio veſtra ad vos revertetur.* Proinde legendum eſt, ἀσπάσασθε αὐτὴν, λέγοντες, Εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. Καὶ ἐὰν μέν, &c. Ad hæc Hebr. codex cum noſtra conſentit edit. ita habens, תשלמו בשלומו לאמר שלום לזה הבית *Salutate eam ſalutatione ſua, dicentes, Pax huic domui.* Ex Hieronymo & Chryſoſtomo aperte non liquet quid ipſi legerint.

Si

Si tamen bona fide verſus eſt Chryſoſtomus, & ipſe legit, *dicentes, Pax huic domui.*

14. *Excutite pulverem de pedibus veſtris*] Pulverem excutere jubentur in teſtimonium laboris ſui, quod ingreſſi ſint civitatem, quodque Euangelium ſalutis ad illos uſque pertulerint. Sive etiam pulverem excutere jubentur, quo palam teſtificentur adeo nihil terreni lucri commodi ambiviſſe ab his qui Euangelium Dei rejeciſſent ut ne ad victum quidem neceſſaria velint ſe accepiſſe.

16. *Simplices ſicut columbæ*] Ἀκέραιοι *ſinceros, injuriæ expertes, ſimplices, innocuos & mites* declarat.

19. *Nolite cogitare quomodo aut quid*] Græce commodius eſt, μὴ μεριμνήσητε, i. *ne ſitis anxii*, ſive *ſolliciti*. Non ergo cogitationem abeſſe oportet, ſed animi ſollicitudinem, eamque cogitationem quæ humanis ac philoſophicis nititur rationibus.

23. *Non conſummabitis civitates Iſrael donec veniat Filius hominis*] i. Populum Iſraeliticum nunquam conſummatum perfectumque reddere veſtra poteritis prædicatione, vel non finem feceritis prædicandi in civitatibus Iſrael, priuſquam manifeſtis cernatur indiciis Divina ultio appropinquare: Quæ vel demonſtrata eſt in everſione nobiliſſimæ civitatis Jeroſolymitanæ, vel demonſtrabitur in everſione totius mundi. Eſt qui illud τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραὴλ interpretetur *non perambulaveritis*; verum id mihi coactius judicatur, præſertim diſſentientibus aliorum interpretationibus.

25. *Et ſervo ſicut dominus ejus*] Non perinde magni refert ſive *ſervus* legas, juxta Græcos modernos, ſive *ſervo*, juxta Latinos cod. vetuſtos.

26. *Quod non revelabitur, & occultum quod non ſcietur*] Sic cum Græcis habent ſcriptores & cod. antiqui.

29. *Aſſe veneunt*] *As* hoc loco pro nummo minimi pretii poſitum eſt. Budæus tamen lib. De Aſſe 5. hunc locum aſſumens, *aſſem duos ſextantes Francios*, i. *denariolos* IV *valuiſſe* dicit. Eſt autem denariolus ſexta pars Stuferi Brabantici. ¶ *Non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro*] Idem quod Hilarius addito verbo legit, *non cadit in terram ſine voluntate Patris veſtri.* Chryſoſtomi interpres pro ἐπὶ τὴν γῆν, ἐπὶ τὴν παγίδα legiſſe videtur, i. *in laqueum.*

31. *Meliores eſtis vos*] Quando ſupra 6. 26. eandem vocem διαφέρετε vertit interp. *pluris eſtis*, admodum probabile, & hic ſcriptum fuiſſe, uti adhuc exſtat in nonnullis exempl. *melioris eſtis*, ut ſubaudiatur *pretii*. Sed hoc leviculum eſt, & ad ſenſum haud magnopere pertinet, niſi quis urgere velit. Nam & infra verſum eſt, *melior eſt homo ove*, 12. 12.

35. *Nurum adverſus ſocrum ſuam*] *Nurus* eſt filii uxor, *ſocrus* uxoris mater. Quod Græce legitur, καὶ νύμφην κατὰ τῆς πενθερᾶς αὐτῆς, etiam eſſe poteſt, *ſponſam adverſus ſocrum ſuam.* Cui aſtipulatur Hebraica editio, in qua eſt כלה quod *ſponſam* ſignificat.

36. *Et inimici hominis* (ſub. *erunt*) *domeſtici ejus.*

39. *Qui invenit animam ſuam, perdet eam*] *Animam ſuam*, h. e. vitam ſuam, *invenit*, qui carnalia ſapiens carnalem hanc vitam diligit. Sed is *animam ſuam perdit*, quia in æternum exitium eam tranſmittit.

LUCAS BRUGEN.

8. *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite*] Exemplaria Pariſienſium Græca, primum, quæ eſt Complutenſis editio, ſecundum, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 11, 12. (numeri enim notis exemplaria ad quæ ſuam N. T. Græcam edit. contulerunt, diſtinxere) & Syriaca Imperatoris editio tollunt id quod dicitur de ſuſcitandis mortuis, nempe τοὺς *mortuos ſuſcitate:* quod neque reperitur apud interpretes Græcos, Theophylactum & Euthymium. Hieronymus quoque in commentariis, cum reliqua enumeret, hujus non meminit; *Ne hominibus*, inquit, *ruſticanis, & abſque eloquii venuſtate indoctis & illiteratis nemo crederet, pollicentibus regna cælorum; dat poteſtatem infirmos curare, leproſos mundare, dæmones ejicere, ut magnitudinem promiſſorum probet magnitudo ſignorum.* In uno Latino ſcripto, H litera ſignato, comperimus non legi; tantum, *Infirmos curate, leproſos mundate, dæmones ejicite.* In cæteris vero omnibus libris noſtris, Beda & Druthmaro ſuffragantibus, & in Græcis pleriſque eorum quos typographi ediderunt, denique in Syriaca Regis editione, minime deeſt. Sed in Syriaca quidem Regis editione & Græcis libris poſt *leproſos mundate*, in Latinis autem ante ponitur.

12. *Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes, Pax huic domui*] Verba iſta, *dicentes, Pax huic domui*, ex Euangelio Lucæ huc eſſe tranſlata ſuſpicari liceat. In vetuſtiſſimo enim quodam exemplari Latino Autor quidam adſcriptum reperit, ſed in margine, *Primum dicite, Pax huic domui*; quomodo apud Lucam legitur cap. 10. v. 5. cum Latine tum Græce, πρῶτον λέγετε, Εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. In emendatiſſimo ſcripto, quod eximius M. N. Hunnæus connumeravit, Q litera ſignato, omnino horum nihil habetur; tantum, *Intrantes autem in domum ſalutate eam.* Simili plane modo B. Hieronymi commentario adjunctus textus habet; cui & commentarius ipſe ſuffragatur. *Occulte*, ait, *ſalutionem Hebraei ac Syri ſermonis expreſſit. Quod enim Græce dicitur χαῖρε, & Latine* Ave, *hoc Hebraico Syroque ſermone appellatur* שלם לך Salom lach, *ſive* שלם עמך, *i.* pax tecum. *Occulte* dicit *expreſſam Hebraï Syrique ſermonis ſalutationem.* Atqui ſi addatur, *dicentes, Pax huic domui*, non occulte utique ſed apertiſſime diſertiſſimeque exprimitur. *Occulte* autem dicit *expreſſam* in eo quod ſequitur, *Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos:* quod quomodo illis, *dicentes, Pax huic domui*, omiſſis, præcedentibus hæreat, ex hoc Hieronymi commentario eſt manifeſtum. *Pax veſtra*, nimirum quam ſalutando precabimini. Ac fortaſſis ejus loco quod Græce Latineque eſt, ἀσπάσασθε αὐτὴν *ſalutate eam*, ſcriptum fuit in Hebraico Matthæi prototypo, *pacem precamini illi:* ita enim id Hebræi exprimant. Certe in Syriaco Euangelio, quod viri docti exiſtimant B. Matthæi eſſe prototypum, vulgari nunc Hebræorum lingua ſcriptum eſt, ותא ותלין אתין לביתא שאלו שלמרו דביתא *Et cum ingredimini domum, poſtulate pacem ejus domus:* quemadmodum & alibi in epiſtolis D. Pauli pro *ſalutare* Syriace eſt משאל שלמא *pacem poſtulare.* Aplerique Græcis codd. ut à Syrico Euangelio, eadem illa verba, *dicentes, Pax huic domui*, tolluntur. Quidam in Græcis Chryſoſtomi commentariis non addi teſtatur. Nos in Euthymio non invenimus, cujus hæc eſt enarratio, *Ingredientes autem in domum, ſalutate illam.* SALUTATE, *h. e. pacem illi precamini: hac enim poſtmodum ſeptuaginta diſcipulis præcipiens dixit, In quamcunque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui.* Reperiuntur tamen verba illa in nonnullis libris Græcis, quinque Pariſienſium, α, β, γ, ε, ιδ, ac Regis & Colinæi editionibus, textuque Theophylacti [λέγοντες, Εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ,] & in Latinis plurimis: atque à D. Hilario, Canone decimo, exponuntur.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ι, Περὶ δ μὴ ὑποστρέψαι ἀκηλιδῶτον.

Matth. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. η, Καὶ προσελθὼν εἷς γραμματεὺς εἶπεν αὐτῷ, Διδάσκαλε, ἀκολουθήσω σοι ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ. Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Αἱ ἀλώπεκες

Ἀλώπεκας ἔχουσιν ὑποστρώματα ἀπερίσπαστα.

Ἄλλως,

Γραμματεῖ ὁ Χριστὸς τὸ ἴσον θέλοντι ὑμᾶς τιμᾶν.

1. Ἐξουσίαν πνευμάτων ἀκαθάρτων] *Poteſtatem adverſus ſpiritus immundos.*

8. Δωρεὰν] *Gratis.*

14. Ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν] *Excutite pulverem.* Act. 13. 51. & 16. 8.

15. Ἀνεκτότερον] *Tolerabilius.*

16. Φρόνιμοι ὡς αἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί] *Prudentes ut ſerpentes, & ſimplices ut columba*, al. *innocentes.*

17. Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων] *Cavete autem ab hominibus.*

23. Οὐ μὴ πλήσητε] *Non obieritis:* vel *circuieritis.*

25. Τὸν οἰκοδεσπότην] *Patremfamilias.*

29. Ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν] *Abſque nutu patris veſtri.*

31. Πολλῶν στρουθίων διαφέρετε] *Multis paſſeribus præſtatis.*

35. Διχάσαι] *Diſcordem redditurus.*

36. Οἱ οἰκιακοί] *Domeſtici.*

42. Ποτίσῃ] *Potum dederit.*

DRUSIUS.

2. *Poſtolorum*] Qui שליחים Ebræis, aut שלוחים, *miſſi.* Sed שלי Syrum potius quam Ebræum, à quo pluralis eſſet שליחין *apoſtoli*, aut שליחא. Dicunt & צירים, quæ vox obvia Abd. 1. *legatus in gentes miſſus*, ubi in LXX πρέσβυς, i. ציר. Sed in Hieronymi verſione *legatus*, & in Chaldaica Jonathæ שגר, ubi & שלח *miſſus*, quod in emphaſi facit משיחא ὁ Χριστός, ut משיחא *unctus*, *Chriſtus*, unde *Meſſia*

Meſſia nomen. שלוחים reperies in Hiſtoria Ebraica, ut & שלוחים *miſſi, legati.* Abeo ſingularis eſſet שָׁלִיחַ, ſicut dicimus פָּשׁוּט *unctus:* quod nomen eſt, ut פָּשׁוּט participium generis paſſivi. Hinc שליח הצבור *legatus univerſitatis* aut *congregationis.* Elias exponit חזקיה שמש *miniſter cantus.* Sunt qui ædituum & cuſtodem templi eo nomine innui putant. שליח בית דין *legatus domus judicii*, i. judicum, lictor qui infligebat quadraginta plagas una minus. שָׁלִיחַ Syrum eſt, שָׁלִיחַ Ebræum, ſi modo uſitatum שליחין *nuncii*, ἄγγελοι, *qui aliquo mittuntur*, Jeſ. 44 26.

3. *Bartholomæum*] Eraſmus Marc. 10. & alibi ſcribit hoc nomen compoſitum eſſe ex duabus diverſarum linguarum vocibus, depravata una aut altera litera: ſed fallitur, meo judicio. Nam etiam *Tholomæus* nomen eſt Syrum Ebraicumque. Ebræi enim certe dicunt תלמי, & Syri תולמי, unde *Tholomæus*, vel, ſi mavis, *Tholemæus*, & præpoſita littera quæ apud Arabes ſive Iſmaelitas redundare ſolet, *Ptolemæus* ſive *Ptolemæus* (nam utraque ſcriptura in uſu) quemadmodum etiam *Ptolemais* dicebant pro *Tholemais*, quod obvium in antiquis libris. Cæterum Græce eſt Βαρθολομαῖος. In lib. Interpretationum, *Bartholomæum, Filius ſuſpendentis aquas*, υἱὸς κρεμάμενος ὕδατα. Sic Heſychius. In OEcumenio eſt, υἱὸς κρεμάμενος ὕδατος. Addit Hieron. *Syrum eſt nomen, non Ebraum.* De βαὶς diximus antea. תלמי autem legitur Num. 13. 22. & Jud. 1. 10. item 2 Sam. 3. 3. ut dubitare jam nemo debeat quin etiam Ebræum ſit. בר *filius*, תולה *ſuſpendit*, תולין *ſuſpendens* vel *ſuſpendentis*, מי *aquæ.* Sed hoc coactum. Veritas interpretationis, Βαρθολομαῖος, *filius Tholomæi.* Sunt qui ſcribunt *Barptholomæus*, contra omnium codicum fidem. Vide nunc quæ habentur ad Luc. 6. 14. ¶ *Jacobus* filius *Alphæi*, Ἰακωβος ὁ τοῦ Ἁλφαίου] Syrus habet, בר חלפי *filius Halphai.* Id ſonat *menſarium* ſive *nummularium* aut *collybiſtam*, qui Græce κολλυβιστής, à Magiſtris autem חולף מטבעות dicitur חלף מטבע *commuto*, καταλλάσσω, *permuto.* Ergo חולפן καταλλακτής. Quæ ſcriptura, vera modo ſit, plane deſtruit interpretationem Angeli Caninii De locis N. T. *Alphæus, Doctus, aut Doctor*; & Hieronymi, *Alphæus, Fugitivus*; *ſed melius, Milleſimus, vel Doctus, ſive Super os, ab Ore, non ab Oſſe. Super os*, i. פרי עלי. Locus habetur in lib. Nominum. ¶ *Lebbæus*, Λεββαῖος] Syrus לבי *Labbi.* Sed *Lebbæus*, i. *Lebbai.* Appellatio à *corde*, q. *cerculum* dicas. Siquidem לב *cor*: unde & לבאי, ut quidam volunt. Theodoretus in Num. Quæſt. 16. Θαδδαῖος, ὁ καὶ Λεβί· emenda, ὁ καὶ Λεββαῖος. Nam *Levi* alius eſt. Res eſt, non conjectura. ¶ *Cognominatus Thaddæus*, ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος] Θαδδαῖος cognomentum Judæ, qui & *Lebbæus* dicebatur, i. *cerculum*, Syrus edidit, *& Labbi qui cognominatus eſt Thaddi*, i. תדי. Sic Mar. 3. 18. תדי, καὶ Θαδδαῖον, *& Thaddæum.* Appellatio à *mammis.* Siquidem *Thad* voce Syriaca *mammam* ſive *papillam* ſignificat, Nempe ex Ebræo שד Sin in Thau verſa. Hieron. in Mar. 3. *Thaddæus eſt Cerculum*; corrigo, *Lebbæus eſt Cerculum.* Res eſt non conjectura. לב, *cor*, לבי, *Lebbæus.* Perperam Oſiander à *leone* dictum credit. Nam *leo* Syriace ארי vocatur, non לבאי: quod Ebræum eſt, non Syrum. Sunt etiam qui יודי *Thaddæum* à *confeſſione* appellatum ſcribunt, videlicet à יודי, ut idem ſit cum nomine *Judæ*, in quo ſign. *confeſſionis*, h. e. laudis & gratiarum actionis. Sed tunc potius *Thodæi* diceretur. Vide Canunium De locis N. T. p. 51. Theodoretus in Num. quæſt. 16. Θαδδαῖος, ὁ καὶ Λεβί. Lego, ὁ καὶ Λεββαῖος. Res certa eſt.

4. *Simon*] *Simon* idem quod *Simeon.* Nam Ain extrita. Græce Σίμων. Sed Ebræi ſcribunt סימן, Schin inſuper in Samech verſa. D. Camius Pſal. 50. 11. *R. Juda filius R. Simonis*, i. סימן. Sic etiam ſcribit hoc nomen Moſes Gerundenſis Gen. 1. 4. Alioqui reperias שמעון per Schin 1 Par. 4. 20. ubi Græci codices habent Συμών. Non ergo corrupte dicitur *Simon* pro *Simeon*, ut arbitratur Theodorus. Vide, ſi placet, ejus annotationes Act. 15. 14. Forte Græcum eſt Σίμων, ac tum recte ſcriberetur Latine *Simo*, ut *Plato* dicimus ex Πλάτων, & *Zeno* ex Ζήνων. Scire licet Helleniſtas Judæos ex nominibus Ebraicis feciſſe mera Græca. Nam *Jeſus* ab illis *Jaſon* dicitur, & *Doſithæi Doſitheus*, & *Tarphon* Τρύφων. Scholia Græca 2 Pet. 1. in principio, Σίμων γεγράφει ἡ Συμεών· ἢ γὰρ Συμεὼν τὸ Σίμων ἑλληνιστὶ ἐστι, οἱ δὲ ἢ Ματθάιος τὸ Ματθᾶς, ἢ Μιχαίος τὸ Μιχᾶς, ἢ Θεοδόσιος τὸ Θαδδᾶς. Quæ caute legenda. Nam ut demus diminutivum eſſe *Simon*, tamen diminutio facta non eo modo, ſed ex conſuetudine veterum, quæ Heth & Ain ſæpenumero elidebant. Conſule Obſervationes meas. Porro Simones plures fuerunt: Simon Petrus, Matth. 10. 2. qui & *Simon Barjona*; Simon Cananæus ſive Cananites; Simon leproſus Matth. 26. 6. Simon Cyrenæus Matth. 27. 32. Simon pater Judæ Iſcariotis, Joh. 13. 2. Simon Zelotes, Act. 1. 13. Simon magus, Act. 8. 9. Simon coriarius, apud quem Petrus diverſatur, Act. 9. 43. Simon Niger, Act. 13. 1. Plura ad Matth. 4. 18. ¶ *Cananæus*] *Cananæus* an *Cannæus* dicas parum admodum refert, niſi quod in editione Latina & in duobus Græcis κανανίτης *Cananæus.* Sunt qui putant corrumpendo loco fuiſſe nomen notius & ubique obvium *Cananæus*, quod tamen ſæpius ſcribitur *Chananæus*, per *c* aſpiratum. Sane in Græcis vulgo Κανανίτης *Cananites.* Id ζηλωτὴς interpretantur: unde Simon *Zelotes* Luc. 6. 15. & Act. 1. 13. qui hic *Cananæus* vel *Cananites* dicitur. Syrus habet קנוניא *Cananæa.* *Zelus* autem קנאה dicitur, & *zelotes* קנא, unde eſſet קני *Cannai*, & *Cannæus*, & Dages in Nun converſa קנני, quod legebant *Cananæus*, vel *Cananita*, ut מואבי *Moabita*, עמוני *Ammonita*, & alia ſexcenta. Syri dicerent מואבי & עמוני ut pro *Jebudi* dicunt *Jebudæi Judæus.* [Poteſt fieri ut *Zelotes* dictus ſit aliunde; *Cananæus* autem, i. קנני, à *Cana* opido: quemadmodum רוחני dicimus, i. *ſpiritualis*, à רוח *ſpiritus*, & גשמני *corporeus*, à גף *corpus.* Docti expendent. Quorundam opinio eſt nomen hoc deductum à *Cana* opido Galilææ. Sed obſtat interpretatio, tum etiam quia ſcribimus *Cana* unica *N*, non *Canna.* Id non poteſt *zelotem* ſignificare. Quærendum an aliquando fuerit ex numero eorum qui ζηλωταὶ vocabantur, de quibus Theophylactus in Acta, Suidas, & alii. Hi alio nomine *Eſſæi* dicebantur, & à quibuſdam *ſicarii.* Hieron. in Nom. de Matthæo, *Cananæus, Poſſidens, ſive Poſſeſſio.* קנוי *poſſidens* Chaldaice, vel Syre קני. *Poſſeſſio* autem קנין dicitur. Neque recte idem Hieron. in comment. Ezec. 9. *Zelus & poſſeſſio eodem appellantur nomine.* Nam *zelus* קנאה dicitur. Male etiam pro *ſtatua zeli* LXX *ſtatuam poſſidentis* interpretati ſunt. Rurſum Hieron. *Cananæus, Negotiator.* Malim, *Chananæus.* Nam Ebraice כנעני, quod non magis *negotiatorem* ſignificat, quam *Cimber latronem*: Sed quia Chananæi negotiatores fuerunt, de ipſorum nomine vocamus qui tales ſunt. Sic & *Arabs* pro *latrone* & *Chaldæus* pro *mathematico* ponitur. ¶ *Iſcariotes*, Ἰσκαριώτης] Si verum quod Caninius conjicit, & quod Salmanticenſis annotat, fuit celebris in ſua urbe, ideo nominatur *Iſcarioth*, איש קריות i. *vir Carioth*, aut *Cariothites.* Nam qui ſic vocantur, noti & inſignes erant in illius locis. Juch. 51. 2. *Viri illi qui vocantur de nominibus terræ ſuæ, inſignes & noti erant in loco illo, ut, Vir Sereda, Vir Jeruſalem, Vir Caphar Hanna. Similiter ego in modum exempli eram in regno Hiſpaniæ & reliquis regnis Chriſtianorum, cum exiviſſent libri mei de Aſtrologia: dicebant, R. Abraham Sachuth vir Salamanca*, i. *Salamanticenſis. Sic Antigonus vir Socho*, i. *Sochæus.* Eſt autem Cerioth ſive Carioth opidum tribus Juda, Joſ. 15. 25. Sed איש קריות Græce potius diceretur Καριώτης, ut איש ישראל Ἰσραηλίτης. Quod idem cum illo איש קריות יהודה Καριώθ. Minus ſe probat mihi Ἰούδα Καριώτου, quod apud Johannem in libro pervetuſto. Legitur etiam in antiquis codicibus Σκαριώθης, non ſolum in hoc Euangeliſta, ſed etiam in Marco & Luca. Cui firmando Origenes ἐκ δὲ ἐχῶν l. 3. c. 3. ubi legimus, *in cor Juda Scarioth.* Sed & Hieron. l. 9. comment. ſuper Jeſaiam, *propter Judam, qui de tribu Ephraim, & de vico ejuſdem tribus Scarioth, Dominum pretio vendidit.* Secutus autem ſum fidem exemplaris MS. Nam in editis vulgo *Iſcarioth*, quod nullo modo ſe probat mihi. Si in mente habuit *Carioth*, mirum cur dicat, *de vico ejuſdem tribus.* Nam Carioth ad tribum Juda pertinebat, ut diximus. Reliqua excuſari poſſunt. *Scarioth* pro *Carioth* ex dialecto Syriaca, ut קבגל dicimus pro קבגל *caliga*, & כרטי *granum*, i. גרגר, & כגלגל *rotundus* pro גלגל. *Scarioth, Scariotes*, & præpoſita Joth *Iſcariotes.* Solitum enim iis nominibus quæ à gemina conſonante incipiunt addi literam *i*, ut Ἰσπανία pro Σπανία. Sic Turcæ hodie ex *Scopia* faciunt *Iſcopia*, quod & *Uſopia* per *u* Gallicum. Sic pro *Scendere* dicunt *Iſcender*, & pro *Scodra*, *Iſcodra.* Vide Pandectas Leonclavii, num. 169. Sic Galli ex *ſcribo* fecerunt *eſcrire*, ex *ſchola eſcole*, &c. Cæterum in edit. Syra habetur סכריוטא *Scariota*; de quo tacere malo quam adferre quæ non probo. Vide nunc, ſi placet, & Theodorum & notas Tremellii ad hunc locum Matthæi.

5. *In urbem Samaritanorum*] In urbes: q. d. Ne in unam quidem aut in ullam urbem: quod Ebraice diceretur, *in omnem urbem.* Simile *abſcondit ſe in arbore paradiſi*, i. in arboribus, vel inter arbores. Quod ignoratum Temporario, errandi cauſam ei præbuit. Nam quæ de ficu Indica hic ſomniat, folia farfari ſunt & Nævii butubata. Vulg. interpres, *in civitates Samariæ, εἰς πόλεις.* Syrus habet במדיניתא, quod ſonat *in urbem*, ſi legas מדינתא, & *in urbes*, ſi legas מדיניתא. Cum his diebus Syrum exemplar Viennenſe inſpicerem, nulla puncta repperi addita; quod locum plane ambiguum reddit, ut neſcia-

neſciamus quo numero uſus ſit interpres ille. Sunt qui de metropoli Samaria hunc locum enarrant: ſed tunc dixiſſet potius *in urbem Samariæ*. *Urbs Samaria*, ut *urbs Roma*. Qualia ſunt *herba Lapathi*, *arbor fici*, &c. A *Samaria* gentile eſt *Samaritanus* & *Samarites*. Samaritani adeo inviſi erant Judæis ut Chriſto pro crimine objecerint quod cum Samaritanis verſaretur. Hinc etiam vox convicii, *Samaritanus es*. Vide Sirach. 50. 31. ubi codices Græci omnes, οἱ καθήμενοι ἐν ὄρει Σαμαρείας· quam lectionem nunc tueor. Nam ſi exoſi erant Samaritani, magis Sicimitæ. Sicima enim habitabatur eo tempore ab apoſtatis Judæis. Joſephus Orig. Judaic. l. 11. cap. 8. *Samaritarum tunc caput erat Sicima, ſita ad montem Garizin, & habitata à deſertoribus gentis Judaicæ.* Vetus omnis interpretatio, *Samaritanus, Cuſtos.* Origenes hom. 34. in Luc. & hom. 26. in Johan. Auguſtinus tract. 43. in Johan. & ſerm. 37. De verbis DOMINI, Ambroſius in 10. Lucæ. Sic etiam interpretantur *Samarites* ſive *Samarita*. Hieron. in Nom. de Luca, *Samarita, Cuſtodes.* Additur etiam ratio. *eo quod à Babyloniis illic ad cuſtodiam collocati eſſent Judæorum.* Eucherius pag. 285. Chryſoſtomus hom. 30. in Johan. Epiphanius adv. Hæreſ. Hujus verba non pigebit adſcribere, *Interpretari poſſis Samaritæ Cuſtodes, propterea quod cuſtodum locum in terra obtinebant; aut quod cuſtodes eram conſtitutionis ſecundum legem Moſis.* Severus in 1. Hiſt. ſacræ, *Populum univerſum in regnum ſuum abduxit, Aſſyriis in hoſtilis ſolo ad cuſtodiam poſitu: exinde ea pars Samaria appellata, quod lingua Aſſyriorum cuſtodes Samaritæ vocant.* Samaritani alio nomine *Chuthæi* dicebantur, quia videlicet ex Chutha regione Perſidis traducti erant in Samariam. Qua de re alias.

9. *In zonis veſtris*; εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν] Vertit *in zonis veſtris*, ac ſi eſſet ἐν ταῖς ζώναις ὑμῶν. In zonis pecuniam reconditam veteres geſtabant. Unde caſtrenſe proverbium, *Zonam perdidit*, uſurpatur de iis qui nihil habent nummorum. Vide Chiliadas Eraſmi. Peregrinantes potiſſimum pecuniam in zonis ſecum habebant. Itaque adoleſcens jam jam profecturus, *Zonam*, inquit, *ſuſtuli*, apud Plautum in Mercatore. Unde lux illi loco, *Tunicam atque Zonam & chlamydem aſſerto, & cauſiam quam ille habeat, qui hunc lenoni huic vendat.* SA. *Hem probe.* TO. *Quaſi ſit peregrinus.* Locus eſt in Perſa. Sic in Truculento, *Ubi eſt quos tu dari? ſolve zonas.* Apuleius, *auro monetali zonis refertis incincta.* Quæ notata ſunt aliis. Addo, doctoribus Ebræis hujuſmodi zonam מטרא dici, i. *fundam*, & מטרא. Lex. Juris Ebraici, מטרא *eſt ea quæ vernacule Funda dicitur, Chaldaice* מסק שלעי *Bulga ex corio, quod eſt interpretamentum* ד תנרה *Zona, Cingulum.* Vide Tharg. Jonathæ, Jeſ. 3. ubi מפרס ſcriptum. Vide quoque Davidem de Pomis ſive Pomarium in אמרוא. Non eſt omittendum, Syrum interpretem habere *in crumenis veſtris.* Et omnino Chriſti ea mens fuit ut non zonas tantum ſed etiam crumenas alias, atque adeo omnia pecuniæ conditoria, ſignificare voluerit. Ut Syrus, ſic etiam interpretatur Eraſmus.

12. *Salutate eam*] Syrus, *petite pacem domus.* Quod ſequitur, *dicentes, Pax huic domui*, Ebraice diceretur שלום הזאת לבית הזה vel certe שלום הזאת הבית *Salva ſit hac domus.* Nam SALOM *ſalvus*, i. SALEM, unde in epiſtolis Ebraicis שלום אתה *Salve, Vale.* Ad verbum, *Salvus tu eſto.* Etiam textus ita loquitur. Vetuſti codices Græci, Εἰρήνη ἐν τῇ οἰκίᾳ ταύτῃ, *Pax in hâc domo.*

15. *Terra Sodomorum & Gomorrorum*, γῇ Σοδόμων καὶ Γομόρρων] *Sodoma*, Ebraice סדם. Inflectitur autem *Sodoma, Sodomæ*; & *Sodoma, Sodomorum.* Τὰ Σόδομα, ut τὰ Ἱεροσόλυμα. סדם Σόδομα, ut עמרה Γόμορρα, שלמה Σολομών. Juſtinus an Solinus? etiam *Sodomus*, dixit, ut & *Gomorrus.* Mat. 11. 24. *civitates Sodomorum*, 2 Pet. 2. 6. *in Sodomis*, ἐν Σοδόμοις, Matth. 11. 23. A *Sodoma* τὸ ἐθνικὸν *Sodomita*, & *Sodomitanus*, & *Sodomenus*, ut *lacus Sodomenus* De pomis Sodomorum Auguſt. De civ. Dei l. 21. c. 5. & 7. Beda fol. 61. Solinus Polyhiſtor, & alii. *Gomorra* Ebraice dicitur *Amora* unica r, quam Græca conſuetudo geminat. עמורה *Gomorra*, ut עזה *Gaza.* γῇ Γομόρρων *terra Gomorrorum*, i. urbi & regioni circumjacenti. *Territorium* vocant. Aut *terram* pro *urbe* poſuit, ut Euripides in Hecuba. Matth. 2. 6. γῆ Ἰούδα quidam interpretantur *urbs Juda*, i. Judææ. Τὰ Γόμορρα ita dicitur ut τὰ Σόδομα. Gentile *Gomorreus* & *Gomorranus*: unde *Populus Gomorranus* proverbii loco dicitur de populo plane improbo ac flagitioſiſſimo.

16. *Prudentes ſicut ſerpentes*] *Serpentis aſtutia* in proverbio eſt, quam hic *prudentiam* appellat, quæ nihil aliud eſt quam naturalis inclinatio ad evitandum malum, quam Stoici ἀκολουθίαν καθ' ἕξιν vocant. Reſpexit autem ad locum qui habetur Gen. 3. 1. *Et ſerpens erat aſtutior omni beſtia agri*: ubi vet. libri editionis ∓ LXX, φρονιμώτερος, & alii φρονιμώτατος, & Aquila πανουργότερος, quod vox Ebræa proprie ſignificat.

17. *Tradent vos in conſeſſus, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos*] Olim vos monui per συνέδρια poſſe intelligi conſeſſus judicum, & per *ſynagogas* conventus eccleſiaſticos. Aut forte *ſynedria* dicit ipſos judices Sanhedrin, & copula hoc in loco pro relativo *qui* ſumitur, ut ſenſus ſit, *Tradent vos judicibus, qui in conventibus ſuis flagellabunt vos.* Cui firmando quod Syrus interpres, Matth. 5. 22. pro *conſeſſu* ſive *ſynedrio* uſus ſit voce כנושתא quæ *ſynagogam* ſign. quam & hoc loco uſurpat referens, *Tradent vos judicibus, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.* Verbum è verbo, *Tradent vos in domum judicii.*

25. *Sufficit ſervo ut ſit ſicut dominus ejus*] *R. Hana filius Hanilai* (lectio varians, *R. Hanan filius Tobi*) *dederat multas eleëmoſynas; poſtea deſtructa fuit domus ejus: cui deſtructioni interfuerunt Ula & Rab Heſda: dixerunt,* דיו לעבד כרבו *Sufficit ſervo ut ſit ſicut dominus ipſius.* Habentur hæc in Juch. fol. 93. cap. 1. Vide ſis nunc Adagia mea ſacra. ¶ *Beelzebul*] Non eſt nomen corruptum à Græcis librariis, ſed ita immutarunt illud Judæi in opprobrium & ignominiam idoli. Quod faciendum eſſe præcipiunt eorum Sapientes. Vide librum qui vocatur *Sepher Miſvoth gadol*, fol. 98. col. 3. Ergo ex *Beelzebub* fecerunt *Beelzebul*, unius tantum literæ immutatione. Id ſonat *Jupiter ſtercoreus.* Nam *Zebel ſtercus*; quo forte alluſum in *Beelzebul.* Sane idola per contemptum גלולים nuncupantur 1 Reg. 15. 12. & 2 Reg. 17. 12. h. e. *ſtercora.* Solitum autem Ebræis talia nomina immutare ad majorem contemptum. Qua de re alias. *Zebul* magis notat *habitaculum*, מכון זבול *habito*: unde *Zabulon* unus ex filiis Jacobi patriarchæ. Quod autem in libris Lat. *Beelzebub*, à Hieronymo eſt, qui exiſtimavit ſcripturam Græcam in hoc nomine corruptam eſſe; quod & alii viri docti cum illo exiſtimant. Fruatur quiſque judicio ſuo.

28. *Animam non poſſunt occidere*] Animam proprie dictam, quæ immortalis eſt, ac proinde mori non poteſt. Si mori non poteſt, nec occidi poteſt. Sed *anima* interdum *vita corporis animati*; item *homo*: hoc ſenſu legimus, *Ne interficiamus animam ejus*, & *Latro animam occidit*, & *Mortui ſunt qui quærebant animam pueri*, nempe ad occidendum eam. & in lib. Muſar, *Servus tuus occidit animam*, i. hominem: Verba ſunt judicum Sanhedrin ad Jannai regem. Ut *animam occidere*, ita Plautus dixit *vitam interimere*: Nam *anima vitam* ſignificat, ut diximus. *Animam occidit* etiam qui peccat: Nam anima perit in morte ſecunda, quæ ideo *mors anima* vocatur. ¶ *In Gehenna*] *Gehenna* vocabulum pro ipſis inferis Chriſto antiquius eſſe facile mihi perſuadeo. Nam eo uſus fuit Jonathan Uzielis F. Chriſti coætaneus. Hieronymus tamen negat *in antiquis libris inveniri.* Vide ſis annotationem Eraſmi ad hunc locum. Quos appellet *antiques libros* neſcio: Hoc ſcio, librum Aboth non eſſe tam antiquum ut Hieronymi ſententiam evertere poſſit: Nam ſcriptus eſt poſt Chriſti tempora. Eum nos olim magna ex parte Latinum fecimus. Continet autem Apophthegmata Sapientum Ebræorum.

29. *Duo paſſerculi*] Græca vox ambigua eſt. Nam etiam *aviculas* denotat. Moſchopulus οἱ στρουθοὶ, Σπυρίδια ἢ ἀετίδια πάνυ τὰ μικρὰ ἢ ὀρνίθων. Unde quidam, *duæ avicula.* Sed quid? an omnes avicular aſſario tantum veneunt? Ego ſcio eſſe quæ pluris veneant. Ideo nihil mutare auſim. Vulg. interpres, *duo paſſeres*, i. צפרים, quæ vox etiam *aves* ſignificat in genere, vel certe aviculas mane cantillantes, אשכרי שחר, quod *auroram* notat. Uſi ſunt nomine στρουθίων interpretes Tobiæ, ubi *aviculas* deſignare mihi nullum dubium, cum in alia editione *hirundines* appellentur. ¶ *Unus ex eis non cadit in terram*] Docet hic locus providentiam Dei ſeſe ad animantes extendere. Fuit eadem opinio Ebræorum veterum. Manahemus in Moſen 110. 3. *Providentia Dei benedicti eſt etiam particulariter erga beſtias & feras.* Diſſentit Moſes Ægyptius in More Nebuchim: cui favet illud Apoſtoli, *Num boves cura ſunt Deo?* & illud Habacuci, *Pones homines ut piſces maris.* Qua de re alias, ſi Deus voluerit.

30. *Capilli capitis omnes numerati ſunt*] Pheſiktha fol. 18. col. 4. *Nonne omnes capillos omnis creaturæ ego numero?* Ibidem, *Omnem capillum & capillum creavit Deus laudandus.*

35. *Hominem adverſus patrem ſuum*] Hunc Ebraiſmum invenies Prov. 15. 20. & Sirach. 3. 13. ὁ δόξα ἀνθρώπου πατὴρ ἢ πενθερὸς υἱοῦ, i. filii.

CASAU-

CASAUBONUS.

8. Νεκρὸς ἐγείρετε] Hæc verba apud Vet. interpretem alio loco leguntur: apud Theophylactum Romæ editum omnino non leguntur.

9. Μὴ κτήσησθε χρυσὸν] Etiam Tertullianus κτᾶσθαι hic *poſſidere* interpretatur cum Vet. interprete: non recte ſane. Et profecto ita eſt; Princeps hunc locum recte interpretatus eſt & cum aliis qui pugnare videbantur conciliavit doctiſſ. interpres Theodorus Beza, vir cum cætera ſummus tum etiam linguæ Græcæ cognitione maximus. Apud Ariſtotelem κτᾶσθαι & κατα-λαμβάνειν ἢ κεῖσθαι opponuntur. Sed in re omnibus hoca exemplis non eſt opus.

17. Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων] h. e. *ab omnibus hominibus*, ſiquidem ſit articuli vis expendenda. Nam οἱ ἄνθρωποι valet *homines*; ἄνθρωποι autem cum dicitur, *quoſdam homines* intelligimus. Sed hæc minutiora ſunt & ſubtiliora. Itaque ratio articuli hic non eſt habenda.

22. Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος] Malim ὑπομένειν vertere *durare* vel *perſeverare* cum veteribus quam *ſuſtinere*. Videntur enim proprie ὑπομένειν dici ea quæ ſubſiſtunt, nec amittunt τὸ εἶναι· ſicut à Philoſopho dicuntur partes ἃ χρόνου οὐχ ὑπομένουσιν. Eſt tamen ubi neceſſe ſit vertere *ſuſtinere*, ut Heb. 12. 7. & alibi.

25. Εἰ τὸν οἰκοδεσπότην Βεελζεβοὺλ ἐκάλεσαν] *Beelzebul*, vel melius *Beelzebub*, eſt *Deus muſcarum* apud Accaronitas. Sic Apollo Σμινθεύς, ſive *murum*, apud Phrygios, & Hercules Κερκώπων apud alios. Vide Clementis προτρεπτικὸν, & Strabonem.

27. Καὶ ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων] Vocem δῶμα Vet. interpres vertit *tectum*. Recte: ſic enim ſolet à LXX uſurpari; pro *tecto*, inquam, non pro *domo*. 22 ſiquidem vocem Hebraicam, quæ *tectum* ſignificat, paſſim vertunt δῶμα. Et quod cauſantur docti viri de præpoſitione ἐπὶ, non placet. Quid enim dicemus de iſto loco 2 Sam. 11. 2. Καὶ εἶπεν Δαβὶδ τῷ Οὐρίᾳ τῷ Χετταίῳ, καὶ εὐλογήσει ἐπὶ τῷ δώματι τοῦ οἴκου τοῦ βασιλέως. Gloſſarium vetus, *Tectum*, στέγη, στεγεῖν, ἢ δῶμα· & alibi, Δῶμα, *tectum*.

CAMERO.

11. Ἐξετάσατε τίς ἐν αὐτῇ ἄξιός ἐστι] Hinc Novatores concludunt, rationem diſcriminis, cur hic potius vocetur quam ille, eſſe in ipſis hominibus; Quis enim, inquiunt, neget diſcriminandos eſſe *protervos & ſceleratos homines*, de quibus Apoſtolus 2 Theſſ. 3. 2. itemque Act. 13. 45. *contradicentes & blaſphemantes*, ab iis quos Chriſtus hic vocat *dignos & filios pacis*? Verum hic locus non eo ſpectat ut ſignificetur qui illi ſint quibus ſolis Deus lucem Euangelii impertit, ſed quibus majorem impertit lucem. Agitur enim eo loco de Judæis, inter quos multi erant pii, ſed quibus indulgendo major lux fuit exhibita Meſſia. Agitur hic igitur non de diſcrimine inter vocandos hos & illos non vocandos, efficaciter inquam, ſed de diſcrimine inter jam vocatos & quoſdam è non vocandis. Noluit enim Diſcipulos ſuos adhuc rudes Chriſtus periculis exponere; itaque jubet eos ſedulo inquirere qui ſint *pii & viri boni*. Quod ſi objiciatur, *dignos* illos à Chriſto ibidem dici *oves perditas*, Reſp. Neminem rectius *ovem perditam* dici poſſe quam peccatorem ſuſpirantem & implorantem miſericordiam: neque enim pius ullus negabit ſe eſſe ovem perditam, non negabit tamen ſe eſſe converſum, neque negaverit pariter opus ſibi eſſe ut in dies magis magiſque convertatur. Sane agnoverat ſe ovem perditam qui dixit, *Erravi ſicut ovis perdita, quære ſervum tuum*, &c. Pſal. 119. v. ult. & ille qui dixit, *Converte me, Domine, & ego convertar*, cum tamen ea vox ſit hominis jam converſi quodammodo, ſed incrementum pietatis & confirmationem à Deo petentis. Et quamvis fides non detur jam habenti, habenti tamen fidem dari poteſt fidei incrementum. Itaque iſti *digni* fideles quidem fuerunt, ſed quorum fides prædicatione Apoſtolorum mirifice fuit augenda.

GUALTPERIUS.

25. Βεελζεβοὺλ *Beelzebul*. Syrus, בעלזבוב *Beelzebub*. Vulgata etiam legit per B. Et ſcribendum eſſe β non λ apparet ex 2 Reg. 1. ubi Ahaſia ægrotans conſulere jubet *Baalzebub Deum Ekron*, an ſanitatem recepturus ſit ex morbo. Tremellius *Smintheum* interpretatur, ut Apollo ſolet *Smintheus* appellari à *muribus à ſe occiſis*; quos Myſii σμίνθους vocant. Plinius lib. 29. cap. 6. Deum hunc *Myiodem* vocat; rectius *Myiotheon*, i. *muſcarium Deum*, *dominum muſcarum*, vel *muſcas abigentem*. Et teſtis eſt Nazianzenus contra Julianum, Muſcæ figuram Deum illum habuiſſe. Componitur ex בעל BAAL, *magiſter*, *princeps*, *Dominus*, & זבוב ZEBUB, *muſca*; ex quo Græcum σκὼψ *muſcarium*. Fuit ergo nomen exſecrandi idoli apud Acaronitas, ita vocatum quod crederetur amoliri lethales & perniciosiſſimas Muſcas, quæ incolas agri Acaronitici infeſtabant; vel quia Satan in forma Muſcæ magnæ ab incantatoribus adjuratus dabat oracula de valetudine hominum. Hujus igitur idoli nomine Chriſti miracula infamant, quo doctrinæ auctoritatem, cujus illa ſigilla erant minime dubia, everterent. Suidas meminit etiam cujuſdam idoli quod vocat Βεελφεγώρ· Βεὲλ, ὁ Κρὶν· Φεγώρ, ὁ πὼς· ἐκ τοῦ ἐμπῶ· ἐμπλάσσω καὶ τοῦ Βεελφεγώρ, αὐτὸ δὲ τὸ πὼς ἢ Φεγὼρ εἴδωλα.

29. Ἀσσαρίου *Aſſario*.] Lubiſche pfenninge! ἀσσάριον· Apud Syrum eſt *Aſſar* vel *Aſſir*; de qua voce ſupra dictum 5. 26. Fuit moneta ænea, valoris nonageſimæ ſextæ partis Zelag, ut putat Bened. Arias Montanus in Thubalcain, lib. 3. de Siclo. Zelagh vero antiquum coincidebat cum Siclo, i. dimidiato Thalero. Fuit & Zelagh Galilæum, de quo in Miſnajoth ferme concluditur fuiſſe didrachmum. Quidam volunt vocem eſſe Latinam, ab *Aſſe* deflexam. Suidas, Ἀσσάρια, ὀβολοί. Νόμισμα ὁ πρῶτος βασιλεὺς μὴ Ῥωμύλος Ῥωμαίων γενικὸς, ὃν σιδήρου καὶ χαλκοῦ πεποιημένα πρῶτος ἐκόμισεν Ῥωμαίοις, ἢ περὶ αὐτὰ πολλὰ δέξ· σκυτίνων καὶ ὀστρακίνων ἢ χρείαν πλημμύραν, ἅπερ ἀνόμασεν ἐκ τοῦ ἴδιου ὀνόματος Νομμία. Et videtur ſolus Siclus Judæorum fuiſſe proprius. Cæteræ monetæ omnes ex aliarum gentium commercio cum nominibus etiam invectæ videntur. Namque nomina ipſa alienam linguam produnt, & ponderum ratio varia alias ſui inſtitutiones arguit. Quamobrem in libris Miſnajoth legimus in hanc ſententiam, *Omnis moneta in ſacris & extra præter Siclos ad pondus Tyri refertur, & argento aut argenti valore exſolvitur*. Vide infra de variis monetarum generibus, cap. 17.

JAC. CAPPELLUS.

16. Ἔστε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις] *Stote prudentes ut ſerpentes*] Dictum id videtur σοφιστικῶς, q. d. Chriſtus, Liceat vobis prudentiam Serpentis imitari, modo tam expertes malitiæ ſitis quam Columbæ. Hoc loco cum abuterentur Orphitæ, quaſi Chriſtus his verbis innueret ſemetipſum Serpentem eſſe, Epiphanius hæreſi XXXVII docet §. 8. duplicem eſſe Serpentis prudentiam imitatione dignam, 1. quod in certaminibus capitis potiſſimum rationem habet, 2. quod bibiturus venenum exſpuit ſuum, ne ſibimet ipſi noceat aquas venenatas bibendo.

26. *Nihil eſt opertum quod non ſit retegendum*] Hinc eſt quod Ethnici de Tempore quaſi de Deo quodam loquerentur. Sophocles,

> Πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδέν· ὡς ὁ πάντ' ὁρῶν
> Καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπλώσει χρόνος.

Gellius l. 12. c. 11. laudatis his Sophoclis verſibus addit, *Alius quidam veterum poetarum, cujus nomen mihi nunc memoriæ non eſt, Veritatem Temporis filiam eſſe dixit.*

LUD. CAPPELLUS.

6. ΙΤΕ *ad oves perditas domus Iſrael*] Et infra 15. 24. *Non miſſus ſum niſi ad oves perditas domus Iſrael*. Reſpexit proculdubio Chriſtus ad locum Jer. 50. 6. צאן מאבדות היו עמי *Populus meus ſunt oves perditæ. Paſtores earum faciunt eas aberrare*: & Eſai. 53. 6. *Omnes nos quaſi oves erravimus*. Item David Pſ. 119. ult. *Erravi*, כשה אבד *ſicut ovis perdita, vel periens*. Perditio enim hæc de qua Chriſtus loquitur intelligenda eſt non de reprobatione (nam ad reprobos proprie Chriſtus non eſt miſſus, ſed ad electos) ſed de aberratione & ſeductione, quæ in electos nonnunquam cadit. Et ſane Jeremias ipſe vocem אבדות ſtatim exponit de aberratione, cum ſubjicit, *Paſtores earum fecerunt eas aberrare*; quod maxime proprie convenit in Scribas & Phariſæos Judæorum Doctores Chriſti tempore, qui *clavem regni cœlorum abſtulerant, neque ipſi ingrediebantur, neque patiebantur alios ingredi*, uti id ipſis exprobrat Chriſtus. Et Thargum loco illo Jeremiæ reddit, *grex* מבוריא, h. e. *diſperſus*, commode.

8. Δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε] Refertur illud non modo ad ægrorum curationem, cujus donum miraculoſum à Chriſto acceperant Apoſtoli, ſed & ad Euangelii prædicationem; quod hinc ſane liquet, quod ab eo tempore in Eccleſia Chriſtiana Simoniaci ſunt dicti illi qui pretio Sacerdotia munuſque

docendi & ſacra adminiſtrandi redimere voluerunt. Vult ergo Chriſtus Diſcipulos ſuos gratis non modo ægros ſanare ſed & Euangelium docere, quia & ipſe gratis eos illud docuerat. Atque idem de Traditionibus ſuis tradunt & jubent Judæi. Maimonides in Miſna, lib. 1. Tract. תלמוד תורה cap. 1. *Ubi*, inquit, *mos eſt docere mercede Legem ſcriptam, iſthic licet eam mercede docere; at legem* שבעל פה *ἀγραφον non licet mercede docere: ſcriptum eſt enim*, VIDETE DOCUI VOS STATUTA ET MANDATA, SICUT PRÆCEPIT MIHI DOMINUS, *h. e. Ego gratis edoctus ſum iſta à Deo, vos etiam à me ea gratis diſciſtis, ita & vos, cum in poſterum ea docebitis, gratis docete, ſicuti à me gratis diſciſtis.* Deſumpta ſunt illa à Maimonide ex Talmude, Maſſecheth נדרים *De votis*, cap. 4. §. 3. qui locus à me fuſe explicatus eſt in libro cui titulum olim feci *Arcanum purificationis revelatum*, part. 2. c. 4. iſthic vide. Hæc itaque Chriſti ſententia videtur omnino ab eo eſſe tradita juxta antiquum illud Judæorum de Traditionibus ſuis decretum, ut ad Euangelium accommodarit quod illi decreverant de ſuis nugis, ne hac in parte Diſcipuli ſui Judæorum Magiſtris eſſent inferiores. Porro hoc Chriſti præceptum non adverſatur doctrinæ Paulinæ, qui 1 Cor. 9. docet licere Miniſtris Euangelii accipere ſtipendia, adeoque Chriſtum conſtituiſſe *ut qui Euangelium annunciant, vivant ex Euangelio*, utpote qui dixit, *Dignum eſſe operarium mercede ſua.* Nam Chriſtus hoc præcepto, *gratis date*, vetat duntaxat ut ne Diſcipuli ſui & Miniſtri Euangelii ſub prætextu novæ & tam admirabilis doctrinæ, qualis eſt Euangelica, quæſtum & rem ſuam faciant, opibuſque comparandis inhient, corradendo ab auditoribus & diſcipulis ſuis magnam pecuniæ vim. Non enim in hunc finem Chriſtus eos docuerat religionis Chriſtianæ myſteria, Sed ut eorum miniſterio & opera homines à veteri errore liberaret, & ad veritatis agnitionem adduceret.

29. *Nonne duo paſſerculi vencunt aſſario*, &c.] Simile quid habetur in Bereſchith rabba, §. 79. ubi narratur fabula de R. Simeone F. Jochai, qui cum tempore perſecutionis ab Adriano adverſus Judæos excitatæ delituiſſet per annos XIII in ſpelunca quadam, indeque tandem exiret, & ſtaret ad oſtium ſpecus, vidit aucupem aviculis inſidias ſtruentem, ſimulque audivit vocem cœlitus delapſam, jubentem ei ut ſpectaret quid fieret: cumque capta fuiſſet ab aucupe avicula, dixit illa, מספיק לעופות שיהא כמה וכמה נפש כך נש לא מצטרפין על אחת קל וחומר על אחת כמה וכמה נפש כך נש h. e. *Sine cœlis* (i. ſine Deo) *ne una quidem capta eſt aucupio, quanto minus tot & tot animæ filiarum hominum?* Senſus eſt, Simeonem illum viſione iſta à Deo admonitum eſſe, non ſine certo ſuo conſilio & decreto contigiſſe graviſſimam illam perſecutionem in qua tot Judæorum myriades ceciderant. Quod plane conſonat cum Chriſti mente hoc loco.

GROTIUS.

1. Τοὺς δώδεκα μαθητὰς, *duodecim diſcipulos*] Familiariores cæteris & convictores quotidianos aliquanto prius à ſe ſelectos, ut ex Luca apparet. Olim ad dividendum duodecim factæ partes per Achiam Siloniten; nunc ad colligendum duodecim per Chriſtum. ¶ καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν, *& dedit illis poteſtatem*] Hic Chriſti Divina vis manifeſtius quam unquam antea elucet. Fecerant mira etiam Prophetæ, ſed mira faciendi poteſtatem nemini ſuopte arbitrio conceſſerant; ne Moſes quidem Joſuæ, nec Elias Eliſæo. Sic impletus Pſalmus XCII, 12.

2. Ἀποστόλων, *Apoſtolorum*] Quod Hebraice eſt שלוח id Lxx vertunt Ἀποστόλον [*miſſum*], ut 1 Regum IV, 6. Proprie autem vocabantur in Thalmudicis libris שלוחין qui decimas atque alia percipiebant & ad Levitas deferebant, οἱ τὰς ἱερείας ἀναφέροντες [*qui res ſacratas perferunt*], ut eos vocat Philo Legatione ad Cajum. Auguſtus in edicto ad Aſiæ civitates eoſdem vocat δεκαδοχίας [*receptores*], Philo etiam ἱεροπέμπτας ἐκ χρημάτων ἀριστίνδην ἐπιλεχθέντας [*ſacrarum pecuniarum portatores electos ex optimis*]· functionem eorum Ἀποστολὴν [*miſſionem*] Julianus in Epiſtola ad Judæos, & Epiphanius. Manſit hoc nomen inter Judæos etiam poſt Urbis excidium; nam Patriarcharum adſeſſores vocabantur Ἀπόστολοι, teſte Epiphanio. Honorius & Arcadius in Lege quæ eſt Codice Theodoſiano, titulo De Judæis. *Superſtitionis indigna eſt ut Archiſynagogi ſive presbyteri Judæorum, vel quos ipſi Apoſtolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur, à ſingulis ſynagogis exactam ſummam atque ſuſceptam ad eundem reportent.* Ad quod exemplum etiam prima Chriſtianorum ætate qui ad perferenda ultro citroque Eccleſiarum munera ab Eccleſiis mittebantur dicti ſunt Ἀπόστολοι [*apoſtoli*] eo nimirum à quibus mittebantur, ut videre eſt II Corinth. VIII, 23. Philipp. II. 25. Ignatius eoſdem modo θεοδρόμους [*curſores Dei cauſa*], modo θεοπρεσβύτας [*Dei cauſa legatos*] appellat. Quanquam autem vox Ἀπόστολοι [*Apoſtolorum*] per ſe latiſſime patet (nam & Chriſtus ipſe eo nomine appellatur Hebræorum III, 1. & apud Juſtinum Martyrem atque alios), credibile tamen eſt Chriſtum hac appellatione aliudentem ad uſum Hebræorum, ſimulque ad Moſis hiſtoriam qui duodecim exploratores in eandem terram dimiſerat, ubi in Hebræo eſt vox שלח [*mittere*], in Græco vox ἀποστέλλειν, ſignificatum voluiſſe & ſe habere miniſtros quos cum mandatis ſed longe aliis mitteret, qui ſibi fructus operatos reportarent. Data autem hæc appellatio peculiariter illis qui cum eximia poteſtate mittebantur, numero duodecim, teſtes omnium rerum Chriſti dum in terris vixit, ut docemur Actorum I, 21. Poſt Chriſti reſurrectionem idem honos datur Matthiæ, Paulo, Barnabæ, forte etiam aliis Eccleſiarum fundatoribus, de quibus ſuo tempore erit agendi locus. ¶ δώδεκα, *duodecim*] Chriſtus ſpirituale Regnum exſtructurus exprimit Judaicæ Reipublicæ imaginem, quo clarius appareat Regni æterni promiſſiones in ipſo ſolide impletas. Sicut enim Tribus duodecim, ita duodecim erant φυλάρχαι [*Tribuum principes*] eximia dignitate, ad quam alludunt verba Chriſti infra XIX, 28. Luc. XXII, 30. Vide Apocal. XXI, 12 & 14. ¶ ὀνόματα, *nomina*] Magni retulit ſciri horum nomina ex quorum conſentiente teſtimonio veritas erat æſtimanda. Non defuerunt enim qui id nomen mentirentur. ¶ πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος, *Primus Simon qui dicitur Petrus*] Princeps haud dubie collegii à Chriſto deſignatus, ad retinendam corporis compagem. Nec offendat quenquam quod Gal. II, 9. Cephas medius inter Jacobum & Joannem legitur. In manuſcripto enim antiquiſſimo, qui ex Græcia in Angliam devenit, abeſt ibi id nomen, ut & in aliis manuſcriptis nonnullis: Græci poſteriores apoſuere.

3. ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος· *dictus Thaddæus*] Puto idem eſſe nomen quod vetuſte Lucas extulit Ἰούδας [*Judæ*], cujus nominis pronuntiatione quidam Judæi, ut videtur, abſtinebant ob concurſum literarum ὃ τετραγράμματον [*nominis quadriliteri*]. Origo, ni fallor, eadem eſt, ſed alia flexio. Neque novum ut pro vocali longa ponatur geminatio conſonantis. Nomen autem hujus Apoſtoli alterum Λεββαῖος [*Lebbæus*], Hieronymus *Corculum* interpretatur, quo nomine Romæ P. Naſica fuit appellatus. Plinius maſculina terminatione *Corculos* nominatos refert qui ſapientia præſtabant. Sed malunt alii eſſe לבי, quia Hebræi eos qui nomen habebant *Judæ Leones* vocabant ex Jacobi vaticinio. Neque mirum eſt τὸ ἐπικαλεῖσθαι [*agnominari*] hic uſurpari de nomine maxime proprio. Nam & Appianus dixit, Κράσσος ὁ Μάρκος ἐπίκλην [*Craſſus agnominatus Marcus*]. Et Johannes alius ab Apoſtolo dicitur ἐπικληθεὶς Μάρκος [*agnominatus Marcus*], Actorum XII, 12, 25.

4. Κανανίτης, *Cananites*] Non originem ſignificat, quomodo Urias *Chittæus* dicitur, ſed eſt cognomen Hebræum קנא, quod Lucas proprie reddidit Ζηλωτὴς [*Zelota*], quomodo & Lxx eam vocem reddiderant Exodi XX, 5. & alibi. Quare & Syrus per ף non per כ hoc nomen expreſſit. Græcanicam terminationem nomini addidit Græcus Matthæi interpres, repetita ν litera & interpoſita vocali, ut magis ad Græcam formam vox hæc accederet: quomodo Athenodorum Philoſophum Κανανίτην [*Cananiten*] vocabant, ſed à pago quodam, ait Strabo. Sic Ἄννων [*Annam*] Joſephus Ἀνανον [*Ananum*] vocat, ſimili literæ ejuſdem repetitione. ¶ Ἰσκαριώτης, *Iſcariotes*] Videtur eſſe contractum ex איש יששכר [*vir de Iſſaſchar*], quod exſtat Jud. X, 1. ſed addita terminatione Græcis familiari.

5. Εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε, καὶ εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε· *In viam Gentium ne abieritis, & in civitatem Samaritanorum ne intraveritis*] Εἰς ὁδὸν ἐθνῶν [*in viam Gentium*] eſt verſus Gentes, ut Jeremiæ II, 18. εἰς πόλιν [*in civitatem*] ſubaudiendum τινα [*aliquam*], ut ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ [*os non comminuetur ex eo*], Johan. XIX, 36. eſt ὀστοῦν τι [*os quodpiam*]. Vetat Chriſtus Legatos ſuos egredi fines Palæſtinæ. Per agrum Samaritanorum tranſiri non vetat (erat enim is tranſitus opportunus ex Galilæa tractum Hieroſolymitanum petentibus) ſed prohibet oppida intrari, ut appareat Samaritanorum cauſa non inſtitutam hanc legationem. Nam Samaritani partim erant & ipſi externæ originis non conſociati cum Judæis conſortio religionis, partim erant Judæi qui relictis patriis ritibus ad illos defecerant. Voluit igitur Chriſtus ſervari Judæis nobilitatis ſuæ privilegium: quod neque tantum erat quantum ipſi exiſtimabant, hac prope ſola fiducia ſecuri, neque tamen momenti erat exigui, ut Paulus ad Romanos & alibi docet. Hujus igitur prælationis illuſtre ſignum hoc eſt,

eſt, quod Chriſtus in ipſis inſtituendis primam curam poni voluit: quod etiam poſt Chriſti reſurrectionem ab Apoſtolis diligenter ſervatum eſt, ut liquet Act. 11,39. XIII,46.

6. μᾶλλον τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ. *ad oves qui perierunt Domus Iſrael*] Quibus ſervandis Chriſtus ipſe proprie ſe miſſum profitetur infra XV, 24. Nam ut plena conſtaret fides promiſſis quæ Deus Judæorum majoribus fecerat, ipſe Chriſtus ſe exhibuit διάκονον περιτομῆς [*miniſtrum Circumciſionis*], Romanorum XV, 8. Lucæ 1,54,55. Externis autem nulla niſi obiter beneficia præſtitit, exſpectans patientiſſime Judæorum ad ſe converſionem, ut deinde per ipſos cum ſumma ipſorum gloria gentes aliæ converterentur.

7. ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. *appropinquavit Regnum cælorum*] Si quis hoc conferat cum proclamatione Baptiſtæ, & exordio ſermonum Chriſti, reperiet nihil nunc quidem ultrà mandatum Apoſtolis quam ut Judæos ad vitam meliorem hortarentur, & ad Chriſtum audiendum pertraherent, à quo acceptum eſſent cætera quæ ad ſalutem ipſis eſſent neceſſaria.

8. καθαρίζετε, *mundate*] Quod hic quidam aſſeribunt, νεκροὺς ἐγείρετε [*mortuos reſuſcitate*], id non miror abeſſe à veteriſſimis exemplaribus, neque agnoſci à Græcis hunc locum exponentibus. Nullum enim mortuum ab Apoſtolis vitæ redditum legimus ante Chriſti reſurrectionem. Adjectum ex aliis locis eo eſt credibilius, quia Syrus & Latinus non eodem loco ponunt hoc membrum. ¶ δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε. *gratis accepiſtis, gratis date*] Dictum eſt non inuſitatum apud Hebræos. Nam Deuteronomii IV, 5. & 14. ubi Moſes dicit ſe ita tradidiſſe Legem ſicut acceperat, explicant Interpretes כאשר צוני יי אתכם כן עשיתי אתכם, *Quod ego gratis feci, & vos gratis facere oportet.* Ita & hic Chriſtus, *Gratis accepiſtis*, inquit, nempe poteſtatem hanc ſanandi. Cum Medicorum diſcipuli non niſi magno temporis impendio, & magna magiſtris mercede ſoluta qualemcunque morborum medendorum peritiam accipiant, vos hanc pleniſſimam facultatem uno momento, ſine ullo ſumtu veſtro accepiſtis. Hinc χαρίσματα [*gratia*] dici ſolent iſtæ δυνάμεις [*virtutes*]. Oſtendit hinc Chriſtus nec grave nec iniquum eſſe quod imperat, ut earum poteſtatum actus gratis quoque exerceantur. Et quidem mercedem paciſci pro actu tali qui directe ordinatur ad Dei gloriam, haud dubie Dei gloriæ adverſatur: quod ipſa dictat ratio naturalis, ex qua Simonem Magum, hujus alioquin præcepti ignarum, acriter convincit Petrus. Nam ſi *Civilem ſcientiam pretio nummario non eſſe æſtimandam nec debonestandam* dixit Ulpianus, quanto id juſtius de donata Divinitus virtute dicitur? Cæterum citra pactionem pro actu ejuſmodi dona ſponte oblata recipere non habent naturalem turpitudinem. *Quædam* enim, ut idem ait Ulpianus, *tametſi honeſte accipiantur, inhoneſte tamen petuntur.* Imo, ut ad Michæam notat Hieronymus, qui Prophetas conſulebant ſolebant iis munuſcula aliqua donare, cujus moris indicia habemus 1 Samuelis IX, 7.8. & 1 Regum XIV, 3. Sic & Græcorum Philoſophi, ut Origenes adverſus Celſum notat, λαμβάνειν τὰ παρὰ τῶν χρείαν [*à diſcipulis accipiebant qua ipſis erant neceſſaria*]. Neque tamen ea ſemper recipiebant Prophetæ, ſed ex temporum ac perſonarum circumſtantiis quid opus facto eſſet æſtimabant. Ideo à Satrapa Syro nihil omnino accipere voluit Eliſæus, ne apud hominem externum vileſceret accepti beneficii gratia. Hinc ad puerum ſuum inquit Propheta, *Eratne nunc tempus accipiendi argentum aut veſtes?* & quæ ſequuntur II Regum V, 26. Et à Rege Baltaſare dona accipere abnuit Daniel V, 17. Simili olim prudentia Abrahamus vivens inter homines à veri Dei cultu alienos, nihil de præda ab hoſtibus parta ad ſe pervenire voluit, Geneſeos XIV, 22. Chriſtus, qui videret multum deceſſurum auctoritati doctrinæ Euangelicæ, quin neque extra calumniam futuros diſcipulos ſuos, ſi pro actibus qui ad teſtandam duntaxat veritatem pertinere debebant aliquid acciperent præmii, non fœdas tantum pactiones, ſed omnem omnino ex rebus ejuſmodi, aut etiam ex ipſa docendi opera quæſtum prohibuit. Quod à veris Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus ſanctiſſime eſt obſervatum, apud quos, ut Tertullianus loquitur, *nulla res Dei pretio conſtabat.* Tatianus Oratione contra Græcos, φιλοσοφοῦσι καὶ οἱ πλούσιοι, ἀλλὰ καὶ οἱ πένητες τὰ διδασκαλεῖα ἐπλήσαντο· καὶ γὰρ ἀφθὰ θεοῦ ἐν κόσμῳ δωρεὰν ἐστιν ἀγαθὴ τοῖς ἀμείνοσι [*non ſoli divites philoſophantur, ſed & pauperes de doctrina hauriunt. Nam quæ à Deo veniunt omnem humanæ liberalitatis vicem longe ſuperant*]. Lactantius, *Nemo vereatur nos. Aquam non vendimus, nec Solem mercede præſtamus.* Interim & Chriſtus & Apoſtoli tum verbis tum exemplo docuerunt æquum eſſe ut qui rebus omnibus neglectis procurandæ aliorum ſaluti vacarent ab ipſis viciſſim honeſte alerentur. Quomodo à Quintiliano notatum eſt, & Socrati collatum ad victum, & ſapientes, ſi res familiaris id exigeret, paſſos ſibi gratiam referri. *Suſtentationem neceſſitatis*, ut Auguſtinus loquitur, *recipiebant à populo, mercedem diſpenſationis à Domino:* quanquam huic quoque juri ſuo Apoſtoli, & Paulus præſertim, ſæpiſſime ceſſerunt, manibus ſuis victum ſibi potius quærentes quam aut pauperculis oneri eſſent, aut ad malevolorum calumnias paterent. His artibus Euangelica veritas per orbem totum propagata eſt: A quibus quantopere receſſerint poſteriorum temporum mores, tam dictu ſupervacuum eſt quam triſte cogitatu.

9. μὴ κτήσησθε, *Nolite poſſidere*] Cum vetuiſſet mercedem pro ſanatione accipi, non dubitabat quin ſtatim in mentem venturum eſſet Apoſtolis, Oportet nos igitur hoc iter non incipere niſi rerum omnium commeatu pulchre inſtructos. Huic cogitationi occurrens Chriſtus affirmat Deum, cujus res gerant, proſpecturum ipſis de rebus neceſſariis. Quo autem certius habeant documentum, jubet illos ſine ullo commeatu proficiſci. Hoc σύμβολον [*ſignum*] pro illo tempore præceptum, quo certior ipſis eſſet Divinæ providentiæ experientia, ut recte notavit Chryſoſtomus in ſermone, Οτι οὐ χρὴ ἀπαιδεύτως σύρειν ἱερεῖς [*Non contumelioſe tractandos Sacerdotes*]. Res notata διὰ συμβόλου [*per ſymbolum*], fiduciæ ſecuritas, in perpetuum erat valitura. Eſt ergo hic κτᾶσθαι [*acquirere*] *in antecceſſum comparare*, quod σκέπτεσθαι & φροντίζειν dixit Menander,

Αν μὴν πλεῖν ἡμερῶν τις τυγχάνῃ,
Σκεπτόμεθά τ' ἀναγκαῖ' ἐκάστης ἡμέρας·
Αν δ' ἡ τ' Φείδωνος ἡ θ' ἑτέρα χάριν ἔχειν,
Οὐ φροντίσθ' ἱφόδια βελτιούμενοι;

[*Si navigandum ſit diebus quatuor,*
Quantum ſat eſt paramus in totidem dies:
Cur non item ſollicita parſimonia eſt,
Viaticum ne deſit ætatis malæ?

In Hebræo haud dubie fuerit צרר, quod eo ſignificatu uſurpari notiſſimum eſt. ¶ εἰς τὰς ζώνας, *in zonas veſtras*] Ζωνὴν [*zonam*] recte βαλάντιον [*ſaculum*] dixit Lucas X, 4. XXII, 35. C. Gracchus apud Gellium, *Zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Eundem vocis uſum apud Horatium, Juris auctores, Suetonium, Spartianum, Lampridium alii annotarunt: ex quibus apparet non æra tantum ſed & aureos & argenteos nummos in zona portari ſolitos.

10. πήραν, *peram*] *Manticam* Latine, in quam viatores condere panem & obſonioli aliquid ſolebant. *Peram* Latine dixit etiam Martialis. ¶ μηδὲ δύο χιτῶνας, *neque duas tunicas*] Qui mos ferme eorum etiam qui minimo contentos ſe putant. Galenus libro De corrigendis animi paſſionibus, Οὕτω δ' ἂν καὶ δυοῖν ἱματίοιν δυσὶν ἔχειν αὔταρκες [*Sic & binas habere veſtes ſufficit*]. Unam veſtem habere valde pauperum, quales ſubulci apud Homerum, qui ſic loquuntur Odyſſea ξ.

Οὐ γὰρ πολλὰ χλαῖναι ἐπημοιβοί τε χιτῶνες
Εὐδοῦσ' ἔνδυθεν, μία δ' εἶη φωτὶ ἑκάστῳ.

[*Non etenim multæ tunicæ & pallia multa*
Induere eſt nobis, ſed ſufficit unica veſtis.]

Idem contra, ubi luxum Phæacum deſcribit, nominat

Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμὰ, καὶ εὐναί.

[*Mutatos habitus, lectoſque, undaſque calentes.*]

Vide II Regum V, 22. Inter Eſſenorum, unde plurimi Chriſtiani, inſtituta Joſephus memorat, Οὐδὲ ἱμάτιον οὐδὲ ὑπόδημα ἄμοιβον πρὶν ἢ διαρραγῶσι τὸ παράπαν, ἢ παντάπασι δαπανηθῆναι χρόνῳ [*Neque veſtes neque calceos mutare, priuſquam priores ruptæ ſint, aut uſu plane detritæ*]. Muſonius, Τὸ μὲν εὖ ἐν χρῆσθαι χιτῶνι ἢ δοῦναι δυοῖν περιττότερον [*Una veſte bene uti honeſtius quam duabus egere*]. ¶ μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον· *neque calceamenta, neque virgam*] Ῥάβδον non ῥάβδους legerunt Syrus & Latinus. Intellige baculum alium quam quem manu geritis, aut ſoleas alias quam quibus nunc induti eſtis. nam hunc eſſe ſenſum oſtendit tum quod præceſſit δύο χιτῶνας, hoc eſt, veſtem alteram ab ea qua veſtimini; tum quod apud Marcum eſt, ubi diſerte permittitur unus baculus quem gerebant, & ſoleæ illæ quibus erant induti. Nimirum quia iter facientibus ſoleæ facile atterebantur, neque raro fiebat ut baculus frangeretur, aut alicubi adhæreſceret, ideo in farcinulis ſolebant ponere alias ſoleas alioſque baculos. Hac cautione Chriſtus Apoſtolos ſuos vult abſtinere, quocunque iter facturi eſſent reperturos & victui & itineri neceſſaria. Atque ideo multitudinis numero ῥάβδους [*baculos*] dixit Lucas, ut ſignificaret non interdici quo minus baculum unum haberent, ſed quo minus plures: quod æquo jure de paribus ſolearum debet intelligi. Vide etiam quæ ad Marcum dicentur. ¶ ἄξιος, *dignus*] Vox

Vox iſta Græcis, & quæ huic reſpondent Hebræis ac Latinis, non ſemper τὸ ἴσον [*æquale*], ſed qualemcumque rei convenientiam notat, ut liquet Epheſ. IV, 1. Philipp. 1, 27. Coloſſ. 1, 10. 1 Theſſ. II. 12. III Johan. 6. Pro *idoneo* ea voce utitur Origenes contra Celſum II. ¶ τροφῆς, *cibo*] Sumitur hic τροφὴς nomen generalius, quomodo Juriſconſulti pronuntiant legatis alimenta, cibaria & veſtitus & habitationem deberi, quia ſine his ali corpus non poteſt. Quanquam autem ſententia hæc, *Eum qui operas præſtet, victu*, aut, ut Lucas & Paulus loquuntur, *mercede dignum eſſe*, referri poſſit ad Divinæ benignitatis æſtimationem, tamen cum Lucas & Paulus aperte hanc χρέαν [*relationem*] ponant, non inter Deum & Euangelii præcones, ſed inter eoſdem præcones & qui eorum præconio edocentur, putem hic quoque ejuſdem pronuntiati eandem eſſe ſententiam; ut hoc dicat Chriſtus, Deo providente victum accipietis ab illis ipſis quibus docendis ſanandiſque operam navabitis; idque jure æquiſſimo. Quid enim juſtius quam σὺν πνευματικὰ σπείροντας τὰ σαρκικὰ θερίζειν [*qui ſpiritualia ſerunt metere carnalia*], 1 Corinth. IX, 11. Quantillum eſt tenuis victus, ſi cum tantis beneficiis comparetur? Atque hic iterum apparet μισθὸν [*mercedem*] dici citra æqualitatis rationem; neque tantum ubi merces operam excedit, quod alibi oſtendimus, verum etiam ubi indigna eſt merces quæ ad operam comparetur. Nam & de humanæ ſententiæ documentis non eſt veritus dicere Ariſtoteles, Οὐ σοφὸς χρήματ' ἀξία μετρεῖται, πρὸς δὲ ἰσάριθμον οὐκ ἂν γένοιτο· ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν, καθάπερ καὶ σοφὸς θεὸς καὶ σοφὸς γονεὺς τὸ ἐνδεχόμενον [*Non poteſt dignitas harum rerum pecuniis remenſionem recipere, par enim nullum ſit pretium; at forte ſufficit id quod dari poteſt ut adverſum Deos ac parentes*].

11. κἀκεῖ μείνατε, *ibi manete*] Diſplicet Chriſto levitas deſultoria: nihil vult temere mutari. Qui parvo didicit vivere, is neque cœnas lautiores captabit, neque timebit ne hoſpitem ſumtu exhauriat. Ergo κἀκεῖ [*ibi*] ad domum pertinet; quod ſequitur ἕως ἂν ἐξέλθητε [*donec exeatis*], ad urbem aut pagum. Vide Lucam X, 7.

12. ἀσπάσασθε αὐτὴν, *ſalutate eam*] Veriſſimum arbitror in Hebræo fuiſſe שלום שאלו [*poſtulate pacem* domus] quomodo eſt in Syriaco. Ita appoſite ſecuta eſt mentio *pacis* commate ſequenti. At Græcus interpres non verbum verbo reddidit, ſed vim Hebraicæ locutionis Græca notiſſima voce expreſſit. Alii poſtea cum non putarent ſatis cohærere quod ſequitur ἡ εἰρήνη ὑμῶν [*pax veſtra*], voces aliquot ex Luca huc infarſerunt. Atqui vis ipſa vocis εἰρήνης, hoc eſt, *ſalutis* ſive *incolumitatis*, in illo ἀσπάζεσθαι [*ſalutare*] ſatis comprehendebatur.

13. ἡ οἰκία ἀξία, *domus illa digna*] Οἰκίαν pro *familia* etiam Xenophon poſuit cum dixit οἰκίαν διατρέφων [*familiam alere*]. Neque aliter uſurpatur Johan. IV, 53. 1 Corinth. XVI, 15. Philipp. 4, 22. Sed iſtis in locis familia ab ipſo capite diſtinguitur, hic vero ipſum patrem familias ſimul comprehendit: quomodo & in uſu Romano *familiam* dici Cajus notavit. Ἀξία [*digna*] hoc loco vocatur familia quæ animo eſt docili, non à pietate averſo, ac quæ proinde ſperetur reſponſura vocationi: ſicut contrario modo qui ſunt affecti, dicuntur οὐκ ἀξίους κρίνειν ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς [*indignos ſe judicare æterna vita*], Actorum XIII, 46. Pothinus Lugdunenſis Epiſcopus interrogatus à Præſide, Quis eſſet Chriſtianorum Deus, reſpondit, Εἰ ἦς ἄξιος, γνώσῃ [*Si dignus es, diſces*]. ¶ ἡ εἰρήνη, *pax*] Helleniſtæ, Hebræorum imitatu, hac voce appellant quicquid in bonorum cenſu habetur, hoc eſt, quicquid expeti atque optari ſolet. ¶ ὑμῶν, *veſtra*] Id eſt, quam vos ipſis precati fueritis. ¶ πρὸς ὑμᾶς ἐπιστραφήτω, *revertetur ad vos*] Hebraiſmus. *Reverti* verbum ad proferentem dicitur quod eventu optato caret, ut videre eſt Eſaiæ LV, 11, & Pſalmo XXXV, 13.

14. ἐκτινάξατε τὸν χοῦν, *excutite pulverem*] Non videtur mihi ritus iſte, directe quidem, denuntiationem Divini judicii continere, qualem Nehemias excuſſo brachio, & Romani projecto lapide volebant intelligi, ſed tantundem valuiſſe quaſi dicerent Apoſtoli, Veneramus huc non noſtri commodi ſed ſalutis veſtræ cauſa: Nunc quando monitis noſtris auſcultare non vultis, res veſtras vobis habete: nihil nobis vobiſcum ultra commercii eſt, quin adeo ne tantillum quidem veſtri expetimus. Quomodo Tertullianus explicat, *Pulverem jubet excuti in illos in teſtificationem & adhærentiam terræ eorum, nedum communicationis reliqua.* Hunc enim ſenſum poſtulare videtur id quod Lucas uno loco imperative poſuit, καὶ τὸν χοῦν τὸν ποδῶν ὑμῶν ἐκτινάξατε [*pulverem pedum veſtrorum excutite*], IX, 5. altero vero enuntiative ipſorum Apoſtolorum verbis, Καὶ τὸν κονιορτὸν τὸν κολληθέντα ἡμῖν ἐκ τῆς πόλεως ὑμῶν ἀπομασσόμεθα ὑμῖν [*pulverem qui adhæſit nobis de civitate veſtra extergimus in vos*], X, 11. contra ſcilicet quam fecerat Neeman, qui de humo Judaica ſecum aſportaverat reverentiæ cauſa, II Regum V, 17. Bene autem addunt Marcus & Lucas εἰς μαρτύριον αὐτοῖς [*in teſtimonium ipſis*], quia eodem ritu ſimul teſtatum ſit veniſſe ad ipſos doctores veritatis. Ita ad Ezechielem Deus, II, 5. *Ut ſciant Prophetam fuiſſe in medio ſui.*

15. ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, *in die Judicii*] Non reſpicit Chriſtus tempus præteritum quo urbes iſtæ cœleſti incendio conflagrarunt, ſed futurum, ut oſtendit verbum ἔσται [*erit*]. Nam & diem hanc quam Matthæus vocat ἡμέραν κρίσεως [*diem judicii*], Lucas cum nota eminentiæ dixit, ἡμέραν ἐκείνην [*diem illam*], ut Judas κρίσιν μεγάλης ἡμέρας [*judicium magnæ diei*], pro quo Petrus dixerat, ut hic Matthæus, ἡμέραν κρίσεως [*diem judicii*], alibi ἡ κρίσις [*judicium*] idem ſignificat; nimirum diem univerſali judicio deſtinatum. De Sodomis ergo non tam judicatum eſt olim quam præjudicatum. neque vero iniquum nobis videri debet ſi gravior pœna imminet Euangelii contemtoribus quam illis fœdiſſima libidine & omni vitiorum genere inquinatiſſimis. Peccata enim non præciſe tantum ex ſuapte natura, verum etiam ex aliis circumſtantiis rerum & perſonarum æſtimanda ſunt. Habuerunt Sodomi notitias naturales & parentum traditionem; Judæi Legem Moſis multo clariorem. Habuerunt Sodomi monitorem Lotum; at Judæi Apoſtolos tanta adferentes promiſſa, tantis miraculis ſpectabiles. Atque hinc quoque non minus quam ex aliis locis plurimis apparet, contemtum Euangelii non eſſe effectum neceſſarium alicujus vitii quod ſit commune humano generi; ſed aut culpam eſſe peculiarem, & quæ vitari potuit, aut certe culpæ talis certum teſtimonium. Quod enim ex culpa aliqua neceſſario fluit, id ſupra ſortem ei culpæ communem pœnam alicujus gravare non poteſt.

16. ἀποστέλλω ὑμᾶς, *mitto vos*] Præſentis temporis verbo futurum ſimul complectitur. Quæ enim ſequuntur non tam ad hanc legationem pertinent quam ad eas quas Chriſtus poſtea Apoſtolis erat mandaturus. ¶ ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων· *ſicut oves in medio luporum*] Sophocles,

Σκαιοῦσι πολλοῖς εἷς σοφὸς διόλυται.

[*Sapiens malorum poſitus in turba perit.*]

¶ Φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, *prudentes ſicut ſerpentes*] Neſcio an ſpectaverit Chriſtus quod non à profanis tantum Scriptoribus plurimis ſed & à Davide proditum eſt, angues diligentiſſime aures ſibi obturare adverſus ſuſurros magicos, Pſalmo LVIII, 5. Sed & pedes hominum ne ab iis obterantur, diligentiſſime obſervant. Simpliciſſimum eſt ut dicamus reſpici τὸ ὀξυδερκὲς [*acutum tueri*] quod ſerpentibus eſt proprium,

—— *tam cernis acutum*
Quam aut aquila aut ſerpens Epidaurius.

¶ καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. *& ſimplices ſicut columbæ*] Bene monet Cicero II De officiis multos eſſe qui verſutos homines & callidos admirantes, malitiam ſapientiam judicent. Ideo Chriſtus commendationem Prudentiæ ab omni fraude doloque ſegregans, comitem ei adjungit Innocentiam ſive ſimplicitatem. Etiam Martiali inter ea quæ beatiorem vitam efficiunt, eſt *prudens ſimplicitas.*

17. Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων· *Cavete autem ab hominibus*] Dictum eſt eleganter à Comico vetere,

Ὡς χαρίεν ἦν ἄνθρωπος ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

[*Quam res venuſta eſt homo, ſed qui vere eſt homo.*]

Sed contra nihil hoc animante ſævius, ubi ſemel ab humanitate deſcivit, ut recte Græcus epigramma quoddam ita inceperit,

Ὦ θηρῶν βροτὲ μᾶλλον ἀνήμερε.

[*O ſuperans feritate feras homo.*]

Et Epiſtolam Ovidius,

Mitius inveni quam te genus omne ferarum.

Cavere ergo *homines* jubentur Apoſtoli; id eſt, de commodis & honoribus hujus ævi cum aliis non contendere, vitare offenſas quantum fieri poteſt incorrupta veritate, ipſa veritatis verba non perdere apud eos quorum deplorata eſt improbitas. ¶ εἰς συνέδρια, *in conciliis*] Supra vidimus à Chriſto *ſynedrium* dici proprie Synedrium Magnum. Talia autem Gabinius quinque inſtituerat in Judæa, ut ſupra diximus; quorum aliqua (nam de omnibus non arbitror) ſupereſſe potuerunt Chriſti tempore. Quod ſi placet intelligere conſeſſus minores XXIII Judicum, ne id quidem cum vocis uſu pugnabit. ¶ καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *& in ſynagogis ſuis*] Tam obſcurus viris doctiſſimis hic locus viſus

viſus eſt ut ſuſpectam haberent lectionem omnium codicum fide munitam. Sed nimirum impoſuit illis quod *ſynagogarum* nomine Proſeuchas intelligerent. Atqui certum eſt συναγωγὰς dici etiam civiles & juridicos conventus, 1 Maccab. VII, 12. Additamentis ad Danielem XIII, 41. Scandit igitur hic oratio à Synedriis ad Synagogas: quod ut intelligatur notandum eſt ſolitos fuiſſe interdum Judæos in rebus ad ſummam religionis aut imperii ſpectantibus advocare ad Synedrium quotquot haberi poterant Tribuum primores aliiſve honoribus præditos, ut quod conſtituerent legis potius à populo probatæ quam ſenatuſconſulti haberet auctoritatem. Talis conventus vocabatur Hebræis כנסת, Græce interdum ἐκκλησία [*eccleſia*], interdum συναγωγὴ μεγάλη [*Synagoga Magna*]. Ejuſmodi fuit is conventus ex cujus decreto Paſcha indixit Rex Joſias, II Paral. XXX, 2. Sed & alibi Joſephus narrat conveniſſe γερουσίαν σὺν τοῖς Φυλάρχοις [*Senatum cum principibus Tribuum*], inter cætera, Joſuæ temporibus. De anathemate quo Eſdræ tempore puniti contumaces narrant Hebræi factum à Synedrio majore & minore. Libro I Maccab. XIV, 18. ψήφισμα [*decretum*] quoddam invenitur in hanc formam, Ὀκτωκαιδεκάτῃ ἐλεύλ, ἔτους δευτέρου ἐξεδομηκοστοῦ, καὶ ἑκατοστοῦ, καὶ τρίτου ἔτους ἐπὶ Σίμωνος ἀρχιερέως ἐν Σαρεμμὰλ, ἐπὶ συναγωγῆς μεγάλης ἱερέων καὶ λαοῦ καὶ ἀρχόντων ἔθνους, καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῆς χώρας [*Decima octava Elul, anno ſecundo & ſeptuageſimo & centeſimo: & hic tertius annus ſub Simone Principe Sacerdotum, in Saramel, in conventu magno Sacerdotum & populi & principum gentis & Seniorum regionis*]. Ita Hebræorum Magiſtri μεγάλην συναγωγὴν [*Magnam Synagogam*] כנסת הגדולה vocant cœtum illum centum, ut ajunt, & viginti virorum circa tempora ædificationis Templi ſecundi, in quo cœtu præter οὓς συνέδρους [*Senatores*] & Prophetæ fuerunt & primores alii. Joſephus talem cœtum vocat ἐκκλησίαν πανδήμου [*cœtum collectum undique*], qualem coactum ait ab Herode Magno convocatis multis, non ex Urbe tantum ſed & ἐκ τῆς χώρας [*ex regione*]. Sic Herodem eundem, nondum Regem, ob interfectum Ezechiam accuſatum ait Gorionides coram Synedrio majore & minore. Veriſſimum eſſe quod dico oſtendet eventus Chriſti verbis ad amuſſim reſpondens. Actorum IV. ſiſtuntur Petrus & Johannes Pontificibus, Senioribus & Legiſperitis, quorum conſeſſus ibidem ut & alibi συνέδριον [*ſynedrium* ſive *concilium*] vocatur commate 15. Mox Actorum V. narratur Pontifex convocaſſe non tantum συνέδριον [*ſynedrium*] ſed & πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ισραὴλ [*omnes Seniores filiorum Iſrael*], commate 21. quia ſcilicet populis ex omnibus oppidis ad Apoſtolos confluentibus (ut narratur commate 16), res hæc ad ſummæ reipublicæ periculum ſpectare videbatur, ita ut operæ pretium eſſet omnium honoratorum ſuffragia exquirere, aut ſaltem, ut in duobus exemplis ſupra jam adductis, Senatum urbis Hieroſolymitanæ cum Senatu populi conjungere. Hæc ergo fuit συναγωγὴ μεγάλη [*Synagoga Magna*]. Senſuſque verborum Chriſti eſt, Non tantum ordinariis conſiſtoriis ſiſtemini, ſed & conventus extraordinarii veſtri cauſa habebuntur. Coram tali autem conventu extraordinario cæſos virgis Apoſtolos apparet dicto Actorum capite commate 40. Poſſunt etiam *ſynagoga* intelligi vulgari ſignificatu loci conventuum, præſertim extra Romanum Imperium. Sæpe enim Regum beneficio illis in partibus Judæis ἀρχιμαλωτάρχαι [*deportatorum principibus*] conceſſa eſt animadverſio in populares, quam in Synagogis ſolitam exerceri non incredibile eſt. nam & Epiphanius narrat Judæum quendam cum ad Chriſtianos deficere vellet in Synagoga flagris cæſum. Vide quæ Act. XXII, 19. & XXVI, 11. Et apud Euſebium citatur liber imperante Commodo adverſus Montaniſtas ſcriptus, ubi ait eorum gregis neminem ἐν συναγωγαῖς Ἰουδαίων μαστιγωθῆναι ἢ λιθοβοληθῆναι [*in ſynagogis Judæorum aut flagris cæſum aut lapidatum*].

18. καὶ βασιλεῖς, *& Reges*] Quanquam Hebræis מלכים dicuntur interdum qui vicariam aut mandatam habent poteſtatem, quo ſenſu nomen illud etiam Pontio Pilato videtur aptari Actor. IV, 26, 27. cum tamen ἡγεμόνων [*Præſidum*] mentio præceſſerit, neceſſe eſt vocem illam hic ſtrictius accipi. Eadem oppoſitio ἡγεμόνων & βασιλέων [*Regum & Ducum*] eſt & apud Petrum I Epiſtola II, 13. εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι· εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις [*ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis*]. Conſtitit igitur huic oraculo ſua fides cum Petrus apud Neronem, Johannes apud Domitianum, alii apud Parthorum, Scytharum, Indorum Reges cauſam dixere. ¶ εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν· *in teſtimonium illis & gentibus*] Quæ ſit vis hujus locutionis vide ad cap. VIII. Hoc facto convincentur, inquit Chriſtus, Præſides, & Reges, & populi qui illorum tribunalibus adſtabunt, auditæ veritatis.

19. μὴ μεριμνήσητε, *nolite cogitare*] Vox μεριμνᾶν non qualemcunque meditationem ſed animi anxietatem ſignificat & laborioſam præparationem qualis eſſe Oratorum ſolet. Vide quæ diximus ad cap. VI. προμεριμνᾶν [*præcogitare*] dixit Marcus, προμελετᾶν [*præmeditari*] Lucas. ¶ δοθήσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τί λαλήσητε. *dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*] Reſpicitur locus Exodi IV, 11. Etiamſi quid vobis antea deſit, eo ipſo tempore ope cœleſti ſupplebitur, Spiritu Divino ſuppeditante & animo ſapientiam, & oris eloquium non calamiſtratum ſed ſimplici gravitate ipſam nudæ veritatis naturam referens. Hujus promiſſionis complementum in Petro & Stephano videmus; imo in omnibus martyrologiis. Ab Apoſtolis exigit Chriſtus ut ſuæ doctrinæ velint præbere teſtimonium; ut recte id faciant ipſe præſtiturus. ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ [*in illa hora*] dictum ut ſup. VIII, 13. IX, 22.

20. Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, *Non enim vos eſtis qui loquimini*] Nota iterum negationem non abſolute ſed comparate interpretandam. Non tam vos eritis qui loquemini quam per vos Spiritus ſanctus. Vide jam nominatas hiſtorias in Actis Apoſtolicis, addito loco II Samuelis XXIII, 2. Ne conſternarentur tantis periculis Apoſtoli, magnum illis auxilium Chriſtus promittit, non Angelos, ſed ipſum Dei Spiritum, quo nihil majus promitti potuit. ¶ ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα, *ſed Spiritus*] Apud Lucianum dicitur Chriſtiano, ἀλλὰ λέγε, ἀλλ' ἐξ ἐνθουσιασμοῦ τινος καὶ δυνάμεως ἔνδοθεν λόγου λαβών [*ſed loquere, à Spiritu accepta loquendi facultate*].

21. Παραδώσει δέ, *tradet autem*] Hæc ſigna temporum Meſſiæ aſſerunt Hebræi in Thalmude, titulis *Sanhedrin* & *Ketubath*.

22. μισούμενοι ὑπὸ πάντων, *odio habebimini ab omnibus*] Id eſt, à pleriſque hominibus. Ita enim ſumi ſolent particulæ univerſitatis. Petronius Arbiter, *Si quis vitiorum omnium inimicus rectum iter vitæ cœpit inſiſtere, primum propter morum differentiam odium habet. Quis enim poteſt probare diverſa?* Athenagoras, Ἀναβὰν πως ἐθνικὸς, καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῶν μόνον, καινόν τινα θεῖον νόμον καὶ λόγον παρηκολούθηκε μεγαυχοῦντι τῷ παλαιῷ τῇ δοκούσῃ [*More veteri, nec apud nos tantum cognito, ex Divina quadam lege atque diſpoſitu connexum eſt vitio bellum inferre virtuti*]. ¶ διὰ τὸ ὄνομά μου· *nomen meum*] Eam ob cauſam quod vos diſcipulos meos profiteamini. Hæc enim eſt ſignificatio ὀνόματος [vocabuli illius *nomen*]· quia moris erat diſcipulos vocari ex Magiſtrorum nomine. Explicat Petrus cum dicit *gratias laudeſque agendas Deo cum patimur ut Chriſtiani* I Petri IV, 15. cui loco adjunge eum qui eſt Actor. V, 41. ¶ ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται· *qui autem ſuſtinuerit uſque in finem hic ſalvus erit*] Vim vocis ὑπομένειν [*ſuſtinendi*] optime Virgilius illo verſu expreſſit,

Durate & rebus veſmet ſervate ſecundis.

Patientiam enim cum exſpectatione boni alicujus ſignificat. μακάριος ὁ ὑπομένων [*Beatus qui exſpectat*] Danielis XII, 12. Bene autem monet Irenæus ὑπομονὴν [*perſeverantiam*] eſſe duplicem, aliam ἐξ ἀρχῆς [*ab initio*], aliam ἐκ μετανοίας [*ex pœnitentia*]. Ad illam Apoſtolos hortatur Chriſtus, ita tamen ut hanc interim à ſpe ſalutis non excludat.

23. διώκωσιν, *perſequentur*] Cum ſequatur φεύγειν [*fugere*], plane arbitror διώκειν [*perſequi*] hic ſtricte ſumendum pro ἐκβάλλειν [*ejicere*]. Itaque ἐν τῇ πόλει ταύτῃ [*in civitate iſta*] poſitum eſt pro οἱ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ [*qui in civitate iſta*], ut diximus ſupra VI, 6. quod quia erat obſcurius ideo adjecta eſt olim interpretatio διώκωσιν ἐκ τῆς πόλεως ταύτης [*perſequentur ex civitate iſta*], quæ deinde ut fieri ſolet in aliquorum codicum textum admiſſa eſt. Senſus eſt, Ex una urbe penvim ejecti ne deſiſtite ab impoſito vobis munere. Idcirco fugite non in ſolitudinem aliquam ubi ſitis tutiores, ſed in urbem aliam; ibi quoque experturi proventum veſtræ inſtitutionis. Apparet igitur non recte ex hoc loco peti argumentum ad quæſtionem de Fuga voluntaria ſolo vitandi periculi reſpectu. Non eſt autem facile de fuga quicquam univerſim definire, cum pro circumſtantia temporum ac locorum aliter atque aliter ſit ſtatuendum. Tertulliani ſententiam, qui fugam omnem damnabat, Cyprianus, alioqui magni ejus auctoritatem faciens, exemplo ſuo improbavit. Optime Clemens Stromateon IV & VII. quæ pericula ſubeunda, quæ vitanda ſint, animo mortem neque optanti neque metuenti, ex Dei gloria & hominum uſu æſtimandum reliquit. Κἂν φεύγῃ ὁ Χριστιανὸς, inquit adverſus Celſum Origenes, οὐ δι' ἀνανδρίαν φεύγει, ἀλλὰ πρῶτον ὑπακούων τῷ λέγοντι, τὴν ἑαυτοῦ φυλάττων καθηκόντως, ἵνα μὴ ἀφελὴς γενόμενος εὐπρεπείᾳ [*Etiam fugiat Chriſtianus non pro formidine fugit, ſed ſervans Magiſtri præceptum, & ſeipſum ſervans purum ad ſalutem aliorum quibus utilis eſſe poterit*]. Neque contemnenda quæ hac de re idem

Origenes

Origenes ad Joannem, & poſt eum Athanaſius libro ejus argumenti, & Auguſtinus in Epiſtola ad Honoratum ſcripſere. ¶ οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραὴλ, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου· *non conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat filius hominis*] Τελέσητε τὰς πόλεις [*conſummabitis civitates*], id eſt, τελέσητε διδάξει τὰς πόλεις [*conſummabitis docere civitates*], qualem infinitivi ἐλλείψει [*defectum*] ſupra quoque annotavimus & annotabimus alibi. Et ἕως ἂν [*donec*] potius eſt vice ἢ πρίν [*priuſquam*], ut diximus etiam ſupra v, 18. Quis autem hic adventus intelligendus ſit diſcrepant Interpretes. Mihi conſtat *adventum Chriſti* in hiſce libris multis modis dici, & ſæpe eo non corporis præſentiam ſed virtutis documenta intelligi, in quo genere excellit miſſio illa copioſiſſimæ gratiæ Spiritus ſancti, nec in Apoſtolos tantum, ſed in credentes alios, quo certiſſimo indicio conſtant Regnum illud diu exſpectatum jam advenisſe, & Chriſtum ejus Regem cum pleniſſima poteſtate à Patre conſtitutum. Fundum do huic ſententiæ meæ Johannem Apoſtolum, apud quem Chriſtus jam clarius aliquanto explicans quod hic obſcurius dixerat, adverſus omnem vim ingruentium periculorum diſcipulos ſuos eo ſolatur quod *miſſurum ſe* dicat ipſis *Spiritum illum veracem*, ſtatumque addit, *Non relinquam vos velut pupillos parente orbos: venturus ſum ad vos*, XIV, 18. ubi apertiſſimum puto Chriſti adventu miſſionem Spiritus ſignificari. Adde illa Petri verba Actorum II. 33. *Dextra Dei in ſublime evectus, & à Patre nactus Spiritum illum diu promiſſum, effudit hoc quod ipſi adſpicitis atque auditis.* Eſt ergo verborum Chriſti hæc paraphraſis, *Dixi quæ mala vobis imminerent; dixi nihilo minus veſtrum eſſe inſtare capto: ſed nolite animum deſpondere: præ foribus eſt mea magna & Regia poteſtas, quæ apparitura eſt brevi, imo antequam finem feceritis docendis Judæis intra fines Paleſtinæ.* His verbis oſtendit Chriſtus gratiam Spiritus anticipaturam ipſorum longinquas profectiones. Nam & poſtea, jam jamque ab Apoſtolis diſceſſurus, mandatum ipſis dedit omnes gentes inſtituendi, ſed ita tamen ut ab Hieroſolymis exordium facerent, ibique ſubſiſterent donec promiſſus ille Spiritus ipſis ſuperveniſſet, Lucæ XXIV, 47. 48. 49. Actorum I, 4. 5. 8. Optime ergo cohærent quæ ſequuntur. Nam ſi Chriſtus ad iſtam gloriam pervenire niſi per graviſſimas calamitates non potuit, non debent Chriſti ſectatores eandem ſortem defugere.

24. Οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum*] Videtur pugnare hoc adagium Hebræis receptiſſimum iſti adagio Græco,

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων.

[*Vincunt magiſtros ſæpe diſcipuli ſui.*]

Sed Græcus verſus agit de iisqui diſcipuli fuere; Hebræa ſententia de iis qui diſcipuli manent, ſicut Chriſti diſcipuli nunquam debent deſinere ejus eſſe diſcipuli. Hoc autem proverbium, ut & alterum non diſſimile, quo ſervus negatur eſſe domino major, Chriſtus non eodem ſemper ſenſu uſurpat, ut videre eſt Lucæ VI, 40. Johan. XIII, 16. XV, 20. quod & in aliis proverbiis occurrit. Hic par eventus ſignificatur ob doctrinæ ejuſdem ingenium.

25. Ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, *Sufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter ejus*] דין לתלמיד כרבו Midraſch in Pſalmo X. ¶ Βεελζεβούλ, *Beelzebub*] Ita Syrus, ita Latini veteres, ita Hebræus ſermo. Quod alii ſcribunt Βεελζεβοὺλ [*Beelzebul*] aut ſcriptoris aut pronuntiationis eſt corruptio, quæ in poſtremas literas ſæpe incidit. Ita Ἀβανὶμ [*Abanim*] pro Ἀβακὶμ [*Abacuc*] legitur in verſione LXX. Et Σενναχαρείμ [*Sennecharim*] pro Σενναχηρείβ [*Sennacherib*]. Sic pro Μαναλὼ *Manaen*] Actorum XIII, 1. Syrus habet מנחם [*Manael*], & pro בליעל [*Belial*] paſſim legimus Βελίαρ [*Beliar*]. Cum vero hoc fuerit nomen ejus qui inter deos Gentium excellere crederetur, vix credibile eſt ab ipſis Accaronitis eorumque vicinis dictum fuiſſe *Beelzebub*, id eſt, *Muſcarum dominum*. Nam Μυίαρχος [*Muſiceps*], Σμυγηνὸς [*Murifugus*] & ſimilia minorum numinum ſunt vocabula. Mihi valde placet quod à viris optime de Sacra hiſtoria meritis eſt annotatum, Solitos Gentium deos ab Hebræis appellari nominibus in contumeliam mutatis, ſicut & *Bethelem*, hoc eſt, Domum Dei, *Bethaven*, id eſt, Vanitatis domum dixere. Sic illud numen quod Accaronitæ, ut Phœnices alii, vocabant Βεελσαμὼ [*Beelſamen*], hoc eſt, Δία οὐράνιον [*Jovem Cœleſtem*], aut Δία Ὀλύμπιον [*Jovem Olympium*], ut Dius ſcribebat in Phœnicum hiſtoria, Judæi vocarunt Βεελζεβοὺβ [*Beelzebub*], hoc eſt, *Jovem muſcarum*. Beelſamen autem vocatum fuiſſe Deum iſtarum nationum, præter Philonem Byblium Auguſtinus nos docet ad Judicum cap. II. Sed quæri adhuc poteſt, Unde origo contumelioſi nominis. Dicam quod viderur. Narrant magno conſenſu Judæi veteres inter alia privilegia quæ Deus templo Hieroſolymitano conceſſerat, hoc etiam fuiſſe, quod cum tantus quotidie victimarum numerus cæderetur, nulla tamen unquam in Templo muſca conſpecta ſit; quod cum præſtare non poſſet ille celeberrimus inter profanas gentes Ζεὺς οὐράνιος [*Jupiter Cæleſtis*], ſed perpetuo templum ipſius muſcarum gregibus ſcateret, ideo à Judæis *muſcarum Jupiter* appellatus eſt. Coluerunt autem Phœnices & eorum coloni Carthaginienſes *Deum cœleſtem*, qui eſt בעל שמין, & *Deam cœleſtem*, quæ eſt בעלת שמי; Eſaiæ מלכת השמים [*Regina cœli*], *Juno* Maroni. Sed dubitandum non eſt quin illo vocabulo Solem, iſto Lunam indicaverint, antiquiſſima omnium prope gentium numina. In veteri Epiſtola Nabuchodonoſoris, quam deſcripſit Abydenus Aſſyriorum hiſtoriographus, בעל eſt Βῆλος, בעלת eſt Βηλτὶς. Cæterum Judæi ex Prophetis edocti deos Gentium dæmonia eſſe, hoc eſt, oracula quæ ab ejuſmodi deorum ſtatuis edebantur non vi iſtorum ſiderum edi, quod putabant gentes, ſed opera impurorum ſpirituum, ad quos proinde revera omnis cultus illius honos redundaret, malorum dæmonum principem eo appellarunt nomine quo creditorum falſo deorum princeps appellabatur. Vide infra XII, 24. Jam vero cum plebi perſuaſum vellent Phariſæi quæ à Chriſto ederentur miracula edi virtute illius principis dæmonum, ideo ipſum quoque Chriſtum per ſummum ſcelus, tanquam dæmonis iſtius procuratorem ac vicarium, *Beelzebub* appellarunt. ¶ πόσῳ μᾶλλον τοὺς οἰκιακοὺς αὐτοῦ; *quanto magis domeſticos ejus*] Dictis reſpondet eventus. Apoſtolos γόητας [*maleficos*] vocat Celſus; Ulpianus Juriſconſultus Chriſtianos qui exorcizabant impoſtores appellat; Tacitus eos dicit *convictos in odio humani generis*: Paſſim Chriſtiani & ἄθεοι [*Dei experies*] pari loco ponebantur. Hanc gratiam à mundo ineunt incorrupti veritatis doctores.

26. οὐδὲν γὰρ ἐστὶ κεκαλυμμένον ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται· *nihil enim eſt opertum quod non revelabitur*] Sophocles,

Ἁπαντ' ὁ μακρὸς καὶ πολυστρόφου χρόνου
Φύσει τ' ἄδηλα.

[*Humana longis cuncta curriculis dies*
Immutat: occulta aperit & aperta occultat.]

Idem alibi,

Πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδέν· ὡς ὁ πάντ' ὁρῶν
Καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπλώσει χρόνος.

[*Studeas nihil celare: qua videt omnia*
Et omnia audit, omnia evolvit dies.]

Euripides,

Χρόνος γ' ὃ δείξει, τῷ πεπαρμένῳ μαθεῖν
Ἢ χρηστὸν ὄντα γνώσεται σε ἢ κακόν.

[*Tempus docebit, cujus indicia inuens*
Diſcam bonuſne ſis vir, an contra malus.]

Menander,

Ἀλλ' ἦλθε φῶς τοῖς ἀληθέσιν χρόνος.

[*In lucis eras protrahit verum dies.*]

Neque aliter accidit. Nam & Judæorum calumnias de magicis artibus & impoſturis Chriſti atque Apoſtolorum, & paganorum improbiſſima mendacia de inceſtis congreſſibus & ſanguinis humani potatione dies revicit. Adde Deut. XXXII, 35.

27. καὶ ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων. *quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*] Non ea tantum quæ ego nunc ad populum loquor, ſed & quæ poſthac vobis ſolis familiariter ediſſeram, & poſtea per Spiritum clarius explicabo, ut de promiſcua Gentium vocatione & exſpiratione Judaicorum rituum, palam omnibus enuntiate. Δώματα autem propriequidem ſunt, ut ab aliis annotatum eſt, *ſolaria*, ſed apparet ad eorum ſimilitudinem ita vocari cœpiſſe podia illa projecta de quibus præcones, aut etiam ipſi Magiſtratus, populum ſolebant alioqui. Utrumque autem proverbiale eſt, & *in aurem dicere, & de projecto promulgare*. Latinis quoque proverbium eſt, *alta in aurem legere*, quo notantur qui res omnibus notas pro arcanis venditant.

28. μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι· *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*] Sententia haud dubie celebris inter Judæos ab Eſdræ temporibus. Scriptor libri περὶ ἀνωνυμίας λογισμοῦ [*De rationis imperio*] qui Joſepho adſcribitur, ita loquentem facit unum ex Eleazari filiis, μὴ φοβηθῶμεν τὸν δοκοῦντα ἀποκτεῖναι τὸ σῶμα· μέγας γὰρ τῆς ψυχῆς κίνδυνος ἐν αἰωνίῳ βασάνῳ κεῖσθαι τοῖς ἀδίκως ἁλοῦσι τὴν ἀνάλωσιν τὴν ὑπὸ Θεοῦ [*Ne timeamus eum qui videtur corpus poſſe occi-*

occidere : magnum enim aterni tormenti periculum animis proponitur iis qui Dei præcepta violant]. Scriptor Sapientiæ XVI, 13. Σὺ γὰρ ζωῆς καὶ θανάτου ἐξουσίαν ἔχεις, καὶ καταγεις πύλας ᾅδου καὶ ἀνάγεις· ἄνθρωπος μὲν τῇ κακίᾳ αὐτοῦ ἐξελᾷ τὸν πνεῦμα οὐκ ἀναστρέψει, οὐδὲ ἀναλύσει ψυχὴν προσλαβόμενον. ✝ ἢ σὸν οἶδεν χεῖρα φυγεῖν δύνασθαι ἔστι. In quo loco repoſui ἀναστρέψει pro ἀναστρέψῃ, quod alii vertunt *revertetur*, alii *reducet*, nullo ſenſu commodo : At una litera demta idem erit ſenſus qui in his Chriſti verbis, *Tu, ô Deus, vitæ necisque ſummam habes poteſtatem : tu ad inferos ducis ac reducis. Homo quidem malitia ſua ædes interficit, ſed corpus tantum : nam egreſſum è corpore animam evertere non poteſt, neque diſſolvere ſpiritum à te ſuſceptum. Tuam autem vim nec anima nec corpus poſſunt effugere.* Sciendum autem eſt primæ hujus ſententiæ verba deprompta eſſe ex libro Samuelis I, cap. II, 6. Simili argumento probat Hierocles parentibus non eſſe obtemperandum ſi quid injuſti præcipiant, quia ſævitia illorum ultra corpus extendi non poteſt. Verba ipſius luculenta ſane apponam, Εἰ γὰρ πεφοβήκασι θάνατον μὴ πειθομένοις ἢ βίου ἀποτομίαν, οὐδὲν ἐκφοβοῦνται δεῖ τοὺς τοιούτους, ἀλλ' οὐ εἰδέναι τί τὸ ταῦτα πεισόμενον, καὶ ὅτι μὴ ὑφίστασθαι ἀπειλοῦσι μόνον· τὸ δὲ ἀπαθῆς τούτων ἐλευθέρους πρὸς τῷ καὶ μόνῳ Θεῷ ὑποπίπτειν [*Nam ſi non obedientibus minantur mortem aut exheredationem, non ſunt iſta pertimeſcenda; ſed ſciendum quid ſit illud cui iſta erunt patienda: Ei quod genuerunt minantur. At illam partem quæ extra tales eſt perpeſſiones liberam ſervare oportet & Deo ſoli obnoxiam*]. Arrianus Epicteti libro I, cap. 9. Οἱ τύραννοι δοκοῦντες ἔχειν τινὰ ἐφ' ἡμῖν ἐξουσίαν διὰ τὸ σωμάτιον [*Tyranni qui videntur aliquam in nos habere poteſtatem ob corpuſculum*]. Confer Eſaiæ LI, 7. Juſtinus ad Diognetum, Τότε τὴν ἀπιστίαν καὶ τὸν πλάνον κατηγορήσῃ ὅταν τὸ ἀληθῶς ἐν ὑστερῳ ζῆν ὑπολάβῃς, ὅταν δὲ δοκοῦντος ἐνθάδε θανάτου καταφρονήσῃς, ὅταν τὸν ὄντως θάνατον φοβηθῇς, ὃς φυλαχθήσεται τοῖς κατακεκριμένοις εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, ὃ δώσει παραδοθεῖσι αὐτῷ μέχρι τέλους κολάσει [*Tunc impoſturam mundi & errorem damnabis quum vere in cœlo vivere didiceris, quum ejus quod hic mors eſſe cenſetur contemtor eſſe & mortem quæ revera eſt mors formidare cœperis, quæ ſervatur eis qui ad ignem æternum damnabuntur, qui ſibi traditos afficiet ſupplicio ad finem uſque.* ¶ τὸν δυνάμενον καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ. *qui poteſt & animam & corpus perdere in Gehennam*] Supra capite v. egit Chriſtus de corporis ſupplicio in Gehenna : nunc addit Deum eſſe qui & animam poſſit perdere, *anima* nomine non vitam intelligens totius hominis, quam nemo non homini poteſt eripere, ſed ſubſtantiam illam nobiliorem quæ ſimul cum corpore hominem conſtituit : quæ aliis in locis πνεῦμα [*ſpiritus*] appellatur. Sic Rabbi Iſrael De Anima cap. VIII. ait Iſraelitarum qui in corpore peccarint & corpus & animum comburi. Quomodo autem pereat anima ita Hierocles explicat, ὡς ἔνιοι ἀθανάτῳ ἴσως θανάτου μοίρας μεταλαχεῖν, ἢ τῷ εἰς τὸ μὴ εἶναι ἐκβαίνει, ἀλλὰ τῷ τὸ εὖ εἶναι ἀποβαίνει [*quo poteſt modo immortalis ſubſtantia mortem perpeti, non eo exitu ut non ſit, ſed amiſſione boni ſtatus*]. Videtur autem Chriſtus de induſtria non repetiiſſe hic verbum *occidendi*, quod erat in membro priore, ſed poſuiſſe verbum *perdendi*, quod cruciatus habet ſignificationem, ut in Tiberii Epiſtola ad Senatum, *Quid ſcribam Vobis, Patres Conſcripti, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, di me deæque omnes pejus perdant quam perire quotidie ſentio, ſi ſcio.* At quæ verba ita Tacitus ex Platone, *Adeo facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes poſſe adſpici laniatus & ictus ; quando ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur : quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuaſque ipſe pœnas fateretur.* quæ eo libentius adſcribo, quia non obſcuram mihi videntur præferre imaginem triſtiſſimi ſupplicii quod impiorum animis imminet, quo tempore omnibus arcanis evoluris ſua in quemque conſcientia furialibus quaſi facibus armabitur. De impiorum autem animis non idem ſenſiſſe Hebræorum Magiſtros ſupra quoque attigi. David Kimchi ad primum Pſalmum & ad Pſalmum CIV, 30. ex receptiore Thalmudiſtarum ſententia tradit eos exſtingui una cum corpore, ſicut Seneca dixit,

Mors individua eſt noxia corpori,
Nec parcens animæ.

Eademque eſt ſententia Rabbi Bechai quod ἀπιθάνους [*Gentiles*] attinet : nam reſurrectionem propriam vult eſſe Iſraelitarum. At Iſraelitas qui à Lege defecerunt arbitratur reſurrecturos & æterna ſenſuros ſupplicia animorum & corporum ; eos vero, qui non defecerunt, neque tamen vixerunt ex Legis regula, poſt præfiniti temporis cruciatum in nihilum abituros. At Rabbi Higgaon, Rabbi Saadia, & Abenezra omnes Iſraelitas qui non reſurrecturi ſunt ad vitam æternam manſuros ajunt in ſtatu ignominiæ finem non habituræ. Eandem fuiſſe alibi Eliezeri ſententiam tradere videtur ille Kimchi ad I Samuelis XXV, 29. Tacitus Judæis ait eandem fuiſſe de inferis perſuaſionem quæ eſſet Ægyptiis. Crediderunt autem Ægyptii quorundam ſceleratiſſimorum gravia & æterna ſupplicia, aliorum temporaria. Hinc ſuam νεκυίαν [*narrationem de mortuis*] hauſit Homerus, quem in Ægypto fuiſſe conſtat, apud quem Tantalus & Tityus perpetuo cruciantur, ſicut apud Virgilium

——— ſedet æternumque ſedebit
Infelix Theſeus.

Quos ſecutus Plato in libro De anima de ſumme facinoroſis ait, τούτους ἡ εἱμαρμένη μοῖρα εἰσπίπτει εἰς τὸ τάρταρον ἔνθεν οὐκέτι ἐξέρχονται [*hos aqua lex fati abjicit in Tartarum, unde nunquam exibunt*]. Minus autem ſceleratos ad tempus torqueri exiſtimat. Non poſſum omittere quin hic addam egregium Hieroclis locum adverſus eum qui perſuaſione interituræ animæ ſceleribus ſuis blanditur, quem ait μάτην ἴσως τοιοῦτόν τινα εἰς τὸ μὴ εἶναι καταφυγὴν, ὄφελον αὐτῷ περίεστιν κακῷ τὸ κακὸν ἰᾶσθαι, φθορᾷ τῆς ψυχῆς τὴν κακίαν ἀφαιμυθμίζειν, καὶ τὴν μὴ θάνατον ἑαυτῷ κατεψηφίζεσθαι, φυγὴν τῶν τῆς κρίσεως πόνων· ἢ βέλτιον γὰρ ὁ κακὸς αὐθάνατον εἶναι τὴν αὐτοῦ ψυχὴν, ἵνα μὴ ἀπαιδεύτῳ πημονῇ θνητῷ, καὶ φθορᾷ τῇ ἐκεῖ δικαίᾳ, θάνατον ἑαυτῷ καταψηφιζόμενος, ὡς πείσῃ τὴν πανάγιον ψυχὴν μηδὲ εἶναι· ἀλλ' ὅτῳ μὲν ὡς ἀβουλίᾳ περὶ κακίαν ἀπατεχθεῖς τύφοτος ἀμαθείᾳ τὴν καθ' ἑαυτὸν ψῆφον ἐκφέρῃ· οἱ δὲ ἐν ᾅδου δικασταί, ἅτε περὶ τὸ ἀληθείας κανόνα τὴν κρίσιν ποιούμενοι, τὸ κρίνειν μὴ εἶναι δεῖν τὴν ψυχὴν [*unum habere remedium confugere ad non eſſe, ſic illi id reſtat ut malum malo medeatur, id eſt malitiam ſuam ſoletur animæ interitu, ſibique pœnam irroget poſt mortem in nihil redigi, ad fugienda Judicii mala. Non vult enim homo malus immortalem eſſe ſuam animam, ut non ferat pœnas. Præcurrit ergo Judicem ſe interitu damnans, tanquam mala anima ne eſſe quidem deberet. At ille quidem qui per inſipientiam in vitio inſit merito imperite de ſe fert ſententiam. At qui apud inferos ſunt Judices, ad veri regulam judicium exercentes, nolunt animam non eſſe*]. Similis ſententia eſt apud Juſtinum Apologia ſecunda, Ἀναβλέψατε γὰρ ὡσεὶ τὸ πάλαι ἰσχὺς τῆς ῥωμαίων βασιλείας, ὅπου τὸ κοινὸν πᾶσι θνητοῖς αἰσθάνεσθαι· ὅπερ εἰ εἰς ἀναισθησίαν ἐλθοῖ, ἔρημον ἂν ἦν τῶν ἀδίκων πάντων [*Reſpicite ad exitum uniuſcujuſque Regum qui fuere, Pari cum cæteris morte functi ſunt. Quod ſi id duceret ad inſenſibilitatem, lucrum id ipſis eſſet*]. Sapienter Philo libro De præmiis & pœnis, Ἀνθρώποις μὲν γὰρ πέρας τιμωριῶν εἶναι νομίζουσι θάνατον· ἐν ᾧ τῷ θείῳ δικαστηρίῳ μόλις ἐστὶν ὅτῳ δέχεται ἐπὶ πᾶσιν καινὸν τὸ ἔργον, ἔδει ἢ τὴν ἐπ' αὐτῷ τιμωρίαν καινὴν ἐφευρίσκειν· τίς οὖν ἐστι αὕτη; ζῆν ἀποθνήσκοντα ἀεί, καὶ πρόσπολον θανάτου ἀτελεύτητον· θανάτου γὰρ διττὸν εἶδος, τὸ μὲν κρεῖττον, ὅπερ ἀγαθῶν ἐστιν ἢ ἀδιάφορον, τὸ δὲ κρεῖττον, ὃ δὴ κακῶν πάντων, ἢ ὅσῳ χρονιώτερον βαρύτερον [*Homines finem pœnarum eſſe putant mortem; at in Divino Judicio id vix initium eſt. Cum ergo novum fuiſſet hoc facinus, oportuit & novum ſupplicium invenire : Quod illud? Ut vivat ſemper moriens, & aliquo modo mortem ſuſtineat interminabilem. Mortis enim duo ſunt genera, alterum in mortuum eſſe, quod aut bonum eſt, aut in rebus medio; alterum in mori, quod penitus malum, & quo durabilius, eo gravius*]. Quem ſenſum breviter expreſſit Tatianus, Ἀνίσταται δὲ εἰς ὕστερον (ἡ ψυχὴ) ὅτι σωτελείᾳ ἓν πρᾶγμα σὺν τῷ σώματι θνητὸν δεῖ πρόσκαιρον ἐν ἀθανασίᾳ λαμβάνουσα [*Siſtitur autem poſtea in conſummatione ſeculi anima una cum corpore, mortem habitura in pœna immortali*]. Sed de animorum immortalitate differendi poſthac ſe dabit benignior occaſio.

29. στρουθία, *paſſeres*, vel *aviculæ*] Moſchopulus ait ita vocari πάντα τὰ μικρὰ τῶν ὀρνίθων [*omnes aves minutas*]. ¶ ἀσσαρίου, *aſſe*] אסר vel אסר nummus eſt valens dimidium ϐ λεπτῶν [*quadrantis*]. ¶ ἄνευ ϐ πατρὸς, *ſine patre*] Hoc eſt, ut Cyprianus interpretatur, *non ſciente aut non permittente Deo.* Oppianus non diſſimiliter dixit,

——— Τί δὲ μερόπεσσιν ἀνυσσόν
Νόσφι θεῶν, ὅσσ' ἔστιν ὑπ' οὐδεῖ ἐρπετὰ πάντα,
Οὐδ' ὅσα πεπτήκασι βλεφάροιν ἀμφιφαλῆσι κύκλα.

[—— —— *Quid enim mortalia ſecla*
Abſque Diis poſſint, nec vel veſtigia ſola
Figere, vel paulos expandere luminis orbes.]

Epicurus Providentiam omnino negat; Ariſtoteles eam cœlo includit; Arabes nonnulli circa univerſalia eam volunt occupari, non circa ſingularia: quam ſententiam in Græcis etiam Philoſophis notat & ut impiam reprehendit Juſtinus initio Colloquii cum Tryphone; Hebræorum aliqui circa homines, non circa beſtias: quod & didiciſſe ab Hebræis & Græcos docuiſſe videri poteſt Pythagoras. Ita enim Hierocles, Μὴ παροφθείτω ἡμᾶς τι καὶ ὅτι τῶν ζώων ἀλόγων καὶ φυτῶν καὶ ἀψύχων τὰ αὐτὰ ἀνωμαλίαν ὑποφαίνοιθ' ἃν καὶ ἐπ' ἀνθρώπων· οὐ γὰρ διὰ τοῦτο τὰ καθ' ἡμᾶς ἀσυντόνως, οὔτε ἐκείνοις ταῦτα εἰς ἔνοχλε συμβαίνει [*Neque turbet nos quod circa muta animantia & plantas & inanima eadem qua circa homines apparet inæqualitas: non enim quia illis talia fortuito evenium etiam nobis accidunt citra Dei providentiam*]. A qua ſententia non abhorrere videtur Hieronymus Expoſitione ad Abacucum, niſi verba ejus benignius libeat interpretari. Cæterum quod Chriſtus hic docet idem monſtrat recta ratio, quod explicabo Athenagoræ verbis, Δεῖ οὖν πιστεῦσαι τὸν Θεὸν τῶνδε ἕνεκα πάντας ἀποδεξαμένους τὴν τούτου σοφίαν καὶ δικαιοσύνην καὶ τὴν τῶν γεγενημένων ἁπάντων ἀναθέσθαι φυλακὴν τε καὶ πρόνοιαν, εἴγε τοῖς ἰδίοις ἄρχασι σῴζεσθαι ἐφίλουν· τούτου δὲ χάριν τοῦτον φρονοῦντας, μηδὲν ὑπολοιπὸν μήτε τῆς γῆς μήτε τῶν κατ' ἀέρα ἀνεπιτρόπευτον μηδὲ ἀπρονόητον, ἀλλ' ἐπὶ πᾶν ἀφανὲς ἡμῶν καὶ φανερὸν μικρόν τε καὶ μέγα, δίκαιον γινώσκειν τὸν ἀφ' ἧς ἔκτισε καὶ διακεῖσθαι [*Par eſt ut qui Deum univerſi opificem agnoſcunt ejus ſapientiæ ac juſtitiæ omnium quæ ſunt cuſtodiam gubernationemque attribuant, ſi modo ſuis principiis velimi inſiſtere. Hæc qui intelligunt credere debent nihil aut cæleſtium aut terreſtrium à tutela providentiaque abdicari; ſed Dei curam pertingere ad res inconſpicuas & conſpicuas, parvas magnaſque*]. Verum quidem eſt non circa omnia uno modo ſe habere Providentiam; ſed hoc ipſum, ut recte dixit Chryſoſtomus, προνοίας μέγιστον εἶδός ἐστι [*providentiæ maxima pars eſt*]. Nam cum Dei infinita ſit & ſcientia & potentia, conſtetque eum in multis agere præter naturæ ordinem rebus inſitum, modo apertius, modo vero occultius, ſequitur, ut quæ naturali ordini permittit, eadem certo ac ſapiente conſilio permittat, quippe impediturus ſi aliter ipſi viſum eſſet. Hominem curat, ut animal Deo proximum & propriæ felicitatis fruendæ cauſa conditum, beſtias vero ut in uſum hominum ordinatas. Itaque genera ipſa beſtiarum conſervari videmus, quod ſine ſingularium ſuſtentatione fieri non poteſt, cum in ſingulis rebus conſiſtat generis cujuſque univerſitas. Egregie Plato, De legibus decimo, Medici & Naturæ exemplo demonſtrat totius partem non conſiſtere ſine partium etiam minimarum cura: unde infert minime dignum eſſe creditu, τὸν Θεὸν ὅτου σοφώτατον, βουλεύσιόν τε ὀρθότατον καὶ δυνάμενον, ὧν μὲν ἕνεκα ἦν ἐπιμεληθῆναι, ἐμπεφῶν ὄντων, μηδαμῇ ἐπιμελεῖσθαι, καθάπερ ἀργὸν ἢ δειλόν τινα δεῖ πάντες ῥᾳθυμεῖτε, τὸν δὲ μεγάλων [*Deum qui ſit ſapientiſſimus, velitque cuncta curare & poſſit, curam magnam impendere, non etiam parvis curam perfacilibus, quaſi aut otium amaret aut laborum metu abſterreretur*]. Quare quæ effata negare videntur Dei curam circa beſtias, comparate ſunt intelligenda: quod vel ex Paulo apparet quærente *an Deus boum gerat curam*, 1 Corinthiorum IX, 9. Nam ipſe legem Moſis citaverat quæ bovi trituranti os vetat obligari. Negari non poteſt quin qui eam legem juſſit, geſſerit & boum curam; ſed non præcipue, neque tam boum quam hominum cauſa, ut ſequentia apud Apoſtolum explanant. Plutarchus ex Homero probat antiquorum ſapientum fuiſſe ſententiam curari Divino numine, ὃ μόνον βόας (hæc enim illius verba ſunt) ἀλλὰ καὶ πάντα τὰ ἄλλα ζῶα, ὡς τῆς φύσεως ζωτικῆς μετέχοντα [*non boves tantum ſed & animantia omnia, ut quæ de natura vitali participent*]. Sed & circa homines ipſos ſunt certi Providentiæ gradus: *Novit viam juſtorum*, inquit de Deo Pſaltes, id eſt, peculiariter eam curat ac fovet. Vide Jachiadem ad Danielem VII, 3. Salvianus lib. II. *Licet gubernator omnium Deus ſit, illa tamen peculiariter regimen præſtari à Deo dicitur qui regi peculiariter à Divinitate mereantur.* Sic aliter Reges ac Regna reſpicit Dei providentia, aliter privatos, ut Platonis iterum verbis utar, τῷ δὲ πάντας ἐπιμελουμένῳ πρὸς τὴν σωτηρίαν καὶ ἀρετὴν ἕν γε πάντ' ἐξ ἀνάγκης συντέτακται· ὧν καὶ τὸ μέρος εἰς δύναμιν ἕκαστον τὸ προσῆκον πάσχειν καὶ ποιεῖν [*ob eo qui cuncta curat, omnia conſtituta ſunt ad Univerſi ſalutem & ad virtutem; ſingula autem quæ eo tendunt, & agunt & patiuntur pro ſua pollentia*]. Quare ubi dicit Sapiens Hebræus de Deo VI, 8. ὁμοίως προνοεῖται περὶ πάντων [*æqualiter ipſi cura eſt de omnibus*], illud ὁμοίως intelligendum ἀπροσωπολήπτως [*citra perſonæ acceptionem*]: præceſſit enim, οὐκ ἐντραπήσεται μεγέθους [*non verebitur magnitudinem*].

30. Τμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσί. *veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt*] *Veſtrûm*, inquit, qui non tantum eſtis homines, verum etiam nuntii Divinæ veritatis, quos proinde Deus, ut miniſtros ſuos, in tutelam ſpecialem ſuſcipit. Eſt autem dictum παροιμιῶδες [*proverbiale*]: numerare enim ſolemus ea quæ habemus in pretio, ſicut ea quæ contemnimus dicimur *nullo loco numerare*, vel *extra numerum habere*. Deinde *pilus* ſignificat rem minimam, etiam Græcis & Latinis. Hinc Hebræa locutio, *Ne pilus quidem ejus peribit*, id eſt, ne minimum quidem damnum ſentiet, 1 Samuel. XIV, 45. Lucæ XXI, 18. Actor. XXVII, 34. Seneca epiſtola XXIX. *Et legem barba & canorum nondum natus infans habet.* Senſus ergo eſt, Utcunque in vos ſæviant homines, certi eſtote nihil damni vobis eventurum niſi quod futurum ſit in veſtram aliorumque utilitatem: alioquin minime id Deum permiſſurum, qui vos amat, quique plus omnibus poteſt polletque.

31. Διαφέρετε, *meliores eſtis*] Optime puto verti *pluris eſtis*; quia paulo ante dixerat Chriſtus *duas aviculas unius aſſis æſtimari.*

32. ὁμολογήσει ἐν ἐμοί, *confitebitur* in *me*] יודה בי. Nam ב particulam in hac conſtructione paſſim Helleniſtæ per ἐν [*in*] vertunt, quomodo & Syrus hic poſuit בהודא בי.

33. ἀρνήσομαι κἀγὼ αὐτόν, *negabo & ego eum*] Non cordis tantum fidem, ſed & oris confeſſionem Chriſtus exigit, Rom. X, 10. Sicut autem antecedens promiſſio perſeverantiæ includit conditionem: ita hæc comminatio intelligenda eſt tacitam in ſe habere conditionem, Niſi ſubſecuta ſit ſeria pœnitentia, ut Petro evenit, ſed ante acceptum fortitudinis ſpiritum.

34. Μὴ νομίσητε ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην ἐπὶ γῆν· *nolite arbitrari quia pacem veni mittere in terram*] Ut multi tum exiſtimabant ex Eſaiæ cap. XI. male intellecto. ¶ Μάχαιραν. *gladium*] Μάχαιρα voce hic non bellum (neque enim bellum eſt ubi alter cædit, alter vapulat tantum, quemadmodum factum eſt puris illis Chriſtianæ innocentiæ temporibus) ſed Diſſidium debet intelligi, quod ex Luca apertiſſimum eſt, qui pro eodem poſuit διαμερισμὸν [*ſeparationem*] XII, 51. quo tamen ipſo loco quædam exemplaria olim habuerunt μάχαιραν [*gladium*], idemque hic ſequentia declarant. Tralatio inde ſumta quia μαχαίρας [*gladii*] proprium quaſi officium eſt μερίζειν [*dividere*], quo alludit etiam Scriptor ad Hebræos IV, 12. Quod autem hic manifeſtiſſimum eſt, verbis ἦλθον βαλεῖν μάχαιραν, ἦλθον διχάσαι [*veni mittere gladium, veni ſeparare*] non propoſitum, ſaltem τὸ προηγούμενον [*antecedaneum*], Chriſti, cujus omnia conſilia & vota ad pacem atque concordiam ſpectabant, ſed eventum potius intelligi; ejus meminiſſe ad aliorum quoque locorum explicationem debemus. Similia apud omnes Scriptores occurrunt; ut in veteri Epigrammate,

Hæc peperi flammis, catera, dixit, aquis.

Niſi quod hic præter eventum prænotio eventus & ea non obſtante ſeminandæ veritatis firmum conſilium intelligi debet. Senſum talem ἐκβατικὸν [*eventualem*] vocant Græci, etiam Chriſtiani. Tale illud, Ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν [*Perdam ſapientiam ſapientium*], 1 Cor. I, 19.

35. κατὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *adverſus patrem ſuum*] Oſtendit ventura tempora non minus periculoſa quam ea fuerant quæ deplanxerat Michæas VII, 6. ideo verba ejus repetit. Ait Tertullianus in Scorpiaco, multis ſuis temporis Chriſtianis patres & fratres fuiſſe traditores.

37. Ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ οὐκ ἔστι μου ἄξιος· *qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus*] Id eſt, non convenit meæ diſciplinæ. Ita enim Lucas interpretatur XIV, 26. Ideo Paulus jubens nos *pacem colere cum omnibus*, provide adjecit, *quoad fieri poteſt, & quantum in vobis.* Semper enim amicior eſſe debet veritas & ſalutaris ſapientiæ ſtudium. Vide exemplum Abrahami Geneſeos XII. Vocandus hic iterum mihi Hierocles, εἰ δὲ ἔστιν ὅτε τῶν θείων νόμων ἀνέχοις ἔστι ἡ τῶν γονέων θεραπεία, τί δεῖ πολλῶν εἰς ἀνταπόδειξιν ἐμπεσόντας μανθάνειν, ἢ τοῦτο ὃ καὶ ἐπὶ πολλῶν καθηκόντων ἐκ βελτίστου εἰς ἐναντίωσιν ἐληλύθοντων θεσμικὴ φυλάττειν; μειζόνων γὰρ καὶ ἐλαττόνων προκειμένων καλῶν, τὸ μείζονα τοῦ ἐλαττόνων προτιμᾶν δεῖ, ὅταν μὴ ἀμφότερα ἐξῇ διασώζειν. οἷον καλὸν μὲν τῷ Θεῷ πείθεσθαι, καλὸν δὲ καὶ τοῖς γονεῦσιν· εἰ δὲ πρὸς τοῦτο ἡ ἀμφοτέρων ἄγοι πειθώ, ἔμαιγε ἂν εἴη ξύμαχον, εἰ δὲ πρὸς ἄθεμιτόν τι θείῳ νόμῳ, πρὸς ἄθεμιτόν τι εἰ γονεῖς φέροιεν, μαχομένης τῆς αἱρέσεως, τοῖς ἀμείνοσιν ἑπεσθαι δεῖ, πρὸς τοῦτο μόνον ἀπειθοῦντας γονεῦσι, πρὸς ἃ δὲ

αὐτοὶ

αὐτοῖ τοῖς θείοις νόμοις ἀπειθοῦσι· ἢ δὲ φυλάττειν βουλόμενον σὺν τοῖς θείοις κακόνους, οὐχ οἷόν τι τοῖς τότε ἀμφιβαίνουσι συμφωνεῖν [*Quod ſi eveniat ut parentum voluntas Divinis legibus ſit inobſequens, quid facere oportet eos qui in talem legum pugnam inciderunt: Quid aliud quam quod ſemper facere oportet ubi plures officiorum regulæ ex caſu emergente inter ſe colliduntur? Certe ubi majora & minora bona ſe nobis offerunt, majora minoribus antehabenda ſunt, ſi non utraque ſervare liceat; exempli cauſa, Honeſtum eſt Deo obedire: ſed & parentibus obedire honeſtum. ſi ergo ab utraque parte idem nobis ſuadetur, lucrum in eo eſt & res controverſia carens. At ſi alio lex Divina, alio parentes trahant, cum utrum eligas id pugnet alteri, meliora ſequenda ſunt: & in iis ſolis non obſequendum parentibus, in quibus ipſi Divinis legibus non obſequuntur. Qui enim virtutis regulas velit obſervare, is eas violantibus conſentire non poteſt*] Et ad illa carmina,

Μηδ' ἔχθιστα φίλου σὺ ἁμαρτιδὸς εἵνεκα μικρῆς
Ὀφλε δυσὶν· δυσμὰς δ' ἀναγκαίης ἐγγύθι παίδ.

[*Ne veterem abjicito propter leve crimen amicum,*
Si potes: hæc etenim prope ſunt, poſſe atque neceſſe.]

Idem ille optimus Interpres, εἰς πάντα ὧν σὺν φίλοις ἀνεξίκακοι, οἷς ὑπὲρ μεγίστης ἀνάγκης τὸ φιλικῆς ἀληθείας πεζόμενοι, πολλὰ ἐνίοτε ἂ δὲ δὴ καὶ πρὸς τὸ χεῖρον ὑπαφερομένοις αὐτοῖς εἴξομεν, οὐδὲ μεταβαλούμεθα ἐκ τοῦ πρὸς φιλοσοφίαν καιροῦ εἰς ἑτέρου τινὰ ἢ βίου πρόσκαιρον ἐπιπολαιότητα καὶ αὐτοὶ συνεκφερόμενοι τοῖς ἀνοητίσασιν ἀλλ' ἢ πρὸς τὸν ἀρετῶν σκοπὸν [*Per omnia ergo amicos tolerabimus, velut coacti à neceſſitate maxima, amico animo, extra unum: Non enim ſi ad pejora trahantur ei cedemus, neque ſi a ſtudio ſapientiæ ad aliud vitæ genus tranſeant eos ſequemur, & trahi nos patiemur ab iis qui a virtutis propoſito excidere*].

38. τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, *crucem ſuam*] Reperitur hoc loquendi genus etiam apud Rabbinos: ut in Arama in Geneſin in Iſaaci hiſtoria. Crux atrociſſimum & pleniſſimum ignominiæ ſupplicium Romanis uſitatiſſimum, apud quos ea vox tranferri ad omnia incommodorum genera cœpit: ut, *I in malam crucem; Summum jus, ſumma crux; Cruciare.* Ad Judæos igitur quibus non erat avitum id ſupplicii genus (nam Judaica ſuſpenſio alterius erat modi) locutio iſta venit aut à Romanis, quorum imperium jam per aliquot annos pertulerant, aut etiam à Perſis: nam hos quoque uſos crucis ſupplicio, etſi forte à Romana cruce aliquatenus diverſæ, ut viri docti monent, tum ex Joſepho tum aliis multis auctoribus conſtat. Quo inter cætera pertinet locus ille in decreto Darii Eſdræ VI, 11. ubi eſt עָרִי vox Chaldæa, quam hic etiam poſuit Syrus. Cæterum Chriſtus ita vocem generalem uſurpavit ut tamen ad propriam quoque notionem digitum intenderet, ſignificans ne illud quidem infame & atrox ſupplicium defugiendum eſſe veritatis profitendæ cauſa. Hæc autem Chriſti adhortatio præter generalem ſui uſum in Chriſtianis omnibus, etiam peculiarem eventum habuit in Petro aliiſque Apoſtolis & martyribus qui illam ipſam pœnam crucis, Chriſti exemplo dedicatam, fortiſſime pertulerunt. Quæ cum cogito, videtur mihi non ſine Divinæ providentiæ inſtinctu olim Plato dixiſſe De republica II, de vero juſtitiæ cultore, πάντα κακὰ παθὼν ἀνασκολοπισθήσεται [*poſtquam omnia mala pertulerit crucifigetur*]. Nam ἀνασκολοπίζειν per ἀνασκολοπίζειν [*palo ſeu cruci affigere*] exponunt Græci interpretes. Quod autem hic dicitur λαμβάνειν τὸν σταυρὸν [*accipere crucem*], infra XVI, 24. & Marci VIII, 34. & X, 21. & Lucæ IX, 23. dicitur αἴρειν τὸν σταυρὸν [*tollere crucem*], Lucæ autem XIV, 27. βαστάζειν τὸν σταυρὸν [*bajulare crucem*]. quæ loca ſi conferas cum hiſtoria paſſionis Chriſti, in qua itidem eſt vox αἴρειν [*tollere*] infra XXVII, 32. & Marci XV, 21. & βαστάζειν [*bajulare*] Johan. XIX, 17. apertiſſime conſtabit hæc loquendi genera morem illum reſpicere quo τὰ κύρια τῶν κολαζομένων ἕκαστος ἐξέφερε τὸ ἑαυτοῦ σταυρὸν [*quiſque damnatorum corpore ſuo crucem ferebat*], ut Plutarchus loquitur. Itaque λαμβάνει hic vertetim *ſuſcipit.* Nam eodem ſenſu *ſuſcipere onus, pericula, labores, dolorem* dixit Cicero. Hebræi onus in humeros tollere נשׂא dicunt; quod Helleniſtæ modo vertunt φέρειν [*ferre*], ut Eſaiæ LIII, 4. modo ἀναλαμβάνειν [*ſuſcipere*], ut eundem Eſaiæ locum ſupra vertit Matthæi interpres VIII, 17. modo λαμβάνειν [*accipere*], ut Levitici XVII, 16. & alibi. ¶ ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, *ſequitur* poſt *me*] Purus putus Hebraiſmus. Nam Hebræi verbis *ſequendi* ſubjungunt אחרי [*per ſermonis abundantiam*] particulam אחר [*poſt*], ut Judic. IV, 16. Pſalmo CXLIII, 3. & alibi. Idem hic interpres infra eundem ſenſum locutione Græcanica extulit αἴρῃτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθείτω μοι [*tollat crucem ſuam, & ſequatur me*], XVI, 24. quomodo etiam loquitur Marcus & Lucas uno loco: nam altero dixit ἔρχεται ὀπίσω μου [*venit poſt me*], quæ itidem eſt Hebraica περίφρασις ἀκολουθεῖν [*circumlocutio verbi, ſequi*]: ita ut ſubtiliorem interpretationem comminiſci ſit ſupervacuum. Sectatur autem Chriſtum qui vitam ſuam quatenus fieri poteſt ad dicta ipſius ac facta componit.

39. Ὁ εὑρών, *qui invenit*] Εὑρίσκειν [*invenire*] hic eſt σώζειν [*ſalvum facere*], qua voce idem hic Scriptor utitur infra XVI, 25. Marcus VIII, 35. & Lucas IX, 24. in eodem hoc ſenſu. Neque aliud vox iſta ſignificat Lucæ XV. 24, 32. Simile eſt Proverb. XXIX, 10. וצדיקים יבקשו נפשו, ἐκζητήσουσι ψυχὴν αὐτοῦ, *quærent vitam ejus*, id eſt, ſervare ſtudebunt. ¶ ψυχὴν αὐτοῦ, *animam ſuam*] Id eſt, *ſemetipſum*, genere loquendi Hebræis & Syris familiari. Ita exponere malo quam *vitam*, ob locum Johannis XII, 25. Quin & ipſe Lucas ita interpretatur. Nam quod apud Matthæum eſt XVI, 26. ψυχὴν ἑαυτοῦ [*animam ſuam*] ille dixit ἑαυτὸν [*ſeipſum*]. Dicuntur autem *ſemet lucrari* ex ſua ipſorum opinione qui abnegatione veri periculum effugiunt. ¶ ἀπολέσει αὐτήν· *perdet illam*] ζημιωθήσεται αὐτὴν [*detrimentum patietur*], ut infra XVI, 26. *ſui ipſius damnum faciet.*

40. Ὁ δεχόμενος, *qui recepit*] Solatur iterum diſcipulos Chriſtus, oſtendens inter tot infeſta non defore ipſis ſolatia à piis hominibus, quos Deus in id ipſum excitet magna propoſita mercede: ita Abrahamo olim dictum fuit, *benefaciam tibi benefacientibus*, Gen. XII, 3.

41. προφήτου, *prophetam*] Si quis recte advertat videbit tres poni diſcipulorum Chriſti gradus. Primus eſt infimorum, qui hic μικροὶ [*parvi*] vocantur, ut & infra XVIII, 6 Marci IX, 42. Lucæ XVII, 2. aut ἐλάχιστοι [*minimi*], ut infra XXV, 40, 45. & νήπιοι [*parvuli*] *in Chriſto*, 1 Corinth. III, 1. τέκνια & παιδία [*filioli, infantes*], 1 Johan. II, 12, 13. qui in primis adhuc Chriſtianiſmi rudimentis verſantur, ac proinde facilius offendi ſolent. Secundus gradus eſt mediocrium, qui hic & infra XIII, 17. vocantur δίκαιοι [*juſti*], alibi νεανίσκοι [*adoleſcentes*], 1 Johan. II, 13. Tertius eorum qui jam maxima Spiritus dona acceperunt, qui & hic & dicto loco XIII, 17. προφῆται [*prophetæ*], ἄνδρες τέλειοι [*viri perfecti*] Epheſiorum IV, 13. πατέρες [*patres*] 1 Johan. II, 13, 14. Sic & Clemens Alexandrinus tres ponit Chriſtianorum gradus: In primo illi eſt ὁ ἐξ ἐθνῶν θηρίων [*qui ex Gentibus convertitur*], in ſecundo ὁ εἰς γνῶσιν ἀναβαίνων [*qui ad ſcientiam aſcendit*], in tertio ὁ κεκυφαιῶν γνώσεως [*ſummum obtinens ſcientiæ gradum*]. Alibi dixit κλητούς, ἐκλεκτούς, τελείους [*vocatos, electos, perfectos*]. Origenes, σὺν ἁπλουστέροις, σὺν δή τισιν ἀναβεβηκόσι, σὺν τελείοις [*ſimpliciores, aliquouſque profectos, perfectos*]. ¶ εἰς ὄνομα προφήτου, *in nomen prophetæ*] Hoc eſt quod barbare vulgo dicitur, *in qualitate prophetæ.*

42. ποτήριον ψυχροῦ μόνον, *calicem aqua frigida*] Proverbiale loquendi genus, quo hodieque in multis linguis utimur quoties minimum aliquod beneficium ſignificatum volumus. Docemur hic facta ex animo, non animum ex factis apud Deum æſtimari.

PRICÆUS.

Com. 1. Ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν πνευμάτων ἀκαθάρτων] i. e. Poteſtatem in ſpiritus immundos. Genitivus heic ſenſu objecti ponitur, ut in illis Joh. 17. 2. Ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν π. σαρκός· 1 Cor. II. 12. τὸ ἐξουσίασθεν ὑμῶν μετέχωσιν· & Sapient. 10. 14. ἐξουσίαν παρέσχεν αὐτῷ· ubi Vulgatus, *& potentiam adverſus eos qui eum deprimebant.* Eadem forma Act. 4. 9. ἀνθρώπου ἀσθενοῦς εὐεργεσία· infra hic 12. 31. ἡ δὲ πνεύματος βλασφημία· & 6. 19. Caſſiodori, *licentia noſtri.* Adde quæ ad 10 librum Apulei adduximus.

Com. 6. πρὸς τὰ πρόβατα, &c.] Ut Johan. 10. 6. & ſæpe alibi. Τὰ πρόβατα εἶδον ἄλλο ἢ ἀνθρώπους οἷα, itidem Artemidorus dixit.

Com. 8. δαιμόνια ἐκβάλετε] Sine pretio nempe, ſequitur continuo enim, δωρεὰν ἐλάβετε, &c. Tertullianus in Apologetico, *Quis vos* (alloquitur Gentes) *ab illis occultis*, &c. *hoſtibus raperet? a dæmoniorum incurſibus dico, qua de vobis ſine pramio, ſine mercede depellimus.* Irenæus, Οὐκ ἦσαν αἱρήσειν αὐτὸν τὰ χαλεπώτατα ὧν ἐξ παντὸς ἡ πᾶσα ἐκκλησία εἰς ὅλον τὸν κόσμον ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκάστης ἡμέρας ἐπ' ἐνεργείᾳ τῇ τῶν ἐθνῶν διδασκαλοῖ, μηδὲ ἐξαπατῶσί τινας, μηδὲ ἐξαργυρολογοῦσιν· ὡς γὰρ δωρεὰν ἔλαβον, δωρεὰν καὶ ἀπόδοσαν.

Ibid. δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε] Scriptor Sapientiæ 7. 13. Ἀδόλως ἔμαθον, ἀφθόνως τε μεταδίδωμι. Seneca 4. 25. de Benef. *Pudeat ullum venale eſſe beneficium, gratuitos Deos habe-*

habemus. Legimus in Gloſſario, Δεπτὰν λαβών, *adeptus*: quod quanto remotius à vulgo, tanto eruditius. Gellius (elegantiarum & munditiarum Linguæ Latinæ callentiſſimus) 19. 12. *Diſcedit ille à vicino gratias agens & latus tanquam adeptus rei ruſticæ diſciplinam*: ubi *adeptus* forte eſt, nullo impendio (i. e. δωρεὰν) conſecutus.

Com. 9. μηδὲ χρύσεον εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν] Admodum proprie, in zonis enim nummos ſolebant recondere. Livius, *Negotiandi cauſa aurum in zonis habemus.* Apuleius 7. *Pretioſiſſimis monilium, & auro monetali zonis refertis incincta.* Phædrus in naufragii narratione,

His zonas, illis res pretioſas colligunt.

Suetonius de Vitellio, *Zona ſe aureorum circumdedit, confugitque in cellam janitoris.* His adde quæ ad Luc. 9. 3. (ſi memini) annotata.

Com. 10. Μὴ πήραν] Ad panem, & obſoniola condenda, ut viatores ſolebant. In Hiſtoria Judithæ 13. 11. Ἐνέβαλεν αὐτῷ (Olofernis caput) εἰς τὴν πήραν τὴν βραμάτων αὐτῆς. Lucianus in Mort. dialog. Φίλε, ἴδω τί σοι ἐν ἰδιώδημα ἡ πήρα ἔχει· alibi in iiſdem dialogis, ad ea, τί ἐν τῇ πήρᾳ ἔχεις; reſpondetur, ψεμμύς, καὶ τὰ Ἐπικτήτου δόγματα. Longus, βιβλ. β. Τῆς πήρας μεγαλοπρεπῶς ζυμητὰ μέρη, καὶ πυρὸν τραγήματα, δίδωσι φαγεῖν. Idem, δ'. Πήρας μεγαλοπρεπῶς παλαίθης μοῖραν, καὶ ἄρτους πυρὸς, ἔδωκε φαγεῖν. Ammonius, Πήρα, &c. δίφθερα καὶ ἀρτοφόριον, &c. Πήραν, ψωμῶν πλήρη, καὶ αἰόλων ταριχῶν, habemus apud Heliodorum. Arrianus 1. 24. in Epictetum, Ἐν πλοίῳ ὅταν ἐξίῃς, μήτι τὸ προσάλιον αἴρεις; μήτι τοὺς κώπας; τί οὖν αἴρεις; τὰ σά, τοῦτο λέγουσι, τοῦτο πήραν. Lactantius 4. 51. *Illi quinque panes, & duos piſces in pera ſe habere dixerunt.* Apud Apuleium lib. 1. ille, *Manticam* (i. e. peram) *meam humero exuo, caſeum cum pane propere ei porrigo.*

Ibid. μηδὲ δύο χιτῶνας] Quod & ſolebant qui ſe viæ accingerent. Geneſ. 45 22. Senſus eſt, tunica ſola ea qua induti eſtis, viæ vos tradite. Seneca in Epiſtolis, *Hoc iter* (agit & Chriſtus de itinerantibus) *docuit me quam multa habeamus ſupervacua*, &c. *Cum pauciſſimis ſervis quos unum capere vehiculum poſſet, ſine ullis rebus niſi quæ corpore noſtro continebantur, ego & Maximus meus biduum jam beatiſſimum egimus.* Dum ait, *niſi quæ corpore noſtro continebantur*, voluit dicere, ſe duas non habuiſſe tunicas. Apuleius Herculis ἀνατέχνως laudans in Apologia ſua, *Cum terras peragraret, neque una pelle veſtitior fuit, neque uno baculo comitatior*: ubi *pellis* τῷ χιτῶνι reſpondet, & quod de baculo additur, eſt ipſum id quod in præcepto Chriſti ſubtexitur.

Ibid. μηδὲ ὑποδήματα] Præter eos quibus calceati eſtis, cum etiam ſine calceis ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν τὰ ἅγια, &c. εὐαγγελιζομένων, Eſa. 52. 7.

Ibid. ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστιν] Ὁ θεῖζων (Joh. 4. 36.) μισθὸν λαμβάνει. Vide & 1 Cor. 3. 14. Hinc Apulei querela illa lib. 7. *Nec mihi miſero ſtatuta ſaltem cibaria pro tantis laboribus præſtabantur.* Τροφὴ hic malim *victum* quam *cibum* verti. Donatus in Andr. 1. 1. *Cibus eſt qui etiam delicatis præbetur, victus in parvis alimentis eſt conſtitutus.* Pro τροφῆς autem habent codices nonnulli μισθοῦ. Vide ad Luc. 10. 7. annotata.

Com. 13. ἐὰν μὲν ᾖ ἡ οἰκία ἀξία, &c.] Vide quæ ex Plauto ad 2 Epiſt. Joh. com. 10. adducta.

Ibid. ἡ εἰρήνη ὑμῶν] Ita,

Pax tua, tuque adſis nato, ——

in Germanici Aratæis.

Com. 14. ἐξερχόμενοι τῆς οἰκίας ἢ τῆς πόλεως ἐκείνης, &c.] Vide Actor. 22. 18. & quæ ad Luc. 9. 5. dicta. Apud Dionyſium Halicarnaſſ. ille, Παρέχομεν ἤδη τοῖς οἴκοι χαρίεσσαν ἀνδρῶν ἀγαθῶν πόλιν.

Ibid. ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν] *Nullum ultra verbum, aut operam ſumatis inanem.*

Com. 15. ἀνεκτότερον] Gloſſarium, *Tolerabiliter*, ἀνεκλῶς. Vide quæ ad Luc. 10. 3.

Ibid. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως] Ἐν ἡμέρᾳ (ut Rom. 2. 5.) τῆς ἐν τῷ θεῷ ἀκαταστασίας.

Com. 16. ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων] Vide ad dictum Lucæ locum annotata.

Ibid. γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις] *Parum* (enim) *tuta per ſe ipſa probitas eſt.* (Saluſt. Jugurth.) Φρόνιμοι γίνεσθε (quod Epheſ. 5. 17. at in realia, μὴ γίνεσθε ἄφρονες) eſt,

—— *Nulli latus obdite apertum:*

ἐν σοφίᾳ (ut Coloſſ. 4. 5.) πρὸς αὐτοὺς ἀδιαπτῶτοι· neque eos qui non facile tantum, ſed & ſtudioſe vos perſequendi anſas arripturi ſunt, ἀκροβυσίαν veſtra promptiores reddat. Vide in ὑπὸ πάντι λίθῳ σκορπίῳ Suidæ vocabularium. Et hoc eſt, quod *bene ſanum* eſſe, *at non incautum: non fictum aſtutumque* Horatius vocavit: &, δίκαιον καὶ ὅσιον μὴ φρονίμους γενέσθαι, Plato in Theæteto. Hæc & laudabilis πανουργία illa, ἢ, ὡς ὅπλῳ τινὶ, δεῖ τὸ φρόνιμον προσβεβλῆσθαι εἶναι, καὶ ἅτε τῶν ἐναντίων βουλευμάτων δυσάλωτον, D. Baſilius in Proverbia dixit.

Ibid. καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί] Καὶ hic (ut Act. 7. 9. & alibi) eſt, *& tamen*, Ἀκέραιοι nempe (ut Rom. 16. 19.) εἰς τὸ κακόν. Heſychius, Ἀκέραιον, &c. ἄκακον. Scholiaſtes ad Oreſten Euripidis, Ἀκεραίῳ, ἁπλῶς. Iterum Heſychius, Τῶν ἀκεραίων, τῶν ἡσύχων· ubi ἡσύχων intelligo ut 1 Petr. 3. 4. σὺν πραΰτητι καὶ ἡσυχίῳ πνεύματι. Senſus membri hujus præcedentiſque hujuſmodi eſt, Prudentiam ad defendenda ea quæ in vos ſtrui poterint vos ita adhibere volo, ut ſimplicitati & innocentiæ vel maxime operam detis. *Prudentia* (loquitur Cicero in Officiis) *quæ à juſtitia & honeſtate ſejuncta eſt, non tam prudentia appellanda eſt, quam verſutia & calliditas.* Quod de gravitate & comitate miſcenda ad Nicoclem Iſocrates dixit, δεῖ χρῆσθαι ἀμφοτέροις τοῖν ἰδίαις πράξεσι, τῷ μὲν συμφέροντι τῷ ἐκείνου πρεσβεύειν ἀλλοδόξως, ad conjunctionem hic à Chriſto commendatam concinne applicaveris. Ad mentem Chriſti Plato 5. de Legg. *Nihil eſt in quo majus ſtudium quiſque ponere debet, quam ut nec ipſe adulterinus eſſe unquam videatur, nec alius talis ipſum decipiat.* Poſt eum Seneca epiſt. 103. ad Lucilium ſuum, *Tu autem ita cogita, quod ex homine periculum ſit, ut cogites quod ſit hominis officium: alterum inſtruere ne laderis, alterum ne ladas.* A quibus nec diſcordant quæ ad hunc locum Theophylactus. Ignatius ad Epheſios, Μὴ δέ τις ὑμᾶς ἐξαπατάτω, ὥσπερ οὐδὲ ἐξαπατᾶσθε. Sidonius 7. 13. de Himerio, *Simplicitatem columba in Eccleſia ſervat, in foro ſerpentis aſtutiam: bonis prudens, malis cautus, neutris callidus.* Dio Caſſius (Excerpt. pag. 734. edit. Pariſ 4.) de Pertinace, Πρᾶος ἐκ τῆς πανουργίας, φρονίμως ἀνὴρ καὶ κακουργίας. Cicero in pro Cæcinna, *Cujus prudentiam Pop. Romanus in cavendo, nunquam in decipiendo perſpexit.* Columbæ in omni avitio vel maxime ſunt innocuæ. Iſidorus Orig. 12. 7. de avibus, *Alia ſimplices ſunt, ut columba: alia aſtutæ, ut perdix.* Hinc antonomaſtice vox ea de hominibus uſurpari ſolet. Juvenalis,

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas:

ubi Scholiaſtes vetus, *Columbas ad ſimplicitatem retulit.* Theodoretus φησὶ Περσίους, Ὥσπερ τοῖς πυρροῖς ἵπποις τοὺς τῆς θηλείας μεταγωγεῖς ἐπιζεύγνυσι, οὕτω δὴ καὶ ἁπλαῖς καὶ ἀκακοήθεσι ψυχαῖς ἐκ τῶν ἐπιτηδείων ζώων τοὺς μεταγωγεῖς πηδήσασιν. Ἔστι δὲ εὑρεῖν καὶ ἀκεραίους, καὶ πτέρυγα τῇ ἁπλότητι τῶν πιστῶν κατομοιμένην ψυχαῖς μεταγωγεῖον.

Ibid. φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί] 1 Corinth. 14. 20. τῇ κακίᾳ νηπιάζετε, τῇ δὲ φρεσὶ τέλειοι γίνεσθε.

Com. 19. μὴ μεριμνήσητε πῶς ἢ τί λαλήσητε] Bene monitum verbo μεριμνᾶν hic, non omnimodam, ſed anxiam præparandi ſe curam prohiberi. Apud Homerum ſocius Telemacho quid Regi reſponderet, ſatagenti,

—— Ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσας,
Ἄλλα δὴ καὶ Δαίμων ὑποθήσεται. ——

Ariſtidi à Deo ſuo declamare juſſo, & ſuffugium quærenti, ita comes animos addit, Ἀγωνίαν πᾶσαν περιῄρηται, θυμώσεως δὲ μελήσει τῷ θεῷ. Marcus Antoninus, Ἐφ' ἅπασι θεοῖς εὐχαριστεῖ, καὶ μὴ ἀλφέσιν πρὸς τὸ πάσῃ χρόνῳ ταῦτα πλάττεις, ἀρκοῦσι δὲ καὶ τρεῖς ὧραι ταύτῃ. Confer Numer. 22. 18. Ezech. 29. 21. Πῶς ἢ τί, plane ut apud Apuleium noſtrum lib. 9. *Jam de meo jumentario contubernio quid, vel ad quem modum memorem?*

Com. 20. οὐ γάρ ἐστε ὑμεῖς οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα, &c.] Ita in Græco Geneſ. 45. 8. Οὐχ ὑμεῖς με ἀπεστείλατε ὧδε, ἀλλ' ὁ θεός· & apud Chryſoſtomum Homil. 1. ad Antiochenos, οὐδὲ ἡμέτερα τὰ λεγόμενα, ἀλλ' ἅπερ ἂν ἡ ἐξ οὐρανοῦ ἐμπνεύσῃ χάρις. Tale & Joh. 14. 40. illud, Ὁ πατὴρ ὁ ἐν ἐμοὶ μένων, αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα, &c. Negatio autem hæc, ut ſupra com. 13. comparate, non præciſe ſumenda eſt. Ita & Luc. 10. 20. Joh. 7. 16. & 14. 24. 1 Corinth. 3. 9. & 10. 24. Galat. 2. 20. Epheſ. 6. comm. 7. & 12.

Com. 21. παραδώσει δὲ ἀδελφὸς ἀδελφὸν εἰς θάνατον, καὶ πατὴρ τέκνον] Vide ad Luc. 21. 16. annotata.

Com. 22. ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος] Qui pertulerit & obduraverit, (ſi loqui cum Poeta licuerit) id eſt (ut optime Vulgatus) *qui perſeveraverit.* Donatus ad Andr. 1. 1. *Ferre, eſt cum certo tempore: perferre, finem exſpectat eventus*: dicas Græce, ὑπομεῖναι, εἰς τὸ τέλος ἀναβλέπει. Ὑπομεῖναι autem in Matthæi contextu expone ex Hebr. 10. 32. παθήματων ἄθλησιν· quo loco & ὑπομένοντες.

Com. 23.

Com. 23. ὅταν ὑμᾶς διώκωσιν ὑμᾶς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην] Servius ad Georg. 1. *Poteſt fuga etiam honeſta eſſe; ut ſi quis hoſtem, ſi quis imminentem tyrannum, ſi quis ſævum Judicem fugiat.* Meminit conſilii hic à Chriſto dati Petrus Act. 12. 17. Paulus Act. 9. 25. & 17. 10. opereque implevit illud vel qui dedit, Joh. 11. 54. infra hic 12. 15. Lactantius de Eodem 4. 18. *Cum*, &c. *ſubinde diceret, oportere ſe pati, ac interfici pro ſalute multorum, ſeceſſit tamen cum diſcipulis, non ut vitaret quod neceſſe erat perpeti; ſed ut oſtenderet quod ita fieri oporteret in omni perſecutione, ne quis ſua culpa incidiſſe videatur.*

Ibid. Φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην] In Plauti Truculento,

Cogitato mus puſillus quam ſit ſapiens beſtia,
Ætatem qui uni cubili nunquam committit ſuam:
Qui, ſi unum oſtium obſideatur, aliud perfugium gerit.

Lactantius 3. 10. *Sunt animalia quæ latibulis ſuis diverſos, &c. exitus pandunt, ut, ſi quod periculum inciderit, fuga pateat obſeſſis.*

Ibid. οὐ μὴ πλήσητε, &c.] Eſt quod ſupra 9. 32. & 20. 2. diximus.

Com. 24. οὐδὲ δοῦλος ὑπὲρ τὸν κύριον αὐτοῦ] Arrianus 2. 23. in Epictetum, Διὰ τί ἀξιοῦτε πρῶτον εἶναι ἑαυτὸν ἢ ἀξιοῦτε; ὁ ἵππος ἢ ὁ ἵππος; τὸ ὄρχανον ἢ χιτωνίσκος, ἢ οἱ ὑπηρέται ἢ βασιλεῖς; Apuleius 9. *Intecto concluſus ſtabulo, continuo diſcruciabar frigore, quippe cum meus dominus præ nimia paupertate ne ſibi quidem, ne dum mihi poſſet ſtramen aliquod, vel exiguum tegimen parare.* Captivus ille piratarum in Quintiliani Declamationibus, *Habitamus in ſentibus, hiberni nos ferium venti: non ſtatio, non ſedes, non quies; ſed, quod malorum meorum maxima portio eſt, tam miſeri ſunt etiam domini mei.*

Com. 25. τὸν οἰκοδεσπότην] Phrynichus dici mavult, οἰκίας δεσπότην. Vide 10. 3. Pollucis Onomaſticon.

Ibid. πόσῳ μᾶλλον οἱ οἰκιακοὶ αὐτοῦ;] Apoſtolus 2. 4. 15. ad Timotheum, de Alexandro, *Reſtitit verbis meis:* ad quem locum Sedulius, *Quanto magis tuis?* In vetere Onomaſtico, *Familiares*, οἰκιακοί.

Com. 27. ὃ λέγω ὑμῖν τὸ ἀκούετον] Vide ad Luc. 12. 3. annotata.

Com. 28. μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα] *Non intereſt* enim *periturum corpus quæ ratio conſumat.* (Petron.) Apud Ciceronem Tuſcul. 1. Philoſophus ille ad Lyſimachum crucem intentantem, *Iſtu quæſo horribilia minitare purpuratis tuis, Theodori quidem nihil intereſt homine an ſublime putreſcat.* Arrianus 3. 12. de vero & ſincero Cynico, Ὅταν τις δῇ τούτων (vitæ ſcilicet, vel bonorum ademptione) ἀνθ' ὧν ἐμφοβῇ, λέγε αὐτῷ, Ἄπιθι, ζήτει τὰ παιδία, ἐκείνοις τὰ φερσεφόνια φοβερὰ ἐστιν. Seneca, ex perſona ſimili, *Quid mihi gladios & ignes oſtendis? & turbem carnificum circa te frementium? tolle iſtam pompam ſub qua latet, & ſtultos territas. Mors eſt quam nuper ſervus meus, quam ancilla contempſit.* Qui loci commode nobis indicant quid hic μὴ φοβηθῆτε. οἱ ἀποκτείνοντες hic ſunt οἱ (ut Joh. 19. 10.) ἐξουσίαν ἔχοντες ἢ ἀποκτεῖναι· nimirum, (ut 1 Pet. 2. 13.) οἱ βασιλεῖς, ὡς ὑπερέχοντες, καὶ οἱ ἡγεμόνες δι' αὐτῶν πεμπόμενοι. Spartianus in Peſcennio Nigro, *Imperatores*, &c. *qui poſſunt necare, qui proſcribere.* In Græco 2 Maccab. 7. 16. ille juvenis ad Antiochum, *Poteſtatem inter homines habens*, &c. *facis quod vis:* nempe in corpora noſtra. Et nota heic loquendi formulam illam, μὴ φοβηθῆτε, &c. Auctor libri Joſepho tributi, ex perſona fratrum illorum, Μὴ φοβηθῶμεν τὸν ἀποκτείναντα τὸ ζῶον ἀποκτεῖναι. Eorum mater 2 Maccab. 7. 29. in eadem hiſtoria, Μὴ φοβηθῆτε τὸν δήμιον τοῦτον· i.e. R. Antiochum. Ibidem 1. 2. 62. Ἀπὸ λόγων ἀνδρὸς ἁμαρτωλοῦ μὴ φοβηθῆτε, &c. & in dicto Joſephi libro Eleazar ad Antiochum eundem, Ἀγνόν με οἱ πατέρες ἀπεδείξαντο; μὴ φοβηθείην σε τὸν μέχρι θανάτου ἀνάγκας. Adde 1 Pet. 3. 14. & quæ in Græco Pſalmi 118. 6.

Ibid. τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι] Apuleius ex Platone, *In hu rebus nocetur quæ ſunt vilieres, corporis ſcilicet, &c. illæſis potioribus quæ ad ipſam animam attinent.* Themiſtius Orat. 12. Imperatorem alloquens, τὸ μὲν σῶμα ἄξεις ἂν ἀποκτείνῃς, ἂν ὅτῳ τύχῃ, ψυχὴ δὲ οἰχήσεται. Seneca ubi ſupra, *Sive bella ſint, ſive naufragia, ſeu morſus ferarum, &c. numquid amplius facere poſſunt quam ut corpus ab anima reſolvatur?* Horatius lib. 1. epiſt. 16.

Vir bonus & ſapiens audebit dicere, Penthea
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum cogis? Adimam bona; nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: Tollas licet. In manicis &
Compedibus ſævo te ſub cuſtode tenebo.
Ipſe Deum ſimulatque volet me ſolvet, opinor.
Hoc ſentit, moriar, mors ultima linea rerum eſt.

Arrianus 1. 25. ex ſimiliter animati perſona, τὸ πλάσμα τοῦτον χρυσοκέρων, τυπτήσῃ, τὸ σωμάτιον, τοῦτο οὐκ οἶδεν ὅτι οὐδὲν εἰς ἐμὲ ἔχει. Ovidius non abſimili imagine adimi ſibi vitam poſſe ab Auguſto dixit, famam ſuam ſupra Auguſti poteſtatem eſſe, ingenium extra ictum Imperatoriæ potentiæ.

En ego, cum patria caream, vobiſque domoque,
Raptaque ſint adimi quæ potuere mihi;
Ingenio tamen ipſe meo comitorque fruorque:
Cæſar in hoc potuit juris habere nihil.
Quilibet hanc ſævo vitam mihi finiat enſe,
Me tamen exſtincto fama ſuperſtes erit.

Com. 29. οὐχὶ δύο στρουθία, &c.] Reſpicitur conſuetudo pauperculorum aviculas venales circumferentium, de cujuſmodi Manilius,

—— *Totamque per urbem*
Qui geſtant caveis volucres ad juſſa paratos;
Quorum omnis parvo conſiſtit paſſere cenſus.

Ibid. ἀνὰ ἓν πωλεῖται] Cleanthes apud Stobæum,

Οὐδὲ π γίγνεῖ ἔργον ἄτερ χθονὶ ζῷ δαίμον.

Vide ad Luc. 12. 6. annotata.

Com. 34. οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχαιραν] Vide ad Luc. 12. 49. dicta.

Com. 36. καὶ ἐχθροὶ ἀνθρώπου οἱ οἰκιακοὶ αὐτοῦ] In Paſſione S. Polycarpi, Οἱ περιόδευται αὐτὸν οἰκεῖοι ὑπῆρχον. Procopius de Venetæ Praſinæque factionum temporibus agens, Πίστις ἀπρόσμικτος πρὸς τὴν τῶν φίλων καὶ τῶν συγγενῶν ἐπὶ ἀλλήλοις, πολλοὶ δὲ καὶ τὴν τῶν οἰκειοτάτων ἀπεβάλλοντο ἕνεκα.

Com. 38. ὃς οὐ λαμβάνει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, &c. οὐκ ἔστι μου ἄξιος] Λαμβάνειν hic (etſi alii alia) ob vocem ἀκολουθεῖ quæ ſequitur, non putem corporalem bajulationem notare, at merum idiotiſmum eſſe, qualis in εἶρον & ἀκολουθεῖν locis jam ab iiſdem ipſis in medium adductis: in αἴρειν & μανθάνειν infra hic 11. 29. & qualis ſupra 9. 13. occurrit. Οὐκ ἔστι μου ἄξιος, eſt, ſectæ meæ alienus eſt: quod Luc. 9. 62. οὐκ εὔθετός ἐστι.

Com. 42. καὶ ὃς ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ μόνον, &c.] *Aqua rerum viliſſima*, Horatio; quin & ἀδάπανον Heſychius τὸ ὕδωρ exponit. Hinc proverbialiter (ut hoc loco) ποτήριον ψυχροῦ, rem quamvis, minimi, imo nullius pretii deſignat: ψυχρὸν hic abſolute, quæ loquendi forma videtur à Græcis tranſiſſe ad Latinos. Horatius,

—— *Foribuſque repulſam*
Perfundit gelida. ——

Plinius lib. 6. epiſt. 16. *Semel atque iterum frigidam popoſcit.* Adde & Suetonii locum jam ſtatim adducendum. Οἱ μικροὶ heic, ut Luc. 12. 32. τὸ μικρὸν ποίμνιον.

Ibid. Οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ] *Nemo ex hoc numero certe indonatus abibit.*

Ingratum aut malignum æſtimatorem Deum non experietur: κατὰ γὰρ ἄδικος (Heb. 6. 10.) ἐπιλαθέσθαι ὁ θεὸς, &c. Ἀλλ' ὅταν ἴσασι ἕκαστος (Epheſ. 6. 8.) ἀγαθὸν ποιήσῃ, τοῦτο κομιεῖται παρὰ Κυρίου ἀμοιβήν. Sirachides 17. 22. Ἐλεημοσύνην ὡς σφραγῖδα μετ' αὐτοῦ, καὶ χάριν ἀνθρώπου ὡς κόρην σωτηρίου. Salvianus, *Eſtam eam rem in futuro habituram premium eſſe dicit, quæ in præſenti pretium non habet: tantum honoris cultori ſuo tribuit, ut aliquid eſſet illic per fidem, quod hic omnino nihil erat per vilitatem.* Vide & 6. 13. Lactantium. Suetonius cap. 40. in in rebus Claudii Imperat. *Inter cauſas ſuffragationis ſuæ poſuit, quod pater ejus* (candidati) *frigidam agro ſibi tempeſtive dediſſet.*

Ibid. καὶ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ] Apud Terentium ille 4. 2. Hecyræ,

—— *Tibi me certum eſt contra gratiam*
Referre, ut apud me præmium eſſe poſitum pietatis ſciat:
Bonis quod benefit, haud perire, Plautinum eſt in rudente.

CAP. XI.

MUNSTERUS.

3. NUM *tu es ille qui venturus es?*] Hæc quæſtio non fit propter Johannem, qui Chriſtum etiam in matris utero agnoverat, & jam aliis prædicaverat; ſed diſcipulorum gratia quæritur num ipſe ſit Chriſtus, ut illi confirmatiores redderentur in agnitione Chriſti, & non offenderentur humili ejus converſatione.

5. *Pauperes beatificantur*] h.e. Qui ſeſe pauperes & miſeros agnoſcunt, illis per Euangelium annuntiatur gratia, remiſſio peccatorum & regnum Dei.

9. *Major eſt quam propheta*] Fuit Johannes excellentior reliquis Prophetis in eo quod Chriſti præſentiam atteſtatus eſt, & populum ei paravit, illum palam & expreſſe prædicavit, Salvatoremque mundi adeſſe indicavit; quod nullus aliorum facere potuit Prophetarum, ſed aliquando futurum illum cecinerunt. Adducitur autem locus ex Mal. 3. 1. qui expreſſam mentionem facit de præcurſore Domini, vocans eum *angelum*, & nuncium cœleſtem, qui paravit Domino plebem perfectam. Oſtendit etiam ibi Propheta Meſchiam futurum Deum, quando dicit, תנני שלח מלאכי ופנה דרך לפני ופתאום יבוא אל היכלו האדון אשר אתם מבקשים ומלאך הברית אשר אתם חפצים הנה בא אמר יהוה צבאות ומי מכלכל את יום בואו ומי העומד בהראתו כי הוא כאש צורף וכבורית מכבסים ויצא אל היכלו וחלא אין ההיכל יחדו לכלו כשיח לבדו לדברי האומר שמשיח עיין לא נא׳ והא מלאך הברית אשר אתם חפצים כלי אותו המלאך שכתיב עם בני האדם ברית חדשה ונתן תורת חדשה שהיו חפצים לבואו אותו הנה בא אמר הי צבאות׳ וכך אמר להן נחמיאותו נהיכל הי כאן אני האדון אשר אתם מבקשים ונני ומה שיהיה לעשות בי עשו ולא אלהים עמכם ולא אבירת בכם אבל קודם לכן אשהר כל אותן תמאסנים ולא יעש בי אחרי פרישתי כן הארץ ואחריב ארץ ירושלם וארץ בית אשרוף באש ותקרא אתכם הארץ ואפור ואשרד כל הנתנין בי הרעם בין העמים ואפין אתכם בין הגוים׳ כן ששכש החמן את דברי התחותון הזי רבים מן העם נהנים ולויים מצרכין אליו ותו מסרכין לו כנחה בנרקה כמו שני בסוף העניין רשב מצרף וטהר כסף ושהר את בני לוי ונוי ושב כמו השופט שושב לשפט את העם לתורת את תוכאי ולחיב את החייב בן יחזה אותו היום שהיה מצרף וטהר בכף הם הצדיקים וחקרושים ומעבר ממנו הסנים הם הרשעים ואו יחי מנושים לו מנחה בצדקה׳ חמבין יבין.

11. *Qui minor eſt in regno cœlorum*] Senſus eſt, Qui explicatius prædicat Chriſtum & annunciat regnum Dei, hic major erit Johanne Propheta in regno Chriſti; quales fuerunt Apoſtoli & reliqui diſcipuli Chriſti; qui tam potenter Chriſtum in orbe prædicaverunt, & magnum fecerunt fructum.

12. *Regnum cœlorum eſt in violentia*] Interim quo Johannes cœpit prædicare Chriſtum & pœnitentiam, populus magno impetu accurrit ad oblatam gratiam: & qui regni Dei tenebantur deſiderio illi violentia quadam irrumpebant, ut participes illius fierent etiam cum diſpendio vitæ, ſcientes doctrinam Legis & Prophetarum uſque ad Johannem viguiſſe, illamque ſolum umbram fuiſſe, Chriſtum autem, quem Johannes prædicare cœpit, lucem eſſe mundi, quæ umbræ ſucceſſit.

14. *Ipſe eſt Elias*] Intelligendum eſt *in ſpiritu & virtute*; quod ſcilicet magna ſeveritate & autoritate corripuit magnos & parvos, ſicut Elias fecit.

19. *Juſtificata eſt Sapientia à filiis ſuis*] Licet vos obſtinati homines nolueritis credere Euangelio, atque nolueritis audire Johannem, qui cum magna ſeveritate prædicavit pœnitentiam corpus ſuum caſtigans ſupra humanum modum, ut & à ſe abdicaverit ea quibus homines vulgo vivunt, atque deinde nec mihi obtemperare volueritis, qui memet omnibus attemperavi ut omnes lucrifacerem, ſed me vocaſtis *amicum publicanorum*, *voratorem*, *& potorem vini*, illum autem ob nimiam abſtinentiam *habentem dæmonium*, ut propterea ſimiles eſtis pueris qui coæquales ſuos nec tibiis commovere poſſunt ad ſaltum nec lugubri carmine ad lamentum, tamen habet Deus filios ſuos qui ſapientiam ſuam non ſpernunt, ſed cum gaudio ſuſcipiunt, & juſtam agnoſcunt.

25. *Confiteor tibi, Pater*] Valet apud Hebræos verbum הודה idem quod שבח *laudare*. Capitur & pro והודאה *gratias agere* atque pro הודוי *confeſſione*, hinc תודה eſt *ſacrificium ſuper quo fit confeſſio peccatorum*, eſt & *gratiarum actio*. Et in hoc ſignificato capitur hic quando Chriſtus dicit, *Confiteor tibi, Pater*, &c. h. e. *gratias ago*, ſeu *laudem tibi dico, quod humilibus revelaveris* theſaurum vitæ æternæ, *his autem qui prudentes ſunt* in oculis ſuis hæc cœleſtia bona *abſconderis* ex tuo æquiſſimo judicio. Et *quoniam ſic complacitum fuit ante te*, ego quoque elegi ſimplices & à mundo contemptos, & illis tui inſinuavi cognitionem: Alioquin *nemo novit te præter me, & cui ego voluero revelare.*

30. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*] Intelligitur per hoc *jugum* & *onus* Euangelium ſeu doctrina Chriſti, quæ carni eſt onus, ſed quod leve fit ſi adſit Spiritus Chriſti, ut etiam Chriſtianus gaudeat in tribulationibus quas ob Chriſti patitur nomen.

VALLA.

4. QUÆ *audiſtis & vidiſtis*] Legendum eſt in præſenti tempore, *auditis & videtis*, ἀκούετε καὶ βλέπετε, quod certe multo uberioris eſt ſenſus quam in præterito.

5. *Pauperes euangelizantur*] Quia interpres ſolet uti hoc verbo voce activa, quidam putant hic, quia vocis paſſivæ eſt, accipi in ſenſum paſſivum. Sed active accipiendum eſt, et voce deponenti eſt apud Græcos εὐαγγελίζονται. Quale eſt illud apud Lucam 2. 10. *Annuncio vobis gaudium magnum*, εὐαγγελίζομαι. Idem eſt enim apud interpretem *annuncio* & *euangelizo*.

7. *Arundinem vento agitatam?*] Gr. *quæ vento agitatur*, σαλευόμενον. Sed multa ſunt quæ tranſeo hujuſmodi.

8. *Ecce qui mollibus veſtiuntur*] Quia ſuperius dicitur *hominem mollibus veſtitum*, nunc mutatum eſt, cum Græce ſit, *Ecce mollia ferentes*, ſive *qui mollia ferunt*, ἰδοὺ, οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες.

9. *Etiam dico vobis*] Idem vocabulum hoc quod ſuperius 9. 38. *Creditis quia poſſum facere hoc? Dicunt ei, utique*, Ναί. De quo etiam memini in illo c. 5. 37. *Sit ſermo veſter*, *Eſt, eſt*, Ναὶ, ναί.

16. *Cui autem ſimilem exiſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt, Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis; lamentavimus, & non planxiſtis*] Ego ſic tranſtuliſſem, *Cui aſſimilabo generationem hanc? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, & compellantibus ſodales ſuos, atque dicentibus, Cecinimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis; ploravimus, & non planxiſtis. Lamentavimus* enim non reperitur: καὶ προσφωνοῦσι τοῖς ἑταίροις αὐτῶν, καὶ λέγουσι, Ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε. Me vere transferre, vel in verbo illo, *cecinimus vobis tibiis*, teſtimonio eſt ſimilis locus apud Lucam 7. 32. *Cantavimus vobis tibiis*, ηὐλήσαμεν.

19. *Et juſtificata eſt Sapientia à filiis ſuis*] Cur non potius *filiis ejus*, h.e. *generationis*? dixerat enim, *Cui autem ſimilem exiſtimabo generationem iſtam?* ut de eadem *generatione* concludat, quod à filiis *ejus* ſit juſtificata Sapientia. Cum quo congruit aliquanto poſt ſequens 12. 27. *Et ſi ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii veſtri in quo ejiciunt? ideo ipſi judices veſtri erunt.* Idcirco de pronominibus *ſuis* & *ejus*, locutus ſum diligentius, quia cum à Græcis vix diſtinguantur, tamen niſi diſtinguantur à nobis, reddunt ambiguum ſenſum, prout apud Græcos ambiguus eſt αὐτῆς.

20. *Exprobrare civitatibus*] Ὀνειδίζειν. Idem verbum quod illic, cap. 5. 11. *Cum maledixerint vobis homines*, ὀνειδίσωσι.

23. *Et tu, Capernaum, nunquid uſque in cœlum exaltaberis? uſque in infernum deſcendes*] Similitudo literæ, ut opinor, decepit interpretem. Græce enim eſt, *Et tu, Capernaum, quæ uſque in cœlum exaltata es, uſque ad infernum deſcendes*, ſive potius *deduceris*, Καὶ σὺ, Καπερναοὺμ, ἡ ἕως ἢ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ. ¶ *Quia ſi in Sodomis facta fuiſſent virtutes quæ facta ſunt in te, forte manſiſſent ad hanc diem*] Indignum ſane videtur ſermone Divino addere dubitandi adverbium, quaſi neſciat Deus quid futurum ſit de Sodomis ſi apud eam civitatem factæ eſſent iſtæ virtutes. Quod adverbium non fuiſſe addendum, non dicam cum ab aliis tum à Priſciano tradi, *præteritum indicativi apud Græcos cum ſyllaba illa vel adverbiali conjunctiva poſſere pro ipſo conjunctivo*, ſed ipſum interpretem citabo teſtem, qui ſine adverbio dubitandi ſuperiorem particulam locutus eſt, v. 21. *Quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egeſſent.* Eodem enim modo eadem loca dicuntur, ἐν ὑμῖν, πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν· ἐν σοί, ἔμεινεν ἂν μέχρι τῆς σήμερον. Quid quod non ſolum ſine adverbio dubitativo tranſfert aliquando, ſed etiam per affirmativum? ut Hebr. 8. 7. *Si illud prius à culpa vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur:* quale in Pſalmis, 51. 16. *Quoniam,*

niam, ſi voluiſſes, ſacrificium dediſſem utique. Sed ut *forte*, ita *utique* ſupervacuum eſt : verum *utique* non nocet, *forte* nocet. Nuſquam enim Chriſtus de ſe ſive de Patre per *forte* locutus eſt, niſi ſibi, in aliena tamen perſona, Luc. 20. 13. *Forſitan cum hunc viderint, reverebuntur.* Ideoque tollamus dubitativum verbum ab illo quoque loco Joannis, 14. 7. *Si me ſciretis: forſitan & Patrem meum ſciretis.* Et in Pſalmis, 81. 13, 14. *Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet, pro nihilo forſitan humiliaſſem inimicos eorum.* Vides ut tantum in ſubjunctivo hic error admittitur? ut iterum in Pſalmis, 119. 92. *Niſi quia lex tua meditatio mea eſt, tunc forte periſſem in humilitate mea.* Quanquam haud ſcio an idem interpres fuerit Euangeliorum & Pſalmorum. Certe & inconſtantiæ eſt & infidelis tranſlationis, tam varie differenterque transferre, nunc affirmando ſimpliciter (afferam iterum exempla è Pſalmis, 81. 14.) *Et ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam*; nunc vehementius aſſeverando, Pſal. 55. 12. *Quod ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique*; nunc revocando in dubium: in eodem præſertim loco, ut ibidem mox, *Et ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſconderem me forſitan ab eo.* Quid tu de eadem re modo *utique*, modo *forſitan* dicis? Addam etiam quartum modum transferendi apud interpretem, Matth. 12. 7. *Si autem ſciretis quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium, nunquam condemnaſſetis innocentes.* I nunc & dic ubique bene eſſe tranſlatum.

25. *Confitebor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam ſic placitum eſt ante te*] Græce eſt *quia*, non *qui* ; *quia*, inquam, pro *quod*, ut interpres transferre gaudet: nam librarii hæc culpa eſt. ¶ Græce quoque magis eſt *intelligentibus* quam *prudentibus*: quoniam aliud tibi nomen eſt cap. 10. 16. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, Φρόνιμοι. ¶ *Ita* non habet ſignificationem quam habet *ſic*, ſed eam de qua dixi ſuper locum illum, c. 5. 37. *Sit ſermo veſter, Eſt, eſt*, Ναὶ, *Etiam.* ¶ *Placitum*, illa vox eſt quæ ſolet transferri nunc *bona voluntas*, Luc. 2. 14. nunc *beneplacitum*, Epheſ. 1. 9. ut ſit omnis ſententia, *Confitebor tibi, Pater*, i. *Gratias ago tibi* (ita enim Hier. exponit hoc verbum) *quod abſcondiſti hæc à ſapientibus & intelligentibus, & revelaſti ipſa parvulis. Certe, Pater, quod ſic fuit bona voluntas in conſpectu tuo.* Ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου.

28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*] Non ſignificat nunc *reficere*, *cibo recreare*, ut quidam putant, ſed *quiete*, ἀναπαύειν. Ac ne in illo quidem loco Pſalmi 23. 2. *Super aquam refectionis educavit me*, ἀναπαύσεως.

REVIUS in VALLAM.

4. Ἀκούσητε καὶ βλέπετε] Et hæc eo quo pertinebant traduxi.

5. *Active accipiendum eſt* Εὐαγγελίζονται] Falſum. Eſt enim ex Eſ. 61. 1. *Ad euangelizandum pauperibus.* Euangelizantur ergo, ut ita dicam, pauperes, non euangelizant. Confer quæ Eraſmus notavit in Luc. 7. 22.

7. Σαλευόμενον] Poſitum erat poſt *tranſeo hujuſmodi*, præpoſtere admodum.

19. *Filiis ejus, h. e. generationis?*] Quia σοφία proxime antecedit non γενεᾷ, & quia αὐτῆς eſt in Græco non αὐτοῦ, rejicit & hanc Vallæ conſtructionem in Notis ſuis Beza.

Ambigum eſt αὐτῆς] At in αὐτῆς nulla eſt ambiguitas. Videntur hic à noſtris variaſſe codices Laurentii.

28. *Non ſignificat nunc* reficere, cibo recreare] Sagaciter obſoluit Vallæ ſic accipi à Vulgata. Ut & ab Hebræo interprete ſit נחתי *ſanabo vos.*

ERASMUS.

1. *CUM conſummaſſet præcipiens*] Græcanicam figuram male reddidit interpres. Eſt enim juxta ſermonis proprietatem participium poſitum vice verbi infiniti, ἐπιλεσαι διατάσσων pro διατάσσειν. Quemadmodum μέμνημαι ἐλθών, *memini veniens*, pro *memini veniſſe*. Proinde nos vertimus, *Cum finem feciſſet Jeſus mandandi*, ſive *præcipiendi.*

2. *In vinculis*, ἐν δεσμωτηρίῳ] *In carcere.* Nomen eſt à *vinculis* dictum. Nam eſt aliud φυλακὴ à *cuſtodia* dictum. ¶ Τὰ ἔργα] Cur non potius *facta* quam *opera*? Nam *opus* eſt quod exſtat, veluti Domus. Quanquam in minutulis ſæpe connivemus. Ut ne dicam quod πέμψας *mittens* vertit pro *miſſis duobus*, non obſervata temporis ratione.

3. *Tu es qui venturus es, σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος*] *Tu es ille veniens*, ſive *venturus.* Eſt enim Græca vox ad utrumlibet tempus accepa. Illud majoris eſt momenti quod

4. Ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε] i. *quæ auditis & videtis*, vertit *quæ audiſtis & vidiſtis.* Eſt enim plenior ſenſus ut de omnibus quæ faciebat Jeſus intelligatur.

5. *Et cæci vident*, ἀναβλέπουσι] Græcis expreſſius eſt, q. d. *revident*, ſeu *recipiunt viſum.* ¶ *Pauperes euangelizantur*, εὐαγγελίζονται] Plane Græcorum more locutus eſt interpres, qui cum dicant *Benefacio te*, *Benedico te*, proinde & paſſivis horum εὐλογοῦμαι utuntur, *Bene patitur abs te*, *Benedicitur abs te.* Nam utroque modo loquuntur, εὐαγγελίζομαι, & εὐαγγελίζομαι, ut indicat Theodulus De dictionibus Rhetoricis. Proinde nos vertimus, *Pauperes lætum accipiunt Euangelii nuncium.* Alluſit enim ad verba Prophetæ, *Euangelizare pauperibus miſit me.* Illa levicula ſunt, quod

7. Σαλευόμενον] Vertit *agitatam*, pro eo quod eſt *quæ agitatur* ſive *movetur*, *ſed huc & huc undarum more.* Unde Hilarius, ut temporis etiam rationem obſervet, vertit *arundinem vento moveri.* Et quod

8. Οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες] Vertit *qui mollibus veſtiuntur*, pro *mollia geſtantes*, ut ſubaudias *veſtimenta.*

9. *Sed quid exiſtis videre?*] Hic diſtinctio nonnihil habet ambiguitatis. Apud Origenem hanc comperimus diſtinctionem, Ἀλλὰ τί ἐξεληλύθατε; *ἰδεῖν προφήτην*; i. *Cur exiſtis? ad videndum prophetam?* ¶ *Etiam dico vobis*, ναί] i. *Certe*, adverbium confirmantis; quod paulo ſuperius vertit *utique.* Cæteris enim abnegatis, poſtremum hoc confirmat. ¶ *Et pluſquam prophetam*] Bene vertit ſi περισσότερον legas genere neutro; ſin maſculino, ſonat, *præſtantiorem propheta.* Nec hic licere articulum apponi, ὃ προφήτην, quod ad nullum certum Prophetam poſſit accommodari, cum illum omnibus anteponat.

10. *Non ſurrexit major*] Annotavit hoc Hieron. *Joannem non præferri Prophetis ac Patriarchis omnibus, ſed aquari.* Non enim ſi Petrus non eſt major Joanne, ſtatim Joannes erit major Petro. ¶ *Inter natos mulierum*, ἐν γεννητοῖς γυναικῶν] Abſolute dixit, ut ad omnia pertineat quæ poſſint è mulieribus naſci. Opinor enim γεννητοῖς neutro genere poſitum eſſe: Non quod alios ſentiat quam homines, ſed quod ſchema ſermonis habeat epitaſm. Vehementius enim eſt, *Nullum animal hoc ſceleratius*, quam, *Nullus homo ſceleratior.* Jam tametſi pie ratiocinatur Hieron. Chriſtum non teneri hac formula quod ex virgine ſit natus, tamen ad revincendum contentioſum non ſatis haberet ponderis, cum alibi Chriſtus ipſe matri loquens dicat, Γύναι, *Mulier.* Præterea qua fronte Paulus Galatis ſcribit, *factum ex muliere*, ſi Chriſtus ex muliere natus non eſt? Verum eſt *mulierem* apud latinos aliquando ſignificare corruptam, & tamen hoc non obſtitit interpreti quo minus virginem Mariam *mulieris* nomine compellarit. Quod ſi virgo adulta Latine Græceque dicitur *mulier*, multo minus abſurdum eſt maritatam & matrem dici *mulierem.* Deinde quorſum opus erat mox excipere ſeipſum, ſi non tenebatur hac formula? Ait enim de ſe, *Sed qui minor eſt in regno cœlorum major eſt illo.* Auguſt. cum alias tum Contra adverſarium Legis & Prophetarum lib. 2. cap. 5. argutatur de diſtinctione, quod hæc particula *in regno cœlorum* poſſit utrolibet referri: *Qui minor eſt, videlicet tempore, is in regno cœlorum major eſt : aut, Qui minor eſt in regno cœlorum, is illo major eſt.* Hæc videbuntur puerilia, ſed ad præſens inſtitutum pertinent.

12. *Vim patitur*, Βιάζεται] i. *Vi invaditur*, ſive *occupatur*, vel ob turbam irruentium ac vi conantium irrumpere: adeo jam urgebat tempus Euangelii. Etiamſi me non fugit, Hieron. Auguſt. cumque his pleroſque, ſecus hunc locum interpretari. Verum liceat & à probatiſſimis autoribus alicubi diſſentire, quandoquidem illi non ſolum fuerunt homines, verum perniſere ſibi in tropologia nonnunquam abuti Scripturæ teſtimoniis. Primum illud liquet opinor, hoc loco *regnum cœlorum* dici novam Euangelii doctrinam, ad quam jam ultro confluebat turba, ceu pertæſa Moſen. Nec enim in hoc vim patitur doctrina Chriſti, neque vi rapitur, ſi nos vim admovemus affectibus noſtris, ſed magis vim facit. Ad hæc quid hic ſenſerit ipſe mox explicat, *Omnes enim Prophetæ & Lex uſque ad Joannem*, videlicet cauſam reddens cur ita cupiant irrumpere, cum Moſaicæ legis tempus jam præteriſſet. Ita connectit ſermonis conſequentiam & Chryſoſt. hom. 38. Huic ſuccinit Theophyl. Nec Hilarius ab hac noſtra ſententia admodum diſcrepat, interpretans cœlorum regnum Judæis veluti debitum ex pacto violentia fidei occupandum à Gentibus. Ejus verba ſi quis requiret, ſubſcribam; *Ut rerum*, inquit, *natura exigit, vim potentior affert, minorque erit cui vis affertur. Quid eſt ergo quod diripiens eſt.*

eſt, quodque vim patitur, contemnendum eſt. Infidelitatem diſcipulorum Joannis Dominus animadverterat: Turba etiam opinionem de ejus nuncio intellexerat, in cujus ſcandalo ingens fidei periculum ſentiebat; Ire potius Apoſtolos ad oves perditas Iſrael juſſerat; Ipſos inſtitui oportebat in regno, & in Abrahæ ac Iſaac & Jacob familia retineri: Sed omnis hæc prædicatio profectum publicanis & peccatoribus afferebat: Ex his enim jam credentes, ex his jam Apoſtoli, ex his jam regnum cœlorum. Cæterum Joanni à plebe non creditur, auctoritatem Chriſti opera non merentur. Crux futura erat ſcandalo, jam Prophetia ceſſat, jam Lex expletur, jam prædicatio omnis includitur, jam Elias ſpiritus in Joannis voce præmittitur. Aliis Chriſtus prædicatur, & ab aliis agnoſcitur; aliis naſcitur, & ab aliis diligitur. Sua eum reſpuunt, aliena ſuſcipiunt; Propria inſectantur, complectuntur inimici. Hæreditatem adoptatio expetit, familia rejicit: Teſtamentum filii repudiant, ſervi recognoſcunt. Itaque vim regnum cœlorum patitur, inferentes diripiunt illud. Quia Gloria Iſrael Patribus debita, à Prophetis nunciata, à Chriſto oblata, fide Gentium occupatur & rapitur. Hactenus Hilarii verba retulimus. Hoc ſermone Dominus excludit murmur Judæorum, qui indignabantur quod ad ipſis promiſſam Euangelii gratiam reciperet quoſcunque. Imo, inquit, non illos recipio, ſed ipſi vobis cunctantibus irrumpunt. ¶ *Rapiunt illud*] Aptius eſt quod legitur cum in aliis veruſtis tum in aureo codice, *Et violenti diripiunt illud*; ſumpta metaphora ab arce quæ irrumpentibus hoſtibus diripitur.

14. *Ipſe eſt Elias*] Locus eſt in calce Malachiæ Prophetæ, *Ecce ego mittam Heliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* ¶ *Qui venturus eſt*] Mollius erat, *qui venturus erat.* Nam quo pacto *venturus eſt* qui jam prædicationem ſuam peregerat? Notum eſt autem, participia præſentis temporis etiam ad præt. imperfecti ſignificationem pertinere.

16. *Similem æſtimabo*, ὁμοιώσω] i. *Aſſimilabo*, ſive, quod Latinius eſt, *ſimilem eſſe dicam.* ¶ Hieronymus annotavit hic Græce eſſe ἐν ἀγοραῖς, *in mercatibus*, ſive *foris.* Nam Latinis *forum* eſt etiam in quo aguntur cauſæ: cæterum ἀγορὰ Græcis proprie *forum eſt rerum venalium.* Unde verbum ἀγορᾶζω, *emo.* ¶ Nec eſt *clamantes*, ſed προσφωνοῦντες, *acclamantes*, ſive *alloquentes.* ¶ Rurſum non eſt *coæqualibus*, ſed ἑταίροις, *ſodalibus.* Hilarius habet *& clamantibus invicem*; ex quo conjicio illum legiſſe ἑτέροις pro ἑταίροις. Nec eſt ſimpliciter *cecinimus*, ſed ἠυλήσαμεν, *cecinimus tibiis.* Ita ſane citat D. Auguſtinus Quæſt. Euang. l. 2. c. 11. *Cantavimus tibiis, & non ſaltaſtis:* itaque vocem hanc eandem vertit Lucæ 7. Quis autem unquam dixit *lamentavimus?* ἐθρηνήσαμεν, *lamentati ſumus*, ſive *luximus*, aut, ut ſenſum magis exprimam, *lugubria cecinimus.* Siquidem veteres variis harmoniarum modis, quos appellant *Phrygium*, *Dorium*, *Lydium*, varios movebant affectus; tibiis ad alacritatem incitabant. Et legimus Ἁρμονία μιλησία pro *lugubri cantione.* Senſus igitur eſt, Diverſis rationibus tentavimus vos excitare, nec ullo pacto potuiſtis commoveri. ¶ Porro *planxiſtis* Græcis eſt ἐκόψασθε, quod inde dictum eſt quod olim in luctu ſeipſos cæderent manibus, qui proprie *planctus* dicitur. Apparet autem vulgarem fuiſſe cantiunculam quam pueri inter ſe canerent. Quemadmodum & Pittacus conſultorem ſuum ad pueros trocho luſitantes mittit ut audiat, Τοῖσι παισὶν ἴλαν· ſicut copioſius dictus eſt in Chiliadibus noſtris.

18. *Dæmonium habet*] In nonnullis ſcriptum erat, ὅτι πνεῦμά ἐστιν, i. *Spiritus eſt*, ſed diſſentientibus cæteris omnibus. Erat autem & hoc unum è criminibus Socratis, quod genium haberet peculiarem, qui vocabatur *Socratis dæmonium.*

19. *Venit Filius hominis*, ὁ ἀνθρώπου] Ut ad Mariam referri non poſſit, cum articulus ſit generis maſc. ne quis hic fruſtra philoſophetur in *filio hominis*, quod alicubi facit Auguſtinus. ¶ *Homo vorax*] Græcis φάγος, quod magis ſonat *edacem* ſive *comedonem.* ¶ *Vini potator*] Apud Græcos jucundius eſt, ob dictionem compoſitam οἰνοπότης, q. d. *vinibibus*, cui pugnat ὑδροπότης, *aquabibus.* Auguſt. l. 16. adverſ. Fauſtum cap. 31. pro οἰνοπότης refert *vinaria*, voce, ni fallor, depravata ex *vinauria*, ab *hauriendo* vino. Atque hinc verba compoſita οἰνοπωτεῖν, ὑδροπωτεῖν. Horatius,

Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

20. *Plurima virtutes*] Δυνάμεις eſt vox Divinam potentiam ſignificans: de quo jam admonuimus. ¶ *Quia non egiſſent pœnitentiam*] Quod hic eſt ſemel atque iterum μετανοήσωσιν non poterat æque commode reddi per *reſipuiſſent*; itaque periphraſi rem expreſſimus.

21. *Chorazain*] Apud Græcos Χωραζίν, i. *Chorazin.* Sunt autem caſtella Galilææ Bethſaida & Chorazin.

22. Ἀνεκτότερον] *Remiſſius*; quod ante verterat *tolerabilius.*

23. *Nunquid uſque in cœlum*] Interpres legiſſe videtur ἢ pro ἡ, h. e. conjunctionem pro articulo, & D. Hieronymus admonet hunc locum bifariam haberi in exemplaribus. In his quæ nos vidimus ſic eſt ſcriptum, ἢ ἕως ἐν οὐρανῷ ὑψωθήσῃ, ἕως ἐν ᾅδου καταβιβασθήσῃ, i. *quæ ad cœlum uſque exaltata es*, ſive *elata*, *uſque ad inferos deduceris.* Et ſic adducit Chryſoſtomus hom. in Joan. 22. ac rurſus in Matth. 38. & huic concordat Theophylactus. ¶ *Forte manſiſſent*, ἴσως ἂν] Quorſum opus erat hic *forte*, niſi quod interpres omnino abuſus videtur paſſim *forte* vice conjunctionis expletivæ. Paulo ſuperius eandem prætermiſit, *In cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Et quam nunc dubitantis eſſe vult, alibi facit confirmantis, ut in epiſt. ad Hebræos, 8. 7. *Si illud prius culpa vacaſſet, non utique ſecundi locus quæreretur.* Valla pluribus locis in medium adductis arguit interpretis inconſtantiam. Obſecro quid ſibi vult hæc tam avida varietatis affectatio, vel cum ipſius incommodo ſenſus? Nam hic confirmationem res ipſa deſiderabat potius quam addubitationem. Quin & illud excutiendum, Quomodo

25. Jeſus ſcribatur *reſpondiſſe* cum nullus quicquam interrogarit; niſi forte ideo *reſponſum* dicitur quod ſuperiori ſermoni ſubjiciatur. Alii malunt hoc eſſe idiomatis Hebraici ſermonis ut *reſpondere* ponatur pro *dicere.* ¶ *Quia abſcondiſti*] Rectius erat, *quod abſconderis.* ¶ Et, *Confiteor*, dixit juxta ſermonis Hebræi proprietatem pro *Laudo*, ſeu *Gratias ago*: unde & nos ita vertimus, quo ſenſus eſſet dilucidior. Confitetur enim & agnoſcit beneficium qui gratias agit. ¶ *Sapientibus & prudentibus*] Σοφῶν, qui Græcis interdum *eruditi* vocantur, & συνετῶν, quod magis ſonat *intelligentes.* Non enim eſt φρονίμοις. His duabus vocibus opponit unam νηπίοις, q. d. *ſimplices infantes* qui propter ætatem nec eruditione polleant nec uſu rerum ſapiant. ¶ *Parvulis*, νηπίοις] Quod & *ſtultum* ſignificat & *infantem*, h. e. qui ætatis vitio nondum ſapiat. Non enim dixit μωροῖς· quod annotavit & Chryſoſtomus. At hic magis quadrabat *ſtultis*, ut opponatur *ſapientibus.* Nec eſt quod quenquam offendat *ſtulti* cognomen, cum palam dicat Paulus, *Quæ μωρὰ*, i. *ſtulta ſunt mundi, elegit Deus.* Nec enim hic *ſapientes* vocat qui vere ſapiunt, ſed qui mundo videntur ſapere. Sic *ſtultos* vocat, non qui vere ſtulti ſint, ſed qui mundo ſtulti ſint. Et tamen nos hac in re quorundam ſenſum noſtro judicio prætulimus.

26. *Ita, Pater*, ναὶ ὁ πατήρ] Quod alias vertit *etiam*, alias *utique*, nunc vertit *ita.* Præterea *Pater* nominandi caſus eſt, non vocandi: quo tamen haud ſcio quam ob rem in Divinis literis abuntur, ut *Deus meus*, ὁ Θεός μου. ¶ *Sic*] Recte omiſit conjunctionem ὅτι· etiamſi quidam habent, *Quoniam ſic fuit.* ¶ *Placitum fuit*, ἐγένετο εὐδοκία] i. *Fuit bona voluntas*, ſive *beneplacitum.* Hoc peculiari verbo S. literæ ſignificant favorem ac benevolentiam Numinis, non tributam noſtris meritis, ſed ab ipſius gratuita bonitate profectam. ¶ *Ante te*, ἔμπροσθέν σου] i. *coram te*, ſive, *in oculis tuis.*

28. *Reficiam vos*, ἀναπαύσω] i. *refocillabo*, ſive *recreabo.* Nec enim ad cibum eſt referendum, ſed ad remedium laſſitudinis; cum ab hoc verbo deductum ſit nomen quod mox vertit *requiem* ἀνάπαυσιν, quod in Pſalmis vertit *refectionem*; *Super aquam refectionis*, ἀναπαύσεως.

30. *Jugum meum ſuave*, χρηστός] Magis ſonat *facile, commodum*, aut *humanum* ſive *blandum* quam *ſuave*, quod alias vertit *bonum*, ſive *bonitas*, ut ſuo demonſtrabimus loco. Nam *jugum* appellat imperium, quod mite, blandum ac minime aſperum minimeque ſeverum vult intelligi. Mirum quid ſecutus Auguſt. locum hunc ſic adduxit lib. 1. Quæſt. ad Simplicianum, *Jugum enim meum leve eſt, & ſarcina mea ſuavis eſt*: niſi forte id librariorum incuria fuit inverſum. In Epiſtolis, nominatim 45. exſtat vera lectio, *Jugum appellans lene, & ſarcinam levem.* Ambr. explanans Pſalmum, *Beati immaculati*, vocis hujus proprietatem annotavit, vertens χρηστὸν *ſuave.* Sed in Pſalmo pro eo quod nos legimus *bonitatem* ille *jucunditatem* legit. Cyprianus Adv. Judæos l. 2. c. 13. legit, *Jugum meum bonum eſt.* Illud conſtat, χρηστὸν Græcis dici ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι, h. e. *ab utendo.* Unde χρηστότης, *facilitas & commoditas morum ad vitæ conſuetudinem*: & χρηστολόγοι dicti ſunt *qui dictis eſſent blandi magis quam facto benigni.* Movet hoc loco D. Hieron. quæſtionem, Quomodo jugum Euangelicæ legis levius ac mollius dicatur lege Moſaica, cum hæc factum duntaxat puniat, noſtra voluntatem quoque; neque ſolvit quod propoſuit. Certe Moſaicam legem ſuperſtitioſo ac rebelli populo pro

tempore

tempore impoſitam Petrus in Actis Apoſtol. aperte vocat *onus durum & grave, quod nec ipſi nec majores ipſorum portare valuerint.* Neque dubitari poteſt quin verum ſit quod Veritas ipſa pronunciavit. Vere *blandum eſt jugum Chriſti, & levis ſarcina*, ſi præter id quod ille nobis impoſuit nihil imponeretur ab humanis conſtitutiunculis. Præter mutuam charitatem nihil ille præcipit: neque quicquam tam amarum eſt quod non condiat condulcetque charitas. Facile toleratur quicquid eſt ſecundum naturam: Nihil autem magis congruit cum hominis natura quam Chriſti philoſophia, quæ pene nihil aliud agit quam ut naturam collapſam ſuæ reſtituat innocentiæ ſinceritatique. Sed quemadmodum apud Judæos Legem per ſe moleſtam aggravabant hominum conſtitutiones, ita cavendum eſt etiam atque etiam ne Chriſti legem per ſe blandam ac levem, gravem & aſperam reddant humanarum conſtitutionum ac dogmatum acceſſiones. Quæ ſic primum obrepunt ut vel tanquam puſilla negligantur, vel pietatis ſpecie commendata libenter amplectantur etiam homines probi magis quam providi: Semel recepta paulatim gliſcunt augeſcuntque donec in immenſum aucta jam nolentes premant & obruant; ſeu conſuetudinis, cujus violenta tyrannis eſt, præſidio; ſeu Principum autoritate, quod temere receptum eſt in ſuum emolumentum abutentium, mordicuſque retinentium. Quam pura, quam ſimplex fides à Chriſto nobis tradita! Quam huic ſimile Symbolum ſive ab Apoſtolis ipſis ſive à viris Apoſtolicis proditum! Huic deinde multa adjunxit Eccleſia diſſidiis hæreticorum diſſecta vexataque, quorum etſi quædam ſunt quæ citra fidei diſpendium poterant omitti, tamen pleraque videbantur etiamnum ad rem pertinere. Tot jam erant Symbola quot homines; nihilo melius bonæ fidei ſignum quam cum in contractibus res multis ac verboſis ſyngraphis agitur, quæ cum ad excludendas captiones abhibeantur, quo circumſpectius ſcriptæ ſunt hoc plus captionum ſolent fere gignere. Poſtremo res eo paulatim deducta eſt ut Scholaſticorum aliquot placita, quos *articulos* vocant, aut homunculorum quorundam nova quædam ad faſtum comminiſcentium vel opiniones vel ſomnia propemodum æquentur articulis fidei Apoſtolicæ. Atque in his nec Scholæ diverſæ, nec ejuſdem Scholæ myſtæ inter ſe conſentiunt; neque apud ipſos perpetua ſunt, ſed pro tempore mutantur. Et tamen ita primum irrepſerunt ut in Scholis tantum haberentur probabiles opiniones; mox Scholæ parietes egreſſæ in libros & in publicas adeo conciones eruperunt. Ac ſæpenumero fit ut quod ſemel utcunque prodidit definiendi temeritas, confirmet & augeat tuendi pertinacia. Sunt autem pleraque hujus generis ut impium ſit homini de his definire: Qualia fere ſunt quæ de ratione eſſentiæ Divinæ deque diſtinctione Perſonarum philoſophamur. Ea ſi tantum in hoc adhibeantur ut animos noſtros abducant ab his ſordidis cogitationibus ad ſublimiora, non eſt improbandum ſtudium: Sin ut hæc quæ longe ſuperant humani ingenii captum cum ſupercilio pronunciemus, & earum rerum ſcientia quas nec Angeli ſatis intelligunt nos jactemus apud populum, mihi nec pium videtur nec utile. His proxima ſunt quæ de ratione Myſteriorum velut è cœlo petita pronunciamus; cum magis ad pietatem faciat ex his excerpere quæ ad vitæ ſanctimoniam conducant. Verum hæc pronunciandi temeritas à veteribus orta nunc longius progreſſa eſt quam ut ferri poſſit. Sunt qui nectant nobis frigidum ſyllogiſmum, & ex loco parum intellecto aut ex hominis conſtitutiuncula pariunt articulum fidei. Atque ex his Chriſtiani aut non Chriſtiani cenſemur, quæ ne tantulum quidem ad Chriſtianam attinent pietatem. Jam quam popularis, quam expedita eſt Doctrina Chriſti, Apoſtolica, & Patrum Apoſtolicorum! quam nunc impedita, ſpinoſa, ne dicam tenebricoſa facta, partim admixtu legum ac diſciplinarum humanarum, partim ſomniis & inventiunculis ambitioſorum hominum, poſteaquam S. Theologiæ profeſſio ſcenica quædam ac theatrica res eſſe cœpit! Toca hominis ætas non ſufficit quæſtiunculis & inutilium argutiarum labyrinthis. Inter hæc quando Chriſtianæ vitæ ſtudium, ſi jam octogenarii tantum dubitare didicimus? Nam de humanarum conſtitutionum onere quid attinet dicere, cum jam olim D. Aug. in epiſt. ad Januarium ſtomachetur ac deploret Eccleſiam Chriſti ſic premi, *ut tolerabilior prope fuerit Judæorum quam Chriſtianorum conditio?* Et tamen ille ob frivola quædam nudipedalia neſcio quæ deſtomachatur: Quid ſi videret liberum illum Chriſti populum tot legibus, tot ceremoniis, tot laqueis irretitum? neque ſimplici hominum tyrannide oppreſſum? Principum profanorum, Epiſcoporum, Cardinalium, Pontificum, multoque maxime horum ſatellitum, qui religionis imagine perſonati ventris agunt negotium? Ipſis Sacramentis, ad hominum ſalutem inſtitutis, ad quæſtum noſtrum, ad faſtum, ad tyrannidem, ad opprimendum plebeculam abutimur quidam. Judæis nullum Veſtis genus erat interdictum præter id quod eſſet è lino lanaque contextum: nunc quot de cultu conſtitutiones, quanta veſtium colorumque ſuperſtitio? Quam ex hujuſmodi nugis, quæ per ſe nec honeſtatem habent nec turpitudinem, ſed pro temporum ratione, pro mortalium opinione mutantur, cenſentur Chriſtiani, de quibus nihil unquam meminit Chriſtus! Pauca erant Judæorum Jejunia; & tamen nemo capitale eſſe dixit ſi quis illis ipſis ſtatis diebus non jejunaſſet: Nos quot gravamur inediis? ad quas non invitamur, ſed cogimur ſub pœna, ut ajunt, æternæ damnationis. Judæis certa piſcium & aliorum animantium genera ſunt interdicta, ſed ad eſum non admodum expetenda: Nos bonam anni partem piſcium eſu contabeſcimus, inedia diſrumpimur. Nec ætati ſubvenitur, nec morbo, niſi legis relaxatio nummis redimatur. Quin & Feſtorum apud Hebr. mediocris erat numerus: Ætas Hieron. præter diem Dominicum pauciſſima noverat feſta: Nunc feriarum neque finis neque modus; quæ cum primitus ad pietatis vacationem paucæ ſint inſtitutæ, nunc ad ſcelerum excluſionem tolli debebant, niſi Sacerdotum avaritia ſuis rebus conſuleret potius quam veræ religioni. Quid loquar de perplexis & inextricabilibus Votorum vinculis, quorum alia redimi poſſunt, ſed immenſa pecunia, alia nullo modo poſſunt. Atque hæc indies magis ac magis urgemus, ne quæſtus nobis pereat. Jam Matrimonii conditio quanto commodior Judæis quam nobis? Quot laqueis, quot tricis conjugium involvimus, ne Scholaſticum dogma nobis pereat? Pœnitentiæ & Confeſſionis ſacramentum quibus nodis arctavimus, quot hominum decretis impeditum reddidimus? ut ne quid dicam interim de onere Precum, quæ quotidianis etiam acceſſionibus aggraventur. Ad hæc quaſi parum ſit legum & conſtitutionum Decretalium, indies novarum conſtitutionum examina prorumpunt. Imo velut hoc quoque parum ſit, gravari nos volunt jure neſcio quo Conſuetudinis, quæ primum à duobus deliris profecta paulatim invaluerit. Excommunicationis fulmen ubique promptum & intentatum, Irregularitates, Anathematizationes occurſant undique. Pontificis Rom. ſacroſancta autoritate, quæ non niſi ſublevandis Eccleſiæ rebus valere debet, ſic abutuntur quidam in Abſolutionibus, in Diſpenſationibus, in Condonationibus, in Exſecutionibus, ut permulta ſint quæ vere pii ſine gemitu ſpectare non poſſint. Sacerdotiorum adeo perplexa res eſt ut Ariſtotelicam philoſophiam omnes perdiſcas citius quam praxin Sacerdotiorum. In templis vix vacat Euangelium interpretari. Concionis bona pars ad Commiſſariorum arbitrium conſumenda eſt: Nonnunquam & ſacroſancta Chriſti doctrina aut ſupprimenda aut ad illorum rem detorquenda. Ad hæc qui modeſte pii ſunt taciti ſecum ingemiſcunt: Qui populi malis aluntur, & quorum intereſt Chriſti gregem, quem ille ſuo ſanguine liberum reddidit, quam maxime ſervum eſſe & obnoxium, adeo non reclamant ut modis omnibus exaggerent. Accedunt iis qui vel ambiunt præmium aliquod obſequii, vel timent pœnam libertatis. Ita dum nemo ſuccurrit, res paulatim eo prolabitur ut pene nihil jam pudeat. Et *charitas* quidem, juxta Paulum, *omnia ſuſtinet.* Fateor. Sed hæc mala multo mitiora ſunt quoties ab hoſtibus gregis Chriſtiani ingeruntur. Olim ſæviebat tyrannus impius, ſæviebat hæreticus; Epiſcopi conſolabantur; Ipſi mutuis hortatibus animabant ſeſe: Titulus honeſtus ſolatii pars erat: Denique grave non erat quod Chriſti nomine perpetiebantur. Verum intolerabile eſt, ut inquit Auguſtinus, cum eadem hæc à *membris*, imo à moderatoribus Eccleſiæ, corpus Eccleſiæ patitur. Ab his potiſſimum injiciuntur laquei unde par erat impeditis ſubveniri. His malis medicandis una ſupereſſe ſolet anchora ſacra, generale Concilium. At nunc hæc ipſa vertuntur in reipub. caput. Nec ulla ſupereſt medendi ſpes, niſi ſi Chriſtus ipſe vertat aut certe excitet Pontificum ac Principum animos ad ea quæ veræ ſunt pietatis, aut Theologi & Concionatores non ſeditioſis clamoribus ſed ſobrie placideque quæ Chriſto digna ſint magno conſenſu doceant & inculcent. Nam ut Turcus aut tyrannus quiſpiam, per tumultum ſubverſo rerum ordine, per occaſionem reſtituat rem Chriſtianam, non opinor ullis piis optandum: Ego certe abominor etiam. Unum illud etiam atque etiam admonendi ſumus omnes, ut juxta Pauli doctrinam ſic libertatem à Chriſto datam amplectamur, ne eam occaſionem demus carni, & ſub libertatis prætextu turpius ſerviamus vitiis; Sed ſic excutiamus jugum hominum grave ut vere blando Chriſti jugo premamur. Minus imperat Evangelica charitas, ſed plus impetrat. Tumultus ubique vitandus: & præſtat ferre Principes impios quam novatis rebus gravius malum accerſere. Sed tamen ardentibus votis aſſidue pulſandus Chriſtus ut ſuis vicariis mentem inſpiret loco dignam, ut omiſſo ſuæ gloriæ, ſuæ voluptatis, ſui lucri ſtudio, ſtudeant gloriæ lucroque Chriſti, malint-

malintque Chriſtum late regnare legibus Euangelicis quam ſe in anguſto tyrannidem obtinere decretis humanis. Verum hæc pluribus à me diſſerta video quam vel propoſueram vel annotationes profeſſo conveniebant.

VATABLUS.

1. *CUM conſummaſſet Jeſus præcipiens*] Vel, *cum finem præcipiendi feciſſet Jeſus*; aut, *inſtruendi diſcipulos*, &c.

2. *In vinculis*] *In carcere.* ¶ *Mittens duos*] *Miſſis duobus.*

3. *Tu es qui venturus es*] *Tu es ille venturus*, vel, *qui venturus eſt*, vel, *erat.*

4. *Euntes*] Particip. pro imper. *Ite.* ¶ *Audiſtis & vidiſtis*] *Auditis & videtis.*

5. *Vident*] *Viſum recipiunt.* ¶ *Euangelizantur*] *Lætum accipiunt Euangelii nuncium*; vel, *docentur Euangelium*, Iſa. 61. 1. *Ad annunciandum manſuetis miſit me.*

6. *Scandalizatus in me*] i. offenſus propter abjectionem meam.

8. *Mollibus veſtitum*] *Mollibus veſtibus veſtitum.* ¶ *Mollibus veſtiuntur*] *Mollia geſtant*, ſub. *veſtimenta*, i. ſplendida & pretioſa.

9. *Etiam*] *Certe.* ¶ *Plus quam prophetam*] *Excellentiorem prophetæ.*

10. *Angelum*] *Nuncium.* ¶ *Ante faciem tuam*] Pro, *ante te.*

11. *Non ſurrexit inter natos mulierum*, &c.] Nulla mulier peperit unquam excellentiorem Johanne B.

12. *Nunc*] Vel, *ad hunc diem.* ¶ *Vim patitur*] Vel, *vi invaditur*, aut *occupatur.* ¶ *Rapiunt*] *Diripiunt*, *V.*

14. *Venturus eſt*] *Venturus erat.*

15. *Audiendi*] *Ad audiendum*, vel, *ut poſſit audire.*

16. *Similem æſtimabo*] *Similem eſſe dicam.* ¶ *Generationem iſtam*] i. genus hoc hominum. ¶ *Foro*] *Foris*, *mercatibus.* ¶ *Coæqualibus*] *Sodalibus.*

17. *Cecinimus*] *Tibiis cecinimus.* ¶ *Lamentavimus*] *Lugubria cecinimus*, q. d. Nullis rationibus potuiſtis commoveri.

19. *Vorax*] *Edax.* ¶ *Juſtificata*] i. Filii ſapientiæ, nimirum diſcipuli mei, ſapienter judicarunt veram eſſe ſapientiam quam doceo, quam hæc generatio damnat. Alii legunt *judicata*, ut Chriſtus dicat ſe Sapientiam damnari à ſuis Judæis.

20. *Exprobrare*] Vox Græca ſign. *Exprobrando convitiari & accuſare.* ¶ *Facta ſunt*] *facta fuerant.* ¶ *Egiſſent pœnitentiam*] *Mentem mutaſſent.*

21. *Væ*] Exſecrantis eſt vox, non male imprecantis: q. d. *O te infelicem!* ¶ *Facta eſſent virtutes*] Vel, *facta fuiſſent miracula.* ¶ *Olim*] Vel, *jampridem.* ¶ *Cilicio*] *Sacco.* ¶ *Egiſſem pœnitentiam*] *Mentem mutaſſent.*

22. *Verumtamen*] *Proinde.* ¶ *Remiſſius*] Vel *tolerabilius*, i. non tam ſevere punientur.

23. *Nunquid uſque in cœlum exaltaberis?*] *Qua es uſque ad cœlum exaltata.*

24. *Verumtamen*] *Proinde.*

25. *Reſpondens*] Hebr. pro, *verba faciens*, *exorſus.* ¶ *Confiteor*] *Confiteor*, V. i. Laudo, & gratias ago, gratulor, vel, teſtor coram te, ſive agnoſco. ¶ *Parvulis*] Vel *infantibus*, i. humiliter de ſe ſentientibus.

26. *Ita*] *Certe.* ¶ *Placitum*] *Bona voluntas.* Hebr. pro *ſic tibi placuit.*

27. *Revelare*] Vel, *patefacere.*

28. *Reficiam*] *Recreabo*, vel *refacillabo.*

29. *Humilis corde*] *Animo minime elato.* Hebr.

30. *Suave*] *Facile*, vel, *commodum & blandum.*

CASTALIO.

6. *FELIX eſt qui in me non offenderit.*] Σκανδαλίζεθαι aliquando *lædi* eſt, ut ad Rom. 14. 21. *ὁ ἀδελφὸς ἢ σκανδαλίζεται* eſt enim illic idem fere *πρόσκοπον* & *σκανδαλίζεθαι*, h. e. *lædi* & *detrimentum accipere*, quod Latini *offendere* dicunt. Eſt igitur hæc Jeſu ſententia, Ego ſum lapis in quem offenditur: Beatus eſt qui ita ſe gerit ut ego ei ſim utilis, non detrimentoſus.

16. *Proinde eſt ac cum manentes in foris pueri*] *Ὁμοία ἐστὶ παιδαρίοις*, *ſimilis eſt pueris*, ſcilicet *clamantibus.* Atqui non erat clamantibus pueris ſimilis Judæa natio, ſed audire nolentibus. Chriſtus autem & Joannes Baptiſta erant clamantibus pueris ſimiles. Itaque ſic intelligendus & ſic interpretandus eſt hic locus, ut intelligamus ſimiliter accidere in Judæis atque accidit in eo quod pueri vulgari cantilena canant, h. e. Judæos nec facilitate Chriſti nec ſeveritate Baptiſtæ moveri, quemadmodum canunt illi pueri, ſuos æquales nec læto carmine ad ſaltandum nec næniis ad plangendum excitari. Idem dico de multis aliis locis, ut cum Matth. 13. dicitur cœleſte regnum *ſimile eſſe homini ſerenti.* Non enim ſatori ſimile eſt, ſed ſationi. Itaque tota res, non unum verbum, confertur.

19. *Eſque ſunt aliena ſapientia.*] Epiphonema, & ante dictorum concluſio. Iſraelitæ, ad quos proprie pertinebat Euangelium, id repudiant. Eandem ſententiam poſuit ſupra, cum dixit *regios in imas detrudendos tenebras*; *regios* vocans Judæos, quorum erat regnum. Δεδικαίωται autem ſignificat *liberum eſſe*, & *nihil rei habere cum aliquo*: ut ad Romanos 6. 7. *Ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας*, *Qui mortuus eſt, abſolutus eſt à peccato*: quod ante dixerat, *Ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας*, *τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ*, *Ut aboleatur peccati corpus*, *ne amplius peccato ſerviatis*: ut idem ſit *δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας*, & *οὐκ ἔτι ἐν δουλείᾳ τῇ ἁμαρτίᾳ*, & *κατήργηται αὐτοῦ ἡ ἁμαρτία*, aut *κατήργηται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας*, ſicut ad Rom. 7. 2. de uxore, *Ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ*, *κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός*, h. e. *δεδικαίωται*, *ſi mortuus vir fuerit*, *ea liberata eſt à lege viri*, h. e. *ὁ νόμος τοῦ ἀνδρὸς οὐκ ἔστιν αὐτῇ ἔργον*, *Viri lex eſt ei otioſa*, *nihilque ad eam pertinet.* Igitur *Ἡ σοφία δεδικαίωται*, h. e. *κατήργηται*, *ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῆς*, h. e. *αὐτῇ οὐκ ἔστιν ἔργον*, *nihil ad eos pertinet*, *ab eis repudiatur*, *tanquam aliena.* Quod autem addit Lucas, hac eadem de re loquens, *πάντων omnibus*, non ita accipiendum eſt quaſi omnes Judæi Chriſtum repudiarent, ſed fere omnes. Quemadmodum cum dicit Chriſtus Johannem, *nec comeſſe nec bibere*, non ſignificat nihil omnino comeſſe, ſed fere nihil, h. e. parciſſime eſſe cibi. Neque vero me latet, alios ſic hunc locum exponere ut dicant *ſapientiam à ſuis δικαιοῦσθαι*, h. e. *approbari atque admitti*: ſed neque adverſativa conjunctio præponitur, neque eſt ἀλλὰ, ſed ἀπὸ τῶν τέκνων.

CLARIUS.

3. *TU es qui venturus eſt*] Cum abunde ex Euangeliis pateat Joannem noviſſe Servatorem noſtrum Jeſum eſſe Chriſtum, admodum veriſimile eſt miſiſſe illum diſcipulos, qui, ſi moriente, in Domini amicitiam inſinuarentur, & plene edocerentur Euangelicam doctrinam.

5. *Cæci vident*] Clam prophetiæ admonens quæ apud Eſaiam eſt.

7. *Arundinem*] Ut qui nihil gloriæ appetitione & ad hominum gratiam dicat aut faciat. De *mollitie* etiam *veſtium* meminit, quæ animi mollitiem arguere ſolet.

9. *Pluſquam prophetam*] Quare? Cauſam mox reddit, quia non ſolum ipſe prophetarit, verum & de illo etiam ſit ab aliis prophetatum.

11. *Non ſurrexit major*] Hebraiſmus hic eſt, qui pleroſque fefellit. Nam ſæpe in Scriptura invenitur *ſurgere* pro *apparere & manifeſtari*; ut, *Propheta magnus ſurrexit in nobis*, h. e. declaratus eſt. Senſus igitur hic eſt. Major Propheta non exſtitit Joanne Baptiſta, ut Lucas apertius dicit. Quod vero ſubdit, *Qui minor eſt in regno cœlorum*, *major illo eſt*, ſe indicat, qui tunc ignorabatur adhuc quantus eſſet.

12. *Et violenti*] Quid ni vi opus ſit ad tantæ rei acquiſitionem? His admonet verbis, Solerter & ſtrenue eſſe agendum, nec in tanto rerum cardine ceſſandum, cum hæc una res ſit natura hominis digna, in qua vires impendat omnes ſuas.

13. *Omnes Prophetæ*] Nam Joannes cum prædicationi Euangelicæ initium dederit, finem poſuit Legi & Prophetis, quorum ſcopus fuit adventus Chriſti prædicatio, à cujus adventu beatum hoc *æterni regni* nomen cœptum eſt prædicari.

14. *Ipſe eſt Elias*] *Ipſe*, ait Angelus Zachariæ, ut ſcribit Lucas, *præibit ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ.*

19. *Et juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis*] Oſtendit ſe Sapientia juſtam coram filiis ſuis, quæ nihil prætermiſit quod ad eos juvandos & ſervandos pertineret.

21. *Si in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes*] Cur ergo non ſunt factæ? Non eſt dubitandum non defuiſſe & illis Deum, quantum ſatis fuerit ad eorum ſalutem: cætera ſilentio veneremur. Nam temerarium eſt hominem, i. nihil, ſi Deo comparetur, velle omnium judiciorum Dei ſcire rationem, quæ reveritus magnus ille Paulus exclamavit, *Quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus!* Illud vero *olim* idem eſt quod *ab ipſo principio*; *Jam olim*, inquit, *pœnitentiam egiſſent.*

27. *Omnia*

27. *Omnia mihi tradita ſunt*] Hujus, inquit, generis ſunt, quæ revelavit Pater parvulis. ¶ *Nemo novit filium*] Hic latenter indicatur æqualitas Filii cum Patre, cum æque utriuſque agnitio ignota ſit, & Patris revelatio ad ſolum Filium pertineat, ut hic habes, & Filii ad Patrem, ut alibi legis, *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eum.*

ZEGERUS.

1. *CUM conſummaſſet Jeſus præcipiens*] Græcam loquendi formam reliquit interpres, qua illi participium vice verbi infiniti ponere conſueverunt. Valet ergo tantundem ac ſi dicas, *Cum jam mandata tradidiſſet*, vel, *Cum finem feciſſet præcipiendi.* ¶ *In civitatibus eorum*] De civitatibus diſcipulorum loqui videtur, cum alii *eorum* ſubaudiant *Judæorum.*

2. *Johannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi, Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus*] Hac legatione ac ſciſcitatione Johannes non ſuæ ſed diſcipulorum conſuluit ignorantiæ. Ipſe enim quis eſſet non ignoravit, qui eum cæteris ignorantibus demonſtravit, cum diceret, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Joh. 1. 29. Sed ut ſcirent non alium à ſe prædicatum, ad opera ejus videnda diſcipulos miſit, ut autoritatem dictis ſuis illius opera conferrent. Præterea Johannis diſcipuli vehementius amantes præceptorem ſuum, videntes Chriſtum celebriorem fieri, invidia movebantur adverſus ipſum: Siquidem prius acceſſerant dicentes, *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce is baptizat, & omnes veniunt ad eum*, Joh. 3. 26. Quia igitur ſæpius eos admonendo perſuadere non poterat, nunc autem brevi moritus erat, delectis duobus qui prudentiores eſſent, hos mittit ad Chriſtum prætextu quidem interrogandi, *An ipſe eſſet qui venturus erat*; vera autem cauſa erat ut conſpectis miraculis crederent. Sciebant namque teſtimonium ab operibus credibilius eſſe, magiſque carere ſuſpicione.

5. *Pauperes evangelizantur*] Pro *evangelizantur* in Hebræo volumine ſcriptum eſt נבשרו *beatificabuntur.* Porro *evangelizantur* Græcis ſign. *latum accipiunt nuncium*, vel *evangelicam ſuſcipiunt doctrinam*; quod poſterius magis congruere videtur; juxta illud Lucæ, Actor. 14. 15. εὐαγγελιζόμενοι ὑμᾶς, *annunciantes*, vel *docentes, vos ab his vanis converti.* Et rurſus paulo inferius, *Cumque evangelizaſſent civitati illi, & docuiſſent multos.*

9. *Etiam dico vobis*] *Etiam* pro *certe*, quod alias *amen* dicere ſolet: id enim ναὶ particula indicat. In Hebræo tamen non eſt נא, aut alia vox æquipollens, ſed גם, *&, etiam, quoque*, & hujuſmodi cætera ſignans. Unde etiam conjicio codicem illum Hebræum ſi non ex Latino certe non ex Græco eſſe converſum. Niſi forte in nonnullis καὶ ſcriptum ſit loco ναί.

11. *Qui autem minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo*] Recte ſeipſum indicat Johanne majorem, qui ſe in regno Eccleſiæ omnium fecerat abjectiſſimum. Vel *minorem* ſeipſum dicit, quod ita videretur apud Judæos. Nam Johannem Chriſto majorem ducebant ob incredibilem vitæ auſteritatem, cum Chriſtus remiſſiore vitæ inſtituto uti videretur.

12. *A diebus Johannis Baptiſtæ uſque nunc regnum cœlorum vim patitur*] Hoc ſermone Dominus veluti excludit murmur Judæorum, qui indignari poterant quod ad promiſſam ipſis Euangelii gratiam reciperet alienigenas & abjectos. Imo, inquit, non illos recipio, nec eam illis hactenus obtuli liberaliter, ut vobis; ſed ipſi vi quadam atque violentia ferventiſſimi amoris vobis cunctantibus diripiunt eam. Hic ſenſus ab Hilario proditus eſt. Eſt autem & alius, ſed qui in abſoluto ſit. ¶ *Violenti rapiunt illud*] Quanquam neotericus quidam aptius putet *diripiunt*, uti apud Hilarium & in Aureo habetur codice & in nonnullis aliis; quia tamen Hieronymi lectio, quam fere ſequitur Eccleſia, *rapiunt* habet, hoc judico præferendum, etiam ut accommodatius præſenti negotio.

16. *Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus*, &c. *Cecinimus vobis*, &c. *Venit enim Johannes*, &c. *Venit Filius hominis*, &c. *Et juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis*] Dilucide ſimul & graphice explicat totum hunc locum B Hieron. cujus & ob id commentum ſubſcribo; *Pueri*, inquit, *iſti qui ſedent in foro, hi ſunt de quibus Eſaias loquitur*, c. 8. *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus. Et in* 18. *Pſal. Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis. Et alibi, Pſal.* 8. *Ex ore infantium*, &c. *Iſti ergo pueri ſederunt in foro, ſive in ἀγορᾷ, quod ſignificantius Græce dicitur, ubi multa venalia ſunt. Et quia populus Judæorum audire nolebat, nunc ei tantum locuti ſunt, ſed plenis faucibus inclamaverunt, Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis; Provocavimus ut ad noſtrum canticum bona opera faceretis, & ſaltaretis ad noſtram tibiam, ſicut ſaltavit & David ante arcam Domini; & noluiſtis. Lamentati ſumus, & vos ad pœnitentiam provocavimus; & ne hoc quidem facere voluiſtis, ſpernentes utramque prædicationem, tam exhortationis ad virtutes, quam pœnitentiæ poſt peccata. Nec mirum ſi duplicem viam contempſeritis ſaltus, cum & jejunium & ſaturitatem pariter ſpreveritis. Si jejunium vobis placet, cur Johannes diſplicuit? Si ſaturitas, cur Filius hominis diſplicuit? Quorum alterum Dæmonium habentem, alterum Voratorem & Ebrium nuncupaſtis. Ergo quia vos noluiſtis utramque recipere diſciplinam, juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis, i. Dei diſpenſatio atque doctrina. Et ego qui ſum Dei virtus, & ſapientia Dei, juſte feciſſe ab Apoſtolis meis filiis comprobatus ſum; quibus revelavit Pater qua à ſapientibus abſconderat, & prudentibus apud ſemetipſos. In quibuſdam Euangeliis legitur, Juſtificata eſt ſapientia ab operibus ſuis. Sapientia quippe non quærit vocis teſtimonium, ſed operum.* Hactenus ille. Circa hanc autem poſtremam partem aliquid retruſius exprimens Hilarius, *Juſtificata eſt*, inquit, *ſapientia à filiis ſuis*] *i. ab his qui vim facientes regno cœlorum, ipſum illud fidei juſtificatione diripiunt, confitentes juſtum ſapientia opus eſſe, quia munus ſuum ad fideles & obſequentes à contumacibus infidiſque tranſtuleris.* Nemo tamen putet hoc ſermone Hilarium excludere opera, cum hæc ipſa intelligantur in eo quod dicit *obſequentes.*

23. *Et tu Capharnaum, nunquid uſque in cœlum exaltaberis?*] Poterit, teſte Hieronymo, & ita legi, *Et tu Capharnaum, quæ uſque in cœlum exaltata es, uſque in infernum*, &c. Et hoc meo judicio rectius eſt, & convenit cum Græcis, & cum Chryſoſtomo & Theophylacto. Sic etiam ſcriptum vidimus in commentariis Bedæ inſcriptis.

25. *Reſpondens Jeſus dixit*] *Reſpondens* dictum videtur pro *adjiciens* vel *ſubdens*, idque fortaſſis ex conſuetudine vulgaris Chriſti idiomatis. Ita enim hoc verbo aliquoties uſurpatum reperitur in S. Euangeliis, ut nulla præjacta ſit interrogatio aut interrogationis forma cui reſponſio conveniat. ¶ *Confiteor tibi*] *Confiteor* juxta verbi Hebraici proprietatem dixit pro *Gratias ago*, vel *Laudem dico.* ידה enim, ut tradit quidam, idem eſt quod הלל *laudare.* Capitur & pro הודאה *gratias agere*, & pro ידוי *confeſſione.* Hinc ידה eſt *ſacrificium ſuper quo fit confeſſio peccatorum.* ¶ *Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus*, &c.] Poſtquam exprobravit civitatibus illis incredulis, occaſionem accipiens ab incredulitate earum, juſtam Dei diſpoſitionem introducit in medium, gratiaſque agit Patri, quod ita ipſi complacitum fuerit, ut Judæos quidem deſereret, qui ſibi *ſapientes* videbantur in eloquiis Dei, cum eſſent inſipientes, Gentes autem, quæ *parvula* erant in ſcientia Dei, reciperet. Hoc pro contextus Euangelici concatenatione dictum ſit. Cæterum Euangeliſta, ſive potius hujus interpres, verbum νηπίοις oppoſuit σοφῶν καὶ συνετῶν, tanquam ſi dicat, Divinæ ſapientiæ tuæ myſteria celaſti ſapientes, ſtultis autem ac ſimplicibus ea revelaſti.

26. *Ita, Pater*, Ναὶ ὁ πατήρ] i. *Certe*, vel *Etiam, Pater.*

LUCAS BRUGEN.

23. *ET tu Capharnaum, numquid uſque in cœlum exaltaberis* [o.]? * *uſque* [an o. * & o.] *in infernum deſcendes.*] Hieronymus in altero exemplari reperiſſe ſe ſcribit, *Et tu, Capharnaum, quæ uſque in cœlum exaltata es, uſque ad inferna deſcendes* [*deſcendiſti* o.] Sicque legunt, cum Syris, Græci & codices, & Interpretes, Euthymius, Theophylactus, Chryſoſtomus, ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ. Vaticanum tamen exemplar Græcum, ad quod D. Werneri codex collatus fuit, & Pariſienſium Italicum conformiter noſtro textui habent, μὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ; ἕως ᾅδου καταβήσῃ· quanquam nobis, ex Vaticano, καταβήσῃ notatum non ſit. In uno manuſcripto, E notato, utrumque legendi modum hoc pacto invenimus copulatum, *Et tu Capharnaum, numquæ uſque in cœlum exaltaberis? & ſi exaltata fueris, uſque ad infernum deſcendes.* In Lucæ Euangelio Luc. 10. 15. uniformiter omnes, Latini, Græci & Syri legunt, *Et tu Capharnaum, uſque ad cœlum exaltata, uſque ad infernum demergeris*, ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ια, Περὶ τ῀ ὑπομιμήσεως τ῀ ὑδάτων.

Matth. ἐν τῷ Λατ. Ἰμ. η, Καὶ ἐμβὰν αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον ἠκολούθησαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτ῀· καὶ ἰδοὺ σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσσῃ, ὥστε τὸ πλοῖον καλύπτεσθαι ὑπὸ τ῀ κυμ.

Κύμασιν ἀμφεπόλησαν ἀγηρότοι ἄμβροτοι κηρές.
Ἄλλως,
Καὶ σεισμοζομένης πᾶσιν πολὺ κῦμα θαλάσσης.

1. Ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς διατάσσων] *Cum finem feciſſet dandi mandata.*

3. Προσδοκῶμεν;] *Exſpectare debemus.*

7. Κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον;] *Arundinem qua à vento agitatur?*

14. Ὁ μέλλων ἔρχεσθαι] *Qui venturus erat.*

16. Καὶ προσφωνοῦσι] *Qui acclamant.*

17. Οὐκ ὠρχήσασθε] *Non ſaltaſtis.* ¶ Οὐκ ἐκόψασθε] *Non planxiſtis.*

19. Καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία] *Sed tamen agnita eſt juſta ſapientia.*

20. Ὠνείδιζεν τὰς πόλεις] *Exprobrare urbibus*: vel, *increpare urbes.*

23. Ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ] *Uſque ad inferos deprimeris.*

25. Ἐξομολογοῦμαί σοι] *Profiteor*: vel, *Teſtimonium tibi perhibeo.*

26. Οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου] *Sic voluntati tuæ placuit.*

28. Οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς] *Fatigati & onere preſſi, & levabo vos.*

30. Ζυγός μου χρηστός, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστιν] *Jugum meum benignum, & onus meum leve eſt.*

DRUSIUS.

11. SURREXIT] Exſtitit, ut Gen. 41. 30. *Surgent ſeptem anni famis*, exſurgent, exſtitent. Sic Exod. 1. 8. *ſurrexit rex novus*: ubi poſſes exponere, *exortus eſt*. Num. 12. 6. in Jonatha, *Si eſſent omnes prophetæ qui ſurrexerunt à diebus ſeculi.* Manahem Ricinenſis in Pentateuchum 185. 2. *Non ſurrexit propheta ſicut Moſes*, non exſtitit. De Moſe Ægyptio dictitant, *à Moſe uſque ad Moſem non ſurrexit ſicut Moſes.* Cui ſimile, *A Paulo uſque ad Paulum non ſurrexit ſicus Paulus.* Dictum eſt Eliæ Levitæ Germani de Paulo Fagio. ¶ *Inter natos mulierum*] בילודי נשים. Alii maluerunt *inter genitos mulierum.* Job. 11. 12. אדם ילוד אישה LXX βροτὸς γεννητὸς γυναικός. Sic Job. 14. 1. & alibi Sirachides dixit γεννήματα γυναικῶν, 10. 17. ¶ *In regno cælorum*] Vel *cæli*, h. e. Dei. Sic enim certe legimus Luc. 7. *Minor in regno Dei.* Vide & Luc. 15. 18. In Thalmud, *Filii Belial, qui excuſſerunt jugum cæli*, quod eſt *jugum regni cælorum*, & *jugum Dei*, dicente Chriſto, *Jugum meum ſuave eſt. Regnum* ergo *Dei*, ubi Deus regnat. Regnat autem in Eccleſia, ubi doctrina Euangelii vera & incorrupta. Porro *cælum* inter epitheta Dei apud Ebræos in frequenti uſu: ut cum dicunt, *Sit timor principis tui* [alias, *præceptoris tui*] *Sicut timor cæli*: item, *Omnia ſunt in manu cæli præterquam timor cæli*; i. in manu aſtrorum; & *timor cæli*, i. Dei. Sic vocant pietatem & religionem. Dicunt etiam, *Qui venit ut ſe mundet, adjuvant eum è cælo* i. Divinitus. *Qui venit ut ſe polluat, impellunt eum è cælo*, Nam gratia Dei adjuvat, & ira impellit. Scitum illud, *Indurabo quem indurabo, & miſerebor cujus miſerebor.*

14. *Elias qui venturus eſt*] Judæi exſpectabant Eliam revelandum in diebus Meſſiæ, qui poſt occultabitur ad tempus, & deinde rurſum apparebit, cum venerit Gog & Magog. Juch. fol. 12.

19. *Filius hominis*] Non eſt ὁ ἀνθρώπου in fonte, ſed ἀνθρώπου, i. האדם, quo modo κατ' ἐξοχὴν vocatur primus parens; ut cum legimus, *homo & uxor ejus*, ſenſus eſt, *Adam & uxor ejus.* Porro Adami filia fuit Maria, ex qua natus ὁ Σωτὴρ, qui propterea dicitur *filius hominis.* ¶ *A filiis ſuis*] Hieron. annotat in quibuſdam Euangeliis legi, *ab operibus ſuis*, i. ἀπὸ τ῀ ἔργων αὐτ῀. *A filiis*, i. à diſcipulis, aut ab iis qui amant & quærunt ſapientiam, qui & אנשי החכמה *viri ſapientiæ* dicuntur, ut in lib. Selectarum ſententiarum, *Ne prohibete ſapientiam à viris ſuis*: ubi ſcholion hujuſmodi, *Qui amant ſapientiam & quærunt eam, vocantur viri ſapientiæ.* Sic *filii urbis* & *viri urbis.*

20. *Chorazim*] Χοραζὶν libri Græci, *Cherazain* Latini. Notatum autem in uno exemplari Græco inveniri Χορεζαΐν. Vulgatam lectionem firmant primum editio Syra, in qua כרזין, deinde interpretatio Hieron. *Chorezain, Hoc myſterium meum.* כר *ſic*, quod aliquando redditum per *hoc*; רז *myſterium meum*, τὸ μυστήριόν μου. Ita Nun in fine negligitur; quod non laudo. In lib. Locorum, *Chorezain, oppidum Galilææ, nunc deſertum, in ſecundo lapide à Capharnaum.* Scribi debet hoc nomen cum ν in fine. Male igitur *Chorezaim* cum μ in Synonymia Ortelii. Vide an ſit כיר, quod in Tharg. Jonathæ Deut. 3. 14. ubi in fonte הגשורי, & in Onkelo הגזראה, & in Jeroſolymitano קירית, ſi non eſt mendum. ¶ *Bethſaida*] Apud interp. noſtrum perperam legitur Joh. 5. 2. *Bethſaida* pro *Bethesda.* Nam *Beth-ſaida*, quod minus recte ſcribunt *Beth-zaida*, proxima erat ſtagno Genneſareth, cui Philippus Tetrarcha dignitatem civitatis attribuit, ac *Juliam* Ἰουλίαν appellavit: Autor Joſephus Orig. Jud. l. 18. c. 3. Accidit huic nomini quod aliis multis in vulgus notioribus, quæ ſæpe alia nomina minus nota loco pepulerunt, in eorumque locum, neſcio quo jure, ſucceſſerunt. Sic alibi *Bathuel* legitur pro *Phathuel*, & *Juda* pro *Jehu*, & *Ephrata* pro *Sarphath*: Quæ omnia culpam ſuſtinent manus aberrantis. Errorem autem perantiquum eſſe diſcimus ex Eucherio, in quo pag. 289. *Bethſaida, piſcina in Jeruſalem, in quam & agni deferebantur, ideo & Probatica, i. Pecualis, appellatur quod hoſtiæ in ea quondam ſacerdotes lavabant.* Quæ Euſebius de Bethesda ſcripſerat, ea corrupto nomine Bethſaidæ attribuit: nempe impoſuit ei vulgata ſcriptura. Interpretantur *Bethſaida*, *Domus venantium*; Hilarius Pſal. 13. *Domus venatorum*; item *Domus frugum*, Hieron. in Nom. de Matthæo. Venatores צידים dicuntur. ציד potius eſt *ferina*, cibatus ex venatione, h. e. θήρα, de qua voce Hier. in Quæſt. *Porro θήρα Venationem magis poteſt ſonare quam Fruges, tametſi moris ſit Ægyptiorum* θήρα *etiam Far vocare, quod nunc corrupte Atheram nuncupant.* Caninius, *Beth-ſaida eſt Domus piſcationis, h. e.* בית צידא, *ob crebra ſtagna & lacus.* Syrus habet בית צידא, & noſter, *Beth-ſaida*: & in aliquot Græcis Βηθσαϊδά, ſed in aliis Βηθσαϊδάν. Id ſonat *Domus venantium*, צידן pro צידין, per enallagen generum.

21. *In ſacco & cinere*] Saccum induebant, & cinere caput opplebant aut aſpergebant pœnitentes, qui in luctu erant ob præteritam vitam male tranſactam. Alioqui ſaccus, quem noſter interp. *cilicium* appellat, veſtis erat lugubris. Veteres etiam in cinere lugentes ſedebant, ut Job 2. 8. & Ulyſſes apud Homerum,

Ὡς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἵζεν' ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσι
Πάρ πυρί.

Priamum quoque Homerus mortem Hectoris lugentem in cinere ſediſſe narrat. Porro cilicium ſive ſaccum induebant etiam Prophetæ cum populum ad pœnitentiam hortabantur.

22. *Tyro*] Syris dicitur צור, quod hic legunt *Sor*, ſed male. Nam Syri carent vocali *o*. Legi ergo debet *Sur*, vel *Saur*. Hodie *Sur* vocatur: unde *Tur*, & *Tyros* Græca declinatione. Amant enim Sade cum Teth permutare, cui reſpondet τὸ Græcorum. *Turos, Tyrus*, ut *Suria, Syria.* Sic ex צור *premo* Græci fecerunt τυρεῖν *premere*, & τυρὸς *caſeus*, h. e. *preſſi copia lactis.* Dicebant etiam *Sur*, *o* in *a* mutantes, ut factum in טב *bonus* ex Ebræo טוב. Hinc *Sarra.* Unde Ennius Pœnos dixit *Sarra oriundos*, i. Tyro: & *Sarrana veſtis*, i. Tyria. Hujus & alias meminimus.

23. *Capharnaum*] Sic libri Latini edit. vulgariæ. Nam Græci codices variant. In aliis eſt Καπερναούμ, & in aliis Καφαρναούμ, quæ ſcriptura in omnes partes melior eſt. Syrus habet כפר נחום: unde claret ſcribendum eſſe *Capharnahum*, cum aſpiratione. Id ſonat *Villa Nahum.* Eſt autem *Nahum* proprium viri: quo nomine unus eſt ex minoribus Prophetis. Gr. ſcribunt Ναούμ, quia in medio non aſpirant voces. Hoc neceſſitatis eſt. כפר נחום Καπερναούμ, ut חקל דמא *Haceldama.* Nam *a* & *e* de facili permutantur. Jam vero malim Καφαρναούμ, *Capharnahum*: nam Caph vim habet *c* aſpirati apud Ebræos. Veteres tamen quandoque abjiciebant adſpirationem: unde *Cananæi* pro *Chananæi*, & *Capharſalama*, 1 Marc. 7. 31. quod in edit. Romana Χαφαρσαλαμά, i. *vicus pacis*: Nam כפר *vicus, villa, pagus.* In lib. Interpretationum Hieronymi, *Capharnaum, Ager, aut Villa, conſolationis.* Quæ etiam habentur in Origene Matth. 17. & tom. 10. in Joan. Hom. 8. Sed & Heſychius, Καπερναούμ, χωρίον Γαλιλαίας. כפר *ager, villa*, χωρίον. Hoc ſe tueri poſſet. Cæterum *conſolatio* non נחום, ſed נחמה dicitur. Rurſum Hieron. Matth. 1. *Capharnaum interpretatur, Villa pulcherrima.* Non נאה, ô bone, aut

נעים

כפר eſt in ſcriptura Ebraica, ſed כמר. Id non poteſt ſignificare quod tu interpretaris: Quanquam tecum ſentiat Chryſoſtomus: Nam Hom. 5. in Marc. *Capernaum*, inquit, *interpretari poteſt & Ager conſolationis, & Ager pulcherrimus.* Videtur eſſe vicus ille cujus meminit Joſephus in Vita ſua, quem vicum *Cephernoma* vocat non procul à fine. Si legas *Cepharnaama* unius literæ immutatione, poterit exponi *Vicus conſolationis*, ut ſit נחמא pro נחמה. Quem *vicum* interpretantur, alii *oppidum* appellant, ut Euſebius in lib. Locorum, *Capharnaum, juxta ſtagnum Geneſareth, uſque hodie oppidum in Galilæa gentium ſitum, in finibus Zabulon & Nephtalim.* Vide ſupra 4 13. ¶ *Numquid uſque in cœlum exaltaberis*, &c.] Hieron. teſtatur ſe in altero exemplari inveniſſe, *qua uſque in cœlum exaltata es, uſque ad inferna deſcendes.* Quam lectionem etiam Syrus expreſſit. Utraque reperitur in cod. Græcis. Vulgatior tamen quæ poſterior. Borchardus monachus, Deſcript. 3. c. 4. autor, hanc urbem, quæ tempore Chriſti potens erat, ſuo tempore vix octo tugoria habuiſſe: Nam deſolata penitus tunc erat, ut etiam Chorozain. Hanc urbem Chriſtus nobilitavit converſatione ſua. Hinc inter ipſius patrias numeratur.

25. *Reſpondens*] *Locutus*, aut *continuans orationem*, vel, ſi mavis, *continuato ſermone.* Verbum ענה, cui reſpondet Græcum ἀποκρίνομαι, frequens eſt hoc ſignificatu in Jobo & Daniele. Loca proferrem, ſi res hodie controverſa eſſet. Quod nemo negat, id probationis non indiget. ¶ *Parvulis*] Νηπίους vocat, meo judicio, non infantes, i. עוללים, ut Pſal. 8. & infra 21. 16. ſed תמימים qui ſunt homines ſimplices, minimeque mali & imperiti rerum quos & ἀκάκους appellant, paret ex antitheſi. Sane vocabulo νηπίων utuntur LXX in declaratione פתי, cum alibi, tum Pſal. 19. 7. & 115. 6. Sed & Symmachus Prov. 1. 4. edidit νηπίοις, ubi Senes ἀκάκοις, & Aquila ἠλιθίοις, & Theodotio ἀπατεῶσι, *qui ſunt decepta faciles.*

30. *Onus meum leve eſt*] Non quale onus Legis, in quo multa præcepta gravia, quæ homines portare non poſſunt. *Levia præcepta* Ebræi vocant מצות קלות, ut *gravia* חמורות. *Levia* autem dicuntur, vel quod facilia portatu ſint, vel quod vili pretio comparentur, vel denique quod ſine labore ac moleſtia cuſtodiantur. Vide lib. Muſar 117. 1. Inter levia præcepta Legis recenſent צדיה & סכה *tabernaculum*; & inter graviſſima, *Honora patrem & matrem.* Leviſſimum autem omnium eſt Emiſſio nidi; cujus utriuſque merces longitudo dierum, 117. 2.

CASAUBONUS.

16. Ἰδοὺ ἄνθρωπος φάγος] Recte Beza, *Ecce homo edax* potius quam *vorax* cum Vet. interprete, aut cum Eraſmo *comedo.* Gloſſ. Φάγος, *edax.*

21. Οὐαί σοι Χοραζίν] Alteram lectionem Χοραζείν, quam Vet. interpres agnoſcit, confirmat Hieronymus, qui ſua ætate deſertum fuiſſe ait, in ſecundo lapide à Capharnaum.

23. Καὶ σὺ Καπερναούμ] Hujus quoque vocis alteram lectionem quæ etiam eſt apud Veterem, Καπερναούμ, agnoſcit Hieronymus, & alii præterea veteres, ut Nonnus in paraphraſi Johannis.

CAMERO.

11. Οὐκ ἐγήγερται ἐν γεννητοῖς γυναικῶν] Officium Joannis Baptiſtæ fuit parare viam Domino: hoc autem obſtabat quominus via eſſet parata, nempe ignorantia Euangelii, quæ partim affectata fuit vitio ſeculi, partim ſimplex ob obſcuritatem Prophetiarum. Et vitium quidem ſeculi debuit Johannes expugnare *in ſpiritu Eliæ*, qui ſpiritus fuit terrificus & minax: Itaque Johannis conciones ſunt minaces & terrificæ; unde etiam vocatur *concionator pœnitentiæ*, Marc. 1. 4. cujus ſymbola erant victus & amictus, & locus ipſe in quo prædicabat, nempe deſertum. Debuit autem afferre novam lucem, atque ita ſimplicem ignorantiam ortam ex obſcuritate vaticiniorum tollere, juxta vaticinium Zachariæ patris de eo, *Tu autem, puerule, Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, ut pares viam ejus, & des cognitionem ſalutis populo ejus per remiſſionem peccatorum:* ubi tota Euangelii doctrina eſt propoſita. Tamen doctrina Johannis non fuit perfecta, quia hæc omnia faciebat ut excitaret deſiderium adventus Meſſiæ: itaque in concionibus ſuis ſemper ablegat ad Meſſiam. Doctrina itaque illius neque fuit, quoad circumſtantias, doctrina Legis & Prophetarum, quanquam ſubſtantia eadem fuit; neque fuit doctrina illa quam Chriſtus & Apoſtoli annuntiarunt, ſed medium quid, ut docet ipſe Chriſtus, Luc. 16. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Johannem: ab eo tempore regnum cœlorum euangelizatur.* Itaque dicitur hic *ſummus Prophetarum*, & tamen *minimus in regno cœlorum* dicitur *eo eſſe major.* Summus quidem omnium Prophetarum, quia Chriſtum vidit, & oſtendit digito, dicens, *Hic eſt agnus Dei qui tollit peccata mundi:* Minimus tamen in regno cœlorum dicitur eo eſſe major, quia non potuit Chriſtum mortuum, & à mortuis ſuſcitatum, & in cœlum evectum prædicare, quod fecerunt Apoſtoli & quotquot eos ſecuti ſunt Eccleſiæ Doctores.

12. Βιάζεται] Regnum cœlorum *vim pati* hoc loco dicitur, quod prædicatione Johannis Baptiſtæ excitatum ſit vehementiſſimum deſiderium illius regni, quod antea languidum fuit. Idem ergo eſt ac ſi dixiſſet, *A diebus Johannis Baptiſtæ ſunt qui adeo ardent regni cœlorum deſiderio ut non patienter ferant exſpectationem:* quomodo etiam decet nos vim inferre regno illi futuro quod exſpectamus in cœlis. Regnum itaque cœlorum hic non tanquam præſens ſed tanquam mox futurum venit intelligendum, nempe poſt Chriſti aſcenſum in cœlum, & Spiritus S. miſſionem in Apoſtolos; tum enim proprie cœpit *regnum cœlorum*, h. e. Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatus atque conſtitutio.

21. Εἰ ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι] Hyperbole eſt, cujus ſententia ſimplex hæc eſt, *Tyrios & Sidonios multo minus graviter peccaſſe quam Chorazaitas & Bethſaiditas, itaque fore ut & minus graviter plectantur.* Nam quod nonnulli ajunt, Deum prævidiſſe aſſenſum futurum Tyriorum & Sidoniorum modo illa ſigna patrata fuiſſent inter eos, longe diſcedunt à Chriſti ſcopo, qui hoc tantum vult eo loco demonſtrare, *Chorazaitas & Bethſaiditas peſſimos fuiſſe.* Etenim quis eſt adeo impudens, ut ſi Tyrii & Sidonii erant aſſenſuri miraculis quibus miſeri incolæ Chorazin & Bethſaida non fuerunt commoti, tribuere velit hoc externo objecto, non efficaciæ & energiæ Spiritus aperientis cor, i. mentem, ut videat quid illa miracula & quantum portendant? *Paulus* enim *plantat*, *Apollo rigat*, prædicat uterque & miracula edit, *Deus tamen eſt qui dat incrementum*; i. qui efficit ut utriuſque prædicationi & miraculis aſſenſus præbeatur. Deinde vero etiam non (quod illi volunt) ſic vindicatur juſtitia Dei, ne ex hypotheſi quidem ipſorum: ſic enim ſtatuitur Deus negaſſe objecta externa quibus excitari potuiſſet conſenſus in nobis, quod eſt affine blaſphemiæ. Nam ſi tales ſumus ut objecto externo aſſentiamur ſi objiciatur, eſt in nobis bonitas quædam, quæ quod ſe non prodidit, id profectum eſt non ex ſubjecti culpa, ſed ex objecti defectu.

25. Ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις] *Infantilis ætas* hac voce hic notata ſignificat illam animi imbecillitatem quæ eſt imperitia rerum humanarum, quæ non deputatur in vitio. Atque huc reſpexit Apoſtolus, 1 Cor. 1. 26. *Videte vocationem veſtram, vos videlicet non eſſe multos ſapientes ſecundum carnem, multos potentes, multos nobiles.* Sunt tamen qui intelligi volunt hac voce νηπίοις, eos qui præditi ſunt ea humilitate quæ virtus eſt, ut eludant argumentum quod ex eo loco ſumitur ad aſſerendam Dei libertatem in horum vocatione ad ſalutem: Quorum gloſſema refelli poteſt his argumentis; Primo, Gratia Chriſti non invenit humiles, ſed facit; hæc eſt & fuit ſemper Eccleſiæ vox. Deinde, Non agitur hoc loco de incremento agnitionis Chriſti, quod nos fatemur præcedere humilitatem; ſed de primo agnitionis Chriſti initio ſeu momento: nam inquit Chriſtus hoc loco, *Nemo novit Patrem niſi Filius, & is cui voluerit Filius revelare.* Tertio, Cum Chriſtus hic reddit rationem cur Pater ſe voluerit potius his quam illis revelare, non aliam adfert quam Patris εὐδοκίαν: At non erat opus recurrere ad εὐδοκίαν, ſi cauſa quæ Patrem incitat ut ſe potius conſpicuum exhibeat his quam illis, poſita eſt in iſtorum humilitate & illorum ſuperbia. Certe non eſt res quæ poſſit hominis animum rapere in admirationem, cujus ratio alia præter Dei voluntatem reddi poteſt. Hoc illud eſt quod ſolet humana ratio mirari, cur Deus abjectis ſe revelet, Magnates autem prætermittat: at cur ſe potius manſuetis quam ſuperbis revelet non miratur ratio. Denique, *Non vos me elegiſtis*, inquit Chriſtus, *ſed ego vos elegi*, Johan. 15. 16. Diſcipuli de Chriſto ne cogitabant quidem; & ideo Chriſtus eos elegit quod eſſent viles & contempti in ſeculo: nam placet Deo hominum ſuperbiam conculcare. Itaque & B. Virgo, Luc. 1. 48. ait, *Reſpexit Deus τὴν ταπείνωσιν*, h. e. *humilem conditionem, ancillæ ſuæ.*

28. Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες] Compellat Chriſtus eos qui ſub Lege anhelabant, & ex Legis operibus ſalutem & juſtitiam conſequi ſatagebant: *Juſtitiarios* uno verbo, qui operoſam illam Phariſæorum juſtitiam ſectabantur, quorum φορτίου alibi memoratis Euangelium hic opponit.

GUALTPERIUS.

21. Ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετανόησαν] Σάκκος *Saccus.* Syr. בסקא *beſicca.* Hebræis פש *Sach.* Germanis Ein Sack. Manet igitur hæc vox in linguis principibus eadem. *Cinere autem aſpergi & ſacco operiri antiquos conſuevisse in gravioris luctu, adeo frequenter in S. literis occurrit ut opus non ſit pluribus probare.* Trem.

JAC. CAPPELLUS.

14. ET *ſi vultis recipere, ipſe* Johannes *eſt Elias ille qui venturus erat*] q. d. Si velletis veritatem admittere, agnoſceretis Johannem eum eſſe quem Malachias vocat Eliam 4 5. Hanc eſſe Chriſti mentem patet, quia perverſitas hominum non obſtat quo minus res in ſe ſit vera, ſed obſtat quo minus ab iis admittatur ut vera. Malachiæ vero prædictionem intelligendam de Johanne fuſius demonſtramus in Luc. 1. 16, 17. Matth. 17. 10, 11, 12.

21. *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro Sidoneve fuiſſem edita virtutes quæ ſunt apud vos edita, olim ſacco & cinere* cooperti *reſipuiſſent*] q. d. Tanta veſtræ pravitatis eſt contumacia ut mea miracula nec ad internam converſionem vos commoverint, nec ad externam, quam certe pauciora miracula potuiſſent à Tyriis & Sidoniis extorquere. Sic Achabum cum Pharaone ſi compares, neutrius quidem converſio fuit interna, ſincera, ſeria; in hoc tamen Achabo deterior fuit Pharaonis converſio qualiſcunque tandem illa fuit, pluribus miraculis & interminationibus extorta fuit quam Achabi converſio.

30. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*] Non eſt oneris quod à Chriſto nobis imponitur ea ratio quæ oneris quod à Salomone vel alio Rege terreno ſubditis imponitur. Quod à Rege terreno vel à lege ceremoniali ſubditis imponitur, id certe gravat ſubditos & quantumvis dociles ſint ac obſequioſi, nihilominus exhauriunt eos tributa, gravant eos onera, quæ Principibus ſuis præſtare tenentur, alia quidem plus alia minus, ut & alium plus alium minus; nemo tamen eſt cui non oneri ſit illa præſtatio. Oneris autem quod à Chriſto nobis imponitur hoc eſt ingenium, ut ejus bajulatio, obſequii, quod à nobis requirit Chriſtus, præſtatio, præſtantem non depauperet ſed locupletet, non gravet ſed levet, non enecet ſed corroboret. Vide 1 Johan. 5. 3. Nobis quidem durum videtur legis moralis jugum, ſed noſtro non ſuo vitio nobis id durum eſt & δυσβάστακτον· quoties vero Spiritu Chriſti vires præſtante damus operam Legis obſervationi, toties ſentimus corda noſtra non enecari, ſed exonerari peccati pondere, quo nullum eſt gravius. Chriſti crux gravis videtur: quibus tamen datum non tantum in Chriſtum credere ſed & pro Chriſto pati, ii ſentiunt voluptate perfundi ſua corda quod digni ſint habiti qui pro Chriſto paterentur & ejus inſignia ferrent, Actor. 5. 41. Rom. 5. 3. Et præterea non omnes ad crucem vocat Chriſtus, & mandata moralia Legis potius quam Chriſti jugum proprie dictum reſpiciunt. Quodnam igitur eſt jugum Chriſti proprie dictum? Fides. Ea certe regeneratis à S. S. non eſt oneri ſed levamento, quantumvis ab homine carnali præſtari nullo modo poſſit. Rurſus jugum Chriſti dici poteſt id quod opponitur jugo Legis, cultus videlicet ille ſpiritualis quem Chriſtus ſubſtituit ceremoniali, prout ipſe prædixit Joh. 4. 23. Cum autem admodum eſſet durum & grave legis Moſaicæ jugum, prout teſtatur Petrus Act. 15. 10. certe ſpiritualis cultus, quem Moſaico ſubſtituit Chriſtus, nobis videri debet admodum gratus & levis.

LUD. CAPPELLUS.

24. ΟΤΙ γῇ Σοδόμων ἀνεκτότερον ἔσται] Simplex Chriſti mens hæc eſt, Capernaumi & reliquarum illarum civitatum incolas non minus impios fuiſſe Sodomæis, neque minus horrendum commeruiſſe à Deo ſupplicium. Quod autem de illis hic pronunciat Chriſtus, idipſum paulo aliis verbis dicit Joſephus, de Hieroſolymitanorum ſeditioſorum & zelotarum improbitate loquens, lib. 5. De bello Jud. c. ult. Οὐκ ἂν ἁπάσαις ἁλοίμην εἰπεῖν, inquit ille, ἃ μοι κελεύει τὸ πνεῦμα. Οἶμαι Ῥωμαίων βεβουλεῦσθαι ὅπως ὄντως ἀλιτηρίους, ἢ κατακλύσαι ἂν ὥσπερ χάσμασι, (quomodo ſcilicet olim Core, Dathan, & Abiram) ἢ κατακλυσθῆναι πάλιν, (quomodo nempe in diebus Noæ totus orbis Diluvio periit) ἢ πῦρ ἐπὶ Σοδομίτας μετακλῆσαι κεραυνούς, (h. e. inſtar Sodomorum ſubvertendam fuiſſe) πολὺ γὰρ ἐπὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἤνεγκε γνώμην ἀθεότητος.

26. Ναὶ ὁ πατήρ, ὅτι οὕτως εὐδοκία ἐμπροσθέν σου] Phraſis eſt & formula paſſim in Euchologiis Judæorum obvia, רחי רצון מלפנך יהוה, quæ ad verbum ſonat, γενηθήτω εὐδοκία ἐμπροσθέν σου, κύριε. Nam רצון paſſim à LXX redditur εὐδοκία, & רצה εὐδοκεῖν. Vox autem illa רצה ſign. *vehementer velle, & delectari re aliqua, cum ea nobis admodum placet & ablubeſcit.* Itaque commode ſic reddi poſſint ita Chriſti verba, *Ita eſt, ô Pater, quia ita tibi placuit*, vel *libuit.*

29. Ἄρατε τὸν ζυγόν μου ἐφ' ὑμᾶς] Phraſis eſt Rabbinica Judæis familiaris, quam Chriſtus ideo uſurpavit utpote notam & vulgarem. In Machazor fol. 54 a. ubi de beatis Angelis loquitur, כלם מקבלים עליהם עול מלכות שמים, *Omnes*, inquit, *illi*, nempe Angeli, *ſuſcipiunt in ſe jugum regni cœlorum*, h. e. Deo ſe præbent obſequentes. Idem plane iiſdem verbis habetur in Seder Tephilloth Luſitanorum, p. 116. ubi obſervandum vocem שמים iſthic reddi ab interprete lingua Luſitanica, *el criador*, h. e. Creator; ut *regnum Cœlorum* Judæis dicatur *regnum Dei.* Chriſtus ergo cum hic dicit, *Tollite jugum meum*, alludens ad formulam & phraſim illam Judaicam, non modo hoc vult, *Eſtote mihi obſequentes, ſubjicimini mihi quomodo Deo ſubjiciuntur & obſequuntur Angeli beati*, ſed & tacite hoc vult innuere, Jugum illud regni cœlorum, quod illi ſolebant profiteri ſe velle in ſe ſuſcipere, eſſe jugum ſuum; neque eos poſſe revera in ſe ſuſcipere jugum regni cœlorum, niſi ſe ſibi ſubjicerent, ſeque & mandata ſua reciperent. Exſtat & phraſis illa in Miſna, Maſſecheth Berachoth, c. 2. §. 2. ubi diſtinguitur עול מלכות *jugum regni cœlorum* à עול מצות *jugo mandatorum.* Sic enim habet Miſna, *Cur præcedit* (in precularum ſcilicet recitatione) AUDI ISRAEL, *illud* ERITQUE SI OBEDIVERIS, *&c. niſi quia* יקבל עליו עול מלכות שמים תחלה ואחר כך יקבל עליו עול המצות *ſuſcipit quæ in ſe primo jugum regni cœlorum, tum vero deinde ſuſcipit in ſe jugum mandatorum*, h. e. uti videtur, Oportet aliquem profiteri primo religionem Judaicam; quod fit recitatione formulæ illius, *Audi Iſrael*, quæ compendio capit ſummam fidei Judaicæ, eſtque illis veluti breve ſymbolum fidei ſuæ; tum vero ubi eam profeſſus eſt, oportet eum vivere juxta mandata Legis quæ Judæis à Deo data eſt.

GROTIUS.

1. Ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν. *in civitatibus eorum*]. Id eſt, Judæorum. Ita ſolent, Hebræi & noſtri Scriptores eos ſecuti, relativos ponere, etiam cum nomen nullum anteceſſit, dum tale ſit quod facile poſſit ſubintelligi. Occurret infra in Luca aliquoties; ita in Pſalmo XCIX, 8. Sic infra XII, 9. ἦλθεν εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν [*venit in ſynagogam eorum*]. Similiter Lucæ IV, 15. poſitum eſt ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν [*in ſynagogis eorum*]. Vide & Lucæ 5. 17.

2. τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ, *opera Chriſti*] Facta nimirum cum veteribus de Chriſto oraculis apertiſſime congruentia, quorum teſtes oculatos volebat eſſe diſcipulos ſuos, ut etiam vinctus, quatenus poterat, defungeretur mandato ſibi Indicis munere.

3. ὁ ἐρχόμενος, *qui venturus*] Ille de quo verbum illud *veniens* uſurpavit Jacobus, Geneſeos XLIX, 10. & Eſaias XXXV, 4.

4. ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ, *renuntiate Joanni*] Ut ipſe, cui vos fidem adhibetis, dicat vobis, quid de eo quiſque ſit facturus Prophetæ dixerint. Ita propoſitio erit certiſſima, nixa Divina auctoritate; aſſumtio quoque indubitata, quippe conſtans oculata fide: unde conſecutionis neceſſitate ſequetur illatio quæſtionem definiens.

5. νεκροὶ ἐγείρονται, *mortui reſurgunt*] Verum eſt quod Judæi proverbio celebrant, *Deum promiſſa beneficia præſtare non contentum, aliquid ad cumulum addere.* De cæcis, ſurdis, claudis ſanandis, vaticinatus erat Eſaias, & Pſalmographus Pſalmo CXLVI, 8. Addidit Deus, quod amplius eſt, mortuorum reſuſcitationem. ¶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται· *pauperes evangelizantur*] עני, quod ejuſdem eſt originis cum עני, non ſemper animo mitem ſed ſæpe ſorte humilem atque abjectum ſignificat; præſertim apud Eſaiam. Nam & cap. XI, 4. עני ארץ ſunt iidem quos דלים vocat, id eſt, *pauperes.* Non male igitur Septuaginta illud Eſaiæ LXI, 1. לבשר ענוים verterunt εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς [*Evangelizari pauperibus*], quos hic ſequitur Matthæi interpres & Lucas IV, 18. Ex eiſdem Eſaiæ verbis certum eſt εὐαγγελίζονται [*evangelizantur*] hic ſumendum paſſive; ut ſolent Græci paſſiva formare etiam ab activis dativum regentibus, cum εὐαγγελίζω [*evangelizo*] etiam cum accuſativo reperiatur. Sic infra ponitur vox ἀληθεύω ut

[*mini-*

[*miniſtrari*], xx, 28. Sed præcipue videtur Chriſtus hoc vaticinio uti ut oſtendat quantum ſua docendi ratio diſtet à moribus Doctorum ſui ſeculi. Nam Legiſperiti vix quemquam niſi magno pretio docebant, contemnebant plebem, quam vocabant *populum terræ*; imo proverbium repererant & ſtultum & ſuperbum, *Spiritum non requieſcere niſi ſuper divitem.* Olim Prophetæ ad Reges potiſſimum mittebantur, Chriſtus piſcatoribus ſe primum patefecit.

6. *μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί. non fuerit ſcandalizatus in me*] Non offenſus fuerit ſtatu meo humili ac paupere & imminentibus mihi vexationibus. Vide infra xxvi, 31. 1 Cor. 1, 23.

7. *κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον; arundinem vento agitatam*] Senſus eſt, Habuiſtis puto cauſam aliquam ob quam tanto ſtudio in loca illa deſerta cucurriſtis. Neque enim credibile eſt vos coiviſſe ut arundines vento agitatas videretis. Hoc ideo, quia extra Johannem nihil ferme aliud iſtis in locis erat ſpectare.

8. *μαλακοῖς ἱματίοις, mollibus veſtibus*] Sericis: nam ſerica *molles lanæ* etiam Virgilius dixit. Sericorum autem tanta erat caritas ut auro contra penſarentur. ¶ *ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν. in domibus Regum ſunt*] Non in locis deſertis: quare ne iſta quidem concurſus veſtri cauſſa eſſe potuit.

9. *προφήτου; Prophetam*] Etiam Gorionides Johannem hunc *Prophetam* vocat.

10. *ἄγγελόν μου, Angelum* ſive *nuntium meum*] מלאכיכם ἄγγελοι dicebantur non quivis Prophetæ, ſed qui de re magna à Deo ad populum erant legati, ut Moſes, Num. xx, 16. Aggæus i, 13. & ille unde hoc vaticinium ſumtum eſt, Malachias, cujus nomen ipſum ἄγγελον ſignificat; unde factum eſt ut Chriſtiani veteres ſæpe eum Græce Ἄγγελον [*Angelum*] quaſi proprio nomine appellent. Dictus eſt eodem vocabulo in Eccleſia Chriſtiana ὁ τῆς πρεσβυτερίου προεστὼς [*princeps presbyterii eccleſiaſtici*], ut qui Dei nomine verba ad populum facere ſoleret; quod ſcilicet eundem locum in Eccleſia obineret quem in Templo Magnus Sacerdos, qui & ipſe מלאך, id eſt, ἄγγελος [*nuntius* ſive *Angelus*], dicitur, Malachiæ ii, 7. Diodorus Siculus de Judæis citatus Photio, Ἀρχιερέα τοῦτον προσαγορεύουσι, καὶ νομίζουσιν αὐτοῖς Ἄγγελον γνῶσθαι τοῦ θεοῦ προστάγματος [*Vocant hunc Summum Sacerdotem, & exiſtimant eum ſibi nuntium eſſe Dei juſſum*]. ¶ *πρὸ προσώπου σου, ante faciem tuam*] Apparet hinc etiam verba Prophetarum non citari à Chriſto κατὰ λέξιν [*verbotenus*], ſed ita ut voces interdum mutentur manente ſententia; quomodo & apud Græcos ſæpiſſime citantur Homeri verſus mutata perſona aut modo verbi. Nam apud Prophetam dictio ad populum dirigitur, hic ad ipſum Meſſiam; & quod hic eſt ἔμπροσθέν σου [*ante te*], apud Prophetam ἔμπροσθέν μου [*ante me*]. ¶ *ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου, qui præparabit viam tuam*] Deſcribitur officium metatoris: quam vocem Romanam ita exponit Suidas, μετάτωρ, ὁ προαποστελλόμενος πρὸ βασιλέως [*qui mittitur ante Principem*]. Confer quæ ſupra iii, 3. ex Eſaia.

11. *ἐγήγερται, ſurrexit*] Notanda ſermonis proprietas. Nam Prophetæ proprie dicuntur ἐγείρεσθαι [*ſurgere*], Lucæ vii, 16. Johannis vii, 52. ¶ *ἐν γεννητοῖς γυναικῶν, inter natos mulierum*] Senſus eſt, Major Johanne nullus ante ipſum Propheta humano generi apparuit. Ita apud Lucam dicto loco, Προφήτης μέγας ἐγήγερται ἐν ἡμῖν [*Propheta magnus ſurrexit in nobis*], id eſt, *apparuit in medio noſtri.* Neque aliud eſt apud Lucam in hac ipſa narratione εἶναι ἐν γεννητοῖς γυναικῶν [*eſſe inter natos mulierum*] quam *in rebus humanis eſſe*, aut *ab hominibus conſtici.* Sic Jobo xiv, 1. xv, 14. xxv, 4. homo dicitur אדם ילוד אשה γεννητὸς γυναικὸς [*natus de muliere*], apud Sirachiden x, 17. γέννημα γυναικός [*natio mulierum*]. ¶ *ὁ δὲ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, qui autem minimus eſt in Regno cælorum*] Id eſt, in prædicatione Regni cœleſtis; quod antehac adumbratum non aperte annuntiatum à Prophetis fuerat. Comparatio tota eſt in ipſo dono Prophetiæ, quod Lucas apertius expreſſit. Quanto ergo Johannes præſtitit omnibus ante ſe Prophetis, tanto Prophetæ Novi Federis, etiam infimi, anteſtabunt Johanni, nimirum amplitudine notitiæ de liberatione humani generis: Namque id ante Johannem myſterium fuit, Johannis tempore cœpit illuceſcere, poſt Chriſti paſſionem & reſurrectionem, & miſſum Spiritum ſanctum, meridiana luce clarius patuit. Sic infra xiii, 17. ait Chriſtus multos Prophetas optaſſe ea poſſe videre quæ videnda dabantur Diſcipulis ſuis. Μικρότερος [*minor*] hic eſt ἐλάχιστος [*minimus*], ut & apud Luc. ix, 48. Nulla igitur neceſſitas nos cogit ad duos hanc comparationem reſtringere, ut inde porro colligamus Chriſtum de ſe ipſo hic agere. Nam quod affirmat vir harum rerum peritiſſimus, μείζων [*major*] & μικρότερος [*minor*] niſi adſit expreſſum nomen pluralis numeri ſemper de duobus dici, in eo ipſum falli docemur verbis infra poſitis xviii, 1. ubi ſine plurali eſt Τίς ἄρα μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν; [*Quis, putas, major eſt in Regno cælorum?*] neque tamen ibi inter duos comparationem ſiſti, apertius eſt quam ut probationis indigeat.

12. *βιάζεται, vim patitur*] Magno concurſu hominum invaditur. Olim populus vetitus βιάζεσθαι [*involare*] ad montem Sinæ ſcandendum: eſt enim ea vox in verſione Græca Exodi xix, 24. Nunc id licet in montem illum μυστικώτατον [*maxime myſticum.* ¶ *βιασταί, violenti*] Oſtendit Chriſtus magno opus eſſe animo his qui poſſeſſionem velint adipiſci Regni illius cœleſtis, quod à Prophetis obſcurius prædictum, à Johanne propius indicatum, ab ipſo Chriſto apertiſſime erat revelatum. Sic Joſuam Deus ad invadendam Cananæam, Regni cœleſtis imaginem, *forti & intrepido eſſe animo* jubet, Joſuæ i, 6, 7, 9.

13. *ἕως Ἰωάννου, uſque ad Joannem*] Non hoc vult, cum adventu Johannis emortuam Legem; debebat enim illa durare uſque ad ſolennem illam miſſionem Spiritus ſancti: neque, nulla vaticinia ultra Johannem extendi; ſunt enim quæ ad poſtremum urbis Hieroſolymorum excidium pertinent: ſed Meſſiam illum novi Regni Principem, quem Legis ceremoniæ adumbraverant, Prophetæ prædixerant, & doctrinam perfectiorem ſimul cum Johanne & per Johannem cœpiſſe cognoſci. Vide quæ ad Lucam.

14. *εἰ θέλετε δέξασθαι, ſi vultis recipere*] Si patimini verum vobis dici. ¶ *Ἠλίας, Elias*] Elias corruptiſſimis temporibus nullo periculo abſterritus eſt quominus Regi omnique populo peccata ipſorum ob oculos poneret. Idem *ſpiritus ac virtus*, id eſt, fortitudo eadem, in Johanne apparuit. Ob hanc ζῆλον [*zelı*] eminentiam Judæi animam Phineæ in Eliam venuſſe fabulabantur. Sed à veteſtioribus dictum puto fuiſſe, *Eliam veniſſe in ſpiritu Phineæ*, quomodo Johannem venturum in ſpiritu Eliæ dicit Angelus Lucæ i, 17. ¶ *ὁ μέλλων ἔρχεσθαι. venturus*] Ἐρχόμενος, ut modo de Meſſia commate 3. aut μέλλων ἔρχεσθαι, ut hoc loco, ſignificat officium certo Dei decreto præfinitum.

15. *Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω, qui habet aures audiendi, audiat*] Ἐπιφώνημα, quo [*acclamatio*, qua] Chriſtus & eum ſecutus in Apocalypſi Johannes ſæpiſſime claudunt pronuntiata ſua de rebus magni momenti. Lucas alibi ita explicat, θέσθε εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν τοὺς λόγους τούτους [*ponite in aure veſtra ſermones iſtos*]. Talia apud Poëtas,

Audire eſt operæ pretium;

Et

—— *Audite atque animis advertite veſtris.*

Aures autem hic aliiſque locis per tranſlationem poſitæ ſunt ad ſignificandam intellectivam facultatem, quomodo & *mentis oculos* dicimus. Hierocles agens de malis affectionibus, Τούτων δὲ λύσις μία ἡ πρὸς Θεὸν ἐπιστροφή, ἣν ἐξευρίσκειν εἰ τὸ ὄμμα τῆς ψυχῆς καὶ τὸ οὖς πρὸς τὰ τῶν ἀγαθῶν ἀνάληψιν ἐπιτήδειον [*Ab his una libertatis via, ad Deum converſio, quam inveniunt qui animæ oculum & aurem ad rerum bonarum perceptionem excitant*]. Erat autem res de qua agit Chriſtus maxime notanda, vel ideo quod tota Prophetia in illis ipſis verbis deſierat, & quando poſt longi temporis interniſſionem inſtauranda eſſet indicium fecerat. Judæi autem ſicut Prophetiæ privilegio maxime gloriabantur, ita ejus jacturam graviter ferebant.

16. *Τίνι δὲ ὁμοιώσω, Cui autem ſimilem æſtimabo*] Exordium familiare Judæis parabolam inceptantibus, ut apparet tum ex Thalmudicis libris, tum Marci iv, 30. Lucæ xiii, 18, 20. ¶ *γενεᾷ, generationem*] Hominum genus certo tempore ac loco circumſcriptum. Ita *ferream prolem* in Arateis dixit Cicero. Proprie autem de Phariſæis & Legiſperitis agi docemur Lucæ vii, 30. ¶ *ὁμοία ἐστὶ παιδίοις, ſimilis eſt pueris*] Semel notandum eſt quia ſæpe occurrit, vim iſtius dativi non eſſe ut denotet ipſum comparationis terminum, qui plerumque non illa proxima voce ſed tota inſequenti narratione continetur. Neque enim Judæos Chriſtus comparat illud puerile carmen in foro cantantibus, ſed potius carmen illud in ipſos ait quadrare. Sic infra xiii, 24. dicitur *Regnum cælorum ſimile eſſe ſatori*, cum tamen non ſatorem Regno comparet Chriſtus, ſed rem Regni cœleſtis ita ſe habere dicat quaſi aliquis ſerat, & deinde quæ ſequuntur eveniant. Sic & alibi idem Regnum dicitur *Regi eſſe ſimile.*

17. *ἐθρηνήσαμεν· ſaltaſſe*] Sapienter præfatur Æmilius Probus ad Vitas virorum illuſtrium, leve multis viſum iri quod in Epaminondæ virtutibus commemoretur ſaltaſſe eum commode. Sed reſpondet hoc ſe ab iis demum exſpectare qui expertes Græcarum literarum nihil rectum niſi quod moribus ipſorum conve-

niat

niat putent. Addit talia non omnibus honeſta eſſe atque turpia, ſed ex majorum inſtitutis judicari. Judæorum hac in parte mores Græcis quam Romanis propiores fuere. Neque enim turpe illis viſum fuit publica aut privata gaudia tam ſaltatione quam cantu teſtari: quo refero τὰς σαυτήρας τῶν παίδων [*ſaltationes in victorias uſitatas*], quarum mentio apud Joſephum Originum XII, 12. Quin hodieque Judæi tum in conventibus ſacris tum in nuptiis uſurpant motus quoſdam ſatis inconditos, abolita pridem apud ipſos veteris harmoniæ memoria. Quanquam autem Chriſtianos maxime deceat gravis perſona, ac proinde non dubitem etiam in rebus ejuſmodi Romanos mores præ Judaicis ac Græcis ipſis antiquitus placuiſſe, tamen non indignum notatu eſt quæ in Synodis antiquis ea de re conſtituta ſunt, non tam ad mera tripudia quam ad molles mimicaſque geſticulationes pertinere. ¶ ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε. *Lamentavimus, & non planxiſtis*] Θρηνεῖν eſt *feſſum facere* aut *naniam canere*, ut ſolebant apud Romanos præficæ, ad quarum κιλάδημα [*ſonum pravum*] plangebatur. Scriptor de Mundo, καθάπερ ἐν χορῷ κορυφαίου κατεξάντος σωστικὴ πᾶς ὁ χορὸς [*ſicut in choro præeunte præcentore grex ſuccinit*]. Appianus Civilium ſecundo, poſt relatum Antonii feſſum ſuper morte Cæſaris, ἐφ' οἷς ὁ δῆμος, οἷα χορὸς, αὐτῷ πενθητικῷ συνῳδύρετο [*ad quæ populus, in chori modum, triſtiſſime ei adlamentabatur*]. Ita apud Euripidem & Senecam feſſu præit Hecuba, ſequuntur Troades, quarum planctum his verſibus Seneca deſcribit,

Tibi noſtra ferit dextra lacertos,
Humeroſque ferit tibi ſanguineos:
Tibi noſtra caput dextera pulſat.

Plane morem apud Judæos ſimilem obtinuiſſe tum ex hoc loco diſcimus, tum ex Joſepho, qui Belli Judaici tertio, mercede conductos ait αὐλητὰς οἱ θρήνων ἐξάρξων [*tibicines qui feſſu præirent*]. Euſtathius ad Iliados ultimum, βαρβαρικὸν οἱ τῶν θρήνων ἐξάρχοι ἀοιδοί [*Barbaricus mos eſt ut cantores feſſu præeant*]. Eſt autem dictum huic noſtro ſimile quod ex R. Papa in Gemara refertur, *Ploravi tibi, ſed animum non advertiſti; triſti tibi, ſed non curaſti: va tibi, qui bonum malumque non internoſcis.*

19. Φάγος, *vorax*] *Comeſſator, canipeta.* ¶ οἰνοπότης, *potator vini*] *Bibaculus.* Nam Hebræis שתיין aut שותה יין dicitur non quivis vinum bibens, ſed qui vino indulget, ut Pſalmo LXIX, 13. Amos VI, 6. Proverb. XXXI, 4. ¶ καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς, *& juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis*] Verum eſt quod monet vir de plurimis locis optime meritus, καὶ [*&*] hic ſumi pro ἀλλὰ [*ſed*], nimirum Hebræorum exemplo apud quos ו ſæpiſſime ita ponitur. Sed & ὁ ἀττικώτατος [*Atticiſſimus*] Theophraſtus καὶ [*&*] aliquoties eo ſenſu dixit. Puto autem quod ſequitur proverbium eſſe Judicum, ſed præſenti inſtituto accommodatum: ἡ σοφία [*ſapientia*] hic nihil aliud eſt quam quod apud Lucam VII, 30. βουλὴ θεοῦ [*conſilium Dei*], ſapientiſſimum nimirum Dei conſilium Judæos & Johannis ſeveritate & Chriſti comitate ad pœnitentiam revocantis, ne quid inexpertum relinqueret, atque etiam ne quid illi cauſari poſſent. Placebant ſibi multi vitæ auſteritate; hac ipſa in re multum illos Johannes anteceſſit. Alii popularitatem requirebant; Chriſto nemo unquam fuit popularior. Rurſum Johannes, ut pœnitentiæ præco, ad ſeveritatem compoſitus, Lucæ I, 15. Matth. III, 4. Chriſtus comis, ut veniæ largitor. Illum rara neque imitabilis vivendi ratio, hunc miraculorum vis maxima commendabat. Δικαιοῦν [*juſtificare*] hic, ut in Pſalmo LI, 6. & Romanorum III, 4. & apud Lucam VII, 29. eſt *approbare* aut etiam *laudare*. Ἀπὸ pro ὑπὸ etiam apud Græcos Scriptores non caret exemplo. Thucydides ita dixit, ἀπὸ πολέμου ἐφθάρησαν [*bello everſi ſunt*]. Neque aliter hic reddidit Syrus, qui & τέκνων αὐτῆς [*filiis ſuis*] vertit בניהא, id eſt, *cultores ejus*, non incommode. Filii autem ſive cultores ſapientiæ non ſunt intelligendi qui jam tum ſapiebant, ut quidam putant, ſed illi potius qui pia quadam Divinæ ſapientiæ reverentia tenebantur, quales Johannis & Chriſti tempore erant publicani & de plebe aliqui Lucæ VII, 29, 30. Simili modo υἱὸν εἰρήνης [*filium pacis*] dixit Lucas X, 6. Hoc autem ideo Chriſtus addidit, ut intelligeretur non omnino ſterilem hactenus fuiſſe operam tum Johannis tum ſuam.

20. ὀνειδίζειν τὰς πόλεις, *exprobrare civitatibus*] Ita Plato, ὀνειδίζων ἕνα ἕκαστον [*increpans ſingulos*].

21. εἰ ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἐγένοντο αἱ δυνάμεις, *ſi in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes*] Miraculorum haud dubie magna vis eſt ad incutiendam hominibus Divini numinis reverentiam, & ad obſignandas promiſſiones ac minas. Quod niſi miracula conjuncta cum iis adminiculis quæ miracula comitari ſolent ad corrigendos animos valerent, non diceret Chriſtus peculiarem atque inſignem culpam talium beneficiorum contemtu contrahi. Vide Johan. XV, 24. Nec obſtant huic ſententiæ verba Abrahami ad epulonem in parabola dicentis, *Si Moſi & Prophetis non auſcultant nec ſi quis mortuorum reſurrexerit perſuadebuntur*, Lucæ XVI, 31. De iis enim loquitur qui cum non ignorarent Legem Moſis magnis miraculis eſſe comprobatam, tamen vitam inſtituerent quam ſcirent Legi Moſis directe adverſari. Tales enim homines hoc ipſo oſtendebant ita ſe vitiis ſuis delectari ut nulla miraculorum reverentia ea vellent exuere. Longe autem alia eſt ratio tum eorum ad quos Lex Moſis non pertinebat, tum eorum quibus alia annuntiabantur quam quæ ſatis certo ſcirent Moſis Lege comprehendi. De utroque hoc hominum genere hic agit Chriſtus. Adde quæ ad Lucam dicemus. ¶ πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετανοήσαντες. *olim in cilicio ſive ſacco & cinere pœnitentiam egiſſent*] Πάλαι [*olim*] illud ad vetuſta tempora refero, ut initio ad Hebræos. Puto autem deſignari ea tempora quibus vixit Ezechiel, qui Tyrios & Sidonios de peccatis ipſorum & imminente Divina ultione graviter admonuit. Dicit igitur Chriſtus, ſi eo tempore ad illas Ezechielis conciones miracula talia ac tanta acceſſiſſent qualia Chriſtus in Galilæis urbibus ediderat, facturos illos fuiſſe quod olim Ninevitæ, pœnitentiam nimirum acturos delictorum etiam cum maxima luctus teſtatione. Hinc colligit quanta ſit illorum culpa qui ſuam Divinam ac ſalutarem doctrinam tantis ſignis admoniti non recepiſſent. Conjunguntur hæc, σάκκος [*ſaccus*] & σποδὸς [*cinis*], etiam apud Eſaiam LVIII, 5. Jeremiæ VI, 26. Danielis IX, 3. & in Judithæ hiſtoria IV, 11. Neque verum eſt, Hebræis *ſaccum* idem ſignificare quod Latinis, quanquam eſſe aliquid ſimile in utroque ſignificatu non nego. Nam Latinis *receptaculum* ſignificat aut *pecuniæ* aut *frumenti* aut alterius rei; Hebræis autem *cilicium*, ut recte tranſtulit aliquot in locis vetus Latinus interpres. Aliud autem eſſe *cilicia*, aliud *ſaccos*, etiam ex tertia Verrina apparet, ubi legimus *imperata civitatibus cilicia & ſaccos*. Sed Helleniſtæ Hebræam vocem ſenſu Hebraico uſurparunt etiam in Græco ſermone, quos & Joſephus ſequitur, ut Origenes XX, cap. 5. μετενδυσάμενοι σάκκους, σποδῷ τὰς κεφαλὰς ἀναπλήσαντες [*induti ſaccos, capita pulvere adſperſi*]. qui ipſe alibi, ubi in Hebræo eſt שק, poſuit nunc ἔνδυμα τετριμένον [*veſtem habitum*], nunc πενθικὴν ἐσθῆτα [*lugubrem veſtitum*]. Imo & Græci Scriptores alii: Plutarchus De ſuperſtitione, ἵνα καθήμενος σάκκον ἔχων ἐν πηλῷ κυλινδήσῃ [*foris ſedet ſaccum habens volutans in cœno*]. Menander de Syria dixerat,

—— εἶτα σάκκον ἔλαβον, εἰς δ' ὁδὸν
Ἐκάθηντ' αὐτοὶ ἔξω κοπρεᾶ.

[—— *tum ſaccum induti, in via*
Proſternunt ſeſe provoluti in ſtercore.]

Idem & Chriſtiani facere cœperunt, nec in Græco tantum, ſed & in Latino. Ita in Tertulliano legimus *preces in ſacco & cinere factas* ob anni ſiccitatem. *Cineris* autem nomine Hebræi ſordes omnes intelligunt. Itaque Jobi II, 8. ubi in Hebræo eſt *in cinere*, Græci poſuerunt ἔξω τῆς κοπρίας [*in ſterquilinio*], & Latinus *in ſterquilinio*. Quanquam autem non ea fuerit Tyriorum & Sidoniorum durities Ezechielis tempore quæ fuit magnæ partis Galilæorum ætate Chriſti, id tamen Tyrios à culpa non liberat. Satis enim damnabat ipſos lex inſcripta mentibus, æquitatem in commerciis exigens, & miſericordiam adverſus eos quorum res erant afflictæ; cum illi contra vim dolumque miſcerent mercimoniis, & ſola ſpe derivandi ad ſe quæſtus Judæis, amicis veteribus ab fœderatis ſuis, à Chaldæo victis jam atque proſtratis crudeliter inſultarent: quæ omnia atque alia inſuper videre eſt apud Prophetam. Sed & Homerus adverſus eos teſtimonium dixit,

Δὴ τότε Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδώς,
Τρώκτης, ὃς δὴ πολλὰ κακὰ ἀνθρώποισιν ἐώργει.

[*Inde venit gnarus fraudum, vir origine Phœnix,*
Qui multum nocuit multis ſermone doloſo.]

Τρώκτης, id eſt, κερδαλέος [*vulpinans*], ait Euſtathius. Huc ſpectat illud in Philoſtrati dialogo ad Phœnicem, τοὺς ἐμπείρους ἀμφιβάλλεσθαι εἰς φιλοχρήματοί τε καὶ τρῶκται) [*circa commercia male auditis ut avari & fraudatores*]. His accedebat quod tanta Judæorum propinquitas, communis lingua, quotidiana commercia, non patiebantur eos ignorare certiſſima argumenta cultus uni Deo debiti; præſertim cum ab eodem Deo miſſi Prophetæ ipſos nominatim aut voce aut literis ſæpius compellarent. Hæc igitur atque alia Phœnicas aut emendare ſi vellent, aut ſi nollent contumaciæ convincere poterant, etiamſi miracula illa tot ac tanta quæ ſapientiſſimo Dei conſilio Meſſiæ temporibus aſſer-

aſſervabantur ipſis non contingerent. Noſtrum eſt grata manu accipere dona quæ Deus largitur, non quæ ac quanta dare debeat ipſi præſcribere. Quod autem hic Chriſtus conqueritur, idem & olim conqueſtus eſt Deus, ſi eam quam Judæis impendebat operam impendiſſet iis populis quos Judæi ut feros ac barbaros contemnebant, aliquanto plus ſe profecturum fuiſſe, Ezechiel. 11,6. oſtendens timul incommeritam ſuam bonitatem erga Judæos, bonorum parentum malam progeniem, viamque ſternens demonſtrandæ juſtitiæ ſuæ in uberrima illa quæ per Chriſtum ventura erat gentium profanarum vocatione, cujus gratiæ ipſi illi adeo deſpecti Judæis Tyrii & Sidonii participes fuere, nec ſine fructu, ut apparet Actorum XXI & XXVII. Quanquam vero non dubium mihi eſt, fuiſſe in Chriſto certam cognitionem de rebus multis quæ poſita aliqua conditione eventuræ erant aut fuerant, tamen cum hi quos alloquebatur eo tempore tantum Chriſto non tribuerint, ſatius arbitror hæc, ut alia Chriſti dicta, exponere populariter, ut dixerit quod humano judicio rebus bene expenſis admodum erat probabile. Quo reſpiciens, ut videtur, Latinus interpres, quod mox ſequitur ἴσως ἂν vertit *forte manſiſſent.*

22. Πλὴν λέγω, *Verumtamen dico*] Latine dicas, *Hoc amplius.* Alibi valet *caterum*, aut *verumtamen*, ut ſolent particulæ illæ varias habere ſignificationes. ¶ ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, *in die Judicii*] Cur non diem ἐπισκοπῆς [*viſitationis*] ſpecialis, ſed commune generis humani Judicium hic intelligendum putemus, cauſas reddidimus ad caput proxime antecedens.

23. Καὶ σὺ μὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ· *quæ ad cœlum uſque exaltabaris, uſque in infernum deſcendes*] Hoc non dubito quin ad res hujus vitæ pertineat, ut in his quæ ſequuntur commate proximo aſſurgat oratio. Horebat Capharnaumum piſcatu, mercatu, & quæ alia eſſe ſolent commoda ad mare ſitarum urbium. Neque enim fruſtra θαλασσία [*maritima*] dicitur ſupra IV, 13. neque ſine cauſa Chriſtus huc habitationem ſuam tranſtulit. Jam Chriſtus ei urbi perſeveranti in incredulitate graviſſimas clades denuntiat, quas putamus evenſiſſe bello Veſpaſiani & motibus qui tum in Galilæa acciderunt. Proverbialis autem eſt locutio, etiam Græcis & Latinis, *ad aſtra tolli* aut *ſublimi vertice ſidera ferire*, pro eo quod eſt *rebus florentibus & illuſtri loco eſſe.* Huic contrarium eſt εἰς ᾅδου, hoc eſt, ad infima loca, demergi: quo fortunarum everſio ſignificatur. Eſaiæ XIV, 15. de Babylone שְׁאוֹל אֶל־ הוֹרִד εἰς ᾅδου καταβήσῃ [*ad infernum deſcendens*], & LVII, 9. תַּשְׁפִּל עַד שְׁאוֹל, Græce ταπεινωθήσῃ ἕως ᾅδου [*humiliata es uſque ad inferos*]. Et hæc ſimpliciſſima eſt ſententia verborum Annæ in Cantico, *Deus facit deſcendere ad inferos, & adſcendere*, 1 Sam. 11,6. quod in Tobia ita explicatur, ὅτι σὺ μαστιοῖς, καὶ ἐλεᾷς· καταγάγεις εἰς ᾅδου, καὶ ἀνάγεις [*quoniam tu flagellas, & ſalvas; deducis ad inferos, & reducis.*] Interim ſciendum eſt Divina providentia dirigente factum ut talia loquendi genera in Propheticis ſcriptis exſtarent quæ figurate ſignificarent liberationem à cladibus, ipſa tamen vocum proprietate latens Reſurrectionis myſterium adumbrarent, quomodo illo Samuelis loco uti Scriptorem libri Sapientiæ paulo ante oſtendimus. Idemque in Pſalmorum, Danielis & Ezechielis aliquot locis obſervare eſt.

25. ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα, *quia abſcondiſti hæc*] Eſt Hebraiſmus qualem ſupra obſervavimus VIII, 9. Neque enim pro occultatione ſed pro revelatione propric gratias agit Chriſtus. Uſitata locutio eſſet, ὅτι ἀποκρύψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις [*quod cum abſcondiderit iſta ſapientes & prudentes, parvulis eadem reveluſti*]. Sapientes illi, tota domus Hillelis & Sameæ. ¶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις. *revelaſti ea parvulis*] Νήπιοι [*parvulos*] hic apparet opponi σοφοῖς [*prudentibus*], id eſt, iis qui ſibi multum ſapere videbantur, κρίνουσι δὲ εἰδέναι πολλὰ [*judicantes ſe ſcire multa*], ut cum Paulo loquar 1 Corinth. 11,2. Sunt ergo νήπιοι [*parvuli*] hi qui de ſe humiliter ſentiunt. Erat autem hæc quoque γνώμη [*ſententia*] antiquitus celebrata inter Judæos: Sirachides III, 19, 20. Πολλοὶ εἰσὶν ὑψηλοὶ καὶ ἐπιφανεῖς, καὶ πρᾳέσι δὲ ἀποκαλύπτεται μυστήρια· ὅτι μεγάλη ἡ δυναστεία τοῦ Κυρίου, καὶ ὑπὸ τῶν ταπεινῶν δοξάζεται [*Multi ſunt ſublimes & illuſtres, at manſuetis aperiuntur myſteria; quia magna eſt potentia Domini, & ab humilibus honoratur.*] Ubi junctum ponuntur πρᾳεῖς & ταπεινοί [*manſueti & humiles*], ut & hoc capite infra commate 29. Pſaltes dixerat, *Myſterium Domini timentibus ipſum*, XXV, 14. Et Hebræi omnes notant Moſe neminem fuiſſe ταπεινοφρονέστερον [*modeſtiorem*], nemini plus à Deo revelatum. His addendum quod infra dicit Chriſtus, Τμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται [*Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni cœlorum, illis autem non eſt datum*], XIII, 11. Etiam Pythagorici ab Hebræis ut multa alia ita hoc quoque edocti dicebant Deum ſe non omnibus patefacere, quod commoda diſtinctione ita explicat Hierocles, Οὐκ ἄρα αἴτιος αὐτῷ ἐστὶν ὁ μὴ πᾶσι δίδους, ἀλλ' εἰ τὰ ἀγαθὰ πέλας ἔστιν ὑπὸ ἀφορῶντες, οὐ βλέποντες· ἢ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσι φασί. αἰτία δὲ ἡ ἀπορία, ὅτι ἡ κακῶν αἰτία ἑκάστῳ, πρόχειρα μὲν ἀεὶ τὰ ἀγαθὰ πᾶσιν ἔστιν ἐφ' ἑαυτοῖς, οὐ δεικνὺς ἡ φύσις ἀεί, τῷ τὰ ἔξωθεν ἡμῖν τῶν προτεινομένων ἀγαθῶν ἐν πολλοῖς μεμυκέναι καὶ κατὰ νύκτα ἀγχέλια τῆς χειρὸς [*Non igitur ille in cauſa eſt quod non omnibus ſe oſtendat, ſed qui bona prope poſita nec vident nec audiunt: & ideo ſponte quæſitis eos malis laborare dicimus. Culpa igitur penes eligentem; Deus extra culpam, præbiturus quidem omnibus bona quantum in ſe eſt, non tamen ea oſtendens omnibus, ideo quod oculus quo ſpectanda ſunt propoſito bono in multis connivet & deorſum vergit diſtrictus circa deteriora*]. Huic ordini Divinæ patefactionis intus peragendæ accommodata fuit etiam diſpenſatio exterior. Nam Regno cœlorum præmittitur pœnitentiæ κήρυγμα [*prædicatio*], Chriſto Baptiſta: Tum vero & Baptiſta & Chriſtus ipſe nullo fulgebant rerum exteriorum apparatu, ac ne eloquentiæ quidem aut ſapientiæ humanæ præſidiis, quo magis appareret nullam in rebus ejuſmodi ponendam eſſe fiduciam, ſed humilem obedientiam præſtandam humili magiſterio. Huc ſpectant & ſuperiora, ut cum de ſe dixit Chriſtus, *Beatus qui in me non offendetur*, & de Baptiſta loquens, *Si vultis accipere.* Sed notandum eſt, ſicut decimo capite de prima Apoſtolorum legatione ita egit Chriſtus ut multa attexeret ad poſteriores legationes pertinentia, ita hoc etiam loco de iis quæ contigerant hactenus ita agere Chriſtum ut occulte etiam ventura præmonſtret. Nam ſicut vaticinia de mittendo Meſſia non intellexerunt homines ſcientia inflati, ob ſtatum ipſius deſpicabilem, quod principium erat τῆς αὐτοῦ ἐξουθενήσεως [*exinanitionis ipſius*], ita poſtea crux Chriſti & auctus inde ignominiæ metus iiſdem obſtitit quominus in Chriſtum jam apertius revelatum crederent; ita ſemper diſpenſationes ſuas Domino temperante ut idem ſæpe admitteret humiles, & excluderet ſuperbos.

26. εὐδοκία, *placitum*] Vox Helleniſtica, ut ad caput III. diximus, quæ alibi *propenſum affectum*, hic vero & aliis in locis *decretum Divinum* ſignificat. Ita & Paulus, Εὐδόκησεν ὁ Θεὸς διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας [*Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*], 1 Corinth. 1, 21. Simile eſt II Maccabæorum XIV. 35. Σὺ Κύριε τῶν ὅλων ἀπροσδεὴς ὑπάρχων εὐδοκήσας ναὸν τῆς σῆς σκηνώσεως ἐν ἡμῖν γενέσθαι [*Tu Domine univerſorum, qui nullius indiges, voluiſti Templum habitationis tuæ fieri in nobis*]. Neque ea voce oſtenditur cauſas nullas fuiſſe cur ita viſum fuerit; ſed non omnibus patentes. Nam laudat Chriſtus in hoc decreto Dei & æquitatem & ſapientiam. Et ſic etiam in humanis negotiis eam vocem uſurpavit Paulus Rom. XV, 26.

27. Πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου· *Omnia mihi tradita ſunt à Patre*] Pergit Chriſtus agere de decretis Divinæ diſpenſationis, ex quibus conſequens eſſe, ut nec ad cognitionem myſteriorum veniatur niſi per fidem ſibi habitam, neque ad fidem niſi per ſenſum miſeriæ & pœnitentiam. Monſtrat orationis ſeries agi de myſteriis ad ſalutem humanam pertinentibus, quorum revelatio Filio eſt credita. ¶ οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατήρ· *nemo novit Filium niſi Pater*] Quid filius facturus paſſuruſque ſit, quæ ipſum maneat gloria, ſolus novit qui præfinivit ab æterno Pater. ¶ οὐδὲ τὸν πατέρα τις ἐπιγινώσκει εἰ μὴ ὁ υἱός, *neque Patrem quis novit niſi Filius*] Quomodo Pater diſpenſari velit vocationem Judæorum primum, deinde & Gentium, conſcius ipſi ſolus eſt Filius. Nam ne Prophetæ quidem ea quæ ſuper iſtis rebus prædixerunt videbant, niſi per tranſennam, quod dicitur. Vide 1 Petri I, 10. ¶ καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι. *& cui voluerit Filius revelare*] Hoc ad utrumque referendum, tum ad id quod de Patre tum ad id quod de Filio noſcitur. Filii enim ſapientiæ permiſſum erat & quibus & quantum & quando vellet aperire. Neque ille aperuit myſteria omnibus, ſed partem aliquam jam in ſe credentibus, partem Apoſtolis ſolis. Vide infra XIII, 11. Marci IV, 11. Lucæ VIII, 10. Romanorum XVI, 25. 1 Corinth. II, 7. Epheſ. III, 5. Coloſſ. I, 26. Clemens Alexandrinus Stromateon VI, Πλέον δέ ἐστι τὸ πιστεῦσαι τοῦ γνῶναι [*Plus eſt ſcire quam credere*]· ſed & γνωστικῶν [*ſcientium*] facit gradus: quoſdam enim vocat γνωστικοὺς πλείους [*ſcientes perfectos*], Strom. VII. & alibi. Similia videas apud Origenem adverſus Celſum tertio.

28. Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis*] Revelationem myſte-

myſteriorum dixerat non omnibus dari: Ad fidem vero in ſe omnes vocat, excluſo nemine, ſed ita ut præire velit pœnitentiæ præparationem. *Non enim omnium eſt fides.* Sunt igitur οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι [*laborantes & onerati*], qui peccati onere ſuſpirant & ad libertatem adſpirant: quos non male deſcribit Baruch, aut quiſquis eſt libri illius auctor, II, 18. Ἡ ψυχὴ ἡ λυπουμένη ὕπτιὸ τὸ μέγεθος, ὁ βαδίζει κύπτον καὶ ἀσθενῆ, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ οἱ ἐκλείποντες, καὶ ἡ ψυχὴ ἡ πεινῶσα, δώσουσί σοι δόξαν καὶ δικαιοσύνην, κύριε [*Anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali & incedit curva & infirma, & oculi deficientes & anima eſuriens dat tibi gloriam & juſtitiam, Domine*]. Confer locum Johan. VII, 37. Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με καὶ πινέτω [*Siquis ſitit, veniat ad me & bibat*]. Sequitur autem ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ [*qui credit in me*] &c. ut appareat *venire* eſſe *credere*, ut & Johan. VI, 44. § ἀναπαύσω ὑμᾶς. *reficiam vos*] Liberos vos præſtabo à dominio peccati in poſterum, tandem etiam à morte & miſeriis.

29. τὸν ζυγόν, *jugum*] *Jugum* mandata ſignificat. Ita vox iſta ſumitur Actorum XV, 10. & Johannes hunc locum explicans pro jugo ἐντολὰς [*mandata*] dixit 1 Epiſtola cap. V, 3. § μάθετε ἀπ' ἐμοῦ, *diſcite à me*] Puto abſolute poni, ſine relatione, quomodo μανθάνειν [*diſcere*] & alibi uſurpatur, Johan. VI, 45. 1 Corinth. XIV, 31. 1 Timoth. II, 11. ut ſenſus ſit, Date vos in meam diſciplinam. § ὅτι πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. *quia mitis ſum & humilis corde*] Non eſt quod me formidetis ob peccatorum conſcientiam. Non ſum, quales illi ſuperbi atque inclementes magiſtri. Humilis humiles amo, clemens pœnitentia ductis ignoſco. Supra diximus jungi ſolere πρᾶον καὶ ταπεινὸν [*manſuetum & humilem*]. Neque id immerito: moroſum enim & inhumanum quiddam eſt ſuperbia. Reſpicitur locus Zachariæ IX, 9. § καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν. *& invenietis requiem animabus veſtris*] Amat Chriſtus loqui Prophetarum verbis. Exſtant hæc apud Jeremiam VI, 16.

30. Ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστὸς, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστι. *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*] Nimirum ob Spiritus auxilium, & magnitudinem ac certitudinem propoſiti præmii, explicante Johanne 1 Epiſtola V, 4. qua de re egimus ſupra ad caput VII. Adde his, quod præcepta Chriſti etiam per ſe talia ſunt ut naturæ humanæ conveniant, quippe in diligendo Deo & hominibus ſita; ita ut ſi par ponatur conſuetudo, unius hominis ad recte vivendum, alterius ad flagitia, non dubie multo dulcior ſit futura vita quæ ſecundum virtutem eſt. Graviſſima enim tributa pendunt qui ambitioni, qui avaritiæ, qui libidini ſerviunt. Ideo Sapiens Hebræus peccatis ſervientes ait ὁδοῦσιν ἰσχύος ἀβάτους [*ambulare vias difficiles*]. Philo, Ἡ μὲν ἀρετὴ φαντασίᾳ μὲν τῷ πρώτῳ τὸν ἔλεγχον ἐπίδοξον δύσβατόν ἐστιν ἅπασι· μελέτῃ δ' ἥδιστον καὶ ἐξ ἐπιλογισμοῦ συμφέρον [*Virtus primo quidem intuitu durum quid eſſe videtur; at exercenti ſuave & bene examinanti utile*]. Quo ſenſu & illud Chryſoſtomi verum eſt, Δυσκολώτερον ἡ κακία τῆς ἀρετῆς [*Vitium virtute difficilius*]. Salvianus, *Quid namque à nobis exigit, quid præſtari ſibi à nobis jubet, niſi ſolam tantummodo fidem, caſtitatem, humilitatem, ſobrietatem, miſericordiam, ſanctitatem, quæ utique omnia non onerant nos ſed ornant?*

P R I C Æ U S.

Com. 4. Ἀναγγείλατε Ἰωάννῃ ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε] Simili reſponſione Judæos obſtrepentes quam credentes dimittit Joh. 10. 24, 25. Sequente com. τὸ εὐαγγελίζεσθαι paſſive accipiendum evincit vel Jacobi 2. 5. locus, quem miror Expoſitores ob oculos minus habuiſſe.

Com. 7. κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον] Lucianus in Hermotimo, Κάλαμόν τινα ἐπ' ὀχθῃ ταραττομένῃ πνεύμασι, καὶ πρὸς παν τὸ πνεῦμα σαλευόμενον. In Græco Jobi 13. 25. Φύλλον ὑπὸ ἀνέμου κινούμενον· unde apparet locutionem iſtam proverbialiter efferri ſolitam: vide 1 Reg. 14. 15. 2 Reg. 18. 21. Eſai. 36. 6. Ezech. 29. 6.

Com. 8. Οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες ἐν ταῖς οἰκίαις τῶν βασιλέων εἰσίν] Xenophon de Rege Perſarum παιδ. 8. Τίς κρειῶν κάλλιον φαίνεται σκιᾶς ὑπὸ φοίνικι ἢ ὑπὸ ἀνδρί; Apollonius in Mirabilibus, Κτησίας ἐν τῇ 1 Περσικῶν καμήλους φησί τινας ἐν χώρᾳ γίνεσθαι, ἃς ἔχειν τρίχας μήκους ἕως Μιλήτου ἱερὰ τῇ μαλακοτάτῃ, ἃς ἢ τίλλουσι οὔτε ἱερεῖς οὔτε ἄλλοι δυνάμενοι τὰς ἐσθῆτας φέρειν. Eunapius Sardianus de Maximo Philoſopho, Βαρὺς ἦν ἤδη φέρειν τὸ βασιλέως, σκληρὸν τι ἀξιοπίστου ἢ καὶ φιλοσόφου φθεγγόμενον. Legebam in Gloſſario, *Baſiliciarius*, Μαλακὸς, ἀγοραῖος· cum hærerem, in mentem venit qui præ manibus locus, ſed ſcribendum puto *Baſilicarius*. Permultas Vocabularii illius λέξεις hos libros eorumque Interpretem Latinum reſpicere puto alibi monuiſſe me. Μαλακὰ hæc ſunt quæ Ovidius *mollia velamina* vocat. Juvenalis,

—— *veſtes*
Purpureas teneris quoque Mecænatibus aptas.

Idem 2:

—— *Cum tu multitia ſumas,*
Cretice ——

ad quæ vetus Scholiaſtes, *Veſtes molli intextas ſubſtamine.* Laertius de Lycone, Ἦν δὲ καὶ καθαρώτατος τὴν φωλεὸν, ὡς ἀνυπερβλήτου χρῆσθαι μαλακωτάτῃ ἱματίων. Apuleius, *Veſtis textu tenuis, tactu mollis.* Demoſthenis, μαλακαὶ χιτωνίσκαι ex Gellio noti.

Com. 9. λέγω ὑμῖν, καὶ περισσότερον προφήτου] Chriſtus, (quem hic innuit Johannes) de ſeipſo 12. 41. ἰδοὺ, πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε.

Com. 14. καὶ εἰ θέλετε δέξασθαι αὐτὸν, αὐτός ἐστιν Ἠλίας] *Si patimini vobis verum dici:* ita heic Vir magnus: at quamvis accipere nollent eum, ipſe ille Elias erat. Sunt ergo abſolute intelligenda hæc, etſi hypothetice prolata. Similem loquendi modum vide 1 Cor. 9. 17. & 11. 16. ibid. 3. 12, 13. & 9. 17. Act. 26. 5. Luc. 9. 13. 2 Tim. 2. 13. Hebr. 3. 14. Ejus generis inter Latinos Lucilii illud,

Si noſti, non magnus homo eſt, naſutus, macellum.

Ciceronis ad Atticum 13. 22. *Cæſaris Epiſtolam miſi, ſi minus legiſſes.* Antonini morientis apud Capitolinum, *Si jam me dimiſiſtis, vale vobis dico.* Et multi nunc temporis populi eo modo loquuntur.

Com. 17. Ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε] Xiphilinus in Vita Severi de Pertinacis funere, καὶ οἱ μὲν ἄλλοι ἐπὶ τῷ κλαυθμῷ ἐτρέποντο, καί τινες ἐκόπτοντο, ἐπίτηδες πενθήμονι τῷ σχήματι.

Com. 19. φάγος καὶ οἰνοπότης] Bene hæc juncta. Vopiſcus de Aureliano, *Vehementiſſime delectatus eſt Phagone, qui uſque eo multum comedit, ut uno die ante menſam ejus aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum comederet, biberet autem infundibulo, appoſita plus orca.* οἰνοπότης cum Viro inſigni bene vertas *bibaculum*, aut, ſi maluetis, *biboſum: quod genus inclinamentum nimium ac præter modum ſignificat, ac propterea in culpam cadit:* Sunt verba Auli Gellii 4. 9. In Gloſſario. *νίνις· bibax, potax.*

Com. 25. Ἐξομολογοῦμαί σοι] Bene Eraſmus *gratias ago tibi:* nam heic χάριν ſupplendum. Lucianus *pro lapſu inter ſalt.* χάριν ὁμολογεῖν dixit.

Ibid. καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις] Marcianus Capella de vera & germana παιδείᾳ, *Plerumque adhæſit pauperibus, magiſque illis quos aut pedibus nudos, aut imonſo crine biſpidos, aut ſordenti conſpexit pallio ſemitectos.* Confer Jacob. 2. 5. 1 Cor. 1. 26, 27. Videtur autem ad Daniel. 2. 23. hoc loco alludi.

Com. 26. Οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου] Quod infra 18. 14. οὐκ ἔστι θέλημα ἔμπροσθεν σου· vide Job. 1. 24. Virgil. *Sic Dii voluiſtis.* Servius ad eundem lib. 3. *Quotieſcunque ratio vel judicium non apparet,* SIC VISUM *interponitur.*

Com. 28. Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες, καὶ πεφορτισμένοι]
Perſ.

—— *petite hinc juveneſque ſeneſque*
Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.

Horat.

—— *quiſquis*
Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quiſquis luxuria triſtive ſuperſtitione,
Aut alio mentis morbo calet, huc propius me,
Qui poſſum ſanare omnes, vos ordine adite.

Ibid. πάντες]

—— πάντων φάρμακα μῶν ἔχω.
—— *cunctis janua noſtra patet:*

Græcis, Judæis, Barbaris, ſervis, liberis, cujuſvis ordinis, patriæ, vel ætatis. Plura ad Coloſſ. 3. 11. Act. 10. 32. & infra 15. 27. in hanc mentem notata.

Ibid. κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς]
Boetius,

Huc omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbos catenis
Terrenæ habitans libido mentes.
Hic erit vobis requies laborum,
Hic portus placida manens quiete.

Ad

Ad tam benignam autem invitationem appoſitiſſimis Arriani verbis exclamare licet, Τίς σὸν ἀσφῶς δέξεται τ ἄπαντες φοβεῖσθαι μεταλαμβάνον τ ἑαυτῶ φθείρεσθαι, ἢ αὐτῷ τέτῳ καθιῶσθαι αὐτὸν, τῷ μεταλαβεῖν; Ἀναπαύων porro μεταβαλικῶς, ut ad Philem. 20. & Heb. 4. 8. & καταπαύων Act. 14. 18.

Ibid. ὅτι πεφόβημαι] —— Πυὶ ἐφ' ἑκάστῳ
Ὥσπερ ὄνησις αὐτὸς γίγνοιτο ὀξύχολος.

Deus apud Philonem, εἰμὶ τὸ φόβον ἔχων. Vide infra 21.5. 2 Cor. 10. 1.

Com. 30. ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστός, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστι] Apud Libanium, Καὶ τὸ φορτίον πέψας ἐμοῦ. Auguſtinus in Pſal. 67. *Quicquid difficile eſt in præcepto, leve eſt amanti.* Seneca lib. Cur bonis viris, &c. *paulatim voluptati ſunt quæ neceſſitate cœperunt.* Idem Epiſt. 20. de monitis ſuis ad Lucilium, *Sunt facilia; cum vero meditatus acceſſeris, jucunda quoque.* Hieronymus (vel ut aliis placet, Paulinus) ad Celantiam, *Aſperam & inſuetam virtutum viam vitiorum conſuetudo facit, quæ ſi in alteram partem transferatur, invenietur levis juſtitia ſenita.*
Terent.

—— *Hæc dum incipias gravia ſunt,*
Dumque ignores, ubi cognoveris facilia. ——

Claudamus hoc caput Siracidis loco ad Chriſti verba & ſententia & formula ſatis prope accedente, Προσέλθετε πρός με πάντες οἱ ἐπιθυμοῦντές με, καὶ χόσθ τ γενημάτων μου ἐμπλήσθητε· τὸ γὰρ μνημόσυνόν μου ὑπὲρ μέλι γλυκύ, ἢ ἡ κληρονομία μου ὑπὲρ μέλιτος κηρίον.

CAP. XII.

MUNSTERUS.

1. Quod non licet facere ſabbato] Cum dilectio proximi ſimilis ſit dilectioni Dei, & unus ſine altero ſincere diligi nequeat, Deus autem voluerit ſibi parari cibos in Sabbato, h.e. ſacrificia, ſine violatione Sabbati, ſequitur quod & homini liceat pro corpore ſuo parare cibum, cum Dominus pietatem erga proximum ſemper tanti fecerit, imo quandoque pluris, quam ſua ſacrificia, ſicut patet ex adducta ex Hoſea autoritate, & inſervire proximo in neceſſitate conſtituto præferat otio Sabbati. *Non enim homo eſt propter ſabbatum, ſed ſabbatum propter hominem.* Vanum eſt igitur Judæorum argumentum quod hic contra nos adducunt, המינים אמרי הפרוש אנו כך שלא לעשות מלאכה אלא שלא לעבור עבירות· אבל אסור בשבת לחטוא ובשאר ימי השבוע מותר לחבואי וליי הזורע אין אנחנו אומרים שרואי מותר לחטוא ביום אחר מהשבת כאן תסיר לחשפר מלחטוא: Excuſat autem Chriſtus & alia ratione diſcipulos ſuos quando dicit, *Major templo eſt in hoc loco:* q. d. Si templi ſanctitas excuſat Sacerdotes quod in die Sabbati opus faciunt, magis debet meos diſcipulos excuſare mea præſentia, cum ego major ſim templo. Eſt enim Filius hominis Dominus Templi & Sabbati. Et quod rurſum perfidi homines Chriſto inſidias ſtruunt, An liceat Sabbato infirmum curare, & ipſe commodo exemplo de Ove in foveam lapſa ipſorum ſtultitiam confutat & compeſcit; poſteri eorum, h.e. noſtrates Judæi, illis pervicaciores hac reſponſione non contenti ſic reclamant, conantes ſanum Chriſti reſponſum enervare: כשאמר יש מי בכם אדם שיש לו צאן ואחד מהם נפל בשבת בור הואיל שקר הוא שכן גלוי לכל העמים שאין ישראלי רשאי להעלותו שם בהמה בשבת לא כבאר ולא מחשדה ומהיכן השיב להן כך ובכן הזה מתיר לעשות מלאכה בשבת· ולי אמרת הוא מה אשר פה אמרתם כי אתם לא תעלו אדם בהמה או אדם בשבת כבאר אם ישול בחפרה כי קראתי בכתר אחד אשר בו נכתבו מעשי ורבני הארץ סאל' שן שנפקם אחד נפל יחוד אחד בעיר מי מירנב' ורנ בשבת לבית כפא ושאר יחודים לא רשאין להעלותו משם בני שלא יחללו את השבת· ובשעת הגשן חעיר והדא צוה שלא יחללו גם יום אחד שבא אחר שבת שהוא קודש אצל כשיתים וכן ישב יהודי והוא ימים שנים בבית הכסא Senſus hujus objectionis eſt, *Quando dicit Jeſus, Quis ex vobis eſt homo qui habet ovem unam,* &c. *Nonne hoc falſum eſt? cum omni populo conſtet quod Iſraelitis non liceat Sabbato ullum pecus extrahere vel de fovea? Quare igitur reſpondit illis ſic? Per hoc enim licentiam dedit faciendi opus in Sabbato. Quorum ſtultitia ſic reſpondi; Verum eſt quod hoc dicitis, nempe quod non extrahitis pecus in Sabbato de puteo, neque hominem, ſi ceciderit in foveam. Quoniam legi in libro quodam in quo deſcribuntur geſta regionis Saxoniæ, quod vice quadam cecidit Judæus unus in civitate Meidenburgenſi, cum eſſet Sabbatum, in latrinam; & reliqui Judæi non audebant eum extrahere, ne violarent Sabbatum. Quod cum audiſſet Epiſcopus urbis illius, præcepit ne & ſequentem diem, qui Chriſtianis ſacer habetur, violarent: & ſic biduo miſer Judæus ſedit in fœtore latrinæ.* Non intelligunt obſtinati illi homines, die ſancto ſancte agendum, proximo ſuccurrendum, cum Deo magis placeat pietas & miſericordia quam ſacrificium. Sed hæc & ſimilia non audiunt, ut quando illis objicimus id quod ſcribitur Iſai. 1. 14. חדשיכם ומועדיכם שנאה נפשי היו עלי לטורח: *Neomenias veſtras & ſolennitates veſtras odivit anima mea; facta ſunt mihi in fatigationem*, verſipelles homines obſtinato animo reſpondent, היכם תחדשו אין כה חמן שהרי התלוי עצמו לא נאה לסתר את השן אך לקיים כרבי אמרו חכם שמים ואין יתבטלו דברי משרה ושאר נביאי לא יתבטלו ומשרה וכל הנביאים צוו והזהירו על נביהם שבת ושמרתם אבי' אתם שברים על רז התלוי כי אנכם שומרים השבת ואת הגבעה חרשיכם ומועדיכם כי נאמרים בימי ישעיה והתלוי טולר אחר כן כמה שנים ואם היה שנאה השבתות המועדים החרשים למה קבל עליו דת יהודית מילה ושבת וכל הדת ישראל בל ימיו ולא עוד אלא אפי יום האשון אנכם שומרים כראוי ואנכם שומרים בו כתוכן אך אתם שמים בו מלאכת אתם וכתמתם ואנם נחים: Summa horum verborum eſt, quod *Judæi nolunt ſuſcipere legem noſtram novam, cum & Crucifixus noſter non voluerit occultare veterem legem, ſed magis illam verbo veriſſimo confirmarit, nempe quod prius cœli & terra ſint annihilandi quam ut verba Moſi & reliquorum Prophetarum intereant. Omnes autem Prophetæ præceperunt & monuerunt habendam memoriam Sabbati & obſervantiam ejus.* Et hinc probant nos tranſgreſſores eſſe legis Crucifixi, quia non obſervamus Sabbatum. Porro, *Prophetia illa, Neomenias veſtras & ſolennitates veſtras*, &c. *dicta eſt pro diebus Iſaiæ: Crucifixus autem longe poſt natus eſt. Et ſi ipſe odivit Sabbata, ſolennitates, & neomenias, quare ſuſcepit ſuper ſe legem Judaicam, Circumciſionem, Sabbatum, & univerſam legem Iſrael cunctis diebus ſuis? Sed nec diem primum rite obſervatis, quietem ſcilicet juſtam obſervantes, ſed facitis opus in eo, vos, & jumenta veſtra, quibus non conceditis requiem.* Vides hic nimirum quam cohæreant verba inimicorum crucis Chriſti. Si ille obſervavit *Sabbatum & univerſam legem Iſrael cunctis diebus ſuis*, ut hic Nizahon eorum dicit, quare tantopere condemnant eum ut violatorem Sabbati & tranſgreſſorem legis? Item Chriſtus non dicit *potius cœlum & terram tranſiturа quam verba Moſi*; ſed, *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Duravit Moſes & Prophetia uſque ad Chriſtum, & per Chriſtum exhibita eſt Legis promiſſio: non igitur deſtruxit Chriſtus Legem, ſed adimplevit quæ illa promiſit: & ita evacuata ſunt legalia & umbra legis poſtquam veritas apparuit. Legale fuit obſervare diem Sabbati; morale autem, unum per hebdomadam cuſtodire diem, in quo tota familia quieſcat ab operibus externis, vacet audiendo verbo Dei, memorandis ejus beneficiis, & precationibus, &c.

18. *Ecce ſervus meus*] Iſai. 42. 1. ſcribitur iſte locus. Vocatur autem *ſervus* propter formam ſervi quam accepit, cum *non rapina illi ſit eſſe æqualem Deo.* Huic *innititur Pater* cœleſtis, *& per eum omnia perficit, obleſtatur eo, ponit in eo Spiritum ſine menſura.* Hic propter ſummam manſuetudinem & placiditatem non clamavit propter illatas injurias, non malum pro malo reddidit, quin omnibus placidum & mitem ſeſe exhibuit, nemini vim fecit, ſed omnes mitibus verbis ad ſe allicere ſtuduit. Infirmos & deſperationi proximos non contempſit, ſed conſolatus eſt ſuavibus verbis, fovit & reduxit, id quod intelligitur per hæc verba Prophetæ, *Arundinem fractam non comminuet*, &c. Et hic locus à D. Matthæo adducitur contra id quod Chriſtus præceperat populo, ne illum publicarent: cum tamen inaudita ejus beneficia, quæ Propheta in ſpiritu viderat, illum declararint eſſe Chriſtum. Sed voluit nobis dare exemplum, ut populi favoribus non extolleremur, neque vanam gloriam quæreremus. Ille prohibuit ne plebs eum magnificaret, tamen opera ejus non tacebant, ſed eum prædicabant. Vanum eſt ergo argumentum Judæorum quo hic latrant contra Chriſtum, אם הוא אלוה למה כסה את עצמו בבשר ומפני מה לא נא בפרהסיא לחדש תורתו ולהגדה בגילוי כדי שלא יסיק אנשי הדור ולא ינשלו נו נאי שלם היה לו לעשות מעשיו בגילוי ורוצים תגרים בר שיחדו חבל מאכזים נו גרולה האכזרה ו שאנו בפנוי נדה יותר מן הפרון שהרי באותו כפוי מחלק

נחלקו עליו מהאסין בו . ולוי כתרי אית עצבו כרי שיתן לנו רמזית ומשל השפלות שלא נבקש כגוד אנדל גבי האדם אלא מעשו ונפלאות אשר עשה הם נתנו עדות עליו מי הוא אבי" אין הוא התכסית מאחר שמעשו הוא אות אלוהו : Senſus eſt, *Si fuit Deus, quare latuit ſic, & non fecit ſe manifeſtum, cum innovaret legem ſuam? & quare non dedit eam in manifeſto, ne errarent homines ſui ſeculi, impingerentque in eo omnes qui ingrediuntur ſeculum? Debuerat opera ſua facere palam, ex quibus cognita omnes credidiſſent in eum. Nunc autem major eſt perditio, quando ille ſic latere voluit, quam ſit redemtio, poſteaquam ob illam abſconſionem homines conentur credere in eum.* Ad quam objectionem reſpondi Judæis in ſua lingua, ut prius, videlicet, *Humilitatis gratia & propter exemplum illum voluiſſe latere, quem tamen opera ſua magnifica latere non permiſerunt.*

27. *Ipſi erunt judices veſtri*] h. e. Ob id quod illi crediderunt veritati, quam vos tantopere impugnatis, judicabunt vos. Quod ſi *Spiritu & digito Dei me* agnoſcitis *ejicere dæmonia*, id quod ſana mente refragari non poteſtis, profecto *pervenit ad vos regnum Dei*, & adeſt Chriſtus vobis promiſſus. ¶ Porro per eum *qui intravit in domum potentis & diripuit vaſa ejus* intelligitur Chriſtus, qui ingreſſus mundum regnum Satanæ, ſpolia ejus diripuit. *Spolia* ſunt qui non agnoſcunt Deum & Chriſtum Filium ejus, & hos tenet Satan captivos pro ſua voluntate: Sed Chriſtus multos illi rapuit, & poſuit in regnum ſuum, &c.

31. *Blaſphemia contra Spiritum non remittetur*] Senſus eſt; Quibus innotuit veritas Dei per Spiritum Dei, ita ut nequeant dubitare, ſed mens ipſa ſentit apertiſſime vim Spiritus, ſentit opus eſſe Dei & non Satanæ, & tamen non volunt dare gloriam Deo, hi gravius peccare nequeunt, quando Spiritui & veritati non acquieſcunt; & juſto Dei judicio nunquam remiſſionem aſſequentur peccatorum. Et tales fuerunt Phariſæi & Scribæ, quando apertiſſimum opus Dei dæmonio aſſcribebant. Poterant aliquando peccare contra Filium hominis, metientes illum ex ſua humilitate & paupertate, & hinc arguentes illum non eſſe Deum; ſicut & Paulus ex ignorantia primum perſequebatur Chriſtum in membris ejus: ſed illa peccata remiſſibilia erant, cum non fierent contra Spiritum & conſcientiæ ipſorum certiſſimum teſtimonium. Sic omnis impius reprobatus à Domino agnoſcit veritatem, nec illam negare poteſt; & tamen dicitur non agnoſcere, quando illam amplecti nequit. Tali fere odio laborabat Saul contra innocentem David; tali furia agitabatur Pharao contra Iſraelitas in Ægypto.

33. Quod de *arbore* in textu ſubjungitur, hunc habet ſenſum, Oſtenditis fructibus veſtris quales eſtis arbores & ex quali cordis abundantia loquamini. Qualis ſit animus veſter teſtantur verba veſtra. Fieri poteſt ut ſubdolus animus aliquandiu, ſed non perpetuo, diſſimulet perverſitatem ſuam: ut verum ſit vulgare proverbium, *Ex verbis tuis juſtificaberis, & condemnaberis*, h. e. pro juſto vel iniquo judicaberis.

36. Quod rurſum ſubditur de *verbo otioſo*, hunc habet ſenſum, Omne verbum quod non ædificat proximum indignum eſt Chriſtiano homine: & conſcientia ejus damnatum hominem ſingulari torquebit cruciatu.

45. *Sic erit generationi huic malæ*] h. e. Similitudo ad vos pertinet: qui cum olim præ cæteris gentibus receperitis Legem, & à vobis expelleretur dæmon, ille vagatus per Gentium corda, & ad vos reverſus, ſuſcipitur iterum à vobis, & locus habitandi ultro conceditur.

V A L L A.

11. *QUis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam, &, ſi ceciderit hæc ſabbatis in foveam, nonne tenebit & levabit eam? Quanto magis melior eſt homo ove?*] Ego ſic tranſtuliſſem, *Quis ex vobis homo qui habebit ovem unam, & hac incidat ſabbatis in foveam, nonne tenebit*, ſive *capiet, eam, & allevabit? Quanto præſtantior eſt homo ove?* Sive, ut magis ad verbum transferam, ut fecit in Eunucho Terentius, *Stulto intelligens quid intereſt?* ſic ego, *Quantum intereſt*, ſive *differt, homo ove?* Nam Græce non ſunt duo comparativa, nec aliter ſe habent verba quam ego tranſtuli, ὃς ἔξει πρόβατον ἕν, καὶ ἐὰν ἐμπέσῃ τοῦτο τῇ σαββάτου εἰς βόθυνον, οὐχὶ κρατήσει αὐτὸ καὶ ἐγερεῖ, πόσῳ οὖν διαφέρει ἄνθρωπος προβάτου;

15. *Jeſus autem ſciens, receſſit inde, & ſecuti ſunt eum multi, & curavit eos omnes:*

16. *Et præcepit eis ne manifeſtum eum facerent*] Ideo interpres tranſtulit *præcepit*, aut alius quiſpiam ita emendandum putavit, quia abſurdum videbatur ei, quemadmodum Græce eſt, *increpuit eos ne ſe manifeſtum facerent*, ſed melius eſſe, *præcepit ne manifeſtum ſe facerent.* Atqui nequaquam abſurdum eſt, ſed multo accommodatius, *increpabat eos*, quod ſe, qui fugerat à Phariſæis eum occidere volentibus, ſequerentur; ex hoc quod *increpas* ſatis *præcipiens* ne ſequendo & inveniendo eum Phariſæis manifeſtum facerent. Et idcirco melius eſt tranferre *receſſit* quam *receſſit*; quia *ſecedere* longius abire, non tantum abire, ſignificat, ut Græca vox indicat, Ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν, ἢ ἐπετίμησεν αὐτοῖς.

18. *In quo complacuit anima mea*] Ad verbum eſt Græce, *in quo complacuit*, ſive *bene placuit, anima mea*, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. Sed eandem rem varie ſolet interpres efferre, quanquam magis poſſet transferri *in quem* quam *in quo*. Sed forte accuſativus poſitus eſt pro ablativo, ut nonnunquam non Græci tantum ſolent, ſed aliquando Latini, ut Aul. Gellius probat, qui vult illud Ciceronis Pro lege Manilia, *eſſe in hoſtium poteſtatem*, non *poteſtate*.

22. *Tunc oblatus eſt ei dæmoniam habens cæcus & mutus; & curavit eum, ita ut loqueretur & videret*] Quia ſubjungitur quod locutus eſt homo, maluit interpres tranſferre, ſive aliquis alius emendare, *mutus*, cum Græce ſit *ſurdus*, κωφός. Sed omnis ſurdus utique natura idem mutus eſt. Quanquam Græce plura ſunt verba: ſic enim dicitur, *Ita ut cæcus & ſurdus & loqueretur & videret*; ſive ita, *Ut cæcus ſurduſque & locutus ſit & viderit*, ὥστε τὸν τυφλὸν καὶ κωφὸν καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν.

41. *Viri Ninevitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce plus quam Jonas hic.*

42. *Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic*] Non eſt Græce, *plus quam Jonas*, & *plus quam Salomon*, ſed *plus Jona*, & *plus Salomone*, καὶ ἰδοὺ πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε, καὶ ἰδοὺ πλεῖον Σολομῶνος ὧδε. Eſtque illud *plus* non appoſitum, ſed ſuppoſitum. Siquidem *hic* adverbium eſt, non pronomen, quod veteres diphthongo Græca *e* & *i* ſcribere ſolebant: quemadmodum in nonnullis marmoribus ſcriptum animadverti, ideoque ſemper eſt productum. Nam dum pronomen, aliquando corripitur, ut apud Virgilium, Æneid. 4. *Unus hic inflexit ſenſus. Condemnare* autem non eſt accipiendum tanquam judicem. Nam accuſator quoque dicitur *condemnare reum*, quando ad condemnationem perducit; quod etiam dicitur *peragere reum*, cujus cum alibi teſtimonia ſunt tum in Jure civili.

45. *Generationi huic peſſimæ*] Gr. *malæ*, πονηρᾷ.

REVIUS in VALLAM.

16. *NE manifeſtum eum facerent*] Confer quæ ad hanc ſectionem Eraſmus diſſerit.

18. Εἰς ὃν εὐδόκησεν] Rejectum erat poſt *in hoſtium poteſtatem*, &c.

22. *Surdus*] Imo & *mutus*. Luc. 1. 22. de Zacharia, διέμενε κωφός, i. ut præcedit, οὐκ ἐδύνατο λαλῆσαι. Luc. 11. 14. ἐλάλησεν ὁ κωφός, καὶ ἐθαύμασαν οἱ ὄχλοι. Aliorum auctorum exempla è Theſauro H. Stephani, ſi dubitas, pete. Vide & quæ hic obſervavit Eraſmus & in Luc. 1. 22. & 11. 14.

42. *Unus hic inflexit*] *Solus hic.* Sed hoc leve eſt.

ERASMUS.

1. *Abiit Jeſus*, ἐπορεύθη] Cur non potius *ambulavit*, ſive *ivit?* Itidem vertit & Pſal. 1. 1. *Abiit in conſilio impiorum.* ¶ Nec eſt *ſabbato*, ſed *ſabbatis*, σάββασι, ut legit & Hilarius. Siquidem & totum illud tempus ſeptem dierum *ſabbatum* appellatur; & ſinguli, *ſabbata*. Ac mox invertit, ἐν σαββάτῳ, i. *in ſabbato*, vertens, *ſabbatis*: tametſi multa hujuſmodi ſolet admiſcere caſus. Chryſoſt. admonet hoc eſſe ſabbatum quod Lucas appellat δευτεροπρῶτον, *ſecundo primum*: de quo ſuo dicetur loco.

2. *Quod non licet eis*] *Eis* addidit de ſuo vel interpres vel librarius. Nam abſolutius eſt, *non licet*. Ac mox paria fecit.

3. *Eſuriit*] Omiſſo αὐτὸς, i. *ipſe*, & *qui cum eo erant.*

5. *Sabbatum violant*, βεβηλοῦσι] i. *Profanant*, Siquidem βέβηλοι *profani* dicuntur. ¶ *Sacerdotes in templo*] Periit apud nos jucunda vocum inter ſe redditio, ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ, q. d. *ſacrifici in ſacro*, quæ ſervata eſt in *ſabbatis* & *ſabbato*. ¶ *Et ſine crimine ſunt*, ἀναίτιοί εἰσιν] i. *inculpati ſunt*, ſive *nihil eis imputatur*, aut, ut nos vertimus, *Crimine vacant.* Quanquam aptius eſt quod hic vertit interpres, *ſine crimine*, quam

quam quod alicubi citat Hieronymus, *ſine culpa ſunt.* Siquidem αἰτία *crimen* eſt potius quam *culpa.* Etiamſi non ſum neſcius apud Græcos ἀναίτιον aliquoties accipi pro *innoxio* ſive *inſonte*, quemadmodum mox vertit, *Nequaquam condemnaſſetis innocentes*, ἀναιτίους.

6. *Quia templo major eſt hic*, ὧδε] *Hic* hoc loco adverbium eſt demonſtrandi, non pronomen: quod admonuit & Hieron. ut intelligas eum locum eſſe ſanctiorem templo qui templi Dominum teneret. Quidam Græci cod. habebant pro μείζων μᾶζον, *majus*, quod plenius eſſet: ut ſit ſenſus, *Eſt hoc loco quod ſit majus templo.*

11. *Et ſi ceciderit*, ἐμπέσῃ] i. *inciderit.* Nec eſt *habeat*, ſed *habebit*, ἕξει. ¶ *Nonne tenebit & levabit eam*, κρατήσει καὶ ἐγερεῖ] i. *apprehendet & eriget.* Habet enim hoc ovillum genus, ut fulmine aut ictu alioqui proſtratum, niſi erigatur à paſtore, pereat.

12. *Quanto magis melior*, πόσῳ οὖν διαφέρει ἄνθρωπος] i. *Quanto magis præſtat homo*, ſive *præſtantior eſt.* Quorſum opus erat hic affectare ſermonis abſurditatem? διαφέρει dictum pro *antecellit.*

13. *Tunc dicit homini*] In Euangelio quo quondam utebantur Nazareni & Ebionitæ (quodque locis aliquot citatur ab Hieronymo, teſtaturque à ſe ex Hebræo ſermone verſum in Græcum, neque defuerunt qui putarint ipſius Matthæi authenticum eſſe) ſcriptum fuit hunc hominem fuiſſe cæmentarium, atque hujuſmodi vocibus Jeſu opem imploraſſe, *Cæmentarius eram, manibus victum quæritans: precor te, Jeſu, ut mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter mendicem cibos.* ¶ *Reſtituta eſt ſanitati*, ὑγιὴς] i. *ſana.* Quanquam interpres hoc ſane bene vertit.

14. *Faciebant conſilium*, ἔλαβον] i. *ceperunt*; & συμβούλιον *conſilium*, h. e. *conſultationem inter ſe.*

15. *Receſſit*, ἀνεχώρησεν] Laurentius mavult *receſſit*, quod aptius ſit ſubducenti ſe. Unde & à *receſſu* dicti *Anachoretæ.* ¶ *Secuti ſunt eum multi*] Græci addunt ὄχλοι, i. *turba multa.*

16. *Ne manifeſtum eum*] Latinius erat, *Ne ſe*, aut *ne ipſum*, *manifeſtum facerent.* Angutatur hic neſcio quid Laurentius, nimirum ὑπὲρ τὸ ἐπαμφοῖν πάθῃ, Chriſtum ob id interminatum ne ſe proderent, quod profugiſſet à Phariſæis, quaſi metueret ne ab illis deprehenderetur. Aliud in hiſce rebus myſterium. Nam non ſemel hoc à Chriſto factum legimus, quo fugeret gloriæ captatæ ſuſpicionem, quoque nobis præberet exemplum modeſtiæ. Rurſum legimus eum mandaſſe ut narrarent omnibus quod accidiſſet, ut nos doceret Dei gloriam non eſſe celandam.

18. *Ecce puer meus*] Teſtimonium eſt apud Eſaiam 42. 1. Quanquam Matthæus aliquanto diverſius citat quam vel apud LXX legatur vel apud Hebræos. Nam Hebræa D. Hieronymus reddidit ad hunc modum, *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum; electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Dedi Spiritum meum ſuper eum. Judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur foris vox ejus. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. In veritate educet judicium. Non erit triſtis neque turbulentus, donec ponet in terra judicium: & legem ejus inſulæ exſpectabunt.* Ea LXX vertunt hunc in modum, *Ecce Jacob puer meus, aſſumam eum; Iſrael electus meus, ſuſcepit illum anima mea. Dedi Spiritum meum ſuper eum: judicium gentibus educet. Non clamabit, neque dimittet, neque audietur foris vox ejus. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non exſtinguet, ſed in veritate reducet judicium. Splendebit, & non conteretur, donec ponat ſuper terram judicium: & in nomine ejus gentes ſperabunt.* Cæterum quod una vaticinii pars in medio prætermiſſa ſit, *Non erit triſtis neque turbulentus, donec ponat in terra judicium*, ſive juxta LXX, *Splendebit, & non conteretur, donec ponat ſuper terram judicium*, id Hieron. putat ſcriptoris errore factum, qui, quod ſæpenumero fit, ea verba quæ interceſſerant inter *judicium* & *judicium* oblitus omiſerit. Verum hac de re qui cupiet edoceri copioſius, legat enarrationem Hieronymi in hunc Prophetæ locum; ad hæc, libellum ejuſdem ad Algaſiam quæſt. 2. Illud admiror, quid Lyrano venerit in mentem ut ſcriberet hoc teſtimonium à Matthæo adductum juxta interpretationem LXX, cum longe magis conſentiat cum Hebraica veritate, etiamſi ab hac quoque nonnihil diſcrepans, ſed verbis potius quam ſenſu. Annotandum obiter & illud, Cum Hieronymus ediſſerens præſentem Prophetæ locum releget nos ad ſuos in Matthæum Commentarios, in quibus *plenius* ſuper hac re diſſeruerit, atque in ipſis Commentariis vix ſummis, ut ajunt, digitis rem attingat, in conjecturam vocor, id quod ſæpenumero ſum ſuſpicatus, eos Commentarios à faſtidioſo quopiam lectore decurtatos, prætermiſſis in medio quæ non intellexerit. Quos tametſi fatetur ipſe neque juſtos eſſe neque plenos, tamen ad alios quos ille in Prophetas & aliquot epiſtolas Pauli plenos ſcripſit, vix *commentarioli* dici merentur. Idem factum arbitror in Commentariis quos idem ſcripſit in Pſalmos: quanquam in hos, quisquis is fuit, gemina debacchatus eſt injuria: primum, quod quæ libuit prætermiſerit; deinde, quod compluribus locis ſuas nugas, ceu purpuræ pannum, affuerit. Nam quod in Marcum habemus commentum præter titulum nihil habet Hieronymi. Cæterum Commentarii in Lucam, quos ipſe locis aliquot citat, prorſus interciderunt. Viſum eſt obiter oſtendere lectori quomodo Cyprianus adducat hunc locum in libello quem ſcripſit adverſus Judæos, *Ecce puer meus, filius meus dilectiſſimus. Super eum ponam Spiritum meum; & judicium Gentibus nunciabit. Non clamabit, neque contendet. Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, quoadusque expellat in contentione judicium, & in nomine ejus Gentes credant.* Etiamſi hunc ipſum locum aliquanto ſecus adducit lib. 2. adv. Judæos cap. 12. Porro quod nos pro *puero* vertimus *Filium*, LXX δοῦλον *ſervum*, ut Græcis ac Latinis παῖς & *puer* ambigua vox eſt, itidem & Hebræis נער. Quod ſi uſquam conveniebat παῖδα vertere *Filium*, certe hic quadrabat, cum de Chriſto loquatur. Neque defuerunt apud Græcos qui *ſervi* vocabulum vererentur tribuere *Filio Dei.* Quorum eſt Chryſoſtomus, ſi modo illius ſunt Commentarii quos habemus in epiſt. ad Hebræos.

22. *Cæcus & mutus*, τυφλὸς καὶ κωφός] Quanquam κωφὸς Græcis etiam *ſurdum* ſignificat, ob id opinor quod qui natura ſurdi ſunt, iidem & muti ſint oportet. ¶ *Ita ut loqueretur & videret*] Hic repetunt Græci cod. *cæcus & mutus.* In nonnullis etiam congeminatur conjunctio, καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν, in nonnullis non geminatur. Quod erat reddendum, *Ut is qui cæcus erat ac mutus, & loqueretur & videret.*

23. *Nunquid hic eſt*] Hic nonnulli Græci cod. addunt ὁ Χριστὸς, i. *Num hic eſt ille Chriſtus filius David?* Quanquam hic quoque ὁ υἱὸς articulus appoſitus facit ut non poſſit de quovis filio David intelligi, ſed de certo quodam, nempe qui Prophetarum oraculis promiſſus exſpectabatur.

25. *In ſe diviſum*, καθ' ἑαυτῆς] Et fidelius & apertius reddidiſſet, *diviſum adverſus ſemetipſum*, ut mox vertit, *contra ſe.*

31. *Spiritus autem blaſphemia*] Id certe palam eſt librariorum vitio corruptum eſſe, quod tamen in omnibus ferme cod. inolevit. Nam apud Græcos eſt ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία, *ſed Spiritus blaſphemia*; ut intelligas *maledictum quod fiat adverſus Spiritum.* Juxta ſinceram ac germanam lectionem adducit hunc locum D. Hilarius in Canone quo explicat Matthæum. Item Auguſtinus ſerm. De verbis Domini ex Euang. Matthæi 11. idque iterum atque iterum, ne quis caſum eſſe cauſetur, hoc tantum diſputans, *blaſphemiam* non pro quovis accipi maledicto, nec *Spiritum* pro quovis ſpiritu. Sed quod hic confuſius dixit *Spiritus blaſphemia*, alibi clarius expreſſum eſt *Qui blaſphemaverit in Spiritum ſanctum.* Etiamſi non negem in Græcis verbis amphibologiam eſſe, quod intelligi poſſit, *convitium ab ipſo Spiritu profectum.* Carrenſis hunc enarrans locum, *Quid ergo*, inquit, *aliud eſt ſpiritus blaſphemia, quam affectatio & deſiderium vituperationis Divinæ? Spiritus blaſphemia ſpirat ad odium Dei; Spiritus ſanctus ſpirat ad amorem Dei.* Atque ne quis Græcorum cod. autoritatem impudenter contemnat, conſentiunt cum Græcis vetuſta Latinorum exemplaria; cum primis autem & codex Aureus, & inter excuſa typis ſuffragatur & Gloſſæ, quam vocant Ordinariam, editio Mogontinenſis.

32. *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum*] *Verbum* hoc quidem loco non ponitur, ſed ſubauditur è proximo. Græcis ſuffragatur & cod. Aureus.

33. Rurſum eſt σαπρὸν, de quo diximus.

34. Γεννήματα, quod alias vertit *genimina*, hic recte vertit *Progenies.*

35. Ἐκβάλλει, quod hic vertit *Profert*, alias vertit *ejicit*, alias *emittit*: nos *expromit* ac *depromit* tranſtulimus.

40. *Tribus diebus & tribus noctibus*] Licet Latinus extulerit per ablativum caſum, tamen Græcis eſt accuſativus; ut jam non poſſit accipi ſpecies temporis, ſed ſpatium: τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας. Proinde D. Hier. quæſtionem explicat per tropum qui Grammaticis Synecdoche dicitur: Siquidem cum unus duntaxat dies hujus tridui fuerit integer, nempe Sabbati cum nocte adjuncta, nec Chriſtus in ſepulcro fuerit niſi veſpera Paraſceues, ac diluculo Dominicæ quo ſurrexit, tres tamen dies in ſepulcro ſcribitur egiſſe. Ad eandem rationem explicat D. Aug.

De Quæſt. Euang. lib. 1. quæſt. 7. Etiamſi Faber uſque adeo faſtidit Synecdochen libello De triduo Chriſti, odio opinor Grammatices, cum qua illi parum convenit, ut ipſa indicat res, ne cui parum Philoſophus videatur.

41. *Pluſquam Jonas hic*] Item.

42. *Pluſquam Solomon hic*] Utrobique eſt ὧδε adverbium, non pronomen, ut ante monſtravimus. Quod veteres orthographi ſolent diſtinguere, *hic* pronomen ſcribentes per *i* ſimplex, *hic* adverbium per Græcam diphthongum *ei*, *heic*; id quod Valla teſtatur ſibi compertum in aliquot vetuſtis marmorum inſcriptionibus.

43. *Per loca arida*] Non eſt ξηρὸν, ἀνύδρων, i. *aquis carentia & ſiticuloſa*. Nam hujuſmodi fere ſterilia ſunt, & ob id deſolata. Unde filia Caleb *agrum irriguum ſuperne atque inferne petit*.

45. Πονηρότερα vertit *nequiores* pro *ſceleratiores*. ¶ Ex *generatione mala* fecit *peſſimam*, cum ſit πονηρᾷ. ¶ *Et intrantes habitant ibi*] In exemplari quodam ſcriptum erat, καὶ εἰσελθὸν, *& ingreſſus*, ut referatur ad ſpiritum qui collegit ſocios. Verum hoc ad ſenſum minimum refert.

46. *Quarentes eum*] Græci addunt, *quarentes ei loqui*, ζητοῦντες αὐτῷ λαλῆσαι. Neque enim perierat, ſed expetebatur ad colloquium.

47. *Quarentes te*] ζητοῦντές σοι λαλῆσαι, i. *quarentes tibi loqui*. Utinam autem populus Chriſtianorum univerſus ſic eſſet deditus cultui beatiſſimæ Mariæ ut totis ſtudiis illius virtutes æmularetur. Cæterum aut hodie vulgus pio quodam favore plus ſatis illi tribuit, aut parum tribuit Chryſoſtomus, hunc explanans locum Hom. 12. Nam ipſius verba ex interprete ſubſcribam, *Quamvis*, inquit, *ex facto matris nonnihil importunitatis quoque acceſſit. Conſidera igitur tam matris quam fratrum importunitatem. Nam cum debuiſſem intrare, atque cum turbis ſimul audire, aut ſaltem exſpectare foris ſermonis finem, ac demum accedere, ambitione quadam ac oſtentatione commoti, foras eum in præſentia omnium evocaverunt*: cæteraque quæ ſequuntur in hanc ſententiam. Rurſus in altera editione, nam variant codices, ejuſdem numeri Homilia, hanc imperioſam importunitatem in fratres potiſſimum refert, matri parcens. At idem enarrans Euangelium Joannis, de nuptiali miraculo agens, clarius etiam tribuit Mariæ affectum aliquem ambitionis gloriæque humanæ. *Optabat enim*, inquit, *ut jam hominum gratiam conciliaret, & ipſa clarior filii gratia efficeretur; & fortaſſe aliquo humano afficiebatur affectu: quemmodum & fratres ejus, cum dixerunt*, OSTENDE TEIPSUM MUNDO, *cupidi ejus miraculi ſibi famam comparare*. Ac paulo poſt idem agens, *Siquidem non adhuc debitam de ipſo opinionem habebant, ſed more matrum Maria jure omnia ſe filio præceptura cenſebat, cum tanquam Dominum colere & vereri ſui eſſet*. Hactenus Chryſoſtomi verba recenſuimus. Auguſtinus videtur illi tribuere nonnihil diffidentiæ. Nos eam prorſus à peccato originali facimus immunem, at hic videtur aliquod actuale, ut vocant, peccatum tribuere; niſi forte is affectus omni culpa vacat quem illi tribuit. Atque ita potius arbitror ſentiendum. Nam ut ignorantia quædam eſſe poteſt abſque culpa, ita & dubitatio & affectus maternus culpa vacare poteſt. Chriſtus apud Lucam quoque parum blande reſpondet parentibus, *Quid eſt quod me quærebatis? An neſciebatis quod in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Mox ſubjicit Euangeliſta, *Et ipſi non intellexerunt verbum*. Rurſus prædicanti *beatum ventrem matris, & ubera lactatricis, Quinimo*, inquit, *beati qui audiunt verbum Dei*. Rurſus in cruce *mulierem* vocat, & Joanni tranſcribit. Quibus ex rebus ſtultiſſime collegerant Manichæi, Mariam non fuiſſe matrem Jeſu niſi vulgi opinione, videlicet negantes eum fuiſſe hominem. Nos id ſane poſſumus pie colligere; Quoties agitur negotium reip. quoties agitur negotium religionis, non multum apud nos valere oportere corporalis affinitatis affectum. Hier. ſic elabi conatur ut dicat hunc qui renunciavit Chriſto inſidioſe feciſſe, tentantem num ob ſuorum affectum intermiſſurus eſſet prædicandi munus; atque ob id acrius à Chriſto reſponſum. Ego hac in re meam non interpono ſententiam. Tantum optarim ſedulitatem quorundam omnia in Sanctis in immenſum exaggerandi verti potius ad ſtudium æmulandi quod illos vere beatos reddidit. Verum hæc leviculi ſunt momenti. Quod genus & illa, quod pro

49. *Extendens manum*] Græci legunt *manum ſuam*. Deinde quod in his

50. *Ipſe meus frater*] Nonnulli cod. habent αὐτὸς, nonnulli ἕτερος *hic*.

VATABLUS.

1. A *Biit*] *Ambulavit*, pro *ambulabat*. ¶ *Sabbatho*] *Sabbathis*, Hebr. pro *ſabbatho quodam*. Sic alibi, *in urbibus*, pro *in quadam urbium*.

2. *Non licet*] *Non licet ei*, V. ¶ *Sabbathis*] *In ſabbatho*.

4. *In domum Dei*] i. in atrium.

5. *Templo*] *Templum* pro *atrio*. ¶ *Violant*] *Profanant*, i. operantur eo die perinde atque profeſto. ¶ *Sine crimine ſunt*] Vel, *nihil eis imputatur*.

6. *Hic*] Adverbium loci.

7. *Scivtis*] *Cognoviſſetis*. ¶ *Miſericordiam volo*, &c.] Hebr. pro *Miſericordiam antepono ſacrificiis*. ¶ *Innocentes*] *Innoxios*.

10. *Ecce homo*] *Ecce homo erat ibi*, V. ¶ *Interrogabant*] *Interrogaverunt*. ¶ *Si*] Hebr. pro *An*.

11. *Tenebit & levabit*] *Apprehendet & erigit*.

12. *Melior*] *Præſtantior*.

14. *Faciebant*] *Ceperunt*.

15. *Sciens*] *Ubi noviſſet*. ¶ *Secuti ſunt eum multi*] *Secuta ſunt eum turba multa*.

16. *Præcepit*] *Interminatus eſt*.

18. *Puer*] Vel, *filius*: vel, *ſervus*. ¶ *In quo bene complacuit anima mea*] Hebr. pro, *quem vehementiſſimo amore proſequor*: vel, *in quo placata eſt anima mea*. ¶ *Judicium*] i. juſtam & veram doctrinam Euangelicam.

20. *Linum*] *Ellychnium lineum*. ¶ *Donec ejiciat*] *Donec deprompſerit*: ſub. *in terra*: i. donec rectam & veram Euangelii doctrinam docuerit, ad vincendum hoſtes ſuos, ut expugnet eos, q.d. Mitem ſe præbebit, furori & inſaniæ hominum cedet, quoad promulgaverit Euangelium.

22. *Ita ut loqueretur*] *Ita ut is qui erat cæcus & mutus & loqueretur, & cerneret*, V.

23. *Nunquid hic eſt filius*] *Nunquid hic eſt ille Chriſtus filius*.

27. *In Beelzebub*] *In* pro *per*: *per Beelzebub, per quem*, &c.

28. *Pervenit*] Vel, *prævenit*, i. Meſſias promiſſus à Deo vobis nec opinantibus advenit.

29. *Vaſa*] Hebr. pro *inſtrumentis bellicis*.

30. *Congregat*] Sub. *in ovile meum*. ¶ *Spargit*] i. periculo exponit oves.

31. *Spiritus autem blaſphemia*] *Spiritus autem blaſphemia*, V. i. Qui convitium fecerit Spiritui ſancto: ut mox exponit ipſe, *Qui dixerit verbum*, &c.

33. *Aut facite arborem bonam*, &c.] i. Aut me cum operibus laudate; aut me, tanquam arborem putrem, una cum operibus damnate.

35. *Theſauro*] Hic *theſaurus* pro acervo & cumulo quarumcunque rerum accipitur: q. d. Ex acervo bonarum cogitationum, &c.

36. *Otioſum*] Quidam Græci cod. legunt *pravum*, vel *malum*: & ita Chryſoſtomus legiſſe videtur.

37. *Juſtificaberis*] i. juſtus & pius pronunciaberis. Chriſtus dictorum perinde ac factorum rationem habebit.

38. *Reſponderunt ei*] i. allocuti ſunt eum, Hebr. ¶ *Volumus*] Vel, *cupimus*.

39. *Et ſignum*] *Et* pro *at*.

40. *In corde terræ*] i. in ima terra, Hebr.

41. *Cum generatione iſta*] Vel, *adverſus generationem iſtam*, aut *genus hoc hominum*. Sic infra. ¶ *In prædicatione*] *Ad prædicationem*: vel, *prædicante Jona*.

43. *Arida*] *Aquis carentia*: vel, *ſiticuloſa*.

45. *Septem*] Hebr. pro *multis*, ut Iſa. 4. 1. *Apprehendent ſeptem mulieres virum unum*. ¶ *Noviſſima*] *Extrema*, i. Quæ poſtremo loco accidunt homini illi, pejora iis quæ primo loco illi acciderant.

46. *Fratres*] Hebr. pro *cognati*.

47. *Quærentes te*] *Quærentes te alloqui*. V.

49. *Manum*] *Manum ſuam*. V.

50. *Meus frater, ſoror*] *Meus & frater, & ſoror*. V.

CASTA-

gitized by

CASTALIO.

4. D *Omum Dei*] i. Templum.

7. *Pietatem malo quam ſacrificium*] חסד apud Oſeam plus eſt quam quod hic ponitur ἔλεος. Deinde quod hic eſt ἤ, illic eſt quidem תחת, ſed quod pro מן ponitur: nam hæc præpoſitio in altero ſententiæ membro ponitur, quod idem tamen ſignificat. Sic enim in Oſea legitur ad verbum, *Pietatem volo, & non ſacrificium; & Dei cognitionem, quam victimas.* Ubi *volo* pro *malo* poſitum eſt, ut apud Homerum,

Βέλομ' ἐγὼ λαὸν σὸν ἰμείρων ἢ ἀπολέσθαι.

Καὶ ἤ autem, ſive καὶ μή, pro μᾶλλον ἤ, dicunt etiam authores profani; ut Iſocrates ad Nicoclem, ἐπιείκειαν αἱροῦ, καὶ μὴ πλεονάζειν, h.e. *Parum malis quam nimium facere.* Sic enim loquuntur Latini; ut Cicero, *Valere malis quam dives eſſe*, ὑγιαίνειν αἱροῦ ἢ μὴ πλουτεῖν.

31. *Omne peccatum ac maledictum*, &c.] Quid ſit peccatum in Spiritum S. ex hoc loco apparet. Qui enim Divinis operibus & ſacri Spiritus numine factis, adeoque claris & perſpicuis ut contradici non poſſit, tamen contradicit & reſiſtit, nec ſibi perſuaderi patitur id quod refelli non poteſt, is eſt pertinax, durus, indocilis, cui nulla re poſſit unquam perſuaderi. Is in pertinacia ſemper manet, nec unquam fit melior, ideoque nunquam ei venia datur. Tales fuerunt Scribæ & Phariſæi. Hoc eſt peccare in Spiritum ſanctum. *In hominem* autem, h. e. in Chriſtum ut hominem, *peccare* dicuntur qui in eo nondum ſpiritualia vident opera. Talis erat Paulus nondum Chriſtianus; peccabat in hominem Jeſum: At idem ſi agnitum perſecutus eſſet, nunquam ei venia data fuiſſet. Hic illud objiciet aliquis, *Quoties ingemuerit nocens, non amplius recordabor.* Eſt ita. Sed nunquam niſi ſero & clauſa porta ingemiſcunt qui tales ſunt; de quibus ſcriptum eſt ad Hebræos 6. & 1 Joannis 5. ubi hoc peccatum *lethale* dicitur. Hoc optime intelligi poteſt, ſi diligenter conſideres illud ex Eſa. 6. oraculum, *Stupefac iſtorum animos, eorumque & aures obſirma, & oculos hebeta, ne oculis videant, & auribus audiant, & animis intelligant, & ita mutati ſanentur.* q. hoc dicat, Quoniam adeo pertinaces ſunt & improbi, volo eos punire. Sed tanta eſt mea clementia ut quamvis ſint ſceleratiſſimi, tamen ſi mores corrigant, veniamque petant, daturus ſim. Ne igitur veniam orent, volo ut in pertinacia permaneant, ut eos puniam. ¶ Quod autem dicit, *Nec in hoc ſeculo, nec in futuro*, ſcio quoſdam ita exponere ut putent nihil aliud eſſe quam quod apud Marcum eadem de re ſcriptum eſt, *Nunquam.* Sed non Matthæus hac in re per Marcum, ſed contra Marcus, qui brevius, per Matthæum, qui copioſius ſcripſit, eſt explicandus; ut quod apud Marcum eſt *nunquam*, id ſignificet, *nec in hoc ſeculo, nec in futuro.* Sed quid ſit id futurum ſeculum, ego ignoro. Poteſt enim dubitari utrum de noſtro hoc ſeculo loquatur, quod tum erat futurum, & quod Paulus vocat *ultimum tempus*, dum dicit, *ultimo tempore futuros homines peſſimos*; an de æterna vita, quæ ſeculum hoc ſequetur.

33. *Aut facite arborem bonam*] *Facere* pro *affirmare* ponitur; ut Joan. 8. 53. *Quem te facis?* Eſt igitur hæc ſententia, Hoc pro certo habete, neceſſe eſſe, quæ arbor ſit bona, ejus fructum eſſe bonum; & qui fructus ſit malus, eum arboris eſſe malæ. Atqui iſta veſtra verba malus fructus eſt: ex quo conſequens eſt, vos ſtirpem eſſe malam. Mali bene loqui neſcitis.

CLARIUS.

5. S *Abbatum violant*] Dum ſcilicet cædunt victimas, cum prohibeatur opus ullum fieri ſabbato, ſed ſine crimine ſunt, quia gloriæ Dei etiam tunc inſerviunt. Quod ergo vel neceſſitas vel Divinus honor fieri perſuadet, id non facit injuriam ſabbato.

19. *Neque audiet aliquis in plateis vocem ejus*] Non loquetur ad oſtentationem.

20. *Arundinem quaſſatam*] ARUNDINEM QUASSATAM *puto eſſe*, ait M. Baſilius, *eum qui cum aliquo vitioſo affectu facit mandatum Dei, quem frangere & abſcindere non oportet, ſed curare potius: ſicut Dominus docuit, dicens*, CAVETE NE ELEEMOSYNAM VESTRAM FACIATIS CORAM HOMINIBUS, UT VIDEAMINI AB EIS. *Et Apoſtolus admonet dicens*, OMNIA FACITE SINE MURMURATIONIBUS ET DISCEPTATIONIBUS. *Et alibi*, NIHIL PER CONTENTIONEM ET INANEM GLORIAM. LINUM *autem* FUMIGANS, *cum mandata qui facit non ſervente animo & pleno ſtudio, ſed ignavius & quaſi laxius: cui non eſt imperandum ut ceſſet, quin potius excitandus eſt commemoratione judiciorum Dei & Euangeliorum ejus.*

26. *Quomodo ergo ſtabit regnum ejus?*] Quod nimirum ipſe Satanas ſtatuere quærit, non perdere.

27. *Filii veſtri in quo ejiciunt?*] In nomine meo videlicet: iccirco ipſi vos condemnabunt, nempe cum ſederint in judicio.

32. *Verbum contra Filium hominis*] Qui, inquit, ex hac aſſumpti corporis infirmitate offenſus aliquid fuerit, ejus errori, qui ex ignoratione fit, venia dabitur: at qui manifeſta Divina opera calumniatus fuerit, huic nihil ſupereſt veniæ. Hanc ergo *blaſphemiam Spiritus* appellat. *Et nunc quoque*, ait M. Baſilius, *is blaſphemat Spiritum ſanctum qui ſtudioſe aliquem in rem quampiam incumbentem inanis gloriæ cupidum vocat, & cætera talia.* Quod autem ait, *ne in futuro quidem ſeculo remittendum*, videtur neceſſario ſequi, eſſe aliqua peccata quæ in futuro ſeculo remittantur. Nam ſi dixero, aliquem excipiens è multis, Hic in futuro ſeculo non morietur, aut nihil dico, aut ſignifico aliquos in futuro ſeculo morituros. Marcus tamen pro his verbis, *neque in hoc ſeculo, neque in futuro*, dixit, *in æternum.*

33. *Arborem bonam, & fructum ejus*] Intelligit ſe, & opera: Neceſſe eſt enim, ſi opera bona ſunt, & autorem eſſe bonum: ut ex arbore colligi poteſt. Cur autem hæc illi dicerent ſubdit cauſam Dominus, *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali?* &c.

36. *De omni verbo otioſo*] *Verbum otioſum*, ait idem Baſilius, *eſt quod, etiamſi bonum ſit, ad ædificationem fidei tamen non aptatur. Et ejuſdem verba in celeberrimo illo totius orbis terræ conventu examinabuntur. Quid ſcurrilibus, & detrahentibus, & obſcœnis verbis fiet?* Quanti autem verba ſint, vide quid dicat, *Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.*

40. *Tribus diebus & tribus noctibus*] Hebraiſmus eſt, perinde quaſi dixiſſet tantum, *tribus diebus*: qui dicendi modus & aliis Scripturæ locis invenitur: atque hoc pacto non erit anxie laborandum in inquirendis tribus illis noctibus.

43. *Per loca arida*] Deſerta, ſqualida. Omnis autem habitatio immundo ſpiritui ſqualida & deſerta eſt præ habitatione hominis. Vel *loca arida*] Divino ſcilicet influxu; ut ſunt infidelium animæ. Sumpta ergo ſimilitudo eſt ab homine à quo ſpiritus malus ejectus fuerit, qui ſi in eundem revertatur deterius eum afficit, & quo potiora Dei munera in eum collata deprehenderit, eo libentius habitaculum illud invadit: atque hoc eſt quod ait, *Invenit eam ſcopis mundatam & ornatam.*

48. *Quæ eſt mater mea?*] Non contemnit matrem, ſed præponit rebus omnibus eam provinciam quæ ei demandata à Patre fuerat. Invitat ergo nos ad celſiorem perfectioremque cognationem ſpiritus inquirendam.

ZEGERUS.

6. T *Emplo major eſt hic*] Pro *major* moderni cod. μεῖζον habent, gen. neutro: verum magis placet, quod vetuſtiores habent, μείζων gen. maſculino. Pro *hic* Græce eſt ὧδε particula locum ſignificans; quod videlicet templo major eſſet is locus qui Dominum templi continebat. Ita unus atque alter ediſſeruit. Verum ſimplicius eſt ac magis tritum ut accipiamus Chriſtum ipſum templo majorem, etiamſi legamus ὧδε, quæ vox non tam locum mihi indicare videtur quam perſonam loco præſentem, ut ſimul utrumque ſubindicari intelligatur.

8. *Dominus enim eſt Filius hominis etiam ſabbathi*] Ita conſtrue; Filius hominis, Chriſtus, Dominus & Opifex eſt, ut univerſorum, ita & Sabbathi. Vocat autem ſe *filium Adam* ex conſuetudine Hebræorum, ad indicandam humanæ naturæ conditionem.

18. *Judicium Gentibus nunciabit*] i. juſtam & veram doctrinam.

20. *Arundinem quaſſatam non confringet*, &c.] Tanquam ſi dicat, Poterat quidem Dominus Jeſus inimicos ſuos Judæos ut arundinem, nec ſimpliciter ut arundinem, ſed ut arundinem jam quaſſatam & convulſam, confringere, furoremque eorundem ut linum fumigans, imo quamvis etiam flagrans, prorſus exſtinguere; ſed immenſa ſua bonitate diſtulit patienter illos ad reſipiſcentiam, exſpectans donec omnia optatum eſſent exitum conſecuta, tum enim illos caſtigavit. Et hoc ſignificavit cum addidit, *donec emittet in victoriam judicium ſuum.* Ita prope-

modum

modum Chryſoſtomus; quem ſequitur & Euthymius, niſi quod hic circa illud, *donec ejiciat ad victoriam*, evidentius aliquid exprimat, ita fere ſcribens, *Donec ad finem & perfectionem ſuam juſtitiam deducat. Siquidem Victoriam perfectionem, Judicium autem nominavit juſtitiam. Poſt id ergo tanquam vaſa figuli virga illos ferrea confringet, principatu videlicet Veſpaſiani & Titi, qui eos obſederunt & exterminarunt*, Joſephus De bell. Jud. 6, & 7. Poterit quoque & aliter præſens locus explicari, ut per *arundinem quaſſatam* & *linum fumigans* imbecillos adhuc in religione Chriſtiana & infirmos intelligamus, in quibus eſt aliquid bonæ ſperi reliquum; quos confovet potius mitis ac longanimis Dominus quam opprimat aut exſtinguat, donec progreſſu temporis proficiant ad meliora. Hilarius item aliam ponit enarrationem utrique prædictarum nonnihil diverſam, cujus verba ſubſcribo. *Illud admonemur, Arundinem quæ quaſſata ſit non eſſe confractam, & linum fumigans non exſtinctum, i. Caduca & quaſſata Gentium corpora non fuiſſe contrita, ſed in ſalutem potius reſervata; neque exiguitatem ignis tantum jam in lino fumigantis exſtinctam, ex Sion, Iſrael, & ex reliquo veteris gratiæ ſpiritum non ablatum, quia reſumendi totius luminis in tempore pœnitentiæ ſit facultas. Sed iſtud intra certi temporis ſtatuta præſcribitur, Donec ejiciat victoriam ad judicium; ſublata ſcilicet mortis poteſtate, judicium claritatis ſuæ reditu introducat in nomine ejus per fidem Gentibus creditura.* Præterea illud, *Donec ejiciat ad victoriam judicium*, Rabbinus edidſerit in hunc modum, *Donec*, inquit, *illud judicium quod in eo agebatur ad victoriam perveniret: quia poſtquam mortem reſurgendo ſuperavit, expulſo hujus mundi principe, victor ad regnum rediit, in Patris dextera ſedens, donec ponat ſub pedibus omnes inimicos ſuos.* Pertractat inſuper copioſius totum hoc Jeſaiæ teſtimonium B. Hieronymus Algaſiæ ſuæ ſcribens quæſt. 2. qui cum alias tum in hoc à cæteris fere diſſentit, quod per *arundinem quaſſatam* ſive (ut LXX habent) *calamum fractum* Iſraelem intelligat, utpote qui & vocalis antea in laudes Domini concinuerit, & tandem in lapidem illum angularem cadens atque impingens confractus ſit; per *linum* vero *fumigans*, populum Gentilem, utpote qui, exſtincto legis naturalis ardore, fumi amariſſimi, & qui noxius oculis eſt, tenebroſæque caliginis involutus fuerit erroribus. Quem non ſolum non reſtinxit & redegit in cinerem, ſed è contrario de parva ſcintilla & pene morientе maxima ſuſcitavit incendia, ita ut totus orbis arderet igne Domini, quem *venit mittere ſuper terram*, & in omnibus ardere deſiderat, Luc. 12. 49. Cætera non tam brevitatis cauſa quam quod non perinde arrideant ſilentio tranſeo. *Lini* nomine intelligere poſſumus linum ellychnium. ¶ *Donec ejiciat ad victoriam judicium*] Quæ poſt hæc ſequuntur apud Jeſaiam 42. 4. *Splendebis, & non quaſſabitur, donec ponat ſuper terram judicium*, B. Hieronymus epiſt. ad Algaſ. quæſt. 2. *prætermiſſa* eſſe putat *errore primi ſcriptoris*, qui non adverterit bis poſitum *judicii* vocabulum. Hanc opinionem adjuvat & Euangelium Hebraicum (ſi quid illi tribuendum) in quo Prophetæ teſtimonium juxta veritatem Hebraicam ad verbum enumeratur. Sed hæc Hieronymi opinio recepta non eſt.

31. *Spiritus blaſphemia*] h. e. blaſphemia adverſus Spiritum, eadem videlicet dictionis forma, qua ſupra dictum eſt, *Dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum*, h. e. adverſus ſpiritus immundos, tametſi jam ibi à quopiam inſerta ſit τῶν particula. Hic *Spiritus blaſphemia* legendum juxta veruſtiorum aliquot exemplarium, nominatim Aurei codicis, & codicis Corſendoncenſis, & ſimul Græcanicæ edit. fidem. His accedit & Hilarius & Opus imperf. hom. 30. In codice Corſ. ex *a* factum viſitur *a*, manu recentiori.

32. *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro*] Senſus hic eſt; Qui verbum aliquod dixerit adverſus Filium hominis, h. e. adverſus meam humanitatem, offenſus corporis mei vilitate, ac me hominem tantum arbitrans *fabri filium* dixerit, *edonem*, aut *temulentum*, *publicanorum & peccatorum amicum*, aut alias in hominem ſtomachatus fuerit, quanquam id culpa non vacet vel erroris vel criminis, tamen, ſi reſipuerit is, veniam merebitur & gratiam, quia rationabiliter videbatur offendi. At qui adverſus Dei Patris ſimul & Chriſti Spiritum atque Divinitatem fuerit deſtomachatus, & cum manifeſte cernat opera Chriſti virtute Divinitatis ſeu S. Spiritus fieri, invidia ſtimulatus, *ea per Beelzebub principem dæmoniorum fieri* contenderit pronunciaveritve, aut hujuſmodi immane aliquod facinus in Divinitatem Chriſti admiſerit, hic certe remiſſionem non merebitur neque in hoc neque in ſeculo venturo. Notandum autem tam hoc quam præcedenti loco *Spiritus* vocabulum non proprie tertiam illam in Divinis perſonam, ſed potius ipſam Divinitatem quæ æqualiter in tribus conſiſtit, ſignificare. Siquidem *Deus Spiritus* eſt, ut teſtatur Johannes 4. 24. De hac autem blaſphemia multa paſſim diſputat D. Auguſtinus, potiſſimum vero Sermon. De verbis Domini 11. & in ſumma, eam vult eſſe blaſphemiam in Spiritum S. neque in hoc neque in futuro remittendam ſeculo, quæ per pœnitentiam in hac vita non expiatur. Verum mihi magis Hilarii aliorumque veterum ſententia probatur, qui hæc Domini verba ſimpliciter uti ſonant intelligunt.

33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum*] Tanquam ſi dicat, Quando hactenus ad Divinitatis meæ celſitudinem aſſurgere non poteſtis, ut hanc in me eſſe perſuadeamini, ſaltem illud mihi donetis oportet, Arborem me non eſſe putrem aut malam. Quod ſi mala eſſem arbor, mali utique eſſent & meorum operum fructus. Nunc vero quia opera mea bona eſſe non diffitemini, nec diffiteri valetis, conſequens eſt me mali Beelzebub ſpiritum non habere, qui non niſi bona opera ſemper exhibui, cum contra ab illo non niſi mala poſſint patrari opera.

36. *Omne verbum otioſum*] D. Chryſoſtomus *otioſum* hic *verbum* intelligit, quod nulla ratione profertur, quod mendacio coinquinat, quod ad calumniam dicitur: admonens interim ſub aliorum perſona, otioſa etiam aſſeri verba quæ vana ſunt; ut quæ profuſum movent riſum, aut turpia, impudica, illiberalia. Priori ſententiæ magis congruit quod ſequitur, *Ex verbis enim tuis juſtificaberis*; & haud ſcio an alteri convenienter poſſit accommodari.

40. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ*, &c.] Hoc ænigmate Dominus non proprie ſepulturam ſuam reſurrectionemque præſignabat, quanquam & ita poſſit non injuria intelligi, ſed ſuam demonſtrabat in hujus terræ ergaſtulo manſionem. Alioqui ſi ſimpliciter ad Chriſti ſepulturam referas, quomodo tribus noctibus in ſepulcro delituiſſe credendus eſt? nam de tribus diebus facilis eſt per ſynecdochen ſolutio. At vero cum illud addatur quod ei expoſitioni non plene reſpondeat, deinde cum alius pateat ſenſus Euangelico tenori etiam magis congruus, non eſt neceſſe ad illum licet catholicum minus tamen aptum confugiamus. Quod ergo dicit ejuſmodi eſt, Non dabitur nationi huic ſignum aliud quam quod Jona ipſe eventu ſuo præfiguravit. Quemadmodum etiam Jona ob ſalutem navigantium ultro ſe obtulit in mare projiciendum, & exceptus bellua marina tribus diebus, i. pauco tempore, in ventre illius reſervatus eſt, ita Chriſtus Dei filius ob ſalutem omnium hominum à ſublimi colorum volens à Patre in hujus mundi pelagus emiſſus eſt, exceptuſque à Judaica gente quaſi à bellua ferociente intra hujus gentis ſepta parvo temporis ſpatio diverſatus eſt. Atque ita in hoc uno ſigno univerſa ſimul totius vitæ ſuæ ſigna atque miracula concluſit, cum alioqui multa ſe illis demonſtraturum ſigna reſpondere debuiſſet, utpote qui non reſurrectione modo ſed & innumeris aliis portentis ſuam Divinitatem erat declaraturus.

41. *Ecce plus quam Jona hic*] Adverbii particula eſt ὧδε, *hic*, non pronominis, tam in præſenti loco quam ſequenti, ubi dicitur, *Et ecce plus quam Solomon hic*] Apud Græcos enim in voce nulla eſt ambiguitas, quemadmodum nec apud Hebræos. Videtur tamen hæc vox ὧδε tacite non tam locum indicare quam perſonam ipſam, quemadmodum & pronominis particula *hic* apud Latinos.

43. *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non invenit.*

44. *Tunc dicit, Revertar in domum meam unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam.*

45. *Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe: & intrantes habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ*] In ſuperioribus Dominus Jeſus palam redarguit pertinacem nulloque beneficio flexibilem Judæorum malitiam: hic nunc in eodem perſiſtens argumento ænigmate demonſtrat hoc illos atrociora manere tormenta, niſi mature reſipuerint, quo majoribus beneficiis eſſent ad vitæ prioris pœnitudinem veritatiſque agnitionem provocati. Hoc ipſum enim manifeſtius indicavit poſtremis illis verbis quibus præſens hoc ænigma concludit, dicens, *Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ.* Primum itaque populus iſte ſpiritum immundum habuiſſe intelligendus eſt, cum Divino cultu relicto idolis ſacrificarent, cum dæmoniciſque inſervirent cupiditatibus; Denique

nique cum multis & gravibus, quæ Moſi ſunt deſcripta voluminibus, eſſent coinquinati criminibus. Hunc ergo ſpiritum Lex, quæ poſtea data eſt, interventu ſuo profligavit, & veluti quadam cuſtodia circumjectæ poteſtatis excluſit. Qui illinc exiens circum gentes deſertas & aridas oberravit. Quæ cum poſtea per fidem in Chriſtum ſupernam gratiam fuiſſent conſecutæ, in his jam habitandi locus repertus non eſt. Ille igitur, cum quieſcere in eis non permitteretur, intra ſe reputans optimum credidit regredi in eam ex qua profectus erat domum. Hæc emundata per Legem, & Prophetarum ornata præconis, aut, ſi mavis, ornata ſuperfluis obſervationibus & traditionibus Phariſæorum, vacua eſt reperta, quia Chriſtum habitatorem Angelorumque præſidia non habebat. Septenario itaque ſibi numero dæmonum aſcito, diabolus priorem domum, h. e. Judæos, ingreſſus inhabitat : Fiuntque noviſſima eorum deteriora prioribus, quia nunc multo majori dæmonum numero poſſidentur, blaſphemantes in ſynagogis ſuis Chriſtum Jeſum, quam poſſeſſi fuerant propter idololatriam ante legis Moſaicæ promulgationem. Signanter autem *ſeptem* ſpiritus aſſumpti deſcribuntur, quia totidem erant gratiarum munera deſtinata cum Chriſto, ut tanta iniquitatis fieret poſſeſſio quanta futura fuerat gratiarum.

47. *Quærentes te*] Non adjiciatur *alloqui :* nam id neque antiqui vel codices vel ſcriptores habent, excepto Opere imperfecto.

LUCAS BRUGEN.

20. ET *linum* [*lignum* o.] *fumigans non extinguet, donec ejiciat-ad* [o.] *victoriam judicium: & in nomine ejus gentes ſperabunt.*] D. Hieronymus, reſpondens ſecundæ quæſtioni Algaſiæ, videri ſibi ait, ea quæ ex hoc Iſaiæ teſtimonio omiſſa ſunt, primi ſcriptoris vitio omiſſa eſſe, poſt id *ad victoriam judicium. Quod autem*, habet, *de aſſumpto teſtimonio in Euangelio minus eſt; Splendebit, & non quaſſabitur, donec ponat ſuper terram judicium* (Iſa. 42. 4.) (pro quo ipſe Hieronymus tranſtulit; illa eſt enim Lxx I tranſlatio; *Non erit triſtis neque turbulentus, donec ponat in terram judicium*) *videtur mihi accidiſſe primi ſcriptoris errore, qui legens ſuperiorem ſententiam in verbo* judicii *eſſe finitam, putavit inferioris ſententiæ ultimum verbum eſſe* judicium, *& pauca verba quæ in medio, h. e. inter* judicium & judicium, *fuerant, prætermiſit.* Enarrans autem 42 Eſaiæ caput ambiguus loquitur; *Quod autem ſequitur, Splendebit, & non conteretur, donec ponat ſuper terram judicium, Matthæus Euangeliſta non poſuit: ſive inter* judicium & judicium *media ſcriptoris erroris ſublata ſunt.* Quidam id ſentire malint, certo conſilio à Matthæo Euangeliſta non poſita ea eſſe quæ deſunt. Euangelio Hebraico, quod ſuperiori ætate à nonnullis eſt editum, nihil deeſt; ſed locus integer eiſdem quibus ab Iſaia ſcriptus eſt verbis legitur : verum ejus nulla jam apud viros doctos autoritas eſt. Syriacum, cui multo plus tribuendum merito eſt, Græcis Latiniſque libris conſonat.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ιβ. Περὶ τῶν δύο δαιμονιζομένων.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. η, Καὶ ἐλθόντι αὐτῷ εἰς τὸ πέραν εἰς τὴν χώραν τῶν Γεργεσηνῶν ὑπήντησαν αὐτῷ δύο δαιμονιζόμενοι.

Δαίμονες ἐκφυγὼν ἄνδρας, ἐπεὶ Θεὸν ἔδεισαν ἀκούειν.

Ἄθως,

Δαίμονες ἄνδρε δύο χέρσῳ λίχεν ἐκφοβίοντω.

4. ΕΙ μὴ τοῖς ἱερεῦσι] *Sed ſacerdotibus.*

7. Οὐκ ἂν κατεδικάσατε τοὺς ἀναιτίους] *Non condemnaſſetis innocentes.*

11. Βόθυνον] *Foveam:* vel, *ſcrobem.*

13. Ἀπεκατεστάθη ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη] *Reſtituta eſt ſtatui priſtino, ita ut ſana eſſet perinde atque altera.*

16. Ἐπετίμησεν] *Interminatus eſt.*

18. Ἡρέσατο] *Elegi.* ¶ Εἰς ὃν εὐδόκησεν] *In quo acquieviſt.*

20. Τυφόμενον οὐ σβέσει] *Fumigans non extinguet.*

23. Ἐξίσταντο] *Obſtupeſcebant, ita ut vix apud ſe eſſent.*

25. Ἐρημοῦται] *Ad ſolitudinem redigitur. Deſolatur.*

28. Ἔφθασεν] *Pervenit.*

29. Τὰ σκεύη αὐτοῦ διαρπάσαι] *Vaſa illius diripere*, id eſt, *ſupellectilem.*

30. Ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει] *Qui non colligit mecum, ſpargit.*

34. Ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας] *Ex eo quod in corde abundat.*

36. Ἀργὸν] *Otioſum.*

37. Δικαιωθήσῃ] *Juſtus conſeberis*, ideoque abſolveris.

42. Νότου] *Auſtri.*

44. Σχολάζοντα, σεσαρωμένον] *Vacantem, mundatam ſcopis.*

DRUSIUS.

1. *Sabbatho*, τοῖς σάββασι] Nam Græce τὸ σάββατον, & τὰ σάββατα. Syre ܫܒܬܐ. Proprie ſeptimus dies hebdomadæ, à *ceſſatione* ita dictus: Siquidem שבת *ceſſo*. Nam tunc ab opere ceſſabant. Aliquando *ſabbathum* vocatur ipſa hebdomada: unde μία τῶν σαββάτων, *prima ſabbathi* ſive *ſeptimanæ.* Hoc ſabbathum vocatur *ſabbathum dierum.* Nam erat aliud, *ſabbathum annorum:* idque rurſum duplex: Nam & poſt ſex annos ſabbathum erat, & poſt annos quinquaginta, qui *annus Jubilæus* dicebatur. *Iter ſabbathi* ſpatium erat duorum millium cubitorum, quantum Judæis licebat conficere die ſabbathi. Vide Obſerv. l. 2. c. 9. *Sabbathum ſecundo-primum*, δευτεροπρῶτον, quod proxime poſt ſolenne Paſchatis ſequitur. De quo vide Scaligerum l. 6. De emend. temporum, pag. 521. Eucherium in Quæſt. pag. 271. & alios. *Sabbathum terræ* 1 Mac. 6. 49. ὅτι σάββατα ἦν τῇ γῇ. Quod pro eo habendum ac ſi diceret, Erat annus ſeptimus. A שבת ſcribitur שבתון, q. *ſabbathulum* dicas: litera enim Nun in fine diminuit. ¶ *Vellere ſpicas*] Hoc jure Phariſaico ſive Judaico facere non licebat. Nam generatio univerſa una cum parente prohibita erat. *Pater operis*, quem vocant תולדות אב, erat ſegetem demetere: ejus *proles* ſive *generationes*, quas *Tholedoth* תולדות appellant, vellere ſpicas, per agrum ſegetibus virentem tempore pluvio incedere, &c. Tam is qui in prolem aliquam quam qui in patrem deliquerat, ſi teſtibus convictus erat, puniebatur. Pœna erat lapidatio. Qua de re nonnihil in Synagoga Judaica cap. 11. pag. 306. Sed plura de *patribus operum* invenies in libro qui vocatur ספר, i. *Liber præceptorum major*; cujus autor Moſes de Kotſi, qui vixiſſe perhibetur Toleti, ubi olim duodecim millia Judæorum fuerunt.

5. *Sabbathum profanare*] Nempe immolando holocauſta. Vide de tribus ſectis, & D. Carnium Joſ. 6. ubi præter alia, *Is qui præcepit ſabbathum, præcepit etiam violare ſabbathum.* Dicunt, *Omne periculum animarum impellit ſabbathum, veluti ſi quis cum periculo vita ægrotet, aut ſi puer ceciderit in mare.* Autor lib. Muſar, *Non impellunt Sabbathum niſi ob periculum animæ.* Idem ibid. De Sabbatho dicit R. Jonathan filius Joſe, *Traditum eſt ſignum in manu veſtra, & vos non eſtis traditi in manum ejus.* Vide quinetiam Maſium in Joſuam.

10. *Quidam manum habens aridam*] Ex Euangelio Nazaræorum, quod *ſecundum Ebræos* vocatur, diſcimus hominem hunc cæmentarium fuiſſe. Hieron. in comment. ad hunc locum, *In Euangelio quo utuntur Nazareni & Ebionita (quod nuper in Græcum de Ebræo ſermone tranſtulimus, & quod vocatur à pleriſque Matthæi authenticum) homo iſte qui aridam habebat manum cæmentarius ſcribitur, iſtiuſmodi vocibus auxilium precans, Cæmentarius eram, manibus victum quæritans: precor te, Jeſu, ut mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter mendicem.* De hoc Euangelio vide quæ ſcripſimus in De quæſitis per epiſtolam, epiſt. 26. Ajunt exſtare manuſcriptum Cantabrigiæ in bibliotheca collegii S. Benedicti.

11. *Quis veſtrum ovem die ſabbathi*, &c.] Hoc adverſari videtur Juri nunc recepto apud Judæos conſuetudinique ipſorum; & omnino adverſatur, ſi verum quod Buxtorfius noſter ſcripſit Synag. Jud. cap. 11. pag. 295. & deinceps. Vide, ſi vacat. Nam Chriſtum nihil præter verum dixiſſe vel ex eo probari poteſt, quod à Phariſæis non fuerit hoc nomine reprehenſus; qui tamen omnem occaſionem captabant ipſum reprehendendi.

18. *Ecce puer meus*] i. ſervus. Græca vox παῖς ambigua eſt, non item Ebræa עבד, quæ tantum *ſervum* denotat. Unde miror Hieron. qui ſcribit ſe vertiſſe ex Ebræo *puer meus*, in epiſt. ad Algaſiam, quæſt. 2. Forte mendum eſt pro *ſervus meus.* Nam ita ſane habetur in edit. Vulgata; quam Hieronymi non eſſe vel hic locus oſtendit, ubi omnia conveniunt cum editione illa, hoc tantum vocabulo excepto: Ait autem, *Nos autem ex Ebræo ita vertimus.* Vide ſis epiſt. illam quæ eſt 111. ubi teſtimonium iſtiuſce ex profeſſo enarrat & explicat ſuo more. Cæterum *puer* tribus modis dicitur apud authores Latinos: Uno, cum ſervum ſignificamus. Terentius, *Certares eſt: etiam puerum inde abieris convenit Chremis.* Cicero ad Atticum, *Eo die pueris tui mihi*

à te literas reddiderunt. Severus Sulpitius in Hiſtoria ſacra, *Ebraum puer pecunia emptum.* Hoc ſignificatu frequens eſt apud interpretes. Auguſtinus in 1. Locutionum ad locum, *Et nos eramus ſervi domini noſtri*; *Etiam hic παῖδες Graci habent, h. e. pueri*; *quod tam aſſidua Scriptura pro ſervis ponis ut difficile inveniatur non iſto nomine appellare ſervos.* Rurſum ad locum, *Salvus eſt puer tuus pater noſter*; *Hic expreſſius oſtenditur Pueri nomine Servum ſolere ſignificari. Non enim in ullo ſene poſſet hoc eſſe nomen ætatis.* Secundo, *puer* dicitur contrario nomine *puella*, ut marem denotet. Ovidius, *Seve puella ſive dares puero.* Tertio, cum ætatem puerilem intelligimus. Habet & alia ſignificata in Scriptura, de quibus alias, Deo volente.

20. *Ad victoriam*] Εἰς νῖκος hic in Græcis cod. interpretamentum eſt לנצח, quod alii reddunt *in perpetuum*, aut *in ſempiternum.* Quanquam נצח *vinco*, unde *εἰς νῖκος*. Sed vide quæ notavimus 1 Cor. 15. 54. & Job 36. 7. Memineris etiam apud Prophetam eſſe לאמת *ad veritatem*: quod nuſquam alibi, me ſciente, ſic interpretantur.

24. *Beelzebub*] *Baal*, Juppiter planeta, q. κύριος ὁ δεσπότης. Ebraice בעל. Epiphanius ἐν Φιλαδελφίαι, Ζεὺς, χωχὶθ, Βαὰλ, i. בעל כוכב. Vult dicere, Jovem planetam antiquitus *Baal* vocatum: quem hodie *Sedec* indigitant à *juſtitia.* Eſt autem in Βαὰλ ſignificatio dominatus: quam expreſſit Apoſtolus 1 Cor. 8. 5. εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ, ὁ κύριος πολλοὶ· κύριοι, i. βααλίμ. In lib. De nom. Ebr. ex epiſt. ad Rom. *Bal*, *Habens*; *ſive Deverans*: legendum *Baal.* Poſſet excuſari *Bal* pro *Baal* contracte, ut *Bel* pro *Beel*, niſi in *Baal* conſentirent libri omnes Græci & Latini Rom. 11. quem locum ibi Hieronymus laudat. *Baal*, quod modo expoſuimus, Syri ac Babylonii efferunt *Beel*, i. בעל, & contractius *Bel*, ex more antiquo. Suidas in *Beelpheger*, Βεὲλ, ὁ Ζεύς· Malim ὁ Ζεὺς· quanquam de eo non contenderim. Hinc *Beelzebub* in Latina vulgata, quomodo legendum monuit jam olim Hieronymus; monuere alii: qua de re mox dicam ſententiam meam. Huic noſtræ literæ tribuunt principatum inter dæmones: quem Chaldæus paraphraſtes tribuit Aſmodæo, Cohel. 1. 12. Dici ajunt ab idolo Accaronitarum, cujus mentio 2 Reg. 1. 2. Nam *Beel*, id valet *Baal*, & *zebub*, *muſca*; q. d. Ζεὺς μυῖα, *Juppiter muſca.* Hieronymus, *Vir muſcarum*, זבוב איש: Auguſtinus, *Princeps muſcarum*, זבוב שר: Alii, *Magiſter muſca*, זבוב רב. Quæri poteſt unde ita appellatus ſit? an quia ſimilitudinem habebat muſcæ? Nam veteribus mos fuit ut ſtatuas deorum ſculperent ea forma quæ corpore Hominem referebat, capite autem & facie animal aliquod, puta aut Avem, aut Leonem, aut Muſcam: vel contra facie humana referebat cætera parte corporis aliquod animal. Porphyrius περὶ τῶν ἀψύχων ἀποχῆς claris verbis hoc teſtatur, quæ verba hic ſubjiciam, Διὸ εἰς τὴν θεοποιίαν παρέλαβον πᾶν ζῶον, ἢ ἐμοίως τι ἀνίμιξαν θηρία ἢ ἀνθρώπους, ἢ πάλιν ἑρπέτων σύμπλεξιν ἢ ἀνθρώπων· ἔπαιθε γάρ τις παρ' αὐτοῖς μίγμα τερατώδες ἀνθρωποειδὲς, τὸ δὲ περιεστὸς ἑρπέτου ἢ λέοντος ἢ ἄλλου τινὸς ζώου καθημμένον καὶ πάλιν αὖ περφαλὴ ἀνθρώπου, καὶ ἄλλων τινῶν ζώων μέρη. Cæterum pro *Beelzebub* Græci ſcribunt Βεελζεβὰλ· quam ſcripturam ego omnino retinendam cenſeo, tantiſper dum quis probaverit eam à ſcribis corruptam fuiſſe, & non ab uſu & vulgo. Nam ſi ab uſu eſt illius temporis, & Euangeliſtæ eam retinuerunt, cur nos mutabimus? Igitur Βεελζεβὰλ valet Ζεὺς κοπρεύς, à *ſtercore*; q. d. *Juppiter ſtercorarius.* Ζεβὰλ *ſtercus*, ad quod alluſum videtur in *Beelzebul.* Ego imbibi medio tempore ſic appellatum fuiſſe numen Accaronitarum per contemptum, quod in V.T. vocatur *Baalzebub.* Notum ut idola *ſtercora* vocentur à Prophetis. Hæc mea conjectura eſt, quam puto veram eſſe, & ita opto Deum animæ meæ propitium.

26. *Si Satanas Satanam ejicit, in ſe ipſum diviſus eſt, quomodo ergo ſtabit regnum ejus?*] *Satan*, quod male ſcribunt *Sathan*, Græce redditur ἀντικείμενος & ἐναντίος, & duobus modis accipitur; late, & anguſte. Late ſumitur cum ſignificat eum qui Deo adverſatur; ac tum etiam de hominibus dicitur: ex quod illud, *Vade poſt me Satana.* Orig. hom. 15. in Jeſum Nave, *Satanas Adverſarius dicitur. Omnes ergo qui adverſantur Dei voluntati, Satanæ poſſunt dici.* Anguſte ſumitur cum ſignificat communem humani generis hoſtem, qui Græco vocabulo *diabolus* nuncupatur, i. *criminator*, aut *calumniator.* Ita ſumitur Job. 1. 6. Itaque LXX reddunt διάβολος. Cæterum in Ebræo eſt שטן, & in Aquila *ενδιαβολος*, & in Theodotione ἀντικείμενος. Syri dicunt ܣܛܢܐ *Satana*, Sin ſuo more in Samech vertentes. *Satan*, *Satana*, *Satanas*, ut *Saron*, *Sarona*, *Saronas.* Origenes in 6. contra Celſum, *Qui* SATAN *Ebraice nuncupatur, & à nonnullis ornatus gratia* SATANAS *dicitur, in Græcam linguam traducius* SATAN *denominatur*: conjicio leg. DIABOLUS *denominatur.* Nam *Satan* vocabulum eſt Ebraicum, non Græcum. Aut lege, *ornatus gratia* SATANA *dicitur, in Græcam linguam traducius* SATANAS *denominatur.* Nam *Satanas* Græca terminatio eſt. Redditur etiam ἐχθρός· unde Tertullianus adv. Marcion. lib. 3. c. 20. *Suſcitavit enim illi Satan, i. hoſtem, Idumæum.* Et ἀντικείμενος. Theodoretus De curatione Græcar. affectionum, in ſermone de Diis & Angelis, *Hos*, inquit, *ſuo cum principe, quem ſacra litera modo Ebraico vocabulo Satanam, i. Apoſtatam, vocant, modo Diabolum.* Irenæus lib. 5. adv. Hæreſ. *Satana verbum Apoſtatam ſignificat.* Probarem, ſi eſſet à שטה. Nam litera Nun poſſet eſſe addita, ut in מרן *dominus*, & נזר *magiſter.* Huc facit quod mali Angeli vocentur שטים, i juxta quoſdam, *deſectores* aut *apoſtatæ*, qui eam ob rem è cœlo cecidiſſe, h. e. à Deo defeciſſe, memorantur. Verior originatio quam ſupra poſui: cui firmandæ eſt locus Zach. 3. 1. *& Satanam ad dexteram ejus*, לשטנו *ut adverſaretur ei*, vel certe, *ut calumniaretur eum.* Jonathan ibi habet pro *Satan* חובא, i. *peccatorem.* Ita vocant diabolum κατ' ἐξοχήν. Nam eſt autor peccati, & pater omnium qui in peccatis manent. Sic etiam ὁ πονηρὸς appellatur. Obiter noto & q. ὁ πειράζων. Diabolum Ambroſius l. 5. c. 2. De fide, *Zabulum* vocat, ut & Cyprianus & Hilarius: quod Eraſmus ductum ſuſpicatur ex antiquitate, quæ non ſolum in dictionibus compoſitis ſed etiam extra compoſitionem ז̇ uſurpabat pro ל̇. Hoc ait in epiſt. ad Charundiletum Epiſcopum Panormitanum, quæ prælata Hilario. Ambroſii verba ſunt, *Nam feralem illum cetum, Zabulum ſcilicet, ultimis temporibus venerabilis corporis ſui paſſione proſtratum, perculit & afflixit.* Plura de hoc nomine ad 2 Cor. 12. 7. Vide ſi placet, & ſi otium eſt.

27. *Filii veſtri*] i. diſcipuli veſtri. Innuit autem diſcipulos Phariſæorum, inter quos exorciſtas fuiſſe, qui dæmones ejiciebant, nullum omnino dubium eſt. Vocantur autem diſcipuli Sapientum *filii* eorum; quia, ut ait M. Baſilius, νίους ἐκ' πνεύματος & διδασκάλου ὁ μαθητής. Hinc *filii prophetarum.* In tractatu Sanhedrin, cap. 2. *Omnis qui docet filium ſocii ſui legem, id pro eo habet Scriptura ac ſi gigneret eum.* Moſes Gerundenſis ad locum, *Hæ ſunt generationes Moſis & Aaronis*, Num. 3. *Non numerat niſi filios Aharonis, & tamen dicit*, GENERATIONES MOSIS, *propterea quod docuerat eos legem. Nam quicunque docet ſocium ſuum legem, eo loco habet Scriptura ac ſi genuiſſet eum.*

29. *Pervenit ad vos regnum Dei*] h. e. Euangelium, quod & *regnum cœli.* Sane Tertullianus De reſurr. carnis, c. 35. *recumbere in regno Dei* dixit pro eo quod in Græcis, Latinis & Syriacis cod. *in regno cœlorum*: ubi aliud ſignificat, nempe beatiſſimam illam vitam in cœlo nobis repoſitam. Olim *regnum cœli* dicebatur ipſa Lex, unde R. S. Jeſ. 19. 18. de iis loquens quos captos ab Aſſyriis Ezecias libertati reſtituit, *receperunt ſuper ſe regnum cœli*: quod R. D. in comment. ad illum locum, *redierunt ad fidem Iſraelis*, &, *redierunt ad fidem Dei.* Ergo *regnum cœli* eſt Eccleſia militans tam vetus quam nova, vel ſane tam Lex quam Euangelium. In libro qui vocatur *Ilmedenu*, vel potius *Jelammedenu*, 31. 3. *Conſenſerunt omnes uno corde ad recipiendum ſuper ſe regnum cœli cum lætitia*, i. Legem. Sic in lib. Muſar. 118. 2. *qui recipit in ſe regnum cœli.* Nec refert *cœli* dicas an *cœlorum.* Nam eſt SAMAIM nomen duale tantum, inter Dei epitheta noviſſimum in vulgus. Huc refer Chryſoſtomi illud ex Opere imperfecto, *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* In monumentis Doctorum, *R. Simeon F. Johai, Tria rejecerunt Iſraelitæ in diebus Roboami, Regnum cœli, & Regnum domus David, & Domum ſanctuarii. R. Simeon. F. Menaſſia dicit, Non oſtendent ſignum redemptionis Iſraeli donec redierint & quæſiverint illa tria. Hoc eſt quod dicitur*, POST REVERTENTUR FILII ISRAEL, ET QUÆRENT *DOMINUM* DEUM SUUM, h. e. regnum cœli, ET DAVID REGEM SUUM, ut verba ſonant; ET PAVEBUNT [Pavidi current] AD *DOMINUM* ET AD BONITATEM EJUS; *hæc eſt domus ſanctuarii, ſicut dicitur*, MONS BONUS ISTE ET LIBANUS. Habentur hæc in commentariis Davidis cognomento Camii Hoſ. 3. 5.

32. *Non remittetur ei neque in hoc ſeculo neque in futuro*] Triplex ſeculum futurum, ut annotavit Don Iſahac Abarbenel in libro qui *Poſſeſſio patrum* inſcribitur: Primum eſt ſeculum Meſſiæ; ſecundum, poſt hanc vitam; tertium, poſt reſurrectionem mortuorum. Credebant autem Judæi veteres temporibus Meſſiæ remiſſum iri omnia peccata. Unde *Jeſus* vocatus eſt ab Angelo, *quia liberabit populum à peccatis ſuis.* Hinc proverbiale vetus, *Non remittetur ei neque in hoc ſeculo neque in futuro*, quod idem cum illo, *Nunquam remittetur ei*;

& ſic alius Euangeliſta declarat: Qua de re diximus alibi, quæ nunc non repeto. Licet etiam exponere, *Non remittetur ei*, &c. Punietur & in hoc ſeculo & in futuro. Qualia ſunt, *Non gaudet ſtulti pater; Non proſunt theſauri improbitatis; Suſpicere perſonam in judicio non eſt bonum*, pro, Vehementer dolet; Plurimum obſunt & nocent; Peſſimum eſt. Auguſt. ſerm. 11. *Item quod ſcriptum eſt*, NON HABET REMISSIONEM IN ÆTERNUM SED REUS ERIT ÆTERNI DELICTI, *quid aliud eſt quam id quod ſecundum Matthæum legitur*, NON REMITTETUR EI NEQUE IN HOC SECULO NEQUE IN FUTURO ? *Alia quippe verba & alio loquendi modo eadem ipſa eſt expreſſa ſententia.* Locus ille habetur Marc. 3. 29. οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, *non remittetur ei in æternum*, i. nunquam.

36. *Verbum otioſum*, ῥῆμα ἀργόν] Id Ebræi vocant דבר בטל, & aliquando שיחה בטלה. Dicunt etiam שיחה de ſermone otioſo, ut in illo dicto, *Ne multum ſermonem habeto cum femina*; quod explicant quidam, *ſermonem otioſum*. Scholiaſtes libri Aboth, שיחה *abſolute vocatur ſermo otioſus*. Item, *De verbo levi, quod inter virum & uxorem, homo judicatur.* Moſes Ægyptius, *Pleraque verba ſunt verba otioſa, & cauſam præbent iniquitatis.* Alius, *Quicunque multum ſermonem habet cum femina, creat ſibi malum.* Hieronym. in comment. ad hunc locum, *Otioſum verbum eſt quod ſine utilitate & loquentis dicitur & audientis, ſi omiſſis ſeriis de rebus frivolis loquamur, & fabulas narremus aniles. Cæterum qui ſcurrilia explicat & cachinnis ora diſſolvit, & aliquid profert turpitudinis, hic non otioſi verbi ſed criminoſi tenebitur reus.* Samuel Judæ F. Aben Tibbon in Explicatione vocum difficiliorum Moſis Ægyptii, quibus uſus fuit in More Nebuchim, ait, duplex mendacium eſſe: Unum quod nomen generis obtinet, & שקר *mendacium* abſolute vocatur, quando quis dicit *Johannem ſtare ea hora qua ſedet*: ecce falſum dicit, ſed tamen fieri poteſt ut ea hora non ſedeat, ſed ſtet. Alterum genus quod peculiariter בטל vocatur, h. e. *otioſum*, in iis proprie eſt quæ fieri non poſſunt, ut ſi quis dicat, *Hic Pomboditanus trajecit elephantem per foramen acus*, dicit quod fieri nullo modo poteſt. Nam οὐκ ἔστι ἀδύνατον ut quis trajiciat elephantem per foramen acus. Hoc genus nunquam verum eſſe poteſt: ſemper falſum eſt.

39. *Adultera*] i. peccatrix. Contra, *mulier peccatrix*, i. adultera. Et γενεὰ, *genus hominum, natio*; ut *natio Grammaticorum*. Obvia hæc locutio infra 16.4. Sed & Marc. 8. 38. *Natio adultera & peccatrix*; ubi copulans exegeticōs poni videtur pro *id eſt peccatrix*. Quale illud Virgilii,

Judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ,

hoc eſt, ſpreta injuria forma. ¶ *Niſi ſignum Jonæ prophetæ*, εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου] Ebraice יונה. *Jona, Jonas*, ut *Juda, Judas*. Aliud nomen ab eo de quo diximus Matth. 16. 17. & Joh. 1. 42. Syrus hic habet יונן נבייא *Jaunan propheta*.

41. *Ninivitæ*] Ita codices Latini; Νινευΐται Græci, i. *Ninevitæ*. Hic ι, ibi ει in antepenultima. Syriace נינוויא נבייא *homines Ninivitæ*. Ebræi dicerent אנשי נינוה *viri Ninivitæ*. Dicta vero *Ninive* nomine compoſito, ut videtur, ex נין *Nino* & נוה *habitaculum*. Ninus iſte in Geneſi *Aſſur* vocatur, ut quidam opinantur. Alii aliam notationem adferunt. Vide lectiones meas in Jonam.

42. *Regina Auſtri*] De hac regina videndus eſt Theodoretus in Num. quæſt. 22. ubi aliqua quædam quæ mihi per omnia non probantur. Quod autem eam Βασίλισσαν Αἰθιόπων *reginam Æthiopum* fuiſſe dicit, excuſari poteſt: nam Arabiæ regio quædam כוש interdum vocatur, quam *Æthiopiam Chuſæam* appellant, unde fuit Zare Æthiopum Rex. Qua de re alias. Quæ hic *regina Auſtri*, alibi dicitur *regina Saba*. Nam Saba in Auſtro terræ Iſrael. Abenezra Dan. 11. *Filia regis Auſtri eſt regina Saba; quod regnum vocatur lingua Iſmaelitica ſeu Arabica* אליכן *Aljeman vel Aliman: ubi hodieque mulier regnat, qua ſubeſt Regi Ægyptiorum. Porro hæc Saba eſt Auſtralis reſpectu terræ Iſrael.* Salmanticenſis Judæus Juch. 136. 1. *Regina Saba, quæ Nicolaa vocabatur, venit ex regno Jeman, i. Auſtrali, ad audiendum ſapientiam Salomonis; cui dedit divitias magnas.* Idem 14. 2. *Rex Jeman eſt rex Auſtri.* Verbum è verbo, *ipſe eſt regnum Auſtrale*, מלכות תימן. Rurſum 135. 1. סבא ושבא, *qui memorantur in hoc verſu, non ſunt regnum Alimani, ſed illi quorum mentio inter filios Ketura: ipſe eſt Saba ex regno Jeman.* Et pag. 2. *In vicinia eſt ſepulcrum Mahomedis prophetæ ipſorum, in loco qui vocatur Medinath Alnabi: quorum regnum extenditur uſque ad Aliman, quod vocatur regnum Saba. Qui hodieque Judæi qui illic ſunt, vocant* ארעא *metropolin regni Jeman, Uzal.* Hucuſque Judæus ille; è quo diſcimus *Jeman & Aljeman* idem eſſe. Nam *Al* articulus eſt Arabicus, qui nihil addit, aut demit ſignificationi. Hoc primum: deinde in ימן ſignificatio *Auſtri*, qui Ebræis ימין dicitur, i. *dextra*. Nam Auſter dextera mundi, ut Septentrio ſiniſtra ſive læva. Ergo מלכות ימן aliud nihil eſt quam *regnum Auſtrum* ſive *Auſtrale*.

CASAUBONUS.

6. Λέγω δὲ ὑμῖν ὅτι τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστὶν ὧδε] Lectionem alteram μεῖζον apud vetera exemplaria & Theophylactum confirmant ſimiles loci infra 41, 42.

14. Οἱ δὲ Φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον κατ' αὐτοῦ ἐξελθόντες] Trajectionis hujuſmodi neſcio an ſit exemplum in his libris. Theophylacti lectio planior eſt, οἱ δὲ Φαρισαῖοι ἐξελθόντες συμβούλιον ἔλαβον καθ' αὐτοῦ.

20. Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατάξει] Cum plus ſit συντρίψαι quam κατάξαι, non improbo vulgatam verſionem Græcam iſtius loci, κάλαμον συντεθλασμένον οὐ συντρίψει. Contra autem in hac verſione ideo συντετριμμένον recte vertunt interpretes *quaſſatum*.

22. Ὥστε τὸν τυφλὸν καὶ κωφὸν καὶ λαλοῦν καὶ βλέπειν] Chiaſmus eſt pro καὶ βλέπειν καὶ λαλοῦν. Sic in epiſtola ad Philemonem 5. Ἀκούων σου τὴν ἀγάπην καὶ τὴν πίστιν ἣν ἔχεις πρὸς τὸν Κύριον Ἰησοῦν καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους.

35. Ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά] *Profert quæ bona ſunt*: mox autem ἐκβάλλει πονηρά, *profert mala*: ut notetur diverſitas articuli adjecti & omiſſi.

CAMERO.

8. Κύριος γάρ ἐστι καὶ τοῦ σαββάτου, &c.] Conſtat *Sabbathum* ſynecdochice ſignificare totam Legem Ceremonialem; nihil enim in ea æque commendat Deus atque Sabbathi obſervationem. Unde liquet Chriſtum non fuiſſe obnoxium Legi Ceremoniali niſi quatenus voluit ſeipſum illi ſubjicere. Nec eſt quod quis excipiat, Chriſtum fuiſſe Dominum Sabbathi quatenus erat Deus, non quatenus erat homo. Nam primo, Si Chriſtus eſt Dominus Sabbathi qua Deus, certe qua homo nulla neceſſitate cogi potuit ad obſervationem Sabbathi, quia potuit ſolvi hac neceſſitate qua homo, vi Dominii quod obtinebat qua Deus. Et certe ſi Chriſtus qua Deus potuit alios eximere hac neceſſitate, multo magis ſemetipſum qua homo eſt. Atqui alios ſolvit, nempe Diſcipulos ſuos, quorum factum hic tuetur. Non negat enim eos ſolviſſe Sabbathum, ſed tuetur potuiſſe eos ſolvere Sabbathum: quod oſtendit duabus rationibus: prior hæc eſt, In ſumma neceſſitate Sabbathum ſolvi poteſt; quod probat exemplo Davidis: ſecunda hæc eſt, Sacerdotes profanant Sabbathum in Templo; mactant enim hoſtias, ſed hoc illis licet, quia fit in Templo: Jam vero hic adeſt aliquis major Templo, qui proinde poteſt ſolvere & ſe & ſuos neceſſitate obſervandi Sabbathi.

31. Ἡ δὲ τοῦ Πνεύματος βλασφημία] Alloquitur Dominus Phariſæos, qui Patris œconomiam, quæ ante Chriſti adventum vigebat, inſuper habuerant; ſuam item blaſphemantes ſpreverant. Ait ergo, Licet œconomias iſtas, quamdiu duravere, contempſerint, eſſe tamen ſpem veniæ ſub tertia, quæ Spiritui S. tribuitur. Sancti vero Spiritus œconomiam ſi proſequantur odio, ſublatam eſſe omnem veniæ ſpem, quia quarta œconomia minime exſpectari debet.

GUALTPERIUS.

1. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἐπορεύθη ὁ Ἰησοῦς τοῖς σάββασι διὰ τῶν σπορίμων] Σάββατον *Sabbatum*. Syr. בשבתא *beſchabbatha*. Vox Hebræo שבת *Schabbath*. Exo. 16. 25. *Sex diebus colligetis illud, at die ſeptimo eſt Sabbathum.* Item שבתון *Schabbathon, ceſſatio, quies*: à Rad. שבת *ceſſavit, quievit à motu & opere*. Gen. 2. 3. *Et benedixit Deus diei ſeptimo, quia in ipſo ceſſavit ab omni opere.* Syris שבת *quievit, vacavit*: שבתא *Sabbathum, dies quietis & ceſſationis.* Inde שבתאי Saturnus planeta dicitur, tanquam planeta *ſidentarius*, & ſeptimus in ordine, à Luna incipiendo. Reuchlinus lib. 3. De Cabala obſervationem Sabbathi ſequentibus deſcribit, *Sex diebus operamur, at ſeptimo quoque die & corporaliter etiamnum, quantum permittet vivendi neceſſitas, & mentaliter poſt voluntatis purgationem Divinis imemi ſumus, & feſtiviter cum omni tranquillitate res ſacras laudamus, ſoliqne tunc*

Deo ſervimus. Huc vergit quod dicunt Cabalæi noſtri, Sabbathum eſt myſterium Dei vivi. Exſtat namque Symbolum mundi ſuperioris, h.e. Jobelei æternitatis, ubi ceſſat omnis labor. Quare gemino dicendi uſu legibus indicitur, Deut. 5. OBSERVA DIEM SABBATHI: *quod vult referri ad actiones exteriores, juxta mundum inferiorem: dein Exod. 20.* MEMORA DIEM SABBATHI AD SANCTIFICANDUM ILLUM, *videlicet animæ vires conjungendo menti, ad contemplationis profectum, juxta mundum ſuperiorem. Sabbathum ergo eſt nota Divinæ ſervitii, quo ſenſus & ratio abſolvuntur ab occupationibus materialibus, quantum permittit humana imbecillitas, & inſigna mentis alligatur occupationibus formalibus, ad conſiderandum quæ ſurſum ſunt. Iſtud Lex voluit innuere per hæc duo verba,* שמור SCHAMOR, Obſerva, *&* זכור ZACHOR, Recordare, Memora. *Quibus intelligunt ex Magiſtris noſtris quidam, Præceptum Sabbati eſſe affirmativum & negativum, dicentes,* Obſerva, i. Cave, *quod ſemper eis vitari ſignificat, quatenus nos arceat ab omni quod ſanctitati eſt contrarium. Alii aliter interpretantur, ut more quodam Cabaliſtico alterum referant ad mundum inferiorem, quem ajunt eſſe Noctem, alterum ad mundum ſuperiorem, quem ajunt eſſe Diem. Hic ſervos degere, iſtic vivere liberos: his dicendum,* Cave, Cuſtodi, Obſerva; *illis,* Reminiſcere, Recordare, Memento: *alterum procedit ex Timore, alterum ex Amore; liberorum eſt Amor, ſervorum Timor. Diſtinguunt item inter Sabbatum hujus mundi & ſabbatum alterius, quod* Jobelæum ſuperius vocant: *eſtque hoc* שבת שבתון, *h.e.* Sabbatum Sabbati, *vel* Sabbatum Sabbatorum, *quod eſt Sabbatum Magnum, quo anima humana omnes puræ, rejectalabe, tandem redibunt libere ad hæreditatem patrum, & mittentur in poſſeſſionem vere noſtram ac propriam, quam acquiſivimus & retinemus per animam Meſchia de tribu Juda, ſeptimi ab Abraham patriarcha, &c.* Petrus Galatinus in præclaro ſuo opere, De arcanis Catholicæ veritatis, lib. 11. cap. 8, 9, & 10. de Sabbato diſſerit; quæ quia non injucunda ſunt, partem illorum adjiciam. Primo autem c. 8. agit de Sabbato quod in diebus Meſchiæ ſpiritualiter tantum obſervari debeat. Reſpondet autem, *Sabbatum ſpirituale nihil eſſe aliud niſi peccatum non habere. Nullum enim,* ait, *opus ſervile in eo fieri præceptum fuit, ut patet ex 20. cap. Exodi. Sed quid aliud eſt opus ſervile niſi Peccatum, pronunciante Salvatore Joan. 8.* Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. *Sabbatum igitur in diebus Meſchiæ ſpiritualiter ſervandum erat, quia Evangelica auxiliante lege ab omni opere ſervili, id eſt, ab omni vitio & peccato, quod homines ſervos Diaboli facit, erat tunc ſummopere abſtinendum. Hic ſpiritualis Sabbati cultus cultores ſuos tandem ad Sabbatum perducit ſempiternum.* SABBATUM *enim* REQUIES *interpretatur. Quare non ſolum requiem Meſchia in ſepulcro ſeptimo die futuram ſignificabat, ſed etiam requiem illam ſeptimam, quam in ſeptima mundi ætate poſt reſurrectionem generalem habituri ſunt qui Sabbatum ſpiritualiter ſervaverint ab omni vitio & peccato abſtinentes. Iſtud Sabbatum eſt ſeculum futurum, quod totum eſt Sabbatum, i. Requies.* Secundo c. 9. refutat Judæos, qui Chriſtianos obligatos volunt ut Legem ſervent literaliter, haud ſecus atque ſe per edictum Moſaicum ad obſervationem literalem alligatos eſſe profitentur. Primum argumentum eſt tale; *Obſervatio Sabbati præcipitur in Lege morali: Lex autem moralis eſt æterna & immota: Ergo cum Judæos tum Chriſtianos, imo omnes gentes ad obſervationem ejus aſtringit.* Secundum; *Sabbatum à creatione cæpit die ſeptimo: Jure autem Creationis omnes ſunt obligati: Ergo die ſeptimo & Judæis & Gentibus erat obſervandum.* Tertium deductum eſt ex commemoratione, ſeu potius fabula, fluvii Sabbatici, qui, ut illi ajunt, per totam hebdomadam raptim fluens lapides trahit, Sabbato vero quieſcit. Ad hæc Judæorum argumenta reſpondet ordine. Ad primum; *Præceptum de Sabbati obſervatione partim morale, partim ceremoniale fuit. Morale, in quantum per illud præcipiebatur, homines aliquo tempore rebus Divinis vacare debere; juxta illud Pſalmi 45.* Ceſſate, & cognoſcite quia ego ſum Deus. *Et ſecundum hoc inter moralia Decalogi præcepta computabatur. Ceremoniale vero fuit, quantum ad temporis, videlicet ſeptimi diei, taxationem. Et ſecundum hoc connumerabatur quidem inter Dei præcepta, ſed ea tamen quæ erant ceremonialia. Hinc Dominus noſter Jeſus verus Meſchias, poſtquam trigeſimum ætatis annum attigit, Sabbatum ipſum, quantum ad partem iſtam, aliquoties ſalviſſe legitur. Nam in eo & infirmos curavit, dans eis facultatem lectulos ſuos vehendi; & Diſcipulis ſuis eſurientibus ſpicas evellere & confricare indulſit.* Ita Galatinus. Nos tribus verbis hoc addimus: Id quod in Sabbati præcepto Morale eſt, juris cum Divini, tum naturæ, *ἀκίνητον* omnino, h.e. *immutabile*, merito cenſetur: at vero quod Ceremoniale eſt, neceſſitati imprimis, deinde & charitati proximi merito cedit; proinde hoc modo mutari, pro circumſtantiarum ratione, ſine violatione alterius poteſt. Ad ſecundum; *Sicut Sabbatum* (ſeptimi intellige diei) *beneficium reſpicit Creationis, ita Dies Dominicus* (qui poſtero die ſequitur) *beneficium reſpicit Redemptionis. Quemadmodum enim Deus in Sabbato opus creationis complevit, ita in die Dominico opus redemptionis per reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti perfecit. Cum igitur omnium ſententia opus Redemptionis majus ſit quam opus Creationis, ideo Sabbatum, quantum ad ejus ceremoniale, ab eodem qui ipſum inſtituit in diem Dominicum mutandum fuit, qui & Creationis & redemptionis reſpicit beneficium.* Ita Galatinus recte. Ex quo apparet Chriſtianos non tollere ſubſtantiam Sabbati, ſed mutare duntaxat circumſtantiam Sabbati, & hoc quidem *εἰς ἀνάμνησιν* ſeu recordationem glorioſiſſimæ reſurrectionis Salvatoris noſtri; non tollere Morale, ſed mutare Ceremoniale, id quod in N. Teſtamento (cum Vetus eſſet antiquatum, & Moſes honeſte ſepultus) libertati Chriſtianæ, ut res *ἀδιάφορον*, fuit ſubjectum. Ad tertium; *Nugæ ſunt quæ de fluvio Sabbatico à Judæis proferuntur. Ubi enim ille uſpiam terrarum fuit? Licet igitur mentionem ejus aliquam faciant Joſephus & Plinius, neuter tamen cum altero conſentit. Et hodie argumentum iſtud tandiu erit nullum, quamdiu vel guttulam fluvii iſtius Sabbatici nobis monſtrent Judæi, fabularum illarum & fluvii imaginarii artifices.* Tertio cap. 10. monſtrat Galatinus Judæos ipſos & patres ipſorum toties Sabbatum neglexiſſe: de quo vide auctorem ipſum; & dabitur nobis occaſio hac re de pluribus agendi, quando de *itinere Sabbati*, cujus meminit Lucas in Actis, verba ſumus facturi. Obſervetur etiam *ὡς ἐπὶ τὸ πολύ*, quoſlibet dies feſtos in Scripturis appellari *Sabbata*. Levit. 19. *Sabbata mea cuſtodite.* Et 23. *Die primo & die octavo erit Sabbatum.* Celebrarunt autem Sabbatum non ſolum ab opere ceſſando, ſed etiam offerendo, orando, & interdum etiam animas ſuas affligendo, i. jejunando, ut ex prædictis locis apparet. Philo in lib. de Sacrificiis. *Publica ſacrificia alia fiunt quotidie, alia ſeptimo quoque die, alia in novilunio, alia in jejuniis, alia tribus diebus feſtis præcipue. Quotidie juſſu legis duo agni mactantur, mane ac veſpere, cum gratiarum actione, alter pro diurnis, alter pro nocturnis beneficiis, quæ aſſidue Deus largitur generi humano. Septimo die is numerus duplicatur, in æternitatis honorem, quod ſeptimus dies mundi natalis ſit. Quotidie etiam bis incenſa ſunt thura in ara quæ intra velum eſt, oriente Sole occidenteque ante matutinum & poſt veſpertinum ſacrificium. Panes item ſeptimo quoque die proponuntur in ſacramenſa: cum panibus autem ſal & thus menſæ imponitur.*

2--12. Reſponſio Chriſti notanda eſt: Manifeſtis enim Syllogiſmis adverſarios redarguit. 1. Si Sacerdotibus licet Sabbatum profanare, Lege ita jubente, quando ſcilicet non ab omni opere quieſcunt, ſed victimas cædunt in Templo, eas excoriant, dimembrant, altari imponunt, igni cremant, utique non omnis labor qui in Sabbato ſuſcipitur, ſine omni exceptione erit damnandus: Sed prius verum; Poſterius igitur. Contra Phariſæi; Sacerdotes ſunt *ἀναίτιοι* ſeu *inculpabiles* per ſanctum Dei Templum, in quo laborantes cultum Deo præſtant. Reſpondet Chriſtus; Si ſacerdotes ſunt *ἀναίτιοι* per & propter Templum, multa magis excuſabitur is qui eſt Templi Dominus, i. Meſchias: Sed primum; Ergo & poſtremum. 2. Item; Si Sabbato extrahere licet ovem è fovea, etiam ſanare licebit hominem Sabbato, qui multo præſtantior eſt ove: Sed primum; Ergo & ſecundum. Hoc moneo propter ea quæ exſtant apud Reuchlinum De arte Cabaliſt. lib. 2. ubi D. Hieronymi auctoritatem adfert, qui ſyllogiſandi artem applicatam Theologiæ comparat plagis Ægypti. Nazianzeni item & aliorum piorum Patrum dicta prolixe contra Philoſophiam citat. Sed intelligenda illa omnia eſſe judico *κατὰ τὸ ſecundum quid*, non ſimpliciter. Damnanda enim merito eſt Philoſophiæ ſophiſtica & adulterina, quæ non ancillari ſed dominari vult, & in rebus Divinis omnia ad calculum rationis revocare, non ſe ſubmittere eloquiis Domini. Quæ Philoſophia non germana illa eſt & ſobria, ſed meretricula & impura, quam *deceptionem inanem* vocat Apoſtolus. Ejus evidens exemplum habemus in iis qui articulos fidei non niſi ad Rationem exigunt: cum tamen in Divinis *πίστις* ſeu Fides antegrediatur, Ratio ſequatur; ſecus quam ſit in diſciplinis Philoſophicis intellectui humano mere ſubjectis.

20. *Λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει*] Λίνον, ἡ λίνον, τὸ, *Linum*, vox Græca, varias ſignificationes habens. Ponitur enim ſæpe pro *lineo filo*, & generaliter pro quovis *filo*; quo modo etiam uſurpavit Celſus. Dein pro *chorda citharæ*. Item pro *linea piſcatoria*

teria quæ ex lino fiat ; & pro carbaſis ſeu volis, &c. Inde λίνος, ου, *linum*. Apud Syrum eſt לא נטבר ישרנא דסתמין *& lucernam crepitantem non exſtinguet*. Tremellius, *Pro Lino poſuit Lucernam* Syrus, *cui ex lino ellychnium parari ſolet. Ex diverſa autem nota moribundam deſcribit lucernam, quæ crepitet ; ſenſu eodem.*

JAC. CAPPELLUS.

5. *Sacerdotes in templo Sabbathum violant*] Ad marginem Bibliorum notari ſolet Lev. 8. 32. & 24. 9. Num. 28. 9. quod jubet Deus Sabbatho ſacrificare duos agnos, & quod partem ſacrificiorum in Templo jubentur Sacerdotes edere. Sed cur opera Sabbatho deſtinata, Sabbatho præſcripta, dicantur Sabbathum violare? Certe haud ſcio an horum mandatorum obſervationem Judæi vocent uſquam *Sabbathi violationem*. Cum autem in Sabbathum incidit circumciſio, tum vero *Sabbathum violari* vel *profanari* dicunt non infrequenter. Rabba in Geneſim ſect. 7. *Non profanatur* מחללים אין *Sabbathum, neque dies Propitiationis, niſi propter filium Iſraelitidis.* Joh. 7. 22. *Sabbatho circumciditis hominem.*

11. *Quis erit ex vobis qui habeat ovem unam, &, ſi ea Sabbatho inciderit in foveam, non apprehendat eam & erigat?*] Contrarium videtur à Talmudiſtis affirmari. Quippe R. Moſes Kotſiacenſis ſub finem mandati negativi LXV. *Si* בהמה *jumentum ceciderit in foveam aut in conceptaculum aquarum, non licet id attollere manu, ſed ei cibus apponitur ad exitum uſque Sabbathi.* Non eſt hic quod mendacii Judæos inſimulem? Quærimus enim non quid Divino ſed quid Judaico jure liceat. Igitur ἐναλλοφωνία iſtud ita conciliari poteſt, ſi dicas Judæos loqui de jumento proprie dicto, Chriſtum de minori pecude ; vel, Judæos gliſcente ſuperſtitione illicitum ſibi reddidiſſe quod tempore Chriſti licitum adhuc illis erat, prout alia multa ſibi licita negant quæ tum illicita fuiſſe non eſt veriſimile. Nam etſi jam eum plus ſatis eſſent ſuperſtitioſi, quis credat eorum ἀκριβείαν jam tum eo uſque progreſſam ut dicerent Sabbatho pulicem mordentem quidem capere licere, fugientem autem inſequi non licere? ne preculas quidem aut ullum quamvis exiguum enchiridion in Synagogam ferre licere? quod ſcilicet Synagoga ſit locus publicus. Contra, modo fictione juris locum aliquem publicum donarii cujuſdam aut arrhabonis, quod שיח vocant, beneficio reddant ſuum, quidvis eo transferendi licentiam ſibi tribuunt, quin & toti vico, toti civitati. *Quomodo ſocietatem ineunt*, inquiunt, *inter ſe vici? Deponit decimus quiſtiam, & dicit, Ecce id pro vici filiis omnibus eſto*, vel *pro filiis omnibus civitatis.* De pertricoſis hujus arrhabonis ritibus vide tractatum integrum in Miſnajoth & Thalmude, quem ab argumento vocant פיחים, inprimis c. 7. Videtis homines iſtos in unius Sabbathi gratiam ſexcenta commminſci, dum modo culicem percolant, modo camelos deglutiunt, & legi Divinæ modo ſepem modo fraudem faciunt. Sanationes quod attinet, R. Moſes Maimonis F. Miſnæ tom. 1. f. 121. de circumcif. c. 1. §. 10. *Circumciſio depellit Sabbathum :* & §. 18. *Circumciſionem depellit morbus. Non circumciditur puer niſi immunis à morbo. Nam periculum animarum impellit omnia.* סכנות נפשות דוחה הכל *Poteſt in aliud tempus differri circumciſio, ſed unius Iſraelitæ anima nunquam revocari poteſt :* & fol. 132. de Sabbatho cap. 1. §. 1. *Depulſio Sabbathi, quemadmodum & reliquorum omnium mandatorum, fit propter periculum animarum. Quamobrem ægro ſubminiſtrantur omnia neceſſaria ex præſcripto medici. Quin &, ſi medicorum alter neceſſariam affirmet Sabbathi violationem, alter neget, violetur Sabbathum, quia* ספק נפשות דוחה השבת *dubitatio de periculo animarum impellit Sabbathum.* R. Moſes de Kotſi negativo mandato LXV. *Ob periculoſas infirmitates licet violare Sabbathum. Puerpera toto triduo cenſetur periculoſe infirma. Poteſt etiam mulier gravida ante partum editum defuncta ſcindi, ſi ſpes ſit inveniendi infantis vivi. Quin & licet in mare lapſum infantem extrahere, etiamſi piſcem cum eo ſis extracturus.* R. Oſaias in Geneſim §. 34. *Quamdiu vivit homo, in illius gratiam violatur Sabbathum.* Dixerit Judæus à ſe dici סכנה *periculoſum* quod differri non poteſt, Chriſti ſanationes differri potuiſſe. At quæ lex Divina vel etiam humana pronunciaverat unquam miraculoſas ſanationes operibus ſervilibus eſſe deputandas?

32. *Qui dixerit verbum contra Filium hominis*, h. e. qui mihi maledixerit, vel me perſecutus fuerit, *remittatur ei*] q. d. Contingere poteſt ut aliquis qui mihi fuerit oblocutus, adeoque meum nomen infectatus, veniam conſequatur, quia potuit id feciſſe per ignorantiam : at contingere non poteſt ut veniam conſequatur qui Sancti Spiritus interno teſtimonio conſcientiam convincenti bellum indixerit, quod id non poſſit fieri ſine maligno percognitæ veritatis odio, in quod filios ſuos prolabi non patitur Deus. Id vero ſic exprimit Chriſtus, ¶ *At qui dixerit* verbum *adverſus Spiritum Sanctum, non remittetur ei nec in hoc ſeculo nec in futuro*] i. *nunquam*, ut dicitur Mar. 3. 29. quin potius punietur & in hac & in futura vita, i. æternum : quippe nihil ultra datur. Et *non remittere* paſſim uſurpatur pro *punire. Non remittetur ei*, h. e. ἀφεθῆς οὐ γενήσεται τιμωρίας *irremiſſibiliter punietur.* Sic mandato tertio לא ינקה *non remittet*, i. ſevere puniet.

40. *Quemadmodum enim Jonas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes, ſic erit Filius hominis in corde terræ*] h. e. Sic in terra ab hominibus nihil niſi terrenum ſpirantibus captivus detinebor *tres dies & tres noctes.* Lucem tenebris anteponit non temporis ſed dignitatis ratione. Captus eſt Chriſtus exeunte nocte tertia ante reſurrectionem ſuam, reſurrexit autem ineunte luce tertia poſtquam à Judæis captus fuerat. Hanc Chriſti verborum mentem eſſe teſtatur hiſtoria Dominicæ paſſionis, & Angelus Lucæ 24. 7. dicens, *Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertio*, ex quo fuerat traditus in manus ſceleratorum, *reſurgere.* Poteſt etiam τῇ *in ventre terræ* idem hic ſignificari quod εἰς ᾅδου *in ſepulchro.*

LUD. CAPPELLUS.

3. *Annon legiſtis quid fecerit David*, &c.] Chriſtus exemplo Davidis Diſcipulorum ſuorum tuetur factum, oſtenditque Judæis licere in caſu (uti loquuntur) neceſſitatis violare Sabbathum ; quod quam jure Chriſtus fecerit, ita ut Judæi non habebant quod obmurmurent, liquet vel ex ipſis Judæorum ſcriptis, qui itidem Davidis exemplo, alio quidem ab iſto, at iſti valde affini & pene germano, probant licere profanare Sabbathum cum mortis ingruit & imminet periculum. Sic enim illi loquuntur in סדר כסיי אלית Seder רבית Paraſcha 23. *Tradiderunt Magiſtri noſtri, ei quem vel Gentes vel latrones perſequuntur licere profanare Sabbathum anima ſervanda gratia*, h. e. ut mortis periculum effugiat. *Sic enim nos invenimus ſcriptum de Davide* 1 Sam. 21. 10. *quod cum Saul quæreret eum interficere, fugit ab eo & evaſit.* Nempe exiſtimant fugam illam contigiſſe die Sabbathi. Vide infra ad c. 24. 20. hujus Euangelii plura quæ nos ex eo loco in hanc rem annotamus.

24. *Iſte non ejicit dæmonia niſi per Beelzebub principem Dæmoniorum*] Videntur Judæi ab eo tempore nomen illius immutaſſe : nam סמאל *Samael* ab iis dicitur ראש כל השטנים *Princeps omnium Dæmonum.* In Rabboth, Deuteronomii Paraſcha ultima, ubi de Moſis morte multa fabulantur, ſic nugantur, מלאך סמאל הרשע ראש כל השטנים *Angelus Samael, impius ille Princeps omnium dæmonum perpetuo & ſingulis momentis loquebatur de morte illius*, Moſis ſcilicet, *dicebatque, Quando veniet finis & momentum quo morietur Moſes, ut deſcendam & auferam animam ejus ab eo? De eo dixit David*, משגיח הרשע לצדיק *Impius ſpeculatur juſtum, quæritque eum ut illum interficiat.* אין לך רשע בכל השטנים כסמאל *Non eſt ullus inter univerſos Dæmonum impius ſicut Samael, neque eſt ullus inter omnes Prophetas juſtus ſicuti Moſes.*

36. *De omni verbo otioſo homines reddituri ſunt rationem in die judicii*] Sic fere R. Jonah in libro Timoris, *Cavebit*, inquit, *vir ne cum uxore loquatur turpia, quia* אפילו על שיחה קלה שבין אשה ובעלה עיד שהכל יבואו במשפט *etiam propter ſermonem levem viri cum uxore adducetur ille in judicium.*

50. *Quiſquis fecerit voluntatem Patris mei is eſt frater meus*] Similis eſt ſententia & locutio apud R. S. J initio Commentarii ſui in Job, זה מכשבחתי שכתוב בבני, *Is eſt de familia mea qui recipit verba mea.*

GROTIUS.

1. Τοῖς σάββασι, *Sabbato*] Supra diximus voces Hebræas ad Græcam nominum figuram flecti additione aut imminutione. Ita ex Hebræo שבת addendo facta eſt vox Græca σάββατον, diminuendo autem σάββα σαββάτῳ, unde dativus pluralis σάββασι. Sed poſterior vox in ſingulari numero uſurpari deſiit ; ideoque iis cœpit accenſeri quæ plurali ſono ſingularem habent ſignificationem, ut hic apparet, & infra XXVIII, 1. Actorum XIII, 14. & alibi. Ita apud Horatium, *ſunt hodie tricenſima ſabbata.* ¶ τίλλειν στάχυας, *vellere ſpicas*] Τίλλειν [*vellere*] hoc Lucas interpretatur ψώχειν *fricare*, quo ſenſu vox תלש eſt & apud Diodorum Siculum, & in Gloſſis

πλμὸς ἀσταχύων [*vulſio leguminum*]. Vellere ſpicas in agro alieno licebat per legem Deuteronomii xxiii, 25. quæ non impunitatem ſed jus ad factum concedit. Sed an Sabbato vellere ac fricare liceret alia erat quæſtio. Lex Moſis interdicit Sabbato facere מלאכה, quod Hebræi rectè interpretantur *opus ſervile*. In Jure Pontificio Romano, cujus pars magna ab Ethruſcis erat, Ethruſci autem ab Hebræis per Tyrios acceperant, quo loco de feſtis diebus agebatur, erat idem loquendi genus, *Ne famula opera patranto*: nam inde accepit Cicero De legibus II. *Feriis jurgia amovento, eaſque in famulis operibus patratis habento.* Sed apud Romanos uſus indulgentior multas exceptiones famulorum operum invenerat. Itaque apud Virgilium hæc ſunt ex Jure Pontificio petita, ut nos Macrobius docet,

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt: rivos deducere nulla
Religio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.

Servius eo loco utitur ut probet neceſſitati parere religionem. Hebræi tales exceptiones non admittebant, quippe gnari decreto Dei lapidatum hominem quod lignatum ivitſet in Sabbato. Ac nominatim in Pandectis ipſorum ſpicas confricare numeratur inter famula opera. Neque negat Chriſtus opus eſſe famulum, ſed ex circumſtantiis oſtendit factum hoc Diſcipulorum Legis ſententia non comprehendi. Eſt ergo quæſtio τῦ ῥητῦ καὶ τῆ διανοίας, *ſtatus ſcripti & voluntatis*, ut hac de ipſa re agens Tertullianus loquitur.

2. *Οὐκ ἔξεστι ποιῆν ἐν σαββάτῳ· quod non licet facere Sabbato*] Vulſionem ſpicarum intelligunt, non deambulationem. Nam ambulat & Chriſtus: at Phariſæi ſolos diſcipulos notant. Iter majus Hebræi famulis operibus accenſebant; minus non item, ut quod ad reficiendum animum magis quam ad laboris ſpeciem pertinebat. Diſcrimen autem inter iter & Ambulationem natura indefinitum, ut certi aliquid eſſet in Judiciis, lege humana definitum erat ſpatio bis mille cubitorum. Hac igitur in parte nihil habebant Phariſæi quod calumniarentur.

3. Οὐκ ἀνέγνωτε τί ἐποίησεν Δαβὶδ, *Non legiſtis quid fecerit David*] *Scire leges*, inquiunt Juriſconſulti, *non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem; quia prior atque potentior eſt quam vox mens dicentis.* Ideo quoties certis indiciis comprehendi poteſt mens ejus qui legem ſcripſerit, præferri debet διάνοια τῦ ῥητῦ [*mens dicto*]. Verum enim eſt quod apud Ciceronem libro De Inventione ſecundo legimus, *Nullam rem neque legibus neque ſcriptura ulla, denique ne in ſermone quidem quotidiano, atque imperiis domeſticis, recte poſſe adminiſtrari, ſi unuſquiſque velit verba ſpectare, & non ad voluntatem ejus qui verba habuerit accedere.* In legibus autem prohibitoriis plerumque verba latius patent quam mens ipſa legis. Nam, ut eodem loco apud Ciceronem eſt, *non omnia ſcriptis, ſed quædam, quæ perſpicua ſunt, tacitis exceptionibus cavent.* Hinc æquitatis, quam ἐπιείκειαν vocat, proprium eſſe dicit Ariſtoteles ἐπανορθῶσαι τὸ νόμον ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου [*corrigere legem ea parte qua deficit ob locutionem univerſalem*]. Ea niſi adhibeatur, jus illud ſummum, τὸ ἀκροδικαιον, fit ſumma crux ſummaque injuria. Neque vero ea quæ diximus in humanis tantum legibus locum habent, ſed & in Divinis, ejus nempe generis quod non natura juſtum eſt, ſed conſtitutione. Deus enim cum hominibus loquens humano more ita vult intelligi quomodo idem dicens homo intelligeretur. Inter omnes autem exceptiones, quæ tacite inſunt legibus, nulla eſt aut receptior aut juſtior quam ea quæ fluit ex neceſſitate. Bene Seneca, *Neceſſitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, quicquid cogit excuſat.* Neque vero neceſſitas ea demum intelligenda eſt quæ in extrema, ut ita dicam, linea conſiſtit; ſed habet & illa ſuum πλάτος [*latitudinem ſuam*], modo majus, modo minus, pro neceſſitate aut utilitate legis ipſius. In omni autem legum genere minimæ neceſſitatis utilitatiſque ſunt leges ſacrorum rituum & inſtitutorum Civilium, quas certum eſt non ob id ipſum quod in lege eſt, ſed aut εὐταξίας [*recti ordinis*] aut ſignificationis alicujus gratia repertas. In harum igitur legum interpretatione neceſſitas ſumitur paulo laxius. Poterat hic Chriſtus multa afferre ex Judaico Jure huc pertinentia. Nam Maccabaicis temporibus decretum eſt ut pugnare in hoſtem Sabbatis liceret. Sed & ex ſententia receptiore curſores publici & mercatores ſtatis temporibus proficiſcentes ἐν ὁδοιπορίᾳ, quam nunc *Caravanam* vocant, lege Sabbati eximebantur. Sed quia hæc ſola conſuetudinis nitebantur auctoritate, nec deerant qui diſſentirent, cujus rei magnum eſt argumentum quod poſt Maccabaica tempora bis Hieroloſyma Sabbato ſunt expugnata, Chriſtus ex ipſis literis Sacris validiſſimum à pari cauſa ſumit argumentum, quod tale eſt, In pari cauſa jus idem eſſe oportet; Lex Sabbati & lex de Propoſitis panibus non edendis niſi à Sacerdotibus, ambæ ſunt rituales: David ejuſque comites, pari neceſſitate preſſi qua nunc premuntur diſcipuli mei, fecerunt contra τὰ ῥητὰ [*verba*] legis de Panibus, neque tamen cenſentur feciſſe contra τὴν διάνοιαν [*mentem*]: Sequitur ergo nec diſcipulos meos hoc facto quicquam adverſus Legis ſententiam committere. ¶ *Καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ; & qui cum eo erant*] Nimis aperta ſunt hæc verba quam ut negari poſſit Davidem ejus fugæ comites aliquos habuiſſe. Et ut hæc verba aliqua ratione poſſent eludi, illa certe apud Marcum non poſſunt, καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι [*& dedit eis qui cum eo erant*]. Quare quod Pontifex in Samuelis hiſtoria miratur Davidem eſſe ſolum, ita intelligi debet, comites alibi ſubſtituiſſe.

4. *εἰς τὸν οἶκον τῦ Θεῦ, in domum Dei*] Id eſt, locum in quo erat ἡ σκηνὴ [*Tabernaculum*]. Nam Templum adhuc nullum exſtabat. ¶ *Τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως, Panes propoſitionis*] Lxx modo ἐνώπια [*coram poſitos*], modo πρόσωπα [*facies*], modo προκειμένους [*prajacentes*] dicunt; ſæpiſſime vero, ut hic, ἄρτους προθέσεως, quod & Philo ſequitur. ¶ *Οὓς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, quos non licebat ei edere*] *Quibus veſci ipſum fas non erat* κατὰ τὸ ῥητὸν rigide ſumtum [*ſecundum verba* rigide ſumta]; fas autem erat κατὰ διάνοιαν [*ſecundum ſententiam*]· quod inde apparet, quia neque David reprehenditur eo nomine, neque Achimelec Sacerdos religioſiſſimus conceſſurus fuerat quod ſciret cum Lege pugnare.

5. *Ἢ οὐκ ἀνέγνωτε ἐν τῷ νόμῳ, Aut non legiſtis in Lege*] Alterum Chriſti argumentum à minori ad majus; Lex Sabbati eam recipit interpretationem ut non obſtet operibus Templi: Ergo nec Propheticis operibus obſtare debet. Antecedens probatur ex lege Num. xxviii, 9. & notiſſima conſuetudine: unde regulâ erat Juris Judaici, *In Templo non eſſe Sabbatum.* Conſequentiam probat Chriſtus commate ſequenti. ¶ *Βεβηλοῦσι, violant*] Βεβηλῶν τὴν ἡμέραν τῦ σαββάτου [*violare aut polluere diem Sabbati*] dixit etiam Scriptor hiſtoriæ Maccabaicæ libro I, cap. II, 34. Sed hic ſubintelligi debet κατὰ τὸ ῥητὸν [*ſi verba ſpectemus*]. Ideo ſequitur καὶ ἀναίτιοί εἰσι [*& ſine crimine ſunt*], quia ſcilicet contra Legis διάνοιαν [*ſententiam*] nihil admittunt. Atque adeo hoc ipſo loquendi genere utuntur Hebræi veteres in Pandecte Thalmudico, & ex illis David Kimchi, cum dicunt rectè interdum violari Sabbatum; idque probant exemplo operarum ſacerdotalium. Addunt & hiſtoriam, qua & Juſtinus adverſus Tryphonem utitur, Arcæ circum Hierichuntem portatæ Sabbato non minus quam diebus cæteris. Sic ex Jure Pontificio veterum Romanorum *Umbro negabat eum pollui qui opus ad Deos pertinens ſacrorumve cauſa feciſſet*: Macrobius I Saturnalium 16.

6. *τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστιν ὧδε. Templo major eſt hic*] Plus Templo erat omnis Propheta; unde Prophetis extra Templum ſacrificare licuit, ut Eliæ. Jeſus autem pluſquam Propheta, ut infra dicet commate 41. Sed dicat aliquis, Templi ritus obſervari non poterant niſi labor aliquis die Sabbati inſumeretur; quæ autem talis connexio eſt inter Propheticum Chriſti ejuſque Apoſtolorum munus & inter ſpicarum vulſionem? Nimirum iſta, quod Chriſtus ejuſque Apoſtoli ita occupati fuerant in obeundo ſuo munere ut non vacaret ipſis cibum ſibi parare quo Sabbati die veſcerentur. Aut ergo intermittere debuerant munus Propheticum, aut facere contra τὸ ῥητὸν [*verba*] legis Sabbati. Sacerdotale autem munus non intermittebatur ob legem Sabbati; igitur nec Propheticum, quod majus erat, intermitti eo nomine debebat.

7. *Εἰ δὲ ἐγνώκειτε τί ἐστι· Si autem ſciretis quid eſt*] Tertium Chriſti argumentum petitum ex loco de contrariis legibus. Eſtque idem συλλογισμὸς ἐγκειμένος [*ſyllogiſmus antecedaneus*] qui ſupra capite IX. Quoties leges ex circumſtantia colliduntur, ita ut ſimul utraque ſervari nequeat, ſervanda eſt lex potior; Potior autem eſt lex quæ beneficentiam præcipit quam quæ ad ritus pertinet: Præferenda igitur. Propoſitio notiſſimi eſt juris: aſſumtio probatur, ut ſupra quoque, Oſeæ verbis. Reſtat complexionis generalis ad hanc ſpeciem applicatio. Lex quæ beneficos nos eſſe jubet, haud dubie ante omnia à nobis exigit ut quantum in nobis eſt æternæ aliorum ſaluti conſulamus, & quidem quam celerrime, cum nemo ſibi poſſit craſtinum polliceri. Legem de Sabbato eſſe ritualem res ipſa docet, & extra controverſiam eſt. Simul non poterant Chriſtus docendis, Apoſtoli ad ejus doctrinam præparandis hominibus incumbere, & ea parare quæ ad rigidam Sabbati obſervationem pertinebant, ut ante etiam diximus. Debebat ergo ex eo quod ante concluſum erat lex Sabbati cedere præcepto ſanctæ inſtitutionis. Quod autem hic ex Oſea probatur, Leges omnes rituum multo minoris eſſe pretii

apud

apud Deum quam leges morum, præſertim vero religionis ac beneficentiæ, conſpectiſſimæ eſt veritatis, quæ multos etiam ex profanis gentibus non effugit. Ex multis pauca adferam. Plato Alcibiade II. Καὶ γὰρ ἂν δοκοῖ εἶη, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας προσβλέποιεν ἡμῶν οἱ θεοί, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸν ψυχὴν, ἐν ᾗ τὸ ὅσιον & δίκαιον ἐν πυγχάνῃ [*iniquum enim ſit, ſi ad dona noſtra & victimas reſpiciant Dii, non ad animum, nempe an quis juſtus ſanctuſque ſit*]. In quam ſententiam & in De republica libris multa præclare ſunt dicta. Verſus quos jam adducam alii Menandro adſcribunt, alii Philemoni, neutro indignos. Referam autem ita ut emendandos cenſeo.

Εἰ θυσίαν τις προσφέρων, ὦ Πάμφιλε,
Τράγειον ἢ μηλοβοτὸν ἢ ἱερεῖον, ἢ τὴ Διὰ
Ἐπίμηλον πώεως, ἢ κατασκεύασμα
Χρυσοῦς πομπὰς χλαμύδας ἢτοι πορφυρᾶς,
Ἢ δι' ἐλέφαντος ἢ σμαράγδου ζώδια,
Εὐσεβὴς νομίζοι τὸν θεὸν καθιστάναι,
Πλανᾶται ἐκεῖνος & φρένας κακὰς ἔχει·
Δεῖ γὰρ τὸν ἄνδρα χρηστὸν εἰσφέρειν πρόσωπον,
Μὴ παρθένου φθείροντα μηχανώμενον,
Κλέπτοντα καὶ σφάττοντα χρημάτων χάριν.
Μηδὲ βελόνης ἅπτεσθαι θηλυμανῆς, Πάμφιλε·
Ὁ γὰρ θεὸς βλέπει σε πλησίον πάρων.

[*Adducat ſiquis victimas, ô Pamphile,*
Sive ex caprigeno pecore, ſive ex bucero,
Sive adeo pecudes alias, aut dona ferat
Paludamentum ex auro ſive ex purpura,
Aut ex ebore aut ſmaragdo ſigillaria,
Atque his propitium ſperet adſpiſci Deum,
Decipitur vanitate mentis credula;
Sed oportet ipſum hominem eſſe puris moribus,
Non ſalem virginalem, non adulterum,
Non furem, non qui occidit quæſti gratia.
Nec acuis filum, Pamphile, concupiveris:
Quando ipſe præſens Deus inſpectat omnia.]

Ejuſdem auctoris eſt & hoc,

Θεῷ γὴ ἰοῦσ' ἀεὶ τέλος δικαίῳ ὤν,
Μὴ λαμπρὸς ὢν ἢ χλαμύσιν ὡς τῷ καρδίᾳ.

[*Deo ſacrifica ſemper ingenio probo:*
Nec tu albas veſtes magis quam mores induas.]

Accedat his Perſius,

Quin damus id ſuperis de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſala lippa propago,
Compoſitum jus faſque animi, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.
Hoc cedo ut admoveam templis & farre litabo.

Hierocles in eundem ſenſum, Οἶδε τιμᾶν θεὸν ὁ μεγαλοψύχως ἱερεῖον ἑαυτὸν προσάγων, καὶ ἄγαλμα ἴδιον παιδεύων τὸν ἑαυτοῦ ψυχὴν, καὶ ναὸν εἰς ὑποδοχὴν ἧς θείᾳ φωτὸς τὸν ἑαυτοῦ καθαρὸν νοῦν [*Novit is Deum honorare qui ſemetipſum præcipue victimam offert, ſimulacrumque Deo ſtatuit animum ſuum, templumque recipiendæ Divinæ luci parat mentem ſuam*]. Nam Deus, ut ille ibidem ait, Τὸ ἐνπλέκειν προσεύχαις τὸ πολυτελείας ὅταν θεοπρεπείας γνώμην προμήθηται· μετ' αὐτῆς γὰρ πάντα θεοφιλῆ, καὶ ἄνευ ταύτης οὐδὲν θεῷ φίλον ἂν εἴη γένοιτο [*Parabilia præfert ſumtuoſis ubi illa animo commendantur pio; cum eo enim omnia Deo grata, ſine eo nihil Deo placet*].

8. Κύριος γάρ ἐστι τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Dominus enim eſt filius hominis etiam Sabbati*] Errant qui υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου [*filium hominis*] hoc loco Chriſtum peculiariter intelligunt. Chriſtus enim in terris agens Legi ſe ſubditum profeſſus eſt, neque ei aut derogavit aut obrogavit, ſed ex Patris ſententia eam eſt interpretatus, ſuamque interpretationem & Legis auctoritate & ductis ex æquo bonoque argumentis confirmavit. Eſt ergo hic υἱὸς ἀνθρώπου [*filius hominis*] *homo quivis*; quod ita apertum facit Marcus ut contradici nequeat. Ita enim apud illum loquitur Chriſtus, *Sabbatum eſt hominis cauſa, non homo Sabbati cauſa: quare filius hominis etiam Sabbati eſt Dominus.* Hæc enim verba non cohærent, ſi *filium hominis* interpreteris Meſſiam miſſum cum poteſtate Legis antiquandæ. Adde jam quod Jeſus eo tempore ſe eſſe Chriſtum populo aut Phariſæis nec prædicaverit nec prædicari voluerit. Vide infra XVI, 20. Marci VIII, 30. Sed, ut dixi, notiſſimum eſt Hebræis בר אנש [*filium hominis*] hominem quemvis ſignificare, quanquam interdum, ut diximus, ad minus illuſtres reſtringitur. Neque aliter dicitur infra 32. Ος ἐὰν εἴπῃ λόγον κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου [*quicunque dixerit verbum contra filium hominis*], ut inibi dicemus. Senſus igitur Chriſti verborum, quæ plenius aliquanto ſunt à Marco expreſſa, hic eſt, Quod alterius rei cauſa comparatum eſt, id cedere debet ei cujus cauſa comparatum eſt; At Sabbatum comparatum eſt hominis cauſa: Debet ergo homini cedere, nimirum ubi de hominis ſalute agitur. κύριος εἶναι [*dominus eſſe*] Græce, ut Hebraice בעל, dicitur *qui aliqua re utendi jus habet*: ſicut homo in tali caſu jus habet vertendi in uſum ſuum etiam Sabbati diem. Plane idem eſt quod dixit Rabbi Jonathan, *Sabbatum traditum eſſe in manum hominum, & non homines in manum Sabbati.* Nam *tradi in manum* idem eſt quod *eſſe in dominio.* Ergo hic etiam notam inter Judæos regulam Chriſtus uſurpavit.

11. τίς ἔσται ἐξ ὑμῶν, *quis erit ex vobis*] Modus loquendi quo Judæi formabant τὰς ὑποθέσεις [*facti ſpecies*], ut ad cap. VII. obſervavimus. Diſſentiebant in explicatione legis Sabbati Eſſeni à cæteris, vix ullam recipientes excuſationem: At communior interpretatio exceptiones admittebat. Jure Judæorum noviſſimo, quod Chriſti ætate aliquot ſeculis eſt poſterius, conſtituitur ut pecus in foſſam prolapſum in Sabbato ſlatur, & ſi opus ſit ſtramine ſubjecto fulciatur, ut duret in diem ſequentem. Quod ſi talis ſit foſſa quæ demerſura ſit pecudem ni continuo educatur, quid nunc facturi ſint Judæi omitto, certe Chriſti ætate receptior erat ſententia, non obſtare Sabbati religionem quominus vitæ pecudis conſulatur. Hoc enim eſt quod in veteri Babyloniico Hebræorum Jure legitur, *Periculo animæ pellis Sabbatum*; quod ipſi dicunt, סכנת נפש דוחה שבת. Verba in Miſnajot ſunt, *Omne opus prohibetur in Sabbato niſi ſit pro anima.* Atque adeo recepta erat apud Judæos iſta exceptio, ut in multis codicibus Legi vice interpretamenti adſcribi cœperit; quod ex Tertulliano colligo. Ita enim is ait IV adverſus Marcionem, *Sicut & rurſus in Lege: Non facies omne opus in eo, niſi quod ſiat omni anima.* Et contra Judæos ita legem citat, *Omne opus ſervile non facietis in eo, præterquam quod ad animam pertinet.* Sed & Hieronymus ad XXVIII Elaiæ, *Lege præceptum eſt ne in Sabbato opus ſervile faciamus, ne accendamus ignem, ut in uno ſedeamus loco, ut illa tantum faciamus quæ ad animæ ſalutem pertinent.* *Anima* autem nomine antiqui interpretes pecudis vitam comprehendebant. Quare nova illa interpretatio rigidior odio Chriſtianorum eſt excogitata, ſicut & Doſitheus ille, cujus Origenes & Epiphanius meminerunt, ſtatim poſt Chriſti ætatem exaſperavit interpretando legem Sabbati. Ex hac ergo Juris regula Chriſtus fulcit argumentum illud quod ſupra tertio loco propoſitum duximus. Non eſt ab hoc loco alienum quod ex Romanorum Jure Pontificio Scævola notaverat, *Si bos in ſpecum decidiſſet, eumque paterfamilias adhibitis operis liberaſſet, non eſſe viſum ferias polluiſſe.* Meminit Macrobius Saturnal. I, cap. 16.

12. Πόσῳ οὖν διαφέρει ἀνθρώπου προβάτου; *Quanto magis melior eſt homo ove*] Ne objicerent Phariſæi in ſuo Jure agi de vita, hic de membri integritate, occurrit Chriſtus, oſtendens tanto hominem pecude eſſe potiorem ut merito hominis ſanitas pecudis vitæ præponderet. ¶ καλῶς ποιεῖν. *benefacere*] Hoc eſt, ἀγαθοποιεῖν, ut uno verbo dixerunt Marcus & Lucas. ἀγαθοποιεῖν autem apud Lucam VI, 9. Actorum XIV, 17. ut & ἀγαθεργεῖν apud Paulum I Timoth. VI, 18. idem eſt quod ἐυεργετεῖν. Quæ Chriſti ſit ſententia pleniusintelligitur ex Marco & Luca, ubi Chriſtus interrogat *Liceatne in Sabbato* ἀγαθοποιεῖν [*benefacere*], *an vero* κακοποιεῖν, ubi κακοποιεῖν eſt *nocere*, ſed eo ſenſu quo *necare* dicitur qui alimentum negat. Nam ſic nocet qui miſerum non juvat quem poteſt juvare, ſive Divina ope ſive etiam arte humana. Lepida eſt apud Syneſium narratio de Nauta ſabbatario, qui die ſeptimo adventante omittebat gubernaculum, ac diu neque vi neque minis cogi poterat ut munere ſuo fungeretur, donec ingravelcente tempeſtate & manifeſto jam periculo ultro ſurrexit, dictitans rem in eum caſum perductam quo & Sabbato opus facere liceret. Sic apud Joſephum Jonathas Judæ Maccabæi frater ſuos Sabbato in prælium animat, dicens σῴζει τὰς ψυχὰς αὐτοῖς ἐνίοτε τὸ κινδυνεῦσαι [*vitam in periculo aſſe*]. Ubi ergo ægrotus aliquis aut debilis auxilium quod in tua ſit facultate implorat, reſtat aut opem ei benigne feras, aut crudeliter deneges. Utrum vero, inquit Chriſtus, vobis videtur diei feſto ac ſacro melius convenire? Repetendum memoria eſt quod ſupra diximus, ut locum habeat æquitatis exceptio, Non requiri ultimam neceſſitatem, ſed talem quam facile admittat Legis natura.

13. λέγει τῷ ἀνθρώπῳ· *ait homini*] Vera doctrina de Sabbato expoſita jam omnem calumniæ anſam præcidit. Nam ſine contactu ſola voce hominem ſanat, quod ne ſpeciem quidem violati Sabbati habere poterat. ¶ ἡ ἐξετάνθη, ἡ ὑγιὴς ἀπεκατεστάθη ὡς ἡ ἄλλη. *& extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera*]

altera] Hic quoque conjunctio cum verbo vim participii habet. Sensus enim est ἐξέτεινε ἀποκατασῆσαι ὑγιῆ ὡς ἡ ἄλλη [*extendit eam ita restitutam sanitati ut esset qualis altera*]. Neque enim extendere manum potuisset nisi Divina virtute restitutam.

14. *συμβούλιον ἔλαβον*, *consilium capiebant*] Συμβούλιον λαμβάνειν, aut, ut Marcus loquitur, ποιεῖν, non est *concilium vocare*, sed *consilium capere*, sive id fiat inlegitimo conventu sive aliter. Itaque infra capite XXVII. post convocationem cœtus sequitur, *συμβούλιον ἔλαβον* [*consilium inierunt*]. Pharisæorum autem seorsim nullus erat cœtus legitimus. Est ergo *συμβούλιον* [*consilium*] idem quod Platoni *συμβουλή*, qui & *συμβουλὴν ποιεῖν* [*consilium inire*] dixit, ut Marcus *συμβούλιον ποιοῦν*, & hoc loco quidam codices ex interpretamento habent *συμβούλιον ἐποίουν*. In Hebræo fuerit יעץ, quod Lxx modo ἐβουλεύσαντο modo *συνεβουλεύσαντο* vertere solent. ¶ *ἐξελθόντες*, *exeuntes*] Ex Synagoga scilicet, in qua hæc erant gesta, ut apparet supra commate 9.

15. *ἀνεχώρησεν*, *recessit*] Utitur hoc quoque loco Athanasius, ut probet licitam esse fugam. Qua de re diximus supra. ¶ *πάντας*. *omnes*] Nempe qui sanari ab ipso cuperent: quomodo sæpe interpretandæ sunt particulæ universales.

16. *ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσι*. *ne manifestum eum facerent*] Ante tempus resurrectionis scilicet. Non videtur mihi hoc loco notam censoriam meruisse qui injuncti silentii causam eandem esse putat quæ secessus fuerat. Nam & quod ex Propheta sequitur eum videtur sensum postulare. Gregorius Nazianzenus non male inter causas justæ fugæ adfert τὸν φειδὸ τῶν διωκόντων [*animum parcendi ipsis persecutoribus*]: quod Origenes Aristotelis quoque exemplo illustrat, qui Athenis discedens dixerit id se facere, ne occasionem daret Athenienſibus alterum scelus admittendi post cædem Socratis, *καὶ δεύτερα εἰς τὸν φιλοσοφίαν ἁμαρτῶν* [*iterumque impie agendi contra Philosophiam*]. Videbatur adhuc excusabile aliquo modo si non omnium saltem magnæ partis Pharisæorum studium pro avitis traditionibus. Itaque additis aliis super alia miraculis opperiri illorum pœnitentiam Christus voluit, interim eos arcens ab atrocitate facinoris, donec suam ipsi conscientiam oppugnantes, ut mox quosdam ipsorum feciſſe videbimus, magis magisque meruissent innoxio sanguine inquinari, eoque scelere gravissimas in se pœnas accersere, quod fieri non oportebat nisi consummata jam Christi doctrina, ut Tertullianus, nimius alioqui fugæ accusator, non male observat. Origenes Celso hoc ipsum objicienti, præter id quod diximus, hunc in modum respondet, οὐκ ἴσῃ ὁ ἀφρὼν, τὸ μετ' οἰκτρολόγου ἀξιοπίστου σὺν κινδύνῳ, μὴ ἐμοῦ αὐτοῖς χαρὲν ἢ Διὶ Φίβου ἡσθέντι, ἀλλ' ὑπὲρ ὃ χρήσιμος αὐτὸν τῷ βίῳ ἀνθρωπίνῳ ἐτέρους ὠφελῶν, ἵνος ὕστερ ὁ Παυλίδης καιρὸς ἦ τὸ ἀνελλιφότα τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἀνθρώπου θανάτου δοκιμεῖν ἰσχυτί τι χρήσιμον τοῖς ἀνθρώποις [*Non est degeneris animi ob causam vitare pericula, neque se eis offerre; idque non mortis metu, sed ut qui in vita hac utiliter versatur prosit aliis donec advenerit aptum tempus, ut, qui naturam humanam accepit, mortem obeat hominibus profuturam*].

18. *ἰδοὺ ὁ παῖς μου*, *Ecce puer meus*] Septuaginta multis in locis de suo quædam addiderunt ad explicandam Hebraicorum verborum sententiam: ut hoc loco ante *ὁ παῖς μου* [*puer meus*] posuerunt Ιακὼβ [*Jacob*], & ante *ὁ ἐκλεκτός μου* [*electus*], Ισραὴλ [*Israel*]. atque ita bis citat cum Tryphone Judæo disputans Justinus. Quod enim ait Eusebius nono Euangelicæ demonstrationis, ἐν τοῖς ἑβδομήκοντα βιβλίοις τὸ ἢ Ιακὼβ καὶ τὸ ἢ Ισραὴλ ἐστιν [*in libris Septuaginta vera notatur vox Jacob & Israel*], ita accipiendum est, à Criticis ea verba obelo notata tanquam quæ adjecta sint, cum in Hebræo sermone non exstarent. Nam eum fuisse obeli usum in editionibus versionis Græcæ veteris Testamenti docent nos Epiphanius, Hieronymus, Augustinus. Errat igitur vir summæ eruditionis qui ideo negat hæc verba à Septuaginta interpretibus scripta esse. Neque dubito quin ab iisdem interpretibus hic Prophetæ locus ita intellectus sit quasi de Hebræo populo ageret, idque propter ea quæ præcedunt capite XLI, 8. & quæ sequuntur XLIII, 1. cum tamen ex aliis Esaiæ locis, præsertim vero ex iis quæ sunt apud Propheta capite XLIV, 6. observare debuissent agi hic de eo qui lucem allaturus sit tum Judæis tum Gentibus: quod recte vidit Chaldæus paraphrastes qui, sublimiorem sensum sequens, *Messiæ* nomen hic addidit. Ceterum Justinus, ut Septuaginta interpretum auctoritatem in suas partes perduceret, *Jacobs* & *Israelis* nomine Christum vult indicatum, quod mihi hic quidem verisimile non videtur. ¶ *ἡρέτισα*· *elegi*] Erudite atque efficaciter expressit Matthæi Græcus interpres vocem בחר, neque minus recte Hieronymus cum vertit *quem suscepi*. Nam αἱρεῖσθαι Græcis dicuntur *qui sunt ab alicujus partibus*, qui si potentiores sint vocantur Latine *susceptores*. Hinc rubrica in Codice Justinianeo, *Ut nemo ad suum patrocinium suscipiat rusticanos*. hinc *susceptis* apud Salvianum, Symmachum atque alios. Idem valet ἀντιλαμβάνεσθαι, quod hic posuerunt Septuaginta, quæ vox eodem significatu reperitur Lucæ I, 54. ubi Latinus interpres itidem reddidit *suscepit*; quo verbo hic quoque utendum fuit ad exprimendam Græcæ vocis proprietatem, quæ Hebrææ optime respondet. ¶ *ἀγαπητός*, *dilectus*] Apparet hinc quoque eandem esse vim vocis *ἀγαπητὸς* [*dilecti*] & *ἐκλεκτὸς* [*electi*], quod supra diximus. Verbum verbo reddiderunt Lxx. noster interpres rem ipsam expressit: sicut contra quod sequitur רצתה noster magis proprie, & ut alibi solent Lxx, expressit per *εὐδόκησεν* [*in quo bene complacuit mihi*], cum ipsi Lxx hoc loco posuerint *προσδέξεται* [*suscipiet*]. Sed de vocis *εὐδοκεῖν* significatione egimus ad caput III. quæ eadem quoque est, etsi minus efficax, in verbo *προσδέχεσθαι*. ¶ *πνεῦμά μου*, *spiritum meum*] Spiritum propriè mansuetudinis & humilitatis, designatum visibili Columbæ signo: quem sensum exigunt tum quæ sequuntur apud Prophetam, tum occasio quæ Matthæum ad citandum Prophetam adduxit. Vide quæ diximus ad caput IV. ¶ *κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ*. *judicium gentibus nuntiabit*] Originem vocis *κρίσις* τὸ ἀκριβέστατον [*exactissime*] secuti Lxx posuerant *ἐξοίσει* [*efferet*]. Cæterum proprie *ἐξαγγέλειν* [*publicare*] ea voce significari apparet, Deuteronomii XXII, 19. aliisque multis in locis: unde etiam collectu facile est quæ significatio vocis *מלונים* בתים, quam *κρίσιν* passim vertunt Hellenistæ, hic maxime quadret, ea nempe quæ *legem* sive *normam vivendi* indicat. Legis enim maxime proprium est publicari. Verum hoc esse ostendit quod mox in Hebræo sequitur, *Ad legem ejus longinqua gentes exspectabunt*.

19. *Οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κεκράξει*, *Non contendet, neque clamabit*] Cum in Hebræo duæ sint voces ejusdem significationis *clamorem* denotantes, recte noster interpres alterius loco substituit *ἐρίζειν* [*contendere*], ut ostenderet de eo clamore hic agi qui signum esse solet excandescentis animi. Hinc Paulus cum nominasset *πικρίαν, θυμὸν καὶ ὀργὴν* [*amaritudinem, iram & indignationem*] addidit *κραυγὴν* [*clamorem*], & Quintilianus *clamosum altercatorem* dixit. Justinus ad Zenam & Serenum, *Τῶν δὲ κεκραγότων οὐδεὶς εὐφήμων ἐστί* [*clamantium nemo modestus est*]. In Septuaginta virûm versione est *οὐ κεκράξεται, οὐδὲ αἰρεῖ* [*non clamabit, neque attollet*] scilicet *φωνὴν* [*vocem*]. Attamen Justinus altero loco citat *οὐκ ἐρεῖ, οὐκ κεκρᾶξ* [*non contendet, neque clamabit*], altero *οὐ κεκράξεται* [*non clamabit*] tantum. Symmacho, qui שוע transtulit *ἀπατηθήσεται* [*decipietur*] errandi causam præbuit exemplar in quo apex ד ש perperam fuit notatus, quanquam sic quoque *ἀπατήσει* [*decipiet*] potius quam *ἀπατηθήσεται* transferre debuit. ¶ *οὐδὲ ἀκούσεταί τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ*. *neque audiet aliquis in platea vocem ejus*] Idem valet quod habent Lxx, *οὐδὲ ἀκουσθήσεται ἔξω ἡ φωνὴ αὐτοῦ* [*neque foris audietur vox ejus*], quomodo & Justinus citat altero loco; altero vero, *οὐκ ἀκούσεταί τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ* [*neque audiet quisquam in plateis vocem ejus*], credo quia nunc ex tempore citarat Prophetam ita ferme ut hic legitur, nunc inspecto codice Lxx interpretum. חוץ ad verbum est *ἔξω* [*extra*]: quia vero platea est extra ædificia, ideo eo nomine frequentissime appellatur. Marcus alibi utrumque conjunxit, dicens *ἔξω ἐπὶ τῇ ἀμφόδῳ* [*foris in bivio*], XI, 4. Iracundiæ signum est extra fores clamitare. Menander,

Τὸ δ' ἐπιδιώκειν ἔξω τε τὴν ὁδὸν τρέχειν
Ἔτι λοιδορεμένῳ, κωμικὸς ἐς ἔργον Ῥόδη.

[*At insequi ultro & excurrere in publicum,*
Rhode, & differre pipulo, id vere est canum.]

Plautus dixit *pipulo ante ædes differre*. Haud dubie ostendit proverbialis hæc locutio, Christum ea fuisse bonitate ut palam fieri nollet eorum vitia de quibus aliquid superesset bonæ spei. Hoc est quod dicto ad Zenam libro Justinus his verbis expressit, Νουθετητέον τὸν ἁμαρτάνοντα μὴ ἐξ ἀγορᾶς, ἐπεὶ οὐ μὲ χρὴ ἔξω Διὸς τὸν ὑπερορθίων [*Is qui peccat monendus est non in publico, nisi ita opus sit ob ejus contumaciam*].

20. *Κάλαμον τεθραυσμένον οὐ κατάξει*, *arundinem quassatam non confringet*] Ita Justinus uno loco; altero, ut habent Lxx, *κάλαμον συντεθραυσμένον οὐ συντρίψει* [*arundinem fractam non conteret*]. Syrus *συντετριμμένον* רעיע [*quassatam*] dixit, *κατάξει* נתבר [*frangei*]. Sicut autem Hebræa רצץ & שבר non multum differunt significatu, ita nec רעע quod & Hebræis est *frangere*, & תבר Syriace pro שבר positum; neque apud Græcos eximium aliquod discrimen est inter *συντρίβειν, συνθλᾶν, κατάγνυσθαι*. Nam & quod hic in priori parte positum

tum eſt in poſteriori, & mox apud Prophetam יזיר לא dicitur pro ישבר. quare ſenſus eſt arundinem aliquatenus jam fractam non ultra franget; id vero eſt, Non præcipitabit in ruinam imbecillitate aliqua lapſos, quales ad iſtum diem videri poterant Phariſæorum plerique, imo contra τὸ συντετριμμένον καταδήσει [*quod confractum erit alligabit*], ut eſt apud Ezechiel. xxxiv, 16. ¶ τυφόμενον, *fumigans*] Ita habent & quædam exemplaria Lxx interpretum, neque aliter citat Juſtinus, quanquam in aliis eſt καπνιζόμενον ſenſu eodem. Verbum Hebræum ſignificat *id quod prope eſt ut exſtinguatur*, qualia ſunt ellychnia in quibus fumus aliquod flammæ veſtigium refert, quæ proinde facilius flammam ad ſe rapiunt quam ſi plane refrixiſſent: τὸ ἀλλαγορούμενον [*id quod occulte innuitur*] apparet idem eſſe quod in membro ſuperiore. Philo De Coloniis, σπινθὴρ γὰρ ἢ ὁ βραχύτατος ἐπιφύσημα, ὅταν καταπνεύσεις ζωπυρηθῇ μεγάλῳ ἐξαφθῇ πυρί· [*ſcintilla enim quamvis minima ubi flando excitata eſt, magnum accendit ignem*]. ¶ ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν. *donec ejiciat ad victoriam judicium*] Non aſſentior Hieronymo ſuſpicanti omiſſum hic aliquid exſcribentium vitio. Sed verba ποιητικῶς πλεοναζοντα [*Poetico more exuberantia*] omiſit Matthæus. Nam quod in Hebræo interjicitur יכהה ולא יריץ [*non caligabit, nec frangetur*] nihil aliud ſignificat quam, Non exſtinguetur, ſcilicet ipſius opera, ellychnium amplius quam exſtinctum eſt; neque frangetur, ſcilicet arundo amplius quam fracta eſt. Sunt enim voces repetitæ ex priori commate; unde apparet verum eſſe quod diximus voces ibi poſitas non ἀντιθετικῶς [*oppoſiti*] ſuapte vi, ſed ex eo quod ſenſus exigit. Nam quæ ibi voces uſurpatæ ſunt de imperfecta fractione atque exſtinctione, hic de perfecta uſurpantur. At Lxx interpretes quaſi non de arundine atque ellychnio ſed de ipſo Dei ſervo ageretur tranſtulerunt ἀναλάμψει καὶ οὐ θραυσθήσεται [*ſplendebit & non frangetur*], putantes *non caligabit* dictum eſſe κατὰ λιτότητα [*per extenuationem*] pro *ſplendebit*: unde emendanda eſt ſcriptura Juſtini Martyris, apud quem bis poſitum eſt ἀναλήψει pro ἀναλάμψει, etiam diſtinctione vitioſa. Sed & quod bis dixerat Eſaias, *ad veritatem judicium educet*, & *donec ponat in terra judicium*, recte contraxit Matthæus, & *donec* retinuit ex poſteriori membro, ex priori autem id poſuit quod Græcus interpres tranſtulit εἰς νῖκος [*ad victoriam*], ſenſum pleniſſime exprimens; quod malo quam ambiguitate vocabuli Syriaci lapſum dicere Interpretem. Quod Septuaginta verterant εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν (ita ex Juſtino emendanda verſio Lxx, in qua male legitur εἰς ἀλήθειᾳ) [*in veritatem efferet judicium*] interpres noſter eadem plane ſententia dixit, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν [*donec ejiciat ad victoriam judicium*]: imo & Juſtinus citat altero loco ἕως ἂν νῖκος ἐξοίσῃ [*donec victoriam reportet*], itidem ſenſum exprimens, non verba annumerans. בתו ſive κρίσιν [*judicium*] hoc loco aliter quam ſupra interpretor, pro *cauſa quæ in diſceptationem vocatur*, receptiſſima ſignificatione. Ergo κρίσιν ἐκβάλλειν aut ἐκφέρειν (hæc enim nihil differunt) [*cauſam proferre*] εἰς ἀλήθειαν [*ad veritatem*], ſive εἰς νῖκος *ad victoriam*], ſive εἰς τέλος [*in finem*], ut Jobi xxiii, 7. aut etiam ἐκφέρειν νῖκος [*reportare victoriam*] is dicitur, qui juſta ſua ita manifeſta facit ut quovis judice victoriam referre poſſit. Vide Pſalm. xi, 6. Hoc autem fecit Chriſtus, cum ſumma illa lenitate ac patientia malos Judæorum mores pertulit, nihilque operæ pepercit eis ad meliorem frugem revocandis. Ita apud eundem Prophetam Deus referens quanta beneficia vineæ ſuæ præſtitiſſet, quantaque cum patientia probas uvas exſpectaſſet, ad judicium provocat cap. v, commate 3, qui locus mire huic explicando facit.

21. Καὶ ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι· *Et in nomine ejus Gentes ſperabunt*] Optime cum præcedentibus cohæret. merito enim fiduciam Gentes collocant in ejus bonitate qui Judæos immorigeros tanta lenitate pertulit. איים, quod in Hebræo eſt, non ſemper *inſulas*, ſed ſæpe *regiones* quaſvis ſignificat, ut Geneſ. x, 5. Recte igitur & Lxx & noſter interpres ſenſum reddiderunt voce ἐθνῶν [*Gentium*]. Iidem יחיל ἐλπιοῦσι [*ſperabunt* ſive *exſpectabunt*] optime: nam ita & alibi exponunt tum Lxx tum Hebræi. Quod autem pro לשמו [*in lege eius*] apud Lxx viros habemus ἐπὶ τῷ ὀνόματι, nullum eſt exſcriptorum vitium: nam & Juſtinus bis ita citat: & noſter hic, qui toto hoc loco Lxx non eſt ſecutus, itidem reddit ἐν τῷ ὀνόματι aut τῷ ὀνόματι [*in nomine*], ut quidam habent codices. Nimirum שם Hebræis frequenter ſignificat id quod ipſi alias זכר, Græci elegantiores dicunt ἄρρεν [*maſculum*], Helleniſtæ autem idem vocant ὄνομα, quia moris eſt ſectatores ab inſtituti ſui auctore nominari. Ita Paulus negat ſe quenquam *in ſuo nomine baptizaſſe*, indicans nullius ſe novi inſtituti eſſe auctorem. Putarunt igitur Lxx, qui locum hunc de populo Iſraelitico inter pretabantur, hoc velle Prophetam, Exteras gentes fiduciam collocaturas in profeſſione Judaiſmi; cum ſenſus, certe ὁ μυστικώτερος, ſit, ut Matthæus & res ipſa nos docet, id ipſum facturas Gentes in profeſſione Chriſtianiſmi, qui in ſe Judaiſmi perfectionem continet.

23. Μήτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς Δαβίδ; *Numquid hic eſt filius David*] Ob miracula cum quibus venturum Meſſiam populus exſpectabat. Quid enim juſtius quam eum qui Princeps futurus erat Prophetarum, etiam miraculorum magnitudine anteire Prophetas cæteros? ut mira ſit Judæorum cæcitas qui nunc contra veteres auctores omnes Meſſiam negant miracula facturum.

24. οὐ μὴ ἐν τῷ Βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων· *niſi in Beelzebub principe dæmoniorum*] Inter impuros ſpiritus unum eſſe qui præſideat, & Judæorum & Apoſtolorum ſcripta nos docent. Is eſt ἄρχων τοῦ κόσμου [*princeps mundi*], Johan. xii, 31. xiv, 30. xvi, 11. ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου [*princeps hujus ſeculi*], 1 Corinthiorum ii, 6, 8. ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος [*princeps poteſtatis aeris*], Epheſ. ii, 2. Hic cur *Beelzebub* à Judæis diceretur ſupra attigimus. Solebant autem incantatores ubi omnia tentando nihil proficerent, poſtremo adverſus dæmones uti vi ac poteſtate illius dæmonum principis, cujus etiam arcanum nomen enuntiaturos ſe minabantur. Apud Lucanum Erichtho,

——— ——— *An ille*
Compellandus eris quo nunquam terra vocato
Non excuſſa tremit, qui Gorgona cernit apertam,
Verberibuſque ſuis trepidam caſtigat Erinnyn,
Inde ſpecta tenet vobis qui Tartara, cujus
Vos eſtis ſuperi, Stygias qui pejerat undas?

Tireſias apud Papinium:

Spernite ne, moneo, & nobis ſævire poteſtas:
Scimus enim & quicquid dici noſcique timetis,
Et turbare Hecaten, ni te, Thymbraee, vererer,
Et triplicis mundi ſummum quem ſcire nefaſtum eſt
Illum, ſed taceo.

Porphyrius hunc principem dæmonum, τὸν μεσιτεύοντα (ut ipſe loquitur) τῶν κακοδαιμόνων δυνάμεων [*poteſtatem malis dæmonibus præſidentem*], vult dici *Serapin*; cujus hæc ſunt verba, Τὰς ὑπὸ πονηροὺς δαίμονας οὐκ εἰκῇ οὐδὲ ἀπὸ τοῦ Σαράπιδος ὑποπτεύομεν [*Malos dæmonas non fruſtra ſub Sarapide poſitos ſuſpicamur*]· & alibi, Μήπως οὖν εἰσιν οὗτοι ἐν ἄρχῃ ὁ Σάραπις καὶ τούτων σύμβολον ὁ τριπρόσωπος κύων, τοῦτ' ἔστιν ὁ ἐν ταῖς τρισὶ στοιχείοις, ὕδατι, γῇ, ἀέρι, πονηρὸς δαίμων [*An non hi ſunt quibus præeſt Sarapis, & quorum ſignum triceps canis, hoc eſt, malus dæmon in tribus elementis aqua, terra, aëre*]. qui locus Statiana illa de *triplici mundo*, ni fallor, illuſtrat. Idem Porphyrius alio loco, quem citat Theodoretus ſermone de Angelis, Βούλονται γὰρ εἶναι θεοί, καὶ ἡ μεσιτεύουσα αὐτῶν δύναμις δοκεῖ θεὸς εἶναι μέγιστος [*Volunt enim dii eſſe, & qua præſidet eis poteſtas vult credi Deus maximus*]. Ad eundem pertinent verſus illi apud eum quem dixi Porphyrium,

Δαῖμον αἰλιτρούων ψυχῶν ἀλάστημα λελογχὼς
Ἠερίων ὑπάτοιο μυχῶν, χθονίων δ' ὑφυπερθεν.

[*Tu, qui ſceptra tenes ſcelerata in pectora, dæmon,*
Terrenos ſuper, aerios ſubterque receſſus.]

& minarum formulæ apud Iamblichum libro vi, cap. 5 & 6 & 7. Hi ſunt *ſecretarum artium ritus, quibus affantur neſcio quas poteſtates*, ut ait Arnobius.

25. Πᾶσα βασιλεία, *omne regnum*] Gnome notiſſima inter Hebræos; qualis illa Saluſtiana, *Concordia res parva creſcunt, diſcordia maxime dilabuntur.* Cicero ferme ipſa verba poſuit. Ita enim ait De amicitia, *Quæ domus tam ſtabilis, quæ tam firma civitas eſt, quæ non odiis atque diſſidiis funditus poſſit everti?* Nec longe abſcedit illud Sophocleum,

Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν·
Αὕτη πόλεις τ' ὄλλυσιν, ἥδ' ἀνάστατους
Οἴκους τίθησιν.

[*Nam nulla major peſtis imparentia eſt:*
Hæc & domos evertit & totas ſimul
Peſſundat urbes.]

Eſt autem hoc argumentum Chriſti validiſſimum ad id conficiendum quod vult, nempe ad evertendam ὑπόθεσιν [*ſuppoſitionem*] illam quam à Magis Phariſæi mutuabantur, dæmones ſcilicet vi aliorum dæmonum coactos aliqua facere: quod & Porphyrius probabat hoc oraculo Hecates,

Ἥλυθον εἰσάιων πᾶς πολυφραδέων δίκης,
Ἴδε θυητῶν φύσις οἵη θεῶν ἀπρονοησίαν.
[*Adveniō precibus ſapientibus indigetata,*
Quas genus humanum monita reperere deorum.]

Et iſto,

Τίπτε μ' ἀεὶ θείαντ' ἀπ' αἰθέρ' ὦδε χαπίζων
Θεσσαλικὸς Ἐκάτιλω με θεὸν ἐπέδησας ἀναγκῃ.
[*Cujus egens Hecaten me ſummo ex æthere tractam*
Carmine vinxiſti, ſuperos cui cogere fas eſt.]

Clemens Alexandrinus, Μάγοι δὲ ἤδη ἀσεβείας τὸ σφῶν αὐτῶν ὑπηρέτας δαίμονας αὐχοῦσιν, οἰκείους αὑτοὺς ἰδίοις καταχρήσασθαι τοῖς, τοὺς καταναγκασμοῖς δοῦλους τῆς ἐπῳδῆς πεποιηκότες [*Magi vero jactant ſua impietatis miniſtros eſſe dæmonas, eos ſibi famulos adſcribentes, nempe quòd incantamentis ſuis eos ſibi ſervire coegerint*]. Hoc ita convellit Chriſtus: Sapere dæmonas conſtat; at qui ſapiunt hoc agunt ut res ſuas ſtabiliant, quod niſi concordiâ fieri non poteſt; Non diſſident igitur dæmones, quod tamen neceſſe eſſet ſi alter alterum cogeret, ut vos populo perſuaſum vultis. Quare notanda ἔμφασις [*efficax locutio*] in voce ἐκβάλλει [*ejicit*]. ¶ οὐ στήσεται, *non ſtabit*] לא יקום [*non durabit*].

26. ἐφ' ἑαυτὸν ἐμερίσθη, *adverſus ſe diviſus eſt*] Nimirum ἡ σατανᾶς, id eſt, univerſitas Satanica. Vide Marcum.

27. οἱ υἱοὶ ὑμῶν, *filii veſtri*] Non Apoſtoli, qui à Phariſæis unà cum Chriſto accuſabantur, ſed populares Phariſæorum atque diſcipuli: neque inter eos illi qui herbis, ſuffitibus & vinculis adverſùs dæmonas utebantur (quod non erat inſtituum originè Judaicum atque à Solomone deductum, quod vult Joſephus, ſed à Gentibus deſumtum, ut rectè docet Tryphonem Juſtinus), ſed ii qui dæmonas ejiciebant non quidem ipſius *Jeſu* nomine, quod tum nemo faciebat præter eos qui Jeſum ſectabantur, ſed invocantes *Deum Abrahami*, *Deum Iſaaci*, *Deum Jacobi*. Nam has fuiſſe ſolennes carminis formulas, quas à Solomone manaſſe non negaverim, diſertè prodiderunt non Judæi tantùm ſed & Chriſtiani Scriptores, quorum teſtimonia ad lucem huic loco afferendam producere erit operæ pretium. Juſtinus adverſùs Tryphonem diſputans, Εἰ δὲ ἦν κἂν παντὸς ὀνόματος τοῦ πρὸς ὑμῶν γεγενημένου ἢ βασιλέως ἢ δικαίου, ἢ προφητῶν, ἢ πατριαρχῶν ἐξορκίζητε ὑμεῖς, οὐκ ἂν πταίοντες ἦσαν τοῦ δαιμονίου· αὐτὸ τοῦτο ἐξορκίζοντες ὑμῶν τις ἢ ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ καὶ Θεὸς Ἰσαὰκ καὶ Θεὸς Ἰακώβ, ἴσως ὑποτάσσεται [*Si exorcizetis per nomen cujuſvis Regis aut viri juſti aut Prophetæ, eorum qui apud vos fuere, nullus dæmonum ei obediet; at ſiquis exorcizet per Deum Abraham & Deum Iſaac & Deum Jacob, credo, obediet*]. Irenæus lib. II, cap. V. *Altiſſimi & Omnipotentis appellationi omnia ſubjecta ſunt: & hujus invocatione etiam ante adventum Domini noſtri ſalvabantur homines & à ſpiritibus nequiſſimis & à dæmoniis univerſis.* Mox, *Et propter hoc Judæi uſque nunc hac ipſa advocatione dæmonas effugant, quando omnia timent invocationem ejus qui fecit ea.* Tertullianus hiſtoriam quæ nunc eſt præ manibus ex Lucæ Euangelio tractans adverſùs Marcionem. *Si ego, inquit, in Beelzebule ejicio dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt? Hac voce quid magis portendis quàm in eo ejicere ſe in quo & filii eorum? In virtute ſcilicet Creatoris. Nam ſi putas ſic accipiendum, Si ego in Beelzebule ejicio dæmonia, filii veſtri in quo? quaſi ille fugillaret in Beelzebule ejicientes, reſiſtet tibi prior ſenſus, Non poſſe Satanam dividi adverſus ſeipſum. Adeò nec illis in Beelzebule ejiciebant, ſed, ut diximus, in virtute Creatoris.* Theophilus adverſùs Nationes, Καὶ μέχρι ἤδη τῆς δεῦρο ἐξορκίζουσι τῷ ὀνόματι τοῦ ὄντος Θεοῦ, ἃ ὁμολογεῖ αὐτοῖς τὰ πονηρὰ πνεύματα εἶναι δαίμονες [*Et ad hunc uſque diem exorcizantur per nomen Dei qui eſt, & fatentur impuri ſpiritus ſe eſſe dæmones*]. Ubi quod dicit τοῦ ὄντος [*ejus qui eſt*] haud dubiè eſt nomen τετραγράμματον [*quadriliterum*], quod & Philo & alii eo modo interpretantur. Origenes autem oſtendit recitatione eorum quæ dixi nominum ſuo ævo non Judæos tantùm ſed & Ægyptios in exorciſmis uſos. Primo adverſùs Celſum, τῷ δὲ Ἀβραὰμ τὸ ὄνομα ἡ Μωϋσῆς ἀναγεγραφὼς μόνος οἶκοθεν αὐτὸν Θεῷ, ἀλλὰ καὶ ἡ πολλοὶ τῶν ἐπᾳδόντων δαίμονας χρῶν) ἐν τοῖς λόγοις αὐτῶν τοῖς, Ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, σαφῶς μὲν λέγει τὸ ὄνομα ἡ ἢ σοφὸς τὸ δίκαιον τοῦ Θεοῦ οἰκειότητι, διὸ προσλαμβάνεται τοῦτο, Θεὸς Ἀβραὰμ, λέγων, οὐκ ἀποκρύπτει ἥτις ἐστὶν ὁ Ἀβραάμ· τὸ δ' αὐτὸ λεκτέον καὶ ἐπὶ τοῦ Ἰσαὰκ καὶ ἐπὶ τοῦ Ἰακώβ καὶ ἐπὶ τοῦ Ἰσραήλ, ἅπερ ὁμολογούμενόν ἐστι τοῖς ὀνόμασι, πολλαχοῦ τῶν λογισθέντων ἐναγωνίων τινὰ ἐπιτηρεῖσθαι μαθήμασι [*Non ſolus Moſes nomen Abrahami ſcripſit ut Deo amici, ſed & multi qui dæmonas incantant in verbis ſuis utuntur illo*, Deus Abrahami, *efficientes quidem per hoc nomen & Dei cum illo viro juſto amicitiam ideipſum propter quod iſtam dictionem*, Deus Abraham, *uſurpant, ut ignorantes ipſi quis ſit Abraham. Idem dicendum de Iſaaco & Jacobo & de Iſraele, quæ cùm extra controverſiam Hebraica ſint nomina, ſæpe inſerta reperiuntur Ægyptiorum diſciplinis efficaciam quandam promittentibus*]. Libro IV. αὐτὸς δ' ὅτι ἡρτιλογοῦνται Ἰουδαῖοι ἀπὸ τῶν πατέρων, τοῦ Ἀβραὰμ καὶ τοῦ Ἰσαὰκ καὶ τοῦ Ἰακώβ, ὧν ποιοῦνται διπλᾶς τὰ ὀνόματα σωματικὸν μὲν τῷ τοῦ Θεοῦ προσηγορίᾳ, ὡς ἂν μόνον τῆς ἀπὸ τοῦ ἔθνους χρῆσθαι ἐν τοῖς θείοις δικαίοις καὶ ἐν τοῖς κατεπᾴδουσι δαίμοσιν, ὑπὸ γὰρ σχεδὸν καὶ πάντες τοὺς τοῦ ἐπῳδῶν καὶ μαγγάνων πραγματευόμενοι συνίστασθαι γὰρ ἐν τοῖς μαγικοῖς συγγράμμασι πολλαχοῦ καὶ τοιαύτη τοῦ Θεοῦ ἐπίκλησις [*Conſtat originem ſuam recenſere Judæos ad Abrahamum, Iſaacum & Jacobum, quorum nomina addita ad nomen Dei tantum valent ut non tantum ab Judæis uſurpentur in precibus ad Deum & in dæmonum adjurationibus, ſed etiam ab aliis ferme omnibus qui incantamenta & res magicas exercent. Reperitur enim in magicis libris multis in locis illa Dei cognominatio*]. Ejus quod Origenes hîc dicit veſtigium me deprehendere memini in Luctatio Papinii interprete. Idem Origenes libro IV. non iſta tantùm nomina *Dei Abrahami*, *Iſaac* & *Jacob*, ſed & *Zebaoth* & *Adonai* uſurpata ait ad fugandos dæmonas. *Aſſyriorum nominum* meminit & Jamblichus lib. VII, cap. 4. De myſteriis. Per Aſſyria autem intelligit Hebraica: quomodo & Themiſtius illud, *Cor Regis in manu Dei*, dicit eſſe *ex libris Aſſyriis*. Photius ex Iſidoro, ὡς δ' οὐκ ἐπείθετο τὸ δαιμόνιον τῇ γυναικὸς ἐξελθεῖν λόγοις ἡμερωτέροις, ἔρχω αὐτὸ ἠνάγκαζεν ὁ Θεοσέβιος, καίτοι οὐδὲ μαγικαῖς οὐδὲ θεουργίαις μελέτησας· ὥρκιζε τοὺς δ' ἁλίου ἀκτῖνας καὶ τὸν Ἑβραίων Θεόν [*cùm autem non obediret verbis lenioribus dæmonium ut exiret à muliere, Theoſebius adjurando id exterſit, quanquam nec magicas nec theurgicas exercuerat artes. Adjurabat autem per Solis radios ac Deum Hebræorum*]. A dæmonibus ad morbos quoque mos tranſiit. Marcellus Empiricus in Corci dolore, *In nomine Dei Jacob, in nomine Dei Sabaoth.* Alexander Trallianus contra Podagram, Ὀρκίζω σε τὸ ὄνομα τὸ μέγα Ἰαὼθ (lege Ἰάω) Σαβαὼθ [*Adjuro te per nomen magnum Iao Sabaoth*]. Vide & Nicephorum in Syneſii librum De ſomniis. Ejuſmodi ergo exorciſmi eventum ſæpe ſuum habuerunt; non quòd vis ulla in ſyllabarum pronuntiatione eſſet ſita, ſed quòd verus Deus illis potiſſimùm nominibus noſci appellarique vellet, atque ideo vim ſuam tum demum exſereret cùm apertiſſima locutione conſtaret ipſum, non aliquem Gentilium deorum, eſſe invocatum. Eſt autem ſecundum hoc Chriſti argumentum tale, In pari cauſa par judicium fieri oportet; Creditis vos diſcipulos veſtros dæmonia ejicere vi Divina; Cur de me idem non creditis. Si illi gloriam operis ad Deum veſtrum referunt, idem ego facio. ¶ ὑμῶν ἔσονται κριταί, *veſtri erunt judices*] Hoc eſt, ipſorum factum ſufficiet vobis convincendis atque condemnandis; ut infrà 42 & 43.

28. ἐν πνεύματι Θεοῦ, *in ſpiritu Dei*] Paſſim Sacra Scriptura Spiritui tribuit τὸ ἐνεργητικὸν [*vim activam*]. Hinc idem Spiritus vocatur δυνάμις ὑψίστου [*virtus Altiſſimi*], & hoc loco apud Lucam, Moſis exemplo, *digitus Dei*. ¶ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. *Regnum Dei*] Danielis II, 44. VII, 14. Ita vocatur tempus Meſſiæ. Quomodo autem ſequitur, ſi iſta dæmonum ejectio fiebat Divina virtute, tempus illud adveniſſe? Quia Jeſus expreſſè iſta faciebat ac ſe facere prædicabat ut ſe à Deo vero miſſum probaret; quod providentia Divina nunquam permiſiſſet niſi res ipſa vera fuiſſet cui teſtandæ miracula adhibebantur, ut ex eo apparet quod legimus Deuteronomii XVII. ſigna facienti non eſſe credendum ſi populum perducere conetur ad cultum falſorum deorum, quia ſcilicet Deus poſt tot tamque eximia ſigna in conſpectu populi patrata, tam certum atque exploratum fecerat omnibus ſe eſſe verum atque unicum Deum ut nullis prodigiis inducti ab ea fide deberent diſcedere: ex qua exceptione rectè Judæi regulam colligunt, Ei qui miracula faciat credendum ſi non ſit auctor cultûs idolorum. Nam niſi in Lege ſua certam aliquam normam judicandi de miraculis Deus ſtatuiſſet, inania fuiſſent omnia illa oſtenta quibus Prophetæ miſſionem ſuam confirmabant. Sicut autem multa ac magna miracula à Moſe edita per Dei digitum, ſignum erant inſtantis liberationis ex Ægypto, ita Jeſu miracula plura ac majora ſignificabant eam liberationem inſtare quæ prioris illius beneficii memoriam eſſet obumbratura. Vide Pſalmum CXLVI, verſ. 7. 8.

29. Ἢ πῶς δύναται, *Aut quomodo poteſt*] Tertium Chriſti argumentum quod non ut priora certis duntaxat hominibus refellendis inſervit, ſed rem ipſam planè conficit, Qui ſummum rebus alterius diſpendium affert, is oſtendit ſe cum eo non colludere, ſed hoſtem eſſe ejus atque adeò victorem; Hoc autem ego facio: doctrina enim mea homines à vitiis, in quibus ſita eſt diaboli potentia, ad veram vitæ ſanctimoniam perducit. ¶ τὸν ἰσχυρὸν, *fortis*] Eſaiæ XLIX, 24. Vide Johan. XVI, 11.

30. *ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ κατ' ἐμοῦ ἐστ' qui non eſt mecum, contra me eſt*] Proverbium Judaicum in utramque partem uſurpatum: nam & dici ſolebat, *Qui non eſt contra vos pro vobis eſt*, Lucæ IX, 50. Sic Pythagorici modo dicebant, Ἀτρίβῃ βάδιζε [*Incede via publica*], modo, Ἀτρίβῃ μὴ βάδιζε [*Ne incedas via publica*]. & in Gnomis Solomonis, *Reſpondeas ſtulto*, &, *Ne reſpondeas ſtulto*, quæ omnia veritatem ſuam habent pro materia cui aptantur. Videtur autem mihi proverbium iſtud hoc loco à minori ad majus hoc modo procedere, Si in bello internecino, quale eſt inter Dei ſervos & dæmonas, nemini licet neutrarum eſſe partium, ſed medii pro hoſtibus habentur, quanto magis ego hoſtis cenſendus ſum diaboli, qui non modo illi non proſum, ſed obſum quam maxime? Neque contra hanc interpretationem movere quenquam debet quod de ſe loqui videtur Chriſtus. id enim non eſt neceſſarium, cum in ſententiis ejuſmodi modo primæ, modo ſecundæ, modo tertiæ perſonæ pronomina uſurpentur ἀορίστως, pro quovis homine: quod ad multorum locorum interpretationem memoria tenendum eſt. Tale eſt quod infra notabimus XXVI, 31. Nec diſſimile illud apud Virgilium,

Neve tibi ad Solem pergant vineta cadentem.
Nec mihi tum molles ſub divo carpere ſomnos,
Neu dorſo nemoris libeat jacuiſſe per herbas.

Non enim (ut Quintilianus explicat) *neſcio cui alii prius, nec poſtea ſibi uni, ſed omnibus præcipit.* ¶ *ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ σκορπίζει. & qui non congregat mecum ſpargit*] Non diſſimile eſt illud apud Quintilianum VIII, 6. *Obſtat quicquid non adjuvat.*

31. *Διὰ τοῦτο, ideo*] Referendum eſt hoc ad totam orationem quæ præceſſit, hoc modo, Cum tam manifeſtis rationibus conſtet quæ facio non dæmonum ſed Dei virtute fieri, videte quam gravem in vos pœnam accerſatis cum dicitis iſta vi dæmonum effici. Hanc connexionem docet nos Marcus III, 30. Neque tamen ſolis argumentis ſuis confiſus hoc Chriſtus dicebat, ſed ſimul, ut modo dixerat Matthæus, *εἰδὼς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν* [*ſciens cogitationes eorum*]. Videbat nimirum mentium Inſpector agnoſcere ipſos virtutem vere Divinam, ſed quidvis potius comminiſci quam ut plebem paterentur à ſuo magiſterio ad Chriſtum tranſire. ¶ *πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus*] Cum apertiſſimum ſit non hoc dicere Chriſtum, Omnia alia peccata condonatum iri (quam multa enim ſunt quæ non condonantur!) notandus omnino hic eſt Hebraiſmus qualem obſervavimus ſupra ad caput V. in illis verbis Lucæ, *ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι* [*Cælum & Terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*] quod alibi idem Lucas ita extulit, *εὐκοπώτερόν ἐστι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν ἢ τὸν νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν* [*Facilius autem eſt cælum & terram perire quam de Lege unum apicem cadere*]. Et ita ſæpiſſime Hebræi dicunt, *Hoc fiet & iſtud non fiet*, non quod prius membrum affirment, ſed quod oſtendere velint quod poſterius ponitur multo eſſe difficilius: quomodo Latini dicunt,

Ante peregrati amborum finibus exſul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrin.

Senſus ergo eſt, Facilius eſt quicquid criminum unquam patrari poterit, atque adeo calumnias etiam omnes, quæ in criminibus primum facile locum obtinent, remitti quam ut remittatur ea calumnia quæ adverſus Spiritum Dei committitur. Vide ſimilem comparationem I Sam. II, 25.

32. *κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, contra filium hominis*] Quod ſupra ad comma 8. obſervavimus, idem hic obſervandum puto per *υἱὸν ἀνθρώπου* [*filium hominis*], quamvis addito articulo, non hic Chriſtum ſolum intelligi, ſed hominem quemvis, ne Chriſto quidem excepto. Eſt enim ſæpe articulus ſignum generalitatis, ut *ὁ ἐθνικὸς* [*Ethnicus*] infra XVIII, 17. *τῷ ἱερεῖ* [*Sacerdoti*], Marci I, 44. Qua de re dicemus & ad Apocalypſin XIII, 15. Senſus eſt, Scitis grave eſſe crimen innocentem hominem calumniari; nam Lege Moſis in id crimen tanquam graviſſimum capitis pœna eſt conſtituta: Cogitate ergo quanto gravius ſit Dei ipſius opera calumniis oppugnare, peccare רם ביד *manu elata*: quod exponitur *Deum probris afficere*, Numeror. XIV, 29. ut Core cum ſuis. Illuſtrat hunc locum illud in Actis Apoſtolicis V, 4. ubi quam gravis ſit culpa Ananiæ ſimili oppoſitione à Petro oſtenditur, *οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις ἀλλὰ τῷ Θεῷ* [*non es mentitus hominibus, ſed Deo*]: ante autem dixerat Petrus propoſitum fuiſſe Ananiæ *ψεύσασθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον* [*mentiri Spiritui ſancto*]: Sicut ergo ille *ἐνεργούμενος* [*valde proprie*] dicitur *Deo mentiri* qui præſentem Spiritum Dei non reveretur, ita ille jam non hominem ſed Deum calumniatur, qui cum intra ſe Dei opera agnoſcat tamen perſtat in calumnia. Quantum autem hoc ſit crimen quantoque aliis omnibus antiſtet, tribus comparationibus intelligi poteſt: Primum iſto Ananiæ exemplo, qui avaritia tentatus, ut diximus, præſentem in Apoſtolis Dei Spiritum non reverebatur; Deinde exemplo Simonis Magi, qui cum donum Spiritus ſancti nundinationis propoſito dehoneſtaſſet, audiit à Petro, *Pecunia tua tibi in perniciem ſit, quia donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſe comparari.* & poſtea, *Pœnitentiam age hujus malitiæ, & Deum precare, ſi forte condonetur tibi cogitatio cordis tui.* Ecce tanti pendit hanc culpam Petrus ut de venia pene deſperet. Tertium exemplum eſto Pharaonis, quod hic reſpici à Chriſto ex Luca, qui ipſa, ut diximus, Moſis verba uſurpat, manifeſtum eſt. *Quamvis*, inquit Moſes, *magi dicerent Pharaoni, Digitum Dei ibi eſſe, tamen Pharaonis cor ſemet obſtinavit.* poſt quod tempus Deus ita mentem ademit Pharaoni ut nullis oſtentis monitus reſipiſceret, ſed præceps ferretur in ruinam. Ita *οἱ ἐνυβρίζοντες τὸ Πνεῦμα τῆς χάριτος* [*qui contumeliam faciunt Spiritui gratiæ*], ut loquitur divinus ad Hebræos Scriptor, verba Moſis imitans Numerorum XV, 30. *incidunt in manus Dei viventis:* qui & alibi ita argumentatur, Si contumacia adverſus præcepta per Angelos data tantis ſuppliciis compenſata eſt, quid æquum eſt eos exſpectare qui hanc ſalutem neglexerint quæ à Deo per tot ſigna atque oſtenta teſtimonium accepit? At nulla ὕβρις [*contumelia*] eſſe poteſt gravior quam quæ contemtui calumniam adjungit, qualis erat hæc Phariſæorum. ¶ *ἀφεθήσεται αὐτῷ, remittetur ei*] Facilius, ut jam diximus. ¶ *οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι neque in hoc ſeculo, neque in futuro*] Simplex eſt Chryſoſtomi expoſitio κατ' ἐπίτασιν [*per extenuationem*], *punietur graviter & in hoc & in futuro ſeculo:* cui firmandæ facit quod ſic loqui ſolebant Judæi. Nam in Miſnaoth legimus נפטרין מן העולם הזה ואין לו חלק לעולם הבא [*Ultio de tali fiet in hoc ſeculo, & non fiet ei remiſſio in ſeculo futuro*]. Et Eleazarus in Epitome Jaſonis Cyrenæi, *Si*, inquit, *tranſeam εἰς ἀλλοφυλισμὸν* [*ad ſacra Gentium*], *Omnipotentis manus non effugiam, neque vivus neque mortuus*, II Maccabæorum VI, 26. Nec aliter Maimonides in Regulis Pœnitentiæ capite VI. *Quoſdam*, ait, *peccatores eſſe de quibus pœna exigatur & in hoc ſeculo & in futuro.* Videtur tamen Chriſtus de induſtria utrumque ſeculum nominaſſe, ut Judæis auferret eam qua ſibi blandiebantur adverſus graviſſima delicta perſuaſionem. Exiſtimabant enim peccata commiſſa ab his qui in Judaiſmi profeſſione perſeverarent remitti aut per meram pœnitentiam, ut quæ admitterentur contra præcepta jubentia; aut in die ſolenni Reconciliationis, ut quæ admitterentur contra pleraque præceptà venantia; aut per hujus vitæ caſtigationes, ut quæ mortis aut excidii pœnam adjunctam habent; aut ſaltem poſt mortem, ſive ſtatim ſive poſt temporis alicujus moras, ut quæ cum contemtu facta eſſent Divini numinis. Hinc illa precatio morientium, *Sit mors mea remiſſio peccatorum meorum omnium.* Hinc illa precandi formula pro mortuo quam קרף [*ſanctificationem*] vocant; hinc Thalmudicum illud enuntiatum, *Omnis Iſraelita partem habet ſeculi futuri.* Contra ergo Chriſtus docet, ea peccata quæ gravem Dei contemtum continent & hic & in poſterum ſine fine modoque plectenda. In Clementis Conſtitutionibus libro VI, cap. 18. *Οἱ βλασφημήσαντες τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἢ ἐκπεπτώκασιν ἢ παρ' αὐτῷ δοκοῦσι μὴ τὴν χάριν, εἰς οὐκ ἀφεθήσεσθαι ἔτι ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ἔτι ἐν τῷ μέλλοντι* [*Qui blaſphemarunt Spiritum gratiæ, & poſt acceptam gratiam donum ejus deſtruunt, hi non contingit remiſſio neque in hoc ſeculo neque in futuro*]. Confer loca Apocalypſeos XIV, 10, 11. & XX, 10. Tertullianus libro De Pudicitia blaſphemiam vocat *crimen & in hoc & in futuro ſeculo irremiſſibile.* Quod jam indicavimus creditum à Judæis pleriſque eos qui gravibus morbis aut aliis incommodis in hac vita premerentur liberari à pœnis vitæ alterius, ejus opinionis multa exſtant in Hebræorum ſcriptis & proverbiis hodieque manentibus veſtigia. Origenes citans locum III Regum II. de Joabo, ſed in quo perperam legit καταξεις [*deduces*] pro οὐ καταξεις [*non deduces*], adfert hoc ab Hebræo homine temere dictum, quod ipſe nimia facilitate arripuit, Δῆλον ὅτι, οὐκ ἐκ τοῦ Ἑβραίου ἡμῖν ἀπήγγελται, τὸ δίκῃ ἢ κολασθῆναι αὐτὸν ἐν εἰρήνῃ κοιμηθήσεσθαι, οὐκ ἐπ' ὀφειλομένῃ αὐτῷ κολάσει καὶ βασάνῳ, ἀλλ' ἐκεῖθεν ἤδη ἀπηλλοφίωται αὐτὸν, μὴ τὴν ἐντεῦθεν ἀπαλλαγήν [*Apparet autem, ut & Hebræus quidem nobis ſignificavit, illum quia punitus eſt ideo in pace dormiſſe, nulla amplius pœna aut tormento ei debito poſtquam hinc exceſſit, quod jam pœnam pertuliſſet*]. Antiquiorem autem Chriſti temporibus eſſe perſuaſionem de peccatis quibuſdam poſt mortem remittendis apertiſſimum eſt ex eo quem dixi Jaſone Cyrenæo, qui oblata narrat ſacrificia *περὶ ἁμαρτίας*

τῶν παραπεπωκότων [*pro peccatis eorum qui ante lapſi erant*]. De Eccleſiæ Chriſtianæ judicio hic agi plane perſuadere mihi non poſſum: ita enim locutum credo Dominum noſtrum quomodo loquentem ſe ſciebat optime à Judæis intelligi.

33. Ἢ ποιήσατε, *Aut facite*] Ita & Latini dicunt *fac*, pro quo Græci dicerent θὲς [*pone*]. Veriſſima autem eſt Chriſti ſententia, ex actibus aut perpetuis aut frequentioribus ac diuturnis de animi qualitate judicium fieri debere: qua de re egimus ad cap. VII. Opera Chriſti omnia plena erant beneficentiæ, doctrina omnis ad pietatem ſpectabat; quæ igitur cauſa ſequius de ipſo aliquid ſuſpicandi? ¶ σαπρὸν, *malum: putre*] רע Hebræis, בישא Syris. Ita illi quicquid malum eſt vocant; quæ locutio & infra XIII, 48.

34. πῶς δύνασθε, *quomodo poteſtis*] A vobis, inquit Chriſtus, documentum ſumite quam vera ſit illa ſententia. Nam cum intus mali ſitis, videmus etiam mala eſſe quæ profamini. neque aliter fieri poteſt: Nam quantumvis diſſimulatum ingenium facillime proſilit. Non agit hic Chriſtus de communi hominum imbecillitate, ſed de graviſſimis vitiis Odii, Invidiæ atque Arrogantiæ, quæ Phariſæi ſua ſponte contraxerant. Et pro ſubjectæ materiæ ratione τὸ δύνασθαι [*poſſe*] intelligendum non κατὰ τὴν φυσικὴν ἀνάγκην [*ſecundum rigorem naturalem*] ſed κατὰ τὴν ἠθικὴν παλαιότητα [*ſecundum moralem laxitudinem*], & ἀγαθὰ λαλεῖν [*bona loqui*] non de uno aut altero actu, ſed de eo quod πολλάκις [*plerumque*] accidit, quod etiam ſubjecta ratio apertiſſime oſtendit. Sic Jerem. XIII, 23. 1 Corinth. II, 14. Johan. VIII, 43. & XII, 39. Vide quæ ad Marcum VI, 5. ¶ ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ· *ex abundantia enim cordis os loquitur*] Sicut ventriculus quod in ſe abundat evomit, ita & cor. περίσσευμα καρδίας [*abundantiam cordis*] & poſtea θησαυρὸν [*theſaurum*] vocat ἕξιν [*affectionem inolitam*] ipſam: & quod de operibus in univerſum dixerat hic ad ſermones aptat. Idem dicit Menander,

Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

[*Ingenium cuique quale ſit, ſermo indicat.*]

Et Ariſtides, Οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτος καὶ ὁ λόγος [*Quale ingenium, talis ſermo.*] Quintilianus lib. XI, 1. *Profert enim mores plerumque oratio, & animi ſecreta detegit. Nec ſine cauſa Græci prodiderunt, Ut vivat quemque etiam diſcere.*

36. ῥῆμα ἀργὸν, *verbum otioſum*] Κενὸν λόγον, ut Paulus loquitur Epheſ. V. 6. Latine *ſermonem vanum* dixerim. Puto autem non eum ſermonem hic notari qui quoquo modo ſit inutilis, ſed eum qui veri ſoliditate careat; quomodo רשע Hebræum uſurpari ſupra diximus. Ineſt autem tacita à majori argumentatio, Si quodvis mendacium in Judicium deducetur, quanto magis calumnia? ¶ ἀποδώσουσιν περὶ αὐτοῦ λόγον, *reddent rationem*] Locutio hæc, qua & Paulus utitur Romanor. XIV, 12. tranſlata eſt à diſpenſatoribus qui ad calculum vocantur. Significat autem hoc loco *examen ſubire*; ſicut viciſſim in Jure Civili ἀνεξίτηλοι vocantur quibus remiſſum eſt onus reddendarum rationum.

37. Ἐκ γὰρ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ, *Ex verbis enim tuis juſtificaberis*] Proverbium hoc in judiciis humanis frequentatum, ad Divinum judicium, quod ſub humani judicii forma deſcribi nobis ſolet, Chriſtus refert, quaſi dicat, Etiamſi facta alia non exſtarent, ex ſolis ſermonibus facile conſtabit probi an improbi ſitis. Itaque ἢ [&] quod ſequitur vim habet disjunctivam, ut Exodi XXI, 15, 17. Num. XXX, 4, 5, 6.

38. Τότε ἀπεκρίθησάν τινες, *Tunc reſponderunt ei quidam*] Ἀποκρίνεσθαι hic ut ſæpe eſt alloqui tantum. Ideo autem addidit τινες [*quidam*], ne putarentur iidem eſſe qui Chriſtum magicæ artis accuſaverant. Nam hi non accuſantium ſed dubitantium ſpeciem præferebant. Ideo Lucas expreſſit, ἕτεροι δὲ πειράζοντες [& *alii tentantes*]. ¶ σημεῖον, *ſignum*] Solent interdum apud Helleniſtas promiſcue uſurpari σημεῖον, τέρας, δύναμις [*ſignum, prodigium, virtus*]· ſed ſæpe inter ſe diſtincta invenias σημεῖον & δύναμιν [*ſignum & virtutem*], ſæpe etiam tria iſta δύναμιν, τέρας, σημεῖον [*virtutem, prodigium, ſignum*], nempe voce σημεῖον modo laxius modo anguſtius uſurpata. Hic σημεῖον [*ſignum*] opponitur δυνάμει [*virtuti*]. Nam vis quæ in ſanandis hominibus expellendiſque dæmonibus oſtenditur, proprie & ſtricte vocatur δύναμις [*virtus*]. Hujusgeneris prodigia cum ſatis multa eſſent à Chriſto edita, iis tamen ſatisfieri ſibi Phariſæi iſti & Legiſperiti non patiebantur, ſed, quaſi iſta res non Divini ſed ſui eſſet arbitratus, exigebant non δύναμιν [*virtutem*] ſed σημεῖον [*ſignum*], nec qualecunque σημεῖον ſed, ut Lucas & alio loco Matthæus exponit, σημεῖον ἀπ' οὐρανοῦ [*ſignum de cœlo*], importune atque inverecunde, cum ipſa ſanandi ratio qua Chriſtus utebatur, aut nudo contactu aut voce ſola, itemque doctrina dæmonum votis contraria Divinam virtutem aperte oſtenderent. Sed Deus, qui in negotio pietatis ita cum hominibus agit ut malitiam revincat pleniſſime, non ut immoderatis hominum cupiditatibus inſerviat, ſciebat ea quæ erant præſtita abunde ſufficere, niſi ipſi honorum aut commodorum aucupes undique incredulitati ſuæ mantellum quæſiſſent. Adde quod Legis ſeveritati convenerant ſigna terribilia, Servatoris perſonæ ſigna benefica.

39. μοιχαλὶς, *adultera*] Ad verbum *adultera*, ſed magis eſt ut *adulterina ſoboles* hic ſignificetur, quaſi dicas *ſuppoſititia*, quæ falſo parentes jactat Abrahamum, Iſaacum, Jacobum. Ita intellexit Syrus, qui ponit זניתא. Atque ut ita accipiam facit illud apud Johan. VIII, 41. ubi cum Chriſtus negaſſet Judæos iſtos Abrahami eſſe ſobolem, reſpondent, Ἡμεῖς ἐκ πορνείας οὐ γεγεννήμεθα [*nos ex fornicatione non ſumus nati*]. Erant quidem ex Abrahamo κατὰ σάρκα [*carnis ortu*], ſed ſpiritu non minus ab illo alieni quam quos mater ex adulterio concipit. ¶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, *ſignum non dabitur ei*] Σημεῖον [*ſignum*], ut dixi, opponitur δυνάμει [*virtuti*], quaſi majus aliquod atque excellentius. Senſus ergo eſt, quaſi dicat Chriſtus, Nullum oſtentum illis dabitur majus atque excellentius quam id quod dabitur non ex cœlo, ut ipſi faſtidioſe poſtulant, ſed contra ex ipſis terræ viſceribus, non tam illis convertendis qui poſt tot δυνάμεις [*virtutes*] converti noluerunt, quam teſtandæ innocentiæ meæ ſimulque ipſorum immanitati, ut qui in me innocentem odia ſua ad mortem uſque extenderint. Vide Johan. II, 18. & XVI. 10. & Lucam XI, 29, 30. Quia autem ſignum hoc ratione majoris partis Phariſæorum & Legis prudentium ἐλεγκτικὸν [*convincens*] magis erat quam παιδευτικὸν [*edocens*], ideo nulli eorum Chriſtus poſt mortem redivivus apparuit. Satis enim datum erat illorum contumaciæ.

40. ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, *in corde terræ*] Alludit Chriſtus ad verba Jonæ qui ſe projectum dicit בלבב ימים εἰς καρδίαν θαλάσσης [*in cor maris*], ut tranſferunt LXX. Sicut autem Jonas non fuit in meditullio maris præciſe, ita nec Chriſtus in meditullio terræ: ſufficit enim ad hujus locutionis veritatem quod Chriſtus intra terram in ſpecu abditus fuerit. *Jonæ* animæ humanæ imago, Rabbinis. ¶ τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας· *tribus diebus & tribus noctibus*] Hebræi quia voces componendi libertatem ſua ipſis lingua non indulget, coguntur uti circumlocutionibus, quas ſequuntur Helleniſtæ. Ita quod Moſes dixit ויהי ערב ויהי בקר יום אחד [*factum eſt veſpere & mane dies unus*] Geneſ. I, 5. Græci dicerent καὶ ἐγένετο τὸ νυχθήμερον πρῶτον [*tranſit primum dienoctium*]. Dan. VIII, 14. ſine conjunctione dixit עד ערב בקר אלפים ושלש מאות [*ad veſperam mane mille & trecenta*] id eſt, ἕως νυχθημέρου διακοσίου καὶ τριακοσίου [*uſque ad dienoctia mille trecenta*]. Sic Paulus cum dixit ſe fuiſſe in profundo νυχθήμερον [*nocte & die*], II Corinth. XI, 25. Græce expreſſit Hebræum ערב בקר. Ita hic nihil aliud ſignificatur quam futurum Chriſtum in ſepulchro τρισὶ νυχθημέροις [*per tria dienoctia*], cui ſenſui implendo ſufficit eum ſepultum fuiſſe tempore eo cujus partes ad τρία νυχθήμερα [*tria dienoctia*] pertingerent. Nam in temporis deſignatione Græci diſcrimen quarti & tertii caſus non rigide obſervant. Videtur autem mihi Latinus interpres vetus non imprudenter ſextum caſum elegiſſe. Neque omittendum hic, ubi Lex Moſis dierum numerum exprimit, ut in circumciſione, receptum apud Interpretes etiam ſemihoram unius νυχθημέρου [*dienoctii*] diem facere; quia *dies legalis*, ajunt, *non computatur de tempore ad tempus*. Vide Abeneſidram ad Levitici XII, 3. Porphyrius in Quæſtionibus Homericis, καὶ γὰρ ὁ ληγούσης ἡμέρας ἥκων καὶ τῆς τρίτης ἔνδον εὑρεθεὶς, τῇ τρίτῃ δεδημοῦν λέγεται [*nam & qui veſpere domum venit, mane autem diei tertiæ exiit, dicitur tertia die iſſe peregre*]. Cui ſimilis eſt illa Romani Juris locutio, de qua Paulus Juriſconſultus in L. *Mores*, D. de Feriis, *Quicquid in his viginti quatuor horis actum eſt, perinde eſt quaſi quovis hora lucis actum eſſet.*

41. ἀναστήσονται, *ſurgent*] Rurſus judicium Divinum ad humani judicii formam deſcribitur, in quo teſtes cum teſtimonium ſunt dicturi ſurgere ſolent ex ſubſelliis, quod ut apud Romanos ita & apud Judæos moris fuiſſe oſtendit Marcus XIV, 57. Adde Actorum VI, 13. Præſtant autem vicem teſtium Ninivitæ, quia oſtendunt ſuffeciſſe ad convertendos animos multo minora beneficia. Nam & barbari erant, & nulla Jonæ miracula conſpexerant, & pauca duntaxat verba audierant, cum ſe ad pœnitentiam compoſuerunt. ¶ μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, *cum generatione iſta*] Nam & rei ſtabant. ¶ κατακρινοῦσιν αὐτὴν· *condemnabunt eam*] Id eſt, efficient ut condemnetur; quomodo & ſupra dixit, *judices veſtri erunt*. Ita Cicero à ſe Verrem, Tacitus à Domitio accuſatore *condemna-*

demnatum ait Claudian. ¶ *μετανόησαν, pœnitentiam egerunt*] Non exſpectato fine dierum quadraginta fecerunt quod illi neque nunc faciunt, neque facient exſpectati per annos quadraginta. ¶ *πλεῖον, plus*] νικ. Plus vobis præſtitum eſt quam illis in Jona. Non enim perſona tantum perſonæ, ſed beneficia per eos præſtita inter ſe comparantur.

42. *ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς, venit à finibus terræ*] Τπερβολικῶς [*dictum per ſuperjectionem*] pro eo quod eſt *è longinqua regione.* Habet autem hoc vim in comparatione, quia Chriſtus ipſe ad Judæos venit, ita ut nullam iter ipſius cauſa neceſſe eſſet ſuſcipi, quod illa fecerat Regno relicto. ¶ *ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν Σολομῶντος· audire ſapientiam Solomonis*] Διὰ περιβλημάτων [*per quæſita*], qui Regum inter ſe mos antiquiſſimus. Hæc autem *σοφία* [*ſapientia*] partim in hiſtoria naturali conſiſtebat, cujus argumenti multos libros à Solomone ſcriptos legimus, partim in doctrina de officiis, de qua libri ejus aut potius aliorum librorum *ἐκλογαί* [*excerptæ*] etiam nunc exſtant. ¶ *πλεῖον, plus*] Plenitudo Divinæ ſapientiæ ad æternam hominum ſalutem ultro ſe offerens.

43. *Ὅταν δὲ τὸ ἀκάθαρτον, Cum autem immundus ſpiritus*] Mihi videtur hæc non eſſe *παραβολὴ* [*comparatio*], ſed commune enuntiatum pictum multis tranſlationum luminibus, quod deinde peculiariter Judæis applicatur. Univerſalis autem hujus enuntiati hunc ſenſum eſſe arbitror, Eos qui cum inquinamenta mundi ſemel effugerint, iiſdem rurſus implicantur, gravius quam ante ruere, contemtum gratiæ ſuæ Deo ulciſcente. Cujus interpretationis fundum do Petrum, qui & ipſa Chriſti verba, *ſit noviſſima eorum conditio pejor priore*, in hunc ſenſum uſurpat Epiſtola II, cap. II, commate 20. Illud intereſt, quod Petrus ſui temporis habens rationem agit de his qui Chriſtianiſmum ſunt profeſſi, cum Chriſti enuntiatum ad omnia ſe tempora extendat. Nec alio tendit illud à Chriſto dictum paralytico, *Sanatus es: vide ne pecces, ne quid pejus tibi eveniat*, Johan. v, 14. Dici autem paſſim à ſpiritu maligno poſſideri eos qui mundo huic ſerviunt, adeo obvium eſt ut probationis non egeat. Senſus eſt huic perſimilis apud Dionem Pruſæenſem Oratione V. *Τῶν πολλῶν μὲν ἔστι τις ἐπιχείρησις καθῆραι τὴν αὐτῶν ψυχὴν, ὥσπερ ἄβατον καὶ μεστὸν πολλῶν θηρίων χαλεπῶν τόπον, ἐξελεῖν δὲ καὶ δουλείαν τὴν τῶν ἐπιθυμιῶν ἡμῶν, ὅτ' ἐλπίσαι σπουδάσῃ καὶ διαπονήσῃ, οὐκ ἰσχυρῶς δοκοῦσιν, ὀλίγον ὕστερον αὖθις τὴν λοιπὴν ἐπιθυμιῶν δουλείαν καὶ ἀλογίαν* [*Multis evenit, ut ubi cœpere purgare animum ſuum, velut locum ſuorum & ferarum animalibus plenum, jamque enecuerunt & interfecerunt cupiditatum partem, poſtquam ſperarunt ſe liberatos & extra periculum poſitos, cum tamen non ſtrenue ſatis fugerint, paulo poſt à cupiditatum reliquiis evertantur ac pereant*]. ¶ *δι' ἀνθρώπου, ab homine*] *Ex homine quæris:* quod pari ratione etiam ad populum applicatur, qui per multas quamvis ætates continuata ſucceſſione unius hominis vice cenſetur. Vide Flori Breviarium & Juris Romani auctores. ¶ *ἀνύδρων τόπων, per loca arida*] Id eſt, loca in quibus nemo libenter habitet, quales ſunt

——— *Libya ſqualentis arena*

Poëtarum verſibus in hunc ſenſum celebratæ. Talia autem ſunt dæmoni loca omnia extra hominem, ut qui ſolus vitii ſit capax. Applicat ad ſenſum moralem Chriſtus quod apud Hebræos receptum erat, Dæmonas locis defertis gaudere, & ob id dici שדים [*ſolitarios*]. Id vero ideo dictum quod illi ſpiritus inimici ſunt humanorum cœtuum ac civitatum, *ἀφείσεις, ἀθέμιστοι, ἀνίεροι* [*inſociabiles, ſine jure ac lare*]. ¶ *ἀναπαύσεως. requiem*] Id eſt, habitandi locum: ita enim Hebræi uſurpant מנוח.

44. *σχολάζοντα, σεσαρωμένον, καὶ κεκοσμημένον. vacantem, ſcopis mundatam & ornatam*] Id eſt, poſſeſſionem non vacuam tantum ſed & paratam. Quia homo *domus* hic dicitur, ideo à domo ſumitur reliquum tranſlationis. Tales diabolo ſunt homines qui ad vias ſuas non attendunt. Tales Hebræi ſub Regibus poſt reditum è Babylone. Verbum *σαρόω* manus puris accenſet Phrynichus.

45. *ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα, ſeptem alios ſpiritus*] Sicut *ἑπτὰ πνεύματα* [*ſeptem ſpiritus*] in Divinis miniſteriis dixit Johannes Apocalypſeos I, 4. Vocatur *ἑβδομὰς πλατωνικὴ* [*numerus ſeptem perfectorius*], ut notat Philo. Ideo quicquid in ſuo genere ad plenam menſuram pervenit, eo numero ſignificatur: ut I Samuelis II, 5. Eſaiæ LV, I. ¶ *καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ: ſic & generationi huic peſſimæ*] Videtur mihi Chriſtus populum Hebræum intueri ab eo tempore quo in Babyloniam adductus eſt ad Titi excidium. Ante deportationem gravia erant populi flagitia, quæ videre eſt apud Prophetas; in ipſo exſilio coperunt ſe emendare plerique, atque ita Deo occaſiones diſponente in patriam redierunt: Sed Aſmonæorum temporibus rurſum in vitia vel Barbaris pudenda prolapſi, adjecerunt his omnibus contemtum Meſſiæ tantis cum miraculis tantaque cum clementia miſſi: Quo facto, à Deo derelicti, evaſerunt homines omnium ſceleratiſſimi, quales eos Joſephus in ultimorum temporum hiſtoria deſcribit.

46. *ζητοῦντες αὐτῷ λαλῆσαι. quærentes loqui ei*] Latine, *conventum ipſum volentes:* nimirum quia intellectis Phariſæorum adverſus ipſum conſpirationibus eum quovis modo periculo ſtudebant ſubtrahere. Hoc enim ſeries hiſtoriæ & ea quæ apud Marcum ſunt indicare mihi videntur.

48. *Τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου, Quæ eſt mater mea*] Oſtendens ſe in mandato ſibi officio neque affectus neque conſilia carnis ſequi. Conjunge Lucæ II, 49. Johan. II, 4. Ita Petro de vita Domini ſollicito reſpondet, *οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων* [*non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum*], infra XVI, 23.

49. *ἐκτείνας τὴν χεῖρα αὐτοῦ, extendens manum*] Hoc eſt, *δακτυλοδεικτῶν* [*digito monſtrans*], ut Græci loquuntur. ¶ *ἰδοὺ ἡ μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου· ecce mater mea & fratres mei*] Ita Andromache Hectori apud Homerum,

——— *σὺ μοι ἐσσὶ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,*
Ἠδὲ κασίγνητος.
[——— *tu namque pater mihi, tu bona mater,*
Tu fratres.]

Quicum confer illud Cantici VIII, 1. Significat Chriſtus, Quo quis Deo eſt obſequentior, ita & ſibi eſſe propiorem: qui myſticus eſt ſenſus Cantici Canticorum. Neque ullo modo trahenda hæc verba ſunt ad ſanctiſſimæ matris injuriam.

PRICÆUS.

Com. 19. Ὀτὲ κραυγάσει] Sentio cum viro præſtantiſſimo ejuſmodi heic *clamorem* intelligi qui nota eſt animi commoti & effervescentis. Seneca, *Quædam ira ſunt quæ intra clamorem confidant, &c. quædam in verborum maledicorumque amaritudinem effuſæ:* apud Gellium I. 26. Plutarchus, *Ex vultune meo, an voce, an ex colore, an etiam ex verbis correptum eſſe me ira intelligis? Mihi quidem neque oculi opinor truces ſunt, neque os turbidum, neque immaniter clamo, &c. hæc enim omnia, ſi ignoras, ſigna eſſe iracundiæ ſolent:* ſic Xenophon mid. & κραυγὴ ἐργάζεσθαι dixit; & ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἔργοις, Plutarchus in Conjugal. præceptis. Vide & Act. 22, 23. Lucianus de Demonacte, Οὐδεπώποτε ἄφθη κεκραγὼς, ἢ ὑπερθαυμάζων, ἢ ἀγανακτῶν· ubi nota (ut in hoc Evangelii loco) laudem à negativo ſumptam. Sic Homerum non virtutibus appellandis, ſed vitiis detrahendis ampliter laudare ſolitum obſervat. 2. 6. idem Noctium Atticarum Auctor.

Com. 25. *καὶ πᾶσα πόλις ἢ οἰκία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, οὐ σταθήσεται*] Xenophon, Ἀνὴρ ὁμονοίας ὅτ' ἂν πόλις ἐμπολιτευθείη, ἔτι οἴκῳ καλῶς οἰκηθείη. Ariſtides priore Sicula, Ὥσπερ πόλιν οἶμαι παιάζειν ῥᾴδιον ἐστι στασιαζούσαν, ὅταν καὶ νῦν ἔτης ἐξ ἀρχῆς διήρηται.

Com. 30. *ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι*] Auguſtinus ad Caſulanum, *Inter nocere deſiderare & proeſſe nolle nil intereſt.* Lucian. in Hermot. Ὁμοίως ἔχω τοῦ ἰδεῖν τινα καὶ ἐν τῷ ἀναιθέρῳ ὄντα, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς ἔχω ἴσως, καὶ ὁ πέρα.

Com. 34. *πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν πονηροὶ ὄντες*] Declamationis in Saluſtium Auctor, *Neque enim qui ita vivit ut tu, aliter ac tu loqui poteſt.*

Com. 36. *πᾶν ῥῆμα ἀργὸν*] Suidas, Ἀργὰ ῥήματα, ἅπερ ἄνευ ψυχῆς καὶ φθορᾶς.

Com. 41. *καὶ κατακριθήσονται αὐτοί*] *Efficient ut condemnentur.* Hoc ſenſu κατακρίνειν etiam Heb. II. 7. occurrit: & 1 Tim. 4. 11. κατάφρονος· quod probant quæ ſequuntur ibi.

Com. 44. *Θηρεύω τὸν ἐκεῖνον μὲν*] Theophylactus ad Luc. II. de Dæmonibus loquens, Βασιλέων αὐτοὶ ἡγοῦνται καὶ ἀνάπαυσιν κατοικεῖν ἐν ἀνθρώποις.

Ibid. *ὅθεν ἐξῆλθον*] Abundant hæc. Simile Livianum illud, *Legati retro domum unde venerant pervenere.*

CAP. XIII.

MUNSTERUS.

3. *IN parabolis*] Uſus eſt Chriſtus plerumque parabolis, ut auditores redderet attentiores, & ea quæ non intelligerent ſtudioſe inveſtigarent, & explicationem eorum à Magiſtro veritatis inquirerent. Qui curioſi erant, & ex corde ſalutem ſitiebant, interpretationem obſcuri ſermonis ſciſcitabantur: ſegnes autem, & qui non ex animo cupiebant audire verbum Dei, illi audiebant parabolas & non audiebant, aures habebant ſed non audiebant, & de illis locutus eſt Iſaias 6. 9. *Audite audiendo, & non intelligetis*, &c. De electis dicitur, *Qui habet aures ad audiendum, audiat*: & de reprobis, *Videntes non vident, & audientes non audiunt*, &c. ¶ *Exiit ſeminator*] Oſtendit hæc parabola naturam, vim & fructum verbi Divini. Et ſunt quatuor genera hominum, qui audiunt verbum Dei, ſed non niſi in uno fructum facit, qui ſcilicet illud recipiunt corde bono & per Spiritum Dei immutato. Alii vero audientes verbum non ferunt fructum, quorum ſcilicet animus occupatur Satanæ negotio, quem ille ad alia torquet ſtudia; aut ſi recipitur verbum non figit radicem, ſed mox ut tentatio irruit frangitur animus. Sunt & qui audiunt verbum atque mente recipiunt, ſed quia in illis prævalent curæ rerum temporariarum, ſuffocatur & negligitur verbum Dei, ut fructum ferre nequeat.

24. *Qui ſeminavit ſemĕn bonum*] Hæc ſecunda parabola oſtendit, in Eccleſia ſemper fore malos opera Satanæ bonis permixtos, qui ſine fructu audiunt verbum Dei. Quin & *offendicula* hic à Chriſto vocantur, quippe qui verbo & vita offendunt: ſed ſunt tolerandi uſque ad finem mundi; & tunc ſeparabit Dominus bonos à malis. Nec hoc dicitur hic, *Sinite utraque creſcere ſimul*, quod mali per Magiſtratum non ſunt puniendi, qui turbant rempubl. ſed docet, quantumlibet peſſimi homines, & & qui publice non verentur inique agere, tollantur per Magiſtratum, ſemper futuros malos homines bonis permixtos. Vanum eſt igitur Judæorum argumentum, quando calumniantur parabolas Chriſti, quod illæ non per omnia reſpondeant interpretationi, ponentes pro exemplo germinationem virgæ Aharon, per quam noſtri intelligunt fœcunditatem uteri Virginalis. Arguunt autem ſic, וגו׳ פרח מטה אהרן לבית לוי׳ אמר הכתוב שורש נאמי על ויראו שזזורה בתולה שלוה׳ ישי׳ תישה וחתם בי פח מראשי עניהם ומהשכיל לבותם כי תיראו משגם לי לא היתה לפני דבריהם מטה יהודה חזה לפרוח שחרי מיחתי ארץ ישו אחריו ושר מי כתיב ופרח פרח כת׳ שכבר פרח אלא ואר חפר׳ על עסק קרח היתה כוי לנמל המחלוקת׳ ושר יש לחשיב אם המטרה היה רחם ליש אב׳ כשנתעברה תריא סיר מ בים היה לה לחליר אותו ושר כשם שהיה השקדים נמהרים בניחלן כך היה לו להיות נחל בים הלוי ולא להמתין עשרים או שלשים שנים׳ ושר למה כתיב ונמהל שקדים לשון רבים אם על ישו הזה לו להיות שקד אחר ועתה משמע שהו הוצרו ישרים: *Multi*, inquiunt, *debuerant eſſe Jeſus, ſi Amygdalus illa figura fuit Chriſti veſtri, quia arbor illa multas protulit nuces. Deinde mater ejus mox poſtquam concepit deberat parere filium, ſicut amygdalus ſubito floruit & fructum fecit. Sed & mater ejus non fuit de tribu Levi, cum haretici genealogiam ejus texant de tribu Jehuda; hac autem virga deſignavit tribum Levi. Non igitur ob aliam cauſam fecit Dominus florere virgam illam niſi in ſingulare indicium eſſet in illa diſſenſione quam excitaverat Korah.* Neſcivit Judæus ille qui iſta ſcripſit, patribus omnia contigiſſe in figura: Id quod tam expreſſe teſtatur נחש נחשת *ſerpens ille æneus* quem erexit Moſes in deſerto, de quo Chriſtus dicit Joh. 3. 14. *Sicut exaltavit Moſes ſerpentem in eremo, ſic oportet exaltari Filium hominis*: ubi Hebræi nihil aliud putant intelligendum quam miraculum ipſum quo Dominus iterum ſanavit aſpectu ſerpentis factitii eos qui à veris læſi erant ſerpentibus. Scribunt namque ſic, אם ישאלך נחש נחשת עשות משה מי חתיר לו וחכתוב לא תעשה לך פסל וכל תמנה וגו׳ תאמר לו פרח שאמר ואח חפי שהחיר וכן באכור שכרת כתי׳ לא תבעתו אש ובתוב וכיום חשבת שני כבשים לכן אין לחשוב לדקוק בפעות בוראנו׳ אלא פח שאמר אמר ומה שהחיר מותר וקב׳ והחזר משה וכתב כל חמצרת אשר אנכי מצוך לא תביא עליו ולא הנרע מכנו וכן תאמר כן תברובים ורח שאמי הכתוב לא תעשה לך כלי לרקוך אבל לרפתי תעשה׳ ומח שעשו אותו לא להשתחות לו ולא לעשות אחרית עשו אותו אלא להראות לחם פח נפלאותיו כי בכח שלח רפאם: Vides nimirum hic qui Hebraice calles, quam longe ſint obſtinati Judæi à vero Scripturæ ſenſu, & quam impie agant cum prohibent collationem fieri Scripturæ, ſed quemlibet locum ſimpliciter ut in ſuo paſſu inveniturintelligendum; ut eſt iſte locus quem hic adducunt, *Non accendes ignem in die ſabbati*; & deinde alius ubi jubentur *Sabbato duo per ignem offerri agni*: id quod Chriſtus quoque præcedenti capite objecit obſtinatis ſui temporis Judæis. Sed mittamus hos errores illorum. Volui hæc ſolum ob id adducere, ut videres quam potent Judæi in figuris & parabolis omnia membra & particulas concinnare rebus figuratis, atque ſimilitudinem interpretationibus, neſcientes ſat eſſe ſi in ſubſtantia ad propoſitam faciant rem.

31. *Grano ſinapis*] Senſus hujus parabolæ eſt, Ut ex minimo ſinapis grano brevi creſcit arbor, ita Euangelium & regnum cœlorum orbi invectum à principio erat puſillum, cum pauci & contempti homines Chriſto adhærerent, ſed brevi tempore ſuperavit regna mundi, expanditque ramos ad fines terræ. Idem ſignificatur per parabolam *Fermenti*, quod brevi tempore per totam farinæ maſſam ſerpit, illamque inflat. Eſt & *fermentum malitiæ & nequitiæ*, de quo Paulus 1 Cor. 5. 8. ſcribit, quod ſcilicet multos inficere poteſt & corrumpere. At Chriſtus hic loquitur de fermento fidei, quod cupit in omnes tranſire & ſpargi. Quando hic fit mentio menſuræ *Sati*, notandum quod apud Hebræos ita inveni ſcriptum de menſuris, יש באיפה ג׳ סאין והסאה יש ו׳ קבין ובקב ד׳ לוגין וכלוג ו׳ ביצים: *Habet menſura Ephi tria Sata; Satum continet ſex Kabos; in Kabo autem ſunt quatuor Login; & Log habet ſex ova.* Hæc ſi juſte multiplices, à Log ſcilicet incipiendo, quæ in aridis & liquidis minima eſt menſura, ſex continens gallinacea ova, invenies Kabum eſſe continentiam XXIV ovorum, Satum vero menſuram CXLIV ovorum, & Ephi, quæ *Epha* apud Hebræos vocatur, continere CDXXXII ova. Scribunt præterea quod *decem Ephi faciant unum* חומר *Homer*; quæ menſura alio nomine כור *Chorus* vocatur, de qua Lucæ 16. 7. & hæc continet MMMMCCCXX ova & fere unam quartam ovi: eſtque maxima apud Hebræos menſura. Cæterum הין *Hin*, quæ eſt menſura liquidorum, dicitur continere שנים עשר לוג XII *Log*, i. LXXII ova.

42. *In caminum ignis*] Scribunt & Hebræi de hoc igne in fine mundi arſuro & impios exuſturo; ſed quam caſte, ipſi viderint. Habent enim ſic, ליום הדין יבא ה׳ במרא גדול כאש יוכלהבה כמו שנאי הנה ויום בא בוער באש כתנור והי כל זדים וכל עשה רשעה קש ולהש ונקים מהם זי נקמו ואתו אש יהיה לרשעים ליסורין שישרף אותם ויכלה אותם כן השורש כמו אש וה שישרף התבן לנמרי שאין נכר שהוא והי תבן ולהש הקש מהיה כמו כן יאכלו רשעים בתע אחת יאכלו את כלם ולא יעוב לתן שם והכיזה וכל דבר שיהיה לרשעים לשרקות רקות וליסורין והוא יהיה לצדיקים למנה ולברכה ולתועלת כמו שני אחרי הורוה לכם יראי שמי שמש צדקה ומרפה בכנפיה ויצאתם ושפתם כעגלי מרבק והרשעים יהיו עפר תחת כפות רגלי הצדיקים:

44. *Theſauro abſconſo*] Oſtendit Chriſtus iſta parabola pretium Euangelii quod longe ſuperat omnem theſaurum hujus mundi, nempe quod poteſt ſalvare in perpetuum animam. *Nullam* autem *poteſt homo dare commutationem pro anima ſua*, ſed omnia exponit ut eam in hoc mundo ſalvet; quanto magis ut in æternum illam beatificet?

47. *Sagena*] Hic rurſum oſtenditur Eccleſiam Chriſti uſque ad finem mundi habituram malos admixtos bonis. *Sagena* eſt verbum Dei, quod ſparſum in populum aliquos, non omnes, capit; ſicut nec ſagena omnes piſces maris comprehendit: Sed quos capit, hi trahuntur ad littus, & boni quique iterum à malis ſeparantur. Sunt enim inter bonos multi hypocritæ, qui nunc ſimulantes ſanctitatem nunc tori mundo manifeſti erunt.

52. *Scriba doctus in regno cœlorum*] Significatur hic per *doctum ſcribam* ſincerus prædicator Euangelii; comparaturque liberali *patrifamilias, qui profert* convivis omnia quæ noverit illis eſſe grata, *nova & vetera*. Sic qui alios docet Euangelium, debet omnia quæ noverit auditoribus eſſe grata & accommoda ubertim & liberaliter proponere.

55. *Nonne hic eſt fabri filius?*] Quod hic Chriſtus dicitur habere patrem, fratres & ſorores, fit more Hebræorum, qui cognatos & cognatas vocant *fratres & ſorores*: id quod cum impios Judæos non lateat, vide quam impudenter audeant hic ſcribere contra nos & Chriſtum noſtrum; אני שואל לך אם חזו למרים בנים ובנות בלא ישו ולו ף בן נפתא אם חזה לו כן ובת מושה אחותו׳ אתו׳ יש להם בנים ובנות חני טוב לכן אמרו היהודים מכיוו׳ הלא אנו ואמם אחוו האוחזת יעקב רוסף ושמעון ויהודה שאנחנם שמעון הכמות כמותו׳ אבל אם לא וחו לו בנים ובנות הלמי ישו למה אמרו היהודים כן הלא אחו ואחותו אתם עשים כמותו

הלמה

ולמרים קרואים לאולי קרואים שכוונת אחרי האחיתו אלא כמו לאחרים ולכת לא השיב ישו להם שתים כל כוה שאמר שיש לי אחים ואחיות ביוב הוא ולא אני בן נחתא ואין שאתם תמיהים כתכמתי אלי תתמהו שכל הכמות שבעולם של האי השוכרת דרך האיא בלשון הקדש לקרוא את קרובים אחים וקרובות אחיות כמו שאמר אברהם על אשתו אחותי היא חל לוט אחים אנחנו וכן לאם ישתן הוי אחיות ולהן ויו בנים והם נקראו מת ואחי ישעי על אביו אמרתי לקיל שנחשב אב של ישוע נאן ה הוי אביו נאכות כי לשלום לא ירע את אשתו הכתולה אין קודם לירה חון ואחר שילדה את בנר וכי שישעי לא השיב לאמרים שלו אחים ואחיות יש לרעיה כי הדחורם והאלה לא כן אמרו שאחים האלה הם בני אמו של ישוע ולכן הוא וחרישו על דבר האחי על אביו האיא רצרו שהם ישם בו לעיה עד שיראו נפלאותיו ואז ישפטו אם מאלהים הם אם לאי: Hoc in ſumma volunt hîc Judæi, quòd is locus arguat Chriſtum habuiſſe fratres, ſorores & patrem; atque ideo mater ejus non fuerit virgo, nec ipſe Filius Dei: Sed his Hebraicè reſpondi pro captu ingenii mei.

V A L L A.

8. *ET dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum*] Ad verbum ſic erat transferendum, *Et dabat hoc quidem centum, illud verò triginta*, καὶ ἐδίδου τομὲν ἑκατὸν, ὃ μὲν ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα. Idem contingit in Marco, 4. 8.

9. *Qui habet aures audiendi, audiat*] Neſcio quid inſolens audire videntur aures meæ cùm dicitur, *aures audiendi*: quia nec dicimus, *oculos videndi*, *manus tangendi*, *palatum guſtandi*, *nares olfaciendi habeo*, ſed *ad audiendum*, *videndum*, *tangendum*, pro quo gerundio, quod non habent Græci, utuntur infinitivo. Ità nos eorum infinitivum debemus, cùm opus eſt, transferre per gerundium.

11. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum*] *Myſterium* nonnunquam transfert interpres *ſacramentum*: nè ignoret interpres, nihil aliud eſſe *myſterium* quàm *ſacramentum*: etſi revera non omnino hæc duo idem ſunt. De quo diſputare nonnihil alienum eſt ab hoc opere.

14. *Ut adimpleatur in eis prophetia Eſaiæ, dicentis, Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non videbitis*] Meliùs in iis cod. ubi legitur, *Et adimpletur eis prophetia Eſaiæ, dicens.* Cætera ſic legi debent, ſive ſic transferenda fuerunt, imò ſic tranſlata fuiſſe puto, *Auditu audietis, & non intelligatis, & cernentes cernetis & non videatis*: ſive, *Auditu audietis, neque intelligatis; & cernentes cernetis, neque videatis*: ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε· καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε. Imprecatur enim eis malum profectò, quemadmodum fit in Pſalmo 69. 23. *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.*

19. *Omnis qui audit verbum Dei, & non intelligit, venit Malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde ejus*] Ego, ut apertiùs loquerer, maluiſſem ad verbum transferre ſic, *Omnis audientis, & non intelligentis*, ſive *cujuſcunque qui audit*, ſive perablativum abſolutum, *Omni audiente verbum Dei, & non intelligente*, πάντος ἀκούοντος, καὶ μὴ συνιέντος.

28. *Servi autem dixerunt ei, Vis imus & colligimus ea?*

29. *Et ait, Non: ne forte colligentes zizania*] Gr. *Vis igitur profecti colligamus? Hic autem ait, Non: nequando colligentes zizania*, Θέλεις οὖν ἀπελθόντες συλλέξωμεν αὐτά; Ὁ δὲ ἔφη, Οὔ· μήποτε.

36. *Diſcipuli ejus*] *Sui* dicendum potiùs fuit quàm *ejus*.

38. *Filii nequam*] Durum mihi videtur transferre *nequam* ſubſtantivè, i. gen. caſu, τῶ πονηρῶ. Nam qui legunt, putant nom. caſûs plur. numeri.

43. *In regno Patris eorum*] Non ſemper acribus oculis intuetur interpres quando *ſuus* & quando *ejus* dicendum, quia ſemper eodem modo apud Græcos dicitur. Nunc autem dicendum erat *ſui*, non *eorum*, quia reciprocum eſt.

47. *Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti:*

48. *Quam, cùm impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foràs miſerunt*] Ità habetur Græcè, *Quam, cùm impleta fuit, educentes in littus, ac ſedentes elegerunt bona in vaſa, mala autem foràs miſerunt*, ἣν, ὅτε ἐπληρώθη, ἀναβιβάσαντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν, καθίσαντες συνέλεξαν τὰ καλὰ εἰς ἄγγη, τὰ δὲ σαπρὰ ἔξω ἔβαλον. *Sagenam* quoque maluiſſem dicere *verriculum*. Nam *ſagena* Græcum eſt, ut Ulpianus quoque teſtatur; *verriculum* verò Latinum, à *verrendo* mari dictum, quòd eſt genus illud retis grande quod procul in mari jactum longiſſimis funibus à turba piſcatorum è littore trahitur. Quòd autem dicitur, *bona* & *mala*, intelliguntur *genera piſcium*, quia dicebatur, *ex omni genere piſcium*. Quanquam Græcè legitur, non *piſcium*: ſed adjectum eſt à Latino aliquo quaſi in ſupplementum: quò magis conſtat, non legendum *bonos* & *malos*, ſed *bona* & *mala*. Neque tamen diſſimulaverim rectè tranſlatum atque elegantèr, *Quam, cùm impleta eſſet*. *Sua* autem (ut ſignificavi) Græcè non legitur, nec adjectum Latinè aliquid prodeſt.

51. *Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam, Domine*] Ναί, κύριε. Illud *Etiam* non conjunctio eſt ſed adverbium: ſiquidem adverbium eſt ipſa vox Græca, de qua ſæpe jam dixi, quæ ſolet transferri *utique*, & quâ veluti Latinâ quidam ſunt uſi, ut Terentii & Ciceronis exemplis oſtendi. Eſſe autem elegans ſic loqui per *etiam*, cùm alii, tum verò Plinius Junior in Epiſtolis oſtendit, inquiens, *Proximè cùm in patria mea fui, venit ad me ſalutandum municipis mei filius prætextatus. Studeſne inquam. Reſpondit, Etiam.* Alibi ſine interrogatione, *Quanquam orationes & noſtri quidam & Græci leſſtaverunt, ſupervacuum eſt recitare quæ dixeris, etiamſi eadem omnia eiſdem omnibus ſtatim recites.* Ergò *etiam* idem eſt quod *utique*, i. adverbium eſt.

52. *Ait illis*] Gr. *Ipſe autem*, ſive, *Jeſus autem, dixit eis.* Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς. ¶ *Similis eſt patrifamiliàs*] *Patremfamiliàs* vocari, non qui filium habeat, ſed qui filius non eſt, dominuſque familiàs, i. bonorum, cùm infinita exempla teſtimonio ſunt, & Ulpianus aliique JC. docent, tum ipſa vox Græca, quæ ad verbum transferretur, *dominus domus*, οἰκοδεσπότης. Hoc dixi nè qui minùs docti linguæ aliter acciperent.

55. *Nonne hic eſt fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus & Joſeph?*] *Joſes* legendum eſt, non *Joſeph*, Ἰωσῆς. Et illud *fabri*, licèt unum ſit Græcè nomen tamen transferri poterat *fabri lignarii*. Nam hoc propriè τέκτων ſignificat, cui *faber* Latinè reſpondet, ſed non adeò aperte. Sunt enim fabri ærarii, ferrarii, lignarii, & alia multa. Et ſine appoſitione ſi dicas, ut pro fabro lignario accipiatur receptum eſt. Volui tamen qualis faber Joſeph fuerit oſtendere.

R E V I U S in V A L L A M.

HOc caput cum præcedenti confuſum erat prioribus editionibus, poſtremæ auctor diſtinxit.

8. καὶ ἐδίδου καρπὸν, ὃ μὲν] Loco ſuo exciderat hoc.

14. *Et non intelligatis*] καὶ οὐ μὴ συνῆτε. Imprecantis putat eſſe. Fruſtra. Nam loco futuri indicativi hæc talia ſunt apud ſacros ſcriptores quoties additur duplex negatio οὐ μὴ· quod optimè obſervavit Eraſmus. Exempla afferre otioſum eſt, cùm ubique occurrant. Addam pauca. Primò, reperiri in hoc conſtructionis genere etiam triplicem negationem, οὐκέτι οὐ μὴ· ut Marc. 14. 25. οὐκέτι οὐ μὴ πίω. Hebr. 13. 5. οὐδ' οὐ μή σε ἐγκαταλίπω. Apoc. 18. 14. καὶ οὐκέτι οὐ μὴ εὑρήσῃς αὐτά. Eraſmus unum hujuſcemodi exemplum obſervavit, Matth. 24. 21. οὐδ' οὐ μὴ γένηται. Deinde, non modò apud Euangeliſtas (quod Eraſmus notat) hanc phraſim eſſe, ſed & apud Paulum & Petrum. Vetus Teſtamentum & Apocryphos, unde ad N. Teſtamentum derivata eſt, omitto. Vide Gal. 4. 30. & 5. 16. ad quem locum Beza inconſideratè dicit οὐ μὴ ſolere conſtrui cum ſubjunctivo pro imperandi modo, & lectorem remittit ad Matth. 19. 14. cùm ibi nec οὐ μὴ nec ſubjunctivus comparear. Sed cùm cogito, haud dubiè Matth. 13. 14. i. hunc ipſum locum quem præ manibus habemus, indicavit Beza, & typographi hîc culpa ſit. Ut ut eſt, non pro imperandi modo ſed pro futuro indicativo venit hic ſubjunctivus. Vide & 1 Theſſ. 5. 3. Hebr. 8. 11, 12. & 10. 17. 1 Petr. 2. 6. Apoc. 2. 11. & 3. 3, 12. & 7. 16. & 18. 4. & 18. 14, 21, 22, ter, 23, bis; & 21. 25, 27. Tertio, & cum una, & abſque ulla negatione hunc ſubjunctivum pro futuro poſitum deprehendo, Marc. 12. 14. δῶμεν, ἢ μὴ δῶμεν; ubi in prioribus verbis nulla, in poſterioribus unica eſt negatio: pro, *dabimus, an non dabimus?* nam, *demus, an non demus?* ut vertit poſt Vallam & Eraſmum Beza, neſcio an in illo ſenſu Latinum ſit. Addam locum unum & alterum ex aliis auctoribus, nequis hunc abuſum verborum cum Eraſmo credat eſſe. Herodotus Thalia, Εἰ δ' ἔστι ἄπατερ σφέτεῦ, οὐ μὴν τοι ἐκ γε ἐκείνης νεώτερον κακὸν ἀναβλάστῃ. Idem Polymniâ, Τῶν ἐγὼ κατέσομαι, οὐ μή τις ἡμῖν ἀνὴρ ἀντίος σταθεὶς ἀνθέξῃ κατ' ἀνδρώπων. Plato Hippiâ majore, Τὸ ἐρωτώμενον ἀποκρινόμενος ἐρεῖς, καὶ ὀρθῶς, καὶ οὐ μὴ ἐλεγχθῇ.

Ἀκοῇ ἀκούσετε] Hæc retruſa erant poſt *Obſcurentur oculi*, &c.

47. Ἦν, ὅτε ἐπληρώθη] Et hæc miſerè fuerunt dejecta.

48. *Verriculum*] Beza in ver. 47. Vallam ſugillat, quòd hoc nomine interpretatus ſit ἀμφίβληστρον, ſuprà 4. 18. ut & ibi monuit: at ego ejus rei nec volam nec veſtigium apud Vallam reperio.

Legi-

Legitur, non Piſcium] *Non legitur, Piſcium*, haud dubiè ſcripſit auctor. Cæterùm & hîc ſecuta eſt Hebræum Vulgata, qui hanc vocem habet.

51. *Nai, Κύριε*] Hæc quoque incommodam ſedem erant ſortita.

55. *Fabri lignarii*] Refellit hoc Eraſmus.

ERASMUS.

1. *Edebat ſecum mare*] Eruditi quidam vehementer hanc vocem *ſecum* exſecrantur, ut Gothicam & Sarmaticam, aut ſi quid his quoque barbarius; cùm tamen recenſeatur à Donato, operis exigui non exiguo authore. Neque videri poteſt vox ab interprete conficta, quâ tam frequenter utitur. Uſus eſt eâ Plin. l. 24. cap. 15. *Chamaleucen*, inquit, *apud nos Farranum ſive Farfugium vocant: naſcitur ſecus fluvios, folio populi.* Quintilianus l. Inſtit. 8. cap. 2. tractans περὶ τῶν ἀδυνάτων, hoc adducit exemplum, *Conductum eſt cæcum ſecum viam ſtare.* Nec dubito quin aliis compluribus locis inveniri poſſit. Si quis velit eſſe morolior, fortaſſe cauſabitur aliquis non perinde aptè dici, *Sedet ſecum viam*, ac, *Naſcitur ſecus fluvios*, aut, *Paſcitur ſecus ripam*, quòd in his imaginemur ceu motum quendam rei ſequentis. Nam apparet *ſecus* & *ſecundùm* habere cognationem cum verbo *ſequor*. Itaque de herba rectiùs dici, *naſcitur ſecus fluvios*, quemadmodum *ſalices ſecus ripam*, quòd in his intelligatur ſeries quædam; de uno homine ſedente non item.

3. *Exiit qui ſeminat*, ἐξῆλθεν ὁ σπείρων] i. *Exibat qui ſeminabat*, ſive *ſeminator*: ſiquidem hujuſmodi participia accommodant ſe verbis quibus adjunguntur. ¶ *Seminare ſemen ſuum*] *Semen ſuum* nec eſt apud Græcos nec in Auſteo cod.

4. Illud rectè, *Et dum ſeminat*, ἐν τῷ σπείρειν] i. *Inter ſeminandum.*

5. Βάθος vertit *altitudinem* pro *Profunditate.*

6. Ἐκαυματίσθη, *æſtuaverunt*, pro *exuſta ſunt*, ſive *æſtu perierunt.* ¶ Ἐξηράνθη, *exaruerunt*, vertit *aruerunt.*

7. Ἀνέβησαν, *ſurrexerunt*, quod aliàs vertit *aſcenderunt.* Mollius, *ſuccreverunt*, aut *increverunt*, ſive *emerſerunt ſpina.*

8. *Et dederunt fructum*] Hîc interpres maluit Latinitati conſulere quàm voces reddere Græcas. Alioquin ad verbum ità vertendum erat, *Et dederunt fructum, hoc quidem centum, illud verò ſexagima, illud verò triginta*, καὶ ἔδιδου καρπὸν, ὃ μὲν ἑκατὸν, ὃ δὲ ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα, Tametſi verti poterat, *Hoc quidem centuplum, illud verò ſexagecuplum, aliud verò trigecuplum.* Sive, *Aliud centena, aliud autem ſexagena, aliud autem tricena*; ut ſubaudias *grana.* Nam Græci carent hujuſmodi diſtributivis. Abuſus eſt hoc loco articulis poſtpoſitivis vice præpoſitivorum, quod tamen & aliis ſæpe fit. ¶ *Aliud centeſimum, aliud ſexageſimum*] Græcè quidem habetur ἑκατὸν, ἑξήκοντα, τριάκοντα, i. *centum, ſexaginta, triginta*, atque idem codex Aureus, quòd ea, ut dixi, lingua careat nominibus numerorum diſtributivis. Sentit enim ex ſingulis granis plura proveniſſe, ex hoc centena, ex alio ſexagena, ex alio rurſum tricena. Mihi dudum non liquebat *centeſimum* pro *centenum* aut *centuplum* apud probos autores reperiri. Videtur tamen in hunc ſenſum uſurpaſſe Plinius l. 5. c. 4. *Ità*, inquit, *appellatur fertilitatis eximiæ, cum centeſima fruge agricolis fœnus reddente terrâ.* Rurſus l. 18. c. 10. *Cum centeſimo quidem & Leontini Siciliæ campi fundunt.* Porrò quod torquetur hîc Hieronymus, *centuplum* proventum referens ad Virgines, *ſexagecuplum* ad Viduas & Continentes, *trigecuplum* ad Conjugatos; cùm alii primum proventum tribuerint Martyrio, ſecundum Virginibus, tertium Viduis & Continentibus, nullum locum relinquentes honorabili connubio; Auguſtinus in Quæſt. Euangeliorum, qu. 9. primas tribuit Martyribus, ſecundas Viduis, tertias Conjugatis; Theophylactus *centeſimum* refert ad Anachoritas, ut apparet, h. e. paupertatem perfectam aſſecutos, tantumque vacantes rebus Divinis, *ſexageſimum* ad Cœnobitas, qui laborent adhuc unde vivant, *trigeſimum* ad Conjugatos. Ego ut hanc piam diligentiam ſanctamque curioſitatem non improbo in literis Divinis, ita ſimplicius arbitror accipere ut Chriſtus docendi gratia poſuerit *centuplum* pro ſummo, *trigecuplum* pro infimo, *ſexagecuplum* pro mediocri; quemadmodum fecit in talentis Decem; Quinque, & Uno. Atque id ſanè ſic admonitum eſſe velim ut nullius ſententiæ ſit præjudicatum à nobis. Apud Lucam nulla graduum mentio, tantùm *centeni* fructûs meminit. Auguſtinus l. De civit. Dei 21. teſtatur quoſdam hunc locum ſtultiſſimè huc detorſiſſe, ut dicerent impios à ſanctis liberandos ab æterno ſupplicio, ab aliis trigenos, ab aliis ſexagenos, ab aliis centenos, pro portione meritorum: Verùm quoniam certus ſit præſcriptus numerus, ſi hac fiducia negligamus fieri meliores, periculum eſſe nè ſanctorum numerus non reſpondeat tantæ multitudini malorum.

11. *Vobis datum eſt noſſe myſteria*] Μυστήριον eſt *arcanum*, tametſi de rebus ſacris plerumque uſurpatur.

14. *Ut adimpleatur in eis*] Nonnulli cod. habebant, καὶ ἀναπληροῦται ἐν αὐτοῖς, *Et impletur*: ita legit D. Chryſoſt. itaque ſcriptum comperi in exemplari Corſend. Cæterum *in eis* in pleriſque Græcis exempl. non habebatur, nec in Latinis vetuſtioribus, ſed *eis* duntaxat. ¶ Nec eſt *dicentis*, ſed λέγων, *dicens*, conſentiente & Aureo cod. ac Donatianicis, ſive *qua dicit*: facit enim ipſam Scripturam loquentem. ¶ *Auditu audietis*] Teſtimonium quod adducit exſtat apud Eſaiam 6. 9. Diſſentit autem hoc quoque loco veritas Hebraica ab editione LXX. Nam LXX. ſic tradunt hunc locum, quaſi Deus prædixerit *futurum ut audientes non audirent, & videntes non viderent*: at Hebraica veritas indicat hoc *juſſum* à Domino *ut videntes non viderent, & audientes non audirent.* Juxta LXX. citat Lucas, utpote Græce doctus magis quam Hebraice, Act. 28. 26, 27. Πορεύθητι πρὸς τὸν λαὸν τοῦτον, καὶ εἰπὸν, Ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε· καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε· ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου· καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν· μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς, i. *Vade ad populum iſtum, & dic, Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perſpicietis. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt, ne forte videant oculis ſuis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertant ſe, & ſanem eos.* Cæterum Hebræa ita reddidit Hieronymus, *Auditu audite, & nolite intelligere; & videte viſu, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus audiat, & corde intelligat, & convertatur, & ſanetur.* Apparet igitur LXX. conſulto mutaſſe ſcripturam Hebraicam, ne impiis daretur anſa blaſphemiæ, quaſi Deus eſſet nobis autor malorum. Verum cum hujuſmodi complura ſint loca in Divinis literis, velut illa, *Induravit Deus cor Pharaonis*; &, *Fiat menſa eorum in laqueum*, &c. non oportuit offendi hoc uno, ſed agnoſcere potius idioma ſermonis Divini, qui hac figura comminatur ac terret impios, ceu jubens eos id facere quod ſuapte malitia facturi ſunt; ſicuti dictum eſt Judæ, *Quod facis, fac citius.* Illud admirandum, cum Hieronymus non uno in loco dicat Apoſtolos juxta veritatem Hebraicam citare ſolitos teſtimonia Vet. Inſtrumenti, & non juxta LXX, Matthæum hoc loco non idem facere, præſertim cum ipſe Hebræo ſermone ſcripſiſſe credatur Euangelium. Nam Lucam excuſat, haud ſcio quam commode, quod magis calluerit Græcas literas quam Hebraicas; alioqui veriſimillimum eſſe, Paulum Hebræum cum Hebræis agentem adducturum fuiſſe teſtimonium Eſaiæ juxta veritatem Hebraicam. Hanc excuſationem non admittent, opinor, qui quicquid in Apoſtolis fuit, Divini Spiritus peculiare donum eſſe volunt, præcipue donum linguarum. Et epiſtolam ad Hebræos Hieron. teſtatur ob id non fuiſſe receptam à quibuſdam quod quædam adducat teſtimonia V. Inſtrumenti quæ in Hebræorum voluminibus non habeantur. Quin hunc ipſum edifferens locum ſuper hac re nullam facit mentionem, ceu diſſimulans, opinor, quod explicari non poterat. Niſi forte mutarunt hunc locum quos offendit hoc ipſum quod offendit LXX. maxime cum ſic adducatur in Actis Apoſtolorum. Et ſæpenumero comperimus locum ex altero loco mutatum, dum lector vel melius eſſe putat quod alibi legiſſe meminit, vel depravatum ſuſpicatur quod diverſum eſt. Cæterum quod Valla legendum putat, *Audietis, & non intelligatis; videbitis, & non perſpiciatis*, ut ſit imprecantis, non allentior homini; quod compertum ſit hæc verba ſæpenumero pro futuris uſurpari, certe apud Euangeliſtas, præſertim addita duplici negatione οὐ μή.

19. *Qui juxta viam ſeminatus eſt*] Ὁ παρὰ τὴν. *Seminatur ſemen, & ſeminatur terra*: ſicut *aſpergitur humor, & aſpergitur humore veſtis.* Sic igitur hic dicit *hominem ſeminari*, ut *terram ſatam* dicimus, & *agrum conſitum.* Quanquam effugere poterat hanc ſermonis duritiem ſi dixiſſet, *in quem juxta viam incidit ſemen.*

21. *Sed temporalis eſt*, ἀλλὰ πρόσκαιρος] Expreſſius Græce, q. d. *Ad tempus*, & non perpetuus, nec ſibi conſtans, ſed ad exortam occaſionem mutabilis.

22. *Hic eſt qui verbum Dei audit*] *Dei* nec additur apud Græcos nec in Aureo cod. nec in Donatianicis: ſed articulus additus, τὸν λόγον, indicat de quo verbo loquatur. Jam hoc interim diſſimulandum, quod *verbum* vice *ſermonis* uſurpat.

¶ *Et*

¶ *Et fallacia diuitiarum*, ἀπάτη δὲ πλούτου] Græca vox indicat *fallaces* dici, non quod *fallant*, h.e. fruſtrentur hominem, ſed quod *à via deducant*: id enim eſt proprie ἀπάλη· ſiquidem πατὰ τὴν *via trita*.

23. *Hic eſt qui audit verbum*, &c.] Non eſt ſimpliciter, *Et fructum adfert*, ſed ὃς δή, i. *Quod denique*, ut intelligas cæteros omnes infrugiferos, hunc demum reddere fructum. Cæterum articulus Græcus ὁ μέν, ὁ δέ, poteſt vel ad *verbum* referri vel ad *hominem*, quod λόγος *verbum* apud Græcos generis ſit maſc. quanquam ad *verbum* eſſe referendum arguit, quod ſuperius idem tribuit *ſemini* jacto quod hic *verbo*: nam verbum ſemen eſt.

25. *Superſeminavit*, ἐπέσπειρε] i. *ſeminavit*. Apparet interpretem legiſſe, ἐπέσπειρε.

26. *Cum autem creviſſet herba*, ὅτε δὲ ἐβλάστησεν ὁ χόρτος] i. *Cum autem germinaſſet*, ſive *pullulaſſet*, *herba*. Nam χόρτος aliquando vertit *herbam*, aliquando *fœnum*, nonnunquam *gramen*.

28. *Vis imus & colligimus*, Θέλεις οὖν ἀπελθόντες συλλέξωμεν; *Vis igitur abeamus & colligamus ea?*

29. Rurſum μήποτε vertit *ne forte*, pro *nequando*.

30. *Sinite utraque creſcere*, ἄφετε συναυξάνεσθαι ἀμφότερα] *Sinite pariter creſcere ambo*. ¶ *Ad comburendum*] Græci cod. addunt αὐτὰ εἰς, conſentientibus & veruſtis exempl. Latinis: quod tamen recte omiſſum eſt ab interprete.

32. Quod μικρότερον, i. *minus*, vertit *minimum*, recte fecit. Atqui cur quod hic fecit in *minus* non idem fecit in *majus eſt omnibus*, ut diceret *maximum eſt omnium*? Quidam movent hic ſcrupulum, exiſtimantes ſemen Papaveris & Rutæ minutius eſſe ſemine Sinapis, quaſi ſemen Papaveris ſemper & ubique ſit ejuſdem magnitudinis. Satis eſt in genere verum eſſe quod dicit Dominus. Quin illud perpendendum eſt, Hic granum ſinapis non ſimpliciter conferri cum quibuſlibet ſeminibus (alioqui vinceret Cupreſſus arbor procera, cujus ſemen adeo minutum eſt ut viſum etiam fallat) ſed cum ſeminibus *olerum* λαχάνων· atqui Papaver non cenſetur inter olera, ſicuti nec Ruta, quod utraque herba in medicinis uſum habet verius quam in culinis. ¶ *Et habitarent*, καὶ κατασκηνοῦν] i. *nidulentur*, quandoquidem & ante κατασκηνώσεις vertit *nidos*.

33. *Quod acceptum*, ὃν λαβοῦσα] Recte mutavit genus verbi, modo intelligamus ipſam mulierem cepiſſe fermentum. ¶ *In farinæ ſatis tribus*, Σάτα τρία] *Sata* non eſt hic participium à *ſerendo*, ſed Hebræa, aut certe Syra, vox eſt, ſignificans menſuræ genus quæ capit ſeſquimodium, juxta morem provinciæ Palæſtinæ, autore Hieronymo. Cujuſmodi ſunt & illa, *Cabus*, & *Batus*. Gen. 18. quod Hebraice legitur סאים שלשה, noſtra editio habet *Sata*, quod ipſum nomen alias vertit *menſuras*. Atque ita legit hoc quoque loco D. Hilarius, *Abſcondit in farinæ menſuris tribus*. Quanquam hæc vox *menſura* communis eſt Hebræis cum Latinis, quemadmodum *nugæ* & aliæ nonnullæ, ut teſtis eſt Hieronymus in Commentariis quos edidit in Eſaiam. Porro *tribus* addidit ut oſtenderet ingentem farinæ magnitudinem, quæ tamen tota paululo fermento afficiatur. Et Chryſoſtomus putat *tria* poſitum pro *multis*. Hieronymus magis ad myſterium Trinitatis refert, gaudens in numero philoſophari.

35. *Aperiam in parabolis os meum*] Admonet hoc loco D. Hieronymus in pleriſque cod. ſcriptum fuiſſe, *Per Eſaiam prophetam*: Deinde cum id nuſquam reperiretur apud Eſaiam, à prudentibus ſublatum fuiſſe nomen Prophetæ. Conjectat autem primum ab Euangeliſta ſcriptum fuiſſe, non *Eſaiam*, ſed *Aſaph*: deinde factum ut ſcriba, cum non agnoſceret nomen *Aſaph*, putans librarii vitio vocem inductam, mutaverit *Aſaph* in *Eſaiam*, ut cujus nomen & notius eſſet, & ſubinde citaretur à Matthæo. Nam Pſalmus 78. unde mutuo ſumptum eſt hoc teſtimonium, inſcribitur *Aſaph*. Cæterum non ſolum David, ſed & cæteros omnes qui Pſalmos ſcripſere, *prophetas* vocari, ne in ſolos duodecim hoc cognominis putemus competere. Quanquam nec hic Euangeliſta ſuperſtitioſe curavit Hebræa verba reddere, contentus explicuiſſe ſententiam. Nam quod LXX verterunt φθέγξομαι *loquar*, hic reddit ἐρεύξομαι *ructabo*; quod illi προβλήματα *problemata*, ſive, ut nos legimus, *propoſitiones*, hic κεκρυμμένα *abſcondita*. Nam Hebræa, ſicut vertit Hieronymus, *Aperiam in parabola os meum, loquar ænigmata antiqua*. ¶ *A conſtitutione mundi*] καταβολῆς, quod à *dejiciendo* nomen habet, videlicet cum in imo jacitur fundamentum, q.d. *à fundatione mundi*, ſive *à jactu mundi fundamenti*.

36. *Ediſſere nobis*, Φράσον ἡμῖν] i. *Dic nobis*. Quanquam antiquiſſimi cod. habent *diſſere*, non *ediſſere*. Eſt autem φράσον omnino plus quiddam quam *loquere*. Hoc loco ſuccurrit illud admonere, impoſtorem neſcio quem non ſolum edidiſſe permulta ſua nomine Hieronymi, verum etiam mediis illius Commentariis ſuas nænias intermiſcuiſſe: id quod haud dubie fecit in hoc Pſalmo quem modo citavi. Rem ex Hieronymo ſublegit: Cæterum ineptia ſermonis, ridiculi ἀλλογισμοί, βαττολογίαι, ſoloeciſmi, cæteræque id genus deliciæ ipſius ſunt, ut alias evidentius aperiemus.

38. *Filii nequam*, εἰσὶν οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ] Obſecro quis ex his Latinis poſſit percipere quid ſibi velint Græca? Nam *nequam* genitivus caſus eſt Græcis, & videtur ad Diabolum pertinere propter additum articulum τοῦ, ut impii dicantur *filii diaboli*; quem & in precatione ſignat hoc nomine. Niſi mavis πονηροῦ ſumi pro ſubſtantivo nomine neutri generis, ut intelligas *filios malitiæ*.

44. *Quem qui invenit*] ὃν εὑρών. Præteriti temporis eſt, *qui invenerat*. ¶ *Abſcondit*] Item præt. temporis, ἔκρυψε. Multa minutula ſciens ac prudens prætereo, ne nimium moleſtus ſim lectori.

45. *Bonas margaritas*] καλούς quod non ſolum *bonas* ſignificat, ſed frequentius *pulchras*. Siquidem in his pulchritudo pretium auget.

47. *Sagenæ miſſæ*] Græcam vocem reliquit, cum ante ſpeciem genere reddiderit in ἀμφιβλήστρῳ. Retis eſt genus quod Laurentius Latine dici putat *verriculum*, à *verrendo* ſagi dictum, quod ingens longiſſimis funibus circumducitur: βληθείσῃ rectius vertiſſet *jactæ* quam *miſſæ*. ¶ *Ex omni genere*] *Piſcium* non additur apud Græcos. Tantum eſt ἐκ παντὸς γένους, etiamſi *piſcium* ſubauditur. Ex Hieronymi Chryſoſtomique interpretatione non ſatis liquet, addiderint nec ne. Certe apud Origenem non additur, cum toties hunc locum iteret interenarrandum. ¶ Deinde συναγαγούσῃ rectius erat *contrahenti* quam *congreganti*.

48. *Educentes, & ſecus littus ſedentes*, &c.] Græca aliquanto ſecus habent, ἀναβιβάσαντες δὲ τὸν αἰγιαλὸν, καθίσαντες συνέλεξαν τὰ καλὰ εἰς ἀγγεῖα, *Cum ſubduxiſſent in littus, ſedentes collegerunt quæ bona erant in vaſa*. Nec enim additur *ſua*, ne in Aureo quidem codice. Etiamſi in nonnullis exempl. ſcriptum deprehenditur, καὶ καθίσαντες, *& cum ſediſſent*. Indicat enim id per otium fieri. Nec eſt *bonos*, ſed abſolute *bona*, ut ad genera referatur piſcium, quod ante dixerit *ex omni genere*. Neque enim hic commemorandum arbitror, & aliud nonnunquam retibus attrahi; quod Plautino illi evenit qui *facto reti vidulum cepit*. ¶ *Malos*] πονηρούς, i. *malos*; quod ſuperius indicavimus magis ſonare *Putria* ſive *vitioſa*.

51. *Intellexiſtis hæc*] Hunc ſermonem apud Græcos præceſſit proxime *Dicit illis Jeſus*, λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς. ¶ *Etiam*] Rurſus eſt ναί, confirmantis adverbium.

52. *Doctus in regno*] Non eſt παιδευθεὶς τῇ but μαθητευθεὶς, ut intelligas ex diſcipulo factum doctorem. Nam ut nemo recte imperat niſi qui prius ipſe paruerit imperio, juxta proverbium, ita nemo bene agit magiſtrum niſi prius egerit bonum diſcipulum. Nec eſt *in regno*, ſed *ad regnum*, εἰς τὴν βασιλείαν, ut intelligas longe diverſum doctrinæ & inſtitutionis genus. Origenes inter enarrandum toties iterans hæc verba conſtanter legit τῇ βασιλείᾳ, h.e. *ipſi regno doctus*: ut idem ſenſus ſit, *doctus regno*, & *doctus in regnum*, q.d. *rudiori doctrinæ præparatus regno*, i. doctrinæ ſpirituali. ¶ *Patrifamilias*, οἰκοδεσπότῃ] i. *domino domus*: ut accipiamus, non cui ſint liberi, ſed qui familiæ ſuæ jus habeat.

55. *Fabri filius*, τέκτονος] Valla putat Græce τέκτονα *fabrum* eſſe *lignarium*; cum Suidas palam indicet vocabulum *lapidariis* ac *lignariis* eſſe commune. Apparet enim dictionem à τέκτω ductam. Ac nos cum Puteolis eſſemus in antiquiſſimis ſaxis templi vidimus nomina *teſtonum* eſſe inſcripta; nimirum Græcam vocem Latinis literis, quod ea pars Italiæ quondam Græciſſaverit; id quod indicant antiqua monimenta. Porro apud alium Euangeliſtam ipſe Chriſtus *faber* appellatur: ut conſentaneum ſit eum aliquandiu manibus laboraſſe. ¶ Cæterum mater Jeſu *Mariam* eſt hoc loco juxta ſermonem Hebraicum. ¶ *Et fratres ejus*] Juxta morem Hebræorum *fratres* vocat, non quibus communes eſſent parentes, ſed quibus ſtirps ac genus eſſet commune: qua de re doctiſſime ſimul & copioſiſſime diſſeruit Hieronymus in libro adv. Helvidium. Cæterum illud obiter demiror, cur idem hunc enarrans locum ſcripſerit, *Miraris ſi errant in fratribus, cum errent in patre?* Nam in patre vere errabant, exiſtimantes Jeſum filium eſſe Joſeph, cui nupſerit Maria: at in fratribus quinam errabant? niſi forte iſti cognati erant Joſeph, non Mariæ, ut illorum affinitas nihil attinuerit ad Chriſtum, ad hoc ſane ut illius cognati hujus *fratres* dici poſſent. Licet eodem opere quo refellit Helvidium D. Hieronymus fateatur illos non aliter dictos *fratres Jeſu* quam Jeſus ipſe

dictus ſit *filius Joſeph.* Atqui ſi falſo crediti ſunt fratres, quemadmodum Joſeph falſo creditus eſt pater, qui conſtitit quod paulo ante ſcripſit, *illos cognatione dictos fratres.* Verum hæc ad vivum exigere non eſt hujus inſtituti proprium. ¶ *Et Joſeph*] Ἰωσῆτ, *Joſes*, quod quidam inflectunt *Joſetu.* Id nomen quoties occurrit depravant in *Joſeph.* Atqui Hieronymus citans hunc locum adv. Helvidium, *Joſes* legit & *Joſetu*, non *Joſeph.*

57. *Sine honore*, ἄτιμος] *Vilis*, ſive *neglectus*, aut *contemptus.* Cui diverſum eſt ἔντιμος, *charus*, ſive *in pretio habitus.*

58. *Virtutes*] Δυνάμεις de quo jam ſæpe diximus.

V A T A B L U S.

1. *In illo die*] *In* pro *poſt*, more Hebræorum. *Poſt tempus illud.* ¶ *Secus*] Vel, *juxta.*

3. *Seminat*] *Seminabat.* ¶ *Seminare*] *Seminare ſemen ſuum.* V.

4. *Quædam*] Sub. *ſemina.*

5. *Altitudinem terræ*] Vel, *terram profundam.*

6. *Æſtuaverunt*] *Exuſta ſunt:* vel, *æſtu perierunt.*

7. *Creverunt*] Vel, *aſcenderunt:* aut, *inſurrexerunt.*

8. *Dabant*] *Dederunt.* ¶ *Centeſimum*, &c.] *Centum, aliud ſexaginta, aliud triginta.* V. Sic paulò poſt.

9. *Audiendi*] *Ut audire poſſit*, q. d. Audiat is cui à Deo donatum eſt ut audita intelligat. Vide Deut. 29. 4.

11. *Myſterium*] *Myſteria.* V. ¶ *Regni cælorum*] Hebr. pro, *regni cæleſtis*, h. e. doctrinæ pertinentis ad regnum cui præficitur Rex cœleſtis. Marcus & Lucas vocant *regnum Dei.*

12. *Qui enim habet*] Sub. *Ut verum ſit quod vulgo dici ſolet, Qui*, &c.

14. *Ut adimpleatur*] *Et adimpletur.* V. ¶ *Dicentis*] *dicens.* V.

19. *Omnis qui*] *Cum quivis.* ¶ *Hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt*] *Hoc eſt* (ſub. *ſemen*) *quod juxta viam ſeminatum fuit.*

20. *Qui autem ſuper petroſa*, &c.] *Quod autem in petroſa ſeminatum eſt, hoc ſignificat eum qui*, &c. ¶ *Verbum audit*] *Verbum Dei audit.* V.

21. *Temporalis*] i. ad tempus credit, nec eſt perpetuus. ¶ *Scandalizatur*] i. hac tentatione velut offendiculo impeditur quominus porro pergat in Euangelio.

22. *Qui autem*, &c.] *Quod autem ſeminatum eſt inter ſpinas hoc ſignificat eum qui*, &c. ¶ *Fallacia divitiarum*] i. divitiæ deceptrices.

23. *Qui vero*, &c.] *Quod autem ſeminatum eſt in terram fœcundam, hoc ſignificat eum qui*, &c.

24. *Simile factum eſt regnum cælorum homini qui*] i. *Similis eſt* Rex cœleſtis Meſſias ei qui, &c.

25. *Superſeminavit*] *Seminavit.*

26. *Creviſſet*] *Germinaſſet:* vel, *pullulaſſet.*

28. *Vis*] *Vis igitur.* V. ¶ *Imus & colligimus*] *Eamus & colligamus.*

29. *Et triticum*] *Cum eis & triticum.* V.

30. *Comburendum*] *Comburendum ea.*

31. *Simile eſt regnum cælorum*, &c.] i. Hoc regnum cœleſte & Divinum quod ineo, parvis incrementis tandem ſummum evadet, inſtar grani ſinapis.

32. *Majus eſt omnibus oleribus*] *Maximum eſt omnium olerum.* ¶ *Habitent*] *Nidificent.*

33. *Satis*] *Satum*, genus menſuræ tantum capiens quantum CXLIV ova gallinacea.

35. *Erat*] *Fuerat.* ¶ *Eructabo*] Vel potiùs, *proferam.*

36. *Venit*] *Venit Jeſus.* ¶ *Ediſſere*] *Diſſere.* V.

37. *Filius hominis*] *Filius ille hominis.*

38. *Filii ſunt Nequam*] *Illius nequam.* Genitivus eſt. i. Satanæ.

40. *Seculi*] *Seculi hujus.*

41. *Omnia ſcandala*] i. omnes illos qui occaſionem cadendi impura vita aut doctrina aliis præbuerint. ¶ *Et eos*] *Et* pro *id eſt.* Exponit enim quos vocet *ſcandala.*

42. *In caminum ignis*] i. in fornacem cujus ignis non exſtinguitur.

44. *Simile*] *Rurſum ſimile.* ¶ *Abſcondit*] Præt. temp. ¶ *Illius*] Quod habet propter illum.

47. *Sagenæ miſſæ*] Vel, *verriculo jacto.* ¶ *Ex omni genere*] *Ex omni genere piſcium.*

48. *Educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem*] *Subduxerunt* (ſub. *piſcatores*) *in littus, & ſedentes collegerunt qua bona erant, in vaſa; mala autem*, &c. vel, *putrea*, ſive, *vitioſa, autem*, &c.

51. *Intellexiſtis*] *Ais illis Jeſus, Intellexiſtis.*

52. *Ideo omnis*] Sub. *Hoc interrogavi vos propterea quod omnis*; &c. ¶ *In regno*] *Ad regnum. Scribam doctum ad regnum cælorum* vocat Doctorem Euangelicum. ¶ *Theſauro*] i. penario.

54. *Synagogis*] *Synagoga.*

55. *Fabri*] Vox Græca ſignificat quemcunque artificem Gallicè *Artiſan*, vel *Mecanique.* ¶ *Maria*] Gr. *Mariam.* ¶ *Joſeph*] *Joſes.*

57. *Scandalizabantur in eo*] Vel, *ſuper eo.* i. Humilitas generis impediebat ne ipſi crederent. ¶ *Sine honore*] *Expers honoris.*

58. *Virtutes multas*] i. miracula multa quæ potentiam Divinam teſtabantur.

C A S T A L I O.

19. *Regnum ſermonem*] Euangelium. ¶ *Malus*] Diabolus. ¶ *Satus eſt*] Semen accepit.

21. *Statim deſciſcit*] Σκανδαλίζεται eſt aliquando *deſerere, deſciſcere*, aut *deficere.* Itaque pro eo ponitur apud Lucam 8. 13. ἀφίστανται.

24. *Cæleſti regno*] Euangelii doctrina.

37. *Filius hominis*] Ego.

38. *Mali filii*] Diaboli filii.

41. *Detrimenta maleficoſque*] Improbos aliis detrimentoſos.

C L A R I U S.

4. *ET dum ſeminat*] E quatuor partibus tres ſine fructu ſunt: pauci enim ſunt qui ſervantur.

12. *Qui enim habet*] Nempe ſtudium & alacritatem.

15. *Incraſſatum eſt*] Vide ut meliorem Euangeliſta reddiderit orationem quàm in Eſaia habetur, ut intelligas ibi eſſe Hebraiſmum.

19. *Cum quis audit verbum regni, & non intelligit*] h. e. non incumbit ut intelligat. Fortaſſe ii ſunt qui hominum gloriam expetunt, ſicut Dominus ait, *Quomodo poteſtis credere, cum gloriam mutuo inter vos accipiatis? Hic ergo eſt*, inquit, *qui ſecus viam ſeminatus eſt. Qui* vero *in petroſa* videntur eſſe puſillanimes puſilleque fidei. Nam qui *inter ſpinas*, apertum eſt quid ſignificet. Et vide ut ne bonam quidem terram inimicus relinquat incorruptam: Iccirco parabolam *zizaniorum* ſubdit: Quæ tamen zizania non vult tolli citra tempus meſſis, non ſolum quia quæ zizania ſunt fieri poſſunt triticum, verum etiam quia in hoc ſpirituali agro tollere ante tempus eos qui bonos exercent, eſt quaſi triticum ante editum fructum evellere. Porro parabolæ *ſinapis* & *fermenti* eò ſpectant ut doceant futurum incrementum ingens Euangelicæ prædicationis.

44. *Quem qui invenit homo abſcondit*] Ubi quis Euangelicam, inquit, philoſophiam aſſequitur, id agit quod ii ſolent qui in aliquo agro inveniunt theſaurum: nam cupiunt tamdiu illum latere dum emunt agrum, ut theſauro potiantur. Illud ergò *abſcondere* ſignificat non invidentiam, ſed affectum ejus qui adipiſci cupit theſaurum, & omne adhibet ſtudium ne eo privetur.

52. *Ideo omnis ſcriba*] Ex attentione, inquit, eorum quæ quis audit & diſcit fit homo aptus prædicationi Euangelicæ, quam hic *regnum cælorum* appellat. Quod autem ait, *nova & vetera*, ſignificat copiam & divitias hujus viri. Simul obſerva, *ſcribam* non à *ſcribendo* appellari: ſed cum libri Legis frequentiſſime vocabulo *Scripturæ* appellentur, qui peritiam Scripturæ intelligendæ ſunt aſſecuti, ii *Scribæ* appellantur. *Scriptura* autem nomen libri Divinæ legis ob excellentiam ſortiti ſunt.

Z E G E R U S.

3. *SEminare ſemen ſuum*] Illud *ſemen ſuum* non perinde dudum à quopiam adjectum conſtat, quo videlicet ſenſus eſſet plenior, ut ne quis illud credat ad germanum contextum pertinere.

14. *Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ, dicens*] Alias legitur, *ut adimpleatur in eis prophetia Iſaiæ dicentis:* atque ita habet Hieronymus.

19. *Hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt. Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt*] Nova elocutionis forma ita dictum eſt, pro

pro eo quod commodius dicere poſſumus, *Hic eſt cui juxta viam ſemen jactum eſt. Cui autem in petroſam terram ſemen receptum eſt.* Vel, *Hic eſt qui cum juxta viam eſſet, ſemen accepit: Qui autem cum petroſus eſſet, ſemen accepit.* Atque ita de reliquis.

24. *Simile factum eſt regnum cœlorum homini qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo*] *Regnum cœlorum* hoc loco & aliis compluribus non aliud eſt quàm Rex cœlorum, ſeu Rex cœleſtis, nempe Chriſtus Dominus, & interdum Deus Pater. Subeſt enim huic verbo phraſis quædam Hebraica quam nos Metonymiam dicere poſſumus. Solenne enim eſt Hebræis poſſeſſo uti loco poſſidentis; & denominativo, loco denominantis. Sic Scriptura etiam nos *regnum* vocat, Apoc. 5. 10. & alias etiam *ſacerdotium*, ut 1 Pet. 2. 5. h. e. ſacerdotes. Sic Chriſtus *pax noſtra* dicitur, i. pacificator; ſic *redemptio*, i. redemptor; & alia multa. Nonnunquam tamen *regnum cœlorum* pro Eccleſia ponitur, ut ibi, *Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus.* Nonnunquam pro re aliqua pertinente ad negotium Euangelicum, ut Luc. 9. 27. *Sunt aliqui hic ſtantes qui non guſtabunt mortem donec videant regnum Dei.* Parabolæ hujus expoſitionem habes infra in ipſo Euangelii contextu, excepta Dormitione, quæ ignaviam & torporem indicat, potiſſimum Prælatorum; Auguſt. l. Quæſt. ex Matth.

28. *Servi autem dixerunt ei, Vis imus, & colligimus ea? Et ait, Non; ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem*] *Non dormiat*, inquit Hieronymus, *qui Eccleſiæ præpoſitus eſt, ne per illius negligentiam inimicus homo ſuperſeminet zizania, h. e. hæreticorum dogmata. Quod autem dicitur*, Ne forte colligentes zizania eradicetis ſimul & frumentum, *datur locus pœnitentiæ, & monemur ne cito amputemus fratrem, quia fieri poteſt ut ille qui hodie noxio depravatus eſt dogmate, cras reſipiſcat, & defendere incipiat veritatem. Illud quoque quod ſequitur*, Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, *videtur illi præcepto eſſe contrarium*, Auferte malum de medio veſtrum: &, nequaquam ſocietatem habendam cum iis qui fratres nominentur, & ſunt adulteri & fornicatores. *Si enim prohibetur eradicatio, & uſque ad meſſem tenenda eſt patientia, quomodo ejiciendi ſunt quidam de medio noſtrum? Inter triticum & zizania, quod nos appellamus* lolium, *quamdiu herba eſt, & nondum culmum venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt, & in diſcernendo aut nulla aut perdifficilis diſtantia. Præmonet ergo Dominus ne ubi quid ambiguum eſt cito ſententiam proferamus, ſed Deo Judici terminum reſervemus, ut, cum dies judicii venerit, ille non ſuſpicionem criminis, ſed manifeſtum reatum de ſanctorum cœtu ejiciat.* Hactenus ille. Pro pleniori autem elucidatione advertendum quod Dominus non ſimpliciter vetuit eradicari zizania, ſed adjecit rationem, dicens, *Ne forte colligentes zizania*, &c. quæ ratio ſi deſit, h. e. ſi periculum nullum ſubſit revellendi una cum lolio tritici, ſed potius periculum ſit ne triticum ipſum evellatur relicto lolio, nihil vetat quo minus jam opportunum malo adhibeatur remedium. Sed hac de re audi non me, ſed B. Auguſtinum ita pronunciantem lib. contra epiſt. Parm. 3. c. 2. *Ipſe Dominus cum ſervis volentibus zizania colligere, dixit; Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, præmiſit cauſam, dicens, Ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis & triticum. Ubi ſatis oſtendit, cum metus iſte non ſubeſt, ſed omnino de frumentorum certa ſtabilitate certa ſecuritas manet, id eſt, quando ita cujuſque crimen notum eſt omnibus, & omnibus exſecrabile apparet, ut vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ: in qua tanto eſt efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior confirmatio charitatis.* Plura habes l. 2. contra epiſt. Parmeniani, c. 2. & epiſt. 48. ad Vincentium hæreticum, & epiſt. 50. ad Bonifacium, item epiſt. 240. ad Donatum. Unde etiam Concilium generale Lateranenſe ſub Innocentio III nihil addubitavit talem in hæreticos proferre ſententiam Can. 3. *Excommunicamus & anathematizamus omnem hæreſim extollentem ſe adverſus hanc ſanctam & orthodoxam catholicam fidem, condemnantes univerſos hæreticos, quibuſcunque nominibus cenſeantur, facies quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipſum. Damnatis vero ſecularibus poteſtatibus præſentibus, aut eorum balivis, reliquantur animadverſione debitâ puniendi; clericis prius à ſuis ordinibus degradatis.* Vide 5. Decretal. tit. De hæreticis.

30. *Alligate ea in faſciculos*] Multi cod. vetuſti omittunt *in*, ſed contra Græcos. Sine *in* legit & Auguſtinus, Quæſt. in Matth. qu. 12.

31. *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo. Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cum autem creverit, majus eſt omnibus oleribus*, &c.] Grano ſinapis ſeſe Dominus comparat, ſemini & ſimul exiguo & acri, cujus virtus ac poteſtas tribulationibus & preſſuris accenditur. Granum enim fuit cum occideretur, ſed idem in excelſam arborem excrevit cum reſurrexit. Granum fuit per humilitatem carnis, arbor per potentiam majeſtatis. Hoc ergo granum ubi à populo comprehenſum & traditum morti tanquam in agro ſatione quadam fuit corporis ſepultum, ultra menſuram omnium olerum excrevit atque excreſcit, & univerſam Prophetarum Philoſophorumque gloriam excedit; ita ut volucres cœli, vagæ videlicet Gentium nationes, ac cæteræ prædeſtinatorum animæ, quæ aurarum ſatanicarum turbine ſtatuque divexabantur, huc advolantes, & quibuſdam virtutum pennis à terrena ſeſe cogitatione attollentes, in Chriſto & Apoſtolis ejus, quaſi in ramis quibuſdam è ſolo in ſublime virtute Chriſti ſublatis & diffuſis, eoque totum mundum inumbrantibus atque à noxio æſtu refrigerantibus, reſideant, & ipſorum dictis, factis & conſolationibus ab hujus vitæ fatigatione reſpirantes conquieſcant. In hunc ſenſum Hilarius, & Gregorius Moral. l. 19. c. 1. Sunt & aliæ hujus & ſequentium parabolarum intelligentiæ: verum nos unica quæ maxime viſa eſt menti congruere Euangelicæ contenti, lectoris cæteras diligentiæ relinquimus requirendas. Cæterum ne cui moveat ſcrupulum quòd Sinapi hic dicitur *omnium ſeminum minimum*, ſciat hoc granum conferri non ſimpliciter cum quibuſlibet, ſed cum olerum duntaxat ſeminibus. Alioqui vinceret Cypariſſi arboris ſemen, quod adeo minutum eſſe traditur ut viſum etiam fallat: vincerent & Papaveris & Rutæ ſemina, quæ inter olera non cenſentur. Quanquam ſat erat in genere verum eſſe quod dicit Dominus. Illud fortaſſe notius quam ut admoneri debeat, *ſinapi* producere mediam.

33. *Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus donec fermentatum eſt totum*] Idem habet hæc cum parabola præcedenti argumentum. Nam id fermentum ipſe Chriſtus eſt, h. e. ipſius vita atque doctrina (juxta illud Matth. 16. 11. & Luc. 12. 1. *Cavete à fermento Phariſæorum*) quam Divina ſapientia, aut, ſi mavis, Eccleſia, immiſcuit mortalium cordibus, ſermonibus atque actionibus, veluti tribus farinæ ſatis: Vel, *tribus ſatis*, i. omne genus hominibus; ut terminatum pro numero accipias indeterminato. Sicut autem unum fermentum diverſas farinæ partes in vires ſuas, quamvis modicum ſit, convertit, ſic quoque humilis Chriſtus virtute Spiritus ſui ſuaque dilectione per ſe ac ſuos Apoſtolos univerſum terrarum orbem convertit. Et quemadmodum fermentum farinæ immerſum non deperditur, ſed totum generis ſui acervum in ſuam paulatim naturam tranſmittit, ita & in Chriſti per paſſionem & mortem abſconſione factum eſt, nobis in ipſius naturam per fidem vivam transformatis. *Satum*, teſte Hieronymo, *menſura genus eſt juxta morem provinciæ Paleſtinæ ſeſquimodium continens.* Exiguum autem fuiſſe regionis illius modium ex illo colligi poteſt quod Ruth portaſſe ſcribitur modios hordei ſex, ut habes Ruth 3. 17. Et huic opinioni favet quod quidam ſcribit neotericus ex traditione Hebræorum, dicens, *Habet menſura Ephi tria Sata; Satum, ſex Cabos: in Cabo autem ſunt quatuor Login: & Log habet ſex ova. Hæc ſi juſte multiplices, à Log incipiendo, invenies Cabum eſſe continentiam* XXIV *ovorum gallinaceorum, Satum vero menſuram* CXLIV *ovorum*, &c. Porro סאה, unde hæc vox videtur deducta, in Bibliis interim *ſatum*, interim *modium* vertitur.

38. *Filii nequam, υἱοὶ πονηροῦ*] i. illius impii, nempe diaboli: nam hunc demonſtrare videtur vis ipſius articuli.

44. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum*] Theſaurus hic in agro defoſſus Chriſtus Dominus eſt, in quo totius noſtræ felicitatis divitiæ collocatæ ſunt; Chriſtus, inquam, Deus, Dei Filius, in terreo corpore, aut, ſi hoc magis placet, in Sacris literis, tanquam in agro quodam reconditus: Quem quiſquis invenerit, ſummo ſtudio adniti debet ut illum (quaſi abſcondendo) in tuto habere, atque adeo omnibus divenditis contemptiſque hujus mundi bonis ſibi poſſit comparare. Non quod ut hic paretur theſaurus neceſſe ſit omnia juxta externum hominem diſtrahere & relinquere, niſi fortaſſe id caſus aliquis expoſceret, ſed quod majus ſit ipſius pretium quam ut quioquam illi debeat præponi.

45. *Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas*] Eadem hic res quæ in proxime præcedenti parabola intelligitur; niſi quod ibi *regnum cœlorum* accipiatur pro Rege cœleſti, cum hic potius pro negotio cœleſti ſeu euangelico aut ſimili quopiam ponatur. Ibi enim regnum

cælorum comparatur ipſi rei inventæ, nempe theſauro; hic vero contra, ipſi homini quærenti. Proinde Margarita, ſicut & Theſaurus, Chriſtus eſt, ſumma atque conſummata noſtra felicitas & gloria.

47. *Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare*] Sagena ſive rete miſſum in mare Salvator nofter, h. e. Chriſti vita atque doctrina, intelligitur, quæ miſſa in hujus ſeculi mare, diverſaque hominum genera retis inſtar complectens, & è ſalſis atque amaris gurgitibus, & ad adſpectum educit veri ſolis. ¶ *Ex omni genere piſcium congreganti*] Quanquam in Græcis non exprimitur *piſcium* vocabulum, ſermonis tamen continentia palam indicat adjiciendum, aut certe ſubaudiendum. Atqui in exempl. Hebræo & Chryſoſtomo verſo & Petro Chryſologo exprimitur. Exſtant tamen codices qui non habent, ſicut nec habet Origenes.

52. *Omnis ſcriba doctus in regnum cælorum ſimilis eſt homini patrifamilias qui profert de theſauro ſuo nova & vetera*] *Inſtructi*, inquit Hieronymus, *eram Apoſtoli ſcriba & notarii Salvatoris, qui verba illius & præcepta ſignabant in tabulis cordis carnalibus regnorum cæleſtium ſacramentis: & pollebant opibus patrisfamilia, ejicientes de theſauro doctrinarum ſuarum nova & vetera, ut quicquid in Euangelio prædicabant, Legis & Prophetarum vocibus comprobarent.* Hactenus ille. Quod ergo dicitur *omnis ſcriba doctus in regno cælorum*, vel, ut Græce legitur, πᾶς γραμματεὺς μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *omnis ſcriba diſcipulus effectus in regnum cælorum*, accipi poteſt aut Doctor in philoſophia Chriſtiana eruditus, aut Doctor qui ex Doctore effectus ſit diſcipulus Chriſti, vel in Chriſtum, qui per *regnum* intelligitur *cælorum*, ſicuti frequenter jam ſe vocavit.

54. *Veniens in patriam ſuam*] Nempe Galilæam, & peculiariter, ut Chryſoſtomo placet, in Galilææ civitatem Nazareth: Id enim colligit ex eo quod ſubjungitur dicentibus Judæis, *Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus*, &c. *Nonne omnes apud nos ſunt?*

55. *Nonne hic eſt fabri filius?*] Hilarius fabrum ferrarium Joſeph fuiſſe ſentire videtur. Philoſophatur enim de fabro ferrum vincente per ignem. Is qui ſcripſit in hunc Euangeliſtam Opus imperfectum *fabrum* eum *lignarium* appellat, hom. 1. Vox enim Græca τέκτων ambigua eſt, nec minus late patet quam Latina *faber*. Ad priorem tamen opinionem accedit etiam Beda, (qui fere non niſi alieno, nempe veterum, ore loquitur) dum ait, *Patrem Chriſti cæleſtem igni operari & ſpiritu*, h. e. *flatu quodam*: adducens etiam illud Mal. 3. 3. *Et ſedebit conflans & emundans argentum*, &c. Idem ſubindicat & Hieronymus ab Hugone Cardinali adductus, ſi modo non fallit allegatio. Neque vero eſt quod hæc opinio contemni debeat, quaſi Chriſto indigna, & majeſtati Divinæ derogans, cum noſtri cauſa ſuſceperit ac pertulit longe etiam viliora. Quanquam equidem nihil hic adſevero; tantum quod invenire potui indico. ¶ *Et fratres ejus Jacobus & Joſeph*] *Fratres* hic appellat Salvatoris noſtri cognatos, idque ex conſuetudine Hebræorum; quemadmodum teſtantur inter cæteros Auguſtinus Quæſt. in Matth. & Hieronymus adver. Helvidium.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ιγ, Περὶ τῆς παραβολῆς.

Matth. ἐν τῷ Λατ. ἅμ. θ, Καὶ ἰδὼν προσέφερον αὐτῷ παραβολὰς ὅτι πλείους βεβλημένοι.

Κοσσάκις αὖτ' ἐνέπῃσι παραβολάς, οἷς ἐπαλαίθη.
Ἄλφος,
Σπέρματα εἰς ἄρουρ' ὁ πρὶν παραβολικὸς ἀφί.

2. Ὥστε αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον ἐμβάντα καθῆσθαι· καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἐπὶ τὸ αἰγιαλὸν εἱστήκει] *Adeo ut navigium ingreſſus ſederet: & tota turba ad littus ſtabat.*

4. Τὰ πετεινὰ] *Volucres.*

5. Τὰ πετρώδη] *Petroſa.*

6. Ἐκαυματίσθη] *Ardore tacta ſunt.* ¶ Ἐξηράνθη] *Exaruerunt.*

7. Ἀπέπνιξαν] *Suffocarunt.*

11. Τὰ μυστήρια] *Arcana.*

12. Περισσευθήσεται] *Cumulatior reddatur*: vel, *abundantior.* ¶ Ἀρθήσεται] *Auferetur.*

13. Συνιῶσι.] *Intelligunt.*

15. Ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία] *Pinguefactum eſt enim cor.* ¶ Ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐπάμμυσαν] *Oculos ſuos clauſerunt.*

19. Παντὸς ἀκούοντος] *Quicunque is ſit qui audit.*

21. Πρόσκαιρος] *Temporarius.*

22. Ἡ μέριμνα] *Solicitudo.* ¶ Ἡ ἀπάτη] *Fallacia.*

23. Καρποφορεῖ] *Fructum fert.*

24. Παρέθηκεν] *Propoſuit.*

25. Ζιζάνια] *Lolium*, vel generalius.

26. Ὅτε δὲ ἐβλάστησεν ὁ χόρτος] *Sed cum germinaſſet herba.*

28. Συλλέξωμεν] *Colligamus.*

29. Ἐκριζώσητε] *Eradicetis.*

30. Μέχρις τοῦ θερισμοῦ] *Uſque ad meſſem.* ¶ Δήσατε αὐτὰ εἰς δέσμας] *Ligate ea in faſciculos.* ¶ Τὴν ἀποθήκην] *Horreum.*

32. Μεῖζον τῶν λαχάνων] *Maximum olerum.* ¶ Κατασκηνοῦν ἐν ταῖς κλάδοις] *Nidulentur in ramis*: q. d. habitent.

33. Ζύμη] *Fermento.* ¶ Ἀλεύρου] *Farinæ.*

35. Ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου] *Effabor occultata à jactu fundamentis mundi*: q. d. eructabo.

36. Φράσον] *Enarra.*

39. Συντέλεια] *Conſummatio.*

42. Ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμός] *Fletus & ſtridor.*

44. Ἀπὸ τῆς χαρᾶς αὐτοῦ ὑπάγει] *Pra gaudio quod accepit ex eo, abit.*

46. Πολύτιμον] *Pretioſiſſimum.* ¶ Πέπρακε] *Vendidit.*

47. Σαγήνη] *Sagena*, quæ eſt genus retis.

48. Σαπρά] *Putria.*

49. Ἀφορίσωσι] *Secernent.*

52. Μαθητευθείς] *Diſciplina inſtructus.*

55. Τοῦ τέκτονος] *Fabri.*

57. Ἄτιμος] *Inhonoratus*: vel *inglorius.*

DRUSIUS.

7. Ascenderunt ſpinæ] Et ſpinæ aſcendunt in agro, & ager aſcendit ſpinis, quando ſpinæ creſcunt in eo. Hoc modo Salomo dixit Prov. 24. 31. *Aſcendit totus ipſe urticis.* De agro pigri loquitur; & hoc ſignificat, Urticæ per totum agrum illum excreverunt; vel, ut cum Plinio loquar, *aſſurrexerunt.*

13. *Videntes non videant*] Hoc loquendi genus quidam Ebraiſmo attribuunt: male: nam eo uſi ſunt Græci, quibus nihil rei cum Ebraicis literis fuit; ut in ſenario illo, Ὁ γραμματεὺς ἄνηρ ὁ βλέπων βλέπων. Ebræi dicerent, *videndo non videbit*, i. ות. Sic mox, *Audiendo non audient.* In ſecundo librorum Moſis, *Videndo vidi vexationem populi mei.* Latine, *Vidi vidi vexationem*: nam conduplicatio illa emphaſin habet.

14. *Auditu audietis*, ἀκοῇ ἀκούσετε] Hieron. *audite auditu, & videte viſu.* Infra v. 15. *auribus audiant.* Sed & ἀκοὴ *aures*: ut poſſis vertere, *auribus audietis.* Cui ſimile in Plauti Captivis, *memoria memini.* Non eſt Ebraiſmus. Nam Ebræi dicerent, *audiendo audietis*; &, *recordando recordar* aut *recordatus ſum*: item, *videte videndo.* Job 42. 5. in edit. vulg. *Auditu auris audivi te.* Zachar. 6. 15. in eadem, *ſi auditu audieritis vocem.* Vide Actor. 28. 26. Levicula & parva hæc quis negat? ſed tamen hæc parva qui ſpernet nunquam ille magnus erit.

20. *Qui ſermonem audit*] In quibuſdam Latinis additum *Dei*; fruſtra. Nam ὁ λόγος eſt ſermo Dei, ut ἡ ὁδὸς via Dei. Sic *præceptum*, præceptum Dei; *verbum*, verbum Dei, etiam ſine articulo. Paulo poſt, *propter ſermonem* διὰ τὸν λόγον. Hinc lux illi loco, *Gloria Dei, celare verbum; & gloria regum, ſcrutari verbum.*

33. *In farina ſatis tribus*] סאים Chaldaice סאין, unde סאתן *ſatum*, menſura eſt non tantum aridorum ſed etiam liquidorum: Lev. 15. 5, 6. *Quadraginta ſata aqua.* Locus iſte habetur in Jonatha, niſi fallor. Satum aliud Jeroſolymitanum, aliud agreſte, quod סרטיא appellant. R. Sal. & Gerundenſis Levit. 7. 2. *Quinque ſata Jeroſolymitana ſunt ſex agreſtia.* Merceri exemplum Ebraicum hic habet, שלש סאין שרי סלת dubito an recte. Nam Gen. 18. 6. שלש סאים, quod Aq. & Sym. reddiderunt τρία σάτα. Hieron. quoque, *tria ſata.* Quanquam in LXX, τρία μέτρα, quod eſt nomen generis. Sæpe ita genus ad certam ſpeciem reſtringitur. *Farina* סמרת dicitur, non סלת, quæ potius eſt *ſimila*, i. flos farinæ. Hieron. in Quæſt. *tria ſata*, *tres amphoras* interpretatur. Sunt etiam quibus *Sea* eſt modius Romanus. Hieron. Beda & Anſelmus ſeſquimodium eſſe tradunt juxta morem provinciæ Paleſtinæ. Ebraica menſura capiebat ſex Cabos; Cabus, quatuor Logos; Logus, ſex communia ova gallinacea.

35. *Per*

35. *Per Prophetam*] Conſentiunt exemplaria Syrum & Metceri Ebraicum. Hieron. tamen teſtatur in nonnullis cod. Græcis haberi, *per Eſaiam prophetam*; quod putat erratum eſſe librariorum, & initio ſcriptum fuiſſe *per Aſaph prophetam*. Ego à recepta lectione non temere diſcedendum eſſe judico. ¶ *Aperiam os meum*] Non omnis qui aperit os loquitur, & tamen *aperire os* dicitur qui loquitur. Quandoque additum, *& locutus eſt*. Legimus etiam, *aperuit & dixit*, pro *aperuit os ſuum*. Alibi, *ſic non aperuit os ſuum*, pro *non eſt locutus*. Loquitur autem in judicio qui ſe defendit, cauſamque agit, & jus quod habet per ſe vel per alium tuetur. Sic uſus eſt hoc verbo aliquoties Jobus. Sed & David rex, cum ait, *ut juſtus ſis cum loqueris*, i. cum cauſam ages in judicio.

52. *Omnis ſcriba*] i. literatus. Sic enim certe vocantur Doctores, quos & *Sapientes*, & *Magiſtros*, i. סופרים appellant. Videndus Elias in Thesbi, rad. ספר. ¶ *E theſauro ſuo*] מאוצרו *è theſauro penario*. Cicero *cellam penariam* appellat. Triplex theſaurus; auri & argenti, frugum, & eſculentorum poculentorumque, h. e. eorum omnium quæ in penario ſervamus recondita. *Penum* appellant, & *penus*, & *penu*. Igitur *e theſauro ſuo*, i. è penu ſua: niſi potius ut hæc intelligamus de loco in quo fruges reconduntur; *apothecam* vocant. Nova enim & vetera ſunt novæ ac veteres fruges: ut cum dicimus *menſis novorum*, τῶν νέων, i. novarum frugum. Quanquam ſunt qui per *nova & vetera* innui exiſtimant N. & V. Inſtrumentum, h. e. Euangelium & Legem; quæ profert ſcriba doctus in regno cœlorum. Nam inde ſua dogmata omnia exſtruit, & quicquid omnino docet ex hoc theſauro tanquam è penu aut apotheca depromit, non ex Ariſtotele aut commentis hominum: quod faciunt hodie qui nomine tenus Theologi, revera tantum Sophiſtæ aut Catechiſtæ ſunt. Non omnes Bacchi ſunt, qui thyrſos gerunt; non omnes coqui, qui cultros geſtant.

CAMERO.

12. Ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ] Proverbialis eſt locutio, qua hoc voluit Chriſtus ſignificare, *Eos qui magni faciunt dona Dei locupletari novis donis, contemptores autem oblata gratia privari illo lumine quod illis affulſerat.* At Chriſtus eo loco tamen non dicit quod dicunt nonnulli, Non abuti Dei donis à nobis eſſe, perinde atque à nobis eſt quod iis abutimur: tantum oſtendit Chriſtus qua ratione Deus agat cum ſuis; nempe dat illis ſpecimen bonitatis ſuæ, & veluti γεῦμα, ſed quo facit ut illi tanto ardentius ſitiant augmentum gratiæ, cum reliquorum corda non perinde afficiat. Quod qui negat neceſſe eſt improbior ſit illo Phariſæo qui, verbo tenus ſaltem, profeſſus eſt ſe debere Deo quod non eſſet ſicut iſte Publicanus; nempe coactus eſt profiteri non modo Dei munus eſſe quod boni ſimus abſolute ſed quod boni ſimus comparate.

29. Ὁ δὲ ἔφη, Οὐ· μήποτε συλλέξητε, &c.] Anabaptiſtæ hinc colligunt non eſſe fas Magiſtratui animadvertere in homines ſceleratos: quod eſt præter Chriſti ſcopum, (ut & illi ipſi reipſa & factis agnoſcunt: nam utuntur excommunicatione, & quidem diriſſima) cum in redditione parabolæ Chriſtus meminerit tantum providentiæ Dei, qua fit ut improbi in hac vita floreant, pœnas aliquando daturi. Sed illis hominibus ſolenne eſt τὸ *formale* parabolarum Chriſti negligere, & τὸ *materiale* urgere; nec animadvertunt parabolis Chriſti utendum eſſe tanquam picta tabella, nempe ut ne putemus quicquid pingitur id habere ſignificationem, ſed certum quid duntaxat, quod ut pingatur reliqua pingi neceſſe eſt. Ita ut reprehendenda videatur illa nonnullorum anxietas & ſolicitudo, qui in parabolis Chriſti omnia ſtudent ad vivum reſecare, quod eſt non interpretari ſed vexare & torquere parabolam.

GUALTPERIUS.

21. Τὰ μυστήρια] Vox Græca uſurpata potiſſimum à ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Significat *arcanum*, vel *rem arcanam, paucis cognitam, niſi initiatis: à* μύειν *res ſacras docere, initiare.* Quod ipſum factum videtur ex μύειν, *claudo, occludo, ore & labris comprimo.* Oportebat enim eos qui dicebantur *Myſta* τὸ σῶμα μύειν ἢ μὴ ἐκφαίνειν ἃ μεμύηνται), Euſtath. Unde μύστης, *Myſta, qui rebus ſacris eſt initiatus, myſteriorum peritus*; & μυστηριώδης, *cui ſubeſt myſterium.* Quomodo autem Pontificii hac voce abutantur quando per *Sacramentum* exponunt, norunt Theologi. Suidas, Μυστήρια ἐκλήθησαν παρὰ τὸ σπᾶν ἀκούεσθαι μύειν τὸ σῶμα, ἢ μηδενὶ ταῦτα ἐξηγεῖσθαι· μύειν δέ ἐστι τὸ κλύειν· μύστης, ὁ τὰ μυστήρια ἐπιτελῶν ἢ διδάσκων. Syrus habet רזא, Chald. רז & רזי vel רזין *Secretus, ſecretum, arcanum, Sacramentum, myſterium*: & רז *ſecreto,*

clanculum. Syre רזא *ſecreta:* quo nomine vocant ſanctæ Synaxeos myſteria. Item רז *Rus* Æthiopica lingua ſive Syroarabica ſignificat *militem & proregem*, maxime quem *Regem ſacrorum* vocant. Unde *Razenni*, h. e. *ſacrorum arcanorumque propagatores* dicti ſunt Janigenæ ſacerdotes in fragmentis Beroſi. Et רזיאל *Raziel* nomen Angeli, h. e. *arcanorum genius. Periti ſcientia*, inquit Guido, De Divino auditu, *dicunt eum præfuiſſe primo parenti Adamo. Exſtant duo libri in Cabala, quorum alter Raziel Magnus, alter Parvus Raziel appellatur*, &c.

13. Ἐν παραβολαῖς] Vox Græca generaliter *comparationem* quamlibet aut *collationem* ſignificat; in Euangeliis, *ænigmaticam & allegoricam comparationem*: ex παραβάλλω, *objicio, confero, compare.* Suidas, Παραβολὴ λόγος αἰνιγματώδης ἢ κεκρυμμένος πρὸς ὠφέλειαν φέρων. Item, Παραβολή, ὑπόμνημα. Ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου· αἰνιγματώδη, ἐκ διηγήσεως λόγων· ἢ ἡ ὁμοίωσις, ἢ τὸ λάλημα, ἢ τὸ ὑπόδειγμα, &c. Syrus habet מתלתא *bephelatha.* Radix eſt פלל *exquirere, contendere, diſputare, altercari.* Inde מתלתא *explicatio.* Syre מתלתא *peletha, parabola, ſimile, allegoria.*

25. Ἔσπειρε ζιζάνια (ὁ ἐχθρὸς) ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου· Sevit zizania (inimicus) inter triticum.

25. Ζιζάνια, *Zizania*] Vox Græca, quam etiam retinet Syrus זיזנא *zizana.* Interpretantur τὸ ζιζάνιον *lolium*, q. σπιζάνιον, παρὰ τὸ τῷ σίτῳ παρεφύεσθαι ἢ συναυξάνεσθαι· vel q. σπιζάνιον, ἀπὸ τοῦ σίτου, & σπάω, *neceo*, quod *neceat frugibus.* Vide Ambroſ. in Hexam. Suidas, Ζιζάνιον, ἢ ἐν τῷ σίτῳ αἶρος, *lolium frumenti, corruptio frumenti, ſemen frumentaceum ex frumenti corruptione provenions.*

31. Κόκκῳ σινάπεως] Σίναπι vel σίναπυ, & νάπυ ἢ νάπυι, *Sinapi.* Dicitur παρὰ τὸ σίνεσθαι τοὺς ὄπας, *quod ledat oculos.* Syrus habet vocem חרדלא *Chardala* ejuſdem ſignificationis.

32. Καὶ γίνεται δένδρον] *In Thalmud Hieroſolymitano legitur de quodam Simone filio Halaptha, quem retuliſſe ajunt, ſe habere in prædio ſuo plantam Sinapis tanta magnitudinis ut ipſe in ſummitatem ramorum ejus poſſet conſcendere, veluti in ficum. Item alius ibidem refert de alia planta Sinapis cujus tres eſſent rami, quorum unus incurvatus fuit ad umbraculum faciendum ſigulis, qui ſub eo in æſtate operabantur: ex quo ramo tandem tres Cabi ſeminis fuerunt collecti, i. e. dimidius Modius. Quamvis autem eximia fuerit terra Sancta ubertas, nolim tamen pro compertis obtrudere: tantum protuli*, ait Tremellius, *ut locum aliqua ex parte illuſtrarem.* Ego Fabulam Judaicam eſſe dixerim. Herodotus *in agro Babylonico etiam milium & ſeſamum arboreſcere* teſtatur.

33. Σάτα τρία] סאין. De hoc menſuræ genere ſupra, c. 5. v. 15.

41. Σκάνδαλα, *Scandala*] Græca vox ἀπὸ τοῦ σκάζειν, *claudicare.* Objectum enim offendiculum cogit claudicare & ad ruinam tendere. Inde σκανδαλίζω, & σκάζω, Matth. 5. & alibi. Quidam Grammaticorum volunt σκάνδαλον idem eſſe quod σκανδαλήθρον, i. e. *lignum decipulæ incurvum, cui eſca alligari ſolet, ut animal eam arrodens decipulam in ſe evertat.* Suidas, Σκανδάληθρον, τὸ ἐν ᾧ παγίσιν ἐπικαμπὴ ξύλα· ἀπὸ τοῦ σκαμπύειν ἢ κεκρυμμένον τὸ ἐμπεσόν. Inde σκανδαληθρίζω, *decipulam tendo, erecto σκανδαλήθρῳ·* & σκανδαληθρίσαι ἐπῶν, Metaphor. *qui verborum laqueis irretiunt.* Syrus eſt מכשולא *machſcula*, ex Rad. כשל *impegit, offendit.* Hebræis מכשול *Michſchol*, ex כשל.

42. Εἰς τὴν κάμινον] Κάμινος, ἡ, *Caminus, fornax*, q. καύμινος, à καίω, vel καίω, *uro, incendo.* Hinc καμινὰ, ἡ, *annus caminis fuligine oppleta*: & καμινευταὶ, ἀπὸ καμινεύτρια, *qui* vel *qua circa caminum laborant*, ſeu *opus faciunt.*

44. Ἀγοράζει τὸν ἀγρὸν ἐκεῖνον] Ἀγρὸς, *ager, rus, fundus, prædium.* Vox Græca, παρὰ τὸ ἀρῶ, τὸ ἀροτριῶ, *aro*, ſatis nota.

47. Σαγήνῃ, *Sagena*] Et hæc Græca vox eſt, ex σάττω. Latini *verriculum* vocant, vel *ſinum retis*, in quem capiti piſces deveniunt. Syris מצדא vel מצדתא *Rete.*

LUD. CAPPELLUS.

13. Βλέπουσι μὴ βλέπουσι, &c.] Sic & apud Æſchylum in Prometheo, οἱ πᾶσι μὲν βλέπουσι βλέπουσι δ' οὐδέν, κλύουσι δ' οὐκ ἄκουσι.

44. Θησαυρῷ κεκρυμμένῳ ἐν τῷ ἀγρῷ] Simile quid (non quoad rem Simili à Chriſto ſignificatam, ſed quod ad ipſum Simile) habet Horatius, Serm. lib. 2. Sat. 6.

> *O ſi urnam argenti fors quæ mihi monſtret, ut illi*
> *Theſauro invento qui mercenarius agrum*
> *Illum ipſum mercatus aravit, dives amico*
> *Hercule.*

GROTIUS.

1. Ἀπὸ τ᾽ οἰκίας, *de domo*] Quæ anguſtior erat quam ut auditores capere poſſet, ut apparet ſupra XII, 46. ¶ ἐκάθητο, *ſedebat*] Docentium more, ut ſupra V, 1.

2. εἰς τὸ πλοῖον, *in naviculam*] Quod vice ſuggeſti, ut ſæpe colliculus.

3. ἐν παραβολαῖς, *in parabolis*] Παραβολὴ, cui reſpondet משל Hebræum, latiore ſignificatu (nam arctius definiunt Rhetores) eſt rerum differentium inter ſe comparatio, quæ adhiberi ſolet ἢ αὐξήσεως ἢ ἐναργείας ἢ ἧς πιθανότητος χάριν [*rei augendæ aut efficacius exprimendæ aut perſpicuitatis gratia*], ut apud loquendi Magiſtros legimus: Cicero *collationem* dixit. Hujus duæ ſunt partes, παράθεσις καὶ ἀνταπόδοσις [*poſitio & repoſitio*]· παράθεσις [*poſitio*] aut à rebus veris aut à fictis petitur. Ad fictam παράθεσιν [*poſitionem*] pertinent fabellæ quas Græci αἶνους vocant: qualis eſt illa apud Heſiodum de Accipitre & Luſcinia, multoque antiquior in Judicum hiſtoria IX, 7. & altera II Samuelis XII. itemque alia in II Paralipomenon XXV, 18. Talis & illa fabella qua Menenius plebem Romanam Senatui reconciliavit, & qua Demoſthenes evaſit ne Alexandro dederetur, & qua Themiſtocles magiſtratuum mutationem diſſuaſit. Poſterior ætas hos λογοὺς vocare cœpit, in quo genere maximum nomen conſecutus eſt Phryx ille fabulator. Sæpe autem ſubticetur ἀνταπόδοσις [*repoſitio*]· cujus moris hanc cauſam adfert Phædrus in fabellis,

—— Servitus obnoxia
Quia quod volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit jocis.

Sed credibile eſt etiam majeſtati orationis conſultum à ſapientibus, & ſimul excitatam auditorum diligentiam: αἶνος autem conciſus [*fabula* conciſa] vocatur παροιμία [*proverbium*], quale illud quod habuimus, *Margaritas porcis non objiciendas*; ideo *fabellam brevierem* Quintilianus vocat. Sed Hebræi & παραβολὴν [*comparationem*] & מָשָׁל [*fabulam*] non dixere; & latius, ut fieri ſolet, correcto ſignificatu, eadem voce appellarunt πᾶσαν λόγου ἐσχηματισμένου [*omnem ſermonem figuratum*], ut videre eſt tum alibi tum apud Ezech. XX, 49. Porro autem quia γνῶμαι [*ſententiæ*] ſolebant efferri tali ſermone, ideo omnes γνῶμας etiam quæ figuram non continebant idem nomen acceperunt, ut videre eſt I Samuelis XXIV, 14. & in titulo libri Solomonis qui multas continet γνώμας ἀσχημάτιστους [*ſententias non figuratas*]. Sic & Latini quaſvis ſententias *proverbia* dixere. Judæi Helleniſtæ, qui ut vim Hebraicarum vocum quam proxime effingant ad Græci ſermonis proprietatem minus ſolent attendere, חידה modo παροιμίαν [*proverbium*] modo παραβολὴν [*parabolem*] vertunt. Atque ita hos Chriſti αἶνους [*fabulas*] (nam paucæ ſunt plenæ παραβολαὶ [*comparationes*]) cæteri Scriptores παραβολὰς, Johannes παροιμίας [*proverbia*] dixit: ſicut viciſſim γνώμη [*ſententia*] vocatur παραβολὴ [*parabola*], infra XV, 15. Familiare eſſe Syris & maxime Palæſtinis uti parabolis docet nos qui in illis locis vixit Hieronymus infra ad cap. XVIII. Seneca epiſtola LIX. *Illi qui ſimpliciter & demonſtranda rei cauſa eloquebantur, parabolis referti ſunt; quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſa qua Poetis, ſed ut imbecillitatis noſtræ adminicula ſint, & ut diſcentem & audientem in rem præſentem adducam.* ¶ ὁ σπείρων, *qui ſeminat*] *Sator.* Nam Hebræos linguæ penuria coegit pro verbalibus participia ponere. Deum autem ſatori comparare frequens Hebræis. Philo De legum Allegoria, σπορὰν ἣν ὁ σπείρας ἐν ἀρετῆς χώρᾳ κατέπεμψε λογικῇ ψυχῇ [*ſemen quod Opifex ſevit in fœcundo ſolo, animæ ratione utenti*]. Idem libro De Coloniis, πάντων γὰρ ἡμῖν εἰσελθεῖν πολλὰ θεόθεν ἀνθρώποις πρὸς ἡμᾶς, ἂν μὴ τὰς εἰθισμένας ἐπιφερομένων, πολὺ μᾶλλον ἡμῖν καὶ γνησίως θεῷ τὰ αὑτῶν γεννήματα [*priusquam humani conceptus ad nos perveniant; Deo pulchram ſobolem gignente ac ſerente etiam ſine eis quæ cooperari ſolent*]. Et alibi ſæpe.

5. Διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς. *quia non habebant altitudinem terræ*] Quia deorſum penetrare non poteſt, vim ſurſum trigit; & quia à terræ ſuperficie non longe abeſt ſtatim ſe oſtentat. Huic loco, nec minus ei qui infra eſt 21. intelligendo non inutilis hic Quintiliani, *Nam ut terra altius effoſſa generandis alendiſque ſeminibus fœcundior eſt, ſic profectus non à ſummo petitus ſtudiorum fructus effundit uberes, & fidelius continet. Nam ſine hac quidem conſcientia illa ipſa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit, & verba in labris naſcentia. Illic radices, illic fundamenta ſunt; illic opes velut ſanctiore ærario recondita, unde ad ſubitos quoque caſus, cum res exiget, proferantur.* Nec illud omittendum ex declamatione Paſti cadaveribus, quæ ſub eodem Quintiliani exſtat nomine, *Aut adſtricta citra conatum ſata ſub ipſis tabuere ſulcis, aut levi rore evocata radix in pulverem incurrit, aut peruſtis torrido Sole herbis moribunda ſeges palluit.* Panegyriſtes Flavienſis in honorem Conſtantini, *Radices enim vitium quarum jam neſcimus ætatem, millies replicando congeſta, altitudinem debitam ſcrobibus excludunt, & ipſam propaginem non debita ſede obtectam* (male editur, *non debitam, ſed obtectam*) *perdunt imbribus eluendam & ſolibus perurendam.*

6. ἀνατείλαντος, *orto*] *Fulgente Sole*, ut זרח Hebræum interdum accipitur. ¶ ἐκαυματίσθη· *æſtuaverunt*] *Torrefacta ſunt*, ut Columella loquitur. Quæ talia ſunt ἀλεύρωσιν vocat Ariſtoteles. Ovidius,

Et minus eſt in te quam ſumma pondus ariſta,
Qua levis aſſiduis ſolibus uſta riget.

Æſtus hic imago gravis vexationis, ut infra exponitur. ¶ Διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν ἐξηράνθη. *quia non habebant radicem aruerunt*] Ἀναλογοῦσι αἱ ῥίζαι τοῖς φυτοῖς τῷ καλάμῳ σῖτα τοῖς ζώοις, δι᾽ ἃ τὴν τροφὴν, τὸ μὲν ἐκ τῆς γῆς λαμβάνει, τὸ δ᾽ ἀπ᾽ αὐτῶν [*reſpondent inter ſe radices in plantis, & ora animantium: per hæc enim nutriuntur illa ex terra, hæ ſuapte opera*] inquit Ariſtoteles. Hæc ergo ſemina, quia deorſum vergere non potuerunt, defecta ſunt radice, ac propterea etiam humore qui ex terra per radicem bibitur. Humoris autem penuria, accedente calore externo, efficit ut exareſcant. Aratus de Sirio,

—— οὐκ ἔπι πάντων ἅμ᾽ ἠελίῳ ἀνιόντι
Φυτὰ λιαὶ ψεύδονται, ἀναλδέα φυλάσσων·
Ῥεῖα γὰρ ὃν ἔκφυσε δι᾽ ἴχνια ὀξὺς αἰθὴρ,
Καὶ τὸ μὲν ἐρρώσασι, τὸ δ᾽ ἥλιος αὖλεν ἀπάντα.

Quæ Marcus Tullius ita περιφράζει [*uberius explicat*],

Hic ubi ſe pariter cum Sole in lumina cœli
Extulit, haud patitur foliorum tegmine fruſtra,
Suſpenſos animos arbuſta ornata tenere.
Nam quorum ſtirpes tellus amplexa prehendit,
Hæc augens anima vitali flamine mulcet:
At quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat foliis ramos & cortice truncos.

Seneca epiſt. LXXXVI. *Et ob hoc naſcentes radices prodire patitur & ſolum apprehendere, quas neceſſe eſt teneras adhuc & precario hærentes levis quoque revellat agitatio.*

7. ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι, *creverunt ſpinæ*] Virgilius,

Carduus & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

¶ ἀπέπνιξαν αὐτά. *ſuffocaverunt ea*] Calpurnius,

—— ſuffocata malignum
Meſſis habet lolium.

8. τὴν καλὴν, *bonam*] Cultam, aratam, ſartam. ¶ ὃ μὲν, *aliud*] ὃ cum accentu: ita enim optimi codices. Perſeverat oratio in neutro genere; neque maſculinum aliquod nomen hic ſubintelligendum eſt. ¶ ἑκατὸν, *centeſimum*] Quod de Sybaritano agro à Varrone proditum, De re ruſtica; à Plinio de Byzacio & Babylonia.

9. Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω· *qui habet aures audiat*] Vide quæ diximus ad cap. XI.

10. αὐτοῖς; *eis*] Hoc eſt, ut Marcus explicat IV, 34. nos quidem ſeorſim multa perſpicue docet, apud turbam autem loqueris ἐν αἰνίγμασι [*per fabulas*], qui, quia διήγησιν [*adfabulatio*] non accedit, habent aliquid αἰνιγματῶδες [*perplexum*]. Et hoc eſt quod Joſephus Albo imprimis Legi Chriſtianæ objicit, quod tradita ſit ἐν αἰνίγμασι [*per fabulas*], cum lex debeat eſſe perſpicua. Sed quod ſibi ſumit longe à vero recedit. Nam ipſa credendi, ſperandi, vivendique præcepta jam ante Chriſtus tradiderat apertiſſimis verbis, ut apparet cap. V, VI, VII. hujus libri & apud cæteros Novi Fœderis Scriptores. At illa ſunt quæ proprie Legis habent rationem. Quæ vero ἐν αἰνίγμασι [*per fabulas*] explicat ſunt alterius generis, quæ Chriſtus ipſe appellat μυστήρια τῆς βασιλείας [*myſteria Regni*]. In quibus partim explicatur diſpenſatio Divina admirabilis, partim quis futurus ſit Euangelicæ inſtitutionis eventus tum in Judæis tum in Gentibus prædicitur. Solere autem vaticinia proponi verbis obſcurioribus fatentur Judæi. Finis enim præcipuus eſt, ut poſtea cum res evenit Divinæ præſcientiæ certitudo appareat. Hinc προφητεία [*Prophetia*] ſæpe vocatur *liber ſignatus.*

11. ὑμῖν

11. *ὑμῖν δέδοται, vobis datum eſt*] Τοῖς νηπίοις, τοῖς ταπεινοῖς [*parvulis, humilibus*], ut ſupra cap. XI. explicatum eſt; vobis qui præcepta illa apertiſſimis verbis propoſita humili ac docili accepiſtis animo. Δέδοται [*datum*] autem, à Patre ſcilicet ad quem ſua omnia Chriſtus ſolet referre. Διδόναι γνῶναι [*dare ſcire*] eſt pro una voce Hebræa נתן. ¶ *ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται. illis autem non eſt datum*] Qui ſibi videntur σοφοὶ ἢ συνετοὶ [*ſapientes & prudentes*], atque adeo præcepta illa ad humilitatem & manſuetudinem ducentia, quæ omnis pietatis elementa ſunt, faſtidioſe reſpuunt. Cum autem tales multi eſſent in turba, ſufficiebat hæc ratio cur ea quæ utilia magis erant quam ad ſalutem neceſſaria obſcurius proponerentur. Si qui erant diſcendi cupidi, poterant extra turbam Chriſtum privatim accedere, & explicationem petere eorum quæ per ſe non ſatis aſſequebantur: quod & Prophetarum temporibus factitatum alibi diximus. Juſtinus, Ὅσα εἶπον καὶ ἐποίησαν οἱ προφῆται παραβολαῖς ἢ τύποις ἀπεκάλυψαν, ὡς μὴ ῥᾴδιον τὰ πλεῖστα εἰδέναι τῶν ἀνθρώπων, κρύπτοντες πρὸς ἐκείνους ἀλήθειαν, ὡς ἂν πόνῳ τοῦ ζητοῦντος εὑρεῖν καὶ μαθεῖν. [*Quæ dixere & fecere Prophetæ comparationibus & figuris occultarunt, ita ut non facile à quibuſvis intelligerentur: ideo vero abdiderunt veritatem, ut eam quærentes invenire & laborarent & diſcerent*]. Simile eſt illud Iamblichi de Pythagora, συνεπιρρέπεσθαι αὐτὸν πρὸς τὸ λεγόμενον, ὅτως οἱ μὲν παρ' ἡμῶν παιδευόμενοι σοφὸς αὐτὸν μεγαλαυχοῖντο· οἱ δ', ὥσπερ Ὅμηρός φησι τὸν Τάνταλον, λυπῶντες ἐπιρρέοντα αὐτῶν ἐν μέσῳ τῷ ἀκροατηρίῳ, μηδὲν ἀπολαύοντες [*ſolitum eum multa occulte dicere, ut ii quidem qui ad puritatem erant inſtituti clare ea intelligerent, cæteri vero, ut de Tantalo Homerus refert, dolerent ex eo quod coram poſitis doctrinis frui nequirent*].

12. Ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ, *Qui enim habet, dabitur ei*] Æquitatem Divini conſilii, cujus ipſe præſcriptum ſequatur, ex tritiſſima inter ipſos ſententia probat, qua & alibi in rem paulo diverſam utitur, ut ἐν γνώμαις [*in ſententiis*] fieri ſolet. Frequens autem eſt ut in ſententiis ejuſmodi vox eadem modo hoc modo alio ſenſu uſurpetur; ut paulo poſt, βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσι [*videntes non vident, audientes non audiunt*]. Et Marci IV, 14, 15. Sic hoc loco ἔχειν modo eſt *uti* modo ſimpliciter *accepiſſe*. Auguſtinus De doctrina Chriſtiana I. *Ille enim ait, Qui habet, dabitur ei. Dabit ergo habentibus, id eſt, cum benignitate utentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit quod dedit.* Tale eſt illud Mimi,

Tam deeſt avaro quod habet quam quod non habet.

Deeſt quia non utitur. Sic *non habuiſſe* talentum infra dicitur, qui ſub terram defoderat; *Habuiſſe*, qui in fœnore nummos poſuerat. Et Ariſtoteli Nicomacheorum VII, 5. dicitur is cui perturbatus animus notitiam recti ἔχειν πῶς καὶ μὴ ἔχειν [*aliquatenus habere, aliquatenus non habere*]. Ariſtonymus, ὁμοίως γὰρ ἀναγκαῖον φρονεῖν καὶ ἔχειν ταύτην ἢ μὴ ἔχειν· τί οὖν ὄφελος τοῦ οὕτως ἔχειν; [*pari modo egebit vitio ſive habeat, ſive non habeat; quid ergo prodeſt ſic habere?*] Columella ex Xenophonte, *Paupertatem certiſſimam eſſe cum alicujus indigeas, uti eo non poſſe. Dabitur autem*, inquit Tertullianus, *adjunctio fidei vel intellectus vel ſalus ipſa.* ¶ καὶ περισσευθήσεται· *& abundabit*] *Diteſcet datis.* Opponuntur apud Paulum περισσεύειν καὶ ὑστερεῖσθαι [*abundare & penuriam pati*]. Simile eſt illud Mimi,

Beneficia plura recipit qui ſcit reddere.

Philo, Τοῖς ἀγαθοῖς ἀγαθὰς εὐτυχῆ ἔοικα γοῦμαι ὁ Θεὸς ἐξ ὧν ὠφελοῦντες ὠφελήσεσθαι [*Bonis bonas cogitationes Deus ſubjicere ſolet, per quas aliis utiles ſe præſtando, plura accipient*]. ¶ ὃ ἔχει, *quod habet*] *Quod jam accepit*, atque eatenus *habere* dicitur: quanquam alio ſenſu apud Lucam dicitur *videri* potius *habere*. *Habere*, inquit Ulpianus, *duplici ſenſu accipitur; nam & eum habere dicimus qui res dominus eſt; & eum qui dominus quidem non eſt, ſed tenet; denique habere rem apud nos depoſitam ſolemus dicere.* Itaque ſi cui aliquid datum eſt ſub conditione, is habet, quia tenet; non habet ſed habere videtur, quatenus non habet jus plenum. Cajus Juriſconſultus, *Non videtur perfecte cujuſque id eſſe quod ex caſu auferri poteſt.* ¶ ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ· *auferetur ab eo*] A majori argumentum. Ingratis, aut qui non utuntur datis, quod datum eſt ſi juſte auferri poteſt, aut ex Lege communi, aut ex pacto, auferri ſolet; tantum abeſt ut plura accipiant: Æquum igitur non eſt ut illis, quamdiu pridem data & ad ſalutem neceſſaria faſtidioſe reſpuunt, alia ingeram. Quin tacite innuitur fore ut tandem etiam humana prudentia, qua ſuperbiebant Judæi, ipſis auferretur: quod & contigit.

13. ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, *quia videntes non vident*] Atqui Marcus Chriſtum dicit hanc attuliſſe cauſam cur arcana Regni obſcurius illis proponeret, ἵνα βλέποντες βλέπωσι, καὶ μὴ ἴδωσι, καὶ ἀκούοντες ἀκούωσι & μὴ συνιῶσι [*ut videntes videant & non videant, & audientes audiant & non intelligant*]· quod & apud Lucam eſt. Sed optime alterum alteri cohæret. Ideo, inquit Chriſtus, obſcurius ad illos loquor, ne poſteriora intelligant, qui priora clare propoſita in animum admittere noluerunt. In Clementis Conſtitutionibus, διὸ ἦρθη ἀπ' αὐτῶν ἡ γνῶσις, ὅτι ἐβίωσε παρῶδον [*ob id ablata eſt illis ſcientia quod quæ videbant prætervidebant*]. Fuiſſe autem adagium etiam apud Græcos receptum, ὁρῶντας μὴ ὁρᾶν, καὶ ἀκούοντας μὴ ἀκούειν [*videntes non videre, audientes non audire*], docet nos Demoſthenes contra Ariſtogitonem. ¶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσι, *audientes non audiunt*] Heraclitus, ἀξύνετοι ἀκούσαντες κωφοῖς ἐοίκασι· φάτις αὐτοῖς μαρτυρεῖ παρεόντας ἀπεῖναι [*imprudentes etiam cum audiunt ſurdis ſunt ſimiles: ſermo adverſus ipſos teſtatur, eos quamvis præſentes ſint abeſſe*]. Quem ſenſum & veteres illi verſus exprimunt,

Οταν δ' ὁ τῆς ᾖ μὴ καθεστηκὼς νοῦς,
Οὐκ ἐς ἀκοὴν ἰδὼν αὐτῷ, ἀλλ' ὁρᾶν.

[*Mens cujus eſt non tranquillo è ſtatu*
Audire nihil is, contueri nil poteſt.]

Ariſtides, ὥσπερ ἐν μύθῳ τινὶ διαῤῥήδην λόγῳ τοῖς νῦν ἀκοὴν δυνατοῖς ἔφρασε, σοὶ δ' οὐδὲν μᾶλλον [*ſermo hic, ut ea quæ per fabulas occultantur, iis dictus ſit qui audiendis talibus apti ſunt, tibi vero nequaquam*]. Sed Chriſtus proprie hic agit de intellectu aſſentiente.

14. ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς, *adimpletur in eis*] Dictum quidem apud Eſaiam de hominibus ſui temporis, ut & locus oſtendit, & Paulus explicat Actorum XXVIII, 25, 26. ſed ita ut illi horum gererent imaginem atque in his multo etiam plenius quam in illis eadem verba implerentur. Vide quæ de voce πληροῦσθαι dicta ſunt alibi. Videtur autem Chriſtus de induſtria dixiſſe ἀναπληροῦται [*adimpletur*], non ἀνεπληρώθη [*adimpleta eſt*], quia iſtius dicti completio in Judæis tractum temporis habuit, ab adventu Chriſti uſque excidium Templi, magis magiſque creſcente & apertius erumpente Judæorum malitia. Vide quem dixi in Actis locum. ¶ Ἀκοῇ ἀκούσετε, *Auditu audietis*] Quin & Matthæi, quiſquis fuit, ſanctiſſimus interpres, & Paulus, aut certe Lucas in Actis hoc in loco, quod alibi non ſemper faciunt, ſequuntur LXX interpretes, ideo non dubito quin judicarint ab iiſdem LXX ſenſum Hebraicum optime expreſſum: quod & mihi videtur. Sicut autem jam vidimus in antecedenti oratione Chriſti, quæ hoc vaticinio confirmatur, à Matthæo culpam Judæorum exprimi ut cauſam impellentem, à Marco autem finem ipſum, cur Chriſtus apud turbam obſcurius loqueretur, pœnam ſcilicet: ita utrumque horum in Eſaiæ verbis arbitror apparere, ſed pœnam prius, deinde cauſam pœnæ, αἰτιολογικῶς [*per ſubjectam rationem*]. In membro priore Eſaias utitur verbis imperativis, LXX autem partim indicativo, partim ſubjunctivo; ſed ſi quis animum advertat, eodem res recidit: ea enim pars quæ Græce indicativum futurum habet, conceſſionem ſignificat; quæ ſubjunctivum, comminationem. Utrumque autem ſolet etiam imperandi modo ſignificari. Sed Interpretes LXX vitarunt τὸ ἀμφίβολον [*ambiguum ſermonem*]: ut ſi dicam, *Audite auribus quantum lubet, nihil intelligetis; & intendite oculorum aciem, nihil conſpicietis tamen*, idem valebit ac ſi dicam, *Audietis quidem, ſed ita ut nihil intelligatis; intendetis aciem oculorum, ſed ita ut conſpicietis nihil.*

15. Ἐπαχύνθη γάρ, *Incraſſatum eſt enim*] Sequitur cauſa quæ Deum movit cur eos ita compellari vellet tum Eſaiæ tum Chriſti temporibus, quia nimirum quæ videre poterant & debebant videre noluerant. Obſtat huic interpretationi apud multos, quod Deus apud Prophetam verbis videtur uti imperativis, perinde quaſi præcipiat Prophetæ ut ipſe cor oblimet & oculos hebetet & aures aggravet, quomodo expoſuit etiam apud Judæos Abrahamus Rabbinus. Quod quanquam accipere ſenſum quendam figuratum eumque non incommodum poteſt, nempe ut jubeatur Propheta facere id quod futurum prædicit, ut apud eundem Jeremiam I, 10. tamen cum Hebraicæ voces non minus ad infinitivum modum quam ad imperativum referri poſſint, Joſepho, Kimchi & pleriſque aliis Hebræorum Magiſtris aſſentiri malo ad infinitivum referentibus, ita ſcilicet ut ſubaudiatur particula ל vel מן [*ob*] vel aliqua ſimilis, quaſi dicas Διὰ τὸ παχυνθῆναι πλεῖον καρδίαν ἢ λαοῦ τούτου [*propter incraſſeſcere cor populi hujus*]. notum enim eſt in ejuſmodi uſu verba tranſitiva & paſſiva promiſcue uſurpari; ut mox ἐπιστρέψωσι [*convertant*]. Ita erit idem ſenſus qui eſt in Græco LXX interpretum, quique

cum

tum Chriſti tum Pauli in Actis Apoſtolicis propoſito multo melius convenit quam alterum illud quod dixi. Nam quod apud Johannem eſt, τετύφλωκεν αὐτῶν τὸν ὀφθαλμούς, καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν [*Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*]· & apud Paulum ad Romanos, Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν [*Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant uſque in hodiernum diem*], puto proprie circumlocutionem eſſe non hujus commatis ſed ejus quod præceſſit ἀκοῇ ἀκούσετε [*audiendo audietis*]· quanquam Johannes, ut & Marcus, partem illam priorem cum hujus commatis poſteriori membro contexuit, quippe reddito magis univerſo ſenſu quam verbis ſingulis, cum Matthæo Pauloque in Actis propoſitum fuerit, ut palam videre eſt, ipſa verborum veſtigia legere. Illud autem παχυνθῆναι καρδίαν [*incraſſari cor*] non quamvis ἀνεσχεσίαν [*incuriam*] ſignificat, ſed eam quæ ex rebus ſecundis naſcitur, ut videre eſt Deuteronomii XXXII, 15. Sic Græci dicunt

Παχεῖα γαστὶ λεπτὸν οὐ πίπτει νόον.
[*Nec ventre ſenſus tenuis à craſſo venit.*]

Erant quidem Judæi ſub Romano Imperio, ſed ita ut moderate ac clementer ſatis regerentur, multa retinentes veſtigia αὐτονομίας [*libertatis*], demta tantum rebellandi licentia. *Cor voluptatibus obſtupefactum* dicit Trebellius. ¶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, *auribus graviter audierunt*] *Craſſis auribus*, ait Apulejus. Τοσοῦτον κηρὸν ἔδυσαν τὰ ὦτα [*tanta cera copia aures tibi obturavere*], Lucianus. ¶ ἐκάμμυσαν, *oculos ſuos clauſerunt*] *Oculos ſibi occluſere* aut *ſugillaverc*, *conniverunt*: nam id præteritum in Latino ſermone probat Priſcianus. Totius biennii prædicatione nihilo facti erant meliores. Etiam Philo dixit τὸ τῶν ψυχῆς ὄμμα κατακλείειν [*animi oculis connivere*]. ¶ μήποτε ἴδωσι, *ne quando videant oculis*] Cohæret apud Prophetam & ejus Interpretes cum poſteriori ſenſu, qui non comminatur, ſed comminationis cauſam reddit; quaſi dicas, Hoc egerunt ne quid intelligerent: neque male Marcus & Johannes eadem ad pœnam referunt: quia & Deus apud Prophetam & Chriſtus hoc loco oſtendunt pœnam fore culpæ ſimilem. Ita apud Moſem legimus, *induravit Pharao cor ſuum*, &, *induravit Deus cor Pharaonis*. ¶ ἰάσομαι αὐτούς, *& ſanem eos*] In Hebræo ad verbum, *& medicetur ei*, aut, *& ſanitas ei obveniat*, à me ſcilicet: nam Deus loquitur. Ideo rectè verterunt LXX ἰάσομαι [*ſanabo*]. Hæc autem medicina, ut & David Kimchi exponit, eſt peccatorum venia. Ideo Marcus pro eodem poſuit καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα [*& dimittantur eis peccata*]. Quod autem Marcus id ipſum, ut & quod præceſſit, ad pœnam refert, poteſt, ut Chryſoſtomo viſum eſt, aut maximam difficultatem ſignificare impetrandæ veniæ, aut etiam ſeveritatem Divinam ad tempus aliquod duraturam. Nam & apud Eſaiam comminatio non ultra Babylonicum exſilium extenditur: & eorum de quibus agit Chriſtus nonnullos poſt Chriſtum crudeliter trucidatum cum acerrimo cordis morſu ad pœnitentiam verſos credibile eſt. Ita enim humanum eſt ingenium, bona obvia ſpernere, negata ardentius concupiſcere:

—— *Virtutem incolumem odimus,*
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Sed & de ſui temporis Judæis agens Paulus, cum dixiſſet eos πεπωρωμένους [*occæcatos*] & excutiente ſpiritu teneri, addidit ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας [*uſque in hodiernum diem*]. Neque male à veteribus annotatum eſt, ſæpe ipſorum hominum intereſſe ut differantur remedia, quo magis quicquid intus impuri eſt ſe promat. Facile enim recrudeſcunt cito obducta vulnera. Non male in hanc ſententiam Origenes περὶ ἀρχῶν [*De principiis*] III. Ἐνίοτε ταχὺν θεραπευθῆναι ὁ σοφὸς καλοῦ γίνεσθαι τοῖς θεραπευομένοις εἶπε ἑαυτὸς χαλεπῶς ἐξεπτοήσεις ἰσχυρῶς ἀπαλλαγεῖν τέτων οἷς ἐξεπτοήθησαν· καταφρονοῦντες γὰρ οἷς ἐνίοτε τὸ παραχρῆμα δεινόν τι φυλαττόμενοι ἐξαπατᾶν αὐτὸ, ἐν αὐτῷ ἔσονται. Διόπερ ὅτι ἐν πολλοῖς ὁ Θεὸς ὁ αἰώνιος, ὁ τῶν κρυπτῶν γνώστης, ὁ εἰδὼς τὸ πάντα πρὸ γενέσεως αὐτῶν, καὶ τὴν χρησομένην αὐτῷ ἑκάστῳ τὴν ταχυτέραν πρὸς αὐτὸν βοήθειαν, καὶ, ἵν' ἅπαξ εἴπω, βοηθῶν αὐτοῖς ὁ βοηθεῖ [*Sæpe cito curari non è re eſt eorum qui curantur. Sic enim facile exſolverunt iis quibus ſe implicuerunt malis: ac ſic contemnentes morbum ut levem, nec ſatis caventes ſibi in poſterum, eodem recidcrent. Quapropter circa tales Deus æternus, qui occulta novit & omnia videt priuſquam fiant, pro ſua bonitate celeri auxilio abſtinet, &, ut ſic loquar, non opitulando eis opitulatur*].

16. οἱ ὀφθαλμοὶ, ὅτι βλέπουσι· καὶ τὰ ὦτα ὑμῶν, ὅτι ἀκούει· *oculi veſtri, quia vident; & aures veſtræ, quia audiunt*] De oculis auribuſque mentis hic agi non dubito. Nam de iiſdem actum erat præcedenti commate. Itaque aliis verbis idem hic dicitur quod dictum erat ſupra commate 11. Quod & connexio commatis 18. apertum facit.

17. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν ὅτι πολλοὶ προφῆται, *Amen quippe dico vobis quia multi Prophetæ*] Cauſam reddit cur Apoſtoli beatos ſe eo nomine, hoc eſt, peculiari à Deo gratia affectos, æſtimare deberent, quia multis Prophetis aliiſque viris ſanctis is honos non contigiſſet, nempe diſcendi tam multa arcana Divinæ diſpenſationis, quæ in Meſſiæ tempora Deus ſervaverat, ut alibi à nobis dictum eſt. Ita ad ſubmiſſionem animi Apoſtolos revocat, facile alioqui cogitaturos, quando iſta patefactio Judæis aliis ob crimina denegaretur, ſibi eam virtutum merito tribui. Huic errori Chriſtus occurrens, Imo, inquit, meliores non eſtis Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Eſaiæ, Jeremiæ aliiſque Prophetis, quibus ea felicitas donata non eſt. Vide Eſaiam LXIV, 4. Ergo quod Judæis aliis negatur, juſtitiæ eſt; quod vobis tribuitur, Divinæ diſpenſationis & gratiæ. ¶ οὐκ εἶδαν· *& non viderunt*] Non iſta omnia, neque tam clare, intellexerunt, ut docet Scriptor ad Hebr. XI, 13. & Petrus I, cap. I, 10, 11. imo ne Angeli quidem, ut à Petro ibidem ſignificari videtur.

19. τὸν λόγον, *verbum*] Optime λόγῳ & ſemini comparatur. Nam & Latine *ſermo* à *ſerendo* dici creditur; & Græci dixerunt ψεύδους κατασκευὴν [*mendacii fictionem*]. Ariſtoteles Nicomachiorum decimo, Δεῖ προεθίσθαι τοῖς ἤθεσι πρὸς τὸ καλῶς χαίρειν, καὶ μισεῖν, ὥσπερ τὴν γῆν θρέψοντα τὸ σπέρμα [*Oportet prius exculi moribus animum auditeris ut qua oportet amet oderitque, velut terram ad fovendum ſemen*]. Cicero Tuſculanarum II. *Philoſophia præparat animos ad ſatus accipiendos eaque mandat hu, &, ut ita dicam, ſerit, quæ adulta fructus uberrimos ferant.* Etiam Plutarchus τὸν λόγον [*orationem*] vocat *ſemen*. ¶ μὴ συνιεὶς &, *& non intelligis*] Id eſt, μὴ προσέχοντι & [*animum non advertit*], ut exponitur apud Homerum σιγῇ νῦν ξυνίει [*nunc attende ſilens*]. Ita in Pſalmo XLI, 1. ὁ συνιὼν ἐπὶ πτωχόν [*qui intelligit ſuper egenum*]. Non temere olim in ſacris acclamatum, *Hoc age*. ¶ ἔρχεται ὁ πονηρὸς καὶ ἁρπάζει, *venit malus & rapit*] Hominum negligentia, ut ſupra vidimus, poteſtatem diabolo in ipſos facit. Quod ergo homines cum audiunt contemnunt expendere, id ille etiam è memoria delet; ita fit, quemadmodum Lucas docet, ut non credant: unde diſcimus incredulitatis cauſam frequentiſſimam eſſe τὴν ἀνεσχεσίαν [*incuriam*]. Quod autem Avibus in parabola reſpondet in explicatione malus Dæmon, apud Judæos novum non erat, qui ſoliti dæmonas *aves* appellare. Patet in libro Zoar & De morte Moſis. Pertinet ad hunc ſenſum Philonis illud libro De Gigantibus, Λανθάνουσι καὶ τοὺς ἐξαίφνης ἐπιπτώσας πολλοὺς αἰφνιδίως ἡ δι' καλῆς φαντασίας, συνακολουθεῖν δι' αὐτὴν καὶ φυλάξαι παρ' ἑαυτοῖς ἀδυνατοῦσιν [*Etiam profanis advolat interdum ſubita quædam honeſti ſpecies, ut concipere eam & apud ſe cuſtodire non queunt*]. ¶ οὗτός ἐστιν ὁ παρὰ τὴν ὁδὸν σπαρείς. *hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt*] Id eſt, *Qui talis eſt* μεταφορικῶς [*tranſlate*] *dici poteſt juxta viam conſitus.* In his comparationibus totum complexum quod vocant complexo reſpondet, non minimæ particulæ particulis. Ideo Lucas homines ſemini comparat συνεπιλογικῶς [*per comprehenſionem*] ex parte complexum denotans.

20. Ὁ δὲ ἐπὶ τὰ πετρώδη σπαρείς, *Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt*] Id eſt, *qui* μεταφορικῶς *dici poteſt ſuper ſaxoſa conſitus.* ¶ εὐθὺς μετὰ χαρᾶς λαμβάνων αὐτὸν· *& continuo cum gaudio accipit illud*] Μετὰ χαρᾶς eſt *libenter*, ut Hebræorum X, 34. λαμβάνειν ſeu δέχεσθαι *acceptare*. Cum vero hic opponatur τῷ μὴ συνιοῦντι [*ei qui non intelligit*], & infra poſitum ſit συνιὼν [*intelligens*] pro eo quod hic eſt μετὰ χαρᾶς λαμβάνων [*cum gaudio accipiens*], videmus hinc fieri vix poſſe ut qui ad verbum Dei animum diligenter advertat eidem non adhibeat aſſenſum. Tertullianus Apologetico, *Qui audierit, inveniet Deum: qui etiam ſtuduerit intelligere, cogetur & credere.*

21. Οὐκ ἔχει δὲ ῥίζαν ἐν ἑαυτῷ, *Non habet autem in ſe radicem*] Optime cohæret cum eo quod dixerat εὐθύς [*continuo*]. Ita de præcoci ingenio dixit Quintilianus quod de præcoci & male cocto affectu Chriſtus hic dicit, *Non multum præſtat, ſed cito; non ſubeſt vera vis, nec penitus immiſſis radicibus innititur.* Similis eſt illa Callidori comparatio in Pſeudolo Plautina,

Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fui:
Repente exortus ſum, repentino occidi.

Radix igitur hic eſt bene meditatum rebus omnibus expenſis propoſitum ſummi boni adipiſcendi, ſpretis rebus aliis. Hoc ipſum τὸ στήριγμα τῆς πίστεως [*firmamentum fidei*] Paulus vocare videtur Coloſſenſ. II, 5. & qui id conſecuti ſunt ἐῤῥιζωμένοι ἐν ἀγάπῃ [*radicati in caritate*], Epheſiorum III, 18. Eadem ſimi-

ſimilitudine uſus Cicero virtutem dixit *altiſſimis defixam radicibus.* ¶ πρόσκαιρός ἐστι *eſt temporalis*] Sicut Paulus πρόσκαιρα [*temporalia*] opponit αἰώνια [*æterna*] II Corinth. IV, 18. ita hic πρόσκαιρος [*temporalis*] oppositus habili καὶ ἐμπεδωμένῳ [*& radicato*] id eſt, ei qui vim ſolidam atque durabilem in ſe continet. Conflat in ſibi dum res ſunt ſatis proſperæ, ut ad Lucam exponit Syrus. Seneca epiſtola IX. *Non quid dixit, ſed quid ſentiat refert; nec quid nos die ſentiat, ſed quid aſſidue.* λόγοι ἡμέρας ἔφοδοι [*Rationis ortus diarius*] Maximo Tyrio. ¶ θλῖψις ἢ διωγμὸς, *tribulatione & perſecutione*] Sumitur & vox διωγμὸν [*perſequi*] generaliter, ut ſibi diximus, & θλῖψις [*tribulatio*] pro eo quod frequentius διωγμὸν [*perſecutionem*] dicimus, ut Actorum XI, 19. Alioqui hoc in loco θλῖψιν pro privata, διωγμὸν pro publica vexatione accipiendam arbitror. Sic Paulus diſtinxit διωγμοὺς [*perſecutiones*] & παθήματα [*paſſiones*], II Timoth. III, 11. ¶ εὐθὺς σκανδαλίζεται *continuo ſcandalizatur*] ἐφ' ᾧ *repente*, ut repente verbum admiſerat. Eſt autem hic μετάληψις [*tranſſumtio*] quæ ex antecedentibi conſequens ſignificat. Nam ἐκ τοῦ σκανδαλίζεσθαι, vult intelligi τὸ ἀφίστασθαι, quod Lucas expreſſit, ſicut qui viæ ſalebris offenditur aliam ſibi viam eligit. Cauſa defectionis ad inſtabilitatem animi refertur, quæ ex ſecuritate naſcitur, ſecuritas ferme ex nimia fui fiducia. Hinc Chriſtus toties ſuos monet ut in tempore, & antequam periculum ingruat, vigilent ac precentur.

22. ὁ εἰς τὰς ἀκάνθας σπαρείς, *qui autem ſeminatus eſt in ſpinis*] Etiam Poetæ curas ſpinis comparant. ¶ ἔστιν ὁ τὸν λόγον ἀκούων· *hic eſt qui verbum audit*] Repete ἐκ πρώτου, καὶ μετὰ χαρᾶς λαμβάνων [*ex ante communiter dicto, & cum gaudio accipit*], aut, ut ſupra infraque dicitur σπαρείς [*qui intelligit*]. Quod autem ſequitur καὶ [*&*] Hebræo more poſitum eſt vice relativi. Senſus enim eſt, Hic eſt qui audit & cum gaudio recipit, ſed in quo curæ ac ſollicitudines hujus ævi verbum ſuffocant. ¶ ἡ μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, *ſollicitudo ſeculi hujus & fallacia divitiarum*] Μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου dici hic videtur id quod Johanni eſt ἀλαζονεία τοῦ βίου [*ſuperbia vitæ*] in Epiſtola I, cap. II, commate 16. ſtudium ſcilicet earum rerum quæ in hac vita ſplendidiſſima videntur, in quo genere excellit honorum & gloriæ cupido, quæ ſapientibus etiam noviſſime exuitur. Pro *divitiis* autem ſapienter hic ponit Matthæus ἀπάτην τοῦ πλούτου [*fallaciam divitiarum*], offendens eſſe quidem divitias in rerum mediarum numero, ſed plerumque meſcari earum dulcedine homines: qua de re inſignia veterum dicta citavimus. Maxime huc pertinet Menandri illud,

— ὁ δ' ἁπλῶς πλοῦτος·
Τοὺς δ' εἰς ἄνοιαν ἐμβαλὼν ἀσπάζεται.
[— — *cum res pecunia eſt;*
Quique actum in ſe deſipere hos cæcos facit.]

Quod imitatus Cicero dixit, *Non ſolum ipſa fortuna cæca eſt, ſed eos etiam plerumque efficit cæcos quos ipſa complexa eſt.* Mimus autem,

Fortuna nimium quos fovet ſtultos facit.

Eſt & ejuſdem Menandri alterum,

Τὴν εὐφροσύνην μου γένοιτ' ἡ λίαν τυφή·
Ὅτι πλοῦτος ἐξαίφνης ἢ κεκλημένοις
Εἰς ἄνοιαν ἀθρόως οὐκ ἐν ᾧ τὸ μεθύειν ἰσῶ.
[*Deliciæ nimiæ pariunt inſidentiam,*
Pecuniaque dominum trajiciunt ſuum
In mores alios quam quos induerat prius.]

Hæc eſt Johanni ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν [*concupiſcentia oculorum*]. Cæterum cur tertiam cauſam quæ itidem ſuffocare ſolet pietatis ſuſcitum, voluptates ſcilicet corporis, quas Johannes dixit ἐπιθυμίαν σαρκὸς [*concupiſcentiam carnis*], Marcus hoc loco τὰς περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίας [*circa reliqua concupiſcentias*], Lucas ἡδονὰς τοῦ βίου [*voluptates vitæ*], Matthæus omiſerit, cauſam hanc fuiſſe ſuſpicor, quod divitiis nominatis eas ſatis putaret intelligi, quia ferme propter voluptates corporis divitiæ expetuntur. ¶ συμπνίγουσι τὸν λόγον, καὶ ἄκαρπος γίνεται *ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur*] Cum per gradus procedat comparatio, videtur hinc de iis agi qui majores quam ſecundi illi profectus in pietate fecerant, atque adeo actis radicibus coperant fructum non illaudabilem proferre, ſed variis cupiditatibus, quas pergine neglexerant, obrui vim illam frugiferam perdunt; hoc enim eſt ἄκαρπος γίνεται [*ſine fructu efficitur*], pro quo Lucas dixit οὐ τελεσφοροῦσι, hoc eſt *ad meſſem uſque frugem non perferunt.* Hujus generis exemplum habemus in Dema, de quo Paulus, ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα [*Demas me reliquit, diligens hoc ſeculum*], II Timoth. IV, verſ. 10. *Strangulari ex copia* dixit & Seneca; & ἀγχεσθῶν Plutarchus.

23. ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν, *in terram bonam*] Plane ſimili modo Philo libro De præmiis ἀρετῶν χώραν [*bonam terram*] vocat τὴν λογικὴν ψυχὴν [*animam rationalem*], quæ à Deo ſit conſita. Sed & libro De Allegoriis verba Jacobi ad Rachelem myſtice ita interpretatur, Οὐ γὰρ ἀνὴρ θεοῦ ἐγώ εἰμι ᾧ μόνῳ δυνατόν ἐστι τὰς ψυχὰς μήτρας (male editur τὰ ψυχῶν μέτρα) ἀνοιγνύναι καὶ σπείρειν ἐν αὐταῖς ἀρετὰς, καὶ ποιεῖν ἐγκύμονας καὶ τόκους τὰ καλά [*Non enim ego ſum Dei vice qui ſolus poteſt animarum uteros aperire ac virtutibus conſerere, & ſic efficere prægnantes & pulchri partus puerperas*]. Rurſus libro De Cæno, Ἀρεταῖς ᾗ πᾶσα καὶ πόλεσι πολίταις ἡμῖς σὺν ἔστιν ἀνδρὸς θεολαχεῖν θυητῷ. μὴ δεξαμένου ᾗ παρ' ἑτέρου θεσπεσίου ἐξ ἑαυτῶν μὴ μόνον ἄθετον κυήσαι· τὰς δὲ ὁ σπείρων τὰ καλὰ, πολλοὶ ὁ τ' ὄλων πατὴρ, ὁ ἀγήρατος θεὸς καὶ τὰ σύμπαντος γόνιμος; σπείρει μὲν ἕν ἑκάστῳ, τὸ ᾗ γόνιμον τὸ ἴδιον ἑαυτοῦ δωρεῖται· γόνιμος δὲ ὁ θεὸς ἑδὲν αὐτῷ, χρεὼν ἄπτ' ἂν ἑδενὸς, πάντα ᾗ τῷ λαβεῖν δεομένῳ [*Virtutibus quæ & multa & perfecta parum nefas eſt dare maritum mortalem. At ſi ab alio genituram non acceperint ex ſe ipſis ſolæ nunquam fient prægnantes. Quis ergo eſt qui pulchre in ipſis inſerit, niſi Univerſi Pater, Deus non genitus & gignens omnia. Serit ergo hic; donat autem ſatum ſuum quem ſevit: nihil enim Deus ſibi ſerit, ut qui nullius rei indigeat, ſed omnia ei qui precatur ut accipiat*]. ¶ ὃς δὴ καρποφορεῖ, & *fructum adfert*] Id eſt, τελεσφορεῖ [*perfert*], ut oppoſitionis ratio monſtrat. Hoc eſt quod Lucas hic dicit καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ [*fructum adferunt in patientia*]. Notum eſt in Apoſtolicis ſcriptis ὑπομονὴν voce plerumque ſignificari *perſeveramiam*, nec quamlibet, ſed eam quæ ad finem uſque perdurat, juxta illud Chriſti, Ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος οὗτος σωθήσεται [*qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit*]. Ex quorum locorum collatione diſcimus hic *fructuum* nomine non præmia operum ſed opera deſignari. ¶ ὁ μὲν ἑκατὸν, ὁ ᾗ ἑξήκοντα, ὁ ᾗ τριάκοντα. *aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud vero trigeſimum*] Poteſt ſimpliciter intelligi ſignificata fructuum diverſitas pro vario ſoli ingenio & culturæ induſtria. Neque tamen inepte fructum triplicem referas ad triplices, ut alibi diximus, Chriſtianos, παῖδας, νέους, πατέρας [*Pueros, Adoleſcentes, Patres*]. Centuplus autem fructus pro ſumma ubertatis menſura ponitur Geneſ. XXVI, 12. Sed & apud Poëtas. Meminit & Plinius *centeſima frugis.*

24. Ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς, *Aliam parabolam propoſuit illis*] משל למשל [*parabolizare parabolam*], ut loquitur Ezechiel XII, 23. ¶ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ σπείραντι, *Regnum cœlorum homini qui ſeminavit*] Tota narratio toti ſignificato comparatur. Utrumque autem, ut diximus, συνεκδοχικῶς [*per comprehenſionem*] indicatur particulis quibuſdam ſæpe non directe reſpondentibus; quaſi dicas, *Ita ſe habet res Euangelii ac ſi quis eat ſatum* &c. quod clarius exprimit Marcus: ἀνθρώπῳ [*homini*] enim hic eſt *alicui*, more Hebræo.

25. Ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους, *Cum autem dormirent homines*] Ἀνθρώπους [*homines*] hic indefinitum eſt, non univerſale; quaſi dicas, *Cum dormiretur.* Hoc autem nihil eſt aliud quam deſcriptio opportunitatis. ¶ ἐπέσπειρε ζιζάνια ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, *ſuperſeminavit zizania in medio tritici*] *Lolium in alienam ſegetem infecit*, ut loquitur Celſus Juriſconſultus.

26. ὁ χόρτος, *herba*] Quam late hæc vox apud Helleniſtas pateat, vide quæ ſupra dicta ſunt ad caput VI. ¶ καὶ καρπὸν ἐποίησε, *& fructum feciſſet*] Deſcriptio non meſſis, ſed ejus temporis quo apparere ſata incipiunt. Marcus, ὅταν δὲ προβῇ ὁ χόρτος [*cum exſeruerit ſe fructus*], id eſt, ut Cantici II, 13.

27. Προσελθόντες δὲ οἱ δοῦλοι, *accedentes autem ſervi*] Hæc allocutio non habet in Chriſti explicatione ullam ſpecialem ἀποκρίσεως [*redditionem*]. Et multa ſunt talia in iſtis aliiſque apologis, quæ non ſunt ad vivum reſecanda: adhibentur enim ad contextum narrationis. Servius ad illud Æneidos I.

Exercet Diana choros;

Hoc non ad deſcriptionem pertinet, ſed eſt Poetica deſcriptionis evagatio. Poſtea, *Multi vituperant Comparationem hanc, neſcientes exempla, vel parabolas, vel comparationes non ſemper quemquam congruere, ſed interdum omni parte, interdum aliqua convenire.* ¶ οὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας ἐν τῷ σῷ ἀγρῷ; *nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo*] Hebraiſmus, pro quo Latini dicerent, *Certe tu probum ſemen in agro ſeveras.*

28. *ἐπλήσθησαν, impleti*] Πλησθῆναι [*abundari*], ut πλησθέντων [*ebriis*] apud Lucam VIII, 14. Et quod hic modo præcessit, καὶ ἐπλήσθη [*& abiit*], quod semel dictum non est cur sæpe repetatur.

29. *ἐκριζώσητε ἅμα αὐτοῖς τὸν σῖτον, eradicetis simul cum eis & triticum*] Est enim lolii genus quod à tritico visu discerni vix potest.

30. *ἄφετε συναυξάνεσθαι, Sinite utraque crescere*] Similis locus in Bereschit Rabba.

31. *Ἄλλην παραβολὴν, Aliam parabolam*] Duabus sequentibus comparationibus indicari puto exiguum numerum Judæorum qui in Christum erant credituri, & incredibilem multitudinem quæ istorum opera ex Gentibus ad veram religionem esset perducenda. Quam late enim quamque brevi tempore sparsum sit verbum salutare, quantosque sine ullis humanis præsidiis profectus fecerit, discimus ex Actis Apostolicis & Epistolis Pauli; quibus addi possunt illustria Scriptorum sequentis ævi loca. Tertullianus iis nationibus quarum nomina in scriptis Apostolicis exstant annumerat, ut jam sua ætate Christo subditas, *Getulorum varietates, Maurorum multos fines, Hispaniarum omnes terminos, Galliarum diversas nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, & Sarmatarum & Dacorum & Germanorum & Scytharum & abditarum multarum gentium & provinciarum & insularum multarum Romanis ignotarum.* Scribebat autem Tertullianus circa annum à Dominico natali ducentesimum. Eo etiam vetustior Irenæus lib. I, cap. 3. Ecclesias nominat *Germaniarum, Galliarum, Hispaniarum, Orientis, Ægypti, Libyæ, Meridiei.* Adde Origenem Homilia IV. in Ezechielem, Arnobium lib. II. Athanasium epistola Synodica, quæ apud Theodoretum historiarum IV, 3. Hieronymum epistola ad Euagrium, Chrysostomum sermone de Pentecoste, Theodoretum Therapeutico.

32. *ὃ μικρότερον μέν ἐστι πάντων, quod minimum quidem est omnibus*] Vide quæ ad capitis XI. comma 11. dicta sunt. Fit autem comparatio ad eas herbas quæ in Judæa erant notiores. Ita infra XVII, 20. *κόκκος σινάπεως* [*granum sinapis*] pro re minima dicitur. ¶ *γίνεται δένδρον, fit arbor*] *In arborem magnitudinem excrescit.* ¶ *κατασκηνοῦν, habitent*] Id est, *ut quasi habitent in ramis ejus*, Psalmo CIV, 13. Neque enim de nidis tantum agitur. Respiciunt hæc verba Nabuchodonosoris somnium apud Danielem IV, 9, ubi est יִדּוּר [*habitabant*]. Vide & quod supra dictum est ad caput VIII. Christi Regnum inter cætera Nabuchodonosoris Regno comparat etiam Tertullianus dicto loco.

33. *σάτα τρία, satis tribus*] Tantum enim simul miscere solebat; ut apparet Gen. XVIII, 6. Jud. VI, 19. 1 Sam. I, 24.

34. *ἐλάλησεν ἐν παραβολαῖς, locutus est in parabolis*] Major Solomone. Supra XII, 42.

35. *Ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου, ut impleretur quod dictum erat per Prophetam*] Ὅπως [*ut*] non significat propositum Asaphi (qui hic προφήτης [*Propheta*] generaliori notione dicitur) sed eventum talem cui verba illa excellentius, imo etiam magis proprie, congruerent. Nam Asaphus מָשָׁל [*parabolam*] & חִידוֹת [*propositiones*] dixit pro *narratione sententiosa* κατ' ἐξοχήν [*per abusionem*], quæ tamen ipsa narratio latentes rerum Messiæ figuras continebat. Hic vero eo nomine indicantur αἶνοι [*scrupi*], qui proprie sunt חִידוֹת, &, si addatur ἀπόδοσις [*redditio*] מְשָׁלִים [*parabola*]. Asapho מִקֶּדֶם est *ab antiquo tempore*, cum proprie significet, ut & Lxx transtulerunt, ἀπ' ἀρχῆς [*ab initio*], quod hic non tam explicando quam applicando dicitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμου [*à constitutione Mundi*]. Ita Paulus hoc ipsum de quo hic agit Christus vocat μυστήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον [*mysterium temporibus æternis tacitum*], Rom. XVI, 25. & alibi μυστήριον ἀπεκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων [*mysterium quod absconditum fuit à seculis*], Colost. I, 26. alibi σοφίαν ἐν μυστηρίῳ ἀπεκεκρυμμένην [*sapientiam in mysterio absconditam*], 1 Corinth. II, 7. Participium autem κεκρυμμένα [*abscondita*] positum hic est vice nominis αἰνίγματα [*scrupos*], aut, ut Lxx habent, προβλήματα [*propositiones*], quia quod sequitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμου [*à constitutione Mundi*] cum participio rectius cohæret. Sæpe autem, ubi de Euangelii doctrina Deique circa eam dispensatione agitur, mentio fit creationis mundi, ut ostendatur jam tum hoc in Dei consilio fuisse agitatum, atque eo directa omnia. Vide dictum locum 1 Corinth. II, 7. καταβολὴν [*constitutionem, fundationem*] autem κόσμου [*mundi*] pro *mundi creatione*, transtulerunt ab ædificiis loquendi genus, passim Euangeliorum Scriptores, sed & Paulus ad Ephesios, Petrus quoque, & Scriptor ad Hebræos usurpant, & in Apocalypsi Johannes, ut appareat receptissimam eorum temporum φράσιν [*locutionem*] fuisse.

¶ *ἐρεύξομαι, eructabo*] Hebraum נביעה exponunt Hebræi & Lxx quoque aliis locis, ut Psalmo XIX, 3. quanquam hic posuerunt φθέγξομαι [*effabor*]. Significat hæc vox orationem large erumpentem.

38. *ὁ δὲ ἀγρός ἐστιν ὁ κόσμος. agor autem est mundus*] Ne putarent Discipuli in sola Judæa, ut hactenus, spargendum id semen. ¶ *τὸ δὲ καλὸν σπέρμα, ἐκεῖνοί εἰσιν οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας bonum vero semen hi sunt filii Regni*] Usu hic venit quod supra ex Luca observavimus in prima parabola. Nam ut ibi ille dixerat τὸ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσόν ἐστιν οὗτοι οἱ ἀκούσαντες [*quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt*], pro eo quod proprie magis Matthæus dixerat ὃ εἰς τὰς ἀκάνθας σπαρείς οὗτός ἐστιν ὁ τὸν λόγον ἀκούων [*qui seminatus est in spinis hic est qui verbum audit*]: ita hic τὸ καλὸν σπέρμα [*bonum semen*] pro toto complexo ponitur, cum alioqui dicendum fuisset οἱ τῷ καλῷ σπέρματι σπαρέντες [*qui bono semine sunt consiti*]. Crasse igitur Manichæi ex his & sequentibus verbis colligebant naturas ipsas bonas malasque à Deo & diabolo seri. ¶ *οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ. filii illius nequam*] Non quilibet quique mali homines per Lolium denotantur, sed hi qui Christianum nomen profitentur. Hoc est quod dictum erat *lolium seri inter triticum*, & infra ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ [*de Regno suo*]. Et mox in similis sensus comparatione τὰ καλὰ καὶ τὰ σαπρὰ [*bona & mala*] sunt in eodem evangelio. Sicut autem *filii Dei* dicuntur qui Dei virtutem imitantur bonitatem, ut supra V, 9 & 45. ita *filii diaboli* qui diaboli imitantur malitiam, Johannis VIII, 44.

39. *σπείρας αὐτά, qui seminavit ea*] Magna vitiorum seges enascitur hominum somnolentia, diaboli astu, Dei sapiente ac justa permissione. ¶ *συντέλεια τοῦ αἰῶνος, consummatio seculi*] Scriptori ad Hebræos συντέλεια τῶν αἰώνων est tempus destinatum Messiæ adventui, Matthæo tempus judicii universalis. Ita Hebræis *seculum futurum* modo est tempus Messiæ, modo Resurrectionis. Et *Regnum Dei* sive *Regnum cœlestis* modo hoc, modo illud significat.

41. *πάντα τὰ σκάνδαλα, καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν omnia scandala & eos qui faciunt iniquitatem*] In hoc tota vis est comparationis. Initio Christiana Ecclesia erat admirandæ puritatis, ex hominibus constans plenis Spiritu sancto, aut certe Spiritum illum jam jam exspectantibus. Sed ubi prima illa dilectio refrixerat, jam ipsis Apostolorum temporibus, multoque magis postea, immiscere se Christianis cœperunt duo hominum vitiosorum genera, alii prava docentes, alii puram professionem vita turpi dehonestantes. Prioris generis homines σκάνδαλα [*scandala*] hic vocantur. Neque enim ea vox facta tantum sed & hominibus tribuitur, ut infra XVI, 23. Sicut autem Paulus alibi conjunxit διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν [*dissensiones & offendicula præter doctrinam*], Romanorum XVI, 17. ita hic σκάνδαλα [*scandala*] sunt οἱ διχοστατοῦντες, seorsum abeuntes à veræ pietatis doctrina. Nam & quod Christus dixerat ἀνάγκη ἐστὶν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα [*necesse est ut veniant scandala*], Paulus ita extulit, δεῖ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι [*oportet hæreses in vobis esse*], 1 Corinth. XI, 19. Atque ita hanc vocem usurpare frequenter solebant Christiani veteres. Origenes quinto adversus Celsum, Ἀλλὰ γὰρ τὸ τῶν σκανδάλων γένος πολὺ ἐν τοῖς χείμασιν πίστεως ἐστι, ὅπερ εὐσχήμων λόγος ἐστὶ τῶν ἀφεστηκότων ἀπὸ τῆς ὑγιοῦς διδασκαλίας σπουδαίως καὶ διεξοδικῶς [*Certe scandali nimium frequens est in fide genus, quod usurpare solemus de iis qui simpliciores & faciles à sana doctrina averterunt*]. Tales præcipue fuerant Nicolaitæ & Gnostici ac Carpocratitæ, specialiter notati in Epistolis Petri & Judæ, qui sub specie libertatis Christianæ docebant ἀδιάφορα [*in mediorum genere*] esse ea quæ naturali honestati repugnant. Alterum genus hominum sunt qui nihil quidem pravi docent, sed non ex regula Christiana vitam instituunt, ἀδελφοὶ ἀτάκτως περιπατοῦντες [*fratres ambulantes inordinate*], ut loquitur Paulus II ad Thessalonicenses III, 6. 11. Cum utroque hoc hominum genere Apostolis eorumque successoribus magnum fuit negotii. Neque dubium est quin si tales quales erant cum Christus hæc loqueretur mansissent, Apostoli opertum fuerint ignis de cœlo tales homines consumeret; quod illos consuluisse arbitratos in Samariæ vicanis Christum eum recipientibus Lucas nos docet IX, 54. Adversus hanc vehementiam, non quæ oportet lenitate temperatam, munit eos Christus, offendens hoc suum consilium, Patri in Christianismo probos improbis, prava docentes recta doctrinæ permixtos vivere, usque dum maturuisset universalis judicii tempus. Tertullianus, *Quo, inquit, æternum judicium destinasti post seculi finem, nisi præcipuam differentiam, quæ est conditio judicii? ante finem.* Cur autem sibi ita videatur, causas Christus hic non exponit, nisi quod obscure innuisse eas videri potest cum dixit, Cavendum ne cum lolio simul evellatur triticum. Sed ex aliis Sacrarum literarum locis eas colligere non usquequaque difficile est.

Nam

Nam primum quod ad pœnas generales attinet, quales ſunt diluvia, incendia, alizeque id genus peſtes, cum non poſſint ita infligi ut ſolos improbos contingant, proborum etiam paucorum cauſa Deus aut iis abſtinet, aut certe eas temperat. Vide Geneſ. XVIII, 32. & id quod infra eſt XXIV, 22. Deinde inter prava docentes aut extra regulam viventes ſunt alii aliis ſanabiliores, quorum pœnitentiam Deus patienter opperitur. Ob hanc cauſam dicit Petrus ultimum judicii diem differri, quia Deus *patienter cum hominibus agat, nolens quenquam perire, ſed omnes potius velens pervenire ad pœnitentiam*, II Epiſtola, capite III, comnate 9. Præterea vero pravi doctores, & qui vitæ ſunt inemendatæ bonis ac probis materiam præbent in qua conſtantiam ſuam & lenitatem exerceant; conſtantiam dum malis exemplis non patiuntur ſe abripi; lenitatem dum eos quovis modo ſtudent ad meliorem viam retrahere. Hoc eſt quod Paulus dicit, ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν [*ut qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis*], I Corinth. XI, verſ. 19. quod non incommode explicat Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos quæſtione XXII. Quanquam vero certiſſimum eſt, hoc Chriſti dicto neque Magiſtratibus publica judicia adimi quæ malos formidine pœnæ coerceant, neque Eccleſiæ jus ſegregandi à ſuis cœtibus eos qui aut doctrinam adulterant, aut vitæ turpitudine maculant nomen Chriſtianum, tamen quin lenitas ac patientia Divina, aliqua ſaltem ratione, hominibus omnibus atque inter cæteros etiam Magiſtratibus & Eccleſiæ præpoſitis imitanda proponatur, minime eſt dubitandum. Nam etiam in lenitate adverſus malos Patris noſtri bonitatem jubemur exprimere ſupra V, 45. Et de clementia quidem in publicis judiciis adhibenda ſupra aliquid diximus; Quæ ſane tum præcipue locum habere debet cum aut apparet ingenium eſſe ſanabile, aut propter multitudinem peccantium exerceri pœna aliter nequit niſi ut ſontibus inſontes involvat: quod præcipue locum habet quoties delicti cauſa bella ſuſcipiuntur. Sed & Eccleſiæ judicia magno cum temperamento ac lenitate exercenda eſſe paſſim docemur. Sunt enim & in dogmatibus errores ejuſmodi in quibus locum habere debeat, Τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν [*Infirmum in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum*]. Et abſtineri quidem à familiari nimium convictu τῶν ἀτάκτων [*inordinatorum*] vult Paulus, ita tamen ut non habeantur pro deploratis, ſed fraterne admoneantur. Jam vero quoties magnus erat peccantium numerus, atque inter eos, ut fit, multi excuſabiliter prolapſi, remiſſum aliquid de rigore diſciplinæ multis exemplis probari poteſt. Et notæ ſunt Auguſtini in eam rem ſententiæ. Scriptor Quæſtionum ad Orthodoxos, itemque Chryſoſtomus & Hieronymus hanc Chriſti parabolam de hæreticis interpretantur; non male, cum ex collatione aliorum locorum, ut jam diximus, apparent σκανδάλων [*ſcandalorum*] vocem huc potiſſimum pertinere. Auguſtinus eandem ſecutus interpretationem diu ejus fuit ſententiæ ut exiſtimaret nullas omnino pœnas uſurpandas in eos qui vocantur hæretici. Sed poſt multa cum Donatiſtis, hominibus ſatis pertinacibus, certamina hactenus ſententiam mutavit, ut eas pœnas non improbaret quæ pœnitentiæ tempus relinquerent: capitalibus autem ſuppliciis interceſſit ſæpiſſime. Si veteſtioris Chriſtianiſmi exquiramus ſententiam, inveniemus ſine argumenta quæ ipſi ut validiſſima torquent adverſus paganos, id comprehendere quod adverſus hæreticorum ſupplicia non minus recte poſſit uſurpari. Neque enim contenti veritatem fidei ſuæ defendere, probant, Etiamſi graviter errarent, tamen ejus cauſa pœnas in ſe non eſſe exercendas. Conſtantinus Imperator cum primis edictis liberum debere eſſe omnibus ex animi ſui ſententia Dei cultum profeſſus eſſet, poſtea, ſeu quod imperio ita conducere arbitraretur, ſeu quod Epiſcopi laborem quotidianæ diſputationis ſubterfugerent, pœnas conſtituit in eos qui ſe à communione τῆς μεγάλης ἐκκλησίας [*magnæ Eccleſiæ*] ſeparaverant, ſed maxime pecuniarias. Inter ſegreges iſtos erant & Novatiani, homines, ut apparet, minime mali (non de ſectæ inſtitutoribus ſed de eorum poſteris loquor) & in dogmatibus ſatis conſentientes cum cæteris, cupidi tantum rigidioris cujuſdam diſciplinæ. Secuti Imperatores, ut expedire rebus ſuis judicabant, ita aut coërcuerunt aut diſſimularunt conventus ſegreges, qui indies novi novique ſuccreſcebant, ita ut Chriſtianarum ſectarum inire numerum res ſit difficillima. At pœnæ capitales adeo omnibus inviſæ erant, credo ob memoriam paganæ ſævitiæ, ut in Gallia Epiſcopi qui auctores Poteſtatibus fuerant ut in Priſcillianiſtas, praviſſimorum dogmatum auctores & vitæ inquinatæ homines, gladio animadverteretur, eam ob cauſam ab Eccleſiarum amoti ſint communione, & in Oriente damnata Synodus quæ in Bogomili exuſtionem conſenſerat. Certe Ario, Macedonio, Neſtorio, Eutycheti, novarum ſectarum principibus nihil durius relegatione evenit. Videntur Ariani Imperatores & ejuſdem ſectæ in Africa Reges primi graviora ſupplicia inſtituiſſe, deinde etiam imbuiſſe manus diffidentium ſanguine. Quæ poſtea ſecuta ſint tempora, nihil opus eſt referre. Non quævis mors viſa ſufficere: ſed in exquirendis ſuppliciis ingenium ſuum ſævitia exercuit. Anathemata non in homines ſed in populos pronuntiata; &, ne bruta hæc eſſent fulmina, accenſi Reges ut ferro flammaque provincias exſcinderent, nullo ætatis, nullo ſexus diſcrimine. Ita ubi ſolitudinem fecerant, pacem appellabant. Et his omnibus obtendi ſolet ſtudium Divini nominis, ſed plerumque obtendi tantum. Nam Deus dedignatur coacta ſervitia, nec placere illi poteſt quod vi humana exprimitur. Reipſa ſolent qui ſic faciunt, non nomini Divino, ſed ſuis honoribus, ſuis commodis & tranquillitati conſulere, quod ſcit ille qui mentes introſpicit. Atque ita fit ut lolium evellatur cum tritico, innocentes cum nocentibus; imo ut triticum ſæpe ſumatur pro lolio. Non enim tam bene agitur cum rebus humanis ut ſemper meliora pluribus aut validioribus placeant. Sed ut in grege taurus, ita inter homines qui viribus eſt editior, imbecilliorem cædit; & iidem ſæpe quæ pati ſe querebantur mox in alios audent. At ita paſſim agere ſi fas eſt, non video cur nobis dicere non liceat, *militia noſtra arma carnalia eſſe*, quod negat Paulus; non video quæ futura ſit Chriſtianæ patientiæ exploratio, aut cur non inverti in partem alteram poſſit quod dictum eſt, Ὁ κατὰ σάρκα γεννηθεὶς ἐδίωκεν τὸν κατὰ πνεῦμα [*Qui ſecundum carnem natus fuerat perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum*], Galat. IV, 29. Sunt qui ſæviſſima quæque defendunt Judaicæ Legis exemplo. Ut jam nihil dicam de Legis Veteris Novæque diverſo ſpiritu, quos tandem ferit illa lex? nimirum eos qui maligniſſimo propoſito hoc agebant ut homines ab uno vero Deo abducerent, ab eo, inquam, Deo quem & Natura docebat & tot miracula apertiſſime teſtabantur. At Chriſtianæ religionis pleraque non natura nobis nota ſunt, ſed cœleſti patefactione; & miracula quibus olim ea religio obſignata eſt ad ſummam doctrinæ pertinebant, non ad ſingula capita quæ in controverſiam veniunt. Imo fatentur veteres etiam apud eos quos vocabant hæreticos aut ſchiſmaticos (ſæpe laxato nimium nomine, ut apud Epiphanium imprimis videre eſt) fieri miracula, Deo ſcilicet id curante, non in erroris confirmationem, ſed in teſtimonium ejus doctrinæ quæ diverſis cœtibus erat communis. Hæc autem non eo dico animo quod judicio eximere velim Gaulonitas & Theudas, qui mentito religionis nomine bella excitant, aut imperii ſtatum concutiunt, aut circumcelliones in Africa latrocinio graſſantes, aut ſi quid eſt horum ſimile. Scelera enim manent ſcelera quocunque nomine commendentur, imo eo ſunt exſecrabiliora quo ſpecioſiorem ſibi titulum induunt. Sed facta velim diſcerni ab opinationibus, ut quæ non æque ſint ἐφ' ἡμῖν [*in noſtra poteſtate*]. Opinationum autem ambitu ſimul ea comprehendo quæ opinationes quaſi neceſſario ſequuntur. Sed & opinationum obſervari diſcrimen, tum ex ipſarum natura prout à vera pietate plus minuſve abducunt, tum ex cauſa quæ homines in errorem pellexit. In dubiis autem rebus ſemper eligi id quod eſt mitius leniuſque, ne ille quem Dominum noſtrum profitemur neceſſe habeat nobis dicere, *Neſcitis quo ſpiritu ducamini.* ¶ ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν. *eos qui faciunt iniquitatem*] Intelligendum ut ſupra VII, 23.

42. εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός· *in caminum ignis*] אל־תוך כור־האש [*in fornacem ignis ardentis*], ut eſt in Daniele III, 6. quod hic ſecutus eſt Syrus. Lolium atque alia id genus in ignem conjici ſolere patet ex iis quæ ſupra III, 12. VI, 30 & alibi. Plutarchus ab Ædilibus quibuſdam ait cautionem interpoſitam ne balneorum conductores ad ignem lolio uterentur. Simul autem alluditur ad ſupplicium vivicomburii, quod in Oriente erat uſitatum. ¶ ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς, *ibi erit fletus*] Vide ſupra VIII, 12.

43. Τότε οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν, *Tunc juſti fulgebunt*] Optime Danielem interpretatur Chriſtus. Nam משכילים Hebræis dicuntur qui ſapienter vitam inſtituunt. Vera autem pietas, vera eſt ſapientia. Rurſum bene dixit Chriſtus τότε [*tunc*], quaſi dicat, Tunc cum Eccleſia ab omni malorum hominum contagio erit purgata. Scriptor Sapientiæ III, 6. loquens de juſtis, ὡς χρυσὸν ἐν χωνευτηρίῳ ἐδοκίμασεν αὐτούς [*tanquam aurum in fornace probavit illos*]. deinde, καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσι [*& in tempore reſpectus eorum fulgebunt*]. ¶ ὡς ὁ ἥλιος, *ſicut Sol*] Hinc videmus *fulgorem cœli* apud Danielem eſſe Solis περίφρασιν [*circumlocutionem*], ut ſæpe *jubar* apud Latinos. Sed & Paulus gloriam eorum qui inter juſtos maxime excellunt Soli comparare videtur

1 Corinth. xv, 41. & ſequentibus. ¶ *Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. Qui habet aures audiendi audiat*] Puto clauſulam hanc ad præcedentia potius quam ad ſequentia referri. Nam ſimilem uſum ejuſdem *θορυβήματος* [*acclamationis*] habuimus hoc capite. Hoc ergo dicit Chriſtus, Advertite animum ad exitum cui pii atque impii deſtinantur: id vobis adverſus præſentis ævi moleſtias & impiorum proſpera erit ſolatium.

44. *Πάλιν ὁμοία ἐστίν, Rurſum ſimile eſt*] Hæ fabellæ ſive Apoſtolis ſolis ſive coram turba propoſitæ ex prioribus explicationem accipiunt. Itaque duas harum priores, quanquam *ἐπιμυθίου* [*adfabulationem*] non habent, ut ſatis intellectas, peculiariter ſibi explicari non deſiderant Apoſtoli, ut apparet infra 51. ¶ *κεκρυμμένῳ, abſcondito*] Supra verba Euangelii dicta erant *κεκρυμμένα* [*abſcondita*] commate 35. Eſt ergo *theſaurus ὁ λόγος*. ¶ *πάντα ὅσα ἔχει πωλεῖ, vendit univerſa quæ habet*] Significat nimium ſtudium gloriæ, divitiarum & voluptatis abjiciendum, &, ſi preſſura ingruat, omnia, etiam vitam ipſam abdicandam, ut verbum ſalutare ſit non uſu tantum temporario ſed jure mancipii noſtrum, hoc eſt, ut in ejus verbi obedientia ad finem perſeveretur. Petenda ergo explicatio ex iis quæ dicta ſunt commate 20, 21, 22. Videtur Jure Hebræo theſauri proprietas agri dominum ſecuta. ¶ *ἀγοράζει τὸν ἀγρὸν ἐκεῖνον. emit agrum illum*] Id eſt, omnimodo nititur fidem ſuam firmam ac ſtabilem reddere, ut ſit non *ἕξις* [*facilitas agendi*] tantum, ſed, ut Clemens Alexandrinus loquitur, *ἕξις ἀφθαρτίζουσα, in naturam verſa.* Ita enim ille eo verbo aliquoties utitur.

45. *Ζητοῦντι καλοὺς μαργαρίτας. quærenti bonas margaritas*] Doctrina Euangelica quibuſdam affulſit neque de Deo neque de vita emendanda neque de ſpe vitæ alterius quicquam cogitantibus, quales erant plerique in gentibus externis quibus illud vaticinium Paulus aptat, *Inventus ſum non quærentibus me.* Erant & ſapientiæ ſtudioſi inter Judæos atque alibi, qui veritatis cognoſcendæ deſiderio quodam tangebantur, quive Prophetam aliquem aut ipſum etiam Meſſiam avidis animis exſpectabant. Priores reſpicit Theſauri comparatio; poſteriores iſta de Unione.

46. *πολύτιμον μαργαρίτην, pretioſa margarita*] Notum Judæis mercimonium Maris Rubri vicinitate. *Principium*, inquit Plinius, *culmenque omnium rerum pretii margaritæ tenent.* Sicut ergo *theſaurum invenire* dicitur qui ingens bonum eſt adeptus, ita res pretii maximi *Unioni* optime comparatur. Reſpexit autem Chriſtus notam inter Judæos *γνώμην* [*ſententiam*], quæ docet Sapientiam præferendam & auro & margaritis, quæ extat in Gnomologico Solomonis VIII, 10, 11. cui ſimilia invenies & in Pſalmis.

47. *σαγήνῃ, ſagena*] *Everriculo.* Ulpianus Juriſconſultus, *Si quis me prohibet in mari piſcari vel everriculum, quod Græce σαγήνη dicitur, ducere.* Ex ita appellavit Varro De re ruſtica. Eſt autem everriculi ea natura, quemadmodum vox ipſa oſtendit, ut quicquid obvium eſt ſecum trahat. Hinc Cicero de dolo malo judicium *everriculum* vocat *malitiarum*, quia nullum genus malitiæ ejus judicii formulam poteſt effugere. Homerus hoc ipſum retis genus *παναίγιον* vocavit, ut à Plutarcho annotatum eſt libro quo De ſolertia terreſtrium & marinorum animantium diſputat. Hinc videmus cur hoc potiſſimum retis genus hic Chriſtus nominaverit. ¶ *ἐκ παντὸς γένους, ex omni genere*] Quanquam ſolent & alia venire in everriculum, puto tamen recte hic à Latino interprete *piſces* intelligi: Solemus enim quiddam commune ſed definitum animo complecti cum *omne genus* dicimus. Ergo *σαπρὰ* ſunt nugamenta & quiſquiliæ piſcium, quod genus ut ſervatu indignum videmus à piſcatoribus abjici. Arrianus *ῥῖψον ἔξω, ἀδόκιμόν ἐστι, σαπρόν* [*abjice, rejectaneum eſt & nullius pretii*].

48. *ἀναβιβάσαντες, educentes*] Hoc eſt quod Romani Juriſprudentes vocant *retia è mari ſubducere.*

49. *Οὕτως ἔσται, Sic erit*] Idem *ὑπόδειγμα* [*interpretamentum fabulæ*] quod in comparatione Lolii & Frumenti. Sunt ergo hic *οἱ πονηροὶ* [*mali*], ut ſupra *οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ* [*filii illius nequam*], illi qui in prædicatione Euangelica pertracti ad Chriſtianiſmi profeſſionem delectus tempore mali comperiuntur. Ultra enim extendi comparatio non debet, neque ſimilium natura patitur ut minima quæque eodem modo ſe habeant. Sententiam hac fabella indicatam ita exprimit Tertullianus Apologetico verbis quæ jam ante adduximus, *Qui ſemel æternum judicium deſtinavit poſt ſeculi finem, non præcipitat diſcretionem, quæ eſt condicio judicii, ante ſeculi finem.*

52. *πᾶς γραμματεὺς, omnis Scriba*] *Γραμματεῖς* [*Scribæ*] proprie dicebantur aſſeſſores Magiſtratuum, ut ad ſecundum caput vidimus; ſed quia iidemerant Legiſperiti (ut & apud Romanos Juriſconſultorum erat adſidere Magiſtratibus) ideo *γραμματεῖς* dicuntur qui alias *νομοδιδάσκαλοι* [*Legis doctores*] aut *νομικοὶ* [*Legiſperiti*]. Ita Eſdras vocatur סופר [*Scriba*] ab Artaxerxe. Mos autem eſt Chriſto, ut & Prophetis, nominibus apud Judæos receptis ſignificare tum dona tum munia quæ futura erant in Eccleſia Chriſtiana. Vide Joel. II, 28. Actor. II, 17. Eſaiæ LXVI, 21. Proprie autem *τῶν γραμματέων* [*Scribæ*] reſpondent ii qui in Eccleſia Chriſtiana dicti ſunt *διδάσκαλοι* [*doctores*], quod nomen in Actis & in Epiſtolis Pauli aliquoties legitur. ¶ *μαθητευθείς, doctus*] מלמד Pſalmo LVIII, 6. & Proverbiorum XXX, 24. ¶ *εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ad Regnum cœlorum*] *Doctor*, inquit, *bene paratus atque eruditus ad tradenda præcepta Regni cœleſtis.* Sic Lucas dixit *δεδεγμένον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ* [*aptum Regno Dei*]. Quare non videtur hoc quidem loco *εἰς* pro *ἐν* poſitum. ¶ *θησαυρῷ, theſauro*] Ἀποθήκης [*reconditorio*], ut diximus ad caput III, 12. Bene autem ab aliis explicatum mihi videtur quod ſequitur *vetera & nova*, ut ſignificet omne genus edulia, tam quæ ſervari ſolent quam quæ ſervando ſervari non poſſunt. Hac autem ſimilitudine monentur Apoſtoli ut ad exemplum à Chriſto datum ſtudeant pietatis dogmata condire quadam tradendi varietate. Nam

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.

Ennius virum ſapientem Catum Ælium Sextum deſcribens dixerat,

—— multa tenens antiqua, ſepulta, vetuſta,
Quæ faciunt mores veteresque novosque tenentem.

53. *μετῆρεν, tranſiit*] העתיר [*ſuſtulit pedes ſuos*], ut Geneſeos XXIX, 1.

54. *πατρίδα, in patriam*] Nazaretham intelligi ne dubium quidem eſt. *Patria* autem recte vocatur ex longo parentum incolatu. Credibile enim eſt ex quo vileſcere, imo & ſuſpecta eſſe imperantibus Davidis poſteritas cœperat, Mariæ eoſdemque Joſephi majores domicilium fixiſſe in loco obſcuriore. Hinc Chriſtus dicitur *ὁ ἀπὸ Ναζαρέτ* [*à Nazaret*], Johannis I, 46. Actorum X, 38. Et diſcimus ex ſequentibus cognatos eorum ibidem habitaſſe. ¶ *ἐν τῇ συναγωγῇ, in ſynagoga*] Ut rectius puto quam quod Syrus & Latinus poſuerunt *in ſynagogis.* Nam Nazaret urbs haud ampla facile contenta fuit una ſynagoga.

55. *ὁ τοῦ τέκτονος υἱός; fabri filius*] Fabrum fuiſſe lignarium Joſephum cum Scriptor vetuſtiſſimus Juſtinus tradat, ego non dubitem quin vox *τέκτονος* ita hic ſit accipienda. Neque aliter ſenſiſſe Chriſtianos veteres apparet ex dicto illius qui contumelioſe à pagano interrogatus, *quid faceret ὁ τοῦ τέκτονος υἱός* [*fabri filius*], reſpondit *cum feretrum Juliano fabricare.* Quin cum ipſe etiam Chriſtus à plebe Nazaretana, in cujus conſpectu adoleverat, *τέκτων* [*faber*] vocetur apud Marcum, non audeam eis refragari qui Chriſtum Joſepho adfuiſſe in fabrili opere tradunt &, ut Juſtinus ait, aratra feciſſe & juga. Neque id indignum eo ſtatu quem aſſumſerat *ἑαυτὸν κενῶν* [*ſemet exinaniens*]. Nam præterquam quod *ἔργον οὐδὲν ὀνείδους* [*non eſt turpe labor*], ut ab Heſiodo dictum eſt, mos ſane laudabilis inter Hebræos fuit ut etiam quibus res eſſet lautior adverſus omnes fortunæ caſus opificium aliquod addiſcerent; atque illi etiam qui ſapientiæ ſtudiis operam dabant, quorum alios ſutores, alios pictores, alios pelliones fuiſſe legimus. Aut memoria fefellit Origenem, aut Marci exemplaria eo tempore aliam habuerunt ſcripturam: diſerte enim dicit, *οὐδαμοῦ τε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ φερομένῳ διαγγελίῳ τέκτονα εἶναι ὁ Ἰησοῦς ἀναγέγραπται* [*nuſquam in Euangeliis quæ recipiunt Eccleſiæ ipſe Jeſus faber ſcribitur*]. ¶ *οὐχὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ λέγεται Μαρία, nonne mater ejus dicitur Maria*] Etiam in matre offendebantur, quam *χηρεύουσαν* fuiſſe, id eſt, aut neſtricem, aut alio manuum labore victum parantem Chriſtianis Celſus objicit. Tertullianus libro De Spectaculis de Chriſto loquens, *Hic eſt ille fabri aut quæſtuariæ filius*, id eſt, *χηρεύουσης*. Sic impletur quod dixit Eſaias XLIX, 7. ¶ *καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ἰάκωβος καὶ Ἰωσῆς καὶ Σίμων καὶ Ἰούδας; & fratres ejus Jacobus & Joſeph & Simon & Judas*] Pro certo ponit Epiphanius, quem Græci ſequuntur, fuiſſe hos omnes filios Joſephi ex priori matrimonio. Sed docet nos Origenes famam hanc initium ſumſiſſe ex libris qui falſo Petri & Jacobi nomen præferebant. Quare rectius Hieronymo accedemus arbitranti hos omnes Domini noſtri fuiſſe conſobrinos. Negari enim videtur non poſſe quin eadem quæ infrà Matthæo & ſimiliter Marco dicitur *Maria mater Jacobi & Joſe*, Johanni dicatur *Maria ſoror matris Domini*, ut quæ cum Domini matre & cum Magdalena cruci Chriſti adſiterit. Quod ſi ea eſt mater Jacobi & Joſe, erit ſane & Simonis & Judæ. Hic ergo eſt Jacobus quem *Jeſu fratrem*, id eſt, conſobrinum, loquendi genere etiam Græcis & Romanis noto, vocat non Paulus tantum ſed & Joſephus in Judaicis

An-

Annalibus: de quo quæ fabulatus eſt Hegeſippus neque recitare neque refutare eſt operæ pretium. Lapidatum à populo fuiſſe Anano Pontifice idem Joſephus nos docet. Quod autem Johannes in Euangelio narrat *neque ipſos quidem fratres Jeſu in ipſum credidiſſe*, VII, 5. de remotioribus conſanguineis, non de conſobrinis illis, certe non de omnibus, intelligendum puto. Eos autem quos modo cum matre ad Jeſum venille legimus hos ipſos fuiſſe conſobrinos vero perſimile eſt, ut qui Joſepho jam mortuo (neque enim in Paſſionis hiſtoria ulla illius eſt mentio, & niſi mortuus is fuiſſet non tranſtuliſſet Johannes Domini matrem in domicilium ſuum) Mariæ rerum curam gerebant. *Joſes* autem nomen, ut alii annotarunt, idem eſt cum nomine *Joſeph*, ſed abjecta, ut fieri ſolet etiam ab Hebræis ipſis, litera ultima, deinde appoſita terminatione Græcanica. Itaque tum de iſto tum de Barnaba, cui idem fuit nominis, Syrus & Latinus modo *Joſe* modo *Joſeph* nomen uſurpant. Imo & hic quidam codices habent Ιωσηφ [*Joſeph*] ex vetere haud dubie interpretamento.

56. Καὶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ οὐχὶ πᾶσαι πρὸς ἡμᾶς εἰσι; *& ſorores ejus nonne omnes apud nos ſunt?*] Has ſorores Epiphanius & eum ſecutus Theophylactus *Mariam* & *Salomen* vocant. Conſentit & in hoc cum Epiphanio Theophylactus quod Clopam facit Joſephi fratrem, ſed addit Theophylactus *Clopa* mortui uxorem nupſiſſe Joſepho, atque inde natam Mariam, dictam *Clopa* ex lege, & *Salomen*. Sed, ut dixi, puto hæc omnia eſſe ἐκ βιβλίων ψευδεπιγράφων [*ex falſo inſcriptis libris*], & ex non ſatis intellecta ſignificatione vocis *fratrum* & *ſororum*. Cæterum & has ſorores, id eſt, conſobrinas aut alioqui cognatas proximas pauperculas fuiſſe apparet. Nam id quoque offendebat Nazarenos. ¶ πόθεν οὖν τούτῳ ταῦτα πάντα; *unde ergo huic omnia iſta?*] Cum neque antehac Nazareta abfuerit, neque domi à ſuis potuerit iſta diſcere, ut quorum nemo ſit literis ſupra plebem imbutus.

57. Καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ. *& ſcandalizabantur in eo*] Non puto eos tantæ fuiſſe malitiæ ut hæc Chriſti opera diabolo aſſcriberent. neque enim tale quid illis exprobrat Chriſtus. Sed quominus admiratio in reverentiam tranſiret obſtabat natalium ſors illis cognita. Vide ſupra XI, 6. Erat autem hoc ſignum neque ſatis æqui neque de potentia Divina ſatis magnifice ſentientis animi. Atqui erant in ore ipſis ſententiæ quæ dicunt, *Ex pulvere à Deo ſuſcitari quos in procerum ſolio collocet*, & *Felicem eum eſſe qui de homine contemta ſortis æque judicet.* ¶ οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. *non eſt Propheta ſine honore niſi in patria ſua*] Adagium celebre inter Judæos, quod, ut de aliis ſententiis diximus, cum comparatione intelligendum eſt, quaſi dicas, Nuſquam magis quam inter populares ſuos contemni viros eximios, quales imprimis ſunt Prophetæ. Nimirum

Quicquid quæritur, optimum videtur.

Et vitium eſt magnis parviſque civitatibus commune ſuper ignorantiam recti invidia. Sententia eſt huic perſimilis apud Ariſtiden, Πᾶσι τοῖς φιλοσόφοις ἔδοξε χαλεπὸς ἐν τῇ πατρίδι ὁ βίος [*Omnibus Philoſophis dura viſa eſt vita in patria*]. Nec abit illud quod Scopelianum Sophiſtam dixiſſe Philoſtratus memorat cum rogaretur ut in patria declamaret, Τὴν ἀνδρίαν ἐν αἰτίαις μὴ φδεῖν [*fuſciniam in cauſa non canere*]. Plinius de Protogene, *Sordebat ille ſuis, ut plerumque domeſtica.* Sic David à ſua domo contemtus, I Samuelis XVI, 11. XVII, 28.

58. Διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν. *propter incredulitatem illorum*] Atqui de linguarum dono dixit Paulus datum eſſe ut ſignum ſit οὐ τοῖς πιστεύουσι, ἀλλὰ τοῖς ἀπίστοις [*non fidelibus, ſed infidelibus*]. Notandum igitur non dici hic *nulla feciſſe Chriſtum miracula Nazareta*, ſed *feciſſe non multa*, quod & Marcus dicit. Fecit paſſim Chriſtus miracula, ut hi quibus de ipſo nihil conſtabat in ipſum crederent. Credere incipientibus alia addidit, quibus in fide jam inchoata confirmarentur. Prima ſpernentibus plura non ingeſſit, ne vileſceret Divina liberalitas. Ita ſolet Deus aternis beneficia præſtare & officia exigere.

P R I C Æ U S.

Com. 3. Ἐλάλησεν αὐτοῖς πρὸς τὸ εὐδιάβολον] Sumptis ab obviis rebus quo facilius eorum animis illaberetur, traheretque eos ad rationes bonæ inculpatæque indolis. Seneca Epiſt. 59. *Apud antiquos nondum captabatur plauſibilis oratio; illi qui ſimpliciter demonſtranda rei cauſa loquebantur parabolis referti erant, quæ exiſtimo neceſſarias non ex eadem cauſa qua Poetis, ſed ut imbecillitatis noſtræ adminicula ſint, & diſcentem & audientem in rem præſentem adducant.* Maximus Tyrius Diſſert. 29. Περὶ μὲν τῶν ἀνθρωπίνων ἀθετεῖται καὶ παραμυθίαν σοφὸς διαχημάτισται ἐμοὶ δοκεῖ ὁ μῦθος. A qua mente & Plutarchus dixit οὐ λίαν μεγαλοπρεπὲς πρὸς τὸ μυθώδες ἐλαφρὸν καὶ φιλόφιλον παρέχειν τὸ μάθημα· juvenesque τὴν φιλοσοφίαν λεγομένων τῶν μὴ δεόντων φιλοσόφων μηδ' ἀπὸ σκηνῆς ἀγαθῶν, χαίρειν μᾶλλον καὶ παρέχειν ἑαυτοὺς ἀκούοντας καὶ χορηγοῦντας. Videndus A. Gellius 2. 29. Bene P. Chryſolog. *Semper ſibi divina ſufficiunt, ſed ob hoc hominibus humana inſinuantur exempla, quia cæleſtis providentia non quid ipſa dicere, ſed quid auditor capere poſſit, attendit.* Vide quæ in hanc mentem habet 2. 5. Iſidorus Peluſiota.

Com. 5. ἄφωνος ἐξανίπλας] Heſychius, Ἀνίπλειν, ἀνατελλαίνειν.

Com. 6. ἦλθε ἡ ἀναπλάνησις ἐκκαυματίθη, ἢ, &c. ἐξηφάνθη] Jacob. I. II. Ἀνέπειλεν ὁ ἥλιος σὺν τῷ καύσωνι, καὶ ἐξήρανε τὸν χόρτον, &c. cauſa arefactionis autem τὸ μὴ ῥίζαν ἔχειν Arrian. ſimillima comparatione ad ſe præcocius Philoſophum profitentem, Οὕτω καρπὸς ἥδη, καταγελῶμαι δεῖ, χρόνῳ τὰ σπέρματα κυφθλῶσι, καὶ μικρὸν αὐξηθλῶσι, ἵνα πλεοφορήσῃ ἀν ἢ πρὸς ἃ γέγονα φύσει τὸ πάχος ἐξανύσῃ, ἁπλῆς ἐστι. τοιοῦτον καὶ σὺ φυτάριον, ἡσσον τῷ βίοτος λυθῆναι, ὀπωσοῦν σε ὁ χαμαὶ. ἰδοὺ τί λέγουσιν οἱ γεωργοὶ περὶ τῶν σπερμάτων ὅταν πρὸς ὥραν θερμασίαν γένωνται· αὐγωνιῶσι μὴ ἐξυβρίσῃ τὸ σπέρμα, εἶτα αὐτὸ πάγος εἰς λεβὴν ἐξελίξῃ. (quod infra hoc com. 21. γεωμέτρης θλίψασα σκανδαλίζεσθαι) ὥρα καὶ σὺ ἄνθρωπε, ἐξύβρισας, ἐπεπαίδηκας δεκαετῆ περὶ ὥρας· δοκεῖς τις εἶναι, μωρὸς πρὸς μωροὺς, ὀπωπαγίσῃ, μᾶλλον δ' ἀπεπάγης ἤδη ἐν τῇ ῥίζῃ κάτω, (quod hic Διὸ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν ξηραίνεσθε,) τὸ δ' ἄνω σε μικρὸν ἐπ ἀνθεῖ, καὶ δὴ τῶν δοκεῖς ἐπ ζῆν ἢ θάλλειν.

Ibid. Διὸ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν, ἐξηράνθη] Ælianus Var. 2. 14. Τῷ φυτῷ καλὸν ὑετὸς ἐστι, &c. πρὸς τὸ σπόριμον, ἢ αἱ ῥίζαι ἐν βαθεῖ.

Com. 7. ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι] Sic & in Græco Eſai. 5. 6. Ovidius,

Miſſa tenax ſegeti creſcere lappa ſolet.

Ibid. καὶ ἀπέπνιξαν αὐτό] Eadem apud Senecam Epiſt. 73. comparatio, hoc diſcrimine duntaxat, quod quæ Chriſtus de lumine Euangelii ille de lumine naturali effert, *Semina* (inquit) *in corporibus humanis divina diſperſa ſunt, quæ ſi bonus cultor excepit, ſimilia origini prodeunt, & paria his ex quibus orta ſunt ſurgunt: ſi malus, non aliter quam humus ſterilis ac paluſtris necat; ac deinde creat purgamenta pro frugibus.* Sic Philo dixit proprium eſſe λιθωδῶν καὶ δυσπρότων χωρίων, πρὸς τὸ μηδὲν βλαστάνειν πεφυκέναι καὶ τὰ βλαχῆεντα σπέρματα φθείρειν. Ἀναπνίγειν heic eſt quod Virgilio *ſegetem obducere*, Ovidio, *ſatigare*,

—— lolium tribulique fatigent
Triticeas meſſes, & inexpugnabile gramen.

Sed propius aliquanto Seneca qui *necandi* voce uſus eſt, *Collecta manu herbas, ne quid fortuitum & agreſte ſuccreſcat quod ſegetem necet:* & propius adhuc Calpurnius, qui in Eclogis,

—— ſuffocata malignum
Meſſis habet lolium.——

Com. 8. Καὶ ἐδίδου καρπὸν, ὁ μὲν ἑκατὸν, ὁ δὲ ἑξήκοντα, &c.] Pro aptitudine ſoli proventus fit. Hoc ipſum dixit & Lucianus in Abdicato, Πυρὸν μὲν τὸν αὐτὸν ἐς Διὸς φόρους χώρας ἐμβάλης, ἄλλως μὲν ἐν τῇ πεδινῇ, καὶ βαθείᾳ, καὶ πιπρωμένῃ, καὶ δίκαιον, καὶ εἰλικρινῇ, καὶ ἐξεργασμένῃ ἀναφανεῖ, &c. ἄλλως δ' ἐν ὄρει καὶ ὑπολίθῳ γεδίῳ, ἄλλως δ' ἐν δυσπλίᾳ, ἄλλως δ' ἐν ὑπαιρείᾳ, καὶ ὅλως Διὸς φόρους καθ' ἑκάστους τόπους. Ciceron de Senect. *Terra nunquam recuſat imperium, nec unquam ſine uſura reddit quod accepit, ſed alias minore, plerumque majore cum fœnore:* nimirum (ut hoc loco) *pro ſoli ingenio.*

Com. 12. ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ] Vide infra ad 25. 29. notata.

Com. 13. βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσι, οὐδὲ συνιοῦσι] Neque oculis neque auribus conſtant nec intellectu. Simillime apud Maxim. Tyr. 1. Diſſert. ἄθυρον, ἀναιδὲς γλῶσσα, πεπλανημένον τῶν ὀφθαλμῶν, ἐξεπεπτωμένον τὴν ἀκοὴν, τλῶ ψυχλῶ ἐκπεπτωμένον. Locutio βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσι, proverbialis eſt, de iis qui quæ vident & audiunt, nec videre ſe nec audire ſimulant. Demoſthenes contra Ariſtogeitonem, Τὸ δ' ἀπειρηκέναι, ὁρῶντας μὲν ὁρᾶν, καὶ ἀκούοντας μὴ ἀκούειν. Plutarchus de parentibus loquens, in De liber. educ. Ὅταν ἴσως ὑπ' ἀπειρηκότων ὁρῶντας μὴ ὁρᾶν, καὶ μὴ ἀκούοντας ἀκούειν· & Philo in Flaccum, Προσποιούμενοι μὲν ἴσως μὴ ὁρᾶν, καὶ δὴ τὸν

ἵνατε μὴ ἀκούειν. Ponitur autem hic à Chriſto ſenſu paulum deflexo: de iis nempe qui præ mentis hebetudine & incuria non capiunt quæ intellectus attentus ſanuſque poſſet facile perſpicere. Ita in Coriolani vita Plutarchus, Ὥσπερ ἐν ὕπνοις, ἀκούειν σὺν ἀκούοντες, καὶ βλέπειν καὶ βλέποντες δοκοῦμεν. Philo in de Allegor. Legis, de temulentis, Ὁρῶντες οὐχ ὁρῶσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούσι.

Com. 15. ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου] Κάλυμμα ἐπὶ τῇ καρδίᾳ αὐτῶν κεῖται, ut 2 Cor. 3. 16.

Perſius,

——*Stupent vitio, & fibris increvit opimum*
Pingue.——

Ἐθρέψατο τὰς καρδίας αὐτῶν, ut Jacob. 5. 5. Cercides apud Stobæum,

——Ἄνθρες ὦν τὸ πάλαι
Παλῇ σίτοισιν, καὶ δυσπινίῃσι τροφαῖς.

hoc eſt, (interprete accuratiſſimo H. Grotio,)

——*quibus omne lutoſo*
Cor ſordet, atque face non purgabili.

Trebellius Galieni Junioris *cor voluptatibus obſtupefactum* dixit.

Ibid. καὶ τοῖς σὶν βαρέως ἤκουσαν] Sic Hebr. 5. 11. νωθροὶ ταῖς ἀκοαῖς γεγόνατε & Propert.

——*monitis tardas aures advertere*——

Lucian. Charonte, Οὐκ οἶδα ὅπως αὐτὰς ἡ ἀγροικία καὶ ἡ ἀπειρία διαπεφύκασιν, ὡς μηδ' ἂν τρυπάνῳ ἐπιδιορυχθῶσι αἱ ὦτα, τοσοῦτον κηρὸν ἔχουσιν αὐτοῖς. Vide Eſai. 59. 1. Zachar. 7. 11, 12. Verbis autem & ſententia ſimillimis apud Apuleium ille, *Tu craſſis auribus & obſtinato corde reſpuis quæ forſan vera perhibentur.*

Ibid. καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, &c.] id eſt, (ut 2 Cor. 4. 4.) ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐπέφλωσε τὰ νοήματα αὐτῶν εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοῖς τὸ φωτισμὸν τοῦ εὐαγγελίου. Ariſtides Orat. Sicula, Μηδὲ ἐξαπατήσαντα ὑμᾶς αὐτὰς ὥσπερ οἱ σὺν ὀφθαλμοῖς συγκλείοντες ὅπως μὴ ὁρῶσιν ἃ μὴ θέλουσιν. Lactant. 5. 1. *Obſtrepunt igitur & intercedunt ne audiant, & oculos ſuos opprimunt ne lumen quod efferimus videant.* Minutius *ignorare ingerentem oculis ſe cœleſtem claritatem* vocat. Confer Jerem. 17. 23. & 19. 15. Etiam Philo τὰ τῆς ψυχῆς ὄμματα καμμύειν dixit: & ὄμματα νοητὰ κατακλείειν, 4. 19. Marcus Antoninus.

Com. 20. ὁ λόγον ἀκούων, καὶ μὴ χαρᾶς λαμβάνων αὐτὸν] Sic λόγων ἀκούσματα διδόναι Plutarchus in Præceptis Conjugalibus dixit, & λόγον εἶναι ἀκούσματα λαμβάνειν in De auditione libro. λαμβάνειν μὴ χαρᾶς, hoc eſt quod 1 Theſſ. 1. 6. λόγον μὴ χαρᾶς δέχεσθαι· Act. 17. 11. λόγον μὴ μεθυμίας δέχεσθαι· & Act. 2. 41. ἀσμένως ἀποδέχεσθαι.

Com. 21. οὐκ ἔχει δὲ ῥίζαν ἐν ἑαυτῷ]

Lucan.

——*Nulla patris radice tenetur.*

Sequitur ἀλλὰ πρόσκαιρός ἐστι] Sic plane apud Maximum Tyrium occurrit λόγοι ἐφήμερον ἡδονῆς, ἄνευ μόνον καιροῦ, καὶ μὴ πόθεν, ἀλλὰ ἀναπεπταμένῳ τῇ ψυχῇ.

Ἀλλά τι μὴν καθάπαξ θνητοῖσι γένος ἔλκει.

Ibid. σκανδαλίζεται] Ut qui viæ dum æquabilis extenditur ſatis alacriter inſiſtit, at in ſalebras & clivos cum incidit deflectit vel revertitur. Eſt huic ſimilis imago apud Lucianum Hermot. Ad virtutis (inquit) & ſapientiæ iter ἀνίσχοντάς τινας μόλα ἱδρωμένους, καὶ προσιέχοντας δὴ πολύ, ἐπειδὰν δὲ κατὰ μέσον τὸν ὀδὸν γένωνται, πολλοὺς μὲν λόφους καὶ δυσχωρίαν ἐντυγχάνοντας, ἀναρρίψαντας ἀθυμήσαντας καὶ ὑπὸ ῥᾳθυμίας ἀναπεσόντας, καὶ φέροντας τὰ κάματον.

Com. 22. ὁ μεριμνῶν τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, &c.] Advertenda in hac re vocis ἀπάτη proprietas. Philo in Reſipuit Noe, Μὴ καθάπαξ πᾶσι φθορᾶς τῇ τῶν τυχερῶν λαμπρύνεται προσωπεῖον ἀπάτης καὶ ψεύδους δόξης ἀναπίμπλασθαι. Plutus ipſe apud Lucianum, Ἐπειδάν τις ἐντυχὼν τῷ πλούτῳ ἀκριτότερον τοῦ δέοντος ἀναπεπταμένος τὸν θύρας δέχηται μετ' ἐμοῦ λοιδορίαν ὁ πλοῦτος, καὶ ἡ ἄνοια, καὶ ἡ μεγαλαυχία, καὶ ἡ μαλακία, καὶ ἡ ὕβρις, καὶ ἡ ἀπάτη. In Epiſtolis Græcorum ubi incerto divitiarum vera virtus opponitur, τὸ μὴ πολλῶν ἀλλότριον ἐστι, καὶ πρὸς ἀπάτην ἐφιλκόμενον. Ejuſdem poteſtatis voces in eadem re apud alios occurrunt. In verſiculis qui Phocylidis nomine circumferuntur,

Χρυσὸς αἰεὶ δόλῳ ἐστὶ καὶ ἀργύρῳ ἀνθρώποισι.

Lucianus Timone, Τὸ κάκιστον τῶν καὶ θηριωδεστάτων κτήμα, ὁ πλοῦτος. Paulus 1 Tim. 6. 9. Οἱ βουλόμενοι πλουτεῖν ἐμπίπτουσιν εἰς πειρασμόν. Μεριμναν δὲ αἰῶνος etſi Viro ſummo τὸν δὲ βίον ἀλαζονείαν interpretanti adverſari nolim, libentius crediderim tamen eſſe quod Lucas 21. 34. pluraliter μερίμναις βιωτικαῖς vocat, Paulus ad Titum ſcribens κοσμικαῖς ἐπιθυμίαις, ad Timoth. 2. 2. 4. βιωτικαῖς πραγματείαις, Johannes 1 Epiſt. 2. 15. τὰ ἐν τῷ κόσμῳ.

Ibid. συμπνίγει τὸν λόγον] Ita & hic evenit quod olim ὁ δῶνα (Donat. ad Terent.) ſcripſit *amatoribus* intervenire, *quorum diſputationes* (quas ſecum, non cum amatis habent, intellige,) *intermiſcent quædam ſanæ mentis conſilia, quæ tamen reſurgentis amoris ſævitia devincuntur.* συμπνίγειν τὸν λόγον eſt quod in Pythagororum fragmentis τὸν λόγον μηδαμῶς ἀφεκτέον ἐᾶν. Similitudo fere eadem quæ hic eſt, ideo locum adſcribam, Πυκναὶ καὶ βαθεῖαι λοχμαὶ αἱκὶ ταῖς φρεσὶ ἐν τῇ καρδίᾳ ἐμπεφύκασι τῶν μὴ καθαρῶς ἐρριζωθέντων, ἀλλ' τὸ ἄμικτον καὶ πέφυκον καὶ λογισμὸν ἐπισκιάζουσι ἀφεφανῆμεν αὔξησιν· ἐγκατασπείρουσι δὲ τὸ βάσει τούτῳ παντοῖαι κακότητες ἐμβοσκόμεναι, καὶ κολύουσι, καὶ μηδαμῶς ἐᾶσαι ἀφεκτέον τὸν λόγον. Et Quintilianus cum dixiſſet nihil tam occupatum, totque ac tam variis affectibus (quibus hoc τὸ δὲ αἰῶνος μέρισμα aliquomodo reſpondet) laceratum quam malam mentem, addidit, *Quæ inter hæc literis aut ullis bonæ artis cultus? non hercle magis quam frugibus in terra ſentibus ac rubis occupata.*

Com. 23. ὁ δὲ καρποφορεῖ, καὶ ποιεῖ, ὁ μὲν ἑκατόν, &c.] Quæ hoc καλὴ γῆ apud Senecam *mens idonea* eſt, in quam ſi inciderint præcepta, magnos proventus edent, *Seminis* (inquit) *modo ſpargenda ſunt, quod quamvis ſit exiguum, cum occupavit idoneum locum vires ſuas explicat, & ex minimo in maximos actus diffunditur*: & ſtatim, *Parva ſunt quæ dicuntur, ſed ſi illa animus bene exceperit convaleſcunt & exurgunt: eadem eſt, inquam, præceptorum conditio quæ ſeminum: multum efficiunt enſi angulla ſint, tantum idonea mens rapiat illa, & in ſe trahat, multa invicem & ipſa generabit, & plus reddet quam acceperit,* (quod hoc τελεσφορεῖ, ἐξήνεγκε, & deincepe ποιεῖ.) Plutarchus ſimili facie τὸ αἰσθητὸν λόγον αὔξειν καὶ ἐκτρέφειν dixit. Ptolemæus ad hanc materiam concinne in Centiloquio ſuo, ἡ σοφὴ ψυχὴ σπειρεῖ τῇ ἀφρονεῖ ἐνεργείᾳ, ὥσπερ ὁ ἄριστος γεωργὸς σπειρεῖ τῇ τοῦ γῆς φύσει ἀφ' τὰ πρωτεύοντα καὶ ἀναπληρώσεως.

Com. 25. ἐν δὲ τῷ καθεύδειν αὐτὸν ἀνθρώπους ἦλθεν αὐτοῦ ὁ ἐχθρὸς, καὶ ἐσπειρε ζιζάνια ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου] In lib. 27. ad Leg. Aquil. *Celſus quærit ſi lolium aut avenam in ſegetem alienam injeceris, quæ eam tu inquinares*, &c. Ammianus περὶ ὁμοίων & ἀμφόρ. Λεξ. in verbo ἀλίσπαρτον, Ἀλίσπαρτον, τὸ ἀλλοτρίως ἐσπαρμένον χωρίον, ὡς τινων φθονερῶν τῶν πολιτῶν. Nec prætereamus illa ἐν τῷ καθεύδειν. Malum qui vicini ſegetibus ſtruunt captant nocturnum tempus. Satyricus,

Nolle boves macri laſſoque famelica collo
Armenta ad virides hujus mittuntur ariſtas.

τὰ ἐσπαρμένα Latiniſſime Vetus *ſuperſeminavit* vertit, nec affirmem tamen in Græco olim *ἐπέσπειρε* ſcriptum.

Com. 27. οὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας; &c.] Καλὸν σπέρμα eſt *ſemen probum, ſincerum.* Sic apud Vet. Horatii Scholiaſten, *alterius uxorem auferre, & bonum genus patris* (id eſt καλὸν σπέρμα) *alieni ſeminis permixtione polluere.*

Com. 28. θέλεις οὖν ἀπελθόντες συλλέξωμεν αὐτά;] Ennius Priſciano citatus lib. 10. *Ubi videt avenam & lolium creſcere inter triticum, ſeligit, ſecernit, aufert ſedulo*, &c.

Com. 29. ὁ δὲ ἔφη, Οὔ, μήποτε συλλέγοντες τὰ ζιζάνια ἐκριζώσητε ἅμα αὐτοῖς τὸν σῖτον] *Radices* enim *teneras adhuc & precario hærentes neceſſe eſt levis quoque revellat agitatio.* Seneca epiſt. 86. Sequitur ἄφετε συναυξάνεσθαι ἀμφότερα μεχρὶ τοῦ θερισμοῦ] Tertullianus in Apologetico, *Qui ſemel æternum judicium deſtinavit poſt ſeculi finem, non præcipitat diſcretionem quæ eſt conditio judicii, ante ſeculi finem, interim ſuper omne hominum genus æqualis eſt.* Cyprianus contra Demetrianum, *Quamdiu corpus hoc permanet, commune cum cæteris ſit neceſſe eſt, & corporalis conditio communis, nec ſeparari generi humano ab invicem datur, niſi iſtinc de ſeculo recedatur: intra unam domum boni & mali interim continemur, quicquid intra domum evenerit pari ſorte perpetimur, donec ævi temporalis fine completo ad æterna vel mortis vel immortalitatis hoſpitia dividamur*: confer infra 25. 32. Quod dicitur heic periculum eſſe ne cum lolio una & frumentum evellatur, ſententia non diſſimilis occurrit in Aulo Gellio, 19. 12. ubi diſſerens Herodes Atticus contra Stoicorum ἀπάθειαν, ait,

ait, ſanſus illos motuſque animi qui cum immoderatiores ſunt vitiis ſunt, innexos implicatoſque eſſe vigoribus quibuſdam mentium & alacritatibus: ac propterea ſi omnino omnes eos imperitius convellamus, periculum eſſe ne eis adhærentes bonas quoque & utiles animi indoles amittamus: & Seneca, (hac in parte non ruinis Stoicum) *Dabo maxima fama viros & inter admiranda poſitos, quos ſi quis corrigit, delet: ſic enim vitia virtutibus immixta ſunt ut illas ſecum trahant ſint.* Idem Gellius 17. 15. *Utriuſque* (*helleberi* nempe) *hanc vim eſſe, ut humores noxios in quibus cauſa morborum ſunt extrahat; eſſe autem periculum ne inter cauſas morborum omnis corporum via pateFacta, ea quoque ipſa in quibus cauſa vivendi eſt exhauriantur.* Plutarchus in περὶ δυσπ. Ἂς πίθηκι τὸ θηρίων ὑπεξέλκυσεν ὁ ῥύπον ἐνίοτε ἕλκουσι καὶ φθείρα.

Com. 32. ὅταν ὁ ἀνέχηται, μᾶζον τὸ λαχάνου ἰσί.]

Parva ſatu primo mox ſeſe attollit in auras.

Cicero in de Senect. *Omittoniam omnium quæ generantur è terra, quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex ceterarum frugum aut ſtirpium minutiſſimis ſeminibus tantos truncos ramoſque procreet.*

Seneca,

Quæ tenera caſæ virga de trunco ſtetit,
Par ipſa matri tempore exiguo ſubit.

Ovidius,

Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus umbras,
Quæ poſita eſt primum tempore virga fuit.

Ariſtoteles in de ovilo, Τὸ ἐν ἀρχῇ μικρὸν ἐν τῇ πλάτυ ὕστ. συμμέτρους.

Ibid. ἢ ὑπ' ἀνέμου]

Exit & in cælum ramis felicibus arbos.

Surgit ad arboris magnitudinem, ut Solinus loquitur: id eſt, (quoad rem ſignificatam) *ex minimo in maximos uſus diffunditur.* Vide Senecæ locum ſupra ad 23. adductum.

Ibid. ὥστε ἐλθεῖν τὰ πετεινὰ τ. οὐρανοῦ, καὶ κατασκηνοῦν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτ.] Suetonius in Auguſto, *Ex ea* (palma) *continuo enata ſoboles adeo in paucis diebus adolevit, ut non æquipararet modo matricem verum etiam obtegeret, frequentarenturque columbarum nidis.* Vocem κατασκηνοῦν (quæ & in Græco Danielis 4. 18. in re ſimili occurrit, pro qua Siracides 14. 17. ἀπὸ ὄζου κλάδος αὐλίζεται dixit,) fateor non male verſum *nidulari*: at quid opus fuit à Veteri recedere qui (verbo *habitandi* uſus) tantundem, ac meo animo elegantius, expreſſit. Gellius, (propriſtatum linguæ ſuæ retinentiſſimus Auctor) 2. 29. *Avicula eſt parvula, nomen ei caſſita, habitat nidulaturque in ſegetibus.* Sic, *habitare, & nidamenta ponere*, Arnobius *in unum* dixit.

Com. 46. ὃς εὑρὼν ἕνα πολύτιμον μαργαρίτην, ἀπελθὼν πέπρακε πάντα ὅσα εἶχε, καὶ ἠγόρασεν αὐτόν.] Simile de gemma illud apud Heliodor. κρεῖττον περὶ τὸ πολύτιμον, κἂν ἅπας ὅλος τὸ λίθου ἐκπώματος γένηται, &c.

Com. 48. καθίσαντες, &c.]

—— numeſſent captivos ordine piſces.

Ibid. τὰ μὲν σαπρὰ ἔξω (βάλλον)] Σαπρὰ intellige ἰχθύδια, pullius ob exiguitatem rei: ἄβρωτα καὶ ἄπεπτα ut loquitur Lucianus, (Piſcat.) apud quem de piſciculo capto ſic Diogenes, ἀβρωτώτατός ἐστι καὶ ἀνεφθότατος ἅπαντα, ἄφες αὐτὸν καὶ κεφαλὴν δοὺς πάλιν. (quod hic ἔξω βάλλειν.) Achilles Tatius lib. 2. Ὅσα οὐδὲν ἐν κύκλῳ τοῦ τραχήλου, ἰλυσιπόδι τοῦ ἄχεως, καὶ ἰχθύδια δὲ ἰταλικὰ ἐπιβόλου. Ejuſmodi Apuleius *piſces friſoles* vocat; Terentius *piſciculos minutos*, ex Poetis Latinis non nemo, *viles piſciculos*. Græci ἀγελαῖος dixere. Heſychius, Ἀγελαῖοι ἰχθύες, πάνυ μικροί. Male ergo *algam, teſtas, lapillos* & id genus quiſquilias quæ cum piſcibus extrahi ſolent hac voce hic comprehendi creditum: æque male viam à Veteri diſceſſum, qui σαπρὰ *malos* vertit. Arrian. 4. 3. in Epictetum, Τίνα ἔχει ὁ χαρακτὴρ τὸ τετρωγμένον τοῦτο; Νόμισμα. Πῶν ἄρα, ἀδόκιμον ἦν, σαπρόν· quem locum non ego adnotaverim tantum, ſed & ad oram libri ſui amiciſſimus & eruditiſſimus Surravius, Regis Conſiliarius, ſic ſupra 17. 27. & 22. 33. σαπρὸν τῷ καλῷ opponitur. Poſſumus etiam (nec ab re, ni fallor) σαπρὰ *inutiles* vertere. Chryſoſt. Homil. 4. ad Epiſt. ad Timoth. Πᾶν ἄχρηστον, ἀδόκιμον, σαπρὸν ἀποκαλεῖ τὸ ἀνάρμοστον.

Com. 52. διὰ τί τοῦτο, &c.] Non erat cur aut hic aut Joh. 7. 22. in hujus locutionis explicatione quid operæ inſumeretur; cum nil ad connexionem faciat, ſed abundet: Confer quæ infra 23. 34. Marc. 12. 34. Joh. 5. 16. Joh. 8. 47. 1 Theſſ. 3. 7. 1 Tim. 1. 16.

Ibid. καινὰ καὶ παλαιά] Omnis generis. νέα πρὸς παλαιά. Cant. 7. 13.

Com. 55. Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός;] Quaſi vero magnæ indolis nomine eo minus capax eſſet, aut Spiritus ſancti dona humile domicilium excluderet. Seneca Epiſt. 66. *Poteſt ex caſa vir magnus exire, poteſt & ex deformi humilique corpuſculo formoſus animus & magnus.* Vani ac ſtulti homines ſtirpem ſe Abrahami venditabant, ſeque eo nudo titulo magnificiebant: Chriſtum ſuis propriis doctus, tam admiranda ſcientia, tot miraculis inſignem nolebant cenſeri. Profecto heic locum habent Martii illa apud Salluſtium, *Videte quam iniqui iſti ſint, quod ex aliena virtute ſibi arrogant id mihi ex mea non concedunt.* Illa οὐχ οὗτός ἐστιν; &c. eſt ubi ξενιζομένων tantum (neque enim *admirantium* dixerim) voces ſunt, ut 1 Sam. 1. 11. ubi de Saulo inſtinctum paſſo, Τί τοῦτο τὸ γεγονὸς τῷ υἱῷ Κείς; καὶ τίς ὁ πατὴρ αὐτοῦ; τ. Κείς; Vide & Act. 2. 6, & 12. Heic autem cum nonnulla offenſionis mixtura eas malim accipi, ſequitur enim ἐσκανδαλίζοντο. Sic apud Euripidem Hercules poſt liberos occiſamque uxorem demum ſui compos,

—— Ὑπολεπώμεθ' ὡς ἐγωμάθου,
Γλώσσης πικροῖς κέντροισι κλαδυχούμενοι,
Οὐχ ὅτῳ ὁ Διὸς ὃς τίκτει ἔκτεινέν ποτε;

Com. 57. Οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ] Pindarus Olymp. Od. 12. Συγγόνῳ παρ' ἑστίᾳ ἀκλεὴς πρὸς καταφυσσέρεται. Plin. 8. Epiſt. 21. *Ad quæ noſcenda iter ingredi, tranſmittere mare ſolemus, ea ſub oculis poſita negligimus.* Max. Tyrius, Ἡ ἀνθρωπίνη ψυχὴ τὰ ἐν πόλει ἄτιμον πρᾶγμα, & οὐ δοκοῦντος θαυμαστικῶς ἔχει. Darius in Epiſtola ad Heraclitum apud Diogenem Laertium, ἔρχου παρ' ἐμὲ ἵνα μοι ὄψῃ, ἡ βασίλειον εἶκον. Ἔπαινος γὰρ ὅστις τὸ πλεῖστον ἀνεπιτήδευτος σοφοῖς ἀνδράσιν ἦσθα, παρορῶσι τὰ καλῶς ὑπ' αὐτῶν ἐνδεικνύμενα πρὸς ἀπαίδευτα αἱρετώτερα μᾶλλον· παρ' ἐμοὶ δὲ ὑπάρχει πᾶσα μὲν παιδεία, καθ' ἡμέραν δὲ καλὴ καὶ ἀπαίδευτα παραπομπόντων, καὶ βίου ἐνδόκιμου καὶ ἐπαίνου ἀξιωτέρου.

Vilia maternis fuerant quæ præcoqua ramis,
Sic in adoptivis Perſicа cara vides.

Confer Theophylact. ad Joh. 4. 44.

CAP. XIV.

MUNSTERUS.

1. *Unus ex quatuor Principibus*] Lucæ tertio legitur de Tetrarchia horum Principum, quam quiſque habuerit ſubjectam terram. Herodes, de quo hic fit mentio, filius fuit majoris Herodis, qui infantes Bethlehemiticos trucidavit. Hic cum videret & audiret Chriſtum mira agere, lapſus in falſam opinionem, cœpit cogitare animam Johannis à ſe decollati tranſlatam in aliud corpus, nempe Jeſu: Cujus opinionis inventorem ajunt fuiſſe Pythagoram.

9. *Propter juſjurandum*] Rex impius religioſus eſſe voluit in ea re quæ citra ſummam impietatem perfici non potuit. Nam innocentem occidit contra jus Dei & naturæ. Nec excuſare illum potuit juramentum quod erat factum contra Dei mandatum.

13. *Seceſſit inde per navim*] h. e. trajecit mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis, & alio nomine vocatur *lacus Gineſar*, ut ſupra oſtendimus.

26. *Phantaſma*] Vocant Hebræi phantaſma ſive ſpectrum nocturnum פחד, i. *nocentem*, & alio nomine מגר ab *occurrendo*. Scribuntque mira de eo ſuper Pſal. *Qui habitat in auditorio Altiſſimi*, aſſerentes ſpectra illa incarnatos eſſe dæmones. Unde autem ſint nati aut producti, ſcribit R. Abraham Hiſpanus, non Ezraides ille, ſed alius ejuſdem nominis, qui autor eſt *Faſciculi myrrhæ*: hic, inquam, ſuper Pentateuchum ſic ſcribit, המזיקים הם נקראים בני אדם ולפי שהם נתהוו מהם אדם הראשון כאותם קלי שנרא שנפרש משתו ונהנו מהדברים שלו נקראו בני אדם ולכן יש בהרבה הנזכר קלי תצורת עכם פסק אויר ימים אשכיעו שכפלים אחו ליכולי. בגר המזיקים שנהנו מאדם באלו קלי שנרא ולפי שנראו הנשמות הנזי אדם לבני כשאדם רואה קרי בלילה נהתה ממנו מזיק ומזעיק בני אדם: ולכן אמרו תחדו בשמרי מבכל דבר רע שלא יזהר

יהוה אום כיום ויבא ליו טומאה בלילה מצדי זה הנלילי שנקרא רע עין ולפעמים נראה בעין נקבה והיא לילית ואיכיי שרה ושדתי שרים זכרים ונקבות והוא כי יהיה בן איש אשר לא יחזה מחור מקרי לילה כי אשר שקראי עכו זה הנר אנ" שלא יטמא אחר שנגע בכף ירך יעקב ואלו המזיקים שנתהוו מזוב האדם כתחברים כלם בשנפטר האדם אפל אביהם ליגע בו לטמא ולכן צוו חולי לישות הקטורת לאדם ולהזכיר שם דמרים בינין שבאלו חקטות טרחים כלם אין נוגעים בו וזו שיעשו זו חקטרת להבריח זו טומת של מלאכי הבלה שמתחברים שם ושם בורחים ואין נוגעין בו ולכן צריך לעשות החקטרת אצל הקבר בעוין שכיר כשי שליטו החקטרת יכניסהו אל הקבר וריצהו אל הטור בינין שלא יגע בו רע ׃ Quis, quæso, poteſt hanc Judæorum tam horrendam opinionem ſine vehementi admiratione legere, qui putant ſpectra illa nocentia producta ex ſemine primi parentis centum illis & triginta annis quibus abſtinuit ab uxore ſua poſt fatricidium à Cain commiſſum? Sed & hoc multo abſurdius videtur eſſe, ut illi credant phantaſmata illa eſſe tam infeſta cadaveribus defunctorum, & poſſe abarceri ſeptem circulis circum ſepulcrum factis, ne cadaver intromittendum quoquo pacto inquinent. Nolui tam inſignia deliramenta vertere in noſtram linguam: ne tamen deeſſem Hebraicæ linguæ ſtudioſis, volui illis obſcuriora declarare vocabula in memorata citata lectione. נתהו paſſivum plur. eſt ab היה *fuit*. Sic enim plerumque uſurpant Magiſtri verbum Hithpael. Cæterum זובה eſt *fluxus viri*, ſicut & קרי, quod legitur cum Sægol ſub Kuph. Eſt autem קרי proprie *occurſus*, à verbo קרא, qui dormientibus in ſomno cum impudica imaginatione contingit: ut quod homo interdiu הרהר imaginatur, præſertim impudicum, id plerumque ſub noctem in reliqua ſpecie refricatur. Vocaturque imaginatio illa עין רע, quæ ſub forma mulieris appareat, vocatur לילית ſive שרה, h.e. *diabola*. Porro נפטר capitur pro *exſpirare* & *animam agere*. חקטרת ſunt *circuli*, à radice יקף *circumdedit*. Reliqua ut ipſe, lector, intelliges, qui vel mediocriter linguam Hebraicam attigiſti.

V A L L A.

2. *Virtutes operantur*] *Operantur* active ſignificat, ἐνεργοῦσιν. Ut alibi, *Pater meus operatur, & ego operor.*

5. *Quia ſicut prophetam eum habebant*] Ego dixiſſem *velut prophetam*, h. e. *velut propheta eſſet*, non autem *ſicut alium prophetam habebant*. De qua elegantia alio in opere diſſeruimus, qualem Græci non habent, qui ſemper dicunt ὡς.

6. *Die autem natalis Herodis*] Gr. *Cum natalitia Herodis agerentur*, γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ Ἡρῴδου.

8. *Da mihi in diſco*] Hic *diſcus* Græcum nomen eſt, cum inſtrumentum ſignificat illud quod in ludendo à viris robuſtis jactatur: ut apud Homerum de ludis Achillis. Pro vaſe autem eſcario nunc aliter dicitur Græce, πίνακι, quod verbum apud Lucam 11. 39. transfertur *catinum*; *Nunc vos, Phariſæi, quod de foris eſt calicis & catini mundatis*, πίνακος. *De foris* autem & *de longe* an Latine dicatur, interpres viderit.

15. *Acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus*] Dicendum erat *diſcipuli ſui*. E contrario paulo poſt v. 22. *Et ſtatim juſſit diſcipulos aſcendere in naviculam, & præire eum trans fretum.* Non minus belle diceretur, *& præire ſe.*

19. *Diſcumbere ſuper fœnum*] Cur magis *fœnum* quam *herbam* ſive *herbas*? Nam Græce plur. numeri eſt, χόρτους, cum dicatur ſuperius 13. 26. *herba creviſſet, & fructum feciſſet*, χόρτος, & in Marc. 4. 28. *Ultro enim terra fructificat, primum herbam*, χόρτον.

21. *Manducantium autem numerus fuit quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis*] Gr. *Qui autem manducarunt, fuerunt viri fere quinque millia, præter feminas & pueros*, οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων.

22. *Et ſtatim juſſit Jeſus diſcipulos ſuos aſcendere in naviculam*] *Cogit* eſt Græce, non *juſſit*; ἀναγκάζει εἰσελθεῖν, non *aſcendere*; & *in navim*, non *in naviculam*, ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον.

23. *Dimiſit turbas. Et dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare*] Non eſt accipiendum *dimittere*, *relinquere*, ſed *remittere*, & *domum ire ſubinde*, atque *ut redire poſſent operam dare*. Neque eſt Græce *ſolus*, ſed *ſeorſum*. Nam nequeat inhibere dicere quod eſſet ſolus poſtquam dictum eſt quod dimiſerat turbas atque diſcipulos. Ergo ſeorſum abiit, h. e. in ſecretum ac ſemotum locum, ubi ne videri poſſet à cementibus nec inveniri à quærentibus, qualis locus orantem decet: quod vocabulum poſtea transfertur *ſecreto* Matth. 17. 19. & 20. 17. & 24. 3. Marc. 9. 28. ἰδίᾳ ὁ Ἰησοῦς ἔσω ἔχλου· καὶ ἀναβὰς εἰς τὸ ὄρος κατ' ἰδίαν.

R E V I U S in V A L L A M.

2. Ἐνεργοῦσι] Loco motum erat, & loco Joannis 5. 17. quaſi ad eum pertineret, ſubjectum, cum illic non ἐνεργοῦσι, ſed ἐργάζεται & ἐργάζομαι· unde anſa Eraſmo Vallam carpendi, quaſi parum in loco Joannem citarit: quod non feciſſet Eraſmus ſi vocem Græcam ſua ſede repoſitam legiſſet. Illud potius monendum admonere voluit Valla, *virtutes operantur* non accipi paſſive pro *fiunt* vel *perpetrantur* (quod facile quiſpiam in ſemibarbaro interprete ſuſpicaretur) ſed active. Id probat e voce Græca primum, deinde ex uſu interpretis, qui Joan. 5. 17. idem verbum active, ut debebat, uſurparit.

15. *Præire ſe*] *Quod Valla*, inquit Eraſmus, *mavult, Prairent quam Præcederent, non video quid illum debueris offendere.* At fruſtra eſt Eraſmus: neque enim Valla mavult *prairent* quam *præcederent*, ſed mavult *præire ſe* quam *præire eum*: ita enim in ſuo cod. invenit. Interim obſerva Bezam male *præeundi* vocem quam *præcedendi*, hic, & Matth. 2. 9. quod illam propius abeſſe à Græco arbitretur.

22. *In navim, non, in naviculam*: πλοῖον] *Navigium* potius, ut Beza. Nam *navis* eſt ναῦς.

E R A S M U S.

2. *Uxoris ſuis*] Παισὶν, i. *miniſtris*, ſeu *famulis*. Quanquam Græca vox & *ſervos* & *ancillas* & *liberos* & omnes denique *domeſticos* complectitur, præter patremfamilias & matremfamilias. ¶ *Virtutes operantur, δυνάμεις ἐνεργοῦσιν*] Non eſt ἐργάζονται, quod ſignificat *operari*: verum hac voce ἐνεργοῦσιν vis quædam efficax ſignificatur, ut & alias indicavimus. Neque enim eſt idem verbum quod alibi; *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.* Quem locum hic citat Laurentius, at parum in loco: nec enim eſt idem verbum illic quod hic. Alioqui ſi Valla nobis probare voluit *operari* vocem Latinam interdum accipi active, ridiculam ſumpſit operam. Illud admonere voluit, hoc loco *operantur* non poſſe paſſive accipi, cum Græce ſit ἐνεργοῦσιν.

3. Κρατήσας magis eſt *cepit* quam *tenuit*, aut *injecta manu*. ¶ Et in nonnullis exempl. habebatur ἐν φυλακῇ, in aliis rurſum εἰς φυλακὴν. ¶ *Herodiadem*] Patronymici ſpeciem habet, aut certe diminutivi nominis. Hieronymus tradit hanc fuiſſe filiam Arethæ Regis, haud ſcio an ejus cujus meminit Paulus. Eam Philippo Tetrarchæ Iturææ & Trachonitidis locarat. Poſt orta inter ſe & generum ſimultate, filiam ab illo abductam Herodi fratri, ſed inimico, copulavit, quo magis illum ureret. Cæterum hic Herodes filius eſſe traditur Herodis Aſcalonitæ, illius ſub quo Chriſtus fugit in Ægyptum, frater illius ſub quo paſſus eſt. Vero tamen propius eſt, eundem fuiſſe Herodem qui decollavit Joannem, & ſub quo paſſus eſt Dominus. Plurimum autem obſcuritatis attulit hiſtoriæ Regum quorundam ambitio, qui locis innovarunt vocabula, & vel tradito ſuo nomine volebant in poſteris eſſe ſuperſtitem ſui memoriam, quod accidit in Ptolemæis, aut celebrium Principum nomina ſibi uſurpabant, vel modica deflexione diſtinguebant ſucceſſorem, ut *Conſtans, Conſtantius, Conſtantinus.*

6. *Die autem natalis, γενεσίων δὲ ἀγομένων*] i. *Cum agerentur autem natalitia.* Atque ita legit Chryſoſtomi interpres. ¶ *Saltavit filia, ὠρχήσατο*] Non *ſubſiliit*, ut vulgus putat, ſed quemadmodum geſticulantur in chorcis. Nam id proprie ſonat Latinis *ſaltare*, Græcis ὀρχεῖσθαι.

7. *Poſtulaſſet ab eo*] *Ab eo*, præterquam quod barbare additum eſt nec in Græcis habetur exempl. *Ab ipſo* dicendum erat.

8. *Præmonita à matre*, προβιβασθεῖσα] i. *præinſtructa*: quod vulgo dicunt *informata*. ¶ *In diſco, ἐν πίνακι*] Quod alibi vertit *catinum*; etiamſi Græce magis ſonat *tabulam*: Quandoquidem quadris tabellis cibus apponitur. Apparet enim hoc ludibrii cauſa factum, quaſi & hic nullus quidem eſſet genialis illius ac natalitii convivii.

10. *Et miſit, καὶ πέμψας*] Commodius ſuppleſſet, *Miſſo carnifice*, aut *miniſtro*; id quod alibi fecit. Certe Marcus expreſſit quod hic erat ſubaudiendum, καὶ ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτορα. ¶ Quod hic vertit *decollavit*, Græce eſt ἀπεκεφάλισε; quod ad verbum ſonat *decapitavit*. Quanquam *decollandi* verbo eſt uſus Seneca in Ludo de morte Claudii: verum poterat eo uſus videri ludibrii cauſa, niſi idem verbum eſſet apud Suetonium in Caligula Cæſare; Imo apud eundem Senecam lib. De Ira ad Novatum. Illud admonendum, cum dixerit, miſſus

miſſos ab Herode qui Joanni caput præciderent, tamen mox ſubjicit, *ipſum amputaſſe*. Facit enim qui jubet.

11. *Et illa attulit matri*] *Illa* additum eſt explicandi gratia, alioqui nec in Græcis nec in Latinis vetuſtioribus cod. habetur, poſtremo nec in Aureo, nec in Conſtantienſi; & tamen additum probo.

14. *Miſertus eſt*, ἐσπλαγχνίσθη] De quo jam admonuimus. ¶ *Et curavit languidos*, ἐθεράπευσε τοὺς ἀῤῥώστους] i. *ſanavit male valentes*, ſive *qui mala erant valetudine*. Mirum enim quam interpres hoc vocabulo *languoris* ſit delectatus. Ut interim præteream illa minutiora, quod ἀπελθὼν pro *abire* vertit *ire*. Quod ὁ δὲ εἶπεν, i. *Ille autem dixit*, vertit, *Qui dixit*: quod & alias facit. Quod ὄχλους *turbas*, pro *turbas*. Quod ἐπὶ χόρτους, i. *Super herbas*, ſive *gramina*, tranſtulerit *ſuper fœnum*, cum ante verterit *herbam*. Quod ἀναβλέψας, *aſpiciens*, pro *Suſpiciens*, ſive, ut temporis etiam habeatur ratio, *Sublatis in cœlum oculis*. Nam κλάσας ἔδωκε, *Fregit ac dedit*, tolerabilius eſt: quanquam apertius erat, *cum fregiſſet*, *dedit*.

19. *Diſcipuli dederunt turbis*] *Dederunt* verbum de ſuo addiderit, quod nec additum eſt à Græcis, nec in vetuſtis Latinorum cod. invenitur: nec erat opus addere.

20. *Et tulerunt reliquias*] Græca ſic habent, καὶ ἦραν τὸ περισσεῦον τῶν κλασμάτων δώδεκα κοφίνους πλήρεις, *Et ſuſtulerunt quod ſuperfuerat fragmentorum duodecim cophinos plenos*. *Cophinus* autem veteribus menſuræ genus fuit, autore J. Polluce: quanquam hic pro *ſportis* poſitum apparet, quod Lucas σπυρίδας appellet, h. e. *ſportulas*.

21. *Manducantium autem*, &c.] Οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι, χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων, *Erant autem qui comederant ferme quinquies mille præter mulieres ac pueros*. Verum hic Latinitatis duntaxat injuria eſt. Cæterum quod *juſſit* poſuit pro *compulit*, ſive id factum eſt ab interprete ſive à librario, cum ſenſus etiam injuria conjunctum eſt. Nam Græce plus eſt quam *juſſit*, i. ἠνάγκασεν, *coegit* ſive *compulit*: ut intelligamus eos invitos à Præceptore diſceſſiſſe, quem ſic amabant ut nec punctum temporis poſſent abeſſe: quemadmodum annotavit & D. Hieronymus qui *compulit* legit, non *juſſit*. Annotavit idem Theophylactus & his omnibus antiquior Orig. identidem iterans hanc vocem atque etiam interpretans. Certe *compulit* habet etiam cod. Aureus. Offendit aliquem inepte miſericordem vox *compellendi* durior: atqui non coegit Dominus niſi jubendo. Verum ea vox dura commendat nobis & amorem Diſcipulorum erga Dominum, & obedientiam. Cum enim illis dulciſſimum eſſet ſemper adeſſe Præceptori, tamen quod jubentur faciunt, non reſponſantes, ſecus quam vulgus diſcipulorum ſolet, qui & libenter abſunt ab oculis magiſtri, & ſi quid imperatur adverſum affectibus ipſorum, excuſant reſponſantque. Ut illa diſſimulem, quod *præcederent eum* dixit pro *præcederent ſe*, aut *præcederent ipſum*. Nam quod Valla mavult *præirent* quam *præcederent*, non video quid illum debuerit offendere. ¶ *Dimitteret turbas*] Eleganter vertit, ſi modo intelligamus eum non fugiſſe ſimpliciter turbas, ſed ab ſe dimiſiſſe, quomodo ſolemus amicos abeuntes dimittere. Quanquam ἀπολύειν Græca vox anceps eſt ad multa, ad *abſolvere*, *repudiare*, *dimittere* quomodocunque.

23. *Solus orare*, κατ' ἰδίαν] i. *ſeorſim*, ſive *privatim*, aut *ſecreto*, quemadmodum alibi vertit. Porro adverbium utrolibet referri poteſt, ad verbum ſuperius *aſcendit*, aut ad *adorare*, quanquam rectius ad poſterius.

24. *Navicula autem*, τὸ δὲ πλοῖον ἤδη μέσον τῆς θαλάσσης] i. *Navis autem jam medio mari*. Mirum enim quam hoc diminutivo delectetur. ¶ *Jactabatur*] Gr. ἦν βασανιζόμενον quod ante vertit *torqueri*: nos vertimus *afflictabatur*.

25. *Venit ad eos*, ἀπῆλθε] *Abiit*. Quanquam apparet eum ſic abuſum hoc verbo ἀπελθεῖν quemadmodum Græci ἀφικνεῖσθαι, i. *pervenire*.

26. *Phantaſma eſt*] Græcam dictionem reliquit. Latine poterat *ſpectrum* dicere, qua voce uſus eſt Tullius, ac Plinius. Græcis etiam φάσμα dicitur. Nam illa levicula ſunt, quod εὐθέως δὲ, i. *ſtatim autem*, vertit *ſtatimque*; quod θαρσεῖτε, i. *Bono animo ſitis*, ſive *Fidite*, vertit, *Habete fiduciam*, otioſa periphraſi.

28. *Super aquam*, ἐπὶ τὰ ὕδατα] Pro *ſuper aquas*. Porro quod hic vertit *mergi*, Græcis eſt καταποντίζεσθαι, i. *Involvi undis marinis*.

31. *Modicæ fidei*, ὀλιγόπιστε] De quo jam diximus. ¶ *Quare dubitaſti? εἰς τί ἐδίστασας;*] i. *ad quid vacillaſti?* Id enim Græca vox ſonat, cum animus nunc huc nunc illuc impellitur. Donec nihil ſpectabat niſi Chriſtum, in tuto erat Petrus; at dum fluctuat animo, protinus periclitatur in fluctibus.

32. *Et cum aſcendiſſet*] καὶ ἐμβάντων αὐτῶν, i. *Et ingreſſis illis*. Loquitur enim de Jeſu & Petro ſimul ingreſſis. ¶ Ac mox, ἐλθὼν εἰς, *naviculam* pro *navi*, cum ſit πλοῖον. Nec eſt,

34. *In terram Geneſar*] Sed *Geneſareth*. Quanquam apparet apud illos utrumque nomen eſſe ejuſdem lacus. Nam ſentit regionem ei lacui finitimam. Magno autem conſenſu *Geneſar* legunt Chryſoſtomus & Hilarius ſuffragantibus & vetuſtis exempl. Cæterum Hieron. hoc loco ſcribit in hunc modum, *Si ſciremus quid in noſtra lingua reſonaret* GENESARETH, *intelligeremus quomodo Jeſus per typum Apoſtolorum & navis, Eccleſiam de perſecutionum naufragio liberatam tranſducat ad littus, & in tranquilliſſimo portu faciat requieſcere*. Hæc Hieronymus. Primum, quid *ſuam* dicit *linguam*? non, opinor, Syrorum inter quos habitabat id temporis: quam ſi callebat, non defuiſſet Latina vox qua Syram expreſſiſſet. Dein, cum ait, *ſi ſciremus*, videtur confiteri incompertam ejus nominis interpretationem. In vulgatis Hebraicorum nominum Collectaneis legimus *Geneſar* ſignificare *Ortum principium*, ſive *Initium nativitatis*, nec aliud ſignificare *Geneſareth* quam *Geneſar*. Quanquam ad hanc interpretationem non video quid faciant verba Hieronymi.

35. *Cum cognoviſſent*, ἐπιγνόντες] i. *cum agnoviſſent*. Eſt enim conſentaneum multos illic fuiſſe qui Jeſum ante viderant: à qua ſententia non abhorret Hieron. ¶ *Miſerunt*, ἀπέστειλαν] Cur non eſt auſus addere *nuncios*? Nec eſt, *in univerſam regionem*, ſed εἰς ὅλην τὴν περίχωρον, *in totam undique finitimam regionem*.

36. *Ut vel fimbriam*] Eleganter vertit, cum ſit Græce ἵνα μόνον ἅψωνται, *ut vel tangerent duntaxat*. ¶ *Veſtimenti*] Gr. τοῦ ἱματίου quod aliquando *pallium* vertit. Significat enim ſummam veſtem: id quod ad ἱμάτιον facit.

VATABLUS.

1. Veris] *Famulis, miniſtris*. ¶ *Operantur*] *Agunt*, i. Miracula patrantur per illum. Gallice melius, *miracles ſe font par luy*.

3. *Tenuit-alligavit-poſuit*] *Tenuerat-alligaverat-poſuerat*. ¶ *Fratris*] *Philippi fratris*. V.

5. *Sicut prophetam eum habebant*] Hebr. pro, *crederent eum eſſe Prophetam*.

6. *Die autem natalis*] *Cum autem agerentur natalitia*. ¶ *Saltavit*] Vox Græca ſignificat *laſciva geſticulatione ſaltare*.

7. *Pollicitus eſt*] Vel, *teſtatus eſt*.

8. *Præmonita*] *Prius inſtructa*: vel, *ſubornata*.

10. *Miſitque*] Sub. *carnificem*.

12. *Corpus*] *Corpus ejus*. V.

14. *Vidit*] *Jeſum vidit*. ¶ *Languidos*] *Infirmos*.

15. *In caſtella*] *In pagos*.

16. *Non habent neceſſe ire*] Vel, *Non eſt illis neceſſe ut abeant*: aut, *Non eſt utile*, aut *commodum*.

19. *Aſpiciens*] *Suſpiciens*. ¶ *Benedixit*] Hebr. pro, *gratias egit*: vel, *bene precatus eſt*.

20. *Et tulerunt reliquias*, &c.] *Et ſuſtulerunt quod ſuperfuerat fragmentorum, duodecim cophinos plenos*.

21. *Quinque millia*] *Ferme quinque millia*.

22. *Juſſit*] *Compulit*. ¶ *Diſcipulos*] *Diſcipulos ſuos*. V. ¶ *Eum*] *Se*: vel, *ipſum*.

23. *Solus*] *Seorſum*: vel, *privatim*: aut *ſecreto*.

24. *Navicula*] *Navis*. ¶ *Jactabatur*] *Afflictabatur*.

26. *Videntes eum*] *Videntes eum diſcipuli*. ¶ *Phantaſma*] Vox Græca Latine redditur *ſpectrum*, & *terriculum nocturnum*.

27. *Statimque*] *Statim autem*.

28. *Reſpondens*] Hebr. pro *locutus*. ¶ *Petrus*] *Illi Petrus*. ¶ *Aquam*] *Aquas*. V.

29. *Aquam*] *Aquas*. V.

30. *Videns*] i. ſentiens, Hebr. ¶ *Mergi*] *Involvi undis marinis*.

31. *Dubitaſti*] Vel, *vacillaſti*. Græca vox *hinc inde animum impellere* ſignificat.

32. *Aſcendiſſet*] *aſcendiſſent*. V.

34. *Geneſar*] *Geneſareth*.

35. *Cognoviſſent*] *Agnoviſſent*.

36. *Quicunque*] *Quotquot*.

CLARIUS.

11. ET *allatum eſt caput ejus in diſco*] In hiſtoria decollationis Joannis Baptiſtæ illud non in minimis obſerva, Fructum ſaltationis & tripudii eſſe cædem & abſciſſum caput illius viri quo major inter natos mulierum non ſurrexit.

26. *Dicentes, Phantaſma eſt*] Hoc frequenter & nunc uſu evenit, ut qui ſe noſſe Chriſtum profitentur cum in moleſtias incidunt ita perturbentur ut res Chriſtiana eis tunc quaſi phantaſma quoddam videatur.

ZEGERUS.

2. ET *ait pueris ſuis*] Utraque vox, & Latina & Græca, anceps eſt ad ſignificandum vel *liberos* vel *famulos*. Quin & Hebræa quoque eandem habet ambiguitatem. Hic tamen de famulis intelligenda eſt. ¶ *Hic eſt Johannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis*] Hic loquitur Herodes adſertive; cum apud Lucam 9.9. contra loquatur percontative ac dubitative, dicens, *Johannem ego decollavi; quis eſt autem iſte de quo ego talia audio?* Ad hæc, quod hic dicitur locutus Herodes ipſe, idem illic ſcribuntur locuti alii quidam, ita Luca referente, *Audivit autem Herodes Tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo*, nempe Jeſu, *& hæſitabat, eo quod diceretur à quibuſdam, Quia Johannes ſurrexit à mortuis.* Sciendum ergo quod, cum Herodes audiret nonnullos de Jeſu dicentes *quod ipſe Johannes eſſet, qui ſurrexiſſet à mortuis; alios, quod Elias; alios quod prophetа quiſpiam ex antiquis eſſet*, primum quidem dixerit illis qui hujuſmodi dicebant, *Johannem ego decollavi*, &c. idque & dubitans de audita vulgi opinione, & ſibi timens ne, ſi conſtans perſtaret fama quod Johannes redivivus operaretur miracula in ipſo Chriſto, populus adverſus ipſum ſeditionem moveret ob injuſtam Johannis necem; deinde etiam dixerit quod hic Matthæus refert, non quidem illis iiſdem, ſed *pueris*, h. e. miniſtris ac militibus, *ſuis*, ut ad tuendum Principem ſuum paratos ſeſe exhiberent tam contra Johannis, quem reſurrexiſſe timebat, in ſignis potentiam, quam contra vulgi ſeditionem. Vel apud Lucam loquitur populis, cupiens eis eximere quam habebant de Johanne opinionem, hic vero ſuis, referens ipſis quod in ore erat vulgi. ¶ *Virtutes operantur in eo*] Active accipiendum: eſt enim ἐνεργοῦσι.

3. *Herodes enim tenuit*] Hic Herodes filios fuit ejus qui infantes trucidavit, & frater Archelai illius qui in Judæa regnaſſe ſcribitur pro Herode patre ſuo, c. 2. 16, 22.

6. *In medio triclinio*] In antiquis nuſquam invenio *triclinio*, excepta Petro Chryſologo, & codice Corſend.

11. *Attulit matri ſuæ*] Sic habet Hieronymi & vet. codicum ſcriptura: alias *tulit*.

15. *Euntes in caſtella emant ſibi eſcas*] Ex Marci verbis liquet per *caſtella* hic indicari pagos & vicos, aut certe oppida una cum pagis: dicit enim, *Ut euntes in proximas villas & vicos:* ubi pro *vicos* in Græcis eadem vox eſt quæ hic, nempe κώμας. Quam vocem interpres hic & alias fere *caſtella* potius vertit quam *vicos* aut *pagos*, quod pagi & vici regionis Palæſtinæ majores muris fuerint circumſepti, ut alicubi legiſſe me meminit. Et quia id habent commune cum oppidis, ita ut partim *oppida* ſint ac dicantur, partim *pagi* ſeu *vici*, ideo ejuſmodi loca *caſtella* dicere maluit: quæ vox, teſte etiam Calepino, *vicum* declarat *muro circumdatum*. Vox tamen Græca κώμη latius patet quam Latina *caſtellum*, habetque ſignificantiam juxta exigentiam locorum diverſam; juxta quam etiam accipere neceſſe eſt *caſtellum*. Nonnunquam enim *oppidum* ſignat: ut Marci 8. 23. *Et apprehenſa manu cæci eduxit eum ἔξω τῆς κώμης extra oppidum*, nempe Bethſaidam, quæ Joh. 1. 44. *civitas* ſcribitur *Andreæ & Petri*. Frequentius tamen & utilitatius pro *pago* ponitur: ut Lucæ 24. 13. *Duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum, nomine Emmaus*. Pro quo Marcus 16. 12. ſcribit, *euntibus in villam*. Quanquam Marcus dicens εἰς ἀγρὸν videtur potius indicare locum in quo ibant, nempe rus, quam ad quem ibant. Nam Emmauntem oppidum fuiſſe ſubindicare videtur Hieronymus dum teſtatur ſua ætate *inſignem fuiſſe civitatem Nicopolim dictam*, De locis Hebr. Pro *oppido* item ponitur ſupra 9. 35. & Luc. 8. 1. *Circuibat Jeſus per omnes civitates & caſtella:* item hoc loco. Nonnunquam etiam pro *vico ruraſtri* poſitum invenitur: ut Joh. 11. 1. *A Bethania, de caſtello Maria & Marthæ*. Hieronymus enim Bethaniam *viculum* fuiſſe ſcribit. Quanquam hæc acceptio ſub *pago* intelligi poteſt comprehendi. Nuſquam autem pro *vico oppidi*, quem vulgo plateam vocamus, ponitur. Nam in eo quod legimus ſupra 6. 2. *Sicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & in vicis*, & Luc. 14. 21. *Exi cito in plateas & vicos civitatis*, & Actor. 12. 10. *Exeuntes proceſſerunt vicum unum*, non κώμην legitur, ſed ῥύμην. Nonnunquam præterea hæc vox complectitur ſimul & *oppida* & *pagos* & *vicos*: ut Luc. 5. 17. *Ex omni caſtello Galilææ & Judææ*, & Marc. 6. 6. *Circuibat per caſtella*.

19. *Super fœnum*] Vel, *ſuper herbam*: utrumque enim ſignificare poteſt tam ἐπὶ χόρτους quam עשב על.

22. *Et ſtatim compulit*] Codex Corſend. & alii nonnulli habent *juſſit*: ſed melius & (ut Hieronymus explicat) vehementius eſt *compulit*.

25. *Quarta autem vigilia noctis*] Dividebatur nox in quaternas vigilias ſeu cuſtodias, juxta diſciplinam militarem, quarum quælibet trium ſpatio horarum perficiebatur.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ιδ΄, Περὶ Ματθαίου ἐν πλοίῳ.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. τμ. ϑ΄, Καὶ παρελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐκεῖθεν εἶδεν ἄνθρωπον καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, Ματθαῖον λεγόμενον.

Ματθαῖον καλέσας Θεὸς λόγῳ ἐγγὺς ἐλθεῖν.
Ἄβυσσε,
Ματθαίῳ χεῖρα ἔσπευσε καλέσαι τελώνῃ.

1. ΤΗΝ ἀκοὴν Ἰησοῦ] *Rumorem de Jeſu.*

2. Τοῖς παισὶν] *Servis.* ¶ Ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ] *Agunt.*

6. Γενεσίων ἢ ἀγομένων ἐν Ἡρῴδου, ὠρχήσατο] *Sed cum natalitia celebrarentur H. ſaltaverat.*

7. Ὡμολόγησεν] *Spoponderat.*

8. Προβιβασθεῖσα] *Inſtructa prius:* vel, *Inducta.*

10. Πέμψας] *Miſſo* ſpiculatore, ex Marco.

11. Τῷ κορασίῳ] *Puellæ:* vel, *Puellulæ.*

14. Ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοῖς] *Miſertus eſt eorum*, quaſi ex intimis viſceribus procedente affectu.

15. Βρώματα] *Cibos.*

19. Ἀνακλιθῆναι ἐπὶ τοῦ χόρτου] *Diſcumbere per gramina.* ¶ Εὐλόγησε] *Benedixit.*

20. Ἐχορτάσθησαν] *Saturati ſunt.* ¶ Τὸ περισσεῦον τῶν κλασμάτων] *Quod ſupererat ex fragmentis.*

22. Προάγειν] *Præcedere.*

24. Βασανιζόμενον ὑπὸ τῶν κυμάτων] *Quod exagitabatur à fluctibus.*

26. Φάντασμά ἐστι· καὶ ἀπὸ τοῦ φόβου ἔκραξαν] *Spectrum eſt: & præ metu clamaverunt.*

29. Περιπατεῖν ἐπὶ τὸ ὕδατος, ἐλθεῖν] *Ambulare cœpit ſuper aquas, ut veniret.*

30. Καταποντίζεσθαι] *Demergi.*

31. Ἐπελάβετο] *Apprehendit.* ¶ Εἰς τί ἐδίστασας;] *Cur dubitaſti?*

32. Ἐκόπασεν] *Quievit.*

34. Διαπεράσαντες] *Cum trajeciſſent.*

35. Τὴν περίχωρον ἐκείνην] *Circumjacentem regionem.*

DRUSIUS.

1. HErodes] Ebræi ſcribunt *Herodes*, vel *Orodes* abſque aſpiratione. Hic mutavit nomen: nam prius appellatus fuit *Antipater*. Fratrem habuit Archelaum, cui etiam in regno ſucceſſit. Compoſitor Hiſtoriæ Ebraicæ cap. 61, & 63. *Antipater* & *Antipas* eadem ſunt: unde quidam ſcribunt hujus Herodis cognomentum fuiſſe *Antipas*. In Hiſt. Ebraica modo citata, cap. 63. *Accepit uxorem Philippi fratris ſui, dum adhuc viveret, in uxorem: fueruntque ei filii ex fratre ipſius; nihilominus accepit eam in uxorem. Idem occidit multos ex ſapientibus Iſrael: etiam ipſe occidit Johannem Sacerdotem magnum, quia locutus fuerat & dixerat ei, Non licet tibi accipere uxorem fratris tui Philippi in uxorem: itaque interemit eum. Hic eſt Johannes qui baptiſmum celebravit. Sacerdotem magnum* dicit, non *pontificem*, ſed alium; quales forſan erant qui vicibus quas ἐφημερίας appellant præerant. Hoc ſenſu Matthathias Haſmonæus pater Judæ Machabæi *Sacerdos magnus* vocatur. Annales Regum Iſrael, ſive Chronicon templi ſecundi, fol. 58. col. 4. *Antipas accepit uxorem Philippi fratris ſui, ex qua prius liberos ſuſceperat. Ob hoc abominandum factum redarguit eum R. Johanan Sacerdos magnus: itaque percuſſit eum Antipas, & morte affecit eum.* ¶ *Famam Jeſu*] שמע יהוה ἀκοὴν ἢ Ἰησοῦ, *famam*, aut *rumorem*, *de Jeſu*. Ad verbum, *auditionem Jeſu*; quod vocabulum Cicero & Cæſar uſurpant pro *fama* & *rumore*. Sic Gen. 29. 13. *Cum audiſſet Laban auditionem Jacobi.* & 1 Reg. 10. 1. *Regina Saba audiens auditionem Salomonis*, i. famam de Salomone. Hieron. *audita fama Salomonis.* Syrus hic habet *famam Jeſu*, quæ ſparſa erat de Jeſu. Sic Marc. 1. 28. ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ *fama de illo.* & Marc. 13. 7. ἀκοὰς πολέμων, *rumores bellorum.* Vide Job 28. 22.

2. *Pueris ſuis*, τοῖς παισὶν αὐτοῦ] i. ſervis. Ebraice לעבדיו, ut Geneſ. 22. 5. εἶπεν Ἀβραὰμ τοῖς παισὶν αὐτοῦ, *dixit Abraham ſervis ſuis.* Sic Geneſ. 46. 34. κτηνοτρόφοι ἦσαν οἱ παῖδες ϛ΄ & ſic paſſim in ed. τῶν ἰδιωτικῶν ϛ΄. Quocirca recte

Syrus

Syrus hic vertit לעבודוהי *ſervis ſuis.* Significat etiam puerum ſenſu & intelligentia, ut Prov. 1. 4. נערי ולנער *puero ſcientiam*, &c.

10. *Miſitque & decollavit*] Latine, *miſit qui decollaret.* Nam non ipſe decollavit eum, ſed ſpiculator ſive carnifex quem ad eam rem miſerat in carcerem. Marc. 6. 27. *miſſo ſpiculatore juſſit.*

25. *Quarta vigilia noctis*] Sic Marc. 6. 48. *circa quartam vigiliam noctis.* Olim tres tantum erant vigiliæ, & ſingulæ quatuor horarum. Ubi quatuor, ibi unaquæque continebat horas tres. Nam ut diei ſic etiam noctis horæ duodecim. Vide Obſerv. meas.

34. *Genneſar*] *Genneſar*, duplici *nn*, ſcribi malim quam *Geneſar*, unica: & *Genneſareth* cum *t* aſpirata quam *Genneſaret* cum *t* ſimplici. Reperio & Γεννησσήρ. *Genneſar*, *Genneſara*, *Genneſareth*, ut *Nazar*, *Nazara*, *Nazareth*, quod & Ναζαρὲτ in Euangelio ſecundum Lucam. Sic Γεννησαρὲτ. Quale & Ἐλισσβὲτ, quod Latini ſcribunt *Eliſabeth.* Similis paragogæ eſt in Ἐυλαὰτ. Nam Ebraice eſt חוילה *Havila* vel *Hevila* Gen. 25. 18. Huc retulerim Τωβὶτ, quod in codicibus Græcis, cum in Ebræo ſit טוביה *Tobi*, ex quo Munſterus *Tobeum* fecit, i. טוכי. Videtur corruptum ex Ebraico כנרות, inſerta litera ס, & כ in ג verſa. Sic alternant & ſe invicem explicant סנף & גנב *incurvo*, וסכרות & וגרות *vitrum.* Ptolemæus fol. 40. pag. 2. Γεννησσαλὰθ lacum memorat, juxta quem dicit eſſe Ἰορδάνου fluvii partem. Gorionides compoſitor Hiſt. Ebraicæ, c. 67. *Accidit autem cum veniſſet ipſe ad labrum maris quod eſt Gennoſar.* Ebraice, גנוסר. Sic vocatur etiam in opere Thalmudico. De hoc lacu Egeſippus lib. 3. cap. 26. inter alia ſcribit, *criſpantibus aquis auram de ſeipſo ſibi excitare: Unde & Genneſar*, inquit, *dicitur Græco vocabulo, q. generans ſibi auram aquæ dulcis & ad potandum habilis.* Et mox, *Pretendit autem regio Geneſar ejuſdem nominis lacum, mirabili natura gratia & ſpecie pulchritudinis. Nam & ſpontaneos fructus ſoli ubertas miniſtrat, & nemorum ferax in univerſa genera ſponte ſe ſubrigis; arborum pomiferarum & cultura ſolertia imitata naturam, in quos voluit uſus, opima fœcunditatis deflexit gratiam, ut nihil ſit illic quod natura negaverit, nihil quod cultura præterierit*, &c. ¶ *In terram Geneſar*] Cod. Græci Γεννησαρὲτ, quod Latini ſcribunt *Genneſareth.* Hier. ad hunc locum, *Si ſciremus quid in noſtra lingua ſonaret Genneſareth, intelligeremus quomodo Jeſus per typum Apoſtolorum & navis Eccleſiam de perſecutionum naufragio liberatam tranſducat ad littus, & in tranquilliſſimo portu facias quieſcere*, nempe in *horto principum*, quod ſignificat *Geneſar.* גן *hortus*, נשיא *princeps*, qui & נס. Liber Nom. Ebr. *Geneſar*, *Ortus principium.* Id olim emendavi, *Hortus principum.* Sed retineo veterem ſcripturam *Ortus* pro *hortus*, ut alibi *umeros* pro *humerus*; & *principium* pro *principum*, qui eſt antiquus genitivus. Sic Juſtinus hiſtoricus locutus eſt lib. 1. *Occiſis magis, magna quidem gloria recepti regni principium fuit.* Sic dicebant *civitatium*, *penatium*, *apium*, *paludium*, *ſapientium*, antiquo genitivo, quem & Pandectæ Florentinæ & plerique libri vet. agnoſcunt. *Principium* legitur etiam apud Licinium, titulo de ſtupratoribus. Ad quam formam Salluſtius dixit *hominium* pro *hominum*, De bello Jugurth. *Neque illi res, neque conſilium, aut quiſquam hominium ſatis placebat.* Heſychius Γεννησαρὲτ, πατρὶς ἀρχόντων· eſſet autem κτῆσις ἀρχόντων. Plura ad Luc. 5. 1. Quod autem in eodem libro, *ſive initium nativitatis*, purum putum gloſſema eſt à ſciolo quodam temere adjectum. Torquet hic Eraſmum quod ait, *Si ſciremus quid ſonaret in noſtra lingua Geneſareth*; quod pro eo habendum ac ſi dixiſſet, Si pariter mecum omnes ſcirent, & *in noſtra lingua*, h. e. in lingua Latina. Quod autem ſe inter neſcientes ponit, ſolens facit, & more eorum qui aliorum vitia publice reprehendunt.

CASAUBONUS.

8. Ἡ δὲ προβιβασθεῖσα ὑπὸ τῆς μητρὸς αὐτῆς] Mihi quidem doctiſſimi interpretis verſio *producta* ex obſervatione loci Pliniani perplacet: Quia tamen προβιβάζειν in his libris ſolet ſignificare *aſtruere dicendo*, ſive *docere*, fortaſſe non peccant qui ejus ſignificationis veſtigia hic quoque retinent, ut προβιβασθεῖσα ſit *prius edocta* ſive, quod Vet. interpres habet, *præmonita.*

13. Καὶ ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν] Unde? An è patria ſua in quam iſſe dicitur ſupra 13. 54. & Marc. 6. 1. an potius ἐκεῖθεν, i. ex illo loco in quo erat quando mors Johannis Baptiſtæ ei eſt annunciata? Eremus porro in quam ſeceſſiſſe dicitur fuit in agro Bethſaidan, ut annotat Lucas: urbi Bethſaidæ πρὸς δύσιν, ut videtur ex eo poſſe conjici quod paulo poſt Chriſtus ex eremo diſcedens & Capernaum petens jubet diſcipulos navibus προάγειν πρὸς Βηθσαϊδάν, Marc. 6. 45.

20. Δώδεκα κοφίνους πλήρεις] Cophino plurimum utebantur Judæi. Juvenalis Satyra 3.

—— *& delubra locantur*
Judæis, quorum cophinus fœnumque ſupellex.

alibi de Judæa,

—— *cophino fœnoque relicto.*

Gloſſarium, Κόφινοι, *Corbes, corbula, quallus.*

22. Καὶ προάγειν αὐτὸν εἰς τὸ πέραν] Marcus locum exprimit quo juſſit Chriſtus ſuos diſcipulos ſibi præire, nempe Bethſaidan urbem: quo ex loco intelligimus quomodo accipi hic debeat τὸ πέραν. Non enim id ſignificat quod ſupra 8. 28. licet utroque in loco eodem modo vertant interpretes. Atqui ibi de altera lacus Geneſaretici ripa intelligitur, hic non de altera ripa ſed de eadem eſt accipiendum, cum eremus & Bethſaida atque Capernaum ad idem latus ſint ſitæ.

32. Ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος] Hoc verbo ſolent Græci Bibliorum interpretes exprimere Hebraicam vocem שבת, quod ſignificat *quieſcere, ſedari.* Sic Geneſ. 8. 1. de aquis diluvii, Καὶ ἐπέγαγεν ὁ Θεὸς πνεῦμα ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἐκόπασε τὸ ὕδωρ. Eſter 2. 1. καὶ μὴ σὺ λόγος τοῦτος ἐκόπασεν ὁ βασιλεὺς ἐξ ἡμῶν. Iterum 7. 10. καὶ τότε ὁ βασιλεὺς ἐκόπασεν ὀργὴ ἐξ ἡμῶν. Paulo aliter Nazianzenus, ἵνα κοπάσῃ μικρὸν ἡμῖν ὁ πόλεμος.

34. Καὶ διαπεράσαντες] Quemadmodum paulo ante dicebamus πέραν non eſſe accipiendum de altera ripa lacus Geneſaretici, ita hoc loco διαπερᾶν non eſt *trajicere*, ſed διαπλεῦσαι & διαπλεῖν ἢ πλεῖν, quod ex iis facile intelliges quæ doctiſſ. interpres annotavit ad cap. 6. Johan. & nos dicemus ad ejuſdem Johannis 1. 28.

GUALTPERIUS.

1. Ὁ τετράρχης, *Tetrarcha*] Ut ſupra ἐθναρχης vel ἐθνοτετράρχης.

8. Ἐπὶ πίνακι, *in Patina*] Syrus retinet vocem Græcam פיניקא *Pephineka*: πινάκιον parvus diſcus, vel ſcutella.

20. Δώδεκα κοφίνους πλήρεις] Κόφινος, *Cophinus.* Syrus Græcam vocem retinet, כופין *Kuphinin.* Βραδύτορος. Certum menſuræ genus, & quidem Bœoticum, utriuſque rei metiens, aridas & liquidas, teſte Polluce. Vide Bezam.

GROTIUS.

1. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, *In illo tempore*] Qui tam ſero Herodi Jeſus innotuit? Nimirum raro tyrannis dicuntur quæ audire eos non juvat. Sed credo pleraque Chriſti miracula contigiſſe dum Herodes in Romano eſt itinere. Mox Arabici belli negotia illum diſtinuere. ¶ ὁ τετράρχης, *Tetrarcha*] Diſtinguuntur interdum Reges à Tetrarchis, ut Horatio,

—— *modo Reges atque Tetrarchas,*
Omnia magna loquens.

modo Tetrarchæ ipſi, ut Dejotarus Ciceroni, *Reges* appellantur. Sic & Marci VI, 14. Origo nominis ex Galatia, cujus tres partes ſingulæ quatuor habebant Principes. Inde ad alios gentis alicujus parti imperantes nomen tranſiit. ¶ τὴν ἀκοὴν, *famam*] Ita Helleniſtæ transferunt Hebræum שמע, quod *famam* ſignificat, ut apparet Exodi XXIII, 1. Neque tantum audienti ſed & famam vulganti ea vox aptatur, ut Eſaiæ LIII, 1. Simili ferme modo *auditionem* pro *fama* dixit Tacitus.

2. τοῖς παισὶν αὐτοῦ· *pueris ſuis*] Aulæ mancipiis hæc dixit liberius, neque aſſeverans, ſed dubitans an quod quidam dicebant Johannem revixiſſe verum eſſet. Non temere dictum illud à Virgilio,

Omnibus umbra locis adero: dabis, improbe, pœnas.

Et apud Euripidem Oreſtes exclamat,

Ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε, μή μ' ἐπίσκοπε μοι
Τὰς αἱματωπὸς καὶ δρακοντώδεις κόρας.

[*Ah parce mater, nec mihi precor incute*
Illas cruentas ore vipereo dea.]

Dubitari non debet quin ſanctiſſimi & innocentiſſimi viri per ſcelus trucidati imago noctu dioque Herodis animo obtraverit. Conſcientiæ ſtimulis acceſſit comes indivulſus tyrannorum metus.

Eo quoque tempore, inquit Seneca, *quo non capiantur peti ſe judicant, nullumque momentum immune à metu habent.* Utrumque conjungit Sapiens Hebræus XVII, 11. Δειλὸν γὰρ ἰδίῳ πνεύματι μάτην κατασβεννύμενον· ἀεὶ γὰρ προσπίλνθοι τὸ χαλεπὸν συνεχομένῳ τῇ συνειδήσει [*Timida res eſt nequitia, interno damnata teſte; ſemperque ſeva præſumit, conſcientia vexante*]. ¶ ὁ Βαπτιστὴς *Baptiſta*] Ita & Joſephus Ἰωάννην τὸν βαπτιστὴν Βαπτιστῇ [*Joannis ejus qui dicebatur Baptiſta*] נמבר Hebræis: nam quin ibi Niphal ſit poſitum pro Piel, ut à Rabbinis ſæpe, dubitari non debet: ita apud Zachariam IX, 9. נושע Lxx vertunt σώζων [*Salvator*]. Vocant eundem Johannem Hebræorum Magiſtri כהן הגדול [*Sacerdotem Magnum*], unde arbitrari liceat Zachariam fuiſſe familiæ ſuæ principem: ſed cum nunquam id dicat Sacra hiſtoria, imo contrarium potius indicet, cum ſortito Zachariæ λειτουργίαν [*miniſterium*] dicit obtigiſſe, inducor ut credam Johannem כהן, id eſt, *Sacerdotem* dictum καταχρηστικῶς [*per abuſionem*], ut intelligëretur excellens Dei miniſter, quomodo & Moſes in Pſalmo כהן vocatur. Nam & Chaldæus Paraphraſtes haud dubie ex Judæorum conſuetudine Eliam & Jeremiam vocat *Sacerdotes Magnos*: Eliam quidem in paraphraſi Cantici Solomonis, Jeremiam autem in titulo Threnorum. ¶ αὐτὸς ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, *ipſe ſurrexit à mortuis*] Inter varias Hebræorum de anima ſententias credo antiquitus fuiſſe (nam nunc à multis Cabaliſtis id defendi non dubium eſt) qui tranſitionem in alia corpora docerent, atque inde hauſtum Pythagoricum δόγμα παλιγγενεσίας [*placitum renaſcentiæ*]. Nam quod quidam Johannem ſatis ſibi notum (erat enim è gente Sacerdotali) cum adhuc viveret eſſe putarunt Eliam, alii Jeremiam, non poteſt me judice ad ἀναστασιν [*Reſurrectionem*], aut etiam ad ſpiritus ſimilitudinem referri, ſed oſtendit credutam animarum μετενσωμάτωσιν [*transincorporationem*]. Quin & Hebræorum nonnulli tradiderunt Phineæ & Eliæ eandem fuiſſe animam; alii eandem Adami, Davidis, & Meſſiæ; atque ea quam Græci vocant μετενσωμάτωσιν ipſi appellant גלגול נשמות [*volutationem animarum*]. Joſephi tamen locum eo trahendum non arbitror: agit enim non de quibusvis ex plebe Judaica, ſed de Phariſæis, qui, ut & ſcriptis Apoſtolicis alibi docemur, crediderunt non παλιγγενεσίαν [*renaſcentiam*] ſed ἀνάστασιν [*Reſurrectionem*]. Ipſe Joſephus alibi ita eorum dogma exprimit: Ἀθάνατόν τε ἰσχυὶ τῆς ψυχῆς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαίους τε καὶ πονηροὺς εἰς δεσμὸς ἢ καινὸς ἀθανάτους ἐν τῷ βίῳ γίγνεσθαι· καὶ τοῖς μὲν εὐγνώμοσιν ἀτδιον παρεῖσθαι, τοῖς δ' ἀφρόνως ἢ ἀναβιῶν [*credunt animis vim eſſe æternam, & pro ſtudio virtutis aut vitii in hac vita ſub terra præmia & pœnam; his quidem carcerem perennem, illis vero facultatem rurſum vivendi*]. Videtur igitur Joſephus ita accepiſſe mentem Phariſæorum, Non eadem corpora animis reddi, ſed alio eas corpore à Deo veſtiri, non ut hic vivant, ſed in locis noſtram notitiam fugientibus. Et hoc eſſe quod dicit, Ψυχὴν δὲ πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μετατίθεσθαι δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην [*omnem animam immortalem; ſed ſolas bonorum animas in alia tranſire corpora*]. quod etiam manifeſtius facit Belli Judaici libro III. ubi περὶ τῆς αὐτοχειρίας [*de ſui interfectione*] diſputans ita populares ſuos alloquitur: Λέγε σὺ ἴσως ὅτι τῷ μὲν ἐξιόντων ἐκ θεοῦ χρεὼν ἐκλείπειν, ὅταν ὁ δὺς κρίνῃ θεὸς, κλέος μὲν αἴσιον, οἶκοι δὲ καὶ χῶραι βέβαιοι, καθαραὶ δὲ ὑπὸ χθονὸς μένουσι αἱ ψυχαὶ χῶρον ἱεροῦ λαχοῦσαι τὸ ἀγαθώτατον, ἔνθεν ἐν εὐτεκνίαις αἰῶνας ἀγροῖς πάλιν ἀντιπαιζόντας σώμασιν [*An neſcitis morientium qui Deo debitum exſolvunt repetenti quod dederat, laudem eſſe æternam, domum ſubolemque firmam: animæ autem puræ ac felices manent in ſanctiſſima cœli parte, unde per ſeculorum lapſus rurſum mittuntur ad habitanda corpora*]. Et libro altero adverſus Appionem, ἔτι πᾶς σὺν νόμος ἀφυλάξαστος, ἀ μὴ δεῖ θνητοῖς ὑπὲρ αὐτῶν, προθύμως ὑπομένουσιν, ἴδιόν ὁ θεὸς γνώσθη τι πάλιν, καὶ βίον ἀμείνω λαβεῖν ἐν εὐτεκνίαις [*iis qui leges ſervarunt & pro iis, ſi ita res ferat, mortem oppetierunt dat Deus naſci iterum, & ex temporum intervallo vitam adipiſci meliorem*]. Sic ex ſua & aliorum quorundam ſententia David Kimchi ad IV. Malachiæ Eliam ait venturum in novo corpore, vetere pridem reſoluto. Cæterum illa Herodis atque etiam aliorum è vulgo opinio (nam ab aliis ortam docet nos Lucas) ad παλιγγενεσίαν [*renaſcentiam*] pertinere non poteſt, quia ex illa ſententia animæ non jam adultis ſed naſcentibus inſinuantur. Sequitur igitur ut crediderint Johannis animam aut novum aſſumſiſſe corpus, aut etiam rediiſſe in corpus illud quod à diſcipulis erat ſepultum. Neque id novum adeo videri debet, cum reſuſcitatorum ab Elia & Eliſæo corporum veteres hiſtoriæ exſtarent. Suſpicionem hanc auxit quod audiretur idem eſſe κήρυγμα Jeſu quod [*prædicatio* eadem Jeſu quæ] Johannis fuerat, de pœnitentia & Regno cœleſti. ¶ διὰ τοῦτο, *ideo*] Scilicet quia Deus eo modo teſtatam velit Johannis innocentiam & Herodis ſceleratum facinus. ¶ αἱ δυνάμεις, *virtutes*] Ita vocantur hic non ipſa miracula, ut ſæpe, ſed dona miraculorum effectricia. ¶ ἐνεργοῦσιν, *operantur*] *Vim ſuam exſerunt.* Ita enim ἐμπεδαλίκως [*intranſitive*] hæc vox uſurpatur Galatarum II, 8. Epheſiorum II, 2.

3. Ὁ γὰρ Ἡρώδης, *Herodes enim*] Eſt παρεμβολὴ [*ſermo interjectus*] ex occaſione narrans quod ante erat geſtum, ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς [*dictum non ſuo ordine, more Homerico*], ut inquit Cicero; quam figuram Rhetores etiam una voce μετάθεσιν [*Prapoſterum*] vocant. Neque dubium eſt quin multa paſſim ſint talia in Veteris & Novi Fœderis ſcriptura, etſi non ubique tam conſpicua; Ut non immerito dixerint Judæi in Sacris literis non eſſe τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον [*prius & poſterius*]· hoc eſt, ordinem illum temporum non exacte obſervari, ſed multa narrari ut ſe tulit occaſio. Minus autem obſcuritatis ineſſet figuris talibus, ſi haberent Hebræi diſcrimina tranſacti temporis, ut habent Græci & Latini imperfectum, perfectum & pluſquamperfectum. Nunc illa omnia apud ipſos eundem habent ſonum. Hic etiam noſter Interpres vice pluſquam perfecti poſuit ἀόριστον [*tempus indefinitum*]. Sic Geneſeos XII, 1. ויאמר vertendum *dixerat*, apparet ex eo quod præceſſerat XI, 31. & ex loco Actorum VII, 3. Sic & Pſalmo XXXIII, 7. Jobi XXXVIII, 8. ¶ διὰ Ἡρῳδιάδα, *propter Herodiadem*] *In ejus gratiam.* Quanquam Joſephus alteram cauſam refert, Quod metuerit Herodes defectionem populi, non arbitror quod Johannem hominem ſeditioſum crederet, cujus tota vita ad pietatem erat compoſita, ſed quia oderunt & metuunt mali Principes quicquid vitiis inimicum eſt. *Boni*, inquit ille, *quam mali ſuſpectiores ſunt, ſemperque aliena virtus formidoloſa eſt.* Ita videmus à peſſimis quibuſque Imperatorum pulſos urbe Judæos, Chriſtianos, etiamque ſapientiæ profeſſores, ne quid uſquam honeſtum oculis occurreret. Nam ut viri boni quam maxime taceant, quod tamen non ſemper fas eſt, tamen ipſa illorum vita tyrannis ſua flagitia exprobrat. Cui rei non aliud inveniunt remedium quam ut magna odia magno metu compeſcant. ¶ Φιλίππου, *Philippi*] Cum nomen hoc exſtet in Marci exemplaribus omnibus, in antiquiſſimis etiam Matthæi & Lucæ, atque omnibus iſtis locis apud Syrum & Interpretem, & in Latino Marci, ſollicitanda lectio non eſt. Neque errare hic potuiſſe eos Scriptores facile, ut arbitror, vel à non Chriſtiano evicerim. Primum enim conſentiunt tres Scriptores qui illis ipſis temporibus, aut certe propius ea tempora quam quiſquam alius, rem iſtam non obſcuram neque ignobilem ſed, ut res ſunt Regum, omnibus notiſſimam memoriæ mandarunt. Adde quod Judæorum non unus hujus feminæ maritum Philippum nominet. Joſephi autem ſumma fides & diligentia & quæ paſſim in eo apparet intima cognitio rerum familiæ illius meretur, ne quid temere contra eum pronuntiemus. Quare veriſſimum credo inter Herodis Magni filios, qui novem fuere, duos appellatos fuiſſe *Philippos*; ſed horum alterum, qui natus erat ex Simonis Pontificis filia, dictum fuiſſe *Philippum Herodem*, quomodo & iſte de quo hæc narratur hiſtoria *Antipater* aut *Antipas Herodes* dicebatur; atque iſto additamento Philippum hunc minorem diſtinctum ab altero majore, qui Trachonitidis fuit Tetrarcha. Neque duos in tot liberum numero dictos fuiſſe Philippos magis mirum videri debet quam duos itidem eodem in numeros dictos *Antipatros*: nam *Antipatri* & *Antipa* idem eſt nomen. Neque dubito quin inter Herodis Magni progenitores Philippus aliquis fuerit, unde id nomen in multos ejus gentis propagatum eſt.

4. Οὐκ ἔξεστί σοι, *Non licet tibi*] *Nefas eſt tibi*, utpote circumciſo ac proinde obligato ad obſervationem Legis per Moſem datæ. Jus Romanum Principem legibus ſolutum pronuntiat; at Moſis Lex Regi non magis quam privato ſui gratiam facit: quanquam illud Herodis flagitium, tunc certe cum patrari cœpit, non Moſis tantum ſed & naturæ legibus adverſabatur, quæ omnes utique gentes & gentium Reges tenent. Bene Euripides

Οὐ σὺν κρατοῦντας χρὴ κρατεῖν ἃ μὴ χρεών.

[*Non ſat potentes poſſe quod facere eſt nefas.*]

¶ ἔχειν αὐτὸν. *habere eam*] Ἔχειν ſignificat hic *habere in matrimonio*, quod expreſſit Syrus, non ut ἔχειν λαῖδα [*habere Laidem*], &, *Quæ heri Chryſidem habuit?* Nam Herodes

Conjugium vocat: hoc prætexit nomine culpam.

id

id enim & aperte Joſephus & Marcus ſignificant. Scriptor τῶ μετὰ τὰς κατηγορίας [*Eorum quæ poſt Prædicamenta*] inter opera Ariſtotelis, Λέγεται καὶ ὁ ἀνὴρ γυναῖκα ἔχειν, καὶ ἡ γυνὴ ἄνδρα· ἴσως δὲ ἀλλοτριοῦται· ὁ γὰρ ἐμὸς τρόπος· οὐδὲν γὰρ ἄλλο τῷ ἔχειν σημαίνουσιν ἢ ὅτι συνοικοῦσι [*Dicitur & vir uxorem habere, & uxor virum; ſed minime proprium eſt hoc loquendi genus: nihil enim aliud habere ſignificat quam cohabitare*]. Atqui minor eſt abuſio cum vir dicitur mulierem habere quam cum mulier virum. Nam plerarumque gentium legibus atque inſtitutis uxor in manu eſt mariti, certe Hebræorum jure qui propterea maritum בעל vocant, ut κύριον [*dominum*] Attici. Cauſam cur nefas Herodi fuerit Marcus explicat, cum ita Johannem loquentem facit, Οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ σου [*Non licet tibi habere uxorem fratris tui*]. Quibus verbis cum digitum intendere videatur Baptiſta in legem eam quæ exſtat Levitici capite XVIII, commate 16. quam Lxx hunc in modum verterunt, Ἀσχημοσύνην γυναικὸς ἀδελφοῦ σου οὐκ ἀποκαλύψεις [*turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*], facile adducor ut credam maritum Herodiadis cum iſta Johannes diceret defunctum fuiſſe. Videmus enim etiam in Lege γυναῖκα [*uxorem*] dici eam quæ non amplius ſit ὑπανδρος [*ſub viri poteſtate*], relatione facta ad id quod fuerat. In abducenda Herodiade duplex fuit Herodis Tetrarchæ ἀθεσμία [*tranſgreſſio legis*]. Nam viventi marito uxorem, non ab ipſo dimiſſam, abducere raptus atque adulterium erat, hoc inſigniore injuria quod in fratrem committebatur. Accedebat adulterio crimen inceſti ex lege Moſis quam diximus. Nam ea lex unam duntaxat habebat exceptionem, Si maritus mortuus eſſet illiberis. Herodiadis autem maritus & vivebat eo tempore, & filiam ex ipſa habebat Salomen, cujus hic fit mentio. Breviter utrumque delictum perſtrinxit Joſephus cum dixit, μετ' ἐκεῖνον (Σαλώμης) τοῖς γονεῦσι Ἡρῳδιάδι δὴ συγχώρει φρονήσασα τὰ πατρῖα (legem Levitici indicat) Ἡρῴδῃ γαμεῖται ζῶντος ἔτι ἀνδρὸς τοῦ ὁμοπατρίου ἀδελφοῦ Φασήλου ζῶντος [*poſt cujus (Salomes) nativitatem illa ſpretis patriæ legibus Herodi nubit fratris viri ſui prioris, à quo vivo diſceſſerat, fratri inquam ex patre eodem*]. Apparet hoc ex loco falli Tertullianum & qui eum ſunt ſecuti, cum exiſtimant Herodiadem Tetrarchæ Herodi nupſiſſe poſt mortem demum mariti prioris. Videntur præterea illa verba ἀφ' οὗ ζῶντος [*à quo vivo diſceſſerat*] hoc innuere, maritum priorem non diu ſupervixiſſe iſti divortio. Et ſane Johannes non initium accuſat, ſed ipſum τὸ ἔχειν [*habere*]. David contra Legem uxorem Uriæ uſurpaverat; at mortuo Uria uxorem eam habuit optimo jure: quia ſoluto matrimonio priore nulla lex erat alia quæ nuptias impediret: At hic etiam mortuo marito priore, aut etiam dum viveret teſtato ſe eam uxorem ſibi eſſe nolle, obſtabat lex alia, ea nempe quæ vetat ἔχειν τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ [*habere uxorem quæ fratris fuerit*]. Adverſus hanc legem facere erat συγχεῖν τὰ πάτρια [*infringere patria leges*], quod nec Regi licebat, ut jam diximus. Notat idem crimen in Archelao Joſephus qui fratris Alexandri mortui uxorem duxit Glaphyram liberos habentem, ἀκούσαντι ἐν Ἰουδαίοις γαμεῖσθαι τὰς ἀδελφῶν ἀγχιστείας [*cum apud Judæos res teſtanda ſit fratris habere uxorem.*] Addit Lucas reprehenſum fuiſſe Tetrarcham à Baptiſta non hujus tantum delicti nomine ſed περὶ πάντων ὧν ἐποίησε πονηρῶν [*de omnibus malis quæ fecit*].

5. θέλων αὐτὸν ἀποκτεῖναι, *volens illum occidere*] Non definita voluntate, ſed ambiguus animi. Oderat liberum cagiſtatorem; nam, ut veriſſime dixit Joſephus, Βαρὺ τοῖς ἀλλοῖς ἐθέλουσι τὸ συνεχῶς ἐπιτιμᾶν [*Grave malè agere volentibus reprehenſor aſſiduus*]. Præterea famæ ipſius invidebat. Sed nondum pervenerat ad ultimam improbitatis lineam quæ voluptatem ponit in magnitudine infamiæ. Reverebatur populi de ſe judicia ſi talem virum occideret; reverebatur ſuam quoque conſcientiam, ſolitus olim ipſius monitis auſcultare, antequam illicitus amor mentem tranſverſam ageret. Ita in dubio fluctuantem animum leve momentum in partem pejorem impulit. ¶ ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον. *ſicut Prophetam eum habebam*] Ut hominem à Deo miſſum. Ita enim hæc vox infra explicatur XXI, 25, 26.

6. γενεσίων δὲ ἀγομένων τῷ Ἡρῴδῃ, *die autem natalis Herodis*] More Regum Orientis. Herodotus, Τὸν δὲ ἅπαξ ἐνιαυτοῦ ἕκαστον ἐπιτελέεσθαι ἄπαξ δὲ ἑκάστῃ ἡμέρῃ τῇ ἐκείνου βασιλεὺς [*Tale epulum ſemel anno inſtruitur qua die natus fuit Rex*]. Antiquiſſimum exemplum ejus moris in Ægypto habemus, Geneſeos XL, 20. Joſephus de Rege Agrippa, Ἡμέρας ἤδη ἑορτάζων αὐτοῦ γενέθλιον ὅτε πᾶσιν ὧν ἦρχεν εὐφροσύνας ἐπιτελῶν ἔλαμπεν [*Cum diem celebraret natalem quo omnibus qui ſub ejus erant imperio læta convivia agitabantur*]. Videtur Scriptor ſecundi Maccabæorum dicere ab Antiocho actum natalem non quotannis, ut mos erat aliis, ſed quot menſibus. ¶ ὠρχήσατο, *ſaltavit*] *Motibus Jonicis*, ut inquit Horatius; non rudi illo atque incompoſito ſaltandi genere quod in publicis gaudiis matronis virginibuſque Judæis antiquitus uſurpatum diximus. A finitimis Regnis mos iſte in aulam Judaicam pervaſerat. Sic in Ægyptii Regis convivium introductam ὀρχήστριδα ἀγαθὴν [*pulchram ſaltatricem*] narrat Joſephus Originum XII. Dion de Rege Edeſſæ Trajani temporibus, καὶ ἑστιᾶσαι αὐτόν· ἐν τε τῷ δείπνῳ παῖδα ἑαυτοῦ ὀρχησάμενον βαρβαρικῶς πως παρέλαβε [*& convivio eum excepit: & dum conatur filium ſuum introduxit barbarico ritu ſaltantem*]. ¶ ἐν μέσῳ· *in medio*] *Inſpectantibus convivis*, ut recte interpretatur Syrus. ¶ καὶ ἤρεσε, *& placuit*] Sic in veteri Inſcriptione, *Saltavit, & placuit.*

7. μεθ' ὅρκου ὡμολόγησεν, *cum juramento pollicitus eſt*] *Juravit promiſit.* Vide quo tandem jurandi facilitas evaſerit, non jam apud profanas dico gentes, ſed apud eos ipſos qui Moſis legibus teneri ſe profitebantur. Philo libro Περὶ τῶν εἰς ἴδια νόμων [*De legibus ſpecialibus*], Εἰσὶ γὰρ οἳ ὀμνύουσιν ἐὰν τύχῃ κλοπὰς ἢ ἱεροσυλίας, ἢ μοιχείας ἢ φθορὰς, ἢ τραύματα ἢ σφαγὰς, ἢ τι τῶν ὁμοιοτρόπων κακῶν ἐργασάμενοι, ἢ ἀνηκέστους αὐτοὶ δρᾶσαι, πανώλεθροι φεύξεσθαι δι' ὁρκῶν [*Sunt qui jurant, ſi ita res tulerit, furta & ſacrilegia, aut adulteria & virginum corruptelas, aut vulnera aut cades aut alia ejuſmodi mala ſe facturos; & ſtatim exſequuntur hoc prætextu, ut jusjurandum ſervent*]. Ubi etiam exemplum addit divitis adoleſcentis, qui juraverat ſe de facultatibus ſuis nemini quicquam beneficturum. Tales & illi erant Actorum XXIII, 12. qui diris ſe obſtrinxerant ni Paulum interficerent. ¶ ὃ ἐὰν αἰτήσῃται. *quodcunque poſtulaſſet*] Sic apud Ovidium,

—— Elige, ait, nullam patiere repulſam,

Metamorph. III. Sic Philippus Macedo Satyro hiſtrioni διεβεβαιώσατο πᾶν ὅτι ἂν αἰτήσῃ χαρίσεσθαι [*promiſit ſe ei præſiturum quicquid petiiſſet*] apud Diodorum Siculum libro XVI. Sic Syrus quidam Rex Muſonio, ἀντὶ τούτου, ἔφη, αἴτησον ὅ τι βούλῃ με [*pro hac re, inquit, pete me quicquid volueris*]. Paria verba hic Marcus exprimit, ὅ ἐάν με αἰτήσῃς δώσω σοι, ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου [*quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium Regni mei*]. Quod loquendi genus ſciendum eſt eſſe proverbiale Regibus uſitatum, ubi liberrimam optandi facultatem cuiquam faciunt. Vide Eſtheris hiſtoriam V, 3. ubi Lxx eadem habent verba ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου [*uſque ad dimidium Regni mei*].

9. ἐλυπήθη, *contriſtatus eſt*] Exemplum ἀκρασίας [*incontinentiæ*]. Dictat ratio non occidendum innocentem. Ab altera parte memoria liberæ caſtigationis iram inſtigat; Accedit amor hoc fervidior quod vetitus: illa inimicum ulciſci, hic uxori morem gerere imperat. Rei inhoneſtæ ſpeciem aliquam honeſti addit indefinita pollicitatio & pudor ne metuere plebem videretur. Ita animus dudum aſſuetus ſequi pejora, ejecto rationis fræno permiſit ſe raptandum concitatis affectibus. Notarunt Chriſtiani veteres admodum diligenter in Poëtis horum motuum deſcriptiones. Celebre præ cæteris illud Medeæ,

Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακὰ·
Θυμὸς δ' ἡρείσατ' τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

[*Nec me latet nunc quam cruenta cogitem;*
Sed vincit ira ſanitatem pectoris.]

Quod ita expreſſit Ovidius,

—— Video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

Ejuſdem eſt,

Odi, nec poſſum cupiens non eſſe quod odi:
Heu quam quod ſtudeas ponere ferre grave eſt!
Nam deſunt vires ad me mihi, juſque regendi:
Auferor ut rapida concita puppis aqua.

Senecæ autem ex Phædræ perſona,

—— quæ memoras ſcio,
Vera eſſe nutrix: ſed furor cogit ſequi
Pejora: vadit animus in præceps ſciens,
Remeatque, fruſtra ſana conſilia appetens.
Sic cum gravatam navita adverſa ratem
Propellit unda, cedit in vanum labor
Et victa prono puppis aufertur vado.

Solent ad excuſanda facinora ejuſmodi multa homines prætexere, modo Deum, ut ille,

Αἰ αἰ τὸ δ' ἦλθ θεῶν ἀισθωσίης κακὸν,
Ὅταν τὶς ἴδῃ τ' ἀγαθὸν, βελέῃ δ' οὐ μιν.

[*Ehen malum illud advenit Divinitus,*
Cum quis videt meliora nec sequitur tamen.]

modo naturam, ut alter,

Λέλυθεν ὑμᾶς Ϝ δὲ μ' ὢν σὺ νυθετεῖς·
Γνώμην δ' ἔχοντα μ' ἡ φύσις βιάζεται.

[*Quæ me mones honesta nil me horum fugit;*
Sed sentientem me ista, natura abripit.]

Sed causam non aliam vult agnosci Clemens Alexandrinus quam quod ipsi nos prodimus ἐμέοντες ζῶα αὐτὰς θηδόντες ὑμῖν τῇ ἡδυπαθείᾳ [*dedentes nosmet ipsos iræ & cupidini.*] Cæterum quomodo alternis ratio & affectus huc atque illuc hominem trahant optime mihi in ejus quam dixi Medeæ persona descripsisse videtur Tragicus Neophron,

Εἶεν, τί δρᾶσον, ψυχή; βάλλου καλῶς
Πρὶν ἢ 'ξαμαρτεῖν, μὴ τὸ σωφρονεῖσθαι
Ἔχθιστα θῆσθ· πῶς πῶς ἐξέλω παῖδας;
Κἄπειτ' λέξω μὴ θέντα θησυχίαν.
Καὶ σοὶς τί ταῦτ' ὀδύρομαι, ψυχὴ ἐμὴ
Ὁρῶσ' ἔρημον μὴ παμπληθῆ λέχη
Πρὸς ὧν ἐχρῆν ἥκειν; μαλθακοὶ δὴ δὴ
Τοιαῦτα γιγνόμεσθα πάσχοντες κακά.
Οὐ μὴ σωθήσει, θυμέ, σαυτὸν ἐκ κακῶν.
Οἴμοι, δίδοκτ'· πῶδες, ἐκπὸς ὀμμάτων
Ἀπέλθετ'· ἤδη γάρ με φροντὶς μίγαν
Δάδυκε λύσσα θυμόν· ὦ χέρες, χέρες,
Πρὸς οἷον ἔργον ἐξαλυζόμεσθα; φεῦ
Τάλαινα παλάμης, ἡ πολὺν πόνον βεβηκυῖ
Διαφθερεῖσα τὸ ἐμὸν ἔρχομαι χρέος.

[*Quid adeo properas anime? consulta antequam*
Tam fixa peragis, capitaque hæc carissima
Tibi sumis hostes. Misera quo tendas vide;
Sævi furoris reprime conatum impium.
Sed, heu! quid ista pectori mœsto queror,
Deserta & his contemta præsidium mihi
Quos decuit esse? Cordis ignavi est nimis
Flagitia tanta posse inulta perpeti.
Sed anime ne tu te quoque his prode in malis.
Prob constitutum est! fugite conspectus meos,
Jam fugite, pueri: pectus implevit mihi
Cruenta rabies. O manus, amba manus,
In quale facinus noster armatur furor?
Audacia ô miseranda, quam longos meos
Perdo labores ipsa momento brevi!]

Confer cum iis quæ sunt apud Senecam Medeæ actu quinto: ut recte intelligas quale sit hoc λυπεῖσθαι [*contristari*] quo de hic agitur. Est autem sæpe etiam in hominibus non tam rationis cum affectibus quam affectuum inter se pugna, qualem in Herode Magno circa Mariamnem prudenter notat Josephus. ¶ Διὰ δὲ τὸν ὅρκον, *propter juramentum autem*] Erant, ut dixi, causæ veteres: sed hæc quoque species arrepta est, infirmissima alioqui per se. Nam quid facilius dictu quam juramenti verba generaliter enuntiata ita esse interpretanda ut illiciti nihil comprehendant. Neque dubito quin ita votum suum interpretatus sit Jephthes, eoque filiam non mactaverit ut quidam volunt, sed ut rem sacram Deoque dictam ab hominum commercio sepoluerit. Deinde vero quid si Διαβάλλω [*differo*] pollicitus esset Herodes insontis cædem? nonne cogitare debuit id quod per se illicitum est interposito jurejurando licitum fieri non posse? Prætermittere non possum quin hic apponam disertissimi Scriptoris Philonis locum insignem de id genus juramentis, Ἰσα δὲ πᾶς ἐναμότας ἄδικα ὁρᾶν, ὅτι ἐνορκεῖν μὴ κ', ἡ δὲ πᾶσι φυλακῆς ἐγὼ ἐπιμελείας ἄξιον ἔργον ἀναπέφηνε, ᾧ τὸ καλὸν ἡ δικαία ἐπιφέρεσθαι· φεύγεται γὰρ ἐναίσιμα ἐναισίμοις ἐν ᾧ δίκῃ γνωμῶσι ὄρκοις, οἷς πολὺ βέλτιον ἦν ἀνυπαίτους ἐᾶν φέρειν ἀδικουμένους· ἀπεχέμυθον οὖν ἢ ἀδικοπραγῆσαι πείσαντα ἢ θεὸν, ἵνα μεταδῷ τὸ ἴλεων δυναίμενος αὐτῷ συγγνώμης ἐφ' οἷς ἀξυλίφ χρησάμενον ὅρκῳ· δικαίως γὰρ αἱρεῖσθαι κακὰ, δυναίμενον τὰ ἡμίσεια αὐτῶν ἀποφορτίσασθαι, μανίᾳ καὶ φρενοβλάβεια ἀνοσίῳ· [*Norit quisquis juratus mala patrat, non se observantem esse jurisjurandi, sed à se jusjurandum rem magna diligentique cura dignam, & ad absignanda justa & honesta repertam everti: Addit ergo culpam culpa ad juramentum illicitum, quo abstineri oportuit actus injustos. Potius cavens sibi ab actione mala Deum precetur ut misericordiam, sibi naturalem, ipsi impertiat de juramento improvide facto. Nam dupla sumere mala, cum dimidia desungi liceat, dementis est & insania immedicabilis*]. Neque hoc ignoratum viro sapientissimo Josuæ in mentem mihi potest venire, quanquam video Augustinum atque alios quosdam ita existimare, permotum jurisjurandi religione fecisse eum contra legem Divinam quæ Chananæx possessores internecioni devovebat: Plane enim verissimum puto, quod dixi ad caput v. legem illam collatione legis alterius quæ in Deuteronomio est ita temperandam ut in eos demum valeret qui bello rite denuntiato dedere se Hebræis in servitutem recusassent. ¶ ἡ τοῖς συνανακειμένοις, *& eos qui pariter recumbebant*] Qui, ut mos est aulæ, captantes Herodiadis gratiam, labantem Herodis animum impellebant. Similis historia apud Herodotum, ubi Amestris Xerxis uxor in convivio petit à marito Masistis uxorem. Addit Scriptor invitum annuisse Regem, ὅτι ἀτυχήσαι τὰ χρήζοντα ἢ ζῷα δυνατὸν ἐν βασιλικῇ δείπνου παρατιθέσθαι [*quod preces à se in mensa regali non deberent repudiari*].

10. πέμψας ἀπεκεφάλισε, *misitque & decollavit*] *Misit per quem decollaret.* Ita enim Hebraismi vim recte exprimi puto: ita supra 11, 16. ἀποστείλας ἀνεῖλε, *misit per quos occideret:* infra XXVII, 19. ἀπέστειλε λέγουσα, *misit per quem diceret.* Theophanes in Vita Justini Imperatoris, πέμψας ἀπεκεφάλισεν αὐτὸν [*cum misisset decollavit eum*]. Sed in Hebræo haud dubie fuit *misit & decollavit, misit & occidit, misit & dixit.* Nam ita Hebræi loquuntur, sequentibus etiam LXX, ut Psalmo LVII, 4. ἐξαπέστειλεν ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἔσωσέ με, id est, *misit è cœlo qui me liberaret.* Psalmo CV, 20. ἀπέστειλεν βασιλεὺς καὶ ἔλυσεν αὐτὸν, *misit per quem eum eximeret vinculis.* Arrianus Epicteto IV, 10. τί πέμπεις, καὶ ἄλλον παιδὶ ἀγοράζειν [*non mittis ut aliam novam emat*]. ¶ ἐν τῇ φυλακῇ, *in carcere*] Apparet Machærunte celebratum hoc convivium. Trucidatur vir sanctus ne judiciorum quidem ordine servato. Nam sontes populo omni inspectante plecti lex Mosis jubet. Romæ Flaminius accusatus est imminuti magistratus crimine, quod hominem haud dubie nocentem non more majorum sed in convivio jussisset interfici.

13. ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς, *cum audisset Jesus*] Ex divorticulo redit unde abierat. Audivit, inquit, Jesus qui de se sermones in aula haberentur. ¶ ἐκεῖθεν, *inde*] Ex locis Galilææ frequentioribus in solitudinem secedit, ut sine ullo dispendio mandati muneris imminentem sibi Herodem evitaret. Vide quæ supra dicta sunt ad caput XIII.

14. ἐσπλαγχνίσθη, *misertus est*] Amant uti Hellenistæ hac voce, ut exponant Hebræum verbum רחם, cujus origo est à nomine רחם quod σπλάγχνα [*viscera*] significat, quanquam plerumque pro *utero* ponitur. Lucas I, 78. σπλάγχνα ἐλέους [*viscera misericordiæ*] dixit, Esaiam secutus apud quem רחמיך [*viscera tua*], id est, ad verbum τὰ σπλάγχνα ὑμῶν [*miserationes*], significat οἰκτιρμοὺς, ut vertunt LXX. Estque idem usus vocis σπλάγχνων [*viscerum*] apud Euripidem & in fabulis Æsopeis: ἐσπλαγχνίσθη [*misertus est*] autem ideo hic est additum quia Christus quietem refovendo corpori quæsitam illorum causa neglexit.

15. Ὀψίας δὲ γενομένης, *Vespere autem facto*] Cum infra post cibum sumtum & secessum Christi iterum legamus ὀψίας δὲ γενομένης [*vespere autem facto*], negari non potest duas fuisse ὀψίας Hebræis, hoc est, ערבים, inter quas duas ὀψίαν [*vesperam*] edi debuit Pascha, ut in Exodo & Levitico legimus. Cæterum non debere duas istas ὀψίας crepusculi spatio definiri ex hoc loco mihi videtur apertissimum. Nam quæ narrantur hic facta post priorem & ante posteriorem ὀψίαν [*vesperam*] aliquot horarum spatium exigunt. Quare certissimum puto ὀψίαν priorem incipere simul atque Sol à meridie ad occasum cœpit vergere majore diei parte exacta, posteriorem autem à Sole occaso: ita illud בין הערבים [*inter vesperas*] interpretantur Rabbini Sadajas, Simeon filius Johai & Salomo. Quin & in Mechilta legimus hanc esse παράδοσιν [*traditionem*] antiquissimam, à qua recedendum non puto. Precandi igitur tempus vespertinum medium fere fuit inter initium prioris vesperæ & vesperam posteriorem. ¶ ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθε· *hora jam præterit*] Prandii tempus scilicet.

19. ἀνακλιθῆναι] *Collocari*, nempe à discipulis, Marci VI, 39. Lucæ IX, 14. Johannis VI, 10. ¶ ἐπὶ τοῖς χόρτοις, *super fœnum*] *Per herbam*, ut sæpe Poetæ. Nam id quoque χόρτος voce significatur, ut alibi annotatum est: & Marcus explicat dicens χλωρὸν χόρτον [*super viride fœnum*]. ¶ εὐλόγησε· *benedixit*] Εὐχαριστήσας [*gratias egit*] inquit Johannes. Probat Christus ut alios ritus Judaicos à Sapientibus introductos ita & hunc benedicendi cibis. Vide quæ dicenda sunt infra ad caput XXVI.

20. ἐφα-

20. ἔφαγον πάντες, *manducaverunt omnes*] Ut oſtenderetur ſigno conſpicuo adeſſe jam tempus quo impleretur illud Eſaiæ LV, 1. ¶ τὰ περισσεύσαντα, *reliquias*] יתר II Regum IV, 43. Plus hoc eſt quam aut Moſes in manna impetraverat, aut in farina Elias. ¶ δώδεκα κοφίνους, *duodecim cophinos*] Singuli Apoſtoli, ut videtur, cophinum attulerant, more Judæis uſitato, quoties longius ab oppidis iter facerent. Ita cum cophino ibant Judæi Roma ad proſeuchas quæ erant in nemore Aricino ad decimum lapidem, & quidem cum fœno quod eſſet lecti vice. Vide Juvenalis ſatyram tertiam, & ibi Scholiaſten. In his cophinis aut etiam ſportulis ferre ſecum panem ſolebant, ut apparet infra XVI, 7. Marci VIII, 14. Lxx Interpretes יחד Hebræum, quod alibi κάλαθον vertunt, in Pſalmo LXXXI, 7. verterunt κόφινον [*cophinum*]. Eſt hæc vox & apud Pollucem.

22. Ἠνάγκασεν *compulit*] Quod alibi dixit ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν [*juſſit ire*], VIII, 18. Noluit Chriſtus Diſcipulos ſuos in partem venire ejus molitionis qua plebs Regnum ipſi deſtinabat.

24. Μέσον τῆς θαλάσσης ἦν βασανιζόμενον, *in medio mari jactabatur*] *In alto jactabatur*, ut ad lacum transferamus quod dici de mari ſolet.

25. Τετάρτῃ δὲ φυλακῇ τῆς νυκτὸς, *Quarta autem vigilia noctis*] Judæi veteres dum penes ipſos jus armorum fuit noctem in ternas vigilias diviſerunt, quod à D. K. aliiſque rectè eſt notatum; Romani, in quaternas: cui mori jam à Pompeji temporibus Judæi aſſueverant, Græcorum vetuſtiore exemplo: nam τετραμοιρον νυκτὸς φυλακὴν [*quaternam noctu vigiliam*]. Euripides dixit. Quare quod hic dicitur ex Romano non ex Judaico more interpretandum. ¶ Περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης. *ambulans ſuper mare*] Gravitatem corporis inhibente vi Divina, an ſolidato aquæ ſummo, an natura quadam inconſpicua inter corpus aquamque interpoſita, etiam veteres oſtendunt ſibi non conſtare. Videturque mihi rerum ejuſmodi libera eſſe conjectura, definitio autem temeraria. Cæterum hoc quoque facto inſigniter Chriſtus Divinam ſuam potentiam oſtendit. Nam de Deo dictum eſt apud Jobum IX, 8. ὁ περιπατῶν, ὡς ἐπὶ ἐδάφους, ἐπὶ θαλάσσης [*qui graditur ſuper mare velut ſuper pavimentum*]. Et ſane pleraque de Deo dicta in libris Prophetarum Chriſtus viſibiliter implevit.

26. Φάντασμά ἐστιν *phantaſma eſt*] εἴδωλον [*ſpectrum*], ut alii appellabant. Vide Ciceronis epiſtolam ad Caſſium lib. 5. Opinio hæc ex Phariſæorum diſciplina, qui ſpiritus ut exiſtere per ſe putabant, ita & indutos humana figura hominibus apparere. Quia autem mali ſpiritus noctu potius quam interdiu oſtentare ſe creduntur, inde ſibi metuebant Apoſtoli. Hebræis ſpectrum nocturnum לילית dicitur: de quo non minus portentoſa fabulantur quam de Strige Latini veteres.

30. καταποντίζεσθαι, *mergi*] Sic Græci vertunt טבע Exodi XV, 4.

31. Ὀλιγόπιστε, εἰς τί ἐδίστασας; *Modica fidei quare dubitaſti?*] Opponitur hic διακρίνειν τῷ πιστεύειν [*dubitare ei quod eſt credere*], quomodo apud Jacobum I, 6. & infra XXI, 21, 22. πίστις [*fides*] opponitur τῷ διακρίνεσθαι [*ei quod eſt hæſitare*]. Id ipſum quod Rabbini dicunt ויחוד poſt Chaldæum Paraphraſten Numerorum XVI, 39. Clemens in epiſtola, Οἱ δίψυχοι καὶ διακρίνοντες περὶ τῆς δωρεᾶς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως εἰς κρῖμα καὶ εἰς ἐπιμέμψιν πάσιν ἡμῖν γίνονται [*Alternantes & hæſitantes de potentia Divina in judicium & ſignum omnibus ſeculis ſumus*]. Sic & Philo libro De herede rerum Divinarum, Τὸ μὲν γὰρ ἀπορεῖν ἐνδοιάζοντος, τὸ δὲ μηκέτι ζητεῖν πεπεισθότος ἔοικεν εἶναι [*Dubitare hæſitantis, nihil ultra quærere credentis eſt*]. Idem περὶ φυτουργίας [*De plantatione*] ſic ait, Καὶ δὲ δόγματα οὐκ ἐναμφοτερίζοντα τοῦτ' ἐστὶν, ἀλλὰ τὰ βεβαίῳ πίστει κατηκριβωμένα [*Hæc ſunt dogmata non alternantium, ſed firma præditorum fide*]. Et alibi, Πῶς γὰρ οὐκ ἄμεινον, εἰ πασῶν καὶ τελειοτάτη ἡσυχία, σοὶ μὲν τὰς παθητὰς καὶ δύλογος φαντασίας ἀδιάπτα προσχθῆναι, πλουσιόντα δ' ἀμαυρὰς ἐπιφροσύνας θείας, οὐκ ἐνδοιάζοντι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀπιστοῦσιν, οἱ δυνηθέντες πάντων [*Quid ni? cum ii qui tot ac talia conſpexerant, quæ ſecundum probabiles opiniones habebantur facta impoſſibilia, attamen facile effecta erant Divinis conſiliis, illi non hæſitabant tantum, ſed & manebant increduli, omnium hebetiſſimi*]. Idem ergo διακρίνειν, διαπορεῖσθαι, ἐναμφοτερίζειν, ἐνδοιάζειν [*dubitare, diſcernere, alternare, hæſitare*]. Unde intelligimus credere nihil hic eſſe aliud quam potentiæ Dei in Chriſto confidere: quod cur Chriſtus plerumque ante beneficia ſua exegerit, cœptum eſt dici ad caput VIII. Inſigne fiduciæ ſuæ argumentum Petrus dederat cum oſtendit credere ſe ſolo Chriſti verbo fieri poſſe quod per naturam fieri non poterat; ſed quod de ſe neſciebat promtus ille ſemper & calens animus, non parum adhuc ſibi deeſſe ad plenum fidei robur, id Chriſtus ipſum experimento diſcere voluit: ut quod deerat, ſupplici prece ac niſu impetrare contenderet. Hanc ὀλιγοπιστίαν [*tentatem fidei*] multis in locis diſcipulis ſuis Chriſtus objicit, quæ comparata ad ſolidam fidem ἀπιστία [*incredulitas*] etiam nominatur, ut ab illo qui dicebat Πιστεύω, Κύριε, βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ [*Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*], Marci IX, 24. In libro qui Eccleſiaſticus dicitur & Hebræorum veterum ſententias Græce expreſſas continet ita legimus I, 28. Μὴ ἀπειθήσῃς φόβῳ Κυρίου ἐν αὐτῷ, καὶ μὴ προσέλθῃς αὐτῷ ἐν καρδίᾳ διπλῇ [*Ne ſis incredibilis timori Domini, ſi quo egeas, & ne acceſſeris ad eum duplici corde*]: ubi καρδία διπλῆ [*cor duplex*] eſt καρδία διστάζουσα inter fidem ad diffidentiam fluctuans. In Clementis Conſtitutionibus libro VII, cap. 12. Μὴ γίνου δίψυχος ἐν προσευχῇ σου, εἰ ἔσται, εἰ οὔ [*Ne ſis alternans in prece tua, an res ſit futura, an non*].

32. ἐκόπασε, *ceſſavit*] Aut שקט, ut alii notarunt, aut etiam עמד. Nam ita quod in Numeris eſt XI, 2. ותשקע האש verſum eſt à Lxx ἐκόπασε τὸ πῦρ [*ceſſavit ignis*]. Verbum hoc de lacu uſurpat Scriptor Problematum quæ exſtant ſub Ariſtotelis nomine XXIII, 34.

33. Οἱ δὲ ἐν τῷ πλοίῳ, *Qui autem in navicula erant*] Nautæ ipſi. ¶ Θεοῦ υἱὸς εἶ. *Filius Dei es*] Apparet hoc cognomen vulgo Meſſiæ datum. Nam Nathanaël Johan. I, 50. *Rabbi*, inquit, *tu es Filius Dei, tu es Rex ille Iſrael.* Nimirum ex Pſalmo ſecundo, quem Hebræi veteres κατὰ μυστικώτερον [*ſecundum abſtruſiorem ſenſum*] de Meſſia interpretabantur. Itaque infra ubi apud Matthæum Jeſus à Petro dicitur eſſe *Chriſtum Filium Dei viventis*, Marcus & Lucas contenti fuerunt *Chriſti* vocabulo. Adde quæ infra XXVI, 63. & Hebræorum V, 4, 5.

34. Γεννησαρέτ. *Genneſaret*] Origenes ad hunc locum, *Pervenerunt ad terram* Genneſaret, *cujus interpretationem ſi cognoſceremus, & hinc nonnihil juvaremur ad hujus interpretationem loci*: ad inveniendas ſcilicet ἀλληγορίας [*locutiones aliud innuentes*], quarum ſupra modum fœcundus eſt. Hoc ipſum puto voluiſſe Hieronymum cum dixit, *Si ſciremus quid in noſtra lingua ſonaret* Genneſareth, *intelligeremus quomodo Jeſus per typum Apoſtolorum & navis, Eccleſiam de perſecutionum naufragio liberatam tranſducat in litus.* Hoc eſt, Si notum eſſet τὸ ἔτυμον [*originatio*] ita ut id Latine poſſimus interpretari. Fatetur igitur ignorare ſe vocis iſtius originem. Neque id mirum, non eſt enim Hebræum vocabulum, ſed prava pronunciatione corruptum ex Hebræo כנרת [*Cinnereth*], quod nomen multi inditum lacui putant ex eo quod *cithara* imaginem refert, quaſi ex lacu terra deinde nomen acceperit, contra ſentiente Joſepho qui ita ait, Ἡ δὲ λίμνη Γεννησὰρ μὲν ἀπὸ τῆς προσεχοῦς χώρας καλεῖται [*Lacus autem Genneſar ab adjacente terra nominatur*]. Sed maxime probabile eſt tum lacui tum regioni nomen factum ab antiquiſſima urbe quæ in Joſuæ libro modo plurali numero כנרות [*Cenereth*] vocatur, ut cap. XI, 2. modo כנרת [*Cenereth*] cap. XIX, 35. Lacus vocabulum poſtera ætas emolliens *Ginoſar* maluit dicere, quod apud Chaldæum Interpretem Veteris Inſtrumenti aliquoties occurrit pro Hebræo כנרת. Γεννησὰρ [*Genneſar*] ſcribit auctor primi Maccabaici.

36. τὸ κρασπέδου, *fimbriam*] Vide ſupra IX, 20. ¶ ὅσοι ἥψαντο, *quicunque tetigerunt*] Cum fiducia recipiendæ ſanitatis. Ita enim ex circumſtantiis reſtringendæ ſunt particulæ univerſales.

P R I C Æ U S.

Com. 6. Ὠρχήσατο, &c. καὶ ἤρεσε] Sic in vet. Inſcriptione, *Antipoli in theatro bidno* SALTAVIT ET PLACUIT.

Com. 7. μεθ' ὅρκου ὡμολόγησεν αὐτῇ δοῦναι, &c.] Περισσότερον τὸ ἀμετάθετον τῆς ἐπαγγελίας ἐνδεῖξαι βουλόμενος, ὤμοσεν ὄρκῳ, ut loquitur Scriptor ad Hebræos 6. 17. Apud Ovidium,

> —— *Elige, ait, nullam patiere repulſam:*
> *Quoque magis credas, Stygii quoque conſcia ſunto*
> *Flumina torrentis.* ——

Virgil.

> —— *Stygii per flumina fratris.*

Ubi Servius, *Jurejurando ſtatuta confirmat, ut rem immobilem neceſſitate conſtituat.*

Com. 8.

Com. 8. ἡ ὑ προβιβασθεῖσα ὑπὸ τ μητρὸς]

——*Illa doli inſtructa atque arte parentis.*

Hoc enim προβιβασθεῖσα ſonat potius quam *producta*. Achilles Tatius lib. 7. Ἔμαθε ἡ ἐκείνῳ ὑπὸ ἡ Θερσανδρᾳ δεδιδαγμένῳ (i.e. προβεβασθεί.) πυκνοὺς πάνυ περὶ τ Λευκίππης λόγους ἐμβαλεῖν. *Dictis formare* Ovid. in Metamorph. vocat:

Talibus ignaram Juno Cadmeida dictis
Formarat.——

Dolis præmeditari aliquem Plautus in Epidico. Apud eundem in Milite,

——*Sed dic mihi, ecquid hic te*
Oneravit præcepti? PE. *probe meditatam utramque duco.*

Ibid. ἡ ὑ προβιβασθεῖσα ὑπὸ τ μητρὸς]

Matre illi tradente dolos, artemque necandi.

Com. 9. ἡ ἐλυπήθη ὁ βασιλεὺς] Plane ut Darius poſt impium & temerarium edictum ſuum, cum caput Prophetæ Danielis ageretur, ὡς τὸ ῥῆμα ἦκουσε, ἐλυπήθη ἐπ' αὐτῷ. 6. 4. Ovid. de Jove ob rogatum Semeles perculſo,

Ingemuit, neque enim non hæc optaſſe, nec ille
Non juraſſe poteſt; ergo mœſtiſſimus altum
Æthera conſcendit.——

Et in Fab. Phaëthontis,

Panituit juraſſe patrem, qui terque quaterque
Concutiens illuſtre caput, Temeraria, dixit,
Vox mea facta tua eſt: utinam promiſſa liceret
Non dare: confiteor ſolum hoc tibi, nate, negarem.

Ibid. ἡ δι᾽ ὅν᾽ συνανακειμένους, &c.] Non quod illi captantes gratiam Herodiadis labantem Herodis animum impellerent, ſed ne poſt tam liberam ac ſpontaneam pollicitationem levitatis & inconſtantiæ ſuæ arbitros tot convivas haberet. Ita particulam διὰ hoc loco exponendam puto. Firmatque omnino conjecturam meam ſimilis apud Joſephum hiſtoria, ubi Cajus Agrippæ Regis obſervantia ac diutinis officiis cultus, jubet eum, idque in convivio, ut hic à ſe petat quid. Agrippa ſui ſecurus, res patriæ curat; rogat itaque de ſtatua ſua in Hieroſolymitano templo erigenda Imperator mandatum revocet. Cajus ejus indolem regiam miratus, ac magnitudinem animi, ἡ ἄλλως (inquit Scriptor ille nobiliſſimus) αἰσχυνόμενον ὑπὸ τῶν μαρτύρων ψεύδεσθαι ἡγούμενος ἐξ ὧν αὐτὸς ἐπαίνων ἐδιάζετο αἰτεῖσθαι τ Ἀγρίππαν, μὴ ἧ ἐξεῦ μεθ᾽ ἡμέραν χαίρῳ, &c. συγχωρῶ. Quæ tamen modeſte proponimus & verecunde, non neſcii diverſum hic ferri nos ab ingenti Viro, irreparabili inexplicabilique literarum damno ante annum abrepto, quem ut ipſum non ſine horrore mirati ſumus, ita memoriam ejus religioſe colemus, nec animæ tantum penetrali, ſed & mundi conſpectu. Hoc ubique, hoc uſquequaque facturos nos ſpondemus, profitemur, per æterna ingenii ejus monumenta, per immarceſſibilem gloriam ejus, per aſſiduam & indies augeſcentem animi ægritudinem noſtri, perque tanti Herois Manes, Numina doloris noſtri.

Com. 10. ἡ πέμψας ἀπεκεφάλισε τ Ἰωάννην] Horatius,

Vino & lucernis dirus acinaces
Immane quantum diſcrepet:

pellicis tamen (en inconceſſi affectus cæcum inconſultumque impetum) Claud.

——*dapibus crudelis in ipſis*
Emicat ad nutum ſtricto mucrone miniſter.

Com. 19. κελεύσας σὺν ὄχλῳ ἀνακλιθῆναι ἐπὶ τ σὺν χόρτῳ] Vetus, *& cum juſſiſſet turbam diſcumbere*, quomodo apud Virgil.

——*gramineoque viros locat ipſe ſedili.*

Quæ ut infra 15. 35. locum habent, ita hic nequaquam: neque enim ἀνακλίνειν ſed ἀνακλιθῆναι dicitur, nimirum *à diſcipulis*. Marcus, ἐπέταξεν αὐτοῖς (μαθηταῖς) ἀνακλῖναι πάντας. Lucas, κατακλίνατε αὐτούς· & Joannes, ποιῆσατε τοὺς ἀνθρώπους ἀναπεσεῖν. κελεύσας hoc loco videtur ergo abſolute poni, & τὸν ὄχλον non ad id verbi referendum ſed ad ἀνακλιθῆναι. Recentior, *& juſſa turba diſcumbere*: ambigue ſatis.

Com. 20. ἡ ἤρατο φέρουσαι τ κλασμάτων δώδεκα κοφίνους] Ut hic κόφινοι, infra 15. 37. σπυρίδες· promiſcuus enim ad hujuſmodi miniſteria utriuſque uſus: vide & infra 16. 9, & 10. Pollux de menſæ tractans purgamentis: Σωαθροιζέτω ἡ (ὀπαὶς nempe) εἰς ἀρίχιόν τινα, ἢ κόφινον, ἢ σπυρίδα. Ariſtophanes καπίσιον dixit apud Athenæum,

Ἄλλος ἡ εἰσίφερε πλεκτῷ καπισίῳ.
Ἄρτων φέλλοισι θρύμματα. ——

En quanta è parva ſuperarant ſercula menſa,
Quot procul extructis inerant fragmenta caniſtris!

Com. 24. μέσου τ θαλάσσης ἦν] Μέσον non ſolum loci *mediſſimi* deſignat, ſed & quodvis ſpatium brevius ab ambitu orave extenſum. Virgil. 3. Æn.

Jam medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthus:

ubi Servius, *Juxta morem quotidianum dixit* MEDIO, *ut ſi dicamus, In medio mari naufragium fecit, cum interdum non longe à littore contigit.* Idem ad 5. Æn. *Medium eſt quicquid à principio recedit.* Et ad 10. *Medium dicitur omne quod eſt inter finem & initium*, ut,

Interea medium Æneas jam claſſe tenebat.

Idem Virgil.

Solvitur, atque virum mediis exponit in undis:

cum tamen ad littus quaſſaretur. Plautus de ſervo ad vapulandum in aëra ſublato,

Facite inter terram atque cælum ut medius ſit.

Sic ſupra 12. 40. Chriſtus ἐν τῇ τ γῆς καρδίᾳ (id eſt, ἐν τῇ γῇ) fuiſſe dicitur: & Lucas 21. 21. ἐν μέσῳ αὐτῆς dixit pro ἐν αὐτῇ· vide & ejuſdem 4. 30. Marc. 7. 31.

Com. 25. φάντασμά ἐστιν τ θαλάσσης] In ſignum Divinitatis ſuæ. Ægyptii ἀδύνατον σημαίνοντες, πόδας ἀνθρώπου ἐν ὕδατι φαινομένους. Horapollo in Hieroglyphicis.

Com. 26. λέγοντες, ὅτι φάντασμά ἐστι] In Gloſſario Φάντασμα, *forma, vana viſio.* Vocem Græcam retinuit & hic Vulgatus (ut ſolet) peritiſſime. Plinius lib. 7. Epiſt. 27. *perquam ſcire velim eſſe phantaſmata*, &c. Cui lectioni nollem maximum Caſaubonum controverſiam moviſſe, legendo *phaſmata*. Idem enim utrumque. Heſychius, Φάσμα, φάντασμα, σημεῖον, τέρας.

Com. 27. θαρσεῖτε, &c. μὴ φοβεῖσθε] Gellius 13. 23. *Duplex compellatio admonitionem inſtantiorem facit.*

Com. 22. ἀναβαίνειν δεῖ τὸ ὕδατος]

Dædalus adſtruitur terræ mutaſſe volatu,
Et medium pennis proſecuiſſe diem.
Præſenti exemplo firmatur fabula mendax,
Ecce hominis greſſus Pontus & unda ferunt.

Com. 30. Κύριε, σῶσόν με] Quia mergor. David, at figurato ſenſu, Pſal. 68. 1. *Salvum me fac, Deus, quoniam introierunt aquæ uſque ad animam meam.*

Com. 31. ἐκτείνας τ χεῖρα, ἐπελάβετο αὐτοῦ]

——*dextramque haud multa moratus*
Dat timido, atque animum præſenti pignore firmat.
——*pavidum gelidumque trementi*
Corpore vix animum firmat Deus, Excute, dicens,
Corde metum.——

Ibid. ἐλιγόπιστε]

——*Stulto ſtulte timore tremis.*

Ibid. εἰς τί ἐδίστασας;] Εἰς τί, pro διὰ τί; vel ἵνα τί;

Com. 33. λέγοντες, Ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς εἶ]

——*quique undas carpere poſſet*
Credunt eſſe Deum.——

Ibid. ἀληθῶς θεοῦ υἱὸς εἶ] Magnitudo & novitas eorum quæ viderat expreſſit pronunciatum iſtud, ut & Mar. 15. 39. à Romano Centurione.

CAP.

by Google

CAP. XV.

MUNSTERUS.

2. *Traditiones Seniorum*] *Traditiones Seniorum* vocantur hic mandata hominum, quæ mere inventa hominum ſunt, nullam utilitatem adferentia proximis, ſed ad gratificandum Deo nulla legis Dei habita ratione ſunt excogitata: qualia apud nos ſunt diſcrimina Dierum, Locorum, Perſonarum, Ciborum & aliarum rerum externarum, ex quorum obſervantia nulla vitæ externæ provenit commoditas, ſed magis nocumentum. Quæ autem ad externam vitam decenter & cum commodo proximorum degendam ab hominibus ſunt conſtituta, hæc magis Divinæ quam humanæ cenſentur traditiones, eo quod ex præcepto dilectionis originem trahunt, quod caput eſt præceptorum Dei. Quales apud nos irrepſerunt hominum traditiones nemo eſt qui ignorat: quales apud Hebræos olim fuerint, & adhuc ſint, ſcripta illorum teſtantur, quæ fere plus continent ſuperſtitionis quam pietatis. Ex præſenti loco colligere licet Thalmudicas nænias jam ante Chriſtum à Rabbinis conceptas, ſed aliquot annis poſt devaſtationem Jeroſolymitanam conflatas, & in Librum redactas. Quas traditiones & ceremonias receperint à Senioribus de lavandis manibus, ego Hebraice ſtudioſis in libello præceptorum Moſaicorum oſtendi. Deinde quomodo enervarint mandatum Dei de honorandis parentibus Chriſtus hoc loco oſtendit, quando illis improperat quod quæſtus cauſa hortabantur filios ad inferendum Templo etiam ea quæ neceſſaria erant pro ſuſtentatione vitæ parentum. Sed ut Hebraicæ linguæ ſtudioſi habeant nonnihil de illis ſuperſtitioſis & ridiculis conſtitutionibus, libuit hic pauculas pro eorum exercitio inſerere. Et in primis vide quid ſtatuerint obſervandum in diebus Phurim, quos celebrant in menſe Adar, i. Februario, in memoriam liberationis de manibus Haman, de quo in libro Eſther; יום י"ד ויום ט"ו באדר יהיו פורים וחכל חייבין בקריאת מגילת גם עכרים ונשים וצריך לחסר עשירי נגי המן בנשיכה או נפיחה אחת וחייב כל אדם ליתן מתנות לעניים וכל מי שפשט ידו לשול נותנין לו ואם ישראל הוא נו ואין העני רשאי לחזיקו לרשי אחר אלא בשעדרת פורים ויש להחיגות בשעדרת פורים וצריך שישתכר עד שלא ידע בין ארור המן לברוך מרדכי וארור בתאור וחעונית ביד ונפ"ו וסבים קף אל כף ואם מת לו מת בפורים אסור להספיד : Traditiuncula alia, quam juſſerunt obſervari in Dedicatione Templi, quæ primum celebrata fuit ſub Machabæis xxv die Menſis Kiſlef, quando ſcilicet mundatum fuit Templum poſtquam à Græcis fuerat profanatum: hanc dedicationem juſſerunt ſic quotannis obſervari; חנוכה שמונת לחולק נותן בכל חי ללות מסף שקיעה וחמוץ עד חצי שעה מן חלילה בני לחכיר הנס וצריך כ"ל אדם לחזהר כאר חפילו עני חמתרנס מן הצדקה שואל או כותר בגדו ולוקח שמן להדליק : Hic ordinaverunt ut omnis homo quantumlibet pauper, etiam qui ex eleemoſyna vivit, debeat per octavam Dedicationis ſub noctem accendere lucernam: & ſi non ſuppetat oleum, tenetur illud mendicare, aut vendere tunicam, & emere oleum. Porro quam ob frivolas cauſas inſtituerunt jejunia, audi: אלו הימים שמתענין בהם מן התורה: באחד בניסן מת בני אהרן: בי"ו בו מחת מרים: בכ"ו בו מת יהושע בן נון: בי"ו באייר מת על חכתן ושני בניו ושכנה האחן הכירה: בכח"ו בו מת שמואל הנביא: בכ"ו בסיון בשל הגיכורים מלעלת ליחשלם ביסי ירבעם בן נבם: בכ"ו נחרנו חיכה ונתתיו והטחים: בכ"ו בו נשרף רבי חניא בן תרדיון וספר תורה עמו: בי"ו בתמוז נשתברו הלוחות ובשלה התמיד והובקעה העיר: באחד באב מת אהרן חכהן: כח"ו בו נגזרה גזרה על אבותינו שלא יכנסו לארץ ונחרב הבית ראשונה ושניה: ביחי כבדה בר בימי אחז: בי"ו בתשרי מת גדליה והיהודים אשר עמו: בו"ו בו נגזרה גזרה על אבותינו שימותו בחרב וברעב ובדבר ושבני מעשי העגל: בי"ו בכסליו עיית ערי צדקיהו וישרפו בו לעיניו: בכח"ו בכסליו שרף יהויכין את הכולה אשר כתב ברוך בפי ירמיהו: בח"י בטבת נכתבה התורה יגידו בימי חלפי הכלך והיה חשך לעולם ג' ימים: בי"ו בו סמך מלך בבל על יהושלם להחריבה: בכג' בשבט נתקבצו כל ישראל על שבט בנימן על ענין הפלגש ועל פסל מיכה: בו באחד בחדש משה רבינו ע"ה: אלו מי העיות קבלו ישראל מן התורה: ועוד נזרו חלי שיהו מתענין שני שלשה רבים על חרכן הבית ועל חתרת שנשחברו ועל חתרת חשם : Placuit adhuc inſerere pauculas traditiones ex multis quas condiderunt pro obſervatione dierum Feſtorum, quæ ſcilicet opera violent diem ſolennem, & quæ non. Per *diem feſtum* intelligealium ſolennem diem quam Sabbatum, quales ſunt Neomeniæ, &c. אין צורין וגים מן הכיגרים ביום טוב אבל אחין והתגלים שבבית פוחר לצורן: אין נופחין בסטות מפני שדומה לכלאכת אמן אלא בשפתרת וכשעשה האש ונתן עליה הקדירה צריך ליזהר בסיחר העצים שלא יהא חסרת לבנין : אסור לכשל בים' אלא בדי צורך היום: אין עשין בגינה ביום טוב ואין נחנין ודק לחתבם נתן: טוחר לעשות מחורה לחתחסם כנגדם ולחסם מים לרחון רגליו אבל לא כל נשו : ביצה שנולדה ביום טוב אסור לגעת בו וכל שכן שלא לאוכלה ואפילו נפק נולדה ביום טוב או נחול אסור ואפילו נתערבת באלף טלן ואכורת : השוחט תרנולת ומצא בה בנים נפוחות מותרת : חיב אדם להזהר ביום טוב שמח ושוב לב הוא ואשתו וגניו וכל הגלוים אליו כל אחר ביאור לו כיצר הקבים נתן להם קלורת ואתרים ומגדנות מגשים קנה להם גרים חבשמין כפי ממנו והאנשים אוכלים כסר ושותן יין וכשאוכלים חיבים להאביל לגר ליתם ולאלמנה עם שאר העגיים: בבוקר משכימין לביח כנסת ומתפללין וקורין בתורה ואחר כן אוכלים והלכין לבתי מדרשות ושונין עד חצי היום ומתפללין תפלת המנחה וחחר' לבתיהם לשחות שאר היום עד הלילה בשמחה אלא ערב שבחה שיש בה עבודת חיצר : Ut & hi qui Hebraice neſciunt ſciant quid hæc poſterior Hebraica lectio contineat, volui ipſam interpretari, ut omnibus pateat qua inſania laborent miſeri illi homines, & qualibus traditionibus irrita fecerint mandata Dei. *Non*, inquiunt, *venamur piſces ex vivario in die ſolenni; ſed anſeres & gallinas quæ domi habentur licet venari. Non ſufflamus ignem per follem, cum id ſimilitudinem habeat operis artificis; ſed per cannam concavam licet. Et cum quis facit ignem, & apponit illam aut caldarium, neceſſe eſt ut ſolicitus ſit quomodo ordinet ligna, ne congeries eorum ſimilis ſit ædificio. Prohibitum eſt quoque in die ſolenni ne aliquid aliud coquas quam quod neceſſarium ſit pro illo die. Non licet facere cæſum in die ſolenni, neque tondere olera, quæ in ipſis diebus cultro communimus. Licet facere rogum calefaciendi gratia, & apud quem aqua calefiant ad lavandum pedes, ſed non totum corpus. Ovum natum in die ſolenni prohibitum eſt ne illud contingas; multo minus licet illud comedere: etiamſi dubium ſit num natum ſit in die ſolenni aut profano, adhuc prohibitum eſt: quin & ſi mixtum ſit inter mille, omnia ſunt prohibita. Qui autem mactat gallinam, & invenit in ea ova perfecta, illa licita ſunt. Tenetur homo in die ſolenni eſſe bono & lato corde, ipſe, & uxor ejus, atque filii ejus, & omnes qui ſunt illi additi: Quiſque juxta quod ſibi competit, puta parvulis dat pulmenta, & nuces, atque poma; pro uxoribus autem emit veſtimenta, & monilia ſecundum facultatem ſuam*, &c. Parce, lector, quod tantas ineptias inſerui huic ſacroſancto libro: Occaſionem dedit traditio illa quæ eſt de manibus lavandis ante ſumptionem cibi. Poſſem adhuc infinitas alias hujuſmodi adjicere traditiones, quibus cæca illa gens Dei mandata fœdavit & pervertit; ſed abſtinendum duxi ab hujuſmodi ludicris, & calamum ſeriis applicare.

8. *Populus iſte*] Scribitur locus iſte Iſa. 29. 13. ubi per *timorem* intelligitur religio & cultus Dei, qui apud Judæos converſus fuit in *mandatum hominum*, h. e. fuit ſolum externus, & *cor eorum longe fuit à Domino*, quod tamen potiſſimum Dominus habere vult in ſuo cultu; & ſine eo omnis cultus externus aliud nihil eſt quam vaniſſima hypocriſis. In corde ſita eſt omnis noſtra puritas, juſtitia & ſalus. *Corde* enim *creditur ad juſtitiam*. Sicut è contra quando fides cordis abeſt, jam ex impuro corde nihil procedere poteſt niſi quod eſt impurum, *mala cogitationes, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, fraus, dolus*, &c. *Non* igitur *quod intrat in os inquinat hominem, ſed quod ex corde procedit.* Deſtruit hic locus quicquid de delectu ciborum ab hominibus eſt conſtitutum. Cibus non ingreditur in cor, ſed in ventrem, & deinde in feceſſum; quomodo igitur inquinabitur ab eo cor? At malæ cogitationes intrant in cor, & rurſum exeunt de corde; & illæ inquinant cor. Eſt igitur cor ſedes pietatis & impietatis, puritatis & impuritatis. Sic capiatur quicunque cibus cum benedictione & ſancta cordis cogitatione, ille jam non impurum reddit cor, ſed magis arguit cor eſſe purum. Eſt hic & Judæis reſpondendum, qui nobis objiciunt locum quendam ex Eſaia, cap. ult. de carne ſuilla, quæ citra legis Moſaicæ violationem & cordis inquinationem edi non poteſt, ut illi arguunt, כתיב בישעיהו אוכלי בשר החזיר והשקץ יחדיו יסופו נאום יהוה משמע שבשר חזיר לא יהא מחר לעולם כי הקרא מדבר אות לשקץ: וי"ל ישעיהו נבא על חזן כי רבים חיו בחוח שהיו אוכלין בשר חזיר ובאותה זמן חיה חסות מי שאוכל בשר חזיר באולי חיה אוכל בשר שקץ כי עדין לא נחח חקרת חורת משה נמו שעשה משה ח שחזר חקרת אשר חם על דגרים חיבנים :

12. *Irritati ſunt*] *Irritare aliquem* ſive *ſcandalizare* eſt aliquid dicere vel facere quo ille avocatur vel impeditur à ſalute & ſtudio veræ pietatis: id quod Chriſtus ſumme cavit, qui propter

propter ſalutem prædicandam venerat; ſed perverſi homines omnia fere dicta & facta ejus ſibi ſcandala fecerunt, unde alieniores ſeſe ab Autore vitæ fecerunt. At Chriſtus propterea non potuit omittere ea, propter quæ venerat in hunc mundum, quippe qui *in ruinam & reſurrectionem multorum poſitus fuit*, juxta Simeonis prophetiam, quæ ad præſentem quoque facit locum.

13. *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus qui eſt in cœlis eradicabitur*] h. e. Quos Pater non plantavit ad vitam æternam, hos eradicari oportet.

24. *Non ſum miſſus*] *Perditas oves Iſraelis* vocat hic electos ad vitam, ſed qui adhuc ignorabant viam. Dicit quoque ſe miſſum propter Iſraelitas, qui ſcilicet habebant promiſſionem regni ex Lege & Prophetis, etiamſi Gentibus quoque regnum illud fuerat denunciandum. Exhibuit ſe proinde Chriſtus durum erga hanc mulierem non ob aliam cauſam quam ut exemplum fidei ejus magis illuſtraret, oſtenderetque quam grata illi noſtra ſit in oratione importunitas, potiſſimum ſi ex indubitata fide procedat. Ex iſta explicatione facile colligi poteſt reſponſio qua obvietur Judæis, qui hunc locum ſic impugnant, מרי שענה להם יש אתי שלוח כי אם לטעון צאן בית ישראל כלומר שהוא לא בא לארץ אלא למשל לפשעי ישראל חמשתם· והואל שבא למשל ולטלות לישראל מרוע העשירים והכשלים ושרים שרוי נכשלים בסיתתו וכי אין אומר בשלם שיכול להכשלים אלא אותם שבא לפרוח ולחשיבם· ועוד שהוא אומר אל הכנענית אין לנאול לתם מן הבנים ולתתו לכלבים חכויא ואת לא אמר אלא כלומר לא טוב שאנאל החסר שיש לי לעשות לבני ישראל ואתננה לאשר אומרת כלוי לואת הכנענית שנקראה כלבה: תשובה אין שר אוהבם ואת אוהביהם משחתו כי אם רעתבם היא שרותם ושנאתבם אשר בלבותיכם כנגר משיחנו היא תאברכם לגיהנם כמו שכתוב בישעיה נקל מזשתן לי עבר להקים את שבטי יעקב ונצורי ישראל להשיב התתיך לאור גרם לחיות ישעתי עד קצה הארץ הנה הגביא ראה ברוח מרי שהיה עתיר ביבי משיח היאך שבטי ישראל יאמנו ליקח השעיה המשיח השם וגרם יקחו אותה בשכחה: Locus ex Iſaia in mea reſponſione citatus ſcribitur cap. 49. ubi tam expreſſa fit mentio de reprobatione Judæorum & inſertione Gentilium: maleque audit locus ille apud Judæos, & conantur eum torquere in diverſum ſenſum, ut נקל legatur quæſituve pro הנקל. ſed quod præcedit obſtat; nempe, *Fruſtra laboravi, in vanum conſumpſi vim meam*, &c.

V A L L A.

5. M*Unus quodcunque eſt ex me, tibi proderit; & non honorificabit patrem ſuum vel matrem ſuam*] Græce non legitur verbum ſubſtantivum *eſt*, ideoque obſcura ſententia; nec *tibi proderit*, ſed *tu*, ut ſic dicam, *commodaris*: ut transferri poſſit, *Dono quocunque ex me tu commodum capies, & non honoraveris patrem ſuum vel matrem ſuam.* Sive, *Dono quodcunque ex me erit*, ut ſubſtantivum verbum ſit ejuſdem temporis cujus & conjunctum, δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς· ἢ ὃ μὴ τιμήσῃ.

8. *Populus hic labiis me honorificat, cor autem eorum longe eſt à me*] Deeſt apud nos: nam ſic eſt Græce, *Appropinquat mihi hic populus ore ſuo*; deinde ſequitur, *& labiis me honorat*: optimeque ſubſequitur, *cor autem eorum longe eſt à me.* Græce dicitur, *longe abeſt à me*, ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ· ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ.

26. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.*

27. *At illa dixit, Etiam, Domine; nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*] Hoc eſt *Etiam* illud quod paulo ante dixi adverbium eſſe potius quam conjunctionem, ναί. Cur autem interpres variandam nunc vocem Græcam putaverit non video: nam utrobique dicendum fuit aut *canes*, aut *catelli*: neque enim Græce *canes* ſignificantur & *catelli*, ſed unum; & puto potius *canes*, κυναρίοις, κυνάρια.

30. *Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos; & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos.*

31. *Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, cæcos videntes, claudos ambulantes: & magnificabant Deum Iſrael*] Cum quatuor generum propoſuerit morbos, cur tria refert fuiſſe ſanata? Ergo deeſt in Latino quartum, i. *debiles ſanos*, κυλλοὺς ὑγιεῖς. Taceo quod *ſurdi* dicuntur, non *muti*, κωφούς. Et *glorificabant* potius quam *magnificabant*, ἐδόξαζον.

32. *Ne deficiant in via*] Non eſt auſus hic transferre interpres *ne forte deficiant*, ut appareat dictionem Græcam, quam ipſe transfert *forſitan*, non debere ſic transferri, ſed *nequando*, μήποτε. Non enim revocabat in dubium Dominus illos in via defecturos, niſi comederent.

33. *Unde nobis in deſerto panes tantos?*] Græci non habent *tot*, ideo pro illo dicunt *tanti*, ut nos in lingua idiotarum. Melius igitur poſterius, c. 16, 9, 10. *Quot cophinos, & quot ſportas ſumpſiſtis?* & apud Lucam 15. 29. *Tot annis ſervio tibi*, τοσαῦτα. Quo magis miror de interprete quod hic dixerit *tanti* pro *tot*, ubi elegantius loqui quam oportebat affectavit, utens accuſativo, cum Græce ſit nominativus, ἄρτοι τοσοῦτοι. Idem fecit in Marco 15. 4. *Vides in quantis te accuſant*, pro *in quot*, & in Luca 15. 17. *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus?* Neque inficias eo, tali genere loquendi nonnullos non modo poſt Euangelium Latinum locutos eſſe, ſed etiam antea, licet parciſſime.

36. *Gratias agens, fregit*] Expreſſius Græce, *Cum gratias egiſſet, fregit*: non enim inter frangendum gratias egit aut inter actionem gratiarum fregit, ἐυχαριστήσας ἔκλασε.

R E V I U S in V A L L A M.

5. M*Unus quodcunque eſt ex me*] In hunc locum vide Scaligerum adv. Serar. c. 9. & Jo. Cocceium in Gemar Sanhedrim c. 5. §. 9.

31. Surdi *dicuntur*, *non* muti] Vide in c. 12. 22.

E R A S M U S.

1. T*Unc acceſſerunt*, τότε προσέρχονται] i. *Tunc accedunt.* ¶ *Ab Hieroſolymis Scribæ*, οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς] Articulus facit ut vertendum fuerit, *qui ab Hieroſolymis venerant Scribæ*, ſive *Hieroſolymitani Scribæ.* Idem indicat Chryſoſtomus, hunc enarrans locum. Nam erant & aliarum urbium Scribæ. Nec eſt

2. *Traditiones*, ſed παραδόσεων, *traditionem*, conſentiente vetuſtiſſ. cod. Latino, atque etiam Conſtantienſi. Nos *inſtitutum* ſive *conſtitutionem* vertere poſſumus. Nec enim queruntur de omnibus traditionibus, ſed de una duntaxat, nempe de non lavando manus.

4. *Nam Deus dixit*] Gr. ἐνετείλατο, λέγων, i. *præcepit, dicens*, ut reſpondeat ad id quod præceſſit, ἐντολὴ, *mandatum*, ſive, quod malim, *Præceptum.* ¶ *Honora*] Gr. Τίμα, quod ſign. *Honorem habe.* Verum ſecundum conſuetudinem ſermonis Scripturarum magis pertinet ad ſubſidium quam ad honorem Præcipit enim Deus, id quod Gentilium quoque legibus cautum eſt, ut liberi parentibus vel ætate defectis vel inopia laborantibus vel alioquin afflictis opitulentur, &, ut Græci loquuntur, ἀντιτροφεύωσι. Id hodie quidam non intelligentes, parentes ſuos tantum non adorant, eumque honorem parentes à liberis exigunt, atque ita totum pietatis officium abunde perſolutum arbitrantur. Ad eundem modum uſus eſt Paulus ſcribens Timotheo, *Honora viduas quæ vere viduæ ſunt*: ac rurſus, *Preſbyteri duplici honore digni ſunt.* Quin & apud Latinos *honor* pro *præmio gratiaque* uſurpatur *qua pro merito refertur.* Et apud Græcos τιμὴ à τίω deductum eſt, quod quoties in bonam accipitur partem, ſign. *dependo*, ſive *perſolvo.*

5. *Munus quodcunque eſt*, Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς] i. *Donum quodcunque ex me profectum fuerit adjuveris.* Cæterum ſenſus verborum eſt aliquanto obſcurior: unde ab omnibus multifariam exponitur. Quidam enim hæc verba tribuunt filio, qui ſic loquatur patri, *Donarium quod ex me venturum erat in Corban*, (nam Syram vocem poſuit Marcus) h. e. in gazophylacium Templi, *id totum conſumitur in tuos uſus, tibique juvando impenditur, nimirum fraudato Templo.* Atque ita prætextu pietatis bis violabant pietatem; primum deſertis parentibus, velut in gratiam Dei; deinde Deum ridebant, non immolantes quod immolatum fingebant, ut ait Chryſoſtomus. Velut ſi pater ovem aut ſimile quippiam petiiſſet à filio, ne deeſſet negandi prætextus, fingebat filius eam ovem Templo deſtinatam. Idque Scribæ nefas videri volebant, in privatos uſus aſſerere quod Templo dicatum eſſet, perinde quaſi Deus ſuo jure fraudaretur. Atque utinam hic Phariſæorum morbus à Chriſtianorum moribus abeſſet. Hujuſmodi captionum plena ſunt omnia: Et Chriſti aut Mariæ peculium dicitur quod vel in luxum Sacerdotum ac Monachorum ſervatur, vel in Principis alicujus prædam. Sacrilegium habetur hinc egenis ſubvenire. Horum laqueis teſtamenta transferuntur ad alendum otium & luxum quorundam religione cultu tituloque profitentium, fraudatis & excluſis aliquoties & liberis: quaſi quod datur alendis liberis aut cognatis conſecretur diabolo. Cæterum ideo dixit Phariſæis, *Vos autem dicitis*, non quod hæc illorum ſint verba, ſed quod illi docerent liberos ad eum modum loqui patri; quo parentes, dum metu ſacrilegii abſti-

abſtinebant ab his quæ videbantur deſtinata Templo, penuria conficerentur: atque ita quod Deus juſſerat impendi conſovendis parentibus, id in lucrum cedebat Sacerdotum. Alii referunt hæc ad Phariſæos, qui verbis hujuſmodi terrerent debitorem gravantem reddere quod debebat. Nam arte id agebant Phariſæi, ut ſi quis debitor eſſet unde vel ob inopiam vel ob potentiam nihil poſſet extorqueri, creditor pecuniam eam conſecraret corbonæ. Jamque jus exigendi tranſierat ad iſtos qui debitorem territabant ad hunc modum, *Tu pecuniam Deo dicatam apud te detines, & in profanos conſumis uſus quod Templo conſecratum eſt?* Atque ita fraudabatur creditor ſua pecunia. Verum hæc non video quid ad parentes bonorandos pertineant, tametſi hunc quoque ſenſum recenſent Hieronymus ac Theophylactus. Magis ad rem facit ut filius dicat, *Quicquid Templo dicavero, id patri impenſum eſt*, nempe Deo; atque ita irriſum patrem deſtituat. Sic enim interpretabantur legem Divinam, quæ providerat ne parentibus morbo, ætate inopiave laborantibus deeſſet ſubſidium, *Honora patrem & matrem*; *Patrem honora*, i. Deum Patrem omnium, & Synagogam *matrem*. Nam illam interpretationem rejicit etiam Chryſoſtomus, ſi modo non fallit interpres (ſiquidem hactenus ſuppeditabat Græcum exemplar) ut filius dicat patri, *Nullum honorem tibi debeo; ſed ſi quid impendero, eſt donum.* Siquidem nec hoc ad Phariſæos pertinet, quo titulo filius officium præſtet patri. Loci obſcuritas fuit in cauſa ut interpretes alia atque alia divinarent. Quod autem adfert Aur. Auguſtinus lib. 1. Quæſt. Euang. qu. 16. Hiſce verbis filios adultos negare ſibi gratum eſſe quod parentes pro ipſis offerrent munera, poſteaquam ad eam ætatem perveniſſent ut ipſi pro ſe poſſent offerre donaria, an Euangelico congruat ſenſui, aliis expendendum relinquo; mihi ſane non admodum probatur. Sed hunc locum aliquanto dilucidius explanat Orig. in fragmento quod nos vertimus. Cæterum in ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ omnino ſubaudiendum eſt aliquid, ut exprimas articuli Græci vim, & liberum eſt ſubaudire quod ſententiæ ſit accommodum, *eſt*, aut *erit*, aut aliud ſimile. Deinde ὠφεληθῇς magis legendum videtur ὠφελῇ, ut ſit *juvaris: Tu juvaris omni dono quod daturus eram templo.* Quandoquidem Chriſtus hoc velut exemplum contumeliæ commemorat, qua liberi edocti à Phariſæis afficiant ſuos parentes, niſi conjunctio ἐὰν referatur etiam ad verbum ὠφεληθῇς, ut accipiatur δυνηθῇς, i. *juvaberis*, ſive *juvari poteris.* Deinde τιμήσει, ſi per η ſcribatur, ſonat *honorabis*; ſi per ι, *honorabit.* Noſtra vero tranſlatio neque cum Græcis ſatis quadrat, neque ſententiam ullam explicat. Proinde quantum licuit in tanta ſententiarum varietate, id quod optimum judicavimus ſecuti, vertimus ad hunc modum, *Quicquid doni à me profecturum erat, id in tuum vertitur commodum: & non honorabit patrem ſuum aut matrem ſuam*, nempe filius ſic edoctus à vobis. Et tamen quicunque ſenſus erit durior eſt ſermonis compoſitio, quod hæc particula, *Quicunque dixerit patri & matri*, non habet quod reſpondeat, niſi ſubaudiamus *benefacis*, aut aliud ſimile, quod nullus admonuit præter Gloſſam, quam adducit Catena aurea. Mirum eſt Lyranum ſic ſcribere in hunc locum, q. non legerit quenquam veterum interpretum. Nec enim admodum refert attingere quæ hoc loco adverſus Lyranum diſſerit quidam, & rurſus in hunc alius quiſpiam.

8. *Labiis me honorat*] Apud Græcos pluſculum eſt verborum, ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, *Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labiis me honorat.* Verum adjecit nonnihil aliquis qui voluerit abſolutum reddere Prophetæ teſtimonium, cum Hieron. enarrans hunc Prophetæ locum indicet Euangeliſtam decerpſiſſe quod ſibi commodum judicabat, & neque retuliſſe per omnia ut in Hebræo ſcriptum eſt, neque ut à LXX verſum. Eſt autem locus apud Eſaiam 29. 13. Hebraica ſic reddit Hieronymus: *Pro eo quod* APPROPINQUAT POPULUS ISTE ORE SUO, ET LABIIS SUIS GLORIFICAT ME, COR AUTEM EJUS LONGE EST A ME; ET TIMUERUNT ME MANDATO HOMINUM, ET DOCTRINIS, LXX *verterunt in hunc modum*, Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς χείλεσιν αὐτῶν τιμῶσί με· ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ· μάτην δέ σέβονταί με, διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας, i. *Appropinquat mihi populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis honorat me; cor autem ejus longe eſt à me: fruſtra autem colunt me, docentes hominum præcepta atque doctrinas.* Ipſa igitur res indicat hoc teſtimonium non ita legi à Græcis ut eſt adductum ab Euangeliſta, ſed ut eſt reſtitutum à ſtudioſo quopiam; qui cum deprehendiſſet locum apud Prophetam, quod mutilatum eſſe putabat, explevit, idque non ex Hebræorum libris, quos ignorabat, ſed ex editione LXX, quam Græci ſequuntur. ¶ *Longe eſt*] Gr. ἀπέχει, i. *abeſt.* Porro quod hoc loco interp. haud ſcio quis, vertit

9. *Sine cauſa*] Græcè eſt μάτην, i. *fruſtra*, & *ſine fructu* potius quam *ſine cauſa.* Atque ita legitur in tranſlatione LXX. Nec eſt ¶ *Doctrinas & mandata hominum*] Apud Græcos enim hoc loco non additur conjunctio. Verum, διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων, i. *doctrinas, mandata hominum*, ut appoſitive legatur, *doctrinas quæ ſunt mandata hominum*, non Dei. Atque ita comperi in veteriſſimis illis quæ jam compluſculis locis adduxi Latinis exemplaribus, poſtremo in Aureo cod. & in exemplari (quod erat ad manum cum hanc edit. quartam adornaremus) Conſtantienſi. Et conſentiunt Hebraica, מצות אנשים מלמדה quod ad verbum ita reddere liceat, *Mandata hominum doctrinas.* Nec tam eſt *colunt* quam *Reverentur*, σέβονται, quod propius etiam accedit ad Hebraicam veritatem, מכבדות.

10. *Convocatis turbis*, προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον] i. *advocata*, ſive *vocata ad ſe*, *turba*, aut *accerſita.* Quod tamen ita ferme perpetuo tranſfert.

11. *Coinquinat*] Græcis eſt κοινοῖ, i. *commune facit*, ſive, ut Auguſtinus legit, *communicat*, Adv. Fauſtum l. 16. cap. 31. Nam Judæi quod ſanctum purumque non ſit, id *commune* vocant, quod Latini *profanum*, *impurum*, aut *nefaſtum.* Nam *puræ* ſancta minimeque profana vocantur: Unde nos vertimus, *impurum reddunt:* ac mox, *impurum reddet hominem.* Annotavit hoc Origenis interpres, ediſſerens cap. 14. ad Romanos indicans in nonnullis exempl. Latinis fuiſſe ſcriptum *communicant*, in nonnullis *coinquinant.* ¶ *Sed quod procedit*) Perdidit interpres gratiam περισσοτομασίας atque item ἐναντιώσεως in his vocibus τὸ εἰσερχόμενον & τὸ ἐξερχόμενον, i. *quod ingreditur & quod egreditur.*

12. Οἶδας ὅτι] i. *Noſti: & quia* vertendum erat in *quòd*, aut certe per infinitum verbum reddendus ſenſus. ¶ Ἀκούσαντες τὸν λόγον τοῦτον] Pro *verbo* rectius vertiſſet *ſermonem*, cum Græca vox *ſermonem* ſignificet magis quam *verbum*, aut certe *dictum.* Ut ne dicam *ſcandalizatos* poſitum pro *offenſos.*

14. *Cæci ſunt duces cæcorum*] Græcus ſermo feſtivior eſt, ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν, i. *Duces ſunt cæci cæcorum.* Nam ὁδηγοί proprie dicuntur *qui commonſtrant viam*, ab ὁδὸς *via*, & ἄγω *duco*, ſive ἡγοῦμαι *præcedo.*

15. Φράσον, *ediſſere*] De quo ſuperius admonuimus, etiam ſi mihi non improbatur. Nec eſt

17. *Non intelligitis*] Sed ὔπω, *nondum*, ut reſpondeat ad ἀκμὴν *adhuc*, quod tamen vehementius quiddam eſt quam ὔπω.

19. *Cogitationes malæ, homicidia*] In Græcis aliquot exempl. ſcriptum erat φθόνοι *invidiæ.* Atque ita ſane habet editio Aldina. Huic ſimillima vox eſt φόνοι, *cædes*, ſive *homicidia.* Nec ex Chryſoſt. nec ex Hieron. liquet quid legerit.

22. *Male vexatur*, κακῶς δαιμονίζεται] i. *miſere.* Quanquam & *male* Latinis uſurpatur pro *miſerè.*

23. *Non reſpondit ei verbum*] λόγον. Rurſus cur potius *verbum* quam *ſermonem?* Nam ſenſus eſt, *Non reſpondit ei quicquam.* Nec enim eſt idem tropus in ſermone Græco qui eſt in Latino. Quemadmodum dicimus, *Non reſcripſit literam*, pro eo quod erat, *Nihil omnino reſcripſit.* ¶ Ἠρώτων] i. *Interrogabant.* quo tamen verbo nonnunquam abuſus videtur pro *rogo.* Nam hæc vox Latinis eſt anceps. ¶ *Dimitte illam*, ἀπόλυσον] i. *Abſolve illam:* ſive ut impetrato quod petit abeat, ſive ut aliquo pacto illi ſatisfiat. Nos vertimus, *Amitte*, pro eo quod eſt *Ablegato.* Sic enim Terentius uſus eſt *amittendi* verbo, ut opponatur *retinendi* verbo. Neque enim ſemper *amittere* idem eſt quod *perdere.*

24. *Ad oves quæ perierunt*] Τὰ ἀπολωλότα, i. *perditas*, ut ſæpe citat Hieronymus. Cæterum articulus indicat non omnes oves intelligi, ſed eas quæ periſſent.

25. *Adjuva*, βοήθει] Rectius, *ſuccurre.* Nam *adjuvamus* laborantem. Et βοηθεῖν inde dictum quod ad vocem periclitantis & quiritantis accurritur: id quod & βοηδρομεῖν vocant.

26. Ὁ δὲ εἶπεν, *At ille ait*] Vertit, *Qui ait*, velut affectata diſſonantia; tametſi id non magni refert. ¶ *Non eſt bonum*] Gr. καλόν· quod magis *honeſtum* & *pulchrum* ſign. quam *bonum*, ἀγαθόν. Nam indecorum eſt cibum filiorum objicere canibus. Hæc enim Jeſus ex publico Judæorum affectu dixit, qui ſe ſolos Deo charos & ſanctos judicabant, cæteros omnes canum habebant loco. Et, *liberorum* eſt magis quam *filiorum*, τέκνων· ut ea vox filias quoque complectatur, præſertim cum mulieri loquatur. ¶ *Mittere canibus*, βαλεῖν τοῖς κυναρίοις] i. *abjicere catellis.* Eadem eſt vox quam mox vertit diminutive.

27. *Etiam, Domine*, Ναὶ, κύριε] Confirmantis eſt adverbium.

bium, non reſellentis: Verum eſt quod dicis; Turpe eſt panes filiorum abjici catellis: ego licet ſim canis, micas peto, non panes. ¶ *Nam & catelli edunt, καὶ γὰρ τὰ κυνάρια*] Ne quis in hujus mutatione vocis ſomniet ſubeſſe myſterium, cum apud Græcos utrobique ſit eadem. Tametſi D. Hilarius videtur altero loco legiſſe *canibus*, ni forte non conſuluit exemplar Græcum. Ait enim *mulierem diminutivi nominis blandimento canum opprobrium leniſſe*. Quod commentum non habet locum niſi priore loco legas κυνί.

30. *Habentes ſecum*, ἔχοντες μεθ' ἑαυτῶν] i. *Adducentes ſecum*. Nam id quoque ſignificat ἔχω. Hieronymus interpretatur *deducentes*, ſive *portantes*. ¶ *Mutos, cæcos, claudos, debiles*, χωλοὺς, τυφλοὺς, κωφοὺς, κυλλοὺς] i. *claudos, cæcos, mutos, mutilos* ſive *mancos*. Hieronymus admonet, quod hic vertit *debiles*, Græcis eſſe κυλλοὺς· quod ita refertur ad manum quemadmodum χωλὸς ad pedem; ut ſicut qui uno pede claudicat *claudus* dicitur, ita cui altera manus manca aut truncata ſit κυλλὸς dicatur. Nam *debilitas* generale malum eſt totius corporis. Unde cum paulo poſt, ſanatos referens, dixiſſet, *mutos loquentes, cæcos videntes, claudos ambulantes*, non repetit κυλλοὺς, quod nihil haberet quod huic nomini reſponderet. Ex quibus Hieronymi verbis conſtat, id quod reperitur in Græcis exempl. κυλλοὺς ὑγιεῖς *debiles ſanos*, additum à quopiam qui id putaverit librarii vitio prætermiſſum. Ut diſſimulem quod ἐδόξασαν verterit *magnificabant* pro *glorificabant*. Nam de illis, σφοδραλεσαίμεθα & πλαγκτιζόμεθα, non ſemel jam admonuimus.

32. *Ne forte deficiant*] μήποτε, i. *ne*, aut *nequando*.

33. *Unde ergo nobis*] *Ergo* redundat, πόθεν ἡμῖν, *unde nobis*. ¶ *Panes tantos, ἄρτοι τοσοῦτοι*] i. *tot panes*, ſive *tam multi panes*, aut certe *tantum panum*. Nam Græca vox numerum ſignificat non magnitudinem, i.e. quantitatem diſcretam non continuam, ut loquuntur Dialectici.

35. *Ut diſcumberent*] Gr. ἀναπεσεῖν, quod ſignificat *humi concidere*, non in lectis.

36. *Gratias agens fregit*, εὐχαριστήσας ἔκλασεν] i. *cum gratias egiſſet*, ſive *gratiis actis*, *fregit*. ¶ *Diſcipuli dederunt populo*] *Dederunt* interpres Latinus addidit de ſuo. Nec eſt

38. *Quatuor millia hominum*] ſed τετρακισχίλιοι ἄνδρες, i. *quater mille viri*. Nam quod χωρὶς vertit *extra* pro *præter*, laudo copiam etiamſi nihil opus. Deinde παιδίων, *pueros*, vertit *parvulos*: ita ſolet reddere νηπίους.

39. *In fines Magedan*, εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλά] i. *In fines Magdala*. Atque ita legit D. Chryſoſt. addens *Jeſum abiiſſe in fines Magdalorum*: ſic enim vertit interpres. Nam hic, ut ante dixi, deſtituit nos Græcum exemplar truncum. Ac meminit quidem Hieronymus Magdali in deſcriptione Locorum; Cæterum hoc loco *Magedam* legit, non *Magdalam*; his quidem verbis, *Magedam, ad cujus fines Matthæus Euangeliſta ſcripſit Dominum perveniſſe, ſed & Marcus ejuſdem recordatur. Nunc autem regio dicitur Macera, contra Jeſuram*. Rurſus interpretans voces Hebraicas apud Matthæum meminit Mageda. In veteriſſimo cod. qui habebat commentarios Theophylacti ſcriptum erat ὄρη, non ὅρια, i. *montes*, non *fines*. Sed uni teſti, ut ajunt, ne Catoni quidem creditur. Marcus pro *Magedan* habet *Dalmanutha*. Putantque locum fuiſſe binominem.

VATABLUS.

1. *Acceſſerunt ad eum ab Jeroſolymis*] *Accedunt ad Jeſum Hieroſolymitani*.

2. *Traditiones*] *Traditionem*. V. ¶ *Cum panem manducant*] Hebr. *cum ſumunt cibum*.

3. *Propter*] *Per*.

4. *Dixit*] *Præcepit*. ¶ *Morte moriatur*] i. ita moriatur ut nunquam in vitam redeat.

5. *Patri*] Sub. *opem poſtulanti*. ¶ *Munus quodcunque eſt ex me tibi proderit*] *Donum quod à me profecturum erat juvaberit*, i. Quicquid doni Templo dicaturus eram in tuum vertetur commodum. Taxat oblationem quæ fiebat contra præceptum Dei de parentibus alendis.

6. *Et*] Vel, *Itaque*.

8. *Populus hic labiis*] Appropinquat mihi populus hic ore ſuo; & *labiis*, i. Accedit ad templum meum ut oret.

9. *Sine cauſa*] *Fruſtra*. V. ¶ *Doctrinas & mandata*] Legitur appoſitive, *doctrinas quæ ſunt mandata hominum*, non Dei.

12. *Scandalizati ſunt*] i. offenſi quo minus tibi crederent.

14. *Sinite illos*] Vel, *Miſſos facite illos*. ¶ *Cæci ſunt duces*] *Cæci ſunt, & duces*. V.

15. *Ediſſere*] Vel, *Expone*.

16. *Non*] *Nondum*.

19. *Fornicationes, furta*] *Fornicationes, invidiæ, furta*: ſic in aliquot Græcis cod. ¶ *Blaſphemiæ*] *Convitia*: vel, *ſermones impii*.

21. *In partes Tyri*] i. in eam Judææ partem quæ vicina eſt Tyro &c.

22. *Male*] Vel, *miſerè*.

23. *Dimitte*] *Abſolve*: vel, *Amitte*.

26. *Non eſt bonum*] *Non eſt honeſtum*: vel, *decorum*. ¶ *Mittere canibus*] *Projicere catellis*.

27. *Etiam*] Confirmantis eſt, non reſellentis. Quidam vertunt *Imo*: & ita videntur ſuadere ſequentia. ¶ *Nam &*] *Etenim, attamen*.

29. *Secus mare*] Vel, *ad oram maris*.

30. *Habentes*] Vel, *adducentes*. ¶ *Mutos, cæcos, claudos, debiles*] *Claudos, cæcos, mutos, mutilos*: ſive, *mancos*. ¶ *Projecerunt*] *Abjecerunt, appoſuerunt*. ¶ *Ejus*] *Jeſu*.

31. *Loquentes, claudos*] *Loquentes, mutilos eſſe ſanos, claudos*. ¶ *Magnificabant Deum Iſrael*] Vel, *glorificabant Deum Iſraelitarum*.

33. *Unde ergo nobis*] *Unde nobis*. ¶ *Tantos*] *Tot*.

35. *Diſcumberent*] Græca dictio ſignificat humi conſidere, non in lectis.

36. *Gratias agens*] *Et gratias agens*. V.

38. *Extra*] *Præter*.

39. *Magedan*] *Magdala*.

CASTALIO.

5. *Si quis ſuo patri matrive dixerit*] Judæi Sacerdotes pelliciebant homines ad conferenda in Templum donaria, idque non Dei, ſed ſua cauſa, quoniam ea ad ipſos redibant. Ac ne quis filius ideo minus conferret, quod ſua in parentum alimoniam (ut præceptum erat) vellet impendere, illi eam religionem prava Legis interpretatione ſic elevabant. Demonſtra patri tuo, id quod tu in Templum confers ei eſſe profuturum apud Deum; nec eſſe neceſſe ut eam pecuniam in eum impendas; cum tam eum honores libando pro te, & pro ipſo, quam ſi alioquin in eum inſumeres. Etiamſi non aliter parentes honores, non tamen contra Legem feceris.

CLARIUS.

3. *Quare & vos*] Dicens, *& vos*, videtur fateri etiam diſcipulos erraſſe: at non ita eſt. Sed ſic intellige, Si hoc eſſet peccare, leve tamen eſſet præ peccato veſtro. Nam hæc lotio manuum ad quandam civilem tantum elegantiam à majoribus eſt inſtituta, quæ ſi prætermittatur non eſt quaſi facinus judicandum: At vos ipſam Dei legem irritam facitis veſtris avaris traditionibus, & docetis filios offerre magis in templum quod in uſus veſtros cedat, quam ſubvenire parentum neceſſitati; qui ſi quid petierint, jubetis eis reſponderi à filiis, Munus offerre decrevi, ac tu vide num velis donum jam Deo dedicatum tibi prodeſſe: ut ille reveritus rem jam quaſi ſacram, abſtineat, atque ita indigentia conficiatur. Poteſt & hic eſſe ſenſus, Donum quod in cultum Dei contulero, eo animo conferam ut illo non minus vos quam me ipſum adjuvare, & Deum propitium vobis reddere velim. Sed quia contextus verborum ſubobſcurus eſt, aliquid lucis ex Marco poterit adhiberi.

24. *Non ſum miſſus*] Sicut in Sermone in monte protulit teſtimonia Scripturæ in eum ſenſum in quem ipſi Phariſæi accipiebant, ita nunc dicit ſe miſſum non niſi ad Iſraelem. Sic enim omnes Chriſtum exſpectabant, præterquam ſi qui prophetiæ ſpiritum fuerant aſſecuti. Atque hoc erat noſſe Chriſtum ſecundum carnem: iccirco Paulus ait, *Et ſi olim agnoſcebamus Chriſtum ſecundum carnem, nunc tamen non novimus*: de quo, cum ad eum locum venerimus, apertius fortaſſe tractabimus, cum videatur parum hactenus intellectus. Dici etiam poteſt, Quamvis mentio à Prophetis fiat de Gentium vocatione, proprie tamen promiſſum Chriſtum Judæis: atque ideo Paulus ait, *Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum; gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum*. Si vero totius negotii finem inſpicias, ubi demum Dominus ait, *O mulier, magna eſt fides tua*, invenies oblique taxari Judæos, quibus cum proprie miſſus eſſet Chriſtus, non eam fidei alacritatem præ ſe tulerunt quam gentes, quæ nihil minus quam Chriſti famam audierant.

27. *Etiam, Domine: nam & catelli*] Fidelis audacia, Dicente Domino *non eſſe bonum dari panem filiorum catellis*, illa reſpon-

reſpondet, *Imo, Domine*, licet interdum id fieri: *nam & Catuli edunt de micis*, &c.

ZEGERUS.

4. *Deus dixit, Honora patrem & matrem: &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* 5. *Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri vel matri, Munus quodcunque eſt ex me tibi proderit.* 6. *Et non honorificabit patrem ſuum aut matrem: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*] Honor ille parentibus exhibendus non tantum in ſalutatione, capitis apertione, genuflexione, & id genus aliis officiis, quantum in ſubſidio, conſilio & neceſſariarum rerum ſubminiſtratione ſitus eſt: id quod vel ex conſequentibus facile animadvertere eſt. Quin & illud arcanis literis peculiare eſſe deprehendas, *honoris* vocabulum pro *dono* & *ſubſidio*, & *honorare* pro *ſuppetias ferre* uſurpari. Ita his vocibus utitur ſcribens Timotheo Apoſtolus, dum ait ep. 1. c. 5. v. 17. *Presbyteri duplici honore digni ſunt, maxime qui laborant in verbo.* Et ibid. v. 3. *Honora viduas, qui vere viduæ ſunt.* Porro verba illa, *Quicunque dixerit patri aut matri, Munus quodcunque eſt ex me tibi proderit*, quoniam abſolutam non habent ſententiam, probabile eſt à Chriſto ex traditionibus quibuſdam recitata eſſe, quomodo à RR. fuerant deſcripta. Apparet enim aliquot traditiunculas mutuo fuiſſe copulatas, inter quas fuerit & hæc inſerta, eaſque omnes ex una pependiſſe clauſula, quæ ſemel poſita omnes ſimul abſolveret. Juxta hanc ergo opinionem poterit ſententia ſuppleri hac aut conſimili adjectiuncula, *Benedictionibus replebitur quicunque dixerit patri vel matri, Munus quodcunque*, &c. Advertendum præterea, *munus* hic non ſimpliciter pro dono, ſed poſitum eſſe pro eo dono quod eſſet templo aut Deo devotum dedicatumve, h. e. pro ſacrificio; quod Marcus 7. 11. proprio Salvatoris idiomate קרבן *Corban* appellat. Atque hanc fuiſſe cauſam reor quare Marcus Judaicam vocem poſuerit, quod videlicet Græce ſcribenti non eſſet quo vocis illius naturam exprimeret. Proinde horum verborum conſtructio ac ſenſus alioqui obſcurior hujuſmodi eſt, *Deus ita præcipit ac dicit*, Exod. 20. 12. *Honora* per beneficia & obſequia *patrem tuum ac matrem. Dicit item* Lev. 20. 9. *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos vero* Scribæ & Phariſæi aliud *dicitis*, nempe hoc, *Quicunque* filius *dixerit ſuo parenti, Quicquid ex me eſt* doni tibi debiti dicatum ac votum in rem ſacram Deo, *hoc tibi*, ô pater & mater, *proderit*, quia Deum tibi reddet propitium ac beneficum; *is benedictionibus replebitur*, vel *longævus erit ſuper terram: & non honorabit* per congrua ſubſidia ejuſmodi filius ſic à vobis edoctus *patrem ſuum* ſive *matrem*: vel, ut Marcus 7. 12. clarius habet, *& ultra non dimittis eum quicquam facere patri ſuo aut matri: atque ita irritum feciſtis mandatum Dei, ut veſtra ſervetur traditio*, quæ ſub prætextu religionis vobis eſt lucroſa. Sed quo certiora ac pleniora de hoc Chriſti ſermone & Phariſaica traditione habeas, ipſius Origenis, qui hac de re Hebræum quendam conſuluiſſe ſe teſtatur, commentum (quatenus opus eſt) ſubjiciam; *Incidebant interdum creditores in debitores difficiles, qui cum poſſent nollent quod debebatur reddere; eoque creditores referebant debitum in rationem pauperum, quibus pecunia conjiciebatur in gazophylacium. Interdum itaque dicebant debitoribus juxta linguæ ſuæ proprietatem, Corban eſt quod mihi debes*, i. *Donum: conſecravi enim illud in rationem pietatis erga Deum pauperibus. Deinde debitor, ut qui jam non hominibus ſed Deo deberet, quodammodo conſtringebatur ut vel nolens redderet debitum, non jam quidem creditori, ſed Deo in rationem pauperum creditoris nomine. Quod igitur creditor faciebat debitori, hoc interdum quidam filii faciebant parentibus, ac dicebant illis, Donum quodcunque ex me eſt, eo tu juvaberis, pater aut mater: hoc ſcito te ex Corban accipere, nimirum ex ratione pauperum, de iis quæ Deo conſecrata ſunt. Itaque cum audirent quod ipſis dandum erat eſſe Corban, jam nolebant accipere, etiamſi valde neceſſariorum inopia premerentur. Phariſæi igitur, cum eſſent avari, quo ſub prætextu pauperum acciperent quæ danda forent parentibus, talem traditionem proferebant apud plebeios, Quod quiſquis patri aut matri dixiſſet, Quod datur ex his cuipiam Corban eſſe, hic non amplius obligatus eſſet parenti ad ſuppeditanda vitæ neceſſaria. Hanc igitur traditionem reprehendit Servator*, &c. Deinde quærere poterit aliquis quomodo cohæreat quod additur, *Qui maledixerit patri aut matri morte moriatur.* Eſto liquidem non honorat patrem qui quæ daturus erat in ſubſidium patris ac matris conſecrat ei quod vocatur *Corban*, quomodo Phariſæorum traditio irritam facit legem quæ dicit, *Qui maledixerit patri aut matri morte moriatur.* Sed vide num forte quiſquis dixerit patri aut matri, *Donum quodcunque ex me fuerit tibi proderit*, quodammodo convitium ingerat patri ac matri, perinde quaſi parentes appellet ſacrilegos, quæ capiant ea quæ ſunt conſecrata Corban ab eo qui illa conſecravit. Eadem fere tradit & Hieronymus tum in Commentariis, tum in Epiſt. ad Gerontiam, ſi quis forte cupiat.

8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum, &c.*] Græca, ut hodie exſtant, ad hunc habent modum, Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ· ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ, *Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labiis me honorat*, &c. Verum reliqua quæ in noſtris abſunt, adſuit aliquis qui voluerit abſolutum reddere Prophetæ teſtimonium, idque ex editione LXX. Nam præter id quod interpretes antiquiores cum noſtra conſentiunt editione, etiam Hieronymus enarrans hunc Prophetæ locum Eſa. 29. 13. *Evangeliſtas & Apoſtolos indicat non verbum interpretatos eſſe de verbo, nec LXX interpretum auctoritatem eſſe ſecutos, quorum editio illo jam tempore legebatur; ſed quaſi Hebræos, & inſtructos in Lege, abſque damno ſenſuum ſuis uſos eſſe ſermonibus.* Hinc igitur liquet librarios, ſive alios, tam in Græca editione quam in Hebraica, quæ per omnia cum verbis Prophetæ conſentiunt, ſuo luſiſſe arbitratu. Proinde hoc facto primarium Evangeliſtæ interpretem ſcripſiſſe arbitror, Ὁ λαὸς οὗτος τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπ' ἐμοῦ, &c.

11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; ſed quod procedit de ore, hoc coinquinat hominem*] Pro *coinquinat* in Græcis eſt κοινοῖ *communicat*. Item in ſequentibus, *& ea coinquinant hominem*, idem illis verbum eſt, nempe *communicant hominem*; atque ita lectus eſt hic locus à Theologis veteribus. Verum perinde eſt utcunque legas, modo intelligas *communicat* non aliud eſſe quam *coinquinat*. *Commune* ſiquidem κοινὸν ſæpenumero pro *nefaſto immundoque*, & *communicare* pro *profanare* aut *profanum dicere*, uſurpatur in literis arcanis. E diverſo autem quod purum minimeque profanum eſt *ſanctum* appellatur. Unde Act. 10. 15. ſcriptum legimus, *Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris.* Et Apoſtolus Paulus puros, h. e. ſanctos, deſcribens homines, ſic ait, *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* Hæc autem dicit Salvator, non ut doceat quibuſvis diebus veſcendum quibuſlibet, ſed ut indicet nullum cibum qui modo rationabilis ſit Chriſtianis eſſe repudiandum. Quod ſi vero quiſpiam contra Eccleſiæ inſtitutionem, nulla cogente neceſſitate, carnibus veſcatur diebus piſculentis, non quidem cibus ipſe illum contaminat, ſed peccatum è corde proficiſcens, nimirum inobedientia, qua peccavit & Adam; qui utique haudquaquam peccaſſet, nec ſeſe contaminaſſet, ſi comediſſet non prohibitus.

13. *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus eradicabitur*] h. e. Novo jam adveniente Euangelii mandato, occumbent ac deſtruentur omnes iliæ Judæorum conſtitutiones, quotquot videlicet propter ambitionem, quæſtum, inanem gloriam, hypocriſin, adſentationem, non propter Dei gloriam, animarum ſalutem, aut communem utilitatem ſunt ordinatæ.

23. *Dimitte eam*] h. e. Ne remorare eam, ſed patere abeat, conceſſo ei quod expetit. Eſt enim hic idem verbum, nempe ἀπόλυσον quod ſupra 14. 15. *Dimitte turbas, ut euntes in caſtella emant ſibi eſcas.* Et 14. 22. *Donec dimitteret turbas.* Item quod infra non ſemel repetitur in liberatione Barabbæ, c. 27. 15, 17, 21, 26.

24. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael*] Hæc dicit, non quod non & Gentibus impertienda ſalus eſſet, ſed quod ſuis Dominus atque in propria veniſſet, primitias fidei iis à quibus ortus erat collaturus, cæteris deinceps Apoſtolorum prædicatione ſalvandis; ut dum oblatum illis novæ gratiæ beneficium repudiaretur, citra omnem injuriam tranſmigraret ad alienos. Oppido quam ſuaviſſime philoſophatur in hanc hiſtoriam Origenes, ſi quis cupiat.

30. *Debiles*] Gr. κυλλούς quæ vox proprie eos ſignat quibus altera manus debilis aut manca eſt: quemadmodum χωλοί, *claudi*, quibus pes alter impeditus vel vitiatus eſt. Uſurpatur tamen κυλλὸς non raro pro *debili*.

31. *Mutos loquentes*] Quod his ſubjungitur in Græcis, κολοβοὺς ὑγιεῖς, *mancos*, ſive *debiles*, *ſanatos*, nec habetur vel in Latina, vel in edit. Hebraica, teſtatur B. Hieronymus ſua ætate non fuiſſe adjectum: atque ideo extra contextum habendum arbitror, quemadmodum & habet D. Auguſtinus hunc locum juxta Latinam ſcripturam legens, lib. 2. De conſenſu Euang. c. 50.

39. *In fines Magedan*] In Græco pariter & codice Hebræo pro *Magedan Magdala* ſcriptum eſt, ſed mendoſe, ni fallor. Siquidem D. Hieronymus ſequens enarrans caput, & in catalogo.

Nom. Hebraicorum, *Mageddan* meminit, non *Magdala*. Itidem legit & Auguſtinus, lib. 2. De conſenſu Euang. cap. 51. atque eundem locum apud Marcum 8. 10. in *Dalmanutha* deſignari, imo vero & apud Marcum pro *Dalmanutha Magedan* in pleriſque ſcriptum fuiſſe exemplaribus teſtatur.

MASIUS.

QUod Matthæi xv. & Marci vii. dicitur, *Quicunque dixerit patri aut matri Corbana quocunque ex me juvaberis* &c. multis verbis conatus eſt explicare Oſiander, nec ſine ſtomacho adverſus aliorum commentaria, inquiens *ἀναπόπτυστον* eſſe, ſubaudiendumque, *reſte facit*; ſed longe fallitur. Nam ex Thalmud tractatu de juramentis, conſtat formulam juramenti eſſe, qua ſi quis juraſſet, ſe non benefacturum parentibus, prohibebatur à benefaciendo, donec abſolutus eſſet non ſine ceremoniis quæ illic traduntur, ut ſi quis ad parentem dixiſſet קיננא סדים דתתהנא מני: Hoc eſt, *ſacrificium* ſive *Corban hoc eſt anathema, res ſacra, devota* &c. *eſto id quod à me lucri, ſive boni capies, aut quo à me juvaberis, afficieris.* Is deinceps prohibebatur parenti benefacere. Nam id erat juramenti genus, perinde ac ſi quis dicat, Sit res maledicta, quam in te contulero. Atque hæc explicatio hujus loci à me A. Maſio primum inventa eſt. Quæ ſine dubio genuina eſt. Nam & Chriſtus ad ipſam Judæorum traditionem ſpectabat, quæ, ut dixi, adhuc in ipſorum Thalmud invenitur.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ις, Περὶ τῶν ϑυγατρὸς ϐ ἀρχισυναγώγου.

Ματϑ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. ϑ, Ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος αὐτοῖς, ἰδοὺ ἄρχων ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ.

Ἀρχισυναγώγου τινὸς ϑυγατὴρ ἐν ϑανάτῳ.

Ἄλλος,

Ἀρχοντος ϑυγατὴρ ζωλωὶ πολίτων ἔθανεν.

2. Παρϐαίνων *Tranſgrediuntur.* ¶ Νιπτῆρσι] *Lavant.*

6. Ἠκυρώσατε] *Irritum feciſtis.*

7. Καλῶς] *Convenienter*: vel, *appoſitè.*

8. Ἐγγίζει] *Appropinquat.* ¶ Ἀπέχει] *Abeſt.*

9. Μάτην δὲ σέβονταί με] *Sed fruſtra me colunt.*

11. Κοινοῖ] *Polluit*: vel, *Profanum reddit.*

13. Φυτεία] *Planta.*

14. Ὁδηγοί] *Duces.*

16. Ἀκμὴν] *Adhuc.*

17. Εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται;] *In ventrem abit, & in ſeceſſum ejicitur?*

19. Διαλογισμοὶ] *Cogitationes.* ¶ Πορνεῖαι] *Scortationes.* ¶ Βλασφημίαι] *Obtrectationes.*

22. Κακῶς δαιμονίζεται] *Graviter à dæmonio vexatur.*

26. Τοῖς κυναρίοις] *Catellis.*

27. Ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων] *Veſcuntur micis.*

30. Κυλλοὺς] *Mancos*: vel, *mutilos.*

32. Προσμένουσί μοι] *Permanent apud me.* ¶ Νήστεις] *Jejunos.* ¶ Ἐκλυθῶσιν] *Deficiant.*

33. Ὥστε χορτάσαι] *Ad ſaturandum.*

37. Σπυρίδας] *Sportas.*

DRUSIUS.

2. TRaditionem] Quæ & *traditio majorum*: Quam tanti faciebant ut legi Moſis eam præferrent, quam vocant *legem ſcriptam*; ut ſeniorum traditiones, *legem ore traditam.* Unde dictitant, *Ne putes legem ſcriptam fundamentum eſſe; imo potius lex oretenus tradita fundamentum rectum eſt.* Item dicunt, *Plus monitum eſto de verbis Scribarum magis quam de verbis Legis.* Et Mar ajebat, *Quicunque ſubſannat ſapientes punietur fœtore bullitæ.* Vide ſodes Synag. Jud. p. 65, 69, 70. Sed & p. 21. item p. 56. & alibi paſſim. ¶ *Seniorum*] i. ſenum. Forte *ſenum*, i. ſapientum, ut Pſal. 105. 22. Senes erant alii priores, alii poſteriores: Priores ראשונים dicuntur, qui proxime Joſuam ſecuti ſunt: unde in libro Aboth, *Joſue tradidit ſenibus.* Hi ordinarunt ut legeretur Lex ter in hebdomada; lib. Muſar, 47. 1. Poſteriores אחרונים ſunt viri ſynagogæ magnæ, numero centum viginti: in queis Ezras, Nehemias, Daniel, Mardochæus, Zorobabel, &c. Hi Legem acceperunt à Prophetis, & Canonem conſtituerunt, ut communis opinio eſt: item partiti ſunt libros viginti quatuor in Legem, Prophetas, & Hagiographos, quibus Danielem annumerarunt. Interfuerunt huic ſynagogæ ſive Synodo Prophetæ poſteriores, Haggæus, Zacharias, & ultimus Prophetarum Malachias. *Senes* etiam vocantur judices ſynedrii magni, quod *Sanhedri gedola* vocant; quorum princeps fuit ante natum Chriſtum Hellel, quem Joſephus *Pollionem* appellat, & pater domûs judicii Samæus ſenex. Dico *Samæus ſenex*, quoniam hoc epitheton ei peculiariter tributum reperio, ut & Helleli, cujus cum meminerunt, dicunt *Hillel*, ſive *Hellel*, *ſenex.* Porro qui hoſce judices hic *ſenum* nomine denotari putabunt, ſi forte alios, me certe non habebunt ſibi adverſantem. Qui autem explicat *ſeniorum*, i. majorum, interpretatur traditionem patrum, quæ à Græcis vocatur παράδοσις ἐντολὴ aut διδαχὴ, quæ eſt doctrina ex patrum traditione quaſi per manus accepta. ¶ *Non enim lavant manus ſuas*, &c.] Crimen hoc graviſſimum erat & morte piandum. Unde R. Aquiba, *Quiſquis manibus non lotis cibum capit, reus eſt mortis.* Idem, cum in carcere aqua ei ad bibendum & ſimul lavandum præberetur, & pars major effuſa eſſet neſcio quo caſu, maluit lavare manus quam bibere, dictitans *melius eſſe mori quam majorum traditiones violare.* Vide, ſi placet, Synag. Judaic. cap. 6. pag. 193. editionis Hannoviæ; & Marc. 7. 2, 3, 4. R. Joſe, *Qui manibus illotis panem edit* (h.e. cibum capit) *perinde peccat ac ſi apud meretricem cubaret.* Hæc non indigent refutationis, quoniam à Chriſto ſatis valide refutata ſunt.

4. *Honora patrem & matrem*] Quomodo honorandi ſint parentes docet R. S. Lev. 19. 3. *Quis eſt honor quem filius debet exhibere patri & matri? Dat eis cibum & potum, calceatque, introducit & educit.* Vide Annot. meas ad illum locum. Hiſcuni Ebræus, *Legimus*, HONORA DEUM DE OPIBUS TUIS, &, HONORA PATREM ET MATREM. *Deus honorandus, ſi habeas; parentes, ſive habeas ſive non: nam, ſi nihil habes, debes mendicare oſtiatim pro eis.* Eadem habentur in lib. Muſar, cap. 5. ubi multa alia quæ pertinent ad honorem parentum: nam autor in capite illo ex profeſſo agit ea de re. Lege, & non pœnitebit.

5. *Donum quodcunque ex me*] Hunc locum in mente habuit Hieron. cum ita ſcriberet in epiſt. ad Gerontiam, *Honor vel pro Eleemoſyna vel Munere accipitur; ut eſt illud*, PRESBYTERI DUPLICI HONORE DIGNI HABBANTUR. *Et in Euangelio Dominus diſſerit mandatum legis, in quo dicitur*, HONORA PATREM TUUM ET MATREM TUAM, *non in verborum ſono, qui inopiam parentum caſſa poteſt adulatione fruſtrari; ſed in victibus neceſſariis adminiſtrandis debere intelligi*, &c. Sane hoc præcepto continetur lex de alendis parentibus ſenio confectis; de quo Juriſprudentes Ebræi, *Debet filius alere parentem pauperem; ſi nolit, judices cogunt eum.* Quinque autem ſunt quæ præcipue ei præſtanda, Cibus, Potus, Veſtis, Eductio, & Introductio. Quæ explicata invenies in cap. illo libri Muſar quod modo laudavi.

8. *Appropinquat*, ἐγγίζει] Hic eſt נגש Jeſ. 29. 13. & alibi קרב, quod eodem recidit. *Appropinquamus Deo*, inquit autor More (qui eſt Moſes Cordubenſis, quem vulgo *Ægyptium* nuncupant) parte 1. c. 18. *per ſcientiam viarum ejus, & contra recedimus ab eo per ignorantiam.* Ergo *propinqui Dei* qui & *noſcentes ejus*, i. יודעיו, qui Deum ita colunt ut etiam norint. Nam qui non novit, nec colit. Cultus enim ex ſcientia rerum Divinarum. Scitum illud, *Quia tu ſtrenuiſti ſcientiam, ſpernam ego quoque te, ne ſacerdotio mihi fungaris.* Ut zelus quidam eſt non ſecundum ſcientiam, ita etiam cultus, ſed Deo minime gratus. *Deum colit*, inquit Seneca, *qui novit.* Tales appellantur *propinqui Dei*: ut ibi, *In propinquis meis glorificabor.* Contra *longinqui ejus* vocantur homines improbi & qui nullam habent Dei notitiam, Pſal. 73. 27. Hinc intelliges quid ſit Epheſ. 2. 13. *Qui olim eratis procul, nunc propinqui facti eſtis.* Rurſum Pſal. 73. 28. *Propinquum eſſe Deo mihi bonum eſt.* Ille alius dixit, *adhærere Deo*; & alius, *appropinquare Deo.* Sed aliud appropinquare Deo corde, & aliud ore tantum. Corde appropinquant vere pii, ore tantum hypocritæ, quorum cor procul abeſt ab eo. Id ſignificant conſequa verba, *cor autem eorum procul abeſt à me.*

17. *In ſeceſſum*] Seceſſus eſt receſſio in locum ſecretiorem. An etiam locus ſecretior? Eraſmus hoc ſenſu uſus eſt: Sed & interp. noſter Vulg. Alius maluit *latrinam.* Syrus habet מהתיא, q. tu dicas, *locum in quo alvus purgatur.* Ebraice משמ *conſeſſus*, & בית המשמ *domus ſedis*, & מקום *locus* ſimpliciter. Mirum autem cum Deum abſolute MACOM appellent, cur eandem vocem transferant ad *latrinam*, quæ Catoni dicitur *ſella familia*, Varroni autem *ſella familiarica*, & *ſella* ſimpliciter Marcello Empirico, qui & *ſedere* dixit pro *nisi*, ut Vegetius *adſellare* pro ἀφεδρίαν. Cæterum *latrina* privati uſus eſt, ut

ut *ferica* publici, ſi non fallit nos Hadrianus Junius Batavus. Hinc occaſio nonnullis calumniandi Chriſtum tanquam Phyſicæ rationis ignarum: quæ malo te Epiſcopi Zachariæ verbis quam meis cognoſcere, *Hinc calumniantur quidam, quod Dominus Phyſica diſputationis ignarus putet omnes cibos in ventrem ire, & in ſeceſſum ejici, cum ſtatim infuſa eſca per artus & venas & medullas nervoſque fundantur. Unde & dicunt multos qui vitio ſtomachi perpetuum ſuſtinent vomitum, poſt cænas & prandia ſtatim evomere quæ ingeſſerunt, & tamen eſſe corpulentos, quia ad primum tactum liquidior cibus & potus per membra funditur. Sed quamvis ſi tenuiſſimus humor & liquens eſca, tamen cum in venis & artubus concocta fuerit eſca & digeſta cum humore, per occultos meatus corporis, quos Græci poros vocant, ad inferiora dilabitur, & in ſeceſſum vadit.*

19. *Ex corde exeunt*] Cor fons eſt omnium cogitationum tam bonarum quam malarum, cui oculos adjungunt: unde dictitant, *Oculi* (alias, *oculus*) *& cor proxeneta peccati.* Nam oculus concupiſcit, & cor perficit. In libro qui vocatur per ſigla פת רת, 1. *Principium ſapientiæ breve*, 40. 1. *Si dederis mihi*, ait Deus, *cor tuum & oculos tuos, ego ſcio te meum eſſe.* Nam Deus cor requirit: Sed & oculos, in quibus ſedes concupiſcentiæ.

21. *In partes Tyri*, &c.] Sic alibi, *in partes Galilææ*, &, *in partes Cæſareæ*, &, *venit in partes Dalmanutha.* Quod noto propter Sulpicium noſtrum, ità quo *pars turris Gader* vocatur tractus ille in quo turris Gader. Sic *in parte Zabulon*, quod idem cum illo, *in tribu Zabulon.* Exod. 16. 35. εἰς μέρος Φοινίκης legitur pro eo quod in fonte *ad terram Chanaan*, vel potius *ad extremum terræ Chanaan.* Magna eſt affinitas inter חלק *pars* & חקל *ager*; unde *Haceldema, ager ſanguinis.* Quid ergo mirum ſi *pars* pro *agro* ponatur? Sane legimus Amos 4. 7. *Pars una compluetur; & pars ſuper quam non pluet, arefcet*: ubi חלקה in Ebræo, & ſignificat *agrum* vel *partem agri.* Huc refer quod Judæi orbem dividunt in ſeptem partes, quas חלקים appellant, i. *climata*, vel *regiones* ארצות, ut quidem R. D. explicat.

22. *Mulier Chananea*, γυνὴ Χαναναία] כנענית, quæ Marc. 7. 26. *Syrophœniſſa* dicitur, nempe quia Græci *Phœnices* appellant quos Ebræi *Chananæos* vocant. *Chananæa* igitur, quæ ex terra Chanaan proprie dicta, cujus incolæ *Chananæi* vocabantur, & erant una ex ſeptem gentibus terræ Chanaan. Nam id nomen ſæpius generis locum obtinet. Hic anguſtius accipitur, ut cum *Chananæus* pro *mercatore* ponitur. Nam quia regio eorum ad mare ſita erat, ideo mercaturæ dediti erant præ cæteris: unde mercatorem cum ſignificare vellent *Chananæum* dicebant. Res nota ex ipſo textu. Hæc terra etiam *Phœnicia* dicebatur, unde Joſ. 5. 1. *reges Chananæi*, i. Chananæorum, à Græcis interp. redditur βασιλεῖς τῆς Φοινίκης. Sic terra Chanaan, μέρος τῆς Φοινίκης. Quod tamen non laudo. Nam ibi *terra Chanaan* in lata ſignificatione ſumitur. Similiter *Paleſtina* vocatur & univerſa terra Chanaan, & pars ea in qua Philiſthæi, qui & ἀλλόφυλοι, habitabant, ad mare Syriacum ſita non procul ab Ægypto. Si eſſet Κανανάια dubitari poſſet an à *Cana* opido Galilææ appellationem acciperet. Nunc cum ſit Χαναναία, non dubitant viri docti quin ita vocata ſit à *Chanaan* nominis ſtricta ſignificatione. Dico, ſtricta ſignificatione: nam cum late ſumitur hoc nomen, tum comprehendit regionem ſeptem gentium quæ *terra promiſſionis* vulgo nuncupatur. Hic aliter ſumitur, nempe pro una ex illis ſeptem terris, quam ad mare ſitam ſcriptores alii *Phœnicem* appellant. Cui firmando editio Syra, in qua ſcriptum כנענית, quod Ebraice diceretur כנענית, quæ vox obvia Gen. 46. 10. & Exod. 6. 15. A Vulg. interp. Latino redditur *Chananitis*: quod breviter dictum pro *Chananæitis*, ut *Chananæa* contracte dicimus pro *Chananæana.*

26. *Canibus*] Ita Syrus, ut mox, *Canes veſcuntur de micis*: ubi noſter, *Catelli edunt de micis.* Utrobique eſt κυναρίοις in fonte Græco. Per *canes* autem hic intelliguntur Gentes, quos Judæi canum loco habebant, ex quorum opinione hæc dicit ὁ Σωτήρ· unde & adagium illud, *Ne date ſanctum canibus.* Nam ſe ſanctos, ſuaque omnia ſancta, putabant, quæ nolebant communicari cum Gentibus. Canis enim animal eſt maxime profanum, quo loco Judæis erant omnes Gentes. Ego per *canes* non tantum profanas Gentes innui putarim, ſed homines tales, qui videlicet adeo profani ſunt ut veritatis doctrinam non ſolum non admittant, ſed etiam irrideant, ejuſque præcones conviciis laceſſant & occidant.

CASAUBONUS.

5. Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς] Difficilis hujus loci interpretationem quam affert doctiſſ. interpres eo libentius amplector quod videam Theophylacti expoſitionem prorſus eandem eſſe. Verba ejus adſcribam, Οἱ Φαρισαῖοι πείθοντες οὐκ παιδας μηδὲν δίδοναι τοῖς γονεῦσιν, ἀλλὰ ἀναθήναι αὐτὰ τῷ θησαυρῷ τοῦ ἱεροῦ, ἐδίδασκον αὐτοὺς λέγειν, ὅτι δῶρόν ἐστι, τετέλεσται, ἀναθεσμόν τῷ Θεῷ ἐστι, ὦ πάτερ, ὃ ζητεῖς ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῆναι, καὶ ὅτως ἐμέλλετον αὐτοὶ μὴ τῶν παίδων τὰ χρήματα, καὶ οἱ γονεῖς πανπληθεῖ τῇ ἀπορίᾳ, i. *Phariſæi perſuadentes liberis ut parentibus nihil largirentur, ſed Templi theſauro potius ſua bona conſecrarent, docebant eos dicere, Donum eſt, h. e. Deo, mi pater, conſecratum eſt à me, id quo petis juvari à me: miſeri autem parentes in ſenectute ſine ullo auxilio deſerebantur.*

16. Ἀκμὴν ἢ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε] Ἀκμὴν valet ἔτι καὶ νῦν. Polybius autem ἐπ᾽ ἀκμῆς ἦλθε dixit ἀκμὴν ἐπὶ καὶ νῦν, l. 15.

27. Ἦ ὃς εἶπε, Ναὶ, Κύριε] Interpretes quos videre mihi contigit, omnes ναὶ vel ita hoc loco accipiunt ut videatur eſſe aſſentientis quomodo alibi in his libris accipitur, & fere vertunt, *Etiam, Domine.* Mihi vero videtur ναὶ hic eſſe particula obſecrantis & obteſtantis, quomodo ſæpe à Græcis uſurpatur pro eo quod Latini dicerent *obſecro*, vel *quæſo.* Sic apud Euripidem in Hippolyto,

Ναὶ φεῦ σε τῆς δε δίξιᾶς ἐπαλλάσσω.

apud apud Ariſtophanem in Nubibus,

Ναὶ ναὶ, παπαιάξατε πατρῷον Δία.

& in lib. Epigram. Græc. 8.

Ναὶ φιλόμουσε πάτερ.

quibus omnibus in locis & aliis ſexcentis ναὶ nihil aliud eſt quàm *obſecro, quæſo te.* Sic igitur hoc loco: Nam cum viſus eſſet Chriſtus nolle huic mulieri concedere quod petebat, illa vehementius orat, &, Ναὶ, Κύριε, ait: deinde rationem adjicit qua Chriſtum moveri poſſe ſperabat, καὶ γὰρ, &c. Non enim iis aſſentior qui putant Chananæam mulierem hæc dicere ut dictum Chriſti confirmet, ſed à ſimili potius argumentari eam puto: quod ejus verba legenti attente facile erit intelligere; neque aliter Theophylactus interpretari videtur. Sic accipio etiam in elegantiſſimo illo loco epiſtolæ Pauli ad Philemonem, Ναὶ ἀδελφε, ἐγώ σε ὀναίμην ἐν Κυρίῳ. Similiter in fine Apocalypſeos, Ναὶ ἔρχου, Κύριε Ἰησοῦ, ita interpretor ut hic quoque ναὶ ſit obteſtantis. Quid enim eſt, *Etiam veni, Domine Jeſu.* aut quid hic ſignificat *etiam?* Nonnus in Paraphraſi Johannis 13. 9.

Ναὶ λίτομαι, μὴ μοῦνον ἐμοὺς πόδας, ἀμφοτέρεσσι δὲ
Νίψον, ἄναξ, ἠδὲ χεῖρας ἐμὰς, ἠδὲ κυκλάδα κάρηνα·
Ναὶ πάλιν, ὃν ἐφίλησε, καὶ ὅλον δίμας.

Non eſt autem dubium ναὶ in hac ſignificatione manaſſe è fonte Hebraicæ linguæ, quæ *na* & *ana* ſimiliter uſurpat.

30. Κυλλοὺς] Vetus interpres vertit *debiles*; latiſſime. & ita omnino vertendum, cum de eo hic agatur cui membra non deſint, ſed facta ſint ἄχρηστα. *Debiles* enim non ſunt οἱ ἀδύνατοι ſed ii qui vitio aliquo impediuntur quo minus omnibus membris corporis ſui uti poſſint. Itaque Cicero *debilitatem* & *integritatem* corporis opponit. & Plinius *ſacerdotes non potuiſſe creari debiles* ait. Sed exempla paſſim ſunt obvia, jamque à doctis viris prolata, qui ſuam ſignificationem huic voci reſtituerunt; quos vide.

33. Πόθεν ἡμῖν ἐν ἐρημίᾳ] An in eadem eremo factum eſt hoc ſeptem panum miraculum & illud ſuperius quinque panum? Certe ad idem Jordanis latus. Videtur autem ex Marco intelligi iſtam ἐρημίαν fuiſſe ἐν ὁρίοις Δεκαπόλεως.

35. Καὶ ἀνακλιθῆναι τοῖς ὄχλοις ἀναπεσεῖν ἐπὶ τὴν γῆν] Paſſim in his libris ἀναπίπτειν ſignificat *diſcumbere ad cænam*: cujus ſignificationis etſi minus uſitatæ exſtant tamen apud diſertiores auctores exempla. Euripides Cyclope,

Ἀνέπεσε φαιδρὸς εἰθὺς εἰς ἕδραν βαρύν.

Alexis Poeta comicus,

Μετὰ ταῦτ᾽ ἀναπεσεῖν
Ἐκέλευσεν αὐτὸν πας᾽ ἑαυτῷ.

39. Καὶ ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλά] Locus in tribu Iuda, inquit Hieronymus: Quem tamen legiſſe hoc loco Μαγδάν cum Vet. interprete, Eraſmus obſervavit.

C A-

CAMERO.

2. ΤΗΝ παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων] Præter Legem ſcriptam erat à Phariſæis commendata doctrina quædam quam diverſis nominibus appellabant: nam & dicebatur *παράδοσις Traditio* מסורת, & קבלה Ἀγδοχὴ, & שמועה ἀκοὴ *auditio*; Item διάτιμωσις משנה, ad verbum *duplicatio*, διδασκάλιον. Παράδοσιν autem vocabant doctrinam ſuam, quod eſſet, ut ait Joſephus, ἐκ πατέρων Ἀγδοχῆς. Unde & percipi poteſt ratio cur eadem קבלה *Cabbala* ſit vocata: nam מסורת *traditio παράδοσις*, & קבלה Ἀγδοχὴ ſunt (ut loquuntur in Scholis) correlata: itaque מסורת refertur ad קבלה, & viciſſim, ut ſit eadem hic ratio quæ eſt in dando & accipiendo. Obſervandum eſt autem, Traditiones iſtas non ſcriptas Phariſæorum nunquam in N. Teſt. dici ſimpliciter *traditiones*, ſed notari ſemper aliquo elogio, ut cum dicuntur *traditiones Seniorum*, *traditiones humanæ*, *traditiones veſtræ*, ſiquando Chriſtus compellat Phariſæos, nunquam vero ſimpliciter & abſolute vocantur *traditiones*. Quin ſi quando *traditionis* vox ponitur ſimpliciter, nulla cum adjectione, ſumitur in bonam partem. Nam & ipſum Dei verbum *traditio* eſt. Nam quæcunque traduntur ab alio cognoſcendo, quocunque modo tradantur, *traditiones* dici poſſunt; deinde ſi cognoſcuntur, hactenus *accipi* eadem dicuntur. Hoc igitur teneamus, *παράδοσις* מסורת, Ἀγδοχὴ קבלה, non ponuntur in vitio: at מסורת & קבלה, quoties aliquid adjicitur, ſane in vitio ponuntur; ſignificant enim mendacium, h. e. nihil eſt eorum quæ vocabula ſignificant. Etenim Traditionem oportet fluxiſſe ἀπ' ἀρχῆς *à principio*, & *Acceptionem* itidem: *Ego*, inquit Paulus 1 Corinth. 11. 23. *accepi à Domino quod & tradidi vobis*. Itaque prudenter Paulus, cum ſe diceret ζηλωτὴν ἀβραδόσεων, adjecit πατρικῶν. Chriſtus iſtas Traditiones Phariſaicas unico verbo perſtrinxit, eas enim vocat, ex Eſaia, ἐντάλματα ἀνθρώπων, *traditiones humanas*; & Paulus, Col. 2. 22. ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων. Vocantur etiam Traditiones שמועה *auditus*, Hebraice שמיעה, quæ vox in Scriptura non ponitur in vitio: exſtat enim Eſai. 53. 1. *Quis credidit* לשמועתנו *auditui noſtro*? & Gal. 3. 2. *Numquid accepiſtis Spiritum ex operibus Legis, an vero ἐξ ἀκοῆς πίστεως ex auditione fidei*? Denique, Traditio משנה vocatur, ſive מתניתא διδαχὴ, & תנאים διδάσκοντες ſunt: nam illud ת pro ש ponitur, prout Chaldaiſmus exigit. Correlatum hujus eſt תלמוד: nam quod ratione Doctorum dicitur משנה, id ipſum ratione Diſcipulorum dicitur תלמוד, *doctrina*, *diſciplina*. Hoc igitur fuit primum Phariſæorum dogma, quod *negarunt omnia quæ ſpectant ad religionem ſcripta eſſe*: id quod Joſephus diſertis verbis notavit l. 13. Antiq. c. 14. Verba ejus ſunt, νόμιμα πολλὰ παρέδοσαν τῷ δήμῳ ἐκ πατέρων Ἀγδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται. Itaque docebant duplicem eſſe Legem, nempe שבעל פה & שבכתב, *oralem* & *ſcriptam*, ἄγραφον & ἔγγραφον· nempe Scripturam docebant eſſe minus perfectam & minus perſpicuam. Unde ortum duplex משנה *traditionum* genus; unum earum quæ aliquid per occaſionem interpretandi Scripturam adjiciebant Scripturæ, ut ſolet fieri; alterum genus earum quas ex abdito quodam & myſtico ſenſu Scripturæ eruebant: quod eſt & Pontificiorum hodiernorum dogma. Porro Chriſtus hoc illis objicit, quod in utroque genere peccarent.

5. Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς] Quærunt viri docti quæ ſit horum verborum ſententia. Et ſunt hac ſuper re tres inter ſe diſſentientes & diſcrepantes ſententiæ. Prima eorum eſt qui putant his verbis nihil aliud ſignificari quam *donum & anathema quo pater juvetur*, h. e. patri utile eſſe quod à filio donum Deo offertur: itaque filium officio ſatisfeciſſe, etiamſi patrem non juverit opibus, quod donum Deo obtulerit. Sed non videtur hæc interpretatio commoda, maxime cum expendimus particulam ὃ ἐὰν· non enim ὃ ἐὰν de re certa dicitur, ſed hypotheſim ſeu conditionem ſatis aperte notat. Secunda interpretatio eſt viri longe ſummi, Joſephi Scaligeri, qui hunc locum ſic interpretatur ut, quod attinet ad ſenſum quem inde eruit, non diſcedat à prima interpretatione, tantum docet ellipſim eſſe, ut ſit ſenſus, *Donum quod à me profectum eſt, tibique prodeſt, me abſolvit jure quod in me habes*. Cæterum ait vulgatum eſſe ut cum de formulis citandis agitur, citentur ita ut ſint interciſæ, ut Latine adjecto *& cætera*. Atque formulam eſſe inde probat, quod inter offerendum offerentem conceptis verbis uti oportuit, nempe his קרבן הרא יהנה לי וחלי *Oblatio iſta profit mihi & meis*. Sed nec interpretatio iſta quadrat. Non eſt enim mos Scripturæ *Formulas*, *Proverbia*, &c. proponere conciſe. Deinde hæc interpretatio iiſdem argumentis refelli poteſt quibus prima, quæ multo mollior videtur. Tertia ſententia eorum eſt qui putant juramentum hoc eſſe ſive exſecrationem, qua filius Deo devovet quicquid poſſet à ſe profectum patri prodeſſe. Quam interpretationem (quæ magnum virum Maſium habet authorem) Scaliger fruſtra conatus eſt refellere. Unico enim duntaxat hic nititur argumento, eoque leviſſimo, quod nihil opus fuerit jurantem inducere filium. Nos & hoc adjiciemus, quod videtur ſcelus nimis atrox, neque credibile, ſic nullo obtentu, nulla ſpecie, tam ſplendide tamque aperte voluiſſe Phariſæos docere impietatem. Sed Maſium juvat imprimis, quod hæc formula Judæis uſitata eſt. Jam vero quod Scaliger negat indùci debuiſſe filium jurantem pugnat hoc primum cum Chriſti ſcopo. Etenim præceſſerunt illa verba, *Quicunque maledixerit patri aut matri*, &c. Reprehendit igitur Judæos quod Miſna ſua ſic illum locum interpretarentur, aut corrumperent potius, ut dicerent, *Non eſſe numerandum inter maledicta & probra jacta in patrem, ſi quis ſic excipiat, ut rogatus reſpondeat*, Δῶρον, &c. Deinde, pugnat etiam cum rei veritate. Nihil enim magis ſolenne eſt & conſuetum quam ut filius rebellis & contumax ſic patrem rejiciat ut exſecretur interim, non quidem patrem fortaſſe, ſed vel ſemetipſum vel aliud quid. Illud vero, quod unum videtur pondus aliquod habere, nempe *Carere omni ſpecie quod docebant, filium, ſi exſecretus, non maledixiſſe patri*, non eſt uſque adeo momentoſum. Etenim hæc exſecratio conſecratio fuit & votum, ſed votum quo filius ſeſe obſtringebat nulla pietate erga Deum, ſed iniquo & ingrato erga patrem animo: Qua in re duobus modis peccabatur: ac primum quidem in eo quod patri non tribuebatur honos, (porro ex phraſi Scripturæ, patri laboranti inopia ſuccurrere eſt *patrem honorare*, quomodo Paulus jubet *honorari viduas*, & Presbyteros qui bene præſunt dicit eſſe *dignos duplici honore*: nam cum ab inferiori merces ſuperiori debita tribuitur, *honorarium* illud eſt, non eſt merces;) deinde, quod pater parum verecunda oratione excipiebatur. Nam ſi par parem ſic excipiat, tolerari fortaſſe id poterit: at ſi pater ſic excipiatur à filio, maledictum eſt, quamvis ſi oratio ipſa ſpectetur nihil minus eſt quam maledictum. Atque hanc eſſe genuinam hujus loci interpretationem vel Syri Interpretis authoritate facile probari poteſt: ſic enim hunc locum interpretatur, קרבני מרם דתתהנא מני, *Donum meum quocunque juvari poſſis à me*, quæ ipſiſſima eſt Judæorum formula קרבן מה דתהנה מיני, *Res eſt ſancta quicquid à me profectum tibi prodeſſe poſſit*. Itaque מרם non fuit ab interprete Syræ verſionis exponendum *id quod*, ſed potius *quodcunque*. Sed & hæc interpretatio videtur placuiſſe authori Vulgatæ verſionis, *Donum* (vertit) *quodcunque ex me tibi profuerit*, Marc. 7. 11. ubi male interpungitur, *Donum quodcunque ex me, tibi profuerit*: nam legenda ſunt iſta uno ſpiritu, *quodcunque ex me tibi proderit*, atque interpunctio rejicienda in anteriorem locum, hoc pacto, *Donum, quodcunque ex me tibi proderit*.

6. Καὶ ἠκυρώσατε τὸν ἔντολον, &c.] Prov. 1. 25. Sapientia ſtultis exprobrat conſiliorum ſuorum contemptum his verbis, תפרעו כל עצתי, LXX ſic verterunt, ἀκύρους ποιῆτε τὰς βουλάς μου. Chaldæus vero Paraphr. vocem תפרעון, quod eſt *otioſum reddatis & inutile*, ἄκυρον, vertit שיזבון, h. e. *mutaſtis*: nam *mutare & abolere*, cum de mandatis Dei agitur, eodem redeunt. Itaque Act. 6. 14. καταλύσει ὁ τόπον τοῦτον, καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθη ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωσῆς, *deſtruet hunc locum, & mutabit conſuetudines quas tradidit nobis Moſes*, Hebraice ישנה המנהגים *mutabit*, h. e. abolebit. Sic ἀκυρῶν & ἀλλάξει hoc loco eodem redeunt. Nempe hoc fuit ſolenne Phariſæis, non quidem in ſpeciem abolere Legem, ſed verba Legis in alienum ſenſum detorquendo eam reapſe abrogare. Atque hic fuit eorum error perpetuus, quod in Legis interpretatione hærebant in prima verborum ſignificatione, nec reputarunt animo quod monet Paulus, *Legem eſſe ſpiritualem*.

GUALTPERIUS.

37. Ἐπτὰ σπυρίδας πλήρεις] Σπυρὶς, ἴδος, *Sporta*, *Corbis*. Syrus retinet vocem Græcam. Derivatam eam volunt ἀπὸ τοῦ σπείρειν, ut & vocem σπυρὶς, q. σπορὶς, *triticum*, *frumentum*. Veriſimile eſt Cophinos minores fuiſſe Sportis.

JAC. CAPPELLUS.

3. *Quare tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?*] Id quam verum ſit probari poteſt ex ipſius Talmudis ſexcentis locis, imprimis ex tractatu De benedictionibus, c. 2. *Lectio noctu non eſt ex verbo Legis, ſed ex verbo Scribarum. Sed Sapientes* חזק עשו סייג לדבריהם יותר משל תורה, *indiderunt robur verbo ſuo majus quam verbo legis.*

4. *Nam Deus mandavit, dicens, Honora patrem tuum, & matrem tuam; &, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Inſons erit, qui dixerit patri matrive*] Ellipſis contrarii quam frequens ſit in Script. docuimus in Rhetorica noſtra. ¶ Quod ſequitur Maſius in Joſ. 6. 18. ita vertit, *Anathema & res devota eſto quicquid illud ſit quo ego tibi profim.* Hebr. קרבן כל מה דאתהנה מני. Mirum & longe peticum videri poteſt hoc interpretamentum Maſii. Ne temere tamen ab eo productum aut etiam confictum videatur, juvat hic quædam proponere quæ faciant ad ejus illuſtrationem. Ac primum certum eſt diras hujuſmodi Judæis eſſe familiares. R. Moſes Maimonis F. De juramento, c. 6. Miſnæ, tom. 2. שבע ראשן אר נזר שלא יהנה בשמעון או שלא יהנה נו שמעון נו', *Juravit Ruben aut vovit ſe nullum emolumentum à Simeone capturum, aut à ſe Simeonem nullum capturum emolumentum; ſi pœnitentia ductum conſulat ſapientem, non ſolvitur ſacramenti nexu niſi præſente Simeone, ac quo conceptum eſt hoc votum.* Igitur ſi voveris tibi non profuturum Simeonem, tu quidem diceris מודר MADDIR *votens*, Simeon vero מסור מסור, de quo cavere debes, ex illorum quidem ſententia, ne tibi profit. Ea de re vide ſis canones pertricoſiſſimos Talmudis tract. De votis, c. 4. Maimonidem item De votis, c. 6. Vocem *Korban* quod attinet, ſignificat ea 1. *oblationem rei mox igne conſumendæ*, 2. *oblationem nummorum*, 3. *gazophylacium*, 4. *rem quamvis Deo devotam.* Joſephus Antiquit. l. 4. c. 4. οἱ Κορβᾶν αὑτὸν ἀναθέντες τῷ θεῷ, *Qui ſemetipſos nuncuparunt Korban Deo*, h. e. qui Deo ſe devoverunt. Maimonides De votis, c. 1. *Qui dixerit, Fructus illi ſint mihi Korban, aut qui dixerit, Ecce ſint hæc quaſi Korban, aut qui dixerit ſocio, Quicquid comedero tecum ſit mihi Korban, aut quaſi Korban, aut ſint hæc ſuper me Korban, ecce hæc ſunt illi prohibita, quia poteſt vovere Korban, poteſt facere ut jumentum commune ſit Korban.* Ita quo modo putant ſibi licere dicere הרי זו עלי קרבן *Sint hæc mihi Korban*, ita putant de re quidem ſua ſibi licere dicere הרי זה עלין קרבן, *ſint hæc tibi Korban*, ut ea re tibi non liceat uti. Eadem voti vis erit ſi dicas הרי אתם הרי זה עלי חטאת, ut ibidem docetur, aut ſi dicas הרי זו כחתי שתים. Sic ubi quis vovebat ſe daturum tetradrachmum in eleemoſynam, dicebat הרי עלי סלע לצדקה, ut patet ex Maimonidis tract. De donis pauperum, c. 8. Igitur ſi quis patri dixerit, *Quicquid ea mente ſeſpoſuero vel obtulero tibi, ut tibi profit, id ſit Korban*, putant ea voce legem figi patri ne quod emolumentum à filio percipiat, & conſequenter legem figi filio ne qua ratione patri proſit. Ita fundamentum quidem habet in ritibus Judæorum interpretatio Maſii; ſed quia ritus illi ſunt admodum pertricoſi, poſſunt etiam eſſe novi, poſt Templi demum excidium excogitati. Vide ſis igitur ne ſimplicius ſit ita locum hunc explicare ut ſit Μετάληψις, ponens antecedens pro conſequenti, quod in Scriptura frequentiſſimum eſt. Apud Theocritum qui poetas mendicantes valere jubent, dicunt illis, ἴοι πλοῦτον ἀοιδοῖς. Apud nos qui negant eleemoſynam pauperi, dicunt illi, *Deus tibi ſit auxilio.* Sic apud Judæos qui patri ſubſidium negabat, illi dicebat, *Tibi proſint oblationes quæcunque proficiſcuntur à me:* qui ſi abire jubebat patrem indonatum, hunc inſontem eſſe volebant Phariſæi, quaſi pulchre defunctum obſervatione mandati quo jubemur patrem & matrem honorare. Quod merito damnat Chriſtus ut *additionem abrogationem violationemve* mandati Divini. Huic interpretationi facit Vulgata verſio. Chryſoſtomus propius accedit ad interpretationem Maſii; quam ſibi certiſſimam videri dicit Petavius in Epiphanium hæreſi XXXIII.

7. *Hypocritæ, bene de vobis prophetavit Eſaias*] Cum toties hypocritas vocet Chriſtus Hieroſolymitanos Doctores, juvat hic audire teſtem minime ſuſpectum. Is eſt R. Nathan apud Rabba in §. 1. ſui in librum Eſther commentarii. Is urbibus aut populis præcipuis ea dat elogia quæ putabat iis ſuo quidem ſeculo convenientiſſima. Floruiſſe vero videtur R. Nathan eo quod præ manibus habemus ſeculo. *Si ſcortationes* זנות, inquit, *hujus ſeculi dividantur in decem partes, novem Alexandriæ conveniunt, una reliquo mundo. Si divitiæ* עשירות *mundi dividantur in decem partes, novem conveniunt Romæ, una reliquo mundo. Si egeſtates* עניות *hujus ſeculi dividantur in decem partes, novem conveniunt* כלור *Lydiæ, una reliquo mundo. Si præſtigiæ* כשפים *mundi dividantur in decem partes, novem Ægypto conveniunt, una reliquo mundo. Si ſtoliditas* סכלות *mundi dividatur in decem partes, novem conveniunt Iſmaelitis, una reliquo mundo. Si violentia validitas* גבורה *hujus mundi dividatur in decem partes, novem conveniunt Iſmaelitis, una vero reliquo mundo. Si pediculi* כינים *mundi dividantur in decem partes, novem conveniunt Perſis, una reliquo mundo. Si amœnitas* יפי *mundi dividatur in decem partes, novem conveniunt Medis, una reliquo mundo. Si pecunia ſtoliditas* בעירות *mundi dividatur in decem partes, novem conveniunt Orienti, una reliquo mundo. Si robur* כח *mundi dividatur in decem partes, novem Chaldæis conveniunt, una reliquo mundo. Si majeſtas* גבורה *mundi dividatur in decem partes, novem conveniunt Judæa, una reliquo mundo. Si pulchritudo* יופי *mundi dividatur in decem partes, novem conveniunt Hieroſolymis, una reliquo mundo. Si ſapientia* חכמה *mundi dividatur in decem partes, novem conveniunt terræ Iſraelis, una reliquo mundo. Si lex* תורה *dividatur in decem partes, novem conveniunt terræ Iſraelis, una reliquo mundo. Si hypocriſis* חנופה *dividatur in decem partes, novem conveniunt Hieroſolymis, una reliquo mundo.*

LUD. CAPPELLUS.

5. Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, &c.] Ut genuinus hujus loci, tam varie à doctiſſimis viris & Interpretibus vexati, ſenſus clare eluceſcat, exquirendum eſt ex Judæorum penetralibus (Thalmudicis, inquam, & magiſtralibus veterum Rabbinorum deciſionibus) quæ fuerit apud eos votorum ratio. Eſt enim hæc (uti ex ſequentibus planum fiet) voti apud eos formula diſertiſſima, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Sciendum eſt ergo quatuor fuiſſe apud Judæos ſacrorum vinculorum, quibus quis ultro & ſponte ſe Deo obſtringebat, genera, nempe, Primum נדר *Votum.* Secundum חרם *Anathema.* Tertium נזרות *Nazareatus.* Quartum שבועה *Juramentum.* At nihil hic de tribus iſtis poſtremis dicturi ſumus, quia huc proprie non pertinent. Voti ſive נדר duo rurſus fuerunt genera: Alterum nempe quod vocant נדר הקדש *votum rei ſacræ*, quo ſcilicet aliquid Deo devovebatur & conſecrabatur, לגזבר או לבדק הבית *ad ſarta tecta Templi, vel ad Sacrificia*, ſive Oblationes quæ ſuper Altare offerebantur. Ea quæ hoc voto erant Deo conſecrata, omni homini ſunt אסורים *illicita, interdicta*, h. e. nemini licet ea facere ſua, aut in proprium uſum convertere; Item hoc genere voti non licet devovere Deo niſi ea quæ noſtri ſunt juris, in quod jus, imperium & dominium habemus: Noſtra nempe, non vero aliena, Deo oportet nos conſecrare. Magnum præterea facunt diſcrimen inter ea quæ devovebantur ad ſarta tecta Templi & ea quæ devovebantur לגזבר *ad Sacrificia & Oblationes.* Quæ enim vovebantur לבדק הבית *ad ſarta tecta Templi*, ea poterant redimi à vovente, & divendi à Sacerdotibus, ut eorum pretium in ſacrum ærarium inferretur; atque ſic divendita in cujuſlibet uſum cedebant: at quæ devovebantur לגזבר neque redimi neque mutari poterant, ſed cedebant in Sacerdotum uſum & commodum, qui ea ſibi propria faciebant. Sed ea de re nihil opus eſt fuſius hic diſſerere. Alterum genus voti illud eſt quod vocant נדר איסר *votum interdicti*, quo ſcilicet aliquis interdicebat uſu rei cujuſcunque alioqui ex ſe licitæ. Res quæ hujuſmodi voto devoveatur non fit illicita niſi ei qui voto illo ſe obſtrinxit. Hujus voti tres erant veluti ſpecies: nam Primò, Aliquis interdum hoc voto interdicebat ſibi uſum rei cujuſcunque, pro arbitrio ſuo; idque vel in genere vel in ſpecie, abſolute vel ſub conditione, ad tempus vel in perpetuum: ut, ex. gr. Poterat aliquis vovere ſe nunquam guſtaturum carnem, vel lac, aut caſeum, aut piſces, vel oleum: aut se nunquam bibiturum vinum; vel ſe non induturum veſtem laneam, vel lineam, & alia ejuſmodi ſexcenta: aut ſe ab illis abſtenturum ad hoc vel illud tempus, hoc vel illo loco, ſub hac vel illa conditione. Secundò, Interdicebat ſibi uſu rei non ſuæ, quæque proximi eſſet, Petri puta, vel Pauli: ut, ſi quis voviſſet ſe nolle ulla in re beneficium accipere aut utilitatem vel commodum ullum percipere ab hoc vel illo ſingulari homine, vel ab hoc aut illo cœtu hominum, puta ab incolis hujus vel illius oppidi, aut hujus vel illius regni, regionis vel Provinciæ, neque ſe velle uti frui re ulla quæ ipſorum ſit. Tertiò, Interdicebat quis hoc voto alteri uſum rei ſuæ, h. e. vovebat ſe rem ſuam, equum puta, vel veſtem, &c. huic vel illi homini nolle commodare atque utendam dare; ſe quicquid ad victum pertinet aut facit quomodocunque, nolle ei præbere aut ſubminiſtrare. Eum qui hoc poſtremum voti genus concipiebat & efferebat vocant מודר, q. d *Devoventem.* Eum autem de quo, ſive adverſus quem, votum hoc erat conceptum, vocant מודר *devotum:* Et ſi de cibo & potu,

deque iis omnibus quæ ad victum quomodocunque pertinent aut faciunt, conceptum erat votum, eum vocant סודר כאכל, q.d. τῷ τεθφῶ ἀπηγορδθέντα, *interdictum cibo:* Si de omni re in universum conceptum erat votum, tum is dicebatur סודר הנאה, h.e. ἡ ὄνησιν πᾶν πᾶν χρήσιμον ἀπηγορδθεὶς, *interdictus omni commodo.* Duo iſta poſtrema Votorum genera manifeſtum eſt concepta fuiſſe ab hominibus iratis & vehementi indignatione commotis, atque ab animo infenſo & in proximum vehementer exacerbato profecta fuiſſe. Et prius quidem illud non abſimile videtur ſed affine valde phraſibus & formulis illis noſtris Gallicis, quæ paſſim ſunt in ore hominum vehementi in proximum ex ſubita ira indignatione commotorum, *Je ne paſſeray bien de vous; Je n'ay que faire de vous, ni de tout ce qui eſt à vous;* quibus aliæ ſimiles multæ ſunt quas ſubitò exardeſcens ira dictat & effundit. Poſterius voti genus ſimile his videtur formulis, *N'eſperez jamais aucun bien de moy; Je ne vous feray de ma vie bien ni plaiſir; Je ſeroye marry que vous euſſiez amandé d'une eſpingle de moy*, &c. Quæ omnia cum proficiſcantur ab hominibus iratis, & ſint dirarum & exſecrationis velut ſpecies quædam & quaſi formulæ, tamen à venerandis illis Judæorum Magiſtris ſpecioſo & honeſto *Voti* titulo atque nomine velantur & coboneſtantur. Porrò vota illa vel diſertis & expreſſis verbis concipiebantur, vel ſynonymis & æquipollentibus ſive potius vicariis quibuſdam verbis & vocibus à Magiſtris conſtitutis. Et quidem cum diſertis verbis concipiebantur, id fiebat vel oratione plena & integra, vel defecta & mutila. Priorem formam vocant עיקר נדר, q.d. *formale votum:* poſteriorem formam vocant ידות, q.d. *Anſæ*, ſive *manubrium.* Cum autem votum concipiebatur verbis non formalibus, ſed vicariis, appellant illud כנוי נדר, q.d. *agnominatio voti.* Diſertis verbis concipiebatur primum voti genus his, ex. gr. formulis, דבר זה אסור עלי *Res iſta eſto mihi illicita*, ſeu *prohibita.* Item, כנוי זה עלי כקרבן *Fruſtum hoc* (panis puta, vel carnis) *eſto mihi ſicut Corban*, h.e. tam mihi nefas ſit eo veſci, uti, frui, quam nefas eſt mihi uti, frui Corban. Item, קרבן עלי כנוי זה *Corban mihi eſto fruſtum illud.* Poſtremum voti genus ſic diſertis verbis concipiebatur, קרבן שאני אוכל לך *Corban eſto illud quo ego te cibare poſſem.* Item, קרבן שאני נותנה לך *Corban eſto illud omne quo ego tibi poſſem eſſe utilis.* Jam verò ratum eſt *Corban* rem fuiſſe Judæis ſacratiſſimam Deo devotam, quam nemini fas erat in uſum ſuum convertere. His itaque formulis vel interdicebat ſibi quis uſu rei alioqui ipſi licitæ, vel rei quæ ſua erat uſu alteri, proximo nempe, interdicebat, & ita quidem ut ea res tam eſſet ſibi in poſterum illicita & prohibita quam eſt ipſum Corban, quod nemini fas eſt attingere. Atque hoc eſt illud voti genus quod dixi ab eis vocari עיקר נדר, *formale votum:* & hoc voti genus innui & ſignificari volunt his Legis verbis, איש כי ידור נדר לידות *Cum voverit quis votum Domino*, Num. 30. 2. ידות, uti dixi, vocant cum quis votum concipit oratione non plena, ſed mutila ſeu voce aliqua truncata, ita tamen ut non ſit obſcurum quid ille ſibi velit: ut ſiquis, exempli gr. dicat, סודר אני כמך, vel, מתרש אני כמך, vel denique מרחק אני ממך (quæ etiam conjunctim una voce ſcribuntur, סרחקני, מתרשני, מודרני) hic enim ſubaudiendum dicunt אוכל vel תאנה, ut ſenſus ſit, Ἀπηγορδθαι ἐγώ εἰμι ὑπό σε τῷ τεθφῶ, vel τῷ ὄνησιν, πᾶν τι χρήσιμον. Item, ſiquis dicat, שאני אוכל לך, vel שאני מיתם לך: hic enim omitti dicunt vocem אסור vel קרבן facile ſupplendam & ſubintelligendam: ut ſenſus ſit, *Illicitum*, ſeu *Prohibitum*, *mihi eſto cibum tecum ſumere*, aut *cenare*, vel *prandere.* Ita concipiebatur ſecundum voti genus, quo quis negabat ſe velle à proximo accipere ullum genus beneficii. Sunt & qui ſic ſcribunt, שאני אוכל לך, item שאני מיתם לך: ubi ſupplendum volunt קונם, vel קונח, vel קונה, ut ſenſus ſit, *Voveo me non te cibaturum.* Atque ſic fuerit tertium voti genus, quo quis denegabat proximo genus omne beneficii quod ad victum ſpectat: quanquam & hic etiam poteſt eſſe hujus formulæ ſenſus, *Voveo me tecum cibum non ſumpturum*; ut pertinet ea ad ſecundum voti genus. Cur autem votum ſic conceptum vocetur in Miſna ידות *anſæ*, hanc reddunt Rabbini, Miſnæ Commentatores, bellam ſcilicet & ſubtilem rationem, Quòd nimirum quemadmodum qui vult vas aliquod manu prehendere ſatis eſt ſi prehendat ידו, h.e. *anſam* ſeu *manubrium ejus*, reliquum enim vas ſponte ſequitur; ita qui hac voti formula utitur, licet non plena, eodem loco habetur ac ſi integra & plena uſus eſſet, quia vox quam omiſit facile ſubintelligitur, & ſponte ſequitur reliqua voti verba à ſe prolata, quomodo vas anſam, qua prehenditur, ultro ſequitur. כנוי נדר eſt cum loco & vice vocis קרבן vel אסור (quæ ſunt propriæ & formales, ut ita dicam, voces quibus עיקר נדר *formale votum* concipitur) uſurpatur aliqua harum trium quæ à Sapientibus veteribus ſunt conſtitutæ, nempe קונם, קונח, & קונה: ut ex. gr. ſiquis dicat, קונם שאני נותנה לך, vel קונח שאני נותנה לך, vel קונה שאני נותנה לך *Voveo me nulla in re tibi profuturum*, id perinde eſſe cenſent ac ſi dixiſſet קרבן שאני נותנה לך, quæ eſt diſertiſſima & explicatiſſima *voti formalis* formula. Statuunt nempe כנוי נדרים eſſe כנדרים, h.e. Votum vocibus iſtis vicariis conceptum tam obſtringere quam ſi conceptum fuiſſet vocibus formalibus קרבן vel אסור. Porrò dicunt excogitatas fuiſſe à Sapientibus has tres voces (quæ alioqui nihil ex ſe ſignificant) uſurpandas in voti conceptione vice & loco vocis קרבן, ne homines aſſueſcerent nimis facile nomen Dei in vanum ſumere; quia dicendo קרבן proclive eſt ſtatim ſubdere לידות. Ego potius exiſtimarem vocibus iſtis קונח קונם קונה, deformatam & inflexam eſſe vocem קרבן à plebe temere vota iſta uſurpante, ne formula illa voti ſic deformata & deturpata utentes viderentur obſtricti; Quomodo hodie plebs & ruſticorum maxima pars, qui non uſque adeò frontem obdurarunt ut exſerte ſacris illis & horrendis jurandi formulis hominibus noſtris hoc ſeculo familiaribus utantur, *Mort-Dieu*, *Sang-Dieu*, &c. ſolent eas aliquantum inflectendo veluti deformare, dicendo, *Merdé*, *Sandé*, &c. aut quomodo Angli *Swounds* dicunt, cum non audent exſerte dicere *Gods wounds*, atque ſic putant ſe reos non teneri blaſphemiæ. Jam verò Judæorum Sapientes judicantes voces illas קונם, &c. nihil aliud eſſe niſi, uti dixi, diſertæ voti concepti formulæ deformationem, ut ab iis homines deterrerent videntur ſanciviſſe eas formulas non minus obligare quam ſi uſurpata fuiſſet explicata voti concipiendi formula; Quomodo ſi hodie Verbi Dei Miniſtri, ut plebem ab illis ridiculis & deformatis jurandi formulis, *Merdé*, *Sangdé*, *Swounds*, &c. deterreant, monerent homines non minus formulis iſtis reos conſtitui blaſphemiæ coram Deo (etſi aliter videatur in foro humano) quam ſi explicatiſſimis & facerrimis jurandi formulis uterentur. Atque hic obiter obſervandum circa formulas iſtas vicarias, pro שאני quod uſurpatur in *voto formali*, uſurpari hîc שאיני, quæ eſt negatio ſ שאני. Nempe voces iſtæ vicariæ קונם, &c. *vovendi* ſignificationem in his formulis habere videntur, ſic, קונם vel קונח vel קונה שאיני נותנה לך, h.e. *Voveo me tibi nulla in re profuturum.* Alii כנוי נדרים interpretantur etiam de voto qualibet alia lingua quam Hebræa concepto, modo ea nota ſit voventi, quod non minus obligare cenſent quam ſi Hebræa concipiatur; quòd ſcilicet voces, quacunque tandem lingua, ſint ſigna conceptuum mentis, qui conceptus mentis præcipue ſpectandus eſt in voti nuncupatione. Hæc omnia deſumpta ſunt ex Miſna in Maſſecheth Nedarim, atque ex Commentariis R. Niſſim, R. Aſcher, & R. Salomonis Jarhi, in eum Miſnæ Tractatum. A quibus non diſcedit, ſed per omnia congruit Maimonides in ſua Miſna, tom. 2. in הלכות נדרים. Cujus rei ut fidem faciam pauca quædam ex ipſa Miſna huc adferam, ex quibus ea quæ hactenus dixi conjicere poſſis. Sic ergò habet Miſna eo in loco, c. 1. §. 1. כל כנוי נדרים כנדרים : הדתים כחרמים ושבועת כשבועה ונדרות כנזירות h.e. *Omnia vota tam ſimplicia* (quæ נדר peculiariter dicuntur) *quam Anathematis* (quæ חרם) *aut Nazareatus* (quæ נזיר) *itemque juramenta, ſynonymis* ſeu *vicariis vocibus concepta tam obligant quam ſi concepta fuiſſent diſerta voti concepti formula.* En tibi quatuor illa quæ ſupra diximus ſacrorum vinculorum genera, *Votum*, *Anathema*, *Nazareatus*, & *Juſjurandum*; item rationem illam votum concipiendi quæ כנוי נדר dicitur. Sequitur in Miſna, האומר לחבירו מודני ממך מרחקני ממך מתרשני ממך שאיני אוכל לך שאיני מיתם לך אסור h.e. *Qui dicit ſocio ſuo, Devotus ſum à te, Separatus ſum à te, Elongatus ſum à te;* item, *Quod ego nihil tibi cibi, nihil eſculenti* (*præbiturus ſum* ſcilicet) *is eſt ligatus:* h.e. tenetur obſtrictus hujuſmodi voto formulis illis concepto. (En tibi formulas voti quas diximus appellari ידות) *At qui dicit*, (ſubdit Miſna) מנודה אני לך ר' עקיבא ותכן נזיר להחמיר *Separatus ſum tibi, de eo R. Akiba dubitat affirmare eum teneri voto obſtrictum*, nempe non videbatur illi vox iſta כנודה ſatis expreſſa voti formula. Deinde §. 2. : האומר לחבירו קונם קונח וחי אלו כנוי לקרבן חוץ וחרן חוף הרי הם כנוי לחרם : נזק נזיד פוש הרי אלו כנוי לנזירות : שבותה שקוקית כמותה חיי אלו כנוי לשבועת, h.e. *Qui dicit ſocio ſuo* קונם &c. *hæ ſunt tres voces vicariæ* ſ קרבן, *tres autem iſtæ* חוץ &c. *ſunt vicariæ* ſ חרם, *item tres iſtæ* נזיד &c. *ſunt vicariæ* ſ נזיר, *denique tres iſtæ* שבותה &c. *ſunt vicariæ* ſ *juramenti.* Ex his videre eſt quæ diximus ſupra de כנוי נדר. Deinde §. 4. ſic habet Miſna, האומר קרבן קולה מנחת תודה שלמים שאני אוכל לך אסור ר' יהודה מחיר קרבן בקרבן קרבן שאוכל לך אסור hoc eſt, *Qui dicit* (proximo ſuo) קרבן שאני אוכל לך (atque ita de aliis quinque ſequentibus vocibus, nempe מנחה קולה, &c. quæ ſunt ſcilicet ſignificationis cum קרבן affinis) *is tenetur voto obſtrictus. R. tamen Juda eum ſolutum pro-*

pronunciat. Vox autem קרבן (in hujus voti conceptione) *idem eſt ac ſi dictum eſſet* בקרבן (h. e. cum quis dicit, *Hoc vel illud eſto mihi Corban*, idem eſt ac ſi dixiſſet, *Eſto mihi ſicut Corban*, i. Tam mihi ſit vetita quam Corban) *Item, qui dicit* קרבן שאוכל לך *Corban eſto id omne quo ego te cibare poſſem*, (vel, *quod ego tecum comedam*) *is tenetur obſtricto voto.* En formulæ explicatæ voti, quæ נדר עיקר *formale votum* appellantur. Item ibidem, eodem §. 4. ר' מאיר אומר האומר לחבירו קונם פי מדבר עמך ידי עושה עמך רגלי מהלכת עמך אסור h. e. *R. Meir cenſet, Si quis dicit proximo, Interdico oris meo ne loquatur tecum, manui meæ ne operetur tecum, pedi meo ne ambulet tecum, is tenetur obſtrictus.* Et §. 3. ejuſdem primi Capitis, באיסרא כירים בעצים כאישים כמזבח כחיכל כירושלם נדר באחד מכל משמשות המזבח אף על פי שלא הזכיר קרבן הרי זה נדר בקרבן h. e. Siquis votum ſic conceperit ut dicat, Res hæc vel illa eſto mihi *ſicut Agnus* (qui offertur ſcilicet mane & veſperi in holocauſtum & juge ſacrificium) *ſicut* כירים *pyra* ſive *rogus*, (qui in Altari ardebat, vel, ut alii exponunt, *Exhedræ* ſacræ Templi) *ſicut* בעצים *ligna* (quæ in Altari comburebantur,) *ſicut* באישים *ſacrificia igne abſumpta, ſicut Altare, ſicut Templum, ſicut Jeruſalem: ſi denique voverit per unum ex iis quæ inſerviunt Altari, quamvis non commemoraverit Corban, tamen cenſetur votum ſuum concepiſſe per Corban.* Porro formula iſta voti formalis קרבן שאני נהנה לך non occurrit in Miſna toto illo Tractatu Nedarim, ſed hæc ejus vicaria קונם שאיני נהנה לך ſæpius illic occurrit: apud Commentatores autem Talmudis eo loco paſſim invenitur illa קרבן שאני נהנה לך, quam proculdubio non aliunde habent quam à Ghemara, & veteribus ſuis Magiſtris: non enim eam ex ſe confinxerunt. Ex his videre eſt quis ſit ſenſus hujus formulæ, קרבן שאני נהנה לך, hunc nempe, *Illud omne, quo tibi quomodocunque utilis eſſe poſſem, eſto mihi Corban*, h. e. Tam mihi ſit prohibitum tibi ulla in re benefacere quàm eſt mihi illicitum attingere Corban. Hac ſcilicet formula interdicebant (uti dixi) proximo ſuo uſu rei cujuſcunque quæ ipſorum eſſet, votoque ſe obſtringebant ſe nulla in re commodo & utilitati proximi ſui inſervituros. Impium certe votum (utpote charitati in proximum repugnans & plane adverſum) ſed tamen hominibus illis familiariſſimum, cum odio vel ira in aliquem accendebantur: cujuſmodi voti exempla ſexcenta & variæ formulæ occurrunt in Miſna toto illo Tractatu Nedarim, tam proximi in proximum, quam viri in uxorem, uxoriſque in virum, & liberorum in parentes, quorum nonnulla hic ſpeciminis gratia proferemus. Et primum quidem viri uxorem devoventis; Cap. 2. §. 1. inducitur vir ſic devovens uxorem, האומר לאשתו הרי את עלי כאימא, *Qui dicit uxori ſuæ, Ecce tu es mihi ſicut mater mea*, h. e. Tam nefas mihi ſit te attingere quam nefas eſt mihi matrem attingere. Item ibidem, קונם שאני מספק *Devoveo me rem tecum non habiturum.* Et §. 5. ejuſdem capitis, קונם שאני נותנת לו *Devoveo id omne quo uxor utilis mihi eſſe poſſit.* Et cap. 7. §. 7. האומר לאשתו קונם מעשה ידיך עלי *Qui dicit uxori, Devoveo id omne quod manibus tuis mihi facere poſſis.* Et §. 8. שאיני אוכל עד חמה שאתה עושה שאיני אוכל עד חמה *Quicquid feceris* (h. e. paraveris cibi) *ego non comedam uſque ad Paſcha: Quicquid feceris* (h. e. neveris vel texueris) *ego non induam uſque ad Paſcha.* Alia ſunt multa ejuſmodi inepta vel jocularia votorum exempla viri uxorem devoventis, ad finem uſque capitis. Cap. 11. Ubi agitur de votis uxoris quæ à viro poſſunt irrita fieri, adferuntur varia votorum uxoris virum devoventis exempla, atque inter alia, iſta, §. 4. קונם שאני על פי אבא ועל פי אחי ועל פי אחיך יום להאר h. e. *Voveo me non facturam quod juſſerit pater, neque quod juſſerit pater tuus, neque quod juſſerit frater, neque quod juſſerit frater tuus.* Votum ſic conceptum *non poteſt* vir *irritum facere*; & ratio eſt, Quia votum illud non eſt conceptum de re aliqua שביניו ובין אשתו *quæ intercedit inter ipſum & uxorem ejus.* Nempe ſtatuunt virum ea duntaxat uxoris vota diſſolvere poſſe quæ ſunt de rebus quæ inter conjuges intercedunt, non autem ea quæ ad maritum nihil pertinent eumque non ſpectant. Ibidem, *Si dixerit uxor* שאיני עושה על פיך ואת צריך להפר *Voveo me non facturam quod juſſeris, nihil opus eſt ut* vir *diſſolvat* votum illud; nempe quia cenſent eſſe nullum. *R. Akiba tamen dicit* virum *debere irritum facere* illud votum שמא תערוף על יותר מן הראוי לו *ne forte illa plus æquo ſuperabundet ſupra ipſum*, ſive *ne excedat eum. R. Jochanan F. Nuri dicit, Vir irritum faciet* votum illud, *ne forte cogatur repudiare uxorem, atque ſic illicita ſis ipſi in poſterum.* Et §. 11. ejuſdem capitis, *Si votum uxor ſic conceperit*, קונם שאני נותנת לאבא ולאבן אם עשה אני על פיך שאיני נותנת לך אם עשה על פי אבא ועל פי אבן הרי זה יפר h. e. *Voveo me nulla in re patri meo patriſque tui commodo inſerviturum, ſi fecero quod tu jubes; vel, Voveo me nulla in re utilitati tua inſerviturum, ſi fecero quod pater meus aut pater tuus mihi jubent; tale votum irritum faciet* vir. In his habes exempla tum viri uxorem, tum uxoris virum, adeoque & filiæ patrem, & nurus ſocerum devoventis. Capite autem quinto §. 6. exemplum habetur filii qui patrem devoverat: ubi ſic habet Miſna, *Qui devotus eſt à ſocio, neque habet quidquam edulii, tum dat* הכורך *is qui eum devovit alteri* eſcam ſeu edulium *nomine doni, atque tum id illi* devoto *eſt licitum. Exemplum eſto* (Juriſconſulti *caſum* vocant) *in quodam de Betheron,* שורף אבי מודר הימנו תועלת *quem filium devoverat, fore ut nulla in re eſſet ipſi utilis. Cum enim ille* (qui patrem ſic devoverat) *nuptias filii ſui facturus eſſet* (velletque patrem ad convivium nuptiale invitare) *dixit amico cuidam, Triclinium & cœna dono tibi à me dantur tantillum dum pater venerit & nobiſcum cœnaverit.* Hic videre eſt filium qui patrem devoverat callidum commentum excogitantem ut & patrem haberet convivam & violati voti reus interim non fieret. Cap. 11. §. 8. aliud habetur exemplum ſoceri qui generum devoverat, cumque vellet filiæ nummos aliquot donare, joculare plane excogitavit commentum quo violati voti reus non fieret. *Erat* (inquit Miſna) *quidam qui à ſocero devotus fuerat; cumque ille vellet filiæ dare nummos aliquot, dixit illi, Ecce nummos iſtos dono tibi tantummodo ut ne ſit viro tuo poteſtas ulla, niſi in eos quos tu ore ceperis & illi ore dederis.* Putabat ſe conditionem vel impoſſibilem, vel impoſſibili proximam, appoſuiſſe dono ſuo, atque ita ſe voti violati reum non fore ſi quam ex nummis illis gener percepiſſet utilitatem. En tibi ſpecimen aliquot exemplorum impiæ vel ridiculæ & jocularis devotionis hominum illorum in re ſacra, Votis nimirum, ludentium. Infinitum eſſet ea omnia quæ Tractatu illo de Votis habentur in Miſna, & apud Maimonidem, adducere: pauca hæc ſufficient ad inſtituti noſtrum. Ex his videre eſt, vota hæc eſſe potius diras & exſecrationes, impiaſque & joculares, abſonas & ridiculas devotiones, quam vera & legitima vota. Porro mos ille abutendi honeſto & ſpecioſo *voti* nomine ad diras & exſecrationes, videtur à Judæis ad Chriſtianos poſtmodum manaſſe. Nam Hiſpanis diriſſima dejerandi & exſecrandi formula eſt *Botadios*, ſive plane *Boto à Dios*, h. e. *Voveo Deo*, qua non uti ſolent niſi vehementi ira & indignatione commoti. Sic Gallis noſtris quamplurimis, cum irati dejerare & cum exſecratione interminari volunt, ſolennis eſt formula, *Je fay vœu à Dieu*, &c. Neſcio annon & ad alias Europæas gentes, Italos, Germanos, Anglos, &c. mos hic impius & profanus & ſacerrima hæc formula dimanaverit. Jam ut ad loci hujus Matthæi explicationem verumque intellectum deveniamus, planum eſt ex iis quæ hactenus diximus, verba iſta Chriſti Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, eſſe ipliſſimam *voti formalis* apud Judæos formulam, קרבן שאני נהנה לך, maxime ſi cum Matthæo conferatur Marcus, qui habet, Κορβᾶν (ὅ ἐστι δῶρον) ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Quæ formula ſic eſt (ut ab aliis jam obſervatum eſt) interpungenda, ut comma ponatur poſt Δῶρον, nullum autem poſt ἐμοῦ, ſic, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, contra quam eſt vulgo in libris editis, quorum alii ſic diſtinguunt, Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, ὠφεληθῇς, alii uno ſpiritu omnia pronunciant ſine ulla diſtinctionis nota, ſic, Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, excepta Complutenſi & Plantiniana editione, quæ recte ſic diſtinguit, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Atque hinc planum eſt quæ fuerit Chriſti hoc loco mens, quidve Phariſæis tribuat; nempe hanc fuiſſe Phariſæorum doctrinam, Si quis illa voti, ſeu potius diræ & exſecrationis, formula etiam in parentes uſus eſſet, non licere poſtmodum ipſi parentibus benefacere. Unde illud intelligas quod habet Marcus, οὐκέτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτοῦ, ἢ τῇ μητρὶ αὐτοῦ, nempe ſanciebant illicitum eſſe filio poſt emiſſum ejuſmodi votum benefacere parentibus, ne ſcilicet voti violati reus fieret, uti videre eſt ex modo allatis ex ipſa Miſna exemplis filii patrem & ſoceri generum devoventis. Ita videre eſt profanam hominum illorum, qui ſancti & pii haberi & videri volebant, impietatem & audaciam, qua Dei mandatum de honorandis parentibus (h. e. de ſublevanda eorum egeſtate atque inopia) impia hac ſua παράδοσει ἀκύρουν, uti illis exprobrat hoc loco Chriſtus, eoque nomine illos redarguit. Verum illi παραδόσεως hujus impietatem ſtudii & zeli erga Legem obtentu non excuſabant modo, ſed defendebant etiam. Sic enim illi ſe tuebantur, Sibi quidem non probari ſiquis ira & odio percitus ejuſmodi voto ſe obſtringat, multo minus ſi filius erga parentes eo ſe obliget; peccare quidem forte illum graviſſime ejuſmodi voti conceptione atque emiſſione: verum ubi animi fervore abreptus votum illud ſemel emiſiſſet, & hac voti formula ſeſe obſtrinxiſſet, tum vero non amplius licere ipſi parentibus benefacere, ne ſua illa beneficentia violati voti reus fiat, quod à Lege ſevere interdicitur, quæ ſtrictè jubet vota Deo nuncupata exſolvi. Atque ad hoc adferunt

Legis verba, Num. 30. 2. *Vir cum voverit votum Domino* (illud eſt quod vocant נדר עקר *formale votum*) *aut jurejurando ſe obſtrinxerit*, לאסר אסר על נפשו *ut aliquo interdicto ſeſe obliget* (hinc illud eſt quod vocant נדר אסר *votum interdicti*, cujuſmodi ſunt iſta omnia de quibus hic agimus) לא יחל דברו *non profanabit*, h.e. non irritum faciet, *verbum ſuum, ſed quidquid emiſerit ore ſuo id faciet.* Peccaverit ergo ille, inquiunt Phariſæi, concipiendo & nuncupando votum, at certe non peccat cum poſt emiſſum votum parentibus renuit benefacere, quia ſic votum ſervat; imo peccaret illis benefaciendo, quia ſic votum violaret, profanaret verbum ſuum, non faceret illud quod ore, votum nuncupando, protulit. Atque hinc intelligas poſt illa Matthæi verba, καὶ ἡ μὴ πμήσῃ ἡ πατὴρ αὐτὰ ἢ ἡ μητὴρ αὐτὰ, ſubaudienda eſſe iſta, ἀναίτιός ἐστι, *inſons eſt*, ſive *reus non eſt*. Nempe non reus, ſed inſons potius, ex illorum mente, is videtur qui votum religioſe ſervat. Pari ratione hodie Pontificius aliquis, etiam moderatiſſimus, dixerit, Sibi quidem forte non probari ſiquis πυρώσθω aut continentiæ dono non præditus voveat continentiam, &, ſi voveat, temere eum facere, imo & forte non leviter peccare qui graviſſimis carnis tentationibus ejuſmodi voto divexandum ſe ultro tradiderit; verum ubi votum Deo ſemel emiſit, non eſſe amplius illi integrum nubere, atque eo adverſus πύρωσιν & incontinentiam remedio uti, ſed omnino teneri ad voti ſui obſervationem: ut videas hic veterum Phariſæorum in hodiernis Monachis, & quos vocant Clericos, refictam imaginem, vetereſque in hominibus illis à Chriſto damnatas traditiones in Eccleſiam novo obtentu eſſe revectas. Sed frivola eſt atque putida illa tum veterum tum hodiernorum Phariſæorum exceptio, quando res quæ à nobis votetur non eſt juris noſtri, neque in noſtra ſita eſt poteſtate, maxime vero cum impia eſt & ſcelerata, ut cum quis vovet ſe proximo, & vero etiam parentibus, nulla in re benefacturum. In re ſane adiaphora quæque in noſtra eſt poteſtate votum ſancte & legitime Deo nuncupatum religioſe ſervandum eſt; etſi forte obſervatio illa cedat interdum gravi noſtro incommodo atque detrimento: ut ſiquis, ex. gr. gravi & momentoſa de cauſa Deo voviſſet ſancteque pollicitus eſſet ſe tota vita non guſtaturum vinum, ſervandum illi foret hoc quo ſe obſtrinxit votum, etſi contingere forte poſſit ut non ſine gravi ſanitatis diſpendio, aut vero etiam vitæ diſcrimine, abſtineat à vino. In ejuſmodi, inquam, re votum ſub Lege, etſi temere & προπετῶς nec ſatis conſiderate conceptum & emiſſum, ſtricte obſervandum atque exſolvendum fuit. Non eſt eadem ſub Euangelio ratio, non idem rigor: nam per Euangelium à Legis duro jugo liberamur. At cum id vovetur quod impium & injuſtum eſt, vel quod noſtra non eſt in poteſtate, neque eſt noſtri juris, tum tam in voti nuncupatione quam in ejus obſervatione peccatur, neque poſſunt apud Deum eſſe rata ejuſmodi vota. Quod vel eo Deus ſatis docuit, cum in Lege vetat eſſe rata vota quæ vel liberi inſciis parentibus, vel uxor inſcio viro nuncupabat; nempe quia perſonæ illæ proprie non ſunt ſui juris, in aliorum ſunt poteſtate, ac propterea ea de quibus vota concipiunt non ſunt in ſua ipſorum poteſtate: nam qui ſui non eſt juris, is proprie loquendo nihil ita poſſidet ut de eo poſſit pro arbitrio & libitu ſtatuere. Cum itaque cenſet & ſancit Deus ea vota à parentibus & marito reſcindi poſſe, eo aperte docet, vota de re non noſtra concepta non eſſe vota neque eſſe ſervanda. Et ſane voti ipſius natura & ratio id oſtendit. Nam quid aliud eſt votum (de votis hiſce legalibus jam loquimur, non de illis quibus nos ad officium faciendum novo vinculo noſmet obligamus) quam voluntatis quidam actus quo nobis ultro ipſi eripimus poteſtatem quam in rem aliquam alioqui habemus. Sic nempe per votum quod vocant הקדש *rei ſacræ* dominium & jus quod nos obtinemus in pecuniam, vel domum, aut fundum, aliaque ejuſmodi quæ noſtri ſunt juris, à nobis ipſi in Deum, cui res illas conſecramus, transferimus, hocque pacto omni noſtro jure in res illas noſmetipſos ſpoliamus, ut illud in Deum conferamus: voto autem חרם *interdicti*, poteſtate quam habemus in rem votivam (quatenus nempe licet nobis ea uti, frui ſi libet) ipſi nos ultro ſpoliamus eam voto rem illam nobis illicitam facimus. Ergo quomodo in voto rei ſacræ rem quam Deo conſecramus oportet eſſe noſtram, non alienam (uti agnoſcunt ipſi Judæi; quod nos ſupra ſtatim initio notavimus) ſic etiam rem de qua votum חרם *interdicti* concipitur oportet eſſe in noſtra poteſtate, noſtri eſſe juris; alioqui quomodo nos per votum poteſtate noſtra in eam (ſi nulla nobis eſt in eam poteſtas) noſmet ultro ſpoliaremus? Jam vero quod injuſtum & impium eſt, id noſtrum non eſt, nec ulla ratione fieri poteſt noſtri juris & arbitrii; nullo itaque voto liberum nobis & licitum fieri poteſt. Et quod juſtum & ſanctum eſt id nobis liberum & ſolutum non eſt, ſed omnino tenemur illud facere: itaque neque quod juſtum & ſanctum eſt, neque quod injuſtum & impium eſt, poteſt eſſe apta hujuſmodi votorum materia, neque enim ulla ratione, nedum voto, exſolvi poſſumus debito illo quo id quod juſtum & ſanctum eſt obſtringimur facere; neque ulla item ratione, nedum voto, liberum nobis & ſolutum fieri poteſt, id quod impium & injuſtum eſt. Jam vero proximo & parentibus, cum opus eſt, benefacere juſtum & ſanctum eſt, non benefacere contra impium & injuſtum eſt: Ergo non modo poſterius illud voveri non debet, ſed &, ſi votum fuerit, ſervari non debet, imo vero reſcindendum eſt ex ratione & analogia Legis illius quæ negat eſſe rata vota filiorum familias & uxorum inſciis parentibus & maritis, in quorum ſunt poteſtate, concepta. Eadem eſt ratio voti Caſtitatis in eo qui continentiæ dono non eſt præditus: continere enim non eſt in illius arbitrio & poteſtate poſitum; ac propterea nec voveri ab illo legitime poteſt abſtinentia ab uſu conjugii: Nec ſi voverit, tenetur id abſolute ſervare; imo tenetur non ſervare; nam ſervando peccat: uritur enim; at *melius eſt nubere quam uri*, docente Apoſtolo, qui vult ut qui continere non poteſt propriam habeat uxorem. Bis itaque peccarunt graviſſime Phariſæi, tum quod pro Votis habuerint ea verba quæ ab hominibus ira, indignatio, odium in proximum ſubito & temere exprimebat, iiſque ſuggerebat, cum votum concipi debeat animo compoſito, ſedato, & ſerio de re quam agit & vovet cogitante; tum etiam vel maxime quod impia illa & injuſta vota (quæ Diras & Exſecrationes rectius dixeris) obligaſſe eum qui illa effutiverat cenſuerint. Unum eſt quod illis aliquatenus hic ſuccurrere & patrocinari videri poſſit, nempe quod quædam ejuſmodi vota Lege Moſaica rata & ſancita eſſe videantur. Duo enim fuerunt, uti videtur, ſub Lege חרם ſeu *Anathematis* genera: unum quo Dei & populi ipſius hoſtes devovebantur, & devoti internecione delebantur; alterum vero quo quis devovebat eum qui in ſua erat poteſtate, in quem jus habebat dominii vitæque ac necis, ut ſi pater filium vel filiam, herus ſervum devoviſſet. Eum qui ſic devotus erat Deo per חרם Lex non ſinit vivere aut redimi, ſed jubet interfici. Lev. 27. 28, 29. fruſtra, uti videtur, ſi per חרם non devovebantur Deo niſi ipſius hoſtes: nam cum hi devoventur anathemate, conſilium & animus devoventium non eſt eos poſtmodum redimere & à morte eripere. Sanctio itaque illa Legis de non redimendo ſed interficiendo eo qui per חרם devotus erat, accipienda omnino videtur vel de patre qui liberos, vel de hero qui ſervos iratus aut alia aliqua de cauſa commotus devoverat, etſi eum poſtea facti pœniteret: Lex tamen non patitur ut eum quem devovit redimat, ſed vel in pœnam temerarii voti (vel potius effrænæ iræ) aut alia quacunque de cauſa (quæ non una poteſt eſſe) vult devotum morte affici. Atque ejuſmodi videtur fuiſſe Jephtæ votum, qua de re ſingulari Diatriba (quam vide ad Judic. 11. 41.) à nobis fuſius diſputatum eſt. Verum ut jam id concedamus quod iſthic probare conati ſumus, negamus tamen idipſum in votis iſtis de quibus hic agitur valere, aut eandem eſſe Dei & hominum hac in parte rationem: nempe non illis idem quod Deo licet. Potuit Deus ejuſmodi votum temerarium & προπετῶς conceptum, etſi ingratum ſibi & improbatum, ratum tamen facere in pœnam illius qui illud temere nuncupaverat, vel alia aliqua ſingulari de cauſa: idem hominibus non licet in quolibet temerario atque injuſto à ſe concepto voto. Deinde, rigor ille Legis non obtinebat niſi in חרם *Anathemate*, non autem in ſimplici voto ſeu נדר, à quo dabatur redemptio. Denique, in ipſo Anathemate rigor ille non obtinuit, niſi cum conceptum erat ab eo qui in eum quem devovebat poteſtatem vitæ & necis habuit, ut eſt pater reſpectu liberorum, herus ſervorum. At eadem non poteſt eſſe ratio voti concepti ab eo qui in eum quem devovet poteſtatem nullam habet, ut eſt par in parem, proximus in proximum, liberi in parentes, uxor in virum, ſervus in herum. Non eſt itaque par ratio rigoris & obligationis in votis iſtis de quibus jam agimus, & Anathematis illius Legalis. Jure ergo à Chriſto Phariſæi ob impiam illam traditionem arguuntur & meritiſſime reprehenduntur. Porro, ad pleniorem adhuc hujus loci intelligentiam operæ pretium eſt hoc pauca quædam adferre quæ in Miſna, eodem illo De votis tractatu, habentur. Nam poſtquam totis octo primis capitibus de variis horum votorum formulis (quænam ſcilicet obligent, quæ vero minus) deque materia eorundem multiplici multa, pro magiſtrali ſua ſapientia, Sapientes illi חכמים *ſubtiliter diſputarunt* & magiſtraliter definiverunt, vel potius (ut ait ille) magno conatu magnas nugas egerunt, tandem cap. 9. varios caſus (uti eos Juriſconſulti vocant) varios modos variaſque rationes aperiunt & docent quibus hujuſmodi vota diſſolvi queant, interveniente ſcilicet Magiſtri ſeu Sapientis alicujus (qui à vovente ſuper voto ſuo conſulitur) conſcientia & declaratione. Et unam quidem inter alias aperiunt, quæ ejuſmodi eſt ut ea veluti uno flatu diſſipentur & in ventos inanes abeant omnia illa impia, injuſta, ſtul-

ta, temeraria, ridicula & jocularia vota de quibus tam multa prius definierunt. Sic enim habet Miſna §. 4. c. 9. *R. Meir dixit* פותחין לו פתח תחלה *Aperium illi* (viam ſcilicet & rationem diſſolvendi voti) *ex eo quod ſcriptum eſt in Lege, dicuntque ei* (Sapientes quos conſulit ſuper voti diſſolutione) *Si noviſſes te* (cum voviſti) *feciſſe adverſus mandatum illud, Non ulciſceris &c, neque ſimultatem exercebis adverſus fratrem, item & illud, Non odio habebis fratrem tuum in corde tuo, &, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum, item, Vivet frater tuus tecum*, וכיוצא בהן יכול אתה שתהא עני אין אתה יכול לפרנסו h. e. (uti exponunt Commentatores in hunc locum) non cogitaſti fore *ut forte fieret pauper frater tuus, tibi vero* per votum tuum *facultatem adimi ſubveniendi ipſius egeſtati*, (alii iſthic legunt עני הוא *quia ipſe eſt pauper*, quod eodem redit) *Reſpondet* (qui vovit) *Si ego ſcivi ſſem rem ita ſe habere, ego non vovi ſſem*, הרי זה פתוי *ecce iſte ſolutus eſt*. Hoc vult Miſna, Eum qui ejuſmodi impia & injuſta emiſit adverſus fratrem ſeu proximum ſuum vota, ſolvi nexu voti, ſi admonitus à Sapiente aliquo, quem pœnitentia ductus conſulit, ſe hocce ſuo voto peccaſſe adverſus Divinam legem de amando proximo & ſublevanda ejus egeſtate, ita reſpondeat ut teſtetur ſe pœnitere voti, velleque rem infectam. Hoc vero ſane eſt aliquid dicere; at id tamen ſatis non fuit. Nam edocendi præterea erant publice ab iis homines, vota ejuſmodi impia, injuſta, ſtulta & temeraria non eſſe revera vota, ſed diras potius & exſecrationes, quas ira & odium in proximum dictat & ſuggerit, propterea que nullius conſcientiam ejuſmodi votis teneri, neque ad eorum diſſolutionem opus eſſe Magiſtri vel Sapientis conſcientia & abſolutione, quandoquidem nullus eſt votorum illorum (quæ vota revera non ſunt) nexus, nulla obligatio. Excipient, Opus eſſe nihilominus Magiſtri declaratione, ne homines aſſueſcant legitima à ſe concepta vota ultro ipſi per ſe diſſolvere hoc obtentu, Ea adverſari Divino alicui mandato. Sane in re dubia, eſto conſultatur Sapiens, qui doceat num votum legitimum ſit necne; at in re plana quid opus eſt Sapientis conſcientia & declaratione? Sane in civilibus, in foro humano, Judicis ſententiam, etiam in manifeſto jure, intervenire neceſſe eſt, non ad jus faciendum, ſed ad id obtinendum à parte adverſa quod eſt manifeſti juris, quodque ipſe injuſte detinet. Verum alia eſt ratio fori & judicii humani, alia Divini, quod intus in conſcientia peragitur. Hic enim cum conſtat ex lege Divina quid liceat, vel non liceat, nihil opus eſt humana declaratione & ſententia in re quæ per ſe juris eſt manifeſti, ſed in dubia duntaxat. In foro, inquam, humano Judicem non adimus ut quid juſtum & æquum ſit, quidve minus, ab eo reſciſcamus, ſed ut id quod noſtrum eſt, injuſte autem nobis negatur, poſtulemus; ideo in manifeſto etiam jure opus eſt inter litigantes intervenire Judicis ſententiam: At in votorum materia Sapiens non eſt adeundus, niſi ut ab eo reſciſcamus utrum hoc & illud legitima ſit voti materia necne, hoc & illud votum ſitne necne legitimum. In dubiis ergo conſulatur ſane Sapiens; in manifeſtis nihil opus eſt conſulere, quare cum vota illa ex ira & odio in proximum profecta ſint manifeſto impia & injuſta, nihil opus eſt ſuper his Magiſtrum & Sapientem alium, præter conſcientiam, adire. Rurſus §. 1. ejuſdem capitis, Miſna ſic habet; R. Eliezer dixit, פותחין לאדם בכבוד אביו *Aperiunt homini* (viam ſeu rationem diſſolvendi votum) *in honorem*, ſeu gratiam, *patris & matris ipſius*, וחכמים אוסרים *at Sapientes ligant*, h. e. negant aperiendam eſſe illi viam illam. *Dixit nempe R. Tſadoc*, אמר שמותרים לו *Quandoquidem aperiunt illi* viam *in* gratiam & *honorem parentum, multo magis aperient ei in honorem Dei; ſed ſi ſic eſt* אין נדריהם *non ſunt vota. Caterum Sapientes conſentiunt cum R. Eliezer*, בדבר שבינו לבין אביו *in negotio quod intercedit inter filium & parentes ejus: aperiunt enim illi* viam *in gratiam* ſeu *honorem parentum*. Obſcuriſſimam hanc Miſnam R. Niſſim, R. Aſcher & Jarhi, Talmudis Commentatores, ſic exponunt, ut dicant hanc fuiſſe Rab. Eliezeris ſententiam & mentem, Si Sapiens eum qui votum aliquod emiſit ſtultum & temerarium ſic, exempli gr. conveniat, Si cum voviſti reputaſſes animo fore ut homines dicerent, Væ patri illi qui talem genuit filium in vovendo tam temerarium & inconſultum, vel ſi cogitaſſes fore ut hanc de parentibus tuis conciperent opinionem, te nempe eorum exemplo aut vero etiam inſtitutione didiciſſe ejuſmodi ἀφεσιν in vovendo temeritatem, an tu voviſſes id quod voviſti? Reſpondeat autem ille, Ego non voviſſem ſi hæc mihi in mentem veniſſent; tum Sapiens eum abſolvet nexu voti ſui, in gratiam ſcilicet parentum, ne ejus cauſa ſint apud homines deſpectui, quod talem vel genuerint vel etiam inſtituerint atque educaverint filium. Huic R. Eliezeris ſententiæ non accedunt ſed refragantur potius Sapientes, וחכמים אוסרים (ut ait Miſna) *Sapientes ligant*, h. e. nolunt ea de cauſa aperiri illi viam diſſolvendi votum. Hujus diſſenſionis nullam reddit Miſna rationem, ſed hanc comminiſcitur Jarhi in hunc locum; Quod ſcilicet etſi qui vovit animum pœnitendi nullum habeat, hac interrogatione ſuggeritur illi quid reſpondere debeat, h. e. interrogatione iſta tacite veluti pellicitur & invitatur ut reſpondeat ſe non voturum fuiſſe ſi de iſtis cogitaſſet quæ illi interrogatione ſuggeruntur licet mens & animus ejus ſit in contrarium affectus. Illi hac in parte veluti ſuccinit, uti videtur, R. Niſſim, qui hanc reddit diſſenſionis Sapientum à R. Eliezere rationem; Verentur, inquit, Sapientes ne ad ejuſmodi interrogationem ille pudore ductus mentiatur, dicatque ſe non voturum fuiſſe, etiamſi revera contra ſentiat, contraque animatus & affectus ſit; atque ita inveniretur Sapiens voto eum ſolvere, quem tamen voti non revera pœnitet. Fundamentum harum reſponſionum, adeoque & Magiſtralium illarum Deciſionum, de votorum iſtiuſmodi diſſolutione, hoc eſt; Poſſe voto ſolvi eum quem conſtat pœnitere voti, illum vero non eſſe nexu voti ſolvendum quem conſtat non pœnitere voti, ac proinde diſpiciendum eſſe Sapienti qui de voti diſſolutione conſulitur, an eum qui vovit voti pœniteat, priuſquam eum ſolutum pronunciet: Plane quomodo hodie Pontificii de Abſolutione ſua docent, eam nimirum non valere niſi illi quem peccati revera pœnitet, neque abſolvi eum debere quem conſtat non pœnitere peccati, quique dicto vel facto teſtatur ſe non pœnitere, adeoque conſtituiſſe perſeverare in peccato. Illi R. Eliezeris ſententiæ repugnat ibidem R. Tſadoc, eamque hoc argumento refellit, *Si ſic licet in gratiam parentum voti nexu aliquem ſolvere, multo magis id licebit in honorem Dei: quod ſi dicas idem licere in honorem Dei, tum* אין נדריהם *non ſunt vota.* Quomodo autem ſit intelligendum illud quod ait R. Tſadoc, *multo magis id licebit in honorem Dei*, ſic explicant R. Niſſim & Jarhi in hunc locum; nempe, Sapiens poterit ſimiliter hominem qui vovit ſic convenire, Si tu cum voviſti cogitaſſes te hoc voto elevare & parvipendere Dei gloriam, an tu id voviſſes? Quia autem ad hujuſmodi interrogationem nemo tam eſt impudens & impius qui auſit Sapienti in os dicere ſe nihilominus voturum fuiſſe, ſi ad reſponſum ejus (quod quale futurum ſit nemo ambigit) liceret eum voto ſolvere, tum אין נדריהם h. e. (ex ſententia R. אבי in Ghemara) אין נדריהם ניתרין יפה *vota non pulchre* (i. non bene & legitime) *ſolverentur*, quia ſcilicet ſolverentur licet non conſtet de voventis pœnitentia; Vel ex ſententia רבא (in eadem Ghemara) אין נדריהם נשאלים לחכם h. e. *nil opus foret conſulere Sapientem de voti diſſolutione.* Ratio eſt, Quia Sapiens interrogat in re quæ dubia eſt, non in ea quæ minime eſt dubia, h. e. Ventem interrogat ea de re de qua non conſtat quid ad interrogationem ſit reſponſurus; at cum nemini dubium eſſe poteſt quid ſit ad interrogationem reſponſurus fruſtra interrogaret. Jam vero nemo ambigit quid ſit reſponſurus ille qui ſic interrogatur, *Si cogitaſſes te voto tuo parvipendere nihilque facere Dei gloriam & honorem, an tu voviſſes id quod voviſti?* quia, uti dixi, nemo eſt tam perfrictæ frontis qui audeat in os dicere ſe nihilominus voturum fuiſſe: Itaque ſi liceret ad illius reſponſum diſſolvere votum, nihil opus foret Sapientis interrogatione, quia ante eam conſtat de futuro reſponſo, nihil neceſſe eſſet Sapientem conſulere; quia conſulitur ut diſpiciat & declaret an legitima ſit diſſolvendi voti cauſa, nempe voventis pœnitentia, de qua tamen per illam Sapientis interrogationem non poteſt certo illi conſtare. Porro licet iſti R. Eliezeris ſententiæ lic generatim acceptæ & intellectæ refragentur, uti dictum, Sapientes, tamen ei accedunt בדבר שבינו לבין אביו ואמו *in negotio quod intercedit inter hominem & parentes ipſius*, h. e. (ut Jarhi & alii Commentatores in hunc locum exponunt) cum filius devovit parentes: nam eo in caſu לו פותחין *aperiunt illi* viam ad voti diſſolutionem *in gratiam parentum ipſius*, ut eis nimirum ſubvenire poſſit. Hoc poſtremum Miſnæ decretum videtur adverſari his Chriſti apud Marcum verbis, καὶ οὐκέτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτοῦ, ἢ τῇ μητρὶ αὐτοῦ, atque ita videri poſſet (abſit blaſphemia dicto) Chriſtus Phariſæis hac in parte impoſuiſſe. Verum ut dem hoc Miſnæ decretum adverſari illi Chriſti dicto, non ſequeretur tamen Chriſtum Phariſæis quidquam impoſuiſſe. Reſponderi enim poſſet, Magiſtros ex occaſione hujus reprehenſionis Chriſti atque (uti loquuntur) ex poſt facto immutaſſe veterem ſuam ſententiam, atque de rigore illius aliquid remiſiſſe; quod ſane fieri ab iis potuit, ſiquidem Miſna c c ut minimum annis poſt Chriſtum natum à R. Jehuda, quem *Sanctum* vocant, conſcripta fuit. Sed nihil neceſſe eſt nos huc confugere, noſque hac tueri reſponſione. Reſpondemus enim iſta non pugnare, ſed ſimul conſiſtere poſſe. Nam cum Chriſtus dicit, οὐκέτι ἀφίετε αὐτὸν, &c. non hoc vult, Phariſæos noluiſſe ſolvere filium nexu voti quo patrem devoverat; aut docuiſſe eos, ſolvi eum hujuſmodi voti nexu non poſſe aut deberé:

ſed hoc duntaxat voluit, Decuiſſe eos filium voto hujuſmodi in parentes concepto ligatum fuiſſe, neque licuiſſe ei parentibus benefacere, niſi prius voto illo à Sapientibus ſolveretur; quod ſatis fuit ad juſtam eorum reprehenſionem. Debuerunt enim docere, homines ejuſmodi votis, utpote impiis, nullo modo teneri; imo vero graviter eos peccare ſi putent ſe iis teneri; gravius adhuc, ſi ex ejuſmodi falſa opinione & conſcientia errante abſtineant, voti religione, à beneficentia erga parentes. Hoc vero non fecerunt illi; imo vero ſtudentes authoritati, dignitati & exiſtimationi ſuæ apud homines (utpote gloriæ hominum quam Dei appetentiores, ut illis alibi exprobrat Chriſtus) falſam illam de illiuſmodi votis, ſive diris potius & imprecationibus, opinionem (quod ea ſcilicet vera ſint vota quibus ligatæ teneantur hominum conſcientiæ) fovebant atque alebant, ut homines qui vel ſtultitia, vel temeritate, vel ira & odio in proximum commoti ejuſmodi votis ſæpe ſe inconſiderate implicabant, exiſtimantes teneri ſe voti Religione ligatos, Magiſtros hoſce & Sapientes ad voti (cujus mox eos pœnitebat) diſſolutionem adire & conſulere cogerentur, atque ita ab eorum ore in voti diſſolutione penderent. Eodem prorſus conſilio hodierni Eccleſiæ Pontificiæ Phariſæi docent, homines peccatorum nexu non liberari niſi ea non Deo modo confeſſi fuerint, ſed & ſibi in aurem revelarint, eorum abſolutionem (uti loquuntur) à ſe acceperint, ut ſic hominum conſcientias teneant ſibi obſtrictas, hominesque habeant in conſequenda peccatorum remiſſione ab ore & arbitrio ſuo pendentes: Quæ longe gravior fæviorque & intolerabilior eſt ſervitus atque animarum carnificina quam fuit olim voluntaria illa Judæorum ſervitus ab ore Magiſtrorum ſuorum in votorum diſſolutione pendentium. Cavent diligentiſſime hodierni Phariſæi ne plebi Chriſtianæ hoc perſuadeatur, Peccata nobis à Deo gratis remitti, ſi modo nos ea confiteamur ipſi, & ſerio nos eorum pœniteat. Vident enim ſi hoc ſemel hominibus perſuaſum eſſet fore ut concideret ſtatim rueretque penitus ea quam jam obtinent in hominum conſcientiam authoritas, vileſceretque prorſus ea in qua ſunt apud plebem ignaram & ſtultam exiſtimatio: propterea exemplo veterum Phariſæorum (utpote non minus quam illi gloriæ & exiſtimationis ſuæ apud homines ſtudioſi & cupidi) doctrinæ de gratuita peccatorum in Chriſti ſanguine remiſſione tantopere ſunt infenſi, ut in eo videas antiquam artem Satanæ ab Eccleſia Judaica conceptæ in Chriſtianam veteres errores revehentis. Porro doctiſſimus Maſius, qui primus obſervavit verba iſta, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, eſſe formulam voti ſive exſecrationis apud Judæos uſitatiſſimam, in doctiſſimo illo quem in Joſuæ librum ſcripſit Commentario, ad cap. 6. v. 19. in hoc videtur deceptus, quod putet voce *Corban* voventem ſignificaſſe ſe Deo conſecrare & devovere id omne quo utilis eſſe poterat vel proximo vel parentibus, cum id tamen ea voce minime ſignificatum velint Talmudici illi Magiſtri, à quibus eſt hæc formula, uti ex his quæ hactenus diximus planum fit. Sed in eam ſententiam videtur inductus à Syro Interprete, qui formulam illam ſic reddidit קרבני סדם דיהתנא כני *Donum meum eſt id omne quo juvari poſſis à me*, h. e. Deo illud dono & conſecro. Melius eam & commodius reddidit Vulg. interpres apud Marcum, *Corban (quod eſt Donum) quodcunque ex me tibi profuerit*, ubi ſubaudiendum *eſto* poſt *Corban*, ſic, *Corban eſto quodcunque*, &c. i. Eſto mihi ſicut eſt Corban, nempe illicitum & prohibitum. Ibidem etiam notat idem ille vir doctiſſimus Maſius, pro קרבן, eliſa durioris ſoni litera *R*, Judæos dixiſſe etiam קבן. Sed vereor ne rurſus hallucinatus hic ſit vir ille magnus: nam vox illa קבן non occurrit, quod ſciam, iis in locis quæ ab ipſo Maſio annotantur, tractatibus ſcilicet de Votis & Jurejurando, in Miſna. Et forte illud קבן venit illi ſub calamum aliud cogitanti, pro altera trium illarum vocum קונם, קונס, קוסם quas ſupra diximus fuiſſe ab iis in כנוי נדר uſurpatas loco & vice vocis קרבן. Hæc ſunt quibus locus iſte Matthæi alioqui obſcurus, necdum ſatis plene, uti arbitror, à viris doctis explicatus hactenus, illuſtrari poſſe nobis viſus eſt; qui jam planus & apertus, ni fallor, ex iis quæ diximus videbitur. Et quia in hac noſtra explicatione meminimus voti Jephtæ, quod diximus ejuſmodi fuiſſe ut non potuerit ejus nexu liberari; quia hæc ſententia etſi non nova, tamen apud multos, qui eam non penitius introſpexerunt, vix fidem impetratura eſt, & ea facit ad plenioren eorum quæ hic diſputavimus de Votorum variis generibus eorumque nexu intelligentiam, videat Lector Diatribam noſtram de Voto Jephtæ Judic. 11. 41.

14. *Si cæcus cæcum duxerit*, &c.] Author libri שער הכתורים Porta 1. c. 2. ſimilem valde habet iſti Similitudinem. Eos enim qui Deum unum ideo tantum credunt & norunt quia id ex traditione ſeu inſtitutione hominum acceperunt, comparant longæ veluti catenæ ſeu ſeriei cæcorum, quorum alter alterius humerum manu tenet, in cujus catenæ capite eſt aliquis viſu præditus qui eos ducit. *Nam ſi*, inquit, *ipſe prævaricetur contra eos, & occulat ſe abipſis, vel non moneat eos ut ſibi caveant, aut ſi aliquis eorum ceſſaret, vel offendat pedem, pariter & reliqui offendent pedem, aut aberrabunt a via* מיפשר שיטולו בבור או בנוצץ *fierique poteſt ut cadant in foveam vel in voraginem, aut ut impingant in offendiculum aliquod quod prohibebit eos progredi ulterius. Sic*, inquit, *ſe res habet de eo qui ex traditione tantum novit Deum unum eſſe: non eſt certum eum non amplexaturum πολυθεότητα. Si enim audiat verba Hæreticorum & objectiones eorum, fieri poteſt ut mens ejus immutetur, aberretque, neque tamen errorem agnoſcat.* Hæc ille. Quæ ſane ſimilitudo bene poteſt quadrare in Judæos. Illi enim pleraque quæ credunt & tenent, non tenent & credunt niſi ex traditione & humana inſtitutione, proindeque cæcis illis ſunt ſimiles qui præcedentis cæci veſtigia ſequuntur. Porrò Prophetæ, qui ſunt veluti in capite catenæ illius cæcorum, ipſi viſu præditi, non prævaricati ſunt adverſus iſtos cæcos qui poſt ſe venerunt, neque eos abduxerunt à via recta; ſed contra horum qui poſt Prophetas venerunt nonnulli ultro Prophetarum ductum aſpernati ſunt, eoſque deſeruerunt, propriæ ſcientiæ & ſapientiæ opinione inflati atque decepti.

22. Ἰδοὺ, γυνὴ Χαναναία] Quæ hic dicitur *Chananæa*, Marc. 7. 26. vocatur Συροφοίνισσα. Nempe Chananæa & Phœnicia eadem erat regio: unde etiam apud LXX. terra Chanaan vocatur Φοινίκη, Exod. 16. 35. ubi *filii Iſrael* dicuntur *eduſſe Manna* ἕως παρεγένοντο εἰς μέρος τῆς Φοινίκης· in Hebræo eſt עד קצה ארץ כנען h. e. *ad fines terræ Chanaan*. Et Job 40. 30. ubi de Leviathan dicitur, יחצוהו בין כנענים *an partientur eum inter mercatores?* LXX acceperunt vocem illam non pro appellativo ſed pro nomine proprio gentis Chananæorum, reddideruntque μεμερισμένοι αὐτὸν Φοινικικαὶ ἴδιαι; Symmachus, μεταξὺ Χαναναίων. Et Exod. 6. 15. ושאול בן הכנענית ἐκ δὲ Σαοὺλ ὁ ἐκ τῆς Φοινίσσης, qui idem Gen. 46. 10. dicitur ὑὸς τῆς Χαναανίτιδος. Cum itaque mulier hæc gente fuerit Chananæa, Patria Phœnicia, quòd à Marco dicitur Ἕλλην non eſt accipiendum de gente, quaſi natione fuerit Græca, ſed, ut alii rectè annotarunt, de religione, quòd nempe eſſet aliena à religione Judæorum. Nam paſſim Ἕλληνες dicuntur in N. T. maxime à Paulo, quotquot non erant profeſſione neque genere Judæi, etſi forte aliam quam Græci ſequerentur religionem.

GROTIUS.

1. Οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι, *Ab Hieroſolymis Scribæ & Phariſæi*] Non miſſi à Synedrio; ſicut nec diſcipuli illi Phariſæorum & Herodianorum quorum infra fit mentio XXII, 16. à Synedrio erant miſſi. Nuſquam enim legimus in Synedrio fuiſſe Herodianos; &, ut fuerint, conſtat majorem fuiſſe Sadducæorum quam illorum auctoritatem. Atqui à Sadducæis nemo mittitur. Fuit igitur privata exploratio, ſed ab illis inſtituta qui Scholarum habebant principatum. Nam doctiſſimi quique, ut diximus, γραμματεῖς [*Scribæ*] vocabantur. Horum autem auctoritatem ſequebatur Phariſæorum familia hoc tantum diſtincta à cæteris, quòd ſuper communia præcepta peculiares ſibi ἰδελοθρησκείας [*cultus ſponte ſuſceptos*] injunxerat. Ideo autem ab Hieroſolymis venerunt, quia in primaria urbe habitabant nobiliſſimi Magiſtrorum & partium illarum duces.

2. τὴν παράδοσιν, *traditionem*] Παράδοσις [*traditio*] nihil aliud eſt quam quod Græci Philoſophi vocant δόγμα [*dogma*]. Chriſtus ipſe infra XVI, 12. διδαχὴν [*doctrinam*]· nam παραδίδοναι [*tradere*] eſt διδάσκειν [*docere*], ut & Latinis *tradere*: velut cum Cæſar ait *Druides multa de deorum vi ac poteſtate juventuti tradere*: unde & *traditionis* vocem effinxit Gellius ad exemplum Græci vocabuli παράδοσις. Ita Paulus & verbum παραδίδοναι [*tradendi*] & nomen παράδοσις [*traditionis*] uſurpat agens de dogmatis Chriſtianiſmi, I Corinth. XI, 2, 13. XV, 3. quod alibi explicat dicens παράδοσις ἃς ἐδιδάχθητε [*traditiones quas didiciſtis*], II Theſſ. II, 15. παραδόθητε [*traditam acceperis*] dixit Roman. VI, 17. Sic Judæ παραδοθεῖσα πίστις [*tradita fides*]. Et ἀντίστροφον [*reciprocum*] huic eſt πρὸς λῆψις [*acceptio*] pro dogmate quatenus admittitur. Sic Ovidius,

—— pro magno teſte vetuſtas
Creditur: acceptam parce movere fidem.

Δόγματα [*dogmata*] cùm dico non ita ſtricte accipio vocem quomodo ſumi ſolet cum opponitur τὰ παραινέσεων [*præceptionibus*], ſed ita ut eas quoque comprehendat. Tam enim quæ agenda quam quæ credenda præſcribuntur eo nomine veniunt,

ut

ut apparet dictis locis, addiro eo qui eſt II Theſſ. III, 6. Commenta ergo mere humana vox iſta per ſe non ſignificat, ſed eò quoque vocis illius, ut & δογμάτων [*dogmatum*], latitudo ſe extendit. Ideo addi plerumque aliquid ſolet, ut cum dicuntur παραδόσεις ἀνθρώπων [*traditiones hominum*], Coloſſ. II, 8. aut τῶν πρεσβυτέρων [*ſeniorum*], ut hic atque alibi. At Hebræi poſteriores קבלה [*acceptionem*] dixerunt non quamvis παράδοσιν [*traditionem*], ſed ἄγραφον [*extra ſcripturam*]. Nunc autem ne omnis quidem ἄγραφος παράδοσις [*traditio non ſcripta*] ſed ea demum quæ eſt μυστικώτερος [*magis myſtica*] hoc vocabulo appellatur. Alioquin origo vocis latius patet: eſt enim à קבל, id eſt, παραλαμβάνειν [*accipio traditum*], quod ἀντιστρόφως τῷ παραδιδόναι [*reciprocum eſt voci tradere*], ut apparet I Corinth. XI, 23. XV, 1, 3. Galat. I, 9, 12. Philippenſ. IV, 1. Coloſſ. II, 6. I Theſſ. II, 13. IV, 1. II Theſſ. III. 6. Sed & veteres Chriſtiani laxius uſurpant; ut Cyprianus, *Unde eſt iſta traditio, utrumne de Dominica & Euangelica auctoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atque Epiſtolis veniens? Ea enim facienda eſſe quæ ſcripta ſunt Deus teſtatur.* Mox, *Si ergo aut in Euangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum Epiſtolis aut Actibus continetur, obſervetur etiam & hæc ſancta traditio.* ¶ τῶν πρεσβυτέρων; *ſeniorum*] Πρεσβύτερος [*ſenior*] cur hic non arbitrer dici Senatores magni Synedrii hæc cauſa eſt, quòd Synedrii erat judiciis præſidere, non docere populum aut leges plane novas conſtituere. Leges enim, quo tempore regnabantur Hebræi, conſtitui ſolebant à Regibus, ut apparet I Samuelis XXX, 25. Libera autem Republica ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, *à populi conventu*, quomodo inſtituta ſunt τὰ ἐγκαίνια [*Encænia*] I Maccabæor. IV, 59. & alter dies feſtus menſe Adar VII, 49. Neque dubium eſt quin eodem modo inſtituta fuerint jejunia illa tempore Exſilii, quorum Zacharias meminit. Nam & in exſilio Judæi, quatenus illis αὐτονομίαν [*libertatem regiminis*] aliquam Reges externi conceſſerant, eodem jure uſi ſunt. Nam dies Purim, quem Helleniſtæ vocarant *Amania*, inſtitutus eſt communi gentis conſenſu, ut apparet Eſtheræ IX, 20, &c. Quanquam non negem συναγωγὴν μεγάλην [*Synagogam magnam*], de qua egimus alias, quaſi compendium populi, locum impleſſe Conventus, præſertim ſubſecuta populi totius approbatione. Docere autem populum non erat aut Synedrii totius, aut cujuſlibet è Senatu, ſed eorum qui eximium eruditionis nomen apud populum erant conſecuti, ſive Senatores eſſent ſive privati. Nam ſicut Romæ olim de jure reſpondere non probeneficio impetrabatur, ſed licebat eis qui fiduciam ſui habebant eam artem profiteri: ita & apud Judæos. Hi dicebantur חכמים [*eruditi*]. Sed & πρεσβύτεροι [*Seniores*] non male vocantur, ſeu quia id nomen omnibus aut dignitate aut etiam ſola auctoritate eminentibus dari ſolebat, quomodo & nomen πατέρων [*patrum*], ſive quia antiquitus ſapientes, præſertim aliquo poſt mortem tempore, apud Hebræos vocabantur זקנים [*antiqui*], inde illud I Sam. XXIV, 14. כאשר יאמר משל הקדמני [*ſicut & proverbio ab antiquo dicitur*], quod proprie idem eſt cum eo quod Theocritus itidem de proverbio aliquo agens dixit, ὡς σοφὸς εἶπεν [*ut ſapiens dixit*]. Eſtque nunc etiam liber Hebræus continens veterum inſtitutorum recitationem, cui libro titulus eſt משל קדמני [*Sententiæ antiquorum*]. Sic & Plato γνώμην [*ſententiam*] vocat παλαιὸν λόγον [*veterem ſermonem*], Plautus & Terentius *verbum vetus*. Horum igitur πρεσβυτέρων δόγματα [*ſeniorum dogmata*] ſive παραδόσεις [*traditiones*] ut diverſi erant generis, ita non omnes uno ordine nobis ſunt habendæ. Quædam enim interpretationem continebant eorum quæ in Lege ambigua videbantur, ut quod diximus περὶ δυοῖν ἑσπερῶν [*de duabus veſperis*]. Philo principio libri I. De vita Moſis, τὰ γὰρ λεγόμενα τοῖς ἀκαταστατοῦσιν ἀεὶ συνῴκειον [*quæ enim ore erant tradita cum iis quæ leguntur conjungebant*], ſeniores nimirum de quibus ibi agit. Alia definiebant id quod lex Divina viri boni arbitrio permiſerat, quale illud erat de itinere quod Sabbato facere fas eſſet. Alia erant quæ ipſi vocabant *ſepimenta Legis*, id eſt, cautiones quibus muniti homines à Lege violanda longius arcerentur, quomodo canones Eccleſiaſticos Juſtinianus dixit περιφράξαι § θεῖα νόμια [*propugnacula legis Divinæ*]. Exempli cauſa, cum quadragenas plagas infligi ſontibus neque plures lex permitteret, illi unam detraxere, ut infligerentur duntaxat triginta novem: ita & Azymorum & Sabbati tempus antevertere docuerunt. Hæc ita obſtringebant populum ſi doctorum ſententiæ à Synedrio eſſent approbatæ, ut diximus ad Deuter. XVII, 8 & ſequentibus. Cætera pro conſiliis primum habita, poſtquam ad auctoritatem uſus aliquis dies acceſſerat cœperunt à nonnullis in præcepta verti; neque in talia tantum præcepta quibus externa ſocietas contineretur, ſed quæ etiam nemine inſpectante animum obſtringerent. Joſephus de Phariſæis, ὡν τι ὁ λαὸς χεῖρας παρέλαβεν ἀγαθῶν ἕνεκα τῆς ἡγεμονίας, πεπαίχασιν ἡγούμενοι τῇ φυλακῇ τῶν ἀγαγραφέων ἀξίαν, τιμῆς γε τῆς πλείστης τετυχηκότες (hi ſunt οἱ πρεσβύτεροι הקדמונים) πεπεῖσθαι, νῦν ἐπ' εὐσεβείᾳ τὴν εἰσηγησάντων τούτοις ἁπτέον [*Quæ ratio judicavit bona ac tradidit, eorum regulam ſequuntur; tuenda omni modo cenſentes quod illa præſcripſit: honorem autem tribuunt majoribus natu, nec ea quæ illi docent audent contradicere*]. Contra idem Scriptor Sadducæis notat in laude poſitum dubitare de majorum inſtitutis: Φυλακὴν δ' ἰδιάζουσαν τινὲς μετέθηκαν αὐτοῖς ἡ τῶν νόμων, ἐξὸν γὰρ εἶναι διδασκάλους (ita exprimit Hebræum המחכמים) σοφίας ἐπιτηδεύειν ἀμφιλογεῖν αἱρετὸν αἱρεῖσθαι [*Obſervare præter leges nihil curant, ac virtutis putant contradicere magiſtris ejus quam ſectantur ſapientiæ*]. Idem Scriptor XIII. Originum, νόμιμά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ Φαρισαῖοι ἐκ πατέρων ἀδοχῆς, id eſt, מקבלת הפרושים [*multa præcepta populo tradiderunt Phariſæi accepta à Patribus*]. Sadducæos autem ait ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα (in Lege Moſis nempe), τὰ δ' ἐκ παραδόσεως πατέρων μὴ τηρεῖν [*obſervanda putant præcepta quæ ſcripta ſunt; cæterum non obſervanda ea quæ ex traditione ſunt*]. Ex nimia illa Magiſtrorum reverentia veniunt illæ ſententiæ, *Si dixerint Scribæ* (id eſt, Doctores) *dexteram eſſe ſiniſtram, & ſiniſtram eſſe dexteram, audi eos.* Habet hanc Rabbi Bachai. Item: *Quicquid ſapientes vetant palam fieri, id etiam in penetralibus vetitum eſt.* Nec æquare contenti ſunt ſua commenta Divinis legibus, tandem etiam præponere cœperunt. Ita enim ajunt: *Plus eſt in verbis Scribarum quam in verbis Legis.* Habes hoc in titulis Thalmudicis Baba Metzia, Berachoth, Chagiga & de Synedrio; & R. Jacob in Caphthor. Adultæ ſuperſtitioni color ex mendacio quæſitus. Perſuaſum enim credulæ plebi, iſta inſtituta non eſſe quidem perſcripta in Lege, attamen à Deo Moſi data, deinde à Moſe Joſuæ ejuſque aſſeſſoribus, à quibus porro ad Prophetas manarint, à Prophetis autem tradita ſint Eldræ & qui cum eo erant, deinceps verò parentum commemoratione tranſierint ad poſteros, unde hanc præceptorum congeriem תורה שבעל פה hoc eſt, τὸ ἐν φόρτῳ νόμον [*legem in ore poſitam*] appellant. Neque dubitant Judæi quin ea ipſa præcepta nunc in Thalmudicis libris contineantur, ſcripturæ ſcilicet mandata, ne oblivione atteri poſſent. Docet autem nos Epiphanius in Diſſertatione adverſus Ptolemaitas, Hebræorum traditiones alias à Moſis ætate (quod de melioribus quibuſdam negandum non eſt, ut de Lege ter in hebdomade legenda in Synagogis, de precibus ante cibi ſumtionem, & ſiqua ſunt ſimilia), alias à Rabbi Akiba, alias ab Adda qui & *Juda*, alias ab Aſmonæis: quo ex loco emendandi codices ejuſdem Scriptoris titulo περὶ γραμματέων [*De Scribis*], ubi ἀνδὰν ſcriptum eſt pro Ἀδδᾶν [*Addan*], & adverſus Marcionem, ubi corrupte ſcribitur ἡ μὴ Δαβὶδ pro ἡ μὴ Ἀδδᾶ [*Addæ*]. ex quo loco etiam diſcimus Akibam illum fuiſſe antiquiorem exſilio Babylonico, Addan autem poſt tempora poſtliminii exſtitiſſe. ¶ νίπτονται, *lavant*] Proprie: nam, ut Pollux docet, νίπτεσθαι [*lavare*] eſt ante cibum, ἀπονίπτεσθαι [*abluere*] poſt cibum. Hæc autem lotio Judaica, quam Marcus accurate deſcribit, non erat ruſticitati oppoſita, cujus non exigua pars eſt ἡ ἀλυσία [*illuvies*], ſed fiebat definitis geſtibus ἡ ἁπλῆ χεὶρ [*dicis cauſa*]. Cauſa hæc erat, quòd arbitrarentur Hebræorum Magiſtri (cæci nimirum cæcorum duces, ut nos mox docebit Chriſtus) ſi quis ἀλλόφυλος [*extraneus*] aut alioqui juxta Legem impurus aut cibum ipſum potumve attigiſſet, aut quicquam quod cibum potumve contingeret, puta ipſorum manus quibus cibum ſumturi erant, quæ pars corporis maxime ad contactum patet, aut vaſa in quibus obſonium coqueretur, aut pocula è quibus erant poturi, eum cibum potumve talis inquinamenti contagium ad corpus primum ſuum, deinde ad animum immittere: quapropter καθαρισμὸν [*purificationem*] (ut Johannes vocat) repererant, accurata lotione, nimirum inanis metus inane remedium, ut lepide dixit Menander, cujus verſus non pollum non apponere paulò quam legi ſolent emendatores,

—— Εἰ μὲν τι κακὸν ἀληθὲς ἦν, Φανία,
Ζητῶν ἀληθῆ φάρμακον τοῦτ' ἂν ἦν.
Νῦν δ' οὐκ ἔχεις. ὄγκος κενὸν τὸ φάρμακον
Πρὸς τὸ κενόν. οὐκοῦν δ' ἀφελεῖν τί σε.
Περιμαχέσαιτο δ' αἰ γυναῖκες ἐν πύλαις,
Καὶ σὺν βοῇ τοῦτ' ἂν τελῶν κενὸν ὠνοῦ·
Τούτῳ σὺ χρῶ μοι, ἐμβαλὼν ἅλας, φακῆς.
Πᾶς ἀγνὸς ἐσθ' ὁ μηδὲν οἰ σωθὲν κακόν.

[—— *O Phidia vero ſi laberares malo,*
Nimirum vero opus eſſet & medicamine:
Nunc id cum non ſit, inane medicamen dabo
Ad morbum inanem: tu tibi crede id profore.

Ergo

Ergo te abſtergam undequaque mulieres,
Aquamque affortem, ſed tribus de fontibus,
Qua perfundaris ſale permixta & lenibus.
Sat ille purus nullius ſceleris ſibi
Qui conſcit.]

Hujus Phariſaicæ opinionis non leve veſtigium eſt in Apoſtolis, cum Chriſti dictum de fermento ita interpretantur quaſi nefas eſſet vel à Phariſæis vel à Sadducæis cibum comparare. Et notant Hebræorum Magiſtri Judæos Samaritis, Samaritas Judæis obviis proclamaſſe, *Noli attingere.* Joſephus de Eſſenis notat, provectiores à minus provectis contactos abluere ſe ſolere quaſi à contactu ἀλλοφύλων [*alienigenarum*]. Velarunt haud dubie hanc ſuam ſententiam Divinæ legis auctoritate, quæ quorundam corporum contactu corpora impurari voluit, ita ut etiamſi id poſtea reſciſceretur, purgamentum aliquod eſſet adhibendum; quomodo & Eſſeni Joſepho teſte crediderunt pollui ſe levata alvo, καίπερ φυσικῆς οὔσης τῆς ἐκκρίσεως [*quanquam naturalis eſt iſta excretio*], ſed aqua ſumta purgari. At ne illis quidem rebus quas lex Dei impuras vocat culpam contrahebat animus, niſi poſt neglectum Divinæ juſſionis. Neque iſta Deus πρωτηγωνίως [*præcipuo loco*] præceperat, ſed ut populum nimis amantem ceremoniarum iſtis ritibus diſtineret, quibus res etiam meliores ſignabantur. Dogma autem illud quod hic Apoſtolis Chriſti objiciunt Legis peritorum & Phariſaicæ ſectæ legati, plane falſa nitebatur perſuaſione. Exiſtimabant enim primum aliquos contactus immundos eſſe ſui natura, de quibus lex Dei nulla exſtabat; deinde etiam ignorantis animum affici ea impuritate; poſtremò autem elui poſſe maculam animo inuſtam ritu quem Deus non imperaverat ſed ipſi erant commenti. Ex ſimili ſtultitia ortum habuit τῶν ἡμεροβαπτιζῶν [*quotidie baptizantium*] ſuperſtitio, quam Mahumetes, ut multa alia undique corraſa, in legem ſuam tranſtulit.

3. Διὰ τί καὶ ὑμεῖς παραβαίνετε, *Quare & vos tranſgredimini*] Chriſtus antequam de illa quam objiciebant traditione diſputet, convellit fundamentum ipſum cui tota illorum ratiocinatio innitebatur. Pro certo enim ponebant, ſtandum ſine ulla exceptione receptis Sapientum ſententiis, ut quorum conſenſio eſſet ἀναμάρτητος [*falli neſcia*]: quod falſum eſſe Chriſtus oſtendit exemplo evidentiſſimo recepti dogmatis quod cum lege Divina ἀσυνδύαστον [*ſine medio conciliandis*] pugnabat.

4. Τίμα, *Honora*] Vox Hebræa eſt כבד, qua comprehenditur etiam officium honeſte alendi parentes. In quem ſenſum vox τιμᾶς [*honoris*] etiam à Paulo uſurpatur & verbum τιμᾶν [*honorare*] 1 Timoth. v, 3, 17. Itaque id quod hic ſequitur καὶ ὃ μὴ τιμήσει τὸν πατέρα [*& non honorificabit patrem*], Marcus exponit οὐκέτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ [*non dimittitis eum quicquam facere patri*], ubi ποιεῖν [*facere*] eſt εὐεργετεῖν [*benefacere*]. Neque aliter expoſuunt Hebræorum eruditiſſimi Numerorum xxiv, 11. & qui eorum hoc ipſum præceptum explicant ajunt, cibi, potus & veſtimenti præbitionem eo contineri. Itaque non erat quod in eo probando Chriſtus laboraret: Quin Græcorum quoque & Romanorum leges idem præcipiunt. Et verbum τιμᾶν [*honorare*] ita explicat etiam Hierocles, Εἰς ἣ τι ἄλλα παῤῥᾳ γονεῖσι τιμήσωμεν ὑπερβαλλόντως, εὐμενεῖς ὑπηρεσίαν καὶ χρημάτων χορηγίαν αὐτοῖς ὑπάρχοντες ἔτι μᾶλλον ἀποδεξόμεθα [*in cæteris rebus eximio in honore habebimus parentes, exhibentes eis animo quam promtiſſimo ſerperis miniſterium & facultatum auxilia*]. ὁ κακολογῶν, *qui maledixerit*] Verbum Hebræum קלל, quod in Exodo & Levitico reperitur directe opponitur verbo כבד. Nam ut כבד ſua origine eſt *pondus addere*, ita קלל eſt *pondus detrahere.* At Lxx Interpretes, quos noſter hic verbo tenus ſequitur, notiſſimo exemplo rem declarantes dixerunt ὁ κακολογῶν [*qui maledixerit*], in quem ſenſum certum eſt vocem Hebræam, quanquam latius patentem, ſæpiſſime accipi. Non fruſtra autem & hoc Chriſtus adjecit. Conſtat enim inter Dei præcepta ea eſſe maximi ducenda quæ capitali pœna ſanciuntur. Oſtendit ergo Chriſtus non quodlibet præceptum Legiſperitorum auctoritate violari, ſed tale quod inter præcipua habendum Deus ipſe teſtaretur.

5. Ος ἂν εἴπῃ, *Quicunque dixerit*] Non puto eſſe hic ἀποσιώπησιν [*Reticentiam*], ut multi arbitrantur, ſed potius redundare Hebræo more καὶ [&], ut infra xxvii, 9. Marci xiii, 34. Lucæ ii, 15 & 21 & 27, 28. Item Lucæ v, 35. ix, 51. xiii, 25. xiv, 1. quod ſemel dico, ne teſtimonia repetere cogar. Itaque ſic interpreter, *Vos autem docetis, Qui dixerit patri ſuo aut matri ſuæ*, Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς [*Donum ſit quod ex me habiturus eſſes*], *neque patrem aut matrem ſuam.* Et apud Marcum, *Vos autem docetis hunc in modum, Si quis patri matrive dixerit*, κορβᾶν, ὃ ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς [*Corban, quod ex me habiturus eſſes*], *non permittitis eum quicquam ultra patri matrive præſtare.* Λέγειν utrobique eſt *decere.* Ita enim in Scholiis Hebraicis uſurpari ſolet אמר, hoc eſt, ἔφω [*dixit ſive præcepit*]. Δῶρον, *Munus*] Vocem ipſam poſuit Marcus κορβᾶν [*Corban*], & Syrus hic קרבני. unde diſcimus non quodvis δῶρον [*munus*] hic ſignificari, ſed id quod Deo ſacratur, quomodo vocem δῶρα uſurpari vidimus & quinto capite. Atque hinc eſt quod veterum quidam hunc locum citantes non δῶρον [*munus*] nude ponunt, ſed δῶρον τῷ Θεῷ [*munus Deo*]. Formula hæc ex Hebræis Magiſtris citatur in hunc modum, קרבן שמהרי נהנה לי [*Corban quicquid à me utilitatis habiturus eſſet*], & ſic etiam קרבן כל מה דמהנאי מני. unde non longe abit Syrus qui hoc loco ita poſuit, קרבני מהם דמהנאי מני. Videamus quid ſit ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, deinde quid hic velit κορβᾶν ὃ ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Interpretes ejus quam dixi formulæ totidem prope verbis exprimunt מה שמהרי נהנה ממני & nomen תועלת [*utilitatis*] ajunt tam late patere ut & alimenta & omne id quo homo ab homine juvari poteſt comprehendat. Ea vis melius exprimi non potuit quam Græco verbo ὠφεληθῆς [*utilitatem capere*]. Eſt autem illud ὠφεληθῇς hic δυνηπαίν [*modi potentialis*]. quare Latine ita licet exprimere, *quicquid eſt quo à me juvari poſſis.* In codice Nedardin invenitur, קונם שמה קו מי אבא וכו אינם יכול להפר, quod ita interpretatur Maimonides, שכל מה שהיה לא יאכל ממנו אבא מפני שהוא יורש ונמצא נהנה בו *Quod quicquid paravere, ex illo non comedet pater meus quicquam, id eſt, quod utilitatem inde non percipiet.* Ad alteram vocem קרבן [*Corban*] quod attinet, ſolet ea apud Hebræos, ut & חרם [*anathema*], quoties ſola ponitur includere vim verbi ſubſtantivi: quare κορβᾶν valet κορβᾶν ἐστω, id eſt, *Deo dicatum eſto.* Quod autem ita Deo dicatum erat, id credebatur omnino eſſe extra hominum poteſtatem atque commercium. Hinc illud קרבן in hac formula non male Hebræi interpretes exponunt אסור עליך, id eſt, *prohibitum* ſive *præcluſum eſto tibi.* Liber Caph Nacal ita explicat hoc genus voti, הקדש יהיה כל מה שאני עושה סלט עליי פי אבא, *Sacrum erit quicquid paravero in futurum ad os patris.* Rabbi Niſſim hoc modo, כל שאני עושה לפי אבא יקונם אינו יכול להפר, *Quicquid paravero patri meo, ſacratum eſto. Qui ſic vovit non poteſt irritum facere votum.* Et quia in nomine κορβᾶν [*Corban*] Dei mentio erat incluſa (nam קרבן eſt, ut diximus, *res Deo ſacra*, unde Joſephus de iis qui ſe Deo devovent, οἱ κορβᾶν αὐτοὺς ὀνομάζοντες [*qui ſemet Corban vocant*]) ideo hoc votum non eſſe nudum ſed jurisjurandi religionem & tranſlationem complecti credebatur. Hinc Tyrii cum vetarent ὀμνύναι ξενικοὺς ὅρκους [*externa juramenta*], ſpeciatim nominarunt τὸ ἱερὸν καλούμενον κορβᾶν [*jusjurandum quod dicitur Corban*], auctore Theophraſto libro De legibus, cujus juramenti mentionem & Matthæus infra facit xxiii, 18. Plane frequens fuiſſe Judæis ut non voto tantum ſed & jurejurando ſe obſtringerent ne huic aut illi benefacerent, tum ex Hebræorum Magiſtris diſcimus, tum ex Philone, cujus hæc verba ſunt notatu ad hanc rem digna, Καὶ δὴ καὶ τῶν φύσει ἀμείνονα ἢ εὐγενείᾳ τὰς διὰ ὑπερβολὴν μισανθρωπίας γεγονότας, ἢ καὶ ὑπ' ὀργῆς εἴς χαλεπὸν ἀπηνοῦς ἐκβεβακχίσης, ἐρᾶν τῶν αἰχιστῶν πεφύκασι τῷ ἤθει, αἵ λύσεις ἅ φασιν ὁμοτεκμήριον ἢ ὁμοφύλιον ἕξιν ἢ δόσιν, ἢ πολλοὶ ΤΟ ΔΕΙΝΟΝ ΜΗ ΡΕΞΕΙΝ ΩΦΕΛΕΙΑΝ ΤΙΝΑ, ἢ παρ' ἑαυτῶν λαβεῖν ἀφελεῖσθαι, ἢ μείζω πλοῦτον [*Sunt quidam qui ex immenſa feritate ingenium habentes durum atque inſociabile aut coacti abire, moleſta ſane hæc, morum ſuorum aſperitatem jurejurando firmant, dicendo, ſe hunc aut illum nunquam habituros conſortes tecti aut menſæ, aut rurſum* EI SE NIHIL FACTUROS BONI, *vel nihil ab eo ſe accepturos, vel ad mortem uſque*]. ubi aperte deſcribit id votum quod Hebræi נדר תועלת, hoc eſt, δίκλιν ὠφελείας [*votum utilitatis*] vocant. Hoc autem votum quo firmius ſanctiuſque eſſet, ſolebat, ut ex Matthæo Marcoque diſcimus, adjici conſecratio rei in eum caſum ſi quando τῷ δεῖνι [*illi homini*] quicquam daretur. Quod ſi is qui votum tale nuncupaſſet, poſtea immutata voluntate largiri aliquid vellet τῷ δεῖνι [*illi homini*], Sacerdotes, quorum pars magna erant Phariſæi, rem ex voti lege ſacro ærario vindicabant. Ejus autem ærarii obventiones, partim in opera Templi, partim in uſus pauperum, partim in ipſos Sacerdotes ac Levitas erogabantur. Quo magis credibile eſt Phariſæos, qui erant φιλάργυροι [*avari*], ut Lucas nos docet xvi, 14. contumaciter adfuiſſe utilitatibus ærarii contra quorumvis hominum juſta. Nam vota etiam jure Romano homines ita obligabant ut votum implere cogerentur. Cæterùm quod Origenes hic narrat ab Hebræo ſe didiciſſe etiam creditores ſæpe nomina tranſcripſiſſe gazophylacio, ut debitoribus ſuis duriorem adverſarium obtruderent, ut verum credo, ita huc proprie non pertinet.

6. ἠκυρώσατε τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *irritum feciſtis mandatum Dei*] *Irritum feciſtis Dei præceptum*, quantum in vobis eſt.

Me-

Merito accuſat hoc Legiſperitorum dogma legis Divinæ optimus Vindex. Nitebantur illi hoc argumento, in quo latius quam par eſt extendendo & alibi eos lapſos vidimus, Quod præcepta Deum ſpectantia iis eſſent anteferenda quæ ad hominum utilitatem pertinerent: In illo autem genere ponebant vota ac juramenta, in hoc autem omnia beneficentiæ munia. Sed non animadvertebant homines miſera ſuperſtitione faſcinati vota & juramenta modos eſſe quibus obligemur; omnem autem obligationem ex jure eo quod nobis competat debere proficiſci: quare materiam obligationis eſſe non poſſe id quod ante ademtum ſit noſtræ libertati, ut eſt Parentes non alere. Nam & naturalis æquitas & lex per Moſen edita efficiebant ne id liceret. Lex autem quæ vota ac juramenta ſervari vult intelligenda haud dubie eſt de votis ac juramentis legitimis, hoc eſt, quibus id vovetur aut juratur quod honeſtum eſt, quodque eſt in voventis aut jurantis poteſtate. Quare hoc caſu lex illa objici non poteſt: debet ergo valere lex altera quæ pietatem in parentes præcipit. Pertinet huc Gangrenſis Synodi canon XVI. Εἴ τινα τέκνα γονέων, μᾶλλον πιστῶν, ἀναχωροῖεν εὐσεβείας, καὶ μὴ τὴν προσήκουσαν πρόνοιαν τοῖς γονεῦσιν ἐπιτίμοις, εὐσημοφόρῳ δηλονότι περὶ αὐτοὺς τὴν εὐσεβείαν, ἀνάθεμα ἔστω [*Si qui liberi parentes, & maxime fideles, deſerant prætexta pietatis, & debitum honorem parentibus non deferant, tanquam pietatis prætextu, anathema ſunto*]. Imo, ut recte contra populares quoſdam ſuos Philo pronuntiat, nec ſi adverſus alterum quemvis, qui neque pareus ſit, neque ſanguine proximus, conceptum ſit tale votum & jurejurando conſecratum valere debet, cum hominem alterum alteri opem ferre, præcipue vero qua poteſt egeſtatem ejus ſublevare, Deus & natura imperent.

7. προεφήτευσε, *prophetavit*] Verba quidem Eſaiæ primo ſpectare videntur ea tempora quæ Babylonicam obſidionem antecеſſerunt, ſed ita ut non minus, imo etiam magis, quadrent Chriſti temporibus; quod manifeſto conſtabit ſi inſpiciatur tota εφηνωσι [*pars capitis*]: Dicit enim Deus effecturum ſe ut Judæi, præſertim vero Hieroſolymitæ, ſacra Prophetarum effata legentes non intelligant; idque in pœnam corruptæ religionis, quam à vera pietate ac dilectione ad inanes & commentitios ritus traduxiſſent. Itaque futurum, ut ipſi Magiſtri qui omnium ſapientiſſimi habebantur, in fœdos errores incidant. Ecquid potuit in iſtos homines aptius dici? Sciendum eſt, quod ſæpe notatum eſt, poſſe unum idemque vaticinium plus ſemel impleri, ita ut & huic & illi tempori conveniat, non ſolo eventu ſed Divina etiam verborum directione.

8. Ἐγγίζει μοι, *Accedit mihi*] *Amicum ſe mihi præbet*: Jacobi IV, 8.

9. Μάτην δέ, *ſine cauſa autem*] Ita & Lxx, quos apparet pro חנם, quod nunc legimus legiſſe חנם, & accepiſſe חנם pro eo quod plerumque dicitur חנם, id enim eſt μάτην aut εἰς μάταιον [*fruſtra*], ut iidem Lxx transferunt Eſaiæ XLIX, 4. Apparet autem non hoc tantum ſed multis aliis ex locis in veteri ſcriptura Hebraica Vau & Jod literas vix potuiſſe diſcerni. ſed & hoc, non omnes diſcrepantes lectiones à Maſoritis fuiſſe annotatas: quod apertiſſimum facit codex Samaritano charactere deſcriptis collatus cum exemplaribus quibus Judæi utuntur: Item Pſalmi duo alphabetici XXXVII. & CXLV. in quorum priore initium verſus incipientis ab ע, in altero initium verſus à ג deeſt, quo loco vulgata Latina verſio oſtendit pleniores codices ibi quidem habuiſſe גמל, & aliquas voces alias, hic vero & Græca & Latina oſtendit fuiſſe נשמו & aliquid præterea, quanquam tacente hic Maſoritarum diligentia. Verum utro modo hic legas nihil refert. Neceſſe eſt enim fruſtra Deum colant quorum cultus Deo diſplicet. ¶ σέβονταί με, *colunt me*] Hebraice תיראתם אותי, hoc eſt ad verbum, τὸ σέβας αὐτῶν πρός με ἐστί [*cultus eorum ad me eſt*]. Nam יראה quoties ad Deum refertur eſt ipſe cultus Divinus. Itaque optime hoc verſum eſt. ¶ διδάσκοντες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων. *docentes doctrinas mandata hominum*] Verbum διδάσκοντες [*docentes*] adjecerunt Lxx ut commodior eſſet conſtructio: & quod hic eſt προσθετικῶς [*per Appoſitionem*], διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων [*doctrinas mandata hominum*], ibi eſt συνδετικῶς [*cum copula*], ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας [*præcepta & doctrinas*]. In Hebræo eſt מורת מצות, ad verbum ἐντολὴ παρ' ἀνθρώπων διδιδαγμένη [*præceptum quod homines docent*]. hoc autem eſt, dogmata quæ in faciendo conſiſtunt. *Humana* autem *dogmata* dicuntur Eſaiæ & Chriſto, neque ſola quæ pugnant directe cum lege Divina (neque enim hoc oraculo Chriſtus utitur tantum ad confirmationem ejus quod jam dixerat, ſed etiam ut viam ſternat ad ſequentia, quibus Apoſtolos oſtendit non recte accuſatos), neque omnia quæ homines docet facienda, puta probabili interpretatione ejus quod ambiguum eſt, aut definitione æqua ejus quod in arbitrio relictum eſt, aut fideli conſilio circa ea quæ ad pietatem aut charitatem pertinent; ſed ea quæ fundamentum habent in perſuaſione non Divinitus tradita ſed humana ac futuli: qualia ſunt illa de quibus nunc agebatur, ut mox explicatus oſtenditur.

10. Τὸν ὄχλον, *convocatis turbis*] *De plebe homines*, quos Legiſperiti ut indoctos, Phariſæi ut parum religioſos, præ ſe fallidiebant. ¶ Ἀκούετε καὶ συνίετε. *Audite & intelligite*] Attentionem deſiderat Chriſtus, quia plerumque homines nolunt

Qua juvenes didicere, ſenes perdenda fateri.

11. Οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον· *Non quod intrat in os coinquinat hominem*] Κοινῶν [*commune reddere*] τινὰ opponitur τῷ ἁγιάζειν [*ei quod eſt ſanctificare*], & merito: nam quæ ſancta ſunt Deo quaſi ſeparantur. Cætera ſunt velut extra Dei peculium. Hæc cum ad animum referuntur, ut hoc loco τὸ ἁγιάζειν [*ſanctificare*] culpæ immunitatem, τὸ κοινοῦν [*commune reddere* vel *coinquinare*] culpam contractam ſignificat: μολύνειν [*polluere*] pro κοινοῦν dixit Porphyrius, hunc locum aut certe hoc Chriſtianorum dogma reſpiciens. Sic enim ait de abſtinentia ab animalibus primo: Οὐ γὰρ ἡμᾶς μολύνει, φασὶ, τὰ βρώματα [*Neque enim, ajunt, alimenta nos polluunt*]. Addit eundem Chriſtianorum ſenſum exſequens, Εἰ δὲ φαγεῖν βροῶν, ἰδιαζόντως τῷ δι' ἅπαν φοβερὸν ἐστι· δεῖ δὴ πάντ' ἡμῖν ὑποπτεύεσθαι [*Si vitemus edere, jam ſervi ſumus affectum timoris: oportet autem cuncta nobis ſubjici*]. Putabant, ut diximus, Phariſæi ita immunda eſſe quædam natura ſua ut per ſe, non ex inſtituto, animum polluerent. Docet hoc præter cæteros Judæus Scriptor libri περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ [*De imperio rationis*], qui Joſepho aſſcribitur, ubi hæc ſunt verba, Ὁ δὲ νόμος κατέῤῥησε τὰ μὲν εἰπεῖν προστάγματα ἡμῖν καὶ ψυχαῖς ἐπιτρέψειν ἰδεῖν, τὰ δὲ ἐναντιοπάθειαν ἐκφέροντα σαρκοφαγεῖν [*Scriptor Legis quæ profutura erant animis noſtris ea edere permiſit, quæ vero carnium erant nocitura, vetuit edere*]. Id Chriſtus hic negat. τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα [*quod intrat in os*] igitur hic ex ſubjecta materia intelligi debet, quod ita ingreditur ut nihil vitii accedat ab humana voluntate. Ideo Marcus dixit ἔξωθεν δὲ ἀνθρώπου εἰσπορευόμενον εἰς αὐτὸν [*extra hominem introiens in eum*]. Nihil igitur hic Chriſtus docet contra legem ciborum diſcriminatricem; neque enim tempus advenerat: quanquam oblique, dum oſtendit nihil eſſe naturâ immundum, contra quam Phariſæi exiſtimabant, ſimul ſignificat legem illam non eſſe immutabilem. Nam & Paulus eodem argumento utitur, ὅτι πᾶν κτίσμα Θεοῦ καλὸν [*quia omnis creatura Dei bona eſt*] 1 Timoth. IV, 4. Ita æqua interpretatio legis de ciborum diſcrimine, ut & ante de Sabbato, earundem legum antiquationi viam molliter præſtruxit. Valde enim eo pertinebat intelligi materiam illarum legum per ſe eſſe ἀδιάφορον [*in rebus mediis*], & quod præceptum erat non eſſe præceptum πρωτογενῶς [*principaliter*], ſed data occaſione, aut alterius rei cauſa. ¶ ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος, *ſed quod procedit ex ore*] Generalius apud Marcum τὰ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ ἀνθρώπου [*ſed quæ de homine proceduni*], hoc eſt, ea quæ ex voluntate procedunt. Sed quia eorum multa ſolent aut ore peragi, ut Διαλογισμοὶ πονηροὶ, ψευδομαρτυρίαι, βλασφημίαι [*cogitationes malæ, falſa teſtimonia, blaſphemiæ*], aut certe non ſine oris adminiculo, quemadmodum ex rixis φόνοι [*cædes*], ex impudicis colloquiis & lenociniis naſcuntur μοιχεῖαι, πορνεῖαι [*adulteria, fornicationes*]; & κλοπαὶ [*furta*] plerumque conjunctum habent mendacium, ideo hoc exempli cauſa Chriſtus addidit, quo evidentior eſſet ἀντίθεσις [*oppoſitio*]. Simillima eſt oppoſitio eorum quæ per os intrant atque exeunt apud Platonem in Timæo, forte ex barbara Philoſophia, unde multa in eo ſunt libro, Τὸν δὲ δὴ θνητὸν ἡμῶν διαιροῦσι καὶ γλώττῃ καὶ χείλεσιν ὕστερα τῶν ἀναγκαίων καὶ τῶν ἀρίστων διηρόμεσθα οἱ Διονυσιώται, ἢ τοῦ Διονύσου· τὸν μὲν ἐστὸν τῶν ἀναγκαίων μηχανὴν εἶναι χάριν, τὸν δὲ ἔξοδον τῶν ἀρίστων. ἀναγκαῖον μὲν γὰρ πᾶν ὅσον εἰσέρχεται τροφὴν διδὸν τῷ σώματι· τὸν δὲ λόγον τοῦτον ἔχω τὸν ὑπὸ τῶν Φρενῶν κτισθέντων τὸν ἄρίστον πάντων τοιούτων [*Qui corporis humani fuere fabricatores, oris noſtri formam, qualis apparet, fecere inſtructam dentibus & linguæ & labiis, ad uſus partim optimos, partim neceſſarios; introitum enim reperierunt ad res neceſſarias, exitum ad optimas. neceſſaria enim ſunt ea unde ea pus alitur, ut ſermonum fluenta quæ exeunt optima ſunt fluentorum & pulcherrima prudentiæ miniſteria*]. Quem locum ita πραγματεύεται [*fuſius explicat*] Plato Judæus, Philo ſcilicet, Στόμα τοίνυν δι' ὃ τῆς θνητῶν μέν, ὡς ἔφη Πλάτων, ἔσοδος, ἔξοδος δ' ἀφθάρτων· ἐπεισέρχεται μὲν γὰρ αἰτία καὶ ποτὰ, φθορᾷ σώματος φθορᾶς τροφαί· λέγω δ' ἐδέσματα φθαρτὰ

ψυχῆς αἴτιόν ἐστι νόμος, δι' ὃν ὁ λογικὸς βίος πολιτεύεται [*Quid ea dicam, per quod ſit, ut dixit Plato introitus rerum caducarum, exitus vero rerum immortalium. Intrant enim per os cibi & potus, caduci corporis caduca alimenta; At exeunt ſermones, vita immortalis leges immortales, per quas rationalis vita gubernatur*].

12. ἐσκανδαλίσθησαν; *ſcandalizati ſunt*] Quia Phariſæi maximi faciebant traditiones Sapientum, & in obſervatione tum earum traditionum tum rituum quorundam quos ſibi ipſi imperaverant maximam Divini cultus partem conſtituebant. Nam ad promiſcuos ciborum omnium uſus tracta ab ipſis Chriſti verba credibile non eſt; cum omnia undique crimina conquirentes nunquam hoc illi objecerint.

13. Πᾶσα φυτεία, *Omnis plantatio*] Oſtendit Chriſtus ita vitanda eſſe offendicula (de quo monuerat antehac ſæpius) ut tamen non eo minus libere docerentur quæ ad ſolidam pietatem facerent, etiam cum refutatione dogmatum quæ pietatis profectui obſtarent. Dogmata enim vocantur φυτεία [*plantatio*] eadem ratione qua appellantur ſemen. A Deo autem non ſunt dogmata quæ fundamentum non habent in revelatione Divina rectæque rationis uſu. Ignatius quod de dogmatis Chriſtus dixerat ad dogmatum auctores transfert ſenſu ſalvo epiſtola ad Trallenſes, Οὐκοῦν οὐκ εἰσὶ φυτεία πατρὸς, ἀλλ' ἴγγονα καταγμία· πᾶσα δὲ, φησὶν ὁ Κύριος, φυτεία ἣν οὐκ ἐφύτευσεν ὁ πατήρ μου ὁ οὐρανίος, ἐκριζωθήσεται. εἰ γὰρ ἦσαν ἐκ πατρὸς κλάδοι, οὐκ ἂν ἦσαν ἔχθροι ἐκ σταυροῦ ἐκ Χριστοῦ [*His non ſunt Patris plantatio, ſed devota ſoboles. Omnis autem plantatio, inquit Dominus, quam non plantavit Pater meus cæleſtis evellatur. nam ſi eſſent Patris ſurculi, non eſſent inimici crucis Chriſti*]. ¶ ἐκριζωθήσεται. *eradicabitur*] Id eſt, *oportet eam evelli*. Nempe ducendo homines ad veri cognitionem, ut ex ſequentibus apparet.

14. Ἄφετε αὐτούς· *Sinite illos*] Quomodo dicimus,

——*jubeas miſerum eſſe libenter,*

Significat Chriſtus eorum offenſas tanti non eſſe ut propterea deſerenda ſit cauſa facientis ad ſalutem veritatis. ¶ ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν. *Cæci ſunt duces cæcorum*] Videtur mihi hic eſſe ſenſus atque connexio, Si illi conſuli ſibi nolunt, at plebi conſulamus, quæ alioqui tam cæcis ductoribus uſa ipſa quoque cæca in exitium ruet. Similis comparatio eſt apud Sextum Empiricum 11. adverſus Mathematicos, ὅμοιον γὰρ εἴ τις λέγοι, τὸ βλέπειν ὑπὸ τοῦ παραμύθιον ἡγεῖσθαι [*perinde id eſt ac ſi quis dicat, cum qui videat cæco uti duce*] Horatius dixit,

——*ut ſi*
Cæcus iter monſtrare velit.

Erat autem vetus traditio apud Hebræos quæ exſtat in Midras Thillim Pſalmo CXLVI. *Doctores cæcos fore quo tempore Deus inter ipſos habiturus eſſet tabernaculum.* Vide Eſaiam XLII. 7. & infra XXIII, 24. ¶ εἰς βόθυνον ἁμαρτεῖν. *in foveam cadunt*] Reſpicitur locus Eſaiæ III, 6, 8.

15. Φράσον ἡμῖν τὴν παραβολήν. *parabolam iſtam*] Id eſt, γνώμην [*ſententiam*], illam ſcilicet de eo quod in os intrat, quodque ex ore proficiſcitur. Nihil enim neceſſe eſt aliter hic accipere παραβολὴν vocem, cum ſæpiſſime apud Hebræos ita ſumi ſupra oſtenſum ſit.

16. Ἀκμὴν καὶ ὑμεῖς, *Adhucne & vos*] Vos qui jamdudum à me diſcere debuiſtis quæ ſint illa in quibus vera pietas conſiſtit.

17. εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται; *in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*] Nullam eſſe in cibo naturalem immunditiam quæ ad animum poſſit penetrare dilucide Chriſtus explicat. Ὑποτίθεται [*ſupponit*] autem id quod conſtabat inter Judæos, Cor ſedem eſſe animi, ejus præſertim partis qua volumus, ex qua culpa naſcitur. Unde ſequitur, ſi à cibo immunditia ad cor non pertingit, ne ad animum quidem pertingere. At cibus dum adhuc permixtus eſt ſuis fæcibus, non ad cor defertur ſed εἰς κοιλίαν, in partem ventris depreſſiorem in qua eſt ventriculus. Deinde purgatur cibus, & quicquid natura ſua immundum eſt, ac proinde homini alendo non idoneum, id per alvum dejicitur. Apparet ergo nec ante purgationem nec poſt purgationem quod in cibo eſt naturaliter immundum ad cor pervenire, multoque minus ad animum. Hunc ſenſum nos Marcus docet cum dicit, καθαρίζον πάντα τὰ βρώματα [*purgans omnes eſcas*]. Ergo quod hic dicitur, πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται [*omne quod in os intrat, in ſeceſſum emittitur*], intelligendum eſt pro ratione ſubjectæ materiæ, nempe quatenus in eo dici poſſit aliquid eſſe immundi. Ita commodiſſime ſolvitur id quod Chriſto hac in parte objectum narrant Hieronymus & Zacharias.

19. Διαλογισμοὶ πονηροί, *cogitationes malæ*] Pravæ cogitationes quas effectu non ſecuto Judæi ne apud Deum quidem in crimine poni putabant, ut alibi obſervatum eſt. Dixit autem διαλογισμοὺς πονηροὺς etiam Dionyſius Halicarnaſſenſis ſenſu ſimili. ¶ πορνεῖαι, *fornicationes*] Obiter hic Chriſtus oſtendit non μοιχείαν [*adulterium*] tantum, ut craſſiores Judæi exiſtimabant, ſed & πορνείαν (*fornicationem*] lege Divina eaque perpetua interdici; cum alioqui nuſquam hoc ex profeſſo demonſtret, quia ſcilicet Magiſtri Hebræorum meliores ea in re non hallucinabantur. Helſenorum ἐγκράτειαν [*temperantiam*] à Joſepho laudatam exponit Abraham Zachuth, *Cuſtodiebant ſeipſos à ſcortatione.* Imo congreſſum cum ſcorto ita impurum habent ut proverbii loco uſurpent, veluti cum dicunt, *Panem edere illotis manibus perinde eſt atque cubare cum ſcorto.* Ad quam ſententiam forte hic Chriſtus alluſit, ut quæ illi comparabant ea multum inter ſe differre oſtenderet. Quomodo autem hæc dicantur ex ore proficiſci, ſupra diximus.

20. ἀνίπτοις χερσὶ φαγεῖν οὐ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. *non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem*] Ex conſequenti antecedens vult intelligi. Ideo enim ad puritatem animi nihil referebat manus lavarent necne, quia id quod illi lavando putabant emundari tale non erat ut animum bene ſibi conſcium poſſet inquinare.

21. εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος. *in partes Tyri & Sidonis*] Eis hic eſt *verſus*, ut tranſtulit Syrus. Nam εἰς τὰ μεθόρια [*in finis*] inquit Marcus, id eſt, *ad confinia Tyri & Sidonis.* Neque enim videtur exiiſſe Chriſtus terræ Hebræorum fines.

22. Χαναναία, *Chananæa*] Quin idem ſit quod apud Marcum Συροφοινίσσα [*Syrophœniſſa*] ne dubitari quidem debet. Nam Χαναναῖοι [*Chananæi*] Hebræis dicti ſtricte ac peculiariter hi qui Sidonem & Tyrum & quod adjacet oræ maritimæ habitabant. *Chananæus habitans ad mare*, inquit Moſes Numerorum XIII, 30. Et diſerte Tyri cives *Chananæos* vocat Eſaias XXIII, 8. Rurſum Sidonii accenſentur Chananæis Jud. I. 31. & Procopius ad Geneſin *Chananæos* explicat *Sidonios*, & Stephanus, Χνᾶ, ἔθνος ἡ Φοινίκη καλεῖται [*Chna, ſic dicitur Phœnice*], ubi Χνᾶ eſt גנע omiſſa litera ע, quam ἀφαιρετικὴν [*adjectitiam*] Hebræi fatentur. Sic & Philo Byblius ex Sanchoniathone apud Euſebium libro I Præpar. cap. 10. ἀδελφὸς Χνᾶ ὃς πρῶτος μετονομάσθη Φοίνιξ [*frater ejus Chna qui primus tranſnominatus fuit Phœnix*]. Hi autem ſunt Φοίνικες [*Phœnices*] itidem propriè dicti Straboni, Plinio, aliis. Et ut Φοίνικες Homero omnibuſque eum ſecutis celebrantur ex navigatu & mercatu, ita Solomoni, Eſaiæ, Oſeæ, Zachariæ Chananæi. Quare ſicut LXX, quod eſt in Hebræo Joſuæ V, 1. מלכי הכנעני verterunt βασιλεῖς τῶν Φοινίκων [*Reges Phœnices*], & Jobi XL, 25. Chananæos Φοινίκων ἔθνη [*Phœnicum gentes*], & quod Geneſeos XLVI, 10. eſt υἱὸς τῆς Χαναναίτιδος [*filius Chananitidis*] id eſt τῆς Φοινίκης [*Phœniſſæ*] Exodi VI, 15. pariquo modo nomina Φοινίκης & Φοινίκων poſita habes Exodi XVI. 35. Joſ. V, 12. Proverb. XXXI, 24. ubi in Hebræo Chanaan & Chananæi: ita hoc loco quod Matthæi Interpres dixerat Χαναναίαν [*Chananæam*], Marcus poſuit Συροφοινίσσαν [*Syrophœniſſam*], qua in voce *Syri* adjectio, ut ſæpe apud Poetas, nihil aliud quam Phœnicas Aſiæ αὐτόχθονας [*indigenas*] à colonis ipſorum Africanis Phœnicibus diſtinguit, ut pridem rectè eſt obſervatum. Hinc Syrus Interpres dicto Marci loco διαστολικῶς [*per diſtinctionem*] dixit *Punicam Syriæ.* Nec aliter interpretandum Horatii illud,

——*& utrque Pœnus*
Serviat uni:

Syrophœnices ſcilicet & Libyphœnices. Ipſi quoque in Africa Phœnices *Chananæos* ſe vocabant. Nam Auguſtinus libro Expoſitionum epiſtolæ ad Romanos ait, Ruſticos Afros Hipponæ vicinos ſi interrogarentur qui eſſent, Punicè reſpondiſſe, *Chanaani.* Vocis autem *Phœnicis* originem fruſtrà viri eruditi ex Syriaco quærunt. Neque enim à ſeipſis ita vocabantur ſed *Chananæi. Phœnicas* autem Græci dixere, ut Ariſtoteles refert De mirandis narrationibus, quod latrocinantes ut in quamque oram appulerant homines occiderent. Nam veteribus Græcis φοινάξαι [*ſanguinem fundere*] dicebatur φοινίξαι· quod & Ariſtophanis interpres ad Acharnenſes notavit. Eademque de cauſa etiam Cares dicti Φοίνικες [*homicidæ*] Bacchylidæ & Corinnæ. Quod autem Ἑλληνὶς [*Græca*] hæc mulier Marco dicitur, ſignificat nec Hebræam fuiſſe gente, nec Ἰουδαΐζουσαν [*Judaicæ religionis*]. Neque tamen ſequitur fuiſſe idolorum cultricem. Nam & in Judæa & in vicinis regionibus & alibi erant viri feminæque θεοσεβεῖς ἐκκόμψοι τὸν Θεὸν [*religioſi colentes Deum*], extra profeſſionem Judaiſmi, qualis Cornelius, Lydia, atque

atque alii, de quibus videre eſt Actorum x, 2. xvii, 4, 17. Atque hoc ſenſu Ἑλλὰς [*Græcum*] ſæpe dixit Paulus, omne humanum genus in Græcos & Judæos diſpertiens. Hæc autem femina ex Sidoniis aut Tyriis finibus ad Chriſti famam proceſſit; Deo eventus ita diſponente ut quomodo antecedens diſputatio antiquationem Legis ritualis, ita hæc adoptionem Gentium adumbraret.

23. οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῇ λόγον, *non reſpondit ei verbum*] Ita Lucilius,

—— *non audet dicere mutum.*

Nam *mutum* eſt *verbum*, ut recte ad Perſium Scholiaſtes, qui mos loquendi manet in lingua Romanenſi Francorum. ¶ Ἀπόλυσον αὐτὴν, *Dimitte eam*] Verterim, *Abſolve hanc*; quomodo Terentius aliique hanc vocem uſurpant.

24. Οὐκ ἀπεστάλην, *non ſum miſſus*] Hoc mandatum, inquit, à Patre accepi, tanquam ab eo miſſus ut Judæis proponam verba ſalutaris doctrinæ & miraculis conſignem. Nam ſemen illud numeroſum ex Gentibus, Chriſto promiſſum erat demum poſt mortem, cum jam non amplius futurus eſſet Legatus, ſed Rex aſſidens dextræ Patris. Neque tamen hoc obſtabat quominus intra Judææ fines ἀλλοφύλῳ [*extraneo*] uni atque alteri beneficeret. Sed Chriſtus veri partem enuntians, partem reticens, perſeverantem feminæ fiduciam teſtatam facere voluit in opprobrium Judaicæ gentis. ¶ τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα, *oves quæ periere*] Vide ſupra ix, 36.

26 Οὐκ ἔστι καλὸν, *Non eſt bonum*] Id eſt, οὐ πρέπει [*non decet*]. Syrus ܠܐ ܫܦܝܪ. Alibi pro συμφέρει [*expedit*], ut infra xviii, 8, 9. Marci xiv, 21. 1 Corinthiorum vii, 1. ¶ τοῖς κυναρίοις. *canibus* ſeu *caniculis*] Verum eſt Canes Hebræis & Græcis veteribus dici ſolere eos quos contemnimus. Sed vox κυνάριον ei ſignificationi non convenit. Ita enim appellari vulgo ſolebant canes qui in deliciis erant, quales Meliteníes. Tantum ergo indicatum voluit Chriſtus diſcrimen quod ad id tempus erat inter τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας [*filios promiſſionis*], & extraneos.

27. Ναὶ, Κύριε· *Etiam, Domine*] Quanquam non valde refragor viro doctiſſimo qui putat ναὶ eſſe obſecrantis particulam, tamen ſimpliciſſimus mihi ſenſus eſſe videtur ſi interpretemur pro nota aſſenſus, hoc modo, *Verum dicis, Domine, Panes filiorum catellis non objici: contenti enim catelli eſſe debent micis de menſa cadentibus*; quaſi dicat, Et ego nec multa nec magna nimium beneficia poſtulo, id unum, quod obiter & ſine aliorum detrimento concedi mihi poteſt. Nam hoc ſupplere facillimum eſt ex ſimilitudine à Domino propoſita, quam perſequitur. Reliquias canibus dari receptum ubique. Euripides Creſſis,

—— νόμῳ γὰρ λείψαν' ἐκβάλλ(κυσίν.

[—— *reliquias mos habet canibus dari.*]

Phædrus,

—— *de menſa ſua*
Dat oſſa Dominus.

Apulejus, *reliquiis cœna canes ineſcatos.* Narrat Plutarchus Perſarum Regibus in more fuiſſe etiam canibus quod ederent in ſua menſa ponere. Apud Quintilianum eſt, *Etiam canem paſcit.* Philoſtratus Vita Apollonii, πλησίον τοῖς κυσὶ πεσεῖσθαι τοῖς ἀπὸ τραπέζης τὰ ἐκπίπτοντα ἔδεσθαι [*facere eos itidem ut canes qui paſcuntur iis quæ de menſa cadunt*]. Ariſtoteles ſecundo De Generatione animantium, capite vi. Ἐν δὲ τῇ οἰκονομίᾳ τὰ βέλτιστα τοῖς ἐλευθέροις· ἡ δὲ χείρων καὶ τὸ περίττωμα τούτης ἔστιν οἰκέταις· τὰ δὲ χείρονα καὶ τοῖς σιτοτρεφομένοις ἀνάγκη ζώοις [*in re familiari de alimentis optima dantur ingenuis, quod pejus de his ſupereſt famulis, peſſima dantur domeſticis animalibus*].

28. μεγάλη σου ἡ πίστις· *magna eſt fides tua*] Fides vere Iſraelitica in extranea muliere. Nam Jacobo cum ei *Iſraelis* nomen inderetur dictum eſt כי שרית עם אלהים ותם אנשים ותוכל [*fuiſti princeps cum Deo & cum hominibus & prevaluiſti*] Geneſeos xxxii, 28. quod optimo jure huic feminæ dici poterat. Inſigne præſagium τῆς τῶν ἐθνῶν κλήσεως [*vocationis Gentium*].

30. κυλλοὺς, *mutilos*] Cum vox hæc Græcis, & quidem uſitatiſſime, *mutilum* ſignificet, atque ita extra controverſiam ſumatur infra & apud Marcum, neque alio ſignificatu in his libris appareat, & Syrus eum in modum interpretetur, non video quid obſtet quominus & talia corporis vitia à Chriſto ſanata credamus, quanquam alibi nihil tale legitur: ita ὑγιεῖς [*ſanos*] infra ſumendum erit pro ὁλοκλήρους [*integros*].

31. Ὥστε τὸν ὄχλον θαυμάσαι, βλέποντας τοὺς κωφοὺς λαλοῦντας, *Ita ut turba mirarentur, videntes mutos loquentes*] Videntes impleri vaticinium Eſaiæ xxxv, 5.

35. ἀναπεσεῖν, *ut diſcumberent*] Supra ἀνακλιθῶσι. Plane nihil differt ἀναπίπτειν, ἀνακλίνεσθαι & ἀνακεῖσθαι, ubi de conviviis agitur; neque refert humine an in lectis diſcumbatur: ut ab aliis notatum eſt. Canon Synodi Ancyranæ quintus de iis agens qui in idoleo cœnaverant, ἔνιοι δὲ ἀνῆλθον μὴ ἐσθῆτα πενθικὴν ἢ ἀναπεσόντες ἔφαγον, id eſt, ἀνακείμενοι [*qui autem ierant in veſte lugubri & cum diſcubuiſſent, ederunt*]· ſequitur enim μεταξὺ δὲ ὅλης τῆς ἀναπλίσεως δακρύοντες [*toto diſcubitus tempore flentes*].

36. εὐχαριστήσας, *gratias agens*] Idem eſt quod εὐλογήσας [*benedictione facta*], ut ſupra vidimus.

37. σπυρίδας, *ſportas*] Diſtinguitur infra, *ſporta* à *cophinis*. Forte ad iter quod diuturnius fore putabant ſportas potius quam cophinos aſſumſerant.

39. Μαγδαλάν. *Magadan*] Ita olim habuit Græca lectio, ut ex Hieronymo & Auguſtino apparet, atque etiam nunc optimæ notæ codices; ita & Latinus vetus. Quare cum etiam nunc exemplaria quædam Μαγδαλὰν habeant, ea ſcriptura pluribus teſtimoniis niti videtur. Adde quod in Marco pro Δαλμανουθὰ [*Dalmanutha*] quidam codices habent Μαδεγαδὰ [*Madegada*], & olim haud paucos codices ibidem habuiſſe Μαγαδὰ [*Magada*] commemorat Auguſtinus: Quod mihi quidem non ſufficit ut lectionem quæ apud Marcum eſt ſollicitem: nam ex tabula Judææ quam Judæi dederunt diſcimus eundem eſſe tractum in quo vici Magadan & Dalmanutha, ita ut ab utrovis denominari is tractus potuerit, ſicut idem eſt tractus Gadaræ & Gergeſæ, ut ſupra dictum eſt: Sed cum id quod in quibuſdam eſt Marci codicibus interpretamentum eſſe arbitrer ex hoc Matthæi loco deſumtum, videtur mihi hoc quoque ad cætera teſtimonia ejus quam dixi lectionis Μαγδαλὰν accedere. Neque tamen nego fuiſſe locum qui Μαγδαλὰ [*Magdala*] appellaretur, unde *Magdalena* nomen fuerit: imo ex ejus nominis vicinitate errorem natum arbitror. Suadeo & hic & ubicunque lectiones diſcrepant, vetuſtiſſimos codices conſulant ſi quibus nanciſcendi eſt copia.

PRICÆUS.

Com. 8. Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς ἐν τῷ στόματι αὐτῶν, &c. καὶ δὲ καρδίᾳ αὐτῶν, &c.]

Μῦθοι μὲν πλεῖοι καὶ μειλίχοι, ἐχθροὶ δὲ ἔργα.

Theog.

—— Ἔπεστι σιγὴ, νοῦς δ' ἔνι καὶ φρένας ἄδην.

Moſchus,

—— Καρδὶ φρένες, ἀδὺ λάλημα.
Οὐ γὰρ ἴσον νοεῖ καὶ φθέγγεται. ——

Plautus,

In melle lingua ſunt ſita atque orationes.
Lacteque, corda felle ſunt ſita atque acerbo aceto.

Confer Pſalm. 12. 2. & 62. 4. Jerem. 9. 8. & 12. 2. Ezech. 33 31. Siracid. 12. 22.

Com. 14. ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν] Πλανῶντες, (ut 2 Tim. 3. 14.) καὶ πλανώμενοι.

Ibid. ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν] Arrian. l. 9. in Epictet. Νεκρὸς μὲν ὁ παιδάριον, τετροὶ δ' ὑμεῖς.

Ibid. ἐὰν τυφλὸν ὁδηγῇ, &c.] Vulgat. *ſi cæco ducatum præſtet*; ut & 2 Maccab. 10. 29. ἀφηγουμένου; *ducatum præſtantes.*

Com. 17. πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ] Theodoretus περὶ προσ. 4. de officio oris diſputans, Λόγῳ μὲν οὖν, πρόφῃ ὑπαδέχεται, καὶ καθάπερ τῇ γαστρὶ παραδίδωσιν. Gellius 17. 11. *Ipſum autem Eraſiſtratum dicere duas eſſe canaliculas quaſdam, vel fiſtulas, caſque ab oris faucibus proficiſci deorſum, per earumque alteram deduci delabique in ſtomachum eſculenta omnia & poculenta, atque ea ferri in ventriculum, qui Græce appellatur ἡ κάτω κοιλία*, &c. Q. Calaber,

Ἐσχάτη κοιλίη λέξ' ὀμφαλὸν ἀμφιέπουσα,
Ἣ χρὴ βοὸς πιόεσσα τε καὶ εὐδαπὴς εἶναι χιλοῦσθαι.

Quod ſequitur, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται, percommode illuſtratur verſibus Agathiæ de ὑπονόμῳ publico olim Smyrnæ conſtructo,

Πᾶν τὸ βρετῶν ἀπορρίμμα καὶ ἡ πολυλαβὴς ὑδωρὴ,
Ἐνθάδε κελευθμὸν ἐς πρὸν ὄλισθε χάσσαν.

Οἱ δὲ Φαρισαῖοι τὴν ἰχθύες, αὐτὸ ὑπὸς ἴγδιν
Τρέφιες, ἢ τὴν τέσσ βρώματ@ ἐξαπάτην,
Γίνεται ἐνθάδε κόπτ@, δύσοσδύῃ δ' ἄφρ γαστὴς
Ὀπτάσιν πεναλέην δέξατο λαυκανίη.
Ὀφὶ ἡ χαρώσκῃ τις ὅτ' ἄφρονα μῆτιν ἀείρων,
Χρυσὸ πολατίν ἢ κῆτος ἐπρήνατο.

Seneca Epiſt. 110. *Delectat nidor horum ante quæſitus; at mehercule iſta ſolicite ſcrutata, varieque condita cum ſubierunt ventrem, una atque eadem fœditas occupavit:* & ibidem, *Vin ciborum voluptatem contemnere? exitum ſpecta.* Ambroſ. Hexaem. 6. de cibo agens, *Quem juvenes accipiunt ad incrementum, ſenes ad perſeverandum: reliquum autem velut ſuperfluum per inteſtina deducitur, & per illud ex tranſverſo oſtium derivatur.*

Com. 19. Ἐκ γὰρ τ καρδίας ἐξέρχονται διαλογισμοὶ πονηροὶ, φόνοι, μοιχεῖαι, &c.

Prudentius,

——— *mala noſtra,*
Ex noſtris concreta animis, genus, & caput, & vim,
Quid ſint, quid valeant ſumunt de corde parente.

Philo in de Sacrif. Τὸ ἡγεμονεῦον τ ἐφ' ἡμῖν ἀφροσύνην, καὶ δουλίαν, ἢ τὰς ἀλόγ παθῶν δυνάστιν τ ἢ χαρὰν· τότε ἢ ὅταν ἰσχυρίζηται ἡ καρδία.

Ibid. φόνοι, μοιχεῖαι, πορνεῖαι, κλοπαὶ, ψευδομαρτυρίαι.]

Juvenalis,

Perfidia, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæſitum.——

Ovidius,

—— *Fraudeſque, doliqne,*
Inſidiæque, & vis, & amor ſceleratus habendi.

Pro φόνοι libentius libros ſequerer qui habebant φθόνοι niſi ſi (ut Rom. 1. 29. & Galat. 5. 21.) originitus utrumque poſitum.

Com. 20. πεῖραι ἵνα τὰ κρείττονα τ ἄνθρωπον] Sic 2. 8. Arrianus hominem μελαγχόλ dixit ἀκαθάρτοις διανοήμασι· quæ 4. 9. αἰσχρὰ ἐνθυμήματα vocat. Cyprianus, *Per ſe non inquinat animam tactus idoli, nec ingreſſus fani, ſed per ſe polluit conſcientiam amor pecuniæ, inceſtus, rapina, hypocriſis, & his ſimilia monſtra.*

Com. 23. κρατεῖ ὀπίσω ἡμῶν] Ita 3 Reg. 17. 11. Ἐβάσταζον (i.e. ἐκράτουν) ὀπίσω αὐτῆς.

Com. 25. Κύριε, βοήθει μοι] Apud Arrian. 2. 15. Νεκῶ, Κύριε, βοήθησόν μοι.

Com. 27. Ναὶ, Κύριε, καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τ ψιχίων τ πιπτόντων ἀπὸ τ τραπέζης, &c. Canis apud Phædrum,

—— *de menſa ſua*
Dat oſſa dominus, fruſta jactat familia,
Et quod faſtidit quiſque pulmentarium.

Suidas, Τράπεζα, ἢ τραπεζίτης κύων, ὁ ἐσθιόμενος τ τραπεζίτ. Apuleius *reliquiis cœnæ canes ineſcatos atque diſtentos* dixit: τὸ καὶ autem hoc loco mihi non videtur tam obſecrantis, vel enim affirmantis eſſe, quam adſentientis, ut etiam apud Latinos: quomodo & hic Vulgatus vertit. Senſus eſt, Credo, (vel Puto) Domine, te ob Judæos veniſſe, ad eos ſolos tamen immenſam tuam bonitatem non reſtringi pro certo obtineo. Σὺ γὰρ Κύρι@ πάντων, πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους σε, Rom. 10. 12. Ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενός σε δεκτός σοι ἐστιν, Act. 10. 35. Ἐν οὐκ ἔτι ἔνι Ἕλλην ἢ Ἰουδαῖος, περιτομὴ ἢ ἀκροβυστία, βάρβαρ@, Σκύθης, δοῦλ@, ἐλεύθερ@· ἀλλὰ τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι, Coloſſ. 3. 11. Me exteram, dum credidero, quid prohibet beneficio tui adventus frui? Parantur quidem, Domine, hominibus cibaria, ſed & canes obiter abeunt non impaſti. Ἐν τ πίνειν οἱ περιούσιοι τ οἴνου ἢ τ ἀγορᾶς δ' ἴδιόν ἄπο περιοῦσιν ἢ δεῖ σὺν ἀνθρώποις, σοφιζόμενοι ἢ καὶ τ ἀναισθησίας οἱ πολλοί. Orig. coot. Celſ. 4. De ordine non laboro, dum me voti compoſiveris.

CAP. XVI.

MUNSTERUS.

1. UT oſtenderet eis *ſignum de cœlo*] Poſtulabant à Chriſto ſignum de cœlo tentandi gratia, & non veritatis cognoſcendæ deſiderio: ideo ſignum fuit eis negatum. Habuerant prius multa ſigna, ex quibus ſi voluiſſent cognoſcere veritatem, quis ipſe eſſet potuiſſent advertere. In rebus exterioribus prudentes erant, quippe ex aſpectu cœli poterant judicare ſerenitatem aëris & tempeſtatem, & in rebus Dei non poterant neque volebant cognoſcere ſigna ſalutis & tempus viſitationis eorum atque præſentiæ Chriſti. Signum tamen datum eſt eis, ſed quale in Jona viſum eſt, nempe ſignum Reſurrectionis, ut quemadmodum Jona ex ventre ceti in vitam revocatus fuit, ita ipſe à vera morte ad vitam eſſet revocandus; & ſignum illud teſtimonium eſſet condemnationis eorum, quippe ex quo advertere debuerant potentiam & majeſtatem Chriſti, potiſſimum cum ſancti Apoſtoli ſignum illud reſurrectionis magna fiducia atque miraculis toti mundo prædicaverint. Objiciunt hic nobis Judæi, reſurrectionem Chriſti non per omnia reſpondere figuræ Jonæ, cum Chriſtus non tribus integris diebus, nec non niſi duabus noctibus, jacuerit in ſepulcro. Arguunt autem ſic, כתוב להן כמו שהיה יונה במעי הדגה שלשה ימים וג' לילות כן יהיה ישו בארץ שלשה ימים ושלשה לילות מה אינו יכול להיות שיהיו שם בלב הארץ ג' ימים ושלשה לילות שהרי יש נצלב ביום ששי בערב ועמד ביום ראשון בהשכמה ואמרו לדבריהם מקצת יום כלל אינו עולה בו בן אינו כי אם ג' ימים וב' לילות· והליי כבר אמרו לעיל כי אין צריך שמשים יהיו רומי לעניים נוכחים בכל אבריהם אלא די הוא אם יש בראש בניהם רמז: In quibus verbis nec ſynecdochen admittere volunt, ſed tres integros dies requirunt, perinde quaſi oporteat ſemper rem figuratam figuræ per omnia reſpondere; quod falſum judicamus: alioquin oporteret & Deum habere corpus, cum Scriptura dicat hominem *formatum ad imaginem & ſimilitudinem Dei.*

12. *Doctrina Phariſæorum*] Supra comparatur Euangelium fermento; hic vero comparatur doctrina hominum fermento, quæ, cum non nitatur verbo Dei, neceſſe eſt ut corrumpat bonos mores, quæ ſcilicet Legem & opera docet ſine fide atque Chriſto: & hæc pios non facit, ſed ſuperbos, ſupercilioſos, & qui bona opera ſua aliis vendere audent, cum tales nihil ſint quam meri Phariſæi & hypocritæ.

13. *Cæſarea Philippi*] Sita eſt hæc urbs ad fontem Jordanis, vocataque eſt antea *Paneas*; ſed à Philippo, ob cujus uxorem Johannes Baptiſta occubuit, ampliata fuit, & *Cæſarea* dicta, atque poſtea *Neronia* vocata, &c. Ibi interrogabat Chriſtus Diſcipulos ſuos quid de eo ſentiret vulgus, ut illos ſcilicet certius de ſe inſtrueret. Et Petrus pro omnibus Apoſtolis reſpondit, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, à quo ſcilicet omnia habent vitam. Sed quia *caro & ſanguis* illam confeſſionem ei non ſuggeſſerant, ſed *Pater cœleſtis*, reſpondit ei Chriſtus, *Beatus es Simon bar Jona*, i. *filius Jona*. Sonat enim *bar* in Syriaca lingua, qua Chriſtus ad vulgares eſt uſus, *filium*, pro quo Hebræa lingua habet *ben*. Idem ſentiendum eſt de כיפא *Cepha*, i. *petra*, pro qua Hebræi legunt פטרא. Vocavit autem Dominus hunc Apoſtolum *petram* propter fidei ſuæ magnificam confeſſionem. Super quam & *Eccleſiam ſuam ſe ædificaturum* aſſeruit; non ſuper Petrum ipſum, ſed ſuper firmam illam confeſſionem à qua Petrus vocatus eſt *Petrus*, contra quam nec *porta inferorum*, i. poteſtas tenebrarum, aliquid valebunt. In portis olim fiebant judicia & ſedebat poteſtas publica; atque hinc eſt quod hic dicitur, *Porta inferorum*, &c. Cæterum quod ſubjicitur de *clavibus* hunc habet ſenſum, Per *regnum cœlorum* intelligitur Eccleſia Chriſti, & hæc aperitur per clavem verbi Dei. Credentibus autem *aperitur regnum cœlorum*, h. e. remiſſio peccatorum & vita æterna promittitur ex verbo Dei: & hoc eſt *remittere peccata*: ſicut è contra non credentibus per verbum Dei *claditur regnum cœlorum*, h. e. remiſſio negatur peccatorum, & æterna mors annunciatur.

21. *Oportet eum ire in Jeruſalem*] Appropinquabat tempus ſuæ paſſionis, ideo voluit in Diſcipulis augere ſui cognitionem, atque roborare fidem, ne deficerent cum viderent eum meri pro peccatis hominum, imo mortem ipſam eſſe viam ad æternam vitam, præſertim mortem Chriſti, qui ſui ſanctiſſimi corporis oblatione electos Patri cœleſti reconciliavit, & filios Dei qui diſperſi erant congregavit in unum. Reparavit nobis morte ſua vitam quam Adam primus parens peccato ſuo

Digitized by Google

ſuo amiſit. Sed perfidi Judæi ſacra noſtra contaminantes, & blaſphemam ſuam linguam exſerentes, ajunt propterea Adam & ſuos poſteros morti obnoxios factos quod futurus eſſet ex ſemine ejus qui ſe Deum faceret. Scribunt enim ſic quidam eorum ſuper Geneſim. תשואל למינים כתי בפרש בראשית שאמי ה׳ הן האדם היה כאחד ממנו וגו׳ עד ועתה פן ישלח ידו ויקח גם מעץ החיים והיה חושש הקיבה׳ אם יהיה האדם לעולם והוא מנהג העולם שאין אדם חפץ שיהבלו מעשיו אם נפץ פעם או אולן לא רצה שיבוש אם נגזר ביה לא רצה שיעיל ולא לעי שאשי חק שעתיד יהו לרז לחשעורין והעולם ולומר שהוא אלוה׳ אמר חק מוטב שיכוסו בני אדם ויש יהלו בעץ אחד ואכל יאכל מעץ החיים ויחי לעולם כי בעל כרחם עולם כי לא אלוה הוא ׃ O blaſphema vox inimicorum crucis Chriſti, perpetuis vindicanda flammis. Vere impletur hic verbum Apoſtoli, quod *crux & mors Chriſti Judæis ſcandalum eſt & Gentibus ſtultitia, nobis autem credentibus ſalus ad vitam.* Mors Chriſti non attulit mundo mortem, ut perverſus ille Judæus ſcribit, ſed vitam. Nec quia Deus prævidit Chriſtum futurum Deum & hominem homines mori cœperunt, ſed quia homo peccavit Deus factus eſt homo, & humiliavit ſe factus Patri cœleſti obediens uſque ad mortem. A qua obedientia cum per Petrum revocaretur, vocavit eum *Satanam*, ut qui ex inſtinctu Satanæ eum conaretur abducere ne fieret hoſtia pro peccatis illorum quos Pater ad vitam ordinaverat.

24. *Abneget ſemetipſum*] *Abnegare ſemetipſum* eſt non ex humano affectu vivere, ſed meditari vitam quæ Deo digna ſit, ſeſe committere curæ Patris cœleſtis, & *tollere crucem ſuam*, i. æquo animo ferre ærumnas ſuas quas Pater ferendas impoſuerit, & id aliud nihil eſt quam *ſequi Chriſtum* & *perdere animam*. *Perdere animam* Hebraiſmus eſt, capiturque pro Ferre crucem & multa vitæ ſuſtinere incommoda, adducere denique propter Chriſtum vitam in periculum atque mortem.

27. *Reddet unicuique juxta opera ejus*] Non quod juſtificatio & condemnatio hominis ſit ab ipſis operibus; ſed bona opera probant bonum hominem, ſicut boni fructus probant arborem eſſe bonam. Nec arbor fit bona à fructibus, ſed fructus quod ſunt boni id habent ab arbore; ita bona opera non juſtificant hominem, ſed oſtendunt hominem prius juſtificatum: & ob id dicitur hic fieri judicium *ſecundum opera*, vel *facta*, quod opera teſtentur de operante, & ut quiſque fuerit ita operetur.

28. *Qui non guſtabunt mortem*] Sunt qui putant hunc locum ſic intelligendum, Inter vos Diſcipulos meos ſunt quidam qui victuri ſunt poſt paſſionem meam aliquot annos, & viſuri quam potenter regnaturus ſum in Eccleſia mea, & glorioſus apparebo orbi, qui jam per humilitatem ſubiturus ſum mortem. Et multi qui me per mortem periiſſe putabunt, brevi poſt mortem meam Salvatorem mundi prædicabunt atque adorabunt.

V A L L A.

14. ALii, *Joannem Baptiſtam*] Deeſt *quidem*, ut ſit *alii quidem*; niſi malumus dicere, *Nonnulli quidem*, quia aliud nomen eſt Græce, cum ſequitur, *Alii autem*, *Etiam*, Οἱ μὲν, Ἰωάννην τὸν Βαπτιστὴν εἶπον ἄλλοι δέ, Ἠλίαν.

18. *Et porta inferi non prævalebunt adverſus eam*] Ego dixiſſem, *Neque porta inferni prævalebunt ei*: quia nec Græce legitur *adverſus*, nec Latine, quantum ſcio invenitur *inferi* numeri ſing. nec in plurali in hunc ſenſum: & Græce dicitur plane *inferni*, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Idem de illo loco Jonæ dico, 2.2. *De ventre inferi clamavi*: & de illo Ezechiæ, Iſa. 38.10. *Dixi in dimidio dierum meorum, Vadam ad portas inferi.* Quod ſi bene ſic dicitur, cur nunquam in aliis caſibus invenimus? Ergo *inferni* dicendum eſt, cum ſciamus nunquam apud priſcos *inferum* fuiſſe niſi adjectivum.

R E V I U S in V A L L A M.

18. NUſquam *apud priſcos* inferum *fuiſſe niſi adjectivum*] *Infernum* in omnibus editionibus ſcriptum erat, præter, imo contra, auctoris mentem. Cæterum carmen De reſurrectione, quod Eraſmus ſub Lactantii nomine citat, in quo *Inferum* ſubſtantive ponitur, non Lactantii, ſed potius Venantii Fortunati eſt. Obſervavi eundem vocis abuſum Commentario in Jobum qui falſo tribuitur Hieronymo cap. 4. *Ut eum abſorbere poſſit, & quaſi inferum deglutire.*

E R A S M U S.

2. SErenum *erit*, εὐδία] i. *Serenitas*: ut ſubaudias *erit*; ſicut & in proximo.

3. *Hodie tempeſtas*] Sub. *erit*. Σήμερον χειμών. Ac magis exprimit certum prognoſtæ judicium hoc ſchema ſermonis. ¶ *Rutilat*] Idem verbum eſt quod modo verterat *rubicundum eſt*, πυῤῥάζει. ¶ *Non poteſtis ſcire*] *Scire* non additur nec in pleriſque Græcis exempl. nec in antiquis Latinis. Quanquam in nonnullis reperi ſcriptum *ἐ ἐωίεπ; non poteſtis?* in quibuſdam *ἐ ωίεπ; non intelligitis?*

6. *Intuemini & cavete*, Ὁρᾶτε καὶ προσέχετε] i. *Videte & cavete*, ſive, ut alibi vertit, *Attendite*. Quis enim unquam dixit, *Intuemini* pro *Cavete*? Nam hæc verborum idem ſignificantium conduplicatio nihil aliud quam epitaſin cautionis habet.

7. *Inter ſe*, ἐν ἑαυτοῖς] *Inter ſe mutuo*, ſive *intra ſeſe*. *Intra ſe* habet codex aureus: ut intelligas tacitam cogitationem Nam διαλογίζονται quoque ambiguum eſt ad Diſputantem & Cogitantem.

8. Ἐν ἑαυτοῖς, *inter vos*] Sive, *intra vos*.

9. *Quinque panum, & quinque millia*] Cur non potius *quinque millium*? Quanquam accuſativus *panes* erat commodior ob turbam genitivorum. Quidam Latini codices habebant *quinque panum & quinque millium*; quidam, *quinque panum in quinque millia*; cum emendatiores cum Græcis legant *quinque panum, quinque millium*; ut non ſit aſyndeton, ſed panes illorum dicantur qui eos comederunt, aut certe genitivo Græco abſolute poſito, *cum eſſent quinque millia*. Similis varietas eſt in proximo ſermone, *ſeptem panum & quatuor millia*, vel *in quatuor millia*. Vetuſtiores habebant, *ſeptem panum*, *quatuor millium*. Cæterum articulus additus facit ut de certis panibus deque certis hominibus intelligamus, τοὺς πέντε ἄρτους, & τῶν πενταχιλίων, *Quinque illos panes*, *illorum quinque millium*. Poterat fortaſſe poſterior genitivus abſolute verti, *Cum eſſent quinque millia hominum*.

11. *Quare non intelligitis*, πῶς οὐ νοεῖτε] i. *Quomodo non intelligitis*: ut ſit objurgantis, h. e. *Qui fit ut non intelligatis?*

13. *Cæſarea Philippi*, Καισαρείας τῆς Φιλίππου] Dilucidius erat *Cæſarea ejus quæ cognominatur Philippi*. Siquidem articulus additus diſtinguit hanc Cæſaream quæ *Philippi* cognomen habet ab ea quæ citra cognomen *Cæſarea* dicitur. Ea eſt quam major ille Herodes Jud. Rex inſtauravit in honorem Auguſti Cæſaris, quæ prius *Turris Stratonis* vocabatur. Cæterum Cæſarea Philippi ea eſt quam exſtruxit ejus filius Philippus Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis in honorem Tiberii Cæſaris, quæ mutato nomine deinde *Panea* dicta eſt, in provincia Phœnices radices Libani, ubi Jordanis è duobus oritur fontibus, Jor & Dan, autore Hieronymo. ¶ *Quem dicunt homines*, Τίνα με λέγουσιν] i. *Quem me dicunt*: atque ita ſcriptum deprehendi & in vetuſtiſſ. cod. Latinis, nominatim in exempl. Paulino. Vetuſtiſſimus omnium Irenæus lib. 3. cap. 2. pronomen addidit, *Quem me dicunt*. In nonnullis Græcis tantum erat, *Quem me dicunt eſſe?* Quanquam Hieronymus in commentariis negat Chriſtum velut arroganter de ſe percontantem dixiſſe, *Quem me dicunt eſſe?* ſed, *Quem dicunt eſſe filium hominis?* etiamſi poteſt intelligi modeſtiæ argumentum non eſſe in omiſſo pronomine, ſed in addita particula *filium hominis*. Nec ex Origene nec ex Chryſoſtomo ſatis liquet additum fuiſſe *me*. Apud Theophylactum addi conſtat. ¶ *Filium hominis*, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου] Neutrum expreſſit articulum, cum neuter ſit otioſus. Nam certum filium ac certum hominem ſignificat, nempe Adæ, qui apud Hebræos אדם i. *homo*, dicitur. Proinde frivolum eſt iſtorum commentum qui putant Chriſtum ob id dici *filium hominis* quod ex matre duntaxat ſit progenitus, cum hic *homini* præponatur articulus maſculinus τῷ. Itidem in eo quod ſequitur,

16. *Tu es Chriſtus*] ὁ Χριστὸς, i. *Tu es ille Chriſtus*, & *tu es ille Filius Dei*. Quin etiam participio ζῶντος articulus additus eſt apud Græcos, idque non abs re, quod ſubindicat Origenes, adducens illud, *Vivo ego*, *dicit Dominus*. *Filium*, non cujuslibet dei. Nam erant & gentibus ſui dii; ſed *Filium illius Dei*, *qui ſolus habet immortalitatem*, quique Fons eſt & Parens omnis vitæ. Leviculum eſt quod paulo ante, ¶ *Dicit illis Jeſus*] *Jeſus* additum eſt, cum abſit in Græcis atque aureo codice.

17. *Simon Barjona*] Mirum cur id uterque interpres alia lingua maluerit quam Græce, aut Latine. Nam alibi vertit; ut Joan. 1.43. *Tu es Simon filius Joannis*: & rurſus Joan. 21.15.

Simon Joannis, diligis me plus his? Niſi forte alluſit ad myſterium revelationis. *Bar* בר enim *filium* ſonat, & יונה *columbam*. Addito elemento יוחנן ſonat *Joannem*. Porro *Joanna* interpretantur *Domini gratiam*. Hieronymus putat depravatum eſſe *Bar Joanna* in *Barjona*.

18. *Quia tu es*] Ὅτι, *Quod*, non *quia*, i. Dico te eſſe Petrum. *Petrus* autem Græcis *ſaxum* ſignificat, Πέτρος· quemadmodum & *Cephas* Syro ſermone, ut teſtis eſt Hieronymus, non Hebraico, *ſoliditatem* ſonat. *Saxum* enim illum appellat, quod ſolidus ſit in confeſſione fidei, & non vulgarium opinionum levitate huc & illuc vacillet. *Et ſuper iſtam petram*, h. e. ſolidam iſtam fidei profeſſionem, *exſtruam Eccleſiam meam*: In quo fundamento ſi conſtiterit, *nec inferi quicquam adverſus illam poterunt*, nedum homines. In eam ſententiam Theophylactus & Chryſoſtomus, quem citat Catena aurea. Etiamſi D. Auguſtinus in homilia hujus loci, hæc verba, *ſuper hanc petram*, ipſi accommodat Chriſto, non Petro: TUES, inquit, PETRUS: ET SUPER HANC PETRAM *quam confeſſus es*, SUPER HANC PETRAM *quam cognoviſti*, *dicens*, TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI, ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM. *id eſt*, *Super meipſum Filium Dei vivi ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te, non me ſuper te. Nam volentes homines ædificari ſuper homines dicebant*, EGO QUIDEM SUM PAULI, EGO AUTEM APOLLO, EGO VERO CEPHÆ, *ipſe eſt Petrus. Et alii qui nolebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſuper petram*, EGO AUTEM SUM CHRISTI. Idem libro Retractationum priore, cap. 21. recenſet utramque ſententiam, propenſior tamen in hanc, ut Petrus profitens Chriſtum Filium Dei vivi typum gerat Eccleſiæ, cui traditæ ſint claves. Cæterum lectori liberum facit eligere utram voluerit. Proinde miror eſſe qui locum hunc detorqueant ad Romanum Pontificem: In quem haud dubie competunt in primis velut in Chriſtianæ fidei Principem; at non in hunc unum, ſed in omnes Chriſtianos: quod eleganter indicat Origenes homilia prima harum quas habemus. Verum ſunt quibus nihil ſatis eſt niſi quod ſit immodicum. Ita quidam ad invidiam uſque Franciſcum prodigioſis efferunt laudibus, quem exprimere magis oportebat quam in immenſum attollere. Nam Deiparæ Virgini & Chriſto fortaſſe non poteſt aſcribi nimium. Quanquam hic quoque optarim omnes tam ad imitandi ſtudium inflammatos quam quoſdam videmus ſedulos in exaggerandis laudibus. D. Cyprianus in epiſtola primi libri tertia videtur accipere ſuper Petrum eſſe fundatam Eccleſiam, *Petrus tamen*, inquiens, *ſuper quem ab eodem Domino fundata fuerat Eccleſia*. Niſi forte ſic excuſandus eſt Cyprianus, quod Petrum hic non pro homine illo ſed pro typo accepit: quod propemodum indicant quæ ſequuntur; *Unus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens, ait, Domine, quo ibimus?* Similiter excuſari poſſunt loca in quibus S. Hieronymus in epiſtolis videtur dicere ſuper Petrum fundatam Eccleſiam Chriſti. itaque Petrus ſaxeus ſolidam Eccleſiæ fidem repræſentat. Cæterum noſtra interpretatio verbis duntaxat diſſidet ab Auguſtiniana: quam ideo induximus quod illius videretur coactior; ad quam tamen maluit deflectere quam in alterum incurrere ſcopulum, videlicet ut in homine poneret Eccleſiæ fundamentum. ¶ *Non prævalebunt adverſus eam*] Notavit hujus ſermonis amphibologiam Origenes, quod Pronomen *eam* vel ad Petram referri poteſt vel ad Eccleſiam. Verum id ad ſententiam perparvi refert. ¶ Porro *inferi* poſuit pro *inferno*. Quanquam ne id quidem ſatis Latinum. Græcis eſt ᾅδου, i. *Tartari*, ſive *orci*. Lactantius tamen in carmine ſic uſus eſt,

Infernus inſatiabiliter cava guttura pandens.

19. *Erit ligatum & in cœlis*] *Et* conjunctio redundat, nec apud Græcos additur, nec in vetuſtis exemplaribus. Ad eundem modum *Solutum in cœlis* legendum pro *ſolutum & in cœlis*.

20. *Mandavit diſcipulis ſuis*] Διεστείλατο. Quod verbum in Pſalmis vertit *diſtinxit*. Rectius erit *edixit*. Nam hinc dictum videtur, quod edictum ad omnes mitti ſolet. ¶ *Quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus*] Ὅτι vertendum erat per *quod*. Et *Jeſus* non additur nec in Græcis exempl. nec in emendatis noſtratibus. Quanquam in Paulino ſcriptum erat *Jeſus Chriſtus*; In altero, *quoniam ipſe eſſet Chriſtus Jeſus*. Origenes hom. in Matth. 1. frequenter adducit hunc locum juxta noſtram ſententiam: *Videamus ergo*, inquit, *ſi jam opera Apoſtolatus facientes eos volebat etiam prædicare quoniam ipſe erat Chriſtus. Et ſi volebat, dignum eſt quærere quid eſt quod nunc præcipit diſcipulis ſuis, ut nemini dicant quoniam ipſe eſt Chriſtus.* Item aliquanto poſt, *Ideo & Salvator mittens Apoſtolos vo-lebat ut nemini dicerent manifeſte quoniam ipſe erat Chriſtus.* Ad eundem modum ſemel atque iterum repetit in ſequentibus, diſtingens tempus quo ſatis erat prædicare Jeſum, & tempus quo prædicandus erat Chriſtus. Et obſtat ſenſui ſi *Jeſum* addas. Nihil enim magni erat eſſe *Jeſum*; quod vocabulum erat hominis haud dubium quin id temporis ſexcentis commune: At *Meſſiam* eſſe magnum erat. Alioqui perinde fuerit ac ſi legas *ut nemini dicerent ſe eſſe Jeſum Chriſtum*. Etenim quo minus huc confugiamus ut dicamus accipi poſſe *ne cui dicerent quod Jeſus eſſet Chriſtus*, obſtat primum pronomen *ipſe*, deinde etiam ipſe ſermonis ordo. Neque enim quiſquam ita loquitur, *Nemo credit quod fuit Plato Chriſtianus*, ſed *Nemo credit quod Plato fuit Chriſtianus*. Quanquam hoc ſane mollius eſt aliquanto quam quod hoc loco legimus. Neſcio an hic *Jeſus* non pro vocabulo hominis proprio, ſed pro *Servatore* ſit poſitum, ut intelligamus illum vetuiſſe *ne ſe dicerent eſſe Servatorem Meſſiam*. Neque enim, opinor, *Jeſus* ſive *Joſuah* ſimpliciter *ſervaterem* ſonat Hebræis, ſed à *ſalute* denominatum eſt.

21. *Quia oportet ire*] Ὅτι, *Quod oporteret ſe abire*, aut *Quod ſibi eſſet abeundum*. ¶ *A ſenioribus*] Πρεσβυτέρων. Haud ſcio an rectius fuerit Græcam vocem relinquere, *à presbyteris*, quemadmodum ante fecit. Quandoquidem hic honoris vocabulum eſt potius quam ætatis.

22. *Et aſſumens eum*, καὶ προσλαβόμενος] *Et apprehenſum eum*: nimirum ut ſolent familiarius aliquid dicturi. ¶ *Increpare eum*] Idem verbum quod aliquoties vertit *comminari*, nimirum ἐπιτιμᾶν. ¶ *Abſit à te, Domine*] Hieronymus annotavit ſignificantius eſſe quod legitur à Græcis Ἵλεώς σοι, Κύριε, *Propitius tibi, Domine*: ut ſubaudias *eſto*, aut *ſis*. Ad hunc modum legiſſe Origenem hom. in Matth. 1. declarat interpres, & hunc ſecutus Chryſoſtomus, hom. 55. ac rurſus 83. Nec diſſonat Theophylactus. Atque ipſa verbi omiſſio facit ad affectum Petri vehementer quod dictum erat abominantis. Eſt autem ſermo abominantis peculiaris Hebræis. Mihi magis videtur ſubaudiendum, *Sit tibi Deus*, quam *ſis*; quanquam ita viſum eſt Hieronymo. Auguſtinus in Pſalmum 34. legit, *Propitius tibi eſto*; *non fiet iſtud*. Item Sermone de verbis Domini ex Matthæo 13. Rurſum lib. adverſ. Fauſtum 16. c. 17.

23. *Vade retro, ſatana*, Ὕπαγε ὀπίσω μου, σατανᾶ] i. *Abito poſt tergum meum, ſatana*. שטן Hebræis ſonat *adverſarium*. Unde Petrum *ſatanam* vocat, non diabolum intelligens, ſed quod humano affectu adverſaretur conſilio Divino. Ac totidem pene verbis nunc repellit Petrum quibus ante tentantem diabolum. Illud indicavit Origenes; hoc loco dici Petro, *Vade poſt me*; Cæterum apud hunc ipſum Matthæum c. 4. diabolo tantum dici, Ὕπαγε, i. *Abi*; nec addi, *Poſt me*: quod obedientiæ ſit ire poſt Chriſtum. Id autem in Apoſtolos quadrat, non in diabolum; quemadmodum & illic admonuimus: licet hæc differentia nec in Græcis cod. nec in noſtris ſatis conſtanter obſervatur, haud ſcio an incuria ſcriptorum. ¶ *Scandalum es mihi*] Mirum quam hæc quoque Græca vox placuerit Chriſtianis, quæ nobis *obſtaculum* ſeu *impedimentum* ſonat, ut teſtatur & Hieronymus in Dialogo adv. Pelagianos, σκῶλον & σκάνδαλον à *ruina* dictum, quod occaſio ſit cadendi, ſi quid obſtet eunti, & σκάζω *claudico*; quod claudus inflectens ſe videatur tendere ad ruinam. Vertere poterat, *Obſtaculum mihi es*: etiam ſi Græce eſt μου non μοι, i. *Meum*, non *mihi*.

26. *Quam dabit homo commutationem? ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ;*] Hic ἀντάλλαγμα vocat *id quo date redimitur aliquid*, juxta priſcorum commercia, quæ non moneta, quemadmodum hodie, ſed mutua rerum permutatione conſtabant. Eſt igitur ſenſus, Omnium rerum jacturam eſſe faciendam citius quam vitæ; quæ ſi ſemel pereat, nihil eſt tam charum cujus permutatione poſſis illam redimere, quicquid dederis. Proinde nos vertimus, *Aut quid dabit homo quo redimat animam ſuam?* Sane *animam* vitam appellat. Quemadmodum & Horatius, *Animæque magnæ prodigum Paulum*. Et in hunc certe ſenſum interpretatur Origenes. Sumitur enim ſimilitudo à vita corporis, quæ cuique chariſſima eſt, ad vitam animi, quam oportet eſſe multo chariorem.

28. *De hic ſtantibus*] Nonnulli Græci codices habebant Τῶν ὧδε ἑστώτων, i. *Sunt quidam inter hos qui hic ſunt ſtantes*; ſive, *Sunt aliqui præſentium ſtantes*: ut articulus τῶν referatur ad adverbium ὧδε, quemadmodum dicimus τὸν νῦν, τὸν πάλαι. Origenes hom. 3. nonnihil philoſophatur de ſtantibus, quaſi non omnes ſteterint, ſed ii duntaxat qui affixi eſſent Chriſto; quaſique non omnes eſſent viſuri regnum Dei.

VATABLUS.

1. S *Ignum*] Vel, *miraculum.*

2. *Serenum erit: rubicundum eſt*] *Tranquillitas* (ſub. *erit:*) *rubet:* vel, *rutilat.*

3. *Faciem*] *Hypocrita, faciem.* V. ¶ *Ergo*] *Quidem.*

6. *Intuemini*] *Videte.*

7. *Cogitabant*] *Diſputabant.* ¶ *Inter ſe*] *Intra ſe:* ſub. *Hoc dicit quod.*

8. *Habetis*] *Accepiſtis.*

9. *Et quinque millium*] Sine conjunctione legitur Græce, *quinque panum quinque millium hominum:* ut panes eorum dicantur qui eos comederunt: niſi ſic legas, *cum eſſent quinque millia.* Vetera exempl. legunt, *in quinque millia.*

11. *Quare*] *Quomodo.*

12. *Panum*] Vel, *panis.*

13. *Cæſaream Philippi*] Vel, *Cæſaream ejus quæ cognominatur Philippi.* ¶ *Quem dicunt*] *Quem me dicunt.* V. ¶ *Filium hominis*] i. Quem vulgarem & plebeium parumque nobilem reputant homines.

16. *Filius*] *Ille Filius.*

17. *Bar-Jona*] Vice agnominis, quo carent Hebræi, ponitur *Bar-Jona.* ¶ *Caro & ſanguis*] Hebr. pro *homine.* ¶ *Revelavit*] Vel, *detexit hoc.*

18. *Quia tu es Petrus*, &c.] i. Cognominavi te *Petrum* propterea quod aliquando pronunciaturus eſſes me eſſe Petram & rupem ſoliduſſimam. ¶ *Porta*] Hebr. pro *præſidiis & propugnaculis.*

19. *In cælis*] *Et in cælis.* V.

22. *Abſit à te*] *Propitius tibi:* ſub. *erit:* vel, *Favebit tibi:* ſub. *Deus.*

23. *Vade*] *Abi*, i. Deſine me ſequi & comitari. ¶ *Satana*] *Adverſarie.* ¶ *Scandalum es mihi*] *Obſtaculo es mihi*, i. Me avocas ab obedientia quam Patri debeo. ¶ *Non ſapis ea quæ Dei ſunt*] i. decretum Dei non capis.

25. *Animam ſuam ſalvam facere*] i. vitam ſuam ſervare.

26. *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*] i. Quam pecuniam poterit dare homo qua redimere poſſit vitam amiſſam?

28. *Non guſtabunt mortem*] i. non morientur. Metaphora ab iis qui venenum epotant. ¶ *Venientem in regno ſuo*] i. Talem qualis eſt in regno cœleſti. Viderunt autem ſpecimen ejus in monte, ut vides capite ſequenti.

CASTALIO.

17. S *Imon Jonaide*] Alibi dicitur *Johannides.* ¶ *Caro & ſanguis*] i. homo.

23. *Pone me*] Ex conſpectu meo.

CLARIUS.

2. F *Ad ſo veſpere dicitis*] Reprehendit eos, quod cum ex ſola conſuetudinis obſervatione noverint prædicere & ſerenitatem & pluviam, non intelligant adventum Chriſti ex tam manifeſtis ſignis & factis, præter Scripturarum lucem, in quam ſi intendere oculos voluiſſent nunquam aberraſſent.

7. *Panes non accepimus*] Arbitrati fuerant prohibuiſſe Dominum ne à Phariſæis aut Sadducæis panes acciperent; & cum ſe ſine panibus cernerent, venerunt in hunc ſermonem.

17. *Caro & ſanguis*] Hebraiſmus eſt: h. e. Ab humana hoc doctrina non accepiſti.

18. *Super hanc Petram*] Super hanc fidei ſoliditatem, ¶ *Porta inferi*] Mala & perſecutiones.

19. *Et dabo*] Nempe poſt reſurrectionem.

23. *Satana*] Appoſite: nam *adverſarium* ſignificat; quod ei adverſaretur in ſalute hominum paranda. Sic alibi pro rerum natura qua de agitur nunc *Belial*, nunc *diabolus* appellatur.

26. *Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*] Fit interdum ut cum ſarcire aliquod damnum volumus, commutatione alterius rei faciamus: at in hoc negotio ne totius quidem mundi pretio redimere ſe quiſquam poteſt: & tamen in tanta re miſeri mortales tam ſunt ſupini.

28. *Donec videant*] Hoc dicit ob transfigurationem, de qua mox ſubdit. Viderunt enim illum tres diſcipuli in majeſtate & honore divino ac plane regio.

ZEGERUS.

3. S *Ignæ autem temporum non poteſtis ſcire*] B. Hieronymus admonet *ſcire* in pleriſque cod. non haberi, ſicuti abeſſe malim, juxta Græcos & cod. Latinos antiquos emendatiores. Percontative enunciandum eſt, ut ſint verba increpantis, quod callentes Scripturas, nec ex oraculis & ænigmatibus Scripturarum nec ex miraculorum ſignis adventum Salvatoris agnoſcerent. Alii tamen pronunciative legunt adjicientes etiam verbum, *non poteſtis ſcire.*

4. *Signum Jonæ prophetæ*] Nonnulli hic omittunt *prophetæ*, contra Hier. Auguſt. & edit. Græcam.

6. *Cavete à fermento Phariſæorum*] Hoc verbi in ſequentibus Euangeliſta ipſe expoſuit.

9. *Quinque panum in quinque millia hominum*] Varie ſcriptum reperio hunc locum. Ne vel hic hæreas, indicare placuit ad Jeſum nihil referre, ſive legas *quinque panum* (ut ſubaudias *expenſorum*) *in quinque millia hominum*, ſive *quinque panum quinque millium hominum*, ut poſteriores genitivi regantur à prioribus; ſive *quinque panum & quinque millium hominum:* tamen ne legas, *quinque panum & quinque millia hominum.* Idem ſentiendum etiam de loco ſequenti, *ſeptem panum in quatuor millia hominum*, &c.

17. *Simon Barjona*] *Barjona* B. Hieron. interpretatur *Filium columbæ.* Nonnulli vero, ut idem admonet, depravatum putant *barjohanna* in *barjona.* Ego magis *bariona* arbitror per ſyncopam poſitum, ſicut & *hoſanna* pro *hoſchianna.*

18. *Et ſuper hanc petram*] i. Super firmam hanc fidei confeſſionem: vel ut interpretatur Auguſt. *Super hanc petram quam confeſſus es & cognoviſti, dicens, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, i. *ſuper me Chriſtum Filium Dei vivi.*

20. *Tunc præcepit diſcipulis ſuis ut nemini dicerent quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus*] Volebat enim ante crucem obſcurari ſuam gloriam, ne quoquo modo paſſio ſua impediretur, noſtræ ſalutis beneficium.

23. *Vade poſt me ſatana: ſcandalum mihi es*] Juxta communem fere omnium ſententiam Petrum *ſatanam* appellat quod obſtaculo ipſi eſſe vellet, & humano affectu adverſaretur conſilio Divino. ſatan enim Hebraice & Syro Chaldaice nobis *adverſarius* interpretatur. Jubetque *venire poſt ſe*, h. e. ſequi ſuam ac Patris ſui voluntatem. Juxta Hilarii autem opinionem prima illa verba, *Vade poſt me*, ad Apoſtolum dirigit, reliquis vero, *Satana, ſcandalum mihi es*, zabolum, ut ipſe vocat, i. diabolum ipſum, compellat. Sic enim ſcribit hunc ediſſerens locum, *Sciens Dominus zabolica artis inſtinctum, Petro ait, Vade retro poſt me, i. ut exemplo ſe paſſionis ſequatur. In eum vero per quem opinio hæc ſuggerebatur converſus adjecit, Satana, ſcandalum mihi es. Non enim convenit exiſtimare Petro Satana nomen & offenſionem ſcandali deputari poſt illa indulta & beatitudinis & poteſtatis tanta præconia. Sed quia infidelitas omnis diabolo opus eſt, Petri reſponſione Dominus offenſus cum opprobrio nominis infidelitatis iſtius eſt deteſtatus autorem.* Hactenus ille. Prior ſententia ſanior, nam ex Marco 8. 33. evidentius liquet Petrum à Domino compellatum nomine *Satana; Vade*, inquit, *poſt me Satana, quoniam*, &c.

26. *Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Filius enim hominis venturus eſt*, &c. *reddet unicuique* &c.] Quemadmodum nihil eſt in rebus humanis tam pretioſum quo poſſit redimi vita corporalis ſemel amiſſa, ita nullus uſquam reperiri poterit theſaurus tam ingens aut pretioſus cujus permutatione poterit recuperari anima, i. vera animæ vita (nam *animam* pro *vita poſuit*) ſi ea ſemel fuerit æternis ſupplicüs addicta. Siquidem *Filius hominis*, Chriſtus Dominus, cum advenerit judicaturus, haudquaquam munera recipiet, ſed *unumquemque judicabit juxta ipſius opera.*

28. *Amen dico vobis, ſunt quidem de hic ſtantibus qui non guſtabunt mortem donec videant Filium hominis venientem*] Monuerat Dominus crucem tollendam, perdendam animam, damno mundi parandam vitæ beatæ æternitatem, denique & Filium hominis aliquando demonſtrandum in magnifica gloria ac majeſtate: quo igitur & alacriores diſcipulos ad implenda quæ monuerat redderet, & ſecuriores illos de gloria quæ & ipſum & illos erat exceptura faceret, imaginem ac guſtum aliquem futuræ illius gloriæ ſe demonſtraturum ire pollicetur.

LUCAS BRUGEN.

2,& 3. *Facto veſpere, dicitis, Serenum erit, rubicundum eſt enim cœlum; & mane, Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum. Faciem ergo* [*enim* o.] *cœli dijudicare-noſtis* [o.] *ſigna autem temporum non poteſtis ſcire*] Hos duos verſus teſtatur Hieronymus in pleriſque codicibus non haberi; quos Origenes, hoc Matthæi caput ediſſerens, non agnoſcit. *Poſthæc*, inquit, *conſideremus quomodo, ut unum ſignum è cœlo oſtenderet, poſtulantibus Phariſæis & Sadducæis reſpondit, dicens, Generatio prava & adultera*, &c. *Signum autem profecto Jonæ*, &c. Ab aliis vero omnibus Latinis & Græcis Tractatoribus, veteribus ac recentioribus (Hilario, Chryſoſtomo, Auguſtino i Quæſt. Euang. cap. 20. Theophylacto, Druthmaro, Anſelmo, &c.) quotquot viderimus, verſus hos enarrari, & in Latinis, Græcis ac Syricis hodie libris conſtanter legi, denique ad quintum Euangeliorum Canonem, in quo cum Luca Matthæus convenit, ab Euſebio Cæſarienſi olim referri obſervavimus. Nicolaus Zegerus ſcribit, B. Hieronymum admonere, *ſcire* in pleriſque codicibus non haberi: falſus. Non enim Hieronymus ait verbum *ſcire* in pleriſque codicibus non haberi: ſed primum primis capitis verbis, tum duobus ſuperioribus verſibus, quorum ultimum verbum juxta quod ibi legitur eſt *ſcire*, integre recitatis, ſubjungit (*&c.* enim quod additum eſt, manifeſtum eſt ſuperfluere) *Hoc* (apud Græcos D. Thomæ Catena,) *in pleriſque codicibus non habetur: ſenſuſque manifeſtus eſt, quod ex elementorum ordine atque conſtantia poſſint & ſereni & pluvia dies præneſci. Scribæ autem & Phariſæi, qui videbantur Legis eſſe doctores, ex Prophetarum vaticinio non potuerunt* [*potuerint*] *intelligere Salvatoris adventum.* Ita Hieronymus. Fortaſſis ex ſuperiori capite duodecimo ver. 38. 39. ubi ſimilis narratur Phariſæorum petitio, & Domini, his duntaxat verbis exceptis, reſponſio, factum eſt ut hoc in loco, ſcribarum audacia, omiſſa ea olim aliquando fuerint. Adhæc, Euangelium ꝯ Marcum c. 8. ver. 11. 12, 13. rem eandem, his prætermiſſis, narrat. Porro verbum *ſcire*, legendumne ſit in fine verſuum, an non, varie codices judicant. Scripti plerique addunt; ex emendationibus noſtris, Brug. Soci. O. L. Q. Addit id & Epanorthotes: notat autem, *Quidam antiqui non habent* ſcire: quibus conſonant ex noſtris ſcriptis libris H. & Leod. impreſſique Moguntinus & alii complures. E. & Lobienſis ſcripti pro *ſcire* legunt *cognoſcere*. Plantini medius *judicare vel ſcire* habet. Unde videri poſſit, explicandæ ſententiæ gratia, ut hæc, ita illud adjectum fuiſſe. Græca pleraque apographa transfodiunt; tantum, τὸ δὲ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε *ſigna autem temporum non poteſtis*, habent. Quatuor vero Pariſienſium, δ. ε. ζ. D. pro οὐ δύνασθε, legunt οὐ *omnes non intelligitis.* [Quod in uno Pariſienſium exemplari ε. pro οὐ δύνασθε, οὐ δοκιμάζετε legitur, ex Luca ſumptum videtur.] Id quod pro eo facere poſſit, *non poteſtis ſcire*, niſi quod vulgaris hic Græcorum lectio reluceat. Magis vero faciat Syrorum lectio אנתון דידעין לית *non noſtis diſcernere*, ſive, ut eſt ad verbum, *non ſcientes vos qui diſcernatis.* Hanc autem partem interrogando alii, enunciando alii, efferunt. Apud Lucam c. 12. v. 56. interrogando legitur, *Hoc autem tempus quomodo non probatis?*

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ις, Περὶ τῆ αἱμορῥοίσσης.

Matth. ἐν τῷ Λατ. τμ. θ, Καὶ ἰδὺ, γυνὴ αἱμορῥοοῦσα δώδεκα ἔτη, προσελθοῦσα ὄπισθεν, ἥψατο τῆ κρασπέδου τῆ ἱματίου αὐτοῦ. Ἔλεγε γὰρ ἐν ἑαυτῇ, Ἐὰν μόνον ἅψωμαι τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσομαι. Ὁ δὲ Ἰησοῦς, Θάρσει, θύγατερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. Καὶ ἀπῆλθεν ἡ γυνὴ ἐκείνη ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.

3. Χειμὼν πυρράζει γὰρ στυγνάζων ὁ οὐρανός] *Tempeſtas: rubet enim cœlum*, vel *rutilat, triſtitiam præ ſe ferens.*

4. Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς] *Progenies improba & adultera.*

6. Προσέχετε] *Cavete.*

11. Οὐ νοεῖτε] *Non intelligitis.*

12. Ἀπὸ τῆς διδαχῆς] *A doctrina.*

13. Τὸν μὲν οὖν ἄνθρωπον] *Qui quidem ſum Filius hominis.*

18. Οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς] *Non vincent eam in robore.*

20. Διεστείλατο] *Mandavit diſerte.*

22. Προσλαβόμενος] *Cum* abductum *prehendiſſet.* ¶ Ἱλεώς σοι, Κύριε] *Propitius tibi* ſis: q. d. miſeretor tui ipſius.

23. Οὐ φρονεῖς] *Non ſapis:* vel, *non cogitas.*

24. Ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν] *Abneget ſeipſum*: vel, *Renunciet ſibiipſi.*

26. Κερδήσῃ, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ;] *Lucrifecerit, anima vero ſua diſpendium faciat?* vel, *jacturam.* ¶ Ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ;] *Cujus permutatione redimat animam ſuam?*

DRUSIUS.

6. *Cavete à fermento Phariſæorum*] Hoc Chriſtus olim. Si nunc in terris eſſet, meliore jure clamaret, *Cavete à fermento Philoſophorum*; in quo nunc, proh dolor! tota Theologia jacet. Ipſe Oceanus Theologiæ Moſes, ſi viveret hodie, nihil minus quam Theologus eſſet. Idem dicendum de Prophetis & Apoſtolis. Quapropter? Quia nunquam ſederunt ad pedes Ariſtotelis, ſine quo, inquiunt, Theologus non fit. Phui, phui in malam crucem. Nam hinc oriuntur novæ indies & nunquam finiendæ quæſtiones, quæ Eccleſiam in his locis non parum perturbant. Utinam ad hæreſes & impias de Deo ejuſque providentia opiniones non prolaberemur. Certe de nihilo non eſt quod Tertullianus Philoſophos appellat *patriarchas hæreticorum*: nec ratione caret decretum illud quod priſci heroes Haſamonæi, qui nobis *Machabæi* dicuntur, cum Urbem ac Templum purgarent, decreviſſe memorantur, *Maledictum qui filium ſuum inſtituit in diſciplina Græca.* Animadvertebant enim viri ſapientiſſimi per Philoſophiam Græcam Legem adulterari & corrumpi, nec ullam communionem aut ſympathiam eſſe inter ſapientiam Iſraelis & ſapientiam Gentium; quæ tunc illis obtrudebatur. Ergone, inquis, damnas ſtudium Philoſophiæ? Nihil minus: ſed nolim illud miſceri eo modo quo nunc fit cum verbo Dei, h. e. cum vera Theologia, quæ purior eſt quam ut hujuſmodi mixtionem admittat. Nihil luci cum tenebris. Limpidus fons Iſraelis non indiget lacunis talibus; unde nihil prætet contentiones & jurgia. Nam rationes quæ ex intima, ut ajunt, Philoſophia petuntur, contrariis rationibus ex eadem Philoſophia facile confutantur. Semper enim

Λόγοι ἀντιπαλαίουσι τοῖς λόγοις,

Rationes obluctantur rationibus, ut ille ait: *Rationes humanæ ſe invicem deſtruunt.* Summa eo nunc deventum eſt, ut, ſi pacem volumus, & ferre nolumus diſſentientes, à diſputationibus hiſce ſuperſedendum ſit, revocata juventute ad ea quæ clare & evidenter in textu ſacro nobis explicata ſunt. Nam quæ Deus nos celata voluit, in ea inquirere ſummæ dementiæ eſt. Cæterum de *fermento*, quod Ebræi vocant שאר, vide Syn. Jud. pag. 319.

13. *Filium hominis?*] Ut hoc pronunciatione juvandum eſt per accentum interrogandi, ſic locus Michææ de Bethlehem illuſtrandus, ubi ait, *Minima in chiliadibus Juda?* quod idem cum illo Matthæi, *Nequaquam minima es.* Monui vos olim hac de re. Videte Parallela mea.

14. *Alii vero Eliam*, &c.] Forte quod crederent animam Eliæ, aut Jeremiæ, aut Johannis Baptiſtæ, vel denique unius è prophetis rediiſſe in ipſius corpus. Quam opinionem tuentur inter Judæos eorum Phyſici, quos *Sapientes Mecar* vocant. Vide Obſervationes meas. Oraculis prædictum erat venturum eſſe Eliam, Mal. 4. 5. Id erat ita intelligendum, venturum eſſe Prophetam Eliæ ſimilem, h. e. *cum ſpiritu & virtute Eliæ*, Luc. 1. 17. Quale illud Maronis, ſi licet divina cum humanis comparare,

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Hoc ſenſu *Elias* dicitur à Chriſto Johannes Baptiſta cap. 11. 14. At Judæi putabant ipſum Eliam venturum. Itaque recte ſe eum eſſe negat Johannes, Joh. 1. 21. cum tamen Propheta dicat, *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies DOMINI magnus & terribilis.* Nec de alio quam de Johanne hoc intelligi poſſit. Quod autem Judæi hodie adhuc Eliam exſpectant, fruſtra ſunt. Si dies DOMINI venit, ergo etiam Elias venit. Sed non mirum eos Eliam exſpectare, qui adhuc exſpectant χιλιαδῶν ſuum. Unde dicunt, *Ubi venerit Elias, docebit nos omnem veritatem.* Quod perinde eſt atque ſi dicerent, *Ad calendas Græcas.* Sapientes mecar, h. e. ſcrutatores hujus ſeculi aut rerum naturalium, videntur in ea opinione fuiſſe in qua olim fuerunt Pythagorici, de Traductione ſive Tranſlatione animarum in aliud corpus, quam vocant μετεμψύχωσιν, quando anima ex corpore uno animato in aliud traducitur, quod exprimunt verbo μετεμψυχοῦν, ſignificante *Tranſlationem in aliud ἔμψυχον* in qua ſententia & Plato fuiſſe putatur, reprehenſus eo nomine ab Athenæo. Cognata his ſunt quæ de Volutatione animarum quidam ſcribunt, quam fingunt per tria corpora volutari; ſicut Adami anima volutata eſt per corpus Davidis,

&c

& deinde per corpus Meſſiæ: quod innui exiſtimant tribus literis nominis *Adam* אדם, ut prima ſignificet ipſum Adamum, ſecunda Davidem, tertia Meſſiam. Hanc volutationem appellant גלגל נשמת. Nam eſt alia quam vocant גלגל מתות *cavernarum*, de qua fortaſſe alias. Dico, fortaſſe, quoniam vix digna hæc cenſeo quibus impleantur aures Chriſtianorum, niſi quatenus faciunt ad intelligentiam textus: Qui certe unicus ſcopus eſt ſemperque fuit meorum ſtudiorum.

17. *Bar-Jona*] Σίμων βαρ-Ἰωνᾶ, *Simon Barjona*, i. *Filius Jona*. Nam *Bar*, *filius*, tam Ebræum eſt quam Syrum. In Nominib. de Matthæo, *Barjona*, *Filius Columbæ: Syrum eſt pariter & Ebraum. Bar quippe lingua Syra Filius, & Jona Columba utroque ſermone dicitur.* Quin יונה *columbam* ſignificet, non eſt ullum omnino dubium: ſed tum appellativum eſt. Rectius ergo alii, *Bar-Jona*, *Filius Jona*. Epiphanius Ancorato. Βαρ-Ἰωνᾶ, τουτέστιν υἱὸς Ἰωνᾶ· ὁ δὲ πατὴρ αὐτοῦ Ἰωνᾶς ἐκαλεῖτο. Τὸ δὲ βὰρ ἑρμηνεύεται ἐν τῇ Ἑβραΐδι υἱός. Rei firmandæ quod in nonnullis codicibus βαρ-Ἰωανᾶ, alias Ἰωάννα, & Latine *Johannis*. Quæ varietas non hic modo invenitur, ſed etiam Joh. 1. 43. & 21. 17. Hieron. hic legendum cenſet βαρ-Ἰωάννου. Syrus ubique habet בר יונא, vel certe ברה דיונא, *filius ipſius Jona*. Videtur eſſe ſyncope Ἰωνᾶ pro Ἰωανᾶ. Quod ſi verum, tunc utique non *columbam* denotat, ſed aliud. Apud Nonnum, υἱὸς Ἰωάννου. Quod ita roborat ſententiam meam ut nihil magis. Vide Notas Luc. 6. 14. *Jona* hic non eſt יונה, quod nomen eſt unius è xii Prophetis, ſed יונן pro יוחנן. Sic *Soda* שודא pro *Sohada* שוחדא, *munus quod datur corrumpendo judici*. Sic *Nas* pro *Nahas*, i. *ſerpens*. Similis contractio in *Jacob*, quod plene ſcriberetur *Jaacob*, i. יעקב. Sic מוא dicunt pro מועא *marſupium*. Mos enim linguæ Syræ elidere hoc modo Heth & Ain literas. Qua de re diximus alibi. Adi ſis ad Obſerv. meas. ¶ *Caro & ſanguis*] בשר ודם σὰρξ καὶ αἷμα. Sic hominem appellant. Nam homo conſtat ex carne & ſanguine. Thanchuma 5. 1. per ſigla ſcribunt כיו, unde כורת כיו *mos hominis*, in lib. Muſar, 113. 2. Sirach. 14. 15. γένεα σαρκὸς καὶ αἵματος, *natio carnis & ſanguinis*, i. genus humanum. Uſurpatur etiam de natura corrupta 1 Cor. 15. 50. *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt:* & de animantibus in genere: R. D. *Offerunt carnem & ſanguinem*, i. animalia: & de corpore tantum; Manahemus, *Corpus vocatur caro & ſanguis.* Sæpius de natura humana: unde, *Rex caro & ſanguis*, qui homo ſit. Nam etiam Deus Rex eſt.

18. *Porta inferi*] Nove dixit *inferi* pro *inferni*; quod quare ut minus Latinum rejiciant, neſcio: Nam ſubintelligitur *loci*. *Locus inferni* quid aliud quam *infernus?* Uſus fuit eo vocabulo Lactantius in carmine quodam. Sed & interp. noſter Pſal. 49. 15. & 89. 48. *de manu inferi:* & Prov. 7. 27. *via inferi via ejus.* & Jeſ. 38. 10. *vadam ad portas inferi.* & Jon. 2. 2. *de ventre inferi clamavi.* Sic Eccl. 28. 25. *inferus utilis.* Cæterum in portis olim jus dicebant: unde fortean *porta inferorum* juriſdictio Satanæ, ſub cujus imperio continentur omnes improbi, qui ſunt tanquam organa & flabella ejus; vel, ſi placet, ſatellites, quibus utitur ad evertendam Eccleſiam Chriſti. His addentur peccata & ea omnia quæ nobis ad inferos aditum patefaciunt. Aut *porta inferorum* vocantur ipſi inferi, quos Euripides ᾅδου πύλας nuncupat. Vide Cl. Theodorum hoc loco.

21. *A ſenioribus*] *Seniores* dixit pro *ſenes*. *Senes* autem vocabant Judices utriuſque ſynedrii, magni, & parvi. Hic de magno dici accipiunt, quod tantum judicabat de falſis prophetis. Hos Ebræi סנהדרין *Sanhedrin* appellant; Joſephus, συνέδρους, à quo vox *Sanhedrin*: nam ipſe conſeſſus vocatur סנהדרי *Sanedri*: unde *Sanhedri gedola*, *ſynedrium magnum*; & *Sanhedri Ketana*, *ſynedrium parvum*. *Senes* ergo q. *ſenatores*. Sic in lib. Avoth, *Acceptam legem è Sinai Moſes tradidit Joſue, Joſua Senibus ſive Prophetis.* Loquitur de his ſenatoribus: In quorum numero & Præſides Judææ, qui numerantur in libro Judicum. Poſterior ætas *ſenes* etiam vocavit viros ſynagogæ magnæ, h. e. Ezram cum ſocietate ſua; in qua Daniel & ſocii, Mardochæus, Haggæus, Zacharias, Malachias, &c. Hi numero erant centum viginti, ut proditum eſt à Doctoribus Ebræis. Interdum *Senes* appellant LXX interpretes, qui Legem ex Ebræo ſermone in Græcam tranſtulerunt. *Senes* etiam vocantur ſapientes, ut poſſis hunc locum enarrare de Sapientibus Iſrael, qui alio nomine *Phariſæi* dicebantur.

24. *Tollat crucem ſuam*] Tollat in humeros, vel in caput; & tollat geſtandam aut portandam, vel, ſi placet, ferendam. Qui diſtinguunt inter *tollere crucem* & *portare crucem*, vim ac proprietatem verborum ignorant. Αἴρω eſt *tollo*; item *porto*, *geſto*, *fero*; proprie *ſublatum porto*, aut *quod ſuſtuli in humeros id fero.* Sic נשא Ebræis, quod modo per αἴρω reddunt, & modo per *fero*. Hinc intelligentiam habet *Agnus qui tollit* (alias *portat*) *peccata mundi*, αἴρων. Joh. 1. 29. Joh. 19. 17. *& ipſe portans crucem ſuam*, βαστάζων, *bajulans.*

25. *Animam ſuam ſervare*] Explicant, *ſeipſum ſervare*; non male. In lib. Selectorum apophthegmatum, qui continet dicta Sapientum Arabiæ, *Qui amat animam ſuam, occidit eam*, h. e. ſeipſum, aut vitam ſuam. Scholion, *Applicate animum veſtrum ad occidendum vosipſos ob verba Legis & cultum Dei benedicti*, ſive *Laudandi, & ad adfligendum vos ipſos per jejunium. Quod ſi feceritis, vivet anima veſtra in paradiſo*, &c.

26. *Anima vero ſua multetur*] Chriſtus non tam vitam intelligit quam animam proprie dictam, quæ pars eſt hominis honoratior, quam ideo *gloriam* vocant, i. כבוד, & animam rationis participem. Ea multatur homo per mortem æternam ſive ſecundam, quæ propterea *mors animæ* dicitur. Sic accipitur hoc nomen in illo, *Animam non poſſunt occidere:* qui locus de vita non poteſt intelligi: Nam vitam occidit qui hominem. Sic latro dicitur *occidere animam*, i. vitam corporis animati.

28. *Non guſtabunt mortem*] Non morientur. Idem dicit, *non videbunt mortem.* In lib. Articulorum fidei, quem compoſuit Joſeph Albo Sorienſis Hiſpanus, *Non guſtavit guſtum mortis:* de Henocho loquitur, quem Apoſtolus aſſerit *non vidiſſe mortem*, Hebr. 11. 5. Deuter. 32. 1. Jonathan & autor Jeroſolymitanæ ſcribunt homines eſſe teſtes qui guſtant mortem in hoc ſeculo; cœlum autem ac terram eſſe teſtes qui non guſtant mortem in hoc ſeculo. Quale cœlum, tales etiam cœleſtes creaturæ. Nam conſervantur in ſuis individuis. Cæterum Chryſoſtomus hunc Matthæi locum ita explicat, & bene, meo judicio, *Niſi me ante regnantem viderint, non morientur.*

CASAUBONUS.

23. Ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων] Non video quænam ex verbis Petri *arrogantia & falſa de ſe perſuaſio* poſſit colligi, neque hoc, opinor, nomine reprehenditur à Domino noſtro Petrus, quod docti viri conjiciunt ex verbo φρονεῖν. Itaque etiam verbum *ſapere* vitare interpretando velim, cum ſatis notum ſit Græcæ linguæ peritis ita ſæpe parum recte verti τὸ φρονεῖν. Denique τὰ φρονεῖν τὰ τοῦ Θεοῦ nihil puto eſſe aliud quam res æſtimare non ex voluntate & decreto Dei ſed ex ſenſu carnis & hominum judicio; cum certum ſit vias Domini non eſſe ſicut ſunt viæ hominum: quod tamen ante Chriſti reſurrectionem parum fuiſſe ne ipſis quidem Apoſtolis cognitum infiniti fere horum librorum loci docent. Omnino injuriam Petro facere mihi videntur qui ex verbo φρονεῖν ejus arrogantiam colligunt; quæ, ut puto, nulla fuit: quanquam ἀναμφήκτως ſummam in eo ſancto viro multis locis notant veteres interpretes, ſed ab omni faſtu & arrogantia alieniſſimam. Theophylactus non aliter ſentit, cujus verba placet aſcribere, Τὰ τῶν ἀνθρώπων ἦ ἔφησε φρονεῖν τὸν Πέτρον, καθὸ πεπονά τινα φρονῶν ἠξίωσε ἐν αὐτοῖς εἶναι τὸν κύριον, ἢ μὴ σκανδαλισθῆναι.

26. Τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ] Homerus Ἰλ. ι.

> Ἀνῆρ γὰρ μοὶ κάρ τι βίης, ἢ ἴφια μῆλα,
> Κτητὸς ἢ τρίποδός τε, ἢ ἵππων ξανθὰ κάρηνα·
> Ἀνδρὸς δ' ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λεϊστὴ,
> Οὔθ' ἁλετή, ἐπεὶ κέν μιν ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων.

quanquam non ignoro longe aliam hic jacturam ψυχῆς intelligi quam apud Poetam.

28. Οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου] Γεύεσθαι θανάτου pro *mortem obire*, etſi dura videri poſſit tranſlatio, uſitata tamen etiam diſertioribus. Et γεύεσθαι φόνου pro *patrare cædem* poſuit Polybius quodam loco.

CAMERO.

14. Ἄλλοι δὲ, Ἠλίαν· ἕτεροι δὲ, Ἰερεμίαν, &c.] Sunt viri docti qui hunc locum non exiſtimant aliter poſſe intelligi niſi dicamus Phariſæos, Judæorumque vulgus ex Phariſæorum inſtitutione, credidiſſe cum Pythagoreis animarum μετεμψύχωσιν. Nam unde hæc, inquiunt, vulgo de Chriſto opinio, *eum eſſe Eliam*, *vel Jeremiam*, *aut unum è Prophetis*, niſi quod, ita à Phariſæis edocti, μετεμψύχωσιν eſſe credebant? Sed ſane fruſtra illi ſunt; nam primo ſi Metempſychoſis credita eſt vel à Judæis vulgo, vel à Chriſti Diſcipulis, contra quod quam illi ſentiunt, non poteſt commode locus ille explicari. Nam qui credi-

crediderint Judæi Chriſtum eſſe Jeremiam eo quod anima quæ Jeremiæ corpus aliquando inſedit corpus Chriſti inſederit? ſic enim non magis Chriſtus Jeremias fuerit quam is cujus corpus ante vel poſt Jeremiam anima illa, tot corporum anima, inſederat. Deinde, quidni ſuſpicati fuerint Jeremiam excitatum fuiſſe è mortuis? quod profecto crediderunt, ut habetur Luc. 9. 7. 8. pene diſertis verbis, dicitur enim Herodes Tetrarcha *pependiſſe animo, propterea quod à nonnullis diceretur Johannes excitatus à mortuis, à nonnullis Eliam apparuiſſe, ab aliis denique quendam è veteribus Prophetis reſurrexiſſe.* Ergo ideo Dominus creditus eſt Jeremias, quod non videretur creditu abſurdum Jeremiam reſurrexiſſe: nihil ut opus ſit confugere ad Metempſychoſin.

16. Ὁ υἱὸς τ̃ Θεοῦ τ̃ ζῶντ@] Fuerunt olim, & ſunt etiamnum hodie, Hæretici qui negant appellationem *Filii Dei* denotare aliquid eſſentiale Chriſto, eaque ſignificari contendunt munus duntaxat ejus Mediatorium; idque ex hoc loco ſic ſe putant poſſe evincere. Petrus reliquorum Apoſtolorum veluti nomine hic confitetur Chriſtum eſſe *Dei vivi Filium.* Ubi eum hac de confeſſione collaudavit & commendavit Chriſtus, mox, v. 20. vetat Apoſtolis ne hoc ipſum, quod per os Petri veluti confeſſi fuerant, ulli edicant atque evulgent. Quare quod hic Petrus ſignificavit his verbis, *Tu es Filius Dei vivi*, hoc ipſum aliis, ſed æquipollentibus, videtur Chriſtus v. 20. ſignificare, his nempe, *ſe eſſe Chriſtum.* Itaque appellatio illa *Filii Dei vivi* denotat munus Mediatorium, quo functus eſt homo ille Jeſus Chriſtus. Sed primo variis ex Scripturæ locis probari poteſt appellationem *Filii Dei* ſignificare aliquid Chriſto eſſentiale, h. e. Naturam vel Perſonam ejus Divinam. Deinde, reſpondemus, mutilam hic ab iis afferri Petri confeſſionem: non enim tantum dixit Petrus, *Tu es Filius Dei*, ſed *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Nempe, duo fuerunt in Petri confeſſione; unum, *Chriſtum eſſe Meſſiam*; alterum, *eundem eſſe Filium Dei vivi.* Unde patet illa duo eſſe manifeſte diſtincta, & diverſa ſignificare, *Chriſtum*, & *Dei Filium.* Chriſtus autem v. 20. interdicto ſuo ſatis habet vetare Apoſtolis ne dicant ſe eſſe *Chriſtum Jeſum*, quia id vetando ſimul eadem opera vetat ne dicant ſe eſſe *Filium Dei:* Non quod *Filius Dei* & *Chriſtus* idem ſignificent, ſed quod quicunque eſt *Chriſtus Jeſus* idem neceſſario ſit *Filius Dei*, cum nemo munus Mediatorium exercere queat niſi qui idem Deus ſit. Poteſt quidem eſſe Deus abſque hoc officio, at non poteſt eſſe hoc officium abſque Deo.

18. κἀγὼ] Vox eſt reponentis, *Ego vero*, ſimilis illi Pſ. 35. 13. *Et ego cum ægrotarent*, i. *ego vero.* Itaque referri debet ad ea quæ antecedunt, ſed non tamen ad ea quæ proxime & immediate; illa enim ſunt, *Beatus es, Simon Bar-Jona*, quæ cum his Chriſti verbis non cohærent, *Ego vero tibi dico*; ſed ad ea quæ ſunt remotiora, v. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*; qua confeſſione complexus erat Petrus ſummatim quæ de Munere & Perſona Chriſti credi debebant: quocirca Chriſtus hoc reponit, κἀγὼ δέ σοι λέγω, q. d. Tu confeſſus es me eſſe Chriſtum: vide quid tibi pro hac confeſſione reddam: Ego viciſſim tibi dico, *Tu es Petrus*, &c. Tu me indigitaſti *Chriſtum*, ego te *Petrum* nuncupo. Sic Luc. 22. 28, 29. *Vos autem ii eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis:* κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν· & alibi paſſim, Matth. 21. 24. Marc. 11. 29. Luc. 20. 3. ¶ σοι λέγω] Mire emphaſim auget quod Chriſtus non ſimpliciter dixit, κἀγὼ λέγω, ſed, κἀγὼ δέ σοι λέγω, q. d. *Tu mihi dixiſti, Tu es Chriſtus; & ego vero tibi dico, Tu es Petrus.* Certe illa verborum accumulatio, *Et ego vero tibi dico*, otioſa eſſe non poteſt, quin ſubeſſe neceſſe eſt his verbis pondus aliquod, ut Chriſtum ſtatuamus aliquid agere quod ſit ſingulare: alioqui quorſum tam intenta & ſolicita præfatio? ¶ Σὺ εἶ Πέτρ@] Hæc ſunt quæ à Chriſto reponuntur, *Tu es Petrus:* illa autem ſunt ἀντιστοιχα illis Petri, *Tu es Chriſtus.* Itaque quemadmodum *Chriſtus* nomen eſt ſane Filii Dei φωνηεντόληκτον ἐκ παχέι, ſed illi inditum ad officium deſignandum, conſimili ratione *Petrus* eſt quidem Simonis nomen, ſed Simoni inditum ad miniſterium ſignificandum. Quemadmodum enim non fuit conſilium Petri Chriſtum de nomine compellare, cum illi dixit, *Tu es Chriſtus*, ita nec hæc Chriſti mens eſt, Petrum appellare ſimpliciter, ſed potius ornare titulo quodam qui ei dignitatem ſcilicet atque authoritatem conciliaret. Nam certe ſi Chriſtus duntaxat voluit Petrum nomine compellare, non modo tota oratio jejuna erit & frigida, ſed & inepta. Cum enim Petrum verſu proxime antecedenti compellans dixerit, *Beatus es, Simeon*, quorſum pertinuerit adjeciſſe, *Tu es Petrus?* Eſtne qui ita loquatur, *Marce, tu quidem es Tullius?* Nemo certe; multo minus in hunc modum, *Marce, ego vero tibi dico, Tu es Tullius.* Hoc igitur tenendum eſt, πῶ *Petrus* titulum hic potius eſſe quam nomen. Atque ſic filii Zebedæi Johannes & Jacobus dicti ſunt conjunctim *Filii tonitrui*, ſed *Boanerges*, non ut eo nomine appellarentur, ſed ad ſignificandum honorem quendam peculiarem qui iis à Chriſto conceſſus eſt. Ita plane, eodemque conſilio, *Petri* cognomine Simon inſignitus eſt. ¶ Πέτρ@] Quidam dicunt eſſe vocem Græcam, & ſignificare *ſaxum*; quod verum eſt apud Poetas ſæpe, etiam apud Hiſtoricos & Oratores qui Attica uſi ſunt dialecto. Itaque, cum iſta vox pura puta Attica adeoque inſolens ſit, pro qua in Scriptura λίθ@ & πέτρα uſurpatur, quæ λίθον περιτέμνειν@ & πέτραν σκανδάλου pro eodem ponere ſolet, Rom. 9. 33. non eſt credibile Euangeliſtam nomen Syriacum ܟܐܦܐ iſto nomine minus uſitato voluiſſe commutare. Cur ergo, dicet aliquis, πέτρον dixit, non πέτραν; Nempe non patitur lingua Græca ut viris, niſi forte per ludibrium & contemptum, nomina fem. generis tribuantur. At ſaltem, dicet aliquis, Euangeliſta Syriacum ܟܐܦܐ λίθον vertiſſet. Sane id potuiſſet: nam Arabs noſter vertit Syriacum ܟܐܦܐ, & retinuit utrobique pariter, tam ubi eſt in Græco *Tues Petrus* quam ubi eſt *& ſuper hanc Petram.* Quid igitur obſtitit? Ratio nempe Græci ſermonis, qui non admittit nomina aut cognomina quæ proprie res ſignificant, & quæ natura ſua ſunt appellativa, niſi inflexa nonnihil & detorta. Itaque neminem Κλέ@ neque Νίκην, ſed Νικίαν tamen & Κλέανδρον vocari permittit. Itaque nec Πέτρον quempiam appellative dici, at Πέτρον à πέτρα inflexum facile patitur. Qua in re à Latinæ & Hebraicæ linguæ conſuetudine longe diſceditur. Nam Latinis ſunt non modo *Piſones*, & *Fabii*, & *Ciceropes*, *Lentuliique*, ſed etiam *Scrophæ*, *Beſtiæ*, & *Scipiones:* Hebræorum vero & Syrorum conſuetudo non modo id patitur, ſed pene exigit. Inde nomina iſta propria אלון *Quercetum*, עקרב *Scorpio*, ܫܘܫܢ *Roſa*, זאב *Lupus.* Itaque à Syrorum conſuetudine videtur profectum quod Antiochus ille qui in Syria rerum potiebatur ſe Κέραυνον, non vero Κεραυνίωνα aut Κεραυνοβόλον, dici voluerit. ¶ Καὶ ἐπὶ ταύτῃ, &c.] Καὶ eſt Hebræorum ו copula, & frequentiſſime idem valet quod Græcis ἀλλὰ, vel ἤ. Unde factum eſt ut apud LXX καὶ ſæpenumero non συμπλεκτικὸν ſed ἀντιθετικὸν ſit, & non compoſitionem conjunctarum ſed contrariarum, aut certe pugnantium, rerum oppoſitionem notet. Exempla paſſim occurrunt. Apud Græcos authores tamen nunquam, aut perraro, καὶ, ἀντιθετικὸς nota eſt. In N. T tres aut quatuor loci duntaxat obſervantur in quibus καὶ videtur habere vim adverſativæ particulæ, puta Matth. 12. 35. & 15. 4. & Act. 7. 43. quanquam & his in locis καὶ non eſt neceſſario adverſativum, ſiquidem omnes hi loci exponi poſſunt συμπλεκτικῶς. Unus ſupereſt, qui exſtat 1 Joh. 2. 20. καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε, ubi citra omnem controverſiam καὶ eſt particula adverſativa. Sed utut ſit, eſto, copula καὶ aliquando in N. T. antitheſin ſignificet, tamen ſequenda Tertulliani & Hilarii regula, *Deligendus eſt ſenſus è materia dicti.* Porro, licet vel maxime his in locis καὶ eſſet adverſativum, non ſequeretur ſtatim etiam hoc loco eſſe adverſativum. Itaque ſitne & hoc loco in quo jam verſamur πῶ Καὶ ἀντιθετικὸν, id vero diſquirendum eſt. Ut autem pro copulativo habeatur, hæc videntur ſuadere. Primum, quia Chriſtus fruſtra dixiſſet, *Tu es Petrus*, ſi de eo iſta non dicerentur ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ· niſi enim iſta ad Petrum referantur, quorſum attinebat dicere, *Tu es Petrus.* Quo & illud ſpectat, quod cum Chriſtus ſupra Petrum *Simonem* (quod nomen Petri proprium eſt) vocaſſet, nunc hic ſic eum alloquitur, *Ego tibi dico, Tu es Petrus.* Num cenſebimus id temere aut nullo conſilio factum à Chriſto? Non videtur credibile. Tum certe conſtat, & vero verba Chriſti hoc plane clamant, Chriſtum aliquid Petro promiſiſſe: nam hoc arguit Chriſti præfatio, *Ego vero dico Tibi*, ut obſervatum eſt ſupra. Neque enim videtur voluiſſe Chriſtus, tanquam de re nova, Petrum facere certiorem, fore ut ipſe Eccleſiam ſuam ſuper ſemetipſo eſſet ædificaturus: quod utrumque ſequitur niſi hæc particula copulativa ſit, & illa de Petro intelligantur. Nec eſt verſimile (ut nonnulli exiſtimant) Chriſtum ita dicentem, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, digitum in ſemetipſum intendiſſe, ut & alias, cum intento in corpus ſuum digito, *Deſtruite hoc Templum*, dixit, *& tertio die ego ipſum excitabo:* non eſt enim par ratio. Atque ut maxime indicarit ſeipſum digito cum loqueretur de excitando ſuo corpore, quia ſcilicet materiale erat, & incurrebat in oculos, non demonſtravit tamen corpus ſuum digito hoc loco, quo agitur de exſtructione & fundamento Eccleſiæ. Nempe, demonſtratur digito quod incurrit in oculos; Eccleſiæ autem fundamentum viſum fugit & oculorum aciem: Non eſt enim Chriſti corpus, quod incurrit in oculos corporis, Eccleſiæ fundamentum. Ergo non ſeipſum indicavit Chriſtus, ſed neque etiam Petrum, propter eam rationem. Qui dicunt καὶ hic non eſſe copulativum, his adducti ſunt rationibus, ſed, ut videtur, non ſatis firmis: Prima eſt, *Si* καὶ *eſſet copulativum, ſequeretur verba hæc* καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ *pertinere ad Petrum;*

quod

quod eſt abſurdum. Neque enim Petrus, neque Angelorum quiſquam, quin ſolus Chriſtus, Petra eſt & rupes illa firmiſſima qua ſola nititur & ſtat Eccleſiæ moles. Sed hæc ratio vana eſt. Nam licet Chriſtus ſit Petra, Petrus tamen *Petra* dici poteſt. Nam certe Chriſtus non *Petra* potius quam *Lux* eſt, attamen id non obſtat quominus Apoſtolis dictum ſit, & quidem à Chriſto, *Vos eſtis lux mundi*, Matth. 5. 14. Et item, ſolus Chriſtus eſt qui claves habet regni cœlorum, cum Petro tamen conſtet datas fuiſſe claves regni cœlorum. Ac, ne ab argumento quod præ manibus habemus recedamus longius, etſi Chriſtus ſolus ſit fundamentum Eccleſiæ, nihilominus tamen idem elogium, licet ratione longe diverſa, Petro & Apoſtolis tribuitur, nempe ut & illi dicantur *fundamenta cæleſtis Hieruſalem*, Ap. 21. 14. &, quod eodem pene redit, *Columnæ*, Gal. 2. 9. Secunda ratio; *Si particula ἀλλ' eſſet copulativa, & Chriſtus Petro tantam prærogativam deferre voluiſſet, non fuiſſet uſus tot, ut videtur, ambagibus, quin nudis & ſignificantibus verbis Petro dixiſſet*, TU ES PETRUS, ET SUPER TE, PETRE, ἀλλ' ὅτι σύ, Πέτρε, ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM. Sed hæc ratio itidem nulla eſt. Chriſtus nempe figurata locutione uti voluit, alludereque potius ad Petri nomen, quam verba propria adhibere ad id quod voluit ſignificandum: Idque non eſt quod quis miretur, qui obſervarit, quod obſervatu facillimum eſt, quam ſit familiare Chriſto uti alluſionibus. Nam & in colloquio cum Nicodemo & Samaritana, & in divina illa diſputatione quam habuit de manducatione carnis ſuæ in Synagoga Capernaum, exſtant hujus rei exempla longe clariſſima. Tertia ratio; *Si ἀλλ' eſſet copulativum, & hæc intelligenda eſſent de Petro, Chriſtus genus nominis de induſtria non mutaſſet. Nihil enim prohibebat quominus πέτρος nomen retineret, quandoquidem πέτρα ſaxum ſignificat. Multo enim concinnius dixiſſet*, Σὺ εἶ Πέτρος, ἀλλ' ὅτι τούτῳ τῷ πέτρῳ, &c. *Itaque mutatio generis videtur ſatis evidenter oſtendere Chriſtum noluiſſe hunc honorem Petro ſed ſibi tribuere; nimirum cui ſoli debetur.* Sed reſponſio facilis eſt: Chriſtus enim Syriace locutus eſt; Euangeliſtæ autem κηφᾶς πέτρος verterunt, quod nomen πέτρος hac quidem ſignificatione parum eſſet uſitatum. Non eſt enim mos Euangeliſtarum verba aſpernari obvia, & abuti opera in conquirendis vocabulis à communi conſuetudine remotis. Itaque Chriſtus non mutavit genus, ſiquidem Syriace locutus eſt, ſed Euangeliſta, nempe ne recederet ab uſu communi. ¶ Οἰκοδομήσω] Duo hic veniunt conſideranda & notanda, verbum, & caſus verbi, ut loquitur Philoſophus. Verbum eſt οἰκοδομῶ, quod hic proprie uſurpari non poteſt: neque enim agitur hoc loco de ſtructura ædium. Itaque metaphorice ſumi neceſſe eſt: ſic enim ſumitur in Scriptura, & quidem bis tantum in V. T. Gen. 16. 2. hæc ſunt verba Saræ de Agare loquentis, *ſi forte ædificer ab illa:* & Geneſ. 30. 3. verba ſunt Rachelis de Bilha ancilla ſua, *& ego ædificabor ab illa.* Utrobique οἰκοδομῶν metaphorice uſurpatur; neque tamen idem ſignificat quod hoc loco: Agitur enim iis in locis de ædificatione quæ ſita eſt in procreanda ſobole. Verbum Hebr. eſt בנה *ædificare*, unde בן *filius*. Liberi enim ſunt φίλοι *columnæ* familiarum; *In te unum*, inquit ille, *domus inclinata recumbit.* Itaque is Hebraice dicitur בנוי *ædificatus* quem Deus patrem fecit; contra, חרוס *deſtructus*, qui orbus eſt. At in N. T. οἰκοδομῶν diverſum quid ſignificat, licet metaphorice etiam uſurpetur. Nempe Eccleſia dicitur *Templum & Domus Dei*; idque pluribus de cauſis: Prima, Quia ut domus compacta eſt & coagmentata ex multorum lapidum apta conſtructione, ita plane Templum & Domus Dei, quæ eſt Eccleſia, aſſurgit ex coadunatione multorum, qui quoniam Spiritu Chriſti regeniti ſunt, *lapides vivi* dicuntur. Secunda ratio, Eccleſia *domus* Epheſ. 2. 20, 21, 22. perinde ac *familia* dicitur, cujus nempe Paterfamilias eſt Deus, unde tota dependet, & quo nititur tota veluti fundamento. Itaque quo ſenſu *ædificare* dici poſſit qui ſobolis eſt author & pater, & *deſtruere* contra qui ſobolis procreationem prohibet, eodem pene ſenſu in N. T. cum de Eccleſia agitur, verba *ædificandi & deſtruendi* uſurpantur. Etenim *deſtruere* dicitur qui homines alienat ab Eccleſia, Rom. 14. 20. contra *ædificare*, qui homines Deo conciliat per verbi prædicationem. Denique, quomodo *domus & familia* ſocietatem quandam hominum ejuſdem ſanguinis communione conjunctorum ſignificat, ſic & Eccleſia *Domus Dei* dicitur. Itaque collectio Eccleſiæ eſt *ædificatio* quædam. Atque hæc de verbo οἰκοδομῶν. Ad caſum autem verbi quod attinet, quæri non abſurde poteſt quorſum attinuerit quod Chriſtus non οἰκοδομῶ ſed οἰκοδομήσω dixerit, non ſit uſus verbo, ſed verbi caſu, idque in futuro tempore. An non enim prius Chriſtus ædificaverat Eccleſiam ſuam? annon jam tum cum hæc dicebat eam ædificabat? Sed reſponſio facilis eſt & plana. Certe Chriſtus heri & hodie fuit, & erit in æternum, fundamentum & caput Eccleſiæ ſuæ, quo ſolo ea nititur, à quo ſolo pendet, & robur & vires illas, quibus ſtat invicta & inexpugnabilis adverſus omnem vim, ab illo ſolo mutuatur. Verum quia poſt adventum Chriſti, potiſſimum vero poſtquam ſubvectus eſt in cœlum, tanta lux Euangelii effulſit ut totius præteriti temporis lucem obſcurarit, ut ſtellas exoriens Sol, comparate non ſimpliciter Chriſtus hic dicitur *ædificaturus Eccleſiam ſuam.* Nam quæ patefactionis Euangelii, eadem conſtructionis Eccleſiæ ratio eſt. Nimirum, nonniſi per Euangelii prædicationem Eccleſia conſtruitur: nam Euangelium eſt *potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Quoniam igitur proferendum fuit in lucem, quod ante latebat in myſterio & occulto, Euangelium, dixit *fore ut ædificaret Eccleſiam.* Deinde, hoc dicitur ratione Gentium, quæ cum eſſent iis temporibus extra ambitum Eccleſiæ (quæ Judaico populo, tanquam cancellis quibuſdam, continebatur) tamen vocandæ erant ad Chriſtum per prædicationem Euangelii. Significanter vero dixit οἰκοδομήσω, non οἰκοδομήσει, quia ipſius Chriſti eſt ædificare Eccleſiam ſuam: Ergo non Petri. ¶ Ἐκκλησίαν] Etſi nomen *Eccleſia*, ſi rei Grammaticæ ratio habeatur, à verbo ἐκκαλῶ ſit ortum, non ideo tamen exiſtimandum eſt ea nomenclatura populum Chriſtianum eſſe hoc loco deſignatum, quod ſit cœtus hominum quos Deus è reliqua turba ad juſtitiam & beatam immortalitatem Euangelii præconio evocavit. Deus enim in Scriptura ubique καλεῖν, nuſquam ἐκκαλεῖν, & vocatio fidelium κλῆσις non ἐκκλησις conſtanter dicitur; denique fideles dicuntur κλητοί, non ἐκκλητοί. Sed cum apud LXX Interpr. non ſolennes modo conventus populi Judaici, ex quo ſolo Eccleſia Dei olim conſtabat, verum etiam Gentis illius multitudo ἐκκλησία nuncupetur (Hebraice קהל & עדה) nomen S. Scripturæ uſu jam celebratum viſum eſt Chriſto & Spiritui S. populo imponere quem ex Judæis & Gentibus erat in unum collecturus. Nam *Synagoga* nomen Judæi ſibi fecerant peculiare, unde factum eſt ut illis tanquam proprium fuerit relictum. Huc & illud accedit, quod ἐκκλησίας nomen Græcis erat familiare & conſuetum, utpote quæ illis *concionem* & *populi conventum* ſignificat, quales conventus in Græcis civitatibus Reipublicæ cauſa haberi ſolebant omnium ordinum promiſcue & indiſcriminatim. Nec oſcitanter prætereundum eſt, quod ſuorum cœtum Deus non βουλὴ, aut σύγκλητον, quæ Optimatum proprie eſt, ſed ἐκκλησίαν, quæ eſt *populi cœtus*, etiam plebeculæ & ignobilium, appellari voluit. Nimirum, ita ſe res habet ſecundum Apoſtolum, 1 Cor. 1. 26. *Videte, fratres, vocationem veſtram, vos non eſſe multos ſapientes*, &c. Itaque ἐκκλησιάζειν Græce eſt *concionari, cum populo agere.* Eccleſia ergo N. T. eſt fidelium multitudo toto orbe terrarum diſperſa, non modo illius pars in unum collecta: quæ *Collecta* olim dicebatur; ut & *Colligere* erat in unum cœtus Divini cauſa coire, & Græce eadem σύναξις quæ *Collecta* Latinis dicebatur. Ex his quæ hactenus dicta ſunt liquet quidem aliquid ſingulare à Chriſto Petro fuiſſe his verbis collatum, quod non fuit illi cum reliquis Apoſtolis commune. Sed quia id novum & inſolens multis videri poſſit, probandum jam & confirmandum nobis eſt, deinde vero aperte definiendum, Quidnam ſit illud ſingulare & præcipuum. Et ad prius quidem illud quod attinet, multa ſunt quæ evincunt, in Petrum aliquid eximium ſupra reliquos Apoſtolos à Chriſto fuiſſe collatum, ac primum quidem ipſa totius orationis emphaſis. Cum Chriſtus Diſcipulos univerſos rogaſſet quem ſe eſſe illi exiſtimarent, proſiliens Petrus, & omnes unus prævertens, *Tues*, inquit, *Chriſtus, Filius Dei vivi.* Quid ad hæc Dominus, *Beatus es*, inquit, *Simon bar-Jona.* Mirum, ſi Petrus reliquis Apoſtolis conſultis tum demum reſpondit, cur Dominus non ſubjecerit ſtatim, *Beati vos eſtis.* Itaque, acſi Petrus confeſſionem edidiſſet ſolus, κἀγὼ σοὶ λέγω, *& ego tibi dico.* Petrus dixerat, *Tu es Chriſtus:* reſpondens Chriſtus ex adverſo, & q. verba verbis opponens, *Et ego tibi dico, Tu es Petrus.* Atque hic oportet meminiſſe quæ ſupra dicta ſunt, nempe, κἀγὼ reponentis eſſe, & ἀλλὰ hoc loco non eſſe adverſativam ſed copulativam particulam. Hæc enim arguunt, Chriſtum his verbis Petrum ſingulariter & ſeorſim compellare, proindeque & ſingulare quidpiam illi tribuere. Quorſum enim pertinet iſta Chriſti oratio, quæ illius mens, quis ſcopus, ſi communiter, ſi æque reliqui Diſcipuli ac Petrus compellantur? Numquid *Petri* nomen omnibus Apoſtolis commune fuit. Tum vero illud, *Simon Bar-jona*, cum ad reliquos Apoſtolos minime pertineat (neque enim illi nati fuerunt patre Jona) quæ ratio effecerit ut quæ eodem tenore cum iſtis conjuncta & continuata ſequuntur alio trahantur? Deinde etiam illa, *Tibi dico, Tibi dabo, Tu es Petrus*, haud dubie magnam habent emphaſim, & clare aperteque ſignificant, hæc tam dicta ſingulariter Petro ſingulariter ac peculiari quadam ratione convenire. Sed ſunt qui excipiunt, Petrum Apoſtolorum omnium nomine hanc confeſſionem edidiſſe, itaque cenſendum non eſſe peculiare aliquid ſupra reliquos hoc loco conſecutum eſſe: neque enim fas eſſe videtur,

videtur, ut quorum opera fuit communis, eorum merces non ſit pari ratione communis. Sed qui ſic diſputant non animadvertunt, cum Chriſtus primum interrogaſſet Diſcipulos, *Quem me dicunt homines eſſe?* omnes nullo diſcrimine reſpondiſſe, *Et reſponderunt*, inquit Euangeliſta, *Alii Eliam*, &c. Hic vero cum eos iterum interrogaſſet Chriſtus, *Vos vero quem me dicitis eſſe?* non reſpondent univerſi, ut prius; unus reſpondet Petrus. Itaque & unum reſpondentem ſeorſum Dominus ſeorſum compellat. Quando reſpondetur univerſi univerſos Dominus iterum compellat. Cum quæriviſſet Chriſtus, *Quem me dicunt homines eſſe?* non reſpondit omnium nomine Petrus: at cum ſecundo Chriſtus quæriviſſet, *Vos vero quem me dicitis eſſe?* hic vero ſolus omnium Apoſtolorum Petrus reſpondit. Atque hic obſervandum eſt, cum alibi Petrus aliorum nomine Chriſtum fuiſſet allocutus, eo in ſermone non agi de interno mentis affectu, ſed de externo opere, *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. Matt. 19. 27. hic ubi de conſcientia, de mente agitur & animi ſententia, multo diverſa eſt ratio. Unuſquiſque apud Deum teſtis eſt ejus rei cujus conſcius eſſe poteſt; ea vero res fides aliena eſſe non poteſt, noſtra fides ejuſmodi certe eſt. At de operibus teſtimonium reddi poteſt, indidemque de fide deque charitate, ſed quatenus illa, quæ ſit, ex operibus intelligi poteſt. At hic non de operibus, ſed de fide agebatur; itaque hic Petrus reſpondet ſolus: illic ſolus quidem reſpondet, ſed omnium nomine; nempe de opere agebatur. Quo minus mirandum eſt Chriſtum tum ita reſpondiſſe, ut ne Petro ſeorſum, ſed omnibus conjunctim & promiſcue Apoſtolis reſponderit, cum hic ſolum Petrum compellet. Neque vero hæc ideo à nobis diſputantur ac ſi iis eſſemus qui ſuſpicaremur non eandem fuiſſe Apoſtolorum fidem quæ Petri fuerit: hoc tantum volumus, eſſe admodum veriſimile hanc confeſſionem à Petro non fuiſſe omnium Apoſtolorum nomine editam. Quemadmodum in Eccleſia fides eſt communis, cum tamen in ſymbolo fidei vocem *Credo* non *Credimus* uſurpemus; nempe, ut quiſque *juſtus ſua fide vivit*, ita maxime idoneus ſuæ fidei confeſſor eſt. Sed eſto, Petrus non ſuis ſed Apoſtolorum verbis reſponderit, quid tum poſtea? Nempe, inquiet aliquis, quod Petro dictum fuit, & dictum cæteris Apoſtolis cenſeri debet; cur enim in præmio & honore ſejungantur quorum fides una fuit? At vero, inquam, Petri zelus eximius fuit; ſenſerat is præ cæteris egregie Spiritus vim; id quod Chriſtus haud obſcure illis verbis ſignificat, *Beatus es tu, Simon*, &c. Quis enim ambigat hic à Domino ſingulare aliquid deſignari? Sane licet in Petro quandam affectus erga Chriſtum & propenſionis quaſi præcipitem vehementiam obſervare, qua cæteros Apoſtolos anteiſſe videtur, & pone longo intervallo reliquiſſe; cujus rei varia exſtant in hiſtoria Euangelica documenta. Quare cum zelus Petri ſingularis fuerit, quid prohibet quominus cenſeamus Chriſtum Dominum eam virtutem in Petro voluiſſe ſingulari quadam prærogativa inſignire atque illuſtrem reddere? Incenſus & ardens ſingulos Diſcipulos prævertit, non potuit ſibi temperare quin Chriſto interroganti primus omnium & ſolus reſponderet; reliqui autem tacite acquieviſſe videntur; ſolus hinc igitur audit, *Tu es Petrus*, &c. Poſtquam jam ex ſuperioribus conſtitutum eſt, Aliquid ſingulariter Petro conceſſum eſſe, ſupereſt diſquirendum & definiendum, Quid ſit illud tandem, & quantum, quod Petro hic ſingulare ac peculiare indultum eſt. Quicquid autem illud ſit, quantumve ſit, id vero nullam eſſe authoritatem, aut vero jus, in reliquos Apoſtolos, neque etiam poteſtatem ullam proprie Apoſtolica majorem & eminentiorem, multo vero minus eam authoritatem & juriſdictionem quam Epiſcopo Romano ejus aſſentatores tribuunt, multis poſſet demonſtrari & invictis addici rationibus (quod & à nobis alibi factum eſt) à quibus jam temperamus, quia in eo duntaxat ſumus, ut quid ſit ſingulare illud quod Chriſtus Petro hic conceſſit aperiamus. Atque ut id indagemus & deprehendamus & veluti manu teneamus, arbitror ab ipſo *Petri* nomine diſquiſitionis initium eſſe faciendum. Nempe, nomen illud dignitatis ergo ſignificandæ Petro à Chriſto fuit indictum. Certum enim eſt, non fruſtra, non temere, ſed ſapientiſſimo conſilio & certa aliqua de cauſa, Deum vel inſtituta nomina mutare, vel nova indere; id nil neceſſe eſt exemplis demonſtrare: nota enim eſt & celebrata *Saræ* & *Abrahami*, & *Jacobi* nominum mutatio. Sed etſi nulla exempla hujus rei exſtarent, (quæ ſane exſtant quamplurima) res ipſa id evidenter probat ac demonſtrat. Cum enim nomina rerum notæ ſint, nonniſi judicio & adhibita ratione qui vel mediocriter ſapiunt vel vetus nomen antiquant vel novum rebus & perſonis imponunt. Quanto magis nefas foret de Deo tale quicquam animo cogitare? ut qui ſigna ſua non patitur eſſe rerum inanes imagines & ſimulacra, utpote qui potentiſſimus, optimus, ſapientiſſimus idem ſit. Quare ſine controverſia ſtatuendum, nomen iſtud *Petri* à Chriſto Petro impoſitum aliquid ſignificaſſe. Quoniam vero Petro ſoli id nominis inditum fuit, indidem efficitur, eo nomine aliquid Petro ſingulare fuiſſe datum revera: nam quo titulus ſine re? Ergo dignitatem & Petri prærogativam ipſum *Petri* ſeu nomen ſeu cognomen veluti nomenclatura indicabit. Definito igitur nomine *Petri* rem ipſam tenebimus. Ac *Petrum* quidem λὶθ ἢ πέτρα (quæ *lapidem* ſeu *ſaxum* ex Scripturæ uſu ſignificat, adeoque idipſum quod Atticis πέτρος) dictum eſſe jam nulla controverſia eſt. Videndum ergo cur Petrus *lapis* ſive *ſaxum* ſit appellatus: Quæ appellatio cum non ſit propria, ſequitur ut ſit figurata, & ea quidem figura quæ Metaphora dicitur. Porro Metaphora contracta ſimilitudo eſt: itaque quærenda hic nominis ſimilitudo, convenientiaque ratio: Nam *lapis* certe figura quadam is dicitur, qui cum lapide habet aliquid commune. Id vero vel vitio vel laudi ducitur; eſtque vel obfirmata quædam animi durities in malo, vel in bono ſolida & conſtans atque immota firmitas: Hæc utraque ſimilitudo ab una eademque lapidis proprietate, rigore nempe & duritie, ducta eſt. Hanc lapidis proprietatem, quam in Scholis *abſolutam* vocarent, ſequitur altera proprietas, conſequentia quædam naturali, ut lapis ſit idoneum ædium fundamentum; quam proprietatem Scholaſtici *relativam* appellarent. Jam videndum eſt utrius proprietatis ratione Petrus *lapis* fuerit appellatus. Ac nonnulli quidem ex Patribus Simonem dictum *Petrum* putant ob fidei ſoliditatem; alii ob ardentem ejus zelum, ἀφ' ἧς πυρὸς ἐκπήδησε· nam colliſis magna vi lapidibus exſilit momento ignis. Hanc multi conjecturam probant; nos aſſenſum cohibemus. Fides enim Petri fluxa & inſtabilis fuit: Primum enim poſt editam inſignem illam confeſſionem, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, mutavit ac vacillavit. Solus enim omnium Apoſtolorum, cum accepiſſet Chriſto eſſe moriendum, interceſſit, & vero ſcilicet ei author eſſe voluit ut ſibi parceret, haud equidem animo malevolo ſed carnali; quo nomine Dominus eum non reprehendit modo, ſed increpuit atque objurgavit tam graviter tamque acriter atque aſpere ut eum non dubitarit *Satanam* appellare. Quid? quod Chriſtum abnegavit, idque interpoſito jurejurando? quod erat perfidiam perjurio cumulare. Nam ut illud omittamus ſane, quod poſtquam ad Chriſtum mari incedentem properaturus deſiluit in mare, defecit eum fides, unde, ut mergi continuo cœpit, à Chriſto audivit, *Cur timuiſti, ὀλιγόπιστε?* at quid ad illud dicemus, quod poſt Chriſti reſurrectionem, poſtquam jam aſcendiſſet Dominus in cœlum, poſtquam Spiritum miſiſſet, poſtquam Petro vocatio Gentium extra ordinem fuiſſet revelata, poſt prædicatum Gentibus Euangelium, poſt tot documenta Divinæ præſentiæ, quam & Euangelii fructus & repreſſus hoſtium furor & tot tantaque edita miracula probarant confirmarantque, cum tamen eſſet Antiochiæ, adeo diſſimulator fuit Judæorum metu, ut eorum conſortio qui in Chriſtum crediderant è Gentibus abſtineret, ut Paulus narrat Galat. 2. qua de cauſa in gravem & ſeriam Pauli reprehenſionem incurrit, *qui* ſcilicet *ei reſtitit in faciem, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν*, *neque ἐφρόνει recto pede incedebat in Euangelii negotio?* Hæc cum ita ſe habeant, profecto Simon ob ſoliditatem conſtantiamque fidei *Petrus* non eſt appellatus. At fortaſſe ob fervorem *lapis* fuit appellatus. At *ignis* quidem potius fuiſſet hoc quidem pacto vocandus, & *Pyrus*, non *Petrus*. Etſi enim ex adfricto & colliſione lapidum concipitur ignis, at ignei tamen & fervidi ingenii hominem nemo *lapidem* dixerit, quæ concitata ſunt ea minime *ſaxea* aut *lapidea* dicimus. Itaque haudquaquam probabile eſt Deum, cujus ſapientiæ eſt apta rebus & convenientia nomina imponere, Petrum ob zelum & fervorem *lapidem* nominaſſe. Supereſt igitur ut aliam ob cauſam Simon *Petrus* fuerit vocatus. Quamnam vero? Certe ob eam quam diximus lapidis *relativam* proprietatem, ob uſum lapidis quendam; Nempe lapides fundamenti loco in ædificando collocantur. Simon hoc pacto *Petrus* fuerit appellatus, quod Eccleſiæ futurus eſſet fundamentum. Quid igitur, inquit aliquis, Ergo Petrus Eccleſiæ fundamentum eſt? Omnino. At non ea ratione quam ſomniant Pontificii, q. Petrus ſolus fundamentum & columen Eccleſiæ vel unquam fuerit, vel eſſet futurus, ſeu ſua, ſeu ſucceſſorum perſona, ſed diverſa omnino de cauſa. Nimirum, Petrus omnium Apoſtolorum primus Eccleſiæ fundamenta jecit. Et cæterorum quidem Apoſtolorum nomina Eccleſiæ fundamentis inſcripta ſunt Apoc. 21. 14. ſunt etiam & illi Eccleſiæ fundamenta, ut qui Dei Eccleſiam pro virili quiſque parte toto orbe fundarunt: verum quia Petrus princeps hoc effecit, atque (ut eleganter & ſcite Tertullianus) *primus* hoc pacto *clavem imbuit*, dubium non eſt quin hoc elogium ei ſingulari ac præcipua ratione conveniat, ut *Petrus* ob hanc cauſam fuerit appellatus, & hic honos ei ſupra cæteros debeatur. Nam quod cæteri Apoſtoli & ipſi Eccleſias condidere, id factum eſt poſtquam Petrus tantum opus inchoaſſet, ac rem adhuc integram

atque

atque intactam veluti delibaſſet. Petrus igitur primus Euangelium Judæis die Pentecoſtes, poſt ſolennem de cœlo Spiritus S. miſſionem, prædicavit, Act. 2. Et hoc obſervare facile eſt, Primum eſſe Petrum, ubique præire, ejus eſſe primas partes præcipuaſque uſque ad ea tempora quæ Act. 7. deſcribuntur. Sic fundata eſt à Petro Eccleſia Judaica, quæ poſtmodum exorta Hieroſolymis perſecutione, Deo ſic providente, ſparſa atque diſſeminata inter Gentes, Eccleſiæ Gentilis ſemen veluti acſermentum quoddam fuit. Huc illud referendum eſt quod Act. 11. narratur, nonnullos ex illa diſperſione Antiochiæ prædicaſſe Græcis. Sed & ipſe Petrus primus Eccleſiæ Gentilis fundamenta jecit. Is enim fuit cui ſoli Deus, idque in ecſtaſi conſtituto, Gentium vocationem revelavit, cæteris omnibus Apoſtolis præteritis, quibus nonniſi Petri relatu & exemplo, quod is præbuit primus, id myſterii innotuit. Nam a juſſu Dei cœlitus delato, non admonitus S. literis, neque concionibus Domini excitatus atque impulſus, cœpit de re tanta cogitare. Fuit igitur hæc revelatio plane extraordinaria, ac ſupra eam conditionem quæ Petro cum reliquis Apoſtolis fuit communis. Huc referri debent verba ipſius Petri Act. 15. 7. ad Synodum Hieroſolymitanam, *Viri fratres, vos ſcitis quod à diebus antiquis inter vos me Deus elegit, cujus ore Gentes audirent verbum Euangelii, & crederent.* Certe illud *à diebus antiquis* quorſum pertineat non eſt facile dictu, niſi quod omnino reſpoſcit ut ad id tempus referatur quo Chriſtus Petro dixit, *Tu es Petrus*, &c. Nam quæ tempora à Chriſti aſcenſu in cœlum ad id uſque tempus quo Petrus eam habuit orationem interfluxere, ea certe *dies antiquos* Spiritum S. appellaſſe non eſt credibile: ſed quemadmodum ἀρχὴ ad prima Chriſti tempora quibus vixit in terris, ſic ἀρχαίας ἡμέρας eodem referre conſentaneum eſt. Deinde vero, nec illud caret emphaſi quod ait Petrus, *ſe à Deo electum inter vos*: quid enim ea locutio ſignificet, & quam vim habeat, non eſt obſcurum: Nimirum, hoc pacto ſe Petrus notat à reliquis Apoſtolis ſegregatum ac peculiari quadam cohoneſtatum atque exornatum prærogativa. *Petrus* itaque ſic dictus à Chriſto eſt, quia ejus potiſſimum opera uti voluit jaciendis Eccleſiæ cum Judaicæ tum etiam Gentilis fundamentis. Ergo *Petri* nomen Petri prærogativæ titulus eſt; Quænam autem illa ſit ſatis indicant ipſa verba, *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, h. e. *Tueris Eccleſiæ meæ fundamentum:* eadem mente qua & *Columnæ* Eccleſiæ illi dicuntur Gal. 2. 9. quorum opera Eccleſiæ moles fulcitur atque ſuſtentatur. Certe ſuper Apoſtolis Eccleſiam eſſe fundatam conſtat ex Apoc. 21. 14. Sic Patres, ſic Scriptura loquuntur; quid cauſæ eſt cur nobis ſit nefas ſic ſentire, ſic loqui? Quod ſi vero jam Eccleſia ſuper Apoſtolis eſt fundata, quidni & ſuper Petro primo, qui primus in hac ſubſtructione deſudavit? Id quod Tertullianus non peroſpiſſe modo ſed etiam egregie explicaſſe videtur, l. De Pud. cap. 21. *De tua nunc ſententia quæro*, inquit, *unde hoc jus Eccleſia uſurpet? Si quia dixerit Petro Dominus*, SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, TIBI DEDI CLAVES, &c. *ideo præſumis & ad te derivaſſe ſolvendi & alligandi poteſtatem, id eſt, ad omnem Eccleſiam Petri propinquam, qualis es evertens atque commutans manifeſtam Domini intentionem, perſonaliter hoc Petro conferentem?* SUPER TE, *inquit*, ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, *&*, DABO TIBI CLAVES, &c. *Sic enim & exitus docet. In ipſo Eccleſia exſtructa eſt, i. per ipſum. Ipſe claves imbuit; vides quam?* VIRI ISRAELITÆ, AURIBUS MANDATE QUÆ DICO; JESUM NAZARENUM VIRUM A DEO VOBIS DESTINATUM, &c. *Ipſe denique primus in Baptiſmo Chriſti reſeravit aditum cœleſtis regni*, &c. Nec eſt quod quiſquam hac interp. exiſtimet vel minimum juvari cauſam Pont. Romani. Nam ſi Simon filius Jona ideo *Petrus* à Chriſto vocatus eſt, atque hactenus duntaxat ſuper eum Eccleſia ædificata eſt quatenus is primus tanti operis author fuit, quid hoc facit ad Epiſcopi Rom. quem ſibi tribuit hodie, Primatum? Imo id mihi videtur vel maximam habere vim ad eum Primatum funditus evertendum. Nam ſi Petro præter hanc eminentiam nihil aliud fuit in Apoſtolos juris, ſi iſtius eminentiæ ratio jam nulla eſt; facta enim pridem ſunt, non facienda Eccleſiæ fundamenta; quid ad Papam hoc? quid ad Papatum, & monarchiam Epiſcopi Rom. Num quia Deus ex omnibus Genevenſis Eccleſiæ Miniſtris Farelli opera in reſtituenda Eccleſia in Gallia potiſſimum eſt uſus, autumet quiſquam Genevæ Farellum habere ſucceſſorem qui ea de cauſa jure ſibi poſſit aſſumere *Galliarum Primatis* titulum? tantum vero ſibi arrogare juris ut niſi de ipſius ſententia in cauſis majoribus nihil debeat fieri? ad cujus arbitrium atque nutum omnia geri atque adminiſtrari æquum ſit? præter ejus voluntatem, eoque non authore, quicquam attentare ſit nefas? Nemo profecto mentis compos vel ſic ipſe ratiocinetur, vel ita ratiocinantem probet. ¶ Καὶ πύλαι ᾅδου] Non ſatis conſtat quid ſint hæ, quas notat Dominus, *inferorum portæ*. Alii enim volunt ſic deſcribi Satanæ vim & robur in oppugnanda Eccleſia; Portas ſcilicet eſſe urbium munimenta, itaque apte ſic Diaboli potentiam deſignari. At vero neque portas, ſi proprie loqui volumus, dicemus urbium munimenta; non eſt hic portarum uſus: mœnia & foſſa & vallum & agger id præſtant; portæ muniuntur ipſæ, non muniunt. Neque vero ut maxime portæ *munimenta* ſint, oppugnacula ſunt, unde impetus fiat in urbem, ſed propugnacula potius. Hic vero non propugnantium ſed oppugnantium hoſtium vis & robur deſcribitur. Quæ ratio Maldonatum permovit ut *portarum inferni* nomine cenſeret intelligendam non eam vim qua Satanas Eccleſiam oppugnat, ſed eam qua ſe tuetur, ſcilicet, adverſus Eccleſiæ inſultus. Nempe Eccleſiam vult ultro inferis bellum inferre, ut olim populus Iſraeliticus Hierichuntinis, non quidem, ut illi, cornuum ſonitu, ſed Euangelii prædicatione. Verum ne ſic quidem liquet quas Chriſtus *portas inferorum* dixerit. Nam κατισχύειν (quod hic ſubjungitur) non eſt obſeſſorum ſed obſidentium, quique vim inferunt potius quam illatam prohibent & defendunt. Quid, quod Eccleſia hic domui comparatur? At quis dixerit domum ſeu ædificium *oppugnare?* Obſidetur quidem & oppugnatur, & capitur; at nec capit, nec oppugnat, neque vero obſidet. Quamobrem aliis alio referre hæc viſum. Nimirum olim in urbium portis conſilia habebantur, jus dicebatur. An igitur *portarum* nomine technæ & fraudes Diabolicæ, quibus Eccleſiæ gravius ſemper quam aperta vi nocitum eſt, intelliguntur? Sed nec ſic quidem conſtat ratio. Nempe κατισχύειν non uſque adeo apte cum de conſiliis agitur uſurpatur; virium potius & roboris eſt κατισχύειν. Quod ſi ea Chriſti mens fuiſſet, haud dubie οὐκ ἐξαπατήσουσιν non ἰ κατισχύσουσιν dixiſſet. Deinde vero legimus quidem jus dictum in portis, etiam habitos conventus; at conſilia arcana non eliminanda & invulganda in iis agitata, id vero jam neſcio an quis obſervarit. Quid igitur ſupereſt quam ut ipſam conſulamus Scripturam, ſui interpretem omnium minime fallacem? Exſtat ſimilis locutio Job 38. 17. Pſal. 9. 14. & 107. 18. eadem vero Eſa. 38. 10. Quæ ſit autem hujus locutionis vis & ſignificatio iis in locis, nemini eſt obſcurum: nempe, ſic notatur vis mortis & ſepulcri in miſeros mortales. Affinis huic locutioni eſt illa חבלי מות *Funes mortis circumdederant me*, Pſal. 18. 4. & 116. 3. hyperbole ſplendidiſſima, h. e. *Perieram obrutus jam in ſepulcro, humo ſuperaggeſta, & quaſi vinculis in illo carcere conſtrictus.* Sic vero notatur ſupremum mortis imperium, & vis ſumma: ultra ſiquidem quod agat nihil habet. Hæc ergo Chriſti hoc in loco mens fuiſſe videtur, *Jaceant fideles ad tempus demortui, mors in illos dominetur, exerceat jus ſuum, in ſepulcro, veluti in carcere, eos teneat concluſos & vinculis quaſi conſtrictos, haud tamen uſque & uſque obtinebit: valebit quidem certe, at non prævalebit:* ἰσχύσει μέν, ὑπὸ μὴν κατισχύσει. Sed hæc erunt multo clariora, ſi cogitemus ſerio id quod res eſt, Vocem ᾅδης nuſquam in Scriptura (unicus modo locus excipiatur) *infernum* ſignificare, ſed conſtanter vel *ſepulcrum*, vel *hominis vita funſti*, hactenus quidem, *ſtatum & conditionem.* Adde, quod ᾅδης & θάνατος *infernus* & *mors* Eccleſiæ *hoſtes* dicuntur, & quidem *poſtremi eorum hoſtes*, teſte Apoſtolo 1 Cor. 15. 26. Et Apoc. 20. 14. *mors & ᾅδης tandem dejiciuntur in ſtagnum ignis.* Ubi nonniſi abſurde ὁ ᾅδης nomine *inferos* quiſquam intelligat, quaſi vero infernus in infernum dejiciatur. At ſiquis figurata hac locutione ſignificatum velit, Perituram omnem mortis & ſepulcri vim, is demum profecto à Spiritus S. mente minime aberraverit. Illud etiam huc accedit, quod Chriſtus ſuos confirmaturus, eos præcipue vel maxime erigit in ſpem beatæ reſurrectionis, atque iis immunitatem à mortis & ſepulcri veluti imperio ob oculos proponit. *Qui in me credit*, inquit, *quamvis ſit mortuus vivet*, Joh. 11. 25, 26. & 6. 39, 40. 44. *eum excitabo ultimo die.* Itaque Apoſtolus fidem & ſalutis caput atque ſummam collocat in ſpe certiſſima reſurrectionis: Sic enim agit 1 Cor. 15. 55. Πῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; &c. Omnino videri poſſit ad hanc Chriſti ſuaviſſimam promiſſionem reſpexiſſe. Huc etiam pertinet quod mors & ſepulcrum ἰσχύει quidem certe, at non κατισχύει. Serpens ſemini illi benedicto mulieris, Chriſto inquam, calcaneum momordit; nempe, paſſus, crucifixus, mortuus, ſepultus eſt; hactenus ἰσχυσεν ὁ θάνατος, καὶ ὁ ᾅδης. At Chriſtus in glorioſa illa ſui excitatione caput ei contrivit, in noſtra vero reſurrectione contriturus eſt: ſic οὐ κατισχύσουσιν, ἀλλ' ὑδὲ μὴν κατισχύσει. Quid igitur? Non meminit Chriſtus hic tentationum atque inſultuum Satanæ? Sane, ſed conſequenter. Nam cum de mortis & ſepulcri in Dei populum irrito conatu hic agatur, omnino ſequitur ut hic locus etiam ad tentationes pertineat, quas niſi cœlitus Chriſti ope detur exire, mortem & ſepulcrum dominari

neceſſe eſt. Porro, hinc Pontificii conficere ſe poſſe putant, *Eccleſiam in terris nunquam defeciſſe*, maxime vero tempore N.T. Sed fruſtra; primo, quia id non negamus quod illi probare ſtudent; deinde, hic locus nihil facit ad rem. Nam etiamſi Eccleſia interciderit in terris, non eo fieret ut portæ inferorum adverſus Eccleſiam prævaluerint; tantum fieret, ut Eccleſia deſineret eſſe in terris: Atqui deſinere eſſe in terris non eſt vinci à portis inferorum, ſed contra ſuperare inferorum portas & perfringere. Quanquam, uti dixi, verum eſt Deum ſemper Eccleſiam aliquam habere in terris; ſed nos id volumus tantum, non poſſe id probari ex hoc loco. Unde ſequitur Adverſarios ſic prodere ſtudium cauſæ, atque à cauſæ ſtudio ortam mentis perturbationem. Verum nos adverſus eos & Novatores Semipelagianos probamus hinc vere fidelium conſtantem ad finem uſque perſeverantiam. Nam ſi (ut illi volunt) Eccleſia aliquando à Chriſto ſejungeretur, h.e. ſi vere fideles aliquando à fide deficerent & in totalem, uti loquuntur, Apoſtaſiam inciderent, ſane prævalerent adverſus Eccleſiam inferorum portæ, quod Chriſtus hic negat futurum. Sed excipiunt illi primo, *Portæ inferorum* hic ſignificare mortem & damnationem. At hoc non efficit ut ne ex hoc loco poſſit probari perſeverantia Eccleſiæ. Nam qui non ſunt perituri, eos neceſſe eſt perſeverare: Itaque ſi Eccleſia non poteſt perire, non poteſt itidem non perſeverare; nam ſi non perſeveraverit peribit. Excipiunt ſecundo, Promiſſionem hic fieri duntaxat adverſus vim externam, non adverſus propriam hominis malitiam. At vero ſic non loquuntur ſatis clare: videntur enim præſupponere fore ut Eccleſia laboret malitia & contumacia. Sane Deus contumacibus, rebellibus & malitia laborantibus non polliceretur auxilium ſuum; verum Eccleſia, vere fideles, inquam, non ſunt hujuſmodi. Omnes ſane ſunt à natura proni in contumaciam & rebellionem, & ni Deus propenſionem illam cohiberet, omnino tales evaderent: At Deus hic Eccleſiæ ſuæ pollicetur fore ut non ſit contumax: nam *inferorum porta adverſus eam non prævalebunt*: prævalerent autem ſi evaderet contumax. Itaque hæc exceptio eſt mera cavillatio: nam ita Deus, ſecundum illos homines, nihil Eccleſiæ polliceretur quod non ſit omnibus hominibus commune. At certe Chriſtus ſingulare aliquid hic pollicetur Eccleſiæ, nempe ut quantumvis illa prona ſit in rebellionem, ille tamen hunc impetum ſit cohibiturus per Spiritum ſuum: quod non eſt polliceri auxilium hominibus profanis, ſed polliceri (quæ ſumma conſolatio eſt) ut ne qui natura proclives ſunt ad impietatem, eo vergant quo ducit natura. Denique excipiunt illi; tanta eſt eorum inconſtantia; Promiſſionem hanc tantum dirigi ad Eccleſiam Chriſti quatenus eſt talis; neque promitti perſeverantiam in fide, aut ipſos ſemper manſuros Eccleſiam, ſed quantiſper Eccleſia manent fore ut adverſus eam non prævaleant inferorum portæ: h. e. ut loquuntur in Scholis, Promiſſio hic fit Eccleſiæ *in ſenſu compoſito*, non *in ſenſu diviſo*. At ſic promiſſio nulla erit. Ut ſi quis homini promitteret fore ut non moriatur, moriatur tamen cui promiſſum eſt fore ut non moreretur; ſic autem ſe tueatur qui promiſit, Se duntaxat pollicitum eſſe fore ut quamdiu maneret homo non moreretur, at non promiſiſſe fore ut non deſineret eſſe homo, ridicula & jocularis eſſet illa exceptio, & nulla promiſſio, quia quando moritur aliquis deſinit eſſe homo: nam certe homo quamdiu eſt & manet homo non moritur. Sic ſolemus ridicule & joculariter dicere, *Remedium adverſus mortem eſſe ut ſemper edamus & bibamus*, quia quamdiu edemus & bibemus non morientur. Sic vero tollitur omnis conſolatio & fiducia in poſterum: quis enim eſt cujus mentem unquam ſubiit hæc cogitatio, *Etiamſi Deum ex animo coluero, in eum ſperavero, tamen me Deus deſituet?* At hæc cogitatio ſæpe animum ſubit, *In hac inconſtantia naturæ & levitate, inter tot hoſtes, quis poterit ſtare & perſtare uſque ad finem?* Hoc vero eſt quod ſolicitos habet pios; itaque hic opus conſolatione: nulla autem erit ſi nulla eſt promiſſio. Deinde, ſi iſtorum hominum cavillatiuncula locum habet, fieri poterit ut nullam Deus habeat in terris Eccleſiam; imo vero ut omnes qui in Chriſtum crediderunt ſimul deficiant: Nempe, non poſſumus judicare de firmitate Eccleſiæ niſi ex promiſſionibus Dei; omnes autem promiſſiones Dei, ſecundum iſtos, præſupponunt, non ponunt perſeverantiam; perſeverantia autem, ſecundum eoſdem, incerta eſt. Itaque tranſeundem nobis eſt in caſtra Socinianorum, qui exſerte docent nihil eſſe abſurdi ſi dicamus fuiſſe aliquandiu Eccleſiam Dei in terris exſtinctam.

19. Καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς] Traditio clavium ſymbolum eſt poteſtatis atque authoritatis in aliquem collatæ. Nam quod Eſa. 22. 22. dicitur, *Tradam in manus ejus* משרתי *imperium tuum*, idem, ſed figurate, his verbis ſtatim ſignificatur, *Dabo ei* נתתי *clavem domus David*. Ideoque & in Chriſti titulis & hic cenſetur, *Qui habet clavem domus David*, Apoc. 3. 7. Cæterum mirari quis poſſit qua mente Chriſtus B. Petro ſponderit ſe traditurum claves regni cœlorum, ſiquidem traditio clavium authoritatis, poteſtatis, juriſdictionis & imperii teſſera eſt, Chriſtus autem Apoſtolos exſerte vetuerit dominari, Matth. 20. 25. *Reges terræ*, &c. *Vos autem non ſic*. Sed hæc facile conciliantur. Primum enim clavium traditio non quamvis poteſtatem, juriſdictionem & imperium ſignificat, ſed eam quæ ſit promicondi, quæ pro familiæ conditione diverſa diverſa & ipſa eſſe debet. Neque vero omnem Apoſtolis ademit Chriſtus authoritatem (eam ils tribuit quæ ſumma eſt in terris, Joh. 20. 21.) ſed Regiam duntaxat, quæ ſcilicet ſummi Magiſtratus propria eſt, ne obtentu ſpiritualis poteſtatis, quam illi datam à Chriſto ſane maximam habuerunt, in Regum jura invaderent. Etſi vero clavium traditio politicæ cujuſdam poteſtatis ſymbolum duntaxat fuiſſet, hac locutione tamen haud continuo cenſendus foret Chriſtus Petrum conſtituiſſe Dominatorem. Nimirum Dominus noſter, dum αἰνιγματωδέστερον de ſtatu regni ſui deque Apoſtolorum in eo dignitate loquitur, qualis demum is ſtatus ſit futurus, id vero ſolet ſubinnuere verbis Regum & Regiorum miniſtrorum dignitatem potius quam ſpiritualem Eccleſiæ ſtatum ſignificantibus; *Vos*, inquit, *judicabitis* κτλ *tribus Iſraelis, ſedentes in* κτλ *thronis*, Matth. 19. 28. & Luc. 22. 30. Etiam illud obſervatu haudquaquam eſt indignum, quod clavium traditione Doctorum apud Judæos inauguratio veteri inſtituto peragebatur; argumento vel illud ſit quod tradunt de R. Samuele, ותנו כתורה שעשו בשעת סמיכה שלו ורבו, ad quam conſuetudinem Dominus hoc loco videtur reſpexiſſe. ¶ Καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς, &c.] Hæc jam nova eſt figura, & à priori diverſa. Poſtquam enim Dominus Petro promiſit claves regni cœlorum, conſequens videbatur ut ſtatim adderet, καὶ ὃ ἐὰν κλείσῃς, &c. *quodcunque clauſeris ſuper terram, erit clauſum in cœlis*. Sed illa tamen revera haud quadraſſent. Neque vero veriſimile eſt Dominum hanc Petri dignitatem verbis quæ Commentarienſis munus proprie ſignificant dehoneſtare voluiſſe. Jam ſi ſpectemus quis fuerit finis poteſtatis quam hic Petro ſe daturum Dominus promittit, res non erit obſcura. Scribæ, Phariſæi, etiam inter Ethnicos ſuperſtitioſi Hierophantæ, hominum animos perverſa quadam religione vinctos tenebant, dum de vera interim eos juberent eſſe ſecuros, vel certe eam ſecuritatem diſſimularent. Petri & Apoſtolorum erat ſuperſtitione quidem exſolvere, contra vera religione mentem humanam obſtringere, dum ea cum authoritate præſcribunt quæ Deus ipſe præſcripſit, vetantque quæ is vetuit, obſequentibus interim veniam & beatam immortalitatem promittentes, contumacibus vero denunciantes æternos cruciatus, tam certo eventu quam ſi Deus voce cœlitus emiſſa id foret teſtatus. In quo mihi Dominus videtur alluſiſſe ad Phariſæorum morem, qui ſibi *ligandi* & *ſolvendi* poteſtatem tribuebant. Itaque eorum poſteri, quod illi nefas eſſe voluerunt, id אסר *ligatum*, contraque quod illi jus faſque eſſe juſſerunt, id שרי *ſolutum* vocant. Itaque אסרים *ligantes*, & rurſus שריים *ſolventes* dicuntur. Id vero Chriſtus haud dubie notavit, dum Matth. 23. 4. dicit de Phariſæis, *Ligant onera gravia* & δυσβάστακτα. Sane Joſephus lib. 1. De bello Jud. c. 4. Phariſæorum potentiam in rebus civilibus iiſdem ferme verbis deſcribit quibus Chriſtus Petrum compellans eſt uſus, *Mox*, inquit, *omnia pro arbitrio adminiſtrabant*, λύειν τε ἃ κατέγνωσαν ἐξῆν καὶ δεῖν, h.e. *ita ut quos libebat in exſilium pellerent, vel ab exſilio revocarent, in carcerem conjicerent, vel vinculis ſolverent:* ſed alia mente & locutione diverſa. Alia enim eſt hæc locutio, ὃ ἐὰν λύσῃς, ὃ ἐὰν δήσῃς, alia vero iſta, ὃς ἐὰν λύσῃς, ὃς ἐὰν δήσῃς· nempe hac locutione de perſonis, illa de rebus potiſſimum agi videtur. Vide & quæ notamus infra ad c. 18. 18.

20. Τότε διεστείλατο] Non *ſimpliciter juſſit*, ſeu *prohibuit*, ſed *graviter interdixit*, ſignificat hoc verbum. Διαστέλλω enim proprie eſt *dividere* & *diducere*; ubi contra συστέλλω *contrahere*, & q. *condenſare* ſignificat. Unde poſtmodum διαστέλλω dicitur de præcepto aliquo ſingulari (quo ſcilicet aliquid præcipitur, vel prohibetur) & ab aliis diſtincto & q. diviſo ac ſeparato. Atque hic eſt uſus hujus verbi in N. T. raro apud profanos & exoticos Scriptores ea ſignificatione occurrit. Sed videtur hoc Chriſti interdictum pugnare primo cum ejus bonitate, deinde cum ejus ſapientia. Ac cum bonitate quidem; quia Chriſtus hoc interdicto videtur impedire fidem. Fides enim in hominum animis ingeneratur per prædicationem Euangelii; quam Chriſtus impedire videtur, cum vetat ſuis Diſcipulis ne dicant ſe eſſe Chriſtum, quæ ſumma eſt Euangelii. Verum aliud eſt *credere in Meſſiam*, aliud vero *credere hunc ſingularem hominem eſſe Meſſiam*; ſic aliud eſt ſcire, *Quid* ſeu *qualis ſit Meſſias*, ſive noſſe *eſſe Chriſtum Redemptorem*; aliud vero,

Quis

Quis ſit Meſſias, h. e. ſcire *hunc hominem eſſe Meſſiam*. Jam vero Chriſtus non interdicit Diſcipulis prædicationem Meſſiæ, h. e. non vetat ne dicant eſſe aliquem Redemptorem; hæc enim fuit doctrina in Iſraele notiſſima: ſed prohibet duntaxat ne dicerent ſe eſſe Meſſiam & Redemptorem illum. Hoc autem non pugnat cum Chriſti bonitate; ſiquidem tum, ante Chriſtum ſcilicet manifeſtatum, potuit ſalus obtingere credentibus eſſe Meſſiam, etiamſi nondum crederent hunc hominem, Jeſum Nazarenum puta, eſſe Meſſiam, utpote qui nondum illis eſſet manifeſtatus: quomodo fideles ſub Lege fide in venturum Meſſiam ſervabantur, etſi nondum ſcirent quis futurus eſſet ille Meſſias. Et Cornelius Centurio priuſquam Petrum audiviſſet non ignorabat eſſe Meſſiam; nam hoc edoctus erat à Judæis, quibus nomen ſuum jam dederat; nondum tamen ſciebat quis eſſet ille Meſſias: quare tum habuit excuſabilem de Chriſto ignorantiam, ac propterea ſervari potuiſſet per fidem illam quam tum habebat de Meſſia venturo. Verum ſi poſt auditam Petri prædicationem idem non credidiſſet Jeſum eſſe Meſſiam, ignorantia ejus fuiſſet affectata, nec ſervari potuiſſet ex generali quam de Meſſia habebat fide. Sic Judæi poſt auditum Chriſtum & ejus Apoſtolos nullam habuerunt juſtam excuſationem ſi in Chriſtum non crediderunt; ignorantia enim eorum affectata fuit & profecta ex malitia. Ita videmus ignorari interdum poſſe ſine peccato quis ſit Meſſias, poſſeque aliquem ſalvum fieri etſi non credat hunc eſſe Meſſiam, modo ne ſit affectata ejus ignorantia. Unde liquet Chriſtum hoc ſuo interdicto non impedire fidem, quando eam fidem non impedit per quam poteſt quis conſequi ſalutem. Sic non pugnat hoc interdictum cum ejus bonitate. Sed pugnare videtur cum ejus ſapientia: nam jam antea mandarat Diſcipulos ad prædicandum Euangelium, ut patet ex cap. 10. 6, 7. hujus Euangelii: Itaque hoc interdicto videtur mutaſſe conſilium; quod non eſt ſapientis. Verum Chriſtus non prius Diſcipulos emiſerat ad prædicandum Euangelium proprie dictum; ipſe hoc ſibi ſervabat: quod eſt obſervandum. Chriſto enim vivente adhuc, ipſi fuerunt tantum Diſcipuli: jam autem Diſcipuli non eſt, vivente & vidente Magiſtro, docere. Emiſerat quidem jam ante eos Chriſtus, ſed ut auditores & diſcipulos ſibi pararent. Non itaque proprie loquendo docebant in prima illa legatione Apoſtoli, ſed animos potius hominum erigebant & præparabant in adventum Meſſiæ: quod vel ex verbis Chriſti adipſos liquet, Math. 10. 23. *Priuſquam peragraveritis urbes Iſraelis venit Filius hominis*, ſignificans ſe ad hoc eos mittere, ut adventum ſuum hominibus nunciarent. Sed, *Cur tandem*, inquit aliquis, *& quo conſilio Chriſtus noluit Diſcipulos ſuos tum prædicare Euangelium?* Multi multa hic dicunt. Nos ſimpliciter reſpondemus, Primo, Id ab eo factum quia Diſcipuli inſtante Chriſti morte, & conturbatis ob eam ipſorum animis, non erant tum idonei tantæ rei prædicatores. Nam quos Deus mittit ad inſigne aliquod facinus, eoſdem etiam ſimul armat inſigni vi & robore Spiritus, nec vult quenquam mittere qui non ſit ſibi conſcius idonei roboris. Quare nondum miſſo plane Spiritu S. non erant Diſcipuli ad rem tantam ſatis idonei. Secundo, cum Chriſtus Diſcipulos eſſet brevi relicturus, noluit eos ea onerare invidia quam neceſſario affert ſecum Euangelii prædicatio; ſed eos voluit exſpectare donec valide eſſent corroborati à Spiritu S. quod tum demum factum eſt, cum poſt aſcenſum ejus in cœlum miſſus eſt in eos Spiritus S. Atque in hoc elucet Chriſti in Diſcipulos charitas, quos quamdiu cum iis fuit & convixit, fovit impenſe: unde etiam eos interrogat, *Quamdiu fui vobiſcum, & miſi vos abſque crumena*, &c. *numquid defuit vobis? Ipſi vero dixerunt, Nihil. At nunc, inquam, qui crumenam habet ſumat eam, ſimiliter & peram*, &c. Luc. 22. 35. innuens eos longe durius habitum iri poſtquam ab iis receſſiſſet.

27. Μέλλει ὁ υἱὸς τ. ἀνθρώπου] Ubiquitarii putant hoc loco Chriſto, quatenus eſt homo, tribui majeſtatem, gloriam atque poteſtatem Divinam, utpote cui tribuitur hic poteſtas judicandi mundum, & unicuique reddendi ſecundum opera ejus. Quod ſi poteſtas illi tribuitur Divina qua homo, ſequitur & potentiam Divinam illi qua homo eſt convenire: Poteſtas enim potentiam præſupponit neceſſario. Si Divina potentia ſeu omnipotentia illi convenit qua homo, certe & omnipræſentia illi conveniet. Nulla enim ratio eſt cur una magis quam alia proprietas Divina illi competat. At vero per *Filium hominis* non intelligitur hic aut alibi natura Chriſti humana, ſed Perſona munere Mediatorio ornata: Neque eo ſignificatur naturam humanam Chriſti poteſtate infinita eſſe donatam, ſed hoc duntaxat, Perſonam eo munere ornatam poteſtate judicandi omnes homines infinita eſſe præditam. Chriſto nempe Mediatori, qui neque eſt ſimpliciter homo, neque etiam ſimpliciter Deus ſed θεάνθρωπος, data eſt illa poteſtas infinita. ¶ Καὶ τότε ἀπο-

δώσει ἑκάστῳ, &c.] Hoc avide arripiunt Pontificii ut hinc adſtruant operum ſuorum meritum. At vero Apoſtolus Rom. 11. 35. diſerte negat Deum quicquam cuiquam reddere, *Quis illi dedit prior, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; & reddetur ei?* Quî iſta conciliabuntur? Nempe, Deus homini nihil proprie loquendo debet: dominium enim habet in creaturam ſuam abſolutum, quod non ullis nititur in hominem collatis beneficiis, ſed eſſentiæ & poteſtatis αὐτεξουσίᾳ. Deus itaque dicitur *homini retribuere* non proprie, ſed ἀνθρωποπαθῶς, cum ita promiſſis, quæ aliqua nituntur conditione. Alia eſt hac in parte Dei, alia hominum ratio. Homo homini retribuere proprie dicitur, quia homo homini debet, & poteſt aliquod viciſſim ab eo accipere beneficium. V. gr. etiam pater poteſt aliquid debere filio, quia filius non omnia habet à patre, ingenium, puta, indolem, induſtriam, & ea quæ labore, diligentia & propria induſtria ſibi paravit, quæ omnia non à patre proprie, ſed à Deo accepit. Deus autem omnia dedit creaturæ, & ipſa à Deo in ſolidum habet quicquid habet. Deus itaque nemini quicquam proprie reddit, quia nemini quicquam debet: nihil enim à quoquam poteſt accipere quod rationem habere poſſit beneficii: quod ſi debet, non aliter debet quam quia ſe conſtituit promiſſis ſuis debitorem; atque tum *reddere* dicitur cum ea præſtat quæ promiſit. Retributio itaque humana eſt proprie dicta retributio; Divina vero improprie, metaphorice & ἀνθρωποπαθῶς tantum dicta retributio, quia id reddit ad quod voluit ſeſe promiſſis obſtringere, cum tamen minime teneretur, ſiquidem abſolutum habet dominium. ¶ Κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ] Ergo, inquiunt Pontificii, non ex fide ſola ſed etiam ex operibus juſtificatur homo. Sed primo obſervandum eſt, Deum agere cum homine vel ex Lege, vel ex Euangelio. Lex autem eſt juſtitiæ, Euangelium miſericordiæ; quæ non poſſunt in uno eodemque ſubjecto convenire: nam qui experitur juſtitiam, non ſentit vim miſericordiæ; & contra, qui miſericordiam experitur, non ſentit vim juſtitiæ. Si agit nobiſcum ex Lege, ſumus omnes Legis violatæ rei. Itaque ſi nobis experiundum eſt judicium ſecundum Legem, certa nobis imminet pernicies. Non dat ergo Deus vitam ſecundum Legem, ſed ſecundum Euangelium, quod eſt miſericordiæ. Secundo obſervandum eſt, Nullam eſſe proportionem vitæ æternæ & operum noſtrorum; quod probatur ex Apoſtolo, qui Rom. 8. 18. ait, τὰ παθήματα τ. νῦν καιροῦ non eſſe ἀντάξια *æquiparanda gloriæ illi quæ in nobis eſt revelanda*. Tertio obſervandum eſt, Si judicium inſtitueretur ex operibus, fore ut duo ſequerentur abſurda: Primum eſt, Judicium de aliis futurum eſſe ex operibus, de aliis vero non eſſe futurum ex operibus: Chriſtus enim cum more humano ultimum deſcribit judicium hanc rationem reddit ſententiæ ſuæ, *Quia eſurivi, & cibaſtis me*, &c. Erunt igitur aliqui qui ſubvenerunt, alii vero quibus ſubventum eſt. Hi ergo quibus ab aliis ſubventum eſt, qui fecerunt cujus ratione regnum ipſis à Chriſto datur? Chriſtus enim non commemorat eos quidquam feciſſe. Alterum abſurdum quod ſequeretur hoc eſt, nempe, Futurum eſſe ut nonnulli judicentur ex operibus qui nullo opere defuncti ſunt, ut ſunt illi qui in ultima vitæ linea reſipuerunt: quodnam enim poteſt eſſe illorum opus, niſi affectum ipſorum pro opere ſumas? His ita poſitis & conſtitutis, Reſp. ad illam Pontificiorum ex hoc loco objectionem, Ideo in extremo judicio fieri operum non vero fidei mentionem, quia tum pii non ſecum comparabuntur, ſed cum impiis. Si enim comparentur ſecum, actum omnino eſſet de ipſis, ſiquidem peccata eorum innumera ſunt & immenſi ponderis ſi cum bonis ipſorum operibus conferantur. Juſtificatio fidelium fit in hac vita (non differtur in ultimum judicium: fit enim ad pacandam conſcientiam) quando illi fide Deum ſibi in Chriſto reconciliatum reſpiciunt: Atque in hac juſtificatione fideles ſecum comparantur: Inſtituunt nempe collationem ſanctitatis ſuæ cum Lege Dei, quo fit ut cum ſe videant damnatos per Legem, confugiant ad Chriſtum & ad Dei miſericordiam in Jeſu Chriſto. In futuro autem judicio non ſecum amplius comparabuntur, ſed cum impiis; quia cum fideles jam reſipuerint in hac vita, & per Chriſtum juſtificati ſint, deletaque eorum omnia opera mala, Deus peccatorum ipſorum non amplius rationem habebit; ac propterea nulla inſtituetur comparatio peccatorum & bonorum operum quæ fecerunt; quæ ſane ſi inſtitueretur nihil poſſent exſpectare fideles præter mortem æternam. Reſp. Secundo, in extremo judicio inſtituetur comparatio cauſæ cum cauſa, cauſæ, inquam, piorum cum cauſa impiorum; quod docet Apoſtolus 2 Theſſ. 1. 6, 7. & Chriſtus Luc. 16. 25. in parabola Lazari & Epulonis. Non enim inſtituitur illud judicium ut conſcientia pacetur, ſed ut cauſa piorum cum impiorum cauſa comparetur. Reſp. Tertio, Scriptura aliter loquitur de juſtificando & reconciliando,

do, aliter de juſtificato & reconciliato. Cum de juſtificando loquitur meminit tantum fidei; quia ſi meminiſſet operum, nemo non terreretur ob ingenta ſua peccata; at fides erigit conſcientiam jacentem, & ad pœnitentiam invitat. Ubi vero Scriptura loquitur de reconciliato, proponit illi vitam tanquam bonorum operum mercedem; non ut nitatur operibus tanquam cauſa vitæ, ſed ut ſtatuat non ſibi eſſe remiſſa peccata ut iterum vivat in peccatis, neque fide aperiri feneſtram ad otium, ſed contra ſolamen fidei proponi ut alacrius capeſſat ſtudium juſtitiæ & pietatis, juxta illud Davidis, *Eſt apud te miſericordia ut te reverearmur*, Pſal. 130. 4.

GUALTPERIUS.

18. Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν] De voce πέτρος ſupra dictum. Alludit autem hoc loco Salvator ad cognomen Simonis. Auguſtinus Serm. 13. in Matth. *Quia Chriſtus Petra*, inquit, *Petrus populum Chriſtianum.* PETRA *enim principale nomen eſt: ideo Petrus à Petra, non Petra à Petro, quomodo non à Chriſtiano Chriſtus, ſed à Chriſto Chriſtianus vocatur.* TUES, *ergo inquit*, PETRUS: ET SUPER HANC PETRAM, *quam confeſſus es*, SUPER HANC PETRAM, *quam cognoviſti, dicens*, TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI, ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM; id eſt, *Super meipſum Filium Dei vivi ædificabo Eccleſiam meam: Super me ædificabo te, non me ſuper te*, &c. In Syro eſt ܟܐܦܐ *Cipha.* ¶ Ἐκκλησία, *Eccleſia, Cœtus evocativus, concio:* ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν *evocare.* In Chriſtianorum ſcriptis ſignificat *cœtum illum univerſum ſeu Catholicum omnium illorum qui Chriſti nomen dederunt*: qui cœtus Catholicus & inviſibilis, deinceps in particularibus cœtibus viſibilis & conſpicuus redditur. Significat etiam *locum in quo conciones habentur.* Vox omnibus nota.

JAC. CAPPELLUS.

3. Ὑποκριτά, *faciem quidem cœli noſtis dignoſcere, ſigna vero temporum non poteſtis?*] Sic Democritus apud Plutarchum De ſanitate tuenda, Ἀτοπόν ἐστι τοὺς μὲν λαμπρισμοῖς, καὶ λιπαρμοῖς ἀλειπτικοῖς, καὶ συσσίτοις φαγαινικαῖς ἐπιμελῶς προσέχειν, σημεῖα πυρίνων πνεύματων καὶ ὄμβρων· τὸ δὲ σώματος κίνημα καὶ σίτου καὶ προσφορᾶς μὴ προλαμβάνειν μηδὲ προφυλάττειν, μηδ' ἔχειν σημεῖα δ' χρηματος ἐν ἑαυτῷ γλισχρὰν καὶ μίασματος.

18. *Ego vero tibi dico*] Multa Scripturæ loca poſſunt duas interpretationes admittere, quarum utraque verbis & analogiæ fidei poſſit aptari. In eo numero potiſſimum eſt hic locus. Primum enim Chriſti verba ſic poſſunt exponi, Tu de me dixiſti quod ſentis, ego viciſſim dicam tibi de tua reſponſione quid ſentiam. *Tu* quidem *es Petrus, ſed ſuper hanc petram*, i. ſuper me, vel ſuper hanc doctrinam quam profeſſus es, *ædificabo meam eccleſiam.* Non ſunt hæ duæ interpretationes, ſed una: certe verbis potius quam re differunt: utraque Chriſti verbis poteſt aptari. Si quidem pronomen *hanc* eſt demonſtrativum, vel relativum: Si ſit demonſtrativum, poteſt is qui loquitur, intento digito vel alium vel ſemetipſum indicare. In Ajace Sophoclis Minerva ſic loquitur, Πρόσθεν οὐκ αὐτὸς ὅδ' ἦν; *Antea nunne vir ſtrenuus erat hic Ajax?* Ulyſſes reſpondet, Ἐχθρός γε τῷδέ τ' ἀνδρὶ κἀμοὶ τανῦν ἔτι. *Inimicus quidem huic homini*, i. mihi, *nunc quoque eſt.* In Euripidis Electra colonus quidam ait, Electram ſibi quidem nupſiſſe, ſed adhuc intactam eſſe:

Ἦν δ' οὐ πόσις αὐτῇ ἔδη (σωφρὼν μὲν Κύπρις)
Ἦλθεν δ' ἀνὴρ, παρθένῳ δ' ἔτ' ἐστὶ δή.

Hujuſmodi complura videre potes apud Caſaubonum Exercit. XV. art. 12. pag. 395. & in noſtris pro Caſaubono Vindiciis de ſedis Rom. poteſtate lib. 1. cap. 3. Quod ſi pronomen *hanc* ſumatur ἀναφορικῶς, Chriſti mens hæc erit, Doctrina quam profeſſus es eſt tanti momenti ut illi tanquam immotæ rupi ſolidiſſimoque fundamento ſuperſtructuros ſim Eccleſiam meam. Vide ſis quæ notamus in 1 Tim. 3. 15, 16. Alteram interpretationem multi quidem mala mente propugnarunt, ſed & multi bona fide, & ita quidem ut cum analogia fidei poſſit conciliari, q.d. Tu quidem de me dixiſti quid ſentias, ego vero viciſſim de te dicturus ſum quid ſentiam, *Tu Petrus, & ſuper te*, i. Petro, *meam Eccleſiam ædificabo*, h.e. Tu primus is eris cujus miniſterio ſum uſurus ad jaciendum Eccleſiæ meæ fundamentum poſt meum in cœlos aſcenſum, tum Hieroſolymis inter Judæos, tum inter gentes in vocatione Cornelii. Ita licet has voces *& ſuper hanc* interpreteris *& ſuper te, Petre*, durum quidem id erit, &, quod quidem ſciam, ſine exemplo; cum tamen hæc mere perſonalia ſint, ejuſmodi ſunt ut ea nemo ſucceſſionis obtentu poſſit ad ſe trahere. ¶ *Et adverſus eam*, Eccleſiam vel doctrinam, *non prævalebunt inferorum portæ*] i. inferi, gehenna, mors. Themiſtius orat. 5. pag. 73. ἐπαναγαγεῖν εἰς τὸ ἦλιον ἐκ τῶν πυλῶν ᾅδου τοὺς ἀχείρους. *Inferorum portæ*, i. principes, metonymice. Solebant enim cujuſque civitatis viri principes adfidere portis, & ibi jus reddere, Ruth. 4. 1, 11. 2 Sam. 19. 8. 1 Reg. 22. 10. Lam. 5. 14. Amoſ. 5. 10, 12, 15. Zach. 8. 16. Utut ſit, connexionis ſeries poſtulat ut invictam illam Eccleſiæ fortitudinem tribuamus fundamenti, cui ſuperſtruitur, ſoliditati, quod certe nec Petro nec cuiquam creaturæ ſine blaſphemia tribui poteſt, ſed uni Chriſto, & hanc quidem ob cauſam, quod ſit Dei Filius antonomaſtice dictus, verus ac æternus Deus, eoque poſſit eos invictos reddere quos ſibi ſuperſtruit. Hæc eſt præcipua cauſa cur duarum illarum quas propoſuimus interpretationum priorem poſteriori præponamus, ſive rem, ſive verba ſpectes. Poſteriorem interpretationem uſurpant quidem multi Patres, ſed ut plurimum eo modo qui favere non poteſt dominatui quem horum verborum obtentu ſibi vindicat Papa. Epiphanius de Catharis hæreſi LIX. §. 7. Petrum ait eſſe fundamentum Eccleſiæ, quod venia quam poſt lapſum obtinuit Petrus ſit fundamentum veniæ quam lapſis ex animo pœnitentibus largitur Eccleſia. Δίκαιον οὖν μετανοοῦντας ὁ Κύριος, καὶ ἡ αὐτοῦ ἐκκλησία· ὡς ἐπίστρεψε Μανασσῆν ὁ υἱὸς Ἐζεκίου, καὶ ἐδέξατο αὐτὸν Κύριος· καὶ ὁ δεκαπλασίων ἀφεὶς ἄρχων Πέτρος καὶ κορυφαιότατος τῶν Ἀποστόλων, ὃς γέγονεν ἡμῖν ἀληθῶς στερεὰ Πέτρα θεμελιώσεως τῆς πίστεως τοῦ Κυρίου, ἐφ' ᾗ (scilicet *πίστει*) οἰκοδόμηται ἡ ἐκκλησία εἰς πάντα τρόπον.

27. *Venturus eſt Filius hominis cum gloria Patris ſui cum Angelis ſuis*] h.e. Venturus ſum ultimi judicii die veſtitus ac fulgens ea gloria quæ tanti Patris Filium decet, ſtipatus Angelorum ſatellitio. Ii vero ſunt Angeli nuncii, miniſtri Chriſti, non tantum qua Filius eſt, ſed & qua Mediator. ¶ *Et tunc reddet unicuique ſecundum opus ſuum*] Prout videlicet comparationem inſtituet non inter ſingulos pios cum aliis piis conſideratos, ſed inter pios univerſe conſideratos cum impiis itidem univerſe conſideratis, ut quemadmodum aliam viam iniverunt impii, aliam pii, ſic etiam longe diverſiſſimos exitus ſortiantur. Id compeſcendis impiis erit plus ſatis, ut & conſolandis & ad officium incitandis piis, qui tamen aliunde docentur, & quidem abunde, Sceleratos quidem neque pati quidquam nec unquam paſſuros quod non promeruerint, ſe vero gloriam exſpectare quam ne capere quidem poſſunt, nedum mereri, cum & ipſi digni ſint æterna morte, ſi Deus ſummo jure voluiſſet cum illis agere.

28. *Amen dico vobis, quidam ex his qui ſtant hic*] Puta Johannes Apoſtolus; Simeon quoque, qui Jacobo ſucceſſit Hieroſolymis, forſan illic adſtabat. ¶ *Non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo*] Quidam Græci codices habent ἐν δόξῃ *in gloria*, vitio ſcribarum ex verſu præcedente vocem hanc imprudenter repetentium. Plerique codices Græci, tum Syrus, Arabs, Hieronymus, habent ἐν βασιλείᾳ *in regno.* Quippe Chriſtus ſuperiore verſu de ſuo adventu glorioſo locutus, hic de ſuo adventu in Regnum loquitur; in Regnum, inquam, gratiæ, in quod tum demum advenit Chriſtus cum everſis Hieroſolymis, abolito Legis jugo, ne Judæos quidem voluit ei ſubjici, ut uni Gratiæ jugo ſubeſſent, Deumque deinceps colerent, non Hieroſolymis, non in monte Garizim, ſed ubique terrarum, idque cultu mere ſpirituali, ſi cum Moſaico comparetur, alioqui ſi militantem Eccleſiam cum triumphante compares, in cœlo demum erit mere ſpiritualis cultus, quem exhibebimus Deo. Utut ſit, Hieroſolymis demum everſis Moſaicæ ceremoniæ cœperunt eſſe non mortuæ tantum ſed & mortales, ut loquitur Auguſtinus ad Hieronymum ſcribens, ſive mavis lethales, ut pro jugo Legis, unico Chriſti jugo locus eſſet, quod certe pergratum eſt & leve, ut ipſe dicit Matth. 11. 30. Quidam hujus verſiculi verba referunt ad transfigurationem Chriſti, quæ continuo poſt refertur. Sed res adeo momentanea, tam paucis conſpicua, vix videtur dici poſſe *advenire in Regnum.*

GRO-

GROTIUS.

1. Πειράζοντες, *tentantes*] *Quærentes calumniæ occaſionem:* ita vox eadem infra ſumitur XXII, 35. XXII, 18. & alibi.

2. Εὐδία· *Serenum*] Auſter ſerenus, ex Africa.

3. πυῤῥάζει γὰρ στυγνάζων, *rutilat triſte*] Subnigrum rubet. ¶ Ὑποκριτα, *Hypocrita*] Phariſæos ſæpe hoc nomine compellat. Cur & Sadducæos, qui negando vitam alteram vim religionis aperte ſatis evertebant? Nimirum videri volebant φιλοπατρίδες [*amatores patriæ*], & legum publicarum acerrimi cuſtodes. Joſephus de Sadducæis, εἰσὶ γὰρ αὐτῶν τοῖς λόγοις αἱ κρίσεις αἰεὶ πικρότεραι τῶν Ἰουδαίων [*ſunt enim eorum Judicia aſperi ſupra omnes Judæos*]· atque hac ratione ſummos honores adipiſcebantur, ut alibi notat. ¶ Διακρίνειν, *dijudicare*] Id eſt, ita diſcernere ut inde prædicatis quæ immineat tempeſtas, atque ad ea præſagia, ſive, ut Græci vocant, διοσημία, componatis res veſtras. Sic aſtra à Deo in ſuas ſignificationes diſcreta dicit Aratus,

Αὐτὸς γὰρ τόγε σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξε
Ἄστρα διακρίνας.

[*Ipſe etiam in magno diſtinxit ſidera mundo*
Signa futurorum.]

¶ τὰ δὲ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε; *ſigna autem temporum non poteſtis ſcire*] Recte σημεῖα [*ſigna*]· nam prognoſtica, quæ cauſas ex qualitate cœli trahunt, ad ſignorum genus referri notavit & Quintilianus libro V, 10. Τῶν καιρῶν, *hujus temporis*, ut vertit Syrus, & Lucas ſingulariter dixit ὁ καιρὸν [*tempus*]. Senſus hic eſt, Si Divina providentia tam benigna fuit in homines ut ſereni, venti, pluviæ ſigna quædam præmitteret, quomodo idem ille Aratus dicit ἐν διοσημείοις [*in Prognoſticis*],

Ἐκ Διὸς ἤδη πᾶσαι πεφασμέναι εἰσὶν ὁδοὶ πᾶσιν,

[*Omnia, dante Deo, totum patuere per orbem,*]

quanto æquius credi eſt ab eadem providentia data eſſe ſigna imminentis adventus Meſſiæ, cum ea res ſit infinito majoris momenti, non ad ſuſceptionem dilationemve itineris alicujus, ſed ad vitam omnem inſtituendam pertinens? ſed vos ad illa ſigna conſideranda ſatis eſtis diligentes; de adventu autem Meſſiæ ſigna poſcitis, quaſi nulla ſint data, cum data ſint & multa & certiſſima, ſed ad quæ vobis aut non vacat aut non lubet attendere. Nam ſi Prophetarum oracula tam ſollicite inſpiceretis quam aliquo profecturi cœli faciem intuemini, agnoſceretis haud dubie inſtare finem hebdomadum Danielis, ablatum Syriæ & Ægypto Regni decus, populi mores depravatiſſimos, ipſos ductores populi, qui vos eſtis, aut exſtinguere pietatis ignem ademta ſpe vitæ melioris, aut omnem religionem in frigidas ceremonias convertere; contra à me proponi doctrinam conſpicuæ puritatis: accedere ſigna, non quæ animi gratia fiant, ſed quibus homines juventur, cæcis reddi viſum, claudis greſſum, ægrotis ſanitatem: quæ omnia certiſſima ſunt ſigna Regni Meſſiæ. Quod autem dicit Chriſtus οὐ δύνασθε; [*non poteſtis?*] Senſus eſt, Qui fit ut videre nequeatis, niſi quia videre non vultis? ὅτι οὐ δοκιμάζετε τὸν καιρὸν [*quod tempus hoc non probetis*], ut eſt apud Lucam. Eſt autem Comparatio non omnino diſſimilis apud Plutarchum, Ἀτοπον γὰρ ἐστι τοὺς μὲν ἀλεκτρυόνας μάχης καὶ νίκης ἕνεκα φειδομένους ἀλλοτρίου καὶ φυτὸν ἄλλο φθείροντος μαχαιρίσκους, ὡς ἔφη Δημόκριτος, βαπτὰς προσφέρειν σημεῖα πνευμάτων καὶ ὄμβρων, τὰ δὲ σώματος κινήματα καὶ σείσεις καὶ προπετείας μὴ προλαμβάνειν μηδὲ προφυλάττειν, μηδὲ ἔχειν σημεῖα χειμῶνος ἐν ἑαυτῷ γεγονότος καὶ μένοντος [*Eſt enim perabſurdum crocitum corvorum & gallorum clamores & ſuum feſtinationem ad lutum, ut ajebat Democritus, diligenter obſervare, ut inde ſigna ſumantur ventorum & imbrium, corporis autem motus & agitationes & impetus non animadvertere & cavere, neque ſigna habere tempeſtatis in nobis naſcentis, aut futuri*]. Cætera quæ huc pertinent explicata ſunt ſupra ad caput XII. Notemus interim res eaſdem plus ſemel à Chriſto dictas factaſque: quod cum ſæpe ex unius Scriptoris narratione appareat, eo minus laborandum eſt nobis ſicubi Scriptores diverſi interdum rebus eiſdem diverſa loca aut tempora aut circumſtantias aſſignant.

5. ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸ πέραν, *cum veniſſent diſcipuli ejus trans fretum*] Id eſt, *cum in ulteriorem ripam proficiſcerentur.* Sæpe enim ἔρχεσθαι in his libris eſt non *venire* ſed *ire*, ut bis iterum hoc capite 13 & 24. apertiſſime vero Lucæ XV, 20. Sed & Lucæ II, 44. Hieronymo enim aſſentior qui ex Marco colligit hos ſermones in ipſo itinere atque adeo in navi habitos. Nam quæ apud Lucam eſt hiſtoria capite XII. ab hac diverſam eſſe arbitror. Hic de fermento & Phariſæorum & Sadducæorum agitur, ibi de fermento Phariſæorum duntaxat; hic diſcipulos ſolos Chriſtus alloquitur, ibi totam populi multitudinem: ut jam taceam ibi potius de malis exemplis agi, quæ ζύμην [*fermentum*] etiam Paulus vocat 1 Corinth. V, 6. hic de ipſis dogmatibus. Natura fermenti eſt vim ſuam late ſpargere: ideo ſupra vera doctrina fermento comparata eſt. Hic & apud Paulum ad Galatas falſa dogmata fermento comparantur eandem ob cauſam, ſed & præterea ob ſaporis amaritiem, & quia fermentatio corruptio quædam eſt. Alibi, ut dixi, mala exempla, quæ & ipſa nocent tranſitione; præſertim vero ea quæ ſunt hominibus inflandis. Plutarchus Quæſtionibus Romanis, Ἡ ζύμη γίγνεται ἐκ φθορᾶς αὐτῆς, καὶ φθορὰ τὸ φύραμα μεγυμένη· ἔστι γὰρ ἄτονον, ἢ ὅλως ἴσως ἀρχὴ φθορᾶς ἡ ζύμωσις ἐστιν [*Fermentum ex corruptione naſcitur & rurſum maſſam corrumpit: fit enim ea inde flaccidior: planeque videtur fermentatio eſſe quædam putrefactio*]. Rabbini malos appetitus fermentum vocant.

6. Σαδδουκαίων, *Sadducæorum*] Atqui Marcus Sadducæis præteritis nominat ζύμην Ἡρῴδου [*fermentum Herodis*]. credo quod Sadducæorum nonnulli ſimul erant Herodiani, hoc eſt, Herodem Magnum eſſe dicebant Siloh à Jacobo promiſſum. Quod recte à Tertulliano de Herodianis eſſe proditum docere nos poteſt etiam Perſius & vetus ad eum annotator; ut plane immerito id negarit Hieronymus ad caput hujus Scriptoris XXII. qui tamen ipſe contra Luciferianos ſcribens idem affirmaverat. Idem de Herodianis tradit Epiphanius, niſi quod ad Herodem Baptiſtæ interfectorem trahit id quod ad Herodem Magnum pertinebat. Non erat autem talis opinio aliena ab illis qui in hujus vitæ felicitate & florenti reipublicæ ſtatu ſpes omnes collocabant. Nam Regni gloria intermiſſa ab excidii Babylonici temporibus in Herode demum Judæis erat reſtituta, qui ita comiter obſervabat Romanam majeſtatem ut interim plena haberet regni jura. Quare mirum non eſt ſi vivente & regnante Herode Sadducæi ad dignitates maximas pervenerunt, quod Joſephus notat. Duo igitur dogmatum genera ſollicite vitanda Chriſtus docet, ea quæ præcipuam pietatem ponunt in externa rituum, præſertim ab hominibus repertorum, obſervatione, & ea quæ religionem transformant in regnum hujus mundi.

7. ἐν ἑαυτοῖς, *intra ſe*] Non tacitos tantum cogitaſſe, ſed inter ſe collocuros, non eſt veriſimile tantum ſed certiſſimum ex Marci verbis VIII, 16. ¶ Ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβομεν. *quia panes non accepimus*] Subaudi *ideo ſcilicet hoc dixit:* qualis ἔλλειψις [*defectus*] eſt & in ſequenti commate, & apertiſſima infra XXV, 9. Exiſtimabant Jeſum cum ſciret deeſſe illis panes, monere eos in tempore ne panem ſibi ab hominibus Phariſaicæ aut Sadducaicæ ſectæ compararent, plane quaſi is panis ipſos eſſet inquinaturus. Tam cito illis Chriſti præcepta exciderant, quibus docuerat nullam eſſe vim in rebus iſtiuſmodi ad animum inquinandum. Simul autem ne panis penuria laborarent anxie metuere cœperunt, præſertim circumſcripta, ut exiſtimabant, & in magnas anguſtias redacta emendi libertate.

8. ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβετε; *quia panes non accepiſtis*] Id eſt, Quid exiſtimatis hoc à me ea de cauſa dictum quod panum copiam non habeatis, quaſi ſcilicet neceſſe ſit vobis aut fame perire, aut ab hominibus panes accipere, ſed cavendum omnino ne à Phariſæis aut Sadducæis eos accipiatis? An non ego vos poſſum paſcere etiamſi à nemine homine panem comparetis? Itaque non erat quod vobis eo nomine tam ſollicite Sadducæorum & Phariſæorum commercia interdicerem.

11. εἶπον ὑμῖν προσέχειν, *dixi vobis ut caveretis*] Iterum ἔλλειψις [*defectus*] pro εἶπον ὑμῖν, ὅτι εἶπον προσέχειν [*dixi vobis, cum dixi ut caveretis*]. Quam conſtructionem qui non intellexerunt addiderunt προσέχετε δέ [*cavete autem*].

13. ἐλθὼν δὲ Ἰησοῦς, *venit autem Jeſus*] Ἐλθὼν hic iterum eſt *cum proficiſceretur* non *cum veniſſet*; Habiti enim ſunt hi ſermones ἐν ὁδῷ [*in via*], ut ait Marcus: quo non ſignificatur habitos in via publica (nam contra ex Luca diſcimus habitos in ſeceſſu quodam ubi Chriſtus precabatur) ſed antequam ad itineris finem perventum eſſet. ¶ Καισαρείας τῆς Φιλίππου, *Cæſaræa Philippi*] Id additum ne intelligeretur Cæſarea quæ ἁπλῶς [*ſimpliciter*] ſic dici in Actis ſolet, ab Herode condita, cui nomen vetus *Stratonis Turris.* ¶ Τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; *Filium hominis*] Id eſt, me, inquam, qui omni paratu exteriore nihil præter de plebe hominem præfero.

14. Ἰωάννην τὸν Βαπτιστήν· *Joannem Baptiſtam*] Cur hoc ad παλιγγενεσίαν [*renaſcentiæ*] opinionem referri nequeat ſupra diximus. Multi Hebræorum putabant eos demum reſurgere qui ob Legem Divinam mortem oppetiſſent, ut ex Tacito alibi notavimus: quo & illud pertinere videtur II Maccabæorum VII, 9. ὁ μὲν γὰρ κόσμου βασιλεὺς ἡμᾶς ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ νόμων εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἡμᾶς ἀναστήσει [*Rex Mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æterna vitæ reſurrectione ſuſcitabit*]. Certe de his firmior quam de cæteris fuit per-

perſuaſio. Quare quibuſdam-etiam in hoc ſeculo repræſentari Reſurrectionis tempus crediderunt. ¶ Ηλίαν· *Eliam*] Hoc neque ad παλιγγενεσίαν [*renaſcentiam*] neque ad ἀνάστασιν [*Reſurrectionem*] proprie referendum. Nam quia Elias corpore ſurſum raptus legitur, ideo is ipſe rediturus putabatur, & quidem ante Meſſiæ tempora; Quam receptam fuiſſe Magiſtrorum ſententiam, nimirum ex male intellecto Malachiæ vaticinio, infra docemur XVII, 10. Exſtant ejus ſententiæ veſtigia in Hebræorum libris; quorum tamen nonnulli venturum eum volunt in alio corpore, ut David Kimchi notavit ad Malachiam. ¶ Ιερεμίαν, *Jeremiam*] Hoc poteſt ad παλιγγενεσίαν [*renaſcentiam*] referri. Nam Hebræi exſpectabant reditum Jeremiæ, ut ex Gononide apparet. Imo quidam animam Jeremiæ renatam in Zacharia exiſtimabant, quomodo animam Phineæ in Elia. Sed poteſt & de Reſurrectione accipi, ut quod ſequitur. ¶ ἢ ὅτι εἷς τῶν προφητῶν. *aut unum ex Prophetis*] Qui ſcilicet nunc reſurrexerit, Lucæ IX, 8. Hæc autem qui opinabantur eos apparet nihil audiviſſe de natalibus Jeſu, primamque de eo famam ex miraculis, & quidem nuper admodum, accepiſſe. Poſſis etiam interpretari ἕνα τῶν προφητῶν [*aliquem Prophetarum*] Prophetam novum ſed veteribus parem, cujus opinionis Marcus meminit VI, 15.

16. Σίμων Πέτρος. *Simon Petrus*] Quem *os Apoſtolorum* non male vocant Chryſoſtomus & Auguſtinus. Vide Johan. VI, 68. Videtur autem arripuiſſe ſermonem magis ἀπὸ τοῦ προθύμου [*propter animi promtitudinem*], quod in eo ubique elucet, quam jure πρεσβείας [*præſidentiæ*], ob ea quæ narrantur infra XVIII, 1. atque aliis in locis. Quare quod in recenſu Apoſtolorum additur illi nomen *primi*, hoc eſt, πρωτοστάτης [*Præſidis*], credibile eſt eſſe προλαβὸν [*anticipate dictum*], quia cum iſta ſcriberentur eum honorem obtinebat, olim à Chriſto ipſi deſtinatum, aperte vero datum poſt Chriſti reſurrectionem: quod ex loco Actorum I, 15. aliiſque ita manifeſtum puto ut extra controverſiam poni debeat. ¶ ὁ ζῶντος. *vivi*] חי cognomen Dei antiquiſſimum, ut diſcimus Geneſeos XVI, 14. quo Judæos frequenter uſos apparet infra XXVI, 63. Romanorum IX, 26. II Corinth. III, 3. VI, 16. I Theſſ. I, 9. I Timoth. III, 15. IV, 10. Hebr. III, 12. IX, 14. X, 31. XII, 22. Videtur autem eo nomine Deus verus diſcerni à diis Gentium, qui revera non vivebant ſed hominum erant commenta. Vide Actorum XIV, 15.

17. Σίμων Βαριωνᾶ, *Simon Barjona*] Sicut Σίμων haud dubie eſt שמעון Συμεών [*Symeon*], quomodo etiamnum id nomen ſcribitur in Petri quæ dicitur ſecunda, ita Βαριωνᾶ [*Barjona*], ut ex collatione aliorum locorum recte ab aliis eſt demonſtratum, valet Βαριωαννᾶ [*Barjoanna*, id eſt, *filius Joannis*], detrita more ejus ſeculi litera gutturis, ibi ע, hic ח. Ita Lucæ III, 30. Ιωνὰν [*Jonan*] videtur eſſe יוחנן [*Juchanan*]. Nomen autem *Barjona* non alia de cauſa hic adjectum reor quam quod ita vulgo appellari ſoleret antequam ſe in Chriſti diſciplinam daret. moris enim erat apud Hebræos ut nomini paulo communiori diſcriminis gratia adderetur πατρωνυμικὸν [*paternum*], ut videre eſt in Veteri Fœdere multis locis & in his libris alicubi, ut ſupra X, 3. infra XXIII, 35. Marci III, 14. Johannis VI, 42. Quoties autem nomen alicui mutatum legimus ibi videmus & prioris & poſtea dati nominis fieri mentionem, ut diſcrimen appareat, ut Geneſ. XVII, 5. & XXXII, 28. Ad id exemplum Chriſtus cum primum novum nomen Petro inderet meminit veteris, ut apud Johannem eſt I, 43. Σὺ εἶ Σίμων ὁ υἱὸς Ιωνᾶ, σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς [*Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas*]. Id Chriſtus hic repetit, quippe rationem redditurus mutati nominis. ¶ ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, *quia caro & ſanguis non revelavit tibi*] *Caro & ſanguis* quoties Deo opponuntur Hominem ſignificant in Hebraiſmo: Ita Paulus Galat. I, 16. poſt revelationem ſibi à Deo factam negat ſe *conſuliſſe conſilia cum carne & ſanguine*, id eſt, cum homine quoquam. Oſtendit Chriſtus hac oppoſitione cætera quæ Apoſtoli dixerant vulgo de Chriſto jactari, eſſe commenta hominum; illud vero quod Apoſtoli per Petrum profitebantur eſſe ipſiſſimam veritatem nunc à Deo Patre velut in anteceſſum revelatam, brevi per Spiritum revelandam.

18. Κἀγὼ δέ, *Et ego*] Ego viciſſim pro illa tua libera confeſſione hoc tibi repono. Similis locutio Lucæ XXII, 28, 29. ¶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, *& ſuper hanc Petram*] Chriſtus cum hoc diceret non ſemetipſum ſed Petrum digito aut nutu deſignavit: id enim conveniebat propoſito reddendæ rationis impoſiti nominis. Ita de Abrahamo dictum, *Nomen tuum erit Abraham; quia Patrem multarum gentium te conſtitui.* Jacobo, *Iſrael erit nomen tuum: nam ut Principem te geris apud angelos & homines.* Ita Chriſtus, *Petrus à me nominatus es, quia eris quaſi petra.* Vide Philonem De Nominum mutatione. Beneautem Matthæi Interpres vocis Hebrææ genus mutavit, quia neque vir πέτρα [*Petra*] dici ſalva Græci ſermonis regula poterat, neque πέτρος [*Petrus*] id uſitate ſignificabat quod Chriſtus volebat indicatum: nempe ſaxum tale ſuper quo aliquam ædificari ſoleat. ¶ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν· *ædificabo eccleſiam meam*] Ἐκκλησίαν [*Eccleſia*] vox adeo nobilis in Chriſtianiſmo hoc primum loco occurrit, quam Syrus optime vertit עדתא, quod ſignificat, ut nos docent Hebræorum Magiſtri, *cœtum è quovis*] [*non qualemcunque*] ſed eum *qui ex certo conflet hominum genere*, cum קהל *cœtum qualemcunque* denotet. Sed ſolent iſtæ voces in uſu permiſceri, neque LXX diſtinxerunt. Proverb. V, 14. ubi eſt בתוך קהל ועדה, LXX habent ἐν μέσῳ ἐκκλησίας καὶ συναγωγῆς [*in medio eccleſiæ & ſynagogæ*]. At in Pſal. XXVI, 5. קהל מרעים vertunt ἐκκλησίαν τῶν πονηρευομένων [*eccleſiam malignantium*]· ut & I Paralip. XIII, 2. לכל קהל ישראל interpretantur τῇ πάσῃ ἐκκλησίᾳ Ισραὴλ [*omni Eccleſia Iſrael*]. Rurſus Levitici IV, 13, 14. ubi in Hebræo eſt primum עדה deinde קהל LXX utroque loco poſuerunt συναγωγὴ [*ſynagogam*]. Ex Scriptor libri qui *Eccleſiaſticus* vocatur *collectionem promiſcuam turbæ* vocat ἐκκλησίαν ὄχλου [*eccleſiam ſive collectionem populi*]. Sed plerumque ἐκκλησία [*eccleſia*] nihil aliud eſt quam populus Iſrael, quomodo עדה ſumitur dicto Levitici loco. ita vocem ἐκκλησίας [*eccleſiæ*] uſurpat Stephanus Actorum cap. VII, 38. Ita Caleb dicitur ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ [*in eccleſia*] *accepiſſe hereditatem*, I Maccabæor. II, 56. Et apud Eccleſiaſtici Scriptorem pro eodem ponitur λαὸς & ἐκκλησία [*populus & eccleſia*] XXIV, 1. & XLIV, 15. ita πᾶσαν ἐκκλησίαν Ισραὴλ [*omnem eccleſiam Iſrael*] dixit idem Scriptor I, 15, & 22. itemque Scriptor Maccabaicæ hiſtoriæ libro I, capite IV, 59. & capite III, 13. & tabulæ fœderis dicuntur recitatæ ἐνώπιον τῆς ἐκκλησίας [*in conſpectu eccleſiæ*] XIV, 19. ubi mox ἐκκλησία [*eccleſia*] explicatur voce δήμου [*populi*] 21, 25. Neque dubitandum eſt quin hæc ſignificatio huic loco optime conveniat. Nam populus ille Iſraeliticus una in regione habitans multitudinis Chriſtianæ per totum orbem diſperſæ geſſit imaginem. Ideo multitudo Chriſtiana paſſim λαὸς [*populus*] nomine appellatur, ut videre eſt Actorum XV, 14. Romanorum IX, 25. II Corinth. VI, 16. Tit. II, 14. Idem autem eſt, ut diximus, λαὸς [*populus*] & ἐκκλησία [*eccleſia*]. Eximie autem hunc Chriſti locum illuſtrat Paulus II Corinth. VI, 16. ὑμεῖς γὰρ ναὸς θεοῦ ἐστε ζῶντος· καθὼς εἶπεν ὁ Θεὸς, Ὅτι ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω· καὶ ἔσομαι αὐτῶν Θεὸς καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μοι λαός [*vos enim templum eſtis Dei vivi, ſicut dixit Deus, Quoniam inhabitabo in illis & inambulabo inter eos, & ipſi erunt mihi populus*]. Nam quod de Iſraelitico populo dictum fuerat apte Chriſtianorum multitudini, ſimulque *templum Dei* eos nominando explicat quid hic ſit οἰκοδομεῖν [*ædificare*]. Nec dubito quin hæc ipſa Chriſti verba reſpexerit ille quem hic Chriſtus alloquitur Petrus, cum dicit I Epiſt. capite II, 5. Καὶ αὐτοὶ ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδομεῖσθε οἶκος πνευματικὸς [*Et ipſi tanquam lapides vivi ſuper ædificamini domus ſpiritualis*], eoſdem mox vocans λαὸν εἰς περιποίησιν [*populum acquiſitionis*]. Sic credentes Θεοῦ οἰκοδομὴ [*Dei ædificationem*] vocat Paulus I Corinth. III, 9. quomodo autem *ſuper Petro ædificentur* credentes obſcurum non eſt cum Paulo iidem dicantur ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν προφητῶν [*ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*] Epheſ. II, 20. Et in Apocalypſi Dei civitas dicatur *habere duodecim fundamenta in quibus inſcripta ſint nomina duodecim Apoſtolorum.* Neque enim obſtat quod alibi Deus *petra* dicitur, & Chriſtus *unicum fundamentum*, cum novum non ſit eaſdem ſimilitudines ad diverſas res diverſo modo ſignificandas ſolere adhiberi. Nam & alibi Paulus ſe *architectum* vocat, quod officium Chriſtus hic ſibi vindicat. Neque vero aliter *petra* aut *fundamenti* nomen tribuitur Apoſtolis quam τὸ σώζειν [*ſalvos facere*] Romanorum XI, 14. Cum autem dicit Chriſtus οἰκοδομήσω [*ædificabo*], tempus illud reſpicit quo Petrus fidem nactus ſolidiſſimam miſſi Spiritus auxilio, primus omnium (quod recte obſervat Tertullianus libro De Pudicitia cap. 21. & Baſilius contra Eunomium II.) Judæis, Actorum II, 14. deinde & alienigenis, Actorum X, & XV, 7. erat annuntiaturus id ipſum quod hic profitebatur, nempe *Jeſum eſſe Chriſtum & unigenitum Dei Filium*, poſtquam nimirum Deus hoc ipſum apertiſſime declaraſſet hunc ipſum Jeſum in vitam reſuſcitando: quo invictiſſimo argumento Petrus hujus ſuæ profeſſionis veritatem probat dictis Actorum locis. Ideo Chriſtus paulo poſt hæc dicta ex omni Apoſtolorum numero Petrum cum duobus alteris, qui una cum Petro *columnæ* Eccleſiæ vocantur Galat. II, 9. teſtem eſſe voluit ut antehac excitatæ Jairi filiæ in ſuæ reſurrectionis quaſi arrhabonem, ita nunc ſuæ μεταμορφώσεως [*transformationis*] quæ futuræ gloriæ erat præſagium; & poſt

poſt reſurrectionem Diſcipulis univerſis & nominatim Petro imperavit ut in Galilæam irent ibi ipſum conſpecturi. Et Paulus ſpecialiter etiam extra cœtum Apoſtolorum Chriſtum dicit Petro apparuiſſe, 1 Corinth. xv, 5. Reſurrectionem igitur Jeſu, cui conſequens eſt eum eſſe Chriſtum & Dei Filium, crediderunt & Judæi & Gentes tum communi Apoſtolorum tum peculiari etiam Petri teſtimonio, qui hoc ipſum ſuum teſtimonium ſparſum per omnem Judæam perque omnem Judæorum διασπορὰν [*diſperſionem*] confirmavit vitæ ſanctimonia, miraculis, poſtremo etiam tolerata morte & quidem in Urbe mundi principe. Per hunc modum Petrus factus eſt *petra* ſive *fundamentum* populi Chriſtiani, στερεὰ τῆ πίστεως πέτρα [*firma fidei rupes*] ut Chryſoſtomus loquitur. Ac ſimul apparet quomodo quæ ſequuntur cum his cohæreant. ¶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς' *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*] De Diaboli aut etiam de improborum molitionibus tanto conſenſu hunc locum exponi valde miror. Nuſquam enim reperio ᾅδου [*inferni*] vocem neque apud Helleniſtas neque apud Novi Fœderis Scriptores in alia ſignificatione quam aut *mortis*, aut *ſtatus poſt mortem*, quæ ſunt inter ſe affinia. Ab Interpretibus quos hac in parte ſequuntur Apoſtoli שאול verti ᾅδης à multis demonſtratum eſt. *Mortem* ᾅδης ſignificat Sapientiæ 1, 14. Eccleſ. xl, 17. & in hiſtoria Maccabæorum aliquoties, ubi & πεμπειν εἰς τὸν ᾅδην [*præmittere ad infernum*] invenias, quod Græcis Poetis familiare eſt: quomodo & Scriptor Baruchi dixit καταβαινειν εἰς ᾅδου [*deſcendere ad infernum*], quod itidem apud Græcos uſitatiſſimum eſt. *Statum* potius *mortuorum* quam *mortem* ipſam deſignat eadem vox Eccleſ. xli, 7. Reperias ſæpe & θανατου [*mortem*] & ᾅδην [*infernum*] inter ſe conjuncta tum in priore illo tum in poſteriore ſignificatu, ut Eſaiæ xxviii, 15. Eccleſiaſtici xlviii, 5. & li, 8. Sapientiæ ii, 1. nec minus in Apoſtolicis libris, ut 1 Corinth. xv, 55. Apocalyps. i, 18. xx, 13, 14. In eadem autem Apocalypſi vi, 8. dicitur ᾅδης [*infernus*] ſequi θανατον, ubi θανατῳ ipſum *moriendi actum* aut ejus *cauſam* ſignificat, ᾅδης *ſtatum ſequentem*, qui & ipſe alias ſæpiſſime vocatur θανατος [*mors*]. Actorum ii, 27 & 31. vocem ᾅδου [*inferni*] reſpondere Hebraicæ שאול notiſſimum eſt. Supra autem xi, 23. & Lucæ x, 15. oſtendimus figuratam eſſe locutionem, quæ *mortis* aut *ſepulcri* nomine maximas miſerias denotat, ſicut & pericula gravia ᾅδου voce appellantur. Reſtat unicus locus Lucæ xvi, 23. ubi is qui eſt ἐν βασάνοις [*in tormentis*] dicitur eſſe ἐν τῷ ᾅδῃ [*in inferno*]. Sed ne ibi quidem ᾅδης [*infernus*] per ſe τὸ βασανιστήριον [*locum tormentorum*] ſignificat, ut oſtendemus cum eo ventum erit. Vocem autem ᾅδου [*inferni*] de Angelorum defectorum ſede aut ſtatu, aut de improbis mortalem hanc vitam agentibus uſurpatam neminem eſſe puto qui legerit. Nec quid hic ſignificent πύλαι ᾅδου [*portæ inferni*] difficilis eſt conjectura, cum eadem locutio reperiatur in carmine Regis Ezechiæ quod apud Eſaiam eſt xxxviii, 10. ubi in Hebræo eſt שאול בשערי, in Græco πορεύομαι ἐν πύλαις ᾅδου [*vadam ad portas inferi*]. Opponitur autem ibidem τῷ ᾅδῃ ἡ γῆ ζώντων [*inferno, terra viventium*]. Sic & Pſalmo ix, 14. & cvii, 18. & Sapientiæ xvi, 13. Non ſunt aliud πύλαι ᾅδου [*portæ inferni*] quam quod βασίλειον ᾅδου [*inferorum regnum*] dixit Scriptor libri Sapientiæ, κράτος θανατου [*mortis imperium*] Hebræor. ii, 14. Græci ut πέμπειν εἰς ᾅδου [*mittere ad inferos*], καταβαίνειν εἰς ᾅδου [*deſcendere ad inferos*], ita & πύλας ᾅδου [*portas Orci vel inferni*] dixere à Syris edocti, quorum locutiones paſſim ab Homero exprimi à viris doctiſſimis recte eſt annotatum. Notiſſimo Homeri loco adjungi poteſt ille veteris Comici,

Χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα, κ' ᾅδου πύλας.
[*Aurum cuncta aperit etiam portas inferas.*]

& ille incerti auctoris,

Φωνὴν δ' ὅπως ἄκραν πύλας ἄιδου πρῶτον.
[*Aut jamjam genitum demitti protinus Orco.*]

Reperias ᾅδου πύλας [*portas inferum*] & in Euripidis Alceſtide, & in Agamemnone Æſchyli. Themiſtius Theodoſium laudans quod eos qui in eum deliquerant à morte liberaſſet, ἀναγαγεῖν, ait, εἰς τὸν ἥλιον ἐκ τῶν πυλῶν τοῦ Ἀχέροντος [*reduxiſſe ad Solem ex portis Acherontis*]: & poſtea, ἄνδρας ἀνθρώπους ἐκ τοῦ ᾅδου προθύρου εἰς τὸ ζῆν ἀναγομένους [*videmus homines ex Orci veſtibulo reduces ad vitam*]. Etiam Pythagoras, recitante Laërtio, fabas, eo quod nihil de ſe gignant, *inferis* dicebat ᾅδου πύλας [*portis inferum*]. Apud Plutarchum De ſuperſtitione, ᾅδου τινες ἀνοίγουσι πύλας βαθείας [*aperiuntur profundæ quædam inferorum portæ*] Lucianus Menippo magos ait ἀνοίγειν τοῦ ᾅδου τὰς πύλας [*aperire portas inferorum*]. Sicut ergo de Chriſto capite dictum eſt à Paulo θανατῳ αὐτὸ μὴ κρατεῖσθαι [*mors illi ultra non dominatur*] Romanorum vi, 9. & à Petro οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπὸ τοῦ θανάτου [*fieri non poterat ut teneretur à morte*], Actorum ii, 24. ita hic Chriſti corpori, id eſt, populo credentium, promittitur fore ut mors ipſa, cujus maximum & inſatiabile eſt regnum, non eas vires habeat ut eos detinere poſſit ſub ſuo jure ac poteſtate. Nam *qui credit tranſiit de morte in vitam*, Johan. v, 24. xi, 25, 26. nunc quidem ſpe ac fiducia, eventu autem olim cum ultimus hoſtis triumphabitur, cum dicere licebit, Πῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος; [*Ubi eſt, Inferne, victoria tua?*] 1 Corinth. xv, 55. cum Chriſtus eandem hanc ἐκκλησίαν [*Eccleſiam*] de qua hic agitur παραστήσῃ ἑαυτῷ ἔνδοξον [*ſiſtet ſibi glorioſam*], Epheſ. v, 25. Niſi forte de Eccleſia hic agitur univerſim, non partim, & ejus perpetua duratio promittitur, juxta dictum Hebræorum, כל כנסיא שהיא לשם שמים סופה להתקים *Omnis eccleſia quæ ſit propter Deum firma permanebit.* Confer Actorum v, 39. Hunc in ſenſum Chryſoſtomus πύλας ᾅδου [*portas inferni*] interpretatur *pericula exitio proxima*, oratione ὅτι θεὸς ὁ Χριστὸς [*Chriſtum eſſe Deum*]. Sic πρὸς πύλαις ᾅδου καθεσταῦτας [*ad portas inferni poſitos*] Maccabæorum iii. Sic *ſepulchri januam & fores interitus* dixit Ovidius Triſtium iii, 2.

19. τὰς κλεῖς, *claves*] Non illas Propheticas, quas ſibi creditas Hebræorum Magiſtri abdiderant, & quantum in ipſis erat aditum hominibus præcluſerant ad Regnum cœleſte, id eſt, ad gloriam illam æternam (vide Lucæ xi, 52.) ſed Apoſtolicas, quarum pars magna conſiſtit in illo quod diximus teſtimonio de Chriſti reſurrectione; qua nota Apoſtolicum munus deſcribit ipſe Petrus Actorum i, 22. ¶ καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, *& quodcunque ligaveris ſuper terram*] Δεῖν [*ligare*] eſt κατεῖν [*retinere*], λύειν [*ſolvere*] eſt ἀφιέναι [*dimittere*], ut apparet Johan. xx, 23. Utrumque proprie tribuitur Deo Patri & Chriſto, ut videre eſt Epheſ. iv, 32. Coloſſ. iii, 13. Matth. ix, 6. Marci ii, 10. Lucæ v, 24. Apoſtolis ita ut σῴζειν [*ſalvum facere*], nimirum ob eam qua funguntur legationem quæ eſt διακονία τῆς καταλλαγῆς [*miniſterium reconciliationis*] ii Corinth. v, 18, 19, 20, 21. Remiſit hoc modo Petrus peccata τοῖς πιστεύουσι [*credentibus*], retinuit τοῖς προσκόπτουσι τῷ λόγῳ [*his qui offendunt verbo*], ut ipſe nos docet Epiſtola priore, cap. ii, 7, 8. Vide & Actorum ii, 38. & x, 43. Hæc legatio *in terris* peragitur, id eſt, per homines mortalem vitam viventes (quomodo eadem locutio uſurpatur citatis modo Matthæi, Marci & Lucæ locis) rata autem eſt *in cœlo*, id eſt, apud Deum. Hebræi ſimiliter Legis interpretibus tribuunt אסר [*ligare*] & התיר vel שרי λύειν [*ſolvere*]: ſed illi tam male erant functi hoc officio ut multos ab illis ligatos ſolvere debuerint Apoſtoli, & ſolutos ligare: quia religionem veram in ſuperſtitioſa commenta verterant.

20. ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ Χριστός. *ut nemini dicerent quia ipſe eſſet Chriſtus*] Ita omnino legendum, quomodo habet Syrus, vetuſtiſſimaque tum Græca tum Latina exemplaria. Et apparet non aliter legiſſe aut olim Origenem aut poſtea Ambroſium aut ſerius Theophylactum. *Jeſus* nomen eſt proprium, quo apud omnes noſcebatur; *Chriſtus* nomen eſt dignitatis: quare quod nonnulli codices hic habent Ἰησοῦς [*Jeſus*] haud dubie interpretamentum fuit. Apparet ex hoc loco Apoſtolos in legatione cujus antehac facta eſt mentio notam omnibus feciſſe Jeſu ſanctimoniam & miracula, agendam pœnitentiam, & non longe eſſe Regnum cœlorum; Jeſum autem eſſe Chriſtum, hoc eſt, Regni illius Regem id non eſſe ab ipſis publicatum, ſed ejus rei enuntiationem reſervatam ipſi Domino pro ratione locorum & temporum diſpenſandam. Vide Johannis v, 18. viii, 58. x, 30. xi, 27. Marci xiv, 61. Multo enim majore cum fructu promiſcue ad omnes perferri ea fama potuit poſtquam Chriſtus poſſeſſionem Regni ſui erat adeptus, idque ipſum teſtatus erat reſurrectione, adſenſu in cœlum & miſſione Spiritus Sancti, non ultra obnoxius humanis infirmitatibus, quarum reſpectus à recta veneratione ipſius avellere homines poterat. Eodem facit quod infra eſt xvii, 9.

21. ὅτι δεῖ αὐτὸν, *quia oporteret eum*] Puto optime interpretari Syrum *quod futurum eſſet.* Neque enim hic aut de præfinito Dei conſilio aut de utilitate rei agitur, ut alibi, ſed res futura nude prædicitur. Atque ideo Petrus Chriſto conatur perſuadere ut hoc ipſum evitet, quod vix credibile eſt facturum fuiſſe ſi eo ipſo momento intellexiſſet hoc eſſe præfinitum Dei conſilium. Qui diligenter attenderit ad multa loca Novi Fœderis, inveniet δεῖ [*oportet*] ita non raro poni ut nihil aliud quam rem futuram ſignificet, ut infra xxiv, 6. Marci xiii, 7. Apoc. i, 1. iv, 1. xxii, 6. Actorum iv, 12. ita infra xvii, 10. δεῖ ἐλθεῖν [*oportet venire*] de Elia, quod ſupra xi, 14. erat μέλλων ἔρχεσθαι [*venturus eſt*]. ¶ πρεσβυτέρων, *Senioribus*] Πρεσβύτεροι hic ſunt *Senatores*, Hebræis זקנים: unde συνέδριον [*Synedrium*

ſive *Senatus*] ipſum non raro πρεσβυτέριον vocatur, Actorum XXII, 5. Lucæ XXII, 66. ut & alibi γερουσία ſignificatu eodem. Ita epiſtola Spartiatarum inſcribitur τοῖς πρεσβυτέροις καὶ τοῖς ἱερεῦσι καὶ τῷ λοιπῷ δήμῳ [*Senioribus & Sacerdotibus & univerſo populo*] 1 Maccabæorum XIV, 20. Et Jonathan dicitur convocaſſe σὺν πρεσβυτέρους καὶ λαὸν [*Seniores populi*] 1 Maccabæorum XII, 35. Alibi diximus hos plerumque vocari σὺν πρεσβυτέρους καὶ λαῶ ad diſcrimen eorum qui erant πρεσβύτεροι τῶν πόλεων [*Seniores oppidorum*], Judices ſcilicet minorum cauſarum, quales erant non in aliis tantum oppidis ſed & in urbe Hieroſolymorum. Quanquam autem in eodem Senatu plerumque erant & Sacerdotum Principes, tamen ſolent hi peculiariter nominari ob eminentem auctoritatem. Γραμματεῖς [*Scribæ*] autem tanquam adſeſſores aderant Senatui. Tria hæc hominum genera videmus ordine promiſcuo in his libris nominari quoties Synedrii coacti fit mentio. ¶ καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι. *& tertia die reſurgere*] Nimirum ut ſic etiam κατὰ τὸ ῥῆμα [*verbotenus*] impleretur quod μυστικῶς [*figurate*] dictum erat ab Oſea VI, 2. & præſignificatum in Iſaaco, qui die tertio quaſi in vitam fuit reſtitutus Geneſ. XXII.

22. προσλαβόμενος, *& aſſumens*] Cum προσλαμβάνεσθαι Græce inter cætera *complecti* ſignificet, videtur mihi ea ſignificatio huic loco melius convenire quam altera *ſeorſim abducendi*, quæ multis placet. Hoc enim geſtu ſummum ſuum amorem in Chriſtum teſtari Petrus voluit. Neque aliunde ducta videtur tranſlatio quæ Romanorum XV, 7. aliiſque in locis apparet. ¶ Ἵλεώς σοι, Κύριε· οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο. *Abſit à te Domine: non erit tibi hoc*] Subaudiri vocem Θεὸς [*Deus*], neque aliter intellectum hunc locum à Syro, tam perſpicuis teſtimoniis ab aliis demonſtratum ut nullus ſit dubitandi locus. Ita LXX Geneſ. XLIII, 23. Ἱλεως ὑμῖν· μὴ φοβεῖσθε [*Propitius vobis: ne timete*]. nam quod ſequitur ὁ Θεὸς ὑμῶν [*Deus veſter*] ad ſequentem ſenſum pertinet, ſecus quam habet vulgata diſtinctio. 1 Samuelis XIV, 45. Ἱλεως ζῇ Κύριος [*Propitius vivat Dominus*], & quæ ſequuntur. II Samuelis XX, 20. Ἱλεώς μοι, ἱλεώς μοι, εἰ καταποντῶ καὶ ἀφανίσω [*Propitius mihi, propitius mihi, quam ut ſubmergam & perdam*]· ubi εἰ poſitum eſt pro *quam ut*. Scriptor Maccabæorum primi, cap. II, 21. Ἱλεως ἡμῖν καταλιπεῖν νόμον καὶ δικαιώματα [*propitius nobis relinquere Legem & juſtitias*], ubi præter Θεὸς [*Deus*] ſubauditur ὥστε μή [*quam ut*]. Quod autem ſequitur οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο [*non erit hoc tibi*] eſt hujus locutionis ἐξηγητικὸν [*explicatio*]. Futurum enim more Hebræo poſitum eſt pro optativo. Tantundem ergo hoc eſt quaſi dicas μὴ γένοιτο [*ne fiat*], quomodo LXX ſæpe vertunt חלילה, quod locis jam citatis è Samuele & alibi verterunt ἵλεως [*propitius*], ut 1 Samuelis XXVI, 11. Joſuæ XXII, 29. Pro eodem ponitur μηδαμῶς ἐμοί [*nequaquam mihi*] 1 Samuelis XIV, 7. Et ubi illi habent ἵλεως [*propitius*] aliorum verſiones Græcæ habent μὴ γένοιτο [*ne fiat*]. Ita Latine tantundem valent *Avertat Deus*, & *abſit*, quod hic non inerudite poſuit Latinus Interpres. Joſephus pro eodem dicit ἀπὴ ἡ πεῖρα τοῦ λόγου [*abſit dicti experimentum*].

23. στραφεὶς, *converſus*] Videtur hic στραφεὶς denotare vultum ad majorem ſeveritatem compoſitum. Ita Lucæ IX, 55. στραφεὶς ἐπετίμησεν αὐτοῖς [*converſus increpavit illos*]. Nam ibi quoque nulli alii erant quos alloqueretur quam Diſcipuli; ut & hic: neque vero Petrum ſolum ſed Diſcipulos omnes intuitus eſt Chriſtus cum hæc diceret, ut ex Marco diſcimus. Ita & apud Johannem XX, 16. στραφεῖσα [*converſa*] animi aut vultus immutationem indicat. Vide & ſupra VII, 6. Solet eaſdem ſignificationes habere Hebræum שוב quod hic poſuit Syrus. ¶ Τπαγε ὀπίσω μου, *Vade poſt me*] Vide ſupra IV, 10. ὀπίσω μου, id eſt, *extra conſpectum meum*. ¶ σατανᾶ, *ſatana*] Apparet jam Chriſti ſeculo enuntiatam hanc vocem Συριστὶ [*Syriaco more*]. Nam Hebræum eſt שטן, quod LXX modo ἐπίβουλον [*inſidiatorem*], ut II Samuelis XIX, 22. III Regum V, 4. modo διάβολον [*calumniatorem*] reddiderunt, ut Pſalmo CIX, 6. Hebræam vocem retinuerunt eodem quo hic ponitur ſignificatu III Regum XI, 14. Καὶ ἐξήγειρε Κύριος σατὰν τῷ Σολομῶντι τὸν Ἀδὲρ τὸν Ἰδουμαῖον [*Et ſuſcitavit Deus Satan Solomoni Ader Idumæum*], quem locum ex Græco citans Tertullianus adverſus Marcionem III. *Suſcitavit enim illi Satan*, inquit, *id eſt, hoſtem*. Quare mirum non eſt à Matthæi Interprete retentam vocem Hebræam, cum eſſet ea & Helleniſtis in uſu. Oſtendit Chriſtus Petrum, amoris ſpecie, revera ſibi eſſe adverſatorem, cauſamque reddit, ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων [*quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum*]. Nam τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεόν [*ſapientia carnis inimica eſt Deo*], Romanorum VIII, 7. ¶ σκάνδαλόν μου εἶ· *ſcandalum es mihi*] Quantum in te eſt horrorem mihi ignominiæ, cruciatuum & mortis injicis: quem horrorem in Chriſti carne modo majorem modo minorem fuiſſe apparet. Vide infra XXVI, 38. Hebræorum II, 18. IV, 15. Eſt autem hoc σκάνδαλόν μοι εἶ [*ſcandalum es mihi*] explicatio vocis σατανᾶ [*ſatana*]. Nam & ſic qui Judæos à Legis obſervatione abducebant dicuntur facti εἰς διάβολον τῷ Ἰσραὴλ [*in diabolum Iſraeli*] 1 Maccabæorum I, 36. quod ibidem exponitur εἰς παγίδα, εἰς ἐνέδρου [*in laqueum, ad inſidias*], & V, 4. εἰς παγίδα καὶ εἰς σκάνδαλον [*in laqueum & in ſcandalum*]. ¶ ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων. *quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum*] Quem jam modo beatum prædicaverat, ei nunc quam ſit adhuc infirmus demonſtrat, ut morbum agnoſcens à Deo remedium expeteret. φρονεῖν autem & hoc & aliis in locis non arrogantiam ſed animi ſtudium ſignificat. Ita Græce dicimus φρονῶ σοι φίλα, φρονῶ σοι κακὰ, φρονεῖν τὰ δέοντα [*volo tibi bene, volo tibi male, curare quæ oportet*]· neque aliter Helleniſtæ. Ita φρονεῖν τὰ ἡμῶν [*ſentire nobiſcum*] dixit Scriptor Maccabæorum primi, cap. X, 20. Joſephus φρονεῖν τὰ Ῥωμαίων [*ſtudere Romanis*] XIV Originum, c. X. φρονεῖν τὰ τῶν ἀνθρώπων [*ſapere quæ ſunt hominum*] eſt quod Paulus dixit φρονεῖν τὰ τῆς σαρκὸς [*ſapere quæ ſunt carnis*], ea curare magnique facere quæ ad vitæ hujus commoda pertinent, poſthabitis Dei negotiis, quæ nobis omnibus commodis eſſe debent potiora, ut ſequentibus verbis Chriſtus explicat.

24. ὀπίσω μου ἐλθεῖν, *poſt me venire*] Id eſt, πορεύεσθαι [*ire*]. Nam ὀπίσω πορεύεσθαι [*poſt aliquem ire*] dicunt Helleniſtæ pro ἀκολουθεῖν [*ſequi*], ut Jeremiæ II, 25. & alibi paſſim. Vide ſupra X, 38. Quare in hoc commate duabus locutionibus, altera Helleniſtica, altera Græca, res eadem exprimitur. Senſus enim eſt, Qui me ſequi vult, ſe abdicet, crucemque in humeros ſuos tollat, ut vere ſequi me poſſit. ¶ ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, *abneget ſemetipſum*] Tranſlatio ſumta ab iis qui partes alicujus deſerunt, idque palam profitentur. Ita ἀρνεῖσθαι [*abnegare*] de tali deſertione quæ non verbis quidem ſed re ipſa fit figurate uſurpatur, II Timoth. II, 12. & III, 5. Tit. I, 16. Hebræorum XI, 24. II Petri II, 1. Judæ 4. Eſt ergo hic ἀπαρνεῖσθαι ἑαυτὸν [*abnegare ſemetipſum*] כחש, quod apud Lucam μισεῖν τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν [*odiſſe animam ſuam*], XIV, 26. Loquitur autem Chriſtus ex vulgi opinione, quam deinde refellit. Nam is vulgo *deſertor ſui ſuique prodigus* dicitur qui vitæ commoda vitamque ipſam non omni ſtudio conſervat: φιλαύτους καλοῦσι, inquit Ariſtoteles De moribus IX, capite 8. οὓς ἑαυτοῖς ἀπονέμοντας τὸ πλεῖον ἐν χρήμασι καὶ τιμαῖς καὶ ἡδοναῖς τοῖς σωματικοῖς· τούτων γὰρ οἱ πολλοὶ ὀρέγονται [*ſui amantes vocant, qui ſibimetipſis plus tribuunt in pecuniis & honoribus & corporis voluptatibus: talia enim plerique appetunt*]. At ipſe contra diſputat hominem dici debere τὸ κυριώτατον quod in homine præcipuum eſt, καὶ τὸν τοῦτο ἀγαπῶντα καὶ τῶν τοῦτο χαριζόμενον μάλιστα φίλαυτον εἶναι, κἂν δέῃ ὑπεραποθνήσκειν [*& qui hoc amat plurimique facit eum veriſſime ſui eſſe amantem, etiamſi mori ob eam rem ſit neceſſe*]. Quæ ſententia an recte defendi poſſit à Philoſopho nulla agnoſcente præmia pœnaſve poſt hanc vitam, non immerito dubitatur. Auguſtinus certe ſublatis illis præmiis pœniſque verum ſaturum ait à partibus Epicuri. Ipſe Apoſtolus, poſt tot accepta à Deo dona, *Si in hac vita tantum*, inquit, *in Chriſto ſpem noſtram habemus repoſitam, omnibus hominibus miſeriores ſumus*. Laudant multi dictum illud Antigoni, unde ortus dicitur Saducaiſmus: neque nego potuiſſe illum rectius ſentire quàm qui hoc dicto abuſi ſunt. At miſericors Deus, ſicut mancipiorum eſſe ait ſola pœnæ præſentis formidine malis abſterreri, & ingeniorum ſatis vilium ſpe rerum caducarum officium facere, ita veram illam cœleſtem atque æternam mercedem perpetuo nobis ob oculos ponit. Imo divinus ad Hebræos Scriptor religionis ipſam velut ſubſtantiam in eo locat ut agnoſcamus ὅτι Θεός ἐστι, καὶ ὅτι τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται [*credere quia Deus eſt & inquirentibus ſe remunerator ſit*]· Chriſtus quoque hoc loco nos ad faciendam rerum mortalium vitæque ipſius, ſi opus ſit, jacturam hoc argumento invitat, quod in ea jactura maximum ſitum ſit lucrum. ¶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, *tollat crucem ſuam*] *Suſcipiat crucem ſuam*: quo ſenſu ſupra dictum eſt λαμβάνειν σταυρὸν [*accipere crucem*], X, 38. alibi βαστάζειν [*portare*]· hoc eſt, ne detrectet mala quæ ipſi inferuntur ob cauſam pietatis. Nam de hoc malorum genere proprie hic agitur.

25. ψυχὴν, *animam*] Qua notione ψυχὴν hîc putemus accipiendam diximus ad ſententiam ſimilem X, 38.

26. τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ; *anima vero ſuæ detrimentum patiatur*] Cum de judiciis agitur, dicunt Græci ζημιοῦν θανάτῳ [*mulctare morte*], non autem ζημιοῦν τὸν βίον [*mulctare vitam*]. Nihil mihi videtur certius quam ζημίαν [*detrimentum*] hic ſimpliciter opponi τῷ κέρδει [*lucro*], ut apud Ariſtotelem De moribus V, capite 7. idem valet ποτὲ apud Syrum. Bene ergo vertit

vetus

vetus Interpres. ¶ *ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ; aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*] In Hebræo fuerit כופר, aut etiam נפר, pro quo Lxx ſolent ponere ἱλασμὸν [*propitiationem*] aut λύτρον [*redemtionem*]. Nam ſicut Lxx pro pretio redemtionis dicunt interdictum ἱλασμὸν [*propitiationem*], ita viciſſim Scriptor Eccleſiaſtici XLIV, 17. ἀντάλλαγμα [*commutationem*] dixit, ubi proprie dicendum erat ἱλασμὸν [*propitiatio*]. Sunt enim hæc vicinæ ſignificationis. Proverbium eſt haud dubie tritum eo ſeculo, &, ut puto, ſumtum ex illo Jobi, ומה אשר לאיש יתן בעד נפשו, ubi Lxx, καὶ πάντα ὅσα ἔχει ἄνθρωπος δώσει περὶ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ ἀντιστ [*cuncta quæ habet homo rependet pro anima ſua*]· ubi verbo ἀντιστ [*rependet*] recte expreſſerunt vim τοῦ ἀνταλλάγματος [*commutationis*]. Notandus & Hebraiſmus in illo τί δώσει; [*quid dabit?*] nam & futurum eſt loco δυνητικοῦ [*potentialis modi*], ut in illo Jobi loco; & τί [*quid*] eſt ἐρώτημα αὐξητικὸν [*interrogatio augens*], ut cum dicitur Pſalm. VIII, 2. מה אדיר שמך, ubi Lxx, ὡς θαυμαστὸν τὸ ὄνομά σου [*quam valde mirandum eſt nomen tuum*]· alii, τί μέγα τὸ ὄνομά σου; [*quam magnum nomen tuum!*] Ergo τί δώσει; [*quid dabit?*] eſt πόσα ἂν δώσῃ; [*quanta daret?*] Quam multa ac magna libenter daret homo in mortis periculo conſtitutus ſui conſervandi gratia? Optime autem Chriſtus proverbium hoc ſuo inſtituto aptat: argumentatur enim à vita hac temporaria ad vitam illam æternam. Nam ſi omnia quæ poſſidemus arbitramur recte impendi ut noſmetipſos in hac vita ſervemus, certe multo magis eadem omnia, ipſaque hæc mortalis vita, impendenda ſunt, ut ad vitam immortalem perveniamus, quæ infinito amplius hanc vitam ſuperat quam vita hæc omnia quæ poſſidemus. Dubitandum non puto quin hæc ſit veriſſima hujus loci interpretatio quæ optime monſtrat ſequentium cohærentiam. Huic Hebræorum γνώμη [*ſententiæ*] exſtant ſimiles apud Græcos; ut,

Ψυχῆς γὰρ οὐδὲν ἐστι τιμιώτερον.
[*Vita profecto nulla res pretioſior.*]

& illud Sophoclis,

Τὸ ζῆν γὰρ, ὦ παῖ, πᾶσιν ἡδιστον γέρας.
[*O nate, vita munus eſt ſuaviſſimum.*]

& Quinti Smyrnæi,

Οὐ γάρ τι ψυχῆς πάλιν ἀνδράσιν ἄλλο φίλτερον ἄλλο.
[*Nec generi eſt hominum vita res carior ulla.*]

27. ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *in gloria Patris ſui*] Eadem gloria vocatur & Chriſti gloria, Matthæi XXV, 31. & Patris gloria, quia eſt à Patre, Johan. XVII, 5. Atque ita forte interpretandum illud Johan. I, 14. δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς [*gloriam quaſi unigeniti à Patre*], ut ſubaudiatur δοθεῖσαν [*datam*], *Vidimus gloriam ejus talem qualem parentes dare ſolent filiis unicis.* Vide quæ ibi. ¶ μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ· *cum Angelis ſuis*] Solebant Hebræi Deum de rebus magnis agentem deſcribere ad exemplum Regis conſidentis in cœtu procerum, ut 1 Regum XX. & apud Chaldæum paraphraſten ad primum Jobi caput videre eſt. Et ſic quidam ἀνθρωποπαθῶς [*quæ hominu ſunt Deo affingentes*] explicant illud, *Faciamus hominem.* Vide & Deuteronomii XXXIII, 2. & Danielis VII, 10. ¶ κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ, *ſecundum opera ejus*] מעשהו Pſalmo LXII, 13. κατὰ τὰ ἔργα Romanorum II, 6. κατὰ τὸν ἴδιον κόπον [*ſecundum ſuum laborem*], 1 Corinthior. III, 8. πρὸς ἃ ἐπράξεν, εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε κακὸν [*prout geſſit ſive bonum ſive malum*], II Corinth. V, 10. qui loci præſertim vero ille 1 Corinthior. III, 8. non tantum differentem exitum bonorum malorumque videntur oſtendere, ſed & gradus non minus præmiorum quam pœnarum. De pœnarum gradibus illuſtres ſunt loci ſupra XI, 22, 24. De præmiorum gradibus intelligi ſolet quod eſt apud Paulum 1 Corinth. XV, 41. Clemens Alexandrinus Strom. IV. εἰσὶ γὰρ παρὰ Κυρίῳ καὶ μισθοὶ καὶ μοναὶ πολλαὶ κατὰ ἀναλογίαν βίων [*ſunt apud Dominum & mercedes & habitationes multæ pro vitarum gradibus*]. Nec dubium eſt quin ea conſtans fuerit omnium veterum Chriſtianorum ſententia: πρᾶξιν [*actionem*] autem hic intelligere debemus omnem hominis actum in quo bonitas aut malitia locum habeat, internum præcipue, externum quatenus interno congruit.

28. οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, *non guſtabunt mortem*] Idem eſſe γεύεσθαι θανάτου [*guſtare mortem*] & θάνατον θεωρεῖν [*mortem videre*] apparet Johannis VIII, 51, 52. Nimirum quia טעם [*guſtare*] Hebræis eſt experiri, Pſalmo XXXIV, 9. Proverbiorum XXX, 17. Adde Hebræorum II, 9. ¶ ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ. *in Regno ſuo*] Marcus exponit ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει [*donec videant Regnum Dei veniens in virtute*] IX. 1. quæ verba ſatis clare, ni fallor, indicant agi hic de reſurrectione, adſcenſu in cœlum, miſſione Spiritus Sancti & propagatione Euangelii per ſigna & miracula; quibus certiſſimis teſtimoniis cognoſcebatur Chriſtum jam regnare. Meſſiæ autem Regnum & Hebræorum Magiſtris *regnum Dei* dicitur, & noſtris Scriptoribus paſſim. Vide Lucam XXII, 18. Atque adeo quæ de Regno Meſſiæ dicuntur in Pſalmo CX. ad ea quæ dixi tempora refert Petrus Actorum II, 33, 34. 35, 36. Neque id ſuperioribus male cohæret. Ut enim credant quod dixerat, ſe Judicem humani generis fore, dicit propediem adfutura ſigna conſpicua Regni ſui; tunc ſcilicet præcipue cum ſceptrum ipſius, Lex Novi Fœderis, ex Sione eſſet exitura. Quanquam enim quorundam populorum inſtitutis diſtingui ſolent, ipſa tamen rerum natura inter ſe cohærent βασιλεία, νομοθεσία, κρίσις [*Regnum, Legislatio, & Judicium*]. Vide Jacobi II, 8. IV, 12. Meritò igitur jubentur Judicem credere quem viluri ſunt Legis conditorem.

PRICÆUS.

Com. 20. Διεστείλατο τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ] In Gloſſario, *Interdixit*, διεστείλατο.

Com. 22. Καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν ὁ Πέτρος, ἤρξατο ἐπιτιμᾶν αὐτῷ] Προσλαμβάνεσθαι heic non illibenter crediderim poſitum pro λαμβάνεσθαι. Sic Act. 18. 26. προσελαμβάνεσθαι. Act. 21. 23. προσλαμβάνειν. Et in Theophraſti charact. pro μανθάνειν, προσμανθάνειν, emendante viro ſummo Iſaaco Caſaubono: aut idem ſaltem valere quod ἐπιλαμβάνεσθαι. Verterim ergo non *completens* (quod ſequens ἐπιτιμᾶν non videtur permittere,) nec *ſeorſim abducens*, ſed *manu prehendens*, vel *arripiens*, quod ſolent qui aſperius aut liberius quid dicturi ſunt. Sueton. de Tiberio, *Nurum Agrippinam poſt mortem mariti liberius quiddam queſtam manu apprehendit, Græcoque verſu, Si non dominaris, filiola, injuriam te accipere exiſtimas.* Apud Apulejum 3. ancilla veneficæ, *Quos* (capillos) *me ſedulo furtimque colligentem tenſor invenit, & quod alioqui maleficæ diſciplinæ publicitus perinfames ſumus, arreptam inclementer increpat.* Atque ita jam video verti voluiſſe celeberrimæ eruditionis virum Danielem Heinſium.

Ibid. Ἵλεώς σοι, Κύριε] *Abſit à te, Domine:* ita bene hic Vetus, à quo paſſim otioſe, ſæpe & in pejus diſceſſum. Tale illud,

—— *procul arceat altus*
Jupiter ——

& illud,

—— *omina quæſo ſint iſta procul.* ——

Item,

—— *Dii, talem avertite caſum.*

Plautus,

Miſere ſum miſer, Pſeudole.
Id te Jupiter prohibeſſit.

Com. 23. ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ]
Ovidius,

Verba movent iras non circumſtella Deorum.

Com. 24. ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν]
Horatius,

—— *nil capientium*
Nudus caſtra petat, transfuga divitum
Partes linquere geſtiet.

Saluſt. *Omiſſis pecunia & corporis gaudiis, animo non indulgeat, neque aſſentetur, neque concupita prabendo perverſam gratiam gratificetur; ſed in labore, patientia, boniſque præceptis & fortibus factis ſe exercitet.*

Juvenalis,

—— *potieres*
Herculis ærumnas credas ſævoſque labores,
Et Venere, & cœnis, & pluma Sardanapali.

Hoc 2 Tim. 2. ὡς καλὸς στρατιώτης κακοπαθῶν· ſupra 10. 38. αἴρει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ· Joh. 12. 25. μισεῖ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. Vide & 2 Cor. 6. 4, 5, 6. & ſeqq.

Com. 26. τί γὰρ ὠφεληθήσεται ἄνθρωπος ἐὰν τὸν κόσμον, &c.]

—— *nam quæ præclara & proſpera tanti*
Ut lucri excedat cumulum menſura malorum?

Caſſiodorus, *Quid acquiri putatur ubi bona conſcientia perditur, aut in qua parte poſſit homo proficere ſi innocentiam probatus fuerit amiſiſſe?* Scythæ ad Alexandrum apud Curtium, *Stultum eſt eorum meminiſſe propter quæ tui oblivioſcere.*

Com. 27. *Ἀποδώσει ἑκάστῳ κ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ*] Lactantius 5. 24. *Pro ſuis quemque meritis aut honorabit aut puniet:* & 7. 1. *Unicuique pro merito aut præmium perſolvet aut pœnam.* Proſper ad Vincentian. object. *Unicuique retributurus eſt, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Tertull. Apolog. *Suſcitatis omnibus, & ab initio defunctis, ac reformatis ac recenſitis ad utriuſque meriti diſpunctionem.* Et hæc eſt ἀναπόδοσις illa de qua Rom. 2. 5. Paulus. Apud Nonn. Nævius,

Ut quiſque eſt meritus præſens pretium pro factis ferat.

Sueton. Claud. *Repræſentaturus pro opera dignam cuique mercedem.*

CAP. XVII.

MUNSTERUS.

2. *Transfiguratuſque eſt ante eos*] Voluit Chriſtus in hac transformatione Diſcipulis ſuis exhibere ſpecimen ſuæ gloriæ, atque fidem facere eorum quæ illis prædixerat de ſua poteſtate & gloria. Quod autem totus ſplendidus factus fuit facie & veſtibus, gloriam immortalitatis vitæque futuræ claritatem adumbravit. Apparent ex tam multis Prophetis Moſes & Elias, qui præcipui Zelatores fuerunt cultus Divini, teſtimonium perhibentes Chriſto, Moſes ex Lege, & Elias ex Prophetis. Porro vox de cœlis allata, *Hic eſt Filius meus dilectus: ipſum audite*, arguit jam adeſſe eum quem Lex & omnes Prophetæ futurum prædixerunt. Quod Diſcipuli territi in terram cadunt ex fulgore Divinæ claritatis, oſtendit nos hac corporis mole gravatos haudquaquam in plenum conſortium Dei poſſe pervenire. Deponendum eſt ergo ante quod carnale eſt, ut contingat quod ſpirituale. Quærunt hic Judæi, ſi Jeſus fuit Deus, quomodo potuerit à Diſcipulis citra vitæ diſpendium videri, cum ſcriptum ſit, *Non videbit me homo, & vivet.* Sed præſtat hic annotare in favorem ſtudioſorum opinionem eorum quam habent de viſione Dei in hac mortali vita, שאל לכן כתיב בתורת משה כי לא יראני האדם וחי והאך ראו ישו כל בני הדורו וחיו שהרי מי שראה את הבן ראה את האב והראה ששלשתם קשורים וכתובים יחד שאין אחד נפרד מחבירו לפי שאחד הכל ואין להם פירוד ועוד הקשה לו מישעיהו שאמר ראיתי את יהוה יושב על כסא רם ונשא וכן מיכה אמר ראיתי את צבאות יושב על כסאו וכל צבא השמי מימינו ומשמאלו וכן יחזקאל ראה את כראה ואמר היא מראה רמת כבוד ה' ואף על משה עצמו אמר ותמונת ה' יביט וחוי אך אנו אומרים שראו איספקלריא שאינה כאורה וכשרה ואת איספקלריא כאורה ועוד לי' על מה שאמרו רבותינו שכשעה מיתת אדם ראוי שכינה ומיד מת חזר ואמר לא יראני האדם וחי שכבר ראוהו מת ראינו וחי יותר שני לפנינו יבקש כל יהודי עמי ונפשו לא חיה אבל כשעה שמרבר עם הנביאים לצורך שליחותו ראוי וחיים : Senſus hujus opinionis eſt, *Interroga hæreticum*, (ſic vocant Judæi Chriſtianum hominem) *Scriptum eſt in lege Moſi*, NON VIDEBIT ME HOMO, ET VIVET, Exod. 33. 20. *quomodo igitur viderunt Jeſum omnes homines illius ætatis, & ſupervixerunt? Nam qui videt Filium, videt & Patrem atque Spiritum, qui tres ſic adunati ſunt atque conjuncti quod unus non ſeparatur ab alio, eo quod unum ſint, & non ſit inter eos diſtinctio. Quin & ex Iſaia urgebis eum, qui ait*, VIDI DOMINUM SEDENTEM SUPER SOLIUM EXCELSUM ET ELEVATUM. *Sic quoque Micha dicit*, VIDI DOMINUM EXERCITUUM SEDENTEM SUPER SOLIUM SUUM, ET OMNIS EXERCITUS COELORUM ERAT AD DEXTRAM EJUS ATQUE SINISTRAM EJUS. *Sic Exechiel vidit viſionem, & ait*, IPSA EST VISIO SIMILITUDINIS GLORIÆ DEI. *Sed & de ipſo Moſe dicit*, ET SIMILITUDINEM DEI VIDEBIT: *Et tamen vixerunt. Sed nos dicimus quod viderint ſpeculatione imperfecta, & non clara; Moſes autem vidit ſpeculatione clara. Rurſus dicendum eſt de eo quod dixerunt RR. noſtri, quod homo in hora mortis ſuæ videt Divinitatem, & illico moritur: & hoc eſt quod dicit*, NON VIDEBIT ME HOMO, ET VIVET, *quod ſcilicet mox poſtquam viderit eum moriatur, & amplius non vivat, juxta quod dicitur* Pſal. 22. 29. ANTE EUM HUMILIABUNTUR OMNES QUI DESCENDUNT IN PULVEREM; ET ANIMAM SUAM NULLUS VIVIFICABIT. *At pro ea hora qua loquitur cum Prophetis ea quæ neceſſaria ſunt pro legatione ſua, vident illi Deum, & manent vivi.* Adducunt & alia ex Scriptura loca pro ſtabilienda priori opinione, nempe, *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalvata eſt anima mea:* &, *Va nobis, quia vidimus Dominum*, &c. Quod autem nos hinc vexare conantur, Si Jeſus fuit Deus, quomodo videri potuit à mortalibus? cæciores ſunt quam ut intelligere queant majeſtatem Domini carne obumbratam & velatam in terris conſpectam. Ultimam opinionem non ſatis ex Pſalterio probant; ideo eadem facilitate contemnimus qua illi probant.

9. *Ne cui dixeritis viſionem*] Id quod Dominus hic præcepit Diſcipulis, *nihil horum quæ viderant cuiquam dicere donec à mortuis reſurrexiſſet*, idem eſt cum eo quod ſupra noluit ſe Chriſtum prædicari veraque gloria conſpicuus eſſe donec juxta Patris mandatum pro peccatis hominum morte ſua ſatisfeciſſet.

11. *Veniet utique Elias*] Senſus eſt, Recte dicunt Scribæ *Eliam ante venturum & omnia reſtituturum.* At *Elias ille* eſt Johannes, qui *jam venit*, & dum omnem populum credentium ad me perduxit, reſtituit omnia: id quod reprobi illi *non cognoverunt, ſed fecerunt in eo quicquid voluerunt*, contemnentes, perſequentes & calumniantes eum, tandemque decollantes; quod & ego *paſſurus ſum ab eis.*

16. *Non potuerunt eum ſanare*] Objiciunt hic Judæi, Quare non potuerunt eum ſanare, cum Euangelio eorum ſcriptum ſit, ויקרא ישו לכל יבי הלמידיו ויתן להם ממשלה לדוחיא רוח ומחוה, i. *Et vocavit Jeſus duodecim diſcipulos ſuos, & dedit eis poteſtatem ejiciendi ſpiritus immundos?* quibus reſpondemus, Incredulitatem patris hujus lunatici atque Diſcipulorum in cauſa fuiſſe quod dæmonium non ceſſit imperio Diſcipulorum. Unde & Chriſtus promiſcue omnes increpavit, dicens, *O generatio incredula & perverſa, quamdiu ero vobiſcum?*

20. *Sicut granum ſinapis*] Comparatur fides grano ſinapis propter ipſius vivacitatem & efficaciam. Ut enim granum ſinapis minimum eſt inter ſemina, & tamen mox ſeſe attollit ſuper omnia olera, ita ſi fides fuerit viva, nihil erit ei impoſſibile: ſed nihil valet quam quod facit ad gloriam Dei. Quando autem hic dicitur, *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi per orationem & jejunium*, ſic eſt intelligendum, Quod fideli & ardenti precatione opus eſt ad ejectionem dæmonis; ea autem efficax oratio fieri nequit niſi corpus ab omnibus deliciis & carnis negotiis abſtineat. Hæc eadem oratio ardenti fide facta transfert montem de loco ad locum, h. e. efficit etiam difficillima quæque & quæ naturæ ſunt impoſſibilia, præſertim ſi ea cedant in gloriam Dei. Nec obſtat quod non legimus ab aliquo Sancto montem aliquem tranſlatum de loco ad locum, cum Sancti per fidem impetraverint à Deo & fecerint majora. Vanum eſt ergo argumentum cujuſdam Judæi qui hic in hunc modum arguit, כל מי שמאמין בתלי ואומרי כגרעין אחד של חרדל יכל בודאי להטיל הר ממקומו ואנו רואין אפי קדישין שבהן אינן יכולין לעשות כן כש"ש אכי" אין בהם מאמינים בנוראי ולי גם קדישים עשו מעשים אשר יותר גדולים מלהטיל הר ממקום אל מקום :

24. *Didrachma*] Tributum hoc quod Chriſtus hic ſolvit primum Judæis ab Auguſto indictum fuit Præſide Cyrenio, qui cenſum à Judæis primus levavit, ut eſt apud Lucam 2. 1. Idem teſtatur Joſephus Judaici belli l. 7. c. 26. quod Veſpaſianus indixerit Judæis ſtipendium ubicunque degerent, nempe quod viritim binas drachmas ſingulis annis deferrent. Cui mandato Chriſtus quoque obtemperare voluit nobis in exemplum, ut ab eo diſceremus quid Magiſtratui deberemus. Ipſe enim cum eſſet Filius ſummi Regis & Moderatoris cœli & terræ, & cui Pater omnia dederat in manus, non dedignatus eſt pendere tributum, ne irritaret Magiſtratum. Unde cum illi qui tributis levandis erant præfecti Petrum interrogarent *num & Præceptor ejus illud penſitaret*, reſpondit, *Etiam.* Unde liquet Chriſtum in omnibus Magiſtratui ſeſe morigerum exhibuiſſe. Sed nunc nonnihil de moneta Hebr. à nobis eſt dicendum, præſertim cum is locus id expoſcat. In libro Præceptorum Moſaicorum affirmativorum & negativorum ita ſcriptum inveni, שקל הוא ארבעה דינרים הדינר שש מעה והמעה על פי הקבלה הוא משקל שש עשרה שעורות: h.e. *Siclus continet quatuor Denarios; & Denarius habet ſex Obolos; Obolus autem juxta interpretationem Cabalæ eſt pondus ſedecim hordeorum.* Habebit igitur Denarius ſeu Drachma pondus XCVI hordeaceorum granorum: Siclus autem ponderabit CCCLXXXIV grana hordeacea. Et quando dicitur Exod. 30. 13. *Siclus viginti obolos habet*, hic autem ex Siclo naſcantur XXIV Oboli, notandum quod in Exodo non מעה ſed גרה *Gerah* ſcribitur: quod tamen D.K. exponit pro מעה. Porro Denarium alio nomine vocant זוזא *Zuza.* Unde D.K. dicit 1 Reg. 9. *quatuor* זוזין *efficere Siclum.* Cæterum moneta Drachmæ quæ Denarium ſeu Zuzam valet, apud Hebræos non fuit in uſu uſque poſt captivitatem Babylonicam: unde & דרכמון *Darchemon*, quod Hebræi à Græcis mutuaverunt, non invenitur in Biblicis libris, niſi in ſolo Ezra, cujus hiſtoria deſcripta fuit poſt capti-

vi-

vitatem Babylonicam. Capitur autem ibi, cap. ſcilicet 2. pro aurea moneta. Habebunt itaque Drachma, Denarius & Zuza unum & eundem valorem. R. S. autem dicit *Zuzam valere Aureum Colonienſem.* Id ſi verum eſt, valebit Didrachma duos Aureos Colonienſes. Potent etiam curioſus quiſpiam in hac re periculum facere, & juxta Cabalæ interpretationem exigere grana hordeacea ad aurum & argentum, & explorare quantum valeat noſtro tempore antiquus Denarius aureus aut argenteus. Sunt enim memoratæ monetæ certa pondera auri & argenti; id quod & nomen ὑπερ arguit. Budæus in lib. De aſſe & ejus partibus hæc ita expendit, ut putet Siclum eſſe *nummum tetrachmum*, i. valentem quatuor Drachmas, quantum & Stater valet, unde media ejus pars Didrachmus eſt, binas valens Drachmas, i. quintam partem Coronati.

V A L L A.

2. ET *reſplenduit facies ejus ſicut ſol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix*] Gr. *ſplenduit*, ſive *fulſit*, ἔλαμψε· quod mihi videtur majus quiddam eſſe quam *reſplenduit* aut *reſulſit*. Nam *ſplendere* aut *fulgere* eſt ſplendorem ac fulgorem in ſe habentis, *reſplendere* vero ac *refulgere* eſt aliunde accipientis ſplendorem atque fulgorem. Neque legendum eſt *nix*, ſed *lux*, ὡς τὸ φῶς· Veſtimenta enim Angelorum fuere ut *nix* cap. 28. 3. Quanquam apud Lucam 24. 4 legitur, *Ecce duo viri ſteterunt juxta illas in veſte fulgenti*, ἐν ἐσθῆτι ἀστραπτούσῃ, i. *in veſtibus fulgurantibus.* Ergo quiddam majus debuit eſſe in veſtimentis Domini, aut certe tantundem, ut idem Lucas 9. 29. dicit, *Et veſtitus ejus albus refulgens*: licet ſit potius *effulgurans*, quam vocem velut inſolentem reformidavit interpres, ἐξαστράπτων. Nam Marcus 9. 3. comparavit quidem veſtimenta nivi; ſed non fuit nivi comparaſſe contentus, inquiens, *Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, candida nimis velut nix, qualia fullo ſuper terram non poteſt candida facere.* Ergo non dixiſſet Matthæus, *Facta ſunt alba ſicut nix*, ſed *ſicut lux*, imo *velut eſſent lux* potius quam *alba ſicut lux alba eſt.* Quemadmodum econtrario apud Marcum dicendum fuit, *Sicut nix*, h. e. *ſicut nix candida eſt*, non *velut nix*, i. *velut nix eſſent.* Aliud eſt habere colorem nivis videri, & aliud eſſe nivem.

14. *Acceſſit ad eum homo genibus prevolutus ante eum, & dicens*] Quis non putaret dici de genibus Jeſu? ut frequenter legimus, *advolutus genibus.* At interpres de genibus hominis ſentit. Ergo dicere debuit, ut alibi, *Et genu flexo ante eum, illudebant*, c. 27. 29. ſive quod elegantius & apud doctos uſitatiuseſt, *genu poſito*; ſive, ut ad verbum transferatur, *geniculatus.* Sic enim transferendum docet Sergius ad Julianum Scholaſticum ſcribens, γονυπετῶν, γονυπετήσαντες.

20. *Tranſi hinc, & tranſibit*] *Tranſi hinc illuc* dicendum eſt, ἔνθεν ἐκεῖ.

21. *Hoc autem genus non ejicitur*] Gr. *procedit*, ſive *exit*, ſive *egreditur*, non *ejicitur*, ἐκπορεύεται. Hoc verbum eſt illud apud Joannem 15. 26. *Spiritus veritatis qui à Patre procedit*, ἐκπορεύεται.

R E V I U S in V A L L A M.

2. NEque legendum eſt nix, *ſed* lux] Unum tamen exemplar Bezæ habebat ὁ χιών, & Hebræus שלג, notavit & Cl. De Dieu. Non video qua ratione Eraſmus ſtomachetur Vallam hic verboſius argutari, cum is multa paucis, ut ejus mos eſt, nos doceat, neque tantum de hoc commate, ſed & de Luc. 9. 29. & Marc. 9. 3. tribus, quod ajunt, verbis ſententiam ſuam dicat.

20. Ἐπιθήσει ἐκεῖ] Deerat ἐκεῖ· quod ſupplevi.

E R A S M U S.

1. ET *poſt dies ſex*] De numero dierum conſentit Marcus cum Matthæo, cum Lucas tradat octo ferme dies interceſſiſſe. Id ita explicat Chryſoſtomus, ut dicat Matthæum ac Marcum eos tantum dies ſupputaſſe qui medii interceſſerant inter ſermonem habitum & montem aditum; Lucam vero duos etiam extremos imputaſſe, nempe eum quo prior habitus eſt ſermo, & eum quo montem conſcenderunt. ¶ *Aſſumpſit Jeſus*] Παραλαμβάνει, i. *aſſumit*, præſentis temporis. ¶ *Duxit illos, ἀναφέρει αὐτοὺς*] i. *Subducit illos*, ſive *abducit eos.* Nec eſt

2. *Reſplenduit*] Sed ἔλαμψε, *fulſit*, ſive *ſplenduit*, non ἐπέλαμψε. ¶ Ad hæc in omnibus quæ quidem ego viderim Græcis exempl. ſcriptum erat, non *ſicut nix*, ſed ὡς τὸ φῶς, *ſicut lux*, conſentiente etiam edit. Hiſpanienſi. Unde videri poterat errore ſcribæ *lux* mutatum in *nix*, niſi tantus eſſet Latinorum cod. conſenſus: præſertim cum alius Euangeliſta meminerit *ſulonis*, cujus ars eſt candidare veſtes. Apud Theophylactum contextus habet *ſicut lux*: ex commentariis non liquet quid legerit; ne ex Chryſoſtomi quidem aut Hieronymi. Inter colores plurimum lucis habet albus, & quæ lucent *candida* dicuntur, veluti luna. *Faciem* Domini comparavit *Soli*, qui ſolus aureus eſt; *veſtimenta lumini* reliquo, quod candorem habet, quanquam obſcuratur à Sole. Quanquam Valla de his verboſius argutatur: quæ ſi quis cupiat cognoſcere, & ſi quid videbuntur ad Euangelii ſenſum facere, ſunt in promptu. Dubium non eſt quin Origenes legerit, *ſicut lumen*, hom. 3. non diſſimulans interim, apud Marcum non *luminis* ſed *nivis* fieri comparationem. Itidem citat hom. 30.

3. *Cum eo loquentes, συλλαλοῦντες*] Magis ſonat *confabulantes*; ut familiare colloquium intelligamus. Et hoc loco rabula quiſpiam publicitus apud populum detulit Eraſmi nomen qui ſcripſiſſet *Euangelia nihil aliud eſſe quam fabulas aniles*; cum ego nihil aliud annotaſſem quam Græcæ vocis proprietatem, neque mutarim in vertendo verbum *colloquendi.* Et hic tamen erat inſignis cultu Dominicali, Baccalaureus ſacroſanctæ Theologiæ, doctrinæ Euangelicæ præco. Non miror inter tot hujus ordinis millia exſtitere talia portenta: illud miror, non compeſci à cæteris hujuſmodi labes ac dedecora, non ſolum ordinis ſui, verum etiam totius populi Chriſtiani.

4. *Reſpondens autem Petrus, ἀποκριθεὶς*] Abutitur & alias hoc verbo, cum nihil præceſſerit ad quod reſpondeat.

5. *In quo mihi complacui, ἐν ᾧ εὐδόκησα*] Quod Cyprianus ita reddit, *in quo bene ſenſi.* Itidem Irenæus. ¶ *Ipſum audite*] Jam iterum ea vox audita ſummam autoritatem arrogat Chriſto. Unum hunc Doctorem creavit ipſe Deus Pater. Hoc autoritatis nulli Theologorum, nulli Epiſcoporum, nulli Pontificum aut Principum tributum eſt. Non quod his non ſit parendum, ſed quod Chriſto præcipue, & ob Chriſtum illis, ſi modo Chriſto digna præcipient, & ſi ſequentur eorum veſtigia de quibus dictum eſt, *Qui vos ſpernit, me ſpernit; & qui vos audit, me audit.* At nunc videmus dormitari paſſim ad Chriſti doctrinam, ceu craſſam ac rudem, & concionis auribus inculcari quid dixerit Scotus, quid Thomas, quid Durandus; & pluris fieri inter monachos quid ſtatuerit Benedictus aut Bernardus aut Franciſcus quam quid is docuerit de quo uno vox Patris audita eſt, *Ipſum audite.* Illi ferre non poſſunt ſi quis verbulo elevet Dominici aut Franciſci autoritatem, & nos feremus æquo animo ſervulos anteponi Domino? Illud obiter admonendum, Ubi narratur vox hæc Patris audita jam baptizato Domino, non additur ab Euangeliſtis, *Ipſum audite*; probabile tamen & hanc partem non abfuiſſe: & ſi non fuiſſet prolata, ſenſus eam includit. In hoc enim manifeſto teſtimonio commendat Filium ſuum, ut illi fides haberetur. Unde cultus Eccleſiaſticus in Epiphaniis canit publicitus, *Spiritus ſanctus viſus eſt, Paterna vox audita eſt, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.*

10. Quod ajunt ſeſe ex Scribis audiſſe, id legitur in calce Malachiæ, *Ecce mittam vobis Heliam prophetam antequam veniet dies Domini magnus & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam & percutiam terram anathemate.* Porro quod hic *Scribarum* fit mentio, non ſic eſt accipiendum quaſi quorumlibet Scribarum partes fuerint ex Prophetarum oraculis reſpondere: ſed erat hominum genus quos Hebræi ſuo quodam nomine vocant, quorum hæc erat profeſſio, ut quemadmodum olim apud Romanos in rebus dubiis ex Sibyllæ libris per aruſpices reſponſa petebantur, ita iſti conſulti ex Prophetarum libris reſponderent: Quos & Herodes conſuluiſſe narratur. ¶ *Heliam oportet primum venire, ἐλθεῖν πρῶτον*] i. *Venire prius.* Hic certe faciendum erat quod alias facit, ut ſuperlativum verteret per comparativum. Sentiunt enim, Heliam venturum antequam veniret Chriſtus.

14. *Genibus prevolutus, γονυπετῶν*] Græcis unica dictio eſt perinde ſonans q. d. *accidens ad genua.*

17. *Incredula & perverſa, διεστραμμένη*] i. *diſtorta.* Ac recte ſane vertit, modo recte intelligatur. *Perverſum* enim proprie dicitur quod à rectitudine deflexum eſt. ¶ *Quouſque ero, ἕως πότε ἔσομαι*] i. *quouſque tandem.* Nec enim otioſa eſt expletiva conjunctio, ſed impatientiam quandam tædii indicat.

18. *Et increpavit eum*] Ambigit & Hieronymus utro referendum ſit *eum*, ad hominem an ad dæmonium. Cum enim ait, *ſive*, ſubindicat variam ſententiam. Mihi magis videtur ad dæmonium pertinere. Unde vertendum erat *illud*, non *illum.* Certe ad dæmonium refert Chryſoſtomus in Catena aurea, & hunc ſecutus Remigius. Theophylactus ad puerum refert. Ex Origine & cæteris parum liquet. Illud conſtat, Chriſtum nuſ-

nuſquam increpare dæmoniacos, dæmones frequenter. Nam in eo quod ſequitur,

19. *Quare nos non potuimus ejicere illum?*] Apparet librariorum errore factum ut *illum* ſcriptum ſit pro *illud*. Eſt enim Græce αὐτὸ, & *dæmonium* præceſſit.

20. *Tranſi hinc*] Omiſſa eſt apud nos una vox, μετάβηθι ἐνθεῦτεν ἐκεῖ, i. *Tranſi hinc illuc*: licet alterum adverbium non reperiam apud Chryſoſtomum: omiſſum arbitror ab interprete: certe apud Theophylactum eſt, quemadmodum & apud Originem. Nec eſt

21. *Non ejicitur*] Sed, οὐκ ἐκπορεύεται, i. *non egreditur*. Interpres legiſſe videtur ἐκβάλλεται· & ad ſenſum haud magni refert. Porro quod ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ, i. *in oratione & jejunio*, tranſtulit *per orationem & jejunium*, bene mutavit Hebraicam figuram: Nam Hebræi ב, i. *in* (ut בכח *in manu fortis*, ברוח *in Domino*) utuntur pro *per*; ut jam admonui.

24. *Qui didragmam accipiunt*] Bis in unica dictione peccamus, & quod per *g* ſcribimus, cum ſit per *ch* ſcribenda; & quod ſingulari numero, ac genere fem. proferimus, quæ eſt neutri & pluralis: quæ vox emendate legitur in aureo codice, atque etiam in Donatiani voluminibus, atque etiam Conſtantienſi. Siquidem eſt Græcis τὰ δίδραχμα. Ait enim, *Accipiunt*: ut intelligas eos ſolitos à ſingulis accipere; & idcirco abſolute dixit multitudinis numero. Eſt enim Græcis δραχμὴ *Drachma* nomiſmatis genus, nempe ſex continens Obolos, Minæ Atticæ centeſima pars. Inde *Didrachmum* nomiſmatis vocabulum, duplum Drachmæ, & *Tridrachmum*, & *Tetradrachmum*. Quorum omnium meminit Julius Pollux libro De rerum vocabulis nono. ¶ *Non ſolvit didrachma*] *Solvit* præſentis eſt temporis, πτλεῖ, ut intelligamus exactorem illum non hoc percontari, num Jeſus jam ſolviſſet vectigal; ſed, deberetne ſolvere, & an illius eſſet ſolvere. Alioqui mentitus erat Petrus, qui reſponderit ναὶ, *Etiam*. Cæterum quæ Lyranus nugatur hoc loco de Didrachma ex Iſidoro & Papia quis poſſet abſque riſu legere?

25. *Prævenit illum*, προέφθασεν] i. *occupavit*, ſive *antevertit*. Indicat enim Petrum ea de re Jeſu locuturum fuiſſe, ſed ille non exſpectata oratione Petri antevertit. ¶ Nec eſt *tributum*, ſed *tributa*, τέλη. Nam quod addit κῆνσον, Latinam vocem Matthæus aut hujus interpres uſurpavit, nimirum quod res eſſet Latinorum. Et ſolent plerumque res peregrinæ & aliunde invectæ ſuæ gentis vocabula ſecum adducere.

27. Στατῆρα tametſi ponderis quoque modus eſt, quem Hebræi סלע vocant, hoc ſane loco nummum ſignificat qui quatuor continebat Drachmas. Nam cum Didrachmum exigeretur à ſingulis, Jeſus Staterem reddi juſſit duorum nomine, ſuo ac Petri. Qua quidem ex re mox nata eſt inter Diſcipulos diſceptatio, quis primas teneret in regno cœlorum, quod Petrus æquatus Chriſto cæteris antepoſitus videretur. Illud obiter annotare viſum eſt, etiamſi ad hoc inſtitutum proprie non pertinet, Non ſatis intelligi mihi quid ſibi velit quod in hunc locum ſcribit Hieronymus, *Dominus noſter & ſecundum carnem & ſecundum ſpiritum filius Regis erat, vel ex David ſtirpe generatus, vel omnipotentis Verbum Patris. Ergo tributa quaſi Regum filius non debebat; ſed qui humilitatem carnis aſſumpſerat, debuit adimplere omnem juſtitiam. Nos infelices, qui Chriſti cenſemur nomine, & nihil dignum tanta facimus majeſtate. Ille propter eximiam charitatem pro nobis & crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit; nos pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filii Regis à vectigalibus immunes ſumus.* Siquidem videtur Hieronymus hoc arrogantiæ tribuere, quod Eccleſiaſtici graventur tributum pendere Principibus, cum hodie ſumma pietas habeatur pro immunitate Clericorum modis omnibus digladiari. Chriſtus teſtatus ſe non debere, ſolvit tamen, at non pro ſuis omnibus, ſed pro ſe duntaxat ac Petro; ſimul & detrectans ſolutionem, & obſequens illorum rapacitati: Fortaſſis illud docens, Non dandum quod non debetur, & tamen, ubi res poſcit, aliqua pecuniæ jactura redimendam magnatum offenſam. Poſſunt & ſic accipi Hieronymi dicta; Chriſtus tantus pro nobis ſe ſubmiſit; & nos qui Chriſti nomine gloriamur & fruimur immunes à vectigalibus, non reſpondemus illius erga nos charitati. Auguſtinus Quæſt. in Matth. 23. ex hoc loco colligit immunitatem Chriſtianorum, *Quod dixit*, inquiens, *Ergo liberi ſunt filii, in omni regno intelligendum eſt liberos eſſe filios, i. non eſſe vectigales: multo ergo magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno filii regni illius ſub quo ſunt omnia regna terræ.* Hactenus Auguſtinus. Quod ſi recipimus, nulli Chriſtiani debent vectigal ſuis Principibus, cum omnes ſint illius regni filii. Atque haud ſcio an mutato regno vectigalis quoque genus fuerit mutandum, & num Auguſtinus de hoc agat tributo quod nos Principi Chriſto debemus.

VATABLUS.

1. A*Aſſumpſit*] *Aſſumit.* V. ¶ *Duxit*] *Subducit.* V.
2. *Nix*] *Lux.*
3. *Apparuerunt*] *Viſi ſunt.*
4. *Reſpondens*] Hebr. pro *Locutus*, *Orſus.*
6. *Et timuerunt*] Pro, *timuerunt enim.*
9. *Præcepit Jeſus*] *Præcepit eis Jeſus.* V.
10. *Primum*] *Prius.*
11. *Venturus eſt*] *Venturus eſt primum.* V. vel, *prius*, q. d. Verum quidem eſt quod Scriptura dicat Eliam prius venturum, verum jam venit.
12. *Et non*] *Et* pro *ſed* poſitum videtur, ut ſæpe apud Hebræos. ¶ *In eo*] *Ei.*
14. *Veniſſent*] *Veniſſet.* ¶ *Genibus provolutus*] *Genua flectens.*
17. *Reſpondens Jeſus*] *Reſpondens autem Jeſus.* V. ¶ *Perverſa*] *Diſtorta.* ¶ *Quouſque*] *Quouſque tandem.*
18. *Ex illa hora*] Vel, *a tempore illo.*
19. *Secreto*] *Seorſum.* ¶ *Illum*] *Illud.* ſub. *dæmonium.*
21. *Ejicitur*] *Egreditur.*
24. *Didrachmum*] Sive *didrachma.* Valet ſeptem Solidos noſtros Turonicos. ¶ *Solvit*] Præſens pro præterito, more Hebræo, q. d. *Præceptor veſter nondum penſitavit tributum?* Petrus reſpondit, *Certe, nondum penſitavit.*
25. *Etiam*] *Certe.* ¶ *Prævenit*] Vel, *occupavit*, aut, *antevertit*, ſermonem ſcilicet Petri de ea re collocuturi. ¶ *Tributum*] *Tributa.*
26. *Et ille dixit*] *Dicit ei Petrus.*
27. *Staterem*] Stater quatuor Drachmas valet, quantum & Siclus: unde media ejus pars Didrachmum eſt, quod viritim penſitabant.

CASTALIO.

27. S*Taterem*] Valebat drachmas quatuor.

CLARIUS.

2. ET *transfiguratus eſt*] Μετεμορφώθη· unde *metamorphoſis*. Ad quam vocem alluſit Petrus cum de hac vera atque admiranda Chriſti metamorphoſi, h. e. transformatione, verba eſſet facturus: præmiſit enim, *Non enim arte compoſitas fabulas ſecuti, notam vobis fecimus Domini noſtri virtutem & παρουσίαν*, h. e. *adventum* ſive *præſentiam.*
3. *Moſes, & Elias*] Duo præſtantiſſimi, nempe alter Legislator, alter in Prophetis celeberrimus. Quid autem colloquerentur alius Euangeliſta aperit, nempe *exceſſum*, h. e. mortem quam pro nobis paſſurus erat. Tu vero cogita quanta jecerit Dominus Jeſus fidei noſtræ fundamenta, quamque modis variis.
10. *Quid ergo ſcribæ dicunt*] Viſo Elia veniunt diſcipuli in memoriam eorum quæ audierant Phariſæos dicere, qui fortaſſe ut Chriſto derogarent fidem, ne in eum crederetur, dicebant oportere venire primum Eliam, deinde Chriſtum. Sed ad hæc uſque tempora infideles Judæi decipiuntur, dum neſciunt diſtinctionem gemini adventus Chriſti, atque in eis confunduntur. Servator ergo docet venturum quidem Eliam in poſteriore adventu; ſed & hunc etiam adventum Eliam præcurriſſe, h. e. Johannem Baptiſtam, qui *in ſpiritu & virtute Elia venturus* prædictus ab Angelo fuerat.
17. *O generatio incredula*] Cum audis *generationem*, intellige Judæorum genus, quod cernebat ob ſolam incredulitatem eſſe perdendum; præſertim cum hic qui rogat crimen ſuæ incredulitatis in Diſcipulos rejiciat: nam eum imbecillioris fuiſſe fidei narrat Marcus, cum ſcribit illum dixiſſe, *Si quid potes, adjuva nos.*
20. *Propter incredulitatem veſtram*] Cur ergo infra dicit *hoc genus non ejici niſi per orationem & jejunium?* Dicendum eſt, Fidem quidem & hos & cæteros ſpiritus ejicere, ſed privatam ac peculiarem horum curationem eſſe Orationem & Jejunium, quæ duo inter ſe commercium habent, & alterum alteri opitulatur, ut homo in ſpiritualem quandam naturam aſcendat, qua adverſus ſpiritus luctam habeat aptiorem.
25. *A filiis ſuis, an ab alienis*] Ego igitur, inquit, qui Filius magni Regis ſum non teneor ad tributa ſolvenda: ſed auferenda eſt offenſio eorum qui nondum id norunt. Reddit ergo cenſum, ſed ex ore piſcis acceptum, ut agnoſcatur majeſtas.

ZEGERUS.

1. *Poſt dies ſex*] Quod B. Lucas dicit, *Factum eſt autem poſt hæc fere dies octo*, per ſynecdochen accipiendum eſt: propterea enim addidit *fere dies octo*. Hic autem tantum dies medii & integri numerantur.

2. *Alba ſicut nix*] Gr. Λευκὰ ὡς τὸ φῶς, *alba ſicut lux*. Et videri poterat noſtra ſcriptura depravata, niſi & Marcus hujus Euangeliſtæ æmulus ℣ χιόνα *nivem* haberet vocabulum, niſi inſuper & probatiſſimi Eccleſiæ Doctores hanc noſtram ſequerentur ſcripturam; ut ſileam interim *alba* epitheton nivi potius quam luci congruere. Atqui inter veteres, quos equidem viderim, ſolius Origenis commentarium indicat ipſum legiſſe ὡς τὸ φῶς.

4. *Tibi unum, & Moſi unum*] Cum Petrus præmiſerit, *Bonum eſt nos hic eſſe*, non dicit tamen, *Tibi unum, mihi*, vel *nobis unum*; utpote qui ſpem habuerit firmam à Chriſti tabernaculo neutiquam ſe excludendum.

17. *O generatio incredula & perverſa, quouſque ero vobiſcum?*] Ex illo quod paulo inferius interrogantibus Diſcipulis *cur ipſi non potuiſſent ejicere dæmonium*, reſponderit, *Propter incredulitatem veſtram*, liquet & hæc increpationis verba ad Apoſtolos fuiſſe directa; qui tametſi fide non eſſent penitus vacui, nondum tamen cum grano ſinapis comparandam habebant fidem, qua montem illum (dæmonium dico) ejicere potuiſſent. Poteſt etiam tamen in eo quod dicitur, *Propter incredulitatem veſtram*, non modo Apoſtolorum verum etiam patris ſimul & filii ipſius laborantis incredulitas ſubintelligi.

18. *Increpavit*] Apud nos *illum* non poteſt referri niſi ad *puerum*, cum Græca vox αὐτῷ poſſit vel ad *puerum* vel ad *dæmonium*. Sequatur lector quod maluerit.

19. *Non potuimus ejicere illum*] Dicendo *illum* rei potius quam verborum rationem Euangeliſta habuit; cum alioqui dicendum eſſet *illud*, ut ſubaudias *dæmonium*, quod præceſſit: nunc *dæmonem* ſubaudiendum relinquitur. Hac loquendi forma uſus eſt & Terentius, dicens, *Senium, qui. Illud* eſt in exemplari Corſend. & editione Græca.

20. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc; & tranſibit*] Senſus eſt, Si talem habueritis fidei virtutem qualem habet minutiſſimum aliquod ſinapis granum acrimoniæ virtutem, etiamſi deſpecti & humiles mundi ſitis, ingentia tamen & humanum ſenſum exſuperantia poteritis perficere opera. Nam illud, *dicetis monti huic, Tranſi*, hyperbolicus dictum eſt, quo deſignetur immenſa conſtantis fidei virtus. Alii interpretantur, *dicetis monti huic*, h. e. ſuperbo dæmoni, *Tranſi hinc*, h. e. ab hujus hominis corpore: ſiquidem jam tum dæmonium expulerat. Poterit & hoc pacto intelligi, Si habueritis fidem, i. ſi ita in fide excreveritis, quemadmodum minimum ſinapis ſemen in ingentem allurgit arborem, ſicut ſupra dixerat c. 13. 32. *dicetis monti huic*, &c.

24. *Magiſter veſter non ſolvit didrachma?*] Percontative enunciandum eſt. *Didrachma* duas drachmas, h. e. medium Staterem, continet. *Drachma* autem, præter hoc quod ponderis nomen eſt tribus ſcrupulis conſtans, etiam numiſma ſignificat. Budæus *Didrachmum tantum valuiſſe* tradit *quantum ſeptem Solidi Turonici*, Solidos intelligens, ni fallor, quos vulgo Germani *Stuferi* vocitant. Qui vero juxta Hebræos expendunt, putant Didrachmum valuiſſe binos Aureos Colonienſes. Dicitur autem *didrachma, æ*, & *didrachmum, mi*. Hoc loco *didrachma* plurativi numeri eſt, eo quod Græce ſit τὰ δίδραχμα, à δίδραχμον. Cæterum quod ad tributum hoc attinet, parum convenit inter veteres qualenam fuerit. Illud autem probabilius videtur quod habet Ambroſius, qui in lib. epiſtolarum, epiſt. 1. tributum hoc legale fuiſſe, & in Exodo c. 30. præceptum tradit, *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael juxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli juxta menſuram templi*, &c. Dicit quoque idem Ambroſius hoc pretium auctius fuiſſe ætate Chriſti quam fuerit in Lege præceptum. Hieronymus vero de tributo Cæſareo intelligit. Dicit ergo, *Præceptor veſter nonne & ipſe*, ut cæteri, *penſitat tributum? Reſpondet Petrus, Etiam*, ναὶ, *penſitat*.

26. *Ergo liberi ſunt filii*] Indicat ſe non obligari tributo ſeu cenſui perſolvendo, utpote qui Filius eſſet Regis Regum omnium. Præceſſit enim, *Regum filios eſſe liberos*.

27. *Invenies ſtaterem*] Stater duo Didrachma habet; de quibus modo diximus. Producit autem penultimam *ſtater* in obliquis. Ex ipſis Domini verbis liquet Staterem tributum fuiſſe duorum, eoque ſingula Didrachma viritim penſitari ſolita: *Invenies*, inquit, *ſtaterem illum ſumens da eis pro me & te*. Græcis dicitur *ſtater* ab ἵστημι *pondero*. Hebræis ſimiliter à *ponderando* שקל *ſiclus* dicitur: Joſeph. Antiq. l. 4. Hieron. in Ezech. 4.

MASIUS.

2. Matthæus & Marcus, transformationem Chriſti poſt ſex dies, Lucas poſt octo dies ponunt; ille præparationem & iter includit, hic vero ipſam transformationem ponit.

STEPHANUS.

℣ Κεφάλαιον ιζ. Περὶ τῶν δύο τυφλῶν.

Matth. ἐν τῷ Λατ. ℣μ. ϑ, Καὶ παράγοντι ἐκεῖθεν τῷ Ἰησοῦ ἠκολούθησαν αὐτῷ δύο τυφλοὶ, κραζοντες καὶ λέγοντες, Ἐλέησον ἡμᾶς.

Ὄμμασῳ λαμπτῆσιν τυφλοὶ ἐνεδείξατο δῆτοι.
Ἄθως,
Ὄμματα χειρὶ θιγὼν τυφλοῖς δυοὶ χερσὶν ἀνοίγ.

2. Μετεμορφώθη] *Transformatus eſt.*

4. Σκηνὰς] *Tabernacula.*

5. Νεφέλη φωτεινὴ ἐπεσκίασεν] *Nubes lucida obumbravit.*

9. Ἐνετείλατο] *Mandavit.* ℣ Τὸ ὅραμα] *Hoc quod vidiſtis.*

11. Ἀποκαταστήσει] *Reſtituet.*

14. Γονυπετῶν αὐτῷ] *Procumbens ad genua ejus.*

15. Σεληνιάζεται] *Lunaticus eſt.*

17. Γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη] *Progenies incredula & depravata.*

20. Ἀδυνατήσει] *Impoſſibile erit.*

22. Ἀναστρεφομένων] *Verſantibus.*

23. Ἐλυπήθησαν σφόδρα] *Contriſtati ſunt valde.*

25. Προέφθασεν] *Prævenit.* ℣ Τέλη, ἢ κῆνσον] *Tributa, aut cenſum.*

27. Βάλε ἄγκιστρον] *Jace hamum.*

DRUSIUS.

1. *In montem excelſum*] Montem Thabor fuiſſe putat Hieronymus, quem *Tabyrium* appellat, epiſt. quæ ad Marcellam, *Pergemus ad Tabyrium, & tabernacula Salvatoris cernemus.* Suſpicor legendum *Itabyrium*, Ἰταβύριον. Sic enim certe LXX illum montem vocant Hoſ. 5. 1. *Hanc habetis conſuetudinem*; inquit idem Hieron. *ut Ebræa nomina Græco ſermone declinent, ſicut Edom & Seir ſemper Idumæam interpretantur. Eſt autem Thabor mons in Galilæa ſitus in campeſtribus, rotundus atque ſublimis, & ex omni parte finitur æqualiter. Hunc montem & in Jeremia LXX Itabyrium tranſtulerunt, in quo aves laqueis capi ſolent.* In Jonathæ loco citato vocatur *mons altus* ſive *ſublimis*, רם טור. Forte ita καὶ ἰξυχλὺ olim appellatus fuit. Compoſitor Hiſtoriæ Ebr. *Tranſtulit ſe Veſpaſianus ad montem Thabor, qui eſt mons nivis, cujus altitudo trigima ſtadiorum: vertex autem montis habet planitiem viginti trium ſtadiorum.* Occidentem reſpiciebat, unde pro *Occidente* ponitur Pſal. 89. 12. ut *Hermon* pro Oriente. *Aberat à Naſareth duarum horarum itinere*, Malius in Joſuam 289. Nuncupatur quoque *mons ſanctus* 2 Pet. 1. 18.

2. *Alba ſicut nix*] Infra 28. 3. *veſtimentum ejus album ſicut nix.* Notum proverbiale, *Nive candidior*: quod invenies Thren. 4. 7. *Candidiores fuerunt Naziræi ejus nive.* Marc. 9. 3. *candida nimis velut nix.* Num. 12. 10. *candens lepra quaſi nix.* Pſal. 51. 7. *ſupra nivem dealbabor.* In Græca ſcriptura eſt, *alba ſicut lux*; quam Syrus interpres expreſſit. Notatum tamen in uno exemplari eſſe ὡς ὁ χιών, *ſicut nix.* Ego quiſquam *ſplendentem* lego Prov. 4. 18. *candentem* aut *albam* nondum legi. Quæramus ergo amplius.

10. *Etiam oportet venire primum*] Vide ſupra 11. 14. Hunc Eliam adhuc vivere credunt, & venturum bis; ſemel in diebus Meſſiæ, & iterum cum venerit Gog & Magog, Juch. fol. 12. Fabulæ. Nam ſi Elias jam venit, non eſt iterum exſpectandus.

11. *Reſtituet omnia*] Solennia verba Judæorum de Elia Thesbite, quem exſpectant juxta prophetiam Malachiæ. Vide Mal. 4. 5. Dicunt etiam, *Thesbi ſolvet nodos & quæſtiones.* Ad eum remittunt quicquid obſcurum & dubium eſt in ſacris literis;

Veniet, inquiunt, *Elias, & omnia emendabit.* Vide sis Abbreviaturas nostras, in היקי, quod valet תשבי יתרץ קשיות *Tesbi solvet dubia*, i. difficiles nodos, vel, ut est in Abbreviaturis Mercen, תשבי יתרץ קשיות ובעיות *Solvet nodos & quæstiones.* Elias ille Thesbites erat, & propterea vocatur התשבי 1 Reg. 17. 1. de quo ex professo Elias Levita Germanus in fine sui Thesbi. Liber est ejus nominis, quem ita vocavit à numero vocum Rabbinicarum quas in eo explicat. Sunt autem DCCXII, quem numerum constituunt literæ תשבי in numeros collectæ. Hæc periculum, & verum esse comperies quod tibi dico.

18. *Increpavit illum*] Spiritum an dæmonem? Sic mox, *non potuimus ejicere illum*: oratio sensu congrua, non voce. Nam præcedit τὸ δαιμόνιον *dæmonium.* Quocirca in Græcis est *quin illud*: sed interp. noster videtur legisse αὐτὸν, usus fortean exemplari in quo ita scriptum fuit. Nam αὐτῷ, quod præcedit, ambiguum est, & referri potest tam ad *puerum* quam ad *dæmonium.* Nos ad *spiritum* referri non incommode posse judicavimus, qui est genus *dæmonis.* Sed fruatur quisque judicio suo. Tantum excusare volui hic interpretem, cui periculum erat à ferula Serarii Iesuitæ, quoniam in pueriles Grammaticorum regulas tam pueriliter peccavit: quasi vero viri docti teneantur per omnia illis regulis, aut serviliter iis adstricti sint, ut non possint vel latum unguem ab iis discedere. Profecto possunt vel exemplo classicorum autorum, quales sunt Cato, Varro, Plautus, Cicero, & alii.

20. *Sicut granum sinapis*] Non quod granum sinapis habeat fidem, sed sensus est, Si tantum fidei habueritis quantum est granum sinapis. Id inter minima recensetur: unde dicunt, *Totus mundus sub fornice firmamenti est sicut granum sinapis.* Lege hoc in libro cui titulus ראשית חכמה חקצר *Principium sapientiæ breve*; quem ad me dono misit è Germania Ieremias Plancius, juvenis doctus & harum literarum callens.

24. *Didrachma*] 1. דמי כלע *dimidium sicli.* Nam כלע *siclus*, qui & שקל unde *siclus.* Vox enim est mere Ebraica. Siclus quatuor drachmarum erat, h. e. tetradrachmus. De siclo & ejus dimidio, pro quo Syrus *duo zuzim* interpretatus est, Gerund. in fine Pentateuchi, *Veni Ptolemaidem, quæ Aca sive Ace vocatur, ibique inveni in manu seniorum terræ monetam argenteam sculptam sculptura sigilli: Ab uno ejus latere erat figura virgæ amygdalinæ, & ab altero figura urnæ: in utroque autem per circuitum scriptura erat optime sculpta, quam ostenderunt Samaritanis, qui statim legerunt eam. Nam scriptura erat Ebraica, quæ remansit apud Samaritanos*, prout memoratur in tract. Sanhedrin. *Legebant autem ab uno latere*, SICLUS SICLORUM, *ab altero*, IERUSALEM SANCTA turpin. *Et dicunt figuram primam esse virgam Aharonis cum amygdalis & floribus suis, secundam vero esse urnam manna. Hunc numum ponderavimus apud mensarios, & deprehendimus pondus ejus fuisse decem argenteorum, qui faciunt dimidium unciæ, cujus meminit R. Salomo. Similiter vidi de moneta illa cum figuris & scriptura illa dimidium ponderis ejus, eoque ponderabant dimidium sicli, quem pendebant ad oblationes.* Hucusque. Hunc numum qui dimidium sicli valebat, quidam vocant *siclum communem*, & *siclum Magistrorum*; alium autem, *siclum Legis*, & *Sanctuarii.* ¶ *Didrachma*] In libris vet. *didrachmam*; quod excusari posset ex consuetudine illius ævi quo vixit interpres noster. Nam eo tempore dicebant *pasena* in numero sing. unde *oves pascuæ tuæ*; item *chronica, chronicæ*, à plur. τὰ χρονικά. Sic *Biblia, Bibliæ*, à plur. Græco τὰ βιβλία, cujus sing. τὸ βιβλίον. Est autem τὸ δίδραχμον dimidia pars sicli sacri, quæ מחצה vocatur Exod. 38. 26. à *findendo*: Nam est sicli filli sive tracti dimidium. Eum pendebant viritim sive per capita nati annos viginti usque ad quinquagesimum, quem postea Iudæa subacta Romani exegerunt. Dicitur & *census* Matth. 22. 17. ubi Syrus *argentum*, sive *pecunia, capitis.* Porro dimidii sicli mentio Gen. 24. 22. *dimidium sicli pondus ejus.*

27. *Staterem*] h. e. siclum integrum, quem pro duobus solvebat, h. e. pro se & pro Christo. Hunc staterem Syrus appellat ארבעה voce Græca, quæ & אסטרא scribitur per Teth. Exemplar Mercen Ebraicum habet לסר, quod est genus monetæ cujus meminit autor libri Aruch, h. e. Lexici Thalmudici: de quo ita scribit, לסר *est* זוז, *est* זז, *est* דינר, i. denarius. *Denarius* & *zuz* idem valent זוז quid sit adhuc quæro. Quin genus numismatis sit nullus dubito: videtur idem esse cum לסר. Sed si לסר est *denarius*, non recte ita redditur *stater*, qui quatuor denarios continebat. Quæramus amplius. David de Pomis, לסר, inquit, *est genus monetæ*: aliud nihil. In Lexico Chaldaico Munsteri זיקי *moneta bona*: putarim compositum ex זן & נקי, ut sit monetæ puræ genus. Sed nihil dum statuo: alii scribunt esse monetam justi ponderis. Vide Germen David.

SCALIGER.

11. Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον] Ecclesia tam vetus Hierosolymitana credit ante diem judicii πρόδρομον venturum Eliam, quam Christiana, ut ex Tertulliano confert lib. De resurrect. cap. 22. in fine. Ut Iohannes fuit πρόδρομος prioris adventus Christi, sic Elias erit posterioris. Inepti Iudæi fabulantur animam restituturum iri in corpus Eliæ. Atqui opus non est: una enim cum corpore receptus fuit in cœlum. Ideo elegantissime Tertullianus De anima cap. 35. *Eliam venturum* dicit *non ex decessione vitæ, sed ex translatione; nec corpori restituendum, de quo non est exemptus, sed mundo reddendum, de quo est translatus.* Quod ut vere, ita divinitus dictum.

CASAUBONUS.

4. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Πέτρος εἶπε τῷ Ἰησοῦ] Manifestissimum Petri ἀμεσότητος exemplum: quod non dissimulant Euangelistæ, Marcus præsertim & Lucas, qui addunt dixisse ista Petrum *nescientem quid diceret.*

15. Ὅτι σεληνιάζεται καὶ κακῶς πάσχει] Juvencus verbum σεληνιάζεσθαι sic expressit,

Nam cursus lunæ natum mihi dæmonis arte
Torquet.

22. Ἀναστρεφομένων δὲ αὐτῶν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ] Ex historiæ serie videtur intelligi gesta esse hæc post reditum Iesu Christi è Cæsarea Philippi in Galilæam. Itaque potest etiam ἀναστρέφεσθαι hoc loco *reditum* significare: alteram tamen interpretationem potius sequor, *versantibus ipsis in Galilæa*; quam Marci hæc verba confirmant, περιεπάτουν δὲ ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ. Non dubitabit autem quisquis historiam Euangelicam legerit non negligenter, maximam ejus temporis partem quo munus suum obiit Dominus noster, versatum esse eum in ea Galilææ parte περὶ τὴν κώμην καὶ κώμας, ut ait Marcus. Ideo Capernaum *patria Christi* vocari solet.

CAMERO.

10. Ὅτι Ἠλίαν δεῖ πρῶτον] Illud πρῶτον *primum* non est intelligendum, neque Discipuli intellexerunt, de die judicii, ut sit sensus: *Quomodo Scribæ dicunt fore ut Elias veniat ante diem judicii*, quod volunt tamen Pontificii. Est enim hæc interrogatio conjungenda cum iis quæ præcedunt; non autem cohæreret cum iis illo sensu: Nam proxime præcedit interdictum quo Christus vetat ne divulgent visionem: ex illo igitur interdicto nata est hujus quæstionis occasio. Nempe, cum inter Iudæos constaret ex doctrina Scribarum & occasione Prophetiæ quæ est Mal. 4. Eliam venturum paulo ante Messiæ adventum, cumque Discipuli Christi existimarent illam Malachiæ prophetiam de Eliæ adventu impletam esse in visione ista quæ facta est in monte, mirati sunt cur Christus vetaret ne ulli narrarent hanc visionem. Putabant nempe hoc futurum esse efficacissimum argumentum quo Iudæi adducendi erant ad Christum agnoscendum pro Messia, si omnibus evulgarent se vidisse Eliam in monte cum Christo colloquentem: Mirantur itaque cum Christus interdicat illis ne hoc evulgarent.

11. Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα] Pontificii & Iudæi negant Eliam illum cujus fit mentio Mal. 3. 1. & 4. 5, 6. venisse; nos cum Christo v. 12. hujus capitis, dicimus venisse. Pontificiorum argumenta hæc sunt. Primo ajunt Iohannem Baptistam, cum quærerent ex eo Iudæi an esset Elias, respondisse *se non esse Eliam*, Ioh. 1. 21. Respondeo, Iudæi quæsiverant ab eo an esset is Elias quem sibi finxerant Iudæi: Itaque recte negavit Se esse Eliam, ex eorum scilicet mente, & talem qualem sibi fingebant Eliam, cui scilicet Deus novum corpus creaturus esset ante diem ultimi judicii. Sic cum Christus ab aliquo appellatus esset bonus, tacite negavit se esse bonum; *Cur me*, inquit, *bonum vocas?* nempe ex mente illius Scribæ, qui eum ita compellaverat ac si Christus merus esset homo. Secundo dicunt, Christum hic dicere, *Eliam venturum & restituturum esse omnia*: hoc itaque intelligendum esse nolunt de Iohanne Baptista, qui jam venerat, sed de vero Elia, quem venturum adhuc somniant. Resp. primo, Christus Malachiæ prophetiam pri-

primum affert his verbis, Ἠλίας ἀφ' ἑαυτοῦ ἔρχεται, &c. tum deinde eam explicat, cum ſubjicit, *ſed dico vobis Eliam jam veniſſe.* Reſp. ſecundo, ἐρχόμενος, non modo ſign. *illum qui venit*, aut *qui venturus* eſt, ſed etiam *qui debuerat venire*: ut ſit ſenſus, Ἠλίας ἐρχόμενος, h. e. *Elias is eſt qui debuerat venire, cæterum jam venit.* Sic Matth. 11. 3. Johannis diſcipuli Chriſtum interrogant, Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, h. e. *Eſne tu is qui venturus erat*, ſeu, *quem oportuerat venire?* Tertio, ajunt, Elias Mal. 4. dicitur *venturus ante terribilem & metuendum Domini diem.* At prior Chriſti adventus, quem præceſſit Johannes Baptiſta, non fuit terribilis. Reſp. Etiam prior Chriſti adventus in Scriptura dicitur terribilis. Nam Act. 2. 17. Petrus verba quæ habentur Joel. 2. de priori Chriſti adventu interpretatur. Quin & ipſe Johannes Baptiſta dicit ſe eſſe nuncium illius terribilis diei, cum ait *Securim eſſe admotam radici*, &c. Quarto, ajunt, *Elias omnia reſtituet.* At Johannes Baptiſta non omnia reſtituit. Reſp. Minor iſta contradicit Angelo, qui Luc. 1. 16, 17. eadem de Johanne Baptiſta uſurpat quæ Malachias c. 4. de Elia; Item Zachariæ, qui idipſum de filio ſuo vaticinatus eſt repletus Spiritu ſancto, *Convertet corda patrum*, &c. Johannes ergo dicitur *omnia reſtituiſſe*, quomodo dicitur *convertiſſe corda filiorum*, &c. hoc autem non fecit plene & perfecte: nam ſunt etiamnum, eruntque ſemper, impii. Ergo neque intelligendum eſt eum omnia plene reſtituturum, ſed comparate ad ſtatum Eccleſiæ præcedentium temporum ſub V. T. Ultimo dicunt, Diſcipuli Chriſti intellexerunt verum Eliam; Ergo cum Chriſtus dicit, Ἠλίας ἐρχόμενος, intellexit Eliam vere & proprie dictum. Reſp. Primo quidem, cum Diſcipuli interrogarunt Chriſtum, putabant ipſum vere & proprie dictum Eliam venturum; ſed hunc ipſis abſtulit errorem Chriſtus, cum ait, *Ego vero dico vobis Eliam jam veniſſe:* unde ſubjicitur, *Diſcipulos intellexiſſe eum de Johanne Baptiſta eſſe locutum.* Judæorum primum argumentum hoc eſt; Dura eſt & ridicula interpretatio, *Veniet Elias*, h. e. Veniet aliquis qui non eſt Elias, nempe Johannes Baptiſta. Reſp. primo, Johannes Baptiſta eodem modo dicitur *Elias* quo Meſſias dicitur *David*, Oſe. 3. 5. Reſp. ſecundo, Johannem Baptiſtam dici *Eliam*, quia *venit in ſpiritu & virtute Eliæ*: & magna ſane fuit ſimilitudo inter Johannem Baptiſtam & Eliam. Secundum Judæorum argumentum; Elias debuit præcedere proxime diem judicii, debuit enim præcedere *diem terribilem Domini*: At Johannes Baptiſta non proxime præceſſit diem judicii. Reſp. Duplex eſt judicium, alterum univerſale totius mundi, alterum particulare mundi, ut ita dicam, Iſraelitici, quorum alterum alterius eſt typus. Mundus autem Iſraeliticus, h. e. Judæorum Reſpublica, totus jam eſt deletus: novum cœlum, nova terra jam ſunt facta. Hoc judicium particulare debuit præcedere Johannes Baptiſta (non vero univerſale mundi) & revera præceſſit. Tertium Judæorum argumentum; Eliæ debuit eſſe magna authoritas; Johannis Baptiſtæ non magna fuit authoritas: Ergo non eſt Elias. Reſp. Imo vero magna fuit Johannis Baptiſtæ apud Judæos authoritas, & longe major quam ipſius Chriſti, ut patet ex Joſepho, qui Johannis Baptiſtæ præclaram facit mentionem. Argumenta noſtra quibus probamus Johannem Baptiſtam eſſe Eliam quem Malachias prædixit venturum, hæc ſunt; Primum adverſus Pontificios. Niſi Johannes Baptiſta ſit Elias, Elias nondum venit: At Elias venit, teſte Chriſto hoc loco, v. 12. Ἠλίας ἤδη ἦλθε. Ergo. Secundum argumentum, Chriſtus Matth. 11. 14. poſtquam de Johanne Baptiſta verba fecit, ſubjicit, *Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus erat*: quo clarius nihil dici poteſt. Et hic, v. 13. Τότε συῆκαν οἱ μαθηταὶ ὅτι περὶ Ἰωάννου βαπτιστοῦ εἶπεν αὐτοῖς. Contra Judæos ſic argumentamur. Primum; Elias debuit omnia reſtituere, Mal. 4. 6. והשיב לב אבות *convertet corda patrum ad filios*, &c. Ergo non debuit ſtatim ſequi dies ultimi judicii, ſed reſtitutio potius Eccleſiæ per pœnitentiam. Secundum argumentum; Finis reſtaurationis illius deſcribitur à Malachia, *Ne veniam & feriam anathemate terram.* Jam vero quoties hæc vox *Terra* in V. T. reperitur ſine adjectione, toties ſignificatur terra Iſraelis. Itaque non agit Propheta de exitio totius terræ in extremo Judicio, ſed tantum de clade Judaica, ſi perſtent in contemptu oblatæ gratiæ. Tertium argumentum; Judæi fatentur agi de Elia ſub initio c. 3. Malachiæ: Atqui eo loco agitur de primo adventu Meſſiæ; etenim pollicetur Deus *ſe miſſurum Angelum ſuum*, &c. &, *tunc venturum Dominum in Templum ſuum.* Hæc non poſſunt intelligi de die extremi judicii. ¶ Ἀποκαθιστάνει πάντα] Quomodo id debeat accipi, nempe non ſimpliciter, abſolute & perfecte, ſed comparate ad ſtatum Eccleſiæ præcedentem, modo jam indicavimus. Porro tanta fuit efficacia officii Johannis Baptiſtæ ut tota Judæa, imo & ipſi Phariſæi, prodirent in deſertum ut baptizarentur à Johanne. Magna etiam fuit ejus authoritas apud plebem, uti liquet ex Matth. 21. 26. At interfectus eſt ab Herode. Verum eſt; ſed ſibi inde metuebat Herodes à plebe, apud quam Johannes in magna erat exiſtimatione.

15. Σεληνιάζεται] Atqui mox infra v. 18. dicitur habuiſſe *dæmonium.* Jam cum ſupra cap. 4. 24. Matthæus ipſe diſtinguat *lunaticos* ab *arreptitiis*, cumque affectus lunaticorum notatus ſuo nomine non poſſit non eſſe naturalis, quæritur quo pacto Matthæus eundem vocet σεληνιαζόμενον & δαιμονιζόμενον. Ut penitus tollatur omnis difficultas neceſſe eſt teneamus qui *lunatici*, qui *arreptitii* proprie dicantur, ut inde colligi poſſit quam inter ſe vel pugnent vel conſentiant iſta. Et *lunatici* quidem ſunt quorum morbus vel intenditur vel remittitur prout creſcit vel decreſcit, augetur vel minuitur, Lunæ itaque ejus generis morbi varii ſunt, quorum ſpecies recenſere non eſt hujus loci. Hi autem morbi dicuntur pendere à Luna, quod hoc aut illo modo affecto corpore neceſſe eſt ut Luna ſic agat in corpus: nam ſi à Luna ſimpliciter hi morbi gignerentur, neceſſe eſſet omnes hoc morbi genere implicari. Neceſſe eſt igitur ut homines hoc morbo affecti primo certam aliquam habeant corporis diſpoſitionem, in quam poſtea Luna agens non poteſt hunc morbum non producere. Δαιμονιζόμενοι ſeu *arreptitii* illi dicuntur qui à Dæmone agitantur. Si igitur Dæmon ita immutet ſtatum corporis ut corpus reddatur (ut ita loquar) Lunæ obnoxium, idem jam erit δαιμονιζόμενος & σεληνιαζόμενος *arreptitius & lunaticus.* Dicam clarius; Luna non agit ita in corpora ut hoc aut illud effectum conſequatur, niſi quia jam corpus ſic affectum eſt ut Luna hoc vel illud efficiat: cum ergo Diabolus ita afficit corpus ut illud reddat tali Lunæ operationi obnoxium, idem eſt *Lunaticus & arreptitius.*

17. Γενεὰ ἄπιστος] Cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus patri iſtius lunatici exprobret incredulitatem, tum etiam Diſcipulis ſuis mox infra v. 20. διὰ τὴν ἀπιστίαν ὑμῶν, & Patri quidem quod filius non fuerit ſtatim liberatus, Diſcipulis vero quod illius filium non liberarint; quæritur quæ ſit illa fides quam deſideravit tum in patre tum in Diſcipulis. Nam ſi ea fides fuit quæ dicitur *Miraculorum*, videtur Chriſtus vitio vertere quod quis non habeat fidem miraculorum: ſi vero fuit illa fides *juſtificans*, videtur ab iis exigi qui fidem habent juſtificantem ut ea credant quæ objecto fidei juſtificantis non continentur, effecta nempe miraculoſa. Ut ea quæſtio definiatur dicimus, *Fidem* in genere *eſſe firmum & conſtantem animi aſſenſum quem Deo loquenti in verbo præbemus.* Sed quoniam verbum Dei verſatur vel in narrando, vel in promittendo, hinc oritur fidei diſtinctio: nam vel credimus Deo narranti, vel promittenti. Narranti credimus ſive præterita narret, ſive prænunciet futura. Quæ ſimpliciter narrat Deus, vel fuerunt, vel erunt, ſeu illa credideris, ſeu non credideris: ut cum narratur in Scriptura, Mundum eſſe conditum, Fore judicium extremum, illa quoad exiſtentiam nullam habent χρίσιν cum fide hujus aut illius. Credimus autem Deo promittenti cum Deus aliquid promittit, ſed ut id fiat quod promittit exigit ab eo cui promittit ut credat id eventurum. Cæterum, promiſſiones Divinæ aliæ ſunt ſpeciales, aliæ generales. Speciales ſunt quæ certis quibuſdam perſonis factæ ſunt; generales, quæ omnibus. Quæ certis perſonis fiunt, ut cum Dominus pollicetur Apoſtolis fore ut ejiciant Dæmonia modo credant: quæ omnibus, ut cum Deus pollicetur omnibus vitam æternam modo credant, 1 Joh. 5, 9, —— 16. Iam vero fides quæ exhibetur promiſſioni ſpeciali & ea quæ exhibetur generali in hoc conveniunt, quod perinde ut dum creditur promiſſioni generali, quod creditur evenit, & niſi credatur non evenit, quia Deus redditur mendax quantum in hominibus eſt, atque ita merito non facit quod promiſit; ita quoties non creditur promiſſioni ſpeciali, quod promittitur non evenit, & ſi credatur evenit. Itaque cum quæritur, Quomodo Chriſtus exprobrarit hic incredulitatem tum Diſcipulis ſuis, tum Iudæis. Reſp. Id factum eſſe quia neque Diſcipuli neque Iudæi crediderunt verbo Chriſti. Non Diſcipuli; Chriſtus enim dederat ipſis poteſtatem ejiciendi Dæmonia; non crediderunt autem hic iſti verbo Chriſti, quia ſi credidiſſent ejeciſſent. Non Iudæi; Chriſtus enim profeſſus erat ſe eſſe Filium Dei, præditum illa poteſtate, & tamen illi ea de re dubitarunt.

21. Τοῦτο τὸ γένος] Sunt qui negant varia eſſe Dæmonum genera, ut inter Patres Athanaſius & Chryſoſtomus, inter Scholaſticos autem Thomas, Commentario in hunc locum. Hi nomine *generis* intelligunt quoſvis Dæmonas, ut ſit ſenſus, *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur*, &c. h. e. *Dæmones ejici non poſſunt:* qui ſe ſic tuentur, quod nulli Dæmones ejiciantur niſi oratione. Alii (quorum ſententia videtur eſſe potior) volunt hic intelligi certum quoddam genus Dæmonum, ut Chriſtus videatur

designare determinum aliquod genus Dæmonum. Nam esse certa quædam Dæmonum genera Scriptura testatur, Matth. 12. 45. ubi Christus disertis verbis docet, semel ejectum Dæmonem aliquando redire, *adjunctis sibi septem alus pejoribus.* Item hinc agnoscimus varia esse & distincta Dæmonum genera, cum sint qui vocentur *Angeli Diaboli*; & fit item mentio *Principis Dæmonum.* Cæterum Deus noluit in Scriptura accurate describi quæcunque Diabolis insunt aut attribui possunt, sed hactenus tantum voluit ea nobis innotescere quatenus expediebat negotio salutis nostræ. Porro, cum hic dicimus *Dæmonum genera*, non intelligimus ea *genera* de quibus disputant Philosophi, sed nos Dæmonum genera intelligimus, quomodo dicimus vulgo *varia hominum genera.* ¶ Εἰ μὴ ἐν προσευχῇ] Quæritur hic primo quæ sit vis Orationis & Jejunii in expellendis Dæmoniis; tum, si ulla est vis ejusmodi orationis & jejunii, quo pacto id stare possit cum eo quòd modo dixit Christus, Ideo Dæmonem non fuisse ejectum quod Discipuli non fuerint præditi fide. At prius illud; Distinguenda est vis Orationis à vi Jejunii: non enim idem est usus Jejunii in hoc opere qui est Orationis. Quod vel hinc manifestum est, quod cum in N. T. crebræ sint hortationes ad orandum, nullus est locus quo Spiritus nos hortetur ad jejunandum: non quod non laudetur Jejunium in N. T. sed cum excitandi sumus ad officia veræ pietatis, nunquam nos hortatur Spiritus ad jejunandum. Imo vero dum Matth. 9. 14. discipuli Johannis Christum interrogant cur ejus Discipuli non jejunent, respondit Christus tuendo factum Discipulorum: quod non fecisset, si Jejunium pars esset veræ pietatis & cultus Dei. Ergo si quando in N. T. laudatur Jejunium, hoc fit non ob ipsum Jejunium, sed ob adjunctas Jejunio Preces: Nempe jejunii religiosi (nam de eo hic sermo est) finis est ut animus sit magis aptus ad orandum, legendum, vel audiendum Dei verbum. Itaque non est adhibendum Jejunium quod mentem præpedit: Atque hic est adhibenda prudentia Christiana, ut unusquisque ita utatur Jejunio ut non obsit mentis judicio, sed prosit, illudque juvet. Potest ergo quidem Jejunium nos aptiores reddere ad Deum colendum; sed non potest esse pars cultus illius, non magis quam lachrymæ & fletus. At Orationis diversa est ratio: est enim Oratio pars cultus Divini, in qua plurima sunt quibus Deus mirifice delectatur. Non est ergo idem Jejunii & Orationis usus in expellendis Dæmonibus. Jejunium enim vel est ab Oratione; nam qui orat serio & cum gemitu non delectatur cibo & potu: vel tendit ad dejiciendum animum, quod necessarium est in oratione. His ita constitutis ad posterius illud quod quæsitum est, Quo pacto ista simul stare possint, ut vi fidei ejiciantur Dæmonia, cum tamen adhiberi necesse sit jejunium & orationem. Resp. Utrumque verum esse, fide ejici dæmonia, & jejunio atque oratione etiam ejici; non sunt enim ista collateraliter opposita, sed subordinata. Itaque quæ fiunt fide operante per preces, ea non fiunt partim precibus, partim fide, sed illa fide quæ nos ad orandum impellit. Fides enim promissione nititur; promissio autem nulla facta est secluso conditione precandi, *Petite, & dabitur vobis.* Et Marc. 11. 24. *Quæcunque petieritis orantes, credite vos ea accepturos, & eadem fient vobis.* Quomodo ergo absurdum dictu & cogitatu foret nos partim anima partim manu movere aliquid loco suo, recte autem dicitur nos solius animæ vi per manum movere aliquid loco suo, quia manus vis omnis est ab anima; sic inepte dicitur partim nos fide partim precibus obtinere, omnis enim vis precum est à fide. Ideoque & Christus oravit dum ederet miracula, ut Joh. 11. dum excitaret Lazarum. Et Jacobus Epistolæ suæ c. 5. orationem qua sanantur ægroti vocat δύχλησιν πίστεως. Rursus, cum Matth. 9. Discipuli dicantur non *jejunasse*, imo vero Christus eo loco neget iis esse jejunandum, hic tamen Christus videatur iis objicere quod non jejunarint, cum exprobrat quod non potuerint ejicere Dæmonium illud quod non nisi jejunio & oratione ejicitur, quæritur qui ista non pugnent. Ac primo quidem dici potest, Christum Matth. 9. non negare simpliciter Discipulos suos omnino jejunasse, sed tantum non jejunasse τὰ νῦν καιρὸν, quemadmodum Discipuli Johannis, & Pharisæi, quibus hoc erat solenne. Aliud enim est sæpe & ordinarie jejunare, aliud extraordinarie. Qui sæpe & ordinarie jejunant, simpliciter dici possunt *jejunare*; qui non nisi raro & extraordinarie, dici possunt etiam *non jejunare.* Deinde, Discipuli solebant ex tempore ejicere Dæmonia, itaque non est credibile, cum essent ejicienda Dæmonia, eos postulasse sibi dari aliquod tempus ad jejunandum, & tum postea ejecisse Dæmonia. Nam quod orarint sive voce sive mente extra controversiam est; sed eos jejunasse non est credibile, cum quotidie ederent miracula. Itaque Christus hoc tantum hic vult, Discipulis defuisse fidem, indeque factum ut Dæmonem non potuerint ejicere, cum Dæmonia ordinarie non ejiciantur nisi oratione & jejunio; q. d. Hoc genus Dæmoniorum ejusmodi est ut non ejiciatur nisi oratione & jejunio; ideirco opus vobis fuit magna fide ut illud ejiceretis; nam & Judæi ejiciebant Dæmonia jejunio & oratione. Itaque cum Christus vellet significare quam difficile esset ejicere Dæmonia, dixit *non posse ejici nisi jejunio & oratione.*

24. Οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες] Δίδραχμον Vox est Græca, attamen usurpata à Judæis qui scripserunt Græce, etiam tum cum agunt de rebus Hebræorum, ut à Josepho. Sed quid significet hoc loco non constat apud omnes: dissentiunt hic Interpretes. Nam plerique putant agi hic de *Capitatione* quam Romani vocabant. At stare non potest illa sententia. Primo; Nulla fit apud Josephum mentio de ejusmodi tributo. Erat quidem tum tributum impositum familiis, quod Agrippa remisit; at non fuit id Capitatio. Et quod affertur ex Luc. 2. *jussisse Augustum describi πᾶσαν οἰκουμένην*, levius est quam ut adstruat authoritatem; quia mandatum hoc fuit universum, ut Augustus cognosceret nomen & opes populorum suorum, non vero ut tributum imponeret. Nec tributum Judæis impositum, quod Appianus in Syriacis dicit fuisse gravissimum, huc pertinet: Erat enim centesima pars bonorum uniuscujusque patrisfamilias; non ergo fuit dimidium Sicli in singula capita, sed varium fuit pro rata cujusque parte bonorum. Deinde, hæc est natura hujus tributi, Capitationis, inquam, ut exigatur à nolentibus; jam vero qui exigunt hoc tributum, agunt cum Christo & Petro acsi volentes & ultro solverent hoc tributum: sic enim compellant Petrum, *Magister vester τελεῖ τὰ δίδραχμα*; Petrus autem respondet, Ναί, quæ vox est συγχωροῦντος. Tum etiam responsio Christi hoc arguit. Non enim videtur ratio ulla dari posse responsionis Christi si agatur de tributo quod pendebatur Cæsari: nam esset paralogismus, *Reges terræ non exigunt tributa à filiis suis; Ergo ego non solvam.* Sic ostensum est non agi hic de Capitatione. Sed neque de dimidio Sicli quatenus interversus erat à Romanis, quæ est aliorum de hoc tributo sententia. Nam primo, uti jam dictum est, agitur hic de tributo voluntario, ad cujus solutionem nemo vi à Magistratu compellebatur. Deinde, tributum quod pendebatur Sanctuario non fuit interversum à Romanis nisi post deletam à Tito Vespasiano Hierosolymam, teste Josepho l. 7. De bello Jud. c. 28. Sequitur ergo ut dicamus hic agi de dimidio Sicli quatenus dependebatur in usum Sanctuarii ut erat à Deo præscriptum, Exod. 30. Quod ostenditur primo testimonio Josephi, qui testatur tributum hoc in usum Sanctuarii pendi solitum ad deletam usque Hierosolymam. Deinde, id ipsum constat ex Christi argumentatione, *Nemo Rex tributum exigit à filio suo; Ego sum Filius Regis illius qui exigit hoc tributum, Dei nempe; Itaque non teneor illud dependere.* Sunt qui negant præscriptum illud Mosis Exod. 30. de dimidio Siclo esse extendendum extra tempus suum: mandatum nempe volunt fuisse temporarium, quod nonnisi semel in deserto usurpatum fuerit. Sed rationes eorum levissimæ sunt. Deinde etsi non fuisset hoc tributum (uti ipsi volunt) perpetuum, constat tamen ex scriptis Josephi, loco supra laudato, hoc tributum suo tempore solvi solitum eo modo quo Moses præceperat. Et in Judæorum libris, nempe in רמבם Rambam l. 3. qui est *De Temporibus* Tract. 7. qui est *De Sicli*, mentio fit hujus consuetudinis tanquam legis de dependendo quotannis dimidio Siclo in usum Sanctuarii. Sed objici hic nobis potest quod supra objecimus adversus Capitationem; Nempe dimidium Sicli quod Sanctuario dependebatur non fuisse voluntarium, siquidem erat Lege impositum, quod pugnare videtur cum eo quod ab iis qui illud exigebant (qui non dicuntur Publicani, sed simpliciter οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες) quæsitum est an Christus solveret hoc tributum. Verum seu habeatur ratio temporis seu loci, potuit huic quæstioni esse locus, etiam tum cum ageretur de tributo à Deo imposito. Nam primo, si loci habeamus rationem, hoc quæsitum est in Galilæa, non in Judæa, idque Capernaumi, ubi magna fuit morum licentia, quæ si Romanis fuisset damnosa, non abiisset impune: at quia nihil inde decedebat Romanis, sed Deo, & tum Judæorum Resp. non modo erat attrita sed pene exisa, potuit hæc quæstio habere locum in Galilæa Capernaumi, nempe ubi licebat per Magistratum si non profana, saltem sacra violare. Tum etiam si habeamus rationem temporis, idipsum liquebit: nam eo tempore quo gesta hæc sunt disciplina Judæorum fuit omnis fere soluta. Itaque Pharisæus ille qui describitur Luc. 18. deputat in magna parte gloriæ suæ quod *decimas solveret*, quod non fecisset si omnes fuissent coacti solvere, sed quia propter licentiam temporum pii duntaxat decimas solvebant, aut qui videri volebant sanctiores & religiosiores, ut Pharisæi, hinc fit ut in rebus à se præclare gestis Pharisæus numeret solutionem Decimarum, quam nemo neget à Deo præscriptam. Idem dici potest de hoc tributo dimidii Sicli, quod dependebatur in usum Sanctuarii. At tributum Romanis debitum omnes cogebantur dependere.

26. Λέγει

26. Λέγει αὐτῷ ὁ Πέτρος ἄρα οἱ υἱοὶ] Hinc Pontificii conſici poſſe putant Clericos quos vocant, à ſolvendo tributo immunes à Chriſto conſtitui, utpote quod Chriſti & Apoſtolorum ejus ſucceſſores quodammodo ſint. Sed primo, ſi vera ſunt (ut ſunt) quæ ſupra à nobis diſputata ſunt de Didrachmis, futile omnino eſt quod ex hoc loco ducitur à Pontificiis argumentum: Ex iis enim fit manifeſtum, non agi hic de tributo quod Magiſtratui ſolvi debet, ſed de dimidio Sicli quod ex præcripto legis ceremonialis in uſum Sanctuarii à Judæis pendi ſolebat; proindeque his verbis Chriſtum ſe ſolum immunem à ſolvendo illo tributo probare. Sed dato, non conceſſo, hoc loco agi de tributo quod Magiſtratui dependebatur, & Chriſtum eo tributo ſe & Diſcipulos ſuos Apoſtolos exemiſſe quamdiu ipſe fuit in terris, non ſequitur hoc privilegium pertinere ad ſucceſſores Apoſtolorum. Nam primo, Etiamſi Chriſtus fuerit immunis à ſolvendo tributo Magiſtratui, non ſequitur hoc privilegio debere frui de jure Miniſtros Dei in Eccleſia. Deinde, Etiamſi Apoſtoli Chriſti immunes fuiſſent vivente Chriſto à ſolvendo tributo, non inde ſequitur hoc privilegium ſucceſſoribus Apoſtolorum convenire. Quæ duo hic ſigillatim demonſtranda ſunt. Et ad prius quidem quod attinet, Chriſtus non fuit obnoxius ulli Regi niſi κατ' οἰκονομίαν, quia nempe illi ita libuit: Erat enim, etiam qua homo, præditus ea dignitate (nempe qua Mediator) quæ omnem humanam ſuperat dignitatem. Itaque quod Chriſto conveniebat non continuo reliquis hominibus convenit, niſi quis mortalium ſit qui ſibi idem poſſit tribuere quod Chriſtus. Nec obſtat quod Chriſtus fuit homo, proinde obnoxius ſecundæ Tabulæ Legis. Sunt enim quædam præcepta ſecundæ Tabulæ quæ non conveniunt homini in univerſum, ſed tali homini, & certis quibuſdam hominibus. Magiſtratus non debet Magiſtratui obedientiam, ſed ſubditi: neque enim par in parem habet imperium. Jam vero Chriſtus etſi homo, tamen quia Dei & hominum Mediator, ejuſmodi fuit perſona in quam Magiſtratus nullum jus obtinere debuit; certe Chriſtus non tenebatur, ſiquidem voluiſſet uti jure ſuo, parere Magiſtratui, quia etiamſi homo fuit, nec Magiſtratus ipſe fuit, attamen dignitas ejus longe fuit amplior, ejus poteſtas multo major quam ſi fuiſſet Magiſtratus. Itaque ex eo quod Chriſtus immunis fuerit à ſolvendo tributo non ſequitur ullos mortales eſſe immunes. Jam ad poſterius illud quod attinet, id inde manifeſtum eſt, Diſcipuli, quamdiu Chriſtus agebat in terra, erant Chriſti veluti familia, etiam ſecundum carnem: Itaque quæ Chriſti dignitas effecit ut eſſet immunis à tributo, eadem id ipſum præſtitit erga familiam, & effecit ut etiam Diſcipuli immunes eſſent abeo: At Chriſto jam ſubvecto in cœlum nulla eſt ejus hic in terris ſecundum carnem familia. Ut res clarior fiat notandum eſt, Chriſtum, cum ageret in terris, etiam ſecundum carnem præ ſe tuliſſe ſpeciem quandam Regiam; itaque Diſcipuli ejus ei famulantur etiam ſecundum carnem, obeunt quædam miniſteria, imo omnia fere: indeque factum ut Chriſtus Hieroſolymam ingreſſus ſit non ſine pompa quaſi Regia, quamvis illa ſpecies in Chriſto fuerit abjecta: non enim erant Diſcipuli ejus purpurati aulici, nec ipſe ingreſſus Hieroſolymam invectus quadrigis, ſed aſino. At jam cum ſtatus rerum ſit immutatus, & Chriſtus non ſit jam in terris, neque hic familiam habeat ſecundum carnem, licet Diſcipuli ejus fuiſſent tum immunes à tributo, non poteſt tamen id trahi in exemplum. Omnes ſane, quotquot ſumus Chriſtiani, tenemur Chriſtum ſequi, eſſe miniſtri Chriſti, illi miniſtrare, at non ſecundum carnem ſed ſecundum Spiritum. Dum Chriſtus erat in terris, non omnes tenebantur eum ſequi, & miniſtrare illi ſecundum carnem, ſed quibus ab eo præceptum fuit. Itaque privilegia Apoſtolorum hac in parte non pertinent ad ſucceſſores Apoſtolorum.

27. Δὸς αὐτοῖς ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ] Hinc Pontificii conſici poſſe putant, Chriſtum aliquam Petro aſſeruiſſe præ reliquis Apoſtolis authoritatem, ſiquidem pro ſe & pro Petro tributum ſolvit, non item pro reliquis. Nempe illi hoc volunt, Tributum non ſolere pendi niſi à Patribus familias: Ergo, hoc pacto Chriſtum indicaſſe Petrum eſſe patremfamilias, reliquos autem Apoſtolos eſſe ſub eo ut filios, vel ſervos in domo. Sed nihil eſt vanius hoc argumento, ſi perpendamus ea quæ diximus de tributo hoc, quod probavimus fuiſſe dimidium Sicli quod dependebatur Sanctuario: pendebatur autem hoc tributum à ſingulis qui annum vigeſimum exceſſiſſent. Itaque juxta expoſitionem iſtam concidit plane argumentum iſtud Adverſariorum. Sed & reſponderi poteſt. Chriſtum ideo pro ſe & Petro, non item pro aliis, ſolviſſe, quia Petrus habebat familiam Capernaumi; unde & ſocrum ejus iſthic ſanavit à febre; reliqui autem Diſcipuli familiam iſthic ſuam non habebant. Idem reſponderi poteſt, fortaſſe reliquos Apoſtolos abfuiſſe; nam de duobus hic tantum ſermo eſt: fortaſſe & pro reliquis ſolvit, licet Euangeliſta non meminerit.

GUALTPERIUS.

24 Ὁ διδάσκαλος ὑμῶν οὐ τελεῖ τὰ δίδραχμα; *Magiſter veſter non ſolvit didrachma?* Syrus, *Dominus veſter non dat duas drachmas ſuas?*] Δίδραχμον ἢ δίδραχμος, *Didrachma, nummus duas Drachmas continens.* In Hebræo eſt ארבעה זוזים *duas duas drachmas*, זוז זוז juxta linguæ ſanctæ idioma. Eſt autem *Didrachmon* dimidia pars Sicli; apud nos quadrans Thaleri, vel octo Solidi Lubecenſes. Duplum ejus eſt Stater, ſive Tetradrachmon; cujus valor coincidit cum Siclo, i. dimidiatus Thalerus, vel XVI Solidi Lubecenſes, Ein Loth reines Silbers. Quoniam vero plura monetarum genera in Scripturis Divinis occurrunt, placet hac vice breviter recenſere quæ de iis in Thubal-Cain, lib. 3. De Siclo, exſtant. * *Antiquiſſima omnium & certiſſima monetarum*, de quibus in Divinis habetur literis, eſt שקל SCHEKEL, *Siclus*, à Radice שקל (Syre ܫܩܠ) SCHAKal *ponderavit, libravit, appendit.* Olim enim pecunia librabatur, ſic ut nihil poſſet ſubeſſe fraudis, quia *ſtatera certiſſima defectus & incrementi eſt indicatrix. Ita legimus Gen.* 23. 16. *Appendit Abraham ipſi Hephron argentum quod locutus fuerat in auribus filiorum Cheth, quadringentos ſicles argenti tranſeuntis per mercatores*, id eſt, *probata monetæ publicæ*, ut Vulgatus interpretatur. *Atque hoc modo appenſum argentum, tametſi non fuerit ſignatum neque cuſum, nullam omnino fraudem admittit.* Poſtea vero ſignatum fuit, ita ut *in altero latere forma eſſet vaſculi illius quod Manna plenum in ſacra Arca ad ſeculorum monumentum Dei juſſu & Moyſis procuratione fuerat repoſitum, in altero vero ramus ille admirabilis*, ſeu virga Aharonis, conſpiceretur. Inſcriptio fuit Samaritanis literis adornata, quæ olim & Hebræis fuerunt communes, שקל ישראל SCHEKEL JISCHRAEL, i. e. *Sekel Iſraelis*; ex altera parte, ירושלים קדשה JERUSCHALAIM KODESCHAH, i. e. *Jeruſalem ſancta.* In uſu etiam fuit *moneta altera, dimidiato pondere minor, iiſdem omnino vaſis & rami figuris, quatenus non* SEKEL, ſed HHASZI SEKEL, i. e. dimidius Siclus, *dicta fuit. Examinatus* igitur Siclus *ad ſtateram quatuor integras argenti Drachmas, hoc eſt, dimidiam Unciam, reddit, non vulgaris Uncia dimidium, ſed ejus cujus pharmacopœis in medica materia expendenda uſus eſt, quam Semunciam Atticam antiqui dixere:* atque ita verum eſt, quod Joſephus dicit, *Siclum Attici Tetradrachmi pondus fuiſſe.* Porro duplex fuit Siclus, alter *ſanctus*, vel *Templi* ſeu *Sanctuarii*, alter *profanus & vulgaris.* Ille hoc duplo major, viginti capiebat Gerah ſeu Obolos, Exod. 30. 13. Ezek. 45. 12. Ein Loth Silber: hic duas capiebat Drachmas, i. e. Didrachmum, vel decem Obolos, Ein halb Loth Silber. Quare *vicesima pars Sicli*, atteſtante Scriptura, erat GERAH, *quam Chaldæi paraphraſtæ* MEGHA *exponunt, hoc eſt, Minutum argentum, ejuſdem fere ponderis cum minuta Turcarum moneta ex argento quæ vulgo* GHASPAR *ſive* ASPRO *dicitur.* Græci Aſpris utuntur in numeranda pecunia, non alterius monetæ nomine. V. gr. non dicunt, *Ille rem habet centum Thalerorum*, ſed, quod idem eſt, *quatuor millia Aſprorum.* Quadraginta enim Aſpra unum Thalerum faciunt. Vide Cruſium in Turcogræcia p. 287. Partes Sicli fuerunt 1. Dimidius Siclus, de quo paulo ante, 2. Triens Sicli, ſeu tertia ejus pars, ponderans ſex Gerah cum dimidia & ſexta unius, 3. Quadrans Sicli, i. Drachma integra, ein Quint Silbers. *Conſtat* item *ex Drachmis & Didrachmis antiquis duplex fere eſſe auri pondus ad argentum. Nam quæ Denarii valore*, inquit Arias Montanus, *apud nos exſtant numiſmata argentea, ſingula Drachmam ponderant: Ejuſdem vero magnitudinis aurea binarum Drachmarum pondus habent. Valor autem auri cum argenti valore collatus non ſemper idem eſt, ſed pro Principum arbitrio & temporum uſu mutatur frequenter. Et tamen, ut ex multis temporum exemplis obſervavimus, auri valor ſuper argentum nunquam fere minor fuit quam decuplus, ita ut pro ſingulis auri Drachmis argenti ad minimum dena ſint reddenda.* Ex quibus jam facile cognoſci poteſt Staterem Græcum ejuſdem ponderis cum Siclo fuiſſe, Didrachmon vero cum Semiſiclo, itemque Drachmam quartam Sicli partem continere. De pondere Siclo alibi. Obſerva præterea, fuiſſe & *Stateres aureos qui* MINA *valebant, h. e. decem Ducatis ſeu Coronatis, quales ſunt hodie quidam Portugalenſes aurei*, Melanchthon. Doctiſſimus ille Camerarius, *Stateres aurei*, inquit, *uncuales erant, & à Regum nominibus appellabantur* Κροίσειοι, Δάρειοι, Φιλίππειοι, Ἀλεξάνδρειοι, *i. à Cræſo, Dario, Philippo, Alexandro cuſi. Valebant autem MINA, ſeu centum Drachmis, h. e. Coronatis decem.*

Sed alii prater hos grandes aureos fuerunt in uſu vulgari, qui pondus habebant duarum Drachmarum auri, valde uſitati, ſimiles veteribus Romanis aureis ♆ & valebant duobus aureis Hungaricis. Vidimus tales veteres aureos Græcos & Romanos aliquot, quorum pondus certo & ſine ambiguitate judicari poteſt. Prudenter autem conſiderandum eſt, ubi fiat mentio argentei Stateris, ubi de grandi aureo ſimili Portugalenſibus, ubi de vulgari aureo dicatur, ut apud Thucydidem, Lyſiam & Demoſthenem, Stater eſt aureus didrachmalis, i. valens duobus aureis Hungaricis. Et talem Staterem exiſtimo Petrum in ore piſcis invenisse, ut recitatur Matth. 17. Plus igitur invenit quam quantum pro duobus ſolvendum erat Romanis, quia ſinguli pendebant tantum duas Drachmas argenti, i. fere quadrantem noſtri aurei. Sed voluit aliquid ſupereſſe Chriſtus ejus beneficii auctor. Hæc Camerarius. Etſi vero clariſſimi viri ſententia hæc abſurda adeo non eſt, quia tamen diſerte non additur fuiſſe Staterem aureum, quod amplificando miraculi cauſa commodiſſime fieri poterat, & præterea Stater proprie gentis nomine *Aſtira* appellabatur, vero ſimilius eſt fuiſſe Staterem argenteum. *Date Cæſari qua ſunt Cæſaris; & Deo, qua Dei ſunt.* Hactenus igitur antiquiſſimi & certiſſimi Iſraelitarum nummi, videlicet Siclus & Sicli partes. Cæteri omnes ex aliarum gentium commercio cum nominibus etiam invecti ſunt. Nomina enim ipſa aliam linguam produnt, & ponderum ratio varia alias ſui inſtitutiones arguit. Unde in lib. Miſnajoth legitur, *Omnis moneta in ſacris & extra prater Siclos ad pondus Tyri refertur, & argento aut auri valore exſolvitur.* * *ZZELAH*, Heb. צלע. in Radice צלע, i. *rupes, ſaxum, petra.* Fuit hujus monetæ duplex valor. Plurimum enim valebat duos Siclos, ſecundum valorem Tyrii. Deinde vero unum valere dicitur Siclum, quemadmodum & paraphraſtæ Chaldæi exponunt, Geneſ. 23. Exod. 31. Guido, צלגא SILGA *genus monetæ eſt*, inquit, *quatuor valens זוזי Zuzim i. Denarios argenteos; idem ſcilicet quod* שקל *Siclus.* Dicunt autem Rabbini, omne argentum commemoratum in Lege, abſolute סלעין *Silbin* intelligi, i. *Siclos*; quod vero in Prophetis, eſſe ליטרין *Litrin*, i. *Libras* ſeu *Minas*; in Hagiographis vero קנטרין *Kantrin*, i. *Talenta*, excepto Talento cujus fit mentio apud Ephrom. Obſerva obiter; In lingua Rabbinorum legitur ליטרא λίτρα auri, & in plurali ליטרין. Eſt autem vocabulum plane Græcum, Latinis *Libra*, aliis *Mina*, pondus notum. Elias, *Omne igitur Zzelab valet quatuor Zuzim.* Secundum Eliam autem in Thisbi מנה זוזא idem eſt quod דינר, i. *Denarius, Solidus:* niſi quod מנה *de argento*, דינר de auro dicitur. *Zuza* idem quod *Drachma* viet Schilling. Ex voce *zzelab* Germanicam vocem deſumptam eſſe putant Schilling. Quatuor autem noſtrates Lubecenſes conſtituunt quartam partem Sicli, & ſic unum *ZZELAH.* In Miſnajoth legitur de *Zzelab Neronith*, i. de *Zelah Neronico* ſeu *à Nerone Cæſare cuſo.* Et habetur ibidem, *decem Zuzim ponderis Judaici quinque Zelaphim Galilæos in pondere facere.* Ex quo denuo concluditur Zelah Galilæum didrachmum fuiſſe. * *MEGHA* מעה *Obolus*, ut נכף מעה *Obolus argenteus* 1 Reg. 2. Viceſima pars Sicli, ut ſupra. Arabico etiam nomine appellabatur *Keſcitah* קשיטה. Alii ſecuti Chaldæam paraphraſin *agnam* verterunt, alii *margaritam.* * *MINA* מנא Luc. 19. 24. in plural. מנין, & cum affixo מנך *mina tua*, v. 16. & מנרן *mina tua illa* v. 20. Hebr. מנה, Græc. μνᾶ. In Miſnajoth aſſeritur *Minarum uſum tempore Moyſis fuiſſe.* Diſtinguunt quidam inter ſacram & vulgarem Minam. Sacram volunt duplo majorem eſſe vulgari. Communiter centum Denariorum fuiſſe traditur. Verum apud Ezechielem diſerte traditur, 45. 12. *Siclus eſto viginti gerah*, ſeu *Obolorum: Sicli autem viginti, & viginti quinque, & quindecim*, i. ſummatim ſexaginta Sicli, *Minam conſtituunto.* Continet igitur Mina Drachmas CXXV. Atque hanc ab Ezechiele deſcriptam cum partibus ſuis Minam vulgarem fuiſſe Camhius docet: duplicatam vero eam, Sacram appellari ait. Idem etiam agnoſcit antiquorum traditionem, qui dixere *Minam communem fuiſſe Siclorum* XXV, h. e. centum Zuzim. In breviario Guil. Budæi De aſſe habetur, *Mina apud Græcos idem eſt quod Libra & Pondo apud Romanos. Hac centum Drachmas continebat, h. e. circiter centum Denarios Romanos, ſeu quadringentos Seſtertios. Mina igitur decem aureos coronatos valuit.* In eandem ſententiam de majori & minori Mina docet Elias in Thisbi, *Mina erat vobis*, Ezech. 45. *Eſt nomen*, inquit, *ponderis.* Item tres minæ auri. Valet autem Maneh vel Mina LX Siclos. At apud Rabbinos *Maneh* valet C Zuzim; ut cum dicunt, *Vidua exigit Minam, & virgo ducentas.* Henricus Stephanus in Theſauro Græcæ linguæ, Μνᾶ *Mina, pondus eſt*, inquit, *quod apud Medicos unciarum ſedecim fuit*, 32 Loth; *id quod patet ex Dioſcoride, qui in lib. De ponderibus & menſuris ſcribit* φλὼ μνᾶν καὶ τὴν ἰατρικὴν χρῆσιν ἄχρι ἀγγίας ις, *unciis* XVI, τοῦτον ὁλκὰς ρκ. *Drachmas* CXXVIII. *Verum* ἡ Ἀττικὴ μνᾶ *multo levior eſt Romana: nam centum modo Drachmas pendit, ut ex Suida apparet, qui ſcribit centum Drachmas facere Minam unam; item ex Plinio, qui lib. 21. cap. ult. Mna, inquit, quam noſtri Minam vocant, pendet drachmas Atticas centum; quin etiam ex Fannio ſic canente,*

Mnan vocitant, noſtrique Minam dixere priores.
Centum ha ſunt Drachmæ.

ſcind 25 Marck Lübiſch. *Fuit & Mina Alexandrina, quæ pendebat Drachmas Atticas* CLX. Ibid. * *DENARIUS*, Hebr. דנר *Denar. Fuiſſe in uſu aureum & argenteum Denarium* Elias docet in Thesbi. *Numiſma erat Hebræorum*, inquit Tremellius, *vocatum Zuz propria appellatione, de quo legitur Luc.* 15. 8. *licet etiam Denaza barbaro vocabulo, quod à Romanis acceperant, vocitarent. Continebat autem argenti pondus* XCVI *granorum hordei*, i. *æquivalebat* VI *Drachmis*, XXIV Schilling. *Intellige autem fuiſſe duplicem Denarium, alterum majorem, alterum minorem. Major, ut dictum, pendebat* VI *Drachmas: Minor communi appellatione cum Drachma fuit Zuz, & pretii ejuſdem ferme quoque cum Drachma fuit.* Melanchthon eadem habet: *Denarius*, inquit, *teſte Plinio, fere Drachma Attica pondus habet. Proinde in hiſtoria veteri ſcias Drachmam & Denarium idem ſignificare & tantundem valere. Altera Romana appellatio fuit, altera Græca. Minorem illum* Denarium diurnum *vocant, eſtque is qui aqua ruſtica opera merces fuiſſe in Euangelio perhibetur.* * *TALENTUM*, Hebr. ככר *Cichar*, Gr. τάλαντον, fuit interdum abſolute pro pondere poſitum. Valor ejus fuit mille & octingentorum Siclorum, h. e. nongentarum Unciarum, ſeu nongentorum Talerorum, ſeu ſexcentorum Coronatorum, Neun hundert Thaler oder ſechs hundert Cronen. Ita & Camhius & Levi Gerſonides 1 Sam. 17. affirmant *tertiam partem Cichar fuiſſe fere Siclos ſexcentos, ſive id ferrum eſſet, ſive aurum, ſive quæcunque alia materia.* Ergo Cichar argenti proprie ſunt Thaleri 900. Cichar vero auri tantum fruſtum ſeu pars auri eſt quanta poteſt 900 Thaleris comparari vel permutari. Huic ſententiæ ſubſcribit etiam Budæus, cum inquit, *Talentum Atticum, quod plurimum celebratur ab hiſtoricis, ſexaginta Libras valuit ſeu Minas, h. e. ſex millia Denariorum vel Drachmarum, quæ ſexagies denos Coronatos valent, h. e. ſexcentos.* Vide de diverſis Talentorum generibus, nempe Hebraico, Ægyptio, Babylonico, Attico, Euboico, Siculo, Æginetico, Budæum in lib. De aſſe. R. D. Kimchi diſtinguit inter commune vel profanum Cichar, & ſacrum: *Commune ſeu profanum*, inquit, *valet* LX לשרין λίτρας *Libras; ſacrum vero*, CXX. ¶ Alia monetarum nomina *partim minus celebria, partim peregrina.* * *TEBAGH* טבע *valebat dimidium Siclum.* * *HHURZZA* חורצא *à Chaldæo Paraph. redditur KESITA.* * *TARPHAGI cujus pondus erat* LXXVIII *granorum hordei.* * *TRIANA, nummus Trajanicus, in Haruch.* * *LATER, idem quod STATER.* * *PELES, moneta genus non cuſa. Sed Chald. paraphraſtes Ezech. 4, & 37. SICLUM interpretatur.* * *SAPHAN* vel *SIPHNA Hadriani monetam fuiſſe tradit auctor Haruch.* * *DARHAM, Ægyptium pondus granorum hordei* LXI. * *TARTIMAR erat dimidia mina pondus, quo carnes in macello pendebantur.* * *KANTORIN ſunt Talenta.* * *KAMILIA Unciam vocant.*

Hactenus de præcipuis Hebræorum monetis. Qui Græcas & Latinas plenius inveſtigare voluerit, legat Budæum in libris De Aſſe, vel etiam Breviarium ex Budæi, Philippi Melanchthonis & Joach. Camerarii annotationibus collectum. Excuſum eſt VVittenbergæ anno ſalutis 1556.

25. Ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη, ἢ κῆνσον;] *Κῆνσος. Cenſus.* Syrus legit רישא ומכף *Tributum, & argentum capitationis.* Eſt autem vox κῆνσος plane Latina. Unde & apud Jureconſultos dicuntur ἐμκήνσοι *qui eodem tributo cenſi ſunt.* Scribitur apud Euangeliſtas per η, quamvis Heſychius dicat ſcribi per Iota, ſi τὸ τέλος, i. *cenſum* ſeu *tributum*, ſignificet.

JAC. CAPPELLUS.

10. ET *interrogarunt eum diſcipuli ſui, Quid igitur Scribæ dicunt oportere ut primum Elias veniat?*] QUID hic ſumitur pro CUR, Τί pro Διὰ τί, למה. Poteſt etiam ſic accipi, *Quid igitur ſibi volunt Scribæ cum dicunt, Quam vim habet eorum argumentum cum ajunt, Adventum Meſſiæ præceſſurus prædictus eſt adventus Eliæ. Elias nondum venit. Ergo nec Meſſias.* Reſpondet Chriſtus per conceſſionem Majoris, Minoris vero negationem.

11. *Jeſus autem reſpondens dixit eis, Elias quidem venturus erat primum, & inſtauraturus omnia*] q. d. Recte quidem Scribæ dicunt prædictum, fore ut adventus Eliæ præcedat adventum Meſſiæ. Sic Matth. 11. 3. Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος; *Tune es qui venturus erat?* quem Prophetæ venturum prædixerunt? *Inſtaurâſſe* vero Johannes *omnia* dicitur, 1. quia dedit operam, eamque ſtrenuam, ut id effectum daret. 2. quia magna fuit Johannis apud Judæam totam auctoritas, ut prædicationem illius magna rerum omnium converſio ſit conſecuta; in multis quidem non ſeria, non diuturna, ſed in pleriſque tamen valde vehemens; Matth. 3. 5, 6, 7.

12. *Sed dico vobis, Elias jam venit*] Johannes videlicet is eſt quem *Eliam* nuncupat Malachias 4. 5. Atqui negat ipſe Johannes etiam eſſe ſe, Joh. 1. 21. Merito. Nam Judæi cum dicebant, *Tune es Elias?* rogabant an eſſet Elias proprie dictus? Id vero vere negavit. ¶ *Et non agnoverunt eum*] Eliam eſſe. Quantumvis illius miniſterio magnopere commoti fuerint, tamen non liquido conſtabat illis Johannem eum ipſum eſſe quem Malachias Eliam nuncupat. ¶ *Sed fecerunt ei quæcunque voluerunt*] Mercedem tandem eam illi rependerunt, non qualem debebant, ſed qualem ſuggeſſit improba libido. ¶ *Ita futurum eſt ut & Filius hominis patiatur ab eis*] q. d. Ut Johannes, ſic & ego reportaturus ſum indigniſſimam laborum meorum mercedem à Judæis.

13. *Tunc intellexerunt eum hæc ſibi dixiſſe de Johanne Baptiſta*] Intellexerunt à Chriſto ſe doceri Johannem eum eſſe quem Malachias vocat *Eliam*, qui ſecundum Malachiæ prophetiam antecelſurus erat adventum Meſſiæ. Vide ſis quæ notamus in Malach. 3. 1. & 4. 5, 6. Luc. 1. 16, 17. Matth. 11. 14.

20. *Propter incredulitatem veſtram*] Non potuiſtis ejicere dæmonium iſtud, quia cum inſtructos miſerim vos poteſtate ejiciendi quævis dæmonia, vos ad primam dæmonis hujus reſtitutionem hæſitaſtis, & cœpiſtis animo fluctuare, quaſi non ſatis ad id idonea vos inſtruxerim poteſtate. ¶ *Amen dico vobis, ſi haberetis fidem quantulam eſt granum ſinapis*] i. vividam & firmam, utut parvam. ¶ *Dicetis huic monti*] Quoties videlicet inſpiratio mea vobis dictaret id eſſe faciendum. ¶ *Demigra hinc illuc; & demigrabit: & nihil erit vobis impoſſibile*] Nihil ex vocatione veſtra, nihil adflatu meo ſuſcipietis quod non effectum reddatis, ſi modo meum hunc adflatum comitetur genuina bonæque notæ fides, utut exigua. Vide Marc. 9. 23.

21. *Hoc autem genus* dæmoniorum *non ejicitur niſi jejunio & oratione*] Cum veſtri populares ejiciant quædam dæmonia ſola precatione, quædam autem adhibito inſuper cum precatione jejunio, dæmonium illud quod ejicere non potuiſtis eſt ultimi non primi generis, utpote contumacius. Sed vos deterrere non debuit illius pertinacia, cum teſtimonium vobis perhiberet Spiritus meus etiam dæmonem iſtum eſſe debellandum.

25. *A quibuſnam accipiunt tributa aut κῆνσον cenſum?*] Vocem hanc Latinam *cenſus* Græci ſuam fecerunt, ut & Φραγέλλιον *flagellum*. Hujuſmodi multa ſunt apud Patres; ex quibus unum proferam in quo Petavius hæſit, vir alioqui doctus & acutus. Epiphanius hæreſi LVIII. de Valeſiis loquens, qui ſuos diſcipulos volentes, quoſdam etiam invitos caſtrabant, ἀφανίζουσι γὰρ ἑαυτοὺς, καὶ ἐπὶ συμβολίαν ἔρχονται. Petavius notat vocem hanc συμβολίαν eſſe ſibi ſuſpectam vel ignotam. Atqui perſpicuum eſt vocem eſſe Latinam. *Rapiunt*, inquit, *eos, & ſubſelliis alligant.*

LUD. CAPPELLUS.

10. Τί οὖν οἱ γραμματεῖς λέγουσιν, ὅτι Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον;] Sudant hic & variant Interpretes in reddenda ratione particulæ iſtius οὖν, ſive interrogationis Chriſto à Diſcipulis factæ. Senſus tamen hic videtur eſſe ſimpliciſſimus & maxime planus. Chriſtus Diſcipulis interdixerat ne evulgarent viſionem: Mirantur hoc Chriſti interdictum Diſcipuli, erat enim vulgo Judæis omnibus perſuaſiſſimum Eliam immediate ante Meſſiam venturum. Scribæ nempe id docebant ex Malach. 4. 5. idque eſſe exiſtimabant certiſſimum dignoſcendi Meſſiam, quum veniret indicium atque ſignum. Cum itaque vidiſſent Eliam & Moſem cum Chriſto in monte colloquentes, perſuaſerunt ſibi ſtatim, impletum in ea viſione eſſe Malachiæ vaticinium, Scribarumque de Eliæ adventu ante Meſſiam ſcitum. Quare cum Diſcipuli Chriſti vehementer cuperent omnibus eſſe perſuaſum Magiſtrum ſuum eſſe Meſſiam illum quem tantopere expetebant Judæi, putabant, in viſione iſta, ſeu apparitione Eliæ in monte Thabor, oblatam ſibi eſſe maxime opportunam occaſionem perſuadendi hominibus Magiſtrum ſuum eſſe Meſſiam, ſiquidem Eliam ad eum viderant venientem, cum eo colloquentem, teſtimoniumque ei perhibentem, & de adventu ejus cum Moſe differentem. Si itaque omnibus evulgaſſent hanc à ſe oculis uſurpatam viſionem, putabant ſe hac ratione poſſe facillime illis perſuadere Chriſtum eſſe Meſſiam. Mirantur ergo cur vetuerit ne evulgarent viſionem: interdicto enim illo putabant Chriſtum impedire quominus agnoſceretur pro Meſſia, quod videbatur ipſis eſſe vehementer abſurdum. Cum itaque Chriſtum interrogant, *Quid igitur dicunt Scribæ* &c. idem eſt ac ſi dicerent, quid tibi vis hoc tuo interdicto, quo prohibuiſti ne evulgemus viſionem? Annon enim in ea completum eſt Malachiæ de Elia venturo vaticinium, Scribarumque ea de re confirmatur doctrina? An ergo non vis haberi & agnoſci pro Meſſia? Aut ſi vis agnoſci, cur vetas ne id propalemus? quo patefacto ſtatim omnes te habebunt pro Meſſia: hoc enim unum videtur eos remorari, ne te pro Meſſia recipiant, quod neſciant Eliam veniſſe. Nam & hoc obſervandum eſt, quod ab aliis jam eſt animadverſum, videri hoc à Scribis & Phariſæis objectum fuiſſe Diſcipulis Chriſti. Vos dicitis Magiſtrum eſſe Meſſiam: & vultis ab omnibus haberi pro Meſſia: Ubi ergo eſt Elias qui ante Meſſiam venturus eſt? Putabant Diſcipuli ſe in viſione iſta habere quod objectioni illi Scribarum & Phariſæorum reſponderent, Eliam nempe veniſſe, & à ſe conſpectum eſſe cum Chriſto colloquentem. Interrogant itaque Chriſtum, annon & Malachiæ vaticinium & Scribarum dogma, de Eliæ adventu complementum ſuum haberet in viſione iſta? Quod ſi ita erat (uti quidem ipſi tum arbitrabantur) rogant quæ ratio eſſet cur vetaret ne evulgarent viſionem.

24. *Venerunt ad Petrum οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες, & dixerunt ei, An Magiſter veſter ſolvit τὰ δίδραχμα; Ipſe dicit, Etiam*] De Didrachmorum ſolutione ſic ſcribit Maimonides in Miſna, Tract. שקלים cap. 1, §. 1. *Præceptum eſt Legis affirmativum ut omnis Iſraelita ſolvat dimidium ſicli ſinguli annis; etiam ille qui nonniſi ex eleemoſyna alitur, debet illud, & petit ab aliis, aut vendit veſtem qua induitur ut ſolvat: dictum enim eſt,* Dives non augebit; & pauper non minuet, §. 7. *Omnes tenentur ſolvere, Sacerdotes, Levitæ, Iſraelitæ, Proſelyti, ſervi manumiſſi, at non tenentur feminæ, ſervi non manumiſſi, impuberes: quod ſi dent illud, accipitur ab ipſis, at ſi Ethnicus dare voluerit, non accipiunt ab eo.* §. 8. *Non ſoliti ſunt ſolvere δίδραχμα* אלא בפני הבית *niſi ſtante Templo, & quamdiu Templum ſtetit pendebant δίδραχμα tam in terra Iſrael, quam extra eam; at poſtquam eſt everſum, ne quidem in terra Iſrael pendunt illud.* §. 9. *Prima die menſis Adar* משמיעין את השקלים *publico præconio indicitur ſolutio didrachmorum, ut unuſquiſque præparet ſuum ſicli dimidium, & dare ſit paratus. Decimo quinto ejuſdem menſis, ſedent Trapezitæ in ſingulis urbibus, & placide rogant unumquemque; ſi quis dat, accipiunt, ſi non dat, non cogunt ut det. Vigeſimo quinto die ejuſdem menſis ſedent in Sanctuario ad colligendum, ac deinceps cogunt eos qui non ſolverunt, donec ſolverint. Quod ſiquis non dat, pignus ab eo accipiunt, & ſi renuat, per vim tollunt etiam veſtem.* Ex his lux aliqua huic loco affulgebit.

IDEM.

3. C*onſpecti ſunt eis Moſes & Elias colloquentes cum eo*] Quod agniti ſunt ab Apoſtolis Moſes & Elias, quos nunquam tamen viderant, intelligendum eſt agnitos fuiſſe non ex facie & lineamentis vultus ſed ex eorum colloquio & ſermone. Nam quos de nomine & fama tantum novimus, ſi ſe forte nobis offerant, non ex vultu quidem & facie eos agnoſcimus, ſed fieri poteſt ut interdum ex eorum ſermone & colloquio agnoſcamus quinam ſint: iis enim de rebus & eo modo ſermonem ſuum poſſunt inſtituere ut inde deprehendamus qui ſint. Itaque non magna hic eſt dubitandi ratio qui potuerint Apoſtoli Moſen & Eliam cum Chriſto colloquentes agnoſcere. Major in eo eſſe videtur, quod dicuntur apparuiſſe Apoſtolis, ὀφθῆναι, h. e. *conſpecti ab illis fuiſſe.* Hæc enim viſio non videtur fuiſſe ecſtatica &

ea

ἐν φαντάσματι duntaxat, ſed omnino oculis corporis uſurpaſſe videntur Apoſtoli ea quæ hic in monte viderunt, alioqui dicendum eſſet eos Chriſti gloriam & ſplendorem ejuſque transfigurationem vidiſſe tantum ἐν φαντάσματι· quod non videtur convenire. Atque de Elia quidem, quomodo Apoſtolis apparere & conſpici potuerit, res eſt expedita & facilis. Nam cum narretur vivus fuiſſe in cœlum raptus, conſentaneum omnino videtur ut dicamus, corpore ejus tum immortalitate donato, Eliam ab eo tempore anima & corpore beatum permanſiſſe, quo corpore Apoſtolis in hac viſione potuit apparere & ab ipſis conſpici; ut opus hic non ſit cum nonnullis confugere ad extraordinariam quandam diſpenſationem, qua factum dicunt ut ad tempus Elias reſumpſerit corpus ſuum mortuum, quod mox poſtea rurſus depoſuerit peracta hac viſione. De Moſe major eſt difficultas, quomodo apparuerit ſive conſpectus ſit ab Apoſtolis, cum Scriptura de eo diſerte teſtetur mortuum fuiſſe in monte quem conſcenderat, & à Deo ſepultum in valle, ita ut ſepulcrum ejus nemini mortalium notum fuerit, Deut. c. ultimo. Sane nihil temere autim hic affirmare. Videtur tamen vero propius, ut Moſes in ſuo proprio apparuerit corpore (nam cur in alieno potius quam in ſuo?) & quidem non ad horæ momentum aſſumpto, ſed quod poſtmodum ab eo non fuit depoſitum. Quid enim cogit ſtatuere ejuſmodi momentaneam corporis ſui aſſumptionem & depoſitionem? aut quid abſurdi ſi dicamus poſt Moſis mortem & ſepulturam (quam Scriptura diſerte narrat) à Deo redditum fuiſſe Moſi corpus ſuum (quando autem id factum fuerit, num paulo poſt mortem, an vero duntaxat in hac viſione, non definimus) ut in eo nobis eſſet illuſtrior & manifeſtior typus reſurrectionis fidelium qui fuerunt ſub V. T. Quin & ſapientiæ Dei & admirabili ipſius in ſalute noſtra œconomiæ conſentaneum omnino videtur ut quemadmodum Enochum ante Legem & Eliam poſt Legem voluit anima & corpore ad ſe aſſumere, ut in illis haberent fideles certam futuræ in anima & corpore beatitudinis æternæ veluti arrham, utque typi eſſent admirabilis illius transmutationis corporis piorum quæ ſecundum Paulum futura eſt in ultima Judicii die; ſic & ipſum Legis promulgatorem Moſen, Prophetis multo ſuperiorem, adeoque & populi in danda Lege Mediatorem, propterea que Chriſti veri noſtri Mediatoris typum ſingularem mortuum jam & ſepultum excitaverit, & Apoſtolis ſic excitatum apparere voluerit, ut, quemadmodum dixi, eſſet nobis piorum ſub Lege defunctorum futuræ reſurrectionis & gloriæ typus manifeſtus, & certum ſignaculum (nam qui ab Elia & Eliſæo excitati narrantur, ſic excitati videntur ut denuo mortui ſint) quomodo nos in Chriſto à mortuis excitato & in cœlum recepto certiſſimam habemus reſurrectionis noſtræ ſub Euangelio arrham. Atque hic obſervandum eſt, Judæos in ea eſſe ſententia ut dicant Moſem non eſſe jam mortuum, ſed Deo in cœlis miniſtrare. Sic enim Maimonides, Præfat. ſua in Talmud, refert eorum ſententiam, ubi de Moſis morte loquitur, כן אמרו רבינו משה לא כרת אלא קבר ומשמש בכחים *Sic dixerunt Magiſtri noſtri, Moſes Magiſter noſter non eſt mortuus, ſed aſcendit, & Deo in cœlo miniſtrat.* Quæ verba non ſunt ita accipienda quaſi vellent Moſem non eſſe omnino mortuum, nam alibi, nempe in Rabboth, in ultimam Deuteronomii Paraſcham, longiſſimam habent de Moſis morte fabulam, ubi narrant Deum ad Moſem in vertice montis deſcendiſſe, & oſculando animam è corpore ejus exſugendo veluti eduxiſſe; ſed ita accipienda ſunt ut hoc velint dictum, redditam poſtmodum fuiſſe à Deo corpori Moſis animam, atque ſic eum jam in cœlis Deo miniſtrare. Sane ex ſola V. T. hiſtoria non poteſt hæc noſtra demonſtrari conjectura, verum ex hac Euangeliſtæ narratione videtur non abſurde ea colligi poſſe: Nec videtur aliunde ad Judæos fluxiſſe hæc de Moſe Deo in cœlis anima & corpore miniſtrante ſententia quam ex hac narratione de Chriſti transfiguratione. Hoc enim obſervare licet ex veterum Judæorum ſcriptis, multa in iis eſſe veſtigia eorum quæ à Chriſto & Apoſtolis ejus dicta & facta ſunt, ſed miſere aſtu Satanæ & hominum illorum perverſiſſimorum malitia confuſa & perturbata; quæ non aliunde eſſe videntur quam à Judæis illis qui initio Euangelii ad Chriſti fidem Apoſtolorum prædicatione non vere converſi pertinaciſſime in Legis Moſaicæ obſervatione permanſerunt. Ea quæ ab his de Chriſto & Chriſtiana religione acceperant Judæi turpiſſimum in modum deformata & fabulis inſulſiſſimis involuta ſunt poſtea ab ipſorum diſcipulis atque ita poſteris tradita. Atque ut ne longius ab hac ipſa Euangeliſtæ narratione abeamus, unde eſt, quæſo, quod cum loco modo citato diſputant de Moſis morte, fabulantur Angelum mortis Samaelem à Deo juſſum Moſem interficere? Cum ad eum in monte quem Moſes conſcenderat veniſſet, *invenit eum ſedentem & ſcribentem* שם הכתרש *nomen Dei tetragrammaton.* מזהר כראותו ויורד לשמש והואיל וכבה *& ſplendor vultus ejus ſimilis erat Soli, ipſe autem ſimilis erat Angelo Domini.* Annon videntur hæc deſumpta ex hac transfigurationis Chriſti narratione, in qua Euangeliſta ait, ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος? ita ut illi ad Moſem retulerint quæ de Chriſto dicta ſunt, atque hoc pacto ſluduit Satan hanc Chriſti transfigurationem inſulſiſſima fabula apud eos homines deformare & veluti dehonestare.

GROTIUS.

1. Μετ' ἡμέρας ἕξ, *poſt dies ſex*] Matthæus deſignatum tempus poſuit: Lucas ſatis habuit πως μετρίως [*craſſim*] loqui, ut ſolemus cum à menſura aliqua celebriore non longe abſumus; ut ſi dicam *menſis eſt*, recte dixiſſe intelligat etiamſi abſint dies aliquot. Quod enim Lucas dicit, ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ *fere dies octo*], tale eſt quale cum vulgo dicimus *poſt ſeptimanam circiter.* Nam Judæos *octo dies* appellaſſe id quod ab uno Sabbato eſt ad alterum, apparet Johan. xx, 26. Joſephus Ant. VII, cap. 9. cum dixiſſet ὅλην ἡμέραν ὀκτὼ [*per dies octo*] ſtatim explicat ἀπὸ σαββάτου ἐπὶ σάββατον [*à Sabbato ad Sabbatum*]. ¶ τὸν Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην, *Petrum & Jacobum & Johannem*] Non dubito quin de duodecim Apoſtolis hi tres plurimos Chriſto diſcipulos collegerint: unde Petro vocabulum illud de quo ante egimus datum eſt, & cæteris duobus *Tonantium* nomen. Hos ergo Chriſtus aſſumſit, ut non dubium tantum, ſed abundanter, trium ſcilicet teſtimonio res tanta conſtaret. Et ſicut futura Chriſti gloria tres habere teſtes debebat de cœlo & de terra totidem, Johan. I, cap. v, 7. 8. ita & hoc ejus gloriæ rudimentum tres quaſi de cœlo teſtes habuit, Deum Patrem, Moſen, Eliam; tres itidem de terra, Petrum, Johannem & Jacobum; Petrum Apoſtolici cœtus πρεσβύτην· Jacobum qui primus Apoſtolorum ſanguine teſtimonium erat obſignaturus; Johannem qui poſt omnes Apoſtolos ſuperſtes teſtimonium hoc ad ſequentem ætatem viva voce erat transmiſſurus. Cum autem apparebat Jacobum hunc Zebedæi fuiſſe filium, errant qui Syrorum Epiſtolis Jacobi, Petri & Johannis hunc præfigunt titulum, *Tres Epiſtolæ trium Apoſtolorum ante quorum oculos Dominus noſter ſe transfiguravit*: niſi illam forte Epiſtolam Jacobi Zebedaidæ crediderunt, contra quam veteres omnes ſentiunt, qui Jacobo Alphæi aut etiam Jacobo Epiſcopo Hieroſolymorum (quem à Jacobo Alphæi diverſum faciunt) eam aſſignant, haud dubie temporum rationi congruentius. Similis eſt Auguſtini immemoria, qui ad hunc Jacobum, teſtem τῆς μεταμορφώσεως [*transformationis*], trahit id quod eſt ad Galatas; & Ambroſii, qui huic eidem tribuit cathedram Hieroſolymorum. ¶ ἀναφέρει, *ſurſum ducit*] קרב ἀναφέρειν & ἀναφέρειν vertunt Græci. ¶ εἰς ὄρος ὑψηλόν, *in montem excelſum*] Itabyrium haud dubie, ut & vetus traditio habet, & ab aliis demonſtratum eſt. Neque obſtare huic ſententiæ Marci locum IX, 30. apertum het cum eo erit ventum.

2. μετεμορφώθη, *transfiguratus eſt*] Μορφὴ [*forma*] ſæpe Græcis eſt ὄψις, ϑέαμα, *facies rei exterior*, quam εἶδος vocavit Lucas. *Ita* Cicero, *Formam quaſi ipſam & tanquam faciem honeſti vides.* Et alibi *formam* & *figuram*, quanquam diſtinguunt Grammatici, promiſcue uſurpat. ¶ ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος· *reſtlenduit facies ejus ſicut Sol*] *Tanquam fulgur* dixerat Daniel X, 2. *Splendor ejus ut lux*, Abacuc III, 4. ¶ λευκὰ ὡς τὸ φῶς, *alba ſicut lux*] Id eſt, ut lux Solis, non in Sole ſed alio corpore excepta, ſicut veſtes Chriſti ex ipſo Chriſti corpore lucem accipiebant: Talis autem lux ſolet candida apparere. Sic & Angeli paſſim nobis deſcribuntur veſtibus & candidis & coruſcantibus. Confer quod infra XXVIII, 3. Marci XVI, 5. & Johan. XX, 12. cum Luca XXIV, 4. Hoc eſt quod Herodes Agrippa imitari voluit veſte illa argentea de qua Joſephus, ἐνῆν δὲ πρώτοις τοῖς ἡλιακοῖς ἀκτῖσιν ἐπιβολαῖς ὁ ἄργυρος ἐκπυκαθεὶς ϑαυμαστῶς ἀπέστιλβε, μαρμαίρων τε φοβερὸν καὶ τοῖς εἰς αὐτὸν ἀποβλέψασι φρικώδες [*deinde de illapſu Solis radiorum illuſtratum argentum mire modo reſulſit, micans ſic ut horrorem incuteret oculis in id defigentibus*]· quo conſpecto populus illum Deum vocavit, id eſt, Angelum, καί τινα ϑνητῆς φύσεως [*ſuperiorem natura humana*], ut Joſephus explicat. Similis apud Græcos Salmonei dementia,

—— qui nimbos & non imitabile fulmen
Ære & cornipedum curſu ſimulabat equorum.

Propius etiam accedit factum Clearchi Heracleenſium Tyranni, de quo Memnon Hiſtoricus hæc prodidit, τὸ πρόσωπον μὲν ἀνέχεσθαι τοῖς ἐκ φύσεως χρωματίζεσθαι βαφαῖς, ἅπασαι δὲ καὶ ἅπασαι ἰδέαις παικιλόμενον ἐπὶ τὸ σκληρόν τι καὶ ἐρεύϑες τοῖς ὁρῶσι

σι θεωφανεσθαι· ἐκαθαίρετο δὲ ἡ σὰρξ χρῶτος θεῖ τὸ φυσερόν τι καὶ αἰθέριον [*non fuiſſe eum faciem ſuam nativis tingi coloribus, ſed aliis atque aliis variatam formis in ſplendorem ac ruborem immutaſſe; variaſſe & veſtes ut & magnificentior & terribilior appareret*].

3. Μωσῆς καὶ Ηλίας, *Moſes & Elias*] Alter Legis promulgator, alter Prophetarum nobiliſſimus, quos etiam in XL dierum jejunio Chriſtus expreſſerat, in hoc adſunt ut oſtendant, quod Lucas indicat, perpeſſiones Chriſti, tum Legis ritibus figuratas, tum Prophetarum oraculis prædictas. Vero autem ac ſuo corpore, in fidem Reſurrectionis & Chriſti & noſtræ, eos apparuiſſe, eo credibilius eſt quia hæc corpora videri poſſunt à Deo in hunc uſum aſſervata. Nam Eliæ corpus in ſuperna raptum eſt, Moſis autem corpus non inventum, & cuſtoditum Angelico miniſterio ne perveniret in poteſtatem Diaboli ὃ ἔχοντος τὸ κράτος τοῦ θανάτου [*habentis mortis imperium*], ut Scriptor ad Hebræos loquitur II, 14. quem *Angelum mortis* Hebræi vocant, & cujus imperio ajunt corpus in pulverem diſſolvi; quod ut recte intellectum à vero non abit, ita ab illis magno fabularum cumulo involvitur. Sed quod dixi à putredine aſſervatum Moſis corpus, id indicare videtur in Epiſtola Judas. Joſephus autem de Moſe agens eum ait ἀφανισθῆναι [*ablatum conſpectui*], quomodo & de Enocho & de Elia loquitur. Ita ergo de perpeſſionibus Chriſti egerunt, ut ſimul reſurrectionem ei ſuam in ipſorum corporibus præfiguratam ob oculos ponerent. Apparuerunt autem horum quoque corpora ἐν δόξῃ [*cum claritate*], ſed minore haud dubie quam illa erat Chriſti, quantum ſcilicet ſidera Soli cedunt 1 Corinth. XV, 41. Atque hæc tum gloria illis quaſi pro mutuo data eſt, proprium ſolidumque jus adepturis poſtea. Nondum enim eo tempore acceperant τὴν πλήρωσιν τῆς ἐπαγγελίας [*promiſſorum conſummationem*].

4. καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι· *bonum eſt nos hic eſſe*] Quid de cœna cœleſti exiſtimandum eſt, cujus promuliis adeo Petro allubeſcebat? Hæc omnia eo pertinebant ut adverſus futuras calamitates ſpe meliorum animi munirentur: Nam falli arbitror qui aliovorſum trahunt Petri verba.

5. νεφέλη φωτεινή, *nubes lucida*] Nubes ſignum Divinæ præſentiæ, ut Exodi XL, 34. lucida, ad diſcrimen legis veteris, quæ data in nube denſa ac caliginoſa, quo diverſa temporum οἰκονομία [*diſpenſatio*] datur intelligi. ¶ Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, *Hic eſt Filius meus dilectus*] Filius, non ſervus, ut Moſes Hebræorum III, 5, 6. & Prophetæ cæteri, Hebr. I, 2. Vide & quæ ſupra III, 17. Diſcit hic Moſes pluſquam prædixerat Deuteronomii XVIII, 18. ¶ αὐτοῦ ἀκούετε. *ipſum audite*] Ἐμφαλικῶς [*ſignificanter admodum*]. *Hunc audite* ſupra Moſen, ſupra Prophetas, ut complementum Moſis & Prophetarum. Sunt autem ipſa Moſis verba נביא אחים Deuteronomii XVIII, 15. quæ ita de Jeſu filio Nun, forte etiam de Prophetis eum ſecutis, dicta ſunt, ut Divina directione multo magis atque excellentius in hunc Jeſum, Dominum ac Principem Prophetarum, quadrent; quemadmodum Petrus, optimus Dei verborum interpres, nos docet Actor. III, 22. Et notanda ſunt quæ ſequuntur apud Moſen; quaſi dicatur, Poſtulaſtis ipſi ne Deus vobiſcum ignis illis ad terrorem facientibus ageret: Præſtat Deus quod voluiſtis, *Verbum caro factum eſt: Inanivit ſe & ſervi formam induit.* En illum qui cum vehementia ὃ ζῆλος [*zelus*] in domum Dei Eliam vincat, ſimul manſuetudine Moſen ſuperat. Non illi tonitrua, non caligo, non ignis de cœlo teſtimonium præbent, ſed blanda lux & comitas vocis paternæ.

6. ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν, καὶ ἐφοβήθησαν σφόδρα. *ceciderunt in faciem ſuam & timuerunt valde*] Non tam horror hic erat quam ſtupor ob magnitudinem miraculi. Ideo Marcus in re ſimili dixit ἐξεθαμβήθησαν [*obſtupuerunt*] XVI, 5. ubi Lucas ἐμφόβων δὲ γενομένων [*cum timerent*]. Quod autem præcedit, ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν [*ceciderunt in faciem ſuam*], ad hunc ipſum ſtuporem potius quam ad venerationem referendum eſt. Perculſi enim Apoſtoli & de ſtatu mentis dejecti, ut alii Scriptores nos docent, nihil aut loquebantur aut faciebant animi judicio. Sicut autem lux ſubita efficit ut oculos in terram dejiciamus, cujus rei exemplum eſt Lucæ XXIV, 5. ita mirum non eſt ſi major conſternatio corpora ipſa in terram dejiciat. Ita de ſe Daniel VIII, 17. inquit, על פני אנכי [*cecidi in faciem meam*], ubi Lxx eadem locutione πίπτω ἐπὶ πρόσωπόν μου. Præceſſerat autem ἐφοβήθην [*pavens*]: qui locus hunc manifeſte explicat. Neque videntur mihi quæ hic ſequuntur aliam interpretationem pati. Confer locum Num. XVI, 22.

9. τὸ ὅραμα, *viſionem*] Vertere liceat *ſpectaculum*, quia *viſum* magis eſt φάντασμα, ut nos Cicero atque alii docent: quod tamen & ipſum ὅραμα ſæpe ſacris Scriptoribus Interpretibuſque. Lucas quod hic eſt ὅραμα aliquoties dixit ὀπτασίαν: utraque vox exprimit Hebræum מראה, quod eſt apud Prophetas & Danielem.

10. Τί οὖν οἱ γραμματεῖς λέγουσιν ὅτι Ηλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον; *Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire*] Adde ex ſequenti commate καὶ ἀποκαθιστάνει πάντα [*& reſtituere omnia*]. Nam utrumque tradebant Magiſtri Hebræorum, & venturum Eliam, & omnia curva correcturum. Imo & Eliam fore dicebant qui Meſſiam eſſet uncturus in Regem eumque populo notum facturus; quod pro certo affirmat Tryphon in diſputatione contra Juſtinum. Quin hodieque Judæi ad omnes quæſtionum nodos ſolent dicere quod de Meſſia Samaritis, ὅταν ἔλθῃ Ηλίας ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα [*ubi venerit Elias explicabit nobis omnia*]. Occaſio hujus dicti Apoſtolorum non aliunde petenda eſt quam quod Eliam vidiſſent quidem, ſed ita ut iterum abiiſſet è conſpectu. Atqui, inquiunt, ex recepta eruditiorum ſententia, venire debebat non abiturus ſed omnia emendaturus, docturus populum, monſtraturus Meſſiam: πρῶτον [*primum*] autem hic eſt *ante manifeſtationem Meſſiæ.* Tryphon dicto loco de Meſſia ita loquitur: οὐδὲ ἴσχει δυνάμιν τινα μείζονα ἂν ἐλθὼν Ηλίας χρίειν αὐτὸν [*neque ullam habet facultatem priuſquam Elias eum unxerit*].

11. ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαθιστάνει πάντα· *venturus eſt primum, & reſtituet omnia*] Liquidum mihi videtur verba hæc eodem ſpectare quo ea quæ ſequuntur, ad Johannem Baptiſtam ſcilicet. Nam finita omni hac oratione ſubjicitur Τότε συῆκαν οἱ μαθηταὶ ὅτι περὶ Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ εἶπεν αὐτοῖς [*Tunc intellexerunt Diſcipuli quia de Joanne Baptiſta dixiſſet eis.*] Quod autem futuro tempore dicitur ἀποκαθιστάνει [*reſtituet*] (quomodo & ἔρχεται [*venturus eſt*] recte explices per ἐλεύσεται) eo factum eſt quia oſtenditur veram fuiſſe veterem illam παράδοσιν [*traditionem*] recte acceptam de venturo Elia; non quod venturus adhuc eſſet cum Chriſtus loqueretur. Plane ſimile eſt quod capite XI. dixit Chriſtus de eodem Baptiſta, Αὐτός ἐστιν Ηλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι [*Ipſe eſt Elias qui venturus eſt*]: non enim tum erat venturus: imo curſum ſuum ferme abſolverat morti vicinus. Sed ὁ μέλλων ἔρχεσθαι [*qui eſt venturus*] eſt ὃς ἔμελλεν ἔρχεσθαι [*qui erat venturus*]: ita hic ἔρχεται καὶ ἀποκαθιστάνει [*venit & reſtituet*], aut, ut Marcus loquitur, ἐλθὼν ἀποκαθιστᾷ [*veniens reſtituet*], nihil eſt aliud quam ἔμελλεν ἔρχεσθαι καὶ ἀποκαθιστάναι [*erat venturus & reſtituturus*], quomodo & ſupra II, 4. ποῦ γεννᾶται [*ubi naſcitur*], id eſt, μέλλει γεννᾶσθαι [*ubi naſcetur*], & XI, 3. ὁ ἐρχόμενος [*veniens*] eſt ὃς ἔμελλεν ἔρχεσθαι [*qui venturus erat*], Luc. XXIV, 44. ὅτι δεῖ πληρωθῆναι [*neceſſe eſt impleri*] pro ἔδει πληρωθῆναι [*neceſſe erat impleri*]. Veriſſimum hoc eſſe apparebit ſi conſiderare libeat unde ſumta ſit vox iſta ἀποκαθιστάνειν [*reſtituere*]. Mihi pro certo eſt ſumtam ex Malachia, cujus poſtremum comma ita verterunt Lxx, ὃς ἀποκαταστήσει καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ [*qui reſtituet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum ejus*]: ubi apparet שוב Hebræum verſum eſſe per ἀποκαταστήσει καρδίαν, non male: nam ἀποκαθιστάνειν inter cætera eſt *reponere in verum & natura congruentem ſtatum.* Ita membrum ἀποκαθιστᾷ cum ſanatur, ſupra XII, 13. & mores cum emendantur. At hunc ipſum Malachiæ locum Angelus ita interpretatur ut eum oſtendat in Johanne Baptiſta impletum iri, Αὐτός, inquiens, προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ηλίου, ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα [*ipſe præcedet ante eum in ſpiritu & virtute Elia, ut convertat corda patrum in filios*]: nimirum τὸ ἀποκαθιστάνειν [*reſtituere*] exponens per verbum ἐπιστρέψαι [*convertere*], & quod hic eſt πάντα [*omnia*] fuſius ex Propheta explicans. Hæc ergo ἀποκατάστασις [*reſtitutio*] conſummata eſt, cum doctrinam pœnitentiæ publicavit Johannes & baptiſmo obſignavit, κατεύθυνον τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης [*dirigens pedes in viam pacis*], ut pater ipſius in carmine ſacro loquitur. Nam in verbis hujuſmodi ſæpe non tam fructus operæ quam opera ipſa reſpicitur, quanquam & opera Johannis fructu magno non caret. Angelo igitur contradicunt qui negant iſta Malachiæ verba Baptiſtæ poſſe aptari. Fateor ac do libenter, non ſolos Magiſtros Hebræorum qui Chriſti vivebant tempore, ſed & eos qui aliquot ante fuerunt ſeculis verba iſta κατὰ τὸ ῥητὸν [*ſecundum id quod ſonant verba*] accepiſſe. Nam & Lxx ad vocem Ηλίαν [*Eliam*] addiderunt Θισβίτην [*Thesbiten*] & Eccleſiaſtici Scriptor verba illa Malachiæ ἐπιστρέψαι καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν [*convertere cor patris ad filium*] ad eundem Thesbiten refert. Sed pleraque vaticinia ita ſunt concepta ut ante eventum intelligi vix queant. Neque

Neque dimovere nos ab hac verborum Malachiæ cœleſti interpretatione debet mentio ibidem facta *diei magni & terribilis* quam ante venturus ſit Elias, & quod ſubjungitur, *ne percutiens feriam terram anathemate.* Hæc enim non ad commune de mundo judicium, ut multi putant, ſed ad eas pœnas referenda ſunt quæ Judæos non emendatos manebant, quas Titi manu Deus exegit. Vide ſupra III, 10. & Actorum II, 17. Scio objici veterem παράδοσιν [*traditionem*] de rediturо Elia ante mundi exitum. Sed non quicquid Tertullianus credidit & aliis perſuaſit utique Apoſtolica traditio habenda eſt. Irenæus à diſcipulis Apoſtolorum manaſſe ait hanc traditionem, *Enochum & Eliam in paradiſum eſſe tranſlatos. Ibi eos manere uſque ad conſummationem, coaſſpicantes incorruptelam*, id eſt, ut in Græco fuiſſe ſuſpicor, περιεχομένους τὴν ἀφθαρσίαν· quomodo & alibi de Enocho dixit, *conſervari eum teſtem juſti judicii Dei.* De reditu aut Enochi aut Eliæ nihil ne ibi quidem ubi tractat indicia adventus Antichriſti. Si poſteriores Scriptores conſulere volumus, quorum in æſtimandis traditionibus non poteſt par eſſe auctoritas, diſſentit Procopius, diſſentit Primaſius, dubitat Nazianzenus; quod ſatis eſt ut liqueat nunquam hoc ita creditum quaſi diſſentire nefas eſſet. Ego vero arbitror perſuaſionem iſtam ab Hebræis ortam, in quorum libris reperimus Eliam poſt tempora Meſſiæ occultatum iri, iterumque ſe patefacturum in diebus Gog & Magog. Nam quia Apocalypſis quoque meminit τοῦ Γὼγ καὶ Μαγώγ [*Gogi & Magogi*], ideo quicquid aut in Prophetis dictum eſt de Gog & Magog, aut quicquid ad Prophetas adjecit Hebræa credulitas, ſolent Chriſtiani Scriptores ad Antichriſti tempora referre; quod multis exemplis probari poſſet, niſi ea tractatio rectius alii loco reſervaretur. Neque tamen nego eſſe & in ipſa Apocalypſi quod huic opinioni favere videatur; ubi nempe de duobus illis teſtibus agitur, quos alii Enochum & Eliam, Hilarius, ut mihi videtur, probabilius Moſem & Eliam vult intelligi; quia ſicut illud, *Ignis exibit de ore eorum* ad Eliam videtur pertinere, ita altero illo, *Poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem*, Moſes videtur ſignificari. Sed etiamſi ipſa Moſis & Eliæ nomina ibi exſtarent, ut apud Malachiam exſtat nomen Eliæ, poſſemus, duobus maximis auctoribus, Chriſto & Angelo Dei, vaticinium illud interpretari de veri Doctoribus venturis in ſpiritu Moſis & ſpiritu Eliæ. Sed de hac re accuratius agemus ad ipſam Apocalypſin.

12. ὅσα ἠθέλησαν. *quæcunque voluerunt*] *Quicquid ipſis collibitum eſt*, Deo non impellente, ſed ſapienter permittente. Deeſt autem nominativus, qui diverſis modis ſuppleri poteſt. Mihi intelligendum videtur *Judæi*, quæ vox tam Herodem & Galilæos proceres, quam Pontifices, Senatores & Legiſperitos, illos Baptiſtæ, hos Chriſti interfectores comprehendit.

14. γονυπετῶν αὐτῷ, *genibus provolutus*] Ita γονυπετὴς Euripidi *qui in genua procumbit*, Arato ὁ ἐν γόναι, Latinis *nixus*. Lxx de Solomone Paralipomenon II, cap. VI, 13. ἔπεσεν ἐπὶ τὰ γόνατα αὐτοῦ [*in genua ſua procidit*]. Γονυπετῶν modo eſt *genibus advolvi*, quod dicitur περιπίπτειν τοῖς γόνασι, ut Lucæ V, 8. qua de re diximus ſupra ad initium capitis octavi; modo *in genua procidere*: qui geſtus diverſi ſunt. De advolutione ad genua paſſim multa apud Homerum, Euripidem, Latinoſque tum Poetas tum hiſtoriarum Scriptores. *Hominis genibus*, inquit Plinius, *religio quædam ineſt obſervatione gentium: hac ſupplices attingunt.* Ad flexionem genuum pertinet illud ejuſdem Scriptoris, *Regem adorant, genua ſubmittunt.* Et Ovidii iſtud,

Et genibus pronis ſupplex ſimiliſque roganti.

Dicunt autem Helleniſtæ γονυπετῶ τινι [*in genua accidere alicui*], ut hic, & γονυπετῶ τινα [*in genua ad aliquem accidere*], ut Marci I, 40. X, 17. pro eo quod eſt γονυπετῶ ἔμπροσθέν τινος [*genu ante aliquem flectere*], ut infra XXVII, 29. Lucas quoque pro γονυπετῶν [*genubus provolvi*] aliquoties dixit τιθέναι γόνατα [*ponere genua*]. Marcus τιθέντες τὰ γόνατα προσεκύνουν αὐτῷ [*poſito genubus adorarunt eum*], & Paulus γόνατα κάμπτειν [*flectere genua*]. Hoc quidem loco τὸ γονυπετῶν poſteriore ſignificatu Syrus & Latinus Interpretes accipiunt.

15. σεληνιάζεται, *lunaticus eſt*] Vide quæ ſupra ad caput IV. Cauſam hujus morbi fuiſſe dæmonium apparet infra commate 18. Solent autem dæmones, qua pollent ſcientia, etiam naturales cauſas ad ſuam vim adjungere. Ita hic dæmon ea tempora occupare ſolebat quibus cerebrum eſt infirmius, quod Lunaribus intervallis contingere ſolet. Vide Avicennam libro III De morbis melancholicis. Eadem Pſelli ſententia.

17. εἶπεν, Ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη, *ait, O generatio incredula & perverſa*] Non in Apoſtolos hæc dicta ſunt, quorum tamen ὀλιγοπιστία [*fidei tenuitas*] infra reprehenditur, ſed in patrem ægroti ejuſque amicos, ut ex Marco liquet, ita tamen ut ex eorum exemplo communе Judaicæ Gentis vitium accuſaretur. Sunt autem ſumta hæc verba ex Deuteronomio XXXII, 20. ubi Lxx, ὅτι γενεὰ ἐξεστραμμένη ἐστὶ, υἱοὶ οἷς οὐκ ἔστι πίστις ἐν αὐτοῖς [*Generatio enim perverſa eſt & infideles filii*]. Γενεὰν διεστραμμένην [*generationem perverſam*] dixit Paulus Philipp. II, 15. Diſcimus ex his verbis & quæ ſequuntur, Deum, ut miracula beneficia hominibus præſtet, ἐπιτηδεῖον [*plerumque*] duo requirere, fiduciam in eo qui ſignum ſit editurus, & fiduciam in eo cui ſignum ſit profuturum; ita tamen ut magna atque excellens fiducia horum alterius ſupplere poſſit quod alteri deeſt. Neque id mirum, cum omnia hæc eo tenderent ut commendaretur vis veræ in Deum fiduciæ, per quam beneficia æterna creduntur & credendo impetrantur, ut alibi explicatum eſt. ¶ ἕως πότε ἔσομαι μεθ' ὑμῶν; ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν; *quouſque ero vobiſcum? uſquequo patiar vos*] Oſtendit Chriſtus ultima Divinæ erga Judæos patientiæ tempora nunc agi, tacite reſpiciens quod in Deuteronomio ſequitur de Gentium ſurrogatione.

20. ἀπιστίαν, *incredulitatem*] Ἀπιστίαν vocat τὴν ὀλιγοπιστίαν [*fidei tenuitatem*], comparate ſcilicet ad eam quam pro ratione diuturnæ inſtitutionis & impoſiti muneris habere debebant fiduciam. Notandum autem voces πιστὸς [*fidelis*] & ἄπιστος [*infidelis*] aliter ſumi apud Græcos Scriptores, aliter apud Judæos Helleniſtas. Græcis πιστὸς eſt *qui ſtat promiſſis*, ac proinde *dignus cui fidem habeas*; ἄπιστος, *perfidus*: quibus ſignificationibus eas voces & in his libris reperire eſt. At illud Helleniſtarum proprium πιστεύειν dicere *eum qui credat alicui atque confidat*, ἄπιστον qui aliter ſit animatus. Ἀπιστίαν [*incredulitatem*] convenienter huic loco definit Clemens Alexandrinus ὑπόληψιν ἢ ἀνυπομόνητον ἀσθενῆ ἀντιφατικὴν [*ſuſpicionem contrariis imbecilliter negativam*]. ¶ ὡς κόκκον σινάπεως, *ſicut granum ſinapis*] Proverbium inter Hebræos celebre exigit ut ad quantitatem hoc non ad qualitatem referatur, quomodo & ſupra grani ſinapis tanquam rei minimæ facta eſt mentio. Latine diceremus *denſulus* [*oſtenſive*], *ſi vel tantillum haberetis fiducia:* quod cum dicit Chriſtus, non negat eſſe aliquam Apoſtolis fiduciam, ſed, ut dixi, habita temporis & muneris ratione, dicit eam fiduciam eſſe minima minorem, hoc eſt, perquam exiguam. ¶ εἰπεῖν τῷ ὄρει τούτῳ, Μετάβηθι ἐντεῦθεν ἐκεῖ; *dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc*] Et hoc proverbiale eſt, ut appareat ex Paulo I Corinth. XIII, 2. Senſus ergo eſt, Res difficillimas præſtaretis. Neque pugnant verba Chriſti qui *montes tranſferre* exiguæ fidei attribuit, & Pauli, qui ad maximam fidem hoc ipſum videtur referre. Nam illa exigua fides quam Chriſtus exigit ejus eſt menſuræ quæ miraculis quibuſvis ſufficiat; ſupra quam ſi quid accedat id miraculorum efficientiam ad plenitudinem perductam augere non poteſt. Porro non agere hic Chriſtum περὶ δὲ χαρίσματος τῶν σημείων [*de dono ſignorum*], inde evincitur, quod eo carere οὐκ ἔστι τῶν ψεκτῶν [*non eſt inter culpanda*], ſed habere potius raræ eſt felicitatis. Itaque fides hæc potius conditio eſt requiſita ad uſum doni. Hæc autem ipſa fides aptata beneficiis æternis ea eſt quæ dilectione accedente ad ſalutem proficit, ut dicto loco Paulus demonſtrat. Nam niſi dilectio accedat erit quidem illa fides, ſed non viva, non efficax. Fit autem viva atque efficax ubi diligenter expendimus non tantum quid Deus poſſit ac polliceatur, verum etiam quid à nobis exigat. Neque vero negarim etiam κατὰ τὴν κυριολεξίαν [*ſecundum proprietatem locutionis*] interdum impletum quod hic dicitur, cum Nonnoſi precibus ingentis molis ſaxum ad Soractæ tranſlatum Martyrologia prodant; & idem ab Epiſcopo Armenio præſtitum inſtante Calipha Babylonio, anno milleſimo ducenteſimo quinto & viceſimo haud ſpernendi auctores ſint. At ſenſus allegoricus eſt, Nihil fore tam excelſum quod non ad eorum preces evaneſcat. ¶ οὐδὲν ἀδυνατήσει ὑμῖν. *nihil impoſſibile erit vobis*] Græcis ἀδυνατῶν ſumitur active, ut apud Epicharmum.

Ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν Θεός·

[*At Deus nil non poteſt;*]

at noſtris Scriptoribus etiam paſſive, ut & Lucæ I, 37. Οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα [*Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*]. At quod hic Apoſtolis dicitur, reſtringendum eſt ad ſubjectam materiam; Nihil non poteritis, eorum ſcilicet quæ ad teſtimonium doctrinæ & conciliandam muneri veſtro auctoritatem pertinebunt.

21. Τοῦτο

21. τῦτο δὲ τὸ γένος, *Hoc autem genus*] Hoc genus malorum ſpirituum quod in poenam facinorum & quidem graviorum immittitur. Hanc enim veram eſſe hujus loci interpretationem exiſtimo. Nec obſtat quod apud Marcum eſt, Vexatum hunc fuiſſe à malo ſpiritu παιδιόθεν. Neque enim certum eſt verti debere *ab infantia*, cum παιδία [*pueri*] Græcis dicantur etiam qui ad ætatem vitiorum capacem pervenerunt. Syro igitur aſſentior qui iſto loco eam poſuit vocem quam adoleſcentiæ potius quam infantiæ convenire collatio loci alterius, qui eſt XVIII, 4. declarat. ¶ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ. *per orationem & jejunium*] Supra dixerat Chriſtus fiducia opus eſſe ad hæc præſertim notæ majoris miracula. Nunc oſtendit quomodo ea parari poſſit, precibus nimirum fervidis. Jejunium ideo adjungit, quia ad preces imprimis requiritur animus demiſſus, cui rei inſervit jejunium. Unde plerumque conjungi videmus νηστείαν [*jejunium*] & δέησιν [*orationem*] ſive προσευχὰς [*preces*], Lucæ II, 37. Actorum X, 30. XIV, 23. I Corinthior. VII, 5. Vide ſi libet Iachiaden ad Danielis X, 3. Utinam vero nunc quoque inter Chriſtianos neque vileſcant jejunia, neque εἰς τὸ θεατρικὸν & τραγῳδικὸν [*theatrale & quaſi tragicum*] degenerent. Certe diabolos vitiorum gerere imaginem paſſim apparet. Quare ſententia quam Chriſtus hac occaſione in perpetuum valituram eſt elocutus, hoc ſignificat, eſſe quædam tam gravia aut tam adulta vitia quæ niſi magno niſu humilis precationis nequeant expugnari.

22. Ἀναστρεφομένων, *converſantibus*] *Verſantibus*: nam *revertentibus* hic locum habere non poteſt, cum quæ hactenus narrata ſunt appareat geſta eſſe in deſcenſu à monte Itabyrio qui eſt in Galilæa. Geſta hæc igitur in itinere à partibus Nazaretæ vicinis lacum verſus. Vide quæ ad Marcum. ¶ παραδίδοσθαι, *tradendum eſt*] Varius in hac re uſus eſt hujus vocabuli. Nam & Pater dicitur Filium tradidiſſe, quia eum malorum hominum poteſtati permiſit; & Filius ſeſe, quia volens mortem ſubiit; & Judas eum tradidiſſe Pontificibus & Legiſperitis, & Pontifices ac Legiſperiti Pilato, & Pilatus militibus. Ego, cum hic ſimpliciter dicatur εἰς χεῖρας ἀνθρώπων [*in manus hominum*], putem de Patre hæc intelligenda, qui Filium ita hominibus tradiderit ut ei fecerint quod ipſis eſt collibitum, ut ſupra Chriſtus loquebatur commate 12. Neque abſurdum forte ſit ſi eodem modo interpretemur id quod ſupra eſt IV, 12. ὅτι Ἰωάννης παραδόθη [*quod Joannes traditus eſſet*]. Nam *Deus* nomen in verbis ſubintelligi ſatis uſitatum eſt.

24. οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες, *qui didrachma accipiebant*] Non Publicani Romanorum; nuſquam enim inter Romana tributa Didrachmum invenies; ſed miſſi à Sacerdotibus quos שלוחים [*miſſos*] Hebræis, Helleniſtis ἀποστόλους aut ἀποδόχεας [*receptores*] vocari alibi diximus. Nam δίδραχμον [*didrachmum*] hoc à Judæis penſitatum eſt in uſum Templi ad ipſa Veſpaſiani tempora; de quo miror dubitari, cum clara ſint Joſephi verba de Veſpaſiano, φόρον δὲ πᾶσι ἐπιδήμοις ἔτι Ἰουδαίοις ἐπέβαλε, ΔΙΤΟ ΔΡΑΧΜΑΣ ἑκάστου κελεύσας κατὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν [*tributum autem viventibus ubicunque Judæis impoſuit* DRACHMAS DUAS, *quas quotannis Capitolio penderent, quantum ante Templo Hieroſolymitano inferre ſolebant*]. Notavit idem Maimonides libro cui *Manus* nomen, lectione III. titulo ſeptimo, qui eſt de Siclo; Suetonius quoque Domitiano & Dion Coccejus. Appianus Syriacis φόρον σωμάτων [*tributum corporum*] vocat. Ita quod ultro pendebant Judaicæ religionis homines, in neceſſitatem uſuſque longe alios verſum eſt: quomodo Theodoſius quoque & Valentinianus aurum coronarium, quod dare Judæi Patriarchis ſuis ſolebant, compulſu exigi & ſuis largitionibus inferri juſſerunt. Neque dubium quin de Didrachmo hoc Veſpaſianeo agat Martialis cum πλοῦ τῶν Ἰουδαίων ἀκροποδίου [*Judæorum circumciſionem*] obſcœnius eloquens *damnatam* ait *tributo*. Et hæc eſt, ni fallor, *calumnia fiſci Judaici ſublata* poſtea, ut nummi veteres teſtantur. Nullum enim aliud onus impoſitum peculiariter πᾶσι Ἰουδαΐζουσι [*Judaizantibus*] legimus. Ortum habuit τὸ δίδραχμον [*Didrachmum*] ex ipſa Moſis lege. Nam Deus per Moſen juſſerat in uſum Tabernaculi capitatim pendi σίκλου τὸ ἥμισυ [*dimidium ſicli*], inquit Joſephus: addens, Ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ἐστὶν ἀργύριον ἔχον δραχμὰς τέσσαρας [*Siclus autem nummus Judæorum continet drachmas quatuor*], nempe Atticas, quod ipſe alibi adjicit. Quod apud Lxx eſt, Δώσουσι τὸ ἥμισυ τοῦ διδράχμου κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον [*Dabunt dimidium Didrachmi juxta ſacrum didrachmum*], verbis differt, re idem eſt; nam Lxx ubique Drachmis utuntur duplaribus, id eſt, Alexandrinis: Joſephus autem ut & hic Matthæus de Drachma Attica agunt. Quanquam vero plerique Hebræorum putant legem illam Moſis fuiſſe perpetuam, mihi tamen magis placet eorum ſententia qui temporariam fuiſſe exiſtimant, ſed temporibus ita exigentibus repetitam. Nam quoties decimæ cæteræque obventiones Leviticæ, accedente etiam Regum liberalitate, ut videre eſt I Paralipomenon XXVI, 26, 27. ad Templi neceſſitates ſufficiebant, quid opus erat tributo Didrachmi? At poſt defectionem Decem Tribuum multum imminutis reditibus Levitarum, cœpit iterum ad exemplum legis antiquæ Didrachmum imperari, II Paralipomenon XXIV, 6, 9, Nehemias vero rationem, ut credibile eſt, habens præſentis paupertatis, & onerum quibus populus premebatur, pro ſemiſſe Sicli imperavit trientem, quod Græci Interpretes vocant τρίτον τοῦ διδράχμου [*tertiam partem didrachmi*] nempe Alexandrini. Sed poſtea ad Didrachmum commune reditum ex Joſepho vidimus; atque id penſitatum non modo ab his qui ſub Synedrii qualicunque poteſtate vivebant, ſed etiam in Galilæa, imo & per totum terrarum orbem, ſed ab his ſponte ac religione privata. Et Hieroſolymis quidem colligebatur Didrachmum in ipſo Templo XXV die menſis Adar à menſariis ei negotio præpoſitis. In aliis partibus idem factum per alios. Locus eſt inſignis & ad horum verborum interpretationem perutilis apud Joſephum Originum XVIII, 12. ubi de Judæis agens qui erant ἐν Βαβυλωνικῇ διασπορᾷ [*in Babylonica diſperſione*], & de urbe Niſibi, Ἰουδαῖοι, inquit, τῇ φύσει τῶν χωρίων πιστεύσαντες τὸ δίδραχμον τῷ Θεῷ κατασθῆναι ἐνταῦθα πάτριον τοῦτο κατέθεντο [*Judæi freti locorum ingenio didrachmum quod à ſingulis Judæis pendi mos habet, ibi depoſuerant*]. Maimonides in urbe Nehardea idem factum memorat. Quare aut ad δίδραχμον [*Didrachmum*] proprie pertinet, aut certe δίδραχμον etiam comprehendit, quod Cicero pro Flacco ait *aurum Judæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus Romanis provinciis exportari ſolitum*; & quod Tacitus ait *tributa & ſtipes Hieroſolyma congeri ſolita*; & Philonis locus II De Monarchia, χρεῶν ἄκρα πᾶσιν οἰκεῖα τιμαῖον τῶν ἱερῶν χρημάτων ἐστὶν, εἰς ἃ συμφοιτῶσιν ἔθος ἀπαρχόμενοι· καὶ χρόνοις ὡρισμένοις ἱερομνήμονες τῶν χρημάτων εἰσὶν αἱρετοὶ δικαιότατοι ἐπιμεληταί [*ferme in quavis urbe arca eſt ſacrarum pecuniarum, in quam mos eſt accedentes ſingulos aliquid inferre: deinde ſacri legati certis temporibus veniunt, delecti ex optimis*]. Item edicta illa tum Auguſti, tum Præſidum Romanorum, quorum apud Philonem & Joſephum frequens mentio, quæ Judæis permittunt colligere pecunias & Hieroſolyma deferre. ¶ εἰ τελεῖ τὰ δίδραχμα; *non ſolvit didrachma?*] Non pro imperio agunt, ut aut Romanorum aut Regis Herodis publicani, ſed quærunt an ſolvere ſoleat. Credibile eſt multos, quia non cogebantur, id onus detrectaſſe. Norbanus in edicto ad Sardianos ex Auguſti imperio permittit Judæis ea colligere quæ tribuebantur ἐκ τῶν ἰδίων προαιρέσεως, ἰουδαϊκὰ ἔνεκα τῶν εἰς τὸν Θεὸν [*ſponſe ſua ex pietate in Deum*]. In his erat τὸ δίδραχμον [*Didrachmum*], ut jam diximus.

25. οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη; *Reges terræ à quibus accipiunt tributum?*] Similitudinem à Regibus terræ ad cœli Regem deducit hoc modo, Videmus paſſim à Regibus immunes tributorum haberi, ſi non & alios, certe filios ſuos; Philo plus dicit, τοῖς βασιλέων ἰδιώταις ἄξιον μὴ μόνον ἐλευθερίαν, ἀλλὰ καὶ ἀρχὴν συμμοιρεῖν [*Regum amicis æquum non libertatem tantum ſed & imperium aliquod tribui*]. At hoc δίδραχμον [*Didrachmum*] nomine Dei exigitur: Quis igitur dubitet quin Deus me Filium ſuum unicum, qui נגיד, id eſt, *Princeps*, Danieli IX, 25, 26. velit hoc onere ſublevatum? Imo Filius major eſt Templo, ſupra XII, 6. non ſolet autem major minori tributum pendere. Ex mente igitur ipſius Dei, cujus negotium ſe agere Sacerdotes dicebant, liberum ſe Chriſtus probat. Plurali numero utitur non quod ad alios eam extendat libertatem, ſed quod comparatio id exigebat ſumta non ab unius ſed ab omnium Regum more ac conſuetudine. Dei nomine exactum hoc tributum ex Joſepho vidimus, qui dicit τὸ δίδραχμον τῷ Θεῷ κατασθῆναι [*Didrachmum Deo perſolvere*]. Tum illud huc potiſſimum pertinet quod Titus apud Joſephum obſeſſis commemorat, δασμολογεῖν ὑμῖν ἐπὶ τῷ Θεῷ ἐπετρέψαμεν [*ſub Dei nomine tributa vobis colligere permiſimus*]· quod ipſum evidenter oſtendit manſiſſe hunc morem ad excidii tempora. Tributum ab Auguſto indictum, quod non Judæorum erat proprium onus ſed commune omnium provinciarum, ut jam dicere cœpimus, non eſt hujus loci; multoque minus id quod Agrippa remiſit non Judæis ſed Hieroſolymitis, id enim non perſonarum ſed domuum erat onus. ¶ κῆνσον; *cenſum*] Vox apud Hebræos poſteriores frequens,

cepta apud ipſos uſurpari à Pompejanis temporibus. Ita autem vocantur onera quævis aut perſonarum aut prædiorum, ut ex titulo Digeſtorum De cenſibus apparet.

26. *ἀποτέλων. ab alienis*] Ἀλλοτρίων [*alienis*] hic opponuntur filiis familiarum. Ita in Jure Romano ſumitur vox *extranei heredis*.

27. *σκανδαλίσωμεν, ſcandalizemus*] Ne dicant à me Templum contemni. Docet nos Chriſtus exemplo ſuo etiam cum diſpendio aliquo, ſi ita opus ſit, redimere ſiniſtras ſuſpiciones. ¶ *εὑρήσεις στατῆρα· invenies ſtaterem*] Videntur verba magis id innuere, notum Chriſto in eo piſce eſſe ſtaterem quam factum ut ſtater in piſce exiſteret. Cum autem ſtater valeret τετράδραχμον [*drachmas quatuor*], arrepta à Chriſto eſt hæc occaſio Petrum ſimul ſublevandi. Credibile omnino eſt exactum δίδραχμον [*Didrachmum*] eo loci ubi quiſque larem habebat. Chriſtum Capharnaumi habitaſſe extra controverſiam eſt. Vide ſupra IV, 16. Petrus olim Bethſaidæ habitaverat; ſed ex quo rebus relictis Chriſto aſſiduus comes hæſerat, in ipſius familia cenſebatur. ¶ *ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ. pro me & te*] Id eſt, *meam tuamque vicem*. Nam hoc eſt Græcis *ἀντὶ*, & Syris לה.

PRICÆUS.

Com. 4. Καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι. εἰ θέλεις, ποιήσωμεν ὧδε τρεῖς σκηνάς] Expoſitio verborum iſtorum petenda forſan à conſuetudine iter facientium, qui diverſorium, convallem, fluvium arboribus obſitum, aut amœnum ejuſmodi locum pervenientes aliquem, inibi curare avent ſe, & oblectare otium ſuum, temporis & negotiorum nulla ratione habita. Anacreon, (& ſub ſimili verborum forma, quæ tamen hactenus latuit non agnita)

Παρὰ τὴν σκιλὴν, βάθυλλε,
Κάθιζον καλὸν τὸ δένδρον.
Τίς ἂν εἴη ἡμῶν παρέλθοι
Καταγώγιον τοιοῦτον;

ubi ſecundum verſiculum vertunt, *ſiſte pulcram arborem*, ſententia plane nulla: at ſi poſt illud κάθιζον diſtinctionem poſueris, locutio, & per eam ſenſus clarum ſe & luculentum oſtendet. Sic cum animæ facultatibus poſthabitis corporeæ curantur, Arrianus ſimile factum ait εἶδον τινὰ τῶν ἀπαιδεύτων εἰς τὴν πατρίδα τὴν ἑαυτοῦ, καὶ διοδίων πανδοκεῖον καλὸν, αἱρεσιωτῶν αὐτῷ ἕπεσθαι καὶ πανδοκεῖα ἐν αὐτῷ κατασκευάσαι. Et addit, ἀνθρωπε, ἐπιλάθου ζητεῖν τὰ ἀναίσθητα· οὐκ εἰς τοῦτο ἄθλους, ἀλλὰ δι' ἄλλο τοῦτο. Ἀλλὰ κομψὸν τοῦτο· (quod hic καλὸν ὧδε εἶναι.) Reſpondet, Πόσου δὲ ἄξια πανδοκεῖα κομψά; πόσου δὲ λειμῶνες; ἀλλ' ἁπλοῦς εἰς διόδου· τὰ δὲ παρεμπίπτοντα ἐκεῖνα, εἰς τὴν πατρίδα ἐπανελθεῖν. Petrus oblito itinere ſuo, id eſt, perpeſſionibus per quas ſine mundanarum amœnitatum diverticulis ad cœlum ei contendendum erat, præſentiſque viſionis ſplendore ac jucunditate permulctus, volebat figere tabernacula, gaudio diutino frui. At Chriſtus eum cum ſociis duobus ſpectatorem adhibuit, primum ut ſuæ ipſius futuræ gloriæ hanc ius velut ſcintillam oſtenderet: deinde ut ex illa ſcintillula lux clara (id eſt, ſpes certa) affulgeret iis quandoque ejuſdem gloriæ participes etiam ipſos futuros, modo exemplo ejus eo viam ducentem & jugiter & animoſe inſiſterent. Ad ſenſum proxime adductum (mutata tantum perſona) ſpectat & Epigramma illud, *Hoſpes hic bene manebis*, (q. d. καλὸν σοι ὧδε μένειν· i. εἶναι) quod pro foribus ſtabulorum tabernarumque olim ſcribi ſolitum ex Senecæ (ſi recte memini) Epiſt. 21. diſcimus.

Com. 5. Νεφέλη φωτεινὴ ἐπεσκίασεν αὐτοὺς] Virgil. 2.

—— *& pura per noctem in luce refulſit.*

Ubi Servius, *In luce, in nimbo, qui cum Numinibus ſemper eſt.* Idem 5.

Aera dimovit tenebroſum, & diſpulit umbras:

ad quæ Servius,

Nam ſemper Deos ambit nimbus.

Com. 12. ἐποίησαν ἐν αὐτῷ ὅσα ἠθέλησαν] Κατὰ τὰ δοκοῦντα αὐτοῖς Hebr. 12. 20.

Com. 14. Γονυπετῶν αὐτῷ] Et ſtatim, ἐλέησον· genua enim ad eliciendam miſerationem ſolebant tangi. Achilles Tatius lib 5. Πρὸ τοίνυν γόνατων ἡμῶν γονὺ, &c. καὶ, Ἐλέησον, ἔφη, δέσποινα. Serv. ad Æn. 3. *Phyſici genua miſericordiæ conſecrata volunt, ut aures memoriæ*, &c. Apul. 2. *Cujus dim manus deoſculatus, & ipſa genua contingens, Miſerere, ait, ſacerdos, miſerere.* Idem 9. *Simulans ad commovendam miſerationem genua ejus velle contingere*: apud Plautum Rudent.

Nunc tibi ampleſtimur genua, egentes opum,
Ut tuo recipias tecto, ſerveſque nos,
Miſerarumque te amborum uti miſereat.

Petronius, *Comprehendi Enmolpi genua, &, Miſerere, inquam, morientium.* Bene autem hoc γονυπετῶν, cum de ſanatione res, preceſque tanquam ad medicum factæ vel majorem medico. Seneca De brevit. vitæ cap. 8. *Nemo tempus eſtimat, utuntur illo laxius, quaſi gratuito: at eoſdem egros vide, ſi mortis periculum admotum eſt propius, medicorum genua tangentes.* Heſychius, γονυπετεῖ, σκυλλεῖ), δέεται, ἱκετεύει.

Com. 17. ἕως πότε ἔσομαι μεθ' ὑμῶν;] Apud Arrian. in Epictet. Δύσκωφε, ἕως τίνος ἀκουσόμεθά σου περὶ τούτων; Hebr. 5. 12. ὀφείλοντες εἶναι διδάσκαλοι διὰ τὸν χρόνον, πάλιν χρείαν ἔχετε, &c.

Com. 18. ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ τὸ δαιμόνιον] Marcus in hac hiſtoria, ἐγὼ σοὶ ἐπιτάσσω, &c. quæ vox (qualis Dominorum in mancipia) plenariam poteſtatem notat. Sic & Marc. 1. 27. Luc. 4. 36. & 8. 31. ἐπιτάσσει. Fabulator ille Philoſtratus de Apollonio ſuo Dæmonem ejecturo, Οἷον δεσπότης φησὶν ἀνδράποδα, μιαιλὸν, πανοῦργόν τι καὶ ἀναιδῆ, καὶ τὰ τοιαῦτα ζῷα ὀργῇ λέγων, καὶ πολλὰν αἰκιζόμενος ζῷα πεπαιδευμένα.

Com. 20. ἐὰν ἔχητε πίστιν, &c.] Bene Peluſiota τὸ θαύμαστον τῇ εἰς θεὸν ἐλπίδι κατορθοῦσθαι dixit: hinc Act. 6. de Stephano, πλήρης πίστεως· & poſt, ἐπιὶ πίστει καὶ σημεῖα. Sequitur οὐ κόκκου] Proverbiale de re minima. Timon Syllographus,

Πτωχὸς μὲν φρένας εἰμὶ, τάφος δέ μοι οὐκ ἐνὶ κόκκος.

Ibid. ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ, Μετάβηθι, &c.] Et hoc proverbiale de re maxima & difficillima: apud Livium, *Quid, aut qua causa? num montes moliri ſua ſede paramus?*

CAP. XVIII.

MUNSTERUS.

2. *Advocans Jeſus puerum*] Declarat & docet Chriſtus hoc facto quod nemo debet ſe aliis anteferre; ſed quiſque operam dare debet ut omnibus inferior ſit, pluribuſque ſerviat. Vult nos eſſe *pueros*, h. e. humiles & demiſſo animo, ſi cupimus *intrare in regnum cœlorum*, h. e. ſi volumus numerari inter filios Dei. Et ut magis nos provocaret ad puerilem humilitatem, oſtendit quanti pueri ſint ſibi & Patri, cum dicit *ſe & Patrem recipi quando hujuſmodi puer recipitur*; & rurſus, *optabilius eſſe ut quis in mare mergatur quam ut offendat aliquem talem puerum qui in ipſum credit.* Eſt autem hic *offendere* oppoſitum ejus quod eſt *recipere*: Et cum *recipere pueros* ſit eos magnificare & beneficiis afficere, conſtat *pueros offendere* aliud nihil eſſe quam eos contemnere & injuria afficere. Nulla autem majori injuria affici poſſunt quam ſi facto vel verbo ad impietatem provocentur, occaſioque detur ad ruinam. Talibus autem ſcandalis mundus eſt plenus, cum totus in maligno poſitus ſit, & plurimæ peſſimæque ſint arbores quæ non niſi malos reddunt fructus: ideoque Chriſtus hic dicit, *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala: ſed væ homini per quem ſcandalum venit.* Poſiti ſumus ut fructum feramus, & multos provocemus ad juſtitiam & veram pietatem: ideo ſi quid dicto vel facto admiſerimus quod huc non faciat, ſcandalum objecimus, & contra vocationem noſtram egimus. Et hæc omnia ſunt intelligenda de eo ſcandalo quo impii bonos ad malum trahunt; non de ſcandalo Phariſæorum, quo boni impiis ſunt offendiculo, ſicut & Chriſtus reprobis Judæis *petra ſcandali* fuit & *lapis offenſionis*, de quo Iſaias c. 8. vaticinatus eſt. Impii in Chriſto & membris ſuis ſemper impingunt; ideo Chriſtus ſupra dixit, *Sinite eos: cæci ſunt, & duces cæcorum.* &, *Beatus qui non fuerit offenſus in me.* Cæterum quando Chriſtus hic tam diligenter hortatur ne cui offendiculo ſimus, præſertim autem parvis, id non tantum intelligendum eſt de parvis ætate, ſed etiam de his qui parvi ſunt fide & intelligentia. Hi omnes tam chari ſunt Patri cœleſti, ut conſtituerit illis ſanctos *Angelos* cuſtodes, miſeritque propter eos *Filium* unigenitum *ut ſalvaret eos qui perierant* in primo parente Adam ob peccatum ab illo contractum.

8. *Detrunca eam*] Quomodo manus ſit truncanda, aut oculus eruendus, ſupra c. 5. eſt explicatum; nempe, quod occaſio peccandi ab omnibus membris eſt reſcindenda.

12. *Si*

12. *Si fuerint hómini centum oves*] Exprimitur hac ſimilitudine, quod ſicut homines perdita aliqua re, eam majori cura quærunt quam reliqua majora & potiora ſervant, majori denique afficiuntur gaudio cum eam rurſus inveniunt quam de poſſeſſione iſtorum perpetua, ſic Patri cœleſti ſingulari ſunt curæ puſilli, etiam ſi per ſe ſint abjecti, & peccato primi parentis infecti. Sic dicit hic Chriſtus vulgari more, *majus gaudium eſſe in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente quam ſuper nonaginta novem juſtis qui non indigent pœnitentia:* ſiquidem gaudium affectus eſt de recenti bono ortus, qui poſt aliquantam boni illius fruitionem iterum remittitur. In ſumma, Chriſtus hic oſtendere voluit inæſtimabilem Dei erga peccatores reſipiſcentes dignationem & ineffabilem bonitatem, qua obviis manibus redeuntes ſuſcipit, & inter oviculas ſuas numerare dignatur.

15. *Si peccaverit in te frater tuus*] Docet non facile de peccatoribus deſperandum, ſed ante tentanda omnia. Nemo offendendus, ſed ad ſalutem omnes provocandi. Cum quis coram aliquo peccaverit, is admonere eum debet peccati, idque ſeorſim, quo ille videat ſuam ſalutem, non infamiam quæri: & ſi ille hinc reſipiſcat, monitor *lucratus eſt* eum. Si monitorem non audiat, *aſſumat adhuc unum vel duos*, quo majoris momenti ſit illi qui peccavit monitio. Quod ſi & hos contemnat, indicetur *Eccleſiæ* ejus pervicacia. Et *ſi nec Eccleſiam audierit*, monitus ſcilicet à multis, *habeatur* ab eis *veluti ethnicus & publicanus*. Et *quæcunque* illi ſic *ligaverint*, *ligata habebuntur in cœlis*, h. e. quos ita monitos ejecerint è ſuo conſortio, ii etiam apud Patrem ejecti habebuntur; & rurſum *quos ſolverint*, atque pœnitentes in conſortium ſuum receperint, ratum id erit & apud Patrem. De hac poteſtate ligandi & ſolvendi, h. e. excludendi ab Eccleſia, vel recipiendi in eam, ſupra c. 16. nonnihil quoque diximus.

22. *Septuagies ſepties*] Senſus eſt, Quotieſcunque pœnitet fratrem peccati, debemus & nos ei condonare, id quod ex Lucæ cap. 17. clarius habetur. Cæterum parabola mox ſubjuncta docet nos clementem habere Dominum, quippe cujus clementiam incomparabilem erga nos indies experimur; quam & indefeſſo ſtudio imitari debemus erga conſervos, ex cordibus injurias illis remittentes.

VALLA.

3. *ET efficiamini ſicut parvuli*] Mallem dicere *velut*, ſive *tanquam*, *parvuli*, h. e. perinde ac ſi eſſetis parvuli: quod in illo ſit apertius,

4. *Quicunque ſe humiliaverit ſicut parvulus iſte*] Iſte parvulus non ſe *humiliat*, ſed *humilis eſt*: igitur dicendum eſt *velut parvulus iſte*, h. e. tanquam parvulus iſte eſſet.

6. *Et demergatur in profundum maris*] Ità eſt Græce ad literam, *Et demergatur in pelago maris*, h. e. ut ſentio, *in alto mari*, ἐν τῷ πελάγει τῆ θαλάσσης.

9. *Bonum eſt tibi cum uno oculo in vitam intrare*] *Cum uno oculo* tria verba ſunt, ac minus ſignificantia quam unum Græcum μονόφθαλμον· quia ſic dicitur *cum uno oculo* ut *cum uno ſocio*; at Græca vox ſignificat unum habere oculum, quod poſſit transferri *unoculum*; quo vocabulo quidam magni utuntur, ſed uſitatius eſt dicere *luſcum*. Melius ergo apud Marcum 9. 47. *Bonum eſt tibi luſcum intrare in regnum Dei. Monoculus* an uſquam legerim non memini. *Unoculum* Varro antiquitus etiam *Coclitem* dictum eſſe demonſtrat.

24. *Oblatus eſt ei unus qui debebat decem millia talenta*] Si tranſtuliſſet ad verbum interpres ſic, *Unus debitorum decem millium talentorum*, non in Grammaticam peccaſſet. Cujus peccati cauſa eſt, quod apud Græcos *millia* adjectivum eſt, ut *mille*, at apud nos ſubſtantivum; ideoque dicendum, *decem millia talentorum*: quia ſubſtantiva inter ſe, tanquam duo mares aut feminæ, conjugium non efficiunt; quemadmodum nec duo adjectiva ſine ſubſtantivo: μυρίων πολλάντων.

26. *Procidens autem ille ſervus orabat eum, dicens*] *Adorabat*, legendum eſt; & *cadens* potius quam *procidens*: πεσὼν προσεκύνει. De conſervo enim dicitur quod *orabat* ſive *rogabat*, παρεκάλει.

35. *Niſi remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*] Deeſt *delicta eorum*, τὰ παραπτώματα αὐτῶν. Ita enim finit Chriſti reſponſio adverſus Petrum, qui interrogaverat, *Domine, quoties peccaverit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties?*

ERASMUS.

1. QUis putas, τίς ἄρα μείζων] *Putas* interpres poſuit locò conjunctionis expletivæ. Et μείζων comparativum ſuperlativi vice poſitum apparet, cum de pluribus fiat ſermo. Certe ſic legit Auguſtinus in homiliis quas edidit in Matthæum.

2. *Advocans parvulum*, προσκαλεσάμενος] Quod toties jam vertit *convocans*: ut ne quid interim cauſer de mutato participii tempore. Nec eſt *parvulum*, ſed παιδίον, i. *puellum*, diminutivum à *puero*. Etſi non ſim neſcius alicubi diminutivum hoc uſurpari pro grandi puero, tamen hoc ſane loco non fuerat otioſa diminutio. Facit enim ad emphaſim, dum non ſolum invitat illos ad imitationem cujuſcunque pueri, ſed pueri admodum puſilli. Nec video cur nonnullis *puelli* vocabulum mollius videatur, cum Prudentius non veritus ſit Chriſtum appellare *puſionem*, nec Hieronymus abhorruerit à vocabulo *puelli*. Cur autem obſcenius ſit *puellus* quam *puella*? Ac rurſum

3. *Sicut parvuli*, ὡς παιδία] i. *ſicut puelli*. Atque ita citat D. Hieronymus enarrans Eſaiam. Et iterum

4. *Sicut parvulus iſte*, ὡς τὸ παιδίον] i. *ut puellus*, ſive *puerulus*: nam & hoc eſt apud probatos autores. Illud mirum, interpretem, qui ſoleat copiam affectare, hoc loco non mutaſſe *parvulum*; præſertim cum *parvuli* vocabulum non admodum faciat ad ſenſum Chriſti. Siquidem parvulus eſſe poteſt & qui natu ſit grandis, cujuſmodi ſunt pumiliones & pygmæi, quibus à cubitali proceritate nomen eſt inditum: At hic innocentiam ac ſimplicitatem intelligi voluit, qua prima pueritiæ ætas prædita eſt. Sed hujuſmodi quædam voces illa tempeſtate fuerant receptæ. Nec additur *iſte* in pleriſque Græcorum exempl. niſi quod articulus τὸ ferme tantundem efficit. Dilucidius autem vertiſſet in hunc modum, *Niſi quis ſe reddiderit humilem*, ut *eſt puellus hic*, h. e. tantulum quantulus hic puer eſt, & dejiciat ſemetipſum ad hujus modulum. Cæterum Jeſus per humilitatem corporis innuit ταπεινοφροσύνην, h. e. *animi modeſtiam*, & per corporis proceritatem ſignificat animum elatum. ¶ *Hic major eſt in regno*, μείζων] i. *maximus*, ut paulo ſuperius indicavimus. Nam ſunt, quorum eſt Origenes, qui hæc ad ipſum Chriſtum pertinere putant, quo ut nihil humilius fuit ita nihil majus. Nec otioſe videtur additus articulus ὁ μείζων, q. d. *ille maximus*; ad quem quo quiſque propius acceſſerit hoc major erit in Regno cœlorum. Quanquam & alioqui articulus reddit *maximum* illum de quo diſputabant Apoſtoli.

6. *De puſillis iſtis*, τῶν μικρῶν] Non eſt eadem vox Græcis quæ modo fuit *parvulorum*, παιδίων. Atque hoc duntaxat loco Origenes, vel hujus potius interpres, legit *puſillis*, ſive *parvulis*, cum in ſuperioribus legat *puerum*. ¶ *Mola aſinaria*, μύλος ὀνικὸς] Significat ingens ſaxum. Siquidem in molis ſaxum quod ſubſternitur, ut alterum quod circumagitur ſuſtineat, Græcis ὀνος *aſinus* dicitur: unde proverbium, Ἀστρώμου ὄνος, ſicut in Chiliadibus annotavimus. Nec abſurdum eſt tamen quod ſecutus eſt Hilarius, ut molam aſinariam accipiamus quam aſellus circumagat. Siquidem molæ leviores, quas *truſatiles* vocant hominis manu circumferuntur; cæterum graviores à jumentis, quibus occluduntur oculi, aguntur in gyrum. Expreſſit autem ſupplicii genus peculiare Palæſtinis, ut indicat Hieronymus, quod ob enormia crimina ſolet exigi. Igitur ex atrocitate pœnæ craſſo populo demonſtrat culpæ magnitudinem. ¶ *In profundum maris*] Gr. ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης, *in pelago maris*, pro eo quod eſt *in medio mari*. Nam longius à littore ſolet eſſe profundius. Quandoquidem qui Græcas tradunt etymologias *pelagus* dictum putant quod ſit τῆλε τῆς γῆς *procul à terra*, q. *telagus*. Certum igitur exitium duabus rebus ſignificat, magnitudine ſaxi, & profunditate maris.

7. *Væ homini per quem*] Plerique Græcorum codices addunt ἐκείνῳ *illi*.

8. *Abcide eum*] Nonnulli codices habebant αὐτὴν *eam*: ut ad utrumque quod præceſſit referatur. ¶ *Debilem* Eſt κυλλὸν, de quo jam dictum eſt. Significat enim non quovis modo debilem, ſed cui altera manus ſit detruncata aut alioqui manca.

9. *Cum uno oculo*] Græcis vox eſt compoſita, μονόφθαλμον, quod *unoculum* dicere poterat, ſive *luſcum*; quemadmodum vertit alibi.

11. *Venit enim Filius hominis ſervare quod perierat*] In nonnullis Græcis exempl. hæc verba non aſcribuntur, necapud Hieronymum in commentariis horum ulla eſt mentio. Ne Origenes quidem hanc particulam attingit. In nonnullis contra reperiuntur, velut apud Chryſoſtomum, Theophylactum, & Hilarium.

12. *Qua erravit*] Gr. τὸ πλανώμενον errantem.

13. *Quia gaudebit, ἢ χαίρει*] i. *quod gaudet*, ſive *gaudeat*.

14. *Ut pereat unus de puſillis iſtis*] Ἕν neutro genere, ut referat παιδίον. Unde recte vertiſſet, *unus puellus*.

15. *Lucratus eris, ἐκέρδησας*] i. *lucrifeciſti*, aut *lucratus fueris*. Quandoquidem peculiaris eſt hujus temporis uſus.

16. *Quod ſi non audierit, ἐὰν δὲ παρακούσῃ*] i. *Quod ſi auditum neglexerit:* atque idem verbum mox repetitur. Quanquam in nonnullis priore loco erat μὴ ἀκούσῃ, poſteriori παρακούσῃ.

18. *Erunt ſoluta & in cœlo*] Conjunctionem addidit de ſuo, ut ſuperius indicatum eſt. In hoc autem mire philoſophatur Origenes, quod hic dictum ſit *in cœlo*, cum Petro tradantur *claves regni cœlorum*, ut *quicquid ille ſolverit* aut *alligaverit in terris*, *id ſolutum* aut *alligatum* dicatur *in cœlis*; non, *in cœlo*.

19. *Et iterum dico vobis, πάλιν ἀμὴν*] i. *Rurſus amen dico*. Neque enim bis dixit idem, ſed eſt initium alterius parabolæ. *Rurſus* autem apud Latinos anceps eſt, ut apud Græcos πάλιν at *iterum* apud nos non item.

22. *Uſque ſeptuageſies ſepties, ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά*] i. *uſque ſeptuageſies ſeptem:* ſic enim Græca ad verbum reddi poſſunt; ut ſubaudias *peccata* aut *vitia*, aut ſimile quippiam. Nec accipiendus eſt numerus Septuaginta ſeptem duntaxat, ſed Quadringentorum nonaginta, quandoquidem hanc ſummam efficiunt *ſeptuagies ſeptem*; interprete Theophylacto, & item Hieronymo. Nam ingentem numerum poſuit pro infinito, quem tropum evidenter indicavit Chryſoſtomus, quod probabile non ſit quenquam toties offenſam repetiturum. Ita loquimur, *Trecentos inſere*, pro innumeris; &, *Millies audivi*. In eadem ſententia fuiſſe videtur Hilarius, cum ait, *Quanto magis oportere oſtendit ſine modo ac numero veniam à nobis eſſe reddendam*, &c. Atqui ſeptuaginta ſeptem non eſt numerus infinitus. Alluſit autem Dominus ad locum qui eſt Geneſeos quarto, ubi Deus comminatur ei qui occiderit Cain *pœnam ſeptuplam*: Lamech autem, ait, qui ipſum occidiſſet, *daturum pœnas ſeptuagies ſepties*. Quem numerum Hebræi putant non excedere ſeptuaginta ſeptem. Itidem Origenes, aut certe hujus interpres, in calce hom. 6. videtur accipere ſimpliciter *errata ſeptuaginta ſeptem*. Major numerus bene convenit in condonando, at in ulciſcendo non item.

23. *Rationem ponere, συναραι*] i. *conferre*, ac ſimul *ſubducere* aut *ſuſcipere computum:* nam id hoc loco ſignificat *ratio*. Ea tollendis calculis conficiebatur, aut certe explicandis aut complicandis digitis. Unde & Terentius *ſubducta ratione* dixit. Nam quod *decem millia talenta* dixit pro *talentorum*, Latinitatis duntaxat injuria factum eſt, ſenſu incolumi.

25. *Non haberet unde redderet, μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι*] i. *Cum non poſſet autem ſolvere*. Siquidem ἔχω additum verbis infinitis plerumque ſignificat *poſſum*. Latiniſſime dixiſſet, *Cum non eſſet ſolvendo*.

26. *Rogabat eum, dicens*] Vetuſtiſſimi cod. Latini ſcriptum habebant *orabat*. Plerique Græci προσεκύνει *adorabat*, pro eo quod eſt *ſupplicabat:* quod ſupplices contacta gena & genu velut adorabant, obteſtantes per Numen, cui ſupplices curæ ſunt. Nonnulli παρεκάλει, i. *obſecrabat*. ¶ *Et patientiam habe*] Gr. μακροθύμησον, i. *Longanimis eſto*, ſive, *Leni animo:* pro quo multi legunt *magnanimum*, & pro μακροθυμία *magnanimitas*. Nam inter ſe natura cohærent *magno eſſe animo* & *leni*, quod vindictæ cupiditas arguat puſillum animum.

27. *Et debitum dimiſit, τὸ δάνειον ἀφῆκεν*] i. *mutuum remiſit*, ſive *æs alienum remiſit*.

28. *Et ſuffocabat eum*] Et dilucidius & fidelius erat, κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγε, *injecta illi manu, obtorto collo trahebat:* id enim eſt κρατεῖν & πνίγειν hoc loco. Nam κρατεῖν pro *injicere manum* & alias utuntur Euangeliſtæ. Porro quod addit πνίγειν, pertinet ad vi trahentem, vel in carcerem, vel ad Judicem.

31. *Narrarunt, διεσάφησαν*] i. *indicarunt*, ſive *aperuerunt*, aut *prodiderunt*.

32. *Serve nequam, πονηρὲ*] i. *male*, ſive *ſceleſte*. Verum hujuſmodi permulta prætereo ſciens, ne moroſiore diligentia moleſtus ſim lectori. ¶ *Omne debitum remiſi tibi, πᾶσαν τὴν ὀφειλὴν ἐκείνην ἀφῆκα*] i. *Totum illud debitum remiſi*.

35. *De cordibus veſtris*] Hic addunt Græci τὰ παραπτώματα αὐτῶν, *errata ipſorum:* quod haud ſcio an explicandi cauſa ſit additum, quandoquidem apud Hieronymum non additur, etiamſi additur apud Chryſoſtomum ac Theophylactum.

VATABLUS.

1. QUi putas] *Quiſnam*.

2. *Parvulum*] *Puellum:* vel, *puerulum*.

4. *Demiſeris*] Vel, *humilem reddideris*. ¶ *Major*] Vel, *maximus*.

6. *Expedit ei*] Ecliptica videtur oratio: *Expedit ei*, ſcilicet magis quam illud feciſſe, *ut ſuſpendatur*, &c. Vel, *expedit* pro *melius eſt:* quia Hebræi carent comparativo.

7. *A ſcandalis*] Hebr. *propter offendicula*, q. d. Infeliciſſimus eſt mundus propter ſcandala quæ puſillis meis aſſidue creat.

8. *Scandalizat te*] *Obſtaculo tibi eſt*, i. creat tibi peccandi occaſionem. ¶ *Bonum*] *Melius*, Hebr. ¶ *Debilem*] *Mancum*.

10. *Quia angeli eorum*] i. Angeli, eorum cuſtodes & tutores, à quibus nunquam Deus avertit faciem, accuſant apud Deum illos à quibus injuriam accipiunt iſti humiles, moribus & vita pueros referentes. Vide Dan. 10. Apoc. 12. Exod. 23. de Angelis cuſtodibus.

12. *Erravit*] *Errabat*.

15. *Peccaverit in te*] i. ſi te præſente & vidente aliquod ſcelus admiſerit, & ita te offenderit. De publica injuria, quæ Deo fit, loquitur. ¶ *Inter te & ipſum ſolum*] Vel, *interim dum tu & ipſe ſoli eſtis:* aut, *te & ipſo ſolo*. ¶ *Lucratus eris*] Vel, *lucratus es*.

16. *Duos*] Sub. *teſtes ſceleris admiſſi*. ¶ *Ore*] i. *ſermone*. ¶ *Stet*] Vel, *conſiſtat*, i. omnis res rata ſit, h. e. ut duorum teſtimonio poſſit revinci. Hebr.

18. *Eccleſia*] i. cœtui, aut congregationi publicæ, ſive multitudini.

19. *Iterum*] *Rurſum, amen*.

22. *Septuagies ſepties*] *Septuageſies ſeptem*. ſub. *remiſſionibus*; numero ſcilicet ſeptenario, quem Petrus dixerat, ſeptuagies multiplicato: ut ſit, *ſeptuagies ſeptenis remiſſionibus*, i. quadringenties nonagies: quo numero infinitas remiſſiones indicat. Latini dicunt, *ſexcenties*.

24. *Rationem ponere*] *Conferre:* vel, *ſimul ſubducere:* aut, *ſuſcipere computum*.

25. *Reddi*] *Solutionem fieri*.

26. *Patientiam habe*] *Domine, patientiam habe*.

27. *Debitum*] *Mutuum*.

28. *Tenens ſuffocabat*] *Injecta in eum manu, obtorto collo trahebat*.

29. *Conſervus ejus, rogabat*] *Conſervus ejus ad pedes ejus, obſecrabat*. ¶ *Patientiam habe*] Vel, *Leni eſto animo*.

30. *Noluit*] *Nolebat*.

31. *Narraverunt*] *Aperuerunt, indicaverunt*.

32. *Omne debitum*] *Omne illud debitum*.

35. *De cordibus veſtris*] *De cordibus veſtris delicta eorum*.

CASTALIO.

9. QUiſquis vero vel minimo horum mihi fidem habentium *incommodaverit*] Ad verb. *Unum parvorum horum:* de quo Hebraiſmo volo hic adducere exempla. Matth. 6. 19. talis Hebraiſmus eſt in ſuperlativo gradu, *Qui feceris contra unum præceptorum horum minimorum*, h. e. contra vel minimum horum: nec enim erant illa minima præcepta, ne in ſpeciem quidem. Et Prov. 26. 16. in poſitivo, *Sapientior ſibi videtur piger quam ſeptem reſpondentes prudenter*, h. e. ſibi videtur ſepties, h. e. longe, ſapientior. Et Matth. 10. 31. *Multis paſſeribus antecellitis vos*, h. e. multo antecellitis paſſeribus. Et paulo poſt in eodem capite, v. 42. *Qui bibere dederit unis parvorum horum*, h. e. vel minimo horum. Itemque cap. 25. 40, 45. Quod autem eſt, *in maris æquor*, idem ſignificantia verba duo poſita ſunt, ut Gen. 1. 14. ubi *cœli liquidum* pro *cœlo* poſitum eſt; ut ſit *maris æquor* pro *mari* poſitum. Malui autem *maris æquor* Latina conſuetudine dicere quam alieno à Latinis loquendi more *maris pelagus*, ut eſt in Græco.

CLA-

CLARIUS.

1. *IN illa hora*] Nempe cum vidiſſet parem cenſum datum pro Domino & Petro. Tu vero cogita, ut ſenſum ſignificet Petrum aliis præficiendum, ut doceat, cum inter pares eligendus ſit qui aliis præſit, cautius eſſe agendum. Vide & Diſcipulorum modeſtiam, qui, tametſi adhuc eſſent imperfectiores, non tamen indignantur, ſed tacite quaſi ſignificari ſibi poſtulant num eum velit reliquis antecedere. Neque tamen hoc diſſimulat Dominus. Nam cum omnium vitiorum initia obſervanda ſint, illud ambitionis maxime omnium: nam vix intelligitur dum ſurrepit; & cujus mentem occupaverit, omnia corrumpit bona, & in omnia præcipitat ſcelera. Lege Chryſoſtomum περὶ τ῀ ἱερωσύνης.

5. *Et qui ſuſceperit unum parvulum*] Ne grave vobis ſit, inquit, ſubmittere vos, videte quantum his parvulis honorem tribuam.

7. *Neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala*] Neceſſitas hæc non aufert libertatem, aut vim affert: ſed hic loquendi mos eſt, cum cernimus pravas tam multorum hominum mentes, quarum natura eſt erumpere aliquando in facinora, ut quod diu parturierunt aliquando pariant.

9. *Si oculus tuus*] Quod jubet *erui oculum qui ſcandalizet*, ex eo liquet non eſſe ut ſonat litera intelligendum, quod non accidit ut unus oculus ſine altero offendat: alioqui oportuerat dicere, *Si oculi tui*, &c. Per *oculum* ergo & *manum* & *pedem* intellige charos & neceſſarios, qui rejiciendi ſunt ſi ſint offendiculo.

11. *Venit enim Filius hominis*] Quid ergo ſpernis quem ipſe Dei Filius venit ut ſervet?

12. *Quid vobis videtur?*] Sic connecte, Quid mirandum eſt cur venerim? nonne & in humanis rebus id uſu venit? atque ita exemplum proponit amiſſæ ovis.

15. *Si autem peccaverit in te*] Superius quidem præceptum tibi eſt ne in fratrem pecces: Quod *ſi ipſe in te peccaverit, vade, & argue inter te & ipſum.* Obſerva vero quam ob cauſam: nempe non ut tibi ſatisfiat; quod manifeſte apparet cum addit, *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Admonendus eſt ergo frater, non ut cum eo expoſtulemus injuriam, ſed lucrandi illius gratia.

18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis*] Addit auctoritatem, ut qui ſpernere Eccleſiam cogitaverit intelligat quid contemnat.

20. *Ubi enim ſunt duo*] Quid? cum uno non erit qui ſibi ſolus vivat? Sed oſtendere vult quantum ei placeat concordia atque unanimitas.

30. *Quoadusque redderet universum debitum*] Si quod remiſſum eſt iterum repetitur, quomodo ſunt *dona Dei ſine pœnitentia?* Intellige ergo *universum debitum* peccatum illud quo ingratus beneficentiæ Domini tantæ, ne exiguum quidem debitum remittere fratri voluit: quod peccatum tam grave fuit ut illud prius decem millium talentorum debitum æquaverit.

ZEGERUS.

7. *NEceſſe eſt ut veniant ſcandala. Veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit*] Varie præſens locus exponitur. B. Hilarius per *ſcandalum* paſſionis Chriſti humilitatem intelligit: *In hoc enim*, inquit, *maxime ignorantia detinetur humana, quod ſub deformitate crucis æterna gloria Dominum noluit accipere.* Sub *hominis* nuncupatione autorem ſcandali hujus Judaicum populum deſignat, per quem omne hoc mundo periculum comparatur, ut Chriſtum in paſſione abnegent, quem Lex & Prophetæ paſſibilem prædicaverunt. Johannes Chryſoſtomus hoc dixiſſe Dominum adſerit, *non quod voluntatis libertatem poteſtatemque liberi arbitrii tolleret, aut quod neceſſitati rerum humanam vitam ſubjiceret, ſed quod pronunciaret id quod prorſus venturum noverat.* Origenes neceſſarium eſſe dicit ut veniant ſcandala propter malitiam malarum virtutum, quæ cauſa eſt humanæ malitiæ, & ſemper quærit organa quædam per quæ operetur adverſus homines mundi.

8. *Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum*] Docet nos parabola quod nec proximis noſtris nec adhærentibus nobis debeamus parcere, quodque eos fugere debeamus ſi ſenſerimus illorum nobis vita conſuetudineve præſtari cauſas ruinæ. ¶ *Debilem vel claudum*] Quod interpres vertit *debilem*, h.e. κυλλὸν, liquet hic pro ea accipiendum cui altera manus impedita ſit.

9. *Cum uno oculo in vitam intreire*] Alias, *unum oculum habentem.*

10. *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis: Dico enim vobis quia angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt. Venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat*] *Puſilli* hic non ætate ſed multorum æſtimatione appellantur; Cujuſmodi tum erant fideles in Chriſtum credentes, qui cum parvuli non ſint apud omnium maximum Dominum, multorum tamen æſtimatione tales eſſe putantur. Cum autem dicit, *faciem Patris mei aſpiciunt*, nihil aliud deſignatur quam ſumma fiducia eorum & honor præcipuus. Deinde cum mox adjungit, *Venit enim filius hominis*, &c. rationem reddit cur puſillos ſuos in ipſum credentes noluerit contemni aut ſcandalizari.

16. *Stet omne verbum*] i. firmetur omne verbum.

23. *Aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini regi*] *Regnum cœlorum* hic Patrem ſuum cœleſtem vult intelligi. Sic enim paradigma hoc interpretando concludit, *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis*, &c.

24. *Decem millia talenta*] Talentum LX libras habet, quæ continent pondus DLXXVI M granorum hordeaceorum. Sic enim juxta ſupputationem Hebræorum ab Obolo leviſſima moneta & minimo pondere ad maximum, quod eſt Talentum, numerando aſcenditur. Obolus eſt moneta pondus continens XVI granorum hordeaceorum, quod ſexies replicatum Denarium efficit, cujus pondus XCVI hordea continent. Quatuor Denarii Siclum conſtituunt, h.e. pondus CCCLXXXIV hordeorum; Porro Sicli XXV Libram, ſeu Minam, h.e. pondus hordeorum DCCCXV. Libræ vero LX Talentum efficiunt: quod ſi juſte multiplicaveris CXXXVI M grana hordeacea ponderabit. Budæus ita expendit ut X M Talentorum ſexagies centena millia Coronatorum valere putet. Sic enim ſcribit in ſua Epitome De partibus aſſis, *Talentum multiplex fuit: ſed Talentum Atticum, quod plurimum celebratur ab Hiſtoricis, ſexaginta Libras valuit ſeu Minas, h.e. ſex millia Denariorum vel Drachmarum, qua ſexagies denos Coronatos valent, h.e. ſexcentos. Decem Talenta, ſex millia Aureorum; XV Talenta novem millia; XX Talenta, duodecim millia; L Talenta, triginta millia; C Talenta, ſexaginta millia; M Talenta, ſexcenta millia; X M Talenta, ſexagies centena millia*, &c.

35. *De cordibus veſtris*] Hic Gr. adjiciunt, uno inter veteres adſtipulante Chryſoſtomo, τὰ πλημμελήματα αὐτῶν *peccata ipſorum.*

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ιη, Περὶ τ῀ δαιμονιζομένου κωφ῀.

Ματθ. ἐν τῷ Λουκ. θ, Αὐτῶν τ῀ ἐξερχομένων ἰδὼ ἀσχολεῖται αὐτῷ ἄνθρωπον κωφὸν δαιμονιζόμενον.

Δαίμονα ἐξιστοροῦσι Θεὸς λόγῳ· ἀνίεις κωφόν.
Ἄλλως,
Φθεγγομένῳ κωφῷ ἔδωκεν αὖτις ἀπὸ τοῦ δαίμονα ἱλάσας.

3. ἘΑΝ μὴ στραφῆτε] *Niſi converſi fueritis.*

4. Ταπεινώσῃ ἑαυτόν] *Dimiſerit ſe:* vel, *deprefſerit.*

6. Κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς] *Suſpendatur mola aſinaria.* ¶ Καταποντισθῇ] *Demergatur.*

8. Καλόν] *Utile.* ¶ Ἢ] *Magis quam.*

9. Μονόφθαλμον] *Luſcum.*

15. Ἔλεγξον] *Coargue.*

16. Στηθῇ] *Stabilitatur:* vel, *Pro firmo & rato habeatur.*

17. Παρακούσῃ] *Cum neglectu & contemptu audierit.*

18. Δήσητε] *Ligaveritis.* ¶ Λύσητε] *Solveritis.*

19. Συμφωνήσωσιν] *Conſenſerint.*

22. Ἑβδομηκοντάκις ἑπτά] *Septuagies ſepties.*

23. Συναῖραι λόγον] *Conferre rationes.*

25. Πραθῆναι] *Vendi.* ¶ Ἀποδοθῆναι] *Reddi debitum.*

26. Μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί] *Ira poſita, me patienter exſpecta:* q.d. Ne tam cito iraſcere.

28. Κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγε] *Prehenſum ſuffocabat.*

29. Μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί] Vide ver. 26.

31. Διεσάφησαν] *Expoſuerunt.*

34. Τοῖς βασανισταῖς] *Tortoribus.*

DRU-

DRUSIUS.

6. EXpedit ei] טוב לו. Sic dicunt, *Expedit homini ut cadat in medium fornacis ardentis, & non pudefaciat ſocium ſuum coram multis*, lib. Muſar, 133. 2. Hieron. ad hunc locum, *Quod autem dixit*, EXPEDIT EI UT SUSPENDATUR MOLA ASINARIA IN COLLO EJUS, *ſecundum ritum provinciæ loquitur, quo majorum criminum iſta apud veteres Judæos pœna fuerit, ut in profundum ligato ſaxo demergerentur.* Fides penes Hieron. eſto. Nam inter genera ſuppliciorum quæ in ea gente uſurpata nulla mentio demerſionis. ¶ *In profundo maris*] *In pelago maris.* Nam Græce ἐν τῷ πελάγει τῆ θαλάσσης, quod Ebræi dicerent בפלגות הים, vel, ut eſt apud Moſem à Gerunda Gen. 14. 7. בפלגש לים. Eſt autem *pelagus* medium aut profundum ſive altum maris. Sane Pſal. 46. 2. ubi codices Ebræi *in corde maris*, Targ. habet, *in pelago maris.* Sic enim Exod. 15. 8. niſi quod illic, *in medium pelagi maris magni.* Loquor de Targ. Jonathæ, quod exſtat in Moſem, & ab Elia citatur in Lex. Chaldaico, quod *Methurgeman* appellat. Hinc David Pomarius *pelagus* interpretatur dicens eſſe *cor maris. Cor*, i. *medium*, unde piſces *pelagii* opponuntur *littoralibus.* R. D. Pſal. 107. 24. ad locum, *e profunditatibus maris*, annotat *profunditatem maris eſſe ipſum pelagus:* & ante, *Cum ſunt aquæ multæ*, inquit, *ut in pelago maris.* Idſcribunt פלגים, vel פלגוס: & πελαγικοὶ *pelagii* vel *pelagici* piſces in alto degentes, aut, ſi placet, in medio mari: à quibus diverſi αἰγιαλώδεις *littorales*, in littore degentes. *Medium pelagi* ſic dicitur ἐκ μέσου γῆς, ut *terra pulveris, lutum cœni*, & alia ejus generis.

9. Καλόν ζοι] טוב לך. Καλόν hic non ſignificat, ἄμεινον, ſed ἀγαθὸν *bonum:* nam ſubintelligitur μᾶλλον *magis.* Sic autores Latini loquuntur. Tacitus, *Clarius majoribus quam vetuſtis*, magis quam vetuſtis. Plautus, *Bona mulier tacita quam loquax*, magis quam loquax. Sed & Græci. Homerus,

Βέλομ' ἐγὼ λαὸν σῶον ἐμεῖραι ἢ ὀπιλέσθαι.

Senſus, μᾶλλον ἢ ὀπιλέσθαι, *magis quam perire.* ¶ *In gehennam ignis*] Quæ filiis Ebræorum *Gehennom* (id compendio ſermonis valet *Vallis filii Hennom*) Syrus dicitur *Gehennam*, e in *a* verſa, quod in hac dialecto crebrum: inde *Gehenna*, ut *Maria* dicimus pro *Mariam.* Nihil certius. Pro loco damnatorum uſus eſt ante Chriſtum R. Simeon F. Johai (& Jonathan F. Uzielis interpres Chaldæus Chriſti coætaneus) in libro *Zohar* dicto, qui primus fundamenta jecit ineptæ illius Cabbalæ, cujus periti vulgo *Cabbaliſtæ* vocantur, cum vera Cabbala longe alia ſit, nempe traditio à majoribus per manus accepta. De *Gehenna* fuſe ad Marc. 9. 47. quibus addo definitionem Gehennæ, *Gehenna*, inquit Septimius Tertull. in Apol. c. 47 *eſt ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus.* Juſtinus Apolog. 2. pag. 142. Ἡ δὲ γεεννὰ ἐν τῷ τόπῳ ἐκεῖνο πολάζεσθαι μέλλουσι οἱ κόλασιν ὑπομένοντες, ἂν μὴ πιθόμενοι ταῦτα γνώσεσθε ὅτι ὁ Θεὸς λόγῳ ἢ χρείᾳ ἐδίδαξε. Plura Hieron. Matth. 10. & Eucherius in lib. Regum, pag. 202. Cabbaliſtis duæ ſunt Gehennæ, Superior, Inferior, quæ nomine communi שאול vocantur; unde forſan *Orcus* appellatus. De duplici Gehenna videndus Capnio De arte Cabbaliſtica fol. 17. p. 1. item Joſephus Caſtilienſis in Horto nucis, vol. 2. ubi & de ſeptem pœnarum receptaculis criminum reis juſſo Dei judicio deſtinatis: quæ mera ſomnia ſunt hominum otio abutentium & male feriatorum. In Ilmedenu [alias, *Jelammedenu*] ſectione, *Sancti eſtote*, & in Megella, &c. dicunt Doctores, *Quanquam ſana omnia idolorum Jeroſolymæ fuerint, tamen Moloch erat extra Jeruſalem. Erat autem ſtatua ſeptem cubicula continens, facie vituli, manibus extenſis, quales ſunt hominis parati ad aliquid accipiendum à proximo ſuo, quam igne accendebant ſacrificuli, acceptoque infante ponebant inter manus ipſius Moloch: infans autem animam efflabat. Sed cur vocatur Thopheth & Hinnom? A verbo* תפף & הום, *quorum alterum ſignificat Pulſare tympanum, alterum vocis leonum eſt, quia pulſabant tympana & rugitum edebant, ne videlicet pater exaudita voce filii miſereretur ipſius, vel à clamore & ejulatu pueri, vel ab eo quod ſacerdotes dicebant*, יפיע לך PRODERIT TIBI; *Verba ſolennia in hac re, cum populus aliquid offerret Deo.* Zacharias in Unum ex quatuor, *Nomen Gehenna in* vet. *libris non invenitur, ſed à Salvatore primum ponitur, ut inferi cruciatus deſignet. Tractum eſt itaque ex nomine loci ex cade hominum ibi interfectorum horribilis ac fœtidiſſimi, qui dicitur Gehennom, i. Vallis filiorum Hennom. In hac valle lucus erat conſecratus idolo Baal*, &c. *Erat autem locus juxta Jeruſalem ad radicem montis Moria, ubi Siloa fluit*, &c. Quæ omnia ſumpſit ex Hieron. quem vide ſi placet Jer. 7. 34. Jeſ. 30. 33. & Jer. 7. 31. Videatur quoque Anſelmus in Matth. 10. fol. 113. pag. 2. Legi etiam ſed neſcio ubi, *Locus fuit ſuburbanus, olim amœnus admodum. Ejus pars quædam Thopheth dicebatur, à tympanis quæ reſonabant ibi cum vives liberos ſuos Deo Moloch immolarent: unde etiam Vallis occiſionis*, גי הריגה, *vocatur.* Matth. 5. 22. *Gehenna ignis* i. *ignita*, vel potius *ignis Gehennæ*, quia ibi continuus ignis erat comburendis cadaveribus quæ illuc projiciebantur. Septem habitationes inferni eſſe quidam memoriæ prodiderunt, ex quibus una eſt quæ dicitur *Gehenna.* Cum alioqui Gehenna vallis olim fuerit juxta Jeroſolymam, in qua Thopheth, quem locum Joſias contaminavit. De regionibus inferni, quas מדורין appellant, videndus Manahem Ricinenſis 154. 4. De Simeone Johai F. non liquet utrum ante Chriſtum vixerit. Autorem antiquiſſimum fuiſſe credo. Librum autem ejus, quem *Zohar* vocant, à diſcipulis ejus compoſitum fuiſſe ipſimet Judæi non diffitentur. Nam facit in eo mentionem punctorum vocalium, quæ ante Hieronymum non fuiſſe adſcripta conſtans opinio eſt.

15. *Si peccaverit in te frater tuus*] In libro Selectorum Apophth. c. 20. *Si te injuria ſocius tuus affecerit, reprehende illum inter te & ipſum ſolum. Quod ſi audiverit te, jam lucratus es eum: ſin, dicito ei coram uno atque altero, ut audiant eum. Quod ſi ne tunc quidem audiverit, habeto eum pro ſocio vili.* Habentur hæc pag. 66. Apophthegmatum à me Latinitate donatorum. Ibidem, *Ame eum qui mihi crimen meum indicat inter me & ipſum ſolum:* &, *Amicus qui tibi crimen tuum indicat inter ipſum & te ſolum, quo tempore obviam tibi fit; melior eſt quam ſi daret tibi denarium aureum.* Hic quæri poteſt, ſi quis aliquid ſcribat quo privatim fratrem ſuum offendit, an frater ille teneatur privatim eum admonere priuſquam publicet aut ad alios deferat. Reſpondeo, teneri, & peccare graviter qui contra facit. Nam demus hæreſin eſſe quam in ipſius ſcriptis obſervavit, debet eum monere de illa hæreſi priuſquam pro hæretico habeat aut fugiat, juxta illud Apoſtoli, *Hæreticum poſt unam atque alteram admonitionem fuge.* Non eſt ergo fugiendus niſi prius ſemel bis monitus fuerit. Quod ſi reſipuerit interea, tunc pro fratre habendus eſt, non fugiendus. Ita mihi videtur. Eadem habentur in lib. Muſar. 221. quanquam paulo aliter, *Qui arguit ſocium ſuum, debet primum hoc facere placide inter ſe & ipſum ſolum verbis mollibus, ita ut non pudefaciat eum. Si reſipiſcit, bene eſt: ſin, debet eum acriter arguere, & pudefacere inter ſe & ipſum. Si non reſipiſcit, debet adhibere ſocios, ipſumque coram illis pudore afficere. Si nec hoc modo quicquam proficit, debet eum pudefacere coram multis, ejuſque delictum publicare. Nam certe detegendi ſunt hypocritæ.* Lege totum locum, ſi vacas, & ſi habes librum illum: nam rarus eſt apud Chriſtianos. Ego eum accepi à Buxtorfio, qui eo tempore quo hæc ſcribebam nunciabatur fuiſſe & abiiſſe

Illuc unde negant redire quemquam.

Nuntius iſte non parum me conſternavit. Siquidem in eo viro jacturam paſſæ ſunt literæ Ebraicæ irreparabilem, cum nemo ſit hodie qui abſolvere poſſit quod ille inchoavit: nam nec voluntas ei deerat nec facultas, quam ſuppeditabant copia librorum, familiaritas cum doctis Judæis, & ipſa typographia Ebraica, quæ nunc ubique jacet: nam & nos ea deſtituti jam plane languemus, Bombergum aliquem aut Stephanum aut Plantinum fruſtra ac nequicquam deſiderantes.

17. *Dic eccleſiæ*] Utram collegio ſeniorum, an multitudini? Illud Theodorus, hoc alii opinantur, pro quibus facit conſuetudo Judæorum, qui talem pudefaciebant coram multis, ejuſque delictum publicabant: ipſum autem habebant pro ſocio vili, quales erant ethnici & publicani.

18. *In cælo*, ἐν τῷ οὐρανῷ] Codex antiquus, ἐν τοῖς οὐρανοῖς *in cælis*, perinde eſt. Nam Ebræi dicerent בשמים numero duali, non plurali: niſi dicamus duplicem eſſe pluralem, duorum, & plurium, ut pluralis duorum ſit is qui proprie Dualis vocatur, qualis eſt nominis SAMAIM, quem tam ſingulariter quam pluraliter uſurpant. Sane שמים plur. numero dici non modo vir cl. Theodorus ad hunc locum, ſed etiam Haſcuni ſuper Deut. & Hieron. affirmant comment. ſuper Jeſaiam Prophetam: quos per hanc noſtram obſervationem commode poteris excuſare ab imperita ſermonis Ebraici. Vide ſis Eraſmum hoc loco.

20. *Ubi ſunt duo aut tres*, &c.] R. Hanina F. Theradionis in lib. Aboth, c. 3. *Cum duo ſedentes ſermonem habent de Lege, Divinitas habitat inter eos:* vel, ſi mavis, *Ubi duo ſedent conferentes de verbis legis, ibi Divinitas commoratur inter eos. Divinitas* Ebraice שכינה dicitur, quam à Patre Deo ubique ſepa-

ſeparant & diſtinguunt, ut cum dicunt, *Deus & Divinitas ejus*: &, *Dixit ipſa Divinitas*, *Mundipotens domine*, &c. Ergo aliquid in Deitate quod non ſit Pater. Cum dico *aliquid*, intelligo Perſonam aliquam, quam Græci ὑπόστασιν vocant, i. *ſubſiſtentiam*. Iterum dico, In Deitate eſt aliquid ſubſiſtens præter Patrem: quod expendi velim ab iis qui de hac re hodie litigant & altercantur. ¶ *In nomine meo*] בשמי, ut in comment. ſuper lib. Aboth, התכנסו לשמו *coacti in nomine ipſius*, fol. 31. p. 1.

23. *Homini regi*] Satis erat, *regi*: ſed quia Deus καθ' ἐξοχὴν Rex vocatur, ideo fortaſſe adjecit *homini*. Aut eſt locutio *homo rex*, ut *homo ſacerdos*, & *ſervus homo*, quod obvium in Plauto. Sic *homo paterfamilias* infra 20. 1. Vide quæ notavimus ad eum locum. Sæpius dicunt, *Rex caro & ſanguis*, quod idem cum illo, *rex homo*, aut *homo rex*.

25. *Juſſit eum venundari*] Ut dominus, non ut creditor. Nam creditor non vendebat debitorem, quod ſciam. Dominus autem plenam poteſtatem habebat in ſervos ſuos, quos una cum uxore & liberis divendere poterat quoties vellet, nulla lege hoc vetante. Hæc ſcribo dubitans, ut ſoleo de iis quæ incerti ſunt juris. Nam de iis quæ certa ſunt dubitare non debemus. Studia hæc conſtant varia lectione. Quod ſi quis probaverit debitorem à creditore vendi ſolere, mutabo ſententiam.

26. *Orabat eum*] Imo *adorabat* civiliter, ut ſupplices ſolent, qui ad pedes ejus quem offenderunt ſe proſternunt veniam delicti ſibique ignoſci petentes. Porro adorationem quandam civilem eſſe, ut cum Abraham *adoraret populum terræ filios Heth*, Gen. 23. 7. jampridem diſcere potuiſti vel ex libris Obſerv. mearum, ad quos te remitto.

CASAUBONUS.

6. Καὶ καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει] Quod notat D. Hieronymus, peculiare Paleſtini ſupplicium hic intelligi τὸ καταποντίζειν, non ita accipiendum eſt quaſi aliæ gentes eo ſupplicio non uterentur, ſed ad καταποντίζειν modum potius referendum qui hic indicatur: nam fuiſſe uſos Græcos hoc ſupplicii genere erga ſceleratiſſimos homines apparet ſatis ex hiſtoriis. Diodorus Siculus lib. 16. Ὁ δὲ Φίλιππος τὸν μὲν ὀνόματι Σώπολιν, ὃς ἦν τῶν ἑταίρων, ἀπὸ τῆς Κορίνθου μεταπεμψάμενος, ἐν πέτρᾳ δεδεμένον ἔρριψε εἰς τὸν πόντον. Ratio vero & modus fuit alius quam apud Paleſtinos. Non enim ſaxum collo alligabant Græci, ſed ſontem in plumbeum vas conjiciebant: quod ex Athenæi hoc loco didicimus, lib. 14. Παίτολος ὁν ὁ δεῖνα Πτολεμαίου στρατηγὸς ἐν Καύνῳ τῇ νήσῳ λαβὼν αὐτὸν, ἐμβαλὼν εἰς μολύβδινον πίθον ἐμβαλὼν, καὶ ἀναγαγὼν εἰς τὸ πέλαγος καταπίπτει. Non fuiſſe porro habitum hoc ſupplicium inter graviſſima docet Polybius lib. 2. Ἀλλ' ὅμως πάντες ἂν ἑλέσθαι ἔνιοι δοκοῦσι, πάλιν δὲ καταποντισθῆναι δίχα τῶν ἐν τῇ Ἀγχιάλῳ συμβεβηκότων.

26. Κύριε, μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί] Doctiſſimus interpres vertit, *differ iram in me*: optime ſane. Nam quod Hebraice dicitur ארך אפים *tardus iris*, Græci interpretes ſolent una voce exprimere μακροθυμεῖν, valde eleganter, ut Pſal. 86. 15. & Prov. 14. 29. ubi opponitur τῷ μακροθύμῳ ὁ ὀλιγόψυχος, i. *præceps ad iram*, ſive, ut Hebræi loquuntur, *brevis ſpiritu*. Ergo & μακροθυμεῖν eſt *tardum eſſe ad iram*, *differre iram*.

CAMERO.

1. Ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν] *Regnum cœlorum* hic & ubique in Euangelio eſt Chriſti regnum (quod & *regnum Dei* dicitur) ſive ſtatus & conditio Eccleſiæ quæ proprie Chriſtiana dicitur. Sic nempe à Judæis dicebatur Meſſiæ regnum quod ab ipſis exſpectabatur, etiamnumque hodie à Judæorum Rabbinis regnum Meſſiæ vocatur מלכות השמים *regnum cœlorum*, quod videre eſt paſſim in eorum ſcriptis. *Cœlorum* autem *regnum* dicitur: I. Quia Rex qui hoc regno potitur non eſt terrenus è terra, ſed cœleſtis è cœlo. II. Quia ſedes ejus non eſt in terra, ſed in cœlis: illinc regnat, inde exſerit vim & potentiam ſuam. III. Quia ejus ſubditi, fideles nempe, etſi quoad naturæ conditionem ſint terreni & animales, tamen poſtquam cooptati ſunt in hoc regnum fiunt cœleſtes & ſpirituales; nam qualis eſt Rex, tales facit & ſubditos ſuos. Itaque etſi fideles verſentur in terris, eorum tamen πολίτευμα eſt in cœlis. IV. Sedes certa ſubditorum hujus regni non eſt alibi quam in cœlo: Itaque in terra verſantur ut peregrini, habenturque à mundo pro exteris. V. Denique, hoc Chriſti regnum cœleſte eſt propter rationem gubernationis, quæ tota cœleſtis eſt & ſpiritualis. Porro regni Chriſti duplex ſtatus eſt, Gloriæ ſcilicet & Gratiæ. Status gratiæ eſt, in quo Chriſtus per peccatorum remiſſionem, per ſanctificationem Spiritus, per hoſtium ſuorum cladem temporalem, ad Eccleſiam liberandam, exſerit, etiam in hac vita, potentiam, ſapientiam, miſericordiam & juſtitiam ſuam. Status gloriæ eſt in quo Chriſtus participes facit gloriæ ſuæ Electos ſuos, & contra hoſtes non afficit pœnis temporalibus, ut in hac vita, ſed peſſundat & æterno exitio devovet. Unde factum eſt ut in ſcriptura *regni Dei* nomen aliquando ſignificet ſtatum gratiæ, aliquando vero, & quidem plerumque, ſtatum gloriæ. Cæterum cum hic quærunt Diſcipuli à Chriſto *quis ſit futurus maximus in regno cœlorum*, non videntur intellexiſſe regnum illud ſpirituale & cœleſte Chriſti, ſed regnum terrenum & temporale Meſſiæ, quale exſpectabant & animo concipiebant tum temporis Judæi. Dum enim Chriſtus Diſcipulos reprehendit quod iſtud quæſierint, non objicit illis curioſitatem, quaſi quærerent quinam ſint illi quos Deus in Eccleſia tum militante tum triumphante donis ſuis maxime locupletaturus ſit, ſed faſtum & ſuperbiam potius æque immodicum ſtudium inanis gloriæ illis objicit, ſiquidem jam antea contenderant de Primatu inter ſe.

2. Προσκαλεσάμενος παιδίον] Παιδίον hoc loco eodem ſenſu uſurpatur quo c. 2. Matthæi, ubi jubet Angelus Joſepho παραλαμβάνειν τὸ παιδίον. Nam ſi de puero hic agitur, nullus eſt fere adeo ingenuus puer ut accedens ad ætatem illam quæ Adoleſcentia dicitur poſſit eſſe idoneum exemplum hujus humilitatis & ſimplicitatis ad quam Chriſtus ſuos hortatur. Nec obſtat quod dicitur Chriſtus *advocaſſe puerulum*: nam apud Marcum c. 9. 36. Chriſtus dicitur λαβεῖν *ſumpſiſſe puerulum*, & apud Lucam multo ἐμφαλιώσασθαι *apprehendiſſe puerulum injecta manu*, Φιλαδελφίας Græce: & pertinebat ſane ad ſuavitatem illam affectus Chriſti puerulum lactentem blande compellare. Similis eſt iſti locus cap. ſeq. v. 13. περιλοιπὸν αὐτῷ τὰ παιδία, & ἄφετε τὰ παιδία, ubi pro voce παιδία Lucas c. 18. 15. uſurpat βρέφη, quod Græce ſignificat *pueros lactentes*, atque Chriſtum προσκαλέσασθαι *advocaſſe* illa βρέφη· ut nemo hinc, quod Chriſtus iſtos puerulos hic *advocaſſe ad ſe* dicitur poſſit colligere neceſſario puerulos illos habuiſſe tum uſum rationis. Itaque non pugnant inter ſe Euangeliſtæ, cum eorum unus ait Chriſtum προσκαλέσασθαι, alii vero λαβεῖν vel Φιλαδελφίας παιδίον.

3. Ἐὰν μὴ στραφῆτε] Non dicit μετανοήσητε, ſed ſimpliciter στραφῆτε· nam μετανοεῖν non ſignificat ſimpliciter *mutationem* ſed *pœnitentiam* in Scriptura. Hic autem etſi pœnitentiæ locus fuit, tamen Chriſtus noluit hoc ſignificare, ſed tantum mutationem ingenii & affectus. Nempe, non modo fecit hæc Diſcipulorum opinio de regno Chriſti carnali, atque hic Diſcipulorum faſtus opinionem illam conſecutus, ut Diſcipuli indigni eſſent regno cœlorum, ſed etiam ut ἀνάγκαιον eſſet ut qui ſic animis eſſent affecti poſſent eſſe cives regni cœlorum.

4. Ὅστις οὖν ταπεινώσει τὸ παιδίον τοῦτο ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, οὗτός ἐστιν ὁ μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ, &c.] Hinc ducunt Pontificii argumentum quo probent dari varios & diſtinctos gloriæ in cœlo gradus. At nihil opus ut intelligamus hoc loco *regnum cœlorum*, quale eſt in cœlis, quando nec Apoſtoli intelligebant illud; ſed regnum cœlorum quale eſt in terra, ut is maximi faciendus ſit qui maxime demiſſe de ſe ſentit: ut hæc ſit ſententia reſponſionis Chriſti, *Veſtra vera dignitas in hoc ſita eſt, ut quam maxime demiſſe de ſe unuſquiſque veſtrum ſentiat*. Deinde, etiamſi de regno Dei quale eſt in cœlis intelligeretur hoc loco *regnum cœlorum*, ne ſic quidem efficient Pontificii quod volunt. Eſt enim Chriſti mos res quas magni debemus facere nominibus earum rerum deſignare quas magni facimus.

7. Οὐαὶ τῷ κόσμῳ τῶν σκανδάλων] *Scandalum* non unum habet nomen: nam aliquando dicitur πρόσκομμα, i. *cui pes alliſus offenditur*, Heb. מכשול. eſt enim כשל *ceſpitare* & *ceſpitando humi affligi*: aliquando παγὶς *laqueus*, Heb. מוקש vel יקוש, aliquando vero σκῶλον. Eſt autem σκῶλον *lignum acuminatum definens in cuſpidem*, quale cernitur in muſcipulis. Itaque *ſcandalum* non ſignificat ſimpliciter id quo quis læditur, ſed id quo quis læditur imprudens. Eſt autem duplex, vel *Animi*, vel *Corporis*. Animi ſcandalum eſt cum animus dejicitur, non ſine errore in quem inductus eſt. Dejicitur autem animus vel cum præpeditur gaudium & pax animi, unde fit ut qui ſic offenditur minus alacrem poſſit operam exhibere in pietatis negotio, (de hoc ſcandalo agit Paulus Rom. 14. 15.) vel cum quis exemplo ad peccandum inducitur. Error autem, qui in omni ſcandalo eſt, aliquando proficiſcitur ex illius vitio cui ſcandalum objectum eſt, h. e. qui offenditur efficit ut quod in ſe non eſt ſcandalum id ei ſcandalum fuerit. Hoc ſolet dici vulgo *Scandalum acceptum*. Interdum hic error eſt à culpa illius qui objecit ſcandalum; idque tribus modis; I. Siquis hortando induxit in errorem, cum eſſet vel magna præditus authoritate, vel magno ingenio, vel magna eloquentia. II. Peccando in moribus & vita: nam exemplo ſuo minus malos illexit in peccatum, improbos confirmavit. III. Id fit dum quis abutitur libertate ſua quæ parta eſt per Chriſtum: atque hoc eſt illud ſcandalum de quo toties & tam multis diſputat Paulus

Apoſtolus. Abutitur autem quis libertate ſua, vel dum ſuperbe, ut inſultet minus peritis & infirmioribus, ea utitur; vel ſi non quidem eo animo, ſed tamen ita negligenter utatur ut ſit lata culpa. Porro non id ſemper eo modo fit ut gignatur dolor aut indignatio, ſed vel præcipue cum exemplo aliquis provocatur ad ea ſine fide facienda quæ alii ex fide poſſint facere: qua de re Apoſtolus Rom. 14 & 1 Cor. 8. Scandalum etiam ad hunc modum diſtingui poteſt, ut aliud ſit in ſe ſcandalum, ſeu lapſus ſequatur, ſeu non ſequatur (nam & piis objiciuntur ſcandala, cum tamen non ſemper labantur, impiis autem ſine lapſu nullum fere objicitur ſcandalum) aliud vero eſt ſcandalum quod ideo eſt ſcandalum quia lapſus ſecutus eſt. Atque iſtud rurſus duplex eſt: Vel enim res eſt in ſe neceſſaria; ut cum Deus unus invocatur, id ſcandalum eſt apud eos qui exiſtimant etiam creaturam invocandam eſſe: Vel res eſt legitima quidem in ſe, attamen non neceſſaria; ut cum Chriſtianus utitur libertate ſua in iis rebus in quarum uſu nullum eſt peccatum; & hoc ſcandalo tum impii, tum infirmi fratres offenduntur. Scandalum quod oritur ex rebus per ſe bonis & neceſſariis non licet evitare, quia *non eſt faciendum malum ut eveniat bonum.* At rerum legitimarum ſed non neceſſariarum diſpar ratio eſt: nam ſi ex earum uſu propter externas circumſtantias aliquid decedit gloriæ Dei vel paci Eccleſiæ aut Reipub. abſtinendum eſt illis: non enim Deus indulget libertatem ullam contra gloriam ſuam, contra quietem & tranquillitatem ſocietatis humanæ. ¶ *Ἀνάγκη γὰρ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα*] Videndum hic quæ ſit Scandalorum neceſſitas. Eſt vero illa quæſtio ardua in primis, quæ multorum magni nominis in Eccleſia virorum ingenia torſit. Nam dum voluerunt juſtitiam Dei, exigentis ſevere pœnas ab authoribus ſcandalorum, à calumnia liberare, exiſtimarunt conſtituendum eſſe id ob quod miſeri homines tam gravi ſupplicio afficiuntur ejuſmodi eſſe ut nulla neceſſitate ad id patrandum, quicquid tandem fuerit, inducti fuerint; cum iſta pugnare inter ſe videantur, ut quod peccatum non eſt pœna expiari debeat: id autem apud eos eſt pro certo & conſtituto, Peccatum nullum eſſe quod idem neceſſarium ſit. Itaque illi hanc Chriſti vocem, *Neceſſe eſt ſcandala evenire*, benigna interpretatione emollire conati ſunt. Author Gloſſæ interlinearis imprimis *neceſſe* pro eodem hoc loco accepit acſi ſcriptum fuiſſet *utile*, ut fuerit iſta Chriſti mens, ex illius ſententia, *Utile eſt ut ſcandala eveniant:* nam & ſic vulgo loquimur, ut quod admodum expedit id dicamus *neceſſarium.* In qua ſententia & Chryſoſtomus eſt, cujus adeo authoritate author illius interpretationis ſe tuetur. Sed primum authores hujus interpretationis hoc pacto in id ipſum incurrunt quod ut evitarent hanc interpr. commenti ſunt. Nam ſi utile eſt ſcandala evenire, & bonum eſt evenire ſcandala; quod ſi verum eſt, quid eſt quod cujuſpiam aures offendat ſi audiat neceſſe eſſe ut quod bonum eſt eveniat? Deinde, quominus hæc interpr. locum habeat, obſtat tum Chriſti conſilium, tum etiam verba quibus uſus eſt. Et conſilium quidem; quia non eſt Chriſti animus hoc loco docere quam afferant ſcandala utilitatem; ſed contra, quam ſint ſcandala damnoſa, quanquam ſane ſummam habent utilitatem, non eventura omnino ſi prorſus nullam haberent. Verba etiam Chriſti repugnant; quia quod hic Matthæus dixit *ἀνάγκην εἶναι*, Lucas c. 17. 1. dixit, *ἀνένδεκτόν μὴ ἐλθεῖν*, quod ſane non ſignificat *utile eſſe*, ſed *non contingens non eſſe*; hoc vero idem eſt quod *impoſſibile eſt non eſſe*, & hoc rurſus idem quod *neceſſarium eſt eſſe.* Alii, minus adhuc tolerandi, concedunt ſcandalorum neceſſitatem in genere, negant ſingulorum ſcandalorum neceſſitatem. Nempe ſic ajunt, *Neceſſe eſt ſcandala evenire: at nihil neceſſe eſt ut iſte, puta Judas, hoc ſcandalum, puta Chriſti proditionem, objiciat: itaque in eo peccari, & quidem liberrime, quod iſte hujus ſcandali author ſit.* Sed nec authores iſtius interpretationis videntur attigiſſe ſcopum ad quem maxime collimarunt. Hoc enim voluerunt efficere, ut ne peccatum videretur neceſſarium; conceſſerunt autem peccatum in genere neceſſarium eſſe. Jam vero quæ in genere neceſſaria ſunt, ſiquidem Neceſſarium pugnat cum natura Peccati, ea ſi fiunt non habebunt peccati rationem: nam quod in genere malum eſt, illud in ſingulis malum eſſe neceſſe eſt. Quis autem adeo ſtupet ut vel peccatum in genere malum eſſe, vel quod generi convenit individuis convenire neget? Ea enim quæ neceſſe eſt eſſe in genere, ſi mala ſint, etiam neceſſe eſt mala ſint in ſpecie & in ſingulis. Nam, quod etiam pueri norunt, genus non eſt niſi in ſpecie & individuo: Itidemque quod ut fiat in genere malum non eſt, illud, ſi quando fit, malum eſſe non poteſt ob eandem cauſam. Itaque ſi ſcandala evenire in genere non eſt malum, nec ut ſint in ſpecie & individuo malum erit. Non autem in genere malum erit ſcandala eſſe, ſi quicquid neceſſarium eſt id ipſum malum non eſt; quod aſſerunt authores hujus ſecundæ interpretationis. Itaque cum concedant neceſſe eſſe ut ſint ſcandala in genere, fateantur oportet id ipſum non eſſe malum: unde ſequitur quod concluſimus, nec in ſpecie, nec in individuo ſcandala evenire malum eſſe. Deinde, hæc interpretatio maximam partem providentiæ Dei tollit è medio. Nam ſi ratio habeatur cauſarum ſecundarum (qua ratione ſcandala peccata ſunt) multo plura fiunt in mundo mala quam bona: plures enim mali ſunt quam boni; imo bonorum virtus imperfecta eſt. Itaque Deo detrahenda eſſet laus ſapientiæ, potentiæ & bonitatis in gubernatione mundi, niſi ſcandala eſſent definita & certa, & quoad authores, & quoad locum, & quoad tempus, & quoad eos quibus objiciuntur ſcandala. Itaque non eſſet unde pii agnoſcerent ſe caſtigari à Deo, cum illis res eſt cum impiis hominibus qui ipſis ſcandala objiciunt, nec eſſet argumentum Divinæ providentiæ cum impii ſeſe mutuo evertunt, idque objectis invicem ſcandalis, in quo deprædicatur Dei ſapientia, ut cum Deus Madianitas inter ſe commiſit, Judic. 7. Quid igitur? Fierine poteſt ut idem neceſſarium ſit & peccatum? Certe Neceſſitas videtur pugnare cum Peccati ratione: non eſt enim peccatum quod non ſit idem ſpontaneum, nec ſpontaneum eſſe videtur quod neceſſarium eſt. Sed Neceſſarium non dicitur uno modo. Eſt enim neceſſarium quoddam quod idem *Violentum* eſt: ut cum quis ab alio impulſus aliquem imprudens dejicit, vel cum pater caſu lapſus cariſſimum ſibi filiorum oppreſſit; utrobique neceſſitas fuit, & quidem violenta. In his quæ ſunt ejuſmodi nulla eſt peccati ratio. Secundo, Neceſſarium eſt neceſſitate *Naturæ*, ut cum gravia tendunt deorſum, levia autem ſurſum. Quæ ſunt hoc modo neceſſaria rationem peccati non habent, non enim pendent à judicio & ratione. Tertium genus neceſſitatis eſt ejus quam licet *animalem* appellare, ut ſunt appetitus belluarum. In actionibus quæ proficiſcuntur ab appetitu animali ideo non eſt peccatum, quia non facit iſte appetitus ut animal, quod eo præditum eſt, poſſit ſtatuere de ſuo fine. Jam vero hoc eſt valde obſervandum, Eam neceſſitatem quam prætexunt homines dum ſe excuſant, petitam eſſe ex aliquo trium horum generum neceſſitatis. Si igitur ullum ſit præter illa neceſſitatis genus cui actiones humanæ obnoxiæ ſint, cum conſtet multa fieri à nobis cum laude, multa item indecore, certe erit quædam neceſſitas quæ cum decore & dedecore ſtare poteſt, proindeque cum virtute & vitio. Hoc igitur quærendum eſt. Nos vero in hac ſumus ſententia, Actiones illas in quibus peccatum eſt, aut vero etiam pietas & virtus, obnoxias eſſe alicui neceſſitati. Quod probari poteſt quamplurimis rationibus & argumentis tum è Philoſophia tum è ſacra Scriptura petitis. Sed pauca tantum, ex. gr. è Philoſophia proferemus. Primum, *Finis appetitur neceſſario:* id vero poſitum eſt extra omnem controverſiam: *graviſſime autem peccatur in appetitu finis:* nam ſiquis verum finem non appetat, nempe Deum, non modo in eo graviter peccat, ſed eo facit ut quicquid facit peccatum ſit. *Ergo in eo graviſſime peccatur quod ſit neceſſario.* Graviſſimum hominis peccatum & fons omnis peccati hic eſt, quod ipſe ſibi videtur eſſe finis: nam ſicubi peccat, ob hoc peccat quod omnia referat ad ſeipſum, atque in ſeipſo hæreat ex innata φιλαυτίᾳ. Cum ergo verum bonum ſit etiam verus finis, ſequitur appetitum veri boni ut finis eſſe neceſſarium in iis qui illud bonum appetunt; eſt enim illorum finis. Cum autem hoc ſit non laudabile modo, ſed heroicum & plane admirandum, ſequitur ut idem ſit neceſſarium & laudabile, proindeque & cum virtute conjunctum. Itaque ut Vitium non pugnat cum Neceſſitate, ita neque Virtus. Deinde, Prout finis appetitur, appetuntur etiam media tendentia ad finem. Media, inquam, non materialiter ſed formaliter conſiderata. Puta, quamdiu dubitamus an ſint media, non commovemur neque ut ea velimus, neque ut ea reſpuamus; at ſi media eſſe jam conſtat, prout finis appetitur, etiam appetentur media. Itaque Ariſtoteles omnem προαίρεσιν ſeu *mediorum electionem* ait ſequi προβούλευσιν *antecedentem deliberationem.* Nec obſtat quod pro ſua libertate poſſit homo hoc medio potius uti quam illo: vel enim id fit quod hoc medium magis ſit idoneum ad conſequendum finem præcipuum, qui vere finis eſt; vel omnino non fit; ut experienti rem hanc apud ſe manifeſtum erit. Tertio, ratio Boni & Mali idem evincit. Bonum enim eſt *quod omnia appetunt.* Ergo quod non eſt bonum illud non appetetur; ſi enim appetitus fertur in bonum tantum, ſane quod non eſt bonum ne appetetur quidem. Cum autem Bonum dicimus *id quod omnia appetunt*, non intelligendum venit id quod eſt in ſe bonum, ſed quod videtur eſſe bonum; quemadmodum & Malum in hoc argumento non eſt quod eſt in ſe malum, ſed quod malum eſſe videtur. Igitur ea erit ratio Voluntatis ad Bonum & Malum quæ eſt Intellectus ad Verum & Falſum. Nempe ut Intellectus non ſemper aſſentitur vero, tamen ſemper aſſentitur ei quod videtur verum; neque diſcedit ſemper à falſo, ſed ſemper ab eo quod videtur falſum, (alioqui nullus eſſet erroris locus: nemo enim errat prudens ſciens: hæc enim ſe mutuo

evertunt) ità plane Voluntas non ſemper amplectitur id quod eſt bonum, neque refugit ſemper id quod eſt malum, ſed refugit ſemper id quod videtur malum. Cum itaque id quod volumus ideo velimus quia nobis videtur bonum, & quod nolumus ideo nolimus quia nobis videtur malum; ſequitur nos neceſſario velle vel nolle quicquid volumus vel nolumus. Denique, Axioma eſt in Scholis pervulgatum, *Effectum ſequi cauſam*; *Poſita cauſa effectum poni*: Itaque conſtitutis iis omnibus quibus movetur voluntas, movebitur neceſſario. Reſpondent, hoc locum habere in Phyſicis, in Ethicis non habere locum. Sed reſponſionis ſuæ nullam adferunt rationem extra Theſim quam tuentur. Jam vero hominis eſt ingenui & ſtudioſi veritatis, qui negat axioma pervulgatum, rationem reddere negationis, vel ultro fateri inſcitiam. At nulla hujus negationis ratio reddi poteſt. Hoc enim non convenit Cauſæ quatenus cauſa eſt in hac vel illa materia, ſed convenit Cauſæ qua cauſa eſt: itaque cum Cauſa formalitatem ſuam ubique obtineat, neceſſe eſt ut quod ſequitur hanc formalitatem ubique locum habeat. Objiciunt, *Voluntatem non ſic fore liberam ſi neceſſario velit vel nolit, quia Libertas & Neceſſitas pugnant.* Ut illi occurratur objectioni tenendum eſt quid ſit Libertas. Eſt autem Libertas *facultas faciendi quod libet*; itaque is liber eſt qui quantum vult tantum poteſt (contra Servitus eſt *inopia facultatis faciendi quicquid libet*) *libertas* enim dicitur ab eo quod *libet*. Porrò duplex eſt facultas faciendi quæ tibi libeat, Ethica altera, altera Phyſica. Facultas Ethica eſt quando lege aliquid licet agere aut non agere; Phyſica verò, quando poſſumus aliquid agere viribus corporis, aut animi, vel etiam opes bonorum illorum quæ vulgò *fortuna* appellantur: ſic poteſt aliquis interficere vel non interficere innocentem, erogare vel non erogare eleemoſynam. Et hæc facultas Phyſica faciendi quod libet adeò diſtincta eſt à facultate Ethica ut aliquid Ethice liceat quod non licet Phyſice, ut ægro licet cohortari filios ſuos ad ſancte vivendum, at morbi vi impeditus interdum non poteſt id præſtare. Contra, multa Phyſice licet facere quæ Ethice non licet: puta, hominem perdere Phyſice aliquando licet, at Ethice nunquam licet; eſt enim lege interdictum. Jam vero ut hæc ad rem accommodentur, Creatura rationalis lege non eſt libera, niſi κατ' ἐξ, nempe in iis quæ ſunt ἀδιάφορα, quæ neque ſunt bona neque mala, de quibus non eſt lata certa & definita lex. Libertatem Phyſicam ne homo quidem obtinet in univerſum. Pleraque enim ſunt quæ etſi nobis liceant, cum maxime velimus, non poſſumus tamen præſtare: nempe deeſt facultas exſequendi conſilium & voluntatem animi. Solus Deus vere & proprie liber eſt, & Phyſica libertate, quia eſt omnipotens, & Ethica libertate, quia nulli eſt obnoxius legi, ipſe ſibi lex eſt. His ita conſtitutis, Reſp. ad Objectionem, negando conſequentiam: Non enim ex eo quod voluntas fertur neceſſario in objectum ſuum, ſequitur, volentem non eſſe cauſam liberam: liber enim is eſt qui facit quantum vult, volens autem neceſſariò facit quantum vult, ſaltem aliquando, nempe quando adeſt illi facultas quam diximus *phyſicam*: Ergò liber eſt. Sed in hoc latet argumenti fallacia, quòd confunduntur actus qui vocantur *eliciti* voluntatis cum actibus *imperatis*. Libertas voluntatis in his omnibus verſatur, non autem in illis: ut, v. gr. dicimus in actu imperato voluntatem eſſe liberam, quia actus imperatus dependet à voluntate, i. eo defungimur quia voluimus: at libertatem quærere in ipſo actu elicito tam abſurdum eſt quam ſi quis actum elicitum diceret imperatum, cum actus eliciti non imperentur ſed eliciantur. Itaque non ſequitur voluntatem non eſſe liberam in actibus imperatis quòd ſe habuerit neceſſariò in elicitis, cum, ut dictum eſt, actus elicitus non ſit imperatus, ſed actus imperati cauſa impellens. Deinde, eſt etiam fallacia in voce *neceſſarium*: non enim id uno modo dicitur, ſed, uti ſupra expolitum eſt, aliud eſt *à vi* profectum, aliud *à natura* ἀπλῶς dicta, aliud *ab appetitu animali*. Libertas cum his generibus neceſſitatis non poteſt ſtare. At jam oſtendimus eſſe quandam neceſſitatem dependentiæ voluntatis ab intellectu & ratione: Hanc neceſſitatem negamus non poſſe conſiſtere cum libertate, quia non impedit quin aliquis tantum poſſit quantum velit, quæ definitio Libertatis eſt. Neque pugnat etiam hæc Neceſſitas cum Contingentia. Etſi enim Contingentia & Neceſſitas ita erga ſe mutuo affectæ ſint ut Contingentia non poſſit eſſe Neceſſitas, neque Neceſſitas item Contingentia, tamen fieri poteſt ut idem ſit contingens & neceſſarium. Sit res exemplo clara, Caſus & Conſilium ita è diametro oppoſita ſunt inter ſe ut nulla ratione Caſus dici poſſit Conſilium, aut Conſilium Caſus; tamen unum idemque fieri poteſt caſu & conſilio: adeo differunt multum iſta, *convenire formaliter*, & *convenire ſubjecto*: nam certe formaliter Caſus & Conſilium non conveniunt, at ſubjecto conveniunt: ut v. gr. Si herus voluerit duos ſervos ſibi invicem occurrere, & neutrum monuerit quid ſibi eſſet in animo, eo autem ablegarit utrumque quo ſi tendant neceſſe eſt eos occurrere, aio iſtum occurſum eſſe fortuitum, & eundem eſſe à conſilio; fortuitum, ſi referatur ad ſervos; à conſilio, ſi ad herum. Eadem eſt ratio Neceſſitatis & Contingentiæ: nam aliquid dicitur fieri contingenter cum refertur ad cauſam à qua non dependet neceſſario; idem dicitur fieri neceſſario cum refertur ad cauſam à qua neceſſario emanavit: v. gr. Voluntas vel poteſt conferri cum objecto materialiter conſiderato; atque ita voluntas ſi appetit illud objectum, dicetur illud appetere contingenter, quia ſi ſpectetur voluntas in ſe, ſi objectum item in ſe, nulla ratio reddi poteſt cur voluntas magis amplexa ſit quam repulerit id objectum: Vel objectum poteſt conſiderari formaliter ut eſt in ipſa mente, quale eſt poſt πρόλυσιν *deliberationem*, atque hac ratione voluntas dicitur appetere illud neceſſario, non autem contingenter. Res illuſtretur exemplo: Priuſquam Orator habuerit orationem, priuſquam permoverit auditorem, objectis menti ſpeciebus rerum, auditor ita affectus eſt ut dicamus poſſe fieri ut velit quod Orator ſuaſurus eſt, poſſe etiam fieri ut nolit; attamen requiri ſuaſionem, ut objiciantur animo quibus commoveatur: At ſi cui perſuaſit Orator rem eſſe abſolute bonam, non jam dicimus amplius fieri poſſe ut is velit aut non velit, cui perſuaſum eſt rem eſſe expetendam. Contingentia ergo & Neceſſitas, cum ſignificent tantum dependentiam rerum, poſſunt ſimul competere eidem rei, quia idem poteſt dependere à diverſis cauſis, pro quarum ratione diverſimode ſe habet. Quæ hactenus diſputata ſunt pertinent ad demonſtrandum naturam voluntatis dum eſt in actu: Sed cum Scandalum non ſit interna voluntatis actio, ſed dictum aut factum ſecus atque oportuit, conſilium autem noſtrum fuerit diſputare de neceſſitate ſcandali, accommodanda ſunt ea quæ ſupra dicta ſunt ad rem quam agimus: Sic igitur ſe res habet. Actus imperati voluntatis tum dicuntur neceſſarii cum voluntas imperat, & facultas exſequendi adeſt: nam qui vult & poteſt, is neceſſario agit: itaque voluntatem agendi & facultatem actio ſequitur neceſſario. Hinc eſt quod cum quæritur cur à nobis aliquid non ſit factum, reſpondetur, quia defuit vel voluntas, vel facultas. Jam vero adeſt ſæpe facultas patrandi ſcandali, in impiis autem (quales ſunt plerique omnes) ſemper voluntas prompta eſt: Itaque *ſcandala venire neceſſe eſt*. Illud multo gravius eſt quod quæri ſolet, Habeantne ſcandala ullam χάριν & dependentiam à providentia Divina; &, ſi ullam habent, quæ tandem illa ſit. Noſtra ſententia eſt, Scandala pendent à providentia Divina: ſunt enim reſpectu providentiæ Divinæ media tendentia ad bonum finem, quæ ſuarum cauſarum reſpectu peccata ſunt. Probatur iſtud primo ratione, deinde verbo Dei. Ac ratio quidem hoc evincit. Suprema cauſa non poteſt excidere ſuo fine: hoc enim eſt vel inſipientiæ vel impotentiæ argumentum. Cum itaque ſcandala media ſint ad bonum finem quem Deus ſibi proponit, neceſſe eſt ea pendere à Divina providentia. Scriptura hoc etiam docet luculentiſſime. *Dominus fecit omnia propter ſe, etiam impium in diem malum*, Prov. 16. 4. ubi notanda eſt phraſis *fecit*; notat enim diſpoſitionem rerum, earumque gubernationem. Senſus enim ſimpliciſſimus eſt, Omnia eveniunt providentia Divina, etiam ſcelera, in quibus puniendis Deus aliquando oſtendit ſe non cæcutiiſſe ad hominum peccata. Et Eſai. 10. 5, 6. 7. *Væ Aſſur virga furoris mei*, &c. Scandala autem pendent à Providentia, quatenus (uti dictum eſt) media ſunt ad finem. Referuntur nempe vel ad gloriam Dei, vel ad ſalutem fidelium. Ad gloriam Dei; Primo, quia ſunt argumenta Potentiæ Dei: *Excitavit* (inquit ad Pharaonem) *ut in te demonſtrem potentiam meam*. Secundo, ut ejus Juſtitia emineat: nam quamdiu latet hypocriſis, non uſque adeo manifeſta eſt lux juſtitiæ Divinæ in puniendis hypocritis; ſed cum poſtquam illa ſe prodidit in ſcandalo Deus θαυμαστὸς ἐγένετο, omnes agnoſcunt juſtitiam Dei. Tertio, Deus ſinit evenire ſcandala ut edat exempla Miſericordiæ ſuæ: ſic Ezechiam ſivit labi, & Davidem; & ſæpenumero ſic omnia diſponit providentia ſua ut magna peccata magnæ pœnitentiæ & humilitatis præbuerint argumenta. Quartus finis ſcandalorum eſt demonſtratio Sapientiæ Dei, Ὁ δεσμεύων τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν, Job. 5. 13. Niſi eveniant ſcandala non elucebit tantopere Dei providentia quantum elucet. Nullum majus unquam fuit ſcandalum quam proditio & crucifixio Chriſti, in quo tamen Deus evidentiſſima dedit argumenta juſtitiæ, ſapientiæ, potentiæ & miſericordiæ ſuæ. Reſpectu fidelium uſus ſcandalorum eſt multiplex: Faciunt enim ad eorum ſalutem. Et cedunt quidem in gloriam piorum, quatenus per varia ſcandala, vel à doctrina nova & impura, vel à cruce & perſecutione, probatur eorum amor & fiducia in Deum, ſanctitas eorum educitur in lucem hominum & Angelorum; item quatenus ita pii ſibi ipſi innoteſcunt qui ſint. Studium etiam eorum & charitas in proximum nonniſi ſcandalis probatur: *Quæ enim eſt gratia ſi eos*

feramus quorum iram ultro provocavimus, &c. 1 Pet. 2. 20. Faciunt etiam ad gloriam fidelium, quatenus hac ratione, patiendo nimirum injuſte ab hominibus gravia multa, conformes redduntur Filio Dei. Tum & alus modis multis faciunt ſcandala ad fidelium ſalutem. Porro, cum ſcandala aliena ſint natura ſua ab hoc fine, à gloria ſcilicet Dei, & ſalute fidelium, neceſſe eſt reſpectu hujus finis ut media tantum ſint per accidens; quare à ſuperiori Cauſa dirigi neceſſe eſt ad hunc finem. Itaque cadunt ſub Providentiam. Nec propterea Deus eſt author peccati hominum. Impios enim non indurat efficiendo, ſed (quod illi liberum eſt) ſuſpendendo actum gratiæ & bonitatis ſuæ. Temerarium autem eſt velle ſcrutari rationem providentiæ Dei in malo: Scriptura enim poſuit hic curioſitati noſtræ repagula, cum docet *Judicia Dei eſſe ἀνεξιχνίαστα*, & Apoſtolus propterea exclamat, *ὦ βάθος*. Sane in hoc ſtatu peccati in quo nunc ſumus res adeo non eſt impedita. Proclives enim ſumus omnes à natura in malum; itaque cum iſta proclivitas ſe prodit ſcandalo, i. dicto aut facto, nihil aliud fit quam quod in publicum prorumpit quod latebat antea. Itaque conſtat hic aliqua ratio providentiæ Divinæ, quæ hoc pacto ita oſtendit quo perverſum hominis ingenium propendebat, & ſimul efficit ut ea omnia quibus hoc oſtenditur redundent ad gloriam nominis ſui & ſalutem ſuorum. Sed cum agitur de primi hominis lapſu, hic demum hæret ratio humana, neque ſe expedit. Non tamen nulla fuit Providentia, quæ verſata ſit & vim oſtenderit ſuam in Adami lapſu: ſed non eſt nobis curioſe & ſolicite in illius Providentiæ rationem inquirendum: ſatis nobis hoc eſſe debet, ita ſeſe geſſiſſe Dei providentiam in illo lapſu ut à culpa fuerit immunis, neque tamen illud quicquid culpæ fuerit admiſſum eſſe vel invito & repugnante Deo (abſit enim ut ſummum bonum à malo ſuperetur) vel conſentiente & connivente. Quod ſi capi à nobis non poteſt, potius inſcitiam accuſemus noſtram quam ut Deo providentiam detrahamus, ſine qua Deus eſſe non poteſt. Sequitur explicandum, Quomodo, ſi ſcandala eveniant neceſſario, juſtus ſit Dominus, qui ob id homines plectat quod evenit neceſſario. Cujus quæſtionis ſolutio ex iis pendet quæ ſupra diſputavimus de Neceſſitate, quam concluſimus non pugnare cum ratione Peccati. Itaque ſi conſtat quod neceſſarium eſt idem peccatum eſſe, conſequens erit ut quod neceſſarium eſt idem pœna dignum ſit. Prius autem verum eſt, ut ſupra demonſtratum eſt; Ergo & poſterius.

8. Εἰ ἡ χείρ σου] Locus iſte veterum ingenia fatigavit, dum in eo rem abſurdam & abhorrentem tum à ratione tum à religione τῷ τι γεγραμμένον præſcriptam à Chriſto cernerent. Itaque confugerunt ad allegorias. Nam eorum alii nomine *oculi* & *manus* voluntatem & affectus animi pravos intelligi voluerunt; alii illa quæ nobis chariſſima ſunt, ut parentes, uxorem, liberos, facultates ſeu opes, &c. figurate à Chriſto hic deſcribi cenſuerunt. Quæ interpretationes non poſſunt uſquequaque huic loco quadrare. Subjecit enim Chriſtus, *præſtare ut monoculi, claudi, manci ingrediamur in regnum Dei quam ut utrumque habentes oculum & integri projiciamur in gehennam ignis*. Nam ſi allegoriæ locus eſt in iis quæ antecedunt, neceſſe eſt ut etiam in conſequentibus locum habeat: quod abſurdum eſt. Quem enim ſenſum habeant hæc verba, *Præſtat ſine pravis affectibus ingredi in cœlum quam peccatorem detrudi ad inferos?* Oratio diluta eſt. Tum & illa, *Præſtat ſuos odio proſequentem ingredi in regnum cœlorum quam amore proſequentem dejici in inferos*. Deinde non poſſunt dici *monoculi*, ſed *cæci* potius ſunt dicendi, qui omnes ſuos negligunt; ſiquidem noſtri nobis ſunt veluti *oculi*: neque *claudi* aut *manci*, ſed *utriſque pedibus & manibus truncati*, qui ſibi chariſſima quæque abjiciunt; ſiquidem quæ chara ſunt *pes* & *manus* nobis ſunt. Sane oratio Chriſti ſimpliciſſima eſt: nec cauſa dici poteſt cur hic allegoria uti voluerit. Eſt nempe hyperbolica locutio, cujus ſententia huc redit. Si daretur optio (&, ut Paulus ad Galatas loquitur, *ſi fieri potuiſſet, eruiſſetis oculos, ac mihi dediſſetis*) potius eximendum eſſe oculum, aut exſcindendam manum, aut vero pedem, quam ut patiamur nos authores eſſe ſcandalorum, cum ſcandali ea ſit natura ut accerſat in authorem pœnam æternam: eam enim eſſe beatitudinis præſtantiam, ut optabilius ſit ea frui ſaltem ex parte quam ut ea admittamus quæ nobis integris miſeriam adferant intolerabilem. Sic filius patris amantiſſimus, ſi quando audiat à quoquam exigi à ſe ut patrem offendat, *Moriar*, inquit; non quod velit ſignificare ἀναιδὲς ſe moriturum, ſed ſe moriturum potius quam ut offendat patrem. Et ſunt filii qui rogant aliquando parentes ſuos ut exhæredent ipſos; non quidem hoc cupientes, ſed ſignificantes tamen malle ſe, ſi res eo eſſet deducta, excidere hæreditate quam obſtringi tam ſevera lege. Sic Moſes Deum rogavit ut *ipſum delere vellet ex libro vitæ*. Sed multos hoc decipit, quòd Chriſtum arbitrantur ubique exacte & ſolicite (quomodo Ariſtoteles aliquis) locutum eſſe: quod à vero alienum eſt. Chriſtus enim ſemper quidem utitur ingenua oratione, ſed ſæpe etiam utitur Hyperbolis, quæ tamen tantum abeſt ut obſcuræ ſint ut contra nihil illis ſit ſignificantius, aliquando Proverbiis pene è trivio petitis: aliquando figurata eſt Chriſti oratio, aliquando cauta, nunquam tamen vafra & inſidioſa.

10. Ὁρᾶτε μὴ καταφρονήσητε] *Contemnere* καταφρονεῖν hoc loco idem eſt quod Hebraice בזה. ſignificat autem בז non modo *contemnere*, ſed *negligere* etiam; ut cum Salomon Prov. 14. 21. deteſtatur eos qui pauperem negligunt, vocat eos *pauperum contemptores*, בז לרעהו חוטא *Qui contemnit proximum ſuum, peccat*, ubi רעהו non eſt quilibet proximus, ſed is qui pauper eſt; quod liquet ex ſequenti hemiſtichio, ומחונן עניים אשרי *at qui beneficus eſt erga afflictos, eſt beatus*. Liquet enim רעה & עניים poni tanquam ſynonyma, בז vero & מחונן tanquam oppoſita: עניים autem illthic eſt pro עניים *afflictis*. Itaque in lingua ſancta ut *negligere* eſt contemnere, ſic viciſſim curare, ſolicitum eſſe de re aliqua conſervanda, illud *honorare* eſt; uſque adeo ut præmio afficere Heb. ſit *honorare*; ut cum Judic. 13. Manoah Angelum Prophetam ratus, pollicetur ei *fore ut eum honoraret ſi quod prædixerat erat eventurum*, כבדנך, inquit, i. *præmio te afficiemus*. Sic alicubi Cicero monet Tironem, ſe dediſſe operam *ut medico bonus haberetur*. Itaque *honorare* non pertinet tantum ad laudem, ſed etiam ad mercedem, ad curam: ut nemo miretur quid ſibi voluerit Apoſtolus, qui 1 Tim. 5. hortatur Timotheum ut *pauperculas viduas honores*: nempe hoc voluit, ut earum curam gerat, ut det operam ut illis bene ſit. Eodemque ſenſu eodem cap. *Presbyteri*, inquit, *qui bene præſunt digni ſunt duplici honore*. Quid eſt igitur hoc loco καταφρονεῖτε τῶν μικρῶν; nempe non *contemnere* modo, ſed vel *negligere eos qui ſecundum carnem ſunt contempti, & tamen in Chriſtum credunt*. Conſilium ergo Chriſti eſt reprimere Diſcipulorum faſtum, qui alios etiam in Chriſtum credentes contemnebant quod non fuerunt ornati & locupletati à Chriſto tot privilegiis quot ipſi erant conſecuti, ſeu hi parvuli fuerint inter ipſos Apoſtolos (neque enim omnes Apoſtoli iiſdem prædiri donis fuere) ſeu fuerint alius ordinis. ¶ Ἑνὸς τῶν μικρῶν τούτων] Μικρὸς, Hebr. קטן, vel refertur ad ætatem, vel ad molem, ſed prius ad molem quam ad ætatem: ideo enim pueri & μικροὶ iidem ſunt, quia corpus puerorum mole parvum eſt. Et μικρὸς etiam Hebraice dicitur צעיר. Sed hoc loco μικροὶ non videtur ſignificare *parvulum ætate*, aut *mole corporis*: agit enim Chriſtus de iis quos v. 6. ornavit hoc elogio, ut eos vocaret *parvulos*, ſed *credentes*. Itaque quærenda eſt hic alia hujus vocis ſignificatio, ut nempe ſit קטן & צעיר, ſed quatenus hæc verba Hebr. Abjectam conditionem denotant: ut cum Gen. 32. Jacob profitetur ſe parvum eſſe, קטנתי, inquit, i. *Minor ſum omnibus tuis beneficiis, & omni veritate quam feciſti mihi*, haud dubie indignitatem ſuam agnoſcit, atque hoc vult profiteri, Se non eſſe tanti ut Deus ipſum tam magnis beneficiis proſequi debuerit. Sic Deut. 1. 17. Moſes Judices hortatur *ut ne faciem agnoſcant in judicio*, כקטן תשמעון כגדול, i. *tam eum qui contemptus eſt quam qui magnus eſt auditu*: itaque קטן eo loco is eſt *qui conditione eſt abjecta*. Sic etiam צעיר denotat Statum miſerum, & qui habetur deſpicatui: ut cum Gedeon Judic. 6. profitetur ſe eſſe צעיר *parvum in domo patris ſui*, h.e. contemptum: & Mich. 5. Propheta dicit Bethlehem eſſe צעיר *parvam inter* אלפי *chiliadas Juda*, h.e. deſpicatiſſimam in tribu Judæ. Itaque Deus Jer. 30. ubi agit de reſtitutione Iſraelitarum, ואכבדם *glorificabo eos*, ולא יהיו צעיר *& non erunt parvi*, h.e. contemptibiles. Sic Jobus c. 14. 21. deflens conditionem mortalium, *Filii hominum*, inquit, *glorificantur, & item* יצעירו, h.e. *fiunt ingloriі, cum pater vita defunctus nihil ſentiat*. Tenendum igitur eſt non denotari hoc loco à Chriſto ullam animi demiſſionem, quæ virtus eſt, & quidem ſumma; ſed μικροὶ hic ſunt *conditione & ſtatu vitæ illi quos homines vulgo contemnunt*, nempe vel ob paupertatem, vel ob obſcuritatem generis, vel ob imperitiam rerum, vel ob corporis vitia, & ſi quæ ſint alia quæ in ſeculo infamia ſunt. ¶ Οἱ ἄγγελοι αὐτῶν] Non mirum debet videri aut novum quod Chriſtus eos Angelos qui pro ſalute ſuorum excubant *Angelos* dicat *eorum* quibus operam dant: nam & Paulus, quanquam Chriſti Apoſtolus fuit, h.e. à Chriſto miſſus, tamen Rom. 11. 13. profitetur ſe eſſe *Gentium Apoſtolum*, h.e. miſſum ad Gentes, non à Gentibus. Sic *Angeli fidelium* dicuntur non qui mittantur tanquam nuncii à fidelibus, ſed qui mittuntur ad fideles. Porrò, non dicuntur hic *Angeli parvulorum iſtorum*, quod unuſquiſque peculiarem habeat Angelum ſibi addictum, ſed quia Angelis pro Dei arbitrio hoc incumbit ex officio ut invigilent ſuis: (ſic Eſa. 3. 4. quod dicitur, *Principes & Magiſtratus populi pueros fore*, nemo inde collegerit ſingulis è populo datum eſſe quendam Magiſtratum) qui Angeli certe numero plures ſunt, & quidem qui

qui ſuccedunt ſibi invicem. ¶ *Διὰ παντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον*] Quod Angeli dicuntur hoc loco *contemplari faciem Patris*, & quidem *ſemper*, ſimpliciſſime dicitur: nempe conſequens ponitur pro antecedente. Nam quia in hac vita Apparitores & Miniſtri ſtant coram iis qui in eos habent imperium, ut ſint parati ad eorum nutum, ideo dum voluit Dominus ſignificare contemptos iſtos homines magnæ eſſe Deo curæ, ait eorum Angelos eſſe Dei Miniſtros & Apparitores, & uſque adeo ſedulos ut niſi juſſi nihil faciant, juſſi autem omnia. Quod vero adjicitur *διὰ παντὸς*, non eſt torquendum. Sic enim regina Saba, 1 Reg. 10. Salomonem alloquitur, *Beati*, inquit, *homines tui*, h. e. famuli tui, *qui ſemper ſtant coram te*. Noluit hoc Regina, famulos illos & ſervos nunquam diſceſſiſſe è conſpectu Salomonis, tantum hac phraſi ſignificavit paratos eſſe ſemper illos ad exſequenda Salomonis juſſa. ¶ *Τῶ πατρὶ μου τῶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*] Non ideo dicit Chriſtus *Patrem ſuum eſſe in cœlis*, quod cœlo incluſus ſit quod ad eſſentiam ejus attinet; quod nonnulli tamen hoc ſeculo auſi ſunt affirmare, atque adeo defendere, tanto graviori ſcandalo quod nondum feceſſerant ex Eccleſia: Sed cum ubique ſit Deus, multis tamen & variis de cauſis dicitur eſſe ſingulariter in cœlo. Primo, quia ſupra cœlos omnia quieta ſunt, in cœlis aſpectabilibus, atque infra cœlos qui incurrunt in ſenſum, omnia motui ſunt obnoxia: nam & cœli aſpectabiles continuo circumaguntur, & infra Lunam omnia ſubinde depereunt & augeſcunt. Cum igitur natura Divina quieta ſit, & quanquam agat, minime tamen agatur, hinc fit ut mens humana, dum de illa cogitat, leſe efferat ſupra omnia illa quæ agitantur, quocunque demum agitentur motu. Deinde, ſupra cœlum nihil poteſt mens cogitare niſi quod non continetur in Univerſo: quemadmodum igitur dum cogitat de æternitate Dei egreditur extra limites temporum, & Deum cogitat qui fuit *πρὸ τῶν αἰώνων*, ſic etiam dum Deum vult eximere è numero rerum conditarum tranſgreditur terminos creaturæ, & eo conſcendit ubi nulla creatura eſt, uſque adeo neget *Deum contineri cœlis cœlorum*, 1 Reg. 8 27. Tertio, nulla eſt in cœlis peccati labes, in terra autem omnia plena ſunt peccato: itaque dum cogitamus Dei ſanctitatem, eo ſe mens ſubvehit ubi peccato nullus eſt locus. Jam, quod conſequens eſt, ubi miſeria eſt, ærumnæ, calamitas, perturbatio, non cernitur plene gloria Dei: Itaque dum vult mens occupari in contemplatione gloriæ Divinæ, ſubducit ſe à conſpectu rerum humanarum, quæ plenæ ſunt miſeria. Unde etiam & cœli ſunt ſedes Angelorum, ubi & Spiritibus beatis certa requies datur: illic enim neque peccato neque, quæ peccatum ſequitur, morti ullus eſt locus. Denique, Deus tum pro modulo ingenii noſtri à nobis capitur, dum cogitatur à nobis procul & inviſibilis: talis autem commode à nobis cogitari non poteſt niſi avertamus oculos non corporis modo ſed etiam animi à rebus ſenſibilibus: id vero nunquam tam facile fit quam dum eluctamur & emetimur & ſuperamus omnia iſta viſibilia. Itaque Dominus Jeſus corpus ſuum intulit cœlo, non modo ut eſſet arrhabo ſalutis noſtræ & futuræ gloriæ, verum etiam ut nos eum eo animi affectu ſequeremur, unde fit ut *converſatio noſtra in cœlis eſſe* dicatur, Phil. 3. 20. Hinc eſt quod Dominus juſſit nos *Patrem noſtrum* orare *qui eſt in cœlis*, nempe, ut non modo habeamus ob oculos robur & potentiam Dei, quæ hac locutione ſignificantur, verum etiam ut inter orandum cogitationes noſtræ non affigantur rebus aſpectabilibus; nihil ut opus ſit imaginibus aut ſimulacris. Colligamus igitur ex Chriſti verbis Chriſti mentem, *Ne quiſquam contemptos iſtos vulgo, qui in me credunt, audeat contemnere, aut vero negligere: tam enim Deo cheri ſunt ut eorum cuſtodia præfecerit Angelos apparitores ſuos ac miniſtros, qui ad ejus nutum præſto ſunt.*

15. *Ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ*] Chriſtus Diſcipulos ſuos hic alloquitur, non quatenus Apoſtoli ſunt, (nam hactenus commendat illis tantum quæ pro Apoſtolici muneris ratione iis incumbunt agenda) ſed quatenus ſunt Diſcipuli ſimpliciter: hic enim præcipit illa quæ omnibus Chriſtianis communia ſunt. Quæ diſtinctio diligenter eſt obſervanda. Regula autem qua diſtingui poſſint illa quæ Chriſtus dat Apoſtolis ſuis præcepta cum omnibus Chriſtianis communia ab iis præceptis quæ Diſcipulis quà ſunt Apoſtoli ſunt peculiaria, pendet vel à locutionibus Chriſti, vel à rei de qua loquitur Chriſtus natura & conditione. Nam dum Diſcipulos alloquitur, dum iis dat præcepta, quoties agitur iis de rebus quæ ad eorum munus Apoſtolicum ſpectant proprie, compellat eos univerſos, non utitur ſingulari numero, ſed plurali Rurſus cum agitur iis de rebus quæ Diſcipulis conveniunt, non quatenus Apoſtoli, ſed quatenus Chriſtiani ſunt, plurali quidem utitur numero quandoque, ſed ad ſingularem ſtatim delabitur, cujus rei exemplum eſt cap. 6. hujus Euangelii. Sed certiſſima norma hæc eſt, ut res ipſas de quibus agitur intueamur, ſintne ejuſmodi quæ certo cuidam hominum ordini conveniant, an vero quæ omnibus hominibus in univerſum competant: v. gr. patienter ferre, &, quatenus fieri poteſt, ſtudere modis omnibus ut relipiſcat frater, aut vero non habeatur pro fratre, id non Apoſtolorum modo ſed omnium omnino eſt fidelium. ¶ *Εἰς σέ*] Sunt qui hæc verba ita accipiunt ac ſi mens eorum eſſet, *te conſcio*; putantque hic agi de peccatis in Deum quæ admittuntur non publice, ſed clam, nobis tamen conſciis. At certe Chriſtus non dixit, *Si quis in Deum peccet*, ſed, *Si quis peccet in te*; quod non eſt, *Si quis peccet te conſcio*, ſed, *Si quis peccaverit adverſus te*. Quod hinc evinci poteſt; Primò, quia eadem verba eadem ſententia exſtant Luc. 17. 3. quo loco jubetur frater in quem peccatum eſt redeunti ad ſe fratri & culpam agnoſcenti remittere culpam: non eſt autem illius qui peccati conſcius eſt remittere culpam admiſſam in Deum. Deinde, Petrus paulo poſt hunc locum, audita Chriſti oratione, Chriſtum interrogat *quoties condonaturum ſit fratri ſuo, ſi frater ſæpe in eum peccaverit*; *Nunquid*, inquit, *ſepties?* Imo, inquit Dom. N. *ſeptuagies ſepties*, h. e. infinities. Huc etiam & illud accedit, quod Chriſti præceptum videri poſſit abſurdum ſi *peccare in te* nihil aliud eſt quam *peccare te conſcio*. Jubet enim Chriſtus peccatorem reprehendere adhibitis reſtibus; tum vult peccatorem deferri ad Eccleſiam: quo conſilio, ſi tu ſolus ſis peccati illius conſcius? nam factum negabit, tu affirmabis factum; utri potius credetur? Certe rei cauſa bonis viris potior judicatur donec conſtet de accuſationis jure & veritate. Imo vero ſi *peccare in te* hoc loco eſt *peccare te conſcio*, oratio non cohærebit, erit mutila & imperfecta. Supra enim hortatus eſt Chriſtus ut ne fratres contemnamus, h. e. ut ſtudeamus modis omnibus fratribus noſtris. Jam vero vult præſcribere quid ſit faciendum *ſi frater peccavit in nos*; hoccine eſt *nobis conſciis?* Illud eſſet actum agere; ſupra enim id præſcriptum eſt. Certe fratrem contemnit qui peccantem videt & negligit, ut ægrum aſpernatur qui non ſuccurrit. Sed præſcribendum tamen erat quid nobis ex officio incumbat agendum quando lædimur à fratre. Itaque Chriſti hortatio non fuiſſet numeris omnibus abſoluta niſi & hac in parte nos fuiſſet cohortatus ad patientiam & charitatem; atque ad patientiam eo quod non vult nos ſtatim excandeſcere in fratrem; atque ad charitatem, eo quod nos vult potius ſolicitos eſſe de fratris noſtri ſalute quam de noſtro damno. Itaque maneat hoc concluſum, *peccare in aliquem* hoc loco ſignificare *aliquem ladere*, non vero *aliquo conſcio peccare*. Pugnat enim tum cum prudentia, tum etiam cum pietate, ea peccata in lucem proferre quæ latent ita ut in lucem proferri non poſſint; non autem poterunt proferri in lucem, ſi te ſolo conſcio admiſſa ſunt. Itaque Judices ſæpe etiam eos coguntur dimittere quos certo ſciunt eſſe nocentiſſimos, quia non ſuppetunt argumenta quibus convincantur.

17. *Εἰπὲ*] Verbum *εἰπὲ* eſt quidem imperandi: At non tamen quicquid jubet Dominus, una eademque ratione jubet: nam ſæpe jubendo non imperat, ſed indulget: ut v. gr. jubet Adamum veſci fructibus omnium arborum quas plantaverat in Edene, præter unicam arborem ſcientiæ boni & mali; non eſt iſtud imperium ſed paterna indulgentia. Sit res igitur diſquirenda, An præceptum hoc quo Chriſtus jubet fratrem deferri ad Eccleſiam, ſit hujus generis ut ad indulgentiam potius quam ad imperium pertineat. Sane quicquid Deus præſcribit quod non ſimpliciter beneficii ſed officii rationem habet, id eſt à Dei imperio. Itaque in diſtinguendis iis quæ mandatorum forma concipiuntur in Scriptura, id ſemper ob oculos habendum eſt, pertineantne res præſcriptæ ad officium, an vero ad beneficium & privilegium ſimpliciter: quod ſi occurrat in mandato officii ratio, non eſt profecto indulgentia ſed imperium. Jam ſi hanc regulam ſequamur, facile erit diſpicere pertineatne ad indulgentiam, an vero ad imperium, quod Chriſtus hoc loco præſcripſit. Certe recurri poteſt ad Eccleſiam, vel eo animo ut interventu authoritatis Eccleſiaſticæ reparetur damnum, vel ut præcipue habeatur fratris ratio, qui corrigendus eſt & revocandus ad ſanam mentem. Si Chriſti conſilium eſſet hoc loco rationem præſcribere qua quod admiſſum eſt injuria fratris recuperari poteſt, indulgentia eſt: nam certe neminem cogit Chriſtus ad repetendum jus ſuum: imo Apoſtolus 1 Cor. 6. requirit in Corinthiis ut *patiantur ſe potius affici injuria quam litigare*. Vel frater perſequitur injuriam, non tam animo damnum reparandi quam ſtudio reducendi in viam fratrem aberrantem, quæ hoc loco mens fuit Chriſti proculdubio, qui non vult quidem negligi damni reſtitutionem, attamen non jubet pro imperio ut id præcipue ſpectemus, ſed imprimis vult haberi rationem reſipiſcentiæ illius qui nos affecit injuria. Itaque cum hæc ſit Chriſti mens, præceptum eſt ex eorum genere quæ non permittendi duntaxat ſed imperandi vim habent & authoritatem. ¶ *Τῇ ἐκκλησίᾳ*] Sunt qui hoc loco *Eccleſiæ* nomine univerſam intelligunt plebis in Eccleſia Chriſtiana multitudinem; unde occaſionem arripiunt con-

conſtituendi in Eccleſia Democratiam, quæ revera potius eſt ἐχλοκρατία. Atque hi hoc præcipue nituntur fundamento, quod *Eccleſia* nomen putant nuſquam adhiberi in Scriptura niſi ad ſignificandam promiſcuam & confuſaneam multitudinem: Quod omnino falſum eſt: nam Hebraice עדה non ſemel in Scriptura *conventum Judicum* ſignificat, ut Pſal. 82. 1. & præterea cum agitur de judicando utrum cædes admiſſa fuerit temere & fortuito, jubet עדה *Eccleſiam* ea de re judicare. Itaque quod illi ſumunt pro confeſſo, falſum eſt, *Eccleſiam* ſemper eſſe miſcellaneam turbam: ſatis enim conſtat judicia in populo Iſraelitico non fuiſſe exercita per plebem, ſed per certos quoſdam & conſtitutos Judices. Doctiſſimus Interpres *Eccleſiæ* nomine Synedrium Judæorum intelligit, πρεσβυτέριον ἢ λαῦ, ut appellatur Luc. 22. conventus primariorum Sacerdotum & Scribarum, qui erat Synedrium magnum. Verum ſi ita eſt, quæritur ratio tam novæ & inſolentis appellationis. Nam certe is cœtus עדה quidem aliquando dicitur in Scriptura; עדה autem *Eccleſia* eſt, i. cœtus, coitus multorum; attamen quoties ea vox Synedrio tribuitur, toties Græce vertitur συναγωγή· nec ullus in V. Teſt. occurrit locus quo vox עדה cum *Synedrium* ſignificat, non exponatur per vocem συναγωγή· cœtus autem ille nunquam dicitur *Eccleſia*, ſed *Eccleſia* eſt קהל: eſt autem קהל populi, multitudinis, quæ etiam συναγωγή Græce dicitur. Ergo peculiariter συναγωγή *Synedrium* eſt, quanquam & ea appellatio populi eſt. At *Eccleſia* קהל cœtum populi duntaxat ſignificat in Vet. Teſt. & quidem cœtum externum, non autem quatenus cœtus ille θεῖον habet ad religionem. At contra in N. Teſt. *Eccleſia* cœtum ſignificat, & quidem cum θεῖον ad religionem; neque notat θεῖον ad coitionem, ſed unitatem ſignificat. Quæ cum ita ſe habeant, quæ poteſt reddi ratio cur Synedrium Judæorum Dominus *Eccleſiam* vocaverit? Certe alibi in N. Teſt. Synedrium dicitur πρεσβυτέριον ἢ λαῦ· cur hoc ſolo loco *Eccleſia* dicatur non videtur dici poſſe cauſa idonea. Fortaſſe dixerit hic aliquis, Chriſtum non eſſe locutum Græce ſed Syriace. At Euangeliſta tamen non ſcripſit Syriace ſed Græce; cur ergo hoc loco *Eccleſiam* dixit quod alibi alio nomine Græco ſignificatur? Eſt qui *Eccleſiæ* nomine hoc loco intelligit Magiſtratum politicum, Chriſtique hanc eſſe mentem, ut Magiſtratus politicus qui recte ſentit de fide primum adeatur; tum ſi nihil ſic promovetur, ut liceat fratri experiri jure apud Magiſtratum alienum à religione. Quæ ſententia etſi habeat ſpeciem veri, attamen aliena eſt à Chriſti mente, qui hic conſcientiæ legem præſcribit, & vult nos eſſe ſolicitos non tam de accepti damni reſtitutione quam de emendatione fratris: neque enim dat hoc loco Chriſtus præcepta œconomica, ſed quæ ſpectant ad conſcientiam. Sic vero Chriſti præceptum non reſipiet manſuetudinem & patientiam Chriſtianam. Fingamus enim habuiſſe ſummam αὐτονομίαν Synedrium Judæorum, profecto cauſa apud Synedrium agi non potuiſſet niſi frater etiam pœna corporis mulctaretur; hoc vero non eſt componere diſſidia inter fratres, ſed inflammare & vehementius accendere odia fratrum. Cum ergo Chriſtus ita ſit hoc loco locutus ut verbum quo uſus eſt Euangeliſta *Eccleſiam* interpretatus ſit, non ſoleat autem in N. Teſt. tribui Synedrio *Eccleſiæ* nomen, explicandum eſt quid *Eccleſiæ* tandem nomine Chriſtus ſignificarit. Igitur *Eccleſiæ* nomine videtur Chriſtus ſignificaſſe collegium Presbyterorum qui Eccleſiæ Chriſtianæ erant præfuturi: cujus Presbyterii mentio fit 1 Tim. 4. 14. Sed quo minus *Eccleſia* Presbyterium hic ſignificet Eccleſiæ Chriſtianæ, duo imprimis obſtare videntur. Ac primo quidem illud, quod *Eccleſia* multitudinem Chriſtianorum in N. Teſt. ſignificat, *Presbyterium* autem eſt Collegium τῶν πρεσβυτέρων, cujus Collegii erat πρεσβὺς unus: non poteſt enim ſtare ſine Præſide Collegium ullum. Deinde vero verba Chriſti, *Sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*, non poſſunt referri ad tempora N. Teſt. ſed pertinent proprie ad Eccleſiam Judaicam. Verum prius illud facile eſt diluere. Nam *Eccleſia* perinde multitudinem ſignificat in N. Teſt. ut *ſancti* dicuntur quilibet ſancti. At vero 1 Cor. 6. 1. Apoſtolus Corinthios graviter reprehendit quod non detulerint cognitionem litium ſuarum Sanctis: non intelligit autem promiſcuam multitudinem, ſed eos qui in Eccleſia conſtituti erant ut vacarent gubernationi Eccleſiæ: quemadmodum igitur Apoſtolus *Sanctos* dicit quoſdam ex ſanctis, ſic Chriſtus *Eccleſiam* dixit quoſdam & præcipuos ex Eccleſia. Alterum vero illud quantumvis ſpecioſum ſit, tamen futile eſt. Nam ſolet Chriſtus uti locutionibus ductis à conſuetudine ſui temporis ad eas res ſignificandas quæ contingere debuerunt poſt ejus aſcenſionem in cœlum. Itaque non neceſſe eſt ut quoties utitur Chriſtus locutione ſignificante rem quæ tum fiebat cum verſaretur in terris, toties putemus Chriſtum nihil aliud voluiſſe. Deinde, Paulus temporibus N. T. locutionibus uſus eſt ductis à conſuetudine Eccleſiæ Judaicæ, 1 Cor. 16. 22. *Siquis non amat Dominum Jeſum, ſit Anathema Maranatha.* Ad hæc & illud accedit, quod Eccleſiæ illa recte dicuntur dici quæ dicuntur iis qui Eccleſiæ præſunt cum authoritate. Nam quemadmodum corpus dicitur videre cum ſoli videant oculi, ſic Eccleſia audire id dicitur quod ii audierunt ſoli qui ſunt veluti Eccleſiæ oculi. ¶ Ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ] Pontificii putant ſe ex hoc loco duo evincere poſſe; & primum quidem illud, *Eccleſiam fore ſemper viſibilem*, quandoquidem Chriſtus jubet nos eam adire, eam audire: alioqui dicendum eſſet conſtitui hic à Chriſto Judicem inviſibilem, aut certe qui non ſemper ſit viſibilis: quod abſurdum eſſe videtur. Alterum vero illud eſt, *Eccleſiam non poſſe errare*, quandoquidem jubemur ſtare illius judicio. Et ad prius quidem illud quod attinet, Negamus ex eo quod Chriſtus nos ablegat ad Eccleſiam ſequi fore ut Eccleſia ſemper ſit viſibilis. Alia enim eſt ratio præceptorum quæ locutionibus affirmativis concipiuntur, alia præceptorum quæ formulis negativis proponuntur: nam horum hæc eſt ratio ut ſint perpetua, illorum non item, de virtute, inquam, ſermonis, ut loquuntur: ut v. gr. jubemur erogare eleemoſynam: Non eſt hoc præceptum perpetuum: neque enim vel omni loco, vel omni tempore, vel omnibus, vel ab omnibus erogari poteſt eleemoſyna. Imo vero hoc loco, ſi frater in nos peccarit, jubemur eum adire ſeorſum, non poteſt hoc ſemper & ab omnibus: nam fortaſſe notum non erit quis offenderit; & ut eſſet notiſſimum, aberit forte is qui offendit. Certe ſi apud Toupinambaultios frater offenderit fratrem, non poterit adiri Eccleſia, niſi conſtituta ſit inter Barbaros illos Eccleſia. Itaque non ex eo quod Chriſtus jubet adire Eccleſiam ſequitur continuo poſſe ſemper adiri Eccleſiam: ſed quemadmodum cum agitur de conveniendo fratre ſupponitur facultas, ſic cum Chriſtus jubet adiri Collegium Presbyterorum eadem facultas ſupponitur. Tam facile diluitur quod ex hoc loco volunt *Eccleſiam non poſſe errare* in controverſiis definiendis. Quod ſi quis reſpondeat non agi hic de controverſiis in religione definiendis, ſed de privatis injuriis componendis, non infringet vim argumenti. ſed potius videbitur addidiſſe pondus huic rationi. Nam credibilene eſt Deum voluiſſe Eccleſiam judicare de peccatis quæ committuntur in proximum, fuiſſe ſecurum de iis peccatis quæ committuntur adverſus priorem Tabulam Legis? Non eſt, inquiunt, credibile. Itaque concludunt definiendi controverſias, cujuſcunque tandem ſint generis, poteſtatem Eccleſiæ à Chriſto tributam eſſe. Sed quicquid hac in parte dixerint Pontificii, nihil promoverint. Ac primo quidem, eo quod cum agitur de Eccleſiæ conſtantia in retinenda & confirmanda veritate, non diſputatur de ſingulis Eccleſiis, quas in confeſſo eſt poſſe errare: nam ii quibuſcum nobis res eſt tribuunt tantum Conciliis œcumenicis hoc infallibilitatis privilegium. At hic non agitur de Conciliis œcumenicis: non enim quando frater fratrem offendit cogenda ſunt Concilia œcumenica. Itaque aut nihil effecerunt, aut tantum effecerunt ut ſingularum Eccleſiarum Presbyteriis tribuenda ſit poteſtas definiendi controverſias: ut nihil opus ſit Conciliis œcumenicis, neque vero Papæ authoritate, ad definiendas controverſias: nam fruſtra fit per plura quod æque commode fieri poteſt per pauciora. At hoc non eſt argumentum ſolvere, ſed oſtendere quod nihil faciat ad illam cauſam quam agit is qui utitur argumento. Itaque directe ſic reſpondemus, Ex eo quod Chriſtus Eccleſiam vult adiri, quod nos vult ſtare judicio Eccleſiæ, non ſequitur Eccleſiam non poſſe errare. Nam & Chriſtus Phariſæos juſſit adiri, & ea fieri quæ præſcriberent Phariſæi, cum idem Chriſtus jubeat ut *caveamus nobis à Phariſæorum fermento*, quod Euangeliſta interpretatur *doctrinam Phariſæorum*. Eſto ergo, Deus Eccleſiæ ſuæ commiſit poteſtatem omnes omnis generis controverſias definiendi; neque id fecit tantum in gratiam Eccleſiæ univerſalis, ſed & in gratiam Eccleſiarum ſingularum; hoc non eſt negandum: ſed hæc poteſtas non eſt poteſtas dominii, ſed qualis eſt poteſtas Judicis qui vulgo *ſubalternus* dicitur, cujus ſententia ſtat ſi lege nititur, non ſtat ſi lata eſt contra legem: datur enim ab ea provocatio. Ut ergo Judex ſuperior inferiorem adire jubet, neque ordinis ſervandi gratia patitur rem ad ſe ſtatim deferri, attamen non prohibet idem Judex ſuperior ne, ſicubi inferior Judex erret, provocetur ad ſe; ſic & hoc loco Chriſtus Eccleſiam jubet à nobis adiri, eamque conſuli, at cum provocandi tamen ad ſe libertate, ſi illa erret. Ergo poteſt ex hoc loco colligi quis ſit ſervandus ordo in Eccleſia in definiendis controverſiis, non poteſt hinc colligi firmitas & veritas definitionis. Nam, quod hic vel maxime obſervandum eſt, ſupponitur in hoc Chriſti præcepto revera peccatum eſſe, non opinione duntaxat (non enim dixit Chriſtus, *Si frater tuus videtur in te peccaſſe*, ſed, *Si frater tuus in te peccavit*) & noluiſſe fratrem obedire recte monenti Eccleſiæ & ſtudenti revocare in viam. Itaque quemadmodum temere provocatur à Judice ſubalterno, neque temere modo ſed damnoſe etiam; etenim

etenim afficitur mulcta à ſuperiore Judice qui juſtam inferioris Judicis ſententiam contemplit; ita plane qui ab Eccleſiæ judicio juſto provocavit, multo magis qui id judicium contempſit, reddidit ſe obnoxium Dei judicio. At ſi frater non peccavit in fratrem, Eccleſia autem judicavit peccaſſe, non pertinet ea ſpecies (*caſum* vulgo vocant) ad hanc Chriſti legem. Aut ſi res eſt controverſa & dubia, non ſpectat eo præceptum Chriſti, ut quis in re controverſa cæca obedientia ſtet hominum judicio: V. gr. Prov. 6. jubeatur filii à Deo parere parentibus in omnibus, & quicunque non paret patri monenti habetur in Scriptura pro exſecratuli; quid ita? Quia nempe ſupponit Scriptura patrem monere ſapienter & pie: quod ſi pater ſecus faciat, non tenetur conſcientia filii ulla lege obſtricta præter eam quæ ſit Dei. Quiſquamne eſt qui ex ejuſmodi præcepto de obediendo parentibus colligat, cæca obedientia filiis eſſe parentibus obediendum? Ne ipſi quidem Pontificii ſic collegerint; neque enim putant parentes non poſſe errare. Sic jubent extremo ſupplicio affici leges humanæ & Divinæ quicunque Principi ſeſe exhibent rebelles; nemo tamen inde collegerit, Principes non poſſe errare; aut in omnibus, nulla adhibita cautione, Principi eſſe parendum. Sic Scriptura commendat obedientiam quæ debetur iis qui præſunt Eccleſiæ, ſingulis, inquam; neque tamen voluit eo (etiam fatentibus Adverſariis) ſingulos Eccleſiæ Præpoſitos non poſſe errare. Hujus generis enim hortationes requirunt conditionem, ut hoc loco, *Si in te peccaverit*: Nam alioqui temere delatus innocens frater, temere damnatus, adulterii puta, non tenetur eo ſe adulterum fateri. Sane illi ipſi quibuſcum nobis jam res eſt fatentur in quæſtione de facto Papam ipſum poſſe errare (atqui hic agitur de quæſtione de facto) itaque ſolennis formula inter eos eſt, *Cave ne erranti*; Quæ nimirum ſi erret, nec abſolutio prodeſt, nec excommunicatio obeſt ſive nocet. Ergo cum jubemur ſtare judicio Eccleſiæ, illud ſemper intelligendum eſt, *dummodo Eccleſia faciat quod Eccleſia eſt.* Nam & Chriſtus, uti jam dictum eſt, jubet adiri & audiri Phariſæos: *ſedent enim*, inquit, *in cathedra Moſis*: qua adjecta ratione indicavit non abſolute ſed certa quadam conditione eos eſſe audiendos, nimirum quatenus & quandiu vere Moſis partes agunt, vere docent quæ tradidit Moſes: id enim eſt *ſedere in cathedra Moſis.* Temere igitur ex eo quod Chriſtus contemptoribus Eccleſiæ interminatur graviſſima colligitur eam non poſſe errare, cum eadem tribuantur Parentibus, Regibus, Paſtoribus, etiam falſis Doctoribus in Eccleſia, (Phariſæis puta) Doctoribus tamen. Quorſum igitur (inquiet aliquis) ſpectat hæc locutio? Nempe ſic loquendum eſt quoties de his agitur qui conſtituuntur in officio aliquo & munere, ut iis concilietur authoritas: ſtatuendum enim eſt fore ut officio ſuo rite fungantur, in eorum gratiam qui eorum fidei commiſſi ſunt. Sic dum pater liberos commendat pædagogo, minus obſequentibus interminatur: hoc tamen ſemper ſubaudit, modo ne turpe quicquam aut quod ſit contra bonos mores præſcribat: quod ſi fiat, etiam ſeptennis filii aut quinquennis indoles laudatur à patre, ſi authoritatem, & vero ſi ſeveritatem pædagogi fuerit aſpernatus. ¶ Ἔσω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης] Eſt quidam loquendi modus ſeu figura quam Judæi vocant דרך נגאר, Rhetores autem & Grammatici Græci λόγον Δημοτικόν. Eſt autem iſta figura tum familiaris cum agitur de re aliqua quam ſtudemus reddere exoſam. Judæis non Ethnici modo ſed & Publicani erant vel maxime exoſi, habebanturque pro hominibus prorſus impiis & profanis. Chriſtus autem non ubique ſequitur genus dicendi accuratum & exactum ad normam Philoſophorum & Oratorum, ſed utitur ut plurimum & fere ſemper iis loquendi formulis quæ populo erant in ore. Itaque, ſecutus hic vulgatam loquendi conſuetudinem, eos dixit *Publicanos* quorum (ut loquitur Scriptura) portio eſt in hoc mundo, homines impios & profanos. Nec Chriſtus modo, ſed & Apoſtolus Paulus, ſic loquitur, ut vulgi rationem habeat, utiturque ejuſmodi Δημοτικῷ λόγῳ, ut v. gr. Gal. 2. 15. *Nos natura*, inquit, *Judæi, non ex Gentibus peccatores*, dum ſic loquitur non vult ſignificare fideles è Gentibus potius eſſe peccatores quam ſunt Judæi fideles, ſed ita locutus eſt ע דרך נגאר ſecutus ſententiam adverſariorum de fidelibus qui erant è Gentibus. Idem Eph. 2. 11. hortatur Epheſios velint meminiſſe qui fuerint olim, nempe *Gentes:* dictum id eſt Δημοτικῶς per contemptum priſtinæ conditionis. Idem genus loquendi adhibuit Chald. Paraph. Lev. 25. 47. ubi alienum à Dei populo, quicunque tandem ſit & cujuſcunque gentis, vocat ארמאה *Aramæum* ſive *Syrum*. Sic & Syrus Interpres in N. Teſt. quod dicitur c. 16. Actorum ſtatim initio, Timotheum fuiſſe filium *Græci patris*, exponit *patris* ארמאה *Aramæi*, ſecutus nempe דרך נגאר. non enim eo loco notatur tam natio patris Timothei quam religio. Cum enim Syri etiam antiquitus eſſent nobiliſſimi idololatræ, hinc factum eſt ut quicunque à Deo vero eſſet alienus *Syrus* hac loquendi formula vocaretur. Sic apud authores Eccleſiaſticos Ἕλληνες dicuntur, non qui natione Græci ſunt, ſed qui non ſunt Chriſtiani; eadem figura qua Galli ſolent vocare *Turcas* & *Arabas* non eos modo qui ſunt Turcæ & Arabes natione, ſed etiam homines crudeles, barbaros & avaros. Juxta hanc loquendi rationem Chriſto & Euangeliſtis pene ſolenne eſt, quoties *peccatorum*, h. e. hominum profanorum & impiorum faciunt mentionem, toties meminiſſe *Publicanorum.* Itaque Dn. Jeſus cap. 21. hujus Euangelii ſecundum Matthæum *ſcorta* ſeu *meretrices Publicanis* adjungit, & initio cap. 15. Euang. ſecundum Lucam *Publicani* & *peccatores* conjunguntur. Neque hæc figura Novo Teſt. peculiaris eſt, ſed etiam in Veteri uſitata: Nam Deus Ezech. 16. 3. Iſraelitis exprobrat quod eorum habitatio eſſet *Chananæorum habitatio*, quod nati eſſent *patre Amorrhæo & matre Chittæa.* Dictum illud eſt ע׳ דין נגאר: nam Chananæi, Chittæi, Amorrhæi gentes erant exoſæ: itaque dum vult Deus exagitare Judæos, *Chananæos* & *Amorrhæos* eos vocat. Conſimili figura Judæi Joh. 8. 48. Chriſtum vocant *Samaritanum*, & *dæmonium habere* dictitant, non quod putarent Chriſtum eſſe Samaritanum aut arreptitium, ſed quod ea nomina apud Judæos ſignificabant rem maxime inviſam. Sic etiam Arabes diſſentientem à ſe in religionis negotio, maxime vero Ethnicum, מגוש h. e. *Magum* vocant. Itaque verba Chriſti hoc loco non efficiunt ut ſtatuendum nobis ſit eum hoc tantum velle ut qui Eccleſiæ dicto non eſt audiens conveniatur apud Magiſtratum, non vero ut habeatur pro homine profano.

18. Ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα, &c.] Verba illa *ligare* & *ſolvere* in Eccleſia Judaica fuere uſitatiſſima, proindeque notiſſimæ ſignificationis quo tempore Chriſtus agebat in terris. Significabat autem *ligare* in Eccleſia Judaica *interdicere, prohibere*, contra *ſolvere* ſign. *permittere, concedere.* Itaque eorum lingua אסר eſt *prohibere*, & contra התיר eſt *permittere*; ut cum dicunt *Ezechielem & Davidem nihil ligaſſe niſi quod eſſet ligatum in Lege.* Itaque *ligare* eſt Declarare rem aliquam eſſe profanam & illicitam, ut ſunt illa quæ ipſi אסורים vocant, h. e. *res prohibitas*, quarum uſus eſt ex Lege illicitus. Contra *ſolvere* eſt Pronunciare rem aliquam eſſe legitimam, ſive ex Lege licitam, ut ſunt illa quæ ipſi vocant מותרים. Ut ſit hæc ſententia Chriſti, *Quæcunque Eccleſia cauſa cognita declarabit eſſe injuſta, ea Deus declarat eſſe injuſta; contra, quæ Eccleſia pronunciat eſſe juſta, ea Deus juſta pronunciat.* Nam & hoc obſervandum hic eſt, Chriſtum non ſic loqui, *Quæcunque ligaveritis*, aut *Quæcunque ſolveritis*; ſed neutro gen. uſus eſt, ὅσα *quæcunque*, non ὅστις *quiſcunque*, haud dubie non ſine gravi cauſa. Vide & quæ ſupra notata ſunt ad c. 16. 19.

19. Πάλιν] Quid πάλιν hoc loco ſignificet non eſt uſque adeo clarum, propter inuſitatam hujus ſignificationem in qua hic adhibetur. Nam πάλιν lingua Græca duo tantum ſignificat: vel enim eſt particula, ut ita loquar, repetitiva, quæ ſignificat repetitionem rei jam factæ, aut ſermonis jam dicti; vel eſt particula oppoſitiva, ſignificans oppoſitionem, cum ſignificat *contra, e diverſo.* At hic neutrius eſt ſignificationis: nam nec Chriſtus hic quidpiam repetit quod ante dixerit, neque facit oppoſitionem. Quid igitur eſt? Locutio eſt Syriaca, in qua lingua particula reſpondens particulæ πάλιν ſignificat Additionem, idemque quod lingua Latina *præterea.* Eſt autem illa particula תוב, ducta ex שוב Hebr. quæ ſignificat *iterum, præterea, etiam.* Ut c. 4. hujus Euangelii v. 7. cum Diabolus tentat Chriſtum, citat locum è Scriptura, Chriſtus autem reſpondet, Πάλιν γέγραπται, noluit opponere Scripturam Scripturæ, neque repetere locum Scripturæ prius allatum; hoc tantum voluit, *Etiam ſcriptum eſt*, ut illud ſcriptum eſt, ita etiam & hoc: & c. 5. 33. hujus Euangelii, Πάλιν ἠκούσατε, &c. *Rurſus dictum eſt antiquis, Non pejerabis:* noluit dicere *hoc bis eſſe dictum*, tantum ſenſus eſt, *Præterea dictum eſt.* ¶ Λέγω ὑμῖν] Accipiendum eſt illud dictum ſignanter: non enim ſignificare tantum vult Chriſtus ſe aliquid dicere, ſed majus aliquid. Et certe hæ locutiones, *Dico tibi, Dico vobis*, vel ſunt conſtitutivæ, h. e. ſignificant conſtitutionem, vel ſunt affirmativæ & aſſeverativæ, nullus ut dubitationi locus in auditoris animo relinquatur: v. gr. c. 2. Euang. ſecundum Marcum, dum Chriſtus vult ſe demonſtrare verum eſſe Deum, & qui non per blaſphemiam ſibi tribuit poteſtatem remittendi peccata, ait Paralytico, *Dico tibi, Surge, & tolle grabbatum tuum.* Et c. 4 ejuſd. Euang. ſecundum Marcum, *Puella, dico tibi, Surge.* Ubi *dico tibi* conſtitutivum eſt. Quo pertinet quod dicitur Pſal. 82. *Ego dixi, Vos Dii eſtis:* ubi *Ego dixi* vox eſt poteſtatis conſtituentis. Unde Apoſtolus dixit Rom. 13. 1. *omnem poteſtatem eſſe à Deo.* Et eſt eadem locutio aſſeverativa, ſed quæ aſſeverationem cum authoritate conjunctam habet, cujus locutionis paſſim exſtant exempla in Euangelio. Nam Chriſtus cum aliquid magnum affirmat (cum præeſſet domui Dei non

ut

ut ſervus, ſed ut Filius) *Dico*, inquit, *vobis*; *Dico tibi*. Similis eſt locutio apud Prophetas, *Dixit Dominus*. Itaque non eſt oſcitanter legendum in Euangelio, *Dico tibi*, *Dico vobis*, præſertim hoc loco, quo Chriſtus promittit Eccleſiæ rem opt. & max. neceſſariam. Itaque *dico vobis* hoc in loco idem eſt quod Gr. διαμαρτύρομαι ὑμῖν, & Hebr. מבטיח אתכם. Itaque LXX Interpretes blaſphemum illud Rabſacæ dictum אל יבטח אתכם *Ne faciat vos confidere Ezechias*, verterunt, Μὴ λεγέτω ὑμῖν Ἐζεκίας. ¶ Ἐὰν δύο ὑμῶν· & mox v. 20. Οὗ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς] *Duo aut tres*, h.e. vel pauciſſimi. Proſpexit enim Dominus quibus tempeſtatibus Eccleſia ſua eſſet jactanda. Nam Regibus terræ licet quando illis libet habere conventus, & quidem frequentiſſimos; non eſt ea ſemper Eccleſiæ conditio. Jam vero duo aut tres minimum & infrequentiſſimum faciunt conventum; itaque hac locutione uſus eſt Dominus. Sic Hebræi dum volunt dicere *non ita pridem*, dicunt מתמול שלשום *heri*, *nudiuſtertius*. Sic Oſeæ 6.2. *Dominus à duobus diebus vivificabit nos, & tertio die excitabit nos*, h.e. Brevi Dominus nos liberabit. Non ſunt igitur hæc verba accipienda præciſe; quamvis etiamſi præciſe accipiantur res eodem redibit. ¶ Συμφωνήσωσι] Συμφωνία eſt vox Muſica, quæ *concentum* ſignificat. Concentus autem à Cantu eo differt quod cantus unius ſit, concentus nonniſi plurium. Hic vero *conſenſum* ſignificat *animorum*, qui in hoc ſitus eſt quod plures non modo eodem ſed eadem via tendunt. Certe niſi eodem tenderint ſumma erit diſſenſio; niſi via eadem tenderint, erit quidem diſſenſio, at non erit ſumma. Hoc illud eſt quod Judæi qui poſt Prophetas ſcripſerunt vocant חסכים. Porro obſervandum quod Gen. 14.3. ubi eſt חברו, LXX verterunt *συνεφώνησαν*. Eſt autem חבר eo loco *convenerunt in unum locum ut inirent conſilia de conſociatione adverſus communem hoſtem*. Itaque Oſeæ 6.8. חבר ſignificat *collegium & ſocietatem hominum idem ſentientium*. Quare ſi חברו eſt *συνεφώνησαν*, חבר erit *συμφωνία*. Ergo חבר כהנים eo loco non erit ſimpliciter *collegium Sacerdotum*, ſed *collegium Sacerdotum conſentientium inter ſe*. Itaque videtur Dn. N. Jeſus Chriſtus non ſimpliciter notaſſe conſenſum, ſed conſenſum hominum qui coierunt in eundem locum; quod & ſequentia confirmare videntur. *Nam*, inquit, *ubi duo aut tres convenerunt in nomine meo, ego ſum in medio eorum*. ¶ Περὶ παντὸς πράγματος] Doctiſſimus Interpres diſtinxit hæc à prioribus συνεφώνησαν, atque conjunxit cum ſequentibus: rectè. Nam nihil aliud vult Dominus niſi ſuos, quoties unanimi conſenſu, & ſtudio decernendi ex præſcripto verbi Dei quid fas aut nefas ſit, in unum locum convenerint, quæcunque ad hanc rem ſubſidia petierint impetraturos; quanquam etſi verba iſta jungantur cum præcedentibus res eodem redibit: non enim eo divellentur ab iis quæ proxime ſequuntur ἃ ἐὰν αἰτήσωνται. ¶ Οὗ ἐὰν] Notandum eſt quoties ἐὰν ſequitur poſtpoſitivum ὅς, ἥ, ὅ, idipſum ſignificare quod Latinis *cunque* cum adjicitur pronomini *qui*, *qua*, *quod*, ſic, *quicunque*, *quæcunque*, *quodcunque*: cujus rei exempla nihil eſt neceſſe referre, cum ſint crebra in N. Teſt. Uno erimus contenti, quod eſt c. 15.5. hujus Euangelii, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, &c. de cujus loci ſenſu vide ſupra ſuo loco. ¶ Αἰτήσωνται] Αἰτεῖν & ἀξιοῦν differunt. Nam ἀξιοῦν eſt *poſtulare aliquid*, nempe *ex jure*, at αἰτεῖν ſeu αἰτεῖσθαι eſt *ſupplicitèr aliquid petere*: unde qui Græce προσαίτης dicitur Latine dicitur *mendicus*. Sic deſcribitur precantium affectus. ¶ Γενήσεται αὐτοῖς] Phraſis eſt etiam Hebræa *erit illis*: nam quod factum eſt, היה illis dicitur, h.e. *fuit*.

20. Εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα] Quid ſit *cogi in unum Chriſti nomine*, non adeo liquet: unde tot & tam variæ exortæ ſunt interpretationes. Itaque tenendum eſt quid ſibi velit in Scriptura hæc locutio, *In nomine Dei*, *In nomine Chriſti*. Igitur ut ad rem veniamus, *Nomen Dei* primo ſign. nomen illud quo ſe diſtingui voluit à fictitiis Diis: nomen autem illud eſt יהוה, ut ait ipſe Dominus Exod. 3.14. *Ego ſum* יהוה, *Deus patrum veſtrorum: Hoc eſt*, inquit, *nomen meum, & memoriale meum*. Unde factum eſt ut Judæi שם, h.e. *Nomen*, pro ipſo Deo dixerint. At in Scriptura S. ponitur quidem pro Deo ipſo Dei nomen, ſed hac formula *Dei nomen*, non formula Rabbinica שם *nomen* ſimpliciter. Hæc igitur eſto prima hujus formulæ *nomen Dei* ſignificatio, ut nempe ſignificet ipſum Deum. Sed cum aliquid fieri dicitur *in Dei nomine*, diverſa locutio eſt: tum enim *nomen Dei* ſignificat Authoritatem & Potentiam Dei, ut 1 Sam. 17.45. David profitetur ſe prodire adverſus Goliathum *in nomine Domini*, h.e. non fretus meis viribus, nec mea authoritate, ſed Dei potentia, & jure quod obtinet in omnes. Sic Pſal. 20.8. *Illi in curribus & equis, ſed nos in nomine Domini commemorabimur*, h.e. Illi jactant robur & inſtrumenta bellica, nos autem potentia Dei & authoritate in creaturas nitimur. In Eccleſia autem Judaica tam fuit hæc phraſis uſitata ut Act. 4.7. ſic Petrus & Apoſtoli compellentur à Synedrio, *In qua potentia & in quo nomine iſta facitis?* i.ut habetur c. 21.23. hujus Euangelii, *Quis vobis dedit hanc authoritatem?* Hinc patet quo ſenſu dicamur *ſervari in nomine Chriſti*, Act. 3.16. nempe vi & authoritate Chriſti: & 1 Cor. 6.11. *juſtificari in nomine Domini Jeſu*. Atque hinc affertur lux formulæ in Eccleſia celeberrimæ, *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* h.e. Authoritate Patris, & Filii & Spiritus S. baptizo te in remiſſionem peccatorum, & ſanctificationem Spiritus; alioqui Baptiſmus eſſet ritus inanis. Itaque hoc loco ii dicuntur *convenire in Chriſti nomine* qui deliberaturi de re magna, nec ex authoritate ſua, conveniunt, ſed ex vocatione, h.e. jubente Chriſto; neque item ſubnixi viribus ſuis, ſed fiducia auxilii Chriſti. *Ego*, inquit Chriſtus, Joh. 5.43. *veni in nomine Patris mei*, h.e. miſſus à Patre, *& non recepiſtis me: alius veniet in proprio nomine*, i. à nemine miſſus, ſua authoritate, *& recipietis eum*. Neque id ſolum requiritur, ſed etiam ut qui vocantur à Deo à Deo pendeant (pendebunt autem à Deo ſi in conſiliis ſuis ſequantur Dei præſcriptum; quod niſi fecerint, non convenerint in nomine Dei, ſed in ſuo nomine) tum etiam agnoſcant non poſſe fieri ut ſequantur in conſiliis præſcriptum Dei niſi Deus adſit per Spiritum ſuum, & det ipſis bonam mentem. Tenemus igitur quid ſit *convenire in nomine Chriſti*, nempe convenire primo ex vocatione; ſecundo, convenire animo ſequendi præſcriptum Dei; tertio, ita ut unuſquiſque diffidat ſibi, & ſoli Deo fidat & promiſſionibus auxilii Divini. Et ratio eſt, quod ſcilicet ex phraſi Scripturæ *aliquid facere in nomine Dei* eſt aliquid facere ſubnixum authoritate & potentia Divina. ¶ Ἐκεῖ εἰμὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν] Videri poſſet hic eſſe pleonaſmus, attamen nihil minus eſt. Nam *eſſe in medio* duobus modis dicitur in Scriptura phraſi Hebræa. Vel enim *in medio eſſe* dicitur is qui adeſt, ut v.gr. Chittæi dicunt Abrahamo, *Nonne tu es princeps Dei in medio noſtri?* Gen. 23.6. ubi Chaldæus Paraphr. rectè vertit בינינא *inter nos*. Et Ezech. 1.1. *Ego eram* בתוך הגולה *in medio captivitatis*. Huc etiam pertinet quod ſcriptum eſt Eſai. 52.11. & repetitum à Paulo 2 Cor. 6.17. *Separamini de medio eorum*, nihil aliud eſt quam Segregemini ab iis. Profecto ſi hæc eſſet ſignificatio perpetua hujus locutionis, pleonaſmus eſſet, ſed qui tamen haberet emphaſin, quomodo Græci dicunt πάλιν καὶ πάλιν, Latini *etiam atque etiam*: Sed nihil neceſſe eſt huc confugere. Nam & phraſi Scripturæ *eſſe in medio* dicitur is qui præeſt, qui, ut vulgo dicimus, reliquis præſidet. Ut Pſal. 82.1. *Deus judicat in medio Deorum*: præeſſit enim, *ſtat in congregatione Deorum*. Nam locus Præſidis eſt medius locus in cœtibus judicialibus, ut, quantum fieri poteſt, ab omnibus ex æquo pariter audiri, pariter omnes queat audire.

27. Συλλαγχισθεὶς ὁ κύριος, &c.] Sociniani hinc concludunt, ſignificatum hac parabola à Chriſto, Deum citra ullam ſatisfactionem homini condonare peccatum: cum tamen in redditione parabolæ Chriſtus ejus rei non meminerit. Quanquam ut illis liceret hoc urgere, tamen non poſſent aliud efficere quam Deum non exigere ab eo ſatisfactionem cui peccatum condonat. Cæterum non eſt eadem debitæ pecuniæ & pœnæ apud Deum ratio: nam pecunia debita ni ſolvatur in nullius damnum cedit præterquam creditoris: itaque ſi tam dives eſt ut hoc damno non lædatur, ſi bonus eſt condonat gratis, nulla, non jam dico à debitore, ſed ne à ſponſore quidem, exacta ſolutione. At pœnæ debitæ non eſt eadem ratio: non enim ideo Judici debetur quia niſi luatur Judex in damnum incurret, ſed quia niſi ſolvatur non fiet juſtitia. Medius hic itaque tenetur Hæreticus: ſeu enim mens Chriſti fuerit oſtendere rationem condonationis peccatorum noſtrorum (quod verum non eſt) tantum inde effecerit, Deum nihil à nobis exigere; ſeu non fuerit ea Chriſti mens, uti patet ex redditione Parabolæ, abuſus eſt hoc loco.

JAC. CAPPELLUS.

4. *Quiſquis demiſerit ſeipſum ſicut eſt iſte parvulus, is eſt maximus in regno cœlorum*] in Eccleſia Chriſtiana, quæ paſſim *regnum cœlorum* nuncupatur. Quod ſi pertendat quis hæc ad regnum cœlorum antonomaſtice dictum eſſe referenda, etiam ibi maximus futurus eſt qui ſeſe plurimum hic demiſerit, quia nihil eſt in cœlo quod non ſit maximum. Videlicet quia rogaverunt Apoſtoli *quiſnam futurus eſſet maximus in regno cœlorum*, quæ petitio ſane faſtum & errorem ſapit, Chriſtus verbis illorum ab errore profectis utitur ut eos ab errore revocaret; utitur, inquam, verbis à ſuperbia profectis ut eos à ſuperbia deterreret: q. d. Non eſt quod hic vel in cœlo πρωτοκαθεδρίας ſomnietis & ambiatis, ſed ſtatuatis eum coram Deo fore maximum qui maxime ſe demiſerit, & à ſuperbia quam longiſſime receſſerit. Quis autem adultus ab ea longius abeſſe poteſt quam infans?

8. *Si*

8. *Si vero manus tua vel pes tuus tibi ſit ſcandalo, exſcinde ea & procul abjice*] *Manus, Pes, Oculus*, & ea quæ nobis ſunt longe cariſſima, dicuntur *eſſe nobis ſcandalo* cum eas res amittendi metus nos inducit ad peccandum. Viciſſim *manum pedemve* dicimur *abſcindere, oculos noſtros eruere, procul à nobis abjicere*, ſive proprie dicta membra, ſive res quæ nobis videntur non minus caræ, non minus utiles, quam corporis noſtri membra, tum, inquam, ea dicimur *abjicere*, cum malumus eorum jacturam facere quam officio noſtro deeſſe. ¶ *Tibi melius eſt eſſe claudo*, vel *luſco*] Præſtat eripi tibi ſive membra corporis, ſive quidvis aliud corporeum membris tuis tibi carius aut non minus carum. ¶ *Modo vitam ingrediaris*] Modo in cœlum admittaris. ¶ *Quam manus ambas, pedes ambos habentem in ignem æternum injici*] In cœlum hodie nec unum pedem nec ambos pedes habens quiſquam admittitur, *mutilus* tamen dicitur *in cœlum ingredi* qui mutilus erat tum cum ex hoc corpore egrediens ingreſſus eſt in regnum cœlorum. Alioqui veriſſimum eſt quod in hunc locum ait Epiphanius de Valeſiis hæreſi LVIII. §. 2. Πῶς δυνατὸν ἐν βασιλείᾳ τινὰ ἠκρωτηριασμένον; deeſt vel ſuppletur verbum εἰσέρχεσθαι; & πῶς δυνατὸν ſumitur hic pro πῶς ἐνδεχετόν. *Quomodo contingere poteſt*, inquit, *ut quis mutilatus in regnum* cœlorum ingrediatur? Εἰ γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν τοῖς πᾶσιν ἐξ ὑπαρχῆς πλήρωμα, ἤδη ἀτελὲς ἔχει ἐν ἑαυτῇ. Εἰ τὸ ἓν μέλος τὸ σκανδαλίζον μόνον καταλειπόμενον, ἤδη ὅλως καθολικὴν, ἤδη ὁλόκληρον τὸ μέλος. Παίζει γὰρ ἡμᾶς ὁ σκανδαλίζων.

9. *Et ſi tuus oculus*] Id quod tibi tuis oculis carius. ¶ *Si tibi ſcandalo, erue & abjice eum à te*] Jacturam potius oculi tui facito quam ut patiaris conſcientiam tuam labefactari. ¶ *Tibi melius eſt eſſe luſco, modo vitam ingrediaris*] modo tibi detur aditus ad æternæ vitæ fruitionem. ¶ *Quam duos oculos habentem in gehennam ignis conjici*] Nunc quidem neque bipes nec oculos ambos habens quiſquam in gehennam ignis injicitur, aut in cœlum ſubvehitur, cum anima ſola futura ſit ad carnis uſque reſurrectionem præmii vel pœnæ particeps; in corporum autem reſurrectione reſtituentur impiis omnia membra corporis ut nulla corporis pars pœnæ ſit expers; quanto magis piis reſtituetur membrorum omnium ὁλόκληρος perfectio, nequid felicitati, nequid decoro, nequid etiam illorum gloriæ deſit? Vere tamen dici poteſt, *Ille mutilus ingreſſus eſt in vitam*, non quod in illa vita maneat mutilatio, ſed quod mutilus eſſet, cum egrediens ex corpore tranſlatus eſt ad vitam æternam; contra, *Bipes epulo dejectus eſt in gehennam*, non quod eo tranſlati ſint ejus pedes, ſed quod bipes eſſet, membrorum omnium integritate gaudens, cum eo dejectus eſt.

10. Λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι οἱ ἄγγελοι αὐτῶν ἐν οὐρανοῖς διὰ παντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς] h. e. ὅτι αὐτῶν εἰσιν οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν οὐρανοῖς βλέποντες, &c. *Dico vobis quod eorum ſunt angeli illi qui in cœlo per omne tempus videni faciem Patris mei cæleſtis.* Dixerat autem, *Cavete ne contemnatis aliquem ex parvis iſtis*, electis videlicet & federatis meis, Dei filiis. Tales autem nobis videri debent, nobis ut tales commendationi eſſe, quotquot ſaltem extrinſecus inſeruntur orthodoxæ Dei Eccleſiæ. Quia vero qui Deo ſunt chariſſimi mundo ſolent eſſe contemptui, Chriſtus monet electos Deo pretii tanti eſſe ut electi angeli ſint etiam angeli electorum, utpote *Spiritus miniſtratorii qui mittuntur in miniſterium propter eos qui futuri ſunt ſalutis hæredes*, Hebr. 1. ult. h. e. propter electos.

15. Ἐὰν ἁμαρτήσῃ] h. e. ἐὰν ἁμαρτωλὸς ᾖ, & eo quidem ſenſu quo paſſim ab Euangeliſtis ſumitur vox ἁμαρτωλὸς, nempe pro *ſcelerato* vel *flagitioſo*, ut Matth. 9. 10, 11. Vel, *ſi peccaverit*, ſi delictum aliquod admiſerit. Nec enim adeo moroſos nos eſſe vult Chriſtus ut quodvis ob delictum turbas demus. ¶ *In te frater tuus, ito* ad illum] Sic Joab offenſus ab Abſalomo venit tamen ad illum, 2 Sam. 14. 31. Debebat quidem Joab Abſalomo reverentiam, ut Regis filio: ſed & debemus fratri reverentiam, ut Dei filio. Itaque vel hinc colligi poteſt hic non agi de peccato quod quis admiſerit te conſcio; tum enim non opus eſſet ὑπάγειν, adire peccantem, cum ἐπιτιμᾶσθαι deprehenſus poſſit ibidem argui: ſed ea proprie peccata reſpicit Chriſtus quæ quis in te commiſit, & in te quidem abſentem potius quam præſentem. ¶ *Et argue illum*] Modeſte quidem & fraterne, ſed ita tamen ut eum, ſi potes, erroris convincas. ¶ *Inter te & ipſum ſolum*] Ut tanto liquidius ipſi conſtet ſuam ſalutem à te ſpectari potius quam damni tui reparationem. ¶ *Si te audierit, lucrifeciſti fratrem tuum*] Videlicet, non tam ſolicitus eſſe debes de damno quod accepiſti, quam de damno quod accepit ipſe, quem ſi perduxeris ad reſipiſcentiam, eum lucrifeciſti Chriſto, eoque & tibi. Nam Chriſto quidquid acquiritur, etiam membris ipſius acquiritur.

16. *Si te non audierit, aſſume tecum unum aut duos, ut in ore duorum aut trium teſtium firmum ſit omne verbum*] Quorſum hoc ſi vox *in te* ſign. *te ſolo conſcio*? Negaret enim ille culpam tanto confidentius quo plures tuæ reprehenſionis teſtes adhiberes. Sed ſi peccavit in te, & ita quidem ut eum poſſis coram aliquot viris gravibus convincere, tum etiam illi teſtimonium perhibere poterunt tum de quæſtione facti, quod ille negare non potuerit, tum de moderatione diligentiaque quam adhibueris ut illum ad meliorem frugem revocares.

17. *Si ne illis quidem dicto audiens fuerit, dic eccleſiæ*] i. ductoribus Eccleſiæ, quam vocem eo ſenſu primus uſurpavit Chriſtus, ac ejus uſum exemplo ſuo commendavit. Tho. Eraſtus & Th. Bilſon De gubernat. Eccl. contendunt hæc verba de Synedriis politicis intelligenda, quaſi *Dic eccleſiæ* ſign. *Dic Magiſtratui*: quod certe novum prorſus eſt & inſolens. *Non poſſunt*, inquit Bilſon, c. 4. *Chriſti verba de Synedriis Chriſtianis intelligi, cum ea nondum eſſent conſtituta.* Reſp. Chriſtus non ſolius præſ. ſed & fut. temp. habuit rationem, & toti poſteritati proſpexit. Potuit quoque Chriſtus etiam præſ. temp. rationem habere, & *eccleſiæ* nomine deſignare eos Judæorum conſeſſus quorum authoritate fiebat aliquis ἀποσυναγωγός, quorum imitatione Chriſtiani quoque ſuos habuerunt Senatus Eccleſiaſticos, quorum authoritate fiebat quis ἀκοινώνητος. Cum autem unaquæque Synagoga, ſuum haberet Archiſynagogum, habuit etiam procul dubio ſuos Scribas, ſuos νομικοὺς, ſuos denique conſeſſus, ex quorum ſententia conſuleretur paci bonoque Synagogæ, & ſi quis indignum aditu ſe præberet, arceretur ab ea. Si tibi cum fratre negotium ſit, tantum abeſt ut Chriſtus ſuadeat ut fratrem trahas ad ſubſellia politica, ut ab eo te potius diſferte deterreat, Matth. 5. 25, 40. ut & Paulus 1 Cor. 6. 1. non quod ea ſimpliciter damnentur, ſed quia res ibi ſummo jure peraguntur, & ut plurimum acerbitate magna. Chriſtus & Paulus ſuadent ut, quantum fieri poteſt, mitiora quæramus remedia. Cum igitur hic ait, *dic eccleſiæ*, multo rationi convenientius eſt ut id de Eccleſiaſticis quam de Politicis ſynedriis intelligamus. At quinam fuerunt illi Judæorum Eccleſiaſtici conſeſſus? Etiamſi per monumentorum inopiam nihil de iis exploratum haberemus, non propterea ſequeretur eos fuiſſe nullos. Videamus tamen an poſſimus de iis aliquid expromere. Judæorum hic mos erat ut, præter ordinaria ſynedria, convocaretur aliquando totus populus in claſſes aliquot diſtributus. Hinc Maimonides rationem exſculpit cur non liceret ulli civitati ſynedrium habere XXIII-virale niſi conſtaret familiis centum & viginti; ut videlicet, cum totus populus erat convocandus, præter illos XXIII-viros, haberent tres Sapientum ordines XXIII-virales, X-viros Synagogam repræſentantes, & officiarios aliquot. Hæc ille De ſynedrio c. 1. §. 10. Hi X-viri, quos ait Synagogam repræſentare, videntur omnino nos docere, unamquamque Synagogam habuiſſe X-viros, ex quorum ſententia de rebus ad Synagogam pertinentibus ageretur. Hic conſeſſus nec de civilibus nec de capitalibus cauſis agebat. Nam qui de civilibus cauſis agebat, erat III-viralis; qui de cauſis capitalibus, erat XXIII-viralis, ut ibidem docet Maimonides. Supereſt igitur ut X-viralis hic Senatus fuerit eccleſiaſticus. ¶ *Si etiam eccleſiæ rebellis fuerit, tibi ſit tanquam ethnicus & publicanus*] i. eo loco ſit apud te quo loco ſunt apud Judæos tum ethnici tum publicani; non ut odii Judæorum ſis imitator, ſed ordinis juridici, qui tum apud Judæos etiam cordatos obtinebat. In eo vero fuerunt tria: I. Matrimonia cum iis non ſociabant Judæi. II. Erant ἀποσυνάγωγοι, non admittebantur ad Synagogas. III. Ne cibum quidem cum illis ſumebant. In his tribus aliquando quidem publicanis faciebant injuriam; ut plurimum vero publicanorum ii mores erant ut eſſent hac pœna digniſſimi. Utut ſit, quod illis Judæi faciunt, inquit Chriſtus, id tu faciro contumacibus, quos nec privatæ nec publicæ monitiones poſſunt à peccato revocare. Hanc eſſe Chriſti mentem patet ex 1 Cor. 5. 2, 9, 10, 11. & 16. 22. & 2 Theſſ. 3. 6. Etiam apud Ethnicos διαγῆς his tribus pœnis afficiebantur, quas complectitur hic verſiculus,

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἑκεῖνος.

ὁ ἀφρήτωρ arcebatur à fratriarum & conſarreationis jure: ὁ ἀθέμιστος arcebatur à ſacris. Hor. l. 3. oda 1.

Odi profanum vulgus & arceo.

ὁ ἀνέστιος arcebatur à tecto, multo magis à menſa. Horatius, *Vetabo ſub iiſdem ſit trabibus, fragilemque mecum ſolvat phaſelum.*

18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo*] Neutrum genus aliquanto latius patet quam maſculinum. Eſt igitur hæc Chriſti mens, Quicunque tandem ille ſit, & quodcunque tandem ſit illud peccatum à quo

noluerit sæpius admonitus emendari, vel in quo contumaciam suam testatam fecerit, anathematis sententia quæ fuerit à vobis in illum pronunciata Dei quoque suffragio confirmabitur in cœlo. Hæc non tribuunt ἀναμαρτησίαν Ecclesiæ Pastoribus, quicunque tandem illi sint, sive Judæi, sive Græci, sive Romani, sed eorum authoritatem asserunt in iis castigandis qui monitiones amicas contumaci superbia respuerint. ¶ *Et quæcunque solveritis in terra soluta erunt in cœlo*] i.e. Quicunque sit ille reus, quodcunque sit illius crimen, si fuerit Ecclesiæ dicto audiens, si cohortationibus quibus ad resipiscentiam invitatur serio paruerit & ex animo, absolutionem vestram Deus quoque ratam habebit. Sed ut Ecclesiæ sententia rata sit requiritur, I. ut sit frater 1 Cor. 5. 11. II. ut peccaverit adeoque peccato digno quod Ecclesiæ deferatur. III. ut servetur is ordo quem præcipit Christus. IV. ut ecclesiasticæ censuræ limites non transgrediatur hæc sententia. Si quid horum desit, non est quod de Christi promissione glorietur quisquam, quasi summum, ἀνυπόβλητον & ἀναμάρτητον imperium à Christo consecutus, cum de presbyterio quovis hic agat Christus, nemo vero fuit hactenus adeo vecors ut crediderit quemvis Pastorem, cujusvis Ecclesiæ synedrium, extra erroris aleam esse positum.

19. *Rursùm dico vobis*] Nihil video quod vetet quo minus hic πάλιν suam obtineat vim ἀνθιστικὴν, quin potius ea videtur apprime Christi scopo convenire. Paucis enim verbis obviam it Christus duabus objectionibus. Prior est rei, posterior Judicis. Reus ita potest objectionem suam instituere, Qui potest esse tanti sententia synedrii, cum sæpe vix duobus tribusve Judicibus aut collegis constet hujusmodi Synedrium sive Presbyterium? Quæ verba licet exaggerent paucitatem Synedriorum, idque per contemptum, Christus tamen paucitatem illam admittit per concessionem; q.d. Esto, sit nonnunquam ea doctorum Ecclesiæ paucitas ut vix duos tresve assessores habeant. Eodem spectat quod Apoc. 11. *duorum* tantum *testium* fit mentio, quia subinde multitudinem suorum fautorum ostentat Mendacium, adeoque Vitium, etiam Juvenale teste, *sed illos*, inquit, nempe vitiosos,

Defendit numerum junctaque umbone phalanges.

quasi penes Veritatem aut Virtutem vix unus sit aut alter patronus. Apoc. 13. dicitur *tota terra bestiam sequi*. Id quoque dicitur συγχωρητικῶς, qui sic passim gloriatur Bestia, quasi totum orbem terrarum habeat obsequentem. Sic passim loquebatur prima Bestia, h.e. ethnicus Romæ Senatus: Sic & passim loquitur secunda Bestia, h.e. ecclesiasticus Papæ Senatus, eorum à quibus damnatur paucitatem ita exaggerans acsi vix unum aut alterum singula produxerint secula. Christus igitur tum hic tum in Apocalypsi μιμητικῶς ex eorum de quibus agit sententia loquitur; q. d. Sit ita sane, sint tam pauci, vix tres, vix duo, non propterea peribit Veritati vel Ecclesiæ suum jus. Pastorum autem hæc esse potest objectio, Si quidquid jubeamus, id Deus quoque jubet, non est quod soliciti simus quam bene fungamur nostro munere. Christus igitur pollicetur præsentiæ suæ favorem ministris suis, quantumvis paucis, modo 1. fidam inter se foveant concordiam, 2. Deo reverentiam quam debent exhibeant. Nam ii demum *in nomine Domini congregantur*, qui 1. instructi sunt legitima vocatione, qua freti bona conscientia dicere possint, *in nomine Domini*, authoritate Dei se convenisse. 2. qui Dei causam agunt. Nam qui Dei veritatem impugnant, utut Dei nomen obtendant, dici non debent *in nomine Dei congregari*. 3. qui Dei nomen invocant, & quidem ex animo. 4. qui non viribus suis sed unius Dei subsidio nituntur.

LUD. CAPPELLUS.

15. *Si in te peccáverit frater tuus*] Phrasis est Hebraica, qua non significatur, ut quidam volunt, *peccare aliquo teste & conscio*, sed *aliquem lædere & offendere dicto vel facto*. Sic 1 Sam. 19. 4. ubi Jonathan apud patrem Saulem pro Davide interpellat, אל יחטא המלך בעבדו בדויד, *Ne peccet Rex in servum suum Davidem*, h.e. Noli ei malefacere, noli malum vel mortem ei machinari, כי לא חטא לך *quia non peccavit in te*, h.e. non te læsit, nulla in re te offendit. Sic Gen. 42. 22. Ruben increpat fratres suos quod Josephum voluissent interficere, *Nonne*, inquit, *dicebam vobis*, אל תחטאו בילד *Ne peccetis in puerum*, h.e. Nolite lædere aut interficere: sic hempe eos Ruben allocutus fuerat cum cogitarent de Josepho interficiendo, cap. 37. 21. לא נכנו נפש *Ne interficiamus eum*, & v. 22. אל תשפכו דם *Ne effundatis ejus sanguinem*: quæ duæ phrases sunt exegeticæ istius אל תחטאו בילד *Ne peccetis in puerum*. Item 1 Reg. 8. 31. Salomon in precatione quam habuit in dedicatione Templi sic Deum alloquitur, איש כי יחטא לרעהו *Cum quis peccaverit in proximum suum*, h.e. cum eum aliqua ratione læserit & offenderit, re & facto: loquitur enim de injuriis quibus alius alium afficit, quæque per Judicis sententiam reparari debent.

GROTIUS.

1. ΕΝ ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, *In illa hora*] Etiam alias, ut ex collatione Scriptorum videtur colligi, hac de re egerunt, sed tunc præcipue, audita toties resurrectionis mentione; quæ peracta, velut hostibus devictis, Christi Regnum non mere spirituale, verum etiam adspectabile, quale Judæi omnes sperabant, inchoatum iri arbitrabantur. Vide Actorum 1, 6. ¶ Τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν; *Quis, putas, major est in Regno cœlorum*] Quis ipsorum scilicet, ut Lucas indicat: & μείζων est *maximus*, ut alibi notatum est: ἐν βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν [*in Regno cœlorum*] idem est quod ἐν τῇ βασιλείᾳ [*in Regno*] aut ἐν τῇ δόξῃ τοῦ Χριστοῦ [*in gloria Christi*] infra xx, 21. Marci x, 37. Non dubitabant quin præcipua regni munia ad ipsos ut domesticos Regis essent perventura; sed inter ipsos quis principem, quis deinceps locum esset obtenturus æmulantes inter se disputabant. Nam quod paulo post exigit Zebedæi uxor ut sui liberi à dextra sinistraque Christo assideant, nihil est aliud quam ut duo prima regni munia ipsis dentur, qualia erant in Synedrio munia ejus qui נשיא [*princeps Senatus*] & ejus qui אב בית דין [*Pater curiæ*] vocabantur.

2. προσκαλεσάμενος παιδίον, *advocans Jesus parvulum*] Illud προσκαλεσάμενος [*advocans*] ostendit fuisse majusculum, ut qui ambulare posset. טלייא est apud Syrum. Hac autem adhibita conspicua imagine sententiam quæ sequitur altius imprimit animis ac memoriæ.

3. ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, *nisi conversi fueritis & effeciamini sicut parvuli*] Destricte satis Christus Apostolis imperat istud eminendi studium ex animo evellere. Aristoteles virtutibus annumerat τὴν μεγαλοψυχίαν [*magnanimitatem*], qua qui sit præditus τιμῆς [*honore*], ut ipse loquitur, ἑαυτὸν μάλιστα ἀξιοῖ [*semet maxime dignum ducit*]. Addit τὰς δωρεὰς δεῖ τὴν περὶ ἕνα αἱρετὰ [*imperia expeti honoris causa*]. Negat etiam eum talis qui sit libenter iterum ὑπὸ πεπονθόσιν εἶναι [*ubi alii priores obtinent partes*]. At contra μικροψυχίαν [*pusillitatem animi*] in vitio ponit, ut per quam bono quo quis dignus sit ipse se privet. Et ex hoc præscripto vixisse apparet Græcos Romanosque pene omnes, etiam qui maxime laudantur. Melius Plato De republica primo, imperium ait esse procurationem rei alienæ; neminem autem esse qui alienis negotiis immiscere se studeat nisi propter mercedem: mercedem autem aut in pecunia aut in honore consistere: Cum vero vir bonus ac sapiens neque φιλαργυρῶν [*pecuniæ appetens*] sit, neque φιλότιμος [*honorum appetens*], sequi ut publicos honores ne cupiat quidem, nisi forte mali alicujus gravioris evitandi causa, utpote si alioqui videret in malorum hominum potestatem perventuram rempublicam. Εἰ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, inquit Paulus, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ [*Signi Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*], sed iis temporibus, cum Præfectura Ecclesiastica onus esset gravissimum, mille periculis expositum, & frequentissimum habens exitum mortis violentæ. Quod si tum nemo se studuisset ei muneri reddere idoneum, secutura erat vastities Ecclesiarum cum magno dispendio veritatis. At qui rebus secundis ac placidis munera Civilia aut Ecclesiastica studiose affectant; vix est ut absint ab hoc φιλαρχίας [*ambitus*] vitio, quod quam saluti sit contrarium discimus ex Christi verbis. Imo sæpe ad φιλαρχίαν [*ambitum*] etiam φιλαργυρία [*habendi cupido*] accedit & cupido vitæ paulo mollius transigendæ. Id vero jam non cum Christi tantum regulis sed cum naturali etiam æquitate pugnat, tutelam alienæ rei sibi deposcere non hoc maxime voto ut alteri prosis, sed ut tibi; quod, ut alia omnis absit injuria, ipsum per se satis injustum est. Puero autem similes vult fieri Christus sectatores suos, quod ea ætas longissime absit ab isto studio, quod ne ad juventam quidem sed ad virilem & robustam ætatem referri solet. nam, ut Horatius ait,

Conversis studiis ætas animusque virilis
Quærit opes & amicitias, inservit honori.

οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. *non intrabitis in Regnum cœlorum*] Tantum abest ut primas sedes habituri sitis, ne partem quidem habebitis in Regno cœlesti. Discipuli voce *Regni cœlestis* intelligebant cum Hebræis cæteris regnum adspectabile, sed de cœlo datum. Christus veram Regni sui naturam expli-

explicandam aliis temporibus reservans, agit de gloria post Resurrectionem, quæ & ipsa *Regnum cœleste* & quidem excellentissime dici solebat. Ita sæpe à pane hujus vitæ ad panem vitæ alterius nos revocat.

4. ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, *sicut parvulus iste*] Ἔλλειψις [*defectus*]. Subauditur enim ταπεινὸν ἐστι [*ambitum expers est*]. In Psalmo CXXXI. quo manifestum est Christum respicere eadem est ἔλλειψις [*idem defectus*]. Lxx sic habent, εἰ μὴ ἐταπεινοφρόνουν ὡς ἀποπεπαλαικισμένον ἐπὶ τῷ μαστῷ αὐτῆς [*si non humiliter sentiebam sicut ablactatus à matre sua*]. Neque enim ταπεινοφρονεῖ τὸ βρέφος [*infans humiliter sentit*] sed ταπεινὸν ἐστι [*ambitus est expers*]. Quales igitur pueri natura sunt, ab ambitu scilicet alieni, tales nos esse jubemur τῇ διαθέσει [*animi proposito*]. Simile est quod Paulus nos vult τῇ κακίᾳ νηπιάζειν [*malitia esse parvulos*] 1 Corinth. XIV, 20. id est, ἀκακους εἶναι [*innocentes esse*], quales sunt pueri. Clemens Alexandrinus Pædagogi I, capite 5. cujus hic est titulus, Ὅτι πάντες οἱ περὶ τ ἀλήθειαν καθιγούμενοι, παῖδες ὄντες τῷ Θεῷ [*Omnes qui veritati student, pueros esse apud Deum*] multa habet in hanc rem; istud inter cætera, Παῖδες οὖν εἰκότως οἱ Θεὸν μόνον ἐπιστάμενοι πατέρα, ἀφελεῖς καὶ νήπιοι καὶ ἀκέραιοι [*Bene itaque pueri dicuntur qui Deum solum patrem norere, candidi, innocentes, sinceri*]. Notum illud Euripidis,

Νέα γὰρ φρουτὶς οὐκ ἀλγῶν φίλη.

[*Cura non amans ætas nova est.*]

& Menandri istud,

Ἀγωνίαι, δόξαι, φιλοτιμίαι, νόμοι,
Ἀπαντ' ἐκεῖνα ἐπιβολὴ τῇ φύσει κακά.

[*Leges, honores, ambitus, certatio,*
Mala hæc adscita nobis sunt, non adsita.]

Et Plato de juvenibus dixit μὴ ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς παραδείγματα ὁμοιωθῆναι τοῖς πονηροῖς [*non habere eos in se notas impressas animis quales habent homines depravati*]. Docebat Pythagoras, teste Jamblicho, τὰ τ ἐπιθυμιῶν τ ἰσχυρῶν, ἀπιστίας καὶ αὐτὸ τὸ τ φιλοτιμιῶν γένος, ὁμοίως δὲ καὶ τὰς λοιπὰς ὁρμὰς τε καὶ διαθέσεις, ὅσαι πυγχάνουσιν ὄσαι δ χαλεπαί τε καὶ θυμοειδεῖς γίνεσι, ὅτι δ ἀνδρὸς ἡλικίας εἰς τὴν τ νεανίσκων ἀφικνεῖσθαι [*appetitionum illarum vehementiorum ut & ambitionis genera, cæteros præterea impetus morbosque animi qui difficilem reddunt turbidamque vitam, a virili ætate ad juvenilem manare*]. Chalcidius ad Timæum, *avaritia, libido, crudelitas cæteraque hujusmodi pestes nihil in pueritia grande designant, sed sunt confirmata jam ætate noxia.* Apud Senecam epistola XXII. Natura sic loquens inducitur, *Quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidia cæterisque pestibus: quales intrastis exite.* Musonius ait gaudere nos & dolere præter rectam rationem, Διὰ τὴν ὁσὴν παίδων εὐθὺς γενομένων ἡμῖν ἀλογίαν, καὶ τὴν ὁσὴν δ ἀλόγους συνήθειαν συνεῖναι [*per mala exempla quæ à prima ætate nos depravant, & ei consentaneam malam consuetudinem*].

5. δέξηται, *susceperit*] Vox δέχεσθαι [*suscipere*], quæ proprie hospitalitatem notat, hic pro omni beneficiorum genere accipitur, ut Actor. XXI, 17. quod apparebit si Marci locum IX, 41. cum isto conferas. ¶ παιδίον τοιοῦτον, *unum parvulum talem*] Ex similitudine fit translatio, ut sæpe. Ergo παιδίον τοιοῦτον [*parvulum talem*] est ἄτομος ταπεινόφρονα [*qui sic sit expers ambitus*], *qui sit sicut puer iste*, ut vertit hic Syrus. Ostendit Christus quanti hanc virtutem faciat, cum non his tantum qui ea sunt præditi primas sedes polliceatur in Regno cœlesti, sed & beneficia in ipsos collata sibi patitur imputari.

6. Ος δ' ἂν σκανδαλίσῃ, *Qui autem scandalizaverit*] Evenire plerumque solet ut qui demisse se gerunt contemnantur ab aliis. Is autem contemtus fieri non potest quin sæpe optimum quemque à studio pietatis absterreat. Hoc Christus fieri non negat; sed gravia minatur contemtoribus. Ita sumta vox σκανδαλίζειν [*scandalizare*] simul & beneficiis de quibus actum est opponitur, & sensum tamen à sequentibus diversum non habet. ¶ ἕνα τ μικρῶν τούτων τ πεπιστευόντων εἰς ἐμὲ, *unum de pusillis istis qui in me credunt*] Id est, κἂν τ μικρῶν [*quamvis pusillis*]. Non tantum si Prophetam aliquem aut alium magni profectus Christianum contemserit, sed si vel eum sprevent qui in minimo est vere credentium censu. Ita vox μικρῶν [*parvorum*] & ταπεινῶν [*minimorum*] accipi solet. Vide quæ supra V, 19. & X, 42. & infra XXV, 40. Solent etiam qui ad summum gradum pervenerunt interdum commoveri nonnihil improborum injuris; quod non recte hic negare videtur Origenes; sed illi maxime qui in tyrocinio sunt pietatis. ¶ συμφέρῃ αὐτῷ, *expedit ei*] Pro συμφέρῃ ἂν αὐτῷ [*expediret ei*]. Et deest ἀπαιτήσεως [*redditio*], quæ ex collatione idem narrantium ita supplenda est, *potius quam tale quid committeret.* ¶ μύλος ὀνικὸς, *mola asinaria*] Quanquam catillus Græcis ὄνος [*asinus*] dicitur, pars scilicet molæ non inferior, ut quibusdam placet, sed superior, ὁ ἀλισάων Polluci, τὸ ἄνω τ μύλης Hesychio, Hebræis רכב, tamen ut id ipsum dicatur μύλος ὀνικὸς [*mola asinaria*] sine exemplo est, neque id patitur ἀναλογία [*congruentia formandarum dictionum*]. Omnino ergo verum est adjectum ὀνικὸν ἐπίθετον [*asinaria vocem appositam*] ut molam indicet majorem ac graviorem, qualis est quæ non manu sed asinorum opera versari solet; quomodo & Syrus & Latinus Interpres intellexerunt. Ita *jumentarias* molas *manuarias* opponunt Labeo, Cascellius, Trebatius: μύλη [*mola*] autem nomine συνεκδοχικῶς [*per comprehensionem*] hic intelligitur *saxum molare*; quo sensu & in Apocalypsi Johannes dixit μύλον μέγαν [*molam magnam* sive *lapidem molarem magnum*] XVIII, 21. Docet id Marcus hoc loco qui μύλον [*molam*] exponit λίθον μυλικὸν [*lapidem molarem*], inferiorem scilicet eundemque majorem, quam *metam* vocat Paulus Jurisconsultus, τρόχιζαν Græci, Hebræorum Magistri סדם. Nam מדם putant nomen esse utrique saxo commune. Morem hunc καταποντισμῷ [*demersionis*] saxo ad collum appenso usitatum Judæis fuisse vix crediderim, cum nulla ejus in Lege existet mentio: imo sola quatuor supplicia apud eos nota fuisse ex omni historia & Interpretum consensu appareat, Ignem, Lapidationem, Gladium, Strangulationem. Quare à vicinis Syris tractum hoc loquendi genus. Nam & in Eusebii historia inveniemus exempla βυθισμοῦ [*mersionis*] in Syria. Mos idem in Græcia. Scholiastes ad Equites Aristophanis, ὅταν δὲ καταπίνειν τινὰς, βαρος ὄντι τ τραχήλων ἐκρέμων [*ubi mergebant aliquem, de collo ponderosum aliquid appendebant*].

7. Οὐαὶ τῷ κόσμῳ, *Væ Mundo*] Κόσμος [*mundi*] nomine ut sæpe humanum genus hic intelligitur, in quo sunt & οἱ σκανδαλίζοντες [*scandalizantes*], & οἱ σκανδαλιζόμενοι [*scandalizati*], qui scilicet offensi aliorum improbitate aut à pietate deficiunt aut alioqui graviter delinquunt. De his agit Christus commate 8, 9. de illis autem commate 10. Utriusque generis infecilitatem Christus deplorat. Nam אוי [*væ*] Hebræum & sumtum inde ὀυαὶ Hellenistarum plerumque dolentis vox est: pro quo αἴμοι interdum ponunt Lxx, ut Psalmo CXX, 5. ¶ ἀνάγκη, *necesse*] Multi hoc dictum putant ad indicandam necessitatem quam vocant *consequentiæ*, posita scilicet illa *pravitate in qua situm mundum* Johannes prædicat 1 Epist. V, 19. Ego, sicut hanc à Christo poni atque substerni non nego (quo sensu M. Antoninus Imperator dixit, ἀ δυνατὰ ἐν τῷ κόσμῳ ἀναίσχυντα μὴ εἶναι [*fieri non potest ut in mundo non sint inverecundi*]), ita vocem ἀνάγκης [*necessitatis*] alio referendam puto, ad finem nimirum ob quem Deus, in cujus potestate sunt homines humanæque actiones, offendicula non impedit vi majore sed permittit. Aristoteles fine II ἀκροαμάτων [*librorum interioris auditionis*], & capite primo libri primi De partibus animantium, ait ἀναγκαῖα [*necessitatem*] sæpe non ex materia sed ex fine dici, quando scilicet εἰ οὗπερ ἕνεκά τι ἄνευ, ταῦτα ἀνάγκη οὕτω ἔχειν [*si hoc est cujus causa est illud, illud oportet sic se habere*], quam necessitatem ait præteritam à Physicis qui ante Democritum, cum tamen sit potissima. Ita serram ait serream esse ut dentes habeat, dentes habere ut quod durum est paulatim secare possit: & hoc modo necessarium esse serram esse ex ferro: quod magno cum judicio aptat ad partes animantium. Hæc autem necessitas ex fine manans in Physicis paulo pressius, at in moribus ac gubernationibus pro rei subjectæ natura laxius sumenda est, ut magnam rei utilitatem sive cum fine proposito convenientiam indicet. Quare quod hic Christus in genere de offendiculis loquens dixit ἀνάγκη ἐστὶν [*necesse est*], idem Paulus agens de ea specie quæ maxime excellit, atque in falsorum dogmatum propagatione constitit, per δεῖ εἶναι [*oportet esse*] extulit, ipsum etiam finem clare designans, nimirum ut eo modo explorentur hominum animi. Neque rarum est apud Græcos Scriptores ut ἀνάγκη aut ἀναγκαῖον [*necessarium*] id significet quod fieri aliqua de causa oportet. Ita ἀναγκαίως sumi apparet. Lucæ XIV, 18. Hebræorum IX, 23. Judæ 3. & ἀναγκαῖον II Corinth. IX, 5. Philipp. II, 25. Lucas hoc loco dixit, Ἀνένδεκτόν ἐστι μὴ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα [*Impossibile est ut non veniant scandala*]: quomodo alibi dixit οὐκ ἐνδέχεται προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω Ἰερουσαλήμ [*non capit Prophetam perire extra Jerusalem*], id est, non convenit. Sic & ἀδύνατον

[*impossibile*] fæpe sumunt Græci. Nam quod Plato Timæo dixerat, ἀδύνατον σωῖ ϑεῶν παισὶν ἀπίστους [*Impossibile est deorum filiis fidem non habere*], Cicero vertit, *Difficillimum factu est à deis ortis fidem non habere*: & in eodem libro ἀδύνατον λέγειν [*impossibile est dicere*] interpretatur, *nefas in vulgus indicare.* Sensus igitur est, Maxima offendicula evenient; neque mirum videri debet ea à Deo non inhiberi, cum æquum rectumque sit ea permitti ut integri à fictis, constantes à levibus discriminentur. ¶ πλὴν, *verumtamen*] Adversativa hæc ostendit sapiente Dei permissione culpam peccantium non levari: unde sequitur de tali hic agi necessitate quæ libertatem non tollat. Sic & infra XXVI, 24. ¶ δι' οὗ, *per quem*] Proprie igitur σκάνδαλα [*scandala*] eveniunt λεγ' ἀνθρώπων [*per homines*], non δι' ϑεοῦ [*per Deum*], quanquam nec ἄνευ ϑεοῦ [*sine Deo*]. Vide quæ supra X, 29. Tertullianus in Præscriptione, *Nec tamen ideo bonum hæreses quia esse oportebat; quasi non & malum oportuerit esse: Nam & Dominum tradi oportebat, sed va traditori.*

8. σκανδαλίζῃ σε, *scandalizat te*] Vide quæ diximus capite V, 29. Est à majori sumtum argumentum. Vel carissima corporis membra præcidenda essent ut evitaretur æternum exitium, cum mortis in hoc seculo vitandæ causa id ipsum fieri soleat: Quanto magis abjiciendæ sunt à nobis cogitationes minus rectæ, quas aliorum improbitas suggerit. ¶ κάλλιόν σε ἐστὶ τὸν ζωὴν χωλὸν ἢ κυλλὸν, *ad vitam ingredi debilem vel claudum*] Id est, *qui fueris claudus aut mancus.* Vide quæ infra XXVI, 6.

10. οἱ ἄγγελοι αὐτῶν, *Angeli eorum*] Cum Christus ita solitus sit loqui quomodo se loquentem à Judæis optime sciebat intelligi, Judæi autem veteres novique crediderint singulis, saltem piorum, additum à Deo custodem Angelum, quæ opinio ad Christianos etiam manavit, ut apparet ex loco Actorum XII, 15. & multis vetustis Scriptoribus, probabile admodum est eam sententiam hic à Christo approbatam. Constat sane Angelos administros esse Divinæ providentiæ: unde credibile est pro gradibus providentiæ munia Angelorum distingui. Præter universalem providentiam est aliqua communis qua Deus Civiles hominum societates, quas *respublicas* dicimus, conservat ac dirigit. His autem singulis suos attributos esse Angelos ex Daniele magno consensu & Judæi & Christiani veteres colligebant, idque velut extra omnem controversiam ponit Clemens Alexandrinus. Sicut autem res regnorum ad statum universi, ita res singulorum ad statum regnorum plerumque Deus ordinat. Sed eximuntur communi huic sorti hi qui vera fide Deo se consecrant, ac proinde ipsius peculium censentur. Hos Deus sicut peculiari providentia fovet, ita singulos donare videtur custode Angelo, qui scilicet ipsorum gressus conatusque adjuvet, aut perpetuo aut certe donec ad plenissimam ipsius Divini spiritus possessionem devenerint. Ita enim veteres Christianos credidisse video. Vide Origenem homilia VIII in Genesin, & Tertullianum De baptismo. Neque dubitat Clemens, à barbara, hoc est, Hebræa sapientia profectum asseverare quod apud Platonem est, ἐκείνῳ ὃν αἱρεῖται δαίμονα τῶν φύλακα συμπαραστῆσαι & βίᾳ ἀφ' ἑαυτοῦ δοκιμάσαντι τὸν αἱρεθέντων [*unicuique quem elegit Genium cura ipsi dari, ut vitæ custodem & eorum quæ elegerit exsecutorem*]. An autem unicuique hominum datus sit Angelus in ambiguo relinquit Clemens. Origenes unicuique & bonum & malum Angelum attribui probare conatur ex libris Pastoris & Barnabæ: quanquam Barnabæ quem citat locus ne hoc quidem dicit, sed viæ lucis præesse Angelos Dei, viæ tenebrarum Satanæ. Origenis sententiam hac in re ut in multis aliis sequitur Gregorius Nyssenus De vita Mosis. At viris eximiis multos videmus dari Angelos custodes; ut Jacobo, Geneseos XXXII, 1, 2. Elisæo, II Regum VI, 17. Cæterum cum tota hujus mundi administratio tandem bono cessura sit eorum qui futuræ gloriæ erunt participes, recte à Scriptore ad Hebræos omnes omnino Angeli dicuntur *missi* sive *ordinati in eorum gratiam qui salutis heredes sunt futuri.* ¶ διὰ παντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον & πατρός μου & ἐν οὐρανοῖς. *semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est*] Hoc eo pertinet ut non quivis sed insigniores Angeli intelligantur piorum custodiæ assignati. A Regum enim more sumta est similitudo, quos adspicere quotidie non cuivis ministrorum licet, sed solis regni proceribus, I Regum X, 8. quod ipsum significari putant Hebræi voce אחשדרפנים, unde fluxit nomen *Satraparum.* Ἑκατονταρχίαν propius ad Persicum idioma dixit Theopompus loco qui est apud Photium. Idem est *videre faciem Regis & stare coram Rege.* Itaque II Regum XIV, 11. ubi illud in Hebræo est & Græco, hoc potuit Latinus. Talis Angelus est Gabriel ἑστηκὼς ἐνώπιον & Θεοῦ [*adstans ante Deum*], Lucæ I, 19. & apud Esaiam מלאך פניו [*Angelus faciei ejus*] LXIII, 9. forte & שרפים עמדים [*Seraphim stantes*] apud eundem Prophetam VI, 2. sed & Daniel Bestiarum quatuor somnium expositum sibi dicit ab uno τῶν ἑστηκότων, [*stantium*], VII, 16. cum antea *adstantes* ab aliis *ministrantibus* discrevisset. Quomodo intelligi potest quod apud Zachariam Angelus Josuæ pollicetur, fore ut si vias Dei insistat degat aliquando μετὰ τῶν ἑστώτων עמדים בין [*cum his qui adstant*] III, 7. Sic & apud Reges & Principes qui intimæ sunt admissionis dicuntur παρεστηκότες [*adstare*, id est, *ministrare*], Deuteronomii I, 16. I Samuelis XXII, 6. & XXV, 27. Denique discrimen hoc Angelorum celebre fuisse apud Judæos, multa ipsorum scripta evincunt. Inter hos primores Angelos septem eminere credebantur; quod ipsum quoque credo profectum ex aula Persica: quam imitatæ aulæ minores. Vide Jerem. III, 25. Est eorum septem mentio apud Chaldæum Paraphrasten Gen. XI, 7. apud Jachiaden ad Daniel. X, 13. apud Tobiæ Scriptorem, cui Raphael dicitur unus τῶν ἑπτὰ ἀγγέλων οἱ προσαναφέρουσι τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων, καὶ εἰσπορεύονται ἐνώπιον τῆς δόξης τοῦ ἁγίου [*septem Angelorum qui offerunt preces sanctorum, & egrediuntur à gloria Sancti*]. Danieli sunt השרים הראשנים [*Principes primi*] X, 13. Hebræorum Rabbini hos *oculos Dei* vocant, ut videre est in libro cui titulus *Principium sapientiæ breve.* Clemens Strom. VI. ἑπτὰ οὖν τοὺς μεγίστους δυνάμει ἰσχύοντας πρωτογόνους ἀγγέλους [*septem Angelos primitivos summa potestate præditos*]· quorum mentio & in libro qui vocatur Θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς [*Arithmetica doctrina divinior*]. Non voluit autem Christus nos pascere inutilibus speculationibus, ut illi quos Paulus dicit ἃ μὴ ἑωράκασιν ἐμβατεύων [*quæ non viderunt perambulare*], sed quanto pretio pii homines sint apud Deum significantissime ostendit, dum dixit Angelorum primores illis datos custodes & interruntios, qui velut inter Deum atque ipsos commeent, quod *ascendere & descendere* vocant Sacræ literæ Genes. XXVIII, 12. unde intelligi potest quantum sit facinus eorum innocentiæ ac simplicitati insultare.

11. Ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς & ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός. *venit enim Filius hominis salvare quod perierat*] Collato commate 6. apparet argumentum esse ductum à majori: Deus Filium suum misit ut aversos adhuc à se homines ad pietatem pertraheret; quanto magis jam pertractos non vult aliorum injuriis ab instituto pietatis averti. Vide similem Pauli argumentationem ad Rom. V. Adde quod est Romanorum XV. & I Corinth. VIII, 11.

12. ἐὰν γένηταί τινι ἀνθρώπῳ, *si fuerint alicui*] Hanc comparationem alibi quoque fine aliquantum diverso Christus usurpat: quod & in aliis comparationibus observare est. Sensus est, magnopere gaudere Deum conversione hominis peccatoris. Cætera accessio sunt comparationis, quæ sigillatim applicari ad ἀνταπόδοσιν [*Redditionem*] nihil necesse est. Vide quæ supra XIII, 27. ¶ & πλανηθῇ ἓν ἐξ αὐτῶν & ἐπλανήθη ἓν ἐξ αὐτῶν *unum ex eis*] Ut ovis illæ Jeremiæ L, 6. ¶ ὄρη τὰ ἅγια, *in montibus*] Assentior Syro hæc retrahenti ad ea quæ præcedunt. nam ita & Lucas, οὐ καταλείπει τὰ ἐνενήκοντα ἐννέα ἐπὶ τῇ ἐρήμῳ; [*nonne dimittit nonaginta novem in deserto?*] Plerumque montana loca sunt cæteris desertiora. Hinc Christus in montes secedit solitudinem captans. Et τὰ ὄρη [*loca montana*] in quibus concionabatur Johannes vocantur ἔρημος [*desertum*].

14. οὐκ ἔστι θέλημα ἔμπροσθεν, *non est voluntas ante Patrem vestrum*] רצון לפני יהוה ut Exodi XXVIII, 38. ubi δεκτὸν ἔναντι Κυρίου [*gratum coram Domino*] verterunt LXX, quomodo & שנת רצון ἐνιαυτὸν δεκτὸν [*annum acceptum*] vertit eosdem LXX secutus Lucas IV, 19. At alibi ex Psalmo XL. רצון θέλημα [*voluntatem*] vertit cum iisdem LXX Scriptor ad Hebræos. Sed plerumque verti solet εὐδοκία [*beneplacitum*]. Est autem λιτότης [*minus dictum*]· *non est gratum Deo*, pro eo quod proprie diceretur, *Deo quam maxime displicet.* Faciunt ergo qui pios offendunt contra veram ac seriam Dei voluntatem. ¶ ἵνα ἀπόληται ἓν τῶν μικρῶν τούτων. *ut pereat unus de pusillis istis*] Ἀπολέσθαι [*perire*] hic est *à Deo averti*, cui opponitur σώζεσθαι [*salvari*], ut apparet locis ad Romanos & Corinthios modo citatis.

15. Ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σου, *Si autem peccaverit in te frater tuus*] Christus, ut alibi diximus, sicut quicquid erat in Judaicis traditionibus & πονηρὸν κόμματος [*mala moneta*] libere reprehendit, ita quæcunque ad pietatem ac probitatem faciebant ad verbum prope in sua dogmata transtulit; cujus generis est id quod sequitur, ut ex collatione receptarum apud Hebræos sententiarum quas alii citarunt manifeste apparet. Dixerat supra Christus eum qui offenditur fortiter obniti debere ne eo dimoveatur de statu pii propositi: nunc addit aliquid amplius,

amplius, Vertendum si quid tale acciderit in occasionem beneficii. Nimirum, ut Mimus dixit,

Amici vitia si feras, facias tua.

Cicero, *Molesta veritas, siquidem ex ea nascitur odium: sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit.* Et quod apud Plautum est,

Amicum castigare ob meritam noxam
Immune est factum, verum in ætate utile
Et conducibile.

Videmusque hoc officii genus diserte præcipi etiam Mosis lege Levitici XIX, 17. *Ne odio habeas proximum tuum: arguendo arguas eum.* Sed observandum hic diligenter ne ea castigatione nostra potius commoda aut victoriam sectemur quam amici salutem. Nam, ut Hierocles inquit, ad amicitias tuendas restituendasque πολὺ συμβάλλεται τὸ ἡμέτερον ἀνεξίκακον ἢ περὶ μηδενὸς πρὸς σὺν φίλους μικρολογίσθαι, μηδὲ ἐξετασικὸν πρὸς ἀκρίβειαν, ἀλλ' ἔστιν οὗτο τὸ ὑπερμενητικὸν [*multum confert nostra lenitas in nulla re quæ ad amicum pertineat scrupulosa nimis, aut ad rigorem quaque examinans, sed patiens quantum fieri potest*]. Oportet ergo, ut idem ait, τὰ ἔξω τῆς ψυχῆς πάντα μικρὰ ἡγήσθαι, καὶ ἀπαγορεύειν μὴ φιλεῖ τούτων τὸ φίλον ἐχθρὸν ποιῆν· ἀλλὰ φεύγειν ἢ μᾶλλον τῷ περὶ τὰ τοιαῦτα καὶ τὸ κοινωνικὸν φίλου ἀναιρεῖσθαι [*ea quæ extra animum sunt parvi habere, sibique interdicere ne ob ista ex amico inimicum facias: sed id potius agere ut neglectu talium amicus qui avulsus est revocetur*]. In hanc legem peccant multi quos graphice depingit ad Zenam Justinus, οἱ ζῆλον ἔχειν ἐπαγγελλόμενοι, ἢ τὸ παρρησιαστὸν ὑπεκδεναντες, λάβρῳ τῷ βούλεσθαι νικᾶν πάντα ἐπὶ τῷ ἀληθεύειν προπετῶς ἐκβιάζεσθαι ἑαυτοὺς, οἱ φιλόνικοι, ἢ ζηλωτὰ κατασκήπτοντες [*qui zelum habere se profitentur & jus loquendi sibi vindicant, ii sunt qui cum semper velint vincere, speciem induunt libertatis, vitilitigatores, qui zelotam deglutierunt*]. Præterea vero ita danda opera est amico corrigendo ut simul quantum fieri potest famæ & pudoris ejus habeatur ratio, juxta illud dictum Hebræorum, *Melius est homini ut conjiciatur in caminum ignis quam ut palam proximum suum ignominia afficiat*. quod quomodo fieri debeat Christus hic per gradus quosdam explicat. Scopus autem is est quem Justinus dicto libro præscribit, τεθεπτέον ἢ τὸ ἁμαρτάνοντα μὴ κρύπτειν, ὅπως εἰ μὴ χρὴ ἀλλ' τὸ ἐκκλησιαστὸν [*castigandus est qui peccavit non in publico, nisi contumacia ejus id exigat*]. Vox ἀδελφῷ [*fratri*] hoc quidem loco significat eum qui eandem pietatis normam sequi se profiteatur, ἢ ὁμόζηλον [*ejusdem institutis participem*], ut loquitur Philo, quod sequentia declarant. Agitur autem proprie de delictis quæ imbecillitati humanæ ex ira, invidia, habendi cupidine solent obrepere, quæque ad alterius injuriam pertinent. Hoc enim significat εἰς σέ [*in te*]. Hinc Syrus ἁμαρτήσῃ [*peccaverit*] vertit אחטי eo verbo quod Lxx itidem ἁμαρτάνειν sæpe vertunt, interdum magis proprie ἀφρόνως πράττειν [*imprudenter agere*], ut Geneseos XXXI, 28. Hunc sensum Lucas nobis apertissimum facit qui simul cum castigatione *condonandi* facit mentionem XVII, 3. unde discimus quod infra Petrus interrogat commate 21. ad hanc ipsam facti speciem pertinere. Condonare autem neque solemus neque possumus nisi nobis fit injuria. Ita & in Hebræis sententiis, *Si te injuria socius tuus affecerit.* Atque ita hunc locum recte interpretantur Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus. Sed simul meminisse debemus morem esse Divinæ legis in facti specie nobilissima indicare quid in rebus aliis, servata tamen proportionis æquitate, sequendum sit. ¶ ἔλεγξον, *corripe*] Ita Hebræum תוכיח in Levitico transferunt Lxx; quos sequuntur alii Hellenistæ, ut Eccles. XX, 15. Hoc est quod *castigare* dixerat Plautus. ¶ μεταξὺ (*a* καὶ αὐτοῦ μόνου· *inter te & ipsum solum*] Ἰδίᾳ λαβὼν [*seorsim abductum*], ut ait Plato in Socratis Apologia; idque primum verbis mollibus: deinde, si opus sit, paulo acrioribus, ut recte præcipiunt Hebræi. Cicero, *Habenda ratio & diligentia est primum ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat.* ¶ ἐὰν (*a* ἀκούσῃ, *si te audierit*] *Si monitis pareat*, hoc est, ἐὰν μετανοήσῃ, ut Lucas explicat. ¶ ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν (*a. lucratus es fratrem suum*] Non ait Christus, *tibi bene consuluisti*, sed *fratri*: id enim præcipue propositum nobis læsis esse debet. Nam nostra tantum aut res aut existimatio agitur temporaria, illius salus æterna. κερδαίνειν [*lucrari*] est *ad bonam frugem revocare*, ac proinde in *salutis viam reducere*. Ita vox hæc sumitur 1 Corinth. IX, 19, 20, 21, 22. 1 Petri III, 1. Explicat hoc Jacobus, ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου, καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν [*qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte & operiet multitudinem peccatorum*], v. 20. Loquendi genus non dissimile Genes. XII, 5. רכוש אשר עשו בחרן *Animam quam fecerant* sive *acquisiverant in Charan*, id est, Chaldæo interprete *animas quas subjecerant Legi.*

16. ἵνα ἢ δύο· *unum vel duos*] Uteo modo, si fieri potest, pudor illi exprimatur, quod addunt Hebræi. Ideo tales arcumi debent quorum aliquid apud ipsum auctoritas valeat. ¶ ἵνα ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν σταθῇ πᾶν ῥῆμα· *ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum*] Sunt ipsa verba Legis ex Deuter. XIX, 15. ex versione Lxx. יקום *stare* hic est vim atque effectum habere: vide ἀντίστασιν [*oppositum*] in I. Psalmo XXXIII, 9. Sapienter lex Divina exigit testes in quaque causa binos aut ternos, primum rejiciens singularia testimonia, deinde ostendens eam posse esse viri alicujus in judicium adducti famam ut facile non uni tantum sed & duobus testibus sit ἀντίκειμένη [*contra pendens*]. Tunc igitur tertius exigetur testis: Nam probationum pondera angustis finibus circumscribi non possunt, sed pro personarum rerumque circumstantia boni viri arbitrio æstimanda veniunt. Cæterum lex ista Mosis proprie, ut diximus, ad facti controversias pertinens in proverbium transiit, ita ut & de rebus aliis usurpetur, quemadmodum videre est Joh. VIII, 17. II Corinth. XIII, 1. Sensus hic est, ut is qui peccavit, si te unum non est reveritus, illos saltem duos aut tres adhibitos revereatur, & illorum consensu motus iniquitatem facti sui agnoscat.

17. παρακούσῃ αὐτῶν, *non audierit eos*] Id est, ἐὰν μὴ μετανοήσῃ [*si pœnitentia ductus non fuerit*]. Vox frequens Græcis Scriptoribus, sed & Lxx Interpretibus usitata. ¶ τῇ ἐκκλησίᾳ· *ecclesiæ*] *Coram multis*, inquit liber Musar; ἐξ κοινῶν [*in commune*] Justinus. Nempe ut ei eveniat ἔλεγξις ἐναντίον πολλῶν [*objurgatio à pluribus*], ut loquitur Paulus II Cor. II, 6. ἔλεγξις ἐναντίον πάντων [*convictio coram multis*], ut idem ait 1 Timoth. V, 20. Agitur quidem istis in locis de peccatis gravioribus: Sed etiam quæ sui initio leviora sunt, pertinaci monitorum contemtu gravibus æquantur. Causam addit liber Musar, *ut deteganter hypocrita.* Sed hæc secundaria est. primaria autem est ut vel sic ad rectam viam reducatur, motus tot piorum factum suum improbantium consensione. Jam divimus nihil à Christo novum præcipi, sed morem recte introductum probari. Judæi, quamvis omnes in unum Templum coirent, & Templi ceremoniis inter se sociarentur, habebant tamen varia corpora disciplinæ causa instituta. Ita Pharisæi à Sadducæis, utrique ab Essenis, institutis & cœtibus propriis distinguebantur. Rursum inter eos qui Legisperitorum auctoritatem sequebantur Scholæ erant diversæ. Philo vocat ἐμιλίας, γαμικὰς συλλόγους, πανηγυρικοὺς [*cœtus, communes conventus, greges*]. Pythagoristæ ὁμήριον [*commune auditorium*] vocabant cœtum suum, ἱερὸν σύλλογον [*sacrum cœtum*] interpretatur Hierocles. Quod Pythagoristis est ὁμακοεῖον [*commune auditorium*] id Christianis esse ἐκκλησίαν [*ecclesiam*] ait Clemens Alexandrinus. In his cœtibus tractari solebant quæ ad concordiam atque ἐυταξίαν [*rectum ordinem*] cujusque cœtus pertinebant. Talem cœtum, manente etiam Lege, neque facta à Judæis cæteris secessione, Christus jam colligere cœperat; quem ipse more Hebræorum vocabat קהל, Discipuli Græce scribentes ἐκκλησίαν [*ecclesiam,*] interdum & συναγωγὴν [*synagogam*], ut solebant olim ex voces promiscue usurpari, de quo supra diximus. Notatur in libro פרקי אבות [*Fragmenta Patrum*] *decem homines facere* קהל, id est, ἐκκλησίαν [*ecclesiam*]. Idem est in Gemara Melilah capite III. Errant qui de Judicibus publicis agi hic existimant. Non enim hoc docet Christus, quomodo damnum nostrum commodissime farciamus, quod ille, ut βιωλικὸν [*temporale*], ex prudentiæ & æquitatis regulis unicuique æstimandum relinquit, sed quomodo errantem reducamus in rectam viam. Sed neque πρεσβυτέριον & συναγωγῆς [*presbyterium synagogæ*] solum hic indicari ex his quæ jam adduximus satis puto apparere. Mos enim fuit Hebræis rem ultimo loco ad multitudinem τῶν ὁμοζήλων, id est, eorum qui eadem instituta sectarentur, perducere, cujus tamen multitudinis judicia Seniores tanquam præsides moderabantur: quod, ut multa alia, servatum à Christianis tum alii Scriptores tum Tertullianus nos docet, *Coimus*, inquit, *in cœtum & congregationem* (hoc est, ἐκκλησίαν) *ut ad Deum quasi manu facta precationibus orantes*: deinde, *ibidem etiam exhortationes, castigationes & censura divina*: mox, *Præsident probati quique seniores.* Similia videmus apud Cyprianum atque alios. ¶ ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης· *sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*] *Esto tibi socius vilis*, inquiunt Hebræi. Sensus est, Tunc demum jus fasque tibi erit propius amicitiæ vinculum resolvere & familiarem illius con-

victum desugere, ut posthac abillo illacessitus vivas: satisfecisti jam officio. Quando omnia monita contemsit, libero te illius cura; habe eum quo loco habes ἐθνικὸν [*Gentilem*], hoc est, à religione plane alienum, aut Judæum quidem, sed ἁμαρτωλὸν, hoc est, talem qui vitæ sit flagitiosæ: quales haberi solebant τελῶναι καὶ πόρναι [*publicani & meretrices*]. Nam his exemplis declarari vocem ἁμαρτωλῶν [*peccatorum*] diximus ad caput v. Talibus autem non desinebant deberi communia humanitatis officia, ut male sentiebant Judæorum plerique, sed ea tantum quæ ad propiorem amicitiam pertinent. Neque erat quod in illis monendis multum operæ poneretur, nisi nova spes pœnitentiæ se ostenderet. Demosthenes, ἱκανὴ γὰρ δίκη τοῖς φίλοις ἐστὶν ἂν τι δοκῶσι πεπληκέναι δεινὸν μικρὸν δ' λοιπὸς φιλίας χρόνον [*Sufficiens enim pœna ab amicis est si qui graviùs quid admiserint, ut in posterum amicitiæ exsortes sint*]. Cicero, *Cujus aures veritati clausæ sunt ut ab amico verum audire nequeat, hujus salus desperanda est.* Aristoteles, διαλυτέον δ' οὐ πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀνιάτοις διὰ τὴν μοχθηρίαν [*divortium faciendum non ab omnibus sed ab iis quorum insanabilis est malitia*]. Chrysippus, ἀναγκαῖον τὸν μὲν ὅλως συγκατατίθεσθαι, τὸν δὲ μικρῶς διαφερόντως τυγχάνειν, τὸν δὲ ἐπὶ μείζονι, τὸν δὲ ὅλως διαλύεσθαι ἀξιοῦσθαι [*oportet nos quædam omnino dissimulare, quædam modice culpare, alia acrius, quædam æstimare divortio*]. Permittentis igitur, non imperantis esse hæc Christi verba sentio; neque agi hic de excommunicatione, de cujus antiquitate & necessitate alibi erit dicendi locus: quanquam ad eam ex hoc etiam loco non absurde argumentum duci posse non negaverim. Alioqui non est idem, *habere aliquem pro fœtore vili*, & ἐκκλησίας ποιεῖν [*extra synagogam facere*]. Hoc totius est cœtus; illud singulorum, maxime vero ejus qui injuriam accepit: quem in sensum hunc locum recte ni fallor acceperunt plerique veterum, quod & sequentis ostendent.

18. ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, *quæcunque alligaveritis super terram*] Cum qui præcessit sermo ad eum dirigatur qui injuriam accepit, omnino & hæc continuo sermone enuntiata eo pertinent: quod ostendit & ea quæ mox sequetur Petri interrogatio, Quoties condonandæ sint injuriæ. Recte igitur Origenes videri ait hæc omnibus dicta qui peccantes ter arguerint. Augustinus De verbo Domini, homilia xv. *Si fratrem habes pro Ethnico & publicano, ligasti illum in terra: si correxeris fratrem, solvisti illum in terra.* Et Theophylactus, *Si tu*, inquit, *offensus habes eum qui te injuria affecit sicut publicanum & Gentilem, erit ille & in cœlo talis. Si autem solveris eum, hoc est, ignoveris, erit ei & in cœlo condonatum. Non enim solum quæ solvunt Sacerdotes sunt soluta, sed quæcunque & nos injuria affecti vel ligamus vel solvimus & ipsa erunt ligata vel soluta.* Hæc ille. Neque mirum nobis videri debet *solvere* hoc & *ligare* Christianis singulis tribui. Nam si hæc eadem & Christo tribuuntur & Pastoribus, servata proportionis ratione, quidni extendi possent ad singulos eadem ratione servata? Nam & σώζειν [*salvum facere*] quod modo Christo modo Pastoribus tribuitur, videmus & singulis tribui eodem de quo hic agitur sensu Jacobi v, 20. *Ligat* igitur qui alterum culpæ convincit; *solvit*, qui eum rectis monitis ad pœnitentiam perducit, atque etiam pro ipso Deum precatur, ut sequentia declarant. ¶ ἐν τῷ οὐρανῷ. *in cœlo*] Pro ἐν τοῖς οὐρανοῖς [*in cœlis*]. Interdum enim confundi hæc alibi diximus: vide quæ supra xvi, 19.

19. ἐὰν δύο ὑμῶν, *si duo ex vobis*] Manifesta mihi videtur cum superioribus connexio. Dixit *quod hic solverimus in cœlo solutum fore.* Id universali propositione confirmat, Quia Deus præstat quicquid duo concorditer petunt; sicut in ea de qua egit specie & is qui fratrem admonuit & frater admonitus, aut etiam alii si qui fuerunt adhibiti, Deum precantur ut culpam condonet. Hoc est quod Jacobus dicit, *fatemini peccata alter alteri: orate alter pro altero, ut sanemini. Multum enim valet efficax justi hominis deprecatio*, v, 16. Sæpe quidem Deus etiam uni precanti concedit quod rogat, sed pluribus inter se concordibus largitur & libentius & plura & citius. *Si duo autem*, intellige, *Si vel duo tantum*, more Hebræo. ¶ συμφωνήσωσιν, *consenserint*] *Concordes fuerint.* Nam vox Hebræum sic vertunt Græci. ¶ περὶ παντὸς πράγματος, *de omni re*] Universalis vox ex rei natura restringenda est, Si boni petant bona bene ad bonum. Prima restrictio docetur Johan. ix, 31. & in Epistola i, cap. iii, 21, 22. Secunda supra vii, commate 11. Tertia Lucæ xviii, 1. Jacobi i, 5. 6. 7. Quarta Jacobi iv. 3.

20. συνηγμένοι, *congregati*] Sicut modo συμφωνεῖν [*concinere*] ab ore ad animum transferebatur, ita hic συνάγεσθαι [*coire*] per tralationem est ὁμονοεῖν [*consentire*], quomodo Latine etiam dicimus *convenire.* Ita sumi vocem συνάγεσθαι manifestum est Actorum iv, 27. ¶ εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, *in nomine meo*] Syrus בשם, quomodo בשם [*in nomine*] sumitur Psalmo xx, 6. & 8. & 1 Samuelis xvii, 45. ad significandam fiduciam quam in aliquo ponimus. Ita Johannis xiv, 13, 14. ἐὰν τι αἰτήσητε ἐν τῷ ὀνόματί μου, *mei fiducia.* ¶ ἐκεῖ εἰμὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν· *ibi sum in medio eorum*] Rursum translatio est qualis supra in voce συνάγεσθαι [*congregari*]. Sic Latine *adesse alicui* dicitur qui ei favet auxiliumque præbet. Est autem hoc Christi dictum simillimum tritæ inter Hebræos sententiæ, שנים שיושבים ויש ביניהם דברי תורה שכינה שרויה ביניהם *Ubi duo considunt sermonem habentes de Lege, Schechinah est inter ipsos.*

21. ποσάκις ἁμαρτήσει εἰς ἐμὲ ὁ ἀδελφός μου, καὶ ἀφήσω αὐτῷ; *quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei?*] Hebraismus, pro quo Græci dicerent, ποσάκις ἁμαρτάνοντι ἀφήσω; [*quoties peccanti condonabo*]: ut supra xviii, 20. ἐμοὶ γὰρ μετανοοῦντι [*dicentis & transibit*], pro κελεύοντων ὑμῶν μετανοοῦντι [*jubentibus vobis transibit*]. Cum autem condonatio duplex esse possit, altera qua vindictam injuriamque neque exigimus per nos, neque à Deo homineve deposcimus, altera qua retinemus aliquem aut restituimus in pristinum amicitiæ gradum; priore adversus omnes uti debemus, posteriore adversus vere resipiscentes, quam ἐκ μεταμελείας ἀνάκλησιν [*revocationem ex pœnitentia*] vocat Hierocles. De posteriore agere hic Petrus videtur. Dixerat enim Christus teste Luca, ἐὰν ἐπιστρέψῃ ἐπὶ σε λέγων, μετανοῶ, ἀφήσεις αὐτῷ [*si conversus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi.*]

22. οὐ λέγω σοι, *non dico tibi*] Non hoc solum dico. ¶ ἕως ἑπτάκις, *usque septies*] Ex traditione, ut credo, Judæorum, qui non ultra extendebant condonandi necessitatem, in peccatis etiam levioribus. Nam Christi quæ apud Lucam sunt verba occasionem errandi Petro dedisse non arbitror; neque enim ibi est ἑπτάκις [*septies*] simpliciter, sed ἑπτάκις τῆς ἡμέρας [*septies in die*], quod Hebræorum mora significat *quam sæpissime*, ut Prov. xxiv, 16. Psalm. cxix, 165. ¶ ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά. *usque septuagies septies*] Non est hoc *septuagies & septies*, sed *ad numerum usque septuagies septenum.* Neque aliud voluit Syrus cum dixit, עד שבעין זמנין שבע, quod est, *ad tempora usque septuagies septena*; non ut aliis visum est interpretari, *quatuordecim vicibus septuagies.* Nam שבע שבע non significat *quatuordecim*, sed *septena*, ut Geneseos vii, 2. quomodo δύο δύο pro *binos* dixit Marcus vi, 7. Opponit Christus hunc numerum ut multo majorem numero septenario ex more Hebræorum. Nam eadem oppositio invenitur Geneseos iv, 24. ubi quod est שבעים שבעה interpretandum est *septuagies & id ipsum septies.* Apud Lxx itidem ut hic ἑβδομηκοντάκις ἑπτά, quanquam aliter accepit Josephus. Cæterum quod hic de donandis offensionibus à Christo dicitur temere ad Ecclesiastica judicia de gravioribus delictis nolim extendi. Aliud enim est de suo largiri, aliud de publico: multumque interest privatim recipias amicum, an vigorem laxes communis disciplinæ, in qua & honos & sanitas Ecclesiæ magna ex parte consistit. Quare vetustissimi Christianorum in idololatriam, homicidium aut adulterium lapsos Dei quidem misericordiæ commendabant, non tamen ut ad communionem admitterent; aliis criminibus fœdatos non ad solam pœnitentiæ professionem, sed post longi temporis experimenta ad communionem recipiebant: iterum aut sæpius relapsos non item. Chrysostomi igitur illud χιλάκις μετανοήσας εἰσελθε [*millies si pœnitentiam egeris, intra*] dictum in calore certaminis adversus Novatianos benigna interpretatione molliendum est. Locus autem hic Euangelii in Hebræo codice, qualis à Nazarenis servabatur, sic habebat, *Si peccaverit frater tuus in verbo, & satis tibi fecerit, septies in die susci pe eum. Dixit ei Simon discipulus ejus, Septies in die? Respondit Dominus & dixit ei, Etiam ego dico tibi, Usque ad septuagies septies. Etenim in Prophetis quoque, postquam uncti sunt Spiritu Sancto, inventus est sermo peccati.* Non alienum ab hoc loco Plinii illud viii, epistola 10. *Ego optimum & emendatissimum existimo qui cæteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet; ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat.*

23. Διὰ τοῦτο, *Ideo*] Ἐπεκτικὸς [*Omissio verborum*], pro Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν ὅτι ὡμοιώθη [*Ideo dico vobis quod assimilatum est*]. ¶ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, *Regnum cœlorum*] Res rei comparatur. *Ita*, inquit, *se res habebit in Regno meo ut si Rex sit aliquis*, & quæ sequuntur. *Regnum cœleste* est tempus post adventum Messiæ. Comparatio non dissimilis apud Libanium de seditione Antiochena, Ὅστις οὖν ἰσοτίμου βούλεται θεοῖς, ἀφιεὶς τιμωρίας χαιρέτω μᾶλλον ἢ λαμβάνων [*Quisquis igitur similis deus esse volet, latetur potius condonando pœnas quam*

quam exigendo]. ¶ *ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, homini Regi*] Id eſt, *βασιλεῖ τινι* [*Regi alicui*], ut infra XX, 1. quomodo ὁ τις ſolet ſumi Hebræis. ¶ *συνᾶραι λογον, rationem ponere*] *Rationes diſpungere*, ut Juriſconſulti & Seneca loquuntur. ¶ *μετ' αὐτῶν· cum ſervis ſuis*] Ubi de Regibus agitur *ſervi* dicuntur omnes ſubditi, ſed præcipue qui in aulico ſunt miniſterio, ut I Regum IX, 22. ubi vox נער in eodem commate ſignificatu duplici & quidem oppoſito invenitur. Ut autem *miniſtros* hic malim intelligi facit tota narrationis ſeries, quam mancipiis non ſatis recte aptaveris; præſertim ea quæ ſunt commate 28 & 29.

25. *πραθῆναι, venumdari*] Liberi homines cum uxoribus & prole ubi ſolvendo non eſſent ſervi fiebant creditorum, moribus Hebræis, quod docemur IV Regum IV, 1. Sed & Joſephus morum patriæ peritiſſimus Moſis legem de fure interpretatur, *διότι μὲν ὁ κλέψας τετραπλοῦν τὴν ζημίαν ὀφείλει τοῦτο πάσχειν, πλὴν βοός· πενταπλοῦν δὲ ἐκείνῳ τίνειν καταδικάζεται· ὁ δὲ τὸ ἐπιτίμιον οὐκ ἔχων ἀποδοῦναι, δοῦλος ἔσται τοῖς καταδικάσασιν* [*Qui pecudem furatus furrit quadruplo luat, excepto bove, de quo ſolvendum quintuplum; qui vero non erit ſolvendo, ſervum eſto eis quibus damnabitur*]. Idem Originum XVI, cap. I. notat vendi Judæos niſi Judæis non potuiſſe, neque vero duraſſe eam ſervitutem niſi in ſexennium, Herodem *παρανομίας* [*violatæ legis*] arguens qui directarios quoſdam vendiderat *ἐπ' ἐξαγωγῇ* [*ut extra Regni terminos educerentur*]. At ſervi, ne iis quidem exceptis quos parentes in ſervitutem vendiderant, vendi à dominis poterant, extra id quod de filia vendita cavetur Exodi XXI, 8. Minatur igitur Rex venditionem jure creditoris. ¶ *καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ τὰ τέκνα, & uxorem ejus & filios*] Nam & iſtis manus injici poterat, ut ex dictis jam locis apparet.

26. *μακροθύμησον, patientiam habe*] Μακροθύμειν [*longanimem*] vocant Helleniſtæ quem Hebræi ארך אפים [*longum ad iram*], ut videre eſt Pſal. LXXXVI, 15. Quo ſenſu & nomen iſtud & verbum *μακροθυμεῖν* [*longanimem eſſe*] aliquoties in his libris invenire eſt: idque hic ſequitur Syrus. Eſt tamen ubi ſine *ira* ſignificatione *patientem exſpectationem* ſignificat, ut Hebr. VI, 15. & Jac. V, 7. quomodo hic vertit Latinus, ad ſenſum, ni fallor, aptius.

27. *τὸ δάνειον, debitum*] Id eſt, ὀφειλὴν, ut infra dicitur. Nam ſicut res credita proprie Latinis eſt *mutuum*, inde ad alia transferri cœpit, ita δάνειον Græcis. Vetus eſt ſententia,

Τοῖ δάνεια δίδως σοῦ ἀλοθέρως πατῆ.

quam ita vertit Publius,

Alienum as homini ingenuo acerba ſervitus.

28. ἔπνιγε, *ſuffocabat*] *Faucibus apprehendit*, ἄγχειν hoc dicunt Baſilius & Chryſoſtomus. ¶ *ἀπόδος, redde*] Vocem hanc eſſe auditu duriſſimam ait Plutarchus libro De vitando ære alieno. ¶ *εἴτι ὀφείλεις. quod debes*] Non auſim movere hanc veterum codicum lectionem. Nam ſolet εἰ ſæpe non conditionem ſed generalitatem ſignificare.

34. *τοῖς βασανισταῖς, tortoribus*] Βάσανος [*tormentum*] in his libris non *quæſtionem* ſolum ſed omnem omnino *cruciatum* atque *moleſtiam* ſignificat; ut videre eſt ſupra VIII, 29. XIV, 24. Marci V, 7. VI, 48. Lucæ VIII, 28. II Petr. II, 8. Apocal. XVIII, 7. & eodem libro ſæpius. Quare *βασανισταὶς* [*tortores*] hic puto dici *δεσμοφύλακας* [*commentarienſes*]. Ita optime conveniet quod ſequitur ἕως ἀποδῷ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον αὐτῷ [*quoadusque redderet univerſum debitum*], ut ſenſus ſit idem qui ſupra V, 25, 26. & Lucæ XII, 58, 59. Nam & ipſe carcer vocatur *corporis cruciatus* L. ultima C. Qui bon. ced. poſſ. Verbum נגע, unde nomen quo transfert σοῦ βασανισμὸς deduxit Syrus, Chaldæis eſt *trahere*, ut Joſeph Kimchi notat. Utitur autem hic Rex ille non ſolo creditoris jure, ſed & Judicis.

35. *οὕτως, Sic*] Hæc plena eſt comparatio: habet enim ἀντιπίδοσιν [*redditionem*], cujus ſenſus idem eſt qui in illis Jacobi verbis, Ἡ κρίσις ἀνίλεως τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος [*Judicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam*]· & ſupra VI, 15. niſi quod hic additur, Jam accepta beneficia Divinæ indulgentiæ nihil profutura immiſericordibus. Unde diſputari ſolet, An peccata ſemel remiſſa iterum imputentur. Veteres manifeſte inter ſe diſſentiunt. Alii enim exiſtimant nihil in eo eſſe abſurdi ſi dicamus remiſſionem quæ in hac vita fit habere in ſe conditionem novæ obedientiæ, cujus magna pars eſt lenitas in homines alios; quod autem ſub conditione datum eſt ea non impleta evaneſcere: aut certe ſicut donationes etiam pure collatæ revocari ſolent ob eximias injurias legibus proditas, ita & beneficium hoc condonationis revocari, aut potius in modum pœnæ auferri, quomodo damnatis bona etiam pleno jure quæſita auferri ſolent. Nec obſtare arbitrantur quod *dona Dei* dicuntur eſſe *ἀμεταμέλητα* [*ſine pœnitentia*]· nam id recte dici poſſe etiam de liberalitate qua Terram Chanaanis Deus donavit Hebræo populo, quia per Deum non ſtetit quominus ille populus perſtans in fœdere promiſſo potiretur, Nehem. IX, 32, 33. Aliis magis placet exſtinctam ſemel obligationem non reviviſcere, ſed propter poſtrema crimina (ut Proſper loquitur) affici hominem ea morte quæ ei propter ea quæ remiſſa erant debebatur. Sunt & qui utroſque conciliant mediæ ſententiæ temperamento. His placet remiſſa ſemel peccata non per ſe puniri, ſed indirecte & per conſequentiam quandam, quatenus eorum condonatio auget culpam ſequentem & pertinaciæ & ingrati animi crimine: quod & Juriſconſulti ſtatuunt adverſus eos qui veniam à Principe conſecuti, aut in eadem crimina recidunt, aut in ipſum Principem delinquunt. ¶ *τὰ παραπτώματα αὐτῶν. peccata eorum*] Vetuſtis codicibus, qui hæc verba habent adjecta, cum Chryſoſtomo & Theophylacto adſtipulatur Syrus Interpres. Sæpe autem offenſæ debitis pecuniariis comparantur, non quod non multum intereſſit, ſed quia ſicut ex debito naſcitur jus exigendi, ita ex offenſa jus quoddam naſci videtur reſcindendæ amicitiæ, quo jure qui non utitur benignitatem ſuam oſtendit, eatenus ſimilis ei qui debitorem per acceptilationem liberat. Ideo & verbum χαρίζεσθαι [*condonare*] & ἀφιέναι [*dimittere*] & ſimilia communiter de utroque uſurpantur. Vide quæ ſupra VI, 12. & noſtra de Jure Belli ac Pacis libro II, cap. XX, §. 2. in textu & Annotatis.

PRICÆUS.

Com. 3. Καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία] Id eſt, animo qualis pueris eſſe ſolet ſimpliciſſimo. Plinius lib. 6. Epiſt. 26. de Fuſco Salinatore, *Puer ſimplicitate.*

Ovidius,

Tantaque ſimplicitas puerilibus adfuit annis, &c.

Manilius,

Ac qualis puero ſententia paſtore ſimplex.

Lucretius,

Nam velut infirmo pueri teneroque vagantur
Corpore, ſic animi ſequitur ſententia tennis.

τεκνίων ἐστὸν eſt quod 2 Corinth. 10. 5. λογισμὸς καθαίρειν, καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον, καὶ αἰχμαλωτίζειν πᾶν νόημα εἰς τ ὑπακοὴν, &c. & 1 Cor. 3. 18. μωρὸς γενέσθω· confer & 1 Petr. 2. 2.

Com. 6. *ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς*, &c.] Sueton. Auguſt. *Pædagogum miniſtroſque; Caii filii per occaſionem valetudinis mortiſque ejus ſuperbe amareque graſſantem, oneratis gravi pondere cervicibus præcipitavit in flumen.* Victor Utic. de Hunerico, *Imitator Geiſerici patris, qui ſui fratris uxorem ligato pondere lapidum in Amſagam fluvium jactando demerſit.* Prudentius de Quirino,

Summo pontis ab arcubi
Sanctæ plebis Epiſcopus
In præceps fluvio datur,
Suſpenſum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.

Com. 12. καὶ πλανηθῇ ἓν ἐξ αὐτῶν] Vide ad Luc. 15. 4. annotata.

Com. 15. ἔλεγξον *αὐτὸν μεταξὺ σοῦ καὶ αὐτοῦ μόνου*] Plutarchus in De amici & adulatoris diſcrimine, Δεῖ, ὡς ἰατρικῆς τέχνης ἐμπείρους, τὰ ἁμαρτήματα τῶν νεηνιῶν καὶ δυσκάλυπτα δοκίμως εἶναι, καὶ μὴ πανηγυρικῶν, μηδὲ ἐπιδεικτικῶν, μηδὲ μάρτυρας καὶ θεατὰς παράγοντας. Hoc Plato *ἰδίᾳ λαβὼν διδάσκειν καὶ νουθετεῖν* vocat. Philo *ἰσονχῇ νουθετεῖν ἵνα μὴ ἔτερος κατακούῃ*. Themiſtius *δοκιμάζων τινα καὶ δοκιμάζων ἐν γωνίᾳ καθάπτεσθαι & νουθετεῖν*. Marcus Antoninus *μὴ ὡς ἐν σχολῇ, μηδὲ ἵν' ἄλλος ὀφθῇς θαυμάζῃ, ἀλλ' ἵνα σὺς μόνον, καὶ ἐὰν ἄλλοι τινὲς παρεστήκωσι.* Quibus concinit quod in veteri Mimo, *Secreto amicos admone.* Nec id ſeorſim faciendum, ſed & leniter. Facit idem enim in animo admonendi corrigendique, quod fricandi in corpore ratio: quæ (Celſo 2. 13. ex Hippocrate teſte) ſi lenis mollit corpus, ſi vehemens, durat. Seneca, *Liberius illum admoniſti? non emendaſti, ſed offendiſti.* ἐν πνεύματι πραΰτητος καταρτίζειν Paulus Galat. 6. 1. dixit. Philo ubi ſupra *ἰσονχῇ καὶ πρᾴως.* Antoninus citato loco, *μὴ πικρικῶς, μὴ ἐνθυμικῶς, ἁπλῶς φιλοσόφως καὶ ἀδήκτως.* Seneca alibi *Sine convicio, non palam, non amare.* Pacat. Panegyr. *Alienis vitiis corrigendis curam adjeciſti, idque moderate,*

ut suadere potius honesta quam cogere videatur. Etiam in Mimo est,

Suadere primum benevoli est, dein corrigere.

Com. 16. ἵνα ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων, &c.] *Testimonium & hominis, & unius infirmum est.* Minuc. in Octavio.

Com. 17. ἐὰν δὲ παρακούσῃ αὐτῶν, εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ] Seneca 1. 16. De Ira, *Objurgatio te primum secreta, deinde publica emendare tentabit.* Tonsor Apuleianus ad ancillulam capillos sectos ad maleficia colligentem, *Quod scelus nisi tandem desinis, magistratibus te constanter objiciam:* confer quæ Deuter. 21. 19. de filio contumace. Non dissimiles his procedendi gradus Cicero in Officiis præscribit, *Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? silebitne filius? imo vero obsecrabit patrem ne id faciat: si nihil profecerit, accusabit, minabitur etiam:* ubi *accusare* (ne quis *minas* miretur: sequi, locumque mendi suspectum habeat) admonitionem privatam notat, *minari* ad publicam delationem spectat. Siracides eadem facie 19. 17. Ἔλεγξον τὸν πλησίον ζῶ πρὶν ἢ ἀπειλῆσαι.

Com. 20. ἐκεῖ εἰμὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν]
Guntherus,

—— *quoties in nomine Christi*
Trefve duosve pari consensu juris amore
Congregat, in medio perhibetur Christus adesse.

Tertullianus in Apologetico, *Coimus in cœtum & congregationem ad Deum, quasi manu facta precationibus ambianus orantes: hæc vis Deo grata est.*

Ovidius,

Nam certum est junctas fortius ire preces.

Com. 25. Μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι] Admodum Latine Vetus, *cum non haberet unde redderet:* nec opus heic ἔχειν pro δύνασθαι intelligere.

Com. 26. Μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί] Similis obærati apud Aristophanem obtestatio ista,

Ὦ δαιμόνιε, τὸ μὲν τι νυνὶ μὴ λάβῃς,
Τὸ δ' ἀναβαλὲ μοι. ——

Μακροθυμεῖν (quod quomodo verti debeat expositores satagunt) hoc loco Latine loquentibus est *sustinere.* Seneca in de Benef. *Quædam nomina bona lentus ac sapiens creditor fecit, qui sustinuit ac mora fovit.*

Martialis,

Exspectes ac sustineat, Auguste, necesse est,
Nam tibi quod solvat non habet arca Jovis.

Com. 28. κρατῶν αὐτὸν ἔπνιγε]

Horatius,

Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget.

Est autem heic πνίγειν (dabit veniam pro candore suo Vir magnus à quo hic aliquantillum discedo) non *agitare* tantum aut *percellere*, sed *fauces arcte comprimere.* Pollux in Onomastico 3. 23. Συνεπνίγουν οὗτοι ὀφειλοντας. Valer. Maximus, (qui non τὸ πνίγειν tantum, sed & τὸ κρατεῖν expressit) *Pestifera Tiberii Gracchi manu faucibus apprehensum Rempublicam strangulari passus non est.* Et Ovidius, (qui in Herculis pugna cum Acheloo,)

—— *summo digitorum vincula collo*
Injicit, angebat ceu guttura forcipe pressus.

Nec aliter heic πνίγειν debere accipi liquebit ex voce ἄγχειν, (ejusdem efficaciæ verbo) de duris (qualis iste) creditoribus solenniter usurpata. D. Basilius, Ἐπὶ χαμευνῆς κατακρωμύῃ, ἐπὶ φίλων καθυβρίζῃ, ἐν τῷ ἀγορᾷ ἄγχῃ. Idem Homil. de Avaritia, Ὁ ἀσπαστόμενός σου ἄγχεται. Vide & Ejusdem Homil. in Psal. 15. ὀφείλοντων. Chrysostomus Homil. 3. ad Pop. Antiochenum, Σὺ δὲ ὑπὲρ ἑλίγα χρυσία καταπατεῖς, ἄγχεις, σύρεις. Apud Lucianum (ubi, ut heic, ὑπόδος additur,) Charon ad Menippum, Ἀπόδος, ὦ κατάρατε, τὰ σώματα· & statim, ἄγξω σε νὴ τὸν Πλούτωνα ἂν μὴ ἀποδῷς. Themistius στρεβλοῦν, καταδύνειν, καὶ ἄγχειν ἀναγκάζων ὑποτιμώμενα dixit. His addas licet & illa Apulei, *Philebum cæterosque comites ejus involant avidi, colloque constricto, &c. identidem arguente sermone comprimunt, promerent ocyus aureum cantharum, promerent auctoramentum illud sceleris sui.*

Ibid. λέγων, ὑπόδος] Fenerator Plautinus,

Cedo fœnus, fœnus redde, fœnus reddito.

Catullus,

Redde, putida mœcha, codicillos,
Mœcha putida, redde codicillos.

Seneca in De Benef. *Æquissima vox est, & jus gentium pro se ferens, Redde quod debes;* quam molesta autem discamus ex his Plutarchi τοῦ δὲ μὴ δανείζεσθαι. Πῶς ἂν ἀξιοπιστότερος; (inertis, & nummos fœnore accipientis interrogatio est) Respondet Scriptor gravissimus, Τὸν ἐρῶντα ἔχων χάριτας, ἔχων παῖδας, ἔχων φοιτητὰς, ἀνθρωπος ὤν, ᾧ τὸ φιλεῖν ἐστι καὶ φιλεῖσθαι, τὸ χαρίζεσθαι καὶ τὸ ἐυχαριστεῖν, γραμματιδίοις, καὶ παιδαγωγῶν, καὶ γυμνασίων, παίων, καὶ παλαίων; ὑδὲ ἐστι τούτων ἄμεινον ὑδὲ δυσχερέστερον ἢ ἀκίνητος, ΑΠΟΔΟΣ. Sequitur, ἃ τιθόφιλεις] Quam veterum codicum lectionem neque ego sollicito. Vide ad Philemon. com. 18. Luc. 19. 18

Com. 31. Ἰδόντες δὲ οἱ σύνδουλοι, &c.]
Guntherus,

Sic Domino peregre post tempora longa reverso
Commemorare solent lacrymosa negotia servi,
Pressuraque suas & iniqua verbera rixæ:
Et scelerum noxas, & quicquid nequiter actum
Enarrare valens, odio flagrante loquuntur.

NIC. FABRI V. C.
DISPUTATIO
DE
MYRRHATA POTIONE.
AD ILLUST. CARD. BARONIUM.

INter cætera quæ in primo Annali tuo mire placuerunt, præcipue docta illa & nova diſputatio de *vino Myrrhato* pulcherrima viſa eſt. Neſcio enim qua ratione ab antiquis Patribus tam Græcis quam Latinis aut intacta relicta eſt, aut ſic tractata ut non attigiſſe videantur: de qua quid aliquando mihi in mentem venerit paucis accipe. Perſuaſeram mihi οἶνον ἐσμυρνισμένον, de quo Marc. 15. penitus diverſum à *Myrrhato vino* Columellæ, Plinii, Dioſcoridis & cæterorum, à *Myrrhata Potione* & *Murrina* ſive *Nectare*, quæ aut morbis curandis, aut voluptati gulæ, vel libidini parabantur. Myrrhati enim vini de quo agimus longe alius uſus eſt. Dioſcorides notat *Myrrhæ* vim ineſſe κεφαλικὴν. Ideo qui gravia ſubituri erant tormenta, quo fortius ea tolerarent, leviuſque ſenſibus gravedine ſopitis afficerentur, *Myrrham* præſumebant. Duo hujus *Myrrhæ* uſus inſignia teſtimonia ſuppeditabit Aſinus Apuleii; ſi modo ea parte ſtrigoſus & male habitus levi opera curetur. Locos indicare ſufficiet qua emendandi ſunt. *Indidem*, inquit ille lib. 8. *ſeſe multimodis conculcat ictibus, Myrrhæ contra præſumptione munitus:* & lib. 10. *Sed obſirmatus myrrhæ præſumptione, nullis verberibus ac ne ipſi quidem ſuccubuit igni.* Et fortaſſe illud medicamentum eſt qui Sopor ab effectu Latinis dictus eſt, cujus meminit Seneca de Benef. lib. 5. cap. 3. & ep. 84. ſi modo veterum membranarum lectionem ſequamur. Illæ enim ſic habent, *Veneficus eſt qui ſoporem, cum venenum putaret, miſcuit.* Et, *Nec ſopore ſumpto dormiturum.* Nempe quo Quinctilianus declamator CCXLVI declamatione mentem auferri ait, quo corpus gravari, quo membra ſolvi. Ea fini Galatinus ex lib. Sanhedrim refert reis convictis & damnatis Judæos vinum thure conditum dediſſe. Non dubito quin Hebraicum vocabulum vel *Myrrham* ſignificet, vel ſcriptor unde hæc tranſtulit thus pro Myrrha acceperit; quemadmodum ait Plinius quoſdam voluiſſe utrumque ex eadem arbore colligi. Plane non eſt obſcurum quam parum conſtet inter recentiores Hebræos de germana herbarum, lapidum, arborum, cæterarumque id genus rerum apud antiquos appellatione. Ex eo more, non autem μυρόφορες, ut volunt Græci, *vinum Myrrhatum* Chriſto Domino præbuerunt. Eam fuiſſe B. Hieronymi ſententiam, quo nemo diſciplinis externis inſtructior, nemo rerum Judaicarum callentior Theologica tractavit, planum faciunt quæ in Matthæum 27. cap. notavit. Ad eum enim morem alludens, *uſque hodie*, ſcribit vir doctiſſimus, *Judæi & omnes increduli Dominicæ reſurrectionis aceto & felle potant Jeſum, & dant ei vinum Myrrhatum ut eum conſopiant, & mala eorum non videat.* Chriſtus autem qui non ſolum infami ſed etiam crudeliſſimo ſupplicio noſtra ſcelera luere voluit, ſolitum prælari viliſſimis cruciariis humanitatis officium recuſavit, ne pro nobis ullum cruciatum defugiſſe videretur.

Baronius I. *Annal. anno Chriſti* 34. *num.* 107.

SEd poſterioribus literis quæ noſter Faber addiderit, *hic deſcribamus, poſt multa enim offuit plena hæc ait*; Addi etiam poſſet quod habetur cap. ult. Proverb. *Date ſiceram mœrentibus.* Hebraice legi, *Date quod inebriet morientibus.* Hebraicum enim vocabulum, *ſichar*, vel, ut expolierunt Græci, σίκερα, ſignificat, inquit S. Baſilius magnus, πᾶν τὸ δυνάμενον μεθύσαι· & Rabbi Moſes Ægyptius *morientes* interpretatur reos, damnatos. Id etiam quod habetur Pſalmo 59. *Potaſti nos vino compunctionis*, B. Hieronymus vertit, *Potaſti nos vino conſopiente*; & Chaldaicus Paraphraſtes, *calice maledictionis*; nempe quia cruciariis maledictis à lege dabatur: ejuſmodique phraſi ſummam crucem deſignari, adnotant interpretes Hebraici: inter cæteros vero Rabbi Sclomoh *vinum illud eſſe cor obvolvens, & cerebrum feriens ſternutareque faciens:* quod quid aliud eſt dicere, quam vinum iſtud ſenſus deturbare & adimere? à qua ſententia nec Lxx longe receſſerunt, qui οἶνον κατανύξεως tranſtulerunt. Nam Alexandrino idiomate, quo modo ſacrorum librorum idioma Grammatici nuncupant, κατάνυξις *alium ſoporem & veternum* ſignificat. Ita B. Paulus ad Rom. 11. Iſaiæ locum 29. cap. explicans, *ſpiritum ſoporis* πνεῦμα κατανύξεως voculis exprimit, cujus etiam effectus in ejuſdem Prophetæ 6 cap. ſubjicit, ὀφθαλμὸς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, à compunctione toto cœlo alienos. Quod agnovit Syriacus qui *ſpiritum ſtupiditatis* tranſtulit. Ex eo more etiam phraſes illæ deductæ cenſeri poſſunt, quibus Dominus per Prophetas impiis exitium denuncians, ſe potui daturum eis *vinum*, ſive *calicem ſoporis, vertiginis, torporis, ſtuporis*, ac *ebrietatis* interminatur. *Hæc ipſe, ad poſtremum id addens,* Hæc tamen apud me minime tanti ſunt ponderis, ut non in tuam ſententiam concedam, cujus auctoritatem mihi pro ſumma lege & ratione præſcripſi. *Hactenus de his Faber, qui Chriſtiana modeſtia, magna animi demiſſione, amico victoriam cedit, qua jam prope potiturus videri poſſit. Sed nihil inferat præjudicii veritati adeo liberalis ab amico facta ſponanea juris ceſſio. Integrum iterum dico liberumque eſto lectori, quam veriorem putat ſententiam ſequi. Inter nos autem ita ſciat eſſe tranſactum, ut vincente veritate, cujus profeſſores atque cultores ſumus, victoriam aſſecutus uterque dicatur.*

Ejuſdem FABRI *verborum ex Matth.* 18. 15. *& Luc.* 17. 3. *expoſitio.*

Si peccaverit in te frater tuus.]

HUnc locum intelligi de quovis peccato ſive morum, ſive doctrinæ, patet ex B. Paulo, cap. 2. poſter. ad Tim. *Cum modeſtia corripientem eos qui veritati contradicunt.* Non ait, *accuſantem*, vel *publicantem.* Et apertius cap. 3. ad Tit. *Poſt unam & alteram admonitionem*, νουθεσίαν, eam nempe quæ inter te & ipſum ſolum fit, & ſecundam quæ adhibitis teſtibus, *devita*, i. habe tanquam Ethnicum & publicanum, diſcrimenque tantum fieri tam à Chriſto quam à B. Paulo, peccatorum publicorum & privatorum; ut privata, i. ea quæ ipſe ſolus noſti, privatim redarguas; publica, publice reprehendas, aſſluerunt B. Auguſt. ſerm. 16 De verbis Domini, ex Matth. & Beda in eum Matth. locum. Licet autem B. Ambroſius expreſſis verbis id non dixerit, rationes tamen quas adſert præcepti, idem ſenſiſſe oſtendunt; hæc enim ſcripſit in Lucam, *Quoniam plerumque per imperitiam error obrepit, corrigendum præcipit, ut aut pertinacia vitetur, aut prolapſio corrigatur.* Differentiamque tantum ponit inter peccatum in Deum, & in nos: quod peccatum in Deum pertinax condonare non poſſumus, ſi non reſipiſcat admonitus; in nos vero ſeptuageſies ſepties peccanti condonandum eſt. Et hæc Matth. verba à pleriſque ita intelliguntur εἰς σέ, *in te*, i. te tantum conſcio. Falluntur enim qui de privatis injuriis hoc accipiunt, cum Chriſtus nihil aliud voluerit his verbis, quam occulta peccata à manifeſtis diſtinguere.

CAP. XIX.

MUNSTERUS.

3. *UT ejiciat uxorem ob quamcunque cauſam*] Propoſuerunt Phariſæi hanc quæſtionem maligno animo, ut tentarent Chriſtum: at ille manſuete reſpondit, & non tacuit propter malos veritatem ipſam, adducens ſcilicet ex Geneſi primam hominum creationem, nempe quod *Deus creaverit eos in carnem unam*, h.e. ut cenſeantur velut unus homo, & in hac conjunctione vir ſit caput: & *quos Deus* ita *conjunxit*, *homo* illos *ſeparare non debet*. Et ex eo patet quod non licet marito ob quamcunque cauſam, juſtam, vel injuſtam, repudiare uxorem; multo minus id licet uxori. Quod autem *Moſes juſſit dari libellum repudii*, ex eo non arguitur, licitum eſſe uxoris repudium: ſed ſi quis ob duritiam cordis nolit illi commodum exhibere maritum, jam autoritate non propria, ſed Magiſtratus, licebit hodie, ut olim, dare libellum repudii. Nec jam homo illos ab invicem ſeparat, ſed Deus per legem repudii Moſi datam illos ſeparat. Quid enim prohibere poteſt quin Magiſtratus, cujus imperio externa ſubjecta ſunt, tales ab invicem ſeparet, aut periculo eximat, quorum animi jam ſunt ſeparati, & alter vivit in perpetuo cruciatu & graviſſimo periculo? præſertim cum officium Magiſtratus ſit curare ut commode & tranquille in republica vivatur. Interim tamen adulterii reus ſit qui animo ſuo illam ob duritiam cordis ſui abjecit. ¶ Et quando Chriſtus ſubjicit in ſua reſponſione, *Qui repudiatam duxerit*, *adulterium committit*, id intelligendum eſt de eo qui in fraudem prioris matrimonii repudiatam duxerit. Unde ſi ob alias cauſas quam ob ſtuprum diſſidium oriatur inter conjuges, ut maritus ableget uxorem, aut uxor divertat, omnia debent tentari quo reconcilientur, & alter in periculo damnationis non vivat.

11. *Non omnes apprehendunt verbum iſtud*] Senſus eſt, Res quidem ita habet, ut bonum eſſet homini liberum vivere à conjugio, eo quod illud multas habet moleſtias, & detinet animum in terrenis, qui tamen in cœleſtibus fixus eſſe debuerat: ſed alia eſt ratio vitæ præſentis. Bonus quidem eſt cœlibatus: ſed *non omnes capiunt verbum hoc*, *niſi quibus* deſuper *datum eſt*. *Sunt quidam qui corpore inepti ſunt ad conjugium*, ſic *nati*, vel poſtea *facti*. *Sunt alii qui ſeipſos caſtraverunt*, ultro cœlibatum eligentes, idque *propter regnum cœlorum*, ut *curent quæ Domini ſunt*, *& ſint ſancti corpore & ſpiritu*. Et his bonum eſt ut abſque conjuge vivant, quia datum eſt eis ut ita vivant propter regnum cœlorum propagandum & promovendum verbo & opere. Hi autem quibus hoc non datum eſt, & tamen volunt ſuo arbitrio cœlibes vivere, in quas Dei judicio impuritates lapſi ſint, ſatis conſtat, & ab inimicis noſtris nobis in hæc verba objicitur, כל תועבת ה' אשר שנא עשו לאלהיהם כי גם בניהם ובנותיהם ישרפו באש לאלהיהם המדוש הזא שהמנים הז שרפים בניהם ובנותיהם ולי הכוהרים והכוהרות שנשרפים בנורת ומתחכמים ומתוארים בנורת ואתם יכולים: והו שריפה שהיא תועבת ה' אשר שנא ונורת נקראו שריפה כתרי עשר רבתיב כלם מנאפים כתנור אש להבה בקרבם: ועוד כתיב בספר שישתם אמרת מאלוש טוב לקחרת אשרת מלשחף אחריה הרי לך ראיה שאישף הוא שריפה: *Chriſtus*, inquiunt, *abominationes Dei*, *quas ille odit*, *exhibent diis*: *nam & filios ſuos atque filias ſuas igne comburunt diis*. *Cujus expoſitio eſt*, *quod hæretici comburunt filios ſuos*, *& filias ſuas*, *h. e. monachos & monachas*, *qui comburuntur fornicatione*: *Fervent enim & flagrant deſiderio fornicandi*, *& non poſſunt exſequi*. *Hæc*, *inquam*, *combuſtio abominatio eſt Deo*, *quam ipſe odit*. *Et fornicatio ipſa vocatur apud minores Prophetas Combuſtio*: *quemadmodum ſcriptum eſt*, *Adulteri quaſi fornax ignis*; *flamma in medio eorum*. *Sed & ſcriptum habent in libro ſuo erroneo*, *quomodo Paulus dixerit*, *Melius eſſe nubere mulieri quam uri poſt eam*. *En habes demonſtrationem quod fornicatio ſit quædam combuſtio*. Vides hic, lector, quomodo Judæi nobis improperant confuſionem noſtram, imo confodiunt nos proprio gladio noſtro, dum D. Paulum nobis objiciunt, qui mavult Chriſtianum hominem nubere quam periculoſe uri. Nec obſtat, precibus poſſe impetrari ut detur unicuique caſte vivere, cum Chriſtus ita pronunciet, *Non omnes apprehendunt verbum iſtud*, *ſed quibus datum eſt*. *Quibus*, inquit, *datum eſt*, non qui ſuo arbitrio id elegerunt, poterunt cœlibem agere vitam.

13. *Oblati ſunt ei pueri*] Ut ſcilicet *eis manus imponeret*, Deo conſecraret, & orando Divinæ bonitatis eos participes faceret: Et Dominus importunitate irruentium non gravatus, placido vultu illos ſuſcepit, atque ſe talium quoque Salvatorem adveniſſe oſtendit: *Talium enim*, inquit, *eſt regnum cœlorum*. Non adultorum tantum qui ut infantes ſeſe humiliarint, ſed etiam infantium, qui propter peccatum Adæ æque ut adulti gratia Dei opus habent, & ſuſcepti à Chriſto cives regni cœlorum conſtituuntur. Ipſi enim gratia Dei & merito paſſionis Chriſti beatificantur, ſi in ætate infantili ſine Chriſti fide & cognitione hinc rapiantur.

17. *Nemo eſt bonus niſi Deus*] Nulla ergo eſt bonitas in homine quæ non ſit à Deo, & nobis non eſt arrogandum quod Dei eſt donum. Reſpondit autem Chriſtus ſic huic adoleſcenti ut humilius de ſe ſentire diſceret, qui more Phariſaico propter externam mandatorum Dei obſervantiam ſe juſtum & bonum reputabat. Unde & Chriſtus objecit ei præcepta Legis, in quibus ceu in ſpeculo videret ſe nondum eſſe quod putabat, quia pro amore Dei non poterat contemnere divitias, & abjectis omnibus pendere à ſincera fiducia Dei. Objecit autem Chriſtus hoc præceptum, nempe *ut venditis omnibus ſequeretur ſe*, ut probaret ipſum, oſtenderetque illi imperfectionem ejus. Cæterum contra illud quod Chriſtus dixit, *Si vis ad vitam ingredi*, *ſerva mandata*, Hebræi ſic arguunt, עשיו לא אמר לך ועשה מכילתי אלא סצורת קרמניתי צורה לו ובשתן המצורת הכתיבו לחיי העולם הבא' וילי" גם אלהים לא צוה את הסילוק נתתו למשוה עשרת דברים נתר סיני ותורו תיא צויתי לכל זכר בשרו תדיא: 23. *Dives difficile ingreditur in regnum cœlorum*] Hoc dicitur de eo divite qui fiduciam habet in pecuniis, non quod pecunia per ſe obſtet quo minus dives ingredi poſſit regnum cœlorum, h. e. perveniat ad veram fidem Chriſti, & totus à Chriſto pendeat. Fuerunt enim multi divites, ut Abraham, Zacchæus, & alii, quibus divitiæ non obfuerunt, eo quod illis ex animo renunciaverunt, pauperes & Dei auxilio egentes ſeſe agnoſcebant, divitiſque iſtis terrenis ſibi theſaurum in cœlis paraverunt. *Hæc* licet *apud homines ſint impoſſibilia*, ut opes ex animo contemnant, *apud Deum tamen omnia ſunt poſſibilia*, qui ſcilicet divitibus poteſt aliam dare mentem, ut & opes diſtribuant, atque ſibi jam vere fidant, & non opibus.

28. *In regeneratione*] Hæc ſecunda generatio eſt reſurrectio mortuorum, quando Chriſtus glorioſus redibit judicaturus orbem, & electi regenerati ad gloriam ſimul cum Chriſto Capite ſuo regnabunt, & duodecim Apoſtoli una cum omnibus zeloſis Euangelii promulgatoribus *ſeſſuri ſunt ſuper ſedes*, *judicantes duodecim tribus Iſrael*, i. totum populum Dei, promiſſa electis per Euangelium jam velut exhibentes, & damnationem incredulorum approbantes, atque cum Chriſto ſententiam contra eos pronunciaturi.

29. *Centuplum accipiet*] Putant hic per *centuplum* intelligendum animum, qui poſt agnitum Chriſtum, & poſt derelictionem propinquorum & bonorum ſuorum propter Chriſtum, ſatis abunde divitem ſe agnoſcit in tribulationibus, quando Dominus ſuppeditat ea quæ vitam præſentem ſuſtentant. Euangelii enim cognitionem pii tanti habent ut ne univerſo quidem mundo eam commutare velint, ſcientes ſe Domino cœlorum eſſe curæ, & quod timentibus Deum nihil deeſſe poſſit, ſed *adjiciuntur* quibus præſens vita opus habet *quærentibus in primis regnum Dei & juſtitiam ejus*.

VALLA.

10. *DIcunt ei diſcipuli ejus*] Jam deſii notare, non *ejus* dicendum fuiſſe, ſed *ſui*, ut paulo ante cap. 18. 29. *Et procidens conſervus ejus rogabat eum*, ego dixiſſem *ſuus*. Etiam illud, c. 18. 15. *Corripe eum inter te & ipſum*, dixiſſem *inter te & ſe*.

16. *Magiſter bone*, *quid boni faciam ut habeam vitam æternam?*

17. *Qui dixit ei*, *Quid me interrogas de bono? nemo bonus*, *niſi unus Deus*] Græce ſic habetur, *Quid me dicis bonum? nullus bonus.* Quod ſequitur, expreſſius dicitur Græce; q. ſic diceretur, *Niſi unus*, *qui eſt Deus*, τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός.

20. *Dicit ei adoleſcens*, *Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea*) Plerique cod. non habent *à juventute mea*. Reor, quia abſurdum eſſe videbatur adoleſcentem dicere ſe cuſtodiſſe mandata *à ſua juventute*, quia ſenex eſſet qui necdum ſit juvenis. Hoc partim culpa interpretis contigit, qui idem nomen varie transfert, partim ex noſtro genere loquendi. Sic enim adoleſcens ait ſe cuſtodiſſe mandata *ab adoleſcentia*, ac ſi dixiſſet, *A prima*, vel *ab ineunte*, *adoleſcentia*: ſive juvenis *à juventute ſua*, h. e. ab initio juventutis: νεότητος, ὁκ νεότητός.

RE-

REVIUS in VALLAM.

17. Q*Vid me interrogas de bono?*] Ita & in quibuſdam Græcis codd. legi monuit Beza. Sed & in Euangelio Matthæi Hebraico ita ſcriptum invenies, cum quo in multis conſpirat Vulgata. Beza eam verſionem dum in Matthæo verſatur nunquam videtur inſpexiſſe: ſemel tantum in univerſo N. T. opere, quantum meminiſſe poſſum, eam citat, idque in Marcum 11. 1. ut tum demum de Matthæo Hebraico videatur cogitaſſe cum ſuas in Matthæum notas abſolviſſet.

ERASMUS.

3. S*I licet*] Pro *Licetne*. Græce dixit magis quam Latine. ¶ Ἀπολῦσαι, *repudiare*, ſive *abjicere*. ¶ *Quacunque ex cauſa*, κατὰ πᾶσαν αἰτίαν] i. *ex quavis cauſa*. Nimirum illud ſentientes, eſſe cauſas aliquas juſtas divortii, quemadmodum indicat Origenes. Siquidem Moſes tantum juris permiſit maritis ut iniqua videatur lex adverſus uxores, quibus nulla de cauſa licebat à marito divertere, cum his eſſet poteſtas ob quamlibet levem fœditatem abjicere uxores, tantum ſcripto libello repudii. Sic enim legimus Deut. 23. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & illa non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cumque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiſerit de domo ſua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.* Proinde Chriſtum tentant Phariſæi, ut ſi probaſſet Judæorum repudia tam licentioſa, videretur adverſus naturalem æquitatem pronunciare, quæ ethnicis quoque favorabilis eſt, apud quos jus erat mutui divortii, neque quavis tamen ex cauſa; ſin ſecus, videretur in Moſaicam legem contumelioſus. Illi putabant ſibi licere quavis de cauſa quoties libuiſſet uxorem abjicere: Id Chriſtus aſtringit, unicam duntaxat cauſam excipiens, nempe *ſtupri*. Annotavit hujus dictionis ἰμφανὲς is quiſquis fuit cujus exſtat homilia 38 inter mixtas Chryſoſtomi titulo. Origenes hunc edilferens locum putat & alia crimina vel paria Adulterio, vel etiam graviora, veluti Veneficium, Parricidium, dirimere matrimonium. Auguſtinus in cauſa divortii Idololatriam æquat Adulterio, quod cultus idolorum ſit adulterio miſceri cum immundis ſpiritibus. Sed ad hanc rationem omne peccatum quod nos alienat à Deo dirimet matrimonium. Ego puto ob id exceptum Adulterium, quod hoc ex diametro pugnet cum natura matrimonii. Neque protinus tollitur matrimonii ſacramentum, ſi in paucis conjugium male initum bene dirimatur; non profecto magis quam adulteriis, quæ nunc paſſim crebra ſunt, aut divortio quod nos indulſimus male cohærentibus. Quanquam hanc rationem de ſacramento nullus veterum, quod ſciam, adduxit, cum tamen ſuper his crebra prolixaque ſit diſputatio, præſertim Auguſtino ac Hieronymo. Neque ſtatim *homo disjungit quod Deus conjunxit*; imo quod per lenas ac lenones, per vinolentiam, per ſtultitiam & incogitantiam male conjungit diabolus, id per autores ac miniſtros Eccleſiæ ſuæ bene disjungit Deus. Atque utinam ſic coirent inter Chriſtianos omnia matrimonia ut autore Deo jure dici debeant inita, aut tales eſſemus omnes ut non opus foret aliquo divortio, nec eſſet in nobis ea συλληκτοκρατία ob quam olim Judæis permiſſum eſt uxorem abjicere. Auguſtinus ad Pollentium exceptionem torquet ad partem duntaxat priorem, *facit eam mœchari*; ut ad hoc tantum valeat exceptio, non quo liber ſit à matrimonio qui repudiat uxorem, ſed ne videatur illam facere mœcham cum mœcham repudiet. Cæterum quicunque eam duxerit, ſive cauſa adulterii repudiatam, ſive alia quavis de cauſa, committit adulterium. Quod Auguſtini commentum an perinde cum ipſa veritate naturaque conſentiat, ut eſt argutum, eruditis expendendum relinquo. Certe locus hic difficultatum plenus eſt, ut de quo non eadem ſenſerint Eccleſiaſtici Doctores; cum Ambroſius exponens epiſtolam ad Corinthios priorem tribuat marito jus repudiandi, neque ſecus ſentiat Origenes. Unde coacti ſumus aliud quoddam divortii genus inducere, quod ita dirimat conſuetudinem domeſticam ut nihilo ſecius maneat conjugii vinculum. Quod quidem divortii genus, imo nomen duntaxat divortii, cum à nobis ſit repertum, de hoc non percontatos fuiſſe Judæos per ſe liquet, quibus hoc prorſus erat incognitum. Porro quod hodie paſſim in Scholis dictitant, *Solo conſenſu contrahi matrimonium*, utinam tam probatum eſſet quam receptum eſt. Neque poſtulo ut hic quicquam de priſtina Patrum inſtitutione demutet Eccleſia, ſi id antehac nunquam eſt factum. Quod ſi factum eſt aliis aliquot in rebus, optarim & hic fieri, ſi id pertineat ad ſalutem hominum. Si fieri non poteſt, certe votum à pietate proficiſcitur: & optat ſæpenumero charitas, non quod fieri poſſit, ſed quod fieri velit. Sed hiſce de rebus ut antehac attigimus nonnihil, ita copioſius dicetur in Paulinis epiſtolis, 1 Corinth. 7. Quanquam hæc ipſa ſic dicta velim accipi, non quaſi aſſeram, ſed qui proponam eruditis excutienda.

4. *Maſculum & feminam*, ἄρρεν καὶ θῆλυ] Neutri generis apud Græcos.

5. *Et dixit, Propter hoc dimittet homo*] Incertum erat an Deus ille Creator olim hoc dixerit, an Chriſtus hæc locutus illud adjecerit, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem.* Auguſtinus l. 2. De nuptiis & concupiſcentiis, cap. 4. ſic accipit quaſi dixerit Deus; *Quod tamen*, inquiens, *Dominus Jeſus in Euangelio Deum dixiſſe commemorat, quia Deus utique per hominem dixit quod homo prophetando prædixit.* Quanquam & Gen. 2. unde hæc deſumpta ſunt, ita referuntur hæc verba ut vel ab Adam dicta videri poſſint, vel ab eo qui texuit Orbis conditi hiſtoriam, vel ab ipſo Deo. ¶ *Dimittet patrem & matrem*, καταλείψει] *Relinquet*, ſeu *deſeret* potius, quam *dimittet*. *Dimittimus* diſcedentem, *deſerimus*, cui periclitanti deſumus. ¶ *Et adhærebit uxori ſuæ*, κολληθήσεται] i. *adglutinabitur*. Metaphora ſumpta ab his quæ glutino ſic committuntur ut putes unum eſſe. Annotavit emphaſin verbi Chryſoſtomus hom. 63. ¶ *Duo in carne una*, δύο εἰς σάρκα μίαν] i. *in carnem unam*: h. e. *E duobus fiet unus*, ſive *unum*: quandoquidem *maſculus* & *femina* Græcis neutri generis ſunt. Annotavit hanc ſermonis Hebraici formam Aug. lib. hujus argumenti 7. Quod genus ſunt & illa, lib. Judicum, *Et eru nobu in caput omnibus habitantibus Galaad*: item in Pſalmis, *Eſto mihi in Deum protectorem.* Ne articulus quidem videtur otioſus, ἢ ἔσονται οἱ δύο, h. e. *Erunt qui duo fuerant in carnem unam.* Nam totum hominem *carnem* vocat, ut & alias Scriptura Divina totum hominem *animam* appellat; Aſtipulante nobis & D. Auguſtino lib. De civitate Dei 14. Quod genus & illud eſt Pauli ad Romanos, *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* Quid enim eſt *omnis caro* nili *omnes homines?* Et, *Verbum caro factum eſt*, i. *Sermo Divinus homo factus eſt.* Porro *In carnem* legendum eſſe, non *in carne*, demonſtravimus ex Hieronymo in Scholiis noſtris quibus illum illuſtravimus, ubi ſic explicat Matthæi verba, IN UNAM *dixit, non* IN DUAS. Et Cyprianus epiſtola libri ſecundi octava, *Erunt*, inquit, *duo in unam carnem.* Et Tertullianus lib. adv. Marcion 3. *Et ſuggerens Epheſiis quod in primordio de homine prædicatum eſt relicturo patrem & matrem, & futuris duobus in unam carnem, id eſt, in Chriſtum & Eccleſiam.* Rurſum libro De monogamia, *Et erunt duo in unam carnem, non tres, neque plures.* Hæc admonere viſum eſt, ne quis hic fruſtra obſcœni quippiam imaginetur, aut illud ſomniet quod eſt in tabulis Græcorum, ἄῤῥεν ὁ ἄῤῥενος ἔχων. Tametſi in Geneſi, unde locus hic ſumptus eſt, non eſt *Erunt duo*, ſed tantum *erunt*, יהיו לבשר אחד. *duo* addidit Euangeliſta explicandi gratia; aut certe interpres Græcus adjecit, ſi Matthæus ſcripſit Hebraice; quod mihi non fit veriſimile.

6. *Itaque jam non ſunt duo*, ὥστε οὐκέτι εἰσὶν] i. *Poſthac non ſunt duo*; nempe poſt initum conjugium. Creati fuerant duo, non unus, nimirum maſculus ac femina: Rurſus copula matrimonii è duobus reddidit unum. Non abludit prorſus ab hac ſententia fabula Ariſtophanis quam apud Platonem adducit in convivio; quanquam obſcœnior eſt. ¶ *Quod Deus conjunxit*, συνέζευξεν] i. *Conjugavit, & eodem junxit jugo.* Translatum à bubus ſimul ducentibus idem jugum. Nos vertimus *Copulavit.*

8. *Ad duritiem cordis*] Græcis unica dictio eſt, συλληκτοκρατίαν.

10. *Non expedit nubere*, γαμῆσαι] i. *Ducere uxorem*, aut certe *contrahere matrimonia*, ſive *contraxiſſe.* Nam apud Latinos vir non dicitur *nubere*, niſi qui ſervit uxori, velut illa potius vir ſit quam ille. Etiamſi Feſtus Pompeius indicat olim *nubere* Latinis etiam viris commune fuiſſe verbum, quemadmodum Græcis γαμεῖν. At apud Hebræos, ut dictum eſt, non erat mutuum repudiandi jus, quemadmodum apud Romanos, ſed ſoli marito, fas erat repudiare; Cujus etiam zelotypiæ mederi cogebatur uxor ſœdo horrendoque exemplo.

11. *Non omnes capiunt*, χωροῦσιν] Hoc loco *capiunt* non pollet idem quod *intelligunt*, ſive *apprehendunt*, ut Lyra videtur ſenſiſſe, qui commenti vice addidit, *Quia altus eſt ſtatus, ad quem infirmi non poſſunt aſcendere*; ſed *capiunt*, i. capaces ſunt, quomodo locum *capacem* vocamus, qui tam eſt ſpatioſus ut poſſit recipere quod infertur. Ita Paulus vult *dilatari* Corinthios, quo ſe capiant. Proclive eſt enim intelligere quod dictum eſt; verum id dictum non deſcendit in animos omnium,

quod ſint aliis affectibus occupati, ut illic non ſit locus Divino conſilio. Atque idem verbum legis in eo quod ſequitur, *Qui poteſt capere capiat*, Ὁ δυνάμενος χωρεῖν χωρείτω.

12. *Qui facti ſunt, οἵτινες εὐνουχίσθησαν*] *Qui caſtrati ſunt*, ſive *Qui facti ſunt eunuchi*. Nam *eunuchi* repetendum erat. Atque idem verbum mox ipſe vertit *Caſtrati ſunt*. Porro εὐνοῦχος Græce ſonat *cubilis cuſtos*; quod Barbari hujuſmodi portentis ſuas uxores ſervandas committere ſoleant. Porro viexſecti *Spadones* dicuntur. Petrus Comeſtor EUNUCHOS interpretatur BENE VINCENTES, *ab* EU, BENE, *&* NUCHE, VICTORIA, *quod ſit ſumma victoria*: quaſi non ſit durius vincere inanem gloriam, aut etiam pecuniæ ſtudium, aut iram. *Eunuchus* autem dicitur ab εὐνὴ *cubile*, & ἔχω, ſicut, δαδοῦχος, & σπανδοῦχος. Idem *Spadones* interpretatur *à Spana* dictos: ad quam etymologiam omnes Germani *ſpadones* dici poſſint. Et hoc commentum ſequitur Hugo Cardinalis. Cum tales ſcriptores olim ſint amplexi Theologi, nunc quidam Eraſmum ferre non poſſunt. Quin Hugoni *caſtrati* dicuntur quaſi *caſtinati*. Dominus tria eunuchorum genera diſtinxerat: unum eorum qui natura non poſſunt aut non appetunt congredi cum muliere; alterum eorum qui vi exſecantur; tertium, qui volentes ob regnum Dei ſeſe continent. In qua claſſe ponemus eorum genus qui vel arte vel metu detruduntur in cœlibatum, ut ſcortari liceat, uxorem ducere non licet; adeo ut ſi profiteantur *concubinam*, ſint Catholici Sacerdotes; ſin *uxorem* dici malint, conjiciantur in ignem? Mea ſententia clementius tractarent ſuos liberos parentes, ſi quos cœlibatui deſtinaſſent, pueros etiamnum curarent exſecandos, quam ſi integros nolentes aut inſcios conjicerent in hoc incendium libidinis.

13. *Oblati ſunt ei parvuli, τὰ παιδία*] i. *Pueli*.

17. *Quid me interrogas de bono?*] Plerique Græci cod. habent, Τί με λέγεις ἀγαθόν; *Quare me vocas bonum?* ſed perperam, ni fallor, ex alio Euangelio verbis huc tranſlatis. Quanquam ad eum modum legit Theophylactus & Hilarius: at ſecus Hieronymus, Origenes hom. 8. & Chryſoſtomus 64. Apparet offenſum lectorem parum attentum, quod non perinde videretur quadrare Chriſti reſponſum, *Solus Deus bonus eſt*. Atqui belle quadrat. Non enim hic objurgat eum quod ipſum *bonum* diceret; quanquam *bone* apud Hilarium non additur; ſed quod, homo cum eſſet, *de bono percontaretur*, cum in hominibus nihil ſit boni. Porro *bonus* eſt qui bene facit. Quod ſi nil eſt vere boni in humanis factis, nec *bonus* dicetur quiſquam. Quicquid enim in nobis boni eſt, Divini muneris eſt. Quod ſi maxime legamus, *Quid me dicis bonum?* nihil eſt neceſſe ut hæreticorum interpretationem recipiamus, qui putant *boni* cognomen in unum Patrem proprie competere. Imo Chriſtus ſubindicat ſe eſſe Deum, & ob id juxta quorundam interpretationem objurgat hominem quod ei tribueret cognomen *Boni* quem nondum crederet Deum; quod haud ſcio an quiſquam Apoſtolorum adhuc perfecte crediderat. Hoc loco caute legendus eſt Origenes; alioqui ſermo illius reſipit Arianum quiddam, quaſi ne filius quidem dicatur proprie *bonus*, nec aliter Filii bonitas differat ab hominum bonitate niſi quod Filius in omnibus bonis vicinior eſt Patri quam cæteri Filio. Quemadmodum autem fatetur nullum hominem proprie dici bonum ad comparationem Divinæ bonitatis, ita putat nullum hominis opus dici bonum ſi ad Divinam juſtitiam conferatur. Et perturbate vertit, ¶ *Unus eſt bonus*, Deus, εἷς ἐστιν ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός] i. *Nullus eſt bonus, niſi unus*, nempe *Deus*: ut ὁ ſit articulus explicantis.

19. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*] Origenes hunc enarrans locum homilia inter editas octava teſtatur ſibi videri hæc verba addita, nec eſſe ſcripta ab ipſo Matthæo: idque duobus colligit argumentis. Primum, quod apud Marcum & Lucam nihil addatur hujuſmodi, cum res alioqui eadem referatur. Deinde, cum Paulus Rom. 13. teſtetur his verbis, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum, ſummam totius Legis contineri*, qui convenit ut dicatur *ei adhuc aliquid deeſſe* qui ſe prædicet *hæc omnia præſtitiſſe?* Atque illic deplorat librariorum incuria & caſtigatorum vitio ſic fuiſſe depravata N. Teſtamenti exemplaria ut difficillimum ſit reſtituere. Quanquam ob contentioſos explicuit utcunque nodum hunc ex Euangelio apocrypho, quod inſcribitur *Hebræorum*, in quo de juvene hæc res exponitur hunc ad modum, *Dixit ad eum alter divitum*, Magiſter, *quid bonum faciens vivam? Dixit ei, Homo, Leges & Prophetas fac. Reſpondit ad eum, Feci. Dixit ei, Vade, vende omnia quæ poſſides, & divide pauperibus, & veni, ſequere me. Cœpit autem dives ſcalpere caput ſuum; & non placuit ei. Et dixit ad eum Dominus, Quomodo dicis, Legem feci & Prophetas? quoniam ſcriptum eſt in Lege, Diliges proximum tuum ſicut teipſum; & ecce multi fratres tui filii Abrahæ amicti ſunt ſtercore, morientes præ fame, & domus tua plena eſt multis bonis, & non egreditur omnino aliquid ex ea ad eos. Et converſus dixit Simoni diſcipulo ſuo ſedenti apud ſe, Simon fili Joannæ, Facilius eſt camelum intrare per foramen acus quam divitem in regnum cœlorum.* Ex his ratiocinatur Origenes, ut donemus ſic fuiſſe ſcriptum ab Euangeliſta quemadmodum nos legimus, tamen difficultatem quæſtionis ſic explicari poſſe, ut accipiamus Chriſtum redarguiſſe juvenem, credentem ſe Legem impleſſe, cum id quod eſt caput Legis præteriiſſet, ſinens pauperes inopia perire, cum ipſe dives eſſet. Chryſoſtomus illud etiam addit, quod *elatus eſſet*, quod *mendax*, quod *tentandi animo percontaretur*. Verum ad hæc non quadrat id quod legimus apud Marcum, *& Jeſus dilexit*, ſive *oſculatus eſt, eum*. Mihi ſimplicius videtur ut accipiamus adoleſcentem in ſuo genere bonum ob imbecillitatem nondum fuiſſe capacem Euangelicæ perfectionis. Nec eſt

21. *Vende omnia quæ habes*] Sed πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, i. *Vende tua*, ſive *facultates tuas*. Nec apud Hieronymum additur *omnia*, nec in aureo codice. Nec additur apud Græcos conjunctio *&*, tantum eſt, *Vade, vende*: nec ſua gratia caret *ἀσύνδετον*.

22. *Abiit triſtis*] Magis eſt, *dolens*, ſive *mœſtus*, λυπούμενος.

24. Nonnulli cod. habebant, καὶ πάλιν at in emendationibus ſcriptum eſt Πάλιν δὲ, *Rurſus autem*, ſive, *Imo iterum dico vobis*. Corrigit enim quod ante, licet mollius dictum, offenderat Diſcipulos; idque durius repetit. ¶ *Facilius eſt camelum*] D. Hieronymus haud dubie *camelum* accepit pro animante, ſecutus, opinor, Origenem. Theophylactus diſſentit, volens hoc loco ſignificare *rudentem nauticum*: atque id ſane magis quadrat ad foramen acus. Et apud unum Suidam κάμηλος eo reperio ſignificatu. Poſt hunc Camera κάμηλον ait eſſe *rudentem*, ſed nullum citat autorem. Julius Pollux inter inſtrumenta nautica non meminit. Atque hac quidem in re magis aſſentior Hieronymo. Nam quod illos offendit qui ex Camelo Funem faciunt nauticum, nempe quod abſurdum videatur Camelum duci per foramen acus, hoc ipſum pro nobis facit; ſiquidem Chriſtus hoc exemplum velut ἀδύνατον propoſuit. Vult enim omnino videri impoſſibile ut Camelus ingens animal ac tortuoſum per foramen acus tranſeat. Quod ſi cui videtur ſubabſurda collatio, meminerit alibi reprehenſum à Domino qui paret ejicere feſtucam ex oculo fratris, cum ipſe trabem in oculo ſuo non videat. Quid abſurdius quam hominem geſtare trabem in oculo? Verum hæc ſermonis abſurditas ad emphaſim facit. Nec eſt quod hic fabulas aniles comminiſcantur, Hieroſolymis fuiſſe portam cui nomen fuerit *Acus*; aut quod *impoſſibile* pro *difficile* poſitum interpretentur. Imo ſi *divitem* interpretentur *fidentem ſuis divitiis*, id quod fere divitum vulgus facit, ita demum poterunt hunc explicare nodum. Atque hunc ſenſum aperuit nobis Marcus cap. 10. *Filii, quam difficile*, inquit, *eſt confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!* Quod ſi verum eſt ingentes funes nauticos *camelos* vocari Græcis, apparet ab animantis & ingentis & diſtorti ſimilitudine dictos; niſi forte ob id quod apud illos nautici funes è camelorum pilis texerentur. Neque vero meo animo per omnia ſatisfacit quod Hieronymus annotavit, non eſſe dictum à Chriſto, *Impoſſibile eſt divitem intrare*, ſed *difficile. Ubi difficile ponitur*, inquit, *non impoſſibilitas prætenditur, ſed raritas demonſtratur*: cum mox fateatur idem ab eodem dictum *impoſſibile*: ſiquidem allata comparatione *Camelι per foramen acus eunti*, *Hoc dicto*, inquit, *oſtenditur, non difficile eſſe, ſed impoſſibile*. In dialogo adverſus Pelagianos 1. diverſa ratione explicat ſeſe, negans eſſe eos divites qui aliis divites fuerunt potius quam ſibi. Quin & illud *per foramen acus* bifariam accipi poteſt, ſive pro foramine quod habet acus, ſive pro foramine acu facto. ¶ Poſtremo non eſt, *In regnum cœlorum*, ſed, *in regnum Dei*, εἰς βασιλείαν § Θεοῦ. Quanquam mihi magis probatur quod lego apud Chryſoſtomum & Hieronymum, *Regnum Cœlorum*. Sentit enim divites non eſſe accommodos Euangelicæ doctrinæ, quam fere vocat *regnum cœlorum*.

25. *Quis ergo poterit*, τίς ἄρα δύναται] *Quiſnam poteſt*: id quod ſupra vertit, *Quis putas*.

28. *In ſede majeſtatis*] Ἐπὶ θρόνου δόξης, i. *In throno gloriæ*.

29. *Centuplum accipiet*] Ἑκατονταπλασίονα, q. d. *ſingula centuplicata*. Eſt enim numerus multitudinis. ¶ *Et vitam æternam poſſidebit*] κληρονομήσει, quod ad verbum vertit aliquoties *hæreditabit*. Nos circumlocuti ſumus, *& vita æterna ſortietur hæreditatem*.

VATABLUS.

3. *Dicentes*] *Dicentes ipſi.*

4. *Fecit*] Vel, *creavit*: ſub. *hominem*. Vet.

5. *Dimittet*] *Deſeret.* ¶ *In carne una*] *In carnem unam*: vel, *in corpus unum*, i. velut unus homo cenſebuntur. Hebr.

6. *Jam*] Vel, *poſthac.* ¶ *Conjunxit*] *Conjungavit*: vel *copulavit.*

7. *Dimittere*] *Dimittere eam.*

8. *Ad duritiam*] Vel, *ob duritiem.*

9. *Mœchatur*] Vel, *adulterium committit.*

10. *Nubere*] *Ducere uxorem.*

11. *Capiunt verbum iſtud*] *Capaces ſunt hujus dicti*, i. Hoc dictum non deſcendit in animos omnium, quod aliis affectibus ſint occupati. Verti poteſt, *Non omnes capaces ſunt hujus rei.*

12. *Facti*] *Caſtrati.* ¶ *Propter regnum cœlorum*] i. qui volentes continent, ut commodius Euangelicam doctrinam annuncient, 1 Cor. 7.

17. *Interrogas de bono? Unus eſt bonus, Deus*] *Dicis bonum? Nullus eſt bonus niſi unus*, nempe *Deus.*

18. *Facies*] Futura pro imperativis, more Hebraico.

21. *Vende quæ habes*] *Vende omnia quæ habes.* V.

22. *Triſtis*] *Triſtitia affectus.*

24. *In regnum cœlorum*] *In regnum Dei.*

25. *Quis ergo*] *Quiſnam.*

28. *Qui ſecuti eſtis me in regeneratione*] Diſtingui poteſt poſt *me*, ut *in regeneratione* jungatur ſequentibus.

29. *Domum*] *Domos.* ¶ *Centuplum accipiet*] Vel, *centies tanto amplius.* ¶ *Poſſidebit*] *Hæreditabit.*

CASTALIO.

11. *Hanc rem præſtare poſſunt*] Cœlibes manere.

12. *Seipſos caſtrarunt*] Non plus rei habent cum feminis quam ſi caſtrati eſſent.

24. *Facilius eſſe rudentem*] Κάμηλον & *camelum* animal & *nauticum funem* declarat, qui *rudens* appellatur; quod Græcum nomen paulum, ut fit, immutatum manet adhuc in Gallica lingua, in qua vocatur *Cable*: quanquam tum per ſota ſecundam ſyllabam ſcribi vult Phavorinus. Sed ſive κάμιλον ſcribi debet, ſive illud utrumque declarat, non eſt dubium quin in ea notione accipi debeat quæ ſit ſententiæ convenientior, ne Chriſtum cogamus hic ineptiſſima ſimilitudine uti, cum ea poſſit eſſe aptiſſima, & cæterarum quibus uti ſolet ſimillima. Nec eſt quod quiſquam dicat Jeſum alicubi abſurdis uti ſimilibus, quale eſt de illo qui trabem habeat in oculo. Nam illud abſurdum eſſe qui dicit, abſurde dicit: nec intelligit, aliud eſſe abſurditatem, aliud immenſam exaggerationem, quam Græci vocant *Hyperbolen.* Abſurde nec Chriſtus nec quiſquam bene loquens locutus eſt; ſed hyperbolis & alii utuntur, & Chriſtus illic ipſe eſt aptiſſime. Nam ſi feſtuca creſcat, fiet trabs. At filum (etenim per foramen acus ſolet filum trajici) quantumvis creſcat, nunquam camelus fiet; at rudens fiet.

26. *Ab hominibus hoc fieri non poteſt: at à Deo fieri poſſunt omnia*] Homines per ſe divitiis renunciare non poſſunt, ſed Dei beneficio poſſunt.

CLARIUS.

3. *Enantes eum*] Exiſtimabant poſſe ſe eum capere in ſermone. Nam dixerat, *Quiſquis, excepta cauſa fornicationis, dimitteret uxorem, hunc facere eam mœchari.* Objiciunt ergo ei legem Moſi, cui videretur adverſari. Sed docet Dominus & ipſum Moſen ſecum facere. Sic certum eſt, quod is peccat in legem qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem.

5. *Et dixit, Propter hoc relinquet homo*] Dixit nempe Deus per os Adæ.

9. *Niſi ob fornicationem*] Quod Dominus excipit cauſam ſtupri, hoc recte factum eſt, cum recta contra matrimonii jura naturamque conjugalis vinculi feratur. Ex his autem Domini verbis fuerunt, hac præſertim ætate, qui longis diſputationibus probare conati ſunt eum qui cauſa ſtupri dimiſiſſet uxorem poſſe aliam ducere: ſed non video quo pacto ex Euangelio, aut etiam ex Paulo, probare hoc poſſint. Nam quod apud Matthæum legitur, *Qui dimiſerit uxorem ſuam, niſi cauſa ſtupri, & aliam duxerit, committit adulterium*, ſi diligenter verba examinentur, non dicitur licere ei cauſa ſtupri aliam ducere, ſed adulteram dimittere. Neque enim dixit, *Qui aliam duxerit, niſi cauſa ſtupri*; ſed, *Qui dimiſerit, niſi cauſa ſtupri:* ut illud *niſi cauſa ſtupri* referatur ad dimiſſionem uxoris, non ad id quod ſequitur, viz. *& aliam duxerit*; illud vero *aliam duxerit* abſolute intelligatur de quacunque dimiſſione qualibet ex cauſa: quod ut credam facit locus apud Marcum, ubi ſic legitur Dominum dixiſſe, *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium commiſit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, adulterium committit.* Cernis hic nullam fieri exceptionem, cum dicitur eum qui ſua uxore dimiſſa aliam duxerit committere adulterium, & præterea parem eſſe utriuſque, viri ſcilicet atque uxoris, conditionem, ut nihilo plus viro liceat quam uxori? Quæ res etiam Pauli Apoſtoli ſcribentis ad Corinthios ſententiam faciet apertiorem, ubi ſic ſcribit, *Conjugatis præcipio, non ego, ſed Dominus, Uxor à viro ne ſeparetur. Quod ſi ſeparata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur. Et maritus uxorem non dimittat.* Quis autem dubitet ſubintelligenda eſſe reliqua verba quæ de uxore dixit? Alioqui cur mariti cauſa in hac parte potior eſſe debuerat, præſertim cum, ſi indulgentia fuiſſet utendum, ſexui fuiſſet indulgendum infirmiori? Quod ſi voluiſſet marito aliquid indulgere, declaraviſſet omnino, neque rem tanti momenti ita frigide præteriiſſet.

17. *Quid me vocas bonum?*] Non increpat quaſi falſum dixerit, ſed reſpondet ejus animo de more. Is enim illum tantum hominem cenſebat, non etiam Deum. Vide autem ut rem ex media Philoſophia leviter pertranſeat Dominus, ut nos doceat qui ſit in prædicatione ſervandus modus.

18. *Dicit illi, Quæ?*] Non ignorabat adoleſcens præcepta, ſed exiſtimabat majus aliquid opus eſſe ad tantam rem adipiſcendam quam id quod præceperat Moſes, qui ſervantibus ea præcepta non fecerat vitæ æternæ mentionem.

21. *Si vis perfectus eſſe*] *Adhuc unum*, inquit, ut ſcribit Marcus, & Lucas, *tibi deeſt*; nequedum impleſti, & arbitraris, præcepta: alioquin unde tibi tam multæ divitiæ, ſi proximum tuum ut fratrem, imo ut teipſum, dilexiſti?

26. *Apud homines hoc impoſſibile eſt*] Cur hoc in divitis tantum dixit? Videntur mihi omnes qui peccant naufragium facere: at in naufragio alii adhærent alicui rei cui innixi non omnino ſine ſpe ſunt; alii ſine ſpe relicti undis feruntur, qui ſi ſerventur, ſolius Dei beneficio acceptam referunt ſalutem; quamvis etiam alii, qui tabula aliqua ferebantur, gratias agant ſervatori Deo. Divites ergo iis ſimiles ſunt qui amiſſa alioqui omni ſpe ſolius Dei quodam miraculo ſervantur. Et cum tam periculoſa res ſint divitiæ, is tamen felicior à ſtulto hominum errore creditur qui ditior eſt, h. e. qui ſævioribus circumvolvitur fluctibus.

29. *Centuplum accipiet*] Nimirum *in hoc ſeculo*, ut alii explicant Euangeliſtæ; alioquin ſuperfluum erat addere, *& vitæ æternæ accipit hæreditatem.*

ZEGERUS.

5. *Et dixit*] Subaudiendum ex ſuperioribus *qui fecit ab initio*, vel *Deus Creator.* Itaque rectius continuo legeris & citra periodum, *Non legiſtis quia qui fecit ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & dixit, Propter hoc dimittet homo*, &c. uſque ad, *Itaque jam non ſunt duo.*

10. *Si ita eſt cauſa homini cum uxore*] *Homini*, non *hominis*, habet, ac repetit etiam, B. Hieronymus: atque ita eſt in codice Corſendoncenſi. ¶ *Non expedit nubere. Qui dixit illis, Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*] Animadvertendum hoc loco verbum *capiunt* non idem poſſere quod *intelligunt*; ſed *capiunt*, i. *recipiunt*, ſive *capaces ſunt*, vel *recipere poſſunt:* id enim declarat Græcum vocabulum χωροῦσι, quod idem eſt & in eo quod ſequitur, *Qui poteſt capere, capiat.* Dicit ergo, *Non omnes capiunt verbum hoc veſtrum quod dicitis, expedire ut non contrahatur matrimonium.* Tanquam ſi dicat, Optimum quidem fuerit propter Chriſtum conjugii aſpernari delicias; verum non omnes apprehendere valent hoc perfectionis cacumen, ſiquidem peculiari Dei dono opus eſt ut poſſit quis ſibi in totum à coitu temperare; ſine quo dono nec temperaſſe quicquam prodeſſe poterit ad ſalutem. Propter quod & ſubditur, *Sunt enim eunuchi qui de matris utero ſic nati ſunt.*

17. *Quid me interrogas de bono? Unus eſt bonus, Deus*] Duplicem olim apud Græcos hujus loci fuiſſe lectionem, argumento ſunt veterum interpretum commentarii. Et alii quidem ſed pauciores hic legunt ut apud Lucam c. 18. ſcriptum eſt, Τί με λέγεις ἀγαθόν; *Quid me dicis bonum?* Alii vero, *Quid me*

interroga de bono? quod ut apud plures nominatioresque reperio, ita & mihi magis probatur; præsertim cum D. Augustinum hunc locum quasi pugnantem cum aliorum Euangelistarum narratione conciliasse videam De consensu Euang. l. 2. c. 63. Conciliat autem hisce verbis, *De illo divite qui quærit quid boni faciat ut vitam æternam consequatur, potest videri distare aliquid quod secundum Matthæum dicitur*, QUID ME INTERROGAS DE BONO? *secundum alios autem*, QUID ME DICIS BONUM? *Nam*, QUID ME INTERROGAS DE BONO? *ad illud magis referri potest quod ait ille quærens*, QUID BONI FACIAM? *ibi enim & bonum nominavit, & interrogatio est.* MAGISTER *autem* BONE *nondum est interrogatio. Commodissime ergo intelligitur utrumque dictum*, QUID ME DICIS BONUM? *&*, QUID ME INTERROGAS DE BONO? Huc usque Augustinus. Juxta nostram ergo lectionem & juxta hunc Euangelistam objurgat Salvator adolescentem, non quod ipsum bonum appellaret sed quod de tali aliquo bono percontaretur quo pacto posset promereri vitam æternam, cum nullum sit in hominibus benefactum tam præstans quod sine gratuita Dei beneficentia tale possit promereri præmium. Nihil enim vere bonum est, nisi solus Deus. *Unus est*, inquit, *bonus, nempe Deus.* Et quanquam hic videatur proprius Matthæi sensus, explanatores tamen fere ita intelligunt hunc locum, quasi Matthæus eisdem sit verbis usus quibus Marcus & Lucas, nimirum, *Quid me dicis bonum?* tanquam si dicat, Frustra me bonum vocas quem purum credis esse hominem, cum nullus sit vere bonus nisi solus Deus. Præterea non mihi hic juvenis tentandi animo ad Christum accessisse videtur, ut sentit Hieronymus, sed pio quodam studio exercendæ virtutis, ut apertius & latius docet tum Chrysostomus, tum alii: quanquam interim negari non potest, habendi cupidum atque avarum hunc fuisse, & ob id ad perfectionis semitam non pervenisse.

20. *A juventute mea*] Multi codices vetusti non habent; sed contra Græci. Ex Hieronymo nihil certi habetur.

24. *Camelum per foramen acus*] Κάμηλον, vel, ut Suidas scribit, κάμιλον, per ι, hoc loco designare *funem nauticum* primus adseruit Theophylactus, *Nonnulli*, inquiens, κάμιλον *hic animal dicunt, sed est crassus funis quo nautæ utuntur ut projiciant ancoras.* Quod ut plausibile ac novum est, ita neotericis magis arridet. Euthymius obiter indicat duntaxat nonnullis eam fuisse opinionem. Verum primi Euangeliorum elucidatores de animante exponunt, *rudentis* vero ne mentionem quidem faciunt. ¶ *Quam divitem*] Subaudi, *in divitiis suis confidentem*, ut B. Marcus apertius elocutus est, *intrare in regnum cælorum.*

LUCAS BRUGEN.

17. QUid me interrogas de bono? *unus est* * *bonus* [* *enim* o.] *Deus*] Græca & Syra, Græcique Interpretes Euthymius & Theophylactus, habent, etiam in Matthæo, *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus, Deus:* quo modo & Hilarium legisse, tum ex proprio loci commentario, tum ex lib. 9. De Trinitate manifestum satis esse videtur. Cæterum exemplaria quædam Græca, Vaticanum & Parisiensium cum secundo, quod ex Italia acceperant, octavum, Latinis libris consonantia, legunt, τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός· sed non addunt ὁ Θεός. Origenes, tract. 8. in Matth. utramque lectionem ponit atque exponit. Augustinus lib. 1. De Trinit. cap. 13. legit & explicat τὸ *Quid me interrogas de bono?* lib. 2. De consensu Euangelistarum cap. 63. Matthæi Euangelio tribuit, *Quid me interrogas de bono?* Marci & Lucæ, *Quid me dicis bonum?* id quod verosimillimum est. Rationi enim maxime est consentaneum, quod annotarunt quidam nostræ ætatis scriptores, lectorem aliquem minus attentum judicasse id quod in Matthæo erat, *Quid me interrogas de bono?* τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; non perinde quadrare, quia reprehendat adolescentem Christus, quod, cum unus solusque Deus sit bonus, ipsum *bonum* vocaverit; itaque substituisse, id quod in aliis est Euangelistis (Mar. 10. 18. Luc. 18. 19.) *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus, Deus.* τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός. Nam & in Luca est εἷς unus, tametsi nostra editio *solus* habeat.

STEPHANUS.

¶ Κεφ. ιθ. περὶ τοῦ τοιούτου λόγου.

Matth. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. 1, Καὶ προσπελάσαντος αὐτῷ τοῦ δούλου μαθητοῦ αὐτοῦ, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν πνεύματων ἀκαθάρτων, ὥστε ἐκβάλλειν αὐτά, καὶ θεραπεύειν πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν.

Χρεὼν πιστὸν κηρύκεσσιν ἐπαίχειν, ἐσθλὸν ἐπόντα.

Ἄλλως,

Δαιμονίων νίκαν τε κρατεῖν πᾶσι δούλοις δῶκε,
Πρός τε τὸ μεῖζον ζῆλος ἱερὸν κήρυγμα σοφιστοῦ.

4. Ἄρσεν καὶ θῆλυ] *Masculum & femininum.*

5. Προσκολληθήσεται] *Agglutinabitur.*

6. Ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω] *Quod Deus conjunxit, homo ne sejungat.*

8. Πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν] *Habens rationem duritiei cordis vestri.*

10. Εἰ οὕτως ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικός] *Si ea est conditio viri cum uxore.*

11. Οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον] *Non est omnium capax ad hunc sermonem ideneus.*

17. Τήρησον τὰς ἐντολάς] *Serva mandata.*

20. Τί ἔτι ὑστερῶ;] *Quo adhuc deficior?*

22. Ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά] *Possidebat enim multa.*

23. Δυσκόλως] *Difficile.*

24. Διὰ τρυπήματος βαφίδος διελθεῖν] *Per foramen acus transire.*

28. Ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ] *In regeneratione.*

29. Ἑκατονταπλασίονα] *Centuplicia.*

DRUSIUS.

1. VEnit *in fines Judæa*] גבול יהודה vertit etiam potest, *in fines* [vel *terminos*] *Judæa*: & est sensus, *tribus Judæ*, quo nomine strictius accepto hic vocatur Judæa. Vide quæ scripsimus Matth. 2. 1. יהודה pro ארץ יהודה *terra Judæ*, i. Judæa, notius est quam ut probari debeat.

3. *Quavis ex causa*] Non temere hæc quærunt. Nam videtur olim juris controversi fuisse apud Sapientes. Ebræos, qui recepta vulgo repudia improbabant. Unde Ben Sira querenti de uxore mala quam habebat, respondit, *Os quod cecidit in sorte tua, rode illud.* Non dicit, *Repudia eam*; sed, *Fer ac tolera patienter.* Nam ea mens illius, *Rode illud.* Jam vero legimus Deut. 24. 1. *& invenerit in ea nuditatem rei*, h. e. rem aliquam turpem ac fœdam, sive, ut edit. nostra Vulg. habet, *fœditatem aliquam.* Quid *fœdum* aut *turpe* in matrimonio aliud quam scortatio? Non ergo licebat ob quamvis causam repudiare uxorem, sed tantum ob fœditatem. Moses quoque non tam præcepit dimittere conjugem quam dimissæ dare libellum repudii, sine quo repudium non erat ratum. Eum dabat maritus uxori, non uxor marito, nisi prava consuetudine posterioris ævi. Sane sub Herode M. Salome soror ejus libellum dedit viro suo, cujus rei meminit accuratæ vir diligentiæ Josephus Matthiæ F.

5. *Homo*] i. *vir.* Sic Latini autores utuntur hoc vocabulo. Plautus, *mi homo*, & *mea mulier.* Arnobius, *femineæ hominibusque*, i. *viris.* Jureconsulti quoque vocem *hominis* ad *virum* restringunt. Sic ἄνθρωπος est ἀνὴρ, & γυνὴ *mulier* vocatur ea quæ uxor est. Contra *vir*, i. איש, hominem denotat, ut Psal. 22. *Ego vermis, & non vir*, & alibi passim. Sic Psal. 1. 1. *Beatus vir qui non ivit.* Nam etiam comprehendit fœminam, quæ *beata* est quando vitat *consortium improbarum, & in lege DOMINI meditatur interdiu*, &c. ¶ *In carne una*] Malim, *in carnem unam.* Nam in fonte εἰς σάρκα μίαν, quod Ebræi dicunt לבשר אחד. Id valet *quasi una caro. Caro* autem pro *corpore* hic sumitur. Augustinus mavult, *caro una*, i. homo unus. Vide sis Erasmum. Gen. 1. 27. *creavit Deus hominem*; & mox, *masculum & fœminam creavit eos.* Igitur vir & mulier simul Hominem faciunt. Sed prætulerim *corpus unum.* Tacitus De morib. Germanorum. *Sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus unamque vitam.* Job 12. 10. *omnis caro viri*, i. corpus. Manahen. 14. 1. *caro hominis*, i. גוף *corpus.* Porro *in carne una* ita dicitur ut, *erunt hostes in capite* pro *in caput.* Sic apud Salvianum, *in usu collocare.* Qualia non pauca sunt in Pandectis Florentinis dicta per ablativum quæ per accus. usitatius efferuntur, sicut & vice versa. Nota tamen aliquando similitudinem notare; ut, *fuit ei in uxorem*, i. uxoris loco, aut pro uxore: & aliquando rei veritatem ut, *ero ei in Deum*, i. Deus revera. Sic *fuit ei in uxorem*, i. vere uxor. Id observatum etiam de Chaph Ebræorum, quod

ed by Google

quod ideo vocant Chaph ἀλληγορίαν, ut, *vidimus gloriam ejus ὡς μονογενοῦς*, i. ὄντως.

6. *Una caro*] Ut una caro. Simile, *catulus leonis Juda*: item, *eram ei alumnus*. Sic in Latio, *Nec excitatur claſſico miles gravi*. Nam ſenſus, *ut miles*.

7. *Ad duritiam cordis veſtri*] Hic πρὸς *ad* reſpondet particulæ ל, quæ interdum *propter* ſignificat; ut ſit לקשת לבבכם *propter duritiem cordis veſtri*.

8. *Permiſit*] Non *juſſit*, ſed *permiſit*; h.e. Non punivit vos cum ob rem minime turpem aut fœdam dimitteretis uxores veſtras, dato libello diſceſſionis. Hinc eruimus licitum fuiſſe dimittere uxorem ob cauſam μοιχείας, permiſſum & conceſſum ob alias leviores cauſas.

10. *Hominis cum uxore*] i. viri cum uxore. Nam *homo* & *vir* ſe invicem explicant. Sic Gen. 2. 25. *Homo & uxor ejus.* האדם ὁ ἄνθρωπος quod alii reddunt, *Adam & uxor ejus*. Vide quæ ſcripſimus in Notis ad hiſt. ſacram Sulp. Severi. ¶ *Non expedit nubere*] Γαμῆσαι tam de viris dicitur quam de feminis: unde ὁ γήμας *qui uxorem duxit*, נשוי. Sic etiam *nubere* uſurpatur in Latio. Pomponius, *Nupſit frater meus dotatæ mulieri*. Vide ſis Eraſmum. Vulgo *nubere* dicitur vir qui ſervit uxori. A verbo γαμέω ſunt γαμέτης *maritus*, & γαμετὴ ſive γαμέτις *uxor*. Quidam hic legunt, *non expedit contrahere matrimonium*.

17. *Niſi unus Deus*] Videtur hoc ita dici per appoſitionem, *niſi unus*, *nempe Deus*. Nam inter epitheta Dei אחד ἷς *Unus*. Job 31. 15. in edit. Vulgata, *formavit me in vulva unus*. Liber זוהר, 107. 2. *Deus tuus, & nomen ejus unum*, vel *Unus*, i. אחד. Aboth, 54. 2. *in ſermone unius*, i. Dei benedicti, qui eſt unus in mundo ſuo. Vide Galatinum De arcanis cathol. veritatis 3. 20. & Ilmedenu ſive Jelammedenu 65. 2. Rurſum Job 14. 4. *non unus*. Tharg. *non Deus, qui unus eſt*. Quidam explicant, *niſi ſolus Deus*. *Unus* pro *ſolus*, ut Cohel. 4. 10. *Veh ei uni*. Vet. edit. *Va ſoli*. Sed aliter de hoc loco ſentiendum propter articulum qui in ὁ Θεός. Quanquam Luc. 18. 19. *Nemo bonus niſi ſolus Deus*, nempe per naturam. Nam homines quoque boni ſunt, ſed per gratiam. Sic Deus ſolus eſt ſapiens Hieron. adv. Pelag. lib. 2. c. 3. *Sic perfectio hominis non ex natura ſed ex gratia veniens, imperfectos eos eſſe qui perfecti eſſe videntur demonſtrat.*

19. *Diliges proximum tuum ut teipſum*] Eraſmus ex Euangelio ſecundum Ebræos, quod *euangelium Nazaræorum* olim dicebatur, adducit hæc verba, *Dixit ad eum alter divitum, Magiſter, quid bonum faciens vivam? Dixit ei, Homo, Leges* [*legem* ἰεως. Vide ſequentia] *& prophetas fac. Reſpondit ei, Feci. Dixit ei, Vade, vende omnia qua poſſides, & divide pauperibus, & veni, ſequere me. Capit tunc dives ſcalpere caput ſuum, & non placuit ei. Tum ad eum DOMINUS, Quomodo dicis, Legem feci & prophetas? quoniam ſcriptum eſt in Lege*, &c. Vide ſodes.

23. *Dives difficile intrabit*] Vix ac ne vix quidem fieri poteſt ut mens recte pia in magnis opibus ſervetur.

24. *Camelum*] Vide quæ ſcripſimus Obſervat. lib. 1. c. 11. Quod autem apud Ariſtophanis ſcholiaſten κάμιλον per ι, ſuſpectum mihi de mendo. Nam antiquus character literæ μ idem erat cum charactere literæ β, ut alibi docui. Hinc plurimi errores in libris. Forte igitur κάβαλον ſcribendum, unde & Belgicum Kabel. Cui cognatum, quod Ebræi *compedem* גבל appellant. Sit hoc arbitrarium, non certum.

CASAUBONUS.

6. Ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω] Notanda Theophylacti interpretatio, qui ἄνθρωπον interpretatur *Moſem*: de quo judicent doctiores. Verba ejus ſunt hæc, Οὐκ εἶπε δέ, Μὴ χωριζέτω Μωσῆς, ἵνα μὴ παρέξῃ αἰτίαν αἱρέσεως, Ἄνθρωπος, ἁπλῶς, δηλονότι τὸ μέσον ἓξ συνέζευξεν Θεὸς, καὶ ἓξ ἀλλοτρίου ἀνθρώπου.

10. Εἰ οὕτως ἐστὶ ἡ αἰτία ἓξ ἀνθρώπου μὴ ἔχειν γυναῖκας] Αἰτία quid hic ſignificet ambigunt Græci interpretes. Mihi videtur loquendi hoc genus ſumptum è foro Romanorum, ubi *cauſa* ſæpe idem ſignificat quod *conditio*, ut cum dicitur *publicanorum cauſa melior* in lib. 1. §. 4. D. de public. & vectig. & alia id genus paſſim in libris Juris. Sic etiam ex eodem foro manavit aliud loquendi genus Græcis diſertioribus ignotum, λαμβάνειν τὸ ἱκανὸν, quo utitur Lucas Act. 17. 9. Cui ſimile eſt πᾶν τὸ ἱκανὸν, Marc. 15. 15. Nec aliunde eſt profectum *eam aitiam λόγου conferre rationes*, quod apud Matthæum non ſemel legas.

12. Καὶ εἰσὶν εὐνοῦχοι οἵτινες ἐννενόχισθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων] Theophylactus ἐννενόχισθαι interpretatur δέδεισθαι· ἐννενόχισθαι de iis accipit qui ſint *ανωδιδαυλοι*, & reliquis meliores, juxta illud Heſiodi,

Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ.

verum hæc neſcio quam recte hic conveniant.

CAMERO.

3. Ἀπολῦσαι, *dimittere*] Etiam Latine *abſolvere* dicitur; ut ſiquis abſolvi ſe petat, nihil aliud petit quam ſibi ut liceat diſcedere. Jam vero cum uxor nonniſi invita dimitteretur (unde repudiata גרושה h. e. *expulſa* dicitur in Scriptura, quanquam & שלוחה *dimiſſa* etiam dicitur; ſed שלח Hebraice etiam *invitum ejicere* ſignificat, non modo *mittere ire volentem*) quæri poteſt cur Heb. שלח hoc loco ab Euangeliſta vertatur χωρίζειν. Ad hoc reſponderi poteſt, rem duram molli verbo aliquando ſignificari, ut qui mortuus eſt eum *vixiſſe* Latine dicimus, non dicimus *eſſe mortuum*. Sic Achis Pſal. 34. 1. dicitur ſecundum Hebræum *ejeciſſe Davidem*, וגרשהו, ubi LXX reddiderunt ἀπέλυσεν αὐτὸν *abſolvit eum*. Deinde *abſolvi* dicitur mulier cum dimittitur, quia ea dimiſſione ſolvebatur nexu. Non enim quandiu viro obnoxia eſt mulieri licebat novo nubere viro, at dimiſſa ipſa dimiſſione hoc jus acquirebat: nam quæ antea non erat ſui juris & libera, ſic ſui juris reddebatur. *Repudium* igitur & χωρίσεις haudquaquam pugnant, etiamſi invito & reluctanti repudii libellus obtruderetur. ¶ Τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, *uxorem ſuam*] Non ſine emphaſi dicitur *uxorem ſuam*. Satis enim videbatur dixiſſe *uxorem*, quando alienam nemo dimittit, ſed ſuam: Veruntamen ſic videtur dimittenti uxorem acrius pervelli auris, cum officii ſui admonetur. Id quod haud dubie, qua erant malignitate animi Phariſæi, de induſtria ab illis adjectum eſt, ut ſi Chriſtus reſpondiſſet id licere, tanto majorem invidiam illi conflarent. Alia mente Paulus 1 Cor. 7. 2. *unumquemque* jubet *habere uxorem ſuam*. ¶ Κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, *propter omnem cauſam*] Videri poſſit dictum inſolenter: nam κατὰ certe non ſignificat proprie *propter*, ſed *ſecundum*, *juxta*: deinde *omnis cauſa* etiam durius dictum videri poſſit, cum dicendum potius foret *quaſlibet ſingulas cauſas*. Quod ad illud κατὰ attinet, obſervandum eſt Hebraicas præpoſitiones ב, ל, את, &c. quæ multiplicem habent ſignificationem, ideoque reſpondent multis præpoſitionibus in alia lingua, in N. T. indiſcriminatim reddi per quamlibet præpoſitionem cui in qualibet ſignificatione reſpondent. Ut v. gr. ל ſignificat aliquando κατὰ, aliquando διὰ, h.e. aliquando *juxta*, aliquando *propter*; quomodo Latine *Propter* & *juxta* & *pro* ſignificat; propterea LXX indiſcriminatim ſeu ל ſignificet *propter*, ſeu ſignificet *juxta*, id exprimunt per κατά. Hujus generis locutio eſt cum εἰς pro ἐν, & ἐκ pro εἰς ponitur, quod multoties fit in Scriptura; ut, *redempti ſumus in ſanguine Chriſti*, h. e. per ſanguinem Chriſti. Quamvis & id dici poſſit, neque abſurde, κατὰ hoc loco ſignificare etiam *juxta*, ut ſit ſenſus, *Num ſtatim atque oboritur aliqua occaſio dimittenda eſt uxor?* Ita κατὰ retinuerit nativam ſignificationem: Et certe id non videtur alienum à mente & ſcopo Phariſæorum. Cæterum *omnis cauſa* hoc loco quælibet cauſa eſt: nam in Scriptura *omnis* non ſignificat ſemper unum idemque: Ponitur enim interdum pro *unoquoque*; quæ ejus primaria ſignificatio eſt: deinde pro Comprehenſione atque complexu ſingulorum; ut v. gr. Eph. 4. 13. *donec omnes occurramus in unitate fidei*, ſignificatur complexus atque unio ſingulorum; ſic cum dicimus *omnes fideles qui ſunt aut fuerunt aut erunt conſtituere corpus Chriſti*, non intelliguntur ſinguli fideles ſeorſim ſumpti, ſed conjunctim omnes, cuncti, ut placet nonnullis Grammaticis eam vocem interpretari. Deinde ſignificat *omnis* ex ſingulis ordinibus, vel etiam ſpeciebus, certum; ut cum Chriſtus dicitur *ſanaſſe omnem morbum*, h. e. omnia morborum genera. In Scholis vocant *genera ſingulorum*, non *ſingula generum*. Denique vox hæc *omnis* pro voce *quilibet* ponitur, nempe ita ut ſignificentur ſinguli non jam conjunctim ſed disjunctim, inter quæ magnum eſt diſcrimen: Nam qui *omnes conjunctim* dicit, ſingulos complectitur, ita ut oporteat ſumi omnes: at qui *quemlibet* dicit (quod hoc loco dicitur) non ſignificat ſtatim omnes eſſe ſumendos, tantum ſignificat non intereſſe qui ſumatur: ut (quod jam diximus) hoc loco quærant Phariſæi *an quamlibet ob cauſam liceat uxorem dimittere*. *Cauſa* vero αἰτία in Scriptura duplicem habet ſignificationem: Vel enim ſignificat *crimen & culpam*; ex gr. titulus crucis Chriſti ab Euangeliſta dicitur Matth. 27. 37. αἰτία γεγραμμένη *cauſa inſcripta*. *Cauſa* eo loco *crimen* eſt, cujus falſo Chriſtus inſimulabatur, quanquam vera fuit inſcriptio. Et Pilatus, *Nullam invenio cauſam in eo*, inquit, h. e. nullum crimen. Veruntamen quoniam divortia non ſemper fiebant

bant ob crimen aut culpam, ſed ea de cauſa quæ *calamitatis* potius quam *culpæ* nomen mereretur, præſtat ut hic *cauſam* intelligamus non jam eam tantum quæ *culpam* notat, ſed *occaſionem* etiam. Tenemus igitur mentem Phariſæorum: quærunt, *Num qualibet de cauſa, quæcunque tandem illa ſit, ſtatim atque datur, liceat divortium facere.*

4. Οὐκ ἀνέγνωτε, &c.] Summa reſponſionis Chriſti huc redit; Qui non ſunt duo ſed unus, eorum alterutrum ab alterutro divelli nefas eſt; Atqui maritus & uxor ejuſmodi ſunt; Ergo, &c. Major propoſitio eſt certiſſimæ veritatis: Enimvero ea quæ unum faciunt ejuſmodi ſunt ut habeant partium rationem: jam cum pars à parte abſcinditur ſane fit aliquid præter naturam; Partium enim hæc eſt ratio ut ex earum unione dependeat *Totius* ſalus. Jam Chriſtus tribus argumentis id probat; probat, inquam, Deo authore virum & uxorem partes eſſe quæ unam carnem conſtituant, h. e. arctiſſimo inter ſe vinculo conjungi. ¶ Ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς] Primum argumentum inde ductum eſt quod *Deus initio creavit marem & feminam.* Quod argumentum levius videri poſſit (abſit blaſphemia dicto) nam & Belluas Deus creavit mares & feminas. Cæterum longe aliter ſe res habet: nam in creatione Belluarum nulla fit mentio maris & feminæ, in creatione Viri & Mulieris id fit tantummodo. Et ratio eſt quia belluarum libidines vagæ ſunt: ducuntur enim impetu naturæ. Quod ſi in quodam genere aliter ſe res habet, factum eſt id admonendi Hominis cauſa, quomodo Sapiens ablegat nos ad Formicas. Itaque id ipſum hic accidit quod cum dicitur Deus *adflaſſe Adamo ſpiritum vitæ*, cum tamen in hiſtoria creationis reliquorum animantium, quorum ſpiritus eſt à Deo, nulla hujus adflationis mentio fiat, nempe factum id eſt ut notetur animæ immortalitas. Ita plane mentio maris & feminæ expreſſa eſt facta, ubi agitur de creatione Viri & Mulieris, adnotandam iſtam conjunctionem, ut certe res ipſa poſcere videtur: nam omnia hic ita comparata ſunt, ut in iis qui ratione præditi ſunt non promiſcua eſſe omnibus, ſed duorum inter ſe conjunctio ſignificetur.

5. Ἕνεκεν τούτου, &c.] Secundum argumentum quo Chriſtus utitur ex eo ductum eſt quod viro præſcribitur ut *adhæreat uxori ſuæ.* Cujus argumenti vim quidam male feriati homines, dum volunt oſtentare acumen ingenii, ſtuduerunt elevare. Ajunt enim ſcriptum eſſe, *Diliges proximum tuum ut teipſum*, neque tamen ullam ſubeſſe cauſam cur inde colligi debeat colendam eſſe ſocietatem conſtanter cum uno aliquo è proximis. Sed multa ſunt quæ faciunt ut non debeat videri par ratio. Ac primo quidem illud, quod jubetur vir *derelinquere patrem & matrem*: Unde efficitur, conjunctionem viri cum uxore ſummam eſſe, quando nulla in natura arctior conjunctio eſt quam parentum & liberorum. Itaque ſi conjunctio viri & uxoris hanc ita ſuperat ut illa ei cedat, profecto oportet eam conjunctionem eſſe multo maximam. Porro ſummæ conjunctionis hæc eſt ratio ut ſit individua. ¶ Προσκολληθήσεται] Verba ſunt hæc notanda, *adhærebit uxori ſuæ:* nam hujus verbi hæc eſt ſignificatio, ut προσκολληθήσεται ſignificet arctiſſimam conjunctionem: nam quid ſit κολλᾶσθαι nemini eſt obſcurum. Deinde vox Hebr. quæ hac voce redditur eſt דבק *adhæreſcere, conglutinari:* דבק autem eſt *ferrumen, plumbatura, conglutinatio.* Adde quod non ſimpliciter ea vox redditur κολληθήσεται, ſed προσκολληθήσεται. Denique Apoſtolus 1 Cor. 6. 17. *qui adhæret Domino unus Spiritus eſt.* Nam quod ſæpenumero דבק ſic uſurpatur in Scriptura ut non ſignificetur προσκόλλησις, ſed *conjunctio* ſimpliciter, id fit figurate. Ut ſit finis; quandoquidem hæc verba non præcedunt ſed ſequuntur, *& adhærebit uxori ſuæ*, ea neceſſe eſt obtinere eam vim quam ſequelæ ratio exigit. Atqui præceſſit, quod feminam Deus creavit unicam, idque ex coſta exempta ex Viri latere; conſequens ergo ratio poſtulat (iſta enim dicuntur, ut loquuntur in Scholis, *illative*) ut intelligatur conjunctio duorum. Certe Mal. 2. idipſum ſignificaſſe videtur: *Nonne*, inquit, *unum fecit*, nempe Deus, *cum eſſet abundantia Spiritus ἐπ' αὐτῷ?* Alludit ſcilicet Propheta ad Hominis creationem, quæ peracta eſt afflatu Spiritus vitæ; q. dicat Propheta, Potuiſſet Deus plures ſimul homines creaſſe; neque enim deerat illi, quem afflaret etiam multis, Spiritus; at vero unum tantum creavit: nam Mulierem ex coſta Viri efformavit: itaque Mulier in Viro condita eſt: neque vero plures efformavit mulieres; quod tamen proclive fuiſſet Deo, & facile æque atque unicam ex unica viri coſta formare. Quorſum vero ſic egerit Deus Propheta indicat, *ut eſſet*, inquit, *ſemen Dei*, h. e. excellens ſemen. Nam qui gignunt ex promiſcua & vaga libidine, dant ad inſtar belluarum operam procreandis liberis; itaque eorum ſoboles, ſi generationis rationem habeas, non eſt ſoboles digna, orta nempe ex neſario concubitu: unde factum eſt ut, quodam naturæ veluti inſtinctu, qui hac conditione naſcuntur ſint contempti & vulgo infames habeantur. ¶ Καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν] Tertium Chriſtus inde ducit argumentum, quod dictum eſt, *& erunt duo in unam carnem.* Certe in Hebræo nulla *duorum* fit mentio, *unius carnis* fit mentio. Attamen res ipſa poſcit ut *duo* intelligantur. Etenim neque unus vir cum pluribus uxoribus, neque una uxor cum pluribus viris poſſunt unum efficere: oportet enim conjunctionem eſſe arctiſſimam; non poteſt autem eſſe arctiſſima inter plures quam ſint duo. Id quod facile intelligi poteſt: nam arctiſſima unio eſt inter duo. Quod ſi aliquando contingit ut unum multis arctiſſime jungatur, hoc ideo fit quia illa multa unum ſunt inter ſe: ut v. gr. Chriſtus arctiſſime unitur multis fidelibus, ſed hoc fit ideo quia omnes fideles unum corpus conſtituunt. Itaque non ſinguli fideles Sponſa Chriſti ſunt, ſi volumus proprie loqui, ſed tota Eccleſia, fideles ſimul ſumpti; id quod fieri commode poteſt propter unius ejuſdemque Spiritus communionem: unde & dicuntur *corpus Chriſti*, & *alii aliorum membra.* At in matrimonio id non poteſt habere locum: nam non omnes ſimul ſed unaquæque ſeorſim uxor eſt: neque poteſt maritus pariter ſe omnibus exhibere, ſi una plures habeat uxores: unde oriuntur rixæ, contentiones, &c.

6. Οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία] Iſta viri & uxoris unio, qua fit ut ſint una caro, intelligi poteſt ſi intendamus oculos in finem iſtius unionis. Finis autem illius unionis eſt ut vir auxilium & ſubſidium habeat in promptu, non quodvis auxilium & ſubſidium, ſed illud quod ſit (ut loquitur Deus) כנגדו *ipſi ſimile:* nullum autem ejuſmodi auxilium ſuppeditari viro poteſt niſi cum eo coaleſcat in unum. Nam auxilio viro opus eſt, I. Ad procreationem ſobolis: quamvis enim proprie genitor ſit, non poteſt tamen ſolus generare naturæ conditione: unde fit ut genita proles utrumque parentem agnoſcat, & quidem tanquam unum; unus enim ab uno eſt. II. Homini opus fuit auxilio in educandis liberis: nullum autem auxilium æque ad id idoneum nancifci potuit quam uxorem, quæ eadem mater eſſet; quod fieri nullo modo poteſt ſine hac unione: enimvero quo arctior conjunctio eſt, eo plura & efficaciora ſuppetunt amandi argumenta. III. Homini auxilio opus fuit, vel ut (quod futurum fuiſſet niſi lapſus interveniſſet) communicaret cum alio gaudium ſuum: nam ut minuitur dolor ſi quem habeas ad quem doloris tui ſenſus aliquis perveniat, ſic intenditur lætitia & gaudium ſi quem habes qui tuum gaudium ſuum eſſe exiſtimet. Id quod in ſtatu naturæ in nulla hominum conjunctione æque poteſt contingere ac in conjunctione viri & uxoris, unde ſequitur ſummam eſſe animorum conjunctionem. Illud etiam obſervandum eſt, quod reliquæ ſocietates quæ fœdere contrahuntur non continuo gignunt tam acrem & vehementem affectum amoris: nam hic etiam inter ignotos, poſtquam fœdus pactum eſt, naſcitur continuo ſummus amor, niſi id malignitate quadam impediatur. IV. Hæc uni cernitur in communione rerum omnium. Etenim ſi viro bene eſt uxori non poteſt eſſe peſſime, & ſi uxori bene eſt non poteſt itidem peſſime eſſe viro: nam quod in aliis ſæpenumero fit ſocietatibus, ut privatis quiſque ſtudeat commodis, in hac conjunctione id fieri nequaquam poteſt, cum ſit ejuſmodi ut omnia ſint, certe eſſe debeant, communia. Cæterum, etſi hæc unio tanta ſit, non facit paritatem tamen: id quod Apoſtolus 1 Cor. 11. non uno argumento probat, quorum prius hoc eſt, *Non enim vir*, inquit, *eſt ex muliere, ſed mulier ex viro:* itaque Vir reſpectu Mulieris cauſæ quandam rationem habet. Deinde, *Non*, inquit, *conditus eſt vir propter mulierem, ſed mulier propter virum*, interpretatur Apoſt. illud, *Faciamus ei auxilium:* nam auxilium certe alio refertur: porro quod refertur alio minus eſt eo ad quod refertur. At hæc imparitas tantum abeſt ut prohibeat quo minus hæc unio arcta ſit, ut contra reddat arctiorem. Nam ſi pares eſſent vir & mulier, obtinere non poſſet id quo ſpectat illa unio, cum ejus rei ea ſit natura ut paritatem reſpuat. Sed quod diximus de unione viri & uxoris videtur etiam ad belluas pertinere, ſaltem hac in parte quod inter eas conjunctio quædam ſit procreandæ ſobolis cauſa, quandoque etiam educandæ, à naturæ inſtinctu, vel potius à Deo naturæ authore. Cæterum longe aliter ſe res habet, in hoc primo, quod belluæ nulla ratione ſed naturæ impetu quodam conjunguntur, tum ſtatim divelluntur; at viri & uxoris conjunctio non eſt ejuſmodi, ſed à conſilio & ratione profecta. Quare ut Deus caveret ne homines perinde ac belluæ libidinarentur, in genere humano aliter marem & feminam, aliter in belluarum genere creavit: nam generis humani marem & feminam ſic condidit ut feminam ex viri coſta effinxerit, at non eſt hæc ratio obſervata in generis belluini maris & feminæ creatione. Ad belluarum autem prolis educandæ cauſa ſocietatem quod attinet, reſponſio facilis eſt: nam in illo genere primo hoc rarum eſt: deinde vero ut maxime fre-

quens

quens ac perpetuum eſſet, tamen hoc intereſt, quod hic amor non eſt perpetuus; nam poſtquam fœtus belluarum adolevit, depellitur etiam ab iis à quibus duxit originem: At in genere humano (niſi naturæ ordo turbetur) procedente ætate non minuitur amor parentum erga liberos, ſed creſcit potius, adeo ut protendatur ad nepotes, & nepotum adeo nepotes.

7. Τί οὖν Μωσῆς ἐνετείλατο] Verbum hoc ἐντείλασθαι notat authoritatem junctam præcepto: neque enim temere occurrit uſurpata hæc vox aliter in Scriptura. Nam Apoſtoli certe non ſic loquuntur ut præ ſe ferat eorum oratio ullam præter Chriſti authoritatem: nempe non fuerunt Mediatores, ſicut Moſes. Porro videri poſſit dictum calumnioſe, & ſubeſſe cavillationem, cum Moſes non præceperit dari libellum divortii, ſed permiſerit. Videri igitur poſſit Phariſæos rem auxiſſe in majus de induſtria; veruntamen multo aliter ſe res habet: nam quod hic dicitur ἐντείλασθαι *præcepit*, apud Marcum eſt ἐπέτρεψε *permiſit*. Nulla igitur hac quidem in parte cavillatione uſi ſunt Phariſæi; neque vero pugnant inter ſe Euangeliſtæ, quorum alter introducit Phariſæos dicentes ἐνετείλατο *præcepit*, alter eoſdem facit dicentes ἐπέτρεψε *permiſit*. Nam Hebraicum verbum צוה utrumque ſignificat, *præcipere* & *permittere*, quia horum utrumque convenit, ut ita dicamus, genere analogico. Jam verò notum eſt nomine ſpeciei analogicæ interdum genus ipſum deſignari. Itaque nihil prohibet permiſſionem *præceptum* dici. Sic 1 Reg. 5.6. Salomon rogat Hiramum ut *præcipiat cædi in Libano cedros*, h. e. ut permittat cædi. Tenendum igitur, *præceptum* duobus modis dici, vel ut ſit Juris, vel ut pertineat ad juris relaxationem. Si juris eſt, *præceptum* proprie dicitur; ſi pertinet ad juris relaxationem, *permiſſio moralis*, quam voculam adjicimus ut diſtinguatur hæc permiſſio de qua agimus à permiſſione occultæ providentiæ, quæ non eſt juris relaxatio. Duo autem ſunt genera relaxationis juris: Unum eſt quo fit ut quod permittitur, cum antea non eſſet, evadat legitimum; ut liquet ex exemplo quod jam à nobis allatum eſt. Non fuiſſet fas cædere cedros in Libano niſi permiſſu Hirami, qui Libani dominus erat; at cum potuerit Hiramus remittere quantum viſum eſſet de ſuo jure, potuerunt cædi cedri legitime. Sed & alterum juris relaxationis genus eſt, quo non redditur legitimum quod fuit illegitimum, ſed tantum redditur minus illegitimum, atque ita quodammodo cogitur in ordinem: ut cum Magiſtratus, etſi nullo delectetur vitio, attamen multa permittit, h. e. modo certa quadam ratione fiant non punit: neque vero eo fit ut probet ea, etiam facta certa illa ratione, ſed quia aliter malo obviam iri non poteſt. Neque vero tenetur propterea obſtricta conſcientia Magiſtratus, dummodo faciat quicquid in eo genere fieri poſſit ad conſervandam Rempubl. qua eversa etiam boni malis permixti pereunt. Cum igitur neutra harum relaxationum juris, neque ea qua res redditur legitima, neque veroetiam ea qua redditur minus illegitima, aliunde proficiſci poſſit quam ab eo qui præeſt cum imperio, neque vero alia ratione quam propoſito edicto (nam ea ad quæ connivet Magiſtratus, atque ita demum permittuntur, habent analogiam cum iis quæ per occultam Dei providentiam geruntur) hinc fit ut lingua Hebraica etiam juris relaxatio *præceptum* dicatur. Permiſſio itaque hic eſt non qua malum permittitur, ſed qua, ſi malum ſit, circumſcribitur certis quibuſdam limitibus, ne ulterius evagetur. Porro, ut permittere malum lege, malum eſt, à quo Deus abhorret, ſic malum circumſcribere ac definire, certum modum ei præſcribere, bonum eſt. Nam ut prohibere omnino malum optimum eſt, ſic ſi ejuſmodi malum eſt ut prohiberi non poſſit, id lenire proximum optimo eſt. Hujus generis permiſſionem Chriſtus hoc loco intellexit. Neque vero quiſpiam hic objiciat Deum potuiſſe malitiam illam penitus tollere: non enim hic agitur de occulta Dei providentia, & quid ea Deus effectum dare poſſit, ſed de legibus Dei. Nam cum Deus agit per occultam providentiam, ita agit ut eventus ſequatur; cum agit legibus, non item. ¶ Δοῦναι βιβλίον ἀποστασίου] Vox hæc ἀποστάσιον *repudium* plane Biblica eſt, ac profanis ſcriptoribus Latinis & Græcis ignota. Nam *Divortium* διαζύγιον & διόρσιον vocant Græci: quanquam inter hæc duo conſtituunt diſcrimen: nam διαζύγιον facit ut conjugium non poſſit redintegrari; διόρσιον levius eſſe videtur divortio. Βιβλίον igitur ἀποστασίου eſt ספר כריתות qui vocatur in Scriptura. Nam Deus Deut. 24.1. quo loco permittit dari libellum repudii, adeo ſolicite & caute id permittit ut ex ipſis permiſſionis verbis colligi poſſit id permiſſum veluti ægre. Certe Ethnici in divortio non requirebant tot circumſtantias: ſatis erat vel nuncium remittere, & jubere ut uxor ſuas ſibi res habeat. At primo quod à Deo jubetur ſcribi libellum repudii & uxori tradi, certe videtur inhibere quodammodo impetum animi concitati, & relinquere ſpatium deliberandi: Deinde, quod cavebatur ea permiſſione ne liceret marito in poſterum uxorem quam repudiarat revocare domum, contra quam fiebat inter Gentes. Tum & hoc ſingulari conſideratione dignum eſt, quod non qualibet de cauſa licebat dare libellum repudii, ſed certa quadam, nempe ſi maritus aliquid animadvertiſſet turpe & fœdum in uxore, quodque conciliaret horrorem. Denique & id notandum eſt, quod marito quidem permiſſum fuit uxorem dimittere, contra uxori non licuit dare viro libellum repudii: Cujus rei hæc videtur eſſe ratio, quod non eſt paritas juris viri in uxorem & uxoris in virum, cum vir uxoris caput ſit. Sic pater injuria ſæpe & non ſine ſcelere interdum ſævit in filium, at non licet filio ſævire in patrem.

8. Πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν] Doctiſſimus Interpres vertit πρὸς quaſi Chriſti mens eſſet *juxta duritiem cordis veſtri*, adductus ut ſic præpoſitionem illam verteret uſu & conſuetudine Græcorum. Cæterum hic ſenſus durior eſſe videtur. Quod vero verebatur diſcedere ab uſitata ſignificatione hujus præpoſitionis cum jungitur accuſativo, metus vanus fuiſſe videtur. Etenim in libris N. T. adeoque in verſione LXX Interpretum (quorum phraſes Scriptores codicis N. T. ideo æmulati ſunt quod eſſent uſitatæ in iis Synagogis Judæorum quæ erant inter Gentes, à quibus collecta fuit Eccleſia) nihil eſt frequentius iſtis Enallagis præpoſitionum. Cujus rei hæc eſt ratio, quod unica Præpoſitio apud Hebræos complures habet ſignificationes, quibus præpoſitiones apud Græcos & Latinos plures reſpondent, plures, inquam, vel ſimpliciter in ſe, vel ſtructura plures. Atque hæc illis eſt lex Hebræam propoſitionem vertendi, ut indiſcriminatim eam vertant, reddantque per quamlibet è præpoſitionibus cui reſpondet. Ut rem demonſtremus exemplo manifeſtiſſimo & uſitatiſſimo in Scriptura *per ſanguinem* & *in ſanguine Chriſti* idem eſt, quia nempe ב Hebræorum reſpondet vel τῷ αἵματι vel τῷ ἐν. Atque non aliter hoc loco accipitur πρὸς· nam reſpondet Hebrææ præpoſitioni ל. Jam vero ut apud Latinos *propter* utrumque ſignificat, tum rationem Ordinis, ut cum Latine dicimus *propter aquæ rivum*, &c. tum Cauſæ rationem, ſic ל Hebræorum utrumque ſignificat, & rationem Ordinis, & rationem Cauſæ. Atqui hoc loco non ſignificatur Ordinis ratio, πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν *juxta cordis duritiem*, ſed Cauſæ ratio, pro διὰ τὴν σκληροκαρδίαν *propter cordis duritiem*. Σκληροκαρδία vox eſt uſitata Scriptoribus ſacris, qui ea uſi ſunt propterea quod לב קשה *durum corde* (nam קשה aliud eſt, *mœſtum* nempe ſignificat) Hebræis dicitur *refractarium* & *contumax*, Ezech. 3.7. Dura enim ejuſmodi ſunt ut non admittant facile impreſſionem: unde & *lapideum cor* in Scriptura dicitur. Hæc cordis durities dicitur etiam πώρωσις τῆς καρδίας.

11. Οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον] h. e. *Omnes non ſunt capaces hujus rei* (λόγος nempe hic eſt Hebræum דבר, quod & *rem* & *verbum* ſignificat) *ſed quibus datum eſt à Patre*. Vel, τὸν λόγον τοῦτον, h. e. τὰ νῦν ὑμῖν λεγόμενα, *Non ſunt omnes capaces hujus rei quam vobis dico*; h. e. Non cuivis datum eſt eſſe eunuchum regni cœlorum cauſa. Non vero ita accipienda ſunt hæc verba ac ſi Chriſtus innuere vellet ſententiam ſuam obſcuram eſſe & quam quilibet non facile intelligat; quod innuere tamen videtur verſio Gallica, minus propterea hoc loco commoda, *Tous ne comprennent pas cela*.

28. Ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ] h. e. In Eccleſiæ renovatione. Ac ne cui mirum videatur παλιγγενεσίαν appellari earum rerum converſionem quæ poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos indeque Spiritus S. miſſionem contigit in terris, Apoſtolus illud Eſaiæ 65.17. *Ecce creo vobis novum cœlum & novam terram*, huc refert. Imo vero, inquit, *Ecce nova facta ſunt omnia*, 2 Cor. 5.17. ¶ καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς, &c.] Dum Chriſtus αἰνιγματωδέστερον de ſtatu Regni ſui deque Apoſtolorum in eo dignitate loquitur, qualis demum is ſtatus ſit futurus, id vero ſolet ſubinnuere verbis Regum & Regiorum miniſtrorum dignitatem potius quam ſpiritualem Eccleſiæ ſtatum ſignificantibus, ut hoc loco & Luc. 22.30. ſummam hic in terris Apoſtolorum in Eccleſia authoritatem haud obſcure, figurate tamen, ſignificavit. Quin ut parem dignitatem, ſic & dignitatis illius paria inſignia & ornamenta à Chriſto his verbis accepere: Hic enim certe & dignitas par, *Juriſdictio in* XII *tribus*, & paris dignitatis nota eſt, *ſedere ſuper* XII *thronis*. Nam quæ ita poſitæ ſunt ſtellæ ut aliæ aliis inferiores ſint, eas certe illius ætatis conſuetudo & Scripturæ uſus *Thronos* dici vetat. Neque vero hic ulla Tribus ulli ſeorſum Apoſtolo tribuitur, qui peculiarem in eam habeat juriſdictionem. Sed quærat hic aliquis quo conſilio Apoſtolorum numerum Dominus duodenarium eſſe voluerit. Cur item *duodecim tribunos Iſraelis*, dum eorum aſſignat juriſdictionem, potius quam *Eccleſiæ* meminerit. Hic ego quidem certe nihil affirmarim: Illud tamen omnino certum eſt, Eccleſia Judaica ea fuit cui primum diſerte Deus promiſerat Meſſiam; Gentibus ſecundario, ac nonniſi contemptus jam ſcilicet ac repudiatus à Judæis, promiſſus fuerat: *Vobis*, inquit Paulus, *oportuit primum annunciari*

Dei verbum, Act. 13. 46. Eccleſia itaque Chriſtiana prima illa ex puris Judæis fuit conflata, Gentibus nondum admiſſis in conſortium tantæ dignitatis. Ea Eccleſia dein fuit Gentium Eccleſiæ vel radicis vel fundamenti vice, cui illa ſcilicet vel inſereretur vel inædificaretur; Gentes enim oleaſter, Judæi olea fuere, cui Gentes tanquam ex oleaſtro ſurculi erant inſerendi. Quæ cum ita ſe habeant, mirum videri non debet ſi Dominus noſter eo tempore, quo myſterium vocationis Gentium nondum erat evulgatum, cum Diſcipulis agens, tantarum rerum rudibus ac ignaris, totam Eccleſiam nomine *duodecim tribuum* deſignaret. Eadem hæc res cauſa fuiſſe videtur cur & Diſcipulorum numerum duodenarium Dominus eſſe voluerit, ut ſcilicet quadrarent hæc aptius, & illa Apoſtolicæ dignitatis deſignatio tanto eſſet illuſtrior & concinnior. Illud ſane in hac cauſa ſingulare eſt & omnino obſervatu dignum, quod Paulus, qui duodenarium numerum augeret, tum demum ad Apoſtolatum eſt vocatus cum Eccleſia Chriſtiana Judaica jam eſſet conſtituta. Nam antea profecto, cum Juda proditore è medio ſublato collegium Apoſtolorum aliqua ſui parte diminutum & mancum eſſe videretur, unus Matthias in ejus locum eſt ſuffectus, qui juſtum collegii Apoſtolici & legitimum numerum expleret. Hæc ſatis arguunt, in numero duodenario Apoſtolorum & tribuum Iſraelis ſummam & parem poteſtatem in Eccleſia regunda, tanquam figura, ſignificari.

GUALTPERIUS.

12. Εἰσὶν εὐνοῦχοι οἵτινες ἐκ κοιλίας μητρὸς ἐγεννήθησαν οὕτω] εὐνοῦχος *Eunuchus, ſpado.* Syris ܣܪܝܣ idem quod Hebr. סריס, i. *fidelis*, quod Eunuchorum fides deligeretur aſſervandis thoris. Rabbinis סריס ex סרס *caſtravit.* Idem & prius. Clearcho apud Athenæum eſt εὐνὴς πᾶς ὁ μὴ ἔχων ὄρχεις. Plinius ſcribit defluvium capillorum in ſpadonibus non viſum. Dicitur & Lactucæ quoddam genus εὐνοῦχον, à Pythagoræis ita vocatum eo quod frequens lactucarum eſus ad Venerem inhabiles reddat. De hoc Gorræus in Definitionibus Medicis, εὐνοῦχον, inquit, *dictum eſt à Pythagoricis Lactucæ quoddam genus ſuapte natura Lunæ, & caule vidimum, quaſi Spadonium, quoniam maxime refragetur Veneri.* Etymologico dicitur ἀπὸ τοῦ τὴν εὐνὴν ἔχειν καὶ φυλάσσειν, quoniam videlicet ad cubilium gynæceorumque cuſtodiam curamque comparari ſolebant, quod ancillis expeditiores eſſent, & ob exemptos teſticulos ad coitum inepti. Vel ab εὖ & νῦν ἔχειν, eo quod res Veneræ εὐόντως ab antiquis dicerentur. Dicitur & εὐνοῦχος, υ, quanquam hoc magis adjective, quaſi *ſpadonius. Ariſtoteles in problematis inter εὐνοῦχον & εὐνοῦχον diſtinguit: hunc teſtes habere poſſe ait, ſed inutiles, quod effeminatus ſit; illum vero proprie caſtratum & eviratum intelligi*, Henr. Steph. Vide Plinium l. 13. c. 4. & l. 19. c. 8.

24. Εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον] De voce κάμηλος dictum eſt ſupra 3. 4. Et interpretatur quidem ipſe Beza *funem anchoratium*; quamvis addat Caninium ex Talmudiſtis obſervaſſe proverbialem eſſe locutionem, & *Cameli* nomine animal intelligi. Quam ſermonis abſurditatem ait facere ad emphaſin. Nos inter κάμηλον per η & κάμιλον per ι ſupra diſtinguimus.

JAC. CAPPELLUS.

4. *ANnon legiſtis quod qui fecit* homines *ab initio*, *marem* unum *& feminam* unam *fecit eos?*] Gen. 1. 27. Quod addimus voces *unum* & *unam*, id facimus ut eo pateat evidentius vis argumenti quo Chriſtus poſt Malachiam c. 2. utitur ad confirmationem ſententiæ ſuæ.

5. *Et dixit*, Gen. 2. 24. *Propterea vir*, quiſquis uxorem ducet, *relinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carnem unam*] Quantumvis tam in belluino quam in humano genere marem feminæ copularit Deus ad ſpeciei cujuſque propagationem, tamen tria notari monet Chriſtus in humano genere quæ non notantur in belluino, 1. quod in humano genere creavit Deus non mares & feminas, ſed *marem* unum *& feminam* unam. 2. quod quamvis arctiſſimum ſit & irruptum vinculum inter patrem & filium, tamen vinculum iſtud conjugali cedit ut arctiori. 3. quod vir & uxor dicuntur ita connecti ut *ſint una caro*, eoque non committendum ut homo, quiſquis tandem ille ſit, eſſe duo jubeat ea quæ Deus pronunciat unum eſſe, & unum eſſe juſſit.

8. *Propter duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere veſtras uxores*] Permiſit id ſane Moſes, ſed permiſſu Dei. Permiſit autem id Deus in foro politico, non in foro conſcientiæ, non abuſum hunc probans; ſed huic abuſui frænum injiciens, ut notavimus in Deut. 24. 1. Itaque perperam Ptolemæus apud Epiphanium hæreſi XXXIII. colligit ex hoc loco, & ex Matth. 15. 2, 3. tres eſſe legum in Pentateucho ſpecies, 1. quaſdam à Deo datas, 2. quaſdam à Moſe, 3. quaſdam à Presbyteris. Certe Presbyterorum traditiones, quas damnat Chriſtus Matth. 15. 3. eas non dicit eſſe in Pentateucho Moſis. Quod autem hic dicit à Moſe permiſſum, id non dicit permiſſum injuſſu Dei. Quin potius, ut ibidem recte docet Epiphanius §. 9. cum id ſcripſerit Moſes, Θεσπίσας ſcripſit. Eſt certe Pentateuchus prima pars τῆς γραφῆς. Πᾶσα γὰρ γραφὴ θεόπνευστος, 2 Tim. 3. 16. Unum igitur auctorem habet Pentateuchus, non tres; ſed in hoc uno volumine quædam ſunt ceremoniales leges, quædam politicæ, quædam morales. Et morales quidem æternæ ſunt; politicæ vero ſunt ad captum illius temporis accommodatæ, ſed ita tamen ut nihil jubeant unquam, adeoque ne permittant quidem, niſi ut ſaltem aliquod frænum injiciatur huic iniquitati. Ita quæ ſubjungit ibidem Ptolemæus §. 5. ſunt impuriora multo. Vide quæ notamus in Matth. 5. 38, 39.

12. *Et ſunt eunuchi quidam qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum*] Hic ſe juſtum exſeruit Dei judicium adv. Orig. & Valeſios, qui cum allegoriarum licentiæ nimium indulſiſſent, hunc locum, qui vel maxime allegoricus eſt, allegorice noluerunt intelligere. Et Valeſii quidem diſcipulos ſuos caſtrabant etiam invitos. Origenes autem ſemetipſum caſtraſſe dicitur. Obiter hic emendare locum juvat cui medicinam non fecit Petavius. Epiphanius hæreſi LVIII. de Valeſiis loquens, Εἰ δὲ αὐτὸς, inquit, ἰδίαις χερσὶν ἑαυτὸν εὐνουχίζει, ἀνθρωπός ἐστι. Petavius interpretatur *homo utique eſt.* Quorſum id? Omnino legendum, ἀνηνθρωπός ἐστι, *Inhumanus eſt.* Addit enim Epiphanius, ἡ αἱ χεῖρες αὐτοῦ τὸ ἀνήμερον τῶν θηρίων· quibus Origenem carpit.

28. *Amen dico vobis, vos qui me ſecuti eſtis*] Non eſt neceſſe reſtringere voces has ad Apoſtolos. Poteſt enim eſſe generalior Chriſti reſponſio quam Petri petitio. Poſſunt fideles omnes hoc elogio ſynecdochice comprehendi. ¶ *In regeneratione*] h. e. in reſurrectione corporum, quæ certe παλιγγενεσία eſt inſtar: quanquam etiam Eccleſiæ Chriſtianæ conſtitutio fuit παλιγγενεσίας inſtar. ¶ *Cum ſederit Filius hominis in throno ſuæ gloriæ*] Thronum hunc inſidere cœpit continuo poſt aſcenſionem; gloriæ tamen ejus pleniſſima manifeſtatio referri ſolet ad ultimi judicii diem. ¶ *Sedebitis etiam vos ſuper duodecim thronos judicantes duodecim tribus Iſraelis*] h. e. incredulos, utut oriundos à Jacobo ſecundum carnem. Synecdochice vero comprehenduntur hoc vocabulo rebelles omnes ac increduli cujuſcunque tandem nationis ſint. Hi vero cum ſuo Principe fidelium omnium pedibus ſubjiciendi ſunt, Rom. 16. 20. Quamobrem fideli cuivis tribuitur poteſtas in gentes Apoc. 2. 26. Conſeſſus in throno Chriſti, Apoc. 3. 21. judiciaria in totum mundum & angelos ipſos poteſtas 1 Cor. 6. 2, 3.

LUD. CAPPELLUS.

17. Βιβλίον ἀποστασίου] Hebraice dicitur ספר כריתות. Verum ἀποστάσιον non reſpondet ſignificationi vocis כריתות, nam iſtud eſt à כרת *exſcindere*, at ἀφίστημι, unde ἀποστάσιον, non eſt *exſcindere*, quamvis in exciſione ſit quædam partium ἀποστασις *diſceſſio* ſeu ſeparatio. Sed ἀποστάσιον reſpondet voci שטרי. nam שטר in Cal eſt *abſcedere*, *diſcedere*, in Pihel autem *amandare*, *dimittere*. Rabbinis autem libellus repudii dicitur גט פטורין & גט שלוחים: atque his duabus appellationibus Rabbinicis reſpondet proprie βιβλίον ἀποστασίου.

29. Ἑκατονταπλασίονα λήψεται] Simile quid habet Targum, Cant. 8. 7. *Si*, inquit, *dederit quiſpiam omnes opes domus ſuæ ut comparet ſibi ſapientiam in captivitate, ego reddam illi duplum in ſeculo futuro.*

GROTIUS.

1. Ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, *cum conſummaſſet Jeſus ſermones iſtos*] Dogmata ſibi à Patre mandata Chriſtus in Galilææ finibus primum publicavit. Quæ ſequuntur omnia aut ad eorum explicationem aut ad obſignationem pertinent. ¶ μετῆρεν, *migravit*] Sic vertitur ידד Pſalmo LXXIX, 9. ¶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. *trans Jordanem*] Nimirum apud Ænon & Salim, Johannis x, 40. Vide quæ ad Marcum x, 1.

3. πειράζοντες, *tentantes*] Ut ex juris controverſi definitione inimicitias ipſi conciliarent, & obtrectandi invenirent materiam tum apud eruditos, tum apud plebem aut hujus aut illius ſexus, quo conſilio ſæpius eum adierunt, ut infra XXII, 16 & 36. ¶ Εἰ, *Si*] Id eſt, *An*: locutione non Græcorum, ſed Hebræorum, qui ſic uſurpant אם. ¶ ἔξεστιν, *licet*] *Fas eſt*, ut ſupra XII, 2, 10. XIV, 4. ¶ ἀνθρώπῳ, *homini*] Eſt

Eſt τινί [*alicui*], ut modo diximus. ¶ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν; *quacunque ex cauſa*] Ut affirmabat Hillelis Schola, ſimili errore, ac ſi dicam, In Judicis arbitrio eſt poſitum aut condemnare aut abſolvere; ergo utrumvis faciat non peccabit. Vide quæ ad caput quintum diximus. Joſephus dixit, καθ' ἑκάστην αἰτίαν [*ex quavis cauſa*], idem hoc argumentum tractans.

4. Οὐκ ἀνέγνωτε, ὅτι ὁ ποιήσας ἄνθρωπον ἀπ' ἀρχῆς, *Non legiſtis quia qui fecit hominem ab initio*] ראשית מ [*ab initio*], ut Geneſ. I. aut שנה, ut Eccleſiaſtæ III, 11. ubi in Græco ὃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἐξ ἀρχῆς [*quod operatus eſt Deus ab initio*]. Cicero pro eo dicit *à primo*. Non urget voculam זכר [*ſeduatem*], ut faciebat Sameas, quia revera Moſes non agebat περὶ τῆ πορνείας [*de ſtupro*], ut quæ morte erat punienda, ac ne de ſuſpicione quidem probabili ejus criminis, quia, ut ſupra diximus, illud *ſi gratioſa non ſit apud eum*, latius patet. Sed à Lege Civili, quæ ſolet ſe nonnihil aptare populi moribus, nos retrahit πρὸς τὸ θέλημα Θεοῦ τὸ προηγούμενον [*ad Dei voluntatem antecedentem*], ad id nimirum quod primo ac per ſe Deo placet, & quo omnis de officiis diſputatio referenda eſt. Vis autem argumenti tota poſita eſt non in verbis ἄρσεν καὶ θῆλυ [*mas & femina*], neque in eo quod dictum eſt δύο [*duo*], ſed in voce προσκολληθήσεται [*adhærebit*] & in eo quod ſequitur εἰς σάρκα μίαν [*in carnem unam*], quod oſtendit ſequens illatum ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία [*Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*]. Cætera vero addita ſunt ad contexendam orationem. Eſt autem ἐμφαλικὸν [*ſignificanter dictum*] quod hic dicitur ἀπ' ἀρχῆς [*ab initio*], id eſt, cum Deus ad ipſam æqui bonique naturam, non ad depravata hominum ingenia, inſtituta ſua accommodaret, cum locum nondum haberet illud,

Mores leges perduxerunt in poteſtatem ſuam.

¶ ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς· *maſculum & feminam fecit eos*] Nempe primo Adamum, deinde ex ipſo Adami corpore Evam, quod ut ſatis notum reticet Chriſtus. Huc enim ſpectat quod ſequitur ἕνεκεν τούτου [*propter hoc*].

5. Καὶ εἶπεν, *Et dixit*] Deus ipſe per Prophetam ſuum Moſem: ei enim potius adſcribenda ſunt hæc verba quam Adamo. Teſtimonium autem hoc tranſtulit Matthæi Interpres ex Lxx. ¶ προσκολληθήσεται, *adhærebit*] *Agglutinabitur*, individuo ſcilicet vitæ conſortio; quod oſtendunt præcedentia καταλείψει ἄνθρωπος καὶ τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα [*dimittet patrem & matrem*]. Quibus cum convenit Antipatri Philoſophi illud, *ἑαυτῶν τὴν γένεσιν παρέχοιντο ἑκόντες τοῖς πεῦσι τὴν ἀρχὴν τῆς διοικήσεως ἐπιτιθέμενοι τῷ μὲν τῷ ἀνδρὶ, τὴν ἧς τῇ γυναικὶ* [*ipſis parentibus libenter id concedentibus ut præcipuum amorem exhibeant femina marito, ut vir uxori*]. Magna eſt conjunctio inter parentes & liberos, cum liberi quaſi pars ſint parentum: Attamen major ex inſtituto Divino inter conjuges, non ſine myſtica ſignificatione, ut nos Paulus docet Epheſ. V, 32. Ita Pharaonis filiæ dicitur, *Obliviſcere populi tui & domus patris tui*, Pſalm. XLV, 11. Ariſtoteles, Κοινωνία μὲν φύσει τῷ θήλει καὶ τῷ ἄρρενι μάλιστά ἐστιν [*Per naturam maxima ſocietas eſt inter marem & feminam*]. Menander,

Οὐκοῦν ἅπαξ ἰδεῖν ἐστιν, ὦ Λάχης,
Ἐὰν σκοπῇ τις, ἧς ἀνὴρ τε καὶ γυνή.
[*Nil adeo, ſi rem ſpectes ut oportet, Laches,*
Conjunctum eſt quàm ſunt vir & materfamilias.]

Hierocles libro de Nuptiis, πρώτη καὶ συγγενικωτάτη τῶν κοινωνιῶν ἡ ἐξ ἀρχῆς γάμου [*prima & exordialis ſocietas eſt quæ fit per nuptias*]. ¶ καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν· *& erunt duo in carne una*] Cum בשר [*caro*] Hebræis ſæpiſſime *hominem* ſignificet, & vox σαρκὸς eodem ſenſu uſurpetur ab Helleniſtis, ut infra XXIV, 22. Lucæ III, 6. Actorum II, 17. Romanorum III, 20. I Corinth. I, 29. videtur mihi ſimpliciſſima eſſe ea interpretatio quam ab Hebræis, ut creditur, acceptam expreſſit Plato, ὥστε δύο ὄντας ἕνα γενέσθαι [*ita ut duo cum ſint unum fiant*]· & vetus proverbium ait eſſe Ariſtoteles de amicis, μία ψυχὴ [*una anima*]. Nam illud εἰς [*in*] more Hebræo hic πλεονάζει [*abundat*], ut apparet I Corinthiorum VI, 16. Epheſior. V, 28, 29, 30, 31. Simile loquendi genus Deuteronomii XXVIII, 13, 44. Pſalmo LXIX, 12. LXXII, 19. XCIV, 22. II Samuelis VII, 14. qui locus citatur Hebræorum I, 5. Nulla autem arctior amicitia quam mariti & uxoris, quæ communionem requirit affectuum, corporis, prolis, vitæ denique totius: quam rem eſſe vere ſacram, id eſt, non humanitus ſed Divinitus repertam, magno conſenſu gentes crediderunt. Eadem locutio uſurpatur à Paulo ubi de ſcorto agit: ſed nimirum qui ſcorto ſe miſcet ea utitur pro uxore. In eum quem jam diximus ſenſum explicatur hic ipſe locus in Conſtitucionibus quæ dicuntur Clementis lib. VII, cap. 3. Ἐκεῖνος γάρ, φησιν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν· ἓν γάρ εἰσιν ἀνὴρ καὶ γυνὴ τῇ φύσει, τῇ συμπνοίᾳ, τῇ ἑνώσει, τῇ ἀληθείᾳ, τῷ βίῳ, τῷ τρόπῳ· κεχωρισμένοι δὲ εἰσὶ τῷ σχήματι καὶ τῷ ἀριθμῷ [*Erunt enim, inquit, duo in carnem unam; unum ſunt vir & uxor natura, conſenſu, concordia, propoſito, vita, moribus: diſtincti figura & numero*].

6. Ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*] Videmus hic duo non pluribus opponi, ſed uni. Ante fœdus matrimonii duo erant; poſtea pro uno cenſentur legis interpretatione. ¶ ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξε, *quod ergo Deus conjunxit*] Errant qui hoc ad cauſas & occaſiones conjugiorum contrahendorum referunt. Non enim de iſtis agitur, ſed de ipſa matrimonii natura, cui Deus auctor ineſſe voluit jus amicitiæ arctiſſimum. Si igitur ſine gravi culpa ἐξ οὐδεμιᾶς αἰτίας [*ex quavis cauſa*] amicitiæ cæteræ diſſui non poſſunt, quanto minus illa quæ tot pignorum vinculo continetur, unde pendet honeſta tum propagatio tum educatio nobiliſſimi animantis creati ad Divinam imaginem? ¶ ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω. *homo non ſeparet*] Quod facit qui aut innocentem uxorem extrudit, aut etiam tolerare recuſat ea quæ ſunt tolerabilia. Vide I Petri III, 7.

7. ἐνετείλατο, *mandavit*] Non male ex lege formam negotio præſcribente permiſſionem inferunt. Qui repudianti uxorem præcipit ut libellum det divortii, divortium aliquatenus permittit. Sed non quicquid permittitur, legibus præſertim Civilibus, fas piumque eſt, ut Chriſtus oſtendet. ¶ ἀπολῦσαι, *dimittere*] De hujus vocis ſignificatu diximus ad caput V.

8. Ὅτι Μωσῆς, *Quoniam Moſes*] Deo auctore, ut ſupra diximus. Sed Moſem nominat ut Legis non communis primævæ atque perpetuæ, ſed Judaicæ pro ratione temporum datæ promulgatorem. ¶ πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν, *ad duritiam cordis*] Id eſt, ἀπιστίαν [*incredulitatem*]. Ita alibi junguntur ἀπιστία καὶ σκληροκαρδία [*incredulitas & cordis duritia*], Marci XVI, 14. Quia ergo obduruerant adverſus æquitatem à natura Deoque præſcriptam, ideo Deus jura ſcripſit non tanquam optimæ reipublicæ ſed tanquam fœci Iſraelis. Eſt autem hæc velut propria nota illius populi, Exodi XXXIII, 3. XXXIV, 9. Deuter. IX, 6. XXXI, 27. Eſaiæ XLVIII, 4. Ezech. II, 4. III, 7. Actor. VII, 51. πρὸς hic reſpondet Hebræo ל, quod valet *propter*. ¶ ἐπέτρεψεν ὑμῖν, *permiſit vobis*] Ἐπιτρέπειν ſæpe apud Græcos Scriptores eſt *rem arbitrio alicujus committere*: quæ vera eſt hujus loci ſententia, ut alibi oſtenſum eſt. Latine quoque *permittendi* vox ita uſurpatur: eſtque hæc ſignificatio inter permiſſionem juris nudique facti media. ¶ οὐ γέγονεν οὕτως. *non fuit ſic*] Puto recte verti *non ita factitatum eſt*, ut ad auctoritatem Dominicæ inſtitutionis, de qua actum eſt antea, accedat ævi melioris conſuetudo. Nemo enim laudatorum virorum uxorem ſuam dimiſiſſe legitur, ne tum quidem cum probabiles eſſe viderentur divortii cauſæ: quam in rem Abrahami exemplum illuſtre eſt.

9. μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *niſi ob fornicationem*] Ita vetus editio Complutenſis. Atque ita legit Syrus, id eſt, *cum non ſit adultera*. Quod favet Origeni dicenti πορνείας [*fornicationis*] mentionem non fieri in vim ſtrictæ exceptionis, ſed exempli gratia, nimirum ut graviores mores à levioribus diſcernantur. Seneca dixit *condemnanda eſſe vitia, non portenta*. ¶ καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται· *& aliam duxerit, mœchatur*] Id eſt, ποιεῖ μοιχᾶσθαι [*facit mœchari*] illam priorem à ſe dimiſſam. Ita hæc verba exponi debere apparet ex collatione loci qui ſupra eſt V, 32. *Facere* recte dicitur qui facto cauſam præbet. Et mos eſt Helleniſtarum verba formæ Hiphil per activa exprimere, ut Romanorum VIII, 26. Galat. IV, 6.

10. αἰτία, *cauſa*] *Conditio*, מצה. Plane enim aſſentior viro doctiſſimo ex Jure Romano hanc vocem interpretanti. Theophilo dicitur actor plus petere τῇ αἰτίᾳ [*cauſa*] qui κακίονα μὲν ἑαυτῷ, χείρονα δὲ τὴν κρίσιν ποιεῖ ἢ ἐσομένην [*potiorem ſuam, deteriorem autem facit cauſam rei*]. *Plurimum intereſt*, inquit Pomponius, *utrum quis de alterius cauſa ac facto neſciret an de jure ſuo ignoraret*. Sic *non corpus tantum ſed & cauſam rei reſtituendam* ajunt Juriſconſulti, L. *Præterea*. D. De Rei vind. & L. *Cum fundus*, De Reb. Cred. ſi cert. pet. id eſt, omnem ejus qualitatem. Martialis,

Quid Nomentani cauſam mihi perdis agelli,
Propter vicinum qui pretioſus erat?

Scriptores pleroſque Chriſtianos veteres, atque inter eos Matthæi Interpretem, Marcum & Lucam, Juris locutionum fuiſſe non ignaros plurimis indiciis patet. *Si*, inquiunt Apoſtoli, *ea eſt mariti conditio*, ſcilicet ut uxorem pro animi ſui arbitrio

dimittere ei fas non ſit, ſatius eſſet abſtinere à nuptiis quam ſe induere in malum inextricabile. Incommoda mulierum ingenia multos à matrimonio deterrent. Sapiens Hebræus Eccl. xxv, 23. Συνοικήσαι λέοντι ἢ δράκοντι ἀδίκῳ ἢ συνοικῆσαι μετὰ γυναικὸς πονηρᾶς [*Commorari leoni & draconi malim quam mala mulieri*]. Alexis,

Ἐπὰν γήμῃς, ἂν σοὶ ταῦτ' κύριον
Ἐξεῖναι εἶναι· τὰς γὰρ ἀβίους μείους
Ἐφημερεύειν ἢ βίον πεπαῦσθαι.

[*At poſtquam uxorem duxis, domino nec tui*
Tibi licebit eſſe, ſed quotidie
Tibi exigenda vita in ſuppliciis erit.]

Huic malo remedium optimum videbatur repudii libertas:

Ὡς ἦ κακὴν μὲν ἐξεβαλόμην δομάτων,
Τὴν δ' ἔσω ἐσθλὴν ἡδέως ἐσώζετο,

[*Ut ſi mala eſſet, limine exigeret ſuo;*
Bonam libenter uſque retineret ſibi,]

ut Euripides inquit. Et Antiphon inter ea quibus matrimonium diſſuadet affert & hoc, Εἰ γὰρ τύχοι μὴ ἁρμοδία γυνὴ λάβοιμι, χαλεπαί, ἐπωμαί, χαλεπὸν ἦ κακὸν κτῆμα τοῦτο [*Nam ſi apparet non ſatis conveniens, difficilia repudia; difficile non malum habere ſecum id malo*].

11. Οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον, *Non omnes capiunt verbum illud*] *Non omnes ſufficiunt huic rei*, utrecte interpretatur Syrus. Sic & Origenes, Ἀλλὰ καὶ ἄγαμον γυναῖκα ἐπιτρέψαι ἡμῖν ὁ Θεός, ὡς ἂν πάντων χωρούντων τὸ ἄμεινον· τοῦτο δὲ πάντα καθαρὰ [*Sed & ducere uxorem permiſit nobis Deus, nempe quia non omnes apti ſunt ad id quod eximium eſt, id eſt, ſumme purum*]. Ita χωρεῖν [*capere*] uſurpavit Poëta non inelegans, quem vulgo Phocylidem non recte vocant,

Οὐ χωρεῖ μεγάλων διδαχὴν ἀδίδακτος ἀκούειν·
Οὐ γὰρ δὴ νοεῖ οἱ μηδεπὶ ἐσθλὰ μαθόντες.

[*Qui rudis eſt, non quit documenta capeßere magna:*
Qui bona non didicit res non intelligit iſtas.]

Et Plutarchus Vita Catonis Uticenſis ſic orantes facit Romanos qui circa ipſum erant, Εἰ Κάτωνες οὐκ εἰσὶν ἀλλὰ τῷ Κάτωνος φρονήματι χωροῦσιν, οἰκτείρων τὴν ἀσθένειαν αὐτῶν [*Si ipſi Catones non eſſent, nec Catonis haberent ſpiritus, dandam ſua imbecillitati ex commiſeratione veniam*]. Senſus eſt, Multos eſſe imbecilliores quam ut pares ſint ſublimi propoſito. Cyprianus de Virginibus quibuſdam, *Si perſeverare*, inquit, *nolunt vel non poſſunt.* Lactantius hæc Chriſti verba ita explicat, *Si quis hoc*, inquit, *facere poterit, habebis eximiam incomparabilemque mercedem. Quod continentia genus, quaſi faſtigium eſt omnium-que conſummatio virtutum.* ¶ ἀλλ' οἷς δέδοται. *ſed quibus datum eſt*] Dari à Deo hoc dicit Chriſtus; attamen non ſine hominum niſu ac contentione, ut ex ſequentibus apparet. Clemens Romanus in epiſtola ad Corinthios, Ὁ ἁγνὸς τῇ σαρκὶ, μὴ ἀλαζονευέσθω, γινώσκων ὅτι ἕτερός ἐστιν ὁ ἐπιχορηγῶν αὐτῷ τὴν ἐγκράτειαν [*Qui purus eſt carne ſe jactet, ſciens alium eſſe qui ei ſuppeditet vim continentiæ*]. Quod, ut alia quædam, tranſcripſiſſe mihi videtur Tertullianus libro De virginibus velandis, *Et ſi à Deo confertur continentiæ virtus, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Clemens Alexandrinus, Εὐτυχίαν μὲν καὶ οἷς τοῦτο δεδώρηται ὑπὸ Θεοῦ μακαρίζομεν [*Felicem prædicamus caſtimoniam quaſi ſpadonum, & eos quibus id datum eſt*].

12. Εἰσὶ γὰρ εὐνοῦχοι, *Sunt enim eunuchi*] Hæc adduntur implendæ comparationis gratia. Sicut autem Græcis nomen εὐνοῦχων ita Latinis *ſpadonum* generalis appellatio eſt teſte Ulpiano: quanquam eſt & ubi *ſpadones caſtratis* opponuntur. ¶ οἵτινες εὐνουχώθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων· *eunuchi qui facti ſunt ab hominibus*] Talis qui eſt סריס dicitur in Aruch, εὐνοῦχος ἐξ ἁρπαγῆς [*eunuchus per injuriam*] in Canonibus. ¶ εὐνούχισαν ἑαυτούς, *qui ſeipſos caſtraverunt*] Animi deſtinatione, μὴ ζητοῦντες γυναῖκα [*non quærentes uxorem*], ut Paulus loquitur 1 Corinth. VII, 27. Sed ad propoſitum accedere debet cuſtodia ſui ſollicita, preces, jejunia, & quicquid præterea eſt quo poteſt τὸ σῶμα δουλαγωγεῖσθαι [*corpus ſubjugari*]. Nam & ἡμετέρας ἀπαιτεῖ δεῖ κατόρθωμα [*noſtra opera virtus iſta eget*], ut hac de re agens ad caput VII prioris ad Corinthios loquitur Chryſoſtomus: quod idem latius exſequitur De Virginitate capite XXVII. Oſtendit hæc comparatio ea ſola à Deo coronari quæ libere fiunt. ¶ Διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. *propter Regnum cœlorum*] Διὰ ἀγάπην πρὸς τὸν Θεὸν [*propter amorem in Deum*], ut Clementis interpretatur Strom. III. id eſt, ut melius poſſint μεριμνᾶν τὰ τοῦ Κυρίου, ἵνα ὦσιν ἅγιοι καὶ σώματι καὶ πνεύματι [*curare quæ ſunt Domini, ut ſint ſancti corpore & ſpiritu*], ut Paulus loquitur 1 Corinth. VII, 34. ad implenda rectius, liberius atque conſtantius præcepta Chriſtianiſmi: non quod in iis ſit cœlibatus, ſed quod ad ea magno ſit adjumento. Idem ergo eſt διὰ τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*propter Regnum cœlorum*] quod ἕνεκεν διαγγελίου [*propter Euangelium*] Marci X, 29. Quod Origenes primo ad Celſum dixit, Διὰ τοῦτο καθαρώτερον θρησκεύειν τὸ θεῖον μηδὲ τὴν συγκεχωρημένην ὑπὸ τοῦ νόμου ἀπέχεσθαι ἀφροδισίων [*ideo etiam ab ea Venere abſtinere quam lex permittit ut ſic purius liceat Deo ſervire*]. Neque enim ii tantum qui ad verbi miniſterium erant ſegregati, ſed præter eos alii complures utriuſque ſexus & omnis ordinis homines ab initio Chriſtianiſmi amplexi ſunt τούτῳ τῷ ὑψηλοτέρᾳ πολιτείᾳ [*hoc ſublimius vivendi genus*]. Juſtinus Martyr, καὶ πολλοί τινες καὶ πολλαί, ἐξηκοντούτεις καὶ ἑβδομηκοντούτεις, οἳ ἐκ παίδων ἐμαθητεύθησαν τῷ Χριστῷ, ἀφθόρους διαμένουσι· καὶ εὔχομαι ἐγὼ πᾶσι ἀνθρώποις τοῦτο δεῖξαι [*Multi ac multæ qui à prima ætate in Chriſti diſciplinam ſe dedere, ad ætatem ſexaginta & ſeptuaginta annorum puros à Venere ſe ſervant, & polliceor me in omni gente multos tales oſtenſurum*]. Idem alibi, Ἢ τὸν γάμον οὐκ ἐγαμοῦμεν ἢ μὴ ἐπὶ παίδων ἀνατροφῇ, ἢ ἀφθαρτέμβιοι τὸ γήρασ τέλειον ἐγκρατεύόμεθα [*Nos aut ad nuptias non venimus niſi in ſpem prolis bene educandæ, aut evitato matrimonio in perpetua continentia vivimus*]. Tatianus contra Græcos, Τὰς παρ' ἡμῖν παρθένους λοιδορεῖσθε [*Virgines quæ apud nos ſunt irridetis*]. Minutius Felix de Chriſtianis, *Plerique inviolati corporis virginitate fruuntur potius quam gloriantur.* Tertullianus notat ſua ætate virgines Eccleſiarum in quibuſdam locis recludi ſolitas, cum rurſus aliis in locis non recluderentur. Idem De Reſurrectione Chriſti, *Quot ſpadones voluntarii, quot virgines Chriſto maritatæ!* Vide Cyprianum atque alios. Lactantius, *plurimi beatam atque incorruptam corporis virginitatem retinuere.* Merito autem cauſam hanc pietatis adjecit Chriſtus. Nam alioqui idem faciebant *ai σεμναὶ* [*Venerandæ*] apud Indos, Veſtales Romanorum, & Athletæ non pauci, quos Clemens nominat δι' ἄσκησιν σωματικὴν ἐγκρατευομένους καὶ ἀφροδισίων ἀπέχοντας [*exercitationis corporalis cauſa ſervantes eam continentiam ut ab omni abſtineant Venere*]. Euſebius addit apud Chriſtianos obſervatam παρθενίαν καθ' ἑκάστου γράμμα, ἢ δι' ἀνάγκην ὡς παρ' Ἕλλησι [*virginitatem ex voluntario propoſito, non ex neceſſitate ut apud Græcos*]. Chryſoſtomus in VII ad Romanos, Διὰ τοῦτο ἐπὶ μὲν τῶν παλαιῶν, εἴτις τις ἐφάνη παρθενίαν ἀσκῶν, σφόδρα ἐκπληκτον ἦν· νῦν δὲ κατέχει τὸ οἰκούμενον τὸ πρᾶγμα ἁπαντᾷ [*ob id olim ſiquis conſpiceretur à nuptiis abſtinere, res erat miranda; nunc ubique locorum ea laus ſparſa eſt*]. ¶ Ὁ δυνάμενος χωρεῖν χωρείτω. *Qui poteſt capere capiat*] Id eſt, cui tantum animi eſt, macte iſta virtute eſto, pergat Deo favente. Uſurpat hoc dictum & Ignatius, ſed de fide in Chriſtum agens, ὁ χωρῶν χωρείτω· ὁ ἀκούων ἀκούετω [*qui capit capiat, qui audit audiat*] in Epiſtola ad Smyrnenſes.

13. παιδία, *parvuli*] Jam aliquoties diximus vocem hanc etiam de paulo provectiore ætate accipi. Imo & βρέφος vox, quam Lucas uſurpat, eandem ſignificationem recipit, ut liquet II ad Timotheum III, 15. ¶ τὰς χεῖρας ἐπιθῇ αὐτοῖς, καὶ προσεύξηται· *ut manus eis imponeret, & oraret*] Manuum impoſitio apud Judæos indicabat invocationem Divinæ potentiæ, ut alibi diximus. Unde factum eſt ut & munia publica eo ritu conferrentur, etiam Civilia, ut Senatorum. Sed & in Archiſynagogis & Senioribus ſynagogæ idem obſervatum; unde mos τῆς χειροθεσίας [*manuum impoſitionis*] ad Chriſtianos tranſiit: de quo alibi erit agendi locus. Pro pueris etiam eo ritu preces concipi ſolitas manifeſtum eſt ex Geneſeos cap. XLVIII, 14, 15. Exinde Hebræis ſemper obſervatum ut ad eos qui ſanctimonia præſtare cæteris crederentur pueros deferrent, ipſorum precibus Deo commendandos Διὰ τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθέσεως [*per manuum impoſitionem*]· qui mos hodieque apud ipſos manet. Hunc autem morem Chriſtus probans oſtendit iſti etiam ætati prodeſſe aliorum fidem ac preces. ¶ μὴ κωλύετε αὐτὰ ἐλθεῖν πρός με, *nolite eos prohibere ad me venire*] Apoſtoli rem minus dignam Chriſto putabant contingendis pueris occupari. At Chriſtus iſtam quoque ætatem à ſuis beneficiis non rejicit. Imo oſtendit gratum ſibi eſſe ſi pueri, quaſi deſignati ſanctitatis ac per hoc etiam ſalutis, quomodo Tertullianus loquitur, à primis vitæ initiis addicantur Chriſtianæ educationi. Nam certe

—— *A teneris aſſueſcere multum eſt.*

&

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.

Irenæus de Chriſto, *Ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus ſanctificans infantes, in parvulis parvulus ſanctificans hanc ipſam habentes ætatem, ſimul & exemplum illis pietatis effectus & juſtitiæ & ſubjectionis.* Huic Chriſti dicto

dicto inter cætera innititur mos pueros etiam infantes baptiſmo tingendi: Quem Auguſtini temporibus per omnes eccleſias fuiſſe receptum hoc ipſo ſatis conſtat, quod Pelagiani, cum eo argumento ab Auguſtino atque aliis premerentur, negare id ipſum nunquam auſi fuerint. Et ut de Origene nihil dicam, cui quæ adſcribuntur quædam ſunt incerti auctoris, quædam interpolata, epiſtola Cypriani ad Fidum, qua & Auguſtinus & Hieronymus utuntur, apertum facit, an recte baptizarentur infantes ne dubitatum quidem, ſed an poſſint baptizari etiam ante octavum diem quoſdam hæſitaſſe: re autem in Concilio expenſa viſum ne recens quidem natis ſi offerrentur negandum Baptiſmum. In libro antiquo cui titulus Conſtitutiones Clementis legimus, Βαπτίζετε ὑμῶν καὶ τὰ νήπια, καὶ ἐκτρέφετε αὐτὰ ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ Θεοῦ [*Baptizate etiam parvulos veſtros, & eos educate in bona diſciplina & præcepto Dei*]. Quin etiam εὐχαριστίαν [*Euchariſtiam*] præbitam infantibus antiquiſſimis teſtimoniis apparet. Cæterum illa ſententia, Infantes non baptizatos certo ſuppliciis æternis, quamquam levioribus, addici, tam rigide defenſa ab Auguſtino, ne ipſi quidem Auguſtino placuerat antequam cum Pelagio collideretur. Videtur autem mihi antiquitus Baptiſmus infantium multo magis in Africa quam in Aſia aliisve mundi partibus fuiſſe frequentatus, & cum majori quadam neceſſitatis opinione. Nam in Conciliis vetuſtiorem ejus moris mentionem non invenias Concilio Carthaginienſi. Tertullianus de ætate qua baptizandi eſſent qui Chriſtianæ diſciplinæ à parentibus conſecrabantur, nihil definitum fuiſſe ſuis temporibus hoc ipſo docet quod dilationem Baptiſmi tam multis rationibus ſuadet. *Itaque*, inquit, *pro cujuſque perſonæ conditione ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio Baptiſmi utilior eſt: præcipue tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt* (quod hic in quibuſdam codicibus repetitur, *ſi non tam neceſſe*, non video quem commodum ſenſum accipiat) *ſponſores etiam periculo ingeri, qui & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli? Ait quidem Dominus, Nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo dum adoleſcunt, veniant dum diſcunt, dum quo veniant docentur* (legendum puto *dumque veniunt doceantur*). *Fiant Chriſtiani quum Chriſtum noſſe potuerint. quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Senſus eſt, Veniant ad Chriſtum ut inſtituantur, non ut baptizentur, niſi poſtquam vim Baptiſmi intellexerint. Nazianzenus agens de iis qui ſine Baptiſmo decedunt, exemplum ponit in iis quibus Baptiſmus non contigit δι' νηπιότητα [*ob infantiam*]. Atque is ipſe Nazianzenus, Epiſcopi cum eſſet filius, patris ſub cura diutiſſime educatus, baptizatus non fuit niſi cum ex ephebis exiiſſet, ut ipſe in Vita ſua nos docet. Johannes Antiochenus, dictus poſtea *Chryſoſtomus*, parentibus natus Chriſtianis, ut verior habet ſententia, à Meletio Epiſcopo inſtitutus, baptizatus eſt poſt annum primum & viceſimum. Sed imprimis notatu dignus eſt canon Synodi Neocæſarienſis habitæ anno CCCXV, qui ſic habet, περὶ γυναικὸς ὅτι δεῖ φωτίζεσθαι ὁπότε βούλεται· κἂν γὰρ ἐν τούτῳ κοινωνεῖ ἡ τίκτουσα τῷ παιδίῳ, ἀλλὰ τὸ ἰδίαν ἰδίαν ἡ προαίρεσιν τοῦ ὅτε τῇ ὁμολογίᾳ δείκνυσθαι [*de muliere prægnante ut baptizetur ubi volet: nihil enim puerpera hac in re partui communicat. Nam & hujus & illius quæ ſit voluntas oſtendit profeſſio*]. Utcunque enim aliovorſum trahant Interpretes, apparet, ideo de Baptiſmo prægnantium motam quæſtionem, quod videretur cum matre ſimul proles baptizari, quæ tamen baptizari non ſoleret niſi ſuper propria voluntate ac profeſſione. Et ſic in Compendio canonum titulo IV explicat Balſamo, Οὐ δυνάτην φωτισθῆναι διὰ τὸ μηπέπ εἰς φῶς ἐλθεῖν, μηδὲ προαίρεσιν ἴσχειν τῆ ὁμολογίας ἢ θείᾳ βαπτίσματος [*Non poteſt baptizari quia nondum in lucem venit, neque habere voluntatem poteſt profeſſionis faciendæ quæ in ſancto Baptiſmate requiritur*]. & Zonaras, τὸ ἐμβρυον χρείᾳ βαπτίσματος ὅτι παιδιόθεν δυνήσεται [*Fœtus tunc opus habebit Baptiſmate cum eligere poterit agendo*]. Definit autem Synodus Baptiſmum ideo recte procedere quia ad matrem ſolam quæ de ſe profeſſionem ederet, non etiam ad uterum pertineret. Et Græcorum plerique ab omni ævo ad hunc diem morem ſervant differendi parvulorum Baptiſmum donec ipſi fidei ſuæ confeſſionem poſſint edere. Walafredus Strabo De rebus Eccleſiaſticis cap. XXXVI. *Notandum deinde primis temporibus illis ſolummodo Baptiſmi gratiam dari ſolitam qui & corporis & mentis integritate jam ad hoc pervenerant ut ſcire & intelligere poſſent, quid emolumenti in Baptiſmo conſequendum, quid confitendum atque credendum, quid poſtremo renatis in Chriſto eſſet ſervandum.* Cæterum iſta ſicut libertatem, vetuſtatem, & conſuetudinis differentiam indicant, ita nihil afferunt cur repudiandus ſit Baptiſmus infantium, quos parentes aut ſponſores alii Deo per ſanctorum preces conſecrandos offerunt, cum voto piæ educationis: quod præter cætera Baptiſmo non incommode ſignificatur. Neque obſtare debet quod non omnia quæ itidem per Baptiſmum ſignificari ſolent in iſtam ætatem proprie congruant. Nam & pœnitentia, quam ſcimus Baptiſmo deſignari, majorem certe in iis qui, cum vitam diu impuram egiſſent, vitæ totius mutandæ propoſitum teſtabantur quam in aliis locum habebat, in Chriſto vero, quem Johannes baptizavit, nullum, qui, ut Tertullianus loquitur, *nullius pœnitentiæ debitor tinctus eſt*. Scriptor Quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos περὶ βρεφῶν [*de infantibus*] loquens, Ἀξιοῦται ἡ τῶν δι' ἡ βαπτίσματος ἀγαθῶν τῆ πίστει τῶν προσφερόντων αὐτὰ τῷ βαπτίσματι [*Per Baptiſma bonis dignantur per fidem offerentium eos Baptiſmati*]. ¶ τῶν γὰρ τοιούτων, *talium enim*] Eo minus, inquit Chriſtus, ætas iſta quaſi profana ſpernenda eſt, quia & adulti qui ſe in meam dedunt diſciplinam debent quaſi repueraſcere, exutis ſcilicet vitiis quæ major ætas ſupervexit. Supra voluit Chriſtus ſectatores ſuos pueris ſimiles fieri, vacuitate τῆ φιλαρχίας [*ambitus*]. Hic vero magis reſpici videtur obediens puerorum docilitas. Ita enim ait Lucas, Ος ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν ὡ θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν [*Quicunque non acceperit Regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud*]. Solent comparari puerilia ingenia tabulæ raſæ, cui facile quidvis inſcribas.

15. ἐπιθεὶς αὐτοῖς τὰς χεῖρας, *cum impoſuiſſet eis manus*] Ita ut ſimul more Hebræo preces pro iis conciperet. Hoc enim eſt εὐλογεῖν [*benedicere*] Marci X, 16. Habebat quidem Chriſtus poteſtatem dona conferendi etiam ſine precibus, ſed exemplum nobis præbens plerumque preces interponebat. ¶ εἷς προσελθὼν, *unus accedens*] Non νομικὸς [*Legisperitus*] ille Lucæ memoratus X, 25. ſed ἄρχων [*princeps*], id eſt, unus oppidi ſui Senatorum, Lucæ XVIII, 18. cæterum ætate juvenis, infra 20. De hoc ἀρχόντων [*principum*] genere accipiendum puto Johannis illud XII, 42. Ὅμως μέντοι καὶ ἐκ τῶν ἀρχόντων πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν [*Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum*]. Veniſſe autem hunc non calumniandi animo, ut νομικὸν [*Legisperitum*] illum, ſed diſcendi cupidum, ex Marco & Luca apparet. ¶ ζωὴν αἰώνιον; *vitam æternam*] Quam Judæis tenuiter cognitam aperte à Chriſto prædicari audiebat. Vide quæ ad Lucam X, 25. dicentur.

17. Τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός, *Quid me interrogas de bono? unus eſt bonus*] Cum & vetuſtiora & emendatiora exemplaria hanc lectionem præferant, quam ſecutus eſt non vetus tantum quo nunc utimur Latinus Interpres, ſed & illi codices quibus uſi ſunt Auguſtinus, Hieronymus, atque alii, multo eſt credibilius lectionem alteram ex Marco & Luca huc traductam, quod ſæpe accidit, quam iſtam aliunde irrepſiſſe. Antiquitas tamen diverſæ lectionis vel inde apparet, quod apud Origenem (niſi tamen & ibi aliquid aſſutum ſuſpicari libet) utriuſque fit mentio; & Syrus ita hic habet ut in Marco & Luca eſt. Senſus eodem recidit. Juvenis iſte, quamvis in Jeſu majus homine nihil agnoſceret, ſperabat tamen eo monſtrante ſe perventurum ad poſſeſſionem ejus boni quo vita æterna paratur, quaſi ad eam rem monſtratore tantum egeret, cætera per ſe conſecturus: ſicut Philoſophi de quibus epiſtola LII agit Auguſtinus, qui beatam vitam ipſi ſibi fabricare voluerunt, potiuſque patrandam quam impetrandam putaverunt, cum ejus dator non ſit niſi Deus. Hoc animo & Jeſum *bonum Magiſtrum* vocabat, id eſt, boni monſtratorem, & de *bono* ab ipſo volebat edoceri. At Jeſus occurrens huic errori, ſimulque modeſtiæ nobis præbens exemplum, ait non eſſe multos boni fontes, ſed unicum, Deum ſcilicet; hoc ipſo indicans, non ſatis eſſe bonum nobis monſtrari, niſi Deus mentem illuſtrans vires nobis ſuggerat: quo pertinet quod infra ſequitur, παρὰ τῷ Θεῷ πάντα δυνατὰ ἐστι [*apud Deum omnia poſſibilia ſunt*]. Viderunt hoc etiam in Gentibus nonnulli, ſed ad quos, ut arbitror, aliqua Barbaricæ Philoſophiæ ſcintilla perfluerat. Plato Menone, Εἰ ἢ νῦν ἡμεῖς πάντα τὸν λόγον τοῦτον καλῶς ἐζητήσαμέν τε καὶ εἰλέγμεθα, δῆτα ἂν εἴη ὅτι φύσει, ὅτι διδακτὸν, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ παραγιγνομένη [*Quod ſi nos in omni hoc ſermone recte rem exquiſivimus & explicavimus, virtus neque natura erit neque diſciplina, ſed Divinitus adveniet*]. Quæ ita eſſe intelligenda ut non excludatur opera Magiſtrorum, neque naturalis ingenii facultas, ſed ut Deus & per hæc & præter hæc operari in nobis credatur virtutem, facunde oſtendit Maximus Tyrius in diatriba Εἰ γίγνοιτό τις θείᾳ μοίρᾳ ἀγαθὸς [*An quis fiat bonus Dei dono*], ubi in eandem ſententiam Homeri utitur teſtimonio,

—— ἐπεὶ οὔτοι
Οὔ τι Θεῶν αἴσυλα γνοίην πεπνυμένος ἔμπης.

[—— *neque enim te credere poſſim*
Abſque Deum ſato genitum vitaque potiri.]

Argumento autem hoc utitur, Ἀνύπαρκτος ἦ ὁν (τὸ θεῖον) καὶ τέλειον καὶ ἱκανόν, καὶ μὴν τὸν τελειότητος τὸ ἀγαθὸν βούλεται, καὶ ἦ τοῦ αὐτάρκειαν ἔχει, καὶ ἦ τὸ ἰσχυὸν δυνατόν· βούλεται δὲ ἦ δὲ καὶ ἔχων καὶ δυνάμενος καὶ τὸ μὴ δῷ; ὁ μὲν γὰρ ἔχων οὐ θέλει, ὁ βούλεται ὁ ἦ βουλόμενος καὶ οὐκ ἔχων, οὐ δυνατός, ὁ ἦ ἔχων καὶ βουλόμενος πῶς οὐ δυνατός; [*Cum Deus ſit & ſibi ſufficiens & perfectus & ſummè potens, ut perfectus velit bona, ut ſufficiens ſibi, habet bona; ut potens efficere poteſt. Cum igitur velit & habeat & poſſit, cur non det? Nam qui habet & non dat, is non vult: qui vult & non habet, non poteſt: qui habet & vult, quomodo non poſſit;*] Atque huc refert etiam adverſa ac pericula quæ Deus hominibus objiciat, ut in iis ſe exercendo boni evadant. Hierocles in Pythagorica Schola eadem didicit, Εἰ γὰρ καὶ ἐφ' ἡμῖν αἵρεσις ἦ καλῶν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ ἐφ' ἡμῖν ῥᾳθυμεῖν ἔχοντες ἦ παρ' ἑαυτῶν σωτηρίας καὶ τελειότητος ἦ αὐθητῶν πάντως τινὸς χρήζομεν· ἔοικε γὰρ τὸ μὲν παρ' ἡμῶν αὐτεξουσίως ἐκπεπορισμένον χρεία πρὸς λῆψιν ἦ καλῶν· τὸ δὲ καὶ θεοῦ σωτηρίαν χορηγίας εἶναι καὶ πηγὴ ἦ δόσεως ἦ ἀγαθῶν [*Etiamſi in nobis eſt bonorum optio, ſed & hanc ipſam volendi libertatem à Deo habemus, ipſius auxilio ut maximè ad perfectionem naturâ ſenſu pradita egemus. Videtur enim noſter labor ſimilis manui extenſa ad bona acceptanda; at id quod à Deo efficitur eſſe exhibitio & fons bonorum datorum*]. Mox, Οὔτε γὰρ μόνον σπουδαστέον δεῖ τὸ καλὸν εἰς ἐφ' ἑαυτοῖς ὄντας κατορθώσεως καὶ χρείας θεοῦ· βοηθείας χρήζομεν πρὸς ἀποφυγὴν μὲν ἦ κακῶν, ἀνάκτησιν δὲ ἦ ἀγαθῶν [*Neque enim tantum ſtudendum eſt rebus bonis, tanquam in nobis eſſet recte agere etiam ſine Deo. Auxilio egemus ad fugam malorum, nec minus ad bonorum acquiſitionem*]. Seneca: *Nulla ſine Deo mens bona eſt.* Porphyrius quoque ſcripſit non poſſe homines τελειοῦσθαι [*perfici*] niſi διὰ ἦ νῦν ἦ πατρικῆς [*per Mentem paternam*]. Judæos ſaniores idem ſenſiſſe vel Philo nos doceat, Δεῖ ἦ ὑπὲρ ἀρετῆς πόνου μὴ ἑαυτῇ προσάγειν τὴν ψυχὴν, ἀλλ' ἀφιλῶν ἀφ' ἑαυτῆς, καὶ θεῷ ἀντιτεῖνον, ὁμολογοῦσαν ὅτι οὐχ ἡ ἰσχὺς αὐτῆς ἀδὲ ἡ δύναμις ἐξεπόρισε τὸ καλὸν, ἀλλὰ καὶ ὁ ἦ ἔρωτα χαρισάμενος [*Debet animi laborem ad bonum non ſibi addicere, ſed à ſemet abdicare & Deo offerre, agnoſcendo quod non ſua vis ac facultas bonum ei peperit, ſed is maximè qui ejus amorem indidit*]. Idem alibi Deum ex Moſis perſona ita alloquitur, Διὸ δέομαι καὶ παρίεμαι προσάσθαι τὴν ἱκεσίαν ἀνδρὸς ἱκέτου καὶ φιλοθέου καὶ μόνον θεραπεύειν ἀξιοῦντος· ὡς γὰρ τὸ φῶς ὑφ' ἑτέρου μὴ γνωριζόμενον αὐτὸ ἑαυτῷ γνώρισμά ἐστιν, ὕτω καὶ σὺ σεαυτὸν μόνος ἂν φήνειας δυνάμενος [*Propterea oro ac precor accipias preces hominis ſupplices Deum amantis eique ſoli ſervire volentis. Sicut enim lux ſine alterius indicio index eſt ſui, ita & tu ſolus es qui temet poſſis oſtendere*]. Et Allegoriarum ſecundo, Καὶ γὰρ δίκαιον ἦ τὰ ψυχῆς κινήματα ὅσα πρώτα ἢ τάξει ἢ δυνάμει θεῷ ὁμολογεῖν [*Rectum enim eſt animi motuum eos qui primi ſunt ordine aut poteſtate Deo adſcribi*]. Quo magis miror eſſe qui Scriptores Chriſtianos primæ illius atque ſanctiſſimæ vetuſtatis paſſim traducunt, quaſi ab illis τὸ αὐτεξούσιον [*libertas voluntatis humanæ*] extollatur in Divinæ gratiæ injuriam. Longe aliter animatos fuiſſe viros ſanctiſſimos, quorum partim doctrina partim & ſanguine ſtabilita eſt res Chriſtiana, quanquam à viris doctiſſimis nuper abunde demonſtratum eſt, non poſſum non hic etiam appoſitis teſtimoniis, ut mihi quidem videntur, apertiſſimis conſpicuum lectoribus facere. Juſtinus Martyr, Οἴεσθε ἂν ἡμᾶς ποτε, ὦ ἄνδρες, τοσαυτάκις δυνηθῆναι ἂν ἦ γραφῆς ταύτης, εἰ μὴ θελήματι ἦ θελήσαντος αὐτὰ ἐλαβόμεν χάριν ἦ νοεῖν; [*Putatisne vos, ô viri, potuiſſe nos hæc in Scripturis intelligere niſi donum intelligendi accepiſſemus ex voluntate ejus qui ſic voluit?*] Clemens Alexandrinus Strom. v. Οὐ χάριτος ἄνευ τὸ ἐξαίρετα περιττοί τι καὶ αἰσθητικὸν καὶ ἄνω ἦ ὑπερκυμβίων αἴρει ἡ ψυχὴ, πᾶν τὸ βεβαρὸν ὑποπεσοῦσα καὶ ὑπολιποῦσα τῷ συγχύσει [*Non ſine gratia eximia ſit volucris & excitatur & ſuper ſubjacentia attollitur anima, omne id quod ponderoſum eſt deponens & reddens tali naturæ*]· ubi & locum ex Platone adducit quem citavimus. Origenes adverſus Celſum libro VI. Φησὶ δέ ὁ θεῖος λόγος οὐκ ἀνύπαρκτος εἶναι τὸ λεγόμενον (κἂν τὸ καθ' αὑτὸ ἀληθὲς καὶ πιστότατον ᾖ) πρὸς τὸ καθικνεῖσθαι ἀνθρωπίνης ψυχῆς, εἰ μὴ ἦ δυνάμις τις θεόθεν δοθῇ τῷ λέγοντι, ἦ χάρις ἐπανθοῦσα τοῖς λεγομένοις, ἦ αὐτὸ οὕτως ἀχθεῖ ἐγκειμένη [*Dicit autem ſermo Divinus non ſufficere id quod dicitur (etiamſi per ſe verum ſit & fide dignißimum) ut in animum humanum penetret, niſi & dicenti vis quædam detur Divinitus, & dictis ſuperfloreſcat gratia quædam, quæ & ipſa non ſine Deo contingat*]. Rurſum alibi requirit πρὸς τὸ λογικὸν ἀγαθὸν τὴν συμπνέουσαν θείαν δύναμιν [*præter bonum rationale etiam adſpirantem Dei vim*]. Chryſoſtomus Homil. XLIV. ad Johannem Chriſtum ſic loquentem facit, Οὐ τὸ τυχὸν πρᾶγμά ἐστι τὸ πιστεῦσαι εἰς ἐμὲ, ἀλλὰ τὸ ἄνωθεν ἀποκαλύψεως δεῖ, ἦ ψυχῆς εὐγνωμόνως δεχομένης ἦ ἀποκάλυψιν [*non vulgaris eſt res in me credere, ſed & revelatione ſuperna opus & anima libenter revelationem ſuſcipiente*]. Et Homilia XLV. Εἰ γάρ τις ἔρχεται πρὸς αὐτὸν, φησὶ, τί δεῖ τὴν ἔλξεως, ὁ καὶ αὐτὸ τὸ ἐφ' ἡμῖν ἀναιρῶν, ἀλλὰ μᾶλλον ἐμφαίνων ἡμᾶς βοηθείας δεομένους [*Si quis ad illum venit, dicat aliquis, quid opus tractione? Quod & ipſum libertatem in nobis non tollit, ſed magis opis nos indigos eſſe demonſtrat*]. Cum ergo hic dicit Chriſtus *Unum tantum eſſe bonum*, nempe *Deum*, eo indicat Deum eſſe τὸ αὐτοάγαθον [*ipſum bonum*], fontem veri boni, ἀφ' ἧ πᾶσα δόσις ἀγαθὴ [*unde omne datum bonum*], ut loquitur Jacobus: nimirum ut juvenis non alienus à virtutis ſtudio ſed viribus ſuis plus æquo confidens eo ipſo intelligeret bonum illud non interrogando tantum diſci, ſed & precibus poſci debere. Cæterum εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθὸς [*Unus eſt bonus*], ut antiqui codices habent, rectè Syrus interpretatur addito *Dei* nomine. Nam ut alii notarunt, *Unus*, etiam ſine alio adjectamento, Deus dici ſolebat Hebræis; imo & Aſſyriis. Macrobius, *Deo enim quem ſummum maximumque venerantur Adad nomen dederunt: cujus nominis interpretatio ſignificat Unus.* Philo Byblius, Ἀδὼδ ὁ βασιλεὺς θεῶν [*Adodus Rex deorum*]. Nimirum Aſſyrii dicebant חדד, pro quo Hebræi אחד. Ita illud apud Jobum XIV, 4. אחד לא [*niſi unus*] Chaldæus interpretatur *niſi Deus.* Tertullianus Teſtimonio Animæ recitat ut vulgi dictum, *Deus bonus*, ſed *homo malus.* ¶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν, *ad vitam ingredi*] Nimirum τὴν αἰώνιον [*æternam*], de qua juvenis interrogaverat; quod infra eſt εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ [*intrare in Regnum Dei*]. Cæterum ſicut ſupra diximus ἔρχεσθαι [*venire*] ſumi pro πορεύεσθαι [*vadere*], ita & εἰσέρχεσθαι [*ingredi*] hic non ipſam vitæ æternæ conſecutionem ſed iter eo directum ſignificat; quomodo & εἰσέρχεσθαι διὰ πύλης [*intrare per portam*] ſupra dicitur, VII, 13. Et infra dicuntur Legisperiti οὐκ εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν [*non intrare in Regnum cælorum*], id eſt, viam veram ad Regnum non inſiſtere, neque alios ut id faciant pati. ¶ τήρησον τὰς ἐντολάς. *ſervа mandata*] Proverbiorum VII, 1, 2. ἐντολὰς [*præcepta*] vocavit more Hebræorum præcepta Moſis, Legem factorum ſcilicet, non Legem ſpiritus. Vide Lucæ I, 6. & apud Paulum aliquoties. In his autem ponit Chriſtus non viam totam ſed initium viæ. Hæc enim, ut alibi diximus, erat juſtitia Legisperitorum & Phariſæorum: aliam majorem exigi ad Regnum adipiſcendum Chriſtus docuerat. Sed, ut Paulus dicit de Lege factorum agens, ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν εἰς Χριστὸν [*Lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum*], ita Chriſtus ab eo quod minus eſt incipit. Ita & Baptiſta pœnitentiæ præco perfectiori magiſterio viam ſtraverat.

18. Ποίας; *Quas?*] Ita apud Platonem aliquoties ποῖα pro τίνα. Nec aliter infra XXI, 23. XXII, 36. XXIV, 42, 43. Johannis X, 32. Actorum IV, 7. & alibi paſſim. Apud Lxx etiam aliquoties, ut I Regum IX, 18. Videtur autem ideo hoc quærere juvenis, quia, cum in Lege Moſis plurima ſint mandata, in quorum unum aliquod facile ſit impingere, ſcire expetit ad quæ potiſſimum attendere debeat. Chriſtus autem ad interrogatum reſpondens ea potiſſima eſſe dicit mandata quæ in officiis mutuis non quæ in ritibus conſiſterent.

19. Ἀγαπήσεις ἦ πλησίον ζ ὡς σεαυτόν. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*] Cum mandatum hoc duplicem habeat ſenſum, alterum generalem, qui monſtrat acceptiſſimam eſſe Deo veram atque ſinceram hominum inter ſe dilectionem, quo reſpectu præceptum hoc Paulo dicitur *Legis plenitudo*, & Chriſto *præceptum maximum* ab eo quod eſt de Deo colendo; alterum vero ſtrictiorem, quatenus præceptum illud partem efficiebat Legis factorum, id eſt, ut alibi expoſuimus, Legis Hebraicæ Civilis; poſterior ſenſus huic loco magis convenire videtur, quia de factis interrogaverat juvenis, τί ἀγαθὸν ποιήσω; [*quid boni faciam?*] Quod apertum, ni fallor, facit Marcus, qui iſtis verbis omiſſis ponit Μὴ ἀποστερήσῃς [*Ne fraudem feceris*], quo verbo omnia alia ἀδικήματα [*injuſte facta*] complectitur quæ proprie non veniunt nomine μοιχείας, φόνου, κλοπῆς, ψευδομαρτυρίας [*Adulterii, Homicidii, Furti, Falſi teſtimonii*]. Ita ἀδικεῖν καὶ ἀποστερεῖν [*injuriam facere & fraudem facere*] junxit Paulus I Corinth. VI, 8. & apud Ariſtophanem Pluto poſt interrogationem Μῶν τι κέκλοφας; [*Non furatus es?*] ſequitur altera, ἀλλ' ἠδί μοι γ' ἀπεστέρηκάς γ' οὐδέν; [*nec ullam fraudem feciſti alteri?*] Bene autem Marcus una voce expreſſit quod in Levitico XIX. multis vocibus legitur, Οὐ συκοφαντήσεις τὸν πλησίον, οὐκ ἀδικήσεις τὸν πλησίον, καὶ οὐ μὴ ἁρπάσεις· τὸ περισσὸν δόλῳ ἐν τῇ ἴδιᾳ ζ [*Non facies calumniam proximo tuo, nec facies injuriam proximo, non rapies: non ambulabis doloſe in gente tua*]. Ita Romani delicta omnia quæ proprium non habent nomen *ſtellionatus* aut *doli mali* nomine complectebantur. Æque late patet Hebræum פשע, quod Levitici VI, 2. & alibi per ἀποστερεῖν [*fraudare*] vertunt Græci, optime illam

vocis

vocis Hebrææ generalitatem explicante Davide Kimchi libro Radicum ad locum Levitici XIX, 13. Eodem sensu רעע ponitur Levitici XXV, 14, 17. quod θλίβειν [*tribulare*] vertunt Græci. Spectat igitur hoc loco Christus hanc legem quatenus imperat τὸ καθῆκον [*officia mediocria*], non quatenus monstrat τὸ κατορθωμα [*officia in summo gradu*].

20. Πάντα ταῦτα ἐφυλαξάμην, *Omnia hæc custodivi*] Non falso hoc eum dixisse quod ad exteriorem & Civilem justitiam attinet ex Marco discimus, apud quem Christus narratur post hanc professionem utpote veram favore quodam peculiari juvenem prosecutus. Nimirum est aliquid vivere socialiter. Quod sequitur, ἐκ νεότητός μου [*à juventute mea*] (id est, ex quo cœpit in me usus rationis), nunc quidem hic & apud Syrum legitur, sed antiqui libri Latini non habebant: unde suspicari licet ex Marco aut Luca adjectum. ¶ τί ἔτι ὑστερῶ; *quid adhuc mihi deest?*] *Quid mihi deest* ad insistendum iter vitæ æternæ? Nam ὑστερῶ τινὰ nihil aliud est Græcis quam *hoc mihi deest*. Credidit igitur juvenis iste plus aliquid requiri, sed quid id esset ignorabat.

21. Εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, *Si vis perfectus esse*] Ostendimus supra ad finem cap. V. τέλειον [*perfectum*] dici quemvis vere Christianum. Nimirum vox ista ut aliæ multæ pro diversitate comparationis, diversas habent significationes. Ita quicquid in hac vita est, recte dicitur ἀτελὲς [*imperfectum*] si comparetur ad id quod in vita altera exspectamus. Et inter ipsos Christianos qui plurimum profecerunt τέλειοι [*perfecti*] dicuntur respectu τῶν ἧττον προβεβηκότων [*eorum qui non eousque profecerunt*]. Aristoteles Metaphysicis τέλειον [*perfectum*] esse dicit rem quamque ὅταν κατὰ τὸ εἶδος τὴν οἰκείαν ἀρετὴν μηδὲν ἐλλείπῃ [*ubi ad virtutis quæ ei propria est formam nihil deest*]. Ita videmus optime hoc consequi ad id quod juvenis interrogaverat quid sibi deesset. Apud Marcum Christus respondet, Ἓν σοι ὑστερεῖ [*Unum tibi deest*], id est, *Est adhuc quod tibi desit*: & deinde id dixisse quod hic sequitur. Lucas Ἓν σοι λείπει [*adhuc unum tibi deest*]. Unde liquido apparet τέλειον hic dici eum cui nihil desit quod ad insistendum vitæ æternæ iter sit necessarium: idque ipsum insequens Christi ad Apostolos sermo demonstrat. ¶ Πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὸς πτωχοῖς· καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ· καὶ δεῦρο ἀκολούθει μοι. *Vende quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me*] De perfectione qua Christiani inter se comparantur hic non agi ostendimus. Neque vero ea perfectio in bonorum dilargitione proprie consistit. Imo fieri potest ut quis bona sua dilargiatur & tamen eam quæ Christiano necessaria est dilectionem non habeat, Paulo teste 1 Corinthior. XIII, 3. quod hic Origenes Thebani cujusdam exemplo demonstrat. Sed notandum est, morem hunc Christo fuisse, ut viam salutis intelligere cupientibus non omnia simul per aversionem proponeret, sed optimo consilio ab ipsis exigeret ut se sectarentur, id est, ut se in disciplinam suam traderent, paulatim profecturi in cognitione pietatis. Vide supra VIII, 22. IX, 9. Hoc ergo est quod & ab isto juvene exigitur verbis illis ἀκολούθει μοι [*sequere me*], quibus addunt Marci codices quidam ἆρον τὸν σταυρὸν [*suscipe crucem*], ut intelligeret juvenis istam sectationem non carituram suis incommodis, quæ tamen forti animo essent devorandæ. Sumendam hoc modo vocem ἀκολουθεῖν [*sequendi*] apparet ex verbis Petri infra eam vocem repetentis, 27. Christiani omnes parati esse debent sua amittere, ubi Deus id exigit, ut in temporibus vexatæ Ecclesiæ. Ideo sicut alios rebus enatis, ita hunc verbis explorat Dominus, an in id paratus sit. Sciebat curam servandæ augendæque rei familiaris huic juveni obliturum quominus animo ac corpore se in Christi disciplinam traderet, ideo eum tentat an hoc à se impedimentum removere possit, divenditis elargitisque rebus quæ ipsum à veræ sapientiæ studio avocabant, id est, aut omnibus quæ possidebat, aut certe iis quæ usibus ipsius superarant, quomodo vox ὑπάρχοντα [*quæ possidetis*] sumi videtur & infra Lucæ XII, 33. Narratur Anacreon talenta quinque à Polycrate sibi donata reddidisse, εἰπὼν, οὐ τοσούτου αὐτὸς ἑαυτὸν ἄξιον ποιεῖσθαι [*dicens, non tanti sibi esse ut eorum curam suscipere vellet*]. Narrantur alii in mare pecuniam projecisse, cum dicto, *Pereat, ne me perdat*. Tanti illis videbatur amovere recte sapiendi moras. Et huic quidem fini sufficerent quovis modo se exonerare sarcinis. Sed Christus, ut quod bonum est quam optime fiat, suadet simul dari bona pauperibus; quia ea ratione non tantum se paraturus esset disciplinæ, sed opus editurus Deo gratum atque acceptum, quod θησαυρῷ [*thesauri*] nomine appellari vidimus ad caput VI. In Euangelio κατὰ Ἑβραίους [*secundum Hebræos*] ut alia quædam ita hanc quoque αὐξησιν [*fictio*] erat interpolata in hunc modum, *Dixit ad eum alter divitum, Magister, quid bonum faciens vivam? Dixit ei, Homo, Leges & Prophetas fac. Respondit ad eum, feci. Dixit ei, Vade, vende omnia quæ possides, & divide pauperibus, & veni, sequere me. Cœpit autem dives scalpere caput suum; & non placuit ei. Et dixit ad eum Dominus, Quomodo dicis Legem feci & Prophetas? quum scriptum sit in Lege, Diliges proximum tuum sicut teipsum; & ecce multi fratres tui filii Abrahæ amicti sunt stercore, morientes præ fame, & domus tua plena est bonis multis, & non egreditur omnino aliquid ex ea ad eos. Et conversus dixit Simoni discipulo suo sedenti apud se, Simon fili Joannæ, Facilius est camelum intrare per foramen acus quam divitem in Regnum cælorum.* Nimirum hæc ideo mutavit Ebion, quia Christum nec Dei Filium nec νομοθέτην [*legis conditorem*], sed nudum interpretem Legis per Mosem datæ agnoscebat. Sicut contra Marcion apud Lucam X, 25. delevit vocem αἰώνιον [*æternam*], ne ullam Judæis vitæ æternæ cognitionem ante Christi tempora fuisse fateri cogeretur. ita,

Dum vitant stulti vitia in contraria currunt.

Quæ inter quomodo medium veritas teneat videre est ad caput quintum. Quod si juvenis iste Christi secutus consilium ipsi se formandum tradidisset, didicisset illo Magistro quid esset τὸ τέλειον & νόμου [*perfectio Legis*], didicisset simul non à factis suis sed à Dei misericordia pendere. Hieronymus de hoc juvene: *Qui omnia se fecisse dicebat in primo certamine, divitias vincere non potuit.*

22. ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά. *erat enim habens multas possessiones*] Nimirum

Crescentem sequitur cura pecuniam.

23. δυσκόλως, *difficile*] Quod hic dixit δύσκολον [*difficile*] infra vocatur ἀδύνατον [*impossibile*], 26. Solent nimirum ista promiscue usurpari in rebus istius generis. Sic & Plato: Χαλεπὸν ὄντα διαφερόντως καὶ πλούσιον εἶναι διαφερόντως ἀδύνατον [*Impossibile est ut quis sit eximie dives & eximie bonus*]. Eandem autem sententiam diversis subinde verbis repetens Christus, ut hic & magis etiam apud Marcum apparet, vult id quod dicit nobis esse certissimum, scilicet opes plerumque esse malorum irritamenta, aut certe bonorum impedimenta. Causa est, quia plerumque hi qui divites sunt solent divitiis suis confidere & quasi in illis ponere summam boni, ut Marcus indicat. Adde Psalmum XLIX, 7. & LII, 9. Ideo monentur opulenti à Paulo μὴ ἠλπικέναι ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ ζῶντι [*non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo*], 1 ad Timotheum VI, 17. id est, μὴ περιέσθαι ὑπὲρ χρυσίου [*non sectari aurum*], ut loquitur Scriptor Ecclesiastici XXXI, 8. Nam ista πλεονεξία [*habendi cupiditas*] optimo jure εἰδωλολατρεία [*idolatria*] dicitur Colos. III, 5. quam veterem Hebræorum γνώμην [*sententiam*] à Paulo usurpatam ita extulit idem ille Ecclesiastici Scriptor, Χρυσίου ξύλον σφηνώματος ἐν πᾶσι δυναστεύουσιν αἰτοῦ [*Lignum offensionis est aurum sacrificantibus ipsi*]· ubi ξύλον σφηνώματος [*lignum offensionis*] est εἴδωλον [*idolum*]. Hujus εἰδωλολατρείας [*idololatriæ*] vivam effigiem videre est apud Poetas. Petronius,

—— *clausum possidet arca Jovem.*

Menander,

Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος οὐκ ἄνους ἦν λέγειν
Ἥλιον, ἄνεμος, γῆν, ὕδωρ, πῦρ, ἀστέρας·
Ἐγὼ δ' ὑπείληφ' ὑμᾶς χρήσιμους εἶναι θεοὺς
Τὸ δραχμιαῖον ἡμῖν ἢ τὸ χρυσίον μόνον·
Ἱδρυσάμην γοῦν οὐκ ἐᾶν εἰσιέναι,
Εὔξαι τι θεὸς πάντα σοι χρήσιμα.

[*Epicharmum ipse prædicat nobis deos,*
Aquam, Ignem, Solem, Spiritum, Stellas, Humum;
Ego vero deos opiferos atque præstites
Aurum atque argentum nobis esse intelligo:
His didicisses rite si tuam domum,
Optato quodvis præsidium optatum feres.]

Vide quæ diximus περὶ πλούτου ἀπάτης [*de divitiarum deceptione*] ad caput XIII. & quæ ad caput V. & VI. Et adde Lactantii illud libro VII. *Eo fit ut pauperes & humiles Deo credant facilius qui sunt expediti, quam divites qui sunt impedimentis plurimis implicati, imo vero catenati & compediti serviunt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretitos*

ilized

tivit: nec poſſunt in cœlum adſpicere, quoniam mens eorum in humum prona terraque defixa eſt. Virtutis autem via non capit magna onera portantes. Tractat eandem ſententiam Rabbi Iſrael libro de Anima cap. XXXIII. ¶ *Εὐκοπώτερον ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, facilius eſt camelum per foramen acus tranſire*] Græciquidam, ut & Theophylactus notat, *ad funem nauticum* hæc traxerunt, ſed perperam, ignorantia adagii inter Hebræos & Arabas uſitati, non minus de elephante quam de camelo. Simile eſt illud Latini veteris,

Citius locuſta pepererit Lucam bovem.

In talibus autem adagiis nihil neceſſe eſt exactam inter partes collatas comparationem inſtitui, cum ſoleant ornari ὑπερβολαῖς [*ſuperjectionibus*]. Tale eſt & illud Jeremiæ XXII, 23. Imo totum hoc proverbium, mutata *cameli* voce in *elephantem*, eſt apud R. Jacobum in Caphthor.

25. *Τίς ἄρα δύναται σωθῆναι; Quis ergo poterit ſalvus eſſe?*] Movit Apoſtolos quod viderent etiam eos qui divites non eſſent tangi tamen divitiarum cupiditate; forte & ex rationis ſimilitudine crediderunt alia quoque eſſe ſi non divitiis paria, ſaltem proxima ad obſtruendam viam quæ in cœlum duceret.

26. *Παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι, Apud homines hoc impoſſibile eſt*] Non eſt humanæ opis tam tenacia vincula abrumpere. ¶ *παρὰ δὲ τῷ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστι. apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*] Trita inter Hebræos ſententia ex loco Geneſeos XVIII, 14. & Jeremiæ XXXII, 17. & Jobi XLII, 1. Verba Lxx Interpretum in Geneſi expreſſit Lucas, *οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα* [*non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*], 1,37. Similia invenire eſt & apud Græcos. Linus,

Ῥᾴδια πάντα Θεῷ πέλεται, καὶ ἀνύσσιμα ἔδντι.

[*Quidvis nempe Deo facile eſt, ſuperabit eum nil.*]

Apud Homerum aliquoties,

—— *Θεοὶ δέ τε πάντα δύανται.*

[—— *poſſunt omnia Divi.*]

Epicharmus,

Οὐδὲν ἀφεύγει τὸ θεῖον· τοῦτ' γενέσθαι τε δεῖ.
Λύπης ἐθ' ἁμῶν ἐπίπλης· ἀδύνατοῦ δ' ἔδεν Θεῷ.

[*Res nulla eſt Deum qua lateat: ſcire quod te convenit.*
Iſte eſt noſter interſpeller: tum Deus nil non poteſt.]

Callimachus,

—— —— *εἰ Θεὸν οἶδα,*
Ἰσθ' ὅτι καὶ μέγα δαίμονι πᾶν δύναται.

[—— —— *ſi Deus eſt tibi notus,*
Hoc etiam noris omnia poſſe Deum.]

Sophocles,

Τέκνον μηδέν τ' ἀν πᾶν Θεοῦ πεχρωσμένον.

[*Operanti nihil eſt quod nequit fieri Deo.*]

Pythagoræ dictum eſt apud Jamblichum, *οὐκ εἶναι τὰ μὲν δυνατὰ τῷ Θεῷ, τὰ δὲ ἀδύνατα, ὥσπερ εἴωθε τοὺς σοφιζομένους, ἀλλὰ πάντα δυνατὰ* [*non eſſe Deo alia poſſibilia, alia impoſſibilia, ut cavillatores quidam ajunt, ſed poſſibilia omnia*]. De eodem Pythagora Chalcidius ad Timæum, *Solum Dei hanc eſſe virtutem ac potentiam aſſerere ut quod natura efficere nequeat, Deus facile poſſit, ut qui ſit omni virtute potentior atque præſtantior, & à quo natura ipſa vires mutuetur.* Ovidii eſt,

—— *Facile eſt omnia poſſe Deo.*

Hoc autem effatum ficut alibi generaliter aptatur ad omnia ea quæ ullo modo poſſunt habere τὸ εἶναι, [*eſſe*], hoc eſt, aut in ſemetipſis aut in Dei natura non habent τὸ ἀνθρώπινον [*repugnantiam*], ita hic proprie ad ea refertur quæ aut para ſunt aut adminicula pietatis, quomodo & Paulus dixit, *πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ* [*omnia poſſum in eo qui me confortat, Chriſto* ſcilicet]. Ita poteſt Deus humiliter invocatus gratiæ ſuæ affatu præſtare divites immunes à divitiarum contagio, ut ſint *ἔχοντες ὡς μὴ ἔχοντες, καὶ χρώμενοι ὡς μὴ κατα-χρώμενοι* [*habentes tanquam non habentes, utentes tanquam non penitus utentes*], 1 Corinth. VII, 29, 30, 31. Quod non tantum his contingit qui ſemel univerſim bona ſua dilargiuntur egenis, ſed & his qui particulatim id faciunt, dimenſo ſuo frugaliter contenti.

27. *ἀφήκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήκαμέν σοι reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*] Duo quæ Chriſtus à juvene exegerat, Petrus à ſe ſociiſque ſuis ait præſtita; vere, quanquam, ut quidam putant, jactantius paulo. Tertium non addit, de bonis venditis donatiſque pauperibus, quia neque hoc ab illis exegerat Chriſtus, neque conveniebat eorum tenuitati. Quid enim venderent? caſamne? at ea uxores, liberos, forte & parentes ac fratres receptabat. Navicula qua piſcari ſolebant illorum propria an communis cum aliis fuerit perincertum eſt. Prædia & reliquum vitæ *χορήγημα* [*choragium*] non habebant. Quare cum & curam rerum ſuarum & artem, cujus fructu ſe ac familiam ſuſtentare ſolebant, reliquiſſent ut Chriſtum ſectarentur, fecerant non minus quam facturus erat juvenis ſi bona non neceſſaria vendidiſſet. Hac fiducia interrogat Petrus ecquid præmii ſit futurum. Poterat eum Chriſtus retundere dicendo, Quod feciſtis vobis feciſtis, non mihi, ut verba à me acciperetis vitæ æternæ: non eſt quod mihi aut Patri imputetis. Sed pro ſua bonitate ſpem illorum fovet, aitque non carituram peculiari honoris præmio iſtam qualiscunque jacturæ tolerantiam.

28. *ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, in regeneratione*] Rectius ad ſequens comma referuntur hæc voces. Παλιγγενεσίαν [*regenerationem*] autem, id eſt, חדשה ſive *novi ſeculi*, ut Syrus loquitur, voce indicari hic puto ipſum Meſſiæ Regnum inchoandum poſt reſurrectionem Chriſti, de quo agens Paulus, inquit, *ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα* [*ecce facta ſunt omnia nova*], II Corinth. V, 17. Et alibi diximus Judæis quoque id tempus *ſeculum futurum* appellari. Nam & quod ſequitur, *ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ* [*cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ*], plerumque & proprie eo refertur, ut collatis locis manifeſtum eſt. Appellationem autem *genituræ* hoc ſenſu receptam fuiſſe apud Judæos etiam Joſephus nos docet, qui ſecundo adverſus Appionem ita loquitur, Ὅτι τοῖς εἰς τὸν αἰῶνα διαφυλάξασι, καὶ μὴ πρὸ μιᾶς θνήσκειν ὑπὲρ αὐτῶν προθύμως ὑπομείνασιν, ἔδοκεν ὁ Θεὸς γνώδιμα καὶ πάλιν καὶ βίον ἀμείνω λαβεῖν ἐν ἑτέρᾳ γενεᾷ [*Iis qui Dei ſervaverint leges, & pro eis ſi opus ſit mori libenter mortem ſuſceperint, dat Deus iterum naſci & vitam accipere meliorem ex intervallo*]. Philo in hunc ſenſum ipſam etiam vocem uſurpat libro de Caino, Πόθεν ἦλθεν ἡ ψυχὴ, πᾶ ἢ χωρίσθη, πόσον ἢ χρόνον ἡμῖν ἐμοδιατρίψει ἔτι; τίς δὲ ἐσμὲν ἢ οἵαν ἴσχομεν οὐσίαν, πρὶν ἢ γενέσθαι πυθώμεθα αὐτῆς; πῶς γνώριστος; ἀλλ' οὐκ ὑπάρχομεν· μετὰ τὸ γένεσθαι; ἀλλ' οὐκ ἐσμὲν οἱ μὲν σωμάτων σύγκριτοι πάλιν· ἀλλ' εἰς παλιγγενεσίαν ἀφιγμένοι, οἱ μὲν ἀσωμάτων ἀσύγκριτοι [*Unde venit anima? quo ibit? quamdiu nobis adhærebit? Poſſumusne dicere qualis ſit ſubſtantia, quando eam acceperimus? an priuſquam oriremur? at non eramus: an poſt mortem? at non erimus quales ſumus ex corporibus compoſiti, ſed incompoſiti cum incorporeis ad novam nativitatem prodibimus*]· ita enim locum illum legendum cenſeo qui corrupte legitur. Eccleſiæ Galliæ in epiſtola ad Aſiaticas Eccleſias cum narraſſent martyrum cineres in Rhodanum conjectas, addunt, καὶ ταῦτ' ἐπράξαντο ὡς δυνάμενοι νικῆσαι τὸν Θεὸν, καὶ ἀφελέσθαι αὐτῶν τὴν παλιγγενεσίαν, ἵνα, ὡς ἔλεγον ἐκεῖνοι, μηδὲ ἐλπίδα ἀναστάσεως [*Et hæc fecerunt tanquam Deum vincere poſſent, & auferre à mortuis nativitatem novam, ut ne ſpem quidem, ſicut illi loquebantur, haberent Reſurrectionis*]. *Secundam generationem* pro *reſuſcitatione* dixit & Irenæus. ¶ *καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ. ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſrael*] Proximum mihi Regi honorem occupabitis: κρίνειν [*judicare*] hic tantum valet quantum *præeſſe*, μεταληπτικῶς [*per tranſſumtionem*], quia plerumque Præſides juri dicundo vacant. Unde שרים Hebræis *præfectura* dicta eſt. Sumta eſt tralatio à veteri ſtatu Regni Iſraelitici, in quo οἱ φυλάρχαι [*Tribuum principes*] proxime ad Regiam majeſtatem accedebant, & in publicis cœtibus juxta ejus ſolium ſedebant in ſellis curulibus. Alibi quoque Chriſtus eadem tralatione utitur Lucæ XXII, 29. ubi & alterum additur, aſſeſſuros ipſos menſæ Regiæ, quod eſſe ſolebat maximorum procerum. Quanquam autem ob duplam Joſephi liberum portionem factæ erant Tribus trede-

tredecim, ſolent tamen plerumque nominari Duodecim, Actorum XXVI, 7. Jacobi I, 1. quia Levitica nullas habebat ſedes ſeorſim, ac proinde nec proprium μεϱιδάϱχλω [*regionis Præſidem*]. Quod autem θϱόνων nomine hic vocantur ſellæ, ut dixi, curules juxta Regis ſolium poſitæ, idem & in Apocalypſi invenire eſt.

29. ἢ γυναῖκα, *aut uxorem*] Non de divortio hic agitur, ſed de poſthabenda pietatis negotio uxore non minus quam cæteris affectibus, quod & μίσος [*odiſſe*] dicitur apud Luc. XIV, 26. ¶ ἑκατονταπλασίονα λήψεται, *centuplum accipiet*] מֵאָה כָּפוּל, ut II Samuelis XXIV, 3. I Paralipomenôn XXI, 3. *In hoc ipſo ſeculo*, ut ſequentis membri oppoſitio evincit, & clare exprimit Marcus. Salvianus, *Quanto magis religioſi & ſanctis viri miſeri non putandi ſunt qui & præſentis fidei obtectamenta capiunt & beatitudinis futura præmia conſequuntur?* Marcus inſuper rerum vocabulis repetitis *futurum* ait *ut recipiant domos, agros, parentes, liberos, fratres, ſorores, attamen cum ærumnis.* Quod Origenes, Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos ad quæſtionem CX, Theophylactus hoc loco, recte, me judice, interpretantur, dicentes futurum ut Chriſtianis talium jacturam paſſis alii Chriſtiani ſint vice iſtarum neceſſitudinum, utque ex aliorum prædiis tantum percipiant quantum ipſorum moderatis deſideriis ſufficiat, multoque majorem voluptatem hauriant ex iſta fraterna caritate quam dolorem ex contractis offenſis aut tolerato rerum diſpendio. Cujus rei luculentum habemus exemplum in Paulo Apoſtolo, cujus ignominia honore, contemtus nobilitate, dolor gaudio, paupertas rerum abundantia miris vicibus penſabantur; ut videre eſt II Corinth. VI, 8, 9, 10. Servient illuſtrando huic loco Philonea illa libro de Sacrificantibus: Αἱ ἐκ φυσικῶν ἀφ' αἵματος αὖτις λεγόμεναι συγγένειαι, καὶ αἱ κατ' ἐπιγαμίας ἢ τινας ἄλλας ὁμοιοτρόπους αἰτίας οἰκειότητος, ἀποῤῥιπτέσθωσαν, εἰ μὴ φέρει τὸ αὐτὸ τέλος ἐκείνοις, τιμὴ δὲ θεοῦ πρῶτον, ἢ πίστις ἀναπλήρου θείαν ἄλυτον δεσμὸν ἴσην. ἀναλήψονται γὰρ οἱ τοιοῦτοι σεμνοτέρους καὶ ἱεροπρεπεστέρους συγγενείας [*Cognationes iſtæ quæ per communem à progenitoribus ſanguinem nobis nectuntur, & affinitates & ex aliis cauſis ortæ neceſſitudines, abjiciantur ſi non ad idem nos ducunt quo tendimus, id eſt, ad Dei honorem, quod vinculum eſt indiſſolubile arctiſſimæ benevolentiæ. Accipient autem qui tales ſunt pro amiſſis aliis cognationes honeſtiores & ſanctiores*]. Similem ſenſum habet idem Philo libro De vita Contemplativa, & libro de Præmiis. Falli autem Irenæum (is enim eſt quem nomine ſuppreſſo reprehendit Hieronymus) cum hoc quoque teſtimonio probare nititur terrenam felicitatem anticipatæ Reſurrectionis, ex Marci verbis apertum mihi videtur. Is enim ait, ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ [*in tempore hoc*], quod continuum neque interruptum vitæ hujus curſum ſignificat. De ipſis autem Mille annis alibi dicendum erit. ¶ καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει. *& vitam æternam poſſidebit*] Quod olim in Levitis erat adumbratum, de quibus pulchre Philo, Οὔτοι καταλελοίπασι τέκνα, γαμετὰς, ἀδελφὰς, καὶ οἰκειότητος ἧς φίλτρον, ἵν' ἀντὶ θνητῆς ἀθανάτου κλῆρον ἄρωνται [*Hi deſerere liberos, parentes, fratres, res & proximas & cariſſimas, ut pro mortali poſſeſſione immortalem adipiſcerentur*].

30. πολλοὶ ἔσχατοι, καὶ ἔσχατοι πολλοὶ. *primi noviſſimi, & noviſſimi primi*] Tranſgreſſio eſt ad ſequentem tractationem, qua Chriſtus futurum indicat ut Gentiles Judæis fœderis ſecum initi antiquitate ſuperbientibus, atque inter Judæos hi qui ob prioris vitæ peccata erant contemtiſſimi, aliis pœnitentiæ remedium contemnentibus, æquiſſimo Dei judicio præferantur. Solet autem Chriſtus eventus tales obſcurius indicare, ut alibi notavimus. Ideo quæ ſequitur fabella non habet claram ἀνταπόδοσιν [*Redditionem*], ſed ejus loco γνώμην [*ſententiam*] tritam uſu communi, quæ & inchoat & claudit narrationem. Eadem γνώμη [*ſententia*] huic quem dico ſenſui aptata invenitur Lucæ XIII, 28, 29, 30. cum quo loco conferendum quod ſupra eſt VIII, 11, 12. & infra XXI, 31, 32. tum vero Lucæ VII, 29, 30.

PRICÆUS.

Com. 3. Ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα δι' πᾶσαν αἰτίαν] Αἰτίαν *cauſam* bene verti puto, ſi prout debet intelligatur. Plautus,

Uxor viro ſi clam domo egreſſa eſt foras,
Viro ſit cauſa, exigitur matrimonio.

In l. un. Cod. Th. de repud. *Placet mulieri non licere propter ſuas pravas cupiditates marito repudium mittere exquiſita cauſa*, &c. Ibid. *culpa divortii* vocatur, & Ejuſd. Novell. 12. *culpam divortii conquirere.* In Græco Deuter. 22. 13. φευφάσεως λόγος ἔσται. Gloſſarium, *Cauſa*, αἰτία, φευφάσις.

Com. 5. καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ] Apud Eſdram, Ἄνθρωπος τὸν ἑαυτοῦ πατέρα ἐγκαταλείπει ὃς ἐξεθρέψατο αὐτὸν, καὶ φεύγει τὴν ἰδίαν γυναῖκα κοινᾶται· apud Joſephum ille Antiq. 11. 4. Ἐγκαταλείπομεν τὸν πατέρα καὶ μητέρα, καὶ τὴν ἀτιμασθεῖσαν γλῶ, καὶ τὸν φιλτάτων λήθην ἐχόμεθ' ὑπὲρ τῆς γυναικός. Max. Tyr. de Hectore & Andromache, Ἡ μὲν πατέρα καὶ ἀδελφὸν καλεῖ τὸν ἄνδρα, καὶ πατρὸς δὴ τὸ φίλτατον ὀνόματι· ὁ δὲ μητέρος πολλοῖς αὐτῷ μέλλον ὄσον ἐκείνης λέγει.

Ibid. Καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν] Hinc illud Siracidis, Εἰ μὴ πορεύῃ κατὰ χεῖρας σου, δότε τὸ σκέλος σου δεύτερόν μου. Plutarchus, Ὥστε δύο ὄντας, ἓν γίγνεσθαι.

Com. 16. εἷς προσελθὼν εἶπεν αὐτῷ, Διδάσκαλε, τί ἀγαθὸν ποιήσω, ἵνα ἔχω ζωὴν αἰώνιον;] Sic Act. 16. ille, Κύριοι, τί με δεῖ ποιεῖν, ἵνα σωθῶ; Apud Macrob. I. 9. in Somn. Scip. *Nam & Delphici vox hæc fertur oraculi, conſulenti ad beatitatem qua itinere perveniret, Site, inquit, agnoveris.* Apud Arrianum 2. 15. in Epictetum, Ἃ με δεῖ ποιεῖν οὐκ οἶδα, ἐλήλυθα γὰρ μαθησόμενος.

Com. 17. εἷς ἐστιν ἀγαθός· εἰ δὲ θέλεις εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν, τήρει τὰς ἐντολάς] Philo, ὁ ἴντως ὢν, τί πρῶτον ἀγαθόν. Thales τί βέλτιστον interrogatus, θεὸς respondit. Laertius de Euclide, Οὗτος ἐν τῷ ἀγαθὸν εἶναι διαφέρειν ἔφασκε πολὺ ὑπερέχειν καλοκἀγαθίαν. Platonis τὸ πρῶτον ἀγαθὸν non aliud ſeipſo exponente quam νοῦς καὶ θεὸς ὁ πρῶτος· vide Alcinoum cap. 27.

Com. 21. πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὸς πτωχοῖς] Apud Lucianum, ſed ſub perſona haud proba, Κατὰ τάχος ἐκφόρητον αὐτὸν (πλοῦτον ſcil.) ἐκ τῆς οἰκίας, καὶ μηδ' ὁτιοῦν αὐτῷ λείψῃ διηθήσας ἅπαντα τοῖς δεομένοις.

Com. 22. ἀκούσας δὲ ὁ λόγον, ἀπῆλθε λυπούμενος] Apul. 4. *Effatu ſanctæ vaticinationis accepto pigens triſtiſque retro domum pergit:* apud Terentium,

Domum reverter mœſtus, atque animo fero
Perturbato atque incerto pra ægritudine.

Eſther. 6. 12. de Hamane, Ἐπέστρεψεν εἰς τὰ ἴδια λυπούμενος. Arrianus 2. 4. in Epictetum, Ἐνδεὴς ἀπαιδευσίας καὶ λυπῆς ἔχων.

Ibid. ἀπῆλθε] Et forſan εἰς τὸ ὑπέρογκον ἀπῆλθε, perculſus rei præceptæ magnitudine. *Videbat* ſcilicet *ubi poſita eſſet felicitas, ſed pervenire ad illam non audebat*, Seneca Epiſt. 21. *Quia dura Salvatoris eloquia videbantur, multi retrorſum abierunt*, inquit Hieronymus. Vide Joh. 6. 66.

Com. 26. παρὰ δὲ θεῷ πάντα δυνατὰ ἐστι] Philo, θεῷ πάντα δυνατά. Lucianus, Δυνατὸν] ἅπαντα οἱ θεοὶ, καὶ τὰ μέγιστα ἴσον ἀσκοῦσι. Ovidius,

—— *Immenſa eſt, finemque potentia cœli*
Non habet, & quicquid ſuperi voluere peractum eſt.

CAP. XX.

MUNSTERUS.

1. *Aſſimilatum eſt regnum cœlorum*] Exponit Chriſtus in fine hujus parabolæ quid per eam ſignificetur ; nempe , Quod *multi noviſſimi erunt primi , & contra* ; & Quod *multi ſunt vocati , pauci autem electi* ; Item , quod fidentes gratiæ ejus plus ſunt accepturi quam auſi fuerunt petere ; &, Quod merces Dei non juxta modum operum ſed juxta bonitatem ejus proveniat. Docet præterea hæc parabola, Nullos venire in Eccleſiam, niſi vocatos à Deo : docet, Omnes hypocritas eſſe mercenarios, qui ventris cauſa Deo ſerviunt, paciſcentes cum eo pro mercede : Pii autem & veri Dei cultores , nullo interveniente pacto , totis viribus Deo ſerviunt ; & quicquid ille dat , ſuſcipiunt non ut debitum ſed ut gratuitum donum, ſcientes omnia ex Dei gratia electis obvenire : unde & primis præferuntur dum numeratur merces. Quod autem *noviſſimi* , qui nihil fere operati ſunt, *æquantur iis qui totius diei onus & æſtum portaſſe* queruntur , oſtendit Deum ſalvare hominem abſque reſpectu operum. Pii quidem agnita veritate operari non deſinunt , at propter opera nihil recipiunt , ſed omnia gratiæ Dei accepta referunt. Et id male habet eos qui operibus ſuis confiſi plus ſperaverunt accipere propter continuam corporum ſuorum caſtigationem , jejunia , cœlibatum , & hujuſmodi externa opera , propter quæ & in arrogantiam & contemptum aliorum inciderunt , *murmurantes contra patremfamilias* quod non reſpexerit ad opera eorum, &c. Hi, inquit Chriſtus , qui hic per hypocriſin ſancti & *primi* reputati ſunt , & viſi ſunt habere multa merita , erunt *noviſſimi* apud juſtum Judicem, cum venerit dare unicuique juxta opera ejus. De quibus operibus jam ſupra diximus. Scripſimus & cap. 17. de Denario , & monetis Hebræorum.

16. *Multi ſunt vocati*] Quando Chriſtus dicit *multos vocatos , paucos autem electos* , loquitur de ea vocatione qua veritas hominibus annunciatur , non autem corda commoventur ad ſequendum Chriſtum vocantem. Hæc cordis commotio eſt gratuita Dei electio , à qua pendet ut quis vocetur in vineam Domini , operetur digne in ea , atque mercedem tandem referat. *Non* enim *eſt volentis , aut currentis , ſed miſerentis Dei* : alioquin hi qui hic commemorantur multum laboraſſe, rejecti non fuiſſent, ſi operibus noſtris regnum Dei poſſet acquiri.

22. *Neſcitis quid petatis*] Petebant temporalem dignitatem , & mundanum quærebant regnum , cum Chriſtus locutus eſſet de ſpirituali regno , ſed quod percipere non poſſent niſi prius paterentur perſecutionem. Unde interrogavit eos *num poſſent bibere calicem quem ipſe erat bibiturus , & baptizari baptiſmo quo ipſe erat baptizandus* , intelligens per hæc ſupplicium quod erat aditurus ex Patris decreto. *Calicis* metaphora frequentiſſima eſt in Scriptura , capiturque pro חלק *portione* , bona vel mala : bona , ut Pſal. 16. יהוה מנת חלקי וכוסי *Dominus eſt donum portionis meæ atque calicis mei :* mala, ut Pſal. 11. *Spiritus tempeſtatis pars calicis eorum.* Sic Iſaiæ 51. multa dicuntur de *calice furoris Domini* , & *calice inſaniæ.* Sic Chriſtus loquitur de calice paſſionis qui ſibi erat ebibendus , docet &, Cuique ſuum ebibendum calicem ; Definitumque Divinitus quid quiſque & quantum patiatur mali; &, Nemini contingere gloriam Chriſti qui non ſocius fuerit in tribulatione. ¶ Et quod ſubditur, *Sedere ad dextram meam & ad ſiniſtram , id non eſt meum ut dem vobis , ſed quibus paratum eſt à Patre meo* , hunc habet ſenſum , Primos eſſe in gloria mea & proxime mihi ſedere, id jam petentibus non poteſt donari , cum ab æterno per Patrem definitum ſit quibus id contingat. Per me quidem paratur aditus ad gloriam illam iis qui ad eam ſunt electi : at donatio ejus non eſt mei hominis, neque à me jam exoranda : Dei munus hoc eſt, & decretum ab æterno qui ad illam ſint admittendi.

25. *Principes gentium dominium habent in eas*] Vos, inquit, qui vocati eſtis ad negotium cœlorum, non debetis conformes eſſe principibus & magnatibus hujus mundi. Illi ſubjectis *dominantur, & poteſtatem habent inter eos : vos autem contra* , omnibus debetis eſſe ſubjecti ad *ſerviendum* , imitantes me , *qui non veni ut miniſtretur mihi , ſed ut ego miniſtrem aliis , & ponam animam meam pro ovibus meis.* Nolite igitur vos *decem irritari contra hos duos* , qui neſciunt quid à me petierint , ſtultis inſervientes affectibus , quos longe abeſſe neceſſe eſt ab eo qui major cupit eſſe in regno cœlorum. Cæterum quando Chriſtus dicit , *Non ſic erit inter vos* , non prohibet inter Chriſtianos magiſtratum , ſed dehortatur ne Chriſtianus quærat præcellentiam & ambiat poteſtatem. Alioqui ſi quis gerat magiſtratum, & gubernet oves Chriſti ad ipſius voluntatem , quid is aliud facit quam quod ſervit omnibus quos gubernat?

VALLA.

8. CUM *ſero autem eſſet factum*] *Sero* nominativi caſus nuſquam, quod ſciam, inveni: ſed apud Livium, *Serum erat diei.*

12. *Qui portavimus pondus diei & æſtus*] Non *æſtus* legendum eſt, ſed *æſtum*, ὁ καύσωνα.

15. *Aut non licet mihi quod volo facere ? an oculus tuus nequam eſt quia ego bonus ſum?*] Vereor ne ſimilitudo literarum deceperit interpretem, niſi alia de cauſa ſcriptura depravata eſt, imo etiam decurtata. Nam multo melior fit ſententia ſi ita transferatur , *Annon licet mihi facere quod volo in rebus meis , ſi oculus tuus malus eſt, quia ego bonus ſum ?* Similitudo literarum eſt Græce inter *ſi* & *an* , ſive *aut* , ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς , εἰ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν , ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι ;

17. *Aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecreto , & ait illis*] Deſunt duo verba: ſic enim Græce legitur, *Secreto in via* , ἐν τῇ ὁδῷ

22. *Poteſtis bibere calicem , quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei , Poſſumus.*

23. *Aut illu , Calicem quidem meum bibetis , ſedere autem ad dextram meam*] Non ſolum in Marco 10. 38, 39. ſed etiam hic legitur, *Aut baptiſmate quo ego baptizor, baptizari ?* ἢ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι , βαπτισθῆναι ; *Et baptiſmate quo ego baptizor , baptizabimini ,* ἢ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι , βαπτισθήσεσθε.

25. *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum*] *Earum* dicendum fuit. Sed quia Græce *gens* neutri generis eſt, genitivus *eorum* generis omnis , ideo interpres non animadvertit transferendum fuiſſe genere femineo, τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, ſicut fecit in epiſtola Pauli prima ad Corinth. 13. 13. *Major horum eſt charitas* , cum dicere deberet *harum*, τούτων.

26. *Et qui majores ſunt , poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos : ſed quicunque voluerit inter vos fieri major , ſit veſter miniſter*] Gr. *magni* & *magnus* , non *majores* & *major*, μεγάλοι, μίζας.

REVIUS in VALLAM.

15. Εἰ ὁ ὀφθαλμός (σ] In noſtris exempl. eſt ἢ (quod pro Vulgata ſtat) & ſententia nihilo pejor.

ERASMUS.

1. *Simile eſt regnum*] Ὁμοία γάρ ἐστιν] i. *Simile eſt enim.* Cohæret enim cum ſuperiori ſententia. ¶ *Primo mane*] ἅμα πρωΐ, i. *Ipſo ſtatim diluculo* , ſeu, *Primo ſtatim diluculo* , ſive, *mox ut diluxit.*

2. *Ex denario diurno* , ἐκ δηναρίου τῆς ἡμέρας] Primum nihil opus erat addere Græcam præpoſitionem *Ex*, cum Latini dicant *conductum denario.* Deinde Denarius hic nummi Romani genus eſt, valens tres Solidos & ſemiſſem, ut autumat Gulielmus Budæus homo nuſquam non diligentiſſimus , non ſolum

ſolum eruditiſſimus. Nec eſt *diurno*, ſed *in ſingulos dies*, ſive *dictim*. Unde verti poterat, *Pactus cum operis in ſingulos dies denario.*

4. *Ite & vos in vineam meam*] *Meam* nec eſt apud Græcos, nec in aureo codice. ¶ *Quod juſtum fuerit*] ὃ ἐὰν, i. *Quodcunque*, ſive *quicquid*. Ac mox de undecima conductis hora.

7. *Ite & vos in vineam*] In vulgatis Græcorum exempl. non additur *Meam*, nec apud Theophylactum; nec apparet Hieronymum addidiſſe. Nec additum comperi in exempl. Conſtantienſi, niſi quod pronomen explicat vim articuli τὸ ἀμπελῶνα. Præterea hoc loco addunt Græci quod in noſtris exempl. non habetur, καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον λήψεσθε, *Quodcunque*, ſive *quicquid*, *juſtum fuerit*, *accipietis*. Verum id quoniam apud Hieronymum non additur, videri poteſt ex ſuperiori loco repetitum.

9. *Acceperunt ſingulos denarios*] Ἀνὰ δηνάριον, i. *denariatim*, ut ita loquar: & *ſinguli* potius quam *ſingulos*.

12. *Hi noviſſimi una hora fecerunt*] μίαν ὥραν ἐποίησαν, i. *unam horam fecerunt*. Incertum an *unam horam* ſit accuſativus tranſitivus an temporis, h.e. ut accipiamus eos *feciſſe horam* qui ſpatium horæ peregerint in opere, an eos feciſſe opus horæ ſpatio. ¶ *Diei & æſtus*] Non eſt *æſtus*, ſed *æſtum*, βάρος δὲ ἡμέρας καὶ τὸ καύσωνα, i. *pondus diei & æſtum*. Siquidem in Græcorum exemplaribus magno conſenſu non ſolum habetur καύσωνα, ſed etiam additur articulus, τὸ καύσωνα· ut intelligas diverſum eſſe ſenſum, quod prior particula referatur ad diuturnitatem laboris, poſterior ad difficultatem temporis. Sive enim allegoriam accommodes ad Judæos prius vocatos & ad Gentes poſterius, ſive ad eos qui Juvenes vocantur & ad eos qui Senes, congruet *pondus diei*, quod Judæi poſt diuturnam Legis obſervationem vocati ſunt ad Euangelium, Gentes ſubito ad eandem gratiam admiſſæ ſunt. Ceterum *diei æſtus* eſt, quod ſub Lege magis fervebat concupiſcentia, & in Juvenibus gravius eſt incendium libidinis & iræ, cum hæc in Senectute, quæ veſpera eſt vitæ, remiſſiora ſint. Non igitur eſt otioſa diſtinctio, utcunque in Latinos codices irrepſit error. Certe Auguſtinus ſerm. 59. De verbis Domini in Euangelium Joannis: legit *æſtum*, non *æſtus*.

14. *Volo autem & huic*] *Et* redundat, θέλω δὲ τούτῳ, *Volo autem huic*.

15. *Aut non licet mihi quod volo facere?*] Græci addunt ἐν τοῖς ἐμοῖς, *In rebus meis*: tametſi poteſt & ad perſonas referri. Auguſtinus, loco quem mox indicavi, legit juxta Græcos, *de meo*. ¶ *An oculus tuus nequam eſt*, &c.] Apparet aurium errore variatam ſcripturam, quod εἰ ſi & ἢ vel eadem voce ſint apud Græcos. Si leges *ſi*, pendere poteſt à ſuperioribus oratio; ut ſit ſenſus, *Num ideo mihi minus licet benigniter facere de bonis meis ut volo ſi tu oculum habeas malitioſum & invidum? cum ego certe non poſſim non eſſe bonus.* Si legis ἤ, *An* vertendum erat, non *Aut*; ut ſit ſenſus, *Num mea benignitas in cæteros cruciat tuos oculos?* Quandoquidem ex hujus beneficentia nata eſt illius invidentia, non ex injuria dantis id quod erat in pactis. Certe *An* habet codex aureus & Conſtantienſis. Etiamſi neque neſcio, neque inficias eo, εἰ quoque Græcis nonnunquam habere vim percontandi; neque reclamo, ſi cui vetus tranſlatio magis arridet.

16. *Multi ſunt vocati*] Πολλοὶ γάρ, i. *Multi enim*. Et *vocati* & *electi* hoc loco nomina ſunt, non participia, κλητοί, ἐκλεκτοί· quæ tamen propemodum vice participiorum videntur uſurpari.

17. *Secreto, & dixit*] Deſunt in noſtris aliquot verba, κατ' ἰδίαν ἐν τῇ ὁδῷ, i. *Seorſum in itinere*. Quanquam hic magis quadrabat *ſolos*, quod ita vertit nonnunquam. Noluit enim ullos itineris comites præter Diſcipulos.

21. *Et unus ad ſiniſtram*] Ut ne commemorem interim Latinius fuiſſe futurum, *à dextris mihi*, quam *meis*; hoc loco *à ſiniſtris* eſt εὐωνύμων. Sic enim Græci omnis cauſa dicunt ſiniſtram corporis partem εὐώνυμα, h.e. *boni ominis*. ſicut Poetæ Furias vocant *Eumenidas*: ut apud Job *benedicere* poſitum eſt pro *maledicere*.

22. *Poteſtis bibere calicem*] Ποτήριον, i. *Poculum*: quod tamen ſemper *calicem* vertit, cum *poculum* ad unguem exprimat Græcam vocem. *Poculum* enim qvodvis vas unde bibitur, ut ποτήριον, & ipſum à *potando* dictum. At *calix* poculi ſpecies eſt, quæ Græcis ſua voce κύλιξ dicitur. Eſt autem ſermo proverbialis, *De eodem bibere poculo*, pro eo quod eſt *Participem eſſe mali*, quemadmodum fuſius in Chiliadibus explicuimus. Et in emendationibus Græcorum exempl. non legitur μέλλω πιεῖν, *bibiturus ſum*, ſed πίνω, *bibo*, ut præſens narratur, quod inſtabat. Atque ita legit Chryſoſt. Inſuper poſt hæc additur apud Græcos καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι, *Et baptiſmate quo ego baptizor baptizari?* Nam & apud Marcum hæc adduntur: atque ad hunc modum eadem mox repetuntur, *Calicem quidem meum bibetis, & baptiſmo quo ego baptizor baptizabimini.* Verum haud ſcio an hæc hunc in locum ex Marco traducta ſint; id quod ſæpenumero ſolet accidere, præſertim cum apud Hieronymum addita non comperiam. Quanquam adduntur apud Orig. & Chryſoſt. ac Theophylactum.

23. *Non eſt meum dare vobis*] *Vobis* addidit aliquis de ſuo: apud Græcos tantum eſt οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, *Non eſt meum dare*: ut ſit abſolutum, & intelligas totum hoc rejici in Patrem; atque ita legit Chryſoſt. conſentiente Theophylacto. Verum ut adderent *Vobis*, in cauſa fuit quod ſequitur, *Sed quibus paratum eſt.* Verum ea oratio ἀπέφασις eſt: ſubaudiendum enim, *Id iis continget quibus præparatum eſt à Patre meo.* Neque tamen diſſimularim Hieronymum ſic interpretari; ut propemodum ſuſpicari poſſis eum legiſſe ut nos vulgo legimus, licet *Patris* quoque mentionem admiſceat.

25. *Principes gentium dominantur eorum*, ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν] Cum præceſſerit *gentium*, cur non repetit *earum?* imo cur non *eas?* Ac mox *in eas* magis quam *in eos?* Nam ἐθνῶν neutri generis eſt. Nec eſt ſimpliciter *dominantur*, ſed κατακυριεύουσιν *dominantur in eas*, ſive *adverſus eas*. Frequenter enim ea præpoſitio in malum ſonat, quod Tyranni populi malo gerant principatum. Nec eſt *qui majores ſunt*, ſed οἱ μεγάλοι, i. *Magni*, ſive *Magnates*. Siquidem id erat proprium cognomentum Regis Perſarum; unde *Alexander Magnus* eſt dictus. ¶ *Poteſtatem exercent*] κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, i. *Jus*, ſive, *auctoritatem*, *exercent*. Ex præpoſitio ſimiliter in partem malam ſonat, indicans eam poteſtatem eſſe tyrannicam & cum malo parentium eſſe conjunctam. Unde in quibuſdam cod. perperam mutatum eſt *inter eos* pro *in eos*. Porro quod hic interpres Græcam vocem expreſſit periphraſi, poterat & in priore parte facere, *dominium exercent in eos.*

26. *Quicunque voluerit major fieri*] μέγας γενέσθαι, i. *Magnus fieri*. Atque ita citat Hieronymus edifferens cap. Ezechielis 45. Ne quis cauſificetur Græcam ſcripturam eſſe vitiatam.

28. *Non venit miniſtrari*] Quis unquam dixit hominem *miniſtrari* cui miniſterium exhibetur? Non hercle magis quam *benedici* de quo quis bene loquatur, aut *annunciari* cui nunciatur aliquid. Atqui ſic loquuntur Græci, ſed Latinorum auribus proꝛſus inauditum. Vertere commode poterat ad hunc modum, *Non venit ut ſibi miniſtraretur, ſed ut aliis ipſe miniſtraret*, οὐκ ἦλθεν διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι. ¶ Rurſum hic *animam* vitam appellat, non eam partem quæ eſt altera hominis. ¶ *Pro multis*, ἀντὶ πολλῶν] Aliud quiddam ſonat Græcis quam Latinis; apud nos tantum opponitur Paucis, apud illos *populi multitudinem* ſonat, atque id ferme quod Latinis ſonat *vulgus*. ¶ *Redemptionem*] Gr. λύτρον, quod proprie *pretium* ſignificat *quo redimuntur captivi aut ſervi*, quod Galli vocant *ranſonam*: à verbo λύω, quod eſt *ſolvo*.

34. *Et confeſtim viderunt*] Græci nonnihil addunt verborum, ἀνεβλέψαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί, i. *Viſum receperunt illorum oculi*, quod antea mentio facta ſit *oculorum*.

VATABLUS.

1. SImile eſt] *Simile enim eſt.* ¶ *Primo mane*] Vel, *ipſo ſtatim diluculo.*

2. *Denario*] Denarius valet tribus noſtratibus Solidis cum dimidio. ¶ *Diurno*] *In diem.*

4. *In vineam*] *In vineam meam.* V.

6. *Undecimam vero*] *Undecimam vero horam.* ¶ *Stantes*] *Stantes otioſos.*

7. *In vineam*] *In vineam meam; & quicquid juſtum fuerit, accipietis.* Vet.

9. *Singulos denarios*] *Singuli denarium*; & ſic infra.

12. *Fecerunt*] i. in opere fuerunt. ¶ *Æſtus*] *Æſtum.*

14. *Huic noviſſimo*] *Et huic noviſſimo.* V.

15. *Aut non licet*] *An non licet.* ¶ *Facere*] *Facere in iis quæ mea ſunt.* ¶ *Oculus tuus nequam*] i. invidus, q. d. Illiſne invides meam liberalitatem & benignitatem?

17. *Secreto*] *Seorſum, in via.* V.

22. *Calicem quem*] *Poculum quod*; i. Poteſtis ferre ſupplicium quod ego toleraturus ſum? ¶ *Bibiturus ſum? Dicunt*] *Bibiturus ſum, aut baptiſmate quo ego baptizor baptizari? Dicunt*, &c. Hic *baptiſma* pro *ſupplicio* ponitur.

23. *Bibetis : ſedere*] *Bibetis, & baptiſmate quo ego baptizor baptizabimini: ſedere*, &c. ¶ *Vel ſiniſtram*] *Et ſiniſtram.* V. ¶ *Dare*] *Dare vobis.* V. ¶ *Sed*] Vel, *niſi.* Alii ſubaudiunt, *in continget*, ſic, *ſed iis continget quibus*, &c.

25. *Eorum*] *Illis.* ¶ *Majores*] *Magni, magnates.* ¶ *Inter eos*] *In eos.* V.

26. *Major fieri, ſit*] *Magnus fieri, erit.*

28. *Miniſtrari*] *Ut ſibi miniſtraretur.* ¶ *Pro multis*] Vox Græca ſignificat *multitudinem populi*, atque id ferme quod Latinis ſonat *vulgus.* q. d. *Pro tota multitudine hominum & vulgo.*

34. *Viderunt*] *Viſum receperunt oculi eorum.*

CASTALIO.

15. TUus oculus malus eſt] Invidus es.

22. *Idem bibere poculum*, &c.] Eadem adverſa pati.

23. *Non eſt meum dare, niſi quibus id paratum eſt à Patre meo*] Ἀλλὰ dictum eſt pro εἰ μὴ, *niſi*, ut Mar. 9. 8. *εἶδον οὐκέτι οὐδένα, ἀλλὰ τὸν Ἰησοῦν μόνον*, *Iam nullum viderunt niſi Jeſum.* Atque eodem modo ponitur 2 Cor. 2. etiam interprete vetere ita transferente.

25. *Gentium Principes in eos dominari*, &c.] Potentiſſimos quoſque maxime regnare.

CLARIUS.

1. SImile eſt enim] Dixerat *fore ut ſint multi primi noviſſimi, & noviſſimi primi*, intelligens Gentes præceſſuras eſſe Judæos: quod nunc per hanc parabolam indicat; In qua obſervandum eſt quam pulchre perſona exprimatur benigniſſimi patrisfamilias Dei, qui nos quærat, otioſos excitet, murmurantibus amice reſpondeat, breviterque nunquam à bonitate recedat. Quod autem reſponſum à quibuſdam eſt, *Nemo nos conduxit*, non ob hoc dictum eſt quod ulli unquam ſeculo defuerit Deus, quin potuerint homines illum agnoſcere, cum aperte Paulus dicat potuiſſe *Deum agnoſci per ea quæ facta ſunt*; ſed tacite arguitur ingratitudo Judæorum, quibus tantæ Divinorum eloquiorum divitiæ donatæ ſunt ut præ illis alii videantur neglecti. Quod vero concludit, *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*, ſic adnecte; Cauſa cur qui primi erant poſtremi fiant, eſt, quod, & ſi vocati ſint tam multi, ſuo tamen vitio non eligantur præter paucos. Prædicit igitur duo, & Gentes præceſſuras, & paucos à Judæis ſervandos.

22. *Neſcitis quid petatis*] Ignorabant adhuc Diſcipuli quale futurum eſſet Chriſti Regnum; & exiſtimantes Dominum poſt reſurrectionem, de qua dixerat, eo modo regnaturum quo cæteri Judæorum Reges, illud petierunt de quo ait *eos neſcire quid peterent*; primo quia ignorabant quale illud eſſet, deinde quod neſcirent quo pacto eo perveniretur, nempe per afflictiones & mortem: neque tamen id ſufficere; quia & ſi paterentur, non tamen regni illius conſortium dandum erat cognationis gratia & perſonarum contemplacione, quemadmodum illi exſpectabant.

ZEGERUS.

1. SImile eſt regnum cælorum homini patrifamilias qui exiit primo, &c.] Seipſum Salvator noſter hic *regnum cælorum* appellat, quemadmodum id & alias ipſum facere ſuperius indicavimus. *Patremfamilias* ergo, ut Hilarii verbis dicam, *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum exiſtimari neceſſe eſt; qui totius generis humani curam habens omni tempore universos ad culturam legis vocaverit. Vineam vero, legis ipſius opus & obedientiam; Denarium autem, obedientiæ ipſius præmium ſignificare intelligimus. Forum pro Seculo accipi res ipſa admonet, aquabiliter turbis hominum, calumniarum injuriarumque contentionibus, & diverſorum negotiorum difficultatibus ſemper tumultuoſum. Diſtincta momenta horarum, diverſa ſunt ſeculi hujus ab ipſo mundi exordio, ſeu etiam humanæ vitæ, ætates.*

2. *Ex denario diurno*] ἐκ δηναρίου subaudi λαβὼν τὸν μισθὸν, i. *pro denario in ſingulos dies.* Valet autem Denarius juxta æſtimationem Hebræorum idem quod Drachma & Zuza; eſtque quarta pars Sicli: Continet autem ſex Obolos. Obolus vero juxta interpretationem Cabalæ pondus habet argenti (ni fallor) XVI granorum hordeaceorum. Itaque Denarius pondus XCVI hordeorum habeat oportet. Budæus vero lib. 5. De Aſſe accuratius hunc expendens locum, *Denarium diurnum tres Solidos & ſemiſſem valere* dicit, *quanti vinitores fere conduci ſolent.* Et conſequenter Denarium hunc Romanum fuiſſe ex eo oſtendit, quod c. 22. dicitur, *Oſtendite mihi numiſma cenſus: at illi obtulerunt ei denarium. Ex quo*, inquit, *apparet in denario fuiſſe effigiem Cæſaris Auguſti, vel Tiberii: & tales hodie denarii circumferuntur, ne quis de eo dubitare poſſit*] Hæc ille.

8. *Cum ſero autem factum eſſet*] Ante hæc verba in Vulg. Eccleſiæ Rom. editione, librariorum, ut ſuſpicor, incuria, præterniſſa eſt talis clauſula, *& quod juſtum fuerit accipietis:* atque hanc non prætermittendam eſſe, cum Græcorum exempl. conſenſu, tum antiquiſſ. explanatorum commentariis evidentius probari poteſt. Idem quoque arguit & Officium Eccleſiaſticum in antiphona quadam Dominicæ LXX ita habens, *Nemo nos conduxit. Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis.* Tandem quoque in communicato nobis exemplari Corſendoncenſi ſpatium offendimus vacuum caſtigatoris, vel depravatoris verius, raſura factum, quod palam teſtatur illic ſcriptum fuiſſe quod dicimus: quod genus depravationis & alia plura in eodem offendimus. Vide finem Præfationis noſtræ.

11. *Et accipientes murmurabant*] Nemo ita accipiendum putet quaſi livor aliquis aut murmuratio ſit inter ſanctos; quin potius agnoſcat ſummum hac reſponſatione exprimi poſtremis exhibitum favorem; qui poſtremi prioribus illis & ad mercedem accipiendam vocantur priores, & in ipſo præmio redduntur æquales. Quæ gratia tam eſt inſignis, ut juxta humanam conditionem æſtimationemque non injuria quis poſſit invidere.

12. *Pondus diei & æſtus*) *Æſtum*, quod in Græcis eſt caſu accuſandi, in noſtris cod. hactenus non quivimus invenire.

15. *Quod volo facere in meis*] Hoc *in meis* abeſt quidem ed. noſtræ Vulgatæ: verum cum apud probatos quoſque reperiatur autores, adſtipulantibus exempl. Græcis, caſu aut negligentia prætermiſſum credo. Itaque non dubitavi adjicere. Poteſt vel ad res vel ad perſonas pertinere, ſed commodius ad res, ut ſic vertatur, *in iis quæ mea ſunt.*

19. *Ad deludendum*] Sic ſcribitur ab Auguſtino, & in cod. antiquis.

22. *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem*] Ne quis moveatur Latinorum cod. cum Græcis diſſonantia, quod in Græcis plus aliquid habeat, utpote in quibus ſcriptum ſit, δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν, ἢ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι; ἢ τὰ ἑξῆς, i. *Poteſtis bibere poculum quod ego bibiturus ſum, & baptiſmo quo ego baptizor baptizari? Dicunt ei, Poſſumus. Ait illis, Poculum quidem meum bibetis, & baptiſmate baptizabimini*, indicandum putavi utramque lectionem juxta apud probatos reperiri autores. Ad hæc, nil periculi eſt ſi quædam in noſtris non exprimantur, maxime cum ea à Marco poſita ſint; & ſemel poſita, vel à ſolo, ad fidem faciendam abunde cuivis ſufficere debeant.

23. *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt*] Primum hi honorem ſummamque dignitatem ambiebant, idque interventu matris: at Dominus ſimpliciter ſe his daturum negat, ſed aliis potius, nempe *iis quibus id paratum eſſet à Patre.* Et quidem quantum ex S. Euangeliorum narratione advertere poſſumus, non abſurdum videtur ſi Moſi atque Eliæ dignitatem hanc reſervatam intelligamus; Siquidem hi ipſi præ cæteris omnibus Chriſto in regni ſui gloriam transfigurato adſiſtere conſpecti ſunt: quam utique viſionem venturæ illius viſionis effigiem prætuliſſe nemo eſt qui ambigat. Quibuſcunque tamen hic honos ſit reſervatus, ejus non prorſus exſortes futuros arbitramur hos ipſos Apoſtolos, utpote quos, ſicut & cæteros, *ſuper ſedes* XII *conceſſuros ac judicaturos* XII *tribus Iſrael*, Chriſto hoc ipſum pollicente, cognovimus. In hanc ſententiam fere B. Hilarius ne quis forte exiſtimet hoc me de cribro, quod ajunt, divinare. Sunt qui ſecus ediſſerant, verum hoc mihi viſum eſt ſimplicius.

25. *Principes Gentium dominantur eorum*] Interpres ſuo aut certe ſeculi ſui more *gentis* vocabulum ſub maſculino genere uſurpat; ſicuti & alias in Scriptura poſitum invenitur: ut Pſal. 9. *Judicentur gentes in conſpectu tuo: conſtitue Domine, legiſlatorem ſuper eos*: niſi forte dicere malis eum ad rem reſpexiſſe potius quam ad vocem. Et *dominantur eorum* ex imitatione dicit Græcorum, pro *dominantur eis.*

28. *Dare animam ſuam*] i. vitam ſuam, *redemptionem*, ſive λύτρον, *pretium*, *pro multis.*

34. *Et confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum*] Ne quid hic putetur deeſſe, quod in Græcis pluſculum quid habeatur, bre-

breviter indicandum illud *αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοὶ eorum oculi* radendum eſſe, propterea quod apud veteres non legatur. Nam Auguſtinus l. 2. De conſenſu Euang. cap. 65. ut cæteros ſileam, ſimpliciter ſcribit, *& confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum:* etſi non ignorem Theophylacti interpretem ſecus feciſſe, ſed perperam.

MASIUS.

30, &c. CUm Chriſtus Jericho appropinquaſſet unum cæcum juxta viam ſedentem curavit, ut Lucas ait. Poſt introiit in urbem & à Zachæo hoſpitio exceptus eſt. Deinde poſtquam rurſus per alteram portam verſus Jeruſalem exiviſſet, Bartimæo viſum reſtituit, ut ait Marcus. Deinde in itinere duos item alios juxta viam cæcos curavit, ut Matthæus narrat, quamquam ſint, qui horum duorum alterum velint Bartimæum eſſe, & proinde duos tantum, non tres curatos eſſe; verum ſi diligenter animum adverras, intelliges unicum Marci, aut intra mœnia, aut non procul à mœnibus Jericho curatum eſſe, duos vero illos Matthæi medio prope itinere inter Jericho & Bethania. Dicit enim Marcus *ἐκπορευομένου αὐτοῦ*. Non autem *παρερχομένου* aut *παρεργομένου*. Præterea dicit eum eſſe ſequutum Jeſum in via, quaſi tum, quando reſtituebat, adhuc in urbe, & nondum in via, extra ſcilicet urbem fuiſſet. Matthæus vero dicit *ὅτι παρέρχετο*, quod Chriſtus tranſiret.

LUCAS BRUGEN.

22,23. P*Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Calicem quidem meum bibetis*] Græci & Syri codices, Græcis Interpretibus ſuffragantibus, verſui 22 addunt, *Et baptiſmo quo ego baptizor baptizari?* ver. 23. *Et baptiſmo quo ego baptizor baptizabimini.* Libris noſtris, qui iſtud in ſolo habent Marco (cap. 10. 38, 39.) adſtipulantur BB. Hilarius, Ambroſius lib. 5. De fide cap. 3. Hieronymus, & exemplaria Græca Pariſienſium duo, *β*, *η*.

23. *Sedere autem ad dexteram meam & ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo*] *Vobis* nec in Græcis reperitur nec in Syris, ut neque apud Græcos Interpretes, Chryſoſtomum, Theophylactum & Euthymium. Auguſtinus etiam lib. 1. De Trinitate cap. 12. omnino non legiſſe videtur, quamvis ſemel aut iterum addatur: nec ſatis, Hieronymo lectum fuiſſe, poſſum ex commentario ejus colligere. Exiſtimant quidam fuiſſe additum propter id quod ſequitur, *Sed quibus paratum eſt à patre meo.* Cæterum Latini omnes libri, quotquot vidimus, ſervant in Matthæi Euangelio (nam in Marci (cap. 10. v. 40.) omittunt quidam) & Enarratores, Beda, Druthmarus, Remigius, Anſelmus, Carenſis, Albertus, Lyranus, Gorran, Richelius, inter alios exponunt. Ex veteribus quoque Hilarius ſic locum interpretatur ut eum *vobis* legiſſe, neque intellexiſſe tantum, vero ſimillimum fiat.

STEPHANUS.

Κεφ. κ, Περὶ τῶν ἀναπαλίντων αὖθις Ἰωάννου.

Ματθ. ἐν τῷ Λουκ. ἰμ. ια, Ὁ δὲ Ἰωάννης ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ, πέμψας δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, εἶπεν αὐτῷ, Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος,

Περιόμεθα, ἄλλον μαθητὴν πρὸς Θεὸν ἀληθῆ ἀνδρὸς;

Ἄθως,

Πέμψει Ἰωάννης πρὸς Ἰησοῦν δύο μαθητάς.

1. M*ισθώσασθαι ἐργάτας εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ*] *Ad conducendos operarios in vineam ſuam.*

2. Συμφωνήσας] *Pactus.*

8. Τῷ ἐπιτρόπῳ] *Procuratori.*

9. Ἀνὰ δηνάριον] *Singuli denarium.*

11. Ἐγόγγυζον] *Murmurabant.*

12. Ἐποίησαν] *Impenderunt.*

15. Ἢ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι;] *An maligno & invido oculo meam benignitatem vides?*

18. Κατακρινοῦσιν] *Condemnabunt.*

19. Εἰς τὸ ἐμπαῖξαι καὶ μαστιγῶσαι καὶ σταυρῶσαι] *Ut illudant & flagellent & crucifigant.*

23. Ἡτοίμασται] *Paratum eſt.*

24. Ἠγανάκτησαν] *Indignati ſunt.*

25. Κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν] *Dominantur in eos, & magnates poteſtatem exercent in eos.*

32. Ἐφώνησεν] *Vocavit.*

DRUSIUS.

1. H*Omini patrifamilias, ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ*] Quod ita dicitur ut *ſervus homo* apud Plautum, *homo ſacerdos & mulier ancilla* apud Salluſtium. Sic *ἀνὴρ ἀλιεύς* apud Herodotum, & *ἄνδρα βαλήφερον* apud Homerum. Obvia hæc locutio Matth. 13, & 21. item 18. 23. Vide quæ notavimus ad hunc poſteriorem locum. Similis parabola exſtat in lib. Muſar, cap. 10. & in Ilmedenu ſive Jelammedenu fol. 38. col. 2. de quodam Rege qui conduxerat operarios ad opus ſuum, & ex iis unum duxerat prodeambulatum uſque ad veſperam, qui tamen parem mercedem cum aliis accipiebat.

7. *Quicquid juſtum erit*] Exemplar Ebraicum à Mercero editum, *quod rectum erit.* Syrus כדאי *quod oportet, quod decet*, aut *convenit.* Id etiam כ scribunt, & abſque punctis vocalibus כאי. Syrum eſt. Munſterus & Genebrardus peſſime interpretantur, *inconveniens, incommodum, abſurdum*; quod potius diceretur לא וכאי. Num. 20. 19. מחיר מכרם, Hieron. *dabimus quod juſtum eſt.* LXX, *δώσω τιμὴν σοι.* Alius, *dabo pretium earum. Quod juſtum eſt*, i. mercedem juſtam & æquam.

12. *Fecerunt*] i. fuerunt in opere. *Facere*, pro *facere opus.* Contra עשה pro *facere* uſurpatur, i. עשיו, Ilmedenu 28. 2. *Non feciſti cum illis niſi per duas horas, tolle juxta id quod feciſti*, lib. Muſar, 99. 1. & 117. 2. *Sub qua arbore feciſti*, i. *fuiſti in opere*, aut *feciſti opus.* Alibi *facere*, cum de Deo dicitur, ſignificat *facere judicium.* Quod qui neſciverunt, multa loca Scripturæ vertendo corruperunt. Non omnes Bacchi ſunt qui thyrſos gerunt.

15. *An oculus tuus malus eſt?*) Oculus malus non tantum invidentiam notat ſed etiam ſordes & avaritiam. Sirach. 31. 13. *Malum eſt oculus malus*, i. reſtrictus, ſordidus. Contra Sirach. 35. 7. *Oculo bono honora Dominum*, i. largiter, benigne. Quod intelligentiam habet ex illo, *Honora Dominum de opibus tuis.* Rurſum Sirach. 14. 7. *πονηρὸς ὁ βασκαίνων ἐπὶ ὀφθαλμῷ.* Apud Horatium l. 1. epiſt. 14.

Non iſtic obliquo oculo mea commoda quiſquam
Limat.

quidam interpretatur *invido oculo.* Prov. 22. 9. טוב עין *bonus oculo*, i. liberalis, benignus: & 23. 6. רע עין *malus oculo*, i. avarus. In lib. Aboth, cap. 5. *Qui habet oculum malum & ſpiritum altum & animam latam, hic eſt è diſcipulis Balaami improbi. Contra qui habet oculum bonum & ſpiritum depreſſum & animam humilem, hic eſt ex diſcipulis Abrahami patris noſtri.* Scholiaſtes ad hunc locum, *Oculus bonus invidia vacat, ſpiritus depreſſus cupiditate, anima humilis ambitione.* Sunt qui diſcriminant inter *oculum malis* & *oculum malum. Nam ille*, inquiunt, *nocet aliis; hic autem, ſibiipſi.*

19. *Tradent eum gentibus*] h. e. Romanis. Pilatum intelligit & milites ejus. Sic Pſal. 2. 1. *Quare tumultuata ſunt gentes, & populi meditati ſunt inania?* Vide ſequentia.

26. *Major fieri*] i. maximus. Quanquam in fonte Græco *μέγας magnus.* Fortaſſe interp. noſter uſus fuit codice in quo ſcriptum erat *μείζων*, ut infra 23. 11. *Qui major eſt veſtrum ſit veſter miniſter:* ubi ὁ μείζων in Græcis cod. pro ὁ μείζων, comparativus pro ſuperl. Sic Matth. 18. 1, 4. *Major in regno cælorum*, i. maximus. Confer hunc locum cum c. 23. 11. & fateberis eandem utrobique ſententiam eſſe. Rurſum Matth. 13. 32. *μεῖζον τῶν λαχάνων maximum olerum.* Vide Marc. 4. 32. & Joh. 10. 29. Apud Sirachidem l. 4. *πρώτιστος πάντων prima omnium ſapientia.* Tamen in hoc loco Matthæi, ut & 18. 1. non male *major* exponeſ *magnus.* Nam comparativus ſolet poni aliquando pro poſitivo, ut *ſenior* pro *ſene:* unde *ſeniores populi* qui Hebræis זקני עם *ſenes populi.*

27. *Dominantur eorum*] Præcedit *gentium:* Debuiſſet ergo dicere potius *earum:* ſed eſt conſtructio ſenſu congrua, non voce: quam qui non admittit in oratione, næ ille neſcit veteres dixiſſe *gentes quos*, ut notatum in edit. Romana. Paulo poſt *qui majores ſunt* dixit pro *qui magni ſunt*, comparativo uſus pro poſitivo; & *poteſtatem exercent in eis*, pro *in eos* vel *eas.* Si legas *eos*, *populi* ſubintelligendi ſunt.

28. *Pro multis*] Vide num exponi poſſit pro *cunctis* aut *omnibus*, ut Dan. 12. 2. *Multi è dormientibus in pulvere terræ expergiſcentur.* Nam reſurrectio eſt omnium, non multorum. Contra *omnis* quandoque ponitur pro *multus.* Sic dico, *multus & omnis* ſe invicem explicant. Aut *expergiſcentur & evigilabunt ad vitam*; quod proprium eſt juſtorum: unde dicitant, *Reſurrectio ad vitam* (vocant חיים, i. ἀναζίωσιν, q.

vivificationem dicas) *duntaxat eſt juſtorum.* Nam improbi reſurgent quidem, ſed non ad vitam, ſed non in cœtu juſtorum. Cæterum οἱ πολλοὶ quandoque de *vulgo* uſurpatur ſive de *multitudine*; item de *mortuis*, qui & πλείονες dicuntur. Nam plures mortui ſunt quam viventes. Quanquam quidam ne eſſe quidem mortuos cenſent. Sunt, & non ſunt. Sunt in rerum natura, non ſunt in vivis.

CASAUBONUS.

1. Ἐξῆλθεν ἅμα πρωΐ] Homerus, ἅμ' ἠοῖ φαινομένῃφι. Alii ἅμ' ἠοῖ.

12. Μίαν ὥραν ἐποίησαν] Ποιεῖν hic potius accipio pro λογίζεσθαι quam pro ἐργάζεσθαι: qua de ſignificatione hujus vocis, vide infra Πραξ. 15. 33.

13. Οὐχὶ δηναρίου συνεφώνησάς μοι;] Vetus interpres videtur ἐκ δηναρίου legiſſe hic quoque, ut v. 2.

15. Ἢ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι;] Non eſt dubium πονηρὸν ὀφθαλμὸν dici de homine invido, quemadmodum etiam Theophylactus interpretatur. Et Græci ſimillime βασκαίνειν dicunt τὸ φθονεῖν ſive *invidere*, quia videantur homines invidi τοῖς φθονουμένοις *oculis nocere* atque *occidere*: quo reſpexit Virgilius cum dixit,

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Remedium autem adverſus faſcinum putabant veteres eſſe, ſi res turpis & ridicula conſpicienda objiceretur, ut ex Plutarcho, & Polluce, itemque Varrone conſtat: qua de re plura alias commodiore loco.

17. Παραλαβὼν οὖν δώδεκα μαθητὰς κατ' ἰδίαν ἐν τῇ ὁδῷ] Placet doctiſſimis viris ſenſum eſſe, Chriſtum voluiſſe hos ſolum duodecim diſcipulos ſuos hujus itineris comites habere: Sed cum ex iſtis verbis tum ex verbis Marci videtur poſſe colligi non ſolos Apoſtolos Chriſtum eſſe comitatos. Marci verba hæc ſunt, Ἦσαν δὲ ἐν τῇ ὁδῷ, ἀναβαίνοντες εἰς Ἱεροσόλυμα· καὶ ἦν προάγων αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς· καὶ ἐθαμβοῦντο, καὶ ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο. Καὶ παραλαβὼν πάλιν τοὺς δώδεκα, &c. Nam cum dicit, Ἦσαν δὲ ἐν τῇ ὁδῷ, deinde ſubjicit, Καὶ παραλαβὼν, &c. videtur ſignificare etiam illam turbam Chriſtum fuiſſe comitatam quæ fere conſueverat eſſe cum eo. Lucas tamen duodecim tantum Apoſtolorum meminit.

GUALTPERIUS.

9. Ἔλαβον ἀνὰ δηνάριον, *Acceperunt ſinguli denarium*] Syrus, *acceperunt denarium, denarium*, i.e. ſinguli: idiotiſmus Hebræus eſt. Eleganter autem ita uſurpatur vox Græca ἀνὰ, de qua alibi.

26. Διάκονος] *Diaconus, miniſter:* vox Græca, & omnibus nota.

JAC. CAPPELLUS.

16. ET *erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi*] i.e. æquales, prout indicatur v. 9, 10. Hanc æqualitatem ſuadere videtur, 1. Quod dicitur 1 Cor. 15. 28. *Deus futurus omnia in omnibus.* 2. Quod omnes *fulgebunt inſtar Solis*, Matth. 13. 43. 3. Quod omnibus promittitur *corona juſtitiæ*, 2 Tim. 4. 8. 4. Quod Apoc. 21, & 22. nulla comparent diſparitatis veſtigia, nec Apoc. 7, & 14. 5. Quod omnes Deum videbunt, ſicut eſt, perfecte, 1 Corinth. 13. 12. 6. Quod omnes ſumus æque redempti, juſtificati. 7. Quod omnes futuri ſumus Sponſa Chriſti. 8. Reges, quæ dignitas imparitatem non admittit, Apoc. 1. 6. 9. Dei filii, & hæredes, cohæredes Chriſti, Rom. 8. 17. 10. Quod omnes futuri ſumus æque ſancti.

LUD. CAPPELLUS.

1. SImile *eſt regnum cælorum patrifamilias*, &c.] Judæi, maxime veteres, abundant parabolis. Refertur una à R. Jona in Arcano pœnitentiæ, quam dicit ſe deſumpſiſſe ex Tanchuma, quæ huic Chriſti parabolæ eſt plane ſimilis, videturque omnino ex ea efficta. Dicit ergo iſthic R. ille Jona, Eum qui bene vixit, ſi moriatur in medio dierum ſuorum (h. e. termini à natura homini conſtituti) accipere tamen à Deo eandem mercedem cum eo qui totos LXX annos, homini ad vivendum à natura conſtitutos, vixit in obſervatione præceptorum Divinorum. Atque id comprobat primum teſtimonio Salomonis, qui ait, *Servi ſomnum dulcem illi eſſe, ſive multum ſive parum comederit*, h. e. inquit R. ille Jona, Sive quis diu ſive brevi vixerit, mercedem tamen ejus parem eſſe. Confirmat deinde exemplo Moſis & Samuelis. Moſes, inquit, rexit Iſraelitas XL annis, Samuel X duntaxat annis, & tamen uterque eandem accepit mercedem: ſcriptum eſt enim de illis, Pſal. 99. 6. *Moſes & Aaron inter Sacerdotes ejus, & Samuel inter invocantes nomen ejus.* Denique illuſtrat parabola iſta, *Simile eſt*, inquit, *iſtud Regi qui conduxit operarios, cumque illis cæpiſſet ſtrenue & fideliter laborare, Rex unis eorum dixit, Veni, & deambulemus per civitatem, hortos & Paradiſos: ita ambulavit ille una cum Rege tota die, reliqui autem laborarunt in opere ſuo. Sub veſperam venerunt ad Regem, dixeruntque illi, Da nobis mercedem noſtram: venit etiam ille qui tota die cum Rege ſpatiatus fuerat, petiitque ſimiliter mercedem ſuam. Dixerunt illi alii, Quare acciperes tu mercedem? tota enim die nihil laboraſti in opere noſtro. Reſpondit ille, Per me non ſtetit quominus laborarim. Viditque Rex jus eſſe penes iſtum, itaque juſſit illis dari cum reliquis mercedem ipſius.* Hæc ille ex Tanchuma.

GROTIUS.

1. Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ, *Regnum cælorum homini*] Id eſt, *Similiter ſe habet æquitas Divinæ diſpenſationis circa Regnum cæleſte, ac ſi quis paterfamilias exiret*, & quæ ſequuntur. ¶ εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ, *in vineam ſuam*] Εἰς [*in*] eſt pro ל [*ſigno Dativi caſus*] Hebræo. Syrus לכרמוהי, id eſt, *in uſum vineæ ſuæ.*

2. ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν, *ex denario diurno*] *Denarius diurnus ſtipendium* Tacito.

3. ἐν τῇ ἀγορᾷ, *in foro*] In foro plerumque verſabantur homines otio dediti, quos ἀργοὺς vocat Lucas Actor. XVII, 5. *forenſes*, Cicero ſæpe; Feſtus, *ordinarios*; Plautus atque alii, *ſcurras*; Romani etiam, *ſubroſtranos.* Ammonius, Ἀγοραῖοι· οἱ περιπατοῦντες, σημαίνει τὸ πονηρὸν, τὸ ἐν ἀγορᾷ πεπαιδευμένον [Ἀγοραῖος *ſi ſcribatur cum accentu in antepenultima ſignificat hominem malum, in foro educatum*].

4. ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον, *quod juſtum fuerit*] *Quod æquum erit*, ut recte transfert Syrus: quæ verba & infra connate 7. repetunt nunc libri Græci, quos Syrus ſequitur: at olim ſubintelligebantur, ut ex priſcis Latinis exemplaribus apparet. Δίκαιον, ut ſæpe ישר, *æquum* hic ſignificat, ut & Philip. I, 7. Coloſſ. IV, 1. II Petri I, 13. Solemus duobus modis operam aliquorum conducere, aut præſtituta mercede, aut indefinita promiſſione ejus quod æquum erat, unde non locati & conducti, ſed præſcriptis verbis actionem naſci ajunt Juriſconſulti. Quanquam autem nihil neceſſe eſt ſingulas fabellæ partes referri ad ἀντιμισθίαν [*Reddititionem*], tamen non fruſtra videtur duplicis conductionis fieri mentio: quia ſub diſpenſatione Fœderis Sinaitici obedientiæ merces propoſita erat certa, definita ac ſenſibus obvia, beata ſcilicet terræ Chananææ poſſeſſio, vita longæva, & quæ alia Lex proponit; at ſub diſpenſatione Novi Fœderis Sionæi ſpes obedientium poſita eſt non in rebus conſpicuis, ſed in bonitate Divina, à qua confidimus nos impetraturos ea quæ nec oculus vidit nec auris audivit.

6. Περὶ δὲ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν, *Circa undecimam vero horam*] Sero admodum. Dejotaro in multa ſenectute urbem condenti dictum eſt, Εἰ βασιλεῦ, δωδεκάτης ὥρας οἰκοδομῶν ἄρχῃ [*O Rex, hora duodecima adificare incipis*]. Narrat Plutarchus Craſſi Vita, & Appianus Parthico.

8. ἐπιτρόπῳ αὐτοῦ· *procuratori ſuo*] Vox hæc ουνερσα etiam ad Hebræos pervenerat. Idem ειπιτροπος alibi, Latine *diſpenſator.* ¶ ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων, *à noviſſimis uſque ad primos*] Id eſt, nulla ordinis inter ipſos habita ratione, ſed ita ut nemo prætermittatur. Alioqui dicendum fuerat, ἀπὸ τῶν πρώτων ἕως τῶν ἐσχάτων [*à primis ad ultimos*], quomodo apud Johannem eſt VIII, 9. ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων ἕως τῶν ἐσχάτων [*à Senioribus ad ultimos*]. ſed cum æqualitas denotatur ſolet invertı locutio, ut ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου [*à minimo uſque ad maximum*] Actorum VIII, 10.

9. ἀνὰ δηνάριον, *ſingulos denarios*] Sic vocem hanc ſenſu diſtributivo uſurpant Medici. Hebræi פה dicunt.

11. ἐγόγγυζον, *murmurabant*] Ita vocem לן vertunt LXX, ut Exod. XVII, 3. Numer. XIV, 2, 27. & alibi. Latine *obloqui* non male verteris.

12. ἐποίησαν, *fecerunt*] Ex Hebraiſmo non ex Latinitate interpretandus locus. Optime Syrus עבד id eſt, *opus fecerant*, quomodo Terentius loquitur. Nam Hebræi ita & עבד & פעל uſurpant. Vide Exodi V, 9. collato loco Levitici XXIII, 7. Sic & Exodi XX, 9, 10. Imo, ut pridem notatum eſt, exſtat ſimilis αἶνος [*ſcrupus*] apud Hebræos, & in eo idem loquendi genus.

13. Ἑταῖρε,

13. Ἑταῖρε, *Amice*] Eſt & apud Hippocratem & alios hæc compellatio leviter notis accommodata: eadem infra XXII, 12. Hebræis רע ſic ponitur. Latini dicerent *bone vir*, aut *mi homo*.

14. Θέλω δὲ, *volo autem*] In omni hac narratione admiranda eſt ὑποτύπωσις [*Subjectio ſub adſpectum*]. Nam hoc modo rejicere ſolemus importunos reſponſatores; *ita volo, ita mihi videtur*. vide & infra 15. ¶ ὡς καὶ σοι. *ſicut & tibi*] Male cohærere hoc videtur cum eo quod ſequitur infra 16, & quidem connectente particula ὅτως [*ſic*]. Hic enim æqualitas videtur deſignari, ibi inæqualitas; tantoque magis ſi obſervemus idem illud quod infra eſt Ἐπιφώνημα [*Epiphonema*] apud Lucam referri ad Judæos excluſos à Regno, alienigenas autem admiſſos. Video multis modis hunc nodum ſolvi. Mihi nihil occurrit probabilius quam δηναρίου [*denarii*] ſimilitudinem referre ad qualemcunque ἀντιμισθίαν [*retributionem*] bene aut male, σαρκικῶς [*carnaliter*] ſive πνευματικῶς [*ſpiritualiter*] navatæ operæ. Nam & μισθαποδοσίαν [*mercedis retributionem*] ſimili modo uſurpat ad Hebræos Scriptor II, 2. Adde Apocal. XXII, 12. Et in hoc quidem æquitas Divina, in eo autem ſumma & benignitas & libertas apparent, quod Deus ad ignorantiæ tempora connivens pridem edoctos ſerius edoctis adæquat. Neque aliter hunc locum interpretatus eſt Baſilius. Vide & quæ diximus ſupra ad vocem δίκαιον [*juſtum*].

15. Ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς; *Aut non licet mihi quod volo facere de rebus meis?*] Jam dixi ita ſolere importunos. Neque ideo cogitandum eſt nihil aliud dici poſſe pro Divina diſpenſatione quam illud *Sic volo, ſic jubeo*, cum hujus ipſius diſpenſationis cauſæ alibi ſæpius reddantur tales quæ Divinam ſapientiam maxime deceant. Sed is mos eſt Deo: Humiliter ſe venerantibus exactas ſæpe reddit conſiliorum ſuorum rationes, ut Geneſeos XVIII. contumacibus jure imperii ſilentium indicit; quaſi Rex craſſis hominibus de lege æquiſſima querentibus diceret, Vobiſne ego conſiliorum meorum rationem reddam? ¶ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, *an oculus tuus nequam eſt*] Et non eſt hic cauſale ſed percunctativum, quomodo Syrus & Latinus reddiderunt, ut ſupra XII, 10. Ὀφθαλμὸς πονηρὸς [*oculus nequam* ſive *malignus*] Hebræis proprie eſt קַדְרוּת [*notatio*] invidi; quomodo & βάσκανον ὀφθαλμὸν [*oculum invidum*] dicunt Græci; unde Latinorum *faſcinus*, cujus vis eſſe in oculis credita. Hinc ad avarum traduci cœpit, ut Proverb. XXIII, 6. quia avarus & ſibi & aliis rei ſuæ uſum invidet. Itaque avari oculus ut πονηρὸς [*malignus*] ita & φθονερὸς [*invidus*] dicitur ſenſu eodem Tobiæ IV, 7 & 16. Μὴ φθονησάτω σου ὁ ὀφθαλμὸς ἐν τῷ ποιεῖν ἐλεημοσύνην [*Ne invideat oculus tuus cum facis eleemoſynam*]. Eccl. XIV, 10. Ὀφθαλμὸς πονηρὸς φθονερὸς ἐπ' ἄρτῳ [*Oculus malignus invidet de pane*]. Videnda & quæ ibidem antecedunt. Latini quoque cum invidum depingunt *dolere ei oculos* dicunt *ex alienis commodis*. Apud Libanium eſt, φθόνου κακίστης ὀφθαλμός [*invidiæ malus oculus*].

16. Οὕτως, *Sic*] Quandoquidem non reſpiciet Deus ad majorum virtutes & exteriorem juſtitiam, cui Judæi ſolent confidere, ſed ad obedientiam fidei quæ non infructuoſa, quantumvis ſera, ſi ſeria. ¶ πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί. *multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*] Sicut verba καλεῖν [*vocare*] & ἐκλέγειν [*eligere*] varios accipiunt ſignificatus, ita & nomina hæc verbalia ad participiorum paſſivorum naturam proxime accedentia, niſi quod manentem qualitatem potius quam actum tranſeuntem notant. Sicut ὁ κεχρισμένος [*perunctus*] eſt *is qui quoquomodo unctus eſt*, Χριστὸς [*Chriſtus Unctitius*] autem *qui ex unctione jus retinet*. Sed id diſcrimen non ſemper obſervatur. Nam infra XXII. iidem dicuntur promiſcue κεκλημένοι & κλητοί [*vocati*], qui ſcilicet ad nuptias erant invitati, tam qui venerant quam qui non venerant. Quia vero verba quoque ipſa interdum ita uſurpantur ut actioni propoſitum effectum includant, ideo multis in locis κλητὸς [*vocatus*] honoris eſt nomen, ut Romanorum I, 6. I Corinth. I, 1, 2, 24. Judæ I. ſicut & Hebræis קרוא מועד οἱ κλητοὶ [*vocati*] aut, ut LXX vertunt, οἱ συγκλητοὶ τῆς βουλῆς [*conſcripti curiæ*]. Atque hoc ſenſu cum de Chriſtianis ſermo eſt pro eodem interdum uſurpantur. Cæterum hic apparet κλητῶν [*vocatorum*] quam ἐκλεκτῶν [*electorum*] vocem latius patere, ut infra quoque XXII. ubi hæc γνώμη [*ſententia*] totidem verbis repetitur. Ἐκλεκτοὶ [*electi*] etiam Græci Scriptores ponunt τὸ ἐκλεκτὸν, τὸ ἐξαίρετον [*eminens, præcipuum*], quod in re quaque eximium eſt, ſive propria qualitate, ſive etiam aliorum æſtimatione. Helleniſtæ, quos paſſim ſequuntur Scriptores Novi Fœderis, ita ſolent interpretari Hebræum בחור ſive טוב: interdum & voces alias, ut esce Pſalm. CXLI, 4. מבחר *cum delicijs eorum*, LXX vertunt μετὰ τῶν ἐκλεκτῶν αὐτῶν [*cum electis eorum*]: & Eſaiæ XXVIII, 16. אבן בחן אבן לשת מוסדי, ἐκλεκτὸν [*lapidem multi pretii, electum*], Petrus autem λίθον ἐκλεκτὸν, ἔντιμον [*lapidem electum, pretioſum*] I, cap II, 4, 6. Rurſum LXX, ubi eſt in Hebræo בחור [*electus*] de Saule I Samuelis IX, 2. tranſtulerunt ὑψηλὸς [*magnus*]. Sic & Salvianus dixit afferre ſe *teſtimonia Paganorum electorum atque ſapientum*. Et hæc quidem propriam potiſſimum rei qualitatem notant. Ad æſtimationem illud pertinet quod Eſaiæ XLII, 1. ubi in Hebræo בחירי, apud LXX ἐκλεκτός μου [*electus meus*], noſtri Scriptores, ut ante vidimus, poſuerunt ἠγαπημένος [*dilectus*]. Quomodo & Juſtinus in epiſtola ad Diognetum refutans Judæos, qui putent τὴν μείωσιν τῆς σαρκὸς μαρτυρεῖν ἐκλογῆς [*mutilationem carnis ſignum electionis*], vocem eam interpretatur ὡς ἀφ' ὧν τῶν ἐξαιρέτως ἠγαπημένων [*tanquam ob id eximie dilectos*]. Sicut autem Divina dilectio ſuos habet gradus, ita & ἐκλεκτῶν [*electorum*] titulus modo laxius modo ſtrictius ſumitur. Nam modo ἐκλεκτοὶ [*electi*] vocantur univerſe omnes Iſraelitæ, ut populus Dei peculiaris, υἱοὶ Ἰακὼβ ἐκλεκτοὶ αὐτοῦ [*filii Jacobi electi ejus*], Pſalmo CV, 6. Ita vox hæc ſumitur Pſalmo CVI, 5. & LXXXIII, 13. & libro Eccleſiaſtici XLVI, 2. Alibi ita vocantur non quivis de populo, ſed aut qui robore præſtabant, II Samuelis VI, 1. aut ſanctitate ac munere, ut Moſes, Pſal. CVI, 23. Saul, II Samuelis XXI, 6. David, Pſalmo LXXXIX, 3. Eccleſiaſtici XLVII, 25. Neemias apud eundem Scriptorem XLIX, 15. Et Scriptor Maccabaici ſecundi I, 25. de Deo loquens, ὁ ποιήσας [*qui feciſti*], inquit, τοὺς πατέρας ἐκλεκτούς [*patres electos*], quod explicat ἁγιάσας αὐτούς [*qui ſanctificavit eos*]. Sæpe etiam ἐκλεκτοὶ [*electi*] vocantur homines vere pii, ſicut apud Eſaiam LXV, 9. & 22. Deus ἐκλεκτοὺς [*electos*] vocat eoſdem quos & δούλους [*ſervos*] & σπέρμα εὐλογημένον [*ſemen benedictum*], quomodo & Eccleſiaſtici Scriptor eam vocem uſurpare videtur XVII, 7. Nam & Sapiens Hebræus ἐκλεκτοὺς [*electos*] eoſdem vocat quos ὁσίους [*ſanctos*] III, 9. Et hæc ſignificatio receptiſſima eſt in libris Novi Fœderis, ut Romanorum XVI, 13. Coloſſ. III, 12. ubi eſt ἐκλεκτοὶ θεοῦ ἅγιοι καὶ ἠγαπημένοι [*electi Dei, ſancti & dilecti*]: & I Petri II, 9. & alibi ſæpe, ut ſuis locis videbimus. Suidas ex veteri aliquo Scriptore non male, τὸν φιλοθέων, οὓς ἡ γραφὴ ἐκλεκτοὺς ἀνόμασεν [*Deum amantium, quos Scriptura electos vocat*]. Atque hoc ſenſu vocem hanc veteribus Chriſtianis fuiſſe uſitatam ex Juſtino etiam & Clemente apparet; quæ ſignificatio huic etiam loco convenit. Nam ut oſtendit collatio loci qui infra eſt cap. XXII. κλητοὶ [*vocati*] vocantur omnes quos Deus dignatur Euangelica vocatione; ἐκλεκτοὶ [*electi*] autem qui vocati veniunt & vocatione condigne ſe gerunt, atque adeo quorum obedientia Deo grata eſt. Vide quæ de hac voce dicemus ad Lucæ XXIII, 35. & jam dictis adde. Apparet autem & hanc γνώμην [*ſententiam*] tritam fuiſſe Hebræorum ſermonibus, quam Theodoretus libro περὶ πρακτικῆς ἀρετῆς [*De activa virtute*] explicat hoc Græcorum adagio,

Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι.
[*Multi thyrſigeri, pauci quos Evion afflat.*]

Alii Chriſtiani iidem in eandem ſententiam citant Platonis illud, Οὐ, φημι, δυνατὸν εἶναι εὐδαίμονας μακαρίους τε ἢ ἐνθάδε γενέσθαι πολλοὺς ὀλίγων [*Dico fieri non poſſe ut homines felices ac beati evadant niſi pauci*]. Sinai Magiſter Hebræus, ut in Thalmudicis legitur, dixit, *Introierunt in Terram Chanaan duo tantum e ſexcentis mille: Ita ſe res habebit temporibus Meſſiæ*. In epiſtola Barnabæ illa qua utitur & Clemens & Origenes, habemus hæc, *Cum videritis tanta ſigna & monſtra in populo Judæorum (& ſic illos derelinquit Dominus) attendamus ergo, ne forte (ſicut ſcriptum eſt) multi vocati, pauci electi inveniamur*. Cohæret autem hoc modo, ni fallor, cum ſuperioribus: Nihil in eo iniqui eſt quod multi Judæorum qui ſibi valde placent poſtponentur alienigenis, aut etiam publicanis & meretricibus. Nam & illi non minus quam iſti ſerio ad pœnitentiam & fidem ſunt invitati, per quam pariter juxta iſtos impetraturi fuerant præmia in commune propoſita, ſi vocanti paruiſſent. Quanquam non nego & aliter exponi poſſe, ut ſolent proverbiales ſententiæ variis modis aptari. Poſſunt enim *vocati* intelligi cum effectu omnes qui laboris mercedem accipient; *electi* autem inter eos qui ob anteactæ vitæ culpam ſingulari quadam miſericordia opus habuerunt, quales fuerunt plerique ex Gentibus converſi.

17. κατ' ἰδίαν ἐν τῇ ὁδῷ, *ſeorſim in via*] Seorſim à cæteta ſequentium turba, cui hæc non indicavit, ne prædicendo invidiæ in ſe Judæorum odia videretur. Apoſtolis autem ſæpius eadem dixit & indies expreſſius, ut in poſterum teſtes eſſent præſcientiæ ipſius.

18. Ἰδοὺ

18. παραδοθήσεται, *tradetur*] Nondum dicit id ſibi eventurum ab uno Apoſtolorum, ne rixas inter ipſos concitaret. ¶ τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ γραμματεῦσι, *principibus Sacerdotum & Scribis*] Hos præcipue nominat, quanquam & alii erant in Synedrio, quia & Sacerdotes ſanctimonia & Legiſperiti eruditione aliis prælucere debuerant. ¶ κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ *condemnabunt eum morte*] Non ſententiam Judiciali poteſtate pronuntiando, ſed præjudicio auctoritatis ſuæ. Marcus XIV, 64. de Synedrio, Οἱ πάντες κατέκριναν αὐτὸν εἶναι ἔνοχον θανάτου [*Qui omnes condemnaverunt eum reum eſſe mortis*]. Et hic Scriptor infra XXVII 3. ἰδὼν ὁ Ἰούδας ὅτι κατεκρίθη [*Videns Judas quod condemnatus eſſet*].

19. τοῖς ἔθνεσιν, *Gentibus*] Id eſt, τοῖς ἐθνικοῖς [*Gentilibus*], more Hebræorum, qui גוים vocant non tantum nationes integras, ſed & ſingulos ἀλλοφύλους [*alienigenas*], quomodo & Paulus ſæpe uſurpat. Apertum autem eſt Pilatum intelligi cum omni conſilio ac ſatellitio ſuo, Actorum IV, 27. Oſtendit autem Chriſtus indignitatem facinoris, quod Judæi ad ſe perdendum illorum uſuri eſſent opera quorum etiam contactum defugiebant: *Occidiſti eum gladio Ammonitarum* II Samuelis XII, 9. ¶ εἰς τὸ, *ad*] Bene exponit Syrus ἐκβατικῶς [*eventualiter*], quomodo ſæpe εἰς τὸ, ἵνα, ὥστε [*ad, ut*] ſumuntur. Quanquam enim ſupplicium crucis erat ex deſtinatione Judæorum, at flagellatio extrinſecus advenit. Sed merito omnia mala illis imputabantur qui ſuo ſcelere occaſionem malis præbuerunt.

20. αἰτοῦσά τι παρ' αὐτοῦ, *petens aliquid ab eo*] Videtur Salome hanc fiduciam concepiſſe ex eo quod nulla aliorum Apoſtolorum mater Chriſtum ita perpetuo ſectaretur, eique tam ſedulo inſerviret. Fovit ſpem materni ambitus, quod filios aliquoties intelexiſſet ſeorſim à Chriſto abductos ſine aliorum Apoſtolorum comitatu, ita ut Petrus ſolus contendere cum ipſis poſſe videretur. Illud τι [*aliquid*] ipſam, ni fallor, petitionis præfationem indicat. Solent enim qui aliquid ſunt poſtulaturi præfari, non multa à ſe ſed unam rem peti, ne inverecundi videantur. Vide hiſtoriam I Regum II, 14. 20. Hæc eſt Salome cujus colloquia quædam cum Chriſto apud Ægyptios ferebantur. Inter alia narrabant ei dictum à Chriſto Ἦλθον καταλῦσαι τὰ ἔργα τῆς θηλείας [*Veni diſſolutum opera mulieris*]. Tum illam quæ ſiſſe, Μέχρι τίνος οἱ ἄνθρωποι ἀποθνήσκουσι; [*Quamdiu morientur homines?*] reſpondiſſe Dominum, Μέχρις ἂν τίκτωσιν αἱ γυναῖκες [*Quamdiu parient mulieres*]. Rurſum cum illa de rebus aliis percunctata &, ut videtur, rejecta, inſtans quæſiſſet πότε γνωσθήσονται τὰ περὶ ὧν ἤρετο [*quando apparitura ſint ea de quibus interrogaverat*], reſponſum à Chriſto, Ὅταν τὸ τῆς αἰσχύνης ἔνδυμα πατήσητε, καὶ ὅτε ἂν γένηται τὰ δύο ἓν καὶ τὸ ἄρρεν μετὰ τῆς θηλείας οὔτε ἄῤῥεν οὔτε θῆλυ [*Cum indumentum pudoris calcabitis, & cum fient duo unum, & mas cum femina nec mas nec femina*]. Quæ omnia ſi quid habent veri (de quo merito antiqui etiam dubitarunt: neque enim videntur iſta ſapere ſimplicem illam majeſtatem quæ in verbis Chriſti ubique eluceat) non opus habent ſubtiliter excogitatis ἀπορρήτων [*ſenſus abditi*] involucris, quæ iſtis interpretandis veteres adhibuerunt, cum mihi apertum videatur nihil aliud in illis verbis ſignificari quam quod apud Lucam dicit Chriſtus, ὅτι οἱ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν οὔτε γαμοῦσιν οὔτε ἐκγαμίσκονται· ἰσάγγελοι γάρ εἰσι [*qui digni habebuntur reſurrectione neque nubent, neque ducent uxores; æquales enim Angelis ſunt*]. Quod autem dicitur, *mortem manſuram donec parituræ eſſent mulieres*, convenit Hebræorum Philoſophorum interpretationi ad locum Proverbiorum XXX, 16. ubi *inſatiabilia* eſſe dicuntur ᾅδης [*Infernus*] & *os uteri*, quod illi exponunt φθορὰν καὶ γένεσιν [*interitum & ortum*], quæ perpetuo mutuis ſe vicibus excipiunt ad finem uſque ſeculi hujus: quomodo φῶς & ᾅδου [*lucem & Orcum*] conjunxit Hippocrates cum dixit, Νομίζεται ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων τὸ μὲν ἐξ ᾅδου εἰς φῶς αὐξηθὲν γενέσθαι, τὸ δ' ἐκ φωτὸς εἰς ᾅδου μειωθὲν ἀπολέσθαι [*putatur hominibus naſci quod ex Orco in lucem proficit, perire quod ex luce in Orcum deficit*]: quo loco Hippocrates principia animalium facit Ignem & Aquam, quorum duorum etiam Solomon dicto loco meminit, ut videri hoc poſſit ex barbara Philoſophia in Græciam tralatum.

21. εἷς σου ἐκ δεξιῶν σου, καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων σου ἐν τῇ βασιλείᾳ σου [*unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo*] Audierat ex filiis mater, Apoſtolis communiter promiſſam dignitatem quaſi φυλάρχων [*principum in Tribubus*], ut ſupra diximus; ſed ſciebat etiam inter eos qui paris eſſent gradus aliquem eſſe ordinem: quemadmodum in veteri Regno Iſraelitico duo primi loci erant τῶν φυλάρχων [*principum in Tribubus*] Tribuum Judæ & Joſephi. Hos igitur honores filiis ſuis depoſcit. *Dextra Regis aſſidere* ſignificat locum à Rege principem. Ita Solomo ſedens in ſolio Regio matris ſedem collocari juſſit proxime ſe ad dexterum latus, I Regum II, 19. Alibi Regina dicitur ſedere *ad dexteram Regis*, ut Pſal. XLV, 10. Tiridatem, ut apud Suetonium eſt, Nero *juxta ſe latere dextro collocavit*. Ita Chriſtus ipſe, quanquam in Regno ſuo Rex, cum tamen Deo Patri ſuo comparatur, dicitur *ſedere ad ipſius dextram*, ſive *ad dextram ſeſſe*, ut loquitur divinus ad Hebræos Scriptor XII, 3. Quo & illud pertinet quod apud Danielem *ſolia poſita* duo interpretatur Rabbi Akiba alterum Deo Patri, alterum Meſſiæ. Eodem plane ſenſu de Minerva dictum eſt Pindaro, δεξιὰν δὲ χεῖρα πατὴρ καθιζομένᾳ [*Patrius ad dexteram ſedentem*] citante Ariſtide: quod Horatius ita expreſſit,

Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

Tertius autem in Regno locus conſequenter deſcribitur ſeſſione ad ſiniſtrum Regis latus. Nam quo quiſque in Regno major, ita Regi in publicis conventibus propior ſedebat.

22. Οὐκ οἴδατε τί αἰτεῖσθε. *Neſcitis quid petatis*] Id eſt, cum primas partes in Regno meo interpoſita matris perſona poſtulatis, exiſtimatis vos rem poſtulare multis humanis commodis plenam. At longe aliter ſe res habet. Quod Hieronymus dixit de Epiſcopatu, recte poteſt etiam ad illam concupitam inter Apoſtolos ἐπιφορὰν [*eminentiam*] aptari, *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; opus, non dignitatem; laborem, non delicias; opus per quod humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio.* Ita illi, qui columnæ videbantur eſſe Eccleſiæ, periculis ac laboribus, non externo rerum apparatu ac commodis, quæ plerumque expeti ſolent, cæteros anteceſſerunt. Conjunge quæ mox ſequuntur commate 25 & ſequentibus. ¶ δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, *poteſtis bibere calicem*] Poteſtiſne, inquit Chriſtus, id præſtare quod non modo ad excellentiam illam inter Regni mei præfectos, verum ad ipſam illam præfecturam neceſſario pertinet, ut incidentia adverſa quævis, etiam mortem, ſi ita res ferat, forti animo toleretis? Recte autem à viris doctis annotatum eſt per כוס [*calicem*] Hebræum, cui reſpondet Helleniſtarum ποτήριον, ſignificari ſortem proſperam aut improſperam, quæ Deo inſpectante ac moderante cuique obtingit. Unde & vocem מנה [*portionis* ſive *partis*] ſi interdum adjunctam legimus, ut Pſalm. XI, 6. XVI, 5. Hierocles ad illud Aurei carminis ὡς σὺ μοῖραν ἔχεις [*Ut tibi pars cecidit*] ita ait: τί γὰρ οἷς ἔνοχά τὰ ἀλγεινὰ τοῖς ἀνθρώποις ἀθανατίσεται, οὔπω θεὸς καὶ δίκη ὄρεσι παρεστήκασιν ἡμῶν [*neque enim caſu triſtia hominibus obveniunt, ſi Deus & Juſtitia finis præſunt talibus rebus*]. Sed & ante Pythagoram hæc παράδοσις [*traditio*] ex barbara Sapientia in Græciam migraverat, ut apud Homerum videre eſt illo loco,

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατωρώρασιν ἐν Διὸς οὐδῷ
[*Dolia namque Jovis duo ſunt in limine ſancto.*]

ubi eadem eſt tralatio. Pro adverſa autem ſorte ut in Pſalmis, Eſaia & Jeremia aliquoties, ita in his libris non hoc tantum loco ſed & infra XXVI, 39, 42. Marci XIV, 36. Lucæ XXII, 42. Johann. XVIII, 11. & in Apocalypſi locis aliquot ſumitur. ¶ μέλλω πίνειν, *bibiturus ſum*] Quod hic in quibuſdam exemplaribus ſequitur, καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι [*& baptiſmum quem ego baptizor baptizari*], & commate ſequenti, τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθήσεσθε [*baptiſmum quem ego baptizor baptizabimini*], quando & Hilarius, Ambroſius & Hieronymus hæc non agnoſcunt, videri poſſunt interpretamenti cauſa ex Marco adjecta. Et ſane codices Græci diſcrepant. Veterem tamen eſſe & hanc & hujus ſimiles alias adjectiones apparet ex Syro & Origene.

23. Τὸ μὲν ποτήριόν μου πίεσθε, *Calicem quidem meum bibetis*] Ποτήριον [*calicis*] voce non ſtricte mortem, ſed laxius paulo perpeſſiones, præſertim graviores, notari eo mihi videtur probabilius quo magis eventui reſpondet; Nam Jacobum quidem gladio percuſſum res certa eſt; Johanni ejus fratri idem accidiſſe non ſemel aſſeverat Chryſoſtomus, ſequente, ut ſolet, Theophylacto, ſed ætate poſterior quam ut ejus rei idoneus auctor haberi debeat, præſertim cum apud Juſtinum, Irenæum, Clementem nihil ſit tale, & Origenes hoc loco, ut & Tertullianus, tanto propiores, talem illi exitum aperte abdicant. Neque obſtat huic interpretationi quod dicit Chriſtus ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν [*quod ego bibiturus ſum*]. Nam id ſatis recte ad genus ipſum perpeſſionum veri cauſa ſuſtinendarum referri poteſt. Ita Romanorum VIII, 17. συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ, εἴπερ συμπάσχομεν [*coheredes autem Chriſti, ſi tamen*

com-

compatimur]. II Corinth. I, 7. ὥσπερ κοινωνοί ἐστε τῶν παθημάτων, οὕτω καὶ τῆς παρακλήσεως [*ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis*]. ¶ οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου, *non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*] Nulla hic eſt ἔλλειψις [*verbi reticentia*]. Rem acu tetigerunt qui oſtenderunt ἀλλ' [*ſed*] hic eſſe εἰ μή [*niſi*]. Nam & quod εἰ μὴ [*niſi*] dixit Matthæi Interpres ſupra XVII, 8. Marcus per ἀλλὰ [*ſed*] extulit I X, 8. Sic ἀλλὰ [*ſed*] habes & II Corinth. II, 5. Non negat Chriſtus ſe diſtributurum munia Regni ſui: Nam Paulus quod Deo Patri tribuit I Corinth. XII, 28. idem tribuit Chriſto Epheſ. IV, 8, 11. dicens *ab ipſo, poſtquam in ſublime adſcenderat, conſtitutos alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores atque Doctores.* Ac proinde etiam inter Apoſtolos hos illis præferre donorum & fructuum ubertate, ipſius fuit. ſed hunc honorem ait *à ſe non aliis datum iri quam quibus à Patre ita eſſet deſtinatus*, gloriam ſcilicet totius diſpenſationis ad Patrem referens, ut ſæpe obſervavimus. Confer quæ apud Johannem XVII, 6. Vox ἑτοιμάζειν [*parare*] *Divinam deſtinationem* ſignificat, ut infra XXV, 32. 2 Corinth. II, 9. Hebræorum X I, 16. Neque aliter uſurparunt veteres Helleniſtæ: Tob. VI, 22. ὅτι σοὶ αὐτὴ ἡτοιμασμένη ἦν ἀπ' αἰῶνος [*quoniam hæc tibi parata erat à ſeculo*]. Ideo autem Divinæ deſtinationis injicitur mentio ne putaretur hæc res eſſe humano ambitu impetrabilis. Nam & inter Sacerdotales familias ordinem David non ſuo arbitratu ſed ſorte, velut Divino judicio, conſtituit, ut notat Kimchi ad I Paralipomenon XXIV. Quod ſi quis dixerit ſeſſionem hanc ad dexteram & ſiniſtram inexplicabili Divinæ ſapientiæ conſilio Petro & Paulo tributam, me judice à vero non aberrabit.

25. ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, *quia Principes Gentium dominantur eorum*] Quanquam veriſſimum eſſe ſentio quod dixit Syneſius, ὅτι συνάπτειν τὴν βασιλείαν τῇ ἱερωσύνῃ συγκλείσθειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλειστα [*connectere Regnum cum Sacerdotio eſt ſociare diſſociabilia*], tamen ut hanc non putem propriam eſſe hujus loci ſententiam multis adigor. Nam Chriſtus ad ſuum exemplum Apoſtolos revocat, cui illud non convenit: Ipſe enim omnem accepit poteſtatem in cœlo & in terra, Rex factus regum & Dominus dominantium. Præterea hoc illi propoſitum videtur ut cæteros diſcipulos infenſos Zebedæi filiis placet; ad quam rem nihil potuit afferri efficacius quam explicatio ejus quod modo dixerat, *neſcire ipſos quod peterent.* Hoc ergo mihi videtur dicere, Nolite illis iraſci quod τὰ πρωτεῖα [*primas partes*] in Regno meo ambiunt; nam ea ſecum neque externum ſplendorem, neque divitias, neque voluptatem ferent, propter quæ ab hominibus principatus appeti ſolet; ſed contra qui in Regno meo locum appetit ſublimiſſimum, pericula, incommoda, ſervitutem appetit: quare ſi rem ſuis ponderibus æſtimetis, id quod ambiunt videbitis minime eſſe invidendum. Sic in Babylonico exſilio exſulum Principi dici ſolenniter ſolebat, *Ne ſe efferret; officium ipſi non poteſtatem injungi, & ab eo die incipiendum ipſi ſervire omnibus.* Notatum id in libro Hebræo cui nomen *Tribus Judæ.* Ἄρχοντας [*Principes*] vocat quos βασιλεῖς [*Reges*] Lucas, non *Reges* tantum ſed & *Præſides*, quibus ſe æquandos ſperabant Diſcipuli: nam & hos laxius ſumta voce βασιλεῖς [*Reges*] dici ſupra vidimus X, 18. ἐθνῶν [*Gentium*] dixiſſe videtur ideo quod Hebræo Regi aliud lex Divina præſcriberet, nimirum ne magnam ſibi mulierum, equitii, auriique & argenti copiam pararet, ſed æquabili jure cum civibus viveret. Quanquam profecto pauci etiam in populo Dei Reges fuerunt ad eam normam, ſi tamen vel unus fuit. Adeo verum eſt quod ille dixit, Omnes bonos Principes uni annulo facillime inſcribi poſſe. κυριεύειν aut κατακυριεύειν [*dominari*] eſt imperare δεσποτικῶς [*heriliter*], רדה Geneſ. I, 28. Pſalm. CX, 3. Ariſtoteles ſæpe dicit δεσποτείαν [*herile imperium*] eſſe πρὸς τὸ τοῦ δεσπότου συμφέρον [*ad utilitatem heri*]. Quanquam vero lex ipſa naturæ docet procurationem reipublicæ, ut Cicero loquitur, velut tutelam, ad utilitatem eorum qui commiſſi ſunt, non eorum quibus commiſſi ſunt eſſe gerendam, & celebre eſt illud Antigoni, *Regnum ſplendidam eſſe ſervitutem*; tamen vix uſquam verius eſt adagium illud,

Nemo non hæc vera dicit, nemo non contra facit.

Adeo non verbis quidem ſed rebus ipſis abuſique Nini temporibus itum eſt in eam ſententiam quam apud Platonem tuetur Thraſymachus, Δίκαιον εἶναι τῷ κρείττονι συμφέρον [*Juſtum eſſe quod potentiori expedit*]: atque, ut dixit Varro,

Qui pote plus urget: piſces ut ſæpe minutos
Magnus comeſt, ut aves ereas accipiter.

Regum exempla gnaviter imitantur Reguli & Præſides, exquirentes ſubinde novos ſinus & varia prædandi vocabula, quaſi ad auream meſſem miſſi. Petrus I, cap. V, 2, 3. bene conjungit αἰσχροκερδῶς παραινεῖν [*turpis lucri cauſa paſcere*] cum iſta voce κατακυριεύειν [*dominari*]. Et Paulus dixit κυριεύειν [*dominari*] pro eo quod eſt imperioſe agere II Corinth. I, 24. Et infra videmus hoc ipſum exprimi voce διακονηθῆναι [*miniſtrari*]. ¶ καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, *& qui majores ſunt poteſtatem exercent in eos*] Αὐτῶν [*eos*] non incommode referas ad ἄρχοντας [*Principes*] non ad ἔθνη [*Gentes*], ut & quod apud Marcum eſt οἱ μεγάλοι αὐτῶν [*magni eorum*], nimirum τῶν δοκούντων ἄρχειν [*eorum qui videntur principari*]: ut ſenſus ſit, Quomodo populi tractantur à Regibus, ita Reges ipſi ab his qui inter ipſos plurimum viribus pollent; exempli cauſa Romanorum Imperatores qui habebant inſtrumenta ſervitutis & Reges. Nimirum ut Papinius dixit,

—— Vice cuncta reguntur
Alterniſque premunt: propriis ſub Regibus omnis
Terra: premis felix Regum diademata Roma:
Hanc Ducibus frænare datum.

Agrippa Rex apud Philonem, Ἔγωγέ τίς εἰμι τῶν εἰδότων μὲν ὅτι δεσποτῶν ἔχω καὶ κυρίων [*Et ego aliquis ſum ſcientium quod heros & dominum habeo*]· ἐξουσιάζειν [*poteſtatem exercere*] idem eſt quod κυριεύειν [*dominari*], pro lubitu non ex uſu parentium imperare; quomodo ἐξουσιάζοντας [*imperioſe agentes in populum*] ſumitur & in Græco Nehemiæ, V, 15. Apud Lucam eſt, οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν (nempe τῶν βασιλέων) εὐεργέται καλοῦνται· id eſt, qui Regibus pro arbitratu imperant à Regibus εὐεργέται [*benefactores*] ſalutantur, ſervili adulatione ſcilicet; quomodo Pruſias *libertum ſe Populi Romani* profitebatur. Nec dubium eſt quin Herodes Cæſarem vocarit εὐεργέτην [*benefactorem*]. Nam & apud Philonem & Joſephum Imperatores ſæpe eo nomine appellantur. Et Agrippa apud Philonem de Flacco Cæſaream Domum vocat οἶκον εὐεργέτην [*Domum benefactricem*]. Sed imprimis ad hunc locum facit quod legimus apud eundem Philonem de Cajo Caligula, Εὐθὺς γὰρ ἐκ τῆς μακρᾶς ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ εὐεργεσίαις ἄνεσις, καὶ πᾶσι δῆλον ἀγαθῶν πηγὰς νέας ἐπομβρήσειν Λατίῳ τε καὶ Ἑσπερίᾳ σπουδὴν ἐνδαιμονίας ἀναθλίψειν, ἰδίᾳ τε ἑκάστῳ καὶ πᾶσι κοινῇ, τὸ λεγόμενον δὴ τῦτο. ἀφ' ἑστίας ἤρξατο, μεγαλωνύμῳ φωτὶ τὸ ἀπήμαντον, μᾶλλον δ' ἂν εὐτυχίαν ἀρχιτέκτων τοῦ πλείονος ἐπιστήμης ἐπιτηδείως ἀναφλέξαι [*Statim igitur ut qui ſoſpitator & beneficus fore ſperabatur, & bonorum novis fontibus irrigaturus Aſiam & Europam ad felicitatem perpetuam & ſingulis & in commune univerſis, à Jove ſuo, quod dici ſolet, exorſus in ferum ingenium tranſiit, aut potius quam ferinatem ſimulationis velo obtexerat, eam detexit*], & quæ ſequuntur. Cæterum ſi αὐτῶν [*in eos*] ad ἐθνῶν [*gentes*] referas, ſenſus erit ferme idem qui in membro ſuperiore. Sane ex Alexandri Succeſſoribus multi εὐεργετῶν [*Beneficorum*] nomine ſe jactabant: quin & Judæorum Ethnarchis id nomen datum apparet. βασιλεῖς εὐεργέται [*Reges beneficos*] eſt & apud Plutarchum De ſui laudatione. Talia igitur imperia ambiri mirum non eſt, ut quæ ad imperantium utilitates, faſtum ac voluptates converti ſoleant.

26. Οὐχ οὕτως ἔσται ἐν ὑμῖν *Non ita erit inter vos*] Non tantum quid ipſorum ſit officii docet, ſed ſortem oſtendit contrariam Regum & Principum terrenorum ſorti; quod maxime ad tollendam æmulationem pertinebat. In Regno Chriſti illi cenſendi ſunt principatum obtinere qui & maxima dona acceperunt, & quorum opera plurimi ad fidem convertuntur. Id autem iis duntaxat eventurum erat, Chriſti & Patris diſpoſitione, qui ſe totos ardentiſſimo ſtudio non ſuis ſed alienis utilitatibus mancipaſſent. Quare Chriſtus, Qui veſtrum, inquit, in Regno meo excellendi deſiderio tenetur, is ſciat ſibi majus quam cæteris onus miniſterii ac ſervitutis imponi. Διάκονον εἶναι [*miniſtrum eſſe*] & δοῦλον εἶναι [*ſervum eſſe*] directe opponitur τῷ κατακυριεύειν [*ei quod eſt dominari*] & κατεξουσιάζεσθαι [*poteſtatem imperioſe exercere*]. Hæc oppoſitio oſtendit cur apud Prophetas Imperia mundi Beſtiarum, Regnum Chriſti Hominis imagine depingatur. Egregie Paulus II Corinth. XII, 14. Οὐ ζητῶ τὰ ὑμῶν, ἀλλ' ὑμᾶς· ἐγὼ γὰρ οὐκ ὀφείλω θησαυρίζειν τοῖς τέκνοις ἀλλὰ τοῖς γονεῦσιν τὰ ὑπὲρ τῶν ὑμῶν [*Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Ego autem libentiſſime impendam & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris*]. Sicut autem hic eſt ἔσται [*erit*], ita & in ſequentibus verbis ἔστω rectius legitur quam ἔστω [*eſto*], multis libris adſtipulantibus.

28. Ὥσπερ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι ἀλλὰ διακονῆσαι, *Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed*

ministrare] Qualis Rex tales esse debent Regni Præsides. Ego exemplum vobis dedi, inquit Christus: neque enim quicquam feci ex meæ utilitatis rationibus, neque splendore, aut deliciis egi Regem: sed omnia incommoda sustinui meorum causa, & porro majora sustinebo, ipsam mortem scilicet, contra quam in cæteris regnis fieri solet. Ibi enim populi moriuntur pro Regum gloria ac magnitudine. ¶ *δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. & dare animam suam redemtionem pro multis*] Quanquam πολλοὶ [*multi*] interdum *omnes* significat, puto tamen hic verbum δοῦναι [*dare*] & præpositionem ἀντὶ [*pro*] cum effectu intelligendam, ideoque agi de credituris in Christum, qui ideo vocentur πολλοὶ. hoc loco ut intelligantur ad eum numerum non Judæi tantum sed & alienigenæ pertinere. Puto enim respici vaticinium Esaiæ LIII, 10. ubi dicitur si Christus vitam suam dedisset שם [*pro peccato*] quod hic recte λύτρον [*redemtionem*] vertitur, *fore ut sua cognitione multos justificaret*: & postea, *ipse peccatum multorum tulit*. Idem sensus est apud Johannem, cum dicit *oportuisse Christum mori, non pro Judæa tantum, sed etiam ut dispersos Dei filios in unum congregaret*, XI, 52, 53. Et infra dicitur sanguis Christi *fundendus* περὶ πολλῶν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν [*pro multis in remissionem peccatorum*]: quomodo & ad Hebræos Scriptor *oblatum* ait *Christum* εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας [*ad multorum exhauriendα peccata*], IX, 28. Sacrificium autem piaculare, quod Hebræi vocant שם, Hellenistæ περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato*], aut ἱλαστικὸν [*expiatorium*], recte λύτρον [*redemtio*] dicitur. Nam & vox כפר, quæ λύτρον [*redemtionem*] significat, eo sensu usurpatur, ut Levitici x. 17. unde & à LXX vertitur περικαθαρμα [*piaculum*]: & sane victimæ piaculares Hebræorum ex Divina institutione luebant pœnas peccatorum. Mors victimæ succedebat in locum mortis ejus qui peccaverat, ut Hebræi ajunt ad Numer. v. & Eusebius in Demonstratione. Latine quoque victimæ tales *lustrales* dicebantur. Nam λύτρον est *lustrum*: quomodo & Ennius quod Græce est ἑκατόμβοιον λύτρον Latine *Hectoru lustra* inscripsit. Et in his libris passim videmus se mutuo explicantia poni καθαρσμὸν, ἱλασμὸν, λύτρον [*purificationem, propitiationem, redemtionem*]. Hebræi veteres Messiam vocabant איש כפר איש λύτρου [*virum redemtionis*]. Fatetur Josephus Albo in disputatione adversus Christianos proditum ab Hebræis, solere sapientes in semetipsis tolerare supplicia multitudini peccatorum debita; atque ita jussum Ezechielem *recumbere in latus suum & sustinere supplicium, in se transferendo iniquitatem Domus Israel*. Et Philoni ὁ σπουδαῖος ἡ φαύλου λύτρον [*vir bonus mali hominis redemtio*]. Sic Joseph Jacchiades ad Danielis XI, 35. ait Doctores Israelitarum durissima quæque passuros, & fore eos altare expiationis pro peccatis populi. Idem dicit ad Esaiæ caput LIII, 5. Gentes alias expiatas, Deumque eis placatum, per pœnas Israelitis impositas. Sic populus Israeliticus dicere solebat Sacerdoti Maximo, Nos tibi piamento simus; id est, in nos cadat siquid male tibi esset eventurum. Eleazar in sermone de Septem fratribus qui Josepho adscribitur, Deum pro populo sic deprecatur, καθάρσιον αὐτῶν πίσασι τὸ ἐμὸν αἷμα, καὶ ἀντὶ ψυχῶν αὐτῶν λάβε τὴν ἐμὴν ψυχὴν [*fac sanguinem meum pro illis piacularem & animam meam pro illorum anima accipe*]. Dicit & Abarbaniel Josiam pœnam tulisse peccatorum populi, non suorum. De Mose & Aarone Moses Alschech dicit similia, & de justis generatim. Idem de Daniele Chaldæus Cantici VII, 8. Et Jalcud *susceptre in se peccata*], quod dicto loco LIII. cap. Esaiæ est, per *expiare* exponit. Et Chaldæus propter eum de quo Esaias agit ait Deum reatum remissurum, propter ipsum fore peccatorum remissionem. Messiam pœnas toleraturum pro Israele ad eundem locum ait Moses Alschech. Nec alienum hinc illud Philonis. Ὁ ἀληθὴς θεραπευτὴς καὶ ἱκέτης κἂν εἰς ὢν κατὰ ἀριθμὸν τυγχάνῃ, δυνάμει, καθάπερ οἶκος οἰκέται, σύμπας ἐστὶν ὁ λεώς, ἱεροπρεπῶς ὅλον ἔθνος γεγονώς [*Qui vere Dei cultor & supplex est, quamvis vir unus sit numero, tamen ex suo voto est totus populus, qui tanti æstimatur quanti gens tota*]. Est vox ἀντὶ [*pro*] recepta in Sacris piacularibus: utitur sic Porphyrius Περὶ ἀποχῆς [*De abstinentia ab animantibus*]: & Festus in voce Piscatores ait piscatos dari Deo pro animis humanis. Vox ergo λύτρου [*redemtionis*] addita hic est ἐξηγητικῶς [*explicando*], ut obiter explicaretur causa præcipua mortis Christi: id autem quod imitandum proponitur est *δοῦναι τὴν ψυχὴν* [*dare animam*]. Excellentia igitur eorum qui in Christi Regno præfecturi obtinent non ex fumosis titulis, non ex obventionum magnitudine, sed ex donis spiritualibus, ex indefessa diligentia, ex periculis, ex morte ipsa denique æstimanda est. Ad hanc excellentiam certatim contendentes Episcopos vidit prima illa ac sinceriori ætas; sed paulatim irrepserunt vitia, & curam gregis in mundani Imperii speciem mutarunt: quod jam suis temporibus cœpisse fieri his verbis conqueritur Origenes, *Et hæc docet nos sermo Divinus. Nos autem sive non intelligentes voluntatem Divinam positam in Scripturis, sive contemnentes talem commendationem Christi, tales sumus ut etiam malorum Principum mundi excedere superbiam videamur: & non solum quærimus sicut Reges acies præcedentes, & terribiles nos & accessu difficiles maxime pauperibus exhibemus, & tales sumus adversus eos qui nos interpellant ut propter aliquid deprecentur sicut nec tyranni, & crudeliores Principibus mundalibus ad subjectos. Et est videre in quibusdam ecclesiis, præcipue civitatum maximarum, principes populi Christiani nullam affabilitatem habentes vel habere ad se permittentes.* Cui loco illustrando mire inserviunt ea quæ sunt apud Ammianum Marcellinum hominem, ut videtur, paganum. Is enim cum narrasset cruentam seditionem ortam Romæ ex certamine Damasi & Ursicini, hæc subjicit: *Neque ego abnuo, oftentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei cupidos ad impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere: cum id adepti, futuri sint ita securi ut dirutæ oblationibus matronarum, procedantque vehiculo insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia regales superent mensas. Qui esse poterant beati revera, si magnitudine urbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum & supercilia hominum spectantia perpetuo Numini veraque ejus cultoribus ut puros commendant & verecundos.* His convenit quod dicit Socrates Romanum & Alexandrinum Episcopos prolapsos ἐπὶ δυναστείαν [*in dominatum*]: & quæ apud Nazianzenum sunt oratione post reditum, ubi improbat πλεονεξίαν τυραννικὴν προεδρίαν [*tyrannicam prælationem*].

30. *δύο τυφλοὶ, duo cæci*] Sed alter altero nobilior; ideo unius meminent Marcus & Lucas, ad quem haud dubie præcipuæ circumstantiæ hujus narrationis pertinent, quam συλληπτικῶς [*comprehensive*] Matthæus enuntiat. Contigit autem res hæc Jesu exeunte ex oppido. Nec obstat quod Lucas dicit, ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἰερειχώ [*cum appropinquaret Jericho*]. Nam ἐγγίζειν [*appropinquare*] non semper motum ad locum, sed sæpe distantiam tantum significat. Quare sensus est, Cum non procul ab oppido esset. Tale est & illud Luc. XIX, 29. ὡς ἤγγισεν εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν [*cum appropinquasset ad Bethphage & Bethaniam*]. Nam Bethaniam jam transierat.

32. Τί θέλετε ποιήσω ὑμῖν; *Quid vultis ut faciam vobis?*] Ut fides postcentium manifesta fieret. Poterant enim alioqui credi stipem tantum rogasse: quomodo illos intellexisse videntur qui, ut importunis, silentium imperabant.

33. ἀνεῳχθῶσιν, *ut aperiantur*] Ut supra IX, 30. ubi & contactus fit mentio. Dei est opus aperire oculos, Gen. XXI, 19. II Regum VI, 17.

34. ἀνέβλεψαν. *viderunt*] Ut supra XI, 5. ¶ ἠκολούθησαν αὐτῷ, *& secuti sunt eum*] Quia in Galilææ finibus miracula ferme omnia contigerant, ideo hos duos secum telles Christus Hierosolyma adduxit.

PRICÆUS.

Com. 1. "AMA πρωΐ] Ἅμ' ἠοῖ ῥηγμῖνι Herodotus in Thalia dixit. Vetus, *primo mane*: potuit (secutus Græcam phrasim) *cum mane*, vel *cum primo mane*, atque id Latine: nam & Lucilius apud Diomedem Grammaticum dixit *cum mane expergitus*; Plautus, *cum luce simul*; & Terentius, *cum primo luce*. Non temere autem & fortuito ἅμα πρωΐ dicitur, sed ex usu rusticæ disciplinæ. Eccles. II. 6. Ἐν τῷ πρωΐ σπεῖρον τὸ σπέρμα σου. Hesiodus,

—— αἰρόμενος καθ' ὅμιλον
Πρωϊὴ μάλα σπερχέμεν. ——

Idem,

φεύγων δ' σκιερὴς θάμνους ἀφ' ἑσπέρου ἠὲ
Πρὸς ἠῶ τετραμμένος ἔστ' ἠλιβάτῳ χρόϊ καίῃ
Τηνίκ' ἀποδίδεσθαι, ἐπὶ δ' οἰκάδε καρπὸν ἀγέσθαι,
Ὄφρα σὺ αἰνοτάτῳ ἔνα τοι βίῳ ἄχνια πίῃς.

Columella, *Plurimum refert à primo mane colonos opus aggredi.* Gellius in Æsopi Apologo 2. 29. *Die crastini ubi primum diluculabit, fac amicos adeas, ac roges veniant, operamque mutuam des, ac messem hanc nobis adjuvent.*

Com. 3.

Com. 3. *εἶδεν ἄλλους ἑστῶτας ἐν τῇ ἀγορᾷ*, &c.] Qui operas locatas volebant ſuas in foro tempus terebant: ſic in Pſeudolo Plautina,

Sed cur ſedebas in foro, ſi erat cognitus
Tu ſolus prater alios?

Et apud Ælian. var. hiſtor. *οὗτοι ἐν τῇ ἀγορᾷ διατριβολαίζοντας*· Πασιφαὴ (inquit) ὅτι τὰ δεχῆς ἐγκρατὴς ἐγένετο, μεταπεμψαμένη οὗτοι ἐν τῇ ἀγορᾷ διατριβολαίζοντας, καὶ ἐπυνθάνετο τί δήποτε οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ ἅλωνι εἶεν τοῖς· καὶ ἐκέλευεν, ἃ μὴ σοι πέπηγε τὸ ζεῦγος, ταῦτα ἐμοὶ λαβεῖν ἄπιθι καὶ ἐργάζου. Quem ideo locum tranſcripſi, ut & totius & partium ejus Euangelico iſti appareat non abhorrens quædam nec invenuſta conformitas. Legitur in contextu ſacro, ἑστῶτας ἐν τῇ ἀγορᾷ ἀργούς. Ælianus habet, *οὗτοι ἐν τῇ ἀγορᾷ διατριβολαίζοντας*· infra huic com. 6. τί ὧδε ἑστήκατε ἀργοί; ille, ἐπυνθάνετο τί δήποτε οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ ἅλωνι εἶεν αὐτοῖς. Matthæi Interpres, *circumite & vos*. Hiſtoricus Græcus, ἄπιθι καὶ ἐργάζου.

Com. 6. τί ὧδε ἑστήκατε, &c.] Increpantis eſt, ut Act. 1. 11. apud Ariſtophan. in Nubibus, τί κἀξηυδᾶτε δεῦτερον; Apuleius, *Quid ſtas otioſus teque ipſum demoraris?* Poſt, *circumite & vos in vineam*] Quamvis tam ſero conducti, voſmet intra vineam facite. Suidas, Ὀψὲ ἦλθες, ἀντὶ τοῦ πολλοστὸν ἦκες. Ὅτι τοῖς καθυστεροῦσι τῶν καιρῶν, καὶ ἐπὶ τῶν μισθωσαμένων. Fere ſimilia Heſychius & Pollux 7. 26. in Onomaſticon.

Com. 12. *ἴσους ἡμῖν ἐποίησας*] Vulgat. *pares illos nobis feciſti*. In Gloſſis, Ἰσ@, *Æqualis, par*. Onomaſticon vetus, *Pariter*, ἰσ@, quo loco duæ voces videntur exciduſſe. Scribendum puto, *Par*, ἰσ@, *Pariter*, ἴσως.

Ibid. *τὸ βάρ@ τῆς ἡμέρας, καὶ τὸ καύσωνα*] Non per ἐν δύο δυοῖν accipias, ut ſit, τὸ βαρῦ τῆς ἡμέρας καύσωνα.

Ibid. *τῶν βασάνων τὸ βάρ@ τῆς ἡμέρας, καὶ τὸ καύσωνα*] Euthymius ad cap. 4. Johannis, *Erat meridies, quando Sol vehementius humana corpora attingit.*

Terentius,

Meridie ipſo faciam ut ſtipulam colligat.

Ubi Donatus, *Cum ſol vehementior eſt.* Victor Uticenſis, *Dirigit viros ingenuos & admodum delicatos ad campum Uticenſem, ut ſub ardentis ſolis incendio ceſpites meſſium deſecarent*: quod non moleſtum tantum, ſed & periculoſum, à morbis & nonnunquam mortibus fervorem illum inſequentibus. Vide 2 Regum 4. 18, 20. Judith 8. 3. Jonæ 4. 8. In collectan. Geoponic. *Τῶν ἐν τῷ ἡλίῳ ἐργαζομένων φλεβῶν ὁ ἡλι@ βλάπτει τὸ σωμα@ καὶ τὰς φλέβας.* (ubi τὸ φλεβῶν expungendum videtur.) Hæc ergo ſic dicta accipiamus tanquam ab operas ſuas eo nomine pluris pretii æſtimantibus. Ad ejuſmodi uredinem propulſandam cautiores tecto capite opus faciebant. Euſtathius Ἐρωτικῶν Scriptor in meſſoris deſcriptione, *Ἐπικάλυμμα φέρει τῇ κεφαλῇ, ὁ δὴ γυμνῇ ταύτῃ δοκεῖ τῷ θερμῷ ἀντέχεσθαι.*

Com. 13. *οὐκ ἀδικῶ σε*] Vulgat. *non facio injuriam tibi.* Hinc è converſo in Gloſſis, Ἀδικῶμαι, &c. *injuriam patior.*

Com. 14. *θέλω δέ*, &c.] *Mea lege utar* phraſi Terentiana dicas.

Ibid. *ὡς καί σοι*] Ideſt, *ὅσον σοί.*

Com. 15. *ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς;*] In Luciani Abdicato, Ἐννόησον ὡς πικοτάτοισιν ἄγκυραν πιεῖς οὐκ ἐᾶν με χρῆσθαι μετ' ἐλαθερίας ἐμῷ πλοίῳ· apud Plautum,

—— Non mihi licere meam rem me ſolum ut volo
Loqui atque cogitare abſque te arbitro? ——

Sed illa ejuſdem propiora ubi ſic ad lenonem adoleſcens,

Quid ego ex te audio?
L. *Amicam tuam eſſe fallam argenteam.*
Adol. *Cur id auſus facere?*
L. *Libuit, mea fuit.*

Hic locus porro Divinæ ordinationis τὸ ἀνεξιχνίαστον demonſtrat nobis: rationes ejus humanis rationibus non obnoxias ob oculos ponit: illuſtraturque cum toto nono cap. ad Romanos, tum præcipue (vel ob conformitatem loquendi) commate 21. *οὐκ ἔχει ἐξουσίαν*, &c. confer & Dan 4. 32. Script. Sap. 12. 11.

Com. 20. *προσῆλθε*, &c. *αἰτοῦσά τι παρ' αὐτοῦ*] Αἰτεμβύη (ut Act. 25.) *κατ' αὐτοῦ.* Sic apud Lucian. *ἄλλα αὐτῷ προσελθών*· &, *μικρὸν ὕστερον προσελθὼν αὐτῷ.*

Com. 22. *οὐκ οἴδατε τί αἰτεῖσθε*] Micio Terentianus, *ô noſter Demea:* ubi Donatus, *Hoc ſic dixit tanquam dicturus eſſet, Multa te latent. ſimplex homo es.* πατηρεῖν de *malo* alii uſurparunt etiam. Plautus, *Ut ſenex hoc eodem poſto quo ego bibi biberet:* ſic *pateras anxietatum* Sidonius in Epiſtolis. *δυνάμεθα* (quod ſequitur) valet Italicum *ci baſta l'animo.*

Com. 23. *οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι*] Apud Lucianum Saturnus ad Sacerdotem honores, divitias, &c. ab ſe petentem, Οὐ κατ' ἐμὲ τοῦτο ἤτησας, ἀλλὰ τοῦ ἐμοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Διός.

Com. 25. *ἢ οἱ μεγάλοι*, &c.] Plutarchus in De Alexandri fortuna vel virtute, Οἱ μὲν ὀλιγάρχαι, &c. *οἱ δὲ* ΜΕΓΑΛΟΤΣ *ἀνηκόφωνον ἐωλῆς*, id eſt, *μέγα δυναμένοις*. Phrynichus, Ἡμεῖς δὲ ὁ μεγάλους (ἐπιμέμφει τοῖς δεχαίοις ἀνδράσιν) ἀλλὰ μέγα δυναμένους λέγομεν. *μεγάλοι* autem ad diſcrimen *minorum dominorum.* Philo περὶ κατασ. δεχ. Οἱ μικροὶ λεγόμενοι παρά τισιν ἄρχοντες, ὡς δεσπότας ὀνομάζουσιν.

Com. 23. *τί θέλετε ποιήσω ὑμῖν;* Anacreon, *τί σοι θέλεις ποιήσω;* Plaut.

Quid tibi me vis facere?

Elucebat autem in hoc ipſo loquendi modo propoſitum ejus iis viſum donandi. Potentia & bonitate pollentes cum interrogant, benefacere volunt. Panegyriſtes ad Conſtantinum, *Relevaturum cenſum definiſti numerum, reliqua debita remiſſurum, quantum deberemus rogaſti: qua interrogatio manifeſta promiſſio fuit; nam cum is qui omnia poteſt quid ſibi debeatur interrogat, non curioſe percunctatur ut ſciat, ſed liberaliter cupit audire ut remittat.* Vide & Marc. 10. 51.

CAP. XXI.

MUNSTERUS.

1. *Bethphagi*] Etiam apud Magiſtros Hebræorum in ſuis ſcriptis mentio fit hujus nominis & loci. Et hic Chriſtus voluit ante paſſionem ſuam exhibere populo ſpecimen quoddam Regni ſui, bonis in confirmationem ſuæ fidei, & malis in confuſionem. Et magnifica quidem hæc fuit pompa & vere Regia, ſi ſpectemus applauſum populi, ac virtutem Chriſti, qua negotiantes è Templo ejecit, & ſe hoſtibus ſuis terribilem exhibuit: rurſum fuit & humilis, quando aſello inſedit Dominus majeſtatis, atque ſub forma ſervi ad templum Domini venit: Per primum oſtendit ſe omnem poteſtatem accepiſſe à Patre, cui oporterent omnia, cum vellet, cedere; per alterum oſtendit viam qua oporuit pervenire ad gloriam ejus. Cæterum hæc longe ante de eo Zacharias c. 9. prædixit, ubi oſtendit Regiam Chriſti poteſtatem, quando dicit, *Ecce Rex tuus veniet tibi*, & carnis humilitatem, quando ſubjicit, *pauper*, & *ſedens ſuper aſinum.* Hunc locum cum Judæi tam oſcitanter legerint, non eſt mirandum quod Chriſtum noſtrum laceſſant quod ſuper aſinum animal immundum ſederit. Quorum argumentum hic ſubſcribere dignabor, & deinde ſtultitiæ eorum reſpondebo, אם משיחכם אלהים למה רכב על בהמה טמאה תלא צוה כשנתן התורה לישראל גם הצאן והבקר אל ירעו כנגד הר חחתו· מה אמרו כתמה מהורה נזר שלא ירעו מול הר קוי בהמה טמאה וכאן הוא רכב בעצמו על בהמה טמאה. תשובה. משום זה צוה נתתן התורה שלא ירעו בהמה אצל הר בשערו נתן תורה משום שחיתה שעת והדא מהורה וקדושה שלא יהיה שם אפי הרהור עבירה לכן היה נזר שלא ירעו שם אפילו בהמה מהורה כי שמא יהיו רובעים זה את זו ובני ישראל יהו אותו רכוב להן הרהור עבירה ולא יקבלו התורה בלב שלם אבל האלהות אין שרין הרהור עבירה ומצלו מאדן מהורין לכן רכב על החמור ועם נזירת הכתוב הוא רכוב עני רכב על החמור ואתו הקרוא קרוי משיח: Cæterum quod *Chriſtum ſedit ſuper pullum aſinæ indomitum, ſuper quem nemo hominum adhuc ſederat*, & quod *aſinum à Diſcipulis ſolutus continuo fuit dimiſſus*, quando dixerunt *Dominum eo opus habere*, hæc oſtendunt poteſtati Chriſti omnia ſubjecta, quodque ſibi omnia ſimul ut voluerit pareant & morem gerant.

9. *Hoſana filio David*] Quando Levit. 23. jubentur *prima die Tabernaculorum fieri faſces ex ramis palmarum, ſalicum, citrorum, & hadaſi* (ſic enim vocatur ſpecies quædam arboris Hebraice) & manibus geſtari, ſapientes Hebræorum ordinaverunt, octava die illius ſolennitatis, quæ eſt decimaquinta dies menſis primi, h. e. Tiſri, proprium fieri feſtum, in quo cum memoratis ceremoniis lectio quoque illa Pſalmiſtæ, *Obſecro, Domine, ſalva, quæſo: obſecro, Domine, proſpere age. Benedictus qui venit in nomine Domini*, &c. publice proclamaretur. Unde Hebræi ſic ſcribunt, חכם ם תקבו שיחו גים־ אגודות לחלב בגבל מקום כי־ ויי ימים ובזום השביעי אומרים אנא יהוה חושיעה נא אנא יהוה הצליחה נא: Hanc autem

constitutionem videmus quoque in usu fuisse Israelitis cum adhuc in captivitate Babylonica essent. Nam ex Thargum Esther ita colligimus, בחמשא עשר ביה מללין מללין אנר ביתחזן לכותחנא תשסתן לולבנא וקטפין אתחננא וסגדין חלפנא ויבדין לחזן תשעתא וקרין בסיפרחזן ומצלין ומדין וחדרין בהושענא ושחרן ומקדין הין נדין: Cujus scripturæ hic est sensus, verbum è verbo reddendo, *In quintadecima in ipso* (scilicet mense Tisri) *tegunt tuguria, tectum domorum suarum, in horto, & secant frondes palmarum, atque decerpunt citrea poma, abscindunt rosam marinam, & faciunt sibi Hosana, legunique in libris sua, & orant, lætantur & hilares sunt in Hosana, saltant & exsiliunt sicut hædi.* Hinc videre poteris, lector, vocabulum Hebraicum נא הושיעה, i. *Hosthiana*, vulgi more etiam apud Hebræos, & ante Christum natum, corruptum fuisse, vel illos ipsum usurpasse Chaldaico more, & deinde abusos pro solennitate in qua cum ramis ceremoniæ fiebant: Id quod & fere apud Christianos inolevit, qui octavum diem ante Pascha vocant *Palmarum diem.* Cum itaque hoc loco populus vellet Christum honorare, & cum triumpho deducere in Jerusalem, ignorantes impleverunt Prophetiam Davidicam, occasione sumpta ex surculis ab olivis decerptis & in viam stratis, clamantes *Osana*, id quod jam consueverant clamare in solennitate Ramorum, quam, ut diximus, decima quinta die mensis Tisri quotannis celebrabant, & alio nomine חגא, i. *diem salicum*, vocant: de quo multa quoque olim scripsi in Calendario meo Hebraico. Hæc volui paulo fusius scribere quod scirem neminem antehac hunc locum satis explicuisse.

12. *Ejiciebat omnes vendentes*] Ostendit Christus his factis quanta esset omnium rerum potentia præditus, & quod vere implevit vaticinium Haggæi, *Major erit gloria hujus domus posteriora quam priora*, quantumlibet obstinati Judæi id negent, & tertiam futuram exspectent, ex tribus Patriarchis stulte colligentes tria Templa. Sed præstat hic Hebraice scribere quid stulti homines sentiant de his Templis; אמרו חכמים ז"ל אברהם קראו הר יצחק קראו שדה יעקב קראו בית לפי שהאבות היה בעזרל הבית ולכן נגלה אליו קדשתו ומעלתו ומכו שאברהם קראו הר ויצחק שדה וגו' להיות לנו כי שלשה בתי מקדש יהיו לישראל כנגד שלשה אבות והשנים עתידים ליחרב והשלישי לא יחרב אלא יהיה קיים לעולם כנגד הבית הראשון שעתיד להיחרב אמרו אברהם קראו הר שנאמר בהר ה' יראה הוא הר החרב ושומם כאשרים זלו"ל במדרש תלים קולי אל ד אקרא כשבית המקדש קיים וכן שכשהוא חרב שעתיד אותנו שב ויענני מהר קדשו סלה: וכנגר הבית השני שעתיד ליחרב אמר יצחק קראו שדה שנ' ויצא יצחק לשוח בשדה שהוא לשון בור ולכן אמר הנביא ציון שדה תחרש: וכנגר הבית השלישי שאינו חרבת לעולם אמר יעקב קראו בית שנאמר יהודה בית אלהים לעולם שיהיה יהודה מכח ההכרי בית אלהים לעולם שהוא כנגר הבית השלישי אש קלידה אבר נחול יהודה כנגר הבית הזה האחרון כן וראשון וכתיב ואני אהיה לה נאום יהוה חומת אש סביב ולכבוד אהיה בתוכה כאומרו בית אלהים ועיל וה אשר מקדש הי כוננו ידיך אכל שני תבחים הראשונים הו בידי אדם ולכן לא הזה להם קיום חזה שאבר שמא עמלו בונין בו ולכן אמרו יעקב קראו בית קיומו לעולם לא בראשונים שקראם הר ושדה ולכן תמצא שאמר מיד אין זה כי אם בית אלהים אין זה כראשונה שנקראו הר ושדה אלא בית אלהים סלה: *Montis Abraham* aiunt *successisse primum templum, agro Izhac secundum, & domo Dei Jacob tertium.* De primo dicitur in Psalmo, *Et exaudivit me de monte sancto suo.* De secundo, *Et egressus est Izhac ut meditaretur in agro.* &, *Zion quasi ager arabitur.* Et de tertio, *Major erit gloria domus hujus novissima quam prima.* Item de hoc ultimo dicitur, *Sanctuarium Domini firmaverunt manus tuæ:* & de aliis duobus, quod *manibus hominum exstructa fuerunt*, & ob id consistere nequiverunt, cum in vanum laborent homines in eo quod Deus non firmat. En quam appositè Hebræi intelligant Scripturas, imo quam misere torqueant renitentem, quæ tam aperte dicit eam domum *novissimam* fuisse in qua Christus apparuit, docuit & miracula fecit. Sed de hoc supra multa scripsi ante initium sacri Euangelii, ubi & Judæis in sua lingua respondi.

16. *Ex ore infantium*] *Ex ore*, inquit, *infantium & lactentium fundasti fortitudinem.* h. e. Fortitudo Christi, tanquam insuperabilis & invicta cunctis hostibus ejus, testimonio infantium & lactentium fundata & confirmata est, de quo & multo glorioslus fuit exaltatus quam ab hostium suorum ignominiis dejectus. Discimus autem hinc eos vere posse Christum prædicare qui conversi fuerint in puerilem humilitatem.

18. *Esuriit*] Voluit Dominus hoc facto ostendere sterilitatem populi Judaici, qui cum nunquam ferre vellet fructus pietatis, à Deo exsecratus fuit, ut radicitus exaruerit. Quod si agnoscerent, non usque adeo hic blasphemam linguam exserrent contra Magistrum veritatis, sic arguentes, לשון נרע ישו אמ' לפון הבשר והלא הארנו במסורת עתי' שדרש בשר ודם שצם ני' יום וה' לילה מפני שקרב אל השכינה הרי שאתה אומר בחזא עצמו אלוה לפה נרעב בבשרו: ועוד שבא להאריך עץ תאינה אם יש שם תאנים וכי מאותי מקום שראה האולן לא ירע אם בו תאנים ואת"ל נגר הבשר רבר זה וכי הבשר סבר כלום ירוע כלום והלא ירוע לכל השלם שאין הבשר יודע כלום ואין מבין כלום כאי חיות: ובראיה תיסה אצלי אם הוא אלוה ויוח אלוהים בו מרוע לא ירע מאותו מקום שאין מר שם: ועוד אם לא מצא פרי לפה קלל האולן שבא פתוך שבחו לילך לשם בחגם עלי כעס וקללו: והלא כתיב שצורי אל אפושלוש אהבו את אויביכם והטיבו את שונאיכם והתפללו על שקוקיכם ובחבו את אוהביכם ובית האולן שלא פשע כלום שלח בעוד ותחל בו לכזר בא ואבל כפיוחי למה קללו וחוביש בלא דין ובלא רבים: ולי"ו שרצה פשיחנו להראות במעשה הזה כי עם יחוריים הוא כמו אולן שכול בלא פירות ובלא טובי מעשים ועל כן אורם ויהיו אחריי לעולם עד שלא ידע ארץ אדמתנו משיחנו: והתראת אותו יחוד למה ישוע נרע ולמה קלל האולן: Omnis qui vel mediocriter tenet Hebraicam linguam intelliget quid hic inimici Christi contra ipsum scribunt; nam facilis est hujus Hebraismi stilus: quibus & respondi ut calumniæ eorum merentur. Calumniam voco, quando hic scribunt Christum irritatum contra arborem quod frustra se fatigaverit diverrendo ab itinere ad eam, ac deinde fecerit contra præceptum suum, quando Apostolis indixerit ut *diligerent inimicos suos*, & *orarent pro calumniantibus eos*, ipse autem reddidit malum pro malo: imo arbor nihil mali illi intulit, cum non vocaverit eum ut veniret & vesceretur fructibus ejus, &c. Sed facessant nugæ Judæorum. Christus hic potissimum hoc unum docere voluit Discipulos suos, ut firmiter fiderent Deo, pollicens sic omnia ipsis fore possibilia, ut nedum ficum subito aridam facerent, verum & montes transferrent; imo nihil omnino esse quod non exoraturi essent si modo id se exoraturos crederent.

23. *In qua potestate hæc facis?*] Stulta eorum interrogatio non digna erat responso Divino. Videbant enim & sentiebant Christum ea quæ faciebat facere Divina autoritate & virtute, cui resistere nequibant, & adhuc quærunt in qua potestate ista faceret. Magna severitate dejiciebat æs in terram, & mensas nummulariorum subvertit; improperavit illis quod ex domo Dei facerent spelunçam latronum, quod scilicet insidiarentur hominibus spoliandis in templo Dei, sicut latrones id faciunt in spelunciis suis, & cultum Dei convertissent in quæstum atque avaritiæ crimen. Sed quid? Tanta virtute increpiti non solum impietatem suam non agnoscebant, sed magis contra monitorem efferebantur, quærentes quomodo eum perderent. Sed quia hora ejus nondum erat nihil contra ipsum potuerunt. Retundebat tamen eos alia quæstione de Baptismo Johannis, qua innuit illum è cœlo fuisse, ipsos autem eum impie contempsisse. Cumque ad illam quæstionem respondere nollent, proposuit eis parabolam, fecitque eos similes filio qui jussus à patre in vineam abire recepit id se facturum, nec fecit: Sic illi præ se ferebant observantiam præceptorum Dei, sed longissimi erant ab ea: nec id agnoscere volebant monitione Johannis, sed nec exemplo eorum qui resipuerant ad prædicationem Johannis; qui scilicet similes erant filio illi qui patri negaverat in vineam abire, & postea pœnitudine motus abiit tamen: per quem intelliguntur publicani & meretrices, qui primum perdite vixerunt, sed postea agnita sua impietate converterunt se ad obedientiam Dei. En mirum Dei judicium! Infames publicani & meretrices præcedunt in regno Dei Principes sacerdotum & Legisperitos, & fiunt ex novissimis primi.

33. *Qui plantavit vineam*] Vinea ista est regnum Dei, i. cognitio & doctrina Dei, quæ mandata fuerat populo Hebræo. Hujus fructus, i. vitam Deo dignam, aliquoties Deus per servos suos Prophetas exegit, sed frustra: quin & Filium frustra misit. Unde factum est ut perditis ipsis vinea aliis collocaretur, & verbum Dei Gentilibus concrederetur, qui fructus dignos verbo Dei fecerunt: atque ita Regnum Dei translatum est à Judæis ad Gentes, & impletum est illud Prophetæ, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*, &c. h. e. Is qui pro nihilo habitus est, & quidem ab ædificantibus, i. populi primoribus, rejectus, ille à Domino, cunctis mirantibus, omnium princeps constitutus est. Et si vultis scire, ego sum is lapis, quem Pater *in fundamentum Zion* posuit: & *qui ceciderit super hunc lapidem*, h. e. qui in me impegerit, *confringetur.* Nam qui me rejecerit aut impugnarit, is Deum rejiciet & impugnabit, eritque illi nihil integrum & salvum. Porro qui eo insaniæ pervenerit, ut etiam gratiam oblatam oppugnet, *super hunc lapid cadet*, & à me judicabitur in æternum supplicium, totusque in nihilum redigetur: id quod obstinatis Judæis contigisse nemo ambigit, quantumlibet illi reclament & furant; יש להשיב לשתן מינן שאמר לע"

שבעין

שכשון מיתת ישו אנו בגלות זה והלאה קודם שנולד היינו בגלות·
ועוד שכן נתנב לזכן בשעת מיתתו שבקש מאביו ואמר אבי מחול
להם מה שקשים בי כי אתם יודעים מה עשים ובקשו אני
הואה אם תאב ותכן דבר אחד והוא ותנון אחד יש להם שכל
שן זה נמחל להם· וילי אמרת הוא כי אתם יהודים עד היום
הזה חייתם בגלות בעבור מיתת המשיח ולפי שאתם להאמין
בו שהוא באמרת מעט ונאל הקולם· וכשאתם אומרים כי
היתם בגלות קודם שנולד ישוע גם הוא אמרת כי היתם בגלות
בבבל אלא אין רק שבעים שנים ודאי שלח אל אבותיכם את
נביאים שינחמו אותם כדי שלא יכלו בגלות וכבר היתם בגלות
אלף שנים וכמעט המשת מאות שנים ואין לכם שום הנבואה או
שום נחמה כי הי זנח אתכם סמניו לשלם עד שתשובו אליו ותביט
את תורתנו ישוע המשיח אשר נתנו חזק כל אדם מחטאתו אשר
יאמין בו ובסיתתו הוא התגלל בעד כל אדם אפי בעד אויבו שלא
יאבדו אם ישובו:

VALLA.

19. *ET videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, & ait illi, Nunquam fructus ex te nascetur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea*] Melius in Marco dicitur, 11. 13. *Cumque vidisset ficum à longe habentem folia.* Nam *arborem fici* nec Græce legitur, sed *ficum*; neque Latine dicitur. Et *ficulnea* adjectivum est, non substantivum: dicturque *ficulnus*, *ficulna*, *ficulnum*, h. e. *de hac arbore*, sive *de hoc ligno*, *factus*, *facta*, vel *factum*: unde Horatius,

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.

Quod hic ait *in sempiternum*, in Marco 11. 14. ait *in æternum*, alibi *in seculum* Hebr. 1. 8. quod semper Græci dicunt *in æuum*, si ita transferendum est *αἰών*. Ergo hæc tria pro eodem accipiuntur: Quanquam *seculum* centum annorum spatium complectitur. *Æternum* autem Varro ait prius fuisse *æviternum*. *Sempiternum* videtur quiddam addere: nam *æternum* dici quoad vita hominis alicujus duret, infinita sunt exempla apud veteres. Sed nunc pro infinito tempore accipimus, in quo extendo laborat interpres, sive hic idem, sive quis alius fuit in Psalmis, dicens, *Statuit ea in æternum, & in seculum seculi*, Psal. 148. 6. Cur non dixit, *Statuit ea in seculum?* sicut alibi dicit, *Dominus regnavit in æternum & ultra*, Exod. 15. 18. Quid est *ultra æternum?* Duo quoque alii Psalmi, cum idem principium habeant Græce, apud nos per *seculum & æternum* distinguuntur, 118. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus? quoniam in seculum misericordia ejus*: & 136. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus*, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα.

26. *Si autem dixerimus, Ex hominibus, timemus plebem: omnes enim habebant Joannem sicut prophetam*] *Habent* legendum est: non enim Euangelistæ sermo est de præterito, sed cogitatio Pontificum & Seniorum de præsenti: qui locus ab iis corruptus est qui voluerunt hunc cum illo congruere qui paulo post sequitur v. 46. *Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas; quia sicut prophetam eum habebant.* Hic sunt verba Euangelistæ: ideoque Græce dicitur ἄχθος, illud superius ἔχων. In utroque tamen dixissem *velut* vel *tanquam*, non *sicut* ὡς.

30. *Eo, domine; & non ivit*] Quia sequitur, *& non ivit*, mutaverunt temerarii corruptores *ego* in *eo*, non intelligentes non satisfacere hanc responsionem filii jussioni patris ver. 28. quæ fuit, *Fili, vade, hodie operare in vinea mea:* quia nec filius prior respondit, *Non eo*, sed *Nolo*, i. *ire & operari.* Ita cum hic respondet, *Ego, domine*, perinde est ac si dixisset, *Obtemperabo tibi, domine.* Sed quid argumentor, cum veritas Græca sic habeat? Ἐγώ, κύριε.

35. *Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium cecidерunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt*] Cur in tertio loco positum est *vero*, & in primo non est positum *quidem*, & in secundo *autem*, ut Græce est? Puto quia videbatur absurdum interpreti in ejusdem vocabuli geminatione ponere *quidem & autem*: atqui Græce non est nomen *alius*, sed articulus, qui sic transferri solet, *Hunc quidem ceciderunt, alium autem occiderunt, alium vero lapidaverunt*, ὃν μὲν ἔδειραν, ὃν δὲ ἀπέκτειναν, ὃν δὲ ἐλιθοβόλησαν.

43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*) Est apud Græcam veritatem *ejus* femininum, ut *regnum*, ubi *gens* est neutrum, & Deus masculinum: ergo *ejus* ad *regnum* referri debet, αὐτῆς.

REVIUS in VALLAM.

19. CUR *non dixit*, Statuit ea in seculum, *sicut alibi dicit*] Hæc non cohærent. Legendum, *Cur non dixit*, Statuit ea in seculum, *Sic & alibi dicit*, Dominus regnavit in æternum & ultra. *Quid est* ultra æternum? Ad rem quod attinet, decepit Interpretem similitudo vocum Hebraicarum; עד enim legit cum Holem, cum habeat Segol.

ERASMUS.

1. AD *montem Oliveti*] Ἐλαιῶν est, i. *Olivarum.* Semel duntaxat in Actis Apostolorum legimus, *montem qui dictus est* Ἐλαιών, i. *Olivetum*: si modo scriptura non fallit. Etenim eadem dictio, si ultima sit acuta, sign. *olivetum*, sin circumflexa, *olivarum.* Hic certe est *olivarum*, propter additum articulum τῶν.

2. *In castellum*, εἰς τὴν κώμην] *Vicum* aut *oppidum* sonat; ne quis putet arcem esse, aut magnatis palatium, quod opinari videtur Carrensis.

3. *Et confestim dimittit*] In nonnullis Græcis cod. habetur ἐξαποστέλλει, præsentis temporis; ut pertineat ad Discipulos. Verum quid opus erat repetere, *Et dimittit eos*, cum jam dixerit, *Ite in castellum?* Unde mihi legendum videtur ἐξαποστελεῖ, i. *emittet*, ut referatur ad jumenta, quemadmodum legitur apud Marcum cap. 11. atque ita legit Chrysostomus, Theophylactus ac Hieronymus, consentientibus Latinis exempl. vetustis: neque secus interpretatur Hilarius. Potest tamen fieri ut Matthæus, aut hujus interpres, maluerit tempus præsens ad significandam celeritatem.

4. Deinde quidam habebant, *Hoc factum est*; quidam, *Hoc totum factum est*: neque magni refert. Chrysostomus non addit *totum*, si credimus interpreti: nam Theophylactus addit.

5. *Dicite filiæ Sion*] Testimonium hoc sumptum est ex Zach. cap. 9. Quanquam Euangelista nec usquequaque convenit cum Hebraica veritate, neque cum LXX. Nam *dicite* nec est apud Hebr. nec apud LXX. ¶ *Venit tibi mansuetus*] Hebr. est עני, i. *pauper.* Nam eadem dictio, si scribatur per ע *pauperem* sonat, si per א, *mansuetum.* Hebræa sic reddidit Hieron. *Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Hierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi, justus & salvator. Ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Juxta LXX sic legimus, Χαῖρε σφόδρα, θύγατερ Σιών· κήρυσσε θύγατερ Ἰερουσαλήμ· ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι δίκαιος καὶ σώζων αὐτός, πραΰς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζύγιον, καὶ πῶλον υἱὸν, i. *Gaude vehementer, filia Sion; prædica, filia Hierusalem; ecce Rex tuus veniet tibi justus & salvans ipsos, mansuetus, & ascendens super subjugalem, & pullum novum.* Interpres legisse videtur *ἀνὸς*, cum Aldina editio habeat *αὐτὸς*. Porro quod hic est *salvator*, Hebræis est ישוע, alludens ad nomen *Jesu.* Unde locum hunc Judæi juxta historiam referunt ad Christum. ¶ *Sedens super asinam*] Ἐπιβεβηκὼς, i. *conscensa asina.*

7. *Vestimenta*] Magis est *tegas*, sive *pallia*, τὰ ἱμάτια, i. *summas vestes.*

9. *Osanna Filio David*] Non sine causa Matthæus, aut interpres, Hebraicam reliquit vocem; opinor, quod peculiaris sit ejus gentis acclamatio, quemadmodum apud Romanos, *Io triumphe.* Verum super hac voce varia fuit interpretum opinio: de quo qui volet edoceri plenius, legat Hieronymi libellum ad Damasium Pont. Rom. in quo notat Hilarium quod ob imperitiam Hebraicæ linguæ *Osanna* interpretatus sit *Redemptio domus David.* Licet ad eundem ferme modum interpretetur Ambrosius. Atque omnino sic interpretatus est Hilarius in canone quem scripsit in Matthæum. Nam, *Osanna*, inquit, *Hebraico sermone significatur Redemptio domus David.* Insigni nimirum lapsu, cum Hebræis, id quod constat, ישוע *redemptio* dicatur, tum *domus* בית. Porro *David* cum eadem vox sit apud Hebræos quæ apud Græcos ac Latinos, vel ab ipso quantumvis inscio sermonis Hebræi deprehendi poterat, si modo animum advertisset. Verum conjicio S. Hilarium, cum hæreret ad eam vocem, ex Judæo quopiam scisciatum quid apud illos sonaret *Osanna*, atque illum, ut irrideret Christianum, respondisse quod in buccam veniebat, *Redemptio domus David.* Vide quid est alienis cernere oculis, alienis ambulare pedibus. At idem in expositione Psalmi 2. non probat ullam interpretationem Veteres Instrumenti præter eam quæ fertur esse Septuaginta, propterea quod *Bresith* בראשית, quæ prima vox est libri Geneseos, apud Hebræos tria significet,

in principio, *in filio*, & *in capite*. Nimirum sic est humanum ingenium; tantum probat quisque quantum se confidit assequi posse. Græce utcunque noverat Hilarius: nam prodidit Hieronymus, huic aurulam modo Græcanicæ literaturæ fuisse gustatam: & idcirco Græcorum flosculis libenter ornat sua commentaria. Verum cum literas Hebraicas prorsus ignoraret, interpretationi LXX nihil volebat accedere. Porro D. Augustinus, quoniam ne is quidem Græce ad plenum sciebat, non probat Hieronymi studium, qui N. Testamentum ex Græcorum fontibus vel verterit vel emendarit: quanquam hoc utcunque tolerandum putat, propterea quod collatis cod. deprehendisset Hieronymianam in ea re fidem. Nam Augustinus Græcas literas puer utcunque degustarat, ad quas senex redire coactus est; quandoquidem & Epiphanii Græcum De hæresibus librum ut potuit est imitatus. Cæterum Hebræi sermonis quoniam prorsus erat ignarus, ferendum non putat ut Hieronymus quicquam ex Hebræorum fontibus mutaret, idque cum fidem hominis in Novo Testamento jam haberet compertam. Et tamen hic ipse, qui vetat Hieronymum, trium linguarum egregie peritum, quicquam innovare in sacris libris, plurimos locos annotavit in voluminibus Instrumenti Veteris, atque id sane non ex Hebræorum sed Latinorum & Græcorum exemplaribus, quod genus illud libro ex Numeris, adducto loco, *Et omnem multitudinem mulierum quæ non novit concubitum masculi vivificate*, mox subjicit, *Nusquam certum apparet Hebræa locutione Mulieres etiam dici virgines solere.* Sed quinam id apparet nisi vocem Hebræam proferat? Quod si contigisset Augustino linguarum peritia quæ Hieronymo, non dubitasset facere quod illum facere vetat. At hodie magni quidam, ut sibi videntur, Theologi, cum ne Latine quidem sciant, omnis antiquæ bonæque literaturæ rudes, & ob id hostes, nihil admiscere velint Divinis literis nisi quod ab ipsis possit intelligi. Verum quemadmodum Hebraæ literæ ab Hilario neglectæ sui contemptum ultæ sunt in *Osanna*, ita passim his temporibus usurpantur sui neglectum bonæ literæ, dum subinde impingunt, nusquam non hærent, nusquam non labuntur, & eruditis viris de se vel risum vel commiserationem excitant. Hæc nequaquam dicta sunt in contumeliam ordinis Theologici, sed in quosdam parum dignos hoc ordine. Sed ut ad rem redeamus, Hieronymus indicat hunc locum sumptum ex Psalmo 117. in quo præter alia quæ manifeste de Christo dicta reperiuntur, hoc quoque legitur, *O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini.* Porro pro eo quod habetur in LXX, *O Domine, salvum me fac*, in Hebræo legitur אנא יהוה הושיעה נא, quod manifestius interpretatus est Symmachus, dicens, *Obsecro, Domine, salvum me fac, obsecro:* siquidem הושיעה *salvifica* significat, & נא interjectio est apud Hebræos, velut efflagitantis, aut obtestantis. ¶ *Benedictus qui venit*, εὐλογημένος] Hæc vox passim occurrit in arcanis literis, aliena quidem à sermone Latino: nec est tamen quam illius vice subdamus, nisi placeret dicere *laudandus*, aut *laudatus*. Græcis δὲ λεγόμενος *benedicis* aliquis illum de quo bene prædicat; & is *benedicitur* de quo est honesta fama: Quemadmodum & *benefacis* aliquis illum in quem confert beneficium; & *bene passus* dicitur ille qui beneficio fuerit adjutus. Quod dictum est de *benedicere* & *benedictus*, idem dictum puta de *maledicere* & *maledictus*. Quod si Christianum est in his contempta linguæ Latinæ consuetudine peregrinum idioma recipere, & ceu novum sermonem Christianis peculiarem fingere, cur id non fit & in cæteris omnibus? Nam quod rectum est, quoque judicio fit, id perpetuo factum oportuit. Nunc si temere, & utcunque incidit in animum interpreti, modo vitata est peregrini sermonis proprietas, modo recepta, quid vetat ab aliis eruditis quædam in melius restitui? Equidem arbitror ad hanc formam pertinere quod Augustinus in annotandis tropis Veteris Testamenti citat ex Deuteron. 11. *Quæ fecit virtutem Ægyptiorum:* atque is putat perperam à Latinis *virtutem* verti in *virtuti*; cum sensus sit, *Virtutem Ægyptiorum ad nihilum redactam*; videlicet non animadvertens idioma Græci sermonis, quod an cum Hebræis conveniat non satis habeo compertum. Mirum autem cur hic non agnoverit idioma sermonis seu Græci, seu Hebraici, cum mox lib. 6. adducat exemplum, quo dictum est, *ancillam tuam facias* pro *ancillæ tuæ facias*. ¶ *Qui venit in nomine Domini*] Ὁ ἐρχόμενος, *ille qui venturus erat*, sive *est*. Potest enim esse futuri temporis: atque ita legitur in aureo codice, suffragantibus & Donatianicis.

11. *Prophetæ à Nazareth*] Ὁ ἀπὸ Ναζαρὲθ, i. *ille Nazarenus.*

12. *Mensas nummulariorum*, κολλυβιστῶν] Qui iidem *trapezitæ* vocantur.

13. Testimonium quod adducit sumptum est ex Esaiæ 56. *Domus enim mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus*, consentientibus & LXX.

16. *Ex ore infantium & lactantium*] Sumptum est ex Psal. 8. Porro quod hic vertit *infantium* Græce est νηπίων, quod hactenus vertit *parvulos.*

17. *Abiit foras extra civitatem*, ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως] Quid opus erat *foras? Exivit e civitate* sat erat, aut *abiit extra civitatem.* ¶ *Et mansit ibi*, ηὐλίσθη] q. d. *stabulavit*, h. e. *diversatus est.* Unde illud in Actis Apostolorum, συναυλιζομένῳ, de quo suo diximus loco.

19. *Fici arborem*, συκῆν μίαν] i. *Ficum quandam.* Siquidem Hebræi *unum* pro *quodam* usurpant. Interpres addidit *arborem*, ne de fructu acciperemus; ob quod alias, atque adeo mox, vertit *ficulneam*, non satis probato apud Latinos vocabulo, cum *ficulnus* sit appositivum à *ficu*, quemadmodum *quernus* à *quercu.* ¶ Nec est *Secus viam*] Sed ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, *in via.* Hæc est illa ficus cujus foliis nonnulli suam obtegunt insciliam; cum ea signarit magis illos qui cultu, qui titulis, qui splendidis verbis sanctimoniam præ se ferunt, cum vita non respondeat. At isti sedulo cavent ne quid bonarum attingant literarum, & dicunt quam possunt insulsissime, ne quid affinitatis habeant cum hac ficu. Cæterum ista ratione maxime in ficum incidunt. Audio incultam ac sordidam orationem, exspecto vitam simplicem & innocentem, h. e. fructum, quem orationis species, i. folia, pollicebantur: Ubi propius ventum est, Sardanapalos invenio, invenio Midas ac Satrapas, omnia tyrannica; solus sermo refert Apostolos. Hæc est illa ficus quam odit & exsecratur Christus; cui si putet elata doctrina & fastuosa eloquentia, quanto magis oderit arrogantem ac supercilliosam insciliam, & sanctimoniæ fuco personatam infantiam? Verum hæc ut παρέργα missa faciamus.

20. *Quomodo continuo aruit?*] In vulgati Græcorum cod. repetitur *ficus*, sed à librariis, ut opinor, additum, quandoquidem in vetustus exempl. non repetitur, nec apud Hieronymum.

21. *Et non hæsitaveritis*, μὴ διακριθῆτε] i. *non dijudicaveritis.* Etenim qui diffidit, dispicit ac dijudicat. ¶ Τὸ τῆς συκῆς ποιήσετε] i. *id quod accidit ficus facietis.* ¶ *Tolle, & jacta*] Ἄρθητι, καὶ βλήθητι, i. *Tollere, ac mittere*, passive, q. d. *Tollitor, ac projiciter.*

23. *In qua potestate*] Utrobique *potestas* hic Græcis est ἐξουσία, quod *jus* & *auctoritatem* significat, non *potentiam* aut *vires.*

25. *Cogitabant inter se*, πρὸς ἑαυτοὺς] i. *apud sese.*

26. *Omnes enim habebant Johannem*] Emendati cod. Græcorum habent ἴσχυεν *habent*; ut referatur ad ipsos Pharisæos ita cogitantes, suffragante Latino codice Corsend. atque item Aureo, consentientibus & duobus Donat. denique Constantiensi.

27. *Nec ego dicam vobis*] *Dico* ex Græcorum codicum & Aurei cod. autoritate.

28. *In vineam meam*, ἐν τῷ ἀμπελῶνί μου] i. *in vinea mea*, suffragantibus & vetustiss. Latinorum exemplaribus.

30. *Eo, domine*] In Græcis legitur *Ego, domine*, non *eo.* Qui sermo est sese præsto ac promptum offerentis ad quidvis. Ita puer Samuel, cum se vocatum crederet ab Heli, dicebat, *Ecce Ego:* pro quo Latini dicunt, *Eccum*, sive *Præsto sum.* Origenes legit ναὶ κύριε, *etiam, domine.* In nonnullis tamen Græcis reperio, pro ἐγὼ, ἔχω, i. *habeo*, sed, ut arbitror, ad Latinorum exemplaria castigatis.

31. *Et dicunt ei, Primus*, Πρῶτος] Augustinus annotans idioma sermonis Hebraici, lib. 6. commonstravit, hic improprie positum superlativum, cum de duobus fiat sermo. Nisi quod illic *novissimus* scriptum est, lapsu, ni fallor, memoriæ: nisi malumus id scribæ imputare, qui putarit & illic *novissimus* scribendum, quod superius de novissimo facta sit mentio in parabola vineæ. Atqui *novissimus* scriptum comperi in exemplari quod exhibuit Constantia; ut casu factum videri non queat. Unde colligitur aut narrationis diversum fuisse ordinem in his lib. quos habuit Augustinus, aut *novissimum* dictum de quo primum facta sit mentio. Is enim à præsenti loco *novissimus* est, h. e. extremus. Quemadmodum à Patre sursum genealogiam supputanti *novissimus* est Tritavus, ita qui primus erat in proponendo *novissimus* est in responsione. Hieronymus meminit utriusque lectionis, sed hanc qua nos utimur magis probat, quam eum & fuisse secutum liquet ex ipsius interpretatione, ut accipiamus Judæos ex ipsorum responsione coargui. Et tamen si cui placet altera lectio, sic nodum explicat, ut dicat Judæos perverse respondisse, quod intelligerent se captari quæstiuncu-

a

la. Atqui cur hic vitent captionem, cum in proxima parabola respondeant; *Malos male perdet?* Obiter & illud indicabitur. Cum hic locus ex Hieronymo referatur in Catena aurea, nec in his commentariis illius quos habemus reperiatur, nec alibi in ejus scriptis, certe quod meminerim, argumentum est hos fuisse decurtatos: quam suspicionem meam & alias significavi. D. Hilarius *primum* & *alterum* dictum esse putat pro *majore natu* & *minore*. ¶ *Meretrices præcedent*] Προάγουσιν, *præcedunt* præsentis temporis, suffragantibus vetustis exempl. Latinis, cumque his Aureo cod. & Constantiensi. Sentit enim illas esse promptiores ad accipiendam Euangelii doctrinam. ¶ Nec est *In regno Dei*] Sed *in regnum Dei*. Græcis exempl. suffragatur codex Aureus.

33. *Et fodit in eo torcular*, λῆνὸν] Nam lacunis olim effossis vinum recens expressum excipiebatur. Unde & alibi *lacum* vertit. Hinc Bacchus Poetis *Lenæus* dicitur.

37. *Verebuntur forte filium meum*] *Forte* nec est apud Græcos, nec in vetustis Latinorum exempl. nec in Aureo cod. ne in Constantiensi quidem, qui mihi postremus contigit, nec apud Hieronymum. Additum apparet à quopiam qui verebatur ne Deus aut mentitus videretur, qui futurum dixerit quod non evenit, aut inscius futuri. Quasi vero necesse sit ut per omnia quadrent &, ut ajunt, ad amussim parabolæ. Quædam admiscentur ut expleatur narrationis ordo; id quod testatur & Augustinus in opere De doctrina Christiana. Locus hic à duobus impetitus est gravi calumnia, qui contendunt ab Euangelistis scriptum fuisse, *Forte verebuntur*, videlicet à Matthæo hoc loco, & à Marco cap. 12. sed vocem erasam à falsariis nescio quibus, præsertim cum apud Lucam cap. 20. sine controversia addatur *forsan*, ἴσως. Primum, non hoc, opinor, exigit à me quisquam ut quicquid plus minusve sit apud aliquem Euangelistam id ad cæteros illico transferatur. Præterea, pro me facit cod. Græcorum omnium consensus; ad hæc Latinorum fere omnium, quos ego sane viderim, præsertim emendatiorum. Consentit & editio Basileensis, quam fratres Amerbachii è vetustiss. exempl. nobis summa fide dederunt. Ac ne Hieronymus quidem hunc locum enarrans usquam admiscet adverbium *forte*: de quo mox plura dicam. Certe Origenes exponens hunc Matthæi locum, tota enarratione declarat se legisse quod nos legimus. Siquidem hom. 19. movet hujusmodi quæstionem, Cum paterfamilias Deus dixerit, *Verebuntur filium meum*, & exitus doceat illos non fuisse reveritos, apparet Deum ignoralse quid esset futurum. Hujus quæstionis nodum ita solvit, ut dicat id quod in genere dictum est, *Reverebuntur filium meum*, constare, propterea quod aliqui qui Christum amplexi sunt non illum occiderunt, sed reveriti sunt. Nimirum hoc agit Origenes, ut si Deus prædixit futurum quod non evenit, aut ignoravit quid esset futurum, aut mentitus sit. Cumque inter tractandum subinde repetat Euangelistæ verba, nusquam tamen addit *forte*: ut id casu factum videri non possit. Nec aliter quæstionem hanc ingreditur Hieronymus quam Origenes; *Porro*, inquit, *quod jungitur*, VEREBUNTUR FILIUM MEUM, *non de ignorantia venit. Quid enim nesciat paterfamilias, qui hoc loco Deus Pater intelligitur?* Ex his nimirum liquet hoc offendi Hieronymum, quod secus evenit quam paterfamilias eventurum prædixerat. Sed apertius pro nobis facit quod legitur eodem in loco apud eundem Hieronymum, *Interrogemus Arium & Eunomium; Ecce Pater dicitur ignorare, & sententiam temperat, & quantum in vobis est, probatur esse mentitus.* Si legit hic Hieronymus, *Forte reverebuntur filium meum*, potuisset videri inscius futuri Deus, mentitus videri non poterat. Nam qui sic loquitur, *Cras forte rex appellet*, si non appulerit, nemini dicetur mentitus, cum nihil certi pronunciarit. Quid est igitur *temperare sententiam?* Relinquere locum resipiscentiæ, dum sermone suo spem aliquam sibi reliquam esse significat. Verum illud adversum nos facere videtur, quod Hieronymus meminit de *ambigendo*. *Sed semper*, inquit, *Deus ambigere dicitur*. Etenim qui hoc animo dicit aliquid futurum ut animum addat, aut spem faciat, is nimirum videtur ambigere. Sic enim deprecamur pro vapulaturis, *Posthac eris bona frugi*. Et cum animum addimus, dicimus, *Posthac non committes ut quisquam se officio superet*, aut, *Dabo operam ut hunc lapsum officio pensES*. Ad eundem modum Deus, cum præsciret Judæos interfecturos Filium suum, tamen ut admoneat illos quid facere debeat, ita loquitur quasi spes esset fore ut *reversis Filium* tandem resipiscerent, qui toties Prophetas occiderant. Ac rursus pro diversa parte stare videtur Chrysostomus hom. 69. nam hunc objiciunt. At hoc ita respondeo; Primum, fieri potest ut hic *forte* interpres addiderit de suo. Fieri potest ut Chrysostomus adverbium hoc retulerit ex Luca; quemadmodum enarrans Matthæum è Luca retulit, *De domo & familia David*, quod apud Matthæum in contextu non erat. Denique, quod ad sensum attinet, nihil est in Chrysostomo quod cogat addi *forte*. Cum enim ait, *Non ignorantis certe* (*absit hoc enim*) *sed magnitudinem peccati volentis ostendere, cujus nullam unquam satisfactionem ostendere potuerunt*, magis videtur ignorare qui prædicit futurum quod futurum non est, quam qui dicit, *Forte futurum est*; item magis ostendit magnitudinem peccati qui hoc dicit futurum quod omnino fieri debuit, quam qui dicit, *Forte facient*. Probabile est igitur apud Chrysostomum Græcum non addi *forte*, quando nec apud Theophylactum additur. Cæterum similia loca quæ proferuntur ex Prophetis, *Si forte vel ipsi audiant*, &, *si forte quiescant*, non est in Græcis ἴσως, sed ἐὰν ἄρα. Quid sit apud Hebræos nescio. Porro, quod addit Hieronymus in commentariis simile quiddam haberi & in Euangelio, *Forte verebuntur Filium meum*, non dubium est quin ex Luca citarit, sensum referens potius quam verba. Hæc visum est asscribere, non quod absurdum existimem si quod addit Lucas & hic adjectum esset, sed ut integritatem lectionis ac nostram industriam à calumniis defendam. Illud non omittam, quod Legimus in commentariolo Hieronymi, quo locum hunc explanat, *Sed semper ambigere dicitur Deus*, suspicor librariorum vitio pro *sæpe* mutatum *semper*. Neque enim semper sic loquitur in S. literis Deus.

38. *Dixerunt inter se*, ἐν ἑαυτοῖς] Græcis quidem ancepe est sermo, utrum sentiat *intra se*, an *inter se*. Quanquam accommodatius est *inter se*, ut intelligas illos colloquio conspirasse adversus Filium. ¶ *Et habebimus hæreditatem*] Κατασχῶμεν, i. *occupemus*, sive *obtineamus*, aut, ut legit Chrysost. *Ut possideamus.*

39. *Et ejecerunt extra vineam*, ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος] Latinus erat *e vinea* pro *extra vineam*: etiamsi Q. Curtius scripsit, *extra munimenta se volvit.*

41. *Male perdet*] Græcus addidit κακοὺς κακῶς, juxta morem Hebræorum, Latinus interpres recte omisit.

42. *In caput anguli*, εἰς κεφαλὴν γωνίας] Hebraica figura dixit, *Factus est in caput*, pro eo quod erat, *caput esse caput anguli*. Unde Paulus scribens Corinthiis vocat eum ἀκρογωνιαῖον *summum in angulo*. Is enim solidissimus ac maximus sit oportet qui parietem utrumque committat & contineat. ¶ *A Domino factum est istud*] *Istud*, sive *hoc*, non pertinet ad totum hoc quod præcessit, sed vel ad *caput*, vel ad *angulum*; quod utrumque Græcis sit generis feminini, velut αὕτη pronomen. ¶ *Et est mirabile*] Θαυμαστή, i. *admirandus angulus*, sive *admirabile caput anguli*. Sic enim interpretatur Origenes hom. 19. cujus verba non pigebit hic afferibere, quantum ad hujus rei probationem attinet, *Et iste lapis donum est donatum à Deo ædificio universo, & admirabile caput in oculis nostris, qui possumus eum videre oculis mentis.* Qui Chrysostomum Latine reddidit, ita vertit ut nos vulgo legimus. Mihi tamen subolet Chrysostomum ad *lapidem angularem* retulisse pronomen, qui duos maxime inter se dissidentes populos in eandem religionem coagmentarit, quando ita scribit, *Et ut videant nihil horum Deo esse adversum, sed valde acceptum atque gratum, mirabile præterea stuporisque plenum à Domino factum esse, subjunxit, Lapidem.* Hæc & quæ sequuntur si conferas lector, videbitur Chrysostomus de lapide loqui, quamvis interpres, aut fortassis scriba, secutus suam memoriam, lectionem perturbarit. Subindicat enim Chrysostomus Doctores Judæorum voluisse ædificare, sed absque lapide Christo, qui connecteret utrumque populum. Atque hæc ex conjectura duntaxat divinamus, certius judicaturi si Græci codicis esset copia. Certe manifestum est Theophylactum legere *factum esse*, & *mirabilem* referre ad *angulum*. Sic enim exponit, ἡ γωνία δὲ αὕτη θαυμαστή ἐστι, καὶ ὑπὸ κυρίου γέγονεν, i. *Hic enim angulus admirabilis est, & à Deo factus.* Jam quid Hieronymus verterit ex Hebræo, non satis liquet, cum constet pleraque ejus volumina fuisse depravata à sciolis scribis; nec ipsis voluminibus inter se consentientibus. Proinde fieri potest ut ex sua memoria reposuerit illud *factum est istud*, & hoc *mirabile*. Quod si maxime demus ita versum ab Hieronymo, tamen *istud* ad *caput* referri potest, h. e. ad Christum. Nec est necesse ut ad complexum orationis quæ præcessit referatur. Certe Hieronymus enarrans Psalmum 117. legit & exponit hunc in modum, *Et est mirabilis in oculis nostris*] *Non in illorum qui eum reprobaverunt, sed in nostris, qui eum credendo suscepimus.* Hactenus Hieronymus. In genere nobiscum facit Augustinus, tametsi locus mendo non caret, ni fallor. Ipse sermonis tenor docet sic esse legendum, i. *caput anguli, à Domino factus est.*

Digitized by

est. Quod si maxime legimus *factum est ei*, tamen quæ sequuntur arguunt quid senserit. Sequuntur enim hæc, *Quamvis enim hoc non esset factus, nisi fuisset passus, non tamen hoc ab eis à quibus passus est, factus est.* Quin & Arnobius *mirabilis* refert ad *lapidem*, non ad complexum sermonis; *Et ipsum*, inquit, *lapidem mirabilem in suis oculis habentes, confitentur*, &c. Porro sive referas ad *lapidem*, sive ad *caput*, sive ad *angulum*, sensus est idem, & ad Christum pertinet. Cum tot autores tam graves secutus sim in annotatione mea, cum sensus optime quadret ad nostram lectionem, tamen exstitit quidam qui tragicis verbis exaggeravit hic inextricabilem errorem meum, ex Hebræi sermonis idiomate petens hujus nodi solutionem: *Hebræi*, inquit, *cum careant neutro genere, abutuntur femminino. Hujus generis esse quod legitur* Ios. 3. IN HOC SCIETIS; *cum Hebræis sit*, IN HAC SCIETIS. *Et Psal.* 40. IN HOC COGNOVI, *pro*, IN HAC COGNOVI. *Porro Psal.* 26. *interpres etiam Hebraicum genus reliquit*, UNAM PETII A DOMINO, HANC REQUIRAM. In hanc ferme sententiam ille. Quæ ut demus maxime esse vera, nihil aliud efficiunt nisi ut intelligamus sic posse legi ac verti quemadmodum habet editio Vulgata: Non consequitur autem ut necesse sit, cum commodior etiam sit sensus ut ad *caput* seu *angulum*, i. ad Christum, referatur, quemadmodum faciunt probatissimi interpretes. Ubi est igitur error ille inextricabilis ac periculosus, nisi hic novus Hebræus succurrisset? Addam ridiculum quiddam; A duobus, ut dixi, locus hic fuit impetitus, quorum prior confessus est apud Hebræos sic haberi quemadmodum ego notaram, alter affirmat contra haberi; uterque se profitetur scire Hebraice & uterque suam sententiam scriptis evulgavit; & interim Erasmus vocatur *intractabilis*, qui diffidat talibus monitoribus. Atque ego sane vix unquam duos vidi qui in re Hebraica consentirent, sive hoc linguæ, sive hominum est vitium. Porro testimonium conflatum est è duobus locis, prior pars è Psalmo 117. secunda ex Esa. 28. nempe ea quæ mox subsequitur, *Qui ceciderit super lapidem*, &c. Non quod Dominus referat verba Prophetæ, sed quod ad illa alludens velut interpretetur. Nam Propheta sic loquitur, juxta translationem LXX, *Qui crediderit, non confundetur.* Ex quo colligitur sensus contrarius, *Qui non crediderit, confundetur.* Non credere *impingere* est, & confundi *conteri*.

43. *Quia auferetur*] ὅτι, *quia*. Quod interpres aliquot locis recte prætermisit, hic sine causa addidit, ut hoc magis sit ostentatiæ quam imperitiæ aut superstitionis. Nam si religio fuit quicquam omittere, cur omisit alibi? si judicio omisit, cur alibi apponit? ¶ *Facienti fructus ejus*] *Ejus* ad *regnum* refertur, non ad *Deum*, αὐτῆς· quod Græca legentibus per se liquet.

46. *Tenere*] Κρατῆσαι, quod melius *capere*, sive *manus injicere*. ¶ *Sicut prophetam*] Commodius erat, *tanquam prophetam*, sive *velut prophetam*. In vetustiss. exemplari, nempe Corsend. scriptum reperi *habent*, præsentis temporis verbo. Quanquam hoc sane loco duriusculum est, & refragabatur alter codex, nempe Paulinæ bibliothecæ. Certe Græcis est ἔχον.

VATABLUS.

1. MOntem Oliveti] Hic mons vicinus erat monti Sion, Mich. 3. ¶ *Misit*] *Emisit*.

2. *In castellum quod contra vos est*] *In pagum qui è regione vobis est*.

3. *Dimittet eos*] Vel, *emittit ipsos*, Apostolos scilicet: hic enim variant Græci codices.

4. *Hoc autem factum est*] *Hoc autem totum factum est*.

5. *Filia*] Dativus est, i. concioni Sionis, populo Israelitico. ¶ *Sedens*] *Et sedens*. V. ¶ *Filium subjugalis*] *Natum subjugi*.

6. *Præcepit*] *Præceperat*.

7. *Desuper*] *Super illa*: vel, *super illam*.

9. *Hosanna Filio David*, &c.] Vox corrupta à vulgo, pro *Hosiah*, sive *Hoseah-na*; quæ dictio dativo construitur. Sic autem Latine vertendum, *Salvum fac*, *obsecro*, *Filium David*, i. Fer opem Filio David regnum suum ineunti. *Felix qui à Deo missus est nobis Rex. Fer*, *inquam*, *opem*, ὦ *tu qui habitas in altissimis*.

11. *Populi*] *Turbæ*.

12. *Nummulariorum*] Vel, *mensariorum*.

16. *Utique*] *Etiam*: vel, *Sane*. ¶ *Quia ex ore*] Vacat hoc loco *quia*, ut & multis aliis locis.

17. *Mansit*] *Diversatus est*: vel, *pernoctavit*.

19. *Secus viam*] *In via*. ¶ *Nunquam*] *Non ultra*.

20. *Aruit*] *Aruit ficus*.

21. *De ficulnea*] *Id quod accidit ficui*. ¶ *Tolle, & jacta te*] *Tollere & jactare*.

23. *Potestate*] Græca vox significat *jus* & *authoritatem*.

24. *Unum sermonem*] Hebr. pro *rem unam*.

25. *Baptismus Johannis*, &c.] i. Qua authoritate baptizabat Johannes? authoritate Dei, an hominum? ¶ *Inter se*] *Apud se*.

26. *Habebant*] *Habent*. Varia est lectio.

28. *Operari*] *Operare*, imperativus. V.

30. *Eo*] *Ego*. Sermo est sese præsto & promptum offerentis. Sic puer Samuel, 1 Reg. 3. Hebraismus est. Respondent enim Hebræi per pronomina ubi Latini per verba aut adverbia.

31. *Præcedent vos in regno*] *Præcedunt vos in regnum*. Vet.

32. *In via justitiæ*] Hebr. pro, *ostendens vobis viam justitiæ*. ¶ *Pœnitentiam habuistis*] *Pœnitentia motus fuistis*.

33. *Homo*] *Homo quidam*. ¶ *Torcular*] *Lacum*. Nam lacunis olim effossis vinum recens expressum excipiebatur.

37. *Verebuntur*] *Verebuntur forte*. V.

38. *Intra se*] Vel, *inter se*. ¶ *Habebimus*] *Occupemus*.

42. *In caput anguli*] i. primus & præcipuus lapis.

45. *Facienti*] Vel, *afferenti*. ¶ *Ejus*] Refert *regnum*, non *Deum*.

44. *Qui ceciderit super lapidem istum*, &c.] q. d. Peribit is cui Christus offensioni erit, nec fuerit ei gratus: Quem item Christus oderit, peribit infelicissime.

46. *Tenere*] Vel, *capere*; sive, *manus injicere in eo*.

CASTALIO.

9. HOsanna Davidide] *Hosanna* significat *Serva age*: estque cantionis genus quæ sub festum Tabernaculorum cani solebat, in qua subinde repetebatur *Hosanna*: sicut in Gallia circa Christi Natalitia canuntur vulgo de Christo nato carmina, in quibus subinde repetitur *Noel*. Sed de *Hosanna* vide Andream Osiandrum, in Harmonia.

CLARIUS.

9. BEnedictus qui venit] Helias Hebræus Magister meus narravit hæc verba solita dici à Sacerdotibus cum victimæ afferebantur immolandæ: quod pulchre hic in vera Victima Christo impletum fuit. ¶ *Hosanna in altissimis*] Proficiscatur, inquiunt, usque ad cœlum ista vox laudis. *Hosanna* vero peculiaris vox est apud Hebræos, qualis est apud nos *Io triumphe*.

12. *Et cathedras vendentium columbas everti*] Mirum videri posset cur, cum non minor usus in templo esset turturum quam columbarum, cathedras tantum vendentium columbas everterit, nisi aperte sciretur mysterium.

19. *Et nihil invenit in ea*] Manifeste hoc totum ob mysterium factum est: alioquin ignorare qui potuisset nihil ibi se reperturum fructuum, cum non esset tempus ficorum?

25. *Dicet nobis*, *Quare ergo non credidistis*;] Qui scilicet tantum ac tam evidens de me tulit testimonium.

28. *Homo quidem habebat duos filios*] Aperit demum quid velit parabola hæc cum ait *publicanos & meretrices præcessuros Judæos in regnum Dei*. Nam quæ sequitur parabola apertior est quid spectet quam ut necesse sit eam declarare: tantum accipe per *vineam* Judæos, per *sepem*, Legem, per *torcular* altare, per *turrim*, Templum.

44. *Qui ceciderit super*] Videlicet obsistendo, & opponendo sese. ¶ *Super quem vero ceciderit*] Cum ulciscetur adversarios.

ZEGERUS.

2. IN *caſtellum quod contra vos eſt*] Gr. εἰς τὴν κώμην τὴν κατέναντι ὑμῶν, *in oppidum, pagum, caſtellum*, vel *vicum, qui ante*, vel *contra, vos eſt*. Incertum enim quid horum ſentiat: nec liquet ex commentatoribus antiquioribus ſive hunc ſive alios Euangeliſtas enarrantibus, qualem aut quemnam locum intelligat. Ex eo tamen quod Lucas habet, *Cum appropinquaſſet ad Bethphage & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti*, atque item ex ſitu Terræ ſanctæ ſuſpicor hos caſtellum fuiſſe Bethaniam, propterea quod venientibus ab Jericho Bethphagen cernatur quaſi in oppoſito, & à Bethphage recta euntibus Jeroſolymam relinquatur paululum extra viam in ſiniſtra, in latere montis Oliverum, ad quem jam Dominus venerat, aut certe propinquabat. Et quia Bethaniæ in ſumma erat æſtimatione & autoritate, cum propter alia, tum præcipue propter ſuſcitationem Lazari jam tum nuperrime factam, ut liquet ex illo Joh. 12. *Propterea & obviam venit ei turba, quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum*, ideo dixit Diſcipulis, *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus iis opus habet: & confeſtim dimittet eos.* Porro quod per *caſtellum* non deſignetur Jeroſolyma, ex multis colligi poteſt argumentis: Primum, quod nuſquam ea civitas in Scriptura hac voce ſive Græca ſive Latina inveniatur deſignata. Nam ut κώμη aliquoties *oppidum* ſignet, nuſquam tamen metropolim aut civitatem alioqui celebriorem. Unde B. Lucas 5. 17. dum hoc nomine omnia complecteretur oppida Galilææ atque Judææ, quaſi indicans hoc nomine non comprehendi ejus regionis caput Jeroſolymam, nominatim eam expreſſit, dicens, *Qui venerant ex omni caſtello Galilææ & Judææ, & Jeruſalem.* Deinde, quod nullus veterum hanc recentium de caſtello opinionem habeat aut inſinuet. Poſtremo, quod in Origenis commentariis ſententia deprehendatur huic plane adverſa. Cum enim dicit, *Et forſitan cum aſcenderint in Jeruſalem, ſedente Jeſu ſuper ſe, aſina & pullus, & fatis illic non remanebunt ibi, ſed remittentur:* & rurſus, *Erant autem ambo, i. populus ex Judæis, & populus ex Gentibus, in villa, & non in civitate Sion vel Jeruſalem*, ſubindicat ex pago quopiam adducta fuiſſe animalia. Huic etiam ſententiæ adſtipulatur Hilarius, qui pro *caſtello* legit *vicum*. Sileo interim quod non videatur veriſimile hujuſmodi vilia jumenta porro abfuiſſe, aut ab eo loco petenda fuiſſe quo Dominus contendebat. De ſignificantia κώμης & *caſtelli* habes ſupra c. 14.

5. *Dicite filiæ Sion*] *Ipſi filiæ Sionis*, h. e. populo Iſraelitico. ¶ *Sedens ſuper aſinam & pullum filium ſubjugalis*] ſub. *aſinæ*. Ad hoc quod quæri poſſet utri Dominus jumento inſederit, pullone, an aſinæ, alii ipſum utrique, prius uni, deinde alteri, inſediſſe reſpondent: atque in hac ſententia eſt B. Auguſtinus lib. 2. De conſenſu Euang. c. 66. Alii pullo duntaxat, juxta id quod alii habent Euangeliſtæ: & quod hic de utroque dicitur animante, ad allegoriam tranſmittendum autumant, populi Judaici & populi Gentilis.

9. *Hoſanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis*] Hoc celebre encomium Chriſto acclamabat promiſcua Judæorum multitudo; ſcilicet edocta ſolenni quadam conſuetudine, qua illud, atque etiamnum totus ipſe Pſalmus 18. *Confitemini Domino, quoniam bonus*, unde hic verſiculus deſumptus eſt, in certis quibuſdam feſtivitatibus, peculiariter in octavo feſti Tabernaculorum die, (ut in conſtitutionibus Judæorum legimus) ſolitus erat decantari; atque hoc ipſo atteſtabatur Davidicum illum Pſalmum, qui manifeſte de Meſchiæ adventu eloquitur, in Jeſu Davidis filio jam tandem eſſe completum. Verba autem Pſalmiſtæ ſic habent, אנא יהוה הושיעה נא אנא יהוה הצליחה נא : ברוך הבא בשם יהוה i. *O Domine, ſalvum fac; O Domine, proſperare. Benedictus qui venit in nomine Domini.* Vel, *Obſecro Domine, ſalvum fac, quæſo; obſecro, Domine, proſpere age. Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hac ergo confeſſione quemadmodum David olim prophetando, & ſynagoga Davidem æmulando in prædicta ſolennitate, decerptis (ſicuti in feſto Tabernaculorum fieri jubetur in Levitico) arborum ramis, ſummum illum יהוה omnium Deum gratulabundi compellabant atque laudabant, ita nunc quoque Hebræorum populus, decerptis etiam ramis, eandem illam confeſſionem in Chriſtum referebat, credendo & confitendo quod ipſe vere eſſet יהוה qui ſuo adventu ac morte ſalvaturus eſſet univerſum mundum. Quod autem dicitur, *Hoſanna in altiſſimis*, hoc deſignat, quod altiſſime & quaſi in cœlum uſque voces fuſtulerint, vel, ſecundum Hieronymum, quod Salvatore adveniente Hoſanna, i. *ſalus* (ſic enim ipſe interpretatur) in cœlum uſque, i. etiam ad excelſa, pervenerit; pace facta non ſolum in terra, ſed & in cœlo: ut jam dici aliquando ceſſaret, *Inebriatus eſt gladius meus in cœlo*, Iſai. 34. Teſtatur etiam idem Hieronymus in epiſt. quadam ad Damaſum, pro *Hoſanna in altiſſimis* à B. Matthæo Hebraice הושיעה נא במרום ſcriptum fuiſſe: ex quo arguitur Euangelium illud Hebraicum quod nuper prodiit non eſſe germanum Matthæi Euangelium ab ipſo deſcriptum: Quin & ex aliis nonnullis locis deprehendi poteſt tranſlatitium eſſe, & ex Græco, aut ex Græco & ſimul ex Latino eſſe tranſfuſum. Nam hic ſcriptum legimus, non ut Hieronymus indicat, ſed hoc pacto, הושיעה בעליונות. Cæterum quod ad orthographiam & pronunciationem attinet hujus vocis *Hoſanna*, nonnulli putant à nobis corrupte dici *Hoſanna*, dicendumque *Hoſchianna*. Apud Hebræos tamen ſcriptum invenio הושיעה נא & הושיעא & הושיענא: Verum hac in re anxius immorari ſupervacaneum eſſe puto.

13. *Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*] Templum Dei ſpecum latronum faciebant, quia non lucra ſpiritualia in animarum ſalutem, ſed terrena atque illicita ſectabantur in animarum exitium.

18. *Mane autem revertens in civitatem, eſuriit. Et videns fici arborem*, &c.] *Si quaſi homo eſuriſſet cibum*, (inquit ille in Opere imperf.) *nunquam mane eſuriſſet: ſed ideo mane eſuriit, quia ſemper eſuriit, qui juſtitiam hominum eſuriit aut ſalutem. Merito ergo veniens ad gentem Judæam Chriſtus, mane eſuriebat, cum per tot millia annorum nullum juſtitia ſua acciperet cibum.* Deinde poſt aliquanta ſubdit, *Arbor fici eſt Synagoga. Folia autem utriditatis, ſunt ſpecies tantummodo ſanctitatis in homine, aut ſine fructu operum verba religioſa. Quicunque ergo homo religioſus, i. arbor rationalis, profitetur ſe eſſe Dei, & juſtitiam non operatur, arbor eſt tantummodo, folia ſine fructu portans: quales ſumus nos de quibus prophetavit Apoſtolus* 2 Tim. 3. ERUNT, *inquit*, IN NOVISSIMIS DIEBUS HOMINES SEIPSOS AMANTES, CUPIDI, *&c.* SPECIEM QUIDEM PIETATIS HABENTES, VIRTUTEM AUTEM EJUS ABNEGANTES: *quos in finem maledicturus eſt Dominus, ut nunquam ex illis fructus naſcatur, ſicut maledixit Judæis, & aruerunt.* SECUS VIAM, *eſt juxta mundum. Ideo ergo nullum in Judæis fructum Chriſtus potuit invenire, quia juxta mundum viventes erant, i. ſecundum mundum. Mundus enim via eſt communis per quam omnes tranſeunt qui naſcuntur.* Plura habes lectu digna in prototypo.

19. *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et aruit*] *Tu*, inquit quidam apud Chryſoſtomum, Hom. in Matth. ex diverſis 23. *in hac arbore homo terreris, tu inſtrueris, tu ſalubriter admoneris; tibi procurantur exempla, tibi cauſæ aptantur, propter te iſtius arboris argumenta traduntur. Adventum Domini bonis fructibus præveni. Quod in te Dominus oſtat inveniat, quod quæſit reperiat, quod deſiderat habeat, ne quod à Deo arbori contigit, tibi contingat.* Tractat hunc locum Paulinus epiſt. ad Deſiderium, ſi quis forte deſiderabit.

21. *Non ſolum de ficulnea facietis, ἀ μόνον τὸ τῆς συκῆς ποιήσετε*] *Non ſolum hoc quod in ficu factum eſt facietis.* ¶ *Si monti huic dixeritis, Tolle, & jactate in mare*] Legendum, *Tollere, & jactare in Mare*, modo ſcilicet imperandi paſſivo: eſt enim Ἆρθητι καὶ βλήθητι, i. *Tollere & mittere*: nili forte malis quod legit Auguſtinus l. 1. Quæſt. Euang. & De conſenſu Euang. quomodo & in quodam vidimus exemplari, *Tolle te, & jacta te in mare.* Mons hic diabolus accipiendus eſt: qui *mons* dicitur non propter altitudinem dignitatis, ſicut Angeli ſancti, ſed propter inflationem ſuperbiæ; non propter firmitatem virtutis, ſed propter immobilem & incorrigibilem malitiam. Si quis pleniora deſiderabit, pulcherrima hic habet Opus imperfectum.

23. *In qua poteſtate hæc facis? ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ*] i. *quo jure, qualicunque, qua autoritate:* Origenes tamen ἐξουσίαν pro *δυνάμει virtute* accepiſſe videtur. Numerat enim multas poteſtates tam Dei quam diaboli. Idem verbum & in ſequentibus eſt, *quis dedit tibi hanc poteſtatem?*

26. *Omnes enim habebant Joannem quaſi prophetam*] Ne quis forte juxta vetuſtiora quædam tam Græcorum quam Latinorum exemplaria legendum arbitretur πάντες γὰρ εἶχον τὸν Ἰωάννην, *omnes enim habent Joannem*, ut ſint verba Phariſæorum, qui de turba hoc cogitabant *quod omnes perſuaſum haberent Joannem Prophetam eſſe*, admonendum fuit, apud nullum nominatum hanc lectionem reperiri interpretem. Unde etiam Hilarius atque Chryſoſtomus pro eo quod præcedit, *timemus turbam*, legunt *formidabant turbas*, quemadmodum eſt apud Marcum c. 11.

28. *Homo quidam habebat duos filios: & accedens ad primum dixit, Fili, vade*, &c.] Prior filius eſt populus Gentium, poſterior populus Judæorum; quandoquidem ille ex Noe, iſte ex Abraham deſcendit. Ille reſpondit, *Nolo*, ipſo opere palam teſtans ſeſe voluntati Divinæ non parere: iſte reſpondit, *Ea, Domine,*

ore ac sermone religionem promittens, juxta illud Exod. 24. 7. *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus*, alienus interim ab opere. Ex his facile advertere est quorsum Dominus tendat.

30. *Eo, domine*] Græce est, Ἐγώ, κύριε, sed perperam. Nam dum commentatores hoc sermone spopondisse filium posteriorem tradunt, declarant, *Eo, domine*, se legisse; non, *Ego, domine*; quod parati quidem esse potest, spondentis non item. Itaque Ὑπαγω, κύριε, legendum, quomodo in nonnullis scriptum perhibetur.

33. *Homo quidam erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis; & peregre profectus est*, &c.] *Homo paterfamilias* Pater est cœlestis. *Homo*, propter nativam (ut ita loquar) erga nos miseros humanitatem & comitatem; *Pater*, propter creationem, nutritionem, originem, indulgentiam; *Paterfamilias*, familiam habens multo maximam amplissimamque, utpote & Angelos simul & homines, cœlum pariter & universum terrarum orbem, atque adeo creaturas omnes complectentem. Hujus Patris *vinea* ea est de qua Jesaias c. 5. *Vinea Domini exercituum domus Israel est*: de cujus plantatione Psalmographus Psal. 80. *Vineam de Ægypto transtulisti: ejecisti gentes, & plantasti eam. Sepes* munitio est Divinæ seu Angelicæ custodiæ, *Ne facile*, inquit Ambrosius in Lu. 19. *spiritualium pateret incursibus bestiarum. Torcular*, altare, seu locus Ibaminum, ubi veluti in torculari exprimebatur victimarum cruor. *Turris*, eminentia Legis, *qua*, inquit Hilarius, *& in cœlum ex solo progressa proveheret, & ex qua speculari Christi posset adventus. Agricolæ*, Pontifices, Sacerdotes, Scribæ & Pharisæi, quorum interest zizania revellere, sementem facere, irrigare, putare. *Peregrinatio*, Divinæ illius dignationis, qua illos præivit in columna ignis per noctem, & in nube per diem, donec plantasset eos introductos in montem sanctum suum, subtractio. *Tempus fructuum*, tempus Prophetarum. *Servi emissi* diversi sunt alii post alios destinati Prophetæ atque doctores; quorum alii pulsati, alii lapidati, alii occisi fuere. *Filius* tandem emissus Christus Dominus est, qui extra Jerusalem, tanquam extra vineam, abjectus, extremo supplicio eoque ignominiosissimo atrocissimoque traditus fuit. *Consilium colonorum, & hæreditatis, occiso hærede, præsumptio*, spes inanis est, gloriam Legis perempto Christo posse retineri. *Reversio*, resurrectio à mortuis, quando Dominus vineam suam consignavit aliis agricolis, nempe Apostolis ac cæteris facientibus fructus ejus. Sic se habet hujus parabolæ enarratio, tum antiquior, tum etiam, ni fallor, angustior. Sunt tamen inter veteres qui nonnulla aliter edisserant; per *sepem* intelligentes Legem, quod ea arceret à vetitis, deinde etiam Judæos separaret à gentibus profanis: per *torcular*, Prophetas, quod ex ipsis quasi ex torcularibus musti instar exprimeretur gratia Spiritus S. deinde etiam mysterium passionis Dominicæ, pro quo quidam Psalmi inscripti sunt *Pro torcularibus*, utpote musto æstuantes sanguinis & passionis Christi: per turrim, Templum: per *agricolas*, operarios illos in vineam conductos, de quibus habes supra cap. 20. per *profectionem*, liberum operandi arbitrium, juxta illud Sirach in Ecclesiastico c. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu arbitrii sui*, &c. per *domini regressum*, adventum ipsius ad judicium.

42. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*] Psal. 118. 22. Quos modo *agricolas* dixit, eosdem hic *ædificatores* appellat. Unde Apostolus 1 Cor. 3. 9. *Dei*, inquit, *agricultura estis, Dei ædificatio estis*. Quem modo *Filium* dixit *foras ejectum*, eundem nunc *lapidem* vocat *reprobatum*. Porro *lapis hic factus caput anguli*, seu *anguláris*, idem Dei Filius est, Judaicum & Gentilem populum, tanquam duos parietes, connectens; *ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo*, Ephes. 2. 15, 16. ¶ *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*] Cum res ipsa postulet ut τὸ *istud* referat factum ipsum quod narratur, nempe *lapidem reprobatum factum esse anguli caput*, apud Græcos tamen τὸ αὕτη non potest pertinere nisi ad κεφαλὴ *caput*, vel ad γωνίας *anguli*; similiter nec θαυμαστὴ *mirabilis*; quæ omnia ejusdem sunt generis. Verum hac in re ad Hebraicam recurrendum est originem. Hebræa igitur sic habent, אבן מאסו הבונים היתה לראש פנה : מאת יהוה היתה זאת היא נפלאת בעינינו : quæ ad verbum sonant, *Lapidem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, est mirabile in oculis nostris.* Ubi nihil erit quod offendat si memineris Hebræos non habere genus neutrum, ejusque vice uti femineo: veluti dum referunt indicantve sententiam aliquam aut factum, & hujusmodi. Sic enim loquuntur, קנאת יהוה צבאות תעשה זאת : *Zelus Domini virtutum faciet hanc*, i. hoc, vel hanc rem: &, *Unam petii à Domino, hanc requiram.*

44. *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum*] Varie hunc locum edisserunt. Nam B. Hieronymus quid hic intellexerit his edocet verbis, *Aliud est*, inquit, *offendere Christum per mala opera, aliud negare. Qui peccator est, & tamen in illum credit, cadit quidem super lapidem, & confringitur, sed non omnino conteritur: reservatur enim per pœnitentiam ad salutem. Super quem vero ille ceciderit, h. e. cui lapis ille irruerit, & qui Christum penitus negaverit, sic conteret eum ut nec testa quidem remaneat in qua hauriatur aqua pusillum.* Augustinus vero paulo secus enarrat, scribens & ipse in hæc verba Lib. Quæst. Euang. 1. c. 30. *De iis dicit quod cadent super eum, qui illum modo contemnunt vel injuriis afficiunt; ideo nondum penitus intereunt, sed tamen confringuntur, ut non recti ambulent: Super quos autem cadit, veniet illis desuper in judicio cum pœna perditionis: ideo dixit,* CONTERET EOS, *ut sint impii tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.* Porro Chrysostomus, *Duas hic*, inquit, *perditiones denotavit: alteram, quia offenderunt & scandalizati sunt:* Judæi scilicet; *hoc enim est quod dicit,* QUI CECIDERIT SUPER LAPIDEM HUNC: *alteram, quia capti, calamitosi & erumnosi semper vixerunt & vivent; quam apertissime expressit, dicens,* CONTERET IPSUM.

MASIUS.

9. HOsanna ὡσαννὰ in festo tabernaculorum maxime primo & 7. die continuo succinitur à Judæis non aliter quam in nostris Litaniis, *Miserere nobis.* Cur igitur nunc ante Pascha ita cantatum est? Sine dubio instinctu Spiritus Sancti, ut constaret non festo diei, sed Christo cani, & frondes, quibus alioqui in tabernaculorum festo uti solent, occasionem dedisse videntur, ut in eam cantionem prorumperent.

33. & seq. In parabola vineæ elocatæ alii fuerunt servi, quos Marcus & Lucas primum singulos missos fuisse scribunt, videlicet ut adferrent fructus præcoces &c. alii quos Matthæus plures simul, videlicet, ut universum fructum vineæ simul adferrent ad Dominum.

LUCAS BRUGEN.

5. ET *sedens super asinam & pullum filium subjugalis*] Zacharias Propheta (cap. 9 v. 9.) cujus hoc est ab Euangelista citatum testimonium, pro *asinam*, חמור habet, id quod *asinum* plerumque significat: qua de re eo loco diximus, de varietate Latinorum codicum, quorum alii illic *asinam*, alii *asinum* legunt, differentes. Dictio etiam ὑπὸ, in Græco Matthæi textu posita, *asinum* transferri potest; maxime cum articulo careat: unde Græcanicus scholiastes Euthymius sic intellexit. Denique Syriaca dictio חמרא eadem cum illa qua Propheta utitur חמור, ejusdem est significationis; *asinum* plerumque significat, quanquam semel & iterum hoc capite v. 2, & 7. pro *asina* ponatur. Verum non sic legunt, *asinum* inquam, in Matthæo Latini codices: *asinam* habent, B. Hieronymo in proprio commentario, & B. Augustino l. 2. De Consensu Euang. c. 66. suffragantibus: forte quia mandatum de asina cum pullo adducenda præcedit, & narratio de adducta cum pullo asina sequitur; Interpres similiter vertendum esse Prophetæ vaticinium existimavit, ita nimirum ut & *asinam* & *pullum* manifeste complecteretur. Velim hunc in locum ea legi quæ Tostatus Quæst. 17. in c. 21 Matth. & Jansenius in cap. 110 Concordiæ Euangelicæ, Episcopi, de hac quæstione, *An pullo duntaxat insederit Dominus*, scripta reliquerunt.

STEPHANUS.

¶ Κεφ. κα, Περὶ δ ξυλὸν ἰχνοτ@ ϯ χῆρ.

Ματθ. ἐν τῷ Λουκ. ἰβ, καὶ μεταξὺ ἐκεῖθεν ἦλθεν, ὡς ϯ ἀναγαγεῖν αὐτὸν· καὶ ἰδοὺ, ἄνθρωπ@ ἰω ἐκεῖ ϯ χῆρ ἰχοντ ξυλ.

Καὶ χίρ καφαλίω μεπήσκο, ἐμβεμιοπιτ.

Ἄλλως,

Καὶ ὑγιὴ ἀπέδειξε χέρ περὶ ἴσου ὄχλων.

5. Ἐπιβεβηκὼς ὄπι ὄνον καὶ πῶλον υἱὸν ὑπουζυγίου] *Insidens asinæ, & pullo filio subjugis asinæ.*

7. Ἐπεκάθισαν] *Collocarunt* ipsum.

8. Ἔστρωσαν] *Straverunt.*

10. Ἐσείσθη] *Commota est.*

12. Τὰς τραπέζας ϯ κολλυβιστῶν κατέστρεψε] *Mensas nummulariorum deturbavit.*

16. Ἐκ

Digitized

16. Ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον] *Ex ore infantium & lactentium perfectam reddidiſti laudem.*

17. Ηὐλίσθη] *Diverſatus eſt.*

19. Ἐξηράνθη παραχρῆμα] *Exaruit continuo.*

21. Μὴ διακριθῆτε] *Non vacilletis:* vel, *hæſitetis*, quaſi cum quadam alternantium cogitationum altercatione.

29. Μεταμεληθείς] *Mutata ſententia.*

31. Προάγουσιν ὑμᾶς] *Antecedunt*, vel *præcedunt vos:* aut, *Præeunt vobis:* q. d. Patet illis aditus potiùs quam vobis.

33. Ὤρυξεν ἐν αὐτῷ ληνὸν, καὶ ᾠκοδόμησε πύργον· καὶ ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς, καὶ ἀπεδήμησεν] *Fodit in eo torcular, & ædificavit turrim, & elocavit eam agricolis, & peregre profectus eſt.*

37. Ἐντραπήσονται] *Reverebuntur.*

44. Λικμήσει] *Comminutum diſſipabit.*

DRUSIUS.

1. BEth-phage] בית *locus extra Jeroſolymam*, ait Baal Aruch: cui potius aſſentior quam Davidi de Pomis, qui ſcribit eſſe *locum muri Jeroſolymitani.* Quam opinionem vel hic locus refellit. Probarem, ſi dixiſſet, *extra murum*, vel *prope murum.* Sed autor ille cum judicio legendus. ¶ *Ad montem Oliveti*] i. ἐλαιῶνος. Nam ἐλαιὼν *olivetum* ſive *oletum*, locus oleis conſitus. Cæterum in fonte Græco eſt ἐλαιῶν, quod ſonat *olearum* ſive *olivarum.* Sic etiam vocatur hic mons Marc. 11. 1. & Luc. 19. 29. ut & Zach. 14. 4. הר הזיתים, ubi Targ. טור זיתיא *mons olearum.* Sed Act. 1. 12. ἐλαιῶνος *oliveti*, ut hic Vulg. noſter. Syrus habet טורא דזיתא *montem olea*; & in Actis, *è monte qui dicitur domus*, ſive *Locus*, *olea*, i. olivetum. Dicitur quoque טור משחא *mons olei* Cant. 8. in Targ. & הר המשחה in Phelicta 54. 1. *Mons*, inquit, *olei qui eſt ante faciem* [ante faciem] *ex adverſo Jeruſalem, hic eſt mons olearum.* Aberat ab Urbe itinere ſabbathi. Dictus ita ab ejus arboris copia quæ in illo monte. Inter eum & Urbem interjacebat vallis Joſaphat.

5. *Filiæ Sion*] Non Civitati, ſed Eccleſiæ aut Synagogæ. Sic dicimus, *Filia Edom*, *filia Babel*, *filia Tyri.* Nam ut hic non ſignificat *urbem*, ita nec ibi. Vide Quæſt. meas. Σιὼν cum S, Sade. Nam in ſcriptura Ebraica צ *Tſion.* Mons eſt ejus nominis, qui duos colles habebat, aut, ſecundum alios, tres. Unde *trijugus* appellatur. Primus peculiariter *Sion* dicebatur: ſecundus, *Moria*, in quo Templum erat; tertius, *Acra.* Joſephus l. 5. De bello Jud. *Tres fuere colles in Urbe. Unus, in quo urbs quam David conſtruxerat, quæ Civitas David vocatur. Alter, in quo erat Arx, qui undique declivis erat, & ſubjectam urbem inferiorem habebat. Tertius humilior, in quo erat Templum. Sion* ſæpe pro tota Urbe ponitur: unde *filia Sion* eſt Eccleſia Jeroſolymitana. Situs erat hic mons ad Aquilonem: Quod docent hæc Davidis verba, *Mons Sion latera Aquilonis*, quæ habentur Pſal. 48. 3. Moria ſpecialiter *mons DOMINI* & *mons domus DOMINI* vocatur. Dicitur etiam *mons domus*, i. templi; &, *mons DOMINI ſacroſanctus*, quod latius aliquando extenditur. Reperio & *mons filiæ Sion*, Jeſ. 16 1. ¶ *Manſuetus*, πραΰς] Recte ſic interpretatur nomen עני, quod hic ponitur pro עני *mitis*, *manſuetus*: unde ענוה *manſuetudo.* Ita ſumitur Soph. 3. 12. item Pſal. 18. 27. ubi LXX ταπεινὸν, & Sym. πραῢν: nec non Pſal. 55. 16. ubi David ſcholiaſtes תמרורי שחי, in quibus ſenſus *humiliatis.* Alioqui עני in communi uſu denotat *pauperem* & *afflictum*: cujus pluralis עניים *pauperes* ſæpe confunditur cum ענוים *manſuetis*, *mitibus*, variante lectione à ſcriptura. Nam qui pauperes & afflicti etiam mites & manſueti ſunt.

9. *Hoſanna*] Vel *Oſanna*, quod in libris excuſari poteſt ex dialecto Syra ſive Chaldaica, quæ He in Aleph mutare ſolet. Ea ætas leniter efferebat. Sic promiſcue ſcribunt ישעיה *Hoſaias* & ישעיהו *Oſaias.* Vide Juchaſin fol. 84 pag. 1. valet autem *Serva nunc*, aut *Serva quæſo*, vel *obſecro*, Σῶσον δή, & non *Serva nos*, quod Syriace diceretur ושענן *Oſannan.* Quæ de *Hoſanna* hic ſcribit Eraſmus notanda ſunt iis qui ea quæ neſciunt, aut non intelligunt, ex alto contemnunt. *Hodie magni quidam*, inquit, *ut ſibi videntur, Theologi, cum ne Latine quidem ſciant, omnis antiqua bonaque literatura rudes & ab ea hoſtes, nihil admiſceri volunt Divinis literis niſi quod ab ipſis poſſit intelligi. Verum quemadmodum Ebræa litera ab Hilario neglecta (nam is prodidit* OSANNA *ſonare Redemptionem domus David) ſui contemptum ulta ſunt in* OSANNA, *ita paſſim his temporibus elciſcuntur ſui neglectum bona litera, dum ſubinde impingunt, nuſquam non hærent, nuſquam non labuntur, & eruditis viris de ſe vel riſum vel commiſerationem excitant. Hæc nequaquam dicta ſunt in contumeliam ordinis Theologici, ſed in quoſdam parum dignos hoc ordine.* ¶ *In altiſſimis*] במרומים Job. 16. 19. h. e. in cœlis, Marc. 11. 10. *in excelſis.* Utrobique eſt ἐν ὑψίστοις. מרום proprie *altitudo.* De cœlo uſurpatur in utroque numero. Nam ut promiſcue *cælum* & *cæli* dicimus, ſic *altum* & *alta*, vel, ſi placet, *altiſſima*; niſi mavis *altiſſimi*, ut *cæli* ſubintelligantur. Notum illud, *germen ex alto*, ἐξ ὕψους, i. è cœlo.

11. *Ex Nazareth Galilææ*] *Prophetæ ex Nazareth*, vel, ſi mavis, *Naſareth*, i. Naſarenus, aut Nazarenus. Sed cur addidit *Galilææ?* An alia fuit Nazareth quæ non erat in Galilæa? ſicut Bethlehem alia erat in tribu Zabulon, & alia in tribu Juda, quæ propterea *Bethlehem Juda* dicitur. Ab hac *Nazareth* (melius *Naſareth*) ὁ Σωτὴρ dictus eſt *Nazarænus* & *Galilæus*; unde Juliani dictum, *Vicisti, Galilæe:* indeque Chriſtiani omnes olim *Nazarai* & *Galilæi* vocabantur, q. per contemptum. Nam Galilæi non optime audiebant apud Judæos: unde Joh. 1. 46. *A Nazareth poteſne aliquid boni eſſe?* Suidas, Ἐν Ἀντιοχείᾳ μετωνομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζωραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι, Χριστιανοί. Id factum eſt, eodem teſte, ἐπὶ Κλαυδίου βασιλέως Ῥωμαίων, *ſub Claudio imperatore Romanorum.* Reperitur & *Nazaret* cum *t* non aſpirata in fine: ſed eſt *Nazara*, i. נצרת, quod rectius *Naſara* ſcribas. Euſebius l. 1. c. 7. ἐστὶ γὰρ Ναζαρὰ τῆς Χαναδὶ καμῶν Ἰουδαίων. *Urbem* alii, & alii *vicum* appellant. Aberat à Jeroſolyma trium dierum itinere, ſi non fallit nos David de Pomis ſive Pomarius Judæus Italus. *Nazara* & *Nazareth*, ut *Genneſara* & *Genneſareth.* Subjacebat urbi Chapharnahum, non procul à monte celſo Thabor, imo ad radices ejus. Antea vos monui rectius ſcribi *Naſara*, & *Naſareth*, & *Naſarenus:* ſed nos conſuetudinem ſecuti ſumus, ſævum tyrannum, à quo recedere non audemus ſævitiam ejus metuentes. Quanquam, ut Tertullianus ait, *Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt.*

12. *Numulariorum*] Qui & *argentarii*, & *trapezitæ*, h. e. *menſarii* ſive *menſularii*, quos Elias שולחנים appellat, à ſing. שולחן *menſarius.* Vocantur etiam *collybiſtæ*; quos tamen Hieronymus diſtinguit à *numulariis*, in Comment. ad hunc locum ita ſcribens, *Poſuerunt numularios, qui mutuam ſub cautione darent pecuniam. Sed quia erat lege præceptum ut nemo uſuras acciperet, & prodeſſe non poterat pecunia fœnerata quæ commodi nihil haberet & interdum ſortem perderet, excogitaverunt* [*ſacerdotes*] *aliam technam, ut pro numulariis collybiſtas facerent, cujus verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Collyba dicuntur apud eos quæ nos appellamus Tragemata, vel Vilia munuſcula. Verbi gratia, frixi ciceris, uvarumque paſſarum, & poma diverſi generis. Igitur quia uſuras accipere non poterant collybiſtæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro uſuris accipiebant varias ſpecies, ut quod in numo non licebat in his rebus exigerent quæ numis communtur.* Vide ſequentia. Ab Hieronymo diverſi abeunt qui κολλυβιστὰς *numularios* interpretantur. Heſychius, κολλυβιστὴς, τραπεζίτης, h. e. *menſarius.* Κόλλυβος, inquit Pollux, eſt ἀργυρίου ἀλλαγὴ *argentei numi permutatio*: quibus verbis videtur ſignificare minutos numos quibus argentum permutatur. *Collybiſtæ* igitur, qui ex collybo, i. argenti permutatione, quæſtum faciebant, quos *argentarios* vel *numularios* appellant. In libro Præceptorum majore fol. 122. col. 2. vocantur *menſarii.* Sedebant in ſanctuario, & cogebant omnes dare didrachmum. Cujacius de pactis, *Fuit olim in civitatibus certum corpus ſive σῶμα argentariorum, quorum erat publicum officium. Tabernas & menſas cum ære in foro poſitas habebant. Apud menſas pecunia deponebantur, permutabantur, numerabantur, vendebantur, quod Latine eſt Cambire, Græce* κοντραμισεύειν, &c. *Eorum munia, quæ varia ſunt, variis quoque appellationibus deſignantur. Nam & Menſarii dicuntur ſive Menſularii, & Numularii, & Argentarii, & Argentaria moneta exſecuores, &* ἀργυροκόπους *ſive Argenti diſtractores, Collybiſtæ, Cermatiſtæ, Coactores ſive Collectarii*, &c. Hi in Templo ſedebant XXV menſis duodecimi, qui Adar vocatur, ut quibus dimidius ſiclus non eſſet ex lege Dei. Exod. 30. 13. in promptu ibi invenirent pecuniam apud numularios, ſive permutatione alterius monetæ, ſive dato pignore. Habentur hæc in tractatu Thalmudico de Siclis. Ajunt autem ex antiquiſſima Patrum traditione hos numularios menſis præfectos fuiſſe.

13. *Domus orationis*] בית תפלה, quod Syrus dixit בית צלותא *domus precationis.* Poſterior ætas ita vocavit Templa, quæ nos *Oratoria* dicimus. Hinc & *proſeucha* nomen; Juvenalis, *in quæ te quæro proſeucha.* Erant autem proſeuchæ proprie Judæorum, in quibus poma vendebant; unde *Pomaris* cognomen. Inſcriptio vetus, P. CORFIDIO SIGNIMO. POMARIO. A. PROSEUCHA.

16. *Perfeciſti laudem*] Veritas Ebraica, *fundaſti robur. Robur* autem dicit firmam ac ſolidam laudem. Sic, *date DOMINO gloriam & robur.*

17. *Bethaniam*] בית עניא. Forte ab *ovibus* ſic appellata, quod in ejus territorio loca multa eſſent paſcendis ovibus. Nam עניא & עין *ovis*: unde proverbium, עניא בתר עניא *Ovis ovem ſequitur*: de quo in Adagiis Rabbinicis. Vide, ſi placet.

19. *Fici arborem unam*] i. quandam. Sic *vir unus*, i. quidam: & *arborem fici*, i. ficum. Genus loquendi, ut *herba Lapathi*, *urbs Roma*, & ſi quæ alia Grammatici obſervarunt. Sic *fluvius Euphrates*.

31. *Primus*] Lectio varians, *Noviſſimus*. Hieron. in Comment. ad hunc locum, *Porro quod dicitur*, QUIS EX DUOBUS FECIT VOLUNTATEM PATRIS? ET ILLI DICUNT, NOVISSIMUS, *ſciendum eſt in veris exemplaribus non haberi Noviſſimum, ſed Primum, ut proprio judicio condemnentur. Si autem Noviſſimum voluerunt legere, manifeſta eſt interpretatio, ut dicamus, intelligere quidem veritatem Judæos, ſed tergiverſari, & nolle dicere quod ſentiunt: ſicut & baptiſmum Johannis ſcientes eſſe de cælo, dicere noluerunt.*

33. *Foditque in ea torcular*] Lacum intelligit, qui in terra foditur recipiendo vino è torculari, in quo exprimitur, defluente. Ebraice יקב Num. 18. 27. ubi LXX *ἀπὸ ληνοῦ*. R. Sal. יקב *eſt fovea quæ ante torcular*, *quod* נתר *dicitur*, *in quam vinum deſcendit*. Etiam oleum recipit. Theſaurus Stephani, *Ληνὸς*, *lacus torcularis prelis*. Sed confundi ſcias. Nam ſequitur, *ὅπου συμφυὰς πιέζεται*, *ubi uva prelo exprimuntur*.

42. *Ædificantes*] i. Sapientes, aut Phariſæi. Quippe Sapientes vocantur בנאים *ædificatores*, qui occupati ſunt circa ædificium mundi toto vitæ tempore, h. e. circa Legem, Juch. 81. 1. Quo pertinet quod apud Prophetam olim à nonnullis pro כל בנין לכורי יהוה, *Omnes filii tui edocti à Domino*, lectum fuit, כל בניך *omnes ædificantes te*, vel certe *tui*: ut *ædificans* ſit idem quod *ædificator*, ſicuti cum *diſcentes* vocamus ipſos diſcipulos.

CASAUBONUS.

7. Καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν] Vetus interpres legit καὶ ἐπεκάθισαν ἐπάνω αὐτῶν· non ἐπάνω tantum, ut quidam putant. Vertit enim, *Et eum deſuper ſedere fecerunt*. Atque hanc lectionem omnium maxime probo. Sic fere Lucas, καὶ ἐπιῤῥίψαντες ἑαυτῶν τὰ ἱμάτια ἐπὶ τὸν πῶλον, ἐπεβίβασαν τὸν Ἰησοῦν. Theophylactus legit ἢ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν· & ita explicat, *Sedit ἐπάνω αὐτῶν*, *nempe* τῶν ἱματίων· vel, *primum aſina inſedit*, *deinde etiam pullo*; ἐπεὶ ἡ πρώτου ἐπαναπαύσεται τῇ τῶν Ἰουδαίων συναγωγῇ, εἶτα τῷ ἐξ ἐθνῶν λαῷ.

19. Ἐπὶ τῇ ὁδῷ] Malim vertere *ſecundum viam*. Varro, *Monimenta*, *quæ in ſepulcris: Et ſecundum viam*, *quo prætereuntes admoneant & ſe fuiſſe & illos eſſe mortales*. Vetus interp. *ſecus viam*. Alii, *Apud viam*.

20. Πῶς παραχρῆμα ἐξηράνθη ἡ συκῆ] Cum τὸ πῶς hic non ſit quærentis ſed admirantis, malim vitandæ ambiguitatis cauſa vertere, *Ut ſtatim exaruit ficus*. Quod autem ſequitur, *reſpondiſſe Jeſum*, ex Hebræorum conſuetudine accipiendum pro, *locutum eum eſſe*: niſi malis ex Luca locum interpretari.

42. Παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη] Purus putus ſine dubio Hebraiſmus. Sic illi ad verbum היתה זאת מאת יהוה מאת Κυρίου ἐγένετο αὕτη· ſicut hic legitur, & Marc. 12. 11. Quare iis non aſſentior qui αὕτη referunt ad *γωνίαν*.

CAMERO.

9. Ἐν τοῖς ὑψίστοις] h. e. *in cœlis*, quomodo Luc. 2. 14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ. Idem exprimitur voce ἐπουρανίοις Eph. 1. 3. ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ. Eſt autem phraſis Hebraica במרומים, quæ occurrit Pſal. 148. 1. *Laudate Dominum è cœlo*, *laudate eum* במרומים *in excelſis*. Et Job. 31. 2. *Quæ portio Dei ſuperne erit*, *& quæ hæreditas Optimi maximi* במרומים ἐκ τῶν ὑψίστων.

GUALTPERIUS.

4. Διὰ τοῦ προφήτου *per Prophetam*] Syrus, *per manum Prophetæ*, i. e. miniſterio Prophetæ.

9. Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαυΐδ] Vox ὡσαννὰ Hebræa eſt. Apud Syrum legitur ܗܘܫܥܢܐ *Hoſchaanah*. *Contracta autem eſt ex ſimplicibus* הושיעה & נא *propter vulgatum ejus uſum*, inquit Tremellius. *Utebantur autem ea præſertim in feſto Tabernaculorum*, *quo gaudium ſuum & fiduciam ex præteriti beneficii recordatione plenius excitarent*, *& in poſterum ſibi confirmarent*, *atque in ſpe Meſchiæ conquieſcerent*. *Unde etiam factum ut dies illi feſti*, *& ramus quos geſtarent in illis*, *à fauſta illa & ſolenni acclamatione vocati ſint* הושענא HOSCHIANA. *Probabile ergo eſt*, *ramos*, *quos honoris cauſa præferebant ac ſubſternebant vero Meſchiæ & Chriſto noſtro*, *tanquam ſymbola in mentem illis induxiſſe recantatam illam acclamationem*, *qua gratulationem & profuſam animi lætitiam ex conſpecta Dei in Meſchia exhibita ſalute & protectione*, *ſanctius & ſolennius teſtatam facerent*. Radix eſt ישע JASCHAH, *ſalvavit*, *ſervavit*, *præſtitit ſalutem*; in Hiphil ſeu conjug. 3. הושיע *Servavit*, ut Pſal. 86. 2. *Salva ſervum tuum*; *tu es Deus meus*. LXX habent σῶσον & particula נא NA, quæ obſecrationem notat & adhortationem, *Eia*, *age*, *nunc*. Habetur utraque conjunctim Pſal. 118. 25. אנא יהוה הושיעה נא אנא יהוה, ANNA JEHOVAH, HOSCHIANNA, ANNA JEHOVAH, h. e. *Obſecro*, *Domine*, *ſalvifica nunc* (*ſalva nunc quæſo*, *vel*, *O Domine*, *da quæſo felicem ſucceſſum*) *obſecro*, *Domine*.

LUD. CAPPELLUS.

41. Dicunt ei, *Malos male perdet*] Atqui ex Luc. 20. 16. & Marc. 12. 9. liquet non ipſos Phariſæos hoc Chriſto dixiſſe, ſed Chriſtum Phariſæis. Τὸ ἐναντιοφανὲς hoc pacto conciliari poſſe videtur; Chriſtus Phariſæos interrogaverat *quidnam facturus eſſet paterfamilias peſſimis illis agricolis*: Phariſæi ſatis ſciebant æquum & juſtum eſſe ut *peſſime perderentur ſceleratiſſimi illi agricolæ*; eorum conſcientia hoc illis dictabat & ſuggerebat; verum cum animadverteſſent à Chriſto in ſe dictam eſſe parabolam illam noluerunt reſpondere, ne ſemetipſos damnarent: tacentibus illis Chriſtus pronunciavit ſententiam, *fore ut male illi perirent*; qua audita Phariſæi apud ſe tacite muſſabant, Μὴ ἡμῖν, conſci ſcilicet ſe reos eſſe criminis illorum agricolarum, & à Chriſto *dictam eſſe in ſe parabolam*, uti obſervat Marcus c. 12. 12. & ipſe Matthæus v. 45. Quare cum Matthæus ait Phariſæos Chriſto reſpondiſſe, *Malos male perdet*, reſpexit ad Phariſæorum mentem, quidnam nempe ipſi agitarent animo cum ſic interrogati ſunt à Chriſto: cogitabant nimirum, uti dixi, juſtum eſſe ut male multarentur agricolæ, & jam jamque elocuturi erant illud, ſed repreſſerunt ſe continueruntque linguam cum animadverteſſent hanc parabolam à Chriſto eſſe in ſe dictam. Porro manifeſta eſt his in verſiculis metatheſis (quam tamen non obſervant neque notant Commentatores) nam poſt v. 41. ſequi debet 43. poſt hunc 42. tum deinde 44. quibus eo ordine reſtitutis Chriſti ſermo planus redditur & apertus, qui alioqui perplexus eſt & intricatus.

GROTIUS.

1. Ἦλθον εἰς Βηθφαγῆ, *veniſſent ad Bethphage*] Id eſt, ἤγγισαν [*venerunt*], ut alibi diximus. Neque enim pervenerant, ſed non longe aberant, ut docent Marcus & Lucas: planeque veriſimile eſt Βηθφαγῆ [*Bethphage*] eſſe κώμην [*vicum*] quo mittuntur diſcipuli; ita ut Chriſtus locutus hæc ſit in valle quæ ab uno latere habebat Bethaniam, ab altero Bethphage, ſed Bethphage Urbi propiorem. Syrus ad Marcum dixit, Per declive Bethphage & Bethaniæ. Vide tabulam Judææ à Judæis editam.

2. ἀπέναντι, *contra*] *In conſpectu*, ut infra XXVII, 24. Actorum III, 16. Idem eſt κατέναντι apud Marcum & Lucam, quam vocem Marcus & alibi eo ſenſu uſurpat XII, 41. XIII, 3. Lxx etiam ἐναντίον ita uſurpant, ut Geneſeos XXXI, 32. II Samuelis XII, 11. Pro eodem κώμην ἀντικρὺ καμήλου [*vicum è regione* aut *in conſpectu ſitum*] dixit Heliodorus. ¶ πῶλον μεθ' αὑτῆς· *& pullum cum ea*] Cui nemo adhuc inſederat, ſed ejus tamen magnitudinis qui ſellorem commode ferret. Nam id genus aſellos juniores πώλους [*pullos*] vocant etiam Lxx, Jud. X, 4. XII, 14.

5. πραΰς, *manſuetus*] Ita Lxx hoc loco; quanquam ex alia, ut puto, verſione additur πτωχὸς [*pauper*]. עני & עני Hebræis promiſcue uſurpantur. Nam & עני, ut dictum eſt ad caput XI. *pauperem* ſæpe ſignificat, & עני *manſuetum* notat, non his tantum ſed & aliis in locis. Sed & Jonathan eodem modo hunc Zachariæ locum interpretatur, quem & Kimchi ſequitur. Aſino inſidere apud Hebræos veteres non erat paupertatis ſignum: nam proceres aſino vectabantur, ut dictis judicum locis & alibi videre eſt. Sed cum Solomonis temporibus Ægypti commercio equorum copia apud Judæos creviſſet, ex eo eviluere aſini. Sed & ipſa aſini ſtatura & comitatus Urbem ineuntis facile oſtendunt Regnum quod ſibi Jeſus vindicabat diverſiſſimum eſſe à regnis mundi. Locum autem hunc Zachariæ ad Meſſiam pertinere agnoſcunt Scriptor Bereſchith Rabba & Midras Koheleth. ¶ ὄνον, *aſinam*] Cum ὄνος Græce ſit ἐπίκοινον, quomodo & Hebræum חמור, ut videre eſt II Samuelis XX, 26. ubi & Lxx τὸν ὄνον dixerant, recte hic Interpres Latinus *aſinam* poſuit. Nam

pullo

pullo mater optime adjungitur. ¶ ὑπόζυγιον. *ſubjugalis*] Vox Hebræa pluralis eſt ſono, ſignificatu autem ſingularis propter ἀπαξ. Nam עיר בן [*filium aſinarum*] recte vertitur *filium unius aſinarum*. Sic & commate infra 7. ἐκαθίσεν ἐπάνω αὐτῶν [*ſedit ſuper eos*] recte tranſtulit Syrus *ſuper eum*, id eſt, ſuper alterum ex jumentis, pullum videlicet; quomodo accepit & Latinus Interpres. Similia ſunt, *Sepultus eſt in urbibus Galaad*, *Deſcendit in latera navis*, & id genus alia. Vide & ſupra IX, 8. In codicibus Lxx in Zachariæ loco eſt πῶλον νέον [*pullum novum*], ſed reſcribendum ex Juſtino πῶλον ὄνου [*pullum aſinæ*].

8. Ὁ δὲ πλεῖστος ὄχλος, *Plurima autem turba*] Convenit hic illud Horatii,

Interdum vulgus rectum videt.

ut in Davide 1 Samuelis XVIII, 6. ¶ ἔστρωσαν αὐτῶν τὰ ἱμάτια, *ſtraverunt veſtimenta ſua*] De hoc more vide præter eos locos quos alii adduxerunt eum qui eſt in Agamemnone Æſchylis,

Δμωαὶ, τί μίσθεθ', ὧν ἐπ' αὐλαῖαν τέλος
Ἴλιδον πελεύθου ῥῶπας ἐκπάσσειν;
[*Famulæ, quid exſpectatis, hæc ſors queis data*
Solum viarum ſtragulis inſternere?]

& quæ ibidem ſequuntur multa eodem pertinentia. Plutarchus Catone Uticenſi, περιπίπτει δάκρυσι καὶ περιβολαῖς ἀπλήστοις κατηφέστατον τὸ ἱμάτιον τοῖς ποσὶν ἢ βαδίζοι [*deductus fuit cum lacrymis & indefeſſis amplexibus, multis etiam veſtimentis ſubſternentibus qua pedibus erat inceſſurus*]. Vide II Regum IX, 13.

9. Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ· *Hoſanna filio David*] Vox Ὡσαννὰ ex verbo & particula Hebræa conſtans pro ipſo hymno uſurpatur, ut ἰὴ παιὰν [*Io pæan*] Græcis. Nam ea interpretatio hic & infra comm. 15. convenientior quam ut βαΐα [*ramos palmarum*] ſignificet. Senſus eſt, Hymnum hunc bene ominantem canimus Regi Meſſiæ. Quæri poteſt, cum ritus ferendi τὰ βαΐα ſive θύρσους ἐκ φοινίκων καὶ κιττίων [*thyrſos ex palmis & citriis*], ut Joſephus loquitur, & acclamandi *Hoſana* pertineat ad τὰ ἐμφορήματα (ξυλοφόρημα [*Ramiferia*] idem Joſephus vocat) quæ incidebant in menſem Septembrem, ut apparet Levitici XXIII, 39, 40. quomodo nunc longe alio anni tempore ſint uſurpata. Sciendum igitur conſtanter fuiſſe Judæis creditum, feſtos dies non tantum memoriam continere Ægyptiaci exitus, ſed & præſagium temporum Meſſiæ. Itaque etiam hodie Judæi ἐν ταῖς ἐμφορήμοις [*die Ramiferis*] dicunt optare ſe ut eum in modum lætos dies agere poſſint regnante Meſſia, devictiſque hoſtibus. Plebis igitur illa pars quæ miraculis Jeſu adducta certo ſibi perſuaſerat hunc verum eſſe Meſſiam, velut impleto præſagio, ritus & verba τῆς ἐμφορήσεως [*geſtationis Ramorum*] recte uſurpat. Sicut & in nova dedicatione Templi ſub Haſmonæis eadem lætitiæ publicæ ſigna uſurpata legimus II Maccabæor. X, 7. & I Maccabæorum XIII, 51. & Apocalypſeos VII, 9. Videtur autem ritus ramos geſtandi ut multa alia à Judæis ad Græcos perveniſſe. Nam Clemens notat ex Orpheo ramos adorantibus dari ſolitos. Et Athenis inter feſtos dies erant τὰ ἐμφορήσια [*Ramiferium*]. Adde quæ diximus II Maccab. I, 9, 18. X, 6. ¶ εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος, *benedictus qui venit*] Ex Pſalmo CXVIII, 26. *Felix ſis*, aut *Vivas*, ut Latini acclamabant. ¶ ἐν ὀνόματι κυρίου· *in nomine Domini*] Divino mandatu ac poteſtate. ¶ Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις. *Hoſanna in altiſſimis*] In Euangelio Hebraico legebatur מרומים, ut nos docet Hieronymus ad Damaſum. Hoc autem non puto ad deſignationem Dei pertinere, ſed idem valere quod *Summe*; ut ſi Latine dicas *terque quaterque*. Ita Hebræum במרומים & Græcæ voces ἐν ὑψίστοις [*in altiſſimis*] Interpretibus Lxx inveniuntur Pſalmo CXLVIII, 1. & alibi. Eodemque ſenſu במרום & Græce ἐν ὑψίστοις uſurpatur Pſalmo XCIII, 4.

10. ἐσείσθη πᾶσα ἡ πόλις, *commota eſt univerſa civitas*] ותהם כל העיר Ruth. I, 19.

11. ὁ προφήτης, *Propheta*] Quem hactenus ut Prophetam agnovimus, nunc ut verum Regem veneramur.

12. εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Θεοῦ, *in Templum Dei*] Regni ſui in hominum animos ſpecimen aliquod Chriſtus dederat aſinorum accitu: majus nunc & maxime admirabile edit in purganda æde paterna, nulla vi externa, ſola Divina virtute venerabilis. Hinc quoque Regni ſui ingenium dat intelligi, quod Regnum velut auſpicatus non arcem ſed Templum ingreditur. ¶ τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ, *vendentes & ementes in Templo*] Recte quidem à Legiſperitis erat conſtitutum ut qui victimas aut dona ex lege aut voto deberent, præſertim ſi procul Hieroſolymis habitarent, poſſent pecuniam domo adferre, pro-

que ea Hieroſolymis victimam aut quod donandum eſſet ſibi comparare, nimirum lege ea quæ eſt de decimis Deuteron. XIV, 24, 25, 26. ad alias factorum ſimilium ſpecies non iniqua interpretatione producta: ſed id in Templo fieri minime oportuit, eo præſertim tempore quo is Templi locus (facta enim hæc in parte extima quæ *Gentium* dicebatur) vacare debebat Gentibus ad veram religionem ſe converſuris, ut prædixerat Eſaias. Ideo ſignificanter apud Marcum eſt in hac hiſtoria, Ὅτι ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται πᾶσι τοῖς ἔθνεσι [*Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus Gentibus*]. Notandum enim eſt, pleraque vaticinia ejus generis duplicem habere ſenſum, priorem planum & ἀσχημάτιστον [*non figuratum*], qui tacitam habebat conditionem, Si Judæi ſub adventum Meſſiæ, ut debebant, gentibus cæteris pietate præluxiſſent; alterum κεκαλυμμένον [*tecte aliud innuentem*], qui impletus eſt rejectis Judæis & ſurrogatis Gentibus. ¶ τῶν κολλυβιστῶν, *nummulariorum*] Κόλλυβος eſt quod vulgo *cambium* vocant, ἀλλαγὴ χρημάτων [*permutatio pecuniæ*] Polluci. Cicero in Verrina ait *deductionem factam pro collybo*, & in epiſtola, *detrimenti ſatis eſſe in collybo*. Eosdem hos menſarios etiam κερματιστὰς Johannes vocat. Quia in Templo erant quæ ex lege aut moribus Siclis ſacris pendi debebant, ideo argentarii menſas in Templo poſitas habebant, lucellum ex permutandi officio aucupantes. ¶ τὰς πελειὰς πωλοῦντας, *columbas*] Ut quibus defungebantur pauperes vice majorum victimarum, ut paſſim in Mole videre eſt, & Lucæ II, 24. Has autem ſolebat acceptio pretio dare offerentibus Præfectus oblationum, ut notat Maimonides De Inſtrumentis ſanctis cap. 7. cui conſentit liber Schekalim capite 5, ſectione 1.

13. λῃστῶν. *latronum*] Ex verſione Lxx apud Jeremiam. Simili tralatione λῃστὰς τῶν πραγμάτων [*raptores rerum*] dixit Æſchines. Itaque vox iſta hoc loco non tam *latronem* quam *prædonem* ſonat: quo ſenſu & apud Xenophontem reperitur Græcæ hiſtoriæ ſecundo. Sed & Chaldæi vocem Græcam eo ſignificatu uſurpant. Sic Iſmaelitæ גייס לסטין *populus prædator* Jonathani Geneſ. XXI, 13. Dubium non eſt quin pro uſu Templi partem quæſtus ſtipulati fuerint Sacerdotes. οἶκον ἐμπορίου [*domum negotiationis*] eſt in ſimili hiſtoria apud Johannem II, 16.

16. κατηρτίσω, *perfeciſti*] Tralatitiam ſignificationem verbi יסד [*fundare*] interdum voce minus figurata exprimunt Lxx, ut hic καταρτίζειν [*perficere*], Eſther. I, 8. ἐστήσαν [*ſtatuere*]. ¶ αἶνον; *laudem?*] Sic & תהלה, quod itidem tralative uſurpatur, Lxx variis nominibus vertunt, prout fert ſubjecta materia; ut hic αἶνον, in Pſalmo CXXXII, 8. ἁγιάζωμεν [*ſanctificemus*]. De ſenſu Pſalmi diximus ad Pſalmum ipſum. Citatur autem hic proverbialiter non propter illud νηπίων, quo vocabulo non *infantes* tantum intelligi poſſunt ſed & pueri qui fari incepere, quales quidam fuere in hac clamantium turba.

17. ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως, *abiit foras extra civitatem*] Ut omnem affectati regni terreſtris ſuſpicionem quam longiſſime à ſe amoveret; quam fovere poterat urbs per ſe populoſa, concurſus aliunde ad feſtos dies, & nocturnum tempus ejuſmodi conatibus opportunum. Confer quod eſt Johan. VI, 15. & infra XXVI, 55. ¶ ηὐλίσθη, *manſit*] Utuntur hac voce Græci ſæpe ut vertant לין, quod eſt *pernoctare*. Sed poteſt hic proprie ſumi hæc vox, ut ſignificet *ſub dio agere*: id enim ſignificare videtur Lucas, cum dicit Chriſtum *ſingulis noctibus* ηὐλιζόμενον [*moratum eſſe*] *in Monte Oliveti* XXI, 37. Et alioqui ſollemne hoc ipſi erat quoties extra ordinem precibus vacabat.

19. Καὶ ἰδὼν συκῆν, *Et videns fici arborem*] Quod generaliter dictum eſt à Dionyſio Thrace Grammatico vetere de antiquis, Ἐμφαίνον γάρ τι καὶ ἡ λέξις αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς πράγμασιν ἐνίοις τὰς πράξεις [*Quidam eorum res ſignificabant non verbis ſolis, ſed & viſibilibus ſignis*], & de Ægyptiis à Plutarcho Iſide, αἰνιγματώδη τινὰ σοφίαν καὶ φιλοσοφίαν αὐτῶν ἔχουσι [*doctrina ipſorum de divinis rebus ſapientiam habebat anigmaticam*], id de Hebræis eorumque vicinis veriſſimum eſt. Sic Prophetarum alii contundi ſibi capita fecerunt, alii cornua ſumſerunt ferrea, alii ſibi circumdedere compedes. Clementiſſimus Dominus, cum innumeris miraculis ſua in nos æterna beneficia figuraſſet, ſeveritatem judicii, quod infrugiferos homines manet, uno duntaxat ſigno, idque non in homine, ſed in non ſenſura arbore, adumbravit; ut certi eſſemus bonorum operum ſterilitatem gratiæ fœcundantis ademtione puniri. Vide ea quæ ad Hebræos VI, 8. quæ hujus loci interpretationem continent. Philo ſpadones qui in ſacrum concilium à Moſe admitti vetantur ἀπλανεστέρως [*ſenſu tetriore*] non male interpretatur οὐκ ἀρετῆς ἀγένους, ἢ πάσης ἐκπεπτωκότας [*eos qui virtutis ſunt ſteriles, & circa fidem caſtrati*].

21. καὶ μὴ διακριθῆτε, *& non hæſitaveritis*] Διακρίνεσθαι [*hæſitare*] eſſe idem quod διστάζειν [*dubitare*], cui opponitur τὸ

πιςδίιν [*credere*], annotavimus ad caput XIV, 31. ¶ ἐπὶ τύτῳ, *monti huic*] Vide ſupra XVII, 20.

22. πάντα, *omnia*] Vide ſupra XVIII, 19.

23. διδάσκοντι, *docentem*] Docebat enim publice in Templo eadem quæ in Galilæa docuerat, continentia quid credendum faciendumque eſſet, proponens itidem præmia obedientiæ remiſſionem peccatorum, Spiritum Sanctum & vitam æternam. Hæc ſunt quæ hac una voce Matthæus, Lucas autem duabus διδάσκειν [*docere*] & διαγγελίζεσθαι [*euangelizare*] complectitur. ¶ οἱ ἀρχιερεῖς ἢ οἱ πρεσβύτεροι τ λαῦ, *principes Sacerdotum & Seniores populi*] καὶ οἱ γραμματεῖς [*& Scribæ*], quod addit Marcus. His tribus hominum generibus, Pontificibus quidem & Senioribus, ut parte Senatus, Legisperitis autem, ut eorum Aſſeſſoribus & Conſiliariis deſcribitur Synedrium magnum, ut alibi diximus; cujus officio incumbebat veros falſoſque Prophetas diſcernere. Sic & ad Barchochebam à Sapientibus Iſraelis miſſos legatos narrant Judæi. Adierunt autem iſti Jeſum capto ante conſilio quomodo ei perniciem poſſent accerſere, irritati ob traductam ſuam in Templo nundinationem, ut notat Marcus XI, 18. Huc igitur tota iſta tendebat oratio. ¶ Ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ, *In qua poteſtate*] *Unde tibi jus iſtud?* Nam Synedrii erat jus docendi in Templo concedere: ab iis autem nullum jus Chriſtus acceperat. Supererat igitur ut Dei mandato ſe tueretur, cujus in Templum jus ſummum erat. ¶ ταῦτα ποιεῖς; *hæc facis*] Nempe quod publice doces. Huc enim potiſſimum pertinere hanc quæſtionem Lucas ſatis aperte oſtendit. Imitantur Judæi Samaritarum quæſtionem ad Eſdram V, 3.

24. Ἐπερωτήσω ὑμᾶς κἀγὼ λόγον, *Interrogabo vos & ego unum ſermonem*] Ἀντερώτησις [*contra-interrogatio*], qualis à Grammaticis notatur ad Eclogam Virgilii tertiam, & in Socraticorum libris non raro apparet. Latini veteres *Tuſcum jurgium* appellabant. *Litem lite reſolvere* dixit Horatius. Hanc autem quæſtionem ita Chriſtus inſtituit ut manifeſtiſſimum inde fiat juſtas ipſum cauſas habuiſſe ad ipſorum interrogationem non reſpondendi. Quomodo enim credidiſſent alleganti mandatum Divinum qui Johanni non crediderant, quem tamen à Deo miſſum aperte diffiteri non audebant?

25. ἐξ οὐρανῦ, *è cælo*] Hebræi inter Dei nomina recitant שמים [*cælum*]; ſed verius eſt figurate pro Rege regiam nominari. Sic *exercitus cælorum* Danielis IV. ¶ οὐκ ἐπιςεύσατε αὐτῷ; *non credidiſtis illi*] Tum in cæteris, tum in teſtimonio quod de me perhibuit.

26. ἔχυσι, *habebant*] Firma quadam perſuaſione, ut Lucas exprimit. ¶ ὡς προφήτην, *ſicut Prophetam*] Id eſt, ut hominem Divinitus excitatum; quemadmodum ſuperiora evincunt.

27. Οὐκ οἴδαμεν. *Neſcimus*] Ignorantiæ profeſſionem ab illis Chriſtus exprimit, qui jactare ſolebant penes ſe eſſe judicium ἀναμάρτητον [*falleri neſcium*], ad diſcernendos veros ac falſos Prophetas.

29. ἔφη, Οὐθέλω· *ait, Nolo*] Imago publicanorum & meretricum, qui diu ita vixerant quaſi *jura negarent ſibi nata*, & ἀθέσιαν ἠρνημένοι [*pietatem abnegantes*],

—— *morbum vultu inceſſuque fatentes*,

ut ille ait.

30. Ἐγὼ, κύριε. *Ego, domine*] Recta lectio Syro etiam agnoſcente, interque Græcos Theophylacto & Euthymio. Ita Geneſ. XXII, 1 & 11. XXVII, 1. XXXVII, 13. & 1 Samuelis III. aliquoties הנני Lxx Interpretibus ἰδὺ ἐγὼ [*Ecce ego*] idem valet quod Latine *Præſto adſum*. ſic & Eſaiæ VI, 7. Lectiones alias ex interpretamento natas non dubito. Filius hic imago eſt principum Judæorum, qui oratione ac vultu pietatem profitebantur, revera homines ſuperbi, invidi, crudeles.

31. προάγουσιν ὑμᾶς εἰς τ Βασιλείαν, *præcedent vos in Regnum*] Duces vobis monſtratoreſque ſunt itineris ad Regnum cœlorum, pœnitentiæ ſcilicet. Ita προάγειν & προάγεσθαι [*præcedere*] ſæpe uſurpant Græci. Atque hunc eſſe ſenſum, non autem de extremo judicio hic agi, apparet ex eo quod ſequitur, ὑμεῖς δὲ ἰδόντες οὐ μετεμελήθητε [*vos autem videntes pœnitentiam non habuiſtis*]. Non ſecuti eſtis illos recte ducentes quorum vos duces eſſe oportuit.

32. ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης, *in via juſtitiæ*] Continuari videtur tranſlatio cœpta in voce προάγουσι [*præcedunt*]. Nam ὁδὸν δικαιοσύνης [*viam juſtitiæ*] appellat, ni fallor, ipſum dogma Johannis, quod ex ſigno addito vocatur τὸ βάπτισμα τ μετανοίας [*Baptiſma pœnitentiæ*]. Id enim ad veram illam juſtitiam quam Chriſtus docet iter eſt. ¶ οὐκ ἐπιςεύσατε αὐτῷ· *non credidiſtis ei*] Præceptionibus ipſius non obtemperaſtis. Nam πιςεύειν [*credere*] ſæpe eſt reipſa oſtendere fidem ſe alicujus dictis habere, τὸ πείθεσθαι [*obedire*].

33. ἀμπελῶνα, *vineam*] Vineæ ſimilitudinem veteribus Prophetis uſitatam in ſenſum paulo alium inflexit, ut commodius redderet ἀντιπαβολὴν [*id quod in comparatione reſpondet*]. Nam apud illos vinea populo Hebræo reſpondet: hic autem notitiæ Legis & donis Spiritus Sancti, quæ mox vocantur *Regnum cælorum*. ¶ Φραγμὸν αὐτῷ περέθηκε, *ſepem circumdedit ei*] Sepem, Turrim, Torcular nihil neceſſe eſt ſigillatim explicare, cum in univerſum iis omnia ſignificentur quæ aut ad tutelam aut ad ornatum pertinent: omnia denique beneficia quibus ad bonam frugem à Deo provocamur. ¶ ληνὸν, *torcular*] Marcus ὑπολήνιον [*lacum*], Lxx apud Eſaiam ὑπολήνιον· & certe verbum ὀρύσσειν [*fodiendi*] ſatis oſtendit lacum ſignificari, qui συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] *torcular* dicitur, cum alioqui *torcular* ſit tota machina conſtans ex prælo & lacu. Homerus in vineæ deſcriptione Iliados 18.

Ἀμφὶ δ κυανέην ἐτάραττον.
[*At circum poſita eſt ſcrobs cærula.*]

Ubi Scholiaſtes τὸν λάκκον ὄρυγμα, πίφεως [*cavam foſſam*]· Euſtathius ληνὸν [*torcular*]. ¶ ἐξέδετο αὐτὸν, *locavit eam*] Certa fructuum pactione, quod genus colonos Romani *partiarios* vocant. Sequitur enim, ἀπέστειλε λαβεῖν τὸν καρπὸν αὐτᾶ [*miſit ut acciperent fructum ejus*].

35. ἔδειραν, *ceciderunt*] Ponitur δέρω pro δαίω [*cædo*]. Apud Marcum expreſſe legitur δείροντες, & apud Lucam δείραντες, ut & in Actis aliquoties, ubi & δέρων XXII, 19. eſt *cædens*, & εἰς πρόσωπον δέρειν [*in faciem cædere*] II Corinth. XI, 20. Quare lectio hæc mutanda non eſt. Videntur autem hoc verbo præcipue indicari contumeliæ quas Jeremias pertulit; ſicut *occidere* ad Eſaiam, *lapidare* ad Zachariam Jojadæ filium non male referas. Vide Actor. VII, 52. Hebræorum XI, 37. II Regum XXI, 10, 16. Jeremiæ XLIV, 4, 5, 6. II Paralipom. XXXVI, 16. Nehemiæ IX, 26.

37. Ἐντραπήσονται τ υἱόν μ. *Verebuntur filium meum*] Oſtendunt hæc verba non quid futurum eſſet, ſed quid jure ac merito exſpectaretur. Ideo Lucas ἴσως [*forte*] addidit: quæ locutio eſt ubi in Sacris literis & Deo tribuatur, ſed intelligenda ἀνθρωπίνως [*ita ut Deo conveniat*], non ut præſcientiam excludat, ſed ut notet eventus in cauſis ſuis ſpectati τὸ ἐνδεχόμενον [*contingentium*]· quod & veteres notarunt.

38. ἀποκτείνωμεν αὐτὸν, *occidamus eum*] Ipſa verba fratrum de Joſepho Geneſ. XXXVII, 20. ¶ κατάσχωμεν τ κληρονομίαν αὐτᾶ. *habeamus hereditatem ejus*] His verbis oſtenditur Sacerdotes ac principes Judaici populi hoc egiſſe ſummo ſtudio ut Divinam legem cogerent ambitioni ſuæ & quæſtui inſervire: quod idem eſt ac ſi colonus domino poſſeſſionem intervertat. Nam κληρονομίαν [*hereditatis*] voce jus plenum dominii indicari alibi diximus.

39. ἐξέβαλον ἔξω τ ἀμπελῶνος, *ejecerunt extra vineam*] Id eſt, ἀπεδοκίμασαν [*reprobaverunt*], ut dicitur infra. Fecerunt ἀποσυνάγωγον [*extra Synagogam*], & ut hominem ἄνομον [*Legis expertem*] curarunt eum à profanis hominibus occidi: atque adeo ipſi magis eum occiderunt quam Romanus Præſes, qui aliquandiu reluctans tandem manus dedit illorum improbitati.

41. Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει, *Malos male perdet*] Locutio petita ex puriſſimo ſermone Græco, cujus ſe non imperitum aliquoties oſtendit hic Interpres. Loquitur ſic & Joſephus. Ex collatione aliorum Scriptorum apparet primum hoc ſimpliciter dixiſſe Senatores, ignaros quo ſenſus dicti evaderet; cum vero Chriſtus apertius ſignificaſſet ad ipſos hæc pertinere, avertiſſe à ſe omen. ¶ ἀποδώσουσιν, *reddent*] *Perſolvent*. Sed & arbor dicitur καρπὸν ἀποδιδόναι [*fructum reddere*] Apocalyp. XXII, 2. ut Latinis ager *frugem reddere aut perſolvere*. ¶ τὸν καρπὸν ἐν τοῖς καιροῖς, *fructum temporibus ſuis*] פריו בעתו Pſalmo I, 3.

42. Οὐδέποτε ἀνέγνωτε, *Nunquam legiſtis*] Quod minime in ſe quadrare poſſe arbitrabantur, id ad ipſos potiſſimum, ad plebem autem conſequenter pertinere Jeſus oſtendit Pſalmi teſtimonio, quem ipſi quoque κατὰ τὸ μυστικώτερον [*ſecundum ſenſum magis myſticum*] de rebus Meſſiæ interpretabantur. Neque aliter eum locum accepit Rabbi Salomon. ¶ οἱ οἰκοδομοῦντες, *ædificantes*] Id eſt, οἱ ἀρχιτέκτονες [*architecti*], more Hebræo participium pro nomine. Ita vocantur Senatores magni Synedrii quibus mandata erat non minus religionis quam reipublicæ tutela. Docet hoc Petrus, qui eoſdem alloquens ὑφ' ὑμῶν, inquit, τ οἰκοδομούντων [*à vobis ædificantibus*], Actorum IV, 11. Sic & Plato & Ariſtoteles τὴν πολιτικὴν ἐπιςήμην [*ſcientiam Civilem*] vocant ἀρχιτεκτονικὴν [*architectonicam*]· & Cicero *architectos reipublicæ ædificandæ* dixit. ¶ εἰς κεφαλὴν γωνίας· *in caput anguli*] Omnia hæc ex verſione Lxx. γωνίας [*anguli*] ſignifi-

ſignificatio poteſt quidem non incommode ad commiſſuram referri τ ἐκλογῆς τ Ἰουδαίων [*electionis Judæorum*] & Gentium populi; ſed cum hic ſimpliciter rejectionis Judæorum & ſurrogationis Gentium fiat mentio, & Petrus ante inchoatam Gentium vocationem hoc vaticinium dicat impletum, Actorum IV, 11. ſatius erit *anguli* voce indicari eam vim quæ eſſe in angulis ſolet ſuſtinendi ædificii: unde factum eſt ut & primores populi paſſim Hebræis פנה appellentur, Helleniſtis autem γωνίαι [*anguli*], ut Samuelis I, cap. XIV, 38. ἀκρογωνιαῖον λίθον [*ſummum angularem lapidem*] eodem, ni fallor, ſenſu dixerunt Petrus & Paulus in Epiſtolis. ¶ αὐτη, *iſtud*] Quod Hebræi neutrum muliebriter enuntiant etiam apud Helleniſtas occurrit, ut Pſalmo CVII, 4. Nec tamen quicquam obſtat quominus & in Hebræo & in Græco & in Syriaco poſſit ad γωνίαν [*angulum*] referri, quomodo & Theophylactus hic interpretatur. *Capitis* voci quominus aptetur, repugnat Hebræa conſtructio. Res tamen eodem recidit. ¶ ἡμῶν; *noſtris*] Piorum ſcilicet, ut quæ in Pſalmo ſequuntur intelligi hoc poſtulant.

43. Διὰ τοῦτο, *Ideo*] Propterea quia hunc lapidem rejeciſtis ampliuſque rejecturi eſtis, iſta vobis evenient. ¶ ἡ βασιλεία τ Θεοῦ, *Regnum Dei*] Origeni & Hieronymo aſſentior *Regnum Dei* notitiam Divinæ legis interpretantibus, ut & ante dixi. Vide & quæ ſupra notata ſunt ad caput III. Inter pœnas Judaicæ gentis nulla eſt nobilior quam quod poſt Chriſtum repudiatum non modo Prophetiæ dono omnino ſunt privati, ita ut illud ipſum lumen olim & ſidus peculiare gentis Hebraicæ ex eo ad Chriſtianos tranſierit, ſed quod & omnis illa ſcientia Legis quæ humanis præſidiis comparari poterat verſa eſt in putidiſſimas fabulas, quibus ſcatet Thalmudicus liber, tales certe, ut qui eis fidem adhibeat judicandus ſit non modo Divino Spiritu ſed magna etiam parte ſenſus communis eſſe deſtitutus. ¶ ποιοῦντι τοὺς καρποὺς αὐτῆς. *facienti fructus ejus*] Non tantum καρποὺς μετανοίας [*fructus pœnitentiæ*], ut Baptiſta jubebat Lucæ III, 8. ſed quod plus eſt, καρποὺς τ βασιλείας [*fructus Regni*] ſive τ πνεύματος [*ſpiritus*], de quibus agit Paulus Roman. VI. 22. Epheſ. V, 9. & Galat. V. 22. ποιοῦσι [*facienti*] autem poſitum pro ποιήσουσι [*facturæ*]. Non enim cauſa impellens ſed movens per modum finis hic indicatur, ut & Epheſ. II, 10.

44. ὁ πεσὼν ἐπὶ τ λίθον τοῦτον συνθλασθήσεται· *qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur*] Lapidis factam mentionem ab ædificii ſimilitudine ad alteram Chriſtus producit, & eum imitans Petrus I epiſt. II, 7. Senſus hujus particulæ eſt, Qui in ipſum adhuc in terris agentem impinget, ſentiet imbecillitatem ſuam damno ſuo, ut teſta ſaxo illiſa. Seneca: *In ea quæ firma & inſuperabilia ſunt, quicquid incurrit malo ſuo vim ſuam exercet.* Hebræum נפץ Græci modo vertunt πατάσσειν aut πλήσσειν [*ferire*], ut Deuteronomii XXXII, 39. Jobi V, 18. modo θλᾶν aut συνθλᾶν [*frangere*], ut II Samuelis XXII, 39. Pſal. CX, 6. ¶ ἐφ' ὃν δ' ἂν πέσῃ λικμήσει αὐτόν. *ſuper quem vero ceciderit conteret eum*] At qui perſtiterit in eo oppugnando poſtquam jam erit evectus in cœleſtem regiam, tam funditus peribit quam teſta in quam ſaxum ingens ex ſublimi loco devolvitur. Sic λικμᾶν, quod proprie [*ventilare*] ſignificat, ſumitur in ſenſu *conterendi* Zachar. I, 19. Hoc ipſum alibi dicitur συντρίβειν [*conterere*], Eſaiæ XXX, 14. & Jeremiæ XIX. 11. Alibi λικμᾶσθαι [*comminuere*], ut in Pſalm. XVIII, 43. Videtur reſpici locus Danielis de lapide è monte devoluto II, 44. Hoc autem contigit Judæis excidio Titi: multoque magis continget τοῖς προσκόπτουσι τῷ λόγῳ [*qui offendunt in ſermonem*] in extremi judicii die.

45. οἱ Φαρισαῖοι, *Phariſæi*] Cujus inſtituti aliquammulti erant Senatorum.

P R I C Æ U S.

Com. 2. Πορεύεσθε εἰς τ κώμην τ ἀπέναντι ὑμῶν] Apud Heliodorum, πρὸς τὴν κώμην ἣν ὁρᾷς ἄντικρυ κειμένην ὑμῖν.

Com. 13. ὑμεῖς δ αὐτὸν ἐποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν] Omnino vide 2 Maccab. 6. 4. ubi & de Templo iſto. Apud Achillem Tatium ille, Καὶ μία γέγονεν αὐτῇ (Leucippe) ἐρῶσα παρ' ἐμοῦ ἡ σωφρόνη, τάχα δ' ἂν καὶ συνεκθοίμεθα ἱερεῖ, σύνημα τοιοῦτον ἐπιφέρειν, ὁ δ' Ἀρτεμιδώρου οἴκοι μοιχῶν γέγονε καὶ πορνῶν θάλαμος. Pacatus Panegyrico, *Numerari ubique pecunia, fiſci repleri, æra cumulari, vaſa concidi, cujus ut intuentis non illud Imperatoris domicilium, ſed latronum receptaculum videretur.*

Com. 15. καὶ οὗτοι παῖδες κεφζοντες] Ariſtides Sacrorum 4. Ὡς ἐπανῆλθον λοιπὸν ὁ Αἰσκλ, τυφὸς μὲν περιῆν τ ἰσχυροντο Φῶμαι καὶ παιδίων καὶ ἀνδρῶν ἀκροαί, καὶ παίζοντα σε αὐτοὺς ἐῶσι, καλῶς κυρίῳ. Lucianus de Demonacte, Παρέντι δ αἱ λιτομίλιδες ἀνθυλακοι περὶ αὐτὸν, ἑκαστη ἀζῶσα παρ' αὐτῆς λαμβάνειν τ ἄρτον, &c. καὶ μὲν καὶ αἱ παῖδες ἀπαίρεσι περιφέρουσι αὐτῷ πατέρα ὀνομάζοντες.

Com. 21. ἐὰν ἔχητε πίστιν, καὶ μὴ διακριθῆτε] Jacob. I. 6. αἰτείτω δ ἐν πίστει μηδὲν διακρινόμενος.

Com. 29. εἶπεν, δ θέλω] Ταπείνωσις contumacis filii, & morati peſſime: cum etiam *ea quæ patri obſequi non oportet, leniter, & verecunde, & ſenſim potius declinanda & relinquenda quam repuenda ſunt*, A. Gellius 2. 7. Rus colere autem (quod pater hic imperat) ἐκ τ μέσων erat. Idem ibidem. Filiumque τὰ καὶ' ἀγρὸν ὑπηκοΐαν προσποιούμενον ὀκνεῖν, apud Lucianum inter εὐλόγους παιδικὰς μέμψεις & προφάσεις numeratur.

Ibid. ὕστερον δ μεταμεληθεὶς ἀπῆλθε] Siracides 19 21. Οἰκέτης λέγων τῷ δεσπότῃ, ὡς θέλεις σε ἐγὼ πάντα, καὶ μὴ ποιήσῃ πάντα, παροργίζει τ τέλειον ἀνήρ.

Com. 31. πρῶτος τ δύο, &c.] Τὸς pro πότερος, ut infra 23. 17. & 27. 17. nec ſemel apud Lucianum. Sequuntur Latini. Virg.

—— *muſſat rex ipſe Latinus*
Quos generos vocet. ——

ubi Servius, QUOS *pro* UTROS. Phædrus de rana bovis magnitudinem æmulante,

—— *rurſus intendit cutem*
Majore niſu, & ſimili quæſivit modo
Quis eſſet major: illis dixerunt, bovem.

Scriptor belli Hiſpanici, *Inter duos ſit contentio quis prior pontem occuparet*: adde quæ ſupra ad 9. 5. notata.

Com. 33. καὶ ᾠκοδόμησε πύργον] Ad tutelam vineæ ſuæ. Apud Lucianum Timone, πύργον ὥσπερ δ ἡσυχῇ οἰκοδομησάμενος. Πύργος οἰκοδομῶν dixit & Joſephus.

Com. 36. πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους δούλους] Phædrus,

Miratus ſibi legatos non revertier,
Poſt aliquod tempus alios adſcribi jubet.

Q. Curtius, *Altera legatione an mitigari poſſit experiamur.*

Com. 37. ὕστερον δ ἀπέστειλε τ υἱὸν] Hoc eſt quod Scriptor ad Hebræos I. 1. πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, ἐν προφήταις, ἐπ' ἐσχάτου τ̃ ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἐν τῷ υἱῷ. Poſt ἀπέστειλε τ υἱὸν repetendum ſcite κοινῶς λαβεῖν σὺν καιρῷ· reſpondet apud Artemidorum, ἐπ' αἰνιγματῶν πέμπειν τ υἱὸν αὐτοῦ.

Ibid. ἐντραπήσονται τ υἱόν μου] Apud Lucian. καὶ μὴν καὶ Ὅμηρον ὑμᾶς ἐκπέπυσο, αἰδέσεσθε γὰρ ἴσως τὸν ἔπη.

Com. 42. ἔστ ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας] Ejuſmodi lapides ſub uno vocabulo exhibet Heſychius nobis, Κεφαλήτην, γωνιαῖον λίθον· reſpiciens (ut ex conformatione vocis videtur) hunc Euangelii locum.

Ibid. παρὰ Κυρίου αὕτη ἐγένετο]

—— *Humanum nec fuit iſtud opus.*

Philo de Joſepho à carcere ad inhabitandum palatium Regis educto, Γέγονε ταῦτα, καὶ γέγονε τῷ ὄντως δικῇ τ θεοῦ. Hunc ſenſum eſſe, & αὕτη pro ταῦτα vel ταῦτα accipiendum, non ad γωνίαν referendum, evincunt & hi ſimiles loquendi modi. Juſtinus, ταῦτα ἀνθρώπου μὲν δοκεῖ τὰ ἔργα, ταῦτα δυνάμεως ἦσι θεοῦ. Eſther. 10. 4. παρὰ Θεοῦ ἐγένετο ταῦτα. Eſai. 50. 11. Διὰ ἐμὲ ἐγένετο ταῦτα ὑμῖν. Vide & ejuſdem 41. 19, 20. Act. 15. 17. ὁ Κύριος δ ποιῶν ταῦτα πάντα. Simules non quoad vocem dico, ſed quoad ſententiam. Sequitur, καὶ ἔσι θαυμαστὴ, &c.] Siracid. 11. 14. Οἱ ὀφθαλμοὶ Κυρίου ἐπέβλεψαν αὐτὸ εἰς ἀγαθὰ, καὶ ἀνώρθωσεν αὐτὸν ἐκ ταπεινώσεως αὐτοῦ, &c. καὶ ΑΠΕΘΑΤΜΑΣΑΝ ἐν αὐτῷ πολλοί.

—— *valet ima ſummis*
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens. ——

Ariſtides Smyrnenſi, Ἴδοι δ θνητῶν χθὲς μὲν ἐπὶ τ̃ ἀκρωτηρίου, καὶ πολλὰ τὰ ΘΑΥΜΑΤΑ δ χρόνου. Vide Act 13. 41. Apocal. 15. 3.

Com. 44. ὁ πεσὼν ἐπὶ τ λίθον τοῦτον συνθλασθήσεται] Tanquam fluctus ſcopulo illiſus, frangetur, diſſipabitur. περὶ κίνδυνον λακτοῦ, meo nimirum nullo, ſuo magno malo. *Indignatio ejus* (ut alicubi Seneca) *proficiet in tormentum ejus.* Idem in De beata vita, *In ea quæ firma & inſuperabilia ſunt quicquid incurrit, malo ſuo vim ſuam exercet.* Apud Plautum Curcul.

Nolis amabo verberare lapidem, ne perdas manum.

& Trucul.

Si ſtimulos pugnis cadis, manibus plus dolet.

Florus de captivis Thracibus lib. 4. *Cum catenas morſibus tentarent, ſuam ipſi feritatem puniebant.*

CAP.

CAP. XXII.

MUNSTERUS.

2. *Similе factum eſt regnum cælorum*] Monuit Dominus in hac parabola Judæos futuræ eorum ultionis qui vocati ad Eccleſiam & beatas nuptias reſpuerunt gratiam Dei, nolentes venire ob amorem ſtudiumque præſentium rerum, quin & quidam cum injuria occiderunt eos per quos Dominus illis hanc obtulit gratiam. Quod autem Rex poſt ultionem ſumptam de hoſtibus ſuis, miſit ſervos *in exitus viarum*, & illi adduxerunt *bonos ac malos*, ſignificat plurimos, tranſlato ad Gentes Euangelio, regno Dei adducendos, *multos* quidem *vocatos*, *ſed paucos electos*: id quod & ejectio illius oſtendit *qui veſte carnis nuptiali*, h. e. certa fide in Chriſtum.

19. *Numiſma cenſus*] De Cenſu, & Denario, atque Monetis Hebræorum diximus nonnihil ſupra c. 17.

24. *Moſes dixit*] De hac lege ſcripſit Moſes Deut. 25. quæ ob id lata fuit ut hæreditates manerent impermixtæ, & quælibet familia ſuas poſſideret. Voluit enim Dominus conſulere familiarum perpetuitati & legitimæ hæreditatum ſucceſſioni. Cæterum Sadducæorum opinio craſſior fuit quam quæ apud Dei fideles locum habere debuerat. Sed *ignorabant* miſeri homines *Scripturam & virtutem Dei*, ideo facile labi potuerunt tam fœde, Dei opera juxta carnem metientes. Diſcitur ex hoc loco, nos in futuro ſeculo vitam *angelicam* victuros, alienam ſcilicet ab omni corruptione & generatione, non morientes, neque nubentes.

37. *In tota vehementia tua*] In Hebræo eſt מאד *valde*: & eſt ſenſus, quod omne & præcipuum hominis ſtudium ad hoc eſt deſtinandum, ut Deus ab eo ſincere diligatur, illumque omnibus rebus anteponat, & cunctæ vires ejus ad Dei placita rapiantur, ſicque tota ejus mens ſit in cogitanda ineffabili ejus virtute & bonitate, ut nihil ſit in homine quod non convertatur ad Dei voluntatem exprimatque illius beneplacitum. Quod autem Dominus mandatum de *Dilectione proximi ſimile* facit *primo mandato*, colligitur hinc quod æque in hoc ſicut illo tota vitæ perfectio continetur; quemadmodum & Paulus Rom. 13. *totam legem impleri* teſtatur *in mandato Dilectionis*.

42. *Quid vobis videtur de Chriſto?*] Voluit Chriſtus hac quæſtione oſtendere quantum ſitum eſſet in agnitione ſui, quippe quod ab eo ſolo exſpectanda eſſet juſtificatio ipſa, & ipſe dare poſſet vires & facultatem ad implendum Legem, quantumlibet Phariſæi fruſtra gloriarentur de ſua ſanctimonia & impletione Legis. Volebat quoque oſtendere ſe eſſe præſtantiorem Davide, quippe qui venerat ut Rex ſpiritalis ad purgandos animos. Excellentiam ſuam ex eo probavit quod *David in Spiritu ipſum appellaret Dominum ſuum*, quod pater filium non appellaſſet niſi ſe majorem agnoviſſet. Hæc cum audiſſent Judæi ſui temporis nihil reſpondere poterant, ſicut nec Judæi noſtri temporis ad id reſpondere poſſunt, niſi convitia quædam, irridentes ſanam & veram Chriſti doctrinam per hæc verba, מה שהיהים אמרו נאום ה׳ לאדוני שב ליסיני אכר האב לבנו שב ליסיני בשמים ואל תורד בין ההורים ארכך עד שאכלם ואכניעם התחתך ואשיר אותם חרום רגלין׳ והבן הלוי הזה בן סורר ומורה ולא שמע לאביו וירד שלא ברצון אביו ועשיר חאב בכעסו שישראל דומה בדין כסורר ומורה וחרונתו על שעבר במצות אביו וכשלא יבלו לעשות לו משפט בן סורר ומורה מפני כשפיו קימו לי משפט חכמן לו כי יהיה לאיש חשא משפט מות : Hæc cum mera convitia ſint, ex corde odio pleno prodeuntia, nihil ad ea reſpondere duximus, niſi שרוני שקר הם quod *mendacia* ſunt & *calumnia*. Sunt tamen qui de Abraham hunc Prophetæ locum contendunt exponere; & horum expoſitionem in medium quoque afferam, ac deinde refutabo. Scribunt autem ſic, נאום ה׳ לאדוני אין זה לחכין כרוני המינים על ישו כי אין מקום בארץ שהכצא בו שחאב קויא לכן אחרי אלא בודאי אמר דוד נאום ה׳ לאדוני אברהם שב ליסיני חזא הזה וקנו שלי דור ובן הזן השלם שקוראם לקניהם אחרהם והי אמר לאברהם אנכי מגן לך חשיש ישב לימין הכגן שחרי האיש נשא חכגן ביר שמאלו : Reddam verbum è verbo, ut videas, lector, quam torqueant excæcati homines hunc locum, DIXIT DOMINUS DOMINO MEO, *Non iſtud intelligi poteſt juxta verbum hæreticorum de Jeſu, cum non inveniat locum in terra ubi pater vocet filium Dominum*; *ſed certe dicit David, Dixit Dominus domino meo Abrahamo, Sede ad dextram meam: nam is ſenior fuit ipſo David*; *& eſt præterea conſuetudo ſeculi ut ſeniores ſuos vocent Dominos ſuos. Dominus quoque Deus dixit Abrahamo, Ego ſcutum tuum: homo autem ſedet ad dextram ſcuti; nam geſtat vir ſcutum in manu ſua ſiniſtra.* Vides totam expoſitionem: ſed reſpondendum eſt ſtultis, ne ſibi ſapientes videantur. תורה כפגי כמדה מעכים מסוק תורה נאום חי לאדוני אין נאמר על אברהם כי אם על משיח כי נכתב בספר קכתים עתיד לבוא הקביה מושב מלך משיח לימנו שנאמר נאום חי לאדוני שב לימיני וכתתים יוחן בן עזראל כן כתוב אמר חי למטרית טב ליסיני׳ ורבי יצחק על נראשירת בן כתב קורם נראת השמש הירח חק וקיום שמו של משיחנו וחירח ישב ביסין האל חרה הזאת שאמר שב לימיני אכיי אין זרת הקרא משפט לערש על אברהם אלא אני אמר כך משמע הקרא אמר עם המיחד שנקרא אב לשם הנכבר שנקרא בן שב ליסיני עד יום חדין ואחר שעמד ליום השלישי תעלת לשמים אמר לו והקבירת בן שב לימיני עד אשית אויבך הדום רגלך הדינו ביום הדין ארץ אחן שלא המציבו כך ובשכך ומשפון ופושעין כגגרך : ועל אברהם אין נקרא שהוא ישב על ימין הקם אלא מצינו בתלמוד שאברהם ישב על פתחי שלי גיהנם שלא לתת לירד פושעי ישראל בגיהנם:

VALLA.

10. *ET impleta ſint nuptiæ diſcumbentium*] Quem caſum invenit interpres Græce, eundem tranſtulit: quia nos dicimus *plenus vini & vino*: ſed vix dicas *impletus vini*: ita nunc *nuptiæ ſunt impletæ diſcumbentium*. Idem fecit apud Joannem 6. 13. *Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum*. Quod ſi haberent Græci ablativum, dicerent potius *diſcumbentibus ſunt impletæ*, & *impleverunt cophinos fragmentis*.

16. *Non enim reſpicis perſonam hominum*] *In perſonam* legendum eſt, *εἰς πρόσωπον*, ut ſit apud Marcum 12. 14. *non enim vides in faciem hominis*, *εἰς τὸ πρόσωπον*. Nam Græce unum atque idem vocabulum eſt *facies & perſona*, neque multum ſecus Latine.

39. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*] Mallem dicere, ut eſt apud Marcum 12. 31. *Diliges proximum tuum tanquam teipſum*; ſive, ut alibi legitur, *Diliges proximum tuum velut teipſum*. Nam diligere alterum *tanquam ſe*, ſive *velut ſe*, eſt facere unum hominem ex multis, ut, *Dilige te ac ſi ambo unum eſſemus*. Diligere alterum *ſicut ſe*, non eſt ſe facere alterum atque eundem, ſed ſibi ſimilem.

ERASMUS.

4. *ET altilia*, Καὶ σιτιστὰ] Belle reſpondet vox Latina Græcæ. Ut enim *altilia* ab *alendo* dicuntur, ita σιτιστὰ à σιτίζω, quod eſt *cibo*, ſive *nutrio*. Irenæus, aut hujus interpres, alicubi vertit *ſaginata*. ¶ Cæterum *Occiſa* parum apte reddidit: nam πεφνμένα magis ſonat *immolata*, aut certe *mactata*, quod olim in nuptiis ſacris epulis agerentur convivia.

5. *In villam ſuam*] Non admodum incommode, εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν, i. *In proprium agrum*, ut verbo reddam verbum; aut *in rem ſuam*, ut ſenſum magis exprimam. Porro *villa* domus eſt in agro.

10. *Et egreſſi ſervi ejus*, ἐκεῖνοι] i. *Illi*, non *ejus*. ¶ *Quos invenerunt*, ὅσους] i. *quotquot repererunt*. ¶ *Malos ac bonos*] Gr. πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς, i. *maloſque ac bonos*, ſi quis ad verbum reddi velit; aut ſi Latine, *ſeu malos ſeu bonos*, ut intelligas nullo delectu. Nam hic eſt ſenſus, ut *boni* pertineat ad Judæos, qui ſibi & hodie videntur boni; *mali*, ad Gentes. Ex Judæorum enim affectu locutus eſt Chriſtus, cum utrique fuerint mali. ¶ *Et impleta ſunt nuptiæ diſcumbentium*] Interpres dormitans Græcum genitivum reliquit, cum dicere debuerit *diſcumbentibus*. Neque enim veriſimile eſt eum affectaſſe Virgilii more loqui,

Implentur veteris Bacchi, pinguiſque ferina.

Jam quanquam alicubi licet reperire, *Implentur veteris Bacchi*, *Totam Siciliam implevit nominis ſui*, &, *Implevit ſocios ſpei*, haud tamen invenias, *Domus impletur hominum*; ut jam contemnas amphibologiam. Denique patiar interpretem hic affectaſſe Liviano more voluiſſe loqui, niſi alias ſic impingit ad eundem lapidem ut nulla ſit excuſatio.

13. De *tenebris exterioribus* jam ante dictum eſt. In nonnullis Græcis cod. ſic legitur, Δήσαντες αὐτοῦ πόδας καὶ χεῖρας, ἄρατε αὐτὸν, καὶ ἐκβάλετε εἰς τὸ σκότος, i. *Ligatis manibus ac pedibus ejus, tollite eum, ejicite in tenebras*, &c.

14. *Vocati & electi* nomina ſunt Græcis, non participia, κλητοὶ καὶ ἐκλεκτοὶ, cum paulo ante fuerit κεκλημένοις, *Dicite invitatis*.

15. *Ut*

15. *Ut eum caperent*, παγιδεύσωσιν] i. *Illaquearent*. παγὶς enim *laqueum quo feram capimus*, aut *avem*.

16. *Herodianos* appellat milites Herodis. Is fuit Antipatri filius, quem alienigenam ac proſelytum Auguſtus præfecerat Judæis, dato Regno, ut ab iis Imperatoris Romani nomine tributa colligeret. In hac ſententia video fuiſſe Hieronymum, quicum res erat, haud mecum, illi qui locum hunc calumniatus eſt. Theophylactus putat *Herodianos* dictos, non quod eſſent illius miniſtri, ſed factio quæpiam Judæorum affirmantium Herodem eſſe Chriſtum, quod homo non Judæus apud Judæos regnaret omnium primus, nempe filius Antipatri: quod ridiculum putat Hieronymus. Verum Phariſæi contendebant Judæorum populum, qui decimas ſolveret, eſſetque Deo dicatus, non debere ſolvere tributum Cæſari, nec profanis parere legibus; Herodiani contra Principis ſui negotium agebant: Proinde ſimul adeunt Chriſtum, uni pariter utrique molientes inſidias, ut quicquid reſpondiſſet alterutri factioni redderetur obnoxius. Chryſoſtomus putat Theodam & Judam, quorum mentio fit in Actis, ob id interiiſſe quod negarent tributum oportere pendi Cæſari. Hujus autem dogmatis autor fuit Judas quidam Gaulonites, qui Eſſenis, Sadducæis & Phariſæis quartam ſectam adjunxit. Vide Joſephum Antiq. lib. 18. cap. 2.

18. *Cognita autem Jeſus nequitia*] Πονηρίαν, i. *malitia*, ſeu *verſutia*. Nam *nequitia* magis ad libidinem pertinet.

20. Cur non potius dixit *inſcriptio* quam *ſuperſcriptio*? cum Græce ſit ἐπιγραφή.

21. *Reddite igitur Cæſari*] Mire Chriſtus temperavit reſponſum. Rogatus inſidioſe de re mundana, jubet oſtendi numiſma, velut ignotum: ubi oſtenſum eſt, ſic agit quaſi non agnoſcat imaginem neque inſcriptionem. Quod ubi didicit ab illis, non dixit abſolute, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, ſed, *Reddite igitur*. q. d. Si verum eſt quod dicitis, hæc eſſe Cæſaris, ſolvite illi quod illius eſt. Neque enim continuo quicquid imaginem habet Cæſaris, debetur Cæſari, aut Principi. Fortaſſis alienius fuerit admonere Græcam vocem ἀπόδοτε eſſe ancipitem, quod accipi poſſit, *Reddite*, vel *Redditis*; ut intelligamus Chriſtum arrepta occaſione notaſſe vitam illorum qui ſolliciti quid deberetur Cæſari, non illud potius curabant quid deberetur Deo; Redditis Cæſari quod illius habet imaginem, & illud reddite Deo quod Dei habet inſcriptionem atque imaginem, nempe Animam.

24. *Si quis mortuus fuerit non habens filium*] Ita magno conſenſu habent omnes Latini cod. quos mihi videre contigit, etiam vetuſti ac manu deſcripti, cum Græci conſtanter habeant μὴ ἔχων τέκνα, *non habens liberos*. Deut. 25. pro *liberis* habetur *ſemen*, h. e. poſteritas. Fortaſſis apud Hebræos nomen non tranſibat ad poſteros niſi per maſculos; alioqui Græcis τέκνον tam *filia* dicitur quam *filius*. Et apud Latinos *liberorum parens* dicitur is quoque cui unica proles eſt. Quiſquis enim orbus non eſt *liberorum parens* dicitur. Apud Marcum cap. 12. habetur τέκνα, & interpres vertit *filios*. Fortaſſis hic ſciolus aliquis metuens ne mulier unius filii mater cogeretur fratri conjugis defuncti nubere, *filios* mutavit in *filium*, cum hæc cavillatio ſit plane ſophiſtica. Ad ſenſum enim nihil refert utrum dicas *non reliquit filium*, an *non reliquit filios*, propterea quod hic non agitur de numero ſed de ſpecie. Itaque *filios non habere* dicitur qui nullam habet prolem.

30. *Neque nubent, neque nubentur*] Neque temporis ratio ſervata eſt neque Latinitatis. Nam Græce eſt οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται, *neque ducunt uxores, neque nuptum dantur*: ut γαμοῦσιν pertineat ad ſponſos, & ἐκγαμίζονται ad puellas. Quis enim unquam audivit *nubuntur*? Quanquam interim perlit ſchematis gratia, quæ & ipſa ſervari poterat, *Neque ducunt uxores, neque ducuntur*. Auguſtinus in ſerm. 1. Domini in monte legit, *neque nubent, neque ducent uxores*. Sed arbitror locum à librariis depravatum. Rurſum ſerm. 1. de verbis Apoſtoli; niſi quod hic depravatoris incogitantia *nubent* legitur, non *nubunt*, cum ſequatur *ducunt*, non *ducent*, nempe juxta Græcos. Depravaſſet & hunc locum, ſi fuiſſet attentus. Conſimiliter adducit hunc locum & Ambroſius in expoſit. Pſal. 118. ſerm. 11. *neque nubunt, neque uxores ducunt*. Non enim deſignat tempus, ſed vitæ genus exprimit. ¶ *Sed erunt ſicut angeli Dei*, ἀλλ' εἰσὶν ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ] i. *velut angeli Dei ſunt*. Atque ad eum modum comperi ſcriptum & in vetuſtis exempl. Latinis, nominatim in Aureo, tum in vetuſtiſſimo quod exhibuit in hunc uſum Eccleſia D. Pauli Londinenſis; atque item in eo quod exhibuerunt Canonici collegii Corſendoncenſis in Brabantia; poſtremo quod præbuit collegium Conſtantienſe. Ex quo ſatis, opinor, liquet in ſuperioribus verbis tempus librarii vitio mutatum. Offendit lectorem aliquem quod reſurrectio nondum accidiſſet, atque ea gratia futurum tempus magis convenire. At Chriſtus indicat reſurrectionis tempus jam adeſſe. Sic enim reſurrectioni deſtinatos vocat *reſurrectionem*, ſicut Euangelicam ſequentes doctrinam vocat *regnum cælorum*. Poſt apparebit in nobis reſurrectio, at interim peragitur in nobis reſurrectionis negotium. Quin & Origenis interpres ita vertit hom. 22. *In reſurrectione neque nubunt, neque uxores accipiunt, ſed ſunt ſicut angeli in cælo*. Itaque paulo poſt repetit, ne quis caſum eſſe cauſetur.

32. *Non eſt Deus mortuorum*] In exemplaribus quæ mihi videre contigit repetebatur hæc vox *Deus*, οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς, Θεὸς νεκρῶν, i. *Non eſt Deus, Deus mortuorum*. Verum idem non reperio apud ullum interpretem. Unde conjectandum eſt, quod erat ſubaudiendum id abs quopiam adjectum fuiſſe, niſi quod Theophylactus ut legit, ita repetit, enarrans, *Deus Deus*.

34. *Quod ſilentium impoſuiſſet*] Ἐφίμωσεν, i. *obturaſſet os*, ſive *occluſiſſet os*. Et in Paulo, *Non alligabis bovi*, eſt ὐ φιμώσεις, *Non occludes os*.

35. *Legis doctor*] Νομικὸς, i. *qui verſatur in negotiis legalibus*. Ad verbum ſonat *legalis*, ſive *legitimus*: etiamſi non damno quod vertit interpres.

37. *Ex toto corde*] *In toto corde*, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ. Etiamſi apud Græcos ac Latinos ſupervacanea eſt præpoſitio.

38. *Hoc eſt maximum & primum*] Πρώτη καὶ μεγάλη, i. *primum ac magnum*, quanquam hic *primum* dixit præcipuum. Hilarius legit, *quod eſt magnum ac primum*.

39. *Sicut teipſum*, ὡς σεαυτὸν] Græcis unicum adverbium eſt ὡς, quod nos vix duodecim reddidimus. Proinde fruſtra cavillantur qui putant hic non Modum amoris æqualem ſignificari, ſed Similitudinem; ut amemus proximum non æque atque nos ipſos, ſed ſimili genere amoris. Horum argutationes licebat excludere ſi vertiſſet, *Proximum tuum perinde ut teipſum*. Neque enim hujus eſt loci refellere eos qui nimis Ariſtotelice inducunt charitatis ordines. Magis placet mihi Paulina ſimilitudo de membris corporis, in quo plus etiam honoris adhibemus iis quæ per ſe ſunt infirmiora. Porro quod interpres vertit *proximum* Græce eſt ὁ πλησίον. Eam vocem frequenter obviam in S. literis ne quis ut parum Latinam faſtidiat, eſt apud Suetonium in Othone, *Alii febrim ſimulaſſe ajunt, eamque excuſationem proximis mandaſſe*: niſi quod apud Græcos *familiares* duntaxat dicuntur οἱ πλησίον, familiaritatis autem eſt hærere lateri.

40. *Univerſa lex*] *Tota*, ὅλος ὁ νόμος.

VATABLUS.

1. RESpondens] Vel, *orſus*: nam *reſpondendi* verbum etiam pro *ordiri ſermonem* in uſu eſt Hebræis.

3. *Miſit*] *Emiſit*: ſic infra.

4. *Occiſa*] *Immolata*.

7. *Rex autem*] *Rex autem ille*.

9. *Exitus viarum*] Gallice dicimus, *aux rues paſſantes*. ¶ *Quoſcunque*] *Quotquot*.

10. *Servi ejus*] *Servi illi*. ¶ *Malos*] *Maloſque*. ¶ *Nuptiæ*] Sive, *locus convivii nuptialis*. ¶ *Diſcumbentium*] *Diſcumbentibus*.

13. *Mittite eum*] *Tollite eum, & projicite*. ¶ *Exteriores*] i. obſcuriſſimas & longe poſitas à vera luce.

15. *Caperent*] *Illaquearent*.

16. *Herodianis*] *Herodianos* vocat milites Herodis.

18. *Nequitia*] *Malitia, verſutia*.

19. *Numiſma cenſus*] i. quod tributi vice datis.

24. *Magiſter*] Vel, *Præceptor*. ¶ *Filium*] *Filios*.

26. *Similiter ſecundus*] *Similiter & ſecundus*.

30. *Nubent, neque nubentur*] *Ducunt uxores, neque nuptum dantur*, præſens pro futuro. ¶ *Erunt*] *Sunt*. V.

32. *Non eſt Deus mortuorum*] *Non eſt Deus, Deus mortuorum*.

33. *Mirabantur in doctrina*] *Stupebant ob doctrinam*.

34. *Silentium impoſuiſſet*] *Os occluſiſſet*; vel, *obturaſſet*.

35. *Tentans eum*] *Tentans eum, & dicens*.

36. *Magnum*] Pro *maximum*, more Hebraico, qui poſitivo utuntur pro ſuperlativo, quo carent.

37. *Diliges*] Futurum pro imperativo, more Hebræorum. ¶ *In tota anima tua*] i. toto animo tuo. ¶ *In tota mente tua*] i. toto deſiderio tuo. Hebr.

38. *Maximum & primum*] *Primum & maximum*.

39. *Proximum tuum*] Pro, *quemcunque hominem.* Hebr.

43. *In Spiritu*] i. præditus Spiritu S.

44. *A dextris meis*] Latinius, *à dextra mea*, quam juxta Græcum idioma, *à dextris meis*; præterquam quod Hebraice quoque in Pſalmo ſingularis eſt numerus.

45. *David vocat*] *David in Spiritu vocat.*

CASTALIO.

36. QUodnam *præceptum eſt in lege maximum*] Μέγας dictum eſt pro μεγάλος· ut ad Hebr. 4. 14. Ἀρχιερέα μέγαν *Pontificem maximum*: & Lucæ 9. 48. ὁ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, οὗτος ἐστὶ μέγας. Nam idem Matth. 23. 11. dicitur μείζων, h. e. μέγιστος. Sic hoc loco dicitur hoc præceptum eſſe *magnum*, ſcilicet præ cæteris; h. e. omnium maximum, ut etiam paulo poſt vertit vetus interpres Latinus. Alioquin abſurdum eſſet hoc dici *magnum* quaſi alia parva forent. Eſt autem Hebraiſmus, qualis & alibi ſæpe occurrit & Gen. 6. 9. ubi ſic ad verbum legitur, *Non vir juſtus erat, integer in ſuo ſeculo*, h. e. ſui ſeculi integerrimus.

CLARIUS.

2. SIMILE *factum eſt regnum cœlorum homini regi*] Superius in parabola locatæ Vineæ oſtenderat agricolas quibus locata fuerat, nempe Scribas & Phariſæos, privandos hac vinea; h. e. *auferendum ab eis regnum Dei, & dandum Gentibus.* Idem ſignificat in parabola Nuptiarum, ſed de vocatis gentibus aliquanto apertius tractat. Nam cum vidiſſet Rex eos qui prius vocati erant non tam noluiſſe venire quam indignos fuiſſe qui admitterentur, jubet ſervos *ad exitus viarum* (nam Gentes invia ſequebantur: quanquam per *exitus viarum* loca ubi plures concurrunt viæ ſignificantur) *accedere*; & ſine delectu invitare omnes. Et ne quis exiſtimet ſe ubi primum vocatus eſt non habere quod amplius metuat, dicit *inventum quendam ſine nuptiali veſte, & projectum in tenebras extremas.* Quod vero concludit *multos vocatos eſſe, paucos vero electos*, ſunt qui exiſtiment parum reſpondere parabolæ, ubi in illo convivio unus tantum dicatur ejectus. Sed primum ſciendum eſt, per unum qui ejectus ſit ſignificari, non omnes qui vocati ſint fuiſſe ſervatos; deinde cum illo qui ejectus eſt conjunguntur & omnes illi qui vocati primum fuerant, qui non fuerunt digni. Ita cum ſuperiores illi omnes (nam Judæorum genus præter admodum paucos totum periit) excluſi fuerint, & aliqui præterea ex iis qui ad nuptias introducti fuerant, pulchre concluditur, *Multos vocatos, paucos vero electos fuiſſe.*

21. *Reddite ergo*] Rogaſtis me, inquit, *num liceat cenſum dari Cæſari:* ego non dico *dandum*, quod verbum venari à me tentatis, ſed *reddendum Cæſari quod ſuum eſt, & quod ſuum eſt Deo.*

31. *De reſurrectione autem mortuorum*] Colligit reſurrectionem mortuorum ex eo quod, cum dicat Scriptura, *Ego ſum Deus Abraham*, &c. *Deus ſit vivorum Deus, & non mortuorum.* Quod ſi quis interroget, Nunquid Deus non poteſt Deus eſſe vivorum ſi etiam mortui non reſurgant? cum ſatis ſit ad hanc rem ut vivant animæ. Sed videtur voluiſſe Dominus neceſſario conſequi ut, ſi immortales ſint animæ, corpora etiam reſurgant, ne vis illa quæ videtur adhibita naturæ in illa diſſolutione animæ à corpore perpetua ſit. Cui rei etiam externi aſſentiuntur, cum dicunt id nullo modo æternum eſſe poſſe quod ſit violentum. Idem ſenſit & qui de Juda Maccabæo ſcripſit, cum ait, *Niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaſſet ſuperfluum fuiſſet ac vanum orare pro mortuis:* cum alioqui prodeſſe & animabus potuerit illa oblatio; ſed exiſtimabant, ut dixi, alterum alteri adhærere neceſſario.

43. *Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum*] Pulcherrimum ex veteri Lege de Divinitate Chriſti teſtimonium, quod Judæi refellere nequiverunt, nec tamen ſolvere norunt, cum myſterium non intelligerent: alioqui facile reſpondiſſent, Vocatum à David *Dominum* quatenus eſſet Deus.

ZEGERUS.

1. SIMILE *eſt regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo; & miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterum miſit alios ſervos, dicens, Dicite invitatis*, &c.] Et hæc, ſicut ſuperior illa Vineæ parabola, diligentiam, providentiam curamque & longanimitatem Dei erga Judæos ſummam, & ipſorum in Deum ingratitudinem ſignificat; ejectionem quoque ipſorum, & vocationem Gentium. Videtur autem mihi hæc parabola juxta primariam intelligentiam proprie referenda ad tempus Chriſti & Novi Teſtamenti, juxta Hilarium; non autem ad tempus utrumque, Vetus videlicet & Novum, ut ab aliis enarratur etiam veteribus. Cum enim nuptiæ hæ proprie in incarnatione Filii Dei cœptæ ſint, & notanter convivæ non *invitari*, ſed olim *invitati* hic *vocari* dicantur, hinc datur intelligi hæc omnia ad tempus Chriſti pertinere, & *invitatos* intelligi debere Judæos antea invitatos per Prophetas. *Nuptiæ* itaque *filii regis* conjunctionem ſignant Chriſti Filii Regis omnium ſummi cum Eccleſia & cum cujuſlibet fidelis anima. Quæ ideo *nuptiæ* vocantur, quia ingens hic Dei charitas & ſummus ſpiritualium rerum ſplendor oſtenditur; ubi nihil triſte, nihil luctuoſum, ſed omnia ſpiritualis gaudii plena ſunt. *Servi* priori loco miſſi Johannem Baptiſtam & Apoſtolos, poſteriori loco, indicant Apoſtolorum ſucceſſores. In eo quod dicitur, *& nolebant venire*, Judæorum inſinuatur inobedientia atque contemptus, qui Chriſto per fidem conjungi noluerint. Illud quoque hic admonendum, *regnum cœlorum* hic dici per metonymiam pro *rege cœlorum*, vel *rege cœleſti*, nempe Deo Patre: de qua pluraſi plura diximus Mat. 13. Similis eſt ergo, inquit, Rex ille cœleſtis, quod ad noſtri attinet curam, Regi terreno.

4. *Prandium meum paravi, tauri mei & altilia occiſa ſunt: & omnia parata*] Per hæc omnia in ſumma intelliguntur juxta communiorem ſenſum cibi & deliciæ ſpirituales quibus paſcitur ac ſaginatur hominis anima; ſed potiſſimum ſermo Divinus, propter multas ipſius cum cibo corporali proprietates, quas fuſe perſequitur autor Operis imperfecti. Porro quod ad *taurorum* & *altilium* peculiarem ſignificantiam attinet, id mihi accommodatius cenſetur quod habet Gregorius hom. 38. per *tauros* intelligens Prophetas & Patres Vet. Teſtam. per *altilia* ſeu *ſaginata* Apoſtolos & ſanctos N. Teſtam. idque tum propter volatum deſideriorum cœleſtium, tum propter gratiam pinguedinis internæ. Non quod ipſi aut ipſorum nobis in cibum ſint corpora, ſed potius ipſorum vita, doctrina atque exempla: de quibus pulchra habes in Opere imperfecto. Unus tamen inter veteres Hilarius de convivio hæc felicitatis futuræ intelligere videtur, dum nuptias haſce *vitæ cœleſtis & in reſurrectione ſuſcipiendæ æternæ gloriæ* dicit *eſſe ſacramentum.* Verum huic refragatur quod ſequitur, *congregaverunt malos & bonos.* Pro *occiſa* in Græcis eſt τεθυμένα *mactata* ſeu *immolata*, quod olim in nuptiis, ſacris epulis agerentur convivia.

5. *Abierunt, alius in villam ſuam, alius vero in negotiationem ſuam*] *In villam ire*, inquit Gregorius, *eſt labori terreno immoderate incumbere: in negotiationem vero ire eſt actionum ſecularium lucris inhiare.* Hilarius per *villam* ambitionem intelligit, quomodo eandem vocem Luc. 14. accipit Auguſtinus De verbis Dom. ſerm. 34. Theophylactus vero voluptatem. Sic enim ſcribit, *Alius quidem εἰς τὸ ἴδιον ἀγρὸν in proprium rus abiit, h. e. indulſit deliciis vitæ. Uniuſcujuſque enim ager eſt corpus. Alius autem in negotiationem ſuam, h. e. avaritiæ dedituſ fuit. Negotiatorum enim genus avarum eſt & lucri cupidiſſimum.*

7. *Miſſis exercitibus perdidit homicidas illos, & civitatem*, &c.] *Exercitus* vel ultores Angelos (de quibus in Pſal. ſcribitur, *Immiſſiones per angelos malos*) vel Romanos accipiamus ſub duce Veſpaſiano & Tito, qui occiſis Judææ populis prævaricatricem ſuccenderit civitatem. Ita Hieron.

9. *Ite ergo ad exitus viarum*] Ad exitus & fines viarum ire jubentur, ut longe lateque diſperſos cujuſcunque conditionis homines, etiam extra omnem viam veritatis poſitos, converterent, eoque ad Divinas vocarent nuptias.

10. *Impleta ſunt nuptiæ diſcumbentium*] Antique & Græcanice loquitur interpres, pro *impleta ſunt diſcumbentibus.* Unde etiam Virgilius *Implentur*, inquit, *veteris Bacchi*, i. veteri vino. Et Titus Livius, l. 1. *Adoleſcentem ſua temeritatis implet.* Poſſet tamen *diſcumbentium* vel à *nuptiæ* rectum accipi; ut *impleta* abſolute ponatur.

11. *Non*

11. *Non veſtitum veſte nuptiali*] B. Gregorius per *veſtem nuptialem* docet accipiendum Charitatem potius quam Fidem (quod nonnullis placet) propterea quod Chriſtus eam tum maxime ſe habere oſtenderit cum ad aſſociandam ſibi Eccleſiam venit. Sunt qui per hanc veſtem bona opera intelligant, quod Gregorio non repugnat, ſi opera accipiamus ex ipſa charitate profecta.

16. *Cum Herodianis*] i. militibus Herodis, vel ipſius fautoribus & amicis, quos illudentes Phariſæi quod Romanis tributa penderent, *Herodianos* vocabant, quaſi Divino cultui haud deditos.

19. *Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium*] *Denarius* idem eſt nummus qui Græcis *Drachma*, & Hebræis *Zuza* appellatur, cujus valorem R. S. Aureum Colonienſem eſſe putat. Verum probabilius videtur *numiſma cenſus*, i. Denarium, non pluris valuiſſe quam tres Solidos cum ſemiſſe: quanti videlicet & ſupra c. 20. à Budæo æſtimatur.

37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c.] In ſumma id vult hoc præceptum, ut Deum amemus, colamus, honoremus, eique in omnibus obſequamur, quantum corde, intellectu, affectu, vita, voluntate, mente, memoria, breviter omnibus tam corporis quam animi viribus conſequi valemus. Hoc autem præcipit Dominus, non quod neceſſario velit ita ad plenum obſervari in hac vita mortali (nam id quamdiu *corpus quod corrumpitur aggravat animam* Sap. 9. & *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, perfecte adimplere, Auguſtino teſte lib. De perf. hum. juſtitiæ, ante medium, haud poſſumus) ſed ut ſciamus quo tendere ac niti debeamus: ſcilicet ut hic quidem ad impleamus quatenus fieri poteſt, perfecte tandem impleturi in vita cœleſti, ubi *evacuato quod ex parte eſt, & abolita fide & ſpe, charitas, quæ nunquam excidit, menſura atque conſummanda eſt*, 1 Cor. 13. 8. Tunc autem quod ſat eſt hoc præceptum implemus, quando ſedulo huc contendentes, ex ſincero amore ſacrum obſervamus decalogum, nullumque committimus crimen capitale. Nam & miles vel tunc etiam ſuo Duci placet ac facit ſatis, quando legitime certat & militat, etiamſi hoſtem omnino non trucidet; Eo tamen placet magis, quo hoſtem amplius premit: Ita & nos quoque noſtro Duci placemus, atque adeo etiam ab ipſo remuneramur, quando legitime ad præſcriptum nobis finem contendimus, etiamſi hic eum adſequamur nunquam: Cui etiam quo magis propinquamus, hoc ſumus Imperatori noſtro gratiores. Tractat hoc argumentum B. Thomas libro alterius partis poſteriore, qu. 24. art. 8. & qu. 44. art. 6. item Petrus Lombardus lib. Sent. 3. diſt. 27. ſi quis forte deſiderabit. Cæterum quod ad dictionem acceptionemque attinet *cordis*, *animæ*, & *mentis*, varia eſt doctorum ſententia: Vulgatior tamen eſt quam dicto loco habet Lombardus, per *cor* intelligens Intellectum, per *animam* Voluntatem, per *mentem* Memoriam: Hujus tamen autor primarius eſt B. Auguſtinus, in epiſt. 3. ad Julianum Comitem; cujus hic ad majorem rei evidentiam ſubſcribo verba; *Tres*, inquit, *habes à Patre & Filio & Spiritu S. conceſſas dignitates, id eſt, Intellectum, Voluntatem, & Memoriam: quod idem, licet aliis verbis, in Euangelio deſignatur cum dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & omnibus viſceribus tuis. Ex his enim tribus imaginem Conditoris noſtri mirabiliter gerit noſtra natura, noſter interior homo; ex quibus quaſi excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere Conditorem: ut quantum à nobis intelligitur, diligatur; ſemper in memoria, qua recipitur, habeatur. Nec ſolum ſufficit nobis Deum intelligere niſi fiat in amore ejus voluntas noſtra. Imo nec hoc ſufficit, niſi cum memoria & voluntate opus addatur.* Hactenus ille. Poteris quoque juxta ſimplicem verborum ſonum per *cor* intelligere Affectum, per *animam* Vitam (ſic enim frequentiſſime *vita* accipitur in literis arcanis) & per *mentem* Intellectum. Et huic expoſitioni ſuffragatur etiam alibi ipſe Auguſtinus De doctr. Chriſt. l. 1. c. 22. niſi quod per *cor* intelligat cogitatum: item illud apud Matth. 12. *Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine*, ubi pro *ex tota mente*, quod prius dixerat Dominus, ſcriba ipſe Domini reſponſionem repetens dicit *ex toto intellectu*: Adhæc etiam vox Διανοια, non modo *mentem* ſignans, verum etiam *intellectum*, *ſenſum*, *cogitationem*, *ſententiam*, & *ingenium*. Jam quod B. Lucas c. 10. 27. adjicit, *& ex omnibus viribus tuis*, quaſi explicatio eſt præcedentium, & veluti epitome omnium ad ea pertinentium.

44. *Dixit Dominus*] Nempe Deus Pater Domino meo, Chriſto videlicet meo Filio, meoque atque omnium Domino.

LUCAS BRUGEN.

30. *At ille reſpondens ait, Eo, Domine, & non ivit.*] Varia eſt Græcorum codicum lectio pro eo, *Eo, Domine.* Quidam legunt ναὶ Κυριε, *Etiam Domine*; quidam, ἐγω, Κυριε, ἐγω ὑπαγω, *Ego, Domine, ego vado*; quæ duo in N. Teſtamenti à ſe anno 1563 editi margine Baſileenſes ſignarunt. Plerique, quotquot nos vidimus, ἐγω, Κυριε, *Ego, Domine.* Prima lectio apud Origenem reperitur; ſecunda Latinis exemplaribus accedit; tertia germana eſſe videtur, quippe cui, præter Græcorum exemplarium multitudinem, etiam Syri & Græci Interpretes, Theophylactus atque Euthymius, conſentiant. Proinde dubitari forte poſſit, Scripturumne vel errore, vel audacia, pro *ego*, poſitum ſit in Latino textu *eo*: quanquam & in Græco vocum ἐγω & ἰω eadem ſit affinitas & ſignificatio. Quidam notat, in nonnullis Græcis ſe reperiſſe, pro ἐγω, ὑπαγω, ſed, ut arbitratur, ad Latinorum exemplaria caſtigatis.

STEPHANUS.

¶ Κεφ. κβ, Περὶ τῶ δαιμονιζομένω τυφλῶ καὶ κωφῶ.
Ματθ. ἐν τῶ Λαϊ. ἰμ. ιβ, Τότε προσηνέχθη αὐτῶ δαιμονιζόμενος, τυφλὸς καὶ κωφός· καὶ ἐθεράπευσεν αὐτὸν, ὥστε τὸν τυφλὸν καὶ κωφὸν καὶ καλεῖν καὶ βλέπειν.
Ἔλυεν ἡδὲ ῥηᾶτο ὅτι ὁ κλύειν ἠδὲ ῥηᾶτο.
Ἄλλως,
Δαιμονίω ἐλέησε κατάσχετον ἄνδρα, καὶ ἔσπ
κωφῶ ἠδὲ τυφλῶ ἔπειν λαλεῖν τε βλέπειν τε.

4. Τὸ ἄριστόν μου ἡτοίμασα] *Prandium meum paravi.* ¶ Τὰ σιτιστὰ πεφωλίδια] *Altilia mactata.*
5. Τὸν ἐμπορίαν] *Mercaturam.*
7. Ἐνέπρησε] *Incendit.*
9. Τὰς διεξόδους] *Compita.*
12. Ἐφιμώθη] *Obmutuit, ut injecto ori fræno.*
15. Παγιδεύσωσιν] *Illaquearent*: vel, *irretirent.*
16. Οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον] *Non enim reſpicis ad perſonam*: i. ad ſpeciem externam.
20. Ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ὑπογραφὴ] *Imago iſta & conſcriptio.*
24. Ἐπιγαμβρεύσει τὴν γυναῖκα αὐτοῦ] *Ducet affinitatis jure uxorem ejus.*
29. Πλανᾶσθε] *Erratis.*
30. Οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται] *Neque uxores ducunt, neque nuptum dantur.*
34. Ἐφίμωσε] *Silentium impoſuit*, quaſi occluſo ore.
40. Κρέμανται] *Pendent ab his.*
44. Ὑποπόδιον] *Scabellum.*

DRUSIUS.

2. *Simile eſt regnum cœlorum* &c.] Similis parabola invenitur in Medras Miſle, i. *Proverbiorum*, ad verſum *Statera & bilances judicium Domini.* ¶ *Homini regi*] Theodorus explicat, *cuidam regi*, i. מלך אחד *regi uno.* An etiam אדם *homo* ita uſurpatur? Quærendum videtur. *Homo rex* ita dicitur ut *homo ſervus*, *homo ſacerdos*, *mulier ancilla.* Vide quæ notavimus Matth. 18. 23. & 20 1.

3. *Servos ſuos*] In Hieron. *ſervum ſuum. Haud dubium*, inquit, *quin Moſen, per quem legem invitatis dedit. Si autem Servos legerimus, ut pleraque habent exemplaria, ad Prophetas referendum eſt, quod invitati per eos venire contempſerint.*

16. *Cum Herodianis*] Euangelium Ebraicum quod Mercerus edidit, *cum ſervis Herodis*, i. aulicis. Syrus, *cum iis qui erant e domo Herodis.* Idem aliter. In Lex. Juris Ebraici vocantur הורדוסיים *Herodiani*, de nomine *Herodis*, & דורסים *Dorſiani*, à loco unde abducti fuerunt. Erant autem natione Græci. Autor Lexici qui *Baal Aruch* Ebræis, *Herodes Rex adduxit Græcos è deſerto, & educavit eos in terra habitabili, fecerunque* תרבות. Videtur hoc velle, *inſtituerunt certum ritum.* Quis ille ritus? Herodis, qui eos aluerat, natalem celebrabant, quo die etiam lucernas accenſas & violis coronatas in feneſtris ponebant: hoc primum: Deinde credebant eum Meſſiam eſſe. Vide De tribus ſectis l. 1. c. 3. Hieron. adv. Luciſer. c. 8. *Herodiani Herodem regem ſuſcepere pro Chriſto.* Notarunt hoc & alii. Zonaras 108. οὓς καὶ Ἡρῳδιανοὺς καλοῦσι appellat, quos Wolfius Latine *Herodianos* interpretatur. Conferenda ſunt quæ ad hunc locum Eraſmus annotavit cum iis quæ nos ſcripſimus ad Act. c. 5. v. 37. ubi Hieronymum à ſe ipſo diſſen-

diſſentire & ſententiam noſtram autoritate Theophylacti comprobari deprehendes. Notabis etiam perperam ibi legi *Judas Galonites* pro *Gaulonites*, cujus Joſephus bis meminit: quem alium eſſe à Juda Galilæo, cujus mentio Act. 5. 37. docet Joſephus Scaliger in De temporum emend. pag 504.

20. *Cujus eſt imago iſta?*] Romani Cæſares imaginem ſuam imprimebant monetæ tam aureæ quam argenteæ; Perſarum vero Reges, argenteæ tantum. Notavit hoc Cujacius Obſervat. l. 19. c. 25. Vide, ſi otium eſt, & ſi lubet.

23. *Sadducæi*] Pro Σαδδὶκ Matth. 1. 14. in Syro eſt פרס *Zaduc*. Mutat primum Sade in Zai, deinde *o* in *u*, unde Saduc in Epiphanio, i. Σαδυκ. Reperio & Σαδδὺκ, *δ* geminata, ex quo Σαδδυκαῖος. Nam *à Sadoc* eſſet Σαδυκαῖος, *Sadocæi*. Sed *o* & *u* de facili permutantur: Nam communem familiam habent. Hieron. Ezech. 44. *Qui ſunt de ſemine Sadoc, quem cur LXX* Σαδδὶκ *nominent ſcire non valeo.* Vide & Ezech. 48. ubi ſimiliter Σαδδὶκ in codicibus Græcis. Euſebius memorat Saddocum quendam Phariſæum qui cum Juda Galilæo conſpiraverit, Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 5. *Sadducæi* malim quam *Saddæi* ex analogia. Quanquam cur *Sadducæi* penitus rejiciamus cauſa nulla eſt, cum ſimiliter ſcribantur in antiquitate *Debbora*, *Meſſias*, *Habbacuc*, Φαρισαῖοι, & alia nonnulla. Sit ergo anceps ſcriptura, & liberum cuique uti utra velit. Syrus habet צדוקי *Zeducai*, per Zain. Σαδδυκαῖοι ſcriptum paſſim in codicibus Græcis. Sed & conſuetudo Latina obtinuit ut potius *Sadducæi* ſcriberetur, *d* geminata, quam *Saducæi*, unica. Tantum de ſcriptura. Dicti *Sadducæi*, non à *juſtitia*, ut vulgo creditur, ſed à *Sadoco* quodam hæreſiarcha, qui diſcipulus fuit Antigoni Sochæi. Hic alius fuit ab eo quem Philaſtrius Doſitheum appellat. Nam is Samaritanus erat. Mentio Sadoci in Cabbala Abrahami Levitæ Davidis filii, ubi de templo exſtructo in monte Garizin, *In domo hac*, inquit, *ſacerdotio functum eſt Manaſſes filius Joſuæ filii Joſadaci: Sadoc autem & Baithos ſive Boethus erant caput & principes. Hoc erat initium hæreſeos. Vixit Sadoc tertia ætate Synagogæ magnæ cum ei præeſſet Antigonus Sochæus diſcipulus Simeonis Juſti, qui & Jaddus dicebatur.* Vide Cabbalam illam fol. 26. col. 4. & fol. 17. col. 1. Templum Garizin vocatur ibi *domus Chuthæorum* ſive *Samaritanorum*, & *hæreticorum*, quos *Minæos* appellant. Dicebantur etiam *Epicurei*. In lib. Juchaſin fol. 159. *Antigonus Sochæus accepit à Simone Juſto. Ejus diſcipuli fuerunt Sadoc & Baithos* (*Boethus* Latine) *hi fuerunt hæreſiarcha & principes Epicureorum. Vixit autem Antigonus ille altera ætate poſt Alexandrum Magnum.* Conſentanea his habentur in Avoth R. Nathan, *Sadoc, unde Sadducæi, diſcipulus fuit Antigoni Socho oriundi qui dicere ſolebat non debere nos eſſe ſimiles ſervorum qui domino ſuo ſerviunt ut mercedem inde accipiant, ſed potius debere nos imitari illos ſervos qui ſerviunt quidem, ſed non mercedis ergo. Hujus condiſcipulus fuit Baithos, cui miniſtrabant vaſis argenteis & aureis. Porro Sadducæi dicebant Phariſæos miſeros eſſe qui ſe affligerent in hac vita, cum in altera vita nihil inde mercedis aut præmii perceperi ſint.* Hæc ille cap. 5. fol. 15. col. 2. De Saducæis Joſephus Antiq. hiſt. lib. 18. cap. 2. Gorionides cap. 26. Baronius in Apparatu Annal. ſuo. pag. 14. Dicebantur alio nomine קראים *Carai*, quod legi ſcriptæ adhærerent, aliam quæ ἀγραφος dicitur rejicientes. Ex libris V. T. tantum recipiebant Pentateuchum, quod illis commune cum Samaritanis. Hieron. Matth. 22. *Sadducæi quinque tantum libros Moſi recipiebant, Prophetarum vaticinia reſpuentes.* Tertullianus De præſc. adv. Hæret. *Taceo enim Judaiſmi hæreticos. Doſitheum, inquam, Samaritanum, qui primus auſus eſt Prophetas, quaſi non in Spiritu ſancto locutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice ſurgentes, auſi ſunt ad hanc hæreſin etiam reſurrectionem carnis negare. Prætermitto Phariſæos, qui additamenta quædam Legis adſtruendo à Judæis diviſi ſunt, unde etiam hoc accipere ipſum quod habent nomen digni fuerunt: Cum his etiam Herodianos, qui Chriſtum Herodem eſſe dixerunt.* De his omnibus vide illum cap. 45. & Pamelium, pag. 447. Zacharias Chryſopolitanus, *Quinque libros Moſi recipiunt, Prophetas reſpuunt, reſurrectionem non credunt.* Origenes in Fragmento, *Definiunt Phariſæi mortuorum reſurrectionem, ſperantes aliquod futurum ſeculum. Saducæi contra cenſent poſt hanc vitam nihil homini repoſitum præmii, ſive ad virtutem profecerit, ſive nunquam vel ſtuduerit à vitiorum termino excedere.* Apud Tertullianum in De carne Chriſti, hæretici carnis reſurrectionem negantes vocantur *propinqui Sadducæorum*, & *Sadducæi Chriſtianorum*, & *partiarii ſententiæ Sadducæorum*, quia Saducæi reſurrectionem negabant ſimpliciter, illi carnis tantum, h. e. corporis, non animæ. *Sadducæi in judicando ſeveriſſimi*, Joſephus Orig. l. 20. c. 8. Cæterum Saddocus, cujus meminit Euſebius, in codice Græco vocatur Σαδδοχαῖος, κ in χ mutata. Vide nunc annotata ad Matth. 3. 7. Nam nolo illa repetere. ¶ *Qui dicunt non eſſe reſurrectionem*] Quod probant argumentis tribus: Primum eſt quod hic docte confutat ὁ Σωτὴρ. Secundum eſt à non ſcripto, quod refellitur infra v. 32. nam Legem ita recipiebant ut expoſitionem Sapientum omnino rejicerent. Quocirca *Carai* vocati ſunt, q. *lectionarii*, *aut ſcripturarii*, quod textui mordicus inhærentes traditiones omnes repudiarent. Tertium memorat autor Lex. Thalmudici, *Si enim*, inquiebant, *patres noſtri credidiſſent mortuos reſurrecturos, & præmia manere poſt hanc vitam, non tam ſæpe rebellaſſent.*

24. *Non habens filium*] τέκνα eſt in fonte Græco, i. בנים, ut Gen. 30. 1. *δὸς μοι τέκνα filios.* Sic alibi paſſim in edit. Græca. Sic Prov. 17. 6. τέκνα τέκνων ſunt *filii filiorum*, h. e. nepotes. Quod ſi dixeris τέκνα etiam *filias* comprehendere, ſcias hunc locum de filiabus non poſſe accipi, quoniam in iis nomen familiæ obliteratur. Quocirca נשים dictæ mulieres à verbo quod *obliviſci* ſignificat.

30. *Neque uxores ducunt*] Joſeph. Albo Sorienſis in lib. Articulorum fidei, ſerm. 4. cap. 30. *Seculum futurum eſt ſeculum poſt mortem, cum anima ſeparata eſt à corpore, in quo neque comedunt, neque bibunt, neque Veneri operantur.* Scholia ſuper lib. Aboth, *In ſeculo animarum non eſt cibus neque potus; ſed juſti ſedent, & corona ipſorum ſuper capita eorum.* Idem judicium de ſeculo quod poſt reſurrectionem. Nam utrumque *ſeculum futurum*, vel, ſi mavis, *venturum*, dicitur, Ebraice העולם הבא.

32. *Ego ſum Deus Abraham*, &c.] Simile argumentum eſt Levit. 18. 2. in Abenezra, *Nam ideo*, inquit, *dicit*, EGO ERO DOMINUS DEUS VESTER, *ut oſtendat ipſos victuros in utroque ſeculo.* Vide, ſi placet. Nam locus eſt inſignis: & mihi non vacat nunc eum inſpicere, nedum vertere.

37. *Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*] Cor intelligit, Anima concupiſcit: Unde quidam per *cor* intelligunt hoc loco ſcientiam & intellectum; per *animam* vero, vim concupiſcendi. Aliis contra, Anima eſt qua intelligimus ut ibi, *Erit anima domini mei ligata in faſciculo viventium*; & Cor quo concupiſcimus, ut in illo, *Deſiderium cordis ejus dediſti ei*: & alibi, *Ne concupiſcas pulchritudinem ejus in corde tuo.* Alii aliter hæc enarrant. Vide Gerundenſem in Pentateuchum, fol. 294. pag. 2. In Græco codice eſt, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ *in toto corde tuo.* Sic etiam Ebræi loquuntur בכל לבך. Plautus Captiveis, *perſequarque corde & animo atque viribus. Corde*, ἐν τῇ καρδίᾳ, *animo*, ἐν τῇ ψυχῇ, (nam *animum* pro *anima* poſuit) *atque viribus*: Lucas dixit 10. 27. ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος *ex totis viribus tuis.* Veritas Ebraica בכל מאדך *in omnibus viribus tuis.* Unde liquet *in* non male reddi per *ex* in hoc quidem ſermone.

39. *Secundum autem ſimile huic*] Quia magnum & univerſale. In comment. ſuper lib. Aboth, cap. 3. DILIGES PROXIMUM TUUM UT TEIPSUM, *univerſale eſt totius Legis, quemadmodum invenitur in tractatu De ſabbatho de Hillele, qui docebat totam Legem per univerſale unum*, DILIGE PROXIMUM TUUM, &c. Autor libri Muſar, cap. 18. *Gentilis quidam venit coram Sammai ſene, dixit ei, Fac me proſelytum, ea conditione ut me docem Legem per pedem ſive univerſale unum. Repulit eum regula ædificii, qua in manu ejus. Venit coram Hillele ſene, qui eum fecit proſelytum: nam docebat eum Legem per pedem ſive univerſale unum*, DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM. Idem in cap. eodem, *Qui amat creaturas ac ſi ſtabiliret Legem univerſam*, &, *Diliges proximum*, &c. *Dicit R. Aquiba, Hoc eſt univerſale magnum in Lege.* Rurſum comment. in Aboth, *Pius ſtabilit illud*, DILIGES PROXIMUM, &c. *quod eſt univerſale magnum in Lege: nam qui hoc facit, ſtabilit Legem totam quanta quanta eſt*: & alibi, *Qui amat pacem, amat creaturas, ſicut ſcriptum eſt*, DILIGES PROXIMUM TUUM UT TEIPSUM, *quod eſt univerſale magnum in Lege. Quicunque vero amat ſocium ſuum, non peccat contra eum in ulla re.*

43. *David in ſpiritu*] Marc. 12. 36. *in Spiritu ſancto.* Vide quæ ſcripſimus ad illum locum. Vide etiam quæ notata mihi Matth. 3. 17. ubi de quatuor Prophetiæ gradibus, quorum ſecundus eſt Spiritus ſanctus; Cujus inſpiratu David librum ſuum compoſuit, qui propterea inter Hagiographos recenſetur, utpote ſcriptus בוח הקדש *per Spiritum ſanctum.* R. D. præfat. in lib. Pſalm. *Dicunt in Spiritu ſancto dictum eſſe hunc librum: ideo poſuerunt eum in ordine Hagiographorum,* &

& non in ordine Prophetarum. Nam non dicta sicut verba ipsius nisi per Spiritum sanctum. Vide quæ sequuntur.

44 *Dixit Dominus Domino meo*] Prius scribi debet characteribus majusculis DOMINUS, & posterius *domino meo*, littera etiam principe minuscula. Nam est hic nomen commune אדני *Adons*, non cognomen אדני *Adonai*, quod scribi solet ab interpretibus *Dominus*. Etiam אדני, quando (-) habet sub Nun, commune nomen est & profanum, quod vocant נסתר. Hoc argumentum Christi eludit R. D. in Responsionibus quibus respondit Christianis ad hunc Psalmum. Quomodo? *Legunt*, inquit, אדני *cum* (.) *sub Nun*. Falsum, falsum: & tu, Grammatice, nisi recutitus esses, ad hæc tam inepte non respondisses.

CASAUBONUS.

12. Ὁ δὲ ἐφιμώθη] Eleganter in his libris φιμοῦσθαι, quod proprie de jumentis capistratis dicitur, pro *obmutescere* ponitur aliquot locis. In Gl. exponitur *obmutesco & commutesco*: &, φιμῶ, *compesco*, ut infra v. 33.

35. Καὶ ἐπηρώτησεν εἷς ἐξ αὐτῶν νομικὸς, πειράζων αὐτὸν] Notat Theophylactus, hunc νομικὸν primum quidem animo maligno ad Christum accessisse, ut eum πειράσειεν, sed oratione Christi ita profecisse ut discedens à Christo honestum tulerit elogium, teste Marco, qui referat ἐπ᾽ ἐμβλέψας αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ἠγάπησεν αὐτὸν. Sed fallitur Theophylactus. Nam ille locus Marci 10. 21. nihil ad eum pertinet de quo hic agitur & Marc. 12. 28. Atque hoc μνημειῶδες ἁμάρτημα placuit obiter indicare.

39. Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον ζε ὡς σεαυτόν] Paulus quoties hunc locum profert scribit ἑαυτόν pro σεαυτόν· quod est elegantius.

40. Ἐν ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται] Quod Matthæus verbo κρέμανται significare voluit, Paulus Rom. 13. 9. verbo ἀνακεφαλαιοῦσθαι aptissime expressit, Τὸ γάρ, Οὐ μοιχεύσεις, Οὐ φονεύσεις, Οὐ κλέψεις, Οὐ ψευδομαρτυρήσεις, Οὐκ ἐπιθυμήσεις, καὶ εἴ τις ἑτέρα ἐντολὴ, ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιοῦται, ἐν τῷ, Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον ζε ὡς ἑαυτόν. Utiturque ea voce Aristoteles quodam loco non dissimiliter, docens omnes virtutes τῇ καλοκαγαθίᾳ comprehendi. Et in Metaphys. lib. 4. Τρόπον γὰρ τὸν αὐτὸν ἀριθμὸς εἶναι πολλοὶ κεφαλαιωθεὶς ἓν καὶ ἕτερος, ἐπάγεται. Idem Paulus πληροῦσθαι pro eodem dixit, Galat. 5. 14. Ὁ γὰρ πᾶς νόμος ἐν ἑνὶ λόγῳ πληροῦται, ἐν τῷ, Ἀγαπήσεις, &c. Porro in voce κρέμανται merum λαϊσμὸν inesse puto, sine ulla allusione ad τὸ φυλακτήριον.

CAMERO.

23. Προσῆλθον αὐτῷ Σαδδουκαῖοι] Sadducæi diversa à Pharisæis & Essenis secta fuere. Tradunt nempe Judæi Antigonum socerum Simeonis Justi, qui initio temporum Templi secundi vixit (fuit autem hic Antigonus haud dubie חסיד seu פרוש, orthodoxus tamen, ut videtur) discipulos sic instituisse, *Ne situ tanquam servi qui Domino serviunt ea conditione ut accipiant mercedem, sed situ tanquam servi qui Domino serviunt acsi accepturi non essent mercedem, & sit metus cælorum* (h. e. *Dei*) *super vos.* Unde duo ex ejus discipulis, quorum alteri nomen fuit פרץ, alteri פורע, h.e. βοηθὸς, occasionem ceperunt nefarii dogmatis, ut statuerent animam una cum corpore interire, neque ullam esse præter eam quæ obvenit in hac vita bonorum operum mercedem; quasi vero ex eo quod pii viri officium est Deum colere non mercenarii sed filii animo, sequeretur post hanc vitam nullam esse spem reliquam.

35. Εἷς ἐξ αὐτῶν νομικὸς] *Scribæ* γραμματεῖς & *Legisperiti* νομικοὶ nomina videntur fuisse munerum, non vero sectæ, quales erant *Pharisæi*, à quibus isti propterea distinguuntur. Cæterum quæri solet à viris doctis fuerintne iidem *Scribæ* & νομικοὶ, an vero diversi. Et plerique omnes eosdem fuisse existimant, quod difficile sit horum discrimen ostendere, si nominum habeatur ratio: nam *Scribæ* Legis erant interpretes, quos Hebræi סופרים vocant. γραμματεῖς Græci: & νομικοὶ haud dubie Legis itidem interpretes fuere, νομικοὶ dicti ἀπὸ τοῦ νόμου, quomodo γραμματεῖς dicuntur ἀπὸ τῶν γραμμάτων. Certum tamen est Christum Luc. 11. 45. *Scribas* & *Pharisæos* à *Legisperitis* sive νομικοῖς distinxisse: nam cum Pharisæis & Scribis horrendum *Væ* denunciasset, subdit, κ. ὑμῖν τοῖς νομικοῖς καί, ubi illud κ. emphasim habet. Præterea cum increpuisset Scribas & Phansæos, respondit quidam è Legisperitis, *Magister, hæc dicens nobis etiam facis contumeliam*, ubi notandum illud *etiam nobis*, q. d. non modo Scribis & Pharisæis, sed nobis etiam; quæ verba nihili forent nisi Legisperiti alii essent, alii Scribæ. Nobis quidem ita videtur; *Scribæ* fuerunt Legis interpretes, sed qui publice in Synagogis Legem interpretabantur, qui fungebantur munere Ecclesiastico; Νομικοὶ vero ii videntur fuisse quos Hebræi חכמים *Sapientes* vocant, qui Legem quidem interpretabantur, sed in Scholis, privatim: quod videtur posse colligi ex verbis Christi v. 52. *Væ vobis Legisperitis, quia sustulistis clavem scientiæ.* Nam olim insigne Doctoratus apud Judæos fuit *Clavis cum Pugillaribus.* Itaque de quodam R. Samuele scripserunt, *eo mortuo clavem ejus & pugillares in loculo fuisse reconditos, eo quod filium non habuerit.*

39. Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον ζε ὡς σεαυτόν] h. e. *Amoris tui erga proximum mensura esto tu ipse. Singulos sic dilige quomodo tu ab iis diligi velles si esses eorum loco.* Alioqui si sic intelligas illud dictum, ut alios omnes eodem amore prosequamur quo nos ipsos prosequimur, sequeretur nullos esse amoris & charitatis gradus, omnes debere plane eodem amoris gradu diligi, cum amor quo ipsi nos prosequimur unus sit. Prior illa interpretatio videtur confirmari ex eo quod Rom. 13. 10. Apostolus inde colligit *charitatem esse legis complementum, quod illa neminem malo afficit.* Nam nihil inferre mali proximo est eum eodem modo tractare quo te velis tractari ab eo si ejus sis loco.

GUALTPERIUS.

4. Οἱ ταῦροι] *Tauri.* Vox Græca, sæpe apud Homerum; qui addit quandoque apud vocem βοὸς, ut Iliad. ε.

ταύρειο βοὸς μεγάλοιο βοείην.

i. e. *ingentis tauri pellem.* Animal θυμικώτατον, ac inprimis colore puniceo magis ferum. De natura Taurorum vide Aristotelem, Ælianum, Oppianum, Plinium. Apud Syrum habetur תורי *Thorai*. Chaldæis enim & Syris תור *Tor*, & תורא *Taira*, idem est quod Hebræis שור SCHOR, i.e. *Bos, Taurus.* Sic & פר *Par* Hebræis *Juvencus* est, *filius bovis*: unde Germanicum ein Farr &c.

19. Ἐπιδείξατέ μοι τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου] Syrus in versu 17. posterius membrum omittit, quod ex Græco exemplari restituendum est, videlicet, ἔξεστι δοῦναι κῆνσον Καίσαρι, ἢ οὔ; *licetne censum dare Cæsari, an non?* i. e. *Licetne dare capitationem Cæsari, necne?* κῆνσος enim seu *census* accipitur apud Syrum pro *capitatione* seu *pecunia indicta in singula capita quæ mandato Cæsaris fuerant recensita & descriptione comprehensa.* Atque hæc capitatio, Dione teste, ab Augusto duobus modis fuit instituta, nempe in patresfamilias vel domos singulas, & in personas vel capita singularia quæque. Νόμισμα Græca vox est, ἀπὸ τοῦ νόμου, *a lege*: ex quo fit νομίζομαι, νεομηνία, νόμισμα. Latini *Numisma* vocant, vel *Nummum*, itemque *monetam.* Alias generaliter *morem receptum* significat, τὸ νενομισμένον ἔθος, & *quod lege sancitum est*, ut νόμισμα βασιλέως *edictum Regis* Esdr. 2. Cur vero appellationem istam Nummus habeat, docet Aristoteles l. 5. Ethicor. c. 8. secundum distinctionem Zungeri, εἶναι δὲ ὑπάλλαγμα τὸ χρείας τὸ νόμισμα γέγονε κατ᾽ ἐπινοίαν· καὶ διὰ τοῦτο τοῦνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστί, καὶ ἐφ᾽ ἡμῖν μεταβαλεῖν καὶ ποιῆσαι ἄχρηστον, i.e. *Indigentiæ loco ex hominum quasi compacto & convento quodammodo successit Nummus; atque ob hanc causam νόμισμα vocatur à Græcis,* ἀπὸ τοῦ νόμου, i.e. *à lege, quia non natura sed lege valeat, sitque in nobis situm eum immutare, inutilemque reddere.* ¶ Προσήνεγκαν αὐτῷ δηνάριον] De Denario supra in monetarum genere, c. 17. Hic autem Denarius Sanctuarii intelligitur, duobus vulgaribus æquivalens, i. e. didrachmum. Nam publicani per vulgares Denarios numerabant, Sacerdotes vero per duplares, i. e. didrachmum. Qui nummus cum jamdiu à Judæis in res sacras numeratus esset & paulo ante à Cæsare in rem suam interversus, sperabant quadruplatores fore ut aperte Christus non Cæsaris sed Dei esse affirmaret, Herodianis testibus. Sed utrumque solvebat Christus commodissime, dicendo, *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ Dei sunt, Deo.*

21. Ἀπόδοτε οὖν τὰ Καίσαρος, Καίσαρι] Vocem *Cæsaris* Latinam esse omnes intelligunt. Fuit autem hæc, ut & multæ aliæ, una cum Imperio Romano in populum Judaicum invecta. Quam ob causam & Syrus eandem retinet דקסר לקסר *dekesar lekesar.* Est autem קסר vel קסר Hebræis מלך MELECH, *Imperator, Cæsar*; Græcis αὐτοκράτωρ, quæ vox primo significat *eum qui suo ipse arbitrio, seu pro suo arbitratu, & quasi pro eo quod obtinet imperio, de re aliqua statuit*; vel, secundum Budæum, *qui liberam habet plenamque rei constituendæ potestatem.*

Deinde pro *Imperatore* ſeu *Cæſare* uſurpatur; in qua ſignificatione putant poſterioribus tantum ſeculis in uſu fuiſſe. Ita Lucianus αὐτοκράτορα appellat quem nominarat σεβαστὸν, alii Αὔγουστον, *Auguſtum*. Plutarchus utramque vocem conjungit in præfat. Apoph. ὦ μέγιστε αὐτοκράτορ, Καῖσαρ Τραϊανέ, *O maxime Imperator, Cæſar Trajane*. Guido addit *inde dicti* קסר *&* קיסר CÆSAREAM *urbem Paleſtinæ, qua primum dicta fuerit Turris Stratonis, deinde vero in honorem Cæſaris ab Herode appellata* CÆSAREA, *Actor.* 10, & 21.

JAC. CAPPELLUS.

2. *Simile eſt regnum cœlorum cuidam regi*, &c.] Non abſimiles parabolas habemus apud veteriſſimum Judæum authorem רות in Genel. § 41. *Simile* id eſt, *regi qui miſit mandatum ſuum in provinciam. Quid illi fecerunt provinciales? Suſtulerunt illud, & lacerarent illud, & igne combuſſerunt illud.* Et paulo poſt, *Provincia, qua debebat tributum regi, miſit rex quæſtores ſuos ad exigendum illud. Quid fecerunt illi filii provinciæ illius? Suſtulerunt illum, & percuſſerunt illum, & poſtea dixerunt, Va nobis, cum hæc reſciverit rex. Quod cogitabat nobis facere fecimus illi.* Et paulo poſt, *Simile* iſtud eſt *regi vineam habenti, & adunati ſunt adverſus illum tres hoſtes, prior decerpſit racemos, ſecundus amputavit uvas, tertius eradicavit vineam. Sic Pharao, Omnem filium qui natus fuerit in fluvium abjicite. Nabuchodonoſor fabros & opifices abduxit. Haman cogitavit de vinea ſtirpitus avellenda.* Hujuſmodi parabolas complures habet author ille, unde colligimus hanc docendi rationem apud Judæos fuiſſe tralatitiam, eoque ἐξ συγκαταβάσεως à Chriſto uſurpatur.

LUD. CAPPELLUS.

30. SED *erant ſicut Angeli Dei in cœlo*] Similitudinem iſtam piorum cum Angelis non eſſe ulterius trahendam quam ad id quod in reſurrectione pii opus non habebunt cibo, potu, nuptiis, &c. docet ratio, docent Theologi. Phraſi autem iſta id ſignificari liquet ex Judæorum ſcriptis. Nam in Rabboth, Paraſcha ultima Deuteronomii, in illud quod Moſes cap. 33. 1. dicitur איש האלהים mire nugantur, ſeque torquent, variaſque adferunt hujus Epitheti rationes & interpretationes inſulſiſſimas, (nempe nolunt האלהים iſthic eſſe genitivi caſus, ut איש האלהים ſit *Vir Dei*, ſed volunt eſſe nominativi caſus, ut ſit *Vir-Deus* θεάνθρωπος, vel potius *Homo-Angelus*) inter alias autem hanc adferunt, *Qua hora*, inquiunt, *Moſes aſcendit in montem* (לקדש) *Sinai ad Deum, fuit* כמה אלהים *quaſi Angelus* שהיו מלאכים אוכלין ושותין *Angeli enim neque comedunt neque bibunt; ſic & ipſe tum temporis neque comedit neque bibit. Scriptum eſt enim de eo, Et fuit iſthic cum Deo quadraginta dies*, &c. Exod. 34. 28.

GROTIUS.

2. Γάμους, *nuptias*] γάμοι hic ſunt non ipſum *matrimonium*, ſed *convivium*, ut vertit Syrus; quod mox dicitur *prandium*, alibi *cœna*: ut & *cœnam nuptialem* Plautus dixit: quomodo & *nuptiarum* vox Terentio atque aliis uſurpatur. Sicut autem *Regnum cœleſte*, ut ſæpe jam vidimus, modo ſtatum Regni Meſſiæ in hoc ſeculo ſignificat, modo ſtatum futuri ſeculi, quia ille hujus quoddam eſt σκίαγραμμα [*geſtus*], ita & *nuptiali convivio* alibi felicitas illa quæ Reſurrectionem generalem ſequetur, hic vero dona piorum cœtui deſtinata ſignificantur. Dubitandum autem non eſt quin Chriſtus eaſdem comparationes diverſis temporibus recitaverit. Ita hanc alibi quoque uſurpatam nunc ita repetit ut hominum quos compellabat rationem habens, peculiaria quædam ipſos præcipue tangentia cumuli vice adjungat.

3. καλέσαι τοὺς κεκλημένους, *vocare invitatos*] Nam bis vocare moris erat, ut ad Lucam notabimus. Hi autem κεκλημένοι [*vocati*] ſunt Judæi, federatus Deo populus, quibus adventus Regni Meſſiæ multo ante per Prophetas, poſtremo per Johannem, Chriſtumque ipſum & ejus Apoſtolos eſt annuntiatus, ut ſe per pœnitentiam ei Regno præpararent.

4. Πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους, *iterum miſit alios*] Invitatio apertior facta per Apoſtolos tum veteres, tum alios illis additos eorumque adjutores, poſtquam Chriſto reſuſcitato, in cœlum evecto, & Spiritu deſuper miſſo, nihil ultra Divinæ liberalitatis non dicam requiri ſed nec optari poterat. ¶ τὰ ἄριστά, *altilia*] In quo genere erant vituli, μόσχοι σιτιστοὶ [*vituli ſaginati*] non Athenæo tantum, ſed & Lucæ xv, 23. & in Græco Jerem. xlvi, 21. & cortis aves. His *altilium*, illis *ſaginatorum* vox ex uſu Latino rectius convenit. ¶ πεφονεύμενα, *occiſa ſunt*] Θύειν & σφάττειν diſtinguunt Grammatici, ut σφάττειν [*occidere*] ſit quavis de cauſa, θύειν autem ὅταν τιμῆς θεοῦ [*occidere in honorem Dei*]. Sed ut alias voces ita & hanc uſus extra originis ſuæ naturam produxit. Manifeſtum id eſt Johannis x, 10. Sic & Latinum *macture* in ſacris natum ad alia extendi cœpit.

5. ἀπῆλθον, ὁ μὲν εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν, *abierunt alius in villam ſuam*] Caducarum rerum ſtudio beneficia æterna poſthabuerunt.

6. ὕβρισαν, *contumeliis affectos*] Ut Petrum & Johannem, Paulum quoque non ſemel. ¶ ἀπέκτειναν· *occiderunt*] Ut Stephanum & Jacobos duos.

7. τὰ στρατεύματα αὐτοῦ, *exercitibus ſuis*] Τὰ στρατεύματα, Angelos, ut 1 Reg. xxii, 19, 11 Paral. xviii, 18. Luc. ii, 13. Angelorum autem miniſterio Deus & Regna & naturam inferiorem gubernat; ac proinde per eos immittit bella, famem & peſtilentiam: quæ omnia uno velut impetu in Hieroſolymorum urbem detonuerunt.

8. οὐκ ἦσαν ἄξιοι, *non fuerunt digni*] Λοιπὸν [*minus dictum*], pro eo quod dicendum alioqui erat μᾶλλον ἦσαν ἀνάξιοι [*valde erant indigni*]. Sic Actor. xiii, 46. ubi conſummati hujus vaticinii habemus exemplum, οὐκ ἀξίους κρίνετε ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς [*non judicatis vosmetipſos dignos vita æterna*], id eſt, *vos ipſos vita æterna indignos reipſa oſtenditis*, ſermonem vivificum contumaciter repudiando. Pares locutiones Proverbiorum x, 2. xii, 3. xvii, 21. 1 Corinth. xvi, 22. & alibi.

9. Πορεύεσθε οὖν ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν, *Ite ergo ad exitus viarum*] Admirabilis Dei ſapientia ſuæ in Gentes profanas bonitatis oſtendendæ occaſionem arripuit ex Judæorum malitia. Etſamſi Judæi feciſſent officium, nullam tamen habebant cauſam de Deo querendi, ſi benignitatis ſuæ etiam Gentes feciſſet participes, quod filiorum duorum, alterius frugi, alterius ἀσώτου [*prodigi*] fabella docet, & ſupra etiam ex vinitorum comparatione intelligi potuit. Sed ut omnem περίφασιν [*prætextum*] Judaicæ invidentiæ Deus adimeret, ipſos primum, nec perfunctorie, ſed crebro invitari ad dogma Euangelicum voluit; ipſis autem beneficium recuſantibus, tranſiri ad Gentes: idem eſſe volens & bonitatis ſuæ erga omne humanum genus certiſſimum teſtimonium, & pertinaciæ Hebraicæ pœnam. Ita Paulus jam dicto loco, *Quando vobis non libet*, inquit, *audire, ad Gentes vertimur*: qui & in epiſtola ad Romanos Divinum hoc conſilium magnifice explicat, dicens *Judæorum crimen factum eſſe mundi opulentiam.* Διέξοδοι ſunt תחנות הדרך *via extra urbem ducentes.* Nam ita Hebræum illud vertunt Aquila, Symmachus, Theodotion Ezech. xlviii, 30. Hæc διέξοδοι [hi *exitus viarum*] ſignificant hoc loco varias Philoſophorum opiniones, & diverſos ſuperſtitionum ritus, in quos nationes, relictis viis ab Adamo & Noa traditis, deflexerant. *Præcedentibus* enim *ſeculis permiſerat Deus gentes ſuas quamque vias* qua luberet *inſiſtere*, Actorum xiv, 16. non miſſis ſcilicet ad eos Prophetis, ut ad gentem Judæorum facere ſolebat, cum alioqui naturalibus illos teſtimoniis quotidie conveniret, nec clauſus illis eſſet aditus majoris profectus, præſertim ex quo Judæorum multiplex διασπορὰ [*diſperſio*] orbem impleverat, & Divina Lex Græco ſermone legebatur. ¶ ὅσους ἂν εὕρητε, *quoſcunque inveneritis*] A generali beneficio Deus neminem voluit ullo præjudicio excluſum.

10. πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς· *malos & bonos*] Erat quidem inter Gentiles ante invitationem Euangelicam diſcrimen aliquod: nam alii laxatis habenis vagabantur, alii paulo propius ſequebantur ductum rationis. Sed cum omnes ad falſorum deorum cultus, adde & inanis gloriæ ſtudium, deflexiſſent, noluit Deus ejus diſcriminis haberi rationem, ſed omnes, ut graviter ſontes, una veniæ formula complexus eſt: quo magis appareret mere gratuiti favoris eſſe hoc donum, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος [*non ex operibus, ſed ex vocante*]. Bene notat Theophylactos ἀγαθοὺς [*bonos*] intelligendos comparate. Nam quod minus malum eſt *bonum* vocari ſolet populariter. ¶ ὁ γάμος, *nuptiæ*] Ita plerique codices: nec aliter legerunt Origenes & Theophylactus: unde quod alii habent νυμφὼν [*locus nuptialis*] ex interpretamento credendum eſt veniſſe, quod tamen ſequitur Syrus, ſive quod ita legit, ſive quod ſenſum reddere voluit apertiorem.

11. ἔνδυμα γάμου· *veſte nuptiali*] Γαμικὴν χλανίδα [*amiculum nuptiale*] dixit Ariſtophanes Avibus. Veſtis hæc eſt *ambulatio digna vocatione*, Epheſior. iv, 1. opera quæ *rectam*

efficiunt

efficiunt vocationem, 11 Petri I, 10. Nam & in Apocalypſi veſtis byſſina nuptialis, explicatur τὰ δικαιώματα τῶν ἁγίων [*juſtificationes ſanctorum*], ubi δικαιώματα ſunt ipſa opera obedientiam noſtram teſtantia, ut Lucæ I, 6. Romanorum II, 26. Eadem ἱμάτια λευκὰ [*veſtimenta alba*] dicuntur in eadem Apocal. III, 18. Atque ita veteres magno conſenſu ad hunc locum. Simili tralatione verbum *indui* de virtutibus uſurpatum legimus Coloſſ. III, 12. & alibi.

12. Ἑταῖρε, *Amice*] De hac compellatione egimus ſupra ad XX, 13. ¶ ἐφιμώθη· *obmutuit*] Oſtenditur τὸ ἀναπολόγητον [*excuſationis defectus*]· ſicut mox *ligatio manuum & pedum* notat τὸ ἄμαχον καὶ τὸ ἀφυκτὸν [*inexpugnabilitatem & inevitabilitatem*] irrogati Divinitus ſupplicii.

13. εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· *in tenebras exteriores*] Chriſtus compendio quodam id quod eſt ultimum τῆς ἀντιπαδόσεως [*retributionis*] cum ipſa comparatione continuat, quia inde facile eſt intellectu quomodo ſupplenda ſint cætera. De his tenebris actum ſupra VIII, 12.

14. Πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*] Habuimus hanc γνώμην [*ſententiam*] ſupra obſcurius poſitam, quæ hic apertiſſimum habet ſenſum: Judæi (de his enim agitur) vocati ſunt omnes, qui ſunt numero multi; ſed alii ad caduca verſi monita ſprevere, alii inſuper male tractarunt monitores, nonnulli fidem profeſſi non oſtenderunt piis operibus fidei ſinceritatem & vigorem. Igitur parvum duntaxat καταλειμμα [*reliquum*] Deo probatum per docilitatis, fidei & dilectionis teſtimonia, accepit dona Spiritus Sancti & in poſterum accipiet rem ipſam, cujus arrha eſt Spiritus.

15. οἱ Φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον, *Phariſæi conſilium inierunt*] Cum publica auctoritas nihil profeciſſet, ſecta Phariſaica privatas molitiones adhibet, ut ſupra XII, 14. ubi quæ diximus vide. ¶ ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ, *ut caperent eum in ſermone*] Id eſt, ut aliquid ab ipſo elicerent cujus obtentu accuſari poſſet rerum novatarum apud Romanum Præſidem: nam alioqui nulla ſpes erat illum interficiendi. ita interpretandum ex Luca.

16. σὺν μαθηταῖς αὐτῶν, *diſcipulos ſuos*] Phariſæorum quidam Judam Gaulonitem ſecuti ſentiebant nefas eſſe agnoſcere poteſtatem à Lege Divina extraneam. Ita enim interpretandum puto quod de illis dicit Joſephus, μόνον ἡγεμόνα καὶ δεσπότην τὸν Θεὸν ἀναλιφθαι [*ſolum Ducem & Dominum Deum agnoſcunt*], nempe quod illud, *Uni Deo ſervies*, ita intelligi voluerint, non quaſi cum quovis imperio ſummo, puta Saulis, Davidis, Solomonis pugnaret, ſed quaſi adverſaretur hoc ipſum imperiis profanarum Poteſtatum; ſicut in Deut. XVII, 15. ſcriptum eſt, *Non præficies tibi virum extraneum, ſed qui de fratribus tuis ſit.* Neque nova erat hæc ſententia, ſed, ni fallor, ab Aſidæis Maccabaicorum temporum profecta; imo antiquior: nam idem ſenſiſſe videntur qui in Chaldaico obſidio deditionem tam præfracte recuſabant, cum quorum pertinacia certandum habuit Jeremias. Et ſicut illis temporibus illa opinio cauſa fuit magnorum malorum, ut Jeremias docuit: ita recte de ſua ætate Joſephus notat nullum poſſe malum excogitari cui iſtud dogma cauſam non dederit. Longe autem eſt aliud ſponte in ſe externum jugum accerſere, aliud vitæ ſervandæ cauſa ſubire ſervitutem, aut jam impoſitam pati, ut Daniel fecit ſocique ipſius, quam ſcilicet nunquam illi populo Deus immiſſurus fuerat niſi in pœnam gravium peccatorum. Græcorum & Romanorum nonnulli exiſtimarunt ſervitutem vel certa morte redimendam. At aliud per Jeremiam nos docet ipſa Veritas: nam vitæ mora, quæ ſpatium dat pœnitentiæ, inter bona corporis primum haberi debet, & fundamentum aliorum bonorum ad corpus pertinentium. ſervitus autem illa externa ad corpus non ad animum pertinet. Bionis eſt, Οἱ ἀγαθοὶ οἰκέται, ἐλεύθεροι· οἱ δὲ πονηροὶ ἐλεύθεροι, δοῦλοι ἐπιθυμιῶν [*Boni ſervi ſunt liberi; at liberi homines mali, ſervi ſunt cupiditatum*]· & Euripidis iſtud,

> Δοῦλον γὰρ ἐσθλὸν τὔνομ' οὐ ῥᾳδίως
> Πολλοὶ δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν ἐλευθέρων.
>
> [*Obſtare ſervo nomen haud æquum eſt, probo:*
> *Eſt quando virtus famula ſuperat liberos.*]

Ejuſdem & hoc,

> Πολλοῖσι δοῦλος τὔνομ' αἰσχρὸν· ἡ δὲ φρὴν
> Τῶν ἐν δόμοις δούλων ἐς ἐλευθερωτέρα.
>
> [*Infame ſervis nomen eſt, mens interim*
> *Cum liberis ſit ſæpe liberalior.*]

Quod ſi illa etiam domeſtica ſervitus animi virtutem non impedit, quanto minus publica illa, quæ ſæpe ne ſervitus quidem eſt? Seneca Brutum eo nomine culpat quod exiſtimaverit ſub unius imperio libertatem eſſe non poſſe. Quæ omnia locum habere poterant etiamſi ſtante Republica Judæi in gravi periculo conſtituti conſultandum habuiſſent libertas an pax placeret, &, ut Cicero hanc quæſtionem ponit, εἰ παντὶ τρόπῳ περιστατέον κατάλυσιν πραγματικὴν, κἂν μέλλῃ ἡ ἀρχὴ τῶν ὅλων ἡ πόλις περιδυσέσθαι [*an omni modo laborandum ut diſſolvatur dominatio, etiamſi ob eam rem periclitatura ſit civitas tota*]. At vero ſemel facta deditione, quæ ſupererat conſultatio? Nam quæ belli neceſſitate adducti promittimus fidem obſtringunt: niſi enim id eſſet periret tota fœderum ſanctitas. Acceſſerat deinde longi temporis poſſeſſio, quam movere velle ſemper iniquum eſt in publicis rebus. Bene adverſus iſtos ζηλωτὰς [*zelotas*] diſputans Agrippa apud Joſephum ita loquitur, Ἀλλὰ μὴν νῦν ἐλευθερίας ὑπὲρ ἡμῶν ἄκαιρον, εἴπερ ὑμεῖς ἢ μηδὲ ἐπιβαλεῖν αὐτῇ ἀγωνίζεσθαι προῆκον· ἢ γὰρ πρὸ τῆς δουλείας χαλεπὴ, καὶ οὐδὲ ἢ μηδὲ ἀξιοῦσθαι τούτου ὁ ἀγὼν δίκαιος· ὁ δ' ἅπαξ χειρωθεὶς, ἐπιτῆδες ἀφισάμενος, ἀνυπεύθυνος δοῦλός ἐστιν, οὐ φιλελευθερῶν [*Intempeſtivum eſt nunc libertatem appetere, cum oportuerit de eo, ne ea amitteretur, certaſſe olim: dura enim ſervitutis experientia, & juſtum certamen ne ejus initium ſit. At ſemel victum ſi deficit, non libertatis eſt amans, ſed ſervus petulans*]. Quem ſecutus Joſephus ipſe obſeſſos Hieroſolymitas hunc in modum eſt affatus, Εἰ γὰρ δὴ ἢ πολεμεῖν ὑμῖν ἐλευθερίας ἦν καλὸν, χρῆναι τὸ πρῶτον· τὸ δ' ἅπαξ ὑποπεσόντας καὶ μακροῖς ἤδη χρόνοις ὑπείξαντας ἄνωθεν δουλεύεσθαι τῷ ζυγῷ, δυσβουλίαν τινὰ, καὶ φιλελευθέρων ἴσως [*Quod ſi & pulchrum pro libertate bellare, id olim factum oportuit. At cum ſemel ſuccubitum eſt, multiſque temporibus conceſſum alteri imperium, velle deinde excutere jugum, mortem quærentium eſt, non libertatem amantium*]. Cum diverſa ſint regiminum genera, omnia vitiis ſuis, quamquam alia plus, alia minus, obnoxia, bonus ille & vir eſt & civis, ut Auguſtus dicebat, qui rempublicam præſentem mutari non vult: qui ſcilicet, ut cum Tacito loquar, *bonum ac legitimum imperium vero expetit, qualecunque toleret, quomodo ſterilitatem aut nimios imbres & naturæ mala. Ferenda potentum ingenia, neque uſu crebra mutationes.* Sophocles,

> Ἄρχοντές εἰσι· πῶς δ' ἀνεκτέον τί μήν;
> Καὶ δὴ τὰ δεινὰ, καὶ τὰ καρτερώτατα
> Τιμᾶς ἄνευ.
>
> [*Nam Principes ſunt; obſequendum: quippeni?*
> *Cum validæ rerum quæque & invictiſſima*
> *Cedant honori.*]

& quæ ſequuntur. Atque hanc legem videmus ſibi præſcripſiſſe Chriſtianos veteres, ut cuivis imperium nacto fidem atque obedientiam præſtarent, neque ulli ſub ſpecioſis nominibus res novanti accederent. Vide Tertullianum Apologetico. ¶ μετὰ τῶν Ἡρῳδιανῶν, *cum Herodianis*] Herodianos partem fuiſſe Sadducæorum, quomodo Gaulonitici zelotæ pars erant Phariſæorum, ſed peculiaribus opinionibus diſtinctos à cætero ſui nominis grege, ex iis quæ dicta ſunt ad caput XVI, 6. patuit: & res eſt manifeſtior quam ut de ea ambigi debeat. Illud magis videndum, an hi quoque, ut Gaulonitici, ſenſerint recuſanda Cæſaris imperia, an contra. Mihi plane videntur ad Chriſtum allegati qui maxime populares erant & aptiſſimi ad eliciendum à Chriſto reſponſum pro libertate. Diximus Herodianorum dogma natum temporibus Herodis Magni, qui ortu quamvis Idumæus, tamen cum Idumæa facta eſſet Judææ acceſſio, & ipſe Judaiſmum profiteretur, extraneus haberi non poterat. Itaque Herodiani Herodi, quem & Meſſiam dicebant, libenter paruerunt ut Judæo, &, quod Joſephi hiſtoria docet, magno Legis vindici, qui etiamſi quid faceret in Romanorum gratiam ſollicite ſe Judæis excuſabat, ὡς μὴ καθ' αὑτὸν αὐτὸ ἐξ ἐντολῆς καὶ προστάγματος ποιῶν [*tanquam id faceret non ſua ſponte, ſed ex juſſu atque imperio*]. At Hieroſolymis & parte potiore Judææ in provinciæ formulam redacta, parere non jam circumciſo Regi, ſed alienis à Lege Poteſtatibus Herodianorum dogmati non ſatis conſentiebat. Quin & Sadducæi, quorum pars erant Herodiani, magni faciebant Reipublicæ libertatem. Nam hoc inter cætera argumento conabantur evincere, nulla eſſe poſt hanc vitam præmia credita à majoribus, quia alioqui nunquam pro libertate toties arma ſumturi fuerant. Neque incredibile eſt Herodis liberos, quamquam palam Cæſari ſerviliter adulabantur, per occultas artes tamen fomenta ſubdidiſſe iſti dogmati, non ſine ſpe fore ut aliquando populi ſtudiis in amiſſam Regni partem reſtituerentur. ¶ ἀληθὴς εἶ, *verax es*] ἀληθὴς [*verax*] hic eſt παῤῥησιαστὴς [*in dicendo liber*], ut in illo Terentii,

Obſequium amicos, veritas odium parit.

¶ τὸν

¶ τὴν ὁδὸν τ̃ Θεοῦ, *viam Dei*] Legem Divinam, præcepta vitæ Deo placentis. ¶ οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός· *& non eſt tibi cura de aliquo*] Nempe quominus ea præcepta fideliter tradas. ¶ οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων· *non enim reſpicis perſonam hominum*] Non captas gratiam aut Cæſaris aut Pontii Pilati, neque eorum potentiam formidas. Nam πρόσωπον [*perſonam* ſive *faciem*] Helleniſtæ Hebræos ſecuti vocant qualitatem hominis quæ in aliis affectus ciere, atque ita eos à veri juſtique reſpectu ſolet abducere. Hinc προσωπολήπτης [*perſonarum accepter*] & προσωπολημπτεῖν [*perſonam accipere*].

17. ἔξεστι, *licet*] *Fas eſt*, ut aliquoties interpretati ſumus. Quæſtionem enim Divini non humani juris movent. ¶ κῆνσον, *cenſum*] Φόρον [*tributum*], ut Lucas loquitur: μετωνυμία [*Tranſnominatio*]· nam ex cenſu tributum pendebatur. *Cenſus* nomen, ut alibi diximus, & ad prædiorum & ad capitum onera refertur, ut videre eſt in Pandectæ Juſtinianeo, titulo De Cenſibus, ubi Cæſareenſibus narratur remiſſum à Veſpaſiano tributum capitis. Ad utrumque cenſum neceſſaria erat ἀπογραφή [*deſcriptio*]. Panegyricus in laudibus Conſtantini, *Septem millia capitum remiſiſti, quartam amplius partem noſtrorum cenſuum.* Ammianus de Juliano Cæſare, *Partes eas* (Galliarum) *ingreſſus pro capitibus ſingulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari, diſcedens vero ſeptenos tantum.* Tertullianus, *Agri tributo onuſti viliores: hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora.* Unde diſcimus provincias Romani Imperii non agrorum tantum pependiſſe tributa, ſed & humanorum capitum, extra colonias, municipia & civitates Italici juris. Judæam, ex quo provinciis accenſa eſt, melioris fuiſſe juris quam Gallias vix credibile eſt. Quare κῆνσον [*cenſum*] ſive φόρον [*tributum*], quanquam poteſt & prædii onus ſignificare, quominus hic tributum in capita non agrorum ſed hominum cum Syro interpretemur, quid obſtet non video. Facit pro hac interpretatione Ulpiani illud quod exſtat lege 111. D. De cenſibus: *In Syriis à quatuordecim anno maſculi, à duodecim femina uſque ad ſexageſimum quintum annum tributo capitis obligamur.* Longe aliud ab hoc Romano tributo eſſe τὸ δίδραχμον [*Didrachmum*] ſupra oſtendimus.

18. Τί με πειράζετε ὑποκριταί; *Quid me tentatis hypocritæ?*] Πειράζειν [*tentare*], ut ante admonuimus, eſt *calumniam alicui ſtruere*: ὑποκριτὰς [*hypocritas* ſive *ſimulatores*] autem vocat quia conſilium crudele non minus quam vafrum obtegebant verbis pietatem præferentibus. Bene Cicero, *Totius injuſtitiæ nulla capitalior eſt quam eorum qui tum cum maxime fallunt, id agunt ut viri boni eſſe videantur.*

19. τὸ νόμισμα τ̃ κήνσου· *numiſma cenſus*] Date mihi nummum aliquem ejus monetæ in qua tributum exigi ſolet. In eo autem nummorum genere uſitatiſſimus erat Denarius. Itaque merito à viris doctiſſimis reprehenſus eſt eorum error qui Denarium tributi modum eſſe exiſtimabant.

20. Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή; *Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio?*] Simile apud Arrianum, Τίνα ἔχει χαρακτῆρα τὸ τετράασσον; Τραϊανοῦ [*Cujus figuram habet hic quatuor aſſium nummus? Trajani*]. Sicut legem figere ſignum eſt ſummi imperii, ita & nummum cudere: nam νόμισμα [*numiſma*], ut docet Ariſtoteles, & nomen ſuum & vim ipſam habet ἀπὸ τ̃ νόμου [*à lege*]. Hinc majeſtatis crimininibus accenſetur nummos corrumpere. Nummos autem imperantium vultu ac nomine ſignari Perſicum creditur eſſe inſtitutum: unde *Daricorum* nomen. Huc illud pertinet,

Conciſum argentum in titulos faciesque minutas.

& Philoſtratus in Vita Tyanæi commemorat, δραχμὴν ἀργυρᾶν νενομισμένην εἰς Τιβέριον [*drachmam argenteam cuſam imagine Tiberii*]· *Aureos nummos effigiatos in vultum novi Principis* dixit Ammianus Marcellinus. Ipſe igitur nummus pretium habens ex edicto Cæſaris, Cæſarisque nomen & vultum præferens, teſtabatur Cæſarem ſummum in Judæam imperium reipſa obtinere, idque à Judæis nummo illo utentibus agnoſci. Objici poterat, ipſo quidem facto Romanos Judæis, & Cæſarem Romanis imperaſſe, at nullo jure. Sed Chriſtus oſtendit hoc ad propoſitam quæſtionem nihil pertinere. Nam cum *nec quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi poſſint*, ut loquitur Tacitus, ſequitur, ei 'qui imperat tantiſper dum imperat pendenda tributa, ut pretium communis tutelæ quam præſtat nobis quiſquis eſt publici imperii poſſeſſor. *Propterea*, inquit Paulus, *etiam tributa penditis, nec ſola pœna formidine* ſed juris & æqui reſpectu, quia Poteſtatum præſidio tuti eſtis à vi atque injuria. Certum autem eſt ab omnibus Poteſtatibus hoc ipſum, etſi non ea qua oportet æquitate ac diligentia, ſæpe etiam ita ut ipſæ à vi atque injuriis non abſtineant, aliquatenus tamen præſtari, ita ut ſub illis quam ſine illis vivere multo ſit tutius: quod ſatis eſt ut tributa præſtari & poſſint & debeant.

21. Ἀπόδοτε, *Reddite*] Tanquam debitum, ut Paulus explicat: nam cum de tributis egiſſet, ſubjicit, ἀπόδοτε οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλάς [*reddite ergo omnibus debita*]. ¶ τὰ τοῦ Θεοῦ Θεῷ· *& quæ ſunt Dei, Deo*] Tributi penſitatio nihil in ſe habet quod Divinæ Legi repugnet. Cæterum ſi quid Cæſar aut alia Poteſtas præcipiat adverſum Legi Divinæ, Deo potius quam hominibus parendum eſt. Ita Chriſtus ſapientiſſimo reſponſo & ſeditionis notæ & violatæ religionis calumniam in quæſtione inſidioſiſſima effugit; ac ſimul tacite ipſos notat qui de rebus ad hoc ſeculum pertinentibus pietatis ſpecie ſolliciti, veræ ſolidæque pietatis officia contemnerent atque etiam violarent. Polycarpi eſt ſententia, Διδαχθημεν ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑπὸ Θεοῦ τεταγμέναις πιμὴν κατὰ τὸ πρέπον τοῖς μὴ βλάπτουσιν ἡμᾶς ὑποτάσσεσθαι [*Didicimus imperiis ac Poteſtatibus à Deo ordinatis ita ut opertet honorem exhibere, qui nos non ladat*].

23. Σαδδουκαῖοι, οἱ λέγοντες, μὴ εἶναι ἀνάστασιν· *Sadducæi, qui dicunt non eſſe Reſurrectionem*] Fundamentum opinionis Sadducaicæ fuit, Nullam ſubſtantiam eſſe extra Deum, præter res ſenſiles. Clare id nos docet Lucas Actorum XXIII, 8. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα [*Sadducæi enim dicunt non eſſe Reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*]· ubi voce πνεύματος [*Spiritus*] intelligendus Divinus ille afflatus quo Prophetas à Deo impulſos rectè credebant Phariſæi. Sadducæi, qui Prophetica ſcripta non recipiebant (niſi forte tanquam humanæ ſapientiæ opera) nullam, ut videtur, admiſerunt ἀποκάλυψιν [*revelationem*] Divinam, niſi per vocem, quomodo Lex erat tradita; cui ſoli obedientiam præſtitiſſe Sadducæos apparet, ni fallor, tum aliis argumentis, tum ex oppoſitione Phariſæorum & Sadducæorum quæ eſt apud Joſephum XIII Originum, XVIII. ubi ait *à Phariſæis multa obſervari ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις* [*quæ non ſcripta ſunt in legibus Moſis*]. quare & quod de Sadducæis ſequitur, ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα [*illa ſervanda leges quæ perſcriptæ ſunt*], intelligendum de iis quæ in Moſis Lege ſunt perſcripta. Magis mirum quomodo Angelos eſſe inficiati fuerint, cum Moſis ſcripta, in quibus toties Angelorum fit mentio, admitterent. Reſpondendum mihi videtur, ſenſiſſe illos, quod Judæorum nonnullos ſua quoque ætate ſenſiſſe Juſtinus affirmat, Angelos fuiſſe ἀτμήτους καὶ ἀχωρίστους Θεοῦ δυνάμεις, ἃς ὁ Θεὸς, ὅταν βούληται, προπέμπει πού, καὶ πάλιν ἀναστέλλει εἰς ἑαυτόν [*individuas & inſeparabiles Dei virtutes, quas Deus ubi vult à ſe facit exſilire, rurſumque in ſe retrahit*]· cui ſententiæ idem ille Martyr hanc veram opponit, εἶναι ἀγγέλους ἀεὶ μένοντας καὶ μὴ ἀναλυομένους [*eſſe Angelos qui ſemper maneant & non diſſolvantur*]. Qui ita de Angelis ſentiebant, eos non mirum eſt ſimiliter ſenſiſſe de animis hominum, non eſſe ſcilicet res tales quæ per ſe poſſent ſubſiſtere, ſed quæ in nihilum redirent corporibus deſtitutæ. Σαδδουκαίων τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι [*Sadducæorum doctrina animas non minus quam corpora exſtinguit*], inquit Joſephus. Et alibi de eiſdem: Ψυχῆς τὴν διαμονὴν καὶ τὰς κατ' ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι [*Permanſionem animarum & apud inferos pœnas & honores tollunt*]. Hieronymus de iiſdem, *Animam putabant interire cum corporibus*; quod & Abrahamo Salmanticenſi notatum. Hinc porro ſequebatur, οὐκ εἶναι ἀνάστασιν [*non eſſe Reſurrectionem*]. Nam ἀνάστασις [*Reſurrectio*] requirit permanſionem animorum. Conſequens item eſt, ut ſpem omnem pietatis repoſitam habuerint in vita præſente. Certum enim habeo errare eos qui ex Joſephi verbis male intellectis Sadducæos Epicureis æquant, quaſi Deo res humanas curæ eſſe negaverint. Nam qui Legem Moſis recipiebant, in qua præclarus eſt locus περὶ ἆθλων καὶ ἐπιτιμίων [*de præmiis & pœnis*], iſtius inſanientis ſapientiæ conſulti eſſe non poterant. Et rectè Hebræi veteres, & inter novos Joſephus Albo, notant Sadducæis agnita præmia Legem ſervantibus, ſed hujus duntaxat vitæ. Ipſe Joſephus adverſus Appionem de Judæis omnibus pronuntiat, Εἷς ἧ λόγος ἅπασι συμφωνος περὶ Θεοῦ, πάντα λέγων ἐκεῖνον ἐφορᾶν [*De Deo omnes in eo conſentiunt, cuncta ab eo ipſpici*]. Sed hoc eſt quod dicit Joſephus, Sadducæos ita in hominis poteſtate ſtatuiſſe boni malique electionem ut nullam ea quidem in re cenſerent intervenire Dei actionem, ferme quomodo Cœleſtius & Pelagius inter Chriſtianos. Sed mendum eſt in Joſepho: ita enim legitur de Sadducæis, Σαδδουκαῖοι ἧ, τὸ δεύτερον τάγμα, τὴν μὲν εἱμαρμένην παντάπασιν ἀναιροῦσι καὶ τ̃ Θεὸν ἔξω τ̃ δρᾶν τὰ κακὰ ἢ ἐφορᾶν τίθενται [*Sadducæi, qui alter eſt ordo, fatum omnino tollunt, Deumque ponunt extra mali patrationem aut inſpectionem*].

nem]. Deum negare inſpectorem humanorum criminum nemo poteſt niſi qui quæ de diluvio, de Sodomis, de Pharaone, exteraque à Moſe conſcripta mendacii velit arguere. Omnino legendum ἐξω δ ὁρᾶν τι κακου ἡ μὴ ὁρᾶν [*extra malis effectum aut abſtinentiam*], hoc eſt, negant ullas in eo eſſe Dei partes ut hominum peccata aut perpetrent aut iiſdem abſtineant. Et hoc ipſum eſt quod ait *tolli ab ipſis fatum: Fatum* enim vocat providentiam non circa ea quæ patimur, ſed circa ea quæ agimus. Verum eſſe quod dico ſequentia evincunt, φασὶ δὲ ἐν ἀνθρώπων ἑκλογῇ τὸ τε καλὸν καὶ τὸ κακὸν σφεκεῖσθαι, καὶ τὴν μὲν γραμμὴν ἑκάστῳ τῶν ἑκατέρῳ ξυμβαίνειν [*ajunt in hominum electione poſitum bonum & malum, & cuique prout velit hoc vel illud adeſſe*]. Quod modo dixerat τὸ κακὸν ὁρᾶν ἢ μὴ ὁρᾶν [*malis effectum aut abſtinentiam*], hic dixit καλὸν καὶ τὸ κακὸν [*bonum & malum*], quorum utrumque Sadducæi æqualiter ponebant in mera hominis poteſtate. Idem intelligere eſt ex oppoſita Phariſæorum ſententia, quam ita exprimit Scriptor diligentiſſimus, Εἱμαρμένῃ τε καὶ Θεῷ συνεργοῦσαν πάντα, καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια καὶ μὴ καὶ τὸ πλεῖστον ὅσον τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι, βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον τῷ εἱμαρμένῳ [*Fato & Deo aptant omnia, & honeſte agere aut non agere magna ex parte in hominibus ſitum, cooperari autem in ſingulis fatum*]. Ait ex Phariſæorum ſententia non omnia ſimpliciter fieri ex fato, ſed fato connexa eſſe & colligata: quod Chaldaïzantes Hebræi ſic exprimunt, כלא ממזלא תלי [*omnia ex fato pendent*]. Ita ut recte aut ſecus agere ſit quidem maxima ex parte penes homines, ſed in utrumque tamen concurrat vis illa providentiæ. Compara his alterum Joſephi locum XIII: Originum, ubi ſententiam Phariſæorum ita explicat, τινὰ καὶ ἡ πεπρωμένη ποιεῖν ἔφησαν· πολλὰ δὲ ἐφ' ἑαυτοῖς ἔχειν ἀνθρώπους, συμβαίνειν τε καὶ μὴ γίνεσθαι [*Aliqua, non omnia, fato fieri; quædam & in nobis poſita, quæ poſſint & non fieri*]. Sadducæi autem, ut ibidem loquitur, τὴν εἱμαρμένην ἀναιροῦσαν οὐδὲν εἶναι παντῶν ἀξιοῦντες, εἶναι καθ' αὑτὸν τὰ ἀνθρώπινα πρᾶγματα λαμβάνειν· ἅπασιν οὖν ἐφ' ἡμῖν αὐτοῖς τίθεντο, ὡς καὶ τῶν ἀγαθῶν αἰτίους ἡμᾶς αὐτοὺς γινομένους, καὶ τὰ χείρω ταῖς ἑαυτῶν ἀβελτερίαις λαμβάνοντας [*fatum tollunt, nihil id eſſe exiſtimantes, neque ſecundum id res humanas exitum conſequi; ſed omnia in nobis ponunt, ita ut nos nobis ipſis cauſa ſimus bonorum, mala quoque per noſtram temeritatem incurramus*]. Quem in modum dicitur etiam Chryſippus ſententiam temperaſſe Stoicorum, quorum ſectam Phariſaicæ ſectæ affinem fuiſſe Joſephus in Vita ſua profitetur. Neque id mirum, cum in Cypro, unde fuerat Zeno, multi ſemper Judæi fuerint. Eandem mixturam Fati & Liberæ voluntatis aliis quoque in locis Joſephus adſcribit ſententiæ Phariſæorum, ut certiſſimum eſſe debeat lapſum Epiphanium in iſtius ſententiæ explicatione, quod recte antehac à viro undequaque doctiſſimo annotatum eſt.

24. μὴ ἔχων τέκνα, *non habens pueros*] *Sine liberis.* Cajus Juriſconſultus, *Non eſt ſine liberis cui vel unus filius unave filia eſt.* Cum filia deficientibus liberis maribus ad hereditatem vocaretur Jure Hebræo, ſequitur Jus τὸ ἑπιγαμβρεύσαι [*leviratus*] tum demum locum habuiſſe ſi nulla proles eſſet relicta. Neque obſtat quod in Hebræo eſt בן [*filius*]. Omnium enim linguarum commune eſt ut maſculina appellatione femininus ſexus comprehendatur. Ideo prudenter interpres hic poſuit τέκνα [*liberos*], & ſtatim μὴ ἔχων σπέρμα [*non habens ſemen*], quomodo זרע [*ſemen*] ponitur Geneſ. XXXVIII, 8. quod ad utrumque ſexum pertinet. Ut & Lucas, καὶ ὅστις ἄτεκνος ἀποθάνῃ [*& is ſine liberis obierit*]. Tale autem nomen linguæ Orientis non habent. Ideo & Syrus hic poſuit בנין [*filios*]. Nec obſtat huic interpretationi quod de nominis propagatione in Lege dicitur: nam poterat & ex filia nepos in avi familiam inſeri. At certe qui filiam relinquit, non video quomodo ἄτεκνος [*illiberis*] recte dicatur. ¶ ἑπιγαμβρεύσει, *leviabit*] Vox hæc ſignificat *affinem fieri*, I Samuelis XVIII, 21, 22. & I Maccabæorum X, 54, 56. ubi tum genero tum ſocero tribuitur. Sed hic uſurpata eſt ad exprimendam vim Hebrææ vocis יבם, quæ ſignificat *jure affinitatis aliquam ducere:* quomodo & Lxx τὸ ἑπιγαμβρεύειν uſurpant, non quidem in Deuteronomio, ſed in hiſtoria Judæ & Onani Geneſ. XXXVIII, 8. Eſt enim hoc jus inter ea quæ primum moribus recepta, mox legis Divinæ auctoritatem acceperunt: qualia multa eſſe in Moſe non eſt dubitandum. ¶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, *frater ejus*] Nempe ὁμοπάτριος [*ex eodem patre*], ut ratio legis poſtulat, & recte interpretatur Abeneſdra. Cœpit quidem ex rationis ſimilitudine etiam remotioribus affinibus imponi neceſſitas ducendi viduam illiberem, niſi jus proximitatis in bona defuncti à ſe abdicare vellet, eo ritu calcei exuendi quem lex Deuteronomii præſcribit: Sed hoc natum non tam ex ipſa legis vi, quam urgent Sadducæi, quam ex proceſſu conſuetudinis, aperte ſatis indicare videtur Ruth IV, 7. ubi moribus, non legi jus iſtud acceptum fertur. Et notant Hebræi Juriſconſulti id jus non deſignari verbo בם [*levirare*], ſed verbo קרב [*proximare*], quod ἐγγυᾶσθαι vertunt Lxx. ¶ ἀναστήσει σπέρμα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ. *& ſuſcitet ſemen fratri ſuo*] Hoc eſt quod in Ruthæ hiſtoria dicitur ἀναστήσει τὸ ὄνομα τοῦ τεθνηκότος [*ſuſcitabit nomen mortui*]: quia nimirum lex illum poſtnatum filium defuncti nuncupabat. Ergo τῷ ἀδελφῷ [*fratri*] eſt *in memoriam atque honorem fratris.*

25. ἄφηκε, *reliquit*] Quomodo hereditas relinqui dicitur: Nam apud Hebræos pari jure deferuntur hereditas & matrimonium, ſicut apud Romanos hereditas & tutela. Hinc κληρονομῆσαι [*hereditare*] aliquam dicitur quicunque ἐπιδικάζεται, hoc eſt, proximitatis jure ducit, ut diximus alibi.

28. τίνος τῶν ἑπτὰ ἔσται γυνή; *cujus erit de ſeptem uxor?*] Phariſæi Reſurrectionem ex traditione magis & conjectura quam certis argumentis ſperabant. Hinc tanta opinionum diverſitas, de qua egimus alibi. Et quemadmodum nunc quoque Thalmudiſtæ epulas ſibi fingunt in quibus Behemothum & Leviathanem ſint eſitaturi, ita tunc quoque vitam felicem quidem, ſed huic noſtræ ſimilem, animo præceperant: Unde Joſephus Phariſaïcam ſententiam comparat iis quæ apud Græcos de Fortunatis Inſulis canebantur. Nam bonis dari ait τὸν ὑπὲρ ὠκεανὸν διαιτᾶσθαι καὶ χῶραν οὔτε ὄμβροις οὔτε νιφετοῖς οὔτε καύμασι βαρυνομένην, ἀλλ' ἣν ἐξ ὠκεανοῦ πρὸς αὖραι ζέφυρος ἐπανίων ἀναψύχῃ [*vitam ultra Oceanum & loca nec imbribus nec nivibus nec æſtibus obnoxia, ſed qua lenis ex Oceano Zephyrus aſflans mulceat*], verbis prope iiſdem utens quibus olim Homerus,

Αλλά σ' ἐς Ηλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
Αθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ραδάμανθυς·
Τῇ περ ἥπιον βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν·
Οὐ νιφετὸς, οὔτε χειμὼν πολύς, οὔτε ποθ' ὑετός,
Αλλὰ μάλ' ζεφύροιο λιγὺπνείοντ' ὠκεανὸς
Ωκειὰς ἀνίησι, ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

[*Sed ſuperum juſſu telluris in ultima campos*
Miſteris Elyſios, quos rex habitat Rhadamanthys:
Mollia ſecuræ currunt ibi tempora vitæ:
Non ibi nix, non triſtis hyems, non ſordidus imber,
Sed mites animas Zephyri genitabilis afflat
Oceanus, populos prædulei frigore mulcens.]

Quem ſecutus Horatius dixit,

Nos manet Oceanus circumvagus: arva beata
Petamus arva, divites & inſulas.

Et mox,

Pluraque felices mirabimur, ut neque largis
Aquoſus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec ſiccis uranturſemina glebis.

Et quæ ſequuntur. Quare mirum non eſt ſi manſurum ibi quoque conjugii uſum ſibi perſuaſerint, quod Mahumetes, ut multa alia, in Alcoranum ſuum ex Judæorum traditione retulit. Sadducæi autem, quibus cum Phariſæis hactenus certamen fuerat, à Chriſto putabant Reſurrectionem doceri καὶ τοὺς αὐτοὺς ὑποθέσεις [*iiſdem ſuppoſitis*] quibus utebantur Phariſæi: ſed ſperantes fragili dentem illidere, ſolido impegerunt.

29. μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, *neſcientes Scripturas*] Quia nimirum nihil accipiebant niſi quod ἐν τῇ γραφῇ Μωσέως [*in ſcripturis Moſis*] ſcriptum erat αὐτοῖς τῇ λέξει, cum illarum γραφῶν [*ſcripturarum*] ea eſſet natura ut ſub figuris, aut certe ſub verbis inquiſitionis egentibus, majora dogmata occultarent. Qua de re egimus alibi. ¶ μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ. *neque virtutem Dei*] Non tam quod crederent diſſolutas corporis partes à Deo non poſſe recomponi, quam quod putarent non poſſe ſuſtentari animas ſine corpore; ut ex ſuperioribus apparuit. Atqui cum hoc nullam in ſe contineat ἀντίφασιν [*repugnantiam*], nulla erat juſta ratio cur id tanquam omni modo, etiam Dei reſpectu, ἀδύνατον [*impoſſibile*] repudiaretur. Poterant afferri rationes Phyſicæ ex operationibus animi deſumtæ quibus probaretur τὴν ψυχὴν ἔχειν τινὰ χρόαν ἀμετάβλητον τῇ ἀριθμῷ [*animam habere ab ortu deinceps immutabilem permanſionem*], ut loquitur Chriſtianus Philoſophus Athenagoras; ſed quia iſta argumenta rudiorum hominum, qui tamen à pietatis ſtudio, excludendi non ſunt, captum excedunt, nihil eſt tutius quam Divinæ potentiæ inniti. Nam ſi Reſurrectio non eſt ἀδυνάτου [*impoſſibilis*], certe non eſt cur dicatur ἀθέλητος [*non placita*] Deo. τὸ γὰρ ἀθέλητον [*nam quod non placet*], ut idem ille Athenagoras ſapienter dicit, ἢ ὡς ἄδικον αὐτῷ εἶναι ἀθέλητον, ἢ ὡς ἀνάξιον [*aut tanquam iniquum, aut tanquam indignum non placet*]. Cum vero neutrum de ſuſtentatione animorum extra corpus dici poſſit, ſequitur ut res ſit non

non incredibilis, imo credenda, ubi auctoritas ἀξιόπιστος [*fide digna*] accedit. Quod dixi non ad naturales rationes sed ad Dei potentiam & voluntatem nos remitti cum de sustentandis extra corpus animis agitur, id videre est Lucæ XXIII, 46. Actorum VII, 59.

30. Οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται, *neque ducunt, neque nuptum dantur*] Christus antequam dogmatis istius, quod vetæ pietatis solidissimum fundamentum est, probationem afferat, tollit falsam ὑπόθεσιν [*suppositionem*] qua Sadducæorum objectio nitebatur. Ἐκγαμίζεσθαι hic latius dicitur pro eo quod Latini dicerent *nubere*, ut & infra XXIV, 38. Lucæ XVII, 27. Alioqui proprium est filiarum familias, ut apparet 1 Corinth. VII, 38. Celebre est illud Electræ apud Euripidem:

Νυμφεύματων μὲν τ' ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
Μέριμναν ἔξει, κ' οὐκ ἐμὸν κρῖναι τάδε.

[*Meis quod est de nuptiis, spectat patrem*
Ea cura: non est id meum decernere.]

Ovidius, aut is qui scripsit Hermiones epistolam,

Me tibi Tyndareus vita gravis auctor & annis
Tradidit: arburium neptis habebat avus.

Solet hic tractari quæstio De jure parentum in elocandis liberis. Æquissimum sane est honorem & reverentiam exhiberi parentibus, nullaque in re magis quam quæ ad generis propagationem spectat, ut alicubi recte ab Aristotele notatum est. Sed incidunt circumstantiæ quæ exceptiones porrigant. Quid enim si parentes odio, avaritia, alusve affectibus detenti cessent officium facere? æquumne erat libertatem naturalem liberis auferri? Certe Jure Romano filia quæ post annum vicesimum quintum cessantibus parentibus nuptias fecerit, innocens habetur. Et scimus quantopere Paulus Apostolus abhorreat τὸ πυροῦσθαι [*uri*]. Præterea vero argumentum illud quod multi invictum putant, meo judicio non satis procedit, Istud non recte fit, Ergo irritum est. Quam multa enim sunt quæ non recte, id est, non ex officio fiunt, & tamen si facta sint pro non factis nequaquam habentur? Certe si maneamus intra limites Naturalis Juris, actus irritus dici non potest eo quod vitiosus est, nisi accedat potestatis defectus, aut actus turpitudo permanens; quæ hic locum habere dictu quidem est facile, at ex certis principiis demonstratu difficile. Nam ex Jure Naturæ auctoritas magis parentum nasci videtur quam potestas, id est, ἐξουσία, ut quam videmus pro populorum institutis & moribus mutari. Ita Romani patriam quam dicunt potestatem propriam esse dicunt civium Romanorum; neque eo jure ad nuptias, patris consensus requiritur si liberi sint emancipati, cum tamen emancipatio jura naturæ nequeat dissolvere: matris autem consensus si desit, nunquam ob id Romano Jure irritæ sunt nuptiæ. Non video quid afferri possit, quominus quod de Votis & Juramentis Numerorum XXX, 14. statuitur, ad Sponsalia ac Nuptias possit produci. Alibi jus parentum non ultra definitam ætatem liberûm porrigitur: & ante istam quoque ætatem si iniquiores sint parentes, Magistratus, ut communes omnium parentes, partes suas interponunt. Mihi hæc omnia moderanda videntur æquis legibus, nec debere quod huic aut illi placet aliis pro Divini Juris regula obtrudi. ¶ ἀλλ' ὡς ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ εἰσι. *sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo*] Sensum explicat Lucas, οὐδὲ γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται [*neque enim ultra mori poterunt*]. Habent enim οἱ υἱοὶ τῆς ἀναστάσεως [*filii resurrectionis*] in seipsis πνεῦμα ζωοποιοῦν [*spiritum vivificantem*], id est, vim internam quæ perpetuo corpus conservet ἐν δυνάμει καὶ ἀφθαρσίᾳ [*in vigore & incorruptibilitate*], unde corpus tale non jam ψυχικὸν [*animale*] sed πνευματικὸν [*spirituale*] dicitur 1 Corinth. XV. Cum igitur corpora ista morti obnoxia amplius non sint, non magis quam Angeli, sequitur ut nec indigeant sexuum commercio, cujus ope singulis pereuntibus universitas conservatur. Nam γένεσις [*ortus*], ut non ita pridem diximus, τῇ φθορᾷ [*interitui*] cohæret. Neque ego video quam certis nitatur rationibus quod quidam volunt etiam in illo seculo manifestum fore discrimen sexuum. Videri enim potest id discrimen pars esse τῆς ἀσθενείας [*infirmitatis*] quæ tunc erit cessatura. Imo species omnis ac figura τοῦ φθαρτοῦ [*ejus quod fuit corruptibile*] obvelanda videtur ἐνδύμασι τῆς ἀφθαρσίας [*indumento incorruptibilitatis*]. Atqui τὸ φθαρτὸ [*corruptibilitatis*] apertum indicium τὸ γεννητικὸν [*vis genitiva*]. Veterum sane non pauci arbitrati sunt non futurum tum ἄῤῥεν καὶ θῆλυ [*marem & fœminam*], ut Hilarius. Theodoretus quoque hujus loci qui nunc est præmanibus auctoritatem sequens demonstrat in Angelis non esse sexuum discrimina, Ταύτης γὰρ δὴ τῆς διαφορότητος ἐοίκασι τοῦ θανάτου τελέντου οἱ φύσει· ἐπειδὴ γὰρ ἐξανδραποδίζεται αὐτοῖς ὁ θάνατος, ὁ γάμος διὰ τῆς παιδοποιΐας ἀντισοιχεῖ τὸ *damnatum.* Nec enim ulla ratione ἀθανασίαν ὁ πτωτὸς τῷ θνητῷ ζῴῳ ἡ παιδοποιία ἐμηχανήσατο. ταύτην τοι καὶ ἀναγκαία πᾶς θνητὸν ἔχειν φύσιν ἡ διὰ γάμου χρεία. Τοῖς δέ γε ἀθανάτοις γεγηθόσιν τὸ ἦλυ χθὼν πανταπάσι σῴζειν [*Talis discrimine eget natura mortis obnoxia: quia enim mors eam sibi mancipat, matrimonium, liberos serendo, resarcit id quod absumitur. Opifex enim liberûm sationem commentus est, quasi subsitiam immortalitatem generi mortali. Ad eum finem mortalem naturam habentibus opus est femina. At iis qui immortales sunt creatis supervacuum est sexus*]. quæ ad homines ἰσαγγέλους [*Angelis pares*] videntur eadem ratione posse aptari. Sicut autem matrimonium ab immortali vita dissidet, ita cibus quoque & potus, quippe inducta ad supplendas particulas quotidie pereuntes. Quod iniurum est non videre Judæos (paucos excipio, in quibus est Josephus Albo), cum & Homerus viderit,

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον·
Τὼνεκ' ἀναίμονές εἰσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

[*Nam nec edunt panem, nec vina rubentia potant:*
Sanguine quippe carent, immortalesque vocantur.]

Quo loco utens Plutarchus probat μὴ μόνον δ' ζῆν αὐτὰ καὶ δ' γεννᾶσθαι τροφὴν εἶναι ἐφόδιον [*cibum non tantum vitæ sed & mortis esse viaticum*]. Idem Plutarchus alibi, δεῖ δὲ ζητεῖν διὰ τί μὴ δοκεῖ τῷ ἀφθάρτῳ μαχέσθαι τὸ γόνιμον· οὐ γὰρ ἥττον ἡ τὸ γονιμώτερον μεταβολή γέ τις ἐστὶ καὶ πάθος [*videndum an non divino immortali repugnet non tantum gigni, sed & gignere: nam & hæc mutatio quædam est cum perpessione conjuncta*]. Aristoteles Metaphysicorum II, cap. IV. de diis Poetarum, πῶς ἂν εἶεν ἀΐδιοι ἀείμνηστοι τροφῆς; [*quomodo æterni esse possunt si alimentis opus habent?*] Hæc cogitatio excitare nos debet ut in hac etiam fragili vita quam minimum fieri potest indulgeamus corporeis voluptatibus, μελετῶντες τὸν ἐκεῖ βίον [*meditantes vitam quæ illic futura est*]. Est autem hic ἔλλειψις [*defectus*] articuli, ἄγγελοι ὁ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ [*Angeli Dei in cœlo*], id est, οἱ ἐν οὐρανῷ [*qui in cœlo sunt*], qui in cœlo vitam cœlitum degunt, non vitam αἰῶνος τούτου [*hujus ævi*]. Ita infra XXIV, 36. οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν [*Angeli cœlorum*]. & Marci XIII, 32. οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν τῷ οὐρανῷ [*Angeli qui in cœlo*]. Deinde præsens pro futuro positum est. Quanquam vero Angelos subsistere negabant Sadducæi, ut diximus, recte tamen hoc loco eorum mentionem Christus facit; quia solvit argumentum, non argumentatur. Qui respondet, uti potest suppositionibus ab adversario negatis.

31. Περὶ δὲ τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν, *De resurrectione autem mortuorum*] Id est, quod rem ipsam attinet. Nam hactenus objectioni tantum respondit.

32. οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς, Θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων. *non est Deus, Deus mortuorum, sed viventium*] Argumentum hoc, quod multis obscurius visum est, perspicuum fiet si interpretem adhibeamus θεόπνευστον [*Divinitus inspiratum*] Scriptorem ad Hebræos XI, 16. Primo ponendum, vocem *Dei* ubi possessivum casum post se habet, significare εὐεργέτου [*benefactoris*] optimum atque potentissimum; quod negare Sadducæi non poterant, cum ita haberet formula fœderis, *Ero Deus vester, & vos erunt mihi populus.* Deinde addendum est, cum Abrahamus Isaacus & Jacobus peculiariter nominantur, eo significari Deum peculiariter atque eximie esse ipsorum Deum sive εὐεργέτου [*benefactorem*], ob singularem scilicet ipsorum fidem atque obedientiam. Tertio notandum, in hac vita Abrahamo, Isaaco, Jacobo commoda quidem aliqua sed multis incommodis permixta accidisse. Nam neque terras ullas proprias habuerunt, sed cum familia ac gregibus huc illuc sunt vagati, non raro etiam conflictati cum hominum fortunæque injuriis. Unde & Jacobus ξένον [*hospitem*] sive παροικοῦντα [*peregrinum*] se vocabat, Pharaonem alloquens, quod merito urget divinus ille Scriptor. Hinc sequitur, nihil illos in hac vita supra cæteros homines eximium adeo recepisse, propter quod Deus tam peculiariter *ipsorum Deus* dici debeat. Imo multi improbi aut minus probi in Ægypto, Chananæa atque alibi vitam terrenam haud paulo felicius egere. Restat ergo ut Deus ipsorum Deus fuerit, non modo cum in terris agerent, sed etiam cum ad Mosem Deus ista loqueretur. Nam, ut dixi, in hoc ævo nihil illis contigerat quod tanti nominis magnificentiam impleret. Deinde vero propter quem bene facimus aliis, ei multo magis benefacimus si possimus. Deo potestas non deest, ut jam uno verbo ostendit Christus: & dicit se benefacturum posteritati propter Abrahamum, Isaacum, Jacobum: multo ergo magis ipsis benefaciet. Beneficii autem capaces non sunt qui mortui sunt, si perpetuo in mortis statu sunt mansuri. Sequitur ergo restituendos eos esse in vitam, ut peculiariter atque eximie Deus ipsorum Deus, hoc est, εὐεργέτης [*benefactor*] esse possit; quomodo etiam Judæus

Aben-

Abeneſdra explicat illa Legis, *Ego ero Deus veſter*. Philo etiam, Τὸ δὴ Θεὸς αἰώνιος, ὅτι ἐπὶ τῶν, ὁ χαριζόμενος καὶ ποτὲ μὲν, ποτὲ δ' οὐ, ἀεὶ δὲ καὶ σωτηρίως [*Illud ergo Deus æternus idem valet quod bene faciens, non interdum, interdum vero non, ſed ſemper atque perpetuo*]. Lucas illud, Θεὸς δὲ οὐκ ἔστι νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων [*Deus non eſt mortuorum, ſed viventium*], ita explicat, πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσιν [*omnes enim vivunt ei*], id eſt, & poteſt & vult eos Deus vitæ reddere: ac proinde cum Dei promiſſa non minorem certitudinem habeant quam res præſentes, jam nunc vivere cenſendi ſunt. Philo De Monarchia, λελεκται δ' ὅτι οἱ ὁσιωθέντες τῷ ὄντι Θεῷ ζῶσι πάντες [*dicuntur autem vivere omnes qui vere Deo adhærent*]. Sic & Scriptor περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ [*De rationis imperio*], de Abrahamo, Iſaaco, Jacobo ait, Θεῷ ζῶσι [*Deo vivunt*]. Ita vitæ hominum διαμονὴν [*permanſionem*] tribuit Athenagoras, morte tamen, velut ſomno, interciſam. Quomodo Chriſtus de Iairi filia dixerat, οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει [*non eſt mortua, ſed dormit*]: & de Lazaro, *Dormit: vado ut excitem eum*. Quanquam vero ad tollendam ὑπόθεσιν [*ſuppoſitionem*] Sadducæorum ſufficere poterat probare permanſionem animorum, tamen & verbis & propoſito Chriſti, quod eſt probare τὴν ἀνάστασιν [*Reſurrectionem*], rectius convenit, Abrahamum accipere non animum, quæ pars tantum eſt Abrahami, ſed perſonam conſtantem ex animo ac corpore, cui proprie mors & vita tribuitur. Inter omnia argumenta quæ ad probandam animi immortalitatem adhiberi ſolent, nullum mihi videtur aptius movendis hominum animis quam illud quod à Petro Apoſtolo acceptum recitare ſolebat Clemens Romæ Epiſcopus, *Si Deus eſt juſtus, animus eſt immortalis*. Cui parem ſententiam reperire eſt apud Paulum 1 Corinth. xv, 19. Nam certe, ſi ullum ponimus bene ſecuſque factorum diſcrimen, ſi Divinam providentiam & juſtitiam agnoſcimus, quam nec Sadducæi negare audebant, videmus autem bonis multis pejus hic eſſe quam malis, ſequitur aliud ſupereſſe judicium, ac proinde id etiam quod præmium pœnamve recipere poſſit. quod argumentum mira facundiæ uberitate non ſemel explicavit Chryſoſtomus. Sed & Paganorum quibuſdam lux illa emicuit. Nam Balaamus ſive ratione ductus ſive Spiritu Divino agitatus exclamat apud Moſem, *Sit mors mea cum morte juſtorum*; quibus verbis oſtendi putant Hebræorum Magiſtri, piis Hebræis præmia aliqua poſt hanc vitam eſſe repoſita. Quin & Plato, Cicero, Plutarchus iſto telo pugnant, & Hierocles, cujus hæc ſunt verba, Εἰ γὰρ μὴ ἔστι τι ὑπερτελὲς ἡμῶν μὴ θνητὸν, καὶ τοῦτο φύσιν ἔχον ἀληθείᾳ καὶ ἀρετῇ κοσμεῖσθαι, οἷον δ' φαμὲν εἶναι τὸ λογικὸν ψυχὴν, οὐκ ἂν ἔφησεν ἡμᾶς καθαρῶς ἡδέως τὸ καλὸν· πέφυκε γὰρ ἡ ὑπόληψις τοῦ φιλεῖν τὸν αὐτὸν σπουδὴν, καὶ πρὸς ὁπόταν σύγκρισις ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ, ἐπὶ τοῦτ' ἂν ἀεὶ τρέχει καὶ μᾶλλον δυναίμην. Πῶς γὰρ ἂν δόξῃ ἡμῖν φέρον εἶναι κατ' αὐτὸν, ἢ μᾶλλον καθεκτόν, μὴ πάντα χαρίζεσθαι τῷ σώματι, δι' ὃ καὶ ἡ τοῦ ψυχῆς ὑπόστασις σώζεται, οὐκ ἄσης μᾶλλον καθ' αὑτὸν, διαφερομένης ἢ τῇ πείρᾳ λογισμοῦ δι' σώματος; πῶς δ' ἀφησόμεθα δι' ἀρετὴν τὸ σῶμα, μεθ' ὃν καὶ τὴν ψυχὴν αὐτὴν ἅμα τῷ σώματι διαφθείρει, ὥστε μηδαμοῦ εἶναι τὴν ἀρετὴν ἧς ἕνεκα ἡ θνητὸν ὑπεμείναμεν; [*Nam ſi nihil noſtri poſt mortem ſupereſſet, & quidem tale quod veritate & virtute ornari poſſet, quale eſſe dicimus animam ratione utentem, non eſſet pura in nobis appetitio rerum honeſtarum: Exſpectatio enim omnimodis interitus exſtinguit ſtudium circa honeſta & ad voluptates agit corporeas, qualeſcunque illa ſint & undecunque habendæ. Quomodo enim ex illorum ſententia ſapientis ſit, imo mente ſani, non omnia facere corporis cauſa, propter quod ipſa anima ſuſtentatur natura, ut quæ non ſit per ſe, ſed ſequatur hanc vel illam corporis conformationem? Quomodo autem virtutis cauſa corpus abdicabimus, ſi ea ratione una cum corpore interimimus animam, ita ut nulla jam ſit illa virtus cujus cauſa mortem ſuſtinuerimus?*] Neque vero ad immortalitatem animorum duntaxat id valet, ſed, ut dicere cœpi, ad corporum quoque reſtitutionem, ſive naturam ſpectes, ſive rei æquitatem. Naturalis amor corporis, quem in animo omnes deprehendimus, oſtendit animum humanum eſſe οὐσίαν ἀτελῆ [*ſubſtantiam imperfectam*] quæ corpus perficiendo ſimul ipſa perficitur finis ſui adeptione: quæ ratio multos Philoſophos adegit ad commiſcendas μετενσωματώσεις [*tranſcorporationes*]. Æquitas non patitur ut corpus quod animi imperio multa moleſta ſuſtinet non etiam partem ferat præmii. Adde quod humanæ naturæ à Deo conditæ neceſſe ſit finem aliquem eſſe propoſitum, qui ne fingi quidem poteſt alius quam beata vita totius hominis. Nam finis partis alterius non eſt finis totius; at totum hominem Deus condidit. Quæ omnia, aliaque inſuper lectu digna uberius tractata invenire eſt apud eum quem modo dixi Athenagoram: ad quem te, ne longior ſim, remitto. quod ſicui eo recurrere non vacat, hanc ſaltem hic legat nervoſam & his Chriſti verbis convenientiſſimam ratiocinationem, Εἰ γὰρ ἔστι σωματοφθορία φύσει τοῦ ἀνθρώπου ἡ δικαία κρίσις, καὶ μήτε τῇ ψυχῇ μόνῃ δεῖ νομισθῆναι τὰ ἐπίχαρα τοῦ μὴ ἐν σώματι εἰργασμένων (ἀπρόσπαθος γὰρ αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν τοῦ περὶ τὰς σωματικὰς ἡδονὰς, ἢ τροφὰς καὶ θεραπείας γινομένων πλημμελημάτων), μήτε τὸ σῶμα μόνον (ἄκριτον γὰρ τοῦτο καθ' ἑαυτὸ νόμου καὶ δίκης), ὁ δὲ ἐκ τούτων ἀνθρωπος τῇ ἑκάστου τῶν εἰργασμένων αὐτῷ δίκῃ κρίσει. τοῦτο δ' οὔτε καθ' ὅλου ζωὴν εὑρίσκει συμβαίνουσι λίαν (ἀγωνίζεσθαι γὰρ καὶ ἐν τῷ παροντι βίῳ· λέγω δὲ τοὺς μὲν ἀδίκους καὶ πᾶσιν ἀνομίαις καὶ κακίαις ἐπιτηδεύοντας, μέχρι πλούτου λέγω πλεῖν κακῶν ἀπηρτῶτας, καὶ τοὐναντίον αὖ καὶ πᾶσιν ἀρίστοις ἐξησκημένους τὸ ἑαυτῶν βίον ἐπιδεξαμένους, ἐν ἀδοξίαις ζῆν, ἐν ἐπηρείαις, ἐν συκοφαντίαις, αἰκίαις τε καὶ παντοίαις κακοπαθείαις), οὔτε δὲ μὴ θνητοῦ (διὰ γάρ ἐστιν ἐπὶ τὸ σωματοφθορώτερον, χαριζομένης μὲν τῆς ψυχῆς ὅσα δὲ σωματικὰ, σπεδαννυμένου δὲ καὶ αὖτοῦ τοῦ σώματος εἰς ἑκάστα πάλιν ἐξ ὧν συνεφυρήθη, καὶ μηδὲν ἐπὶ σώζοντος τὴν προτέρας φυῆς ἡ μορφῆς, ὅπερ γε τῶν μικρῶν τῶν πεπαγμένων), τὸ δηλονότι πάντα τὸ λειπόμενον, ὅπερ δεῖ καὶ τὸ ἀθάνατον τοῦτο καὶ ἀφθαρτον ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, ἵνα ζωοποιηθέντων ἐξ ἀναστάσεως τῶν νεκρωθέντων, καὶ πάλιν ἑνωθέντων τῶν κεχωρισμένων ἢ καὶ πάντη ἀφανισθέντων, ἵνα τοῦ κρίνοντος τὰ ἄφθαρτα τῶν ἀφθάρτων ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν

Singula; ut cum 1 Regum XIV. 8. Deus de Davide dicit, ἐπόησε ὀπίσω μου ἐν παντὶ τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ [*secutus est me in toto corde suo*]· & cum Samuel populum ita alloquitur 1 Samuel. VII. 3. εἰ ἐν ὅλῃ καρδίᾳ ὑμῶν ὑμεῖς ἐπιστρέφετε πρὸς Κύριον [*si in toto corde vestro revertimini ad Dominum*]· & cum de Jehu narratur II Regum X. 31. οὐκ ἐφύλαξε πορεύεσθαι ἐν νόμῳ Κυρίου Θεοῦ Ισραὴλ ἐν ὅλῃ καρδίᾳ αὐτοῦ [*non custodivit ut ambularet in Lege Domini Dei Israel in toto corde suo*]· & in Psalmo CXIX. 2. de piis, ἐν ὅλῃ καρδίᾳ ἐκζητούντων αὐτόν [*in toto corde exquirunt eum*]. Quibus addi potest illud in Ecclesiastico dictum de Davide XLVII. 10. ἐν παντὶ καρδίᾳ αὐτοῦ ὑμνησε, καὶ ἠγάπησε τὸν ποιήσαντα αὐτόν [*de omni corde suo laudavit Dominum & dilexit Deum, qui fecit illum*]. Bina; ut Deuteronom. IV. 29. ad populum, ὅταν ἐκζητήσητε αὐτὸν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου [*cum quæsieritis eum ex toto corde tuo & ex tota anima tua*]· II Paralipom. XV. 12. de populo toto, ἀνῆλθον ζητῆσαι Κύριον Θεὸν τῶν πατέρων αὐτῶν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς αὐτῶν [*ut quærerent Dominum Deum patrum suorum in toto corde & in tota anima sua*]· & II Reg. XXIII. 3. de Josia, διέθετο ἐνώπιον Κυρίου, ἐξακολουθῆσαι ὀπίσω Κυρίου, καὶ φυλάσσειν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, καὶ τὰ μαρτύρια αὐτοῦ, καὶ τὰ δικαιώματα αὐτοῦ ἐν παντὶ καρδίᾳ καὶ ἐν παντὶ ψυχῇ [*ut ambularent post Dominum, & custodirent præcepta ejus, & testimonia, & cæremonias in omni corde & in tota anima*]. Nec dissimile illud M. Antonini lib. XII. ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς τὰ δίκαια πρᾶττειν, καὶ τὰ ἀληθῆ λέγειν [*ex tota anima facere quæ justa sunt, & dicere quæ vera*]. Errant autem graviter Judæi qui præceptum hoc, ut & illud de non concupiscendo, satis impleri putant si factis externis à Lege non abeatur. Apertius enim est quam ut negari possit istis verbis actus etiam internos præcipi, conjunctim tamen cum externis: notandumque est exstare particulam hanc non in formula Sinaïtici fœderis, quod est in Exodo, sed ἐν τῇ Δευτερώσει [*in peroratione legum*], quomodo Platonico more Philo euth librum vocat quem vulgo *Deuteronomium* appellamus. In eo autem libro plurima sunt quæ ad normam fœderis quod per Christum plene revelatum est populum vocant, & rudimenta quædam continent Euangelicæ pietatis. Rursum Augustinus & eum secuti alii putant eam perfectionem istis verbis significari quam in hac vita nemo habuerit aut habere potuerit, quasi præscriberetur non tam qua currendum, quam quo currendum esset. Quæ sententia suum habere potest usum, ut homines infirmitatis suæ admonitos intra humilitatis termi nos contineat, & desiderium in iis excitet vitæ alterius; sed propriam non esse hanc verborum interpretationem patet collatis quæ attulimus locis: nam David, Josias atque alii id quod lex ista postulat fecisse memorantur. Nam Deum ἐκζητεῖν [*quærere*] & ἀγαπᾷν [*diligere*] in Hebraismo idem valere manifestum arbitror. Sic & *implere post Deum* quidam dicuntur, quod Chaldæus Paraphrastes exponit *perfecte Dei timorem sequi*, ut videre est Num. XIV. 24. XXXII. 12. Deuter. I. 36. Præterea vult Lex amorem istum præstari *pro viribus*, κατὰ δύναμιν, id est, quantum homo potest. Posse autem hominem quantum potest, nemo sanus negabit. Media igitur & vera sententia hæc est, exigi à Deo, non ne quid unquam præter se cogitemus aut amemus, quod hujus vitæ status non patitur, sed ut potissimum animi nostri studium Deo impendamus, hoc omni conatu agentes ut non aliqua sed omnia Dei mandata exsequamur. Nam illud ἐξ ὅλης [*ex toto*] vel πάσης καρδίας [*ex omni corde*] idem est quod alibi dicitur בלבב טהור ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ [*de corde puro*], ut Paulus vertit 1 Timoth. I, 5. id est, *corde integro* atque *sincero*; sicut & Latine dicimus, *Totus in hoc sum*. Posse autem homo intelligendus est, non id duntaxat quod potest viribus naturæ peccandi consuetudine prostratis, sed quod potest adjutus Divino Spiritu, quem Deus etiam priscis illis temporibus paucis quibusdam selectis, non ex communi lege sed ex peculiari gratia dedit, in Novo autem Fœdere omnibus fœderatis suis, hoc est, in Filium suum credentibus, liberaliter admodum pollicetur. Πάντα ἰσχύω, inquit Paulus, ἐν τῷ δυναμοῦντί με Χριστῷ [*Omnia possum in Christo, qui me confortat*]. Quo autem major nunc aut datur aut offertur Spiritus copia, eo præceptum quoque istud uberius præstandum est.

39. ὁμοία αὐτῇ· *simile est huic*] Ita tamen ut priori dignitate concedat, unde δεύτερος [*secundum præceptum*] dicitur apud Marcum. *Similis* autem dicitur, quia actus itidem non externos tantum sed & internos præcipit, & vim suam quam latissime extendit: adde & quod priori necessario nexu cohæret, ut docet Johann. I epist. IV, 20. unde quod dicturus est Christus de duobus illis præceptis, à Paulo dicitur de posteriore, propter illam quam dixi cohærentiam. Nam qui Deum diligit Dei præceptis obsequitur, inter quæ est dilectio hominis alterius; & qui hominem alterum ita ut oportet diligit, sequitur ut eum propter Deum, ac proinde Deum maxime, diligat. Nimirum ut dicunt Græci Philosophi, ἀντακολουθοῦσιν αἱ ἀρεταὶ [*virtutes mutuo se consequuntur*]. Philo de Abrahamo, Τῆς αὐτῆς φύσεως ἐστιν εὐσεβῆ τε εἶναι καὶ φιλάνθρωπον, καὶ αὖθις τὸ αὐτὸν ἀκαίρους, ὁπότε μὲν πρὸς Θεόν, δικαιοσύνῃ ἢ πρὸς ἀνθρώπους θεραπεύειν [*Ejusdem est indolis pium esse & hominum amantem, & in eodem utrunque reperiri, sanctitas erga Deum & justitia erga homines*]. Idem ad Decalogum, Ἀμήχανον οὕτω διαθῆναι τὸ μὴ φιλεῖν ὅσον τὸ εἰς ὄντα ἐμφανῶς καὶ ἐγγὺς ἀνεθέντων [*Fieri non potest ut pius sit erga eum qui non conspicitur, is qui impius est in eos quos de proximo videt*]. ¶ τὸν πλησίον σου, *proximum tuum*] Id est, ex primæva Naturæ lege, ad quam Christus nos revocat, hominem quemvis. Ita & Hierocles ex Pythagoricorum præcepto monet φιλίαν τηρεῖν πρὸς πάντας ἀνθρώπους [*amicitiam servandam in homines quosvis*], cum hoc tamen temperamento μὴ τὸ πρὸς τὰ ἀξίαν διανεμήσεως [*cum ea distributione qua respicit id quo quisque dignus est*]. Ante Legem רע [*proximus*] dicebatur homo quivis, Genes. XI, 3. 7. Exodi II, 13. XI, 2. id autem Lege Mosis sublatum non est. Nempe רע Hebræum & Chaldæum חבר, quo Paraphrastes Chaldæus utitur, *socium* quidem significat, sed ita ut ea communi appellatione hominem quemvis designare possit; quomodo & Græci usurpant vocem ὁ πλησίον, qua uti solent Lxx, & Scriptores nostri, aut etiam ὁ πέλας. Quare quod hic est τὸν πλησίον [*proximum*], Paulus dixit etiam τὸν ἕτερον [*alterum*] Roman. XIII, 8. ¶ ὡς ἑαυτόν. *sicut teipsum*]· Ὡς [*sicut*], ut & Hebræum כ, sæpe comparat res similes, sed inæquales, ut Johann. XVII, 21. Actor. III, 22. Est ergo ὡς ἑαυτὸν [*sicut teipsum*] *sincere diligere*, quomodo nosmet ipsos diligere solemus. Ita amicus dicitur *alter ipse*. Vide quæ supra VII, 12. In hac autem amicitiæ sinceritate comprehensum est ut modo munus illis quam nobis ipsis, modo plus etiam præstemus. Hinc etiam nascitur bonorum communio ex nostræ copiæ & aliorum inopiæ modo temperata, κοινὰ γὰρ φίλοις πάντα [*omnia enim quæ amicorum sunt, sunt communia*].

40. ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται. *Lex pendet & Prophetæ*] Assentio existimantibus Latinam esse locutionem, quales in his libris satis multæ sunt. Nam quod Esaiæ XXII, 23. vox *pendere* aliquid simile significat, est ex continuatione translationis de paxillo. Sensus hic est, *In his duobus sita est Lex & Prophetarum mensa*: de his enim hic agitur: quomodo & supra de præcepto diligendi proximi dixerat, Οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται [*Hæc est enim Lex & Prophetæ*], & Paulus in eodem præcepto omnem ἐντολὴν ἀνακεφαλαιοῦσθαι [*præceptionem in summam contrahi*], id est, *contineri*, ut vertit Syrus. Recte: nam ἀνακεφαλαίωσις Scriptori libri De Mundo, κεφαλαίωσις non Aristoteli tantum, ut antehac à viro doctissimo est annotatum, sed & Platoni est in *summam contrahere*. Hebræi Magistri istud ipsum dilectionis præceptum vocant כלל [*universale*] Legis. Ex universalibus autem fluunt particularia, duplici modo, aut per illationem, quomodo omnia præcepta naturalia atque perpetua ex illis duobus necessitate consequentiæ emanant, de qua emanatione agit Paulus; aut per constitutionem speciei, quomodo præcepta Rituum & Judiciorum, & si qua sunt alia in Lege Mosis Juris θετικοῦ [*constituti*], ex iisdem illis duobus nascuntur, intercedente actu Divinæ voluntatis. Et his quidem modis præceptis istis generaliter atque communiter sumtis alia omnia continentur; quæ vera est hujus loci sententia. Quod si præcepta ista sumas strictius, quatenus ab omnibus aliis præceptis distinguuntur & peculiares actus, internos præcipue, imperant, etiam sic dici poterunt præcepta alia ab istis pendere, & in istis contineri sicut media ad finem continentur in suo fine; quod explicat Paulus 1 Timoth. I, 5. Non alienum est ab hoc loco quod tradunt Hebræorum Doctores præcepta Legis, quæ sexcenta sunt & ultra, à viris sanctis in summam quandam redacta, ut Psalmo XV. Esaiæ XXXIII, 15. brevius à Michæa VI, 8. *Ecquid Deus requisivit abs te nisi ut exerceas jus & ames benignitatem, & modeste ambules cum Deo tuo?* & ab Esaia LVI, 1. *Observate jus, & exercete justitiam:* brevissime vero ab Abacuco II, 4. *Justus ex fide sua vivet:* ubi si intelligas fidem δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην [*quæ per fidem operatur*], reipsa idem dicitur quod hic à Christo, ut qui ἀγάπην [*dilectionem*] requirat πίστιν ἐκ πίστεως [*quæ fit ex fide*]. Ideo & apud Marcum præmittitur duobus illis præceptis hoc anteloquium: *Audi Israel, Deus noster Deus unus est.*

42. τοῦ Χριστοῦ, *de Christo*] Noluit Christus aperte indicare ea quæ post resurrectionem demum erant omnibus revelanda. Verum interim hoc velut supremo oraculo inferere hominum mentibus voluit, Messiæ Regnum generis excellentioris fore quam Davidicum, ac proinde Divinum. ¶ ὁ Δαυὶδ. *Da-*

vi-

vidis] Ex vaticinio Esaiæ IX, 7. quo tanquam apertissimo utitur Gabriel ad Mariam. Et res est nunc quoque inter Judæos confessa.

43. Δαβὶδ, *David*] Scriptorem Psal CX. Davidem nominat, nunquam id sibi sumturus nisi id tum fuisset extra controversiam. Et sane ἐπιγραφὴ [*inscriptio*] ipsis Hebræorum codicibus est מזמור לדוד [*Hymnus Davidis*], quod vel solum sufficere debeat ne Eliezer aut aliquis Ezechiæ temporum Scriptor ejus hymni crederetur. Ut enim demus titulos ab ipsis Scriptoribus non additos, tamen antiquissimos esse constat, quorum nunc fidem convellere non argumentis ullis sed animi lubidine, hominum est contentionis studio insanientium. Illud לדוד Septuaginta interpretari solent τῷ Δαβὶδ [*Davidi*]· sed aliter cæteri Paraphrastæ Hebræique ipsi, qui ל tum in Psalmorum inscriptionibus tum alias multis in locis ea significatione accipiunt quam nos casu secundo exprimimus. Et sane si aliter interpretemur, nullus erit Psalmus qui sit Davidis, aut certe quem Davidis esse constet, cum tamen Psalmos plurimos & quidem eandem habentes ἐπιγραφὴν [*inscriptionem*] à Davide scriptos ipsi quoque fateantur. ¶ ἐν πνεύματι, *in spiritu*] Erat enim David προφήτης [*Propheta*] Actor. II, 30. & *per ipsum loquebatur Spiritus Sanctus*, II Samuel. XXIII, 2. Actor. I, 16. Nec obstat quod Judæi distinguunt inter προφητείαν καὶ ἅγιον πνεῦμα [*Prophetiam & Spiritum Sanctum*]· neque enim novum est vocabula generalia restringi ut species discernantur. Alioqui Prophetis passim tribuitur *Spiritus Sanctus*; & qui vel in somnio Divinitus monebantur *Prophetæ* πλαγίως [*laxiore sensu*] vocabantur, ut videre est Maimonidæ Ducis dubitantium lib. II, cap. 45. ¶ Κύριον αὐτὸν καλεῖ; *vocat eum Dominum*] Falluntur Hebræi qui aliter à nobis hoc legi putant quam ipsi legunt, *Adoni*. Neque hinc ἀμέσως [*proxime*] argumentum petitur θεότητος [*de Deitate*] Christi: sed hoc probatur, Messiam à Davide Rege tanto, non modo tanquam majorem ipso, sed & ut ipsius Dominum suspiciendum ac colendum. At quomodo Messias e Davide natus Dominus Davidis, nisi ipse Messias jus atque imperium erat habiturus in ipsum Davidem, & Messiæ beneficia ad Davidem erant perventura? Ad Messiam pertinere hunc Psalmum agnoverunt Hebræi veteres; quos sequitur Isaac Benarama ad Genes. XLVIII. Qui post ortum Christianismum fuerunt negare idipsum cœperunt solo odio Christianismi; cum tamen ipse David Kimchi & cum eo alii, ut & apud Justinum Tryphon Psalmum II de Messia interpretentur, ubi de *sceptro ex Sione exituro* idem dicitur quod hoc Psalmo. Quod autem unum objicit Kimchi, *nulla prælia ab Jesu pugnata*, facile solvitur; cum ipsi negare non possint multa esse in Prophetis præsertim, dicta figurate. Nam ut de Membris Dei nihil dicam, *Montem Domini elevatum iri supra montes alios*, & Feras cum pecudibus tabulaturas aliter quam verba sonant intelligunt qui inter ipsos naris sunt paulo emunctioris: quomodo & Convivia in Regno cœlesti interpretatur Albo.

44. ὁ Κύριος, *Dominus*] Ita solent non Lxx tantum sed & Hellenistæ cæteri, atque inter eos nostri Scriptores, loqui ubi in Hebræo est τὸ τετραγράμματον [*vox quadrilitera*]. Nec aliter Chaldæus Paraphrastes. Alii Interpretes Græci ipsas ponebant literas Hebræas יהוה, unde ab imperitis librariis factum est ΠΙΠΙ. Cæterum hoc argumento irrefragabili apparet id nomen Hebræum temporibus Ptolemaicis lectitari solitum ut nunc legitur *Adonai*. Quod viro pererudito placet ideo dici ἀνεκφώνητον [*inenuntiabile*] quod tot vocalium concursum fremo Græcus non pateretur, mihi non probatur. Idem enim usu venit in multis nominibus aliis, quæ tamen ut possunt, sæpe etiam literis aliquot omissis, exprimunt Lxx. Deinde quid ea ratio tangit Judæos Hebræo utentes sermone? Quare aliam causam fuisse oportet cur Judæi nomen illud pronuntiare desierint. Nam olim pronuntiarunt non ipsi tantum sed & alienigenæ quoties de Hebræorum Deo loquebantur, ut Rex Hiromus I Reg. V, 7. Causa maxime probabilis est, quod alta nomina generalem quandam Dei, aut rei quæ pro Deo haberetur, notionem declararent: illud autem nomen esset διακριτικὸν [*discriminativum*], quo Deus Hebræorum à diis cæteris discernebatur: nomen in quo non est participatio inter Creatorem & aliquid aliud, ut Maimonides loquitur. Itaque primum Dei reverentia cœptum est raro usurpari, atque ita minus minusque, ut tandem usurpari desierit nisi in publica Sacerdotum benedictione, & in sacro piaculari: quod præter Thalmudistas Philo nos docet, cum hoc nomen tantum fas ait fuisse λέγειν ἢ ἀκούειν ἐν ἁγίοις [*enuntiare & audire in sacris rebus*]. Neque alia de causa Josephus hoc nomen vocat τὰ ἱερὰ γράμματα [*sacras literas*]· τέταρτον δὲ τοῦτο, inquit, τὸ φωνήεντα τέτταρα [*quæ sunt vocales quatuor*], ubi de Pontificis agit corona. Et alibi, ὄνομα, inquit, οὐκ ἔξεστί μοι θέμις εἰπεῖν [*vocabulum de quo mihi loqui nefas*]. Eusebius hoc nomen vocat ἄλεκτον πᾶσι σχεδὸν [*plerisque non prolatum*]. Attamen illis quoque temporibus erant qui per impatientiam aut contumeliam id nomen pronuntiarent. Prioris exemplum exhibet libro belli Judaici quinto Josephus, τὸ φρικτὸν, inquit, ἀπερίληπτον ὄνομα ἐν θεοῖς [*pronuntiantem horribile illud Dei nomen*]. Posterioris Philo, narrans quid sibi aliisque legatis dictum esset à Cajo Caligula, Ὑμεῖς, ἔφην, ἐστὲ οἱ θεομισεῖς, οἱ θεὸν μὴ νομίζοντες; εἶναι μὲ τὸ ἄδηλον πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἀνομολογημένον, αὐτὰ τὰ ἀκατονόμαστον ὑμῖν· καὶ ἀναπτύσας τῇ χειρὶς εἰς τὸ ὑπερθεν ἐπιφάνειαν ἀφῆκεν ἐν ὑβρει αἰκίαν ῥήματος, ἐφ' ὃν διερμηνεύειν αὐτολεξεὶ [*Vos estis, inquit, inimici Dei, qui me pro Deo non agnoscitis, qualis ab omnibus aliis habetur, sed illum vobis innominatum. Et simul manus in cælum protendens extulit vocabulum quod etiam audire nefas est, nedum verbotenus interpretari*]. Atque in eum sensum Josephus non improbabiliter interpretatur id quod est in historia de gigante Goliatho I Samuelis XVII, 43 καὶ *maledixit Philisthæus Davidi in Deo ejus*, cum vulgo intelligi soleat *in Diis suis*. Verba Josephi sunt, ἄφρων αὐτὸν κατηρᾶτο τῷ ὀνόματι τῷ θείῳ [*dirum illis imprecatur ex Dei vocabulo sive cognomine*]. Nam nomen illud ὄνομα [*cognomen*] Josephus, ut vidimus, etiam alibi vocat. Plane idem est quod de Goliatho narrat Josephus, & de Caligula Philo. Non ergo pronuntiandi difficultas, ut quibusdam placet, sed religio pronuntationi obstitit. Simili religione Judæi Josephi tempore à recitandis Decalogi verbis abstinebant. Ita enim ille ait, Λόγων δὲ Μωσῆς ἐν ταῖς δυὸ πλαξὶ γεγραμμένων κατέλιπεν, ἃς ἐν θρησκείᾳ ἴσμεν ἡμῖν λέγειν φανερῶς οὐκ ἔξεστιν, οὐδὲ δυνάμεως αὐτῶν ἀπολαύομεν [*Verborum quæ Moses in duabus tabulis scripta reliquit, quæ nobis verbotenus recitare nefas, vim exprimemus*]. Extulerunt autem Samaritæ יהוה, quod Græce est Ιαβὲ [*Iave*], quomodo Theodoretus scribit & Epiphanius: neque mutandæ lectionis justa causa est. Nam in nominibus propriis vocales non uno modo lectitatas, sed pro dialectorum varietate mutatas, vel solus codex Græcus & Novi Testamenti cum Masoritica editione collatus abunde evincat: ut jam omittam נְבוּכַדְנֶאצַּר כּוֹרֶשׁ דָּרְיָוֶשׁ quæ Græcis sunt Ναβουχοδονοσορ, Κῦρος, Δαρεῖος [*Nabuchodonosorus, Cyrus, Darius*]. Quare ne illud quidem mirandum Tyrios aliter legisse id nomen, nempe יְהֹוָה, quod Philo Byblius scribebat ιαὼ [*Ievo*]· alios autem יהוה [*Iao*], ut Orphea, per quem in Græciam id nomen manavit, cujusque scripturam sequitur Diodorus Siculus, & oraculum Apollinis Clarii, ac postea Gnostici. Neque dubito quin quod apud Origenem est τ Ιαωΐα περὶ Ἑβραίους ὀνομαζόμενον, legendum sit Ιαω, ἢ ἰὰ [*Iao*, vel *Ia* dictum ab Hebræis], ut duo sint nomina יהוה & יה. Neque aliter quam Iao nomen hoc legendum Hieronymus arbitratur. Clemens Alexandrinus Ιαὲ [*Iae*], nisi in scriptura mendum est. At Tyrrheni, qui è Tyro in Italiam cum cæteris sacris nomen hoc attulerunt, ita legisse videntur ut nunc scribitur cum puncta habet ה *Adonai*, nimirum יְהֹוָה [*Iehova*], aut ut cum puncta habet *Elohim* יְהוִה [*Iehovi*]. Nam inde Latinum *Iovis* esse probabile est. Sed & Afri, ni fallor, ab iisdem Tyriis Carthaginis conditoribus nomen idem eodem sono accepere. Nam apud illos quoque Deus vocabatur Ιάω, quod Latinis corrupte *Iuba* scribitur, à quo nomine & Reges Afrorum sunt appellati. Quod autem in carmine Græco legitur de nomine septem Vocalium sine causa ad hoc nomen trahi existimo. Nam Græci, Ægyptiorum, ut videtur, exemplo, Septem siderum orbibus singulas vocales inscripserant; quarum concentu æbant Deum celebrari. Secuti sunt hoc institutum, ut multa alia, Gnostici, de quibus Irenæus, ὧν ὁ μὲν πρῶτος φθέγγεται τὸ Α, ὁ δὲ δεύτερος τὸ Ε, ὁ δὲ τρίτος Η, τέταρτος δὲ ἐξ αὐτῶν καὶ ἐσχάτη τὴν ἰδιαιτάτην ἐκφωνεῖ, ὁ δὲ πέμπτος τὸ Ο, ἕκτος δὲ τὸ Υ, ἕβδομος δὲ ἐξ αὐτῶν τὸ Ω σχεδὸν ἐκβοᾷ [*Primum calum canit* A, *secundum* E, *tertium* E *longum*; *quartum*, *idemque medium*, I *sonum exprimit*; *quintum* O, *sextum* Y; *septimum*, *quod à medio quartum*, O *longum exclamat*]. ¶ Κάθου ἐκ δεξιῶν μου, *Sede a dextris meis*] Id est, A me secundus esto, ut alibi explicavimus. Errant qui multa huc congerunt ut probent dextrum latus minus esse honoratum. Nam, ut diximus, à Regibus sumta est tralatio, quibus heres proximus, aut alioqui à Rege princeps, dexter adsidebat; is qui deinde sequebatur sinister. Sic & *heredis* nomen Christo tribuitur: Et Paulus pro eo quod est *sedere ad dexteram* dixit βασιλεύειν [*regnare*] I Corinthiorum XV, 25. ¶ ἕως ἂν θῶ, *donec ponam*] Potest ἕως [*donec*] etiam communiter accipi, si *sedere ad dexteram* accipiamus pro eo quod est exercere potestatem illam quam Pater ipsi super cœlestia ac terrestria bono Ecclesiæ dedit: cujus potestatis administratio cessatura est post Resurrectionem, gloriæ Regni in æternum manente, ut apud Paulum videre est dicto

loco. ¶ ὑπὸ τοὺς πόδας σου] *inimicos tuos*] Omnem vim Ecclesiæ adversam, ac postremo Mortem ipsam. ¶ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου. *scabellum pedum tuorum*] Servitutis & quidem abjectæ circumscriptio, ut alibi diximus.

45. Εἰ οὖν Δαυὶδ καλεῖ αὐτὸν Κύριον, πῶς υἱὸς αὐτοῦ ἐστι; *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?*] Inversa locutio, cujus generis multas observarunt antehac viri eruditi. Nam directa locutio fuerat, Εἰ υἱὸς αὐτῷ ἐστι, πῶς αὐτὸν Κύριον καλεῖ; [*Si filius ejus est, quomodo eum Dominum vocat?*] Sed utro modo pronunties vis argumenti eodem recidit. Sic & Marcus dixit II. 23. ἤρξαντο ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες στάχυας [*cœperunt iter facere vellentes spicas*], pro ἤρξαντο ὁδὸν ποιοῦντες τοὺς στάχυας τίλειν [*cœperunt iter facientes vellere spicas*]. Apud eundem & πῶς [*quomodo*] invenitur simili modo quo hic positum IX, 12.

46. οὐδὲ ἐτόλμησέ τις, *neque ausus fuit quisquam*] Sadducæorum Pharisæorum aut Legisperitorum, quibus omnibus os obstruxerat. ¶ ἐπερωτῆσαι, *interrogare*] Nempe πειράζων [*tentandi causa*], quod ex superioribus repetendum est. Nemo amplius illum tentare quæstiunculis audebat.

PRICÆUS.

Com. 4. ΠΑΛΙΝ ἀπέστειλεν ἄλλους δούλους] Πάλιν est τῇ ὥρᾳ ἢ δείπνου, ut heic Lucas: invitati enim instante jam cœna iterum vocari solebant. Præter Eustheris locum cape alios non inelegantis notæ. In Colloquiis Græcis veteribus à Vulcanio editis, Σεμιτον παρ' ἡμῖν ἀεὶ ζητοῦν χρησίμως. Οὕτω γίνεσθω. Ἐν ὥρᾳ οὖν ἐλθὲ πρὸς ἡμᾶς. Ὅπη θέλεις πέμψον πρὸς ἡμᾶς, ἐν τῇ οἰκίᾳ εἰμί. Ibid. Οὐδέπω ἦλθεν, ἄπελθε, εἰπὲ αὐτῷ, ὀψὲ ἡμᾶς ποιῆς ἀεὶ σῖτον. Apulejus 2. *Ecce quidam introcurrens famulus, rogat te, ait, tua parens Byrrhena, & convivii, cui te sero despondera, appropinquantis admonet.* Et proprie in hac re *admonere*: apud Terentium,

—— *Ut diei tempus est,*
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam
Ad cœnam ut veniat: ibo visum si domi est.

ταυρὺς autem *boves* non *tauros* verterim.

Virgilius,

Exercete viri tauros. ——

ubi Servius, *Tauros boves fortes intellige.*

Ibid. ἡ πάντα ἕτοιμα] Solennis in re convivali loquendi modus. In iisdem Græcis colloquiis, Πάντα ἕτοιμα ἐστιν, εἰδέπω ἦλθεν. Theophylactus Simocatta, Ἅπαντα περὶ τὸν γάμον μοι παρεσκεύασο, ἵτω, ἱμείσθω, ἰχθύες πολλοί, ἡ γλαῦκα, καὶ μελιτίδιον, ἡ πέστρα. Apud Aristophan.

Τὰ δ' ἄλλα πάνθ' ἕτοιμα παρεσκευασμένα,
Κλῖναι, τράπεζαι, στεφανοκέφαλοι, ῥήματα, &c.
Ἄμυλοι, πλακοῦντες, σησαμοῦντες, ἰτρία, &c.

Anicula Apuleiana, *At vobis, fortissimi fidelissimique juvenes, affatim cuncta suavi sapore percocta pulmenta præsto sunt: panis numerosus, vinum probe calicibus efficatis affluenter immissum*, &c. Plautus,

Omne paratum 'st ut jussisti atque voluisti, neque tibi est
Ulla mora intus: prandium ut jussisti sic curatum est.

Philo, Οἱ ἐπαίνους ἀντὶ στέφανον ὅλης δείπνου καλοῦσιν, ἢ τὰ στέφη εὐωχίαν πάντα ἐντεθείσης.

Com. 7. ὠργίσθη ὁ βασιλεὺς ὠργίσθη] Passim sermones suos aptat Dominus ad quotidianas vitæ consuetudines. Vocatis se non sistentibus vocatores contumeliose se habitos existimare solent. Horat.

—— *Dic. Ad cœnam veniat,* ——

& post,

—— *Negat ille mihi? negat improbus? & me*
Neglegit aut horret?

Apud Libanium Parasitus, Οἶδα πολλοὺς τοῖς καλοῦσιν ὀργὴν στομαζόμενοι ἐπειδὰν δὲ κεκλημένων τις ἐκλείπῃ τὴν σωφροσύνην. οἶδα πολλοὺς βρενθυομένους σωφρόνως αὐτοῖς, κἀὰν ἀναγκάσῃς, κἂν συμφεύγειν οἱ κεκλημένοι στομῶσιν· & apud Lucianum Philosophaster ille alienæ bonæ cœnæ quam suæ malæ valetudinis rationem habendam dicens, Τὰ καθήκοντα ἐγὼ στομάσομαι, καὶ τοῦτο φιλόσοφον ἀνδρὸς, κἂν μυρίαι νόσοι ἐμποδὼν ἐσῶσιν· ἡδίστην γὰρ Εὐκράτης στομᾶ ἡμῶν ὑπερμεγέθη.

Ibid. ἀκούσας δὲ ὁ βασιλεὺς ὠργίσθη, καὶ πέμψας τὰ στρατεύματα αὐτοῦ ἀπώλεσε τοὺς φονεῖς ἐκείνους, καὶ τὴν πόλιν αὐτῶν ἐνέπρησε] De Nigro (itidem Rege) lib. 3. Herodianus, Ὡς ταῦτα ἐπύθετο, τὸ μὲν πρῶτον χρηστὸς ὢν, αἰχμαλώτους δὲ τῶν εἰκότως ἐπὶ τῇ δόξαι αὐτῶν, καὶ ὕβρει, ἐπεσπασμένῃ τὴν πόλεσιν ἀμφοτέραις Μαυρουσίοις τε αἰχμητὰς ἡ μίξας τοξοτῶν, φονεύειν τε τὸν ἐντυγχάνοντα κελεύσας, &c. αὐτὰς τε πόλεις ἐμπρήσειεν.

Com. 9. πορεύεσθε ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν] Significanter, ibi enim quibus non suppetebant cibaria vocantibus se paratos exhibebant. Catullus,

—— *mei sodales*
Quærunt in trivio vocationes?

Recentior non male διεξόδους *compita* vertit. Gloss. *Compitus*, ἀγυιά, διέξοδος, τρίοδος.

Com. 11. εἰσελθὼν δὲ ὁ βασιλεὺς θεάσασθαι τοὺς ἀνακειμένους, &c.] Magnates & elegantioris vitæ convivatores convivis jam ad mensam positis cœnaculum intrabant. In Epistolis Aristæneti, Πάντων ἐπὶ ταυτὶ ἀθροιζομένων ὁ χρυσῆς ἱστάτως οἴκοι. Trimalcio Petronianus, *Amici, nondum mihi suave erat in triclinium venire, sed ne absentibus essem omnem mihi voluptatem denegavi.* Suetonius de Augusto, *Convivia nonnunquam & serius inibat, & maturius relinquebat, cum convivæ & cœnare inciperent priusquam ille discumberet, & permanerent digresso eo.*

Com. 12. πῶς εἰσῆλθες ὧδε;] Non est quod in Avibus Aristophanis,

—— πῶς πύλας
Εἰσῆλθες οἷς τὸ πτῖχε, ὦ μιαρώτατε;

quod apud Homerum Odyss. λ'.

—— Πῶς ἦλθες ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα
Ζωὸς ἰών; ——

aut quod Seneca μιμητικῶς dixit Epist. 37. *Hunc ego quemadmodum veni?* nec vero quod in Glossario, Ποίῳ τρόπῳ; *quo modo? quo pacto?* at quod in eodem Glossario, Ποίῳ προσώπῳ; &c. *qua fronte?* Sic supra 7. 4. & Galat. 4. 9. Apud Sophoclem Oedipus ad Creontem,

Οὕτω σὺ πῶς δεῦρ' ἦλθες; ἢ τοσὸν δ' ἔχεις
Τόλμης πρόσωπον ὥστε τὰς ἐμὰς στέγας
Ἰέναι; &c. ——

apud Suidam Aristoph.

Πῶς δεῦρ' ἂν ἦλθες, ὦ μιαρῶν μιαρώτατε;

Judic. 18. 3. τίς ἤγαγέ σε ὧδε; καὶ σὺ τί ποιεῖς ἐνταῦθα; In Apologis Phædri,

Quisnam cinadus ille in conspectu meo
Audet venire? ——

Terentius,

—— *Cur ego te in his conspicor regionibus?*

Ibid. ὁ δὲ ἐφιμώθη] Petron. *Frigidior hieme Gallica factus nullum potuit verbum emittere.* Philo in Flacc. Ἀχανὴς ὑπ' ἐκπλήξεως ἐγένετο. Apud Lucianum Jove Tragœdo, Διαπεπάρθημαι τὴν γνάθον, καὶ ὑπέτεμόν μοι τὴν γλῶτταν μου πεπλημμελῶς ἔοικε. Q. Curtius lib. 7. de Aristandro, *Exanguis attonitusque stabat, per metum etiam voce suppressa.* Achilles Tatius, Φοβῶ δεσμὸς γλώσσης. Terent. *Lingua hæret metu. Obmutuit* bene versum à Vulgato. Gloss. Φιμῶσαι, *Obmutescere, commutescere, commutescere.*

Com. 13. Ἄρατε αὐτὸν, καὶ ἐκβάλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον] Seneca Agamemn.

Abripite famuli monstrum, & abvectum procul
Vincite septum nocte tenebrosi specus.

Ovidius,

Præcipitem famuli rapite hunc, cruciataque diris
Corpora tormentis Stygia demittite morti.

σκότος ἐξώτερον est quod in veteri Tragœdia

Acherontia templa, alta Orci, pallida
Lethi, obnubila, obsita tenebris loca.

Claudianus ex persona Rhadamanthi de Ruffino,

Infra Titanum tenebras, infraque recessus
Tartareos, nostrumque Chaos, quà Diris opaca
Fundamenta jacent. ——

Qui

Qui locus, si quis alius, Euangelium illustrat. Causa appellationis autem, quia à beatorum luce gaudiisque & tenebræ & pœnæ damnatorum remotissimæ sunt. Sic Hesiodus cum Titanas à Diis victos dixisset detrusosque

—— ὑπὸ ζόφῳ ἠερόεντι
Χερσὶ ἐν ὀξείῃσι, ——

addidit,

—— πολίῃσι ἴσχουσι γαίης.

Sic fabulam de Saturno in Tartarum conjecto Physice Lucianus explicans, Φέρεται, inquit, πλησίον ἡμῶν ὁ λόγος· & statim, τὸ βάθος ἐκεῖνο καὶ πολὺ ἔρεβος Τάρταρον καλοῦσι. Sic alibi apud eundem εἰς μύχους ἐχάτους Ταρτάρου φυγαδεύειν· & Philonem, σφᾶς ἐχπαιδεύειν ὑπερορίους καὶ Ταρτάρου μύχους ἐλαύνειν. Addantur his versus Senecæ jam proxime adducti, in quibus præter alia loco isti concinne respondentia *in procul* habet vim eam quam hic ἐξώτερον.

Ibid. ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς, &c.] Eodem loco Lucianus nullis verbis interjectis,

Ἔνθα δὴ ἀληθῶς ——
—— στοναχαὶ τε πύλαι τε καὶ χάλκεος οὐδός.

Com. 16. αἴδεμαι ὅτι, &c.] Simile illud Hesiodi,

Ἴδρις δὲ κακὸν μὲν πρηγίδες, ἐσθλὸν δ' ἐπὶ νόημα.

Sequitur, καὶ τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ διδάσκεις] Id est, *vir egregius es, & pro veritate firmissimus*, Plin. Epist. ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ διδάσκαλος 1 Tim. 2. 7. μὴ δολῶν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας, &c. 2 Cor. 4. 2. Post, καὶ οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός] Lucilius,

Non laudas hominum quenquam, neque vis facis unquam.

Plin. Paneg. *Omnibus quæ à te dicuntur libertas, fides, veritas constat.* ἀφόβως τὸν λόγον λαλεῖς Philip. 1. 14. λαλεῖς τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ μετὰ παῤῥησίας, Act. 4. 31. οὐχ ὅτι λαλεῖς οὐκ ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ Θεῷ δοκοῦντι, 1 Thess. 2. 4. λαλεῖς, ἐλέγχεις, μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. Tit. 2. 15.

Horatius,

Si quis est dignus culpari quod malus, aut fur,
Quod mœchus, ganeo, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa hunc cum libertate notas tu.

Q. Curt. *Linguam tuam non infrenem, sed dispicientem qua loqueris nullius claudit periculi metus.*

Catullus,

—— *Non ullo vera timore tegis.*
Non si te infestis lacerent convicia dictis,
Condita quin veri pectoris evolvas.

Laberius,

Te nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas
De statu movere potest. ——

Siracid. de Elia, Οὐ σαλευθήσῃ ὑπὸ ἀρχόντων, καὶ λόγος οὐ καταδυναστεύσει σου. Guntherus,

—— *audes quascunque potentum*
Pro nihilo reputare minas. ——

Juvenalis,

—— *libera pectus*
Verba animis proferre, & vultum impendere vero.

Sequitur, Οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων] Juvenal.

Nil tibi respectus majorum, gratia nulla
Umbrarum. ——

Apol. de Aristippo, *Cum omnibus hominibus intrepide fabularis.* παρῆσται, τὸ ἀληθεύειν, καὶ ὅτι μηδενὸς ἐκπλήττεσθαι, in Demetrio suo apud Philostratum laudat & Apollonius.

Com. 17. κῆνσον δοῦναι Καίσαρι;]
Gunther.

Cujus ad arbitrium disponitur omne tributum.

Com. 18. γνοὺς ὁ Ἰησοῦς τὴν πονηρίαν αὐτῶν] Hesiodus de Prometheo,

Φῆ ῥα δολοφρονέων, Ζεὺς δ' οὔατα μήδεα εἰδὼς,
Γνῶ ῥ', ἀδὺ ἡγήσατο δῆλον. ——

Com. 20. Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη] Arrianus 4. 5. in Epictetum, Τίνα ἔχει τὸν χαρακτῆρα τὰ πτερύσσοντα; Tertull. Amm. Marcellinus, *Aureos nummos effigiatos in vultum novi Principis.* Zeno Veronensis, *Aurum argentumque, Christiane, si vera dicenda sunt, execraris in solis simulacris, non in penetralibus tuis: nam & illis aureis argenteisque innumerabilibus velut templis teretis moneta percussis ineſſe similiter Regum vultus signaque cognoscis.* Leo Magnus, *Quem debilem edidit mater ex utero, sanum fecit Petrus ex verbo: & qui imaginem Cæsaris in nummo non vidit, imaginem Christi in homine reformavit.*

Com. 21. Ἀπόδοτε τὰ Καίσαρος Καίσαρι] Plutarchus, Ἐδή γάρ πάντα τὰ Μωσέως ἀποδίδωσι τοῖς τοῦ Μωσέως. Theophilactus Simocatta, Ῥίψαντες τὰ τῆς πενίας τῇ πενίᾳ.

Ibid. καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ] Theophylactus ad Luc. 12. Εἰ θεοῦ εἶναι ἀγαθὸ, μὴ ἀποστερώμεθα τὸν Θεὸν τῶν ἀγαθῶν αὐτοῦ.

Com. 27. ἀπέθανε καὶ γυνή] Vulg. *& mulier defuncta est* de qua locutione vide supra ad 9. 18. dicta. Idem Luc. 7. 12. *Ecce defunctus efferebatur*, &c. Adde & Act. 25. 19.

Com. 34. ὅτι ἐφίμωσε τοὺς Σαδδουκαίους] Bene Vetus *quod silentium imposuisset.* Scriptor respons. ad Orthodox. Αὐτὸν γὰρ τὸν Δεσπότην καὶ τὸν ἐκείνου ἀγγελικὸν ἱδρύμενον καὶ ἐν τῷ μαντείῳ ἀπαντήσαντα σοὶ ἀνθρώπῳ ὡς Θεὸν σέβειν καὶ τιμᾶν τὸ Ἀπολλώνιον, ἐφίμωσε, καταιχίσας αὐτοῦ τὸ μαντεῖον. Lucianus in de Peregrini morte, Οἱ γὰρ ἰχθῦς ἐφιμῶντο· apud eundem Chrysippus, Τῶν λόγων πλεκτικὰς ἂν συμποδίζω σου τοὺς φρονιμολογοῦντας, καὶ ἀποφράττω, καὶ σιωπᾶν ποιῶ, φιμὸν ἀπεχθῶς ἐκλογῆς αὐτοῖς. Vide & 1 Pet. 2. 15.

Com. 37. ἀγαπήσεις κύριον τὸν Θεόν σου ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου] Quod διανοίᾳ, καὶ λόγῳ, καὶ πίστει δυνάμει τῇ ἀῤῥήκτῳ καὶ αἰδίῳ καὶ τῶν ὅλων αἰτίᾳ θεραπείᾳ ἐναποδύσῃ, Philo in de Decal. dixit. ψυχῇ, καρδίαν, & διάνοιαν junxit & Latinus Poeta. Catullus,

—— *toto te pectore, Theseu,*
Toto animo, tota prodebat perdita mente.

CAP. XXIII.

MUNSTERUS.

2. SUper cathedram Mosi sederunt scribæ] Docet hic Christus legem Domini non contemnendam propter reprobam vitam eorum qui docent legem, modo illam doceant pure & sincere sine admixtione traditionum humanarum. Est enim hoc loco *cathedra Mosi* aliud nihil quam pura prælectio & explicatio legis Mosaicæ. Porro *onera* illa *gravia & importabilia* fuerunt mandata legitima, ceremoniæ, & tot ritus legis Mosaicæ, de quibus & Petrus Apostolus Act. 15. dicit, *quæ nec nos nec patres nostri portare potuerunt*: & ea per Legis Doctores *humeris populi* cum magna exaggeratione *imponebantur, at ipsi nec digito volebant movere ea*, nisi quæ ad sui ostentationem faciebant, jejunium simulantes, & prolixas facientes orationes in angulis & publicis locis, & minima quæque decimantes, ut justi apparerent coram plebe; id quod Christus illis in hoc capite tanta severitate improperat. Imposuit autem Dominus illi populo tot præcepta & ceremonias, ut illum humiliaret & ad ambiendam suam misericordiam, qua sola salus mortalibus contingere potest, veluti compelleret. Et Christus quoque in hoc capite jubet audire eos qui recte docent servare maxima & minima Legis præcepta, & id usquedum confirmaretur sanguine suo Fœdus Novum, corusante scilicet jam Euangelio regni Dei, quando ab exterms illis ceremoniis jam facta esset libertas, & id solum prædicandum erat quod per se ad pietatem faceret, in primis autem gratia Christi commendanda, qui solus suo Spiritu sibi credentes justificat, scribens Dei legem in corda ipsorum, ut eam ament eique studeant ex animo, & si illam hic perficere nequeant, juxta illud Jeremiæ vaticinium cap. 31. 31, 33, 34. הנה ימים באים נאום יהוה וכרתי את בית ישראל ואת בית יהודה ברית חדשה׃ לא כברית אשר כרתי את אבותם ביום החזיקי בידם להוציאם מארץ מצרים אשר הפרו את בריתי וכי בעלתי בם נאום יהוה׃ כי זאת הברית אשר אכרת את בית ישראל אחרי הימים ההם נאום יהוה נתתי את תורתי בקרבם ועל לבם אכתבנה והייתי להם לאלהים והמה יהיו לי לעם׃ ולא ילמדו עוד איש את רעהו ואיש את אחיו לאמר דעו את יהוה כי כלם ידעו אותי למקטנם ועד גדולם נאום יהוה כי אסלח לעונם ולחטאתם לא אזכר עוד׃ *Ecce*, inquit Propheta, *dies veniunt, dicit Dominus, & percutiam cum domo Israel & cum domo Juda*

da fedus novum. Istud autem est fedus quod percutiam cum filiis Israel; Dedi legem meam in medio eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non docebunt amplius vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens, Cognoscite Dominum; quia omnes cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus; quoniam propitiabor iniquitati eorum, & peccatorum suorum amplius non recordabor. Vides quam pulchre Propheta hic describat Euangelium, vocans ipsum *novam legem*, seu *fedus*, non externum, ut erat lex Mosaica, sed *in corde scriptum*; quod ab homine doceri non potest nisi Spiritus adsit Christi: alioquin à solo homine doctum, hypocritam facit, & non verum Christianum, quales & Pharisæi erant observatores legis. Observabant, & non observabant, sicut textus Euangelicus habet, *Dicunt & non faciunt.* Et paulo post, *Omnia opera sua faciunt ut videantur.* Docebant ex Mose, Omnia debere fieri ex vera fide & justo timore Domini, Colendam veritatem & æquitatem, Faciendum proximo ut sibi fieri vellet, In ceremoniis habendum cor credulum & gloriæ Dei deditum, Suam voluntatem nusquam sequendum: hæc & similia docebant, sed minime observabant.

5. *Dilatant phylacteria sua*] Id quod Græci vocant *phylacterion*, i. *conservatorium.* Hebræi vocant מזוזה, & in plurali משמות. atque alio nomine תפילין, de quibus multa scribunt, & more suo plus quam pueriliter ineptiunt: è quibus in favorem studiosorum pauca adducam, ut saltem Hebraismi nonnihil hinc hauriant, si aliud nihil boni, מזוזה הוא הקלף שכותבין כתב פרשיות ונותנים אותה על פתח הבתים צריך להיות מבחוץ בתחילה מהורה שני למען תהיה תורת ה' בפיך וצריך שיכתוב בימינו אף אם הוא שולט בשתי ידיו ואם הוא אכר יד שכאל דידה הוא יכתוב ומי שאינו יודע לישר השיטה כלא שרטטם נכר הוא שרטטם לישר הכתב. ואותו הקלף שלם שלא יהיה בו נקב שאין הדיו שבר עליו ואם נפסק אחר כאותיות ותינוק שלא חכים ולא טעם יודע לקרותו בשר הוא ואם לאו פסולי. ואין צריך להניח חלק אלא לסגלה כדי גגה למיר ולכתיב כשיעור אורך כף ונון. ותפילין אין כותבין אלא לצד בשר בקלף וצריך לשרטט התפילין ארבע שרטוטין סביב הגלין אבל אין צריך בין שטה לשיטה. לא יהלך אדם בבית הקברות ותפילין בראשו בתוך ארבע אמות. בידו שיש בו תפלין או ספר תורה אסור לשמש מטתו עד שיוציאם או יניחם בכלי וכלי נכלי אחר ואם הניח כלי בתוך כלי מזהר להניחם תחת מראשותיו בין כר לכסת: Verbum è verbo sic sonat, *Phylacteria sunt membranula in qua scribunt sententias quasdam Biblicas. Et necesse est ut loratilla, & cutis domorum* (h. e. columnellarum) *fiant de jumento, aut fera munda, sicut dicitur. Quatenus sit lex Domini in ore tuo. Oportet etiam scribere manu sua dextra, etiamsi possit uti utraque manu sua. Quod si manu sinistra tantum uti possit, illa erit loco dextræ. Et qui non valet rectam facere lineam absque tracta linea, licitum est ut lineam trahat super quam scribat. Debet autem membranula esse integra sine foramine, ne atramentum fluat per eam. Et si abolcatur una literarum, & puer indoctus, qui non est stolidus, possit legere ipsam, idonea erit; si non, inepta. Nec oportet quod spatium relinquatur sursum nisi quod sufficiat pro erectione Lamed; infra vero fiat juxta mensuram longitudinis Caph & Nun. Porro scripturam ipsam non scribant nisi ex eo latere membranulæ ubi carnem tetigit. Oportet etiam includere scripturas quatuor lineis per circuitum schedæ; at non est opus ut inter scriptas lineas fiant lineæ. Et non debet homo ire per cœmeterium quando habet Tephilin in capite suo, per spatium quatuor cubitorum. Locus in quo sunt Tephilin, seu Phylacteria, aut etiam liber Legis, prohibitum est in eo dare operam Veneri, nisi prius ea exportaverit, aut reposuerit ea intra vas aliquod, & rursum vas illud reposuerit intra vas aliud. Et cum sic vas reposuerit intra vas, licebit ea quoque reponere subter capitalem locum inter stramentum & pulvinar.* Hæc illi. Præcipiuntur autem hæc phylacteria Deut. 6. ubi jubentur Judæi jugiter legem Dei habere ob oculos. Pharisæi vero *magna faciebant phylacteria*, & mentiebantur populo studium Legis, cum in corde nullius rei minorem haberent rationem. Haud secus *faciebant* ostentationis gratia *magnas fimbrias* in quatuor angulis *palliorum suorum*, de quibus scribitur Num. 15. & Hebræi eum locum sic exponunt, גדילים תעשה לך על ד' כנפות כסותך צריך שיהא גדיל יוצא מן הכנף וציצית יוצא מן הגדיל והציצית היא כציצת הראש והם חוטין בעשה עכות או ענף הכגר מה שאפשר בן הארוג שהוא נהלה בו יקרא ציצית וצוה הכתוב לתלות ציצית בכנף הבגד ונקרא ציצית על שם הינף כי רוב חושי הציצית הם קנף גם הציצית התלויות בבגד שאינם ארוגים יקראו גדילים וכותב אדם לבנם לבית הכסא בציצית: h. e. *Facies tibi dependentia fila in quatuor alis indumenti tui. Ex prominentibus filis fiunt passim in alis vestium fasciculi in morem cincinnorum capitis, qui Hebraice* ציצית *Germanice* Zotten *vocantur: fila autem prominentia, quæ similia sunt filis quæ in pannis à textoribus in extremitatibus relinquuntur, Hebraice* גדילים *& Germanice* Fassen *vocantur: & hac religionis causa à Judæis in V. Test. jubentur portari: & Pharisæi ut in omnibus ita in his quoque magnificandis religiosiores cæteris sese venditabant.*

8. *Nolite vocari Rabbi*] Sonat hic *Rabbi*, *magnum*, & *præcellentem:* id quod ex sequentibus colligitur verbis, *& vos omnes estis fratres*, h. e. æquales estis, & esse debetis in animis vestris: imo quanto majores estis apud homines, tanto minores & humiliores esse debetis apud vosmetipsos. *Qui enim se humiliaverit exaltabitur*, &c. Sic jubet Christus agnoscere unum & verum Patrem in cœlis, à quo scilicet omnem vitæ curam atque providentiam & veram hæreditatem exspectemus. Sed per id non prohibuit nudam *patris* appellationem, cum supra c. 15. jubeat *honorare patrem & matrem*, solum fiduciam humanam voluit tollere à nobis, ut à solo Deo penderemus. Idem sentiendum quando vetat nos *Magistros* appellari, & *Doctores.* Salutare quidem est ut ab homine discamus, sed interim necesse est ut Christi Spiritus cor nostrum erudiat & moveat, cum vana & inutilis sit omnis eruditio hominis nisi & *unctio* ab intra *doceat*, & *incrementum det Deus.* Cum igitur ipse Christus solus id faciat & possit, homines autem dispensatores sint mysteriorum Dei, recte monemur hic ut solum Christum pro *Magistro* & *Doctore* agnoscamus. Quod autem Paulus se vocat *doctorem Gentium*, id non facit nisi quod segregatus fuit in opus Euangelii, ad docendum doctrinam non propriam sed Dei: sicut & Magistratus in Scriptura nonnunquam vocantur אלהים *dii*, quod ministri sint Dei ad exsequendum judicia Dei in terris, *portantes gladium ad vindictam malorum & laudem bonorum.* Non igitur vetuit hic Christus nudam appellationem *Majoris*, *Patris* & *Magistri*, sed voluit ut in his nominibus nullam quæreremus vanam gloriam, & homini non ascriberemus quod est Dei, qui vere est *Rabbi*, i. magnus, verus *Pater*, & verus *Magister*, à quo omnis potestas, sapientia & salus.

13. *Qui claudetis regnum cœlorum*] Usurpabant sibi clavem scientiæ, sed in propriam perniciem abutebantur, cum nec ipsi agnoscere vellent Christum & doctrinam ejus, nec alios sinebant venire ad eum, quantum in ipsis fuit: id quod & usque in hodiernum diem filii eorum faciunt, mensuram patrum suorum implentes, שרבותיהם מתעים את פתאים שאינם מבינים את ודעתי באמרם חכה מעט שם ומעט שם והרה אין להם השעה ולא הגאולה וכן לעולם יתעו אותם רבותיהם עד שכלם יאבדו לגיהנם אבות עם בניהם כי אין ירצו להאמין בפשוט הנבטח על ידי תורה ונביאים והגאולה על הארץ להשעת כדי אדם ואין ישעו לכל אותיאורת שהוא עתיד:

14. *Qui comeditis domos viduarum*] Taxatur hic Phariszorum crudelis avaritia, qui sub prætextu sanctimoniæ & longarum precum emungebant à viduis substantiam earum: Quales aucupes & hodie inter Christianos plurimi habentur Pharisæis ipsis perniciosiores. Idem sentiendum de his qui hodie ad religiones pertrahuntur, sicut olim à Pharisæis Gentiles ad Judaismum pelliciebantur non pietatis gratia, qua illi erant inanes, sed ut ab hominibus viderentur plurimum suæ favere religioni. Potro de inauguratione Gentilium Hebræorum Sapientes tales fecerunt catechismos & ordinationes; כשיראה הגר לכנס בכנית להטבילו ותרגי כנפי השכינה ולקבל עליו עול תורה צריך מילה וטבילה ודם של קרבן. ואם נקבה היא טבילה וקרבן. וקרבן הוא עולת כהכה או שתי תורים או שני בני יונה ובזמן הזה שאין לנו קרבן צריך מילה וטבילה והשגחה בית המקדש יביא קרבנו. וגר אינו גר עד שימול ומכול וצריך שיטבול בפני שלשה. וגר שבא להתגייר שכרים לו מה ראית שבאת להתגייר אי אתה יודע שישראל בזמן הזה דוחים ומחופים ומטורפים בייסורים הכתובים בם. אם אתה יודע אני שכן הוא ואני כדיי. מקבלין אותו מיד ומדדיקין אותו שן לקט שכחה ופאה מעשר עני וענטין של מצות ואכרים לו. בפרם אתה נאת לתורה אכלת חלב ויצה אם כן העשה העגש כרת. חללת שבת תעבר אם כן העשה תקל. גם אכרים לו שהקלם הגא כוכן לצדיקים השכרים הכצורת התורה וכה שתראה ישראל בציר בעולם הזה טובה צפונה להם שאגם יטלים לקבל חוב השכרה בעולם הזה עם אומות העולם שבא יהם לכנם ויחמאו ויפסח שכר שלם הבא בינתי שני וישמן ישרון ויבעט. אוכרין לו מקרא שתשין כרי שלא יאבר אחר כך אם היתי יודע כן שתורתכם היא כך קשה וחסורה לא היתי מהגייר. גם מזכירין לו העונשים האלה חכורים ספני שהא טוב לישראל שלא יתגיירו כן גויים וכן אמרת העולם רבים גרים כי קשים גרים לישראל לפי שאין נקראין נתקיקי כצות הלכרים ישראל ממעשהם. צא ולכד מה אדע בכיהר בעשה העגל ובקבורה והאהרה. אם יקבל אחר כך עליו להתגייר אין משחין את הניצת אלא מוהלין אותו כיד ומשחין אותו עד שיתרפא רפואה שלמה קרם שיטבלוהו כפני הכבנה ותרפא מטבילין אותו ואז הוא כישראל לכל רכר: Hujus lectionis hæc summa sunt capita; *Inauguratio apud nos fit per hæc tria, per circumcisionem, baptismum,* &

& oblationem jumenti puri aut duarum columbarum. Oblatio tamen hodie differtur uſque ad exſtructionem Templi. Et cum Gentilis venit, & petit in noſtrum tranſire conſortium, monendus eſt prius noſtrarum miſeriarum; deinde prædicenda ſunt ei quædam ex gravibus mandatis, & quædam ex levibus; item quod non liceat veſci adipe, violare ſabbatum citra vitæ diſcrimen, &c. Sed interim quoque eſt illi dicendum, quod futurum ſeculum ſit paratum juſtis & obſervatoribus præceptorum Dei; & quod Deus ſuos in hoc ſeculo permittat tribulari, ne corde efferantur, & amittant gaudia futuri ſeculi. Proponenda quoque ſunt illi quædam pœna, ne poſtea conqueri poſſit, & dicere, Si hæc ſciviſſem, legi veſtræ me non ſubjeciſſem. Et certe bonum eſſet nobis ſi per talia deterreremur, ne cogeremur tot ſuſcipere proſelytos, qui nobis plurimum obſunt. Nam cum non ſint exercitati in cæremoniis noſtris, ſeducunt Iſraelitas operibus ſuis; id quod advertere poteris in Vitulo, & Sepulcris concupiſcentiæ. Si poſt hæc omnia in ſuo propoſito perſeveraverit, circumcidant eum ſine mora; deinde interpoſita mora ſanetur, & perfecte ſanatum baptizent in aqua; & tunc in omnibus erit ut alius Iſraelita. Hæc illi. En ipſi dicunt corrumpi per proſelytos, ſed Magiſter veritatis dicit hoc loco proſelytos duplo fieri deteriores ipſis magiſtris.

17. *Quod ſanctificat aurum*] Loquitur de externa ſanctificatione, quæ in eo conſiſtebat quod res oblata Divinis uſibus jam erat conſecrata. ¶ Et quod ſequitur de *decimatione* rerum minutarum, damnat ibi Chriſtus præpoſterum Phariſæorum judicium, qui *prætereuntes judicium, miſericordiam & fidem, ea quæ præcipua erant Legis*, exacte *decimabant* minutas herbulas, non quod hæc minuta fieri non deberent, ſed quod majora illa nullo pacto fuerant omittenda, ſine quibus nulla conſtare poterat pietas. ¶ Idem fere ſignificatur ſequentibus verbis, *Qui excolatis culicem, & devoratis camelum*, i. Si culex in poculum inciderit diligenter excolatur, camelus autem deglutitur. Et dicitur hoc proverbium in eos qui minima quæque curant & maxima negligunt, quales erant Phariſæi, qui religioſos ſeſe oſtentabant in his quæ nullius erant momenti, & interim cum proximis impie vivebant, quippe qui benefici non erant in eos, neque fidem ſervabant illis, ut Dominus hic improperat.

25. *Qui mundatis id quod extra calicem*] h.e. Similes eſtis illis qui pocula ab extra nitida faciunt, ab intra autem ſordida relinquunt: ſic vos ab extra per hypocriſim apparetis juſti & ſancti, ab intra autem ſimiles eſtis fœtentibus ſepulchris mortuorum. ¶ Et quod ſequitur, *Implete menſuram patrum veſtrorum*, hunc ſenſum habet, Hanc eandem ſævitiam quam patres veſtri exercuerunt in ſanctos Prophetas, vos progenies viperarum & peſtilentiſſimi atque nocentiſſimi homines declarabitis in me & in meis. Atque ita Chriſtus cum grandi autoritate eos hic allocutus eſt, quia conſummatio aderat, & poteſtatem ſuam palam teſtatus eſt, ut ſi qui ſanabiles inter eos eſſent revocarentur, & reliquis omnis adimeretur excuſatio. Unde & Prophetas atque Apoſtolos poſt mortem ſuam miſit, in quos cum crudeles exſiſterent uſque ad vaſtationem Titi, menſuram impleverunt, & tandem juſtas pœnas horrendo illo excidio dederunt.

VALLA.

3. Q*Uæcunque dixerint vobis, ſervate & facite*] Puto ſimilitudo ſcripturæ reſellit librarium, ut unam omitteret dictionem: nam Græce legitur, *Quæcunque dixerint vobis ſervare, ſervate*; ſive, *Quæcunque dixerint vobis ut ſervetis, εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε.*

7. *Et vocari ab hominibus Rabbi*] Deeſt geminatio: nam Græce bis legitur *Rabbi*, ῥαββί, ῥαββί.

8. *Unus eſt enim Magiſter veſter: omnes autem vos fratres eſtis*] Deeſt unum vocabulum Latine, & quidem præcipuum: nam ſic legitur Græce, *Unus eſt enim Magiſter veſter, Chriſtus*, ſive *qui eſt Chriſtus*, εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς, ὁ Χριστός· quemadmodum iterum dicitur paulo poſt.

14. *Qui comeditis domos viduarum, orationem longam orantes*] Προφάσει μακρὰ προσεύχεσθε. Melius apud Marcum 12.40. eadem verba transferuntur, *Sub obtentu longa orationis.* Et apud Lucam 20.47. *Simulantes orationem longam*, προφάσει μακρὰ προσεύχονται.

15. *Facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*] *Duplo* videtur poſtulare comparativum, ut diceretur, *duplo majorem*: nam Græce comparativum eſt, quod eſſet ad verbum *duplioremi*, διπλότερον ὑμῶν. Quod ſi dixiſſet, *Facitis eum filium gehennæ duplum quam vos*, non peccaſſet.

25. *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis eſt calicis & parapſidæ, intus autem pleni eſtis rapina & immunditia*] Melius in iis cod. ubi *ſunt* legitur. Tamen ad verbum ſic, & quidem melius, transfertur, *Intus autem plena ſunt rapina & injuſtitia*, ἔσωθεν δὲ γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς καὶ ἀδικίας. Sed de rebus injuſtitiæ paratis: neque rapina, ſed è potu & cibo, & rapina partis. Hunc ſenſum quidam non intelligentes *injuſtitia* mutaverunt in *immunditia*. *Deforis* autem, ut paulo poſt, *à foris*, neſcio cur dicat Interpres, cum non dicat etiam *ab intus*.

28. *Sic & vos à foris quidem paretis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate*] Quid opus erat *à foris* & *ab intus*, cum eſſent alia meliora *foris* & *intus*, *extrinſecus* & *intrinſecus*? Sed multa hujuſmodi è puro Græco turbide traducuntur, ἔξωθεν, ἔσωθεν.

30. *Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum*] *Non fuiſſemus* mallem ego transferre, οὐκ ἂν ἤμεθα, οὐκ ἂν ἦμεν.

33. *Genimina viperarum*] Idem nomen Græce eſt quod in illo Matth. 3.7. *progenies viperarum*, γεννήματα.

38. *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Dico enim vobis, Non me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.*] *Relinquitur* legendum eſt, ἀφίεται· non *relinquetur*, quod declarant illa, quod dicitur, *ecce*, i. *nunc*; & *dico enim vobis, quod me non videbitis*; & *egreſſus eſt illinc.*

REVIUS in VALLAM.

14. Προφάσει μακρὰ] Scriptum erat bis σεσεφάσει, & μακρᾷ.

15. Διπλότερον ὑμῶν] Tranſpoſitum erat.

25. *Parapſidis*] Ita & c. 26. 23. ex veteribus Vulgatæ editionibus. At *parapſidis* dicendum erat ex Græco; prout & hodie in emendationibus exempl. legitur: quanquam παψὶς eodem ſenſu legatur apud Suidam ut Eraſmus notavit. ¶ Ἔσωθεν δὲ] Loco motum erat. ¶ Ἀδικίας] In pleriſque tamen eſt ἀκρασίας, quod pro Vulgata facit. ¶ *Sed de rebus injuſtitiæ*] Non capio. Videtur ita ſupplendum, *Neque de injuſtitia proprie ſermo eſt, ſed de rebus injuſtitiæ paratis, neque de rapina, ſed de potu & cibo rapina partis.*

28. *Quid opus erat* à foris, & ab intus] *Ab intus* non dixit, fatente Valla paulo ſuperius, licet & hoc reperiatur apud Vulg. Pſal. 45. 14.

38. Ἀφίεται] Ad calcem rejectum erat.

ERASMUS.

2. S*Uper cathedram Moyſi*] Ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας; i. *In Moyſi ſede.* Porro pro *ſederunt* rectius diceretur *ſedent*, ſive *conſederunt*, quemadmodum adducit Auguſtinus adv. Fauſtum l. 16. c. 29. In his enim verbis ſic uſurpamus vocem præteriti temporis ut intelligamus actum etiamnum manentem, velut in *ſtetit*, & *appropinquavit.* Hunc locum quidam eo torquent quaſi parendum ſit omnibus quæ præcipiunt Epiſcopi aut Præpoſiti, etiam impii, ob muneris autoritatem: cum Chriſtus de iis loquatur qui recte docerent legem Moſaicam, non qui ſuis conſtitutiunculis illaquearent homines. Ita nunc quoque fortaſſis audiendus ſit Epiſcopus qui recte doceat Euangelium, etiamſi ipſe parum Euangelice vivat. Cæterum quis ferat eos adverſus Chriſti doctrinam pro ſuo commodo fixis ac refixis legibus, meram tyrannidem exercentes in populum, ſuoque quæſtu ac majeſtate metientes omnia? Qui conſtitutiunculis ad quæſtum, ad tyrannidem excogitatis irretiunt populum, non ſedent in cathedra Euangelica, ſed in cathedra Simonis Magi, aut Caiphæ. Atque hoc ita dictum ſit de malis Epiſcopis, qui utinam nulli ſint uſquam, ut bonorum autoritati nulla in parte derogetur. Id adjicere ſupervacaneum erat, niſi hoc ſeculo nihil non arroderet calumnia.

3. *Quæcunque dixerint vobis, ſervate*] Apud Græcos additur una dictio, ἕως ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε, *quæcunque dixerint vobis ſervare, ſervate.* Poſitum eſt autem *dixerint* Græco more pro *juſſerint.*

5. *Ut videantur ab hominibus*] πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις, i. *ad hoc ut ſpectentur hominibus*, h. e. *ſpectaculo ſint hominibus*, ſive *conſpicui ſint.* Convenit enim *ſpectaculi* verbum hiſtrionibus, ut & ſuperius indicatum eſt. Cæterum φυλακτήριον *phylacterium* Græca vox Latinis eſt *conſervatorium*, quod in his ſervatur memoria Legis; à verbo φυλάττω· quaſi ſic præſtarent id quod Deus jubet per Moſen, *ſervari præcepta ſua.* Nam hujus ſuperſtitionis occaſionem ſumpſiſſe videntur

partim ex Deut. 6. 4. *Audi, Iſrael: Dominus Deus veſter Deus unus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Erunt que verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua. Eruntque & movebuntur inter oculos tuos; ſcribeſque ea in limine & oſtiis domus tuæ.* Proinde Phariſæi, quo viderentur admodum obſervantes Legis, ſcribebant Decalogum in membranis, seu duobus voluminibus, quorum alterum fronti coronæ vice circumponebant, alterum brachio; ut ſive quo manum porrigerent eſſent in conſpectu, ſive caput moviſſent ob oculos eſſent. Itaque perſonati ſeſe plebis ac mulierculârum oculis venditabant. Hunc morem teſtatur Hieronymus ad ſuam uſque ætatem duraſſe apud Judæos, Perſas ac Babylonios; atque eos qui id facerent apud illos habitos ceu religioſos. Velut hodie apud nos habentur qui diverſis ac novis cultuum formis & coloribus ſanctimoniam apud vulgus profitentur, cum non omnes ſuo reſpondeant ornatui. Partim ex Num. 15. 38. Legimus enim illic hunc in modum, *Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, ut faciant ſibi fimbrias per angulos quatuor palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint recordentur omnium mandatorum Domini.* Siquidem hinc hypocritæ captantes auram popularem, atque ex mulierculis ſectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & acutiſſimas in eis ſpinas ligabant, quo videlicet ambulantes aut ſedentes aliquando pungerentur, nec ſinerentur uſquam obliviſci legum: & quo quiſque latiores fimbrias circumferret, hoc religioſior habebatur apud ſuperſtitioſos ac ſimplices. Atque utinam hoc hiſtrionum genus non adeo paſſim eſſet apud Chriſtianos, ad quos collati Phariſæi ſinceri ſimpliceſque queant videri. Non quod non oporteat pietatem etiam cultus aut victus ſimplicitate munditieque profiteri, ſed quod ſuperſtitionem & oſtentationem ubique oporteat abeſſe, & præcipuam pietatis partem in animo ac moribus deceat eſſe ſitam. Damnat hoc loco Hieronymus mulierculârum quarundam ſuperſtitionem, quæ quod olim in phylacteriis faciebant Phariſæi, id tum facerent, *in parvulis Euangeliis, & in Crucis ligno, aliiſque rebus hujuſmodi; Qua habent*, inquit, *zelum Dei, ſed non juxta ſcientiam, culicem liquantes, & camelum glutientes.* Si vir ſanctiſſimus hæc ſentit de mulierculis, quarum infirmitati par erat nonnihil condonare, quid dicturus ſit ſi videat hodie paſſim ad quæſtum oſtentari Lac Mariæ, quod honore propemodum æquant corpori Chriſti conſecrato? prodigioſum Oleum, fragmentula ligni Crucis tam multa ut ſi in acervum rediganturvix una navis oneraria vehat? hic oſtentari Franciſci Cucullam, illic intimam Veſtem Mariæ Virg. alibi Pectinem Annæ, alibi Caligam Joſeph, alibi Calceum Thomæ Cant. alibi Chriſti Præputium, quod, cum ſit res incerta, religioſius adorant quam totum Chriſtum? Neque vero hæc ita proferuntur tanquam ferenda, & plebeculæ donanda affectibus, verum huc fere ſumma religionis vocatur, avaritia ſacerdotum, & monachorum quorundam hypocriſi, quos alit populi ſtultitia. Atque in hiſce comœdiis primas agunt Epiſcopi quidam factitii, ne uſquam valere videantur, hæc ſuis diplomatis approbant, ſuis condonationibus ornant tanta gravitate, ut quoties mihi legitur iſtorum comprobatio, minus credam quam antea credebam. Quibus in rebus niſi gravis ineſſet veræ pietatis jactura, Chriſtus non tam acriter in hoc hominum genus inveheretur, cum alioqui lenis ſit in peccatores. ¶ *Ac magnificant fimbrias*] Græcis additur hic τ ἱματίων αὐτῶν, *veſtimentorum*, ſive *palliorum, ſuorum.* Etiamſi Latinius erat *dilatant.*

6. *Primos recubitus*] Græcis jucundior eſt elocutio per dictiones compoſitas πρωτοκλισίαν καὶ πρωτοκαθεδρίαν, q. d. *præcubitum & præſidentiam.*

8. *Nolite vocari Rabbi*] Græcis in nonnulli exempl. congeminatur ῥαββεὶ, ῥαββεὶ, *Rabbi, Rabbi.* Ad eundem modum & Judas ſalutat Dominum, *Rabbi, Rabbi.* Videtur autem ea conduplicatio apud Hebræos honoris aliquid habere. Unde morem hunc exprimens Chriſtus, *Non omnis*, inquit, *qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit.* Et hodie Sacerdotes & Epiſcopos honoris gratia bis *Dominos* facimus. Quanquam nec apud Hieron. nec apud Origenem, nec apud Chryſoſtomum, nec apud Theophylactum hujuſce rei certum invenio veſtigium. Auguſtinus in Annot. Troporum V. T. commonſtrat varie conduplicari dictionem apud Hebræos. Aliquoties ita ſignificari Multitudinem aut Diſtributionem, quod genus eſt illud in Exodo, juxta veterem ed. *Et colligebant acervos acervos*, q. d. *acervatim.* Nonnunquam indicari Vehementiam; quale eſt illud apud Jeremiam, *Ficus bonas bonas, & ficus malas malas.* Interdum Generalitatis habet ſignificationem; quod genus illud in Levitico, *Homo homo ſi maledixerit Deum, ſuum peccatum accipiet*, pro eo quod erat, *Homo quicunque is fuerit.* Item in Numeris, *Viri viri, ſi prævaricata fuerit uxor ejus.* Huic affine tropo eſt quod Latini quoque paſſim uſurpant, *ut ut*, pro *utcunque*, *ubi ubi*; pro *ubicunque*; *qualis qualis*, pro *qualiſcunque*: item cum *ter beatum* vocant magnopere beatum. Jam de tropo ſermonis, qui ſic accipiendus eſt, non ut intelligamus vetitum quocunque modo vocari Magiſtros, ſed certo modo vetari, diligenter & copioſe diſputat Auguſtinus ſerm. 11. De verbis Dom. ex Matthæo. ¶ *Unus eſt enim veſter Magiſter*] Addunt Græci ὁ χριστὸς, i. *qui eſt Chriſtus.* Eadem vox paulo poſt repetitur.

10. *Nec vocemini Magiſtri*] Si *Rabbi* idem ſonat quod *Magiſtri*, videtur idem bis dixiſſe, cum ſuperius dixerit, *Nolite vocari Rabbi.* Niſi forte *Rabbi præceptoris* eſt vocabulum, nempe qui docet: unde & apud Hebræos רב à *multitudine ſcientiarum* dicta eſt vox. Et nonnulli Græcorum cod. non utrobique repetunt, *Unus eſt Magiſter veſter*, καθηγητὴς· ſed priore loco habent διδάσκαλον, quod *Doctorem* ſonat, & reſpondet vocabulo *Rabbi*; in altero ponitur καθηγητὴς, quod *Gubernatorem* ac *Moderatorem vitæ* ſignificat.

13. *Qui claudis*] Οὐ κλείετε, i. *quia claudis*, non *qui*, ſuffragante & Paulino codice Latino, & eo quem ſecuti ſunt fratres Ammerbachii. In Conſtantienſi raſura declarabat ſcriptum fuiſſe *quia*: ac mox item, *Qui circuitis mare*, ὅτι περιάγετε, i. *quia circumitis*; ut paulo ſuperius, ὅτι καθεσθίετε· quod utrobique librariorum errore factum apparet, quanquam id ad ſenſum haud magni refert.

14. *Orationes longas orantes*] Græce, ἐν προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι, i. ut ad verbum reddam, *Et prætextu longum orantes*, h. e. ſub prætextu longæ precationis, qua ſanctimoniæ venabantur opinionem. Sic enim vertit eadem apud Marcum, *ſub obtentu longa orationis*: & apud Lucam, *Simulantes orationem longam.* Interpres Origenis vertit, *longa occaſione orantes.* Is autem legiſſe videtur μακρᾷ dandi caſu. Neque vero eſt otioſa conjunctio καί. Sentit enim illos hoc gravius eſſe puniendos, quod non ſolum explerent ventres ſuos facultatibus viduarum, quarum tenuitati magis debebant ſubvenire, verum etiam rem impiam facerent prætextu pietatis: id quod diligenter annotavit & Chryſoſtomus. Utinam hic locus emendet quoſdam, qui ſimili arte devorant domos, non modo viduarum, ſed uxorum, virginum, ſenum, adoleſcentum, ruſticorum, atque etiam principum, nec devorant tantum, ſed etiam contaminant & inficiunt. Hos ventres orbi peſtilentes taxat hoc loco Chryſoſtomus.

15. *Mare & aridam*] Hebraico more terram *aridam* vocat יבשה. ¶ *Proſelytum* Græca vox eſt, προσήλυτον, nobis *advena.* Sic enim dicebatur Hebræis quem ex aliena natione in ſuæ legis conſortium recepiſſent: illi vocant גר. ¶ *Et facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*] Gr. διπλότερον ὑμῶν, *Duplicem quam vos eſtis:* quaſi utrique ſint duplici nomine filii gehennæ, verum hic advena magis quam illi. Ita citat Auguſtinus l. 2. contra literas Petiliani c. 72. *Facitis eum filium gehennæ duplicem quam vos.* Id enim ſonat ſermo Græcus. Etiamſi ſecus interpretantur omnes; Nempe ut intelligamus illos uno duntaxat nomine malos eſſe, quod non ſervarent Legem in qua nati eſſent; advenam gemino nomine, primum quod ethnicus & idololatra, mox nec Judæus probus, dum relabitur in vitam priſtinam, & ex malo ethnico fit pejor Judæus. Fortaſſis & hoc ad noſtros mores pertinet, qui magnum quiddam exiſtimamus Judæum ad Baptiſmum pellexiſſe. Non quod hoc non ſit optandum omnibus nobis, ut omnes Judæi reſipiſcant; ſed quod quidam ex ea re ſuæ gloriæ conſulunt, nec ea via pelliciunt qua oportet, & pellectum non ea docent quæ vere ſunt Chriſtianiſmi. Nam qui fieri poteſt ut alios reddamus Chriſtianos niſi prius ipſi fuerimus Chriſtiani? Fit igitur aliquoties ut pro ſcelerato Judæo ſceleratiorem habeamus Chriſtianum: cujus rei vel Hiſpaniæ teſtes eſſe poſſunt. Et ſunt qui novo exemplo annis Chriſtianos faciant, ſub religionis ampliandæ prætextu ſuis opibus ſuæque ditioni conſulentes. Nihil agetur his rebus, niſi negotium animo pure Chriſtiano ſuſcipiatur. Huic confine eſt quod Monachorum nonnulli faciunt, qui partim aſtu, partim ſtudio pietatis, ſed abſque judicio, quos poſſunt ad ſuum quiſque vitæ inſtitutum pelliciunt, præſertim quos augurentur ſibi futuros uſui: ac miris technis rudi ſimplicique inſidiantur ætati, quæ nondum novit neque ſe neque veram religionem.

16. *Debitor eſt*] ὀφειλέτω, *debet*; h. e. reus eſt, ac pœnæ debitor, quod Lex vetet jurare per nomen Dei. Totus autem hic locus pertinet ad eos qui quod caput eſt omnis religionis tacent apud populum, ſi quid minus ad rem pertinent id inculcant,

veluti

veluti de Potestate Pontificis, de Condonationibus, de opinionibus Thomistarum aut Scotistarum.

17. *Stulti & cæci*] Apud Græcos repetitur & in altero loco μωροὶ καὶ τυφλοί.

25. *Qui mundatis*] Ὅτι καθαρίζετε, i. *quia mundatis*, consentientibus & nostris emendationibus, præsertim Aureo. ¶ *Quod intus est calicis, & quod deforis*] Quæ Græce pure dicuntur, parum munde reddidit Latine, τὸ ἔξωθεν καὶ τὸ ἐκτὸς vertere poterat *exteriorem poculi partem, & id quod intus est.* Nec est. ¶ *Pleni estis*] Sed *plena sunt*, γέμουσι· ut pertineat non ad *Pharisæos*, sed ad *poculum & catinum.* Consentiunt Latini cod. vetusti cum Græcis exempl. In Constantiensi depravator veram lectionem eraserat. Nam sensus est, Pocula & patinas Pharisæis foris esse nitidas ac bene lotas, cæterum ipsum vinum ipsosque cibos esse immundos, utpote partos rapinis & fraude: atque hanc immunditiam præcipue vitandam iis qui vere mundi videri vellent. Id cum quidam non intelligerent, ἀδικίας, i. *injustitiam*, verterunt in *immunditiam.* Quanquam in nonnullis exempl. ἀκρασίας, *intemperantiam* invenio, quomodo legisse videtur Origenes. Noster interpres legisse videtur ἀκαθαρσίας. In summa videtur hic locus apud Chrysostomum & alios veteres varius habitus fuisse. Augustinus serm. 30. legit, *Pleni estis dolo & rapina*, sed Lucam, opinor, edisserens. ¶ Porro *parapsis* Græcis *patella* est aut *disculus quo apponitur cibus aut condimentum.* Quandoquidem apud Italos sua cuique patella apponitur, distributo in partes convivio. Parsimonia communem patinam invenit. Legitur & *parapsis* eodem sensu apud Suidam. Vocem dictam apparet à *rotunditate flexuque.*

27. *Quia similes estis*] Germana lectio apud nos durat, haud scio quo casu, cum in *qui mundatis* fuerit depravata in multis. ¶ *Dealbatis*] κεκονιαμένοις, i. *incrustatis:* quod *opus albarium* dicitur. Incrustantur enim gypso aut calce.

28. Φαίνεσθε, *paretis*] Cur non potius *apparetis*, sive *videmini?*

29. *Qui ædificatis*] Ὅτι οἰκοδομεῖτε, i. *quia ædificatis.* Ut dissimulem. ¶ *Si fuissemus, non essemus*] Pro *Si fuissemus, non fuissemus*, cum Græcis idem verbum repetatur, ἤμην, οὐκ ἤμην, sive, ut in quibusdam est scriptum, ἤμεθα, ἤμεθα. Merito movet hoc loco quæstionem Origenes, cur imprecetur hoc nomine *Væ* Pharisæis. Neque enim ideo sunt exsecrandi quod exstruerent monumenta Prophetarum, neque in hoc quod ab homicidis Prophetarum essent progeniti, cum in altero sit officium, alterum non sit in manu nostra unde nascamur. Verum ideo reprehenduntur quod ad simulandam sanctimoniam exstruerent monumenta sanctorum, & falso negarent se consensuros fuisse in illorum cædem si iisdem temporibus vixissent, cum re ipsa declararent se crudelius etiam sævituros fuisse in Prophetas, cum ipsum Christum pararent occidere. Addit illud Chrysostomus, Illos haudquaquam studio erga Prophetas exstruxisse monumenta illorum, sed ne non exstaret trophæum ac vestigium egregii facinoris à majoribus patrati, atque ita deterrerentur cæteri à libertate reprehendendi. ¶ Cæterum de *Zacharia filio Barachiæ* quæstio est impeditior, neque prorsus adhuc à quoquam explicata. Quidam fabulam adducunt ex apocryphis libris, Fuisse in templo certum locum designatum ubi inter sacra peragenda consisterent virgines: In eo dum staret Maria mater Jesu, jam autem constabat eam peperisse, nec vulgus intelligebat Divinitus concepisse, id populus indigne ferebat. Hic cum à Zacharia patre Joannis defenderetur, per tumultum interfectum fuisse inter ædem posteriorem & altare. Ita ferme Origenes. Eadem ferme Hieronymus, nisi quod hic variat, dicens Zachariam patrem Joannis Baptistæ ideo *fuisse occisum quod Christi prædicarit adventum.* Alii referunt ad Zachariam Barachiæ F. qui in XII Prophetis habetur undecimus. Verum quanquam in hoc patris nomen consentit, tamen parum est verisimile, quod hujusmodi nihil reperiatur in historiis Divinis de Zacharia Propheta: ad hæc, cum illis temporibus vix exstiterint ullæ Templi ruinæ. Tertia opinio propior vero est, ut intelligamus de Zacharia F. Jojadæ, quem in lib. Regum & Paralipomenon occidit Rex Joas inter aram & Templum. Res & nomen convenit, solum patris nomen reclamat, quod is *Jojada* filius scribatur, non *Barachia.* Ex hac postrema difficultate bifariam elabuntur. Hieron. testatur in Euangelio Nazarenorum, cum hæc refertur historia, Zachariam non *Barachiæ* dici *filium*, sed *Jojadæ:* nimirum innuens in codicibus librariorum errore pro *Jojada* scriptum *Barachiam.* Chrysostomus aliam aperit senestram, videlicet, Barachiam binominem eundem *Jojadam* dictum fuisse.

33. *Genimina viperarum*] Γεννήματα, quod superius recte verterat *progenies.*

37. *Quæ occidis Prophetas*] Ἡ ἀποκτείνουσα. Quoniam participio præsentis temporis est usus, & sermo Christi ad utrumque tempus respicit, accipi potest actus citra temporis certam rationem, perinde q. d. *Interfectrix Prophetarum, quæ & occidisti, & occidis, & occisura es.* Hoc ideo admonui quod videam Origenem vehementer torqueri quo explicet rationem historiæ, cum nusquam legamus Hierosolymis *occisos* aut *lapidatos Prophetas* plures. Opinor & *Jerusalem* nomine, quæ caput erat Judææ, totam intelligi regionem. ¶ *Sub alas suas*] *Suas* addidit de suo nescio quis. Nam nec apud Græcos est, nec in Aureo codice, nec in Constantiensi. Nec est

38. *Relinquetur*] Futuro tempore, sed præsenti, ἀφίεται *relinquitur*, suffragantibus & vetustis Latinorum exemplaribus.

VATABLUS.

2. ¶ *Uper cathedram Moysi*] i. Scribæ recitant vobis Legem datam per Moysen. Scribæ Sacerdotes erant Legis peritissimi, quibus commissa erat cura enarrandi libros sacros. ¶ *Sederunt*] Præteritum pro præs. Hebr.

3. *Dixerint*] i. jusserint. Hebr. ¶ *Vobis*] *Vobis servare.*

4. *Alligant*] *Colligant.* ¶ *Autem*] *Enim.* V. ¶ *Importabilia*] *Difficilia portatu.*

5. *Phylacteria*] *Phylacterium* Latine *conservatorium* dicitur. Membrana erat in qua descripta erant Dei præcepta, quam fronti & etiam brachio circumponebant Pharisæi ad ostentationem. ¶ *Magnificant*] *Dilatant.* ¶ *Fimbrias*] *Fimbrias vestimentorum suorum.*

6. *Synagogis*] Vel *conciliis.*

7. *Rabbi*] *Rabbi, Rabbi:* Sic in nonnullis cod. Græcis.

8. *Magister vester**] * *qui est Christus.*

13. *Væ*] Deploratio potius quam exsecratio, q. d. *O vos ter infelices! Heu vos!* ¶ *Introeuntes*] *Ingressuros*, i. eos qui conantur ingredi.

14. *Qui*] *Quia.* V. ¶ *Orationes longas orantes*] *Et prætextu longum orantes*, i. idque prætextu longæ orationis. ¶ *Amplius*] *Abundantius*, i. gravius puniemini.

15. *Aridam*] i. terram, quæ eclipti Hebraica *arida* dicitur, Gen. 1. 9, 10. ¶ *Ut faciatis unum proselytum*] i. ut pertrahatis aliquem ethnicum in vestram religionem. *Proselytus* dicebatur qui ex ethnicis, legibus Moysi & cæremoniis initiatus, Judaismum profitebatur. q. d. *ad religionem adventitius.* ¶ *Filium gehennæ*] Hebr. pro, *bis digniorem supplicio æterno.* ¶ *Duplo*] *Duplo magis.*

16. *In auro*] *Per aurum*, Hebr. Sic infra. ¶ *Debitor est*] *Debet.* V. vel, *est præstanda culpa est.* i. tenetur pœna perjurii. Sic infra.

17. *Quid enim*] *Quodnam:* vel, *utrum.*

18. *Debet*] i. reus est.

19. *Cæci*] *Stulti ac cæci.*

23. *Qui*] *Quia.* V. ¶ *Decimatis*] i. decimas solvitis menthæ, & anethi, q. d. Legis minima observatis, & quæ in primis servari oportuit negligitis. ¶ *Judicium & misericordiam*] Sive, *jus & beneficentiam.* ¶ *Fidem*] sub. *in promissis*, i. non statis promissis.

24. *Excolantes*] Participium præsens pro indicativo, i. qui percolatis vinum si in illud inciderit culex, q. d. Qui in minimis superstitiosi estis, in maximis negligentes.

25. *Qui*] *Quia.* V. ¶ *Plene estis*] *Plena sunt.* V. sc. *poculum & Patina*, & quæ significantur hac allegoria. ¶ *Immunditia*] *Injustitia:* vel, *intemperantia.*

26. *Ut fiat*] Pro, *deinde fiet.*

27. *Dealbatis*] *Calce illinitis:* vel, *albario.* ¶ *Parent*] Vel, *apparent.*

28. *Hypocrisi*] *Simulatione*, i. studio simulationis.

29. *Qui*] *Quia.* V.

30. *Essemus*] *Fuissemus.* ¶ *Sanguine*] i. cæde.

32. *Implete mensuram*] i. imitamini mores, ac sequimini vestigia eorum.

33. *Serpentes**] * *&.* ¶ *Genimina*] *Germina:* vel, *progenies.* ¶ *Judicio*] *Judicium* pro *supplicio.* Hebr.

34. *Ideo, ecce*] *Ideo dico vobis, Ecce.* ¶ *Mitto*] *Emitto.*

35. *Ut veniat super vos*] Vel, *ut recidat in vos.* ¶ *Quem occidistis inter templum & altare*, i. quem majores vestri interfecerunt inter altare holocausti & vestibulum.

36. *Generationem istam*] i. genus hoc hominum.

37. *Alas**] * *Suas.* V.

38. *Relinquetur*] *Relinquitur:* præs. pro futuro.

39. *Benedictus*] Vel, *Felix:* vel, *Fortunatus:* vel, *Laudandus.*

CASTALIO.

5. *Tuntur autem latis*] Gr. *dilatant*: quale illud Lev. 11. ubi dicuntur beſtiæ *dividere ungulas*, h. e. *diviſas habere*; & Latine, *Fregit crus*, pro, *Crus ei fractum eſt.* ¶ *Limbis atque lacinijs*] Erant quædam membranæ quibus ſacra quædam verba inſcribebantur, ut juſſum erat.

7. *Rabbi*] i. *Magiſter noſter.*

30. *In vatum ſanguine*] Cæde.

31. *Ipſi de vobis teſtamini*, &c.] Hoc ipſo quod majores veſtros nominatis eos qui Vates occiderunt, teſtamini vos eorum eſſe poſteros.

35. *In vos expetat omnis innocens ſanguis*] Luatis omnem, &c.

CLARIUS.

2. *Super cathedram Moyſi*] Cum Scribarum & Phariſæorum jam eſſet deſperata correctio, reliquum unum erat, ut alii admonerentur ne eorum pravis moribus corrumperentur. Quod autem ait, *dilatant phylacteria, & magnificant fimbrias*, taxat eorum inanem gloriam, qui ut viderentur præcipui in Legis obſervantia, ſigna quædam præferebant in veſtibus, & latiora phylacteria faciebant, h. e. membranas illas quas inſcriptas verbis Legis affigebant frontibus. Eſt autem Græca dictio à verbo φυλαττω, quod eſt *ſervo*, quod ſcilicet ſervarent ibi verba Legis.

14. *Propter hoc amplius accipietis judicium*] Nam *ſimulata æquitas eſt duplex iniquitas*, ait Auguſtinus.

16. *In auro templi*] h. e. *per aurum templi.* Hebraiſmus eſt Scripturæ familiaris. Interea contemplare cæcam avaritiam iſtorum, & in quam perditos & ſtultos errores avaritia rapiat: ut merito dixerit, *Stulti & cæci.*

23. *Decimatis*] Decimas offertis rerum minutarum, ut videamini obſervatores Legis perfecti.

25. *Mundatis quod deforis eſt calicis*] Metaphora eſt. Ut ergo lavantur vaſa mundandæ interioris primum partis gratia, quæ uſui hominum ſervit; ſic interior in primis purificandus eſt homo, quem unum Deus intuetur.

31. *Teſtimonio eſtis*] Bene, inquit, dicitis homicidas fuiſſe patres veſtros; nam vos illos imitamini, ut filii parentum ſimiles eſſe ſolent, idcirco *impletis menſuram patrum veſtrorum.* Non ergo reprehendit quod ædificent ſepulcra Prophetarum, ſed alludit ad nomen *patrum* & *filiorum*; ut oſtendat eos, cum homicidas illos appellant *patres* ſuos, recte id facere, neque à parentum degenerare moribus.

34. *Ideo, ecce ego mitto ad vos*] Idcirco multo ante prædico vobis quod eſtis facturi.

39. *Non me videbitis amodo*] Docentem videlicet ac palam loquentem. Nam habes apud Lucam, illum poſt hæc verba non ante ingreſſum fuiſſe Templum, & docuiſſe populum quam clamatum ſit, *Benedictus qui venit Rex*, &c.

ZEGERUS.

4. *Dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias*] Quo plenius intelligas quid ſenſerit Salvator, paucis hic quod B. Hieronymus de phylacteriis ac fimbriis tradit perſtringam; *Dominus cum dediſſet*, inquit, *mandata Legis per Moſen, ad extremum intulit, Ligabis ea quaſi ſignum in manu tua; eruntque & movebuntur inter oculos tuos: ſcribeſque ea in limine & in oſtiis domus tuæ*] *Et eſt ſenſus, Præcepta mea ſint in manu tua, ut opere compleantur; ſint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis. Hoc Phariſæi male interpretantes ſcribebant in membranis Decalogum Moſi*, i. *decem verba Legis: & complicantes ea* ad *corona* ſimilitudinem fronti circumponebant & brachio. Itaque perſonati, cum prodirent in publicum, ab indocta plebecula ac mulierculis ut obſervantiſſimi Legis habebantur. *Juſſerat quoque Moſes, ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ut quomodo in corporibus circumciſio ſignum Judaica gentis daret, ita & veſtis haberet aliquam differentiam. Superſtitioſi igitur Magiſtri captantes auram popularem, & ex mulierculis ſectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & acutiſſimas in eis ſpinas ligabant, ut quoties pungerentur, quaſi hac admoniſione retraherentur ad officia Domini, & miniſteria ſervitutis ejus.* Præterea *pittaciola illa Decalogi* λογὶ ϛ φυλακτήρια, *à ſervando*, φυλακτήρια, h. e. *conſervatoria*, vocabant, quod in eis Legis ſervaretur memoria: quorum quo quiſque erat ſtudioſior & majores fimbrias circumferebat, hoc religioſior habebatur apud ſimplices. Quod adjicitur in Græcis τ ἱματιων αὐτῶν, *veſtimentorum*, ſive *palliorum, ſuorum*, adjectitium eſt: etiamſi non ignoro itidem & in Chryſoſtomo haberi, & in Opere imperfecto.

8. *Vos autem nolite vocari Rabbi*, &c.

9. *Et Patrem nolite vocari vobis ſuper terram*] Cum præmittat Salvator noſter, *Amant autem primos recubitus in cœnis, & amant vocari ab hominibus Rabbi*, ac deinde ſubdat, *Vos autem nolite vocari Rabbi*, palam indicat ſe non interdicere nudam *Patris* aut *Magiſtri* appellationem, ſed ſuperbum illum affectum quo amabant, imo ambiebant, hujuſcemodi nominum appellationibus honorari; præſertim cum *Patris* & *Magiſtri* cognomina nulli vere tribui poſſint præterquam uni & ſoli Deo, cui vere debetur omnis honos, ſapientia & autoritas. Nam quicquid harum rerum in mortalibus eſſe poteſt, umbra quædam erit ſi ad Dei magnitudinem conferatur, quanquam & hoc ipſum Divinæ largitati acceptum ferri debet. Vide Driedonem De Eccleſ. dogm. lib. 1.

10. *Unus eſt enim Magiſter veſter*] Priori loco (nam idem bis ponitur) non eſt addendum *Chriſtus*, ut perperam habent vulgares Græcorum cod. ſed poſteriori tantum, ubi quod prius ſubticetur tum demum exprimitur: alioqui ſuperfluum erat repetere quod ſemel dictum eſt.

13. *Nec introeuntes finitis intrare*] Quod ſub hæc verba adjicitur in Græcis & in hujus temporis cod. Latinis, nempe, *Væ vobis, Scriba & Phariſæi hypocritæ, qui comeditis domus viduarum*, uſque ad *judicium*, Hilarius quidem legit & interpretatur, veluti ab hoc Euangeliſta adſcriptum; deinde etiam Chryſoſtomus, & is qui Opus ſcripſit imperfectum, licet uterque hoc immediate poſt illa verba, *qui ſe humiliaverit exaltabitur*, collocet: tamen admodum probabile eſt ab hoc Euangeliſta non eſſe additum, ſed huc eſſe tranſpoſitum ex aliis: primum quod nec Origenes, autor omnium pene vetuſtiſſimus, nec Hieronymus, cujus caſtigationem recepit Eccleſia, hoc interpretati ſint, eoque nec legerint: deinde quod Ammonius & hunc ſecutus Euſebius hoc in octavum retulerint canonem, in quo duo tantum concordant Lucas cap. 20. & Marcus cap. 12. poſtremo etiam quod in vetuſtioribus & emendatioribus exempl. Latinis, nominatim in Aureo & codice Corſend. adſcriptum non cernatur, niſi quod in poſteriori ad marginem adnotatum ſit manu recentiori. Sed neque in antiquo quodam commentario titulo *Bedæ* ulla eſt hujus partis mentio.

15. *Circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*] Hyperbolice *mare & terram illos circuire* dicit, propter ingens ſtudium quo ferebantur ut unum aliquem proſelytum, i. advenam, facerent; h. e. ut extraneum aliquem ad legis Moſaicæ profeſſionem pellicerent. Qui cum attractus eſſet ſpe diſcendæ religionis, ſuperſtitioſa Scribarum doctrina perverſiſque moribus talis reddebatur, ut non ſolum non fieret purus Dei cultor & hæres regni cœlorum, ſed ſceleratior etiam fieret Judæus quam fuerat ethnicus, & magis etiam obnoxius gehennæ quam eſſent ipſi Phariſæi. Fit enim nonnunquam ut diſcipuli vincant etiam malos præceptores.

16. *Qui autem juraverit in auro, debitor eſt.* Et paulo inferius, *Quicunque autem juraverit in dono quod eſt ſuper illud, debet*] Docebant Phariſæi ut *quicunque juraſſet in auro* aut *in dono*, h. e. per aureum vas, vel per bovem vel ovem oblatam in ſacrificium, ac deinde pejeraſſet, ſimilia perſolveret.

23. *Qui decimatis mentham*] i. qui decimas vobis perſolvi jubetis etiam è viliſſimis oleribus, cujuſmodi ſunt Mentha, Anethum, Cyminum ſive Cuminum. Duo poſtrema producunt mediam.

24. *Excolantes culicem, camelum autem glutientes*] Hac metaphora notat Phariſæorum præpoſterum in ſervandis mandatis judicium, quod in minimis ſervandis eſſent ad ſuperſtitionem uſque diligentes, cæterum in majoribus negligentiſſimi. *Excolare* eſt expurgare. *Culices* generali nomine vermiculi parvi alati dicuntur.

25. *Paropſidis*] *Paropſis*, vel *parapſis* (nam utroque modo dicitur) eſt diſculus quo cibi aut condimenta apponuntur. Eucherius interpretatur *acetabulum* ab *aceto*. *Et aliqui*, inquit, *catinum ita appellari putant.*

29. *Quia ædificatis ſepulcra Prophetarum*, &c. *non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobismetipſis, quia filii eſtis eorum qui Prophetas occiderunt*] Non reprehendit in illis Dominus quod monumenta exornarent Prophetarum & juſtorum qui pro veritate occubuerunt, ſed quod occiſorum & perſecutorum propheticorum eſſent filii, h. e. peſſimorum Majorum in ſceleribus æmulatores. Nam

ut

ut illi Prophetas, ita iſti Prophetarum Dominum ad mortem uſque ſunt perſecuti. Quod autem filii eſſent, declarabant cum ornatu illo monumentorum, tum hoc ipſo quod dicebant, *Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum*, &c. Chriſto autem hoc peculiare fuit, ut alienorum operum æmulatores eorum diceret eſſe *filios* quorum imitarentur facta. Ita ſe *Dei Filium* eſſe dicit Joh. 10. 35, 36. *Filius*, inquiens, *Dei ſum*, *Si non facio opera Patris mei*, *nolite credere mihi*, &c. Quanquam Chriſtus non modo imitatione, verum etiam natura Dei erat Filius. Ita quoque Judæos *diaboli filios* appellabat, cujus facta moribus ac vita exprimerent, Johan. 8. 44. Unde etiam alio loco dicit, *Si filii Abraha eſtis*, *opera Abraha facite*, Joh. 8. 39.

32. *Implete menſuram patrum veſtrorum*] Non ſine proverbiali ſchemate id dictum eſt; quo ſignificatur Phariſæos illos quod deerat paternorum ſcelerum impleturos. Patres quidem eorum Prophetas trucidarant, iſti autem eum propter quem Prophetæ miſſi erant, Prophetarum omnium Dominum, peremerunt.

34. *Ideo ecce ego mitto*] Quod his inſeritur, *dico vobis*, redundat.

35. *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus qui effuſus eſt*] Si quæratur quomodo *omnis ſanguis injuſte effuſus in eos venire* intelligendus ſit, maxime quem ab illis ipſis quibus loquebatur Chriſtus ſanguis vel Abelis, vel Zachariæ, vel aliorum multorum fuſus non eſſet, reſponderi poteſt, Chriſtum in eo quod dixit *ſuper vos* non modo præſentes illos ſed totam ſimul comprehendiſſe & deſignaſſe iniquorum congregationem, quæ initiatur à primo parricida, complenda ultimo homine injuſto qui in mundi fine naſciturus eſt. Id ipſum enim & Chriſtum ſignificaſſe arbitror quum in ſequentibus eandem ſententiam ſic elocutus eſt, *Venient*, inquit, *hæc omnia ſuper generationem iſtam*. Poteſt tamen & per hyperbolen præſens locus intelligi, quod videlicet tam dira ultio illorum crudelitatem ſecutura ſit qui Chriſtum humani generis Redemptorem tam iniquo ſupplicio confecerunt, ut quicquid debetur pœnarum prioribus illis & poſterioribus interfectoribus, hujus ultionis atrocitatem vix videatur excedere. ¶ *Zachariæ filii Barachiæ*] Is eſt Zacharias qui 2 Par. 24. 21, 22. à Joas Rege Judæ occiſus legitur; cujus pater ibi *Jojada*, hic *Barachias* altero nomine ſcribitur. Unde & B. Hieronymus in Euangelio Nazarenorum, pro *filii Barachiæ*, *filii Jojadæ* legiſſe ſe teſtatur.

LUCAS BRUGEN.

14. VÆ *vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Propter hoc amplius accipietis judicium.*] Quatuor noſtra manuſcripta exemplaria (Brug. Leod. H M.) emendatiora Zegeri (nominatim Aureum & Corſendoncenſe) octo Hentenii, antiqua, tum Epanorthotæ, tum ea quæ in Ordinariæ Gloſſæ margine ſignificantur, verſum hunc decimum quartum è medio auferunt. Quibus volunt antiqui Euangeliorum canones: in octavo enim, in quo ſoli Marcus & Lucas conveniunt, ſententia hæc poſita eſt: nec ullus ei ab iis libris quibus legitur, ſive Græcis ſive Latinis, aſſignatur in Matthæo canon, niſi vitioſe à quibuſdam decimus, qui 15 verſus eſt. B. Hieronymus & Chriſtianus Druthmarus, in Matthæum ſcribentes, cum reliquas increpationes explicent, hujus ne mentionem quidem faciunt. Similiter neque Origenes legiſſe videtur. Apud reliquos tamen Interpretes Græcos, Chryſoſtomum, Autorem operis imperfecti, Theophylactum, Euthymium, explicatam, & in codicibus Græcis ac Syris lectam, reperimus; ſed illi verſui qui Phariſæorum ab ingreſſu regni cœlorum declinantium & prohibentium malitiam redarguit, præpoſitam, quamvis Græcorum codicum haud pauci poſtponant; quo ordine à D. Hilario, in Matthæum commentante, enarrari notavimus. Latini noſtri codices complures ſervant; at vario & ordine & legendi modo. Quidam (Atr. G. Compl.) & ipſi præponunt illi verſui qui Phariſæorum regnum cœlorum hominibus occludentium improbitatem deplorat. Multi, contra librorum Græcorum fidem, *quia* cum *qui* mutant: Duo legunt (Atr. ſ.) *devoratis domos viduarum*, quomodo in Marco c. 12. v. 40. & Luca c. 20. v. 47. tranſlatum eſt, & quidem rectius; nam κατεσθίειν non *comedere* tantum, ſed *devorare* ſignificat. Duo (Atr. C.) conjunctionem *&* præmittunt ei quod ſequitur, Græco ſimiliter. Sex (Lob. Soci. &c.) habent, *Orationis longa orantes*; duodecim (O, L, &c.) *In oratione longa orantes*; duo (P, S.) *In orationes longas orantes*; unus (Atr.) *Simulantes longam orationem*: quod poſtremum apud Lucam legitur, pleneque exprimit id quod eſt Græce, περφάσει μακρὰ προσευχόμενοι, *Specie prolixa orantes*. Unus (C) addit ultimæ parti *autem*; Alter (Tril.) *enim*: quorum neutrum eſt in Græco. Tertius (Lob.) legit, *Propter hoc ut amplius accipiatis judicium*. Quartus (Atr.) denique eſt qui ſcribat, *Ideo accipietis damnationem majorem*, quæ eſt Euangelii ℣ Lucam verſio; nam Græce idem fere eſt quod legitur apud tres Euangeliſtas; neque hac parte tantum, ſed & reliquis hujus verſus. Videri ex his ſimul omnibus poſſit adjectitius eſſe hic verſus, atque ex aliis Euangeliis huc aſſumptus, nonnulla facta mutatione, ut aliis hujus capitis in Scribas & Phariſæos comminationibus eſſet perſimilis. Albertus magnus, non eſſe de veritate literæ, ſed de Marco & Luca interpoſitum, docet. Nicolaus Gorran vacare ait. Epanorthotæ, & noſter, & Zegeri, Hieronymi, antiquorum codicum & canonum autoritate nixi, exiſtimant ſuperfluere.

35. *Uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ.*] Hieronymus in Euangelio quo utuntur Nazareni pro *Barachiæ*, *Joiadæ* ſcriptum reperit.

STEPHANUS.

¶ Κεφ. κγ, Περὶ τῶν αὐτόπτων σημείων.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. τμ. ιϛ, Τὸν ἀπεκδέχεσθαι πᾶς τὸ χαμὶ μαπίων καὶ Φαρισαίων, λέγοντες, Διδάσκαλε, θέλομεν ἀπὸ σοῦ σημεῖον ἰδεῖν.

Σήμαϛα δ' ἄτεσι ὄχλοι ἀκαμπὲς αἰτεφάσθω.
Ἄλλως,
Γεφμματὲς σημᾶν ἰδεῖν ἐθέλοσι παρ' αὐτοῦ.

4. Δυσβάϛακτα] *Portatu difficiles.*

5. Πλατύνουσι] *Facium lata.* ¶ Μεγαλύνουσι τὰ κρόσπεδα] *Amplas facium fimbrias*: vel, *lacinias.*

6. Τὴν πρωτοκλισίαν] *Primum accubitum.* ¶ Τὰς πρωτοκαθεδρίας] *Primos conceſſus.*

8. Ὁ Καθηγητὴς] *Doctor.*

14. Καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι] *Et quidem prolixum longarum pretextu* id facitis.

15. Περιάγετε] *Circumitis.*

16. Ὁδηγοὶ] *Duces.* ¶ Ἐν τῷ ναῷ] *Per templum.*

17. Ὁ ἁγιάζων] *Sanctificans.*

18. Ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ] *Per altare.*

21. Ἐν τῷ κατοικοῦντι αὐτόν] *Per eum qui habitat in eo.*

23. Ἀποδεκατεῖτε τὸ ἡδύοσμον] *Decimatis mentham.*

24. Οἱ διυλίζοντες τὸν κώνωπα] *Qui excolatis culicem.*

25. Ἔσωθεν δὲ γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς καὶ ἀκρασίας] *Intus autem illa plena ſunt rapina & intemperantia.*

27. Παρομοιάζετε τάφοις κεκονιαμένοις] *Aſſimiles eſtis ſepulcris dealbatis.*

32. Πληρώσατε τὸ μέτρον] *Complete menſuram.*

33. Φύγητε] *Fugere poſſitis?*

37. Ἐπισυναγαγεῖν] *Congregare.* ¶ Ὄρνις τὰ νοσσία ἑαυτῆς ὑπὸ τὰς πτέρυγας] *Gallina pullos ſuos ſub alas.*

DRUSIUS.

3. *Servate & facite*] Nam non ſermo fundamentum, ſed opus: unde Sapiens quidam filio ſuo, *Eſto*, inquit, *ſapiens factis, & non verbis. Sapientia enim quæ eſt in factis, tibi proderit in ſeculo futuro: quæ in verbis tantum, hic remanet:* ex lib. Selectarum ſententiarum.

4. *Digito autem nolunt ea movere*] Sic Athenienſibus olim objectum fuit, Eos ſcire quæ recta ſunt, ſed facere nolle. Ita ſane comparatum eſt ut fortia loqui malimus quam factis exequi.

7. *Rabbi, Rabbi*] Quod ſcribunt Ῥαββὶ & Ῥαββεὶ, ut Ἐλωὶμ & Ἐλωεὶμ *Deus*. Sic χερυβὶμ & χερυβεὶμ, σεφφὶμ & σεφφεὶμ, item Ἠλὶ & Ἠλεὶ *Deus mi*. In nonnullis cod. Ῥαββὶ Ῥαββὶ, quæ conduplicatio non caret emphaſi. Sic Marc. 14. 45. *Dicit ei, Rabbi, Rabbi.* Sic, *Non omnes qui dicunt mihi, Domine, Domine.* Eraſmus exiſtimat honoris aliquid habere apud Ebræos: ego affectum ea exprimi putarim: ut cum legimus, *Abraham, Abraham*; *Moſes, Moſes.* Nunc pronuntiant *Ribbi.* Ita vocatur abſolute R. Juda hannaſi princeps, qui *Rabbenu haccados*, i. *Magiſter noſter ſanctus*, nuncupatur. Interdum in Aboth R. Nathan, & in Medras eo nomine venit Rabban Iochanan Zachæi Fil. Sed & Rabban Gamliel רבנו, h. e. *abſolute*, vocatur *Ribbi*, Iucha. 26. 2. *Ribbi, Rabbi*, ut *Nimrod, Namrod.* Sic dicebant *bar* & *bir.* Quid autem differant *Rabbi* & *Rabban* docet Salmanti-

cenſis Judæus in libro citato 20. 1. & 21. 1. Vide, ſi vacas. Græci ſcribunt Ῥαββὶ aut Ῥαββεί. Dialectus Syriaca Chirec minus fere in Phatach mutant: unde *Mariam*, *Magdalene*, & cætera his ſimilia: de qua ſcriptura vide quæ obſervamus ad Marc. 15. 34. In lib. De nom. Ebr. *Rabbi*, *Magiſter meus*, *Syrum eſt*. Neſcio an error in hac interpretatione. Nam Euangeliſta interpretatur Διδάσκαλε Joh. 1. 38. Contra Elias diſerte affirmat Jod in *Rabbi* pronomen eſſe. Apud Syrum lego רבן, *Rabban*. Hieronymus in Comment. ſuper Matth. *Rabbi Latino ſermone Magiſter dicitur*. Ecce diſcedit à ſeipſo. Ego cenſerem *Rabbi* poſitum pro *Ribbi*, uſitata vocalium mutatione. Amant enim Syri ponere *a* pro *i*; quod ita notum ut exemplis probare nihil opus ſit: alias diſcrimen ponebant veteres inter has voces. Nam *Rab* uſurpabant proprie de Magiſtris Babyloniæ, *Rabbi* autem de Magiſtris terræ Iſrael. Doceo ex ipſorum verbis memoratis in Thisbite, בבל רב ומר מבבל ובבל רבי בשאר ישראל, i. ad verbum, *Omnis Rab & Mar e Babylonia eſt, & omnis Rabbi e terra Iſrael.* Ex hac nota medicinam faciam Epiphanio κ) γραμματίων. In libris vulgatis, Δύτερος ὁ εἰς τ διδάσκαλον αὐτῶν Ἀκιβᾶν ὅτου καλούμενος, ἢ Βαρχιβᾶν. A mala manu eſt Βαρχιβᾶν: tu me cenſore emenda Ῥαββὶ Ἀκιβᾶν: emendatio certa. רבינו ד διδάσκαλος Ἀκιβᾶ, *Magiſter Akiba*. Hieronymus epiſt. 151. quæſt. 10. *Si quando juxta literam cœperimus artare, ut non jaceant, non ambulent, non ſtent, ſed tantum ſedeant, ſi velint præcepta ſervare, ſolent reſpondere & dicere, Rab Akiba, & Symeon, & Hille Magiſtri noſtri tradiderunt nobis ut bis mille pedes ambulemus in ſabbatho, & cætera iſtiuſmodi, doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei.* Hic obiter lego *Hellel* ſive *Hillel*, videlicet הלל: nam ita vocatur hic Magiſter Judæis. Idem in Comment. Iſai. 8. *Duas domos Nazarei* (*qui ita Chriſtum recipiunt ut obſervationes Legis veteris non amittant*) *duas familias interpretantur, Sammai & Hillel, ex quibus orti ſunt Scribæ & Phariſæi, quorum ſuſcepit ſcholam Akibas, quem Magiſtrum Aquila proſelyti autumant.* Si hoc vere autumant, vixit Akibas Chriſti ætate, aut paulo poſt. Nam Aquilam proſelytum, qui libros canonicos V. Teſtam. ex Ebræo vertit in ſermonem Græcum, conſtat fuiſſe ſub Imp. Adriano circa annum Chriſti CXXV. qua de re fuſe dicam in Notis meis ad Fragmenta vet. interpretum in Pſalmos. Aquila item tranſtulit Pentateuchum Moſis in linguam Chaldaicam; quæ tranſlatio hodie exſtat impreſſa Venetiis ſub nomine Onceli. Vide Annotata ad Joh. 1. 38.

8. *Unus eſt enim Magiſter veſter*] i. διδάσκαλος ὑμῶν, quæ lectio melior eſt quam ea quæ nunc in cod. Græcis, καθηγητὴς ὑμῶν, *doctor veſter*, cum ſequatur, *Ne vocemini doctores: unus enim eſt veſter Doctor*, h. e. καθηγητὴς & καθηγητής alioquin idem bis diceretur. Joh. 1. 39. *Rabbi, quod dicitur, ſi interpreteris, Magiſter*, διδάσκαλε. Syrus hic habet רבכון *rabbechon*, *Magiſter veſter*. Sic, *Doctitant Moſes* רבנו *rabbenu*, *Magiſter noſter*: item, *Docet nos Magiſter noſter*; unde titulus libri Thanhuma, qui vocatur ab Ebræis *Ilmedenu*, vel ſi mavis, *Jelammedenu*, i. Docet nos. Sic, *Sit honos* רבן *magiſtri tui* (alias *principis tui*) *tam cara quam honos cœli*, i. Dei.

9. *Patrem nolite vocare vobis*] Sic interp. vetus, nec aliter Syrus, ut nec Ebræus. Loquor de codice quem Mercerus vulgavit. In hoc ſermone pronomen ὑμῶν redundat. *Pater* autem, i. אבא, quod eſt nomen honoris. Salmanticenſis fol. 61. pag. 2. אבא, *dicitur per modum honoris, ut Rabbi, & amplius, ut Abba Saul, Abba Joſe.* Qui legunt *patrem veſtrum*, πατέρα ὑμῶν, docent inter titulos honoris fuiſſe אבינו *pater noſter*; quod peculiariter uſurpant de Patriarchis: ut, *Abraham pater noſter, Iſahac pater noſter, Jacob pater noſter. Aboth* & *Abothenu* non ſunt nomina dignitatum, ut nulla cauſa ſit cur iis vetet appellari quenquam. Judicent qui hæc intelligunt. Ego propterea contendere nolim.

10. *Magiſtri*] רבנים, unde רבנן *Magiſtri*, aut *Doctores, noſtri*. Notum illud תנו רבנן *tradiderunt Magiſtri noſtri*, quod Hier. δευτεροῦσιν οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν, i. *tradunt*; à quo *Thannaim*, *Deuterota*. Obiter noto Serarium imperite Magiſtros *Rabboth* vocare, ubi diſputat de *duobus Rabboth Aquibæ* in Herode ſuo. Non ſic Ebræi loquuntur. Nam licet in uſu ſint רבותי *Magiſtri ejus* &c. tamen abſolute non dicunt רבותי eo ſenſu. Dico, eo ſenſu; quia *Rabboth* ſignificat Commentarios in Pentateuchum, h. e. in Quinque libros Moſis. Nam qui in Geneſin, vocatur *Breſith rabba*; & in Exodum, *Elle Smoth rabba*; & in Leviticum, *Vaicra rabba*; & in Deuteronomium, *Elle debarim rabba*, &c. qui libri antiqui ſunt, & paſſim laudantur à Doctoribus Ebræis, noſtris plane ignoti, nec ab ullo Chriſtiano lecti, quod ſciam. Syrus hic habet מרבותא, quod potius *doctores* ſignificat quam *doctores*. Contra *More Nebuchim* quidam exponunt *Doctor perplexorum*, cum מורה potius *doctorem* ſignificet. ¶ *Quia Magiſter veſter*] Hic eſt καθηγητὴς in fonte, quod alii *Doctorem* reddunt, & καθηγηταὶ *doctores*. Lex. vetus, Καθηγητὴς, *præceptor*: proprie *dux viæ*, qui & καθηγεμὼν 2 Mach. 10. 28. καθηγεμόνα τ ἀγώνων, *ducem certaminum*. Exponitur etiam *monitor*, & *qui inſtruit*; item *autor*, *ſuaſor*, *impulſor*.

12. *Qui ſe extollet*] Hæc ſententia habetur in tractatu Irubin, cap. 1. *Omnis qui humiliat*, aut *deprimit*, *ſeipſum*, *Deus benedictus extollit eum: & omnis qui extollit ſeipſum*, *Deus benedictus humiliat eum.*

15. *Proſelytum*] Qui Syris גיורא, unde γιώργις & γιώργος. Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 1. diſtinguere videtur, inquiens, ἡ περιόντας τὰς τε καλουμένας γιώργους σὺν ὄχλοις. Sed inſpiciendus locus. Dicitur & γίωργ, quod minus recte ſcriptum: γίωργη ὃν τ προσήλυτον ἐκάλεσεν, *Gioran proſelytum appellavit.* Suidas, Προσήλυτοι, οἱ ἐξ ἐθνῶν προσηλυθότες καὶ τ σὺν ἡμῖν πολιτευόμενοι νόμοις, *Proſelyti qui ex Gentibus ad populum Iſrael aggregati ſecundum leges Divinas vivunt.* Eucherius in lib. Regum, pag. 11. *Proſelyti vocabantur Græci qui ex aliis nationibus progeniti in fidem & conſortium populi Dei, accepta circumciſione, tranſierunt.* Ipſum nomen Græcum, ut & Syriacum, aliquando late ſumitur pro quovis advena, qui Ebræis *advena porta*, niſi me fallit augurium. Interdum accipitur pro eo qui Legis jugum in ſe recepit, quem vocant *advenam juſtitiæ*, vel *advenam filium fœderis*. *Advena portæ*, quicunque portam urbis advena ingreditur. ¶ *Duplo quam vos*] Deſideratur *magis*, ut in illo Plauti, *Mulier tacita bona eſt quam loquax*: & Taciti, *claris majoribus quam vetuſtis.* Adhibe libellos meos.

16. *Debet*, ὀφείλει] i. peccat: purus putus Chaldaiſmus. Hinc *debita* peccata, & *debitores* peccatores. Ezech. 18. 7. חוב ὀφειλὴν *debitor*. In edit. Chaldaicis חובא *debitum*, *peccatum*; חייב *debitor*, *peccator*, *improbus*. Nam eſt interpretamentum לא רשיע, quod potius *improbum* quam *impium* deſignat. Hinc eruimus pravam conſuetudinem illius ævi, quæ originem habuit ex falſa doctrina Phariſæorum. Nam qui per Templum jurabat, excuſabatur; qui per aurum Templi, culpabatur: Sic qui jurabat per donum altaris, in culpa erat, cum ſine culpa juraret per ipſum altare.

18. *In altari*] Per altare. Ebraiſmus eſt, quem ſæpius retinet interp. noſter aliquando immutat, ut v. 16. *Quicunque juraverit per templum*, ubi Græci ὁ τῷ ναῷ *in templo*. Cæterum lex non vetat jurare per nomen Dei, ut eſt apud Eraſmum, ſed per rem ullam creatam, qualia ſunt Cœlum, Templum, & Altare. Dico, *Cœlum* proprie ſumptum. Nam quando pro *Deo* ponitur, licet jurare per illud. De juramento השם משכן *habitaculum iſtud*, quo Templum innuebant, diximus alibi: non libet repetere. Vide De tribus ſectis. Forte per משכן ſignificabant ipſum Deum in Templo habitantem. Quo ſpectat illud, *Qui jurat per templum, jurat per ipſum & per eum qui habitat in eo.* Sane Deus מקום nuncupatur Pſal. 90. 1. Figuram hanc Grammatici *Metonymiam* appellant *continentis pro contento*. Ita *cœlum* ponitur pro *cœlicolis*: ut in illo Poetæ, *Cœlo gratiſſimus amnis.* Sic etiam Ebræi *cœlum* pro *Deo* uſurpant. Neſcio an huc reſpexerit ὁ Σωτὴρ, cum ait, *Qui jurat per cœlum jurat per thronum Dei, & per eum qui ſedet ſuper ipſum.* Nam qui ſedet in throno Dei eſt ipſe Deus.

23. *Decimatis menthan*, &c.] Hoc faciebant ex traditione ſive diſciplina majorum, non ex Lege. Nam in Lege, *decimas proventus tui*, i. תבואתך. Olera autem non vocantur *proventus*, i. תבואה, nec ſub eo nomine comprehenduntur. Quod notatum in lib. Præceptorum 145. 4. Quod ſequitur, *Hæc oportuit facere*, docet traditiones non omnino rejiciendas eſſe. Porro quæ ſpecies decimandæ ſint vide Gerundenſem in Moſen, fol. 308. pag. 2. ¶ *Fidem*] i. veritatem. *Fides* proprie אמונה dicitur, *veritas* אמת, quæ dictorum factorumque veritas eſt & conſtantia in ſervandis promiſſis. Vide Obſerv. meas. Utriuſque radix eadem.

32. *Complete menſuram patrum veſtrorum*] Manahemus in Moſen, *Ordinavit illis diem unum in anno ad expiandum iniquitates eorum, ne compleretur menſura eorum*, כאתם. Ergo מדה *menſura*. Recte igitur Græci μέτρον interpretantur, proprie *fatum*, Gen. 18. 6. & 4 Reg. 7. 1, 16. Chaldæi מזמנא dicunt: unde *fatum* Thargum Iob 20. 22. מזמנא תתמלא *complebitur menſura ejus.* Ea completa pœna de illo ſumetur. Gerundenſis 337. 1. *Cum impleta eſſet menſura eorum*, כשתתמלא מדתם.

33. *Judicium gehennæ*] i. pœnam gehennæ. Sic Dav. Ebræus cognomento Camius definit Gehennam משפט רשעים *judi-*

judicium improborum. Si recte, tunc non male *Gehenna ignis* exponitur *pœna ignis.* Sed elegerim *locus judicii*, i. *pœna improborum.*

35. *A ſanguine Abel juſti*] Scribi debet perpetuo cum aſpiratione *Habel.* Contra peccatum in *Elias*, quod ſcribunt *Helias.* Sic *Enoch* hodie multi ſcribunt pro *Henoch.* Ex hac prava ſcriptura manavit ei ſimilis interpretatio, Ἄβελ, πένθος· quæ legitur apud Ioſephum, Philonem, Origenem, Euſebium Pamphili, Theodoretum, & alios. Verba Euſebii ſunt apud interpretem Latinum lib. 11. cap. 4. de Præp. Euang. *Abel, Latine Luctum dicere poſſumus. Nam qui primus omnium parentibus luctum intulit, hoc nomine ab eis divina quadam providentia fuit appellatus.* Theodoreti Græca habentur Quæſt. 51. in Gen. Ἄβελ πένθος ἑρμηνεύεται. Πρώτου γὰρ ἔτους ἀφῆκε νεκρὸς, καὶ πρώτου πᾶς γεγονὼς πεπείρανται πένθους. Ab his accepit Heſychius, in cujus Lexico, Ἄβελ, πένθος. Verior interpretatio in lib. Nominum, *Vanitas aut Vapor.* הבל *Hebel*, *vanitas*; הבל *Habal* prima correpta, *vapor*, i. ἀτμὶς ſive ἀτμὸς halitus. Nolo te fugiat. *Abel*, cum eſt nomen oppidi, recte exponitur *luctus.* Nam tum in ſcriptura Ebraica אבל. Habeli mentio & Ebr. 11. 4. & 12. 24. ¶ *Zachariæ filii Barachiæ*] In Euangelio quo uſi olim Nazareni qui Chriſtum cum lege jungebant, *Zachariæ filii Jojadæ*, de quo narrat Regum hiſtoria quod *occiſus fueris inter templum & altare.* Vide 2 Par. 24. 22. & Luc. 11. 51. Vide quoque Hieron. in Comment. ad hunc locum. Sunt qui Zachariam binomium, & aliter *Jojadam* appellatum, fuiſſe putant. ¶ *Inter templum & altare*] Alibi eſt, *inter atrium & altare*; quod erat ſpatium XXII cubitorum. Moſes de Kotſi lib. Mandatorum 208. 4. *Inter atrium* חיל *& altare* XXII *cubiti erant.*

37. *Jeruſalem, Jeruſalem*] *Jeruſalem* dicimus, & *Jeroſolyma, Jeroſolymæ*; & *Jeroſolyma, Jeroſolymorum*: ut *Sodoma, Sodomæ*; & *Sodoma, Sodomorum.* Græce, τὰ Ἱεροσόλυμα, ἢ τὰ Σόδομα. Gentile, *Jeroſolymita*, & *Jeroſolymitanus*, ut *Sodomita*, & *Sodomitanus.* Jeruſalem Ebraice vocatur *Jeruſalaim*, numero duali. Sed *Jeruſalem* etiam Chaldæis in uſu, quod ſcribunt ירושלים cum Tſere in ultima. Adhibe Obſerv. meas. Jeruſalem duplex, cœleſtis, terreſtris. Poſterior vocatur ἡ νῦν Ἱερουσαλὴμ Gal. 4. 25. Prioris mentio Hebr. 12. 22. & alibi: quæ & *nova Jeruſalem* Apocal. 3. 12. & ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, i. *ſuperna*, vel *ſublimis*, aut *quæ ſurſum eſt*, *Jeruſalem* Gal. 4. 26. Terreſtris dividitur in ſuperiorem civitatem, τὴν ἄνω πόλιν, quæ & ἄκρα dicitur, [imo *Sion*: nam Acra ſita erat in parte illius montis. Vide quæ habentur ad Matth. 21. 5.] i. מקדש, & inferiorem, τὴν κάτω πόλιν. In circuitu continebat quinquaginta ſtadia, ut Hecatæus Abderita memoriæ prodidit, quæ fere ſex milliaria Germanica conſtituunt. ¶ *Qua occidis Prophetas*] Nam Judices ſynedrii majoris, penes quos judicium Prophetarum erat, Jeroſolymæ ſedebant. Qua de re Luc. 13. 34.

CASAUBONUS.

13. Ὅτι κλείετε τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων] Recte doctiſſimus interpres ἔμπροσθεν opponi putat hoc loco τῷ ὄπισθεν potius quam τῷ μετέπειτα. Nam κλείειν τὴν θύραν ἔμπροσθέν τινος id plane eſt quod Gallice dicitur *fermer la porte au viſage*, ſive *au nez*: quod loquendi genus elegantiſſimus poeta Paulus Silentiarius uſurpavit in Epigrammate quod exſtat Ἀνθολ. l. 7.

Δικλίδας ἀμφοτέρῃσιν ἐμοῖς Γαλάτεια προσώποις
Ἔκτρεφε.

15. Περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηράν] Apud recentiores Græcos ἡ ξηρὰ paſſim pro *terra* legitur. Etiam Thucydides τὸ ξηρὸν pro eodem poſuit lib. 8. ἐξέπλουν εἰς τὸ ξηρόν. ¶ Ποιεῖτε αὐτὸν υἱὸν γεέννης] Sic alibi υἱὸς ἁλίσεως vocatur Judas Iſcariota, *homo perditiſſimus*, & *perditioni devotus*: qui eſt elegantiſſimus Hebraiſmus, Latinis non prorſus inauditus: ſiquidem Varro *inconſtantiæ filium* dicere non dubitavit, de homine inconſtantiſſimo cum loqueretur; ſicut Paulus υἱὸς τῆς ἀπειθείας vocat *homines inobedientiæ*, Eph. 5. 6. & alibi quoque.

CAMERO.

2. Ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν] *Moſes* Vetus Teſtamentum hic ſignificat; & *cathedra Moſis* eſt cathedra in qua explicatur Lex. Sic Actor. 15. 21. & 2 Cor. 3. 15. *Quando*, inquit Apoſtolus, *legitur Moſes*, (paulo ſuperius dixerat, *in lectione Vet. Teſtamenti*) h. e. dum legitur V. T. nempe *Moſes & Vetus Teſtamentum* idem ſignificant. *Sedere* ergo *in Cathedra Moſis* non eſt Moſi ſuccedere, ſed doctrinam quam Moſes tradidit tradere, legere Moſen & Prophetas, & interpretari ad Moſis mentem. Nam profecto Scribæ & Phariſæi non fuerunt Moſis ſucceſſores: Moſes enim cum eſſet Mediator V. T. nullum potuit, neque vero debuit, habere ſucceſſorem: pugnat hoc cum ratione muneris Mediatorii: ſed *Moſes* hoc loco Legem ſignificat.

3. Πάντα οὖν ὅσα ἂν εἴπωσιν] Hinc Conciliorum infallibilitatem exſculpere conantur Pontificii, ſed fruſtra. Nam non agitur hoc loco de Epiſcopis in unum congregatis; imo vero agitur de Scribis & Phariſæis corruptoribus Legis, à quorum *fermento*, h. e. *doctrina*, Matth. 16. Chriſtus juſſit Diſcipulos ſuos *ſibi cavere.* Quid? ergone Chriſtus dixerit pugnantia? Minime vero: nam præceſſerunt hæc verba, *Sedent in cathedra Moſis*, h. e. legunt Moſen & Prophetas, & interpretantur ad Moſis mentem; hactenus ſane audiantur. Id quod nos facile concedimus Scribis & Phariſæis in Eccleſia Rom. non minus gravibus Chriſti hoſtibus quam fuerunt priſci illi Scribæ & Phariſæi. Imo docemus hoc pacto Eccleſiam Chriſti fuiſſe conſervatam, quod omnibus ſeculis etiam deploratiſſimis Scribæ & Phariſæi ſederint in cathedra non modo Moſis & Prophetarum, ſed Apoſtolorum etiam. Neque tamen inde ſequitur doctrinam quam tradiderunt non fuiſſe fermentatam & adulteratam, atque ejuſmodi ut, quando purior lux Euangelii affulſit, non fuerit alio confugiendum quam ad iſtos Doctores; quorum fraus aliquam potuit habere ſpeciem quamdiu Deus majoris lucis copiam non indulſit.

4. Δεσμεύουσι γὰρ φορτία βαρέα] Alludit Chriſtus ad illud *ligare & ſolvere* quod erat Rabbinis ſemper in ore, *Hoc ligatum eſt, illud vero ſolutum eſt:* de qua loquendi formula vide ſupra ad c. 18. 18. & 16. 19.

5. Πλατύνουσι τὰ φυλακτήρια αὐτῶν] Phylacteria iſta membranæ ſunt quibus inſcribuntur quatuor Pentateuchi ſectiones, quarum prima continet novem priores verſus c. 6. Deuteronomii; ſecunda, novem priores verſus c. 13. Exodi; tertia, octo poſteriores ejuſdem capitis, h. e. verſus inter 9 & 17 interjectos; quarta continet ex Deut. 11. verſus qui ſunt à 13. ad 22. Hæc Phylacteria Judæi fronti & brachio aptant, & תפלין vocant: quod vocabulum ſunt qui à התפלל deducunt, quæ vox *orationem* ſeu *preces* ſignificat, quod iſtorum תפלין præcipuus uſus eſſet in oratione: atque hoc pacto *Tephillin* dicuntur quomodo Pontificii corollas ſuas ſive roſaria ſolent vocare lingua Gallica *Paternoſtres.* *Phylacteria* vero Græce dicuntur quod fuerint ad inſtar phylacteriorum concinnata. Porro φυλακτήριον Græcis eſt φάρμακον *amuletum*, quod annectitur corpori adverſus faſcinationes, item adverſus morbos: nam & φάρμακον eſt cujus uſus eſſe poſſit legitimus. Hunc autem ritum obſervarunt Phariſæi, ut & reliqua multitudo Judæorum qui quidem Phariſæis fuerunt addicti, rati ſe in eo Deo obſequi; quaſi Deus [redacted] præſcripſiſſet quatuor illis Scripturæ locis quæ illi Phylacteriis inſcribebant. Nam ſua Phylacteria volunt eſſe ea quæ Deut. 6. 8. & Exod. 13. 16. טוטפות dicuntur. Itaque Paraphraſtes Chaldæus Onkelos vertit תפלין. Cæterum non videtur Deus iis locis commendaſſe uſum horum Tephillin: nam Exod. 13. agitur de rebus, non autem de verbis; atqui res qui poſſint eſſe Tephillin? Nempe Deus vult Paſcha eſſe Iſraelitis לטוטפות, h. e. quod v. 9. ejuſdem capitis dicitur לזכרון *in monimentum.* Id quod facile quis intelligat ſi animo reputet quid ſignificet vox טוטפות, atque unde derivata ſit. Nempe ea voce ſignificantur *ornamenta*: id quod vel hoc argumento probari poteſt, quod 2 Sam. 1. 10. quod eſt in Hebræo עדיה Chaldæus Paraph. vertit טוטפתה. Cæterum eo loci intelligitur *armilla* cum gemma quæ armillæ fibula fuit. Et certe quemadmodum עדיה dicitur à עדה, quæ vox *motum & inceſſum* ſignificat, quod ea ornamenta ad motum corporis moverentur, ita פעמה à פעם deductum eſt, eſt vero פעם non ſimpliciter *incedere*, ſed *inter incedendum corpus pueriliter agitare*; itaque Eſaias cap. 3. 16. exprobrat puellis Iſrael הלוך ותפעמנה quod *inter incedendum corpus pueriliter agitarent.* Haud dubie igitur טוטפות *frontis ornamenta* ſunt *quæ in inceſſu agitantur.* Itaque Deut. 6. Vetus Interpres vertit מסתלקין *ea quæ moventur*, quod confirmat imprimis

primis interpretationem noſtram. LXX vero ἀσπαλάθῳ reddiderunt κατ' ἀντιφρασιν, nam ἀσάλευτον proprie eſt *quod eſt inconcuſſum, quod non movetur:* quanquam fortaſſe illi ſcripſerunt ἃ σαλευτὰ *ea quæ moventur*, quemadmodum habetur in editione Latinæ vulg. Pari ratione inducti Judæi ſchedulas affigebant januis & portis, atque eas ſchedas ſeu membranas ſolent illi מזוזה vocare, propterea quod מזוזה *poſtes* ſignificat. Atqui Dominus dum inſcribi januis Legem ſuam voluit, nihil aliud juſſit aut voluit quam ut Legis memoria nunquam ex animo populi ſui diſcederet. Similes exſtant locutiones in Proverbiis Salomonis: jubet enim Sapientia *alligari collo præcepta ſua*, &c. ¶ Μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα] *Fimbriæ* hoc loco ſunt quæ גדילים Hebraice dicuntur. Juſſit enim Deus populum Iſraeliticum uti velle fimbriata, atque iſtas fimbrias ut גדילים Deut. 22. appellavit, ſic Num. 15. ציצית eaſdem vocavit. Ea vero vocabula Chald. Paraph. reddit טרפין, quæ ſunt hæc κράσπεδα *fimbriæ*, quarum Chriſtus hic meminit, quibus etiam Judæi ad ſuperſtitionem abutebantur, authoribus Phariſæis: nam & iſtis fimbriis affuebant membranam aut ſchedam inſcriptam verbis Legis deſumptis ex iis locis quorum modo meminimus, atque hanc ſchedam ציצית appellabant. Unde unam eandemque rem חתלן dicunt cum aptatur capiti, מזוזה cum aptatur januæ, ציצית cum aptatur veſti. Verba eorum ſunt, חתלן בראש ובזרוע מזוזה בפתח ציצית בבגד, monentque ציצית appendicem eſſe fimbriarum. Jam facile eſt perſpicere quorſum Phariſæi ſpectarint dum *Phylacteria dilatarent ſua, & fimbrias ſuas amplificarent*, nempe ut eo cæteris pietate antecellere viderentur; Quemadmodum inter Pontificios quo quiſque ſuperſtitioſior eſt, eo geſtat corollam majorem & grandioribus globulis.

7. Καλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων Ῥαββί] Cognomentum illud cœpit eſſe in uſu paulo ante natum Chriſtum: idque ab ipſis Judæis obſervatum eſt. Nam qui Prophetas ſecuti ſunt proxime Doctores in Eccleſia Judaica, quos vocant אנשי כנסת הגדולה *viros M. Synagogæ*, ii nullis titulis populo commendabantur; non (ut dictitant Judæi) quod tanta eſſet eorum excellentia (quamvis ea magna fuit) ut nullis explicari titulis potuerit, ſed quod eſſent ea ætate mores hominum à faſtu magis alieni, & revera magnæ virtutes titulos non magnopere deſiderant. At ſeculo quod ſeculum Chriſti præceſſit cœperunt vocari *Rabbi* Doctores Eccleſiæ, & *Rabban*. Cæterum רבי *Rabbi* eſt רב cum affixo ſingulari, רבן *Rabban* cum affixo plurali Chaldaico. Magnum autem faciunt diſcrimen inter רב *Rab*, רבי *Rabbi* & רבן *Rabban:* nam *Rabbi* volunt aliquid eſſe minus quam *Rabban:* Paucos enim è ſuis Doctoribus, & quidem eos tantum qui ſeculo quod ſeculum Chriſti præceſſit floruerunt, nomine *Rabban* ornarunt: & *Rab* poſitum ſimpliciter majus aliquid eſſe exiſtimant quam *Rabbi*, nempe *Rab* eſt *Rabbi* κατ' ἐξοχήν. *Rabbi* vero titulus eſt omnium Doctorum.

8. Ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε Ῥαββί] Quæritur quo conſilio Chriſtus Diſcipulis ſuis interdixerit ne *Rabbi* vocentur, & quidem hac uſus ratione, *Unus enim eſt magiſter veſter:* quid enim prohibeat unum eſſe Magiſtrum ſuminum, cum tamen plures ſint hypodidaſcali? Neque plane ſatisfecerit huic quærenti ſi reſponderis, non damnari titulum, ſed faſtum eorum qui ſupra modum eo titulo delectabantur: nam oratio Chriſti ſimplex eſt, *Nolite vocari Rabbi.* Itaque ſic videtur occurri poſſe quæſtioni; Non titulum, ſed rem tituli duntaxat damnavit: res autem tituli non erat quodlibet magiſterium, quævis authoritas, ſed Magiſterium & Auctoritas unde nemini licebat provocare, in quo omnes oportebat acquieſcere. Sic profecto nemini licet admittere cognomentum *Rabbi* aut *Magiſtri:* atque hoc unum eſt quod præcipue hoc loco Chriſtus damnat: Non vult enim fidem noſtram ab ullius hominis authoritate pendere, nec quenquam, etiamſi Apoſtolus eſſet, tantum ſibi arrogare. Itaque Paulus Gal. 1. 8. *Si vel nos, vel Angelus de cælo aliud vobis annunciet Euangelium, anathema ſit.*

15. Ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον] Pertinet illud ad redarguendam Phariſæorum oſtentationem, quod Chriſtus iis exprobrat ſummam quidem diligentiam in conciliandis proſelytis, ſed iis quos multis partibus deteriores quam ipſi fuerunt reddebant. Chriſtus autem non reprehendit hanc Phariſæorum diligentiam, ſed eorum mentem potius ac conſilium. Itaque Chriſti verba non ſunt ita accipienda ac ſi duo ſejunctim Chriſtus reprehenderet, primo, quod Phariſæi tantopere laborarent in traducendis Gentilibus ad Judaiſmum, deinde, quod eos facerent duplo magis reos gehennæ: ſed ſic reddenda ſunt, *Væ vobis, Phariſæi, quod poſtquam omnem moviſtis lapidem ut vel unum conciliaretis proſelytum, miſerum illum reddidiſtis vel vobis duplo deteriorem.* Fuit autem conſilium Phariſæorum non Deo proſelytos, ſed ſibi & ſectæ ſuæ diſcipulos & aſſeclas conciliare. Porro *proſelyti* ſunt quos Hebræi גרים vocant, *inquilini* in terra Promiſſionis, quam Deus populo ſuo ſingulari munere largitus eſt. Poſtea etiam *Proſelyti* vocati ſunt qui etiamſi nullum haberent domicilium in terra Iſraelis, tamen Judaicam religionem, cum eſſent exteri, profitebantur; προσήλυτοι, q. προσεληλύθοτες *qui acceſſerant* ad religionem Judaicam: πρόσηλυτος vero προσήλυτον uno verbo dicitur à Judæis גיר, & *fieri proſelytum* eſt נתגייר. Eſt igitur גיור προσηλυτεία, quomodo Matth. 28. 19. μαθητεύειν dicitur, h. e. תלמיד, pro ποιεῖν μαθητὰς *facere diſcipulos*, à voce תלמיד μαθητὴς, quæ vox in Eccleſia Chriſtiana remanſit: at *Proſelyti* nomen ideo non eſt uſurpatum, propterea quod vocatio Gentium in Eccleſia Chriſtiana non erat extraordinaria, ſed ordinaria; itaque Gentes vocatæ non habebantur pro Proſelytis, quin tum fuit una eademque Eccleſia Judæorum & Gentium. Ante illa tempora diverſa fuit ratio vocationis: nam quicunque è Gentibus ad Judæos tranſiebant, id faciebant veluti extra ordinem; nondum enim venerat tempus vocationis Gentium: attamen recens converſos è Gentibus ad Chriſtianiſmum νεοφύτους vocabant, nomine cujus uſus præcedente tempore nullus erat. Fiebat autem iſta admiſſio προσηλύτου in Eccleſia Judaica etiam per Baptiſmum, non modo per Circumciſionem, uti præceperat Dominus. Fiunt enim Proſelyti, ut loquuntur, בטבילה ובקרבן נמילה, h. e. *circumciſione, Baptiſmo & oblatione*, feminæ quidem Baptiſmo & oblatione duntaxat, viri tribus reliquis. ¶ Υἱὸν γεέννης] Tanta tamque operoſa fuit in conciliandis proſelytis Phariſæorum diligentia ut diſcipuli magiſtros ſuperarent: atque hoc eſt quod Chriſtus populari locutione ſignificavit, cum diceret *duplo magis filios gehennæ quam vos*, h. e. multo ſuperſtitioſiores, multo confidentiores. Quod in Papatu uſuvenire ſolet, ut qui Pontificiorum Phariſæorum opera ad Chriſtianiſmum converruntur, idololatria Papiſtica penitus imbuantur, à puritate religionis multo magis abhorreant quam Doctores, quorum opera converſi ſunt ſcilicet.

29. Οὐαὶ ὑμῖν, γραμματεῖς, &c. ὅτι οἰκοδομεῖτε, &c.] Ad oſtentationem ſanctitatis pertinet quod Propherarum ſepulcra ædificabant, quemadmodum hodie Pontificii ſolent inſanis ſubſtructionibus profiteri reverentiam qua memoriam ſanctorum Martyrum proſequi ſe ſimulant. Id quod Chriſtus perinde illis objicit ac ſi animo commendandi patrum ſuorum, qui Prophetas occiderant, immanitatem id ab eis factum fuiſſet. Quod ſane mirum videri poſſit: nam certiſſimum eſt Phariſæorum hoc non fuiſſe conſilium; quemadmodum neque Pontificiorum hodie conſilium eſt Tyrannorum atrocitatem & immanitatem commendare, dum ædificant in Martyrum honorem templa ſpecie viſenda. Attamen ita ſe res habet: objicit hoc conſilium illis Chriſtus, & quidem diſertis verbis, *complete menſuram patrum veſtrorum.* Sed tenendum eſt orationem Chriſti eſſe figuratam. Neque vero id dicemus, (quod tamen dici poſſet) Chriſtum nihil aliud velle quam apud Deum illam exædificationem ſepulchrorum Prophetarum eodem eſſe loco ac ſi ſtudio Majorum homicidarum, odio Prophetarum, id feciſſent, quando ipſi æmuli in hoc genere patrum fuerunt: nam & Chriſtum Prophetarum Principem & ſectatores Chriſti perſecuti ſunt ad necem uſque. Illud potius dicemus quod res eſt, indignantis eſſe hanc vocem. Hoc autem facit indignatio cum juſta eſt, ut quæ ab authoribus alio referuntur, eo referantur quod authorum moribus eſt convenientiſſimum. Ut ſi hodie Pontificiis objiceremus omnem iſtam operam, hos ſumptus quos impendunt Templis magnifice exſtruendis, non eò ſpectare ut commendetur Martyrum memoria, ſed potius ut comprobetur eorum atrocitas qui in Martyres ſævierunt, quando hoc moribus & reliquæ vitæ Pontificiorum convenientiſſimum eſt; maxime cum quo nomine priſcilli Martyres interfecti ſunt, eodem nomine furant in vere Chriſtianos, eandemque fidem quam priſci Martyres ſanguine ſuo obſignarunt profitentes; figurata quidem erit locutio, vera tamen: omnis enim figurata locutio ad propriam, ut ejus teneamus ſenſum, revocanda eſt. Figura autem eſt ab affectu, affectus eſt ira aut dolor. Eſt ergo hæc verborum Chriſti ſententia, *Vos quidem ædificatis Prophetarum ſepulchra quos majores veſtri interfecerunt: ſed ſi res æſtimetur ex veſtris moribus, id facitis ut atrocitatis majorum veſtrorum ac crudelitatis memoriam commendetis: nempe eadem facitis quæ illi.*

37. Ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυναγαγεῖν] Abutuntur hoc loco Novatores ut probent Deum, quantum in ipſo eſt, conari convertere quoſdam homines qui tamen non convertantur. Sed fruſtra ſunt. Nam reſponderi poteſt, Chriſtum hic loqui non quatenus eſt Deus & Mediator omnipotens, ſed quatenus erat homo, Miniſter, Paſtor, Doctor Eccleſiæ, docens extrinſecus verbo, & eo affectu hæc dixiſſe qualis in eo fuit cum flevit Lazarum, humano nempe affectu.

GUALTPERIUS.

2. Ἐπὶ τῆ Μωϋσέως καθέδρας] Καθέδρα, ας, ἡ, *Cathedra, ſedes, ſella.* Vox Græca eſt, compoſ. ex ἕδος ejuſd. ſignificat. ab ἕζομαι, *ſedeo.* Ex quo deinde πρωτοκαθεδρία, *primus locus in conceſſu*, ut eſt apud Lucam; & πρωτοκαθεδρία, ut eſt in cap. ſeq. v. 6.

5. Πλατύνουσι τὰ φυλακτήρια] *Phylacteria.* Vox Græca eſt ex φυλάσσω, *cuſtodio, conſervo*, q. d. *Conſervatoria.* Significat & *locum in quo ſunt cuſtodes ſeu vigiles, ſtationem excubitorum ſeu vigilum*, Suid. Dicitur & φυλακτήριον *antidotum contra venena*, ſeu *amuletum.* Hoc loco *Conſervatorium, quod eo conſervetur memoria Legis*, inquit Eraſmus. Syrus habet תפלותהון *Tephilathun*, ex Rad. תפל, quæ inter alia ſignificat *conjunxit, connexuit.* Unde ſecretioribus interpretibus תפלה, i.e. *oratio*, dicitur, quod nos Deo conjungat per meditationem & affectum. Et hinc תפלין, TEPHILIN, *Frontalia, appendices*, Exod. 13. Deut. 6. Cæterum ſi moleſtum non eſt, recognoſcamus plenius ex Paulo Fagio in Comment. ad paraphr. Onkeli Chaldaicam, quid ſibi velint hæc Phylacteria, & quis ſenſus verborum Chriſti ſit proprius. Is vero ad v. 38. c. 15 Numerorum (qui ſic habet, *Loquere cum filiis Iſrael, ut faciant ſibi fimbrias* (ציצית *Zizith*) *in alis veſtimentorum ſuorum, in generationibus ſuis: ponantque in fimbria ala filum hyacinthinum: ſintque vobis in fimbriis, ut videntes eas recordemini omnium præceptorum Domini*, &c.) ſequentia commentatur: *De voce*, inquit, *Hebraica* ZIZITH, *quam noſtri* fimbriam *exponunt, Hebræi ita ſcribunt, Zizith eſt tanquam cincinnus capitis, ſintque fila retorta, vel extremitas veſtis, h. e. id quod relinquitur poſt texturam in panno, quodque pendet ob illo.* Aliam ſignificationem habet vox GEDILIM. *Quidam ex noſtris*, ait, *putant* Zizith *Hebræi fuiſſe quod Euangeliſta vocant* φυλακτήρια, *quia per ea ſignificaretur Divina mandata memoria eſſe tenenda & diligenter cuſtodienda. Igitur per totam veſtimenti oram fimbria hujus hyacinthini coloris ſe porrigebat, quæ vocabatur Hebraice* Zizith. *Porro, quod dicitur*, Et faciant ſibi Zizith, *vel*, fimbriam, ſuper alas, i. e. oras *ſeu* extremitates, veſtimentorum ſuorum, *colligunt nonnulli referri hoc debere ad omnes veſtes, etiam interiores, ſic ut quamcunque induerent veſtem, admonerentur de obſervatione mandatorum Dei. Hujus ceremoniæ adhuc hodie veſtigium quoddam apparet apud Judæos. Habent enim inter cæteras veſtes ſuas quandam non diſſimilem thoraci, niſi quod manicis careat, qua utuntur quotidie in precibus ſuis, eamque induunt ſuper omnes alias veſtes; illamque appellant in ſua lingua* Arba Canphoth, *idque propter* quatuor angulos *quos habet* (*Eſt enim quadrata*) *in quibus angulis pendent Zizioth, i.e. fila iſta retorta, quæ ipſi vulgo Germanico vocabulo* Zotten *nuncupant.* [Oſiand. Sie machen hübſche groſſe Zotten an die ende der Kleider / ut videantur legis Divinæ ſtudioſiſſimi.] *Mirum eſt quantum tribuant huic veſti, quaſi ſingularem vim habeat contra Jezer Hara, i. e. malum genium, ſive pravam illam concupiſcentiam. Unde eſt quod qui inter illos cæteris religioſiores haberi volunt, perpetuo eam ſub aliis veſtibus geſtant.* Prolixiſſime autem deſcribit idem ille Fagius totam hanc Judæorum ſuperſtitionem in Comment. ad Exod. 13. Ibi ſic loquitur Jehova, *Erit itaque in ſignum ſuper manum tuam, & in appenſum quoddam inter oculos tuos*, &c. In Chaldæis eſt vocabulum *Tephillin*, quod Latinus *appenſum* vertit, ex תפן *Tephal*, quod *conjungere, alligare* & *appendere* ſignificat: quo verbo vocant Judæi *ſigna illa quæ ſingulis diebus cum capiti tum ſiniſtro brachio ſolent alligare, ut admoneantur præceptorum Dei.* Alii deducunt ex *Tephila*, quæ vox Hebræis *preces & orationes* ſignificat, q. d. ORATORIA, *quod Judæi iſtis ſignis in precibus & orationibus ſuis quotidie utuntur.* Duplicia autem ſunt hæc ſigna ex Judæorum conſtitutionibus. *Quædam enim ſunt capitis, quædam manus ſeu brachii ſiniſtri. Parantur ea ex membranula quæ de pelle animalis mundi ſumitur. In illa ſcribuntur quatuor tractatus Scripturæ, quos ipſi ſua lingua* PARSCHIOTH *nominant; quæ poſtea diligentiſſime corio includuntur. Magna autem illa omnia ſuperſtitione & parantur & ſcribuntur. Cum enim Judæus vitulum unde membranam pro conficiendis Tephillin accipere ſtatuit, vult mactare, dicere tenetur*, Hunc vitulum propterea macto quod ex ejus pelle membranam pro parandis Tephillin mihi deſumere volo. *Coriario & ſcriptori idem dicitur; alioqui ſigna hæc minus valere creduntur.* R. Moſche de Cozi, *Tephillin capitis*, inquit, *ſcribi debent in pelle membrana, qua parte candida eſt. Quatuor præterea capitula ſcribi debent quatuor ſectionibus, ita ut linearum non ſit alia longa, alia brevis, ſed æquales. Non obambulet aliquis in loco ſepulturæ cum habet Tephillin in capite ſuo, niſi abſit ſpatio quatuor cubitorum. Prohibitum eſt præterea ne reVenerea in domo in qua ſunt Tephillin, aut liber Legis, donec extrahat ea, aut ponat ſub vaſe aliquo, ita ut vas vaſe alio recondat. Licet tamen ponere ea ſub capite in ſtramentis cervicalis.* Hæc & plura R. Cozi. Sed quid hoc aliud eſt quam quod Chriſtus affirmat in hoc ipſo capite, v. 24. *Ductores cæci, qui excolatis culicem, & deglutitis camelum. Sunt Tephillin præcipua hodie Judæorum ceremonia; quam etiam tanti faciunt, ut ſi quis ea quotidie utatur, & non negligat, perinde ſit ac ſi quis ſervet omnia præcepta Dei. Unde eſt apud illos hæc ſententia, Quicunque ſervat præcepta de ponendis Tephillin, huic Scriptura tribuit quaſi diſcat dies & noctes.* Lectiones autem quatuor in Tephillin deſcriptæ & incluſæ ſunt hæ; Prima, Deut. 6. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Deus unus eſt*, &c. Secunda, Exod. 13. *Locutuſque eſt Dominus, dicens, Sanctifica mihi omne primogenitum*, &c. Tertia ibidem, *Et futurum eſt quod te introducet Dominus in terram Chananæi*, &c. Quarta, Deut 11. *Erit itaque ſi audiendo audieritis verba mea*, &c. *Hæ ſunt quatuor lectiones quas Judæi ſuis Tephillin incluſas circumferunt, ſingulisque diebus capiti & manui alligant, non aliter abutentes illis quam quidam abutuntur Euangelio Johannis, qui ſe ſatis tutos exiſtimant ſi ſacra verba in ſcheda ſecum circumferant, quantumvis interim ſceleratam vitam vivant.* Quam ſuperſtitionem deteſtandam olim aperte damnaſſe Synodum Antiochenam accepimus, expreſſo etiam nomine τῶν φυλακτηρίων.

8. Ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε ῥαββεί] Hæc vox רבי *Rabbi*, vel רב *Rabb*, Syriaca & Thalmudica eſt, pro quo Hebræi dicunt ADONI, *Dominus meus.* Thalmudice etiam רבוני *Ribboni*, vel *Riboni*, vel, ut in textu Euangeliſtarum relictum eſt, ῥαββουνί, & ῥαββεί, ut Johan 4. ῥαββεί φάγε *Rabbi comede.* In Raſche Tevoth ſignificat hanc vocem litera ר, quam Latine etiam ſcribimus per *R.* Litigant Hebræi quid diſcriminis ſit inter *Rab* & *Rabbi.* Dicunt autem *Rabbi* majorem eſſe quam *Rab*, & his majorem *Rabbenu*, Syriace RABBAN, *magiſter noſter.* Litigant etiam de Jod & Nun, quaſi adventitiis. Præterea, quid *Rab* & *Mar* proprie ſignificent Elias in Thisbi ait, *Dicunt Rabbini, Omnis Rab & Mar eſt ex Babylonia, h. e. quibus manus in Babylonia erant impoſitæ; Omnis vero Ribbi eſt de terra Iſrael.* Quo etiam modo Judæi Germani hanc vocem pronuncient vitioſe, vide apud Guid. initio literæ Riſch. Sufficit nobis hanc vocem ſignificare *Magiſtrum*, Græcis καθηγητὴν.

15. Προσήλυτον, *Proſelytum*] Vox Græca ab ἐλεύθω, q. d. *advenam* ſeu *adventitium.* Apud Eccleſiaſticos igitur ſcripti dicti ſunt *Proſelyti* qui patria ſuperſtitione relicta Judaiſmum erant amplexi, ſeu qui ex paganiſmo ad Judaiſmum erant converſi, Act. 2. Ἰουδαῖοι καὶ προσήλυτοι, 22. ¶ Ἐν τῷ θρόνῳ, *per thronum*] Verbum Græcum, ex θράω, τὸ καθέζομαι, *ſedeo*, Inde θρόνος & θρανίον, *ſella.* Sed θρόνος ſolium ſeu *ſellam auguſtam* ſignificat. Unde Deo, Regibus, cæteriſque ſublimioribus tum in cœlo tum in terra poteſtatibus, in Sacris tribuitur. Et ſcriptores profani frequenter hac voce utuntur, θρόνος βασιλικός, &c.

23. Ἄνηθον] Vel ἄνητον, vel ἄννητον, Latinis *Anethum*, herba ſatis nota. Dicitur ſecundum Etymologum Græcum ἀπὸ τοῦ ἄνω θεῖν, quod cito creſcat. ¶ Κύμινον, *Cyminum*] Non minus notum quam prius.

JAC. CAPPELLUS.

2. *IN cathedra Moſis ſedent*, doctrinam Moſis, εἰς ἐκεῖνο τὸ κάθισμα, *docent Scribæ & Phariſæi.*

3. *Omnia igitur quæ dixerint vobis*] Ex illa cathedra, ſecundum illam cathedram, ſecundum illam doctrinam. ¶ *Servate & facite: ſed ſecundum eorum opera ne faciatis.* Etiam optimi paſtoris melior eſt ſemper doctrina quam vita; quanto magis hypocritæ? Tales erant Phariſæi plerique, quorum quo deterior erat vita, eo ſanctior ut plurimum erat doctrina. ¶ *Dicunt enim* facienda, *ſed non faciunt*] Adeoque quod hic de cathedra Moſis dicitur, poteſt etiam de cathedra Petri dici. Quiſquis docet doctrinam Apoſtolorum, eoque & Petri, ſedet is in cathedra Petri, ubicunque tandem ſedeat, ſtet, doceat, & conſequenter eſt audiendus. Sed ubicunque tandem ſedeat, niſi doctrinam Apoſtolicæ conformem doceat, is non eſt cenſendus in cathedra Petri, eoque nec audiendus, Galat. 1. 8. 1 Timoth.

1 Timoth. 1. 10. 2 Timoth. 3. 10. & 4. 3. Tit. 1. 9. & 2. 7. 2 Johan. 10. Apoc. 2. 14, 15, 24. Et tamen laus quæ tribuitur hic Scribis & Phariſæis, poteſt habere peculiare quidpiam, & ad id ſpeciatim referri quod ab illis tum fiebat in Templo. Potuit Dei providentia Templum ad eam uſque diem ita conſervare ut ne Phariſæorum quidem nedum Sadducæorum errores in Templo docerentur, ſed quovis potius alio quam in illo loco. Poſtea vero paſſus eſt Deus ut etiam in Templo ſederet *abominatio deſolationis à Daniele prædicta*, Matth. 24. 15. quod referri poteſt non tantum ad Zelotarum latrocinia ſed etiam ad falſitatem doctrinæ licentius tum quam unquam etiam in Templo graſſantem. Tum vero juſſi ſunt fideles inde diſcedere, Matth. 24. 15, 16. adeoque voce cœlitus audita dicente in Templo, MIGREMUS HINC, ſexto ante Templi ſubverſionem anno, prout refert Joſephus Belli Judaici l. 6. c. 31.

15. *Circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum*] Nempe quia proſelytos ſuos quaſi totidem creaturas ſuas oſtentabant. Diſcimus id ex authore רמת in Geneſ. §. 39. *Qui fit*, inquit, *ut* Geneſ. 12. *dicatur*, ET OMNES ANIMAS QUAS FECERANT? *Dixit R. Eliezer Zimra Fil. Etiamſi congregentur omnes orbis incolæ ad creandam vel muſcam unam, non poſſint in illam diffundere animam, & tu dicis*, OMNES ANIMAS QUAS FECERANT? *Sed enim hi ſunt proſelyti quos fecerant. Si res ita ſe habet, cur dicitur* FECERANT? *Nempe ut diſcas eum qui accedit ad extraneum & facit eum proſelytum, perinde eſſe ac ſi crearet eum.* Ibidem proſelytos aliquos facere vocatur *eos congregare ſub alis Divinitatis* והכניסם תחת כנפי השכינה: quod elegantur quidem dicitur, ſed indicat faſtum eorum quibus dabatur aliquos ad Judaiſmum adducere.

29. *Ædificatis ſepulcra Prophetarum*] Vanitatem hanc deridere cœperunt ipſi Judæi, ex quo paupertas hujus ambitionis imitandæ facultatem illis ademit. Sic enim Rabba in Gen. §. 82. אין עשים נפשות לצדיקים קברהם הם וכתיהם, *Non ſunt ſepulchra juſtis: Horum verba ſunt eorum monumenta.*

37. *Jeruſalem, Jeruſalem, qua trucidas Prophetas, & lapidas eos qui miſſi ſunt ad te, quoties volui congregare liberos tuos, quomodo gallina congregat pullos ſuos ob alas, & noluiſtis?*] h. e. Hieroſolymitani, Hieroſolymitani, qui toties Prophetas veſtros trucidaſtis, & lapidibus obruiſtis eos qui mittebantur ad vos, quoties etiam mihi repugnaſtis volenti vos ad me convertere? Nam qui proſelytos aliquos facit, is Judæis dicitur *congregare eos ſub alis Divinitatis*, uti ex v. 15. patet.

LUD. CAPPELLUS.

25. PUrgatis *exteriorem poculi partem*, &c.] Eadem formula & ſimilitudine utitur in eodem argumento R. Salomon F. Gavirol in כתר מלכות, verba faciens de hypocritis, *Oſtentant*, inquit, *animam puram & mundam, ſed ſub ea latet lepra. Similes ſunt vaſi pleno immunditie: extrinſecus lota ſunt aqua fraudis & aſtutia, ſed quicquid intus eſt in medio eorum immundum eſt* & impurum.

35. Τοῦ Βαραχίου] Videndus Hieronymus in hunc locum. Ego ſimplicius exiſtimarem vel lapſu librarii antiquiſſimo ſcriptum fuiſſe Βαραχίου pro Ἰωδαε, quomodo apud LXX vocatur 2 Par. 24. 20. nam Chriſtus proculdubio reſpexit ad hiſtoriam quæ illic habetur; vel ipſum Euangeliſtam ſphalmate μνημονικῷ non diſtinxiſſe Zachariam filium Barachiæ, cujus Prophetia exſtat in libro XII Prophetarum minorum, à Zacharia filio Jojadæ, qui interfectus fuit inter Templum & Altare; quomodo ſimili ſphalmate μνημονικοῦ videtur Stephanus Actor. 7. 16. non diſtinxiſſe ſed confudiſſe in unum duas hiſtorias: quâ de re nos aliquid dicturi ſumus ad eum locum. Simile ſphalmate μνημονικῷ lapſus eſt in eodem argumento author Targum, Thren. 2. 21. Zachariam enim illum qui occiſus fuit vocat *Sacerdotem magnum* (quia ſcilicet filius erat Jojadæ Sacerdotis magni) & *filium* עדו *Iddo*. Sic nempe ille, *An vidit quis interficere in domo Sanctuarii Domini Sacerdotem & Prophetam, quemodo vos interfeciſtis Zachariam filium Iddo, Sacerdotem magnum & Prophetam fidelem, in domo Sanctuarii Domini, die ipſo Kippurim* (h. e. *Propitiationum*) *propterea quod admonebat vos ut ne faceretis malum coram Domino?* Omnino reſpicit ad hiſtoriam quæ narratur 2 Par. 24. 20. Atqui Zacharias filius Jojadæ Sacerdotis magni, qui interfectus fuit, non dicitur *filius Iddo*; ſed Zacharias filius Barachiæ, cujus liber eſt inter XII minores prophetas, neque legitur occiſus, dicitur *filius*, h. e. nepos, *Iddo*, Zach. 1. 1. Porro obſervandum eſt quod præterea alius eſt Zacharias cujus mentio fit Eſai. VIII. 2. quique juxta Hebræum textum dicitur *filius* יברכיה *Jeberechiæ*, ſed ſecundum οἱ δὲ LXX & vulg. verſ. dicitur *filius* Βαραχίου, *Barachiæ*. Is jungitur iſthic Uriæ ſummo Sacerdoti, nec longe abfuit à tempore Zachariæ filii Jojadæ, qui interfectus fuit in atrio domus Domini. Unde fieri poteſt ut ab imperito Librario is poſitus ſit apud Matthæum pro Zacharia filio Jojadæ.

GROTIUS.

2. ΕΠΙ τῆ Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι· *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi*] Non agi de Pontificibus & Sacerdotibus manifeſtum eſt: nam hi imprimis nominarentur. Sed neque de toto Synedrio intelligi poteſt: nam in eo Sadducæi erant non minus quam Phariſæi. Agitur ergo, ut ex commate 8. apparet, de iis qui *Magiſtri* ſive *Doctores* vocabantur: qui ferme omnes erant Phariſaici inſtituti, & multi etiam Adeſſorum fungentes munere: quia eorundem eſt, ut ſupra diximus, de Jure reſpondere & Magiſtratibus eſſe à conſilio. מושב משה καθέδρα Μωσέως [*cathedra Moſis*] eſt cathedra in qua ſedentes Magiſtri Legem aut populo publice aut diſcipulis privatim interpretabantur: quomodo *cathedra* vox Græcis quoque & Latinis uſurpatur, unde Philoſophos *cathedrarios* dixit Seneca. Errant enim, meo judicio, qui pro certo aſſeverant Judæos ſtantes Legem interpretatos. Certe ſi quibus ex plebe poteſtas loquendi fiebat, hi ſtantes proloqui ſolebant, ut rectius ab omni cœtu exaudirentur: quo ſpectat id quod habemus Actorum XIII, 16. At Archiſynagogi aut alii publico Magiſtri munere fungentes, non minus quam Epiſcopi Chriſtianorum, in cathedra ſedentes Legem interpretabantur. In Conſtitutionibus Clementis lib. II, cap. XI. Epiſcopo dicitur, οὕτως ἐν ἐκκλησίᾳ καθίζου τὸν λόγον παιδεύων· [*ſic in eccleſia ſede ſermonem habens*]. Optatus Milevitanus libro V. *Electi eſtis qui ſedentes populum doceatis.* Stantes tamen legebant ipſa Legis verba, deinde cætera ſedentes loquebantur; quod diſcrimen non recte animadverſum quoſdam fefellit. Ita ſtetiſſe Eſdram legimus in loco excelſo, ſed dum apertus eſſet liber. Hoc enim vult נפתחו Nehem. VIII, 5. ἀνέῳξε τὸ βιβλίον [*cum aperiret librum*] juxta LXX. Cum quo loco conferendus is qui eſt Lucæ IV, 17 & ſequentibus, ubi Chriſtus in Synagoga dicitur traditum ſibi librum ἀναπτύξαι, hoc eſt, ἀνοῖξαι [*aperuiſſe*], ut loquuntur LXX: legit deinde ἀλλαγὴν [*ſectionem*], qua lecta πτύξας τὸ βιβλίον, ἀποδοὺς τῷ ὑπηρέτῃ, ἐκάθισεν [*& cum plicuiſſet librum reddidit miniſtro, & ſedit*]. Stetit ergo dum liber erat apertus, clauſo deinde libro ſedens ad populum verba fecit. Joſephus quoque ſtetiſſe ait Pontificem Maximum ſeptimo quoque anno ἐπὶ βήματος ὑψηλοῦ [*in alto ſuggeſtu*], ſed nimirum ad prælegenda populo Legis verba, quod adjicit.

3. Πάντα οὖν ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε· *Omnia ergo quæ dixerint vobis ſervate & facite*] Sæpe jam diximus univerſales voces reſtringi debere ex natura ſubjectæ materiæ, & ex ipſa rei æquitate. In Lege Moſis ſicut multa erant præcepta, ita in illis præceptis multa erant de quorum ſenſu ambigi poterat. In iis explicandis operam non malam navabant οἱ νομικοί [*Legiſperiti*], gnari linguæ & hiſtoriæ veteris, ſine quarum cognitione Legis pleraque recte intelligi nequibant. In his ergo eos Chriſtus vult audiri à plebe, & eorum interpretationes, quanquam forte in duriorem partem nimium inclinantes, recipi: quod extendi etiam poteſt ad rigidiores determinationes rerum in Lege generaliter præceptarum, quæ ſine determinatione aliqua expediri non poterant. Nam in his talibus debebat aliquid eſſe certi juris, quod obtineri non poterat niſi Interpretum auctoritate. Cæterum id non eo pertinet, ut ſi quid docerent manifeſtis præceptis ipſique pietati contrarium, ut De Corbona parentibus præferenda, ſequendi eſſent duces cæci. Sed neque obligare cujuſquam conſcientiam Chriſtus voluit iis præceptis quæ plane extra interpretandi officium extraque Legem ipſam ab νομικοί [*Legiſperiti*] comminiſcebantur, præſertim ſi ea præcepta ſuperſtructa eſſent falſæ atque inani perſuaſioni, quale erat præceptum de manibus abluendis eo fine ne manus contactu inquinatæ animum inquinarent: qua de re actum eſt ſupra. illud ergo ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν [*quæcunque dixerint vobis ſervare*] intelligendum ex connexu ſuperiorum, Quicquid jure cathedræ, ſive ut Legis interpretes, vobis faciendum dictaverint: quæ interpretatio, ni fallor, reipſa non diſcrepat ab iis quæ in hunc locum tractant Hieronymus, Hilarius, & Theophylactus. ¶ Λέγουσι γάρ, καὶ οὐ ποιοῦσι· *dicunt enim, & non faciunt*] Quibus dici poterat illud Euripideum,

Mice

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

[*Odi magiſtrum nempe qui ſibi non ſapit.*]

& Latini veteris,

Odi hominem ignava opera, philoſopha ſententia.

Similes enim ſunt Medicis illis apud Philemonem,

—— Τοὺς ἰατροὺς οἶδ' ἐγὼ
Τοὺς ἐγκρατεῖς τοῖς νοσοῦσιν εὖ σφόδρα
Παντας λαλοῦντας, αὐτ' ἐπὶν πλαίωσί τι
Αὐτοὺς πιοῦντας πινὸ' ἃ σὺκ ἐῶν τότε.

[*A medicis argumentum eſt in promtu ſitum,*
Præcepta videas quos dare invalentibus
Victus ſeveri, at ipſi ſi in morbo cubent
Eadem illa facere quæ aliis interdixerant.]

4. Δεσμεύουσι γὰρ φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων *Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum*] Interpretes dicuntur homines *onerare* cum docent hoc aut illud faciendum. Hebræorum Magiſtri id dicunt עמס, id eſt; *aggravare*. Ita ἐπιτιθέναι ζυγὸν [*jugum imponere*] uſurpatur Actor. XV, 10. ἐπιτιθέναι βάρος [*onus imponere*] ibidem 28. ut cum eo ventum erit fuſius explicabitur. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus ſub Aurelio Vero ad Cnoſſiorum ſcribens Epiſcopum, monebat eum, μὴ βαρὺ φορτίον ἐπάναγκες τὰ ἐκ ἀγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιθεῖναι [*ne præter neceſſitatem grave caſtitatis onus fratribus imponeret*]. Lex ipſa per ſe erat onus ſatis δυσβάστακτον [*portatu grave*], *quod nec nos*, inquit Petrus, *nec majores noſtri perferre potuimus*, nimirum ob ingentem numerum præceptorum & humanæ memoriæ atque attentionis imbecillitatem. Cum autem munus ſit boni Juriſconſulti quicquid onoroſum eſt ſublevare benigna interpretatione, contra Hebræorum Conſulti, & maxime Phariſæi, τὰ θεῖα [*ea quæ conſtituti ſunt jure*], quæ Deus non imperaverat πρωτογενῶς [*primario*] ſed ob res alias, urgebant rigide, & quam latiſſime extendebant, neque admittebant probabiles exceptiones. Exemplo ſit lex de decimis quæ Deuteron. XIV, 22. ſic habet, עשר תעשר את כל תבואת זרעך היצא השדה שנה שנה, quam vertunt Lxx, Δεκάτῃ δεκατεύσεις πάντα γενήματα· ἃ σπέρματός ἐστι, τὸ γένημα ἃ ἀρχῇ ἐστι, ἐνιαυτὸν κατ' ἐνιαυτόν [*Decimam partem decimabis de omni eo quod naſcitur ex ſemine tuo, quod naſcitur in agro tuo, in annos ſingulos*]. Hic benignior Interpres primum ſe verteret ad τὴν διάνοιαν [*ſententiam ſcripti*], ac diceret, Dei Optimi Maximi hanc fuiſſe voluntatem, ut Levitis ſatis proſpectum eſſet de rebus neceſſariis, non autem ut hominum animos anxia nimium religione obſtringeret; proinde credibile ſibi non videri olerum minutias iſta lege comprehendi, quarum decimæ Levitis non multum adferre poterant emolumenti, & ſi pendendæ eſſent magno Iſraelitas afficerent incommodo ob æſtimationis incertum, & quia pauperes maxime ea res tangebat. Adferret etiam firmandæ interpretationi ſuæ argumentum ex Levitico XXVII, 30. ubi decima danda dicitur מעשר הארץ מזרע הארץ, quod Lxx transferunt, δεκάτη σπέρματός ἐστι τῆς γῆς ἡ δεκάτη καρποῦ ἐστι ξύλου [*de ſemine terræ & de fructu ligni*]. & ex eo quod in Deuteronomio ſequitur, dandam ſcilicet decimam *frumenti, vini, olei*. Nam ut maxime exempla regulam non reſtringerent, oſtendi tamen per illa de quo proventuum genere legis auctor ſenſiſſet. His adjungeret à pari argumentum: nam & in animalium genere non omnia δεκατεύεσθαι [*decimari*], ſed ea demum quæ paſtorali pedo regerentur. Quod ſi verborum apices urgeret adverſarius, etiam illos talis Interpres diceret ſibi non adverſari. Nam olera vix dici poſſe תבואה [*proventum*]; quomodo Romani Juriſconſulti olera tradiderunt in uſu magis eſſe quam in fructu: deinde שדה plerumque *agrum* eſſe, non *hortum*. At νομικοὶ [*Legiperiti*] & eorum ſectatores Phariſæi Levitarum utilitatibus contumaciter aderant, quaſi in illis tota res pietatis verſaretur. Contendebant igitur nihil excipiendum ubi Lex nihil aperte exciperet; poſſe & *proventum* & *agri* vocem latius accipi, & optimam eſſe rationem quæ pro religione faceret. Neque ad Divinam gloriam, neque ad dignitatem Levitici Ordinis, neque ad veram pietatem multum referebat utra interpretatio prævaleret. Chriſtus admirabili temperamento in his atque aliis hujuſcemodi quæſtionibus ita Interpretum rigorem notat, ut tamen nemini ſit auctor à receptis ſententiis diſcedendi, ubi paci atque ordini ſine gravi jactura conſuli poteſt. Sed illud minime erat ferendum, tantos verborum aucupes, quoties ipſorum res agebatur, tam facile ſibimet ignoſcere fiducia ingenii atque eruditionis facile ſuggerentis exceptiones quibus ſe contra τὸ ῥητὸν [*verba legis*] defenderent. ¶ τῷ δακτύλῳ αὐτῶν οὐ θέλουσι κινῆσαι *digito autem ſuo nolunt ea movere*] Proverbialis locutio, qua utentes Romani etiam dicunt *extremo digito attingere*.

5. Πάντα δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν ποιοῦσι πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις. *Omnia vero opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus*] Si quid ad Legis præſcriptum faciunt, id dant autæ populari: vide quæ dicta ſunt ad caput VI. ¶ πλατύνουσι δὲ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν, καὶ μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν. *dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias veſtium ſuarum.*] Quam ſtudeant populo pietatem ſuam probare ex eo manifeſtum eſt, inquit Chriſtus, quod in obſervandis ritibus qui non magni ſunt ad pietatem momenti, ſed externa ſpecie valent, eximium ſibi aliquid vindicant; quod exemplo duorum rituum probat, quorum alter uſu receptus, alter Lege erat inſtitutus. Nam ציצית quidem, id eſt, τὰ κράσπεδα [*fimbriæ*], Lege erant præcepta, quæ κόκκινα βάμματα [*coccinea fila*] vocat Juſtinus, & de quibus aliquid attigimus ſupra, ut non tantum corporis nota, ſed & conſpicuo habitu Iſraelitæ ab alienigenis diſcernerentur; At תפלין (quam vocem & hic ponit Syrus), quæ φυλακτήρια [*phylacteria ſive memoralia*] vocant Helleniſtæ, uſum habebant auctorem. Sunt qui Exodi XIII, 9 & 16. & Deuter. VI, 8. ea putant imperari; neque nova ea eſt opinio: Nam & Joſephus ita ſenſit, & Juſtinus in Colloquio cum Tryphone. Mihi tamen id nondum perſuadent; & conſentientem habeo Hieronymum. Nam iſtis locis nihil aliud jubentur Iſraelitæ quam beneficia liberationis ex Ægypto & præcepta Divinitus data animo infigere, non minus quam quæ memoriæ cauſa in manibus gerere aut ob oculos nobis ponere ſolemus. Nam παροιμιώδες [*proverbiale*] eſſe loquendi genus apparet ex loco Eſaiæ XLIX, 16. & quo dicto Deuteronomii loco dicitur זכרון [*memoriale*] id quod in Exodo σημεῖον. Confer & Canticorum VIII, 6. Proverbiorum VI, 21. & I, 113. Nec quod in Moſe eſt טוטפות Lxx Interpretes verterunt φυλακτήρια [*phylacteria*] ſed ἀσάλευτα [*fixa*]; quanquam non neſcio תפלין ibi poni à Chaldæis. Vox autem φυλακτηρίων [*phylacteriorum*] ideo membranis iſtis Judaicis aptari cœpit, quia ſimiles erant τοῖς φυλακτηρίοις [*amuletis*] quæ Græci adverſus morbos valere credita inde φυλακτήρια nuncupabant: quorum mentio eſt in canone XXXVI Synodi Laodicenæ. Juſtinus dicto loco φυλακτήριον Judaicum ait fuiſſe ἐν ὑμέναι λεπτοτάταις χαρτιναῖς [*ex literis ſcriptis in membranis tenuiſſimis*]; quale nunc etiam illis in uſu eſt. Illi autem de quibus hic Chriſtus loquitur & κράσπεδα [*fimbrias*] & φυλακτήρια [*phylacteria*] ſibi circumdabant majora vulgaribus. Μακρὰ κράσπεδα [*longæ fimbriæ*] Laconum habes in Veſpis Ariſtophanis.

6. φιλοῦσι δὲ τὴν πρωτοκλισίαν, *Amant autem primos accubitus*] *Votis expetunt primos accubitus*, tanquam ingens bonum, atque etiam data occaſione velut jure ſuo ſibi vindicant, quod ἐκλέγεσθαι τὰς πρωτοκλισίας [*eligere primos accubitus*] dixit Lucas XIV, 7. πρωτοκλισίαι [*prima in accubitu loca*] dixit Joſephus eodem ſignificatu; & de Herode qui Hyrcanum decepit, πρωτοκλίνων [*dans ei primum in accubitu locum*], ait, ἐξαπατᾷ [*decepit*]. cui oppoſita vox apud eundem τὸ ὑποκατακλίνεσθαι [*infima accumbere*]. ¶ καὶ τὰς πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *& primas cathedras in Synagogis*] Vetuſtiſſimo Judæorum more, qui nullo in Synagoga munere fungebantur ſedebant ætatis ordine diſtincti; quod ſervabant Eſſeni (minus corrupta Judæorum portio), quorum Synagogas deſcribens Philo, κατὰ ἡλικίας [*ſecundum ætates*], inquit, ἐν τάξει ὑπὸ πρεσβυτέροις νέοι καθέζονται μὴ κάσμα ἢ προσήκοντος ἔχοντες ἀκροᾶσθαι [*ordine ſedent ſub ſenibus juniores, obſervantes decorum & avidi audiendi*]. Eundem morem non in Synagogis tantum Judæorum ſed & in primis Chriſtianorum Eccleſiis viguiſſe notat is cujus commentarii in Paulinas epiſtolas ſub Ambroſii nomine leguntur. Sed multis in locis irrepſit conſuetudo ut eruditionis famam aliquam conſecuti honoratius ſederent; quo pertinet hic locus. Et exſtant in Hebræorum libris decreta de hac re, quo loco Legiperiti, quo Phariſæi ſedere debeant. Atque inde natum proverbium ut *plebs rudis*, quam *populum terræ* vocabant, diceretur *ſcabellum pedum Phariſæorum*. Quod ipſum ut erat aliquatenus tolerabile (neque enim ſedendi ordinem, ſed τὸ φιλότιμον [*ambitum*] reprehendit Chriſtus) ita illud indignum, quod tandem non virtuti neque eruditioni ſed divitiis is honor deferri cœpit, etiam in Chriſtianorum Eccleſiis; quod Jacobus qua decebat ſeveritate reprehendit. Quod hic dicitur πρωτοκαθεδρίαι pro eo ἐδρῶν τὰς πρώτας [*primas ſedes*] dixit Plutarchus.

7. καὶ ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, καὶ καλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, ῥαββεί, ῥαββεί. *Et ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi*] *Expetunt ſalutari iſto nomine Rabbi:*

quomodo, *Poeta salutor*, dixit Horatius. Plus autem erat *Rabbi* quam *Rab*: neque indigitabantur isto cognomento nisi qui à Synedrio per manuum impositionem testimonium eruditionis accepissent: quod testimonium ἐν τῇ ἀπoστoλῇ [*in dispersionibus*] dabatur à Præfectis scholarum quas vocant רבנות, ut nunc quoque mos habet Christianorum. Solebat autem in salutationibus vox *Rabbi* bis expruni, ut apparet Marci XIV, 45.

8. Τμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε ῥαββί· εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ διδάσκαλος ὁ Χριστός· *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester Christus*] Omnino διδάσκαλος legendum, quomodo & Syrus legit. Nam vocem *Rabbi* & *Rabboni* Scriptores nostri ubique reddunt διδάσκαλε [*magister*], nusquam καθηγητά [*dux*]. Deinde καθηγητῆ [*ducis*] titulum à titulo *Rabbi* Christus manifeste distinguit commate 10. Præter communem rationem τῆς ταπεινοφροσύνης [*modestiæ*], aliam peculiarem addit Christus cur sui sectatores istas appellationes expetere non deberent, eo præsertim sensu quo à Judæis expetebantur. Nam qui eruditi erant inter Judæos cum nomine *Doctoris* etiam auctoritatem sibi vindicabant quod visum esset docendi, & credi sibi volebant. At Christi sectatores non debebant populum ea docere tanquam observatu necessaria quæ ipsis talia videbantur, sed ea tantum quæ Christus ipse necessaria pronuntiasset. Judæorum alii alios sectabantur magistros, & ab eorum pendebant auctoritate; at inter Christianos eo modo dici, *Ego sum Cephæ*, *Ego Pauli*, *Ego Apollo*, nefas est. Neque enim debent sibi διασωτεύειν διδασκάλους [*conservare magistros*], ut loquitur Paulus II Timoth. IV, 3. omnes enim per Baptismum, id est, professionem Christianismi uni familiæ inseruntur. Illud autem διδάσκαλος ὁ Χριστὸς [*Magister ille Unctus*] ad caput X. diximus ita esse interpretandum, *Doctor eximius à Deo constitutus*; quomodo ἱερεὺς ὁ Χριστὸς [*Sacerdos Unctus*], & βασιλεὺς ὁ Χριστὸς [*Rex Unctus*] dicitur. Sunt sane & in Christiana Ecclesia qui dicuntur διδάσκαλοι [*Doctores*], tum communiter, ut Paulus se διδάσκαλον ἐθνῶν [*Doctorem Gentium*] vocat I Timoth. II, 7. II Timoth. I, 11. tum peculiariter quidem ab *Apostolis*, *Prophetis*, *Pastoribusque* distincti Actorum XIII, 1. I Corinthiorum XII, 28, 29. Ephes. IV, 11. sed alio sensu quam illi Judæi, non ut dogmatum auctores, sed ut unius communis dogmatis nuntii. Atque hoc ipsum munus quanti sit periculi, quamque non modo non ambiendum sed neque suscipiendum nisi bene exploratis viribus, Jacobus nos docet III, 1. ¶ ἀδελφοί ἐστε. *fratres estis*] Unius illius Doctoris discipuli, inter vos συμφοιτηταί [*condiscipuli*].

9. πατέρα μὴ καλέσητε ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς· *patrem nolite vobis vocare super terram*] Qui sapientem aliquem tanquam Scholæ principem sectabantur & velut in nomen ejus juraverant, ejus sapientis *filii* vocabantur, ipsi illum vocabat אבי [*patrem*] vel, ut hic habet etiam Syrus, מרי. Interpretatio petenda ex superioribus. Sed quia אבא [*patris*] major erat titulus quam רבי [*magistri*], ideo Christus hunc fieri, illum Patri vindicat. ¶ εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *unus est enim Pater vester qui in cœlis est*] Unus est vestræ familiæ Princeps ac dogmatum auctor Deus, qui per Filium vobis ipse omnia scitu necessaria revelavit. *Estis διδακτοὶ ὑπὸ Θεοῦ* [*docibiles Dei*] Joban. VI, 45. θεοδίδακτοι [*à Deo edocti*] I Thess. IV, 9. Itaque illo sensu quo Judæi sapientes *patres* suos vocabant, Christiani *patrem* neminem debent agnoscere. Sed alio sensu *patres* recte vocantur qui nos in Christo per Euangelium genuerunt, I Corinth. IV, 15.

10. καθηγηταί· *duces*] Id est, ἡγεμόνες, quomodo supra Pharisæos vocavit Christus XV, 14. & infra 16. Atque ita hoc loco Syrus interpretatur. Sic & Paulus inter titulos sapientum Hebræorum ista ponit, ὁδηγὸν τυφλῶν, φῶς τῶν ἐν σκότει, παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων [*ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium*] Rom. II, 19, 20.

11. Ὁ δὲ μείζων ὑμῶν, ἔσται ὑμῶν διάκονος· *Qui major est vestrum, erit minister vester*] Quo quis inter vos majorem in Ecclesia dignitatem obtinebit, eo sciat sibi non plus imperii concessum sed plus oneris injunctum: unde sequitur non esse cur vos delectent titulos majoris servitutis indices. Vide quæ supra ad caput XX, 26.

12. Ὅστις δὲ ὑψώσει ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται· *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur*] Sententia Christo sæpius usurpata, celebris haud dubie apud Hebræos: Thalmuditæ hoc modo, בכל ארבם שש בו גסות רוח תלמוד מהמעט. Solomon ita extulit Proverbiorum XVI, 18. *Ante confractionem superbia, ante ruinam spiritus altus*: & XXIX, 23. *superbia hominem deprimet*. Apud Græcos multa sunt similia; ut illud quod alii Euripidi, alii Menandro tribuunt,

Ὅταν δ' ἴδῃς πρὸς ὕψος ἡμῶν πνᾷ,
Λαμπρῶς τι φαίνῳ καὶ φρὶ γαυρούμενον,
Ὀφρύι τε μείζω τῆς τύχης ἐπηρκότι,
Τύτε ταχέως σμικρὸν ἐν βραχεῖ χρόνῳ·
Ἐπιφέρῃ γὰρ μείζον ἢ μείζον πεσεῖν.

[*Si quem vides in sublimi positum loco*
Qui genere tumidus & opibus superbiat,
Supercilia fortuna celsius gerens,
Eum cadentem subito conspicies brevi:
Nam tollitur in altum quo sic gravius ruat.]

¶ καὶ ὅστις ταπεινώσει ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται. *qui humiliaverit seipsum, extolletur*] Quod Solomo dixit, *ante gloriam humilitas*, Proverbiorum XV, 33. &, *humilis spiritu gloriam assequetur*, XXIX, 23. Sententiæ autem istæ Christo usurpatæ habent quidem suum quoque usum in rebus humanis, at cœlestis Doctor id quod cœleste est potissimum respicit: Explicat Petrus I, cap. V, 6. Ταπεινώθητε οὖν ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα τοῦ Θεοῦ, ἵνα ὑμᾶς ὑψώσῃ ἐν καιρῷ [*Humiliamini igitur sub potentis manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis*]. Æsopus interrogatus quid Deus faceret, respondit eum τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῦν, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῦν [*excelsa deprimere, attollere humilia*]. Philonis illud huc pertinet libro De Sacrificantibus, Θεὸν μὴ λανθανέτω οὐδὲν ὕπτιος ἡμῖν [*Deo neutiquam eos spernente qui eo sensu orbi sunt*]. Explicant id quæ ibi sequuntur.

13. κλείετε τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *claditis Regnum cœlorum*] *Clavibus sublatis*, ut Lucas loquitur, id est, suppressa vera interpretatione & quotidiana inculcatione locorum in quibus agitur de Messia ejusque doctrina, id est, de pœnitentia, fide & dilectione non ficta: quibus omissis omnem operam impenditis ritibus urgendis & ampliandis. ¶ οὐδὲ οὐκ εἰσερχομένους, *nec introeuntes*] Præsens pro futuro: eos qui alioqui intraturi erant si viam recte panderetis. At nunc non modo non panditis sed obstruitis etiam rituum septis, quibus occupati animi ad meliora nequeunt penetrare. Quod hic in multis exemplaribus jampridem legitur comma, Οὐαὶ δὲ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταί, ὅτι κατεσθίετε τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσεύχεσθε· διὰ τοῦτο λήψεσθε περισσότερον κρῖμα [*Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius accipietis judicium*], judico παρεμβεβλημένον [*interjectum* ab exscriptoribus]: cujus rei mihi magnum indicium est, quod qui habent codices alii præponunt illi sententiæ de clavibus, alii subtexunt. Ferme enim videas quæ situ variant aliunde adjecta, ut hic ex Marco & Luca, additis mutatisque verbis ad implendam cohærentiam. Græcus Euangeliorum indiculus, quem *Canonem* vocant, ad quem provocare solet Hieronymus, quique factus est ex optimis codicibus, in Matthæo hoc comma non habet. Origenes tam diligens librorum scrutator non agnoscit. Habent quidem libri Syriaci, at Latini antiquissimi non habent. Proinde hæc pars major videtur. Adde quod detrahendi nulla fuit causa, addendi aliqua: Interpretabimur ad Marcum.

15. περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηράν, *circuitis mare & aridam*] Proverbialis locutio sollicitum inquirendi laborem significans. Ita πολεμεῖν μετὰ τῆς θαλάσσης καὶ τῆς ξηρᾶς [*pugnare terra marique*] est in Maccabaica historia I, cap. VIII, 32. Ξηρὰν pro *terra* usurpat & Aristoteles Histor. Animal. V, 10. Est autem & hic Hebraica locutio qualem alibi notavimus. Sensus enim est, Cum terram & mare obeatis ut faciatis proselytum, mox eum depravatis. ¶ προσήλυτον *proselytum*] Προσήλυτος hic & in Actis est is qui ortu Gentilis per Circumcisionem se Legi Mosis obstrinxit, quem Philo etiam ἐπηλύτην [*adscitum*] vocat: qui in plerisque rebus jura habebat τῶν αὐτοχθόνων [*indigenarum*]. Hi dici solent גרי צדק *hospites justitiæ*. Alioqui גר Hebræis, γειώραις aut γειώρας Hellenistis etiam is dici solet qui relicto idolorum cultu uni Deo & communibus humani generis legibus se addixerat: quo forte sensu γειώραν καὶ αὐτὸν προσήλυτον [*georam & proselytum*] distincte posuit Justinus Colloquio cum Tryphone; & Eusebius, προσηλύτους τοὺς τε καλουμένους γειώρας [*proselytos & qui vocabantur geiora*]. ¶ υἱὸν γεέννης, *filium gehennæ*] *Gehennæ debitum*, ut בן מות I Samuelis XX, 31. II Sam. XII, 5. Græce υἱὸς θανάτου [*filium mortis*] *mortis debitus*, Deut. XXV, 2. בן הכות [*filius plagarum*] Græce ἄξιος πληγῶν [*dignus plagis*]. ¶ διπλότερον ὑμῶν. *duplo quam vos*] *Multo magis quam vos ipsi*: quia non contentum exempla ubi incipiunt, sed magno cum fenore corrumpunt homines,

—— *magnis*
Cum subeunt animos auctoribus:

præ-

præſertim ſi quod eſt vitium quod fallit

—— ſpecie virtutis & umbra,
Cum ſis triſte habitu, vultuque & veſte ſeverum.

Qualis eſt Ambitio & Avaritia induta ſanctimoniæ perſonam. Adeo

—— deciles imitandis
Turpibus ac pravis omnes ſumus.

Unde & illud,

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Dictum hoc Chriſti comprobavit ſequentium temporum experientia. Juſtinus de Judæorum proſelytis ſua ætate, οἱ γὰρ προσήλυτοι οὐ μόνον οὐ πιστεύουσι, ἀλλὰ διπλότερον ὑμῶν (Judæos alloquitur) *βλασφημοῦσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ* [*proſelyti non modo non credunt ſed & duplum ſuper vos nomen ejus blaſphemant*], Chriſti ſcilicet.

16. *Ος ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ ναῷ, οὐδέν ἐστι· quicunque juraverit per Templum, nihil eſt*] Juramenta Hebræorum Magiſtri alia magna, alia parva cenſebant. Magna per Deum ipſum, cui æquabant Juramentum κορβᾶν [*corban*], quod *δῶρον Θεῷ* [*donum Deo*] ſupra verti vidimus, ſicut & Joſephus contra Appionem vertit *δῶρον Θεοῦ* [*donum Dei*]. Id autem erat duplex, ut diximus ad caput v. aut donum quod altari ſuperponebatur, cujus in Levitico ſæpe eſt mentio, ubi itidem *δῶρον* [*munus*] vertunt Lxx; aut pecunia miſſa in gazophylacium, quod κορβανᾶ infra vocat Matthæus. Per utrumvis horum ſi quis juraſſet, per Deum ipſum juraſſe cenſebatur, quia illa dona Dei erant propria. Hæc erat *πρόφασις* [*hic pratextus*] Magiſtrorum: revera ad quæſtum pertinebat dona illa haberi quam ſanctiſſima, etiam ſupra Templum & Altare, quaſi Deus ſcilicet illis præcipue gauderet. Juramenta autem per Templum & Altare minoribus juramentis accenſebantur, cum tamen etiam qui per ea jurat, *juret* (ut Ulpianum loqui alibi obſervavimus) *reſpectu Divini numinis.* Iſtorum igitur Juramentorum gratiam facile faciebant Judæi Doctores ſi quis ſe inconſulto calore juraſſe diceret; at Juramenti κορβᾶν [*corban*] non item. Haud diſſimile eſt quod Romani Imperatores, ſi quis per ipſorum *ſalutem* aut *genium* pejeraſſet graviſſimis eum pœnis ſubjiciebant; ſi quis per *Deum* pejeraſſet, ejus injuriæ ultionem Deo relinquebant. ¶ *οὐδέν ἐστι· nihil eſt*] Id eſt, non tenetur; ut oſtendit oppoſitum membrum *ὀφείλει* [*debet*], חב, quod nihil hic eſt aliud quam *tenetur*, *obſtrictus eſt.* De implenda promiſſione, non de pœna hic agi cenſeo.

17. *ὁ ναὸς ὁ ἁγιάζων τὸ χρυσόν; Templum quod ſanctificat aurum*] Nam pecunia gazophylacii præcipue Templi uſibus ſerviebat, ideoque ſacri erat juris; ut & apud Romanos *donaria*, apud Græcos *ἀναθήματα* [*ſacrata*]. Scriptor ad Hebræos τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται [*quod minus eſt a meliore benedicitur*], VII, 7.

19. *τὸ θυσιαστήριον τὸ ἁγιάζον τὸ δῶρον. altare quod ſanctificat donum*] Ex ſententia legis כל הנגע במזבח יקדש, id eſt, *πᾶν τὸ ἁπτόμενον τοῦ θυσιαστηρίου ἁγιασθήσεται* [*quicquid tangit altare, ſanctificabitur*], non *πᾶς ὁ ἁπτόμενος*, ut nunc legitur apud Lxx.

20. *ἐν αὐτῷ καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ἐπάνω αὐτοῦ. in eo & in omnibus quæ ſuper illud ſunt*] Quia acceſſiones ſequuntur rem principalem. Oblationes autem iſtæ acceſſiones erant altaris; itaque nominato altari ſimul nominatæ cenſeri debebant.

21. *ἐν τῷ κατοικήσαντι αὐτόν. & in eo qui habitat in ipſo*] Hic oſtendit Chriſtus omnia iſta quæ illi vocabant minora juramenta maximis eſſe æquiparanda. Nemo enim tam ſtultus cenſeri debet ut rem inanimem teſtem advocet ſuæ cogitationis & perfidiæ vindicem. Quare in iſtis juramentis cenſeri debet ineſſe *μετονυμία* [*Tranſnominatio*], & per Templum intelligi is cujus eſt Templum.

22. *ἐν τῷ οὐρανῷ, in cælo*] Illuſtrat Chriſtus quod dixerat exemplo ſimili. Nam, inquit, & qui per cœlum jurant cenſendi ſunt teſtem illum invocare cui cœlum pro ſolio eſt; quod quomodo ſit intelligendum diximus ad caput v. Addam hic locum Scriptoris Reſponſionum ad Græcos in Juſtini operibus, Οἶκον γὰρ καὶ θρόνον λεγομένου τοῦ Θεοῦ τὸν οὐρανὸν, οὐχ ὡς τοῦ Θεοῦ τούτῳ μὲν οἴκησιν ἢ μέρος καθήκοντα χρήζοντος, ἀπεριγράπτου καὶ ἀνενδεοῦς παντελῶς ὑπαρχοντος, ἀλλ' ἵνα μὴ μέρος τι μέγεθος τοῦ αὐτοῦ ὑπονοήσωσι, καὶ τὸ ἄφθαρτον τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἀφορῶντες, Θεὸν τέλειον καὶ ἰσότιμον Θεῷ ὑπολαβόντες. Διὸ τῶν ὀνομάζοντος αὐτὸν οἶκον καὶ θρόνον τοῦ Θεοῦ, πιστοὺς καὶ ὁσίους καὶ τοὺς τὸν Θεὸν καὶ ὁσίαν αὐτοῦ θεοσεβείας κοινωνίας αὐτῶν χωρίζοντες. ὥσπερ γὰρ ὁ οἶκος καὶ ὁ θρόνος ὑπάρχει τοῦ Θεοῦ τοῦτο μὲν κτῆμα αὐτοῦ, ὕτως καὶ ὁ κρατὼς ὑπάρχει τοῦ Θεοῦ, οὗς γνωρίζει ὁ ἀληθινός [*Domicilium autem & ſolium Dei, Cœlum appellamus; non quod eo Deus ad habitandum aut ſedendum indigeat, qui ſit nec loco circumſcriptus, nec ullius rei indigens: ſed ne reſpicientes ad formæ cœli magnitudinem & ad ſubſtantiam ejus incorruptam, id ipſum aut Deum eſſe aut par Deo credamus. Hinc ergo eſt quod Cœlum appellamus Dei domicilium ac ſolium, tali cognomine id ſegregantes ab omni participatione ſive ſubſtantia Dei ſive nominum ad ſubſtantiam ejus pertinentium. Sicut enim domus & ſolium poſteriora ſunt eo qui iſta fabricat, ita & cœlum Deo eſt poſterius, ut non genito id quod eſt genitum*].

23. *δεκατοῦτε, decimatis*] Ita *δεκατεύω δεκατοῦν* [*decimam decimare*] pro eo quod eſt decimam ſolvere dixerunt Lxx Geneſ. XXVIII, 22. Deuteronomii XIV, 22. &, quod propius ad hanc φορὰν [*lationem*] accedit, *δεκατοῦσθαι τὸ δέκατον τῶν γενημάτων τῆς γῆς* [*decimare decimam fructuum terræ*] Deuteronomii XXVI, 12. Atque ita uſurpant Hebræi עשר in Pihel & נעשר in Hiphil. ¶ *τὸ ἡδύοσμον καὶ τὸ ἄνηθον καὶ τὸ κύμινον, mentham & anethum & cyminum*] Lucas omiſſo *anetho* & *cumino* exemplum *menthæ* & *rutæ* poſuit, adjiciens deinde nomen generale *καὶ πᾶν λάχανον* [*& omne olus*]. Atque id vel maxime me movet, ne putem hic tractari quæſtionem illam Thalmudicam de quibuſdam rebus bis decimandis in ſemine & in herba, quando ea quæſtio ad omnia olera pertinere non poteſt. Quæſtio ergo fuit de oleribus, an lege decimarum comprehenderentur: Chriſtus ut *τὸ ἀκριβὲς* [*rigidam ſubtilitatem*] Phariſæorum in rebus iſtiuſmodi oſtenderet, minutiora olera ſpeciatim nominavit. In Thalmudico libro de Decimis exſtat & hyſſopum & origanum & viciam quoque decimandam: & viciam quidem, quia famis tempore pro cibo uſurpatur. ¶ *ἀφήκατε τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου, reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis*] *Pridem abjeciſtis curam eorum Legis præceptorum quæ multo majoris ſunt ponderis.* Præponderant autem, ut alibi diximus, naturalia conſtitutis, & ea quorum cauſa cætera ſunt cæteris. ¶ *τὸ κρίσιν, judicium*] Errant qui ad ſolum Judicis officium hoc trahunt. Nam Hebræi משפט, Helleniſtæ *κρίσιν* [*judicium*] ſumebant latius. In Maccabaïca hiſtoria I, cap. VIII, 32. ubi mentio eſt epiſtolæ Senatus Romani ad Demetrium pro Judæis, *ἐὰν οὖν ἐπὶ ἐπιτύχωσιν ἡμᾶς πάλιν αὐτοῖς τὸ κρίσιν* [*ſi ergo iterum adierint nos adverſum te, faciemus illis judicium*], id eſt, *faciemus ut jus ſuum obtineant.* Et paulo ante VII, 18. de Alcimo & qui cum eo erant, *οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς ἀλήθεια καὶ κρίσις· παρεβήσαν γὰρ τὸ θέσιν καὶ τὸν ὅρκον ὃν ὤμοσαν* [*non eſt veritas & judicium in eis: tranſgreſſi ſunt enim conſtitutum & jusjurandum quod juraverunt*], ubi *κρίσις* [*judicium*] eſt *juſtitia.* Ezechielis XX, 11. quod in Hebræo eſt משפטי [*judicia*] Græci vertunt *δικαιώματα* [*juſtificationes*]. Sumitur autem משפט ſive *κρίσις* [*judicium*], aut *δικαιοσύνη* [*juſtitia*] Græcis, modo latius, ut omnia hominum inter ſe officia comprehendat; quomodo Maimonides voce משפט ea præcepta ait ſignificari quæ ritualia non ſunt: modo ſtrictius, ut ea denotet quæ jure exigi poſſunt, oppoſita *miſericordiæ* ſive *beneficentiæ*; quomodo & idem Maimonides alibi opponit משפט [*judicium*] & חסד [*benignitatem*]. Ego hæc Chriſti verba plane arbitror deſumta ex Michæa VI, 7. ubi cum dictum eſſet, Deo haud magnopere placere ſacrificia & oblationes, ſubjungitur, hæc eſſe quæ Deus, ſcilicet tanquam *τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου* [*graviora Legis*], præcipue requirat, *ποιεῖν κρίμα, καὶ ἀγαπᾶν ἔλεον* [*facere judicium & diligere miſericordiam*], & *humiliter cum Deo ambulare.* Tertium hoc quod præcipuum eſt, Lucas, qui *κρίσιν* [*judicii*] nomine etiam *ἔλεον* [*miſericordiam*] comprehendit, vocavit *ἀγάπην τοῦ Θεοῦ* [*dilectionem Dei*]. Quare ut Matthæi ſenſus & cum Propheta & cum Luca rectius cohæreat, arbitror *πίστιν* [*fidem*] hic non eſſe eam quæ inter homines ſpectatur fidem, ſed ſpem ac fiduciam collocatam in miſericordia Divina, quæ humilem dilectionem & ſtudium obedientiæ in nobis excitat. ¶ *ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, hæc oportuit facere*] Non definit Chriſtus juris controverſiam; ſed hoc dicit, Quando ita vobis lubet Legem interpretari, præſtandum quidem illud fuerat, ſed ita ut majora ac potiora non omitterentur.

24. *διυλίζοντες τὸν κώνωπα, excolantes culicem*] Διυλίζειν [*excolare*] eſt פרר Amos VI, 6. ſicut *καθαίνειν* [*glutire*] eſt בלע. Proverbialis locutio in eos competens qui *ἀκριβολόγοι* [*rigidi juris ſectatores*] videri volunt in rebus minutis, cum præcipua officiorum ſecure negligant. Atqui, ut Philemon dicebat, juſtus eſt,

Οὐχ ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπίσχετο,
Ἀλλ' ὃς τὰ μεγάλα καρτερῶν μὴ λαμβάνειν,
Ἔχων δυναμένῳ τὴν προθυμίαν ἀζήμιος.

[*Non qui recuſat parva, ſed qui maximis*
Tentatus animi robur intactum gerit.]

25. καθαρίζετε τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου, *mundatis quod deforis eſt calicis*] Lavabant quidem Phariſæi etiam pocula, ut docet nos Marcus VII, 4. & ſupra attigimus: Sed hic omnino ſenſus eſt comparativus: Hoc enim vult Chriſtus, Cum corpus lavatis animo non purgato, tantundem agitis ac ſi diligenter lavaretis patinas & pocula, cum interim cibus & vinum plena eſſent impuræ fæcis. Nam ſicut hoc ad ſanitatem non prodeſſet, ita nec illud ad ſalutem. Frequens eſt aut Chriſto aut res Chriſti deſcribentibus ut breviloquentiæ cauſa ἀνταπόδοσιν [*redditionem*] rei comparatæ permiſceant. Itaque ſæpe unum membrum eſt ἀνταποδόσεως [*ſine redditione*]. alterum nihil niſi ἀνταπόδοσις [*redditio*], quia nimirum alterum ex altero facile poteſt intelligi. Vide Paulum Romanorum IX, 33. Petrum I epiſt. II, 6. Epiſtolam ad Hebræos VI, 7, 8. XI, 26. XII, 25. & Danielem IV, 13. Tale & hic occurrit: nam plena oratio fuerat, ἔσωθεν δὲ γέμουσι τὰ ποτήρια καὶ οἱ πίνακες ἀκαθαρσίας· οὕτως καὶ ὑμεῖς τὸ μὲν ἔξωθεν καθαρίζετε, ἔσωθεν δὲ γέμετε ἐξ ἁρπαγῆς καὶ ἀκαθαρσίας [*intus autem pleni ſunt calices & paropſides immunditia: ſic & vos mundatis id quod extra eſt, intus autem pleni eſtis rapina & immunditia*]. Lucas ſimiliter partes comparationis permiſcet, ſed apertiorem facit ἀνταπόδοσιν [*redditionem*], cum dicit, τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς καὶ πονηρίας [*quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina & iniquitate*]. Ita Plulo de improba muliere, καθαρσίοις καὶ λουτροῖς τὸ ἐκτὸς φαιδρυνομένην, τὸ δὲ ἐντὸς ἰυπῶσαν [*purificationibus & lavacris quod extra eſt renidens, intus vero impura*]. Hæc cauſa Latinum Interpretem movit ut pro γέμουσι [*plena ſunt*] redderet *pleni eſtis*. Non diſſimilis mixtura partium comparationis & apud Græcos invenitur, ut Sophoclis Iphigenia,

Νοεῖ πρὸς ἀνδρὸς, σῶμα πτελέας ἐμοῦ,
Πέτρῳ πανοῦργῳ γνώμην φρονήματος.

[*Eſt ille polypo ſimilis, & prout eſt lapis*
Ad quem applicatur vertere ingenium ſolet.]

nam illud γνώμην φρονήματος viro convenit, non polypo. Similem in Homero morem Porphyrius notavit, οὐκ ἀνταπέδωκεν, ὡς τὸ ὁμοιότατον ἅμα καὶ μεταφορᾶς ποιούμενον τὴν ἀνταπόδοσιν [*non reddidit quod reſpondet in comparatione, quia ſimilitudo ſimul cum tranſlatione continebant in ſe id quod reddendum erat*]. item, τὰς οἰκείως πρὸς ἡμᾶς φωνὰς ἐπὶ τῶν πραγμάτων παθῶν εἰς τὰς παραβολὰς μεταφέρει, καὶ τὰς ἐπὶ τῶν παραβολῶν εἰς τὰ πράγματα [*voces proprie dictas de rebus ſæpe in comparationes tranſfert, & comparationum voces in res ipſas*]. ¶ ἐξ ἁρπαγῆς, *ex rapina*] Πλεονάζει τὸ ἐξ [*abundat illud, ex*], quomodo & ם in voce ומלאם [*implebitur ea*] Exodi XV, 9. Videtur reſpici id quod eſt Ezechiel. XXVIII, 16. מלו תוכך חמס, quod quidam exponunt, *repletum eſt medium tui iniquitate*, quod idem eſt cum illo Lucæ, τὸ ἔσωθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς [*quod intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina*]. non Lxx ſolent vertere ἀδικίαν, ἀνομίαν, παρανομίαν [*injuſtitiam, improbitatem, tranſgreſſionem legis*]· atque ea eſt haud dubie ſignificatio. Cæterum ipſa origine eſt ἁρπαγή [*rapina*]· in Targum חמס, quod directe reſpondet voci ἁρπαγῆς, atque hic etiam poſitum eſt à Syro. Si quis allatam modo à nobis interpretationem non probat, & ipſa pocula putat dici *plena rapina* quod improbe parta eſſent, is interpretationem ſuam ſtabilire poterit non diſſimili Xenophontis loco circa finem Inſtitutionis Cyri, καὶ μὴν ἐκπώματα οἱ μὲν ὡς πλεῖστα ἔχουσι τούτῳ καλλωπίζονται· ἐγὼ δὲ ἐξ ἀδίκου φανερῶς ἡμμαγμένα, ἀδὲν τοῦτο αἰσχύνομαι [*in eo ſe venditant quod plurima habeant pocula; quod autem ea iniquo comparata ſunt, de eo non erubeſcunt*]. ¶ καὶ πάσης ἀκαθαρσίας. *& omni immunditia*] Hanc lectionem quam Latinus ſequitur, ſi veterum codicum accedat auctoritas, cæteris præferam. Inde enim natæ videntur lectiones aliæ propinquitate vocis; ut ἀκρασίας [*intemperantia*], quod quanquam Origeni lectum videtur repudio, quia nuſquam Phariſæi, quod ſciam, ejus vitii arguuntur; & ἀδικίας [*injuſtitia*), ex interpretamento quod Syrus ſequitur, ἀκαθαρσία [*immunditia* ſive *impuritas*] Paulo ſæpe omne genus vitiorum complectitur: nec minus late patet πονηρία [*malitia*], quod hujus vice Lucas uſurpat. Reſpondet Hebræo טהר.

26. ἵνα γένηται καὶ τὸ ἐκτὸς αὐτῶν καθαρόν. *ut fiat & id quod deforis eſt mundum*] Simile eſt illud Epicharmi,

Καθαρὸν ἰδὲ τὸ τῶν ἴσως, ἅπαν τὸ σῶμα καθαρὸς εἶ.

[– *Pura ſi mens fuerit, omne corpus eſt purum tibi.*]

Paulus ad Titum I, 15. πάντα καθαρὰ τοῖς καθαροῖς [*omnia munda mundis*]. Hoc autem dicit Chriſtus, non quod legem de immunditiis legalibus hoc tempore aboleret, ſed quod oſtenſum vellet animum bene ſibi conſcium nulla re inquinari, adverſus falſam Phariſæorum perſuaſionem de qua egimus ſupra. Adde locum Arriani Epicteto IV, 1. ψυχῆς ὡς σώματος ἀκαθαρσίαν οὐκ ἂν εὕροις· ὡς ψυχῆς δὲ πάνυ πολλὴν εὕρῃς, ἢ τὸ περίεχον αὐτὴν ἐναφεῖναι θεοῖς τοῖς ἔργοις αὐτῆς; [*in anima immunditiam qualis eſt in corporibus non reperies: quam vero aliena reperias anima propriam quam id per quod ea quod ad actus ſuos obſordeſcit?*]

27. κεκονιαμένοις, *dealbatis*] Comparationem albarii operis fuiſſe uſitatam Judæis ad notandos mores perſonatos, & quodcunque palam non ſumus, apparet ex Pauli verbis Actorum XXIII, 3. Confer Pſalm. V. 9.

28. φαίνεσθε τοῖς ἀνθρώποις δίκαιοι, ἔσωθεν δὲ μεστοί ἐστε ὑποκρίσεως καὶ ἀνομίας. *foris apparetis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate*] Eſtis

Introrſum turpes, ſpecioſi pelle decora.

Diogenis eſt dictum, Τῆς ἀλαζονείας καθάπερ τὰ κεχρυσωμένα ἔκπωμα οὐκ ὁμοία ἐστὶ τὰ ἐντὸς τοῖς ἐκτός [*Oſtentatorum plane ut poculorum quæ auro ſunt illita non ſimilia ſunt quæ intus ſunt & quæ extra*].

29. ὅτι οἰκοδομεῖτε, *quoniam ædificatis*] Hæc ἀξιωσὶ [*ſectio*] uno ſpiritu legenda eſt uſque ad finem commatis 32. & comma 31. nihil eſt aliud quam παρένθεσις [*interpoſitus ſermo*]. Ut locus hic rectius intelligatur, ſciendum eſt Deum ſæpe hominum opera ac dicta interpretari, non quomodo illi ea accipi volunt, ſed in aliam longe ſententiam quæ juſtiſſime in ipſos quadret. Non diſſimilis eſt illa Chriſti alluſio ad Samaritida, quæ dixerat, Οὐκ ἔχω ἄνδρα [*Virum non habeo*], Johann. IV, 17. idem hoc loco eſt animadvertere. Nam quod illi fatebantur à patribus ſuis occiſos Prophetas, Chriſtus accipit non in eum ſenſum quem ipſi volebant: nam ipſi eos *patres ſuos* vocabant naturæ intuitu, Chriſtus autem etiam animorum ſimilitudine, quam & declaraſſent hactenus, & apertius eſſent declaraturi. Paraphraſis hæc eſto, Male vobis erat, Phariſæi & Legiſperiti: Nam vultis quidem videri magni facere Prophetas aliosque Dei ſervos, quorum monumenta non ſine oſtentatione reficitis, atque etiam verbis profitemini, ſi illis viciſſetis temporibus non futuros vos fuiſſe ſævitiæ in illos participes (qua in re illud certe verum eſt plus quam vultis, vos eſſe proles τῶν προφονικῶν [*propheticidarum*]), atque interim nihilo meliores eſtis quam illi erant. Jam enim animo geritis quod brevi prodituri eſtis reipſa: Idem meditamini quod illi faciebant. Mortuos honoratis, quia vobis obſtare non poſſunt. Superſtites eadem quæ illi, & perfectius, docentes odio non niſi per cædem ſatiando proſequimini. Imo ſi quid ad ipſorum improbitatem deeſt, id vos explebitis. Apud Lucam non verba tantum, quibus ſe τῶν προφονικῶν [*propheticidarum*] poſteros profitebantur, ſed ipſum illud monumenta reficiendi ſtudium Chriſtus in ipſos torquet. Libenter enim eorum ſepulchra exſtruimus quos nollemus ſuperſtites. Cui non diſſimilis ille Demoſthenis locus de falſo teſtimonio in Stephanum, καὶ οὐκ ἠπίστατο οὔπω ἐφ' ταῖς μνημείοις ἔσεσθαι τὸ οἰκοδόμημα τοῦτον ὀφειλόμενον, ἀλλὰ τὴν ἀδικίαν ἣν ἠδίκησεν ἐκείνην ἀνθ' τούτου [*nec intelligebat non fore id quod ſic ſtructum erat non imentum ſepulturæ, ſed injuriæ quæ ipſa propter hunc illum affecit*]. Nec longe abit Dionis illud de Caracalla, πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἀχθόμενος, πᾶσιν ὅμως αὐτῶν δεισιδαίμονας ἐπλάττετο [*infeſtus bonis omnibus ſimulabat ſe eis jam mortuis honorem habere*]. Herodes Ariſtobulo, quem interfecerat, funus fecit magnificum. Οἰκοδομεῖν τάφους [*ædificare ſepulchra*] dictum ut apud Virgilium,

—— *equum divina Palladis arte*
Ædificant:

apud Ciceronem:

ædificare claſſem.

30. ἐν τῷ αἵματι, *in ſanguine*] Sicut Græci φόνον [*cædem*] dicunt ἀντὶ αἵματος [*pro ſanguine*], ita Helleniſtæ αἷμα ἀντὶ φόνου [*ſanguinem pro cæde*].

32. πληρώσατε, *implete*] Quando vultis hoc agite. Ita modum imperativum non raro uſurpant Hebræi, ut & gentes aliæ, I Regum XXII, 22. Johannis XIII, 27. ¶ τὸ μέτρον, *menſuram*] Græcum eſt adagium,

ὀψὲ θεῶν ἀλήθει μύλοι, ἀλήθει δ λεπτά
[*Sera licet, subtile mola magna deorum.*]

Qua de re egregius exstat Plutarchi libellus περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ βραδέως τιμωρημένων [*De iis qui seró à Deo puniuntur*]. Ita nimirum se res habet; Magna est Dei patientia, sed læsa furor fit, ut Sacræ literæ ἀνθρωποπαθῶς [*tribuendo Deo humanos affectus*] loquuntur, & tarditatem supplicii gravitate compensat: quod ut in hominum singulorum rebus interdum conspicere est, ita maxime apparet in Divina circa totos populos providentia. Nam populorum delicta diu dissimulata tandem ubi omnem patientiæ modum vicerunt, tam severe punit Deus, ut cum nullam ejus ætatis hominibus faciat injuriam, neque iis supra proprium meritum mala infligat, ea tamen pœna tanta appareat, ut videatur sufficere posse omnium etiam antecedentium ætatum sceleribus luendis. Hic delictorum modus à Deo exspectatus *mensura* aut *complementum iniquitatis* dicitur Genes. xv, 16. quo sunt qui pertinere putant quod est Esaiæ xxvii, 8. & Jobi xx, 22. Causam Divinæ in puniendo tarditatis alteram quoque non improbandam affert Theodectes his versibus,

Ὅστις δὲ θνητῶν μέμφεται τὰ θεῖ' ὅπη
Οὐκ ἰσχύει αἰκεῖ τῷ χρόνῳ μιτίσχειν·
Τὰς μὴ δικαίας, ἀφροσύνην ἐξακεσάμενος·
Εἰ γὰρ παραυτίκ' ἦσαν αἱ τιμωρίαι,
Πολλοὶ δι' ὀργὴν φόβον τε δι' εὐσεβῆ τρόπον
Θεὸν σέβοιντ' ἂν· νῦν δὲ τῆ τιμωρίας
Ἀπωθεῖ ὕσης, τῇ φύσει χρῶνται βροτοί·
Ὅταν δὲ φωραθῶσιν, οὐ ξυνῆκε κακοί,
Τίνουσι ποινὰς ὑστέροισιν ἐν χρόνοις,

[*Calumniari qui deos audes, homo,*
Quod prava facta protinus non vindicat,
Sed punienda differat, causam accipe:
Si pœna supera non daret culpæ diem,
Pietate nulla sed metu solo deos
Pars magna coleret; pœna nunc longe sita
Omnes suo permittit ingenio frui;
Sed deprehensi postea in piaculis,
Uicunque sero, quod sat est pœnas luunt.]

33. πῶς φύγητε, *quomodo fugietis*] Tales cum sitis, qui fieri potest ut gravissimum non hujus tantum sed & alterius sæculi supplicium evitetis? ¶ ἀπὸ τῆ κρίσεως τῆ γεέννης; *à judicio Gehennæ?*] מדין של גיהנם in libro Pirke Eleazar.

34. Διὰ τοῦτο, *Ideo*] Scilicet ut mensura Divinæ patientiæ plenissime in vobis impleatur, etiam me occiso. Christus hic *se missurum* dicit, apud Lucam ait *dixisse*, id est, constituisse ἡ σοφία ἡ θεοῦ [*Dei sapientiam*] *se missuram*, ut nimirum intelligeremus in hac legatione ad Judæos destinata magnifice apparere Divinam sapientiam. Quanquam & hic ad verbum ἀποστέλλω [*mitto*] intelligi potest, *dixit Deus* [*dixit Deus*], ut interdum apud Prophetas. ¶ προφήτας καὶ σοφοὺς καὶ γραμματεῖς. *Prophetas & Sapientes & Scribas*] Lucas, προφήτας καὶ ἀποστόλους [*Prophetas & Apostolos*], vocem ἀποστόλων [*Apostolorum*] non stricte usurpans, ut quidam putant, pro functione propria Novi Fœderis, sed quomodo tunc vox ista שלוחים intelligebatur, ut *legatos* quosvis significaret. Nam ita infra quoque 37. & apud Lucam altero loco junguntur προφῆται [*Prophetæ*] & ἀπεσταλμένοι [*missi*]. Hoc dicit Christus, Legatos qui ad ipsos venturi essent nihilo minores fore iis quos vocabant Prophetas, aut humana sapientia pollentes, quos appellabant γραμματεῖς סופרים [*Scribas*], & eorum principes σοφοὺς חכמים [*eruditos*]. Hoc autem eo pertinet ut si eos non audiant sint ἀναπολόγητοι [*excusationis expertes*], & ex eo judicio quod ipsi in parentes suos ferebant αὐτοκατάκριτοι [*proprio judicio condemnati*]. Diximus supra xiii, 52. munia & dona quantumvis nova solere describi veteri magisque noto nomine. ¶ ἀποκτενεῖτε, *occidetis*] Ut Jacobos duos & Stephanum. ¶ σταυρώσετε, *crucifigetis*] Se quoque, ut videtur, Christus Legatis annumerat, quomodo eum ad Hebræos Scriptor ἀπόστολον [*Apostolum*] vocat. Neque terrere nos debet quod præcessit ἀποστέλλω ἐγὼ [*mitto ego*]. Est enim figura quam σύλληψιν [*conceptionem*] vocant, quæ nomina multa uni conjungit verbo, quod tamen nominibus omnibus proprie non convenit. Notant hoc Grammatici ad illud Virgilii,

Inclusos utero Danaos & pinea furtim
Laxat claustra Sinon.

& ad Lucretii illud,

Quam sæpe plagis saltum canibusque cient.

Sed & Cleopæ filius Simon, Judæorum opera crucifixus narratur. ¶ μαστιγώσετε ἐν ταῖς συναγωγαῖς ὑμῶν, *flagellabitis in synagogis vestris*] Ut Johannem & Petrum. Vide quæ supra x, 17. ¶ διώξετε, *persequemini*] Ut Paulum & Barnabam sæpe.

35. Ὅπως ἔλθῃ ἐφ' ὑμᾶς πᾶν αἷμα, *Ut veniat super vos omnis sanguis*] Αἷμα [*sanguis*], quod Hebræi pluraliter dicunt דמים, sicut cædem, ita ipsam quoque cædis pœnam significat, ut Psalmo ix, 12. 1 Regum ii, 32. Unde porro ad aliorum quoque criminum pœnam, atque adeo pœnæ obligationem cœpit transferri, ut videre est Levitici xx, 9, 13. deinde etiam ad causam qualiscunque exitii, ut 11 Samuelis i, 16. Ezechielis xxii, 18. ¶ ἐκχυνόμενον ἐπὶ τῆς γῆς, *qui effusus est super terram*] Ἀπὸ καταβολῆς κόσμου [*à constitutione mundi*], ut Lucas loquitur. ἐκχυνόμενον hic & apud Lucam præsens pro præterito; ut alibi pro futuro, infra xxvi, 28. Sensus est, Tam horribiles fore Judæorum pœnas in excidio Hierosolymitano, ut sufficere posse videantur luendis homicidiis omnibus quæ usquam erant perpetrata, cum tamen ex pœnæ illorum merita, præsertim ea quæ Deo magis quam hominibus erant cognita, non æquarent, nedum excederent. Quæ consideratio, ni fallor, multos hujus generis nodos solvit. Confer Apocalypseos locum xvii, 24. Non male autem ab aliis annotatum est Abelis & Zachariæ specialim mentionem fieri, quod de Abele legamus *sanguinem ejus ad Deum clamasse* Genes. iv. 10. de Zacharia autem dictum ab eo moriente, *Videat Deus & judicet* 11 Paralipomenôn xxiv, 22. ¶ Ζαχαρίου υἱοῦ Βαραχίου, ὃν ἐφονεύσατε μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου. *Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter Templum & altare*] Historiam hic tangi eam quæ dicto Paralipomenon loco traditur, præterquam quod nullius alterius Zachariæ occisi Sacræ literæ meminerunt, vel ipse cædis locus evincat. Facta enim est in subdiali quod חצר vocant Hebræi, αὐλὴν Græci, Josephus ὕπαιθρον, in quo erat altare holocaustorum, ita ut subdialis pars aliqua inter altare & ædem Templi, quæ hic ναὸς [*Templum*] stricte dicitur, Hebræis היכל, intercederet: quem locum etiam in historia περὶ ἁλώσεως [*De captivitate*] libro quinto Josephus eodem modo nominat μέσον τοῦ βωμοῦ καὶ τοῦ ναοῦ [*inter altare & Templum*]. Idem in descriptione τρίτου περιβόλου [*tertii ambitus*] ita loquitur, ὁ ναὸς ἐν τούτῳ καὶ περὶ τοῦτον βωμὸς ἦν, ἐφ' οὗ τὰς θυσίας ἐλαχιστεμβῳ τῷ Θεῷ [*in hoc est Templum & ante id altare, in quo victimas holocaustorum Deo offerimus*]. Et in descriptione templi Solomonici, τὸ δ' θυσιαστήριον τὸ χάλκεον ἦσαν πρὸ τοῦ ναοῦ ἀντικρυς τῆ θύρας, ὡς ἀναιχθέντος αὐτοῦ κατὰ πρόσωπον εἶναι καὶ βλέπεσθαι τοῖς ἱερεύσιν [*Altare vero æneum ante Templum est proxime ostium, ita ut eo aperto in conspectu sit & adspectentur sacrificia*]. Hecatæus Abderita, ἐστιν δ' ἐν μέσῃ μάλιστα τῇ πόλει περίβολος λίθινος, μῆκος ὡς πεντακοσίων πλέθρων, εὖρος πεντήκοντα ἐκατόν, ἔχων θυρῶν πύλας· ἐν ᾧ βωμός ἐστι πετραίνεος [*Hic in media admodum urbe ambitus est lapideus, longus quinque jugera, latus centum cubitos, habens duplices portas: intra hunc quadratum est altare*]. Philo de vita Mosis, ὁ μὲν οὖν βωμὸς ἵδρυτο ἐν εὐκαίρῳ τοῦ ἱεροῦ καὶ σκηνῆς ἀντικρύ, ἀφέσεως πεδίου ὅσον ἱκανὸν ὡς λειτουργοῖς εἶναι διάστημα πρὸς τὰς καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπιτελουμένας θυσίας [*Altare positum erat subdio apud introitum Tabernaculi, tantillum distans quantum sufficiebat sacrorum ministris ad faciendas sacra quotidiana*]. In Thalmude Babylonico de Mensuris Templi capite v. dicitur inter porticum & hoc altare spatium fuisse xxii cubitorum. De Johannis Baptistæ patre ἀδέσποτον [*carentem auctore*] & multis de causis minime verisimilem fabulam recte refutavit Hieronymus. Obstat explicationi quam jam attulimus, patris nomen; & mendi suspicionem auget, quod ut iste Zacharias patrem Jojadam, ita Propheta patrem habuit Barachiam: ita ut videri possint exscriptores peccasse memoriæ fiducia, quia Prophetæ Zachariæ patrem noverant, nec de altero Zacharia succurrebat: quibus accedit quod codex Hebræus Nazaræorum, quem non frustra toties & hoc etiam loco consuluit Hieronymus, eadem hæc habebat, sed pro *Barachiæ* nomine nomen *Jojadæ*: nec quicquam erat causæ cur hac in re aut Nazaræorum, aut Ebionitarum fides argueretur. Vetustatem tamen lectionis nostræ, quam magno consensu tuentur Græci, Latini, Syri codices, una res potest defendere, quod apud Hebræos propria nomina sæpe mutarentur in alia ejusdem aut vicini significatus; quomodo Rex Solomo dicebatur *Jedidias*, Ozias vero *Azarias*. Maxime autem id usurpari cœptum erat in nominibus in quibus aliquot literæ nominis τετραγραμμάτου [*quadriliteri*] exstarent, quale est nomen יהוידע [*Jojada*]. Sic pro *Juda* quidam malebant *Thaddæum* dicere, quia *Juda* nomen à literis ἡ τετραγραμ-

γραμμάτου [*nominis quadriliteri*] incipit. Sic Rex Jojakim idem dictus & *Eliakim* II Regum XXIII, 34. II Paralipomenon XXXVI, 4. & in Judithæ hiſtoria idem eſt Sacerdos Jojakim XV, 9. & *Eliakim* IV, 5, 11. Sicut autem *Thaddaus* idem valet quod *Judas*, *Eliakim* idem quod *Jojakim*: ita eadem eſt ſignificatio & in nomine *Jojadæ*, & in nomine *Barachiæ*. Simili de cauſa Chaldæus Paraphraſtes Threnorum Zachariam eum qui in Templo eſt occiſus vocat filium non Jojadæ ſed יוד [*Hiddo*], quod nomen fuit avo vatis Zachariæ. Sed & hunc ipſum Zachariam (niſi in codice vitium eſt) Lxx *Azariam* vocant. Εφονεύσατε [*occidiſtis*] autem dicit, quia populus idem eſt per multa ſecula. Simile loquendi genus Marci X, 3. Johann. VI, 32. VII, 19 & 22. Actorum VII, 38. & apud Scriptores alios. Addam hoc quoque, videri ita hic Chriſtum alludere ad veterem hiſtoriam ut ſimul inſit ejus verbis futuri præſagium. Nam virorum bonorum atque inſignium ultimus ab Hieroſolymitis trucidatus, & quidem in ipſo Templo, dictus itidem eſt *Zacharias*, & quidem *filius Barachi*, quod cum *Barachiæ* nomine idem haberi poteſt: cujus cædem ſtatim ſecuta eſt obſidio, ut apud Joſephum videre eſt.

37. Ιερουσαλήμ, *Jeruſalem*] Id eſt, Ιεροσολυμῖται [*Hieroſolymitæ*]: ideo mox ſubdit plurali numero οὐκ ἠθελήσατε [*noluiſtis*], κατ' ἀνάγκην [*per Coagmentationem*] quam vocant. ¶ ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, *quæ occidis Prophetas*] Ut Eſaiam. Sed & alios quorum non exſtant nomina. Vide Nehem. IX, 26. ¶ τοὺς ἀπεσταλμένους, *qui ad te miſſi ſunt*] Ita vocat eos qui Prophetæ ordinarii non erant, ſed ad tempus Divino Spiritu induebantur, qualis ille Zacharias. ¶ πρὸς αὐτήν, *ad ipſam*] Locutio Orientalium populorum qui primæ & ſecundæ perſonæ poſt pronomen relativum aut participium ſubjungunt verba aut pronomina perſonæ tertiæ: quod multis in locis Hebræorum, Syrorum, Arabum obſervare eſt. ¶ ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυναγαγεῖν τὰ τέκνα σου, *quoties volui congregare filios tuos*] *Filii Hieroſolymorum* vocantur Judæi omnes, quorum μητρόπολις [*urbs matrix*] erat Hieroſolyma, quo conveniebant omnes ſacrorum judiciorumque cauſa, quo & belli tempore receptum habebant. Sic & Lucæ XIX, 44. Hos Chriſtus jam toto triennio multis miraculis, multis adhortationibus ac comminationibus ad veram pœnitentiam & fidem perducere ſtuduerat, ut eos hac ratione ab imminenti ira Divina liberaret. Nam hoc eſt *ſub alas congregare*: quod ἐν σκέπῃ τῶν πτερύγων σκεπάζειν [*ſub umbra alarum protegere*] vertunt Lxx Pſalmo XVII, 8. Eſt autem κυριολεξία [*propria locutio*] in voce ἐπισυνάγειν [*congregare*]. Collecta enim pullities maternis alis tegitur. Hinc יכנף [*alabitur*] Eſaiæ XXX, 20. Hebræorum Magiſtri exponunt יקבץ *ἐπισυνάξεται*, *ἐπισυναχθήσεται* [*colligetur*], & iiſdem כנוסיא [*alatio*] eſt *populi collectio*, *σύναξις*. Eadem ſimilitudine Græci curam ac tutelam ſingularem depingunt. Megara Hercule furente,

Οἵ θ' Ηρακλεῖοι παῖδες ὃς ὑπεξέφυγε
Σώζω, νεοσσοὺς ὄρνις ὡς ὑφειμένη.
[*Magnique nati Herculis quos ſoſpito*
Meis ſub alis, ut ſuos pullos avis.]

Seneca ſequitur,

Qualis accipitris minas
Fugit, & ſparſos metu
Colligit fœtus avis.

¶ καὶ οὐκ ἠθελήσατε; *& noluiſtis*] Paternum loquendi genus Filius, imago Patris, exprimit. Ita enim Deus Ezechielis XXIV, 13. *Mundavi te, & te non mundaſti*: & Proverbiorum I, 24. *Vocavi & renuiſtis*. Apud Eſaiam LXV, 12. *Vocavi, & non reſpondiſtis; locutus ſum, & non audiſtis*: & ſimiliter apud Jeremiam VII, 13. Conſer & Deuter. XXXII, 29, 30. Iſti autem quos Chriſtus alloquitur non modo τῇ βουλῇ τοῦ Θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς [*conſilium Dei poſuerunt in ſemetipſos*], ut dicitur Lucæ VII, 30. ſed alios quoque Judæos fidei ſuæ creditos impediebant ne cœleſtia monita reciperent, ut ſupra dictum eſt commate 13. partim poteſtate Synedrii, partim Doctorum auctoritate.

38. ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος. *relinquetur vobis domus veſtra deſerta*] *Locus iſte in quo vos, o Hieroſolymita, habitatis in ſolitudinem vertetur.* Urbem enim magis intelligi quam Templum ſolum. Eſt enim his οἶκος [*domus*] quod in Hebræo מושב [*habitatio*] Pſalmo LXIX, 26. pro quo ἔπαυλις verterunt Lxx, quos in Actis ſequitur Lucas; Hieronymus *commorationem*: niſi quis malit Jeremiæ verba reſpici, apud quem Deus ita loquitur XII, 7. עזבתי את ביתי נטשתי את נחלתי ἐγκατέλειπον τὸν οἶκόν μου· ἀφῆκα τὴν κληρονομίαν μου [*reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam*] aut illa ejuſdem Prophetæ XXII, 5. כי לחרבה יהיה הבית הזה εἰς ἐρημωσιν ἔσται ὁ οἶκος οὗτος [*in ſolitudinem erit domus hæc*]. ὑμῖν [*vobis*] hic manifeſte περίεστι [*abundat*], quomodo Latini veteres *ſuum ſibi* dicebant. Ita apud Syrum capite ſequenti, commate 33. רטמרו לה [*prope eſt ei*], & alibi ſæpe.

39. ἕως ἂν εἴπητε· *donec dicatis*] Id eſt, *donec libenter admodum dicturi ſitis.* Nuper pueros fauſta Jeſu acclamantes compreſſerant. Ait Jeſus venturum tempus cum libenter ipſi ea uſuri ſint acclamatione, ſi ea ratione ipſius gratiam poſſent eblandiri, tum ſcilicet cum ipſum videbunt à Patre mundi Judicem conſtitutum. Vide Philipp. II, 10. quî locus eodem pertinet. Nam ad converſionem Judæorum hæc trahere durum mihi videtur; cum tota oratio ſit comminatoria, & ad ejus ætatis homines pertineat, quod vox γενεᾶς [*generationis*] indicat.

P R I C Æ U S.

Com. 3. Πάντα ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε, καὶ ποιεῖτε] Gen. 21. 12. πάντα ὅσα ἂν εἴπῃ σοι Σάρρα, ἄκουε τῆς φωνῆς αὐτῆς. & 41. 55. ὃ ἂν εἴπῃ ὑμῖν, ποιήσατε. Act. 3. 22. αὐτοῦ ἀκούσεσθε κατὰ πάντα ὅσα ἂν λαλήσῃ πρὸς ὑμᾶς. Joh. 2. 5. ὅ, τι ἂν λέγῃ ὑμῖν, ποιήσατε. Vide & Deut. 17. 10.

Ibid. λέγουσι γάρ, καὶ οὐ ποιοῦσι]

—— *pulcerrima dictu*
Effundunt, vita non præſtant, moribus, aut re.

Compoſita dicta è pectore evolvunt ſuo,
Quæ cum componas dicta factis diſcrepant.

Joſephus de Athenienſibus cæteriſque Græcorum populis, Ἃ μὲν χρὴ πρᾶξαι ἢ μὴ, προστάττουσι δῆλα τοῖς νόμοις· ὃ δ' ἢ πρὸς αὐτὰ δεῖ τοῦ λέγειν ἰδίᾳ ὀλιγώρησαν. Pacuvius apud A. Gellium, *Homines ignava opera, philoſopha ſententia.* Alexis de Philoſophaſtris quibuſdam apud Athenæum,

Ἐν τοῖς λόγοις φρονοῦντας ἐνεστὼς μόνον,
Ἐν τοῖς δ' ἔργοις ὄντας αἰσχίστους ὁρῶ.

Philo in Περὶ πρεσβ. Δυναμένοις μὲν οὖν εἰκεῖν, ἀδυνάτοις δ' εἶναι πρᾶττειν τὰ βέλτιστα. De ſimilibus Lucianus, Ἰδοὺ τὰ ἴδια ζητεῖς, οἱ λόγοι ποθοί. Seneca, *Turpiſſimum eſt quod nobis objici ſolet, verba nos Philoſophiæ, non opera tractare:* ubi *nos*, eſt Stoicos. Arrianus 3. 7. in Epictetum ex eorundem perſona, Λύπαι ἄλλα λέγομεν, ἄλλα δὲ ποιοῦμεν. Hinc è converſo merita Moſis laus illa apud Philonem, Τὰ φιλοσοφίας δόγματα τοῦ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἔργων ἐπιδείκνυται· λέγων μὲν οἷα ἐφρόνει, πράττων δὲ ἀκόλουθα τοῖς λεγομένοις· & Lucilii apud Senecam, *Quod loqueris ſentis, concordet ſermo cum vita.*

Com. 4. δεσμεύουσι γὰρ φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων] Statius,

Molem immenſam humeris, & non tractabile pondus
Imponunt ——

id eſt, (ut in alia re Tertullianus loquitur) *operioſiſſimis ſuperſtitionibus onerant.* Petron. *Homines jumenta putant aut lapidarias naves.* Plaut. Moſtell.

—— *Ego habeo homines clitellarios,*
Magni ſunt oneris, quicquid imponas vehunt.

Et bene hic δυσβάστακτα. Actor. 15. 10. ζυγὸν ἐπιθεῖναι. Actor. 15. 10. ζυγὸν ἐπιθεῖναι τῶν μαθητῶν, ὃν οὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαστάσαι. Adde quæ ad Luc. 11. 46. Annotata.

Com. 6. Φιλοῦσι γὰρ, &c. τὰς πρωτοκαθεδρίας, &c.] Apud Lucianum ille in Cataplo, Ἐν τῇ πρωτοθρονίᾳ καθήσεσθαί με δεῖ. Ariſtoteles 9. de Moribus, Φιλαύτους καλοῦμεν τοὺς ἑαυτοῖς ἀπονέμοντας τὸ πλεῖον ἐν χρήμασι καὶ τιμαῖς καὶ ἡδοναῖς ἀνωμαλικαῖς, τούτων γὰρ οἱ πολλοὶ ὀρέγονται.

Com. 7. καὶ τοὺς ἀσπασμούς] Dico ad Luc. 20. 46. ¶ καὶ καλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων Ῥαββεί] Non alienum eſt quod dixit Euripides, multorum animos inſoleſcere ob opes, & quia ἐν ταῖς πολίταις τιμαῖς κεκλημένοι.

Com. 9. εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς] Sic editi omnes: ſed poſt ὑμῶν diſtinguendum puto, ſequentia enim ἐξηγητικῶς ponuntur. Vide ad Marc. 2. 7. dicta.

Com. 13. ὑμεῖς γὰρ οὐκ εἰσέρχεσθε, οὔτε τοὺς εἰσερχομένους ἀφίετε εἰσελθεῖν] Clemens de falſis doctoribus, cujuſmodi Phariſæi iſti, Οὔτε αὐτοὶ εἰσίασιν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, οὔτε τοὺς ἐξιοῦσιν ἐᾶσι τὴν ἀληθείας τυγχάνειν. Porro locutio loci hujus proverbialis eſt. Joannes Epiſt. 3. 10. Οὔτε αὐτὸς

τὸν διδάσκειν τὸν ἀδελφὸν, καὶ τὸν βιαιμάχην καλόν. Plaut. Trin.

Nec tibi esse bene potes pati, nec alteri.

Salluſtius, *Adeo juventus luxu atque avaritia corrupta eſt, ut merito dicatur genitos eſſe qui neque ipſi habere poſſint res familiares, neque alios pati.* Cyprianus contra Demetrianum, *Satis non eſt quod tu ipſe Dominum non colis, adhuc inſuper* (malim *adhæc*, quod Luc. 16. πρὸς ταῦτα) *eos qui colunt ſacrilega infeſtatione perſequeris.* Ovidius,

Scilicet haud ſatis eſt quod te ſpectante revincta eſt,
Et nullam quod opem patrum ſponſuſve tulisti?
Inſuper æquoquam quod ſit ſervata dolebis?

Apud Lucian. κώλυσον ἡμᾶς ἐπιχείρειν, μήτε αὐτὸ διδὺς, μήτε ἄλλῳ τὸν διδόντων ἐᾶν λαμβάνειν. Apud Apollonium ille in Argonaut.

—— ἡ γὰρ ἔγωγε
Πείσομαι, ὥστε καὶ ἄλλον ἀναγκάσασθαι ὀρύξαι.

Simile etſi in alteram partem Arriani illud, ὁ καλὸς κἀγαθὸς ὅτι αὐτὸς μάχεται τινι, οὐδὲ ἄλλον ἐᾷ χεῖρα δυσαμένων· & Muſonii, ὥσπερ γεωργὸν ὅτι αὐτὸς γεωργεῖσθαί τινα, ὅτι δὲ ἑτέρῳ συμβουλεύειν· Item Xiphilini de Tito Imperatore, Τοὺς τῆς αἰτίας δίκας ὅτι αὐτὸς πᾶσι διέλυεν, ὅτι ἄλλοις ἐπέτρεψεν. Τοὺς εἰσεχομένους Baſilius τοὺς βιαιομένους εἰσέρχεσθαι exponit, & melius, ſi recte judico, recentioribus pleriſque: ſic ſupra 7. 13. εἰσέλθετε ponitur.

Com. 14. καταθίετε τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν] Affini loquendi genere τὰς ἁρπαγὰς τὰς ἀδικουμένων θυμεδόνα Euſtathius ad Homerum dixit. Poſt, μακρὰ προσεύχεσθε] Jul. Firmicus, *Erit amabilis, parvi animi, ac Dii longa ac prolixa precibus moleſtus: ὀλίγας μακρὰν περιαιρεῖ* etiam apud Heliodorum habes.

Com. 15. περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηρὰν πᾶσαν ἵνα ποιήσητε] Quaſi dicat, *Atque utinam ſoli errare, ſoli deſipere velletis: alios etiam in conſortium malæ veſtræ rapitis, quaſi de multorum perditione ſolatium habituri.* Verba ſunt Lactantii, ſed in aliare, 5. 20. *Non contenti ipſi peccare, alios Deum iratum excitatis.* Petron. ξηρὰν καὶ θάλασσαν περιάγων proverbiale eſt: ſic Salluſtius *terra & mari exquirere* dixit. Gellius *terra & mari conquirere.* Apuleius *mari ac cœlo conquirere.* Juvenalis *carpentis ac navibus convenire.*

Com. 16. ὀφὲν ἐστι] *Nullius momenti vel effectus eſt* verterim, potius quam *non tenetur.* In Cod. Theod. de Rectoribus Provinciarum, *Divitiis integram mentem opponant: non illam ſupercilium* (*quod hoc tempore nullum eſt*) *terrebit.* Vide & 1 Cor. 7. 19.

Com. 17. Μωροὶ καὶ τυφλοί] Ἀνθρώποις δὲ τοῖς ἐν μείζονι ἐμπίπτουσι, Hebr. 6. 16. vos autem cui major habendus honor eſt minorem habetis. Minutius Paganos irridens, *Tuum iis per Jovis Genium pejerare quàm Cæſaris.*

Ibid. Τίς γὰρ μείζων ἐστὶν; ὁ χρυσὸς, ἢ ὁ ναός; &c.] Similis Luc. 22. 27. loquendi modus, & apud Lucianum, πότερον ἀμείνους; οἱ σώζοντες τινας, ἢ οἱ σωζόμενοι ὑπὸ αὐτῶν;

Com. 23. Ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι] *Neque enim juſta cauſatio eſt cur præferantur aliqua ubi facienda ſunt omnia,* Salvianus 3. Chryſoſtomus Homil. 35. ad Pop. Antiochen. Ὅταν ἀναμάρτητον ἀδελφῷ τις, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ μικροτέρῳ παρατήρησις ὑπὲρ αὐτοῦ δύναται δυσωπῆσαι. Auctor ad Celantiam, Hieronymus ſive Paulinus, *Non ſufficit Chriſtiano ſi unam partem juſtitiæ impleat, cui utrumque præcipitur:* & ibid. *Quicquid ſupra juſtitiam offertur Deo, non debet juſtitiam impedire, ſed adjuvare.* Sic apud Arrianum, τὸ κεφάλαιον κατανοεῖν, ἢ τοῦτο ἐν παντὶ μεταδιώκειν, &c. πάντα τ' ἄλλα περὶ τοῦτο πᾶσι, ἃ μὲν τοι ἀμελῶν ἀλλ' ἐκεῖνον δὲ δυνάμενον, 2. 23. Bene Hierocles, ἀμφότερα δυνατὸν συμβαίνειν, τό τε ζῆν ἀγαθὸν καὶ τιμᾶν, ἢ τὸν ἀνθρώπινον.

Com. 24. οἱ διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες] Ammianus Marcellinus, *Ita autem pauci ſunt inter eos ſeveri* (malim *veri*, id eſt *æqui*) *delictorum Judices, ut ſi aquam calidam tardius attulerit ſervus, ſexcentis affligi verberibus jubeatur: ſi hominem ſponte occiderit propria, inſtantibus pluribus ut damnetur, Dominus baltenus exclamet, quid facias maniofus* (alii *malitioſus*, mihi neutrum placet) *& nequam? ſi aliquid ejuſmodi deinceps auſus fuerit, corrigetur.* Simile apud Heliod. Τὰ σμικρότατα τῶν καθ' ἑαυτὸν ἁμαρτημάτων, τὰ μείζονα δὲ ἀγνοῶν παιδεύειν. *Sic invenies ſervum* (inquit Seneca) *qui flagellis quam colaphis cædi malit: & qui mortem ac verbera tolerabiliora credat quam contumelioſa verba.* Lib. in Sap. non cad. injur.

Com. 26. καθάριον πρῶτον τὸ ἐντὸς τοῦ ποτηρίου] Plutarchus ſimili tralatione & ferme ſententia, Τί γὰρ ἐκπομάτων ἴσασιν ἐκπτύσασθαι καὶ διομνύναι παντάχοθεν ὡς λάμπουσι καὶ φεκάδες; ἢ τὸ ἐκπωμα ἔνδοθεν μὴ ῥύπου μηδὲ μοχθηρίας ὑπάρχειν; ἢ τὸ ἔξωθεν ἐπιμόνως διῃρῆσθαι καὶ καλλύνειν ἀναγκαῖόν ἐστι; Apud Gellium Epictetus ad improbum ſtudia Philoſophiæ aggredientem, Ἄνθρωπε, τί βούλει; σκόψαι εἰ κεκάθαρται τὸ ἀγγεῖον· & apud Lucianum Pythagoras, Καθαρὸν σεαυτὸν ἢ ψυχὴν ἐργασάμενον, ἢ τὸ ἐν αὐτῇ ῥύπον ἐκλύσας. Καθαρίζειν hic τὸ ἐντὸς τοῦ ποτηρίου eſt ἡ καρδίαν ῥεραντισμένοι ἔχειν ἀπὸ τῆς πονηρᾶς συνειδήσεως, Hebr. 10. 22. In Græco Eſaiæ 1. 16. καθαροὺς γενέσθαι, ἀφελεῖν ἀπὸ τῆς ψυχῆς τὰς πονηρίας. Sed operæ foret totam illam φεκαδῶν conferre: videre eſſet quam pater & filius idem ſentiunt ſapiuntque.

Com. 27. παρομοιάζετε τάφοις κεκονιαμένοις, οἵτινες ἔξωθεν μὲν φαίνονται ὡραῖοι, &c.] Lucianus de Philoſophorum nomen ementientibus, Σεμνοὶ τὰ ἔξω καὶ τἀδημόσια φαινόμενοι. Seneca, *Nec habemus itaque iſta oculiſeria, nec emptorem decipimus, nihil inventurum cum intraverit præter ea quæ in fronte ſuſpenſa ſunt.* Comparationem autem etiam alii à ſepulcris duxerunt, nec ad ſenſum alienum longe.

Laberius,

Sepulcri ſimilis, nil niſi nomen retines.

Ovidius,

Et ſæpe in tumulis ſine corpore nomina legi.

Ibid. ἔσωθεν δέ, &c.] Perſius,

—— *Ilia ſubter*
Cæcum vulnus habent, ſed lato baltheus auro
Protegit. ——

Poſt, γέμουσιν ὀστέων νεκρῶν, καὶ πάσης ἀκαθαρσίας] Lucianus de Statuis loquens, Ἔνιαι ἴσασιν ὅτι τὰ ἔσωθεν ὁ μὲν Ποσειδῶν ἢ Ζεὺς ἐστι πεπυκασμένον, χρυσῷ καὶ ἐλέφαντι ξυμπεφορυμένον, πεφυσημένοι ἢ ἀσφαλῶς ἢ τέλματα ἔχων τῇ δεξιᾷ· ἢν δὲ ἀποκύψας τὰ ἔνδοθεν, ὄψει μοχλούς τινας ἢ γόμφους, καὶ ἥλους διαμπὲξ παρηρμένους, καὶ κορμούς, καὶ σφῆνας, καὶ πίτταν ἐπιπολῆς, καὶ πολλὴν τινὰ πολλαχοῦ ἀμορφίαν ἐπικεκρυμμένην. Baſilius, Τί γὰρ ἔξωθεν δεσμεύεις, τὰ κρύφια μὴ διηθούμενος; ὁρᾷς ὅτι ὁ βηλὸς ἔξωθεν μὲν ἔχει χαλκὸν, ἔνδοθεν δὲ πηλὸν τῷ φλογερῷ πηλῷ ἐπικεκρυμμένον. Ἐὰν ἴδῃς τοὺς ἐν τῷ βίῳ φιλοφανεῖς, γίνωσκε ὅτι ὁ χαλκὸς αὐτοῖς φιλεῖται μόνος, ἔνδοθεν δὲ πηλὸς ἐστι, τῷ χαλκῷ τὸ σαθρὸν ἐπικρυπτόμενον. Iterum Lucianus, Ὅμοιοί εἰσι τοῖς καλλίστοις τάφοις βιβλίοις, ὧν χρυσοῦ μὲν οἱ ὄμφαλοι, περφύρας δ' ἔνεισιν ἡ διφθέρα, τὰ δὲ ἔνδον ἡ Θυέστης ἐστὶ τὸν παῖδα ἑστιῶσα, ἢ Οἰδίπους τῇ μητρὶ ξυνὼν, ἢ Τηρεὺς δύο ἀδελφὰς ἅμα ἔχων. τοιοῦτοι δὲ καὶ εἰσι, λαμπροὶ καὶ φιλόκαλοι, ἔνδον δὲ ὑπὸ τῇ περφύρᾳ πολλὴ ἡ τεφρωδίαν σκίπτουσι. Et in Epiſtolis Saturnal. Ὁλόχρυσον μὲν τὸ ἔξω, κατάγραφον δὲ τὸ ἔνδον, ὥστε οἱ τεφρωταὶ ἐθέλουσιν ἐκ φακῶν σοὶ δ' ἁπλῶν συζεύξομαι. Seneca, *Si non quæ occurrunt, ſed quæ latent videritis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes,* &c. Clemens Pædag. 2. 3. Γελοίως χρυσωθῆναι καθάπερ ἐν τοῖς κομψοῖς ἀνδριᾶσί τινες, ἔξωθεν κεχρισμένοι κατὰ πληκτικὰς ὀψὲ σιμότητα, τὸ ἔνδον ἄθλιοι. His adde quæ ad Act. 23. notamus.

Com. 29. οἰκοδομεῖτε τοὺς τάφους, &c.] Locutio non inelegans nec (ut quibuſdam videtur) impropria: recte enim ſepulcra *ædes mortuorum* dicuntur. In l. 4. Cod. Theod. de ſepulc. viol. *Qui ædificia manium violant, domum ita dixerim defunctorum,* &c. Apul. 4. *Jubeo ſingulos commilitonum abſpertare quantum quiſque poterat auri vel argenti, & in illius ædibus fidelissimorum mortuorum occultare.* Paulo ante de iiſdem, *capulos carie & vetuſtate ſemitectos, quæ inhabitabant pulveres & jam cineres ſi mortui.*

Com. 30. μετόχους αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τῶν προφητῶν] Συνδεδικῆσθαι (ut Act. 8. 1.) τῶν αὐτῶν ἀναιρέσεσι. De verbo μετέχειν, ubi, ut hic, de malis facinoribus, ad 1 Tim. 5. 22. annotavimus.

Com. 31. ὥστε μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς ὅτι υἱοί ἐστε τῶν, &c.]

Ovidius,

—— *Documenta dare qua ſitis origine nati.*

Sen. Hipp.

—— *Redit ad auctores genus,*
Stirpemque primam haud degener ſanguis refert.

Idem Agamem.

Uterque tanto ſcelere reſpondet ſuis,
Hic eſt Thyeſte natus, hæc Helena ſoror.

Digitized by Google

Martialis,

E ſervo ſcis te genitum blandeque fateris,
Dum Dominum appellas, Soſibiane, patrem.

Com. 32. πλησίασατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν] Id eſt (ut 1 Theſſ. 2. 16.) ἀναπληρώσατε τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. Deſumptum videtur ex Nehem. 13. 18. aut ex Numer. 32. 14. efferturque καὶ ὑπερβολήν. Tale ſupra 15. 14. & illud Apoc. 22. 11. ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι· & illud Plauti,

Nunc dum tibi lubet licetque, pota, perde rem.

Item,

Quomodo occepiſtis, bibite, pergracamini:

& hæc Marii apud Saluſtium, *Quod juvat, quod charum æſtimant, id ſemper faciant; ament, potent:* nec non Terentiana iſta,

Conſerva, quare, parce, fac quamplurimum illis relinquas.

Ubi (aptè ad ſenſum Euangel.) Donatus, *Hoc ſic pronunciandum ut appareat hanc ipſam voluptatem Mycieni diſplicere.*

Com. 34. Διὰ τοῦτο] Non puto hæc ad ſenſus connexionem neceſſario pertinere. Vide quæ ſupra ad 13. 52. dicta.

Com. 35. ὃν ἐφονεύσατε μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου] Ovidius,

Ante ipſam, qua mors foret invidioſior, aram.

Victor Uticenſis de ſtrage ab Arrianis facta, *Alii quamplurimi ſagittis & jaculis in medio crepidinis altaris perhibentur occiſi:* apud Achillem Tatium, τύπτομαι παρ' αὐτὸ τοῦ βωμοῦ, βλασφήμης εἵμα τὸ θεῖον.

Com. 37. ὃν τρόπον ἐπισυνάγει ὄρνις τὰ νεοσσία ἑαυτῆς] Plutarch. ὥσπερ ἡ εἰς τὰ ὄρη. Φιλοσοφ. Τὰς ἀλεκτορίδας ἐν ταῖς ὕβρεσιν καθ' ἡμέραν ἔχουσιν, ἐν τρόπῳ τὰ νεοσσία ὥσπερται, ταῖς μὲν ἐνδυσῶν χαλκᾶς τὰς πέρυγας, τὰ δὲ ἐπιβαίνοντα τῶν νεοττῶν. Clemens in Protreptico, Ὁ θεὸς ἐκ πάσης φιλανθρωπίας ἀντέχεται ἡμῶν καὶ ἀνθρώπου, ὥσπερ ἐκ καλιᾶς ἐκπίπτοντας νεοττοὺς ἡ μήτηρ ὄρνις ἐφίπταται. Eandem ἀετῷ comparationem ab aquila ducta Deuter. 32. 11. videre eſt: confer & Oſeæ 11. 3. Sequitur, Καὶ οὐκ ἠθελήσατε) Ἐρχεσθαι nimirum πρός με ἵνα ζωὴν ἔχητε, Joh. 5. 40. Hanc pro muneribus meis dediſtis retributionem mihi, ut in quantum beneficiis vos ad me illexerim, in tantum vos à me receſſiſtis. In Epiſtola ſub nomine Heraclidi ad Epheſios circumlata, Ἡ ἀγάπη ὑμᾶς Ἡρακλείτου ἀγαπᾶν ποιεῖ; οὐκ, ἀλλὰ Ἡρακλείτου ὑμᾶς, πάλιν, ἀλλ' ὑπ' ἐκείνου. Vide Eſai. 30. 15, 16. & 65. 2. Jer. 22. 21. & 44. 16. Zachar. 7. 12, 13. & ſupra 11. 17.

CAP. XXIV.

MUNSTERUS.

1. *Structuras Templi*] Prædixerat Chriſtus futurum quod Jeruſalem propter impietatem Judæorum devaſtaretur, Templum & omnis Dei cultus qui in eo fiebat in univerſum rejiceretur: quod cum Apoſtoli à Magiſtro veritatis audiſſent, veluti commiſerantes oſtenderunt ei magnificas Templi ſtructuras. At Chriſtus explicatius illis deſtructionem ejus inſinuavit, dicens, *non relinquetur lapis ſuper lapidem*, &c. Quod autem Templum illud tam magnificum & ſplendidum fuit, id non habuit à prima ædificatione, quando ſub Ezra & Nehemia humiliter fuit erectum, ſed ſplendor ille acceſſit ab Herode, quemadmodum Joſippus Joſephi abbreviator ſcribit in hunc modum, ויהי עם לב והורדוס לחדש את בית המקדש ויתיעץ עם העם ישראל לבנותו אל מדתו כאשר בנה שלמה מלך ישראל· כי השכים מהעלה כיסי טורש והתחלו לבנותו על המדה אשר זזה כדש ולא כאשר היה לפנים· וכשמע כל ישראל כי עם לבבו להרוס את הבית מעקרו ולבנותו לא חשיכתו כי ירא אולי יהיה האדני כן שמהמה בבניינו· ויהא ידע אשר בלבבם וחפיב להכם כי לא יתמהמה ולא ישקוט עד אשר יכלה הדבר· ויאמר להחציא סכית גדול אחד וכסף להת להחצבים אבנים יקרות ואבני בהט ושש ולחרשי עץ ואבן זהב וכסף ותחשר וכרול לעשות את כל הצשר למלאכם להיות חכל עתיד ואם יהיה את הבית יוכל לבנותו כדאה ויעש כן· ויסתור את הבית ובנהו רכלתו אורך סאה באמה ורחב מאה באמות וקומה מאה באמה כל באבני שיש לבן מאה ועשרים באמה קומת האבנים עשרים אמה בעזרות בארץ ומאה לבקעה ורחב האבן יכי אמה ועבי ה" אמות מדה אחת לכל האבנים· ותצפה ולוחות חבית זהב כוהר כסלא באבנים יקרות וארזיהם ככף וזהם בכף· ויעש את האולם ויעש לפני האולם קורות שנים שהל ככף מעשה חושב· ואחר הבית לפאת ים חצר אחת מאה וחמשים באמה ורחבו מאה באמה ויצפחו באבני שיש מהור· ולפאת נגב לפאת צפון אורך החצר מאה וחמשים אמה ורחב מאה באמה באמה ויעמד בו מאה וחמשים עמודים שיש לבן בארבעה טורים ארבעים אמה אורך חטור האחר וקומת העבור ארבע· ומאה ועבי ג' אמות מדה אחת לכל העמודים מדה אחת לחצר נגב תיכנה ולפאת צפון ולעמודיהם· ולפאת קדמה כוחה שבע באית ועשרים באמה עד נחל קדרון· לא נראה בניין כמהו בכל העולם וכל דברי הבית חזה אשר עשה הורודום נפלאות הם וכלך בכל חיקלם לא נשמע שיכל לבנות כמהו : Senſus eſt, *Cogitavit Herodes innovare domum Sanctuarii, initque conſilium cum Iſraelitis, ut exſtrueret eam juxta menſuram illius quam exſtruxerat Salomo Rex Iſrael. Nam reverſi è captivitate tempore Cyri cæperunt ipſum exſtruere juxta menſuram quam Cyrus præſcripſit, & non ut antea fuerat. Et cum omnis Iſrael audiſſet quomodo Rex volebat funditus deſtruere Templum, non reſponderunt ei, timentes, ſi deſtrueret ipſum, tarde readificaret. Quod cum illum non lateret, reſpondit eis, ſe non ſegniter actarum donec negotium perficeret. Juſſit propterea proferri aurum & argentum ex erario ſuo plurimum, quod daret cæſoribus optimorum lapidum, præſertim taſorum, & marmoreorum, & artificibus lignorum, lapidum, auri, argenti, æris & ferri, qui facerent cuncta requiſita ad tale opus, ut ſic cuncta eſſent parata; & cum deſtrueretur Templum, abſque mora iterum exſtrueretur. Demolitus eſt ergo Templum, & readificavit ipſum, atque conſummavit longitudine* C *cubitorum, latitudine* C *cubitorum, atque altitudine* C *cubitorum, omnia albo marmore. Eratque altitudo lapidum* CXX *cubitorum ex fundamento,* XX *ſcilicet ingrediens terram, &* C *ſupereminens. Latitudo unius lapidis erat* XII *cubitorum, & craſſities ejus* VIII *cubitorum: eratque æqualis menſura omnium lapidum. Porro oſtia veſtivit auro mundo, cui incluſi erant lapides pretioſi: vectes autem eorum & capitella erant argentea. Fecit & porticum, & à facie ejus duos argenteos parietes, opere ingenioſo. Porro retro Templum ad angulum Occidentalem fecit atrium, longitudine* CL *cubitorum, latitudine* C *cubitorum, ſtravitque ipſum lapidibus marmoreis puris. Sic in latere Meridionali & Aquilonari fecit atrium longitudine* CL *cubitorum, latitudine* C *cubitorum: conſtituitque in eo* CL *columnas marmoreas albi coloris per quatuor ordines;* XL *cubitorum erat longitudo unius ordinis, & altitudo columnæ erat* XL *cubitorum, & craſſities ejus trium cubitorum; habebantque ſingulæ columnæ menſuram unam. Proinde atrium Auſtrale & Septentrionale unius erant menſuræ, nec differebant in columnis. In plaga vero Orientali extendebatur* DCCXX *cubitis, uſque ad torrentem Cedron. Non viſum eſt tale ædificium in univerſo mundo, & quicquid fecit Herodes in hoc Templo fuit mirabile: nec auditum eſt de ullo Rege in toto mundo quod potuerit tale facere ædificium.* Hactenus Joſippus.

3. *Quando hæc erunt?*] Putabant Apoſtoli hæc omnia ſimul fore, vaſtationem Jeruſalem, adventum Chriſti in gloria, finem mundi. At Chriſtus nihil eis reſpondit de fine mundi, nec ſignum dedit de adventu regni ſui, quod non eſſet è re eorum illa ſcire; ſed monuit quæ magis ad ſalutem eorum faciebant, nempe quod caverent ab *impoſtoribus* qui futuri erant, *non turbarentur de bellis* & aliis calamitatibus quibus ante excidium Judæi affligendi erant. Deinde monuit cavendos alios *pſeudochriſtos* & *pſeudoprophetas*, qui poſt excidium Jeroſolymitanum erant emerſuri. Et mox de fine ſeculi diſſerit, quam horrende & quanta rerum perturbatione venturus ſit; ſed non dicit quando venturus ſit.

6. *Oportet quod iſta fiant*] Nempe quod regnum meum creſcat, & hæc gens peſte, fame, bello & indicibilibus malis exterminetur. Et cum hæc fieri incipiunt, vos diſcipuli mei non debetis abjicere animum, ſed ad multa graviora vos præparare: Quia *tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos*, &c. Sed ſubditur conſolatio; *Et prædicabitur hoc Euangelium in univerſo orbe*, antequam ſcilicet veniat conſummatio Templi, Urbis, & totius gentis Judæorum, *in teſtimonium Gentibus*, credulis in teſtimonium ſalutis, & incredulis in teſtimonium condemnationis. Quod autem Euangelium prædicari univerſo orbi ante devaſtationem Judæorum perhibetur, ſynecdoche eſt, quia illis XL ann. plurimis nationibus fuit denunciatum. Adducta ex Daniele autoritas ex nono citatur capite, intelligiturque per illam *abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto* obſeſſio & impugnatio Urbis ſanctæ. Tunc tantus fuit in populo metus ut ex *agro*, ex lecto & ex *tecto* qui fugere potuerunt,

re-

relictis omnibus fugerunt *ad montes* & loca tuta: & nemini pejus erat quam *prægnantibus* & *lactantibus*, quæ onere prægravatæ fugere nequiverunt. *Et niſi abbreviati fuiſſent dies illi, nulla caro* Judæorum *evaſiſſet ſalva. Sed propter electos* qui adhuc erant in populo illo, Dominus *abbreviavit dies illos*, ne in totum genus Judæorum exſtingueretur.

27. *Sicut fulgur exit ab Oriente*] Senſus eſt, Pſeudochriſti in latibulis ſe hominibus venditant, at regnum Chriſti & Dei adveniet cum magna gloria & majeſtate, & *ſicut fulgur exit ab Oriente, & apparet uſque in Occidentem, ſic erit* toti mundo manifeſtus *adventus Filii hominis*; & ultro confluent ad eum qui ipſum deſiderant, ſicut *aquilæ* continuo *congregantur ad cadaver. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum* adfuturus eſt finis mundi: dicit *ſtatim*, h. e. inter excidium Judaicæ gentis & finem mundi nulla ſumetur de impietate mortalium ſimilis ultio Divina qualis ſumpta eſt de Judæis, donec extremi judicii dies advenerit: tunc virtutes cœlorum & tota machina cœli & terræ *concutientur*, & apparebit ſignum Filii hominis & majeſtas ejus, præcedente tubæ ſono, quo undique *convocabuntur electi* vivi & mortui ad tribunal Chriſti. Et quanto hæc ſigna acceſſerint propius, tanto & vicinior erit redemptio ipſa & regnum Dei erit in foribus; id quod probatur ſimilitudine arboris *fici*. Cum igitur omnia iſta ſigna præceſſerint, extulerunt ſe quidem pro Chriſto ante excidium Jeroſolymitanum, de quibus Paulus mentionem facit, ſubſecuta ſunt bella, rumores bellorum, & perſecutiones apud Judæos. Euangelium fere ubique prædicatum fuit, inde ſecuta eſt deſolatio Urbis ſanctæ: ſurrexerunt & poſt hæc impoſturæ pſeudochriſtorum & pſeudoprophetarum, id quod potiſſimum in Mahumeto probatur; & exinde nihil aliud novum ac inſigne exſpectatur quam extremus dies, pro quo omni momento ſoliciti eſſe debemus & ſemper vigilare.

34. *Non præteribit generatio hæc*] Capitur hic *generatio* pro ætate hominis, h. e. pro octoginta aut centum annis, quod ſpatium Hebræi vocant דור, interpretanturque in hunc modum, דור הוא זמן חיי האדם אשר הואיל דר בעולם הזה מן שיבה עד זקנים: Intra hoc itaque tempus omnia hæc ſigna fieri debebant, excepto ſolo extremo die, qui *ſoli Patri cognitus* hic deſcribitur: ut vere hinc probetur vanum eſſe judicium illorum qui de tempore extremi judicii præſumpſerunt divinare & multa ſcribere, cum Magiſter veritatis hic dicat diem illum hominibus ſeculi omnino inopinantibus, atque curis ac deliciis vitæ hujus penitus immerſis, nec minus aliquid exſpectantibus ſuperventurum, ſicut contigit in diluvio: Hic quoque reſpondendum eſt Judæis, qui hunc locum ſic impugnant, מן והיה והוא ומן חשקו חדרי אין מיודע לא מלאכי בשמים ולא הבן כאו"ה האב כאדם שהשלך בגלות ואין בני ביתו יודעים באיזה יום יבא ובאחרונה שקרי ועבשיו נפלאת לי מאד מכמה שאמר שהכן לא ידע אותו יום ואותה שעה שיבוא: ואם הוא כמו אביו מי יכול להסתיר לפניו שהם דבר רשום מעשרת ועוד שהוא בעצמו יבא בלא ידיעתו עתה נראה שהוא חסר דעת מאביו: תשובה: אין נאמר כאן שהבן אין ידע שעת יום אחרון כי אם לבדו אב ולי אלהים שהוא אב כל הנבראים אבי גם בן שהוא אלהים ידע מן היום והוא: Ob incertitudinem itaque adventus ſui hortatur nos Chriſtus ad vigilantiam, & jubet ut parati ſimus omni tempore, h. e. cum timore & tremore verſemur in hoc mundo, ut effugiamus mala quæ orbi ſuperventura ſunt, & cogitemus in illa die mirum futurum delectum, quando *duo in agro, in lecto, in mola fuerint, & unus aſſumatur, alius relinquatur.*

45. *Fidelis & prudens*] Docet hæc parabola, ab eo in Dei judicio plus exigendum cui plus eſt commandatum. Omnes enim ſumus ſicut ſervi, & nemo eſt qui non aliquid diſpenſandum fratribus, dono Chriſti acceperit: uni quidem datum eſt plus, alii minus, quo proximum juvemus; & majora ab his exſpectantur quibus majora Divinitus obtigerunt.

V A L L A.

1. *ET egreſſus Jeſus de templo, ibat, & acceſſerunt diſcipuli ejus ut oſtenderent ei ædificationes templi. Ipſe autem reſpondens dixit illis, Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, Non relinquetur hic lapis ſuper lapidem*] Non eſt Gr. *reſpondens.* Atque ut hoc ſupervacuum eſt apud nos, ita illud deeſt: nam ita legendum eſt, *Non*, ſive *Nonne, videtis hæc omnia? ἀ βλέπετε.* Ideoque non ſequitur reſponſio Diſcipulorum, quia per negationem interrogatum eſt. At ſi ita interrogatum fuiſſet, *Videtis hæc omnia?* certe reſpondiſſent: nunc autem reſpondere non oportuit.

3. *Acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto*] Recte tranſlatum: tamen ſi cui magis placeret *ſeorſum* quam *ſecreto*, ſciat non minus potuiſſe transferri *ſeorſum*, καθ' ἰδίαν.

17. *Et qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua*] Ego ſic transferrem, *Qui ſuper tectum eſt, non deſcendat ad tollenda ea quæ ſunt è domo ſua:* nam Græce non eſt copula. Et ſicut ſuperius v. 16. dicebatur, *qui in Judæa ſunt*, ita nunc dicendum eſt, *Qui eſt in tecto*, ſive potius *ſuper tectum:* nam Græce eſt *ſuper* cum genitivo, non cum dativo, & articulus pluralis non poteſt transferri in *aliquid*, quod eſt ſingulare, Ὁ ἐπὶ τῷ δώματος, μὴ καταβαινέτω ἆραι τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ.

18. *Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam ſuam*] Gr. *Non revertatur rurſus tollere*, ſive *ad tollendum, veſtimenta ſua*, ὀπίσω ἆραι τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. Nam interpres non putavit illud Græcum ὀπίσω transferendum per noſtrum *retro* cum *revertatur*, h. e. *retro vertatur:* ſed elegantes ſolent dicere, *Redeo rurſus*, pro *Redeo retro*, ut apud Virgilium,

Rurſus & incipiam in corpora tarda reverti.

Qui ſermo eſt apud ſcribentes quoque proſa oratione uſitatus.

19. *Væ prægnantibus & nutrientibus*] Ego maluiſſem dicere *lactantibus*, quia Græca vox id ſignificat: & *nutrire* ad omnes pertinet, non ſolum ad infantulos qui lactantur. *Prægnantibus* autem melius tranſlatum eſt quam ſi ad verbum tranſlatum fuiſſet *in utero habentibus*, ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις.

30. *Cum virtute multa & majeſtate.*

31. *Et mittet angelos ſuos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum.*

32. *Ab arbore autem ſici diſcite parabolam*] Græce ſic habet, *Cum virtute & majeſtate multa, cum potentia & gloria multa. Et mittet angelos ſuos cum tuba magna vocis* (nam quid attinet dicere angelos mitti qui habeant magnam vocem, ſi uruntur tuba?) *& congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à verticibus cœlorum uſque ad vertices eorum*, ſive *ad extremitates*, ſive *à terminis ad terminos.* Idem enim eſt Græce nomen: nam *à ſummis* pro *à ſummitatibus* nuſquam, quod meminerim, legi: & ſic dicitur *à ſummis cœlorum*, ut *à primis cœlorum*, h. e. *primis cœtis cœlorum.* At cœlorum unum eſt primum & ſummum, non plura. Nec Græce eſt *ab arbore fici*, ſed *à fico:* μὴ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς· καὶ ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ μετὰ σάλπιγγος & φωνῆς μεγάλης· καὶ ἐπισυνάξουσι τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, ἀπ' ἄκρου οὐρανοῦ ἕως ἄκρων αὐτῶν· ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς.

36. *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque angeli cœlorum, neque Filius, niſi Pater ſolus*] Melius ii codices qui non habent *neque Filius.* In Marco enim 13. 32. legitur, *neque Filius.* Hic autem dicitur, *De die autem illo & hora nullus novit, ne angeli quidem cœlorum, niſi Pater meus ſolus*, εἰδὼς οἶδεν, εἰδὰ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν, εἰ μὴ ὁ πατήρ μου μόνος.

40. *Tunc duo erunt in agro; unus aſſumetur, & unus relinquetur:*

41. *Duæ molentes in mola; una aſſumetur, & una relinquetur*] Græce eſt non in futuro, ſed in præſenti, *aſſumitur* & *relinquitur*, παραλαμβάνεται & ἀφίεται. Quod quidam ad ſuum ſenſum verba retorquentes, ita emendare auſi ſunt. At apud me neſcio quid præſtantius ſignificatur per præſens.

43. *Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique*] Quia dicitur v. 42. *neſcitis qua hora Dominus veſter venturus eſt*, & iterum v. 44. *Quia neſcitis qua hora Filius hominis venturus eſt*, ideo aut tranſlatum eſt, aut emendatum *hora*, cum Græce dicatur *qua cuſtodia* φυλακῇ. Sed non fuit cauſa cur mutaretur *cuſtodia* in *hora.* Nam *cuſtodia* tantum noctis eſt, cum fures veniunt, cumque homines dormiunt, id quod Dominus ſignificare voluit, quod nobis dormientibus & tempore nocturno, quæ eſt obſcuritas ſenſuum, fures veniunt ad domum ſuffodiendam. Quanquam ego ſic tranſtuliſſem, *Illud autem ſcitote, quod ſi ſciſſet paterfamilias qua cuſtodia fur venia vigilaſſet, nec ſivuſſet perfodi domum ſuam*, ἐκεῖνο δὲ γινώσκετε, ὅτι εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης ποίᾳ φυλακῇ ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἄν, καὶ οὐκ ἂν εἴασε.

45. *Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuam?*] Græce non dicitur *putas:* proinde ego maluiſſem dicere *quisnam*, τίς ἄρα. *Conſtituit* temporis præteriti eſt, non præſentis, κατέστησεν. *Familiam* de ſervis accipi debere declarat cum illud quod dicitur *Dominus*, tum vox Græca θεραπείας. Melius transfertur hoc loco *dominus ſuus*, quam ſtatim poſt, 46. *Quem cum invenerit dominus ejus.* Nam interpres inter Latinam proprietatem & Græcam ambiguitatem vacillat.

47. *Super omnia bona ſua conſtituet eum*] Etſi recte tranſlatum eſt tamen ſciamus Græce non dici *bona*, ſed *facultates* ſive ſubſtantiam, ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ.

50. *Veniet dominus ſervi illius in die qua non ſperat*] Gr. *In die qua non exſpectat*, προσδοκᾷ.

REVIUS in VALLAM.

1. Ὅτ βλέπετε] E ſede ſua revulſum jacebat.

17. *Qua ſunt è domo ſua*] Neſcio quam recte. *In domo* enim ſunt res, non *è domo*. Et Vulgata legit, ἆραι τι ἐκ τῆ οἰκίας, ut & in noſtris exempl. eſt, non τι ἐκ τῆ οἰκίας, ut Valla. In qua lectione (quam & invenio apud Athanaſium Apol. de fuga ſua, pag. 551. item apud Chryſoſtomum, ut & Beza in vetuſtis exemplaribus, nominatim Theophylacto, eam obſervavit) irrepſiſſe videtur τι pro τι ex ſequentibus, quia videlicet poſt legitur ἆραι τὰ ἱμάτια. Licet fatear ne illam quidem loquendi rationem ſine exemplo eſſe. 1 Mach. 5. 47. ἐξαπέλειπον αὐτὰς οἱ ἐκ τῆ πόλεως. c. 6. 3. ὅτι ἐχωρήθη ὁ λόγ@ τῆς ἐκ τῆ πόλεως. Confer c. 10. 76. c. 11. 45, 60. Tale eſt Luc. 11. 13. ὁ πατὴρ ὁ ἐξ οὐρανῆ· quod fruſtra corruptum ſuſpicatus eſt Beza, eo quod Deus ſit ἐν οὐρανῷ. Minore etiam ratione Eraſmus, Jo. 1. 45. Ἰησοῦ Ναζαρέτ, ἐκ τῆ πόλεως præpoſitionem ἐκ delendam putavit. Thucyd. l. 2. τὰ ἐκ τῶ ἀρχῶν εἰσομιζόθη. ib. οἱ μὲν ἔθανον αὐτῦ ἐκ τῆ πόλεως ἀποφραπῆ ἐν μεγάροις ὄντας. ib. οἳ δὲ καὶ ἐν αὐτῷ ἔθανον αὐτῦ ἐκ τῶ πολέμων, *qui in bello ceciderunt*. lib. 3. ἀπεξείχον δ᾽ οἱ ἐκ τῆς πόλεως Πλαταιῆς ἅπαν δ᾽ πίχος φύλακες, &c. Erant ergo in urbe, ut & vertit interpres, *Plataenſes qui in urbe erant*: iterum, οἱ δ᾽ ἐκ τῆς πόλεως Πλαταιῆς —— κήρυκα ἐκπέμψαντες· ubi eodem modo vertitur; nec aliter poteſt: iterum, αὐτὺ μὲν ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους λαυθάνειν, *Athenienſes quidem qui in urbe erant latuerunt*. Xenophon hiſt. l. 1. οἱ δ᾽ ἐκ τῆς πόλεως ἐβοήθησαν αφίσιν. lib. 7. οἱ δ᾽ ἔγνωσαν οἱ ἐκ τῆς πόλεως τὺς πολεμίους ἤδη τὸ πεδίον ἐρημῶντας, ἀνηξελήλυθότας, &c. & hi ergo in urbe erant. Sic fere Theocritus Idyll. 2. πορφύρεον ἐκ θαλάμοιο· ubi v. Heinſ. Lect. Theocrit. c. 6. Sed plane germanum eſt in Hebraiſmo Pſal. 72. 16. etiam omiſſo articulo, וצצו כעיר *& florebunt cives*; ad verbum, *è civitate*: cui ſimile ex Judic. 10. 11, 12. annotavit Clariſſ. de Dieu in Matth. 27. 9. Auctoritate tot exemplorum honeſte ſuum locum tueri poterit lectio quam hic Valla ſecutus eſt.

18. *In corpe ratarda reverti*] *Velle reverti*, Æneid. 6.

36. *Pater meus ſolus*] *Meus* aberat, quod è Græco inſerui. Cæterum & Chryſoſtomus hic habet μόνος ὁ υἱός.

ERASMUS.

2. Ipſe autem reſpondens dixit] Apud Græcos non eſt *ipſe*, nec *reſpondens*; nihil enim interrogabant Diſcipuli; ſed, *Jeſus autem dixit illis*. Nec eſt ¶ *Videtis haec?*] Sed, Οὐ βλέπετε πάντα; Ita legit & Theophylactus, i. *Nonne videtis haec?* ¶ *Non relinquetur hic lapis*] *Hic* hoc loco adverbium eſt, ὧδε, i. *in hac ſtructura*. Siquidem hoc animo Diſcipuli oſtendebant ſtructuras Templi ut Chriſtus commotus operis magnificentia mutaret ſententiam, nec ſineret evenire quod eventurum paulo ante prædixerat: aut certe ſentiebant opus eſſe majus aut munitius quam ut quiſquam poſſet demoliri.

3. *In montem Olivarum*] Τὸ ἐλαιῶν, i. *Olivarum*. ¶ *Secreto*] Καθ᾽ ἰδίαν, i. *ſeorſum*, ſive *privatim*, h. e. ſemotis turbis.

6. *Prælia & opiniones præliorum*] Πολέμους δὲ καὶ ἀκοὰς πολέμων, i. *bella, & rumores*, ſive *famam, bellorum*. Siquidem ἀκοὰς ad verbum ſonat *auditiones*. Interpres nullum facit diſcrimen inter *prælium* & *bellum*. Deinde *opinio* nonnunquam pro *fama* reperitur uſurpatum, ſed cum ad hominem refertur, non cum ad rem. Alioquin *opinio belli* eſt quoties putatur eſſe bellum cum non ſit. Eſt autem *rumor belli* nonnunquam triſtior ipſo bello: ¶ *Oportet enim haec fieri*] Pro *haec* Græci legunt πάντα, *omnia*. ¶ *Sed nondum eſt finis*] Nonnulli cod. habebant ἔσται, i. *erit finis*.

7. *Peſtilentia, & fames*] Jucundam vocum affinitatem Latinus interpres non potuit reddere in λιμοὶ & λοιμοὶ, quæ ſcriptura magis quam pronunciatione diſcerni poſſunt. Deinde in tribus dictionibus gratiam habet ὁμοιόπτωτον, λιμοὶ, λοιμοὶ, σεισμοὶ. Et ad harmoniam facit τὰ ἀκουόμενα.

11. *Pſeudopropheta*] Unica dictio eſt compoſita, quam vulgus illiteratum dividit, ψευδοπροφῆται. Nec ſignificat prophetam mendacem, ſed qui falſo nomine propheta vocetur cum non ſit: ſicut ψευδαπόστολοι, qui ſibi vindicant eum titulum falſo.

12. *Quoniam abundabit iniquitas*] Διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν. Verbum infinitum præteriti temporis, quoniam adhæret verbo futuri temporis, tranſit & ipſum in vim futuri. Quanquam commodius vertiſſet per participium ad hunc modum, *Multiplicata iniquitate frigeſcet charitas multorum*, ut locis aliquot citat D. Hieronymus. Niſi quod hic præpoſitionis vis non redditur, διά τι, quæ facit ut intelligamus frigus charitatis non aliunde proficiſci quam ex magnitudine iniquitatis.

14. *Et tunc veniet conſummatio*] τέλ@· quod hactenus vertit *finis*. Et paulo ſuperius & hic addit articulum, τὸ τέλ@, q. d. *ille finis qui exſpectabatur*. Facit enim articulus ut certum aliquem finem intelligas.

15. *A Daniele*] Διὰ Δανιήλ, *per Danielem*. Eſt autem locus apud hunc Prophetam in calce c. 9. *Conſummabit autem pactum multis hebdomada una; & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium. Et erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Porro quod Græcus appellat βδέλυγμα *abominationem*, ſive *exſecrationem*, hoc loco idolum intelligitur, interprete Hieronymo. Idque nonnulli de ſtatua Adriani Cæſaris interpretantur, quæ uſque ad ætatem Hieronymi ſteterit in eo loco in quo antea fuerat Sanctum ſanctorum: & ob id addidit *deſolationis*, quod Templum dirutum fuerit.

17. *In tecto*] Ἐπὶ τῶ δώματ@. Aut *cœnaculum* intelligit, aut ipſum *tectum*, in quo veteres inambulabant. ¶ Nonnulli codd. habent τὰ ἐκ τῆς οἰκίας, i. *res domeſticas*, ſive *ſupellectilem domeſticam*.

18. *Non revertatur*] Μὴ ἐπιστρεψάτω ὀπίσω, i. *ne redeat retro*; h. e. & Latinius & apertius, *ne rurſum redeat*. ¶ *Tollere tunicam*] Τὰ ἱμάτια, i. *veſtimenta*, ſive *pallia*, h. e. ſummas veſtes. Quanquam Hilarius legit *tunicam*.

19. *Prægnantibus & nutrientibus*] *Prægnantibus* recte mutavit, & Latinius extulit quam ſi Græca ut ſunt reddidiſſet, ἐν γαστρὶ ἐχούσαις, i. *in utero habentibus*, ut alias ſolet transferre. Cæterum *nutrientibus*, Græce eſt accommodatius θηλαζούσαις *lactantibus*, ſive *mamma nutrientibus*, quod θηλὴ *papillam feminea mamma* ſignificat. Unde Auguſtinus edifferens Pſalmum 39. *mammantibus* dixit pro *nutrientibus*. Itidem citat lib. De Triade 9. c. 9. juxta fidem veterum exempl. manu deſcriptorum.

20. *Hyeme, vel ſabbato*] Χειμῶν@, μηδὲ ἐν σαββάτῳ, i. *Hyeme, neque ſabbato*. Hyems ad iter faciendum incommoda eſt: & ſabbatis nefas erat Judæis iter facere, niſi ad pauca ſtadia. Sentit enim Chriſtus celerrime ac procul eſſe fugiendum, ideoque cavendum ne quid obſtet celeritati. Magna pars Euangelicæ intelligentiæ in tropis eſt ſita.

21. *Uſque modo*] Μέχρι τοῦ νῦν, i. *uſque ad præſens tempus*, aut, quod apertius erat, *uſque nunc*, etiamſi parum Latinum & hoc. ¶ *Neque fiet*] Οὐδ᾽ οὐ μὴ γένηται, i. *Neque fiat*: ut ſit abominantia. Quanquam video illos nonnunquam his verbis abuti pro futuro, ſi gemina præcedat negatio οὐ μή. Porro congeries trium negationum emphaſin habet negandi.

22. *Niſi breviati fuiſſent*] Ἐκολοβώθησαν, i. *decurtati fuiſſent*: cum aliquid amputatur ac præciditur. Unde Græcis κολοβῶται dicuntur *qui verba truncata ac dimidiata pronunciant*. ¶ *Fieret ſalva*] Οὐκ ἂν ἐσώθη, i. *nequaquam eſſet ſervata*, ſive *haudquaquam fuiſſet incolumis, omnis caro*. Ac rurſum Hebræorum more *carnem* pro *homine* poſuit, tametſi abſolutius quiddam habet; veluti cum Latini *omnes mortales* pro *omnes homines* dicunt. Sunt enim mortales qui homines non ſunt; & caro eſt quæ non ſit hominis. Illud haud ſcio an ſit admonendum.

23. *Ecce hic Chriſtus*] *Hic* adverbium eſſe non nomen, ὧδε & ὁ Χριστὸς, *ille Chriſtus* ut certum aliquem intelligas. Elegantior autem eſt ſermo non addito verbo *eſt*, quod non additur in Aureo codice. In Conſtantienſi quidam inter verſus adſcripſerat barbarica manu *eſt*. Neque enim ſignificat quemvis unctum è multis, ſed unicum illum qui ab omnibus exſpectabatur. Hunc locum enarrans D. Auguſtinus in Quæſt. Euangelicis, recte quidem interpretatur *his verbis excludi ſchiſmata hæreticorum*. Sed cavendum eſt ne ad nos quoque pertineant, qui nobis orthodoxi videmur. Audimus Monachos paſſim clamantes, (de ſuperſtitioſis loquor, non de piis) *Ecce Chriſtus hic eſt*, nec tamen hos inter ſe conſentire. Obſervantes dicunt, *Apud Coletas & Conventuales non eſt Chriſtus; ſed hic eſt*. Jacobitæ clamant, *Hic eſt Chriſtus; apud Auguſtinienſes non eſt*. Rurſus Benedictini clamant, *Hic eſt Chriſtus, non apud Mendicantes*. Denique clamat hoc genus omne, *Hic eſt Chriſtus; apud Sacerdotes, qui cucullam non geſtant, Chriſtus non eſt*. Tot undique voces obſtrepunt clamantium, *Hic eſt Chriſtus*. Sed quid ait ipſe Chriſtus? *Nolite credere*. Non eſt diviſus Chriſtus. Non eſt in rebus corporalibus. Nuſquam non eſt Chriſtus ubicunque ſunt affectus Chriſto digni. Vult ille communis eſſe omnium, qui

Sol

Sol eſt mundi. Non dignatur circumſcribi loco, non includi titulis humanis aut cultu ceremoniiſve. Denique non vult oſtendi digito, ſed affectibus vult exprimi. Hic denuo teſtandum eſt, me non damnare ceremonias quæ conducunt ad pietatem: diffidium damno & ſuperſtitioſam fiduciam. Atque utinam eò proficiat omnium pietas ut hæc mihi ſine cauſa dicta videri queant, aut certe tanto cum fructu dicantur quam ſincero animo dicuntur à nobis.

24. *Pſeudochriſti*] Unica dictio eſt ψευδόχριστοι, ne quis & hanc dirimat, i. *falſo nomine Chriſti*; quod modo indicavimus. ¶ Illud ὥστε πλανᾶσθαι maluiſſem vertere, *ut fallendi ſint*, propter verba fut. temp. ad quæ referuntur hæc, ¶ *Si fieri poteſt, ei δυνατὸν*] Cur non potius, *ſi fieri poſſit?*

26. *Si in penetralibus*] Gr. ἐν τοῖς ταμείοις, quod ante vertit *in cubiculis*. Sunt enim ταμεῖα loca in ædibus abſtruſa ac penitiora in quibus reponimus quæ volumus eſſe tuta. Unde & à *penitus Penu* dictum eſt.

27. *Sicut fulgur*] Ὥσπερ ἡ ἀστραπή. Nihil fulgure celerius: & quanquam fulgur non pertingit ab Oriente uſque ad Occidentem, tamen nobis ita videtur. Certe breviſſimo tempore immenſum conficit ſpatium. De fulgore Solis non poteſt accipi: Sol enim paulatim oritur, ejuſque adventus diu præſentitur antequam appareat. Denique ἀστραπὴ nihil aliud ſonat quam *fulgur*. Neque revera fulgur emicat è cœlo, ſed regione nubium. Neque Dominus dicit quod fulgur ab Oriente pertingat uſque Occaſum, ſed quod *emicans ab Oriente* ſubito *adpareat* in diverſa parte cœli. Lucas dicit *emicare de ſub cœlo in ea quæ ſub cœlo ſunt*. Quod ſi quis dicat Chriſtum non loqui, more Poetarum, apparentia, ſed vera, dicendum eſt, Ad exprimendum ſubitum & inexſpectatum ſed omnibus conſpicuum adventum Chriſti, ſatis eſſe accommodare quod apparet oculis noſtris. Tonitru exſpectatur viſo fulgure; ſed quando ſit erupturum fulgur nullo indicio præſentitur, ſed antequam exſpectes jam emicuit & abiit.

28. *Ubicunque fuerit corpus*] Πτῶμα Græcis eſt, i. *cadaver*, illis à *cadendo* dictum, quemadmodum & *cadaver* Latinis. Loquitur enim de corpore animantis mortui. Atque ita frequenter adducit hunc locum Origenes hom. 30. Quanquam Hieronymus frequenter adducens hunc locum *corpus* legit, non *cadaver*: admonet tamen ſignificantius dici *cadaver*. Chryſoſtomus hom. 70. *corpus* legit, non *cadaver*, i. σῶμα, non πτῶμα, ſi modo non fallit interpres. Nam Theophylactus πτῶμα legit, non σῶμα. Item qui ſcripſit homilias in Lucam quas habemus Origenis titulo, hom. 16. *cadaver* legit. ¶ Nec addunt Græci conjunctionem, *Et aquilæ*, ſed οἱ ἀετοὶ, i. *aquilæ*. Convolant enim Aquilæ, & maxime Vultures, ad animantium cadavera.

30. *Plangent*] Κόψονται, ut intelligas planctum inſanum; qui fit ubi quis præ doloris impatientia ſuum ipſius corpus cædit ac lacerat. ¶ *Cum virtute multa & majeſtate*] Μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς, i. *cum potentia & gloria multa*. *Gloriam* certe legit Hieronymus, citans hunc locum in Comment. Zachariæ.

31. *Emittet* eſt magis quam *mittet*, ἀποστελεῖ. ¶ *Cum tuba & voce magna*] Μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης, i. *cum tuba vocis magnæ*: ut intelligas tubam vocalem & procul ſonantem: aut, *cum tuba voce magna*: nam Græcus ſermo anceps eſt. ¶ *A ſummis cælorum*, Ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν, i. *à ſummis cælis*, h.e. à ſummis verticibus cælorum. ¶ *Ad terminos eorum*] Gr. ἕως ἄκρων αὐτῶν, i. *uſque ad ſummos eoſdem*; ſive, *uſque ad ſumma eorum*: ut duo ſumma intelligas, ſuprema, & ima.

32. *Ab arbore fici*] Gr. *à ficu*. Sed quoniam vox Latina eſt anceps, bene reddidit periphraſi. ¶ *Diſcite parabolam*] Hic certe magis conveniebat Latine loqui, *diſcite ſimilitudinem*, ſive *collationem*; ne quis ſomniet Ficum parabolas dicere. ¶ *Tener fuerit*] Gemmam ſentit in ſurculis, unde erumpunt frondes. ¶ Nec eſt *nata*, ſed *enata*, ἐκφυῇ.

33. *Scitote*] Γινώσκετε. Anceps verbum eſt, quod modo vertit *ſcitis*. Ut omittam quod ὅτι tranſtulit *quia*, non ſuo loco. ¶ *In januis*] Rectius erat *in foribus*, ſive *ad fores*. Eſt enim ſermo proverbialis quo ſignificamus aliquid eſſe in proximo.

34. *Generatio hæc*] Ἡ γενεὰ αὕτη. Illud obiter annotandum, γενεὰν apud Græcos aliquoties accipi, non pro ipſa *natione* ſeu *gente*, ſed pro eo quod Latini nunc *ætatem* vocant, nunc *memoriam*, nonnunquam & *ſeculum*. Unde Neſtor τρεῖς γενεὰς dixiſſe legitur, quod tres hominum ætates duraverat. Ad eum modum videtur hoc accipi loco. ¶ *Donec omnia fiant*] Ταῦτα πάντα, i. *hæc omnia*.

35. *Non præteribunt*] Οὐ μὴ παρέλθωσιν & paulo ſuperius, ἐὰν μὴ παρέλθῃ. Abuti videtur his verbis, præſertim cum his vocibus ἐὰν μὴ alioqui magis ſonant *non præterent*, ſive *præterire non poſſint*, δυνήσεται.

36. *Nec angeli cælorum*] Expreſſius erat, *ne angeli quidem*. Cæterum in Marco additum eſt, μηδὲ ὁ υἱὸς, *neque Filius*. Et fatetur D. Hieronymus hoc adſcriptum fuiſſe etiam apud Matthæum in nonnullis Latinis codicibus, in Græcis non haberi, præſertim in exemplaribus Adamantii ac Pierii. Atqui ex homiliis Origenis quas ſcripſit in Matth. apparet illum addidiſſe *Filium*; cujus hæc ſunt verba, *Qui non cognoverunt de die illo & hora, neque angeli cælorum, neque Filius. Præparat enim Filius ſcientiam diei illius & horæ coheredibus promiſſionis illius ex quo ſeipſum exinanivit.* Ac paulo poſt, *Et præparans omnem quem vult ſcire illum diem & horam cum ſanctis angelis, & cum ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Ad eundem modum legit Auguſtinus in homiliis quas edidit in Matth. ſerm. 21. nec legit ſolum, verum etiam interpretatur; Cumque hoc Hilarius, cum ait in expoſitione canonis, dicens *diem illum omnibus eſſe incognitum, & non ſolum Angelis ſed etiam Filio ignoratum.* Legit & interpretatur eodem modo Chryſoſtomus. Apud Theophylactum in contextu quidem neſcio quo caſu nod additur, cum interpretetur particulam de Filio. Denique & Hieronymus ipſe in progreſſu enarrationis ſequitur hanc lectionem. Et cum Marcus ὁμοιοτέλευτα ſcripſerit Matthæi, conſentaneum eſt illum non hoc addidiſſe de ſuo. Proinde ſuſpicor hoc à nonnullis ſubtractum, ne Arianis eſſet anſa confirmandi Filium eſſe Patre minorem, qui nobiſcum aliquid ignoraret. Verum erat igitur ex Marco item eradendum, ubi plane legitur. Neque convenit hac via tollere occaſiones hæreticorum; alioqui bona pars Euangeliorum foret eradenda; & in primis illud, *Pater major me eſt*. Interpretatione medendum erat huic malo, non raſura; calamo, non ſcalpello.

37. *Sicut autem in diebus Noe*] Etiamſi nihil refert ad ſenſum, tamen non eſt *in diebus Noe*, ſed ὥσπερ αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε, i. *ſicut dies illi Noe, ſic erit*, &c.

38. *Nubentes, & nuptui tradentes*] Γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες. Rurſum *nubentes* accommodavit Viris. Dicere poterat, *Ducentes uxores, & nuptum dantes*; ut alterum ad Viros pertineat, ſeu magis ad utroſque, Sponſum ac Sponſam; alterum ad Soceros & Socrus.

40. *Unus aſſumetur*] Latinius *unus & unus* vertiſſet in *unus & alter*, aut in *alter & alter*. Deinde librariis, opinor, mutavit tempus verborum. Nam Græcis eſt ἀφίεται, & παραλαμβάνεται, i. *relinquitur*, & *aſſumitur*. Nec eſt otioſa temporis catachreſis: indicat enim rem mox ac certo futuram. Quandoquidem Chriſtus voluit ſuos in hac eſſe opinione ut extremum illum Judicii diem ſemper exſpectarent parati, ceu mox venturum, non quod vellet eos errare, ſed quod vere mox venit etiam quod poſt aliquot annorum millia venit, ſi quis æternitatem contempletur. Et quod certo ſcitur eſſe venturum, nec ſcitur quando, ſemper velut inſtet exſpectatur. Atque in hac opinione fuiſſe videmus Petrum, Paulum, Hieron. Greg. cumque his innumeros alios.

41. *Duo in lecto; unus aſſumetur, & unus relinquetur*] Hanc particulam hoc loco non addunt Græci cod. nec apud Theophylactum vel legitur vel exponitur. Chryſoſtomus tamen exponit neſcio an aliunde adſcitum. Videtur huc adſcriptum ex Lucæ 17. Græcæ lectioni ſuffragabantur duo codices, Divi Donatiani, & Conſtantienſis.

43. *Si ſciret*] Εἰ ᾔδει, i. *ſi ſciſſet*. ¶ *Qua hora fur venturus eſſet*] Nonnulli Græci cod. ſcriptum habebant ποίᾳ φυλακῇ, i. *Qua cuſtodia*. Atque ita legit Origenes in homiliis. Porro *cuſtodiam* vocavit tempus excubiarum. Veteres enim noctem in aliquot excubias dividebant, quas alicubi *vigilias* vocat. Ponit enim duas perſonas, patremfamilias excubantem, & furem inſidiantem. ¶ *Sineret*] Εἴασεν, i. *paſſus fuiſſet*, aut *ſiviſſet*. Fingit enim alicui parum vigilanti domum perfoſſam à furibus, non id paſſuro ſi ſciſſet tempus nocturnum quo fures eſſent aggreſſuri. Porro *furem* vult intelligi, diem illum extremum; *patremfamilias*, unumquemlibet noſtrum. Ergo cum ille veluti fur obrepere tentet, & incertum ſit quo tempore, nobis videlicet jugiter eſt excubandum, ne dormitantes opprimat. Unde miror Hilarium *furem* hunc interpretari Diabolum, licet autorem ſecutus ſit Originem, ſed ſæpe coactius enarrantem S. literas. Nihil enim eſt quod nos offendat diſſimilitudo rerum aut perſonarum collatarum. Satis eſt in hoc conſtare ſimilitudinem ad quod exhibetur. Fur non exſpectatus obrepit; eaque res facit ut ſemper vigilet paterfamilias: Ita dies ille inopinantes opprimet, ni ſemper excubuerimus.

44. *Quia neſcitis qua hora venturus ſit Filius hominis*] Gr. ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται, i. *quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet*. Ita legit Chryſoſtomus vel

hujus interpres, etiamſi ſecus legit Theophylactus quem Græcum habebamus.

45. *Quis putas*] Τίς ἄρα, i. *Quiſnam.* Nam ita mavult Valla. ¶ *Quem conſtituet*] Καταστήσει, *conſtituit*, præt. temporis eſt. Ponit enim quod acciderit ad ſimilitudinem. ¶ *Familiam ſuam*] Θεραπείας, i. *famulitium*, ut intelligatur eum præfectum famulis. Ut diſſimilem quod

46. Εὑρήσει] rectius vertiſſet *Offenderit*, ſive *repererit*, quam *invenerit.*

47. *Super omnia bona*] Ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ, i. *ſuper omnes res ſuas*, ſive, ut alicubi citat Hieronymus, *ſuper univerſam ſubſtantiam*, propius accedens ad Græcum ſermonem exprimendum, etiamſi non male vertit interpres.

48. *Moram facit dominus meus venire*] χρονίζει ἐλθεῖν, i. *cunctatur redire*, ſive *differt reditum.* Nec additur

49. *Suos*] Sed tantum eſt *conſervos.* ¶ *Manducet autem & bibat*] Ἐσθίειν τε καὶ πίνειν, i. *edereque & bibere*, ut pendeat à verbo *incipiet.* Quanquam in nonnullis eſt ἐσθίειν ἤ, i. *edere vero.*

50. *Qua non ſperat*] Ἐν ἡμέρᾳ ᾗ οὐ προσδοκᾷ, i. *in die qua non exſpectat.* Mirum autem cur hic Interpretem delectarit ἀνυπολογία, qui *ſperare* maluerit quam *exſpectare*, cum Græce ſit *exſpectare.*

51. *Et dividet eum*] Καὶ διχοτομήσει, i. *diſſecabit*, à δίχα τέμνειν, i. *in duas diſſecare partes.*

VATABLUS.

2. *Videtis*] *Nonne videtis.*

3. *Montem Oliveti*] *Montem Olivarum.* ¶ *Secreto*] *Seorſum*, *privatim*; vel, *ſolum.*

6. *Opiniones*] *Rumores.* ¶ *Hæc*] *Omnia hæc.* ¶ *Eſt*] Vel, *erit.* Variant Græca exempl.

7. *Per loca*] Vel, *hinc inde*, q. d. *locatim:* non autem ſingulis locis.

14. *Conſummatio*] *Finis.*

15. *Abominationem deſolationis*] Hebr. pro, *abominandam deſolationem.* Hunc locum exponit Lucas c. 21. cum ait, *Cum videritis circumdari ab exercitibus Jeruſalem*, &c.

18. *Tunicam ſuam*] *Veſtimenta ſua.*

19. *Nutrientibus*] *Lactantibus.*

22. *Niſi breviati fuiſſent*, &c.] i. Si illa tribulatio diu duraret, ne unus quidem ex Judæorum natione ſuperſtes eſſet. ¶ *Omnis caro*] i. ullus homo, Hebr.

24. *Pſeudochriſti*] i. qui ſe falſo Chriſti nomine venditabunt.

27. *Paret*] Vel, *apparet.*

28. *Ubicunque**] * *Enim.*

29. *Virtutes cælorum*] i. aſtra.

30. *Parebit*] Vel, *apparebit.* ¶ *Tribus*] Vel potius, *nationes.* ¶ *Virtute*] *Poteſtate:* vel, *potentia.*

31. *Et voce magna*] *Voce magna*, i. vocali. ¶ *Terminos*] *Extrema*, i. ab extremitate orbis una uſque ad alteram.

34. *Generatio*] i. ætas: vel, natio. ¶ *Omnia**] * *Hæc.* V.

36. *Pater**] * *Meus.*

38. *Nubentes*] *Ducentes uxores.*

41. *Mola*] i. piſtrino, q.d. In viliſſimo vitæ genere Chriſtus habet ſuos: alterum ſibi vendicat, alterum abjicit. ¶ *Aſſumetur-relinquetur*] *Aſſumitur-relinquitur.* Præſentia pro futuris.

43. *Hora*] Vel, *cuſtodia.* Noctem veteres in excubias quatuor dividebant, ſive vigilias.

44. *Neſcitis hora*] *Hora non exſpectatis.* V.

45. *Familiam ſuam*] *Famulitium ſuum:* ut intelligatur eum præfectum famulis.

50. *Sperat*] *Exſpectat.*

51. *Dividet*] *Diſſecabit.*

CASTALIO.

45. *Quod ſi quis eſt fidelis ſervus*] Τίς non ſemper interrogantis eſt: ut Jac. 3. 13. Τίς σοφὸς καὶ ἐπιστήμων ἐν ὑμῖν, δειξάτω, *Si quis inter vos ſapiens eſt atque prudens, oſtendat*, &c. ſicut Hebræum eſt, quod ſæpe ſine interrogatione ponitur, ut in fine Pſalmi 107. ubi ſic ad verbum eſt, *Quis ſapiens hæc obſervabit*; id quod citra interrogationem intelligendum eſt: ſicut & in Gallico ſermone, ubi *Qui eſt ſage* & interrogantis & non interrogantis eſſe poteſt.

46. *Offenderit ſuum officium facientem*] Ut Latine *æquum* & *par* pro *eo quod juſtum eſt & fieri debet* ponuntur, ſic Hebraice adverbium כן, h.e. *ſic*, aliquando ſignificat officium, ut 4 Reg. 17. *Deſignarunt Iſraelitæ res* כן לא יאות, *quæ non ſic*, h.e. nefarias, & quæ fieri non debebant. In hac notione poſuit hoc loco Matthæus ἄτακτος, ut & Paulus ad Phil. 4. 1. ἄτως στήκετε ἐν Κυρίῳ, *Perſiſtite ut fieri debet in Domino.*

51. *Ad ſimulatorum conditionem rediget*] Ut ſimulatorem perfidumque puniet.

CLARIUS.

4. *Videte ne quis vos ſeducat*] Non primis verbis reſpondet ad ea de quibus fuerat interrogatus, ſed illud primum admonet quod in primis fuerat obſervandum, ne videlicet impoſturis hominum abducamur à fide.

14. *Et tunc veniet finis*] Videtur intelligi finis Jeruſalem: nam ante ejus deſtructionem jam diſſeminatum erat Euangelium per orbem terrarum: de hac ergo deſolatione conſequenter loquitur.

15. *Cum ergo videritis abominationem*] Nempe ſtatuam quæ à Gentibus in adytis Templi fuit collocata: Quam vocat *abominationem*, quia abominabantur Judæi imagines: addit vero *deſolationis*, quia ſecutura erat Civitatis deſolatio.

17. *Et qui in tecto*] Figurata locutio eſt, indicans, in magna rerum anguſtia futuros homines.

22. *Sed propter electos*] Qui ſcilicet crediturі erant ex eis. Et vide ut omnia electis ſerviant.

24. *Ut in errorem inducantur*] Quod igitur habebunt homines in re tam periculoſa ſubſidium? Unum, ſed efficax, continuam Scripturarum inſpectionem. Videtur nunc intelligere adventum Antichriſti: nam hæc narratio non aperte diſtinguit deſolationem Jeruſalem ab adventu Antichriſti & conſummatione ſeculi.

27. *Sicut enim fulgur*] Manifeſtus erit toti mundo adventus Domini, non parti alicui tantum. Quod ſi quis ambigat quo id pacto fieri poſſit, docet multo facilius congregandos homines ante Dominum quam *aquila* ſoleant *ad cadavera.*

29. *Sol obſcurabitur*] Superatus majori adventus Chriſti luce.

30. *Signum Filii hominis*] Crux, opinor, ſignum ſalutis quam operatus ſit in medio terræ. ¶ *Omnes tribus terræ*] Nempe Judææ, quæ tantum bonum rejecerit, quod ad ſe primum fuerat deſtinatum.

31. *A ſummis cælorum*] h. e. ab extremitate. Hic dicendi modus alibi invenitur, ut Exod. 26. *Mittentur per medias tabulas a ſummo uſque ad ſummum*, h.e. ab extremitate uſque ad extremitatem.

34. *Generatio hæc*] Credentium ſcilicet in Chriſtum. Quod ſi intelligas de generatione ejus temporis, ſic dicendum eſſet, *Non præteribit generatio hæc donec omnia impleantur quæ de civitatis Hieroſolymitanæ deſolatione prædixi.*

35. *Cælum & terra tranſibunt*] Hebraiſmus eſt, ubi deeſt particula explicans comparationem, ſic, *Facilius eſt cælum & terram deficere quam verba mea.*

36. *Niſi Pater meus ſolus*] Non tamen ipſe ſe excludit; nam, *Omnia*, inquit, *quæ habet Pater, mea ſunt.*

40. *Tunc duo erunt in agro*] Nunc, inquit, mixti ſunt, tunc diſcernentur: neque qui ſimul degunt, etiam ſimul ibunt.

51. *Et diſſecabit eum*] *Interficiet.* ¶ *Et partem ejus ponet cum hypocritis*] Illud *partem* accipe eo modo quo alio loco ſcriptum eſt, *partes vulpium erunt*, h.e. eſca vulpium; quaſi ſors & hæreditas vulpium. Sic hujus ſors cum hypocritis collocabitur, h.e. pari cum hypocritis pœna damnabitur.

ZEGERUS.

3. *DIC nobis quando hæc erunt, & quod ſignum adventus tui & conſummationis ſeculi*] Tria ſimul ſciſcitantur, quæ rudes adhuc Diſcipuli uno eodemque tempore ventura exiſtimabant; nimirum, Quo tempore Jeruſalem deſtruenda, Quod ſignum adventus Chriſti, & Quodnam foret indicium conſummandi ſeculi: quanquam duo poſteriora ad unam interrogationem pertinere poſſunt, utpote eodem tempore eventura. Dominus itaque ordine reſpondet de ſingulis; & primum de Urbis excidio, dehinc de adventus ſui veſtigiis, cum dicit, *Et tunc veniet conſummatio. Cum ergo videritis abominationem deſolationis*, &c. Atque ita quod his præmittitur, *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in univerſo orbe*, ad tempus medium pertinebit. Poſtremo, de tempore totius conſummationis, ſive de ſeculi hujus fine, (quod ipſum & ad præcedens, ut diximus, pertinere poteſt) cum dicit, *De die autem illa & hora nemo ſcit.* Alii tamen

tamen Chriſtum indiſcriminatim ad interrogata reſpondiſſe intelligunt, ut quæ narrantur ſimul ad utrumque poſſint tempus accommodari, ad tempus videlicet everſionis Hieroſolymitanæ & ad tempus ultimæ conſummationis mundi. Nam B. Lucas c. 21. 7. unius tantum interrogationis meminit, quæ de vaſtatione eſt Urbis: ad quam etiam ea reſpondit Dominus quæ proprie ad ſeculi finem pertinere videntur.

6. *Opiniones prælierum*] i. *rumores bellorum.*

15. *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta*] *Abominationem deſolationis* Antichriſtum ipſum appellat, idque juxta Scripturæ conſuetudinem, qua idola Gentium merito ab omnibus abominanda & exſecranda *abominationes* nuncupantur. *Abominatio* ergo appellatur ex eo quod adverſus Deum veniens Divinum ſibi honorem ſit vindicaturus; *Deſolationis* autem *abominatio*, quia bellis & cædibus terram cum piaculo deſolaturus. Hæc autem abominatio à Daniele prædicata eſt operis ſui cap. 9. ubi ita ſcriptum legimus, *Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium. Et erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Quod ſi ad tempus excidii Hieroſolymitani referatur, poterit *abominatio* accipi aut de imagine Cæſaris, quæ à Pilato in Templo poſita refertur; aut de Hadriani equeſtri ſtatua, quæ in ipſo Sancto ſanctorum loco fuit conſtituta.

16. *Tunc qui in Judæa ſunt fugiant ad montes: & qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua: & qui in agro, non revertatur tollere tunicam ſuam*] Si hæc, quemadmodum & præcedentia, ad ultima conſummandi ſeculi tempora referamus, myſticus erit ſenſus requirendus. Itaque admonebit hic locus eos qui tum futuri ſunt, ut deſerta Judæorum incredulitate, deſertaque terrenarum rerum humilitate ad *æternos* illos virtutum vere cœleſtium montes transfugiant *de quibus illuminat* juxta Pſalmum 76. *mirabiliter Deus*; ut in ſublimitate conſiſtant ſanctæ converſationis, quaſi in tecto domus, quo non poſſint ignita diaboli jacula pervenire, ut ne carnis attracti illecebris deſcendant ad humiliora rerum velut umbra tranſeuntium; denique ut ne tollant alteram illam tunicam ad ſuperfluitatem pertinentem, quam Apoſtoli habere prohibentur. Porro ſi ad tempora deſtructionis Hieroſolymitanæ reſpiciamus, conſtat hæc omnia tum vel ad literam fuiſſe completa quando tanta fuit malorum ingruentium in hoſtes Chriſti atrocitas tantaque inundantis calamitatis celeritas ut omiſſis omnibus quiſque ſibi fuga conſulere, ac ſalutem ſibi non ex præſidiis ſed ex fugæ celeritate petere debuerit. Quapropter appropinquante Romanorum exercitu, & Judææ jam inſtante exterminio, qui in provincia Judæorum erant Chriſtiani, admoniti divino & prophetico oraculo (ut Eccleſiaſtica narrat hiſtoria) trans Jordanem ſecedentes, ſub Agrippæ regno in Pella civitate per aliquod tempus commorati ſunt.

20. *Orate autem ut non fiat fuga veſtra hyeme, vel ſabbatho*] Hyemis namque incommoda fugientibus obſtant, quo minus vel ad ſolitudines properare, vel poſſint in montibus deſertiſque latitare: & Sabbatho procul commigrare Lege prohibente nefas eſt. Juxta myſticum vero ſenſum, ut ad noviſſima tempora pertinere poſſit, admonemur nobis proſpicere ne aut in peccatorum frigore aut otio bonorum operum inveniamur. Utroque ſenſu exponit hunc locum Eucherius in Quæſt. N. T.

28. *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*] Docemur hoc paradigmate, Ubicunque Chriſtus fuerit, ibi & ſanctorum omnium, congregantibus Angelis, adfuturum conventum. Congrue autem ſanctos aquilis comparavit, propterea videlicet quod *aquilæ & vultures*, referente Hieronymo, *trans maria dicantur ſentire cadavera, & ad eſcam hujuſcemodi congregari.*

31. *A ſummis cælorum uſque ad terminos eorum*] Per *ſummum cœli*, inquit Remigius, medium orbis intelligitur; quia medio orbis ſummum cœli præſidet. Per *terminos* autem *cælorum* fines terræ ſignificat, ubi longe diſtantibus circulis, cœli terræ inſidere videntur.

36. *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque angeli cælorum, niſi ſolus Pater*] Dictio *ſolus*, inquit Euthymius, in ordine ad creaturas intelligitur, non ad Filium. Si enim *omnia quæ habet Pater*, Filii ſunt Joh. 16. 15. inter omnia autem eſt unum, *ſcire diem & horam*, Filii proculdubio etiam hoc erit. Apud Marcum vero ſcriptum eſt cap. 13. 32. *neque Filius, niſi Pater.* Et quidam intelligunt quod neque Filius novit diem illum & horam ut homo: nam ut Deus novit æqualiter cum Patre. Aptius eſt autem ut ita dicatur, *Neque Filius ſcit, niſi Pater*, videlicet ſciat. Quia vero ſcit Pater, ſcit utique & Filius. *Ego enim*, inquit, *& Pater unum ſumus*, Joh. 10. 30. D. vero Auguſtinus, cujus mihi magis ſententia placet Quæſt. l. 83. c. 60. *Neſcire*, inquit, *aut pro eo dicitur quod non approbat, ſicut dictum eſt, Neſcio vos; aut pro eo quod utiliter neſcientes facit id quod ſcire inutile eſt. Ideo bene accipitur quod dictum eſt, Solum ſcire Patrem, ſic dictum eſſe, quia facit Filium ſcire. Et quod dictum eſt, Neſcire Filium, ſic dictum eſſe, quia facit neſcire homines, id eſt, non prodit eis quod inutiliter ſcirent.*

40. *Tunc duo erunt in agro; unus aſſumetur, & unus relinquetur: duæ molentes in mola*, &c.] In aſſumendis aliis, & aliis relinquendis, fidelium & infidelium ſive electorum & reproborum diſcrimen oſtenditur.

41. *Duo in lecto; unus aſſumetur, & unus relinquetur*] B. Hieronymus hanc partem nec legit nec attingit: Opus imperfectum hoc ipſum in Luca duntaxat eſſe admonet. Plerique codices vetuſti non habent. Sed contra deprehenditur in Origene, Chryſoſtomo, Hilario. In cod. Aureo exſtat; in Corſend. non item. In cœnobio Gemblacenſi quatuor vidimus exempl. quorum tria habebant, quartum duntaxat in margine. Proinde conſultum fuerit hanc partem non omittere, quod ex prædictis probabile ſit, adjectam à caſtigatore eccleſiaſtico poſt B. Hieronymum.

45. *Quiſputas eſt fidelis ſervus & prudens*, &c.] Ut hæc cohæreant cum ſuperioribus, conſummatamque habeant ſententiam, nonnihil ſubaudiendum videtur ad calcem orationis, utpote *qui non omni horâ ſit paratus*, vel, *qui ita non vigilet donec dominus ipſius advenerit*, aut ſimile quippiam. Licebit tamen & hoc pacto diſtinguere, *Quiſputas eſt fidelis ſervus & prudens? Quem conſtituit dominus ſuper familiam*, &c. ¶ *Ut det illis*] Ut ſervus ille prudens *det*, ſub. *familiaribus*, vel *familiæ*, *cibum temporibus ſuis.* Eſt enim in *illis* & collectivo nomine *familiam* non vocis ſed rei congruitas: quod genus locutionis frequentius in Græcis eſt obvium.

51. *Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis*] h. e. à conſortio ſanctorum, vel à bonis quæ ſpoponderat ſeparabit, portionemque ejus una cum hypocritarum portione conſtituet in ſuppliciis æternis.

MASIUS.

1. CHriſtum ex templo egredientem unus diſcipulus de ſtructura templi monuit, ut Marcus; deinde poſtquam jam egreſſus procedebat, plures de eadem, ut Matthæus & Lucas tradunt.

LUCAS BRUGEN.

36. *DE die autem illa & hora nemo ſcit, neque angeli cælorum, niſi * ſolus pater* [* *pater ſolus* MS. G.] In quibuſdam Latinis codicibus additum olim fuit, Hieronymo teſte, *neque filius:* cum in Græcis, & maxime in Adamantii & Pierii exemplaribus, quæ ipſe viderat, non eſſet adſcriptum. Cæterum edidlerit id Adamantius Tractatu in Matthæum 30. longe lateque (*Et ſeipſum*, inquit, *Salvator, ſecundum hunc locum, conjungit ignorantibus diem illum & horam. Et rationabiliter eſt quærendum, quomodo qui*, &c.) & alii veteres hujus Euangelii tractatores, Hilarius, Chryſoſtomus, Autor operis imperfecti, Theophylactus, Druthmarus. Apud Chryſoſtomum vero, primum, legitur, *neque filius hominis*; ut & apud Hieronymum ſub finem capitis: id quod, *hominis* nempe, explicationis gratia ab aliquo eſt additum. Autor operis imperfecti diſerte excludit. Urget non ſic dictum à Chriſto fuiſſe, *neque filius hominis.* Legunt autem illud *neque filius*, etiam hodie, tria eorum quæ habemus Latinorum MSS. Lobienſe, H, Plantini longum; *Neque Angeli cælorum, neque filius, niſi pater ſolus*, ſeu *ſolus pater*, habent. Quartum, Plantini medium, id adſcribit in margine. Cætera vero haud agnoſcunt: quibus Græci & Syrici libri, Græcanicuſque Scholiaſtes, ac Latini Gloſſematici, Remigius, Thomas, Carentis, Lyranus, Gorran, Richelius, ſuffragantur. Porro in Marci Euangelio plane legitur, cap. 13. v. 32. Duo manuſcripta, B. & So. au. quod addere debeo, pro *ſolus pater* habent *ſolus Deus.* Venia dignus error qui de odio hæreticorum & fidei pietate deſcendit.

41. Pars iſta, *Duo in lecto, unus aſſumetur, & unus* [Al. *alius*] *relinquetur*, in multis Latinis codicibus prætermittitur; Pariſienſium octo Di. o. l. Ge. o. l. au. T. Do. Conſt. noſtris ſex Leod. Pl. m. H. Pl. Par. I. Reg veteriſtis pleriſque Zegeri, antiquis Epanorthotæ. Dein in Græcis pleriſque omnibus & Syricis libris non habetur. Prætera à Tractatoribus, Hieronymo, Theophylacto, Druthmaro, Euthymio, & Autore operis in Matthæum imperfecti, non legitur. Hentenius Caſtigator textu expulit. Epanorthotes, *Quod moderni*, inquit, *addunt, Duo in lecto, unus aſſumetur, & alius relinquetur, tantum eſt Lucæ xvij.* (v. 34.)

Cæte-

Cæterum ab Origene, Chryſoſtomo, Hilario, Beda & Anſelmo, Matthæum enarrantibus, exponitur: & in Græco Pariſienſium ex Italia exemplari reperitur, his verbis, *δύο ἐπὶ κλίνης μιᾶς· εἷς παραλαμβάνεται, καὶ εἷς ἀφίεται*, *Duo in lecto uno: unus aſſumitur, & unus relinquitur.*

Similis eſt apud Lucam varietas circa illud, c. 17. v. 35. *Duo in agro; unus aſſumetur, & alter relinquetur.* Nam in Syricis quidem legitur; in Latinis vero & Græcis codicibus, his legitur, aliis minime. Græci multi legunt (α. β. γ. ε. ζ. & alii quidam, *δύο ἔσονται*), habent, *ἐν τῷ ἀγρῷ· ὁ εἷς παραληφθήσεται, καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται*) plures omittunt. Latini plerique legunt: duo Pariſienſium (Ge. o. l.) unus noſter (Pl. par.) omittunt. Alteri ex noſtris, Pl. m. infartum videtur. Tertius, D notatus, alio loco id habet, ſecundo nempe, h. e. poſt eos qui in uno lecto, cum 3° ſcribi ſoleat. Inter Commentatores, Ambroſius, Auguſtinus lib. 2. Quæſt. Euang. c. 44. & Beda edifferunt: at Autor operis imperfecti & Euthymius in Matthæum ſcribentes, cum Theophylacto, non agnoſcunt. Autoris operis imperfecti verba ſunt, *Et Lucas quidem Euangeliſta exponit de duobus in lecto, & de duobus ad molam. Præſens autem Matthæus de duobus in agro, & de duobus ad molam. Ubi enim Lucas poſuit*, duo in lecto, *ibi Matthæus poſuit*, duo in agro. *Ex quo intelligere nobis datur, quoniam lectum & agrum ambo Euangeliſta id ipſum intelligere voluerunt.* Hactenus ille. Reverendiſſimus Janſenius exiſtimat utriuſque, Matthæi & Lucæ, Euangelio ex alterius ipſorum adjectam eſſe, quæ deeſſe putata eſt, tertiam partem; nec Lucam poſuiſſe eos qui in agro, cum noctem dixerit; nec Matthæum expreſſiſſe eos qui in lecto, cum diem præmiſerit.

STEPHANUS.

¶ Κεφ. κδ', Περὶ τ῀ παρουσίας.

Ματθ. ἐν τῷ Λουκ. ιζ'. Καὶ ἐλάλησεν αὐτοῖς παραβολὴν ἐν τούτῳ λέγων, Ἰδού, ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τ῀ σπεῖραι.

Σὸν σῶμα ὀλβιόδωρε μηδηθείη παραβολαῖον.
Ἄλλως,
Παραβολαῖος· ἐλάλησε διδάγματα πολλὰ Ἰησοῦς.

ΤΑΣ οἰκοδομὰς] *Structuras.*

3. Τῆς σῆς παρουσίας, καὶ τ῀ συντελείας τ῀ αἰῶνος.] *Tui adventus & conſummationis ſeculi.*

4. Πλανήσῃ] *Seducat:* vel, *In errorem impellat.*

5. Ὁ Χριστὸς] *Ille Chriſtus.*

7. Λιμοὶ, καὶ λοιμοὶ, καὶ σεισμοὶ, κατὰ τόπους] *Fames & peſtilentia & terræmotus certis locis.*

8. Ὠδίνων] *Dolorum.*

12. Ψυγήσεται] *Refrigeſcet.*

13. Ὁ δὲ ὑπομείνας] *Sed qui permanſerit.*

15. Τὸ βδέλυγμα τ῀ ἐρημώσεως] *Abominationem illam vaſtationis*, i. abominandam vaſtationem.

22. Εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι] *Niſi contracti fuiſſent dies.*

24. Τέρατα] *Prodigia.*

28. Τὸ πτῶμα] *Cadaver.*

29. Σκοτισθήσεται] *Obtenebrabitur.* ¶ Σαλευθήσονται] *Concutientur.*

30. Κόψονται] *Plangent.*

38. Πρὸ τ῀ κατακλυσμοῦ] *Ante diluvium.* ¶ Ἐκγαμίζοντες] *Nuptum dantes.*

43. Γινώσκετε, ὅτι εἰ ᾔδει] *Scitis*, vel *ſcitote, quod ſi ſciviſſet.* ¶ Ἔρχεται. ἐγρηγόρησεν ἄν, καὶ οὐκ ἂν εἴασε διορυχθῆναι] *Venturus eſſet, vigilaſſet & non foviſſet perfodi.*

45. Ἐπὶ τ῀ θεραπείας αὐτοῦ] *Super famulitium ſuum.*

47. Τοῖς ὑπάρχουσιν] *Facultatibus.*

48. Χρονίζει ὁ κύριός μου ἐλθεῖν] *Tardus eſt adventu domini mei.*

51. Διχοτομήσει] *Duas in partes diſcindet:* vel, *Secabit medium.*

DRUSIUS.

1. *Diſcipuli ejus*] Explico, *unus è diſcipulis*, Marc. 13. 1. Sic Job. 21. 32. *Ipſe ad ſepulcra deducetur*, ad unum è ſepulcris. Qualia ſunt, *Pullus aſinarum*; *Sepultus eſt in urbibus Galaad.* Cognatum, *Latrones exprobraverunt* ii, alteruter latronum. Sic, *deſcendit in latera navis*, in alterum latus. Forte unus id faciebat, reliquis præſentibus; aut alii oſtendebant ei ædificia Templi, & unus dicebat, *Vide quales lapides, qualia ædificia.* De hoc ædificio prophetia olim fuit ſcripta in pariete ſacrarii interioris, *Cum erit ædificium hoc quadratum, tunc regnabit Rex ſuper Iſrael; regnabit, inquam, Rex qui regnabit & dominabitur per omnem terram Iſrael.* Habentur hæc in Hiſtoria Ebr. l. 6. c. 94.

2. *Non relinquetur lapis ſuper lapidem*, &c.] Qui hunc locum pro concione populo enarrabit, bene faciet, meo judicio, ſi adibit Joſephum, Haloſ. l. 7. c. 15. & Scaligerum, Can. Iſagog. pag. 304 à quo diſcet etiam aratrum inductum fuiſſe imo Templo à quodam Turno Ruſo, quem ipſe *Turranum* vocat; de quo multa mentio in Thalmud & apud alios ſcriptores Ebræos.

5. *Ego ſum Chriſtus*] i. Meſſias. Inter eos fuit Barchochebas (niſi legendum *Barchochabas*, à *Chochaba* Galilææ vico, cujus meminit Euſebius) quem Judæi poſtea vocarunt *Barchoziba*, i. *filium mendacii.* Fuerunt alii multi quorum catalogum recenſere longum eſſet & fortaſſe ſupervacaneum. *Barchochebas*, ſi Latine interpreteris, valet *filius ſtellæ:* de quo exponebant locum illum, *Orietur ſtella ex Jacob.* Nam eum Meſſiam eſſe perſuadere conabatur inter alios R. Aquiba, qui etiam ejus armiger fuit. Dicebat enim *omnia tempora Meſſiæ præteriiſſe.* Quod veriverbium utinam Judæi poſt tot annorum intervallum in aures admitterent.

13. *Uſque in finem*] Malim *in finem*, vel *ad finem.* Nam in fonte εἰς τέλος, quod pro eo habendum ac ſi diciſſet *in perpetuum.* Nam id valet Hebræis נצח, cujus interpretamentum in ed. Græca εἰς τέλος. *Ad finem uſque* potius diceretur עד נצח. Eſt ubi נצח reddunt νῖκος ſive νίκη, i. *victoriam.*

15. *A Daniele propheta*] Propheta erat in ſecundo gradu prophetiæ, quem *Spiritum ſanctum* appellant, itidem ut David, & alii qui *Hagiographi* dicuntur, & Hebraice כתובים, quia ſcripti per Spiritum ſanctum. Ut hoc intelligas, ſciendum eſt Hebræos partiri V. Inſtrumentum, h. e. libros XXIV. ut ipſi loquuntur, in Legem, Prophetas, & Hagiographos, quibus annumerant Danielem. Peccant ergo qui eum ponunt in ordine Prophetarum. Nam & David Propheta fuit, & tamen ab ipſo Chriſto excluditur ex hoc ordine. Aliud eſt *Prophetam eſſe*, & aliud *eſſe in ordine Prophetarum.* Moſes Propheta fuit Prophetarum, non tamen ponitur in illo ordine. Similiter Job Propheta fuit, & tamen recenſetur in ordine Hagiographorum. R. D. Præfat. in Pſalmos, *Licet Daniel viderit viſiones in ſomnis, tamen cum expergiſceretur non pervenit virtus ejus & ſcientia ejus ad illas viſiones, juxta virtutem Jeſaiæ, Ezechielis & reliquorum Prophetarum. Ideo non eſt ſcriptus liber ejus in ordine librorum Propheticorum, ſed ſcriptus eſt in ordine librorum qui vocantur Hagiographi, quia fuerunt ſcripti per Spiritum ſanctum.* Vide Hieronymum in Prologo galeato, ubi ſextus eſt in illo ordine.

20. *Hyeme*] Per ſe clarum eſt nec eget explicationis, niſi quidam de hyeme acciperent ætatis, h. e. de ſenio, quod mihi non probatur. ¶ *Neque ſabbatho*] Nam ſabbatho non licebat iter facere niſi ad bis mille cubitos, quod vocatur *iter ſabbathi.* Tenent tamen, ingruentibus hoſtibus aut latronibus licuiſſe fugam eo die capeſſere. Qua de re R. Thanchuma in Ilmedenu 83. 4. *Quem perſequitur*, inquit, *hoſtilis exercitus aut latrones, polluit ſabbathum.* Vide locum; nam ibi multa de ſabbatho, quæ nunc non lubet exſcribere. Dicunt etiam, *Periculum animæ*, [i. *vitæ*] *impellit ſabbathum.* Quin eo die pueros circumcidebant, & alia faciebant quibus ſabbathum profanabatur. Nam & pugnare licebat, hoſtemque occidere; de quo decretum exſtat in priore Macc. quos *Haſamonæos* vocant Hebræi. ¶ *Sabbatho*] Quæ Judæi ſcribunt de itinere ſabbathi, Chriſtus hic probare videtur, licet mera ſit traditio. Non igitur omnes traditiones repudiandæ. Judicio hic opus eſt. Traditio hæc orta putatur ex eo quod ſacrarium ſive ſanctuarium, cum in deſerto eſſent, diſtaret ab extremis caſtris intervallo ducentorum cubitorum, quod eſt *iter ſabbathi* vel *terminus ſabbathi*, & continebat quinque ſtadia majora, ut Joſephus ait, vel ſeptem minora, ut eſt apud Syrum interpretem, h. e. milliare Italicum, quæ ſeptima pars eſt milliaris Germanici.

28. *Cadaver* πτῶμα] Sic legit Theodoretus cum alibi, tum Quæſt. in Levit. quæſt. 11. pag. 114. Syrus quoque hic habet נבלתא *cadaver*, & Hebraicum Mercerii נבלת. Quanquam in Latina vulg. *corpus*, i. τὸ σῶμα. Vide Adagia mea ſacra.

29. *Virtutes cælorum*] i. *exercitus.* Sic vocantur copiæ cœleſtes, i. Angeli, qui Hebræis צבאות, unde Κύριος Σαβαὼθ *Dominus virtutum*, i. e. *exercituum*, ἐπὶ τῶν στρατευμάτων. Aliquando Sol, Luna & ſtellæ ita vocantur. Angelis annumerari poſſunt beati ſpiritus qui in cœlo. Qui neſcit quid ſit *Sabaoth* ex hoc loco diſcet. Verbum intelligenti ſat eſt.

31. *Cum tuba & voce magna*, μετὰ σάλπιγγος καὶ φωνῆς μεγάλης] Syrus, *cum tuba magna*: quæ *tuba ultima* vocatur 1 Cor. 15. 52. cujus mentio & 1 Theſſ. 4. 16. *Ipſe DOMINUS*

cum

cum tuba veniet de cælo. Festum erat in veteri synagoga quod vocabant *festum tubarum.* Eo tubis clangebant ab ortu solis usque ad occasum ejus, vel potius ad noctem usque. Clangor ille plures causas habebat. Una est, ut recordatio subiret illius diei quo per tubam mortui excitandi erunt, quod fore credebant mense Thesri, sicut liberatio ex Ægypto fuit in Nisan.

37. *Noe*] Antiquitas lectionis pro *Noa*, ut *Sue* dicebant pro *Sua*, quæ scribunt נו & נוע. Sic *Thare*. Sæpe hoc modo pro *a* legebant *e*. Ex hac consuetudine est נוח *Hosee*. Græce est Νῶε. Apud Hilarium reperio *Noem* in quarto casu, tanquam à recto *Noes*. *Noe*, *Noes*, ut *Hause*, *Hauses*. Hieron. in Quæst. *Noe dictus quia sub illo omnia retro opera per diluvium quieverunt.* Glossarius Philonis, *Noe*, *Requies.* Sed Gen. 5. 29. ינחמנו כי *quia consolabitur nos.* Ergo R. S. censet nomen decurtatum esse ex מנחם. Potest ita esse. Tamen qui requiem præstat, etiam consolatur homines; ut hæc duo in idem fere recidant.

43. *Non sineret persodi*) Vet. libri habent *persodiri*, ut annotat Gregorius. Vide Zachariam Chrysopolitanum Episcopum in Unum ex quatuor, pag. 289.

CASAUBONUS.

2. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, Οὐ βλέπετε πάντα ταῦτα;] Lego Βλέπετε πάντα ταῦτα, sublata negatione, quæ hîc locum non potest habere. Sic autem esse legendum ex V. interprete & Theophylacto aliisque veterum apparet. Miror autem Erasmum Theophylacti autoritate abuti adversus veterem interpretem, cum eadem sit utriusque lectio. Sic in Epitome Marci, Βλέπεις ταῦτας τὰς μεγάλας οἰκοδομάς;

3. Καθημένου δὲ αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν] Addit Marcus, κατέναντι τοῦ ἱεροῦ, ex quibus verbis intelligitur occasio hujus sermonis.

15. Ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως] Quidam referunt ad Adriani Imp. statuam in Templo collocatam & ab iis sublatam qui è Vespasiani clade superstites remanserant. Suidas, Βδέλυγμα ἐρημώσεως, ὁ Ἁδριανὸς τοῦ Καίσαρος ἀνδριάντα· ὁ γὰρ Ἁδριανὸς καθεῖλε τὸν πάλαι ἄρδιν, &c. Idem alio loco, Βδέλυγμα ἐρημώσεως, σημεῖον τῆς ἐρημώσεως· ὅταν οὖν εἰσίητε πρὸς ἀπηχοῦμένους τῷ νόμῳ, εἰς τοῦτο εἰσκομιζόμενα. ὁ δὲ Πιλάτος τοῦτο ἐποίησε, νύκτωρ εἰς τὸν ναὸν τοῦ Βασιλέως εἰσήγαγε εἰκόνας.

36. Οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν, εἰ μὴ ὁ πατήρ μου μόνος] Omnino assentior doctiss. viro Erasmo, qui putat verba hæc οὐδὲ ὁ υἱὸς ex Marco esse hic restituenda. Cur enim ea non agnoscemus, cum constet fuisse in libris antiquis fere omnibus? Sic enim Chrysostomus legit, sic Theophylactus, aliique plurimi. Vide Erasmum.

45. Τὸ διδόναι, φησὶν, τῷ σχολῇ τὸ καιρῷ] Demensum videlicet, σιτομέτριον, ut vocat Lucas: quam ἀμμαλλιὰν ἰμμίνου Græci poetæ appellant.

51. Καὶ διχοτομήσει αὐτὸν] Movit me aliquando cum Homeri locus εὐ. σ.

—— ἵνα τοι ζῷ Δημητρείῃσι τεμένεσι.

tum Tertulliani & aliorum auctoritas, ut putarem de gravissimo veteribus usitato supplicio hæc esse accipienda: Nunc puto purum putum esse Hebraismum, ob ea quæ sequuntur, quibus similia sunt Job. 13. 8. Ἴδε μή μοι ψεύσῃ ζῶ, σὺκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ· & Apoc. 21. 8.

GUALTERIUS.

41. Δύο ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλωνι, *duæ molentes in mola*] Μύλων, ῶνος, vel μυλὼν, ῶνος, ὁ, *locus in quo est mola, pistrinum.* Vox Græca, ex μύλη, *mola.*

JAC. CAPPELLUS.

2. NON *relinquetur hic lapis super lapidem qui non dissolvatur*] Est quidem hæc hyperbolica sed proverbialis locutio, qua designatur tum Templi tum urbis Hierosolymitanæ summa miserandaque vastatio. Horatius,

Ira Thyestem exitio gravi
Stravere, & altis mœnibus ultima
Stetere causa cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Hieronymus in Zachariam, c. 8. *Aratum templum in ignominiam gentis oppressæ a Tito Annio Rufo.*

3. *Dic nobis quandonam hæc futura sint*] Hæ scilicet desolationes, quæ ne Templo quidem quidquam integrum relicturæ sunt. ¶ *Et quodnam sit futurum signum adventus tui & consummationis seculi*] Conjunguntur adeoque forsan confunduntur ab Apostolis duo temporibus valde destincta. Christus errorem Apostolorum non refellit, quia nondum illis erat necesse scire esseme præcessura Templi subversio Mundi conflagrationem. Proponit nihilominus signa utrique petitioni satisfacientia. Proponit, inquam, primum signa Templi desolationem anteccssura, usque ad v. 24. deinde signa Seculi consummationem præcessura, usque ad v. 32. Deprimis signis dicit v. 34. *Amen dico vobis, non præteriet hæc ætas usque dum hæc omnia* desolationis Templi signa *contigerint.* Undenam, inquies, colligis hanc distinctionem, ejusque, quos figis, terminos? Ab eventu, qui nobis unicus est Prophetiarum interpres.

24. *Surgent enim*] Ἀποδοσις μετάβατική. Redditio causæ, cujus beneficio Christus enarratis signis Judaicæ gentis eversionem anteccssuris transit ad ea signa quæ seculi consummationem sunt anteccssura. Distinctionis hujus fundamenta plus satis confirmat eventus. Hactenus enim quæ dixit Christus eorum complementum ante Templi subversionem facile invenitur. Quæ sequuntur ante tempus illud frustra quæsiveris. Quærenda sunt igitur saltem ante Seculi consummationem.

LUD. CAPPELLUS.

15. Τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, &c.] Tribus in locis mentio fit apud Danielem illius βδελύγματος, nempe c. 9. 27. & 11. 31. & 12. 11. quod Hebraice est שקוץ משמם, in Græco autem LXX Interpretum in primo in trium horum locorum redditur βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, in secundo redditur βδελύγματα ἠφανισμένων, in postremo vero redditur βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, quomodo hic apud Matthæum; ut propterea videri possit Christus illuc respexisse: unde est quod Beza eo retulit hoc Christi dictum. Verum locus qui est Dan. 12. 11. eodem spectat quo ille qui est cap. 11. 31. Uterque locus nempe ad idem tempus respicit, eademque res utrobique significatur, uti conferenti locos liquere manifesto potest. Jam vero locus qui est c. 11. 31. intelligendus est aperte de horrenda persecutione quam passi sunt Judæi ab Antiocho Epiphane, à quo profanatum fuit Templum per tres annos cum dimidio, statuaque Jovis Olympii (quæ est βδέλυγμα illud ἐρημώσεως) in eo constituta. Itaque non potest uterque ille locus Danielis pertinere ad excidium Hierosolymorum à Romanis factum, nisi forte secundario, & per accomodationem aliquam, quatenus ea quæ Judæi ab Antiocho & à Romanis passi sunt conveniunt in magnitudine, gravitate & diritate; quodque ab utroque, tum Antiocho tum Tito Vespasiano, Judæorum religio atque Respublica eversa quodammodo fuit radicitus. At dispar sane utriusque calamitatis fuit causa. Nam Antiochus sævissimus fuit Tyrannus, qui ex mera animi libidine, contra jus fasque omne, voluit immutatam & everlam Judæorum, quam Deus constituerat, religionem & Reipublicam: itaque etsi Dei respectu, quem variis morum & disciplinæ corruptelis Judæi graviter offenderant jure afflige rentur, Antiochi tamen respectu, qui nullam habuit eos sic male habendi justam causam, nullo jure passi sunt ea omnia quæ à sævissimo illo Tyranno perpessi sunt. At vero quæ Judæi à Romanis passi sunt, ea merito suo passi sunt, ob suam à Romanorum imperio injustam eamque pertinacissimam defectionem, Dei vindicta eos justissime persequente, & pœnas ab ipsis ob Christum cruci affixum & Euangelium proterve repudiatum reposcente. Cum itaque dissimillima imo vero plane contraria utriusque cladis & calamitatis sit causa, atque inter utramque similitudo quædam duntaxat sit in cladis ipsius magnitudine atque horrenda vastitate, non videtur Christi dictum, quo prædicitur Hierosolymorum per Romanos excidium, referendum ad ea Danielis verba quibus significatur Judæorum ab Antiocho facta immanissima persecutio. Convenientius itaque videtur ut Christus in his verbis respexerit ad id quod habetur Danielis cap. 9. 27. quo loco planum est (& in eo consentiunt omnes pene Interpretes) prædici à Daniele Judaicæ Reip. & religionis à Romanis factum everlionem ob Messiam ab ipsis rejectum atque interfectum. Totus autem locus sic habet: *Post septimanas* LXXII *excindetur Messias,* ואין לו *& non sibi*] nempe quia nostri gratia, ut nos à morte redimeret, mortuus est. LXX reddunt καὶ κρίμα οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς, ubi videntur legisse ואין דין לו. *Urbem autem & Sanctuarium destruet* את העיר והקדש עם נגיד הבא *populus Ducis venturi*] vel potius *populus princeps venturus*, Romani scilicet, qui tum cum scripsit Daniel nondum rerum potiebantur, sed postea orbis

orbis imperium adepti sunt. LXX reddunt, *σὺν τῷ ἡγεμόνι τῷ ἐρχομένῳ* legerunt עם cum pro עם populus, & forte non male, ut per illam *ἡγεμόνα* intelligatur Imperator Romanus Titus Vespasianus, cujus veluti manu Deus urbem & Sanctuarium suum evertit. *Et finis ejus erit cum inundatione*] LXX *ἐκκαυθήσεται ἐν κατακλυσμῷ* legerunt וקצו pro וקץ, non male: *& usque ad finem belli* ועד קצה *definita est devastatio*] h. e. justo Dei decreto & judicio miserum in modum bello à Romanis devastabitur tum Judæa tota, tum etiam Hierosolyma. LXX reddunt, *ἡ δὲ πόλις ἡ πολεμουμένη ἀφανισμοῦ* videtur legendum *ἀφανισμός*. ipsi autem construxerunt ועד cum præcedente כלחה, non cum sequente שממות. *Confirmabit autem* (Messias scilicet) *fœdus* (Euangelicum) *multis per septimanam unam, in medio autem septimanæ illius faciet cessare sacrificium & oblationem* (Christus nempe ipse prædicavit Euangelium per tres annos cum dimidio, h. e. per dimidiam septimanam, atque tum morte sua, sacrificio vere expiatorio, omnia Legalia sacrificia & cæremonias abolevit) ועל כנף שקוצים משמם *idque per alam abominationum* (h. e. abominabilem) *vastatricem*, ועד כלה ונחרצה תתך על שומם *& usque ad consumptionem* (Judæorum) *definitam* (à Deo) *effundetur* (clades & ruina) *in desolatum* Judæorum populum. Duplex fuit sacrificiorum Legalium cessatio; una de jure, quæ facta est per Christi mortem, quæ est finis & complementum omnium Legalium sacrificiorum, quæque contigit in medio septimanæ, post triennalem Christi prædicationem: altera est de facto, cum everso à Romanis Templo sacrificia illa actu sunt abolita. Utraque sacrificii cessatio potest verbis illis Danielis innui: & posterior quidem dicitur ab eo facta *per alam abominabilem vastatricem*; Quibus verbis videtur Daniel innuere turmam illam seditiosorum zelotarum à quibus Templum occupatum fuit, & horrendum in modum pollutum atque profanatum, quique fuerunt causa ruinæ & eversionis Hierosolymorum & Templi totiusque Reip. Judaicæ, uti manifestum est ex Josephi historia, qui lib. 5. De bello Jud. c. 2. de Zelotis illis videtur accipere & interpretari hunc Danielis locum. Verba ejus hæc sunt ad calcem capitis illius, *Κατεπλάγη μὲν οὖν πᾶς ἄνθρωπος ἀκούσας αὐθημονῆσαι, ἐγελάτο δ' οὐδείς, ἡ δὲ τοῦ προφητῶν ἀκρίβεια πᾶσαν ἀγωγὴν ἀνθρωπίνην λογισμὸν ἐκλύουσα· πολλὰ δ' ἦσαν (προφῆ scilicet) φέρε εἰπεῖν ἡ κακίας προεφήτευσαν, ἃ συνιδόντες οἱ ζηλωταὶ καὶ τὴν ἐκ τοῦ πατρίου προφητείαν πᾶσιν ἐξέκοπτον· ἦν δὲ δή τις παλαιὸς λόγος ἀνδρῶν, ἐν ᾧ καιρὸς ἦν τὴν ἁλοῦσαν πόλιν, πάσης ἐὰν καταστάσεως, καὶ χεῖρες οἰκεῖαι προσάψωνται τοῦ θεοῦ πρέπειν· οἷς οὐκ ἀπιστήσαντες* (videtur legendum *πεισθέντες*) *οἱ ζηλωταὶ λῃστήριον ἑαυτοὺς ἐπέδειξαν*, h. e. *Omne quidem jus humanum ab ipsis conculcabatur, Divinum autem derideabatur, Prophetarumque oracula tanquam vulgares cantiunculas subsannabant. Multa illi* (Prophetæ) *de virtute & vitio vaticinati sunt, quæ isti zelota cum sciere violarent, effecerunt ut Prophetia qua adversus patriam* (Judæam nempe & Hierosolymam) *fuerat concepta exitum & complementum suum sortiretur. Vetus enim erat sermo, Tum Urbem capiam iri, & Sanctuarium conflagraturum jure belli, cum exorta esset* (inter Judæos scilicet) *seditio, & propria* (Judæorum) *manus prius polluissent Dei templum. Quæ cum non ignorarent Zelota, ipsi se earum rerum ministros præbuerunt.* Prophetia illa adversus Judæam concepta de Hierosolymis vi expugnandis & Templo conflagraturo omnino videtur esse ista Danielis, qua prædicitur fore ut *Urbem & Sanctuarium destruat populus princeps venturus.* Quod autem dicit Josephus, *veterem fuisse sermonem, Fore ut tum Urbs caperetur & Templum conflagraret jure belli, cum exoriretur seditio, & propria* Judæorum *manus Dei Templum polluissent*, videtur esse explicatio & *πατροπαραδόσεως* quædam expositio hujus Prophetiæ, maxime vero horum verborum על כנף שקוצים משמם *per alam abominabilem vastatricem*, ita ut per *alam illam abominabilem* intelligeretur exortura quædam factiosorum hominum *cæca seditio* à quibus Dei Templum horrendum in modum polluendum & profanandum erat; quod factum est à Zelotis, & eventus rem comprobavit. Fuit ergo *ala* seu *turma* illa factiosorum Zelotarum Templum occupantium, illudque innumeris cædibus & omni flagitiorum genere polluentium, *βδέλυγμα ἐρημώσεως abominabile* hominum conciliabulum, cujus obstinata pertinacia factum est ut & tota Hierosolyma & Templum ipsum *eversa sint*, quæ Titus summopere cupiebat conservata. Porro LXX hunc Danielis versum sic reddiderunt, *Καὶ δυναμώσει τὴν διαθήκην πολλοῖς ἑβδομὰς μία· καὶ ἐν τῷ ἡμίσει τῆς ἑβδομάδος ἀρθήσεται θυσία καὶ σπονδή, καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, καὶ ἕως συντέλειας καιροῦ συντέλεια δοθήσεται ἐπὶ τὸ ἐρήμωσιν.* Ubi videre est ista Hebraica על כנף reddi ab ipsis ἐπὶ τὸ ἱερὸν, unde liquet eos aliter hic legisse quam hodie legatur: nam כנף nullo modo significat *ἱερόν*. Vel ergo legerunt הכל, quod *templum* significat, vel forte levi mutatione ך Pe finalis in Vau legerunt כנו, quæ vox c. 11. 38. hujus prophetiæ videtur significare, & à quibusdam Interpretibus accipitur pro Templo Dei, & à LXX redditur illic πτερύγιον, quæ vox Joh. 11. 48 significat Templum Hierosolymitanum. Jam vero videtur Christus hoc loco verbis illis *βδέλυγμα ἐρημώσεως ἑστὸς ἐν τόπῳ ἁγίῳ*, alludere ad hanc LXX Interpretum loci hujus interpretationem, ἐπὶ τὸ ἱερὸν *βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως*· nam illud ἐπὶ τὸ ἱερὸν idem est quod ἑστὸς ἐν τόπῳ ἁγίῳ. Deinde, cum Christus v. 22. dicit, *εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι, & δι' οὓς ἐκλεκτοὺς κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι*, in eo videtur rursus alludere ad illa τῶν LXX, *ἕως συντέλειας καιροῦ συντέλεια δοθήσεται ἐπὶ τὴν ἐρήμωσιν*· hæc nempe *συντέλεια καιροῦ* idem videtur esse cum illa *κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι*. Cæterum in Versione Græca V. T. alia est postremi hujus hemistichii interpretatio, quæ sic habet, *ἕως συντελείας καὶ ἀφανισμοῦ· ἡ δὲ ἕως συντέλειας ἡ πτόλις πόλις ἀφανισμοῦ*, quam videtur secutus Tertullianus cum reddidit, *& destruet pinnaculum usque ad interitum.* Qui sic reddiderunt videntur legisse ועד כנף משמם, omissa voce שקוצים, & ער pro על posito. Sed hæc lectio plane incommoda est, & ex qua vix ullum possis eruere sensum. Illi itaque prior, quæ est τῶν LXX, potius præferenda est, quam, uti ostendimus, Christus videtur comprobasse & secutus hac in parte.

20. *Orate ne fuga vestra fit hyeme, neque Sabbatho*] Postremum istud *neque Sabbatho* non dicitur cum respectu ad id quod Christianis licet vel non licet facere die Sabbathi, vel die Dominica, uti nonnulli somniant; sed in eo respexit Christus ad opinionem quam tum temporis Judæi habebant de Sabbatho, qui existimabant nulla de causa licere eo die iter facere longius quam duum millium cubitorum prout Constitutionibus eorum erat cautum. Observant alii in periculo mortis, & cum quis urgetur ab ingruente hoste, licere tum profanare Sabbathum: quæ sententia videtur invaluisse à tempore duntaxat Machabæorum, à quibus decretum est licere pugnare etiam & se tueri adversus hostem oppugnantem. Nam antea existimasse Judæos id non licuisse, liquet ex 1 Macc. 2. 34. Quin & post Christi tempora dubitasse adhuc Judæos num liceret fugere die Sabbathi, colligere licet ex loco insigni qui habetur in בפרט רבה in Seder אלה מסעי Parascha 23. *Tradiderunt Magistri nostri et quem persequuntur Gentes vel latrones licere profanare Sabbathum*, fugiendo scilicet, *ut liberet animam suam*, h. e. ut eripiat se à mortis periculo. *Sic enim invenimus de Davide, quod cum Saul quæreret eum interficere, fugit ab eo, & evasit. Quin & Magistri nostri casum proferunt; Quod nempe primoribus oppidi Sepphore* (urbs est in Galilæa, ubi tum erat Academia) *illatum est edictum ab Imperatore* (Romano) *durum & grave. Quare abierunt & dixerunt R. Eleazaro F. Peratæ, Rabbi, venit ad nos mandatum ab Imperatore durum: quid nos censes? an fugiemus? Ipse veritus est dicere, Fugite, sed id significavit* בזנב *nutu* veluti (seu *signo* unde id colligere possent) *Vos, inquit, me interrogatis; interrogate Jacobum, Mosem, Davidem. Quid enim scriptum est de Jacobo?* ET FUGIT JACOB, Hos. 12. 12. *Atque sic de Mose,* ET FUGIT MOSES, Exod. 2. 15. *Sic & de Davide,* ET DAVID FUGIT, ET EVASIT, 1 Sam. 19. 10, 12. & 21. 10. *Quin & ipse* Deus *dicit,* ABI, POPULE MI, INGREDERE PENETRALIA TUA, &c. Esa. 26. 20. Interrogationem istam & responsionem ad eam factam intelligendam esse de fuga in die Sabbathi, non vero de qualibet fuga tempore persecutionis, liquet ex exemplo Davidis quod profert Rabbi ille: nam, uti liquet ex præcedentibus, volunt Davidem fugisse eum die Sabbathi. Deinde, Judæi nunquam dubitarunt an fugiendum esset tempore persecutionis, ideoque nihil opus erat Magistrum illum interrogare de ea fuga.

GROTIUS.

1. Ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ· *de Templo*] Versus montem Oliveti, ut Marcus adscribit, unde optimus in Templum despectus quod subjecta ei monti pars murorum Templi esset depressior partibus cæteris. ¶ *ἐπιδεῖξαι αὐτῷ τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ. ut ostenderent ei ædificationes Templi*] Ut solent qui operis alicujus magnitudinem ac firmitatem admirantur. *Immensa opulentia templum*, dixit Tacitus: & mox, *Templum in modum arcis, propriique muri, labore & opere ante alios: ipsa porticus quæ templum ambiebat, egregium propugnaculum.* Deinde, *Struxere muros in pace, tanquam ad bellum.* Josephus vocat ἔργον πάντων ὧν ὄψει τις ἢ ἀκοῇ παραλήψεται θαυμασιώτατον κατασκευῆς τε ἰσχυρᾶς καὶ μεγέθους, ἵν' εἰς καθ' ἕκαστον πολυτελείας [*opus omnium quæ aut visu aut auditu accepimus admirandum maxime, tum ob firmam fabricæ, tum ob magnitudinem, tum vero & ob partium singularum magnificentiam*]. Adde Philonem

De

De Monarchia 11. & De legatione ad Cajum. Quanquam autem Herodes Magnus Templum ut augeret à fundamentis novaverat, tamen cum & materia usus sit veteri, & non totum simul Templum diruerit, sed per partes quantum quoque tempore innovandum erat, recte Templum hoc idem fuisse dicitur quod structum erat à Zorobabele. Atque ita Josephus bis dicit Templum dirutum, semel à Chaldæis, iterum à Tito: & Judæorum Magistri excidium Titi vocant *excidium Templi secundi*; & tempora quæ id excidium antecedunt, *tempora secundi Templi*. Hoc Templo stante exspectandus erat Messias ex vaticinio non Danielis tantum, sed & Aggæi 11, 8. addito quod est apud Malachiam 111, 1.

2. *οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ μὴ καταλυθήσεται. non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur*] Erat id quidem verum & de Urbe, quæ & ipsa, ut Josephus loquitur, *πρόῤῥιζος ἐκ βάθρων ἀνίερωται* [*stirpitus à fundamentis eruta est*], &, ut alibi idem ait, *ἡφάνισται ὅλως ἐξομαλισθέντων εἰς μηδὲ σύμπαν εἶναι τοῖς ἐπιοῦσι πίστιν ἂν ἔτι σφόδρα τοῖς παροῦσιν* [*ita solo aequata interiit ut qui accedunt spem nullam habeant restitui eam posse*], paucis turribus exceptis in monumentum victoriæ, & muri parte quæ valli vice esset Romano militi: sed proprie de Templo agit Christus, cujus, ut diximus, & magnificentiam & firmitatem Discipuli admirabantur. Id autem plane dirutum est, nulla ejus parte servata. Sicut in structione Templi dictus est *lapis poni super lapidem*, Aggæi 11, 16. ita in destructione *non relinqui lapis super lapidem*.

3. *οἱ μαθηταί, Discipuli*] Articulus hic vim habet pronominis indefiniti. Sensus enim est, *τινες τῶν μαθητῶν* [*Discipulorum quidam*], quos Marcus quatuor nominat. ¶ *πότε ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας, καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; quando haec erunt, & quod signum adventus tui, & consummationis seculi?*] Occasione ejus quod Christus de excidio Templi dixerat, Discipuli de ejus excidii tempore Christum interrogantes, duo præterea quærunt, quæ ab aliis non itidem expressa Matthæus distincte posuit, nempe quæ futuræ essent *σημεῖα* [*nota*] tum adventus Christi, tum finis seculorum: non quod has tres quæstiones in unum idemque recidere existimarent, sed quod rerum imminentium præcipuas una opera sibi prædici cuperent: ac præterea existimarent inter hæc omnia non multum temporis intercessurum. Dogmata Christi jam satis imbibisse se putabant; nunc vaticinia ab ipso audire desiderant, freti ea pollicitatione qua Christus dixerat multa se arcana seorsim à plebe cætera ipsis revelaturum. *Παρουσίαν* [*adventum*] *Christi à consummatione seculorum* multi non distinguunt, vocis, ni fallor, ambiguo decepti: nam multiplici significatu usurpari *παρουσίαν* [*adventum*] certissimum est. At Matthæus distinguit hanc quæstionem non minus à tertia quam hanc & tertiam à prima: Et Christus, si quid video, distinctis quæstionibus distincte respondet, primæ ad comma usque 23. secundæ inde ad comma 30. postremæ in sequentibus. Quare *παρουσίαν* [*adventum*] hic interpretor, non Judicium, sed Regnum Messiæ, quod illustre fore splendore externo Discipuli putabant. Argumentum sententiæ meæ est, quod verba illa, *Si dixerint, Hic aut illic est; ne exite*, quæ hic Christus usurpat ad solvendam quæstionem *περὶ τῆς παρουσίας* [*de adventu*], ut videre est infra 23, 26, 27. apud Lucam quoque inveniuntur XVII, 22, 23. ubi itidem Fulminis apparet comparatio. Eodem autem loco clarissime ostendit Christus agere se de Regno suo, quod Regnum Dei, loquendi more Judæis usitato, appellat; id ipsum Regnum venturum significans *οὐ μετὰ παρατηρήσεως* [*non cum observatione*]. Conferat diligens lector loca; videbit ita se rem habere ut dico. Fateor quidem *παρουσίαν* [*adventum*] voce sæpe illum Judicii adventum significari; sed id perpetuum non est. Nam Petrus *παρουσίαν* [*adventum*] voce efficaciam Christi designans conjungit *δύναμιν καὶ παρουσίαν* [*virtutem & adventum*] 11 epist. capite 1, 16. Et alia quoque sunt in Apostolicis scriptis loca quæ eam recipiunt interpretationem. Veteres quoque Christiani ab Apostolis eum loquendi morem acceperunt; ut Justinus de crescente in ipsis suppliciis Christianorum numero agens, *Οὐχ ὁρᾶτε ὅσῳ πλείονες γιγνόμεθα, πρὸ τοῦ πλείονας ἀνθρώπους; Ταῦτα ἀνθρώπου οὐ δοκεῖ τὰ ἔργα, ταῦτα δυνάμεώς ἐστι τοῦ Θεοῦ· ταῦτα τῆς παρουσίας αὐτοῦ δείγματα* [*Non vides quo plures sumus qui eos ad poenas vocant tanto magis crescere eorum numerum? Haec videri nequeunt hominis opera; haec est Dei virtus: haec testimonia adventus ipsius*]. Chrysostomus *διαγγελίαν* [*Evangelium*] definit *τὸν θεῖον λόγον κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ παρουσίαν* [*Sermonis Dei, id est, Domini Jesu Christi adventum*].

4. *Βλέπετε μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ. Videte nequis vos seducat*] Incipit Christus explicare ea quæ excidium Templi sunt antecessura.

5. *Ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, in nomine meo*] *Nomen*, ut alibi diximus, multa significat; sæpe autem officium aut dignitatem alicujus. Dicuntur ergo hic exstituri qui sibi adscribant dignitatem eam quæ Jesu est propria, id est, ut sequitur, *qui se dicturi sint Christos*. Alias *nomen* est mandatum; quo sensu iidem illi dicuntur *venturi in suo nomine*, Johannis v, 43. hoc est, nullo instructi mandato, sed ausu proprio. ¶ *Ἐγώ εἰμι ὁ Χριστός· Ego sum Christus*] Quanquam & *ψευδόχριστοι* [*pseudochristi*] sunt *ψευδοπροφῆται* [*pseudoprophetae*] generaliori nomine, distingui tamen solent, ut & infra videre est 24. *Christi* nomine populus Judaicus intelligebat vindicem libertatis. Nam illud, *ἡμεῖς δὲ ἠλπίζομεν ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ* [*nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel*], Lucæ XXIV, 21. descriptio est nominis *Christi*. Quare quicunque se missos Divinitus liberatores populi Judaici dicebant, eo ipso Christos se profitebantur, & erant *ψευδόχριστοι* [*pseudochristi*]. Talis fuit Theudas, non ille Gamalieli nominatus, sed alter ejusdem nominis *γόης* [*impostor*], qui Cuspio Fado Judæam regente magnam plebis multitudinem ad se vocavit, pollicitus verbi sui imperio discessuras Iordanis aquas, ut via pateret transeuntibus; sed cum magna sectatorum strage captus à Fado capite poenas luit. Tales & illi *πλάνοι, γόητες καὶ ἀπατεῶνες* [*seductores, impostores & fallaciis pleni*], ut eos nominat Josephus, qui Felice Procuratore *μετὰ θείας ἐπιπνοίας* [*specie divini afflatus*] imponebant hominibus, persuadentes iis ut se in solitudinem sequerentur, maxima signa ac miracula conspecturi; quod itidem multis exitio fuit: & isdem temporibus ex Ægypto impostor, cujus & apud Josephum & in Actis Apostolicis est mentio, qui contracta manu triginta millium in montem Oliveti, cæsura jussa suo Hierosolymorum mœnia promiserat; sed à Felice oppugnatus, cæsis captisque sectatoribus, in fugam se dedit. Iterumque sub Porcio Festo *γόης* [*impostor*] alius, *σωτηρίαν ἀπαγγελλόμενος καὶ παῦλαν κακῶν* [*salutem pollicens & malorum cessationem*], eaque spe multos in solitudinem pelliciens, ubi cum suis oppressus est. His addi possunt Simon Magus, qui se *δύναμιν Θεοῦ* [*virtutem Dei*] prædicabat; & Dositheus ille qui sibi *Christi* titulum vindicabat, de quo vide Origenem adversus Celsum lib. 1. & in Matthæum tractatu 27. ¶ *καὶ πολλοὺς πλανήσουσι. & multos seducent*] Multos spe falsa illectos in exitium abripient, ut ex ante dictis historiis apparet.

6. *πολέμους καὶ ἀκοὰς πολέμων. praelia & opiniones praeliorum*] Πολέμους [*bella*] hic intelligo cædes in Judæos editas Cajo imperante, tum Alexandriæ tum circa Babylonem, quarum meminit Josephus *Ὠριγενολογίας* [*Originum*] XVIII. Alexandrinam accurate describit Philo adversus Flaccum. *Ἀκοὰς πολέμων* [*rumores de bello*], metum belli à Cajo cum imaginem suam Templo inferre pararet. Tacitus Historiarum v. *Jussi à Cajo Caesare effigiem ejus in templo locare, arma potius sumsere: quem motum Caesaris mors diremit.* Et Annalium XII. de eodem agens tempore, *Praebuerant Judaei speciem motus orta seditione.* Quanta tum fuerit Judæorum consternatio tum Alexandriæ, tum in Judæa, apud eos quos dixi Scriptores Judæos legere est operæ pretium. ¶ *ὁρᾶτε μὴ θροεῖσθε· videte ne turbemini*] Considerate ista diligenter; sed ne ita moveamini istis quasi extrema essent malorum quæ Judæos manent ob contemta tot ad pœnitentiam hortamenta. ¶ *δεῖ γὰρ πάντα, oportet enim cuncta*] Latinus Interpres pro *πάντα* legit *ταῦτα* [*haec*]. Syrus autem conjunctim *πάντα ταῦτα* [*cuncta haec*], quod, cum & codicum quorundam fide muniatur, præferendum puto. Sensus est, Plura talia accidere debent antequam malorum terminus adsit. Δεῖ [*oportet*] istud, ut ad caput XVIII. in re simili diximus, Dei consilium spectat sapienter permittentis ea mala ad quæ Judæi sua sponte ferebantur, quo magis justitia ipsius pateseceret. ¶ *οὔπω ἐστὶ τὸ τέλος. nondum est finis*] Id est, nondum ad summum pervenit pœna Judæorum; ut ostendit collatio commatis 14. Daniel dixit כי עוד למועד XI, 35.

7. *Ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπὶ ἔθνος, καὶ βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν· consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum*] Sunt prope ipsa verba Azariæ Prophetæ ad Asam Regem Paralipomenon II, cap. XV, 6. Indicat Christus majores quam sub Cajo evenerant cædes imminere ultimis temporibus Claudianis, & Neronis principatu. Illud *ἔθνος ἐπὶ ἔθνος ἐγερθήσεται* [*gens in gentem*], significat Judæos & qui aliarum erant gentium iisdem in civitatibus morantes mutuis inter se cædibus collidendos: quod contigit Cæsareæ primum, deinde Scythopoli, Ptolemaïde, Tyri, Gadaris, rursum Alexandriæ, deinde & Damasci. Illud autem *βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν* [*regnum in regnum*] significat Tetrarcharum aut provinciarum aperta inter se bella. Nam sicut *βασιλεὺς* [*Rex*] interdum etiam

qui Legem interpretabantur : ita falſos magiſtros Chriſtus noto vocabulo ψευδοπροφήτας [*falſos prophetas*] appellat. Dubium non eſt quin Satan excitato mundi odio adverſus Chriſtianos, cum videret tantam eſſe vim veritatis ut eam abnegare multi qui cuperent vix poſſent, nimium reluctante animo, ad vim dolos adjunxerit, prætextus aliquos comminiſcens qui defectionem redderent faciliorem. Poterat autem labefactari conſtantia Chriſtianorum aut religionis omnis ſublato uſu, aut poſito quemvis cultum externum eſſe ἀδιάφορον [*in rebus mediis*], aut quæ ſitis conciliaturis quæ Chriſtianam religionem cum aliqua religione aut probata publice, qualis erat Ethnicorum, aut tolerata certe, qualis erat Judæorum, permiſcerent. Religionis uſus tollebatur per Hymenæum & Philetum, qui dicebant *Reſurrectionem jam eſſe factam.* Nam certe ſublata ſpe vitæ alterius, & oſtendente experientia illorum temporum, piis non melius ſed pejus in hac vita eſſe quam impiis, nihil manebat ſatis firmum quod animum in religione retineret. Cultum omnem externum eſſe ἀδιάφορον [*in rebus mediis*] jam inde ab initio aliqui doeuerunt, à quibus id hauſit Elxæus. Ex hoc dogmate factum ut quidam ἐν εἰδωλείοις [*in idolorum templis*] una cum cæteris *accumberent*, 1 Corinthiorum VIII, 10. quia ſcilicet εἴδωλον [*idolum*] reipſa *nihil eſſet*, 1 Corinth. VIII, 4. X, 19. Adverſus quos illa eſt Johannis admonitio, Τεκνία, φυλάξατε ἑαυτὰ ἀπὸ τῶν εἰδώλων [*Filioli, cuſtodite vos à ſimulacris*], epiſtola 1, capite V, 21. Cum Paganiſmo Chriſtianam religionem miſcere aggreſſus eſt omnium primus Simon Magus, Claudio imperante. Nam & ipſe pro deo haberi voluit. Credibile eſt perveniſſe ad eum famam conſilii ejus quod à Tiberio datum Senatui Romano legimus, ut Chriſtus adderetur deorum numero : qualem rerum plane inſociabilium mixturam poſtea quoque Adrianus, Severus, Heliogabalus, ſed fruſtra, efficere conati ſunt. Ab hoc Carpocrates hactenus diſceſſit, ut quia *deorum* nomen Chriſtianis erat odioſius, eorum vice Angelos aut αἰῶνας [*Æonas*] quos vocabat, ita verſa in Græcum voce חיות [*vitas*] quæ eſt apud Ezechielem 1, 5. ſubſtitueret, ad eos transferens omnem θεολογίαν [*de rebus Divinis doctrinam*] Orphei, Heſiodi & Pythagoræ. Illis autem annumerabat etiam Chriſtum. Et hæc eſt, ni fallor, illa ψευδωνύμου γνώσις [*falſi nominis ſcientia*] cujus ad Timotheum Paulus meminit. Ita ſane vult Irenæus II, 19. IV, 2. Hi ſunt οἱ συναγωγῆται ἀπὸ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης [*decipientes per philoſophiam & inanem fallaciam*], ut ad Coloſſenſes idem Apoſtolus loquitur. Quia enim doctrinam Paganicam cum Chriſtiana doctrina permiſcebant, ideo ſe venditabant eruditionis nomine, ut apud Irenæum & Clementem videre eſt. Horum ſunt ὑποτυπώσεις [*retenſiones divinarum generationum*] quarum mentio 1 Timoth. I, 4. Tit. III, 9. Horum διάστασις [*portio*], ut loquitur Irenæus, Nicolaitæ. Sed & apud Vopiſcum legimus in Ægypto qui Sarapidem adorarent Chriſtianos dici voluiſſe : atque illis ſuum fuiſſe Patriarchum. Cum Judaiſmo Chriſtianam religionem miſcuerunt, non tolerando ritus Judaicos (quod Apoſtolos primis illis temporibus ſcimus feciſſe) ſed Judaiſmum agnoſcendo unicam ſalutis viam, quæ tum ab aliis Prophetis, tum à Chriſto etiam eſſet annuntiata, Cerinthus & Ebion ; quorum id præcipuum erat ſtudium ut mala illa quæ Chriſtianos peculiariter premebant, ea ratione effugerent, ut clare docet Paulus Philippenſ. III, 18. & Galat. VI, 12. Adverſus eoſdem multa exſtant in prima Johannis epiſtola, ſed & in Apocalypſi. Hi igitur omnes horumve ſimiles ſunt quos Chriſtus vocat ψευδοπροφήτας [*pſeudoprophetas*], Paulus ἄνδρας λαλοῦντας διεστραμμένα [*viros loquentes perverſa*], Actorum XX, 30. ψευδαποστόλους [*falſos apoſtolos*], II Corinth. XI, 13. μετασχηματιζομένους εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ [*transfigurantes ſe in apoſtolos Chriſti*], quorum dogmatibus multorum *fides everſa eſt*, II ad Timoth. II, 18.

12. Καὶ διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν, ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν. *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum*] Poſt apertos deſertores & poſt adulteratores fidei tertium genus hominum Chriſtus notat, qui caritatis officia deſerunt διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν [*quia abundavit iniquitas*], id eſt, propter diu durantem & ingraveſcentem ſævitiam : ἀγάπη [*caritas*] eſt dilectio Dei & hominum quos pietas conjungit. Exemplum habemus illuſtre cum primum Paulus cauſam dixit apud Neronem, *Nemo*, inquit, *mihi adfuit ; omnes me dereliquerunt*, II Timoth. IV, 16. Simili de cauſa multi deſerebant τὴν ἑαυτῶν ἐπισυναγωγὴν [*collectionem ſuam*], quos notat Scriptor ad Hebr. X, 25.

13. Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος οὗτος σωθήσεται. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit*] Ὁ ὑπομείνας, id eſt, *is qui perſtiterit* tum in fide tum in dilectione ; ut ipſa præcedentium oppoſitio oſtendit : Quem *neque anguſtia, neque preſſura, neque vexatio, neque fames, neque nuditas, neque periculum, neque gladius ſeparaverit ab ea quæ in Deum fertur dilectione.* *Quod* hic eſt σωζεσθαι [*ſalvum fieri*] apud Lucam eſt κτᾶσθαι τὰς ψυχὰς [*acquirere animas*], alibi εὑρίσκειν τὴν ψυχὴν [*invenire animam*], id eſt, beatam immortalitatem acquirere. Ea enim non inchoantibus ſed perſeverantibus promittitur. Quo pertinet illud Tertulliani, *Nemo Chriſtianum niſi qui ad finem uſque perſeveraverit.* Et Cypriani, *Et fides ipſa, ut nativitas, non accepta, ſed cuſtodita vivificat.* Et Hieronymi, *Non quærimur in Chriſtianis initia, ſed finis.*

14. ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, *in univerſo orbe*] Marcus dixit εἰς πάντα τὰ ἔθνη [*in omnes gentes*], ut & hic ſequitur πᾶσι τοῖς ἔθνεσι [*omnibus gentibus*]. Hoc autem impletum eſt ante excidium Hieroſolymorum. Ideo Marcus adjecit πρῶτον [*primum*]. Nam quod de cœleſtibus orbibus dixerat Pſalmographus, ad Euangelium (quod per *cœlum* deſignari ſolet) aptat Paulus, & ita quidem ut mihi videatur aperte ſua tempora deſignare, Romanorum X, 18. Nam & ad Coloſſenſes ſcribens non minus γενικῶς [*generatim*] loquitur, dicens verbum illud Euangelii παρεῖναι ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ [*eſſe in univerſo mundo*] & κηρυχθῆναι ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν [*prædicatum eſſe in univerſa creatura quæ ſub cœlo eſt*]. Quin & fidem Romanorum Paulus ait prædicatam ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ [*in univerſo mundo*], Romanorum I, 8. Bene autem colligit Chryſoſtomus, ſi unus Paulus ab Hieroſolymis ad Illyricum uſque Chriſti doctrinam pertulit, &, ut quidam exiſtimant etiam in Hiſpaniam, quid de omnibus aliis Apoſtolis & tot eorum adjutoribus ſit exiſtimandum. Certe Clemens Romanus etiam ad terras trans Oceanum Euangelium ait perveniſſe. Nimirum exemplo gentium etiam barbararum Deus Judæos invitare voluit ad obedientiam Euangelii, & non obedientes contumacis incredulitatis apud omnes populos convincere, antequam in eos iræ ſuæ theſauros effunderet. Hoc eſt εἰς νῖκος ἐκβάλλειν τὴν κρίσιν [*ad victoriam ejicere judicium*]. Hanc ſententiam Marcus nos docet cum dicit, εἰς πάντα τὰ ἔθνη δεῖ πρῶτον κηρυχθῆναι τὸ εὐαγγέλιον [*in omnes gentes primum oportet prædicari Euangelium*]. Adde Ezechielis III, 6, 7. ¶ εἰς μαρτύριον, *in teſtimonium omnibus gentibus*] Poteſt eum ſenſum accipere de quo egimus ad caput X. Sed expeditius eſt ut dicamus quemadmodum explicare jam cœpimus, Deum velut anteſtatum gentes omnes, ut nota illis eſſet Judæorum pertinacia antequam pœnas exposceret. ¶ καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος. *& tunc veniet conſummatio*] Judiciorum Dei adverſus Gentem Judæorum, ut ſupra diximus. קץ בא [*finis venit*] Ezech. VII, 2.

15. Ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, *Cum ergo videritis abominationem deſolationis*] Poſt ſigna remota Chriſtus ſignum excidii proximum indicat. Apud Lucam eſt, Ὅταν ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλήμ, τότε γνῶτε ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς [*Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus*]. Alibi apud Lucam Chriſtus eandem ita exponit, περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε, καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν [*circumdabunt te inimici tui vallo, & ambient te & coanguſtabunt te undique*]. Signum hoc & proprium erat rei ſignatæ, & certitudinem habebat, non ex naturali conſequentia, ſed ex Divino decreto. Proprium fuiſſe inde apparet quod ex quo Chriſtus hæc dixerat ſemel duntaxat contigit urbem Hieroſolyma caſtris (id enim eſt χάραξ) cingi. Nam Ceſtius Gallus ex Urbis parte partem alteram oppugnavit, Urbem autem caſtris non ambiit ; adde quod nec erat ductor juſti exercitus, qui indicatur voce στρατοπέδων. Juſtum exercitum ad Urbem duxit, caſtra Urbi circumdedit Titus Veſpaſianus, στρατόπεδον περιέβαλεν, ut ἁλώσεως [*Captivitatis*] quinto Joſephus loquitur, ducens ſexaginta millia militum præter lixas & calones. Hoc conſpecto Chriſtus jubens certum excidium exſpectari, non modo ſpem omnem Judæis eripit Urbis Divinitus liberandæ, ut quondam Ezechiæ temporibus contigerat, ſed & eam quam conceperi erant fiduciam partim in ſuorum numero (qui colligi inde poteſt quod obſidio abſumtas dicit Joſephus μυριάδας ἑπτακοσίας καὶ δέκα [*mille & centum millia*]), partim in animorum feritate magis quam audacia, partim in firmitate operum, de qua quid ipſe ſenſerit victor operæ pretium eſt ex Joſepho adſcribere, Παρελθὼν δὲ Τίτος εἶδεν, τί τ' ἄλλα καὶ ὀχυρότητος τῆς πόλεως καὶ τῶν πύργων ἀνεθήκαμεν, ἃς οἱ τύραννοι κατὰ φρενοβλάβειαν ἀπέλιπον· καλοῦσι γὰρ τοῦτο ναοῦ αὐτῶν ὕψος, καὶ τὸ μέγεθος ἐπαίρας πέτρας, τῆς τε ἀκριβείας καὶ ἀρμονίας, καὶ ὅσον μὲν εἰς ἔργον, ἠλίσκου δὲ ἤδειν τῇ ἀνάτασει, Σὺν Θεῷ γ' ἐπολεμήσαμεν, ἔφη, καὶ Θεὸς ἦν ὁ τάνδε τῶν ἰουδαίων καθελών, ἐπὶ χεῖρες τε ἀνθρώπων ἢ μηχαναὶ τί πρὸς τοῦτο πύργους δυναντο ; [*Ubi intraſſet Titus, miratus inter alia urbem & firma*

firma opera & turres, quas per vecordiam tyranni dereliquerant: deinde conſiderans immenſam earum altitudinem & ſingulorum lapidum magnitudinem, & exactiſſimam coagmentationem, tum qua latitudine eſſent, qua longitudine, Deo, inquit, fauente bellavimus, Deus eſt qui Judæos ex iſtis munimentis detraxit: nam humana manus & machinæ quid contra tales turres valeant?] Non aliud ſignum à Matthæo & Marco quam à Luca verbis modo citatis indicari, antecedentium & conſequentium συνέπειαν [*convenientia in idem*] manifeſte, ni fallor, indicat. Adde quod Lucas utens voce ἐρημώσεως [*deſolationis*] manifeſte eundem reſpicit Danielis locum cujus verbis hic utitur Chriſtus. Ut ergo intelligamus quid ſit quod Chriſtus dicat τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως [*abominationem deſolationis*] recurrendum eſt nobis ad Danielem. Apud eum capite IX, 27. eſt משמם כנף שקוצים, βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων [*abominatio deſolationum*] Græcis; capite XI, 31. המשמם קשוי, quod Græci transferunt βδελύγματα τὰ φοβερὰ [*abominationes deſolatorum*]. capite autem XII, 11. eſt המשמם קשוי, Græcis τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως [*abominatio deſolationis*]. LXX Interpretes hic non nomino, quia Theodotionis in hac parte eſt verſio qua utimur, non LXX, ut nos docet ad Danielem Hieronymus, & voces nonnullæ teſtantur. Sed Danielis ad loca ut redeam, poſterioribus duobus agi de Antiocho concedimus Judæis, atque adeo קשוי [*abominationem*] ibi eſſe εἴδωλον Διὸς Ολυμπίου [*ſimulacrum Jovis Olympii*], quod Antiochus in Templo collocaverat, quodque Maccabaici primi Scriptor, loca Danielis jam dicta reſpiciens, vocat τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως [*abominationem deſolationis*]. At verba capitis IX. ad Antiochum fruſtra trahunt Hebræi, cum Hebdomades ibi nominatæ dierum non poſſint intelligi; ita enim multum citra Antiochi tempora conſiſteretur; & annorum ſeptimanæ multum ultra Antiochum procurrant, à quocunque tandem inſtaurandæ Urbis aut Templi edicto numerandi exordium ſumſeris. Alias autem hebdomadas Hebraicus uſus non agnoſcit. Et ſane Judæi veteres ad Romana tempora hunc locum nobiſcum retulerunt. Δανιὴλ [*Daniel*], inquit Joſephus, περὶ οὗ τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν ἀνέγραψε, καὶ ὅτι ὑπ' αὐτῶν ἐρημωθήσεται [*etiam de Romanorum ſcripſit Imperio, & fore ut ab eo deſoletur*], nimirum τὸ ἔθνος [*gens Judaica*], quod præceſſerat; & cum in Excidii hiſtoria ſæpe repetit impletam vaticiniorum fidem, hunc præcipue locum reſpicit: quod & Chryſoſtomo obſervatum altero adverſus Judæos libro. Hoc poſito verba Prophetæ videamus: ועל כנף שקוצים משמם עד כלה תחרוץ ועל שמם תתך על שמם. Primum כנף quid ſit dubitatur. Græci, qui eam vocem legerunt non ſono regiminis, ut nos cum Maſoritis, ſed ſono primitivo, per *alam* intellexerunt *Cherubim*, per *Cherubim* autem συνδρομὴν [*per complexionem*] Templum ipſum: itaque vertunt διὰ τὸ ἱερὸν [*in Templum*], quod intelligi poteſt vel *in Templum* vel *contra Templum*. Qui cum Maſoritis legunt, ac proinde vocem hanc cum nominibus ſequentibus conſtruunt, alii interpretantur *exercitum*, ſine exemplo, ni fallor; alii *expanſionem*, ſicut Malachiæ IV, 2. *expanſio lucis* eodem nomine appellatur: Quare id potius ſequendum puto. שמם Hebræi nonnulli, & quidam alii eos ſecuti, ad *obſtupeſcendi* ſignificationem trahunt. Sed alii rectius cauſam eſſe negant cur à maxime propria nec minus frequenti notione ἐρημώσεως [*deſolationis*] hic diſcedatur. Nam שמם in Kal, ut vocant, eſt ἐρημοῦσθαι [*deſolari*], in Pihel autem ἐρημοῦν [*deſolare*], quod & ἀφανίζειν [*deſtruere*] dici poteſt. Verba igitur Hebræa ita reddi poſſunt κατὰ τὸ ῥηθὲν [*verbotenus*], *Et per expanſionem abominationum deſolantem, & quidem donec conſummatio & excidium* (ſupple *adſit*) *effundet ſe* (aut *Chriſtus*, aut *tempus illud ſeptimana reliquum*: nam utroque referri poteſt) *ſuper eum qui deſolatur*. Jam certum eſt vocem קשוי plerumque pro *idolo* accipi, ut videre eſt I Regum XI, 4 & 7. II Regum XXIII, 14. Ezechielis VII, 2. VIII, 10 XX, 7. Jerem. XXXII, 34. & alibi; quibus locis Græci vertunt βδέλυγμα [*abominationem*], quæ vox ſenſu eodem exſtat Sapientiæ XIV, 11. Bene Chryſoſtomus II adverſus Judæos, ἅπαν εἴδωλον καὶ πᾶν πίτυπμα ἀνθρώπου παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις βδέλυγμα ἐκαλεῖτο [*omne ſimulacrum & omnis humana effigies apud Judæos abominatio dicebatur*]. Nec aliter ſumi ubi de Antiocho agitur ex ipſa hiſtoria apertiſſimum eſt. Quod cum animadverterent Chriſtiani veteres, hic quoque ſimilem τῆς βδελύγματος [*abominationis*] ſignificationem non male quæſiverunt; ſed alii ad factum Pilati id referunt, quod ſane nimium abeſt ab Excidii temporibus: imo jam evenerat cum Chriſtus hæc loqueretur de eo quod eventurum erat circa finem Urbis, ut ipſa verborum ſeries oſtendit. Alii confugerunt ad Adriani tempora: Sed ut demus ab Adriano partem Urbis dirutam eſſe (quod propter magnam Scriptorum conſenſionem, Appiani, qui vixit Adriani ævo, deinde Euſebii & Hieronymi, negare non audeo), certe Templum, de quo hic vel præcipue agitur, non ille evertit, ſed Titus, quod nos docet oculatus teſtis Joſephus. Quare alii βδέλυγμα [*abominationem*] interpretantur ſtatuam Titi in Templo collocatam: Sed ea narratio nullum habet auctorem: adde quod ne potuit quidem id fieri niſi poſt Titi victoriam. At hic de notis victoriam præcedentibus agitur. Quam ob cauſam nec intermiſſio τῆς ἐνδελεχισμοῦ [*ſacri quotidiani*] hic intelligi poteſt ſignificata. Nam ea parvo momento excidium anteceſſit, cum nulla ſupereſſet fuga. Ego re conſiderata non dubito quin βδέλυγμα [*abominatio*] vocentur ſigna Romanorum militaria, de quibus ita Tertullianus, *Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus diis præponit, omnes illi imaginem ſuggeſtus inſignes monilia crucium ſunt.* Signa ipſa crucis habuiſſe figuram abunde à multis demonſtratum eſt. Affixi autem iis ſignis erant clupei multi alter ſuper alterum, unde *ſuggeſtus* dixit Tertullianus, ut *ſuggeſtum coma* Papinius: in iis clupeis erant imagines, id eſt, ἀγκυλαὶ [*effigies umbilico tenus*], ut Joſephus loquitur, Cæſarum, eorum ſcilicet qui in divos erant relati. Talia ſigna cum clupeis videre eſt in nummis. Habet autem illud Tertullianus ex Juſtino qui ita dixerat, τὰ παρ' ὑμῖν βασιλευόντων αὐτοκρατόρων εἰκόνας δηλ. τύπῳ τῷ ἀγκυλῇ ἀναπλήττει [*mortuorum apud vos Imperatorum effigies cum tali forma dedicatis*]. Atrianus, τὰ σημεῖα τῆς βαλλίδος φησὶν αἰτεῖ, εἰκόνες βασιλέων [*ſigna exercitus aquila, & imagines Imperatorum*]. Apud Tacitum paſſim ſtatarum in ſignis imaginum mentio. Propter eas imagines adorata ſigna, ut jam dicentem Tertullianum audivimus. Suetonius, *Artabanus transgreſſus Euphratem aquilas & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adoravit.* Ideo Tacito *numina legionum & bellorum dii* vocantur. Ejuſdem eſt illud, *ſigna & aquilam amplexus religione ſeſe tutabatur.* Talia ſigna Titus conſpicua in caſtris ſuis poſuit quaſi Templum Templo Hieroſolymitano contrarium. Nam & Tacitus alibi ita loquitur, *fulgentibus aquilis ſigniſque & ſimulacris deum, in modum templi.* Et ipſe Joſephus Αλώσεως [*Captivitatis*] III, cap. 8. quas σημείας [*ſigna*] dixerat, mox τὰ ἱερὰ [*ſacra*] vocat. Ut & Herodianus lib. IV. Ad talia ſigna περὶ τὸ πόλιν [*circa Urbem*] poſita, ut ad Templum, confugere Joſepho Herodis procuratori ſuadet Alexandra, narrante hiſtoriæ Scriptore Joſepho lib. XV. Ant. Hæc ipſa ſigna mox victor Titus intulit Templi ruinis, ubi milites etiam ἱδρυσαν τὰ σημεῖα [*ſignis ſacra fecere*], ut ipſe Joſephus loquitur. Βδελύγματα [*abominationes*] igitur ἐρημώσεως [*deſolationis*] aut ἐρημωτικὰ [*deſolatoria*], ut habet Hebræa locutio, cur vocentur obſcurum non eſt; quia ſcilicet ἐρημίαν [*vaſtitiem*] (qua voce in τῆς Αλώσεως [*Captivitatis*] hiſtoria ſæpiſſime Joſephus utitur) minabantur non tantum cultui Judaico (quod fecerat & illud Εἴδωλον [*idolum*] ab Antiocho allatum) ſed & Templo Urbique. *Expanſio* autem βδελύγματος [*abominationis*] dicitur, quia in loco aperto maximeque conſpicuo ſigna conſtitui ſolebant. Tacitus de Tito, *Caſtris ante mœnia Hieroſolymorum poſuis inſtructas legiones oſtentavit.* ¶ Δανιὴλ ὁ προφήτης, *à Daniele Propheta*] Hoc nomine Danielem ſæpe etiam Joſephus Annalium Scriptor nuncupat, neque eum dubitat maximis Prophetis æquare, ut & Joſephus Iacchiades Dan. I, 17. ¶ ἑστὼς ὁπου οὐκ ἀγῶν· *ſtantem in loco ſancto*] Ὅπου οὐ δεῖ [*ubi non debet*], Marcus; hoc eſt, non in ipſo Templo, id enim nota venturæ cladis non erat, ſed ipſa clades præſentiſſima, verum in Templi conſpectu, in ſolo circum Urbem; quod ſolum Deo uni, non Gentium diis, ſacrum eſſe oportebat. Ita מחנות ירושלם [*exercitus Jeruſalem*] tanquam locus eximie ſacer etiam in Pſalmo LXXIX, 3. nominatur. Et Alexander Antiochi filius immunitatem & ſanctimoniam Hieroſolymorum extendi vult ἕως τῶν ὅρων αὐτῆς [*ad fines uſque ejus*] apud Joſephum. Sicut Demetrius in indulto quod exſtat Maccabaicæ hiſtoriæ lib. I, cap. X, 31. Ἱερουσαλὴμ ἔστω ἁγία καὶ ἀφορμὴ καὶ τὰ ὅρια αὐτῆς [*Hieruſalem eſto ſancta & libera & fines ejus*]. Joſephus à Demetrio conceſſum ait jus confugii in Templum καὶ εἰς τὰ ἐπ' αὐτῷ χρηματίζοντα [*& in loca ad Templum pertinentia*]. Simile illud apud Tacitum Annal. III. *Memorabantur Imperatorum nomina qui non modo templo* (Hierocæſarienſi) *ſed duobus millibus paſſuum eandem ſanctitatem tribuerent.* Hac de cauſa cum Vitellius copias adverſus Aretam ducere per Judæam pararet, Judæi, ut Joſephus ait, παρητοῦντο διὰ μέσης τῆς χώρας ὁδὸν· οὐ γὰρ αὐτοῖς ἔθος πατρῷον εἰκόνας εἰς αὐτὰς φέρουσιν, πολλὰς δ' ἦναι σημαίας ἐθνικὰς [*deprecabantur iter per ipſorum regionem: neque enim ſuis moris eſſe pati ſimulacra per eam ferri. Multa autem eſſe ſimulacra in ſignis.*] Ecce negabant fas eſſe ſigna in ſolo Judææ conſpici, quia in ſignis multæ eſſent imagines. Cui monito Vitellius paruit: quod non ita

multo

multo post evenit quam Christus hæc dixerat. Aliquanto vero antequam hæc diceret, seditio Hierosolymis orta erat ideo quod Pilatus clam signa Hierosolymis intulisset. Præsagium ergo imminentis excidii hoc vult accipi, cum cogentur Judæi non audire signa clam illata, sed palam in loco illustri posita conspicere, nec in quovis Judææ angulo, sed sub ipsa Hierosolymorum mœnia, solo apprime sancto, & in quo vel Templi reverentia minime id fieri deceret; neque vero fieret, nisi Deus Templum illud omnemque cultum Judaicæ gentis, ut multis modis impuratum, abominaretur. Sæpe annotat Josephus Θεὸν ἀπεστραφθαι τὰ ἅγια [*Deum alienum fuisse à Templo*]. Fuisse enim οἶκον ἀγῶ καθεγέμενον [*domum plenam scelerum*]. ¶ ὁ ἀναγινώσκων νοείτω. *qui legit, intelligat*] Assentior hæc parenthesi includentibus. Cohærent enim sequentia prioribus, ut ex Marco etiam & Luca apparet. Est autem hoc ettam à Daniele ידעת ותשכיל [*Scito ergo & animadverte*], ubi Græci καὶ γνώσῃ καὶ συνήσεις, IX, 25. Notandum est, vaticinia alia obscurius alia clarius edita certo Dei consilio. Sunt enim quædam mala quæ à piis vitari vult Deus, ut quæ scelerum maximorum supplicia sunt. In his malis erat excidium Titi. Ideo additæ sunt notæ apertissimæ, quibus etiam pii admoniti, ut Epiphanius, Eusebius atque alii notant, in tempore Hierosolymis exierunt. Sunt mala alia quæ Deus explorandæ hominum constantiæ vult inservire, qualis erat vexatio Antiochi. Ea prædicit quidem, ita ut cum eveniunt à Deo provisa appareat, sed non semper præmittit notas, certe non præcisi temporis, quibus animadversis caveri possit: quia id si fieret non appareret piorum constantia. Itaque mala sub Antiocho quamdiu duratura essent significavit, sed quando inceptura subticuit. Vide Jacchiaden ad Daniel. XII, 10. Ideo de illorum malorum vaticinio ait Daniel שמעתי ולא אבין, id est, ut vertunt Græci, καὶ ἐγὼ ἤκουσα, καὶ οὐ συνῆκα [*& ego audivi, & non intellexi*]. cui Deus respondet *illas res occlusas & obsignatas esse* debere *ad tempus* aliquod. At illa de excidio Titi prædictio & apud Danielem habebat definiti temporis notam, & si quid videri poterat obscurius, patefactum erat, Christo dicente hæc eventura cum primum exercitus profanus cum signis ad Urbem adventaret.

16. Τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη· *Tunc qui in Judæa sunt fugient ad montes*] Τότε [*tunc*], id est, si non ante fugentis tunc saltem fugite cum primum adventare expansis signis exercitum conspicietis, cum poni primum castra incipient; nam ad id usque tempus patebat fuga, nondum occlusis egressibus; quod factum mense ex quo exercitus Urbi admotus erat tertio, cum murus circum Urbem ductus est ambitu XXXIV stadiorum, additis castellis. Itaque Josephus eo ipso tempore multos profugisse narrat. Sic & à Soffio obsessa Urbs diu exitos habuit. Ἰουδαίᾳ [*Judæa*] hic, ut alibi, sæpe stricte sumitur pro *tractu Hierosolymitano*. Illud autem ἐπὶ τὰ ὄρη [*ad montes*], sicut alludere ad Loti historiam non negaverim, ita reipsa quoque impletum puto; multosque Christianos versus Libanum montem concessisse. Sic ante obsidium Hierosolymorum Hierichuntinos fugisse εἰς τὴν ὀρεινὴν [*in regionem montanam*] narrat Josephus. Sed & Christiani Scriptores prodiderunt multis persugium fuisse non Pellam tantum, sed in alia loca Regni Agrippæ & Syriæ. Cur autem fugam tam districte suis imperet Christus, causam Lucas adjicit, ὅτι ἡμέραι ἐκδικήσεως αὗταί εἰσι, τοῦ πλησθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα [*dies ultionis hæ sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt*]. Nimirum sunt in consilio Divino tempora ἐπισκοπῆς [*visitationis*], ut Lucas de hac ipsa urbe Hierosolymorum agens loquitur XIX, 44. sunt & tempora ἐκδικήσεως [*ultionis*]. Temporibus ἐπισκοπῆς [*visitationis*] adhibentur quidem comminationes, sed quæ non sunt peremtoriæ, ut videre est Jeremiæ XVIII, 8. Jonæ III, 4. Temporibus ἐκδικήσεως [*ultionis*] decreta Dei, quod universitatem attinet, sunt definita: quemadmodum definitum erat ut Hierosolyma venirent in potestatem Nabuchodonosori, quod nulla ratione evadi poterat, ut sæpe dicebat Jeremias. Ex à Prophetis dictum ait Josephus IX Ant. ὅτι τι μέλλοι θεῖον κατ' αὐτῶν ψῆφον ἐνεγκεῖν, ἣν οὐκ ἐκφεύξασθαί τις ἀνθρώπου μηχανῇ, δοκοῦσαν τὸν λαὸν καὶ τὸν χῶρον ἐκκαλεῖν [*à Deo pronuntiatam adversus eos sententiam, de perdendo & ejiciendo ex terra populo, quam sententiam nullis quis supplicationibus possit avertere*]. Et alibi sæpe Deus negat ullam se admittere deprecationem. Tale erat decretum Dei temporibus Titi de perdendo Templo & Urbe: quod εἱμαρμένον & τὸ χρεὼν [*fatum*] vocat Josephus, notans sæpe occæcatas Hierosolymitarum mentes, ut & omnia ad pacem hortamenta præfracte repudiarent, & post multa desperatæ audaciæ exempla postremis iisdemque firmissimis munimentis vecordes cederent, multaque alia quæ legere est operæ pretium. *Deus nimirum, Deus*, ut ille ait, *hæc ita versabat, ut ex decreto Urbis & populi impiorum interitus*]. Itaque πεπέρωτο ὑπὸ θεοῦ καὶ τῷ τε πόλει καὶ αὐτοῖς ἤδη πάλαι [*occæcati sunt a fato quod Urbi & ipsis imminebat.*] Titus ipse apud Philostratum in Vita Apollonii ajebat post victoriam, μὴ αὐτὸς ταῦτα πεπρᾶχθαι, θεῷ δὲ ἐρχθῶ φήναι τὴν ἐκείνου χεῖρα [*non se hæc patrasse, sed Deo iram suam patefacere volenti manus suas commodasse*].

17. Ὁ ἐπὶ δώματος μὴ καταβαινέτω ἆραί τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. *Qui in tecto non descendat tollere aliquid de domo sua*] Videtur de solario alia quam per domum descendi potuisse, per scalas nimirum in publicum projectas, quales describit in Phœnissis Euripides. Sic & Aristoteles OEconomicôn II. ait fuisse ut ὑπερῷα [*contignationes*] ita & ἀναβαθμὸς ὑπερέχοντας εἰς τὰς δημοσίας ὁδοὺς [*scalas quæ in publicum prominerent*]. Et in Milite Glorioso servus cum dixisset nullum esse ex ædibus quas habitabat in vicinas commeatum, causam reddit, quod nec *solarium esset nec hortus*. Hæc autem, & quæ sequuntur ad celerrimæ fugæ ὑποτύπωσιν [*vivam descriptionem*] pertinent. Ita Loto dictum est, Erue te נמלט, id est, *cum vita tua tantum, & ne respice.*

18. τὰ ἱμάτια, *vestem*] Singulari numero vertunt Syrus & Latinus. Penulam intelligi non dubito. Neque tamen mutem Græcam lectionem. Est enim hæc vox earum in numero quæ plurali sono significationem habent interdum singularem, ut videre est Johan. XIII, 4. & XIX, 23.

19. Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις, *Væ autem prægnantibus & nutrientibus*] Idem est sensus qui illorum verborum Christi euntis ad crucem, *Venient dies in quibus dicetur, Beatæ steriles, & uteri qui non pepererunt, & ubera quæ non lactarunt*, Luc. XXIII, 29. Nimirum parvi liberi magna fugæ sunt impedimenta. Antiochiæ infantem repertum legimus qui matris mortuæ sugeret ubera. Bello Gothico pet Italiam matris morte aut captivitate desertum infantem capra aluit. Est apud Joseph. lib. XIV. miserabilis descriptio matrum cum infantibus fugientium.

20. Μηδὲ ἐν σαββάτῳ *vel Sabbato*] Cum Sabbato iter esset prohibitum Exod. XVI, 29. quod Josephus lib. XIII. Antiq. sic exprimit, οὐκ ἐξὸν ἡμῖν ἐν ταῖς σαββατικαῖς ἢ ταῖς ἑορταῖς ὁδεύειν, [*non licet nobis iter facere aut Sabbatis aut festis diebus aliis*], & tamen satis constaret non omnem ambulationem esse vetitam, (nam ad Sanctuarium eo die ex castris iri solebat Levit. XXIII, 3.) omnino temperanda ea res fuit æqua definitione: in quo rerum genere aliqua esse debet sapientum auctoritas. Sapientes autem Hebræi bis mille cubitis id spatium definierunt, quod alii quinque, alii septem stadiis metiuntur. Optandum igitur dicit Christus ne in Sabbarom incidat fugæ necessitas, ostendens longe ultra bis mille cubitos fugientium. Nec obstat quod apud Judæorum Magistros legimus, *Vitæ periculo cessare legem Sabbati*: Ea enim exceptio non omnibus erat probata. Nam primum Dotheus ne statu quidem decedendum Sabbato arbitrabatur: Esseni, nec alvum levandam. Et quanquam Maccabaicis temporibus decretum erat vitam ab hoste impetitam armis etiam Sabbato defendere, tamen multis id fas esse non satis erat persuasum. Qua occasione usi & Ptolemæus primum Lagi filius, deinde vero & Pompeius & Sossius Urbem Sabbato irrupere. De Ptolemæo narrat id Agatharchides Cnidius, verbis quæ Josephus producit primo contra Appionem; cætera Josephus ipse. Deinde etiam qui isti decreto stabant, tamen strictissime interpretabantur, si nempe hostis mœnia oppugnaret. Nam extra eam necessitatem pugnare nefas esse non uno loco sentire se ostendit Josephus, eamque suis temporibus ait receptam fuisse sententiam; adeo quidem ut nec obsidentium opera Sabbato turbare auderent; quod cum Josepho & Rabbini prodiderunt. Hujus qui erant sententiæ (erant autem plurimi, quos inter nauta ille Synesio memoratus) religione impediebantur periculum imminens fuga antevertere; quo Christus respicit. Erat quidem cessatura ante excidium Hierosolymitanum stricta illa obligatio Sabbati; at in plerisque Judæis etiam Christianam religionem amplexis non erat cessatura obligationis veluti manentis persuasio, ut videre est Rom. XIV. 5. Quin ad tempora usque Adriani Christianis Palæstinæ (qui *Nazarei* vocabantur) observata Legis præcepta alibi ostendimus. Certe ante excidium Templi pauccissimi fuere qui libertatem suam intelligerent. Quamdiu autem ea manebat persuasio, contra quicquam facere grave fuisset delictum; ut aliquoties docet Paulus. Quæ vero de fuga hic dicuntur, ad tempus inchoati obsidii, non ad extrema cladis pertinent, tunc enim fugæ non erat locus.

21. Ἔσται γὰρ τότε θλῖψις μεγάλη οἵα οὐ γέγονεν ἀπ' ἀρχῆς κόσμου ἕως τοῦ νῦν, οὐδ' οὐ μὴ γένηται· *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet*] Cohærent hæc cum superioribus hoc modo, Hortatus sum vos

ad

ad fugam; & optare vos jussi ut eam habere possitis expeditissimam: Ne credite frustra id à me dici. Nam post elapsam fugæ occasionem, mala imminebunt omnibus malis humanis graviora, intus latrocinia, fames, pestis, extra ferrum & flamma. Verissime à Josepho dictum est μητε πολιν ἄλλην τοσαυτα πεισθηναι, μητε χρονον εξ αρχης γενεσεως κακιας γενημοτερον [*neque ullam urbem passam talia, neque ab omni evo fuisse hominum genus malitia fecundius*].

22. Καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ. *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro*] Βραχυβώθησαν [*breviati*] hic quod σωτηρίαν apud Græcos Danielis IX, 24 Lux huic loco ab historia. Antequam Urbs obsideretur, primum sicarii clam quos lubebat trucidabant, deinde Zelotæ bellum in Romanos sumentes omnes à bello aversos obtruncabant, postremo Duces Zelotarum tam in Galilæa quam in Judæa de principatu inter se armis certantes populum in partes mutuasque cædes rapiebant; quæ omnia apud Josephum videre est: itaque nisi accelerata esset obsidio Urbis, in quam confluxit non ex Judæa tantum sed ex Galilæa & Idumæa quicquid erat pessimorum hominum, ῥύμασι καὶ καθάρματα τῆ χώρας ὅλης [*totius regionis plamenta ac retrimenta*], ut Josephus loquitur, ac sic bellum omne conclusum intra semestre tempus, haud dubie quotquot in Judæa erant concidissent aut latrocinio aut mutuis cædibus. τί τηλικοῦτον, inquit idem Josephus, ὦ τλημονεστάτη πόλις, πεπονθας ὑπὸ Ῥωμαίων, εἰ [τι τοιοῦτον ἐμφύλια μύσος ἐξεκαθήρειτε εἰσέλθοῦσι; [*quod tale, ô Urbs misera, passa es a Romanis, qui intrarunt ut intestina tua scelera auferrent?*] Simile est quod ajunt Hebræorum Magistri, exsilium Israelitarum Babylonicum collatum in annum à Lege lato Io CCCI., si veniset biennio post, futuram fuisse παντελῆ ἐξολόθρευσιν [*exstinctionem gentis totius*]. ¶ ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐκλεκτούς, *sed propter electos*] Id est, Christianorum causa, qui sparsi per Judæam & Galilæam pecudum ritu cæsi fuissent à sicariis, Zelotis & tyrannis, utpote aversi à belli consiliis. Nam isti sceleratissimi homines μόνοις ἐμαίνοντο τοῖς Φονεῦσιν σὺν σωτηρίας ἀξίους [*in eo tantum consentiebant quod vita dignos occiderent*], ut Josephus loquitur. &ante, ἦν δὲ τοῖς ἐρῶσι καὶ πολέμου φῶς σὺν ὀλιγωρίᾳ τοὺς εἰρήνην ἔχειν χαλεπή [*Erat bellum cupientibus acre odium in pacis amatores*]. Ἐκλεκτοὺς [*Electos*] quasi proprio nomine dici Christianos, utpote charissima Dei pignora, annotavimus supra. Celebre erat primis Christianorum temporibus Matthiæ Apostoli dictum, Ἐὰν ἐκλέκτου γένηται ἁμαρτῆσαι, ἡμαρτεν ὁ ἐκλεκτός [*Si Electi vicinus peccavit, peccavit ipse Electus*]. quo significabatur officium Christianorum in admonendis hominibus ulla necessitudine conjunctis. Sic Clemens Alexandrinus, κἂν μισῶσι τὸν ἐκλεκτὸν τινες (id est Christianum) εἰδὼν ὅτι τῷ ἀγνοιαν αὐτῶν [*etiam si qui Electum odio habent, novit is illorum ignorantiam*]. Etiam Arrianus Epicteto eum qui baptisatus est vocat ἡρημένον [*Electum*]. & Cæcilius Natalis apud Minutium Felicem Christianos vocat *electos*. Marcus dixit ἐκλεκτὰς δὲ ἐξελέξατο [*electos quos elegit*], id est, ἀγαπητὰς ἃς ἠγάπησε [*dilectos quos dilexit*] loquendi ubertate Hebræis familiari. Tale est illud, πολὺν δὲ τετιμημένον ἐν ἐτιμήσατο [*pretium appretiatu quem appretiaverunt*] infra XXVII, 9. παρέδοσάν ἣν παρέλαβον [*traditione quam traditam accepisse*] Marci VII, 13. ἐν τῇ ἀναστάσει ὅταν ἀναστῶσι [*in resurrectione cum resurrexerint*] Marci XII, 23. κτίσεως ἣς ἔκτισεν ὁ Θεὸς [*creaturæ quam creavit Deus*] Marci XIII, 19. Sed & Euripides dixit βούλημα ἣν ἐβούλετο [*voluntatem suam quam voluit*]. Hi ἐκλεκτοὶ sunt servi illi Dei ex Tribubus XII. quos in Apocalypsi Angelus narratur obsignasse antequam adventaret dies ille iræ Divinæ. Nam obsignare solemus ea quæ recte custodita volumus. ¶ κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι· *breviabuntur dies illi*] Consilio Dei, cui hoc differe adscribit Marcus: cujus consilii sapientem dispensationem in historia conspicere est. Vespasianus senecta tardus, & operiendum censens dum mutuis vulneribus Judæi concidirent, à multis monebatur αμυνειν τῇ πολει, καὶ τὸ ἐξ ἡμῶν ἀβλαβὲς λεγειν· ἀμεῖνον γὰρ εἶναι Ῥωμαίοις ὑπουργεῖν τὴν πόλιν καὶ κινδυνεύοντα σῶσαι τὰ λειπόμενα [*subvenire Urbi, & servare populi quod erat reliquum; nam ob fidem in Romanos interfectos esse multos, & in periculo summo esse qui restarent*]. His impulsus omnia ad obsidium parat: mox ipse versus ad capessendum firmandumque imperium Tito tradit copias, *quem manere apud exercitus ad omnes Principatus novi eventus casusque utile videbatur*, scribente Tacito. At Tito, utpote juveni, *Roma* (ut idem Tacitus notat) *& opes voluptatesque ante oculos, ac ni statim Hierosolyma concidirent moras videbantur*. His modis præcipitatum obsidium, cum interim qui in Urbe erant latrociniis, rapinis, lubidinibusque indulgerent, ἐπιδιζάντες τὸ Θεῖον εἰς βεβήλωσιν τῶν ἐν αὐτοῖς κακῶν [*exprobrantes Deo quod tam diu differret pœnas de ipsis sumere*], ut apud Josephum legimus. Sed & cœpta obsidio spe omni celerius finem habuit, dum ipsi obsessi ambustis frumentis famen accelerant, & munitissima præsidiorum fatali vecordia deserunt. Ita factum est ut inter Christi, veri Paschatis, immolationem & amissam possessionem Terræ Promissæ totidem anni intercederent quot inter Ægyptiacum Pascha & ejusdem terræ adeptionem anni intercesserant: itaque pro diebus quadraginta, qui dati erant ad pœnitentiam Ninevitis, ipsis concessi sint anni totidem.

23. τοτε, *Tunc*] Christus ad quæstionem secundam solvendam progrediens, tacitam facit transitionem posteriora prioribus connectens. Quæstio erat de Regno Messiæ: quia autem multi ψευδόχριστοι [*pseudochristi*] apparituri erant etiam post excidium Hierosolymorum (nam de his qui excidium præventuri erant jam egerat) ideo Christianos admonet ne Regnum exspectent cum externo apparatu, μὴ σχηματισμόν. Si quis igitur hic aut illic Christum adspectabili modo adesse nuntiet, nolite fidem adhibere.

24. Ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι, *Surgent enim pseudochristi*] Ψευδόχριστοι [*pseudochristi*] iidem qui ἀντίχριστοι [*antichristi*]. Et sic ἀντιχρίστων [*antichristorum*] vocem in Epistola Johannis explicat Syrus. Statim post excidium Jonathas πονηρότατος ἀνθρωπος [*homo pessimus*], ut Josephus loquitur, multos in Cyrenaicam solitudinem perduxit, σημεῖα δὲ φαντάσματα δείξειν ὑπισχνούμενος [*pollicens se signa & portenta editurum*]: quem conatum Catullius provinciæ Præses armis disjecit. Adriani temporibus Barchochebas, ita dictus à Chochaba nobili Galilææ vico (cujus Epiphanius meminit), palam omnibus dixit אנוכי הוא *Ego sum Messias.* Hunc Adrianus in urbe Bether obsedit. Ipse impostor urbe capta à milite trucidatus est: ex quo tempore à Judæis non כוכבא [*Barchochæba*, id est, *filius Chochabæ* sive *stellæ*] sed בר כזבא, id est, *filius mendacii* dici cœpit. Nam qui ante ita appellatum censent multum falluntur. Hic est Βαρχωχέβας ὁ τῆς Ἰουδαίων ἀποστάσεως ἀρχηγέτης [*Barchochebas auctor Judæorum defectionis*] cujus in Apologetico Justinus meminit. Quod autem quidam putant duos fuisse Barchochebas aut Barchozbas, errant decepti à Judæis, pessimis historiæ magistris. Nam ex quo patria expulsi sunt, omnis apud illos historia crassis erroribus & fabulis est inquinata; quibus proinde nihil credendum est nisi alii testes accedant. Itaque videre est ipsos quoque inter se discordes. Nam alii Aquibam Barchochebæ prioris, alii posterioris fautorem statuunt: & priorem à Tito, posteriorem ab Adriano obsessum sunt qui credant. Sed profecto error est vicini nominis: nam ille à Tito obsessus non Barchochebas fuit, sed Bargioras, quomodo eum Josephus & Tacitus nominant. Sed & alii Judæi Barchochebam cum eo quem dixi Jonatha confundunt. Ajunt enim ab ipso excitatum bellum in Cyrene. Sed Judæi omnes ψευδοχριστὸν [*pseudochristos*] Barchochebas vocant; quomodo Græci quicquid usquam fortiter gestum est adscribunt Herculi. Postea in Ægypto, Cypro, Creta atque alibi multi alii exstiterunt impostores pro Christo se venditantes. Quibus adjungi potest Menander Samaritanus. ¶ καὶ ψευδοπροφήτας, *& pseudoprophetæ*] Ψευδοπροφήτας [*pseudoprophetas*] ex connexu orationis intelligo σχηματίας τῶν ψευδοπροφητῶν [*pseudochristiorum adsistes*], qui sacrarum litterarum testimoniis abutebantur, aut etiam suas jactabant revelationes, ut populo persuaderent hunc aut illum impostorem esse promissum Messiam. Qualis Adriani temporibus fuit Aquibas Balsami de stella vaticinium (quia vicus, unde *Barchochebæ* nomen, *stellæ* habet significationem) Aggæique & aliorum Prophetarum vaticinia ad illum trahens. Nec Aquibas tantum, sed ii ipsis Judæis & qui inter Judæos minime nugatur Maimonidæ credimus, plerique ejus ætati sapientes. Nec dubitandum est quin simili modo alii quoque ψευδόχριστοι suos habuerint ψευδοπροφήτας. ¶ καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα· *& dabunt signa magna & prodigia*] Flammas evomere putatum Barchochebam narrat Hieronymus: cui simile est quod de Bestia secunda narrat Apocalypsis XIII, 13. Deus cum Pharaonem editis per Mosem miraculis ad æqui obedientiam invitasset, provide permisit & à magis Ægyptiis edi mira quædam, ita tamen ut Mosis signa magnitudine & multitudine longe illis antecellerent; quo facto Pharaoni simulanti magorum se miraculis fidem adhibere & id velum obtendenti suæ sævitiæ, occursum est. Nulla enim probabilis afferri poterat ratio cur magorum miraculis habuisset fidem qui Mosis miraculis fidem habere nollet. Israelitis prædixit Moses futurum ut falsorum deorum ministri ipsos à veri Dei cultu conarentur abducere non sine signorum pompa; idque permissurum Deum ut ipsorum in se fidem exploraret; justissime nimirum, post tot à se edita miracula, quæ nullis aliis mira-

miraculis æquari, nedum ſuperari poſſent, ut ſi talibus ſignis adducti Judæi ad falſos Deos deficerent, id levitatis ipſorum & perfidiæ inſigne eſſet monumentum. Simili modo Deus poſt Filii ſui auctoritatem tot illuſtribus miraculis probatam permittere voluit, ut alii qui Chriſtos ſeſe aut Prophetas venditarent aliqua exhiberent ſigna: ut Judæi, ſi illos ſequerentur velut ſignis permoti, ipſa ſignorum comparatione convincerentur. Hæc ſcilicet ratione toti humano generi conſtitit, Judæis quominus Chriſto parerent nullam rem aliam quam doctrinæ ipſius ſanctimoniam & puritatem obſtitiſſe. In tales igitur qui τὴν ἀγάπην τ' ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο [*caritatem veritatis non receperunt*] vim habere ſolet ἡ ἐνέργεια ἡ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδεσι ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τ' ἀδικίας [*operatio Satanæ in omni virtute, & ſignis & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis*], II Theſſal. II, 9, 10. Hæc eſt ἐνέργεια πλάνης ἵνα κριθῶσι πάντες οἱ μὴ πιστεύσαντες τῇ ἀληθείᾳ [*operatio erroris ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati*]. Confer dictum caput Apocalypſeos. ¶ ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς· *ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*] Quod hic per ὥστε [*ita ut*] dicitur, Marcus ita explicat, πρὸς τὸ ἀποπλανᾶν, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς [*ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos*]. Simile loquendi genus eſt in loco libri veteris, ſed extra Canonem, quem citat Clemens Alexandrinus, τινὰ γὰρ ῥήματα ἀγαθὰ λαλεῖ [*quædam enim dicit verba bona*] (nimirum ὁ ψευδοπροφήτης [*pſeudopropheta*], de quo ſermo eſt)· ὁ γὰρ διάβολος αὐτὸν πληροῖ τῷ ἰδίῳ πνεύματι, εἴ τινα δυνηθείη ῥῆξαι τῶν δικαίων [*Diabolus enim ſuo ſpiritu eum replet, ſi quem poſſet abrumpere juſtorum*]. Senſus eſt, illos γόητας [*impoſtores*] omnem operam daturos, ut non tantum Judæos incredulos, ſed & eos qui Chriſto nomen ſerio dederant (quos ἐκλεκτοὺς [*Electos*] paſſim vocari res certiſſima eſt) in ſuas pertrahant partes. Illud εἰ δυνατὸν [*ſi fieri poteſt*] rei denotat difficultatem; Actorum XX, 16. Roman. XII, 18. Vix enim decipi poteſt, imo ſi verborum proprietatem ſequimur, etiam cum decipi videtur non decipitur, ſed ipſe ſe decipit qui monitus non cavet. Ideo addit Chriſtus, ἰδοὺ, προεῖρηκα ὑμῖν [*Ecce, prædixi vobis*], ut oſtendat Chriſtianis ne tales ſequantur impoſtores ſatis eſſe proſpectum. Nam qui Jeſum eſſe Chriſtum veracem Doctorem credit, ſciens prædictum à Chriſto Regnum ſuum non venturum μετὰ παρατηρήσεως [*cum obſervatione*], armatus ſatis eſt adverſus id genus præſtigias. Vide ſi vacat Origenem hic & Theophylactum. In Clementis Conſtitutionibus libro VI, cap. XVIII. hunc in modum explicatur hic locus: Καὶ ἐπιστήσονται ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται, καὶ δώσουσι σημεῖα ἐν τῷ κόσμῳ, ὥστε, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς ἀπατῆσαι· ἂν δὲ ἀπάτης ῥύσηται ἡμᾶς ὁ Θεὸς διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν [*Et venient pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna in cœlo, ut, ſi fieri poteſt, etiam electos decipiant: à qua deceptione ſervabit nos Deus per Jeſum Chriſtum qui eſt ſpes noſtra*]. Neque miror ſi illis temporibus prope ἀδυνάτοις [*impoſſibilibus*] accenſeri potuit ut qui Chriſti doginata cum cura imbibiſſent ab iis abducerentur, cum etiam apud Galenum proverbiale ſit, Θᾶττόν τις σὲν λύκοι Χριστὸν μεταδιδάξειε [*Citius quis dedocet eos qui Chriſto ſe dederunt*]. Et Auguſtinus oraculum Apollinis refert, qui ſciſcitanti quomodo uxorem à Chriſtianiſmo poſſet avellere, reſpondit, Facilius eum aut flumini rapido inſcripturum literas, aut in aëre volaturum. Cæterum, quanquam difficulter hoc fieret, factum tamen interdum recte affirmat Tertullianus adverſus Marcionem III. *Siquidem edicens multos venturos, ſigna facturos, & virtutes magnas edituros, averſionem etiam electorum, nec ideo tamen admittendos.* Euſebius dixit, ὡς, εἰ δυνατὸν, σκανδαλίσαι καὶ τοὺς ἐκλεκτούς [*ut, ſi fieri poteſt, ſcandalizent etiam electos*].

26. Ἰδοὺ, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστί· *Ecce, in deſerto eſt*] Meſſias ſcilicet, quod Marcus addit. Solebant id genus impoſtores abducere homines in ſolitudinem, ut tuto ibi manum colligerent, quod apud Joſephum paſſim videre eſt. ¶ μὴ ἐξέλθητε· *nolite exire*] Ne ite ut illorum ductum ſequamini. ¶ ἐν τοῖς ταμείοις· *in penetralibus*] *In conclavi domus*, ut ſupra VI. 6. Nam quidam haud ſatis fidentes viribus clam colligebant ſectatores. Senſus idem eſt qui ſupra, Ἐάν τις ὑμῖν, Ἰδοὺ ὧδε Χριστός, ἢ ὧδε [*Si quis vobis dixerit, Hic eſt Chriſtus aut illic*]· quod oſtendit oppoſitio membri ſequentis.

27. Ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἐξέρχεται, *Sicut enim fulgur exit*] Fulminis proprium eſt breviſſimo tempore plurima loca pervadere. Hinc de Alexandro Lucanus,

—— *Fulmenque quod omnes*
Percuteret pariter populos.

& de eodem Plutarchus, τίνι ἂν τις εἰκάσειεν ἢ πυρὶ κεραυνίῳ ἐμφέρειν; [*cui eum comparemus niſi igni fulminis erumpenti?*] Alibi, ὥσπερ ἄστρον φερόμενον καὶ ἀφιέμενον ἀπὸ δυσμῶν ἐξ ἀνατολῶν [*cum tanquam ſtella ferretur & diſcurreret ab Occidente in Orientem*]. Ait ergo Chriſtus non eſſe cur hoc aut illo loco peculiariter quæratur Regnum ſuum, cum uno velut ictu pervaſurum ſit per omnes terrarum oras ab uno cœli cardine ad alterum, ſecundum ea quæ in Pſalmis & Prophetis de Meſſiæ Regno erant prodita. Joel dixit II. 2. כשחר פרש על־ההרים *ut ὡς ὄρθρος κυλισθήσεται ἐπὶ τὰ ὄρη* [*quaſi mane expandetur ſuper montes*]. ¶ ἡ παρουσία, *adventus*] De hac voce egimus ſupra.

28. Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί. *Ubicunque enim fuerit corpus illic congregabuntur & aquilæ*] Proverbium Hebraicum deſumtum ex Aquilæ natura, quam Jobi liber celebrat. Idem eſt vulturis ingenium; unde & Latina adagia; quale illud,

Cujus vulturis hoc erit cadaver?

De Erichtho venefica Lucanus,

Et quacunque jacet nudum tellure cadaver
Ante feras volucresque ſedet.

Pertinet autem Hebraicum proverbium ad ea quæ non unius loci propria, ſed ubivis locorum eodem modo ſe habent; quale eſt illud Philemonis,

Ἅπαντες οἱ λέοντές εἰσιν ἄλκιμοι·
Δειλοὶ πάλιν δ' ἐξῆς ἅπαντες οἱ λαγώ·
Οὐκ ἔστ' ἀλώπηξ ἡ μὲν οἵαν τὴν φύσιν,
Ἡ δ' αὖ ἑτέρα· ἀλλ' ἐὰν τριῶν μείγνυσι
Ἀλώπεκάς τις συναγάγῃ, μίαν φύσιν
Ἁπάσαις ἐφεῦρεν, πόθεν δ' ἴσα.

[*Immane cunctis robur eſt leonibus;*
Ingenium pavidum lepores nuſquam non habent;
Nec inter vulpes alia vafris moribus,
Simplicibus alia eſt: quin tricena vulpium
Si forte millia in unum contraxeris locum,
Erit per omnes unus ingenii tenor].

Tale & illud proverbium, Πᾶσι κυνοδαλοῖς λύκος [*Omnibus caſſitis caſſis eſt*]. Et Hunnus Sandil apud Procopium cum de luporum & ovium ingenio locutus eſſet, Καὶ ταῦτα ἐν γῇ τῇ πάσῃ γίνεσθαι οἴομαι· πᾶσι γὰρ τ' ἀνθρώπων εἶδεν ἐπὶ πίονι νομῇ κύνας ἐπιβουλεύοντας, ὅτι λύκοις ἀμυνοῦνται αὐτοῖς πάντες [*Et hæc ubique terrarum fieri exiſtimo; neque enim quiſquam vidit aut canes inſidiantes pecori, aut lupos pecus protegentes*]. Senſus autem hoc loco eſt idem quem apertius enuntiat Petrus Actorum X, 34. ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός· ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην δεκτὸς αὐτῷ ἐστι [*quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente qui timet eum & operatur juſtitiam acceptus eſt illi.* Si quis particulas ſubtilius velit ἀποτηρεῖν [*ad obtectos ſignificatus trahere*] (quanquam id in proverbiis minime eſt neceſſe) poterit per *cadaver* intelligere τοὺς τὰς πράξεις τῆς σαρκὸς θανατοῦντας [*qui facta carnis mortificarunt*], per *aquilas* ſublimia dona Spiritus Sancti, quæ ſigna ſunt Regni Meſſiæ, ut aquilæ illæ adeo Judæis formidatæ ſigna erant Romani Imperii. Cur hæc ad Judicialem adventum trahi non oporteat partim ante dixi, partim ipſa orationis ſeries oſtendet. Multa enim intercedent antequam ad Judicii deſcriptionem veniatur. Venerandum Chriſti corpus, poſtquam miſſum eſt in pleniſſimam vitæ Divinæ poſſeſſionem, vocari πτῶμα [*cadaver*] miror veteribus venire in mentem potuiſſe. Sed & apud Lucam hoc proverbium non univerſali judicio, ſed illi hominum diſcretioni quæ per Euangelium facienda erat, applicatur, ut inibi videbimus.

29. Εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur*] Quominus hæc ad Judiciarium adventum trahantur multa apud me obſtant. Primum illud εὐθέως [*ſtatim*] tempus ſignificat ab excidio Hieroſolymitano & ſecutis impoſtorum fraudibus non nimis longe remotum, quod Marcus dixit ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις μετὰ τὴν θλῖψιν ἐκείνην [*in illis diebus poſt tribulationem illam*]. Deinde conſummatio ſeculi aliis modis deſcribitur, nimirum Incendio, ut videre eſt apud Petrum epiſt. II, cap. III, 12. nuſquam vero caligine Solis aut Lunæ, aut ſtellarum lapſu. Tum vero locutiones iſtæ de caligine Solis & Lunæ multis in locis reperiuntur, nuſquam autem ſenſu plane phyſico, ſed ſenſu nonnihil figurato, ut videre eſt Eſaiæ XIII, 10. XXIV, 23. LX, 20. Ezechiel. XXXII, 7. Joel II, 10, 31. III, 15. quibus locis & Sol & Luna nominantur: deinde etiam Iob XXX, 28. Ierem. XV, 9. Amos VIII, 9. ubi Solis eſt mentio; in eundem ferme ſenſum quo Atticus ad Ciceronem ſcribens calamitoſo tempore, *Sol*, inquit, *mihi e mundo exci-*

diſſe videtur. Plato dixerat, ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐκ ξ καθεστηκότ@ κόσμ@ τὸ φῶς ἐξέλοι, δυσχερὴς καὶ χαλεπὸς ἅπας ὁ λειπόμεν@ βι@ γίγνοιτ' ἂν· οὕτω τῶνδε τ ἀνδρῶν ἀναιρεθέντων ἐκ σκότ καὶ πολλ ἀνοσιότης πᾶς ὁ μετ ξ ζῆλ@ τ Ἑλλήνων γίγνοι [*ut enim ſiquis ex hoc Univerſo lucem tolleret, difficilis ac moleſta futura eſſet in poſterum vita: ita illo viro ſublato in tenebris & ignobilitate id quod ante in Græcis vividum & acre fuerat*]. Euſtathius ad Homeri Odyſſeæ T. καί μέν τινες τὸ Ἡλι@ πάσχειν ἐξαπίνης ἔφασκον, οὐκ ἐνόντων ἄλλ ξ ἐκλιπεῖν, ἀλλ' ὅτι τῆς μεσημβρίας ὁ ἥλι@ ἤδη ἀπολείπειν ὡς πεπεκομένοις, [*quidam illud, Ablatum ab æthere Sol eſt, accipiunt non de Solis defectu, ſed quia procis tamquam morituris Sol jam finem accepiſſet*]. Chryſoſtomus prima oratione de Statuis everſis, Λύπης τ ἡλιακῶν ἀκτίνων ὁ κυκλ@ συγκάζειν μοι δοκεῖ νῦν ἠ αἱμαγόρ@ φαίνεσθαι, ἡ τ στοιχείων τὴν φύσιν μεταβαλόντων, οὐδ' ὡς τ ἡμέρας ἀφανιζομένης, ἀλλὰ τ ἡμετέρων ὀφθαλμῶν τῷ πεπλῆσθαι τ ἀθυμίας τὸ αὐτὸ τ αἰτίων δέχεσθαι φῶς [*Ipſe radiorum ſolarium circulus lugere mihi nunc videtur & obſcurius ſe oſtendere, non quod elementa naturam mutaverint, nec quod dies defeceris, ſed quod oculi noſtri obſiti mœſtitiæ nube non poſſint pure, nec ſic ut ante recipere radiorum jubar*]. Præterea quæ hic dicuntur non fore ἀμέσως [*re nulla intercedente*] conjuncta cum Judicii die, vel inde apparet quod apud Lucam Chriſtus, cum illa incipient, jubet nos arrectos exſpectare noſtram λύτρωσιν [*redemtionem*]. Rei autem præſentis nulla eſt exſpectatio. Quibus argumentis adducor ut credam Chriſto propoſitum ſignificare Diſcipulis, ſicut excidium Hieroſolymitanum habuit ſuas prævias calamitates, ita habiturum & univerſalis judicii diem, cujus figura & quaſi pignus fuit excidium Hieroſolymitanum. Sed hæc mala magnis de cauſis non plane ab eo enuntiata ſed prophetice. Firmat hanc ſententiam, quod Apocalypſis, quæ tota ſcripta eſt ſermone Prophetico, hæc ſigna non tantum ſingula ſed & conjuncta nobis proponit. Nam poſt terræ motum illum, de quo diximus ſupra, hæc ſequuntur VI, 12. ὁ ἥλι@ ἐγένετ μέλας ὡς σάκκ@ τρίχιν@, καὶ ἡ σελήνη ἐγένετ ὡς αἷμα· Καὶ οἱ ἀστέρες τ οὐρανοῦ ἔπεσον εἰς τ γῆν ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς ὑπὸ μεγάλου ἀνέμου σειομένη· Καὶ οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη ὡς βιβλίον εἱλισσόμενον [*Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & Luna facta eſt ſicut ſanguis: Et ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos cum a vento magno movetur: Et cœlum receſſit ſicut liber involutus*], & quæ ſequuntur. Fateor eo loco deſignari ea mala quæ in Judæa conſpecta ſunt ante excidium Hieroſolymorum: nam de hac iræ die ibi agi omnino mihi perſuadeo, & alius, ut puto, perſuadebo noſtris ad Apocalypſim Annotatis. Sed, ut dixi, vult Chriſtus ſimilia ſed in ſenſu ſublimiore eventura in orbe Romano iis quæ in Judæa evenerant, ac proinde parem finem exſpectandum. Quanquam vero videri poteſt apud Prophetas Solis & Lunæ caligo ſignificare gloriæ & felicitatis ademtionem, ſicut contra lux Solis & Lunæ aucta gloriæ augmentum ſignificat, ac ſimili modo cœli concuſſio mutationem duntaxat ingentem indicare, ſicut Arabibus dici *cœlum cadere ſuper terram aliquam* notavit Maimonides, quomodo *cœlum novum & terra nova* novum rerum ſtatum ſignificant Eſaiæ LXV, 17. LXVI, 22. Apoc. XXI, 1. mihi tamen probabilius eſt ſingula membra ſingulas habere ſignificationes. Ut ergo ſigillatim Chriſti oraculum explicemus, primum hoc dicitur, Poſt excidium Hieroſolymorum & Barchochebæ eique ſimilium exitioſas fraudes, futurum ut paulatim obſcuretur Divinæ Legis cognitio, partim ſcilicet falſis interpretationibus, partim commentitiis traditionibus, quæ poſt mortem Apoſtolorum eorumque ultimi Johannis ſpargi hic illic cœpta, procedentibus ſeculis majus majuſque augmentum accepere. ¶ καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φέγγ@ αὐτῆς, *& Luna non dabit lumen ſuum*] Sicut apud Joelem Actorum II, 20. & Apoc. VI, 12. per *Lunam* ſignificatur Judaica Reſpublica inteſtinis diſcordiis cruenta, ita hic per *Lunam* ſignificari videtur Imperium Romanum; quod velut juveneſcens ſub Trajano (ut Florus loquitur) *movit lacertos*, ſub Adriano cœpit decreſcere: deinde vero partim monſtris Imperii potitis, quales erant Commodus & Heliogabalus, partim multis undique de imperio certantibus pretio & armis, vetus illa Romani Imperii majeſtas multum detrita eſt, tandemque præda eſſe cœpit externis gentibus, Gothis, Vandalis, Francis, aliiſque. ¶ καὶ οἱ ἀστέρες πεσοῦνται εἰς τ οὐρανόν, *& ſtellæ cadent de cœlo*] Οὐρανὸς [*cœlum*] eſt ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ [*Jeruſalem ſuperna*], Galat. IV, 26. Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανί@ [*Jeruſalem cœleſtis*], Hebr. XII, 22. id eſt, Eccleſia Chriſtiana, quam etiam *cœli* nomine non uno loco deſignat Apocalypſis. *Stellæ* ſunt omnes qui Doctorum officio funguntur: οἱ ἑπτὰ ἀστέρες [*ſeptem ſtellæ*], inquit Chriſtus Johanni, ἄγγελοι τ ἑπτὰ ἐκκλησιῶν εἰσι [*angeli ſunt ſeptem eccleſiarum*]. *Stellæ cadentes* ſunt Doctores à veritate deficientes, quos alia ſimilitudine ἀστέρας πλανήτας [*ſidera errantia*] vocat Judas. Auguſtinus hunc locum explicans in epiſtola LXXX. *Tunc ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur, quoniam multi qui gratia fulgere videbantur, perſequentibus cedent & cadent, & quidam fideles firmiſſimi tentabuntur.* Talis cadens ſtella fuit Marcio, Veteris Teſtamentum à Deo Patre Jeſu Chriſti profectum negans, & paſſionem Chriſti deſtruens ſuppoſito imaginario corpore. Talis Manes duo ſtatuens æterna principia, & tollens ſtudium pietatis per fictam ἀποκλίσεις [*diſſortitionem*]. Quorum commenta cum Ebionis aliorumque erroribus commiſcens Mahumetes novum dogma procudit, quod nihil eſt aliud quam ingens depravatio Chriſtianiſmi. Talium ſtellarum cadentium ſæpe in Apocalypſi eſt mentio pro temporum diverſitate repetita, ut VIII, 10, 11, 12. IX, 1. XII, 4. ſicut & capite VI, 13. eadem imagine denotata fuerat multitudo ψευδοπροφητῶν [*pſeudoprophetarum*] qui in Judæa ante Excidii tempora exſtiterant. Sed & olim Daniel hac ipſa nota deſcripſerat eximios in populo Dei viros qui temporibus Antiochi à Lege erant defecturi: ubi *ſtellarum* vocem eodem modo interpretatur Jacchiades. ¶ καὶ αἱ δυνάμεις τ οὐρανῶν σαλευθήσονται· *& virtutes cœlorum commovebuntur*] Solet hac locutione indicari, ut dixi, magna rerum mutatio, ut Eſaiæ XIII, 13. XXXIV, 4. Joel III, 16. Hebr. XII, 27. Hic omnino arbitror mutationem quidem indicari maximam, ſed in pejus, idque in ipſa Eccleſia, quam *cœli* voce deſignari diximus. Δυνάμεις [*virtutes*] hic reſpondere Hebræo צבא verum eſt. Nam in Pſalmo XXXIII, 6. ita habent LXX, Τῷ λόγῳ Κυρίου οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν, καὶ τῷ πνεύματι τῷ στόματ@ αὐτοῦ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτῶν [*Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*], ubi in Hebræo eſt כל צבאם, quomodo & alibi in Pſalmis צבא כל transfertur πᾶσαι αἱ δυνάμεις αὐτοῦ [*omnes virtutes ejus*]. Et in Eſaia XXXIV, 4. Καὶ τακήσονται πᾶσαι αἱ δυνάμεις τ οὐρανῶν [*Et tabeſcet omnis militia cœlorum*], ubi in Hebræo eſt וכל צבא השמים: ex quo loco deſumta ſunt verba quæ modo adduximus ex Apocalypſi VI, 12. Eſt & ubi צבא à LXX vertitur στρατία [*exercitus*], alibi κόσμ@ [*ornatus*]. Angelos ea voce ſignificari ſolere docet nos quod eſt I Regum XXII, 19. Ad Deuteron. IV, 19. eadem vox Hebræa notat aliquid in cœlo adſpectabile diſtinctum à Sole, Luna & Stellis; ubi *ſtellarum* nomen ad Planetas referri videtur, צבא ad Stellas minores: atque ita hic ſumitur, ſed προφητικῶς [*Prophetico more*]. Nam ſicut Daniel VIII, 10. Judæos vocat תקיפי צבא *fortitudinem cœli*], ita hic δυνάμεις τ οὐρανῶν [*virtutes cœlorum*] eſt plebs Chriſtianorum, quæ poſt Apoſtolorum tempora mire concuti cœpit tyrannide τ καθεκυριευόντων τ κλήρων [*eorum qui dominantur in cleris*], temerariis excommunicationibus & quotidiano σχισμάτων [*ſchiſmatum*] proventu. Tyrannidis & temerariæ excommunicationis exempla videre qui vult legat Johannis Presbyteri Epiſtolam de Diotrephe, & pia monita Irenæi ad Victorem. Schiſmatum exempla habemus in aliis non paucis, quibus Optatus Mileviranus prudenter tres adſcribit cautlas, Iracundiam, Ambitum, Avaritiam.

30. Καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τ υἱοῦ τ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ· *Et tunc parebit ſignum Filii hominis*] Cum poſt aliquot verba interjecta ſequatur Judicialis adventus, in illis verbis καὶ ὄψονται τ υἱὸν τ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τ νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ μετ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς [*& videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majeſtate*], ſignum de quo hic agitur eſſe illam ipſam δόξαν [*majeſtatem*], atque ita bis idem verbis quibuſdam interpoſitis dici, vix eſt ut credam. Quare Propheticum ſermonem continuari hic arbitror. Proprie autem illud ſignum, ſive Divinæ Chriſti potentiæ evidens argumentum, Eccleſiæ (quæ *cœlum* dicitur) bono editum notari hic arbitror quod Apoc. XIX & XX. deſcribitur, deſtructionem idololatriæ Romanæ & longam immunitatem Eccleſiæ à perſecutionibus. ¶ καὶ τότε κόψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τ γῆς, *& tunc plangent omnes tribus terræ*] Videri poſſet referendum ad planctum in die Judicii, ob locum in Euangelio Johann. XIX, 37. Sed novum non eſt eadem verba, præſertim ex Prophetis petita, diverſis rebus aptari. Sunt autem hæc verba poſita ex Zacharia XII, 12. ubi primo ſenſu de Antiochi temporibus agitur. Hoc vero loco videtur ordo exigere ut ad planctum hæc referantur exſtiturum ob judicia illa quæ in gentes deſignata Gogi & Magogi nomine, exercebuntur à Chriſto. Is eventus reſpondebit iſti parti hiſtoriæ Judaicæ quæ excidium Hieroſolymorum proxime præcedit, ut hæc orbis excidium, καὶ οἱ βασιλεῖς τ γῆς, καὶ οἱ μεγιστᾶνες, καὶ οἱ πλούσιοι, καὶ οἱ χιλίαρχοι, οἱ δυνατοί, καὶ πᾶς δοῦλ@, καὶ

πᾶς

πᾶς ἰλαρύνεσθαι, ἐκρυψαν ἑαυτοὺς εἰς τὰ σπήλαια καὶ εἰς τὰς πέτρας τῶν ὀρέων [*& Reges terræ, & Principes, & Tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber, abſcondérunt ſe in ſpelunciis & in petris montium*]. quæ pertinent ad maximam Judæorum conſternationem latrociniis undique graſſantibus. Similes igitur pœnas Chriſtus expoſcet per omnes terrarum regiones ab iis omnibus qui honoris aut commodi ſui cauſa ſinceram doctrinam & verum ejus uſum per ſophiſmatum præſtigias & grata peccantibus dogmata corruperunt, aut vi aperta oppugnarunt. Καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος [*Et tunc veniet finis*], ut ſequentia oſtendunt. Et hactenus Chriſtus obſcure ac Prophetice ea elocutus quæ tunc ſcire nihil attinebat, ſed eventu ipſo demonſtratura erant prædictionis certitudinem; nunc illud quod omnes ſcire plurimum referebat, Judicium ſcilicet univerſale, ἀπολύτρωσιν [*liberationem*] noſtram continens, explanate diſſerit. ¶ καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν, *& videbunt Filium hominis venientem in nubibus*] Quominus aſſentiar Auguſtino hæc ἀπηρεμεστέρως [*tectiore ſenſu*] trahenti ad Chriſti adventum aut per verbum aut per Spiritum, tum quæ ſequuntur me movent, tum præcipue id quod habemus Actorum I, 9, 11. ubi ſimili modo rediturus dicitur quomodo à Diſcipulis receſſerat, id eſt, per nubem adſpectabilem; addito loco qui eſt I Theſſ. IV, 17. Alioqui etiam extra Judicii tempus Chriſto nubes velut vehiculi loco adſcribitur; ut apud Danielem VII, 13. & in Apocalypſi multis locis videre eſt, in teſtimonium ſcilicet Divinæ ipſius potentiæ, juxta id quod legimus Pſalmo CIV, 3. ¶ μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς. *cum virtute multa & majeſtate*] Δυνάμεις [*virtutes*] hic intelligere poſſumus Angelorum militiam, explicante Paulo I Theſſ. IV, 16. II Theſſal. I, 7. (adde quod infra eſt XXV, 31); δόξαν [*majeſtatem*] autem fulgorem adſpectabilem, ut ſæpe ea vox ſumitur.

31. Καὶ ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης· *Et mittet Angelos ſuos cum tuba vocis magnæ*] Id eſt, *cum tuba canora*, quod Paulus dixit ἐν φωνῇ καὶ ἐν σάλπιγγι [*in voce & in tuba*], nimirum ἐν δυσὶ δυσὶν [*unum exprimendo per duo*], ſicut & hic quædam exemplaria habent σάλπιγγος καὶ φωνῆς [*tubæ & vocis*]. Alterum hoc Divinæ Chriſti potentiæ argumentum eſt tuba iſta quæ Deo tribuitur Exodi XX, 18. & Pſalmo XLVII, 6. Dicitur autem eadem tuba, aut vox quæ per tubam ſignificatur, modo Chriſti, ut Johann. V, 25. nempe ut Regis cujus edicta per tubam publicantur; modo Angelorum, ut hic, tanquam accenſorum Chriſti aut præconum. Quidam ἀρχαγγέλου [*Archangeli*] voce apud Paulum I Theſſ. IV, 16. Chriſtum ipſum intelligunt: ſed ſeries orationis id non ſatis patitur: dicitur enim αὐτὸς ὁ κύριος [*ipſe Chriſtus*], id eſt, Chriſtus venturus ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου [*in voce Archangeli*]. Quare rectius eſt apud Paulum ἀρχάγγελον [*Archangelum*], qui eſt שר הגדול [*Princeps primus*] Danieli, intelligere non ipſum Regem Angelorum Chriſtum, ſed ſub Rege militiæ Angelicæ Ducem. Ferme enim videmus quoties Deus per Angelos aliquid exſequitur, unum aliquem eminentioris loci velut Imperatorem aut ἡγεμονίαν cæteris dari; ut Danielis IV, 13, 17. Zach. II, 3. Apocalypſeos VII, 2. Hæc autem tuba Paulo *ultima* vocatur, quia etiam peculiaribus Dei judiciis ſua adſcribitur tuba, ut in Apocalypſi eſt videre. ¶ καὶ ἐπισυνάξουσι, *& congregabunt*] Alluſio ad morem Judæorum, apud quos ἡ ἐπισυναγὼγὴ fieri ſolebat ſono tubæ, Numer. X. Conſer Ezech. XXXVII, 21. & quæ ſupra VI, 2. Sed & Græcis & Romanis mos fuit populum convocare daſſico. ¶ τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ, *electos ejus*] Id eſt, Chriſtianos, veros ſcilicet atque conſtantes. Vide quæ ſupra. ¶ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, *à quatuor ventis*] Alluſio ad id quod eſt apud Eſaiam XLII, 5, 6. Vide & ſupra VIII, 11. Simile loquendi genus Apocalypſeos VII, 1. & Zach. II, 6. Contrarium hujus apud Jeremiam XLIX, 36. ¶ ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν, *à ſummis cælorum uſque ad terminos eorum*] Explicatio ejus quod præceſſerat. קצה *extimum*] ſolent reddere LXX. Idem autem eſt ſive dicas ἀπ' ἄκρου οὐρανοῦ ἕως ἄκρου [*à ſummo cæli ad ſummum ejus*], ut Pſalmo XIX, 7. & Deuteronomii IV, 32. ſive ἀπ' ἄκρου τῆς γῆς ἕως ἄκρου αὐτῆς [*à ſummitate terræ uſque ad ſummitatem ejus*], ut Deuteron. XXVIII, 64. Nam per *fines cæli & fines terræ* idem intelligimus. Ideo non veritus eſt Marcus utrumque loquendi genus miſcere. Dixit enim ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ [*à ſummo terræ uſque ad ſummum cæli*]. Cui ſimile eſt apud Philonem iſtud libro De Caino, ἀπ' ἐσχάτου περάτων μέχρι γῆς ἐσχάτου [*à cæli terminis ad cæli extima*].

32. ἡ τοῦ φύσαι ἐκφύη, *& folia nata*] Ἐκφύειν idem eſſe puto quod apud Lucam ἀποφαίνειν [*exſerere ſe*]. atque ideo active interpretantibus accedere malo quam Syro vertenti ſignificatu paſſivo. Conſer Cantici II, 13. Τὰ φύλλα, id eſt, *folia ſua*.

33. πάντα ταῦτα, *omnia hæc*] Hæ voces & huic proximo commate poſitæ non ſatis recte intellectæ magnas tenebras interpretibus offuderunt. Notandum ergo apud Græcos τοῦτο [*hæc*] & ἐκεῖνα [*illa*] opponi ſolere. Quare cum mox nominet ἐκείνην τὴν ὥραν [*illam horam*], hoc τοῦτο [*hæc*] oppoſite accipiendum eſt. Diximus jam ea quæ populo Judaico erant eventura figuram & pignus quaſi quoddam habere eorum quæ manebant orbem univerſum. Dicit ergo Chriſtus, cum hæc videritis quæ Judæos proprie tangunt, credite & cætera quæ dixi ſecutura. ¶ ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις. *ſcite quia prope eſt in januis*] Nimirum ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου [*Filius hominis*], repetita voce ex commate 30. quomodo & Syrum intellexiſſe arbitror. Hoc vero non neceſſario ita accipiendum fuit quaſi ſtatim poſt res Judaicas immineat Judicium univerſale. Obſtant enim tum alia tum id quod infra ſequitur 48. Χρονίζει ὁ κύριός μου ἐλθεῖν [*Moram facit dominus meus venire*]. Certitudo ergo eventus non propinquitas temporis indicatur. Sic רבצת חטאת *prædoribus peccatum eſt*, Geneſ. IV, 7. certam pœnam culpæ comitem ſignificat. Neque aliter Jacobus dixit κριτὴς πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν [*Judex ante januam aſſiſtit*], V, 9. Atque eodem modo etiam ἐγγὺς ſumi ſolet, ut Philipp. IV, 5, ὁ Κύριος ἐγγύς [*Dominus prope eſt*].

34. ἡ γενεὰ αὕτη, *generatio hæc*] Qui totum illud tempus à Chriſto ad ultimum diem γενεᾶς [*generationis*] voce intelligunt, vim verborum enervant. Vult enim Chriſtus ex iis quæ jamjam conſpicienda ſunt Futura colligi; quo pertinet Ficus comparatio. Significat ergo γενεὰ, Hebræo דור reſpondens, hic, uti ſupra XXIII, 36. *ejus ætatis homines*. Simile eſt quod ſupra dixerat, *quoſdam adſtantium non morituros antequam Regnum Meſſiæ inchoaretur*, XVI, 28. Certe multi eorum qui tum vivebant, imo qui ad virilem ætatem jam pervenerant, potuerunt non excidium tantum Hieroſolymorum, ſed & multa eo excidio poſteriora conſpicere: quod vel unius Johannis exemplo manifeſtum eſt. ¶ πάντα ταῦτα, *omnia hæc*] Hoc dixit, Templum oſtendens.

35. παρελεύσονται· *transibunt*] Hebræi non habent modum δυνητικὸν [*potentialem*] ſive συνδετικὸν [*ſubjunctivum*]· ideo pro eo uſurpant futurum modi indicativi; quod ſæpe ſequuntur Helleniſtæ. Eſt ergo hic παρελεύσονται [*transibunt*] poſitum pro παρέλθοιεν ἄν [*transirent*]. Comparatione enim rei quæ videatur maxime ἀδυνάτου [*impoſſibilis*] utitur Chriſtus, ut oſtendat multo eſſe ἀδυνατώτερον [*impoſſibilius*] ſua oracula non impleri. Vide quæ diximus ſupra V, 18. Hujus explicationis, quam Euthymius ſequitur, auctor nobis eſt Lucas XVI, 17. ¶ οἱ δὲ λόγοι μου μὴ παρελθωσι· *verba autem mea non præteribunt*] Id eſt, πρὶν ἢ παρελθεῖν τοὺς ἐμοὺς λόγους [*priuſquam verba mea irrita fiant*], ut citato jam loco explicavimus: idem plane loquendi genus Eſaiæ LIV, 9.

36. Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, *De die autem illa*] Nimirum τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος [*conſummationis ſeculi*]· de qua die tertio loco erat quæſitum, & de qua jam egerat Chriſtus commate 30, 31. Hæc dies eximie vocatur ἡ ἡμέρα Κυρίου [*dies Domini*], II Petri III, 10. ¶ οὐδὲ τὴν ὥραν, *& hora*] Ὥραν [*horam*] hic non diei particulam ſed latius ſumti temporis ambitum intelligo, ut I Johan. II, 18. Apocalypſeos III, 10. XIV, 7. 15. & alibi paſſim. Hoc ipſum eſt quod καιρὸν [*momentum*] vocat Paulus I Theſſ. V, 1. Quæ ſignificatio frequens eſt etiam in Hebræa voce עת, quam hic Syrus uſurpat. ¶ οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν, *neque Angeli cælorum*] Non multum refert an hic legatur id quod addunt quidam οὐδὲ ὁ υἱὸς [*nec filius*], nec ne; cum apud Marcum nemo deleat. Mihi vero probabilius eſt quibuſdam codicibus additum ex Marco quam deletum in Matthæo. Nulla enim delendi erat cauſa cum in Marco relinqueretur: addita autem ſæpe videmus aliqua ex Scriptorum inter ſe collatione. Neque me movet quod Marcus Matthæi hiſtoriam contraxit: non enim ita ſe Matthæo adſtrinxit ut non alicubi mutaret verba, adderet etiam aliquid, Petro, ut credi par eſt, ſi quid ſupra cæteros meminerat, ſuggerente. Interpretes, qui Filii hic faciunt mentionem, ad Marcum reſpexere: quod ex Origene apparet, qui de Filio hic agit, cum tamen edita ab Origene exemplaria iſtas voces hoc loco non haberent, ut teſtatur Hieronymus. Ab hac lectione ſtant Syrus & Latinus, & codicum pars multo major. ¶ εἰ μὴ ὁ πατὴρ μόνος, *niſi ſolus Pater*] Poteſt εἰ μὴ [*niſi*] hic proprie ſumi, ſi illa οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν [*neque Angeli cælorum*] legamus velut parentheſi incluſa: quod & apud Marcum faciendum arbitror. Optime enim cohærent οὐδεὶς [*nemo*] & εἰ μὴ [*niſi*]· quaſi dicas, Nemo novit (Angelos ipſos non excipio) præter Patrem. Eſt autem dictum vetus Hebræorum,

Tempus quo mundus finiet nemini patefactum. Vide Iachiadem ad Dan. VIII, 26.

37. *Ὡσπερ γὰρ αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε, οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου· Sicut enim in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis*] Cum *παρουσίαν* [*adventum*] ſupra dixerim, &, ni fallor, oſtenderim hic eſſe adventum Chriſti in orbem totum per verbi & Spiritus ſui efficaciam, quæ præcipue ſe exſeruit annis primis quadraginta, ut ad Lucam quoque dicemus, omnino ea quæ ſequuntur ad res ejus temporis referenda præcipue arbitror. Et, ni fallor, alio illa tempore quam quo priora dixit Chriſtus, occaſione à Phariſæis data, ut Lucas narrat: ſed Matthæus ideo hic addidit, quia ad illuſtranda ea quæ de rebus Iudaicis & Euangelii profectu ſupra dicta erant, multum pertinebant. Sicut & Marcus alium locum qui ſupra apud Matthæum eſt x, 17. ob rerum cohærentiam hic inſeruit. Neque vero quod de Fure ſequitur evincit de univerſali Iudicio hic agi, cum etiam peculiaria in populos aut homines judicia Dei (quæ tamen ipſa univerſalis judicii præſagium continent) furi nocturno comparari ſoleant, ut videre eſt Apocalypſeos III, 3. XVI, 15. Firmat hanc interpretationem quod Noam ſervatum in diluvio Chriſtianis per Baptiſmum à communi pernicie ſervatis Petrus comparat.

38. *τρώγοντες καὶ πίνοντες, comedentes & bibentes*] Non ſecuri tantum, ſed omne ſtudium ponentes in rebus caducis, & voluptatibus ſuis mancipati, non minus quam ille qui ſepulchro inſcripſit,

Τόσ' ἔχω ὅσ' ἔπιον καὶ ἐδείδεκτο.

[*Hæc habeo quæcunque bibi, quæcunque comedi*].

Huic vitæ opponitur illa apud Lucam monitio, *Προσέχετε ἑαυτοῖς μήποτε βαρηθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ καὶ μερίμναις βιωτικαῖς* [*Attendite vobis ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & cura hujus vitæ*]. Confer quod infra eſt commate 49. ¶ *γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες, nubentes & nuptias tradentes*] Nominis generiſque propagandi deſiderio flagrantes, quaſi in eo ſita eſſet tota ſpes immortalitatis. Vide Geneſ. IV, 7, 19. Sed & qui piis editi erant parentibus impiorum connubiis ſe inquinabant potentiæ & gloriæ ſtudio, ut in Geneſi videre eſt. Ita paſſim omnibus curvæ erant in terras animæ: immemores conditas ſe ad Dei imaginem, quod ipſa etiam corporis poſitura teſtatur: ideo enim Deus

Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Quod ex Phœnicum Theologia veteres Philoſophi hauſerunt, ex illis Poetæ: Phœnices ab Hebræis hauſerant. Ad hujus conditionis noſtræ memoriam nos jubemur *ἀναβλέψαι καὶ ἐπᾶραι τὰς κεφαλὰς ἡμῶν* [*reſpicere & levare capita noſtra*], ut apud Lucam eſt hoc loco. Hæc *ἐπιπαρατήρησις* [*attenta exſpectatio*] (ut eam Paulus appellat) opponitur illis *μεριμναῖς βιωτικαῖς* [*curis hujus vitæ*] hominum *τῆς ἀρχαίας κόσμου* [*mundi veteris*]. M. Antoninus Imperator libro IV. oſtendens homines ſemper eadem agitare, ſic ait, *Βλέπειν, λόγου χάριν, ἐπὶ τὴν Οὐεσπασιανοῦ καιρὸν, αὐτὰ ταῦτα πάντα γαμοῦντας, παιδοτροφοῦντας* [*Conſidera, exempli cauſa, Veſpaſiani tempora, videbis hæc eadem; homines nuptias facientes, occupatos in liberis educandis*]. ¶ *εἰς τὴν κιβωτὸν, in arcam*] Ita LXX transferunt Hebræum תבה, quos & Petrus ſequitur: Sed & Philo. Joſephus *λάρνακα* dixit, ſecutus Nicolaum Damaſcenum illum Auguſti amicitia celebratum, cujus hæc erant verba, *καί τινα δή λάρνακα ὑψηλοῦ ὄχους ἐπὶ τῶν ἀκρωρειῶν ἀπῆλθαι* [*& quendam Arca veſtum ad ſumma juga appuliſſe*]. Etiam Apollodorus in Bibliotheca ubi diluvii meminit nominat *λάρνακα*, & Lucianus de Dea Syria itidem in diluvii hiſtoria: & Alexander Polyhiſtor, cujus verba apud Cyrillum exſtant. Abydenus in hiſtoria Aſſyriaca *πλοῖον* [*navim*] vocavit. Et apud Damaſcenum, quem dixi, locus in quo conſedit Arca vocatur *Βᾶρις* [*Baris*]: ita autem navis quoddam genus Ægyptiis dici notavit Herodotus. Credo autem תבה aut *λάρνακα* [*Arcam*] dici hanc navem ideo quod conſtrata eſſet ad ciſtæ modum: nam eodem nomine & ciſtella appellatur in qua expoſitus eſt Moſes: ſicut & Græci Poetæ id in quo expoſitus fuit Perſeus *λάρνακα* [*arcam*] vocant.

39. *οὐκ ἔγνωσαν, non cognoverunt*] ידע [*ſcire* vel *cognoſcere*] Hebræis ſæpe eſt *προσέχειν* [*animum advertere*], ut Eccleſiaſtæ IV, 17. Eſaiæ I, 3. ita ſumitur hic *γινώσκειν* [*cognoſcere*] aliſque multis in locis, ut Lucæ XIX, 44. Hebræor. III, 10. Quo referendum forte & illud quod eſt Rom. VII, 7. & Actor. XXIII, 5. Huic ſupinitati oppoſitum eſt illud apud Lucam *Προσέχετε* [*Attendite autem vobis*]. ¶ *καὶ ἦρεν ἅπαντας· & tulit omnes*] Ἦρεν eſt מחה [*delevit*] Geneſ. VII, 23. *ἅπαντας* [*omnes*], omne humanum genus, *τὸν ἀρχαῖον κόσμον* [*mundum originalem*], ut Petrus loquitur, octo duntaxat hominibus exceptis, in quibus erat Noe. Plane enim illis aſſentiri non poſſum qui generalitatem hanc ad aliquam humani generis portionem reſtringunt. Neque enim fert orbicularis terræ figura ut ſumma montium juga, quod dicit Moſes, inundati fuerint terris aliis non obrutis. Deinde ad omne humanum genus hoc diluvium pertigiſſe magnum argumentum habemus omnium gentium memoriam quæ in id tempus deſinit. Diligentiſſimus omnis antiquitatis indagator Varro omne ævum in tria tempora dividebat, *ἄδηλον, μυθικὸν καὶ ἱστορικόν* [*Incognitum, Fabuloſum, Hiſtoricum*]· *ἄδηλον* [*Incognitum*] vocans quicquid prius erat magno Cataclyſmo; *Fabuloſum* quod proxime ſequitur; *Hiſtoricum* à Trojæ excidio. Citat Joſephus Beroſum rerum Chaldaicarum Scriptorem, Hieronymum Phœniciarum, Mnaſeam quoque, & quem dixi Damaſcenum, qui omnes meminerint *καὶ τῆς κατακλυσμοῦ τούτου καὶ τῆς λάρνακος* [*& diluvii hujus & Arcæ*]. Abydenus Noam *Σισιθρον* [*Siſithrum*] vocat, eum qui ei imminentem cladem prædixerit *Κρόνον* [*Saturnum*], nimirum quia Græci ita transferre ſolebant vocem Orientalem חי. Nam & Philo Byblius, *Ὁ Ἰαὼ τοῦτ' ἔστιν ὁ Κρόνος* [*Ille eſt Saturnus*]. Phœnices enim, Aſſyrii, Armenii antiquitus eam ſtellam quam Græci *Κρόνον* [*Saturnum*] vocant maxime ſunt venerati, quod altiſſimo orbe & præcipua potentia feratur; quod notat Tacitus. A Judæis eundem coli multis perſuaſit otium diei quem *τῷ Κρόνῳ* [*Saturno*] Gentes dicaverant. Idem Abydenus emiſſarum quoque avium meminit; quam narrationem Græci ad Deucalionem ſuum tranſtulerunt, ut ex Plutarcho diſcimus. Sed & in Eupolemi & Artabani ſcriptis exſtabat memoria univerſalis diluvii. Nec alio referendum quod Plinius de Joppe urbi dixit, diluvio eſſe antiquiorem: quod & à Joſepho proditum eſt. Sed & in Novo qui dicitur Orbe reperta ſunt hujus famæ *πατροπαράδοτα* [*à patribus tradita*] veſtigia. Nec ſpernendum ejus rei argumentum affert Tertullianus conchas in remotiſſimis à mari montibus. Quod autem quidam quærunt, Si univerſale diluvium fuit, unde in novum illum Orbem & remotas inſulas populi pervenerint, vanum eſt. Quid enim credibilius quam auctos nimia fecunditate Septentrionis populos in vacua ſe longius ac longius etiam trans mare effudiſſe? nam & mores habituſque corporum & ſermo cum populis illis congruunt. De inſulis vero haud contemnenda peritorum obſervatio, Nullam ferme eſſe adeo remotam ad quam non ex aliquo littore proſpectus pateat, & linguam ipſis quæ proximis terrarum. Et hæc quidem obiter dicta ſunt: nam fuſius hac de re ſpeciali Diſſertatione egimus.

40. *ἐν τῷ ἀγρῷ· in agro*] In quo rudes ſunt homines, quos per contemtum *populum terræ* vocabant Legiſperiti, & de quo dicebant, *Ὁ ὄχλος οὗτος ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον ἐπάρατοί εἰσι* [*Turba hæc quæ non novit Legem, maledicti ſunt*]. At Chriſtus oſtendit neque rude ingenium neque deſpectam conditionem cuiquam obſtare quo minus ad cœli gloriam aditus ei pateat. ¶ *ὁ μὲν παραλαμβάνεται, unus aſſumetur*] Id eſt, velut apprehenſa manu educetur è communi periculo. Alluſio enim eſt ad Loti hiſtoriam, quam brevitatis cauſa omiſit Matthæus, Lucas autem expreſſit. Vide Geneſ. XIX, 16. Adde Lucæ XXI, 36. Hæc autem pertinent ad diſcretionem illam hominum quæ facta eſt per Euangelii ſermonem, præſertim primis illis annis XL. Cujus adſpectabile etiam ſignum fuit conſervatio Chriſtianorum à malis obſidii Hieroſolymorum.

41. *Δύο ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλωνι· Duæ molentes in mola*] Erat hoc ancillarum, ut docemur Exodi XI, 5. & Eſaiæ XLVII, 2. Hic rurſus à Chriſto diſcrimen oſtenditur Regni ſui à Regnis terrenis. Nam in Regnis mundi fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ ſunt; ſervi vero multo magis, ut qui ne perſonam quidem habere dicantur. At Chriſtus mulieres etiam ſervas recipit: *οὐκ ἔνι δοῦλος, οὐδὲ ἐλεύθερος· οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ* [*non eſt ſervus, neque liber; non eſt maſculus, neque femina*], Galatar. III, 28. Omnes communi exitio eximuntur in quos illud quadrabit, *Σὲ γὰρ εἶδον δίκαιον ἐνώπιόν μου ἐν τῇ γενεᾷ ταύτῃ* [*te enim vidi juſtum coram me in generatione hac*], Geneſ. VII, 1. quod egregie *ἀκριβολογεῖται* [*fuſiore ſermone exſequitur*] Philo ſine libri II *περὶ βίου Μωσέως* [*De vita Moſis*].

42. *Γρηγορεῖτε οὖν, Vigilate ergo*] Hæc omnibus Chriſtianis dicuntur. Illud autem quod ſequitur commate 45. generalem admonitionem peculiariter Apoſtolis aliiſque Eccleſiæ Paſtoribus accommodat, quod nos docet Lucæ XII, 41.

43. *ἐκεῖ-*

43. ἐγρήγορεν ἄν, *vigilaret utique*] Facile eſt, inquit Chriſtus, præcavere periculum unius ac præfiniti temporis. Sed quia pericula multa tempus habent incertum, ideo ſemper metuenda ſemperque cavenda ſunt, ne ingens damnum accipiatur διὰ τὸ ἀπροσδόκητον [*propter caſum non exſpectatum*]. ¶ διορυχῶναι, *perfodi*] Perfoſſio tribuitur furi, Exodi XXII, 2. & Jeremiæ II, 34.

44. ἔρχεται. *venit*] Id eſt, venire poteſt inexſpectatus niſi eum ſemper exſpectetis. ἔρχεται [*venit*] pro ἔρχοιτο ἄν [*venire poſſit*].

45. Τίς ἄρα ἐστὶν, *Quis putas eſt*] Non eſt hic τίς [*quis*] interrogativum, ſed ὑποζευκτὸν [*ponens facti ſpeciem*], ut diximus alibi. ¶ ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, *ſuper familiam ſuam*] Deſcribit munus οἰκονόμου, id eſt, *diſpenſatoris*, cui munus Paſtorum in Eccleſia reſpondet. Vide I Corinthiorum IV, 1.

47. ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτόν, *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*] Ex diſpenſatore percuratorem faciet; qui major bonos. Hunc proceſſum videre eſt in Joſephi hiſtoria Geneſ. XXXIX. Nam dominus primum κατέστησεν αὐτὸν ἐπὶ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ [*præpoſuit eum ſuper domum ſuam*], 4. deinde ἐπιτρέψας πάντα ὅσα ἦν αὐτῷ εἰς χεῖρας Ἰωσὴφ [*dedit omnia quæ habebat in manus Joſephi*], 6. Cæterum hac ſimilitudine ſignificatur bonos ſummus qui illi habebitur. Compara Apocal. II, 26.

48. Ἐὰν δὲ εἴπῃ ὁ κακὸς δοῦλος ἐκεῖνος ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ· *Si autem dixerit malus ſervus ille in corde ſuo*]. Retinuit Græcus Interpres Hebraiſmum אמר בלב [*dixit in corde ſuo*], ut & LXX Pſalmo XIV. & alibi, cum id nihil aliud ſignificet quam *cogitare*. ¶ Χρονίζει, *Moram facit*] יאחר Abac. II, 3. Columella, *Servi longa dominorum diſtantia corrumpitur.*

49. τύπτειν τοὺς συνδούλους, *percutere conſervos ſuos*] Lucianus, τοὺς συνδούλους μαστιγοῖ [*conſervos flagris cædit*]. Indicat Chriſtus non defuturos in Eccleſia Paſtores qui, aut ipſi accepto Gladii jure, aut eos quorum eſt Gladius ſibi nacti obnoxios, alios Paſtores aut de plebe Chriſtianos, ob liberam vitiorum reprehenſionem, aut ob diverſas de dogmatibus quibuſdam minus neceſſariis minuſque exploratis ſententias, crudeliter divexent. Id autem facturos eos præcipue, qui, cum videri velint omnia facere Chriſti cauſa, revera *non Chriſto ſervient ſed ventri ſuo*, τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες· [*terrena ſapientes*], Romanorum XVI, 18. Philipp. III, 19. Et ſane naturaliter evenit, ut qui pietatem commodorum ſuorum cauſa profitentur implacabiliter oderint atque adeo omnibus modis infeſtent eos quos commodis ſuis adverſari vident; ut &, cum de zizaniis actum eſt, annotavimus. Hæc autem agendi ratio quantopere Chriſto diſpliceat, & quam non ſit impune abitura, oſtendunt quæ ſequuntur commate 51. ¶ ἐσθίῃ δὲ καὶ πίνῃ, *manducet autem & bibat*] ita multi codices, ita Syrus, ita Latinus, & Græci Interpretes nonnulli. Quare pars hæc major videtur.

51. διχοτομήσει αὐτὸν, *dividet eum*] Brevis locutio, pro eo quod diceretur διχοτομῶν τὴν οἰκίαν ἀφορίσει αὐτὸν [*dividens familiam ſegregabit eum*]. Nam διχοτομεῖν [*dividere* ſive *bipartire*] proprie reſpondet Hebræo גזר, quod ἡμίσους voce ſimili huic noſtræ vertit Aquila Gen. XXXIII, 1. Explicatio petenda ex iis quæ infra XXV, 32. ¶ τὸ μέρος αὐτοῦ, *partem ejus*] Tale eſt illud, πῦρ καὶ θεῖον καὶ πνεῦμα καταιγίδων ἡ μερὶς τοῦ ποτηρίου αὐτῶν [*Ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*], Pſ. XI, 6. item αὕτη ἡ μερὶς ἀνθρώπου ἀσεβοῦς παρὰ Κυρίου [*hæc eſt pars hominis impii à Deo*] Job XX, 29. Paſſim enim Hebræis חלק [*pars*] & פרס [*portio*] ἀνταπόδοσιν [*retributionem*] ſignificant. ¶ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν, *cum hypocritis*] Μετὰ τῶν ἀπίστων [*cum infidelibus*] inquit Lucas. Credibile eſt utrumque Chriſtum dixiſſe, ut ſignificaret eadem ſupplicia manere eos qui euangelium contemniſſent & eos qui fidem profeſſi factis eam abnegarient. ἀπίστους malo *incredulos* quam *infidos* interpretari, quia quod ſequitur ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων [*illic erit fletus & ſtridor dentium*] probat tacitam eſſe tranſitionem ad ἀνταπόδοσιν [*id quod in Comparatione reſpondet*], qualem & ſupra habuimus XIII, 42. & XXIII, 13. & infra habebimus XXV, 30. quibus omnibus in locis idem eſt ἐπιφώνημα [*acclamatio eadem*].

PRICÆUS.

Com. 7. ΛΙΜΟΙ ἢ λοιμοί] Conjungi hæc ſolent, ut ex Heſiodo vir ſummus notavit. Adde hæc Philonis è libris De vita Moſis, Θεσπεσίοις κακοῖς, λιμῷ τε ἢ λοιμῷ· & in calce Ejuſdem operum in fragmento, Λιμοὶ, ἢ λοιμοὶ, ἢ τι κακὸν ἄλλο θηλάσαν. Sequitur, κατ' ἔτος] Sic idem Philo lib. de epiſ. &c. πανταχῇ ἐχθροὶ ἦμεν ἢ κατὰ κλάδες σωτηρίας κατ' ἔτος· ita & Philemon in Eclogis Stobæi: ita & Latini. Seneca, *Et fera nobis loco occurret, & homo perniciosior fera omnibus.* Vulgat. hic, *per loca*; ita & 1 Maccab. 12. 4.

Com. 8. πασῶν δὲ χρὴ ὠδίνων] Philo in De vita Moſis, ὅπερ ἐν ταῖς φιλαῖς, τὰ πικρότατα νομίσαντες ἀχλεῶ ἄνευ μιζόνων. Livius, *Vox tamen illa quæ conſpiciebantur fœmina erant futuræ luxuriæ.* ὠδῖνων metaphorice autem, ut & apud Philonem eundem. Θαυμαστὸν τὸ λεχθὲν, ἢ πεπηγότων ὥσπ' ἐκπυκνώσεως, &c. ἕτεροι παρίσων τὰς αὐτὰς φέρουσιν ὠδῖνας.

Com. 19. ταῖς δὲ ἐν γαστρὶ ἐχούσαις, &c.] In fuga enim parturient forſan. Callimachus ubi de Dianæ ira,

Κείονται δ' γέροντες ἐφ' ὕμασιν, αἱ δ' γυναῖκες
Ἢ βλητοὶ θηήσαιτο λεχαίδες, ἢ φυγάδες.

Sequitur, κατὰ δὲ θελαζόντων] Dico ad Luc. 23. 29. Poſt, ἵνα μὴ χειμῶνος ἢ φυγὴ ὑμῶν γένηται] Ob frigoris & procellarum incommoda, tempeſtatumque. Philo de Flacco à Præfectura ſua in Italiam abducto, καίπερ μοι δοκεῖ θεία προνοίᾳ συμβαίνων, ἐπεὶ δὲ ἀναχθεὶς ἀρχόμην χειμῶνος, &c.

Com. 21. ἔσται γὰρ τότε θλῖψις μεγάλη, οἵα οὐ γέγονεν ἀπ' ἀρχῆς κόσμου ἕως τοῦ νῦν] Lucanus,

Exemploque carens, & nulli cognitus ævo
Luctus erit.——

In Græco Daniel. 12. 1. Ἔσται καιρὸς θλίψεως οἵα οὐ γέγονεν ἀφ' οὗ γένους ἐστὶν ἕως τῆς ὥρας. Vide & Apoc. 16. 18.

Ibid. οὐδ' οὐ μὴ γένηται] In Græco Ezechiel. 5. 9. Ποιήσω ἐν σοὶ ἃ οὐκ ἐποίησα, καὶ οὐ ποιήσω· & Joſuæ 11. Οὐκ ἐγένετο πρᾶγμα τοιοῦτον, οὐδὲ τὸ ὅμοιον, οὐδὲ τὸ ἐγγύς. In fragmentis Varronianis, *Portentum quod factum ita neque antea neque poſtea ſit.* Plato, οὐδὲ γεγονέναι ποτὲ, οὐδὲ ἂν αὖθις ἐσόμενα. Notentur autem tres negativæ particulæ: ſic Marc. 14. 25. οὐκέτι οὐ μὴ πίω. Luc. 10. 19. οὐδέν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσει. Hebr. 13. 5. οὐδ' οὐ μή σε ἐγκαταλίπω. Apoc. 18. 14. καὶ οὐκέτι οὐ μὴ εὑρεθήσεται αὐτά. Eſai. cap. 5. οὐ μὴ πεινάσῃ, οὐδ' οὐ μὴ διψήσῃ. & alibi apud LXX, ſi quis animum inter legendum adverterit. Qua forma loquendi tamen non ter negatur, ſed ut ſimplex negatio certior ac magis fixa apparent, interſeruntur illa οὐ μή, quæ valent πώποτε· ſic *nunquam* apud Latinos quam *non* ἐμφατικώτερον habetur. Terentius,

Non temere facio, neque tu haud dicas tibi non prædictum cave.

Ubi Donatus, *Duæ negativæ faciunt unam affirmationem: tres negativæ pro una accipiuntur, ut hic,* NEQUE HAUD NON: quem locum (uti & nonnullos præcedentium) ſuppeditavit mihi Ampliſſimus Vir Claud. Sarravius cujus candor, eruditio, obvia & expoſita humanitas vocabiore quam meum eſt præconio celebrari poſtulant.

Com. 31. Ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν] Sic 1 Reg. 3. penult. apud LXX. ἀπ' ἄκρων γῆς ἕως ἄκρων. Marcus hoc ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ. Videntur res diei diverſæ, ſed unum idemque demonſtratur. *Cum* enim *duo ita inter ſe oppoſita ſint & cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio miſceatur, non refert utrum per extremitatem prioris aut per initium ſequentis locus ipſe confinii* (ſc. *confinii* legendum) *demonſtretur.* Verba ſunt A. Gellii 7. 21.

Com. 34. Οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη] Γενεᾶς voce intelligit *populum illius ætatis*, ut Seneca quodam loco loquitur: vel, *Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant*: idem erat ſi *quadraginta plus minus anni non intercedent* dixiſſet, nam & temporis ad excidium ratio non impedit, & id ſpatium τῇ γενεᾷ reſpondere ſolet. Vide Numer. 32. 13. Pſal. 95. 10.

Com. 35. ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ παρελεύσονται] Similiter 1 Pet. 1. 24, 25. loquendi modus: nec alienus eſt Pauli ille 1 Cor. 13. 8. οὐ παρέλθωσι eſt *in vanum non exibunt, eventu comprobabuntur.* Vide Ezech. 6. 10. 2 Reg. 20. 17. Eſai. 31. 2. Scriptor Judithæ 6. 5, & 9. Jupiter apud Homerum,

—— οὐδ' ἀπατήλιον,
Οὐδ' ἀνιηρόν, ὅτι κεν πρῶτος κατανεύσω.

De Deo Philo, Φθάνειν τὸ παρόντα ἰδεῖν ὃ μὴ πλουσίοις τοῖς βεβαίοις, ἐπεὶ ὁ λόγῳ ἔργον ἐστὶν αὐτοῦ. Clemens ad Corinthios, Οὐδὲν μὴ παρέλθῃ (sic legend. forſ.) τῶν διδαγματοποιουμένων ὑπ' αὐτοῦ. Arnobius 2. *Rationibus fixis paraguntur res ejus, & quod ſemel fieri decretum eſt, nulla poteſt novitate mutari.* Confer & Numer. 23. 19. Joſuæ 21. 43. & 23. 14. 1 Reg. 17. 14. & 16. Eſai. 14. 24. & 55. 11. Jerem. 33. 20, 21. Siracid. 40. 14.

Com. 44. γίνεσθε ἕτοιμοι] Seneca, *Sic vivamus, ſic loquamur,* PARATOS *nos inveniat atque impigros fatum. Mens atque animus omni in loco atque in tempore proficiens ſit, erecta, ardua, ſepta, ſolida, expedita, nunquam connivens, nuſquam aciem ſuam flectens, conſilia cogitationeſque quaſi brachia & manus protendens, ne qua in re adverſa & repentina incurſio* IMPARATIS *improviſiſque nobis oberiatur.* Panætius verbis Gellii 13. 26. M. Antoninus, Ἡ βιωτὴ τῇ παλαιστικῇ ὁμοιοτέρα ἐστὶ τῇ ὀρχηστικῇ, ἐξ ἣ ἀφὸς τὸ ἐμπίπτον δεῖ καὶ ὑ' ἀφόβου ἑστάναι ΕΤΟΙΜΟΣ καὶ ἀπλοῦς ἑστῶτα. Poſt, ἢ ὥρα σ' ἐστιν, &c.] Scriptor Sap. 9. 12. Οὐκ ἴσχυσε ὁ ἄνθρωπος τὸν καιρὸν αὐτοῦ. Apoc. 3. 3. ἥξω ὅτι ἐπ' οὐκ οἶδας ποίαν ὥραν ἥξω ἐπὶ σε. In Declam. Quintil. *Improviſus adſtiti, dum non timeor adveni.*

Com. 45. ἵνα δῶσιν αὐτοῖς τὸν τροφὸν ἐν καιρῷ] Reſpondet apud Comicum *habere quotidianum familiæ coctum cibum.* καιρὸν intellige *juſtum, ſtatum, oppertunum:* hoc Pſalm. 104. δοῦναι τὸν τροφὸν αὐτῶν ἐν καιρῷ· & Pſal. 144. ἐν ἐυκαιρίᾳ. Auſonius,

Sed καιρὸς iſte tempeſtivum tempus eſt.

Apulejus 4. *cibum tempeſtivum*, & 9. *tempeſtivum prandium* dixit. Gloſſ. Ἐν καιρῷ· *In tempore, tempeſtive.* Sic Marc. 12. 2. τῷ καιρῷ, Rom. 5. 6. κατὰ καιρὸν, Luc. 20. 10. & 1 Pet. 5. 6. ἐν καιρῷ ponitur. Vide & 2 Theſſal. 2. 6.

Com. 46. Ὅτι ἐλεύσεται ὁ κύριος αὐτοῦ ἐν ἡμέρᾳ οὐ προσδοκᾷ ἐκεῖνος] Arrianus 3. 5. in Epictet. Τοῦτο ἐπιτηδεύειν ἄξιον ἐφ' ἑαυτῷ.

Com. 47. ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτόν] Scriptor Judithæ 8. 10. Ἀποστέλλων τὸν ἄγγελον αὐτοῦ, τὸν ἐφεστῶτα πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτῷ. Philo de Joſepho, Τὸν ἐπὶ πᾶσι ὁμοθύλοις ἀρχὸν καθιερώσαι, ἢ συμπάσης τῆ οἰκίας ἢ ἐπιμέλειαν. Lactantius, *Bonum* (ſervum Dominus) *& alloquatur amice, & ornet, ac domui ac familiæ ſuiſque omnibus rebus præficit.*

Com. 48. χρονίζει ὁ κύριός μου ἐλθεῖν] Columella, *Servi longa Dominorum diſtantia corrumpuntur.* Symmachus, *Actores abſentium quibus res longinqua remittitur, tanquam ſoluti legibus vivunt, quia procul poſiti nullum Dominorum terror incurrit.* Vide & 1 Cor. 4. 18.

Com. 49. ἢ ἄρξῃ) τύπτειν τοὺς συνδούλους] Terentianus ille in Adelphis,

Non hercle hic quidem durare quiſquam ſi ſic ſit poteſt.
Scire equidem volo quot mihi ſint Domini: quæ hæc eſt miſeria?

& ſtatim,

—— Cteſipho me pugnis miſeram & iſtam pſaltriam
Uſque occidit.——

Lucianus in Timone, Τὸν ἐλεύθερον δέρειν, ἢ τοὺς ὁμοδούλους μαστιγοῦν. Apud Juvenalem eſt

Si frangis virgas ſociorum in ſanguine. ——

Ariſtophanes cum ex perſona Demoſthenis Cleonem πάτταλον appellaſſet, addidit,

Ἐξ οὗ πατρίδ' ἔπαισε τὸν ἀλιέα,
Πλησὸς αἰεὶ φορτίζει τοὺς ἀλιέας.

Ibid. Ἔθλιον τε ἢ πίνειν, &c.] Servus ad nequam conſervum in Plautina Comœdia,

Nunc dum tibi lubet licetque, pota, perderem, &c.
Dies noctesque bibite, pergræcamini:

& poſt,

Hæccine mandavit tibi cum peregre hinc iit ſenex?
Hæccine modo hic rem curatam offendet ſuam?

Claudianus,

Ac veluti famuli mendax quos mortis heriles
Nuncius in luxum falſo rumore reſolvit,
Dum marcent epulis, atque inter vina choreſque
Perſultat vacuis effrena licentia tectis, &c.

Xenophon, Οἱ αἰτίῳ ἢ Μήδου ἀπὸ ἢ δεσποτῶν ὑποπεπληγότων, ἀναπαύεσθαι ἢ ἔπινον ἢ ἐφορύκτων.

Com. 51. ἤξει ὁ Κύριος, &c. ἢ διχοτομήσει αὐτὸν] Σχίσει μέσον· vide Hiſtor. Suſan. com. 59. Arrian. in Epictet. Ἐπιστραφεὶς ὁ κύριος ἢ ἰδὼν αὐτὸν τοῦτο ποιοῦντα διχοτομοῦντα, ἐλαύνει ἔπαιξε.

CAP. XXV.

MUNSTERUS.

1. *Aſſimilabitur regnum cœlorum*] Voluit Chriſtus in hac parabola hoc unum docere, ut *vigilemus* omni tempore, quandoquidem *neſciamus qua hora Filius hominis venturus ſit,* & ſemper ſimus parati ut venienti Sponſo eamus obviam, ultro ſcilicet & cupienti animo, atque plena fide hinc ad eum concedamus & ad nuptias æternæ felicitatis, à quibus excludentur miſeri, qui vera fide per dilectionem operante Dominum non exſpectaverunt. *Oleum* eſt fides ipſa, qui nititur meritis Chriſti, qua ſola parati ad adventum Chriſti electi exſiſtunt, & quæ ſola bonis lucet operibus. Tandem & vigilantes reddit, cum mentem ad Deum rapit, in quo ſolo perſuaſa eſt bona univerſa ſibi repoſita eſſe. Exſpuunt & hic Judæi virus ſuum contra Chriſtum Salvatorem noſtrum, quod *Sponſum* ſe fecerit, ſuper Pſalmum 19. ubi & Propheta eum vocat *Sponſum*, in hunc modum ſcribentes, אין יכולים לומר כי מסעי אוב אשר שם שם אהלו כחתן יצא לרץ אורח· והלא מלובלך יצא ומשכב בקריטו כשמי ילדים· הזה כן לעשות לנאות ממעי אוב לחתן כחתר ולגיל לעי שעה לחדות איש ושלא יצמח עוד לשמו כי אז בכל ראשן יכיח ושמינו בו· והנה נא ידעתי כי לא כחתן יצא· ועד מסעי אוב אין אחרת יכול לקריות שחלי· ומי אין קדוי אחל אלא דבר שמאוחל למעלה ולא למטה כתכתיב לשחל על השמן וכחן כל אחלים שכאחלים למעלה מאוחם ולא לכמה ממנו ולא מתחתי· ויש כשחיה במקי אוב סבבו בין מלמעלה ובין מלמטה מתחתי והוא הזה כתן כשליא מראשו ועד רגליו ושמרים מקצה השמים כתוא ותקופתו אין מחצתו ככו חם קרואים על קצותם· והנה אין ראינו ס אין אלחותו אלא במיעט עם ותוך כי בשניל כן אמר דוד יראת ה' מהוה עמודת לעד ולא עמדת יש שאינו מחוה לפי שכמקים המינותת נא: תשובה· אין מינף ומף כי אם מסאת הלב המטא את אדם בשגאמי בישעיה ויחצו חם המיה רץ מעלליכם מנגד עיני חדלו ורע· הנה חטא ורע חמא מכאה בעיני אלהים ואין פינוף הנף אשר הוא בלי חמא· נא בן אלהים ולקח מבינו עם כלי מחתיו רק בלי חמא נהיא בכמן הבהולה וגלד מסנה בלי חמא וחלך קל אחן לגיי שנים בלי חמא וחקיים מה שכחוב הנה חעלמה והיה ילדת בן ונו כי אין ראוי שילד אלהים בשבעו כי אם מן כחולה מחוה והחולה אין

faciunt autem quatuor Denarii Siclum, h.e. pondus CCCLXXXIV granorum hordeaceorum. Cæterum XXV. ſicli efficiunt מנה *Minam* ſeu לטר *Libram*, & ſunt pondus IXMDC. granorum hordeaceorum. Et ex ſexaginta מנים Libris conſtituitur כבר, i. *Talentum*, quod ſcilicet ſi juſte multiplicaveris ponderabit DLXXVIM grana hordeacea. Hæc ſic accipe gradatim ab imis ad ſumma aſcendendo,

Obolus habet XVI grana hordeacea:

Denarius, qui & *Zuza*, habet VI Obolos, ſive XCVI grana;

Siclus habet IV Denarios, ſive CCCLXXXIV grana;

Libra ſeu Mina habet XXV Siclos, i. IXMDC grana;

Talentum habet LX Libras, quæ continent DLXXVIM grana hordeacea.

31. *Cum venerit Filius hominis in gloria ſua*] Proponit hic Dominus nobis judicium illud extremum, ut vigilemus per fidem quæ efficax ſit per dilectionem, atque pro virili noſtra noſmet impendamus proximis demerendis, ut tandem à Domino cum majeſtate apparituro audire mereamur, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis ab initio mundi.* Hæc verba, ſi diligenter expendantur indicabunt, electis obventurum regnum Dei non propter opera ipſorum ſed ex gratuita Dei beneficentia. Dicit namque *Venite benedicti Patris mei:* ergo pietas eorum & felicitas benedictionis Dei eſt, & non meriti eorum. Et quando ſubditur, *Poſſidete regnum vobis ab initio mundi paratum*, oſtenditur quod ipſi illud non potuerunt mereri, quod jam ab exordio mundi illis fuit paratum, tanquam filiis per gratiam adoptatis, antequam boni aliquid facere poſſent. ¶ Quando vero in ſequentibus dicitur, *Eſurivi enim, & dediſtis mihi ad edendum*, &c. hæc non ſic ſunt accipienda quaſi propter hæc opera electi ſint vocandi ad poſſeſſionem regni, ſed quod opera ipſa teſtentur eos benedictos Patris, & ad poſſeſſionem regni ante conditum mundum fuiſſe electos. Operibus ipſis declaraverunt ſe Spiritu Patris præditos fuiſſe, ſine quo nemo hilari mente inopibus ferre ſubſidium poteſt. Itaque opera hic commemorata à Judice teſtimonia ſunt *Ovium*, quod veræ oves & filii Dei atque hæredes exiſtant, & non merita. Ad hæreditatem percipiendam vocantur, non percipiendam mercedem. Quæ cum præterierint *Hœdi*, i. reprobi, de ſe teſtimonium tulerunt filios Dei ſe nunquam fuiſſe.

VALLA.

9. NE *forte non ſufficiat nobis & vobis*] Ego diciſſem (propter quam reddidi ſuperius cauſam) *nequando non ſufficiat.* Affirmarunt enim virgines prudentes fore tempus quo utriſque non ſufficeret oleum, non autem revocarunt in dubium.

11. *Noviſſime autem veniunt & reliquæ virgines*] *Noviſſime*, quod ſuperlativum eſt, ad multarum partium res pertinet. At hic duæ ſunt partes, prudentium virginum atque ſtultarum: ergo non habet locum hic ſuperlativum; & ita teſtatur veritas Græca, ὕστερον, i. *poſterius* ſive *poſtea*.

14. *Et tradidit bona ſua.*

19. *Poſt multum vero temporis venit dominus ſervorum illorum, & poſuit rationem cum eis*] *Venit* temporis eſt præſentis, & ejuſdem temporis debet eſſe alterum verbum, quod non tam *ponit* eſt transferendum quam *confert*, ἔρχεται, ἢ συναίρει.

20. *Ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.*

21. *Ait illi dominus, Euge ſerve bone & fidelis*] Non eſt Græce *ſuperlucratus*, ſed *lucratus*, ἐκέρδησα, ſed hoc minus. Illud vero majus, quod non dicitur Græce *Euge:* nam Græca vox eſt *Euge*, qua nonnulli noſtrorum utuntur, ut Plautus & Perſius, quod plerumque vel ironice vel aſſentatorie ſive adulatorie uſurpatur, interdum etiam in ſignificatione gaudii, ut in Pſal. 34. 21, 25. & 39. 16. & 69. 4. At nunc nihil horum Dominus facit, ſed ſevere laudat ſervum ſuum, dicens eum bene feciſſe, &c, quod poteſt transferri *bene* vel *probe*. Unde autem *Euge* pro *Eu* ſurrepſerit neſcio. Idem dico de ſimili loco apud Lucam 19. 17. Illud omitto quod frequenter notavi, dicendum fuiſſe, *ait illi dominus ſuus.*

40. *Quamdiu feciſtis uni de his fratribus meis minimis*] Ἐλαχίστων. Paulo poſt,

45. *Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his*] Ἐλαχίστων. Interpres viderit cur eandem vocem nunc per ſuperlativum, ut Græce eſt, nunc per comparativum transfert.

REVIUS in VALLAM.

45. NUnc *per comparativum transfert*] Viderit etiam quam appoſite ἐφ' ἔσον hic vertat *quamdiu*, quaſi neceſſario ſubintelligere oporteret χρόνον. Melius Eraſmus & Beza, *quatenus.*

ERASMUS.

1. OBviam *ſponſo & ſponſæ*] *Et ſponſæ* non additur in Græcis cod. nec apud Chryſoſtomum aut Hilarium ulla fit *ſponſæ* mentio. Apud Chryſoſtomum hom. 79. qua locum hunc edifſerit, ac ne in contextu quidem, qui præferri ſolet, nec in tota enarratione, *ſponſa* nominatur, quod attinet ad *occurſum*; quemadmodum nec apud Theophylactum. Quanquam apud Origenem hom. 32. in titulo hiſtoriæ Euangelicæ neſcio quis adjecit, cum ipſe diſſerens nullam *ſponſæ* faciat mentionem; aut potius ſic facit mentionem ut declaret ſe *ſponſo* tantum legiſſe, non *ſponſo & ſponſæ*. Sic enim exponit, *Omnes iſti ſenſus lampadis ſuæ accipiunt, id eſt, organa ſua naturalia, ſive ſecundum verbum Dei ut volentes, ſive & contra voluntatem Dei, tamen accipiunt eam, quando recipiunt Sponſum eſſe Eccleſiæ Verbum Dei & Filium Dei. Et egrediuntur de mundo, & de erroribus deorum multorum; Et veniunt obviam Salvatori qui ſemper paratus eſt venire ad virgines eas, ut ſimul ingrediatur cum dignis earum ad beatam Sponſam Eccleſiam.* Hactenus Origenes. Ex his liquet obviam iri ſponſo eunti ad ſponſam, ut illum deducant in ædes ſponſæ. Nam ſponſa domi ſedet, ſponſum operiens; non prodit foras, velut avida viri. Item in cæteris, cum repetitur de mora Sponſi, de clamore coorto, *Ecce ſponſus venit*, de Sponſa ſiletur. Tantum uno loco videtur Origenes occurſum & ad Sponſam referre, cum ait, *oportere obviam ire Sponſo Verbo, & Eccleſiæ immaculatæ.* Atqui ubi de clamore dicitur quo omnes vocantur ad occurſus officium, conſtat nullam fieri ſponſæ mentionem. Ait enim, *Ecce ſponſus venit, exite obviam ei.* Nec ſtatim conſequens eſt, ſi enarratio facit mentionem *ſponſæ*, ab Euangeliſta *ſponſam* expreſſam eſſe. In relativis enim alterum ex altero intelligitur. Nemo poteſt Sponſum animo concipere, niſi ſimul & Sponſam cogitet. Hac ratione ſolvi poterat quod Hilarius *ſponſæ* meminit, in una perſona Chriſti Sponſum & Sponſam interpretans, ut *ſponſum* accipiamus naturam Divinam, *ſponſam* humanam, niſi ipſe Hilarius indicaſſet ſe legiſſe *ſponſo & ſponſæ*, his verbis, *Denique tuba excitante ſponſo tantum obviam prodiitur. Erant enim jam ambo unum, quia in gloriam ſpiritualem carnis humilitas exceſſerit.* Ex his verbis apparet Hilarium priore loco legiſſe *ſponſo & ſponſæ*, poſteriore *ſponſo* tantum. Nec Hieronymus in hujus loci commentario ullam facit *ſponſæ* mentionem. Quanquam hac de re non eſt quod quiſquam contendat. Quod ſi quis alicubi repererit additum *ſponſam*, intelligat & Sponſam aliquouſque Sponſo occurrere, ut Sponſi comites recte dicantur utrique occurriſſe. *Sponſus* Chriſtus eſt; & huc ſpectat tota parabola, ut illi jam advenienti fide ac piis factis obviam eamus. Ad Sponſam nulla parabolæ pars pertinet: imo illi ipſi qui bene occurrunt *ſponſæ* ſunt; etiamſi me non fugit, apud Auguſtinum addi *ſponſæ* mentionem epiſtola 120. Ac rurſum ſerm. De verbis Dom. ex Matth. 22. locum hunc ediſſerens, nec legit nec enarrat *ſponſæ* vocabulum.

3. *Non ſumpſerunt*] Ἔλαβον. Aptius erat *ſumpſerant.* In his enim præt. imperfecto aut ſecundo indefinito vice præt. pluſquamperfecti abutimur.

9. *Ne forte non ſufficiat*] Μήποτε, *i. ne non ſufficiat*, aut, ſi mavis exprimere conjunctionem expletivam, *Ne quando non ſufficiat.* Nec eſt ſimpliciter, ¶ *Emite vobis*] Sed ἀγοράσατε ἑαυτοῖς, i. *emite vobis ipſis.* Eſt autem inabſoluta oratio, ni ſubaudias *timemus*, aut *periculum eſt*, aut *non faciemus.* Intelligitur enim id quod non explicatur, prudentes virgines negaſſe illis oleum.

10. *Dum iremt emere*] Ἀπερχομένων δὲ αὐτῶν ἀγοράσαι; i. *Abeuntibus autem illis ad emendum, venit ſponſus*, &c.

11. *Noviſſime*] Ὕστερον, i. *Deinde*, ſive *Poſterius.* Quod; ut alias tolerabile ſit, hic certe non quadrabat, cum de duobus virginum ordinibus loquatur. ¶ *Vere* non additur nec apud Græcos, nec in cod. Aureo; ne in Conſtantienſi quidem, niſi quod hic quoque quidam diverſa manu adjecerat *vere.*

13. *Vigilate itaque*] Quidam addunt *& orate*, quod nec in Græcis invenitur, nec in noſtris emendationibus. Imo totam hanc particulam nec legit nec attingit enarrans Theophylactus, quemadmodum nec Origenes, nec Hilarius: tametſi Hieronymus

mus & legit & interpretatur non indiligenter; ſimiliter & Chryſoſtomus. Si adjectitia eſt, aſſcripta videri poteſt ex Marci 13. 33. ¶ *Quia neſcitis diem, neque horam*] Hoc loco repetunt Græci cod. quod ſuperius addebatur, *In qua Filius hominis veniet*, ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τ̃ ἀνθρώπου ἔρχετ̃.

14. *Bona ſua*] Τὰ ὑπ' ἐμοῦ ὑπαρχόντα, *facultates ſuas*, ſive *ſubſtantiam ſuam*, uti ſuperius admonuimus.

15. *Propriam virtutem*] Δυνάμιν, i *facultatem*, ſive *poteſtatem*: ut ad vires, non ad probitatem pertineat.

16. *Et lucratus eſt*] Καὶ ἐποίησε, i. *fecit*, ſive *confecit*.

17. Latinius, *altera duo*, quam *alia duo*.

19. *Venit, & poſuit*] Utrumque præſentis eſt temporis, ἔρχεται, ϗ τιθησὶ, i. *Venit*, & *ſubducit*, ſive *ponit*.

20. Προσηνέγκεν, *Attulit* potius quam *tulit*. ¶ *Superlucratus ſum*] Ἐπικέρδανα ἐπ' αὐτοῖς, i. *Lucratus ſum ſupra*, ſive *ultra*, *ea*: quod idem & poſtea ſimili modo repetitur. Certe *lucratus ſum* habebat cod. Aureus. Quidam cod. pro ἐπ' αὐτοῖς habebant ἐν αὐτοῖς, i. *in illis*, Hebraico more, pro eo quod eſt *Per illa*.

21. *Euge ſerve*] Εὖ δοῦλε, i. *Bene*, ſeu *Recte*, *ſerve*. Vox eſt collaudantis & applaudentis ei qui functus officio. Licet idem polleat *euge*, εὖγε, *bene ſane*.

24. *Congregans ubi non ſparſiſti*] Καὶ συνάγων ὅθεν οὐ διεσκόρπισα, i. *congregans inde ubi non ſparſiſti*.

26. *Meto ubi non ſemino*] Θερίζω ὅπου οὐκ ἔσπειρα, i. *meto ubi non ſeminavi*. Præſertim cum ſequatur, *& congrego ubi non ſparſi*. Ac paulo ante ſervus ita loquitur, *Metis ubi non ſeminaſti*, quæ verba dominus retorquet in famulum. Nec eſt

27. *Pecuniam* Græce, ſed ἀργύριον *argentum*. Quam D. Hieronymus ad myſterium accommodat; etiamſi Græcis nonnunquam pro *pecunia* uſurpatur, ſed *argentea*, per ſynecdochen, quemadmodum pro *gladio* dicimus *ferrum*. ¶ *Committere pecuniam meam*] *Committere* non eſt hic *credere*, ſed βαλεῖν, h.e. *deponere*. Quanquam ſenſum bene reddidit Interpres: ac *mittere* comperi ſcriptum in cod. Aureo. In cod. Conſt. raſuræ veſtigium teſtabatur ſcriptum fuiſſe *mittere*. καπηλεῖν Græcis dicuntur qui præſentem numerant pecuniam, & crumena βαλλάντιον dicta videtur quod in eam *mittatur* pecunia.

29. *Et quod videtur habere*] Καὶ ὃ ἔχει, i. *& quod habet*: atque ita legit & Hilarius. Unde apparet ex altero Euangeliſta huc tranſcriptum, quod abſurdum videbatur tollere quicquam ab eo qui nihil habeat.

31. *Majeſtatis ſuæ*] Δόξης, i. *gloriæ*: nam ita frequenter gaudet vertere.

32. *Et ſeparabit eos abinvicem*] Cum præceſſerit *gentes*, tamen mutato genere ſubjecit *eos*; quod tamen Interpreti non poteſt imputari, cum ſic habeatur in Græco. Verum *ab invicem* Latinius certe reddi poterat, *ſeparabit eos, alios ab aliis*, ſive *alteros ab alteris*, cum de duobus loquatur ordinibus, altero piorum, altero impiorum.

35. Συνηγάγετε belle vertit *collegiſtis*, pro *hoſpitio excepiſtis hoſpitem & errantem*.

40. *Fratribus meis minimis*] Ἐλαχίστων. Mirum quid Interpreti venerit in mentem ut eandem vocem paulo poſt verteret per comparativum, *minoribus*, cum de eiſdem loquatur. Et tamen ex hoc loco, puto, ſibi cognomen *Minorum* ſumpſerunt quidam Franciſcanæ familiæ.

41. *Tunc dicit Rex & his qui à ſiniſtris*] *Rex* nec additur apud Græcos, nec in aureo codice. ¶ *Maledicti*] κατηραμένοι, i. *exſecrati*, ſive *devoti*.

44. *Sitientem*] Ἢ διψῶντα, i. *aut ſitientem*: conſentientibus & antiquis Latinorum codicibus.

21. *Euge*] *Bene*: vel, *Recte*. ¶ *Super pauca*] Vel, *paucis præfectum*. ¶ *Intra*] Quidam diſtinguunt poſt *intra*, q. d. Ingredere domum meam, in maximum meum gaudium, i. gaudeo quod te talem præſtiteris.

24. *Scio*] *Novi te*; vel *noveram te*, *quod*, &c.

25. *Et timens*] *Timens itaque*.

26. *Semino*] *Seminavi*, i. Sciebas me eſſe avarum.

27. *Committere*] Vel, *deponere*.

29. *Videtur habere*] *Habet*.

30. *In tenebras exteriores*] i. in locum ſupplicii ubi perpetuæ tenebræ.

31. *Majeſtate*] *Gloria*. ¶ *Omnes**] * *Sancti*.

34. *Benedicti*] i. fortunati, vel favorabiles. ¶ *Poſſidete*] *Jure hereditario percipite*.

37. **Sitientem*] * *Aut ſitientem*. V.

40. *Quatenus*] *Quamdiu*. Et infra.

41. *Maledicti*] Vel, *infelices*: aut, *exſecrabiles*, *devoti*.

45. *Minoribus*] *Minimis*.

46. *Et*] *Et* pro *Itaque*.

C A S T A L I O.

21. INgredere *in Domini tui voluptatem*] i. Fruere meis bonis.

C L A R I U S.

1. TUnc *ſimile erit*] Parabola hæc & ſequentes accommodæ ſunt jam inſtitutæ orationi. ¶ *Decem virginibus, qua accipientes lampades ſuas*] Omnes enim animæ virgines atque incorruptæ conditæ ſunt, & lumen à Deo acceperunt: quod quæ prudentes ſunt nutriunt, ut perſeveret.

3. *Oleum*] Viſcera miſericordiæ in proximum quemque, quorum duntaxat, aut in primis, mentio in die judicii fiet.

5. *Dormitaverunt omnes & dormierunt*] Somno gravatæ ſunt & dederunt ſe ſopori. Omnes quidem morimur; ſed plurimum refert quo quis apparatu ſe huic ſomno tradat.

10. *Dum autem irent emere*] Dum animo & cogitatione verſarent hanc olei indigentiam.

15. *Unicuique ſecundum propriam virtutem*] *Secundum rationem fidei & purificationis*, ajunt quidam. Sed pluribus verbis opus haberet hic locus ob curioſas hujus ævi hominum diſputationes, quæ ædificationem quidem nullam, quod hactenus intellexerim, ſed diſſenſiones plurimas pariunt; & dum medici inter ſe decertant, interim ægri moriuntur.

18. *Qui autem unum acceperat*] Cur ſcribitur *eum qui unum acceperat occultaſſe talentum*, & non *eos qui quinque*, aut *duo*? Fortaſſe ne deterreantur quibus majora ſunt aggrediendæ, dum ab eo cui plura creduntur plura etiam repetuntur: nam exiguo in negotio ut minus periculi eſt, ita minus excuſarur qui recuſat.

24. *Metis ubi non ſeminaſti*] Repetens fructum eorum qui cuique crediti ſunt, ab eo cui ſunt crediti.

27. *Oportuit ergo*] Id ipſum quod ad te excuſandum protuliſti contra te facit. *Trapezita* autem meminit, h. e. *nummularii*, quia *pecunia* fecerat mentionem, ut res habeat conſequentiam. Hoc eſt autem quod dicit Apoſtolus, *Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei ſint & alios docere*.

29. *Omni enim habenti dabitur*] Augentur dona cum acceſſione rectè factorum.

41. *Qui paratus eſt diabolo*] Non enim primo paratus fuerat hominibus, ſed ipſi ſibi illum accerſiverunt. Contra vero *paratum juſtis regnum à conſtitutione mundi* dixit.

V A T A B L U S.

3. SED *quinque*] *Quæ erant*. ¶ *Sumpſerunt*] *Sumpſerant*.

4. *Acceperunt*] *Acceperant*.

6. *Ne forte*] *Nequando*: vel *Nequaquam*, *ne*. ¶ *Ite*] *Sed ite*. ¶ *Vobis*] *Vobis ipſis*.

11. *Noviſſime*] *Poſterius*: vel, *Deinde*. ¶ *Veniunt*] *Vero veniunt*. V.

12. *Neſcio vos*] *Non novi vos*, i. non eſtis mihi gratæ.

13. *Horam**] * *In qua Filius hominis veniet*.

15. *Virtutem*] *Potentiam*, *vires*.

16. *In eis*] *Per ea*, Hebr.

17. *Lucratus eſt**] * *Etiam ipſe*.

19. *Venit*] Præſentis temp. ¶ *Poſuit*] *Ponit*.

20. *Tradidiſti*] Vel, *tradideras*. Ex infra. ¶ *Superlucratus ſum*] Vel, *lucratus ſum ſupra*; ſive *ultra*, *ea*.

Z E G E R U S.

1. TUnc *ſimile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas*, &c.] Quæ ad hujus parabolæ explanationem pertinent ex Hilarii Canone XXVII carptim & breviter annotabimus. In *quinque prudentibus* & *quinque fatuis* fidelium atque infidelium eſt conſtituta diviſio. *Sponſus atque ſponſa* Dominus noſter eſt in corpore Deus. Nam ut ſpiritus carni, ita ſpiritui caro ſponſa eſt. *Lampades* animarum ſplendentium lumen eſt; quæ ſacramento Baptiſmi ſplenduerunt. *Oleum* boni operis eſt fructus. *Vaſa* humana ſunt corpora, intra quorum viſcera theſaurus bonæ conſcientiæ recondendus eſt. *Vendentes* ſunt ii qui miſericordia fidelium indigentes reddunt ex ſe petita commercia indigentiæ ſuæ, ſ. & ſaciotate boni operis noſtri conſcientiam ementes. Hæc enim indefeſſi luminis copioſa materies eſt, quæ miſericordiæ fructibus &

emenda

emenda est & recondenda. *Nuptiæ* immortalitatis assumptio est, & inter corruptionem & incorruptionem ex nova societate conjunctio. *Mora sponsi* pœnitentiæ tempus est. *Exspectantium somnus* credentium quies est, & in pœnitentiæ tempore mors temporaria universorum. *Nocte media clamor* cunctis ignorantibus tubæ vox est Domini præcedentis adventum. *Lampadum assumptio* animarum est reditus in corpora, earumque *lux* conscientia boni operis elucens, quæ vasculis corporum continetur. Hæc sufficere arbitramur ad simplicem contextus intelligentiam. Qui de singulis hujus parabolæ partibus curiosius edoceri voluerit, legat Aug. De verbis Domini serm. 22. & 23. ¶ *Obviam sponso & sponsæ*] Cave *sponsæ* vocabulum prætermittas, quod ab Origene, Hilario & Augustino ep. 120. adscriptum visitur: etiamsi secus sit apud Chrysostomum, & Augustinum Serm. De verbis Domini 22.

13. *Quia nescitis diem neque horam*] Quod his adnectitur in Græcis, ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τ ἀνθρώπου ἔρχεται, ut donem id aut simile subintelligi debere, ut per se liquet, tamen extra contextum habendum est, quod scilicet apud probatissimos illos primæ ætatis interpretes non reperiatur. Theophylacti lectione non est quod movearis, qui ut hic ita & alias à veteribus dissentit, uti & alias admonuimus.

14. *Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua*] Sermo abruptus & mutilus est, propterea quod τὸ *sicut* non habeat quod sibi respondeat. Poterit ergo suppleri sententia ad hunc modum, *Sicut homo quispiam paterfamilias peregre profecturus servos suos advocat, eisque bona sua committit; ita & ego Dominus vester brevi tempore abfuturus hæc atque ista servis meis committo.* Docet autem nos parabola, ut summatim dicam, ne unquam committamus ut munera à Deo nobis tradita, sive spiritualia sive corporalia nostra negligentia patiamur esse infructuosa, sed summo studio atque vigilantia, dum ille interim quasi abesse videtur, per pia opera ubique collocemus & convertamus ipsa in lucrum & gloriam Domini nostri atque proximorum utilitatem. Quod si pro virili fecerimus, merebimur super bona constitui longe majora, atque adeo *introire in gaudium Domini nostri.* Sin minus, etiam quod commissum est tolletur à nobis, & suppliciis deputabimur æternis.

15. *Unidedit quinque talenta*] Per *Quinque*, *Duo*, & *Unum talenta* diversa significantur dona gratiarum, quibus pro sua quisque virili fratri suo ac sibi commodare tenetur, idque in lucrum Domini creditoris, ut ita tandem dignus haberi possit bonis illis longe præstantioribus, nimirum cœlestibus. De Talenti valore supra diximus cap. 18.

27. *Committere pecuniam meam nummulariis*] Βαλεῖν, i. *dare, deponere*, sive *committere*. Et *nummularii* hoc loco potius intelliguntur qui commodatam sibi pecuniam creditori certo cum lucro restituunt. Alioqui *nummularii* vulgo dicuntur qui nummos commutandos accipiunt, suo duntaxat non etiam alieno lucro servientes.

29. *Quod videtur habere*] Ne te moveat Græc. & Lat. codicum inter se diversitas, scito illud, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ, expressius nobis donatum esse hoc sermone, *& quod videtur habere auferetur ab eo.* Utramque scripturam apud graves reperio autores.

LUCAS BRUGEN.

1. EXierunt obviam sponso & sponsæ.] *Et sponsæ*, sicut in Latinis exemplaribus constanter legitur, quanquam in eo qui Joannis Arborei commentariis additus est textu sit omissum; ita in Græcis concorditer non legitur. His volunt interpretes Græci, Euthymius, Theophylactus, Chrysostomus. Illis textus Syriacus, Tractatoresque, D. Hilarius, imperfecti operis Autor, & B. Anselmus, consentiunt. Origenes habet unde videri possit legisse; *Et suggestionem quidem, oportere in obviam ire sponso Verbo & Ecclesiæ immaculatæ, omnes quidem audierint, & surrexerunt*, &c. Habet vero item unde videri possit non legisse; *Et veniunt in obviam Salvatori, qui semper paratus est venire ad virgines eas, ut simul ingrediantur [ingrediatur] cum dignis eorum [earum] ad beatam sponsam Ecclesiam*; & postea, *Et propterea non ingrediuntur cum Verbo ad sponsam Ecclesiam, nec cum Christo ad eos qui simul in requie sunt futuri, & in beatitudine regnaturi.* Quibus significare videtur, obviam in sponso eunti ad sponsam. Augustinus, epist. 120. cap. 32. & legit & exponit, *& sponsæ*: at quæst. 59 inter 83. nec legitur nec loco suo exponitur: verum sub quæstionis finem ipse se legisse significat: *Quod vero*, ait, *sponso* [*sponsæ* legendum] *dixit obviam venire virgines, sic intelligendum puto, ut ex ipsis virginibus constet ea quæ dicitur sponsa: tanquam si, omnibus Christianis in Ecclesiam concurrentibus, filii ad matrem concurrere dicantur, cum ex ipsis filiis congregatis constet ea quæ dicitur mater.* Idem sermone De verbis Domini 22 accidit: eadem enim utroque leguntur loco.

STEPHANUS.

¶ Κεφ. κε, Περὶ Ἰωάννου καὶ Ἡρῴδου.

Matth. ἐν τῷ Λατ. Ἰμ. ιδ', Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἤκουσεν Ἡρῴδης ὁ τετράρχης τ ἀκοὴν Ἰησοῦ, καὶ εἶπε πρὸς παῖδας αὐτοῦ, Μήτι οὗτός ἐστιν Ἰωάννης ὁ βαπτιστής;

Ἡρῴδης περιφρόμοιο κάρη τάμε τηλόθι χαλκῷ.

Ἄλλως,

Βαπτιστῆ κεφαλὴν βασιλεὺς ἐχαρίσατο κούρῃ.

5. ΕΝύξαν, καὶ ἐκάθευδον] *Dormitare, & tandem dormire cæperunt.*

7. Ἐτοίμασαν] *Apparaverunt.*

9. Μήποτε οὐκ ἀρκέσει] Non dabimus: *ne forte non sufficiat.*

15. Κατὰ τ ἰδίαν δύναμιν] *Secundum suam facultatem:* id est, negotiandi peritiam.

16. Εἰργάσατο] *Negotiatus est.*

24. Σκληρὸς εἶ ἀνθρωπε, θερίζων ὅπου οὐκ ἔσπειρας, καὶ συνάγων ὅθεν οὐ διεσκόρπισας] *Durus* es ga proximos: *metens ubi non seminasti, & colligens inde ubi non sparsisti.*

26. Ὀκνηρὲ] *Piger.*

27. Βαλεῖν] Gall. *bailler.* ¶ Ἐκομισάμην ἂν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ] *Recepissem quod meum est cum fœnore.*

29. Περισσευθήσεται] *Abundans redderur.*

32. Ἀφορίζει τὰ πρόβατα ἀπὸ τ ἐρίφων] *Separat oves ab hædis.*

36. Περιεβάλετέμε· ἠσθένησα, καὶ ἐπεσκέψασθέ μοι] *Amicistis me; Ægrotavi, & invisistis.*

46. Κόλασιν] *Supplicium.*

DRUSIUS.

1. SImile regnum cælorum decem virginibus] Hujusmodi parabola exstat in D. Camio Jos. 65. 13. *Ait R. Johannan F. Zachai, Simile est Regi qui jussit servos suos esse paratos, nec definivit illo certum tempus. Qui inter eos sapientes erant* (ad verb. *aperti*, i. פרפס) *adornarunt seipsos, & sederunt ad ostium regiæ, dixeruntque, Quicquamne domini Regis deest? Fatui qui inter eos abierunt & fecerunt opus, dixeruntque, Ullane cœna est absque labore? Subito requisivit Rex servos suos. Illi ingressi sunt ornati, & hi sordidati. Gavisus est Rex obviam factus sapientibus, & succensuit fatuis. Dixit ei, Illi sedebunt & comedent, hi vero stabunt & videbunt.* Vide sequentia.

34 *Venite benedicti Patris mei*, &c.] In Thargum, h. e. paraphrasi Chaldaica, Cohel. 9. 7. *Dixit Salomo per spiritum propheticum qui est a Domino, Futurum est ut Dominus mundi dicat omnibus justis ante se constitutis,* VADE, GUSTA CUM GAUDIO PANEM TUUM, *ut flatuum est, pro pane quem dedisti pauperibus & obscuris qui esuriebant,* ET BIBE CORDE BONO VINUM *quod repositum est tibi in horto Eden, i. in paradiso, pro vino quod miscuisti pauperibus & obscuris qui sitiebant;* QUIA ECCE MODO ACCEPTA SUNT [*aut, dudum accepta fuerunt*] CORAM DOMINO OPERA TUA BONA.

36. *Nudus eram*, &c.] Proprietates Dei, quas מדות vocant, sunt Vestire nudos, Visitare ægrotos, Solari lugentes, Sepelire mortuos. Unde *ambulare post eum* dicitur qui talia facit. Vide lib. Musar fol. 120. pag. 1.

41. *Qui ad sinistram*] i. hœdis. Supra 33. *Statuet oves quidem ad dexteram, hœdos vero ad sinistram.* Moses de Kotli refert in judiciis Judæorum duos scribas fuisse, quorum unus stabat ad dexteram, alter ad sinistram: unus scribebat verba eorum qui absolvebant, alter eorum qui damnabant reos. Hinc elicio insontes collocatos fuisse ad dexteram, & fontes ad sinistram. Sed tamen hoc pono, non statuo. Locus Mosis illius habetur in libro magno Præceptorum, 186. col. 2. ¶ *Diabolo & angelis ejus*] *Diabolus* est *calumniator*, qui *Satan* Ebræis. Simul ista leguntur Apoc. 20. 2. *Diabolus & Satanas*: & est sensus, *Hoc est Satanæ.* Quanquam *Satan* ab *adversando.* Quidam adnotat Diabolum ita differre à Dæmonibus ut Deus ab Angelis. Fallitur. Nam Deus non est Angelus. *Diabolus* & *Satan* sing. numero semper dicuntur, *dæmon* & *dæmonium* non item: Nam sæpius dicimus *dæmonia* & *dæmones*; qui sunt Angeli Satanæ sive Diaboli.

CASAUBONUS.

21. Ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστὸς, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω.] Ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστὸς [*super pauca fuisti fidelis*] genus est dicendi Hebraicum, ut eruditiss. interpres observat. Mihi autem videtur Homerus id adumbrasse cum dixit, Εὐφροσύνης ὑπόδεκτον, cui simile est apud eundem ὄχλῳ ὑπόδεκτον, pro *gloriam alicui parare*.

GROTIUS.

1. Δέκα παρθένοις, *decem virginibus*] Hæ sunt בתולות רעות [*virgines sodales*] in Psalmo XLV, 15. Σύμφωνοις [*æquales*] in Epithalamio Theocriti, παρθένοι ἑταῖραι [*virgines amicæ*] Pindaro tertia ode Pythiorum. ¶ ἐξῆλθον, *exierunt*] Προλήψις [*anticipatio*]· nam quando in occursum iverint infra dicitur 6, 7, 11. ¶ εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου. *obviam sponso*] Non de nihilo est quod & Latinus & Syrus addunt τοῦ νυμφίου [*& sponsæ*]· atque ita legisse Origenem credet si quis ejus lectioni diligenter attenderit. Suspicari licet omissum ab his qui non videbant quomodo *virgines*, id est, fideles, dicerentur *sponsæ occurrere*, cum ipsi sint Ecclesia, id est, sponsa: quod plerosque Latinos Interpretes torsit. Sed id neminem movere debuit. Nam in his Comparationibus non sunt premendæ partes singulæ, sed intuendus scopus comparationis, cætera habenda accessionum vice, ut jam aliquoties diximus supra. Scopus est quem Christus ipse indicat verbis, Γρηγορεῖτε οὖν [*Vigilate itaque*], Debere nos scilicet semper sollicitos esse de vita recte instituenda, &, ut Lucas loquitur, προσέχειν ἑαυτοῖς [*attendere sibi*]. Ut autem sciatur illud τοῦ νυμφίου [*& sponsæ*] non pugnare cum natura narrationis, ut quidam existimant, notandum est inter laudatos mores, quos à patribus Judæi acceperunt, etiam hunc fuisse, ut matrimonium non privatim sed in piorum conventu celebrarent μετ' εὐλογίας [*cum benedictione*], cujus formulæ exstant in ipsorum Ritualibus: quod, ut multa alia Judæorum instituta, imitati sunt Christiani veteres. Ignatius ad Polycarpum, πρέπει τοῖς γαμοῦσι καὶ τὰς γαμουσας μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ Κύριον καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν [*convenit, ut qui uxorem ducit & quæ nubit assentiente Episcopo jungantur, ut nuptiæ fiant secundum Dominum, & non ex concupiscentia*]. Tertullianus libro De pudicitia, *Ideo apud nos occultæ quoque conjunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.* Idem alibi, *Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii quod Ecclesia conciliat & confirmat oblatio?* Euaristus ad Africanos Episcopos, *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus, & à propinquioribus sponsetur, & legibus detetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur.* Ante hanc εὐλογίαν [*benedictionem*] sponsam sponso conjugis jure attingere nefas & Judæis & Christianis habitum. Ad hanc εὐλογίαν [*benedictionem*] deducebatur sponsus à viris grandævis, sponsa à matronis. Redeuntibus ἀπὸ τῆς εὐλογίας [*a benedictione*] obviam procedebant juvenes & puellæ, οἱ υἱοὶ καὶ αἱ θυγατέρες τοῦ νυμφῶνος [*filii & filiæ domus nuptialis*], de quibus diximus ad caput nonum. Deinde celebrabatur convivium nuptiale. Alludit hæc parabola ad Ps. XLV. & Canticum Canticorum.

3. λαμπάδας, *lampadibus*] Lampades istæ oleariæ eundem usum in Judæa præstitisse videntur quem Romæ pineæ aut spineæ faces.

4. ἐν τοῖς ἀγγείοις, *in vasis* sive *instrumentis*] Latissime patet hæc vox, ut & altera σκεῦος, per quam redditur Hebræum כלי [*vas*].

5. ἐνύσταξαν πᾶσαι καὶ ἐκάθευδον. *dormitaverunt omnes & dormierunt*] Etiam αἱ φρόνιμοι [*prudentes*]. quod non frustra est additum: πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες [*in multis enim offendimus omnes*], Jac. III, 2. præsertim in fidei initiis. Paulus ad Rom. XIII, 11. ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι. νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν [*hora est jam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus*], id est, quam cum primum credere cœpimus & Christo nomen dedimus; qui locus hunc explicat.

6. Μέσης δὲ νυκτὸς, *Media autem nocte*] Serius quam pro more: ideo præcessit χρονίζοντος τοῦ νυμφίου [*moram autem faciente sponso*]. Alioqui ut nocte duceretur sponsa à novo marito moris fuisse antiquissimi, atque ex eo manasse in nuptiis faces, notatum Servio ad Eclog. VIII. ¶ κραυγὴ γέγονεν. *clamor factus est*] Clamor nocte latius auditur, ut Exodi XII, 30.

7. ἐκόσμησαν, *ornaverunt*] תיטיבו Exodi XXX, 8. ubi de lychnis ut hic agitur. Græci ibi ἐπιμελεῖσθαι [*parare*] vertunt, & I Samuel. III, 3. alibi κοσμεῖν [*ornare*].

8. αἱ λαμπάδες ἡμῶν σβέννυνται. *lampades nostræ exstinguuntur*] Quod in lucernis Templi nefas, Exodi XXVII, 20. Sensus mysticus apud Paulum, τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε [*Spiritum nolite exstinguere*], I Thessalon. v. 19. Spiritus enim *oleum*, Hebr. I, 9. I Johan. II, 20, 27. Vide & Jobum XVIII. 6, XXI, 17.

9. Μήποτε, *Ne forte*] Recta lectio, & haud dubia ἔνδειξις [*reticentiæ*] recusationis cujus ratio redditur. Tale est illud Gen. XX, 11. Εἶπα γάρ, Μήποτε οὐκ ἔστι φοβηθῆναι τὸν θεὸν τόπῳ τούτῳ [*Dixi enim, Ne forte non sit timor Dei in loco isto*]· deest enim, *dissimulavi Sarim esse uxorem meam.* Sic & ὅτι [*quia*] poni solere cum subticentia ejus cujus ratio redditur, observatum est supra.

12. οὐκ οἶδα ὑμᾶς. *nescio vos*, sive *non novi vos*] Vide supra VII, 23.

13. οὐδὲ τὴν ὥραν, *neque horam*] Interpretamentum est quod hic Græci codices non omnes adjiciunt, ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται [*in qua Filius hominis venturus est*], ignoratum Syro, Latino, Arabi.

14. Ὥσπερ γάρ, *Sicut enim*] Ἀναζυγοπόδοτον [*Comparatio incompleta*], quale in Homero observant Grammatici illo loco,

Αἰ δ' αἴ μὲν δώσουσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοί.
[*At si magnanimi dent nobis munus Achivi.*]

Cujus generis in Paulo sunt multa, ut notavit Hieronymus. Simillimum huic est apud Marcum XII, 34. Cæterum & narrandi tempus atque occasio, & circumstantiæ narrationis multum differentes persuadent mihi hanc non esse eandem historiam quæ apud Lucam Zacchæi convivio subtexitur. Et quid vetat quominus Christus sæpe res multum simile comparationibus similibus magis quam iisdem illustraverit? Cum vero dona quæ per Christum accipimus alia sint communia, ut doctrina Euangelii & quæ eam consequuntur, alia vero peculiaria, qualia sunt τὰ χαρισματα τῆς διακονιῶν καὶ τῶν ἐνεργημάτων [*dona ministeriorum & operationum*], quæ post adscensum in cœlestem regiam Christus quibus voluit distribuit, videtur mihi Christus cursum adhuc suum peragens illa, morti vero jam propior hæc spectasse. Ideo apud Lucam res creditæ sunt æquales, hic inæquales. Vide Paulum Romanorum XII, 6. I Corinthior. XII, 7. II, 29. Ephesiorum IV, 11. ¶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ· *bona sua*] ותן sic vertitur Proverbiorum VI, 31. XI, 4.

15. κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν· *secundum propriam virtutem*] Hoc ad apologi complementum pertinet; neque propriam in similitudine applicationem desiderat. Quanquam enim negare nolim in vocatione ad functiones Deum interdum spectare id quod ante eam vocationem inest humano ingenio, id tamen non esse perpetuum vel unus Jeremias evincat.

16. εἰργάσατο ἐν αὐτοῖς, *operatus est in eis*] Græci dicerent ἐργάζεσθαι αὐτοῖς [*lucrari per ea*], aut ἀπ' αὐτῶν [*ex iis*], ut ἀφ' ὧν ἐργάζεσθαι *quæstum corpore facere.* ἐργάζεσθαι ergo hic fatis Græcum est. Sed illud ἐν [*in*] Hellenisticum, frequens admodum in ea significatione quam Latini casu sexto exprimunt. ¶ ἐκέρδησεν, *fecit* sive *lucratus est*] Latinissimus est; nam *pecuniam conficere* plerique dicunt: Sallustius etiam, *facere. Rem facere* ulitatissimum est. Apud Græcos veteres nescio an id loquendi genus sit reperire. Ideo à quibusdam substitutum est interpretamentum ἐκτήσατο [*lucratus est*].

18. ὤρυξεν ἐν τῇ γῇ, *fodit in terram*] Ita Latinis *defosso auro incubare* dicitur qui inutilem pecuniam detinet. Et apud sapientem Hebræum comparantur σοφία κεκρυμμένη καὶ θησαυρὸς ἄφανὴς [*sapientia absconsa & thesaurus invisus*] Sirach. XX, 31.

20. ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς] Supra fortem: quare Latinus optime hic *superlucratus sum.*

21. Εὖ, *Euge*] Laudantis, ut & εὖγε, quod quia Latini quoque eodem sensu usurpant prudenter hic posuit Latinus Interpres. Alioqui *Macte*, aut *Bonum factum*, aut *Bene habet* potuerat vertere. ¶ ἐπ' ὀλίγα ἦς πιστὸς, *super pauca fuisti fidelis*] Quantilla enim sunt obsequia etiam Apostolorum & martyrum, si cum tanto præmio comparentur? ¶ ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω· *super multa te constituam*] De Cyro juniore sic narrat Xenophon, εἰ δέ τινα ὁρᾷη δεινὸν ὄντα οἰκονόμον ἔν τε τοῖς δικαίοις, καὶ κατασκευάζοντά τε ἧς ἄρχοι χώρας, καὶ πορίζοντα πολλὰ, κἀνταῦθα μὲν πώποτε ἀφαιροῖτο, ἀλλὰ καὶ πλείω προστιθείη [*quod si quem reperisset qui juste rem faceret, & ornaret eam cui præerat provinciam, reditusque ibi augeret, nunquam ei quicquam auferebat, sed addebat & plura*]. Idem Oeconomico, de Rege Persarum, καὶ ὃς μὲν ἀδύνατος εἴη τοὺς ἐπιόντας σωσικομεῖν γε τῶν χώρων παρέχεσθαι καὶ ἐσθῆτι ἴσον τὸν γλιχόμενον καὶ πλήρη ἀνδρῶν τὸν οἶκον ἱκανὸς φίλους καρπῶν, τούτοις μὲν χώρους τῶν ἄλλων προστίθησι [*quos compererat Præsidum provinciam suam reddere habitatiorem, & terram excultam magis, plenamque arboribus ac fructibus quibus apta erat, his aliam provinciam adjiciebat*]. ¶ ἐπὶ

χα-

χαρὰν τ κυρίυ ſ. *in gaudium domini tui*] Id eſt, *particeps eſto herilis gaudii*, κοινωνὸς τ παρακλήσεως [*ſocius conſolationum*] II Corinth. I, 7. συμβασιλεύων [*conregnans*], II Timoth. II, 12. Tacita connexio παραβολὴν [*aſſabulationis*] cum apologo, ut & in oppoſita parte infra 30. εἰσελθεῖν [*intrare*] in Hebraiſmo eſt μετέχειν [*participem eſſe*], ut εἰ εἰσελεύσονται εἰς τ κατάπαυσίν μυ [*ſi introibunt in requiem meam*] Pſalmo XCV, 11. Hebræor. III, 11. χαρὰ [*gaudium*] עליז שמחה εὐφροσύνη αἰωνία [*lætitia ſempiterna*] Eſaiæ LX I, 7.

22. ἄλλα δύο, *alia duo*] Non opera ipſa ponderat Chriſtus ad quæ facienda non omnibus par vis, non temporis tantundem, non æqua occaſio, ſed fidele ſtudium. Itaque ſæpe,

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Juſtinus Apologetico II. unumquemque ait κατὰ ἀναλογίαν ὧν ἕλαβε δωρεάτων παρὰ Θεοῦ τ λόγον αἰτήσεσθαι [*exactum iri rationem pro modo facultatum quas à Deo accepit*].

24. ὁ τὸ ἓν τάλαντον, *qui unum talentum*] In eo cui minimum erat concreditum negligentiæ exemplum poſuit Chriſtus, ne quis ſperaret excuſatum ſe uti ab omni labore ideo quod non eximia dona accepiſſet. Plus videlicet exigetur ab eo cui plus datum eſt, ut ait Lucas: Non igitur nihil fructuum debet qui minus accepit, ſed minus debet. ¶ σκληρὸς, *durus*] *Homo durus & aſper*, ut ille de procuratore. *Aſperos & omnibus iniquos* dixit Cicero. Et ſequentia oſtendunt indicari eum qui non modo ſit ἀπραγμόδικαιος [*ſummo jure utens*] ſed & πλεονέκτης [*habendi cupidus*]. ¶ θερίζων ὅπου οὐκ ἔσπειρας, *metis ubi non ſeminaſti*] Proverbium eſt etiam apud Latinos, *Ut ſementem feceris, ita metes.* Cicero De Oratore II. Vide & Johannis IV, 37. & quæ ibi notata.

25. ἔχεις τὸ σόν. *habe quod tuum eſt*] Ita ſupra ἆρον τὸ σὸν [*tolle quod tuum eſt*] XX, 14. Formula nihil ultra debere ſe profitentis.

26. πονηρὲ, *piger*] Ita ſolent transferre Lxx Hebræorum עצל, ut in Proverbiis aliquoties. Latine vertere liceat *ceſſator*: ita enim Romani vocabant ſervos officium non facientes. ¶ ᾔδεις, *ſciebas*] Figura quam συγχώρησιν [*Conceſſionem*] vocant: Eſto ut dicis; noras me aſperum & plus æquo petentem; tanto magis curandum tibi fuit, ne me rei mei fructu fraudares.

27. τοῖς τραπεζίταις *nummulariis*] Ne dicas invenire te non potuiſſe quibus pecunia eſſet opus. Argentarii ab omnibus pecunias ſumunt fœnore: Plautus,

—— *Subducam rationculam,*
Quantillum argenti mihi apud trapezitam ſiet.

Ἀργύριον τραπεζίτῃ παρακαταθῆναι [*pecuniam collocare apud trapezitam*], dixit in Cratete Diogenes Laertius. ¶ ἐγὼ ἂν προσεκομισάμην ἂν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ. *ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura*] Ἐκομισάμην [*recepiſſem*] hic eſt ἔλαβον πομίζεσθαι [*iviſſem receptum*], id eſt, exegiſſem, ut Lucas ἐπραξα [*exegiſſem*], & Syrus hoc loco. Senſus eſt, Non eſt etiam quod in collocanda pecunia periculum obtendas: mea erat: ego eam exegiſſem non tuo ſed meo periculo. Tuti enim ſunt qui res alienas adminiſtrant quoties eis credunt quorum fidei publice creditur. Sic & Dominus noſter τὸν οἰκονόμον τ ἑαυτὸ καλῶς ἡγησόμενον, εἰ γνοίη αὐτὸν λέγει τὸ ἐπιτεθῆναι ὅτι δυνατὸς ἐστιν ὁ κύριος αὐτῦ, καὶ ἐλθὼν ἀπαιτήσει τὰ ἴδια, ἐπὶ πᾶσαν τράπεζαν καθίσαι, ἀλλ' ἢ ἐπὶ τὴν οἰκείαν ἀποστεῖλαι κατορύξαντα [*non damnabit diſpenſatorem ſi norit eum in omni menſa collocaſſe pecuniam, ideo quod ſciret dominum ſatis potentem ut reverſus ſuum exigat; ſed ita ſi norit eum qualicunque pratextu pecuniam defoſſiſſe*]. Verba ſunt Juſtini ad Tryphonem.

28. δότε τῷ ἔχοντι τὰ δέκα τάλαντα. *date ei qui habet decem talenta*] Hoc ita ſumendum quomodo illud quod in Apocalypſi eſt, κράτει ὃ ἔχεις, ἵνα μηδεὶς λάβῃ τ στέφανόν ς [*tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*]. Similitudines enim ejuſmodi accipiendæ ſunt πυκνότερον [*craſſius*].

29. τῷ γὰρ ἔχοντι, *Omni enim habenti*] Vide quæ diximus ſupra XIII, 12. Eadem enim eſt ſententia, quanquam non de iiſdem donis ibi agitur. Ἔχειν [*habere*] hic eſt *recte habere*, id eſt, bene uti, non pati χάριν κενὴν θεοῦ γίνεσθαι, ἀλλὰ πρακτάζειν [*gratiam Dei vacuam eſſe, ſed laborare*], ut Paulus I Cor. XV, 10. quod qui facit à Divina liberalitate plura impetrat. Notandum autem non ſervari in hoc apologo eum ordinem quem habet res ſignificata. Nam augmenta gratiæ de quibus hic agitur ſunt ante gaudium illud de quo actum eſt ſupra commate 23. Sed cum utrumque dicere voluerit Chriſtus, Iis qui gratos ſe præbent & majora hic dona & poſtea maximum præmium tribui, nihil referebat quo iſta ordine in comparatione ponerentur. ¶ καὶ ὃ ἔχει, *& quod habet*] Ὃ ἔχει [*quod habet*] facto, ὃ δοκεῖ ἔχειν [*quod videtur habere*] (ut Lucas loquitur, quod & hic habent quidam codices, ſed ex Luca, ni fallor) quoad jus plenum domini quod non habet. Vide quæ ſupra.

30. ἀχρεῖον δοῦλον, *inutilem ſervum*] Bene vertit Syrus בטלה: Idem enim valet quod ὀκνηρὸς, id eſt, ut modo diximus, *ceſſator*. Ita enim hac voce utebantur Helleniſtæ. Tob. IV, 14. ἐν τῇ ἀχρειότητι ἐλάβομεν καὶ ὕβρεις μεγάλας· ἡ γὰρ ἀχρειότης μήτηρ ἐστὶ θανάτυ μεγάλυ [*in deſidia damnum & inopia magna: deſidia enim famis mater*]. Neque aliter interpretor Lucæ XVII, 10. Sic נאלחו ἠχρειώθησαν [*inutiles ſive deſides facti ſunt*] vertunt Græci in Pſal. XIV, 3. & LIII, 4.

31. ἅμα πάντες οἱ ἅγιοι ἄγγελοι μετ' αὐτ, *& omnes Angeli cum eo*] Divinæ potentiæ deſcriptio. Alluditur enim ad Zachariæ verba XIV, 5. ¶ ἐπὶ θρόνυ δόξης αὐτ *ſuper ſedem majeſtatis ſuæ*] Similitudo à Regibus ſumta, qui cum res maximas tractant inſident magnifico ac ſublimi ſolio. Vide ſupra XIX, 28. & Dan. V, 20. Vide & Thalmudem titulo *Aboda Zara*.

32. πάντα τὰ ἔθνη· *omnes gentes*] Poteſt intelligi de omnibus viventibus & mortuis totius οἰκυμένης [*terrarum orbis*], ut Actor. X, 42. XVII, 31. Probabilis tamen eſt eorum ſententia qui proprie hic exiſtimant agi de iis qui in omnibus populis Chriſti nomen erunt profeſſi: quia illi, in hoc Mundo permixti boni malis, tum demum ſegregabuntur, ut ſupra docuit Retis & Agri comparatio. Accedit quod iſta exacta vitæ diſquiſitio videatur peculiariter ſpectare eos qui in cenſu ſunt Chriſtiani nominis, ut ſupra videre eſt VII, 21. Nam ſicut Jura dicunt *in confeſſos nullam eſſe partes niſi condemnandi*, ita qui Euangelium contemſerunt jam velut damnati ſunt propria confeſſione: ὁ μὴ πιστεύων ἤδη κέκριται [*qui non credit jam judicatus eſt*], Johann. III, 18. Lactantius VII. Inſtitutione, cap. XX. *Nec tamen univerſi tunc à Deo judicabuntur, ſed ii tantum qui ſunt in Dei religione verſati. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam ſententia de his in abſolutionem ferri non poteſt, jam judicati damnatique ſunt; ſanctis libris conteſtantibus non reſurrecturos impios in judicium. Judicabuntur ergo qui Deum ſcierunt & facinora eorum, id eſt, mala opera cum bonis collata ponderabuntur.* Hieronymus Dialogo I adverſus Pelagium, *Non reſurgent impii in judicio. Jam enim in perditionem ſunt præjudicati.* Idem tradit ex Græcis Theophylactus ad II caput Johannis. Nec diſſentit Cyprianus Teſtimoniorum libro III, num. 31. Diſcrimen Ovium & Hircorum reſpicere videtur Ezechielis locum XXXIV, 17.

33. ἐκ δεξιῶν, *à dextris*] Dextra virtutes, Siniſtra vitia notat, Eccleſ. X, 2. Jonæ IV, 11. Rurſum dextra τὴν εὐλογίαν [*benedictionem*], ſiniſtra τὴν ἀρὰν [*maledictionem*]. Ideo εὐλογίαι [*benedictiones*] Legis pronuntiatæ ſunt obverſo vultu ad Montem Garizim, qui, ut Hebræi docent, ſitus erat ad Meridiem; Meridiem autem ימין, id eſt, *dextram*, Hebræi vocant: ἀραὶ [*maledictiones*] vero prolatæ ſunt ore obverſo ad Montem Hebal qui ad Aquilonem, id eſt, ad ſiniſtram erat poſitus. ¶ τὰ δ ἐρίφια ἐξ εὐωνύμων. *hædos autem à ſiniſtris*] Hi dicuntur pars Samaëlis, id eſt, diaboli, apud Joſephum Jacchai ad VIII Danielis. Dextræ & ſiniſtræ in judicio poſt hanc vitam etiam apud Platonem mentio, ubi de Ere Armenio agit. Ac ſicut ipſi mali dæmones שעירים, id eſt, *hirci*, Hebræis dicuntur, ſic eorum diſcipuli, *hædi*. Eſt enim id animal & libidinoſum & olidum.

34. οἱ εὐλογημένοι, *benedicti*] Ad quos ex fœdere ſpectat ſumma illa & nullis malis interrupta felicitas, quam Legis εὐλογίαι [*benedictiones*] rerum temporalium ſpecie adumbrabant. His opponuntur infra κατηραμένοι [*maledicti*]. Vide Deuteronomii XXVIII. ¶ κληρονομήσατε, *poſſidete*] *Mancupii jure poſſidete*, ut vocem κληρονομῶν alibi ſumus interpretati. Petrus I, cap. III, 9. Εἰς τοῦτο ἐκλήθητε ἵνα τὴν εὐλογίαν κληρονομήσητε [*in hoc vocati eſtis ut benedictionem hereditate poſſideatis*]. ¶ τ ἡτοιμασμένην ὑμῖν, *paratum vobis*] Id eſt, aſſignatam vobis Divinitus, ut ſupra XX, 23. I Corinth. II, 9. Hebræorum XI, 16. Ita enim ſolebant uſurpare Helleniſtæ, ut Tob. VI, 22. de Sara Tobiæ conjuge, ὅτι σοὶ αὕτη ἡτοιμασμένη ἦν ἀπὸ τ αἰῶν ς [*quia illa tibi parata fuit à ſeculo*]· qui locus illum Geneſeos reſpicit XXIV, 44. αὕτη ἡ γυνὴ ἣν ἡτοίμασεν κύριός ς τῷ ἑαυτὸ θεράποντι Ισαακ [*ipſa eſt mulier quam præparavit Dominus ſuo famulo Iſaac*], הכין יהוה. Sic *matrimonium à conditu mundi deſignatum* memorat Rabbi Iſraël expoſitione ad Pſalmum LI. ¶ ἀπὸ καταβολῆς κόσμυ· *à conſtitutione mundi*] Vide ſupra XIII, 35. Lucæ XI, 50. Hebræor. IV, 3. IX, 26. Apocalypſeos XIII, 8. XVII, 8. Sed alibi ἀπὸ καταβολῆς [*à conſtitutione*] tempus deſignat poſt orbem conditum, hic vero tantum valet quantum πρὸ καταβολῆς [*ante conſtitutionem*], quod eſt Epheſiorum I, 4. & I Petri I, 20.

35. Ἐπείνασα γὰρ, *Eſurivi enim*] Inter veras virtutes eminet Miſericordia: ideo hanc pro omnibus ponens Chriſtus exemplis depingit maxime notis atque conſpicuis. opera autem ipſa potius nominat quam animi affectum, ut humani judicii figura

magis exprimeretur. ¶ *συνηγάγετέ με· collegiſtis me*] Dicit quidem Athenæus Græcis *συνάγειν* [*colligere*] eſſe τὸ μεθ' ἑαυτῶν πίνειν [*unabibere*], Menandrum citans: ſed hic haud dubie Hebraiſmus eſt. Nam Helleniſtis *συνάγεσθαι* [*colligi*] dicitur etiam unus qui hoſpitio recipitur II Samuelis XI, 27. de Bethſabea, καὶ συνήγαγεν αὐτὴν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ [*collegit*, id eſt, *introduxit eam in domum ſuam*], ספה.

37. λέγοντες, Κύριε, *dicentes, Domine*] Vel hinc apparet multa huic deſcriptioni inſeri ὁμοιολογικὰ [*parabolica*]. Senſus eſt, Pios admiraturos bonitatem Chriſti ipſorum facta exigua tam benigne interpretantis.

40. ἐφ' ὅσον, *in quantum*] *Eo quod*, ut Rom. XI, 13. Pari ſenſu καθ' ὅσον Hebræorum VII, 20. ¶ ἀπ' ἐλαχίστων, *ex minimis*] Id eſt, κἂν ἐλαχίστων [*vel ex minimis*], ut jam diximus aliquoties. Tanta eſt connexio Chriſti & Chriſtianorum, tamque arcta neceſſitudo, ut Chriſtus ſe pro beneficiis in illos collatis expromiſſorem & illatarum injuriarum vindicem conſtituat. Vide ſupra X, 42. ¶ ἐμοὶ ἐποιήσατε. *mihi feciſtis*] Id eſt, perinde id habeo ac ſi mihi feciſſetis; quomodo uxori facta injuria marito facta cenſetur.

41. τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον τὸ ἡτοιμασμένον τῷ Διαβόλῳ. *in ignem aeternum qui paratus eſt diabolo*] De principe malorum Angelorum, qui Satan & Διάβολος eximie dicitur, actum eſt ſupra. Cæterum notant hic veteres non dici ſupplicium illud æternum quod hic Ignis nomine deſignatur *paratum* aut *aſſignatum eſſe* ἀπὸ καταβολῆς κόσμου [*à conſtitutione mundi*], ut de Regno dictum fuit, ſed nec dici *paratum fuiſſe hominibus*, verum *Diabolo & Angelis ejus*; ut intelligatur ſumma Dei φιλανθρωπία [*in homines benevolentia*], qui bonorum omnium cumulum hominibus nondum creatis paravit & certis legibus deſtinavit, motus ſua bonitate; at cruciatum nullum deſtinavit προηγουμένως [*præcedaneè*], ſed extorquente malitia, primum quidem Angelorum rebellium, deinde eorum hominum qui alienam culpam imitantes, ad pœnitentiam inſuper invitati, quod Angelis non contigerat, alienum ſupplicium in ſe traxerunt: ita

—— *Facinus quos inquinat æquat.*

quod Imperatores Romani ex Lucano deſumtum in leges ſuas tranſtulerunt. Latina vetuſtior vulgari interpretatio ſolebat hic habere, *quem præparavit Pater Diabolo*, ſenſu magis expreſſo quam annumeratis verbis.

46. εἰς κόλασιν αἰώνιον· *in ſupplicium æternum*] Reſpicitur Danielis locus XII, 2. ubi ſimilis eſt repetitio vocis αἰώνιον· ἐξεγερθήσονται οἱ μὲν εἰς ζωὴν αἰώνιον, καὶ οἱ μὲν εἰς ὀνειδισμὸν καὶ εἰς αἰσχύνην αἰώνιον [*ſurgent alii ad vitam æternam, alii ad opprobrium & dedecus æternum*]· ad quem locum videndus Paraphraſtes Jacchaides huic loco convenientia docens. Clemens Epiſtola II. εἰ μὴ γε οὐδὲν ὑμᾶς ὠφελήσει εἰς τὸ αἰώνιος κόλασεως [*ſi non nihil vos liberabit à ſupplicio æterno*]· Urgent hæc Chriſti verba veteres contra Origenem, qui viciſſitudines quasdam præmiorum & pœnarum à Platonicis hauſtas in Chriſtianiſmum invexerat. Quid Origenes ſenſerit, ex ipſius ſcriptis difficile eſt dictu; adeo omnia à Ruffino ſunt interpolata. Hoc quidem loco qui Origenem leget, nihil in ejus verbis inveniet quod à communi Chriſtianorum ſententia recedat. Alibi obſcure loquitur, nec videtur ſibi conſtare. Epiphanius, qui multus eſt in reprehendendo Origene, hanc tamen partem proprie non attingit, niſi quod dicit doceri ab eo animas προϋπαρχειν [*ante exſiſtere*] & pœnæ cauſa immitti corporibus. At Auguſtinus Origenis errorem hunc in modum deſcribit, *Sunt & alia hujus Origenis dogmata quæ Catholica Eccleſia omnino non recepit, in quibus nec ipſum falſo arguat, nec poteſt ab ejus defenſoribus excuſari; maxime de purgatione & liberatione, ac rurſus poſt longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis univerſæ creaturæ. Quis enim Catholicus Chriſtianus, vel doctus vel indoctus, non vehementer exhorreat eam quam dicit purgationem malorum? id eſt, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus & ſacrilegiis atque impietatibus, quamlibet maximis, finierunt, ipſum etiam poſtremo Diabolum atque Angelos ejus, quamvis poſt longiſſima tempora, purgatos atque liberatos Regno Dei lucique reſtitui, & rurſus poſt longiſſima tempora omnes qui liberati ſunt, ad hæc mala demum relabi & reverti: & has vices alternantes beatitudinum & miſeriarum rationalis creaturæ ſemper fuiſſe, ſemper fore?* Quæ opinio ita deſcripta, ſi eſt Origenis, haud dubie inter Chriſtianos propria eſt ipſius, & valde paucorum quos ejus traxit auctoritas, & à Platonicis hauſta; quam in libris de civitate Dei accurate refutat Auguſtinus. Cæterum aliquando deſitura quorundam ſupplicia, ſaltem ſenſibilia, videtur non primus exiſtimaſſe. Nam Juſtinus Colloquio cum Tryphone ita diſputat, Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ διανοητέον φαῦλοι πάσας τὰς ψυχὰς εἶναι· ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ οὐκ ἀληθῶς τοῖς κατὰ τοῦτο· ἀλλὰ τί; τὰς μὲν τῶν δικαίων ἐν κρείττονι τοῦ χώρου μένειν, τὰς δὲ ἀδίκους καὶ πονηρὰς ἐν χείρονι τοῦ πρέποντος ὑποδεχομένας χρόνον τοῦτο· ὕστερον αἱ μὲν ἄξιαι ᾗ θεὸς φανεῖται, οὐκ ἀποθνήσκουσιν ἔτι· αἱ δὲ κολαζόμεναι ἐς ἀεὶ αὐτὰς καὶ ἄνευ καὶ κολάζεσθαι ὁ θεὸς θέλῃ [*At verò nec ego dico omnes animas interire; lucrum enim id eſſet malis. At quid? Bonorum quidem animas in melius manere loco: malas autem & improbas in pejus, ibi expectantes judicii tempus. Itaque dignas ſe Deo oſtenderunt poſthac non interibunt: illæ autem punientur quamdiu eas Deus & eſſe & puniri voluerit*]. Quo ducentia quædam & apud Theophilum & apud Tatianum legere eſt; & apud Irenæum libro II, 64. Quos ſecutus Arnobius libro ſecundo animas ait Chriſto docente eſſe mediæ qualitatis, interire quæ poſſint, & ab exitio liberari: interitum illum eſſe mortem veram nihil reſiduum facientem: *Animæ*, addit, *neſcientes Deum perlongiſſimi temporis cruciatu conſumuntur ignifero.* At Tertullianus, *Enimvero nos qui ſub Deo omnium ſpeculatore diſpungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus merito ſolis innocentiæ occurrimus, & pro ſcientiæ plenitudine & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum ſempiterni.* Minutius *pœnam* dicit *ſempiternam.* Idem, *nec tormentis aut modus ullus aut terminus.* Item, *Pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur ſed inexeſa corporum laceratione nutritur.* & Lactantius, *Si autem corpus vicerit animam illamque ſubjecerit, ſit in tenebris ſempiternis & morte: Cujus non ea vis eſt ut injuſtas animas exſtinguat omnino, ſed ut puniat in æternum.* Alibi, *Idem divinus ignis, una eademque vi atque potentia & cremabit impios, & recreabit; & quantum e corporibus abſumet, tantum reponet, ac ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit: quod Poeta in vulturem Tityi tranſtulerunt.* Quod de Poetis dicit, optime explicabitur iſtis Ovidii in Ibim,

Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus,
Horaque erit tantis ultima nulla malis.

Huic ſententiæ, præſertim circa eos qui Deum ſibi notum contumelia afficiunt, omnino favet Apocalypſis XIV, 11. XX, 10. Quod ſi quis veterum hac de re non definitiones ſed dubitationes velit noſcere, adeat Hieronymum fine Commentariorum ad Eſaiam, & Auguſtinum De Civitate Dei libro XXI.

PRICÆUS.

Com. 1. " Αἵτινες λαβοῦσαι τὰς λαμπάδας αὐτῶν, ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου] Apulejus 10. *Veluti nuptiales epulas obitura Domina coruſcis facibus præluebant.* ἁρπάσας τὸ χαμηλὸν ἐκλάμψασαν φῶς apud Heliodorum occurrunt. Vide & 2 Eſdr. 10. 2.

Com. 8. αἱ λαμπάδες ἡμῶν σβέννυνται] Apud Ariſtophanem Nubibus,

Ἔλαιον ἡμῖν οὐκ ἔνεστ' ἐν τῇ λύχνῳ.

Com. 12. οὐκ οἶδα ὑμᾶς] Quaſi dicat, μή μοι πόρρω πωλείσθω, ἐγὼ γὰρ οὐκ ἀγοράζω· ut Luc. 11. 7. ſupra hic jam dictum erat ἡ θύρα κέκλεισται. οὐκ οἶδα ὑμᾶς alienantium ſe locutio eſt, admixto etiam aſperitatis tantillo. Apud Plautum,

Neque vos qui homines ſitis novi, neque ſcio.

Apud Lucianum in Timone, Ἐπειδὰν πεῖθω ἅλαχε τῇ Ἐρεχθέως φυλῇ ἀφορίσειν τὸ ψηφισθέν, κἀγὼ προσῆλθον αὐτῶν τῷ γραμματεῖ, οὐκ ἐᾷ γνωρίζειν πολίτην ὄντα. Ovidius,

—— *Nec me vir nosſe videri:*
Quisque ſit, audito nomine, Naſo, rogat.

Com. 13. γρηγορεῖτε] Marcus ἀγρυπνεῖτε. Arrianus 3. 4. in Epictetum, προσέχε τῇ φαντασίᾳ, ἀπαγρύπνει. Hieronymus in Epiſtolis, *Vigil ſenſum ſit, nec vanis cogitationibus patens.* Horatius dixit *Vigila, hoc age.* Apulejus *Evigila*, & *tecum eſto.* Sequentia ἐν ᾗ ὁ υἱὸς, &c. non temere rejicienda puto. Vide ſupra 14. 50. Luc. 12. 46.

Com. 21. ἐπ' ὀλίγα ἦς πιστὸς] Id eſt, μικρᾶν ἔχεις δυνάμιν (ut Apoc. 3. 8.) καὶ ἐτήρησάς μου τὸν λόγον· qui locus hunc illuſtrat cum ob vocem δυνάμιν, (vide ſupra com. 15.) tum quod additur, δέδωκα ἐνώπιόν σου θύραν ἀνεῳγμένην, quibus hic non male reſpondet τὸ εἰσέρχεσθε.

Eod. com. ἐπὶ πᾶσιν σε καταστήσω] Cicero ad Q. Fr. *Quanta eſt in quoque fides tantum cuique committendum.*

Com. 24. ἔγνων σε, ὅτι σκληρὸς εἶ ἄνθρωπος] Apud Plautum,

Scio ſævum quam ſit homo & durum.

Et

Et Senecam in Thyeste,

—— Novi ego ingenium viri
Indocile, flecti non potest.

Dominicæ asperitatis recordatione se impulsum dicit. Sic Pamphiles veneficæ ancilla apud Apulejum, *Mecumque reputans Domina mea mores*, &c. *jam de fuga consilium tenebam.* Σκληρὸς hic est fere qui Petro 1. 2. 18. σκολιὸς dicitur. *Acer* (ut de Galba Suetonius) *& vehemens, & in coercendis deliciis immodicus.* Ἡμῖν τὰς πρωτείας πικρὸς ἢ ἀπεχθὴς, ut de Pindaro quodam Variarum 3. 26. Ælianus,

Immitis, atrox, sævus, implacabilis.

Sic in Equit. Aristophanis,

—— δεινότης Ἀχρειοῦ ἐγγλωΐ. ——

ubi Scholia, ΣΚΛΗΡΟΤΗΣ, ἢ ἀνήμερος, ἢ τραχύτης· quomodo & σκληρὸν ἢ ἀνήμερον τὴ φύσιν, Plutarchus dixit, in de Liber. educ. Σκληρὸς etiam in Contextu nostro (quod nec minus nobis ob quæ hic sequuntur arridet) sonare potest quod *Asper, & attentus quæstûs*, apud Horatium: quod, *Durus, difficilis, tenax*, Afranio apud Nonnium Marcellum: quod

—— *Tristis, parcus, truculentus, tenax,*

Terentio in Adelphis.

Ibid. Θερίζων ὅπου οὐκ ἔσπειρας] Aristophanes de Cleone, ἁρπάσειεν ἁμῶν ἥμισυ· hæc autem cum sequentibus ostendunt & σκληρὸς vocabulo & πλεονεκτεῖν & ἅρπαγα indicari. Jobus consimili characterismo 21. 19. Δίκαιος ἥρπασε, καὶ οὐχ ἑαυτὸν αὐτῷ· & Seneca, *Agellum quem non emeras, possides*: adde Mich. 2. 2. Augetur porro his verbis invidia improbitatis ejus: *nam ut nemo tam sluticum est ut quæ non fœneraverit putet reddenda esse, sic nemo sibi solvi vult quæ non commodat.* Salvian. 4. de Avar.

Com. 27. Βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις] Sic ἀργύριον τραπεζίτῃ παρακαταθήκην apud Diog. Laertium.

Com. 28. Ἄρατε οὖν ἀπ' αὐτοῦ τὸ τάλαντον, καὶ δότε τῷ ἔχοντι τὰ δέκα τάλαντα] Id est, ἄρατε ἀπ' αὐτοῦ τὴν ἢ Θεὸς βασιλείαν, καὶ δότε τῷ σὺν αὐτῷ καρπὸς αὐτῆς πολύν· supra 21. 43. Ita quod usu humano comparatum est,

—— bi qui minus habent
Ut semper aliquid addant divitioribus.

videmus etiam in donis cœlestibus obtinere,

Dantur opes nullis hæ nisi divitibus:

Com. 29. Τῷ γὰρ ἔχοντι, &c.] Ἔχειν hoc est quod apud Philonem μὴ μόνον αὐτὴν καὶ ἀπολιπόντα ἃ τις ἔλαβε φυλάττειν, ἀλλὰ καὶ πλείονος ἐπιμελείας ἀξίαν, ἵνα ὁ πεπιστευμένος μηδὲν ἔχῃ φυλακῆς ἀπαθές. Qui donis (inquit Christus) divinitus datis culturam adhibuerit, qui semina Spiritus sancti foverit nutriverit que, αὐξανόμενα, mensura uberiore dicabitur donec εἰς ἄπειρον πλῆθος excreverit. Optime illustrantur hæc ex iis Hebr. 6. 7. γῆ ἡ πίουσα τὸν ἐπ' αὐτῆς, &c. ubi εὐλογίαν βοτάνην πιστὴν est quod hic ἔχειν· ἐπιλαμβάνεσθαι δὲ Θεῷ λαμβάνειν quod hic ἀφαιρεῖσθαι αὐτοῦ. Similis apud Petrum sensus, cum dixisset enim ἀδελφοὶ σπουδάσατε βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ τὴν ἐκλογὴν ποιεῖσθαι, subdidit, οὕτως γὰρ πλουσίως ἐπιχορηγηθήσεται ὑμῖν εἰς τὴν αἰώνιον Κυρίου βασιλείαν ἡμῶν· quibus hic τὸ ἀφαιρεθήσεται respondet. Agapetus (de Deo loquens) apposite & eleganter, Τὸ χρεῖον εἰς χάριν λαμβάνει, καὶ τὸν χάριτος χάριν ἀνταδίδωσι. Et Irenæus, *Deus in se assumit operationes justi, ut præstet nobis retributionem bonorum suorum.* De Cyro Xenophon, Εἰ δέ τινα ὁρᾷ ὄντα οἰκέτην οὐκ ἀγαθὸν, καὶ καταπαύοντα τὰ τῆς ἀρχῆς χρήματα, καὶ σκυτέας ποιοῦντα, οἶδεν ὅτι πάντα ἀφαιρεῖται, καὶ πλείονα σκυτέα. Ἔχειν autem ἀμεταβάτως positum bene Græcum est. Lucianus, Οὐκ ἂν λάβοις ἃ μὴ ἔχεις. In vet. Senario,

Αὐτὸς πεινῶσι τοῖς ἔχειν μὴ φθάνει.

Ibid. Καὶ ὃ δοκεῖ μὴ ἔχειν, &c.] Alcimus Avitus,

Auxilium conatus amat, quis namque vacantem
Adjuvet? aut somno virtutem jungat inerti?

Ubi *habet* pro *amat* scribendum. Hanc Divinæ sapientiæ viam secuta est & humana prudentia in l. 2. Cod. de Debit. Civit. *Ab eo autem à quo constat fortunarum suarum maximam partem recessisse, etiam reliquam portionem quæ apud eum resederit transferri ad idoneum oportebit.* Cic. 3. Offic. *Lex ipsa naturæ, quæ utilitatem hominum conservat & continet, decernit profecto ut ab homine inerti & inutili* (qui supra hic 26. ὀκνηρὸς, & infra 30. ἀχρεῖος) *ad sapientem bonum fortemque virum transferantur res ad vivendum necessariæ.* Huc & aptari possunt quæ Solomo in Gnomolog. Ὁ πλούτου φειδόμενος φίλος πολλὰς, ὁ δὲ πτωχὸς ἢ διὰ τὸ ὑστερεῖσθαι φίλος λείπεται. Caducorum in spiritualia bona mutato nomine sensus Euangelii efficitur.

Com. 33. τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, τὰ δὲ ἐρίφια ἐξ ἀριστερῶν] Sic in Illustrium Apophthegm. apud Plutarchum, ἐπὶ δεξιᾷ οἱ βελτίονες, ἐπ' ἀριστερᾷ οἱ χείρονες. Dextera autem felicitati hic assignatur, sinistra pœnæ. Plane sic apud Poetam præcipuum,

Hac iter Elysium nobis; at læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

Philo Apollinis habitum in de Legatione depingens, Τόξον τῇ δεξιᾷ ἔβαλε κρατῶν χρυσῆν, χλαῖνα ἡ ἐν τῇ δεξιᾷ πορφυρᾶ, ὡς δεῖν τὰ μὲν ἀγαθὰ ὁρίζειν ἐξ ἑτοίμου, καὶ πεπλῆχθαι τὴν βελτίονα τάξιν ἐπὶ δεξιᾷ, τὰς δὲ κολάσεις ὑποστέλλειν, καὶ μὴ καταδεεστέρᾳ χρῆσθαι ἐπ' ἀνόμοις κεκληρῶσθαι. Paria Saturnal. 1. Macrobius.

Com. 34. δεῦτε οἱ εὐλογημένοι, κληρονομήσατε, &c.] Sil. Italicus (non optimus sæculi non pessimi Poëta)

At vos siderea, quem nulla æquabitur ætas,
Ite decus terrarum anima, venerabile vulgus
Elysium, & castas sedes decorate piorum.

Minos in Mort. Dial. apud Lucian. Ὁ λῃστὴς ὅτου Σώστρατος εἰς τὴν Πυριφλεγέθοντα ἐμβεβλήσθω, &c. ὑμᾶς δὲ οἱ ἀγαθοὶ ἅπαντες ἢ τάχος εἰς τὸ Ἠλύσιον πεδίον, καὶ τὰς μακάρων νήσους κατοικεῖν.

Sequitur, ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν] Τὴν κληρονομίαν ἄφθαρτον, ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον, τετηρημένην εἰς ὑμᾶς πεπιστωμένους, 1 Pet. 1. 4.

Post, ἐπὶ κατεβολῆς κόσμου] Contra Jud. com. 14. εἰς ἐξόφθαλμον τοῦ σπόρους εἰς τὸν αἰῶνα πεπίμπλη).

Com. 36. Γυμνὸς, καὶ περιεβάλετέ με] Gloss. περιβάλλω ἱματίῳ· *Amicio, cooperio.* Specimen διεξηγήσεως hujusmodi in his Apulejanis, *Sedebat humi scissili palliastro semiamictus* & Ital. *Una ex duabus lacinia mea exuo, eamque propere vestio dicam an comego?* Cornelius Nepos de Cimone, *Sæpe cum aliquem videret minus bene vestitum, sumum ei amiculum dedit.*

Com. 38. ἐπεσκέψασθέ με] Recentior, *invisistis me*, Vulgat. *visitastis me*, quod ego non improbaverim. In vetere Onomastico, *Visito*, ἐπισκέπτομαι.

Com. 40. ἐφ' ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων, &c. ἐμοὶ ἐποιήσατε] Quasi dicat, Vos prout bene operatos decet bonorum operum vestrorum non amplius recordamini, ἀλλ' ὡς ἄδικος ἐγὼ ἐπελαθόμην τῶν ἔργων ὑμῶν, &c. Heb. 6. 10. Si vos obliti estis, at Pater meminit meus, Ego memini: in istis parvulis & despectis ego alli, esurivit quidquid donastis illis in me collatum fuit. Ἀπολαμβάνει ὁ θεὸς τὸ παρ' ἡμῶν ἀφειλόμενον εἰς ἑαυτὸν χερσὶν, ἀλλὰ τῶν πενήτων, καὶ τῶν ἄλλως βοηθείας δεομένων, Palæologus in Paræneticis. Quæ sumpsit forte ex his Basilii, Homilia in Julittam Martyrem, χρήματα (de Deo itidem loquitur) δίδωσι, αἰτεῖ παρὰ (ὡς τὰ ἐλεημοσύνῃ, λέγω δὲ χεῖρας τῶν πενήτων. Cyprian. ubi de Petro Tabitham resuscitaturo, *Circumsteterunt eum viduæ flentes & rogantes, pallia, & tunicas, & omnia illa quæ prius sumpserant indumenta monstrantes, nec pro defuncta sine vocibus sed ipsius operibus deprecantes. Sensit Petrus impetrari posse quod sic petebatur, nec defuturum Christi auxilium viduis deprecantibus, quando esset in viduis ipse vestitus.* Irenæus, *Deus in se assumit operationes justi.* Theophylact. ad Luc. 12. Ὁ τεῖφων πεινῶντα θεὸν τρέφει.

Com. 41. πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον] Statius,

Ite truces animæ, funestaque Tartara lecto
Polluite, & cunctas Erebi consumite pœnas.

Tertullianus de Præscript. *Venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vita æterna & promissorum cœlestium fructum, & ad profanos adjudicandos igni perpetuo.* Vide supra ad 16. 26. notata. εἰς τὸ ἀσεβῶν χώρον ἅπαξ etiam in Cataplo Luciani occurrit.

CAP. XXVI.

MUNSTERUS.

2. *Poſt biduum Paſcha erit*] Naſcitur ex hoc loco atque ex dictis aliorum Euangeliſtarum magnum dubium, quomodo Chriſtus, qui venerat adimplere Legem, celebraverit Paſcha ad veſperam quintæ diei, Judæi autem illud obſervarint ad veſperam ſextæ diei, id quod ex hoc patet quod *noluerunt ingredi prætorium ne contaminarentur, ſed comederent illo die agnum Paſchalem.* Et quidem hic varia dantur reſponſa, ſed quæ fortaſſis non per omnia curioſo lectori ſatisfaciunt. Ego poſt Paulum Burgenſem, atque Paulum Mittelburgenſem Epiſcopum Sempronienſem, in Calendario meo Hebraico nonnihil quoque ſcripſi & indicavi unde iſta varia Paſchæ obſervatio originem traxiſſe videtur, & quod Chriſtus celebraverit Paſcha ſuum juxta legis Moſaicæ tenorem, Judæi autem juxta Patrum traditiones, quippe qui Legale præceptum de Paſchæ obſervatione ſuis traditionibus ita corruperunt, כך גזרו רבותינו סנהדרין גאוני עולם׳ בכירת מקדש שני בנבנה וגשלם חג נראה כסא אש נשלם ועלו סלקו של שלם מבהלסל ועמד בין האולם ובקלו כתר ותפשו חותם גלם ומנו וחקנו תקנת שלם ונתן ביד רבי אליעזר גדול שבכלם החכין׳ לא ברו׳ עור ולא כרו׳ פסח ולא גהו׳ עצרת ולא ארו׳ ראש השנה ולא אנו׳ יום כפור לעולם : Cujus traditionis hic eſt ſenſus, *Sic ſtatuerunt Magiſtri noſtri, judices Sanhedrin, magni nominis in ſeculo: In domo Sanctuarii ſecunda, cum exſtructa eſſet & conſummata, tunc apparuit ſolium igneum perfectiſſimum, ſuper quod ſedebat Rex mundi ſublimis valde, ſtans inter porticum: Et acceperunt coronam, apprehenderuntque ſigillum reconditum, & ſanxerunt ordinaveruntque ſtatutum perpetuum, & traditum eſt in manum R. Eliezer, qui reliquis omnibus major erat. Et is ordinavit, diem Sortium non obſervari feria* II, IV, VII. *neque Paſcha feria* II, IV, VI. *neque diem Retentionis feria* III, V, VII. *neque principium anni feria* I, IV, VI. *neque diem Expiationis feria* I, III, VI. *in æternum.* Ratio autem hujus conſtitutionis hæc eſt, Si principium anni obſervaretur feria prima caderet dies Palmarum, cujus ſupra c. 21. mentionem fecimus, in Sabbatum, in quo non liceret portare faſciculum ramorum. Sic ſi neomenia illa obſervaretur feria IV, aut VI, caderet feſtum Propitiationis in feriam ſextam, aut Dominicum diem, & tunc cogerentur duo obſervare Sabbata. Æquatur enim feſtum Propitiationis Sabbato. At illud grave eſſet eis, ut ajunt, propter mortuos ſepeliendos, & cocta olera, quæ in tertium diem non poſſunt ſervari, præſertim in calidis regionibus. Et cum in hac conſtitutione cautum ſit ne dies Paſchalis cadat in feriam ſextam, eo autem anno quo Chriſtus mortuus eſt vera & legalis Paſchalis ſolennitas locum habuerit in feria ſexta, Chriſtus illam ut legitimam obſervavit, & in veſpera ejus cum diſcipulis ſuis comedit agnum Paſchalem: Judæi autem Patrum decreto ſtantes obſervarunt feſtum illud in Sabbato, atque ad veſperam feriæ ſextæ comederunt Paſcha. Similem fere adferunt rationem de diebus Phurim, i. Sortium, in quibus inſaniunt levitatibus, ut ſupra c. 15. indicavi.

4. *Et occiderent*] Sed quare volebant occidere? Reſpondent Judæi, Ut ſatisfacerent præcepto illi Moſaico quod ſcribitur Deut. 13. *Si incitaverit te frater tuus, filius matris tuæ*, &c. Quod in hunc modum torquent contra Chriſtum, משה רבינו גלה אזהרה הרבר אך שימור אחד לעתיד ויאמר אין זה בן אם ולא בן אב ולי שלא ילך מוהרג איש ויעשה את עצמו כמו אלהים לפיכך צוה מי שיעשה זאת יהרג ומזה תקראו יש לו סמך למה ויהודים והי הורגין ישוע׳ אבל משה גמור הזא ואינו חוסה לראות כלל וכלל׳ כי כתיב בסוף תקראו לאבר בסתר נלכה ונעבר אלהים אחרים׳ כלומי שסמית אותו לעבור לאל אחר׳ לפיכך אינו קאי על זה ישוע שנשלח כי מה שהוא עשה עשה בפרהסיא ולא בסתר וגם לא נאמר שחיוב מסית העולם לעבוד לאל אחר אלא כל הברו ומעשים הז לעבור לאל אחר המיוחד אביו שבשמים׳ וזה שכתיב כי יסיתך בן אמך דיך תקראו הזא לדבר בבן אדם שיש לו אם ולא אב ופי׳ שאכיו מת ועל אותו בן קאי הוא קראו׳ והזא חזין על כל אדם קאי אלא שזיך בן אם להזות מסית יותר מבן אב כמו שתמצא בשור השדרים בני אמי נחזו בי וכו׳ : Habent hic pervicaces homines ſuam reſponſionem, id quod Hebraice docti facile advertere poterunt.

8. *Diſcipuli indignati ſunt*] Synecdoche eſt: nam unus Jehuda murmuravit & indignatus eſt, qui fur erat, & dolebat ablatam occaſionem furandi de hoc pretio.

17. *Die primo azymorum*] Vocatur dies Paſchalis cum ſeptem ſequentibus diebus *dies azymorum*, ſeu *infermentatorum panum*, quando nullum fermentum in domibus Judæorum inveniri debuerat, ſed veſci tantum jubentur puro farinaceo pane. De eliminatione fermentati panis Rabbini miras condiderunt traditiones. Vide, ſi habes, lib. cujus titulus eſt ספר סנהדרין cap. 43. ubi ſic ſcribitur, בליל ארבעה עשר בניסן בודקין אחר החמץ לאור הנר׳ ואפילו שלפחות יום יד׳ מותרים באכילת חמץ עד אחת שעות׳ ואור הנר יפה לבודקו ויכול לבדוק בו בחדרים ובזקיקים מה שלא יכול לעשות לאור יום׳ ואין בודקין לאור החמה ולא לאור הלבנה ולא לאור האבוקה : Reliqua ut inutilia hic reſeco. Per *lucem* אבוקה intellige *facem.*

21. *Unus ex vobis eſt me traditurus*] Cum Hebræi habeant & legerint Euangelium noſtrum, mirum eſt quod tanta impudentia hic audeant ſcribere, ואין להיות בו רוח עצה שהרי יהודה מכל עצתו וישו לא ירע מה בלבו של יהודה אשם הוא אלוה והיה מי היה יכול למכרו׳ ואם לא היה יודע מה בלבו של יהודה אין הזא אלוה׳ ועוד יהודה מה רעה חשב או מה מסירה עשה הלא ישו לכן כאו בארץ למסר עצמו בידי אדם להרג : h.e. *Quomodo fuit in eo ſpiritus conſilii, cum etiam Jehuda infatuaverit conſilium eius, & Jeſus neſcierit quid fuerit in corde Jehuda? Aut ſi ipſe fuit Deus, quis potuit eum tradere? Si autem non potuit ſcire quid eſſet in corde Jehuda, non erat Deus. Sed & quid mali cogitavit Jehuda, aut quam proditionem fecit, cum Jeſus ob id venerit in terram ut traderet ſeipſum in manus hominum, & occideretur?* Hæc, inquam, ſcribunt Judæi, cum hic legerint Chriſtum prædixiſſe proditionem ſuam, notaſſeque eum qui ſe erat proditurus. ¶ Cæterum quando in textu ſubditur, *Dominum accepiſſe panem, benedixiſſe, atque fregiſſe*, ſciendum quod is mos olim celebris fuit inter Judæos, multaque ſcripta habent de Fractione panis & Benedictione calicis. Nos ex. gr. paucula hic inferemus ex multis: qui plura vult legere, conſulat librum הלכות *hilcheth* De benedictionibus. Ibi ſcriptum invenio, צריך הכותב שיכתב בשתי ידיו בעשר אצבעותיו׳ ולמה בעשר אצבעותיו כנגד עשרה מצות התורות כתובות עד שלא תבטו לידי לתם׳ ואלו הן׳ לא תזרע כלאים׳ לא תחרוש בשור וחמור יחדיו׳ לקט׳ שכחה ופאה׳ מעשר ראשון ומעשר שני ומעשר עני׳ תרומה׳ חלה : i. *Qui frangit, debet frangere utraque manu, atque cum decem digitis ſuis: cum decem, inquam, digitis, reſpectu decem præceptorum, qua obſervanda ſunt in frumento antequam ex eo fiat panis. Hæc autem ſunt, Non ſeminabis diverſa ſemina; Non arabis in bove & aſino pariter; In meſſe aliqua relinquenda; Qua per oblivionem relicta ſunt, non requirenda*, &c. Et poſt benedictiones atque gratiarum actiones ſubjiciunt, מה מזבח מכפר אף שלחן מכפר h.e. *Quod altare expiat, hoc etiam menſa expiat:* quod intelligo de cibo ſumpto cum gratiarum actione. Sicut & de calice benedictionis ſcribunt, quod poſt ejus conſecrationem non liceat verbis inutilibus intendere. Scribunt autem ſic, אחר שמזגו כוס של ברכה אסור להשיח דברים בטלים שאין מענין הברכה כי היין גורם לרבים הרבה שותים והגזים שמביאים לידי שכרות ושכחה ומפסק ברכתיב יין ישמח לבב אנוש׳ ישמח כתי לשון שמחה׳ הם כתוב שהיין משמח אלהים ואנשים וחוב גבי אדם אין שותין אותו מחמת צמא אלא מחמת הביהתו והשיבתו לפיכך מברכין על שינוי היין : b.e. *Poſtquam miſcuerunt calicem benedictionis, prohibitum eſt fabulari & intendere verbis otioſis, quæ non faciunt ad rem benedictionis; ſiquidem vinum occaſionem præſtat ad multa verba indecora, atque perducit ad dementationem & inebriationem atque deſtitutionem mentis; cum ſcriptum ſit,* ET VINUM LÆTIFICET COR HOMINIS. LÆTIFICET *ſcribitur; quod eſt vocabulum deſolationis. Scriptum eſt denique quod* VINUM LÆTIFICAT DEOS ET HOMINES. *Et multi ſunt homines qui non bibunt ex ſitis, ſed magis ex voluptate & luxu, atque ideo dicunt benedictionem pro ſingulo poculo vini.* Vides, lector, quomodo veteres per calicem benedictionis vitarint multiloquia & ſcurrilitatem quæ naſci ſolet inter potandum, inſtituentes ritum quendam bibendi religioſum qui eos arceret ab intemperantia vini & verborum. Meminit & D. Paulus 1 Cor. 10. *calicis benedictionis*, & *fractionis panis*, ſed ut à Chriſto Salvatore poſt Patres in alium & vere ſpiritualem fuit tranſlata uſum: quemadmodum & hoc loco Euangeliſta ſcribit *eum accepiſſe panem, benedixiſſe, fregiſſe, & diſtribuiſſe*; ac deinde *ſumptum calicem* quoque *benedixiſſe, & bibendum Diſcipulis tradidiſſe*, atque monuiſſe ut *id deinceps perpetuo facerent*, non ob id quod à Patribus ja ritus eſſet antea inſtitutus, ſed ut *memoriale* haberent ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis, qua à morte ad vitam ipſi & omnes credentes in eum ſunt revocati. Hoc autem ſacroſanctum myſterium voluit nobis commendare in pane & vino, ut diſceremus, quemadmodum corpus alitur corporali cibo, vegetatur & ad opera ſua roboratur, ita Chriſtus in ſpiritu per fidem manducatus animum hominis alit, vegetat, incrementum adjicit, atque ad opera pietatis reddit alacrem & indefeſſum. Manducamus autem Chriſtum, quando certa fide recordamur eum pro nobis mortuum, morteque ſua effeciſſe ut Pater cœleſtis

nos suos velit habere filios & hæredes, peccata omnia condonare, & æternam vitam ultro donare. Sic caro Christi vere editur, & cibus esse vitæ æternæ sentitur; bibitur vere sanguis ejus, & potus percipitur salvificus: sicut ipse dicit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*; &, *Hic est sanguis meus, qui in remissionem peccatorum vestrorum fundetur*. Obstrepunt hic nobis vehementer insipientes Judæi, & objiciunt agnum Paschalem, sanguinem postibus illitum, atque mysterium corporis Christi: Quorum stultitiam Hebraice studiosis hic brevibus non dedignabor ostendere. אם שה הפסח רמז על הלוי אבי משמן שישויים הרבה עתידים להחלד ולהלות כאחד שלא יזה לבני ישראל לנקות מה אחר אלא ורמז פסוקים לקחתי שה תמים זכר בן שנה יהיה לכם וגו׳ והיה לכם למשמרת עד ארבע עשר יום וגו׳ אוכרים המינים שזה רמז על ישו שנצלב בערב פסח וליו׳ מה רמז עם בו ליפו שהיה לני׳ ענים כמצולרת וכאן כתיב ושחטו אותו זה בן הצואר׳ והוא היה צלוב ומכומר ועוד כתיב ושחטו אותו כל קהל עדת בני ישראל בין הערבים וקימה לן ריפו בבקר נהלרת כי כל דיני ישראל אלא בבקר עד עת אכילה ועל שאכר ועצם לא תשברו בו שהיא רמז ליפו שנצלב שלם בלי שבירת עצם וגו׳ עוד כתיב להן בערב פסח כשהיו ישבין על השלחן לקח ישו הלחם ויבצע ויברך ויתן להן לתלמידיו ויאמר להם קחו זה הלחם כי הוא גופי׳ ועוד ויקח הכוס ויברך ויתן לכלם ושתו כלם ממנו ויאמר להם זה הוא דמי בעודת ההרשה באזה ענין הוא נתנו שאכלו ושתו היך תתיכה מנופו שנתן להן או נעשה מקורם גופו מלחם ומיין ומן השמין נתן לתן ואותו נתך שאכלו ושתו להיכן הלך וירדי׳ אם הלך לדרכו לבור, או אם היה מוחזק בקיבה עם שאר האוכל : וליו׳ כשאהת אומר כי הרבה הוי בכשי חפצה ואחר ישוע הלאו גם הרבה קשתורין נראו בענגים והן רמז רק לאחת הנרית האל׳ וכן שה בן שנה תהי רמז על ישוע כי האנקי מכל חטא ועון כמו בן שנה כמו שני כשאול בן שנה שאול במלכו ובי בן שנה שאול והוא כתוב כשכבו ושלה כבל אדם נבוזו ובי מכליכין תינק בן שנת אלא הדה נק משא כבן שנתי כשהאמר כי אין שחטו ישוע כמו שה הפסח ליו׳ כי הרגו אותו יהודו אותת יום כבח כשני באיבה הרגת ניים אפן מבחת לא תסלרת׳ ובן בטלים כי עליך הורגנו כל היום נחשבנו כצאן מבוחרת׳ וכשאתת עור השאל באיזה ענין הוא נופו שאכלו ושתו׳ אשיב׳ הוארת פרש משהנו כשאמר הוארת עשו לזכרי ליו׳ בצע להם ומזגו יין לזבר מיתתי אשר נתתי נופי למיתרת השפכתי רמי לרחיצת וסלחת חטאתיכם׳ הוארת אנחנו נאכל נוף ומשחתנו ונשתה את רמו כשנאמונה נזכר שישוע המשיח גואל העולם נתן את נופו למיתת ושפך את רמו לרחיצת חטאתינו ויקץ אותנו כני אלהים ויהיו מלכות חשמים ארן בעבור מעשינו טובים כי אם לטען מובתו גדולת׳ הנה כמו כן נאכל להם בפה הנוף ויאמין אותו כן גוף המשיח נאכל ברות כאדם נאמן ולבו שבע ודשן ראכץ לחיים נצחיים׳ ובן אסר ישעיה הוי כל צמא לכו לכיים ואשר אין לו כסף לכו שברו ואכלו ולכו שברו בלא כסף ובלא כחיר יין וחלב שמעו שמע אלי ואכלו טוב ותתענג בדשן נפשכם : הטו אזניכם ולכו אלי שמעו והיי נפשכם ואכרתה לכם ברית עולם חסדי דוד הנאמנים׳ התשמע פת כזה הוא אכילה רוחנית :

29. *Novum in regno Patris mei*] Vocat hic *regnum Patris* statum resurrectionis, qui in hac ultima cœna prope aderat; & tunc novo modo comedit & bibit cum discipulis, immortalis scilicet factus, & in regnum atque gloriam Patris translatus.

38. *Tristis est anima mea*] Cum Christus verus esset homo, necesse erat ut natura ejus horreret mortem. Unde quando dicebat, *Non mea Pater, sed tua voluntas fiat*, vocavit *suam voluntatem* naturæ desiderium quod mortem horruit. Et hic rursum Judæi produnt ineptias suas, contra hunc locum sic arguentes, לכה היתה עציבה נפשו עד מות׳ אתי׳ שהוא כרכר כנגד הכשר שהוא כשדיד והלא אומר עציבה נפשי׳ ועוד בכל מקום אתה אומר דבר זה נגד הכשר והחבן לומר כן׳ כל העולם יודעים שהכשר אינו כדבר ואין יודע כלום אלא כאבן כי אם מכח היות׳ ועוד טובה מחפלל לפני אביו להעביר טוס זה ממנו כלומר אתה יכול להעביר כפני ולא אני׳ ואמר לא יהא כרצוני כי אם כרצונך׳ אם כן לא היו חרצונות שוות׳ הם שתי רצונות להם נמצא שאינו אלהים׳ ועוד הך אומר לא יהא כרצוני כאי׳ כרצונך והלא אותו נפש מן האב היא באה ורצון אביו באותו כוס והיה׳ והל הריחני לומר כנגד הכשר רבר שאין הכשר יודע כוב ורע כאי׳ הרוח׳ ואם תוריחני עוד לומר ודאי כנגד הכשר רבר שהכשר מפורש שר אפשר שלא יעשה כרצוני׳ ודרך הכשר להחזור הדרוור אשה ולישן ולהריעיב׳ והוא האך יכל הכשר לצום מ׳׳ ים ומ׳׳ לילה׳ ואתי׳ מפני שבאותו בשר רוח הקודש לא משל בו הרחזור אכי׳ לסת לא היה ממשלה לאותו רוח להצית הכשר מפחד ברעב האנו יודעים שנפחד ונרעב שהרי אומר עציבה נפשי ואין כחיב כאן יעציב בשרי ולבן נפלאה לי שאנו ראוים חנוכת משאל ותאריה שהיו בני אדם ונשלטו בכבשן האש שאין כיהרו קשה מזו שלא נפחדו ולא נעצבו ולא נוכן להם כלום לא בכשר ולא בנפש והוא לא תציל את נפשו ונופו ואפלו כפחד׳ יאת׳ רצונו חפצו היה בכך׳ אם כן תרונים לסר׳ וליו׳ אין היו הלזה תתנים שלמים תחנים כי לא התפלל להסר כמו הכתוב כאי׳ אכר יהא רצונך אלא תראה בתחנוניו ציר נפשו ומרת הכשר והמחפחד למען כיהרו כי כח הנפש בבשר וליו׳ חסרים בשר הוי כתורגמין לטען׳ יטרון אבל כל

nos suos velit habere filios & hæredes, peccata omnia condonare, & æternam vitam ultro donare. Sic caro Christi vere editur, & cibus esse vitæ æternæ sentitur; bibitur vere sanguis ejus, & potus percipitur salvificus: sicut ipse dicit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*; &, *Hic est sanguis meus, qui in remissionem peccatorum vestrorum fundetur*. Obstrepunt hic nobis vehementer insipientes Judæi, & objiciunt agnum Paschalem, sanguinem postibus illitum, atque mysterium corporis Christi: Quorum stultitiam Hebraice studiosis hic brevibus non dedignabor ostendere. אם שה הפסח רמז על הלוי אבי משמן שישויים הרבה עתידים להחלד ולהלות כאחד שלא יזה לבני ישראל לנקות מה אחר אלא ורמז פסוקים לקחתי שה תמים זכר בן שנה יהיה לכם וגו׳ והיה לכם למשמרת עד ארבע עשר יום וגו׳ אוכרים המינים שזה רמז על ישו שנצלב בערב פסח וליו׳ מה רמז עם בו ליפו שהיה לני׳ ענים כמצולרת וכאן כתיב ושחטו אותו זה בן הצואר׳ והוא היה צלוב ומכומר ועוד כתיב ושחטו אותו כל קהל עדת בני ישראל בין הערבים וקימה לן ריפו בבקר נהלרת כי כל דיני ישראל אלא בבקר עד עת אכילה ועל שאכר ועצם לא תשברו בו שהיא רמז ליפו שנצלב שלם בלי שבירת עצם וגו׳ עוד כתיב להן בערב פסח כשהיו ישבין על השלחן לקח ישו הלחם ויבצע ויברך ויתן להן לתלמידיו ויאמר להם קחו זה הלחם כי הוא גופי׳ ועוד ויקח הכוס ויברך ויתן לכלם ושתו כלם ממנו ויאמר להם זה הוא דמי בעודת ההרשה באזה ענין הוא נתנו שאכלו ושתו היך תתיכה מנופו שנתן להן או נעשה מקורם גופו מלחם ומיין ומן השמין נתן לתן ואותו נתך שאכלו ושתו להיכן הלך וירדי׳ אם הלך לדרכו לבור, או אם היה מוחזק בקיבה עם שאר האוכל : וליו׳ כשאהת אומר כי הרבה הוי בכשי חפצה ואחר ישוע הלאו גם הרבה קשתורין נראו בענגים והן רמז רק לאחת הנרית האל׳ וכן שה בן שנה תהי רמז על ישוע כי האנקי מכל חטא ועון כמו בן שנה כמו שני כשאול בן שנה שאול במלכו ובי בן שנה שאול והוא כתוב כשכבו ושלה כבל אדם נבוזו ובי מכליכין תינק בן שנת אלא הדה נק משא כבן שנתי כשהאמר כי אין שחטו ישוע כמו שה הפסח ליו׳ כי הרגו אותו יהודו אותת יום כבח כשני באיבה הרגת ניים אפן מבחת לא תסלרת׳ ובן בטלים כי עליך הורגנו כל היום נחשבנו כצאן מבוחרת׳ וכשאתת עור השאל באיזה ענין הוא נופו שאכלו ושתו׳ אשיב׳ הוארת פרש משהנו כשאמר הוארת עשו לזכרי ליו׳ בצע להם ומזגו יין לזבר מיתתי אשר נתתי נופי למיתרת השפכתי רמי לרחיצת וסלחת חטאתיכם׳ הוארת אנחנו נאכל נוף ומשחתנו ונשתה את רמו כשנאמונה נזכר שישוע המשיח גואל העולם נתן את נופו למיתת ושפך את רמו לרחיצת חטאתינו ויקץ אותנו כני אלהים ויהיו מלכות חשמים ארן בעבור מעשינו טובים כי אם לטען מובתו גדולת׳ הנה כמו כן נאכל להם בפה הנוף ויאמין אותו כן גוף המשיח נאכל ברות כאדם נאמן ולבו שבע ודשן ראכץ לחיים נצחיים׳ ובן אסר ישעיה הוי כל צמא לכו לכיים ואשר אין לו כסף לכו שברו ואכלו ולכו שברו בלא כסף ובלא כחיר יין וחלב שמעו שמע אלי ואכלו טוב ותתענג בדשן נפשכם : הטו אזניכם ולכו אלי שמעו והיי נפשכם ואכרתה לכם ברית עולם חסדי דוד הנאמנים׳ התשמע פת כזה הוא אכילה רוחנית :

29. *Novum in regno Patris mei*] Vocat hic *regnum Patris* statum resurrectionis, qui in hac ultima cœna prope aderat; & tunc novo modo comedit & bibit cum discipulis, immortalis scilicet factus, & in regnum atque gloriam Patris translatus.

38. *Tristis est anima mea*] Cum Christus verus esset homo, necesse erat ut natura ejus horreret mortem. Unde quando dicebat, *Non mea Pater, sed tua voluntas fiat*, vocavit *suam voluntatem* naturæ desiderium quod mortem horruit. Et hic rursum Judæi produnt ineptias suas, contra hunc locum sic arguentes, לכה היתה עציבה נפשו עד מות׳ אתי׳ שהוא כרכר כנגד הכשר שהוא כשדיד והלא אומר עציבה נפשי׳ ועוד בכל מקום אתה אומר דבר זה נגד הכשר והחבן לומר כן׳ כל העולם יודעים שהכשר אינו כדבר ואין יודע כלום אלא כאבן כי אם מכח היות׳ ועוד טובה מחפלל לפני אביו להעביר טוס זה ממנו כלומר אתה יכול להעביר כפני ולא אני׳ ואמר לא יהא כרצוני כי אם כרצונך׳ אם כן לא היו חרצונות שוות׳ הם שתי רצונות להם נמצא שאינו אלהים׳ ועוד הך אומר לא יהא כרצוני כאי׳ כרצונך והלא אותו נפש מן האב היא באה ורצון אביו באותו כוס והיה׳ והל הריחני לומר כנגד הכשר רבר שאין הכשר יודע כוב ורע כאי׳ הרוח׳ ואם תוריחני עוד לומר ודאי כנגד הכשר רבר שהכשר מפורש שר אפשר שלא יעשה כרצוני׳ ודרך הכשר להחזור הדרוור אשה ולישן ולהריעיב׳ והוא האך יכל הכשר לצום מ׳׳ ים ומ׳׳ לילה׳ ואתי׳ מפני שבאותו בשר רוח הקודש לא משל בו הרחזור אכי׳ לסת לא היה ממשלה לאותו רוח להצית הכשר מפחד ברעב האנו יודעים שנפחד ונרעב שהרי אומר עציבה נפשי ואין כחיב כאן יעציב בשרי ולבן נפלאה לי שאנו ראוים חנוכת משאל ותאריה שהיו בני אדם ונשלטו בכבשן האש שאין כיהרו קשה מזו שלא נפחדו ולא נעצבו ולא נוכן להם כלום לא בכשר ולא בנפש והוא לא תציל את נפשו ונופו ואפלו כפחד׳ יאת׳ רצונו חפצו היה בכך׳ אם כן תרונים לסר׳ וליו׳ אין היו הלזה תתנים שלמים תחנים כי לא התפלל להסר כמו הכתוב כאי׳ אכר יהא רצונך אלא תראה בתחנוניו ציר נפשו ומרת הכשר והמחפחד למען כיהרו כי כח הנפש בבשר וליו׳ חסרים בשר הוי כתורגמין לטען׳ יטרון אבל כל

טפי הוי׳ בסמשלת הרמון תל כן אכר אבי יהא רצונך ואין רצוני ליו׳ חפץ הכשרי : Precatio, inquam, illa Christi, quando dixit, *Transeat à me calix iste*, magis fuit querulatio quædam animi luctantis cum pavore quam justa precatio, cum absolute non deprecaretur calicem, sed submiserit voluntatem suam voluntati Divinæ, sciens ita definitum à Patre. Fuit tamen oratio; quia in oratione non semper aliquid petimus, sed etiam querimur, & quandoque gratias agimus. Hinc discimus quomodo orare debemus quando nos torquet crux impolita, atque quomodo nos geramus, nempe ut simus patientes, & nobis non displiceamus quando affligimur, videntes hic tantopere Christum doluisse & fuisse perturbatum. Nam nulla crux est quæ non cruciat, neque patientia est sine dolore; sed quanto crux magis doluerit, tanto præstantior est patientia.

45. *Dormite jam, & requiescite*] Ironia est, quam Hebræi גרוי vocant, qua diversum jubemus quam quod verba ipsa significant: sicut Christus hic non jubet dormire; sed monet tempus adesse passionis, atque ob id sit orandum & vigilandum.

52. *Omnes qui gladium acceperint*] Hoc dicitur contra privatos quosque, qui nullo jure permittuntur uti gladio, non autem contra Magistratum, qui justa Dei perficit, & talionem de nocentibus sumit.

64. *Amodo videbitis Filium hominis*] Pro gloria Patris & veritatis testimonio respondit se esse Filium Dei; minaturque simul eis, sensuros olim se Christum esse, cum *in nubibus cœli venientem* conspecturi sint, sed & antea visuros *sedere ad dexteram Patris*, h.e. post Patrem rerum omnium potestatem habere, q.d. Si multa vobis modo dico, non creditis mihi: ipsi posthac & mox quidem videbitis, quem nunc ut filium hominis contemnitis, vere esse Christum *ad dexteram virtutis Dei exaltatum*, quando audietis nomen meum prædicari per orbem, & videbitis ingentia signa atque prodigia per Spiritum meum fieri. Sed & ubi finis advenerit seculi, *videbitis venientem in nubibus cœli cum summa virtute & majestate*, &c.

VALLA.

2. *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur*] Græce est per tempus præsens; *Scitis quod post biduum Pascha fit, & Filius hominis traditur ad crucifigendum*, οἴδατε, ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάσχα γίνεται, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς τὸ σταυρωθῆναι.

5. *Dicebant autem, Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*] Ipsa ratio postulat ut illi dicerent inter se, *ne fiat tumultus*: non autem, tanquam alio de illis loquente, *ne fieret*? & ita legitur Græce etiam sine illo *forte*, sic, *Dicebant autem, Ne in die festo, ne tumultus fiat in populo*, Μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ.

8. *Ut quid perditio hæc?*] Eadem sunt in Marco verba 14. 4. quod adverbium ita compositum non memini ubi apud eruditos invenerim, quod apud Græcos nunc non legitur, sed *in quid*, sive *ad quid*, εἰς τί.

10. *Quid molesti estis mulieri?*] Verba Græca proprie & eleganter & ad eruditorum consuetudinem transferuntur, *Quid negotium exhibetis mulieri?* h.e. *Quid mulierem accusatis?* ut in opere De elegantia linguæ Latinæ disseruimus. Nam *negotium* pro *labore* sive *molestia* accipitur, ut *res est magni negotii*. πόνον παρέχει τῇ γυναικί; Eadem sunt apud Marcum verba, 14. 6.

11. *Nam semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis*] Quidam codices habent, *Nam semper pauperes habetis*, utrobique tamen præsens est tempus, ἔχετε. Idem dico de simili loco apud Marcum 14. 7. & Joannem 12. 8.

13. *Et quod hæc fecit in memoriam ejus*] *Ejus* Græce generis est fem. ergo quo refertur? certe ad illud pronomen *hæc*. Dicendum igitur fuit *in memoriam suam*. *Quod* autem relativum est, ὃ ἐποίησεν αὕτη, εἰς μνημόσυνον αὐτῆς.

14. *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Judas Scarioth, ad Principes sacerdotum & ait illis*] *Iscariotes* legendum est, non *Scarioth*, Ἰσκαριώτης. Sed cur nunc dicitur in præsenti, *qui dicitur Judas*, superius autem v. 3. *qui dicebatur Caiphas*, ὁ λεγόμενος, cum præsertim jam mortuus esset Judas? Est autem participium præsentis, quod etiam ad imperfectum respicit, & idcirco melius de mortuo, *qui dicebatur*, at de Christo etsi mortuo Matth. 1. 16. *qui dicitur Christus*, & si aliquando mortuus, tamen nunc vivit, & sic nominatur, ὁ λεγόμενος.

15. Neque in Græco est, *Et ait illis*, abest enim pronomen. Sic enim ad verbum transfertur, *Tunc profectus unus e duodecim*,

cim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad Pontifices ait, Τί θέλετέ μοι δοῦναι, καὶ ἐγὼ ὑμῖν παραδώσω αὐτόν; *Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam eum?*

17. *Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes, Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?*] Græce dicitur, *dicentes ei.* Nec dicitur *die*, sed tantum *prima*, τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων. Quemadmodum posterius 28. 1. *quæ lucescit in prima sabbati.*

23. *Qui intingit mecum manum in parapside*] Idem nomen hic quod in Marco 14. 20. *Qui intingit mecum in catino.* Ergo melius in Marco: nam si foret *in parapside*, sic lit Græco diceretur: nunc dicitur ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ τὴν χεῖρα ἐν τῷ τρυβλίῳ.

24. *Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur*] Præsentis debet esse, non futuri temporis: jam enim tradebat Judas Dominum, cum animum tradendi habebat, & cum Pontificibus de tradendo jam locutus erat: παραδίδοται.

36. *In villam quæ dicitur Gethsemane*] Marcus habet *in prædium* 14. 32. quorum neutrum ego posuissem. Nam *villa* est domus rusticæ; etsi nonnulli dicti sunt habuisse *villam urbanam.* Præterea *villa* & *prædium* plerumque referuntur ad dominum, ut *villa mea vel tua*, *prædium meum*, *prædium tuum.* At Græcum nomen sign. *locum* sive *regionem*, χωρίον. Nec Jesus in villam propre dicitur venisse.

40. *Sic non potuistis una hora vigilare mecum?*] Græci faciunt interrogationem in illo *sic*, οὕτως· ideo ipse transtulissem, ut ulitatius est, *Siccine non potuistis?*

45. *Dormite jam, & requiescite*] Quomodo nunc Dominus jubet *dormire* Discipulos ac *requiescere*, quos paulo ante reprehenderat quod dormirent, & statim subjiciat, *Surgite, eamus?* Hanc ego quæstionem, quia hujus propositi non est, excutere non debeo, sed admonere, esse ambiguum an imperativi modi sit an indicativi, *Dormitis jam & requiescitis*, q. exprobraret quod tamdiu & illo tempore dormirent & requiescerent: καθεύδετε τὸ λοιπὸν, καὶ ἀναπαύεσθε. Idem dico apud Marcum 14. 41. ¶ *Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.*

46. *Surgite, eamus, appropinquavit qui me tradet*] *Tradetur* legendum est, & *tradit*; non autem in futuro, *tradetur & tradet:* παραδίδοται, ὁ παραδιδούς.

47. *Missi à Principibus sacerdotum*] Non est Græce *missi*, quod etiam barbare adjungitur. Nam sic dicitur, *Et cum eo turba cum gladiis & fustibus missi*, cum fuisset dicendum *missa.*

50. *Amice, ad quid venisti?*] Gr. *ad quid ades?* ἐφ' ὃ πάρει; sive, *ad quid advenis?*

53. *An putas quia ego non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?*] Illa particula *modo* de suo in alium locum mutata est: sic enim legitur Græce, *An putas quia non possum modo rogare Patrem meum*, δυνάμαι ἄρτι.

54. *Quia sic oportet fieri*] *Oportebat* legendum est, ἔδει.

56. *Hoc autem totum factum est ut implerentur Scripturæ Prophetarum*] Legendum est *ut impleantur*: sunt enim verba Christi non historiam componentis, ut in Marc. 14. 49. nam eadem sunt verba Græce, ἵνα πληρωθῶσιν.

59. *Ut eum mortis traderent; & non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent*] Recte quidem translatum: tamen sic ad verbum Græce est, *Ut necarent; & non invenerunt: & cum multi falsi testes accederent, non invenerunt:* ὅπως θανατώσωσιν· καὶ οὐχ εὗρον· καὶ πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων, οὐχ εὗρον.

61. *Et post triduum readificare illud*] Non *post* sed *per* est legendum; nec *readificare* sed *ædificare:* διὰ τριῶν ἡμερῶν οἰκοδομῆσαι. Quod probat illud quod sequitur, 27. 40. quod exprobrabant quod tribus diebus templum Dei ædificaret.

65. *Scidit vestimenta sua, dicens, Blasphemavit*] Gr. *Quia* vel *Quod blasphemavit.* Id tanquam supervacuum aliqui sustulerunt: at sententia talis est, *Quod blasphemavit, quid adhuc*, sive *quid etiam, egemus testibus?* ὅτι ἐβλασφήμησε, τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; ¶ *Ecce nunc audistis blasphemiam*] Deest *ejus*, ut sit, *Ecce nunc audistis blasphemiam ejus*, αὐτοῦ.

71. *Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla*] Non est Græce *ancilla*, sed tantum *alia*; nec *exeunte illo januam*, sed *exeuntem illum in januam vidit eum*, ἐξελθόντα δὲ αὐτὸν εἰς τὸν πυλῶνα, εἶδεν αὐτὸν ἄλλη, καὶ λέγει.

75. *Et recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat, Priusquam gallus cantet*] *Qui* legendum est, non *quod*, Ἰησοῦ εἰρηκότος.

REVIUS in VALLAM.

10. *IN opere de elegantia*] l. 5. c. 88.

13. Αὐτῷς] Scriptum erat αὐτῶς.

17. Τῇ δὲ πρώτῃ] Hoc locum suum ignorabat.

45. *Dormitu jam, & requiescite*] Melius de hoc loco judicat Erasmus; quem inspicias licet.

54. Ἵνα δὲ] In nostris est δεῖ. Et talibus usus est Vulgatæ auctor. Cæterum hic versus rejectus erat post 65.

61. *Et post triduum*] Et ille postpositus versui 65.

65. *Quod blasphemavit*] Imo redundat hoc ὅτι, ut sæpe.

71. *In januam*] Imo *in vestibulum*: ut recte potit Erasmum Beza.

ERASMUS.

2. PASCHA *fiet*] Γίνεται, ἢ παραδίδοται, i. e. *Fit, & traditur*: utrumque Græcis præsentis est temporis.

3. *Caiphæ*] Græci scribunt Καϊάφᾳ, *Caiaphæ*, quatuor syllabis.

5. *Ne forte tumultum fierent*] Ἵνα μὴ θόρυβος γένηται, i. e. *Ne tumultus fiat*, ut referatur ad personam Pharisæorum his verbis inter se consultantium, *Ne quid tentemus in die festo, ne tumultus oriatur in plebe per occasionem diei festi.* Nam *forte* addidit de suo Interpres.

7. *Alabastrum*] Ἀλάβαστρον, delicata pyxis unguentaria vitrea, ita dicta à λαβεῖν *prehendere*, & particula privativa α, addita per pleonasmum ρ, quod ob levorem comprehendi non possit. Sic & Horatius, *Nardi parvus onyx.* ¶ *Pretiosi*] Βαρυτίμου, q. d. *gravis pretii*: quod olim appenderetur æs, non numeraretur.

8. *Ut quid perditio*] Non est hic ἵνα τί, sed εἰς τί, i.e. *Ad quid*, sive *Quorsum.*

9. *Multo*] Est quidem Græce πολλοῦ, tamen Latinius, opinor, erat *Magno.*

10. *Quid molesti estis*] Τί κόπους παρέχετε, i.e. *Quid molestiam exhibetis*, aut *Cur negotium facessitis?* Quamquam recte vertit Interpres. ¶ *Opus bonum*] Ἔργον καλὸν, quod non simpliciter *bonum*, sed *egregium* ac *pulchrum* significat.

11. *Me ipsum autem non semper habebitis*] Utrobique Græcis est ἔχετε, i.e. *habetis*, præs. temporis. Nec est ἀεὶ, aut πάντοτε, *semper*, sed *quovis tempore*, ποτὲ, quod πού, unde compositum est, ad hunc quoque modum possit accipi.

12. *Mittens enim*] Βαλοῦσα præt. temporis est: unde plenius sic extulisset, *Nam quod hæc misit unguentum hoc in corpus meum, id fecit in sepulturam mei:* ut significet se brevi moriturum.

13. *Dicetur quod hæc*] Λαληθήσεται ἃ ἐποίησεν αὕτη, i.e. *dicetur & hoc quod hæc fecit.* Nam *quod* hoc loco non est conjunctio sed nomen relativum. ¶ *In memoriam ejus*] Εἰς μνημόσυνον αὐτῆς. *Ejus* fem. generis est; unde ad ipsam refertur mulierem: magis congruebat *ipsius.* Porro μνημόσυνον non simpliciter significat *memoriam*, sed *pignus* aliquod aut *monumentum quod amicus apud amicum relinquit quod illum sui commonefaciat.* Unde non inepte vertisset *in monumentum ipsius.* Cæterum hæc particula *in memoriam ejus* non refertur ad propius verbum, *fecit*, sed ad prius, *dicetur.*

14. *Judæ Scarioti*] Ἰσκαριώτης, *Iscariotes*: de quo jam admonuimus.

17. *Primo autem die*] *Die* apud Græcos subauditur, non explicatur; sicut & illic, *Prima autem sabbati*, hic, τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων, i.e. ut verbum verbo reddam, *Primo infermentatorum*; ut subaudias totidem substantiva quot sunt articuli, *Primo die panum infermentatorum.*

18. *Ad quendam*] Non est πρός τινα, sed πρὸς τὸν δεῖνα, i.e. *ad illum.* Sic autem loquuntur Græci cum significant certum hominem quem tamen non nominent. Unde apparet Christum edidisse nomen, cæterum Euangelistam obticuisse. Hic scrupulus vehementer torsit Augustinum libro De consensu Euang c. 80.

23. *Qui intingit mecum*] Ὁ ἐμβάψας, i.e. *qui intinxit.* Etenim si illo intingente manum dixisset, *Qui intingit mecum, hic me prodet*, indubitatum ac manifestum fuisset signum. Nunc autem voluit etiam locum dare pœnitentiæ Judæ. Et tamen propius argumentum dixit, indicans illum non solum adesse in convivio, verum etiam in eadem patina, in idem jus immergere manum; quod est intimæ familiaritatis. Quemadmodum annotavit & Origenes hom. 35. sic enarrans hunc locum, ut hoc sermone Christi magis sit exaggerata insignis Judæ malitia, quem ne mensæ quidem communis familiaritas, quæ solet ethnicis quoque ha-

haberi ſacra, à deſtinato facinore retraheret. ¶ *In paropſide*] Ἐν τρυβλίῳ, i. e. *in catino*, ſive *patina*. Mirum cur libuerit Græcam vocem altera Græca reddere.

24. *Per quem Filius hominis tradetur*] Παραδίδοται, i. e. *traditur*, præſ. temporis verbum. Jam enim hoc agebatur, nimirum præſtituta pecunia. Et mox,

25. *Qui tradidit illum*] Ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, i.e. *Qui tradebat*, ſive *traditor illius*.

26. *Cœnantibus autem*] Ἐσθιόντων, i. e. *Edentibus*, ſive *Veſcentibus*. ¶ *Accipite, & comedite*] Λάβετε, φάγετε, *Sumite, edite*, citra copulam. Et hic Chryſoſtomus enarrans, repetit illa ex Paulo, *quod pro vobis frangitur*, ſeu magis ex Lucæ 22. ubi legitur, *quod pro vobis datur*, h.e. *diſtribuitur*: quemadmodum de poculo dixerat, *Dividite inter vos:* panis autem frangendo diſtribuitur. Theophylactus admonet fuiſſe verum corpus, non corporis figuram, quod panis ineffabili modo transformetur.

27. *Et accipiens calicem*] Καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ εὐχαριστήσας, ἔδωκεν αὐτοῖς, *Et ſumpto poculo, & gratias actis, dedit illis.*

28. *Hic enim eſt ſanguis*] *Enim* non eſt in nonnullis Græcis cod. ut nec paulo ante in conſecratione Corporis. ¶ *Novi Teſtamenti*] Articulus additus ſignificantiorem Græcis reddit orationem, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, i.e. *qui eſt Novi Teſtamenti*. Significat autem hic *teſtamentum* quod condunt morituri. ¶ *Qui pro multis effundetur*] Τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, i. e. *qui pro multis effunditur*. Quanquam reperio hoc nonnunquam pro futuro poni, ſicut ἐκχύνομαι· niſi quod Paulus utrumque præſentis temporis participio extulit, τὸ κλώμενον, & τὸ ἐκχυνόμενον, i.e. *quod frangitur, quod effunditur*, quemadmodum ſuo annotabimus loco. *Effunditur* legit & interpres Origenis hom. 35.

30. *Et hymno dicto*] Καὶ ὑμνήσαντες, i. e. *cum dixiſſent*, ſive *cecinifſent*, *laudes:* ut intelligas Apoſtolos dixiſſe hymnos, non tantum Chriſtum. ¶ *Oliveti*] Rurſum ἐλαιῶν, i. e. *Olivarum:* quod jam toties fuit obvium.

31. *Percutiam paſtorem*] Vaticinium eſt apud Zachariam Prophetam, c. 13. 7. Convenit autem editio LXX cum Hebraica veritate, niſi quod pro eo quod Hieronymus vertit *ſuper virum adherentem mihi*, LXX verterint ἐπὶ ἄνδρα πλησίον αὐτοῦ, i. e. *ſuper virum civem ejus*. Id Hieronymus accidiſſe putat ambiguitate unius elementi ו, quod non diſcrepet à י niſi ſola magnitudine; & ſi ו legatur *meum* ſignificat, ſi ו *ejus*. LXX verterunt hoc modo, πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσονται τὰ πρόβατα. Ex πατάξω Evangeliſta fecit πατάξω, & ex διασκορπισθήσονται fecit διασκορπισθήσομαι. Præterea quod illic dictum eſt ſub perſona Prophetæ rogantis ut Deus percutiat paſtorem, Evangeliſta accommodavit ad perſonam ipſius Dei. Id enim prodidit Hieronymus lib. De opt. genere interp. ad Pammach. atque eadem fere repetit enarrans hunc Prophetæ locum. Atqui hac ſane in re aut ego prorſus hallucinor, aut lapſus eſt Hieronymus: Quem ut fateor virum fuiſſe ſumma doctrina, pari eloquentia, incomparabili ſanctimonia, ita hominem fuiſſe non poſſum diffiteri. Etenim ſi quis attentius expendat eum Prophetæ locum, is comperiet nihil eſſe neceſſe, imo non niſi dure, hæc ad Prophetæ perſonam accommodari. Quod quo magis perſpicuum fiat, ipſa verba ſubſcribam; *Framea, ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum.* Hæc certe palam eſt dici ſub perſona Dei, cum addiderit, *dicit Dominus exercituum.* Ac mox ſequitur, *Percute paſtorem, & diſpergentur oves.* Hæc quoque ſunt Dei verba alloquentis gladium ſuum. Quod ſi quis velit alio torquere, certe quod ſequitur non ſinet, *Et convertam manum meam ad parvulos.* Atque adeo reclamat evidentius quod continenter adjungitur, *Et erunt in omni terra, dicit Dominus.* Hunc quoque locum magnis tragœdiis calumniatus eſt quidam, qui ſi tam eſſet ad docendum quæ recta ſunt inſtructus quam videtur animatus ad calumniandum aliena, dignus eſſet qui inter celebres ſcriptores annumeraretur. Cum nemo plus tribuat Hieronymo, cum illud in me criminati ſint quidam, libris etiam editis, quod Hieronymum Auguſtino, alioqui ſummo, prætulerim, hic me clamitat mihi Hieronymum unum ex omnibus delegiſſe quicum monomachiam ſuſciperem, & canit frigidum Hieronymi encomium, quaſi non ante ſit à me majore ſpiritu laudatus. Quanquam hoc ipſum laudis quod hic tribuit Hieronymo, mutuatus videtur ex meis ſcriptis. Et hos tumultus cit homo turbulentus, quod in re minime periculoſa diſſenſerim ab Hieronymo, cum ſumma tamen honoris præfatione, præſertim cum ipſe Hieronymus ſibi parum conſtet. Ego ſacrilegus, qui Hieronymum dixerim hominem eſſe. Quid autem dici poteſt clementius? Et actum erat de honore Hieronymi, ni Lapis iſte viri patrocinium tanto ſpiritu ſuſcepiſſet. Sed ut omiſſis cavillis rem lectori paucis aperiamus; In libello De opt. gen. interpretandi, cum hoc ageret ex profeſſo Hieronymus ut oſtenderet quædam apud Hebræos diſcrepare ab interpretatione LXX, aut Apoſtolorum citationibus, adduxit & hunc Zachariæ locum, ſic diſtinguens perſonas ut argumento quod inſtituerat tunc congruebat. Cæterum in Commentariis quibus locum hunc Euangeliſtæ enarrat ſic temperat ſententiam ut quid in lib. De opt. gen. interpretandi ſcripſerat propemodum recantare videatur, *Hoc*, inquit, *aliis verbis in Zacharia Prophetа ſcriptum eſt, & ni fallor, ex perſona Prophetæ ad Deum dicitur, Percute paſtorem.* Porro quod hunc ſenſum confirmat conſenſu Pſalmi 68. *Quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt*; ut demus hoc ſenſiſſe Pſalmographum quod interpretatur Hieron. haud cogit tamen ut perſona loquentis mutetur. Cum enim conſtet priorem partem vaticinii, *Framea, ſuſcitare ſuper paſtorem meum*, pertinere ad Deum Patrem, ſi quod mox ſequitur ad eundem referatur, *Percute paſtorem*, &c. tamen idem exſiſtit ſenſus, Chriſtum à Patre fuiſſe percuſſum, qui ſuo gladio mandavit ut percuteret. Percutit enim qui percutiendum tradit. Cæterum Hieronymus enarrans ipſum Prophetam magis etiam à ſe ipſo diſſentit, & accommodat totam orationem Patri. Quod quo magis perſpicuum ſit, ipſius verba ſubſcribam; *Nec putandum eſt de altero loco aſſumptum teſtimonium, quia in Evangelio Deus à ſe paſtorem dicit eſſe percuſſum, & in præſenti loco gladio atque mucroni legimus imperatum, Percute paſtorem, & diſpergentur oves.* Hactenus Hieronymus. Vides palam Patris imperantis mucroni ſuo vocem eſſe, *Percute paſtorem*, non autem verba Prophetæ obſecrantis. Vides nullam eſſe mentionem ejus rei quam poſuerat in libello De optimo gen. interp. cum hic maxime tempeſtivum fuerit hoc inculcare. Quid igitur diſſonat in Matthæo? Verba diſſonant, res eadem eſt. Quiſquis enim loquitur gladio ſuo, *Percute*, ſignificat ſe mox velle percutere: & ideo Matthæus verbis omiſſis ſenſum expreſſit, *Percutiam paſtorem.* Quin & pronomen omiſit Matthæus, cum in Propheta ſit, *ſuper paſtorem meum:* quod ipſum etiam invitat ut ſermonem Patri potius accommodemus. *Suum* enim vocat unicum illum ſe dignum, cum aliis alii ſint paſtores, quorum nonnulli tales ſunt ut illis percuſſis melius habeat grex. Sed exſultat calumniator, docens nos, perſonas in literis Divinis aliquando mutari ſubito. Nihil erat neceſſe ut hoc ab iſto diſceremus, quod toties in libris noſtris teſtati ſumus. Verum hic nihil cogebat mutare perſonam. Et apparet Hieronymum ſuæ ſententiæ pœnituiſſe. Atque hic eſt doctor iſte egregius qui omnibus rebus inſtructus acceſſit ad tractandas S. literas, quas ego heri aut nudiuſtertius corpi attingere: Cum ante annos viginti ſcripſerim Enchiridion; & in hoc opere tumultuario, quod inficiari non poſſum, plura citem ex diverſis authoribus quam operis ratio poſtulet, ipſe tantum in his quæ à nobis citantur obambulet, venans quod arrodat. Ac ne hoc quidem, quanquam non tumultuanter ſed per otium agat, illi feliciter ſuccedit. Sed ut miſſum faciam hunc Lapidem, arbitror Hieronymum hac in parte æquiorem eſſe ſuo antimacho quam tali ſymmacho.

34. *Gallus cantet*] Φωνῆσαι, i.e. *ſonet*. Et Græcus quidem ſermo per ſe anceps eſt, niſi hypoſtigme jungat *ter* adverbium verbo *abnegabit*; etiamſi apud alios Euangeliſtas non eſt eadem ambiguitas.

36. *Tunc venit Jeſus*] *Venit* præſentis eſt temporis, ἔρχεται· ¶ *In villam quæ dicitur Gethſemani*] Χωρίον, i.e. *in locum*; quando ita mavult Valla. Nam ad ſenſum haud magni refert. Alibi vertit *agrum*; & *agrum* hoc loco legit Hilarius. Porro *Gethſemani* Hebræis ſonat *Vallis pinguedinum*. Nam גת *vallem*, שמן *pinguedinem* ſignificat. Ea eſt ad radices montis Oliveti, ut teſtatur Hieronymus in Locis Hebraicis.

37. *Contriſtari & mœſtus eſſe*] Λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, i. e. *dolere & graviter angi*. Nam ἀδημονεῖν *impotentem animi moleſtiam* ſignificat: quo verbo uſus eſt & Paulus, ut ſuo demonſtrabimus loco.

38. *Triſtis eſt anima mea*] *Triſte* magis dicitur quod triſtitiam adfert ſeu moleſtiam. Latinius erat, *In dolore eſt*, ſive *Mœret*, aut *Mœſta eſt*, *anima mea.* ¶ *Suſtinete hic*] Μείνατε ὧδε, *manete hic.*

40. *Venit, & invenit*] Utrumque præſentis temporis, ἔρχεται, καὶ εὑρίσκει· & *reperit* potius quam *invenit*. ¶ *Sic non potuiſtis*] Οὕτως οὐκ ἰσχύσατε, i.e. *adeo non potuiſtis*, ſive, *ſiccine non potuiſtis*: ſuffragante & Aureo codice.

42. *Iterum ſecundo abiit*] Latinius erat, *Et rurſus iterum abiit*, πάλιν ἐκ δευτέρου ἀπελθών. ¶ *Tranſire niſi bibam illum*] παρελθεῖν ἀπ' ἐμοῦ ἐὰν μὴ αὐτὸ πίω i.e. *Tranſire à me, ut non bibam*, ſive, *quo minus bibam illum.* Atque ita legit Chryſoſtomi interpres hom. 35.

43. *Et venit iterum*] καὶ ἐλθὼν εὗρεν αὐτοὺς πάλιν καθεύδοντας, i. e. *Et cum venisset, reperit eos denuo dormientes.*

45. *Tunc venit ad discipulos*] Hic *venit* & *dicit* utrumque præs. est temporis, ἔρχεται, καὶ λέγει. ¶ *Dormite jam & requiescite*] Dubium erat an legendum esset, *Dormite & requiescite*, an *Dormitis & requiescitis*, nisi addidisset λοιπὸν, *posthac*, sive *de cætero*, pro quo interpres posuit *jam*: Nec id sane male. Arguitur hoc loco Laurentius Valla nescio quid, non convenire ut qui paulo ante objurgaverit suos quod dormierant, nunc dormire jusserit; præsertim cum mox subjiciat, *Surgite, eamus hinc.* Quamquam Orig. Chrysost. Hil. & Hier. in hunc sensum interpretantur, ut Christus jusserit eos dormire. Et allegoriis rem explicant. Verum salvo aliorum judicio, potest sermo Christi habere nonnullam ironiam; Hactenus non potui à vobis impetrare ut paulisper mecum vigilaretis, nunc ipsa res excitabit vos, cum videritis meum supplicium & vestrum periculum. Atque ita probe quadrant ea quæ consequuntur, *Surgite: ecce appropinquat.* Atque hæc mea sententia minus mihi displicere cœpit posteaquam comperissem Theophylactum in Marcum multis verbis eam inculcare. ¶ *Ecce appropinquabit*] Ἰδοὺ ἤγγικεν, i. *ecce appropinquavit*, præt. temporis, sive *adest*, aut *in propinquo est.* ¶ *Et Filius hominis tradetur*] *Traditur* est Græce præs. temporis, παραδίδοται.

46. *Ecce appropinquabit qui me tradet*] Ἤγγικεν ὁ παραδιδούς με, i. *appropinquavit qui me tradit.*

47. *Cum gladiis & fustibus*] καὶ ξύλων, i. *& lignis*: atque ita vertit alibi. ¶ *Missi à principibus*] *Missi* addidit interpres explicandi causa, quanquam non habita generis ratione, cum præcesserit *turba*; ut dicendum potius fuerit *missa.*

50. *Ad quid venisti?*] Ἐφ' ᾧ πάρει; i. *Ad quid ades*, sive *advenis.* Nec ita potest accipi ut intelligamus, *Quo malorum venisti?* sed, *Cujus rei gratia venisti?* quandoquidem articulus est dandi casu ᾧ. Etiamsi in nonnullis exempl. scriptum reperio ἐφ' ὃ. Quanquam omnino nove articulus postpositivus est vice τίνι aut τί.

51. *Amputavit*] Ἀφεῖλεν, i. *abstulit.*

52. *Gladio peribunt*] *In gladio* est Græce, tametsi præpositionem recte omisit Interpres. Nec est *peribunt* in nonnullis exempl. sed *morientur*, ἀποθανοῦνται: atque ita legit Augustinus 1. comment. quo explicat Sermonem Christi habitum in monte. Locus hic nonnihil distorsit D. Augustinum, quod palam refelli possit hic sermo, *Gladio perituros quicunque gladium sumpserint*; cum constet latrones etiam aliquot non perire gladio. Proinde intespretatur *gladio peccati jugulari animam ejus qui gladio percusserit.* Quod si verum est, quid opus erat verbum futuri temporis *morientur?* Jam enim mortua est anima percussoris, etiam priusquam gladium vibret in proximum. Itaque mea quidem sententia simplicius erit ut dicamus Christum in genere sensisse non esse Apostolicum uti hujusmodi defensione, ut ferrum ferro repellamus, & injuriam injuria retaliemus. Nec enim ad eum modum vitari malum, sed fieri ut mutuis injuriarum vicibus sine fine propagetur malum. Alioqui si ad vivum exigamus hunc sermonem, imo si ad verbe, quid faciemus Judici & Magistratui gladium portanti? quid Imperatori, qui solenni etiam ritu gladium accipit à Christi Vicario: Sunt hujusmodi permulta Christi dicta in quibus sententiæ summam spectare convenit.

53. *Et exhibebit mihi modo*] *Modo* in locum non suum translatum est, cum debuerit adjungi verbo rogare, ὅτι δύναμαι ἄρτι παρακαλέσαι, i. *Quod non possim nunc rogare.* Suffragatur & codex Aureus. In Constantiensi rasura declarabat studium depravatoris. ¶ *Legiones*] Hic quoque Græcus usurpavit vocem Latinam, λεγεῶνας.

54. *Quod sic oportet fieri*] Si *quod* accipitur αἰτιῶς, supplendum est aliquid ad sensum, *Scriptura quæ dicunt quod ita oportet fieri.*

56. *Ut implerentur*] Πληρωθῶσιν, *ut impleantur*, ut ad Christi loquentis personam referatur. Quanquam potest & ad Apostoli personam scribentis referri.

58. *Usque in atrium*] Ἕως τῆς αὐλῆς, i. *usque atrium* sive, *usque ad atrium.*

59. *Ut eum morti traderent*] Ὡς, sive, ὅπως, θανατώσωσιν, i. *ut occiderent*, aut, si placet periphrasis, *Morte afficerent:* etiamsi Virgilius dixit, *Dede neci.*

60. *Et non invenerunt*] In Græcis cod. bis ponitur, *Et non invenerunt*, sive *inveniebant*, καὶ οὐχ εὗρον· καὶ πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων οὐχ εὗρον, i. *Et non inveniebant. Et cum accessissent multi falsi testes, non inveniebant.* Ad eum modum legit interpres Origenis hom. 35. Nec est otiosa repetitio. Itidem legit & Theophylactus. ¶ *Novissime*] Ὕστερον, i. *Deinde*, sive *posterius.* quod jam sæpius ita vertit: fortasse comparativum positum pro superlativo.

61. *Et post triduum readificare illud*] καὶ μετὰ τριῶν ἡμερῶν οἰκοδομῆσαι αὐτὸν, i. *Per tres dies*, sive *triduo*, *ædificare illud.* Sic enim mox exprobrant, *Qui destruis templum Dei, & in triduo ædificas*, non *readificas.*

62. *Ad ea quæ isti adversum te testificantur*] Τί οὐκ ἀποκρίνῃ οὐδὲν, τί σου καταμαρτυροῦσιν; i. *Quid*, sive *Cur*, *isti contra te dicunt testimonium?*

63. *Adjuro te*] Ἐξορκίζω, *Exorcizo.* Idem verbum quo utimur in consecratione aquæ sacræ & ejiciendis immundis spiritibus. Sed ubi est interim quod tam magnifice præcipit Calepinus quidam clamans ἐξορκίζειν verbum esse barbarum, & solœcismos nostros rideri à spiritibus immundis quoties legimus, *Exorcizo te*, cum dicendum sit, *Exorgizo te:* idque probat admodum dialectice; *Suida*, inquit, *scribit* ἐξορχεῖν *esse* εἰς ἡ ἐρχῶ ἐμβάλλω. Quod perinde est ac si quis dicat, *Cepe* herbam significat, Igitur *Sepe vidi* non Latine dicitur. Et tamen sunt qui mihi indignantur quod ab hoc ausim dissentire. ¶ *Si tu es Christus Filius Dei vivi*] *Vivi* nec est in Græcis, nec in Aureo codice.

64. *Dixit illi Jesus*] *Dicit* est in Græcis, & in antiquis Latinis.

65. *Blasphemavit*] Ὅτι ἐβλασφήμησεν, i. *Quod blasphemavit.* Quanquam *quod* conjunctio, supervacanea, recte omissa est. Nam ut Græcis habet vim affirmandi, ita Latinis vitiaret sermonis puritatem. Porro *blasphemandi* verbum scio Latinum non esse, sed *blasphemiam* tamen reliqui, quod nobis atrocius quiddam sonat quam *convitium*, nempe convitium in Deum. ¶ *Quid adhuc*] Τί ἔτι, i. *quid præterea*, aut, *quid insuper.* ¶ *Audistis blasphemiam*] Græci addunt αὐτοῦ, i. *ejus*, sive *ipsius.*

67. *Palmas in faciem dederunt*] Græcis unica dictio est ἐῤῥάπισαν, i. *alapas impegerunt.* Non reprehendo tamen, quod periphrasis exprimat indignitatem rei.

69. *Una ancilla*] Παιδίσκη. Potest accipi ut sonet *puellam.* Est enim diminutivum à παῖς.

71. *Exeunte autem illo*] Græce accusativus est, ἐξελθόντα δὲ αὐτὸν, i. *Egressum autem eum.* ¶ Nec est *januam* sed *in vestibulum*, εἰς πυλῶνα, sive *vestibulo* aut *janua.* ¶ *Alia ancilla*] *Ancilla* addidit Interpres. ἄλλη αὐτὸν εἶδεν, *vidit illum altera.*

74. *Detestari*] Ἀναθεματίζειν, i. *devovere*, aut *exsecrari*; sive, ut in quibusdam legitur, καταναθεματίζειν, quod gravius est quam ἀναθεματίζειν. ¶ *Quia non noviſſet*] Ὅτι οὐκ οἶδα, i. *quia non novi.* Quanquam conjunctio ὅτι non respondet Latino; & recte mutavit Interpres figuram Hebraicam. Quod tamen alias nescio qua superstitione non audet; velut ibi, *Et confessus est, quia non sum ego Christus.* ¶ *Gallus cantavit*] Ἐφώνησε, i. *clamavit*; sive *sonuit.* Quanquam recte *gallicinium*, sive, *galli cantus* dicitur.

75. *Quod dixerat*] Græci addunt αὐτῷ, i. *sibi*, sive *ipsi.* Et *qui* legendum est, non *quod*, ᾧ εἰρηκότι, *qui dixerat.* Id palam fit ex interpretatione Origenis, cujus interpres pro *quod dixit* vertit *dicentis:* sensus enim est, *qui dixerat ita futurum:* quandoquidem hujusmodi participium servit utrique tempori, præterito perfecto, & præterito plusquamperfecto. Idem interpres pro eo quod Græcis est αὐτῷ vertit *ad se*; ne quis hoc omnino contemnat per nos annotatum.

VATABLUS.

1. ET *factum est cum consummasset*] Hebr. pro, *Et cum finisset.*

2. *Pascha*] Hebræi *Pesah* dicunt; unde *Phase*: Syri vero *Pisha*; unde *Pascha*; i. *Transitus*: nam eo die celebrabatur festum diei in quo noctu Angelus transiens afflixerat Ægyptios, præteritis Judæis. ¶ *Fiet*] *Fit*, præsens pro futuro: *celebrabitur.*

3. *Sunt*] *Erant.* ¶ *Seniores*] *& Scriba & Seniores.* ¶ *Atrium*] Vel, *aulam.*

4. *Fecerunt*] Vel, *fecerant.*

5. *In die*] *In ipso die.* ¶ *Fieret*] *Fiat.*

7. *Accessit —— effudit*] Per præteritum plus quam perfectum verti possunt, *accesserat*, *effuderat.*

8. *Sunt*] Vel, *fuerant.* ¶ *Ut quid*] *Ad quid.*

9. *Potuit*] *Poterat.* ¶ *Istud*] *Istud unguentum.*

10. *Ait*] Vel, *dixerat.* ¶ *Opus*] *Opus enim.* V.

11. *Ha-*

21. *Habebitis*] *Habetis.* V.

22. *Facio*] *Fecerat*, i. hoc unguentum fecerat ut me ſepeliendum ungeret: vel, ad ſignificandam ſepulturam meam.

23. *Quod*] *Illud quod.* ¶ *Ejus*] Sub. *mulieris.*

24. *Dicebatur*] *Dicitur.* V.

25. *Conſtituerunt*] *Pronunciaverunt.* ¶ *Argenteos*] Sub. *ſiclos.* Familiare eſt Hebræis in hoc dicendi genere ſubaudire *ſiclum.* Intellige autem profanum, qui valebat decem Obolos.

26. *Traderet*] Vel, *proderet.*

27. *Prima autem*] *Prima autem die*, V.

28. *Quendam*] Τὸν δεῖνα ſignificat certum quempiam, quem tum nominarit Chriſtus, Evangeliſta autem non nominat. ¶ *Facio*] Vel, *faciam vole.*

32. *Dicere**] * *Illi.*

33. *Intingit*] *Intinxit*; vel, *intinxerit:* nam & hoc poteſt ſignificare vox Græca. ¶ *Paropſide*] *Catino.*

34. *Filium quidem hominis vadit*, &c.] i. Ego quidem ad ſupplicium rapior, ut impleatur Scriptura: vel, Judas abiturus eſt ut me prodat. ¶ *Traditur*] *Tradetur.* V. ¶ *Bonum erat*] Vel, *utiliſſimum fuiſſet.* Hebr.

25. *Reſpondens autem*] Hebr. pro, *Tunc locutus eſt.* ¶ *Tradidit*] *Tradebat*, i. qui eum erat proditurus.

26. *Cœnantibus autem eis*] Hebr. præſ. pro præt. *Cum ipſi cœnaſſent.* ¶ *Benedixit, ac*] Vel, *cum gratias egiſſet.*

28. *Novi teſtamenti*] i. Qui pertinet ad confirmationem Novi Fœderis quo peccatorum remiſſio datur credentibus. ¶ *Effundetur*] *Effunditur.* præſ. pro futuro, Hebr.

29. *Genimine vitis*] Periphraſis eſt vini. ¶ *Novum*] i. quod novum erit & admirabile. ¶ *In regno Patris mei*] i. cum reſurrexero & accepero Regnum.

30. *Hymno dicto*] *Cum cecinissent laudem.* ¶ *Montem Oliveti*] *Montem olivarum.*

31. *In me*] Vel, *propter me*, Hebr. i. Cum me hodie ad ſupplicium rapi videbitis, offendet hoc vos, & hac de cauſa deficietis à me.

33. *Reſpondens autem*] Hebr. pro, *Tunc verba faciens.* ¶ *Scandalizati fuerint in te*] Vel, *offenſi fuerint propter te.*

36. *Villam*] Gr. χωρίον quod *locum* ſignificat.

37. *Contriſtari & mœſtus eſſe*] *Dolere & graviter angi.*

38. *Triſtis*] *Mœſta.* ¶ *Sustinete*] *Manete.*

39. *Tranſeat à me calix iſte*] i. libera me ab hoc acerbiſſimo mortis genere.

41. *Ut non intretis*, &c.] Vel, *ne ſuccumbatis*, aut *cedatis, tentationi.* ¶ *Spiritus quidem*, &c.] i. Tentator animoſus eſt & potens, homo autem admodum imbecillis, ut ſine Deo non poſſit reſiſtere.

42. *Tranſire**] * *à me.*

45. *Jam*] *De cætero.* ¶ *Et Filius hominis tradetur*] Hebr. pro, *ut Filius hominis tradatur.* ¶ *Peccatorum*] vel, *flagitioſorum.*

46. *Appropinquabit qui me tradet*] *Appropinquavit qui me tradit.* V.

48. *Tradidit eum, dedit*] *Prodebat eum, dederat.*

50. *Veniſti*] *Ades.*

52. *Acceperint gladium*] Sub. *ut interficiant.* ¶ *Peribunt*] Sub. *ſecundum legem*, quæ jubet homicidas interfici.

53. *Non poſſum**] * *Modo.* ¶ *Mihi plus*] *Mihi modo plus.*

54. *Quia ſic oportet fieri*] Sub. *qua tradam quod talia oportet evenire.*

58. *Atrium*] Vel, *aulam.*

59. *Principes*] *Principes.* V. ¶ *Sacerdotum**] * *Et Seniores.*

60. *Cum multi falſi teſtes acceſſiſſent*] *Et cum multi falſi teſtes acceſſiſſent, non invenerunt.* Sub. *idoneum teſtem.*

61. *Poſt triduum*] *Per triduum.*

62. *Reſpondes ad ea quæ iſti*] *Reſpondes? quid?* (ſub. *dicis iſtis?*) *iis adverſum te teſtantur.* q. d. Quid tu reſpondere vis teſtimonio illorum?

63. *Et princeps*] *Et reſpondens* (Hebr. pro, *verba faciens*, vel, *iterum loquens*) *princeps.* ¶ *Adjuro te per Deum*] i. Peto à te ut nobis dicas, jurando per Deum, &c.

64. *Dixiſti*] i. Sum id quod dixiſti. ¶ *Videbitis Filium hominis*, &c.] i. videbitis me reſurrexiſſe, ſeſſurum ad dexteram Dei potentiſſimam, & judicaturum orbem: De ſe in tertia perſona loquitur. ¶ *A dexteris*] Pluralis numerus in tali ſermone, Græciſmus eſt.

65. *Adhuc*] *Præterea.* ¶ *Blaſphemiam**] * *ejus.*

71. *Exeunte autem illo januam*] *Egreſſum autem eum in veſtibulum.* ¶ *Alia*] *Alia ancilla*, V.

73. *Loquela tua manifeſtum te facit*] Vel, *lingua tua te prodit.*

74. *Quia non noviſſet*] *Non novi.*

75. *Quod dixerat*] Supra in hoc capite, & Joh. 13. 21. Græce legitur *qui dixerat ei.*

CASTALIO.

12. ID *ad me ſepeliendum fuit*] Perinde accipiendum eſt ac ſi mortuum meum corpus, ut moris eſt, perfudiſſet, aut condiviſſet: nam brevi moriar.

17. *Paſcha*] i. Paſchalem agnum.

18. *Ut in urbem irent ad quendam*] In Græco μεμπτῶς, h.e. directa, eſt oratio; *ſic in urbem ad quendam*; quæ Latine eſt *indirectè*, h.e. oblique & ex authoris perſona, interpretanda. Nec enim dicebat Chriſtus, *Ite ad quendam*, ſed eum nominabat. In Gallica quidem lingua liceret directe loqui, *Allez vous en à un tel*, ſed idem Latina loquendi conſuetudo non patitur. Atque ex hoc quidem loco, ut & ex aliis multis, perſpicuum fit, ſacros authores non ſemper totidem iiſdemve verbis eorum de quibus narrant dicta referre, ſed ita narrare ut nos ſolemus cum, eandem rem bis aut ter referamus, ſæpe totidem adhibeamus genera dicendi, neque tamen ideo falſum dicamus. Exempla ex innumeris adducam pauca. Exodi 20. præcepta Dei ſcripta ſunt, ipſius Dei digito exarata; & tamen eadem Deut. 5. ita repetuntur ut quædam non re ſed verbis paulo aliter dicantur. Atqui & res eſt maximi momenti, & ſemel à Deo pronunciata, & bis ab eodem Deo ſcripta verbis Hebraicis, & ab eodem Moſe eadem lingua relata. Alterum exemplum erit paulo poſt hunc qui nobis eſt in manibus Matthæi locum, ubi ſic legitur, *Hic eſt enim ſanguis meus novi fœderis, pro multis effundendus ad veniam peccatorum.* At idem Lucæ 22. paulo aliter dicitur, *Hoc poculum eſt novum fœdus in ſanguine meo, pro vobis effundendum.* Atqui non hæc alio atque alio modo pronunciavit Chriſtus, ſed ſemel & eodem modo. Idem dico de precatione Dominica. Ex quibus planum fit, non eſſe verba ſemper nimis tenuiter ad calculos revocanda.

61. *Et tridno inſtaurare*] Οἰκοδομεῖν pro ἀνοικοδομεῖν poſitum eſt, ſicut fieri ſolet in בנה. Eſt enim hoc verbum ex eorum genere quæ ſæpe ſimplicia pro compoſitis ponuntur; quoniam compoſitis carent Hebræi: qua de re ſcripſimus in Pſal. 62.

64. *Ad dexteram poteſtatis*] i. præpotentis Dei.

CLARIUS.

12. AD *ſepeliendum me fecit*] Munus, inquit, hoc ſepulturæ fuit, quod prævenit, cum futurum ſit ut non poſſit illud præſtare ſuo tempore.

17. *Prima autem die azymorum*] Ferunt Dominum feciſſe Paſcha ſuo & legitimo die, Judæos vero tranſtuliſſe illum diem Paſchatis in diem Sabbati, propterea quod is mos inter eos eſſet cum duo ejuſmodi feſti dies continuarentur; & idcirco dixiſſe Apoſtolum Joannem, *Magnus enim erat dies ille ſabbati.*

28. *Sanguis meus Novi Teſtamenti*] In fœderibus ſanguis victimarum fundebatur; in hoc autem fœdere ipſe meum effundam.

29. *Bibam vobiſcum novum in regno Patris mei*] Reſurrectionem appellat *regnum Patris ſui:* tunc enim magis agnita eſt majeſtas Filii.

39. *Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*] Non ſunt hæc metuentis nec recuſantis verba, ſed ſignificantis quid aſſumpta humanitas pateretur: quodque niſi eſſet omnino neceſſaria hæc mors, non ſecus eſſet eorum mortem qui tanquam glorioſi duces, dum ſe ſine cauſa periculis objiciunt, etiam milites ſuos fruſtra impellunt in pericula.

40. *Et venit ad diſcipulos*] Cur interrumpit Dominus toties orationem, quæ tanti erat? docens, opinor, eas preces habere omnes numeros quibus proximorum cura intermiſcetur.

41. *Spiritus quidem promptus eſt*] Animum quidem, inquit, alacrem præ vobis tuliſtis, ſed metuenda ſemper eſt carnis infirmitas: ideireo vigilandum vobis atque orandum eſt.

52. *Gladio peribunt*] Hoc enim jubebat Lex.

ZEGERUS.

2. *Scitis quia post biduum Pascha fiet*] Pronuntiative legendum. Ut ne putes Johannem Matthæo & Marco esse contrarium, quod ille tradat ante sex dies celebratam esse cœnam in qua Christus unguento perfusus fuit, cum hi eandem cœnam indicare videantur biduo duntaxat ante Pascha servatam fuisse, scito B. Matthæum & hujus affectam Marcum non juxta ordinem historiæ, id quod facit Johannes scribens Christum *ante sex dies Pascha venisse Bethaniam*, sed per recapitulationem commemorare hanc cœnam; sicuti hoc ipsum fulius docet B. Augustinus l. 2. De cons. Euang. c. 87. Cæterum de die quo Christus agnum comedit Paschalem opportunius in Lucam dicturi sumus c. 22. 7. *Venit autem dies Azymorum.*

3. *Qui dicebatur Caiphas*] Si quis forte curiosior nominis hujus pronuntiationem requirat, sciat in Græcis quidem quatuor syllabis Καϊάφας scribi, atque ita non uno in loco à B. Leone Papa exprimi; sed tamen rectius, ni fallor, Judæis קיפא *Caipha*, tribus tantum syllabis & producta media, efferri. Est enim non Græcum sed Hebraicum vocabulum, à *vomitu oris* appellationem habens, q. *Vomens ore*; קאה quippe *vomuit* vel *exspuit*, פה vero *os* interpretatur.

5. *Non in die festo, ne forte tumultus*] Nonnulli arbitrantur Christum in ipso solenni die Paschæ cruci fuisse adfixum, atque hoc consilium suum in diversum commutasse ex occasione proditionis ipsius Judæ: sed falsa eorum opinio est. Quo autem die cruci adfixus fuerit, & qua ratione die Jovis suum cum Discipulis Pascha celebrarit, in Lucam, vita comite, dicemus loco jam indicato.

7. *Alabastrum unguenti pretiosi*] Nemo potet unguentum hoc compositionem fuisse tenacem, quali utuntur chirurgi ad vulnera curanda; sed aut liquorem aliquem suavis ac salutiferi odoris, qualis est aqua Lavendulacea, & oleum illud apud myropolas à *Spica* nomen habens, quod, præter miram fragrantiam, magnam etiam vim habet reficiendis membris, præsertim paralyticis; & vesti infusum ipsam prorsus non commaculat; aut quod aromatarii tradunt, & probabilius est, misturam quandam diversorum odorum & specierum ungendis corporibus aptum, quæ à præcipuo suo odore *unguentum nardi spicati* ab aliis Euangelistis appellata sit. Hoc enim arguere videtur tam ingens unguenti hujus tum pretium tum fragrantia: *Poterat* enim (inquit Judas Mar. 14. 5.) *unguentum istud venundari plusquam trecentis denariis.* Item, *Domus impleta est ex odore unguenti.* Et in hac sententia est Paulinus ep. ad Severum. *Alabastrum, alabastrus, & alabaster, delicata pyxis* est *unguentaria vitrea, ita dicta à* λαβεῖν *Prehendere, & a privativa particula, addita per pleonasmum*, i. redundantiam, ϱ, *quod ob levorem comprehendi non possit.* Ita quidem Desiderius: ego tamen veteribus magis crediderim, qui aliud produnt. Nam Hieronymus & Eucherius alabastrum scribunt esse *genus pretiosi marmoris.* Et Plinius de onyche loquens, quæ est lapis seu gemma colorem habens unguis humani, *Hunc*, inquit, *lapidem aliqui Alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur. Nascitur circa Thebas Ægyptias, & Damascum Syriæ. Hic cæteris candidior. Probatissimus vero in Carmania, mox in Italia: jam quidem in Syria Asiaque. Vilissimus autem, & sine ullo nitore in Cappadocia. Probantur quam maxime mellei coloris, in vertice maculosi atque non translucidi. Vitia in eis cornei color aut candidus, & quicquid simile vitro est.* Atque hæc *alabastra* dici putaverim non proprie quod *comprehendi non possint*, sed potius quod, teste Calepino, *ansulas non habeant quibus teneantur.*

8. *Videntes autem discipuli indignati sunt*] Per Synecdochen aut, si mavis, per Syllepsin intelligendum est: nam unus Judas indignatus fuit, qui indolebat subtractam sibi occasionem furandi. Possumus etiam & aliter occurrere sermonis incommodo, scilicet ut dicamus Judam invidiæ atque avaritiæ stimulis agitatum, cæteros vero Apostolos pio quodam ac simplici erga pauperes adfectu obmurmurasse, cum necdum intelligerent rei gestæ mysterium.

13. *Dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus*] Sermo apud nos ambiguus est, at non item apud Græcos qui sic habent, Λαληθήσεται καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη εἰς μνημόσυνον αὐτῆς. Quorum verborum ordo & sensus hic est, *Etiam id quod mulier hæc operata est, dicetur referturque in ipsius memoriam.*

15. *Constituerunt ei*] *Dare pacti sunt*, vel ἔστησαν, i. *appenderunt triginta argenteos*, sub. *siclos.* Vide c. seq.

23. *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*] Etiamsi secus habeat communis interpretum sententia, mihi tamen videtur hoc Christum in genere tantum dixisse; quo significaret proditorem illum non modo unum esse ex XII, ut supra indicarat, verum etiam eadem secum uti mensa, atque adeo in idem jus intingere manum; quod arctissimæ erat familiaritatis: alioqui enim exemplum dedisse videri posset prodendi inimici. Certe nostræ sententiæ adstipulatur editio Græca, ubi propter ἐμβάψας, præteriti videlicet temporis vocem, manifestior etiam relinquitur de persona dubitatio & incertitudo. Adstipulatur etiam quod ipse Judas postea scisciatus sit à Christo, *Nunquid ego sum, Rabbi?* quodque eidem Christus ambigue respondent, *Tu dixisti.* Proinde, meo judicio, nulli Discipulorum aperte demonstravit quis ipsum esset traditorus præterquam Johanni, cui secrete percontanti, ut habes in ipsius Euangelio 13. 25, 26. etiam secrete responsum fuisse puto, *Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Paropsis* & *parapsis* apud Varinum est patina seu discus in quo cibi & condimenta adponuntur mensis, & proprie genus quoddam juris juxta Julium Pollucem; quomodo hoc videtur loco accipiendum. Unde & Suidas *paropsidem* interpretatur ἐμβάφιον & ὀξυβάφιον, i. *acetarium* & *acetabulum.* Aliud tamen interpretatur ubi παροψίδας scribit, nimirum *vasa ministratoria mensæ:* id quod Varinus non facit, qui utrumque idem facit.

26. *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum.* Et infra, *Hic est enim sanguis meus*] Non significatione tantum, sed vere & reipsa. Sic enim hæc verba tam hic quam in epist. ad Cor. 1. c. 11. intelligit non modo catholica Ecclesia verum etiam sacri iidemque antiqui Ecclesiæ Doctores. Unde B. Cyprianus, *Panis*, inquit, *iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia factus est caro: & sicut in Persona Christi Humanitas videbatur, & latebat Divinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter Divina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta devotio, & ad veritatem, cujus corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus usque ad participationem Spiritus.* In hujus rei fide qui firmius confirmari desiderat, videat Algeri libellum De veritate corporis & sanguinis Christi, & Irenæum l. 4. c. 34. & Augustinum tum alias tum serm. De verbis Apost. 2. & De verbis Domini 28. ubi inter cætera sic ait, *Cum de sacramentis tractarem, dixi vobis quod ante verba Christi quod offertur Panis dicitur, ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non Panis dicitur, sed Corpus appellatur.*

32. *Præcedam vos in Galilæam*] Προάξω ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν etiam interpretari potest, *præsto vobis ad futurus sum in Galilæa.*

34. *Antequam gallus cantet, ter me negabis*] Post *cantet* hypostigma collocandum est, quod τὸ *ter* conjungi faciat cum *negabis.* Et *antequam gallus cantet* tantundem est ac si dicatur *ante completum gallicinium*, vel *antequam gallus cantaverit*, iterato videlicet; juxta id quod expressius B. Marcus 14. 30. posuit, dicens, *Hac nocte priusquam gallus vocem bis dederit*, (vel, *bis cantaverit*, h. e. secundi cantus sonos expleverit) *ter me es negaturus.* Sub cantum enim secundum tertia abnegatio facta est, sicuti exactius loquitur B. Lucas 22. 60. *Et continuo adhuc illo loquente cantavit gallus.* Constat autem gallum variis temporibus frequentius canere, & cantu suo diversa distinguere noctis spatia.

36. *Gethsemani*] Quidam putant scribendum *Gesemani*, quod compositum sit à נס i. *nullis*, & שמן i. *pinguedo.* verum apud Hieron. ubique invenio *Gethsemani.* Henricus Gravius emendat *Gessemani.*

38. *Sustinete hic*] Alias *sedete* lego, ut apud Hilarium & Hieronymum. Græce est μείνατε *manete.*

40. *Venit ad discipulos, & invenit*] Si ad voces respicias ἔρχεται καὶ εὑρίσκει, utraque vox *venit* & *invenit* temporis erit præsentis: verum si memineris quam frequens sit in Euangelicis literis temporis hypallage seu catachresis, non fuerit absurdum si præsens vice præteriti positum accipias: quem tropum ut frequentissime declinavit interpres, ita & hic declinasse probabile est. Idem & alias admoneri poterat, nisi & extra nostrum institutum, & fere supervacaneum esset in hujusmodi minutis terere tempus. Præterea juxta Græcos & multos Latinos cod. non additur *suos*; id quod mysterio non vacat. ¶ *Sic non potuistis*] Pluraliter legendum cum Hieron. & August. & juxta cod. antiq.

47. *Missi à principibus*] In *missi* subauditur *turba multa*, h. e. *illi de turba*, ut sit congruentia non vocum sed rei: de qua elocutionis forma & alias admonuimus.

50. *Ad quid venisti?*] Nonnulli cod. habent, *ad quod venisti?* & exponitur à Smarag.

52. *Con-*

52. *Converte gladium tuum in locum suum*] Non vetat hoc sermone Christus, qui prius emi gladium jusserat, ut est apud Lucam 22. 36. ne semet Petrus ac cæteri Apostoli defenderent; sed ne pro Magistro liberando confligerent, cujus jam captionis tempus advenerat; quæ captio nulla ratione impediri, nec tempus ejus debuerat prorogari: deinde ne alium ferirent à quo ipsi læsi non essent; idque juxta legis Mosaicæ præscriptum, quæ necdum ad plenum tum abrogata: qua tandem per Christi mortem antiquata, & Spiritu S. de cœlo misso, nullus jam tum ferri aut rationalis usus Apostolis fuit concessus. ¶ *Omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt*] De privatis hominibus intelligendum hoc est, qui nullo jure uti gladio citra extremam necessitatem permittuntur. Secus de magistratibus, qui justa Dei perficiunt, & juste talionem de nocentibus sumunt.

53. *Duodecim legiones angelorum*] *Legio*, quæ ab Euangelista mutuata à Latinis voce λεγεὼν appellatur, apud veteres sex hominum millibus complebatur, ut tradit Hieronymus. Legiones ergo XII numerum complectuntur millium septuaginta duorum. Juxta opinionem vero vulgarem una legio continet milites 6666. atque ita XII legiones efficient 79792. Grammatici tamen aliter Legionem describunt. Varro enim tribus tantum millibus olim constitisse dicit. Modestus lib. De vocabulis rei militaris, qui Ciceroni adscribitur, exactiora scribens, tradit in Legione fuisse X cohortes, quarum tres erant differentiæ. Prima enim cohors habebat MCV pedites, equites CXLII. Tertia habet DLV pedites, equites LVI. Secunda, & quarta & reliquæ omnes habebant singulæ DLV pedites, equites LXVI quorum omnium summa est VIMDCCCXXXI. nimirum pedites VIMCVI, equites DCCXXVI.

61. *Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud*] Falsi testes erant, quia & sensum Christi pervertebant & verba. Christus dixerat, *Solvite:* isti dicunt, *Possum destruere.* Christus dixerat, *Templum hoc*, corpus suum designans: isti dicunt, *Templum Dei.* Christus dixerat, *& in tribus diebus excitabo illud:* isti dicunt, *& post triduum reædificabo illud*, sive, ut in Gr est, ἐν δὲ τρισὶν ἡμέραις οἰκοδομήσω αὐτὸν, *& in tribus diebus ædificare illud.* Sciendum autem testes ipsos non in hoc subvertisse sermonis Dominici sensum, quod pro illo *& in tribus diebus* dicunt *post triduum* (ita enim antiqua habet lectio Ecclesiæ) cum constet ipsos intendisse, non quod tandem aliquando post expletum jam triduum, sed brevissimo temporis spatio, nimirum intra triduum, Templum esset reædificatum. Præterea, cum id verbi *post triduum*, seu *post tres dies*, de tempore ipso Dominicæ resurrectionis & aliis aliquot locis legatur, ut infra c. 27. & apud Marcum c. 8. & 14. (tametsi nunc apud Græcos pro μὲ in quibusdam μὰ scriptum cernatur) sciendum per id non aliud significari quam quod ipsemet Christus alias evidentius extulit, dicens, *Et tertia die resurget*, Matth. 20. 19. Luc. 18. 33. *& in tribus diebus excitabo illud.* Joh. 2. 19. Nam quod unus Euangelistarum unusve locus obscurius, id sæpenumero alius effert manifestius. Animadverto autem eam esse consuetudinem seu phrasin Scripturæ, seu Hebræorum (apud quos longe alius est interdum ejusmodi vocum indeclinabilium usus quam apud Latinos aut Græcos) quod dum illud *post* cum certo aliquo jungitur numero dierum, intelligendum fere sit, id quod narratur non post expletos illos qui numerantur, sed potius contigisse ante completos dies, nimirum die ex numeratis supremo. Liquet id ex illo Gen. 40. 13. *Tres adhuc dies sunt post quos recordabitur Pharao ministerii tui:* ubi subditur, *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat*, &c. Et ex illo Joh. 20. 26. *Et post dies octo iterum erant discipuli intus.* Cum hoc verbi *post triduum* & aliis aliquot locis, & consentiente editione Græca etiam infra c. 28. denique & apud veteres, nominatim Cyprianum, lib. contra Jud. 1. c. 15. & Hieronymum legatur, verisimile est illud μὰ τρισὶν ἡμέραις ex glossematibus in contextum irrepsisse, idque per eos qui falsum putarint si Christus diceretur *resurrexisse post triduum.* Verum hoc quo pacto sit accipiendum per nos editum est.

64. *Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*] Sermo ipse inconcinnus est, & anapodoto quodam, ut videtur, imminutus, propterea quod Dominus non tam ad verba illorum responderit quam ad cogitata. Perinde enim est ac si ita manifestius fuisset elocutus, *Ipse tuo isto ore Filium Dei enuncians quis sim ego indicasti, quem si ego meipsum per me sacro confessus, mox mihi crimen impinges blasphemiæ. Verumtamen hoc ipso non obstante, quod blasphematorem me sis proclamaturus, id quod rei veritas habet vobis manifesto; Visuri estis tandem aliquando me hominis, h. e. Ada, filium sedentem à dextris virtutis Dei.* Dei nomen non exprimitur in Græcis, nec in cod. Corsend. nec in commentariis titulo Bedæ, nec ab Hilario l. 10. De Trinitate.

67. *Colaphus eum cecidérunt: alii autem palmas in faciem ejus dedérunt*] Interpres quo apertam poneret distinctionem inter ῥαπίσματα & κολαφίσαι, periphrasi in vertendo usus est, cum Græca juxta corticem verborum reddita ita resonent, *Colaphizarunt eum. Alapizarunt autem, dicentes*, &c. Inter *colaphum* autem & *alapam* hoc interest secundum Calepinum quod ille *pugno fiat*, hæc *manu extensa.* Secundum Euthymium vero & Papiam, *Colaphus* colli est percussio, *alapa* faciei. Veteres tamen secus sentire videntur. Nam Origenes *colaphos* ad caput, *alapas* vero & *palmas* refert ad maxillas, juxta illud Jes. 50. 6. ut est in vulg. edit. Græcorum, *Dorsum meum dedi ad flagella, & maxillas meas ad alapas:* nihil interim dicens, sicut nec cæteri, de manu *clausa*, vel *aperta.*

69. *Foris in atrio*] *Atrium* sive, quod in Græcis est, αὐλὴ locus erat seu ædificium quoddam commune ante principalis domus ingressum: in quo satellites, & reliquum Pontificis famulitium versabatur. ¶ *Et accedit ad eum una ancilla*, &c.] De negationibus Petri non admodum liquet ex Euangeliis, ubinam factæ, & ubi sint consummatæ. Augustinus lib. De consensu Euang. 3. c. 6. ex Johannis Euangelio colligit omnes pariter in Annæ Pontificis ædibus contigisse. De numero negationum, propter dissonantiam quæ videtur esse inter Euangelistas, non minor est ambiguitas, quibusdam existimantibus quinquies, aut etiam pluries, abjurasse Petrum Magistrum suum. Verum equidem malo simpliciter dicto Salvatoris stare, qui trinam modo abjurationem prædixit. Cui sententiæ adstipulantur veteres, nominatim B. Augustinus, qui etiam studiosissime declarat quo pacto quæ de Petri historia discrepantia videntur possint conciliari, utque omnia in unam possint redigi narrationis seriem. Juxta hunc ergo ex quatuor simul Euangeliis hic unus poterit esse totius narrationis ordo. JOHAN. *Sequebatur autem Jesum Simon Petrus* MATT. & MARC. *& longe* J. *& alius discipulus. Discipulus autem ille alius notus pontifici, & introivit cum Jesu atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici, & dixit ostiaria, & introduxit Petrum*, M. *usque in atrium principis sacerdotum.* L. *Accenso autem igne in medio atrii, & circumsedentibus illis*, M. *ingressus intro sedebat cum ministris*, L. *Petrus in medio eorum, ut videret finem*, R. *& calefaciebat se ad ignem.* (Hic jam M. & R. interserunt nonnulla de Salvatoris nostri contumeliis: cæteri nihil interponunt, nisi quod Johannes alio loco intersecat Petri historiam. Sequitur ergo de ipsius tentatione) M. *Petrus vero sedebat foris in atrio*, R. *deorsum. Quem cum vidisset ancilla quædam*, J. *ostiaria*, L. *sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita*, M. *accessit ad eum, dicens, Et tu cum Jesu Galilæo eras.* J. *Nunquid ergo de discipulis es hominis istius?* [1. Neg. J. *non sum*] L. *At ille negavit eum* M. *coram omnibus, dicens, Nescio quid dicis.* L. *Mulier, non novi illum.* (hoc idem, nempe, *Nescio*, quod & ipse Lucas ponit, sed pro negatione tertia) R. *Et exiit foras ante atrium: & gallus cantavit.* M. *Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla; & R. cæpit dicere circumstantibus*, (audiente tamen Petro, qui jam tum surrexerat atrium egressurus) M. *Et hic erat cum Jesu Nazareno*; R. *quia ex illis est.* J. *Stabant autem Servi & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se.* L. *Et post pusillum*, J. *erat cum eis & Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei*, (ancilla viz. & ille alius quem Lucas commemorat) *Numquid & tu ex discipulis ejus es?* [2. Neg. J. *non sum*] M. *Et iterum negavit cum juramento, Quia non novi hominem.* (Huic consentit & Lucas in prima negatione, dicens, *Mulier, non novi illum.*) *Et post pusillum*, L. *intervallo facto quasi horæ unius*, R. *rursus*, M. *accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro, Vere & tu ex illis es, nam*, R. *& Galilæus es*, M. *& loquela tua manifestum te facit.* J. *Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus cujus abscidit Petrus auriculam, Nonne ego te vidi in horto cum illo?* [3. Neg. J. *Iterum ergo negavit Petrus.*] M. *Tunc cæpit detestari*, R. *anathematizare & jurare, Quia nescio hominem istum quem dicitis.* L. *Et continuo, adhuc eo loquente*, M. *gallus iterum cantavit.* L. *Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi*, R. *quod dixerat ei Jesus, Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis*, M. L. *Et egressus foras Petrus flevit amare.* Hoc monotessaron adscribendum putavi, primum ut ostenderem quo pacto omnia omnium Euangelistarum verba, quæ non mediocriter pugnare videntur, in unum possint, sub trina negatione, coacervari contextum; deinde, ut quod Augustinus,

(cujus fere sententiam sum secutus) multis ac molestis tradit sermonibus, & compendiosius haberes & dilucidius. Nam hac in re præ cæteris omnibus censeo audiendum Augustinum, ut qui tanto studio hoc argumentum pertractarit, lib. 3. De cons. Euang. c. 6. Quæ in præmisso contextu cernis inclusa semicirculis, intelligis, ni fallor, vel non admonitus, de meo esse adjecta; nam cætera Euangelistarum verba sunt: de quibus nulla in hac serie sunt prætermissa quæ aliquid videbantur habere momenti, præterquam abnegantis Petri verba juxta Johannem; quæ quia simplicissima sunt & sub verbis comprehenduntur aliorum Euangelistarum, ad marginem duntaxat adnotanda putavi.

75. *Verbi Jesu, quod dixerat*] Sic ubique invenio, cum Græce sit, *qui dixerat ei.*

MASIUS.

6. CHristus secunda vice, postquam scilicet prima vice Lazarus fuit suscitatus, venit Bethaniam die veneris, Et mansit illic die sabbathi, quo die Maria pedes ejus unxit & capillis extersit. Die deinde Dominico asello vectus est Jerosolyma, Lunæ ficui maledixit, Martis in monte Oliveti futurum excidium docuit, & ea quæ præcedunt in Templo fecit, Mercurii dixit *quia post biduum Pascha fiet*, quo die & altera mulier alabastrum unguenti fractum in caput Jesu effudit, quo facto indignatus Judas abiit ad prodendum Christum. Nam prior unctio in domo Marthæ & Mariæ facta est, hæc vero posterior, in domo Simonis Leprosi. Et Pascha eo anno cadebat in Sabbathum, unde comedebant agnum Paschalem in vespera Parasceves, hoc est, die Veneris. Hinc vides illa verba Joan. cap. 12. πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ Πάσχα intelligenda, sex dies ante Pascha.

LUCAS BRUGEN.

28. HIc est enim *sanguis meus* [o.] Quædam Cypriani exemplaria, epist. ad Cæcilium, quæ est tertia libri secundi, legunt, Marc. 14. 24. *hoc est enim sanguis*: & hoc etiam modo recte vertuntur tum Græca tum Syra. Legi possunt de utroque vertendi modo Jansenii commentaria.

28. *Qui pro multis* [*vobis* o.] *effundetur* [*fundetur* o.] *in remissionem peccatorum.*] Græci cum Syris legunt *effunditur* [ἐκχυνόμενον ܕܡܬܐܪܩ] cum in Matthæo, tum in Marco & Luca: quemadmodum de corpore legunt, *datur & frangitur*, apud Lucam & Paulum, qui id addidere: quanquam per futurum exponere hæc liceat, ut nos ea legimus omnia, præter τὸ *datur* apud Lucam. *Effunditur*, in verbis consecrationis, (Marc. 14. 24. Luc. 22. 20. & 22. 19. 1 Cor. 11. 24.) Ambrosius legisse videtur, lib. 4. De sacramentis, cap. 6. *Si quotiescunque*, ait, *effunditur sanguis, in remissionem funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur.* Ex hac autem præsentis temporis lectione colligi possit, Servatorem corpus & sanguinem suum in cœna obtulisse: qua de re legatur doctissimus Episcopi Jansenii commentarius.

STEPHANUS.

¶ Κεφ. πε, Περὶ τ πέντε ἄρτων κ τ δύο ἰχθύων.

Matth. ἐν τῷ Λαὶ. ἰμ. ιδ, Ὀψίας ἡ ἡμέρα ἦν, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτ, λέγ.

Πέντε δί τ' ἄρτε πλῶνο χιλιάδες, ἄμβροτε, πέντε.
Ἄλλως,
Πέντε μέν ἐφεξῆς σοὶ λιτοῖς ἰχθύσι ἄρτε
Ἀνδρῶν χιλιάδας χερσὶ χορτάσατο πέντε.

4. ΣΥνεβουλεύσαντο ἵνα τ Ἰησοῦν κρατήσωσι] *Consultarunt simul ut Jesum prehenderent.*

5. Θόρυβο] *Tumultus.*

7. Βαρυτίμου] *Valde pretiosi.*

10. Κόπους παρέχετε] *Negotium facessitis?*

12. Πρὸς τὸ ἐνταφιάσαί με] *Ad sepeliendum me.*

13. Ὅπου ἐὰν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ] *In quocunque mundi totius loco prædicatum fuerit Euangelium hoc.*

15. Ἔστησαν] *Constituerunt:* vel *repræsentarunt.*

16. Εὐκαιρίαν] *Opportunitatem.*

18. Ὑπάγετε εἰς τ πόλιν πρὸς τ δεῖνα] *Abite in urbem ad illum*, à me vobis ante significatum.

25. Ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν] *Qui tradebat eum:* id est, tradere parabat. Alii *prodere.*

28. Τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον] *Qui sanguis pro multis effunditur.*

30. Ὑμνήσαντες] *Cum hymnum cecinissent:* vel, *hymnos:* vel, *Cum laudes cecinissent* Deo.

31. Πατάξω] *Percutiam.* ¶ Διασκορπισθήσονται] *Dispergentur.*

34. Ἀπαρνήσῃ] *Abnegabis.*

37. Λυπεῖσθαι κ ἀδημονεῖν] *Contristari, atque adeo gravissime angi.*

38. Περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μ] *Mœrore est obsessa anima mea.*

40. Οὕτως οὐκ ἰσχύσατε] *Itane non potuistis.*

43. Βεβαρημένοι] *Gravati:* vel, *Graviter pressi* somno.

49. Κατεφίλησεν] *Deosculatus est.*

51. Ἀπέσπασε] *Exseruit.*

52. Ἀπόστρεψον] *Converte.*

53. Παρακαλέσαι] *Precari.* ¶ Παραστήσει] *Sistet.*

55. Καθ' ἡμέραν] *Quotidie.*

59. Θανατώσωσιν] *Morti addicerent.*

62. Τί οὗτοί σε καταμαρτυροῦσιν] *Quidnam* hoc est quod *isti adversum te testificantur?*

63. Ἐξορκίζω σε] *Adjuro:* vel, *Jurejurando te adigo.*

64. Σὺ εἶπας] *Tu dixisti* quod res est.

65. Διέρρηξε] *Dirupit.*

66. Ἔνοχος θανάτου ἐστί] *Tenetur mortis pœna.*

67. Ἐνέπτυσαν] *Insputerunt.* ¶ Ἐῤῥάπισαν] *Bacillis eum cecidérunt.*

69. Παιδίσκη] *Ancilla.*

71. Πυλῶνα] *Vestibulum.*

73. Ἡ λαλιά σε δηλόν σε ποιεῖ] *Loquitio tua:* vel, *tuum hoc genus sermonis.*

74. Κατανάθεματίζειν] *Devovere seipsum.*

75. Ἔκλαυσε πικρῶς] *Flevit acerbe*, i. acerbum dolorem in corde sentiens.

DRUSIUS.

2. PAscha fore, &c.] In Pheschitha fol. 75. col. 4. *Docent Doctores s. m. Cum aliqui damnati erant ad mortem, ut senex rebellis & impostor, detinebant eum differendo supplicium usque ad festum solenne, quod* חגא *vocant* (erant autem tria hujusmodi festa, in quibus omnes undique Jerosolymam confluebant sacrorum causa) *tum occidebant eos, quo tempore Israel congregatus erat, ad stabiliendum quod dicitur,* ET OMNES ISRAELITÆ AUDIENT ET TIMEBUNT, *&c.* Locus iste habetur Deut. 17. 13. ad quem R. S. *Hinc est quod exspectant diem festum anniversarium* דרגא *dictum, & occidunt eum in illo festo. Quid interpreti venerit in mentem*, (inquit Ælius Antonius Nebrissensis) *ut quod ab Hebræis dicitur Pesach per Samech* (i. Samech) *in Exodo atque aliis in locis Instrumenti V. interpretatus sit in Phase, in T. N. Græce & Latine dicatur Pascha, aut quid simile inter se habeant hæc tria, Pesach, Phase, Pascha, ut ausim sit Latinus interpres vertere Pesachin Phase, aut Græcus in Pascha, vellem dissereret mihi quispiam trium linguarum peritus.* Hucusque Nebrissensis ille. Antea omnia sciendum *Pesach* recentioris corruptæque consuetudinis esse, cum, teste Hieronymo, Hebræi *P*, Latinum non habeant. Scribendum ergo *Phesa* vel *Phesach*. Id antiquitus legebant *Phase*. non *Phase*, ut תרא *Thare*, זרא *Zare*, in quibus *e* pro *a*, ut in קרא *Core*, יפתה *Jephthe*, & aliis sexcentis. Nihil hic novum aut insolens. Jam vero Chaldæi, addito א elemento, ut moris est apud eos, dicunt פאסחא. Inde N. Federis scriptores fecerunt primum *Phascha*, deinde, aspirata in exilem versa, *Pascha*. פאסחא *Phascha*, ut פכנה *Phasga*. Hoc primum: deinde פאסחא *Pascha*, ut כרמל *Carmelus*. Dictum *Pascha* non ἀπὸ τ πάσχειν, ut veterum plerique arbitrantur, sed à *transiliendo*. Nam exterminator Angelus, cum Ægyptiorum primogenitos occideret, viso sanguine in foribus Israelitarum, eorum domos transiliit. Falluntur ergo qui à *transitu maris Rubri* sic appellatum putant. Id quod Ecclesia etiamnum canit, *Post transitum maris Rubri, Christo canamus Principi*, per *transitum maris* ipsum Pascha, ut appareat, significans. Pro *Phase* Theodotio quondam edidit φασιχ, Symmachus ὑπερβάσις, Philo διάβατηρια, Josephus ὑπερβασιν. Hinc intelliges quid sit apud Eusebium lib. 7. cap. 32. τὰ διαβατήρια. [Forte διαβατηρια, quæ sunt sacrificia pro transitu.] Nam innuit festum Paschatis, quæ ab eodem alibi vocatur ἡ τ διαβατηρίων ἑορτή. Qui *Pascha* à *passione* dictum existimarunt, fuere apud Veteres non ex media plebe, sed ex prima nota, Nazianzenus, Lactantius, Ambrosius, & ætate nostra Johannes

nes Tortellius, aliique plures. Lactantii verba ſunt lib. 4. c. 26. *Paſcha nominatur ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quia paſſionis eſt figura, quam Deus præſcius futurorum tradidit per Moyſen populo ſuo celebrandam.* Alteram opinionem de tranſitu maris Rubri tuetur Zacharias in Unum ex quatuor, pag. 210. per hæc verba, *Paſcha non eſt Græcum nomen, ſed Hebræum. Opportune tamen concurrit in hoc nomine congruentia utriuſque linguæ. Quia enim patitur Græce πάσχειν dicitur: Ideo Paſcha Paſſio putata eſt. Sed in ſua lingua, i. Hebræa, Tranſitus dicitur, quia tunc primum Paſcha celebravit populus Dei quando mare Rubrum tranſiit. Ideo ſcilicet Paſcha Hebraice dicitur Phaſe, i. Tranſitus.* Verba hæc habentur in Auguſtino Tract. 55. in Johan. paucis mutatis. Veram etymologiam ſcivit Hieronymus, quam his verbis expreſſit, *Paſcha Hebraice dicitur Phaſe, non à Paſſione, ut plerique arbitrantur: ſed nec dicitur Phaſe à Tranſitu maris Rubri, id quod Eccleſia canit, &c. ſed quod exterminator videns ſanguinem in foribus Iſraelitarum pertranſierit neque percuſſerit illos. Ait namque Scriptura,* EST ENIM PHASE, *i. e. tranſitus,* DOMINI: ET TRANSIBO PER TERRAM ÆGYPTI NOCTE ILLA, PERCUTIAMQUE OMNEM PRIMOGENITUM. *Et ſequitur,* CUMQUE VIDERIT DOMINUS SANGUINEM IN SUPERLIMINARI IN UTROQUE POSTE, TRANSCENDET OSTIUM DOMUS, ET NON SINET PERCUSSOREM INGREDI DOMOS VESTRAS. *Atque iterum,* ET CUM DIXERINT VOBIS FILII VESTRI, QUÆ EST ISTA RELIGIO? DICETIS EIS, VICTIMA TRANSITUS DOMINI EST, QUANDO TRANSIVIT SUPER DOMOS FILIORUM ISRAEL IN ÆGYPTO.

8. *Videntes autem diſcipuli*] Johannes Euangeliſta hujus culpæ reum facit ſolum Judam, 12. 4. Ergo *diſcipuli*, unus aliquis diſcipulorum. Sic Joſ. 7. 1. *Prævaricati ſunt filii Iſrael*, i. unus eorum, Achan. Talia ſunt, *Sepultus in urbibus Galaad*, i. e. in una aliqua urbium illarum; *Pullus aſſinarum*, i. unius alicujus aſinæ: & quæ alia à me notata. Vide ſupra 24. 1. ¶ *Perditio*] תשחורת. Salmanticenſis Judæus in Jucb. fol. 54. pag. 2. *Non licet ſepelire in ſericeis involucris aut veſtibus phrygionicis, ne principem quidem* (i. נשיא qui Synedrio magno præerat) *quoniam hæc eſt perditio & opus Gentium.*

11. *Semper enim pauperes habebitis*] Deut. 15. 11. « *Non deerit pauper in terra habitationis tuæ.* Gerundenſis explicat, *Semper erunt pauperes in terra. Contra legimus*, NON ERIT IN TE PAUPER, *videlicet ſi Legem meam obſervaveris.* Vide Gerundenſem ad illum locum.

12. *Ad ſepeliendum me fecit*] Imo *ad funerandum.* Nam in fonte πρὸς τὸ ἐνταφιάσαί με, quod *funerare* non *ſepelire* ſignificat. Hebræi טמן dicunt, cum aromatibus condiuntur corpora defunctorum. Quo ſignificatu & verbum Græcum ſepeliendi uſurpant: unde fortaſſe in Symbolo Apoſtolorum ἐνταφὲν vertendum *funeratus eſt.* Nam in eo quod ſequitur, *Deſcendit ad inferos*, vis eadem, teſte Ruffino, atque in illo *Sepultus eſt.* Vide Annot. meas in Gen. 50.

23. *In paropſide, ἐν τῷ τρυβλίῳ*] Clemens, ὁ κύριος τρυβλίῳ ἐπαφῆκε ἐυπλοΐᾳ. Non ergo in vaſe illo pulcherrimo quod Genuæ ſpectatur, ſive è ſmaragdo, ſive ex alia inſigni gemma conſtet: Brodæus Miſcell. l. 5. c. 19.

25. *Qui prodebat eum*] המוכר *qui mox proditurus erat.* Sic Jon. 1. 3. *Invenit navem euntem*, i. e. brevi, aut mox, ituram. Et alibi, *Quo ego vado*, i. e. iturus ſum propediem. Et, *Adhuc unum modicum, & ecce ego commoveo cælum & terram.* Alius, *qui prodebat*, i. e. prodere parabat aut cogitabat.

26. *Hoc eſt corpus meum*] Hæc τυπικῶς eſſe intelligenda docet Macarius Ægyptius, hom. 27. pag. 382.

30. *Hymno dicto*] Paulus Epiſcopus Burgenſis deſignari putat hymnum quem Iudæi hodie canunt hac ipſa nocte poſt comeſtum agnum. Vocatur ab eis *Halleluja magnus*, vel *magnum.* Ego in libro Præceptorum invenio etiam הלל הגדול, quod *hymnum magnum* ſonat, fol. 118. col. 3. Nam הלל *hymnus*, & כוס הלל ποτήριον ὑμνήσεως, quod erat ultimum poculum ex quatuor, de quibus in lib. illo 118. 1. Qui hymnum magnum hic ſignificari putant, ajunt eum incipere ab Pſalmo 113. cujus initium, *Halleluja. Laudate ſervi* DOMINI, & deſinere in Pſalmum 119. Sed Moſes Ægyptius qui *Rambam* vocatur, autor incipere à Pſalmo, *Celebrate DOMINUM*, qui eſt 118. & durare uſque ad Canticum graduum, qui eſt vigeſimus ſupra centeſimum. Hanc pugnam, quia conciliare non poſſum, aliis relinquo dirimendam qui me ſunt doctiores & magis exercitati in ſcriptis Hebræorum.

36. *Gethſemane*] Nomen χωρίου codices Græci; *loci*, editio Syra; (nam מקום *locus*) *villa*, Latina vetus; *vallis*, liber Interpretationum, qui eam ponit *ad radices montis Oliveti*, & ſcribi debere ait *Geſemani* contra omnium codicum fidem. Cæterum Græca exemplaria variant. Nam in aliis eſt Γεθσημανεῖ, & in aliis Γεθσημανεί, quam ſcripturam ſecutus videtur interpres noſter. Nam eadem eſt cum Γεθσημανεῖ, ut Ἠλεὶ dicimus & Ἠλὶ pro eodem. Sic Ἐλωεὶμ & Ἐλωὶμ. Euſebius De locis, *Gethſemani, locus ubi Salvator ante paſſionem oravit. Eſt autem ad radices montis Oliveti nunc eccleſia deſuper ædificata.* Hieron. in Nom. ex Matth. *Gethſemani, Vallis pinguedinum.* Idem in Matth. *Gethſemani interpretatur Vallis pinguiſſima.* Et Ierem. 31. *Unde & locus in quo comprehenſus eſt* DOMINUS *vocatur Geſemani, quod in lingua noſtra Vallem pinguedinis ſonat.* Et Iſ. 28. lib. 9. *Super vallem pinguium, i. e. Geſſemanim, in qua etiam nomen loci ſignificatur in quo Judas* DOMINUM *tradidit.* Vide pag. 101, & 102. & pag. 179. col. 1. & pag. 298. in Ier. ubi lectum ſcriptum *Geſemani*, i. גי שמני *vallis pinguedinum.* Angelus Caninius, *Gethſemani non eſt Vallis pinguium* (GETH *enim Ebraicum non eſt*) *nec pratum olei, ut quidam ſomniat. Sed ſunt duo vocabula Syriaca,* גת שמן *Pecuaria butyri.* Videamus. *Geth* antiqui legebant pro גת *Gath*, quod *torcular* interpretantur. Id qui negat Hebraicum eſſe, negat ſolem lucere in meridie, aut bis duo quatuor eſſe. In eadem lingua שמן ſignificat *oleum.* Dicam nunc quid mihi videatur. Syrus habet גרמסן *Gedſiman*: ex eo conjicio ſcriptum aliquando fuiſſe גי רשמני, & poſtea ד in ס mutaſſe culpa librariorum. גי *vallis*, רשמני *pinguium* ſive *pinguedinum*, ab ubertate ſoli ſic dicta fortaſſe: ד & ס de facili inter ſe permutantur. Contra factum in Γολιάδ pro Γολιάθ. In רשמני articulus eſt Syriacus: de quo in Grammatica noſtra Chaldaica, quam Radæus recens excudit. Hoc pono, non ſtatuo.

49. *Ave Rabbi*] Nam Latinum eſt factum ex Hebræo חויא unde quidam ſcribunt *Have*, pro quo in nonnullis libris legitur *Habe*, Vau Hebræorum in B verſa, ut in Δαβίδ, Ἰαβὶ, & ſimilibus. Græci habent χαῖρε ῥαββί, *ſalve Rabbi.* Idem *Have* ſignificat apud Hebræos. Nam *vivere* dicunt pro *ſalvere*; ut, *Vivat rex*: quod idem cum illo, *Sit ſalvus*, aut, *Vivat diu.* Nam *vita* vocatur vita longa, ut ibi, *Momentum in ira ejus, vita in benevolentia ejus.* Huc refer quod Deut. 17. 20. *Ut prolonget dies ſuos in regno ſuo, ipſe & filii ejus, in medio Iſrael.* Pœni dicunt *Havo*, pro quo corrupte legitur apud Plautum *Hano*: ubi & *Handoni*, i. e. *Have Domini*; ut ſit *Doni* decurtatum ex *Adoni*, & ה pro חור, ut גל pro גלה *revela.* חוי ה χαῖρε κύριε. Locus eſt in Pœnulo,

P. *Havo.* M. *Salutat.* Item,
A. *Salua hunc rurſum Pœnice verbis meis.*
ML. *Handoni.* Plura in Cadmo noſtro.

64. *Potentia, τῆς δυνάμεως*] i. e. אל *Dei*, ut Tob. 1. 5. τῇ Βάαλ τῇ δυνάμει, *Baali Deo.* Vide quæ ſcripſimus Rom. 8. 38.

65. *Scidit veſtimenta ſua*] Hoc faciebant cum audirent Iſraelitam Deum blaſphemantem. In lib. Præceptorum, *Qui blaſphemantem Iſraelitam audit, debet lacerare veſtes: ſi alius eſt, puta* גי *Gentilis, non lacerat. Quod autem Eliacim & Sobna veſtes diruperint, id factum eſt quia Rabſaces erat Iſraelita apoſtata, qui patrum religionem ejuraverat.*

75. *Flevit amare*] פרה בכי, ut Iſa. 22. 4. ומרר בכי, LXX, πικρῶς κλαύσομαι. Hier. *amare flebo.*

CASAUBONUS.

7. Προσῆλθεν αὐτῷ γυνὴ ἀλάβαστρον μύρου ἔχουσα] Epiphanius ἀλάβαστρον ait eſſe vas ad unguenta vitreum, ſic dictum ἀλῷ τὸ ἐνθεῖναι. Notandum eſt autem cum Græcis dicatur τὸ ἀλάβαστρον, Latinos tamen mutato genere enunciare; quod pauci obſervaſſe videntur. Cicero, *Alabaſter plenus unguentis eis putere videtur.*

12. Πρὸς τὸ ἐνταφιάσαί με ἐποίησεν] Interpretes τὸ ἐνταφιάζειν vertunt *ſepelire*, & ἐνταφιασμὸν *ſepulturam*, Marc. 14. 8. ego vero diſtinguendum arbitror inter θάπτειν & ἐνταφιάζειν, itemque inter ἐνταφιασμὸν & ταφὴν· θάπτειν enim *ſepelire* ſignificat, at ἐνταφιάζειν eſt *corpus ad funus componere, & ornamentis*, ut ſic dicam, *ſepulchralibus ornare*, quæ Græcis ἐνταφια vocantur. Ea autem fuiſſe apud veteres ſumptuoſa, nimis certum eſt. Ergo quod funditur unguentum in Chriſti caput, id pertinet ad τὸ ἐνταφιασμὸν, non ad τὴν ταφήν. Neque temere hanc vocem retinuere omnes Euangeliſtæ. Gloſſarium vetus, Ἐνταφιάζω, *funero.* Ἐνταφιον, *libitina.*

13. Ὅπου

13. Ὅπου ἐὰν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ] Cum præceſſiſſet ὅπου ἐὰν, non videbatur neceſſarium addere ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ· vel igitur ſic interpretandum, q. d. *Inquacunque mundi parte*; vel ſic, *Ubicunque, in toto, inquam, mundo.* Nam & Euangelium per totum mundum eſſe prædicandum certum eſt. Vide Theophylactum in Marc. 14. 9. qui cætera ſimilis pro ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ habet εἰς ὅλον τὸν κόσμον.

23. Ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα] Vetus interpres non videtur reperiſſe in ſuis libris τὴν χεῖρα. Τρυβλίον autem cum vetere interprete etiam auctor Gloſſarii voce Græca exponit *paropſidem.* Porro τρυβλίον hoc Clemens Alexandrinus quodam loco ἐνπλὶς appellat: quod Genuenſes non facile illi concedent.

42. Ἐὰν μὴ αὐτὸ πίω] Ἐὰν μὴ in iſto & ſimilibus locis ſignificat quod Gallice dicimus *ſans que.* Id vero ſolet Cicero dicere *ne non*: neque aliter vertendum cenſeo.

50. Ἑταῖρε, ἐφ' ᾧ πάρει;] Malim alteram lectionem, ἐφ' ὃ πάρει; q. eſſet ſcriptum, τί ἐστιν ἐφ' ὃ πάρει; Sic apud Xenophontem & alios Hiſtoricos paſſim λέγειν ἐφ' ἃ ἥκει. Et ſane ὅτι in hac ſignificatione uſitatius quarto caſui jungitur; ut vel ejus jocus teſtatur qui à fure balneum adeunte quæſiit, veniretne ἐπ' ἀλειμμάτιον an ἐπ' αἰκίαν ἰμάτιον.

67. Οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν] Vetus interpres, *alii autem palmas in faciem ejus dederunt*: ſed quid ſit ῥαπίζειν jam diximus. Sedulius autem hunc locum eleganter expreſſit ad hunc modum,

—— *non denique paſſim*
Vel colaphis pulſare caput, vel cædere palmis,
Aut ſpuere in faciem plebis exſecranda quievit.

& paulo poſt,

Namque per hos colaphos caput eſt ſanabile noſtrum;
Sputa hæc per Dominum noſtram lavere figuram;
His alapis nobis libertas maxima plauſit.

Alluſit perquam eleganter Sedulius ad ῥαπίσματα ſeu alapas ſervorum inanumittendorum.

CAMERO.

1. Καὶ ἐγένετο] Hebr. ויהי, quod uſurpatur initio orationis. ¶ Ἐτέλεσεν] In ſimili argumento Lucas dixit ἐπλήρωσεν, c. 7. 1. Cæterum utrobique Hebraiſmus eſt: nam Lucæ ἐπλήρωσεν eſt Hebræorum מלא *implevit*, Gen. 29. 27. מלא את שבעת זאת quod LXX συντέλεσον reddiderunt, & ſæpius per πληρῶσαι reddunt, ut Gen. 25. 24. & 29. 21. eodem modo quo à Luca uſurpatur. At ἐτέλεσεν eſt מלה Deuter. 32. 44. ויבא LXX, καὶ συνετέλεσεν Μωϋσῆς λαλῶν πάντας τοὺς λόγους, &c. ¶ Πάντας τοὺς λόγους τούτους] Hebraïs frequens, ut Deut. 32. 44. loco modo citato את כל הדברים האלה, & alibi paſſim.

2. Τὸ πάσχα γίνεται] h. e. δεῖ γίνεσθαι· ſic Matth. 2. 4. πῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται, h. e. δεῖ γεννᾶσθαι· & c. 17. 11. Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, id ipſum eſt quod eodem cap. v. 10. Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον· Sic loquuntur etiam Latini cum locus vel tempus legitimum & præſtitutum deſignatur. Ovid. l. 1. Faſtor.

Nox ubi tranſierit, &c. ——
Te duo diverſa Domini de parte coronant,
Binaque ſerta tibi, binaque dona ferunt.

ubi *coronant* & *ferunt* idem eſt quod *lege conſtitutum eſt ut id fiat, & de more id fit.* ¶ Παραδίδοται] Præſ. pro fut. μέλλει παραδίδεσθαι· eſtque Rabbinicum נמסר.

3. Συνήχθησαν] Συνάγεσθαι non deſignat Coitionem vulgarem, ſed quæ fit conſilii capiendi cauſa; quomodo accipiendum eſt celebri illo loco, *Ubi duo aut tres congregati ſunt in nomine meo.* Sic Pſal. 2. 2. καὶ οἱ ἄρχοντες συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ κατὰ τοῦ Κυρίου. ¶ Οἱ ἀρχιερεῖς, &c.] Deſignatur Synedrium majus quale tunc temporis fuit. ¶ Εἰς τὴν αὐλὴν] Αὐλὴ eſt Hebr. חצר *atrium.* ¶ Τοῦ λεγομένου] Hebraiſmus pro ὀνομαζομένου נאמר, quod idem eſt aliquando quod נקרא. Oſeæ 1. 10. בנקום אשר יאמר להם לא עמי, *Pro eo quod vocabantur Lohammi*, יאמר להם בני אל חי *vocabuntur Filii Dei vivi*: ubi LXX ipſi illud יאמר להם reddiderunt καλεσθήσονται καὶ αὐτοί· & c. 2. 1. עמי אמרו לאחיכם *Vocate fratres veſtros Hammi*, &c. ¶ Καϊάφα] Videtur eſſe ejuſdem originis cujus Κηφᾶς *Cephas*, nempe Syr. כיפא, ſed ſcriptum forte eſt Καϊάφα diſcriminis cauſa.

4. Δόλῳ] Pro δολίως. Hebr. eſt בערמה.

6. Λεπροῦ] Cognomentum eſt vel Simonis proprium, vel totius etiam familiæ, à caſu inditum, quod aliquando vel ipſe pater aut aliquis Majorum lepra fuiſſet infectus.

7. Ἀλαβάστρου] *Pyxis* eſt *unguentaria*, μυροθήκιον. Callimachus in hymno in Palladem maſc. genere extulit,

Μὴ μύρεϲ λωτεοχόοι τῷ Παλλάδι μηδὲ ἀλαβάϲτρεϲ·
Οὐ γὰρ Ἀθηναίη χείματι μίκτὰ φιλεῖ.

Et Cicero lib. 2. Acad. *Quibus etiam alabaſter plenus unguentis putere videtur.* ¶ Βαρυτίμου] יקר utrumque notat, nempe & *gravitatem* Syriace, & *pretium* Hebraice. Itaque cum vox iſta βαρύτιμον lingua Græca minus uſitata ſit, credibile eſt Euangeliſtam voluiſſe inſolenti vocabulo vim illius Hebraicæ vocis exprimere. Sic Apoſtolus dum αἰώνιον βάρος δόξης dixit 2 Cor. 4. 17. videtur alluſiſſe ad ſignificationem propriam vocis כבוד, quæ & *gloriam* & *pondus* vi ſua ſignificat. ¶ Κατέχεεν] Pro more. Nam perfundebant caput oleo, ut paſſim in V. Teſt. libris videre eſt, quorſum reſpexit Pſaltes Pſal. 23. 5. & 141. 5. Etiam apud profanos ſcriptores. Horatius Od. 29. l. 3. *Preſſa tuis balanus capillis.* Et l. 2. Od. 7. *Funde capacibus unguenta de conchis.* Et paulo ante eadem Oda, *Coronatus nitentes malobathro Syrio capillos.*

8. Εἰς τί ἡ ἀπώλεια] *Ad quid.* Hebr. למה. Geneſ. 25. 22. למה זה אנכי. & verſ. 32. למה זה לי בכורה & Eſai. 1. 11. למה לי רב זבחיכם.

10. Κόπους παρέχετε] Hebr. uno verbo תוגעתם: nam יגע eſt κόπος *labor*, *moleſtia*, Eſa. 43. 24. הגעתני בעוניך, quod Græce κόποις παρέχαϲέ μοι reddendum foret. ¶ Ἔργον καλὸν εἰργάσατο] Phraſis eſt Syrochald. עבדת עבדא טבא.

13. Λαληθήσεται] Pro ῥηθήσεται, vel potius πλυθρύλητον ῥηθήσεται. Hebr. ידבר, ut Cant. 8. 8. *quid faciemus ſorori noſtræ* ביום שידבר בה, LXX ἐν ἡμέρᾳ ᾗ ἐὰν λαληθῇ ἐν αὐτῇ. & Pſal. 87. 3. נכבדות מדבר בך δεδοξασμένα ἐλαλήθη περὶ σοῦ.

14. Εἷς τῶν δώδεκα] Qui certo numero in aliqua dignitate conſtituti ſunt, ſolent à numero denominari; ut 2 Sam. 23. 18, 19, 23. ubi viri fortes Davidis à numero Ternario & Tricenario denominantur. Sic Latine *Triumviri*, *Decem-viri*; & apud Venetos *il Conſiglio de Dieci*; Græce πενταπόλεις, qui apud Athenienſes de cauſis gravioribus cognoſcebant; ut etiamnum hodie apud Genevenſes *les deux cents.* ¶ Ἰσκαριώτης] Non videtur convenire ut ſit eadem hæc appellatio quæ foret Hebræa איש קריות, neque enim eo ſeculo, quo lingua Hebræa pene obſoleverat, credibile eſt cognomento Hebraico quenquam fuiſſe inſignitum. Cæterum non habeo quod ſtatuam, niſi forte corruptum ſit ex שכיר *mercenarius.* Atque hic notandum quod obſervavit Beza, in antiquiſſimo codice ſcriptum fuiſſe Σκαριώτης conſtantiſſime; quod & Syrus Interpres retinuit.

15. Τί θέλετέ μοι δοῦναι] Pro τί δώσετε; ut Cato De re ruſtica, c. 5. *Ne velit quicquam emiſſe inſciente Domino*, h. e. ne emat.

16. Εὐκαιρίαν] Hebr. מעת utrumque, & *temporis opportunitatem & conſilii*; & temporis quidem, Jer. 2. 24. conſilii vero, Judic. 14. 4. ut & hoc loco.

18. Πρὸς τὸν δεῖνα] Hebr. לפלוני. Videtur autem vox illa Græca eſſe à Chald. תרין ὁ δεῖνα, pro Hebr. הזה. ¶ Ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστι] Hebr. ſic Ezech. 7. 7. בא העת קרוב היום & Eſai. 13. 22. וקרוב לבוא עתה. ¶ Πρός σε] h. e. *apud te*: ut Joh. 1. 1. καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν. ¶ Ποιῶ τὸ πάσχα] Hebr. עשה את הפסח, h. e. decrevi facere, hoc ratum & fixum apud me eſt. Ubi propter enallagen Hebrææ linguæ familiarem præſentis pro futuro notanda eſt locutio ποιῶ πάσχα, quæ Hebraica eſt paſſim obvia, Exod. 12. 48. Num. 9. 2, 6, 14. & alibi.

19. Συνέταξεν] Plus videtur ſignificare quam προσέταξεν· nempe adſignificatur rei imperatæ ordinatio & præſcriptio. Sic LXX צוה verterunt συνέταξεν, Exod. 16. 32, &c. quo loco non nudum imperium Dei, ſed conjunctum cum præſcriptione ſignificatur; in qua ſignificatione apud LXX verbum hoc conſtanter uſurpatur.

20. Ὀψίας γενομένης] Non notatur ſimpliciter tempus, ſed ſtatum tempus & legitimum: nempe expreſſit Hebræorum בין השמשות, quod ejus fieri potuit Græce, commodiſſime.

22. Ἤρξαντο λέγειν] Hebraiſmus pro *dixerunt.* Gall. *ils ſe prindrent à dire.* Sic Lev. 21. 9. תחל איש כהן כי תחל לזנות *ſi cœpit fornicari*, h. e. ſi fornicetur. ¶ Κύριε] Non adhibetur hic ea notione quæ apud Græcos & Latinos obtinet, ut refertur ad Servum; ſed eſt Hebræorum אדוני.

23. Ἐν τῷ τρυβλίῳ] In quo erat illud ἁμάμιμα quod Judæi vocant חרוסת, cujus fit mentio in eorum Ritualibus, in סדר הפסח. Erat autem חרוסת ſpiſſum quoddam condimentum ex variis rebus dulcibus & acidis confectum ad inſtar luti:

quo

quo volunt Judæi referri lutum illud ex quo lateres conficiebant Majores ipſorum, à חרש dictum, *teſta*. Itaque fortaſſe ὁ ἐμβαψας ἐν τῷ τρυβλίῳ non incommode reddi poſſet Hebraice המטמל בחרוסת.

24. Ὑπάγει] Eſt Hebr. הלך, & זאל, quæ verba non ſimpliciter *abitum* ſignificant, verum etiam *interitum*, ut 1 Sam. 9. 7. Job. 14. 11. quantum ad זאל, & Pſal. 58. 9. quantum ad הלך. Sic Græcis οἰχεσθαι. ¶ Καλὸν ἦν αὐτῷ] Hebr. כי טוב לו, ut Hoſ. 2. 7. בי טוב לי אז מעתה. ¶ Ἄνθρωπος ἐκεῖνος] Hebr. האיש ההוא.

26. Λαβὼν] Signanter, ut & illud ἀνοίξας στόμα· nempe utraque locutio notat rei de qua agebatur gravitatem. Certe uſitata eſt formula אמר פתח apud Magiſtros: & notum eſt, & vero notatum in פרי הפסח, non temere, & quaſi ageretur res vulgaris, ſed certo quodam ritu (à quo potuit abeſſe ſuperſtitio) ſolitum *ſuos* in *manum* panem à patrefamilias. ¶ Τὸν ἄρτον] Signanter item. Aliud enim eſt לחם, aliud חלת לחם. Judæi vocant חכרת in Ritualibus, ubi inquiunt de patrefamilias רקח חכרת את. Aliud nempe eſt dixiſſe τὸν ἄρτον· notatur enim certus & peculiaris quidam panis. ¶ Εὐλογήσας] h. e. εὐχαριστήσας. Eodem enim hæc redeunt: id quod non ſolum ex conſenſu Euangeliſtarum, qui indiſcriminatim his verbis uſi ſunt, ſed etiam ex uſu & conſuetudine Judæorum conſtat. Etenim hæc εὐλογία nihil aliud illis fuit quam εὐχαριστία: nempe *benedicere Deo* & *gratias agere* eadem ſunt. Itaque (quanquam nolimus affirmare Chriſtum iiſdem verbis uſum) ſic illi εὐλόγησαν, ברוך אתה י, quæ formula teſtimonium eſt animi intenti in Deum, unde fit ut panis ſanctificetur, h. e. ut ejus uſus ſit legitimus. Certe hanc εὐλογίαν illi קדוש vocant *ſanctificationem*: nempe tum rerum omnium uſus ſanctus eſt & legitimus cum earum agnoſcimus Deum authorem. ¶ Ἔκλασεν] Sed & hoc itidem ſignanter dictum eſt. Adeo enim fuit ſolennis hæc κλάσις τοῦ ἄρτου apud Judæos, conjuncta, inquam, cum εὐχαριστίᾳ ſeu εὐλογίᾳ, ut κλάσις ἄρτου illis ſignificarit *legitimam cibi ſumptionem*. Hinc enim auſpicabantur veluti convivia ſolennia, præcipue vero in cœna ἀπλανιτικῇ Paſchatis. Eſt igitur ἡ ἔκλασε id ipſum quod in פרי הפסח dicitur ויבצע. ¶ Ἔδιδου] Hoc itidem ſignanter. Nam ſumebatur in manus panis πεπιστευτὸς· tum ſumptum panem ambabus tenens manibus paterfamilias benedicebat ſeu gratias agebat Deo: tum frangebatur: denique diſtribuebatur. Verba Ritualis Judæorum hæc ſunt, ויבצע כדית מכל אחת משתיהן ואוכלים ונתן לכולם, h. e. *Et frangit de unaquaque duarum illarum tertiarum quantum eſt oliva* magnitudo, *comeditque illa ſimul*; *tum ſingulis* accumbentibus *dat*, ſeu *diſtribuit*. ¶ Λαβέτε, φάγετε] Forſan & hæc fuit vetus formula: nam in Judæorum Ritualibus diverſa eſt & minus ſimplex, nempe כל רוצה יתי וכול כל רוצה יתי ופסח, h. e. *Quicunque eſurit, veniat & comedat*; *quicunque neceſſe habet, veniat & faciat Paſcha*: neque enim convenire videtur ut qui jam cœna verant & Paſcha celebrarant ſic invitarentur. ¶ Τοῦτ.] Sic verti ſolet Hebræorum זה: ut quod Exod. 24. 8. Hebr. eſt הנה דם הברית, Apoſtolus Heb. 9. 20. reddit Τοῦτο τὸ αἷμα, &c. Cui reſpondet Thalmudicum זה: formula Judæorum eſt qua utuntur in Cœna apolytica זה לחמא דעניא, quod Hebr. eſſet הנה לחם העני הנה Τοῦτο ἐστιν ἄρτος θλίψεως· fere ut Græci, Βακτηρία, τοῦτο αἰπὺ σκήπτρον, quod de Diogene veterum nonnemo dixit. ¶ Ἐστί] Solent Hebræi & Syri nulla copula interjecta attributum cum ſubjuncto conjungere: unde fit ut cum Græca & Latina lingua ejuſmodi enunciationes exprimuntur, adjicienda ſit neceſſario copula; quod liquet ex his locutionibus, *Septem ſpicæ ſunt ſeptem anni*, &c. nam in Hebræo copulæ loco pronomina uſurpantur. Hic vero quia זה reſpondet τῷ הנה & τῷ זה, quæ eandem vim obtinent, neceſſario itidem adjicienda fuit copula: ut ſiquis illam formulam זה ומזון, &c. Latine aut Græce verteret, omnino ſic cogeretur hæc verba exprimere, *Hoc eſt panis afflictionis*, &c. Τοῦτό ἐστιν ἄρτος θλίψεως, &c.

27. Τὸ ποτήριον] Signanter: eſt enim כוס והלל, quod Apoſtolus dixit ποτήριον τῆς εὐλογίας· nam quod repetit ὃ εὐλογοῦμεν, hoc fecit ut noſtrum כוס והלל à Judæorum poculo diſtingueret. ¶ Καὶ εὐχαριστήσας] Ecce clare liquet ut εὐλογίας & εὐχαριστίας eadem ſint. Hic igitur benedictio ſeu gratiarum actio, etſi facit uſum Poculi legitimum (unde quemadmodum Juſtinus Martyr dixit εὐχαριστηθὲν ἄρτον, h. e. *panis ſuper quem gratiæ ſunt Deo actæ*, ſive, *Deum laudatum & invocatum eſt*, ſic Apoſtolus τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν dixit) tamen ad Deum dirigitur: nam gratiarum actio non pertinet ad poculum, ſed ad Deum. ¶ Ἐξ αὐτοῦ] Hebr. ממנו: proinde dictum ac ἔπινον ἐκ πέτρας 1 Cor. 10. 4. ¶ Πάντες] Nam ut in Paſchali cœna omnes qui menſæ adhibebantur oportuit eſſe agni Paſchalis participes, ſic in Cœna apolytica eorum quæ apponebantur, ſeu illa eſculenta ſeu potulenta fuerint, qui accubuerant deguſtabant.

28. Διαθήκης] Perinde dictum ac τοῦτο τὸ αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ Θεός, Hebr. 9. 20. Eſt vero καινὴ διαθήκη non καινὴ simpliciter (quanquam & καινὴ eſt) ſed teſtimonium voluntatis illius qui ſuperior eſt, ſeu Deus ille ſit ſeu homo. Porro Homine jam lapſo, Dei voluntas, ſeu Lege ſeu Euangelio patefacta, Lege quidem typice, in Euangelio autem reapſe ſanguine obſignanda fuit: nam *ſine ſanguinis effuſione nulla eſt remiſſio*, neque typica, neque realis. ¶ Καινῆς] Nam Euangelium à Prophetis καινὴ διαθήκη vocatur: quod quidem Apoſtolus Hebr. 8. 8. ex Jer. 31. 31. probat, eo quod Legalis fœderis œconomia inveteraſcere, h. e. aboleri debuit, N. autem Teſtamentum, ut novum Cœlum & nova Terra, in æternum manere. Nec quiſquam miretur hujus καινῆς διαθήκης promulgationem prædici, tanquam ſi non ſemper obtinuiſſet, aut inde cauſetur vocari *novam*: nam & Propheta prædixit fore ut *Deus inſcriberet legem ſuam cordibus ſuorum*, cum tamen jam tum multi eſſent pii. ¶ Πολλῶν] Hebr. רבים, ut Dan. 12. 1. *Multi reſurgent de pulvere*, ubi vox רבים non comparate ſed abſolute ſumitur pro *immenſa multitudine*: quamvis certiſſimum ſit, ſanguine Chriſti nemini vitam eſſe partam qui idem non ſit membrum Chriſti. ¶ Ἐκχυνόμενον] Non eſt participium, ſed nomen participiale forma participii: nempe non adſignificatur tempus ſed (ut loquuntur in Scholis) rei forma. Sic in Baptiſmo dicimur ablui ſanguine Chriſti ἐκχυνομένῳ, non autem ἐκκεχυμένῳ, quanquam Latini dici non poſſit niſi forma præteriti, nempe ut non notetur ſanguinis ſubſtantia, ſed ratio unde vis ablutionis pendet, nempe effuſio; juxta illud, Χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις. Itaque nihil opus eſt hic confugere ad temporum ἐναλλαγὰς, quando non tempus ſed res hic in primis ſpectanda eſt. ¶ Εἰς ἄφεσιν] Ἄφεσις eſt illius proprie actio qui quos habet obſtrictos dimittit & ſolvit, מחילה autem dicitur. In S. codice N. T. jungitur vocabulo ἁμαρτιῶν, quia faciunt peccata noſtra ut obnoxii ſimus juſtitiæ Divinæ, & Deus nos teneat obſtrictos. Itaque paſſive uſurpatur dum ἄφεσις ἁμαρτιῶν dicitur.

29. Ἀπ' ἄρτι] Hebr. מעתה: ſic & infra v. 64. ¶ Γενήματος τῆς ἀμπέλου] Hebr. פרי הגפן: nam LXX ſæpius פרי reddunt per γέννημα· quin & Eſa. 32. 12. ubi Hebr. legitur שדי פרי נתן, LXX reddunt ἐπ' ἀμπέλῳ γενήματος, q. ſcriptum eſſet שדי פרי הגפן. Cæterum in Judæorum Rituali benedictio quæ fit ſuper calicem iiſdem verbis concipitur; *Benedictus eſto*, *Domine Deus noſter Rex ſeculi*, ברוך פרי הגפן, ὁ κτίσας τὸ γέννημα τῆς ἀμπέλου. ¶ Ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης] Hebr. עד היום ההוא. Cæterum ſtatum & præſtitutum tempus in Scripturis *dies* dicitur, ut etiam Græce & Latine: unde locutiones illæ, *obire diem*, & ἀπέρχεσθαι ἡμέρας, &, εἰς ἡμέρας ἀπαντᾶν, *qui ad diem conſtitutum præſto eſt*. ¶ Ὅταν αὐτὸ πίνω μεθ' ὑμῶν] Id ipſum alibi his verbis ſignificavit Luc. 22. 30. Ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ βασιλείᾳ μου. ¶ Καινὸν] Hebr. חדש *novum* dicitur, quod ob excellentiam habet admirationem, ut *Canticum novum* שיר חדש, Pſal. 33. 3. & Apoc. 5. 9. ᾄδουσιν ᾠδὴν καινήν· & 14. 3. Sic & ὄνομα καινὸν, Apoc. 2. 17. ὃν οὐδεὶς οἶδεν ὄνομα καινὸν γεγραμμένον· & 3. 12. καὶ τὸ ὄνομά μου τὸ καινόν. Nec aliter accipienda ſunt illa Marc. 1. 27. τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη, h. e. *mirabilis*. Sequitur enim ὅτι καὶ ἐξουσίᾳ καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει. Nam quæ ſunt vetera, ſordent, faſtidiuntur; nova placent: hinc fit ut *novum* dicatur quicquid egregium eſt, etiam Latine,

Pollio & ipſe facit nova carmina,

h. e. *eximia*. Obſervandum eſt autem pronomen αὐτὸ in Scriptura non ſignificare ſemper (ut vulgo ſolet) *eandem* vel Specie vel Numero *rem* quæ præceſſit, ſed *eandem* interdum Analogia, ut hoc loco. Neque enim hic Chriſtus ſpondet fore ut in regno Patris idem numero vinum bibat quod tum bibebat; quod volunt tamen Pontificii, ridicule & abſurde, qui exiſtimant Chriſtum porrexiſſe bibendum Diſcipulis ſuis, & vero bibiſſe ſanguinem ſuum; ſed neque ſpondet fore ut idem ſpecie vinum bibat, quod alii nonnulli volunt (in quibus Chryſoſtomus) qui exiſtimant Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam vinum una cum Diſcipulis ſuis bibiſſe: nam Chriſtus poſt reſurrectionem comediſſe quidem legitur, bibiſſe vero non legitur. Sed tamen quia pronomen αὐτὸ *idem* quod præceſſit ſignificat, intelligendum eſt *idem* ſignificari non ſpecie aut numero, ſed analogia *idem*. Nempe Chriſtus non vult hoc dictum ſuum ſic accipi quaſi futurum eſſet ut biberet cum Diſcipulis ſtatim à Reſurrectione; ſed tale quid potius eſſe videtur quale illud eſt, *Ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipſe mecum*, Apocal. 3. 20. Nam eodem cibo, eodem uti potu communionis argumentum eſt: *celebrare una convivia* eodem pertinet. Ut illud interim

taceamus quod ſpirituale gaudium cum Vino comparatur in Scriptura. Obiicitur his illud quod Act. 10 41. à Petro dicitur, *Deum excitaſſe Chriſtum tertio die, conſpicuumque feciſſe non toti populo, ſed teſtibus quos ipſe prius deſignaverat, nimirum nobis*, inquit Petrus, *qui comedimus ac bibimus una cum eo poſtquam reſurrexit à mortuis.* Sed hujus loci ſenſum vide ſuo loco. ¶ Τῆ Πατρὸς μου] Alibi ſimpliciter βασιλεία μου. Nempe in hoc Regno Filius Patris veluti Vicarius eſt, idemque Rex; juxta illud, *Sede ad dextram meam*, Pſal. 110. & 1 Cor. 15. 24. ὅταν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ καὶ πατρί· hoc vero Regnum eſt de quo vaticinatus eſt Daniel c. 2. 44.

30. Ὑμνήσαντες] Hebr. אחרי הללם: nam ſolenne fuit Cœnam apolyticam claudere Pſalmo, cujus initium eſt הללו יה: unde is hymnus הלל הגדול hodieque à Judæis dicitur.

31. Σκανδαλισθήσεσθε] h. e. *concidetis animis, cogemini fugere*: nam id demum eſt quod מכשלה *ſcandalum* dicitur, ut Eſa. 3. 6. יען תמוט המעדה הזאת ותחת ידך המכשלה. Neque enim ſimplicitas verborum Chriſti & ſoopus patiuntur ut hic intelligamus conſcientiæ ſcandalum, in quo peccatum eſt: ſequitur enim, Παταξω τὸν ποιμένα, &c. Tum juſſit Chriſtus Diſcipulos abire, Petrus vero fecit temere qui ſibi cum reliquis non conſuluerit fuga.

32. Μετὰ τὸ ἐγερθῆναί με] Hebr. אחרי קומי.

34. Πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι] h. e. prius quam illuceſcat. *Gallicinium* Latine id tempus dicitur, Græce ἀλεκτοροφωνία.

36. Ἕως ἄν] Hebr. עד אשר, vel etiam עד כי: quanquam & aliquando apud Græcos ſcriptores invenitur licet rarius: frequentius ἕως ὅτου.

37. Παραλαβὼν τὸν Πέτρον] Hebraiſmus, ויקח, ut Gen. 42. 16. ויקח אתיכם. ¶ Ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν] Hebr. diceretur, החל להתצב ולהתעצב. Non enim hic ſignificatur vulgaris mœſtitia, ſed quæ agitationem ſecum affert atque animi angorem. Certe ἀδημονεῖν & ἄλυειν eodem redeunt. Porro ἄλυειν eſt *jactari, inquietari*: & febricitantibus tribuitur. Plutarchus de Antonio Cleopatram exſpectante, βεβαυκότος ὑπ' αὐτῆς ἀδημονῶν ἤλυε.

38. Ἕως ἀποθάνω] Hebraiſmus, נעצבת נפשי עד מות.

39. Ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ] Hebr. ויפל על פניו. ¶ Εἰ δυνατόν] Rabb. אם אפשר. ¶ Παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο] יעבר נא מני הכוס הזאת. Cæterum gravior ærumna *calicis* nomine à Prophetis notari ſolet. Fere enim uſu venit ut quæ ſunt moleſta & dura, ea dum exaggeramus, ſignificemus veluti αἰνιγματικῶς eatum rerum vocabulis quæ in vita ſuavia ſunt & jucunda: unde etiam *lavacrum* eadem notione uſurpatur. Certe Chriſtus utroque nomine, tum *poculi* ſeu *calicis*, tum etiam *lavacri*, uſus eſt Matth. 20. 22.

41. Ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν] Hebraice diceretur לבלתי באכם לידי תנסיון. ¶ Ἀσθενὴς] Hebr. בלי כח. Nam ἀσθενὴς caro hoc loco dicitur, non quod tenues, ſed quod nullas vires habeat: quomodo etiam à Paulo uſurpatur Rom. 5. 6. ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, quod eodem verſu exponitur voce ἀσεβῶν, & v. 8. voce ἁμαρτωλῶν. Sic Rom. 8. 3. Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός· aperte ἀσθένειαν ἀδυναμίαν vocavit. Itaque vox *infirmum* aut *imbecillis* dilutior eſt quam ut poſſit rem tantam exprimere: melius redderetur σὰρξ ἀσθενὴς *caro viribus deſtituta*. Certe πνεῦμα, quæ vox opponitur τῇ ἀσθενείᾳ, eſt Hebr. נכון. Itaque ſi verba Chriſti Hebraice redderentur, antitheſis foret manifeſta, בי נכונה הרוח ובשר בלי כח. Fortaſſe dictum eſt παροιμιωδῶς· quid enim vetat ſacras eſſe parœmias?

42. Πάλιν ἐκ δευτέρου] Hebr. הוב פעם אחר. ¶ Γενηθήτω τὸ θέλημά (σου] Hebr. יהי רצונך.

43. Ὀφθαλμοὶ βεβαρημένοι] Cave putes ſic dictum ut cum Gen. 48. 10. Jacobi oculi dicuntur βεβαρημένοι כבדו עיני יעקב נוקן καὶ ἦσαν αἱ ὀφθαλμοὶ τοῦ Ἰσραὴλ βεβαρημένοι ἐκ τοῦ γήρους, quod LXX reddiderunt ἐβαρυώπησαν. Omnino hic accipiendum eſt τὸ βεβαρημένοι ut cum dicuntur Moſis manus βεβαρημέναι, Exod. 17. ידי משה כבדים. Cæterum locutio eſt uſitata etiam in lingua Græca βεβαρημένος ὕπνῳ.

51. Ἐκτείνας τὴν χεῖρα] Hebraiſmus, ut Exod. 8. 5. נטה את ידך על הנהרות *Extende manum tuam ad virgam tuam.* ¶ Ἀφεῖλεν αὐτοῦ] Hebraiſmus, ut cum 2 Sam. 16. 9. Abiſai dicit de Semei, *Tranſeam jam* ואעברה נא ואסירה את ראשו, LXX ἀφελῶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ· nam Græce dicendum fuiſſet ἀπεκεφάλισε, Latine, *amputavit.*

52. Ἀπόστρεψον] Hebr. השב שלו מקומו. Ezech. 21. 30. השב אל תערתה. ¶ Εἰς τὸν τόπον] Hujus generis locutiones apud Hebræos non ſunt inſolentes: nam & בית תערה dicunt *vaginam*, & בית ידים *chirothecas*; adeoque omne thecarum genus illis eſt בית. ¶ Ἐν μαχαίρᾳ λοιπὸν πατάξουσιν] Hebr. בחרב יאבדו. Habet emphaſin λοιπὸν· minus dictum foret ſi dictum fuiſſet λοιπόν τινες.

53. Πλείους ἢ δώδεκα λεγεῶνας] Alluſit ad militiam Romanam, in qua XII legiones juſtum conſtituebant exercitum. Cæterum *exercitus Angelorum* dicuntur in Scriptura & *caſtra.*

54. Πληρωθῶσιν αἱ γραφαί] Hebr. ut cum in V. Teſt. Deus dicitur *implere verbum ſuum*: 1 Reg. 2. 27. למלא את דבר יהוה.

55. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ] Chaldaiſmus בה שעתא Dan. 3. 15. ¶ Καθεζόμην διδάσκων] Signanter dictum eſt. Nam docentes ſedebant: unde & בית מדרש ſeu *Academia* dicitur ipſis ישיבה, & princeps Doctorum ſeu Academiæ ראש הישיבה. Itaque non otioſe notatum id à Luca c. 4. 20. Καὶ πτύξας τὸ βιβλίον ἀπέδωκε τῷ ὑπηρέτῃ, ἐκαθίσε.

58. Ἀπὸ μακρόθεν] Hebr. מרחק.

59. Ὅπως αὐτὸν θανατώσωσι] Hebr. להמיתו Deut. 13. 9.

60. Ὕστερον] Pro, ὕστατον, Hebr. לאחרונה.

62. Ἀναστὰς] Notavit perturbationem animi & indignationem ſummi Pontificis. Judicis enim non eſt ſurgere, aut ſtare, dum judicat, ſed ſedere.

63. Κατὰ σοῦ Θεοῦ] Sic Abraham ſervum ſuum adjurat *per Deum cœli & terræ*, Gen. 24. 3. Hebr. diceretur אשביעך ואני אתך באל חי.

64. Ἐκ δεξιῶν] Pro ἐν δεξιᾷ, ad notandam rei excellentiam; fereut שרפים dicunt pro אורן. Sic Spiritus S. πνεύματα in plurali dicitur, Apoc. 1. 4. ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων. ¶ Δυνάμεως] h. e. Dei. Nam illo ſeculo גבורה unum erat ex Dei nominibus, quod & ſæpe occurrit in Rabbinorum ſcriptis, ut in Commentar. Kimhi in Joſ. 7. ubi de ſupplicio Hacan, qui igne abſumptus fuit, שכן נאמר לו מפי הגבורה. ¶ Ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν] Reſpexit ad id quod ſcriptum eſt Dan. 7. 13.

66. Ἔνοχος θανάτου] Hebr. חיב למות.

67. Ἐνέπτυσαν] Quod faciebant abominantes & exſecrantes, ut Num. 12. 14.

68. Προφήτευσον] Hebr. נבא, quæ vox non *prædictionem* modo, ſed etiam *divinationem*, & omnino omnem *elocutionem quæ eſt ab extraordinario Spiritus afflatu* ſignificat.

73. Ἀληθῶς] Hebr. אמנם. ¶ Λαλιά. Hebr. דבור.

74. Ἤρξατο καταθεματίζειν] Hebr. החל להרים ולהשבע.

GUALTPERIUS.

1. Οἶδατε ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάσχα γίνεται] Τὸ πάσχα origine Hebræum eſt, פסח *Paſach*, à Rad. פסח *tranſiit, tranſiluit*: cujus etymologia ſatis eſt nota ex Exod. 12. 11. *Comedetis agnum in feſtinatione, Paſach*, (h. e. *Tranſitus*) *ipſe Domino.* Syrus dicitur פצחא *Peſcha* vel *Peſcho*, ab *hilaritate. Fuit autem feſtum Judæorum admodum inſigne, quod Chriſtum ad paſſionem ſuam uſque cum Judæis reverenter obſervavit. Celebrabatur* XIV *Luna ſive* XIV *die menſis Martii ad veſperam, cum ſingula familia ſibi agnum occiderent, & aſſatum cum azymis ederent. Sequens autem dies, i. e. quintadecima, & Paſcha & prima Azymorum vocabatur: inde ſeptima ab illa, nempe vicefimaprima, erat ſeptima Azymorum, quam* collectam *dicebant, quia tum fruges terra metebant ac colligebant. Cautum deinde lege Synedrii fuit, ut traditur ab Hebræis, ne Paſcha celebraretur die ſeptimana ſecundo, quarto & ſexto, ſi in eos incidiſſet. Itaque ſi dies* XV *menſis incurrebat in ſextum diem ſeptimanæ, Paſcha differebatur in poſterum diem, qui erat Sabbatum; quemadmodum factum aiunt eo anno quo Chriſtus eſt paſſus. Hoc autem, ut multi opinantur interpretes, à lege Dei nolente recedere, celebravit illud feria quinta veſpere, unde ſolennitas Sabbati initium erat ducturæ. Neque vero interpretes multi aliter congruere verba S. Johannis cum verbis aliorum Euangeliſtarum poſſe arbitrantur, quorum hi Paſcha celebratum eſſe à Chriſto feria quinta veſpere tradunt, ille vero ipſum in Paraſceue, i. e. præparatione Paſcha, i. e. pridie Paſcha, eſſe paſſum exponit. Accedit quod in ipſa Paraſceue, quæ eſt dies ſexta, Judæi dixerunt ſe nolle prætorium ingredi, ne contaminarentur, & comedere Paſcha poſſent, id quod eo die non mane ſed veſpere erant facturi, qui ad ſolennitatem ſequentis Sabbati pertinebat. Neque vero ſolum dies prima Azymorum* Paſchatis *nomine decorata eſt, ſed etiam reliqua, ut à S. Luca, Act.* 12. Erant dies azymorum, *&c.* Hæc Sigonius. Ritus ipſe ſolennitatis hujus prolixe deſcribitur Exod. 12. Non autem celebrabatur tantum ob memoriam eductionis ex Ægypto, atque aliorum beneficiorum quæ tum Iſraelitico populo præſtiterat Deus, ſed omnium maxime quia typus erat Meſchiæ, qui ſuo ſanguine genus humanum à captivitate & tyrannide peccati, mortis, Diaboli & inferni erat liberaturus. Abrogat autem Chriſtus eam ſolennitatem cum inſtitutione alterius Cœnæ, in qua corpus ſuum jubet comedi & ſanguinem ſuum bibi, tum propria ſanguinis profuſione in ara crucis. Nec poſt Chriſti reſurrectionem Credentes Judaico ritu Paſcha amplius comederunt. Conſuetudine

etiam

etiam receptum fuit apud Judæos, ad diem Paſchæ quotannis maleficum ex vinculis dimittendi; id quod exemplum Barabbæ teſtatur: Sed unde illa nata ſit incertum eſt. Controverſia quæ fuit inter Eccleſias Orientales & Occidentales de tempore celebrationis Paſchæ non eſt hujus loci.

3. Εἰς τὴ αὐλὴν τ̃ ἀρχιερέως] Αὐλὴ, *aula, atrium, area, locus apertus & vacuus ante magnas ædes.* Athenæus lib. 5. non ſolum tradit αὐλὴν ab ἄω appellari *locum qui à ventis perflatur*, ſeu *qui utrinque ventum excipiat*, ſed addit, *Homerum ſemper* αὐλὴν *ponere* ὅπῃ τ̃ ὑπαίθριον εἴπων. Budæus pro *triclinio* accipit *prægrandi*, i.e. *æco*, *in quo nuptiæ in regia celebrantur*: hodie *Salam* appellamus. Ein Saal. Apud Homeri poſteros αὐλὴ, *Aula, domus regia*, vel *Regia* ſine adjectione, *domus Principis*, &c.

4. Κρατήσωσι δόλῳ] Δόλ@, *dolus, fraus.* Vox apud Græcos & Latinos ſatis nota. Inde δολομήδης *qui meditatur dolos*: δολομήχαν@, *fabricator dolorum*: δολόῤῥαφις, *ex dolis conſutus & quaſi conſarcinatus*, &c.

7. Ἀλάβαστρον μύρου] Ἀλάβαστρον, *Alabaſtrum*, Alabaſter, vel in genere maſculino ἀλάβαστρ@, *alabaſter*; *Vaſis unguentarii genus*, ait Stephanus, *longitudine faſtigiata, in pleniorem orbem deſinens, vel formaturbinata ſine anſulis.* Negatur eſſe quodlibet vas unguentarium. Dicitur vel ἀπὸ τ̃ μὴ λαβεῖν ἀδύνατον, *quod prehendere propter lævorem eſt impoſſibile*, vel, ἀφ' τ̃ μὴ λαβὰς ἔχειν, *quod anſas non habeat.* In utraque Etymologia eſt pleonaſmus literæ ῥ· ἀλαβαστροθήκη eſt *vas in quo alabaſtra reponuntur.* Et ἀλαβαστρίτης vel ἀλαβαστίτης, ſubintelligo λίθ@, *Alabaſtrites lapis, marmoris genus, ita appellatus quod ex eo alabaſtra conficiantur*, alias ὀνυξ. Plinius l. 36. c. 8. *Alabaſtriten*, inquit, *cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optime ſervare incorrupta dicitur. Idem & uſtus emplaſtris convenit*, &c. Syrus habet שחותא *Schaiphata*, quæ vox etiam habetur Marc. 14. 3. *Venit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti Nardi liquida multi pretii, & confracto alabaſtro, effudit ei in caput.* Ibi Tremellius ex R. Moſchey, *Mos eſt in Iſraele*, inquit, *circa mortuos & eorum ſepulturam, ut cum quis mortuus eſt ejus oculos occludant; & ſi os habeat apertum claudatur, faſcia maxillis circumligata, ne iterum aperiatur. Obturatur etiam locus per quem excrementa ejiciuntur, ſed hoc poſtquam corpus fuerit lotum. Unguentis deinde ex diverſis aromatum generibus confectis ungitur: & detonſo capite convolvitur corpus albis veſtibus lineis ad hoc ipſum paratis, & quæ non ſint magni pretii, ut poſſit æqualitas ſervari inter divites & pauperes. Tegitur quoque facies mortui, priuſquam imponatur feretro, ſudariolo, cujus pretium non excedat quartam partem Sicli. Feretro deinde impoſitum, humeris hominum geſtatur uſque ad ſepulturam: & ibi antequam corpus tradatur ſepulturæ quædam recitantur à majoribus eorum ad hoc conſcripta, quibus Divina juſtitia commendatur, & hominum peccata exaggerantur quibus mortem commeriti ſunt, ac oratur Deus ut ita juſtitiam ſuam exerceat ut ſe miſericordem quoque eſſe oblivi ſci nolit. Poſtea cadaver ſimul cum feretro, in quo ſupinum jacet, in foveam poſitum tegitur. Denique ad lugentes itur, & quædam apud eos conſolationis ergo recitantur: Quibus peractis, abeunt quiſque ad ſua negotia. Nec ullum diſcrimen appareat inter divites & pauperes, inter nobiles & ignobiles, nec in ſepultura mortuorum, nec in conſolatione viventium.*

11. Ἔχετε] Beza per futurum interpretatur. Syrus, *Me autem apud vos eſſe, non omni tempore eſt*, &c. Non eſt futurum perpetuum ut apud vos ſim. Trem.

12. *Quod enim hæc* mulier *unguentum hoc injecit corpori meo, ad ſepeliendum me fecit*] Syrus, *tanquam* ל *ad ſepeliendum me fecit.*

15. Οἱ δὲ ἔστησαν αὐτῇ τριάκοντα ἀργύρια, *Ipſi vero conſtituerunt ei triginta argenteos, nummos*] Ἀργύριον, *argenteus*, Silberling. Imman. Tremel. *Obſervant Hebræi, ubicunque in Scripturis argenteorum ſit mentio, non expreſſa nomiſmatis argentei ſpecie, intelligi Siclum ſanctuarii æquivalentem quatuor Denariis:* de quorum valore ſupra. Atque huic Hebræorum ſententiæ patrocinantur Chaldæi Paraphraſtæ Onkelos & Jonathan; qui in ſuis paraphraſibus addunt explicationis cauſa nomen סלע, i.e. *Sicli ſanctuarii.* Vide Jonathan, 2 Reg. 6. & Onkelon, Gen. 20. 16. In contextu Syriaco eſt ויזבנה *deciveſpa.* Significat autem זבן *concupiſcere, deſiderare.* Unde זבנא & זבונא *argentum*, quod ſit *deſiderabile.*

17. Τῇ δὲ πρώτῃ τ̃ ἀζύμων προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ] Τὰ ἄζυμα, *Azyma.* Vox Græca: ζύμη enim *fermentum* ſignificat, ſeu *farinam ſubactam quæ acorem contraxit.* Inde ἄζυμ@ *fermenti expers, non fermentatus.* Apud Paulum 1 Cor. 5. 7. ἄζυμ@ accipitur μεταφορικῶς, *vos eſtis expertes fermenti veteris.* At τὰ ἄζυμα plu. num. *feſtum* eſt *Azymorum*, cujus inſtitutio prolixe deſcribitur Exod. 12. Vide & v. 2. hujus capitis. Syrus habet דפטירא *depatiri.* Significat enim פטר & פטיר *azymum*, & *purum*: & חגא דפטירא HAGGA DEPHATIRAJA, *feſtum Azymorum.* ℸ Φαγεῖν τὸ πάσχα] De voce πάσχα monui ſupra v. 2. Addere placet de vocis notatione etiam ſequentia. Quidam Hebræorum verbum נסה *paſach* per *miſereri & parcere* interpretantur. Unde paraphraſeos Chaldaicæ interpretatio Exod. 12. per totum caput verbum *Miſereri* retinet: nec male, quia ab effecto. Nam quando Angelus devaſtator tranſit nec perimit, miſeretur & parcit. Proprie autem נסה PASACH *ſaltare & tranſilire* ſignificat: Unde Hebræi *claudum* vocant פסח *piſſeach*, quod cum ingreditur quaſi ſaltare & ſubſilire videatur. Hinc & Feſtum illud, ut ante eſt notatum, à ſaltu Angeli devaſtatoris nomen accepit. Variis autem modis nomen *Peſach* corruptum fuit, idque ex linguæ ignorantia. Voluerunt enim nonnulli deſcendere illud ex Græco πάσχω, *pati*, quos reprehendit Auguſtinus, non vocem Græcam ſed Hebraicam corruptam eſſe aſſerens. Et Gregorius Nazianzenus in ſermone de Paſcha hæc habet, Τὸ πάσχα τοῦτο τὸ μέγα τε καὶ σεβάσμιον Φάσκα παῖς Ἑβραίοις μεγαλυνόμενον ἢ τ̃ ἐκείνων φωνὴν, δηλοῖ δὲ ἡ φωνὴ Διάβασιν, ἱερωτάτῃ μὲν ἀφ' ἧς ἐξέβημεν πρὸς τ̃ Χαναναίων φυγήν τε καὶ μετανάστασιν· πνευματικῶς δ' ἀφ' ἧς ἐκ τ̃ κάτω πρὸς τὰ ἄνω ἡμᾶς τ̃ γῆν ἐπαγγελίας προῆδον ἢ ἀνάβασιν, i. *Hoc venerabile & Divinum Paſcha ab Hebræis* PHASEA *ſecundum eorum linguam vocatur, quæ vox ſignificat Tranſitum, hiſtorice quidem eum quo ex Ægypto in terram Chananæorum migrarunt Hebræi; ſecundum ſpiritum vero eum tranſitum quo nos ab his caliginoſis locis devolamus ad ſuperos.* Idem, *Putarunt*, inquit, *nonnulli vocari ipſam ſalutarem Servatoris paſſionem hoc nomine, ad Græcamque linguam vocem accommodantes fecerunt ex* PHASCA PASCHA. *Quod cum uſus recepiſſet, jam vehementer inolevit, aſſentientibus ipſis auribus, utpote ſanctioris nomine.* Hæc ille.

40. Μίαν ὥραν unam horam] Utriuſque linguæ eſt.

53. Δώδεκα λεγιῶνας ἀγγέλων] Λεγιὼν, ὦν@, *Legio.* Vox Latina eſt. Secundum Heſychium eſt *agmen militare conſtans viris ſexies mille, ſexcentis, ſexaginta ſex.* Alii numerant 12500. Oſiand. Secundum Suidam ſunt ἑξακισχίλιοι στρατῶται, *militum ſex millia.* Etymologus quidem Græcus ἀπὸ τ̃ λέγειν τινὰς συνάγειν, deſcendere opinatur: ſed verius linguæ Latinæ etymologiam ejus aſſignamus. Syrus eandem retinet vocem לגיונין LEGHJUNEN. Nominativus לגיון LEGIJON: in plur. לגיונין LEGIJONIN, *Legiones, turma, caſtra*: & לגין LEGION, nomen Dæmonis, vel *turbæ Dæmoniorum.* Numerus militum ad Legionem requiſitorum non ſemper fuit idem, ut ex ſequentibus patebit. Dividebatur olim Legio in x Cohortes, Cohors in L Maniplos: Maniplus XXV milites continebat. Totum quoque exercitum in cohortes dividere conſueverunt, ut ſingulis centuriis ſinguli præficerentur Centuriones. Primam autem centuriam, quæ & numero militum & dignitate præcedebat, *Primipilum* vocabant: unde Centurio *Primipilus* appellari cœpit. Gubernabat autem quatuor centurias, h. e. quadringentos milites in prima acie, habebatque præcipuum Romani Imperii ſignum Aquilam. Romulo primum regnante, Legio ex MMM pedibus, CCC vero equitibus fieri cœpta eſt; quam quod ex *lectis* militibus confeciſſet, *Legionem* appellari voluit. Contracta etiam Legio fuit ad millia quatuor: unde Feſto dicitur *Quadrata.* Variata tamen fuit pro uſu Reipubl. & Senatus arbitrio, ut modo quatuor, modo quinque, modo ſex millium ſcriberetur. Notatio vocis huc tandem redit, *Legionem* dici à *legendo*, h.e. eligendo: quoniam exercitus talis ſelectiſſimis ſemper conſtabat militibus: Ein auserleſen Kriegsheer. Unde *miles legionarius*, & *auxiliarius.*

65. Τὴν βλασφημίαν *blaſphemiam*] Græcum φήμη *famam* ſignificat ſeu *rumorem*: vocabulum *piam.* Unde ἄφημ@ *inglorius, non celebratus*; & βλασφήμ@ *maledicus, probroſus*; & βλασφημία *maledicentia*, alias λοιδορία. Verbum, βλασφημεῖν *maledictis & contumeliis inceſſere*, &c.

LUD. CAPPELLUS.

67. Ἐκολαφίσαν αὐτὸν, λέγοντες, Προφήτευσον, &c.] Hoc ludi genus antiquis dictum eſt κολαβισμὸς, & κολαβίζειν, *eo ludo ludere.* Pollux lib. 9. cap. 7. Τὸ δὲ κολαβίζειν ἐστὶν, ὅταν ὁ μὲν παλαίειν χρῃὸν τὰς ὄψεις δήσας τὰς ἑαυτ̃, ὁ δὲ παίων ἐπερωτᾷ, τίνα τύπτω; Nempe κολαβίζειν eſt μορμολύττεσθαι Ariſtophani. Affinitas eſt autem vocis κολαβίζειν cum κολαφίζειν, qua utuntur hic Euangeliſtæ Matthæus & Marcus.

I D E M.

16. Ἀπὸ τότε ἐζήτει εὐκαιρίαν] Sæpius occurrunt in N. Teſt. hæ phraſes, מכאן ומכאן, & מעתה ועד, quæ ſunt Hebr. nam מכאן ומכאן eſt מכאן, quod vide Pſal. 93. 2. נשא נכון כסאך מאז מעולם ὁ θρόνος σου ἕτοιμος ἀπὸ τότε. Et Prov. 8. 25. קדם הבעדני מאז *ante opera ſua*, מכאן ומכאן· ſed LXX eo loci non legerunt illud מאז. Ἀπ' ἀρχῆς autem eſt Hebraicum מעתה, quod paſſim eſt obvium, ut מעתה ועד עולם *à nunc & in æternum.*

24. Καλὸν ἦν αὐτῷ εἰ οὐκ ἐγεννήθη] Neſcio an temere alibi phraſim iſtam invenias: videtur autem eſſe Rabbinica. Certe occurrit in libro חובת הלבבות, Porta 1. c. 10. fol. 16. 2. cujus hæc ſunt verba citata ex veterum RR. dictis, כל מי שלא חס על כבוד קונו ראוי לו כאלו לא נברא לעולם h. e. *Quiſquis non conſulit honori* (ſive *gloriæ*) *Creatoris ſui, conveniens ipſi eſſet ſi in ſeculum non veniſſet*, i. bonum illi fuiſſet ſi natus non eſſet. Rectè obſervat Maldonatus phraſim illam videri deſumptam, aut in ea alludi ad Jobi & Jeremiæ dicta Job 3. 3, 11. & 10. 18, 19. Jer. 20. 14.

25. Σὺ εἶπας] Sic & mox v. 64. & Luc. 22. 70. Ὑμεῖς λέγετε ὅτι ἐγώ εἰμι· Certum eſt verba illa Σὺ εἶπας & Ὑμεῖς λέγετε eſſe aſſentientis & affirmantis. Mirum autem videri poſſit cur Chriſtus interrogatus ſic reſpondeat, tum Judæ quærenti an ipſe eſſet eum traditurus, tum Caiaphæ & Judæis quærentibus an eſſet Meſſias Filius Dei. Nam qui interrogat & quærit an hoc vel illud ſit vel non ſit, non videtur affirmare aut negare rem illam eſſe vel non eſſe, ſed dubitare potius & neſcire; atque inde eſt quod interrogat & quærit an res ita ſe habeat necne. Sed primo ſciendum eſt, interrogationes non eſſe ſemper dubitantis vel neſcientis, ſed ſæpe eſſe affirmantis vel negantis: hanc enim vim paſſim apud Hebræos obtinent. Utrum autem affirment vel negent colligendum & diſpiciendum eſt tum ex rei de qua concipiuntur, tum ex perſonarum quæ interrogant & interrogantur, aliarumque circumſtantiarum conſideratione. הא autem apud Hebræos, ut & ה interrogativum, vim habere affirmandi ſiquis dubitet, conſulat Lexicographos, Pagninum & alios. Deinde Chriſtus καρδιογνώστης perſpexit illos à quibus interrogabatur convictos fuiſſe intus de veritate rei quam ficta interrogatione ſimulabant ſe neſcire. Itaque reſpiciens Chriſtus ad teſtimonium clamantis & intus eos accuſantis conſcientiæ, tum etiam ad uſum loquendi communem, qui fert ut interrogationes ſæpe affirmandi vim habeant rectè, vere & appoſite tum Judæ, tum Caiaphæ, tum Judæis reſpondit, Σὺ εἶπας, Ὑμεῖς λέγετε.

36. Εἰς χωρίον λεγόμενον Γεθσημανῆ] Laborant Interpretes in aſſignando hujus vocis etymo; in quo dupliciter fallitur vir doctiſſimus, qui putat eſſe eum locum qui Eſa. 28. 1, 4. dicitur גיא שמנים· nam primo locus ille non eſt prope Jeruſalem, ſed eſt in tribu Ephraim, adeoque eo nomine ἀπεφθεγκτῶς innuitur Samaria, cujus vallis monti ſubjecta erat olei feraciſſima; unde illi id nomen à Propheta eſt inditum. Deinde, ex גיא non poteſt fieri γέθ. Paulo melius Druſius exiſtimat Γεθσημανῆ eſſe גיא השמני: nam ſic Daleth tenet locum ג & ת in Γεθ· ſed cum viro illo docto fallitur, quod exiſtimat fuiſſe prope Jeruſalem vallem illam olei. Mons ſane Olearum juxta Hieroſolymam fuit, at non vallis olearum. Itaque mallem nomen illud eſſe Hebraicum גת שמנים *torcular olei*. Locus nempe fuiſſe videtur in monte Olearum, in quo publicum erat aliquod torcular exprimendo oleo ex olivis, quæ magna copia toto illo monte ſive colle colligebantur. Porro pro נ per Pathach dictum fuit נ per Tſere, quia in punctis aſſignandis (quæ olim non erant adſcripta) magna erat libertas. Forte & Γεθσημανῆ eſt שמני גת *arbor olei* vel *olearum*, hortus ſcilicet ſic dictus à multitudine olearum: ubi γ litera per Gamma Græcum expreſſa eſt, & γ reſolvitur in θσ (quomodo Num. 28. עץ נבר dicitur apud LXX Γεθσοὶ μάδυ) Schin autem eſt elſum ob concurſum præcedentis Sigma.

38. Περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου] Phraſis eſt Hebraica תקצר נפשי למות Judic. 16. ubi uſurpatur à Samſone, qui Chriſti typus fuit in eo agone. Poteſt etiam eſſe alluſio ad Pſal. 116. 3. *Circumdederunt me dolores*, vel *funes*, *mortis*. Et Jon. 2. 5. *Circumdederunt me aquæ uſque ad animam.*

G R O T I U S.

1. Πάντας τοὺς λόγους τούτους, *ſermones hos omnes*] Munere Doctoris & Vatis impleto, Chriſtus Sacerdotale munus aggreditur.

2. Μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάσχα γίνεται, *poſt biduum Paſcha fiet*] *Paſcha* hic vocatur ipſa dies ἐν ᾗ ἔθυον τὸ πάσχα [*in qua mactabatur Paſcha*], id eſt, decima quarta Niſan: cujus fine id ſacrum ex Lege peragebatur. Neque enim dubito quin errent qui Legis verba ita interpretantur quaſi fine diei decimæ tertiæ id fieri præciperetur. Nam & ratio & uſus docet à priori ac potiori parte faciendam denominationem. Quare cum præcipiatur Paſcha mactari *die decimo quarto inter duas veſperas*, prior autem ſit veſpera Solis declinantis quam occidentis multoque majorem tractum habeat, ſequitur de tempore pomeridiano diei decimæ quartæ, non autem de ejus νυχθημέρῳ [*dienoctii*] initio in Lege agi: quod confirmat mos Judæorum antiquiſſimus, optimus Legis interpres. Accedit quod ſtatim poſt ſacrificatum Paſcha ſubſecuta eſt abitio Hebræorum ex Ægypto: ea autem incidit in diem XV, ut Moſes narrat: idem, ni fallor, nos docet Joſephus Ἀλώσεως [*Captivitatis*] VI. Ἐπειδὴ ἑορτὴς, πάσχα καλεῖται· καθ' ἣν ἡμέραν δεῖ θύειν ἀπὸ ἐνάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης [*Cum inſtaret dies feſtus, Paſcha is dicitur: quo ſacrificium fit à nona hora ad undecimam*]. Eandem diem paulo ante vocarat ἡμέραν τεσσαρεσκαιδεκάτην [*diem decimam & quartam*]· quomodo & Philo, περὶ τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡμέραν μηνὸς τοῦ σελαγινὰ κύκλου γενομένης πανσελήνου ἀρχὴ τῶν ἀζύμων ἑορτή, δημοφανὴς ἑορτή, τὸ Χαλδαϊστὶ λεγόμενον Πάσχα [*die decimo quarto cum jam Luna ſit plena, agitur feſtus dies de tranſitu, Chaldaice is dicitur Paſcha*]. Mactabatur ergo πάσχα [*Paſcha* ſive *agnus Paſchalis*] à nona ad undecimam diei decimæ quartæ. Nam prior veſpera, id eſt, Solis declinantis, pars eſt haud dubie diei antecedentis: ideo Auguſtus in edicto vetat Judæos vadari diebus παρασκευῆς ἀπὸ τῆς ἐνάτης [*Paraſceves* ſive *præparationis à nona*]. Dies autem decima quarta iſto anno haud dubie fuit ea quam nos *Veneris* dicimus. Nam is dies, cujus fine Judæi tunc manducaturi erant Paſcha, erat παρασκευὴ [*Paraſceve*], Johannis XVIII, 28. XIX, 14. παρασκευὴ autem ἑσπέρα [*veſpera*] eſt dies qui diem ἀναπαυσίμου [*feriatum*] antecedit. Dies ἀναπαυσίμου [*feriatus*] eam ſequens erat *Sabbatum magnum*, Johan. XIX, 31. ac proinde illa παρασκευὴ [*Paraſceve*] erat προσάββατον [*Proſabbatum*], Marci XV, 42. Dies autem ante Sabbatum Dies eſt Veneris. Præciſum tempus quando Chriſtus hæc locutus ſit aſſignare difficile eſt, quia in illo loquendi genere, *poſt biduum*, termini modo includuntur, modo excluduntur. Fine diei Martis hæc dicta probabile eſt. ¶ καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς τὸ σταυρωθῆναι. *& Filius hominis tradetur ut crucifigatur*] Id eſt, Quanquam tempus hoc admodum breve eſt, tamen interea capiar & damnabor, ita ut crucifigar ipſo die Paſchatis; ut etiam hac in parte evidens ſit πλήρωσις & τέλωσις (*conſummatio Legis*), Johannis XIX, 36. 1 Corinth. V, 7. Nam & παράδοσις [*traditio*] erat apud Judæos, quæ nunc quoque in Cabaliſtarum libris apparet, Eadem die redimendum populum in diebus Meſſiæ quo redemtus fuerat olim; juxta illud, *In diebus exitus tui ex Ægypto oſtendam mirabilia.* Quanquam autem profectio ex Ægypto incidit in diem XV, tamen ad iter ſe accinxerat populus die XIV. itaque in procinctu ſtantes Paſcha ederant. Hinc eſt quod diei XIV libertatem acceptam ferebant. Joſephus, Ἡμέρᾳ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ Ξανθικοῦ μηνὸς, ἐν ᾗ δοκοῦσιν οἱ Ἑβραῖοι τὴν πάτριον ἀπολαβεῖν ἐλευθερίαν [*Die decima quarta menſis Xanthici, qua primum creduntur Judæi ab Ægypto liberati*]. Propter celeritatem actionis Scriptor præſens tempus uſurpans dixit παραδίδοται [*traditur*]· intelligendum autem hoc arbitror de primoribus Judæorum qui Chriſtum dicuntur tradidiſſe Pilato, infra XXVII, 2. Johann. XVIII, 35.

3. Τότε, *Tunc*] [illegible]ca hoc tempus, puto enim eundem eſſe conventum quem [illegible]nes deſcribit XI, 47. Sæpe enim apud Matthæum invenire eſt τότε [*tunc*] ſumtum laxo ſignificatu. ¶ οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι, *principes Sacerdotum & Scribæ & Seniores populi*] Synedrii deſcriptio, quo nomine hunc cœtum appellat Johannes XI, 47. Ejus Synedrii munus erat de Pſeudoprophetis cognoſcere. Vocem γραμματεῖς [*Scribæ*] non legit Latinus, at Syrus & Arabs legerunt. ¶ εἰς τὴν αὐλὴν, *in atrium*] Αὐλὴ proprie *ſubdiale*, ut & infra aliquoties, ſed συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] *palatium*. Athenæus, νῦν δὲ τὰ βασίλεια λέγεται αὐλαὶ [*nunc autem regias vocant aulas*]· quod & Euſtathio annotatum ad Odyſſeæ Δ. ita Marcus *aulam* vocat Pilati prætorium. Talia autem palatia aliquot erant Hieroſolymis; ut domus Aſamonæorum, cujus meminit Joſephus. ¶ ὁ ἀρχιερεύς, *Principis Sacerdotum*] Hic καθ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] vox ἀρχιερεῦς [*Principis Sacerdotum*] ſumitur pro eo qui dicebatur כהן גדול [*Sacerdos Magnus*], cum ante eodem commate quivis principes familiarum ſacerdotalium ita ſint appellati. Eo enim anno Maximum Pontificatum Caiaphas gerebat Johannis XI, 51. Et merito addidit Johannes ἐνιαυτοῦ ἐκείνου [*anni illius*], quia vix unquam magis ambulatoria fuit Pontificatus dignitas, ut ex Joſepho diſcimus. Inſtituerat hunc Valerius Gratus, deſtituit Vitellius. Olim penes Reges Hebræos poteſtas fuerat deligendi Pontificem Maximum

mum ex familia ei muneri deſtinata, ut apparet 1 Regum 11, 27. 1 Paralipomenôn XXIX, 22. Libera Republica idem jus fuiſſe penes Synedrium notat Maimonides. Poſtea qui Judææ imperarunt Syromacedones, deinde Romani eodem jure uſi ſunt licentius.

4. *συνεβουλεύσαντο, conſilium fecerunt*] Ut præſignificatum Pſalmo 11, 2. XLI, 8. ¶ *καὶ ἀποκτείνωσιν. & occiderent*] Per Romanum Præſidem: id enim tutiſſimum ipſis videbatur. *Necare* autem dicitur qui cauſam mortis præbet. Vide ſupra XXI, 38. Petrus ad Judæos, *τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς ἀπεκτείνατε* [*auctorem vitæ interfeciſtis*], Actorum III, 15.

5. *Μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ. non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo*] Ἑορτὴ [*feſtum tempus*] hic vocatur totum illud tempus à mactatione agni ad finem Azymorum. Joſephus Antiq. II. Ὅτε εἰς μνήμην τῆς τότε ἐνδείας ἑορτὴν ἄγομεν ἐφ' ἡμέρας ὀκτώ [*Cum in memoriam illius penuriæ feſtum tempus agimus per dies octo*]. Libro III. πεμπτῇ δὲ καὶ δεκάτῃ Μαρδοχαίῳ τὸ δὴ πάσχα ἡ τῶν ἀζύμων ἑορτή, ἐπὶ ἡμέρας ἑπτά [*die autem decimaquinta excipit Paſchatis diem feſtum tempus Azymorum dierum ſeptem*]. Omne hoc tempus ſeditionibus opportunum ob maximum populi concurſum. Idem Joſephus libro XX. τὸ πάσχα μεσουμένης ἑορτῆς ἦν αὐτοῖς, καθ' ἣν ἑορτὴν ἡμῖν ἄζυμα προσφέρεσθαι, πολὺς καὶ παντοδαπὸς πλῆθος συνηγμένον ὅτι τὴν ἑορτὴν, δείσας ὁ Κουμανὸς μή τινος ἐπὶ τούτων μείζονος, χιλιάνδρους τῶν ὁπλιτῶν ὅπλα λαβεῖν τοὺς ἑαυτοῦ κελεύσας, καθεστηκότας τὴν παστοφορίαν εἴ τινα πρὸς τὸ ἱερὸν ἰόντα ὁρῷεν [*præterea ſalum vobis præſtitimus veſtras leges, nec vos tantum permiſimus vivere ut velletis, ſed & aliis*]. Nam quod quidam putant etiam antiquitus Sabbatis ex Lege agi potuiſſe, ejuſque rei argumentum petunt ex hiſtoria Numerorum XV, 33, 34. in eo repugnantem ſibi habent certiſſimam conſuetudinem ab Hebræorum Magiſtris & Joſepho ſæpe teſtatam. Neque vero hiſtoria Numerorum dicit eodem die ſupplicium fuiſſe exactum quo homo ille erat in facinore deprehenſus. Quare & apud M. Agrippam querebantur Ioniæ Judæi quod non permitterentur uti νόμοις πατρίοις, ἃς ἀναγκαζόμενοι ἀθέσμοις καὶ ἐπιφόροις τῶν ὑβριστῶν ἐν ἱεραῖς ἐκλογαῖς [*propriis legibus, coactiſtare judicio diebus feſtis per Reſtorum injuriam*]. ¶ *θόρυβος, tumultus*] Νεωτερισμὸς, ut modo loquentem Joſephum audivimus.

6. *ἐν Βηθανίᾳ, ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος, in Bethania in domo Simonis*] Nihil eſt certius quam à Scriptoribus Euangeliorum multa referri non temporis ordine, ſed ex rerum ductu. Itaque alia dicuntur κατὰ πρόληψιν [*per anticipationem*], alia multum retro geſta redduntur ubi bella eſt occaſio: ipſæ occaſiones narrandi non eædem omnibus. Hanc hiſtoriam videntur Matthæus & Marcus hoc loco poſuiſſe ut notarent quid Judam ad facinus impulſſet. Nam ἀμέσως [*nulla re alia intercedente*] ſubſequitur id quod ad Judam pertinet. Lucas idem hoc narrare occupavit cum ſermones quoſdam recitaſſet ad pœnitentiæ commendationem pertinentes. Voluit enim ſimul illuſtri exemplo confirmare quanta benignitate Chriſtus proſecutus fuerit mulierem multis olim peccatis inquinatam, ſed ductam animi pœnitudine. Johannes autem hiſtoriam hanc ſuo tempori reddidit, tum ad confirmandum quod de Lazaro dixerat (nam Lazarus huic convivio interfuit), tum ad connectenda quæ ſequebantur. id autem tempus fuit veſpera, exacto jam Sabbati die; ita ut unctionem nulla jam religio impediret. Non tantum unam eandemque fuiſſe mulierem, ſed & factum idem cur negetur non video: neque enim temere multiplicandæ ſunt hiſtoriæ. Matthæo & Marco omnia conveniunt. Matthæo, Marco & Lucæ convenit quod hæc geſta in convivio, in domo Simonis, quod mulier adveniat habens ἀλάβαστρον μύρου [*alabaſtrum unguenti*] quo Jeſum perfundit: Matthæo, Marco & Johanni quod hæc geſta in Bethania, in convivio, quod unguentum à muliere allatum maximi erat pretii, quod reprehenſa eſt hoc nomine mulier ab uno Diſcipulorum (nam ita pluralis accipi ſolet, Judam autem Johannes nominat) velut prodiga, hoc obtentu quod rectius is ſumtus factus eſſet in pauperes; quod Chriſtus mulierem defendit, interpretatione benigna ad pollincturam ſuam hunc honorem pertinere. Hæ circumſtantiæ ſunt ἀκριβέστεραι [*exactiores*] quam ut diverſis temporibus congruant. Rurſus Lucæ cum Johanne convenit quod hæc mulier pedes Chriſto perfudit & capillitio ſiccavit: quæ itidem expreſſiora ſunt quam ut temere credenda ſint ſæpius eveniſſe. Adde quod Johannes Mariam Lazari ſororem hac velut peculiari nota deſcribit quod *ea ſit quæ Chriſti pedes perfudit & deterſit*. Non poterat autem certa ſatis nota ſumi ex eo quod ſæpius acciderat. Quod autem per πρόληψιν [*anticipationem*] id dicitur à Johanne, non magis novum eſt quam quod Judas, ubi prima Apoſtolorum fit mentio; *proditoris* cognomento inſignitur. Quid igitur eſt quod nos cogat diverſa facta fingere? An quod apud Matthæum & Marcum *capitis*, apud Lucam & Johannem *pedum* eſt mentio? Atqui nihil vetat credi prius pedes perfuſos, deinde & caput. An quod apud Lucam eſt γυνὴ ἁμαρτωλὸς [*mulier peccatrix*], Mariæ autem ſororis Lazari pietas prædicatur? At diſtinguenda ſunt tempora. Vixerat olim diſſolutius ideo ἁμαρτωλὸς [*peccatrix*] dicta; mox delicta vitæ prioris ſeria pietate penſavit. Quare nec offendere nos debet quod in domum ejus Jeſus divertit, quippe cum jam de emendata vita omnibus conſtaret. Hanc autem eſſe Magdalenam non æque facile probatur. Nam ſoror Lazari nuſquam eo nomine appellatur. Et nata ea opinio videtur ex verbis Chriſti de pollinctura: quia Magdalena Chriſtum ivit pollinctum. At verba Chriſti non futurum ſed præſens officium reſpiciunt, ut collatio Euangeliſtarum oſtendit. Deinde Magdalena videtur fuiſſe Galilæa, infra XXVII, 56. Marci XV, 40. Lazarus autem cum ſororibus Judæus Bethanienſis, Joh. XI. 1. De Magdalena narratur liberatam à Chriſto cum obſeſſa eſſet dæmoniis ſeptem; de Lazari ſorore nihil tale. Et quod maxime notandum, Lucas ſtatim poſt narrationem de femina unctrice, ſubjicit mentionem mulierum quæ Jeſum ſectabantur, & inter eas Magdalenæ, addens ei notam ab ejectis dæmoniis, & non ab actu paulo ante narrato. In Conſtitutionibus etiam quæ Clementis dicuntur, diſtinguitur Maria Magdalena à Maria ſorore Lazari: Locus eſt lib. III, cap. VI. His quæ apud Maſſilienſes narrantur aliquid haberem fidei, ſi de ejus famæ antiquitate conſtaret. At non conſtare & valida in contrarium eſſe argumenta oſtendit libro ea de re edito Launojus. ¶ *ὁ λεπροῦ, leproſi*] Id eſt, *ὃς πρὶν λεπρὸς* [*qui leproſus fuerat*]. Nam alioqui interdictum ei fuiſſet hominum commercio. Tale eſt illud *ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου* [*ex illius Uriæ*]. Simile loquendigenus ſupra XI, 5. XXI, 31. & alibi ſæpe. Fuit autem hic homo Phariſaici quidem inſtituti, ſed à Chriſti ſermonibus non abhorrens; & conſanguineus, ut videtur, Lazari.

7. *ἀλάβαστρον μύρου, alabaſtrum unguenti*] Cum vas hoc fractum à muliere narret Marcus, nimirum ut largius unguentum flueret, omnino Epiphanio aſſentior exponenti *βίκιον ὑάλινον* [*urnulam è vitro*], eoque magis quia & Etymologici auctor *ἀλάβαστρον* [*alabaſtrum*] interpretatur *σκεῦός τι ἐξ ὑάλου* [*vas quoddam è vitro*], ut à ſummæ eruditionis viro Iſaaco Caſaubono obſervatum eſt; qui hinc conjecturam facit eveniſſe huic voci

quod multis aliis, ut primum uſurpata de ſpecie, paulatim ad generis ſignificationem ſe porrigeret. At mihi multo probabilius videtur vocem ἀλάβαστρον [*alabaſtrum*], aut, ut alii ſcribunt, ἀλάβαστον [*alabaſtum*] primitiva notione ſignificare τὸ μυηρεῖον [*vas unguentarium*], ut ſæpe Pollux interpretatur; unde & χρύσεα ἀλάβαστρα [*aurea alabaſtra*] legimus: & Lxx Interpretes II Reg. XXI. quod in Hebræo eſt נרתק vertunt ἀλάβαστρον [*alabaſtrum*], alii πυξίον [*pyxidem*]. At quia lapis Onyx plerumque ei rei uſurpari ſoleret, inde cœptum dici eum lapidem non *alabaſtrum*, ſed *alabaſtriten*: eundem enim eſſe cum Onyche docent Plinius & Dioſcorides. Arabs Interpres hoc loco poſuit قرورة quod multum fivet iis qui vitreum vas fuiſſe exiſtimant. Nam eadem voce Arabibus dici ſolet vitreum vaſculum in quo ægroti lotium à Medicis ſpectandum aſſervant. Vetus epigramma Græcum,

Νάρδον ἐνὶ γλαυκῆς κλειομένῃ ὑέλῳ.
[*Nardum cæruleo quæ bene clauſa vitro.*]

quo loco *nardi* voce nardinum unguentum intelligi in Plinianis Exercitationibus, immenſæ frugis opere, monuit Salmaſius. ἀλάβαστρον [*alabaſtrum*] autem μύρου [*unguenti*] hic dicitur ut apud Horatium, *Nardi plenus onyx*. Nam & hic quod μύρον [*unguentum*] in genere vocant Matthæus & Lucas, Marcus & Johannes nardum docent fuiſſe: cujus odor maxime commendatur Cant. I, 12. Memoratur & Ciceroni *alabaſter plenus unguenti*. apud Ælianum eſt ἔδωκε ἀλάβαστρον αὐτῷ, ἣ εἶχεν αὐτὸ μύρου [*dedit ei alabaſtrum, ea autem unguentum continebat*]. ¶ κατέχεεν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, *effudit ſuper caput ipſius*] Ita Plato De Republica III. μύρον ἐξ τῆς κεφαλῆς καταχέαντες [*unguentum ſuper caput effundentes*]. Apparet autem factum id non delectandi gratia, ſed in honoris maximi teſtimonium. Nam præcedit apud Platonem σεβοιμεθ' ἂν αὐτὸν ὡς ἱερὸν καὶ θαυμαστόν [*veneraremur eum tanquam ſanctum & admirabilem*]· & Proclus ad eum locum, μύρον καταχέασι τῶν ἐν τοῖς ἁγιωτάτοις ἱεροῖς ἀγαλμάτων ὕλην, [*unguentum ſuperfundent ſicut ſimulacro fieri ſolet in maxima ſanctimonia ritibus*]. Vide & Gen. XXVIII, 18. Neque aliud huic mulieri propoſitum, quæ etiam pedibus advoluta eſt ſupplicum ritu.

8. οἱ μαθηταί, *Diſcipuli*.] Aut Enallage, ut diximus, aut quod unus improbe cœperat alii imprudenter ſequebantur. ¶ Εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη; *Ut quid perditio hæc?* Id eſt, ἀσωτία [*profuſio*]· nam ita, ut notatum eſt à viro doctiſſimo, אבוד uſurpant Hebræi. Tale eſt illud Latinum, *Perdere ſcient, donare neſcient*. Bene autem dictum ab Epicteto *res pleraſque binas habere anſas*; ut hic. Tanti pretii unguentum inutiliter perit; odori ſupervacuo impenditur quo paſci pauperes poterant: ſiniſtra hæc anſa eſt. Hæc vero dextra anſa; Mulier prioris vitæ pertæſa omni honoris genere eum proſequitur per quem emendata eſt; neque ulli ſumtui aut operæ parcit ut id omnibus teſtatum faciat. Laudanda pœnitentia; laudanda animi demiſſio; laudanda ſedulitas. Tales anſas arripiens Dilectio omnia qua fieri poteſt interpretatur in partem benigniorem, neque virtutes tantum amat ſed & ſimulacra virtutum; & ſi quid in modo agendi eſt vitii, condonat agentis affectui.

10. κόπους παρέχετε, *moleſti eſtis*] Idem loquendi genus non tantum hic Marcus, ſed & alibi Lucas uſurpat XI, 7. XVIII, 5. ¶ ἔργον γὰρ καλὸν εἰργάσατο εἰς ἐμέ. *opus enim bonum operata eſt in me*] Actiones Lege non vetitas finis præcipue diſcriminat. Finis autem hic optimus, Chriſtum honore afficere.

11. Πάντοτε γὰρ τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν. *Nam ſemper pauperes habetis vobiſcum*] Πτωχὸς [*pauper*] in his libris non eſt qui mendicando victum quærit; ut multis aliis in locis, tum præcipue II Cor. VIII, 9. videre eſt; ſed qui de ſuo vix habet unde vivat: *egentem* rectius quam *pauperem* verteris. Neque enim eſt paupertas nihil habere, ut Martialis dixit. Ideo pejorem eſſe *egeſtatem paupertate* ad primum Æneidos docet Servius. Sic Hebræis דל dejectius quam עני. Non pugnat autem quod in Deuteronomio dicitur, quo hic reſpicit Chriſtus, *Non deerit inter vos qui egeat*, XV, 11. cum eo quod eodem capite dictum erat commate 4. *Non erit in te qui egeat*: nam hoc præcipientis eſt, illud prædicentis. *Non erit*, id eſt, *Ne ſit*. Erunt igitur qui egeant, in tanto quippe populo; ſed cæteri pati non debent ut in egeſtate permaneant. quem ſenſum aperte ſatis indicat comma ſeptimum. Vidit hoc recte Tertullianus IV adverſus Marcionem, *Sed non ſit*, inquit, *indigens inte, id eſt, Cura ultro ne ſit: quo magis petenti præjudicat dandum, etiam in ſequentibus, Si fuerit indigens e fratribus tuis, non averteris cor tuum nec conſtringes manum tuam à fratre indigente.* & hunc in modum illa loca conciliat Rabbinus Solomo Benaderet. ¶ ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε. *me autem non ſemper habebitis*] Mortem imminentem ſibi ſignificat. Quoties quid de pluribus rebus potius faciendum ſit ambigitur, non debent ipſa per ſe facta nude æſtimari, ſed temporum quoque & aliarum circumſtantiarum habenda eſt ratio; ita quoties leges inter ſe comparantur, *videndum*, ait Cicero De inventione II. *utrum ſtatim neceſſe ſit; utrum habeat aliquam moram & ſuſtentationem: nam id quod ſtatim faciendum ſit, perfici prius oportet.* Talis erat & hic factorum contentio. Egentibus quovis tempore ſuccurri poterat; Chriſto præſenti ut honos haberetur, properandum erat. Hunc ſenſum apertiſſime exprimit Marcus, Πάντοτε γὰρ τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, καὶ ὅταν θέλητε δύνασθε αὐτοῖς εὖ ποιῆσαι· ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε [*Semper enim pauperes habetis vobiſcum, & cum volueritis poteſtis illis benefacere; me autem non ſemper habetis*].

12. πρὸς τὸ ἐνταφιάσαί με ἐποίησεν. *ad ſepeliendum me fecit*] Marcus, προέλαβε μυρίσαι μου τὸ σῶμα εἰς ἐνταφιασμόν [*prævenit ungere corpus meum in ſepulturam*]. Johannes, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό [*in diem ſepulturæ meæ ſervavit illud*]. Senſus mihi eſſe videtur, Potatis ſumtum eſſe nepotinum quod hæc mulier me pretioſo unguento perfudit: atqui ſi is ſumtus impenſus eſſet in corpus mortuum nemo improbaret: eſt enim id non tantum receptum moribus, ſed & laudabile habetur: circa Reges maxime, qualem illa me credit. Qui honos in mortuo futurus erat laudabilis, cur in vivente eſt invidioſus? Ad mortem parum mihi reſtat; quod & vobis & aliis ſæpe dixi, itaque hæc mulier cum mortem meam inſtare intellexerit (nam & aliæ mulieres hoc intellexerant Luc. XXIV, 6, 7.) habet me jam quaſi pro mortuo, atque officium illud ſolemne modico tantum tempore antevertit. Hunc ſenſum apertiſſime ſignificat Marcus voce προέλαβε [*prævenit*]. Hic τὸ ἐνταφιάσαι [*pollincire*] interpretandum eſt per ἐνδεῖξαι [*defectum*] voculæ ὡσεί [*tanquam*], *fecit quaſi ad me pollinciendum.* Quam voculam prudenter hic, ut & in hac apud Marcum hiſtoria, addidit Syrus Interpres. Et Johanni ἡμέρᾳ ἐνταφιασμοῦ eſt dies quaſi pollincturæ. Nec rarum eſt Hebræis ut quis dicatur facere aliquid ad hunc aut illum finem, qui tamen ab ipſo non intenditur, ſed actum ejus aliunde conſequitur, ut Proverb. VIII, 36. XVII, 19. I Reg. XVII, 18. & alibi ſæpe. Sic & apud Homerum ὡς [*tanquam*] comparativum ſæpe ſubaudiri notant Interpretes; ut cum dicit Poeta δέμας πυρός [*corpus igneum*], id eſt, *quaſi igneum*. ἐνταφιάζειν pro *pollincire* dixerant Lxx capite ultimo Geneſeos: ex quo loco patet antiquitas moris, cujus & Ennius meminit,

Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.

Nimirum Tyriorum proles Tyrrheni hunc inter cæteros ritum Italiæ intulerant. Morem autem hunc ungendorum corporum, ut pleraque inſtituta laudabilia Judæorum, obſervarunt & Chriſtiani veteres in teſtimonium creditæ Reſurrectionis. Tertullianus Apologetico, *Si Arabia queruntur, ſciant Sabæi pluris & cariores merces ſuas Chriſtianis ſepeliendis profligari quam diis fumigandis.* Plinius dixerat lib. XII, cap. XVIII. *acervatim congeſta honori cadaverum quæ diis per ſingulos micabantur.*

13. μνημόσυνον, *memoriam*] Ita vertere ſolent Lxx Hebræum זכרון quod ſæpe non tam *monumentum* quam *memoriam* ſignificat, ut Exodi XVII, 14. κατάγραψον τοῦτο εἰς μνημόσυνον ἐν βιβλίῳ [*Scribe hoc in libro ad memoriam*], & Numerorum V, 18. θυσίαν ἐν μνημοσύνῳ [*ſacrificium memoriæ*].

14. Τότε, *Tunc*] Poſt interjectam narrationem ad res contexendas pertinentem redit Matthæus ad temporis ordinem. Factum enim hoc videtur paulo poſt ipſam conſultationem Synedrii cujus ſupra meminerat. Hæc enim Judæ ſe offerendis occaſio conſilii mutandi cauſam præbuit.

15. ἔστησαν *Conſtituerunt*.] Ut optime hic vertit vetus Latinus: id enim in Jure eſt *promittere*. Reſpondet Hebræo נתן. Confer Marci XIV, 11. Lucæ XXII, 5. ¶ τριάκοντα ἀργύρια, *triginta argenteos*] Cum Judas Sacerdotum arbitrio permiſiſſet quanti Jeſum æſtimarent, illi æſtimarunt quanti minimi homo ullus æſtimari poterat. Nam τριάκοντα ἀργύρια [*triginta argentea numiſmata*] ſive *ſicli argentei* ſunt totidem τετράδραχμα [*quadridrachma*], quæ Lxx, quia duplaribus utuntur drachmis, δίδραχμα [*bidrachma*] vocant: itaque Exodi XXI, 32. caput ſervi æſtimatur triginta ſiclis, ubi in Græco eſt τριάκοντα δίδραχμα [*triginta bidrachma*], apud Joſephum totidem τετράδραχμα [*quadridrachma*]. At in Zachariæ vaticinio, quod infra examinabitur, iidem Lxx τριάκοντα ἀργυροῦς [*triginta argenteos*] vertunt, ubi ſubintelligendum eſt σίκλους [*ſiclos*], ut hic νομίσματα [*numiſmata*]. Nam Judæis σίκλος [*ſiclus*] eſt νόμισμα καθ' ἐξοχήν [*numiſma per excellentiam*]. Qui ipſe Zachariæ locus oſtendit eam ſummam vilis pretii habere ſignificationem. Et notant Hebræi hominem marem plerumque æſtimatum quinquaginta ſiclis, ancillam triginta. Samuelis quoque ſecundo libro, cap. XVIII, 11. שקל Græce vertitur σίκλοι ἀργυροῦ [*ſicli argentei*]. Quare neque de libris neque de talentis

hic

hic cogitandum est. Facit hoc ad notandum Iudæ animum ita avaritiæ mancipatum ut quovis pretio impelli ad scelus potuerit.

16. *εὐκαιρίαν, opportunitatem*] פנה.

17. *Τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων, Prima autem die Azymorum*] Addit Marcus *ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον* [*quando Pascha immolabant*], Iudæi scilicet, quod exprimit Syrus; id est, quo die moris erat Pascha mactari. Lucas, *ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα* [*in qua necesse erat occidi Pascha*]: quibus locis inter se collatis evinco eo die à Iudæis mactatum *πάσχα* [*Pascha*] quo oportebat, si *δεῖ* pro *eo quod oportet* sumi debere contenditur. Azymorum dies modo septem numerantur, quibus integris nefas erat fermentato vesci; modo octo, annumerato die Paschali, quia parte ejus postrema incipiebat Azymorum observatio. Citavimus modo locum ex Iosepho in quo Azymis dies attribuit octo, cum alibi septem dies Azymis assignet. Ita *prima Azymorum* sæpe dicitur prima septem dierum quibus integris non nisi Azyma edebantur. Hic dies prima qua edi incipiebant Azyma, id est, dies Paschalis: Is enim peculiaris est character decimæ quartæ Nisan, ut supra diximus. Non dicunt autem hi Scriptores jam adventasse horam mactationis, sed ipsum diem adventasse. Quod non ita intelligo quasi jam occidisset Sol; mox enim sequitur *ὀψίας δὲ γενομένης* [*vespere autem facto*]: sed puto describi tempus quo Sol erat prope occasum: quod Lucas dicit *ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα* [*venit autem dies*], id est, *τὸ νυχθήμερον* [*dienoctium*]. Nam & popularis sermo *venisse diem* dicit qui de proximo imminet. Et Lucas alibi dixit *γενομένης ἡμέρας* [*facta die*], ubi Marcus *πρωὶ ἔννυχον λίαν* [*diluculo valde*]. Sic infra commate 71. *ἐξελθόντα* [*exeuntem*] significat *exire parantem*: nondum enim tum exisse Petrum sequentia ostendunt. Facta ergo hæc sub occasum diei XIII. quo tempore incipiebat apud Iudæos dies decima quarta. Hæc multum faciunt ad illustrationem controversiæ inter viros eruditos in omnem partem diu versatæ, cui lucis ut spero nonnihil adferemus. ¶ *Πῦ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα; Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?*] Dominus noster, observantissimus legis Paternæ, solitus erat comedere Pascha ex præscripto quo tempore Iudæi omnes, sine decimæ quartæ Nisan. Incipiebant autem Iudæi locum in quo comesturi erant Pascha parare ab ea nocte quæ antecedit Solem decimum quartum, & pars est *τῆ νυχθημέρῳ* [*dienoctii*] decimi quarti, quod nunc etiam faciunt. Ejus præparationis magna est pars anxia *ἐκκαθάρσις τῆς ζύμης* [*expurgatio fermenti*], ad quam alludit Paulus I Corinth. V, 7. Sollicite enim ea nocte & antemeridiano tempore sequenti inquirunt ecquid usquam fermentatum supersit, etiam micas colligentes. Deinde sternuntur lecti, instruitur cœnaculum, coquuntur cibi. Hæc omnia sunt opera illius diei, qui propterea *παρασκευὴ* [*præparatio*] vocatur à parte majore, ut *πάσχα* [*Pascha*] à parte digniore. Cum ergo nox hæc inciperet, interrogant Discipuli quem locum Christus velit sibi parari edendo Paschati, exilli mantes nempe edendum de more fine ejus *νυχθημέρου* [*dienoctii*] quod tum cœperat. Plane enim assentiri illis nequeo qui putant eo anno à Judæis Pascha celebratum alio quam oportuit tempore. Nam etiamsi aliqua translatio diei festi in eum annum incidisset, quod probatu difficile est, & qui probare conantur valde inter se dissentiunt, ea tamen causa propter quam à Judæis dies festus transferri solebat adeo mihi justa videtur ut Legis interpretatio potius quam mutatio sit censenda. Nam si continuaretur dies festus Azymorum, qui Paschale sacrificium sequi necessario debebat, cum Sabbato, non erat quidem secuturum id quod quidam putant incommodum ex dilata coctione (nam coquere Sabbato quidem non licebat, ac licebat die festo, Exodi XII, 16.) sed post multiplicem *διασπορὰν* [*dispersionem*] Judæorum, quorum multi habitabant in locis calidissimis, periculum erat ne asservata cadavera putiscerent. Jam vero credibile non erat legem ritualem à Deo præscriptam cum tali necessitate quæ nulli periculo, nullis incommodis cederet, cum alibi sæpe demonstratum sit in his potissimum legibus valere debere *τὸ ἐπιεικὲς* [*æquitatem*]. Æqua igitur erat ac proinde observanda diei festi tralatio in diem Sabbati: neque id magis cum Lege pugnare censendum erat quam quod Ezechiæ tempore Pascha tralatum est à XIV Nisan in decimam quartam mensis sequentis. In his enim rituum rebus Synedrii auctoritatem populus tuto sequebatur, & sequi debebat ex lege Deuteronomii XVII, 8. & deinceps. Qua de re vide quæ prudenter notavit Maimonides Duce dubitantium III, 41. & Moses de Cotzi Præcepto jubente XLVI. Adde jam quod Christus, cum dixit *Scitis intra biduum Pascha fieri*, egit de re omnibus nota. Ac proinde diem Paschatis non alium agnovit quam eum qui publice de more observabatur. Quibus addenda quæ paulo ante ex Marco & Luca in hanc rem attulimus.

18. *πρὸς τὸν δεῖνα, ad quendam*] פלוני Syrus. Hebraice פלוני אלמני aut אלמני, ut Ruth IV, 1. ubi Græci quidam verterunt *κρύφιε* [*incognite*]. At Matthæi interpres hoc loco Græce admodum vertit *τὸν δεῖνα* [*certum aliquem quem nominare nihil attinet*]. Ita enim Græci loquuntur cum non quemvis hominem sed unum aliquem designatum volunt, quem nominari nihil attinet. Hunc autem Christus non nominarat, sed notis quibusdam descripserat, ut apud Marcum videre est. Interseruit autem verbis Christi Matthæus illud פלוני de suo: cujusmodi narrandi modum invenire est II Samuelis XV, 2. Arabes dicunt eadem voce فلانى unde Hispanis mansit *Fulano*. ¶ *Ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστι· πρὸς σὲ ποιῶ τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου, tempus meum prope est: apud te facio Pascha cum Discipulis meis*] Discere hinc jubemur, quod non observatum multos fefellit, & anticipatum Pascha à Christo, & causam cur anticiparit. Nam illud *ποιῶ* [*facio*] est *jamjam facio*, hac ipsâ nocte, non pomeridiano tempore quod erat legitimum. Causa est, non quod Judæi alio quam oportebat tempore constituissent Pascha mactare & edere, sed quia mortis tempus Christo imminebat, ita ut ad legitimum usque Paschatis tempus non esset provicturus. Nam alium sensum habere meo judicio non potest illud *ὁ καιρός μου ἐγγύς* [*tempus meum prope est*]. Et apud Lucam *πρὶν ἢ με παθεῖν* [*antequam patiar*]. Divina autem providentia factum est ut nulla mora esset opus. Jam enim paratum erat cœnaculum & omnia in promtu quæ ad Pascha comedendum desiderabantur; ita ut statim post hæc dicta in domum iverit Christus & discubuerit. Neque id mirum in urbe plena advenis quibus passim hospitia & cœnæ parabantur. Objiciunt Græci, Si antevertit Christus Pascha, violatam ab eo Legem. Quem nodum alii aliter solvunt: mihi res videtur expedita adhibita distinctione Paschatis. Pascha enim est aliud *θύσιμον* [*victimale*], solemne, plenum; aliud *μνημονευτήριον* [*memoriale*]. *Θύσιμον* (*victimale*) (quod *πάσχα θυσίαν* [*Pascha victimam*] vocat Josephus) celebrari non poterat nisi uno in loco, quo populus omnis conveniret, qui locus à Davidis temporibus fuit Hierosolyma. Lex est Deuteronomii XVI, 2, 5. Exemplum videre est II Paralipomenôn XXX & XXXV. Luc. II, 41. apud Josephum multis in locis. Tryphon in Colloquio cum Justino, *γινώσκομεν ὅτι μὴ πρέπειν ἢ πάσχα ἀλλαχόσε θύειν δύνασθαι* [*Scimus enim Paschalem victimam alibi occidi non posse*]. Hoc *θύσιμον* [*victimale*] voco, quia in eo agnus mactabatur, non privatim à patribusfamilias, ut multi existimant, sed à Sacerdotibus, post constitutum sacerdotium: nam ante patresfamiliarum erant velut Sacerdotes. Scio Philoni dictum *θύειν* [*sacrificare*] die Paschali *ἔκαστον οἶκον ἱερεῖα σὺν ἀναμβώνοις ἱερατείαν δὲ νέμει χαλεπωτάτῃ τῷ θεῷ πασῶν μίαν ἡμέραν ἐξαίρετον ἀπὸ πάσης εἰς αὐτηρεσίαν θυσιῶν* [*unumquemque non exspectatis Sacerdotibus, hac una die eximia Lege dante sacerdotium genti toti ad faciendum sacrum anniversarium*]. Sed in moribus Hebræis ipse Alexandrinus non satis certus est auctor. In Paralipomenis, ubi Josiæ describitur historia; aperte narrantur Sacerdotes, adjuvantibus Levitis, amovisse quæ amovenda erant, idque in Templo, & deinde pecudes Paschales reddidisse familiis. ubi Jolephus, *ἔκαστα δὲ ἱερεῖον ἐξαγριῶν τοῖς ἔθνεσι* [*unoquoque Sacerdotum præeunte populo*]. Atque hinc factum ut Sacerdotes, Cestio quærenti quis numerus esset Judæorum Hierosolyma convenientium, exacte dixerint quot fuissent in Paschate agni aut hædi sacrificati. Ajunt enim fuisse *θυμάτων εἴκοσι πέντε μυριάδας, πρὸς δὲ πεντακισχίλια ἑξακόσια* [*victimarum quinquaginta millia, præterea quinque millia & sexcentas*]: quod profecto exacte dicere non potuissent nisi ipsi interveniissent mactationi. Hoc *θύσιμον* [*victimale*] Pascha sicut locum habebat præfinitum extra quem celebrari non poterat, ita & tempus designatum, nempe inter duas *ὀψίας* [*vesperas*] decimæ quartæ diei exeuntis & inchoantis decimæ quintæ. Tale Pascha hoc anno non celebravit Christus. Sacrificare enim extra tempus concessum non licuit: adde quod & Sacerdotum, ut dixi, interveniebat opera, qui nunquam eam navassent nisi stato tempore. Sed quia belli temporibus convenire populus non poterat, multoque magis post Babylonicum exsilium aliasque *διασπορὰς* [*dissectiones*] longius sparsis plerisque Judæorum quàm ut possent venire Hierosolyma, in locum Paschatis *θυσίμου* [*victimalis*] surrogatum est Pascha *μνημονευτήριον* [*memoriale*], voluntarium magis quam Lege præceptum. Nam ne excideret liberationis Ægyptiacæ memoria, instituerunt Judæi, etiam cum sacrificare Pascha non possent (posse autem extra Chananææ fines, non immerito ipsi negant) memoriam tamen Paschatis quandam ob oculos ponere. Sicut ergo in Paschate quod *θύσιμον* [*victimale*] vocamus ante cœnam justam antecedebat cœna ritualis, qua agnum aut hædum cum azymis & herbis amaris ex Legis præscripto comedebant]

bant; dicis, inquam, cauſa, non ad ſaturitatem; neque enim agnus ſufficere poterat ad cœnam juſtam hominibus unquam paucioribus decem, ſæpe etiam viginti; nam eouſque excreviſſe αἱ φρατρίαι [*ſodalitates*] Joſephus memorat; intra quem numerum ſterilis & Lacedæmoniorum Phiditia ex Porphyrio diſcimus: ſequebatur deinde cœna juſta: ita & in Paſchate commemorativo cœna quædam ἕνεκα χάριν [*dicis cauſa*] cœnæ præmittebatur, ſed ſine ſacrificio. Itaque in eo edebatur tantum aliquid Azymorum cum herbis amaris. De cæteris cibis appoſitis nihil guſtabatur ante cœnam ſecundam, quæ erat ordinaria. quod nunc quoque Judæi obſervant. Hæc autem cœna commemorativa Paſchatis, quanquam ἄθυτος [*ſine victima*], ut dixi, vocatur πάσχα ὁμωνύμως [*Paſcha vocabulo ambiguo*]. Nam ita habet carmen illius cœnæ, quod venire à Babylonicis temporibus non eſt dubium,

כל דרוך יתי ויפסח

id eſt, *Omnis indigens Paſcha faciat.* Atque in hunc ſenſum accipio quod dicit Chryſoſtomus ſuo etiam tempore Judæos Antiochiæ Paſcha feciſſe; & quod Procopius in Arcana hiſtoria ait eos γεύεσθαι περὶ κατακλίσεων κρεῶν [*guſtare de carnibus ovillis*]. nam ſacrificaſſe eos non eſt credibile. Atque ideo Tryphon dicto loco non Paſcha celebrare alibi ait vetitum, ſed τὸ σφάζειν ἢ πάσχα θύειν [*pecudem Paſchalem ſacrificare*]. Unde lucem accipit illud Auguſtini in primo Retractationum, *Judæi nunc non ſacrificant niſi forte quod per Paſchata immolent ovem, hoc in ſacrificia deputatur.* Hoc πάσχα μνημονευτικὸν [*Paſcha memoriale*], utpote voluntaria devotione ſuſceptum, ſicut loco non adſtringebatur, ita nec tempore. Chriſtus igitur cum πάσχα θυτὸν [*Paſcha victimale*] morte præveniendus uſurpare non poſſet, voluit tamen cum Diſcipulis ſuis memoriam Paſchatis, qua poterat, celebrare: quod fecit eodem modo quo ſolebant ii Hieroſolyma venire non poterant, & quo proximo poterat tempore, id eſt, horis XVIII. aut circiter ante ipſum ſacrificii tempus. Non ſacrificavit igitur Paſcha Chriſtus: neque enim potuit, ipſe verum Paſcha vero Paſchatis die ſacrificandus: ſed manducavit Paſcha quod dixi μνημονευτικὸν [*memoriale*], quod hic recte Judaico more *Paſcha* appellatur. Itaque ἔθυε πάσχα [*ſacrificavit Paſcha*] uſquam legimus: imo non ſacrificaſſe Chriſtum vel hinc apparet, quod ſtatim ut in domum venit diſcumbit: Sed ἔφαγε τὸ πάσχα [*manducavit Paſcha*]. Nec aliud hic eſt πάσχα ποιεῖν [*Paſcha facere*] quam non verbum in rituali carmine, quaſi dicas πασχατίζειν [*paſchatizare*]. Hinc apparet nihil à Chriſto factum contra Legem; imo contra, adeo obſervantem Legis Chriſtum fuiſſe ut cum ſacrificium implere non poſſet, memoriam tamen ſacrificii ritu recepto coluerit. Quod de Paſchate dixi, idem videre eſt & in aliis diebus feſtis, quorum memoriam etiam extra Judæam Judæi ſine ſacrificiis celebrabant. Ita Philo adverſus Flaccum narrat à Judæis Alexandriæ habitantibus celebratam τὴν ἐν σκηναῖς ἑορτὴν [*feſtum tempus Tabernaculorum*]. Nequis vero novam hanc noſtram ſententiam ſuſpicetur, ſciat eſſe antiquiſſimam. Meminit Photius Scriptoris anonymi adverſus Theſſarescædecatitas, qui dixerit τῇ ἁγίᾳ πεμπτῇ μὴ τὸ νομικὸν φαγεῖν πάσχα τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, μηδὲ ἓν εἶναι τότε τὸ καιρίον, ἀλλὰ τῇ ἑξῆς, καὶ ὅτι οὐδὲ νομικῶς πλέον ἔφαγεν [*die quinta quam ſanctam dicimus, Chriſtum Dominum noſtrum non manducaſſe Paſcha legale, neque enim tunc tempus fuiſſe; ſed neque eum id ediſſe ſecundum ritum Lege præſcriptos*]. Idem ait deſenſum ab alio Scriptore valde erudito, qui de Paſchate libros ediderat. ¶ μετὰ τῶν μαθητῶν μου. *cum Diſcipulis meis*] Erat enim hæc juſta φρατρία [*ſodalitas*] inter decem & viginti; ſimilis Phiditiis apud Lacediæmonios, quæ & ipſa, ut modo diximus, conſtabant quindecim aut paulo pluribus paucioribusve convivis; & Pythagoræorum συσσίτια [*convivia*] quæ decem hominibus conſtabant: Arabum Nabatæorum tredecim.

19. ἡτοίμασαν τὸ πάσχα. *paraverunt Paſcha*] Locus erat paratus, ut ex Marco diſcimus. Reſtabat ut apponerentur quæ ad cœnam illam μνημονευτικὴν [*memorialem*] pertinebant, ἄζυμα καὶ πικρίδες [*azyma & herbæ amaræ*].

20. Ὀψίας δὲ γενομένης, *Veſpere autem facto*] Cum jam Sol occidiſſet: quod non intelligendum ἐν στιγμῇ [*in puncto*]. Nam quicquid eſt temporis poſt Solis occaſum ſolet interdum eo nomine appellari, ut Num. IX, 15. ubi oppoſita ſunt בומם [*de die*] & בערב [*de veſpere*]. Jerem. V, 6. זאב ערבות [*lupus veſpertinus*] *lupus nocturnus*, ut Kimchi interpretatur ex Pſalmo CIV, 20. loca alia omittam. Ita ſumi ὀψίας [*veſperi*] manifeſtum eſt Johann. XX, 19. & Marci XI, 32. Indicatur ergo jam nocte celebrata cœna, quod conſulto factum à Chriſto, ne ſe periculo ingeſſiſſe videretur. Neque in eo quicquam erat novi. Nam nunc quoque Judæi πάσχα μνημονευτικὸν [*Paſcha memoriale*] multa nocte celebrant. Imo & πάσχα θυτὸν [*victimale Paſcha*] mactari quidem inter duas ἑσπέρας [*veſperas*], at edi non niſi noctu ſolebat. Ita enim uſus interpretatus erat legem quæ exſtat Exodi XII, 8. inque eam interpretationem Judæi omnes conſentiunt. ¶ ἀνέκειτο, *diſcumbebat*] Stationem in agno edendo non in perpetuum præceptam, ſed pro illo exitus tempore multi ſentiunt. An tamen accubitus, ſignum ſecuræ libertatis, ut Judæi interpretantur, uſurpatus ſit ab ævo Joſuæ dubitari poteſt. Nam ſicut in herba jacentes cibum ſumſiſſe primos hominum ſatis conſtat, quo pertinere videtur id quod eſt in Geneſi XVIII, 4. ונשענו [*requieſcite*], ita ſedendi morem aut non minus antiquum, aut primo morti proximum fuiſſe docet eadem Geneſis XLIII, 33. cui loco addi poteſt alter 1 Sam. XX, 25. Tacitus de Germanis, *Lauti cibum capiunt: ſeparata ſingulis ſedes, & ſua cuique menſa.* Tantundem de Hiſpanis & Gallis veteribus traditum Straboni. Quod autem de eo tempore dicit Philo, μήπω τῶν ἀνδρῶν ἐν ταῖς συμποτικαῖς εὐωχίαις κατακλίσεσι χρωμένων [*cum nondum homines in conviviis accubitu uterentur*], de accubitu in lectis accipiendum omnino eſt, qui haud dubie ſerius cœpit, Aſſyriorum, ut credibile eſt, exemplo: cujus moris primam apud Judæos mentionem doctiſſimus Caſaubonus apud Amoſum II, 8. obſervavit: niſi vetuſtior ejus mentio Cant. I, 11. ubi במסבו κατακλίσεων [*accubitum*] vertunt Græci. Quin Græcorum ac poſtremo Romanorum exemplo mos accumbendi increbuerit, non eſt dubitandum. Hodie Judæi ſeſſionem in cœna illa commemorativa, ſed ſolito molliorem atque honorariorem, uſurpant; & cum reclinatione corporis, quæ ab accubitu non longe abſcedit.

21. καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν, *Edentibus illis*] Id eſt, *cum jam ferio cœnarent.* Nam prior cœna, ut dixi, dicis cauſa erat: neque in ea habebantur ulli ſermones præter formulas. Et πινάκιον illud [*paropſis*, vel *catinus ille*] de quo ſequitur, habebat in ſe juſculum, ut oſtendit ψωμὶς [*panis intinctus*] mentio apud Johannem. Quare probare non poſſum eorum ſententiam qui hæc ad herbas amaras aceto tinctas referunt, quibus locus erat in cœna priore.

23. Ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ πινακίῳ τὴν χεῖρα, *qui intingit mecum manum in paropſide*] Omnino videtur propius quiddam indicari quam quod ſupra dixerat Chriſtus, *Unus ex vobis duodecim.* Quare perſuaſum mihi eſt Judam prope Chriſtum accubuiſſe, ita ut cum plures eſſent in cœna catini, illi ex eodem catino ederet ex quo edebat Chriſtus. Ita enim facilius fieri potuit ut Chriſtus illi interroganti an ipſe eſſet de quo loqueretur, ſubmiſſe & pleriſque non audientibus reſponderet, Σὺ εἶπας [*Tu dixiſti*], utque eo non audito Johannes à Petro monitus, quærens quis ille eſſet qui tantum ſcelus eſſet auſurus, certum à Chriſto ſignum acciperet, eum hunc eſſe cui ipſe Chriſtus daturus eſſet de catino tinctam jure offulam. Quæ omnia, *ni fallor*, indicia eo nos ducunt ut credamus quod dixi. Atque ita hic quoque accidit quod in multis aliis vaticiniis, ut verba Davidis Pſal. XLI, 10. in Chriſto non tantum ſecundum proverbialem loquendi modum, ſed etiam ſecundum exactiſſimam verborum ſignificationem implerentur. Accedit huc quod Marcus cum prius dixiſſet ὁ ἐσθίων μετ' ἐμοῦ [*qui manducat mecum*], poſtea ſubjecit εἷς ἐκ τῶν δώδεκα, ὁ ἐμβαπτόμενος μετ' ἐμοῦ εἰς τὸ τρύβλιον [*Unus ex Duodecim, qui intingit mecum manum in catino*]. Quare cum his idem dictum cenſeri non debeat, ſequitur in poſteriori reſtrictiorem eſſe demonſtrationem. Atque ita Chriſtus præſcientiæ ſuæ documenta per gradus edidit, primum duodenario numero includens futurum proditorem, deinde numero minore proxime accumbentium, poſtremo ipſum hominem notis certis deſignans.

24. ὑπάγει, καθὼς γέγραπται περὶ αὐτοῦ· *vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo*] Πορεύεται Lucas, id eſt, moritur: ita enim Hebræi הלך [*vadere*] uſurpant, ut Gen. XV, 2. ubi LXX אנכי הולך [*ego vado*] vertunt ἐγὼ δὲ ἀπολύομαι [*ego dimittor*]. Sic & Latini mortuum *abiiſſe* dicebant. Alibi ὑπάγειν [*vadere*] de Chriſto poſitum ἀναλήψιν [*aſſumptionem*] ejus in cœlum ſignificat. ¶ πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, *væ autem homini illi*] Sapientiſſimum Divinæ permiſſionis decretum eique juncta præſcientia, cum nullam imponat ſceleris neceſſitatem, neque culpam neque pœnæ meritum minuit. ¶ καλὸν ἦν αὐτῷ εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος. *bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille*] Non quod eſſe bene ei poſſit qui non ſit, ſed quod homines ita poſſunt eſſe miſeri ut merito optent non eſſe: quod à quibuſdam nimium ſubtiliter philoſophantibus negari miror, à quorum inopinata ſententia ad ſenſum communem & hoc Chriſti effatum provoco. Nam quod viris piis Jobo & Jeremiæ impatientia ut dicerent expreſſit, id hic vere ac ſerio de Juda Chriſtus affirmat. Οὐ βούλῃ [*Non vult*], inquit Hierocles, ὁ κακὸς ἀθάνατον εἶναι τὴν αὐτοῦ ψυχὴν, ἵνα μὴ ἀπαρεῖν τιμωρίᾳ ᾖ [*ne qui malus eſt immor-*

immortalem eſſe animam, ne in pœnis maneat). *Interire* autem eſt perinde ac *natum non eſſe*; juxta illud Senecæ,

Quaris quo jaceas poſt obitum loco?
Quo non nata jacent.

De impiis igitur vere dici poteſt quod olim dixiſſe Silenum ferunt, & Theognis iſtis verbis expreſſit,

Ἄριστον μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄρηρεν,
Μηδ' ἰδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου.

[*Optima ſors homini natum non eſſe, nec unquam*
Adſpexiſſe diem flammiferumque jubar.]

Hieronymus, *Simpliciter dictum eſt, Multo melius eſſe non ſubſiſtere quam male ſubſiſtere.* Rabbi Iſrael De Anima ait ei qui in hoc mundo Divinæ contemplationi non vacat, melius futurum eſſe nunquam exſtitiſſe. Idem in Zoar de ignorantibus Legem.

25. Σὺ εἶπας. *Tu dixiſti*] *Rem dixiſti.* Eſt enim non in medio relinquentis ſed concedentis quæſitum iſta oratio; ut collatis locis, infra hoc capite 64. & Marc. XIV, 62. liquido apparet. Non diſſimile eſt illud Euripidis,

—— Σὺ ἦ λέγεις ταῦτ', οὐκ ἐγώ.

[—— *Dicis hæc tu, non ego.*]

Sed hoc ita Judæ dictum eſt ut cæteri non exaudirent.

26. Ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, *Cœnantibus autem eis*] Ita & Marcus; id eſt, *adhuc illis cœnantibus.* Nam vinum quidem ex more Judæorum, qui nunc quoque in die Paſchatis aliiſque diebus feſtis id obſervant, & in cœna & poſt cœnam cum gratiarum actione bibebatur: at panis frangebatur & diſtribuebatur cœna adhuc durante, ſed ferme peracta. Hinc de poculo ſpeciatim dicunt & Lucas & Paulus ſumtum à Chriſto μετὰ τὸ δειπνῆσαι· quod in Miſſa Latina exponitur *poſtquam cœnatum eſt.* Lucas autem & in cœna & poſt cœnam propinatum memorat; ſed poſt cœnam cum manſuri ritus inſtitutione. Etiam apud Græcos poſtremum poculum, idque pro ſacro habitum, bibebatur eo ipſo tempore quo tollebantur menſæ. Nicoſtratus,

Ἀλλ' ἐγχέας ἥδιστον ἀγαθῷ δαίμονι
Ἀπενίκατο μοι τὴν τράπεζαν ἐκ ποδῶν.

[*Sed infundentes poculum Genii boni*
Mihi de pedibus protinus menſam auferant.]

Xenophon, ὡς δὲ ἀφῃρέθησαν αἱ τράπεζαι καὶ ἐσπείσαντο καὶ ἐπαιάνισαν [*at poſtquam ſublatis menſis libarunt & pæana cecinerunt*]. Scholiaſtes Ariſtophanis ad Veſpas, Ὡς ἐπὶ τῶν ἀπὸ μίσους ἢ τράπεζα αἴρεσθαι ἀγαθοῦ δαίμονος ἐπῄρατο [*moris erat cum tollenda eſſet menſa poculum ſorbere boni Genii*]. Seneca Thyeſte,

—— *Hoc, hoc menſa claudatur ſcypho.*

Meminerunt & Scholiaſtæ ad tertium & quintum Odyſſeæ. Primi quoque Chriſtiani inter cœnandum celebrarunt hoc myſterium: Κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον μετελάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας [*Frangentes domatim panem, ſumebant cibum cum exſultatione & ſimplicitate cordis*] inquit Lucas Actor. II, 46. Vide & confer quod dicitur Actor. XX, 7, & 11. Hoc eſt quod Plinius ait, *Coiiſſe Chriſtianos ad capiendum cibum, ſed promiſcuum & innoxium.* Idque ipſum eſt quod δεῖπνον κυριακὸν [*cœnam Dominicam*] Paulus ad Corinthios vocat; Ignatius in epiſtola ad Smyrnenſes δοχὴν [*convivium*], ut & Scriptor vetuſtiſſimus Conſtitutionum quæ Clementis nomen præferunt, qui & δοχὴν [*convivium*] interpretatur ἀγάπην [*dilectionem*]. Nomen *Agapæ*, quod in Judæ Epiſtola eſt, in hoc ſenſu venille putat Tertullianus inde quod inopes iſto refrigerio juvarentur. Sed videndum an non συνδρομικῶς [*per complexionem*] ex poculo myſtico id datum ſit nomen toti convivio, quomodo εὐχαριστία [*Euchariſtia*] dicta eſt ἐπὶ ᾧ ἄρτῳ ᾧ εὐχαριστήθη [*à pane ſuper quo acta gratia*]. Nam poculum illud, certiſſimum quippe teſtimonium amoris quo nos Chriſtus dilexit, quemque nobis imitandum propoſuit, ἀγάπη [*dilectio*] dicebatur. Ignatius, αἷμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἀγάπη, ἄφθαρτος καὶ αἰώνιος ζωή [*potum volo ſanguinem ejus, qui eſt dilectio, incorruptibilis & æterna vita*]. unde intelligendus alter ejuſdem locus ad Epheſios, ἀναζωπυρούμενοι ἐν αἵματι Χριστοῦ [*exſuſcitantes per ſanguinem Chriſti*]. vult enim μεταληπτικῶς [*per transnominationem*] ſignificare dilectionem mutuam. Mos ille in convivio celebrandi hoc ſacramentum prima illa ætate nihil habebat vitii pleriſque in locis, *Edebatur*, ut ait Tertullianus, *quantum eſurientes capiebant, bibebatur quantum pudicis eſſet utile:* quod & de Judæorum conviviis quæ σύνδειπνα vocantur prædicant Joſephus & Philo. Sed quorundam irreverentia effecit ne diu retineretur. Nam Corinthiorum inæquales epulas, contra naturam τῆς ἀγάπης [*dilectionis*], caſtigat Paulus; & Socrates Hiſtoricus Ægyptiorum notat ἀκρασίαν [*intemperantiam*], quod πανηγύρεσιν ἱεροπρεπέσιν ἐμφορηθέντες [*omniſariis dapibus impleti*] participarent myſteria. Hinc conſtitutum ne myſteria ſumerentur niſi à jejunis; quod ab initio ita non eſſe factitatum recte obſervat Chryſoſtomus. Juſtinus nobis τὴν διὰ εὐχαριστίας μετοχὴν [*Euchariſtiæ participationem*] extra convivii formam deſcribit: & Clemens iſtis quæ ſuo tempore celebrabantur conviviis de nomine ἀγάπης [*Agapæ ſive dilectionis*] controverſiam movet, nimirum cum jam ab iis conviviis myſteria eſſent ſegregata. At Tertullianus indicare videtur jam ſuo tempore celebrata myſteria antelucanis maxime cœtibus: manſit tamen antiquiſſimi moris teſtimonium in eo quod fiebat ipſo die Cœnæ Dominicæ anniverſario. Canon Concilii Carthaginienſis tertii huc ſpectat ut *ſacramenta altaris non niſi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario quo Cœna Domini celebratur:* quicum convenit epiſtola Auguſtini ad Januarium. Sed & ſegregatis jam myſteriis fidelium conivia (ut Pauli tempore) in ipſis Eccleſiarum ædibus celebrabantur ad tempora Synodi Laodicenæ, in Africa etiam ſerius. ¶ τὸν ἄρτον, *panem*] Azymum, contra quam ſentiunt Græci: quanquam enim anticipato tempore omnia tamen παρασκευάζοντων, [*paſchatizantium*] ſervavit Chriſtus quæ quidem ſervari poterant. ¶ εὐλογήσας, *benedixit*] Moris ſemper Judæis fuit, ut ex Thalmudicis Scriptoribus & Philone apparet, cibum nullum aut vinum ſumere niſi prius Deo tanquam conditori donatorique laudes & grates egiſſent, addita precatione: quod χρῆναι τὸν Θεὸν ὡς χορηγὸν τῆς τροφῆς [*honorare Deum ut alimenti datorem*]. dixit Joſephus: ipſam precationem קדוש id eſt, ἁγιασμὸν [*ſanctificationem*] vocant, aut ברוך, id eſt, εὐλογίαν [*benedictionem*]. Diotogenes ex Pythagoræ Schola, Καλῶς δὲ χρὴ τὸν τῆς Θεοῦ ἐν ἀρχῇ τοῦ δείπνου καὶ τοῦ ἀείσου ἐπαναλείφειν, οὐχ ὡς δεόμενόν τινος τούτων, ἀλλ' ἵνα τὸ μνασθὲν καθαρωτέραν ποιῶμεν τὴν ψυχήν [*Rectum eſt in principio prandii ac cœnæ Deum invocare, non ut opus habentem tali re, ſed ut per ejus memoriam ornatior fiat anima*]. Antequam id fieret, cibus pro profano habebatur; hoc facto ἅγιον [*ſanctum*], id eſt, quo veſci fas eſſet. Quem morem ut pium approbans Paulus, Πᾶν κτίσμα Θεοῦ καλὸν, inquit, καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον μετὰ εὐχαριστίας λαμβανόμενον. ἁγιάζεται γὰρ διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως [*Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem*]: quo ſenſu ἁγιάζεσθαι [*ſanctificari*], quanquam in re alia, uſurpavit & 1 Corinth. VII, 14. Bene autem Paulus dicto loco εὐχαριστίαν [*gratiarum actionem*] explicat voce ἐντεύξεως [*precationis*]: erant enim iſta conjuncta. Joſephus, Δικαίας ἄρας φύσει τὰ εὐχαριστίας, καὶ ἡδυπαθῆς ἐπ' ἀμοιβῇ μὲν τῶν ἤδη γεγονότων, ἐπὶ δὲ προσδοκίᾳ τῶν ἐσομένων [*cum naturaliter juſta ſit gratiarum actio, qua fit ut agnoſcantur percepta, & percipiantur futura*]. Hinc eſt quod paſſim pro eodem ponuntur in hoc negotio εὐλογεῖν καὶ εὐχαριστεῖν [*benedicere & gratias agere*]. Quod Matthæus XIV, 19. Marcus VI, 41. Lucas IX, 16. dixere in hiſtoria panum multiplicatorum ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐλόγησε [*adſpiciens in cœlum benedixit*], Johannes εὐχαριστήσας δέδωκε [*cum gratias egiſſet diſtribuit*] VI, 11. Marcus dixit εὐχαριστήσας ἔκλασε [*gratias agens fregit*] VIII, 6. quomodo & hic noſter Matthæi Interpres XV, 36. in quibus locis Marci & Iohannis Syrus εὐχαριστήσας [*cum gratias egiſſet*] vertit ובריך [*& benedixit*]: hoc autem loco apud Matthæum pro εὐλογήσας [*benedixit*] dixit ומודי ובריך, id eſt, εὐχαριστήσας καὶ εὐλογήσας [*gratias egit & benedixit*]. Sic & Paulus 1 Corinth. XIV, 15, 16, 17. pro eodem ponit προσεύχεσθαι, εὐλογεῖν, εὐχαριστεῖν [*orare, benedicere, gratias agere*], eodemque loco Latinus Interpres εὐχαριστίαν [*gratiarum actionem*] vertit *benedictionem.* Sic ubi mox eſt de poculo εὐχαριστήσας [*gratias egit*], Cyprianus epiſtola ad Cæcilium citat *benedixit:* &, Paulus hinc calicem vocat ποτήριον εὐλογίας [*calicem benedictionis*]. Non mirum igitur ſi in recitandis his verbis de ſacrato pane Lucas & Paulus dixerunt εὐχαριστήσας [*gratias egit*] quod Matthæi Interpres & Marcus εὐλογήσας [*benedixit*]. Imo & hoc ipſo loco quidam Græci codices habuerunt εὐχαριστήσας [*gratias actis*], atque ita citant veteres, inter alios Baſilius Regulis moralibus. ex interpretamento ſcilicet. Plena autem & propria locutio eſt εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ [*Deo gratias agere*], quod paſſim invenimus, & quidem in mentione frangendi panis Act. XVII, 35. cuitantundem valet εὐλογεῖν τὸν Θεὸν [*Deum benedicere*], Lucæ I, 64. & II, 28. XXIV, 53. Iac. III, 9. Sed Hebræi, & hos ſecuti

Helleniſtæ, amant dictionum compendia: itaque ἐυλογῶν τινα vel τι [*benedicere aliquem* vel *aliquid*] dicunt pro ἐὐλογῶν Θεὸν ἐπὶς τινι [*benedicere Deum ſuper re aliqua*]: quod loquendi genus apud Lxx & hos noſtros paſſim reperire eſt, ut Marci x, 16. Lucæ II, 34. IX, 16. XXIV, 50, 51. Sic ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας [*propitiare peccata*] dixit Scriptor ad Hebræos pro ἱλάσκεσθαι Θεὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν [*propitiare Deum de peccatis*]. Pari modo בְּרַךְ הִנִּיחַ ἐὐλογῶν τὴν θυσίαν [*benedicere ſacrificium*] 1 Sam. IX, 13. eſt ἐυλογῶν τὸν Θεὸν ἐπὶς τῆς θυσίας [*benedicere Deum de ſacrificio*]. Sic ἐυλογῶν τὸ ποτήριον [*benedicere poculum*] in hoc argumento dixit Paulus 1 Corinth. X, 16. & hic ἐυλογήσας [*benedixit*] recte conſtruitur cum eo quod præceſſit τὸν ἄρτον [*panem*]. Similique modo, quod mox ſequitur, ἐυχαριστήσας [*euchariſtizavit*] cum eo quod præceſſit τὸ ποτήριον [*poculum*]. Nam & ἐυχαριστῶν ἄρτον aut ποτήριον [*euchariſtizare panem* aut *poculum*] non minus recte dicitur quam ἐυλογεῖν [*benedicere*], atque ita loqui ſolitos Apoſtolorum exemplo Chriſtianos veteres Juſtinus nos docet, qui dixit ἐυχαριστηθέντα ἄρτον καὶ οἶνον [*euchariſtizatum panem & vinum*], deinde ἐυχαριστηθεῖσαν τροφὴν [*alimentum euchariſtizatum*]. Formula communis τῆς ἐυλογίας [*benedictionis*] ſive τῆς ἐυχαριστίας [*gratiarum actionis*] apud Hebræos hæc erat, בָּרוּךְ אַתָּה יְהוָה אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם הַמּוֹצִיא לֶחֶם מִן הָאָרֶץ, Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ Κύριος ὁ κόσμου, ὁ ἐυρὼν τὸν ἄρτον ἐκ τῆς γῆς [*Benedictus Deus noſter Dominus Mundi, qui invenit panem de terra*]. Similiter de vino dicebant בָּרוּךְ אַתָּה יְהוָה אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם בּוֹרֵא פְּרִי הַגָּפֶן, Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ Κύριος ὁ κόσμου, ὁ κτίσας τὸ γένημα τῆς ἀμπέλου [*Benedictus Deus noſter Dominus Mundi qui creavit fructum vitis*]. Sed diebus feſtis accedebat mentio beneficii cujus tum memoria celebrabatur; ut Paſchate liberationis ex Ægypto. Sic & Chriſtus panes multiplicaturus haud dubie ad communes preces addidit proprias rei quæ tum agebatur. Et hoc loco non pro veteri tantum creatione ſed & pro nova, cujus ergo in hunc orbem venerat, preces fudit gratiaſque Deo egit pro redemtione humani generis quaſi jam peracta, utpote cui implendæ non multum temporis reſtaret: quæ cauſa eſt cur & præſentis temporis verba hic uſurpent ſacri Scriptores, τὸ διδόμενον [*quod datur*], τὸ ἐκχυνόμενον [*quod effunditur*]. Secuti hac in re Chriſtum ſunt veteres Chriſtiani, conjungentes in hac gratiarum actione beneficia vetera cum novis. Teſtis Juſtinus, Τὸν ἄρτον τῆς ἐυχαριστίας εἰς ἀνάμνησιν ὧν πάθως ἔπαθεν ὑπὲρ τῶν καθαιρομένων τὰς ψυχὰς ἀπὸ πάσης πονηρίας ἀνθρώπων, Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος ἡμῶν παρέδωκε ποιῶν, ἵνα ἅμα τε ἐυχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ ὑπὲρ τε τοῦ κτίσαι τὸν κόσμον σὺν πάσι τοῖς ἐν αὐτῷ ἕνεκα τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ὑπὲρ ὧν ἀπὸ τῆς κακίας ἐν ᾗ γεγόναμεν, ἠλευθερωκέναι ἡμᾶς, καὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας καταλελυκέναι πλείαν κατάλυσιν ἀλλὰ δι' αὐτοῦ γεγενημένου καὶ τοῦ βουλεύματος αὐτοῦ [*Panem Euchariſtiæ in memoriam paſſionis quam ſuſcepit pro omnibus hominibus qui animas à vitiis emundantur, Jeſum Chriſtum Dominum noſter nos facere præcepit, ut ſimul gratias agamus Deo & quod Mundum condiderit cum omnibus quæ in eo ſunt hominis cauſa, & quod à malitia in qua fueramus nos liberaverit, & perfecta deſtructione deſtruxerit imperia & poteſtates per illum qui ſecundum ipſius voluntatem factus eſt patibilis*]. Exſtat & in Clementis quæ dicuntur Conſtitutionibus libro VII, cap. XXVII. gratiarum actio, in qua dicitur τὸ σὸν μεγαλεῖον πεοὐτετιμένους ἀνθρώπους [*qui hominibus paratis quo veſcerentur*]. Sequitur mox, ὁ ἀπεσταλκὼς ἐπὶ γῆς Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν [*qui miſiſti in terram Jeſum Chriſtum*], & alia quæ eo pertinent. Irenæus libro V, cap. II. *Et quoniam membra ejus ſumus, & per creaturam nutrimur, creaturam autem ipſe nobis præſtat, Solem ſuum oriri faciens & pluens quemadmodum vult, eum calicem qui eſt creatura, ſuum ſanguinem, qui effuſus eſt, ex quo auget noſtrum ſanguinem, & eum panem qui eſt creatura, ſuum corpus confirmavit, ex quo noſtra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtra ſubſtantia.* Origenes VIII adverſus Celſum, Ἀλλὰ τὸ εὐχάριστοι εἶναι πρὸς τὸν Θεὸν εὐξαιμένοις, ἢ τὸν ἐυεργετῶν πλείονες ἐσμὲν, καὶ δημιουργήματα ὄντες αὐτοῦ, καὶ πεπεισμένοι ὑπ' αὐτοῦ κριθήναι ὅπως ποτὲ εἶναι καὶ ἔξω τοῦ βίου, τοὺς παρ' αὐτῷ ἐλπίδας ἐπεσχημένοι· ἔστι γὰρ καὶ σύμβολον ἡμῖν τὸ πρὸς τὸν Θεὸν ἐυχαριστίας ἄρτος ἐυχαριστία καλούμενος [*Cavemus ingrati eſſe adverſus Deum, cujus beneficiis pleniſumus; quippe qui & opificium ejus ſumus, & digni ab ipſo facti ut etiam extra hanc vitam ſimus aliquando, cum implebitur ſpes quam ab ipſo accepimus. Eſt autem & ſymbolum gratiarum quas Deo agimus, panis dictus Euchariſtia*]. Oratio vetus exſtans in Miſſa Latina, *Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti, & mirabiliùs reformaſti*: ibidem, *Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas, benedicis & præſtas nobis*: deinde, *Quod ore ſumſimus, Domine, pia mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum.* ¶ ἔκλασεν, *fregit*] Hæc fractio tum perpeſſiones Chriſti, in cruce præſertim, ſignificat, (unde Paulus adjecit de corpore τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον [*quod pro vobis frangitur*], & Liturgiæ non paucæ hanc ſignificationem exprimunt, præſertim Syriaca) tum ſimul etiam liberalitatem Chriſti nos invitantis ad communionem omnium bonorum quæ per crucem erant parienda. Nam quia panes Hebræorum erant κλαστοὶ [*tales ut frangi facile poſſent*], ideo receptum apud illos erat ut *frangere panem* dicerent pro *ejus participes alios facere*, ut Eſaiæ LVIII, 7. Thren. IV, 4. Marci VIII, 19. ὅτε τοὺς πέντε ἄρτους ἔκλασα εἰς τοὺς πεντακισχιλίους [*quando quinque panes fregi in quinque millia*]: erant enim panes Hebræorum ita magni ut omnibus convivis ſufficerent. Diogenes Laërtius Pythagora, ὅθεν ἦνα ἄρτον οἱ πάλαι τῶν φίλων ἐφοίτων· καθάπερ καὶ νῦν οἱ βάρβαροι [*olim amici ad unum panem conveniebant, ut etiam nunc barbari*]. Xenophon Expeditionis VII, de Zeuthe Rege Thracum, ἀνελόμενος οὖν προκειμένους αὐτῷ ἄρτους ἔκλασε καὶ μικρὰ, καὶ διεμέρισε οἷς αὐτῷ ἐδοκεῖ [*tollens appoſitos ſibi panes fregit in partes, & dedit quibus voluit*]. Jamblichus, τὸ δὲ παλαιὸν βαρβαρικῶς πάντες ὅθεν ἦνα ἄρτον συνήεσαν οἱ φίλοι [*olim more barbarico omnes amici ad unum panem conveniebant*]: ideo cum de communione agunt veteres, nominant *partes*, *fragmenta*, κλάσματα. Vide Auguſtinum Sermone II De verbis Apoſtoli. ¶ φάγετε· *comedite*] Inter varia ſacrificiorum genera illuſtre erat apud Hebræos id quod vocabant שְׁלָמִים [*pacificum*]; Philo σωτήριον [*ſalutare*] vertit, Joſephus χαριστήριον [*de beneficio*], alii ἐυχαριστικὸν [*gratiarum actionis*]. ſed ἐυχαριστικὸν [*ſacrificium gratiarum*] proprie eſt תּוֹדָה [*Laudis*] ſpecies ἐξ σωτηρίου [*ſacrificii ſalutaris*]. Nam σωτήρια [*ſalutaria*] ſacra non tantum pro obtinendis ſed & pro obtentis beneficiis fiebant. Notum autem eſt Hebræis שָׁלוֹם [*pacem*] dici omne bonorum genus: ſed ſicut ἐυχαριστεῖν [*gratias agere*] late ſumtum eſt ab Helleniſtis, ita non mirum ſi & ἐυχαριστικὸν θυσίαν [*ſacrificium gratiarum actionis*] largiore ſignificatu dixere. In his igitur ſacris illud erat quaſi peculiare, quod victimæ pars Deo ejuſque Sacerdotibus, pars vero offerentibus cedebat: id Deus bonitatis ſuæ erga ipſos teſtimonium eſſe volebat, quaſi ſcilicet amicorum more communes cum ipſis epulas ſumeret: Nam οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας [*qui edunt hoſtias*], ut inquit Paulus, κοινωνοὶ ἐξ θυσιαστηρίου εἰσὶ [*participes ſunt altaris*], 1 Corinth. X, 18. Atque itidem apud Græcos aliaſque gentes uſurpabatur ut qui victimas offerrent de earum carne epularentur, ut paſſim apud Poëtas videre eſt: ſive id ab Hebræorum exemplo originem traxit, ſeu, quod eſt probabilius, à communium parentum inſtitutis. Itaque & Catilinarii, narrante Plutarcho, καταθύσαντες ἄνθρωπον ἐγεύσαντο τῶν σαρκῶν [*mactato homine de carne ejus ederunt*]. Chriſtus ergo ſacrificium peracturus in ſe credentes vult participes facere ejus ſacrificii quod oblatum erat ab eo qui ipſorum naturam ſuſceperat, μετέσχε γὰρ σαρκὸς καὶ αἵματος [*participavit carni & ſanguini*] Hebr. II, 14. Hanc ſacrificii ſui efficaciam, ita ut clare poſſet intelligi, ipſis explicabat cum diceret ad Patrem, ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν, ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν τῇ ἀληθείᾳ [*ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate*], Johan. XVII, 19. & mox, θέλω ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ κἀκεῖνοι ὦσι μετ' ἐμοῦ [*volo ut ubi ſum ego & illi ſint mecum*], 24. Utrumque ſcilicet, tum veri cognitionem atque obſignationem, ut verum paſtum animorum, tum glorioſa gaudia quæ poſt hanc vitam exſpectantur, etiam vulgo ſciebant Judæi *manducandi* verbo ſignificari. Prioris teſtis eſt Philo, cum ita ait libro De Allegoriis, τὸ φαγεῖν σύμβολόν ἐστι τελείας ψυχῆς· τρέφεται δὲ ἡ ψυχὴ ἀναλήψει τῶν καλῶν καὶ πλησμονῇ τῶν κατορθωμάτων [*edere ſymbolum eſt paſtus animorum, paſcitur autem anima perceptione honeſtorum dogmatum & effectione rerum honeſtarum*]. & libro De Sacrificiis Abel & Cain, Ἴσασιν οἱ κεκοινωνηκότες ἤδη, καὶ εἰς ἣ Φύσις ἔλκει, πάλιν γνώσονται, κληθέντες εἰς μέθεξιν θοίνης, οὐκ ἐξ ἧς αἱ γαστρὸς ἡδοναὶ πιμπλαμένης τὸ σῶμα παίουσιν, ἀλλ' ἀφ' ἧς διάνοια ἐστεφομένη καὶ ἐγκυβεύσασα ἀρεταῖς γηθεῖ τε καὶ ἐυφραίνεται) [*Norunt qui participarunt, & ſi natura ipſis propitia eſt ſciem & in poſterum vocati ad communicandas epulas, non ex quibus voluptates ventris impleti corpus ſaginant, ſed quibus mens enutrita & in virtutum choro agens gaudet & lætatur*]. Sic & Moſes Maimonides in Hebræorum ἑρμηνείαις [*latini locutione*] *comedere* dicit id valere quod *intellectu apprehendere*: Locus eſt in Ductore dubitantium lib. I, cap. 29. quod verum eſſe oſtendunt & Prophetarum loca Jerem. XV. 16. Ezech. III, 3. Prov. IX, 5. Apoc. X, 9. & Eccleſiaſticus XV, 3. XXIV, 29. Scriptor de cœna Do-

Domini, *quod eſca eſt carni, hoc anima fides.* Servius ad illud in III Æneidos,

—— *vittaſque reſolvit,*

In ratione ſacrorum par eſt & anima & corporis cauſa. Nam plerunque quæ non poſſunt circa animam fieri, fiunt circa corpus. & alibi libro IV. *In ſacris quæ exhiberi non poterant, ſimulabantur, & erant pro veris.* Tertullianus De Baptiſmo, *Ea forma quæ ſemper carnalia in figuram ſpiritualium antecedunt.* Akeros indicia paſſim in libris Rabbinorum, ubi *edere & bibere in mundo futuro* ſæpe occurrit: itaque receptum hunc loquendi modum ſequens Phariſæus dicebat, Μακάριος ὃς φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ [*Beatus qui manducabit panem in Regno Dei*] Luc. XIV, 15. Et Chriſtus, cujus ſermo ubique erat conſpicuus ac popularis, futura gaudia eadem imagine adumbrabat, non tantum apud Apoſtolos ut Luc. XXII, 30. ſed & apud plebem, Matth. VIII, 11. Sicut autem Chriſtus apud Johannem vocem ἁγιάζειν [*ſanctificandi*] à ſacrificiis deſumtam uſurpaverat, ita eadem utitur Scriptor ad Hebræos cum dicit, ὅτε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες [*qui ſanctificat & qui ſanctificantur ex uno omnes*]. Et Paulus ſicut dixerat κοινωνοὺς εἶναι θυσιαστηρίου τοὺς ἐσθίοντας τὰς θυσίας, [*participes eſſe altaris eos qui hoſtias edunt*], ita τὸν ἄρτον [*panem*] vocat κοινωνίαν τοῦ σώματος [*participationem corporis*]. Ac paſſim docent Chriſtiani veteres inſtitutum hoc ſacramentum ut perpeſſionibus ipſius qui propter nos factus eſt παθητὸς [*paſſibilis*], os ex oſſibus noſtris, caro ex carne noſtra, & rurſum gloriæ communicaremus, coaleſcentes velut εἰς σάρκα μίαν [*in unam carnem*] ad complementum ejus quod olim per matrimonii inſtitutionem fuerat adumbratum, I Corinth. VI, 17. Loca afferre longum eſſet. Bene autem Panis ſpecies adhibita ad corporis ſignificationem, quia ad ejus naturam proxime accedit. Ἄνωθεν τρέφεται τοῖς αὐτοῖς ἐξ ὧνπερ ἐστὶ [*Omnia nutrimentur ex iis unde conſtant*], inquit Ariſtoteles. Et σιτίου ὕλη σπερμὰς [*frumenti materia carnis*] apud Galenum. Atque adeo non Arabibus tantum vox לחם, quæ *panem* proprie eſt Hebræis, *carnem* ſignificat, ſed & Hebræis vox eadem illo ſignificatu reperitur, ut Sophoniæ I, 17. Levit. II, 7. XXI, 6. XXII, 7. Jer. IX, 4. caro victimarum vocatur לחם [*panis*], pro quo Chaldæi ponunt קרבן προσφορὰν [*oblationem*]. Nec aliter nonnulli interpretantur illud Jobi VI, 7. ut ſenſus ſit, *languores carnis meæ.*

27. τὸ ποτήριον, *calicem*] Sæpius calix circumferebatur in cœna: ſed hic de poſtrema potatione agitur, quæ cæteris ſolemnior etiam apud Gentes, ut jam ante oſtendimus. Fuiſſe autem in eo calice vinum aqua temperatum docet nos liber Miſnajoth De benedictione VII. Et videtur hoc poſtulaſſe coli ejus ingenium, ut vina, præſertim paulo largius ſolito, niſi aqua temperata non biberentur: vide Prov. IX, 2, 5. Apoc. XVIII, 6. & Scriptorem de quæſtionibus Hebraicis, qui inter opera Hieronymi legitur. Hic quoque mos ad Chriſtianos veteres tranſiit. Juſtinus, ποτήριον ὕδατος καὶ κεράματος [*calix aquæ & vini.*] Hinc *mixtum calicem* dixit Irenæus. Clemens, κίρναται οἶνος τῷ ὕδατι [*miſcetur aqua vinum*]. Cyprianus *Dominicam traditionem* vocat ut calix qui in commemorationem Domini offertur mixtus vino offeratur. Adde Canonem XL inter Africanos, & Liturgias veteres Syriacas, Græcas, Arabicas, Latinas. ¶ εὐχαριστήσας, *gratias egit*] Idem valet quod εὐλογήσας [*benedixit*], ut ſupra diximus. Ipſum nomen receptum poculi expreſſit Paulus cum dixit ποτήριον εὐλογίας [*calix benedictionis*]. Nam Hebræi vocabant ברכה: ſolent autem הלל [*laudare*] & ברך [*benedicere*] ſumi συνωνύμως [*eodem ſignificatu*], ut apparet Pſal. X. 3. ubi altera vox alteram explicat. Et Eſaiæ LXIV, 11. תהלתינו ab Interpretibus LXX vertitur εὐλόγησαν [*benedixerunt*]. ¶ Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· *Bibite ex hoc omnes*] In ſacris (ac proinde & in fœderibus quæ interpoſito ſacro peragebantur, Pſ. L. 5.) ſanguis quidem in pateras fundi ſolebat, ut quarto Thebaïdos Papinianæ & aliis in locis legimus: ſed quia bibere ſanguinem inhumanam erat (quanquam id quoque in fœderibus nonnullis factum legimus: ſic enim Plutarchus Publicola juvenes patricios ait inter ſe fœderatos ἀνθρώπου ζωγρίου θηλασίαν τινὰ αἷμα [*libantes ſanguinem hominis occiſi*]· & *fœdus cruore ſacratum* dixit Tacitus Annalium XII. & Diodorus in fragmentis à Valeſio editis firmatam ab Apollodoro conjurationem eſu humanæ carnis & ſanguinis humani potu: & morem eundem Magellanus apud Americanos reperit: & Tigrani in Armenio id factitatum narrat Valerius Max. lib. IX, c. II. unde mos ille venit ad Comanos, manſitque ad tempora uſque Ludovici Sancti Francorum Regis, ut teſtatur Joinvillius: Scythis idem factum memorat Solinus & Mela, Saracenis Nicetas Choniates, Danis Saxo Sialandicus, inſtitutum eſt apud populos manſuetiores ut vinum ſanguinis loco biberetur, unde יין עמורה [*vinum cultus extranei*] Hebræis eſt *vinum profanorum ſacrificiorum*: quo alludit Exechiel XXXIX, 19, 20. & vinum *ſanguis uvæ* dicitur, & ipſo colore (nam rubebant fere vina, Pſal. LXXV, 9.) ſanguinem referebat. Hoc vinum qui potabant ipſo victimæ ſanguine imbuti cenſebantur. Philo λέγει τινὰς γάρ τοὺς φασὶ τὸ μεθύειν ἀνομάσθαι ὅτι μὴ τὸ θεῖον ἔθος ἦν τοῖς πατράσιν οἰνοῦσθαι [*inde dictum putant μεθύειν quod veteres poſt ſacrum potarent*]. Fœdera quoque, ut dixi, admoto calice firmari ſolita oſtendit Ariſtophanes Lyſiſtrata, qui & alibi ad eum morem alludens σπονδὰς ἐκπιόμεν [*fœdera bibo*] dixit: & Diodorus Siculus à vini libatione natum dicit nomen σπονδῶν [*fœderum*]. Hinc Homero σπονδαὶ ἄοινοι [*vinoſa fœdera*]. Origenem oſtendit Plutarchus libro de Iſide de Ægyptiis loquens, οὐκ ἔπινον οἶνον ὡς ἡδὺ ἔκπωμα τοῖς θεοῖς φίλιον θηρῶν, ἀλλ' ὡς αἷμα τῶν πολεμησάντων πρὸς τοὺς θεοὺς [*non bibebant neque libabant vinum ut diis gratum, ſed ut ſanguinem eorum qui in deos bellaſſent*]. Conjunge quæ mox ſequuntur de ſanguinis uſu in fœdere. Certe non in hoc tantum ſed & in Baptiſmi ſacramento videtur omnino Chriſtus ſe non Hebræorum tantum ſed & Gentium in idem fœdus cooptandarum captui accommodaſſe.

28. τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, *ſanguis meus novi Teſtamenti*] Recte ſentiunt, me judice, Grammatici veteres, qui *ſanctionem* dictam ajunt à *ſanguine*. Nam in legibus *ſanctio* dicebatur ea pars quæ vitam hominis Legi obligabat; in fœderibus ipſa effuſio ſanguinis victimalis, cui inerat comminatio ſimilis excidii adverſus eum qui fœderi non ſtetiſſet, Exodi XXIV, 8. Sic apud Homerum ἐν τῇ σπονδῇσι [*in fœderibus*] hæc legitur imprecatio in eos qui pactis non ſtetiſſent,

Ὣδέ οἱ ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι ὡς ὅδε οἶνος.

[*Ut fluit hoc vinum, cerebrum ſic effluat illi.*]

Euſtathius ad III Iliados, τὴν θυηπολίαν ὅτε ἄρηται τῶν πρώτων ἐκ κεφαλῆς τέμνων ὁ βασιλεὺς ἑνὶ μὲν τῶν Τρώων ἢ Ἀχαιῶν ἀφίησι δῆθεν τὸν κήρυκα, ἵνα πάντες δοκῶσιν ἐπιφάπτεσθαι τῆς θυσίας· σύμβολον δὲ ἦν τοῦτο ἐπὶ κεφαλὴν τραπέσθαι τὰ κακὰ τοῖς ὑπεναντίοις [*agnorum ſuper quos jurabatur pilos de capite abſecans Rex diſtribuebat primoribus Trojanorum & Græcorum per præcones, ut omnes viderentur victimam tetigiſſe: ſymbolum autem hoc erat, mala ventura in caput ejus qui juratis non ſtetiſſet*]. Hinc illa vetus formula, *Si prior defexit, tu illum, Jupiter, ſic ferito ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis quanto magis potes polleſque.* Nec alio reſpicit ſevera illa comminatio in Epiſtola ad Hebræos adverſum ἐν τῇ διαθήκῃ ἡγιασμένον τὸ αἷμα τῆς διαθήκης [*eos qui ſanguinem fœderis pro profano habent*]· quo in loco, ut & hic, & Exodi XXIV, 8. & Zach. IX, 11. αἷμα τῆς διαθήκης [*ſanguis teſtamenti, ſive fœderis*] eſt ſanguis quo fœdus ſolemniter ſancitur, quod ἐγκαινίζεσθαι [*dedicari*] dixit dictæ Epiſtolæ divinus Scriptor. *Sacrificiis conſpirationem ſancire* dixit Tacitus Agricolæ Vita: atque inde recte ſuppleas quod apud Lucam & Paulum eſt, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου vel ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι [*novum Teſtamentum in ſanguine meo*] ſcilicet ἐγκαινισθεῖσα [*dedicatum*]. Dicitur autem calix διαθήκη [*Teſtamentum ſive fœdus*] ut panis κοινωνία [*participatio*]. Ab hac antiqua fœderum natura non abludit hiſtoria I Sam. XI. ubi pecudes diſcinduntur cum comminatione pœnæ in deſertores, ſed quæ in res ipſorum non in perſonas dirigitur. Zenobius, οἱ Μολοσσοὶ ἐπὶ τοῖς ὁρκωμοσίαις κατακόπτοντες εἰς μικρὰ τοὺς βοῦς τὰς συμβάσεις ἐποιοῦντο [*Moloſſi jurabant fœdera bobus in minutas partes diſſectis*]. In Apollodori Bibliotheca legimus de Peleo, qui Acaſti uxorem diſſecuerat, καὶ διελὼν μέλη διήγαγε δι' αὐτῶν τὸ στρατόν [*& membra in duas partes ponens inter ea traduxit exercitum*]. Sic & Abrahamus cum Deo fœdus facit diſſectis pecudibus, Gen. XV, 10. atque eum morem Chaldæis fuiſſe ſanciendi fœdera tradit Cyrillus adverſus Julianum ultimo. Livius lib. XXXIX. *Caput medio canis præciſa & prior pars ad dextram cum extis, poſterior ad lævam via ponitur: inter hanc diviſam hoſtiam copiæ armatæ traducuntur.* Plutarchus Quæſtionibus Romanis, Βοιωτοῖς δημοσία καθαρμός ἐστι, κυνὸς διχοτομηθέντος τὸ μὲν ἕτερον διελθεῖν [*Bœotis publica purificatio eſt, cane in duas partes ſecto inter eas partes tranſire*]. Adde ad loci hujus intellectum locum Lucæ XXIII, 31. ¶ τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· *qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*] Πολλοὺς [*multos*] hic intelligo eos tum ex Judæis tum ex Gentibus qui fœderis conditiones amplectuntur. Vide quæ Rom. V, 15. Sic & in Barnabæ quæ dicitur epiſtola, ἡ αὐτὸς ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν ἡμᾶς ἐνεγκεῖν θυσίαν [*& ipſe pro peccatis noſtris hoſtiam offerre debuit ut illud Spiritus*]. Simul autem tranſit Chriſtus à comparatione fœderum ad comparationem ſacrificiorum piacula-

rium, in quibus anima pecudis offerebatur velut ſuccidanea animæ hominis qui mortem meruiſſet; unde victima *ferre peccata* dicebatur in Lege. Hinc *mori victimam pro homine*, emi *aut redimi hominem victimis*, etiam Græci & Latini dixere. Vide quæ ſupra xx, 28. Animam autem non viſibilem viſibiliter ſanguis repræſentabat: *Anima carnis in ſanguine*, inquit Lex, *ego vero deſtinavi eum vobis in altari ad expiationem faciendam pro animis veſtris. Nam ſanguis eſt qui pro anima expiationem facit.* Neque aliud gentes per ſanguinem in ſacris ejuſmodi ſignificabant. Hinc Virgilius illud,

Sanguine quærendi reditum, exponit, *animaque litandum.*

Et paſſim *pacem ſanguine expoſci*, *Numen ſanguine placari*, *ſanguinem dari pro ſanguine*, apud Poëtas alioſque legimus: quem morem Judæis aliſque populis communem reſpiciens Scriptor ad Hebræos ait, Χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις [*ſine ſanguinis effuſione non fieri remiſſionem*]. Sicut autem per *corporis* nomen veteres intellexerunt communicationem perpeſſionum & gloriæ Chriſti, ita per *ſanguinem* communicationem mortis & immortalitatis, quia Sanguis, ut diximus, Vitam ſignificat. Hinc Ignatius αἷμα Χριστοῦ [*ſanguinem Chriſti*] vocat ἄφθαρτον καὶ αἰώνιον ζωήν [*vitam perpetuam & incorruptam*]. Clemens τοῦτ' ἔστι πιεῖν τὸ αἷμα τοῦ Ἰησοῦ, τῆς κυριακῆς μεταλαβόντα ἀφθαρσίας [*hoc eſt bibere ſanguinem Jeſu, participem fieri Dominicæ immortalitatis*]. Oratio in Miſſa Latina, *Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam.* Auctor libri De cœna Domini, *Panis eſt eſca, ſanguis vita:* deinde, *Bibimus autem de ſanguine Chriſti ipſo jubente, vita æterna cum ipſo & per ipſum participes.* Quod optime cohæret cum Remiſſione peccatorum; quia cum mors fit ex peccato, tunc remiſſionis peccatorum fructus perfecte percipietur cum mors abolebitur. Ἐκχυνόμενον [*qui effunditur*] ſignificat *jamjam effundetur:* præſens pro proxime futuro: ita ſupra III, 10. ἐκκόπτεται [*exciditur*] valet *jamjam excidetur:* & ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος [*qui poſt me venit*] *qui jamjam me eſt ſecuturus:* & V, 23. Ἐὰν οὖν προσφέρῃς [*Si ergo offers*], *Si jamjamque ſis oblaturus:* VI, 6. ὅταν προσεύχῃ [*cum oras*], *jamjam oraturus:* & XX, 22. βαπτίζομαι [*baptizor*], id eſt, *tingar.* Marci IX. 31. παραδίδοται [*traditur*], id eſt, *tradetur*; ut apparet Matth. XVII, 22. XX, 18. Lucæ XVII, 12. εἰσερχομένου τινὸς εἰς τινα κώμην [*intrante eo in vicum quendam*], id eſt, *cum jamjam intraturus eſſet:* & XXIII, 54. Σάββατον ἐπιφώσκε [*Sabbatum illuceſcebat*], id eſt, *in eo erat ut brevi illuceſceret:* XXIV, 48. ὑμεῖς δὲ ἐστε μάρτυρες [*vos autem eſtis teſtes*], id eſt, ἔσεσθε [*eritis*], ut idem ipſe Lucas interpretatur Actorum I, 8. Lucæ XXIV, 49. ἀποστέλλω [*mitto*], id eſt, ἀποστελῶ [*mittam*]. ἔρχεται pro ἐλεύσεται [*venit* pro *veniet*] Johann. IV, 21. νίπτεις pro νίψεις [*lavas* pro *lavabis*] Johann. XIII, 6. καθαίρῃ pro καθαρῇ [*purgat* pro *purgabit*] Johann. XV, 2. Itaque vetus Interpres Latinus, & cum eo Canon Miſſæ qui dicitur, hoc ipſo loco ἐκχυνόμενον [*qui effunditur*] vertit *qui effundetur:* ac ſimiliter Marci XIV, 24. & quod de corpore Chriſti in hoc eodem argumento dicitur I Corinth. XI, 24. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον [*quod pro vobis frangitur*], idem Interpres vertit *quod pro vobis tradetur.*

29. Λέγω δὲ ὑμῖν, *Dico autem vobis*] Ex Luca apparet dicta hæc in ipſa cœna, & proinde ante panis & vini conſecrationem. Sed quia vini mentio hic præceſſerat, ideo viſum eſt Matthæo id dictum hic ſubtexere. Lucas etiam *eſus* meminit. Solebat autem apud Judæos felicitas vitæ alterius per verba *edendi* & *bibendi* populariter deſcribi: quo ſenſu & ἀναπίπτειν [*recumbere*] habuimus ſupra VIII, 11. ¶ ἐκ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου, *de hoc geminine vitis*] Ita loqui Chriſtus maluit quam nude *vinum* appellare, quia in cœna Paſchali atque adeo in ipſa formula τῆς εὐλογίας [*benedictionis*] aliter nominari non ſolebat quam פרי הגפן [*genimen vitis*]. Alluſit & Philo περὶ μέθης [*De ebrietate*] libro, ὃ γεννᾷ τοῦτο φυτὸν τὸν οἶνον ἀμπέλου [*vitis, quæ planta vinum gignit*]. ¶ καινὸν, *novum*] Id eſt, τὸν οἶνον νοητὸν [*vinum quod mente percipitur*], lætitiam immortalem, quæ per Vinum adumbrata intelligebatur. Nam ſic in Onirocritico Rabbi Hai vita æterna ſignificatur vocibus *vini ſervati a creatione Mundi:* cujus vini mentio etiam apud Jonathanem Paraphraſten & alios. Vide eos ad Pſalm. XXXV, 9. & ad Cant. VIII, 2. & librum Berachot & Zoar titulo *Toldot.* Simile eſt Ἱερουσαλὴμ καινὴν [*Jeruſalem novam*] in Apocalypſi: nam ſolent τὰ ἀπηγορευμένα [*quæ ad aliud ſignificandum dicuntur*] aliquo additamento emolliri. Sic ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ [*Jeruſalem quæ ſurſum eſt*] dixit Paulus Galat. IV, 26. Tale eſt οἶκος πνευματικὸς [*domus ſpiritualis*] & ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας [*offerre ſpirituales hoſtias*] I Petri II, 5. Sic Apocalypſis urbem Hieroſolymorum vocari ait πνευματικῶς Σόδομα καὶ Αἴγυπτον [*ſpiritualiter Sodoma & Ægyptum*]. Ex ſimili Lucæ loco ubi de Paſchali cœna agitur exponere licebat, τὸ οἶνον τὸ πληρούμενον [*vinum quod impletur*]. Sunt enim τὰ νοητὰ πληρώματα τῶν αἰσθητῶν [*intelligibilia implementa ſenſibilium*]. qua de re ad Lucam plenius. Neque novum eſt ut idem nomen, quemadmodum hic γέννημα τῆς ἀμπέλου [*genimen vitis*], duobus ſenſibus ſerviat. Ita aqua Johann. IV, 13, 14. dicitur & illa vulgaris & alia ſpiritualis. Ita Marci X, 15. Βασιλεία τοῦ Θεοῦ [*Regnum Dei*] & doctrinam cœleſtem ſignificat & gloriam vitæ alterius: nam δέξῃ τὴν βασιλείαν [*recipere Regnum*] ad priorem ſenſum pertinet, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτὴν [*non intrabis in illud*] ad ſecundum, ut docet collatio locorum quos citavimus ſupra V, 20. Bene hunc locum explicat Nazianzenus ſecundo ſermone De Paſchate.

30. ὑμνήσαντες, *hymno dicto*] Cenſent viri eruditi cantatos à Chriſto hymnos qui Paſchate cani ſolerent, quales ſunt Pſalm. CXIV, & ſequentes. Sed ſicut ad veterem gratiarum actionem Chriſtus novam addidit ſuo inſtituto congruentem, ita & de hymno feciſſe credibile eſt. Ac forte ea ipſa hymni in modum dixit Chriſtus quæ apud Johannem XVII. legimus. Nam ſolebant pro re nata ex tempore hymnos, quos נגינות vocant, effundere Hebræi, nullis numeris adſtrictos: qualia ſunt carmina Deboræ, Annæ, Zachariæ, Mariæ, Judæorum II Maccabæor. X, 38. & hymnus ille Chriſtianorum qui exſtat Actorum IV, 24. Philo De vita Contemplativa, οὐχ' ἁπλῶς θεωρεῖν μόνον, ἀλλὰ καὶ ᾄδειν ὕμνους τῷ Θεῷ διὰ παντὸς μέτρων καὶ μελῶν, ἃ ῥυθμοῖς σεμνοπρεπέσι ἀναγκαίως χαρακτῆναι [*neque contemplantur modo, ſed & faciunt carmina & hymnos in Deum variis menſuris ac ſonis, quos non niſi ſeveris numeris figuram*]. Nec dubito quin & hoc canendi genus vel præcipue commendet Paulus Epheſ. V, 19. Coloſſ. III, 16. Manſit dictum in mos in Eccleſia vetere. Tertullianus, *Poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de Scripturis vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere.* Meminit & Plinius carminum quæ Chriſto dicebantur; & Synodus Toletana IV, canone 12. & Scriptor contra Artemonem memoratus Euſebio. ¶ εἰς τὸ ὄρος, *in montem*] Id eſt, *verſus montem:* nam Gethſemane erat inter torrentem Cedron & montem ipſum.

31. τότε, *Tunc*] *Circa hoc tempus:* nam hæc ante exitum è domo dicta ex Luca & Johanne videtur colligi. ¶ σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοὶ, *ſcandalum patieminī in me*] Simile loquendi genus habuimus ſupra XI, 6. Eſt autem late patens ſignificatio, ſed ex locorum circumſtantiis reſtringenda: σκανδαλίζεσθαι [*ſcandalum pati*] hic eſt ab officio diſcipuli atque amici deficere, minuſque digne de Magiſtro ſentire: ἐν ἐμοὶ [*in me*], occaſione eorum quæ mihi evenient. ¶ γέγραπται γάρ, Πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσονται τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης. *ſcriptum eſt enim, Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis*] Videtur hoc dicto proverbii in modum uti Chriſtus: ut ſenſus ſit, *Fiet quod dici ſolet, quodque alicubi ſcriptum meminiſtis, Paſtore percuſſo oves diſpergentur.* Atque ideo Chriſtus imperativum modum in indicativum mutavit, quia proverbiali locutioni magis id congruebat. Neque illud πατάξω, *percutiam*] certam perſonam deſignat, ſed prima perſona pro quavis ponitur: nec aliud eſt πατάξω τὸν ποιμένα [*percutiam paſtorem*] quam πατάσσεται ὁ ποιμὴν [*percutitur paſtor*]. Neque ab hac interpretatione abducere nos debet Zachariæ locus. Nam quæ in hiſtoriis poſita λογισμοὺς [*cogitationes*] ſunt, extra hiſtorias poſita γνώμας [*ſententias*] ſiunt: neque tum reſpicitur quæ occaſione ſint primitus dicta, ſed quam late ſe vis γνώμης [*ſententiæ*] porrigat. Simile eſt illud Virgilii de apibus,

—— *Rege incolumi mens omnibus una;*
Amiſſo rupere fidem.

& Livii: *Sicut acies funditur Duce occiſo, ita dilapſi paſſim alii alio.* Homerus circa Sarpedonis mortem dixerat,

——— αὐτὰρ ἰφθίμοιο
Πάντες, ἐπὶ βασιλῆα ἴδον βεβλαμμένον ἦτορ
κέκμηλον ἐν νεκρῶν ἀμφί.
[——— *timuere ſed omnes*
Poſtquam adſpexerunt perfoſſum pectore Regem
In medio cadis cumulo.]

32. προάξω ὑμᾶς, *præcedam vos*] Tranſlationem Chriſtus continuat; Rurſum paſtoris more vos præibo in Galilæam. Johann. X, 4. de paſtore, Καὶ ὅταν τὰ ἴδια πρόβατα ἐκβάλῃ ἔμπροσθεν αὐτῶν πορεύεται [*& cum proprias oves emiſerit, ante eas vadit*]. Hæc ipſa Chriſti verba in memoriam reducit Diſcipulis Angelus infra XXVIII, 7. ἰδοὺ προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν [*ecce præcedit vos in Galilæam*].

34. πρὶν

34. Πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, *antequam gallus canet*] Nimirum τὸ ὄρθριον, [*matutinum*], ut Ariſtophanes loquitur: quod ἐξ ἰυνῆς [*è lecto*] dixit Theocritus. Nam alioqui, ut rectè à Theophylacto ad Marcum atque aliis notatum eſt, bis canit gallus, primum mediноctio, deinde ſub adventum lucis; *quarta vigilia*, ut ait Plinius lib. 5. Hiſtor. Nat. cap. 22. & *Caſi montis e vertice conſpici Solem quarta vigilia* Solinus dixit, *ſecundis galliciniis* Ammianus: quæ vox *ſecundorum gallicinierum* etiam apud Melam eſt. ὅτε τὸ δεύτερον ἀλεκτρύων ἐφθέγξατο [*poſtquam ſecundum gallus ediderat ſonum*] apud Ariſtophanem. Poſterior cantus, ut nobilior atque alacrior, proprie vocatur ἀλεκτοροφωνία Marci XIII, 35. *gallicinium*, Gellio, Macrobio, Apuleio, Cenſorino. Videtur Marcus ipſa Chriſti verba expreſſiſſe à Petro accepta πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, i. *antequam gallus iterum canat*; quod *ad cantum galli ſecundi* dixit Juvenalis. Syneſius δεύτερον ὀρνίθων ᾠδὴν [*ſecundum gallorum cantum*] vocat. At Matthæus, Lucas, Johannes *cantum galli* ſimpliciter nominare contenti fuerunt, gnari ubi nihil additur matutinum intelligi. • ¶ Τρὶς ἀπαρνήσῃ με, *ter me negabis*] Mire emphatica ſunt hæc Chriſti verba. Negaverat Petrus ſe ab officio diceſſurum: Chriſtus oſtendit diceſſurum, non leviter, ſed graviter, id eſt, non ſolum fuga ſed Magiſtri abdicatione: id enim eſt ἀπαρνεῖσθαι, negare ſe Jeſum qui eſſet noſſe, ut Lucas ἀρνεῖσθαι [*latius exponit*]. Dixerat Petrus, οὐδέποτε [*nunquam*]. Chriſtus docet facturum eum quod facturum ſe negabat ea ipſa nocte antequam dies oriretur, & facturum non ſemel ſed ter: quod ſignum erat non qualiſcunque πάθους [*motus animi*] ſed expectoratæ conſtantiæ. Gallus Deum opificem ſuum laudat, Petrus Servatorem negat. Poſt galli cantum Chriſtus munus ſuum Sacerdotale auſpicatur, ut Pontifex Maximus Hebræorum facere ſolebat. Scriptum id in Joma.

35. Οὐ μή σε ἀπαρνήσομαι, *non te negabo*] Dicit hoc Petrus bona fide boni propoſiti ſibi conſcius, ſed neque virium ſuarum imbecillitatem neque periculi inguentis magnitudinem ſatis ponderans. Ita nimirum fieri ſolet. Voluntas aliqua honeſti cognitione imbuta facile eo fertur quamdiu nihil eſt quod ſenſus & per ſenſus τὸ τῆς ψυχῆς ἄλογον [*partem animæ irrationalem*] moveat: At ubi res ipſæ excitare cœperunt τὸ πάθος [*affectus*] ſæpe illa pulchre cogitata excidunt, quia male verum examinat blanditiis aut metu corruptus judex animus. Hinc Philemon,

Ἐπίσω τότε ἀλγῶν ἢ χαίρειν ἴσ' ἴσως.
[*Credo, una nolunt dolor eſſe & curatio*].

Adverſus hanc imbecillitatem implorandus nobis eſt Spiritus ille fortitudinis, quem ne Apoſtolis quidem ſuis initio diſciplinæ dedit Deus, ut infirmitatem humanam lapſu ſuo diſcentes tanto magis aliorum infirmitatibus condoleſcerent; juxta illud,

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

36. Χωρίον, *in villam*] Ita Græci vocant vicum extra urbem, quem poſterior Latinitas *villam* cœpit appellare, quo ſenſu hic ſumenda ea vox apud Latinum interpretem. Arabs vertit ضيعة quod in veteri Gloſſario interpretatum legitur *Villa, Vicus*. In hoc vico erat is hortus in quem ivit Chriſtus. ¶ Γεθσημανῆ· *Gethſemani*] גת שמנים vocatur Eſai. XXVIII, 1. pars agri Iſraelitici quæ ad pedes eſt Libani Montis. Similem ob cauſam, aut forte ad id exemplum, vicus ille ſub Montem Olivarum ſitus idem nominis habuit. Fieri poteſt ut vulgo dictus ſit hic locus גת שמן, id eſt, *Vallis cum oleitate*. Notat Aben Eſdra junicetum illam piacularem cujus mentio Num. XIX. in Monte Olivarum ſolitam comburi. Eo credibile eſt Chriſtum reſpexiſſe cum huc locorum conceſſit inchoandæ perpeſſioni. ¶ Καθίσατε αὐτοῦ, *Sedete hic*] Verba Abrahami cum filium iret oblatum, Geneſ. XXII, 5.

37. Πέτρον καὶ τοὺς δύο υἱοὺς Ζεβεδαίου, *Petro & duobus filiis Zebedæi*] Tanquam ἐκλεκτῶν ἐκλεκτοτέρους, [*electorum ſelectiores*], ut alibi loquitur Clemens Alexandrinus. Teſtes tres, nequid excipi poſſit. Vide Deut. XVII, 6. ¶ ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. *cœpit contriſtare & mœſtus eſſe*] Voce ἀδημονεῖν utitur Plutarchus in Antonio, & in præceptis ad Sanitatem.

38. Περίλυπος ἐστὶν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου· *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*] מות חלי עשתני [*Circumdederunt me dolores mortis*]: Verba ſunt Davidis, Chriſti plerumque typum gerentis, Pſal. CXVI, 3. Græce περιέσχον με ὠδῖνες θανάτου· ita vocantur dolores maximi & quales circa mortem eſſe ſolent, quibus non immerito comparatur horror ipſe mortis & quidem tam cruentæ tam ignominioſæ ob oculos verſantis: Ovidius,

Morſque minus pœnæ quam mora mortis habet.

Errant qui ἕως [*uſque*] hic pro temporis limite accipiunt. Confer & Pſal. XLII, & XLIII.

39. ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ, *procidit in faciem ſuam*] Mos cum ſumma demiſſione precantium, Geneſ. XVII, 17. 1 Macc. IV, 40. Eccl. L, 19. ¶ προσεύχηται, *oraret*] Μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων [*cum clamore valido & lacrymis*], ut ait Scriptor ad Hebræos: quod quanquam ad alias etiam Chriſti preces referri poteſt, ad has tamen peculiariter pertinet. ¶ Πάτερ μου, εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*] Quod hic & apud Lucam eſt ποτήριον [*calix*] & ὥρα [*hora*] dicitur. Dubitari poterat de imminente morte ageret Chriſtus, an de iſto horrore quem tum animus ſentiebat. Sed præ horroris ſenſu ob mortem concepto hæc ipſa de morte eum eſſe locutum ut credam facit affine iſti quod apud Marcum loquendi genus in Johannis hiſtoria, ubi Chriſtus ita loquitur, Νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται· καὶ τί εἴπω; Πάτερ, σῶσόν με ἐκ τῆς ὥρας ταύτης· ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἦλθον εἰς τὴν ὥραν ταύτην [*Nunc anima mea turbata eſt: & quid dicam? Pater, ſalvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc*]. ubi ὥρα [*hora*] omnino mortis tempus denotat. Cum autem verba hæc Chriſti & quæ ſequuntur uno nexu cohæreant, non eſt putandum quicquam illi velut impræmeditatum excidiſſe, & quod prius dixerat vere ac proprie per id quod poſterius eſt emendari; cum multo rectius dicatur uno eodemque tempore Chriſtum exprimere voluiſſe tum quid vellet, tum quid velit. Sæpe enim accidit ut quis aliquid faciat

—— ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ·
[—— *pariter nolenſque volenſque*;]

imo in omnibus moleſtiis ſubeundis talem μικτὴν πρᾶξιν [*mixtam actionem*], ut Ariſtoteles nominat, eſt animadvertere; cujus exemplum ipſe ponit in eo qui cum vellet merces habere ſalvas, vult tamen majoris mali vitandi cauſa jactum facere: οὐδεὶς γὰρ ἂν ἕλοιτο καθ' αὑτὸ τοιοῦτόν τι [*nemo enim tale aliquid eligat propter id ipſum*]. Si ergo mors ſola conjuncta tanta cum ignominia ac cruciatu ſpectetur, haud dubie vellet Chriſtus eam declinare; quippe cum natura omnis præcipueque animantium ſaluti ſuæ ſtudeat, vitetque nocitura: at Patris voluntatem reſpiciens, mortem talem non invitus ſubit, καὶ γίνεται ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ [*& fit obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*], Philip. II, 8. Hoc modo ipſe καίπερ ὢν υἱὸς ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε τὴν ὑπακοήν [*cum eſſet filius didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam*], experiendo ſcilicet quam ſit arduum ac difficile, tali præſertim tempore, omnes obedientiæ partes explere. Quomodo autem cohæret conditio illa εἰ δυνατόν ἐστι [*ſi poſſibile eſt*], quam cum Marthæo etiam Marcus ponit, cum eo quod apud Marcum ſequitur πάντα δυνατά σοι [*omnia tibi poſſibilia ſunt*]; Nimirum recurrendum hic eſt ad illam tritam in Scholis diſtinctionem, ejus quod ἀδύνατον [*impoſſibile*] ſit per ſe, & ejus quod ἀδύνατον [*impoſſibile*] ſit hoc vel illo poſito. Nam per ſe nihil eſt Deo ἀδύνατον [*impoſſibile*], ut vidimus ſupra XIX, 26. extra ea quæ ſunt in ſemetipſis ἀνυπαρξίαν [*repugnantia*], aut quæ Divinæ naturæ repugnant. At ſenſus eſt, Si tua decreta ferunt ut alio modo tuæ gloriæ & hominum ſaluti æque conſulatur. ¶ πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ. *Veruntamen non ut ego volo, ſed ſicut tu*] Scilicet γενέσθω [*fiat*], quod addit Lucas. Hic more Hebræorum, qui neque potentialem neque optativum modum habent, θέλω [*volo*] eſt pro θέλοιμι [*vellem*], vel, ut Græci loquuntur, ἤθελον. Sic Rom. IX, 3. ηὐχόμην [*optabam*] eſt *optarem*. Sic infra καὶ ὀφείλετέ [*exhibebis mihi*] eſt dictum pro ὀφείλοιτε ἄν [*exhiberes*] niſi ſcilicet decretum illud definitum obſtaret. Sic ſupra XII, 34. πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν πονηροὶ ὄντες; [*quomodo poteſtis bene loqui cum ſitis mali?*] id eſt, *quomodo poſſetis?* & XVIII, 6. συμφέρῃ αὐτῷ [*expedit ei*], id eſt, *præſtaret illi:* λυσιτελεῖ [*utile eſt illi*] ſenſu eodem Luc. XVII, 2. & Luc. XVIII, 9. ὅτι εἰσὶ δίκαιοι [*quod ſunt juſti*] *quaſi eſſem juſtus:* & XVI, 26. οἱ θέλοντες [*qui volunt*] *ſi qui vellent.* Senſus ergo hoc loco eſt, *Vellem quidem quam maxime declinare hoc malum ſi velles, Pater: veruntamen volo fiat non quod alioqui ego vellem, ſed quod tu vis.* Illud quod Chriſtus alioqui ſe voliturum naturaliter dicit, Lucæ vocatur θέλημα [*voluntas*], nimirum κατὰ τί [*ſecundum quid*]· nam ἁπλῶς [*ſimpliciter*] & ſumul aſſumtis omnibus rei circumſtantiis idem Chriſtus volebat quod Pater volebat: atque hæc præcipua pars erat obedientiæ, quod voluntatem

tem ſuam contra naturale deſiderium Patris voluntati ſubjecit. Simili ſenſu Petro dicitur Joh. XXI, 18. ἄγει ὅπου οὐ θέλεις [*ducet te quo tu non vis*], cum tamen ipſi non minus quam aliis Dei teſtibus conveniat illud Apocal. XII, 11. οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρι θανάτου [*non dilexerunt animam ſuam uſque ad mortem*], & quod Paulus de ſe dicit Actor. XXI, 13. ἑτοίμως ἔχω ἀποθανεῖν οὐκ μόνον δὲ ἀπομαι & δὲ Κυρίου [*paratus ſum mori propter nomen Domini*]. Bene ergo Origenes ſeptimo adverſus Celſum, μὴ τοῦ πρὸς τὴν θείαν ἐνστάσεως καὶ ἡ ἐν Χριστῷ πάντας ἀπιστοῦν τὸ θεραπεῦον ἢ προηγούμενον εἶναι νομίζοντας, ἀλλ' ἐκπεμβάζοντας τὸ μὴ προηγουμένως εἶναι συμβαῖνον, ὅταν καιρὸς καλῇ· αἰδὰ καὶ οὐκ εὐδοκοῦντας ἵνα παρεσκευάζηται ἢ πρὸς συμβαίνοντα, καὶ προλαμβάνοντας τὰ δοκοῦντα πρόνοιαν θεσπίζειν, ἢ λέγειν φωνῇ, Πλὴν οὐ τί ἐγὼ θέλω, αἰδὰ τί σύ [*cum pietate in Deum conjuncta eſt hac precatio: cum nemo ſit qui adverſa putet eſſe principalia, ſed feruntur quæ non principaliter & ob ſe ipſa eveniunt, ubi poſcit tempus. Cæterum erat non ſuccumbentis, ſed contenti qualibuſcunque eventibus, & præponentis ſuæ voluntati illa adverſa quæ ex Divina providentia accidebant, vox iſta, Verumtamen non ut ego volo, ſed ut tu*].

40. τῷ Πέτρῳ· *Petro*] Ei præcipue, & per eum cæteris. Nam & nimium de ſe pollicendo Petrus aliis præiverat, ſupra commate 35. ¶ Οὕτως οὐκ ἰσχύσατε, *Sic non potuiſtis*] Non aſſentior iis qui ὕτως [*ſic*] à ſequentibus interſtinguunt. Solet enim ὕτως, *uſquadeo*, *ſiccine*, *adeone*, connecti cum oratione interrogativa, aut admirativa potius. Sic apud Marcum optime legi arbitror, ὕτω πως οὐκ ἔχετε πίστιν; [*itane nondum habetis fidem?*]

41. Γρηγορεῖτε, *Vigilate*] Voce una duo ſignificat: neque enim hoc tantum vult tempus eſſe ſomno temperandi, ſed & quam maxime ſe parandi ad prælium intentis meditationibus. Nam γρηγορεῖν [*vigilare*] eſt προσέχειν [*attendere*], ut ſupra XXIV, & XXV. aliquoties. Actor. XX, 31. 1 Corinth. XVI, 13. Apocal. III, 2. & alibi paſſim. ¶ προσεύχεσθε ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν· *orate ut non intretis in tentationem*] Non poſſum iis ſubſcribere qui præcipi putant Apoſtolis ut orent Deum ne ullus ipſis πειρασμὸς [*tentatio*] adveniſt, quod, poſito decreto de iis quæ Chriſto erant eventura, videtur eſſe τῶν ἀδυνάτων [*inter ea quæ fieri non poſſunt*]. itaque rectius eſt, ut & ſupra ad caput VI. diximus, εἰσέρχεσθαι [*intrare*] hic eſſe quod 1 Tim. VI, 9. βυθίζειν *immergi* ſcilicet & *ſuccumbere*. Eſt autem μετωνυμία [*tranſnominatio*]· nam effectus pro cauſa ponitur. Monentur enim à Chriſto Diſcipuli orare, ut detur ipſis auxilium quoddam majus ſolito, quo fulti poſſent id conſequi ne oppugnati ſuccumberent. Atque hinc liquet non ita deſtricte ſubtractum ipſis ſpiritus etiam robuſtioris auxilium ut non potuerit attentione & precibus impetrari. Sed cum hoc quoque neglectum ab ipſis eſſet, permiſſi ſunt alii plus alii minus labi, quo magis, ut ſupra diximus, diſcerent μετριοπαθεῖν πρὸς ἀγνοοῦντας καὶ πλανωμένους [*condolere iis qui ignorant & errant*]· quæ non exigua pars erat muneris ipſis crediti. ¶ τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής· *ſpiritus quidem promtus eſt, caro autem infirma*] Cauſa redditur cur implorandum ſit ſolito majus auxilium, nimirum quod ita adhuc eſſent conſtituti ut τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς [*affectus carnis*] non ſatis audiret habenas mentis. Hebræi animæ facultatem vitalem ac ſenſitivam vocant נפש [*animam*], illam vero quæ ratione utitur, τὸ ἡγεμονικὸν [*principale animæ*], appellant רוח [*ſpiritum*]: ita πνεῦμα [*ſpiritus*] vocem uſurpat Paulus Rom. VIII, 16. 1 Cor. II. 11. VI, 20. & Scriptor ad Hebræos IV, 12. πνεῦμα νοὸς [*ſpiritus mentis*] dicitur Epheſ. IV, 23. Dicitur Paulo alibi tum νοῦς [*mens*] tum ὁ ἔσω ἄνθρωπος [*Homo interior*] quæ pro eodem poni liquet Rom. VII, 22, 23. Epheſ. III, 16. Alibi vero πνεῦμα [*ſpiritus*] totum animum ſignificat comprehenſis etiam affectibus, ut ſupra diximus V, 3. ſic Actor. XIX, 21. Animus igitur, utpote doctrina Chriſti, adde & myſteriorum participatione imbutus, habebat in ſe πρόθυμον [*promtitudinem*] ſed nondum profecerat ad τὸ ἐμβριθὲς [*conſtantiam*], nempe ut inſtante periculo facile poſſet edomare affectus illos quos anima vitæ tutatrix & incommodorum inimica ſuggerebat; quæ hic & alibi σὰρξ [*caro*] dicitur, quia corpori conſulit. Hoc ſenſu hi qui prima ponunt Chriſtianæ pietatis rudimenta, οἱ νήπιοι ἐν Χριστῷ [*parvuli in Chriſto*] etiam σαρκικοὶ [*carnales*] vocantur 1 Corinth. III, 1, 3. quia τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς [*affectus carnis*] nondum ſatis eſt ab ipſis edomitum. Sed notandum eſt id quod in Apoſtolis eo tempore adhuc menti rebellabat, non fuiſſe de craſſiore illa fæce affectuum circa opes & ſenſuum voluptates & ſiqua ſunt ſimilia, ſed deſideria maxime naturalia, ut puta Vitæ curam, Dolorum fugam. Non igitur erant in illorum genere quos Ariſtoteles ait ἡττᾶσθαι καὶ ὑπ' οἱ πολλοὶ κρείττους [*vinci ab iis quæ à multis vincuntur*], aut ἀδύνατον ἐν οἷς οἱ πολλοὶ ἐγκρατεύονται καὶ δυνατοί [*deficere in iis in quibus multi & contra nituntur & perſtituntur*], ſed in eorum ordine quos ait ἰσχυρῶν καὶ ὑπερβαλλόντων λυπῶν ἡττᾶσθαι καὶ ἀντιτείνοντας [*à magnis & eximiis doloribus vinci quanquam contra nitentes*], quod maxime ait eſſe συγγνωμονικὸν [*venia dignum*]. Σάρκα [*carnem*] autem ἀσθενῆ [*infirmam*] vocat Chriſtus, non quod vires non haberet, ſed quod non haberet veram ſaniratem, ut ſolent qui morbo inſaniunt. Nam ſanitas animæ eſt, mentis imperium αἰδοῦς καὶ τοῦ ἀδυνάτου [*audire & ei ſe non opponere*]. Egregie Papinius,

—— *Odi artus, fragilemque hunc corporis uſum*
Deſertorem animi.

42. εἰ οὐ δύναται, *ſi non poteſt*] *Si* poſitum pro *quandoquidem*: neque enim ignotum erat Chriſto decretum Patris. ¶ τοῦτο τὸ ποτήριον, *hic calix*] Vide ſupra XX, 22. ¶ παρελθεῖν ἀπ' ἐμοῦ ἐὰν μὴ αὐτὸ πίω, *tranſire, niſi bibam illum*] Id eſt, quando ita tibi viſum eſt ut me non ſerves à morte niſi per mortem. παρελθεῖν [*tranſire*] hic & Marci XIV, 35. eſt *abire*, quomodo העביר [*facere tranſire*] eſt *amovere* II Reg. XXIV, 10. Zach. III, 4. Pſalm. CXIX, 39. ¶ γενηθήτω τὸ θέλημά σου. *Fiat voluntas tua*] Voces ſunt non ferentis tantum quod vitari nequeat, ſed toto animo acquieſcentis, ut Actor. XXI, 14.

43. οἱ ὀφθαλμοὶ βεβαρημένοι. *Oculi gravati*] Præ mœſtitia, ut Lucas docet, unde torpor ille ſomnolentus oritur quem κατανύξιν Græci vocant.

44. ἐκ τρίτου, *tertio*] Solemnis numerus iterandarum precum quoties quid majus inciderat, Paulus II Corinth. XII, 8. τρὶς τὸν Κύριον παρεκάλεσα [*ter Dominum rogavi*]. Frequens hic numerus in Sacris literis, ut Numer. XXII, 28. XXIV, 10. 1 Sam. III, 8. XX, 41. 1 Regum XVIII, 34. Prov. XXII, 20. Jerem. VII, 4. XXII, 29. Ezech. XXI, 14. Johan. XXI, 14, & ſequentibus.

45. Καθεύδετε τὸ λοιπὸν, καὶ ἀναπαύεσθε· *Dormite jam, & requieſcite*] Supra dixerat, οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι μετ' ἐμοῦ; [*non potuiſtis una hora vigilare mecum?*] Jam oſtendit nulli amplius uſui ſibi eſſe poſſe ipſorum pervigilium, cum jamjam ab ipſis avellendus eſſet. Senſus ergo eſt, Per me jam vobis licet dormire & requieſcere quantum lubet. Neque aliter ut interpretemur cogit nos quod apud Marcum ſequitur ἀπέχει [*ſufficit*]· omnino enim ἀπέχει & Marco & Anacreonti ſignificat idem quod Latine Virgilius, Terentius, Seneca dicunt *habet*, cui voci interpretamenti loco Seneca addidit *peractum eſt*. Atque ita apud Marcum vertunt Arabs & Syrus, *adeſt finis*: quo datur intelligi præteriiſſe tempus quo Apoſtoli Chriſto poterant eſſe ſolatio. ¶ ἤγγικεν ἡ ὥρα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται, *appropinquavit hora, & Filius hominis traditur*] Hebraico more conjunctio copulativa vim habet relativi: ſenſus enim eſt, Prope eſſe tempus quo tradendus ſit Chriſtus. ¶ ἁμαρτωλῶν· *peccatorum*] Militum Romanorum. Nam ἀλλοφύλους [*alienigenas*] gentiliter viventes Judæi proprie vocabant ἁμαρτωλοὺς [*peccatores*], Gal. II, 15. id eſt, ἀνόμους [*homines ſine Lege*], ut Actorum II, 23. 1 Corinth. IX, 21. Solebant Romani Præſides diebus feſtis, quia tum magnus erat populi conventus, ad Templi cuſtodiam, ne quid ibi contra mores Judæorum tentaretur, cohortem mittere, quam σπεῖραν vocat Johannes XVIII, 3. τάξιν Joſephus: cujus verba ſupra quoque allata à nobis hic repetenda ſunt ex libro Ἀρχαιολογίας [*Antiquæ hiſtoriæ*] XX, cap. IV. Τῆς πάσχα προσαγορευομένης ἑορτῆς ἐνεστώσης, καθ' ἣν τοῖς ἐγχωρίοις ἄζυμα προσφέρεσθαι, πάνδημος καὶ πανταχόθεν πλῆθος συνεχῶς ἐπὶ τὴν ἑορτὴν, δείσας ὁ Κύμανος μή τινα πρόφασιν ἀφ' ἑαυτῶν προφασίσῃ, κελεύει τῶν χιλιάρχων μίαν τάξιν ἀναλαβόντας τὰ ὅπλα ἐπὶ τὰ ἅγια τῶν ἱερῶν ἰέναι, κατασταθέντας τὰ νυκτερεμὸν εἰ ἄρα τις χλοιτο· τοῦτο γὰρ καὶ οἱ πρὸ αὐτοῦ τῶν Ἰουδαίας ἐπιτροπεύσαντες ἐν τῇ ἑορτῇ ἐποίουν [*Cum inflaret feſtum tempus Paſchale, quo nobis mos eſt azyma offerre, & magna vis hominum undique ad hanc celebritatem convenifſet, metuens Cumanus, ne quid ab eis moveretur, juſſit militum cohortem unam ſumtis armis ſtare ſuper Templi porticus, ad reprimendum tumultum, ſi quis exoriretur. Idem autem facere ſoliti fuerunt tali tempore & alii Judæa Præſides*]· unde apertum eſt hoc præſidium feſtis diebus tranſlatum ex Antonia, quæ erat in poteſtate Romanorum, in porticus Templi. Idem Joſephus Ἀλώσεως [*Captivitatis*] V, cap. XV. agens de Antonia, καθ' ἣν συνῆπτο τῷ ἱερῷ στοαῖς εἰς ἀμφοτέρας εἶχε καταβάσεις, δι' ὧν κατιόντες οἱ φρουροὶ (καθῆστο γὰρ ἀεὶ ἐπ' αὐτῆς τάγμα Ρωμαίων) καὶ διεσπαρμένοι ἀνὰ τὰς στοὰς μὴ τῶν ὄχλων, ἐν ᾗ ἑορτῇ τὸ δῆμον, ὡς μήτε νεωτερισθῇ, παρεφύλαττον· φρούριον γὰρ ἐπῆκτο τῷ κατὰ

μὲν

μὴ τὸ ἱερὸν, τῷ ἱερῷ ἢ ἡ Ἀντωνία. κἀξ ἧς συνῆπτον οἱ τῶν ἱερῶν φύλακες ἦσαν [*quæ autem connectebatur porticibus Templi in utrumque partem deſcenſus habebat, per quos deſcendentes vigiles (ſemper enim in Antonia erat Romana legio) & variis locis ad porticus ſtantes cum armis, feſtis diebus populum, ne quid moveret, continebant. Cuſtodia enim Urbis erat Templum, Templi Antonia: ibi vero erant trium illorum locorum cuſtodes*]. Extra feſtos dies Sacerdotes per ſuos vigiles Judæos Templum aſſervabant, qui ὑπηρέται [*miniſtri*] vocantur Actorum v, 22, 26. Marci xiv, 65. Johan. vii, 32, 45. xviii, 3, 12, 22. xix, 6. Sacerdotes autem uni ex ſuorum numero imperium tum in vigiles quotidianos tum in additos milites mandabant: is στρατηγὸς ἢ ἱερεὺς [*Magiſtratus ſive Prætor Templi*] vocabatur: non diſſimilis Magiſtratus ei quem *Præfectum vigilum* Romani vocabant. Joſephus eum Summo Pontifici dignitate proximum fuiſſe oſtendit Ἀρχαιολογίας [*Antiquæ hiſtoriæ*] viii, v. οὐδὲ ἡ τοῖς Ἀνανίου τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῶν στρατηγῶν Ἀνάνου [*iis qui apud Ananiam erant Pontificem Maximum & Ananum Templi Prætorem*]: & cap. viii. συναμβάντων ζώντα τὸν γραμματέα τοῦ στρατηγοῦντος Ἐλεαζάρου· παῖς ἦν ὁ τοῦτο Ἀνάνου δὲ ἀρχιερέως [*vivum prehendunt Scribam Eleazari qui Templi erat Prætor, filius autem Anani Pontificis Maximi*]. Ejus Magiſtratus mentio eſt apud eundem Joſephum aliquot in locis, & apud Lucam Actorum iv, 1. v, 24, 26. unde ſimul diſcimus ejuſdem officio commiſſum fuiſſe, ut ex Synedrii juſſu in Legem delinquentes vel in Templo vel etiam extra Templum prehenderet. Nam prehenſionis jus & coercitionis citra mortem Judæis Romani permiſerant. At in hac hiſtoria Lucas plurali numero στρατηγοὺς [*Prætores*] nominat qui & conſiliis interfuerant, xxii, 4. & per quos facta eſt prehenſio, xxii, 52. nimirum Præfecto vigilum connumerans adjutores ipſius officio additos, qualis ille quem γραμματέα [*Scribam*] vocari à Joſepho vidimus, id eſt, סופר, quod generale nomen eſt omnium eorum qui majores Poteſtates conſilio aut opera juvant. Sic & γαζοφύλακι [*ærario ſacri Præfecto*] ſuum fuiſſe γραμματέα [*Scribam*] ex eodem Joſepho diſcimus. Iſti ergo στρατηγοὶ [*Prætores*] metuentes ſibi à Chriſti ſectatoribus, præter quotidianos Templi vigiles Judæos etiam Romanam cohortem aſſumſerant ut Jeſum prehenderent. Hi ſunt quos hic Chriſtus ἁμαρτωλοὺς [*peccatores*] vocat, utpote exleges, quos nulla Dei reverentia tenebat. Latine cohors iſta Templo cuſtodiendo ad id tempus deſtinata dicebatur *cuſtodia*; quo nomine hic noſter Scriptor utitur. Atque in eam cuſtodiam imperium pro eo tempore permiſſum fuiſſe Sacerdotibus, illud quoque Pilati docet, Ἔχετε κουστωδίαν [*Habetis cuſtodiam*]: de quo plura infra cum eo ventum erit.

47. ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων, *à principibus Sacerdotum & Senioribus*] Περιφραστικῶς [*circumlocutio*] Synedrii, cujus decreto fiebat prehenſio. ¶ πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ· *Senioribus populi*] Alibi diximus ita dici Magni Synedrii Senatores ad diſcrimen τῶν πρεσβυτέρων τῶν πόλεων [*Seniorum in oppidis*]. Iidem in Levitico iv, 15. dicuntur οἱ πρεσβύτεροι τῆς συναγωγῆς τῶν υἱῶν Ισραὴλ [*Seniores congregationis filiorum Iſrael*].

48. αὐτὸς, *illis*] Nempe τῷ ὄχλῳ de quo [*turbæ iſti* de qua] dixerat; id eſt, præcipue militibus Romanis, qui Jeſum non noverant. Videntur Pontifices certo conſilio maluiſſe Jeſum prehendi manibus Romanorum quam ſuorum vigilum. Vide Johann. xviii, 12.

49. καταφίλησεν αὐτὸν, *oſculatus eſt eum*] Hebræi non tantum poſt longam abſentiam aut valedicentes, ut quidam exiſtimant, ſed alias etiam in ſignum dilectionis oſculum adhibebant, quod præcipue docemur Lucæ vii, 44. 45. A Judæis hunc morem accepere Chriſtiani, ut Tertullianus tum alibi tum apertiſſime. Ad uxorem ſecundo nos docet. Hoc eſt φίλημα ἀγάπης [*oſculum charitatis*] & φίλημα ἅγιον [*oſculum ſanctum*], cujus toties apud Paulum mentio. Juſtinus Apologetico, ἀλλήλους φιλήματα ἀσπαζόμεθα πανσάμενοι τῶν εὐχῶν [*conſummatis precibus alii alios oſculamur*]. *Oſculum pacis* vocat idem Tertullianus libro De Oratione: quod nunc etiam uſurpant Orientis Eccleſiæ. Huc pertinet illud quod ex veteri traditione citat Athenagoras, ἐάν τις δὶς τῶν ἐκ διαστήματος καταφιλήσῃ ἐπὶ χρείαν αὐτῷ [*ſiquis iterum oſculatus fuerit quia id ei placuit*], ſupple *ea illi*: item, ὥστε ἂν ἀκριβώσωσιν τὸ φίλημα, μᾶλλον ἢ τὸ προσκύνημα δεῖ, ὡς ὅπου μικρὸν τῆς ἀμελείας παρεμβληθῆναι, ἵξει ἡμᾶς τὸ αἰώνιον πῦρ πῦρ ζωῆς [*tam exacta cura eſſe debet oſculi, aut potius adorationis, ut ſi vel minimum nos meme inquinet, expertes nos faciat vita æterna*].

50. ἐφ' ὃ πάρει; *ad quid veniſti?*] Id eſt, Quo animo me oſculatum venis? Nonne eo quo olim Joab Amaſam? Ita ex Luca interpretamur. Paucis verbis & conſcientiam perfidi hominis verberat & ſe καρδιογνώστην [*cordium introſpectorem*] oſtendit. Recte autem obſervatum eſt ὃ hic pro τίνι poniti quod & alibi apud Chriſtianos veteres reperire eſt. Nam Juſtinus Ad Græcos dixit δι' ὃ αἰτίαν interrogando, [*quam ob cauſam?*] pro διὰ τίνα αἰτίαν;

51. τὸ ὠτίον, *auriculam*] Ὠτίον Græcis, *auricula* Latinis, eſt pars auris infima: unde adagium, *Auricula mollior*. Ictum in caput deſtinatum Deus ita direxit, ut quam minimo damno abiret: idque ipſum damnum reſarſit Chriſtus repoſita auricula. Nam ἰᾶσθαι [*ſanare*] hoc loco apud Lucam eſt pro ἀποκαθιστάναι [*reſtituere*], ita & ſupra xv, 31. dicuntur οἱ κυλλοὶ [*mutili*] redditi ὑγιεῖς [*ſani*], id eſt, ὁλόκληροι [*integri*]: quod propter quoſdam dico qui eo verbo moti negant auriculam fuiſſe abſciſſam.

52. εἰς τὸν τόπον αὐτῆς· *in locum ſuum*] תחתיה, εἰς τὸν κολεὸν αὐτῆς [*in vaginam ſuam*], 1 Paralipomenon xxi, 27. εἰς τὴν θήκην αὐτῆς, ut hic Johannes. Genus pro ſpecie. Cauſam cur gladio uti Petrum prohibeat Chriſtus adfert Decretum Patris, qui velit ſe vincula & mortem pati ἢ πίνειν τὸ ποτήριον [*& bibere calicem*], Johann. xviii, 11. cujus decreti olim per Prophetas obſcurius, jam vero per Chriſtum ſæpius clare enuntiati ignorantia Petrum excuſare non poterat. Neque vero ad Petrum tantum admonitio iſta pertinet, ſed & ad Chriſtianos omnes qui à publicis Poteſtatibus ad pœnam expetuntur ob pietatis profeſſionem. Vult enim Deus, cum talis neceſſitas imminet, patientiam noſtram omnibus teſtatam eſſe & nos παρατίθεσθαι τὰς ψυχὰς τῷ κτίστῃ [*Deo commendare animas noſtras*]: quid enim æquius quam ut vitam impendamus ejus honori à quo vitam accepimus? Hoc nos Petrus Magiſtri voce edoctus edocuit Epiſtola i, cap. iv, 16, 19. Solet contra hoc adferri Jus naturalis defenſionis. Sed multum intereſt id jus uſurpetur adverſus latrones & ſi quid eſt ſimile; contra quos ſi quis pugnat (quanquam pios multos etiam hoc jure non uſos certiſſimum eſt) pugnat auctoritate legum & eorum quibus reipublicæ cura mandata eſt, ut videre eſt tum alibi tum imprimis titulo Codicis, *Quando liceat unicuique ſine Judice ſe vindicare vel publicam devotionem*: an vero contra Summarum Poteſtatum imperia vis paretur. Non fruſtra dicitur Prætor *ius reddere* etiam cum inique decernit: *jus* enim dicitur etiam id quod quamvis injuſtum eſt, ferendum tamen eſt, ita ut vi oppoſita depelli non debeat. Neque id ratione caret. Nam τὰ ἠθικὰ [*moralia*], in quibus eſt & reipublicæ adminiſtrandæ ratio, habent regulas ſuas, ad quarum rectitudinem ſatis eſt ut ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, [*plerunque*] ſint utiles: neque tamen vim ſuam amittunt, ſi quo caſu ea utilitas peculiariter deficiat. Manet enim utilitas illa generalis exempli. Atqui cum nemo ſibi non faveat, ſi id ſemel admittatur poſſe privatos à Magiſtratu injuria affectos vim vi repellere, omnia erunt tumultuum plena; nulla legum, nulla judiciorum auctoritas. Quare ipſa nos ratio eo ducit ut concedamus aliquam eſſe vim quæ ſit toleranda, ne effræni licentiæ detur locus. Certe in Religionis negotio talem vim quæ infertur ἀνθ' ὑπερτεχούσης ἐξουσίας [*à ſublimiori Poteſtate*] patienter ferendam docent nos primæ Chriſtianitatis exempla. Multum enim errant qui ante Conſtantini tempora à vi abſtinuiſſe Chriſtianos credant imbecillitatis ſuæ æſtimatione. Audiamus vel illud Tertulliani, *Sed abſit ut aut igni humano vindicetur Divina ſecta, aut doleat pati in quo probatur. Si enim & hoſtes exſertos non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantacunque unius tamen loci & ſuorum finium gentes, quam totus orbis? Externi ſumus & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, concilia bula, caſtra ipſa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum: Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret quam occidere?* Cyprianus ad Demetrianum: *Inde eſt quod nemo noſtrum quando apprehenditur, reluctatur, nec ſe adverſus injuſtitiam violentam veſtram, quamvis nimius & copioſus ſit noſter populus, ulciſcitur. Patientes facit de ſecutura ultione ſecuritas. Innocentes nocentibus cedunt.* ¶ πάντες γὰρ οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται· *omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*] Solet hoc vulgo exponi quaſi ad Petrum hæc comminatio pertineat. Atqui ſententia illa non ferit eos qui innocentiam alterius ab injuria defendunt, etſi forte in eo modum excedant, quod hic faciebat Petrus. Nam culpa Petri erat impatientia, non autem libido effundendi ſanguinis, quo proprie ſpectat iſtud enuntiatum. Senſus igitur mihi hic videtur eſſe,

esse, Noli, Petre, consideratione ejus quæ mihi infertur injuriæ concitatior Deo præripere ultionem. Levia enim sunt vulnera quæ à te pati possunt. Stat enim rata sententia, Crudeles istos & sanguinarios, etiam te quiescente, gravissimas Deo daturos pœnas suo sanguine. Idem sensisse mihi videntur Origenes, Titus, Theophylactus, Euthymius. Hoc autem argumentum maxime patientiam nobis debet commendare, quod scimus Deum severe exsecuturum illatas pro injurias. Hanc interpretationem valde confirmat Divina Apocalypsis, Εἴπις ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτενεῖ, δεῖ αὐτὸν ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτανθῆναι· ὧδε ἐστὶν ἡ ὑπομονὴ καὶ ἡ πίστις τῶν ἁγίων [*Qui in gladio occidet, oportet eum gladio occidi: hic est patientia & fides sanctorum*]. Paulus Rom. XII, 19. Μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες ἀγαπητοί· ἀλλὰ δότε τόπον τῇ ὀργῇ· γέγραπται γάρ, Ἐμοὶ ἐκδίκησις· ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει Κύριος [*Non vosmetipsos defendentes, carissimi; sed date locum irae: scriptum est enim, Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus*]. Tertullianus, *Adeo satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem?* Minus obscurum fuit Christi dictum, quia sententia hæc proverbio trita erat inter Judæos & de Divino judicio solebat intelligi. Neque vero unquam manifestior ejus veritas fuit quam cum Romanus ensis Judaicæ crudelitatis pœnas exegit.

53. καὶ παραστήσει, *& exhibebit*] Id est, παρέστησεν [*exhiberet*], nisi scilicet decretum illud obstaret cui nos reniti nefas est. ¶ δώδεκα λεγιῶνας ἀγγέλων; *duodecim legiones Angelorum*; Satis fuerat duodecim Angelos duodecim Discipulis comparare; sed Christus, ut apertius Patris potentiam ostenderet, totidem legiones nominavit. Vide Dan. VII, 10. & II Reg. VI, 17.

54. Πῶς οὖν, *Quomodo ergo*] Siprehensio hæc, & quæ eam secutura sunt, impediatur quocunque modo. ¶ αἱ γραφαὶ, ὅτι οὕτω δεῖ γένεσθαι; *implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?*] Esaiæ LIII, 8. מעצר ומדין לקח [*de angustia & de judicio sublatus est*], ubi מ, ut sæpe, causam efficientem denotat; ut sensus sit, Christum è vivis ereptum per captivitatem & judicium.

55. τοῖς ὄχλοις· *turbis*] Sed præcipue ducibus τῶν ὄχλων [*turbarum*], nimirum στρατηγοῖς [*Prætoribus*], quibus & alii aderant è Sacerdotum primariorum & è Senatorum numero, quo res tota majori specie ageretur. Lucam vide. Ad Judæos pertinet illud παρ' ὑμῖν [*apud vos*]. ¶ μετὰ ξύλων, *cum lignis*] Romanis [*clavis* sive *fustibus*], quæ כידים Hebræis, ut Prov. XXV, 18. ¶ καθ' ἡμέραν ἐκαθεζόμην μεθ' ὑμῶν, *& non me tenuistis*] Divina scilicet providentia, cum hoc & facile & sine strepitu fieri posse videretur, inhibente, quod nunc eadem sapientissimo consilio permittit. Ita Lucas.

56. ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ τῶν προφητῶν· *ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum*] Μετωνυμία [*transnominatio*]· sensus est, Ut exitum habeat decretum Patris pridem enuntiatum per Esaiam, Danielem, atque alios. ¶ Τότε οἱ μαθηταὶ πάντες ἀφέντες αὐτὸν ἔφυγον. *Tunc Discipuli omnes relicto eo fugerunt*] Alii citius, alii serius paulo. Videtur enim post Petrum & Matthæum aliquandiu substitisse cum aliquot aliis Johannes, atque eo tempore accidisse ea quæ ille peculiariter narrat XVIII, 4. & deinceps. Nam certe vulnerati Malchi historia à Johanne per retrocessum posita est.

57. πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα, *ad Cajaphan Principem Sacerdotum*] Qui proinde intelligendus quoties nomen ἀρχιερεὺς [*Principis Sacerdotum*] apud Johannem nude ponitur. Nam perductionem Christi ad Annam omittunt cæteri, quia nihil ibi insigne gestum: tantum detentus ibi Christus videtur dum apud Cajaphan concilium cogitur. Quod autem Johannes commate 24. narrat, per retrocessum itidem, ut alterum illud de quo jam diximus, interpretandum est. Sed hac de re ad ipsum plenius. ¶ ὅπου οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι, *ubi Scriba & Seniores*] Ob eruditionem præponuntur οἱ γραμματεῖς [*Scribæ*], cum alioqui πρεσβυτέρων [*Seniorum*] major esset dignitas. Et reticetur ordo τῶν ἀρχιερέων [*præcipuorum Sacerdotum*], quia is ex Cajaphæ persona satis dabatur intelligi. At mox eos nominat commate 59. & nomen *consessus* proprium exprimit συνέδριον [*Synedrium*]. Illis temporibus nullus fuit נשיא [*princeps Senatus*] alius à Pontifice Maximo. Itaque quod dictum erat מבלי הנשיא [*de principe Senatus*], Paulus Pontifici Maximo aptat Actor. XXIII, 5. Nam נשיא Græci vertunt ἄρχοντα [*principem*], ut videre est Levit. IV, 22. Exodi XXII, 28. Itaque Pontifex Maximus, ut hic Cajaphas, solebat καθίζειν συνέδριον [*convocare Senatum* sive *Synedrium*], quod de Anano narrat Josephus. Alioqui si alius fuisset ἄρχων [*princeps Senatus*] à Pontifice Maximo, ut olim, ipsius fuisset concilium cogere. Sed de hac re egimus alibi plenius. Consederunt autem Senatores in porticu aliqua, in quam prospectus dabatur ἐν τῇ αὐλῇ, id est, sub dio consistentibus. Quo respectu Petrus, qui sub dio erat, dicitur constitisse κάτω [*infra*] Marci XIV, 66.

59. ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν, *quærebant falsum testimonium*] Non quod illis confidentibus conquirere testes vacaret, sed quod inquisitionem, quam ἀνάκρισιν Græci vocant, ita instituerent ut omnino à testibus conarentur aliquid elicere quod ad damnandum Jesum valeret. Nam id genus inquisitionis, cum in officio ac religione Judicis consistant, magnam præbent occasionem improbis hominibus adversum innocentes. Testes enim auctoritate & gratia permoti plerunque dicta sua eo flectunt quo trahi se vident à quæsitore. Et hoc illi fecere quibus Lex talis criminis ultionem severe imperaverat, Deuteronom. XIX, 19. Vide Psal. XXVII, 12. & XXXV. totum.

60. οὐχ εὗρον, *non invenerunt*] Utcunque cupide adversus Jesum testabantur, nihil tamen tale adferebant, quod capitale posset videri. Repetendum enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ [*ex eo quod communiter dictum*] illud ὥστε αὐτὸν θανατῶσαι [*ut eum morti traderent*], per Præsidem Romanum scilicet, cui persuadendo tota hæc scena struebatur. ¶ δύο, *duo*] Nam singulare testimonium in re criminum non admittebat Lex Hebræa, Deut. XIX, 15. ¶ ψευδομάρτυρες, *falsi testes*] Merito ita appellantur ob depravata Christi verba. Neque enim dixerat Christus, δύναμαι καταλῦσαι τὸν ναὸν [*possum destruere Templum*], sed, λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον [*destruite templum hoc*]. In quo multum est discriminis. Controversum erat apud Judæos an cuiquam liceret sæva vaticinia contra Templum proferre. Nam in Jeremia id capital judicabant Sacerdotes & Prophetæ, contracensentibus Proceribus: Et in Stephani accusatione primum est, οὐ παύεται λαλῶν ῥήματα βλάσφημα κατὰ τοῦ τόπου τοῦ ἁγίου [*non cessat loqui verba contumeliosa adversus locum sanctum*].

61. Διὰ τριῶν ἡμερῶν, *post triduum*] Brevis locutio Hellenistarum pro Διαφερομένων τριῶν ἡμερῶν [*intercedente triduo*]. Ita ἐν ἑπτῷ ἔτει [*anno septimo*], Deut. XV, 1. Lucas Actor. XXIV, 17. δι' ἐτῶν πλειόνων [*post annos plures*]. Vide quæ infra XXVII, 63. Sic Διὰ πολλοῦ χρόνου [*multo post tempore*] Pluto Aristophanis.

62. Οὐδὲν ἀποκρίνῃ; *Nihil respondes?*] Videbat Cajaphas ne illud quidem factum quod maxime ad invidiam Christi pertinebat sufficere ad damnationem: quod Marcus dixit, ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν [*convenientia testimonia non erant*]. Nihil enim mali Templo ominabatur etiam qui demoliturum se dicit, & restituturum se addat: neque pollicitatio, utcunque vana, capite erat luenda. Itaque testimoniis aliorum diffisus quærit ex ipsius ore aliquid elicere quod ipsum oneret. Sperabat enim in prolixa defensione facile aliquid repertum iri ἐνδιαβλητον [*quod in calumniam pateret*].

63. ἐσιώπα, *tacebat*] Dixit alicubi Tacitus, *Non intererat occidentium quid diceret.* Et Christus sciebat ad defensionem se prolici tantum ut ex defensione crimen eliceretur; quæ vero à testibus objecta erant esse ejusmodi ut refellere ea opus non esset. Bene ergo Origenes adversus Celsum, Ἡ σιωπὴ τοῦ μάρτυρος καὶ τὸ πολλὰς αἰτίας αὐτῷ (Ἰησοῦ) σιωπῇ πάντας τὸ ἐν Ἐδηνῇ ἐν ἐξετάσεσι τυγχάνοντος φήγξασθαι μᾶλλον ἐπίδειξε καρτερίαν καὶ ὑπομονὴν [*Silentium Jesu inter plagas & contumelias plurimas multo majorem ostendit constantiam & patientiam quam omnes voces Græcorum in rebus adversis*]. Maximus Tyrius in Dissertatione, Εἰ καλῶς ἐποίησε Σωκράτης μὴ ἀπολογησάμενος [*An recte fecerit Socrates quod pro se nihil dixit*], multa habet quæ ad nostram hanc causam justius accommodes. Τίνος δ' ἂν ἕνεκα ἔπρεπεν ἀπολογήσασθαι ἐπ' ἐκείνοις, οἷς ἔδει δικασῶν; ἀλλὰ ἄδικοι. οἷς ἔδει φρονίμων; ἀλλὰ μοχθηροί· οἷς ἐπὶ ἐναντίοις; ἀλλὰ οἱ ἀγαθίζοντο· οἷς ἐπὶ ἐμοῖσιν; ἀλλὰ ἀνομοιότατοι [*Cur apud illos causam suam egisset? an ut apud judices? at injusti erant: an ut apud prudentes? at scelerati erant: an ut apud bene sibi volentes? at erant infestissimi: an ut apud similes? at dissimillimi*]. Item, Τοῖς μὲν γὰρ ἄλλοις ἀπολογίας μαρτύρων ἐποφαίνειν, ἢ πίστις, ἢ ἔλεγχος, ἢ τεκμήρια, ἢ βάσανοι, ἢ ἄλλα παιδία, ἵνα τὸ ἀφανὲς τῶν ἐπὶ δικαστηρίῳ φανερὸν ᾖ· Σωκράτης δὲ καλοκἀγαθίας ὁ ἔλεγχος οἷς ἡ περὶ τούτων αἴσθησις· τί ἐξελλαμψίης τούτῳ, τί ἔδει λέγειν; [*Aliis defensiones approbant testes & eorum fides & probationes, signa, tormenta & signa sunt ejusmodi, ut quod ante latuit apud tribunal pateat; virtutis vero & probitatis exploratrix est eorum reverentia: quæ cum tunc exularet, quorsum verba?*]

verba?] ſed & hoc, Ἢ τίς ἠνέσχετο ἐκεῖνα ἐν δικαστηρίῳ πεπεπτωκὼς καὶ ἐπηχάτης καὶ τὴν ἀλκὴν ἢ ζῆν ἐρευνιζόμενον παρ' ἄλλων; τοῦτο γὰρ ἦν τὸ ἀντὶ τοῦ ἐρεῖν ταπεινὸν μὲν εἶδες, ὅτι ἐπηχὲς, ὅτι ὑφειμένον, ἀλλ' ἀλάβηρον τι καὶ ἄξιον φιλοσοφίας; οὐκ ἀντὶ τοῦ μοι λέγεις, ἀλλ' ἐρεῖς ζωπυρεῖσθαι καὶ φλεγμαίνειν [*Quis ferre potuiſſet flantem illum coram tribunali humilem & trepidum & ſpem vivendi ab aliis emendicantem? Talis enim eſſe debuit pro ſe dicentis figura. An vero dicere aliquid oportuit neque humile, neque trepidum, neque ſubmiſſum, ſed plenum libertatis & Philoſophiæ? Iam non purgationem mihi monſtras, ſed ira incitamen & fomitem*]. Huc & Euripidis illud pertinet, Σιωπὴ τοῖς σοφοῖς ἀντέρεσις [*Sapientibus tacere reſponſi vice eſt*]. Philo De legatione, ἔστι γὰρ ὅτε καὶ δι' ἡσυχίας ἀντιλογεῖσθαι [*interdum & tacendo nos ipſos defendimus*]. Vide Eſaiam LIII, 7. & Act. VIII, 32. ¶ Ἐξορκίζω σε, *Adjuro te*] Ἐξορκίζειν [*adjurare*] aut ὁρκίζειν Hebraice השבע modo eſt *jurejurando adigere*, ut Gen. XXIV, 3. L, 6, 25. Exod. XIII, 19. Joſuæ II, 20. Eſdr. X, 5. in qua hiſtoria & Joſephus hoc verbo utitur: interdum vero *gravi obteſtatione per nomen Divinum religionem alicujus animo injicere*, quod Latini veteres dicebant *obſecrare*, ut Num. V, 19. Joſ. VII, 19. I Samuel. XIV, 27, 28. I Regum II, 43. Cant. V, 9. qui ſenſus huic loco eſt proprius, ut & apud Marc. V, 7. Solebant Judices talem ὁρκισμὸν [*adjurationem*] adhibere, ut aut teſtibus teſtimonium aut reis confeſſionem exprimerent. De teſtibus lex exſtat Levit. V, 1. ubi culpæ obnoxius pronuntiatur teſtis qui verum ſubticet poſtquam audierit φωνὴν ὁρκισμοῦ [*vocem adjurationis*] קול אלה. Ea enim vera eſt legis illius à multis perperam intellectæ ſententia. Erant autem formulæ quædam ſolemnes talium ὁρκισμῶν [*adjurationum*] in judiciis uſitatæ, ut אשר משביעיך אשר לא תדבר אליך באמת ודרשת, I Regum XXII, 16. II Paralip. XVIII, 15. Græce, ἐγὼ ὁρκίζω σε ἵνα μοι λαλήσῃς μετὰ ἀληθείας ἐν ὀνόματι κυρίου [*ego te adjuro ut loquaris mihi verum in nomine Domini*]. Vel ſic, שים נא כבוד ותודה Joſ. VII, 19. ubi Græce eſt δὸς δόξαν τῷ Θεῷ [*da gloriam Deo*]. quæ ipſa formula exſtat apud Johannem IX, 24. ¶ εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *ſi tu es Chriſtus Filius Dei*] Supra XIV, 33. notavimus etiam apud Judæos exſpectatum illum Meſſiam vocari ſolitum Dei *Filium* ex Pſalmo II. itaque & hic apud Lucam pro eodem ponitur primum, Εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστός; [*Si tu es Chriſtus?*] deinde, Σὺ οὖν εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ; [*Tu es Filius Dei?*]

64. Σὺ εἶπας· *Tu dixiſti*] Cum prius diciſſet non recte eos interrogare qui neque affirmanti ſibi eſſent credituri, neque reſponſuri ad argumenta quæ eſſet allaturus (id enim eſt ἐρωτᾶν [*interrogare*] apud Lucam) urgente Pontifice tandem jam edidit profeſſionem. Omnino enim perſuadent mihi circumſtantiæ plurimæ eundem eſſe Conventum de quo hic agitur cum eo, quem Lucas deſcribit poſt hiſtoriam de Petro abſolutam, quia eam ab initio ad finem pertexere quam interruptam tradere malebat. Illud autem ὡς ἐγένετο ἡμέρα [*cum dieſceret*] apud Lucam eſt *cum dies adventaret*, & συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον [*congregatum erat Presbyterium*] *Senatus habebatur*: nam ad diem uſque protractus eſt cœtus nulla facta diſceſſione. ¶ πλὴν λέγω, *verumtamen dico*] Id eſt, Quanquam mihi Chriſtum me affirmanti non creditis. ¶ καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, *ſedentem à dextris virtutis*] Inter nomina Dei recenſent Hebræi גבורות, quod eſt δυνάμεις [*virtus*]. Lucas hic dixit δυνάμεως τοῦ Θεοῦ [*virtutis Dei*]. Ex Tobia quod aſſertur huc pertinere non arbitror: nam receptior & melior lectio habet τῇ Βααλ τῇ δαμάλει [*Baal juvenca*]. Neque ſolebant Hebræi Gentium deos Dei veri indigetamentis decorare. Quod autem hic Chriſtus dicit fore ut Judæi ſe videant ſedentem ad Dei dexteram, referendum arbitror ad diem miſſionis Spiritus Sancti, quod certiſſimum erat indicium ſeſſionis ad dexteram, ut nos docet Petrus Actorum II, 33. quanquam ſi quis adjungat admirabilem profectum Euangelicæ prædicationis, non refragabor. Favere interpretationi videtur illud ἀπ' ἄρτι [*à modo*], quod Lucæ eſt ἀπὸ τοῦ νῦν [*ex hoc*], quæ rem jamjam futuram videntur notare. ¶ καὶ ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ. *& venientem in nubibus cœli*] Supra diximus poſſe hoc etiam de virtute Chriſti per Euangelium intelligi, juxta id quod in Daniele eſt & alibi; aut etiam de pœnis quas Chriſtus infligi curavit populo Judaico, quia *deſcenſus in nube* iram ac vindictam ſolet ſignificare, ut Maimonides annotavit. Attamen cum viſibili etiam modo in nube deſcenſurus ſit Chriſtus ad Judicium, ſicut in nube adſcendit, nihil prohibet ad eum adventum hæc referre, quo cogentur eum agnoſcere qui ex ſigno miſſi Spiritus agnoſcere ejus majeſtatem noluerunt.

65. διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, *ſcidit veſtimenta ſua*] Quod facere Judæi ſolebant quoties verba audirent in Deum contumelioſa, præſertim prolata ab homine Hebræo: unde Rabſacen fuiſſe Iudæum qui ad ἀλλοφυλισμὸν [*Gentilium ſacra*] defecerat colligunt Iudæorum Magiſtri, quia verbis ejus auditis Hieroſolymitæ veſtem lacerant, II Regum XIX, 1. Errant qui putant Pontifici Maximo non licuiſſe ullo caſu veſtem lacerare. Nam interdictum quod in Levitico bis exſtat ad cauſam funebrem pertinet, ut antecedentia & conſequentia oſtendunt. Alioqui in luctu publico etiam Pontifex Maximus diſcindebat veſtimenta. Clarum id I Maccabæorum XI, 71. ubi Ionathan Pontifex Maximus poſt cladem acceptam in Cades Galilææ narratur διαῤῥῆξαι τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. [*ſciduſſe veſtimenta ſua*]. Ioſephus quoque ἁλώσεως [*Captivitatis*] II. οἱ δυνατοὶ σὺν τοῖς ἀρχιερεῦσι τὰς ἐσθῆτας διεῤῥήγνυσαν [*Primores cum Summis Sacerdotibus veſtes ſuas lacerabant*]. Et poſtea, σὺν ᾗ ἀρχιερεῖς αὐτοὺς ἦν ἰδεῖν κατημαυρῶντας μὲν τὰ κεφαλῆς κόνει, γυμνοὺς δὲ τὰ στέρνα τῶν ἐσθήτων διεῤῥηγμένων [*videre erat Sacerdotes etiam Summos cinerem capitis inſpergere, nudatis vero conſpici pectoribus ideo quod veſtes laceraſſent*]. Etiam Rex Perſarum in luctu veſtem ſcindit apud Æſchylum Perſis. Sed notant Hebræorum Magiſtri Maximo Pontifici id fuiſſe proprium quod veſtem ab inferna parte laceraret, cum à ſuperna alii ſolerent. ¶ λέγων, Ὅτι ἐβλασφήμησε· *dicens, Blaſphemavit*] βλασφημίαν [*blaſphemiam*] vocat quod Ieſus ſe Chriſtum profiteretur. Et ſane erat, ni Chriſtus fuiſſet. Nam qui ſibi eam poteſtatem falſo arrogat, in Deum eſt contumelioſus. At hoc quæſitum oportuit, an non in ipſum vaticinia congruerent, an non apertiſſimis miraculis probaſſet ſe eum eſſe. His illi præteritis pro manifeſto ſumunt Ieſum CHRISTUM eſſe non poſſe, futilibus nixi argumentis; ut, Quod Nazaretæ natus crederetur, Iohann. I, 46. VII, 52. Quod originem ejus paternam maternamque notam omnino arbitrarentur, VII, 27. Præcipue vero quod fabrilem artem exercuiſſet, nihilque externi apparatus ſecum ferret, ſupra XIII, 55. Marci VI, 3.

66. Τί ὑμῖν δοκεῖ; *Quid vobis videtur?*] Ut Princeps Senatus ſententias exquirit. ¶ Οἱ δὲ ἀποκριθέντες εἶπαν, *At illi reſpondentes dixerunt*] Ordo feciſſe dicitur quod fecit pars major: imo & omnes id feciſſe dicuntur, ut hic apud Marcum. Id enim ut in Senatuſconſultis, ita & in judiciis uſurpatur. Nam Nicodemum diſſenſiſſe non dubium eſt; ſi tamen adfuit: De Ioſepho Arimathæenſi alibi videbimus. ¶ Ἔνοχος θανάτου ἐστί. *Reus eſt mortis*] חייב מות [*filius mortis*], ut II Samuelis XII, 5. Ita pronuntiare ſolebant Iudices Hebræi, dum capitalia judicia penes ipſos erant. Ablatis capitalibus judiciis, quod poſt confiſcatam ab Auguſto Iudæam factum eſt (nam antea Herodis beneficio manſerat aliqua judiciorum ſpecies) quanquam cum effectu ſententiam proferre non poterant, veterem tamen formulam retinebant: cujus ea vis erat, ut de quo ita pronuntiatum eſſet, is apud Iudæos omnes morte dignus, id eſt, ſacer atque inteſtabilis haberetur, in eum denique nihil eſſet illicitum. Quo præjudicio populus concitatus ſæpe per vim ac tumultum pœnas expetivit, quanquam Romanis legibus id facere vetabatur. Pertinebat autem hoc πρόκριμα [*præjudicatum*] in Ieſum eo, ut ſcilicet Senatores Iudæi poſſent ſalva religione Ieſum accuſare apud profanum Iudicem, ejuſque ſupplicium flagitare, velut qui nulla amplius neceſſitudine ipſos attingeret, & omnia hominis Iudæi φρονήματα [*privilegia*] amiſiſſet.

67. τότε, *Tunc*] Poſt iſtam pronuntiationem ſcilicet; qua audita Iudæi ὑπηρέται [*miniſtri*] Ieſum ut hominem devotum omni ludibriorum atque contumeliarum genere vexare cœperunt. ¶ ἐνέπτυσαν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, *exſpuerunt in faciem ejus*] Contemtus ſignum frequens apud Hebræos, Numer. XII, 14. Quod de ſe dicit Eſaias, forte figurato loquendi genere, L, 6. id in Chriſto impletum eſt κατὰ τὸ ἀκριβὲς αὐτοῦ ἐκτεῖναι [*juxta exactam verborum proprietatem*]. ¶ ἐκολάφισαν, *colaphis eum ceciderunt*] κολαφίζειν [*colaphis cædere*], ut Græci Scholiaſtæ interpretantur, eſt κατὰ τὴν κόρρης [*tempora ferire*], contracto pugno ſcilicet: neque aliter hic Origenes & Theophylactus. Terentius, *Colaphis tuber eſt totum caput*. Quam contumelioſum id verberandi genus habitum ſit, ex Demoſthenis adverſus Midiam oratione intelligi datur, cujus verba citant Romani Iuriſconſulti in Pandectis, titulo De pœnis. ¶ ἐῤῥάπισαν· *palmas in faciem ejus dederunt*] Per ῥαπίσματα *alapas* intelligi dubitandum non puto. Nam ita & ſupra id verbum uſurpat hic Interpres V, 39. Quibus adde quæ ex Gloſſario, Iuriſconſultis Græcis, & Sedulio vir eruditiſſimus ad hujus vocis intellectum annotavit. Adde Syrum Marci XIV, 65. Nec aliud eſt apud Marcum ῥαπίσμασιν ἔβαλον [*alapis ceciderunt*]. Nam βάλλειν eſt *ferire*, *inceſſere*.

Ignatius ad Trallianos hanc de Chriſto hiſtoriam referens, Ἐπὶ κόρρης ἐρράπισθη [*genam alapis caſuſ eſt*] inquit: quomodo & Nazianzenus loquitur: ubi κόρρην *genam* ſignificat, non, ut alias, *tempora*. Confer cum hujus loci hiſtoria & iis quæ Lucas habet XXII, 64. vaticinium Eſaiæ L, 6. & LIII, 3, 4, 5. 6, 7.

68. Προφήτευσον, *Prophetiza*] Hoc ideo quia oculos obvelaverant, ut Marcus addit. Propherarum autem erat non tantum futura prædicere (quod proprie vox indicat), ſed & alia quæ naturali cognitione ſciri nequibant. Sic & vox μαντεύεσθαι [*vaticinandi*] Græcis ponitur. Ariſtoteles III Rhet. XVII. de Epimenide Crete, περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύετο, ἀλλὰ περὶ τῶν γεγενημένων μέν, ἀδήλων δὲ [*de futuris non vaticinabatur, ſed de iis quæ jam erant, ſed incognita*].

69. ἐκαθέζετο, *ſedebat*] Modo ſedens, modo, ut fieri ſolet, aſſurgens, ut collatio docet. ¶ ἐν τῇ αὐλῇ· *in atrio* ſive *ſubdiali*] Quæ pars domus inferior porticu: unde κάτω [*infra*] dixit Marcus. In ejus meditullio prunæ erant in batillo, ut credibile eſt, poſitæ; ut ex Luca & Johanne diſcimus. ¶ μία παιδίσκη, *una ancilla*] *Ancilla*: ita vox hæc ſumitur tum alibi tum Galat. IV, 22. Erat autem hæc ancilla ἡ θυρωρὸς *janitrix*, ut eſt apud Iohannem. Vide & Act XII, 13. ¶ ἦσθα μετὰ, *eras cum*] Id eſt, *fuiſti partium ipſius*. Hebraiſmus: II Regum VI, 16. IX, 32. Romanorum VIII, 31. Non pugnat autem quod hic affirmate dicitur cum eo quod Johannes exprimit interrogandi ſono. Nam Hebræis interrogatio cum negatione vehementiſſime affirmat. ¶ § Γαλιλαίου· *Galilæo*] Diſcriminis cauſa. *Jeſu* enim nomen eo tempore erat inter communiſſima, ut ex Iolepho quoque apparet. Eodem modo infra Ἰησοῦ § Ναζωραίου [*Jeſu Nazareno*]. Aut mira eſt Iudæorum ἀπειρηκία [*imperitia circa hiſtorias*], aut ante Dominum noſtrum alter fuit Ieſus itidem à Nazaretha, quem Hyrcano Simonis filio coævum faciunt Thalmudiſtæ.

70. Οὐκ οἶδα τί λέγεις. *Neſcio quid dicis*] *Neque ipſum novi, neque ſatis intelligo quid velis*: ita enim hoc quod apud Matthæum cum eo quod Lucas & Iohannes habent connectit Marcus, haud dubie Petro ſuggerente.

71. Ἐξελθόντα, *exeuntem autem illum*] *Egredi paranem*. Neque enim exiit, ut ſequentia oſtendunt. ¶ πυλῶνα, *januam*] Προαύλιον [*anteatrium* ſive *veſtibulum*] Marco. *Subdiale minus extra fores*: ita & Syrus hic accipit. ¶ ἄλλη, *alia*] Παιδίσκη [*ancilla*] Marco, ubi articulus non certam ſed incertam perſonam deſignat, quod & in his & in aliis Scriptoribus ſæpe occurrit. Apud Lucam eſt ἑτέρῳ [*alius*]. Sed commune eſt omnium linguarum ut maſculinum uſurpetur ἀντὶ § θηλυκοῦ [*pro promiſcuo*], quando ſexum ſcire non multum refert: itaque ἑτέρῳ [*alius*] eſt *alius quidam è fervorum grege*, ſeu mas ſeu femina. Sic Plutarchus dixit χαλεπαίνοντος Ἀπόλλωνι [*iratus Apollini*] cum de Thetide ſermo eſſet. Euripides Troadibus.

—— Δύσγαμον αἶσχος ἰλαὸν,
[—— *Naſtus probroſas nuptias*,]

de Helena. Sopater in Declamatione ἀδικήματος [*multius injuria compertum*], loquens de femina captiva: & Laertius maſculino genere exprimit perſonam incertam in Vita Socratis, quam mulierem fuiſſe oſtendit Plato Critone, & Cicero De Divinatione I. ¶ καὶ λέγει αὐτοῖς, *& dicit illis*] Ita codices antiqui & Syrus. quare illud τοῖς ἐκεῖ [*iis qui illic erant*] putem interpretamentum eſſe prælatum ab iis qui non meminerant αὐτοῖς; Helleniſtis more Hebræo dici etiam ubi nomen non anteceſſit. Vide quæ ſupra XI, 1.

73. Μετὰ μικρὸν δὲ, *Poſt puſillum*] *Poſt horæ intervallum: aut eo amplius* (nam ὡσεὶ [*quaſi*] addidit Lucas) quantum ſcilicet inter primum & ſecundum galli cantum intercedit: ita enim Marcus. ¶ οἱ ἑστῶτες, *qui ſtabant*] Malchi cognato præeunte, adſtipulantibus cæteris qui una ad ignem adſtabant; ut docent nos Marcus, Lucas, Iohannes. ¶ Ἀληθῶς, *Vere*] *Certe*: ita verti ſolere Hebræum non alibi dictum. ¶ ἡ λαλιά σου, *loquela tua*] Ad Samaritanum & Syriacum idioma propius accedens quam ſermo Hieroſolymitarum: quali nota olim Ephraimitæ à ſuis popularibus dignoſcebantur Galaaditæ, Iud. XII. Pronunciatio Petrum Galilæum docebat: porro Galilæi ſuſpecti tanquam Ieſu diſcipuli aut fautores. Accedebat & aliud indicium ab eo qui Petrum à ſe in horto viſum meminiſſe ſibi videbatur.

74. καταθεματίζειν, *deteſtari*] Non poſſum iis aſſentiri qui καταθεματίζειν hic idem eſſe volunt quod Actorum XXVI, 11. & Iuſtino in Apologetico eſt βλασφημεῖν [*blaſphemare* ſive *maledicere*], apud Plinium *maledicere Chriſto*. Ut enim extenuandum non eſt delictum quod Petrus tanto cum dolore deflevit, ita non video cur cauſas conquirere debeamus onerandæ ipſius culpæ. imo καταθεματίζειν [*devovere*] hic, ut ἀναθεματίζειν Actorum XXIII, 14. Hebræis חרם, eſt *ſibimet male precari*. Formula quæ ſæpe in Veteris Fœderis hiſtoria occurrit § ἀναθεματισμοῦ [*devovendi ſe*] hæc eſt, *Hæc mihi Deus faciat & hæc addat ſi hoc ita ſe habet*. Eo tum modo Petrus diris ſe obligavit ſi Chriſtum noſſet; ſuper juſjurandum quod & ſecundæ negationi acceſſerat: ut ſolemus ex malis in pejora prolabi, niſi matura pœnitentia ſuccurrat. In manuſcripto vetuſtiſſimo qui ex Græcia in Angliam venit eſt hic καταθεματίζειν, ſicut & in Apocalypſi XXII, 3. κατάθεμα, quæ vox eodem ſenſu eſt apud Iuſtinum. ¶ οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον. *non novi hominem*] Magnam apparet conſternationem fuiſſe quæ Petrum adegit ad tam incredibile mendacium. Vix enim quiſquam erat Iudæus qui Ieſum de vultu non noſſet, tot miraculis celebrem. Neque cauſam adferre Petrus ullam poterat quorſum eo veniſſet, ſi eum non noverat.

75. Καὶ ἐμνήσθη ὁ Πέτρος, *Et recordatus eſt Petrus*] Simul excitatur & galli cantu, ut ſomnolenti ſolent, & Domini adſpectu qui de ſuperiore loco aciem oculorum in ipſum dirigebat, ut apud Lucam eſt. ¶ ἔκλαυσε πικρῶς. *flevit amare*] Sic Eſaiæ XXII, 4. אמרר בבכי Græci vertunt πικρῶς κλαῦσαι [*amare flebo*].

PRICÆUS.

Com. 7. Ἀλάβαστρον μύρου] Martialis,

Quod Coſmi redolent alabaſtra. ——

Apud Servium 3 in Virgil. *Alabaſtrum unguenti*. Capitolinus in Vero, *Data & vaſa aurea cum unguentis, ad ſpeciem alabaſtrorum*. Etymolog. Ἀλάβαστρον, ἡ ἀλαβάστου, λίνου λίθινον σῶμα μύρων ἐστήκασιν. Scholiaſtes Ariſtophanis, Ἀλάβαστρον, τὸ μύρου τὸ ἄγγος λίθινον, λαβὰς οὐκ ἔχον. Ælianus Var. 12. 18. Ἡ γῆ ἐδώκει αὐτῷ ἀλάβαστρον, καὶ εἶχεν αὐτὸ μύρου. Lucian. Aſino, Καὶ μύρου ἐκ τινος ἀλαβάστρου ἀπεχρήσθην· apud Eundem in Dialog. meretric. amator munera recenſens ſua, Καὶ ὀπὴν ἦγον ἐκ Συρίας, ἀλάβαστρον μύρου ἐκ Φοινίκης. Dionyſius Halicarnaſſ. Κτίσας εἰς τὸ βαλανεῖον φέρεται, καὶ μύρου ἀλάβαστρος.

Com. 8. εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη] apud Terentium,

Quod prolatrium? quæ iſthæc ſubita eſt largitas?

Ubi fallit (ut id obiter moneam) Donatus *prolubium* legens, exponenſque προθυμίαν *libidinem*: cum & Gellius *pecuniam familiamque prandiorum gurgitibus proluere* dixerit, & Ariſtophanes in Nubibus τὸ βίον μου κατυλίσῃ· & nota hæc *Danaïdum* non dici, ſed ἀπώλειαν. Scholiaſtes ad II Iuvenalis, *Non dubitant mutuo accipere quæ perdant magis quam erogent.*

Com. 13. ὅπου ἂν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, λαληθήσεται καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη] Cicero in pro Sylla, *Itaque dico locum in orbe terrarum eſſe nullum, quo in loco Populi Romani nomen ſit, quin eodem perſcriptum hoc judicium pervenit.*

Com. 16. Ἔσεσθαι αὐτῷ τελείωσιν δεήσεως] Ἔσεσθαι, *fieri*: ſic I Maccab. II. 27. Ἔσεσθαι αὐτῷ τὴν ἱερωσύνην.

Com. 21. Λέγω ὑμῖν ὅτι εἷς, &c.] Apud Ovidium,

Eſt, ait, hic unus, quem vos niſi pellitis urbe,
Rex erit. ——

Sequitur, καὶ λυπήσουσι σφόδρα ἤρξατο λέγειν αὐτῷ, Μήτι ἐγώ εἰμι;] Heſychius (hunc locum ut videtur reſpiciens) μή τι ἐγώ: ἄρραγε ἐγώ; Ovidius ibidem,

Qualia ſuccinctis, ubi trux inſibilat Eurus,
Murmura pinetis ſunt, aut qualia fluctus
Æquoreï faciunt, ſi quis procul audiat illos,
Tale ſonat populus, ſed per confuſa tremenſes
Verba tamen vulgi vox eminet una, Quis ille eſt?

& poſt,

Confremuere omnes, ſtudiiſque ardentibus auſum
Talia depoſcunt. ——

Com. 23. ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ τὴν χεῖρα ἐν τῷ τρυβλίῳ οὗτος, &c.] Ovidius ubi ſupra,

—— *Is qui ſit, dicam, non nomine dicam.*

Reum,

Reum, ſine nomine tamen, deſtinare Plinius in Epiſtolis 9. 13. dixit. Auctor de claris Orator. *Neminem nominabo, genus hominum ſignaſſe contentus.*

Com. 24. ὁ μὲν δὴ ἀνθρώπου υἱὸς ὑπάγει] Socrates jam mandum relicturus apud Platonem, Καὶ τοῦτο ἤδη ἡμῖν· &, ἀλλὰ γὰρ ὥρα ἤδη ἀπιέναι.

Ibid. Καλὸν ἦν αὐτῷ εἰ οὐκ ἐγεννήθη] Fulgentius, *Quanto ſatius erat iis non naſci quam naſci ineffaciter?* Eccleſiaſtes 4. 3. Καὶ ἀγαθὸς ὑπὲρ τούτου ὅστις οὔπω ἐγένετο.

Com. 28. τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν] Ut in Lege victimarum ſanguis effundebatur ad peccata expianda. Scriptor ad Hebræos de eodem 9. 28. προσενεχθεὶς εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας· nec aliud Lucæ 22. 16. dicitur ſub convivii figura, Ἄνθρωπός τις ἐποίησε δεῖπνον, καὶ ἐκάλεσε πολλούς· vide & Matth. 8. 11. πολλοὺς porro apud Lucianum non ſemel ita poni animadvertimus: in Nigrino, μαίνεσθαι οἱ φιλοσοφοῦντες περὶ τοῦ πολλοῦ ἐθέλειν· & in de Gymnaſ. apud Græcos improbos cives in ſcena infamare permiſſum ait αὐτῶν τε ἕνεκεν χάριν, (ἁμαυτοὺς γὰρ ἔτι γίγνονται ἀνακαζόμενοι) καὶ τῶν πολλῶν, ὡς φόβητρον τὸ δῆθεν τοῖς ὁμοίοις ἐλεγχον. Philoſtratus, Δεῖ νομοθέτην ἃ πάσχειν ἑαυτὸν, ταῦτα διατιμᾶσθαι εἰς τοὺς πολλοὺς ποιεῖσθαι.

Com. 29. ἀπ' ἄρτι] Vetus *amodo*. Nec adeo barbare illud ut Recentiori viſum. In Gloſſario, *Amodo*, ἀπὸ τότε.

Com. 31. πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσονται τὰ πρόβατα] Max. Tyr. Αἰσχύνη ἂν δοκοῦσα τὸν ποιμένα, λίθους τοὺς αἰσχίστους. Chryſoſt. Homil. 1. ad 1 Timoth. Πρόβατα μὲν δοκεῖ τὸ ποίμνιον ἐλαττοῦσθαι, τὸν δὲ ποιμένα ἐκ μιᾶς πληγῆς, ὁλόκληρον τῷ ποιμνίῳ ἐλυμήνατο. Vide Act. 5. 36, 37. & 11. 9. Job. 1. 16. ſupra 9. 36.

Com. 33. Εἰ καὶ πάντες σκανδαλισθήσονται ἐν σοί, ἐγὼ οὐδέποτε, &c.] Similia 1 Macc. 2. 19. Vide, & nota non ἐ dictum, ſed οὐδέποτε. Donat. ad Terent. NEQUAM *plus habet negationis quam* NON.

Com. 37. ἀδημονεῖν] Heſychius, Ἠδημόνησεν, ἐξεκάη-σεν.

Com. 38. περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου] In Græco Jonæ 4. 9. Σφόδρα λελύπημαι ἐγὼ ἕως θανάτου. Vide & Sirac. 37. 2.

Com. 40. οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι μετ' ἐμοῦ;] In Plautina Truculento,

Non quis paruumper durare, opperirier?

μία ὥρα hic eſt quod alibi βραχύ τι & ὀλίγον τι. Vide Apocal. 17. 12. & 18. 16.

Com. 41. γρηγορεῖτε καὶ προσεύχεσθε] ἐνεκαλλώπισε γὰρ ὁ τοιμαίνων, Philo in de legatione. Petrus 1. 4. 7. σωφρονήσατε, καὶ εἰς τὰς προσευχὰς νήψατε dixit. Paulus τῇ προσευχῇ γρηγορεῖτε προσπαρακείμενοι, Coloſſ. 4. 2.

Sequitur, τὸ μὲν γὰρ πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενὴς] Ἡ σὰρξ κατὰ τὸ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός, ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις, Galat. 5. 17. Confer & Rom. 7. 15, 18, 19.

Com. 42. γενηθήτω τὸ θέλημά σου.] Nimirum hoc erat, non (quod Romanus Stoicus dixit) *patienter excipere fatum, & imperata facere*, ſed (quod alibi Idem, & quod longe gratius perfectiuſque) *non tantum Deo parere, ſed & aſſentiri.* In verſu Græco,

Μή μοι γένοιθ' ἃ θέλεμ', ἀλλ' ἃ συμφέρει.

Com. 45. καθεύδετε λοιπὸν] Vulgat. *dormite jam*; i. e. de cætero. Apuleius utrumque conjunxit in Apologetico, *Ac jam de cætero quo ſapius, eo apertius delinquit.*

Com. 48. Κρατήσατε αὐτόν] Apud Propertium,

Arripite hunc, inquit, nam bene noſtis eum.

Com. 50. ἐφ' ᾧ πάρει;] Apud Virgilium,

Fare, age, quid venias? ——

Act. 10. 21. τίς ἡ αἰτία δι' ἣν πάρει; Sophocl.

Τί δ' ἐξεφοίτας; ἢ τί βουληθεὶς πάρει;

Heſychius, Ἐφ' ᾧ πάρει; ἐπὶ ποίῳ σκοπῷ πάρει ἢ παραγέγονας ἐντυχῶν; Anonymus apud Suidam, Τίνα λόγον ἔχεις πρὸς ἐμὲ φίλ' ἔχων πάρει; Herodot. Polymn. πυθόμενοι ἐφ' οἷς ἦλθον. In Græco Zachariæ 1. 21. τί ἔρχη ποιῆσαι;

Com. 52. ἀπόστρεψόν σου τὴν μάχαιραν εἰς τὸν τόπον αὐτῆς]

—— *claude vagina impium*
Enſem. ——

Senec. Theb. In fabulis Phædri,

Conde ferrum, & linguam pariter futilem.

Heſych.

Ἐγκολαύσατο, εἰς τὸ κολεὸν κατέθετο τὸ ξίφος.

Poſt, πάντες γὰρ οἱ λαβόντες μάχαιραν, &c.] Capitolinus in Gordiano 3. *Quod de Cæſare memoria traditum eſt, hoc etiam de Gordiano Cordus eveniſſe ſcribit: nam omnes quicunque illum gladio appetiverunt, &c. poſtea interemptis Philippis, ſua manu ſuiſque gladiis, & iiſdem quibus illum percuſſerant, interiiſſe dicuntur.* Flaccus apud Philonem relegatus, ærumnaſque deflens ſuas, Ἀνεῖλόν πινας, καὶ ἀναιρεθήσομαι παρ' ἐμοῦ. Confer 1 Sam. 15. 33.

Com. 53. ἢ δοκεῖς ὅτι οὐ δύναμαι ἄρτι παρακαλέσαι τὸν πατέρα μου, καὶ παραστήσει μοι, &c.] Arrianus ſub perſona Tyranno libere reſpondentis, Ἐμοὶ ὁ Ζεὺς ἐλευθέριον ἀφῆκεν, ἢ δοκεῖς ὅτι ἐμοῦ τὸ ἴδιον ἐᾶν καταδουλοῦσθαι; quæ & ſenſu & loquendi forma non multum abludunt: ſic ἢ δοκεῖτε, & Jacobus 4. 5. & Sophocles apud Priſcianum.

Com. 56. τότε οἱ μαθηταὶ πάντες ἀφέντες αὐτὸν ἔφυγον] Ita fieri amat: Dominum de vita periclitantem plerumque famulitium deſerit. Exempla in Claudio, Nerone, Galba, Pertinace, &c. apud Tacit. Suetonium, Joſephum, Capitolinum, alioſque occurrunt. Curtius de Dario R. jam ad incitas relacto, *Tum vero cuſtodia ejus aſſueti, quos Regis ſalutem vel periculis vita tueri oportebat, dilapſi ſunt, armatis quos jam advenare credebant haud ſe pares futuros rati.*

Com. 57. οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι] Diſpiciamus an ſtudio, & ob eruditionem (uti vere admirandus Vir cenſet) Scribæ ſenioribus præponantur, an potius κατὰ τὸ ἀξίωμα· apud Marcum enim 15. 1. Luc. 22. 66. & Actor. 6. 12. verſo ordine occurrunt.

Com. 58. ὁ δὲ Πέτρος ἠκολούθει αὐτῷ ἀπὸ μακρόθεν]

—— *longe veſtigia ſervans.*

Vide Pſalm. 58. 11. Et vere quidem hoc fuit ἀπὸ μακρόθεν ἀλλὰ τὸ φόβου πολύ, Apoc. 18. 10. nam etſi amor magnus, major metus ejus. Apud Heliodorum ille, Ἐγὼ δὲ περίφοβον ἐμαυτὸν ἐπὶ πολλῷ λόφῳ, θεὸν κηδεμόνα ἐμαυτῷ κατέστησα. Quid aliud Petrus? Cogitat de magiſtro quidem, ſed ſibi conſulit: cupit ſalutem Domini, ſed ſuam præfert: Jeſum periculis liberatum optat, interim ſe in tutum recipit.

Ibid. ἐκάμφθη μὴ τὸ ὑπηρετῶν ἰδεῖν τὸ πλοῖον] Jonæ 4. 5. Ἐκάθητο ὑπαυλαίτο αὐτῆς (σκιᾶς) ἕως ἂν ἴδῃ τί ἔσται τῇ πόλει. Philo ubi de Moſe expoſito, Τὸ φιλοικεῖν παῖδας μικροὺς ἄνθρωπον ἐπαφροδίτως τὸ ὑποβεβιμένον· legendum μακρὰν ἄνθρωπον· confer Græcum Exodi 4. 2. Sirachides 37. 11. de inſidiatore, Στήσεται ἐξ ἐναντίας ἰδεῖν τὸ συμβεβιμένον. Vide & 2 Reg. 2. 7.

Com. 62. οὐδὲν ὑποπτεύομεν;] *Tacemibus nihil credimus*, Lactantius 5. 20. Quintilian. 4. 2. *Narravit accuſator*, &c. *exſpectas naturaliter Judex quid narretur à nobis: ſi nihil exponimus, illa eſſe quæ adverſarius dixit, & talia qualia dixit, credat neceſſe eſt.*

Com. 64. καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως] Quod Hebr. 1. 3. ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης. Ibidem 8. 1. ἐν δεξιᾷ δὲ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης· & 12. 2. ἐν δεξιᾷ δὲ Θεοῦ θρόνου. Vide & 1 Petr. 3. 22. Epheſ. 1. 20, 21. καθῆσθαι ἐκ δεξιῶν jus filii notat. De Minerva Jovis filia ex Pindaro Ariſtides, Δεξιὰν τῆς χεῖρα ἔχουσαι καθεζομένην.

Com. 65. Τότε ὁ ἀρχιερεὺς διέρρηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ] Ingenti ex audita blaſphemia indignatione oborta. Vide 2 Reg. 18. 19. Quæ huic de luctu afferuntur ad rem non faciunt. Seneca, *Quid opus eſt, inquit Hieronymus, cum velis cadere aliquem prius labia tua mordere? Quid ſi ille vidiſſet deſilientem de Tribunali Proconſulem, faſces licitori auferentem, & ſua veſtimenta ſcindentem quia tardius aliena ſcindebantur?* Capitolinus de Maximino, *Incurrere in parietes, veſtem ſcindere, gladium arripere, quaſi omnes poſſet occidere.* Qui loci ex iis non ſunt qui ſe vulgo exhibent; nam ut in *luctu* veſtigia moris hujus non infrequentia ſunt, ita in *ira* (ut hoc Euangelii loco) occurrunt rarius.

Ibid. Τί χρείαν ἔχουσι μαρτύρων; ἀμέσατε τὴν βλασφημίαν αὐτοῦ] Auctor qui ſub nomine Ciceronis in Salluſtium circumfertur, *Ubi rerum teſtimonia adſunt quid verbis opus?* Virgilius,

Cernis ut inſultent Rutuli? ——

ubi Servius, *Ad augendam invidiam, ait* CERNIS, *ac ſi diceret, Non eſt opus narratione, cum Trojanorum miſerias ipſe conſpicias.*

Com. 66. Τί ὑμῖν δοκεῖ;] Bene vir ſummus, *Ut Princeps Senatus ſententias exquirit:* & ita ad Senatum Conſul apud Vopiſcum, *Audiſtis P. C. literas Aur. Val. Probi. De his quid videtur?* nec male illuſtrari poſſunt hæc verba ex Donato, qui ad Terentii ea

Quid tu ais? ——

Eo vultu (inquit) *dicitur quo videmus loqui eos qui interrogant geſticulante vultu quid ſentiant de conſilio ſuo quos ſciunt approbaturos eſſe:* apte, ſive heic Iudicem reſpicimus, ſive circumſtantem coronam.

Sequitur, οἱ δὲ εἶπαν, ἔνοχος θανάτου ἐστί]

Conſenſere omnes, & quæ ſibi quiſque merebat
Unius in juſti exitium converſa tulere.

Confer Ierem. 26. 11. Gloſſ. Ἔνοχος, *Obnoxius, reus, obligatus.*

Com. 67. οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν] Ῥαπίζειν eſt quod Gellius *palma verberare & depalmare* dixit: nec debuit heic Vetus à recentiore reprehendi.

Com. 69. καὶ σὺ ἦθα μετὰ Ἰησοῦ] *Illius ſequax fuiſti.* Vide Iohan. 18. 25. Aut, *fuiſti à partibus illius:* quo ſenſu εἶναι μετά τινος ſupra 12. 30. occurrit, & εἶναι σύν τινι Act. 4. 13. & 14. 4.

Com. 70. οὐκ οἶδα τί λέγεις] Credibile eſt hæc vultu ſonoque vocis commotiore prolata fuiſſe, quaſi diceret, *Auferte hinc, inepta, quas nugas blateras?* Apud Suidam, Ὁ ΥΚ ΟΙΔ' Ὁ ΚΡΩΖΕΙΣ, ἐπὶ τοῦ μάτην θρυλλούντων ἃ οὐ προῖδεν.

Com. 73. οἱ ἑστῶτες] Id eſt, παρεστῶτες· οἱ ἐνεῖ ſupra com. 71. vel (ut infra 27. 47.) οἱ ἐκεῖ ἑστῶτες. Sic Iohan. 12. 29. ὁ ἑστὼς ὄχλος· Act. 22. 25. τὸν ἑστῶτα ἑκατόνταρχον· & Ioh. 18. 18. ἑστῶτες.

Ibid. ἡ γὰρ λαλιά σου δῆλόν σε ποιεῖ] Putet quis hanc ſententiam eſſe, Etiam inconſtantia tua, dum modo hoc, modo illud dicis, culpæ te manifeſtum arguit. Apuleius 10. *Ingens exinde verberonem corripit trepidatio, &c. tunc pedes incertis alternationibus commovere; modo hanc, modo illam partem ſcalpere capitis, & ore ſemiclauſo neſcio quas affamias effutire, ut nemo eum prorſus à culpa vacuum merito crederet.* Sidonius 4. 12. *Quanquam eſſet trepidus & ſternax, & præ reatu balbutiret.* Herodotus 2. πλανᾶται ἐν τῷ λόγῳ, καὶ ἡ τοῦ ἀληθέος λέγοντος. Sic apud Ammianum Marcellinum *varia præ timore loqui.* Sed verius eſt λαλιὰς voce *idiuma* indicari. Tertullianus 4 contra Marcion. *Si hominem alterius gentis probare voluiſſes, utique de proprietate loquela probares.* Vide Act. 2. com. 6. & ſeqq. Marcus diſerte, ἡ γὰρ Γαλιλαία ἐστί, καὶ ἡ λαλιά σε ὁμοιάζει.

Com. 74. Τότε ἤρξατο καταθεματίζειν, καὶ ὀμνύειν] Apuleius 2. *Quamque ſanctiſſime poterat adjurans cuncta Numina, tantum ſcelus abnuebat:* quibus eadem quæ heic conſtantia, etſi non res, exprimitur: eſt enim καταθεματίζειν, *devovere ſe, male precari ſibi:* quam vocem Vetus doctiſſime *deteſtari* vertit. Horatius,

Diris agam vos, dira deteſtatio
Nulla expiatur victima.

Com. 75. καὶ ἐμνήσθη ὁ Πέτρος, &c.] Οἱ ἐυγνώμονες τῶν ἐγκλημάτων ταχέως διορθοῦνται τῶν ἁμαρτημάτων, Chryſoſtomus Homil. 53. ad Pop. Antioch. Illico ubi concidere conſurgunt, & elevationem proinus meditantur ab ipſo lapſu, pernicitate pœnitudinis tam velox eſt reſurgentium remedium, ut vix appareat collapſorum veſtigium.

Sequitur, καὶ ἐξελθὼν ἔξω, ἔκλαυσεν] Hic mos lugentium. Plutarchus, Ἔξω καθῆστο, σκυθρωπὸν ἔχων. Ioan. 20. 11. Ἔξω ἔκλαιεν. Plinius Epiſtolarum lib. 3. de Fannia Pæti uxore, *Cum diu cohibita lacrymas vinceret, erumperentque, egrediebatur, tum ſe dolori dabat.* Curtius de Alexandro occiſo Clyto, *Solitudo illi pœnitentiam exciebat.*

WIL-

Digitized by Google

WILHELMI KLEBITII

DE

BUCCELLA INTINCTA

Quam comedit JUDAS Proditor,

An fuerit panis Euchariſtiæ.

PRÆCIPUUM quod hic quæritur, conſiſtit in eo, An Judas interfuerit Euchariſtiæ cum reliquis Apoſtolis, vel an exierit ante inſtitutam à Chriſto Euchariſtiam. Ut autem hoc dexterius explicari poſſit, ordine quædam hic conſideranda ſunt. Videlicet primo, quod Chriſtus ea nocte Euchariſtiam inſtituerit qua cum diſcipulis comedit agnum Paſchalem, Matth. 26. Marc. 14. Secundo notandum eſt, eſum agni Paſchalis præceſſiſſe inſtitutionem Euchariſtiæ, Matth. 26. & Marc. 14. & buccellam intinctam diligenter diſcernendam eſſe à pane Euchariſtiæ: nam buccella intincta quam comedit Judas non fuit panis Euchariſtiæ, ſed fuit panis agni Paſchalis. Nullus enim Euangeliſta ait panem Euchariſtiæ fuiſſe intinctum, quia de hoc pane dicunt Euangeliſtæ, *fregit & dedit*, non inquiunt, *fregit & intinxit*. Auguſtinus quoque tract. 62. in Johan. ait illos *negligenter legere, qui per* buccellam intinctam *intelligunt panem Euchariſtiæ*. Idem Auguſtinus ſentit per *buccellam intinctam* ſignificatam fictionem, quia non omnia quæ tinguntur, abluuntur. Inepta igitur eſt opinio illorum qui per *buccellam intinctam* putant ſignificatam hoſtiam quam intingit in calice ſacrificulus, ſicuti legitur in Gloſſa Ordinaria, quia nimirum intincta ſint dulciora. Eccleſia quoque reprehendit conſuetudinem illorum qui panem intinctum dederunt communicantibus. Omnes Euangeliſtæ fere dicunt quod Judas manducarit panem intinctum, ſed nullus Euangeliſta ait quod Judas manducarit panem Euchariſtiæ. Poſtea diligenter obſervari debet, quod poſt ſumptam offulam Satan ſit ingreſſus in Judam, Joh. 13. & quod Chriſtus dixerit, *quod vis facere, fac cito*, & quod Judas ſtatim exiverit, neque ullum Euangeliſtam narrare Judam ab illo egreſſu reverſum fuiſſe ante inſtitutionem Euchariſtiæ: an cogitabimus Chriſtum fruſtra dixiſſe, *quod vis facere, fac cito*? Theophylactus certe ex his verbis hanc admonitionem colligit, ut infideles mature ſegregemus antequam inchoetur Communio. Et ex hac obſervatione colligit Wolfgangus Muſculus etiam Theophylactum ejus fuiſſe ſententiæ, quod Judas exierit ante inſtitutionem Euchariſtiæ. Hilarius ſic argumentatur, *Chriſtus finita cœna prædixit ſe cum diſcipulis ſuis bibiturum de fructu vitis in regno patris ſui; Atqui cum Juda non bibit de fructu vitis in regno patris ſui: Ergo Judas non interfuit*. Et etiamſi cæteri Euangeliſtæ non expreſſe mentionem faciant quando exiverit Judas, tamen in ſubſequentibus ſatis indicant, Judam ſtatim poſt eſum agni Paſchalis egreſſum eſſe. Quia nimirum poſtea narrant quod Chriſtus dixerit diſcipulis, *hac nocte vos omnes offendemini*, quæ verba non erant dicta Judæ. Etiam Paulus 1 Corinth. 11. nullam Judæ mentionem facit. Confirmavi buccellam intinctam non fuiſſe panem Euchariſtiæ, ſed panem agni Paſchalis; demonſtravi eſum agni præceſſiſſe Synaxin; oſtendi ſumpta buccella Judam ſtatim egreſſum: ex his conſequi manifeſtiſſime ſpero, Judam proditorem Euchariſtiæ non interfuiſſe. Neque enim ullum dicturum exiſtimo quod Apoſtoli poſt panem Euchariſtiæ comederint alium panem intinctum, cum Euangeliſtæ luculenter narrent, Chriſtum poſt ſumptam ab Apoſtolis Euchariſtiam ſtatim concionem habuiſſe, & quod hymnum cecinerint. Confirmata ſic propoſitione, nunc reſtat ut argumenta partis adverſæ examinemus.

Argumentum I.

Euangeliſtæ dicunt quod omnes duodecim Apoſtoli menſæ accubuerint; Ergo & Judas menſæ aſſedit. Reſp. Hoc narrant Euangeliſtæ de convivio agni Paſchalis, quod præceſſit eſum Euchariſtiæ. Nam omnes ſimul aſſederunt menſæ, ſed non omnes ſimul ſurrexerunt de menſa; quod inde ſaltem manifeſtum eſt, quia quando Chriſtus exiguo tempore fuit in horto, venit Judas cum cohorte, tribuno, principibus ſacerdotum, magiſtratu, ſenioribus templi, ſcribis & miniſtris, cum facibus, gladiis & fuſtibus, Matt. 26. Mar. 14. Johan. 18. Et quia talem exercitum tam cito colligere non potuit, neceſſario ſequitur, Judam proditorem multo citius ſurrexiſſe de menſa quam reliquos Apoſtolos: *Et euntibus ſecum diſcipulis in hortum dixit Chriſtus, Hodie vos omnes offendemini*, quod ad Judam referri profecto nequit.

Argumentum II.

Judas interfuit lotioni pedum, & lotio pedum ſubſecuta eſt Euchariſtiam; Ergo Judas etiam interfuit Euchariſtiæ; quia Johannes cap. 13. ait quod facta cœna ſurrexerit Chriſtus ut lavaret diſcipulis pedes. R. Solutio argumenti conſiſtit in participio *facta*. Hic primo notandum eſt, codices variare. Nam Eraſmus legit, γινομένου δείπνου, *cum fieret cœna*, in præſenti; alii codices legunt, γενομένου δείπνου, *facta cœna*. Atque Auguſtinus, teſte Eraſmo, hoc non de peracta cœna, ſed de cœna inchoata exponit, ſicuti in illis phraſibus enallage temporis eſt, *factum eſt dies primus & ſecundus*, etiamſi nondum conſummatus ſit dies. Oſiander quoque in Harmonia ſua de cœna inchoata hæc verba intelligit, & ait Judæis uſitatam tunc fuiſſe lotionem pedum, ſicuti jam multis in locis odora aqua convivæ ad accubitum menſæ invitantur. Hæc expoſitio placet etiam Eraſmo. Etiam Papiſtæ non negant eſum Euchariſtiæ ſecutum eſſe poſt lotionem pedum. Nam illi ſacramentum lotionis prius celebrant ante Communionis diem. Petrus Comeſtor recenſet, quod quidam exiſtimarint lotionem pedum fuiſſe celebratam, non in nocte ultimæ cœnæ, ſed in alia quadam nocte priori, quia Johannes ait 13. cap. ante feſtum factam pedum lotionem. Et agnum Paſchalem manducatum dicunt alii Euangeliſtæ primo die feſti. Verbum diligentes interpretes oſtendunt terminis illis, *primo die feſti*, & *ante feſtum*, idem tempus denotari. Theodorus Beza ait *plurima & meliora exemplaria habere aoriſtum ſecundum*, ideoque finita cœna agni Paſchalis Chriſtus ſurrexiſſe ſentit de menſa ad lotionem pedum; quod etſi veriſimile videatur, tamen ſententiæ meæ prin-

principali nihil adverſatur. Atque tunc videtur hic fuiſſe rerum geſtarum in ultima nocte ordo, 1 Eſus agni Paſchalis, 2 Lotio pedum, 3 Porrectio buccellæ intinctæ, 4 Egreſſus Iudæ, 5 Inſtitutio Euchariſtiæ, 6 Concio, 7 Hymnus, 8 Precatio in horto. Verum cum Iohannes poſt lotionem faciat mentionem buccellæ intinctæ, veriſimilius videtur, Eſum agni ſecutum eſſe poſt lotionem pedum. Si quis velit contendere Iohannem per verba illa, *facta cœna*, intelligere Euchariſtiam, tunc narrationem Iohannis contrariam faciet narrationi aliorum Euangeliſtarum, qui omnes dicunt eſum agni Paſchalis præceſſiſſe Euchariſtiam.

Argumentum III.

Euangeliſta Lucas, quem omnes ſcriptorem fatentur eſſe hiſtoricum, monſtratum fuiſſe dicit proditorem à Chriſto poſt finitam Euchariſtiam. Ergo Iudas interfuit Euchariſtiæ. R. Argumentum hoc ſolvi poterit ex regula quam docet Auguſtinus quæſt. 92. ſuper N. Teſtamentum, ubi inquit, *multa noviſſima ordinari quæ antea facta probantur*. Clariſſimus vir Wolfgangus Muſculus in Locis ſuis per hanc regulam exponit narrationem Lucæ. Hæc regula pulcre declarari poteſt per Euangeliſtam Marcum, qui ait Chriſtum hæc verba, *hic eſt ſanguis meus*, locutum poſtquam biberint diſcipuli ex calice: verum cum alii Euangeliſtæ dicant Chriſtum hæc verba enunciaſſe antequam biberint ex calice, non dubitamus Marcum ea narraſſe poſterius quæ erant facta prius. Sic cum alii Euangeliſtæ narrent Iudam demonſtratum à Chriſto ante inſtitutionem Euchariſtiæ, & cum Lucas iſtud dicat factum poſt Euchariſtiam, non dubitare debemus à Luca illa poſterius recenſeri quæ prius facta fuere. Eraſmus in narratione illa Marci hanc regulam admittit. Quomodo igitur non potius locum habebit in hac Lucæ narratione? Lucas in exordio Euangelii ſui ait, quod Euangelium ſuum acceperit ab iis qui fuerunt miniſtri & inſpectores ſermonis, ideoque tutiſſimum eſt Lucam exponere per alios Euangeliſtas qui præſentes fuere. Nam Lucas (ut Iohannes & Matthæus) non interfuit Euchariſtiæ. Quod nequaquam ſic accipi volo quaſi Lucæ autoritatem extenuare oporteat. Nam expoſitio unius Euangeliſtæ per alium, non extenuatio, ſed declaratio dici debet. Qui verba unius teſtis per verba teſtium duorum declarat, ille teſtis unius autoritatem nequaquam elevat, ſed potius æqualem autoritati aliorum conſtituit. Rupertus quoque Abbas Tuicienſis cauſam adfert quare Lucas continua ſerie narraverit eſum agni & Euchariſtiæ inſtitutionem, quia videlicet ſolus Lucas mentionem faciat deſiderii illius quo Chriſtus deſideraverit Paſcha comedere cum diſcipulis ſuis, & propter hujus deſiderii completionem ait Lucam continua ſerie conjunxiſſe deſcriptionem agni Paſchalis & inſtitutionem Euchariſtiæ. Et frequens hoc eſt hiſtoriographis, ut res principales conjunctim narrent, & rem minus principalem poſtremo recitent, etiamſi ordine temporis præceſſerit. Et alias à Luca ſeriem ordinis neglectam eſſe ex narratione tentationis Chriſti conſtat. Nam quando Matthæus cap. 4. tentationem adorationis in fine collocat, Lucas tentationem de præcipitatione è pinnaculo templi in fine ponit; cumque utrique conſentientes dicant diabolum poſt tentationem de adoratione reliquiſſe Chriſtum, liquido apparet ordinem non obſervatum à Luca. Et in narratione de rebus geſtis in ultima nocte Lucas etiam in aliis diſcrepat à reliquis Euangeliſtis quoad ordinem. Nam verba Chriſti quibus promittit ſe poſtea cum diſcipulis bibiturum de fructu vitis in regno Patris, ante initium cœnæ narrat Lucas, quæ alii Euangeliſtæ ſubjiciunt Euchariſtiæ. Vaticinium Chriſti de ſcandalo Matthæus & Marcus omnibus diſcipulis dictum narrant, Lucas Chriſtum cum ſolo Petro locutum ait. Matthæus & Marcus narrant hoc vaticinium factum in horto, Lucas narrat factum hoc eſſe in domo ubi comederant Paſchalem agnum. Ex hac diverſitate apparet ordinem ſæpiſſime neglectum à Luca. Et Iohannes Calvinus in Harmonia ſua teſtatur ſeriem temporis quando exierit Iudas ex narratione Lucæ non poſſe certo probari. Et Miniſtri Eccleſiæ Magdeburgenſis fatentur in opere Hiſtoriæ incertum eſſe quando Iudas exierit. Iam ſi illud incertum eſt, mirum eſt cur ex re incerta dogma fidei conſtituant, & etiam in Catecheſi pueris inſtillent. Neque ſcopum attingunt illi qui putant Iudam ſingulis Apoſtolis in ultima nocte bis fuiſſe monſtratum ante Euchariſtiam, ſemel in lotione pedum, & altera vice in eſu agni Paſchalis, poſtea finita Euchariſtia denuo ſingulis monſtratum, & Euangeliſtam Iohannem utramque poſteriorem demonſtrationem ſub una comprehendiſſe. Nam primo magna eſt differentia inter illam demonſtrationem cujus Iohannes meminit, & alteram quam Matthæus & Marcus deſcribunt. Johannes enim ait Chriſtum buccellam porrexiſſe in os Judæ, Matthæus vero & Marcus narrant quod ipſe Judas manu ſua intinxerit panem in paropſide. Johannes dicit ſibi ſoli demonſtratum proditorem, Matthæus ait quod in generis ſingulis iſtud ſignum intinctionis dederit. Ex his igitur ſatis apparet diverſiſſimas eſſe has demonſtrationes. Si autem quiſpiam cupiat ſcire quoties Chriſtus generaliter monſtrarit proditorem, non difficile erit iſtud invenire: nam Johan. 6. vocatus eſt *diabolus*, Johan. 12. vocatur *fur*, Johan. 13. vocatur *immundus*, Matth. 26. Marci 14. vocatur *proditor*. Deinde illam demonſtrationem proditoris admonendi cauſa à Domino adhibitam, ne ſe pollueret ſumptione Euchariſtiæ, non dubium eſt: quare igitur non judicamus illam præceſſiſſe Euchariſtiam? Ad argumentum hoc ex autoritate Lucæ ſumptum copioſius reſpondet Muſculus, qui dicit ſe *minime dubitare quin Judas exierit ante inſtitutionem Euchariſtiæ.*

Argumentum IV.

Judæ peccatum nondum fuit manifeſtum. Ergo Chriſtus admiſit Judam ad convivium cœnæ ut doceret nos ne excluderemus ab Euchariſtia occultos peccatores. R. Henricus Bullingerus lib. 6. cap. 9. contra Anabaptiſtas docet, peccatum Judæ non fuiſſe tempore Euchariſtiæ occultum, ſed manifeſtum. Primum enim notum fuit Chriſto. Deinde ſcelus illius non erat ignotum Phariſæis, cum illis enim fedus proditionis inierat contra Chriſtum. Significanter etiam ſatis monſtratus fuit Johanni. Potuit igitur Chriſtus contra illum producere teſtes facti. Et quando Miniſter ſcit alicujus ſcelus, & novit contra illum producere teſtes facti, impius eſt quando illi dat Euchariſtiam. Et non cogitandum eſt quod hic Chriſtus margaritas porcis dederit contra doctrinam ſuam. Deinde in hoc argumento nulla eſt ratio conſequentiæ.

Argumentum V.

Auguſtinus contra Fulgentium Donatiſtam inquit, *Judas accepit bonum Chriſti corpus, ſicuti Simon Magus accepit bonum baptiſma*, & ſuper Pſal. 10. ait Chriſtum primam Euchariſtiam Judæ dediſſe. R. Ad Auguſtini argumentum reſpondet Rupertus Tuicienſis, qui ait Auguſtinum in eo lapſum quod ſolum Lucam ſecutus aliorum Euangeliſtarum harmoniam non conſideraverit. Et Auguſtinum hiſtoriam Judæ non ſatis perpendiſſe vel inde patet, quod contra manifeſtam narrationem Matthæi putarit Iudam ſe ſuſpendiſſe poſt mortem Chriſti, quæſtion. 92. ſuper N. Teſtamentum. Et quod præſentiam Judæ defenderit, videtur potius *αἰγανικῶς* quam *διδακτικῶς* feciſſe. Cum enim Donatiſtæ urgerent rigorem Excommunicationis, Auguſtinus putavit eum rigorem nulla re poſſe magis debilitari quam ſi perſuaderet Iudam fuiſſe præſentem. Solent etiam ad confirmationem præſentiæ Judæ afferre vaticinium Davidis, *Qui comedit mecum panem, levavit calcaneum adverſus me.* Atqui ipſe Auguſtinus hoc vaticinium non de pane Euchariſtiæ, ſed de buccella intincta interpretatur; & poteſt exponi de quotidiano convictu quo Iudas uſus cum Chriſto.

Argumentum VI.

Omnes Patres ſentiunt Iudam interfuiſſe Euchariſtiæ. Ergo interfuit. R. Nego antecedens. Nam Hilarius, non infimus ex Patribus, expreſſe ait Iudam non interfuiſſe Synaxi. Zacharias Chryſopolitanus in Harmonia ſua idem docet. Innocentius tertius epiſcopus Romanus & Rupertus Tuicienſis etiam negant Iudam interfuiſſe Euchariſtiæ. Petrus quoque Comeſtor & Durandus in Rationali Divinorum eandem mecum ſententiam amplectuntur. Wolfgangus Muſculus & D. Albertus Hardenburgius Eccleſiæ Bremenſis Miniſter eandem ſententiam tuentur. Ita docuit Martinus Bucerus; & Ioachimus Vadianus in eam ſententiam inclinare videtur, ſicuti & Theophylactus. Theodorus Beza & Iohannes Ribittus idem docuerunt Loſannæ. Vide commentaria Bezæ in 13. cap. Iohannis.

Cau-

Digitized by Google

Concluſio.

Auguſtinus in libro De hæreſibus ſcribit *quoſdam dictos Caiinos eo quod Caiinum & Judam honorarint.* Et Tertullianus De præſcriptionibus hæreticorum narrat, quod *nonnulli gratias egerint Judæ*, quia nimirum puraverint poteſtates ſeculi voluiſſe impedire mortem Chriſti. Etiam Cerinthiani leguntur honoraſſe Iudam proditorem. Et vereor illos etiam nimium honorare proditorem qui illum non modo Synaxi interfuiſſe ajunt, ſed etiam verum ſanguinem Chriſti bibiſſe contendunt. His manifeſte contradicit Auguſtinus, qui ait *reliquos Apoſtolos comediſſe panem Dominum, Judam vero panem Domini contra Dominum.* Chriſtus inquit, *Qui edit carnem meam habet vitam æternam:* ſi Iudas comedit Chriſti carnem, quomodo deſcendit ad infernum? Dignum quiddam notatu eſt quod Beatus Rhenanus obſervat in cap. 7. lib. Tertulliani qui inſcribitur Apologeticus adverſus Gentiles. Nam in illo loco quidam ex adverbio *INDE* fecerunt genitivum ſecundæ Declinationis *JUDÆ*, ut videlicet Iudam retinerent convivam; ideoque mirari non debemus quod multi hodierno die defendant præſentiam Iudæ, quia multi ex illis ſunt fratres Iudæ.

Quæ ſit utilitas hujus quæſtionis?

Hæc quæſtio recte explicata invertit & ſuſpectam reddit totam arcem adverſæ partis; nam multoties Iudam in ore habent. Præterea hac quæſtione dextre declarata, corruit pernicioſa opinio illorum qui ex præſentia Iudæ conantur convincere Excommunicationis diſciplinam non eſſe neceſſariam.

De quibuſdam aliis notatu dignis circa hiſtoriam Judæ proditoris.

Cur *proditor Chriſti* vocatus eſt Iudas? A confeſſione ſic fuit dictus, quia confeſſus eſt ſe innocentem ſanguinem tradidiſſe. Cur dictus eſt *Iſchariota?* A tribu vel mercede, quia fuit mercator ſalutis & domini ſui. Habuitne Iudas uxorem & liberos? Habuit; quia Pſal. 108. prædixit David ejus uxorem & liberos fore viduam & orphanos. Cur Chriſtus elegit Iudam, quem præſcivit futurum malum? Ut nos patienter doceret vivere inter malos, teſte Auguſtino in Pſal. 32. Quomodo Chriſtus ſperavit in Iuda, ſicuti dicitur Pſal. 11? Sicuti eſurivit in fidelibus, ita in fidelibus ſperavit in Iuda. Quare poſt ſumptam buccellam intravit Satan in Iudam? Quia per hanc buccellam ſeparatus fuit à choro diſcipulorum, teſte Theophylacto. Fuitne antea Satan in ipſo? Fuit; quia etiam antea Satan illi inſpiravit ut traderet dominum ſuum. Cur igitur primo ſumpta offula dicitur ingreſſus? Quia tunc totum invaſit. Quare Chriſtus marſupium dedit avaro? Ut magis inexcuſabilis ejus eſſet avaritia, teſte Chryſoſtomo. Quare Chriſtus pecuniam quam ſolvit pro tributo, quæſivit in piſce? Quia in marſupio illo erant tantum pecuniæ pauperum, teſte Hieronymo ſuper 17. cap. Matth. Fueruntne in illo marſupio tantum pecuniæ pauperum? Fuerunt etiam in marſupio illo pecuniæ pro neceſſitate, teſte Auguſtino in 13 cap. Iohan. Quare Iudas ſeſe ſuſpendit? Quia ſimilis fuit Achitopheli, qui prodidit Abſaloni dominum ſuum Davidem, teſte Hieronymo ſuper 3 cap. Hieremiæ. Extendit quoque collum ad oſculum, ideoque æquum fuit ut collum extenderet ad laqueum. Quare crepuerunt viſcera? Quia fuerunt tumefacta maleficio, teſte Chryſoſtomo. Quare Chriſtus aſpiciens Iudam turbatus eſt ſpiritu? Quia, teſte Auguſtino, jam exiturus erat ad proditionis ſcelus; præterea ut ſignificaret ſe damnare Stoicos, qui dicunt in ſapientem virum non cadere perturbationem. Quare vendidit Chriſtum triginta argenteis? Quia unus ex illis valuiſſe decem putatur uſuales. Alii exiſtimant quod ex ſingulis decem denariis unum furatus fuerit, & ſic decem multiplicatis per triginta producuntur trecenta, & hoc pacto voluit recuperare pretium unguenti. Hæc habentur in Lilio miſſæ; cæterum de his dubitare non eſt hæreticum.

CAP. XXVII.

MUNSTERUS.

3. PO*Enitentia ductus*] Exemplum eſt Iudas iſte omnium reproborum, quos cum Satan diu per flagitia jactaverit, tandem aperiuntur oculi eorum, & incipiunt videre ſcelerum ſuorum atrocitatem, miſericordiam autem Dei non poſſunt videre; unde eo veniunt ut de animæ ſalute deſperent, & in gehennam præcipitentur. Quod autem Sacerdotes noluerunt *argenteos mittere in Corbanam*, notatur præpoſtera eorum religio, qui veriti fuerunt ponere *pretium ſanguinis* inter dona Dei, at ſanguinem innocentem fundere non horruerunt. Cæterum קרבן *corban* Hebraice, & קרבנא Chaldaice, ſignificant *munus* ſeu *donum*; ſicut & דם *dam* Hebraice, & דמא *dama* Chaldaice *ſanguis* eſt. Sunt enim plurima nomina Hebræis & Chaldæis communia, niſi quod Chaldæi in fine plerumque adjiciunt Aleph: ut ממון *mamon*, ממונא *mamona*; אנוש *Aenos*, & אנשא *Aenaſa*, *homo*. Sic infra גלגלת *Golgoleth* Hebraice, & גולגלתא *Golgoltha* Chaldaice, *caput rotundum* ſeu *cranium*. Eſt tamen hic חקל *hakal* Chaldæis proprium, pro quo Hebræi dicunt שדה *ſade*, vel חלקה *helka*, *ager*. Fuit proinde, ut jam ſæpe diximus, Chaldaica lingua Iudæis vernacula ab eo tempore quo ex Babylonica captivitate redierunt Hieroſolymam, uſque ad deſtructionem ejuſdem urbis; & Hebraicam linguam nemo niſi docti callebant. Et hinc eſt quod peregrinæ voces in Euangeliis fere omnes ſunt Chaldaicæ ſive Syriacæ.

9 *Quod dictum eſt per Jeremiam*] Scribitur iſta prophetia apud Zachariam cap. 11. & putant quidam nomen *Jeremiæ* à librariis adjectum, aut quod Zacharias fuerit binominis.

35. *Crucifixerunt eum*] Contradicunt ſibi ipſis Iudæi in hoc loco, negantes Chriſtum cruci affi um: cum tamen eum ubique contumeliæ nomine appellent תלוי *ſuſpenſum*. Et ne id de עץ *ligno* dictum prætexant, ſicut Lex cadavera occiſorum jubet in ligno uſque ad ſolis occaſum ſuſpendi, vocant crucem Chriſti non *lignum*, ſed propter formam ipſam שתי ערב, i. e. *ſtamen & ſubtegmen*. Sed audiant Hebraice docti quomodo hic Iudæi impugnent manuum pedumq; conclavationem; דגר וז לא היה בישראל להתאב המסמרים כנגלי ידי ורגלי אדם ותקעין בהן ואין נמצאו שאדם צוה להתאב במסמרים כצלבה מסיף וכיוצא בהן ואין נמצאו שאדם צוה להתאב במסמרים כצלבה כי אם להלוות את הכנוף ותזכור ע"י שני כי קללת אלהים תלוי· ואומרים חכמים שהאיש נתלה ואין האשה וכיוצא הנתלין אותה שסקלין אותו משקלין את הקורה בארץ ותקע יתא סבט וסקף שתי ידיו ו לו ותלין אותו סמוך לשקיעת החמה וסתירין אותו מיד ותקע שנתלה עליו נקבר עמו : ולי" גם רבותיכם הם אומרים שארבעים שנה קודם חורבן בית שני גלתה סנהדרין מלשכת פני שרבו הרצחנים ובטלו דיני נפשות מישראל· אבי" אין היה ביני אותיכם לחוש משחטו אלא חלט אל שופט פונציוש פילטוש ושאלו לו להמית אותו ושופט ההוא היה מרומים חופר קל ארץ יהודה ועל כן הוא כשראה המית המשיח ואין כשרצו החזירים וכן לא היה לחם מלשלח להורד נחתי חמתים טן צלבות עד שאנשי השמש : Senſus eſt, *Non fuit mos in Iſrael ut clavi figerentur in pedibus & manibus hominum lapidatorum atque ſuſpenſorum. Nam tradita ſunt quatuor genera mortis Judicibus, Lapidatio, Combuſtio, Occiſio, & Strangulatio. Occiſio fit gladio; & eſt lapidatio durior combuſtione, & combuſtio gravior gladio, & gladius durior ſtrangulatione. Non autem invenitur quod homo clavis figi debeat ad crucem, ſed ſuſpendendus eſt blaſphemus, & idololatra: & ſuſpenduntur in hunc modum: Poſtquam lapidaverint eum, demittunt ſtipitem in terram, è quo protenditur lignum, & conjunctis duabus manibus ſuſpendunt eum verſus occaſum ſolis, & ſolvunt eum paulo poſt; & lignum in quo ſuſpenſus fuit ſepelitur cum eo.* RESPONSIO MEA; *Etiam Rabbini veſtri aſſerunt* XL *annis ante Templi ſecundi everſionem poteſtatem judiciariam ſublatam, ob id quod homicidia invaluerunt, & enervaverunt judicia animarum de Iſrael. Unde non fuit in poteſtate eorum occidere Chriſtum noſtrum, ſed convenerunt Judicem Pontium Pilatum, à Romanis terræ Judææ præfectum; qui ut ipſe voluit, non Judæi, interfecit Chriſtum, ſicut & non fuit in poteſtate eorum auferre corpora crucifixorum, niſi ille annuiſſet.*

46. *Circa horam nonam clamavit*] Ut Chriſtus apud vulgares homines in omnibus vulgari lingua eſt uſus, h. e. Chaldaica ſive Syriaca, ita hic quoque in cruce lingua illa expreſſit hanc que-

querelam, *Eli, Eli, lama ſabachthani:* ſic enim habent omnia veruſta Latina exempl. una cum Græcis cod. pro quo Hebraice Pſal. 22. legitur, *Eli, Eli, lama* עזבתני *aſabthani.* Et capitur hoc dictum Domini ſimpliciter. Nam ſicut in monte Olivarum de calice ſupplicii, ita & hic queſtus eſt ſe in manibus impiorum ad omnem ipſorum libidinem à Patre derelictum, quanquam volens ſpiritu omnia perferret. Verus homo fuit, & veri hominis affectus habuit, & prodidit, ſed ſine peccato. Iudæi in Chriſti odio obſtinati ut in omnibus ita quoque hic magna irriſione calumniantur hanc vocem Chriſti, אלי אלי למה עזבתני רחק מישועתי דברי חמאתי והגני הואיל כי ישו בעצמו כותב שחמא ואתה תאמר כי אלהים הואי גם נמצא שישו היה מתלונן על מה שעזבו אלהיו אבי לא הציל צדיק כי כן אמר קהלת לא ראיתי צדיק נעזב ורשע מבקש לחם הקשה למים האמי כי ישו בא לפרוח העולם במיתה למה צעק לישוקי וכי שכח למה בא לשלם או אם כשהתיש הצרות נתם ונתחרט אבי רשע היה כן שעזב ומשל הדומם הזה מי שאין הקייכה חפץ בו תעזבו השרים לקחים אותי ועוד אם היה אלהים לכה קרא כן והלא כל הצרות כלן באות לו מרצונו וישחרו בעיניו ובהאכת קבל ככל ורצונו נעשה לו כדל ואמי ועוד כשעשה אלהים אדם אומרים המים נעשה שנים משמע והן אב ובן תרחמו והשב לו נאמרי הדבר כדברין כן תואה האב אשר לבן בני תמיעני ונעשה אדם אני ואתה ומדי חבן ולא רצה לעזר לאביו והאב עשה האדם לבוא בלי עזרה הבן ורבתי ויבואו דמי את האדם ולא נתוב ויבואו ויקנוף על בנו ואשר אם יבא חוש ותצטרך לעזרתי לא אעזור לך בשם שלא עזרתני וכשבא יסו תסקל ונתלה או צעק בקול סר אלי אלי למה עזבתני רחק מישועתי ובקש לו לעזרתי או אשר לו האב כשבקשתיך לעזרתי לעשות אותו מדדת ולא באת לעזרתי ותשוע לי ימיני ועשיתיו ולחך אף אחרת עזר לעצמך כי לא אעזוך: והלא אין הוא אשר ששוע קראו לעצמו חמאו ואין נכתב כמשמר הנזכר דברי חמאתי כאי דברי שגגתי ואין משיחנו התלונן על יהויו כי לעיל אשר אין רצוני כי אם רצונך יעשה אלא ברוחים האלה ואחרי שחוא נאמרי לקח מבע האדם שיכל לסבל יסורין ולמות רק בלא חמא והגרי כדי שתבין מובתו וגדל חסדו חוא התפלל בצליבתו גם בעד אויביו לחשוקי שחוא בא לחשוקי כלי האדם ואין חוא הדה נעזב מאלהים כאי ביום ג׳ קם ממתים לחיים גלי מתמהת תלי׳: Hæc cum blaſphemiæ ſint, convitia, contumeliæ, & obſtinati cordis, amaritudines, atque Satanæ virulentæ ſuggeſtiones, nolui pias aures eorum verſione gravare. Docti tamen qui Hebraice ſciunt non offendentur quod has blaſphemias hic audeam ſcribere; quin magis eorum lectione ſeſe armabunt contra inimicos crucis Chriſti, ut ſi cum illis congrediendi occaſio offeratur, antea ſciant quibus telis nos petere ſoleant. Ne tamen ſibi in his dictis complacerent perditi homines, adjeci meam reſponſionem, Chriſti gloriam pro mea virili vindicans. Cæterum ad illud argumentum quod hic inducunt, כשם שהבשר והנשמה יחד הם אדם כן אחריו מאדם הם מתו אבל כן כשנאמר האדם נחיה גם האלהים: i. e. *Si Chriſtus fuit Deus & homo, ſicut homo eſt corpus & anima, & homo mortuus eſt, ergo & Deus mortuus eſt*, ſupra reſpondimus, ubi de fide Iudæorum ad longum diſſeruimus.

50. *Efflavit ſpiritum*] Ubi ſpiritus Chriſti corpus reliquit, conceſſit in paradiſum; ubi ſecum futurum & latronem illi promiſerat. Et proculdubio omnes electos qui à principio mundi in Domino obdormierant, & illum exſpectaverant, illic invenit, & ſua præſentia lætificavit. Corpus vero è cruce depoſitum *deſcendit ad infernum*, h. e. ſepulcrum. Sic enim capitur שאול in Scriptura, juxta illud Patriarchæ dictum, *Deſcendam ad infernum lugens:* &, *Non relinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem: ubi animam non relinqui in inferno*, & *ſanctum non videre corruptionem* pro eodem capiuntur, nempe *non relinqui in morte. Deſcendere* itaque *ad infernum* nihil aliud eſt in Scriptura quam Corpus recondi ſub terra. At *deſcendere ad gehennam*, vel *ad infernum inferiorem*, eſt Deſcendere ad perpetuam damnationem. Itaque quando Deus dicitur pro nobis Filium ſuum detruſiſſe in infernum, nihil aliud eſt quam quod vere illum mori voluit ut per mortem ejus nos à morte liberaremur, & revocato ipſo rurſus à mortuis nihil dubitaremus & nos ad beatam immortalitatem revocandos. Quod autem in Chriſti morte *velum ſciſſum* fuit, videtur ſignificare abrogatas ceremonias Legis, & irritum factum Teſtamentum Vetus, cum jam Novum Fœdus morte ejus eſſet confirmatum.

V A L L A.

19. S *Edente autem pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, Nihil tibi juſto illi: multa enim ſum paſſa hodie per viſum propter eum*] Quis putaſſet idem eſſe hoc *viſum*, & illud ſuperius 1. 20. *Ecce angelus Domini in ſomnis?* & iterum 2. 19, 22. *Et reſponſo accepto in ſomnis*, κατ' ὄναρ. Neſcio ſicubi reperi *viſum* pro eo quod eſt *in ſomnis.* Nam illud diverſum eſt in Actibus Apoſtolorum 12. 9. *Exiſtimabat ſe viſum videre*, ὅραμα. Virgilius,

In ſomnis ecce ante oculos mœſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi,

Alibi,

Hoc viſum nulli, non ipſi effata ſereni.

Hoc vigilanti contigerat, illud dormienti. Ergo *viſum* vigilantis eſt, ut apud Ciceronem in Lucullo, ubi ait, *Viſum pro phantaſia ſatis ab heſterno ſermone.* Niſi dicimus non eſſe hoc nomen Græcum *in ſomnis*, ſed *ſomnium*, unde illud Homericum,

Καὶ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν,

i. *Et ſomnium à Jove eſt.* Certe dicendo *viſum* vix aliquis ſentiat fuiſſe ſomnium. Quod ut omnes intelligerent, tot verba feci. Illud autem niſi occurriſſet, quia toties admonui, non admonerem fuiſſe dicendum, *miſit ad eum uxor ſua.*

22. *Quid igitur faciam de Jeſu qui dicitur Chriſtus? Dicunt omnes, Crucifigatur*] Tres codices Latinos & totidem Græcos habeo cum hæc compono; & nonnunquam alios codices conſulo; & cum in omnibus Græcis legam *dicunt ei omnes*, tamen illud *ei* in nullo Latinorum lego, *autem.*

24. *Vos videritis*] Ὄψεσθε. Eleganter dixit Interpres *videritis* pro *videbitis*, à *videro*, non à *viderim*: ut apud Ciceronem, *Ego videro*, i. *ego videbo.* Nam idem eſt verbum quod illic. 28. 7. *Ibi eum videbitis*, ὄψεσθε.

28. *Et chlamydem coccineam circumdederunt ei*] Neſcio cur dicatur *coccinea* potius quam *coccina*, ut Græce eſt, κοκκίνην· & Latine ſic dicitur, ut apud Iuvenalem, *Et coccina lana.* Et ratio poſtulat; quia *coccus* Græce *granum* eſt Latine, unde debet fieri *coccinus*, non *coccineus.* Reor autem *coccinam veſtem eſſe* quæ tincta eſt ex eo quod vulgo *grana* vocant.

29. *Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus*] Non teneo memoriæ an hoc verbum uſquam Latine legerim. Nam venit à Græco πλέκω, quod pene idem eſt quod noſtrum *plico:* etſi in Pſalmis transferatur *concinno*, Pſal. 58. 3. *Injuſtitias manus veſtræ concinnant*, συμπλέκουσιν. Tamen q. Lat. eſſet invenio ab eo derivatum nomen *plectilis*, ut apud Plautum in Bacchidibus, *Pro galea ſcapinum, pro inſigni ſit corona plectilis.* Et apud Val. Martialem l. 2. Epig. *Cum corona plectili.* Neque apud Poetas tantum, ſed in proſa quoque oratione, ut apud Aul. Gellium, *Lauream plectilem*, q. ſertum è lauro, & ſertum in coronam circundatum. Ab hoc eodem verbo fit, ut puto, *perplexum:* unde apud Terentium in Eunucho, *Pergin' ſceleſta mecum perplexe loqui?* Cui ſimilis nunc vox eſt Euangelii, πλέξαντες, participium præteriti activum, h. e. *Poſquam è ſpinis concinnarunt*, ſive *complicuerunt*, ſive *plexuerunt*, *impoſuerunt capiti ejus.*

31. *Et duxerunt eum ut crucifigerent*] Ego mallem, ut Græce eſt, dicere, *Et duxerunt eum ad crucifigendum*, εἰς τὸ σταυρῶσαι· nam ſic videtur ſignificari quo ductus eſt.

34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*] Græce non *vinum* legitur, ſed *acetum*, ὄξος. Sed congruit cum illo ſequenti, v. 48. *& acceptam ſpongiam implevit aceto.*

39. *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua.*

40. *Et dicentes, Vah, qui deſtruit templum Dei, & in triduo illud readificas, ſalva temetipſum*] Non in Matthæo hæc eſt interjectio, ſed in Marco 15. 29. Hoc autem ſic transferendum eſt, *Qui deſtruis templum Dei, & triduo ædificas, ſalva teipſum:* ὁ καταλύων τὸν ναὸν, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις οἰκοδομῶν, σῶσον σεαυτόν.

42. *Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.*

43. *Confidit in Deo, liberet eum nunc, ſi vult.*] Gr. *Et credemus in eo*, πεποιθέναι ἐπ' αὐτῷ. Nec Græce legitur *nunc ſi vult*, ſed *ſi vult eum:* ἐὰν θέλῃ αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτόν.

56. *Et Maria Jacobi & Joſeph mater*] Legendum eſt *Joſe mater*, non *Joſeph*, de quo feci etiam ſuperius mentionem, Ἰωσῆ. Itidem in Marco, 15. 40.

61. *Al-*

62. *Altera autem die quæ eſt poſt Paraſceuen*] Non eſt Græce *altera*, ſed *poſtera* ſive *craſtina*: ſed ego maluiſſem dicere *poſtera autem die*, quod veteres dixiſſent, *poſtridie autem Paraſceues*, τῇ δὲ ἐπαύριον.

63. *Quia ſeductor ille dixit adhuc vivens, Poſt tres dies reſurgam*] Græce eſt temporis præſentis, *ſurgo*, ἐγείρομαι.

64. *Ne forte veniant diſcipuli ejus*] Mallem dicere, *nequando*, h. e. vel nocte vel die, μήποτε. ¶ *Et erit noviſſimus error pejor priore*] *Primo* transferendum fuit: πρώτης.

65. *Habetis cuſtodiam*] Cur potius *habetis* quam *habete*? nam utrumque ſignificat Græce. Nonne veriſimilius eſt Pilatum dixiſſe illis ut haberent cuſtodiam, quam quod habebant? Quid enim attinebat dicere hos habere cuſtodiam, qui ab eo petierant ut juberet cuſtodiri ſepulcrum? Ergo transferendum fuit, *Habete cuſtodiam*, ἔχετε κουστωδίαν. Sed forte melius *habetis* ſi de cuſtodibus intelligatur, q. d. *En habetis cuſtodes*. Nam in hunc ſenſum paulo poſt v. 66. accipit Interpres, *Signantes lapidem cum cuſtodibus*. Nam Græce non *cuſtodibus* dicitur, ſed *cuſtodia*, μετὰ τῆς κουστωδίας. Et iterum c. 28. 11. *Ecce quidam de cuſtodibus*, τινὲς τῆς κουστωδίας, *quidam de cuſtodia*. Idem nomen quod apud nos, i. Latinum, quo Græci Romano jam ſubjecti Imperio utebantur; qualia ſunt alia nonnulla, ut *Prætorium*, ut *Centurio*, ut *Cenſus*, ut *Denarius*. Sed cum tria ſignificet hoc nomen, inſpiciamus quid hoc in loco ſignificet, an Actum cuſtodiendi, an Cuſtodes, an Eum qui cuſtoditur, ut in Actibus Apoſtolorum 27. 1. *Tradi Paulum cum reliquis cuſtodiis*, δεσμώτας. Et iterum, v. 42. *Militum autem conſilium fuit ut cuſtodias occiderent*, δεσμώτας. Nam quartam ſignificationem vix addere audeo, & hoc accipi pro actu cuſtodiendi, ut apud Valerium, *Tiberanes in publica cuſtodia mori coactus eſt*. Itaque ſi dicimus, *Habete cuſtodiam*, poteſt accipi pro Actu cuſtodiendi & pro Cuſtodibus; ſin *habetis*, tantum Cuſtodibus, & forte etiam pro Cuſtodito. Item *ſignantes lapidem cum cuſtodia*, aut pro Cuſtodibus, aut pro Cuſtodito.

REVIUS in VALLAM.

29. P*Lectentes coronam*] *Non teneo*, inquit, *memoria an hoc verbum uſquam Latine legerim.* Ita ergo habeat ſtudioſus lector; Gemina ſignificatione hoc verbum apud auctores Latinos reperiri, primo pro *punire*, actum derivari à Græco πλήσσω vel πλήττω, deinde *nectere*, vel *implicare*, actum eſſe à πλέκω. De poſteriori dubitat Valla, itaque exempla afferam. Lucretius, l. 5.

Tum caput atque humeros plexis redimire corenis,
Floribus, & foliis laſcivia læta movebat.

Ovidius ad Piſonem,

Mobilitate pedum celeres ſuper orbibus orbes
Plectis, & obliquis fugientem curſibus urges.

Feſtus, *Plexa, Colligata ſignificat ex Græco*; *cui nos etiam præpoſitionem adjicimus, cum dicimus Perplexa.* Locus Lucretii gemellus eſt textui quem præ manibus habemus. Nec tantum, quod Feſtus monuit, ex hac ſignificatione eſt *perplexum*, ſed & *perplexabile*, & *perplexarier*, & *amplecti*, & *complecti*, & *circumplecti*, & *implexus*, & fortaſſe plura. Videantur Forum Romanum, Sipontinus, & alii.

34. Πιεῖν ὄξος] Tranſpoſitum erat.

64. *Et erit noviſſimus*] Et hæc deturbata in finem capitis. ¶ Primo *transferendum fuit: πρώτης*] At pro comparativo frequenter ſumi aliquammultis exemplis docuit quidam mihi nondum viſus. Citat eum Caſaubonus, nec nominat, quod factum vellem. Interim quæ mihi obſervata lectori non invidebo. Gen. 41. 20. ταῖς ἑπτὰ βουσὶ ταῖς καλαῖς, ταῖς πρώταις. Exod. 34. 1. ὅτι ἦσαν πλαξὶ τῇ πρώταις ἃς συνέτριψας. Luc. 15. 22. τὴν στολὴν τὴν πρώτην *priorem*; i. quam prius geſtavit, ut ego quidem interpretor. Jo. 1. 15. ὅτι πρῶτός μου ἦν, *prior*. 20. 4. ἦλθε πρῶτος εἰς τὸ μνημεῖον, *prior*. Act. 1. 1. τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην, *priorem*: ubi Beza ſimile ex Cicerone annotavit. 1 Cor. 15. 45. ὁ πρῶτος Ἀδὰμ, ὁ ἔσχατος Ἀδάμ. i. πρῶτος & δεύτερος. 1 Tim. 5. 12. τὴν πρώτην πίστιν ἠθέτησαν. Hebr. 8. 7, 13. 9. 15, 18. nominat πρώτην διαθήκην. 9. 1, 2, 6, 8. πρώτην σκηνήν. 10. 9. ἀναιρεῖ τὸ πρῶτον, ἵνα τὸ δεύτερον στήσῃ. 1 Joan. 4. 19. ὅτι αὐτὸς πρῶτος ἠγάπησεν ἡμᾶς, *prior*. Apoc. 20. 5, 6. ἀνάστασις ἡ πρώτη. 21. 1. ὁ πρῶτος οὐρανὸς, καὶ ἡ πρώτη γῆ. Joſephus Antiq. l. 15. c. 1. ἦτος μέγα τὸ ἰσχύειν παρὰ τῷ πρώτῳ βασιλίσσῃ, i. *Tanta fuit apud eos prioris regis exiſtimatio.* Athanaſius ad Serapionem, Spiritum non eſſe creaturam, ἄλογα ἐπειδὴ μὴ τὸν Θεὸν ἀνόμασεν ἄγγελον, πρῶτος ὁ ἄγγελος ἦν υἱός; *Prior angelus eſt Filio?* Cum hoc ſchemate adverſa fronte pugnat quod habes Eph. 3. 8. ἐλαχιστοτέρῳ πάντων τῶν ἁγίων, pro ἐλαχιστοτάτῳ, ſi ita liceret loqui.

ERASMUS.

3. P*Principibus ſacerdotum & Senioribus populi*] Hoc loco non additur *populi*, nec apud Græcos, nec in Aureo cod. ſed ſubauditur à loco qui proxime præceſſit.

4. *Sanguinem juſtum*] Ἀθῷον, i. *Inſontem*, ſive *innocentem*. Ita mox vertit, *Innocens ego ſum à ſanguine juſto.* ¶ *Tu videris*] Σὺ ὄψῃ, i. *tu videbis*, ſive *videris*, prima acuta, ut ſit futurum verbi ſubjunctivi à *videro*. Nec video qui conſtet ratio ſermonis niſi aut dicamus indicandi modum uſurpatum pro modo imperandi, aut imaginemur ab ὄψομαι futurum præſens ὄψω, unde ſit imperativum ὄψῃ, ſicut à ποίω ποίᾳ.

5. *Laqueo ſe ſuſpendit*] Ἀπήγξατο. Unum verbum tribus eſt circumlocutus, & recte. Tantum enim valet ea dictio ac ſi dicas, *laqueo ſe præfocavit.*

6. De *corbona* dictum eſt alias; quod aliter vocant *gazophylacium.*

8. *Ager ille Acheldemach*] Græci cod. non habent vocem Hebraicam, ſed tantum, *Dictus eſt ager ille Ager ſanguinis.* Annotavit hunc quoque locum D. Hieronymus in lib. cui titulus, De optimo genere interpretandi, negans quod hic citat ex Jeremia Matthæus, prorſus exſtare apud Jeremiam, verum eſſe apud Zachariam Prophetam, ſed ita ut quæ retulit Euangeliſta parum reſpondeant ad Hebraicam veritatem, ac multo minus ad vulg. editionem LXX: etenim ut idem ſit ſenſus, tamen inverſa eſſe verba, imo pene diverſa. Ob calumnioſos, ipſius Hieronymi verba ſubſcribam; *Rurſus in Matthæo, redditis à Juda proditore triginta argenteis, & empto ex eis agro figuli, ſcribitur*, [*Tunc impletum eſt quod ſcriptum eſt per Jeremiam Prophetam, dicentem, Et acceperunt*, &c.] *Hoc in Jeremia penitus non invenitur, ſed in Zacharia aliis multo verbis, ac toto ordine diſcrepante. Vulgata quippe editio ita ſe habet*, [*Et dicam ad eos, Si bonum eſt coram vobis, date mercedem mihi, aut renuite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Dixitque Dominus ad me, Pone illos in conflatorium, & conſidera ſi probatum ſit, ſicut probatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & miſi eos in domo Domini in conflatorium.*] *Quantum diſtet ab Euangeliſta teſtimonio LXX tranſlatio, perſpicuum eſt. Sed & in Hebræo, cum ſenſus ſit idem, verba præpoſtera ſunt & pene diverſa*; [*Et dixi (inquit) ad eos, Si bonum eſt in oculis veſtris, adferte mercedem meam; & ſi non, quieſcite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me, Projice illud ad flatuarium; decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argeneos, & projeci in domo Domini ad flatuarium.*] *Accuſent Apoſtolum falſitatis, quod nec cum Hebraico, nec cum LXX congruat tranſlatoribus, &, quod his majus, erret in nomine, pro* ZACHARIA *quippe* JEREMIAM *poſuit. Sed abſit hoc de pediſequo Chriſti dicere, cui cura fuit non verba aut ſyllabas aucupari, ſed ſententias dogmatum ponere.* Hactenus Hieronymi verba retulimus. Is excuſari facile poteſt, quod hic aliud agens non explicuerit nodum propoſitæ quæſtionis. Magis mirum cur nec ipſum Prophetæ locum ediſſerens, nec Matthæum enarrans diluat; quod fatetur etiam majus eſſe quam verbis & ordine diſcrepare, pro *Zacharia* poſitum *Jeremiam*; præſertim cum idem in hujus Euangeliſtæ c. 13. ubi itidem ex Eſaia citatur quod eſt Aſaph, dicat ſcriptoris accidiſſe vitio. Origenes ingenue faſſus, quæ hic citantur ex Jeremia, nuſquam apud Jeremiam legi, ne apud Hebræos quidem, duplicem aperit rationem expediendæ quæſtionis: Aut enim culpa ſcribarum commutatum nomen, præſertim cum inter voces nonnulla ſit affinitas: Aut teſtimonium aſſumptum ex libro qui inſcribitur *Apocrypha*, h. e. *Occulta*, *Jeremiæ*: quæ Hieronymus fatetur à ſe lecta; quanquam non probat ut ad apocryphorum autoritatem locus hic referatur. Nec mihi ſane probatur, præſertim cum adducatur non monendi, arguendi aut hortandi cauſa (quas ad res nonnunquam & ethnicorum teſtimoniis abutimur) ſed ut ſerium oraculum, quo Paſſionis myſterium ſit explicatum. Origenes, minus iniquus apocryphis quam Hieronymus, exiſtimat hoc è libris apocryphis peti poſſe; ſicut illud quod adducit Paulus in epiſt. ad Corinthios 1. *Quod oculus non vidit*, &c. ex Eliæ apocryphis deſumptum arbitratur. Item 2 Tim. 3. de Jamnes & Mambres, qui reſtiterunt Moyſi, cum horum in Exodo nulla fiat mentio, deſumpta videri ex apocrypho libro cui titulus, *Jamnes & Mambres.* Nec defuiſſe qui ob hanc cauſam contenderint hanc ad Timotheum epiſt. Pauli non eſſe; ſed fruſtra; cum eodem nomine nemo taxaverit priorem ad Corinthios. Chryſoſt. autem enarrans epiſt. ad Tim.

indicat alias duas vias explicandæ quæſtionis de nomine: quarum altera eſt, Quod Judæi quædam habuerint quæ citra librorum monumenta per manus tradebant viva voce: ea vocabant ἄγραφα, ſive *traditiones:* fieri autem poſſe ut hujuſmodi loca ab illis hauſta ſint. Altera eſt, Quod ait fieri potuiſſe ut licet hæc ſcripta non fuerint, nec ab aliis audierit, tamen afflatu S. Spiritus didicerit Apoſtolus. Mihi vero proximum videtur, apud Græcos errore ſcriptorum mutatum nomen, atque inde deceptum interpretem Latinum nobis tradidiſſe quod legerat. Equidem arbitror nihil eſſe hujuſmodi in Euangeliſtis. Gloſſa quam vocant Ordinariam, haud ſcio unde hauſerit quod indicat, in quibuſdam cod. non haberi nomen *Jeremiæ*, ſed tantum *per prophetam*. Addit aliam elabendi viam; Quoniam eodem Spiritu afflati ſcripſere Prophetæ, non abſurde uni cuipiam tribuebatur quod ab alio dicitur: nec oblivionem fuiſſe quod Matthæo pro nomine *Zachariæ* occurrerit nomen *Jeremiæ*, ſed moderationem Divini Spiritus. Aperit & aliam rimam, Quod nonnihil hujus prophetiæ ſit apud Jeremiam c. 32. videlicet de agro empto. Cæterum hæc verba, *quæ appretiaverunt*, nec apud Jeremiam eſſe, nec apud Zachariam, ſed addita ſub perſona Euangeliſtæ. Hæc in medium profero, judicium lectori relinquens. Cæterum etiamſi fuiſſet in nomine duntaxat memoriæ lapſus, non opinor quenquam adeo moroſum eſſe oportere, ut ob eam cauſam totius Scripturæ S. labaſceret autoritas, præſertim cum Auguſtinus l. 3. De conſenſu Euang. c. 7. tribuat audaci imperitiæ quod in nonnullis cod. pro *Jeremia* ſcriptum inveniatur *Zacharia*. Putat autem germanam & apoſtolicam ſcripturam eſſe *Jeremiæ*. Nominis autem errorem tribuit lapſui memoriæ, cui aliud nomen pro alio occurrerit, ita occultis de cauſis Spiritu S. moderante ſcriptoris mentem. Itidem in hoc opere multis locis tribuere videtur oblivionem quandam & reminiſcentiam Euangeliſtis, dum poſt illis in mentem venit quod multo ante fuerat geſtum, atque hinc ſubinde diſtinguit ordinem recordationis ab ordine rerum geſtarum; ſive dum aliis verbis eandem efferunt ſententiam, veluti cum unus ait, *Non ſum dignus portare calceamenta illius*; alius, *Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti illius*; cum uterque declaret ſummam excellentiam Chriſti. Item in Quæſt. c. 15. ſic loquitur de Euangeliſta, *Non enim omnino ſecundum rerum geſtarum ordinem, ſed ſecundum ſuæ quiſque recordationis facultatem narrationem quam orſus eſt ordinavit.* Hæc Auguſtini verba nec tueri nec refellere propoſitum eſt: mihi illud adverſus quoſdam omnia calumniantes ſatis eſt, quod vir pius hujuſmodi multa commemorat, non ad infirmandam Euangeliorum autoritatem, ſed ad retundendam illorum impudentiam qui vanitatem impingebant Euangeliſtis. Addam de meo quintam extricandæ quæſtionis rationem; Si dixerimus Zachariam fuiſſe binominem, ſicuti paulo ante dictum eſt de Zacharia F. Barachiæ, qui idem ſit dictus *Ioiadæ*. Refert Hieronymus Jeremiam apocryphum ſibi exhibitum à quodam Judæo factionis Nazarenæ, in quo hæc ad verbum ut ab Euangeliſta citantur haberentur. Verum, ut dixi, non probat ut Apoſtolus ex apocryphis adduxerit teſtimonium; præſertim cum hic moſ ſit Euangeliſtis & Apoſtolis ut neglectis verbis ſenſum utcunque reddant in citandis teſtimoniis. Porro Syris ארעא eſt *ager*, דמא *ſanguis*. Hieron. teſtatur & ſua ætate locum exſtitiſſe Hieroſolymis ad latus Auſtrale montis Sion, ubi tum quoque pauperum ac tenuium cadavera partim terra obruebantur, partim ſub dio putreſcebant.

9. *Quod appretiaverunt*] Ὃν ἐτιμήσαντο, i. *Quem appretiaverunt*, h.e. *quem pretio æſtimaverunt*.

11. *Tu es Rex*] Ὁ βασιλεύς, i. *ille Rex:* ut de eo Rege intelligas qui tum à Judæis exſpectabatur.

14. *Ad ullum verbum*] Πρὸς οὐδὲ ἓν ῥῆμα. Sermo Græcus anceps eſt: ſiquidem hic poteſt eſſe ſenſus, *Et non reſpondit ei verbum ad quicquam*; ſive, *non reſpondit ei ad ullum verbum.*

15. *Per diem autem ſolennem*] Κατὰ δὲ ἑορτὴν, i. *in feſto vero.* Nec opus erat periphraſi. ¶ *Populo dimittere*] Τῷ ὄχλῳ, i. *turbæ*; ſive, *multitudini.*

16. *Habebat autem tunc unum vinctum*] *Unum* non eſt in Græcis, nec in antiquis Latinorum cod. Nec *vinctum* apud Græcos participium eſt, ſed nomen, δέσμιον.

19. *Pro tribunali*] Ἐπὶ βήματος, i. *in tribunali*: quanquam Latine vertit Interpres, & eleganter magis quam ſuo more: ut hic quoque admonendus ſit lector, ne fallatur. ¶ *Nihil tibi & juſto*] Latinius certe fuerat, *Ne quid rei tibi ſit cum juſto illo.* Ut Chriſti innocentia undique meruit teſtimonium, Judæ, Pilati, hujus uxoris, Annæ, teſtium, latronis, ſatellitum qui miſſi fuerant ad comprehendendum eum, Magorum, Chananæorum, Samaritanorum, centurionum. Sed hoc uni illi contigit, quo certius foret, totum hoc quod ille paſſus eſt, nobis impenſum eſſe. ¶ *Per viſum*] Κατ' ὄναρ, i. *in ſomnio.* Sic enim vertit in initio hujus Euangelii, & recte. De quibus pluribus verbis differit Valla, qui ὅραμα, i. *viſum*, putat eſſe vigilantium, cum ὄναρ *ſomnium* ſit, & *quod in ſomnio apparet* ἐνύπνιον Græcis dicatur.

20. *Perſuaſerant populis*] Et hic rurſus eſt *turbis*, non *populis* ὄχλοις.

22. *Quid igitur faciam de Jeſu?*] *De* præpoſitio non eſt in Græcis, τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον Χριστόν; Cæterum Græci abuntur in his verbis accuſandi caſu pro dativo, ubi ſignificant bene aut male fieri cuipiam. Unde vertendum erat, *Quid faciam Jeſu qui dicitur Chriſtus?* ¶ *Dicunt omnes*] Λέγουσι πάντες, i. *dicunt ei*, quanquam hic Græca variant exemplaria.

23. *Ait illis*] *Illis* non eſt in Græcis, ὁ δὲ ἡγεμὼν ἔφη, *Præſes autem ait.*

24. *Accepta aqua*] Λαβὼν, i. *cum accepiſſet*, ſive *ſumpſiſſet.* ¶ *Lavit*] Ἀπενίψατο, i. *abluit.* ¶ *Innocens*] Idem eſt verbum quod paulo ſuperius verterat *juſtum*, ἀθῷος, i. *inſons & innoxius.* ¶ *Vos videritis*] Ὄψεσθε, i. *vos videbitis.* Sicut & antea, *tu videris:* ut ſit medium activæ ſignificationis verbum futuri temporis.

26. *Flagellatum*] Φραγελλώσας. Et hic Romana voce Græce ſcribens eſt uſus, commutata una litera: quod damnatos ante ultimum ſupplicium virgis cædere ex more eſſet Romano. ¶ *Tradidit eis*] *Eis* non eſt in Græcis emendationibus; & officit nonnihil ſenſui. Neque enim Judæis tradidit Jeſum, ſed ſuis militibus, ſupplicii miniſtris. Etiamſi haud ſcio quo caſu in noſtra prima editione fuit additum. Atque ita legiſſe Hieronymum, ut nos indicavimus, teſtatur illius in hunc locum interpretatio.

27. *Suſcipientes*] Παραλαβόντες, i. *accipientes*, vel potius *acceptum:* ut ſæpe alias mutat genus verbi, quo reſpondeat tempus. ¶ *Cohortem*] Τὴν σπεῖραν· quod & *funem* ſignificat Græcis. Nam *cohors* ruſticana militum manus eſt.

28. *Coccineam*] Κοκκίνην, *coccinam* magis. Nam *coccus*, ſive *coccum*, granum. Et *grana* vulgo vocantur quibus tinguntur rubra quædam, quod lucem addant colori: vide Plinium lib. 9. cap. 41. Porro *chlamys* pallium eſt militare: ut & color & forma veſtis militaris ſit, eoque magis ad ludibrium faciens, cum pius impiorum veſtem geſtaret.

29. *Plectentes coronam*] Πλέξαντες, i. *plexam* ſive *concinnatam*, ut conveniat tempus. ¶ *Depoſuerunt ſuper caput*] Ἐπέθηκαν, i. *impoſuerunt.* In nonnullis habebatur *poſuerunt.*

30. *Exſpuentes in eum*] Καὶ ἐμπτύσαντες εἰς αὐτὸν, i. *cum inſpuiſſent in eum.*

31. *Et poſtquam illuſerunt*] Καὶ ὅτε ἐνέπαιξαν, i. *cum illuſiſſent.* ¶ *Veſtimentis ejus*] Magis quadraſſet *veſtimentis ſuis.* ¶ *Ut crucifigerent*] Εἰς τὸ σταυρῶσαι, i. *ad crucifigendum.*

32. *Hunc angariaverunt*] Mirum cur hic delectarit peregrina vox, cum dicere potuerit *adegerunt*, ſive *compulerunt*: ſiquidem Suidas indicat vocem eſſe Perſicam, quod apud illos regii nuncii ἄγγαροι dicerentur. Unde & qui literas invicem tradunt perferendas *angari* dicuntur, quos eoſdem ἀγγαρήους appellabant. Denique tranſlata vox eſt ad quoſvis qui ſervorum aut jumentorum ritu bajularent onera. Fortaſſis ea vox jam militibus erat uſurpata, quemadmodum habebant ſua caſtrenſia.

33. *Qui dicitur Golgotha*] Hieronymus in libro quo explicat voces Hebraicas apud Matthæum admonet *Golgotha* Syrum eſſe verbum, non Hebræum, ſonareque *Locum calvi*, ſive *calvaria.* Sunt qui malint Chaldaicum eſſe, & *Golgoltha* pronunciandum, addito altero Lambda. Equidem non arbitror operæpretium de barbarica vocula vehementius contendere, & magis libet Latinorum & Græcorum in hoc conſenſum ſequi. Cujuſcunque linguæ eſt, ita dictus eſt locus in Ælia ad Septentrionalem partem montis Sion, quod in eo jacerent capita hominum damnatorum. Nam quod nonnulli dicunt, illic ſepultum Adam, unde loco inditum ſit vocabulum, eam fabulam rejicit Hieronymus, cum Adam ſepultus legatur in Arba juxta Hebron.

44. *Dederunt ei vinum*] Quidam Græci cod. non habebant *vinum*, ſed *acetum cum felle mixtum*; quemadmodum legit & interpretatur Hieronymus. Quanquam Hilarius *vinum* legit, Chryſoſtomus *acetum.* Tametſi non multum intereſt inter acetum & acidum vinum. Certe paulo poſt mentio fit *aceti*, non *vini*, neque *fellis*; *Implevit ſpongiam aceto.* Origenes illud annotavit, quod Matthæus dixerat *acetum felle mixtum*, Marcus *vinum myrrhatum*, Joannes *acetum cum felle*: ex quo palam eſt Origenem quoque *acetum* legiſſe, non *vinum.*

Et

Et magis congruit cum Propheta, qui dicit, *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.* Illud admonendus lector, non videri eundem potum hic datum Chriſto qui datur in cruce pendenti. Apparet enim bis datum, ſemel antequam tolleretur in crucem, ex more, ni fallor, quod & hodie ſervatur; rurſus in cruce poſcenti: ſic enim narrat Matthæus, *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod eſt Calvariæ locus: & dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Marcus hunc in modum, *Et perducunt illum in Golgotha locum, quod eſt interpretatum Calvariæ locus: & dabant illi bibere myrrhatum vinum; & non accepit: & crucifigentes eum*, &c. Quod autem nonnulli putant in narratione temporis ordinem inverſum eſſe, durius eſt, cum mox ſequatur apud eundem Euangeliſtam, *Et continuo currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat illi bibere:* præſertim cum in priore loco nominetur *vinum felle mixtum*, in altero *acetum*, ſimiliter narrante Marco. Et ad pietatem conducibilius eſt ſi hanc quoque Dominicæ crucis partem non ignoremus. Meminit & Auguſtinus lib. 3. De conſenſ. Euang. ſeparatim potus ante crucifixionem exhibiti. Theophylactus putat hic porrectum acetum ut citius moreretur priuſquam veniret Elias. Nam ſuſpicabantur eum imploraſſe Eliam cum diceret, *Heli, Heli.* Ad id facit quod alii dicunt, *Sine, videamus an veniat Elias.*

35. *Ut impleretur quod*] Hoc Prophetæ teſtimonium non citatur in pleriſque Græcorum cod. Et Hieronymus enarrans hunc locum nullam omnino de eo facit mentionem. Lyranus addit, juxta Hieronymum hoc teſtimonium à Matthæo non fuiſſe poſitum, ſed duntaxat ab Joanne, nec inveniri in veteſtis exempl. Certe non addebatur in uno veteſtiſſ. cod. D. Donatiani; ne in Conſtantienſi quidem, nec in alio quodam veteſtæ editionis typographicæ qui eſt apud me. Cæterum locus eſt in Pſalmo 21. Leviculum eſt quod interpres de ſuo addidit *ſibi*, cum pronomen nec ſit apud Græcos nec in Aureo cod. *diviſerunt ſibi veſtimenta mea.* ¶ *Super veſtem meam*] Καὶ ἐπὶ τὸν ἱμάτιόν μου· quod magis ſonat *veſtitum* quam *veſtem.* Ut non multum agant qui hinc ratiocinantur Chriſto fuiſſe quinque veſtes. Duas fuiſſe conſtat ex Euangelio. Magis autem videtur ejuſdem verbi aut ſimilis repetitio, ex proprietate ſermonis Prophetici. Satis enim conſtat, unam veſtem confutilem fuiſſe diviſam in quatuor partes.

36. *Et ſedentes ſervabant eum*] Græci addunt ἐκεῖ illic.

37. *Super caput*] Ἐπάνω τῆς κεφαλῆς, i. *ſupra caput.* Non enim erat titulus in capite. ¶ *Cauſam*] Αἰτίαν· quæ vox apud Græcos & *cauſam* ſignificat, & *accuſationem* ſive *crimen.*

38. *Tunc crucifixi ſunt*] Τότε ςαυροῦνται, i. *Tunc crucifiguntur*, præſ. temporis: ut hiſtorico more res jam geri putetur.

40. *Vah qui deſtruis*] Interjectio *vah* non additur in Matthæo, ſed in Marco, unde huc addita videtur. In Conſt. cod. raſura teſtabatur depravationem. Et articulus ὁ nonnullam habet ἰμφασιν, q.d. *Tu ille deſtructor Templi.* ¶ *Readificas*] Οἰκοδομῶν, i. *Ædificas*, ut ſuperius admonui. Origenis interpres vertit, *Qui deſtruebas*, &, *qui ædificabas.* In aliquot veteſtis exempl. ſcriptum erat, *deſtruit* & *readificat*, tertia perſona. Conſentiebat Conſtantienſis.

42. *Et credimus ei*] Καὶ πιςεύομεν ἐπ' αὐτῷ, i. *credemus in eo.* Quanquam paulo inferius eſt *ei*, ut nihil interſit utrum legas.

43. *Confidit*] Πέποιθεν, i. *Confiſus eſt*, ſive, *Fiduciam habet, in Deo*: quandoquidem in his, ut dictum eſt, abutuntur tempore. ¶ *Liberet eum nunc ſi vult*] Græci addunt alterum pronomen, εἰ θέλει αὐτὸν, i. *ſi vult eum.* Videntur enim alludere ad illud Pſalmi, *Speravit in Domino, eripiat eum: ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.* Alioqui convitium videbatur non in Chriſtum modo verum etiam in Deum recidere.

44. *Improperabant ei*] Ὠνείδιζον αὐτὸν, i. *opprobrabant*, ſive *eadem probra dicebant in illum.* Auguſtinus explicans tropos Exodi, libro Annot. ſuarum 3. putat hic ἐναλλαγὴν eſſe, ac numerum multitudinis poſitum pro numero ſing. propterea quod apud alios Euangeliſtas alter duntaxat convitia dicit in Chriſtum. Unde mirum eſt cur Hieron. in Comment. *ſyllepſin* appellet, tropum quidem agnoſcens, ſed aliam ſubnectens rationem, qua tropo non ſit opus; ut primum uterque convitiatus ſit Chriſto, mox mota terra alter reſipuerit. Hugo Card. quaſi neutrum legerit, ut arbitror, *Hoc*, inquit, *videtur falſum.* Tam civiliter movet de fide Euangeliſtarum quæſtionem: ac mox, *At hoc*, inquit, *dicitur ut putes dictum inter pocula.* O Theologum ſobrie ac reverenter tractantem S. literas! Et me ſacrilegii reum agunt quidam quod hunc non habeam pro Deo, cum fuerit ordinis Jacobitici.

45. *Et tenebræ factæ ſunt ab hora ſexta*] Jam igitur tribus horis pependerat in cruce: ſiquidem Marcus teſtatur eum hora tertia fuiſſe crucifixum. Quanquam & de illius loci lectione varium eſt olim, ut ſuo demonſtrabimus loco. ¶ *Super univerſam terram*] Ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, i. *in totam terram*, ſive *ſuper totam terram.* Neque enim illæ tenebræ occupabant univerſum terrarum orbem, ut meo judicio recte ſentit Origenes, ſed Judæam duntaxat, aut terram Hieroſolymitanam; diſſentiente Theophylacto. Alioqui vel caſu meminiſſent hujus prodigii rerum geſtarum ſcriptores. Quemadmodum & *univerſus orbis* apud Lucam *deſcribi* dicitur, cum intelligatur orbis duntaxat Romanus deſcriptus. Indicat Origenes in nonnullis cod. adjectum fuiſſe, *Tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram, deficiente Sole:* quaſi Solis deliquium eas induxerit tenebras. Atque ita certe tradit epiſtola quæ nomine Dionyſii circumfertur; mihi ψευδεπιγραφος videtur. Verum hanc opinionem longe rejicit Origenes, & ſcripturam mutatam improbat.

46. Hebraica Græci ſcribunt ad hunc modum, ΗΛΙ, ΗΛΙ, λαμαζαβαχθανι; i. *Heli, Heli, Lamaſabachthani?* Ac mirum non eſt ſi peregrinæ linguæ verba depravatim ſcribunt & pronunciant Græci Latinique. Cæterum in ſua lingua ſcribuntur ad hunc modum אלי אלי למה עזבתני, i. *Deus meus, Deus meus, cur me deſeruiſti?* Eſt enim primus verſiculus Pſalmi 21. in quo vertendo LXX cur tria verba de ſuo admiſcuerint, amota una dictione, mirum eſt. Sic enim illi reddiderunt, *Deus Deus meus, reſpice in me; quare me deſeruiſti?* At Matthæus ita retulit ut habetur apud Hebræos. Porro Hebræa diſtinguenda ſunt ad hunc modum, אלי *Deus meus*, אלי *Deus meus*, למה *ut quid* עזבתני *dereliquiſti me?* Siquidem probabile eſt Chriſtum verba Pſalmi pronunciaſſe ut ab ipſo Pſalmographo deſcripta ſunt: alioqui videri poterat uſus Chaldæorum lingua, qui *ſabachani* pronunciant, quod Hebræi *Azabthani.* Hoc viſum eſt aſcribere quo, quandoquidem hæc verba publice recitantur in templis, minus depravate poſthac pronuncientur. Nec eſt ſimpliciter apud Græcos κατέλιπες, *reliquiſti*, ſed ἐγκατέλιπες, quod proprie ſignificat *in diſcrimine deſerere*; veluti ſi quis deſerat hominem immerſum luto, ut ita loquar docendi gratia.

47. *Eliam vocat iſte*] Φωνεῖ, quod expreſſius reddidiſſet *inclamat*, ſive *invocat.*

48. *Et implevit aceto*) Hic palam *aceti* ſit mentio. Porro legimus apud Plutarchum in Vita M. Antonii, vinum Antonio datum, quo celerius ex vulnere moreretur, quod ea res mortem acceleret. Siquidem ſimilis eſt penetrandi vis Vino & Aceto: idque indicat obiter & Hieronymus, cum ait hunc ediffererens locum, *ut eum conſopiret*; quemadmodum paulo ante notavimus ex Theophylacto.

49. *Liberans eum*] Σῶσαι αὐτὸν, *ad liberandum eum.* Nonnulli cod. habebant σώσων αὐτὸν, *liberaturus eum.* Interpres legiſſe videtur σώζων.

50. *Clamans voce magna*] Κράξας, i. *cum clamaſſet*; ne quis putet ſimul & clamaſſe & exſpiraſſe. Quanquam hoc ipſum mirum, parumque ex communi hominum more, ſtatim à magno clamore emori.

52. *Et multa corpora quæ dormierant*] Græci ſic diſtinguunt ut appareat eos ſtatim mortuo Chriſto reſurrexiſſe, verum non egreſſos è monumentis, nec apparuiſſe, priuſquam reſurrexiſſet Chriſtus. Unde *reſurrexerunt* poſitum eſt pro *revixerunt.* Atque id ſatis indicat Hieronymus, ſcribens in hunc locum, *Quomodo Lazarus mortuus reſurrexit, ſic & multa corpora ſanctorum reſurrexerunt, ut Dominum oſtenderent reſurgentem. Et tamen cum monumenta aperta ſint, non ante reſurrexerunt quam Dominus reſurgeret, ut eſſet primogenitus ex mortuis.* Idem indicat Chryſoſtomus, cum ait ad Chriſti morientis vocem excitatos mortuos, qui poſtea, reſurgente Chriſto, pariter exirent: idque declarat apertius Origenes hunc enarrans locum. Sed hanc ſententiam vix recipit Theophylactus, exiſtimans eos qui tum revixerunt poſt denuo fuiſſe mortuos, quemadmodum Lazarus & cæteri quos vel à Domino vel ab Apoſtolis reſuſcitatos legimus, bis mortui ſunt. Auguſtinus epiſt. 99. putat per anticipationem dictum quod reſurrexerint, quæ paulo poſt reſurrexerunt.

55. *Erant autem hic mulieres*] Quidam Græci cod. habebant ἦσαν γυναῖκες *erant mulieres.* Et Græcis non ſolum habetur *à longe*, ſed *eminus ſpectantes*, ἀπὸ μακρόθεν θεωροῦσαι. Ita ſane legit & interpretatur Origenes, adducens illud ex Eſaia vaticinium, *Mulieres venite ad ſpectaculum. Non enim eſt populus habens ſapientiam.*

56. *Et Joſeph*] Græce eſt *Joſe*, diverſus ab *Joſeph*: de quo antea admonui. Licet Origenes non videatur diſtinguere

hunc Joſeph ſive Joſe ab eo Joſeph filio Jacob Patriarchæ. Sic enim ait, *Jacobi minoris & Joſephi mater*] *ſecundum nomen Patriarcha Jacob ſupplantatoris fratris ſui, & Joſeph ſuper quem natum genitrix dicit, Adjiciat mihi Dominus filium alterum.*

57. *Cum autem ſero eſſet factum*] Ὀψίας. Cur non potius *veſpera* quam *ſero*? ¶ *Quidam homo*] *Quidam* non eſt apud Græcos, ſed tantum homo. ¶ *Joſeph*] Hic Græcus habet Ἰωσὴφ *Joſeph*. ¶ *Diſcipulus fuerat Jeſu*] Ἐμαθητεύθη τῷ Ἰησοῦ, i. *diſcipulum præbuerat ipſi Jeſu*. Quo verbo alias uſus eſt tranſitive, μαθητεύσατε εἰς τὴν βασιλείαν· & rurſum in proximo capite, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, *docete omnes gentes*.

61. *Maria Magdalene*] *Mariam* jam bis poſuit Magdalenam, Hebraica pronunciatione, cum cæteras *Marias* dixerit non *Mariam*: licet hic varient Græci codices.

62. *Altera autem die*] Τῇ ἐπαύριον, i. *Poſtero autem die*, ſive *Poſtridie*.

63. *Quia ſeductor ille*] Ὁ πλάνος ἐκεῖνος, *planus*, i. *impoſtor*. Sic enim vertit Auguſtinus homilia ex quinquaginta trigeſima ſexta, *Domine, audivimus quia planus ille, id eſt, impoſtor*. Porro recte Interpres addidit *ille*, vim exprimens articuli. ¶ Cæterum quod ajunt, *Poſt tres dies*, etiamſi non negem ſic poſſe rejici, quod non ab Euangeliſta ſed à Phariſæis dicitur, tamen licebit & ad hunc intelligi modum, mea quidem ſententia, ut *poſt tres dies* dictum factumve dicatur quod à tertio die cœptum factum eſt, per tropum qui *ſynecdoche* dicitur. Cur enim vereamur in tertio die recipere tropum cum in primo neceſſariò recipiamus? Sed hæc de re in Marco pluſculum dicemus. ¶ *Reſurgam*] Ἐγείρομαι, i. *reſurgo*, præſentis.

64. *Ne forte*] Μήποτε quod ita gaudet vertere. Et quidam cod. addunt hic νυκτὸς *noctu*.

65. *Habetis cuſtodiam*] Ἔχετε κουστωδίαν. Incertum eſt an ſit *Habete* modo imperandi, an *Habetis* indicandi. Et *cuſtodium* vocem Latinam Græci jam uſurpabant: cujus meminit etiam Suidas. ¶ *Ite, cuſtodite*] Ὑπάγετε, ἀσφαλίσασθε, i. *abite, munite*. Nam ἀσφαλίζεσθαι eſt *rem tutam reddere*: Quemadmodum vertit

66. Ἠσφαλίσαντο *munierunt*; cum & ſuperius verterit *cuſtodiret*. ¶ *Cum cuſtodibus*] Μετὰ τῆς κουστωδίας, *cum cuſtodia*: quanquam hoc loco *cuſtodiam* pro *grege ac turba cuſtodum* poſuit. Apparet autem ejuſmodi ferme genus hominum fuiſſe cujuſmodi ſunt Pariſiis Quadringenti, ad publicam civitatis cuſtodiam deſignati.

VATABLUS.

3. *Tradidit*] *Tradiderat*. ¶ *Retulit*] *Reddidit*. ¶ *Argenteos*] Singuli argentei ſinguli didrachmis æſtimari poſſunt, i. ſeptem Solidis noſtris.

4. *Sanguinem*] Hebr. pro, *hominem*. ¶ *Videris*] Vel, *videbis*, q. d. Tua eſt cura, non noſtra.

5. *In templo*] i. in atrium.

6. *Corbanam*] *Corban*, V. i. *in gazophylacium*, quod erat in atrio, 4 Reg. 12. *Corbana*, vox Chaldæa; *Corban*, Hebraica. ¶ *Pretium ſanguinis*] i. quo fuit empta cædes hominis innocentis. ¶ *Eſt*] *Sunt*.

8. *Ager ſanguinis*] i. Ager emptus pecunia qua hominis mors empta fuit.

9. *Appretiati*] i. hominis tanti æſtimati à Sacerdotibus. ¶ *Appretiaverunt*] *Æſtimatum emerunt*. ¶ *A filiis Iſrael*] Hebr. *ab uno è filiis Iſrael*, videlicet Juda.

10. *In agrum*] i. in emptionem agri. ¶ *Conſtituit mihi*] Vel, *præcepit per me*.

11. *Tu es* * *rex*] * *ille*.

13. *Quanta*] *Quot & quam multa*.

15. *Per diem autem ſolennem*] *In feſto vero*. ¶ *Populo*] *Turbæ*: & infra. ¶ *Voluiſſet*] *Valuiſſent*.

16. *Habebat*] *Habebant*.

19. *Nihil tibi & juſto illi*] Vel, Nequid rei tibi ſit cum juſto illo: i. Nihil agas adverſus juſtum illum. Miſſum illum fac. ¶ *Per viſum*] *In ſomnis*.

20. *Perderent*] i. perdendum curarent.

22. *Dicunt* * *omnes*] * *Ei*.

23. *Illi præſes, Quid enim*] *Autem præſes, Quidnam*.

24. *Innocens ego ſum*, &c.] i. Juſtum hunc non interficio, ſed vos. ¶ *Videritis*] *Videbitis*: futurum pro imperativo, q. d. Videte, expendite apud vos rem exactius.

25. *Sanguis*, &c.] Hebr. pro, Imputetur nobis mors ejus: vel, Si quæ pœnæ dandæ erunt ob ejus mortem, illas dabimus, & filii noſtri.

32. *Angariaverunt*] *Adegerunt*.

33. *Golgotha*] *Golgaltha* legendum, ſicut in Vet. legitur. Eſt autem vox Chaldæa. Hebræi *Gulgoleth* dicunt. ¶ *Quod eſt* * *Calvaria*, &c.] * *Interpretatum*: vel, ſi *interpreteris*.

34. *Vinum*] *Acetum*. ¶ *Noluit*] *Nolebat*.

35. *Ut impleretur* —— *ſortem*] Quædam exemplaria Græca non legunt hanc clauſulam. ¶ *Super*] Vel, *Propter*.

37. *Ipſius*] i. propter quam addictus fuerat cruci. ¶ JESUS * REX] * ILLE.

40. *Qui deſtruis*] *Vah qui deſtruis*, V. præſens pro fut. dicebas te deſtructurum & reædificaturum. ¶ *Templum Dei, &*] *Templum, &c.*

41. *Et ſenioribus, * dicebant*] * *& Phariſæis*.

42. *Salvos fecit*] Vel, *ſervavit à morte*.

43. *Si vult*] Gr. *ſi vult eum*, i. ſi amat, & voluntatem adjecit in eum.

44. *Idipſum*] Vel, *Eodem modo*. ¶ *Improperabant ei*] Vel, *convitiis agebant cum eo*.

45. *A ſexta autem hora*] ſc. à ſexta noſtra antemeridiana (quæ Hebræis *prima* fuit) numeranda. Ea autem *Sexta* Hebræorum noſtra eſt Duodecima. *Nona* vero Hebræorum noſtra eſt Tertia poſtmeridiana. ¶ *Facta ſunt*] Vel, *exſtiterunt*, aut *fuerunt*. ¶ *Univerſam terram*] *Totam terram*: ſub. *Judæa*.

46. *Sabacthani*] Vox Chaldæa, aut Syra.

47. *Vocat*] *Invocat*, vel *inclamat*.

49. *Liberans*] *Salvaturus*.

50. *Iterum clamans*] *Cum iterum clamaſſet*:

51. *Velum* * *templi*] * *Illud*. ¶ *Terra* * *mota eſt*] * *Illa*.

53. *Et exeuntes*] Vel, *Nam egreſſi*. ¶ *Reſurrectionem*] Vel, *ſuſcitationem*.

54. *Fiebant*] *Facta fuerant*.

55. *Erant autem* * *ibi*] * *Etiam*. ¶ *A longe* *, *quæ*] * *ſpectantes*.

56. *Joſeph*] *Joſe*; genitivus à nominativo *Joſes*.

57. *Sero factum eſſet*] *Serum fieret*, vel, *appeteret*. ¶ *Venit quidam homo*] *Venit homo*.

61. *Contra ſepulcrum*] *E regione ſepulcri*.

62. *Altera*] *Poſtera*.

63. *Poſt tres dies*] i. Tertio die inchoato. ¶ *Reſurgam*] *Reſurgo*; præſens pro futuro.

64. *Cuſtodiri*] *Muniri*. ¶ *Diſcipuli ejus* *, &] * *Noctu*. ¶ *Plebi*] Vel potius, *populo*. ¶ *Surrexit*] Vel, *Suſcitatus eſt*. ¶ *Noviſſimus error*] *Noviſſima impoſtura*.

65. *Habetis*] Vel, *Habete*, i. Accipite aliquot è militibus meis: aut, *Agite cuſtodiam*.

66. *Signantes*] *Sigillantes*.

CASTALIO.

3. TUM *Judas videns eum eſſe damnatum*] h. e. à Pontificibus dignum morte judicatum mortique deſtinatum. Sic enim ponitur *damnandi* verbum Marc. 10. *Homine natus*, inquit, *tradetur pontificibus atque ſcribis, qui eum morte damnabunt, extraneiſque tradent*: itemque Marc. 14. Atque hoc pacto *Verris condemnator* dicitur à Tacito Cicero, non quod eum condemnarit, ſed quod accuſarit ac damnandum eſſe pronunciarit.

43. *Si eſt favet*] Θέλει, ab רצה, ex Pſal. 22. quod *favere* & *alicujus ſtudioſum ac cupidum eſſe* ſignificat.

CLARIUS.

4. QUID *ad nos?*] Nonne & vos participes ſceleris fuiſtis? Sic cæcum eſt odium, & vide ut in eo etiam quod de argento tractant camelum glutiant & culicem liquent.

9. *Et acceperunt triginta argenteos*] Quamvis hoc Jeremiæ teſtimonium nuſquam apud Jeremiam legatur, refert tamen Hieronymus librum Jeremiæ qui inſcribitur *Apocrypha*, h. e. Occulta, *Jeremiæ*, ſibi exhibitum à quodam Judæo factionis Nazarenæ, in quo hæc ad verbum ut ab Euangeliſta citantur haberentur.

34. *Et dederunt ei vinum bibere*] Videtur primo inſtitutum fuiſſe miſerationis gratia, ut in ea poſitis afflictione potrigeretur potus, juxta illud, *Date ſiceram lugentibus, & vinum iis qui amaro ſunt animo*: at ſceleſti illi, nequid deeſſet Domino ad tormentum, obtulerunt pro vino acetum cum felle, fructum illius vineæ quam tranſtulerat de Ægypto.

37. *Cen-*

by Google

37. *Causam ipsius*] Causam videlicet cur fuisset crucifixus, nimirum quod accusatus esset quod *Regem se faceret*.

44. *Idipsum autem & latrones*] Nihil prohibet unum tantum è latronibus fuisse qui hoc diceret, & si plurali usus sit numero: neque hic loquendi mos usu caret.

45. *Tenebræ factæ sunt*] Lucem noluerunt agnoscere Judæi, introducuntur tenebræ, si forte simile à simili agnosceretur, ut vel post peractum scelus servarentur.

46. *Heli, Heli*] Relictæ sunt Hebrææ voces; ut cum audis milites dixisse, *Heliam vocat*, causam eorum erroris intelligeres.

48. *Acceptam spongiam*] Dabatur vinum interdum ut celerius ex vulnere morerentur; idcirco alii prohibuerunt, ut *viderent num veniens Helias servaret eum*.

51. *Velum templi scissum est*] Scidit Templum sua vestimenta in mororis indicium. Simul & ostenditur per mortem Christi patefactum esse iter in vera Sancta sanctorum.

52. *Multa corpora sanctorum*] Videntur ii post resurrectionem ipsius Domini surrexisse per id quod sequitur, *& exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus*, &c. nam si resurrexerant in morte Domini, quid attinuerat exspectare Dominicam resurrectionem ut apparerent aliis?

66. *Munierunt sepulchrum signantes lapidem cum*] Ut surgens Christus etiam ab ipsis hostibus haberet suæ resurrectionis testimonium.

ZEGERUS.

3. *TUnc videns Judas qui eum tradidit, quod damnatus esset*] Ipse Dominus Jesus à Pontificibus & Principibus, qui *omnes* juxta Marcum *condemnaverant eum esse reum mortis*, ita ut res jam ad exitum properaret, *pœnitentia ductus retulit*, &c. Potest etiam dici hunc de Juda sermonem per Proterologiam sive Anticipationem præmissum esse, ne Euangelista in sequentibus interrumpere cogeretur passionis Dominicæ seriem; ut intelligamus tum demum respuisse proditorem cum Dominus ab ipso Pilato morti esset adjudicatus. Quod autem nonnulli illud *damnatus* ad Judam referendum autumant, placeat quibus potest; mihi violentum judicatur. ¶ *Retulit triginta argenteos*] Qui Hebraicarum sunt rerum studiosi tradunt Hebræis esse familiare sub *argentei* nomine subaudiri *Siclum*: quem hic vulgarem intelligere debemus valentem x Obolos. Alius, qui *Siclus major*, seu *Templi*, xx Obolos habet, ut scribitur Exod. 30. Singuli autem Sicli seu Argentei singulis Didrachmis æstimantur, i. VII Solidis seu Stuferis Gallicis, juxta divinationem Budæi. Qui etiam nummi ex his unius (qui Parisiis in æde D. Johannis Lateranensis servari dicitur) effigiem describens, *Habet*, inquit, *effigiem hominis non luscam, eminente altera mala, ut Denarius, sed adversam & integram; & à tergo flosculum*.

6. *Corbonam*] *Corbona* vel *corbona* hic gazophylacium intelligitur, in quo servabantur munera Templo oblata. Alioqui vox Hebraica *corban* vel קרבן, desinentia videlicet Chaldaica, *munus* & *oblatio* interpretatur; de qua & supra diximus, c. 15.

8. *Haceldema*] Syriacum vocabulum est, seu etiam Chaldaicum. חקל enim Syris *ager* dicitur: pro quo Chaldæi addito elemento חקלא, Hebræi autem חקלה & חלה, usitatius שדה, dicunt. Porro דמא *sanguis* interpretatur; quod Hebraice דם dicitur.

9. *Per Jeremiam prophetam, dicentem, Et acceperunt triginta argenteos pretium*, &c.] Ut omittam longas & varias inquisitiones ac demonstrationes quibus hunc locum nonnulli interpretum involvunt, hoc mihi simplicissimum judicatur, ut dicamus Euangelistam ex apocrypho quodam Jeremiæ volumine hoc desumpsisse testimonium; quemadmodum B. Hieronymus præsentem edisserens locum testatur exhibitum sibi fuisse à quodam Nazarenæ sectæ Hebræo volumen quoddam Jeremiæ titulum præferens, in quo vaticinium hoc ad verbum fuerit descriptum. Neque cuiquam absurdum aut indignum hoc videri debet, ex apocrypho videlicet libro adductum esse vaticinium, præsertim cum non sine Spiritus S. consilio hoc ipsum Euangelistam fecisse credendum; & idem quoque Apostolum Paulum fecisse probetur, dum 2 Tim. 3. 8. ex apocrypho quopiam de Johanne & Mambre exemplum adducit: & rursus dum 1 Cor. 2. 9 ex Eliæ prophetia profert testimonium, ubi ait, *Sicut scriptum est, Quod oculus non vidit, nec auris audivit*, &c. Adhæc cum Euangelista de suo addidisse videatur.

10. *Sicut constituit mihi Dominus*] Non aliud indicasse mihi videtur quam sibi hoc constitutum ac mandatum fuisse, ut hoc vaticinii testaretur esse impletum. Quandoquidem & Glossa ordinaria, quam vulgo *Interlinearem* dicunt, *ut sicut constituit mihi Dominus*, interpretatur, *sicut constitutum mihi revelavit*. Et Euthymius *constituit*, inquit, *id est, dixit*. Atque ita hic erit contextus ordo, *Tunc adimpletum est (sicuti mihi Dominus manifestavit ac dixit) quod dictum est per Jeremiam*, &c. Nisi forte quis probare possit, aut probabilius ducat, hæc etiam esse Prophetæ verba, quibus testetur hoc suum de iniquæ pecuniæ commutatione vaticinium à Domino sibi fuisse cœlitus dictum ac revelatum.

19. *Nihil tibi & justo illi*] i. Nihil tibi rei sit cum justo Jesu, ut in ipsum mortis sententiam proferas.

25. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*] h. e. Scelus ipsum effundendi sanguinis & occisionis ipsius in nos ipsos ac liberos nostros recipimus atque supervenire cupimus.

27. *Suscipientes Jesum in prætorio*] Εἰς τὸ πραιτώριον *in prætorium*: nam foris extra prætorium sententiam acceperat. Est autem *prætorium* hic idem locus in ædibus Præsidis Pilati qui capite proxime præcedenti in ædibus Pontificis *aula* sive *atrium* appellatur. Unde & B. Marcus manifestius elocutus est hisce verbis, ἀπήγαγον αὐτὸν ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον, quæ sic resonant, *abduxerunt eum in atrium, quod est prætorium*; pro quibus vulgo legimus, *duxerunt eum intro in atrium prætorii*, c. 15. 16. ¶ *Universam cohortem*] Cohors est multitudo militum, nimirum decima circiter pars legionis. Legio enim x cohortibus constare consuevit, quarum minima DLV pedites & equites LVI habebat, ut cap. præcedenti diximus. Dicitur autem *cohors* à *cohortando*, vel à *chorte*, id est, *vico*, quod ejusdem vici essent ejusmodi milites. Habebat autem Cohors quinquaginta manipulos; Manipulus vero milites XXV secundum quosdam, secundum Vegetium vero x duntaxat, sub uno papilione degentes. Porro T. Livius, *Manipulus*, inquit, *levis vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat*, l. 8. decad. 1.

28. *Chlamydem coccineam*] *Chlamys* pallium est militare. Eratque ea chlamys *coccina*, sive *purpurea*, ut est apud alium Euangelistam, h. e. rubro interlucenti colore tincta.

33. *Golgotha, quod est Calvaria locus*] D. Hieronymus in Catalogo nominum Hebraicorum *Golgotha* (sic enim scribit) Syrum esse dicit, non Hebræum: & interpretatur simpliciter *Calvaria*, i. *caput pilis & carne nudum*. Verum locus ille per metonymiam *Calvaria* appellatus est, à calvariis quibus abundabat ex occisis corporibus.

35. *Sortem mittentes —— Et sedentes servabant*] Totum illud quod interponitur, *ut impleretur quod dictum est*, usque ad *sortem*, quoniam priscis illis scriptoribus hic lectum non est, & Correctoria quædam indicant id in antiquis exempl. adscriptum non fuisse, atque apud solum Joannem haberi (sicuti etiam colligi potest ex adnotatione canonum Eusebii) palam fit adjectitium esse, & extra germanum contextum habendum, etiamsi id unus inter antiquos habeat codex Aureus, & alter Enerbodiensis.

37. *Causam ipsius*] Αἰτίαν, i. *causam, accusationem*, vel *crimen*.

40. *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas*] Quidam cod. habent, *Vah qui destruit templum, & in triduo illud reædificat*. Sed prius illud rectius videtur propter id quod sequitur, *Salva teipsum*: atque ita legit Augustinus nisi quod omittat *Dei*.

44. *Idipsum autem & latrones*] *Latrones* per syllepsim pro *latrone* positum est. Est enim hic idem schema quod in illo c. 26. 8. *Videntes autem discipuli indignati sunt*. Vel dicendum quod primum uterque blasphemarit; dehinc Sole fugiente, terra commota, ac cæteris visis signis alter resipuerit, & priorem negationem sequenti confessione emendarit.

45. *Et tenebræ factæ sunt super universam terram*] Quoniam hoc factum nulla tradit historia extra Judæorum terram condita, arbitratur Origenes quod sicut cætera signa quæ in passione Domini ostensa sunt in Jerusalem tantum facta sunt, ita & tenebras has super omnem terram Judæam duntaxat factas fuisse.

46. *Eli, eli, lamma sabachtani*] Ita legendum quidam ex recentioribus polyglossus probat, cum ex vulgari quo Christus usus est idiomate, h. e. Chaldaico sive Syriaco, quod Hebraico magna ex parte confine est, tum ex vetustissimis utriusque edit. Exemplaribus. Adstipulatur huic sententiæ volumen Hebraicum, in quo hisce figuris hæc verba depicta sunt אלי אלי למה עזבתני: Alii tamen arbitrantur Christum Psalmistæ verbis, quæ diversum nonnihil resonant, usum fuisse. Exstant autem ea ipsa Psalmo juxta supputationem Hebraicam 22. his characteribus expressa, אלי אלי למה עזבתני, quæ si quis pronunciet ita sonabunt, *Eli, Eli, lamo adsaftani*. Cæterum sensus utrobique idem est; atque ob id mea sententia nihil refert utrum legas.

Porro codices quos ego vidi variant. Nam Caroli Magni codex habet *Eli*, *Eli*, *lamazaptani*; Gemblacenſis, *Heli*, *Heli*, *lemaſabathani*; Brugenſis Donatianicus, *Eloi*, *Eloi*, *lamazaptani*; Codex Corſendoncenſis raſura ac mutatione confuſus eſt; niſi quod aperta veſtigia commonſtrant, *Heloi*, *Heloi*, primo ſcriptum fuiſſe.

47. *Eliam vocat iſte*] Aut irridentes hoc dicebant, aut non intelligentes verba Chriſti propter tumultum populi, vel aliud obſtaculum: quod poſterius magis reſpondet his quæ ſequuntur.

48. *Et continuo currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto*, &c.] Acetum obtulerunt quo celerius ex inflictis plagis atque vulneribus efflaret animam, antequam advenerit Elias quem à Chriſto invocatum arbitrabantur. Alii vero contra, *Sine*, inquiebant, *videamus an veniat Elias liberaturus eum.*

60. *Ad oſtium monumenti*] Erat enim ſepulchrum intra ſpeluncam conſtitutum, cujus ſpeluncæ introitus grandi ſaxo intercludebatur.

63. *Poſt tres dies reſurgam*] Hoc quo pacto ſit accipiendum ſupra diximus cap. 26. ibi, *Poſſum deſtruere templum Dei.*

65. *Habetis cuſtodiam: ite, cuſtodite*] *Cuſtodia* hoc loco milites ipſos ſignificat ad cuſtodiendum deputatos. Porro quod Græcis eſt, Ἔχετε κουστωδίαν· ὑπάγετε, ἀσφαλίσασθε ὡς οἴδατε, poteſt & hunc habere ſenſum, *Habete cuſtodiam; ite, munite ſicut ſcitis.*

66. *Illi autem abeuntes munierunt ſepulcrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus*] Sermo nonnihil habet ambigui etiam apud Græcos. Poteſt enim intelligi quod Principes Judæorum & Phariſæi una cum cuſtodibus abeuntes ſepulcrum munierint, & lapidem obſignaverint; vel quod Principes & Phariſæi munierint ſepulcrum limul & milites cuſtodientes, ſigillantes inſuper & lapidem. Qui poſterior ſenſus evidentius in Hebræo codice exprimitur his verbis, וילכו וינצרו את הקבר בשומרים חתם הלכו ויצרו את הקבר בשומרים חתמו חתן i. *Et ipſi abierunt & munierunt ſepulchrum cum cuſtodibus, & ſignaverunt lapidem.* Quanquam illud בשומרים poteſt accipi inſtrumentaliter, *munierunt ſepulcrum cuſtodibus*, vel *in cuſtodibus*, more loquendi Hebraico.

LUCAS BRUGEN.

8. *Propter hoc vocatus eſt ager ille, Hacceldema, h. e. ager ſanguinis.*] Forte vox *Hacceldema*, ex primo Act. 19. ubi legitur, *Ita ut appellaretur ager ille lingua eorum, Hacceldema, h. e. ager ſanguinis*, deſumpta, & Matthæi narrationi inſerta eſt: quia neque in Græcis neque in Syriacis exemplaribus invenitur; tantum, *Propter hoc vocatus eſt ager ille, ager ſanguinis.* Neque vero eſt Syriace, pro *ager ſanguinis*, חקל דמא *hacaldemo*, ſed חקל דמין *Certe daddemo.* Quare hoc loco Euthymius ex libro Actorum adſert Judaicum agri nomen, *haceldema.* Certe ex Latinis noſtris MSS. id quod B litera ſignatum eſt habet duntaxat, *Propter hoc vocatus eſt ager ſanguinis*; & id quod L notatum eſt, addit ſimul illud ex Actis *lingua eorum, Propter hoc eſt ager ille lingua eorum Acheldemach, hoc eſt, ager ſanguinis.*

9. *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam, dicentem, Et acceperunt triginta argenteos*, &c.] Quandoquidem hæc Prophetia in Jeremia non inveniatur, variæ hic doctorum & veterum & recentiorum ſunt opiniones. Una eſt, *Jeremiam* ſcriptorum errore pro *Zacharia* eſſe poſitum: eſt enim quædam vocum affinitas, legiturque in Zacharia hoc oraculum ſenſu, ſi non verbis eiſdem, cap. 11. v. 12, & 13. Alia, quam probat maxime Janſenius, eſt, nec Jeremiam nec Zachariam ab Euangeliſta nominatum; ſed, abſque alicujus Prophetæ nomine, ab eo, ut alias plerumque, ſcriptum, *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Prophetam dicentem.* Pro hac ſententia facit, tum quod olim quidam Euangeliorum codices hoc modo habuerint, teſte Auguſtino lib. 3 De conſenſu Euang. cap. 7. tum quod Syriacus textus hoc pacto legat. Quin & veteſtum Latinorum Euangeliorum exemplar, quod ex Bibliotheca Societatis Jeſu commodatum nobis eſt, album, hoc plane modo ſcribit; quod & Lyranus in quibuſdam libris legiſſe videtur. Legitur hunc in modum etiam apud Rupertum: verum in commentariis, *Scriptorum*, ait, *incuria inoleviſſe, ut hic pro Zacharia Jeremias nominaretur.* Tertia eſt ſententia quæ vulgatam tuetur lectionem, *per Jeremiam prophetam*, cui Græci, Latini codices, olim ac nunc, plerique conſentiunt: ſed diverſis propugnatur modis; quod vel Judæorum invida malitia eraſa ſit ex 32 Jeremiæ capite, quo de agri emptione agitur, hæc Prophetia; vel in Apocryphis Jeremiæ ſcripta fuerit; vel inter ἄγραφα accepta; vel ea ſit cujus hiſtoria Jer. 32 deſcribitur; vel ex Jeremiæ & Zachariæ oraculis conflata ſit; vel, propter eundem Spiritum quo afflati Prophetæ ſcripſere, Jeremiæ ſit attributa quæ Zachariæ eſt; vel denique Zacharias binominis fuerit, altero nomine Jeremias dictus. Hæc enim ſingula autores ſuos habent. Varius conjecturis una latens quæritur veritas.

33. Marc. c. 15. v. 22. & Joh. c. 19. v. 17. Quidam, id quod Euthymii interpres Hentenius refert, pro *Golgotha*, quod interpretetur *Calvariæ locus*, *Golgoltha* legendum putat. Nam præterquam quod hoc modo Chaldaica lingua Calvariam vocet, ſic ſcriptum in vetuſtis Latinis exemplaribus reperiſſe ſe dicit: itaque habet Hebraicum ejus Euangelium גולגלתא. Inter Latinos codices, quos vidimus nos, ſola Biblia quæ anno 1529 Coloniæ in ædibus Quentelianis excuſa ſunt, in Matthæi & Johannis Euangeliis, *Golgoltha* legunt, eaque, quod veriſimile eſt, ſtudio emendata; cæteri, cum impreſſi tum ſcripti, aut *Golgotha* habent, aut *Golgatha*, ſive *th* adſpiratione omiſſa. *Golgotha* ubique ſervant manuſcripta lectiſſima, Brugenſe, E, & aureum Societatis. Hieronymus etiam, libris De locis & nominibus Hebraicis, *Golgotha* legit. Similiter legunt Græci codices quos conſuluimus, omnes, Γολγοθᾶ, uno dempto, qui in Johannis Euangelio Γολγαθᾶ ſcribit. Epanorthotes in Matthæo notat; *Item d.* qui dicitur Golgotha. *Græcus, antiqui, Gloſſa & Hieronymus ſic habent.* Quare id τῷ *Golgatha* præferendum videtur: tametſi Chaldæi & גולגלתא *gulgaltha* dicant. In Syriaco exemplari גולגלתא *gogulta* legitur. Hebraice גלגלת *gulgoleth* dicitur. *Caput* hæc & *calvariam* ſignificant: tranſlata ad ſignificandum locum in quo mortis rei morti tradebantur; quod multa in eo occiſorum capita & calvariæ eſſent.

40. *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud readificas: ſalva temetipſum.*] *Vah* omittit unus codicum Hentenii (nam de altero, qui Pariſienſium eſt, Conſtantienſi, habeo cur dubitem) id quod vulgatis Græcis & Syricis exemplaribus conforme eſt, quibus adſtipulatur Euthymius. Quare ſuſpicantur quidam huc ex Marc. 15. 24. id nobis eſſe tranſlatum. Cæterum ut univerſi noſtri Latini addunt *vah*; ita Græcus Parienſium β, ex Italia tranſmiſſus, addit οὐαί, & Syriacus Colonia acceptus, cujus varias ab impreſſis codicibus lectiones Raphelengius jampridem edidit, præponit ܘܝ quod in Marco pro Græco οὐαί, Latinoque *vah*, ponitur. Quinque ex noſtris Græcis exemplaribus in Marco οὐαί legunt; id quod nobis *va* ſonat, Syris ו.

Quæ ſequuntur verba, *deſtruere* & *readificare*, complures libri ſecunda perſona legunt, *deſtruis, readificas*; quidam tertia, *deſtruit, readificat*; *Vah qui deſtruit templum Dei, & in triduo illud readificat.* Ex noſtris, O, E, L, Pl. m. Mog. & alii multi, ſecunda; Brug. Lob. Leod. So. au. Q, H, M, A, R, Tril. tertia legunt. His veteſti aliquot cujuſdam codices, nominatim Conſtantienſis & antiqui Epanorthotæ, conſentiunt. Græca & Syra Participiis utuntur, quæ ſi, ut vulgo, non præmittunt *vah*, per ſecundam exponi perſonam magis exigunt. Itaque plerique omnes Interpretes transferunt. Si vero præponant *vah*, id quod Interpres legiſſe videtur, recte tertia vertantur perſona, eaque acrior ſit irriſio, mutata ſtatim perſona. Apud B. Auguſtinum, lib. 3. De conſenſu Euang. cap. 15. ſecunda perſona legitur, omiſſo *Dei* nomine. Porro Hilarius, 33 canone, tertia perſona ſe legiſſe ſignificat, dum ait, *Additur etiam illud opprobrium, quo ſe ipſe Iſrael Infidelitatis arguere indicatur; Hic eſt qui deſtruebat templum Dei, & in triduum illud readificabat.*

STEPHANUS.

Κεφ. κζ, Περὶ δὲ τοῦ θηλάσαι κβ΄ πίνει.

Matth. τοῦ λαβ. ιβ΄, Καὶ ἀθῶοι ἐναίμονται ὁ Ἰησοῦς σὺν μαθηταῖς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ περάσαι αὐτὸν εἰς τὸ πέραν.

Καὶ Πίτζαν ἐξετάσαι Θεὸς λόγῳ ἐξ ἁλὸς ἅλμης.
Ἄθως,
Οὐ κατακαπίζῃ Πίτζαν ἅλμη ἐμπεσόντα.

2. Τῷ ἡγεμόνι] *Præſidi* provinciæ.

3. Μεταμεληθεὶς ἀπέστρεψε] *Pœnitentia ductus reddidit.*

5. Ἀπήγξατο] *Strangulavit ſeſe.*

19. Μηδὲν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ] *Nihil tibi rei ſit cum juſto illo.*

23. Περισσῶς] *Amplius.*

24. Ἀθῷός εἰμι ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ δικαίου τούτου] *Non delinquo in ſanguinem hujus juſti.*

30. Ἐμπτύσαντες] *Cum inſpuiſſent in eum.*

32. Ἡγ-

32. Ἡγγάρευσαν ἵνα ἄρῃ] *Adegerunt portare.*
37. Τὴν αἰτίαν] *Accuſationem:* vel, *crimen.*
43. Ῥυσάσθω νῦν εἰ θέλει αὐτόν] *Eripiat ſi gratus ei eſt.*
46. Ἀνεβόησεν] *Exclamavit.*
51. Τὸ καταπέτασμα] *Velum:* vel, *aulæum.*
53. Ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς] *In conſpectum venerunt multis:* vel, *Manifeſte conſpecti ſunt à multis.*
55. Ἠκολούθησαν] *Secuta fuerant.*
57. Ἐμαθητεύθη] *Diſcipulus fuerat.*
59. Ἐνετύλιξεν] *Involvit.*
63. Ὁ πλάνος] *Planus:* vel, *Impoſtor.*
64. Ἀσφαλισθῶσι] *Præſidio muniri:* vel, *cuſtodia.* ¶ Πλάνη] *Impoſtura.*

DRUSIUS.

3. *Triginta argenteos*] *Siclos* intellige. Id erat pretium hominis ſervi: nam liberi æſtimatio erat LX ſiclorum, h. e. duplo major; More, part. 3. c. 40. Hi ſicli argentei erant. In eodem lib. fol. 166. p. 2. *Pretium ſervi erat argentum* XXX *ſiclorum*, h. e. XXX ſicli argentei.

7. *Ad ſepulturam hoſpitum*] Sepulcretum Hebraice dicitur *domus ſepulcrorum.* Id aſſignabatur cuique urbi; & quidem ſitum erat extra terminum ejus. Non enim ſepeliebant mortuos ſuos in termino urbium ſuarum: ex lib. Præceptor. 206. 3.

9. *Per Jeremiam*] *Jeremiæ* nomen irrepſiſſe videtur in locum *Zachariæ* vel culpa manus exſcribentis, vel certe memoriæ vitio. Quanquam Hieron. commentario ad hunc locum teſtatur ſe legiſſe verba quæ hic citantur in apocrypho quodam Jeremiæ Prophetæ. Sed vide ſodes Parallela mea. Scribi autem debet *Jeremiæ* exiliter, non *Hieremiæ* cum adſpiratione. Hunc lapidarum fuiſſe à Judæis exſulibus in Ægypto ſcribunt Dorotheus, Tertullianus, Epiphanius, Primaſius, & alii. Idem de Ezeciele proditum. Quo accommodant locum Apoſtoli, Hebr 11. 37. Vide, ſi vacat, Matth. 16. 14. *alii vero, Jeremiam*; & fragmentum Origenis in Matth. pag. 211. Ibi cauſam reddit quare Chriſtum Judæi in Euangelio Jeremiam eſſe putaverint. Locum deſcripſiſſem, ſi liber ad manum fuiſſet.

16. *Qui dicebatur Barabbas*, Τὸν λεγόμενον Βαραββᾶν] Unica *r*, & duplici *bb*. Id ſonat, *filius patris mei.* Nam אבא ſive אבא *pater meus.* Sic אמא *mater mea*, רבונא, *dominus meus.* In Nominibus de Johanne exponitur *Filius patris.* Cave damnes. Nam אבא etiam *pater*, i. e. ὁ πατήρ, cum articulo. Sic אמא ἡ μήτηρ, רבונא ὁ δεσπότης ἡμῶν κύριος. Nihil certius. In Nominibus de Matthæo, *Barrabban*, *Filium magiſtri eorum.* Hieron. in comm. p. 67. *Iſte Barrabbas in Euangelio quod ſcribitur juxta Hebræos Filius magiſtri eorum interpretatur.* In hac ſcriptura eſt duplex R R & geminum BB: & eſt compoſitio nominis ex בר *filius* & רבא *magiſter* aut *princeps.* Reperio etiam *Barrabam*, unica B. Sed in editione Syra בריאבא juxta priorem ſcripturam. Male autem interpretantur *Filium magiſtri eorum.* Nam eſt obliquus à recto Βαραββᾶς. Quod hic dictum Græca declinatione pro *Barabba*, ut *Judan* dicebant pro *Juda*, & *Thomam* pro *Thoma.* Si tamen rectus eſt *Barabban*, tum ſcribi deberet בר רבן. Id valet, *filius magiſtri noſtri*, ut עבדן dicimus pro עבדנא *ſervus noſter.* Hoc Syriace. Nam in lingua Hebræa רבן valet *magiſter eorum*, & רבם cum Mem in fine (Latini codices habent *Barabbam*) *magiſter eorum.* Invenitur etiam *Rabban* pro *magiſtro*, quod eſt nomen honoris diverſum nonnihil à *Rab*, unde *Rabba.* Sic *Maran* ſonat *dominus noſter* & *dominus* ſimpliciter. Sane *Maranatha* ab his exponitur, *Dominus noſter venit*, ab illis, *Dominus venit.* Sed hoc poſtremum etiam *apoſtatam* denotat, unde *Marani* nomen.

25. *Sanguis ejus*] Pœna ſanguinis, i. e. cædis. Nam *ſanguis* pro *cæde* ponitur in qua ſanguis effunditur. Sic Joſ. 2. 19. *ſanguis ejus in caput ejus:* & mox, *in caput noſtrum*, ſub. *recidat.* Quale illud, *quod tuo capiti ſit.* Jonathan ibi reddit, *culpa cædis ejus.* Judicia pecuniarum non ſunt ut judicia animarum. In judiciis pecuniarum ſi homo dedit pecuniam ſocio ſuo, expiatur; in judiciis autem animarum ſanguis ejus & ſanguis ſeminum ejus pendet ab eo uſque ad finem mundi: ex eodem lib. 188. 2. Alibi de blaſphemo, quem lapidabant, & poſtea ſuſpendebant, *Omnes judices & teſtes ponebant manum ſuper eum, & dicebant, Sanguis tuus ſuper caput tuum, cujus tu occaſionem dediſti.*

26. *Jeſum autem flagellatum*] Moris erat Romani flagellare damnatos. Sic ſane flagris cæſus fuit ab Antonio Antigonus Rex Judæorum. Quem morem notavit Petrus Faber Semeſtrium, l. 2. c. 10. Cæterum de ratione flagellandi, & de flagello vide lib. Præceptor. 188. 4. Adſtringebant flagellandum ad columnam. De qua flagellatione Lipſius 2. 4. De cruce, & Taubmannus in Plautum, 493. 2.

33. *In locum qui dicitur Golgotha, qui dicitur Calvariæ locus:* Εἰς τόπον λεγόμενον Γολγοθᾶ, ὅς ἐστι λεγόμενος Κρανίου τόπος] Syrus habet גולגולתא *Gagultha.* In hoc nomine excidit litera, ut in aliis nonnullis. Nam eſſet *Golgoltha*, nempe ex Hebræo גלגלת *Golgoleth*, i. e. *calva* ſive *calvaria.* Sic שלתא invenitur pro שלשלתא *catena*, & קלתא pro קלקלתא *ſtercus* aut *ſterquilinium.* Sic *Babel* dicebant pro *Balbel* σύγχυσις, & אתרבב *magnificatus eſt* pro אתרבב. Quod noto, ne quis arbitretur vocem corruptam eſſe. Neque enim allentior Caninio ita ſcribenti, *Corrupte ſcribitur à Græcis* Γολγοθᾶ, *detracto altero* λ, *pro* γολγολθᾶ, *i. e. Cranium, vel Calva, mortui præſertim. Erat enim cippus Judæorum.* Saltem non eſt à ſcribis corrupta. Nam de vulgo nolim contendere. Magis inclino ut ſit ablata litera per ſyncopen ex conſuetudine illius ævi. De nominis etymo varia ſententia eſt. Quidam exiſtimant fuiſſe cippum Hebræorum, ut Caninius, cujus verba modo produxi. Alii cenſent colliculum fuiſſe ſic dictum à rotunditate cranii ſpeciem referente. Vide Theodorum. Aliter Epiphanius Contra hæreſes, l. 1. *Golgotha Cranii ſive Calvariæ locum interpretantur, quia primum formati hominis Adam calvaria illic inventa eſt, & illic reliquiæ ſitæ erant.* Credula nimis antiquitas hoc accepit à Judæis. Athanaſius De paſſione & cruce DOMINI, pag. 647. *Magiſter Hebræorum dicit ſedem eſſe ſepulcri Adæ. Ibi enim poſt maledictionem eum humatum eſſe aſſeverat.* In lib. Locor. *Golgotha, Locus calvariæ, in quo Salvator pro ſalute omnium crucifixus eſt: & uſque hodie oſtenditur in Ælia ad Septentrionalem plagam montis Sion:* & Nominum, *Golgotha, Calvaria. Syrum eſt, non Hebræum.* In Comment. Hieron. ſuper Matth. ſcriptum *Golgoltha:* ſed ea audacia qua multa alia vocabula ibi ſcribuntur, quæ ad veterem conſuetudinem interpolanda erant, non ad hanc novam, quam Hieron. ignoravit.

34 *Vinum cum felle miſtum*] In ſuppliciis miſcebant vinum cum grano thuris לבונה בקורס, quo epoto reus ſibi non conſtabat mente. Qua de re aliquid in lib. Præceptor. qui per ſigla סיא vocatur, fol. 188. col. 2. *Dant ei bibere granum thuris in calice vini.* Juch. 114. 2. in tractat. Sanhedrin, *Qui exit ad ſupplicium potum dant ei granum thuris, quo abripiatur mens ejus.* Vide quoque lib. Muſar, 125. 2. in extremo. In quibuſdam libris, *acetum cum felle miſtum*, i. e. ὄξος. Sic variant etiam cod. Græci. *Fel* autem מרורה dicitur Job. 16. 13. & 20. 14. χολὴς voce non *tam fel* intelligitur quam *amaror*, cujuſmodi eſt myrrhæ genuinæ, *leviter*, inquit Plinius, *amara.*

43. *Si vult eum*] Eſt cur malim, *ſi vult ei.* Nam *velle alicui* eſt *bene velle & favere*; unde & *voluntas* pro *favore.* Terentius, *Voluntas veſtra ſi ad poëtam acceſſerit.* Orat. Metelli, *Dii immortales plurimum poſſunt, nec tamen plus velle nobis debent quam parentes.* In fonte eſt, εἰ θέλει αὐτὸν *ſi vult eum:* quod non nemo exponit φιλεῖ *amat*, ut Gen. 34. 19. *Quia volebat filiam Jacob*, i. amabat eam valde: & 1 Sam. 18. *Jonathan* יהונתן חפץ ברוד *amabat Davidem.* Significat etiam *delectari aliqua re*, unde, *Non Deus volens iniquitatem tu es*, qui delecteris iniquitate. Contra ἐθέλειν, quod *amare* ſignificat, ponitur pro *delectari aliqua re.* Nam quam rem aut perſonam amamus, ea delectamur quoque.

44. *Latrones*] Alteruter latronum. Vide ſis Quæſt. & Reſponſ. meas: item Hieron. epiſt. 48. Suſpendebantur autem ſub occaſum ſolis, & ſtatim ſolvebantur: lib. Præcept. 188. 4.

46. *Eli*] *El* (unde *Eli*, i. Ἠλί ſive Ἠλεί· nam utroque modo ſcribitur) *fortis* vel *potens*, i. כוחי, ut exponit R. D. Pſal. 90. 2. aut ἰσχυρός, ut interpretatur Aquila Pſal. 22. 1. Communiter *Dei* vocabulo redditur, ut hic Ἠλί, Ἠλί, τῇ ἰσχύϊ, Θεέ μου, Θεέ μου· & Marc. 15. 34. citante Euſebio, Ἠλεί, Ἠλεί, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου. Sed in hoc poſtremo loco exemplaria vulgata legunt Ἐλωΐ, Ἐλωΐ, i. אלהי, quod licet eodem recidat, credibilius tamen eſt Chriſtum dixiſſe Ἠλί, aut Ἠλεί· ex quo natum cavillum illud, *Eliam invocat.* Certe longius recedit à nomine *Eliæ* Syriacum Ἐλωΐ. Syrus utrobique poſuit אל אל, quod reddunt *Deus, Deus.* Id uſurpant in precationibus pro auxilio, ut cum dicunt, אתא לסעדן *Veni in auxilium noſtrum.* Plura de hac voce vide ad Matth. 1. 23. & Mar. 15. 34. Quibus addo Jeſ. 9. 6. אל גבור A. & Sym. *Fortis, potens.* Th. *Fortis dynaſta.* Alii, *Deus potens:* Quod præ ceteris probant Euſebius & Theodoritus. Theodoriti verba ſunt in libro MS. *Depravavit hoc Aquila, pro* DEUS POTENS, FORTIS POTENS *interpretando. Nam in Ebraico eſt* EL GIBBOR. *El autem Deum ſignificat.* Sunt qui ſemper

per transferunt אל *Deus fortis.* Si non fallit Euſebius, אל καθ' ἐκλέξειαν ſignificat ἰσχὺν ἢ δύναμιν· & certe non fallit. Nam ita ſumitur hoc nomen cum alibi tum Prov. 3. 27. לאל ידך *in poteſtate manus tuæ.* Igitur *Eli* verti poſſet *mea vires*, aut *mea potentia:* Quale illud Poëtæ,

Nate mea vires, mea magna potentia ſolus.

Sic Deus à Magiſtris vocatur הגבורה, & à Chaldæis מרא Gen. 49. 24. in Onkelo. Unde lux illi loco, ἐκ δεξιῶν τ' δυνάμεως· nam ſenſus eſt, *ad dexteram Dei.* ❡ *Lama*] *Lama* an *Lamma* ſcribas parum refert. *Lama*, i. λαμά. Chaldaice למא ex ſono antiquo. Nam hodie dicerent λεμά, quod in uno exemplari Græco. Syrus habet למנא. Sonat autem *cur, quare, quamobrem.* Ebræis in uſu למה, cum accentu in ultima & unica ה, & למה cum accentu in penultima, Mem per Dages geminata: unde λαμμά. Vide annotata ad Marc. 15. 34. ❡ *Sabacthani*] Sic edit. Lat. vulgata. Nam in Græca eſt σαβαχθανί· ſed legendum puto σαβακθανί, i. שבקתני *dereliquiſti me.* Hinc etiam emendabis Suidam, ubi perperam Σαβαχθανῆ, λέξις Ἑβραϊκή, ἰγκαταλελειμμένος. Eſt autem verbum Chaldaicum ſive Syriacum. Sunt qui putant Chriſtum ipſas voces Ebræas uſurpaſſe, contra Græcorum codicum fidem. In qua opinione videtur fuiſſe Hieron. qui hunc locum citans *Azabthani* habet, pro quo in epiſt. ad Pammachium De optimo genere interpretandi mendoſe *Zabathani* legitur. Nam veritas ſcripturæ *Azabthani:* Quam invenies & in Auguſtino De conſenſu Euangeliſt. lib. 3. cap. 17. Plura vide ad Marc. 13. 34. שבקתני *Sabacthani*, ut צבאות *Sabaoth*, רפאים *Raphaim*, מנשה *Manaſſes*, כנען *Chanaan*, & alia ſexcenta.

51. *Velum templi ſciſſum eſt*] Quidam de interiore velo dictum accipiunt, quod Sanctum dividebat à Sancto ſanctorum. Ebræi פרכת appellant. Alii de exteriore intelligunt, quod atrium ſecludebat à Sancto, & מסך dicitur. In hac ſententia eſt Thomas. Vide Catenam Patrum, p. 231. Erat & aliud velum tertium, de quo alias. מסך alii *aulæum* interpretantur. Vide quæ ſcripſimus Exod. 26. 31, & 36. Mirum hoc omiſſum in Thalmud, tract. Joma fol. 39. pag. 2. ubi alia recenſentur quæ acciderunt circa hoc tempus, videlicet annis XL ante deſtructionem Templi ut quod portæ Templi ſponte patuerint, & quod lucerna veſpertina non arſerit, & alia quæ brevitatis cauſa omitto.

54. *Servantes Ieſum*] Nam crucifixis adhibiti è militibus cuſtodes. Vide Fabrum Semeſtrium l. 2. c. 9.

56. *Ioſe*] Idem cum *Ioſeph. Ioſeph, Ioſes*, ut *Tobit, Tobis; Goliath, Golias; Hannibal*, Ἀννίβας. Sed verius quod nunc ponam. Pro *Ioſeph*, abjecta ultima, Ebræi dicunt יוסי *Ioſe.* Inde *Ioſes* Ἰωσῆς, ut יש *Ieſus.* Amant enim Græci nominibus in vocali deſinentibus addere Sigma. Act. 4. 36. Ἰωσῆς, ὁ ἐπικληθεὶς Βαρνάβας. Vetus interp. *Ioſeph, qui cognominatus eſt Bar-nabas.* Syrus quoque habet יוסף *Ioſeph:* & notatum in uno exemplari Græco legi Ἰωσήφ. Contra Act. 1. 23. ubi libri vulgati Ἰωσήφ, in uno vet. exemplari habetur Ἰωσῆ *Ioſen.* Mar. 15. 47. ἡ Μαρία Ἰωσῆ. Syrus יוסה *Iuſſe* vel *Iauſe.* Autor Lat. vulgariæ, *Maria Ioſeph.* Cæterum יוסי pro יוסף legitur in Avoth cap. 6. & alibi.

59. *Sindone munda*] Hujuſmodi ſindon סדין dicitur Ebræis ab *involvendo:* Fiebat ordinarie ex lino. Nam ſericum involucrum prohibitum erat etiam principi qui tamen ut Rex ſepeliebatur, Jud. 54. 2. Hujus & ſupra meminimus.

60. *In monumento ſuo novo*] De hoc monumento vide quid Beda ſcribat apud Zachariam, pag. 358. & Anſelmus Matth. 27. fol. 253. pag. 2.

65. *Habetis cuſtodiam*] i. cuſtodes. Sic Virgilius, *noctem cuſtodia ducit Inſomnem.* Κυστωδία Latinum nomen eſt. Sacerdotes cuſtodias habebant in tribus locis, quæ memorantur in lib. Mandatorum, qui per ſigla משה nuncupatur, 210. 4.

SCALIGER.

65. CUſtodiam] Erant milites Romani, quorum præſidium erat conſtitutum in turre Antonia, autore Joſepho. Iis præerat στρατηγὸς ὃ ναῦ, cujus non ſemel in Actis mentio. Ipſi cuſtodierunt ſepulcrum Chriſti Sabbatho, quod Judæi non auſi fuiſſent propter religionem tam diei, quam magni ſolennis Paſchatis.

CASAUBONUS.

2. Ποντίῳ Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι] Vide ad Lucam 3. 1.

11. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἔφη αὐτῷ] Annotat Theophylactus Chriſti hoc reſponſum eſſe ambiguum: Poteſt enim ita quoque accipi, *Tuid dicis, non ego.* Similis Phædræ apud Euripidem reſponſio. Nam cum quæſiſſet ab illa nutrix, eſſetne Hippolytus quem ipſa deperiret, reſpondit, Σὺ ταῦτ', ἐγὼ δ', ἄλλως.

24. Λαβὼν ὕδωρ ἀπενίψατο τὰς χεῖρας ἀπέναντι τοῦ ὄχλου] Hujus conſuetudinis apud Græcos vel Romanos nullum reperio veſtigium: Itaque puto Pilatum inter Judæos verſantem eorum inſtituta & conſuetudinem in hac parte eſſe imitatum. Nam quod afferunt docti viri ex Sophoclis interprete, id huic loco non convenit. Illi enim lavabant manus ut ſcelus à ſe patratum quoquo modo expiarent; Pilatus, ut innocentiam ſuam teſtatam faciat.

26. Τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας παρέδωκεν] Simili ratione Gamaliel flagellat Apoſtolos, Act. 5. 40.

45. Σκότος ἐγένετο ὅλη πᾶσαν τὴν γῆν] Annotant Homeri interpretes vocem πᾶς interdum apud bonos auctores παρέλκειν, ὡς τὸ ἢ σπήλυγι ἢ δύῃσιν· quod huic loco convenit. Aſſentior enim iis qui ſic hunc locum & Marci ſimilem 15. 33. interpretantur.

57. Ἦλθεν ἄνθρωπος πλούσιος ἀπὸ Ἀρμαθαίας] Non, ἦλθεν ἀπὸ Ἀρμαθαίας, ut quidam conſtruunt; ſed, ἦλθεν ἄνθρωπος ἀπὸ Ἀρμαθαίας ὤν, ut ex Marco liquet.

GUALTPERIUS.

6. Εἰς τὸν κορβανᾶν] Κορβανᾶν *Corbanan* Gottes kaſten, Luth. In Syro eſt קרבנא *Kurbana:* quæ vox Dialecti eſt Syriacæ. Significat autem קרבן KURBAN, & קרבנא KURBANA, *oblationem*, munus; in plur. קרבנין CURBANIN, *Oblationes*; ex Radice קרב *acceſſit*, item *obtulit.* Hebr. קרבן *oblatio.* Levit. 1. 2. Num. 31. 50. Lingua Æthiopica קרבן vocant Euchariſtiam, quod ſit oblationum omnium perfectiſſima atque ſanctiſſima. Marci 12. 41. *Corbanan* in Græco exponitur γαζοφυλάκιον *gazophylacium*; in paraphraſi Syriaca בית גנזא BETHGAZA, *domus gazæ* vel *theſauri*; uti & Lucæ 21. 1. Eſt autem & ipſa vox γάζα peregrina, nempe Perſica, quæ, teſte Heſychio, ſignificat τὸ βασίλειον, ſeu σὺν ἐπὶ τῷ πᾶν ὃν φέρομεν φέρις, aut τὰ τίμια, i. *Regium, cum ſupellectile & inſtrumento ſuo; tributa & reditus*; aut *res pretioſæ.* Idem exponit γάζαν, τὸ πλοῦτον, i. *opes, divitias.* Suidas, θησαυρὸν *theſaurum*, i. ſupellectilem & opes pretioſiores, quas recondimus. Inde γαζοφύλαξ *cuſtos gazæ* ſeu *theſauri.* Nonnus dixit etiam χῶρον γαζοφύλαξ, *Locum in quo cuſtoditur gaza:* Suidæ eſt θησαυροφυλάκιον, quod pure Græcum eſt. Apud Athenienſes *Gazophylacium* erat locus ubi ſervabatur annona & frumentum, ut annotavit Poſtellus cap. 17. De magiſt. Athenienſium. Vide plura infra apud Marc. 7. 11.

26. Φραγελλώσας] Φραγέλλιον cum voce Latina coincidit, *Flagellum*, ſicuti habetur Joan. 2. 15. καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων, *factoque flagello è funiculis.* Syr. ܦܪܓܠܐ vel ܦܪܓܠܐ *pargela.* Vitioſa ſunt hic exemplaria nonnulla, quæ legunt φλαγελλώσας pro φραγελλώσας. Alias reperitur & φραγγέλιον pro φραγέλλιον. Inde φραγελλῶ vel φραγγελῶ, *flagello*, &c.

27. Πραιτώριον *prætorium*] Hanc vocem plane Latinam eſſe dubitare nemo poteſt. Syr. לפרטרין *Lapretirin.* Conſimiles multas alias paſſim eſt reperire, præſertim vero apud Suidam. Syrus eandem vocem Latinam retinet.

28. Χλαμύδα] Χλαμὺς *chlamys.* Syrus eandem vocem retinet כלמס *chlamus*, i. *pallium.* Eſt autem vox origine Græca, ex verbo χλαίνω *modice calefacio:* unde χλαῖνα, quæ idem ſignificat quod χλαμύς. Genus eſt veſtimenti quod veſtibus cæteris ſuperindui ſolebat, hyeme potiſſimum, ut frigus à corpore arceret. Erat enim duplicatum. Ejuſmodi ſunt qualia equitantes cæteris veſtimentis ſuperinduunt, Ein Reitrock. Servius *togam duplicem*, Nonius *veſtimentum militare* vocat, quod ſupra omnia veſtimenta ſumitur. Æſchylo διπλῆ χλαῖνα vocatur χιμαίμαινα, i. *frigoris hyberni propulſatrix.* Pollux ſcribit Atticos τὸ λεπτὸν nuncupare χλαῖναν, τὸ ἐμπαχὺ vero χλαμύδα. Eſt ergo φᾶρος χλαῖναν quod χιτῶνι ſuperindui ſolet; *veſtis virilis*, ſecundum Pollucem. Apud Herodianum lib. 7. Gordiano ſeni, quem Imperatorem creant, *chlamydem purpuream* circumponunt. Et apud eundem de Macrino, *abjecta chlamyde regia*, ſeu *imperatorio paludamento.* Pollux χλαμύδας fuiſſe alias ait ὁλοσίνους *totas albas*, alias φᾶραμφίους. Tales ſunt

chla-

chlamydes *purpura prætexta*, ſeu *quæ purpureum habent limbum*, ut apud Virgilium 4. Æneid. *Dido*

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Manicis hanc carere quidam ſcribunt. ¶ Κοκκινον] Κόκκος generaliter *granum* ſignificat. Gorr. κόκκος βαφικὸς, *i. granum tinctorium, tradit eſſe, Ilicem aquifoliam ſolo Cocco omnes roboris dotes provocantem; tributumque ei colorem rubeum, qualis in roſa micat, Imperatorum tantum paludamentis olim dicatum*, Scharlach *à Gallis* Scarlatum, *à Narbonenſibus* Vermilonum, *&c.* H. Steph. *Inde* κοκκίνη χλαμὺς *Coccina chlamys, & κόκκινος χιτὼν apud Plutarch. in Fab. quem ſuper Imperatoris ſenſorio extendi ſolitum ſcribit cum hoſti pugna ſignum dare volebant*, Idem. Syrus habet vocem זחוריתא ZAGHURITHA, *Coccinum*, Carmeſinfarb quæ & זהריתא ZEHARETHA, Carmeſin *color Carmeſinus, Coccinum, Vermiculus*, Guido in Lex. Ludibrio autem ut haberent Salvatorem, profana cohors militum hac veſte Chriſtum induit, quippe qui Rex haberetur.

33. Καὶ ἐλθόντες εἰς τόπον λεγόμενον Γολγοθᾶ, ὅ ἐστι λεγόμενος Κρανίου τόπος] Γολγοθᾶ *Golgotha*. Vox Syrorum eſt nonnihil in Græco inflexa. Sonat enim apud Syrum paraphraſten גולתא *Gagultha*, vel *Gegultho*. Fabricus in Radice גלל *volvit, revolvit*, per duplicationem literæ ל vocem גלגל *Galgal* dicit ſignificare *rotam qualis eſt in curru*, item *circulum* ſeu *ſphæram*, & *orbes cœlorum*, & *pupillam oculi*. Inde גולגלתא GULGALTHA *Cranium capitis, Calvaria*, propter rotunditatem ſeu figuram ſphæricam & orbicularem. Subjicit idem Guido, *Hebraice locum hic in quo Dominum & Redemptor noſter crucifixus eſt, dicitur* GOGULTHO. *Hebraice, ſcilicet, quia tum temporis lingua vulgaris Hebræorum erat Syriaca, ſicut Romanorum & Latinorum nunc eſt Etruſca ſive Italica. Cæterum vero Moſis & Hebræorum monumentis conſervata lingua locus ille vocaretur* גולגולתא GOLGOLETH, *Capitis cranium, à rotunditate ſphærica dictum*, &c. Utraque forma in Scripturis Divinis habetur, גלגלת *Gylgoleth*, & גלגל *Gylgeleth*, Exo. 16. 16. *Gomer pro cranio*, i. homine. Et Num. 1. 2. Germanice per affinitatem hujus vocis *Calvaria locum* appellant Galgen.

34. Ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον, *Dederunt ei acetum bibendum cum felle mixtum*] Tremell. *mixtum cum abſinthio*. Eſt autem apud Syrum ממרירתא ex Rad. מרר *amareſcere*, ex quo אמרר *amaritudine affecit, amarificavit*; & geminata radicali מרמר *mœrore afficere*; מרר *amarum*: מרירתא *Fel, abſinthium*. Unde idem Tremellius, *Vox eadem utrumque ſignificat*, inquit, *propter inſignem in utroque amaritudinem. Et commemorat R. D. Kimhi in lib. Radic. ſolitos fuiſſe Judæos iis qui morti eſſent adjudicati potionem præbere ex ſucco abſinthii, acceleranda mortis cauſa.*

Nota: In verſu 35. *pars poſterior*, ſc. UT IMPLERETUR, *&c. non habetur.*

45. *Tenebræ factæ ſunt ſupra univerſam regionem*] Intellige, *Judæorum*. Si enim univerſum terrarum orbem occupaſſent illæ tenebræ, proculdubio hujus prodigii meminiſſent rerum geſtarum ſcriptores.

46. Περὶ δὲ τὴν ἐνάτην ἀνεβόησεν ὁ Ἰησοῦς φωνῇ μεγάλῃ, λέγων, Ἠλὶ, Ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθανί; Et v. 47. Ἠλίαν φωνεῖ οὗτος, *Eliam vocat iſte*. Et v. 49. *Sine, videamus ei* ἔρχεται Ἠλίας σώσων αὐτὸν, *an veniat Elias ſervaturus eum*] In Syro eſt, אילי אילי למנא שבקתני *Il, Il, lamana ſchebackthoni*. Guido Fabr. in præfat. Teſtamenti Syriaci, *Quæ*, inquit, *doctorum neſcit hæc poſtrema Servatoris verba magna voce ab eo in cruce prolata, eſſe Hebraica omnia præter* σαβαχθανί *tantum, quod Syriacum eſt, pro quo ſcripſerat Regius Vates ſuo eloquio*, *Pſal.* 22. אלי אלי למה עזבתני ELI, ELI, LAMAH AZABHTANI? *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Unde factum eſt ut rudis & imperita multitudo, qua linguam arcanam non intelligebat, putaverit eum vocaſſe Eliam, cujus nomen Hebraice pronunciatur* אליהו *Elijahu*, Syre vero אליא *Ilijo*. Beza dicit, *Ad nomen* ELI *alludunt, non ex ignoratione linguæ, ſed ex profana petulantia.* Illa autem verba ideo recitavit Euangeliſta ut iſta amariſſima paranomaſia intelligeretur. Ad Radices quod attinet, Syrus idem eſt שבק *Scheback* quod Hebræis עזב *azabh*, i. *reliquit, dereliquit, deſeruit.*

48. *Unus ex eis accurrens*, λαβὼν σπόγγον, *cum accepiſſet ſpongiam, eamque aceto implevisſet, impoſuit arundini*] In Syro eſt ושקל אסתנא VASCKAL ESPUGA, *& accepit ſpongiam.* Σπόγγος, ου, ὁ, Attice σπογγιὰ, *ſpongia*. Diminut. σπογγίον *ſpongiola*. Unde σπογγίζω & ἐπισπογγίσω *ſpongia tergo, detergo, abſtergo.* Et σπογγοθήρας ὁ σπογγολαμβάνης, *qui ſpongias venatur*, ſeu *qui ſubit aquas ut ſpongias petris adhærentes avellat & extrahat.* Idem & σπογγοτόμος dicitur Ariſt. hiſt. anim. l. 5. c. 16. Plinius l. 9 c. 45. *avulſorem* vocat, addens, *Intellectum iis ineſſe* (αἴσθησιν puta, i. *ſenſum*) *apparet, quia ubi avulſorem ſenſere, contracta multo difficilius abſtrahuntur: hoc idem fluctu pulſante faciunt.* Syris אסתנא *Eſpuga* dicitur & כמא ex Radice סמא *plaudere*, item *inſtar ſpongiæ fugere & tergere.*

59. Σινδόνι καθαρᾷ] Σινδὼν, όνος, ἡ, *Sindon, linteum tenue & ſubtile.* Exiſtimatur autem dicta *Sindon* quod primum in Sidone urbe fieri cœperit. Vocatur à Martiale *Tyria*, propter vicinitatem urbium Sidonis & Tyri. Syrus habet vocem חוצא *Chajaza*, i. *linteum*, ut etiam apud Lucam 23. 53.

62. Τῇ δὲ ἐπαύριον, ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευὴν, *Poſtera autem die, quæ ſequitur Paraſcenen.* Syrus, *Die vero craſtina, quæ eſt poſt Paraſcenen*, i. poſtera.

62. Παρασκευὴν *Paraſcene.* Vox Græca ſatis nota, ſignificans *apparatum, præparationem*: ex verbo παρασκευάζω *paro, præparo.* Syris dicitur ערובתא ARUBETHA, *paraſceue, veſpera præcedens Sabbathum.*

65. Ἔχετε κουστωδίαν, *Habetis cuſtodiam*] Seu, ut Syrus, *Sunt vobis cuſtodes.* Κουστωδία *cuſtodia*, vox Latina, ut norunt omnes. Apud Syrum habetur vox קסטונרא KESTUNARA, *Satelles, ſpeculator, cuſtos*; quaſi à Latino *Cuſtodia.*

LUD. CAPPELLUS.

25. *Sanguis ejus ſit ſuper nos*, &c.] *Sanguis* Hebraice דם ſim pro *cæde* ſumitur, ut Hoſ. 4. 2. דמים בדמים נגעו *cædes cædem tangit.* Hinc pro *reatu homicidii* uſurpatur, ut Exo. 22. 2, 3. אין לו דמים *non eſt reus homicidii ubi ſupplendum* דין *cauſa.* Sic & Num. 35. 27. Item pro *pœna quam meretur homicidium*, quia reatus eſt obligatio ad pœnam. Hinc phraſes illæ איש דמים *vir ſanguinum*, h. e. homicida, Pſal. 5. 6. & 2 Sam. 16. 7. Item, *venire in ſanguines*, h. e. cædem patrare, 1 Sam. 25. 26. Abigail ſic Davidem alloquitur, *Dominus vivit qui prohibuit te* מבוא בדמים *ne cædem patrares*, vel ne te homicidii reatu obſtringeres. Item, *eſſe ſanguines alicui*, pro, eum eſſe homicidii reum, locis modo citatis Exo. 22. 2, 3. & Numer. 35. 27. Item *Sanguinem eſſe ſuper aliquem*, h. e. eum eſſe reum homicidii, Deut. 19. 10. Et, *ponere ſanguines in ſua domo*, h. e. domum ſeu familiam ſuam cædis reatu involvere atque obſtringere, Deut. 22. 8. Item, *Sanguis ejus ſit ſuper caput ejus*, h. e. Solus ipſe ſit reus mortis ſuæ, Joſ. 2. 19. Et, *Sanguis tuus ſit ſuper caput tuum*, h. e. Tu ſolus eſto reus mortis tuæ; Tibi, non mihi, imputa quod moreris, 2 Sam. 1. 16. Ergo contra, *Sanguis ejus ſit ſuper nos & liberos noſtros*, h. e. Si quod ſit peccatum in ejus morte, illud nobis & poſteris noſtris imputetur, nos & liberos noſtros volumus eſſe cædis illius reos, pœnamque illius à nobis & poſteris noſtris, repoſci à Deo. Similis exſtat phraſis Joſ. 2. 19. ubi exploratores Rahabam ſic alloquuntur, *Quicunque egreſſus fuerit de porta domus tuæ*, דמו בראשו *ſanguis ejus ſit ſuper caput ejus*, *nos vero erimus inſontes*, h. e. ſibi non nobis imputet ſi interficiatur: *quicunque autem fuerit tecum domi tuæ*, דמו בראשנו *ſanguis ejus ſit ſuper caput noſtrum ſiquis eum læſerit*, h. e. nos volumus eſſe rei cædis ipſius ſi forte interficiatur.

GROTIUS.

1. Συμβούλιον ἔλαβον, *conſilium inierunt*] Tantillo temporis ſpatio diſceſſiſſe tot Senatores, iterumque ex tot urbis regionibus conveniſſe, neque credibile eſt, & ſine cauſa fingitur. Senſus eſt, poſt auditum Jeſum ſeorſim Senatores inter ſe deliberaſſe quid eſſet faciendum. Ita συμβούλιον ἔλαβον & alibi ſumitur ut *captum conſilium* ſignificet, ſupra XII, 14. XXII, 15. Sed de hac re ad Lucam plenius. ¶ ὅπως ἰησωσιν αὐτὸν' *ut eum morti darent*] Non per inſidias, quod infame; nec per tumultum, quod periculoſum: ſed publico judicio; quod fieri non poterat niſi per Romanum Præſidem. Quare tota deliberatio in eo vertebatur, quomodo Præſidi id perſuaderetur.

2. δήσαντες, *cum vinxiſſent*] Id eſt, δεδεκότες [*vinctum*]. Ita ſolent ἀόριστοι [*indefinita*] ſignificare etiam id quod ante contigerat. Nam vinctus erat Chriſtus ſtatim poſt prehenſionem, ut ex Johanne diſcimus. Vide quæ ad Marci XV, 1. ¶ παρέδωκαν, *tradiderunt*] Ut moris illis erat ſi quem prehendiſſent capitaliter

noxium. Ita solebant in Provinciis Irenarchæ quos apprehenderant interrogare, deinde cum interrogationibus ad Præsidem mittere, L. *Divus Hadrianus*, Digestis de custodia & exhibitione reorum. Hieronymus de Judæis, *Habebant hunc morem, ut quem adjudicassent morti, ligatum Iudici traderent.* ¶ τῷ ἡγεμόνι. *Præsidi*] Sic & Josephus: Πιλάτῳ ὃ τῶν Ἰουδαίων ἡγεμών [*Pilatus vero Judææ Præses*]. Bene vertit Latinus Interpres *Præsidi*, quanquam Procuratorem fuisse Pontium satis constat vel ex Tacito & Philone, qui ἐπίτροπον vocat. Nam *Præsidis* nomen, quod ἡγεμόνα plerunque Græci vertunt, ut ait Macer citatus Lege prima Pandect.: De officio *Præsidis*, generale est, quo omnes Provincias regentes appellantur. Quanquam vero Procuratorum officium proprie erat τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικεῖν [*Imperatorii pecunias administrare*], ut Dio loquitur, usurpatum tamen in minoribus Provinciis ut etiam extra fisci causas jus dicerent, atque etiam gladio animadverterent. Tales Procuratores dicuntur *vice Præsidis fungi*, Lege 11 C. De pœnis, & L. IV C. Ad Legem Fabiam De plagiariis; & apud Ulpianum lib. IX De officio Proconsulis, ut citatur in veteri collatione legum Mosaïcarum cum Romanis: *partibus Præsidis fungi* L. Ex consensu, § *Cum Procurator*, D. De Appellationibus. Ideo Josephus de talibus agens Procuratoribus addit τὴν ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίαν [*cum potestate rerum omnium*], aut μέχρι καὶ κτείνειν λαβοῦσαν ἐξουσίαν [*etiam vitæ ac necis accepto jure*].

3. ὅτι κατεκρίθη, *quod damnatus esset*] Omnino referendum hoc ad Synedrii prædamnationem de qua supra XXVI, 66. quam Judas accipiebat ut secuturæ mortis indicium. Raro enim elabi solebant tali præjudicio consossi. ¶ μεταμεληθείς, *pœnitentia ductus*] Non video observari discrimen quod à multis traditur μεταμέλειαν & μετανοίαν. Nam & οἱ ἔξω [*Scriptores profani*] illa permutant, & nostri itidem Scriptores, ut ecce Hebr. XII, 17. μετάνοια est id quod μεταμέλειαν dici volunt, *contractus inutilis pœnitentia*, ut Jurisconsulti etiam loquuntur; contra μεταμεληθεὶς supra XXI, 29. is dicitur qui mentem meliorem recepit. Et Clemens Alexandrinus duplicem esse ait τρόπον μετανοοῦντος, τὸν μὲν πρώτιστον, φόβον ἐπὶ τοῖς πεπραχόσιν, τὸν δὲ ἰδιαίτερον τὴν δυσωπίαν τὴν πρὸς ἑαυτὸν τῆς ψυχῆς ἐκ συνειδότος [*pœnitendi modum, alterum vulgarem, qui metus est ob res actas; alterum rariorem, qui est animæ apud seipsam ex conscientia pudor*]. Neque tamen vocabuli ambiguitas iis favere censenda est qui de Juda misericordius quam par est pronuntiant. Aliud enim suadet & Petri oratio in Actis, & destricta Christi verba υἱὸν ἀπωλείας [*filium perditionis*] appellantis, addentisque *melius ei futurum fuisse si natus omnino non esset.* Ex circumstantiis igitur historiæ magis quam ex sola vocis proprietate eum mœrorem hic intelligere debemus cui non adfuerit vera animi emendatio, idque tum ipsius culpa, tum Dei obdurantis judicio. Neque interim improbo quod adversus Celsum secundo notat Origenes, Tantam vim fuisse documentorum Christi ut etiam deploratæ malitiæ homini pudorem quendam peccandi & ex peccato cruciatum gravem inciderint.

4. αἷμα ἀθῷον. *sanguinem justum*] Αἷμα [*sanguis*] Hellenistis mortem quamvis violentam significat, ut & infra commate 6. Hic μετωνυμικῶς [*per transnominationem*] ipsum eum qui morti destinatur. ¶ σὺ ὄψει. *tu videris*] Sic infra commate 24. ὑμεῖς ὄψεσθε [*vos videritis*]. Est autem loquendi genus ex Latino sermone desumtum. Nam Romani curam rei alicujus à se in alium rejicientes ajunt, *Tu videris*: quod Græci dicerent, Σοὶ μελέτω [*tibi id cura sit*]. Quare mirum non est haud satis recte acceptam à Syro vim hujus locutionis. Ad modum Caini loquuntur vera progenies Caini.

5. ἐν τῷ ναῷ, *in Templo*] In ea parte Templi in qua considebat Synedrium, qui locus vocabatur חנות הגזית לשכת [*Exedra casi lapidis*]. ¶ ἀπήγξατο. *suffocatus est*] Est quidem Græcis ἀπάγχεσθαι *suspendio sibi vitam adimere*, ut

—— ἀπάγξασθαί με πάρεστι,
[—— *facies me pensilis ut sim*,]

apud Theocritum. Sed difficulter id conciliatur cum Petri narratione Actorum 1. ubi aliud mortis genus Judæ tribuitur, effusis scilicet intestinis, cum pronus in faciem corruisset. Notum satis est quæ sint excogitata ut ista inter se conciliarentur. Neque satis se expediunt qui laqueo fracto corruisse Judam volunt. Videtur enim Petrus omnino casui inopinato, quem Divina providentia direxerit, non Judæ ipsius facto exitii causam adscribere. Nisi illis malumus accedere qui Judam putant se jecisse præcipitem, ut ἐλάκησε sit *dissiluit*, quod evenire solet ex tali jactu. Videamus igitur an hoc loco Matthæus non agat de morte Judæ, ut quæ serius contigerit & forte post resurrectionem, ut multorum fert conjectura; sed de gravissimo exulceratæ conscientiæ tormento. Nam compressionem spiritus è mœrore summo hac voce indicari vel unus Tobiæ liber nos doceat, ubi de Sara dicitur III, 12. ἐλυπήθη ἕως θανάτου ὥστε ἀπάγξασθαι [*tristata est valde ut suffocaretur*]. Et de Achitophele, in quem quæ dicta sunt à Davide in Judam apprime congruunt, & de quo similiter legimus ἀπήγξατο [*suffocatus est*], ubi in Hebræo est חנק, quod verbum & Syrus & Arabs hic usurpant, sentiunt Hebræorum non ineruditi non laqueo sed mœstitia eum periisse. Sic Πολιάγρου ἀπήγξατο [*Poliagrus mœrore se confecit*], apud Ælianum: τῷ συνειδότι ἀπάγχεσθαι [*conscientia strangulari*] apud Chrysostomum Homilia XXII. ad Antiochenos. Videri potest suspendii mortem Judæ adscribere Ignatius in Epistola ad Philippenses, ubi de Diabolo dicitur, μετάμελον ἐμβαλὼν τῷ προδότῃ ὃ βρόχον αὐτῷ δείσειεν, ἄγχόνιον δίδαγμα [*pœnitentiam proditori eam injecit quæ laqueum ei ostendit, suspendium docet*]. Sed qui eam epistolam cum judicio leget facile deprehendet dictionem & χαρακτῆρα & λόγου [*dicendi ductum*] floridiorem quam est Ignatii. Nimirum scripserat ad Philippenses Ignatius, ut Polycarpus meminit. Sed cum ea epistola non exstaret, alia suppolita est: quare nec Theodoretus nec Hieronymus nec Rufinus hanc agnoscunt.

6. τὸν κορβανᾶν. *in Corbonam*] Josephus ἁλώσεως [*Captivitatis*] II. τὸ ἱερὸν ἀνατιθέντες· καλοῦσι δὲ κορβανᾶν [*sacrum thesaurum; is autem Corbonas dicitur*]. Alibi γαζοφυλάκιον [*gazophylacium*] idem Josephus & Lucas appellant. Josephus etiam ἱεροῖς χρήμασι [*sacris pecuniis*] & Θεοῦ θησαυρῷ [*Dei Thesaurum*], atque in eo fuisse aliquando duo millia talentorum. ¶ ἐπεὶ τιμὴ αἵματός ἐστι. *quia pretium sanguinis est*] Argumentum à ratione legis desumtum. Vetat Lex stupri pretium sacris inferri. At apud Hebræos, cultus idolorum, stuprum, cædes velut paria censentur. Damnant hic se impuri Pontifices cum in venditore id facinus execrantur cujus ipsi emtores erant. At certe *cui prodest scelus is fecit.*

7. τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, *agrum figuli*] Exigui pretii locum fuisse oportet qui triginta siclis argenteis non pluris licuerit. Quare ἀγρὸν κεραμέως hic intelligo eum cujus uber omne ad figlina opera exhaustum foerit, ita ut nullus inde fructus sperari posset. ¶ εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις. *in sepulturam peregrinorum*] Non ἀλλοφύλοις [*alienigenis*], quorum cura minime tangebat Sacerdotes, sed Judæis qui ex longinquis regionibus Hierosolyma adventabant religionis ergo, ac morte occupati non habebant ubi sepelirentur, qui οἱ ἐπιδημοῦντες [*advenæ*] Actor. II, 10. Credibile est & ante prospectum fuisse eorum sepulturæ. Sed ingens confluentium & subinde morientium multitudo plus loci deliderabat.

8. ἀγρὸς αἵματος, *ager sanguinis*] Dialecto Hierosolymitana חקל דמא [*Haceldama*] Act. I, 19. Id nomen huic agro datum Deus voluit quo celebrior esset rei memoria. In Petri oratione Judas hunc agrum acquisivisse dicitur, non tanquam rem suam, sed tanquam æternum infamiæ monumentum. Dicebat enim populus prætereiens, hic est ager ille emtus ex pecunia pro qua Judas Magistrum suum vendidit.

9. διὰ Ἱερεμίου, *per Jeremiam*] Pro certo haberi debet multa apud Judæos Vatum veterum oracula conservata fuisse non scripto sed memoria, quanquam postea qui à parentibus acceperant ea privatim annotarunt: unde factum est ut ea oracula in libris ab Esdra digestis non extarent. Ἐκπυρώσεως [*Incendii*] universalis exspectatio, etiam Græcis celebrata, non potuit non ab aliquo vaticinio ortum habuisse; quod quidem vaticinium ipsi Adamo adscribere non veretur Josephus. Tale est & Enochi illud, Ἰδοὺ ἦλθε Κύριος ἐν μυρίοις ἁγίαις αὐτοῦ [*Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis*], & quæ sequuntur apud Judam 14, 15. Tale illud, Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν [*Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*], quod inter Eliæ dicta antiquitus celebrabatur. Talis & ille παλαιὸς λόγος ἀνδρῶν [*vetus hominum sermo*] Josepho memoratus, Ἔνθα ποτὲ τὴν πόλιν ἁλῶσιν ἢ κατοφλυχθῆναι τὰ ἅγια νέμει πόλεμος, στάσις ἐὰν κατασκήψῃ, ἢ χεῖρες οἰκεῖαι φονοκτονήσωσι τὸ ἅγιον Θεοῦ τέμενος [*Tunc fore ut Urbs capiatur & Templum belli lege incendatur, ubi seditio invaserit, & indigenarum manus polluerit sacratum Deo locum*]. Et illud λόγιον [*oraculum*] apud eundem, ἁλῶσιν τὴν πόλιν ἢ τὸν ναὸν ἐπιδύντα τὸ ἱερὸν γόνυ τετράγωνον [*Tunc fore ut capiatur Urbs & Templum, ubi Templum quadratam formam acceperit*]. Iam vero & illud sciendum est, veterum Prophetarum verbis uti solitos Prophetas posteriores. Ita Ezechiel multa habet verbotenus ex Jeremia desumta, ut apparet collatis locis Jerem. XXXI, 29, 30. Ezech. XVIII, 2, 3, & alibi. Sic & in Apocalypsi Johannis multas ἁγί-

κοπὰς [*ſectiones*] invenire eſt ex Ezechiele & Daniele. Et illud quod ex antiqua traditione, cujus Origenes meminit & poſt eum Hieronymus, ut Eliæ citavimus, ab Elia mutuatus eſt Eſaias LXIV, 4. Imprimis autem Zacharias amat imitari locutiones Jeremiæ. Quis enim non videt quod apud eum eſt 1, 4. ſumtum ex Jerem. XVIII, 11. & XXXV, 15. quod eſt apud eum 1, 6. ex Thren. Jerem. II, 17. quod eſt III, 8. ex Jeremiæ XXIII, 5. atque alia ejuſmodi. Quapropter dicere etiam ſolent Judæi *ſpiritum Jeremiæ fuiſſe in Zacharia*, atque adeo Jeremiam eundem eſſe & Zachariam. Quare non video quid obſtet quominus & dictum hoc de *triginta ſiclis* ab Jeremia primitus uſurpatum, hominumque memoria conſervatum, per Zachariam repeti Deus voluerit; quod tamen hic à Matthæo citetur primi auctoris nomine, quanquam in libris ab eo ſcriptis non exſtat. At Hieronymus oſtenſum ſibi ait à Nazarenæ ſectæ homine librum in quo id exſtaret ſub Jeremiæ nomine, qui liber privatam continuit annotationem famæ antiquitus traditæ per ora Hebræorum. Tales autem annotationes, quia publica auctoritate factæ non ſunt, merito vocantur ἀκανόνιστοι [*extra regulam poſitæ*], neque tamen id obſtat quo minus in eis multa contineantur & vera & vetera. Sic idem Zacharias illud, *Increpet te Deus, ô Satan!* ſumſit ex antiqua traditione, quæ deinde perſcripta eſt in libro ἀποκρύφῳ [*abſcondito*] cui titulus Ἀνάληψις Μωσέως [*Aſſumtio Moſis*]. Quin & illud apud Epheſios, Ἔγειραι ὁ καθεύδων καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός [*Surge qui dormis, & exſurge è mortuis, & illuminabit te Chriſtus*], Græci notant deſumtum ἐκ τῶν Ἱερεμίου λεγομένων ἀποκρύφων [*ex Jeremia iis quæ Abſcondita dicuntur*]. Sicut & illud, Οὔτε περιτομή τί ἐστιν, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις [*neque circumciſio valet aliquid, neque præputium, ſed nova creatura*], antiquitus ſub Moſis nomine celebrabatur. Quod autem quidam exiſtimant ab audace librario adjectum nomen *Jeremiæ*, cum Matthæus Prophetam nominaſſet, probare non poſſum, quia video jam ab Origenis temporibus laboratum ut hic nodus ſolveretur; qui labor ſupervacuus fuerat ſiqua exemplaria caruiſſent nomine *Jeremiæ*. Multo credibilius eſt à Syro id nomen omiſſum, quia conſtabat in ſcriptis Jeremiæ iſtud non reperiri. At agnoſcit Arabs & Latinus & quicquid eſt veterum. Dictum autem hoc Jeremiæ, repetitum à Zacharia, in eorum eſt genere quæ primitus res illorum temporum ſignificarent, ita tamen ut in Chriſti tempora etiam magis congruerent; quod Deus manifeſtum fecit ſingulari eventuum directione. Nam apud Zachariam ſenſus hic eſt primo intentus, qualem & apud Jeremiam fuiſſe credibile eſt; Deus ut ſua beneficia in populum Hebræum collata ingrate nimis accepta doceat, ait operæ in illos impenſæ mercedem à ſe poſtulatam; Aſſignatum autem ſibi à populo vile pretium, quo minima æſtimari ſolent mancipia, triginta ſiclos; Se vero illud pretium juſſiſſe projici in agrum aliquem in quem fragmenta fictilium projici ſolebant: Quo facto demonſtratum voluit omnem pompam ceremoniarum, qua impleta egregiam ſe beneficiis Divinis gratiam referre Hebræi exiſtimabant, cum abeſſet pius animus, indignam eſſe quæ à ſe acceptaretur. Hoc vero omne ſicut ad Jeremiæ & Zachariæ tempora pertinebat, ita multo magis congruebat Chriſti temporibus. Atque ideo factum eſt Divinæ providentiæ gubernatione, ut, quod ἀλληγορικῶς [*ſermone aliud innuente*] tunc erat dictum, Chriſti ætate, manente ſenſu illo καὶ ἀλληγορίαν [*ad aliud reſpiciente*] etiam ſecundum proprietatem verborum impleretur. Quod genus impletionis vaticiniorum in hac mortis Chriſti hiſtoria ſæpe occurret. Deus enim in Chriſto æſtimatus eſt à Pontificibus ſiclis triginta, cum tanti emtus eſt in Chriſtum proditor: atque ea pecunia vere in agrum figlinum non tam impenſa quam contemtim projecta eſt, facto quidem Pontificum, conſilio autem Divino: unde quod illi fecerunt, recte Deo dirigenti adſcribitur. ¶ Καὶ ἔλαβον, *Et acceperunt*] Ἔλαβον [*acceperunt*] & quod ſequitur ἔδωκαν [*dederunt*] ſumenda hic ſunt indefinite ſine ulla perſonæ aut numeri conſideratione. Factum enim notatur, non quis faciat. Apud Zachariam ipſi Zachariæ ut id faciat, atque eo modo ingratum populi animum teſtatum reddat, imperatur; Hic vero Deus curavit id ipſum per Pontifices fieri: quod oſtendit ſequens clauſula, καθὼς συνέταξέ μοι Κύριος [*ſicut conſtituit mihi Dominus*]. Sed per quemcunque fiat, eadem manet ſignificatio. Quare nihil peccavit Syrus qui hic primæ perſonæ verbis uſus eſt: quem ſi ſequi volumus erit illud ἔδωκαν [*dederunt*] mutandum in ἔδωκα [*dedi*]. ¶ τὰ τριάκοντα ἀργύρια, *triginta argenteos*] Supple νομίσματα [*nummos*], ut diximus ſupra. Lxx, Symmachus, Aquila, τριάκοντα ἀργυροῦς: ſupple σίκλους [*ſiclos*]. Vide quæ diximus ſupra. ¶ τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, *pretium appretiati*] יקר מורד apud Zachariam. מורד eſt τιμή, non tamen qua *pretium* ſed qua *honorem* ſignificat; ſed hæc ſolent inter ſe commutari. Legiſſe autem videtur Matthæi Interpres יקרתי; nam יקר eſt adjectivum, ſignificatque ἔντιμος, aut, ut hic effertur, ἠτιμασμένος [*honoratum*], cum יקר ſit ſubſtantivum ſignificans *gloriam* aut *reverentiam*. Lxx vertunt Σκέψαι εἰ δοκιμόν ἐστιν [*Vide an probum ſit*], nimirum per illud σκέψαι [*vide*] oſtendentes dicti εἰρωνείαν [*illuſionem*]. Aquila ſatis ad verbum, ἐντεμεγάθης ἐντιμί, *egregium vere pretium*. Τὸν ἐτιμήσαντο ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ· *quem appretiaverunt e filiis Iſrael*] Matthæi Interpres quod ſequitur מעם retulit ad ἠτιμασμένον [*honoratum*], quomodo acceptum ab eo יקר jam diximus: Aquila ad ἔντιμον [*pretium*]: ideo ὃν ἐτιμήθην ἀπ' αὐτῶν [*quo æſtimatus ſum ab illis*] tranſtulit. Lxx pro *quomodo* ſumunt, ὃν τρόπον ἐδοκιμάσθην ἀπὸ αὐτῶν [*quomodo honoratus ſum ab illis*]. Nam δοκιμάζειν omnino illi pro τιμᾶν [*honorare*] poſuerunt; ut Plato, cum dicit παρὰ ἀνθρώπων δοκιμάζεσθαι [*ab hominibus honorari*]. Ἐτιμήσαντο [*appretiaverunt*] hic poſitum eſt pro eo quod apud Prophetam ἐτιμήθην [*appretiatus ſum*]. recte: quia ibi Deus loquitur, hic res narratur. Ἀπὸ υἱῶν recte exponitur ἐξ υἱῶν [*ex filiis*]. nam iſtæ præpoſitiones ſunt ἰσοδύναμοι [*idem poſſentes*]: ita infra commate 21 dicitur τινα ἀπὸ τῶν δύο [*utrum ex duobus*]. Sed hic eſt ἔλλειψις [*defectus*] vocis τινὸς [*aliqui*]. Similem notare eſt ſupra XXIII, 34. Marci VI, 43. Luc. XI, 44. XXI, 16. Act. XXI, 16. Sic & Abydenus in hiſtoria de Siſithro, quo nomine Noam appellat, μετὰ τῶν ὀρνίθων [*miſit avium*] id eſt, τινὰς τῶν ὀρνίθων [*aliquas avium*]. Johannis XVI, 17. εἶπον οὖν ἐκ τῶν μαθητῶν [*dixerunt igitur ex Diſcipulis*], id eſt, τινὲς ἐκ τῶν μαθητῶν [*quidam ex Diſcipulis*]. Tale eſt & illud ſupra αἴρει ἀπὸ σοῦ ἱμάτιον [*tollit à veſtimento*], id eſt, τι ἀπὸ σοῦ ἱματίου [*aliquid à veſtimento*], IX, 16.

10. εἰς ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, *in agrum figuli*] שדה יוצר, *ad figulum*. Videtur ignobilis fuiſſe locus ita vulgo appellatus, ſimili figura ut cum dicitur,

Iam proximus ardet
Ucalegon.

Neque longe à Templo hunc agrum, cujus Zacharias meminit, fuiſſe indicio eſt id quod additur בית יהוה [*in domum Domini*], quod an & in Jeremiæ dicto fuerit dubitari poteſt. Forte ex eo agro ſumi ſolebat humus ad fictilia Templi, ut idem ſit locus qui שער החרסית [*Porta fictilium*] Jerem. XIX, 2. o nimirum poſito pro ו, quod non caret exemplo. Nam quod יוצר Kimchi interpretatur ἐπὶ γαζοφυλακα [*Præfectum ærario*] ſine exemplo eſt: ubicunque enim reperitur *figulum* ſignificat, & proinde κεραμεία vertunt Lxx Eſaiæ XLI, 25. Thren. IV, 2. Aquila hoc loco ῥῖψον αὐτὰ ἐκεῖσε ἐπὶ πλάσιον [*projice illa ad fictorem*]. Apud Lxx videtur χωνευτήριον [*conflatorium*] dictum καταχρηστικῶς [*per abuſionem*] pro eo quod dicendum erat κεραμεῖον [*figlinum*]. cujuſmodi abuſiones paſſim apud eos reperire eſt. ¶ καθὼς συνέταξέ μοι Κύριος, *ſicut conſtituit mihi Dominus*] Hoc ex ſuperioribus Prophetæ verbis non fruſtra hic additum, ut intelligantur hæc omnia Divini conſilii diſpenſatione accidiſſe. Cum autem hoc dictum Jeremiæ per Zachariam repetitum hic recitat Matthæus, ſimul oſtendit tacite eas pœnas imminere Judæis quas eidem Prophetæ olim ſui temporis hominibus prædixerant; Fore enim ut populus ille à Deo faſtiditus, & extra ejus tutelam poſitus, inteſtinis diſcordiis agitaretur.

11. Σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; *Tu es Rex Iudæorum?*] Nam cum hoc elogio Pontifices Jeſum Pilato tradiderant, quia hoc crimen affectati Regni maxime putabant valiturum ut Pilatus Jeſum morti addiceret; ſemet interim capitis damnantes, ut qui Meſſiam Regem Regni adſpectabilis, & everſorem Romanæ dominationis, avidiſſime exſpectarent. ¶ Σὺ λέγεις. *Tu dicis*] Hæc eſt *præclara* illa *confeſſio* cujus meminit Paulus 1 Tim. VI, 13. Cum vero Jeſus hic Regem ſe fateatur, negari mihi videtur non poſſe *Regnum* ejus aliquo modo inchoatum eſſe cum veritatem cœpit docere: nam ita ipſe apud Johannem Regnum interpretatur. Neque obſtat quod paſſim Regni ejus initium duci videtur ab evectione in cœlum: id enim de plena Regni poſſeſſione intelligendum eſt. Et ſane videri poteſt David etiam hac in re imaginem Jeſu geſſiſſe. Nam & is primum in Regem unctus eſt, poſt [illegible], Regni portione aliqua accepta, mox jus Regni in ſolidum accepit, II Sam. II, & V. Certe poteſtas remittendi peccata, quam Jeſus vitam mortalem agens exercuit, ad Regnum pertinebat, ut & liberrima illa miraculorum pro arbitrio diſpenſandorum poteſtas.

12. Καὶ ἐν τῷ κατηγορεῖσθαι αὐτὸν, *Et cum accuſaretur*] Hæc erat ſecunda & intentior accuſatio, cum vidiſſent Pontifices Pilatum priori criminatione non multum moveri, ut ex Luca diſcimus. Hæc ipſo coram facta, more Romano, Actor. XXV, 16.

¶ *οὐδὲν ἀπεκρίνατο. nihil reſpondit*] Cauſa ſilentii, præter deliberatam mortis patientiam, hæc erat, quod apud religioſum Judicem accuſatio iſta ſua ſponte evaneſceret. Nam *in criminibus Majeſtatis*, ut Modeſtinus inquit, *perſona ſpectanda eſt an potuerit facere*: Jeſum autem, plebejæ ſortis hominem, nullas habentem armatorum copias, præſidia nulla, res ipſa ſatis ab hac ſuſpicione liberabat. Quod ſi Pilatus, ut factum eſt, vellet ſuam religionem Judæis gratificari, ſupervacua erat omnis defenſio. Vide quæ dicta ſunt ſupra XXVI, 63. Et confer illud Eſaiæ נו ופיו לא [*& non aperuit os ſuum*] LIII, 7.

13. *πόσα σοῦ καταμαρτυροῦσι; quanta adverſum te dicunt teſtimonia?*] Multa quidem adferebant, ſed partim ea quorum fidem implere non poterant, ut de non ſolvendis tributis; partim nihil pertinentia ad Majeſtatem, ut de doctrina ſparſa per omnem Judæam. Neutra refutationis egebant.

14. *ὥστε θαυμάζειν τὸν ἡγεμόνα λίαν. ita ut miraretur Præſes vehementer*] Confer Eſaiam XLIX, 7. Cogitabat forte Terentianum illud,

An quiſquam judex eſt qui poſſit noſcere
Tua juſta, ubi tute verbum non reſpondeas?

At profecto in criminum cauſis non modo tacentes, niſi convicti certiſſimis teſtimoniis, damnari non poſſunt, ſed ne confeſſio quidem perire volentium admittenda eſt.

15. *κατὰ δὲ ἑορτὴν, feſto autem tempore*] Τὸ πάσχα [*Paſchate*], ut ait Johannes. Nam ea emphaſi ἑορτὴ dicebatur, ut ſupra XXVI, 2, 5. & Johann. IV, 45. collato loco ejuſdem libri II, 13. Joſephus, τὸ πάσχα μεθ' ὑπερβολῆς ἑορτὴν [*feſti temporis quod Paſcha dicitur*]· alibi, ἄζυμων ἑορτὴ Φάσκα [*Azymorum feſtum tempus Paſcha*]· rurſum alibi, ἑορτὴ καλουμένη Φάσκα [*feſtum tempus vocatum Phaſca*]· quomodo & Lucas ἐν τῷ πάσχα ἐν τῇ ἑορτῇ [*in Paſchate in tempore feſto*]· quibus in locis Paſcha συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] vocator totum tempus Azymorum. Veterem hunc morem fuiſſe non credo. Nam Lex Moſis erat χωρὶς οἰκτιρμῶν [*ſine ulla miſeratione*], ut ait Scriptor ad Hebræos X, 28. ὁ νόμος τὸ ἀσύγγνωστον ἔχει [*Lex ignoſcere neſcit*], inquit Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos. Nec cuiquam homini data ignoſcendi poteſtas, non Regi, non Synedrio, non populo univerſo. Nam Jonathan, cujus pœnam populus deprecabatur, aut contra æquum ad pœnam poſcebatur à patre, aut certe non ex Lege Moſis, ſed ex novo edicto Regio: nam in Legem nihil peccaverat. David Abſalomo veniam dare auſus non eſt, donec forte propoſitum paterno affectui, Jaobo annitente, ſuccubuit. Jaobo quoque homicidii pœna dilata, non donata eſt. Ipſi Synedrio Sameas exitium vaticinatus eſt quod Herodem accuſatum non condemnaſſet. Quare credibile eſt à Romanis hoc eſſe. Nam in Livii hiſtoria in venimus *lectiſternii* indicti *diebus vinctis demta vincula; religioni deinde fuiſſe quibus eam opem diis tuliſſent vinciri*. Ad hoc exemplum putem ab Auguſto hanc gratiam conceſſam populo Judaico; Idque mandatis Procuratorum fuiſſe comprehenſum. Nam alioqui Præſides Romani nullam habebant ignoſcendi libertatem, ut Leges nos docent. Sic Chriſtiani Imperatores Valentinianus, Theodoſius & Arcadius, generali lege Judicibus mandarunt ut primo die Paſchali omnium in carcere clauſorum, niſi ob certa crimina quæ Lex enumerat, vincula diſſolverentur.

16. Εἶχον, *Habebant*] Imperſonaliter dictum; quod genus loquendi ſæpe jam annotavimus. *Habebant vinctum quendam*, id eſt, *quidam vinctus habebatur*. ¶ *ἐπίσημον, inſignem*] *Famoſum*; ut qui inter capita fuiſſet ſeditionis ad cædem uſque progreſſæ. Quare λῃστὴς apud Johannem ſignificat φονέα [*homicidam*] quo nomine hunc Barrabam Petrus appellat Actorum III, 14. Sed & Joſephus ſeditionum principes λῃστὰς appellat, ut & σικαρίους [*ſicarios*], quia ſcilicet arma habebant publico injuſſu. Lege Cornelia de Sicariis teneri eum qui auctor ſeditionis fuerit ait Marcianus L. *Ejuſdem*, D. Ad Legem Corneliam. Sic σικαρίων vox ſumitur & Actorum XXI, 38.

17. *Συνηγμένων οὖν αὐτῶν, Congregatis ergo illis*] Synedrio ſcilicet coacto, adſtante populo. ita colligimus ex Luca XXIII, 13. & ex eo quod infra ſequitur 20. Solitum id fieri ex Joſepho apparet, apud quem ad Flori tribunal accedunt οἵ τε ἀρχιερεῖς καὶ δυνατοὶ, τό τε γνωριμώτατον τῆς πόλεως πᾶν [*primi Sacerdotum & Magiſtratus, & quicquid in urbe conſpicuum erat*]. ¶ *λεγόμενον Χριστὸν; qui dicitur Chriſtus?*] Χριστὸν hic non ponitur vice cognominis: nondum enim ita increbuerat id vocabulum ut Jeſus eo velut proprio vocaretur. Sed λεγόμενον Χριστὸν ſignificat eum qui à multis credebatur eſſe promiſſus Meſſias. Vide Johan. IX, 22. Marcus hic pro eodem dixit ὃν λέγετε βασιλέα τῶν Ἰουδαίων [*quem dicitis Regem Judæorum*].

18. Ἤδει γάρ, *Sciebat enim*] Tum ex antegreſſa fama, tum ex ipſius Jeſu modeſtia, & quod nulla in eum crimina adferrentur. ¶ *ὅτι διὰ φθόνον παρέδωκαν αὐτόν. quod per invidiam tradidiſſent eum*] Ut olim fratres Joſephum.

19. Ἐπὶ τοῦ βήματος, *pro tribunali*] Factum hoc mihi videtur non in ultima cognitione qua Chriſtus cruci damnatus eſt, ſed in alia priore. Nam aliquoties in tribunal proceſſit Pilatus ex eo ſcilicet loco in quo habebat Conſilium ſuum: nam de Conſilii ſententia Præſides pronuntiare ſolebant. Is locus à tribunali velo interpoſito diſcernebatur: unde illud *velo levato* in Iure, id eſt, nulla adhibita conſultatione; cui contrarium eſt παραπετάσματος μέσου, id eſt, *velo interpoſito* in Conſtitutionibus quæ dicuntur Clementis lib. II, cap. 52. Hunc locum τὸ ἀπόκρυφον δικαστήριον [*ſecretum judicii locum*] vocat Philoſtratus Vita Apollonii lib. IV, cap. XV. τὸ ἀπόκρυφον τῶν δικαστηρίων, *ſecreta Judiciorum* Synodus Africana. *Secretarium* ſæpe eſt in Martyrologiis, ut apud Adonem Pridie Eidus Auguſti de Euplo, *Cum eſſet extra velum ſecretarii, intromiſſus eſt jubente Calviſiano Conſulari in auditorium*. Exſtat eadem vox in Collatione Carthaginienſi; & L. 3 C. *Ubi Senatores*; & L. *In cauſis*, C. De accuſat. & alibi. Priorem hunc cognitionem ſecuta eſt interlocutio de Chriſto flagris cædendo, nimirum quæſtionis in eum habendæ ergo: quod μάστιξιν ἀνετάζειν [*flagris inquiri*] dixit Lucas Actorum XXII, 24. Tacitus de Herennio Gallo, *Sciſſa veſte, verberato corpore, qua pretio, quibus conſciis prodidiſſet exercitum dicere jubent*. Cicero Verrina de ſuppliciis, *virgam*, ait, *magis intormento eſſe quam in ſupplicio*. Gordianus Imperator L. *Nullam*, C. Ex quibus cauſis infamia irrogatur; *Nullam exiſtimationis infamiam avunculum tuus pertimeſcat illibus fuſtium ſubjectus ob crimen quæſtione habita*. Eſt hujus moris viva deſcriptio in Chryſoſtomi oratione XIII. De ſtatuis. Sperabat quidem Pilatus aliud quoque ex hac flagellatione, populi ſcilicet miſericordiam; verum interim oportebat ſpeciem aliquam juris adhiberi injuriæ. Quod quidam volunt cæſum flagris Chriſtum in partem pœnæ ex more Romano, conſiſtere non poteſt. Nam Johannes aperte docet, poſt Chriſtum flagris cæſum aliquantum temporis interceſſiſſe antequam cruci Chriſtus addiceretur. At in his qui ſupplicii cauſa cædebantur una erat ſententia, cujus hæc erant verba legitima, *Summove, lictor, deſpolia, verbera, lege, age, animadverte*. Quare quod infra eſt commate 26. φραγελλώσας [*flagellatum*], dictum eſt per retrogreſſionem; id eſt, cum eum jam ante flagris cecidiſſet. Joſephus de Judæis quibuſdam à Floro comprehenſis, οὓς μάστιξι προσανιμήσας ἀνεσταύρωσεν [*quos flagris cum cecidiſſet, mox adfixit cruci*]. Ita nihil neceſſe eſt tantillo tempore bis flagris cæſum Chriſtum comminiſci, quod quidam ſine cauſa ac probabilitate faciunt. ¶ *ἡ γυνὴ αὐτοῦ, uxor ejus*] Invaluerat Tiberii tempore contra morem veterem, ut in Provincias miſſos uxores ſuæ comitarentur. Notat Tacitus Annalium III. Addit ibi Cæcina *ab his negotia ſuſcipi, tranſigi; duorum egreſſus coli; duo eſſe prætoria*. ¶ *τῷ δικαίῳ, juſto*] Id eſt, *innocenti*; ut & infra 24. A Deo enim patefactum ipſi per inſomnium Jeſu innocentia, forte & mala quæ Pilatum ex injuſta damnatione manebant. & fieri potuit ut fuerit mulier θεοσεβὴς [*Dei timens*], quales interdum & aliorum Præſidum Romanorum uxores fuiſſe apparet.

23. Τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν; *Quid enim mali fecit?*] Subintelligitur recuſatio poſtulationis: *Non faciam, Quid enim malè patravit?* Nam Scriptores noſtri non ipſa verba Pilati exprimunt, ſed ſenſum: atque ideo etiam cum ille loquens inducitur obſervare eſt Hebraïſmus, ut infra 24. Hebræis autem mos eſt reticere id cujus ratio redditur. Exempla alibi allata ſunt. ¶ περισσῶς ἔκραζον, λέγοντες, Σταυρωθήτω. *magis clamabant, dicentes, Crucifigatur*] Tales ſunt illi clamores populi apud Tertullianum, *Chriſtianos ad leonem; Chriſtianos ad beſtias*. Apud Lampridium, *Delatores ad leonem*. Sic in Actis clamant Judæi, Αἶρε αὐτὸν [*Tolle eum*], &, Αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς [*Tolle de terra*], XXI, 36. XXII, 22. Similia ſunt, *Tiberium in Tiberim*, apud Suetonium; *Ardeat Valens*, apud Ammianum. Tales vanas populi voces quanquam non audiendas eſſe Imperatores pronuntiarunt, ut L. *Decurionum*, C. De Pœnis, multi tamen Magiſtratus iis ſupra æquum movebantur. Crucem autem Chriſto optant, quia id ignominioſiſſimum erat ſupplicium. *Summo ſupplicio*, id eſt, cruce, inquit Paulus in Sententiis: Apulejus *extremam pœnam* dixit. Vide & Ciceronem Verrina ultima.

24. θόρυβος γίνηται, *tumultus fieret*] Cum narret Johannes dictum à Judæis, *Nos Legem habemus ſecundum quam debet mori, quia Filium Dei ſe fecit*, & magnis clamoribus rem agitatam omnes Scriptores ſacræ hujus hiſtoriæ tradant, vero ſimile eſt

eſt metum injectum Pilato ne populus per tumultum Jeſum ad mortem raperet, & ſi ipſe obſiſteret, defectionem moliretur, tanquam Moſis Lege contemta. Nam & ante fuerant qui Chriſtum lapidibus obruere tentarent; & poſtea in Stephano idem accidit. Qui metus quanquam indignus viro conſtante, ac ne Romanis quidem nedum Divinis legibus Pilatum liberaturus à crimine condemnatæ innocentiæ, multum tamen culpam ejus in comparatione Judaicæ ſævitiæ elevat: quod Chriſtus ſignificare videtur Johann. XIX, 11. Atque ita interpretor quod apud Marcum eſt βουλόμενος τῷ ὄχλῳ τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι [*volens populo ſatisfacere*], non quod popularem auram Pilatus captaverit (ἦν γὰρ τὴν φύσιν ἀκαμπὴς καὶ μὴ ἔνδοτος ἀμείλικτος [*erat enim ingenio inflexibilis & cum arrogantia implacabilis*], ut de eo ſcribit Philo; à quo non diſſident quæ tradit Joſephus), ſed quod cum ſigna inferret Hieroſolymis & cum gazophylacium vellet attingere, expertus eſſet quam facile ad vim parandam impelli populus ille poſſet obtentu patriæ legis. Hoc igitur periculum innocentis ſupplicio redemtum voluit; eorum more qui jus & æquum violant reipublicæ, ut ajunt, cauſa, cum interim eo facto rempublicam ex imis ſedibus convellant. ¶ ἀπενίψατο τὰς χεῖρας, *lavit manus*] Iis aſſentio qui manuum lotionem ad teſtandam innocentiam putant non Judæorum fuiſſe propriam, quam ad rem viri eruditi pridem locum Deuteron. XXI, 6. Pſalmo XXVI, 6. & alium Ariſteæ attulerunt (quibus addi poteſt & Joſephi locus Originum XII, capite II.), ſed notam aliis quoque gentibus, quia puritatem Aquæ elemento deſignare admodum naturale eſt. Certe qui diis Gentium ſacrificare volebant aſſerre debebant ἁγίας χεῖρας [*puras manus*], idque ipſum teſtari ſolemni manuum lotione: unde qui ſcelere aliquo erant contaminati, ſolebant, ut Demoſthenes loquitur, χεῖρίζειν ἔρχεσθαι [*pollubro arceri*]. Sophocles,

—— μήτε θύμασιν
κοινὰς πιεῖσθαι, μήτε χερνίβων νάμων.
[—— *nec de victimis*
Tribuere partem, lavare nec pariter manum.]

meminit ejus moris & Scholiaſtes Ariſtophanis plus uno loco. Vide quæ ſupra notavimus ad caput III. Sed & moris antiqui fuit ut Judices ex legibus aliquem damnaturi manibus ad Solem elevatis teſtarentur αἰθέρα ϑεατὰς ἔχειν ἑαυτοὺς ἀθῴους αἵματος καὶ ἀνδρὸς τοῦδε [*inſontes ſe eſſe circa ſanguinem hominis illius*], ut videre eſt in libro ſatis antiquo cui titulus eſt *Conſtitutionum Apoſtolicarum Clementis* lib. II. LII. Philoni, tertio De vita Moſis, λυτρὰ σύμβολον ἀνυπαιτίου ζωῆς [*lavacrum ſymbolum vitæ inſontis*], Judæis mos vetus nunc etiam manet à funere venientibus manus lavandi, quo teſtantur ſe cauſam morti non præbuiſſe, & omnia miniſtraſſe neceſſaria. ¶ ὑμεῖς ὄψεσθε. *vos videritis*] Vide ſupra 4.

25. Τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς, *ſanguis ejus ſuper nos*] Id eſt, Nos tenebimur. Ita LXX Levit. XX, 9. & 11. דמיו בו [*ſanguis ejus ſuper eum*] & דמיהם בם [*ſanguis eorum ſuper eos*] bene vertunt ἔνοχος ἔσται [*reus erit*] & ἔνοχοί εἰσιν [*rei ſunt*]. At II Samuelis I, 16. ſervarunt Hebraiſmum, τὸ αἷμά σου ἐπὶ τὴν κεφαλήν σου [*ſanguis tuus ſuper caput tuum*]. quomodo & Romani dicebant, *Sit capiti tuo*. Teſtes ſolebant dicere, *Sit ſanguis iſtius ſuper nos*. Vide Præceptorum jubentium cv. ¶ καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν. *& ſuper filios noſtros*] Mos vetus non ſe modo ſed & liberos devotandi. In fœdere Smyrnæorum cum Magnetibus eſt, ἐπιορκοῦντί γε ἐξώλεια, καὶ αὐτῷ καὶ γένει τῷ ἐξ αὐτοῦ [*juranti violantem exitium ſequatur, atque etiam poſteros ejus*]. Seneca Rufum ait optaſſe ut quod male erat ominatus *id in ſe & filios ſuos recideret*. Certe magnis ſceleribus etiam poſteritatem obſtringi, non Hebræorum tantum ſed & omnium prope gentium fuit opinio. Docent paſſim hiſtoriæ. Thucydides libro I. ubi de Cylonio piaculo agit, καὶ ὅτοι τότε ἐναγεῖς ἐξ ἀλιτηρίου τοῦ ϑεοῦ ὀπαδοί τε ἐκαλοῦντο καὶ τὸ γένος τὸ ἀπ' ἐκείνων [*ex eo contacti piaculo deaque exoſi habiti & ipſi & eorum poſteritas*]. Adde quod narratur II Samuel. XXI. & locum ex Hebraico libro Præceptorum adductum à Johanne Druſio, viro optime de his literis merito. Multa hac de re habet Plutarchus libro περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ βραδέως τιμωρουμένων [*De iis qui à Deo ſero puniuntur*]. Quæ eo minus iniqua nobis videbuntur, ſi addamus, potuiſſe poſteros ſeria ac ſollemni deteſtatione paternorum ſcelerum piaculo ſolvi. Certe Hebræis præcipitur ut non ſua tantum ſinguli ſed & parentum delicta ſuppliciter agnoſcant; quod & populi nomine facit Dan. IX. & Nehem. IX.

26. Φραγελλώσας, *flagellatum*] Vide quæ ſupra diximus ad comma 19. Eſt autem hæc vox è Latina tranſlata in uſum Græci ſermonis, ut κυστωδία [*cuſtodia*] & quæ apud Ignatium leguntur, διετέτως, διώκτης, ἀκακίλα, ἐξεμπολᾶσαι [*deſertor, depoſita, accepta, exemplar*]. ¶ παρέδωκεν ἵνα σταυρωθῇ. *tradidit eis ut crucifigeretur*] Dubitant quidam permiſerit duntaxat Judæis Chriſtum Pilatus, an Judicis more damnaverit. Ambigue loquitur Tertullianus, *Ad doctrinam vero ejus, qua revincebantur magiſtri primoreſque Judæorum, ita exaſperabantur, maxime quod ad eum ingens multitudo deflecteret, ut poſtremo oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentia ſuffragiorum in crucem Jeſum dedi ſibi extorſerint.* Lactantius autem prolatam à Pilato ſententiam diſerte negat lib. IV Inſtitutionum, cap. VIII. quomodo & Chryſoſtomus ſenſit Oratione ſecunda de Eleemoſyna. Sed contrarium multa evincunt; primum locus tribunalis in quem proceſſit Pilatus; deinde quod per ſolos milites Romanos exactum ſupplicium; ipſa pœna propria Romani juris: nam crux Judæis legibus ignota: titulus à Pilato dictatus: corpus ab eo poſtulatum, aliæque circumſtantiæ. His adde, quod jam ante, cum Pilatus dixiſſet, *Vos de eo ex lege veſtra judicate*, Judæi reſponderant, Sibi capitalium judiciorum poteſtatem ablatam: quare & omnes inſecuti clamores non alio tendebant quam ut Pilatus ſua voce Jeſum damnaret. atque hoc eſt in quo populo furenti contra jus & æquum & mentis ſuæ ſententiam obſequium commodavit. Sed & provocatio Catholicorum & τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν [*Quatuordecimanorum*] ad Acta Pilati oſtendit rem judicii ſpecie geſtam. Adde Tacitum, *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* Ipſe Chriſtus ſupra XX, 19. dixit de ſe, παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν εἰς τὸ σταυρῶσαι [*tradent eum Gentibus ad crucifigendum*]. Neque aliter ſenſerunt veteres Chriſtiani. Ignatius de Chriſto, δόγματα ἰδίζατο παρὰ τοῦ Πιλάτου [*ſententiam accepit à Pilato*]. Cyprianus adverſus Demetrianum, *Hunc magiſtri eorum atque primores, hoc eſt, quos & doctrina ille & ſapientia revincebat, accenſi ira, & indignatione provocati, Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem ejus & mortem ſuffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes.* Crucem autem irrogatam Chriſto, tanquam ſeditionis auctori, veriſſime ab aliis notatum eſt: eam enim pœnam ei crimini ſtatuunt Romanæ leges, ut notat Paulus V Sent. Tit. XXII. pro qua nunc *furcam* in Pandectis legimus, quippe crucis uſu in ſuppliciis per Conſtantinum ſublato. Exempla crucifixorum ſeditionis crimine in ipſa Judæa & à Varo & à Floro habes apud Joſephum.

27. εἰς τὸ πραιτώριον, *in prætorium*] Non erat tribunal Pilati intra prætorium, ſed in ſtadio quod erat non longe à prætorio. Joſephus, ὁ Πιλάτος καθίσας ἐπὶ βήματος ἐν τῷ μεγάλῳ σταδίῳ [*Pilatus tribunali inſidens in magno ſtadio*]. Pars hujus areæ lapidibus erat conſtrata, ut ex Johanne diſcimus: ibi erat & conſiſtorii locus & tribunal. ¶ ὅλην τὴν σπεῖραν. *univerſam cohortem*] Aliam cohortem ab ea quæ Templo & Sacerdotibus erat aſſignata, & quæ *cuſtodia* vocabatur. Σπεῖρα δέ ἐστιν ἡ καλουμένη τῶν νεμέρων [*Cohors id quod nunc numerum vocant*], OEcumenius.

28. περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην. *chlamydem coccineam circumdederunt ei*] Πορφύραν [*purpuram*] Marcus & Johannes, id eſt, *ejus coloris qui purpuram mentiretur.* Atque eodem modo hic *coccina* dicitur *chlamys*, quod coccinam referret: nam ejus & purpuræ vicinus color. Vide L. *Si cui lana*, D. De Legatis III, Par. *verſicoloribus*. Sic Horatius Satyrarum II, 6. veſtem eandem vocat *cocco tinctam & purpuream*. Hebræi תולע vocant id quod nos vulgo *Cramoſinum*, quod Græci Interpretes vertunt κόκκινον. Pertinebant hæc ad exprobrationem velut ſtulte affectati Regni. Simile eſt quod Alexandrini ut Agrippam, qui ſe Regem diceret tanquam ejus nominis majeſtate indignum, irriderent, Carabam quendam, hominem mentis parum compotem, per ludibrium ornarunt quibuſdam quaſi regni inſignibus: quæ narratio apud Philonem in Flaccum meretur cum hac comparari. Nam quod hic eſt χλαμὺς κοκκίνη [*chlamys coccinea*], ibi eſt χαμαιρρύτου ἧς τὸ ἄκρον ῥῶμα περιβάλλουσιν αὐτὴ χλαμύδος [*ſtragula quale in terra ſternitur corpus ejus caterum pro chlamyde obvelant*].

29. στέφανον ἐξ ἀκανθῶν, *coronam de ſpinis*] In dicta Philonis narratione, βύβλου μὲν ἐνίοτε αὐτὶ διαδήματος ἐπιτιθέασιν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ [*papyrum extenſam vice diadematis capiti ejus imponunt*]. Maledictio in ſpinis cœpit, Gen. III, 18. in ſpinis deſiit. *Lilium in medio ſpinarum*, Cant. II, 2. ¶ καὶ κάλαμον ἐπὶ τὴν δεξιὰν αὐτοῦ, *& arundinem in dextram ejus*] Philo, αὐτὶ ϑ σκῆπτρου βραχύ τι πάπυρου τμῆμα τοῦ ἰγνυόϑεν καθ' ὁδὸν ἐμπεμπλάντος ἰδίου τινὸς ἀνακύψαντος [*pro ſceptro fragmentum papyri indigena humi porrectum quis videns ei tradit*]. Deinde addit quod & huic loco quadrat, ἐπεὶ ϑ ὡς ἐν

ϑεατρικῆς μίμοις τὰ παρόντα ἐπιλήθου καὶ βασιλείας ἀναλήψου καὶ ἀλλοκεκόσμησαι εἰς βασιλέα [*postquam vero tanquam in theatricis mimis insignia regni accepit & in Regem ornatus est*]. ¶ λέγοντες, Χαῖρε ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, *dicentes, Ave Rex Judæorum*] Philo, ἔνθ' ἄλλοι προσῆσαν οἱ μὲν εἰς ἀστασιάστους [*accessere postea alii quidam ut salutatori*]· deinde, ἀπ' ἐκ φλεγμῶν ἐν κύκλῳ πλήθους ἐξέχει βοή τις ἄσημος Μάρων ὑπεκαλύπτου· ἄτιμος δὲ φασιν ὁ κύριος ὑπολαμβάνεσθαι παρὰ Σύροις [*post hæc ex circumstante multitudine vox sonuit ridicula, Marin vocantium: Sic ajunt à Syris dominum appellari*]. Recte. מרן enim Syrum est. Sic Livius narrat Philippum Megalopolitanum à Philippo Rege ad ludibrium *Regem* consalutari jussum. Mos autem salutandi etiam Principes addito *ave*: sic *Cæsar ave* apud Martialem Apophoretis, & Macrobium II Saturnalium IV.

31. ἀπήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ σταυρῶσαι· *duxerunt eum ut crucifigerent*] Per milites supplicium exactum à Romanis Magistratibus etiam extra castra notatum est à viris doctissimis. Hinc *tribunus exactor mortis* Tacito; Suetonio *miles decollandi artifex*, qui *spiculator* Marco, Iurisconsultis Romanis, Iulio Firmico. Tertullianus ubi Christiano militiam dissuadet, *Et vincula & crucem & supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum?*

32. ἐξερχόμενοι δέ, *exeuntes autem*] *Extra Urbem*, ut narrat Iohannes, & observat Scriptor ad Hebræos XIII, 12. Congruebat id Hebræo mori: Nam fontes Mosis tempore extra castra morte afficiebantur, Numer. XV, 35. constituta Republica extra urbes, I Regum XXI, 13. sed & Romano: De castris docet Seneca, *Damnatus extra vallum ad supplicium deductus fuerat.* Vegetius, *Decumana deducebantur olim extra vallum ut capite plecterentur.* Scriptor belli Africani Cæsaris, *Sic extra vallum deducti sunt & cruciabiliter interfecti.* De urbibus Aggenus, *Sunt in suburbanis loca noxiorum pœnis destinata.* Cicero Verrina V. *Cum Mamertini more atque instituto suo crucem fixissent post urbem in via Pompeja.* Plautus,

> —— *Credo ego istuc extemplo tibi*
> *Esse eundem altutum extra urbem dispessis manibus*
> *Patibulum cum habebis.*

Prolata in rem eandem ab aliis testimonia ex Lampridio & Theodoreto. ¶ Κυρηναῖον, *Cyrenum*] Ex Libyæ Pentapoli Cyrenaica oriundum quæ plena Iudæis, ut apertissime docet Iosephus Ἀποίκους [*Captivitatis*] VII, capite XXXVIII. & Lucas Actorum II, 10, & VI, 9. Nec dubium falli qui de alia Cyrene hæc accipiunt Origenes recte interpretatur. ¶ ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ. *ut tolleret crucem ejus*] Cum jam ante Christus ipse patibulum tulisset per urbem, ut Plautus loquitur, Iohann. XIX, 17. more haud dubie Romano, juxta quem ὁ μέλλων σταυροῦσθαι σταυρὸν ἑαυτοῦ βαστάζει [*qui crucis affigendus erat prius crucem portabat*], ut jam omnibus notum. Videntur autem milites hunc Simonem arripuisse qui in vocus Christo succederet, Iudæorum instigatu, qui eum sciebant Christo favere; quod Marcus confirmat, filios quoque ejus, Christi nimirum discipulos, nominans. Ita conspicuo signo expressum est quod Christus omnibus discipulis suis præceperat, sublata in humeros cruce ipsum sequi. Nam & hoc exprimit Lucas in hac historia, ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸ σταυρὸν φέρειν ὄπισθεν τοῦ Ἰησοῦ [*imposuerunt illi crucem portare post Jesum*].

33. Γολγοθᾶ, *Golgotha*] Elisionem literæ non carere exemplo aperte à viro doctissimo demonstratum est: In Zohar, ut & hic in Syriaco & Arabico plene legitur. Quare non aliud significat quam quod Græce exprimitur à Matthæi Interprete Κρανίου τόπος [*Calvaria locus*]. Nec causam nominis aliunde quærendam arbitror quam quod ibi decollari homines solerent, qualia loca Romæ erant Sestertium & Gemoniæ. Mansisse eo loco diu post mortem nuda capitum ossa vix credo; nam neque Iudaico neque Romano mori id satis congruit; & Hebræi גלגלת quodvis caput appellant; quorum imitatione κρανίου ab Interprete factum puto: quod tamen ipsi quoque Græci interdum de viventium capite usurpant, ut *calvam* Latini. Videtur autem mihi expressio hujus nominis non ad historiam tantum sed & ad vaticinii implementum pertinere, quod ibi scilicet avolutum à nobis sit opprobrium nostrum, quomodo loquebatur Iesus nostri Iesu imago, qui exinde locum quendam גלגל [*Gilgal*] nominavit, quod cum additamento Syriaco est גלגלתא [*Golgotha*], ut ex רמת [*Ramath*] factum est רמתא [*Ramatha*]: id nomen גלגל [*Gilgal*] Iosephus ἐλεύθερον [*Liberatorium*] interpretatur. Sic & *Nazarai* vox patriam significans, alio sensu abstrusiorem habebat significationem.

34. ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον· *vinum cum felle mixtum*] Ita pleraque exemplaria & Syrus. Nec aliter legit Origenes diligens exemplarium inquisitor. Neque tamen Latinum Interpretem culpo, qui *vinum* vertit; ut nec eos qui Græco margini ad vocem ὄξος [*acetum*] adjecere οἶνον [*vinum*], interpretamenti gratia, quod postea in contextum quorundam librorum irrepsit. Nam ὄξος Græci vocant vinum factitii saporis; quale ὄξος ἑψητόν [*coctum acetum*] ex palmulis Xenophonti atque aliis memoratum: idem autem & *vinum* non minus recte dicitur, sicut cervisiam οἶνον κρίθινον [*vinum hordeaceum*] appellat Athenæus. Tale erat & hoc vinum, sive thure, ut Hebræorum Magistri tradunt, sive myrrha, ut Marcus ait, conditum, quod recepto more ad supplicium eunti bus dari solebat. Sed & יין Hebræum, quod in Psalmo est, *id quod infectum est* significat; ut observatum est à summæ diligentiæ viro; cui & in hoc accedo quod χολὴ laxius sumit pro *omni amaritie*: quippe cum ea voce *absinthium* significent Græci Interpretes Proverb. V, 4. Thren. III, 15. Nam & Hebræum ראש sive ארס [*fel*] late patet, & voce πικρὸν [*amarum*] vertitur Jerem. XXIII, 15. atque adeo ad herbas etiam venenatas amari gustus porrigitur; ut liquet collato loco Deuter. XXIX, 18. cum Hebr. XII, 15. Atque ita vocem χολῆς hic sumsit Syrus vertens מרירו, quod *amararem* significat, & propterea Absinthio non minus quam Felli aptatur. Neque aliter ad Marcum Theophylactus; & Augustinus lib. III De consensu Euangelistarum: *Fel quippe pro Amaritudine posuit.* Non dimovet me ab hac sententia quod myrrhatum vinum quasi pro beneficio fontibus dabatur. Nam hoc ipsum crudelitatem Judæorum abunde notat, quod Christum curassent eo malorum perduci ut quasi pro solatio offerendus ei esset potus qui mentem exsternaret: quo facto verba Davidis κατὰ λέξιν [*secundum verba*] simul & κατὰ διάνοιαν [*secundum mentem*] in Christo impleta sunt. Etiam de virginibus Maxima & Donatilla in persecutione Valeriani ante supplicium aceto & felle potatis in Martyrologio legimus. ¶ γευσάμενος, *cum gustasset*] *Cum leviter degustasset*, implendo tantum vaticinio; non ut imbiberet, quod est λαμβάνειν [*accipere*] Marco: sicut λαμβάνειν τὸ ψωμίον est *panem jusculo tinctum devorare.* Noluit autem imbibere Christus, quia, ut diximus, menti exsternandæ adhibebatur. in cruce autem pendens postea, quia sitiebat, ἔλαβε τὸν ὄξος [*accepit acetum*], id est, *imbibit*, Johann. XIX, 30.

35. διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, βάλλοντες κλῆρον *diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes*] Id est, partim diviserunt, partim alea addixerunt victori, ut nos docet Johannes; Deo scilicet rem ita dirigente, ut quod David de se dixerat figurate, in Christo secundum exactissimam proprietatem impleretur. Veniebat autem hoc ex more Romano. Milites enim supplicii exactores spolia sibi vindicabant, quod Adrianus Imperator vetuit fieri nisi Præfidum jussu, *Pannicularia*, inquit, *sunt ea quæ in custodiam recepta secum attulit; Spolia quibus indutus est cum quis ad supplicium ducitur, ut & ipsa appellatio ostendit: ista neque speculatores ultra sibi vindicent, neque Optiones ea desiderent quibus spoliatur quo momento quis punitus est.* Quod in quibusdam libris hic sequitur ἵνα πληρωθῇ [*ut impleretur*] ex Johanne adjectum non dubito; quia Græca optima exemplaria, multa etiam Latina non habent, nec agnoscit Syrus Arabe haud dubie antiquior. Etiam Origenes non legit.

36. καὶ καθήμενοι ἐτήρουν αὐτὸν ἐκεῖ. *Et sedentes servabant eum*] Et hoc ex more Romano. Petronius Arbiter Satyrico, *miles qui cruces affervabat.*

37. τὴν αἰτίαν, *causam*] Γράμμασι τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλοῦντα [*literas causam mortis indicantes*] dixit Dio Cassius; *Titulum*, ut Johannes, Suetonius duobus locis, & Tertullianus Apologetico; πινακα [*tabellam*] Eusebius, ubi de Attalo agit. Brevibus verbis causa supplicii indicari solebat scripto, aut præconis voce: Scripto, ut apud Suetonium, IMPIE LOCUTUS PARMULARIUS: apud Eusebium dicto loco, Οὗτος ἐστιν Ἄτταλος ὁ Χριστιανός [*Hic est Attalus Christianus*]. Voce præconis, quod *superindictum* Jurisconsulti vocant, ut, Προπετῶς μὴ ὄμνυε [*Temere ne jura*], L. *Si duo*, D. De jurejurando. Συκοφάντης [*Calumniator es*], L. *Fustibus*, Ex quibus casibus infamia. Ὅτι τὴν πόλιν ἔσπευσεν ἐλεύθερον τὸ πόλεμον [*Quia civitati auctor fuit belli sumendi*], apud Diodorum Siculum. LEGATUM POPULI ROMANI HOMO PLEBEIUS TEMERE AMPLECTI NOLI, apud Spartianum. QUOD TIBI NON VIS, ALTERI NE FECERIS, apud Lampridium. FUMO PUNITUR QUI VENDIDIT FUMUM, apud eundem. Πολύκαρπος ὁμολόγησεν ἑαυτὸν Χριστιανὸν εἶναι [*Polycarpus confessus*]

feſſus eſt ſe eſſe Chriſtianum], apud Euſebium. AGNEM SACRILEGAM VIRGINEM, DIIS BLASPHEMIAM INFERENTEM SCORTUM LUPANARIBUS DATAM, apud Ambroſium. Latino ſermone ſcripta hæc αἰτία [*cauſa*] ob majeſtatem Imperii; Hebræo, ob locum in quo ſupplicium ſumebatur; Græco, ob maximam turbam Helleniſtarum quæ ad Paſcha convenerat, quanquam alioqui Græco ſermoni à Macedonicis temporibus & in Palæſtina Judæi vicinæque gentes aſſueverant. Itaque apud Joſephum C. Cæſar Dictator Sidoniis, atque M. Antonius Triumvir Tyriis imperant, ut edicta quædam ſua in publicas tabulas referantur tum Latino tum Græco etiam ſermone. Et edictum quo vetabantur alienigenæ procedere intra τὸ ἱερόφραγμα [*loricam*] Templi, proſcriptum erat tam Græcis quam Latinis literis. In ſepulchro etiam Gordiani Imperatoris legimus fuiſſe & harum trium linguarum literas, & Perſicas præterea atque Ægyptiacas. Juſtinianus uti ſe ait Græco ſermone Δι' ὃ τῷ πλήθει καταλλήλων [*ob id quod plebi uſitatum eſt*], Latino Δι' ὃ τὸ ἀξίωμα τῆς πολιτείας [*ob Imperii majeſtatem*]. Ne hoc quidem indignum notatu, Deo res dirigente, factum ut more Imperatorum Chriſti crux præferret titulos gentium nondum quidem ſubactarum ſed brevi ſubigendarum. Ille enim erat cui cedere debebat religio Judaica, eruditio Græca, robur Latinum. Neque novum eſt quod Pilatus per ludibrium, ſed, ni fallor, Judæis magis quam Jeſu illuſum cupiens, eum in titulo vocavit *Regem Judæorum*, cum apud Livium quoque præco juſſu Fulvii in ſupplicio Taureæ Subellii pronuntiaſſe dicitur, *Lictor, viro fortis adde virgas.* Inſcriptionem Latinam fuiſſe arbitror JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, quomodo eam ponit Johannes. A Matthæo & Luca additum οὗτός ἐστιν [*hic eſt*] ex Hebræo in quo fuerit זה ישוע [*hic Jeſus*].

38. *σταυροῦνται σὺν αὐτῷ δύο λῃσταί*: *crucifixi ſunt cum eo duo latrones*] Nam crux pœna latronum. Petronius, *Cum interim Imperator provinciæ latrones juſſit crucibus affigi.* Seneca, *Latrocinium fecit aliquis? Quid ergo meruit? Ut ſuſpendatur.* Firmicus, *Homicidam & latronem efficiet: iſtu facinoribus comprehenſus patibulo ſuffixus in crucem crudeliter erigitur.* Vocabantur autem λῃσταὶ [*latronum*] & ſicariorum nomine etiam qui injuſſu publico arma cepiſſent, ut modo ad comma 16. notavimus. Hi autem duo aſſervati erant ad tempus adventantium Azymorum, ut quam maximo populi conventu punirentur: id enim in Judæa receptum erat, meritoque à Romanis retentum cum ab eorum inſtitutis non diſſideret. Nam & Romæ olim in comitio, poſtea quoque ad claſſicum exigi pœnæ ſolebant. Quintilianus quoque *in ſupplicüs curatum* ait *ut plurimi innueri, plurimi commoveri metu poſſint*; cauſa addita, *Omnis enim pœna non tam ad delictum pertinet quam ad exemplum.*

39. κινοῦντες τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, *moventes capita ſua*] Signum inſultationis: quo ſenſu κινεῖν κεφαλὴν [*caput movere*] reperies Pſalm. XXII, 8. II Reg. XIX, 21. Eſai. XXXVII, 22. Thren. II, 15. σαλεύειν κεφαλὴν [*concuſſare caput*], Pſalm. CIX, 25. Secutus eſt hunc Hebraiſmum Scriptor Eccleſiaſtici XIII, 8. τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ κινήσει ἐπί σοι [*caput ſuum movebit ſuper te*]. Notandum hic quam facile diverſa Jeſu fortuna omnia ejus beneficia vulgi animis exciſſerit. Bene Sophocles,

> Φεῦ φεῦ ἑκόντος ὡς ταχεῖα τοῖς βροτοῖς
> Χάρις λάθρᾳ πρὶν σφῷν ἀλίσκεσθαι πάρα.
>
> [*O quam celeriter ante parta gratia*
> *Præcipite caſſos luce deſtituunt fuga.*]

40. εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, *ſi filius Dei es*] Non ad nativitatem hoc pertinet, de qua plebe nihil inaudiverat, ſed ad ſpecialem Dei amorem, qualis eſt quo patres filios ſuos proſequuntur. Sic quod infra 43. eſt Θεοῦ υἱός [*filius Dei*] Lucas dixit Θεοῦ ἐκλεκτός [*Dei electus*], id eſt, *Deo eximie dilectus.* Scriptor Sapientiæ impios viro pio ſic obtrectantes inducit, ἐπαγγέλλεται γνῶσιν ἔχειν Θεοῦ, καὶ παῖδα Κυρίου ἑαυτὸν ὀνομάζει [*promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat*], II, 13. & mox, ἀλαζονεύεται πατέρα Θεὸν ἴδωμεν εἰ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἀληθεῖς, καὶ πειράσωμεν τὰ ἐν ἐκβάσει αὐτοῦ· εἰ γὰρ ἔστιν ὁ δίκαιος υἱὸς Θεοῦ, ἀντιλήψεται αὐτοῦ, καὶ ῥύσεται αὐτὸν ἐκ χειρὸς ἀνθεστηκότων [*Gloriatur patrem ſe habere Deum: Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſint illi, & ſciemus quæ erunt noviſſima illius. Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum*].

42. εἰ βασιλεὺς Ἰσραὴλ ἐστι, *Si Rex Iſrael eſt*] Apparet hinc à Meſſia exſpectata miracula, quod quidam Judæorum contentionis ſtudio negare cœperunt, aliis fatentibus. ¶ καταβάτω νῦν ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, *deſcendat nunc de cruce*] Satanæ filius loquitur, ut Satanas ſupra IV, 3. ¶ πιστεύσωμεν αὐτῷ· *credemus ei*] Hanc lectionem veriorem arbitror. Non enim hoc volunt, Si id præſtat fiduciam ſe in eo collocaturos (quod dici ſolet πεποιθέναι ἐπ' αὐτῷ vel ἐπ' αὐτῷ) [*credere in eum*, ſive *ei confidere*], ſed fidem habituros aſſeverationi ejus de Divina in ſe benevolentia; ut modo citabamus ex libro Sapientiæ, ἰδωμεν εἰ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἀληθεῖς [*videamus ſi ſermones illius veri ſunt*]. is autem credendi ſenſus in his libris dativo exprimi ſolet.

43. Πέποιθεν ἐπὶ τὸν Θεόν· *confidit in Deo*] Divina diſpenſatione factum eſt ut eadem verba ſcelerati Senatores & Pontifices de Chriſto uſurparent quibus olim ſe inceſſi David miſerabiliter querebatur Pſalm. XXII. quem ipſum Pſalmum vaticinium de Meſſia continere agnoſcit Scriptor Midras Thehillim: ibi enim verba impiorum μιμητικῶς [*per imitationem*] ita exprimuntur, גל אל יהוה, ubi גל [*volve*] quidam putant eſſe imperativum, inſultantis ſignificatu; ſed Kimchi atque alii nomen participiale, quaſi dicas מגולגל [*confidens*] ſupple הוא [*eſt*]. quod ſecuti videntur LXX, ἤλπισεν ἐπὶ κύριον [*ſperavit in Dominum*]. ¶ ῥυσάσθω νῦν αὐτόν, εἰ θέλει αὐτόν, *liberet nunc, ſi vult eum*] Nullo modo ſollicitanda eſt hæc lectio. Nam Helleniſtæ θέλειν [*velle*] cum quarto caſu conſtruunt in *amandi* notione. Nam quod in Pſalmo ſequitur יפלטהו יצילהו כי חפץ בו, ita verterunt LXX, ῥυσάσθω αὐτόν, σωσάτω αὐτόν, ὅτι θέλει αὐτόν [*eripiat eum, ſalvum faciat eum, quoniam vult eum*]. Sic Pſalm. XVIII, 20. ἠθέλησέ με [*voluit me*]. Pſal. XLI. 12. ἠθέλησάς με [*voluiſti me*]. At I Sam. XVIII, 22. iidem Interpretes dixerunt θέλει σε ὁ βασιλεύς [*vult in te Rex*, ſive *places Regi*]. Eſt & ubi Hebræum hoc loquendi genus exprimunt per ἐγκεῖσθαι [*adhærere*], ut Geneſ. XXXIV, 9. & per ἀγαπᾶσθαι [*diligere*], I Sam. XIX, 1. & per εὐδοκεῖν [*beneplacere ſuper aliquem*], Pſalm. CXLVII, 11. ¶ εἶπε γάρ, Υἱὸς Θεοῦ εἰμι· *dixit enim, Quia filius Dei ſum*] Hoc quoque ex eo quem diximus Pſalmo: ſed εἶπε γάρ [*dixit enim*] eſt ſupplementum ἐκφωνήσεως [*reticentiæ*] Hebraicæ. Υἱὸς Θεοῦ εἰμι υἱός [*Quia Dei filius ſum*] ſimplicior enuntiatio ejus quod poetice ibi dicitur, כי אתה גחני מבטן כי אתה גוֹ ὅτι σὺ εἶ ὁ ἐκσπάσας με ἐκ γαστρός [*qui extraxiſti me de ventre*].

44. λῃσταί, *latrones*] Pluralem numerum uſurpari ubi unum è multis ſed indefinite indicatur, veteres novique Interpretes monuerunt. Ita Scriptor ad Hebræos de juſtis loquens Veteris Fœderis, *Clauſerunt*, inquit, *ora leonum, & ferra diſſecti ſunt*; quorum illud ad unum Danielem, hoc ad unum Eſaiam pertinet. Sed quia nominari eos eo loco nihil attinebat, ſatis erat πλῆθος ἀριθμοῦ [*pluralis ſono*] rem efferri. Sic in hac ipſa hiſtoria Lucas ἐνέπαιζον ἅμα αὐτῷ καὶ οἱ στρατιῶται, προσερχόμενοί τε καὶ ὄξος προσφέροντες αὐτῷ [*Illudebant autem ei & milites, accedentes & acetum offerentes ei*]· & Johannes ſimiliter, πλήσαντες σπόγγον ὄξους περιθέντες ὑσσῷ [*ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ei*]· atqui ab uno militum id factum diſerte mox dicet Matthæus. Hæc à multis indicata eo libentius congeſſi, nequis cum antiquis aliquot ad eam interpretationem confugiat quæ parum probabiliter ſtatuit latronem qui in Chriſtum credidit ſubito à convitiis ad eam pietatem converſum: quo commento ſublato manet nihilominus beneficium in ipſum multis modis inſigne & non temere trahendi in conſequentias exempli.

45. Ἀπὸ δὲ ἕκτης ὥρας, *A ſexta autem hora*] Tertia hora diei judicia apud Romanos exerceri incipiebant:

> *Exercet rancos tertia cauſidicos.*

In id tempus incidit & Pilati cognitio. Bene Ignatius ad Smyrnenſes, Τῇ δὲ παρασκευῇ, τρίτην ὥραν, ἐδέξατο αὐτὸν ἡ Πιλάτου [*In Paraſceve, tertia hora, ſententiam accepit à Pilato*]· ita ut ante ſextam Chriſtus ſit crucifixus; poſt ſextam cœperint tenebræ, mortuus autem Chriſtus paulo poſt nonam. Idem Ignatius, ἕκτῃ ὥρᾳ ἐσταυρώθη, ἐνάτῃ ἀπέθανε [*ſexta hora crucifixus, nona exſpiravit*]· qui ſenſus legitur & in libro ſatis antiquo cui nomen eſt *Conſtitutiones Clementis*, lib. V, cap. XIV. & VIII, capite XXXV. quæ movere nos debent nequid in Scriptura Marci aut Johannis immutemus contra vetuſtiſſimorum codicum & μεταφερόντων [*eorum qui tranſtulerunt*] auctoritatem. Neque vero illi inter ſe pugnant. Nam mos loquendi natus ex Templi conſuetudine, ubi ſacrificia & preces fieri ſolebant hora Tertia, Sexta, Nona; ut præter Hebræos Hieronymus notat ad Danielem VII. quæ ipſa tempora feſtis maxime diebus tubæ ſono ſignificabantur, ut docemur Numerorum X, 10. quo factum ut hæ horæ tanquam notiores vulgo celebrarentur. Neque alia nomina horarum reperies ubi ſtatarum

rum precationum fit mentio. Vide Actorum III, 1, x, 3, 9. & Tertullianum De jejuniis, ubi has horas *inſigniores* ait *in rebus humanis, quæ diem diſtribuunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publice reſonant.* Quicum congruunt quæ ſcribunt Cyprianus De oratione Dominica, & Hieronymus tum ad Lætam tum ad Demetriadem. Atque eo pertinet quod eſt ſupra XX, 3, 5. ubi inter Tertiam, Sextam, & Nonam nulla hora nominatur, cum poſt Nonam Undecimæ fiat mentio. *Factum* autem *tertia* aut *ſexta hora* dicitur, quicquid inter illa ſtata precandi tempora evenerat, ut ſolent quæ in medio ſunt poſita nunc ad hunc nunc ad illum terminum referri. Perinde enim hoc eſt ac ſi diceretur factum aliquid ἐν τῇ δώτῃ τρίῳ [*in ſecunda triboria*], ut loquuntur Genethliaci. Tubæ ſono partes dici etiam apud Græcos quoſdam ſignificatas docet nos Heſychius, quo loco ἀσιλπιγκτον ὥραν [*horam tuba ſilentis*] Sophocli vocari ait conticinium noctis. ¶ σκότος ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*] Sole ſcilicet obſcurato, ut Lucas nos docet, non interpoſita Luna, ut quæ tum plena eſſet, neque nube obducta, ſed modo quodam hominibus ignoto: ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν [*ſuper univerſam terram*] hic, quod Marcus dixit ἐφ' ὅλην τὴν γῆν [*per totam terram*], ſicut pro toto telluris globo ſumi non poteſt (multis enim in partibus dies non erat), ita de ſola Judæa nolim accipi; cum veteres Aſtrologi & Chronographi hanc caliginem annotaverint, nullo addito loci nomine: unde late eam patuiſſe datur intelligi. Phlegon XIII Olympiadum, Τῷ Δ ἔτει τῆς ΣΒ ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρας ς' τῆς ἡμέρας ἐγένετο ὥστε τοὺς ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι· σεισμός τε μέγας κατ' Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατερρίψατο [*Quarto anno Olympiadis* CCII. *factum eſt deliquium Solis omnibus cognitis majus, & nox facta eſt hora diei ſexta, ita ut & ſtellæ in cœlo conſpicerentur: præterea terræmotus per Bithyniam magnam partem Nicææ urbis evertit*]. Terræmotus locum nominat, tenebrarum non nominat; & cum majores ante viſis memorat, ita ut mero meridie velut nox eſſet, ſatis demonſtrat non fuiſſe proprium Judææ hoc ſpectaculum. Euſebius Græcum alium citat quem non nominat, ita ſcribentem de hac ipſa re, Ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν· Βιθυνία ἐσείσθη· Νικαέων τὰ πολλὰ ἔπεσεν [*Sol defecit: Bithynia terra movit: Nicæa pars magna cecidit*]. Is Scriptor Euſebio non nominatus haud dubie eſt Thallus, cujus ita meminit Africanus, Τοῦτο τὸ σκότος ἔκλειψιν ἡλίου θεῖον ὀνομάζει ὁ τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν; ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἀλόγως. Ἐβραῖοι γὰρ ἄγουσι τὸ πάσχα κατὰ σελήνην ιδ', ἐφ' ἧς μιᾶς ἅμα πάσχα τε καὶ ἡ Σωτῆρος συμβαίνει· ἔκλειψις δὲ ἡλίου σελήνης ὑπολαμβάνοντος τὸν ἥλιον γίνεται· ἀδύνατον δὲ ἐν ἄλλῃ χρόνῳ πλὴν ἐν τῷ μεταξὺ μιᾶς καὶ τῆς ἐφ' αὐτῇ κατὰ τὸν σύνοδον αὐτῶν ὑποβῆναι· πῶς οὖν ἔκλειψις νομισθείη κατὰ διάμετρον ἀνάδον ὑπαρχόντος τοῦ σελήνης ἥλιου; [*Hanc tenebram Solis deliquium Thallus vocat Hiſtoriarum* III, *ut mihi videtur non recte. Hebræi enim Paſcha celebrant ad Lunam decimamquartam, & ante primam Paſchatis evenere ea quæ de Servatore noſtro narrantur. At deliquium Solis fit tunc cum Luna Solem ſubit: quod tunc fieri non potuit niſi inter primam Paſchatis & præcedentem diem conſiſſent iſta ſidera. At quomodo deliquium credi poteſt cum tunc Luna ferme tota dimetiente à Sole diſtaret?*] Quo loco Africanus Thalli illud ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν [*Sol defecit*] ſtricte interpretatur, quaſi Thallus voluerit naturalem fuiſſe ἔκλειψιν [*defectum Solis*], cum alioqui ἐκλείπειν [*deficere*] Sol dici poſſit cum quovis modo deficit. Sic & in Lucæ quibuſdam exemplaribus Origenes conqueritur mendoſe ſcriptum fuiſſe ἥλιον ἐκλείποντος [*Sole deficiente*], quod ille itidem ut Africanus pertinere arbitratur ad ſenſus injuriam. Tertullianus in Apologetico, *Tamen ſuffixus multa mortis illius propria oſtendit inſignia. Nam ſpiritum cum verbo ſponte dimiſit, prævento carnificis officio. Eodem momento dies, medium orbem ſignante Sole, ſubducta eſt. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt. Et tamen eum mundi caſum relatum in archivis veſtris habetis.* Ubi non video cur *archiva* alia quam Acta publica Romana accipiamus: ad quæ, ni fallor, & Lucianus martyr provocat apud Euſebium. Et cum *mundi caſum* vocat, ſatis cavit ne Judææ peculiaris crederetur. Quare πᾶσαν τὴν γῆν [*terram univerſam*] hic ita ſumendum arbitror ut apud Lucam II, 1. πᾶσαν τὴν οἰκουμένην [*univerſum orbem*] de orbe Romano, aut certe de potiſſima ejus parte. Quid Deus his tenebris ſignificatum voluerit multi diſputant. Ego omnino arbitror non ad Judæos tantum pertinuiſſe hoc oſtentum, quorum Prophetæ triſtiſſima tempora Solis caligine depingunt, ſed ad alias etiam gentes. Nam hoc quoque inter ea fuit quibus Centurio in ſtupotem eſt datus. Quare ea ſignificatio ſumenda eſt quæ quam latiſſime poſſit intelligi. Apud omnes autem populos receptum erat ut crederent talibus oſtentis ſcelus aliquod inſigne patratum indicari. Nota eſt cœna Thyeſtea, ubi Seneca,

O nos dura ſorte creatos,
Seu perdidimus Solem miſeri,
Sive expulimus.

De qua re ſic Euripides Iphigeniâ,

—— ἀπὸ δ' ἔξω
Δ' ἐξέβαν' ἱερὸν ἔμολ' αὐγὰς ἥλιος.
[—— —— —— *fugit*
Sol averſo lumine terras.]

Eodem pertinet illud Medeâ,

—— *Spectat hæc noſtri ſater*
Sol genera & ſpectatur, & curru inſidens
Per ſolita puri ſpatia decurrit poli?

Et Phædrâ,

—— *tuque ſiderum caput,*
Radiate Titan, tu nefas ſtirpis tuæ
Speculare?

Virgilius de Sole,

Cum caput obſcura nitidum ferrugine tinxit,
Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.

Marcus Antonius Triumvir in epiſtola ad Hyrcanum Pontificem Maximum, διὸ καὶ τὸν ἥλιον ἀπεστράφθαι δοκοῦμεν, ὃς καὶ αὐτὸς ἀνθρώπους ἐπεῖδε τὸν ὑπὲρ Καίσαρος μίσους [*unde & avertiſſe ſe Solem putamus quod non ſine mœrore conſpiceret ſcelus in Cæſarem patratum*]. Lucanus,

Ipſe caput medio Titan cum ferret Olympo
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit
Deſperare diem, qualem fugiente per ortus
Sole Thyeſtea noctem duxere Mycenæ.

Cæterum Judæis peculiariter oſtentum hoc in memoriam revocare potuit Amoſi verba, qui dixerat *futurum ut Sol meridie occideret*, addens *luctum fore velut ſuper unigenito*, VIII, 9, 10. Nam & quæ olim impleta erant in ſenſu μεταφορικῷ [*tranſlato*], ea nunc implebantur etiam in ſenſu proprio, ut ſæpe diximus. Quanquam vero quæ hic deſcribitur caligo, ut in ſummo Judæorum & Romanorum ſcelere, ſumma fuit, non negandum tamen arbitror alias quoque temporibus, ſi non pares, at ſimiles iræ Divinæ adverſus graviora peccata ſignificationes exſtitiſſe. Certe veteribus Chriſtianis conſtanter id creditum. Unum adferam Tertul. locum: is eſt ad Scapulam, *Omnia hæc ſigna ſunt imminentis iræ Dei, quam neceſſe eſt quoque modo poſſimus, ut & annuntiemus, & prædicemus, & deprecemur, interim localem eſſe. Univerſalem enim & ſupremam ſuo tempore ſentient qui exempla ejus aliter interpretantur. Nam & Sol ille in conventu Uticenſi exſtincto pene lumine adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, poſitus in ſuo hypſomate & domicilio: Habetis Aſtrologos.* ¶ ἕως ὥρας ἐνάτης. *uſque ad horam nonam*] Id eſt, ad tempus uſque oblationis veſpertinæ. Nam ſic Hebræi diem partiebantur. Vide quæ ſupra hoc capite 42.

46. ΗΛΙ, ΗΛΙ, λαμμὰ σαβαχθανί; *Eli, Eli, lamma ſabachthani?*] Et hinc & aliunde colligitur Chriſtum neque veteri uſum Hebræorum ſermone, neque Syriaco, ſed mixta dialecto quæ tum in Judæa vigebat. Ea lingua quædam retinebat avitæ pronuntiationis, ut ΗΛΙ, אלי [*Eli*], pro quo Syri dicere ſolent אלהי [*Elohi*]; quædam cum Syris habebat communia, ut שבק [*Sabac*] pro עזב [*Azab.*] *Eli* à Chriſto pronuntiatum ipſe ſonus ad Eliam proxime accedens evincit. Quare mihi perſuadeo in Syriaca verſione tum hic tum apud Marcum transpoſitas literas, & quod אלי [*Eli*] ſcriptum fuerat mutatum in איל [*Eil*], inde nato errore quod אלי [*Eli*] Syris eſſet incognitum, quidam autem Syrorum Deum איל [*El* vel *Il*] appellarent. Ἴλων [*Ilum*] ſcribebat Philo Byblius ex Sanchuniathone. Sic apud Ezechielem, qui interdum χαλδαΐζει [*Chaldaizat*], XXXI, 11. ubi nunc איל [*El*] legimus, libri Orientales Judæorum habebant איל [*Il*], & ubi nunc eſt אלי [*Eli*] Ezechielis XXXII, 21. iidem codices habebant אילי [*Ili*]. Enimvero, ut dixi, à Syro non איל [*Il*] ſcriptum, ſed aut אלי [*Eli*], aut certe אילי [*Ili*], indicio eſt ipſius interpretatio quam ſubjungit apud Marcum, quæ eſt אלהי [*Elohi*] cum affixo primæ perſonæ. Marcum quoque non Ελωὶ [*Elohi*] ſcripſiſſe ſed ΗΛΙ [*Eli*] cur arbitremur dicemus ubi eo ventum erit. Quod autem Latina quædam exemplaria hoc loco pro *lamma ſabachtani* habuerunt *lamma azabtani*, ſi

quid

quid recte judico, ab Hieronymi eſt manu, qui ipſa Pſalmi verba hic ponenda exiſtimavit. ¶ Ἱνα τί, *ut quid*] Vox eſt deprecantis, Ita Moſes Exodi xxxii, 11. Ἵνα τί, κύριε, θυμοῖ ὀργὴ σὸς τὸν λαόν σου; [*Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum?*] Pſalmo x, 1. (in Græco eſt pars noni) Ἵνα τί, Κύριε, ἀφίστηκας μακρόθεν; [*Ut quid, Domine, receſſiſti longe?*] ¶ ἐγκατέλιπες; *dereliquiſti?*] ΔΔΔ ἐγκαταλείπειν eſt *auxilio deſtituere*, ut Eſaiæ xli x, 14. & alibi.

47. Τινὲς δὲ τῶν ἐκεῖ ἑστώτων, *Quidam autem illic ſtantes*] Hos puto fuiſſe non Romanos milites, quibus de Elia nihil erat cognitum, neque Judæos Paleſtinos, ſed Helleniſtas, qui cum Hebræa verba non intelligerent, Eliæ nomen ſibi notum audire ſe exiſtimabant. De rediturο autem Elia vetus fama ex vaticiniis male intellectis hauſta non Paleſtinos tantum Judæos ſed & Helleniſtas pervaſerat, ut ex Eccleſiaſtici libro manifeſtiſſimum eſt. Ejus tempus jam inſtare putabatur, Matth. xvii, 10.

48. πλήσας τε ὄξους, *implevit aceto*] Quia *ſitire ſe* dixerat Jeſus, ut Johannes docet. Adſtabat autem vas ὄξους (id eſt, *vini factitii*, ut ſupra expoſuimus) plenum, non accelerandæ morti, ut quidam putant, ſed adverſus animi deliquium. Hunc Chriſto potandum aliquis dedit, quaſi in ſpem adventantis cœlitus auxilii vitam ei ſuſtentans. ¶ περιθεὶς κάλαμῳ, *circumpoſuit arundini*] Ὑσσῴτῳ περιθέντες [*hyſſopo circumponentes*], inquit Johannes. Verbum idem oſtendit κάλαμον [*arundinem*] idem fuiſſe quod ὕσσωπον [*hyſſopum*], id eſt, bacillum ex hyſſopo; quam in aliquam magnitudinem arbori convenientem excreſcere in Judæa, non minus quam Sinapi, cur negemus ſatis cauſæ non video. Unum eſt quod contra affertur argumentum ex hiſtoria Solomonis, 1 Regum iv, 33. Atqui non ibi de quavis hyſſopo agitur, ſed de una ejus minima ſpecie quæ vocatur אזוב, quaſi Latine *parietariam* dicas. Huic opponitur *cedrus*, non quævis, ſed *Libani*, quæ cæteris celſior. Et ſane אזוב Hebræis latius patet quam ὕσσωπος [*hyſſopus*] Græcis; adeo ut ſeptem ejus genera dicat eſſe Kimchi, qui & *origanum* exponit. Simile quid apud Plinium de Malva lib. xix. *Tradunt auctores in Arabia malvas arboreſcere, baculorumque uſum præbere.* Vide eundem de Origano.

49. Οἱ δὲ λοιποί, *cæteri vero*] Simul cum ipſo qui ὄξος [*acetum* ſive *vinum factitium*] porrigebat, ut ex Marco docemur. Itaque λοιποί [*cæteri*] non oppolite dicitur, ſed ut plures uno id dixiſſe intelligantur. ¶ Ἄφες, *Sine*] Vox eſt πλεονάζουσα [*abundans*], ut ἄφετε [*ſinite*] apud Marcum; non prohibentis, ſed ſubjunctivo ſequenti inſerviens: quaſi dicas, *Age videamus.* Et ſic nunc etiam populi nonnulli loquuntur. In Actis urbis Conſtantinopolitanæ, quibus deſcribitur ſeditio, cui Νίκα [*Vince*] nomen, Ἄφες κολασθῶμεν [*Sine puniamur*] nihil aliud eſt quam *Puniamur.* Dixerunt pro eodem & εἰς [*quaſo*] Græci ſub Juſtino, ut εἰς ἀνελθεῖν [*quaſo adſcendam*], εἰς πεῖσον [*quaſo perſuade*] in acclamationibus Synodi ſub Menna. Apud Lxx ἐα ſimili ſenſu, ut Jobi xix, 5.

50. κράξας φωνῇ μεγάλῃ ἀφῆκε τὸ πνεῦμα. *clamans voce magna emiſit ſpiritum*] Simul cum ipſo clamore, ut Tertullianum dicentem audivimus, *Spiritum cum verbo ſponte dimiſit.* Clamor is fuit Τετέλεσται [*Conſummatum eſt*] apud Johannem, & Πάτερ, εἰς χεῖράς σου παρατίθεμαι τὸ πνεῦμά μου [*Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*]. Hoc autem ipſum pro miraculo accepit Centurio ὅτι οὕτως κράξας ἐξέπνευσεν [*quia ſic clamans exſpiraſſet*]. nam verbis ejus res ipſa ſtatim reſpondens oſtendebat vere animam ejus à Deo ſuſcipi. Accelerata quippe mors erat Divino conſilio antequam vires ejus naturales defeciſſent. alioqui nondum mors exſpectari poterat: Marcus xv, 44. ideo latrones crurifragio peremti. Videtur Origenes ad acceleratam hanc à morte liberationem referre illud ad Hebræos v, 7. Ὃς ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων προσενέγκας, καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, Καίπερ ὢν υἱός, ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε τὴν ὑπακοήν [*qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia: Et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam*]. Cyprianus adverſus Demetrianum, *Crucifixus, prævento carnificis officio, ſpiritum ſponte dimiſit.* Illa autem ἀφῆκε τὸ πνεῦμα [*emiſit ſpiritum*] expriſſunt unam vocem Hebræam יגו, pro qua ἐξέπνευσε [*exſpiravit*] poſuere Marcus & Lucas. Senſus autem eſt apud Eſaiam liii, 12.

51. τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο, *velum Templi ſciſſum eſt in duas partes*] Et veteres & novi Interpretes parum conſtare arbitrantur agaturne hic de velo interiore, quod oppanſum erat penetrali, an de velo exteriore, quod erat oppanſum foribus templi ſacerdotalis. Moſis temporibus tria erant aulæa, extimum τῆ αὐλῆς [*atrii* ſive *ſubdialis*]; Exodi xxvii, 16. medium τὸ ἅγια [*Loci ſanctis*], Exodi xxvi, 36. intimum τὰ ἁγία τῶν ἁγίων [*Sanctis ſanctorum*], Exodi xxvi, 31. id eſt, adyti ſive penetralis. In templo Solomonis & quod ei ſurrogatum vice extimi aulæi fuit porta, ut ex Joſepho diſcimus: περίπυλαια vocat Philo. Manſerant ergo duo aulæa, quæ τὰ ἐνδότερα καταπετάσματα [*vela interiora*] vocat Joſephus Ἀρχαιολογίας [*Antiquæ hiſtoriæ*] viii, 11. Et hinc aulæum adyto oppanſum δεύτερον καταπέτασμα [*velamentum ſecundum*] vocat divinus ad Hebræos Scriptor ix, 3. Cæterum ubi nude dicitur καταπέτασμα [*velum*], omnino intelligendum eſt illud quod adyto erat oppanſum: id enim proprie ac peculiaris diſcriminis cauſa id nomen occupaverat. Philo De vita Moſis, Ἐκ τῆς τῶν ἀνθῶν (id eſt, ex hyacintho, coccino, purpura, byſſo) τό τε καταπέτασμα καὶ τὸ λεγόμενον κάλυμμα κατασκευάζεται· τὸ μὲν εἴσω τῶν τέσσαρας κίονας, ἵν' ὑπερκρυπτῃ τὸ ἄδυτον, τὸ δὲ ἔξω τῶν πέντε, εἰς μηδεὶς ἐξωτέρω δυνάμενος τοῦ μὴ ἱερωμένου καταθεάσθαι τὰ ἅγια. [*Ex iiſdem autem materiis conflabant velum & id quod dicebatur operimentum; illud quidem inter quatuor columnas velando adyto; hoc vero inter quinque, ne quis extra Sacerdotalem Ordinem poſſet ex improviſo conſpicere Locum ſanctum*]. Et poſt, Ἐν δὲ τῷ μεθορίῳ τῶν πεττάρων καὶ πέντε κιόνων, ὅπερ ἐστὶ κυρίως εἰπεῖν περίπυλον ἐφεξῆς κεκλῆσθαι δυσὶν ὑφάσμασι, τὸ μὲν ἐνδοτέρω τὸ καλούμενον καταπέτασμα, τὸ δὲ ἐκτὸς περιπαγερύσιον κάλυμμα [*Inter vero quatuor illas & has quinque columnas, quod eſt, ut accurate loquamur, protemplum duobus concluſum aulæis, eorum quod erat interius dicebatur Velum, quod exterius Operimentum*]. Diſtincte aulæum adyto oppanſum vocat καταπέτασμα [*Velum*], alterum oppanſum templo ſacerdotali appellat κάλυμμα [*Operimentum*]. Nam & Moſi diſtincte illud inferius vocatur פרכת Exodi xxvi, 33. iſtud exterius מסך. Vocem פרכת etiam Lxx vertunt καταπέτασμα [*velum*], Exodi xxvi, 33. xxxvi, 35. at vocem מסך, quam Philo transfert κάλυμμα, ἐπισταστὸν [*operimentum*] Exodi xxvi, 36. xxxvi, 37. Quare non dubito quin τὸ καταπέτασμα [*Velum*] intelligi debeat aulæum quo penetrale defendebatur. Sed neque magis inter veteres convenit quæ propria fuerit ſignificatio hujus ſciſſuræ. Mihi vero ne dubitandum quidem videtur eam fuiſſe quam Judæi non pertinaces ex re ipſa facillime conjectare poterant. Cum dicit nunquam ſatis laudatus ad Hebræos Scriptor τὰ ἅγια [*Sancta*], id eſt, τὰ ἅγια τῶν ἁγίων [*Sancta ſanctorum*] (nam poſt diſcrimen poſitum initio capitis noni ſemper brevitati ſtudens adytum vocat ἅγια [*Sancta*]) eſſe ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν [*verorum figuram*] ſummi illius cœli ſcilicet, nihil novi dixit, ſed id ſumſit quod erat apud Judæos omnes confeſſum: quod perſpicuis teſtimoniis oſtendam. Joſephus Ἀρχαιολογίας [*Antiquæ hiſtoriæ*.] iii, v. τὸ μὲν γὰρ τρίτον αὐλῆς μέρος τὸ ἐντὸς τῶν παταίων κίονων, ἃ τοῖς ἱερεῦσιν ἦν ἄβατον, ὡς ὑφορᾶς ἂν εἶναι τῷ Θεῷ [*tertia pars ædificii quæ intra columnas quatuor, quo nec Sacerdotibus fas accedere, erat velut cœlum illud Deo ſepoſitum*]. & capite viii. τὸν δὲ τρίτον μοῖραν μόνῳ προσέκρυψε τῷ Θεῷ, διότι καὶ τὸ ὁρώμενον ἀνεπίβατον εἶναι ἀνθρώποις [*tertiam autem partem ſoli Deo ſepoſuit, quia id cœlum inacceſſum hominibus*]. Philo De vita Moſis, τὰ ἄδυτα τοῦ σκηνῆς, ἅπερ ἐστὶ συμβολικῶς νοητά [*adyta Tabernaculi, quæ ſymbolice ſunt ea quæ intelliguntur tantum*]. Quare de hac parte præcipua Templi præcipue accipi debet quod in libro eſt Sapientiæ, Templum fuiſſe μίμημα σκηνῆς ἁγίας ἣν ὁ Θεὸς προητοίμασεν ἀπ' ἀρχῆς [*imitamentum ſacri Tabernaculi quod Deus præparavit ab initio*], ejus ſcilicet de qua agitur Pſalmo xv. quod & Pſalmo lxxviii, 69. innuitur. Quæ enim extra adytum erant, non obſcure adumbrabant Mundum hunc adſpectabilem. Nam in Aulæo coccinum Ignem, byſſus Tellurem, hyacinthus Aëra, purpura Mare, ſeptem Lychni totidem Planetas, panes duodecim totidem Zodiaci ſigna & Menſes notabant: quanquam potuerunt horum quædam aliam Iſraelitis propriam habere ſignificationem. Obſcurum igitur non erat, adytum κόσμον τὸν νοητὸν εἶναι σύμβολον [*ſymbolum eſſe Mundi intelligibilis*], ut Clemens loquitur Stromateon quinto: in quo adyto antiquitus fuerant Χερουβὶμ δόξης κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον [*Cherubim gloria obumbrantia propitiatorium*], quorum interpretationem in aliud tempus differt Scriptor ad Hebræos. At Philo haud dubie ex veteri diſciplina ἱλαστήριον [*propitiatorium*] quidem ait fuiſſe σύμβολον τοῦ ἵλεω τοῦ Θεοῦ δυνάμεως [*ſymbolum Divinæ miſericordiæ*]. Per Cherubim vero arbitratur deſignari τὰς τοῦ Ὄντος δυνάμεις, τήν τε ποιητικὴν καὶ βασιλικὴν [*facultates ejus qui eſt creatricem & regalem*]. Joſephus Cherubim vocat τὸ ἅρμα τοῦ Θεοῦ [*currum Dei*]· tanquam ſit per μετάθεσιν [*literarum tranſpoſitionem*] ex verbo רכב [quod eſt *currus*]. Confer Pſalm. xviii, 11. &

Porro codices quos ego vidi variant. Nam Caroli Magni codex habet *Eli, Eli, lamazaptani*; Gemblacenſis, *Heli, Heli, lemaſabaithani*; Brugenſis Donatianicus, *Eloi, Eloi, lamazaptani*; Codex Corſendoncenſis raſura ac mutatione confuſus eſt; niſi quod aperta veſtigia commonſtrant, *Heloi, Heloi*, primo ſcriptum fuiſſe.

47. *Eliam vocat iſte*] Aut irridentes hoc dicebant, aut non intelligentes verba Chriſti propter tumultum populi, vel aliud obſtaculum: quod poſterius magis reſpondet his quæ ſequuntur.

48. *Et continuo currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto*, &c.] Acetum obtulerunt quo celerius ex inflictis plagis atque vulneribus efflaret animam, antequam advenerit Elias quem à Chriſto invocatum arbitrabantur. Alii vero contra, *Sine*, inquiebant, *videamus an veniat Elias liberaturus eum.*

60. *Ad oſtium monumenti*] Erat enim ſepulchrum intra ſpeluncam conſtitutum, cujus ſpeluncæ introitus grandi ſaxo intercludebatur.

63. *Poſt tres dies reſurgam*] Hoc quo pacto ſit accipiendum ſupra diximus cap. 26. ibi, *Poſſum deſtruere templum Dei.*

65. *Habetis cuſtodiam: ite, cuſtodite*] *Cuſtodia* hoc loco milites ipſos ſignificat ad cuſtodiendum deputatos. Porro quod Græcis eſt, Ἔχετε κουστωδίαν· ὑπάγετε, ἀσφαλίσασθε ὡς οἴδατε, poteſt & hunc habere ſenſum, *Habete cuſtodiam; ite, munite ſicus ſcitis.*

66. *Illi autem abeuntes munierunt ſepulcrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus*] Sermo nonnihil habet ambigui etiam apud Græcos. Poteſt enim intelligi quod Principes Judæorum & Phariſæi una cum cuſtodibus abeuntes ſepulcrum munierint, & lapidem obſignaverint; vel quod Principes & Phariſæi munierint ſepulcrum ſimul & milites cuſtodientes, ſigillantes inſuper & lapidem. Qui poſterior ſenſus evidentius in Hebræo codice exprimitur his verbis, ויתם חלמו ויבצרו את הקבר בשמרים i. *Et ipſi abierunt & munierunt ſepulchrum cum cuſtodibus, & ſignaverunt lapidem.* Quanquam illud בשמרים poteſt accipi inſtrumentaliter, *munierunt ſepulcrum cuſtodibus*, vel *in cuſtodibus*, more loquendi Hebraico.

LUCAS BRUGEN.

8. *Propter hoc vocatus eſt ager ille, Haceldema, h. e. ager ſanguinis.*] Forte vox *Haceldema*, ex primo Act. 19. ubi legitur, *Ita ut appellaretur ager ille lingua eorum, Haceldema, h. e. ager ſanguinis*, deſumpta, & Matthæi narrationi inſerta eſt: quia neque in Græcis neque in Syriacis exemplaribus invenitur; tantum, *Propter hoc vocatus eſt ager ille, ager ſanguinis.* Neque vero eſt Syriace, pro *ager ſanguinis*, חקל דמא *hacaldemo*, ſed חקורא דדמא *Certo daddemo.* Quare hoc loco Euthymius ex libro Actorum adfert Judaicum agri nomen, *haceldema.* Certe ex Latinis noſtris MSS. id quod H litera ſignatum eſt habet duntaxat, *Propter hoc vocatus eſt ager ſanguinis*; & id quod L notatum eſt, addit ſimul illud ex Actis *lingua eorum, Propter hoc eſt ager ille lingua eorum Acheldemach, hoc eſt, ager ſanguinis.*

9. *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam, dicentem, Et acceperunt triginta argenteos*, &c.] Quanquidem hæc Prophetia in Jeremia non inveniatur, variæ hic doctorum & veterum & recentiorum ſunt opiniones. Una eſt, *Jeremiam* ſcriptorum errore pro *Zacharia* eſſe poſitum: eſt enim quædam vocum affinitas, legiturque in Zacharia hoc oraculum ſenſu, ſi non verbis eiſdem, cap. 11. v. 12, & 13. Alia, quam probat maxime Janſenius, eſt, nec Jeremiam nec Zachariam ab Euangeliſta nominatum; ſed, abſque alicujus Prophetæ nomine, ab eo, ut alias plerumque, ſcriptum, *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Prophetam dicentem.* Pro hac ſententia facit, tum quod olim quidam Euangeliorum codices hoc modo habuerint, teſte Auguſtino lib. 3 De conſenſu Euang. cap. 7. tum quod Syriacus textus hoc pacto legat. Quin & veteſtum Latinorum Euangeliorum exemplar, quod ex Bibliotheca Societatis Jeſu commodatum nobis eſt, album, hoc plane modo ſcribit; quod & Lyranus in quibuſdam libris legiſſe videtur. Legitur hunc in modum etiam apud Rupertum: verum in commentariis, *Scriptorum*, ait, *incuria inoleviſſe, ut hic pro Zacharia Jeremias nominaretur.* Tertia eſt ſententia quæ vulgatam tuetur lectionem, *per Jeremiam prophetam*, cui Græci, Latini codices, olim ac nunc, plerique conſentiunt: ſed diverſis propugnatur modis; quod vel Judæorum invida malitia eraſa ſit ex 32 Jeremiæ capite, quo de agri emptione agitur, hæc Prophetia; vel in Apocryphis Jeremiæ ſcripta fuerit; vel inter ἄγραφα accepta; vel ea ſit cujus hiſtoria Jer. 32 deſcribitur; vel ex Jeremiæ & Zachariæ oraculis conflata ſit; vel, propter eundem Spiritum quo afflati Prophetæ ſcripſere, Jeremiæ ſit attributa quæ Zachariæ eſt; vel denique Zacharias binominis fuerit, altero nomine Jeremias dictus. Hæc enim ſingula autores ſuos habent. Variis conjecturis una latens quæritur veritas.

33. Marc. c. 15. v. 22. & Joh. c. 19. v. 17. Quidam, id quod Euthymii interpres Hentenius refert, pro *Golgotha*, quod interpretetur *Calvariæ locus*, *Golgoltha* legendum putat. Nam præterquam quod hoc modo Chaldaica lingua Calvariam vocet, ſic ſcriptum in veteſtis Latinis exemplaribus reperiſſe ſe dicit: itaque habet Hebraicum ejus Euangelium גולגלתא. Inter Latinos codices, quos vidimus nos, ſola Biblia quæ anno 1529 Coloniæ in ædibus Quentelianis excuſa ſunt, in Matthæi & Johannis Euangeliis, *Golgoltha* legunt, eaque, quod veriſimile eſt, ſtudio emendata; cæteri, cum impreſſi tum ſcripti, aut *Golgotha* habent, aut *Golgatha*, ſive *ta* adſpiratione omiſſa. *Golgotha* ubique ſervant manuſcripta lectiſſima, Brugenſe, E, & aureum Societatis. Hieronymus etiam, libris De locis & nominibus Hebraicis, *Golgotha* legit. Similiter legunt Græci codices quos conſuluimus, omnes, Γολγοθᾶ, uno dempto, qui in Johannis Euangelio Γολγαθᾶ ſcribit. Epanorthotes in Matthæo notat; *Item al.* qui dicitur Golgotha. *Græcus, antiqui, Gloſſa & Hieronymus ſic habent.* Quare id τῷ *Golgatha* præferendum videtur: tametſi Chaldæi & גולגלתא *gulgaltha* dicant. In Syriaco exemplari גגולתא *gogulto* legitur. Hebraice גלגלת *gulgoleth* dicitur. *Caput* hæc & *calvariam* ſignificant: tranſlata ad ſignificandum locum in quo mortis rei morti tradebantur; quod multa in eo occiſorum capita & calvariæ eſſent.

40. *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud readificas: ſalva temetipſum.*] *Vah* omittit unus codicum Hentenii (nam de altero, qui Pariſienſium eſt, Conſtantienſi, habeo cur dubitem) id quod vulgatis Græcis & Syricis exemplaribus conforme eſt, quibus adſtipulatur Euthymius. Quare ſuſpicantur quidam huc ex Marc. 15. 24. id nobis eſſe tranſlatum. Cæterum ut univerſi noſtri Latini addunt *vah*; ita Græcus Parienſium β, ex Italia tranſmiſſus, addit *ναί*, & Syriacus Colonia acceptus, cujus varias ab impreſſis codicibus lectiones Raphlengius jampridem edidit, præponit ו quod in Marco pro Græco ναί, Latinoque *vah*, ponitur. Quinque ex noſtris Græcis exemplaribus in Marco *ναί* legunt; id quod nobis *va* ſonat, Syris ו.

Quæ ſequuntur verba, *deſtruere* & *readificare*, complures libri ſecunda perſona legunt, *deſtruis, readificas*; quidam tertia, *deſtruit, readificat*; *Vah qui deſtruit templum Dei, & in triduo illud readificat.* Ex noſtris, O, E, L, Pl. m. Mog. & alii multi, ſecunda; Brug. Lob. Leod. So. au. Q, H, M, A, R, Tril. tertia legunt. His veteſti aliquot cujuſdam codices, nominatim Conſtantienſis & antiqui Epanorthotæ, conſentiunt. Græca & Syra Participiis utuntur, quæ ſi, ut vulgo, non præmittunt *vah*, per ſecundam exponi perſonam magis exigunt. Itaque plerique omnes Interpretes tranſferunt. Si vero præponant *vah*, id quod Interpres legiſſe videtur, recte tertia vertantur perſona, eaque acrior ſit irriſio, mutata ſtatim perſona. Apud B. Auguſtinum, lib. 3. De conſenſu Euang. cap. 15. ſecunda perſona legitur, omiſſo *Dei* nomine. Porro Hilarius, 33 canone, tertia perſona ſe legiſſe ſignificat, dum ait, *Additur etiam illud opprobrium, quo ſe ipſe Iſrael Infidelitatis arguere indicatur; Hic eſt qui deſtruebat templum Dei, & in triduum illud readificabat.*

STEPHANUS.

¶ Κεφ. κζ, Περὶ ᾧ ὁ Ἰωλαΐου ἐξηπάτητο.

Matth. ὁ τῷ Λαΐ. ἴδι, Καὶ ἀθέσις λαβόμενοι οἱ Ἰουδαῖοι σὺν μαθηταῖς αὐτῶ ἐμβάλωσιν εἰς τὸ πλοῖον, καὶ περάσαι αὐτὸν εἰς τὸ πέραν.

Καὶ Πέτρον ἐξαπίνης Θεὸς λέγει ἐξ ἁλὸς ἅλμας.
Ἄθως,
Οὐ καταπονίζῃ Πέτρον ἅλμη ἐμπεσόντα.

2. Τῷ ἡγεμόνι] *Præſidi* provinciæ.

3. Μεταμεληθεὶς ἀπέστρεψε] *Pœnitentia ductus reddidit.*

5. Ἀπήγξατο] *Strangulavit ſeſe.*

19. Μηδὲν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ] *Nihil tibi rei ſit cum juſto illo.*

23. Περισσῶς] *Amplius.*

24. Ἀθῷός εἰμι ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ δικαίου τούτου] *Non deliquo in ſanguinem hujus juſti.*

30. Ἐμπτύσαντες] *Cum inſpuiſſent in eum.*

31. Ἠγ-

32. Ἠγγάρευσαν ἵνα ἄρῃ] *Adegerunt portare.*
37. Τὴν αἰτίαν] *Accuſationem:* vel, *crimen.*
43. Ῥυσάσθω αὐτὸν εἰ θέλει αὐτόν] *Eripiat ſi gratus ei eſt.*
46. Ἀνεβόησεν] *Exclamavit.*
51. Τὸ καταπέτασμα] *Velum:* vel, *aulæum.*
53. Ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς] *In conſpectum venerunt multis:* vel, *Manifeſte conſpecti ſunt à multis.*
55. Ἠκολούθησαν] *Secuta fuerant.*
57. Ἐμαθητεύθη] *Diſcipulus fuerat.*
59. Ἐνετύλιξεν] *Involvit.*
63. Ὁ πλάνος] *Planus:* vel, *Impoſtor.*
64. Ἀσφαλισθῆναι] *Præſidio muniri:* vel, *cuſtodia.* ¶ Πλάνη] *Impoſtura.*

DRUSIUS.

3. *Rigina argenteos*] *Siclos* intellige. Id erat pretium hominis ſervi: nam liberi æſtimatio erat LX ſiclorum, h.e. duplo major; More, part. 3. c. 40. Hi ſicli argentei erant. In eodem lib. fol. 166. p. 2. *Pretium ſervi erat argentum* XXX *ſiclorum*, h.e. XXX ſicli argentei.

7. *Ad ſepulturam hoſpitum*] Sepulcretum Hebraice dicitur *domus ſepulcrorum.* Id aſſignabatur cuique urbi; & quidem ſitum erat extra terminum ejus. Non enim ſepeliebant mortuos ſuos in termino urbium ſuarum: ex lib. Præceptor. 206. 3.

9. *Per Jeremiam*] *Jeremia* nomen irrepſiſſe videtur in locum *Zachariæ* vel culpa manus exſcribentis, vel certe memoriæ vitio. Quanquam Hieron. commentario ad hunc locum teſtatur ſe legiſſe verba quæ hic citantur in apocrypho quodam Jeremiæ Prophetæ. Sed vide ſodes Parallela mea. Scribi autem debet *Jeremiæ* exiliter, non *Hieremiæ* cum adſpiratione. Hunc lapidatum fuiſſe à Judæis exſulibus in Ægypto ſcribunt Dorotheus, Tertullianus, Epiphanius, Primaſius, & alii. Idem de Ezeciele proditum. Quo accommodant locum Apoſtoli, Hebr. 11. 37. Vide, ſi vacas, Matth. 16. 14. *alis vero, Jeremiam*; & fragmentum Origenis in Matth. pag. 211. Ibi cauſam reddit quare Chriſtum Judæi in Euangelio Jeremiam eſſe putaverint. Locum deſcripſiſſem, ſi liber ad manum fuiſſet.

16. *Qui dicebatur Barabbas*, Τὸν λεγόμενον Βαραββᾶν] Unica *r*, & duplici *bb*. Id ſonat, *filius patris mei.* Nam אבא ſive אבו *pater meus.* Sic אמא *mater mea*, רבנא, *dominus meus.* In Nominibus de Johanne exponitur *Filius patris.* Cave damnes. Nam אבא etiam *pater*, i.e. ὁ πατήρ, cum articulo. Sic אמא ἡ μήτηρ, רבנא ὁ διδάσκαλος ἡμῶν κύριος. Nihil certius. In Nominibus de Matthæo, *Barrabban, Filium magiſtri eorum.* Hieron. in comm. p. 67. *Iſte Barrabbas in Euangelio quod ſcribitur juxta Hebræos Filius magiſtri eorum interpretatur.* In hac ſcriptura eſt duplex R R & geminum BB: & eſt compoſitio nominis ex בר *filius* & רבא *magiſter* aut *princeps.* Reperio etiam *Barrabam*, unica B. Sed in editione Syra בריאבא juxta priorem ſcripturam. Male autem interpretantur *Filium magiſtri eorum.* Nam eſt obliquus à recto Βαραββᾶς. Quod ſic dictum Græca declinatione pro *Barabba*, ut *Judas* dicebant pro *Juda*, & *Thomas* pro *Thoma.* Si tamen rectus eſt *Barabban*, tum ſcribi deberet בר רבן. Id valet, *filius magiſtri noſtri*, ut עבדן dicimus pro עבדנא *ſervus noſter.* Hoc Syriace. Nam in lingua Hebræa רבן valet *magiſter earum*, & רבנם cum Mem in fine (Latini codices habent *Barabbam*) *magiſter eorum.* Invenitur etiam *Rabban* pro *magiſtro*, quod eſt nomen honoris diverſum nonnihil à *Rab*, unde *Rabba.* Sic *Maran* ſonat *dominus noſter* & *dominus* ſimpliciter. Sane *Maranatha* ab his exponitur, *Dominus noſter venit*, ab illis, *Dominus venit.* Sed hoc poſtremum etiam *apoſtatam* denotat, unde *Marani* nomen.

25. *Sanguis ejus*] Pœna ſanguinis, i.e. cædis. Nam *ſanguis* pro *cæde* ponitur in qua ſanguis effunditur. Sic Joſ. 2. 19. *ſanguis ejus in caput ejus*: & mox, *in caput noſtrum*, ſub. *recidat.* Quale illud, *quod tuo capiti ſit.* Jonathan ibi reddit, *culpa cædis ejus.* Judicia pecuniarum non ſunt ut judicia animarum. In judiciis pecuniarum ſi homo dedit pecuniam ſocio ſuo, expiatur; in judiciis autem animarum ſanguis ejus & ſanguis ſeminum ejus pendet ab eo uſque ad finem mundi: ex eodem lib. 188. 2. Alibi de blaſphemo, quem lapidabant, & poſtea ſuſpendebant, *Omnes judices & teſtes ponebant manum ſuper eum, & dicebant, Sanguis tuus ſuper caput tuum, cujus tu occaſionem dediſti.*

26. *Ieſum autem flagellatum*] Moris erat Romani flagellare damnatos. Sic ſane flagris cæſus fuit ab Antonio Antigonus Rex Judæorum. Quem morem notavit Petrus Faber Semeſtrium, l. 2. c. 10. Cæterum de ratione flagellandi, & de flagello vide lib. Præceptor. 188. 4. Adſtringebant flagellandum ad columnam. De qua flagellatione Lipſius 2. 4. De cruce, & Taubmannus in Plautum, 493. 2.

33. *In locum qui dicitur Golgotha, qui dicitur Calvariæ locus:* Εἰς τόπον λεγόμενον Γολγοθᾶ, ὅς ἐστι λεγόμενος Κρανίου τόπος] Syrus habet גולתא *Gagultha.* In hoc nomine excidit litera, ut in aliis nonnullis. Nam eſſet *Golgoltha*, nempe ex Hebræo גלגלת *Golgoleth*, i.e. *calva* ſive *calvaria.* Sic שלשלתא invenitur pro שלשלתא *catena*, & קלקלתא pro קקלתא *ſtercus* aut *ſtercilinium.* Sic *Babel* dicebant pro *Balbel* σύγχυσις, & אתרבי *magnificatus eſt* pro אתרבי. Quod noto, ne quis arbitretur vocem corruptam eſſe. Neque enim aſſentior Caninio ita ſcribenti, *Corrupte ſcribitur à Græcis* Γολγοθᾶ, *detracto altero* λ, *pro* γολγολθᾶ, *i.e. Craninm, vel Calva, mortui præſertim. Erat enim cippus Judæorum.* Saltem non eſt à ſcribis corrupta. Nam de vulgo nolim contendere. Magis inclino ut ſit ablata litera per ſyncopen ex conſuetudine illius ævi. De nominis etymo varia ſententia eſt. Quidam exiſtimant fuiſſe cippum Hebræorum, ut Caninius, cujus verba modo produxi. Alii cenſent colliculum fuiſſe ſic dictum à rotunditate cranii ſpeciem referente. Vide Theodorum. Aliter Epiphanius Contra hæreſes, l. 1. *Golgotha Cranii ſive Calvaria locum interpretantur, quia primum formati hominis Adam calvaria illic inventa eſt, & illic reliquiæ ſitæ erant.* Credula nimis antiquitas hoc accepit à Judæis. Athanaſius De paſſione & cruce DOMINI, pag. 647. *Magiſter Hebræorum dicit ſedem eſſe ſepulcri Adæ. Ibi enim poſt maledictionem eum humatum eſſe aſſeverat.* In lib. Locor. *Golgotha, Locus calvariæ, in quo Salvator pro ſalute omnium crucifixus eſt: & uſque hodie oſtenditur in Ælia ad Septentrionalem plagam montis Sion:* & Nominum, *Golgotha, Calvaria. Syrum eſt, non Hebræum.* In Comment. Hieron. ſuper Matth. ſcriptum *Golgoltha:* ſed ea audacia qua multa alia vocabula ibi ſcribuntur, quæ ad veterem conſuetudinem interpolanda erant, non ad hanc novam, quam Hieron. ignoravit.

34. *Vinum cum felle miſtum*] In ſuppliciis miſcebant vinum cum grano thuris לבונתא נקיטא, quo epoto reus ſibi non conſtabat mente. Qua de re aliquid in lib. Præceptor. qui per ſigla מיית vocatur, fol. 188. col. 2. *Dant ei bibere granum thuris in calice vini.* Juch. 114. 2. in tractat. Sanhedrin, *Qui exit ad ſupplicium potum dant ei granum thuris, quo abripiatur mens ejus.* Vide quoque lib. Muſar, 125. 2. in extremo. In quibuſdam libris, *acetum cum felle miſtum*, i.e. ὄξος. Sic variant etiam cod. Græci. *Fel* autem מרורי dicitur Job. 16. 13. & 20. 14. χολὴ voce non *tam fel* intelligitur quam *amaror*, cujuſmodi eſt myrrhæ genuinæ, *leviter*, inquit Plinius, *amara.*

43. *Si vult eum*] Eſt cur malim, *ſi vult ei.* Nam *velle alicui* eſt *bene velle & favere*; unde & *voluntas* pro *favore.* Terentius, *Voluntas veſtra ſi ad poëtam acceſſerit.* Orat. Metelli, *Dii immortales plurimum poſſunt, nec tamen plus velle nobis debent quam parentes.* In fonte eſt, εἰ θέλει αὐτὸν *ſi vult eum*: quod non nemo exponit φιλεῖ *amat*, ut Gen. 34. 19. *Quia volebat filiam Iacob*, i. amabat eam valde: & 1 Sam. 18. *Ionathan* חפץ בדוד *amabat Davidem.* Significat etiam *delectari aliqua re*, unde, *Non Deus volens iniquitatem tu es*, qui delectaris iniquitate. Contra θέλειν, quod *amare* ſignificat, ponitur pro *delectari aliqua re.* Nam quam rem aut perſonam amamus, ea delectamur quoque.

44. *Latrones*] Akeruter latronum. Vide ſis Quæſt. & Reſponſ. meas: item Hieron. epiſt. 48. Suſpendebantur autem ſub occaſum ſolis, & ſtatim ſolvebantur: lib. Præcept. 188. 4.

46. *Eli*] *El* (unde *Eli*, i. Ἠλί ſive Ἠλεί· nam utroque modo ſcribitur) *fortis* vel *potens*, i. חזק, ut exponit R. D. Pſal. 90. 2. aut ἰσχυρός, ut interpretatur Aquila Pſal. 22. 1. Communiter *Dei* vocabulo redditur, ut hic Ἠλί, Ἠλί, τί ἐστι, Θεέ μου, Θεέ μου· & Marc. 15. 34. citante Euſebio, Ἠλεί, Ἠλεί, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου. Sed in hoc poſtremo loco exemplaria vulgata legunt Ἐλωΐ, Ἐλωΐ, i. אלהי, quod licet eodem recidat, credibilius tamen eſt Chriſtum dixiſſe Ἠλί, aut Ἠλεί· ex quo natum cavillum illud, *Eliam invocat.* Certe longius recedit à nomine *Elia* Syriacum Ἐλιοῦ. Syrus utrobique poſuit אל אל, quod reddunt *Deus, Deus.* ■ uſurpant in precationibus pro auxilio, ut cum dicunt, אתא לסעדן *Veni in auxilium noſtrum.* Plura de hac voce vide ad Matth. 1. 23. & Mar. 15. 34. Quibus addo Jeſ. 9. 6. אל גבור A. & Sym. *Fortis, potens.* Th. *Fortis dynaſta.* Alii, *Deus potens:* Quod præ ceteris probant Euſebius & Theodoritus. Theodoriti verba ſunt in libro MS. *Depravavit hoc Aquila, pro* DEUS POTENS, FORTIS POTENS *interpretando. Nam in Ebraico eſt* EL GIBBOR. *El autem Deum ſignificat.* Sunt qui ſemper

per transferunt אל *Deus fortis.* Si non fallit Euſebius, אל καὶ ἀνεξέταστα ſignificat ἰσχὺν ἢ δύναμιν· & certe non fallit. Nam ita ſumitur hoc nomen cum alibi tum Prov. 3. 27. יד לאל *in poteſtate manus tuæ.* Igitur *Eli* verti poſſet *meæ vires*, aut *meæ potentiæ:* Quale illud Poëtæ,

Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus.

Sic Deus à Magiſtris vocatur תגמרי, & à Chaldæis מקפא Gen. 49. 24. in Onkelo. Unde lux illi loco, ἐκ δεξιῶν τῆ δυνάμεως· nam ſenſus eſt, *ad dexteram Dei.* ¶ *Lama*] *Lama* an *Lamma* ſcribas parum refert. *Lama*, i. λαμά. Chaldaice למא ex ſono antiquo. Nam hodie dicerent λεμά, quod in uno exemplari Græco. Syrus habet למנא. Sonat autem *cur, quare, quamobrem.* Ebræis in uſu למה, cum accentu in ultima & unica ה, & מה cum accentu in penultima, Mem per Dages geminata: unde λαμμά. Vide annotata ad Marc. 15. 34. ¶ *Sabacthani*] Sic edit. Lat. vulgata. Nam in Græca eſt σαβαχθανί· ſed legendum puto σαβακθανί, i. שבקתני *dereliquiſti me.* Hinc etiam emendabis Suidam, ubi perperam Σαβαχθανῆ, λέξις Ἑβραϊκή, ἐγκαταλελειμμένε. Eſt autem verbum Chaldaicum ſive Syriacum. Sunt qui putant Chriſtum ipſas voces Ebræas uſurpaſſe, contra Græcorum codicum fidem. In qua opinione videtur fuiſſe Hieron. qui hunc locum citans *Azabthani* habet, pro quo in epiſt. ad Pammachium De optimo genere interpretandi mendoſe *Zabathani* legitur. Nam veritas ſcripturæ *Azabthani:* Quam invenies & in Auguſtino De conſenſu Euangeliſt. lib. 3. cap. 17. Plura vide ad Marc. 13. 34. שבקתני *Sabacthani*, ut צבאות *Sabaoth*, רפאים *Raphaim*, מנשה *Manaſſes*, כנען *Chanaan*, & alia ſexcenta.

51. *Velum templi ſciſſum eſt*] Quidam de interiore velo dictum accipiunt, quod Sanctum dividebat à Sancto ſanctorum. Ebræi מסך appellant. Alii de exteriore intelligunt, quod atrium ſecludebat à Sancto, & מסך dicitur. In hac ſententia eſt Thomas. Vide Catenam Patrum, p. 231. Erat & aliud velum tertium, de quo alias מסך alii *aulæum* interpretantur. Vide quæ ſcripſimus Exod. 26. 31, & 36. Mirum hoc omiſſum in Thalmud, tract. Joma fol. 39. pag. 2. ubi alia recenſentur quæ acciderunt circa hoc tempus, videlicet annis XL ante deſtructionem Templi ut quod portæ Templi ſponte patuerint, & quod lucerna veſpertina non arſerit, & alia quæ brevitatis cauſa omitto.

54. *Servantes Ieſum*] Nam crucifixis adhibiti è militibus cuſtodes. Vide Fabrum Semeltrium l. 2. c. 9.

56. *Ioſe*] Idem cum *Ioſeph. Ioſeph, Ioſes*, ut *Tobit, Tobis; Goliath, Golias; Hannibal,* Ἀννίβας. Sed verius quod nunc ponam. Pro *Ioſeph*, abjecta ultima, Ebræi dicunt יוסי *Ioſe.* Inde *Ioſes* Ἰωσῆς, ut יהושע *Ieſus.* Amant enim Græci nominibus in vocali deſinentibus addere Sigma. Act. 4. 36. Ἰωσῆς, ὁ ἐπικληθεὶς Βαρνάβας. Vetus interp. *Ioſeph, qui cognominatus eſt Bar-nabas.* Syrus quoque habet יוסף *Ioſeph:* & notatum in uno exemplari Græco legi Ἰωσήφ. Contra Act. 1. 23. ubi libri vulgati Ἰωσήφ, in uno vet. exemplari habetur Ἰωσὴ *Ioſen.* Mar. 15. 47. ἡ Μαρία Ἰωσῆ. Syrus יוסה *Ioſſe* vel *Iauſe.* Autor Lat. vulgariæ, *Maria Ioſeph.* Cæterum יוסי pro יוסף legitur in Avoth cap. 6. & alibi.

59. *Sindone munda*] Hujuſmodi ſindon סדין dicitur Ebræis ab *involvendo:* Fiebat ordinarie ex lino. Nam ſericum involucrum prohibitum erat etiam principi qui tamen ut Rex ſepeliebatur, Juch. 54. 2. Hujus & ſupra meminimus.

60. *In monumento ſuo novo*] De hoc monumento vide quid Beda ſcribat apud Zachariam, pag. 358. & Anſelmus Matth. 27. fol. 253. pag. 2.

65. *Habetis cuſtodiam*] i. cuſtodes. Sic Virgilius, *noctem cuſtodia ducit Inſomnem.* Κυστωδία Latinum nomen eſt. Sacerdotes cuſtodias habebant in tribus locis, quæ memorantur in lib. Mandatorum, qui per ſigla כימ nuncupatur, 210. 4.

SCALIGER.

65. *Cuſtodiam*] Erant milites Romani, quorum præſidium erat conſtitutum in turre Antonia, autore Joſepho. Iis præerat σεγανὸς ἢ ναῦ, cujus non ſemel in Actis mentio. Ipſi cuſtodierunt ſepulcrum Chriſti Sabbatho, quod Judæi non auſi fuiſſent propter religionem tam diei, quam magni ſolennis Paſchatis.

CASAUBONUS.

2. Ποντίῳ Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι] Vide ad Lucam 3. 1.

11. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἔφη αὐτῷ] Annotat Theophylactus Chriſti hoc reſponſum eſſe ambiguum: Poteſt enim ita quoque accipi, *Tuid dicis, non ego.* Similis Phædræ apud Euripidem reſponſio. Nam cum quæſiſſet ab illa nutrix, eſſetne Hippolytus quem ipſa deperiret, reſpondit, Σὺ τόδ', οὐκ ἐμοῦ, κλύεις.

24. Λαβὼν ὕδωρ ἀπενίψατο τὰς χεῖρας ἀπέναντι τοῦ ὄχλου] Hujus conſuetudinis apud Græcos vel Romanos nullum reperio veſtigium: Itaque puto Pilatum inter Judæos verſantem eorum inſtituta & conſuetudinem in hac parte eſſe imitatum. Nam quod afferunt docti viri ex Sophoclis interprete, id huic loco non convenit. Illi enim lavabant manus ut ſcelus à ſe patratum quoquo modo expiarent; Pilatus, ut innocentiam ſuam teſtatam faciat.

26. Τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας παρέδωκεν] Simili ratione Gamaliel flagellat Apoſtolos, Act. 5. 40.

45. Σκότος ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν] Annotant Homeri interpretes vocem πᾶς interdum apud bonos auctores περίλευκον, ἀλλ' οὐ μέλαιναν ἢ ἀδυώπην· quod huic loco convenit. Aſſentior enim iis qui ſic hunc locum & Marci ſimilem 15. 33. interpretantur.

57. Ἦλθεν ἄνθρωπος πλούσιος ἀπὸ Ἀρμαθαίας] Non, ἦλθεν ἀπὸ Ἀρμαθαίας, ut quidam conſtruunt; ſed, ἦλθεν ἄνθρωπος ἀπὸ Ἀρμαθαίας ὤν, ut ex Marco liquet.

GUALTPERIUS.

6. Εἰς τὸν κορβανᾶν] Κορβανᾶν *Corbanan* Gottes kaſten, Luth. In Syro eſt קרבנא *Kurbana:* quæ vox Dialecti eſt Syriacæ. Significat autem קרבן KURBAN, & קרבנא KURBANA, *oblationem*, munus; in plur. קרבנין CURBANIN, *Oblationes*; ex Radice קרב *acceſſit*, item *obtulit.* Hebr. קרבן *oblatio.* Levit. 1. 2. Num. 31. 50. Lingua Æthiopica קרבן vocant Euchariſtiam, quod ſit oblationum omnium perfectiſſima atque ſanctiſſima. Marci 12. 41. *Corbanan* in Græco exponitur γαζοφυλάκιον *gazophylacium*; in paraphraſi Syriaca בית גזא BETHGAZA, *domus gazæ* vel *theſauri*; uti & Lucæ 21. 1. Eſt autem & ipſa vox γάζα peregrina, nempe Perſica, quæ, teſte Heſychio, ſignificat τὸ βασίλειον, ſeu σὺν ᾧ τὴν οἰκείαν φερομένης φέρεις, aut τὰ τίμια, i. *Regium, cum ſupellectile & inſtrumento ſuo; tributa & reditus*; aut *res pretioſas.* Idem exponit γάζαν, τὸν πλοῦτον, i. *opes, divitias.* Suidas, Θησαυρὸν *theſaurum*, i. ſupellectilem & opes pretioſiores, quas recondimus. Inde γαζοφύλαξ *cuſtos gazæ* ſeu *theſauri.* Nonnus dixit etiam χῶρον γαζοφύλαξ, *Locum in quo cuſtoditur gaza:* Suidæ eſt θησαυροφυλάκιον, quod pure Græcum eſt. Apud Athenienſes *Gazophylacium* erat locus ubi ſervabatur annona & frumentum, ut annotavit Poſtellus cap. 17. De magiſt. Athenienſium. Vide plura infra apud Marc. 7. 11.

26. Φραγελλώσας] Φραγέλλιον cum voce Latina coincidit, *Flagellum*, licuti habetur Joan. 2. 15. καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων, *factoque flagello è funiculis.* Syr. פרגלא vel פרגולא *pargela.* Vitioſa ſunt hic exemplaria nonnulla, quæ legunt φλαγελλώσας pro φραγελλώσας. Alias reperitur & φραγγέλιον pro φραγέλλιον. Inde φραγελλῶ vel φραγγελῶ, *flagello*, &c.

27. Πραιτώριον *prætorium*] Hanc vocem plane Latinam eſſe dubitare nemo poteſt. Syr. לפרטרין *Lapretarin.* Conſimiles multas alias paſſim eſt reperire, præſertim vero apud Suidam. Syrus eandem vocem Latinam retinet.

28. Χλαμύδα] Χλαμὺς *chlamys.* Syrus eandem vocem retinet כלמס *chlamus*, i. *pallium.* Eſt autem vox origine Græca, ex verbo χλαίνω *modice calefacio:* unde χλαῖνα, quæ idem ſignificat quod χλαμὺς. Genus eſt veſtimenti quod veſtibus cæteris ſuperindui ſolebat, hyeme potiſſimum, ut frigus à corpore arceret. Erat enim duplicatum. Ejuſmodi ſunt qualia equitantes cæteris veſtimentis ſuperinduunt, Ein Reitrock. Servius *togam duplicem*, Nonius *veſtimentum militare* vocat, quod ſupra omnia veſtimenta ſumitur. Æſchylo λιπὴ χλαῖνα vocatur χιμαιρώνα, i. *frigoris hyberni propulſatrix.* Pollux ſcribit Atticos τὸ λεπτὸν nuncupare χλαῖναν, τὸ ἱππικὸν vero χλαμύδα. Eſt ergo ἀβελτολαιον quod χειρὶ ſuperindui ſolet; *veſtis virilis*, ſecundum Pollucem. Apud Herodianum lib. 7. Gordiano ſeni, quem Imperatorem creant, *chlamydem purpuream* circumponunt. Et apud eundem de Macrino, *abjecta chlamyde regia*, ſeu *imperatorio paludamento.* Pollux χλαμύδας fuiſſe alias ait ὁλοπόρφυρος *totas albas*, alias ἀβελτοφόρους. Tales ſunt

chla-

chlamydes *purpura prætexta*, ſeu *qua purpureum habent limbum*, ut apud Virgilium 4. Eneid. *Dido*

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Manicis hanc carere quidam ſcribunt. ¶ Κοκκίνλον] Κόκκος generaliter *granum* ſignificat. Gorr. κόκκον βαφικὸν, *i. granum tinctorium, tradit eſſe, Ilicem aquifoliam ſolo Cocco omnes roboris dotes provocantem; tributique ei colorem rubeum, qualis in roſa micat, Imperatoria tantum paludamentis olim dicatum*, Scharlach! *à Gallis* Scarlatum, *à Narbonenſibus* Vermilonum, *&c.* H. Steph. *Inde* κοκκίνη χλαμὺς *Coccina chlamys, & κόκκον χλῶν apud Plutarch. in Fab. quem ſuper Imperatoris tentorio extendi ſolitum ſcribit cum hoſti pugna ſignum dare volebant*, Idem. Syrus habet vocem זחורית ZACHURITHA, *Coccinum*, Carmeſinfarb! quæ & זהרית ZEHARETHA, Carmeſin! *color Carmeſinus, Coccinum, Vermiculus*, Guido in Lex. Ludibrio autem ut haberent Salvatorem, profana cohors militum hac veſte Chriſtum induit, quippe qui Rex haberetur.

33. Καὶ ἐλθόντες εἰς τόπον λεγόμενον Γολγοθᾶ, ὅ ἐστι λεγόμενον Κρανίου τόπος] Γολγοθᾶ *Golgotha*. Vox Syrorum eſt nonnihil in Græco inflexa. Sonat enim apud Syrum paraphraſten גגלתא *Gagultha*, vel *Gogultho*. Fabricius in Radice גלל *volvit, revolvit*, per duplicationem literæ ל vocem גלגל *Galgal* dicit ſignificare *rotam qualis eſt in curru*, item *circulum* ſeu *ſphæram*, & *orbes cœlorum*, & *pupillam oculi*. Inde גולגלתא GULGALTHA *Cranium capitis, Calvaria*, propter rotunditatem ſeu figuram ſphæricam & orbicularem. Subjicit idem Guido, *Hebraice locus hic in quo Dominum & Redemptor noſter crucifixus eſt, dicitur* GOGULTHO. *Hebraice, ſcilicet, quia tum temporis lingua vulgaris Hebræorum erat Syriaca, ſicut Romanorum & Latinorum nunc eſt Etruſca ſive Italica. Cæterum vero Moſis & Hebræorum monumentis conſervata lingua locus ille vocaretur* גולגלת GOLGOLETH, *Capitis cranium, à rotunditate ſphærica dictum*, &c. Utraque forma in Scripturis Divinis habetur, גלגלת *Gylgoleth*, & גלגלת *Gylgeleth*, Exo. 16. 16. *Gomer pro cranio*, i. homine. Et Num. 1. 2. Germanice per affinitatem hujus vocis *Calvaria locum* appellant Gulgen.

34. Ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον, *Dederunt ei acetum bibendum cum felle mixtum*] Tremell. *mixtum cum abſinthio.* Eſt autem apud Syrum במרירתא ex Rad. מרר *amareſcere*, ex quo אמרר *amaritudine affecit, amaricavit*; & geminata radicali מסמר *mœrore afficere*; מרד *amarum*: מרורתא *Fel, abſinthium.* Unde idem Tremellius, *Vox eadem utrumque ſignificat*, inquit, *propter inſignem in utroque amaritudinem. Et commemorat R. D. Kimhi in lib. Radic. ſolitos fuiſſe Judæos iis qui morti eſſent adjudicati potionem præbere ex ſucco abſinthii, acceleranda mortis cauſa.*

Nota: In verſu 35. *pars poſterior, ſc.* UT IMPLERETUR, *&c. non habetur.*

45. *Tenebræ factæ ſunt ſupra univerſam regionem*] Intellige, *Judæorum.* Si enim univerſum terrarum orbem occupaſſent illæ tenebræ, proculdubio hujus prodigii meminiſſent rerum geſtarum ſcriptores.

46. Περὶ δὲ τὴν ἐνάτην ἀνεβόησεν ὁ Ἰησοῦς φωνῇ μεγάλῃ, λέγων, Ἠλὶ, Ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθανί; Et v. 47. Ἠλίαν φωνεῖ οὗτος, *Eliam vocat iſte.* Et v. 49. *Sine, videamus ei* ἐρχεται Ἠλίας σώσων αὐτὸν, *an veniat Elias ſervaturus eum*] In Syro eſt, אילי אילי למנא שבקתני *Il, Il, lamano ſchebackthoni.* Guido Fabr. in præfat. Teſtamenti Syriaci, *Quis*, inquit, *dixerunt neſcit hæc poſtrema Servatoris verba magna voce ab eo in cruce prolata, eſſe Hebraica omnia præter* σαβαχθανὶ *tantum, quod Syriacum eſt, pro quo ſcripſerat Regius Vates ſuo eloquio, Pſal.* 22. אלי אלי למה עזבתני ELI, ELI, LAMAH ASABHTANI? *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Unde factum eſt ut rudis & imperita multitudo, qua linguam arcanam non intelligebat, putaverit eum vocaſſe Eliam, cujus nomen Hebraice pronunciatur* אליהו *Elijahu*, Syre vero אלישע *Ilijo.* Beza dicit, *Ad nomen* ELI *alludunt, non ex ignoratione linguæ, ſed ex profana petulantia.* Illa autem verba ideo recitavit Euangeliſta ut iſta amariſſima paranomaſia intelligeretur. Ad Radices quod attinet, Syrus idem eſt שבק *Schebach* quod Hebræis עזב *azabh*, i. *reliquit, dereliquit, deſeruit.*

48. *Unus ex eis accurrens*, λαβὼν σπόγγον, *cum accepiſſet ſpongiam, eamque aceto impleviſſet, impoſuit arundini*] In Syro eſt ושקל אספונא VASCKAL ESPUGA, *& accepit ſpongiam.* Σπογγία, ας, ὁ, Attice σπογγιὰ, *ſpongia.* Diminut. σπογγίον *ſpongiola.* Unde σπογγίζω & ἐκσπογγίζω *ſpongia tergo, detergo, abſtergo.* Et σπογγοθῆραι ἢ σπογγοληπτοῦντες, *qui ſpongias venantur*, ſeu *qui ſubit aquas ut ſpongias petris adhærentes avellat & extrahat.* Idem & σπογγοτμητὴς dicitur Ariſt. hiſt. anim. l. 5. c. 16. Plinius l. 9 c. 45. *avulſorem* vocat, addens, *Intellectum iis meſſe* (ſcilicet νόημα puta, i. *ſenſum*) *apparet, quia ubi avulſorem ſenſere, contracta multo diſcitius abſtrahuntur: hoc idem fluctu pulſante faciunt.* Syris ספונא *Eſpuga* dicitur & ספג ex Radice ספג *plaudere*, item *inſtar ſpongiæ fugere & tergere.*

59. Σινδόνι καθαρᾷ] Σινδὼν, όνος, ἡ, *Sindon, linteum tenue & ſubtile.* Exiſtimatur autem dicta *Sindon* quod primum in Sidone urbe fieri cœperit. Vocatur à Martiale *Tyria*, propter vicinitatem urbium Sidonis & Tyri. Syrus habet vocem חיצא *Chajaza*, i. *linteum*, ut etiam apud Lucam 23. 53.

62. Τῇ δὲ ἐπαύριον, ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευήν, *Poſtera autem die, quæ ſequitur Paraſcenen.* Syrus, *Die vero craſtina, quæ eſt poſt Paraſcenen*, i. poſtera.

62. Παρασκευὴν *Paraſceue.* Vox Græca ſatis nota, ſignificans *apparatum, præparationem:* ex verbo παρασκευάζω *apparo, præparo.* Syris dicitur ערובתא ARUBETHA, *paraſceue, veſpera præcedens Sabbathum.*

65. Ἔχετε κουστωδίαν, *Habetis cuſtodiam*] Seu, ut Syrus, *Sunt vobis cuſtodes.* Κουστωδία *cuſtodia*, vox Latina, ut norunt omnes. Apud Syrum habetur vox קסטונרא KESTUNARA; *Satelles, ſpeculator, cuſtos*; quaſi à Latino *Cuſtodia.*

LUD. CAPPELLUS.

25. *Sanguis ejus ſit ſuper nos, &c.*] *Sanguis* Hebraice paſſim pro *cæde* ſumitur, ut Hoſ. 4. 2. דמים בדמים נגעו *cædes cædem tangit.* Hinc pro *reatu homicidii* uſurpatur, ut Exo. 22, 2, 3. אין לו דמים *non eſt reus homicidii ubi ſuppliendum* דין *cauſa.* Sic & Num. 35. 27. Item pro *pœna quam meretur homicidium*, quia reatus eſt obligatio ad pœnam. Hinc phraſes illæ איש דמים *vir ſanguinum*, h. e. homicida, Pſal. 5. 6. & 2 Sam. 16. 7. Item, *venire in ſanguines*, h. e. cædem patrare, 1 Sam. 25. 26. Abigail ſic Davidem alloquitur, *Dominus vivit qui prohibuit te* כבוא בדמים *ne cædem patraret*, vel ne te homicidii reatu obſtringeres. Item, *eſſe ſanguines alicui*, pro, eum eſſe homicidii reum, locis modo citatis Exo. 22. 2, 3. & Numer. 35. 27. Item *Sanguinem eſſe ſuper aliquem*, h. e. eum eſſe reum homicidii, Deut. 19. 10. Et, *ponere ſanguines in ſua domo*, h. e. domum ſeu familiam ſuam cædis reatu involvere atque obſtringere, Deut. 22. 8. Item, *Sanguis ejus ſit ſuper caput ejus*, h. e. Solus ipſe ſit reus mortis ſuæ, Joſ. 2. 19. Et, *Sanguis tuus ſit ſuper caput tuum*, h. e. Tu ſolus eſto reus mortis tuæ; Tibi, non mihi, imputa quod moreris, 2 Sam. 1. 16. Ergo contra, *Sanguis ejus ſit ſuper nos & liberos noſtros*, h. e. Si quod ſit peccatum in ejus morte, illud nobis & poſteris noſtris imputetur, nos & liberos noſtros volumus eſſe cædis illius reos, pœnamque illius à nobis & poſteris noſtris, repoſci à Deo. Similis exſtat phraſis Joſ. 2. 19. ubi exploratores Rahabam ſic alloquuntur, *Quicunque egreſſus fuerit de porta domus tuæ*, דמו בראשו *ſanguis ejus ſit ſuper caput ejus, nos vero erimus inſontes*, h. e. tibi non nobis imputet ſi interficiatur: *quicunque autem fuerit tecum domi tuæ*, ודמו בראשנו *ſanguis ejus ſit ſuper caput noſtrum ſiquis eum læſerit*, h. e. nos volumus eſſe rei cædis ipſius ſi forte interficiatur.

GROTIUS.

1. Συμβούλιον ἔλαβον, *conſilium inierunt*] Tantillo temporis ſpatio diſceſſiſſe tot Senatores, iterumque ex tot urbis regionibus convenſſe, neque credibile eſt, & ſine cauſa fingitur. Senſus eſt, poſt auditum Jeſum ſeorſim Senatores inter ſe deliberaſſe quid eſſet faciendum. Ita συμβούλιον ἔλαβον & alibi ſumitur ut *captum conſilium* ſignificet, ſupra XII, 14. XXII, 15. Sed de hac re ad Lucam plenius. ¶ ὅπως ἀποκτείνωσιν αὐτὸν· *ut eum morti darent*] Non per inſidias, quod infame; nec per tumultum, quod periculoſum: ſed publico judicio; quod fieri non poterat niſi per Romanum Præſidem. Quare tota deliberatio in eo vertebatur, quomodo Præſidi id perſuaderetur.

2. δήσαντες, *cum vinxiſſent*] Id eſt, δεδεμένον [*vinctum*]. Ita ſolent ἀόριστοι [*indefinita*] ſignificare etiam id quod ante contigerat. Nam vinctus erat Chriſtus ſtatim poſt prehenſionem, ut ex Johanne diſcimus. Vide quæ ad Marci XVI, 1. ¶ παρέδωκαν, *tradiderunt*] Ut moris illis erat ſi quem prehendiſſent capitaliter noxium.

noxium. Ita solebant in Provinciis Irenarchæ quos apprehenderant interrogare, deinde cum interrogationibus ad Præsidem mittere, L. *Divus Hadrianus*, Digestis de custodia & exhibitione reorum. Hieronymus de Judæis, *Habebant hunc morem, ut quem adjudicassent morti, ligatum Iudici traderent.* ¶ τῷ ἡγεμόνι. *Præsidi*] Sic & Josephus: Πιλάτου ὁ τῆς Ἰουδαίας ἡγεμών [*Pilatus vero Judææ Præses*]. Bene vertit Latinus Interpres *Præsidi*, quanquam Procuratorem fuisse Pontium satis constat vel ex Tacito & Philone, qui ἐπίτροπον vocat. Nam *Præsidis* nomen, quod ἡγεμόνα plerunque Græci vertunt, ut ait Macer citatus Lege prima Pandect.: De officio *Præsidis*, generale est, quo omnes Provincias regentes appellantur. Quanquam vero Procuratorum officium proprie erat τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικεῖν [*Imperatoris pecunias administrare*], ut Dio loquitur, usurpatum tamen in minoribus Provinciis ut etiam extra fisci causas jus dicerent, atque etiam gladio animadverterent. Tales Procuratores dicuntur *vice Præsidis fungi*, Lege 11 C. De pœnis, & L. 1v C. Ad Legem Fabiam De plagiariis; & apud Ulpianum lib. 1x De officio Proconsulis, ut citatur in veteri collatione legum Mosaïcarum cum Romanis: *partibus Præsidis fungi* L. Ex consensu, § *Cum Procurator*, D. De Appellationibus. Ideo Josephus de talibus agens Procuratoribus addit τὴν ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίαν [*cum potestate rerum omnium*], aut μέχρι καὶ κτείνειν λαβὼν ἐξουσίαν [*etiam vita ac necis accepto jure*].

3. ὅτι κατεκρίθη, *quod damnatus esset*] Omnino referendum hoc ad Synedrii prædamnationem de qua supra xxvi, 66. quam Judas accipiebat ut secuturæ mortis indicium. Raro enim elabi solebant tali præjudicio confossi. ¶ μεταμεληθείς, *pœnitentia ductus*] Non video observari discrimen quod à multis traditur μεταμέλειαν & μετάνοιαν. Nam & οἱ ἔξω [*Scriptores profani*] ista permutant, & nostri itidem Scriptores, ut ecce Hebr. xii, 17. μετάνοια est id quod μεταμέλειαν dici volunt, *contractus animi pœnitentia*, ut Jurisconsulti etiam loquuntur; contra μεταμεληθεὶς supra xxi, 29. is dicitur qui mentem meliorem recepit. Et Clemens Alexandrinus duplicem esse ait τρόπον μετανοίας, τὸ μὲν κοινότερον, φόβου ἐπὶ τοῖς κεκριμένοις, τὸ δὲ ἰδιώτερον καὶ δυσκρασίαν καὶ στάσιν ἑαυτῷ τῆς ψυχῆς ἐκ συνειδήσεως [*pœnitendi modum, alterum vulgarem, qui motus est ob res actas; alterum rariorem, qui est animæ apud seipsam ex conscientia pudor*]. Neque tamen vocabuli ambiguitas iis favere censenda est qui de Juda misericordius quam par est pronuntiant. Aliud enim suadet & Petri oratio in Actis, & destricta Christi verba υἱὸν ἀπωλείας [*filium perditionis*] appellantis, addentisque *melius ei futurum fuisse si natus omnino non esset.* Ex circumstantiis igitur historiæ magis quam ex sola vocis proprietate eum mœrorem hic intelligere debemus cui non adfuerit vera animi emendatio, idque tum ipsius culpa, tum Dei obdurantis judicio. Neque interim improbo quod adversus Celsum secundo notat Origenes, Tantam vim fuisse documentorum Christi ut etiam deploratæ malitiæ homini pudorem quendam peccandi & ex peccato cruciatum gravem inciderint.

4. αἷμα ἀθῷον. *sanguinem justum*] Αἷμα [*sanguis*] Hellenistis mortem quamvis violentam significat, ut & infra commate 6. Hic μετωνυμικῶς [*per transnominationem*] ipsum eum qui morti destinatur. ¶ σὺ ὄψῃ. *tu videris*] Sic infra commate 24. ὑμεῖς ὄψεσθε [*vos videritis*]. Est autem loquendi genus ex Latino sermone desumtum. Nam Romani curam rei alicujus à se in alium rejicientes ajunt, *Tu videris*: quod Græci dicerent, Σοὶ μελέτω [*tibi id curæ sit*]. Quare mirum non est haud satis recte acceptam à Syro vim hujus locutionis. Ad modum Caïni loquuntur vera progenies Caïni.

5. ἐν τῷ ναῷ, *in Templo*] In ea parte Templi in qua considebat Synedrium, qui locus vocabatur לשכת הגזית [*Exedra casi lapidis*]. ¶ ἀπήγξατο. *suffocatus est*] Est quidem Græcis ἀπάγξασθαι *suspendio sibi vitam adimere*, ut

—— ἀπάγξασθαί με πείσεις,
[—— *facies me pensilis ut sim,*]

apud Theocritum. Sed difficulter id conciliatur cum Petri narratione Actorum 1. ubi aliud mortis genus Judæ tribuitur, effusis scilicet intestinis, cum pronus in faciem corruisset. Notum satis est quæ sint excogitata ut ista inter se conciliarentur. Neque satis se expediunt qui laqueo fracto corruisse Judam volunt. Videtur enim Petrus omnino casui inopinato, quem Divina providentia direxerit, non Judæ ipsius facto exitii causam adscribere. Nisi illis malumus accedere qui Judam putant se jecisse præcipitem; ut ἐλάκησε sit *dissiluit*, quod evenire solet ex tali jactu. Videamus igitur an hoc loco Matthæus non agat de morte Judæ, ut quæ serius contigerit & forte post resurrectionem, ut multorum fert conjectura; sed de gravissimo exulceratæ conscientiæ tormento. Nam compressionem spiritus è mœrore summo hac voce indicari vel unus Tobiæ liber nos doceat, ubi de Sara dicitur 111, 12. ἐλυπήθη ἕως θανάτου καὶ ἀπήγξασθαι [*tristata est valde ut suffocaretur*]. Et de Achitophele, in quem quæ dicta sunt à Davide in Judam apprime congruunt, & de quo similiter legimus ἀπήγξατο [*suffocatus est*], ubi in Hebræo est ויחנק, quod verbum & Syrus & Arabs hic usurpant, sentiunt Hebræorum non inerudite non laqueo sed mœstitia eum periisse. Sic Πολίαχος ἀπήγξατο [*Poliagrus mœrore se confecit*], apud Ælianum: τῇ συνειδότι ἀπάγχεσθαι [*conscientia strangulari*] apud Chrysostomum Homilia xxii. ad Antiochenos. Videri potest suspendii mortem Judæ adscribere Ignatius in Epistola ad Philippenses, ubi de Diabolo dicitur, μετάμελον ἐμβαλὼν τῷ προδότῃ ὃ βρόχον αὐτῷ δείκνυσι, ἄγχόνιον διδάσκει [*pœnitentiam proditori eam injicit quæ laqueum ei ostendit, suspendium docet*]. Sed qui eam epistolam cum judicio leget facile deprehendet dictionem & χαρακτῆρα & λόγου [*dicendi ductum*] floridiorem quam est Ignatii. Nimirum scripserat ad Philippenses Ignatius, ut Polycarpus meminit. Sed cum ea epistola non exstaret, alia suppositia est: quare nec Theodoretus nec Hieronymus nec Rufinus hanc agnoscunt.

6. τὸν κορβανᾶν. *in Corbonam*] Josephus ἁλώσεως [*Captivitatis*] 11. τὸ ἱερὸν ἀποθηκῶν· καλεῖται δὲ κορβανᾶς [*sacrum thesaurum; is autem Corbonas dicitur*]. Alibi γαζοφυλάκιον [*gazophylacium*] idem Josephus & Lucas appellant. Josephus etiam ἱερὰ χρήματα [*sacras pecunias*] & Θεοῦ θησαυρόν [*Dei Thesaurum*], atque in eo fuisse aliquando duo millia talentorum. ¶ ἐπεὶ τιμὴ αἵματός ἐστι. *quia pretium sanguinis est*] Argumentum à ratione legis desumtum. Vetat Lex stupri pretium sacris inferri. At apud Hebræos, cultus idolorum, stuprum, cædes velut paria censentur. Damnant hic se impuri Pontifices cum in venditore id facinus execrantur cujus ipsi emtores erant. At certe *cui prodest scelus is fecit.*

7. τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, *agrum figuli*] Exigui pretii locum fuisse oportet qui triginta siclis argenteis non pluris licuerit. Quare ἀγρὸν κεραμέως hic intelligo eum cujus uber omne ad figlina opera exhaustum fuerit, ita ut nullus inde fructus sperari posset. ¶ εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις. *in sepulturam peregrinorum*] Non ἀλλοφύλοις [*alienigenis*], quorum cura minime tangebat Sacerdotes, sed Judæis qui ex longinquis regionibus Hierosolyma adventabant religionis ergo, ac morte occupati non habebant ubi sepelirentur, qui οἱ ἐπιδημοῦντες [*advenæ*] Actor. 11, 10. Credibile est & ante prospectum fuisse eorum sepulturæ. Sed ingens confluentium & subinde morientium multitudo plus loci deliderabat.

8. ἀγρὸς αἵματος, *ager sanguinis*] Dialecto Hierosolymitana חקל דמא [*Haceldama*] Act. 1, 19. Id nomen huic agro datum Deus voluit quo celebrior esset rei memoria. In Petri oratione Judas hunc agrum acquisivisse dicitur, non tanquam rem suam, sed tanquam æternum infamiæ monumentum. Dicebat enim populus præteriens, hic est ager ille emtus ex pecunia pro qua Judas Magistrum suum vendidit.

9. διὰ Ἱερεμίου, *per Jeremiam*] Pro certo haberi debet multa apud Judæos Vatum veterum oracula conservata fuisse non scripto sed memoria, quanquam postea qui à parentibus acceperant ea privatim annotarunt: unde factum est ut ea oracula in libris ab Esdra digestis non extarent. Ἐκπύρωσις [*Incendii*] universalis exspectatio, etiam Græcis celebrata, non potuit non ab aliquo vaticinio ortum habuisse; quod quidem vaticinium ipsi Adamo adscribere non veretur Josephus. Tale est & Enochi illud, Ἰδοὺ ἦλθε Κύριος ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ [*Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis*], & quæ sequuntur apud Judam 14, 15. Tale illud, Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπων οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν [*Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*], quod inter Eliæ dicta antiquitus celebrabatur. Talis & ille παλαιὸς λόγος ἀνδρῶν [*vetus hominum sermo*] Josepho memoratus, Ἔσθ' ὅτε τὴν πόλιν ἁλῶναι δεῖ καὶ καπνοφλεγῆναι τὸ ἅγιον πολέμου νόμῳ, στάσεως ἰὸν καταπολέμου, καὶ χεῖρες αἱμοῦν ἐπιχειρήσουσι τὸ ἅγιον Θεοῦ τέμενος [*Tunc fore ut Urbs capiatur & Templum belli lege incendatur, ubi seditio invaserit, & indigenarum manus polluerit sacratum Deo locum*]. Et illud λόγιον [*oraculum*] apud eundem, Ἁλῶναι δεῖ τὴν πόλιν καὶ τὸν ναὸν ἐπιδύντα τὸ ἱερὸν γλῶσσῃ πεπερασμένον [*Tunc fore ut capiatur Urbs & Templum, ubi Templum quadratam formam acceperit*]. Iam vero & illud sciendum est, veterum Prophetarum verbis uti solitos Prophetas posteriores. Ita Ezechiel multa habet verbotenus ex Jeremia desumta, ut apparet collatis locis Jerem. xxxi, 29, 30. Ezech. xviii, 2, 3, & alibi. Sic & in Apocalypsi Johannis multas ἐκ-

ιφτὰς [*ſectiones*] invenire eſt ex Ezechiele & Daniele. Et illud quod ex antiqua traditione, cujus Origenes meminit & poſt eum Hieronymus, ut Eliæ citavimus, ab Elia mutuatus eſt Eſaias LXIV, 4. Imprimis autem Zacharias amat imitari locutiones Jeremiæ. Quis enim non videt quod apud eum eſt I, 4. ſumtum ex Jerem. XVIII, 11. & XXXV, 15. quod eſt apud eum I, 6. ex Thren. Jerem. II, 17. quod eſt III, 8. ex Jeremiæ XXIII, 5. atque alia ejuſmodi. Quapropter dicere etiam ſolent Judæi *ſpiritum Jeremiæ fuiſſe in Zacharia*, atque adeo Jeremiam eundem eſſe & Zachariam. Quare non video quid obſtet quominus & dictum hoc de *triginta ſiclis* ab Jeremia primitus uſurpatum, hominumque memoria conſervatum, per Zachariam repeti Deus voluerit; quod tamen hic à Matthæo citetur primi auctoris nomine, quanquam in libris ab eo ſcriptis non exſtat. At Hieronymus oſtenſum ſibi aut à Nazarenæ ſectæ homine librum in quo id exſtaret ſub Jeremiæ nomine, qui liber privatam continuit annotationem famæ antiquitus traditæ per ora Hebræorum. Tales autem annotationes, quia publica auctoritate factæ non ſunt, merito vocantur ἀκανόνιςοι [*extra regulam poſitæ*]. neque tamen id obſtat quo minus in eis multa contineantur & vera & vetera. Sic idem Zacharias illud, *Increpet te Deus, ὁ Satan!* ſumſit ex antiqua traditione, quæ deinde perſcripta eſt in libro ἀποκρύφῳ [*abſcondito*] cui titulus Ἀνάληψις Μωσέως [*Aſſumtio Moſis*]. Quin & illud apud Epheſios, Ἔγειραι ὁ καθεύδων καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός [*Surge qui dormis, & exſurge è mortuis, & illuminabit te Chriſtus*], Græci notant deſumtum ἐκ τῶν Ἱερεμίου λεγομένων ἀποκρύφων [*ex Jeremiæ iis quæ Abſcondita dicuntur*]. Sicut & illud, Οὔτε περιτομή τί ἐστιν, ὅτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις [*neque circumciſio valet aliquid, neque præputium, ſed nova creatura*], antiquitus ſub Moſis nomine celebrabatur. Quod autem quidam exiſtimant ab audace librario adjectum nomen *Ieremiæ*, cum Matthæus Prophetam nominaſſet, probare nòn poſſum, quia video jam ab Origenis temporibus laboratum ut hic nodus ſolveretur; qui labor ſupervacuus fuerat ſiqua exemplaria caruiſſent nomine *Ieremiæ*. Multo credibilius eſt à Syro id nomen omiſſum, quia conſtabat in ſcriptis Jeremiæ iſtud non reperiri. At agnoſcit Arabs & Latinus & quicquid eſt veterum. Dictum autem hoc Jeremiæ, repertum à Zacharia, in eorum eſt genere quæ primitus res illorum temporum ſignificarent, ita tamen ut in Chriſti tempora etiam magis congruerent; quod Deus manifeſtum fecit ſingulari eventuum directione. Nam apud Zachariam ſenſus hic eſt primo intentus, qualem & apud Jeremiam fuiſſe credibile eſt; Deus ut ſua beneficia in populum Hebræum collata ingrate nimis accepta doceat, ait operæ in illos impenſæ mercedem à ſe poſtulatam; Aſſignatum autem ſibi à populo vile pretium, quo minima æſtimari ſolent mancipia, triginta ſiclos; Se vero illud pretium juſſiſſe projici in agrum aliquem in quem fragmenta fictilium projici ſolebant: Quo facto demonſtratum voluit omnem pompam ceremoniarum, qua impleta egregiam ſe beneficiis Divinis gratiam referre Hebræi exiſtimabant, cum abeſſet pius animus, indignam eſſe quæ à ſe acceptaretur. Hoc vero omne ſicut ad Jeremiæ & Zachariæ tempora pertinebat, ita multo magis congruebat Chriſti temporibus. Atque ideo factum eſt Divinæ providentiæ gubernatione, ut, quod ἀλληγορικῶς [*ſermone aliud innuente*] tunc erat dictum, Chriſti ætate, manente ſenſu illo καὶ ἀλληγορίαν [*ad aliud reſpiciente*] etiam ſecundum proprietatem verborum impleretur. Quod genus impletionis vaticiniorum in hac mortis Chriſti hiſtoria ſæpe occurret. Deus enim in Chriſto æſtimatus eſt à Pontificibus ſiclis triginta, cum tanti emtus eſt in Chriſtum proditor: atque ea pecunia vere in agrum figlinum non tam impenſa quam contemtim projecta eſt, facto quidem Pontificum, conſilio autem Divino: unde quod illi fecerunt, recte Deo dirigenti adſcribitur. ¶ Καὶ ἔλαβον, *Et acceperunt*] Ἔλαβον [*acceperunt*] & quod ſequitur ἔδωκαν [*dederunt*] ſumenda hic ſunt indefinite ſine ulla perſonæ aut numeri conſideratione. Factum enim notatur, non quis faciat. Apud Zachariam ipſi Zachariæ ut id faciat, atque eo modo ingratum populi animum teſtatum reddat, imperatur; Hic vero Deus curavit id ipſum per Pontifices fieri: quod oſtendit ſequens clauſula, καθὼς συνέταξέ μοι Κύριος [*ſicut conſtituit mihi Dominus*]. Sed per quemcunque fiat, eadem manet ſignificatio. Quare nihil peccavit Syrus qui hic primæ perſonæ verbis uſus eſt: quem ſi ſequi volumus erit illud ἔδωκαν [*dederunt*] mutandum in ἔδωκα [*dedi*]. ¶ τὰ τριάκοντα ἀργύρια, *triginta argenteos*] Supple νομίσματα [*nummos*], ut diximus ſupra. Lxx, Symmachus, Aquila, τριάκοντα ἀργυροῦς: ſupple σίκλους [*ſiclos*]. Vide quæ diximus ſupra. ¶ τὴν τιμὴν ἣν τετιμημένου, *pretium appretiati*] יקר מחיר apud Zachariam. יקר eſt τιμή, non tamen qua *pretium* ſed qua *honorem* ſignificat; ſed hæc ſolent inter ſe commutari. Legiſſe autem videtur Matthæi Interpres יְקָר; nam יָקָר eſt adjectivum, ſignificatque ἐντίμου, aut, ut hic effertur, τὸ τετιμημένον [*honoratum*], cum יְקָר ſit ſubſtantivum ſignificans *gloriam* aut *reverentiam*. Lxx vertunt Σκέψαι εἰ δοκιμόν ἐστιν [*Vide an probum ſit*], nimirum per illud σκέψαι [*vide*] oſtendentes dicti εἰρωνείαν [*illuſionem*]. Aquila ſatis ad verbum, ἐντεμοῦς ἢ τιμή, *egregium vero pretium*. ¶ Ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ· *quem appretiaverunt a filiis Iſrael*] Matthæi Interpres quod ſequitur מעם retulit ad τὸ τετιμημένον [*honoratum*], quomodo acceptum ab eo מיקר jam diximus: Aquila ad τὴν τιμήν [*pretium*]: ideo ὃν ἐτιμήθην ἀπ' αὐτῶν [*quo æſtimatus ſum ab illis*] tranſtulit. Lxx pro *quomodo* ſumunt, ὃν τρόπον ἐδοκιμάσθην ἀπ' αὐτῶν [*quomodo honoratus ſum ab illis*]. Nam δοκιμάζειν omnino illi pro τιμᾶν [*honorare*] poſuerunt; ut Plato, cum dicit παρὰ ἀνθρώπων δοκιμάζεσθαι [*ab hominibus honorari*]. Ἐτιμήσαντο [*appretiaverunt*] hic poſitum eſt pro eo quod apud Prophetam ἐτιμήθην [*appretiatus ſum*], recte: quia ibi Deus loquitur, hic res narratur. Ἀπὸ υἱῶν recte exponitur ἐξ υἱῶν [*ex filiis*]. nam iſtæ præpoſitiones ſunt ἰσοδυναμοῦσαι [*idem pollentes*]: ita infra commate 21 dicitur τίνα ἀπὸ τῶν δύο [*utrum ex duobus*]. Sed hic eſt ἔλλειψις [*defectus*] vocis τινὸς [*aliqui*]. Similem notare eſt ſupra XXIII, 34. Marci VI, 43. Luc. XI, 44. XXI, 16. Act. XXI, 16. Sic & Abydenus in hiſtoria de Siſithro, quo nomine Noam appellat, μετὰ τῶν ὀρνίθων [*miſit avium*] id eſt, τινὰς τῶν ὀρνίθων [*aliquas avium*]. Johannis XVI, 17. εἶπον οὖν ἐκ τῶν μαθητῶν [*dixerunt igitur ex Diſcipulis*], id eſt, τινὲς ἐκ τῶν μαθητῶν [*quidam ex Diſcipulis*]. Tale eſt & illud ſupra αἴρει ἀπὸ ἱματίου [*tollit à veſtimento*], id eſt, τι ἀπὸ ἱματίου [*aliquid à veſtimento*], IX, 16.

10. εἰς ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, *in agrum figuli*] שדה יוצר, *ad figulum*. Videtur ignobilis fuiſſe locus ita vulgo appellatus, ſimili figura ut cum dicitur,

Iam proximus ardet
Ucalegon.

Neque longe à Templo hunc agrum, cujus Zacharias meminit, fuiſſe indicio eſt id quod additur בית יהוה [*in domum Domini*], quod an & in Jeremiæ dicto fuerit dubitari poteſt. Forte ex eo agro ſumi ſolebat humus ad fictilia Templi, ut idem ſit locus qui שער החרסית [*Porta fictilium*] Jerem. XIX, 2. nimirum poſito pro ש, quod non caret exemplo. Nam quod יוצר Kimchi interpretatur τὸν γαζοφύλακα [*Præfectum ærarii*] ſine exemplo eſt: ubicunque enim reperitur *figulum* ſignificat, & proinde κεραμεῖα vertunt Lxx Eſaiæ XLI, 25. Thren. IV, 2. Aquila hoc loco βλῆσον αὐτὰ πρὸς τὸ χωνευτήριον [*projice illa ad fictorem*]. Apud Lxx videtur χωνευτήριον [*conflatorium*] dictum καταχρηστικῶς [*per abuſionem*] pro eo quod dicendum erat κεραμεῖον [*figlinam*]. cujuſmodi abuſiones paſſim apud eos reperire eſt. ¶ καθὰ συνέταξέ μοι Κύριος, *ſicut conſtituit mihi Dominus*] Hoc ex ſuperioribus Prophetæ verbis non fruſtra hic additum, ut intelligantur hæc omnia Divini conſilii diſpenſatione accidiſſe. Cum autem hoc dictum Jeremiæ per Zachariam repetitum hic recitat Matthæus, ſimul oſtendit tacite eas pœnas imminere Judæis quas eidem Prophetæ olim ſui temporis hominibus prædixerant; Forè enim ut populus ille à Deo fallidicus, & extra ejus tutelam poſitus, inteſtinis diſcordiis agitaretur.

11. Σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; *Tu es Rex Judæorum?*] Nam cum hoc elogio Pontifices Jeſum Pilato tradiderant, quia hoc crimen affectati Regni maxime putabant valiturum ut Pilatus Jeſum morti addiceret; ſemet interim capitis damnantes, ut qui Meſſiam Regem Regni adſpectabilis, & everſorem Romanæ dominationis, avidiſſime exſpectarent. ¶ Σὺ λέγεις. *Tu dicis*] Hæc eſt *præclara* illa *confeſſio* cujus meminit Paulus 1 Tim. VI, 13. Cum vero Jeſus hic Regem ſe fateatur, negari mihi videtur non poſſe *Regnum* ejus aliquo modo inchoatum eſſe cum veritatem cœpit docere: nam ita ipſe apud Johannem Regnum interpretatur. Neque obſtat quod paſſim Regni ejus initium duci videtur ab evectione in cœlum: id enim de plena Regni poſſeſſione intelligendum eſt. Et ſane videri poteſt David etiam hac in re imaginem Jeſu geſſiſſe. Nam & is primum in Regem unctus eſt, poſt id, Regni portione aliqua accepta, mox jus Regni in ſolidum accepit, II Sam. II, & V. Certe poteſtas remittendi peccata, quam Jeſus vitam mortalem agens exercuit, ad Regnum pertinebat, ut & liberrima illa miraculorum pro arbitrio diſpenſandorum poteſtas.

12. καὶ ἐν τῷ κατηγορεῖσθαι αὐτὸν, *Et cum accuſaretur*] Hæc erat ſecunda & intentior accuſatio, cum vidiſſent Pontifices Pilatum priori criminatione non multum moveri, ut ex Luca diſcimus. Hæc ipſo coram facta, more Romano, Actor. XXV, 16.

¶ *οὐδὲν ἀπεκρίνατο. nihil reſpondit*] Cauſa ſilentii, præter deliberatam mortis patientiam, hæc erat, quod apud religioſum Judicem accuſatio iſta ſua ſponte evaneſceret. Nam *in criminibus Majeſtatis*, ut Modeſtinus inquit, *perſona ſpectanda eſt an potuerit facere*: Jeſum autem, plebejæ ſortis hominem, nullas habentem armatorum copias, præſidia nulla, res ipſa ſatis ab hac ſuſpicione liberabat. Quod ſi Pilatus, ut factum eſt, vellet ſuam religionem Judæis gratificari, ſupervacua erat omnis defenſio. Vide quæ dicta ſunt ſupra XXVI, 63. Et confer illud Eſaiæ נא יפתח פיו [*& non aperuit os ſuum*] LIII, 7.

13. *πόσα ζου κατα μαρτυρῶσι; quanta adverſum te dicunt teſtimonia?*] Multa quidem adferebant, ſed partim ea quorum fidem implere non poterant, ut de non ſolvendis tributis; partim nihil pertinentia ad Majeſtatem, ut de doctrina ſparſa per omnem Judæam. Neutra refutationis egebant.

14. *ὥστε θαυμάζειν τὸν ἡγεμόνα λίαν. ita ut miraretur Præſes vehementer*] Confer Eſaiam XLIX, 7. Cogitabat forte Terentianum illud,

An quiſquam judex eſt qui poſſit noſcere
Tua juſta, ubi tuæ verbum non reſpondeas?

At profecto in criminum cauſis non modo tacentes, niſi convicti certiſſimis teſtimoniis, damnari non poſſunt, ſed ne confeſſio quidem perire volentium admittenda eſt.

15. *κατὰ δὲ ἑορτὴν, feſto autem tempore*] Τὸ πάσχα [*Paſchate*], ut ait Johannes. Nam ea eminenter ἑορτὴ dicebatur, ut ſupra XXVI, 2, 5. & Johann. IV, 45. collato loco ejuſdem libri II, 13. Joſephus, τὸ πάσχα προσαγορευόμενον ἑορτῆς [*feſtis temporis quod Paſcha dicitur*]· alibi, ἄζυμων ἑορτὴ Φάσκα [*Azymorum feſtum tempus Paſcha*]· rurſum alibi, ἑορτὴ καλουμένη Φάσκα [*feſtum tempus vocatum Phaſca*]· quomodo & Lucas ἐν τῷ πάσχα ἐν τῇ ἑορτῇ [*in Paſchate in tempore feſto*]· quibus in locis Paſcha συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] vocatur totum tempus Azymorum. Veterem hunc morem fuiſſe non credo. Nam Lex Moſis erat χωρὶς οἰκτιρμῶν [*ſine ulla miſeratione*], ut ait Scriptor ad Hebræos X, 28. ὁ νόμος τὸ ἀσύγγνωστον ἔχει [*Lex ignoſcere neſcit*], inquit Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos. Nec cuiquam homini data ignoſcendi poteſtas, non Regi, non Synedrio, non populo univerſo. Nam Jonathan, cujus pœnam populus deprecabatur, aut contra æquum ad pœnam poſcebatur à patre, aut certe non ex Lege Moſis, ſed ex novo edicto Regio: nam in Legem nihil peccaverat. David Abſalomo veniam dare auſus non eſt, donec forte propoſitum paterno affectui, Jaobo annitente, ſuccubuit. Jaobo quoque homicidii pœna dilata, non donata eſt. Ipſi Synedrio Sameas exitium vaticinatus eſt quod Herodem accuſatum non condemnaſſet. Quare credibile eſt à Romanis hoc eſſe. Nam in Livii hiſtoria in venimus *lectiſternii* indicti *diebus vinctis demta vincula; religioni deinde fuiſſe quibus eam operam dii tuliſſent vinciri*. Ad hoc exemplum putem ab Auguſto hanc gratiam conceſſam populo Judaico; Idque mandatis Procuratorum fuiſſe comprehenſum. Nam alioqui Præſides Romani nullam habebant ignoſcendi libertatem, ut Leges nos docent. Sic Chriſtiani Imperatores Valentinianus, Theodoſius & Arcadius, generali lege Judicibus mandarunt ut primo die Paſchali omnium in carcere clauſorum, niſi ob certa crimina quæ Lex enumerat, vincula diſſolverentur.

16. Εἶχον, *Habebant*] Imperſonaliter dictum; quod genus loquendi ſæpe jam annotavimus. *Habebant vinctum quendam*, id eſt, *quidam vinctus habebatur*. ¶ ἐπίσημον, *inſignem*] *Famoſum*; ut qui inter capita fuiſſet ſeditionis ad cædem uſque progreſſæ. Quare λῃστὴς apud Johannem ſignificat φονέα [*homicidam*] quo nomine hunc Barrabam Petrus appellat Actorum III, 14. Sed & Joſephus ſeditionum principes λῃστὰς appellat, ut & σικαρίους [*ſicarios*], quia ſcilicet arma habebant publico injuſſu. Lege Cornelia de Sicariis teneri eum qui auctor ſeditionis fuerit ait Marcianus L. *Ejuſdem*, D. Ad Legem Corneliam. Sic συναγωγὴ vox ſumitur & Actorum XXI, 38.

17. Συνηγμένων οὖν αὐτῶν, *Congregatis ergo illis*] Synedrio ſcilicet coacto, adſtante populo. ita colligimus ex Luca XXIII, 13. & ex eo quod infra ſequitur 20. Solitum id fieri ex Joſepho apparet, apud quem ad Flori tribunal accedunt οἵ τε ἀρχιερεῖς καὶ δυνατοὶ, τό τε γνωριμώτατον τῆς πόλεως πᾶν [*primi Sacerdotum & Magiſtratus, & quicquid in urbe conſpicuum erat*]. ¶ λεγόμενον Χριστὸν; *qui dicitur Chriſtus?*] Χριστὸν hic non ponitur vice cognominis: nondum enim ita increbuerat id vocabulum ut Jeſus eo velut proprio vocaretur. Sed λεγόμενον Χριστὸν ſignificat eum qui à multis credebatur eſſe promiſſus Meſſias. Vide Johan. IX, 22. Marcus hic pro eodem dixit ὃν λέγετε βασιλέα τῶν Ἰουδαίων [*quem dicitis Regem Judæorum*].

18. Ἤδει γὰρ, *Sciebat enim*] Tum ex antegreſſa fama, tum ex ipſius Jeſu modeſtia, & quod nulla in eum crimina adferrentur. ¶ ὅτι διὰ φθόνον παρέδωκαν αὐτόν. *quod per invidiam tradidiſſent eum*] Ut olim fratres Joſephum.

19. ἐπὶ τοῦ βήματος, *pro tribunali*] Factum hoc mihi videtur non in ultima cognitione qua Chriſtus cruci damnatus eſt, ſed in alia priore. Nam aliquoties in tribunal proceſſit Pilatus ex eo ſcilicet loco in quo habebat Conſilium ſuum: nam de Conſilii ſententia Præſides pronunciare ſolebant. Is locus à tribunali velo interpoſito diſcernebatur: unde illud *velo levato* in Iure, id eſt, nulla adhibita conſultatione; cui contrarium eſt ἐπιπαραπετάσματος μέσου, id eſt, *velo interpoſito* in Conſtitutionibus quæ dicuntur Clementis lib. II, cap. 52. Hunc locum τὸ ἀποκρύφιον δικαστήριον [*ſecretum judicii locum*] vocat Philoſtratus Vita Apollonii lib. IV, cap. XV. τὸ ἀπόκρυφον τῶν δικαστηρίων, *ſecreta Judiciorum* Synodus Africana. *Secretarium* ſæpe eſt in Martyrologiis, ut apud Adonem Pridie Eidus Auguſti de Euplo, *Cum eſſet extra velum ſecretarii, intromiſſus eſt jubente Calviſiano Conſulari in auditorium*. Exſtat eadem vox in Collatione Carthaginienſi; & L. 3 C. *Ubi Senatores*; & L. *In cauſis*, C. De accuſat. & alibi. Priorem hanc cognitionem ſecuta eſt interlocutio de Chriſto flagris cædendo, nimirum quæſtionis in eum habendæ ergo: quod μάστιξιν ἀνετάζειν [*flagris inquirere*] dixit Lucas Actorum XXII, 24. Tacitus de Herennio Gallo, *Sciſſa veſte, verberato corpore, quo pretio, quibus conſciis proditiſſet exercitum dicere jubent*. Cicero Verrina de ſuppliciis, *virgam*, ait, *magis in tormento eſſe quam in ſupplicio*. Gordianus Imperator L. *Nullam*, C. Ex quibus cauſis infamia irrogatur; *Nullam exiſtimationis infamiam avunculus tuus pertimeſcat ictibus fuſtium ſubjectus ob crimen quæſtione habita*. Eſt hujus moris viva deſcriptio in Chryſoſtomi oratione XIII. De ſtatuis. Sperabat quidem Pilatus aliud quoque ex hac flagellatione, populi ſcilicet miſericordiam; verum interim oportebat ſpeciem aliquam juris adhiberi injuriæ. Quod quidam volunt cæſum flagris Chriſtum in partem pœnæ ex more Romano, conſiſtere non poteſt. Nam Iohannes aperte docet, poſt Chriſtum flagris cæſum aliquantum temporis interceſſiſſe antequam cruci Chriſtus addiceretur. At in his qui ſupplicii cauſa cædebantur una erat ſententia, cujus hæc erant verba legitima, *Summove, lictor, deſpolia, verbera, lege, age, animadverte*. Quare quod infra eſt commate 26. φραγελλώσας [*flagellatum*], dictum eſt per retrogreſſionem; id eſt, cum eum jam ante flagris cecidiſſet. Joſephus de Judæis quibuſdam à Floro comprehenſis, ὡς μάστιξι προσανακρίνων ἀνεσταύρωσε [*quos flagris cum cecidiſſet, mox adfixit cruci*]. Ita nihil neceſſe eſt tantillo tempore bis flagris cæſum Chriſtum comminiſci, quod quidam ſine cauſa ac probabilitate faciunt. ¶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ, *uxor ejus*] Invaluerat Tiberii tempore contra morem veterem, ut in Provincias miſſos uxores ſuæ comitarentur. Notat Tacitus Annalium III. Addit ibi Cæcina *ab his negotia ſuſcipi, tranſigi; duorum egreſſus colli; duo eſſe prætoria*. ¶ τῷ δικαίῳ, *juſto*] Id eſt, *innocenti*; ut & infra 24. A Deo enim patefacta ipſi per inſomnium Jeſu innocentia, forte & mala quæ Pilatum ex injuſta damnatione manebant. & fieri potuit ut fuerit mulier θεοσεβὴς [*Dei timens*], quales interdum & aliorum Præſidum Romanorum uxores fuiſſe apparet.

23. Τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν; *Quid enim mali fecit?*] Subintelligitur recuſatio poſtulationis: *Non faciam, Quid enim mali patravit?* Nam Scriptores noſtri non ipſa verba Pilati exprimunt, ſed ſenſum: atque ideo etiam cum ille loquens inducitur obſervare eſt Hebraiſmus, ut infra 24. Hebræis autem mos eſt reticere id cujus ratio reddetur. Exempla alibi allata ſunt. ¶ περισσῶς ἐκραζον, λέγοντες, Σταυρωθήτω. *magis clamabant, dicentes, Crucifigatur*] Tales ſunt illi clamores populi apud Tertullianum, *Chriſtianos ad leonem; Chriſtianos ad beſtias*. Apud Lampridium, *Delatores ad leonem*. Sic in Actis clamant Judæi, Αἶρε ἀνὰν [*Tolle eum*], &, Αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς [*Tolle de terra*], XXI, 36. XXII, 22. Similia ſunt, *Tiberium in Tiberim*, apud Suetonium; *Ardeat Valens*, apud Ammianum. Tales vanas populi voces quanquam non audiendas eſſe Imperatores pronuntiarunt, ut L. *Decurionum*, C. De Pœnis, multi tamen Magiſtratus iis ſupra æquum movebantur. Crucem autem Chriſto optant, quia id ignominioſiſſimum erat ſupplicium. *Summo ſupplicio*, id eſt, cruce, inquit Paulus in Sententiis: Apulejus *extremam pœnam* dixit. Vide & Ciceronem Verrina ultima.

24. θόρυβος γίνηται, *tumultus fieret*] Cum narret Iohannes dictum à Iudæis, *Nos Legem habemus ſecundum quam debet mori, quia Filium Dei ſe fecit*, & magnis clamoribus rem agitatam omnes Scriptores ſacræ hujus hiſtoriæ tradant, vero ſimile

eſt

eſt metum injectum Pilato ne populus per tumultum Jeſum ad mortem raperet, & ſi ipſe obſiſteret, defectionem moliretur, tanquam Moſis Lege contemta. Nam & ante fuerant qui Chriſtum lapidibus obruere tentarent; & poſtea in Stephano idem accidit. Qui metus quanquam indignus viro conſtante, ac ne Romanis quidem nedum Divinis legibus Pilatum liberaturus à crimine condemnatæ innocentiæ, multum tamen culpam ejus in comparatione Judaicæ ſævitiæ elevat: quod Chriſtus ſignificare videtur Johann. XIX, 11. Atque ita interpretor quod apud Marcum eſt βουλόμενος τῷ ὄχλῳ τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι [*volens populo ſatisfacere*], non quod popularem auram Pilatus captaverit (ἦν γὰρ τὸν φύσιν ἀκαμπὴς καὶ μὴ ἐξ ἀνθρώπου ἀμείλικτος [*erat enim ingenio inflexibilis & cum arrogantia implacabilis*], ut de eo ſcribit Philo; à quo non diſſident quæ tradit Joſephus), ſed quod cum ſigna inferret Hieroſolymis & cum gazophylacium vellet attingere, expertus eſſet quam facile ad vim parandam impelli populus ille poſſet obtentu patriæ legis. Hoc igitur periculum innocentis ſupplicio redemtum voluit; eorum more qui jus & æquum violant reipublicæ, ut ajunt, cauſa, cum interim eo facto rempublicam ex imis ſedibus convellant. ¶ ἀπενίψατο τὰς χεῖρας, *lavit manus*] Iis aſſentio qui manuum lotionem ad teſtandam innocentiam putant non Judæorum fuiſſe propriam, quam ad rem viri eruditi pridem locum Deuteron. XXI, 6. Pſalmo XXVI, 6. & alium Ariſteæ attulerunt (quibus addi poteſt & Joſephi locus Originum XI, capite II.), ſed notam aliis quoque gentibus, quia puritatem Aquæ elemento deſignare admodum naturale eſt. Certe qui diis Gentium ſacrificare volebant afferre debebant ὁσίας χεῖρας [*puras manus*], idque ipſum teſtari ſolemni manuum lotione: unde qui ſcelere aliquo erant contaminati, ſolebant, ut Demoſthenes loquitur, χεῖρας ἄπεργάσθαι [*pollutæ arceri*]. Sophocles,

—— μήτε ξύμμαχοι
Κοινὰν πεῖθον, μήτε χερνίβων νέμειν.
[—— *nec de victimis*
Tribuere partem, lavare nec pariter manus.]

meminit ejus moris & Scholiaſtes Ariſtophanis plus uno loco. Vide quæ ſupra notavimus ad caput III. Sed & moris antiqui fuit ut Judices ex legibus aliquem damnaturi manibus ad Solem elevatis teſtarentur ἀθῷοι ὑπάρχειν ἀπὸ αἵματος τοῦ ἀνθρώπου τούτου [*inſontes ſe eſſe circa ſanguinem hominis illius*], ut videre eſt in libro ſatis antiquo cui titulus eſt *Conſtitutionum Apoſtolicarum Clementis* lib. II. III. Philoni, tertio De vita Moſis, λυτρὸν σύμβολον ἀνυπαιτίου ζωῆς [*lavacrum ſymbolum vitæ inſontis*], Judæis mos vetus nunc etiam manet à funere venientibus manus lavandi, quo teſtantur ſe cauſam morti non præbuiſſe, & omnia miniſtraſſe neceſſaria. ¶ ὑμεῖς ὄψεσθε. *vos videritis*] Vide ſupra 4.

25. Τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς, *ſanguis ejus ſuper nos*] Id eſt, Nos tenebimur. Ita LXX Levit. XX, 9. & 11. דמיו בו [*ſanguis ejus ſuper eum*] & דמיהם בם [*ſanguis eorum ſuper eos*] bene vertunt ἔνοχος ἔσται [*reus erit*] & ἔνοχοί εἰσιν [*rei erunt*]. At II Samuelis I, 16. ſervarunt Hebraiſmum, τὸ αἷμά σου ἐπὶ τὴν κεφαλήν σου [*ſanguis tuus ſuper caput tuum*]. quomodo & Romani dicebant, *Sit capiti tuo*. Teſtes ſolebant dicere, *Sit ſanguis iſtius ſuper nos*. Vide Præceptorum jubentium CV. ¶ καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν. *& ſuper filios noſtros*] Mos vetus non ſe modo ſed & liberos devotandi. In fœdere Smyrnæorum cum Magnetibus eſt, ἐπορκῶντί γε ἐξόλεθρος, καὶ αὐτῷ καὶ γένει τῷ ἐξ αὐτοῦ [*juranti exitium ſequatur, atque etiam poſteros ejus*]. Seneca Rufum ait optaſſe ut quod male erat ominatus *id in ſe & filios ſuos recideret*. Certe magnis ſceleribus etiam poſteritatem obſtringi, non Hebræorum tantum ſed & omnium prope gentium fuit opinio. Docent paſſim hiſtoriæ. Thucydides libro I. ubi de Cylonio piaculo agit, καὶ ἀπὸ τούτου ἐναγεῖς ἔτι ἀλιτήριοι τοῦ θεοῦ ὀνομάζοντο καὶ τὸν γένον τὸ αὖ ἐκείνων [*ex eo contacti piaculo deaque exoſi habiti & ipſi & eorum poſteritas*]. Adde quod narratur II Samuel. XXI. & locum ex Hebraico libro Præceptorum adductum à Johanne Druſio, viro optime de his literis merito. Multa hac de re habet Plutarchus libro περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων [*De iis qui à Deo ſero puniuntur*]. Quæ eo minus iniqua nobis videbuntur, ſi addamus, potuiſſe poſteros ſeria ac ſollemni deteſtatione paternorum ſcelerum piaculo ſolvi. Certe Hebræis præcipitur ut non ſua tantum ſinguli ſed & parentum delicta ſuppliciter agnoſcant; quod & populi nomine facit Dan. IX. & Nehem. IX.

26. Φραγελλώσας, *flagellatum*] Vide quæ ſupra diximus ad comma 19. Eſt autem hæc vox è Latinia tranſlata in uſum Græci ſermonis, ut κυστωδία [*cuſtodia*] & quæ apud Ignatium leguntur, διαίρετος, δεσμοτα, ἄλυσιν, ἐξημαλάξιον [*deſertor, depoſita, accepta, exemplar*]. ¶ παρέδωκεν ἵνα σταυρωθῇ. *tradidit eis ut crucifigeretur*] Dubitant quidam permiſerit duntaxat Judæis Chriſtum Pilatus, an Judicis more damnaverit. Ambigue loquitur Tertullianus, *Ad doctrinam vero ejus, qua revincebantur magiſtri primoresque Judæorum, ita exaſperabantur, maxime quod ad eum ingens multitudo deflecteret, ut poſtremo oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentia ſuffragiorum in crucem Jeſum dedi ſibi extorſerint.* Lactantius autem prolatam à Pilato ſententiam diſerte negat lib. IV Inſtitutionum, cap. VIII. quomodo & Chryſoſtomus ſenſit Oratione ſecunda de Eleemoſyna. Sed contrarium multa evincunt; primum locus tribunalis in quem proceſſit Pilatus; deinde quod per ſolos milites Romanos exactum ſupplicium; ipſa pœna propria Romani juris: nam crux Judæis legibus ignota: titulus à Pilato dictatus: corpus ab eo poſtulatum, aliæque circumſtantiæ. His adde, quod jam ante, cum Pilatus dixiſſet, *Vos de eo ex lege veſtra judicate*, Judæi reſponderant, Sibi capitalium judiciorum poteſtatem ablatam: quare & omnes inſecuti clamores non alio tendebant quam ut Pilatus ſua voce Jeſum damnaret. atque hoc eſt in quo populo furenti contra jus & æquum & mentis ſuæ ſententiam obſequium commodavit. Sed & provocatio Catholicorum & τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν [*Quatuordecimanorum*] ad Acta Pilati oſtendit rem judicii ſpecie geſtam. Adde Tacitum, *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* Ipſe Chriſtus ſupra XX, 19. dixit de ſe, παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν εἰς τὸ σταυρῶσαι [*tradent eum Gentibus ad crucifigendum*]. Neque aliter ſenſerunt veteres Chriſtiani. Ignatius de Chriſto, λαβόντα ἐξουσίαν ἀφ' ἑαυτοῦ Πιλάτου [*ſententiam accepit à Pilato*]. Cyprianus adverſus Demetrianum, *Hunc magiſtri eorum atque primores, hoc eſt, quos & doctrina ille & ſapientia revincebat, accenſi ira, & indignatione provocati, Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem ejus & mortem ſuffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes.* Crucem autem irrogatam Chriſto, tanquam ſeditionis auctori, veriſſime ab aliis notatum eſt: eam enim pœnam ei crimini ſtatuunt Romanæ leges, ut notat Paulus V Sent. Tit. XXII. pro qua nunc *furcam* in Pandectis legimus, quippe crucis uſu in ſuppliciis per Conſtantinum ſublato. Exempla crucifixorum ſeditionis crimine in ipſa Judæa & à Varo & à Floro habes apud Joſephum.

27. εἰς τὸ πραιτώριον, *in prætorium*] Non erat tribunal Pilati intra prætorium, ſed in ſtadio quod erat non longe à prætorio. Joſephus, ὁ Πιλάτου καθίσας ἐπὶ βήματος ἐν τῷ μεγάλῳ σταδίῳ [*Pilatus tribunali inſidens in magno ſtadio*]. Pars hujus areæ lapidibus erat conſtrata, ut ex Johanne diſcimus: ibi erat & conſiſtorii locus & tribunal. ¶ ὅλην τὴν σπεῖραν. *univerſam cohortem*] Aliam cohortem ab ea quæ Templo & Sacerdotibus erat aſſignata, & quæ *cuſtodia* vocabatur. Σπεῖρα δέ ἐστιν ὁ καλούμενος ὑπὸ νόμισμα [*Cohors id quod nunc numerum vocant*], OEcumenius.

28. περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην. *chlamydem coccineam circumdederunt ei*] Πορφύραν [*purpuram*] Marcus & Johannes, id eſt, *ejus coloris qui purpuram mentiretur.* Atque eodem modo hic *coccina* dicitur *chlamys*, quod coccinam referret: nam ejus & purpuræ vicinus color. Vide L. *Si cui lanam*, D. De Legatis III, Par. *verſicoloribus.* Sic Horatius Satyrarum II, 6. veſtem eandem vocat *cocco tinctam & purpuream.* Hebræi צבע vocant id quod nos vulgo *Cramoſinum*, quod Græci Interpretes vertunt κόκκινον. Pertinebant hæc ad exprobrationem velut ſtulte affectati Regni. Simile eſt quod Alexandrini ut Agrippam, qui ſe Regem diceret tanquam ejus nominis majeſtate indignum, irriderent, Carabam quendam, hominem mentis parum compotem, per ludibrium ornarunt quibuſdam quaſi regni inſignibus: quæ narratio apud Philonem in Flaccum meretur cum hac comparari. Nam quod hic eſt χλαμὺς κοκκίνη [*chlamys coccinea*], ibi eſt χαμαιστρώτης ἢ τὸ ἄλλο σῶμα ἀπεκαλύπτων ἀντὶ χλαμύδος [*ſtragulo quale in terra ſternitur corpus ejus cæterum pro chlamyde obvelant*].

29. στέφανον ἐξ ἀκανθῶν, *coronam de ſpinis*] In dicta Philonis narratione, βύβλον μὲν ἐυρύνωτος ἀντὶ διαδήματος ὑπερθέσαν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ [*papyrum extenſam vice diadematis capiti ejus imponunt*]. Maledictio in ſpinis cœpit, Gen. III, 18. in ſpinis deſinit. *Lilium inter ſpinas*, Cant. II, 2. ¶ καὶ κάλαμον ἐπὶ τὴν δεξιὰν αὐτοῦ, *& arundinem in dextram ejus*] Philo, ἀντὶ ῥάβδου βασιλικοῦ τὸ τυχὸν ῥάκος ἢ ἐγχωρίου καθ' ὁδὸν ἐξῃμμένον ἰδών τις ἀναλάβων [*pro ſceptro fragmentum papyri indigena humi porrectum quis videns ei tradit*]. Deinde addit quod & huic loco quadrat, ἐπεὶ ἢ εἰς ἐν

ϑεατρικῆς μίμοις τὰ παρ' ἐκείνου ἆθλα καὶ βασιλείας ἀναλήφθη ἡ Μεγαλοπόλεμος εἰς βασιλέα [*poſtquam vero tanquam in theatricis mimis inſignia regni accepit & in Regem ornatus eſt*]. ¶ λέγοντες, Χαῖρε ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, *dicentes, Ave Rex Iudæorum*] Philo, εἶθ' ὕστερον προσῆσαν οἱ μὲν ὡς ἀσπασόμενοι [*acceſſere poſtea alii quidam ut ſalutaturi*]· deinde, εἶτ' ἐν ἀθεμίτῳ ἐν κύκλῳ πλῆθος ἐξέχει βοή τις ἄσημος. Μάγον ἀσπαλιστὴν· οὕτως δὲ φασὶ τὸν κύριον ὑπολαμβάνειν οἱ Σύροι [*poſt hæc ex circumſtante multitudine vox ſonuit ridicula, Marin vocantium: Sic ajunt à Syris dominum appellari*]. Recte. מרן enim Syrum eſt. Sic Livius narrat Philippum Megalopolitanum à Philippo Rege ad ludibrium *Regem* conſalutari juſſum. Mos autem ſalutandi etiam Principes addito *ave*: ſic *Cæſar ave* apud Martialem Apophoretis, & Macrobium II Saturnalium IV.

31. ἀπήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ σταυρῶσαι· *duxerunt eum ut crucifigerent*] Per milites ſupplicium exactum à Romanis Magiſtratibus etiam extra caſtra notatum eſt à viris doctiſſimis. Hinc *tribunus exactor mortis* Tacito; Suetonio *miles decollandi artifex*, qui *ſpeculator* Marco, Iuriſconſultis Romanis, Iulio Firmico. Tertullianus ubi Chriſtiano militiam diſſuadet, *Et vincula & crucem & ſupplicia adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuriarum?*

32. ἐξερχόμενοι δέ, *exeuntes autem*] *Extra Urbem*, ut narrat Iohannes, & obſervat Scriptor ad Hebræos XIII, 12. Congruebat id Hebræo mori: Nam ſontes Moſis tempore extra caſtra morte afficiebantur, Numer. XV, 35. conſtituta Republica extra urbes, I Regum XXI, 13. ſed & Romano: De caſtris docet Seneca, *Damnatus extra vallum ad ſupplicium deductus fuerat.* Vegetius, *Decumana deducebantur olim extra vallum ut capite plecterentur.* Scriptor belli Africani Cæſaris, *Sic extra vallum deducti ſunt & cruciabiliter interfecti.* De urbibus Aggenus, *Sunt in ſuburbanis loca noxiorum pœnis deſtinata.* Cicero Verrina V. *Cum Mamertini more atque inſtituto ſuo crucem fixiſſent poſt urbem in via Pompeja.* Plautus,

> —— *Credo ego iſtuc extemplo tibi*
> *Eſſe eundem affatum extra urbem diſpeſſis manibus*
> *Patibulum cum habebis.*

Prolata in rem eandem ab aliis teſtimonia ex Lampridio & Theodoreto. ¶ Κυρηναῖον, *Cyrenæum*] Ex Libyæ Pentapoli Cyrenaica oriundum quæ plena Iudæis, ut apertiſſime docet Ioſephus Ἁλώσεως [*Captivitatis*] VII, capite XXXVIII. & Lucas Actorum II, 10, & VI, 9. Nec dubium falli qui de alia Cyrene hæc accipiunt Origenes recte interpretatur. ¶ ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, *ut tolleret crucem ejus*] Cum jam ante Chriſtus ipſe patibulum tuliſſet per urbem, ut Plautus loquitur, Iohann. XIX, 17. more haud dubie Romano, juxta quem ὁ μέλλων σταυροῦσθαι πρότερον σταυρὸν βαστάζει [*qui crucis affigendus erat prius crucem portabat*], ut jam omnibus notum. Videntur autem milites hunc Simonem arripuiſſe qui in onus Chriſto ſuccederet, Iudæorum inſtigatu, qui eum ſciebant Chriſto favere; quod Marcus confirmat, filios quoque ejus, Chriſti nimirum diſcipulos, nominans. Ita conſpicuo ſigno expreſſum eſt quod Chriſtus omnibus diſcipulis ſuis præceperat, ſublata in humeros cruce ipſum ſequi. Nam & hoc exprimit Lucas in hac hiſtoria, ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸν σταυρὸν φέρειν ὄπισθεν τοῦ Ἰησοῦ [*impoſuerunt illi crucem portare poſt Jeſum*].

33. Γολγοθᾶ, *Golgotha*] Eliſionem literæ non carere exemplo aperte à viro doctiſſimo demonſtratum eſt: In Zohar, ut & hic in Syriaco & Arabico plene legitur. Quare non aliud ſignificat quam quod Græce exprimitur à Matthæi Interprete Κρανίου τόπος [*Calvariæ locus*]. Nec cauſam nominis aliunde quærendam arbitror quam quod ibi decollari homines ſolerent, qualia loca Romæ erant Sellertium & Gemoniæ. Manſiſſe eo loco diu poſt mortem nuda capitum oſſa vix credo; nam neque Iudaico neque Romano mori id ſatis congruit; & Hebræi גלגלת quodvis caput appellant; quorum imitatione κρανίου ab Interprete factum puto: quod tamen ipſi quoque Græci interdum de viventium capite uſurpant, ut *calvam* Latini. Videtur autem mihi expreſſio hujus nominis non ad hiſtoriam tantum ſed & ad vaticinii implementum pertinere, quod ibi ſcilicet avolutum à nobis ſit opprobrium noſtrum, quomodo loquebatur Ieſus noſtri Ieſu imago, qui exinde locum quendam גלגל [*Gilgal*] nominavit, quod cum additamento Syriaco eſt גלגלתא [*Golgoltha*], ut ex רמת [*Ramath*] factum eſt רמתא [*Ramatha*]: id nomen גלגל [*Gilgal*] Ioſephus ἐλεύθερον [*Liberatorium*] interpretatur. Sic & *Nazarai* vox patriam ſignificans, alio ſenſu abſtruſiorem habebat ſignificationem.

34. ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον· *vinum cum felle mixtum*] Ita pleraque exemplaria & Syrus. Nec aliter legit Origenes diligens exemplarium inquiſitor. Neque tamen Latinum Interpretem culpo, qui *vinum* vertit; ut nec eos qui Græco margini ad vocem ὄξος [*acetum*] adjecere οἶνον [*vinum*], interpretamenti gratia, quod poſtea in contextum quorundam librorum irrepſit. Nam ὄξος Græci vocant vinum factitii ſaporis; quale ὄξος ἐψητὸν [*coctum acetum*] ex palmulis Xenophonti atque aliis memoratum: idem autem & *vinum* non minus recte dicitur, ſicut cerviſiam οἶνον κρίθινον [*vinum hordeaceum*] appellat Athenæus. Tale erat & hoc vinum, ſive thure, ut Hebræorum Magiſtri tradunt, ſive myrrha, ut Marcus ait, conditum, quod recepto more ad ſupplicium euntibus dari ſolebat. Sed & חמר Hebræum, quod in Pſalmo eſt, *id quod infectum eſt* ſignificat; ut obſervatum eſt à ſummæ diligentiæ viro; cui & in hoc accedo quod χολὴ laxius ſumit pro *omni amaritie*: quippe cum ea voce *abſinthium* ſignificent Græci Interpretes Proverb. V, 4. Thren. III, 15. Nam & Hebræum מרה ſive מר [*fel*] late patet, & voce πικρὸν [*amarum*] vertitur Jerem. XXIII, 15. atque adeo ad herbas etiam venenatas amari guſtus porrigitur; ut liquet collato loco Deuter. XXIX, 18. cum Hebr. XII, 15. Atque ita vocem χολῆς hic ſumſit Syrus vertens מרורתא, quod *amarorem* ſignificat, & propterea Abſinthio non minus quam Felli aptatur. Neque aliter ad Marcum Theophylactus; & Auguſtinus lib. III De conſenſu Euangeliſtarum: *Fel quippe pro Amaritudine poſuit.* Non dimovet me ab hac ſententia quod myrrhatum vinum quaſi pro beneficio ſontibus dabatur. Nam hoc ipſum crudelitatem Judæorum abunde notat, quod Chriſtum curaſſent eo malorum perduci ut quaſi pro ſolatio offerendus ei eſſet potus qui mentem exſternaret: quo facto verba Davidis κατὰ λέξιν [*ſecundum verba*] ſimul & κατὰ διάνοιαν [*ſecundum mentem*] in Chriſto impleta ſunt. Etiam de virginibus Maxima & Donatilla in perſecutione Valeriani ante ſupplicium aceto & felle potatis in Martyrologio legimus. ¶ γευσάμενος, *cum guſtaſſet*] *Cum leviter deguſtaſſet*, implendo tantum vaticinio; non ut imbiberet, quod eſt λαμβάνειν [*accipere*] Marco: ſicut λαμβάνειν τὸ ψωμίον eſt *panem juſculo tinctum devorare.* Noluit autem imbibere Chriſtus, quia, ut diximus, menti exſternandæ adhibebatur. in cruce autem pendens poſtea, quia ſitiebat, ἔλαβε τὸ ὄξος [*accepit acetum*], id eſt, *imbibit*, Johann. XIX, 30.

35. διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, βαλόντες κλῆρον *diviſerunt veſtimenta ejus ſortem mittentes*] Id eſt, partim diviſerunt, partim alea addixerunt victori, ut nos docet Johannes; Deo ſcilicet rem ita dirigente, ut quod David de ſe dixerat figurate, in Chriſto ſecundum exactiſſimam proprietatem impleretur. Veniebat autem hoc ex more Romano. Milites enim ſupplicii exactores ſontium ſpolia ſibi vindicabant, quod Adrianus Imperator vetuit fieri niſi Prætidum juſſu, *Panniculariæ*, inquit, *ſunt ea quæ in cuſtodiam recepta ſecum attulit; Spolia quibus indutus eſt cum qui ad ſupplicium ducitur, ut & ipſa appellatio oſtendit: iſta neque ſpeculatores ultra ſibi vindicent, neque Optiones ea deſiderent quibus ſpoliatur quo momento quis punitus eſt.* Quod in quibuſdam libris hic ſequitur ἵνα πληρωθῇ [*ut impleretur*] ex Johanne adjectum non dubito; quia Græca optima exemplaria, multa etiam Latina non habent, nec agnoſcit Syrus Arabe haud dubie antiquior. Etiam Origenes non legit.

36. Καὶ καθήμενοι ἐτήρουν αὐτὸν ἐκεῖ. *Et ſedentes ſervabant eum*] Et hoc ex more Romano. Petronius Arbiter Satyrico, *miles qui cruces aſſervabat.*

37. τὴν αἰτίαν, *cauſam*] Γράμμασι τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλοῦντα [*literas cauſam mortis indicantes*] dixit Dio Caſſius; *Titulum*, ut Johannes, Suetonius duobus locis, & Tertullianus Apologetico; πινακα [*tabellam*] Euſebius, ubi de Attalo agit. Brevibus verbis cauſa ſupplicii indicari ſolebat ſcripto, aut præconis voce: Scripto, ut apud Suetonium, IMPIE LOCUTUS PARMULARIUS: apud Euſebium dicto loco, Οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ Χριστιανός [*Hic eſt Attalus Chriſtianus*]. Voce præconis, quod *ſuperindictum* Juriſconſulti vocant, ut, Περιττὸν μὴ ὄμνυε [*Temere ne jura*], L. *Si duo*, D. De jurejurando. Συκοφάντης [*Calumniatus es*], L. *Fuſtibus*, Ex quibus cauſis infamia. Ὅτι τὴν πόλιν ἔπεισεν ἀλῶναι ἢ πόλεμον [*Quia civitati auctor fuit belli ſumendi*], apud Diodorum Siculum. LEGATUM POPULI ROMANI HOMO PLEBEIUS TEMERE AMPLECTI NOLI, apud Spartianum. QUOD TIBI NON VIS, ALTERI NE FECERIS, apud Lampridium. FUMO PUNITUR QUI VENDIDIT FUMUM, apud eundem. Πολύκαρπος ὁμολόγησεν ἑαυτὸν Χριστιανὸν εἶναι [*Polycarpus confeſſus*]

feſſus eſt ſe eſſe Chriſtianum], apud Euſebium: AGNEM SACRILEGAM VIRGINEM, DIIS BLASPHEMIAM INFERENTEM SCORTUM LUPANARIBUS DATAM, apud Ambroſium. Latino ſermone ſcripta hæc αἰτία [*cauſa*] ob majeſtatem Imperii; Hebræo, ob locum in quo ſupplicium ſumebatur; Græco, ob maximam turbam Helleniſtarum quæ ad Paſcha convenerat, quanquam alioqui Græco ſermoni à Macedonicis temporibus & in Palæſtina Judæi vicinæque gentes aſſueverant. Itaque apud Joſephum C. Cæſar Dictator Sidoniis, atque M. Antonius Triumvir Tyriis imperant, ut edicta quædam ſua in publicas tabulas referantur tum Latino tum Græco etiam ſermone. Et edictum quo vetabantur alienigenæ procedere intra τὸ δρύφακτον [*loricam*] Templi, proſcriptum erat tam Græcis quam Latinis literis. In ſepulchro etiam Gordiani Imperatoris legimus fuiſſe & harum trium linguarum literas, & Perſicas præterea atque Ægyptiacas. Juſtinianus uti ſe ait Græco ſermone Δῆμ τὸ τῷ πλήθ καταλληλον [*ob id quod plebi uſitatum eſt*], Latino Δῆμ τὸ χῆμα τ πολιτίας [*ob Imperii majeſtatem*]. Ne hoc quidem indignum notatu, Deo res dirigente, factum ut more Imperatorum Chriſti crux præferret titulos gentium nondum quidem ſubactarum ſed brevi ſubigendarum. Ille enim erat cui cedere debebat religio Judaica, eruditio Græca, robur Latinum. Neque novum eſt quod Pilatus per ludibrium. ſed, ni fallor, Judæis magis quam Jeſu illuſum cupiens, eum in titulo vocavit *Regem Judæorum*, cum apud Livium quoque præco juſſu Fulvii in ſupplicio Taureæ Subellii pronuntiaſſe dicitur, *Lictor, viro forti adde virgas.* Inſcriptionem Latinam fuiſſe arbitror JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, quomodo eam ponit Johannes. A Matthæo & Luca additum ἐστὶν οὗτος [*hic eſt*] ex Hebræo in quo fuerit זה ישוע [*hic Jeſus*].

38. σταυροῦνται σὺν αὐτῷ δύο λῃσαί· *crucifixi ſunt cum eo duo latrones*] Nam crux pœna latronum. Petronius, *Cum interim Imperator provinciæ latrones juſſit crucibus affigi.* Seneca, *Latrocinium fecit aliquis? Quid ergo meruit? Ut ſuſpendatur.* Firmicus, *Homicidam & latronem efficiet: iſtis facinoribus comprehenſus patibulo ſuffixus in crucem crudeliter erigitur.* Vocabantur autem λῃσὰι [*latronum*] & ſicariorum nomine etiam qui injuſſu publico arma cepiſſent, ut modo ad comma 16. notavimus. Hi autem duo aſſervati erant ad tempus adventantium Azymorum, ut quam maximo populi conventu punirentur: id enim in Judæa receptum erat, meritoque à Romanis retentum cum ab eorum inſtitutis non diſſideret. Nam & Romæ olim in comitio, poſtea quoque ad claſſicum exigi pœnæ ſolebant. Quintilianus quoque *in ſupplicits curatum* ait *ut plurimi intueri, plurimi commoveri metu poſſint*; cauſa addita, *Omnis enim pœna non tam ad delictum pertinet quam ad exemplum.*

39. κινοῦντες τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, *moventes capita ſua*] Signum inſultationis: quo ſenſu κινεῖν κεφαλὴν [*caput movere*] reperies Pſalm. XXII, 8. II Reg. XIX, 21. Eſai. XXXVII, 22. Thren. II, 15. σαλεύειν κεφαλὴν [*concuſſare caput*], Pſalm. CIX, 25. Secutus eſt hunc Hebraiſmum Scriptor Eccleſiaſtici XIII, 8. τὴν κεφαλὴν αὐτῆ κινήσει ἐπί σε [*caput ſuum movebit ſuper te*]. Notandum hic quam facile diverſa Jeſu fortuna omnia ejus beneficia vulgi animis exciſſerit. Bene Sophocles,

> Φεῦ Φεῦ ταχύνει ὡς τάχ' ἐν τοῖς βροτοῖς
> Χάρις παρεῖσα καὶ πρόθυτ' ἀλίσκεται.
>
> [*O quam celeriter ante parta gratia*
> *Præcipite caſſos luce deſtituunt fuga.*]

40. εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, *ſi filius Dei es*] Non ad nativitatem hoc pertinet, de qua plebs nihil inaudiverat, ſed ad ſpecialem Dei amorem, qualis eſt quo patres filios ſuos proſequuntur. Sic quod infra 43. eſt Θεοῦ υἱός [*filius Dei*] Lucas dixit Θεοῦ ἐκλεκτὸς [*Dei electus*], id eſt, *Deo eximie dilectus.* Scriptor Sapientiæ impios viro pio ſic obtrectantes inducit, παρρησίαν γνώσεως ἔχειν Θεοῦ, καὶ παῖδα Κυρίου ἑαυτὸν ὀνομάζει [*promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat*], II, 13. & mox, ἀλαζονεύεται πατέρα Θεόν· ἴδωμεν εἰ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἀληθεῖς, καὶ πειράσωμεν τὰ ἐν ἐκβάσει αὐτοῦ· εἰ γὰρ ἔστιν ὁ δίκαιος υἱὸς Θεοῦ, ἀντιλήψεται αὐτοῦ, καὶ ῥύσεται αὐτὸν ἐκ χειρὸς ἀνθεστηκότων [*Gloriatur patrem ſe habere Deum: Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt noviſſima illius. Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum*].

42. εἰ βασιλεὺς Ἰσραὴλ ἐστι, *Si Rex Iſrael eſt*] Apparet hinc à Meſſia exſpectata miracula, quod quidam Judæorum contentionis ſtudio negare cœperunt, aliis fatentibus. ¶ καταβάτω νῦν ἀπὸ τ σταυροῦ, *deſcendat nunc de cruce*] Satanæ filius loquitur, ut Satanas ſupra IV, 3. ¶ πιστεύσωμεν αὐτῷ· *credemus ei*] Hanc lectionem veriorem arbitror. Non enim hoc volunt, Si id præſtat fiduciam ſe in eo collocaturos (quod dici ſolet πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ vel ἐπ' αὐτῷ) *credere in eum*, ſive *ei confidere*], ſed fidem habituros aſſeverationi ejus de Divina in ſe benevolentia; ut modo citabamus ex libro Sapientiæ, ἴδωμεν εἰ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἀληθεῖς [*videamus ſi ſermones illius veri ſunt*]. is autem credendi ſenſus in his libris dativo exprimi ſolet.

43. Πέποιθεν ἐπὶ τὸν Θεόν· *confidit in Deo*] Divina diſpenſatione factum eſt ut eadem verba ſceleratí Senatores & Pontifices de Chriſto uſurparent quibus olim ſe inceſſi David miſerabiliter querebatur Pſalm. XXII. quem ipſum Pſalmum vaticinium de Meſſia continere agnoſcit Scriptor Midras Thehillim: ibi enim verba impiorum μιμήσεως [*per imitationem*] ita exprimuntur, גול אל יהוה, ubi גול [*volve*] quidam putant eſſe imperativum, inſultantis ſignificatu; ſed Kimchi atque alii nomen participiale, quaſi dicas מגולו [*confidens*] ſupple הוא [*eſt*]. quod ſecuti videntur LXX, ἤλπισεν ἐπὶ Κύριον [*ſperavit in Dominum*]. ¶ ῥυσάσθω νῦν αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτὸν, *liberet nunc, ſi vult eum*] Nullo modo ſollicitanda eſt hæc lectio. Nam Helleniſtæ θέλειν [*velle*] cum quarto caſu conſtruunt in *amandi* notione. Nam quod in Pſalmo ſequitur יפלטהו כי חפץ בו, ita verterunt LXX, ῥυσάσθω αὐτὸν, σωσάτω αὐτὸν, ὅτι θέλει αὐτὸν [*eripiat eum, ſalvum faciat eum, quoniam vult eum*]. Sic Pſalm. XVIII, 20. ἐθέλησέ με [*voluit me*]. Pſal. XLI. 12. ἠθέλησάς με [*voluiſti me*]. At I Sam. XVIII, 22. idem Interpretes dixerunt θέλει ἐν σοὶ ὁ βασιλεύς [*vult in te Rex*, ſive *places Regi*]. Eſt & ubi Hebræum hoc loquendi genus exprimunt per ἐγκεῖσθαι [*adhærere*], ut Geneſ. XXXIV, 9. & per ἀγαπᾶσθαι [*diligere*], I Sam. XIX, 1. & per εὐδοκεῖν [*beneplacere ſuper aliquem*], Pſalm. CXLVII, 11. ¶ εἶπε γάρ, Υἱὸς Θεοῦ εἰμι υἱός. *dixit enim, Quia filius Dei ſum*] Hoc quoque ex eo quem diximus Pſalmo: ſed εἶπε γὰρ [*dixit enim*] eſt ſupplementum ἐκφωνήτου [*reticentiæ*] Hebraicæ. Υἱὸς Θεοῦ εἰμι υἱός [*Quia Dei filius ſum*] ſimplicior enuntiatio ejus quod poetice ibi dicitur, כי אתה גחי מבטני ὅτι σὺ εἶ ὁ ἐκσπάσας με ἐκ γαστρός [*qui extraxiſti me de ventre*].

44. λῃσαί, *latrones*] Pluralem numerum uſurpari ubi unum è multis ſed indefinite indicatur, veteres novique Interpretes monuerunt. Ita Scriptor ad Hebræos de juſtis loquens Veteris Fœderis, *Clauſerunt*, inquit, *ora leonum, & ferra diſſecti ſunt*; quorum illud ad unum Danielem, hoc ad unum Eſaiam pertinet. Sed quia nominari eos eo loco nihil attinebat, ſatis erat πλῆθος ὠνικῶς [*plurale ſono*] rem efferri. Sic in hac ipſa hiſtoria Lucas ἐνέπαιζον ἤ αὐτῷ οἱ στρατιῶται, προσερχόμενοι καὶ ὄξος προσφέροντες αὐτῷ [*Illudebant autem ei & milites, accedentes & acetum offerentes ei*]· & Johannes ſimiliter, πλήσαντες σπόγγον ὄξους περιθέντες ὑσσῶπῳ προσήνεγκαν [*ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ei*]· atqui ab uno militum id factum diſerte mox dicet Matthæus. Hæc à multis indicata eo libentius congeſſi, nequis cum antiquis aliquot ad eam interpretationem confugiat quæ parum probabiliter ſtatuit latronem qui in Chriſtum credidit ſubito à convitiis ad eam pietatem converſum: quo commento ſublato manet nihilominus beneficium in ipſum multis modis inſigne & non temere trahendi in conſequentias exempli.

45. Ἀπὸ δὲ ἕκτης ὥρας, *A ſexta autem hora*] Tertia hora diei judicia apud Romanos exerceri incipiebant:

> *Exercet rancos tertia cauſidicos.*

In id tempus incidit & Pilati cognitio. Bene Ignatius ad Smyrnenſes, Τῇ δὲ παρασκευῇ, τρίτῃ ὥρᾳ, λαβόντα ἰδίαν κρίσιν ὑπὸ τ Πιλάτου [*In Paraſceve, tertia hora, ſententiam accepit à Pilato*]· ita ut ante ſextam Chriſtus ſit crucifixus; poſt ſextam cœperint tenebræ, mortuus autem Chriſtus paulo poſt nonam. Idem Ignatius, ἕκτῃ ὥρᾳ ἐσταυρώθη, ἐνάτῃ ἀνέπνευσεν [*ſexta hora crucifixus, nona exſpiravit*]· qui ſenſus legitur & in libro ſatis antiquo cui nomen eſt *Conſtitutiones Clementis*, lib. V, cap. XIV. & VIII, capite XXXIV. quæ movere nos debent nequid in Scriptura Marci aut Johannis immutemus contra vetuſtiſſimorum codicum & μεταφερόντων [*eorum qui tranſtulerunt*] auctoritatem. Neque vero illi inter ſe pugnant. Nam mos loquendi natus ex Templi conſuetudine, ubi ſacrificia & preces fieri ſolebant hora Tertia, Sexta, Nona; ut præter Hebræos Hieronymus notat ad Danielem VI. quæ ipſa tempora feſtis maxime diebus tubæ ſono ſignificabantur, ut docemur Numerorum X, 10. quo factum ut hæ horæ tanquam notiores vulgo celebrarentur. Neque alia nomina horarum reperies ubi ſtatarum

rum precationum fit mentio. Vide Actorum III, 1, X, 3, 9. & Tertullianum De jejuniis, ubi has horas *inſigniores* ait *in rebus humanis, quæ diem diſtribuunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publice reſonant.* Quicum congruunt quæ ſcribunt Cyprianus De oratione Dominica, & Hieronymus tum ad Lætam tum ad Demetriadem. Atque eo pertinet quod eſt ſupra XX, 3, 5. ubi inter Tertiam, Sextam, & Nonam nulla hora nominatur, cum poſt Nonam Undecimæ fiat mentio. *Factum* autem *tertia* aut *ſexta hora* dicitur, quicquid inter illa ſtata precandi tempora evenerat, ut ſolent quæ in medio ſunt poſita nunc ad hunc nunc ad illum terminum referri. Perinde enim hoc eſt ac ſi diceretur factum aliquid ἐν τῇ δευτέρᾳ τριόδῳ [*in ſecundo triborio*], ut loquuntur Genethliaci. Tubæ ſono partes dici etiam apud Græcos quoſdam ſignificatas docet nos Heſychius, quo loco αἰσιλπιγκτον ὥραν [*horam tuba ſilentis*] Sophocli vocari ait conticinium noctis. ¶ σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν, *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*] Sole ſcilicet obſcurato, ut Lucas nos docet, non interpoſita Luna, ut quæ tum plena eſſet, neque nube obducta, ſed modo quodam hominibus ignoto: ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν [*ſuper univerſam terram*] hic, quod Marcus dixit ἐφ' ὅλην τὴν γῆν [*per totam terram*], ſicut pro toto telluris globo ſumi non poteſt (multis enim in partibus dies non erat), ita de ſola Judæa nolim accipi; cum veteres Aſtrologi & Chronographi hanc caliginem annotaverint, nullo addito loci nomine: unde late eam patuiſſe datur intelligi. Phlegon XIII Olympiadum, Τῷ Δ ἔτει τῆς ΣΒ ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρας ς' τῆς ἡμέρας ἐγένετο ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι· σεισμός τε μέγας κατ' Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατεσκέψατο [*Quarto anno Olympiadis* CCII. *factum eſt deliquium Solis omnibus cognitis majus, & nox facta eſt hora diei ſexta, ita ut & ſtellæ in cælo conſpicerentur: præterea terræmotus per Bithyniam magnam partem Nicæa urbis evertit*]. Terræmotus locum nominat, tenebrarum non nominat; & cum majores ante viſis memorat, ita ut mero meridie velut nox eſſet, ſatis demonſtrat non fuiſſe proprium Judææ hoc ſpectaculum. Euſebius Græcum alium citat quem non nominat, ita ſcribentem de hac ipſa re, Ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν· Βιθυνία ἐσείσθη· Νικαίας τὰ πολλὰ ἔπεσεν [*Sol defecit: Bithynia terra movit: Nicææ pars magna cecidit*]. Is Scriptor Euſebio non nominatus haud dubie eſt Thallus. cujus ita meminit Africanus, Τέτο τὸ σκότος ἔκλειψιν ἡλίου θεῖόν ὀνομαλῶς ἐν τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν; οὐ γὰρ ἐμοὶ δοκεῖ, φλέγων. Ἐβρῖοι γὰρ ἄγουσι τὸ πάσχα τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ, περὶ ἣν μιᾶς οὔσης τὸ πάσχα τὸ καθ' ἡμᾶς ἡ Σωτῆρος συμβαίνει· ἔκλειψις γὰρ ἡλίου τεσσαρεσκαιδεκάτου τὸν ἥλιον γίνεται· ἀδύνατον γὰρ ἐν ἄλλῳ χρόνῳ πλὴν ἐν τῷ μεταξὺ μιᾶς καὶ τῆς περὶ αὐτῆς τὴν σύνοδον αὐτῶν ὑποβῆναι· πῶς οὖν ἔκλειψις νομισθεῖσα τῷ Διονυσίῳ ἐφ' ὅλης ἐπιπροσθήσεως τὸ τοῦ σελήνης ἥλιον; [*Has tenebras Solis deliquium Thallus vocat Hiſtoriarum* III, *ut mihi videtur non recte. Hebræi enim Paſcha celebrant ad Lunam decimamquartam, & ante primam Paſchatis evenere ea quæ de Servatore noſtro narrantur. At deliquium Solis fit tunc cum Luna Solem ſubit: quod tunc fieri non potuit niſi inter primam Paſchatis & præcedentem diem ceciſſent iſtra ſidera. At quomodo deliquium credi poteſt cum tunc Luna ferme tota dimetiente à Sole diſtaret?*] Quo loco Africanus Thalli illud ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν [*Sol defecit*] ſtricte interpretatur, quaſi Thallus voluerit naturalem fuiſſe ἔκλειψιν [*defectum Solis*], cum alioqui ἐκλείπειν [*deficere*] Sol dici poſſit cum quovis modo deficit. Sic & in Lucæ quibuſdam exemplaribus Origenes conqueritur mendoſe ſcriptum fuiſſe ἡλίου ἐκλείποντος [*Sole deficiente*], quod ille itidem ut Africanus pertinere arbitratur ad ſenſus injuriam. Tertullianus in Apologetico, *Tamen ſuffixus multa mortis illius propria oſtendit inſignia. Nam ſpiritum cum verbo ſponte dimiſit, prævento carnificis officio. Eodem momento dies, medium orbem ſignante Sole, ſubducta eſt. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt. Et tamen eum mundi caſum relatum in archivis veſtris habetis.* Ubi non video cur *archiva* alia quam Acta publica Romana accipiamus: ad quæ, ni fallor, & Lucianus martyr provocat apud Euſebium. Et cum *mundi caſum* vocat, ſatis cavit ne Judææ peculiaris crederetur. Quare πᾶσαν τὴν γῆν [*terram univerſam*] hic ita ſumendum arbitror ut apud Lucam II, 1. πᾶσαν τὴν οἰκουμένην [*univerſum orbem*] de orbe Romano, aut certe de potiſſima ejus parte. Quid Deus his tenebris ſignificatum voluerit multi diſputant. Ego omnino arbitror non ad Judæos tantum pertinuiſſe hoc oſtentum, quorum Prophetæ triſtiſſima tempora Solis caligine depingunt, ſed ad alias etiam gentes. Nam hoc quoque inter ea fuit quibus Centurio in ſtuporem eſt datus. Quare ea ſignificatio ſumenda eſt quæ quam latiſſime poſſit intelligi. Apud omnes autem populos receptum erat ut crederent talibus oſtentis ſcelus aliquod inſigne patratum indicari. Nota eſt cœna Thyeſtea, ubi Seneca,

O nos dura ſorte creatos,
Seu perdidimus Solem miſeri,
Sive expulimus.

De qua re ſic Euripides Iphigeniâ,

—— ἀπ' αἴγας
Δ' ἐξέδραμε' ἱερὸν ὄμμ' αἰθέρος ἥλιος.
[—— —— —— *fugit*
Sol averſo lumine terras.]

Eodem pertinet illud Medeâ,

—— *Spectat hæc noſtri ſator*
Sol genitus & ſpectatur, & curru inſidens
Per ſolita puri ſpatia decurrit poli?

Et Phædrâ,

—— *tuque ſiderum caput,*
Radiate Titan, tu nefas ſtirpis tuæ
Speculare?

Virgilius de Sole,

Cum caput obſcura nitidum ferrugine tinxit,
Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.

Marcus Antonius Triumvir in epiſtola ad Hyrcanum Pontificem Maximum, διὸ καὶ τὸν ἥλιον ἀπεστράφθαι δοκοῦμεν, ὅτι καὶ αὐτὸς αἰσθόμενος ἐπὶ τοῖς τὸν θεὸν κακοῦσιν μισεῖ [*unde & avertiſſe ſe Solem putamus quod non ſine mœrore conſpiceret ſcelus in Cæſarem patratum*]. Lucanus,

Ipſe caput medio Titan cum ferret Olympo
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit
Deſperare diem, qualem fugiente per ortus
Sole Thyeſtea noctem duxere Mycenæ.

Cæterum Judæis peculiariter oſtentum hoc in memoriam revocare potuit Amoſi verba, qui dixerat *futurum ut Sol meridie occideret*, addens *luctum fore velut ſuper unigenito*, VIII, 9, 10. Nam & quæ olim impleta erant in ſenſu μεταφορικῷ [*tranſlato*], ea nunc implebantur etiam in ſenſu proprio, ut ſæpe diximus. Quanquam vero quæ hic deſcribitur caligo, ut in ſummo Judæorum & Romanorum ſcelere, ſumma fuit, non negandum tamen arbitror aliis quoque temporibus, ſi non pares, at ſimiles iræ Divinæ adverſus graviora peccata ſignificationes exſtitiſſe. Certe veteribus Chriſtianis conſtanter id creditum. Unum adſeram Tertul. locum: is eſt ad Scapulam, *Omnia hæc ſigna ſunt imminentis iræ Dei, quam neceſſe eſt quoque modo poſſumus, ut & annuntiemus, & prædicemus, & deprecemur, interim localem eſſe. Univerſalem enim & ſupremam ſuo tempore ſentient qui exempla ejus aliter interpretantur. Nam & Sol ille in conventu Uticenſi exſtincto pene lumine adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, poſitus in ſuo hypſomate & domicilio: Habetis Aſtrologos.* ¶ ἕως ὥρας ἐνάτης. *uſque ad horam nonam*] Id eſt, ad tempus uſque oblationis veſpertinæ. Nam ſic Hebræi diem partiebantur. Vide quæ ſupra hoc capite 41.

46. ΗΛΙ, ΗΛΙ, λαμμὰ σαβαχθανί; *Eli, Eli, lamma ſabachthani?*] Et hinc & aliunde colligitur Chriſtum neque veteri uſum Hebræorum ſermone, neque Syriaco, ſed mixta dialecto quæ tum in Judæa vigebat. Ea lingua quædam retinebat avitæ pronuntiationis, ut ΗΛΙ, אלי [*Eli*], pro quo Syri dicere ſolent אלהי [*Elohi*]; quædam cum Syris habebat communia, ut פשע [*Sabac*] pro עזב [*Azab.*] *Eli* à Chriſto pronuntiatum ipſe ſonus ad Eliam proxime accedens evincit. Quare mihi perſuadeo in Syriaca verſione tum hic tum apud Marcum transpoſitas literas, & quod אלי [*Eli*] ſcriptum fuerat mutatum in איל [*Eil*], inde nato errore quod אלי [*Eli*] Syris eſſet incognitum, quidam autem Syrorum Deum איל [*El* vel *Il*] appellarent. Ἴλων [*Ilum*] ſcribebat Philo Byblius ex Sanchuniathone. Sic apud Ezechielem, qui interdum כלדאיזת [*Chaldaizat*], XXXI, 11. ubi nunc איל [*El*] legimus, libri Orientales Judæorum habebant איל [*Il*], & ubi nunc eſt אלי [*Eli*] Ezechielis XXXII, 21. iidem codices habebant אלי [*Ili*]. Enimvero, ut dixi, à Syro non איל [*Il*] ſcriptum, ſed aut אלי [*Eli*], aut certe אלי [*Ili*], indicio eſt ipſius interpretatio quam ſubjungit apud Marcum, quæ eſt אלהי [*Elohi*] cum affixo primæ perſonæ. Marcum quoque non ΕΛωΙ [*Elohi*] ſcripſiſſe ſed ΗΛΙ [*Eli*] cur arbitremur dicemus ubi eo ventum erit. Quod autem Latina quædam exemplaria hoc loco pro *lamma ſabachani* habuerunt *lamma azabtani*, ſi quid

quid recte judico, ab Hieronymi eſt manu, qui ipſa Pſalmi verba hic ponenda exiſtimavit. ¶ ἱνα τί, *ut quid*] Vox eſt deprecantis, ita Moſes Exodi xxxii, 11. Ἵνα τί, Κύριε, θυμὸς ὀργίζεται ἐπὶ τὸν λαόν σου; [*Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum?*] Pſalmo x, 1. (in Græco eſt pars noni) Ἵνα τί, Κύριε, ἀφίστηκας μακρόθεν; [*Ut quid, Domine, receſſiſti longe?*] ¶ ἐγκατέλιπες; *dereliquiſti?*] עזב ἐγκαταλείπειν eſt *auxilio deſtituere*, ut Eſaiæ xlix, 14. & alibi.

47. Τινὲς δὲ τῶν ἐκεῖ ἑστώτων, *Quidam autem illic ſtantes*] Hos puto fuiſſe non Romanos milites, quibus de Elia nihil erat cognitum, neque Judæos Palæſtinos, ſed Helleniſtas, qui cum Hebræa verba non intelligerent, Eliæ nomen ſibi notum audire ſe exiſtimabant. De rediturο autem Elia vetus fama ex vaticiniis male intellectis hauſta non Palæſtinos tantum Judæos ſed & Helleniſtas pervaſerat, ut ex Eccleſiaſtici libro manifeſtiſſimum eſt. Ejus tempus jam inſtare putabatur, Matth. xvii, 10.

48. πλήσας τε ὄξους, *implevit aceto*] Quia *ſitire ſe* dixerat Jeſus, ut Johannes docet. Adſtabat autem vas ὄξους (id eſt, *vini factitii*, ut ſupra expoſuimus) plenum, non accelerandæ morti, ut quidam putant, ſed adverſus animi deliquium. Hinc Chriſto potandum aliquis dedit, quaſi in ſpem adventantis cœlitus auxilii vitam ei ſuſtentans. ¶ περιθεὶς καλάμῳ, *circumpoſuit arundini*] Ὑσσώπῳ περιθέντες [*hyſſopo circumponentes*], inquit Johannes. Verbum idem oſtendit καλάμου [*arundinem*] idem fuiſſe quod ὕσσωπον [*hyſſopum*], id eſt, bacillum ex hyſſopo; quam in aliquam magnitudinem arbori convenientem excreſcere in Judæa, non minus quam Sinapi, cur negemus ſatis cauſæ non video. Unum eſt quod contra affertur argumentum ex hiſtoria Solomonis, 1 Regum iv, 33. Atqui non ibi de quavis hyſſopo agitur, ſed de una ejus minima ſpecie quæ vocatur קיר אזוב, quaſi Latine *parietariam* dicas. Huic opponitur *cedrus*, non quævis, ſed *Libani*, quæ cæteris celſior. Et ſane זאת Hebræis latius patet quam ὕσσωπος [*hyſſopus*] Græcis; adeo ut ſeptem ejus genera dicat eſſe Kimchi, qui & *origanum* exponit. Simile quid apud Plinium de Malva lib. xix. *Tradunt auctores in Arabia malvas arboreſcere, baculorumque uſum præbere.* Vide eundem de Origano.

49. Οἱ δὲ λοιποί, *cæteri vero*] Simul cum ipſo qui ὄξος [*acetum* live *vinum factitium*] porrigebat, ut ex Marco docemur. Itaque λοιποὶ [*cæteri*] non oppoſite dicitur, ſed ut plures uno id dixiſſe intelligantur. ¶ Ἄφες, *Sine*] Vox eſt περισσάζουσα [*abundans*], ut ἄφετε [*ſinite*] apud Marcum; non prohibentis, ſed ſubjunctivo ſequenti inſerviens: quaſi dicas, *Age videamus.* Et ſic nunc etiam populi nonnulli loquuntur. In Actis urbis Conſtantinopolitanæ, quibus deſcribitur ſeditio, cui Νίκα [*Vince*] nomen, Ἄφες ἡλαζώμεθα [*Sine puniamur*] nihil aliud eſt quam *Puniamur*. Dixerunt pro eodem & ἰὲς [*quæſo*] Græci ſub Juſtino, ut ἰὲς ἀνέλῃς [*quæſo adſcendas*], ἰὲς πεῖσον [*quæſo perſuade*] in acclamationibus Synodi ſub Menna. Apud Lxx ita ſimili ſenſu, ut Jobi xix, 5.

50. κράξας φωνῇ μεγάλῃ ἀφῆκε τὸ πνεῦμα. *clamans voce magna emiſit ſpiritum*] Simul cum ipſo clamore, ut Tertullianum dicentem audivimus, *Spiritum cum verbo ſponte dimiſit.* Clamor is fuit Τετέλεσται [*Conſummatum eſt*] apud Johannem, & Πάτερ, εἰς χεῖράς σου παρατίθεμαι τὸ πνεῦμά μου [*Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*]. Hoc autem ipſum pro miraculo accepit Centurio ὅτι οὕτως κράξας ἐξέπνευσεν [*quia ſic clamans exſpiraſſet*]. nam verbis ejus res ipſa ſtatim reſpondens oſtendebat vere animam ejus à Deo ſuſcipi. Accelerata quippe mors erat Divino conſilio antequam vires ejus naturales defeciſſent. alioqui nondum mors exſpectari poterat: Marcus xv, 44. ideo latrones crurifragio peremti. Videtur Origenes ad acceleratam hanc à morte liberationem referre illud ad Hebræos v, 7. Ὃς ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων προσενέγκας, καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, καίπερ ὢν υἱός, ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε τὴν ὑπακοήν [*qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis efferens, exauditus eſt pro ſua reverentia: Et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam*]. Cyprianus adverſus Demetrianum, *Crucifixus, prævento carnificis officio, ſpiritum ſponte dimiſit.* Illa autem ἀφῆκε τὸ πνεῦμα [*emiſit ſpiritum*] exprimunt unam vocem Hebræam גוע, pro qua ἐξέπνευσεν [*exſpiravit*] poſuere Marcus & Lucas. Senſus autem eſt apud Eſaiam lvii, 12.

51. τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο, *velum Templi ſciſſum eſt in duas partes*] Et veteres & novi Interpretes parum conſtare arbitrantur agaturne hic de velo interiore, quod oppanſum erat penetrali, an de velo exteriore, quod erat oppanſum foribus templi ſacerdotalis. Moſis temporibus tria erant aulæa, extimum τῆ αὐλῆς [*atrii* ſive *ſubdialis*], Exodi xxvii, 16. medium τὸ ἅγιον [*Locus ſanctus*], Exodi xxvi, 36. intimum τὸ ἅγιον τῶν ἁγίων [*Sanctus ſanctorum*], Exodi xxvi, 31. id eſt, adyti ſive penetralis. In templo Solomonis & quod ei ſurrogatum vice extimi aulæi fuit porta, ut ex Joſepho diſcimus: περιπέτασμα vocat Philo. Manſerant ergo duo aulæa, quæ τὰ ἐνδοτέρω καταπετάσματα [*vela interiora*] vocat Joſephus Ἀρχαιολογίας [*Antiquæ hiſtoriæ*] viii, 11. Et hinc aulæum adyto oppanſum *διπλοῦν καταπέτασμα* [*velamentum ſecundum*] vocat divinus ad Hebræos Scriptor ix, 3. Cæterum ubi nude dicitur καταπέτασμα [*velum*], omnino intelligendum eſt illud quod adyto erat oppanſum: id enim proprie ac peculiaris diſcriminis cauſa id nomen occupaverat. Philo De vita Moſis, Ἐκ τῆς τῶν (id eſt, ex hyacintho, coccino, purpura, byſſo) τὸ τε καταπέτασμα καὶ τὸ λεγόμενον κάλυμμα κατασκευάζετο· τὸ μὲν ἔσω τῶν ἔνδον τέσσαρας κίονας, ἵν' ὑπεκτεθῇ τὸ ἄδυτον, τὸ δ' ἔξω τῶν ἔνδον πέντε, ὡς μηδὲν ἐξ ἀνιέρου δυνατὸν εἶναι τὸ μὴ ἱερωμένων καταβλέπεσθαι τὰ ἅγια. [*Ex iiſdem autem materiis conſtituunt velum & id quod dicebatur operimentum; illud quidem inter quatuor columnas velando adyto; hoc vero inter quinque, ne quis extra Sacerdotalem Ordinem poſſet ex improviſo conſpicere Locum ſanctum*]. Et poſt, Ἐν δὲ τῷ μεθορίῳ τοῦ προνάου τῶν πέντε κιόνων, ἅπερ ἐστὶ κυρίως εἰπεῖν περίπτερα εἰρημένων δυοῖν ὑφάσμασι, τὸ μὲν ἔνδοθεν ὃ καλεῖται καταπέτασμα, τὸ δ' ἐκτὸς περιαγορεύεται κάλυμμα [*Inter vero pronaum & has quinque columnas, quod eſt, ut accurate loquamur, protemplum duobus concluſum aulæis, eorum quod erat interius dicebatur Velum, quod exterius Operimentum*]. Diſtincte aulæum adyto oppanſum vocat καταπέτασμα [*Velum*], alterum oppanſum templo ſacerdotali appellat κάλυμμα [*Operimentum*]. Nam & Moſi diſtincte illud inferius vocatur פרכת Exodi xxvi, 33. iſtud exterius מסך. Vocem פרכת etiam Lxx vertunt καταπέτασμα [*velum*], Exodi xxvi, 33. xxxvi, 35. at vocem מסך, quam Philo transfert κάλυμμα, ἐπισπαστὸν [*operimentum*] Exodi xxvi, 36. xxxvi, 37. Quare non dubito quin τὸ καταπέτασμα [*Velum*] intelligi debeat aulæum quo penetrale defendebatur. Sed neque magis inter veteres convenit quæ propria fuerit ſignificatio hujus ſciſſuræ. Mihi vero ne dubitandum quidem videtur eam fuiſſe quam Judæi non pertinaces ex re ipſa facillime conjectare poterant. Cum dicit nunquam ſatis laudatus ad Hebræos Scriptor τὰ ἅγια [*Sancta*], id eſt, τὰ ἅγια τῶν ἁγίων [*Sancta ſanctorum*] (nam poſt diſcrimen poſitum initio capitis noni ſemper brevitati ſtudens adytum vocat ἅγια [*Sancta*]) eſſe ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν [*verorum ſignorum*] ſummi illius cœli ſcilicet, nihil novi dixit, ſed id ſumſit quod erat apud Judæos omnes conſeſſum: quod perſpicuis teſtimoniis oſtendam. Joſephus Ἀρχαιολογίας [*Antiquæ hiſtoriæ.*] iii, v. τὸ μὲν γὰρ τρίτον αὐλῆς μέρος τὸ ἐντὸς τῶν παραφύων κίονων, ὃ τοῖς ἱερεῦσιν ἦν ἄβατον, ὡς ἐφοῖτός ἀν εἴη τῷ Θεῷ [*tertia pars ædificii quæ intra columnas quatuor, quo nec Sacerdotibus fas accedere, erat velut cœlum illud Deo ſepoſitum*]. & capite viii. τὸν δὲ τρίτον μοῖραν μόνῳ θεῷ καθιέρωσεν ὁ Σόλομών· ἐπεὶ καὶ τὸν οὐρανὸν ἄβατον εἶναι ἀνθρώποις [*tertiam autem partem ſoli Deo ſepoſuit Solomon, quia id cœlum inacceſſum hominibus*]. Philo De vita Moſis, τὰ ἄδυτα τοῦ σκηνοῦς, ἅπερ ἐστὶ συμβολικῶς νοητά [*adyta Tabernaculi, quæ ſymbolice ſunt ea quæ intelliguntur tantum*]. Quare de hac parte præcipua Templi præcipue accipi debet quod in libro eſt Sapientiæ, Templum fuiſſe μίμημα σκηνῆς ἁγίας ἣν ὁ Θεὸς προητοίμασεν ἀπ' ἀρχῆς [*imitamentum ſacri Tabernaculi quod Deus præparavit ab initio*], ejus ſcilicet de qua agitur Pſalmo xv. quod & Pſalmo lxxviii, 69. innuitur. Quæ enim extra adytum erant, non obſcure adumbrabant Mundum hunc adſpectabilem. Nam in Aulæo coccinum Ignem, byſſus Tellurem, hyacinthus Aëra, purpura Mare, ſeptem Lychni totidem Planetas, panes duodecim totidem Zodiaci ſigna & Menſes notabant: quanquam potuerunt horum quædam aliam Iſraelitis propriam habere ſignificationem. Obſcurum igitur non erat, adytum κόσμον τὸν νοητὸν εἶναι σύμβολον [*ſymbolum eſſe Mundi intelligibilis*], ut Clemens loquitur Stromateon quinto: in quo adyto antiquitus fuerant Χερουβὶμ δόξῃ κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον [*Cherubim gloria obumbrantia propitiatorium*], quorum interpretationem in aliud tempus differt Scriptor ad Hebræos. At Philo haud dubie ex veteri diſciplina ἱλαστήριον [*propitiatorium*] quidem ait fuiſſe σύμβολον τοῦ ἵλεω τοῦ Θεοῦ δυνάμεως [*ſymbolum Divinæ miſericordiæ*]. Per Cherubim vero arbitratur deſignari τὰς τοῦ Ὄντος δυνάμεις, τήν τε ποιητικὴν βασιλικήν [*facultates ejus qui eſt creatricem & regalem*]. Joſephus Cherubim vocat τὸ ἅρμα τοῦ Θεοῦ [*currum Dei*]· tanquam ſit per μετάθεσιν [*literarum tranſpoſitionem*] ex verbo רכב [quod eſt *currus*]. Conſer Pſalm. xviii, 11. &

II Samuel. XXII, 11. Puto his intellectis non eſſe obſcurum quid ſignificet Aulæi ſciſſura. Significat enim aditum per Chriſti mortem apertum Chriſto primum, deinde ejus beneficio ſanctis Priſci Novique Fœderis ad cœlum illud inadſpectabile quod ἅγια τῶν ἁγίων [*cœlum cœlorum*] vocant ſacri Scriptores, quæ Majeſtatis Divinæ velut propria eſt ſedes. Paulus Romanorum III, 25. de Chriſto, ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι [*quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*]. Scriptor ad Hebræos IX, 8. τῶν δηλοῦντος τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, μήπω πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν [*hoc ſignificante Spiritu Sancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam*]. mox 24. Οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν [*Non enim in manufacta Sancta introivit Chriſtus, exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum*], utique οὐκ ἐν αἵματι ἀλλοτρίῳ [*non in ſanguine alieno*] ſed per ſuum ipſius ſanguinem. Quanquam enim poſſeſſionem non ſtatim eſt adeptus, ſed poſt quadraginta & quod excedit dies, jus tamen ipſi & per ipſum aliis quæſitum eſt eo tempore quo ſe dedit θυσίαν περὶ ἁμαρτίας [*victimam pro peccato*], ut vaticinatus erat Eſaias; ſciſſo ſcilicet velo peccatorum quod inter hunc Mundum adſpectabilem & τὸ ἱλαστήριον τοῦ Θεοῦ ἐπιβαλλόμενον [*Dei miſericordiam*] interjiciebatur, Eſaiæ LIX, 2. Quod autem per *velum* peccatum intelligam minime repugnat Scriptori ad Hebræos, qui ipſam Chriſti carnem Divinitati ipſius oppanſam vocat καταπέτασμα [*velum*]. Nam ea ipſa caro non tantum erat ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας [*in ſimilitudine carnis peccati*], ſed partim, etiam apud Apoſtolos, figuram gerit peccati ipſius; ut apparet iis ex locis quæ de peccati crucifixione, morte, ſepultura agunt. Atque ita veterum nonnulli explicant illud Romanorum VI, 10. Ὃ γὰρ ἀπέθανε τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ [*quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel*], id eſt, corpore mortali. Quomodo forte intelligi poſſet & illud ad Hebræos V, 3. Διὸ πάντῶν ὀφείλει, καθὼς περὶ τοῦ λαοῦ, οὕτως καὶ αὐτὸν προσφέρειν περὶ ἁμαρτιῶν [*& propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccato*], quatenus ſcilicet univerſalis iſta locutio etiam Chriſtum complectitur, ubi ἁμαρτίαν [*peccatum*] vocat quod paulo ante ἀσθένειαν [*infirmitatem*]. & apertius eadem epiſtola cap. VII, 27. Ὃς οὐκ ἔχει καθ' ἡμέραν ἀνάγκην, ὥσπερ οἱ ἀρχιερεῖς, πρότερον ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν, ἔπειτα τῶν τοῦ λαοῦ· τοῦτο γὰρ ἐποίησεν ἐφάπαξ ἑαυτὸν ἀνενέγκας [*Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel, ſemet offerendo*]. ut ἴδια ἁμαρτήματα [*propria delicta*] ſint qualitates inſeparabiles mortalis corporis, quæ ut in nobis ſunt effecta, partim etiam cauſæ peccati, ita in Chriſto erant figura peccati; quomodo contactus cadaveris, & alia quæ inſciis aut invitis accidunt, in Lege peccata dicebantur. Nam & pro illis obtuliſſe dici poteſt Chriſtus quatenus ex decreto paterno liberari ab illis non potuit, niſi per mortem; nobis in exemplum. Apud Romanos autem & aliorum gentium homines idem hoc miraculum non obſcure indicabat commiſſi in Chriſtum facinoris atrocitatem. Philippides in Comœdia de Demetrio, quod ſe Dius æquari paſſus eſſet, verba faciens, ita inquit,

Δι' ὃν ἀσεβῶν' ὁ πέπλος ἐρράγη μέσος.
[*Ob cujus impietatem diſruptum eſt peplum.*]

Plutarchus eandem hiſtoriam tangens, ἐπεσήμανε τὴν τῶν πολλῶν τὸ θεῖον· ὁ μὲν γὰρ πέπλος ὥσπερ ἐψηφίσαντο μὴ ὁ Διὸς καὶ τῆς Ἀθηνᾶς συνυφηναμένων Δημητρίου καὶ Ἀντίγονον, πομπεύοντος ἀγὼν ὁ Κεραμεικὸς μέσος ἐρράγη βίαιος ἐμπεσούσης [*iram ſuam oſtendit vis Divina: nam cum in peplo juxta Jovem & Minervam ex novo decreto intexuiſſent Demetrium & Antigonum, ad peplum, cum per Ceramicum transduceretur, incidente procella, diſruptum eſt in partes duas*]. Quod autem narrant Thalmudiſtæ XL ante Excidium annis Templi fores ſponte patuiſſe, valde dubito an huc referri debeat. Vereor enim ne, ut ſunt ἀνιστόρητα [*hiſtoriæ ignari*], confuderint ſigna illa quæ in Chriſti paſſionem inciderunt cum illis quæ Excidium proxime antecеſſerunt, quod & aliis accidit in narratione vocis auditæ in Templo Μετάβαινωμεν ἐντεῦθεν [*Exeamus hinc*]. Aut valde fallor, aut id quod dicere volunt Thalmudiſtæ idem eſt quod brevitet dixit Tacitus, *Expaſſa repente delubri fores*; latius autem Joſephus, ita ut de aulæo adyti nullo modo poſſit intelligi: Verba apponam, Ἡ δὲ ἀνατολικὴ πύλη τῆς ἐσωτέρας [*porta Orientalis partis interioris*] (melius forte legitur τῆς ἐξωτέρας [*exterioris*]. nam portæ interiores erant auratæ, exterior ex ære Corinthio), χαλκῆ μὲν ἦσαν καὶ στιβαρωτάτη, κλειομένη δὲ πρὸς δεκάλιτρος μόλις ὑπ' ἀνδρῶν εἴκοσι, καὶ μοχλοῖς μὲν ἐπηρείδομεν σιδηροῖς καὶ καταπήγας δ' εἶχεν βαθυπάτας εἰς τὸ ἔδαφος ὀπὴ διηνεκὴς λίθου κατῳκοδομένος, ἐφ' ἧς κύκλος ἄνωθεν ἐκπεπωκὼς μετεωρισμός· δεσμοῦσι δ' οἱ τοῦ ἱεροῦ φύλακες ἑσπέρας τὴν πρωτηγῶ· καιρῷ δ' ἀνοιγὰς, μόλις αὐτὴν ἰσχύσαι κλῆσαι [*cum ex ære eſſet & firmiſſima, ægre clauſa veſperi per homines viginti, ferro munita vectibus ſuſtentata, tum vero luminibus inſeritis alte in ſolum plane lapideum deſcendens, viſa eſt nocte circa horam ſextam ſponte aperta: quod Templi cuſtodes currentes ad Templi Prætorem ei indicarunt: ille vero adſcendens ægre eam claudere potuit*]. ¶ καὶ ἡ γῆ ἐσείσθη· & terra mota eſt] Aliquot in locis, non in Judæa tantum. Voluit enim Deus oſtenti hujus memoriam exſtare. Vide quæ ex Phlegonte & Thallo citavimus. Veriſſimum eſt apud Prophetas Terræmotu alibi rerum mutationem, alibi Dei majeſtatem ſignificari: ſed hic apertior eſt ea ſignificatio quæ pariter à Judæis & gentibus aliis poterat intelligi, iræ ſcilicet Divinæ ob hominum ſcelera, Pſalm. XVIII, 8. Joel. III, 16. Ita Virgilius Solis caligini addidit terræmotum, nec aliter Lucanus & Seneca. Sane Centurio & qui cum eo erant ita interpretati ſunt hoc prodigium. Inde enim colligebant Jeſum inique damnatum, Lucæ XXIII, 47. ¶ καὶ αἱ πέτραι ἐσχίσθησαν· & petræ ſciſſæ ſunt] Puto conſequens eſſe terræmotus. Sæpe enim cum terra movet πολλαχοῦ πολὺς λίθος [*emergunt multi lapides*], ut ait Ariſtoteles II Meteor. VIII. Seneca Troadibus,

Cum ſubito cæco terra mugitu fremens
Concuſſa, cæcos traxit ex imo ſonos,
Movere ſilva capita, & excelſum nemus
Fragore vaſto tonuit, & lucum facer;
Idæa rupto ſaxa ceciderunt jugo.

Sed & hoc apud Hebræos iræ Divinæ habebat ſignificationem, Nahum. I, 6. I Regum XIX, 11. Terræmotum & ſaxa rupta conjungit & Pſalmus CXIV, 7, 8.

52. Καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεῴχθησαν· *Et monumenta aperta ſunt*] In ipſo mortis Chriſti articulo aperta ſunt monumenta, quo clarius appareret ipſum διὰ τοῦ θανάτου καταργῆσαι τὸν τὸ κράτος ἔχοντα θανάτου [*per mortem deſtruxiſſe eum qui habebat mortis imperium*], Hebræorum II, 14. Ariſtides in deſcriptione terræmotus quo Rhodus everſa eſt, μνήματα ἀνερράγησαν [*monumenta diruptа ſunt*]. & mox, ἔξω μὲν τὰ μνήματα ἀνοίξαντες οἱ νεκροὺς [*monumenta foras ejicichant mortuos*]. ¶ καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη· & multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerunt] Quidam ſtatim putant mortuo Chriſto hos mortuos reſurrexiſſe: quod aliquos movit ut in eo quod ſequitur legerent non μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ [*poſt reſurrectionem ejus*] ſed αὐτῶν [*eorum*], inter quos eſt Arabs Interpres & inter Græcos Glycas. Sed vero eſt ſimilius in morte vim mortis Chriſti apertione monumentorum demonſtratam; neque tamen ad vitam perveniſſe hos mortuos niſi poſtquam Chriſtus revixerat, ut ſic appareret ipſum eſſe πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν [*primogenitum ex mortuis*]. Nemo enim mortuorum antea ad vitam immortalem ſurrexit; quod de his credi par eſt, in qua ſententia eſt Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos ad quæſtionem LXXXV. Confer Danielis XII, 2.

53. εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, *in ſanctam civitatem*] Sepulti enim in ſuburbanis locis fuerant. ἁγίαν πόλιν [*ſanctam civitatem*] dixit ex popularimore loquendi, ut ſupra IV, 5. ¶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς, *apparuerunt multis*] Credentibus in Chriſtum, ut & Chriſtus ipſe ἐ πάντα τὸν λαὸν [*non omni populo*], ut Petrus loquitur Actorum X, 41.

54. ἑκατοντάρχης, *Centurio*] *Centurio ſupplicio præpoſitus*, ut Seneca loquitur libro I Deira, capite VII. ¶ τηροῦντες, *cuſtodientes*] Vide quæ ſupra ad comma 31. Et nota etiam poſt mortem manſiſſe milites, *nequis* ſcilicet, ut Petronius loquitur, *ad ſepulturam corpora detraheret*: adde, niſi publico permiſſu. ¶ καὶ τὰ γενόμενα, *& hæc quæ fiebant*] Caliginem Solis, &, quod non fruſtra Marcus addit, exſpirationem ſtatim poſt clamorem. ¶ ἐφοβήθησαν σφόδρα, *timuerunt valde*] In ſe, ut ſævitiæ miniſtros, iram Dei metuentes. ¶ ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος. *Vere filius Dei erat iſte*] Cum Romani fuerint qui hoc dicebant, puto eos de Jeſu ita exiſtimaſſe quomodo de Hercule, Baccho, Caſtoribus, Æſculapio, Quirino exiſtimabant: Et maxime ad celebrem de Quirino fabulam reſpexiſſe eos credibile eſt, circa cujus mortem & tenebræ & fragor contigiſſe dicebantur. Tertullianus de Chriſto, *In cœlum eſt receptus multo verius quam apud vos aſſeverare de Romulo Proculi ſolent.* Lucas, ut diximus, dictum ab ipſis ait Jeſum eſſe innocentem. Credibile eſt id initio ab illis dictum; ſed aliis oſtentis ad alia accedentibus auctam admirationem, ita ut jam non hominem tantum innocentem, ſed & homine majorem crederent.

55. Ἦσαν

55. *Ἀπὸ μακρόθεν, à longe*] Παρὰ τὸν σταυρὸν [*juxta crucem*] quidem, ut ait Johannes, ſed non ut crucem attingerent, quæ militum turba cingebatur. ¶ *Διηκόνουν αὐτῷ. miniſtrantes ei*] Nimirum ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς [*de facultatibus ſuis*], Lucæ VIII, 3.

56. *Μαρία ἡ Μαγδαληνή, Maria Magdalene*] Galilæa femina, ut ex Luca diſcimus. ¶ *Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ μήτηρ, Maria Jacobi & Joſe mater*] *Cleopæ* Johanni. Nam eandem eſſe indicio eſt quod præter matrem Domini non fuerant plures duabus Mariæ nomine quæ Jeſum ſectarentur, infra 61. Inter multas ſententias expeditiſſima eſt quæ Cleopam ejus patrem, Alphæum maritum ſtatuit. Pro *Joſe* veteres quidam codices & Græci & Latini habebant *Joſeph*. Sed idem eſt nomen pronuntiatione diverſa; qua de re alibi. ¶ *ἡ μήτηρ τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου. mater filiorum Zebedæi*] Salome, de qua ſupra.

57. *Ὀψίας δὲ γενομένης, Cum autem ſero factum eſſet*] Statim poſt nonam. Feſtinata res, ut poſſet Joſephus, Chriſto tumulato, ex more ante duodecimam Paſcha mactare. ¶ *πλούσιος, dives*] Εὐγενέστατος, inquit Marcus, id eſt, *vir honeſti loci*, quippe βουλευτὴς [*Decurio*], ut ipſe addit & Lucas exprimit. Quæritur an in Synedrio Magno Joſephus hic fuerit. Fuiſſe multi credunt, quia Lucas *eum* dicit non conſenſiſſe conſilio & actibus aliorum: ſed id non ſatis certum eſt argumentum. Improbant enim multi multa etiam qui jus ſuffragii non habent. Deinde non eſt quod verba illa præciſe ſumantur de illa conſultatione poſtremæ diei, cum antea quoque deliberatum aliquoties de re Jeſu fuerit, ut cum conſtitutum eſt ut ἀποσυνάγωγοι [*extra Synagogam*] haberentur qui Jeſum eſſe Meſſiam dicerent; in qua hiſtoria Johannes non Synedrii meminit, ſed dicit συνέθεντο οἱ Ἰουδαῖοι [*conſpiraverant Judæi*]. ut credibile ſit eam rem actam in Conventu majore, quam συναγωγὴν μεγάλην [*Synagogam magnam*] vocari diximus, & in quam præter Synedrii Judices alii etiam magiſtratum gerentes vocabantur: ſicut & Gorionides narrat conveniſſe ſuper rebus gravioribus Senatum & minorem & majorem, id eſt, urbanum & communem populi. Joſephum igitur hunc oriundum quidem ab Arimathæa, cæterum domicilium & ſedem fortunarum ſuarum habentem Hieroſolymis (quo commigrare opulentiores ſolebant) credo fuiſſe Senatorem Senatus urbis Hieroſolymitanæ. Ideo non vocatur ἄρχων [*Princeps*], quod nomen erat τῶν συνέδρων *, ut Nicodemus Johann. III, 1. ſed βουλευτὴς, quæ duo etiam Joſephus in Belli Judaici hiſtoria diſtinguit lib. II, cap. XXIX. Βουλευτὴς à Latino Interprete non male vertitur *Decurio*. Sic & in Gloſſario vetere non uno, *Decurio*, βουλευτής. Putat Pomponius in colonis Romanis primum natam eam vocem, quod initio cum coloniæ deducerentur decima pars eorum qui ducerentur conſilii publici gratia conſcribi ſolita eſſet. Poſtea certe ad alias quoque urbes transferri cœpit, ut nos Leges docent & ἀμοιβαῖοι [*mutuæ*] literæ Plinii & Trajani, ubi corpus ipſum *Bule*, ejus participes in Bithyniæ urbibus *Decuriones* vocantur. Ipſa vox Græca *Bulenta*, ut à Syro Marci Interprete, ita apud eum quem dixi Plinium & Spartianum in Latino ſermone legitur. Quod vero putat vir doctus Joſephum hunc ex Pilati conſilio fuiſſe, id plane Romanis moribus repugnat. Nam Romanorum civium conſilio Præſides utebantur: imo etiam qui jus nacti erant Romanæ civitatis, in ea provincia ex qua orti erant adſidere vetabantur. Accurate autem hujus viri dignitas deſcribitur, ut videamus ſtatim à morte quædam gloriæ Chriſto deſtinatæ apparuiſſe initia. Honos enim et mortuo habetur qualis Jacobo gentis principi, cujus nomen in Prophetis ſæpe fert Chriſtus. Huic diſcipulus, qui item *filius* recte dicitur, illi filius, ambo Joſephi, ambo in dignitate poſiti, pollinctores. ¶ *ἀπὸ Ἀριμαθαίας, ab Arimathæa*] Quæ forte ארמה [*Arumæ* ſive *Ruma*] Jud. IX, 41. Plures ſunt voces ad hoc nomen accedentes, ut רמתים [*Ramathaim*] Ephraimitarum, I Sam. I, 1. רמה [*Ramath*], quæ & רמות [*Rameth*] & יערמות [*Jaramoth*] in Iſacharis parte, Joſu. XIX, 21. XXI, 29. alia רמת [*Ramath*] diſcriminis cauſa מצפה [*Maſpha*] dicta intra Gaditarum terminos, Joſ. XIII, 26. Rurſum רמה [*Rama* vel *Herma*] in portione Aſeritarum, Joſ. XIX, 29. Neque mirum id videri debet, cum vox ipſa nihil aliud quam *locum eminentiorem* ſignificet; unde quod in Hebræo Deut. III, 27. eſt פסגה [*Phaſga*] Chaldæus vertit רמתא [*Ramatha*]. Sed cum Lucas diſerte hanc vocet πόλιν Ἰουδαίων [*civitatem Judææ*], ubi non dubito quin Ἰουδαῖοι [*Judæi*] ſtricte dicantur ii qui circa Hieroſolyma habitabant, adducor ut credam deſignari hic oppidum Benjaminis רמה [*Rama*], memoratum Joſuæ XVIII, 25. Eadem putatur eſſe רמה [*Rama*] II Reg. XXIII, 36. Hanc ſuis temporibus *Remtin* appellatam Hieronymus & Euſebius tradunt. Syrorum eſt pro רמה [*Rama*] dicere ארמתא [*Armatha*]: quomodo Joſephus illam Ephraïmiticam Samuelis ſedem vocat Ἀρμαθὴμ [*Armatha*]. Sic *Cana* Syro eſt קנה [*Cánatha*]: & pro Hebræo קרית [*Kirja*], quod *urbem* ſignificat, Syri dicunt קרתא [*Cartha*], unde *Tigranocerta*, & alia ad eam formam. Simile eſt בהמתא [*Behamtha*] apud Chaldæum pro Hebræo בהמה [*Beham*] Geneſ. XIV, 5. & pro חדקל [*Hiddekel*], quod Hebræum nomen eſt Tigridi fluminis, omiſſa prima gutturali דגלתא *Diglito* apud Plinium. ¶ *ἐμαθητεύθη τῷ Ἰησοῦ. diſcipulus erat Jeſu*] Virquippe probæ vitæ, ἀγαθὸς καὶ δίκαιος [*bonus & juſtus*] Samuelis in Judiciali munere imitator, & Regnum Divinum per Prophetas promiſſum *avide exſpectans*, ut Marcus & Lucas docent; ac proinde veram agnoſcens Chriſti doctrinam, ſed, quod Johannes addit, profiteri eam non audens hactenus, metu prohibente. Ita videmus quomodo fidei ſemina, humanis vitiis oppreſſa aliquandiu, ſubito interdum erumpant, Deo ita diſponente occaſiones.

58. *ἐτήσατο τὸ σῶμα, petiit corpus*] *Eorum*, inquit Ulpianus *, *in quos animadvertitur corpora non aliter ſepeliuntur quam ſi fuerit petitum & permiſſum*. Faciles autem in hanc rem Romani Magiſtratus. Ulpianus dicto loco, *Corpora eorum qui capitis damnantur cognatis eorum neganda non ſunt*. Diocletianus & Maximianus, *Obnoxios criminum digno ſupplicio affectos ſepulturæ tradi non vetamus*. Verri inter alia objicitur à Cicerone quod *ſecuri percuſſorum corpora ferè objeciſſet*, aut *pretio* vendidiſſet *ſepeliendi poteſtatem*. Excipit Ulpianus dicto loco *Majeſtatis damnatos*: unde colligi poteſt Pilatum Chriſto non tam majeſtatis (quippe nequaquam credibile) quam ſeditionis crimen adſcriptum voluiſſe. Quanquam & perduellionis damnatis indulta interdum ſepultura, ut his qui cum Catilina conjuraverant. Nam, ut bene Fabius declamatione VI. tractans hoc argumentum de ſepeliendis facinoroſis, *etiamſi quæ ſunt jura quæ obſtent, ſi tamen anguſtus ſaltem detur acceſſus per quem intrare humanitas poſſit, vera clementia occaſione contenta eſt*. Corpora tamen crucifixorum, etiam latronum, ſolebant aliquandiu in cruce ſervari oſtentui, ut ex Petronio diſcimus. Sed quia cum Judæorum inſtitutis pugnabat corpora peremtorum ultra veſperam oſtentari, Deut. XXI, 23. credibile eſt Præſides Romanos ea in re, ut in multis rebus aliis, ſecutos morem regionis. Joſephus, Τοσαύτη Ἰουδαίοις περὶ τὰς ταφὰς σπουδὴ παρῆν ὥστε καὶ τοὺς ἐπὶ κατάδικοις ἀναστανρωθέντας πρὸ δύσεως ἡλίου ἀνελεῖν τε καὶ θάπτειν [*Tanta Judæis cura ſepulturæ ut etiam poſt damnationem ſuſpenſos ante Solem occaſum tollerent & humarent*]. Quare non hoc proprie rogatum à Judæis, Joh. XIX, 31. ut ante noctem corpora demerentur, ſed ut paulo maturius, ne milites in eo opere occupatos initium Sabbati deprehenderet. Nam majoris cautionis ergo hora ferme una ante Solem occaſum Judæi otium ſuum auſpicabantur; ac tunc quidem eo religioſius, quia qui imminebat dies feſtus erat, etiam abſque Sabbato fuiſſet.

59. *σινδόνι καθαρᾷ. in ſindone munda*] Hebræa vox סרין, quo ſignificatur non *ſericum*, quod nos nunc ſimili voce appellamus (nam cum ſerico ſepeliri ne quidem Senatus Princeps poterat), ſed operimentum ex lino pretii haud magni, ut à Gamaliele ſeniore inſtitutum notant Hebræi: quod & ex ea hiſtoria colligere eſt quæ extat apud Marcum XIV, 52. Sindonem è lino fuiſſe teſtis inter Græcos Pollux, inter Hebræos David Kimchi. Quædam ſindones ex byſſo, Herodotus Ægyptiorum pollincturam deſcribens, λούσαντες τὸ νεκρὸν καπαλίσουσι πᾶν αἰνῷ τὸ σῶμα σινδόνος βυσσίνης [*corpus mortui lotum totum involvunt in ſindone byſſina*]. Quanquam autem unum nominat Matthæus, præcipuum videlicet, quo corpus involvebatur, plura tamen fuiſſe certum eſt: quare ὀθόνια [*lintea*] recte dixit Johannes XIX, 40. & XX, 6. inter quæ erat & ſudarium velando capiti, quod à reliquis operimentis diſtinguit Johannes XX, 7. Idem in Lazari hiſtoria oſtendit præter ſudarium fuiſſe & κειρίαι [*infulæ*], de quibus ſuo loco agemus XI, 44. Ὀθόναι [*amicula*] apud Homerum interpretes exponunt ὑφάσματα λινᾶ [*è lino texta*]. In Gloſſario eſt, Ὀθόνη, *linteamen*: & alibi, Σινδὼν [*ſindon*], *tunica linea*. Nonnus de Lazaro,

Καὶ λινέῃ πετάσαρο καλύμματι πυκλάδα κάρηνα.
[*Lineus illi orbem capitis velabat amictus.*]

60. *ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ. quod exciderat in petra*] Is enim mos erat Judæorum è rupe ſpecum *excavare* condendis corporibus, ut obſervavit vir ſummæ eruditionis ac diligentiæ. Λαξόστον μνῆμα [*monumentum exciſum*] Lucas dicit: Hebræis מערה. Nam λατομεῖν *excavare* eſt Lxx Interpretibus Deu-

ter.

* [*eorum qui in Synedrio*]

* *L. 1. ff. De cadav. punit.*

ter. VI, 11. ubi de ciſterna: & Eſaiæ XXII, 16. ubi de ſepulchro: & Straboni, qui Hieroſolyma deſcribens ait πέφρον λατομητὸν ἔχων [*foſſam habens exciſam*]. Idem in Ægypti deſcriptione, ὑπὲρ τὸ Μεμνονεῖον ἴχνη βασιλέων ἐν σπηλαίοις [*ultra Memnonium in ſpecubus Regum loculi*]. Hæc autem omnia tam exacte notata ſunt ab Euangeliorum Scriptoribus, quia valde pertinent ad ſtabiliendam fidem de Chriſti morte & reſurrectione; in quibus duobus capitibus velut fundamentum totius Chriſtianiſmi continetur. Vide Paulum 1 Cor. XV, 3, 4, 5. & orationes Apoſtolorum paſſim in Actis. ¶ προσκυλίσας λίθον μέγαν, *advolvit ſaxum magnum*] גלל Thalmudiſtis. Polybius, ὑ μὲν οὖν κομίσαντες αὐτὸν εἰς τὸ καλούμενον ἡφαιστεῖον οἴκημα κατάγειον, ὅπου πυρὸς λαμβάνουσι καὶ φῶς ἔξωθεν, ὅπου ὕδωρ ἔχουσι, καὶ μεγάλῳ λίθῳ ἀπεμοχλεύσαντες καταβιβάζουσι κατέθεντο [*verum portantes eum in locum ſubterraneum, cui Theſauro nomen, qui locus nec ventos nec lucem accipiebat, nec januam habebat, ſed magno ſaxo quod verti poſſet claudebatur; ibi depoſuere*].

62. μετὰ τὴν παρασκευήν, *quæ eſt poſt Paraſceven*] Intelligit primam ſeptem ἀζύμων [*Azymorum*], cujus παρασκευὴ erat is dies quo agnus edebatur. Quia enim dies edendi agni erat celeberrimus, ideo non male conſequens dies ab eo nomen accepit; ut & Exodi XII, 14, 15. Alioqui Sabbatum ordinarium non conveniebat notari ex proſabbato. ¶ οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, *principes Sacerdotum & Phariſæi*] Non potuit eo die Synedrium haberi; ideo nec πρεσβυτέρων [*Seniorum*] nec γραμματέων [*Scribarum*] hic fit mentio. Sed privato conſilio Sacerdotum principes quidam & Senatores aliqui Phariſaicæ factionis Pilatum convenerunt, tanquam acturi de negotio ad ſummam rempublicam pertinente: nec difficulter ab eo impetrarunt rem in qua ille nihil ſitum exiſtimabat. Videmus autem credidiſſe tunc Judæos, quod & nunc credunt eorum doctiſſimi, otii Sabbatici lege alienigenas non teneri, cum ipſi auctores ſint Romanis ut ea faciant quæ ab Judæis ſalva Sabbati religione expediri nequibant.

63. ὁ πλάνος, *ſeductor ille*] מסית. Hoc cognomen referre ſolent veræ ac ſolidæ pietatis magiſtri ab hominibus lucifugis. Ita Judæos quoſdam de Chriſto dixiſſe ait Johannes, πλανᾷ τὸν ὄχλον [*ſeducit turbas*], VII, 12. Apud Lucam legati Synedrii accuſant Jeſum ut διαστρέφοντα τὸ ἔθνος [*ſubvertentem gentem*] XXIII, 2. id eſt, מעוה את [*ſubvertentem Iſrael*], ut de Elia dicebat Achab. Nam & ibi Lxx habent, ὁ διαστρέφων τὸν Ισραηλ. Juſtinus adverſus Tryphonem narrat ab Judæis Paleſtinis miſſos legatos ad Synagogas poſt Jeſu mortem, κηρύσσοντας ὅτι αἵρεσίς τις ἄθεος καὶ ἄνομος ἐξανέστη διὰ Ιησοῦ τινος Γαλιλαίου πλάνου [*vulgantes ſectam quandam excitatam, impiam & Legi adverſam, ab Jeſu Galilæo impoſtore*]. Paulus II Cor. VI, 8. ait ſe aliosque Apoſtolos habitos ut πλάνοι [*ſeductores*]. idem à Philoſophis vocatur σπερμολόγος, ξένων δαιμονίων καταγγελεὺς [*circumforaneus, novorum numinum annuntiator*], Actor. XVII. 18. Similibus vocabulis Chriſtum ejuſque Apoſtolos Celſus vocabat ut ex Origene apparet. Ulpianus, qui de pœnis Chriſtianorum libros aliquot ſcripſit, cum dicit, *ſi, ut vulgari verbo impoſtorum utar, exercizaverit*, Chriſtianos haud dubie notat; forte & Judæos. ¶ ἔτι ζῶν, *dixit adhuc vivens*] Nunquam id Chriſtus aperte ipſe dixerat. Sed quæ de Jonæ ſigno & de Templo obſcurius dixerat, animus male ſibi conſcius in eam quam timebat partem interpretabatur: niſi forte etiam de familiari ſermone Judas aliquid prodidit. ¶ Μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *Poſt tres dies*] Id eſt, *Intra tres dies:* בעוד שלשת ימים Geneſ. XL, 13. ubi Lxx ἔτι τρεῖς ἡμέρας [*adhuc tres dies*], cum tamen quod ibi dicitur impletum ſit ipſo die tertio, ut apparet ibidem commate 20. Ita Chriſtus ipſe apud Marcum VIII, 31. dicit oportere ſe μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι [*poſt tres dies reſurgere*]. Ita שנים שנה בעד Deut. XV, 1. Lxx vertunt δι' ἑπτὰ ἐτῶν [*per ſeptem annos*] (quomodo & Joſephus loquitur; & ſupra XXVI, 61. & Marci XIV, 58. ſcriptum eſt διὰ τριῶν ἡμερῶν [*per triduum*]). at eadem verba Hebræa, ubi de eadem re agitur Jerem. XXXIV, 14. Græce non tam κατὰ λέξιν [*ad verbum*] quam κατὰ διάνοιαν [*ad ſenſum*] vertuntur ὅταν πληρωθῶσιν ἔτη [*cum completi fuerint ſex anni*], quomodo & Rabbinorum eruditiſſimi exponunt Abraham & Kimchi. At Deuteronomii XXXI, 10. Hebraiſmo retento verterunt μετὰ ἑπτὰ ἔτη [*poſt ſeptem annos*]. Simile eſt Joh. XX, 26. μεθ' ἡμέρας ὀκτώ [*poſt dies octo*], ubi Syrus ut & hoc loco illud μετὰ [*poſt*] reddidit verbum verbo בתר [*inter*], cum apud Marcum explicet per ב, quod reſpondet voci ἐν [*in*].

64. καὶ ἔσται ἡ ἐσχάτη πλάνη χείρων τῆς πρώτης. *& erit noviſſimus error pejor priore*] Locutio proverbialis, ut ſupra XII. 45. Lucæ XI, 26. II Petri II, 20.

65. Ἔχετε κουστωδίαν· *Habetis cuſtodiam*] *Habetis:* ita recte Latinus & Syrus; non, *Habete*. Senſus omnino eſt, Habetis cohortem quæ hoc tempore ad omnes tumultus arcendos veſtro imperio commiſſa eſt: ea utimini pro arbitrio. Nam quanquam proprie ea cohors Templo ſerviebat, tamen etiam alibi ejus uſum fuiſſe docet ipſa prehenſio Chriſti. *Cuſtodia* vocantur hic qui Joſepho φύλακες [*cuſtodes*], ut ex loco ante citato appareret. Ita Tibullus, *Cuſtodia victa eſt*, id eſt, cuſtos. Et Tertullianus de hac ipſa hiſtoria agens, *Cuſtodia pavore dejecta.* Atque ita recte hic accepit Arabs: cum alioqui *cuſtodia* Latine & *locum* & *eum qui cuſtoditur* ſignificet. Vox hæc Græca facta ex Latina apud Hiſtoricos & Lexicographos invenitur. Verum eſt quod vir raræ diligentiæ & doctrinæ Nicolaus Fullerus nuper obſervavit, cum Syrus hic pro *cuſtodia* poſuit נטורא, non voluiſſe eum vocem *cuſtodia*, ſed alteram recentioris Latinitatis exprimere, *Quæſtionarii* ſcilicet; quomodo poſteriori ævo vocati ſunt οἱ βασάνων ὑπηρέται [*tormentorum adminiſtri*]· quo ſenſu ea vox tum alibi exſtat tum apud Juvenalis Scholiaſten Sat. VI. & apud Hieronymum ad Pſalm. CVII. & in edicto Valentiniani, Theodoſii & Arcadii, quod edidit vir Reverendus Jacobus Sirmondus. Unde etiam apparet non tam antiquum eſſe hunc Interpretem quam Syri credunt, ſed ſententiam non ſatis expreſſit. Nam & qui Chriſti ſupplicii exactores adfuerant non erant peculiariter ei miniſterio addicti, ſed delecti ad hoc milites ſub Centurionis imperio. Theophylacto Κουστωδία ἐξήκοντα ἐκ στρατιωτῶν [*Cuſtodia eſt militum ſexagenta*] ut Σπεῖρα διακοσίων [*Cohors ducentorum*]. At vero de his non agit Pilatus qui jam expletum id officium renuntiaverant, ſed de illis qui Judæorum primoribus eo tempore attributi erant adverſus omnes νεωτερίζοντας [*qui res novas moliri poſſent*]. ¶ ὡς οἴδατε, *ſicut ſcitis*] Ut fieri oporteat pro ſollertia veſtra judicabitis.

66. σφραγίσαντες τὸν λίθον, *ſignantes lapidem*] Ita in Danielis hiſtoria VI, 17. Καὶ ἤνεγκαν λίθον ἕνα, καὶ ἐπέθηκαν ἐπὶ τὸ στόμα τοῦ λάκκου· καὶ ἐσφραγίσατο ὁ βασιλεὺς ἐν τῷ δακτυλίῳ αὐτοῦ [*Allatuſque eſt lapis unus & poſitus eſt ſuper os laci: quem obſignavit Rex annulo ſuo*]. Joſephus in eadem hiſtoria ait illos σφραγίσαι τὸν ἐπὶ τῷ στόματι κείμενον αὐτῷ λίθον [*ſignaſſe eum lapidem qui pro oſtio erat in ore ſpecus*]. Hoc autem Danielis loco adducor ut credam Pilati annulo & hunc lapidem ſignatum, hoc Deo agente ut res anteactæ rei Chriſti undique adumbrarent. Quemadmodum publica ſigilli fide conſtitit Danielem nulla ope humana periculo exemtum, ita ſimili fide conſtitit Chriſti corpus nulla humana manu exemtum ſepulchro. Adde Apocal. XX, 3. ¶ μετὰ τῆς κουστωδίας. *cum cuſtodibus*] Conſtruendum eſt cum verbo ἠσφαλίσαντο [*munierunt*] eo ſenſu quem Tertullianus exprimit, *Sepulchro conditum magna militari manu cuſtodia diligentia circumſederunt.* Quare iſtud σφραγίσαντες τὸν λίθον [*cum lapidem ſignaſſent*] accipiendum eſt per modum παρεμβολῆς ſive μεταλήψεως [*interpoſitionis*].

PRICÆUS.

Com. 1. Συμβούλιον ἔλαβον] Sic ſupra 12. 14. Vetus (pro more ſuo) erudite, *conſilium inierunt.* Apud Plaut. Capteiv.

Conſilium iniere quo vos, &c. vita prohibeant. Eſt autem hcic συμβούλιον λαμβάνειν, non (ut recte Vir ſummus monuit) ſenatus vel concilium convocare, ſed inſidiantium doloſque ſtruentium ritu capita conferre: ψιθυρίζεσθαι ἢ λογίζεσθαι κακά· ut Pſal. 41. Apul. 4. *Capita conferunt, in meamque perniciem illico conſentiunt.* Marcus συμβούλιον ποιήσαντες, ubi & optime Vetus Interpres *conſilium facientes.* Cicero Orat. poſt reditum ſuum, *Cum A. Gabinio conſociare conſilia peſtis mea.* Sic *conſilia & commutationes inter ſe facere* Quadrigarius apud Gellium dixit. Act. 9. 23. συμβουλεύεσθαι dicitur.

Com. 3. μετεμελήθη] Juvenalis 13.

Cum ſcelus admiſit fuerat conſtantia, quid ſit
Atque nefas tandem incepit ſentire peracto
Crimine ——

Tacitus de Nerone occiſa Agrippina, *Perfecto demum ſcelere magnitudo ejus intellecta eſt.* Curtius de R. Alexandro conſolo Clyto, *Poſtquam ira mente deceſſerat, &c. magnitudinem facinoris ſera æſtimatione perſpexit.* Plutarchus in De ſera Numinis vindicta, Τὸ θεῖον ἐπὶ πολλοῖς ἀνέχει τῶν ἀδικημάτων ἰσχυρὸν ὄν, καὶ κρατοῦν, ἔστι δ' ὅτε καὶ παθεῖν ἀνάγκη πνεύματος ὑπολειπομένου, ἀθυμίᾳ τινὶ καὶ πτοήσει τοῦ φόβου καὶ δεισιδαιμονίας. Apud Quintilianum ille 4. Declam. *Venit ille neſcio quis ardor, non ſentio, &c. tunc omnia incipio ſcire cum geſta ſunt.*

Se-

Sequitur, *ἀπήγξατο τὶ τελευτᾷ λέγεται*, &c.] Sceleſtus ille apud Achillem Tatium lib. 7. Ἔλαθον χρυσὸς ἱκανὸν ἀφεὶς Μελίτης τῇ Θερσάνδρᾳ γυναικὶ, ἄνυμφος γάρ με τὴν ἑαυτοῦ ἐμισθώσατο· ἀπῆλθε, σὺν χρυσὸς ὑμῖν σὺν ἱκανὸν φίλτρον, &c.

Com. 4. *τί ἐμοὶ πρὸς ὑμᾶς*] Gloſſ. *Quid mea? τί ἐμοὶ πρὸς με*; Recentior, *quid ad nos?* religioſe nimis. Ut licentius, ita eruditius Vetus, *Quid id ad nos?* Cato apud Gellium, *ſine ſume ſuperbi, quid id ad nos?* Cicero ad Atticum, *Quid id ad me? inquies.*

Sequitur, Σὺ ὄψῃ] Locutio curam vel culpam amolientis à ſe. Apuleius 9. *Tecum ipſa videris.* Seneca 2. 14. De benef. *Viderit, de ſe, non de me queretur:* & 7. 18. *Viderit, penes illum erit culpa, non penes me.* Act. 18. 15. *αὐτοὶ ὄψεσθε.* Adde infra hic com. 24.

Com. 5. *καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο*] Lucas tamen *καὶ πελὼν μετῳκήσατο ἰλαρὸν μίσος*, *καὶ ἐξεχύθη ὅλα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ*, Act. 1. 18. Quæ quam diverſa ſonant in promptu omnibus. Diſſonantiam ut quoquomodo conciliarent nonnulli ex Veteribus, quædam de rupto laqueo commenti ſunt. Quintilianus 17. Declamat. *Strictos circa collum laqueos aut nexum, aut ipſius corporis ruina decepit.* Quæ heic minime locum habuiſſe (atque id recte quidem) conſentiunt eruditi homines: *ἀπάγχεσθαι* ergo exponunt, non *laqueo præfocari*, ſed *vi ac impetu mœroris vitam evadere. Solo dolore mori* Lucanus dixit: Ovidius mente non abſimili,

Strangulat incluſus dolor. ——

Sane ſic fumi vocem eam quandoque non inficias eundum: quo præter adductos ab iis locos ſpectat apud Ælianum ille, Σωκράτης κωμῳδούμενος ἐγέλα, Πολίαχος δ' ἀπήγξατο· id eſt, *præ ira mortuus eſt*, aut, *præ mœrore:* ſic enim debere intelligi præcedentia clamant, Σκώμματα μόνον ἐλύπησε πολλοὺς, οὐδὲν δὲ ἀπέκτεινε. Vide & eundem 4. 1. Sed nec ſic difficultas tollitur: cujus enim qui mœrore vivere deſiit unquam viſcera effuſa ſunt? aut cum *ῥήγνυσθαι*, *ἐκγινόμενος ἀπάγχεσθαι* (quod apud Arrianum 2. 20. in Epictet. eſt,) & apud Latinos *dirumpi*, & ſimilia occurrunt, credemus inteſtina excidiſſe? ac non potius figuratum loquendi genus eſſe, ideo uſurpatum quod immaniter turgentia quæque minari diruptionem ſolent? Quid ergo? aut qualem *τὸ ἀπάγχεσθαι* habere ſignificationem dicemus? Ego quidem nullam mortis ſpeciem hoc loco voce ea indicari crediderim, ſed animi tantum angorem & ægritudinem, (unde apud Chryſoſtomum Homil. 22. ad Antiochenos, *τῷ συνεδίῳ ἀπάγχεσθαι* quo pertinent & illa Artemidori, Ἀπάγχεσθαι, ἢ ἑαυτὸν ἀναρτᾶσθαι, θλίψεις καὶ συνοχὰς σημαίνει) ejuſmodi tamen ægritudinem quæ præ exceſſu & non ferenda nimietate mortem accerſivit. Eſt ergo mihi in hac narratione *ἀπαγχεσθῆναι* quod apud Apulejum *facineris conſcius mori cupere:* quod apud Juſtinum lib. 12. de Alexandro poſt occiſum à ſe Clytum, *mori velle:* quod apud Gellium 7. 18. (ubi de captivis qui ad Hannibalem dejurio vincti non reverterunt, & ob id Romanis ipſis inteſtabiles habiti ſunt) *tædium vitæ capere*; aut (quod Idem de Mileſiis virginibus loquens) *voluntatem mortis obtenda.* Et hæc ἐν παρηγορίᾳ. Conciliatis jam ad aliquid Lucæ & Matthæi verbis, videamus quod genus βιοθανασίας proditor conſcivit ſibi. Puto ergo non *mœrore* eum è vivis abiiſſe, multo minus *ſuſpendio*, ſed alia mortis via, *præcipitio* nimirum. Ad quam ſententiam firmandam duo aſtruenda ſunt: quorum alterum eſt, hominibus malo Genio & intemperiis actis fuiſſe id genus exitii ſolenne admodum: alterum, præcipitio interemptis viſcera effundi ſolita. Utrumque adductis Auctorum locis lucide oſtendemus, etſi poſterius illud ſine ullis teſtimoniis & auctoritatum adminiculis ſit vel ipſi communi ſenſui ac rationi expoſitum ſatis. De priore ſic Horatius,

Veles modo altis deſilire turribus, &c.
Faſtidioſa triſtis ægrimonia.

Apud Senecam Phædra,

Decreta mors eſt, quæritur fati genus:
Laqueone vitam finiam, an ferro exigam?
An miſſa præceps arce Palladia cadam?

Apud Terentium ille,

—— *Occidi:*
Utinam mihi eſſet aliquid hic quo nunc me præcipitem darem.

Captiva apud Apulejum puella lib. 4. *Hem, nunc certe, nunc maxime funditus periі*, &c. *laqueus, aut gladius, aut certe præcipitium proculdubio capeſſendum eſt.* Idem de eadem, *At illa ſtudioſe gradum celerans, montis extremum petit tumulum, certe vel illic inventura peſſimum vitæ finem.* Idem 7. *Inedia denique continua, vel præcipiti ruina memet ipſe quærebam exſtinguere.* Apud Euripidem Hercules jam mentis compos occiſis liberis,

Οἴμοι, τί δή γε φείδομαι ψυχῆς ἐμῆς,
Τῶν φιλτάτων μοι φροῦδον· παίδων φονεύς;
Κἄτα εἰμὶ πέτρας λιπὰς δ' ἐς ἅλμαν ἐ

Plutarchus in Parallelis de Valerio, Ἀθυμήσας, (ἑαυτὸν) καὶ τῶν αὐτῶν ἐρρύψε πραγμάτων —— Arnobius de Simone Mago, *Pudore deſeſſus (ἀπαίχθεις) ex altiſſimi culminis ſe præcipitavit faſtigio.* Tranſeamus ad quod ſecundo loco affirmavimus, inteſtinorum effuſionem nempe. Seneca, *Sive fauces nodus eliſit, ſive ſpiramentum aqua præcluſit, ſive in caput lapſos ſubjacentis ſoli duritia comminuit.* Lucanus,

Hic ſe præcipiti jaculatum pondere, dura
Diſſiluit percuſſus humo. ——

Rectè *diſſiluit*, & ad hanc hiſtoriam appoſite: nec minus appoſite in Gloſſario, *Diſſiluit*, Ἐλάκησεν. Apuleius de latrone ab anu præcipitato, *Super quendam vaſtiſſimum lapidem propè jacentem decidens, perfracta diſſiſſaque crate coſtarum*, &c. *vitam evaſit.* Idem de ſorore Pſyches quæ è ſcopulo ſe præcipitem dederat, *Per ſaxa cautium jactatis atque diſſipatis membris, ac perinde ut merebatur laceratis viſceribus ſuis*, &c. *interiit:* & alibi, *Vides iſtam rupinas, & præcutas in his præeminentes ſilices, quæ te penetrantes quoquo decideris, membratim diſſipabunt?* Conſer quæ & 2 Maccab. 14. 46. de Rhaſi Hebræo. Nemo autem cavillis agat, nullus ludos faciat quod his locis diſtricte non exprimatur *inteſtinorum effuſio*, cum & hæreat naturæ rei ipſius conſentanea ſuapte ſequatur, taciteque inſinuetur etiam vocabulis iis *comminuendi, diſſiliendi, diffindendi, lacerandique*, quæ omnia vim habent τοῦ ἐλάκησεν. Μίσος autem (ne cui negotium faceſſat dictio ea) mera δεινώσις eſt, elegantiæ & efficaciæ orationis inſerviens tantum. Homerus. Odyſſ. ε'.

—— μίσσον δ' οἱ ἰσὸν ἔαξε
Δουρὶ μεγαλήτορι πνείοντι ἐλάσσας ἡνίοχα.

Lucas 23. 46. Ἐξέπνευσε τὸ ἐκπέτασμα τοῦ ναοῦ μέσον. Plaut. Caſ.

Ædepol ego illam mediam diſruptam velim.

Idem Curcul.

Nihil metuo niſi ne medium diſrumpar miſer!

& Rud.

Iratus videor mediam arripere ſimiam,
Concludo in vincula beſtiam nequiſſimam.

Lucilius,

Jam diſrumpetur medius, jam ut Marſi' colubrum
Diſrumpit cantu, venas cum extenderit omnes.

Terent. Andria, *mediam mulierem amplectitur.* Cicero Verr. 7. *Hominem proripi, atque in foro medio nudari*, &c. *jubet.* Virgilius,

Ecce fuga medio ——

ubi Servius, *Dum fugit, inter fugam: Figuratum eſt, ut, Laurus erat tecti medio.* —— Idem, *Omnia vel medium fiant mare.* —— Servius, *Ut nihil ſit niſi mare.* Hujuſmodi de hoc Matthæi loco eſt conjectura noſtra, pro qua etſi *gladiatorem* non agimus, forſan *ſecutores* habebimus.

Com. 11. ἔστη ἐμπροσθεν τοῦ ἡγεμόνος] Ἔστη judicialis vox eſt. Act. 24. 20. σύνοιδε μοι ἐπὶ συνεδρίου. 25. 10. ἐπὶ τὸ βῆμα τοῦ Καίσαρος ἑστώς εἰμι· & 26. 6. ἕστηκα κρινόμενος· ſic *ſtare* apud Latinos. Horatius,

—— *Intereram ſi*
Aut valeo ſtare, aut novi civilia jura.

Gellius, *Deliberatum eſt de nota ejus qui*, &c. *in jure ſtans clare nimis & ſonore oſcitavit.*

Poſt, Σὺ λέγεις] *Rem ac veritatem ipſam dicis:* ita enim capienda iſta: apud Plautum Perſ.

—— *rem loquitur meram.*

Idem alibi, *Nullus ſum. Imo es. Scio jam miſerum dices. Tu dixti.*

Com. 16. *δέσμιον ἐπίσημον*] Sic in l. 3. §. 1. ff. *de offic. Præfect. vigil.* & l. *capitalium* ff. de pœn. *famoſum latro.* Apuleji 7. *famoſus prædo:* & 9. *latro inclytus.*

Com. 18. Διὰ φθόνον παρέδωκαν αὐτόν.] Ζηλώσαντες ἀπέδοντο, Act. 7. 9. Apuleius 10. *Invidia nequissima facilionis circumventus.* Idem 7. *Hunc insimulatum quorundam astu projecit exterrem saviens invidia:* & in Apologia, *Neque enim ulla alia causa prater cassum invidiam reperiri potest, qua judicium istud mihi, &c. conflavit.*

Com. 19. μηδὲν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ.] Satis Græce. Arrianus 4. 2. in Epictetum, Ἀπάγωσι, δεσμεύσωσι, μηδὲν σοι καὶ αὐτοῖς. Demosth. οὐδὲ ςυφ. Δημοσθένης δ' μηδὲν εἶναι σοι καὶ φιλίππῳ πέπραμαι.

Eodem com. πολλὰ γὰρ ἔπαθον σήμερον, &c.] Παράδοξα nempe, ut Lucas 5. 26. in alia historia loquitur. Quintil. Decl. 13. *Multa dictu visuque miranda.* Plinius in narratione Vesuvii flagrantis, *Egressi tecta consistimus, multa ibi miranda, multæ formidines patimur.* Epist. lib. 6. In Aureliano Vopiscus vocat *monstra speciebusque divinis implicari.*

Com. 23. τί γὰρ κακὸν ἐποίησε;] Designate aliquod malum facinus ejus, neque enim clamores & indefinita accusatio reum peragunt. Aristides pro quatuor, Ὀρθῶς ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸ σῶμα, ἀξιώσας Δημοσθένους ἔχειν τὰς τε δίκας καὶ τὰς γραφάς· ἔδωκε δέ μοι ὁ δῆτα τὸ καὶ τὸ ποιῆσαι, καὶ τὸ δι' ὅτι παράγραμμα, ἢ ἄν τις ἄλλο κατηγορῇ, τὸν αὐτὸν τρόπον φέρειν. Ad locutionem spectant illa 1 Sam. 26. 18. Τί ἡμάρτηκα; τί εὑρέθη ἐν ἐμοὶ ἀδίκημα; & 20. 30. ἵνα τί ἐκπορεύεσθε; τί πεποίηκε; Arrian. 2. 14. in Epictetum, Τί σοι ἐγὼ κακὸν πεποίηκα; Salvianus in Epistolis, *Obsecra & supplex dicito, Quid feci? quid commerui?* Plin. 4 Epist. 11. *Præterea Celer Eques Romanus, cui Cornelia objiciebatur, cum in comitio virgis caderetur, in hac voce perstiterat, Quid feci? nihil feci.* Tacitus de Galba, *Extremam ejus vocem ut cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere. Alii suppliciter interrogasse, quid mali meruisset.* Gellius 1. 26. *Cæperat verberari, obloquebatur non meruisse ut vapularet, nihil mali, nihil sceleris admisisse.*

Sequitur, οἱ δὲ περισσῶς ἐκραζον.] Vere Declam. 18. Quintilianus, *Contentiosus loquuntur maligni quod probare non possunt, & affirmationem sumit ex homine quod non habet ex veritate.* Similem pervicaciam 1 Sam. 18. 9. vide. Dixit Epictetus, καθάπερ ὑπὸ κλαγγῆς χοιρῶν, ὑπὸ βλακῆς καταπλήσσεται (lege καταπλήσσεται) σεμνύεται, ὅταν ὑπὸ πλήθους ἀνοήτου τις δεδοξάσθαι φωνῆ· quod, si ulli hominum ordini, servandum præcipue justitiæ Antistitibus, quos oportet esse erectos, arduos, vi ac majestate æquitatis veritatisque terrificos, evenit tamen ut nonnunquam clamoribus improborum cedant, non (ut iniquus ille Luc. 18.) ad ulciscendam, sed ad inferendam injuriam: imo cum hominis (idque justi) caput agitur, ad extremam pœnam decernendam.

Com. 24. ὅτι μηδὲν ὠφελεῖ, ἀλλὰ μᾶλλον θόρυβος γίνεται.] Marc. 5. 26. Μηδὲν ὠφεληθεῖσα, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸ χεῖρον ἐλθοῦσα.

Ibid. λαβὼν ὕδωρ, ἀπενίψατο.] Ovidius,

O nimium facilis qui tristia crimina cædis
Tolli fluminea posse putabat aqua!

Manuum ablutione autem non Hebræi tantum, sed & οἱ ἔξω puros se atque innocentes testari solebant. Porphyrius cum mel καθαρτικὸν δυσαμον habere dixisset, addidit, Ὅταν μὲν ἐν τοῖς τῶν Λευιτικῶν μυαμβίοις εἰς τὰς χεῖρας ἀπὸ ὕδατος (μελι) νίψασθαι ἰσχύσῃ, λοιπὸν πάντως λυπηρὸν, καὶ βλακῶδες, καὶ μιαρὸν καθαιρεῖν ἔχειν τὰς χεῖρας ἀδυνατεῖ ἐκεῖνον.

Sequitur, Ἀθῷός εἰμι ἀπὸ τοῦ αἵματος τούτου.] In historia Susannæ, Καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος τούτου. Act. 20. 26. καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος πάντων· adde Act. 18. 6.

Com. 25. τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς.] Formula in seipsos *periculum* recipientium. Gen. 27. 13. Ἐπ' ἐμὲ ἡ κατάρα σου· vel etiam *incommodum*, Judic. 19. 20. Πᾶν τὸ ὑστέρημά σου ἐπ' ἐμέ. Præcipue autem huic quadrat imprecatio illa apud Demetrium Sophoclis Scholiastem,

Ἡμῖς μὲν οὖν ἢ δι' ἰῶ ὁ δι' ἅλιγχε τύχαν
Θανόντος ἂν σφεῖν εἰμεθ' ἐχθίστῳ μόρῳ.

Post, καὶ θεὸν τὰ τέκνα ἡμῶν.]

—— *Dii capiti ipsum generique reservent.*

Mox, πεφίλωκεν ἵνα σωφρονῇς.] Quod Act. 25. 16. εἰς ἀπώλειαν ἐχρημάτισεν.

Com. 28. περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην.] Ludibriose. Vopiscus de Proculo, *Cum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies Imperator exisset, quidam non ignobilis scurra, Ave, inquit, Auguste,* (quod huic sequ. com. χαῖρε ὁ βασιλεύς) *allatoque lena* (fors *lena*) *purpurea, humeris ejus injecit, eumque adoravit:* quod hic γονυπετήσαντες, &c. Pro χλαμύδα κοκκίνην Marcus & Joannes habent περφύρεον· qui colores distincti tamen, sed regis uterque eorum. Apud Julium Capitolinum Commodus ad Albinum, *Ut tibi insigne aliquod Imperialis majestatis accedat, habebis utendi coccineo pallii facultatem me præsente, &c. habiturus & purpuram.* Apoc. 19. 4. περφύρᾳ καὶ κοκκίνῳ σκεύεσι κεκοσμημένη. At verum est ob affinitatem & fere promiscuum usum colorum istorum Euangelistas crassius & communius locutos. Obiter proponatur conjectura in eodem Vopisco. Ait in Firmi Vita, *Non enim scimus quales mulos Clodius habuerit, aut mulas T. Ann. Milo: aut utrum Tusco equo sederit Catilina, an Sardo: vel quali chlamyde Pompeius usus fuerit, an purpura.* Casaub. *aut purpura* emendabat: ego locum aliquando mutilum existimabam, & commode posse integrari ad hanc faciem, *Vel quali chlamyde P. n. f. coccinea, an purpurea.*

Com. 29. ἐνέπαιζον αὐτῷ.] *Ut quantum in ipsis esset, non minus doloris ex ludibrio quam ex ipsa morte pateretur:* verba sunt Anonymi veteris in Panegyrico. Tacitus de Christianis loquens, *Pereuntibus addita ludibria. Illudere* autem in re non dissimile dixit & Curtius, ubi de paupere Abdolonymo; ad quem *cum introirent cum insignibus vestis regiæ missi, somnio similes res videbatur ei: interdum satisne sani essent qui tam proterve sibi illuderent percontabatur.*

Com. 30. ἐμπτύσαντες εἰς αὐτὸν, &c.] De Phocione ad mortem ducto Plutarchus, Σιωπῇ βαδίζοντι τῶν ἐχθρῶν τις ἐνέπτυσεν εἰς πρόσωπον. Seneca cap. 13. ad Helv. *Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides, cui quisque occurrebat, dejiciebat oculos, &c. inveniri est tamen qui faciem ejus inspueret.* Idem alibi de Catone, *Voces improbæ, & sputa, & omnes alias insana multitudinis contumelias pertulit.*

Com. 32. ἐξεχώρουν.] Extra urbem. Notatis à Viro incomparabili accedant Heliodori ista, Ἥρπαζον ἐν σπουδῇ πρὸς τὸ δημόσιον, ἢ μικρὸν ἢ τοῖχος ἐκτὸς ἦν, &c.

Com. 35. διεμερίσαντο, &c. βάλοντες κλῆρον.] Joel. 3. 3. eadem copula, Τὸν γιὸν μου κατεδουλεύσαντο, καὶ ὅτι τὸ κορίτσι μου ἔδωκαν κληρω.

Com. 39. οἱ δὲ παραπορευόμενοι ἐβλασφήμουν.] Philo de Legg. special. 2. Ἀθρόαις τιμωρίαις, σπουδῇ καὶ ὁρμῇ, καὶ τῷ δοκεῖν τὸ προσήκοντι ποιεῖν, &c. βιαζόμενοι.

Com. 40. σῶσον σεαυτὸν, εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ.] Simili modo (at haud paulo justius) de Baal Joas, Εἰ θεός ἐστιν, ἐκδικείτω αὐτόν· & Cyprianus ad Demetrianum, *Si quid diis tuis numinis & potestatis est, ipsi in ultionem suam surgant, ipsi se sua majestate defendant. Quid præstare colentibus possunt qui se de non colentibus vindicare non possunt?* Vide 2 Reg. 1. 10.

Com. 42. ἄλλους ἔσωσεν, ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι.] Irrisorie: Ita & Boetius Consolat. lib. 3. *O præclara potentia, quæ ne ad conservationem quidem sui satis efficax invenitur!* Apud Ovidium,

Nec prosunt Domino quæ prosunt omnibus artes.

Idem,

Vertere quæ poteram homines in mille figuras,
Non poteram animos vertere jura tui.

Alexander apud Curtium 9. de parente suo, *Hostium manus sæpe vitavit, suorum effugere non valuit.*

Com. 43. πέποιθεν ἐπὶ τὸν Θεὸν, ῥυσάσθω νῦν αὐτὸν.] Voces quibus olim Deus falsa & ficta Numina eorum Patribus exprobraverat, (Deuteron. 32. 37. Jerem. 22. 28.) impia & nefaria progenies in ipsum ejusque filium emittunt. Sancte & religiose præ illis Rex ἀπροφυλακτῶς. Vide Dan. 6. 16.

Com. 44. τὸ δ' αὐτὸ καὶ οἱ λῃσταί, &c. ὠνείδιζον αὐτῷ.] Sic ὀνειδίζειν τινὶ τινι, Var. 13: 39. Ælianus.

Com. 45. σκότος ἐγένετο.] Petronius,

—— *Titan vultus caligine texit,*
Et lucem sceleri subduxit. ——

Com. 51. ἡ γῆ ἐσείσθη, &c. καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεῴχθησαν.] Etiam hæc Ovid. junxit,

—— *Umbrasque silentum*
Erravisse ferunt, motamque tremoribus urbem:

& Petronius, qui cum dixisset

—— *Rupta sonabant*
Verticibus lapsis montis juga ——

sub-

Digitized by Google

ſubjungit,

Ecce inter tumulos atque oſſa carentia buſtis
Umbrarum facies diro ſtridore minatur.

Ibid. τὸ μνημεῖα ἀνεῴχθησαν, καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων ἠγέρθη.] Virgilius,

—— *Commota Erebi de ſedibus imis*
Umbræ ibant tenues, ſimulacraque luce carentum.

Flavius Vopiſcus, *Mortis omina hæc fuerunt: patris ſepulcrum diſruptis januis ſe aperuit, matris umbra ſe per diem & Tacito & Florino velut viventis obtulit.*

Com. 58. ἡτήσατο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ] Ut ſepeliret nempe. Quem vivum ſequi ſolebat, mortuum hoc indicio pietatis proſequi volebat. Sic diſcipuli magiſtros honorabant. Apuleius de Pherecyde, *Eum magiſtrum Pythagoras coluit, & inſandi morbi putredine in ſerpentium ſcabiem ſoluium religioſe humavit.* Marc 6. 29. Joanne decollato, ἦλθον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ἦραν τὸ σῶμα αὐτοῦ. Vide & Joh. 20. 15. Sic ſervi Dominos. Sueton. Galba, *Sero tandem diſpenſator Argius & hoc* (Galbæ caput nempe) *& cæterum ejus truncum in privatis hortis Aurelia viæ ſepulturæ dedit.* Sic Ducem milites. Curtius de Parmenione, *Dilapſis pluribus pauci remanſerunt, qui ſaltem ut corpus ipſius ſepelire permitterent precabantur.* Sic ſubditi Reges, 1 Sam. 31. 12.

Com. 59. λαβὼν τὸ σῶμα ἐνετύλιξεν αὐτὸ σινδόνι καθαρᾷ] Apul. 4. *Corpus linea veſte diligenter convolutum*, &c.

Com. 60. ἐν τῇ καινῇ αὐτοῦ μνημείῳ ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ] Apud Petronium,

—— *Exciſo defoſſa marmore petra*
Quinque pedum fabricata domus, quæ nobile corpus
Exigua requeret humo. ——

Sequitur, φερσπυλίσας λίθον μέγαν] Thren. Jerem. 3. 53. Ἐβασάτισαν ἐν λάκκῳ ζωήν μου, καὶ ἐπέβαλον λίθον ἐπ' ἐμέ. Homerus ubi de Hectore humato,

Αἶψα δ' ἀφ' ἵππων βαῖνε κάρη κομόωντα θοάων,
Πυκνοῖσιν λάεσσι καταφράσσων μεγάλοισιν.

Com. 66. ἐφεσχίσατο τὸ λίθον, μὴ τὸ κατωφέρες] Plutarchus ubi de Philopœmene in carcerem ſubterraneum conjecto, Τὸν λίθον ἐπιβάλλουσι, ἄνδρας ἐκάστου κύκλῳ φυλάττοντες. Heſychius, κατωφέρες, σφηνωτικὴ βοηθεία.

CAP. XXVIII.

MUNSTERUS.

1. *Veſpera autem ſabbati*] Vocat hic Euangeliſta *veſperam ſabbati luceſcentem in unam ſabbati* noctem quæ ſubſequebatur ſabbatum ipſum, ſed *quæ jam luceſcere cœpit in unam ſabbati*, h. e. in primum hebdomadæ diem, qui eſt apud nos *dies Dominicus*, in cujus luce matutina Dominus ſurrexit à mortuis. Sic & Gen. 1. nox vocatur *veſpera* quando dicitur, *Factum eſt veſpere & mane dies unus.* Alii Euangeliſtæ narrant Dominum *mane ſurrexiſſe*, ſed quod idem eſt cum hoc quod hic ſcribitur, *Dominum ſurrexiſſe in veſpera luceſcente jam in alterum diem.* Factus eſt autem *terræmotus* cum Dominus reſurgeret, ſicut & terra tremuit quando mortuus eſt: quod indicavit commovendum eſſe univerſum orbem prædicatione mortis & reſurrectionis ejus. *Angeli* cœperunt eſſe præcones reſurrectionis: & quibus illi eam perſuadere non poterant, illis Salvator ipſe vivum ſe exhibuit in multis argumentis, & nihil omiſit quo illam credibilem ſuis redderet. In fide namque reſurrectionis ejus tota noſtra ſita erat ſalus. Nulla enim fiducia in eum eſſe potuiſſet ſi mortuus pro peccatis noſtris in morte manſiſſet. Nunc autem cum reſurrexit à mortuis *reſurrexit propter juſtificationem noſtram*, ſicut *mortuus fuerat propter peccata noſtra*, quibus indignationem Dei incurrimus. Monemur igitur reſurrectione ejus, ut renovemur & reformemur ad imaginem ejus in novitate vitæ, mortificantes quotidie peccatum, & Deo vivamus.

18. *Data eſt mihi omnis poteſtas*] Hanc poteſtatem Apoſtoli diligenter prædicaverunt, docentes Chriſtum *præfectum cunctis principatibus & poteſtatibus, omniaque ſubjecta pedibus ejus*, & quod *ille ſederet à dextris virtutis Dei*, carne mundum relinquens, ſpiritu autem ſuo adimplens omnia, nedum cœlum verum & terram, juxta id quod ſequitur, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Hunc locum Hebræi ſic conantur ſuis ineptis argutiis improbare, כח זאת שאכר נתינה לי כלי ממשלת שמים וארץ וכי נתן לו אם הוא בן אלהים איך עדין הוא כתנר והלא כל העולם כולו שלו הוא: אם תאמר שאובד נתן לו וכי הוא ואביו שניהם הם והלא שניהם חלק אחד: לא ורב גדול כזה לא כמשלה ולא בכח ולא בכבוד: שר שאמר הנני עכבם כל הימים עד קץ השלם כלו שר סוף העולם הזה אומרו עכבם אבל לא אחרי עכבם לעולם הבא: h. e. *Quid eſt hoc quod dicit*, DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS COELI ET TERRÆ? *Quis dedit ei? Si eſt Filius Dei, quid opus erat hac donatione? Nonne totus mundus jam erat ejus? Si dixeris quod Pater ejus dedit ei, & quod ipſe atque Pater ejus ſunt duo: & nonne duo illi ſunt una ſubſtantia? Non enim iſte major eſt illo in potentia, neque in virtute, neque in intelligentia. Et præterea quando dicit*, ECCE EGO VOBISCUM SUM CUNCTIS DIEBUS USQUE AD CONSUMMATIONEM MUNDI, *id vult dicere, Uſque ad finem mundi hujus ero vobiſcum, ſed non ero vobiſcum in mundo futuro.* Sic ludunt imo illudunt nobis homines illi Deo vaani, & mancipia æternæ perditionis. Et ne aliquid contumeliarum omittant, addunt commodam ex Jeremia 17. 11. ſimilitudinem de perdice aliena fovente ova, & derelinquente pullos ex eis natos; & hanc ſimilitudinem in hunc modum adaptant, קורא דגר ולא ילד עושר ועשר במשפט בחצי ימיו יעזבנו ובאחריתו יהיה נבל: הנה כומרת הנביא בן חוריא ישו לקוראו עקי ששמו קורא וכוזבנו לאסף בנים של עשרת אחרים ושכב עליהם כאילו הם שלו: וכשיצאין האפרחים ורואה שאינם דומים לו פורח מעליהן ועוכן לאביר והוא ובאחרית יהיה נבל: זו ירן כי נבלה עשרה: בן ישו הסת ומשיחה ואסף אליו את הבריות ועשה עשרי זה בלא משפט ושלא כדין ובחצי ימיו עזבם שלא חיה אלא לבני שנים ויהי שנותיו של ארם ע" שנה כרכתיב ימי שנותינו שבעים שנה והא לא חיה אפילו עד חצי שבעים: תשובה: לא עכ משיחנו תלמיד וכל מאמינים בו אחר מותו כי אם כשקם מהמתים ביום שלישי ויראה להם פעמים רבים ונתם אותם ושלח להם את רוח הקדש לנחמה כשני והיה אחרי כן אשפך את רוחי על כל בשר ונבאו בניכם ובנותיכם ונתתי מופתים בשמים ובארץ וגו' גם הוא שלח שמים האכפיאטס ואבר על ידיהם עם כורי יהודים אכ" ואפי זו ויחזה לעולם ונתנה לו כל ממשלת בשמים ובארץ כמו שנ' שרה וכספר דניאל ואת עם קנני שמיא כבר אנש אתה הוה וקד עתיק יומיא מטיא וקרבוהי הקדמוהי: ולה יהב שלטן ויקר ומלכו וכל עממיא אמיא ולשניא לה יפלחון שלטנה שלטן עלם די לא יעדה ומלכותה: Alludit, inquam, huic dicto Chriſti, *Data eſt mihi omnis poteſtas*, &c. id quod ſcribitur in Dan. 7. 13, 14. *Et ecce in nubibus cœli quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad Antiquum dierum pervenit, & adduxerunt eum in conſpectum ejus. Deditque illi poteſtatem, honorem & regnum; & omnes populi, nationes & lingua ſervient ei. Poteſtas ejus poteſtas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus quod nunquam deficiet.*

19. *Docete omnes gentes*] Id docet D. Paulus impletum ſuo tempore, quando Rom. 10. citat hunc Propheticum locum, בכל הארץ יצא קום ובקצה תבל מלהם: i. *In omnem terram exivit regula*, ſeu *directio*, *eorum*, *& in extremitatem orbis verba eorum.* Quem locum ſi adverſiſſent & intellexiſſent recutiti homines, non tam pertinaciter nobis objicerent, undecim tantum gentes Chriſto noſtro dediſſe nomen, & adhuc ſexaginta gentes reſtare quæ non crediderunt in eum: quem errorem ſuis in hunc modum inculcant in contumeliam Chriſti, הנה אשר אמונה ישו לא מש כי אם יא" אמות והלם אינו כנגר אומה אחר מישמעאלים ועריין מ" אמונה עם הישמעאלים גלם מעידים שהגל יראתם וגם אנו בני ישראל מעידים שהיה התלו בן אדם נולד כאב ואמם כרוניכם שהוא היה בוראו ורחם על גויותיו שהיו בניהם בחטאו של אדם הראשון וקבל עליו יסורין ומיתה כרי להציל בריותיו מרינה של גיהנם ולו" היה לו לכפל כרת הדין לפני מדת של רחמים כי הושית ביריו והיה לו לשים גלב כל אומות להאמין בו כרי להצילם מן הדין ואין מאמינים בו כא" המעט אבן שקר דבריהן ועוד לו" כי על שני עדים יקום דבר והנה שני עדים על הודיעו כי הישמעאלים הוא שניהם כוזבים שחורתנו אמת ואין אנו וישמעאלים מודים על תורתכם ולא אנו ואתם מודים על תורת ישמעאלים אכ" על תורתנו שני עדים שהוא אמת ואלהינו אמת וקיים לעד בתך הוא שכתב בנו: תשובה: אין נמצא בנביאים שכל אומות העולם יהיו מאמינים במשיח כשני והלט עמים רבים ואמרו לכו ונעלה אל הר יהוה אל בית אלהי יעקב וגו' ונסמך ושפט בין הגוים והוכיח לעמים רבים: וכמקם אחר נאמר חשף יהוה את זרוע קדשו לעיני כל הגוים וראו כל אפסי ארץ את ישועת אלהינו ולו" ככל אפסי ארץ ראו קצרו בני אדם את תשועת אלהינו כי קצרו ככל גוים והאכילו כו אויבי שכן נקראו גם אתם נקראתם להשועת המשיח ואשר האמינו ויאמינו כו הם נושעו ורבינו ואשר אין לקחו או יקחו אותו יאמרו לעולם ועד ואתם לא תכבה והיו ראשון לכל בשר ולתפארת עולם: Adducta ex 52. 10. Iſaiæ autoritas, quæ ſic ſonat, *Denudavit*, ſeu *revelavit*, *De-*

Dominum brachium ſanctitatis ſuæ coram omnibus gentibus, & videbunt omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri, id vult, quod ſalus Dei erat exhibenda & offerenda omnibus gentibus, non autem omnes illam erant acceptura; juxta illud Iſai. 2. 3. *Ambulabunt populi multi, & dicent, Venite, & aſcendamus ad montem Domini, ad domum Dei Jacob*: & ſubditur, *Et judicabit inter gentes, & arguet populos multos*. Ex quo patet multos invitatos ad ſalutem, paucos vero electos. Beati qui in judicio Dei inter electos ejus inventi fuerint.

V A L L A.

1. V*Eſpere autem ſabbati, qua luceſcit in prima ſabbati*] Si *veſpere* eſt generis neutri, ut illud, Gen. 1. 5. *Factum eſt veſpere & mane dies unus*, ſive potius maſc. *hic veſper*, ut doctiſſimi quique uſurpant, cur ejus relativum eſt generis fem. *qua luceſcit*? Certe Interpres deceptus eſt, quia idem genus eſt Græce, ſed reſpondens antecedenti, quod etſi adverbium eſt, tamen feminine accipitur, ὀψὲ, ut *die craſtina*, ſive *poſtera*, τῇ ἐπιούσῃ. Nec dicitur *in prima*, ſed *in una*. Melius igitur utrumque transfert Hieronymus ad Helvidium ſcribens, *Veſpere ſabbati illucente in una ſabbati*: ſed eum puto tranſtuliſſe *ſabbatorum* non *ſabbati*. Nam ſic transfertur ad verbum hic locus, *Veſpere autem ſabbatorum, quod*, vel *qui luceſcit*, ſive *lucenti, in una ſabbatorum*: ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. Quod ſi quæratur quomodo *veſpere ſabbatorum* dicatur, & *in una ſabbatorum*, hic pro hebdomade, illic pro uno die, reſpondebimus, Eadem ratione qua dictum eſt Luc. 18. 12. *Jejuno bis in ſabbato*, h.e. in hebdomade: è diverſo Matth. 12. 10. *Si licet curare ſabbatis*, i. die ſeptimo: & in Marco 1. 21. *Et ſtatim ſabbatis ingreſſus ſynagogam, docebat eos*. Quod autem dicatur *in una ſabbatorum*, & non *in uno*, ſatisfaciunt nobis verba Hieronymi dicentis, *Quod nos ſolemne abſolute & neutraliter appellare, i. Hoc quæſivi, Iſtud volui, Hebræi feminino genere pronunciant, ſicut in Pſal.* 27. 4. UNAM PETII A DOMINO, HANC REQUIRAM: pro eo quod eſt, UNUM.

8. *Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio, currentes nunciare diſcipulis ejus*] Mutatum eſt verbum in participium, & rurſus participium in verbum: ſed tranſlatio hæc ad verbum apertior ac mundior erit, ut verior, ſic, *Et egreſſæ cito à monumento cum timore & gaudio, currebant ad annunciandum diſcipulis ejus*, ἐξελθοῦσαι ταχὺ ἀπὸ τοῦ μνημείου. Neſcio an Interpretis an librarii primo hallucinati ſint oculi. Nam ſtatim ſequitur, quod in quatuor quos inſpexi codicibus non inveni Latine, quod legi in quatuor Græcis,

9. *Cum autem irent nunciare diſcipulis ejus*: optimeque ſequitur, *Et ecce Jeſus occurrit illis*: ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ.

10. *Ut eant in Galilæam: ibi me videbunt*] Deeſt nobis copula: namque ſic legendum eſt, *Et ibi me videbunt*, κἀκεῖ. Iterum deeſt copula,

12. *Et congregati cum Senioribus conſilio accepto*] Legendum eſt enim, *Conſilioque accepto*, συμβούλιόν τε λαβόντες.

14. *Et ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ſuadebimus ei*] Πείσομεν. Non habent Græci duo verba diſtincta, ſicut nos *Suadeo* & *Perſuadeo*, ideo *perſuadebimus* dicendum fuit, ut fecit ſuperius Interpres, 27. 20. *Principes autem Sacerdotum & Seniores perſuaſerunt populo*, ἔπεισαν. *Suadere* enim eſt dare conſilium & adhortari; *perſuadere* autem, ſuadendo inducere.

19. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*] Græce eſt accuſativi caſus, *in nomen Patris & Filii & Spiritus ſancti*, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· qui caſus aliquid diverſum facit; aut, quod ſuperius teſtatus ſum, pro dativo Græco & noſtro ablativo accipitur; quod potius reor, ut paulo ante ver. 1. *In una ſabbatorum*, pro *in unam*, εἰς μίαν, & multis aliis locis.

R E V I U S in V A L L A M.

1. NEC *dicitur* in prima, *ſed* in una] Hoc ſequitur Eraſmus, refellit Beza, & errarunt hunc errorem multi doctiſſimi viri, ſed ad Ebraiſmum minus hic quidem attenti, Joſephus Ant. l. 1. c. 1. Philo περιοποιΐᾳ, Baſilius Hexaem. hom. 2. alii, dum myſterium venantur in illis, Gen. 1. 5. καὶ ἐγένετο ἑσπέρα καὶ ἐγένετο πρωὶ ἡμέρα μία. Sed cave μίαν aliud eſſe quam πρώτην ſuſpicere. Gen. 18. 13. μιᾷ τῶν μηνῶν. Exod. 40. 1. ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ τοῦ μηνὸς τοῦ πρώτου. Num. 1. 1. ἐν μιᾷ τοῦ μηνὸς τοῦ δευτέρου. 33. 38. τῷ μηνὶ τῷ πέμπτῳ, μιᾷ τοῦ μηνός, &c. Ita fere Diodorus Siculus, lib. 16. λοιπὸν ἦν μιᾶς παρασχεσθῆναι ἔχεις τὸ τέτταρες καὶ τεσσαρακοστὸν (βιβλίον.) i. *à quadrageſimo primo libro uſque ad quadrageſimum tertium.*

19. Εἰς τὸ ὄνομα] Manifeſte tranſpoſitum erat, & ſenſum dirimebat. ¶ In una Sabbatorum, *pro* in unam] Imo *in unam*, pro *in una*.

E R A S M U S.

1. V*Eſpere autem ſabbati*] Ὀψὲ δὲ σαββάτων, i. *Veſpere ſabbatorum*. Et, *quod*, aut *qui*, *luceſcit*, dicendum erat, non, *qua*; ut referatur ad *veſperum*, aut *veſper*, niſi legas *Veſpera ſabbatorum*. ¶ *In prima ſabbati*] Εἰς μίαν σαββάτων, i. *in unam ſabbatorum*: ut intelligas unum diem è ſeptem. Sentit enim, ni fallor, crepuſculum extremi diei præcedentis hebdomadis luceſcens in ſequentem diem, qui primus erat ſuccedentis ſabbati. Niſi forte juxta ſermonis Hebræi proprietatem *unum* dicitur qnod primum eſt, ſicut nos *alterum* dicimus quod ſecundum eſt.

2. *Revolvit lapidem*] Græci addunt ἀπὸ τῆς θύρας *ab oſtio*. ¶ *Super eum*] Ἐπάνω αὐτοῦ, i. *ſupra eum*.

3. *Aſpectus ejus*] Ἰδέα αὐτοῦ, i. *ſpecies ejus*, ſive *forma*. ¶ *Et veſtimenta*] Et Græci & vetuſti cod. Latini habent *veſtimentum*. Græci addunt, *album ut nix*.

4. *Cuſtodes*] Οἱ τηροῦντες, i. *qui ſervabant*.

5. *Reſpondens autem angelus*] Ἀποκριθείς. Abuſus eſt enim eo verbo, cum illæ nihil interrogaſſent, niſi quod ad cogitationes reſpondet.

6. *Venite, & videte*] *Et* non eſt in Græcis, ſed δεῦτε, ἴδετε, *Venite, videte*.

7. *Et præcedet*] Et Græci & antiqui Latini habent *præcedit* præſ. temporis, προάγει.

9. *Ecce Jeſus*] Ab hoc loco in noſtris cod. deſunt aliquot verba quæ videntur incuria ſcribarum omiſſa, qui fere labi ſolent quoties eadem dictio diverſus claudit orationes, ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, i. *Cum autem iſſent ad renunciandum diſcipulis illius*.

10. *Ibi me videbunt*] Omiſſa conjunctio, κἀκεῖ, i. *& illic*.

13. *Dicite, Quia diſcipuli ejus*] Hic certe omittenda fuerat Græca conjunctio propter pronomen ſequens, *nobis dormientibus*.

14. *Auditum fuerit à Præſide*, Ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος] i. *ſub Præſide*, h.e. Si res apud illum judicem agatur. ¶ *Nos ſuadebimus ei*] Πείθω Græcis tria ſignificat, *pareo* ſive *morem gero*, *ſuadeo*, & *perſuadeo*. Senſus igitur poſtulabat ut hic diceret *perſuadebimus* potius quam *ſuadebimus*, ſive nos *placabimus eum*. ¶ *Et ſecuros vos*] Ἀμερίμνους, i. *ſecuros vos reddemus*, aut *liberabimus vos omni ſolicitudine*: id enim ſonat ἀμερίμνους, quod plus eſt quam reddere ἀκινδύνους, i. *expertes periculi*.

19. *Euntes ergo*] *Ergo* non invenio in Græcis cod. In nonnullis cod. pro *ergo* reperio *autem*. Neſcio quo caſu acciderit ut nec Origenes nec Chryſoſtomus, cum in cætera ſcribant Commentarios, in hoc unum caput quicquam ediderint; niſi forte deſierunt apud populum loqui quod hæc ad Reſurrectionem pertineant. Theophylactus tamen enarrat, & Catena aurea crebro citat Chryſoſtomum in hoc capite, quemadmodum in cæteris. Anianus vero præfatus in verſionem ſuam teſtatur Chryſoſtomum in Matthæum ſcripſiſſe λόγους ϙα, cum in editione vulgata non habeamus niſi ιαχχιχ, unde probabile eſt duas homilias intercidiſſe.

V A T A B L U S.

1. V*Eſpere*] Vel, *Sub exitum*. ¶ *Sabbathi quæ Luceſcit in prima ſabbathi*] *Sabbatorum quæ luceſcit in primam ſabbatorum*, plur. pro ſing. i. Nocte ſabbathi quod ſucceſſit ſabbatho magno, aurora jam fere illuceſcente. *Sabbathum* pro *hebdomada*, q. d. Prima die hebdomadæ ad auroram.

2. *Eſt*] Vel, *fuerat*. ¶ *Deſcendit*] Vel, *deſcenderat*. ¶ *Revolvit*] Vel, *devolverat*. ¶ *Lapidem*, &*] * *Ab oſtio*.

3. *Aſpectus*] *Species, forma*. ¶ *Veſtimenta*] *Veſtimentum*. V. ¶ * *Sicut nix*] * *Album*.

4. *Exterriti ſunt*] Vel, *concuſſi fuerant*.

5. *Reſpondens*] Hebr. pro, *Verba faciens*. ¶ *Dixit*] Vel, *dixerat*.

6. *Sicut dixit**] * *Vobis*. ¶ *Venite*, videte*] * *Et*. V.

7. *Surrexit **] * *A mortuis*. ¶ *Præcedet*] *Præcedit*. V. ¶ *Prædixi*] Sub. *id quod res habet*.

9. *Et * ecce*] * *Dum ibant ut renunciarent diſcipulis ejus*.

10. * *Ibi*] * *Et*.

14. *A*

14. *A Præſide*] *Sub Præſide*, i. ſi ea res apud Judicem agatur. ¶ *Suadebimus ei*] *Perſuadebimus ei:* vel, *placabimus eum.* ¶ *Securos vos faciemus*] Vel, *liberabimus vos omni ſolicitudine.*

15. *Divulgatum eſt verbum iſtud*] Hebr. pro, *divulgata eſt res iſta.*

17. *Adoraverunt**] **Ipſum.*

19. *Docete*] Gr. *diſcipulate:* aut, *diſcipulos facite.* ¶ *In nomine*] *In nomen*, i. ut fidem habeant Patri & Filio & Spiritui ſancto.

20. *Ego vobiſcum ſum*] Hebr. pro, *adſum vobis*, *& faveo.*

C L A R I U S.

1. VESPERA autem ſabbati] Intellige *profundum crepuſculum diluculi*, ut eſt apud Lucam. Quanquam ſunt qui velint veſperam noctis dici, qua tamen variis impedimentis tardarint in itinere mulieres, & tandem pervenerint ad diluculum.

2. *Terræmotus factus eſt magnus*] Cauſam terræmotus addit, quia ſcilicet *deſcendit Angelus, & revolvit lapidem:* ut ſonitus excitaret milites, & adſpectus perterrefaceret: nam ex ſolo aſpectu non ita intellexiſſent.

5. *JESUM qui crucifixus eſt*] Vide ut Angeli primi ſint qui incipiant non erubeſcere nomen *Crucis:* Ut minus miremur Paulum tam ambitioſe de cruce gloriari.

6. *Surrexit, ſicut dixit*] Admonet verborum ipſius Domini, quæ terror & rerum novitas eos fecerat obliviſci. Oſtendit autem eis & ſepulcrum, unde ſurrexerat, ut cum eis apparuerit ſint veritatis facti capaciores. Nam res erat omnino mundo ignota ejuſmodi reſurrectio; & niſi hujus generis veſtigia præceſſiſſent, non eſſet illis facile perſuaſum.

10. *Nunciate fratribus meis*] Hactenus appellati erant *Diſcipuli*, & *Apoſtoli*; nunc poſt reſurrectionem ſuam Dominus appellat *fratres:* ne putaremus hic accidiſſe quod Philoſophi autumant, diriimi amicitias cum ex altera parte ingens fiat majoris fortunæ acceſſio: at hic cui *data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra* ita ſe amica appellatione demittit: ſimul addit animos, ne ob ſcandalum quod fuerant paſſi perterrerentur.

13. *Furati ſunt*] Quam cæca eſt malitia! ſperant dormientium teſtimonium vim habiturum ad faciendam fidem. Simul obſerva obdurata corda, quæ ne nunc quidem pœniteat facti.

16. *Abierunt in Galilæam*] Ubi quietius fortaſſe & ſine metu Judæorum audirent quæ ſibi à Domino mandarentur.

Z E G E R U S.

1. VESPERE autem ſabbathi, *qua luceſcit in prima ſabbathi*] i. quod D. Hieronymus ac Hedyb. qu. 3. rectius ac dilucidius ſcribit, *Veſpere autem ſabbathi illuceſcente in una ſabbathi.* Verum ambiguum adhuc relinquitur, quo pacto *veſpera illuceſcere in prima ſabbathi* dicatur, cum veſperam tenebreſcere potius, deinde & veſperam ſabbathi ad finem præcedentis hebdomadis, primam vero ſabbathi ad initium ſequentis pertinere conſtet. Hunc nodum (præterquam quod Hebraica lectio probe illi occurrit, ut infra indicabimus) ita diſſecabimus, ſi *veſperam ſabbathi luceſcentem in una ſabbathi* noctem ipſam ſabbathum ſubſequentem intelligamus, ſed quæ jam luceſcere cœpiſſet in una ſabbathi, h. e. in die Dominico, in cujus luce matutina Dominus à mortuis reſurrexit. Sic enim in Geneſeos exordio *veſpere* pro *nocte* poſitum eſt, ubi legimus, *Factum eſt veſpere & mane dies unus.* Huc etiam ſpectat quod in Hebræo Evangelii codice pro *veſpere*, vocabulo quod rem ipſam reddit obſcuram, נשיב ſcriptum reperio, h. e. *in crepuſculo*, quanquam idem נשף & *veſperam* ſignificat. Quia vero duplex eſt crepuſculum, nempe veſpertinum & matutinum, ideo ſignanter adjecit Evangeliſta *quæ*, ſive *quod crepuſculum, luceſcit in prima ſabbathi.* Præterea, ſcito illud *veſpere* genitivi eſſe caſus adverbialiter poſiti, atque ideo relativum habere ſem. generis; quemadmodum cum dicimus, *Ago Romæ, quæ caput eſt orbis*, hic *Romæ* tametſi adverbialiter ponatur tamen relationem habet ſui generis. Quod ſi quis in *veſpere* ſubaudiendum putaverit *tempore*, equidem non reclamabo, etiamſi non ignoro hoc ipſum Græca non admittere. Non video enim quo pacto conſtare poſſit ratio Grammaticalis niſi alterum horum admittas: nam *veſpere* habent omnia exemplaria quæ quidem videre potui: niſi forte dicas relationem rei fieri potius quam vocis. Apud unum duntaxat Petrum Chryſologum invenio *veſpera.* ¶ *Et altera Maria*] Haud dubium quin Maria Jacobi, ut ſcribit Marcus.

8. *Nunciare diſcipulis ejus. Et ecce Jeſus*] Quæ his interſeruntur apud Græcos poſt *diſcipulis ejus*, ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, *Cum autem iſſent ad renunciandum diſcipulis ejus*, orationem faciunt parum apte cohærentem, propter copulam & *ecce:* neque quicquam ad rem facere videntur. Ad hæc B. Hieronymus nihil horum attingit: ſed nec Auguſtinus, cum citet & præcedentia & ſequentia, lib. De conſ. Evang. 3. cap. 24. unde & extra contextum habenda arbitror: Theophylactus habet quidem; ſed ut eſt fere recentior, ita & contextu uſus eſt parum emendato.

9. *Tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum*] Si quæratur quomodo Matthæus Mariam hanc contrectaſſe Domini pedes comemoret, cum Johannes eandem vetitam fuiſſe ſcribat ne Chriſtum contingeret, dicendum ſecundum Auguſtinum, quod bis ſeſe Mariæ Magdalenæ Salvator exhibuerit conſpiciendum, ſemel ſoli juxta monumentum illacrymanti, quando hortulanum ipſum exiſtimavit; ſecundo regredienti cum altera, aut etiam pluribus à monumento. Et ibi quidem tangere vetatur, quia humilia obſequia illi impendere cupiebat, &, ut arbitror, lacrymis irrigare & ungere pedes ſatagebat: hic autem tangere permittitur, quia jam non ſolito more humanum aliquod obſequium impendebat, ſed affectu potius ſinceræ fidei conſtringebat, atque etiam, quod notanter Evangeliſta adjecit, ut Deum *adorabat.* Vel, ut altius aliquid dicamus, ibi audit *Noli me tangere*, quia in ſepulcro ſic quærebat & deflebat mortuum ut eum in cœlo neſciret regnare cum Patre; hic vero libere in pedes irruere permittitur, quia à terreni corporis ſepulcro jam reverſa Chriſtum vere reſurrexiſſe, veſtigia ipſius imitando, adorando, & euangelizando, teſtabatur.

14. *Etſi hoc auditum fuerit à Præſide*] Quod ſcilicet veſtra negligentia corpus è monumento ſublatum ſit, & quod inſuper hoc ipſum mendacio confirmatis, *ſi hoc*, inquiunt, *ad Præſidis notitiam pervenerit*, vel ſi apud illum judicem agatur hæc res (id enim eſt ἐπὶ ἡγεμόνος) *nos perſuadebimus* & placabimus eum, voſque omni periculo & ſolicitudine liberabimus.

M A S I U S.

1. VESPERE autem Sabbathi quæ luceſcit in prima Sabbathi.] Senſus eſt, ea veſpera quæ præcedebat diem dominicum. Quod autem dicit, *Luceſcit*, ex Hebræa phraſi eſt, qua ne interdum vocant primam facem, ut in Thalmud in principio tractatus de Paſchate, ubi dicunt Veſperi ſive prima face diei 14 quærunt fermentum ad lumen lucernæ. Porro *Sabbati* in Syro tam in Matth. quam Joanne & Luca eſt שבא, quod quia Hebræis etiam dicitur שבתון, factum eſt ut in Luca & Joanne ſcriptum habeatur σαββάτων quod tamen non eſt plu. num. Ac proinde perperam illic reperitur articulus τῶν, qui deberet eſſe τῇ σαββάτου. Et *una* capiendum pro prima. Cardinalis pro ordinali.

Ibid. Mulieres quæ ad ſepulcrum iverunt ob terræmotum territæ primum Magdalenam & alteram Mariam præmiſerunt exploratrices. Refugiente autem Magdalena conſpecto revoluto lapide ad diſcipulos, at altera hæſitante, reliquæ mulieres paulatim proceſſerunt, conſpectoque uno angelo territæ iterum refugerunt, nec potuerunt cum Johanne & Petro, quos Magdalena exciverat, colloqui ob trepidationem. Deinde tandem collectis animis iterum mulieres ad monumentum venerunt, & duobus angelis conſpectis, objurgatæque ab his manifeſto cognoverunt Chriſtum ſurrexiſſe. Lucas poſteriorem acceſſum, Matthæus & Marcus priorem deſcribunt.

S T E P H A N U S.

¶ Κεφ. κα, Περὶ τῆς ἀναβάσεως τῆς ὑπηλίκης τοῦ Θεοῦ.

Ματθ. ἐν τῷ Λαϊ. ἰμ. ιε, Τότε συνέρχονται τῷ Ἰησοῦ οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι, λέγ.

Ἀνίεως οὐκ ἀλίγοντας ἵνα ἀφίεζεν ἰφέλμης.

Ἄλλως,

Γραμματέων τινὲς Φαρισαίων ἰδὲ ὅμιλεν,

Τὰς Θεῦ αἱ ἀφίεζεν, ἰὰς μεγάλαων ἰφέλμας.

¶ Κεφ. κθ, Περὶ τῆς Χαναναίας.

Ματθ. ἐν τῷ Λαϊ. ιε, Καὶ ἐξελθὼν ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος· καὶ ἰδοὺ, γυνὴ Χαναναία ἀπὸ τῶν ὁρίων ἐκείνων ἐξελ.

Ἐκ μέλαν Ϙ Ϛαναίνιο ἀνεχερ τοῖς Χαναναίης.

Ἄλλως,

Παῖδα Χαναναίης πολιόσμων ἐς φάϙ ἔχ.

¶ Κεφ. κ, Περὶ τ̃ θεραπευθέντων ὄχλων.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ιε, Καὶ μετακὰς ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς ἦλθε πόλιν τ̃ Γαλιλαίας τ̃ Γαλ. καὶ ἀναβὰς εἰς τὸ ὄρ☉, ἐκάθητο ἐκεῖ· καὶ προσῆλθον αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, ἔχοντες μεθ' ἑαυτῶν χωλούς, τυφλ.

Νέοις αὖτ' ἀγαλλὶς μετρίοισι πλήθια πάθη.

Ἄλλως,

Χωλῶν καὶ τυφλῶν, καφῶν καὶ πλήθια κυλλῶν
Παῖ σοὶ ὃ Χριστὲ πᾶσιν, ὁ ἰᾶσιν αἰτίος.

¶ Κεφ. λα, Περὶ τ̃ ἐπὶ ἄρλον.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ιε, Ὁ δὲ Ἰησοῦς προσκαλεσάμενο☉ σὺν μαθηταῖς αὐτοῦ, εἶπε, Σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τ̃ ὄχλον, ὅτι ἤδη ἡμ.

Ἄρτους ἑπτὰ μόνους κεκορήκατ' μυρί☉ ὄχλ☉.

Ἄλλως,

Χριστὸς ἐπ' ἐλαγίῃ, ἰδὺ ἄρτους ἑπτὰ πλέον ἑπτὰ
Χορτασίλλω πυρίχυτ', ὀλίγοις καὶ ἰχθύσι, ὄχλῳ.

¶ Κεφ. λβ, Περὶ τ̃ ζύμης τ̃ Φαρισαίων.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμέρᾳ. ις, Καὶ ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸ πέραν, ἐπελάθοντο ἄρτους λαβεῖν· ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, Ὁρᾶτε καὶ προσέχετε ἀπὸ τ̃ ζύμης τ̃ Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων.

Φαρισαίων δ' ἰδίωκεν αἰπόθαλπε ἴεγ' ἀρέθηλα.

Ἄλλως,

Τλιὺ ζύμλν φθίγων Φαρισαίων, εἶπε μαθητᾶς·
Κιπλίσκων αὐτῶν τὰ μάπτια δηλάγμαῖ☉ ζύμλν.

¶ Κεφ. λγ, Περὶ τ̃ ἐν Καισαρείᾳ ἐπερωτήσεως.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ις, Ἐλθὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς εἰς τὰ μέρη Καισαρείας τ̃ Φιλ. ἠρώτα τοὺς μαθ. αὐτοῦ, Τίνα με λέγ.

Τὸς δοκίμς μιρίπασι, πὰν χορὸν ἐξερίσσες.

Ἄλλως,

Τὸν χορὸν ἐξερίσσετ ἰὸν, τίνα ἐμὲ φασι αὐτὸν
Οἱ πολλοὶ δοκέουσι, δοκῶσι δ' ἢ τίνα αὐτοί.

¶ Κεφ. λδ, Περὶ τ̃ μεταμορφώσεως τ̃ Χριστ̃.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ιζ, Καὶ μεθ' ἡμέρας ἓξ παραλαμβ. [καὶ τὸν ἰᾶκ] καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν.

Φῶς μέγα ἀμφιδύσατο ἐπ' ὄρει πετραλέοντι.

Ἄλλως,

Τ̓ψηλῷ ἐν ὄρι μορφὶν ἠλάξατ Χριστὸς,
Καὶ τὸ πρόσωπον ἔχει λαμπηδόνας ἡλιοειδᾶς.

¶ Κεφ. λε, Περὶ τ̃ σελινιαζομένου.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ιζ, Καὶ ἐλθόντων αὐτῶν πρὸς τ̃ ὄχλον, προσῆλθεν αὐτῷ ἄνθρ. γονυπετῶν αὐτῷ, καὶ λέγων, Κύριε, ἐλέησόν μου τ̃ υἱόν· ὅτι σεληνιάζεται καὶ κακῶς πάσχ.

Σείζετ δαιμονίου αἰνὴς αἰκαχήμω☉ ὕπας.

Ἄλλως,

Λᾶς σεληνιαζὸν νέον ἄπο δαιμονίς πε.

¶ Κεφάλαιον λς, Περὶ τ̃ αἰτούντων τὸ δίδραχμα.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ιζ, Ἐλθόντων δ' αὐτῶν εἰς Καπ. προσῆλθον οἱ τὰ δίδρ. λαμβάνοντες τῷ Πέτρῳ.

Δίδραχμον ἐξεπίλεσατ Θεοῦ πάις, οἷς ἄπο δᾶλ☉.

Ἄλλως,

Ἰχθύ☉ ἐκ γόμαῖ☉ Πέτρ☉ ἤρπασεν (ὡς ἐκελεύσθη)
Κίρμα, τὸ πρὶν Χριστὸς δοιῶν ἐπέπλα πλοίοιας.

¶ Κεφάλαιον λζ, Περὶ τ̃ λεγόντων, Τίς μείζων.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ιη, Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ, λέγοντες, Τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τ̃ οὐρανῶν;

Ἢ πὰν ἄλλοθεν ἄλ☉ ἰοὶ φίλοι, ὃς μέγ' ἄριστ☉.

Ἄλλως,

Οὗτ☉ ἐν οὐρανίῃ μείζων βασιλῆϊ ἀρχῇ,
Παιδίῳ ὃς γε δίκλιν (Χριστὸ πάϊ ῥῆμα) πεπνυός.

¶ Κεφάλαιον λη, Περὶ τ̃ ἐκκλησίαν προσβαίνων ἀδελφοῦ.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ιη, Τί ὑμῖν δοκεῖ; ἐὰν γένηταί τινι ἀνθρώπῳ ἑκατὸν πρόβατα, καὶ πλανηθῇ ἓν ἐξ αὐτῶν, οὐχὶ ἀφεὶς τὰ ἐννέα.

Οὕτασι οἷ☉ ἀλᾶται ὅις, Λόγε· καὶ τ̃ ἀπόβρις.

Ἄλλως,

Καὶ πάλι παροικάδλω, πίσυν ἀπίρα χάρμα πέλοιτο
Ὅστις ἓν ἐξ ἑκατὸν προβάτοις ὤρορε πλανηθέν.

¶ Κεφάλαιον λθ, Περὶ ☩ ὀφειλοῦ☉ μύριαν τάλαντα.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ιη, Διὰ τοῦτο ὡμοιώθη ἡ βασ. τ̃ οὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, ὃς ἠθέλησε συναίραι λόγον μετὰ τ̃ δούλων αὐτοῦ· ἄρξ. δὲ αὐτοῦ συναίρειν, προσηνέχθη αὐτῷ εἷς ὀφ. μυρίων ταλάντων.

μύρια δ' αὖτε τάλαντ☉ Θεοῦ πάις αἰνὸν λίλοιπεν.

Ἄλλως,

Παρβολαίδλν, αὐλὶ ☩ ὦ πᾶς μέγα χρεῖ☉ ἀφείῃ,
Οὐκ ἐθέλησι δ' ὅμως μικρὸν χρεῖ☉ ἄλλῳ ἀφεῖναι.

¶ Κεφάλαιον μ, Περὶ τ̃ ἐπερωτησάντων εἰ ἔξεστιν ἀπολῦσαι ☩ γυναῖκα.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ιθ, Καὶ προσῆλθον αὐτῷ οἱ Φαρ. πειράζοντες αὐτὸν, καὶ λέγοντες αὐτῷ, Εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ ἀπολῦσαι ☩ γυν. αὐτοῦ κ̃ πᾶσαν αἰτίαν;

Σύζυγον οὐκ ἐφίκει Θεὸς λόγ☉ ἐξαπαλύσαι.

Ἄλλως,

Οὐ θέμις ἐς' ἀπολῦσαι ὁμέζυγα, πλὴν ἄρα πέρλν.

¶ Κεφάλαιον μα, Περὶ ☩ ἐπερωτήσαντ☉ πλουσίου τ̃ Ἰησοῦν.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ιθ, Καὶ ἰδοὺ, εἷς προσελθὼν εἶπεν αὐτῷ, Διδάσκ. ἀγαθὲ, τί ἀγ. ποιήσω, ἵνα ἔχω ζωὴν αἰώνιον;

Πλούσι☉ ἦπερ ἄλλ☉ ὃ δὴ πλέον πᾶ' ἄμεινον.

Ἄλλως,

Πλουσίῳ εἰς ζωὴν αἰώνιον εἶμ☉ ἰδοίχθη.

¶ Κεφάλαιον μβ, Περὶ τ̃ μισθωμένων ἐργατῶν.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. κ, Ὁμοία γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τ̃ οὐρανῶν ἀνθρώπῳ οἰκοδ. ὅστις ἐξῆλθεν ἅμα πρωὶ μισθώσασθαι ἐργ. εἰς τὸν ἀμπ. αὐτοῦ.

Μισθὸν ἀεικπέπλα Χριστὸς νέμῃ ἶσον ἅπασι.

Ἄλλως,

Μισθὸν οἱ αὐτ' αἰσίοις πόνε ἐργάταις ἶσον ἔχοντες.

¶ Κεφάλαιον μγ, Περὶ τ̃ υἱῶν ☩ Ζεβεδαίου.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. κ, Τότε προσῆλθεν αὐτῷ ἡ μήτηρ τ̃ υἱῶν Ζεβεδαίου, μετὰ τ̃ υἱῶν αὐτῆς, προσκυν.

Τίνα δέ τι Ζεβεδαίου ἀγακλέα ᾖσαν ἴδρλν.

Ἄλλως,

Τοῖς Ζεβεδαίου ἴδρλν αἰσυμαίνεται λῶ πνα ᾖσαν.

¶ Κεφάλαιον μδ, Περὶ τ̃ δύο τυφλῶν.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. κ, Καὶ ἐκπορ. αὐτῶν ἀπὸ Ἰερεχώ, ἠκολούθησεν αὐτῷ ὄχλ☉ πολύς· καὶ ἰδοὺ, δύο τυφλοὶ καθ. παρὰ τ̃ ὁδὸν, ἀκούσ.

Φῶς μέγα κἀλέσιο ἐπέθεσκον ἄνδρες ἀλαοί.

Ἄλλως,

Τοῖς ἀλαοῖς πρὶν ἔσσι φάε☉ δηδοῖ ἐσοφίσθη.

¶ Κεφάλαιον με. Περὶ τ̃ ὄνε καὶ ☩ πώλν.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. κα, Καὶ ὅτε ἤγγισαν εἰς Ἱεροσ. καὶ ἦλθον εἰς Βηθφ. [καὶ τὸ ἰξῆς] Πορεύθητε εἰς τ̃ κώμλν τ̃ ἀπέναντι ὑμῶν, καὶ εὐθέως εὑρήσετε ὄνον δεδεμένλν.

Πῶλον ἄνοντα φέεσσιν ἰοὶ φίλοι, ἄνατε ἐπίσλν.

Ἄλλως,

Ἐμβεβαὼς ὁ Χριστὸς ὄνῳ πώλῳ ἦλθεν ἐς ἰρλύ.

¶ Κεφάλαιον μς, Περὶ τ̃ τυφλῶν καὶ χωλῶν θεραπευθέντων.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. κα, Καὶ προσῆλθον αὐτῷ τυφλοὶ καὶ χωλοὶ ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτούς.

Σαμβοισθὰς θεράπευε, τυφλοῖς δίδυ ἠέλιν φῶς.

Ἄλλως,

Φῶς τυφλοῖς, χωλοῖς δίδυ ἴχνιον ὀρθὸν ἰοῖσιν.

¶ Κεφάλαιον μζ, Περὶ τ̃ ξηρανθείσης συκῆς.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. κα, Πρωΐας δὲ ἐπανάγων εἰς τὴν πόλιν, ἐπείνασε· καὶ ἰδὼν συκῆν μίαν ἐπὶ τ̃ ὁδοῦ, ἦλθεν ἐπ' αὐτήν.

Τίρσιπ καὶ συκέα, ἐπεὶ σέθε ἀτιτάλλετ χαρπόν.

Ἄλλως,

Δείπνεσεν ἀναλίλιν, ἐπεὶ καρπὸς οὐ πάρ, συκῆν.

¶ Κεφάλαιον μη, Περὶ τ̃ ἐπερωτησάντων ☩ Χριστὸν ἀρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. κα, Καὶ ἐλθόντι αὐτῷ εἰς τὸ ἱερὸν, προσῆλθον αὐτῷ διδάσκοντι οἱ ἀρχ. καὶ οἱ πρεσβ. τ̃ λαοῦ, λέγοντες, Ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς;

Ἀρχιερεῖς πανάπτλμοι Θεοῦ Λόγον ἐξερίσσον.

Ἄλλως,

Οὐ θέμις οἰομένοις ἀνακρίνεσθ' ἀρχιερῆσι.

¶ Κεφάλαιον μθ, Περὶ τ̃ δύο υἱῶν ἀδελφοῦ.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. κα, Τί ὑμῖν δοκεῖ; Ἄνθρωπός τις εἶχε τέκνα δύο· καὶ προσελθὼν τῷ πρώτῳ εἶπε, Τέκνον ὕπαγε, σήμερον ἐργ.

καὶ

Καὶ ἀντὶοὶς πείσεται πικτὶς νίμει μίαν ἰφετμείαν·
Ἄθως,
Τῶν πειθόντων ἀπίνδυσιν ὁ εἷς, πίνοτ ἢ ἴμπης·
Καὶ κατιόδιε ἐπερ@ πικτεῖ ᾧ, ποίνοτ ἢ ὑχί.

¶ Κεφάλαιον ν, Περὶ ℈ ἀμπελῶν@.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κα, Ἄλλω αβγβελλὼ εἰκάνετε, Ἀνθρώπις πελὼ οἰκοδεσπότης, ὅστις ἰφύτευσεν ἀμπελῶνα, καὶ φραξμὸν αὐτῷ αβελίγκυσε [καὶ τὸ ἐξῆς] καὶ λακόντις οἱ γεωργοὶ σὺν ἀὐλοις αὐτῷ, ἂν μὲν ἴδοσαν, ὃν ἢ ἀπίκτειναν, ὃν ἢ ἐλιβοβόλησαν.
Οὐ ἀὐλοις αἰχόντι πεφιδοίασιν, ἀὸε π πειδός.
Ἄθως,
Τὰς αὐτὸς ἐπαμφθέντας ἀὐλους κτένει αἰχόντι ἀὸδρὶς,
Εἶτα ℈ τηλύγετον τηλοῖς ἔπλασεν ὑἷα.

¶ Κεφάλαιον να, Περὶ ℣ κεκλημβίων εἰς τ γάμον.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κβ, Καὶ ἀποκρ. ὁ Ἰησ. πάλιν εἶπεν αὐτοῖς ἐν παβολ. λέγων, Ὡμοιώθη ἡ βασιλεία ℣ ὑεγενῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ ὅστις ἐποίησε γάμους τῷ ὑἱῷ αὐτῦ, καὶ ἀπέστ.
Νυμφοσύμβ βασιλδὶς πε ἰὸν πεμ@ ἐς γάμε ὥριν.
Ἄθως,
Καὶ πάδε πεῤῥολαίδιν, πῶς οἱ κεκλημβίοι ἰλθεῖν.
Ἐς γάμον οὐκ ἤθελον, βασιλδὶς ℈ καλέσασα ἄδως.

¶ Κεφάλαιον νβ, Περὶ ℣ ἐπερωτησάντων δῶ τ κλῶσιν.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κβ, Τότε πορευθ. οἱ Φαρ. συμβούλιον ἔλαβον ὅπως αὐτὸν παγιδ. [καὶ τὸ ἐξῆς] εἰπεῖ ἂν ἡμῖν, Τί ζοι δοκεῖ· ἔξεσι δῦναι κλῶσον Καίσαρι, ἢ ὄ;
Γεῤῥμματεῖς δ' ἰρίσαντο ἀνάρετοι εἶναι κλῶσι.
Ἄθως,
Γεῤῥμματέας Χριςὸς τό γε Καίσαρ@ ὀνῶ κελδίῳ
Καίσαρι, ἡδὲ Θεῷ Θεῦ ἀναίσαρ ἐς' ἀποδῦναι.

¶ Κεφάλαιον νγ, Περὶ ℣ Σαδδυκαίων.
Ματθ. ἐν τῷ Δατ. ἱμ. κβ, Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ προσῆλθον αὐτῷ Σαδδυκαῖοι, οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν· καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν, λέγ.
Σαδδυκαίοις ἀνίρεσιν ἰφίζανε μῦθ@ αἰδνὶς.
Ἄθως,
Καὶ Σαδδυκαίοις, τῇ ἀνασάσι ἀντιλέγουσιν,
Ἦν προσῆλθε πεῦσιν λνί, οὐκ ἀβίβηλον ἰῶσαν.

¶ κεφάλαιον νδ, Περὶ ℈ ἐπερωτήσαν@ τ Ἰησῦν νομικῦ.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κβ, Οἱ ℣ Φαρ. ἀκούσαντες ὅτι ἐφίμωσε σὺν Σαδ. ἐπαίχησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ· καὶ ἐπηρώτησεν εἷς ἐξ αὐτῶν νομικὸς, πειράζων αὐτὸν, καὶ λέγων, Διδάσκαλε, ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ;
Ἠτεῖ ἢ νομικὸς τὶς πεωτεῖτι ἐσὶν ἰφετμή.
Ἄθως,
Ἠρετίμεν νομικὸς μεγάλιν τίνα φησὶν ἰφετμείν.

¶ Κεφάλαιον νε, Περὶ τ ℈ Ἰησῦ ἐπερωτήσεως.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κβ, Συναγμένων ℣ τ Φαρ. ἐπηρώτησεν αὐτοὺς ὁ Ἰησῦς, λέγων, Τί ὑμῖν δοκεῖ περὶ ℈ Χριςῦ;
Γεῤῥμματέας δ' ἰρίσαντο, ἀπίρτατι, ἀμφὶ σταυτῦ.
Ἄθως,
Παῖς τίν@ ὁ Χριςὸς, Φαρισαίοις Χριςὸς ἰρωτᾷ.

¶ Κεφάλαιον νς, Περὶ ℈ πλανισμῦ γραμματέων καὶ Φαρισαίων.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κγ, Τότε ὁ Ἰησῦς ἐλάλησε πρὸς ὄχλους καὶ πρὸς μαθητὰς αὐτῦ, λέγων, Ἐπὶ τ Μωσ. καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμ. καὶ οἱ Φαρ. [καὶ τὰ ἑξῆς] Οὐκοῦ δὲ ὑμῖν γραμ. καὶ Φαρ. ὑποκριτὴ
Γεῤῥμματέας πλανίζε Θεὸς λόγ@, ἄφρονας ἄνδρας.
Ἄθως,
Οὐκοῦ γραμματέων λέγ ὄχλοι καὶ Φαρισαίων.

¶ Κεφάλαιον νζ, Περὶ τ σωτηρίας ℈ αἰῶν@.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κδ, καθημένου δὲ αὐτοῦ ὄπι τ ὄρους τ ἐλαιῶν, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθ. κατ' ἰδίαν, λέγοντες, Εἰπὲ ἡμῖν πότε ταῦτα ἔσται.
Ἔσεται ἦμαρ (ἔφησεν) ὅτ' οὐκέτι φυκτὰ πόλεται.
Ἄθως,
Σημεῖα γεγίνεται Χριςοῦ προλέγοντα ἄφιξιν.

¶ Κεφάλαιον νη, Περὶ τ ἡμέρας καὶ ὥρας.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κδ, Περὶ ℣ τ ἡμέρας ἐκείνης καὶ τ ὥρας ἰδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τ οὐρανῶν.
Οὔτις ἀπιχθονίων ἐπίσαται ἦμαρ ἐκεῖνο.
Ἄθως,
Οὔτις ἀπιχθονίων, οὐτὲ κάλ' ἔσαι ἄγγελοί εἰσι,
Οἶδαν τ φοβερᾶς Χριςὸ ἀφίξι@ ὥραν.

¶ Κεχάλαιον νθ, Περὶ τ δέκα παρθένων.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κε, Τότε ὁμοιωθήσεται ἡ βασιλεία τ ὑεγενῶν δέκα παρθένοις, αἵτινες λαβοῦσαι τὰς λαμπ.
Οὐκ ἴδρασαν ἡλαμπον κῦρα ἀπαλαὶ φρενίσαι.
Ἄθως,
Καὶ δέκα παρθενάδιν φρόνιμοι κόραι, αἳς δέκα μωραί.

¶ Κεφάλαιον ξ, Περὶ τ τὰ τάλαντα λαβόντων.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κε, Ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπος ἀποδημῶν ἐκάλεσε τοὺς ἰδίους δούλους, καὶ παρέδωκεν αὐτοῖς τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ.
Χρυσὸν ἄναξ θεράπουσιν ἑνήμασι πᾶσιν ἰφεξῆς.
Ἄθως,
Ἀνθρώπις παράδειγμα πῆγε τὰ τάλαντα λαβόντας.

¶ Κεφάλαιον ξα, Περὶ τ ἐλδόντος ℈ Χριςοῦ.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κε, Ὅταν ℣ ἔλθῃ ὁ υἱὸς ℈ ἀνθρώπ ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ ἅγιοι ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ, τότε καθ.
Ἴξεται ἐς μιρόνται ἀβέλητι κρίναι ἅπαντας.
Ἄθως,
Ἐνδοξ@ γεγίνεται Χριςοῦ φοβερᾷ τι ἄφιξις,
Ὁπόταν ἀνθρώπους καθιεῖ πάντας δικασής.

¶ κεφάλαιον ξβ, Περὶ τ ἀλειψάσης τ Κύριον μύρῳ.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κς, Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γενομένου ἐν Βηθανίᾳ, ἐν οἰκίᾳ Σίμων@ ℈ λεπροῦ, προσῆλθεν αὐτῷ γυνὴ ἀλάβαςρον μύρου ἔχουσα βαρυτίμου, καὶ κατέχεεν ἐπὶ τ κεφαλῆς αὐτοῦ ἀνακειμένου.
Χθίεν μύρου ἄνακτι γυνὴ πετ' ἐπαλάβασρον.
Ἄθως,
Πρὸς δὲ μιν ἦλθε γυνὴ' ἀλάβασρον ἔχουσα μύρου.
Καὶ πάδε κατακεφαλῆς ἀνακειμένῳ ἔχεεν αὐτοῦ.

¶ Κεφάλαιον ξγ, Περὶ ℈ πάσχα.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κς, Τῇ ℣ πρώτῃ τ ἀζύμων προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ, λέγοντες αὐτῷ, Ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα;
Πάσχα σοὶ οἵη φίλεσιν ὑπέρτατ@ ἐκπλήσσειν.
Ἄθως,
Πάσχα πλεῖ ῥᾷ τ δυσπαίδευτα Χριςὸς ἑταίρων.

¶ Κεφάλαιον ξδ, Περὶ ℈ μυστικοῦ δείπνου.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κς, Ἐσθιόντων ℣ αὐτῶν, λαβὼν ὁ Ἰησῦς τ ἄρτον καὶ εὐλογήσας, ἔκλασε καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς.
Δαίνυο οἷς ἑτάροισι, μέγ' ἔλβιε, πάσχα τὸ καινόν.
Ἄθως,
Ὧδε τὸ δεῖπνον ὁρᾷς μέγα ℈ μυσήριόν ἐσι.

¶ Κεφάλαιον ξε, Περὶ τ προδότου ℈ Ἰούδα.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κς, Καὶ ἐπ αὐτῷ λαλοῦντ@, ἰδοὺ Ἰούδας.
Σχίτλ@ ἐσι, Ἰούδα, Θεοῦ ὅπιν οὐκ ἀλεγίζων.
Ἄθως,
Τὸν Χριςὸν προδότης ἐχθροῖς παρέδωκεν Ἰούδας.

¶ Κεφάλαιον ξς, Ἄρνησις Πέτρ.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κς, Ὁ ℣ Πέτρ@ ἔξω ἐκάθητο ἐν τῇ αὐλῇ, καὶ προσῆλθεν αὐτῷ μία παιδ.
Τρίτατον ἄμυνε Πέτρ@ ἀναιδάλῳ@ θεὸν ἀνόν.
Ἄθως,
Τρὶς Πέτρ@ ἠρνῆτο Χριςὸν πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι.

¶ Κεφάλαιον ξζ, Περὶ τ ℈ Ἰούδα μετεμελείας.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κζ, Τότε ἰδὼν Ἰούδας, ὁ παραδοὺς αὐτὸν, ὅτι κατεκρίθη, μεταμελ. ἀπέστρ.
Ὁ προδοὺς μετέβαινεν θεὸν βρόχον ἀκρύοντα.
Ἄθως,
Ἦλθεν ὁ προδότης, καὶ ἀπέξανε, Ἡμπλακον, εἰπών.

¶ Κεφάλαιον ξη, Περὶ τ αἰτήσεως ℈ σώματ@ ℈ Ἰησοῦ.
Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἱμ. κζ, Ὀψίας ℣ γεν. ἦλθεν ἄνθρ. πλούσι@ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, ὀνόματι Ἰωσήφ.
Δέχνυτο ἐκ Παλαίσιο Θεῦ δίκας ἡδὺς Ἰωσήφ.
Ἄθως,
Τὸ Χριςοῦ δίκας ἀβὰς ℈ Πιλάτιο Ἰωσὴφ
(Ὅς γ' ἐμαθήτευσε Χριςῷ πρὶ) ἔλαβεν αὐτῶν.

Digitized by

2. Ἀπεκύλισε] *Devolvit.*

3. Ἦν ἡ ἰδέα αὐτοῦ ὡς ἀστραπή] *Viſus eſt ut fulgur.*

4. Ἐσείσθησαν] *Concuſſi ſunt* mente.

14. Πείσομεν αὐτὸν, καὶ ὑμᾶς ἀμερίμνους ποιήσομεν] *Perſuadebimus illi* rem ita ſe habere, *& vos ſecuros reddemus.*

17. Ἐδίστασαν] *Dubitaverunt.*

DRUSIUS.

1. V *Eſpere autem ſabbathi*] Marc. 16. 9. dicitur Chriſtus reſurrexiſſe πρωΐ, *mane.* Si mane, quomodo veſpere? nam veſpera eſt initium noctis, & aliquando pro tota nocte ponitur. Utro ſignificatu accipias, non reſurrexit mane, ſi veſpere aut nocte reſurrexit. In Exemplari Græco eſt ὀψὲ σαββάτων, quod interp. recentior convertit *extremo ſabbatho*; malim *ſeré ſabbathi. Serum ſabbathi*, ut *ſerum dici*, quod ὀψὲ τῆς ἡμέρας Græci dicunt. Τὰ σάββατα hic notat diem ſeptimum, cujus additamentum (תוספת vocant) incidit in τὸ πρωΐ diei ſequentis. Idem ergo ὀψὲ τῶν σαββάτων & τὸ πρωΐ, *cum luceſcit.* Ὀψὲ autem *ſero* redditum comperior Exod. 30. 8. ad quem locum Auguſtinus Locut. lib. 1. *Sero*, inquit, *proprie non ſolet dici niſi cum tempus tranſierit quo fieri debuit quod ſero dicitur factum.* ¶ *Qua luceſcit*] Conſtructio ſenſu congrua, non voce. Nam præcedit *veſper*, & conſtructio eſt acti eſſet *veſpera*: utrumque enim recte dicitur. Dormis, Serari, & hæc non audis? Diſce ſaltem ab interprete veſtro quem tanti feciſtis. ¶ *In primam ſabbathi*] Τὰ σάββατα pro *hebdomade* ſive *ſeptimana* notum eſt. Ergo μία τῶν σαββάτων eſt *primus dies hebdomadæ.* Sæpius dicunt σάββατον eo ſenſu, i. שבתא *ſeptimana*, unde חד בשבתא *unus in ſabbatho*, *ubi* שבת pro שבוע, & *unus* valet *primus.* Sic μία τῶν νουμηνιῶν Num. 29. *una menſis*, i. *prima.* Dicunt etiam חד בשבתא μία ἐν τῷ σαββάτῳ· Similiter תרין בשבת *duo in ſabbatho*, pro *ſecunda Sabbathi*, & ſic deinceps. Sextum autem peculiariter vocant מוצאי שבת *exitum ſabbathi*, aut מעלי שבת q. *aſcenſum ſabbathi*, i. hebdomadæ. *Sabbathum* enim in his omnibus locis notat *hebdomadam.* Vide Tanchuma, fol. 41. col. 3.

CASAUBONUS.

1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων] De tempore quod his verbis deſcribitur ne dubitari quidem poteſt, cum ſit à reliquis omnibus Euangeliſtis tam diligenter notatum: In verbis quædam eſt difficultas; ſed quam doctiſſ. interpres omnem ſuſtulit. Nam qui aliter ſentiunt, nec putant ſubintelligendam eſſe vocem ἡμέρᾳ cum ἐπιφωσκούσῃ, longe falluntur: quod vel hic Polybii locus doceat lib. 11. ἀφικνεῖται εἰς Τεγέαν εἰς τὴν Λακεδαιμονίας τὰ πέντε τῶν καιρῶν, ὄψιος εἰς ἢ ἐπιόντων, ἄρτι τῆς ἡμέρας ἐπιφαινούσης, περὶ ἣν εἰσὶ ἡ Μαντίνεια· ubi vides ſimile loquendi genus ei quod Matthæus uſurpavit: ἐπιφαίνειν eſt Polybio quod illi ἐπιφώσκειν.

7. Ὅτι ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν] Vetus interpres non agnoſcit hæc verba, ἀπὸ τῶν νεκρῶν.

17. Οἱ δὲ ἐδίστασαν] Οἱ δὲ pro τινὲς δὲ, non præcedente οἱ μὲν, poſuit, uſitatiſſimo Grammaticis præſertim loquendi genere. Sic Athenæus ſæpe.

CAMERO.

19. Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη] Locutio eſt Hebraica: nam תלמיד eſt μαθητὴς *diſcipulus*: unde formant verbum תלמד μαθητεύειν *facere diſcipulum*, & התלמד μαθητεύεσθαι *fieri diſcipulum.* Neque vero ſingulare aliquid verbo illo μαθητεύειν deſignatur; quod putavit tamen doctiſſimus Interpres; quin ſimpliciter μαθητεύειν eſt διδάσκειν *docere*, ſed docere ea quæ pertinent ad religionem. Unde Chriſtiani primitus μαθηταὶ *diſcipuli* vocabantur, more Judæorum, qui eos omnes qui ſingularem in modum religionis ſtudio incumbebant, Doctore præeunte, תלמידים *diſcipulos* vocabant.

20. Ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας] Hinc Pontificii confioere ſtudent, Eccleſiam in terris fore ſemper conſpicuam: hæc enim dicta ſunt non ad Apoſtolos modo, ſed & ad Apoſtolorum ſucceſſores cum ipſi Apoſtoli non eſſent permanſuri hic in terris uſque ad conſummationem mundi. Sed primo, etiamſi demus promiſſionem hanc factam non modo Apoſtolis, ſed etiam ſucceſſoribus Apoſtolorum, tamen nihil promoverent Pontificii: nam veri ſucceſſores Apoſtolorum tales ſunt quales fuerunt Apoſtoli; atque iis certe Chriſtus ſemper adeſt: non autem ex eo quod Chriſtus piis Paſtoribus ſemper adeſt, ſequitur ſemper fore pios Paſtores. Deinde, nihil opus eſt hunc locum intelligere de poſteris Apoſtolorum: agitur enim de miſſione Apoſtolorum, quæ non fuit tranſmiſſa in ullos ſucceſſores, quos Apoſtoli, quatenus Apoſtoli, nullos habuerunt. Et ridiculum eſſet quod omnibus Apoſtolis dictum fuit ad ſolum Petrum trahere & reſtringere: neque exiſtimandum eſt Petrum potius quam reliquos Apoſtolos habuiſſe ſucceſſorem. Quod vero ajunt locum iſtum ſolis Apoſtolis non poſſe accommodari, quia Apoſtoli non vixerunt uſque ad conſummationem ſeculi, imo multis ab hinc ſeculis vita emigrarint, leve eſt. Chriſtus enim uſitata locutione, dum vult profiteri ſe ſemper adfuturum Apoſtolis, pollicetur ſe illis *adfuturum uſque ad conſummationem ſeculi*: Quæ ratio loquendi non videri debet inſolens; primo, quia ſic poteſt exponi ut ſit ſenſus, Si fieri poſſet ut viveretis uſque ad finem mundi, ego toto eo tempore vobis adeſſem; itaque ſemper adero vobis. Deinde, ſimilis exſtat locutio 1 Tim. 6. 14. *Denuncio tibi ut ſerves hoc mandata uſque ad illuſtrem illum adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti*, h. e. Ita ſerva hoc mandatum ut quotidie Chriſtum expectes; atque ita ut, ſi tibi ad id uſque tempus eſſet vivendum, tamen nihil remittas de ſtudio.

GUALTPERIUS.

1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, *Veſpera autem Sabbatorum, quæ luceſcit in unam Sabbatorum*] Syrus, *Veſpere autem in Sabbatho, cujus veſpera lux prima eſt in Septimana.* Tremell. *Veſpera ſæpe totum noctis tempus deſignat, licet proprie ſignificet noctis principium. Atque hoc loco ſignificat Noctis partem aurora proximam, ſicut & Marc. ult. Præterea lingua Syra, Talmudica & Hebræa ſeptimana dicitur* SABBATUM, *& dies ſinguli in ea denominantur ab ordine*, prima Sabbathi, ſecunda Sabbathi, *&c. A Sabbatho enim tota ſeptimana ob eximiam dignitatem denominatur. Hoc ſenſu Phariſæus ille apud Lucam 18. jactabat inter reliqua ſua benefacta quod* bis in Sabbatho jejunaret, *i. bis in ſeptimana.*

ΤΙΛΟΣ. Syrus, *Finis Euangelii Sancti prædicationis Matthæi, quod prædicavit Hebraice in regione Paleſtina.*

GROTIUS.

1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων, *Fine ſeptimanæ*] Cum Marcus ita Matthæi legat veſtigia ut ſæpe ei præſtet interpretis vicem, ſenſum in his vocibus eundem eſſe non dubito qui eſt in illis Marci verbis ἀγοράσωσιν ἀλείψωσιν [*cum tranſiſſet Sabbatum*]. Neque me dimovet quod apud Marcum eſt ἠγόρασαν ἀρώματα [*emerant aromata*], unde nonnulli putarunt hic agi de re geſta ſtatim poſt occaſum Solis Sabbati. Nam cum apud Lucam apertiſſime liqueat aromata ab his mulieribus non Sabbato ſed die τῆς παρασκευῆς [*Paraſceves*] comparata, ἠγόρασαν illud apud Marcum interpretandum eſt, *habebant emta aromata.* Nam quando exiiſſent mulieres dici multum attinebat; habuiſſe eas ſecum aromata itidem, quia id cauſam exitionis indicat; quando autem ea aromata comparaſſent nihil referebat ſciri: quare id ἀορίστως [*tempore indefinito*] expreſſum eſt. Sic Matthæi XIV, 3. Ἶδιον ἀνὴρ [*vinxerat eum*] ſignificat non *vinxit* ſed *vinxerat.* Adde quæ ſupra XXVII, 2. Nulla igitur peculiaris itio ad ſepulchrum apud Marcum quærenda eſt. Apud Matthæum vero hoc loco agi de aliqua itione veſpertina qua nihil relatu dignum acciderit, matutinam ad quam ſequentia omnia pertinent ſilentio omitti, nihil habet probabilitatis. Poterat dici ὀψὲ [*veſperam*] Helleniſtis dici interdum *noctem*, ut Hebræis ערב, quod ſupra annotavimus; atque ita ὀψὲ hic eſſe *nocte*, quomodo cepiſſe hunc locum videntur Syrus & Arabs, & Græcorum nonnulli; quo & illud aptari poteſt quod totam noctem quæ eſt poſt Sabbatum Hebræi vocant מוצאי שבת *exitum Sabbati*: Sed duo obſtant, primum quod ὀψὲ [*ſero* aut *ſine*] cum caſu ſecundo plane Græca eſt conſtructio; deinde quod ut שבתות [*Sabbata*] Hebræis, ita σάββατα Helleniſtis multitudinis numero plerumq; dicuntur non ipſi dies otio dati, ſed tota dierum hebdomas ab unius Sabbati initio ad initium alterius: quarum dierum prima eam ob rem vocatur μία σαββάτων [*una* ſive *prima Sabbatorum*] (ex Hebraïſmo quem & Lxx Interpretes ſequuntur) tum hic tum apud Marcum, Johannem, Lucam in Euangelio & in Actibus, & apud Paulum. Imprimis autem novum videri poterat hoc loco quatuor dundaxat vocibus interpoſitis idem nomen σαββάτων [*Sabbatorum*] ſine ulla cauſa ſignificatu diverſo uſurpari. Quare nulla eſt ſimplicior

plicior interpretatio quam ὀψὲ σαββάτων hic esse, *exacta dierum hebdomade*. Nam ὀψὲ cum casu secundo Græcis non modo significat *id quod sero fit* (quod multis testimoniis probatum huc proprie non pertinet) sed & *quicquid temporis ordine est posterius*. Philostratus de Pythiis ludis, τὰ Πυθικὰ ὅτε εἰς αὐτὰ ἥκοιτο αὐλῷ τε σφᾶς παίοντα καὶ ᾠδαῖς καὶ ψαλτῇ, κωμῳδίας τε καὶ τραγῳδίας ἀξιῶν· εἶτα τὰ ἀγώνια παρέχειν τὴ γυμνῇ ὀψὲ τούτων [*Pytho, sive Delphorum urbem, eos qui ad se veniunt tibia excipere & cantu & fidibus, quin & comœdiis & tragœdiis oblectare: post hæc arma exhibere nudorum certamen*], id est, *his omnibus peractis*: & alibi ὀψὲ τῶν Τρωϊκῶν *post res Trojanas*, ὀψὲ τῆς βασιλέως χρόνου [*post hujus Regis tempora*]. Similiter Plutarchus Vita Numæ, Πυθαγόραν ὀψὲ γένεσθαι τοῦ Νυμᾶ χρόνου [*Pythagoram fuisse post Numæ tempora*]. ¶ τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, *cum lucesceret in primam sabbatorum* sive *septimanæ*] Post temporis latius patentis indicium altera pressior notatio requirebatur. Neque dubium est quin in hujus temporis designatione optime conveniat horum librorum Scriptoribus. Nam quid est quod majore diligentia ab illis inquiri debuit aut fidelius tradi quam certum tempus ejus rei in qua fidei nostræ cardo vertitur? Quare & hic & aliis multis in locis si quid est obscurum aut ἐκφαντὸς [*speciem habens repugnantiæ*] id proficiscitur non ex scribentium sed ex legentium vitio. ἐπιφώσκειν aut ἐπιλάμπειν (sunt enim hæc significatus ejusdem) de quavis luce dicitur cum primum se ostentare incipit, sive illa Solis sit sive siderum: *μήτε ἡλίου, μήτε ἄστρων ἐπιφαινόντων* [*neque Solis neque sideribus apparentibus*] inquit Lucas Actor. XXVII, 20. Apud eundem Lucam in Evangelica historia XXIII, 54. σάββατον ἐπέφωσκε [*Sabbatum illucescebat*] dicitur aut Lunæ aut siderum ratione. Maxime autem proprie de Solis luce dicitur; quomodo dictum à Polybio τῆ ἡμέρᾳ ἐπιφαινούσῃ [*die apparente*] ostendit is cui non Polybius tantum sed & quantum est literarum plurimum debet. Hinc illa translatio in carmine Zachariæ Luc. I, 78, 79. ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει [*visitavit nos splendor ex alto, apparens iis qui in tenebris*]. Sic & ex Ignatio ἐπιφωσκούσης κυριακῆς [*cum illucesceret dies Dominica*] & ex Epiphanio ἐπιφωσκούσῃ τῇ τετράδι [*cum quarta dies illucesceret*] idem vir doctissimus annotavit. Sed & Herodoto dictum ἡμέρῃ λαμφαινούσῃ [*die apparente*]. Neque aliter hic sumendum τῇ ἐπιφωσκούσῃ [*cum lucesceret*]. deest enim ἡμέρᾳ [*dies*], ut cum Græci dicunt τῇ ἐπιούσῃ [*posterâ*]. Noster hic Scriptor supra πρὸ ἀνέσου [*crastinum*] VI, 34. ut & Lucas Act. IV, 3, 5. & Jac. IV, 14. Johan. vero I, 35. & XII, 12. Lucas Act. XX, 7. τῇ ἐπαύριον [*crastina*]. Est autem notandus Hebraismus in eo quod dicitur εἰς μίαν σαββάτων [*in primam sabbatorum* sive *septimanæ*]: sensus enim est, *cum ea dies illucesceret quæ erat futura prima hebdomadis*. Designatur igitur hic diluculum; ut & apud Lucam XXIV, 22. γενόμεναι ὄρθριαι ἐπὶ τὸ μνημεῖον [*quæ ante lucem fuerunt ad monumentum*]. Diluculi primam partem Johannes describit, dicens πρωΐ, σκοτίας ἔτι οὔσης [*mane, cum adhuc tenebræ essent*] XX, 1. cum adhuc noctis aliquid restaret; quomodo πρωΐ [*mane*] etiam Marcus usurpat, addens ἔννυχον λίαν [*cum adhuc multum de nocte restaret*] I, 35. Sic Philemon, ἀπὸ τινὸς πρωΐας ἀφ' ἧς ἡ δείλη ἄρχεται [*eo mane unde diluculum incipit*] notatum id Eustathio ad sextum Iliados: & Lucas pro eodem hic dicit ὄρθρου βαθέως [*valde diluculo*]. finem ipsum, quod est *mane primum* Latinis, notat hic Marcus cum dicit λίαν πρωΐ [*bene mane*], ἀνατείλαντος [*orto*] aut, ut alia exemplaria habent, ἀνατέλλοντος [*oriente*] vel, quod eodem recidit, ἔτι ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου [*adhuc oriente Sole*]. Ego quid in his narrationibus tantum sit difficultatis non video. Nimirum primo diluculo surrexerant mulieres: dum alia aliam opperiuntur, dum parant aromata, dum progrediuntur per Urbem & extra Urbem ad sepulchrum, facile tantum temporis transiit ut cum ad sepulchrum ventum esset aliquid jam Solis appareret. Habent autem singulæ circumstantiæ suum pondus. Quod primo diluculo surgunt mulieres ostendit metuisse eas ne Sabbato jam transacto corpus alio transferretur, quasi illic duntaxat depositum pro tempore propter imminens Sabbatum. Quod jam illuxerat nonnihil cum ad sepulchrum veniatur est, eo facit ut certa oculorum fide comperta constet quæ mulieres renuntiarunt. Qua die de septem creatio inchoata est, eadem & nova creatio. Ibi μία [*una*] in Græco Gen. I, 5. hic μία [*una*]. ¶ Μαρία Μαγδαληνή, *Maria Magdalene*] Quam ut ducem agminis Johannes nominat: & credo ab ea factos præcipue sumtus. Sane cæteris nobilior fuisse videtur, quia nomen ejus aliis præponi solet, supra XXVII, 56, & 61. hoc loco, & apud Marcum XV, 40. XVI, 1. Luc. VIII, 2, 3. XXIV, 10. ¶ καὶ ἡ ἄλλη Μαρία, *& altera Maria*] Cleopæ filia, mater Josæ & Jacobi, ut supra diximus. Omittit Matthæus *Salomen*, quam Marcus nominat, & *Johannem*, uxorem scilicet Chuzæ, qui Herodis erat Procurator, Lucæ memoratam. Fuerunt ergo mulieres quatuor nominatæ, præter ἀνωνύμους [*non nominatas*] quas Lucas indicat. ¶ θεωρῆσαι τὸν τάφον· *videre sepulchrum*] Ἵνα ἀλείψωσιν [*ut ungerent*] addit Marcus, quod & Lucas non obscure indicat. Venerunt igitur ut viderent an sepulchrum ad unctionem pateret. Hic est ἐνταφιασμὸς de quo [hæc est *pollinctura* de qua] diximus supra. Solebat id fieri antequam corpora sepulchro mandarentur: sed sepeliendi festinatio id officium anteverterat.

2. σεισμὸς ἐγένετο μέγας. *terræmotus factus est magnus*] Motus hic signum fuit secuturæ ὀπτασίας [*visionis*] satis notum Judaico populo, Psal. LXVIII, 8. 9. XCIX, 1. CXIV, 1. 7. Ostendit hoc quod sequitur, Ἄγγελος γὰρ [*Angelus enim*] & cætera. Quare nulla alia quærenda est ratio. Putem autem hoc, ut & lapidis devolutionem, sed & fugam custodum, evenisse dum mulieres in itinere essent; neque id ex mulierum testimonio notum, sed ex aliorum militum relatu qui accepta pecunia redemtum silentium non præstiterunt: ut fieri solet. Argumento est quod Marcus de mulieribus narrat, καὶ ἀναβλέψασαι θεωροῦσιν ὅτι ἀποκεκύλισται ὁ λίθος [*& respicientes viderunt revolutum lapidem*]. Devolutum igitur viderunt cum id minime sperarent; devolvi non viderunt: neque ausæ fuissent accedere si monumentum obseptum vidissent militari custodia. ¶ καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ, *descendens de cælo*] Habet Deus Angelos quotidianæ providentiæ ministros: Habet & velut Satrapas, quorum opera ad res maximi momenti utitur, ut alibi annotavimus. Hi peculiariter dicuntur ἐξ οὐρανοῦ καταβαίνειν [*ex cælo descendere*], hoc est, tanquam à latere mitti. Itaque ubicunque καταβάσεως ἐξ οὐρανοῦ [*descensus ex cælo*] est mentio, ut Apoc. X, 1. XVIII, 1. XX, 1. magnum quiddam atque eximium agi intelligas. ¶ ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας, *devolvit lapidem ab ostio*] An ut janitoris officio non necessario quidem sed honorifico fungeretur? Certe veterum quosdam ita existimasse negari non potest, & torquent eorum verba qui id præfracte negant. Alii aliter: quos inter ille quisquis est Scriptor antiquus (non unum esse libri illius pro certo habeo, sed ex multorum non unius ævi scriptis factam collectionem) in Responsionibus ad Orthodoxos, Οὐ γὰρ ἵνα τῷ αὐτὸν ἐγεῖραι ὁ λίθος ἐκ τοῦ μνήματος ἐγένετο ἡ ἀφαίρεσις, ἀλλὰ ἵνα τὸ ἀνεληφθῆναι τοῖς ὁρῶσι τὸν ἀναστάντα [*non enim ut ille resurgeret lapis de monumento ablatus est, sed ut videntibus constaret eum resurrexisse*]. Prior sententia, ut certa non sit, qui refelli possit non video. Præfiguratum videri hoc potest in Jacobo Genes. XXIX, 8. Verba eadem. ¶ καὶ ἐκάθητο ἐπάνω αὐτοῦ· *& sedebat super eum*] Unum nominat Matthæus, ut & Marcus; Lucas duos, ut & Johannes: nam apud Johannem eadem quæ hic historia narratur XX, 13. nihil enim video cur aliam putemus cum tot circumstantiæ congruant. Johanni Maria Magdalena hanc ὀπτασίαν [*visionem*] videt; aliis eadem cum cæteris: nam initio Johannes Magdalenam pro reliquis nominaverat. Cui simile est quod Johanni *duo Angeli*, Lucæ δύο ἄνδρες [*duo viri*], id est, Angeli virili specie, nominantur, Matthæo unus *Angelus*, ut & Marco unus νεανίσκος [*juvenis*]: nimirum quia unus ille & propior & pro duobus verba fecit: quod solemne notant Hebræi ex loco Genes. XVIII, 1, & 3. Itaque quod Lucas Angelos dixisse perhibet, *Non est hic, sed surrexit*, id ab Angelo dictum narrant Matthæus & Marcus. Sic quod Matthæo est Μὴ φοβεῖσθε [*Ne timete*], Marco, Μὴ ἐκθαμβεῖσθε [*Ne expavescite*], Johanni, Τί κλαίεις; [*Quid ploras?*] *Vestes candidas* Johannes memorat, item ut tres alii: *sessionis* meminit & Matthæus & Marcus. Cur diversæ narrationes credantur plane nihil est, nisi quod Johannes suam & Petri itionem prius narrat, deinde ea quæ Magdalena viderat, cum alium fuisse temporis ordinem tum ex Lucæ historia hoc loco appareat, tum apertissime ex iis quæ Cleopas dicit in itinere Emauntem versus, Lucæ XXIV. 22, 23, 24. At me id non movet, qui sciam ut alios Annalium conditores ita & hosce nostros non semper se adstringere ad eas angustias, ut quod prius gestum est prius etiam narrent, cum multa ubique sit reperire πρωθύστερα [*præposteræ*], multas προλήψεις [*anticipationes*], multas ἐπανόδους [*retrogressiones*]. Neque Johanni cur naturalem hic ordinem inverteret justa causa defuit. Sciebat quam imbecille futurum esset apud multos testimonium muliebre ob eam quæ sexui isti tribui vulgo solet judicii imbecillitatem. Nam & Celsus contra Christianos id testimonium eludens Magdalenam γυναῖκα παραφρονοῦσαν [*feminam fanaticam*] vocavit. Quare Johannes acturus de re ut verissima ita creditu difficili, suum & Petri testimonium

narrationi præſtruxit; Petri, ut qui id ipſum morte ſua jam obſignaſſet; Suum, ut qui tunc etiam cum ſcriberet paratus eſſet omnia perpeti propter ejus teſtimonii veritatem. Hoc poſito fundamento, quod apud æquos judices valere plurimum debebat, tuto deinde addit ſexus ſequioris teſtimonium. Neque tamen omnino abjecit temporis ordinem: ſed cum de itione Magdalenæ dicere cœpiſſet, XX, 1. adjicit deinde ea quæ ipſe cum Petro compererat, mox ad Magdalenam rediens ea pertexit quæ prius quidem geſta, ſed poſterius tamen accurate & cum ſuis circumſtantiis per Magdalenam Apoſtolis erant renuntiata. Quare illud Μαρία ἡ μαγδ. XX, 11. intelligendum eſt *Steterat autem Maria*, & ita deinceps cætera, reditu facto ad id quod poſt comma primum Johannes intermiſerat. Hæc ideo hoc loco dicenda ſum arbitratus ut probato, unam eſſe eandemque hiſtoriam apud Scriptores quatuor, ea quæ ab aliis ſunt prodita aliorum interpretationi ſerviant. Videamus quid reſtet difficultatis. *Sedere*, ut dixi, *Angelos* dicit Johannes, cum Matthæo & Marco; at Lucas eos *ſtetiſſe* videtur dicere: ſed videtur tantum: nam ἐφίστημι eſt ſupervenire: ut cum Hippocrates dicit, Ὥσπερ γὰρ δμῶες ἢ δμωιδες ἐν τοῖς οἰκίοις θορυβέοντες ἢ παιζοντες ἀκοῦσαι ἐξαπιναίης ἢ δεσποινα φόβῳ πολλῷ ἐφεστᾶσα ἐφησυχάζουσι [*Sicut enim ſervi & ancillæ ſi domi tumultuoſi diſſideant, ſubito apparente hera præ metu ſilent*]. & Herodianus, ἐπιστᾶσα ταῖς Βρεττανικαῖς ἐπεσι [*citius exſpectato Britannis ſe oſtendit*]. Ac Lucæ peculiariter ea vox de cœleſtibus viſis uſurpatur Euangelio ejus II, 9. Act. XII, 7. & XXIII, 11. Sic cum Demoſthenes in ea quæ eſt De corona dixiſſet, ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐπὶ ταῦτα ἐπέστην ἐγώ [*ex quo tempore ego ſuper hæc apparui*] notat Ulpianus, ὥσπερ τινὸς δαίμονος ἐπιστασίαν λέγει τὴν αὐτοῦ παρουσίαν [*curæ ſuæ præſentiam eloquitur tanquam numinis alicujus ſuperventum*]. De loco ubi ſederint Angeli itidem dubitatur. Nam extra ſpecum ſediſſe Angelum illum cujus Matthæus meminit inde colligitur quod *lapidi ſuperſediſſe dicitur*; is autem lapis major ore ſpecus haud dubie extrorſum, non introrſum erat devolutus. At contrarium dicere putantur tum Marcus, tum Johannes: unde ſunt qui dixerunt Angelum ſediſſe non ſuper lapidem ab ore devolutum, ſed ſuper lapidem alium qui Chriſti loculo impoſitus fuerit. At quid eſt Matthæo contradicere ſi hoc non eſt? is enim apertiſſime ait, ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆ θύρας, καὶ ἐκάθητο ἐπάνω αὐτοῦ [*devolvit lapidem ab oſtio, & ſedit ſuper eum*]. Mihi res videtur expedita, ſi Marci verba commode interpretemur: Is ait εἰσελθόντες εἰς τὸ μνημεῖον εἶδον νεανίσκον [*introeuntes in monumentum viderunt juvenem*]. Atqui in ſpecum nondum intraverant: nam poſtea dicit eis Angelus δεῦτε ἴδετε τὸν τόπον ὅπου ἔκειτο [*venite & videte locum ubi poſitum erat*]. Vocat ergo Marcus μνημεῖον [*monumentum*] partem horti quæ ab horto reliquo, ſepimento aliquo ſive lorica, ſeparabatur. Nam μνημεῖα [*monumenta*] laxius ſumti partes erant duæ, הגן ו ὕπαιθρον [*ſubdiale*] & סקרא σφήλωσις [*ſtelunca*]. In oratione Demoſthenis adverſus Macartatum, τὸ μνῆμα Βεσσιλέων πολὺς ἐστὶ περιβεβλημένος, ὥσπερ οἱ ἀρχαῖοι ἐνόμιζον [*monumento Beſſidarum multum loci circumjectum eſt, ex veteri ritu*]· & illud ὕπαιθρον [*ſubdiale*] Jure Pontificio Romano *forum* vocabatur. Strabo ubi Auguſti & cognatorum monumentum deſcribit, ἐν μέσῳ δὲ τῷ πεδίῳ ὁ τε περίβολος αὐτὸς σφήλωμα (id eſt, *forum*) κύκλῳ σφηνώμασιν ἔχων σιδηροῖς περίφραγμα [*in medio autem campo forum buſti ipſius habens circum ferreum ſeptum*]· Sic & apud Romanos in pedes aliquammultos monumentum patebat, ut nos docent Inſcriptiones. Omnino autem errare eos arbitror qui totum hunc hortum putant fuiſſe vice ὑπαίθρου [*fori*]. Nam quod monumenti pars erat, exemtum erat humanis uſibus. At hortus ille colebatur & finum habebat κηπυρὸν [*hortulanum*]. Johann. XX, 15. Erat ergo hortus extra loricam terra pura, qualis illa quam Romani *tutelam monumenti* vocabant, ut in veteri inſcriptione, *Huic monumento tutelæ nomine cedunt agri puri jugera decem*: & apud Frontinum, *Habent enim & Mauſolæa* (ita enim legendum) *juris ſui hortorum modos circumjacentes*. Loricam illam, quæ Hebræis סגר [*ſeptum*] Deuter. XXII, 8. recte Græce χάραξ dici arbitror. Neque enim *projecta* tantum ita appellari ſatis Joſephus nos docet, apud quem in Templi deſcriptione χάραξ vocatur *ſepimentum* ὕψος πηχυαῖον ὑψηλὸν [*altitudine cubiti*] quod populum à Sacerdotibus arcebat. Sic & alterum *ſepimentum* quo ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*] arcebantur vocat φράγμον λίθινον [*loricam è lapide*]. Idem alibi itidem Templum deſcribens quod Græci vocant θρίγκον [*ſeptum*], id ait χάραξ vocari ἐξ ἐπιχωρίου γλώττης [*lingua patria*], cum tamen ea vox Hebræa non ſit origine, ſed, ut multæ aliæ, ex Græco ſermone in Hebræum traducta: Rurſum alibi σφήλωσις, alibi ἔρκος appellat: Philo, τοῖχον διαφανῆ πέτρου [*parietem ad lorica modum*]. Vocem θρίγκος de monumento etiam Pauſanias uſurpat, ἐνταῦθά ἐστι μνῆμα Ὀφέλτου τάφος· περὶ δὲ αὐτὸν θρίγκος λίθου, καὶ ἐντὸς ὁ περίβολος βωμός [*eſt hic Ophelta monumentum: circumpoſitum e lapidibus ſeptum, & in eo ambitu ara*]· ubi περίβολος [*ambitus*] eſt הגן [*ſubdiale*]. Latini quam *loricam* diximus etiam *munimentum* vocant, ut videre eſt in L. *Funeris*, Dig. De Religioſis: Homerus θρηνεῖλια illo verſu,

Τορνώσαντ' ἦμαι θρηνείλιά τε περβάλοντο.
[*Tornato ſeptum circumpoſuere ſepulchro.*]

Tale θρίφακτον, θρίγκος ſive γύης, id eſt, *loricam* haud dubie Cyrillus σφήλωμα vocat, qua vallata ait fuiſſe Judæorum monumenta. Sed & Auguſtinus, ex vetere haud dubie fama, ingreſſas ait mulieres in ſpatium maceria comminutum. In hanc ergo partem horti intra loricam cum veniſſent mulieres, in iſto ὑπαίθρῳ [*ſubdiali*] ſuper lapidem ſedentem Angelum conſpexere ad dextram ſpeluncæ partem, quam verſus caput mortui poſitum fuiſſe credo. Nam etiam in mortuo caput pars potiſſima eſt, ut Paulus Juriſconſultus reſpondet. Quare idem eſſe puto Johanni πρὸς τῇ κεφαλῇ [*ad caput*], & Marco ἐκ τῶν δεξιῶν [*in dextra*]. Itaque alter Angelus, Matthæo & Marco diſſimulatus, ſedit ad ſiniſtram ſpeluncæ partem quam verſus pedes poſiti fuerant. Si vera eſt Bedæ deſcriptio, dextra pars verſus Aquilonem fuerit, ſiniſtra verſus Auſtrum; os ipſum ſpecus Orientem ſpectaverit.

3. ἰδέα, *adſpectus*] Puto non aliud eſſe quam πρόσωπον [*faciem*]. Vide ſupra XVII, 2. Quanquam alioqui latius patet; ut cum Plutarchus dicit ἰδέαν δ' σώματος ἀμεμπτὸν [*formam corporis in qua culpari nihil poſſet*]. At hic manifeſte diſtinguitur à parte corporis veſtita. Adde quod non obſcure Danielis locus reſpicitur X, 6. מראהו כמראה ברק, ubi Græce τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ἡ ὅρασις ἀστραπῆς [*facies ejus velut ſpecies fulguris*]. ¶ τὸ ἔνδυμα, *veſtimentum*] Veſtimentum id ad talos erat demiſſum; στολὴν (*ſtolam*) enim vocat Marcus; qualis erat ποδήρης [*veſtis talaris*] Pontificis Maximi Judæorum: quæ στολὴ [*ſtola*] ſæpe Joſepho. Sic Chriſtus Johanni apparet ἐνδεδυμένῳ ποδήρη [*veſtitum podere*] Apocal. I, 13. Angelus Danieli *lineis indutus* XII, 6. ¶ λευκὸν ὡσεὶ χιών. *album ſicut nix*] Vide Actorum I, 10. Summus candor Nivi comparatur, ut apud Græcos & Latinos, ita & apud Hebræos, Numer. XII, 10. Pſal. LI, 9. Thren. IV, 7. Candor haud dubie ſignum puritatis ac ſanctimoniæ, Dan. VII, 9. Apoc. III, 4, 5, 18. IV, 4. VI, 11. VII, 9, 13. Ideo apud omnes gentes receptum λευχειμονεῖν [*albo indui*] cum rem Divinam facerent: quo illud alludit comœdiæ Græcæ,

Θεῷ γὰρ ἀεὶ πίλας δικαίῳ ὤν,
Μὴ λαμπρὸς ὢν ἅπαν χλανίσιν ὡς τῇ καρδίᾳ.
[*Deo ſacrifica ſemper ingenio probo,*
Nec tu albas veſtes magis quam mores induas.]

Sed huic candori in veſte Angelorum ſplendor ſuus aderat, quemadmodum & Chriſto ἐν τῇ μεταμορφώσει [*in transformatione*], ſupra XVII, 2. ideo Lucas, ἐν ἐσθῆσιν ἀστραπτούσαις [*in veſtibus fulgentibus*], quod ſignum honoris eſt cœleſtis. Hoc eſt quod imitari voluit Herodes Agrippa, de quo Joſephus, ἅμα δὲ πρώτοις τοῖς ἡλιακοῖς ἀκτῖσιν ὀφθεῖσαις ὁ ἄργυρος καταυγισθεὶς ἀναπρόπτως ἀπέστιλβε, μαρμαίρων τε φόβον καὶ πρὸς εἰς αὐτὸν ἀποβλέψαι φρικώδες [*deinde illapſu Solis radiorum illuſtratum argentum mire modo refulſit, rutilans ſic ut horrorem incuteret oculos in id defigentibus*]. quo conſpecto populus eum vocavit κρείττονα τῆς θνητῆς φύσεως [*ſuperiorem naturæ humanæ*]. Lucas Actorum XII, 22. ait ei acclamatum Θεοῦ φωνὴ καὶ οὐκ ἀνθρώπου [*Vox Dei & non hominis*], quod eodem redit. Nam per Angelos Deus loquitur.

5. Μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς· *Nolite timere vos*] Nam & illas timor pervaſerat, non ex improba conſcientia, ut milites, ſed ex naturæ humanæ imbecillitate: quomodo plerumque pios timuiſſe legimus in Veteri Novoque Fœdere quoties viderunt ὀπτασίας [*viſa*], præſertim auguſtiores, ut Ezech. I, 28. Jobi IV, 13. Addit Lucas *vultus mulierum in terram dejectos fuiſſe*: quod itidem [illegible]poris indicium eſt. Vide quæ ſupra XVII, 6. Magdalena vero etiam flevit: quod lugentibus accidit. Solent autem Angeli pios perculſos hunc in modum conſolari, Judic. VI, 23. Lucæ I, 13, 30. Daniel. X, 12. ſic & Chriſtus Johannem erigit, Apoc. I, 17. ¶ ζητεῖτε. *quæritis*] Perculſæ oculos immittebant intra ſpecum, videntes an Chriſti corpus in eo ſpecus cavo conſpicerent ubi poſitum viderant ἐν τῇ παρασκευῇ [*tempore Paraſcenes*]. Nam cavum illud, teſtante Beda, qua patebat obverſum erat ori ſpecus, ita ut pars aliqua corporis in cavum immiſſi (is enim mos erat Hebræorum) ex ore ſpecus

con-

conſpici poſſet. Nam & die ἐξεστιν Magdalena aliæque mulieres non intrarant in ſpecum, ſed erant καθημενον απεναντι του τάφου [*ſedentes contra ſepulchrum*], ſupra XXVII, 61. id eſt, ἐν τῷ ὑπαίθρῳ [*in ſubdiali*] ad os ſpecus. Inde videbant ποῦ καὶ πῶς ἐτέθη τὸ σῶμα [*ubi & quomodo poſitum eſſet corpus*], Marci XV, 47. Lucæ XXIII, 55. Sic & hic Magdalena ſtans πρὸς τὸ μνημεῖον [*juxta monumentum*], id eſt, ad ſpecum, qui ſtricte μνημεῖον dicitur Johann. XX, 1. atque ita ut in ore eſſet ſpecus (quamobrem Lucas hic dixit εἰσελθοῦσαι [*ingreſſæ*], κατ' συνεκδοχὴν [*per complexionem*] plurale pro ſingulari uſurpans), oculos in ſpecum injicit, ſed corpus non videt. Lucas συνεκδοχὴν [*complexionem*] perſequens, οὐχ εὗρον, inquit, τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ [*non invenerunt corpus Domini Jeſu*. Hic ſtanti dicit Angelus *videre ſe Jeſum ab iis quæri*, Matthæus hic, Marcus XVI, 6. Lucas XXIV, 5. quod ipſa fatetur dicens Angelo, ἦραν τὸν Κύριόν μου, καὶ οὐκ οἶδα ποῦ ἔθηκαν αὐτόν [*tulerunt Dominum meum & neſcio ubi poſuerunt eum*], Johann. XX, 13. Poſtea demum ab Angelo monetur ut intret ſpecum & proplus omnia conſideret, infra 6. Marci XVI, 6. Sic & Johannes poſtea non intrans in ſpecum, ſed *capite inſerto introſpectans* (quod eſt παρακύπτων) *videt faſcias funerales*, XX, 5. nempe projectas ante ipſum cavum, aut in cavo.

6. Οὐκ ἔστιν ὧδε· ἠγέρθη γάρ, *Non eſt hic: ſurrexit enim*] Addit Lucas quod ad eandem ſententiam pertinet, Τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν; [*Quid quæritis viventem inter mortuos?*] ¶ ἴδετε, *videte*] Oculis credite, quæ certiſſima ad veri perceptionem via: Marci XVI, 14. Johann. 1 epiſtol. cap. I, 1. ¶ τὸν τόπον, *locum*] Cavum illud in ſpecu. *Loculum* vocat Beda, θήκην Joſephus aliquoties. Atque hinc intelligimus non vanum eſſe quod produnt deſcriptores Palæſtinæ de ſpelunca duplici: nam cavum hoc in latere ſpeluncæ, qui proprius corporis locus, vocant *interiorem ſpeluncam*. ¶ ὅπου ἔκειτο, *ubi poſitus erat*] Proprie, *ubi ſitus fuit*. Frequens Græcorum epitaphiis, Ἐνθάδε κεῖται, ut in Latinis, *Hic ſitus eſt*. ¶ ὁ Κύριος. *Dominus*] Abſolute: quaſi dicat Angelus, *Non veſter tantum, ſed noſter quoque Dominus*. Nam reſurrectione inchoabatur Regnum illud Chriſti ſub quo ſunt & Angeli.

7. ταχύ, *cito*] Ut nutantes confirmentur, flentes & lugentes fruantur ſolatio. Vide Marcum hic commate 10. ¶ προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν· *præcedit* ſive *præcedet vos in Galilæam*] Ubi plures diſcipulos Chriſtus habebat, quibus, tanquam μάρτυσι προκεχειροτονημένοις [*teſtibus præordinatis*], ut loquitur Petrus Actorum X, 41. reſurrectionem ſuam teſtatam eſſe voluit: nam quingenti fuerunt quibus videndum ſe dedit, ut ex Paulo diſcimus. Plus præſtitit Chriſtus quam promiſit. Promiſerat enim in Galilæa ſe ipſis appariturum; at cunctantibus eo ire Hieroſolymis primum apparuit, deinde in Galilæa ſæpius. De voce προάγειν [*præcedere* ſive *ante vadere*] vide ſupra XXVI, 32. & confer verba Michææ II, 13. ¶ ἰδοὺ, εἶπον ὑμῖν. *ecce, prædixi vobis*] Et ille prædixit & ego nunc iterum prædico. Hæc omnia pertinebant ad excutiendum τὴν ὀλιγοπιστίαν [*tenuitatis in fide*] veternum; quod ne ſic quidem excuſſum eſt.

8. μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς μεγάλης, *cum timore & gaudio magno*] Quæ timoris atque etiam ſtuporis (nam τρόμον καὶ ἔκστασιν [*tremorem & pavorem*] ponit Marcus) cauſa fuerit vidimus ſupra ad caput V. Gaviſæ autem erant non tam quod Chriſti reſurrectionem crederent (quam ne animo quidem comprehendere ſatis poterant), quam quod dignatæ eſſent viſo cœleſti. Vide Lucæ XXIV, 22. Simili modo timor ille per quem ſalus efficitur, Philipp. II, 12. non eſt abjunctus à gaudio, 1 Petri I, 8. IV, 13. 1 Theſſ. I, 6.

9. Ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι, *Cum vero irent nuntiatum Diſcipulis*] Ibant quidem ut Apoſtolis viſa referrent; at nemini obvio rem aperire audebant præ metu Judæorum: ita interpretamur illud apud Marcum οὐδενὶ οὐδὲν εἶπαν· ἐφοβοῦντο γάρ [*nemini quicquam dixerunt: timebant enim*]. Verba autem hæc cum ſint in pleriſque codicibus, & Syrus Græcique Interpretes agnoſcant, delere non auſim. Nam quod vocula Καὶ [*Et*] πληθυντικὴ [*abundat*] notiſſimus eſt Hebraiſmus, ut ſupra IX, 10. ¶ ἀπήντησεν αὐταῖς, *occurrit illis*] Συνεκδοχὴ [*complexio*] ſive numeri ἐναλλαγὴ [*mutatio*]· niſi dicere malumus, quod credibile eſt, ancillam Magdalenæ adfuiſſe. Magdalena autem neſcio quo mota ex itinere recurrerat ad monumentum: ita enim recte exponi puto quod Johannes dicit ἐστράφη εἰς τὰ ὀπίσω [*converſa eſt retrorſum*]. Eadem eſt Ἐπιφάνεια [*apparitio*] quam Marcus commemorat XVI, 9. nulla enim cauſa eſt cur diverſas comminiſcamur: ἀνασὰς enim apud Marcum eſt non *ſimul ac reſurrexerat Chriſtus*, ſed *ipſe qui reſurrexerat*. Hoc enim vult indicare, Ipſum Chriſti corpus ipſis apparuiſſe; quod fieri non poterat niſi revera reſurrexiſſet. πρωὶ πρώτῃ σαββάτων [*mane primo ſabbatorum*] ideo addidit idem Marcus ut oſtenderet jam clarum mane fuiſſe cum id accidit. Nam priora acciderant λίαν πρωὶ [*valde mane*] *primo mane*; hoc πρωὶ [*mane*], id eſt, mane claro. ¶ Χαίρετε. *Avete*] Etiam Mariam nomine compellans, ut ſalurantes ſolent. Ita Johannes. ¶ ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας, *tenuerunt pedes ejus*] Mariam pedes ſuos amplexantem abſtinere Chriſtus juſſit. Hæc enim erat cauſa cur diceret Μή μου ἅπτου [*Noli me tangere*] apud Johannem, id eſt, *Parce me amplexari*. Futurum ut illius præſentia jam plene frueretur ſperabat Maria; quod ſignificabat familiaris amplexatio; at Chriſtus docet illas ἐπιφανείας [*apparitiones*] fuiſſe tantum οἰκονομικὰς [*diſpenſatorias*] firmandæ fidei: frui autem ipſius præſentia datum ipſis iri in Regno demum cœleſti, quo præibat hoſpitium ſuis paraturus: quo cum ipſæ olim perveniſſent tum amplexaturæ eſſent Chriſtum, eo ſcilicet modo quo Chriſtus ſe in Regno Patris & Paſcha eſurum & vinum bibiturum pronuntiaverat, ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν εἰς τὰ νοητὰ ἀναγων [*à ſenſibilibus ad intelligibilia attollens*]. Videtur Magdalena, quia ab amplexu Chriſti rejecta erat, hinc collegiſſe id quod Chriſti viderat non fuiſſe corpus illud quod ſepulchro conditum fuerat: ideo cum rem omnem Apoſtolis renuntiaret, narravit quidem ὀπτασίαν [*viſum*] *Angelorum*, ſed *corpus* dixit *non repertum*, Lucæ XXIV, 22. ſuſpicata etiam tunc *ſublatum fuiſſe ex monumento*, Johann. XX, 2. Certe Apoſtolorum quoque nonnullis tale aliquid animo inſederat, quod ut avellat Chriſtus ait Πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει [*Spiritus carnem & oſſa non habet*], Lucæ XXIV, 39. & Thomas conſpicari non contentus tactu etiam explorare corpus voluit. Quibus argumentis permotus Origenes contra Celſum II. exiſtimat creditum Judæis ὅτι δυνατὸν ὀφθαλμοῖς καθαρταῖς φανῆναι ψυχῆς σῶμα αἰγοειδές [*poſſe oculis exterioribus videri lucidum illud anima corpus*], Pythagoreos ſecutus: atque eo refert Homeri illud,

Παῦρα δ' ἰοικυῖα μέγεθός τε καὶ εἴδεα καλά.
[*Cuncta illi ſimilis molemque oculoſque micantes.*]

Eſt illuſtris περὶ τοῦ αὐγοειδοῦς σώματος [*de lucido illo corpore*] (nam eadem voce utitur) locus apud Hierocliem ad illud Aurei carminis

Ἡνίοχον γνώμην σφῶν καθιστεῖσθαι δοκίμου.
[*Aurigam faciens mentem, verum optima quæ ſit.*]

ubi ille ex Pythagoricorum ſententia ait animos humanos, perinde ut aſtra, μήτε σῶμα εἶναι μήτε ἄνευ σώματος [*neque corpus eſſe neque ſine corpore*], ſed habere συμφυὲς ἀθάνατον σῶμα [*cognatum corpus immortale*]· atque hoc eſſe Platoni ὑποπτέρου ζώου [*volucre vehiculum*], cujus auriga ſit animus. Ipſe etiam ψυχικὸν σῶμα [*corpus animæ proprium*] vocat, quod τῷ θνητῷ σώματι [*corpori mortali*] opponit; idemque ait ἐν χρησμοῖς [*in oraculis*] vocari

Ψυχῆς λεπτὸν ὄχημα.
[*Tenue vehens animam.*]

Vehiculum animæ dixit Auguſtinus hac de re diſputans epiſtola CCXVIII. Porphyrius, τὸ αἷμα τροφὴ καὶ τροφή ἐστι τοῦ πνεύματος· τὸ δὲ πνεῦμά ἐστιν αὐτὸ ἢ ψυχὴ ἢ ὄχημα τῆς ψυχῆς [*ſanguis eſt pabulum & alimentum ſpiritus; ſpiritus vero aut anima aut anima vehiculum*]. Chaldæi hoc vocant רוחא מתוכא, & Arabs Meir Aldati exponit *ſpiritum medium inter animam & corpus*: εἴδωλον [*ſimulacrum*] apud Homerum dici notant Græci: nec aliter appellatur in iis carminibus quæ adſcribuntur Zoroaſtri. Cæterum an hæc opinio de Corpore animi, quod tale ſit ut humanis oculis conſpici poſſit, veterum Hebræorum fuerit, an ut multa à Chaldæis & Græcis ad poſteriores Hebræos venerit dubitari poteſt. Joſephus Phariſaica ſcita deſcribens ait ψυχὰς μετοικίζεσθαι εἰς ἕτερον σῶμα [*animas tranſire in aliud corpus*], quod longe eſt aliud. Quare credibilius eſt exiſtimaſſe Magdalenam Angelum ſibi apparuiſſe; idque eo magis quia nec tangere eum licuerit, neque ipſe Jeſum ſe eſſe liquido pronuntiaverit: atque inde factum reor ut hæc quoque ἐπιφάνεια [*apparitio*] comprehendatur ſub nomine ὀπτασίας ἀγγέλων [*viſionis Angelorum*], Lucæ XXIV, 23. ¶ καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ· *& adoraverunt eum*] Ita & infra commate 17. de Diſcipulis, προσεκύνησαν αὐτῷ. Solebat quidem Chriſtus, ut & Prophetæ olim, ab his qui aliquid oraturi accedebant προσκυνεῖσθαι [*geſtu flexi corporis honorari*], at non itidem ab iis qui familiarius ipſi aderant. Quare hinc intelligimus has feminas quanquam de reſurrectione ſepulti corporis nondum ſatis

ſatis perſuaſas, majus tamen quiddam animo concepiſſe de Chriſto quam unquam antea.

10. τοῖς ἀδελφοῖς μου, *fratribus meis*] Non *conſanguineis*, ut quidam volunt, ſed *Diſcipulis*: unde & lectio altera μαθηταῖς μου [*Diſcipulis meis*] ex veteri interpretamento in textum quorundam codicum penetravit. Hac voce Chriſtus alludens ad locum Pſalmi XXII, 22. ſignificare voluit quod olim innuerat, ſupra XII, 48. ſe per mortem & reſurrectionem factum eſſe Principem novæ cujuſdam ἀδελφότητος [*ſocietatis fraternæ*], quippe cum jam apertiſſime declaratus eſſet Dei Filius. Johannis XX, 17. πορεύου πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου, καὶ εἰπὲ αὐτοῖς, Ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, Θεόν μου καὶ Θεὸν ὑμῶν [*vade ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum*]. Scriptor ad Hebræos II, 11. ὅ τε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες· δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφοὺς αὐτοὺς καλεῖν [*Qui enim ſanctificat & qui ſanctificantur ex uno omnes: propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare*]: ubi & dictum Pſalmi locum citat. Romanorum VIII, 29. οὓς προέγνω καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς [*quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*].

11. Πορευομένων δὲ αὐτῶν, *Qua cum abirent*] Præſens pro præterito: id eſt, *Cum jam abiiſſent*. Neque enim vult hoc factum dum in itinere erant, ſed poſtquam à ſepulchro diſceſſerant. ¶ ἰδού τινες τῆς κουστωδίας, *ecce quidam de cuſtodibus*] Præcipui cæterorum nomine. ¶ τοῖς ἀρχιερεῦσιν, *principibus Sacerdotum*] Quorum imperiis ita parebant ut tamen ultimam actuum ſuorum rationem deberent Præſidi, ut diximus. ¶ ἅπαντα τὰ γενόμενα· *omnia quæ facta fuerant*] Terræmotum, viſum cœleſte, devolutum lapidem, corpus non repertum.

12. μετὰ τῶν πρεσβυτέρων, *cum Senioribus*] Synedrii deſcriptio: jam enim convenire poterat Sabbato exacto. Impletur hic vaticinium Oſeæ XII, 1.

13. ἡμῶν κοιμωμένων. *nobis dormientibus*] Videmus hic τὸ αὐτοκατάκριτον [*judicium propriæ condemnationis*]. Veritate audita ex non ſuſpectis teſtibus mendacium pecunia redimunt. Nimirum vitia in præceps ducunt. Ambitio & Invidia crudelitatem attraxit, ea expulit quod ſupererat conſcientiæ. Bene autem notant hic veteres improbarum mentium cæcitatem. Si quis enim placido animo res conſideret,

Σοφὸν διάλυσιν ἴσχυ ἡ πονηρία.
[*Res non difficilis deprehenſu eſt malitia.*]

Quomodo enim conſtare poterat fides teſtibus de eo quod ſe dormientibus dicerent eveniſſe? Deinde qua fiducia auſi hoc fuiſſent homines & inermes & piſcatores? Si impoſtorem Chriſtum ipſi jam intra mentem animi ſentiebant, cur pro ipſo ſubirent periculum? ſi à Deo miſſum crederent, quæ religio illos impellebat ad furtum & mendacium? ut pro concepta opinione mortem quis ſubeat fieri poteſt; quanquam & hoc rarum eſt; at ut quis idem faciat pro teſtimonio rei quam falſam eſſe novit, & unde nihil aut ipſi aut aliis boni poſſit ſperari, omnibus ſani judicii hominibus incredibile videri debet.

14. ἐὰν ἀκουσθῇ τοῦτο, *ſic hoc auditum fuerit*] Nimirum male curatas excubias & deſertam ſtationem, quæ graviter puniebantur apud Romanos acres militaris diſciplinæ vindices. Vide Digeſtorum titulum De re militari. ¶ ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος, *à Præſide*] Bene Syrus קדם מושבא [*coram Præſide*]. Proprie enim de judicum conſiſtorio ita loquuntur Græci. Feſtus ad Paulum Actorum XXV, 9. Θέλεις εἰς Ἱεροσόλυμα ἀναβὰς ἐκεῖ περὶ τούτων κρίνεσθαι ἐπ' ἐμοῦ [*Vis Hieroſolyma deſcendere & ibi de his judicari apud me?*] ¶ πείσομεν αὐτὸν, *ſuadebimus*] Id eſt, *placidum reddemus*: πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν [*corda noſtra tranquillabimus*] dixit Johannes I epiſt. cap. III, 19. Neque aliunde puto accerſendam originem Syriaci verbi פיס, quod idem illud ſignificatur: nam ſic πεποίθησις [*fiducia*] quoque & aliæ voces Græcæ ſignificatum quendam peculiarem apud Syros & Judæos accepere. ¶ ἀμερίμνους ποιήσομεν. *ſecuros vos faciemus*] Vox Juris. Ita enim Græci dicunt, quod Latini *indemnem præſtare*.

15. διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος παρὰ Ἰουδαίοις μέχρι τῆς σήμερον. *& divulgatum eſt verbum iſtud apud Judæos uſque in hodiernum diem*] Veteres omnes magno conſenſu intelligunt famam illam mendacem de corpore Chriſti à Diſcipulis ſubtracto. Quod ſi recipimus, non male hoc referemus ad eam legationem quam à Synedrio ad totius orbis Judæos miſſam Juſtinus duobus locis memorat. Ejus enim legationis hanc docet ſummam fuiſſe, Ὅτι αἱρέσεις τις ἄθεος ἡμῶν ἐγήγερται ὑπὸ Ἰησοῦ τινὸς Γαλιλαίου πλάνου· ὃν ἐπιστάντων ἡμῶν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ κλέψαντες αὐτὸν ἀπὸ τοῦ μνήματος νυκτὸς ἔνθεν κατορυχῆς ἀφηλαθεῖς ἀπὸ τοῦ τάφου, πλανῶσι τοὺς ἀνθρώπους, λέγοντες ἐγηγέρθαι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ εἰς οὐρανὸν ἐληλυθέναι [*Secta quædam impia & Legi contraria excitata eſt ab Jeſu Galilæo impoſtore: quem cum à nobis crucifixus fuiſſet, diſcipuli ejus nocte eum furati de monumento in quo poſitus fuerat poſtquam à cruce erat reſixus, decipiunt homines dicendo eum ſurrexiſſe à mortuis & in cælum perveniſſe*]. Tertullianus, *Nihilominus tamen primores, quorum intererat & ſcelus divulgare & populum vectigalem & famularem ſibi à fide revocare, ſurreptum à Diſcipulis factitaverunt.* Et certe ſparſum ab eis omni ſtudio hunc rumorem eo eſt credibilius, quia ſine tali aliquo figmento apertiſſime ſceleris convincebantur. Neque enim fieri poterat ut qui Deum rebus humanis præſidere, ſimulque Jeſum ad vitam reſuſcitatum crederent, de ejus innocentia dubitarent. Quare merito in omnibus diſputationum congreſſibus hic gradum figunt Apoſtoli. Malunt tamen alii diligentes atque eruditi harum literarum Interpretes ita hæc Matthæi verba accipere, quaſi dicatur, Non potuiſſe ita celari ſceleratam iſtam inter Sacerdotes & milites mendacii nundinationem, ut non aliquam rimam inveniret veritas per quam in publicum emanaret. Quod ipſum quoque veriſſimum credo, & hoc initium quoddam fuiſſe multorum ad Chriſtum converſionis. Nam ad Pilatum quoque perveniſſe videtur hujus doli notitia; quando Tertullianus his quæ ex illo citavimus iſta ſubjicit, *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tum Tiberio nuntiavit.* His ita expenſis, ut neutram improbo, ita priorem interpretationem poſteriori præfero. Locutio autem iſta μέχρι τῆς σήμερον [*uſque in hodiernum diem*], quæ in Veteris Fœderis Scriptoribus ſæpe occurrit, & in hoc libro ſupra quoque invenitur XXVII, 8. argumentum præbet, aliquanto poſt ſcripſiſſe Matthæum quam res iſtæ acciderant. Quando autem ſcripſerit non eſt quod quiſquam ſperet ſe certius aliquid poſſe adipiſci quam à priſcis auctoribus proditum eſt, quos inter vetuſtiſſimus Irenæus ita hac de re tanquam nota confeſtaque loquitur, Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν Εὐαγγελίου, Πέτρου καὶ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν [*Matthæus inter Hebræos vivens ſcripturam Evangelii propria ipſorum lingua edidit, quo tempore Petrus & Paulus Roma Evangelium prædicabant & Eccleſiam fundabant*]. Vetus fama octavum ab aſſumtione Chriſti annum huic libro aſſignat.

16. ἑνδεκα, *undecim*] Juda ſe à ſacro conſortio abſtinente ob ſceleris conſcientiam. ¶ εἰς τὸ ὄρος οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς Ἰησοῦς. *in montem ubi conſtituerat illis Jeſus*] Multas ἐπιφανείας [*apparitiones*] Chriſti factas Petro, Apoſtolis ſine Thoma & cum Thoma præterit Matthæus, quippe una illuſtriſſima, quæ plurimos teſtes habebat cum hoc ſcriberet ſuperſtites, contentus. Obiter tamen & in tranſcurſu has ἐπιφανείας [*apparitiones*] indicat, cum dicit à Chriſto nominatum ipſis montem in quem convenirent, ipſi ſcilicet & qui ejuſdem erant inſtituti. Nam cum nihil ante de eo monte dixerit Chriſtus, datur intelligi mandata ab ipſo data Apoſtolis cum adhuc Hieroſolymis agerent. Montem hunc fuiſſe Itabyrium in quo Chriſtus olim tribus Diſcipulis majeſtatis ſuæ guſtum dederat, probabiliter dicitur & veteris famæ habet auctoritatem.

17. προσεκύνησαν αὐτῷ. *eum adoraverunt*] Ipſi cum collecta credentium manu ad quingentos, ut ex Paulo diſcimus. Nam cur has ἐπιφανείας [*apparationes*] diſtinguamus non video. Et, ut dixi, credibile eſt ideo cæteras à Matthæo diſſimulari quia hæc erat omnium celeberrima. Si Ignatius ita ſcripſit, ut vult Hieronymus & ſecutus eum Sophronius, καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν εἶδον [*& poſt reſurrectionem in carne eum vidi*], credendum eſſet Ignatium à parentibus aut eis quorum curæ tenera ipſius ætas erat mandata in hunc montem fuiſſe perductum: ut ſolemus ad res novas viſendas pueros adducere, ut habeant quod olim ſenes aliis oculata non aurita fide narrent. Sed profecto, ſi quis locum Ignatii cum cura inſpiciat videbit rectam eſſe lectionem εἶδα [*ſcio*], neque de Viſus ſenſu ibi agi, ſed de Fide, quam non ſuo ſed aliorum teſtimonio confirmat. Adde quod Ignatius Johanne rebus humanis exemto ſuperfuit. Nuſquam enim Johannis meminit, ne in ea quidem quæ eſt ad Epheſios. At tanta fuit Johannis longævitas ut vix credibile ſit quenquam ei ſupervixiſſe qui viſum à ſe Jeſum poſſet memniſſe. ¶ οἱ δὲ ἐδίστασαν· *quidam autem dubitaverunt*] Indefinitum tempus pro circumſtantia loci varias ſignificationes admittit. Quare non video qui minus hic vertere liceat, *quidam vero addubitaverant*, nempe ante id tempus: quod maxime ob Thomam dictum videri poteſt qui cæteris jam credentibus dubitare perſeveraverat. Habet autem & hæc pars hiſtoriæ

hiſtoriæ ſuum momentum. Nam æque rem æſtimantibus omnem dubitationem de facti veritate adimit certa fides illis etiam facta qui ad credendum tam difficiles fuerant.

18. Καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς, *Et accedens Jeſus*] Uno compendio Matthæus complectitur præcipua capita ſermonum quos Chriſtus cum Apoſtolis non in monte tantum, ſed & Hieroſolymis antea & poſt, in cœlum jamjam adſcenſurus, Bethaniæ habuit. Vide quæ ad Lucam hoc loco. ¶ Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία, *Data eſt mihi omnis poteſtas*] שלטן Dan. VII, 14. Habuerat & ante vitam mortalem agens ἐξουσίαν [*poteſtatem*], ut ſupra VII, 29. IX, 6. Marci I, 27. quam ipſam *Regnum* etiam laxius appellari notavimus ſupra in verbis Chriſti ad Pilatum. At morte acquiſivit Regnum infinitum, πᾶσαν ἐξουσίαν [*omnem poteſtatem*]: ut Paulus dicit Phil. II, 8. Ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ· διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα [*Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*]. In hac tertia dignitate recte Matthæus librum finit, cum, ut annotavimus, primum de Prophetico, deinde de Sacerdotali ejus officio egiſſet. ¶ ἐν οὐρανῷ, *in cœlo*] In hac cœleſti poteſtate comprehenſa eſt ἡ ἐπαγγελία τοῦ Πνεύματος [*promiſſio Spiritus*] quam Chriſtus à Patre accepiſſe dicitur Act. II, 33. & imperium in Angelos, Phil. II, 10. Hebr. I, 4. Eph. I, 10. Col. I, 16. ¶ καὶ ἐπὶ γῆς. *& in terra*] Jus congregandi populum ex omnibus terræ finibus; ut clare prædixerant David, Eſaias, Daniel. In hoc jure comprehenſa eſt Remiſſio peccatorum: Marcus hic XVI, 16. Ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται [*Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit*]: quod Joel prædixerat, *Quisquis invocabit nomen Domini ſalvus erit.* Deinde Libertas à Lege per Moſem data, quam Chriſtus hic recte innuit. Nam ut alienigenæ adſciſcerentur in populum Dei ſubeundo jugum Moſis nihil erat novi: at Chriſtus oſtendit ab his quos in populum ſuum adſciſci cupit nihil requiri aliud quam *obſervationem eorum quæ ipſe præcepit*, infra 20. unde & profeſſionis notam ponit, non Circumciſionem, ſed Baptiſmum. Sed quia hoc minus intelligere poterant Apoſtoli aſſueti iſtis ritibus, ideo quod hic dictum erat involutius, Spiritus magiſterio poſtea apertiſſime revelatum eſt.

19. Πορευθέντες οὖν, *Euntes ergo*] Optime coheret cum ſuperioribus. Quando id jus mihi datum eſt, vos eſtote ejus juris adminiſtri atque legati. ¶ μαθητεύσατε, *diſcipulos facite*] Vox μαθητεύειν facta ad inſtar Hebraice תלמד. Utitur hac voce & Ignatius epiſtola ad Romanos, ἐὰν μαθητεύωνται ἐστὲ τοῦ [*quæ vos docere facientes diſcipulos*]. Senſum explicat Scriptor Conſtitutionum quæ Clementi adſcribuntur, Δεῖ ὑμᾶς πρότερον πᾶσαν ἀσέβειαν ἐξελόντας, τότε τὴν εὐσέβειαν αὐτοῖς ἐγκατασκευάζειν, καὶ τῷ βαπτίσματι αἰτίαν [*Oportet vos exemta prius impietate omni, deinde pietatem ipſis inſerere, & ſic eos Baptiſmo dignari*]. Hæc eſt fides prima credulitatis, canone XLII Eliberino. ¶ πάντα τὰ ἔθνη, *omnes gentes*] Non ut hactenus ſolos Judæos, X, 5. ¶ βαπτίζοντες αὐτοὺς, *baptizantes eos*] Populo congregando ex omnibus gentibus competebat profeſſionis nota quæ perſpicuam apud omnes haberet ſignificationem. Supra oſtendimus apud Judæos moris fuiſſe ut baptizarentur qui ſe à falſorum deorum cultu ad cultum unius Dei convertebant. Sed apud gentes etiam profanas uſurpatum antiquitus fuit; ut qui initiari vellent, prius toto corpore abluerentur, haud dubie eo ipſo teſtantes propoſitum innocentiæ. Nam ejus propoſiti ſponſionem ab iis myſtagogi exigebant, ut Libanius docet & Lampridius. Juſtinus in Apologetico, τέλειον δὲ καὶ λούσασθαι αὐτοὺς πρὸ ἐλθεῖν ἐνθα τοὺς τοιούτους ἔνυδρον) ἐκφέρειν [*Poſtremo curant & ut abluantur priuſquam ad templi locum veniant*]. Clemens Strom. VI. ἐπεὶ καὶ πρὸ τῆς τῶν μυστηρίων ἐποπτείας καθαρμούς τινας προτείνουσι τοῖς μυουμένοις μείζονα ἀξιοῦντες· οὐ δίον τὴν ἀρτίως ἐπιφοιτῶσαν δόξαν ἐπὶ τὴν ἀληθῆ τελετὴν παραδοῦναι [*nam & priuſquam myſteria tradant purificationes quaſdam adhibent initiandis: hoc volentes, opinionibus impiis depoſitis ita demum ad veram traditionem eundum*]. Idem alibi imaginem quandam Baptiſmi apud Homerum obſervat. Rurſus alibi, Τὸ μυστήριον τὸ παρ' Ἕλλησιν ἄρχεσθαι μὲν τὰ καθάρσια, καθαίρεσθαι δὲ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν [*myſteriis apud Græcos præmittuntur februa, ut apud Barbaros lavacra*]. Tertullianus De Baptiſmo, *Sed enim nationes extraneæ ab omni intellectu ſpiritualium poteſtatum eadem efficacia idolis ſuis ſubminiſtrant, ſed viduis aquis ſibi mentiuntur. Nam & ſacris quibuſdam per lavacrum initiantur, Iſidis alicujus aut Mithræ.* adjicit mox, *Certe Indis Apollinaribus & Peluſiis tinguntur, idque ſe in regenerationem & impunitatem perjuriorum ſuorum agere præſumunt.* Et De præſcriptionibus, *Tingit & ipſe* (diabolus) *quoſdam, utique credentes & fideles ſuos: expoſitionem delictorum de lavacro repromittit.* Auguſtinus de Baptiſmo contra Donatiſtas, *In multis idolorum ſacrilegis ſacris baptizari homines perhibentur.* Nec aliunde Athenis *Bapterum* nomen Eupolidis comœdia celebratum. Eubulus,

Ἤ νῦν πτωχὸν ἰμέρου βαπτίζεται
Νῦν πυκνῷ κεχρίσι τρίβων βίον.
[*Qua nunc aquis ſe merſat quartus it dies*
Jejunam ducens vitam miſeri mugilis.]

Idem,

Καὶ ἢ σηκῶν ἀβλεβόλας ἰμείψαμεν
Τόνῳ τι πυκνῷ σῶμα διαπεφορμένον.
[*At poſtquam templi ſepta transgreſſi ſumus*
Corpuſque aquæ per amnicas trajecimus.]

& Scholiaſtes ad primam Epiſtolam Horatii, *Ter pure: ut ter mergunt qui ſe expiant.* Habet quidem Baptiſmus alias plures ſignificationes, quas paſſim Apoſtoli nos docent; ſed hæc maxime erat obvia, & vel nullo docente omnium ſe animis ingerebat. ¶ εἰς τὸ ὄνομα, *in nomine*] Cum locutio hæc varias habeat ex Hebraiſmo ſignificationes, eam his præferendam arbitror quæ Baptiſmo maxime propria eſt. Eſt autem *baptizari in aliquem* vel *in ejus nomen*, ſe ei auctorare atque devovere & de ejus nomine appellari velle. Paulus I Corinth. X, 2. πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο [*omnes in Moſen baptizati ſunt*]; reſpiciens illud Exodi XIV, 31. *Crediderunt in Deum & Moſem ſervum ejus*, id eſt, Moſi tanquam Dei miniſtro cum bona fiducia regendos ſe commiſere. Sic Paulus negat quenquam baptizatum in ſuum nomen, I Corinth. I, 13, 15. hoc eſt, ſibi velut novi dogmatis auctori mancipatum. Maimonides de bello capta משבלות נשים גיורות, *Baptizet eam in nomen proſelytarum*, id eſt, in eam religionem quam profitentur proſelytæ. Chriſtiani igitur tres ſui dogmatis auctores agnoſcere jubebantur, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, nihilque ut neceſſarium admittere quod non ab iis eſſet profectum, id eſt, quod non à Patre ortum, à Filio proditum, à Spiritu vero eſſet partim explicatum apertius, partim obſignatum. Adminiſtrabatur enim Baptiſmus, ut loquitur Hilarius, *in confeſſione & Auctoris & Unigeniti & Doni.* In canone Apoſtolico XXXIII. legimus, Δοξασθήσεται ὁ Θεὸς διὰ Κυρίου ἐν ἁγίῳ Πνεύματι [*Honorabitur autem Deus per Dominum in Spiritu Sancto*]: ubi quæ ſequuntur à manu poſteriore perperam adjecta apparet. In Clementis Conſtitutionibus lib. III, cap. XVII. Τῷ Πατρὶ ἡ μίμησις αὐτὸς αἴτιος, ἐκ οὗ ὡς ἀπόστολος, τῷ Πνεύματι ἡ συμπαρέληψις ὡς μάρτυρι [*mentio Patris ut primi auctoris, Filii ut ab eo miſſi, Spiritus vero ut teſtis aſſumitur*]. Libro VI, cap. XIV. Δηλοῦμεν ὑμῖν Θεὸν παντοκράτορα ἕνα μόνον ὑπάρχειν, παρ' ὃν ἄλλος οὐκ ἔστι, καὶ αὐτὸν μόνον σέβειν καὶ προσκυνεῖν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, ἐν τῷ παναγίῳ Πνεύματι [*Apertum vobis facimus Deum omnipotentem unum tantum eſſe, præter quem non eſt alius: eum ſolum colendum & adorandum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, idque in Sancto Spiritu*]. Et libro VII, cap. XXIII. dicitur Baptiſmus dari *in nomen τοῦ ἀποστείλαντος Πατρός, τοῦ ἐλθόντος Χριστοῦ, τοῦ μαρτυρήσαντος Παρακλήτου* [*Patris qui miſit, Filii qui venit, Paracleti qui teſtimonium perhibuit*]. Quæ autem ea eſſet doctrina breviter ante Baptiſmum docebantur. Hæc eſt βαπτισμῶν διδαχὴ [*Baptiſmorum doctrina*] Hebr. VI, 2. quæ inſtitutio & κατήχησις qualis fuerit ex Juſtino diſcimus, Ὅσοι ἂν πιστεύωσι καὶ πρόδηλον ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι (egerat autem paulo ante Juſtinus de Patre, Filio & Spiritu Sancto, & de Judicio univerſali) καὶ βίῳ ὕστερ δυνάσθαι ζῆν, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τὰ προγεγονόσιν ἁμαρτήμασιν ἄφεσιν διδόσθαι, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς ἕπεται ἄγεσθαι ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγέννησιν ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀναγεννήθημεν ἀναγεννᾶσθαι [*Quicunque perſuaſi fuerint & crediderint vera eſſe quæ à nobis docentur ac prædicantur, & ſic vitam poſſe inſtituere poſſe, bi docentur cum jejunio orare ac poſcere Deum indulgentiam eorum quæ ante peccarunt, nobis una & precantibus & jejunantibus: deinde à nobis eo ducuntur ubi aqua eſt, & regenerantur ad eum modum quo & nos regenerati ſumus*]. In Martyrologio Adonis ad III eid. Majas, *Quem beatus Calliſtus inditio jejunio catechizavit, & allata aqua baptizavit.* Quibus confer illud Tertulliani, *Ingreſſuros Baptiſmum orationibus crebris, jejuniis & geniculationibus & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum:* & illud Theodoti, Διὰ τοῦτο νηστεῖαι, δέησις, ἰσχὺς χειρῶν, γονυκλισία, ὅτι ψυχὴ ἐκ κόσμου καὶ ἐκ στόματος λέοντος ἁρπάζεται [*ob id fiunt jejunia, preces ſublatis manibus, genibus flexis, quia anima ex mundo & ex ore leonis eripitur*]. Obi-

ter notari poteſt etiam profanas gentes ſuis lotionibus adhibuiſſe jejunium; ut ex Eubuli dictis modo verſibus apparet. Ante Baptiſmum, ut videmus, duo exigebantur à candidatis, Fides & Propoſitum vitæ emendatoris: utrumque per interrogationes & reſponſiones expediri ſolebat. De Fide hoc modo, *Credis? Credo.* Εἰ πιστεύεις ἐξ ὅλης καρδίας, ἔξεστι [*Si credis ex toto corde, licet*] dicebat Philippus Æthiopi: Ille reſpondebat, Πιστεύω τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν [*Credo Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei*]. Neque vero in hac fidei interrogatione Pater, Filius, Spiritus Sanctus nominabantur tantum, ſed certis notis deſcribebantur. Pater apud Juſtinum deſcribitur, ὁ πατὴρ τῶν ὅλων καὶ δεσπότης [*Pater ac Dominus omnium*]· in Conſtitutionibus Clementis, ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς [*Deus ſuper omnia*]. Apud Irenæum, qui itidem exponit τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ τὸν διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰληφότα [*regulam veritatis immutabilem quæ in Baptiſmo accipitur*], Pater hoc modo notatur, εἷς Θεὸς πατὴρ παντοκράτωρ, ὁ πεποιηκὼς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὰς θαλάσσας καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς [*unus Deus Pater omnipotens, qui fecit cœlum & terram & maria & omnia quæ in eis ſunt*]. Apud Tertullianum, ubi ſimiliter tradit eam quam vocat Fidei regulam, *Unus Deus, nec alius præter mundi Conditorem, qui univerſa de nihilo produxerit per Verbum ſuum primo omnium emiſſum.* Novatianus itidem deſcribens Regulam veritatis, *ut primo omnium credamus in Deum Patrem & Dominum omnipotentem, id eſt, rerum omnium perfectiſſimum Conditorem.* Filium breviter Juſtinus deſcribit, Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν σταυρωθέντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου [*Jeſum Chriſtum crucifixum ſub Pontio Pilato*]. In dictis Clementis Conſtitutionibus, Χριστὸς ὁ μονογενὴς Θεὸς, ὁ ἀγαπητὸς υἱὸς, ὁ τῆς δόξης Κύριος [*Chriſtus unigenitus Deus, Filius dilectus, Dominus gloriæ*]. Latior deſcriptio eſt apud Irenæum, qui eum dicit τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν σεσαρκωμένον ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας [*Filium Dei qui carnem accepit pro noſtra ſalute*]. memorans ſimul τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν, καὶ τὸ πάθος, καὶ τὴν ἔγερσιν ἐκ νεκρῶν, καὶ τὴν ἔνσαρκον εἰς οὐρανοὺς ἀνάληψιν, καὶ τὴν ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς παρουσίαν αὐτοῦ τὴν ἀνακεφαλαίωσιν δὲ πάντων τῶν πάντα τῆς ἀναφανείσης πᾶσαν σάρκα πάσης ἀνθρωπότητος, ἵνα Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν καὶ Θεῷ καὶ σωτῆρι καὶ βασιλεῖ κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ πατρὸς τοῦ ἀοράτου πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται αὐτῷ, καὶ κρίσιν δικαίαν ἐν τοῖς πᾶσι ποιήσηται, τὰ μὲν πνευματικὰ τῆς πονηρίας καὶ ἀγγέλους τοὺς παραβεβηκότας καὶ ἐν ὑποστάσει γεγονότας, καὶ τοὺς ἀσεβεῖς καὶ ἀδίκους καὶ ἀνόμους καὶ βλασφήμους τῶν ἀνθρώπων εἰς τὸ αἰώνιον πῦρ πέμψῃ, τοῖς δὲ δικαίοις καὶ ὁσίοις καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τετηρηκόσι, καὶ ἐν τῇ ἀγάπῃ αὐτοῦ διαμεμενηκόσι, τοῖς μὲν ἀπ' ἀρχῆς, τοῖς δὲ ἐκ μετανοίας, ζωὴν χαρισάμενος ἀφθαρσίαν δωρήσηται καὶ δόξαν αἰώνιον περιποιήσῃ [*nativitatem ex Virgine, & paſſionem, & reſurrectionem ex mortuis, & corporalem in cœlum aſſumtionem, & futurum ejus ex cœlis in gloria Patris adventum, ut reparet omnia, & omnem hominum carnem ſuſcitet, ut Chriſto Jeſu Domino noſtro & Deo & Servatori & Regi ſecundum voluntatem Patris inviſibilis flectatur genu cœleſtium & terrenorum & ſubterraneorum, & omnis lingua ipſi laudes reddat, ipſe vero de omnibus juſtam faciat judicium; & ſpiritualia nequitiæ, Angelos transgreſſores & defectores, hominem quoque impios & injuſtos, & exleges, & blaſphemos mittat in ignem æternum; juſtis vero & ſanctis & qui præcepta ejus ſervarunt & in dilectione ejus permanſerunt, partim ab initio, partim poſt pœnitentiam, vitam det, immortalitatem largiatur, æternam claritatem conferat*]. Tertullianus de Filio in dictæ regulæ recitatione ita loquitur, *Id Verbum Filium ejus appellatum in nomine Dei varie viſum Patriarchis, in Prophetis ſemper auditum, poſtremo delatum ex Spiritu Dei Patris & virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum hominem, & eſſe Jeſum Chriſtum; exinde prædicaſſe novam legem & novam promiſſionem Regni cœlorum, virtutes feciſſe; fixum cruci, tertia die reſurrexiſſe, in cœlos ereptum ſedere ad dexteram Patris; miſiſſe vicariam vim Spiritum Sancti, qui credentes agat; venturum cum claritate ad aſſumendos ſanctos in vitæ æternæ & promiſſorum cœleſtium fructum, ad profanos judicandos igni perpetuo, facta utriuſque partis reſuſcitatione cum carnis reſurrectione.* Quibus locis comparandus eſt Ignatius ad Magneſios, qui Chriſtum dicit σὲ πάντων μᾶλλον ἀϊδίων γνησίως ἐκ πατρὸς γεννώμενον καὶ ὕστερον ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου δίχα ὁμιλίας ἀνδρός. καὶ πολιτευομένων ὁσίων, καὶ πᾶσαν νόσον καὶ μαλακίαν θεραπεύσαντα ἐν τῷ λαῷ, καὶ σημεῖα καὶ τέρατα ποιήσαντα ἐπ' ἀνθρώπων, καὶ τοῖς ἐξαπίλασιν εἰς πλάνησιν τὴν ἐν καὶ μόνον ἀληθινὸν Θεὸν καταγγείλαντα τὸν ἑαυτοῦ πατέρα· καὶ τὸ πάθος ὑπομείναντα, καὶ θεὸν ἐν Χριστιανοῖς Ἰουδαίοις ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου ἡγεμόνος καὶ Ἡρῴδου βασιλέως καὶ φανερὸν ὑπομείναντα καὶ διαπράξαντα, καὶ ἀναστάντα, καὶ ἀνειληφότα πρὸς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα· καὶ καθεδόντα ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ. καὶ ἐρχόμενον ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος μετὰ δόξης πατρικῆς, κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, καὶ ἀνταδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ [*ante omnia ſecula genitum à Patre, rurſum vero genitum ex Maria virgine ſine opera virili; qui vixit ſanctè, omnemque morbum & infirmitatem in populo abſtulit, ſigna & oſtenta fecit bono hominum, & eis qui ad multos deos deflexerant unum ac verum Deum annuntiavit, Patrem ſcilicet ſuum; qui & paſſi ſuſtinuit, & à Chriſticidis Judæis tempore Pontii Pilati Præſidis & Regis Herodis crucem pertulit, mortuus eſt, reſurrexit, & rediit in cœlum ad eum à quo miſſus fuerat, ſedetque ad ejus dexteram: veniet autem in fine ſeculorum cum claritate Patris, ut judicet vivos & mortuos, & det ſingulis ſecundum opera ipſorum*]. Spiritum Sanctum notat Juſtinus, Πνεῦμα ἅγιον, ὃ διὰ τῶν προφητῶν προεκήρυξε τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ πάντα [*Spiritum Sanctum qui per Prophetas omnia ad Jeſum pertinentia prædixit*]. Irenæus vero hunc in modum, Πνεῦμα ἅγιον τὸ διὰ τῶν προφητῶν κεκηρυχὸς τὰς οἰκονομίας καὶ τὰς ἐλεύσεις καὶ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν [*Spiritum Sanctum qui per Prophetas prænuntiavit diſpenſationes Dei, & adventum Chriſti & ejus ex virgine nativitatem*]; & cætera quæ jam annotavimus; nam Spiritus mentionem rebus Filii interjungit: quemadmodum & Tertullianus ejus non meminit niſi in Filii conceptione. Ejus quod de Spiritu Sancto Juſtinus & Irenæus in Regula recitant veſtigium eſt in Nicena formula, καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν [*& in Spiritum Sanctum qui locutus eſt per Prophetas*]. In Clementis Conſtitutionibus eſt Πνεῦμα ἅγιον ὁ παράκλητος, τὸ παρὰ Χριστοῦ πεμπόμενον, καὶ ἐκεῖνον κηρύσσον [*Spiritus Sanctus, paracletus, qui à Chriſto mittitur & eum prædicat*]. Horum locorum collatio docere nos poteſt, cum veteres Regulam Fidei aut Baptiſmi immutabilem dicunt, non ad certam & receptam ubique verborum formulam eos reſpicere, ſed ad vim atque ſententiam interrogationum: quam breviter, ut ſolet, Lucas ita complectitur Actorum octavo, comm. 12. Ὅτε ἐπίστευσαν τῷ Φιλίππῳ εὐαγγελιζομένῳ τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ὀνόματος τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐβαπτίζοντο [*Cum vero credidiſſent Philippo euangelizante de Regno Dei, in nomine Jeſu Chriſti baptizabantur*]. Et antiquiſſima quidem τοῦ βαπτίσματος διδαχὴ [*Baptiſmi doctrina*] intra eum quem dixi finem ſtetiſſe videtur: quam ita compendio recitat Tertullianus De Virginibus velandis, *Regula quidem fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in unicum Deum omnipotentem mundi conditorem, & Filium ejus Jeſum Chriſtum, natum ex virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertia die reſuſcitatum à mortuis, receptum in cœlis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos per carnis etiam reſurrectionem. Hac lege fidei manente, cætera jam diſciplina & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente uſque in finem gratia Dei.* Baſilius in Diſputatione adverſus Eunomium agnoſcit hanc formulam veterem, Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἰς ἕνα μονογενῆ υἱὸν τοῦ Θεοῦ, Θεὸν λόγον τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα ἅγιον τὸ παράκλητον [*Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, ex quo omnia, & in unum Filium ejus unigenitum, Dei Verbum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem omnia, & in unum Spiritum Sanctum paracletum*]. Hinc & Nicena formula, inſertis quibuſdam de Filio verbis contra Arium, in nomine Spiritus Sancti deſinit. Gliſcente ſeceſſionum licentia unitati conſultum eſt addita interrogatione de Eccleſia Catholica. Tertullianus libro De Baptiſmo cum dixiſſet *ablutionem delictorum obſignatam in Patre, Filio, & Spiritu Sancto*, quos *arbitros fidei & ſponſores ſalutis* vocat, *Sufficit*, inquit, *ad fiduciam ſpei noſtræ etiam numerus nominum Divinorum. Quum autem ſub tribus & teſtatio fidei & ſponſio ſalutis pignorentur, neceſſario adjicitur Eccleſiæ mentio, quoniam ubi tres, id eſt, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, ibi Eccleſia quæ trinus corpus eſt.* Eodem tempore videntur de Remiſſione peccatorum aut Baptiſmate in remiſſionem, item de Carnis reſurrectione & Vita æterna ſpeciales factæ interrogationes; cum alioqui in deſcriptione Filii ea ipſa ſatis aperte continerentur. Tertullianus rationem reddens cur Chriſtus ipſe non tinxerit, *In quem*, inquit, *tingeret? in pœnitentiam? quo ergo illi præcurſorem? in peccatorum remiſſionem, quam verbo dabat? in ſemet ipſum, quem humilitate celabat? in Spiritum Sanctum, qui nondum à Patre deſcenderat? In Eccleſiam, quam nondum Apoſtoli ſtruxerant?* Cyprianus ad Epiſcopos Numidas, *Sed ipſa interrogatio quæ fit in Baptiſmo teſtis eſt veritatis. Nam cum dicimus, Credis in vitam æternam & remiſſionem peccatorum per ſanctam Eccleſiam? intelligimus remiſſionem peccatorum non niſi in Eccleſia dari.* Quæ ipſa Cypriani verba oſtendere mihi videntur Symbolum ſive Regulam fidei ipſius ætate nondum

ad-

adſtrictam fuiſſe illis verbis quibus poſtea ſcripta invenitur, cum tamen eandem ſemper fuiſſe Regulæ ſententiam minime ſit dubitandum. Quin ſerius etiam apud Scriptores ordo diſcrepat. Nam apud Hieronymum & Ruffinum eſt, *Credis ſanctam Eccleſiam? Credis Remiſſionem peccatorum?* Apud Cyrillum vero, *Credo in unum Baptiſma, in Remiſſionem peccatorum & in unam ſanctam Eccleſiam Catholicam.* Nec indignum notatu multis in partibus adverſus Manichæos adjectam Symbolo & Liberi arbitrii mentionem; quod ex Origenis exordio περὶ ἀρχῶν [*De Principiis*] datur colligere; itemque ex eo Symbolo quod in Hieronymi exſtat operibus, quod quanquam à Pelagio ſubſignatum eſt, ut fidem ſuam Romano Epiſcopo probaret, non tamen ſequitur magis hoc eſſe Pelagii quam illud quod ex Baſilio citavimus Eunomii fuit opus, qui illa formula antiqua utebatur. Certe Carolus Magnus & tota Synodus Francofurtenſis illud ipſum Symbolum, quod, ut diximus, in Hieronymi exſtat operibus, laudat ſub Hieronymi nomine & omni ex parte approbat. Et tales quidem fuere fidei interrogationes aut primis temporibus aut proxime prima: quarum reſpectu βάπτισμα [*Baptiſma*] Baſilio & aliis dicitur σφραγὶς τῆς πίστεως *fidei obſignatio* Tertulliano libro De Pœnitentia. Alterum interrogandi genus ad vitam pertinebat, quod pleriſque in locis præcedebat ipſam fidei profeſſionem. Promittere enim baptizandi debebant vitam ſe exacturos ad normam à Chriſto traditam, ut ex Juſtino audivimus: quo omnino illud pertinet quod Petrus Baptiſma vocat συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα [*conſcientiæ bonæ ſtipulationem*]. Hoc dicebatur *ſeculo renuntiare.* Neque dubito quin earum vocum antiquiſſimus fuerit uſus in hoc ritu. Cyprianus, *Seculo renuntiaveramus cum baptizati ſumus.* quo forte reſpiciens Paulus monet baptizatos μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ [*non conformari huic ſeculo*], Romanorum XII, 2. Solebat ſimul *renuntiari diabolo & cultus, pompæ & angelis ejus*; aut *diabolo, pompis, ſpectaculis & operibus ejus*: quæ formula apud Tertullianum atque alios ſæpe occurrit; ſed id proprie additum videtur propter eos qui ex idolorum cultu Chriſto nomen dabant. Reſponſionem tum de Fide tum de Vita emendanda breviter complectitur Lucas Actorum II, 41. Οἱ μὲν οὖν ἀσμένως ἀποδεξάμενοι τὸν λόγον αὐτοῦ [*Qui libenter receperunt ſermonem ejus*] (nam in oratione utrumque comprehendebatur) ἐβαπτίσθησαν [*baptizati*]. Græca formula erat, Ἀποτάσσομαί σοι, Σατανᾶ, καὶ συντάσσομαί σοι, Χριστέ [*Renuntio tibi Satana, & adhæreo tibi Chriſte*]. Et plenior, Ἀποτάσσομαι τῷ Σατανᾷ καὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ καὶ τοῖς πομπαῖς αὐτοῦ καὶ πάσῃ τῇ λατρείᾳ αὐτοῦ [*Abrenuntio Satanæ & omnibus operibus ejus & pompis ejus & omni cultui ejus*]. Poſt has ergo ſtipulationes atque reſponſiones, quas *verba ſacramenti* Tertullianus vocat ad militiæ morem alludens, ſequebatur Baptiſmus, cui accedebant preces in quibus nominabantur Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Orationem hanc proprie ad Patrem directam indicare videtur Juſtinus, Ἐπονομάζεται τῷ ἐλομένῳ ἀναγεννηθῆναι καὶ μετανοήσαντι ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασι τὸ ἐπὶ πᾶσι τοῖς τοῦ ὅλων καὶ δεσπότου Θεοῦ ὄνομα, αὐτὸ τοῦτο μόνον ἐπιλέγοντες [*nominatur ſuper eo qui velit renaſci & pœnitentiam egerit de peccatis nomen ſolum Dei Patris omnium ac Domini*]. Deinde, καὶ ἐπὶ ὀνόματος τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἐπ' ὀνόματος Πνεύματος ἁγίου ὁ φωτιζόμενος λούεται [*Et in nomine Jeſu Chriſti & in nomine Spiritus Sancti illuminatus ablnitur*]. Solemne ejus invocationis verbum erat *Abba Pater*, ut notat Chryſoſtomus VIII ad Romanos II, 15. His ſi addas id quod Actorum XXII, 16. refertur ab Anania dictum Paulo βάπτισαι καὶ ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας σου ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου [*baptizator invocato nomine Domini*], videbis tum eum qui baptizabatur tum eos qui Baptiſmo aderant (neque enim in toto cœtu exercebatur primis temporibus; quod oſtendunt illa apud Juſtinum, Ἀγόμεθα ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστί [*ducimur à nobis ubi aqua eſt*]· & quod poſtea ſequitur, Ἡμεῖς δὲ μετὰ τὸν οὕτως λοῦσαν τὸν πεπεισμένον καὶ συγκατατεθειμένον, ἐπὶ τοὺς λεγομένους ἀδελφοὺς ἄγομεν [*Nos vero poſtquam ſic abluimus eum qui ita perſuaſus eſt ut nobis conſentiat, eundem ducimus ad eos qui fratres vocantur*]· quin & Conſtantini temporibus fontes in uſum Baptiſmi exſtructi non in Eccleſiarum ædibus ſed ἐν τοῖς περιβόλοις [*in locis circumjectis*]) ſolitos orare Deum Patrem ἐν τῷ ὀνόματι Χριστοῦ [*in nomine Chriſti*], quomodo ipſe orare nos docet Johann. XIV, 13, 14. ut fidem ejus qui baptizabatur & liberam illam Chriſtianiſmi profeſſionem muneraret Spiritu ſuo Sancto per gradus quoſdam, quorum initium erat ὁ φωτισμός [*illuminatio*]. Cyprianus, *Unda genitalis auxilio ſuperioris ævi labe deterſa, in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infundit:* unde ipſum Baptiſma κατ' ἐπίκλησιν [*per tranſnominationem*] id nomen accepit. Juſtinus, Καλεῖται δὲ τοῦτο λουτρὸν φωτισμός, ὡς φωτιζομένων τὰς διανοίας τῶν τοῦτα μανθανόντων [*Vocatur autem hoc lavacrum Illuminatio, quod qui iſta diſcunt mentem illuminantur*]. Reſpexiſſe videri poteſt locum Pauli Epheſ. I, 17. quanquam ibi non de initio ſed de augmento hujus doni in baptizatis mentio eſt, ἵνα ὁ Θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ πατὴρ τῆς δόξης δῷ ὑμῖν πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ, πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶν εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ [*ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus*], & quæ ſequuntur. Hinc Syrus non male quod eſt Hebræorum VI, 4. & X, 32. φωτισθέντες [*illuminati*] interpretatur baptizatos. Patris, Filii & Spiritus Sancti mentio in eam quam dixi ſententiam ut dicto Pauli loco, ita & in Petri ad Judæos allocutione apparet, ubi proprie de Baptiſmo agitur, Actorum II, 38. Μετανοήσατε, καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου Πνεύματος· ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν, ὅσους ἂν προσκαλέσηται Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν [*Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim eſt promiſſio & filiis veſtris & omnibus qui longe ſunt, quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter*]. Paulus quoque ad Titum III, 5. conjungit λουτρὸν παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως Πνεύματος ἁγίου [*lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus Sancti*]. Tertullianus De Baptiſmo, *Caro noſtra emergens de lavacro poſt vetera delicta columba Sancti Spiritus advolat, pacem Dei adferens.* Verum quidem eſt primis illis temporibus etiam adſpectabilia quædam Spiritus dona baptizatis contigiſſe; quorum & Marcus hoc loco meminit: ſed ea nihil aliud erant quam acceſſio & ornamenta doni illius interni atque ad omnia tempora pertinentis, quod præcipue Prophetæ ſpectaverant, vaticinati omnes fore θεοδίδακτους [*à Deo edoctos*]. Hanc autem vetuſtiſſimam baptizandi formam eo libentius hic cum ſuis teſtimoniis poſuimus, ut liqueat quoties in Actis aut alibi cum de Baptiſmo agitur *Chriſti* fit mentio non item *Patris*, aut *Chriſti & Spiritus* ſine *Patris* nomine, ex parte rem totam, quippe ſatis omnibus notam, deſcribi. Optime Irenæus libro III, cap. 20. *In* CHRISTI *nomine ſubauditur qui unxit, & ipſe qui unctus eſt, & ipſa unctio in qua unctus eſt.* Quod autem nonnulli ad infirmandum hoc Chriſti præceptum objiciunt Apoſtolos non eſſe hoc baptizatos Baptiſmate, caret pondere. Nam ipſis qui ex Chriſti ore cœleſte dogma acceperant, non præcepit Chriſtus baptizari, ſed alios baptizare, quod fecerunt. Tertullianus libro De Baptiſmo, *Illis vel primæ adfectionis & exinde individuæ familiaritatis prærogativa compendium Baptiſmi conferre potuit.* Sed & ipſos baptizatos non iſto ſed Johannis Baptiſmo, ut de quibuſdam certum eſt, ita de cæteris cur negetur non video, præſertim cum etiam publicani ad id lavacrum veniſſe legantur.

20. Διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν· *Docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*] Doceri non aliud Chriſtus jubet quam quæ ipſe præceperat. Quare certum eſſe debet in illis totam religionis ſubſtantiam conſiſtere, nihilque traditum ab Apoſtolis ad ſalutem neceſſarium (nam conſiliorum & eorum quæ pro locorum & temporum ratione ad διάταξιν [*conſervationem ordinis*] ordinantur alia eſt ratio) extra præcepta Chriſti. Cum duplex ſit docendi ratio, alia per modum εἰσαγωγῆς τῶν στοιχειωμένων [*introductionis eorum qui prima elementa accipiunt*], alii per modum διδασκαλίας [*plenioris inſtitutionis*], prior ſupra videtur indicari verbo μαθητεύειν· id enim eſt velut *in diſciplinam imbuere*, & Baptiſmo præponitur: poſterior verbo διδάσκειν [*docendi*], quod hic poſt Baptiſmum locatur. Sic Lucas ad Theophilum ſcribens de Vita, Morte ac Reſurrectione Chriſti, ἵνα ἐπιγνῷς, inquit, περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν [*ut cogneſcas eorum de quibus catechizatus es certitudinem*]· ubi itidem κατήχησις eſt prima inſtitutio, quam ſequitur ἐπίγνωσις τῆς ἀσφαλείας [*cognitio certitudinis*]. Sic Apollos eidem Lucæ in Actibus dicitur κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ Κυρίου [*catechizatus viam Domini*]. Ab Hebræis diſcrimen hoc, ut pleraque veteris Chriſtianiſmi, apud quos מתניתא eſt ἡ κατήχησις [*Catecheſis* ſive *initialis inſtitutio*], quam poſtea ſequebatur גמרא fuſior explicatio, & מדרש ἢ δι' αἰνιγμῶν [*ea quæ fit per ſenſus latentes*]. Clemens Alexandrinus Stromateon VI. γνῶσιν [*ſcientiam*] eſſe ait τὴν πίστεως τελείωσιν ἐπιστήμην τε καὶ κατηχήσεως [*fidei perfectionem ultra Catecheſin*]. Alibi εἶδος διδασκαλικὸν [*genus docendi* facit duplex, τὸ μὲν τὴν παιδαγωγίαν, τὸ δὲ ἐποπτικὸν [*aliud pædagogicum, aliud epopticum*, id eſt, *myſteria intus ſpectantium*], quod & ἰσχνὸν [*ſubtile*] & πνευματικὸν [*ſpirituale*] vocat. Pythagorici, ut idem

Clemens notat, diſcipulos communioris notæ ἀκουσματικοὺς [*Audientes*] vocabant, alios autem τοὺς γενναίους ἀνθρωπολήψους τ φιλοσοφίας [*qui ſerio Philoſophia ſe dabant*] appellabant μαθηματικούς [*Diſciplinatos*]. Sunt autem explicante Malcho in Vita Pythagoræ μαθήματα οἱ τ ἀβεβαιοτέρων ἢ μετὰ ἀπορίας ἐπιδεικνύμενα ἀριθμητικὴ γεωμετρία τ διαγράμματα λόγοι ἐπιμαθητικοὶ· ἀκουσματικοὶ δ' οἱ μόνας τὰς κεφαλαιώδεις ἐπιστήμας τ γεγραμμάτων, ἄνευ ἀκριβείας διηγούμενοι, ἀκριβεῖς [*Diſciplinati, qui ulteriorem & exacte elaboratam ſcientiæ modum edidicere; Audientes vero qui generalia tantum literarum præcepta ſine exquiſitiore explicatione hauſerunt*]. Origenes commune omnibus ſapientum ſectis ait fuiſſe ut alios haberent λόγους ἐξωτερικούς [*ſermones externos*], alios ἐσωτερικούς [*internos*]. Vide initium capitis VI ad Hebræos. ¶ καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι, *& ecce ego vobiſcum ſum*] Videtur adſcenſus Chriſti in cœlum adeo notus fuiſſe omnibus Chriſtianis in Palæſtina ut de eo nihil Matthæo opus fuerit dicere. Nam cum quingentis illis apparuit Chriſtus, haud dubie futurum adſcenſum ipſis ſignificavit. Obiter tamen hic indicatur. Eſt enim ἀνθυποφορὰ [*Occupatio contra objectionem tacitam*]. Abiturus quidem ſum in cœlum, nec adero vobis adſpectabilis modo; ſed adero Divina efficacia. Notandum enim eſt *cum aliquo eſſe* peculiariter de Deo dici, Judic. VI, 12, 13. Jeremiæ I, 8. Actor. VII, 9. Marcus autem & Lucas cum extra Judæam viventibus ſcriberent, merito Adſcenſus hiſtoriam adjecerunt. Johanni id facere opus non fuit, ut παραλειπόμενα [*prætermiſſa*] ſcriberet, omittens aliis dicta niſi ſi quid contextus hiſtoriæ deſiderabat. ¶ πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τ συντελείας τ αἰῶνος. *omnes dies uſque ad conſummationem ſeculi*] Quid ſit συντέλεια τ αἰῶνος [*conſummatio ſeculi*] ſatis apparet ſupra XIII, 39 40, 49. XXIV, 3. Poſt id tempus, cum Chriſtus Regnum traditurus eſt Patri, aderit nobis, ſed non eo modo de quo hic agitur, ad imbecillitatis noſtræ ſubſidium. Quare poteſt πάσας [*illud Uſque ad*] hic proprie accipi. Hinc autem manifeſtiſſime apparet voluiſſe Chriſtum ut Apoſtoli aliis, illi rurſum aliis πιστοὶ ἀνθρώποις καὶ ἱκανοῖς ἑτέρους διδάξαι [*viris fidelibus & ad docendum alios aptis*] munus illud magiſterii commendarent, ut videre eſt II Timoth. II, 2. Nam cum promiſſio hæc ad *conſummationem ſeculi* ſe extendat, Apoſtoli autem tamdiu victuri non eſſent, omnino hic Chriſtus in Apoſtolorum perſona cenſendus eſt etiam ſucceſſores ejus muneris compellaſſe.

P R I C Æ U S.

Com. 4. Ἔ Γίνονται αἵτινες] Ἐναπέθανον αἱ παρθένοι αὐτῶν ἐν αὐταῖς, 1 Sam. 25. 37. Apocal. 1. 17. Ἔσται μετὰ ταῦτα πάντα αὐτὰ εἰς γεγονός. Vide & Dan. 10. 8, & 16. 2 Eſdræ 10. 30. Lucian. Icaromenippo, Ἐγὼ γάρ, &c. μικροῦ μὲν ἐξέθανον ὑπὸ τ δίψους.

Com. 6. Δεῦτε, ἴδετε τ τόπον] Non mihi, ſed rei ipſi fidem adhibete. Ovidius,

Nil mihi credideris, præſens potes ipſa videre.

Plautus,

Viſe, abi intro tute, nam ego nihil mihi credi poſtulo.

Com. 7. προάγει ὑμᾶς] Vulgat. *præcedit*; puto *præcedit* ſcribendum. Gloſſæ (& forte hoc ex Matthæi loco) *Præcedit*, προάγει.

Com. 8. μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς] Achilles Tatius, Τρίτον τέλειον διπλοῦν· χαρᾶς ἅμα καὶ φόβου. Joſeph. Antiq. 19. de Claudio, Ἀπεκάμνειν αὐτὸν ὁ πάνυ βαίνων δυσκόλως ὑπὸ τ φόβου καὶ χάριμα τ εἰρημένων. Apuleius, *Pavore & gaudio*, &c. *permixtus*. Virgilius,

Lætitia metuque avidi. ——

Idem,

—— *Fugit ante omnes exterritus Arunx,*
Lætitia mixtoque metu. ——

Claudianus,

—— *Mixtoque metu perterrita gaudet.*

Calpurn. Siculus,

—— *Et mixtus ſubit inter gaudia terror.*

Hieronymus in vita Malchi, *Quid tunc terroris nobis, quid gaudii fuit?*

Com. 12. ἱκανὰ ἀργύρια] Vulgatus, *pecuniam copioſam*. Apuleius 4. *Copioſa pecunia Dominus.*

Com. 14. ἀμεριμνοῦμεν, &c.] Vulgat. *ſecuros*. In Gloſſario, *ſecurus*, ἀμεριμνῶν.

Com. 20. Καὶ ἰδοὺ, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι] Virtute & efficacia. Sic ἦναι ſupra 18. 20. & εἶναι μετά τινος, Joh. 3. 2. & Act. 18. 10. Themiſtius in hanc mentem & vere & appoſite, Οὐκ ἐν τῷ αἰχμάλωτα μόνον ἐσὶ, ἰδοὺ ἐν τῷ νεῷ μόνῳ (τῷ Θεῷ) ἐνδιατρίβει, ἀλλὰ πανταχοῦ γῆς καὶ θαλάσσης ἔστιν ἂν αὐτοῦ ἡ δύναμις ἐπιχωρῇ, καὶ ἐξικνῆται, Orat. 11. Idem 13. Ἐκεῖ ἐστιν ἔνθα τὸν μόνον ὁ Θεὸς οἶδε καὶ ὁ ἄνθρωπος· ἔδη ὅπου ἂν δύνηται ἀφελεῖν, καὶ λέγει ἀκούειν ἐπιθυμοῦσι. Peculiariter autem *eſſe cum iis* hoc loco eſt quod Act. 14. 3. μαρτυροῦντι τῷ λόγῳ τ χάριτος αὐτοῦ, καὶ δίδοντι σημεῖα καὶ τέρατα γίνεσθαι. Vide Marc. 16. 20. Act. 2. 43. 5. 12. 6. 8. 15. 12. 19. 11. Hebr. 2. 4. & 2 Cor. 12. 12. Et hæc hactenus. Phædrus,

Superſunt mihi quæ ſcribam, ſed parco ſciens,
Ut ſi quis eadem forte conari velit,
Habere poſſit aliquid operis reſidui.
Quamvis materia tanta abundat copia,
Labori faber ne deſit, non fabro labor.

Præterea, *quoties ad faſtidium legentium ac delicias reſpicio, commendationem ex ipſa mediocritate libri intelligo petendam mihi.* Plin. Epiſt. 2. 5.

A N-

Digitized by Google

ANNOTATA

Ad Euangelium ſecundùm

MARCUM.

Cap. I.

VALLA.

4 *Uit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ*] Non dicitur quòd *Joannes fuit in deſerto.* Nam incipiendum fuit à dignitate aliqua & nuncupatione viri potiùs quàm ab ejus actione, tanquam de ejus nomine fuiſſet jam facta mentio, ut apud Joan. 1. 6. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Nec dicitur, *Fuit homo miſſus*, ſed *Fuit homo:* deinde *miſſus à Deo*, i. *qui miſſus fuit à Deo.* Ideóque ego utrumque locum (nam utrobique idem verbum eſt) tranſtuliſſem *exſtitit*, non *fuit.* Nam neque *exſtitit* jungitur cum participio, neque Græcè eſt verbum ſubſtantivum, ſed illud quod ſolet transferri *factus eſt:* neque Græcè eſt, ut Latinè, *baptizans* poſt dictiones *in deſerto*, ſed ante; hoc modo, ut ad meum arbitriam transferam, *Exſtitit Joannes baptizans*, ſive *qui baptizabat*, *in deſerto*, ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ. *Baptiſmum* quidam putant neutri quoque eſſe generis, & ſic aliquando in Euangelio legunt; quaſi non ſufficiant *baptiſmus* & *baptiſma*, & quaſi lingua Græca patiatur dici *hoc baptiſmum.* Quia de hoc nomine feci mentionem, quòd Græco non reſponderet ſi foret generis neutri, admoneor ut eos improbem qui putant Marcum Latinè ſcripſiſſe; qui ſi Græci, ſat profectò Latina, ſin Latini, Græca ignorare ſe indicant. Cui rei teſtimonio eſt verbum quod attigi, & quod ſequitur v. 6. *Erat Joannes veſtitus pilis cameli, & zonâ pelliceâ circa lumbos ejus.* Nam ſi fuiſſet Latinus ſcriptor, dixiſſet *circa lumbos ſuos*, quod Interpres ideo dixit *ejus* quòd deceptus eſt ambiguitate Græcæ vocis. Non enim *zona* nominativi eſt caſûs ſed ablativi, ſicut *pilis*, quæ ambo ſunt Græcè accuſativi: ἦν δὲ ὁ Ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ.

10. *Et ſtatim aſcendens de aqua vidit apertos cœlos, & Spiritum ſanctum tanquam columbam deſcendentem & manentem in ipſo*] Apud Joannem 1. 32. eſt *deſcendentem & manentem ſuper eum.* Apud Marcum non niſi *deſcendentem ſuper eum*, ſive *ſuper ipſum:* nec *apertos cœlos* dicitur, ſed *ſciſſos*, εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς, καὶ τὸ Πνεῦμα ὡσεὶ περιστερὰν καταβαῖνον ἐπ' αὐτόν.

11. *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui*] Gr. *in quo complacui*, ſive *in quo bene placui*, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

12. *Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum*] Præſentis eſt temporis, non præt. ἐκβάλλει. Quod ego dixiſſem *emittit:* nam *expellere* durum videtur, præſertim apud hunc interpretem, qui de eodem verbo ait Matth. 7. 6. *Ne mittatis margaritas veſtras poreis.*

15. *Et appropinquabit regnum Dei. Pœnitemini, & credite Euangelio*] *Appropinquavit* legendum eſt, & *credite in Euangelio. Pœnitemini* durum inſuetumque verbum. ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ· μετανοεῖτε, καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ.

22. *Erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ*] *Tanquam*, ſive *velut*, *poteſtatem habens* dicendum fuit, non *quaſi*, quod nihil aliud eſt quàm *ac ſi poteſtatem haberet*, videlicet quod non habebat. Nam cùm dico, *Tu loqueris quaſi Rex*, nego te Regem eſſe: at, *Tu loqueris velut Rex*, ſive *tanquam Rex*, non utique te nego Regem eſſe, etſi non affirmo: ut eſt in illo, *Tu age Conſulem*, tam de vero Conſule quàm de Conſulem imitante dici poteſt.

24. *Et clamavit, dicens, Quid nobis & tibi, Jeſu Nazarene? veniſti ante tempus perdere nos? ſcio qui ſis, ſanctus Dei*] *Exclamabat* Græcè legitur, &, *Sine, quid nobis & tibi?* ἔαφες, λέγων, Εἶα, τί ἡμῖν καὶ σοί; Melius habent ii codices in quibus legitur, *Scio quis es.* Sed addendum eſt *te*, ut ſit, *Scio te quis es*, οἶδά σε τίς εἶ.

38. *Eamus in proximos vicos & civitates*] Græcè eſt unum nomen compoſitum ex *vicus* & *urbs:* proinde ego dixiſſem, *in proxima oppida*, κωμοπόλεις.

45. *Ità ut non poſſet manifeſtè in civitatem introire, ſed foris in deſertis locis eſſe*] Melius in quibuſdam codicibus legitur *eſſet*, ſive *erat*, ἦν.

REVIUS in VALLAM.

4 NOn *dicitur*, &c.] Quòd Valla mavult *exſtitit* pro *fuit*; & argutatur neſcio quid de *fuit Joannes baptizans*, haud multùm (ſi credimus Eraſmo) ad rem Theologicam pertinet. Eſt enim idioma ſermonis Hebræi, quod tamen reperies & apud Atticos, *Erat baptizans*, i. *baptizabat*, ἦν βαπτίζων. Beza etiam exiſtimat ſi quod dicit Valla verum eſſet, addendum fuiſſe poſt ἐγένετο vel τις vel ἄνθρωπος. ¶ *Qui putant Marcum Latine ſcripſiſſe*] Dàmaſus Papa, Radulphus Armachanus, Jacobus de Voragine, Widmanſtadius, & peſſimarum cauſarum magni patroni Bellarminus ac Baronius. Errorem convellit inter alios Caſaubonus Exercit. 16. c. 119.

10. *Sciſſos*] Imò *vidit ſcindi*, ſive *diſſindi.* Nam participium eſt paſſivum præteriti temporis, quod non per *ſciſſos*, ut Laurentio viſum eſt, ſed per verbum erat transferendum. Eraſmus.

12. Ἐκβάλλει] Loco motum erat. ¶ *Nam expellere durum videtur*] De hoc videatur Beza.

14. Εἶα] Ità quidem editiones Vallæ habent, & Bezá eum ſic legiſſe annotat: ſed procul omni dubio Valla legit ἴα: vertit enim *Sine*, imperandi modo, à *ſino*, ſicut ἴα eſt imperativus ab ἰάω. Itaque mendum eſt typographi vel correctoris, quòd apud eum legatur ἶα. Cæterùm ἴα potiùs interjectionem vel adverbium eſſe hoc in loco quàm verbum Eraſmus & Bezá obſervant; qualia ſunt ἄγε, ἄπαγε, &c. unde Beza vertit, *ah!* vel *hem!*

ERASMUS.

QUoniam comperiebamus opus in modum longè majorem opinione ſuccreſcere (nam hæc ſimul & ſcribebantur à nobis, & typis excudebantur) viſum eſt idem compendii quod Marcus in contrahendo Matthæi Euangelio præſtitit, in noſtris præſtare Annotamentis, quò ſimul & lectoris & noſtro tædio alioqui intolerabili medeamur, & intra ſui temporis ſtadium operis curſus expleatur. Pauculos enim menſes ad hunc laborem ab illuſtriſſimi Burgundionum Principis Caroli obſequiis, in cujus famulitium nuper aſciti ſumus, uſurpavimus veriùs quàm impetravimus, idque, teſtor Jeſum, non ſine gravi rei familiaris jactura. Quanquam ea ſanè me leviter commovet. Res pecuniaria vel ſarciri poteſt, vel negligi. Cæterùm ut eſt boni viri non deeſſe ſuo officio, ità probi ac verecundi eſt hominis non committere ut cuiquam videatur oblitus officii. Memini quantum debeam maximo illi Philippo Maximiliani F. non ſolùm ut Principi, addam, non ſolùm ut optimo Principi verùm etiam ut de me magnificentiſſimè merito. Quicquid autem debebam patriæ, quicquid Principi, quicquid optimo Principi, quicquid bene merito, id totum eſt mihi refundendum in Carolum, quandoquidem illum (ſic fatis viſum eſt) cernere licuit veriùs quàm frui. Jam nominis proprii citiùs queam oblivíſci quàm benigniſſimi illius Mœcenatis mei Gul. Warami Epiſcopi Cant. qui ſic meritus eſt de probis ac literatis viris ut ab omnibus probitatis ac literarum cultoribus certatim debeat celebrari. Porrò me tantis pro-

proſecutus eſt officiis, tantâ obruit benignitate, ut omnia poſthabenda ſint quoties officii ratio jubet hujus obſequi voluntati. Proinde cùm utrique debeamus patriæ, (nam in altera geniti, in alteram cooptati ſumus) cùm utrique debeamus Principi, quorum alteri jam plurimis ac maximis beneficiis ſumus aſtricti, ab altero humaniſſimè invitamur ad ea quæ nec promeremur nec poſtulamus, atque hoc ipſo nomine plus debemus; non fuit mihi integrum opus hoc longiùs producere maturum utriſque reditum pollicito. Rem tamen ità moderati ſumus ut nonnihil adjecerimus moræ, nonnihil item contraxerimus operis modum: Quanquam id quoque hactenus ut verborum magis quàm rerum eſſet parſimonia, quò ſimul & operi & officio quà licuit ſatisfaceremus. Porrò mihi ſanè ſpes eſt fore pariter ut & brevitas, quæ nobis fuit neceſſaria, lectori quoque commoda ſit & grata. Quis enim tam patientis eſt ſtomachi ut in his rerum minutiis citra faſtidium diu verſari poſſit? Quanquam quantula, quæſo, hujus moleſtiæ portio redit ad lectorem? At nos dum inter tot Græcos, Latinos, Hebræos cod. ſurſum ac deorſum diſcurrimus, velut aciculam, quod ajunt, in acervo quærentes; dum excutimus quid ille verterit, quid alius legerit, quid ibi ſit depravatum, quid hic interpretetur, quid ille correxerit, quid ipſi ſignaverimus, ubi Latini cod. cum Græcis, Hebræi cum utriſque diſſentiant, aut etiam conſentiant; denique quæ ſit ejuſdem linguæ codicum inter ſe vel pugna vel concordia; dum, inquam, inter has ſpinas diſtringimur ac torquemur, non unam aut alteram horam, ſed menſes ferme ſex, cogita, quæſo, lector optime, quantum taedii utilitatis publicæ gratiâ devoremus. Neque verò pigebit, ſi poſthac per otium continget alia conquirere quæ poſſint opus hoc vel locupletius reddere vel emendatius, illa quoque in communem uſum adjicere. Pluſculum autem præſidii nobis ſuppetebat in Matthæo ex veterum Commentariis, ut in quem complures ſcripſerunt, Origenes, Chryſoſtomus, Hieronymus: In hunc nihil habemus, quod equidem ſciam, vetuſtum. Nam Theophyl. neotericus eſt; & ii Commentarii qui Hieronymi titulo circumferuntur, ut non ſint uſque quaque rejiciendi, tamen non magis ſapiunt Hieronymum quàm ſorba ficum. Cæterùm quo pauciores in hunc ſcripſerint, illud, opinor, in cauſa fuiſſe quòd explicato Matthæo & hunc explicatum eſſe putarent. Jam illud te nolim lateat, lector, quod hactenus præfati ſumus in Marcum ad primam hujus operis editionem pertinere, cùm hæc ſit editio quinta; Quâ decrevimus eſſe contenti; non quòd ullum ſit opus cui non poſſit adjici, quódve non poſſit reddi melius; ſed quòd videam ſycophantis nunc ubique regnantibus dandum eſſe locum, & exiſtimem in tam humili támque inamœno argumento diligentiam immodicam meritò reprehendendam eſſe.

1. *Initium Euangelii*] Et hic Hebræorum more exorſus eſt ab ipſo operis titulo, quemadmodum Matthæus, cujus epitomen ſcripſit Marcus, autore Auguſtino.

2. *In Eſaia Propheta*] In Græcorum exempl. quæ quidem ego viderim, *Eſaiæ* nomen non exprimitur, ſed tantùm ἐν τοῖς προφήταις, *in Prophetis*. Verùm id apparet mutatum datâ operâ à doctis, qui deprehenderant hoc teſtimonium è duobus Prophetis eſſe conflatum, quemadmodum indicat Hieronymus in lib. De opt. gen. interpr. Siquidem prior pars, nempe illa, *Ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*, eſt apud Malachiam c. 3. Quo ſanè loco illud obiter annotandum, Hieronymum in eo quod modò citavimus opere memoriâ lapſum videri poſſe, cùm ait hoc teſtimonium haberi *in fine Malachiæ*. Nam cùm totum hujus Prophetæ vaticinium quatuor capitibus abſolvatur, & hic locus ſit in ipſa ſtatim fronte tertii capitis, in medio veriùs eſt quàm in fine. Verùm ſuſpicor quæ res impoſuerit Hieronymianæ memoriæ, nimirum quod in extremo calce habeatur non diſſimile vaticinium, quod & ipſum de Johanne interpretantur, *Ecce ego mittam vobis Heliam prophetam antequam veniet dies Domini*. Neque enim mihi ſatisfacit excuſatio cujuſdam qui putat *in fine* dictum eſſe quòd ſit paulò infra medium. Sunt qui indicent in bibliotheca Vaticana haberi codicem Græcum majuſculis deſcriptum qui conſentiat cum Latina editione. Quid mirum ſi conſentiat ad Latinorum exemplaria caſtigatus? Quanquam arbitror hanc germanam eſſe lectionem. Durius ſcriptum eſt quod adfert Beda Auguſtinum, ni fallor, ſecutus, Fieri potuiſſe ut Marco ſcribenti aliud nomen pro alio occurrerit; quod tamen admonitus non putarit corrigendum, eò quod arbitraretur non temere permiſiſſe Spiritum S. ut nomen pro nomine tum occurrerit ſcribentis animo. Frigidior eſt & illa ſolutio, quoniam Prophetæ licèt diverſis modis eadem prædixerunt eodem Spiritu, omnium omnia eſſe communia. Quod ſi recipimus, non refert quo titulo citetur aliquid è S. voluminibus. Certum eſt hic alteram vaticinii partem eſſe apud Eſaiam. Sed hoc quæri poterat, cur geminum adducens vaticinium, unum tantùm Prophetam nominet. Quod ad ſenſum attinet, unum revera vaticinium eſt. Sed apud Matthæum 4. quem ſequitur Marcus, ſolus Eſaias nominatur, & hujus tantùm verba citantur; Marcus Eſaiæ vaticinio præterexuit vaticinium Malachiæ, contentus nominare Propheram celeberrimi nominis. Cæterùm quanquam ſententiæ ſumma conſentit, verba tamen Euangeliſtæ nonnihil diſſident tum à LXX, tum ab Hebraica veritate. Siquidem Hebræa ſic reddidit Hieronymus, *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*, conſentientibus per omnia LXX, niſi quòd *mitto* verterunt in futurum *mittam*, in quo Marcus concordat cum Hebræis. Cæterùm addidit *tuam*, cùm tantùm ſit *viam*. Et rurſum quod illic eſt *ante faciem meam*, hic refert *ante faciem tuam*, mutatâ perſonâ loquentis. Nam apud Prophetam hæc verba videntur eſſe Chriſti de ſe loquentis, etiamſi mox mutatâ perſonâ de ſe tanquam de alio loquatur, *Et ſtatim veniet ad templum dominator*. Contrà apud Euangeliſtam hæc verba Patris ſunt loquentis ad filium, *Qui præparabit viam tuam ante te*. Jam poſterior pars, *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini*, &c. Eſt apud Eſaiam 40. Hebraica ſic vertit Hieronymus, *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri*; in nullo diſſentientibus LXX ab Hebræis. Diſſentiunt & hic nonnihil Euangeliſtæ, ſed in verbis duntaxat. Nam quod cæteri dixerunt, *Rectas facite ſemitas ejus*, Joannes dixit, *Dirigite viam Domini*. Deinde quod habet Hebraica veritas, & LXX tranſtulerunt, *Rectas facite ſemitas Dei noſtri*, Matthæus, Marcus & Lucas poſuerunt *ſemitas ejus*; opinor quòd Euangeliſtæ, cùm Hebraicè ſcirent, non indigerent tranſlatione LXX: deinde cùm ab Hebræis non anxiè decerperent quod ſcriptum eſſet, ſed quod memoria ſuggerebat deſcriberent, verbis nonnunquam diſſident, in ſententia concordant: id quod pluribus in locis admonuit D. Hieronymus. Jam illud, quando notum eſt iis quoque qui Græcè neſciunt, *Angelum* ſignificare *nuncium*, non arbitror admonendum. Fortaſſis hîc meliùs vertiſſet *nuncium*. Deinde non dixit ſimpliciter *Angelum*, ſed addito articulo τὸν ἄγγελον, ut certum aliquem angelum ſive nuncium intelligas deſignari, cùm omnes alioqui Prophetæ nuncii fuerint venturi Chriſti. At hic unicus ille & eximius fuit nuncius qui non ſolùm præmunciarit adventum Domini procul adventantis, ſed qui præcurrens ipſe præpararit viam jam advenientis. ¶ *Ante faciem tuam*] Non eſt Græcis ἔμπροσθεν, aut ἐνώπιον, quod aliquoties ità vertit, h. e. *coram te*, & *in conſpectu tuo*, ſed πρὸ προσώπου, ut intelligas hunc nuncium præcedere; & hoc diſcutiente obſtacula viæ, jam videri & apparere faciem advenientis Domini. ¶ *Qui præparabit viam tuam ante te*] Gr. ἔμπροσθέν σου, q. d. à fronte tua: ut intelligas Chriſtum qui nunciabatur jam adeſſe. Aliter enim dicitur, *Ante Ciceronem dixit hoc Cato*, i. priuſquam Cicero diceret.

4. *Fuit in deſerto*] Quidam offenſi hyperbato ſic legunt, *Joannes baptizans in deſerto, fuit initium Euangelii*. Non abſurdè tamen, ut mihi quidem videtur, hæc verba, *Initium Euangelii Jeſu Chriſti*, &c. tituli loco erunt, qui mos eſt Prophetis, & Herodoto quoque, atque in totum illi genti. Porrò quod Valla mavult *exſtitit* pro *fuit*, & argutatur neſcio quid de *Fuit Joannes Baptizans*, haud multùm ad rem Theologicam pertinet. Erat enim idioma ſermonis Hebræi, quod tamen reperies & apud Atticos. *Erat baptizans*, i. *baptizabat*, ἐτύγχανε βαπτίζων. Articulum non addidit Græcus: unde perinde valere poteſt ac ſi dicas, *Cœpit baptizare*, ἤρξατο βαπτίζειν, *Factus eſt baptizans*, ſive *Cœpit baptizare*. Apud Græcos alius eſt verborum ordo, *Fuit Johannes baptizans in deſerto*. Ac rectius *erat* quàm *fuit*. ¶ *In remiſſionem peccatorum*] *In* hîc Præparationem ſign. non Effectum. Nam Joannis Baptiſmus præparabat ad Chriſti Baptiſmum, quo remittebantur peccata. Fortaſſis & illud annotandum, Quòd Apoſtoli jubentur priùs *docere*, poſtea *baptizare*; Joannes priùs *baptizare* dicitur, deinde *prædicare Baptiſmum*. Judæus per ceremonias ducitur ad cognitionem, Chriſtianus priùs diſcit: niſi mavis intelligere de Baptiſmo Chriſti, quem poſt ſuum Baptiſmum prædicabat Joannes. Sequitur enim, *Ego quidem baptizavi vos in aqua, ille verò baptizabit vos*, &c. Hinc apparet quòd baptizatis ab ipſo prædicarit Chriſti Baptiſmum mox ſecuturum, nè ipſius Baptiſmo confiderent.

5. *Judææ regio*] Ἡ Ἰουδαία χώρα, i. *Judæa regio*, ut cohæreant duo nomina ſubſtantiva. ¶ *Et Hieroſolymita*

univerſi] Græci ſecùs diſtinguunt, ἡ οἱ Ἱεροσολυμῖται καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες, *Et Hieroſolymitæ & baptizabantur omnes.* Nec enim veniebant omnes Hieroſolymitæ, ſed ex omni Judæa & Hieroſolyma qui venerant baptizabantur. Nam *omnem Judæam* dixit pro eo quod erat *ex omnibus Judææ partibus.* Nec eſt *in Jordanis flumine*, ſed *in Jordane fluvio*, ſive *fluvio Jordane.* Addidit autem *flumine* quòd vox *Jordanis* eſſet pleriſque ignota.

6. *Et erat*] Ἦν δὲ, *Erat autem.* ¶ *Veſtitus*] Ἐνδεδυμένος *indutus.* ¶ *Pilis camelorum*] *Camelo* eſt Græcis, & item in Aureo codice, item in Conſtantienſi: quanquam hoc nihil ad ſenſum. *Camelus* enim hîc ſpeciem notat animantis, non unum aliquod ejus generis. Suffragabantur Aureo codici volumina D. Donatiani. Speciem animantis expreſſit, ut oſtenderet veſtis aſperitatem, juxta Domini teſtimonium, *Qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt.* Pictores onerant Joannem exuvio cameli, quemadmodum Græci veſtiunt Herculem exuvio leonis. Imò veſtis erat contexta non è lana Britannica, aut Serum velleribus, aut lino Hollandico, ſed è pilis Camelorum. Aſperitatem augebat zona pellicea premens ilia. ¶ *Et zonâ pelliceâ*] Καὶ ζώνην δερματίνην. Ablativus eſt nobis, non nominativus, & refertur ad participium *veſtitus*, ſicut & ablativus *pilis.* Et *lumbos ſuos* dicendum erat, non *ejus.* ¶ *Mel ſylveſtre edebat*] Ἐσθίων ἐδων; ut pertineat ad verbum quod præceſſit *erat.* Quanquam hoc rectè variavit, niſi quòd aptius erat *veſcebatur* quam *edebat*, aut certè *victitabat*, ſive *eſitabat*, cùm de genere cibi loqueretur.

7. *Venit*] Ἔρχεται *venit.* Græcè vel præſentis eſt temporis vel futuri. In Donatiani libro habebatur *veniet.* Et notandus eſt articulus ὁ ἰσχυρότερός μου *ille qui me fortior & potentior eſt.* ¶ *Non ſum dignus*] Οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς, *non ſum idoneus*, aut *ſufficiens*, ut vulgò loquuntur. ¶ *Calceamentorum ejus*] *Ejus* addidit Hebræorum more. Latinis non eſt fas ità loqui.

8. *Ego baptizavi*] Ἐγὼ μέν. Non in tempore omiſit *quidem* conjunctionem, quæ hanc partem opponit *Spiritui.* ¶ *Spiritu ſancto*] *In Spiritu ſancto* eſt Græcis, tametſi præpoſitionem rectè omiſit interpres. Quidam codex Græcus hoc quoque loco addebat & *igni* ἁγίῳ καὶ πυρὶ, ex Matthæo, ſicuti conjicio; quanquam Theophylactus non addit.

10. *Aſcendens vidit*] Sermo Græcus anceps eſt, utrùm Johannes viderit an Chriſtus. ¶ *Cælos apertos*] Εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανούς, *vidit ſcindi*, ſive *diffindi*, *cælos.* Nam participium eſt paſſivum præteriti temporis, quod non per *ſciſſos*, ut Laurentio viſum eſt, ſed per verbum erat transferendum. Elegantiùs autem vertiſſet *diduci cælos*, ſive *findi.* ¶ *Et Spiritum ſanctum*] *Sanctum* non additur, nec in Græcis, nec in antiquiſſ. Lat. codicibus, nec in Aureo cod. nè in Conſtantienſi quidem. Porrò articulus additus indicat intelligendum de Spiritu S. de quo paulò antè meminit. Similiter paulò poſt. *Et ſtatim Spiritus exſtulit eum:* ut de eodem accipias Spiritu. ¶ *Deſcendentem & manentem*] *Et manentem* non additur in Græcis, videtur aſſcriptum ex Euangelio Johannis. Ex ſermone Græco non poteſt aliud intelligi quàm Spiritus deſcendens à Chriſto viſus fuiſſe, cùm res magis poſtulet ut intelligatur à Joanne cæteriſque viſus deſcendere. Deinde ſi Chriſtum accipimus vidiſſe, dicendum erat ἐφ' αὐτὸν *ſuper ſe*, non ἐπ' αὐτὸν *ſuper eum.* Neque video tamen quo pacto queat res explicari niſi dixerimus ἀναβαίνων rectum caſum poſitum loco paterni ἀναβαίνοντος, i. *Cum aſcenderet ex aqua Jeſus, vidit*, &c. Niſi accipiamus Jonnem unà cum Jeſu deſcendiſſe in flumen ad tingendum eum, atque ità legamus, *Joannes aſcendens ab aqua, vidit*, &c.

11. *Dilectus*] Ὁ ἀγαπητός. Articulus non caret emphaſi, q. d. *ille dilectus.* Idem additur *Filio:* ὁ υἱός. Multi filii, multi dilecti, at hic ille eximius & unicè dilectus. Deinde nomen hîc eſt, non participium, *dilectus*, quod vertere ſolet *chariſſimus.* ¶ *Complacui*] Εὐδόκησα, q. dicas, *bonam habeo opinionem*, ſive *bene complacitum eſt mihi.*

12. *Expulit*] Ἐκβάλλει *emittit.* Quanquam ἐκβάλλειν aliquando eſt *ejicere*, ſive *extrudere.* Significat autem impetum Spiritûs rapientis hominem quocunque velit. Theophylactus & Chryſoſtomus in Catena citatus admonent ſignificari, Non eſſe committendum ut homo ſemet conjiciat in periculum tentationis, ſed ſi Deo volente incidat fortiter agendum.

13. *Et erat in deſerto*] Quidam codex Græcus tantùm habebat & *erat ibi.* Alter præterea addit *in deſerto.* Quorſum autem attinebat repetere *deſertum*, cùm mox præceſſiſſet? ¶ *Quadraginta diebus*] In Græcis non additur & *quadraginta noctibus.*

15. *Quoniam impletum*] Ὅτι hoc loco fuerat omittendum Interpreti. ¶ *Appropinquabit*] Ἤγγικεν *appropinquavit*, ſive *appropinquat*; ut in hujuſmodi verbis Græci nonnunquam utuntur præteritis loco præſentium, ut non ſemel jam admonuimus. ¶ *Pœnitemini*] Μετανοεῖτε *pœniteat vos*; quod conſuevit vertere *pœnitentiam agite*, aut, quod ego malim, *reſipiſcite.* ¶ *Et credite Euangelio*] Ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, i. *in Euangelio*; tametſi id ex proprietate eſt ſermonis Hebræi. Theophylactus putat hîc abrogatam Legis obſervationem, cùm ait, *Credite Euangelio*] quaſi dicat, Ceſſent umbræ, Lex adeſt. Ad id facit quod præceſſit, *tempus impletum eſt.* Proinde non omnino idem docuit Chriſtus initio quod Joannes.

16. *Et præteriens*] Παράγων δὲ παρὰ τὴν θάλασσαν, *Ambulans autem ad mare*, ſive *juxta mare.* Quanquam alius codex habebat, καὶ παράγων παρὰ τὴν θάλασσαν, *Præterieni juxta mare.* Porrò lacum *mare* vocat. ¶ *Fratrem ejus*] Pro *ejus* Græcè eſt *Simonis.* Quidam utrumque repetunt αὐτοῦ τοῦ Σίμωνος, *ipſius Simonis*, ſive *ejus*, nempe *Simonis*, quod opinor additum à quopiam qui voluerit effugere ἀμφιβολογίαν, nè intelligeremus *fratrem ipſius Chriſti.* Nec eſt hoc loco *retia*, ut paulò pòſt δίκτυα, ſed ἀμφίβληστρα, i. *genus retis*, cujus meminit Iulius Pollux.

19. *Componentes retia*] Καταρτίζοντας, *ſarcientes*, ſive *reconnmantes.*

20. *Secuti ſunt eum*] Ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ, *abierunt poſt eum*, ut verbum verbo reddatur. Quod & aliàs verti poterat, Ὕπαγε ὀπίσω μου, *ſequere me.* Theophylactus putat hîc narrari ſecundam vocationem, eò quòd narratio Lucæ 5. diſſonet à narratione Matthæi & Marci. Cæterùm quod addit, Petrum & Andream fuiſſe diſcipulos Johannis Baptiſtæ, qui permoti illius de Chriſto teſtimonio Chriſtum ſequi cœperint, ſed Johanne conjecto in carcerem redierint ad priſtinum quæſtum; unde denuo vocati protinus ſecuti ſint, quoniam nullâ Scripturæ autoritate nititur, pro conjectura humana habendum cenſeo.

22. *Quaſi poteſtatem habens*] Ὡς *tanquam.* Quanquam hoc *quaſi* &, quod mox ſequitur, *ſic* eidem Græcæ voci reſpondent, ὡς, unde vertere poterat utrobique *ut.* Porrò de *poteſtate* ἐξουσίᾳ diximus in Matthæo.

23. *In ſpiritu immundo*] Quid hâc formâ loquendi durius Latinis ſimul & Græcis auribus? Dici poterat *obnoxius immundo ſpiritui.*

24. *Quid nobis & tibi*] Ἔα, τί ἡμῖν καὶ σοί; *Sine, quid nobis & tibi?* Quanquam ἔα rectiùs accipitur ut ſit adverbium Græcis, nobis interjectio exclamantis! & Latinè vertiſſet, *Quid rei nobis tecum eſt?* aut, quod pollet idem, *Quid tibi nobiſcum eſt rei?* ¶ *Veniſti ante tempus perdere nos?*] *Ante tempus* nec additur apud Græcos, nec in cod. Aureo, nè in Conſt. quidem. Videtur huc adjectum è Matth. 8. ¶ *Scio quod ſis*] Οἶδά σε τί εἶ, *Scio te qui ſis:* & ſic habent antiqui noſtri cod. *qui ſis*, non *quod ſis*; ſive *Novi te quis es*, ut magis ad verbum exprimam. ¶ *Sanctus Dei*] Ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. Nec hîc articulus otiosè additur, ut aliàs ſæpius indicatum eſt. Nec enim eſt ſimpliciter *ſanctus*, ſed ὁ ἅγιος, ut certum & inſignem intelligamus, videlicet illum unum verè ſanctum, & omnis humanæ ſanctimoniæ fontem. Proinde dilucidius erat, *Novi te qui ſis, nempe Sanctus ille Dei.*

25. *Et comminatus eſt*] Καὶ ἐπετίμησεν, *Et increpavit.* ¶ *De homine*] Gr. ἐξ αὐτοῦ, *ex eo.*

26. *Et diſcerpens eum, & exclamans*] Utrumque participium Græcis præt. temporis eſt, Σπαράξαν, κράξαν, q. d. *Diſcerpto illo, & clamore emiſſo.*

27. *Quidnam eſt hoc?*] Τί ἐστι τοῦτο; Particulam *nam* addidit Interp. de ſuo, cùm aliàs negligat exprimere, nimirum ad hunc modum paria faciens. ¶ *Quænam doctrina*] Τίς ἡ διδαχὴ *qua doctrina:* de ſuo addidit *nam.* ¶ *Quia in poteſtate & ſpiritibus imperat*] *Quia in poteſtate & ſpiritibus* habetur tum in Græcis tum in antiquis Latinis, ut conjunctio addat epitaſin. Cæterùm Græci cod. locum bifariàm diſtinguunt. Nonnulli ſic legunt, *Quæ eſt hæc doctrina; quoniam ſecundùm poteſtatem*, ut ſubaudias *eſt.* Alii conjungunt hæc cum his quæ mox ſequuntur, *Quæ eſt doctrina hæc, quoniam cum autoritate ſpiritibus quoque immundis imperat.*

28. *Et proceſſit*] Καὶ ἐξῆλθεν & *exivit*, ſive *emanavit.* ¶ *Rumor ejus*] Ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ *fama ejus*; quod alicubi vertit *opinio.* Cæterùm ut *famam hominis* dicimus, ità non dicimus *rumorem hominis* in eodem ſenſu. *Rumor* enim magis ad rem refertur, ut *rumor belli: Fama* generale nomen eſt. ¶ *Regionem*] Περίχωρον, i. *totam undique regionem Galilææ finitimam.*

ut intelligamus & ultra Galilææ fines famam Jeſu progreſſam.

30. *Recumbebat*] Κατέκειτο *decumbebat*, ut & antiqui codices habent, cúmque his Aureus ille, atque etiam Conſtantienſis. *Recumbit* enim quieſcens, & ſupinus: *Accumbitur* in convivio: *Decumbit* ægrotus lecto affixus.

31. *Apprehenſâ manu ejus*] Κρατήσας, quod toties vertit *tenuit*; veluti de Jeſu capto, *tenuerunt eum*, ubi tempeſtivius erat *comprehenderunt*. Et cur non potiùs *reliquit* quàm *dimiſit*, ἀφῆκεν, niſi fortè febris dicto Vale diſceſſit?

33. *Omnis civitas*] Ἡ πόλις ὅλη *civitas tota*; nè plures civitates intelligas.

34. *Qui vexabantur*] Κακῶς ἔχοντας *malè habentes*, ſive *male affectos*. ¶ *Variis languoribus*] Ποικίλαις νόσοις *variis morbis*: quod tamen ità perpetuò ferè vertit. ¶ *Quoniam ſciebant eum*] Gr. Ὅτι ᾔδεισαν αὐτὸν Χριστὸν εἶναι, *quòd noverant ipſum Chriſtum eſſe*. Nam hæc duo verba adduntur in nonnullis Græcis exemplaribus, velut in Theophylacto. In noſtris tantùm eſt, *Quoniam ſciebant eum*. Græcus tamen ſermo ambiguus eſt; Non paſſus eſt eos hoc proloqui quòd agnoſcerent Jeſum; ſive, Non paſſus eſt eos omnino loqui, propterea quòd agnoſcerent Chriſtum eſſe Meſſiam, nè id ante tempus effutirent. In priore ſenſu magis conveniebat *ipſum* quàm *eum*.

35. *Et diluculo valde*] Καὶ πρωῒ ἔννυχον λίαν, *Et manè, multâ adhuc nocte*. Nam id ſonat ἔννυχον, *Cùm adhuc aliquantum eſt noctis*.

37. *Dixerunt*] Λέγουσι *dicunt*. ¶ *Quia omnis*] Ὅτι conjunctio fuerat omittenda.

38. *In proximos*] Εἰς τὰς ἐχομένας *adherentes*, ſive *contiguos*. ¶ *Vicos & civitates*] Græcis eſt dictio compoſita, κωμοπόλεις, quod quidam interpretantur *municipia*. *Oppidula ruſticana* ſign. *qua vel vici vel oppida videri poſſint*. Siquidem ex *vico* & *oppido* Græca vox compoſita eſt. ¶ *Ut ibi prædicem*] Græce eſt ἵνα κἀκεῖ *ut & ibi*, conſentientibus & antiquis exemplaribus noſtris. ¶ *In hoc*] Apertius erat *ad hoc*, ſive *hâc gratiâ*, εἰς τοῦτο.

39. *Et in omni Galilæa*] *Et* non eſt Græcis, ſed *in ſynagogis illorum per totam Galilæam*.

40. *Si vis*] Hoc loco Interp. rectè omiſit ὅτι· quod cùm alicubi faciat, mirandum cur non idem perpetuò faciat quoties ſermonis exigit ratio.

41. *Volo; mundare*] *Mundare* hîc paſſivum eſt, impetrandi modo, Θέλω, καθαρίσθητι· quemadmodum eſt in Matthæo.

43. *Et comminatus eſt*] Καὶ ἐμβριμησάμενος αὐτῷ, εὐθέως ἐξέβαλεν, *comminatus ei ſtatim ejecit*, h. e. acriter interminatus necubi proferret. Et *ejecit* dixit pro *ablegavit*, ſive quòd celeriter, ſive quòd invitum.

44. *Vide nemini*] Ὅρα μηδενὶ *Vide nè cui*. ¶ *Oſtende te*] Σεαυτὸν δεῖξον *teipſum oſtende*: quanquam Interpres hujuſmodi compoſita pronomina plerumque vertit per ſimplicia. Et quod in noſtris codicibus legitur *Principi ſacerdotum*, apud Græcos eſt τῷ ἱερεῖ· niſi fortè id efficit articulus ut de ſummo Sacerdote dictum accipiatur.

45. *Cœpit prædicare*] Græci addunt πολλὰ *multum*, ſive *multa*. ¶ *Diffamare*] διαφημίζειν Græcè non ſonat in malam partem. Verti poterat *ſpargere*, ſeu *divulgare*. ¶ *Ità ut non poſſet jam*] Ex Græcis verbis apparet de mandato dictum. Proinde nè quid hîc hæreret lector, pro *ait* ſubjecimus *Jeſus*, h. e. nomen pro pronomine. Nè quis hoc ut temere factum ſtatim corrigat. ¶ *In deſertis locis eſſe*] *Erat* Græcè eſt, non *eſſe*, ἦν. ¶ *Et conveniebant*] Καὶ ἤρχοντο *& veniebant*.

V A T A B L U S.

1. *Initium Euangelii*, &c.] Locutio eſt ſignificans, *Euangelium* J E S U C H R I S T I *Filii Dei ſic incepit, prout* &c.

2. *In Eſaia propheta*] *In Prophetis*. ¶ *Ecce mitto*] *Ecce ego mitto*. ¶ *Angelum*] *Nuncium*. ¶ *Ante faciem tuam*] Heb. pro *ante te*, vel *ante adventum tuum*.

3. *Clamantis*] Vel *clamaturi*. Sub. *dicet*.

4. *Fuit* &c.] *Erat*. Hebraiſmus & Atticiſmus, *erat baptizans*, pro *baptizabat*: i. ſuo baptiſmo adhortans ad reſipiſcentiam, ut remiſſionem peccatorum conſequerentur per Chriſtum.

5. *Jeroſolymita univerſi: & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine*] *Jeroſolymita: & baptizabantur omnes ab illo in Jordane*.

6. *Et erat*] *Erat autem*. ¶ *Camelorum*] *Cameli*, V. ¶ *Zona*] Ablativus.

7. *Veniet*] *Venit*, præſ. temp. V. ¶ *Dignus*] *Idoneus, ſufficiens*. ¶ *Ejus*] Vacat relativum iſtud more Hebræorum.

8. *Ego * baptizavi*] * *Quidem*.

9. *Et factum eſt*, &c.] Hebr. pro, *Et venit in diebus illis*.

10. *Apertos*] *Diduci, findi*. ¶ *Spiritum * ſanctum*] * V. ¶ *In ipſo*] *In ipſum*.

11. *In te complacui*] *In quo mihi bene complacitum eſt*: vel, *in quo placatus ſum*.

12. *Spiritus**] * *Ille*. ¶ *Expulit*] *Expellit*: vel, *emittit*.

13. *Et erat * in deſerto*] * *Illic*.

15. *Quoniam impletum eſt*] *Impletum eſt*. ¶ *Appropinquabit*] *Appropinquavit*: vel, *appropinquat*, V. ¶ *Pœnitemini*] *Pœniteat vos*: vel, *reſipiſcite*.

16. *Et præteriens ſecus*] Vel, *Ambulans autem juxta*.

19. *Jacobum Zebedæi*] Sub. *filium*. ¶ *Componentes*] *Reficientes, ſarcientes*.

21. *Docebat eos*] *Docebat*.

22. *Quaſi*] *Tanquam*. ¶ *Poteſtatem habens*] Vel, *authoritate præditus*.

23. *In ſpiritu immundo*] Hebr. pro *habens ſpiritum immundum*.

24. *Quid nobis & tibi*] *Ah, quid rei nobis tecum eſt*. ¶ *Veniſti * ante tempus*] * V. ¶ *Quod ſis*] *Qui ſis*, V. Sub. *ministrum ille*.

25. *Obmutеſce*] Vel, *Velut freno cohibeare nè loquaris*.

26. *Diſcerpens eum*] *Cùm conturbaſſet ipſum*.

27. * *Spiritibus*] *Et*: vel, *&* pro *etiam*, V.

28. *In omnem regionem*] *In totam circumjacentem*.

29. *Egredientes*] *Egreſſi*.

30. *Recumbebat*] *Decumbebat*, V.

31. *Miniſtrabat*] *Miniſtravit*.

33. *Omnis*] *Tota*.

34. *Ejiciebat*] *Ejecit*. ¶ *Quoniam ſciebant eum*] *Quòd*: vel, *ut dicerent hæc verba, Nos ſcimus te Chriſtum eſſe*.

35. *Diluculo valde*] *Manè, multâ adhuc nocte*.

36. *Proſecutus eſt*] *Proſecuti ſunt*.

37. *Dixerunt*] *Dicunt*: præſ. pro præt.

38. *Proximos vicos & civitates*] *Proxima municipia*: vel, *contigua oppidula ruſticana*. ¶ *Veni*] *Egreſſus ſum*: i. in lucem prodii: vel, in mundum veni à Patre.

39. *Eorum, & in omni*] *Eorum in omni*.

40. *Venit*] *Accedit*.

44. *Nemini * dixeris*] * *Quicquam*. ¶ *Principi ſacerdotum*] *Sacerdoti*.

45. *Et*] *At ille*, V. ¶ *Prædicare**] * *Multum*: vel *multa*. ¶ *Diffamare*] *Divulgare*. ¶ *Sermonem*] Hebr. pro *rem*. ¶ *Eſſet*] *Erat*. ¶ *Conveniebant*] *Veniebant*.

C L A R I U S.

1. *Initium Euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei: ſicut ſcriptum eſt in Prophetis*] Ponit ergò Joannem Baptiſtam initium Euangelii, ut qui finem poſuerit Legi & Prophetis, ſicut dixit Dominus, *Lex & Propheta uſque ad Joannem*. Tu verò cogita ut huic principio non deſit ſua majeſtas, & tamen remota ſit omnis dicendi ambitio: quæ res erat hominum fidentium veritate dictorum. Nam veritas eò pulchrior eſt quò minùs eſt fucata.

3. *Parate viam*] Nitimur illam novam. Jubentur etiam *rectas facere ſemitas*: per quas ingredi juſti quidem erant, ſed claudicabant.

4. *In remiſſionem*] Futuram in Chriſti Baptiſmate. Magnus autem Baſilius in tractatu De Baptiſmo hanc ponit differentiam inter Baptiſmum Moyſis, & Joannis & Chriſti, ſic dicens, *Baptiſma per Moſen traditum primùm quidem agnoſcebat differentiam peccatorum: non enim omnia peccata gratiam habebant remiſſionis. Deinde diverſas hoſtias requirebat; exactè tractabat de purificatione, ſegregans uſque ad tempus eum qui in immunditate eſſet ac macula; obſervabat dies & certa tempora: & tunc Baptiſma à quibus accipiebatur tanquam ſignaculum erat earum purificationis. Joannis verò Baptiſma multipliciter amplius habebat: nam nullam faciebat differentiam peccatorum, neque diverſitatem quærebat hoſtiarum, non exactam faciebat tractationem purificationis, non obſervationem habebat dierum aut temporum, & nulla in*

re nunc ulla fiebat in gratia Dei & Chriſti ejus; ſed ſimul accedebat quis confitens peccata, quæcunque & qualiacunque eſſent; & baptizabatur in Jordane flumine, & mox accipiebat remiſſionem peccatorum. At Chriſti Baptiſma rationem habebat quovis humano baptiſmate majorem, & celſiorem gloriam quàm quis expetere aut optare poſſet, & eminentiorem gratiam majoremque vim quàm quantum Sol reliquis ſideribus antecellit.

23. *Veſpere autem facto*] Finem ſcilicet habente Sabbato. Quibus locis Marcus & Lucas eadem cum Matthæo dixerunt, in iis ad ea quæ in Matthæum annotata ſunt lectorem remittimus.

ZEGERUS.

1. *Initium Euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei. Sicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta, (Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te). Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Fuit Johannes in deſerto baptizans*, &c.] Tribus ordinari & diſtingui poteſt ſermonis hujus contextus. Primò ut illud, *Initium Euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei*, tituli vice poſitum accipiatur, ac deinde ſequatur narrationis ipſius exordium, *Sicut ſcriptum eſt*, hoc ordine atque ſenſu, *Johannes fuit in deſerto baptizans & prædicans baptiſmum pœnitentiæ, ſicuti ſcriptum* ac prænunciatum *eſt in Eſaia Propheta* ità vaticinante, *Vox clamantis in deſerto* atque dicentis, *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus:* idque juxta illud apud Prophetam alium ità in perſona Dei Patris ad Filium dicentem, *Ecce mittam angelum*, i. e. nuncium, *meum* Johannem *ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam* ante te. Hic non ignores oportet Euangeliſtam duo ſimul teſtimonia conjungere, quæ, quia idem ferè continent, ſub nomine adduxit Prophetæ unius, nimirum potioris, ut denominatio eſſet à principaliori. Græci tamen offenſi incommodo videntur ſtudio mutaſſe Scripturam, ut pro *Eſaia Propheta* ponerent *in Prophetis*, contra lectionem veterum. Prius ergò teſtimonium ſumptum eſt ex Malachiæ inter Prophetas ultimi c. 3. 1. poſterius Jeſaiæ, c. 40. 3. Alter ordo hic eſt, *Initium Euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei* ità ſeſe habet *ſicut ſcriptum eſt* cùm in Malachia, tum præcipuè in Eſaia. *Ecce*, enim inquit ad Filium ſuum Deus Pater, *mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Et Eſaias, *Vox*, inquit, *clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus:* ut hic ſit periodus, & illud, *Fuit Johannes*, novum ſit orationis caput. Tertius ordo hic eſſe poteſt, *Initium Euangelii Jeſu Chriſti fuit Johannes in deſerto baptizans & prædicans, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta.* Ità etiam Græcis legendum, ἐν τῷ προφήτῃ Ἡσαΐᾳ, non ἐν τοῖς προφήταις, aſtipulantibus Hieronymo ad Pammach. de opt. gen. interpr. & authore illo homiliarum in Marcum Chryſoſtomi titulum præferentium, qui etiam Euangeliſtam excuſat adversùs Porphyrii calumniam. In Irenæo, l. 3. c. 11. ſcriptum viſitur *in Prophetis*; ſed puto id depravatum occaſione verborum inibi ſequentium: nam poſt multa idem repetens ſic ſcribit, *ſcriptum eſt in Eſaia Propheta.*

6. *Zonâ pelliceâ*] Ablativi caſûs eſt, ſicut & *pilis*, regiturque à *veſtitus erat*, quod præcedit, *Erat Johannes veſtitus pilis cameli, & zonâ pelliceâ circa lumbos ejus*; vel, quod molliùs erat, *circa lumbos ſuos.*

10. *Et ſtatim aſcendens de aqua vidit cælos apertos*, &c.] Cave putes ἀναβαίνων per antiptoſin poſitum pro ἀναβαίνοντος, genitivo abſolutè poſito, ut hinc intelligas, *Chriſto ex aqua aſcendente, ipſum Johannem vidiſſe cælos apertos*, cùm aliàs vel citra hanc extorſionem rectè totus hic locus de Chriſto accipi poſſit, imò debeat: quo modo eundem hunc locum & apud Matthæum intelligendum oſtendimus. Quare illud ἐπ' αὐτὸν non pro *ſuper illum*, ſed per quandam reciprocationem pro *ſuper ipſum* accipiendum eſt. Quin & tenor ipſe ſermonis Euangelici ſatis indicat poſt narratam de Baptiſta hiſtoriam, narrationem ipſam converti, & fieri jam ab illo loco, *Et factum eſt in diebus illis venit Jeſus*, mentionem potiſſimùm de ipſo Chriſto. Vide Matth. 3. ¶ *Tanquam columbam deſcendentem & manentem in ipſo*] Illud τὸ μένον, *& manentem*, cùm in omnibus habeatur exempl. Latinis, & ab antiquo illo authore qui homilias conſcripſit in Marcum inter opera Chryſoſtomi legatur, ſuſpicor à ſcribis oſcitantibus prætermiſſum.

19. *Componentes retia*] Καταρτίζοντας, h. e. *laxata complicantes*, vel, ut Matth. 4. 21. verſum eſt, *reficientes.*

22. *Quaſi poteſtatem habens*] Suo more *quaſi* pro *tanquam* poſuit Interpres. *Poteſtatem* autem *habebat* Chriſtus, quippe qui doctrinam ſuam miraculis confirmaret & bonis operibus; & qui Legem enarraret propriâ ſuâ authoritate, próque ſuo arbitrio. Vide Matth. 7. 29.

24. *Quid nobis & tibi?*] Quid rei nobis tecum eſt! ¶ *Veniſti perdere nos*] Quod à nonnullis his inſertum legitur *ante tempus*, ex Matthæo huc tranſlatum apparet: nam hîc nec in Græcis eſt, nec in cod. Latinis paulò vetuſtioribus.

34. *Non ſinebat ea loqui; quoniam ſciebant eum*] h. e. ut Græcus nunc habet ſermo, *non ſinebat loqui dæmonia, quod noſſent ipſum eſſe Chriſtum*; duobus videlicet poſtremis verbis aliunde, ut apparet, huc tranſpoſitis.

36. *Perſecutus eſt eum Simon*] Sic eſt Græcè, & in exempl. antiquis. *Perſequitur* enim etiam bonus.

41. *Mundare*] Imperantis eſt.

43. *Et comminatus eſt ei, ſtatimque ejecit eum*] *Comminatus eſt*, inquit, h. e. veluti comminando vetuit nè factum miraculum proferret in vulgus, jámque ſanum effectum à ſe abegit.

45. *Diffamare ſermonem*] h. e. *divulgare rem geſtam*; juxta phraſin videlicet Hebraicam, quâ *verbum* ſeu *ſermonem* abutuntur pro *facto*. ¶ *Ut jam non poſſet manifeſtè introire in civitatem*] Propter vim undique accurrentis populi, ex leproſi ſanati divulgatione. Poſt divulgatum enim miraculum cùm Dominus ingredi in civitatem volebat, aut verſari in oppidis, clanculùm id facere debebat, quod palam ac manifeſtè ob populorum ad ipſum concurrentium multitudinem ac platearum auguſtiam haud poterat.

LUCAS BRUG.

2. *Sicut ſcriptum eſt * in Iſaia* [* *in lege Domini* 1 *MS.* o] *Propheta* [1 *MS.* o.] Græcorum codicum plerique, cum Theophylacto & Euthymio, *Sicut ſcriptum eſt in Prophetis* [ἐν τοῖς προφήταις] legunt. Verum *in Iſaia Propheta* germanam eſſe lectionem colligi poſſe videtur ex concordiâ Latinorum codicum, quibus in primis Hieronymus, cùm in libro De optimo genere interpretandi, tum in enarratione tertii capitis Prophetæ Malachiæ; dein Autor quæſtionum V. & N. Teſtamenti, quæſt. 57. & poſteriores Latini Tractatores, Beda, Albertus, Lyranus, Gorran, & alii; tum autor Homiliarum in Marcum, Chryſoſtomi titulum præferentium; adhæc Syriaci codices; denique Græcorum librorum nonnulli, noſter videlicet ad Vaticanum collatus, Pariſienſium cum 2 octavus, conſonant. In 3 Irenæi libro, ante medium quidem undecimi capitis *in Prophetis* legitur; ſub finem verò ejuſdem capitis, *in Iſaia Propheta.* Subſtitutum à Græculis fuiſſe videtur; quod quibuſdam noſtrûm, nominatim Hofmeiſtero, ſequi placuit, *in Prophetis*, pro *in Iſaia Propheta:* quòd animadverterimus teſtimonium quod profert Marcus ex duorum Prophetarum, Iſaiæ & Malachiæ, oraculis compoſitum eſſe, & quidem Malachiæ priorem partem eſſe. Quare & Porphyrius locum Chriſtianis objecit, ut imperitiæ errorîſque Euangeliſtam convinceret (teſtatur id autor Homiliarum in Marcum, Chryſoſtomo inſcriptarum) de quo ſcribit B. Hieronymus in tertium Matthæi caput: cùm enim teſtimonium de Malachia Iſaiâque contextum ſit, quærit (Porphyrius) quomodo velut ab uno Iſaia exemplum putemus aſſumptum. Cui Eccleſiaſtici viri plenîſſimè reſponderunt. Nos autem nomen *Iſaiæ* putamus additum ſcriptorum vitio, quod & in aliis locis probare poſſumus; aut certè de diverſis teſtimoniis Scripturarum unum corpus effectum. Lege tertiumdecimum Pſalmum, & hoc idem reperies. Poſterius hoc, de diverſis teſtimoniis Scripturarum unum corpus effectum, ac ſub unius Prophetæ nomine recitatum, ut è probabilius, ità alias id, prioris nullâ factâ mentione, Hieronymus eſt ſecutus. De vario qui hoc loco eſt interpungendi modo legatur D. Janſenius in initium capitis 13 Concordiæ Euangelicæ.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον α, Περὶ τῆ βαπτιστοφανείᾳ.

Μάρκος ἐν τῷ Λατ. ἰρ. α, Καὶ ἰωὼ ἐν τῇ εὐαγγελίῳ αὐτῶν ἐν προφήταις ἐγκαθάπερ.

Δαιμονίῳ κακόνυμφ ἰλίσσετο δόλῳ σοφίᾳ.

Ἄλλως,

Παιδόφιλῳ Χριστῷ καταλιμπανέι δίκην δώρων.

7. Κύψας χύσιν ἡ ἰμάντα] *Qui inſervuit ſolvam corrigiam.*

19. Καταρτίζοντας] *Sarcientes.*

24. Ἔα· τί ἡμῖν καὶ σοί;] *Ah, quid* negotii *nobis tecum eſt?* vel, *Quid* negotii *tibi eſt nobiſcum?*

25. Φιμώθητι] *Obmutesce.*

27. Ἐθαμβήθησαν ὥστε συζητεῖν πρὸς ἑαυτούς] *Obſtupefacti ſunt, ità ut inter ſe diſceptarent.*

35. Ἔννυχον λίαν] *Cum valde multa nox* adhuc *eſſet.*

38. Εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις] *In contigua oppidula.*

43. Ἐμβριμησάμενος αὐτῷ] *Interminatus illi:* vel, *Interminatus ità ut infremiſceret.*

45. Διαφημίζειν τὸν λόγον] *Divulgare hanc rem.*

DRUSIUS.

2. IN *Eſaia Propheta*] Sic etiam Syrus & duo exempl. Græca. Nam alia quæ vidi habent *in prophetis.* Citantur enim teſtimonia è duobus, videlicet ex Malachia, & ex Eſaia. Prophetæ autem conſtituunt alteram partem Bibliorum Hebraicorum; quæ ab Hebræis dividuntur in Legem, Prophetas, & Hagiographa. Prophetæ rurſum ſubdividuntur in Priores & Poſteriores; & iterum Poſteriores, in Majores & Minores. Majores ſunt tres, Minores duodecim; è quibus tres ultimi aliquando *poſteriores* vocantur: nam prophetarunt poſt captivitatem Babylonicam, & ex iis fuerunt qui audiunt *viri Synagogæ magnæ.* Daniel annumeratur Hagiographis. Hæc ſæpius à me dicta, tamen non perſuaſi iis qui malunt errorem ſuorum tueri quàm à Grammatico aliquid didiciſſe videri; à quo tamen multa didicerunt, quæ ingrati diſſimulant, certè non agnoſcunt.

5. *Omnis Judæa regio*] Vel, *tota Judæa regio.* Utrumque כל ſignificat; quod de majori parte uſurpari, & aliquando etiam de minori, notant Hebræi. Jer. 9. 26. *Omnes gentes præputium habent*, i. e. pleræque: nam quædam circumcidebantur, ut Ægyptii, Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Arabes, quas enumerat Hieronymus in Comment. ad eum locum. Sic, *Omnes qua ſua ſunt quærunt.* De parte exigua accipi notavit Joſeph Albo, ſerm. 2. c. 20. Porrò Matth. 3. 5. *& omnis Judæa*, i. e. incolæ Judææ. ¶ *Jeroſolymitæ*] Vetus interpres, *Jeroſolymitæ univerſi.* Syrus quoque, *& omnes filii Jeruſalem.* Generi ſpeciem ſubjiciunt, vel partem toto. Simile, *Dicite diſcipulis & Petro.* Conſuetudo ea obtinet non in qualibet ſpecie aut parte, ſed in præcipua tantùm. Exemplis id clarum faciam. Joſ. 2. 1. *Inſpicite terram & urbem Jericho.* Nam in ea urbe capienda maximum victoriæ momentum erat poſitum. Pſal. 18. 1. *E manu omnium hoſtium ipſius, & è manu Saulis.* 3 Reg. 11. 1. *Salomo amabat feminas alienigenas multas, & filiam Pharaonis.* 2 Reg. 2. 30. *Deſiderabantur è ſervis Davidis novemdecim viri, & Hazael.* Nam Hazael inter miniſtros Davidis facilè primus erat. ¶ *In Jordanis flumine*] *Flumen Jordanis*, ut *fluvium Euphratis.* Sic *arbor ficî*, *herba lapathi*, *urbs Roma.* Scio aliter eſſe in fonte Græco. Sed ego elegantem explico locutionem, quæ uſitata in Latio: Hoc ideo, nè quis hic damnet interpretem aut inſimulet ſoloeciſmi: quod ſæpè factum à Theologis. Caveant in poſterum.

6. *Pilis cameli*] Veſte è pilis cameli contextâ, non pelle cameli, ut vulgò pingitur.

15. *Credite Euangelio*, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ] Quod alius diceret εἰς τὸ εὐαγγέλιον, *credite in Euangelium.* Hebraiſmus notus, quem interpretes modò retinent, modò immutant, ut Gen. 15. 6. Καὶ ἐπίστευσεν Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ. Quandoque per ἐν exprimunt, ut Jer. 12. 6. אל תאמן בם *ne credas in eos*; LXX, μὴ πιστεύσῃς ἐν αὐτοῖς· & Pſal. 78. 22. לא האמינו באלהים *non crediderunt in Deum*; LXX, οὐκ ἐπίστευσαν ἐν τῷ Θεῷ, *non crediderunt in Deo.* Ubi ἐν non redundat, ſed pro εἰς ponitur. Sic etiam in hoc loco Marci. Hinc liquet, *Credere in Deum & credere Deo* idem eſſe. Nam ſi aliter eſſet, malè redderet Apoſtolus, *Credidit Abraham Deo*, ubi in fonte *in Deum.* Deinde legimus in textu Hebraico, *Crediderunt in Deum & in Moſen.* Miror eſſe qui contrà pertendant. Ubi manifeſta veritas cedendum eſt ultro & libenter: nam contra ſtimulum calcitrat qui diſputat contra Spiritum ſanctum. Sciendum, Senes aliquando literam ב per פ reddidiſſe, ut Job. 4. 8. & 15. 25. & 24. 22.

17. *Jeſus*] Græca terminatio eſt ex Hebraica *Jeſu*, יש. Sic enim hoc nomen ſcribunt. Quod malignè ab iis fieri, nè Chriſtum honorificè appellent, qui putant, falluntur: Siquidem antiquâ conſuetudine, quam Thalmudici familiarem ſibi fecerunt, elidebant ultimam, dicentes *Hoſe* pro *Hoſea* ſive *Hoſee.* Sic *Jeſu* dicebant pro *Jeſua.* Nec aliter Apoſtoli & Euangeliſtæ: omitto Hieron. & LXX Senes. *Jeſus* enim idem quod *Jeſu*, ut *Judas* idem cum *Juda*: quæ ſcriptura nominis ſi degenerem fuiſſe inſimularet Jeſum, nunquam ea uſi fuiſſent viri ſancti. Miror eſſe qui de hac re dubitent. Sed peccatur in hoc nomine aliter. Nam *Joſua* cum *Jeſua* confundunt, unde *Jeſu* & *Jeſus.* Siquidem à *Joſua* eſſet *Joſuas*, quod pleniùs efferunt *Johoſua.* *Jeſua* nunquam exſtat apud interpretes, quod ſciam, ut nec *Jeſu* in textu Hebraico. Hæc ſæpius à me dicta denuo repetenda erant propter eos qui quæ malè ſemel didicerunt à Magiſtris ſuis dediſcere nolunt, linguas & omnem ſolidam eruditionem faſtu Theologico contemnentes.

22. *Sabbatho*, τοῖς σάββασιν] Ut Matth. 12. 1. & Actor. 16. 13. In his locis uſurpatur de die ſeptimo. Sic 1 Macch. 2. 28. τοῖς σάββασι, & alibi. Non eſt autem dubium quin ſit heteroſis numeri. Hebræi dicerent שבתא & שבתיא, vel certè שבתי, quod poſtremum Doctoribus & Magiſtris eorum in uſu pro *ſabbatho.* Vocant etiam diem ſeptimum ἡ ἡμέραν τῶν σαββάτων, quod Latinè transferunt in *diem ſabbatûm.* 1 Mach. 1. 32, & 34. unde τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, ibid. 2. 41. Vide ſis Exod. 16. 23, 26, 29. Reperio quoque *in* τοῖς σαββάτοις, Num. 28. 10. ubi in fonte, *in ſabbatho ſuo*, quod 1 Par. 23. 31. & alibi redditum *in ſabbathis*: nam certè codex Hebræus hîc habet לשבתות. Τὰ σάββατα vocatur quandoque ipſa *ſeptimana* ſive *hebdomada*; unde μία τῶν σαββάτων, qui dies à Chaldæis dicitur שבתא חד, *primus in ſabbatho*, h. e. hebdomada. Sed de hoc aliàs.

24. *Sanctus Dei*, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ] Sic Luc. 4. 34. Fortè quia Pontifex erat. Sanè Aharon vocatur *ſanctus DOMINI*, Pſal. 106. 16. quia oleo ſacro inunctus, aut quia primogenitus. Primogeniti enim etiam *ſancti* dicebantur; unde, *Sanctifica mihi omnem primogenitum.* Chriſtus erat *primogenitus* non tantùm virginis Mariæ, ſed *omnis creaturæ.* Num. 15. 40. *Eſtote ſanctis Deo veſtro.* Peculiariter autem *ſanctis* dicebantur ſacerdotes, i. e. ἅγιοι, ut Levitæ קדשים, ὅσιοι, *pii*, qui & *ſancti* vetuſtâ interpretatione.

CASAUBONUS.

24. ΕΑ, τί ἡμῖν καὶ σοί] Τὸ ἔα vox eſt tragica, quam vix alibi in ſoluta oratione legere memini. Utitur tamen & Lucas 4. 34.

36. Καὶ κατεδίωξαν αὐτὸν] Καταδιώκειν hîc minùs propriè pro διώκειν, eo ſenſu quo dixit Theocritus,

——— τί τὰ φιλήγυια διώκεις;

Sed in his libris perpetuum eſt ut διώκειν de perſona dictum *perſequi* ſignificet *lædendi animo*; de re contrà, *ſtudio conſequendi & obtinendi.* Paulus in utraque ſignificatione uſurpavit iſto loco ad Rom. 12. 13, & 14. Τὴν φιλοξενίαν διώκοντες. Εὐλογεῖτε τοὺς διώκοντας ὑμᾶς· εὐλογεῖτε, καὶ μὴ καταρᾶσθε.

38. Εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις] Glоſſarium vetus, Κωμόπολις, *Oppidum, conciliabulum.*

CAMERON.

15. ΜΕτανοεῖτε, καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ] Cùm Reſipiſcentia boni rationem habeat, videtur boni aliquid Fidem præcedere, adeóque cujus Fides cauſa minimè ſit. Verùm etſi priore loco Reſipiſcentia ponatur, non efficitur inde Reſipiſcentiam Fide eſſe priorem: nam ſæpenumero fit ut inter loquendum finem modo finis præponamus, & conſequens antecedenti; veluti ſiquis dicat, *Cura ut valeas, & crede Medico*, cùm tamen Medico antè fidere oporteat, ut ſanitatem & priſtinam valetudinem recuperemus.

GUALTPERIUS.

6. ΕΣθιων ἀκρίδας καὶ μέλι ἄγριον, *edebat*, Johannes, *Locuſtas, & mel ſylveſtre*] Placet πυρίεγοις adducere quæ Henr. Stephanus habet in voce ἀκρὶς, ἰδίᾳ, *Locuſta. Fuerunt*, inquit, *qui ἀκρίδας accipiendum putaverint pro Fructibus aut Surculis quibuſdam delicatis; novam hanc voci tribuentes ſignificationem, cùm recepta optimè conveniat. Conſtat enim cùm ex Ariſtophani, tum ex aliorum auctorum locis, Locuſtis veſci ſolitos veteres: unde & ἀκρίδοφάγοι quidam populi fuerunt nominati.* Etymolog. πρὸς τὸ ἄκρας ἢ ἀκμὰς ἔχειν καὶ τῶν φυτῶν νέμεσθαι. Syro eſt ככר *Kamzá.* Hebræis eſt אחכ, & vocatur ſic, ut R. Kimhi docet, *quòd ſit ſpecies multa*: רבה enim *multiplicari* ſignificat. Exod. 10. 4. *Ecce ego crastè adduco locuſtam in terminum tuum.* Ex licitum fuit Judæis locuſtas edere, ut ex Levit. 11. 21. Satiatus autem fuit Johannes tali cibo qualem in deſerto habere potuit. Clariſſ. vir Dn. Jodocus

Jodocus Willichius in Dialogo de Locuſtis hæc habet, TITUS, *D. Iohannem Baptiſtam locuſtis victitaſſe literis proditum eſt, cujuſmodinam eſſent necdum ſatis proſpicio. Locuſta enim Athanaſio & poſt eum Chryſoſtomo herba eſt. Non deſunt qui eas ex Cancrorum genere eſſe contendunt, ſed unde conjecturam faciant nihil ſubodoravi. Conſtat, ſcio, & noſtri ordinis hominibus, aliis quidem Locuſtam eſſe pedem locuſtæ, i. e. Repunculum, aliis verò Blitum, aut ſimilem huic herbam in Arabicis ſcriptoribus. Meâ tamen ſententiâ ἀκρίδας eſſe cenſeo omnium herbarum ſummos apices, quos Pharmacopolæ vulgò Summitates appellant. His forſan, tanquam ὑποφάσεις, Iohannem in ſolitudine victitaſſe in animum induco. Cui accedit & mel Sylveſtre, cujus citra laborem abſque meliſſarii vindemia eſſe poteſt, quòd genus eſſet ericarum, & eſt Græcis ἡ ἐρεικόλη, h. e. minime, juxta Plinium, probatum.* ANTO. *Cur non & veris locuſtis veſceretur? Cum Ægyptii eas comedant, Indi & in India Macrobii iiſdem alantur, Æthiopes ſub Ægypto iſtis fumo & ſale duratis in annua alimenta alantur: quare à Diodoro, Strabone & Plinio ἀκριδοφάγοι dicti ſunt. Neque Parthi eas tamopere repudiant, neque Judæi, quibus eadem inter animalia quæ cibo non ſunt interdicta numerantur. Quis igitur iſtas eſſe veſcendo abneget? Ipſe meis oculis ſuperiori anno autumno & pecora & armenta in campis ſaginari vidi. Atque Dioſcorides eas ad Leptim in Africa frequentiſſimè mandi ſolitas eſſe memoriæ prodidit.* TIT. *Super his admodum non controverti judico, nucleum quæramus: Siquidem ejus hiſtoria picture tam victûs quam ſtolæ tenuitatem nobis de meliori nota commendavit: & alibi Chriſtus ipſe purpuratos in aula vitam degere pronunciavit, & non in loco quodam deſerto.* Hactenus ille.

GROTIUS.

Κατὰ Μάρκον, *Secundùm Marcum*] Judæum fuiſſe & ἑβραΐζοντα [*Hebraicis locutionibus utentem*] magis quàm ἑλληνίζοντα [*Græcis*], quanquam ſermonis utriuſque mediocriter gnarum, locutio evincit. Neque verò Romanorum quisquam noſcitari quiſſet ex communi tam multis prænomine. At Judæi quoties in partes Aſiæ interiores aut in Europam venirent ſolebant ſibi ad Judaïcum nomen alterum adſciſcere Græcum aut Romanum, quo apud exteræ gentis homines noſcerentur. Ita Barſabas dictus *Juſtus*, Simeon, *Niger*; Johannes quoque ille Mariæ filius Barnabæ conſanguineus, cui cum Paulo friguſculum interceſſit, ſed facilè ſanatum, ut inter bonos fieri ſolet, *Marcus* vocabatur: quem multi hunc noſtrum Scriptorem putant. Quibus quò minùs aſſentiar moveor veterum auctoritate, qui hunc Scriptorem *Johannem* nunquam, *Marcum* ſemper vocant, & ita Petro addunt comitem ac diſcipulum, ut non tantùm de Barnaba, ſed & de Paulo, quem Johannes Marcus poſt illud friguſculum ſectatus eſt, Coloſſenſ. IV, 10. 11 Timoth. IV, 11. Philem. 24. nihil meminerint. Adde quòd Johannes Marcus inter primos Chriſtianos, Marcus hic, ut videtur, Petri operâ converſus, 1 Petri V, 13. nam tales peculiariter *filios ſuos* Apoſtoli vocabant, 1 Corinth. IV, 15. Galat. IV, 19. Philem. 10. Fieri poteſt ut hic Scriptor Hebræum nomen habuerit ab illo Latino non abludens, ſicut Jeſus Oniæ frater *Jaſonem* ſe dici voluit, Saulus ſe *Paulum* vocavit. Nam & hodie quibus *Mardochæo* nomen eſt *Marci* appellantur. Vivente Petro ſcriptum à Marco hunc librum Clemens Υποτυπώσεων [*Præformationum*] ſexto prodidit: cum quo pugnare videtur Irenæus, qui cùm de Petro & Paulo locutus eſſet, ſubjicit, Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παρέδωκε [*Poſt horum autem abitum Marcus diſcipulus & interpres Petri ipſe quoque ea quæ à Petro erant prædicata perſcripta nobis tradidit*]. Sed ἔξοδος [*abitus*] poteſt ibi exponi non *exceſſus* Apoſtolorum, quomodo plerumque eam vocem ſumi fateor, ſed eorundem *diſceſſio ab urbe Roma*. Præceſſerat enim τῶ Πέτρω καὶ τῶ Παύλω ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων [*cùm Petrus & Paulus Roma evangelizarent*]. ut tempus ſcriptionis notet Irenæus, poſtquam Petrus à Roma in Babyloniæ partes reverſus, Paulus autem in Hiſpaniam digreſſus ſit, unde aliquot poſt annos Romam redierint. Sed verius erit veterem ſequi codicem, in quo pro τούτων ἔξοδον [*horum abitum*] eſt τοῦτο ἔκδοσιν [*hujus editionem*], id eſt, *poſt editionem Evangelii à Matthæo conſcripti*. Docet nos Tertullianus à multis Marci Euangelium vocatum eſſe Petri; *Licet & Marcus quod edidit*, inquit, *Petri affirmetur, cujus interpres Marcus*. Idem alibi, *Conſtituimus imprimis Evangelicum inſtrumentum Apoſtolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipſo Domino ſit impoſitum; & Apoſtolicos, non tamen ſolos, ſed cum Apoſtolis & poſt Apoſtolos; quoniam prædicatio diſcipulorum ſuſpecta fieri poſſet de gloriæ ſtudio, ſi non adſiſtat illi auctoritas magiſtrorum.* Juſtinus autem Euangelicæ hiſtoriæ libros ſæpiuſcule appellans ἀπομνημονεύματα Ἀποστόλων [*commentarios Apoſtolorum*], hunc etiam & Lucæ librum eo nomine comprehendit. Putet fortè aliquis hoc Euangelium vocari ex Petri nomine ab eodem Juſtino cùm dicit, ἐν τῷ εἰρῆσθαι μετωνομακέναι αὐτὸν Πέτρον ἀπὸ τοῦ Ἀποστόλων, καὶ γεγράφθαι ἐν τοῖς ἀπομνημονεύμασιν αὐτοῦ γεγενημένον καὶ τοῦτο, *quod dictum eſt Petrum unum Apoſtolorum nomen ab eo illud novum accepiſſe, & res hæc ſcripto narrata etiam in ejus commentariis*]· ſed ambiguum, illud αὐτοῦ [*ejus*] ad Petrum, an ad Jeſum, dé quo ſcripti ſint illi commentarii, referatur. Circumferebantur primis ſeculis & alia Petri dicta, quibus poſtea collectis nomen quidam fecerant Κήρυγμα Πέτρου [*Prædicationem Petri*]. Sed Marcus ea ſcribere ſatis habuit quæ ad Vitæ, Mortis & Reſurrectionis Chriſti hiſtoriam pertinebant, omiſſis ferme dogmatis, ut quæ à Petro ſæpe inculcata ſatis Romani memoriâ tenebant. Vide Papiæ verba hac de re apud Euſebium fine libri III. Johannem illum Marcum unum fuiſſe ex Septuaginta Chriſti diſcipulis negare nolim. De hoc Marco cur id minùs credam jam ſatis dictum arbitror. Neque verò, ſi id creditum fuiſſet antiquitus, prætermiſſum eſſet ab Irenæo, cùm ἡ ἀντοψία [*cognitio rerum oculis perceptæ*] Scriptoris ad tuendam contra ſectarios libri auctoritatem maximum habitura fuerit momentum. At Papias etiam aperte prodidit à Marco Dominum non auditum, ſed ſcripta ab ipſo quæ à Petro audita memoria ſuggerebat. Græcè autem ſcripſit Marcus, quanquam in gratiam præcipuè Romanorum, ſicut & Paulus ad Romanos epiſtolam Græcè ſcripſit linguâ, quia Judæi qui Romæ agebant plerique Latini ſermonis ignari longâ per Aſiam & Græciam habitatione Græcam linguam didicerant, & Romanorum vix quisquam erat non Græcè intelligens. Latinam verò Marci verſionem veterem eſſe, & ejuſdem à quo verſos habemus cæteros Euangelii libros, ipſa verſionis ſimilitudo facit probabile: ad quam verſionem quædam Græca exemplaria mutata eſſe multis locis apparebit.

1. Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Initium Euangelii Jeſu Chriſti*] Εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ [*Euangelium Jeſu Chriſti*] eſſe ipſum κήρυγμα à Chriſto pronuntiatum [ipſam *prædicationem* à Chriſto pronuntiatam] diximus ad Matthæum. Hujus initium Marcus eſſe dicit τὸ κήρυγμα [*præconium*] Johannis, quippe prævium τῷ Ἰησοῦ κηρύγματι [*prædicationi ipſius Jeſu*]. Vox enim ἀρχῆς [*principii*] ambigua, ut notat Ariſtoteles, Ἀρχῶν αἱ μὲν ἐνυπάρχουσαι τοῖς, αἱ δ' ἐκτός [*Principiorum alia in re ſunt, alia extra rem*]· Hic poſteriore ſignificatu ἀρχὴ [*initium*] ſumitur. Nam Johannis Baptiſma manuductio ad Chriſti diſciplinam fuit. ¶ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ· *Filii Dei*] Hoc in ipſo exordio præfatur Marcus, tanti cognominis veritatem ſequentium rerum magnitudine probaturus. Uſum eſſe Marcum Matthæi Euangelio apertum facit collatio: Quò magis mirum videri poteſt ea quæ ad nativitatem Chriſti pertinent, cùm à Matthæo eſſent tradita, præterita eſſe à Marco. Mihi hoc ſuccurrit, habitam à Marco & hominum & temporum rationem. Romani certè, quorum rogatu ſcripſiſſe creditur, recentes à Paganismo, facilè tale quid erant imaginaturi quale apud ipſos de Alcmena, Leda, Danae, Ilia narrabatur. Similibus de cauſis Apoſtoli tum in orationibus tum in epiſtoliis vix ejus rei meminerunt. Quòd ſi Petrus ea de re ſilendum ſibi judicavit, ea vel una cauſa Marco ſatis juſta fuit non attingendi hanc hiſtoriæ partem, cujus paſſim prædicandæ neceſſitas tunc maximè coepit cum exſiterunt qui Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον [*nudum hominem*] dictitarent.

2. Ὡς γέγραπται ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ, *ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta*] De hujus ſcripturæ veritate dubitari miror, cùm, præter codicum auctoritatem & Irenæum ita citantem, manifeſta ſit veterum Interpretum, Syri, Latini, Arabis conſenſio. Neque verò Porphyrius adduxiſſet hunc locum contra Chriſtianos, niſi ea conſtans fuiſſet codicum lectio; neque Chriſtiani in ſolvenda Porphyrii objectione laboraſſent. Adde quòd hujus lectionis mutandæ cauſa apparet, alterius mutandæ nulla eſſe potuit. Nimirum Eſaiam citarat Matthæus, quem ſequitur Marcus; ſed ut certiùs appareret quis ille eſſet de quo agit Eſaias, interpretem addit majori Vati minorem, Eſaiæ Malachiam: quem nominare inſuper habuit, quòd Eſaiæ auctoritas eſſet illuſtrior, nec quicquam eſſet in verbis Malachiæ cujus non ſententia & apud Eſaiam exſtaret. Videtur autem mihi iſtud ὡς γέγραπται [*ſicut ſcriptum eſt*] ad antecedentia trahendum, ut dicat Marcus Chriſti κήρυγμα [*prædicationem*] eam habuiſſe προπαρασκευὴν [*præparationem*] quam vaticinia prædixerant.

4. Ἐγένετο

4. Ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων, *Fuit Johannes baptizans.*] Hoc loquendi genus actum continuatum designat. Ita infrà 39. de Jesu, καὶ ἦν κηρύσσων [*Et erat prædicans*]· & de discipulis Johannis & Pharisæorum, ἦσαν νηστεύοντες [*erant jejunantes*] infrà II, 18. ¶ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*] Secutus hæc Marci verba est Lucas III. de quorum interpretatione, ut novos omittam, varia veteres tradidere. Tertullianus, *Album*, ait, *baptismum pœnitentiæ, quasi candidatum remissionis & sanctificationis in Christo subsecutura. Nam quod prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram*, inquit, *remissionem enuntiatum est. Siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, & hoc est viam præparare: qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alis perficiendum procurat.* Et alibi ostendit *pœnitentiæ* se voce non vitæ emendationem sed actus quosdam externos intelligere: quod non videtur plane vero congruere. Non nego μετανοίας [*pœnitentiæ*] vocem strictiùs solere accipi; sed cur hic ita præcisè accipiendam non putem, multis moveor argumentis. Primùm Moses & Prophetæ multis in locis remissionem peccatorum sperari jubent sub sola μετανοίας [*pœnitentiæ*] conditione. Plerumque autem addere solent *cordis* mentionem, ut internam conversionem simul cum externa à se intelligi doceant, Deuteronomii IV, 29. I Regum VIII, 47. II Paralipom. VII, 14. Nehem. I, 9. IX, 28. Esaiæ I, 16, 17, 18. Jerem. XVIII, 8. Ezechiel. XVIII, 30. XXXIII, 14. Non est autem credibile Johannem majorem Prophetis, & plus lucis afferentem, minorem exegisse pœnitentiam quàm antegressi Prophetæ exegerant. Deinde Christus summam doctrinæ suæ eâdem voce proposuit, Μετανοεῖτε [*Pœnitentiam agite*] Matth. IV, 17. Et Petrus Christi legatus, Μετανοήσατε, καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν [*Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrùm in remissionem peccatorum*], Actorum II, 38. Quare verius videtur Johannem μετανοίας [*Pœnitentiæ*] nomine intellexisse omnes officii nostri partes, & veram Remissionem peccatorum, præsignificatam in Jubilæo, in cujus mentione Lxx Interpretes vocem ἀφέσεως [*remissionis*] usurpant: neutrum tamen ab ipso plenè atque enucleatè expositum: sed τὴν μετάνοιαν [*Pœnitentiam*] delineatam in suis rudimentis καὶ ὡς ἐν τύπῳ [*crassiuscule*], tum malorum operum fugâ, tum quadam bonorum inchoatione, Lucæ III, 11. remissionem quoque peccatorum descriptam immunitate ab ira Divina, Matth. III, 7. Sed voluisse eum consummatam utriusque cognitionem à Christo peti, ad cujus magisterium suos relegabat, accepturos ejus beneficio non tantùm doctrinam omnibus suis partibus perfectissimam, sed & Spiritum illuminationis, fortitudinis atque constantiæ.

7. κύψας, *procumbens*] *Cernuus.* Gestum expressit famuli calceum Domino exuentis.

10. ἀναβαίνων ἀπὸ τοῦ ὕδατος, *adscendens de aqua*] Potest per ἐπιθυμίαν [*reticentiam nominis*] ad Johannem referri. Vide quæ ad Matthæum. Nam tam Johannes quàm Christus ex aqua adscenderant. ¶ σχιζομένους, *scissos*] Ἀντιπαρῆλθον αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ [*aperti sunt ei cœli*] dixerat Matthæus; unde & glossema natum hoc loco ἀνοιγομένους [*apertos*]. Sed Marcus modum quo visum est aperiri cœlum expressit, non sensim, sed uno impetu, ut ea quæ scinduntur. Quod signum videtur fuisse perrupturi subitò obstantia Regni cœlestis.

11. ἐν σοὶ εὐδόκησα. *in te complacui*] Ita Syrus & Latinus & codices Græci aliquot: quod alii habent ἐν ᾧ [*in quo*] ex Matthæo est.

12. Καὶ εὐθὺς, *Et statim*] Non multò pòst: Nam dies unus aut alter intercessit, Joh. I, 29. Neque inusitatum est ut εὐθὺς [*statim*] ita usurpetur, ut Joh. XIII, 32. Cur tempus hoc tam diligenter notetur, alii alias adferunt conjecturas. Mihi non displicet quod quidam tradiderunt, fortè in Christi persona nobis ostendi quid Christianis postquam baptizati sunt, id est, postquam sæculo renuntiarunt, imminent, novum scilicet certamen adversùs malignos spiritus: qua de re ad Matthæum aliquid diximus. ¶ ἐκβάλλει, *expulit*] Hæc vox pro ἄγεται [*ducere*] ponitur Joh. X, 4. Sed simplicior expositio est *jubet discedere*, quomodo eadem vox usurpatur Matth. IX, 25. & infrà hoc ipso capite 43.

13. μετὰ τῶν θηρίων· *cum bestiis*] Non sine causa hoc adjecit Marcus, ut significaret non quamvis, sed desertissimam fuisse hanc solitudinem. Simul alludi videri potest ad locum Jobi V, 21. ¶ διηκόνουν αὐτῷ. *ministrabant ei*] Post absolutum πειρασμὸν [*tentationem* absolutam], ut Matthæus nos docet. Marcus hanc historiam, ut multas alias, compendio tradit, ad majora properans.

15. πεπλήρωται ὁ καιρὸς, *impletum est tempus*] Tempus ubertimæ Dei gratiæ destinatum, prædictum à Prophetis: τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου [*plenitudo temporis*], Gal. IV, 4. τὸ πλήρωμα τῶν καιρῶν [*plenitudo temporum*], Ephes. I, 10. ἀπαρτισμὸν πέρας [*finis*], Ezech. VII, 6. ¶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. *credite Euangelio*] Verum est Hellenistas ἐν [*in cum ablativo*] & εἰς [*in cum accusativo*] post πιστεύειν [verbum *credere*] eodem sensu usurpare. At quod מאמין [*credere*] cum ב [*in*] Septuaginta & Apostoli sine præpositione per dativum interdum transferunt, quasi sit מאמין cum ל, id non tam est ex vocum proprietate quàm quia interdum res ipsa efficit ut in idem recidat utraque locutio, quippe ubi de promissore aut promissione agitur. Alioqui, ut rectè notant Hebræi, מאמין [*credere*] cum ל [*dativo*] est *fidem habere alicui personæ aut dicto*, מאמין [*credere*] cum ב [*in*] est *in aliquo fiduciam ponere.* Ita πιστεύειν εὐαγγελίῳ [*credere Euangelio*] esset *credere vera esse quæ dicebantur*, quomodo לא האמנתי לדבריהם [*non credebam narrantibus*] dicitur I Reg. X, 7. At πιστεύειν εἰς τὸ εὐαγγέλιον [*credere in Euangelium*] sive ἐν τῷ εὐαγγελίῳ [*in Euangelio*] est in *ea annuntiatione spem suam locare*, quomodo Psalm. CXIX, 66. dicitur במצותיך האמנתי [*in præceptis tuis credidi*], ubi tamen Lxx ponunt τοῖς ἐντολαῖς σου ἐπίστευσα [*præceptis tuis credidi*], nimirum quia, ut dixi, res eodem recidit. Quare & vetus Latinus Interpres hoc loco discrimen neglexit, alibi observatum.

20. μετὰ τῶν μισθωτῶν, *cum mercenariis*] Habet ὑμᾶς [*vim latentem*] quòd patrem reliquerunt, cui quæstuosa erat ipsorum opera, quando & conductis ministeriis utebatur.

21. τοῖς σάββασιν, *Sabbatis*] Id est, *Sabbato*, ut Syrus & Latinus. Vide quæ ad Matth. XII, 1. Adjecit & hoc Marcus non sine causa, ut contemti Sabbati calumniam à Christo arceret. Hoc verè erat Sabbatum colere, adire pios cœtus & in meditanda Lege occupari. Ita enim id quod est Levit. XXIII, 3. usus antiquissimus interpretabatur, ut nos docet illud Jacobi Act. XV, 21. Μωσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος· [*Moses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur*]. Et Paulus, Τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν [*Voces Prophetarum*] ait solitas κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινώσκεσθαι [*per omne Sabbatum legi*], Act. XIII. 27. idem testatur Josephus contra Appionem, ἑπτάκις ἑβδομάδος ἕκαστον ἀφιερώσας ἐπὶ τὸν ἀνειμένον ἅπασι νόμῳ ἐπιλέξει συνίεναι πρὸς τοῦτον ἀναμιμνήσκων, ὃ δὴ πάντες οἱ νομοθέται κάκιστα παρελιπεῖν [*jussit eos die septima omissis operibus convenire ad audiendam Legem & eam bene edisscendam, quod omnes legum actores videntur omisisse*] Et Philo, Τὸ ἦθος εὖ μάλα διαπονοῦσι, ἀλείπτας χρώμενοι τοῖς πατρίοις νόμοις, ὃς ἀμήχανον ἀνθρωπίνῃ ἐπινοῆσαι ψυχῇ ἄνευ κατακωχῆς ἐνθέου· τούτῳ ἀναδιδάσκοντες μὴ κατὰ πόλεις ἕτερον ἀλλὰ κατὰ οἰκίας ἐν ἑβδόμαις μάλιστα διαφερόντως· ἱερὰ γὰρ ἡ ἑβδόμη νενόμισται, καθ' ἣν ἕτερον ἀντίχουσι λέγειν οἱς ἱερὰς ἀφιερώμεθα τάξεις, ἃς καλοῦσι συναγωγάς, καθ' ἡλικίας ἐν τάξει ὑπὸ πρεσβυτέροις νέοι καθίζοντες, μᾶλλον ἢ προσήκουσι ἴσχοντες εὐπρεπείας· εἶθ' ὁ μὲν τὰς βίβλους ἀναγινώσκει· τὰ γὰρ πλείω δι' ἐμβόλων ἀρχαιοτέρων ζηλοῦσι παρ' αὐτοῖς φιλοσοφεῖται· παιδεύονται δ' εὐσέβειαν, ὁσιότητα, δικαιοσύνην, οἰκονομίαν, πολιτείαν, ἐπιστήμην τοῦ πρὸς ἀλήθειαν αἰγαθῶν καὶ κακῶν καὶ ἀδιαφόρων, αἱρέσεις δὲ χρὴ, καὶ φυγὰς τῶν ἐναντίων, ἔρως καὶ κτήσεις τελείοις χαίρουσι, τῷ τε φιλοθέῳ καὶ φιλαρέτῳ καὶ φιλανθρώπῳ [*Moralem partem diligenter excolunt, indefinenter versantes in patriis legibus, qua tales sunt, ut eas humana mens sine Divino instinctu nequierit comminisci. Has edocent etiam aliis temporibus, sed maximè die septima; ea enim sacra habetur: ac tum ab aliis abstinentes operibus conveniunt in loca sacra, qua dicuntur Synagoga, & secundum ætatis ordinem juniores qui sunt subter seniores sedent, cum magna audientia & gestu decoro. Tunc is cujus ea sunt partes libros legit. Multa enim apud ipsos, antiquorum exemplo, per symbola tractantur. Discunt autem auditores pietatem, sanctitatem, justitiam, administrationem rei familiaris ac publicæ, cognitionem rerum verè bonarum & malarum & mediarum, electionem eligendarum rerum, contrariarum fugam, idque per tres regulas, amoris in Deum, in virtutem, in homines*]. Adde Luc. IV, 16, 31. XIII, 10. Act. XIII. 14, 44. XVII, 2. XVIII, 4.

23. ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, *homo in spiritu immundo*] Ita & infrà V, 2. id est, *cum spiritu immundo.* Nam ita ב [*in*] usurpant Hebræi, ut Exodi XV, 19. Historiam autem hanc Matthæo aut prætéritam aut verbis generalibus comprehensam primus posuit Marcus, & post eum Lucas,

Lucas, ſecutus propè ipſa Marci verba; quod & alibi facit.

24. Εα] Non aſſentior putantibus aut verbum eſſe aut interjectionem ex verbo. Eſt enim omnino Hebrum הא & הוא, unde Græci fecerunt ἔα. Apud Æſchylum Prometheo eſt ἄ ἄ ἔα ἔα. Latini pro eodem *ab* ſolent dicere. ¶ τί ἡμῖν καὶ σοί, *quid nobis & tibi*] Vide Matth. VIII, 29. ¶ Ἰησοῦ Ναζαρηνέ; *Jeſu Nazarene*] Populari eum nomine appellat. Idem eſt Ναζωραῖος [*Nazaræus*] & Ναζαρηνός [*Nazarenus*]. Nam eas terminationes Orientis nationibus promiſcuè uſurpari rectè obſervavit Stephanus libro De urbibus. Ita Εσσαῖοι & Εσσηνοί. [*Eſſæi* & *Eſſeni*]. ¶ ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς; *veniſti perdere nos?*] Percunctativè legendum puto, ut apud Matthæum, ἦλθες ὧδε πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς; [*veniſti huc ante tempus torquere nos?*] Neque verò aliud hîc ἀπολέσαι [*perdere*] quam βασανίζειν [*torquere*], ut in Comœdiis *Di te perdunt.* Pro tormento eſt impuro ſpiritui quoties malefaciendi poteſtas ipſi adimitur. Hoc eſt mittere εἰς ἄβυσσον [*in abyſſum*,] Lucæ VIII, 31. Contrà cùm dæmoni ad vexandos homines fræna laxantur, dicitur aperiri ἄβυσσος [*abyſſus*], ut in Apocalypſi. Ad hoc ingenium accedunt homines quidam, in quos illud quadrat,

Et ſi non aliquâ nocuiſſes mortuus eſſes.

¶ οἶδά σε τίς εἶ, *ſcio qui ſis*] Multis jam argumentis colligere incipiebant mali ſpiritus Jeſum eſſe promiſſum illum Meſſiam; ut patet hoc capite 34. & Lucæ IV, 41. Vult autem malus dæmon Jeſum blanditiis demulcere, cui ſe certando imparem erat expertus. ¶ ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. *Sanctus Dei*] Meſſias Danieli dictus קדוש קדשים [*Sanctus ſanctorum*], interprete etiam Abenezdra. Idem eſt quod υἱὸς Θεοῦ [*Filius Dei*] in exclamatione alterius dæmonis, Matth. VIII, 29. Apud Lucam IV, 41. dæmones exclamant ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ [*quia tu es Chriſtus Filius Dei*].

25. Καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, *Et comminatus eſt ei Jeſus*] Vide & Lucam dicto loco. Cauſam optimè reddit Tertullianus contra Marcionem IV. *Increpuit illum Jeſum: planè, ut invidioſum & in ipſa confeſſione petulantem, & malè adulantem.* Mox, *Illius erat præconium immundi ſpiritus reſpuere cui ſanctis abundabant.* ¶ Φιμώθητι, *Obmutesce*], Tale illud infrà IV, 39. πεφίμωσο. Sic καταπέλθητι [*mundator*] infrà 41. διανύχθητι [*adaperitor*] VII, 34. ἔγειρε [*excitator*] Luc. V, 24. Vim magnam habent id genus verba: non enim actum voluntarium exigunt, ſed oſtendunt loquentis vim effectivam, tam circa naturas ratione utentes quàm circa alias. qua de re diximus & alibi.

26. σπαράξαν, *diſcerpens*] Σπαραγμὸν inter alia Græci uſurpant pro *convulſione*, quæ σπασμὸς [*ſpaſmus*] alioqui frequentius dicitur: neque aliud hîc puto intelligi. Solent enim dæmoniaci nervorum convulſiones perpeti: quas ſequitur oris deſpumatio, Lucæ IX, 39. & hic noſter infrà IX, 20. ubi verbum idem eſt. Atque eò magis hoc loco hæc interpretatio admittenda eſt, quia vexatio iſta ſicut iracundiam dæmonis oſtendit, ita tranſiit ſine corporis noxa, ut Lucas docet IV, 35. ¶ κράξαν φωνῇ μεγάλῃ, *exclamans voce magnâ*] Ἀναρθρῳ φωνῇ [*voce non articulata*], quam exprimebat doloris impatientia, cùm ἐναρθρον [*articulatam*] Chriſtus vi ſua inhibuiſſet.

27. κατ' ἐξουσίαν καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει, *in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat*] Solebant quidem Judæi exorciſtæ invocatione quadam Divini nominis fugare dæmones: Sed nemo ante hoc tempus id fecerat pro imperio, ut Chriſtus. Vide infrà IX, 25. Rectè igitur colligunt opportere novum magnumque dogma eſſe quod novâ neque visâ hactenus poteſtate armatur.

28. εἰς ὅλην τὴν περίχωρον τῆς Γαλιλαίας. *in omnem regionem Galilææ*] Non multùm refert fama hæc extra Galilææ fines an duntaxat extra Capernaüm per Galilæam ſparſa credatur. Senſum poſteriorem amplectuntur hic Syrus & Latinus. Et ſanè ἡ περίχωρος paſſim in his libris eſt idem quod χώρα [*regio*], ut Lucæ VIII, 37. Et ſic פלך vertunt Græci Nehem. III, 9. & ſequentibus. Ita infrà VI, 55. & Matth. XIV, 35. dicitur ἡ περίχωρος ἐκείνη [*univerſa regio illa*] ſine additamento; imò & apud Lucam in hac ipſa hiſtoria IV, 37. ut & apud Græcos Interpretes Deut. III. non ſemel. Veruntamen alteri interpretationi favet quod apud Matthæum eſt circa hæc tempora, καὶ ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν [*& abiit fama ejus in totam Syriam.*

30. Λέγουσιν αὐτῷ περὶ αὐτῆς. *dicunt ei de illa*] Hoc magis ſolliciti quòd periculoſior eſſet febris in ſenili corpore:

Tom. VI. Pars II.

Μικρὸν γηραιὸν σῶμα πυρέσσειν ἰσχύϊ.
[*Senile corpus motum exſtinguit levis*].

Hujus quoque hiſtoriæ circumſtantias ex Petro propiùs didicit expreſſitque Marcus.

32. Ὀψίας δὲ γενομένης, ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος, *Veſpere autem facto cùm occidiſſet Sol*] Hæc eſt ſecunda ὀψία [*veſpera*], ut alibi annotatum eſt ad hanc vocem. Potiùs autem quod apud Lucam eſt δύνοντος [*occidente*] exponendum eſt per præteritum, ut ibi fecit vetus Latinus Interpres, quam ἔδυ [*occidebat*] hoc loco per præſens. Nam labores Sabbato vetitos non attingebant Judæi ante Solem planè occaſum. Δύειν [*occidere*] Græcis rectè dicitur quicquid viſibus ſe ſubtrahit. Lxx in Joelè II, 10. ἄρραν δύνουσι τὸ φέγγος αὐτῶν [*ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*]· ubi in Hebræo eſt אסף. De Solis occaſu reperitur & in Græco Judic. XIX, 14. Mergi autem ſidera cùm adſpectui noſtro ſe ſubtrahunt ideo dixerunt Poetæ, etiam Aratus, quia ut ſolebant τὰ τεχνικὰ [*res artium*] eloqui populariter, τὸ ἐσχατιὰν [*finitorem circulum*] Oceani nomine appellabant, ut à Strabone, Theone, atque aliis rectè obſervatum eſt.

34. Καὶ ἐθεράπευσε πολλούς, *Et curavit multos*] Non multos ex iis qui offerebantur, ſed quia qui offerebantur multi erant. ¶ οὐκ ἤφιε, *non ſinebat*] Vox ſanè μονήρης [*inuſitata*], quam nemo obſervavit extra Marcum, qui infrà iterum ſic loquitur. Sed neque ἀνάλογον [*paris formæ*] flexionem facilè reperies; niſi quòd quidam harum rerum eruditi putant eſſe ab ἄφιτον, ut ἅλατε ab ἄλατον. Sed & hoc poëticum eſt. Si qui codices haberent ἤφιε dubitandum non eſſet quin ea lectio eſſet præferenda. ¶ ὅτι ἤδεισαν αὐτόν. *quoniam ſciebant eum*] *Quòd ipſum noſſent*, id eſt, ipſius κλῆσιν *vocationem.* Illi enim verè aliquem norunt qui attributa ejus norunt. Quod cùm videretur obſcurius, adjecit aliquis ex Luca interpretamenti causâ Χριστὸν εἶναι [*Chriſtum eſſe*]. quod non eſſe genuinum vetuſti codices & antiqui Interpretes evincunt. Quæ cauſa Chriſtum moverit, ſuprà vide. Errant qui ὅτι [*quod*] hic putant eſſe αἰτιολογικὸν [*cauſæ reddititium*].

35. Καὶ πρωῒ ἔννυχα λίαν, *Et in nocte valde manè*] Noctu, ſed cùm dies inſtaret; quod Lucas dicit γενομένης ἡμέρας [*dum fit dies*]. Nam vox iſta γενομένης modò jam exactum, modò præſens, modò imminens tempus ſignificat.

37. πάντες, *omnes*] Capernaïtæ.

38. κωμοπόλεις, *vicos oppidorum inſtar*] Tacitus cùm dicit Hiſtoriarum V. *ſubverſa longæ pacis opera haud procul caſtris in modum municipii exſtructa*, κωμόπολιν [*vicum inſtar oppidi*] deſcribit. Talis κωμόπολις fuerat Bethſaïda nuper oppidi ſpeciem nacta. πόλεις [*oppida aut civitates*] hic dixit Lucas καταχρηστικώτερον [*magis improprie*], ut & V, 12. Hebræorum Magiſtri quidam עיירות putant eſſe κωμοπόλεις [*vicos ad oppidorum ſpeciem*]. Sunt qui diſſentiant. Neque verò ita vertunt Lxx. Ex Joſepho conſtat in Judæa fuiſſe κώμας πόλεως μέγεθος οὐκ ἐλάττονας [*vicos nihilo minores oppidis*]. Hinc toties Scriptores noſtri πόλιν & κώμην promiſcuè uſurpant. Sic & Poëtis Græcis πόλεις [*oppida*] dici quæ ſunt κῶμαι [*vici*] notant Pollux & Harpocration, & exemplum adferunt in Eubœa de qua dixerit Euripides,

Εὔβοι' Ἀθήναις ἐγγύς τις γείτων πόλις.
[*Eubœa Athenis proximè poſitum oppidum eſt.*]

¶ εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα. *ad hoc enim veni*] Patris miſſu, ut Lucas explicat. Sic & Joh. XVI, 28. Mandatum acceperat omnibus in Palæſtina Judæis dogma ſuum promulgandi, nullo urbes aut agros habitantium diſcrimine.

39. αὐλῶν, *earum*] Τῶν κωμοπόλεων [*quaſi urbium*]. Nam & in majoribus vicis quæ ad oppidorum accedebant magnitudinem ſynagogæ erant, ut alibi annotavimus.

40. γονυπετῶν, *genu flexo*] Vide Matthæum VIII, 2.

41. σπλαγχνισθείς, *miſertus*] Non temere & hoc addidit Marcus, ut doceret beneficia Chriſti ex intimo cordis affectu proficiſci.

43. ἐμβριμησάμενος, *comminatus*] Vide Matth. IX, 30.

44. τῷ ἱερεῖ, *Sacerdoti*] Vide ad Matthæum hoc loco. ¶ περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου, *pro emundatione tua*] מהרה καθαρισμὸν [*emundationem*] in hoc negotio τῆς λέπρας [*lepræ ſive vitiligînis*] vertunt & Lxx.

45. αὐτὸν, *ipſum*] Jeſum: quod bene hîc exprimit Syrus. ¶ Δύνασθαι, *non poſſe*] Vox iſta & hic & aliis in locis non τὸ ἁπλῶς ἀδύνατον [*id quod ſimpliciter fieri nequit*] ſignificat, ſed id quod ſecundùm naturæ ordinem multum incommodi habet

habet ac difficultatis. Nam turbæ affluxu in locis anguſtioribus Chriſtus premebatur. Hunc enim ſenſum nobis exhibent ea quæ ſequuntur capite proximo, commate 2. ¶ *ἐν ἐρήμοις τόποις, in deſertis locis*] In locis littoralibus ubi explicare ſe turba poterat, ut colligi videtur ex ſequenti capite, commate 13.

CAP. II.

VALLA.

1. *ET iterum intravit Capernaum poſt dies*] Non *poſt dies* legendum eſt, ſed *per dies*, *δι' ἡμερῶν*.

2. *Et convenerunt multi, ità ut non caperent neque ad januam*] Deeſt *ſtatim*. Nam dicitur, *καὶ εὐθέως συνήχθησαν*. Sed quod erit ſuppoſitum verbi *caperent*? certè in Græco eſt, dicitur enim, *Ità ut jam non caperent, non ea quidem quæ ad januam erant*. i. *nè ea quidem loca*, *ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν*.

4. *Et cùm non poſſent offerre eum illi*] Gr. *Et cùm non poſſent appropinquare ei, καὶ μὴ δυνάμενοι προσεγγίσαι αὐτῷ*.

7. *Quid hic ſic loquitur? blaſphemat*] *Blaſphemias* legendum eſt, *βλασφημίας*.

12. *Ità ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum*] Potius eſt *glorificarent*, *δοξάζειν*. *Mirarentur* quoque parùm implet Græcam vocem *ἐξίστασθαι*, quod eſt plus quàm *obſtupeſcere*. Siquidem in Actibus Apoſtolorum 10. 10. ubi dicitur quòd in orantem Petrum incidit *mentis exceſſus*, ſimile vocabulum eſt, *ἔκστασις*. Atque idem paulò pòſt in Marco 3. 21. *Dicebant*, *In furorem verſus eſt*, *ἐξέστη* quod ego maluiſſem dicere, *Dicebant*, *Amens factus eſt*, ſive *Mente captus eſt*.

16. *Dicebant diſcipulis ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magiſter veſter?*] Non legitur Græcè *Magiſter veſter*, ſed q. deeſſet, ab aliquo adjectum eſt. Mihi autem videntur potiùs interrogaturi fuiſſe Phariſæi ſine ſuppoſito, ut fieri ſolet de re nota.

17. *Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores*] Redundat particula *enim*, *οὐκ ἦλθον*. Et deeſt *ad pœnitentiam*, *εἰς μετάνοιαν*· ut ſit, *peccatores ad pœnitentiam*.

23. *Et diſcipuli ejus cœperunt progredi & evellere ſpicas*] Gr. *Et cœperunt iter facere vellentes ſpicas, ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες τοὺς στάχυας*.

26. *Quos non licebat manducare niſi ſolis ſacerdotibus; & dedit iis qui cum eo erant*] Meliùs legitur in iis cod. qui non habent *ſolis*. Præterea legendum eſt *licet*, non *licebat*. &, *dedit etiam iis qui ſecum erant*: *ὃς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσιν· ἢ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι*.

REVIUS in VALLAM.

2. *NOn ea quidem loca*] Haud dubiè ſcripſit *nè ea quidem*: & oſtendunt ſequentia.

12. *Ità ut mirarentur*] Hæc miſerè diſcerpta erant, & conjecta in c. 3. poſt v. 19.

16. *Non legitur Græcè* Magiſter veſter] In nonnullis tamen additum comperit Eraſmus: tametſi Theophylactus non addit. Eſt & in Syro, ut Beza monuit, qui & in quodam exempl. Græco invenit.

17. *Οὐκ ἦλθον εἰς μετάνοιαν*] Hæc confuſa erant.

ERASMUS.

1. *POſt dies*] *Δι' ἡμερῶν per dies*. Nec addendum eſt *ecto*, quod in quibuſdam habetur cod. Latinis. Certè in Paulino habebatur *poſt dies*, in Corſ. recenti manu additum erat *ecto*. Sed lucidius erat *diebus aliquot*, ſive *poſt dies aliquot*. Nam *poſt dies* Latinè nihil ſignificat.

2. *Et convenerunt*] *Καὶ εὐθέως συνήχθησαν confeſtim convenerunt*, ſive *collecti ſunt*. ¶ *Nec ad januam*] Gr. *Ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, ità ut jam non caperent, nè ea quidem quæ erant juxta januam*: ut intelligas domum adeò fuiſſe refertam ut nè veſtibulum quidem & partes oſtio vicinæ caperent turbam. Aureus codex habebat *non caperet*, itidem Conſt. denique meus vetuſtæ typographiæ; ut *caperet* verbum pertineat ad *domum*, ſitque gemina negatio, *nec domus capiebat, nec loca vicina januæ*, h. e. veſtibulum.

3. *Et venerunt*] *Καὶ ἔρχονται veniunt*.

4. *Nudaverunt tectum*] *Ἀπεστέγασαν τὴν στέγην detexerunt tectum*. Eſt enim *μεστεγοποιεῖα*, q. d. *detegulaverunt tegulas*. ¶ *Et patefacientes*] *Καὶ ἐξορύξαντες cùm effodiſſent*, ut intelligamus etiam ſupernè perfodi tecta. ¶ *Submiſerunt*] *Χαλῶσι demiſerunt*, propriè funibus, quemadmodum demittitur ancora, aut ſaxum è ſublimi. ¶ *In quo paralyticus jacebat*] *Κατέκειτο, decumbebat*; quòd paulò antè depravatum erat *recumbebat*.

7. *Quid hic ſic loquitur? blaſphemat*] Gr. *blaſphemias βλασφημίας, loquitur blaſphemias*. ¶ *Niſi ſolus Deus*] *Εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός, niſi unus, qui eſt Deus*.

9. *Dimittuntur*] *Ἀφίωνται*. *Remittuntur*, ſive *Remiſſa ſunt*. Nam videtur eſſe præteritum Atticum pro *ἀφῆνται*. Thema activum eſt *ἀφίημι*, paſſivum *ἀφίωμαι*. Ità tradit Herodianus. Fortaſſis Interp. legit *ἀφίονται* per o micron, ut deducatur à verbo *ἴω*, unde *ἵημι*. Ut nos ſuperiori editione poneremus *Remittantur*, in cauſa fuit quidam inſigniter Græcè doctus, ad hæc non mediocri vir autoritate, qui conſultus ſuper hoc loco juſſit ut ſuo periculo verterem *Remittantur*. Obſecutus ſum, & falſus. Id cùm mihi non ſemel acciderit, tamen audio pertinax & nulli cedens.

12. *Ut mirarentur*] Plus dixit Græcus ſermo *ὥστε ἐξίστασθαι*, i. *ut eſſent attoniti & velut extra ſe*. Nam ab hoc verbo dicta *ecſtaſis*, quæ eſt *raptus mentis*. ¶ *Honorificarent*] *Δοξάζειν, glorificarent*.

14. *Levi Alphæi*] *Τὸν τοῦ Ἀλφαίου*, i. *Alphæi filium*. ¶ *Ad Teloneum*] Græcam vocem reliquit, *τελώνιον*, quæ *menſa* eſt, aut *locus*, *publicanorum*, *ubi colligunt veſtigal*, quod Græcè *τέλος* dicitur.

16. *Videntes quia manducaret*] *Ἰδόντες αὐτὸν ἐσθίοντα, cùm viduſſent eum edentem*. Mirum cur hic placuerit ſoloeciſmus, cùm Græcus ſermo non præbuerit occaſionem. ¶ *Quare*] *Τί ὅτι Quidquòd*, i. Quid eſt quòd. ¶ *Magiſter veſter*] Laurentius negat hæc addita in exempl. quibus eſt uſus. In nonnullis tamen addita comperi, tametſi Theophylactus non addit. In Conſt. fuit eraſum.

17. *Non neceſſe habent*] *Οὐ χρείαν ἔχουσι Non opus habent*. ¶ *Sani*] *Ἰσχύοντες Valentes*, ſive *qui valent*. ¶ *Vocare juſtos*] Græci addunt *εἰς μετάνοιαν ad pœnitentiam*: quanquam id ſuſpicor adjectum à quopiam: nam nec in antiquiſſ. cod. noſtris reperitur, nec in Conſt. nec in meo vetuſtæ typographiæ, etiamſi apud Theophylactum additum eſt.

18. *Et Phariſæi*] Quidam Græcus cod. habebat *καὶ οἱ τῶν Φαρισαίων & Phariſæorum*, ut ſubaudias *diſcipuli*, quemadmodum eſt item paulò pòſt; niſi mavis, *ii qui ſunt ex Phariſæis*, h. e. ex factione Phariſaica.

19. *Nunquid poſſunt*] *Μὴ δύνανται*, *Num poſſunt*. ¶ *Filii nuptiarum*] Græca nonnihil diſſonant, *οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ' αὐτῶν ἐστι, νηστεύειν, filii thalami nuptialis, in quo ſponſus cum eis eſt, jejunare*. *Νυμφὼν* enim *nuptiale cubiculum* ſign. interprete Suida. Deinde continenter ipſe ſibi reſpondet, *ἕως χρόνου μεθ' ἑαυτῶν ἔχουσι τὸν νυμφίον, ἡ δύνανται νηστεύειν, Quamdiu tempore ſecum habent ſponſum, non poſſunt jejunare*.

21. *Aſſumentum*] *Ἐπίβλημα*, quod antè verterat *commiſſuram*, ut Matth. 9. & Lucæ 5. ad verbum ſonat *immiſſuram*. Dilucidè tamen vertit Interpres. ¶ *Panni rudis*] *Ῥάκους ἀγνάφου Panni nondum à fullone curati*. Nam hunc *rudem* vocat Interpres. Siquidem *γναφεὺς*, *fullonem* ſign. ¶ *Auferet ſupplementum novum*] Græcus addidit *ejus*, ut ſubaudias *veſtis*. Quod hic vertit *ſupplementum* aliàs verterat *plenitudinem πλήρωμα*, ut Matth. 9. Sic autem vocat eam panni particulam quâ veſtis lacera ſarcitur & expletur. Multa prudens prætereo, quòd de his jam dictum ſit in Matthæo.

22. *Vinum novum in utres novos*] Græcis non eſt eadem *μεταφορὰ*, cùm illis habeatur *νέον* & *καινὸς*, quorum prius illud aptiùs dicitur de iis quæ ſentiunt ætatem.

23. *Cœperunt progredi*] *Ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὁδὸν ποιεῖν, Cœperunt diſcipuli ejus iter facere*. Nam quod Græcus habet ſermo *ἤρξαντο cœperunt*, hoc Interpres retulit ad perſonam; veluti cùm dicitur *ἄρχεσθαι λέγειν*, non qui initium dicendi facit cùm antè tacuiſſet, ſed qui primus & ante alios incipit verba facere; & ob id vertit *progredi*; nimirum offenſus abſurditate ſermonis, quòd cùm paulò antè dictum eſſet *Jeſum iter feciſſe per ſegetes*, nunc idem ſubjiciat de Diſcipulis, quòd *cœpiſſent iter ingredi*. Verùm hic nec initium itineris ſignificatur, nec ordo ingredientium, ſed vellendi initium. Jam enim intereundum cœperunt vellere ſpicas. ¶ *Et vellere ſpicas*] *Τίλλοντες vellentes*, ſive *vellendo*.

24. *Ecce quid faciunt diſcipuli tui ſabbatis*] Ut paulò ſuperiùs non addebatur *magiſter veſter*, ità hic non additur apud

Græcos

Græcos *diſcipuli tui.* Quorſum enim attinebat eos nominare cùm digito illos oſtenderent, *Ecce?*

26. *Sub Abiathar principe ſacerdotum*] D. Hieronymus in lib. De opt. gen. interpr. indicat nomen *Abiathar* pro *Achimelech* eſſe poſitum, propterea quòd libro Regum 1. c. 22. ubi refertur hujuſce rei hiſtoria, nulla mentio fiat Abiathar, ſed duntaxat Achimelech; ſive id acciderit vitio ſcriptorum, ſive quòd ejuſdem hominis vocabulum ſit *Abiathar* & *Achimelech.* Nam Lyranus putat hunc Abiathar fuiſſe filium Achimelech, qui ſub patre functus ſit officio paterno, & eo cæſo juſſu Saulis comes fuerit fugæ Davidicæ. Hieronymus ut nectit nodum, ità non explicat. Theophylactus aperit aliam rimam ut accipiamus alium fuiſſe Achimelech, qui in lib. Regum tantùm *ſacerdos* ſit dictus, ἱερεὺς, cùm hîc Abiathar dicatur ἀρχιερεύς. Mirum cùm Latini cod. conſtanter habeant *Achimelech*, cur in Græcis Euangeliis ſemper habeatur *Abimelech*, niſi quòd Suidas in dictione ἀβιάθαρ admonet eundem utroque nomine ſignari. ¶ *Niſi ſolis*] *Solis* non additur apud Græcos, nec erat in cod. Conſt. ¶ *Et dedit eis*] Græci addunt καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι. Pro *eis* meliùs vertiſſet *qui ſecum erant*; *Et dederit his quoque qui ſecum erant.*

VATABLUS.

1. POſt *dies*] Sub. *aliquot.* Vet. *poſt dies octo.*

2. *Et* * *convenerunt*] * *Confeſtim*, Vet. ¶ *Ità ut non**] * *Amplius.* ¶ *Caperet, neque ad januam*] *Caperent nè ea quidem* (ſub. *loca*) *quæ juxta januam.*

3. *Venerunt*] *Veniunt.*

4. *Offerre eum illi*] *Appropinquare illi.* ¶ *Patefacientes ſubmiſerunt*] *Perfodientes dimittunt:* præſ. pro præt.

5. *Dimittuntur tibi*] *Remiſſa ſunt:* vel potiùs, *remitto tibi:* ut ſit Hebraiſmus. Hebræi enim præſentibus verborum carent, pro quibus utuntur præteritis, aut futuris.

7. *Loquitur? blaſphemat*] *Loquitur blaſphemias?* ¶ *Solus*] *Unus, qui eſt.*

8. *Spiritu ſuo*] i. vi Spiritûs S. quo erat præditus.

9. *Dimittuntur*] *Remiſſa ſunt:* vel, *Remitto.* ¶ *Peccata*] *Peccata tua*, V.

12. *Abiit**] * *Indè*, V. ¶ *Mirarentur*] *Stuperent.* ¶ *Honorificarent*] *Glorificarent*, i. gloriosè laudibus celebrarent. ¶ *Quia nunquam ſic*] *Certè nunquam talia.*

14. *Levi*] *Levin*, V. ¶ *Alphæi*] Sub. *filium.* ¶ *Telonium*] Vox Græca, quæ ſignificat *menſam publicanorum.*

15. *Accumberet*] Vel, *jaceret.* Sub. *cibi causâ.* ¶ *Multi**] * *Etiam.* ¶ *Qui* * *ſequebantur*] * *Et*, V.

16. *Dixerunt*] *Dicebant*, V. ¶ *Quare cum*] *Quid, quòd cum*, &c. i. Quid hoc ſibi vult quòd, &c. ¶ *Bibit*] *Bibit magiſter veſter.*

17. *Neceſſe*] *Opus.* ¶ *Peccatores**] * *Ad pœnitentiam:* ità in quibuſdam exemplaribus Græcis.

19. *Filii nuptiarum*] *filii thalami nuptialis:* Hebr. pro *iis qui verſantur in thalamo nuptiali:* vel *qui interſunt nuptiis.*

20. *Auferetur*] *Ablatus fuerit.*

21. *Nemo**] * *Autem.* ¶ *Aſſumentum*] *Immiſſuram*, aut *additamentum.* Sic infrà. Vide Matt. 9. 16. ¶ *Supplementum**] * *ſuum.* ¶ *Major*] Vel, *deterior.*

22. *Et*] *Præterea.* ¶ *Dirumpet*] *Rumpit:* ſic *effunditur*, & *perent.* ¶ *Vinum**] * *Novum:* vel, *muſtum.*

23. *Et factum eſt cùm ſabbathis*] *Et factum eſt iterum cùm Dominus ſabbathis*, V. ¶ *Et diſcipuli ejus cœperunt progredi & vellere*] *Tunc diſcipuli ejus cœperunt inter viam vellere.* Gr. *iter facere vellentes ſpicas.*

24. *Quid faciunt**] * *Diſcipuli tui*, V.

26. *Sub Abiathar*, &c.] Hebr. pro, *cùm princeps ſacerdotum eſſet Abiathar.* ¶ *Niſi ſacerdotibus*] *Niſi ſolis ſacerdotibus*, V. ¶ *Eis*] *Etiam iis qui.*

27. *Et dicebat eis*] Vel, *Dixit, inquam, illis:* vel *Addidit præterea.* ¶ * *Non homo*] *Et non homo*, V.

28. *Itaque Dominus eſt*, &c.] q. d. Dico id factum fuiſſe à meis ut omnes cognoſceretis me eſſe Dominum Sabbathi, qui poſſim illud abrogare quando velim.

CLARIUS.

21. NEmo *aſſumentum panni rudis*] Oſtendit oportere ſpiritum Novi T. abolere literam Veteris, neque utrumque ſimul manere poſſe. Cætera vide Matth.

ZEGERUS.

1. POſt *dies octo*] Numerus hîc nec in Græcis eſt nec in vetuſtis Latinis, nominatim in exemplari Corſend. Subaudiri autem poteſt *aliquot*, ut, *poſt dies aliquot.* Nec eſt apud Auguſtinum l. 2. De conſ. Euang. c. 25. niſi in margine.

2. *Et* conſeſtim *convenerunt multi*] *Confeſtim* non additur ab Auguſtino nec à Beda, nec in exempl. antiquis Græcis. ¶ *Ut non caperent neque ad januam*] Auguſtinus l. De conſenſu 2. c. 25. codex Aureus, codex Donat. & codex Corſend. & alii plures habent, *ità ut non caperet neque ad januam:* atque ità illud *caperet* ad Jeſum pertinebit. Beda, codex Gemb. habet, *ut non caperent neque ad januam:* atque ità *non caperent* accipi poterit pro *locum non haberent*, juxta illud, *Sermo meus non capit in vobis.* Tandem quoque in exempl. quodam membranaceo ſcriptum offendi, quod planius ac ſimplicius eſt, an verius non auſim affirmare, *ità ut non caperet eos domus uſque ad januam.* Græca ſic habent, ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν. Senſus eſt, *ità ut non caperent turbam nè ea quidem loca quæ ad januam erant.* Ex quibus verbis in ſuſpicionem vocor nè fortè Interpres ità ſcripſerit, *ut non caperent nec ea quæ ad januam*, ſubaudi *erant loca.*

14. *Vidit Levi Alphæi ſedentem ad telonium*] Matthæum Alphæi filium. *Telonium* pen. cor. vel τελωνεῖον *teloneum* pen. prod. menſa eſt aut locus publicanorum in quo colligitur vectigal, quod τέλος dicitur.

16. *Bibit Magiſter veſter*] Cave omittas *magiſter veſter*, quod legitur à Petro Chryſologo, & Auguſtino teſtatur à Marco eſſe poſitum.

21. *Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri: alioquì aufert ſupplementum novum à veteri, & major ſciſſura fit. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres*, &c.] His metaphoris docet Chriſtus Diſcipulos ſuos non debuiſſe gravari jejuniis & ſeverioris vitæ præceptis donec tandem in diſciplina Dominica evaſiſſent firmiores. Quod ad literam attinet, particula illa, *alioquì aufert ſupplementum novum à veteri*, non uno modo poteſt conſtrui: nec liquet ex interpretibus nec ex Euangeliſtis aliis quæ ſit vera hujus ſyntaxis: niſi quòd apud Lucam 5. 36. ſimilitudo ſit paulò evidentior & commodior, ità habens, *Nemo commiſſuram à veſtimento novo immittit in veſtimentum vetus, alioquì & novum rumpit, & veteri non convenit commiſſura à novo.* Sed nec ex Græco liquet ſermone, qui ſic ad verbum habet, εἰ δὲ μή, αἴρει τὸ πλήρωμα ἀπ' αὐτοῦ τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ, *alioquì tollit ſupplementum ejus, novum veteris.* Mihi videtur congruentius ut ſic conſtruatur, *Alioquì qui aſſumentum*, ſive, ut alii Euangeliſtæ habent, Mat. 9. 16. Luc. 5. 36. *commiſſuram, panni rudis ac recentis adſuit veſtimento veteri, is auferi à veſtimento illo veteri ſic reſarcito ſupplementum*, ſive, ut alibi vertitur, *plenitudinem, quam tollere cogitur quòd non conveniat miſtura: atque ità major ſciſſura & rupura fit.* Cætera prætereo. *Supplementum* vocat partem panni quâ veſtis lacera ſarcitur & expletur.

23. *Cœperunt progredi*] In aliquot vetuſtis lego *prægredi.*

24. *Ecce quid faciunt ſabbatis*] Quod his interponitur, *diſcipuli tui*, nec in Græcis eſt, nec in antiquis noſtris; facillimè autem ſubauditur.

26. *Sub Abiathar principe ſacerdotum*] Hic Abiathar filius fuit Achimelech, ſive Abimelech, ut alii ſcribunt, Sacerdotis, ſub quo factum hoc contigiſſe commemorat 1 Reg. c. 22. Verùm hic Abiathar exprimitur, quia tum unà cum patre functus fuit miniſterio ſacerdotali, aut certè præſ. adfuit; deinde quia occiſo patre ipſius, cum aliis LXXXIV Sacerdotibus, per Doech, juſſu Saulis, comes fuit fugæ Davidicæ, & ad ſummum tandem evectus fuit Sacerdotium, ut copioſiùs docet Beda. Pronunciatur autem *Abjathar* tribus tantùm ſyllabis: ſic enim ſcribitur אבית. ¶ *Niſi ſacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant*] Cætera redundant. *Dedit*, ſupple *ipſe David, iis qui cum ipſo erant.*

28. *Dominus eſt Filius hominis etiam ſabbati*] Ordo ſic habet, *Chriſtus Filius hominis dominus eſt etiam ipſius ſabbati.*

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον β, Περὶ τῆς πανθημερὰς τῆ Πέτρῳ.

Μάρκῳ ἐν τῷ Δικτ. ἰμ. α, Καὶ ἐλθόντα εἰς τὴν συναγ. ἐξελθ. ἦλθον εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος καὶ Ἀνδρ. μετ' Ἰωαν. καὶ Ἰακώβου, ἡ ἦ πανθημερὰ Σαμ. κατέπεσε πυρέσσουσα.

Πευθομένην ὁκ πυρετοῖο μάγ' ἔχετο δίχνυσι Πέτρε.
Ἄλλος,
Τῆς Πέτρε ἐκνεφὲς πυρετοῦ νόσον ἐξεδίωξε.

1. Δι' ἡμερῶν] *Interjectis aliquot diebus.*

2. Ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴ θύρην] *Ità ut eos nè id quidem ſpatium quod janua vicinum erat, caperet.*

4. Ἀπεξύγασαν τὴ στέγην ὅπου ἦν· καὶ ἐξορύξαντες χαλῶσι τὸ κράβαττον] *Detexerunt tecta domûs ubi erat, eóque perfoſſo, demiſerunt funibus grabatum.*

14. Ἐπὶ τὸ τελώνιον] *Apud ſtationem publicanorum:* vel, *menſam publicanorum.*

15. Ἠκολούθησαν] *Secuti fuerant.*

19. Οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος] *Filii thalami:* vide Matt. 9. hæc & ſeq.

23. Διὰ τῶν σπορίμων] *Per ſata.*

D R U S I U S.

1. *Poſt dies* aliquot] Poſt aliquantum temporis. Sic exponunt vulgò. Dubito an bene. Nam *dies* pro *dies aliquot* nondum mihi lectum. Scio Gen. 40. 4. ימים *dies* quoſdam exponere *aliquot dies.* Sed alii malunt, *poſt decem* menſes, aut *annum.* Nam ימים *annum*; unde, *diebus erit redemptio ejus*, i anno. Sunt exemplaria in quibus legitur, *poſt dies octo.* Sic Gen. 7. 4. לימים שבעה *poſt dies ſeptem*, quod paulò pòſt v. 10. dicitur לשבעת ימים *poſt ſeptem dies.* Ergò ל *poſt*, i. μετά. An etiam διά? Marc. 14. 58. διὰ τριῶν ἡμερῶν. Actor. 1. 3. δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα· & 24. 17. δι' ἐτῶν πλειόνων. Gal. 2. 1. διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν. Ebr. 13. 22. διὰ βραχέων *brevibus.* 1 Petr. 5. 12. δι' ὀλίγων *paucis.* Nunc ad rem. Quid ſi ὀλίγων ſubaudiatur? *diebus paucis interjectis:* quod Ebræi dicerent מימים מעטים *poſt dies paucos.* Syrus hic habet לאחרנא *poſt dies:* Quod argumento eſt lectionem hanc perantiquam eſſe.

2. *Loquebatur eis verbum*] Meliùs alii, *ſermonem.* Nam in fonte ὁ λόγον, & eſt breviter dictum pro ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, *ſermonem Dei.* Sic appellant Legem & Euangelium. Salomo eo ſenſu דבר uſurpat Prov. 13. 13. *Qui contemnit verbum id ei dolori erit.* & Prov. 25. 2. *Gloria Dei, occultare verbum*; *gloria verò regum, perſcrutari verbum.* Utrobique eſt דבר abſque articulo. Sic *præceptum* ponitur pro *præceptum Dei*; & *via*, ἡ ὁδός, pro *via Dei*: quæ alibi mihi notata.

4. *Grabatum*] Lectus erat humilior in quo meridiari ſolebant veteres. Catullus pro *lectica* uſus fuit. A. Gellius l. 19. c. 10. *in ſcimpodio Gracienſi* dixit de lecticula domeſtica ſive lucubratoria, in qua Romano ritu etiam domi cubabant. Hoc noto quia *ſcimpodium* idem cum *grabato.* Vide Heſychium, in quo, Σκίμπους, κράββατον· &, Σκίμπους, κράββατος. Item, Σκιμπόδιον, ἰδιωτὲ κλινίδιον μονοκοίτιον. Unde colligo lectum viliorem fuiſſe: nam ἰδιωτὴς *vilis.* Deinde κράββατος etiam dici ut Latinè *grabatus.* Uſurpavit hanc vocem interp. Vulg. Amos 3. 12. ubi in Ebræo ערש, quod etiam ab Aquila interprete *grabatus* reddidur. Eſt autem ערש *ſponda*, vel certè κλίνη *lectus.* Sic enim LXX interpretantur Deut. 3. 11. Job. 7. 13. Pſal. 41. 3. & alibi.

13. *Levin Alphæi*] Subintellige *filium*; quod expreſſum ab aliis. Græce Λεβὶν τὸν τοῦ Ἁλφαίου. Eſt autem Levin in caſu accuſandi à nominativo *Levis*, qui & *Levi.* Græcè autem Λεβὶ & Λευεί. Nam hilum non intereſt hoc an illo modo ſcribas. *Levi*, *Levis*, ut *Tobi*, *Tobis.* Sic *Joſe*, *Joſes*, & *Jeſu*, *Jeſus.* Amant enim Græci nominibus Ebraicis in vocali deſinentibus addere ς ad finem. Hinc *Indas*, *Thomas*, & alia ſexcenta. Qui hoc neſcit, nihil ſcit. Conſule Obſerv. meas. Solent etiam Græci adjicere ν in fine vocum Ebraicarum, ut in σαβὶν, quod Ebraicè צבי ſcribitur, i. *caſi* vel *caſei*, apud Danielem. Fortean ad hunc morem referendum *Levin.* Nihil temere ſtatuendum. Porrò *Levi* nomen eſt proprium viri, ut aliquando *Iſrael.* Falluntur ergò qui Matthæum ex hoc loco Levitam fuiſſe ſcribunt.

18. *Et Phariſæi*] Lectio diverſa, & *Phariſæorum*: ſubintellige *diſcipuli*, quod repetendum ex præcedentibus τοῦ Ἰωάννου. Ebraicè תלמידי פרושים. Nam ſic vocant *Phariſæos.* Dicuntur etiam תלמידי חכמים *diſcipuli ſapientum.* Nam *Sapientes* & *Phariſæi* ſynonyma ſunt. Hi jejunabant bis in hebdomada: non tamen exponebant Legem, quod ſciam; ſed exponentes Phariſæos audiebant. De Phariſæis certum eſt. Scriptor Hiſt. Judaicæ, *Sapientes Iſrael ſunt Phariſæi, qui exponebant Legem.* De diſcipulis nihil tale mihi lectum. Horum quanquam rara mentio in ſacris, crebra tamen eſt in libris eorum profanis. Nam ut alios omittam, de Pollione Phariſæo legimus, quem *Hillelem* vocant, qui vixit ſub Herode M. quòd habuerit diſcipulos LXXX, quorum maximus fuerit Jonathan Uzielides autor editionis Chaldaicæ, quæ hodiéque exſtat in prophetas; minimus autem, Jochanan Zachæi F. quem Veſpaſianus Imp. in magno honore habuit, eò quòd ſuaſor fuiſſet civibus ut ei ſe dederent.

26. *Abiathar*] Idem 1 Sam. 21. 1. *Achimelech* vocatur. De quo variæ ſunt doctorum ſententiæ. Hieron. in lib. De optimo genere interpretandi putat nomen *Abiathar* pro *Achimelech* eſſe poſitum, ſive id acciderit vitio ſcriptorum, ſive quòd ejuſdem hominis vocabulum ſit *Abiathar* & *Achimelech.* Quam poſtremam opinionem amplexus Cl. Theodorus aſſerit *tam patrem quàm filium binomios fuiſſe*, & *utrumque modò Achimelech modò Abiathar dici.* Idem obſervat ex 1 Par. 24. 2, 3. *duos* eodem tempore *fuiſſe Pontifices, qui viciſſim fungerentur ſacerdotio*; *quamvis unus præcipuus eſſet, alter verò ab eo ſecundus, ut liquet ex 2 Reg.* 25. 18. Theophylactus arbitratur hæc geſta eſſe ab Achimelecho patre ſub pontificatu Abiathar, qui propterea ἀρχιερεὺς appelletur, cùm alter tantùm ἱερεὺς dici comperiatur. Cui opinioni repugnat quòd ἱερεὺς aliquando pro ἀρχιερεὺς uſurpetur. Sic *angelus* pro *archangelus* ponitur, & ἱερωσύνη pro ἀρχιερωσύνη. Quibus addo, non *Achimelech* in Græcis codicibus legi, ſed *Abimelech.* Eodem modo variant codices Latini 1 Par. 18. 16. Nam in aliis eſt *Abimelech*, & *Abimelech* in aliis. Videtur autem ibi *Abimelech filius Abiathar* poſitus eſſe pro *Abiathar filius Abimelech*, ſive, quod idem, *Achimelech*, non errore ſcribarum, ſed quòd uterque διώνυμος fuerit, juxta ſententiam Theodori: ad quem te remitto. Quæſtio eſt digna quæ majore otio diſcutiatur.

J A C. C A P P E L L U S.

4. *Demiſerunt grabatum*] Græcè τὸ κράββατον neutrius eſt generis. Latinè *grabatus* eſt maſc. generis, eſtque lectus pauperum. Quippe paupertatis experimenta ſuadens Seneca ep. 18. *Non eſt*, inquit, *nunc quòd exiſtimes me ducere te ad modicas cænas & pauperum cellas, & quicquid aliud eſt per quod luxuria divitiarum tædio ludit. Grabatus ille verus ſit, & ſagum, & panis durus ac ſordidus.* Apud eundem Senecam ep. 20. ſic loquitur Epicurus, *Magnificentior (mihi crede) ſermo tuus in grabato videbitur & in panno*, h. e. ſi voluntariam paupertatem amplectaris.

G R O T I U S.

1. Δι' ἡμερῶν. *poſt dies*] Quid διὰ hîc valeat diximus ad Matt. XXVI, 61. Deeſt autem hîc more Hebræo τινων [*aliquot*] ut apud Lxx Geneſ. IV, 3. Καὶ ἐγένετο μεθ' ἡμέρας [*Et factum eſt poſt dies*].

2. Μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, *nec ea quæ ad januam*] Id eſt, τὸ προθύρεον [*veſtibulum*]· προθύρεα *Græcè dicuntur*, inquit Vitruvius, *quæ ſunt ante januam veſtibula.* ¶ Ὁ λόγος. *verbum* ſive *ſermonem*] Ita Matthæi XIII, 20. infra VIII, 32. XVI, 20. Lucæ 1, 2. & alibi paſſim vocatur, qui plenius Lucæ VIII, 11, 21. XI, 28. Actor. XVIII, 11. & alibi ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ [*verbum Dei*]. Invenies & ſine articulo λόγου [*verbum*] eodem ſenſu, ut Actor. XVII, 11.

3. Φέροντες] Id eſt, *adducentes.* Nam adducebant eum plures, cùm bajularent eum viri quatuor, ut ſequitur.

4. χαλῶσι, *ſubmiſerunt* ſive *demiſerunt*] Sic κατεχάλασεν uſurpatur Joſuæ 11, 15. ¶ κράββατον, *grabatum*] Κλινίδιον Lucas. Neque ille malè qui σπυρίδιον eſt interpretatus. Nam ut Phrynichus docet, id Atticis erat quod communiter κράββατον.

7. τίς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός; *quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus*] Uberiùs explicat Marcus quod Matthæus dictum à Legiſperitis dixerat, οὗτος βλασφημεῖ [*hic blaſphemat*]. Non dixerat quidem Chriſtus ſe paralytico peccata remittere: at illi tamen id ita accipiebant, nimirum quia is mos eſt odii omnia eò trahere quà patet calumniæ locus. Deum eſſe qui condonet peccata paſſim teſtantur Pſalmi, Prophetæ, ipſe Moſes. At poteſtatem hanc homini cuiquam communicatam nuſquam legebatur. Dicitur quidem Sacerdos in minoribus delictis *expiare hominem*; ſed hoc *expiare* eſt ad remiſſionem præparare. Sequitur enim & *remittetur ei. Remittere* autem Sacerdos non dicitur. Imò apud Eſaiam Deus μάλα ἐμφαντικῶς [*valde ſignificanter*] populum ſic alloquitur, XLIII, 25. *Ego is ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et in Exodo XXXIV, 7. inter Dei indigitamenta ponitur נשא עון [*auferens iniquitatem*]. Sed propriè ſpectatum hîc puto Jobi

locum

locum XIV, 4. Nam eum & Chaldæus Paraphraſtes ita exponit, *Quis poteſt mundum efficere eum qui inquinatus eſt peccatis, niſi Deus, qui ſolus poteſt remittere?* Annuntiavit Nathan Davidi ablatum ab eo crimen; at ipſa condonatio Deo uni tribuitur, in nullam ejus partem veniente Propheta. Hinc colligebant hunc actum eſſe ἀκοινώνητον [*incommunicabilem*]. Chriſtus qui verbis iis erat uſus quæ poſſent & aliter accipi, cùm tamen ita ut res ipſa erat accipi videret, uſus inimicorum malitiâ, apertè ſibi vindicavit jus ſibi, ut homini, à Deo Patre conceſſum, inſigne edens miraculum directè in ejus juris teſtimonium. Imò & ante miraculum ſanationis aliud edidit multò inſignius, cùm intimas adſtantium cogitationes apertiſſimè ſibi cognitas oſtendit, quod Sacræ literæ non minùs proprium Dei ſtatuunt quàm peccata remittere, ut videre eſt 1 Sam. XVI, 7. 1 Paralip. XXVIII, 9. II Paralip. VI. 30. Pſalm. VII, 10. Jerem. XVII, 10. Neque verò valebat Legisperitorum argumentatio, Nunquam cuiquam id jus Deus conceſſit ante hac, Ergo concedere non poteſt: Non habuerunt Prophetæ, Ergo nec habebit Meſſias.

8. τῷ πνεύματι αὐτῷ, *ſpiritu ſuo*] Non, ut Prophetæ, per afflatum, ſed ſuo ſpiritu, id eſt, τῇ ἄκρᾳ μετοχῇ ⸗ ὑποστάσεως [*ſumma participatione Verbi ſubſtantialis*], ut Origenes adverſùs Celſum loquitur. Nam quod veteres Chriſtiani, etiam Juſtinus, vocant θείαν φύσιν [*Divinam naturam*], is quem dixi Origenes θείας φύσεως ἀπαύγασμα καὶ χαρακτῆρα [*Divinæ naturæ effulgentiam & expreſſam formam*] & τὸ ἐν τῷ νοουμένῳ ἀνθρώπῳ Ἰησοῦ θεῖον, ὅπερ ἦν ὁ μονογενὴς ⸗ Θεοῦ [*quod in homine illo Jeſu quem intelligimus erat Divinum, id ipſum erat unigenitus Dei Filius*], idem ſolet & *Spiritus* dici, ut 1 Petr. III, 18. Tertullianus Apologetico, *Et nos uiam ſermoni atque rationi itemque virtuti, per quæ omnia molitum Deum ediximus, propriam ſubſtantiam Spiritum inſcribimus, cui & ſermo inſit pronuntianti, & ratio adſit diſponenti, & virtus præſit perficienti. Hunc ex Deo prolatum didicimus & prolatione generatum, ideirco Filium Dei & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ: nam & Deus Spiritus. Etiam cùm radius ex Sole porrigitur, portio ex ſumma, ſed Sol erit in radio, quia Solis eſt radius, nec ſeparatur ſubſtantia, ſed extenditur. Ita de Spiritu Spiritus & de Deo Deus; ut lumen de lumine accenſum: manet integra & indefecta materia matrix, etſi plures inde traducas qualitatis muneris: ita & quod de Deo profectum eſt Deus eſt & Dei Filius, & unus ambo. Ita de Spiritu Spiritus & de Deo Deus, modulo alternum numerum, gradu non ſtatu fecit, & à matrice non receſſit ſed exceſſit.* Idem De oratione, *Dei ſpiritus & Dei ſermo & Dei ratio, ſermo rationis & ratio ſermonis, & Spiritus utrumque Jeſus Chriſtus Dominus noſter.* Adverſus Marcionem I. *Jeſus de cælo manare dignatus eſt Spiritus ſalutaris:* & III. *Spiritus perſona ejus* (Dei creatoris) *Chriſtus Dominus.* Et mox, *Ipſe* (Chriſtus) *tunc fuerat in Moſe qui talia audierat, Spiritus ſcilicet Creatoris.* Libro V. *In quo Chriſto conſiſtere haberet tota ſubſtantia Spiritûs, non quaſi poſtea obventura illi qui ſemper Spiritus Dei fuerit, ante carnem quoque.* Et adverſùs Praxean, *Hic Spiritus Dei idem erit ſermo: ſicut enim, dicente Iohanne, Sermo caro factus eſt, Spiritum quoque intelligimus in mentione Sermonis, ita & hic Sermonem quoque agnoſcimus in nomine Spiritus.* Ibidem, *Chriſtus Paterna perſona Spiritus:* Libro de carne Chriſti, *Verbum Dei & cum Verbo Dei Spiritus, & in Spiritu Dei virtus & quicquid Dei eſt Chriſtus.* Ibidem, *Chriſtus quà Spiritus Dei & virtus Altiſſimi non poteſt infra Angelos haberi.* Cyprianus de Idolorum vanitate, *Carnem Spiritus Sanctus induitur.* Ita enim habent manuſcripti. Lactantius lib. IV. De ſapientia, capite VI. *Incorruptibilem & irreprehenſibilem Spiritum genuit quem Filium nuncapavit.* Et capite VIII. *In primis enim teſtificamur illum bis eſſe natum, primùm in Spiritu, poſtea in carne.* Deinde, *Nam ſermo eſt ſpiritus cum voce aliquid ſignificante prolatus.* Mox, *Ipſe verò cùm ſit & ipſe Spiritus, tamen cum voce ac ſono ex Dei ore proceſſit ſicut verbum.* Et capite XI. *Deſcendens itaque de cælo Sanctus ille Spiritus ſanctam virginem cujus utero ſe inſinuaret elegit.* In carmine ad Chriſtum quod Claudiano adſcribitur, *tu Spiritus inſons.* Prudentius de Chriſto,

——— *qui Spiritus olim*
Ore ſuperfuſus patrio, volitabat in undis
Nondum diſcretis, nec certo littore clauſit.

Idem Apotheoſi,

Ex quo mortalem præſtrinxit Spiritus alvum,
Spiritus ille Dei, Deus & ſe corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit.

Et quod Moſes dixerat, *Spiritum aquis incubantem*, id Λόγον Θεοῦ [*Verbum Dei*] vertit Scriptor antiquus, ſed Chriſtianus, Pœmandri. Vocatur ergo ἡ θεία ἐν Χριστῷ φύσις [*Divina in Chriſto natura*] Spiritus, non tantùm διὰ τὸ ἀσώματον [*ob incorporalitatem*], quomodo Patri id nomen convenit, ſed etiam quia quod ad diſtinctionem Verbi & Spiritus Sancti vocatur *generare*, Græcis interdum & ἀπαυγάζειν [*lucem de ſe edere*], id laxiori vocabulo etiam *ſpirare* appellabant, qualemcunque emanationem, aut, ut Tertullianus loquitur, προβολὴν [*protenſionem*] eo nomine indicantes. Nam & *procedere* Filium non minùs quàm derivari Tertullianus Adverſùs Praxeam dixit. Quomodo defendi poſſunt & Lactantius & alii quos cum Lactantio hac in parte ut Scripturarum imperitos accuſat Hieronymus. Nam certè quin Trinitatem apertiſſimè agnoverit Tertullianus dubitari non poteſt. Et quia plerique exiſtimant Latinorum fuiſſe hoc proprium, oſtendam etiam antiquiſſimos Chriſtianorum qui Græcè ſcripſerunt eundem ad modum locutos. Clemens epiſtolâ II. Ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος ⸗, ὁ σώσας ἡμᾶς, ὢν μὲν τὸ πρῶτον πνεῦμα, ἐγένετο σάρξ [*Jeſus Chriſtus Dominus, qui nos ſalvavit, cùm eſſet primùm Spiritus, factus eſt caro*]. Hermas, qualiſcunque auctoritatis, certè vetuſtatis primæ, ut ex Irenæo & Clemente ejus verbis utentibus apparet, Paſtoris Libro, ut nunc diviſio inſtituta eſt, tertio, *Illum Spiritum Sanctum qui infuſus eſt omnium primus in corpore in quo habitaret Deus.* Juſtinus Apologetico II. τὸ πνεῦμα οὖν καὶ τὴν ἐκ δυνάμεως τοῦ πατρὸς ⸗ Θεοῦ εἶδέναι ἄλλο νοητέον ἢ τὸν λόγον [*Spiritum igitur & virtutem à Deo non aliud intelligere debemus quàm verbum*]. Tatianus, Λόγ⸗ ὁ ἐκ πνεύματι ⸗ γεγονὼς ἀπὸ ⸗ πατρός [*Verbum cæleſte Spiritu natus de Patre*]. Theophilus, Ἔχει οὖν ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ λόγον [*habet igitur Deus ſuum Verbum*]· & deinde, Οὕτ⸗ οὖν ὢν τὸ πνεῦμα Θεοῦ καὶ ἀρχὴ καὶ σοφία [*Hic igitur cùm ſit Dei Spiritus & principatus & ſapientia*] Irenæus V, 1. εἰ δὲ μὴ ἦν ἄνθρωπ⸗ ἐφαίνετο ἄνθρωπ⸗, ὅτε ὁ ἦν ἐπ' ἀληθείας ἔμεινε πνεῦμα Θεοῦ [*quòd ſi cùm non eſſet homo viſus eſt homo, ne illud quidem verè manſit quod erat Dei Spiritus*]· ibidem, *Verbum Patris & Spiritus Dei adunitus antiquæ ſubſtantiæ plasmationis Adæ.* Et IV, 36. *adeſt enim ei ſemper Verbum & Sapientia Filius, & Spiritus à Sapientia, quæ eſt Spiritus, erat apud Deum ante omnem conſtitutionem Mundi.* Sed quod maximè notandum, etiam poſt ortam cum Arianis controverſiam & multis Synodis excuſſam ita locuti ſunt hi qui adverſùs Arianos ſcribebant; ut Phœbadius, *Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Nemo utique, ſed extra Spiritum ſanctum nemo: quem Spiritum Propheta ſapientem Architectum & admirabilem Conſiliarium dicit: nec immeritò. Nam idem Spiritus Sermo & Sapientia Dei eſt: ex cujus perſona Salomon, Quum pararet, inquit, cælos, ego aderam illi:* & poſtea, *Apparet ergo unum eundemque veniſſe nunc in nomine Spiritûs, nunc in vocabulo Sermonis, nunc in appellatione Sapientiæ.* Quin etiam poſt natum cum Macedonio certamen manſit hoc loquendi genus. Scriptor Dialogi eruditi adverſus Apollinariſtam, Χριστὸς πνεῦμα ζωοποιοῦν ἐστι τῷ ⸗ θεότητ⸗ λόγῳ [*Chriſtus Spiritus eſt vivificans ratione Deitatis*]. Epiphanius tertio Adverſus hæreſes, Οὐκοῦν δεῖ ⸗ πρὸς Φιλιππησίους ἐπιστολῆς διδάξαι ἡμᾶς, πῶς ἡ ὑπόστασις ⸗ υἱοῦ ὁμοία ἐστὶ τῇ ὑποστάσει ⸗ πατρός· πνεῦμα γὰρ ἐκ πατρός [*Ergo in Epiſtola ad Philippenſes nos docuit quomodo ſubſtantia Filii ſimilis ſit ſubſtantiæ Patris: Spiritus enim ex Patre*]. Chaldæus quoque Paraphraſtes quod apud Jobum eſt IV, 9. *à flatu Dei* vertit *à ſermone Dei.*

12. ὥστε ἐξίστασθαι πάντας, *ita ut mirarentur omnes*] Θαύμασαν [*mirata ſunt*] dixit Matthæus. Sed Marcus ſignificantius quæſivit vocabulum quo magnus ſtupor exprimeretur. Lucas quoque Marcum ſecutus ἔκστασιν [*ſtuporem*] dixit; neque hoc contentus adjecit καὶ ἐπλήσθησαν φόβου [*repleti ſunt timore*]. quomodo ἐφοβήθησαν legimus apud LXX 1 Reg. III, 28. & Actor. II, 43. ἐγίνετο ⸗ πάσῃ ψυχῇ φόβ⸗ [*fiebat autem omni animæ timor*]. ¶ οὕτως, *ſic*] Vide Matth. IX, 33.

14. Καὶ παράγων, *Et cùm præteriret*] Cùm ad partes maritimas iret, exeundum illi fuit per portam Caphernaïtici maritimam, apud quam haud dubiè fuit vectigalarium, cùm domus publicani eſſet in media urbe. De *Levi* nomine ad Matthæum diximus.

15. Ἦσαν ⸗ πολλοὶ, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ] Bene Hebraïſmi vim reddidiſſe mihi videtur Latinus Interpres vetus, *Erant enim multi qui ſequebantur eum. Eum*, multi hîc Chriſtum intelligunt. Mihi videtur potiùs ipſe Levi intelligendus, quem αὐτῷ [*ipſius*] nomine hoc ipſo commate deſignavit Marcus; ut ſenſus ſit, Tunc cùm à Chriſto vocaretur multos adfuiſſe ipſi, ut τελώνας [*Mancipi*] minores publicanos & id genus homi-

nes quos Judæi vocabant ἁμαρτωλούς [*peccatores*]. Eos autem Levin de more ſectatos ſimul etiam ad menſam accubuiſſe: neque abstersitum Chriſtum.

16. *ἰδόντες αὐτὸν ἐσθίοντα, videntes eum manducare*] Cùm intelligerent Jeſum cum publicanis ciburn ſumere; neque enim aderant. ¶ Τί, *Quid*] *Quid hoc rei eſt?*

17. *οὐκ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλούς, non veni vocare juſtos, ſed peccatores*] Subauditur εἰς μετάνοιαν [*ad pœnitentiam*]: quod adjectum eſt in codicibus Græcis non omnibus, & in Epiſtola Barnabæ, ubi eadem ponitur quæ hîc eſt ſententia; cùm olim abfuiſſe Syrus & Latinus Interpretes teſtentur, & antiquiſſimus ille qui in Anglia eſt Manuſcriptus. Senſus autem eâ adjectione haud dubiè antiquâ rectè explicatur. Nam quæ præcedunt verba ſatis oſtendunt ἁμαρτωλούς [*peccatores*] hîc non dici communi illa notione quæ omnes homines complectitur, ſed eos qui vitam vixerant hactenus exlegem. Quare & δικαίους [*juſti*] his oppoſiti intelligendi ſunt non in quibus nihil eſt humanæ infirmitatis, ſed tales quales ille Nathanael, *verus Iſraelita, in quo nihil erat doli*, aut quales Zacharias & Eliſabet, *vitam viventes inculpatam ſecundùm Divina præcepta*. Hi tali vocatione ad vitæ totius emendationem, quali priores illi, non indigent. Quo ſenſu Scriptor non inelegans precationis ex perſona Manaſſis, *Tu*, inquit, *Domine Deus juſtorum, non impoſuiſti pœnitentiam juſtis, Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, iis qui non peccaverant contra te; ſed impoſuiſti pœnitentiam mihi, qui ſum peccator.* Non agit hic Chriſtus de toto munere ſibi impoſito, ſed de ea parte muneris quâ & Baptiſta erat functus & ipſe tunc maximè fungebatur, κλῆσιν εἰς μετάνοιαν [*vocationis ad pœnitentiam*], quæ erat præparatio ad Regnum cœleſte. Hanc, ait, obire certè non poſſum circa homines emendatæ vitæ: opus igitur eſt eos conveniam qui maximè iſtius remedii indigent. Non malè adversùs Celſum Origenes, Ἐπέμφθη Θεὸς Λόγος καθὸ μὲν ἰατρὸς τοῖς ἁμαρτωλοῖς, καθὸ δὲ διδάσκαλος τὰ μυστήρια τοῖς ἤδη καθαροῖς [*Miſſus eſt Verbum quod eſt Deus, qui Medicus eſt peccatoribus, qui Magiſter rerum arcanarum jam purgatis*] Juſtinus Apologetico II. οὐ γὰρ τοὺς δικαίους, οὐδὲ τοὺς σώφρονας εἰς μετάνοιαν ἐκάλεσεν ὁ Χριστὸς, ἀλλὰ τοὺς ἀσεβεῖς καὶ ἀκολάστους [*non enim juſtos & temperantes Chriſtus ad pœnitentiam vocavit, ſed impios & intemperantes*]. Phariſæis ſanctimoniam quam ſibi vindicabant hoc quidem loco nec concedit Chriſtus nec detrahit.

18. Καὶ ἦσαν μαθηταὶ Ἰωάννου καὶ οἱ Φαρισαίων νηστεύοντες *Et erant diſcipuli Joannis & Phariſæorum jejunantes*] De hoc loquendi genere diximus ad caput I. Certum habeo non agi hîc de aliquo definito tempore, ſed eo quod fiebat ſæpius. Apud Matthæum ipſi de ſe dicunt νηστεύομεν πολλά [*jejunamus frequenter*]: apud Lucam οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου νηστεύουσι πυκνά [*diſcipuli Joannis jejunant frequenter*]. Quod non monerem niſi viderem eſſe qui aliter interpretarentur. ¶ καὶ ἔρχονται καὶ λέγουσιν αὐτῷ, *& veniunt & dicunt illi*] Tum Johannis diſcipuli quos Matthæus nominat, tum Phariſæi quos Lucas: quanquam nihil neceſſe eſt dicamus id uno tempore accidiſſe.

19. *ὅσον χρόνον μεθ' ἑαυτῶν ἔχουσι τὸν νυμφίον οὐ δύνανται νηστεύειν quanto tempore habent ſecum ſponſum non poſſunt jejunare*] Hoc addidit Marcus ut ſignificaret interrogationem vim habere negandi. Quare & Syrus hîc præter nudam negationem nihil poſuit. δύνανται [*poſſunt*] hîc non quid fieri omnino poſſit, ſed quid conveniat, ſignificat: quod & alibi occurrit.

21. εἰ δὲ μή, *alioquin*] Ita & apud Lucam, εἰ δὲ μήγε. Deeſt verbum, ut Apocalyſi II, 5. & alibi: quod ex ſenſu ſupplendum. Hic ſenſus eſt, *Ni cavet eum errorem.*

23. Καὶ ἐγένετο παραπορεύεσθαι αὐτὸν, *Et accidit ut ambularet*] Hanc lectionem & Syrus ſequitur. Quare quod alii minùs vetuſti codices habent ἐγένετο πάλιν [*factum eſt iterum*], puto veniſſe ex Latina verſione, in qua *iterum* poſitum eſt μεταβατικῶς [*ad connectendum ſermonem*,] ni fallor. Solet enim iſte Interpres nonnunquam adjicere aliquid, ut infrà quoque commate 24.

25. ὅτε χρείαν ἔσχε, *quando neceſſitatem habuit*] Addidit hoc conſultò Marcus, ut ſpeciale exemplum ad generalem referret regulam, quæ hæc eſt, *Leges rituales vim obligandi amittere ubi ſatis gravis urget neceſſitas*, quæ χρεία [*neceſſitas*] hîc dicitur: quomodo & Græci Scriptores dicere ſolent ἐν χρείᾳ [*in neceſſitate*, ſive *ubi opus eſt*]. De re ipſa ad Matthæum egimus.

26. ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως, *ſub Abjathar Principe Sacerdotum*] Achimeleco nomen fuiſſe *Abjathari*, & Abjathari ejus filio viciſſim nomen *Achimeleco*, nondum video probatum. Nam *Achimelec*, qui nominatur II Sam. VIII, 17. & I Paralip. XXIV, 3. non vocatur *Pontifex Maximus* ſed *Sacerdos*, eminens ſcilicet inter alios, ut Pontificis filius, ſed Sadoco tamen minor, quia Sadocus erat Abjathare Pontifice Maximo Pontifex à Maximo ſecundus & Maximi vicarius, ſed eſt בן אחימלך בן אחיטוב aut בן אחיטוב בן אחימלך. Hunc rectè ſequitur filius Pontificis Maximi. At Pontificem Maximum poſt Vicarium ſuum nominare contra rationem ac conſuetudinem fuerat. Cur ergo Marcus dixit *ſub Abjathare Pontifice* factum id quod factum eſt ſub Achimeleco Pontifice Maximo? Nihil probabiliùs reperio quàm quòd *Abjathari* nomen erat notius ob Ephod allatum ad Davidem I Sam. XXIII, 6. & ob diu geſtum ſub Davide Pontificatum Maximum. Sed & ipſe cùm hoc fieret erat Pontifex, Patris ſcilicet vicarius, ut cui in Pontificatum Maximum ſucceſſit, ut ſolebant Vicarii: & adfuerat rei quæ hîc narratur, atque ipſe tum patris tum Davidis factum probarat. Simili de cauſa Lucas in deſignatione temporis, Cajaphæ Pontifici Maximo Annam addidit, ut celeberrimæ famæ virum. ¶ καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι; *& dedit eis qui cum eo erant?*] Prudenter hoc addidit Marcus, quanquam rectè etiam Matthæus ſignificarat cum diceret οἳς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, οὐδὲ τοῖς μετ' αὐτοῦ [*quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant*]. Et verum eſſe loquitur hiſtoria I Sam. XXI, 4, 5. Hoc enim addito, exceptio quæ ex Davidis dignitate quæri poterat excluditur.

27. Τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, *Sabbatum propter hominem factum eſt*] *Sabbatum* vocat hîc legem otii die ſeptimo. Sunt quædam ita per ſe honeſta ut nunquam ſine flagitio contra ea fieri poſſit. Sunt alia quæ ex Jure conſtituto veniunt, quod non ex fontibus honeſti neceſſitate quadam fluit, ſed utilitatis alicujus causâ reperiri ſolet. Ita lex illa otii ob duplicem maximè utilitatem reperta eſt; primùm ne ullius operis obtentu negligerentur conventus pietatis causâ inſtituti; qua de re egimus ſuprà. deinde, ut aliquod eſſet à laboribus ſpiramentum, quod alioqui dominorum duities familiæ vix erat conceſſura, Exod. XXIII, 12. His acceſſionis vice addita eſt Ægyptiacæ libertatis memoria, & rerum majorum ſignificatio. Nam ab initio non inſtitutum fuiſſe à Deo Sabbatum cum otiandi neceſſitate alibi probabimus. Quæ verò hujus ſunt generis facile cedunt ubi in contrarium urget evidens ratio. Nam æquitas ipſa dictat, quod & Jure Romano proditum eſt, quæ utilitatis causâ ſunt reperta ea non debere duriori interpretatione in odium retorqueri.

28. ὥστε κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου. *Itaque dominus eſt filius hominis etiam Sabbati*] υἱὸς τῶν ἀνθρώπων [*filios hominum*] *homines quosvis* Marcus etiam infrà dixit III, 28. Neque obſtat hic articulus: nam ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου [*filius hominis*] rectè dicitur cum de generis humani univerſitate agitur. Sæpe enim articulus notat τὸ καθόλου [*totum genus*]. Ephraïm Antiochenus *δηλοῦντες διὰ τοιαύτης περιτυχῆς τὸν περὶ θεοῦ οὐ τὸν τινὰ ἄνθρωπον ἀλλὰ τὸ ὅλον* [*ſignificantes per talem articuli præpoſitionem non hominem hunc aut illum, ſed totum genus*]. Vide infrà III, 26.

CAP. III.

VALLA.

10. *Multos enim ſanabat*] *Sanaverat* legendum eſt, ἐθεράπευσεν.

12. *Et vehementer comminabatur eis, ne manifeſterent illum*] *Increpabat* ego dixiſſem, ἐπετίμα.

13. *Et aſcendens in montem, vocavit ad ſe quos voluit*] Græcè eſt temporis præſentis, ſic, *Et aſcendit in montem, & advocat quos voluit:* καὶ ἀναβαίνει εἰς τὸ ὄρος, καὶ προσκαλεῖται οὓς ἤθελεν.

19. *Judam Scarioth*] *Iſcariotem* legendum eſt, Ἰσκαριώτην.

21. *Et cùm audiſſent ſui, exierunt tenere eum*] Græcè eſt, ut ad verbum transferam, *Et cum audiſſent qui ab eo erant, exierunt tenere eum*] καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ.

29. *Sed reus erit æterni delicti*] *Æterni judicii* legendum eſt, κρίσεως.

ERASMUS.

4. *Benefacere ἀγαθοποιῆσαι, an male κακοποιῆσαι*] Quod non ſonat ſimpliciter *facere rem malam*, aut *bonam*, ſed

ſed *malè re*, aut *benè*, *afficere quempiam*, q. d. *Utrùm prodeſſe fas eſt ſabbatis, an ladere?* ¶ *Aut perdere*] Ἢ ἀπολέσαι *an occidere.*

5. *Et circumſpiciens*] Περιβλεψάμενος *cùm circumſpexiſſet.* ¶ *Contriſtatus*] Συλλυπούμενος *condolens*, ſeu verius *condolescens.* ¶ *Et reſtituta eſt manus illius*] Gr. καὶ ἀπεκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη, *& reſtituta eſt manus illius ſana ut altera*: verùm haud ſcio an verbis aliquot ex Matthæo huc aſcriptis.

9. *Ut navicula ſibi deſerviret*] Ἵνα πλοιάριον προσκαρτερῇ αὐτῷ, *Ut navicula inſerviret ſibi*, ut navicula eſſet ſibi uſui, ſive adhiberetur ſibi. Nam προσκαρτερεῖν ſæpe aliàs vertit *aſſiſtere*, ſive *inſiſtere.* ¶ *Non comprimerent eum*] Μὴ θλίβωσιν αὐτὸν, *ne ſe premerent.* Primum Latinius, deinde accomodatius ad Græcum ſermonem.

10. *Plagas*] Μάστιγας *flagella.* Sic enim vocat afflictionem quâ Deus corripit homines.

11. *Clamabant, dicentes*] Λέγοντα. *Dicentes* ad ipſos *ſpiritus* refertur, quòd ea vox Græcis eſt neutri generis.

12. *Comminabatur*] Ἐπετίμα *increpabat.* Quanquam hoc loco tolerabilius erat *interminabatur.*

13. *Et aſcendens in montem advocavit*] Gr. ἀναβαίνει καὶ προσκαλεῖται *aſcendit & advocat*, ut poſterius ſit præſentis temporis.

14. *Et fecit duodecim*] Græca nonnihil diſſident, καὶ ἐποίησε δώδεκα, ὃς καὶ ἀποστόλους ὠνόμασεν, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ, *& fecit duodecim, quos & Apoſtolos nominavit, ut eſſent ſecum.* Quanquam id in emendationibus Græcorum exemp. non eſt aſcriptum; & magis convenit breviloquentiæ Marci ut omittatur. Atque hîc quoque multa prudens diſſimulo, vel quòd minutula ſint, vel quòd in Matthæo jam annotata.

15. *Et dedit*] Καὶ ἔχειν *& habere*, ſive *ut haberent.* Pendet enim à ſuperioribus, *ut eſſent ſecum, & haberent poteſtatem*: aut certè cum proximo verbo connectendum, κηρύσσειν καὶ ἔχειν, *mitteret eos ad prædicandum, itque haberent.*

16. *Et impoſuit Simoni*] Ante hæc verba habent nonnulli Græci cod. πρῶτον Σίμωνα, *primum Simonem*: verùm id in emendationibus non reperitur, & videtur ex Matthæo deſumptum. Certè apud Theophylactum non reperi, nec in edit. Aldina. ¶ *Nomen Petrus*] Græcè quidem eſt Πέτρον. Sed *Petrus*, aut *Petro*, aut *Petri* Latinius eſt, ni fallor; niſi magis placet periphraſis.

17. *Boanerges*] Nam Heb. בני *filios* ſonat, רגש *tonitrui*, vel *fremitûs.* Ità nos docet libellus De nominum Hebr. interpretatione, incerto titulo. Tametſi Hieronymus putat vocem eſſe depravatam, ac legendum eſſe *Banerrem*: REGES enim Hebræis ſonare *fremitum*, niſi malis רגש *tumultus*, vel *commotio*: non rarò enim *y* per *g* enunciarunt LXX, ut eſt videre in *Gomorrha.* Quanquam *fremitus* minimùm abeſt à *tonitruo*, cùm Homerus Jovem ὑψιβρεμέτην & ἐριγδούπην appellet, non ob aliud quàm ob tonitrua. Porrò quid eſt quod Hieronymus appellat *corruptum*? An quod Syro ſermone aut Chaldaico deflexum eſt? Hujuſmodi verbis ſubinde utuntur Euangeliſtæ. Imò hâc linguâ Chriſtus videtur fuiſſe locutus, quæ tum communi populo fuit quàm maximè familiaris. Quod ſi Euangeliſta corrupit, non temere corrupit, neque nobis pro corrupto debet haberi quod ſcripſit Euangeliſta à Chriſto prolatum, quódque Græcè nobis dignatus eſt interpretari. Quare nihil erat cur in me debaccharetur quidam quod hic Euangeliſtæ autoritatem ſequi maluerim quàm Hieronymi; præſertim cùm hic in hujuſmodi rebus nonnunquam vel connîveat vel parùm ſibi conſtet, neque dubitandum quin alicubi fallatur.

18. *Et Matthæum*] Quidam Græcus codex addit ὁ τελώνην *publicanum*: quanquam nec id reperio in emendationibus ac veteribus exemplaribus.

20. *Et convenit iterum turba*] Καὶ συνέρχεται πάλιν. *Convenit* præſentis temporis eſt, ut prima ſyllaba pronuncietur acuta. Id tametſi minutulum eſt, tamen haud indignum judicavi quòd indicaretur, propterea quòd in re tam ſacra nefas ſit vel minima negligere. ¶ *Sic ut non poſſent*] Græcis quidem duæ ſunt negationes, ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν· quod duobus modis Latinè reddi poterat, *Convenit iterum turba tanta ut non poſſent ne panibus quidem veſci*: aut ſic, *Ut non poſſent vel panes edere.* Sentit enim tantam fuiſſe multitudinem ut non ſolùm non ſuppeterent obſonia, ſed nè panum quidem ſatis eſſet in cibum; aut certè, tantum fuiſſe confluxum ut Diſcipulis non eſſet otium ſumendi cibi; tantum aberat ut ad alia eſſet otium: qui poſterior ſenſus meo judicio verior eſt.

21. *Et cùm audiſſent ſui*] Οἱ παρ' αὐτοῦ *qui ad illum pertinebant, & ex illius erant familia*, ſeu *cognatione*: itidem paulò inferiùs τοὺς παρ' αὐτοῦ vertit *ſua.* Sentit enim cognatos, & affines ejus. ¶ *Exierunt tenere eum*] Κρατῆσαι αὐτὸν *ut comprehenderent eum*, ſive *ut manus injicerent.* Nam id eſt agnatorum, ſi quis commotæ mentis eſſe cœperit. ¶ *In furorem verſus eſt*] Ἐξέστη *mente captus eſt*, ſive, ut in quibuſdam legitur, ἐξίστη.

22. *Beelzebub*] Βεελζεβοὺλ *Beelzebul*; de quo diximus in Matthæo. ¶ *Quia in principe*] Hîc omittendum erat ὅτι, aut vertendum erat *quòd ejiceret*; quemadmodum illud quod proximè præceſſit, *quoniam Beelzebub habet.*

24. *In ſe*] Ἐφ' ἑαυτὸν *in ſeipſum*, ſive *adversùs ſeipſum.*

25. *Diſpertiatur*] Idem verbum quod modò vertit *dividatur*, μερισθῇ.

26. *Diſpertitus eſt*] Gr. καὶ εἰ ὁ σατανᾶς ἀνέστη ἐφ' ἑαυτὸν, καὶ μεμέρισται, οὐ δύναται σταθῆναι, *& ſi Satanas inſurrexit in ſeipſum, ac diviſus eſt, non poteſt ſtare.*

28. *Quibus blaſphemaverunt*] Ὅσα ἂν βλασφημήσωσιν *quæcunque blaſphemaverint.* Sic enim loquuntur Attici, *convitia convitiantur*, & *fugam fugiunt.*

29. *Non habebit remiſſionem*] Οὐκ ἔχει *non habet.* Ità legit cod. Aureus, atque etiam Conſt. ¶ *Æterni delicti*] Αἰωνίου κρίσεως *æterni judicii*, ſive *æterna damnationis*: quanquam hoc nihil refert ad ſenſum: per ſynecdochen enim aliud ex alio intelligitur.

34. *Et circumſpiciens*] Καὶ περιβλεψάμενος τοὺς κύκλῳ περὶ αὐτὸν μαθητὰς καθημένους, *& cùm circumſpexiſſet in circuitu circum ſe diſcipulos ſedentes.* Quanquam in quibuſdam exempl. μαθητὰς non additur, & eſt alius ordo, περιβλεψάμενος κύκλῳ περὶ αὐτὸν καθημένους. In priore lectione ſenſus eſt, Diſcipulos undique Dominum circumſediſſe: in poſteriore intelligimus Dominum circumtuliſſe oculos per auditores, ut nulli ſederint à tergo Jeſu.

V A T A B L U S.

2. CUraret*] * Esus.

4. *Benefacere, an malè*] Voces Græcæ ſignificant *malè re*, vel *benè afficere quempiam.* q. d. *ladere, an prodeſſe?* ¶ *Animam ſalvam facere*] Hebr. pro *hominem*, vel *vitam*, *ſervare.* ¶ *Perdere*] *Occidere.*

5. *Cum ira*] *Iratus.* ¶ *Contriſtatus ſuper cæcitate*] *& triſtitiâ affectus ob cæcitatem.* ¶ *Illi*] *Illius ſanitati, ut altera.*

6. *Quomodo*] *Ut.*

8. *Trans*] Vel, *à regione quæ erat trans.*

9. *Et dixit**] * *Jeſus*, V. ¶ *Ut in navicula ſibi deſervirent*] *Ut navicula ſibi deſerviret*, V. i. ut ſibi adhiberetur navicula.

10. *Plagas*] *Flagella.* Sic vocat afflictionem quâ Deus corripit homines.

12. *Comminabatur eis*] *Increpabat eos.*

14. *Fecit*] *Conſtituit.* ¶ *Ut eſſent duodecim cum illo*] *Duodecim, quos & Apoſtolos nominavit, ut eſſent ſecum.* Sic in quibuſdam Græcorum codicibus.

15. *Et dedit illis*] *Et ut haberent.*

17. *Et Jacobum*] Sub. *deſignavit*, vel *conſtituit.* ¶ *Boanerges*] Vox corrupta, pro qua Hebraicè legeretur *Benereges.*

18. *Jacobum Alphæi*] Sub. *filium.*

20. *Poſſet*] *Poſſent*, V. ſub. *Diſcipuli.* ¶ *Panem manducare*] i. cibum capere, Hebr.

21. *Tenere eum*] *Ut manus injicerent in eum.* i. ut cohiberent eum nè ſe turbæ committeret.

22. *Eis*] i. turbis. vel, Phariſæis. *In parabolis*] Vel, *per ſimilitudines.*

25. *Super ſemetipſum*] *Contra ſemetipſum.* ¶ *Diſpertiatur*] *Diviſa fuerit.*

26. *Diſpertitus eſt, & non poterit*] *Ac diviſus ſit, non poteſt.* ¶ *Finem habet*] Vel, *finem attigit.*

27. *Vaſa*] i. inſtrumenta bellica, Hebr. ¶ *Domum**] **Ejus*, V. ¶ *Diripiet*] Vel, *diripere poteſt.*

28. *Blaſphemia quibus blaſphemaverunt*] Vel, *convitia quibuscunque convitiati fuerint.*

29. *Habebit*] *Habet*, V. ¶ *Reus erit æterni delicti*] *Reus eſt æterni judicii*: præſens pro fut. i. damnabitur in æternum.

31. *Vocantes eum*] *Qui evocarent eum.*

34. *Circumſpiciens eos qui in circuitu ejus ſedebant*] *Cùm circumſpexiſſet in circuitu circum ſe diſcipulos ſedentes.*

CASTALIO.

5. *Eorum animi callum*] i. obſtinatam pertinaciam.
17. *Itémque Jacobum*] Sc. *conſtituit.*
30. *Quoniam dicebant*, &c.] Plena ſententia erit, *Id autem dicebat, quoniam dicebant*, &c.

CLARIUS.

2. *Et obſervabant eum ſi ſabbatis curaret eum*] Admiranda cæcitas ex ſuperſtitione profecta. Sic omnibus in rebus opus eſt illâ Pauli ſcientiâ, quam dolet defuiſſe Judæis cùm dixit, *habere quidem eos æmulationem Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam.*
10. *Quotquot habebant plagas*] Μάστιγας. Morbos autem intelligit, quibus nos quaſi flagellis cædit Deus.
16. *Et impoſuit Simoni nomen Petrum*] Nomina imponuntur iis ſervis qui maximè domeſtici ſunt, & in ſignum imperii in eos ac poteſtatis; ut Adam animalibus. Cur autem Simonem appellaverit *Petrum* ipſe Dominus declarat ubi dicit, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Filii verò Zebedæi vocantur *Filii tonitrui* ob prædicationis excellentiam Theologiæque præſtantiam, præſertim Joannis.
21. *Dicebant enim, In furorem verſus eſt*] Omnia malorum exempla pertulit Dominus. Cogita verò quàm feliciter carnales homines interpretentur facta Spiritûs.
27. *Nemo poteſt vaſa fortis*] Oportuerat, inquit, vos ità colligere, Me, ſi ejicio dæmonia, fortiorem illis eſſe.

ZEGERUS.

5. *Circumſpiciens eos cum ira*] Tali videlicet quâ indignatur vitiis, de quali ſcribitur in Pſal. 4. *Iraſcemini, & nolite peccare.* ¶ *Et reſtituta eſt manus illi*] Quam habens aridam veluti non habebat. Vel, *reſtituta eſt ſana ut altera*, id quod in Græcis ſupplerum eſt ex Matthæo, ut apparet, ὑ. γοὺς ὡς ἡ ἄλλη. Id neque Petrus Chryſologus habet, neque Beda.
17. *Et Jacobum Zebedæi, & Johannem*] Pendent hi & ſequentes accuſativi ab illo, *vocavit ad ſe*, vel ab illo, *ut mitteret eos prædicare.* ¶ *Boanerges*] D. Hieronymus exponens Dan. 1. rectiùs *Benereem* legi teſtatur, ſive *Banereem*, ut idem ſcribit lib. De vocabulis Hebr. Munſterus in ſuo בניריעם Chaldaico בנירגש ſcribit. Philippus auditor Hieronymi *Bonerges* inquit, ſive *Bonergem.*
20. *Et conveniunt*] Primâ acutâ: eſt enim *συνέρχεται* temporis præſentis, ſicut & præcedens *veniunt* ἔρχονται. ¶ *Ità ut non poſſent neque panem manducare*] Licèt duæ ſint negationes, tamen perinde eſt acſi diceretur, *ità ut non poſſent panem manducare*, niſi quòd altera negatio ad emphaſin faciat. Quod autem præcedit, *& veniunt domum*, intelligendum eſt, ſumendi cibi gratiâ eò ſe contuliſſe Dominum unà cum Diſcipulis, verùm propter turbam concurrentem non vacaſſe illis ut cibo reficerentur: nam *panis* nomine quivis intelligitur cibus.
21. *Cùm audiſſent ſui*] Nempe cognati & affines, *οἱ παρ' αὐτοῦ*, i. *qui ad ipſum pertinebant.*
25. *Diſpertiatur, & diſperſum*] Illud levius fortaſſe quàm ut admoneri debeat, utrumque per *e* ſcribendum, quòd *partior* in compoſitis commutat *a* in *e*.

LUCAS BRUG.

17. *Et impoſuit eis "nomina, Boanerges, quod eſt, filii* ["*nomine Boanargen, quod eſt filium*, 1 MS.o.] *tonitrui.*] Duo ex MSS. noſtris *Boarneges* ſcribunt; unum, H, *Bonerges*, quomodo, ſive *Bonergem*, Philippum Hieronymi auditorem id efferre Zegerus ait; duo, L. C. *Bonarges.* Plerique verò Latini libri, ſcripti atque impreſſi, & Græci, concorditer, *Boanerges* [*Boanarges* 1 MS. *Bonaerghes* 1.] habent. D. Janſenio *Bonareges*, literis transpoſitis, veriùs legi videtur: hoc enim ad Hebræam vocem בני רגש vel בני רעש, *Benereges*, & eam quæ indè formetur Chaldæis, eámque quæ Syris, propiùs accedit. *Benaireghesi* eſt in Syrico Teſtamento. D. Hieronymus, primum Danielis caput enarrans, *Non*, inquit, *ut plerique putant*, Boanerges, *ſed emendatiùs legitur* Bene-reem. *Bene reem* בני רעם legere quàm *Benereges* maluit, eò quòd illud *filios tonitrui*, hoc *filios tumultûs* propriè denotet. Cæterùm poſſet hoc pro illo accipi: quare Syrus interpres, *Benai-reghesi* expoſuit *Benai-raamo.* Nam *raam* Hebræi pronunciant. Quòd ſi exprimas *regem*, veriſimilitudinis aliquid indè accipiat *Bonergem*; ut à *reges*, *Bonerges* & *Bonarges. Boanerges* indè originem habuiſſe potuit, quòd imperitis *boa* ad tonitru exprimendum viſum fuerit conveniens: turpiſſimè enim paſſim Græci Latinique peregrinarum linguarum vocabula falſi corruperunt.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον γ, Περὶ τῶν ἰαθέντων ἀπὸ πυκίλων νόσων.
Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. α, Ὀψίας ὃ ἡμ. ὅτι ἰδὼ ὁ ἥλι@, ἔφερον πρὸς αὐτὸν π. τὺς κακ. ἔχ. ἢ τὺς δαιμ.
Ὄχλω ἀκατασείσιου μετ' ἄλγια ποικὶλ' ἔπασιν.
Ἄλλως,
Δαιμόνι ἐκ πολλῶν, ἐκ πολλῶν ἰκβαλε νούσες.

2. Παρετήρουν] *Obſervabant.*
5. Συλλυπούμεν@ ἐπὶ τῇ πωρώσει τ῀ καρδίας αὐτῶν] *Vicem eorum dolens, quòd occalluiſſet cor eorum.*
9. Ἵνα πλοιάριον προσκαρτερῇ αὐτῷ, διὰ τ῀ ὄχλον, ἵνα μὴ θλίβωσιν αὐτόν] *Ut navigiolum aſſiduè ei præſtò eſſet, propter turbam, ne ipſum comprimerent.*
11. Προσέπιπτον αὐτῷ] *Accidebant ad pedes ejus*: vel, *procidebant.*
21. Οἱ παρ' αὐτοῦ] *Ejus domeſtici*: vel potiùs *propinqui.* ¶ Ὅτι ἐξέστη] *Eum è mente exiſſe.*

DRUSIUS.

4. *Animam ſervare*] Animam ſervat, qui hominem; item qui eam ſalutaribus præceptis imbuit, Deóque reconciliat. Nam ut vita corporis eſt anima, ſic vita animæ Lex, hoc eſt verbum Dei: Quò pertinet illud, *Non è ſolo pane vivit homo, ſed ex omni eo quod procedit ex ore Dei.* Quocirca Lex eſt hominibus quod aqua piſcibus: Extra aquam non vivunt piſces, nec extra Legem homines. Vide ſequentia. ¶ *An occidere*] Animam occidit, qui hominem occidit; item qui peccat, aut peccare facit: moritur enim anima in peccatis. Unde peccatores *mortui* vocantur. Pſal. 22. 29. *& qui animam ſuam non vivificaverit*, i. occiderit. Nam anima perit in morte ſecunda, quæ ideo *mors animæ* dicitur.
6. *Cum Herodianis*, μετὰ τῶν Ἡρῳδιανῶν] Quinam fuerint Herodiani quæſitum à doctis: variæ ſententiæ: ego quam reperi apud authores Ebræos, eam ponam. In Lexico Juris lego Herodianos natione Græcos fuiſſe: dictos autem ab Herode, qui primus eos traduxit ex deſerto ad locum habitatum, educavitque. Ponam verba Ebraica, deinde reddam ut ſonant ad verbum: והמלך הרודוס הביא יונים מן המדבר הזה אותם בישוב : ועשו תרבות ונקרא על שמו הרודוסיים i. *Herodes Rex adduxit ſecum Græcos ex deſerto, & educavit eos in terra habitata: & fecerunt feſtam, vocatique ſunt de nomine ipſius Herodiani.* Horum mentio in Gemara, cap. *Sillunach baken.* Vocabantur alio nomine הורסיתא *Dorſiotbita*, ſive *Dorſiani*, videlicet à loco unde abducti fuerant. Concludam caput, ſi addidero, qui huc facere videtur, Juſtini Martyris locum Diſput. cum Tryphone, Οὐδὲ Ἰουδαίους ἂν τις ὀρθῶς ἐξετάσῃ, ὁμολογήσειεν εἶναι τὺς Σαδδυκαίους, ἢ τὺς ὁμοίως αἱρέσεις ἡγουμένους, ἢ μεσσηνῶν, ἢ Γαλιλαίων, ἢ Ἐλλιανιανῶν, ἢ Φαρισαίων βαπτιστῶν. Quid Ἐλλιανιανῶν; fallor, aut rectè expono Ἡρῳδιανῶν. A me eſt locus quem ſuprà adduxi; docti expendent: ego affirmare pro certo non auſim. *Herodiani Judæi erant qui Herodem Chriſtum eſſe credebant*, Epiphanius Contra Hæreſes lib. 1. Damaſcenus de Hæreſibus. *Herodis milites, ſeu quos illudentes Phariſæi, quia Romanis tributa ſolvebant, Herodianos vocabant & non divino cultui deditos*, Hieron. in Matth. 22. Idem ſubjungit, *Quidam Latinorum ridiculè Herodianos putant qui Herodem Chriſtum eſſe credebant: quod nuſquam omnino legimus.* Hucuſque Hieron. *Forſitan in populo tunc qui dicebant oportere dare tributum Cæſari, vocabantur Herodiani ab his qui hoc facere recuſabant*, Origenes in Matth. ורבית הרודס *domeſtici* ſive *aulici Herodis*, interpres Syrus. Vide nunc quæ habentur ad Matth. 22. 16. & Septimium Tertullianum De præſcript. adv. hæreſes, cap. 45. & Pamelium ad illum locum. Perſius Satyr. 5. *Herodis venere dies*, &c. Ad hunc locum notatum in Gloſſario veteri, *Herodes apud Judæos regnavit temporibus Auguſti in partibus Syriæ. Herodiani ergò diem natalem Herodis obſervant, ut etiam ſabbatha: quo die lucernas accenſas & violis coronatas in feneſtra ponunt.*
7. *Judæa*] *Judæa* dupliciter dicitur: Uno modo ut denotet eam partem in qua Jeroſolyma, quæ continebat duas tribus, vide-

videlicet Juda & Benjamin, Matth. 2. 1. & à Galilæa hîc distinguitur & Matth. 19. 1. Joh. 4. 47, 54. & à Samaria Actor. 1. 8 & 8. 1. Altero modo ut etiam reliquas tribus comprehendat generali significatione. Qua de re audiendus Zacharias Chrysopolitanus Episcopus in Unum ex quatuor, *Omnis quidem Judæorum provincia*, inquit, *ad distinctionem aliarum gentium Judæa dicitur; sed specialiùs Meridiana plaga, ad differentiam Samariæ, Galilææ, Decapolis & cæterarum regionum ejusdem provinciæ.* Judææ amplitudo quanta fuerit ex Hecatæo Abderita docet Josephus contra Appion. l. 1. *Pene decies*, inquit, *trecenta millia jugera terrarum optimarum uberrima provincia possident*, &c.

10. *Habebant plagas*] Alius, *tenebantur flagellis.* Nam μάστιξ *flagellum.* Sed vetus interp. *plagam* interpretatur non solùm hoc loco sed etiam apud Sirachidem Eccl. 23. 10. Sanè μάστιγας Græci LXX appellant quas Ebræi נגעים dicunt, i. *plagas.* Quæ vox eo modo conversa invenitur Psal. 90. 10. & 88. 32. & 38. 10. Qui Ebræis sunt 91. & 89. & 39. Vide si otium est, & si vis.

14. *Fecit duodecim*] Elegit & evexit ad dignitatem Apostolatûs. Simile, *qui fecit Mosem & Aharonem*, 1 Sam. 12. 6. Nec alienum quod Joh. 6. 15. *Ut facerent ipsum regem.* Nam Rex *fit* per electionem. *Facere* in lingua sanctuarii עשה dicitur. Id aliquando significat *augere, ornare, educare, promovere.* Sic enarrant Psal. 95. 6. Deut. 32. 7. Hos. 8. 14. Job 35. 10. Jes. 54. 5. Rursum Psal. 149. 2. & Sirach. 47. vers. 10.

17. *Boanerges*] Gregorius Nyssæ episcopus ὁ τῆς βροντῆς υἱὸς cùm ait, λέγω εἰς τὸν ἐξαίφνης ἀντὶ τοῦ Κυρίου, significat Johannem Euangelistam: quod intelligi potest ex eo quod hîc legitur, ᾧ ἐπέθηκεν ὄνομα Βοανηργὲς, ὅ ἐστιν υἱὸς βροντῆς. Quem locum adduxi propter vocem *Boanerges*, quæ absque dubio corrupta est. Vetus lectio, *Benereem.* Hieron. in comment. Dan. 1. *Filii Zebedæi appellati sunt Filii tonitrui; quod non, ut plerique putant, Boanerges, sed emendatiùs legitur Benereem.* Idem Isa. 62. *Filii quoque Zebedæi, quorum unus vocem tonitrui emittere poterat*, IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, ET VERBUM ERAT APUD DEUM, ET DEUS ERAT VERBUM, *appellati sunt Benereem, quod interpretatur Filii tonitrui.* In his duobus locis reposuit nuperus corrector *Benerahaam*: sed libri veteres *Benereem*, & rectè. In lib. De nom. Ebr. *Banereem, Filii tonitrui: quod corruptè Boanerges usus obtinuit.* Noli ambigere quin scribendum *Benereem*, ut suprà רעם *tonitru.* Usus est hâc voce Jonathan interpres Chaldæus Isa. 29. 6. ubi רעם scriptum imperitiâ eorum qui puncta addiderunt: tu me auctore emenda רעם ex analogia Danielis & Esdræ. רעם ῥὲμ antiquè ῥγὲμ aut ῥγὲς, in quo duplex archaismus: Primum γ loco ν, ut in Ναγασὴλ, Γόμορρα, & similibus exemplis: deinde ῥγὲς ῥγὲμ, quod fit ad hunc modum. Posit abjectam ultimam μ, ut in Μαγία & γίνομαι, additur σῆγμα more Græco. Ità solitum facere Græcis nominibus vocali desinentibus. Vide quæ de *Maria* scribuntur Matth. 1. 16. Potest etiam dici quòd μ mutata sit in ϐ, ex more eo quo Ἀνίϐας dicebant pro *Annibal*; quem morem notamus in eodem loco. Hoc pono, non statuo. Pro *Benereem* interpolant alii, in queis Caninius, בני רעש *Benereges.* Ità Syrus, apud quem corruptè רעש scriptum pro רעש. Causa erroris, ut existimo, quia absque punctis erat רעש, unde רעש transpositis literis. In declaratione reperio apud eundem רעמא בני: ergò רעם vox Syra, & frustrà est vir doctus, qui hoc negat. Ausim dicere magis probam vocem esse רעם in hoc sensu quàm רעש. Nam, ut verum fatear, ego ῥγὲς pro *tonitru* adhuc quæro. Scire cupiet aliquis causam vulgatæ scripturæ *Boanerges*: vellem possem certam dicere; sed conjecturis agendum erit. Conjicio primum scriptum fuisse *Banerges* ex sono antiquo pro *Benerges*, ut *Samuel* pro *Semuel*: quomodo etiam defendi posset *Banereem*, quod est apud Hieronymum. Porrò *Banerges* Syriæ quædam dialectus dicit *Benerges*, & alioqui *a* in *e* facilè migrat; ut *Oncelos*, *Aquilas*; *Ödam*, *Adam.* Ex his dialectis conflatum *Boanerges.* Nam imperitia quid non audet? In Lexico Hesychii est Βοανεργεῖς. Cæterùm in Anselmo repperi *Bonoarges*, & apud Origenem Hom. 1. in Gen. *Boanarges.* Nomen est compositum ex בני *filii*, quod antiqui sonabant *bane*, sed nunc sonant *bene*, & רעם *tonitru.* Id Græci scribebant ῥγὲς, ultimâ nominis barbari in *e* versâ. Idem factum in קרן *νίφος*, *cornu*: sic כרכם *crocus*; quanquam & *crocum* dicatur genere neutro: sic *Asdrubal*, Ἀσδρούϐαλ, & si quæ alia nobis observata. Hoc primum: deinde רעם ῥγὲς, ut ראמות σμιὼθ, בראשת βρεσὶθ, כסלות ξιλεσίμ. Postremò notandum in ῥγὲς Ain per γ expressam, ut in Ῥεσμὰ, quod scribunt רעמה, nomen viri & regionis Gen. 10. 7. Ezec. 27. 22. Sic in *Gaza*, *Ragau*, & aliis sexcentis. Vide Observ.

meas. Addo, consuetudinem immutandi nomina frequentem fuisse apud antiquos. Fiebat autem vel à Deo, ut *Abraham*, *Sara*, *Israel*, &c. vel à præceptoribus, (Sic olim Johannes Zachæi filius discipulis suis nova nomina indidit; quæ alibi notamus) vel denique ab aliis, ut legimus de quodam qui sapientibus nomina imposuerit. Cæterùm pro *Benereem*, quod Jes. 62. in Hieron. manuscriptus meus habet *Banerehem*, cui bardus aliquis suprascripserat *Boanerkem.* Hoc est emendare scilicet Hieronymum, quem utinam qui ei manum admoverunt ævo superiore non magis corrupissent. Sed ignoscendum ignaris antiquæ scripturæ. Me quidem habebunt satis æquum, si quæ corrupta sunt ab illis alii restitui patiantur.

18. *Bartholomæum*] Θολομαῖος, unde Βαρθολομαῖος, *filius Tholomæi* sive *Thalmai*, i. תלמי, aut *Tholmai*: quod nomen exstat in edit. Latina vulg. 1 Par. 3. 2. item Num. 13. 22. Jos. 15. 14. Jud. 1. 10. 2 Sam. 3. 3. & aliâ formâ *Tholomai* 2 Sam. 13. 37. ¶ *Thaddæum*] תדי, quod absque punctis vocalibus scribunt תדי vel תדי. Prior scriptura exstat in Jach. 105. 2. posterior in Ilmedenu sive Jelammedenu 28. 3. *R. Eleazar F. Thaddai.* Vide quoque Mechiitha fol. 13. col. 3. & in Jach. 81. 1. & 104. 2. *Thaddæus Jerosolymitanus. Thaddæus deuterus.* & 100. 1. *R. Simon F. Thaddæi.* Appellatio à *mamma*, quæ Syriacè *Thad* vocatur, q. *mammosum* dicas. Quod autem in Hieron. *Thaddæum est Corculum*, non est interpretamentum *Thaddæi*, sed *Lebbæi*, quod à *corde* derivatum. Fortè leg ex Matth. 10. 3. *Lebbæus, qui cognominatur Thaddæus, est Corculum.* Idem in lib. Nom. *Lebbæus* interpretatur *corculum: Lebbæus, figuratum nomen à Corde, quod nos diminutivè Corculum possumus appellare.*

22. *Beelzebul*] *Beelzebul* dicebant contumeliosè pro *Beelzebub* aut *Baalzebub*: quorum hoc Deum Accaronitarum significat, à *musca* sic appellatum; illud autem cacodæmonem, per contemptum ità dictum, q. *Jovem stercoreum.* *Beel* enim in lingua Chaldæorum *Jovem* designat, & זבל *stercus*, & זבל *stercoravit*, unde & זבול *stercoratus* vel *stercorans.* Ergò Βεελζεβοὺλ, Ζεὺς κόπρειος, ἢ κοπρεώδης, vel certè κοπρεώδης, *stercorosus.* Sic Judæum illum, qui se Messiam esse dicebat Hadriano imperante, per contumeliam vocabant *Choziba* & *Barchoziba*, i. *filium mendacii*, cùm priùs *Chocheba* vocaretur & *Barchocheba*, i. *filium stellæ.* De quo R. Aquiba præceptor Aquilæ Ponticì exponebat locum illum, *Orietur stella ex Jacob*, i. *Chocheba* sive *Chochebas.* Nam ità etiam nominabatur. De *Baalzebub* scribit Vives ad Augustinum, *Baalzebub, Jupiter Muyias, qui & Apomyias, in Olympia quem sacravit Hercules, q. muscarum abactorem, cum illis inter sacrificandum infestaretur.* Et Bodinus in Dæmonomania l. 1. c. 3. *Solent gentes quædam Syriæ κατ' ἐξοχὴν Baal, i. dominum, appellabant: unde processit nomen Baalzebub, muscarum dominus, eò quòd nulla in templo illius musca degeret, quemadmodum in Venetiano Palatio nulla esse dicitur, & in Toletano unica: Hoc autem nec novum nec inauditum est. Cyrenæos enim legimus, cùm Accaroni Deo muscarum sacrificavissent, & Græci Jovi, quem Myiodem, q. muscarium, nominabant, muscas omnes unâ nebulâ evolasse, ut narrat Pausanias in Arcadicis, & Plinius l. 29. c. 6. A Magis quoque certis carminibus omnes angues à regione una abigi animadvertimus. Non est igitur mirum si omnes muscæ à Satana horum magistro abigantur.* Posses exponere *Jupiter Smintheus*, aut Βααλ σμινθεύς. Nam σμινθὸς, μῦς, quæ & σμῦς. Hesychius, Σμίνθα, ὁ καλευόμενος μῦς. Σμινθεὺς, ὁ ἐν τῇ σμινθῳ τιμώμενος· λέγεται ἢ καὶ Ἀπόλλων. Σμινθὸς μῦς, καὶ ὁ Ἀπόλλων ἢ σμινθεὺς, διὰ τὸ ἐπὶ μυοκτονίᾳ φασὶ βεβοηθέναι. Pro Βεελζεβοὺλ primus Hieronymus admonuit scribendum esse Βεελζεβοὺϐ, unde in libris Latinis *Beelzebub.* Sed sciendum quædam nomina cum ævo mutasse, in queis fortè & Βελίαρ, & Σιλωὰμ & Νεφθαλείμ. Sanè Græca exemplaria omnia quæ vidi Βεελζεβοὺλ habent: quod Prudentius contraxit in *Belzebul.* Idem fecit Tertullianus adv. Marcion. l. 4. c. 26. Quanquam in duobus manuscriptis *Belzebub.* Videatur Pamelius ad illum locum.

28. *Amen dico vobis*] *Amen* jurandi formulam esse testatur his verbis Hieronymus in Comment. Jes. 25. *In V. T. juramentum Dei est*, VIVO EGO, DICIT DOMINUS: *In Novo autem*, AMEN AMEN DICO VOBIS. Quòd si multis hoc persuasit, non tamen omnibus. Quis enim solidè doctus credat in *Amen* juramentum esse? Rectiùs ergò Primasius Uticensis in Africa Episcopus, AMEN *à Servatore semper assumitur sua per illud verba firmante.* Nam *Amen* idem quod ἀληθῶς, *verè*: unde idem Hieron. *Amen amen dico vobis* interpretatur *Verè verè dico vobis.* Sunt qui opinantur eam esse mentem Hieron. ut dicat *Amen* parem vim habere ad veritatem firmandam in

N. T. atque juramentum *Vivo ego, dicit* DOMINUS, in Veteri.

GUALTPERIUS.

17. Καὶ ἐπέθηκεν αὐτοῖς ὀνόματα Βοανηργὲς, ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς, *Et impoſuit eis*, Jacobo & Johanni, *nomina Boanerges, quod eſt Filii tonitrui.* Apud Syrum eſt בני רעמי, *Benai regeſchi*, quod ipſe interpretatur בני רעמא, *filii fragoris* vel *tonitru*; Compoſitum eſt ex בן *filius*, & רגש *tonuit, ſonuit*: quæ ſignificatio etiam eſt vocis רעם *intonuit*, & רעם *commotio, fragor.* Dicti autem ſunt ità ab officio, cum nomine modò ipſis impoſito, quòd ſcilicet ſonorâ voce Euangelion de Chriſto in omnes gentes eſſent divulgaturi, quod etiam cum cæteris Apoſtolis fideliter ipſos factitaſſe vitæ ipſorum hiſtoria ſatis abundè teſtatur.

19. Καὶ Ἰούδαν Ἰσκαριώτην] Syrus, *Et Jehuda Secharjutha.* Compoſitum nonnullis videtur ex שכר *mercede*, & רתה *defecit*, q. d. *Mercede hic Judas inducetur ad defectionem.* Etſi verò Chriſtus, ut in ſtatu etiam humiliationis ſeu exinanitionis καθιερωμένος & futurorum proſpector, Judam defectionem & proditionem Magiſtri ſui attentaturum cognovit, tamen hæc ſeu à Chriſto ſeu ab alio impoſita ἐπωνυμία nihil ipſum ad tantum ſcelus impulit; ſed tribuendum hoc primò Diabolo humani generis hoſti inſtiganti, & invidenti ſalutem hominibus; deinde propriæ ipſius voluntati miſerimè aſſentienti.

GROTIUS.

3. Ἔγειρε εἰς τὸ μέσον. *Surge in medium*] Ut vel ipſe adſpectus hominis dura corda emolliret. Cætera hujus hiſtoriæ ad Matthæum ſunt explicata.

4. ψυχὴν σῶσαι, *animam ſalvam facere*] Quamvis; etiam pecudis. Nam ita vox *anima* ſumitur in Miſnajoth, ubi Sabbati quæſtiones pertractantur. Quòd ſi pecudem ab interitu ſervare convenientius eſt Sabbato quàm pati ut pereat, ſanè & hero die dignius hominem ſanitati reddere quàm in miſeria relinquere. ¶ Ἀπολέσαι; *perdere?*] Apparet ita legiſſe Syrum & Latinum; quare cùm nunc quoque ſint codices qui hanc lectionem præferant, ita potiùs ſcribendum videtur.

5. μετ' ὀργῆς, συλλυπούμενος, *cum ira, contriſtatus*] Docet exemplo ſuo Chriſtus ita iraſcendum peccatis ut ſimul peccantium nos miſereat. ¶ ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν, *ob callum cordis eorum*] Πώρωσις καρδίας, quanquam & alia vitia adulta ſignificat, hîc propriè eſſe videtur idem quod alibi σκληροκαρδία, *immitis animus, & ab omni æquitate averſus*: inde enim iſta calumniandi libido. ¶ καὶ ἀπεκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ, *reſtituta eſt manus ejus*] Ita Latinus & Syrus & Araba. Quare aſſentior exiſtimantibus ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη [*ſana ſicuti altera*] interpretamenti loco adjectum ex Matthæo. Nam & alibi Marcus ἀπεκατεστάθη [*reſtituta eſt*] ſine adjectamento uſurpat, VIII, 25. ita & Dioſcorides ἐχιοδήκτους ἀπεκατέστησε [*à vipera morſos reſtituit*], id eſt, ἰάτο [*ſanat*].

6. μετὰ τῶν Ἡρῳδιανῶν, *cum Herodianis*] De his diximus ad Matth. XXII, 16. Si verum eſſet quod Thalmudiſtæ produnt, Herodianos eoſdem eſſe & Doſitheanos, non mirum eſſet hos quoque Jeſu fuiſſe infenſos, quia Sabbatum multò cæteris rigidiùs ſervabant. Eſt enim inter dogmata Doſithei, teſte Origene περὶ ἀρχῶν [*De Principiis*] II. Ἐπὶ δὲ σχήματος ὃ ἂν καταληφθῇ τις ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἢ καθέζεσθαι μέλλων μέχρις ἑσπέρας [*Quo quis in ſtatu corporis deprehenſus fuerit die Sabbati, in eo manere ad finem diei*]. Quominus verò iidem credantur Herodiani & Doſitheani, obſtat idem Origenes adverſus Celſum primo & ſexto, ubi ait Doſitheum poſteriorem fuiſſe Jeſu, & perſuaſiſſe Samaritis ſemet eſſe Chriſtum & Filium Dei: quod ſequitur Theophylactus ad Matth. XXIV. Eulogius quoque apud Photium Doſitheum eodem ponit tempore quo Simonem Magum. Doſitheanos autem quanquam Origenes ſuo tempore exſtinctos ferme dicebat, Epiphanius tamen ſua ætate aliquas habuiſſe reliquias teſtatur. Mihi credibilius videtur diverſas fuiſſe ſectas, ſed confuſas à Thalmudiſtis ob quorundam dogmatum, ac fortè iſtius de Sabbato, communitatem. Nam & Herodiani in pleriſque Sadducæis conſentiebant, ut alibi diximus; & Doſitheum Sadducæis conſenſiſſe tradit Tertullianus, quanquam temporum ratione confuſa.

8. καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας, *& ab Idumæa*] Quæ iis temporibus cum Judæis religionis ſocietate jungebantur, ut ex Joſepho appareat. ¶ καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα, *& qui circa Tyrum & Sidonem*] *Tyrios & Sidonios* intelligit Syrus & Græcorum quidam. Mihi potiùs videntur indicari Judæi habitantes oram maritimam in confinio Tyri & Sidonis, quæ παράλιος Τύρου καὶ Σιδῶνος [*maritima Tyri & Sidonis*] dici videtur Luc. VI, 17. μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος [*partes Tyri & Sidonis*] Matt. XV, 21. μεθόρια Τύρου καὶ Σιδῶνος [*fines Tyri & Sidonis*] infrà VII, 24.

9. προσκαρτερῇ αὐτῷ, *ſibi deſerviret*] Admodum propriè hac voce utitur Marcus, & eodem ſenſu quo Lucas dixit Actor. VIII, 13. τῷ προσκαρτεροῦντι Φιλίππῳ [*adhærebat Philippo*,] à Philippo non diſcedebat. Reſpondet Hebræo תשר.

10. μάστιγας. *plagas*] Sic bis infrà Marcus, & Lucas VII, 21. diſtinguit νόσους καὶ μάστιγας [*morbos & plagas*], ut μάστιξ [*plaga*] plus aliquid eſſe videatur; quomodo & נגע [*plaga*] Hebræis, quod Lxx interdum μάστιγα transferunt, *mala graviora* ſignificat. Itaque περὶ τῆς λέπρας [*de lepra*] dici ſolet, ut μάστιξ [*plaga*] infrà de Sanguinis fluxu. Par ſignificatio in voce שוט [*flagellum*] Joh. IX, 23. Prov. XXVI, 3. Nahum. III, 2.

11. προέπιπτον αὐτῷ, *procidebant ei*] Dicuntur hîc feciſſe ſpiritus id quod eorum impulſu faciebant οἱ ἐνοχλούμενοι [*poſſeſſi à ſpiritibus*], ut apparet infrà VII, 25. quam ἐναλλαγὴν [*mutationem*] hîc vitare ſtuduit Syrus.

13. ἀναβαίνει εἰς τὸ ὄρος, *aſcendens in montem*] Ut ſolebat quoties precari Patrem attentiùs inſtituerat. Vide hoc loco Luc. VI, 12. Ita exemplum ſuis dedit ut χειροτονίαι [*ordinationes*] ſemper à precibus auſpicarentur; quod videmus ſequi Apoſtolos Actor. I, 24. Sed & Actor. XIV, 23. de Paulo & Barnaba legimus, Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν [*cùm conſtituiſſent illis per ſingulas eccleſias Presbyteros & oraſſent cum jejunationibus.* ¶ προσεκαλέσατο οὓς ἤθελεν αὐτὸς *vocavit ad ſe quos voluit ipſe*] Ex omni ſe ſectantium numero perpetuos ſibi comites duodecim adſciſcit, non qui volebant, ſed *quos volebat ipſe.* Ita Paulus Epheſ. I, 1. dicit ſe Apoſtolum διὰ θελήματος Θεοῦ [*per voluntatem Dei*]. Et Chriſtus ipſe ad eos, *Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi*, Joh. XV, 16. Excluditur non tantùm ambitus, ſed omnis etiam cauſa electionis quæ humano ſtudio poſſet indagari.

14. Καὶ ἐποίησε δώδεκα, *Et fecit duodecim*] Bene vertit Syrus *elegit.* Græci dicerent ἔστησε [*conſtituit*]. atque ita שוי ſumi tum alibi tum 1 Sam. XII, 6. rectè obſervatum eſt: at Lxx etiam ibi, ὁ ποιήσας Μωσῆν καὶ Ἀαρών [*qui fecit Moyſen & Aaron*] id eſt, ὁ καταστήσας [*qui conſtituit*]. Potes etiam ſumere δώδεκα [*Duodecim*] non pro numero ſed pro officio, ut ἐποίησε δώδεκα [*fecit Duodecim*] ſit ἐποίησε ἀποστόλους [*fecit Apoſtolos*], quomodo Latinè diceremus, *fecit Duodecim viros.* Nam paſſim Apoſtoli vocantur οἱ δώδεκα [*Duodecim*] etiam cùm numero eſſent undecim, ut 1 Cor. XV, 5. Quod enim nonnulli codices hîc adjiciunt οὓς καὶ ἀποστόλους ὠνόμασεν [*quos & nominavit Apoſtolos*], cùm priſci Interpretes non agnoſcant, haud dubito quin natum ſit ex interpretamento. ¶ ἵνα ἀποστέλλῃ, *ut mitteret*] Ut eos mitteret cùm commodum videretur. Id enim pòſt aliquantò accidit.

15. κηρύσσειν καὶ ἔχειν, *Prædicare & facere*] Id eſt, κηρύσσειν ἐχοντας, ut docerent, habentes ſimul miracula faciendi poteſtatem ad obſignationem eorum quæ docebant.

17. Βοανηργὲς, *Boanerges*] Priorem hujus vocabuli partem eſſe בנו [*filii*], ſed laxiùs pronuntiatâ ſyllabâ primâ, eo ſono qui inter *e* & *a* eſt medius, certum pono: multis enim exemplis liquet Scheva à Syris modò per hanc modò per illam literam exprimi. Alteram partem Hieronymus & quidam eum ſecuti putant eſſe רעמי [*tonitru*]; ſed neque lectio ſuſpecta argui poteſt, quæ in omnibus exſtat exemplaribus; neque mihi videtur מ detrito, ע additum, cùm id fieri non ſoleat niſi in vocibus quæ Græcam accipiunt flexionem: quam vox illa non accipit nec accipere poteſt. Sed & Syrus ר hîc ponit ut radicale. Sed neque רגש mihi placet: nam nomen רגש nihil aliud quàm *certum* ſignificat, quod à *tonitrûs* ſignificatione longè abeſt. Non dubito quin ſit nomen רגז: nam ז per ר transferri abunde demonſtratum eſt. Significat autem nomen רגז *maximam commotionem*, σεισμὸν [*motum*] vertunt Lxx Ezech. III, 14. Jerem. X, 22. Job. XLI, 20. alibi συσσεισμὸν [*commotionem*], ut 1 Reg. XIX, 12. Diodorus Siculus libro XIX. in Media Præfecturam quandam ait fuiſſe quæ Ῥαγὰς diceretur, nomen autem hoc ei datum ex frequentibus eo loco terræ motibus. Hoc autem non malè redditur voce βροντῆς [*tonitrûs*]. Nam & Tonitru eſt maximus συσσεισμὸς [*commotio maxima*], & omnis συσσεισμὸς [*commotio* ſive *concuſſio*] per καταχρησιν [*abuſionem*] *tonitru* dici ſolet. Arabs vocem *Boanerges* rectè explicat رجز. Eſt autem رجز propriè *tremor.* Omnino videtur mihi Chriſtus in hujus nominis impoſitione reſpexiſſe ad Aggæi vaticinium II, 7. ubi verbum illud comparet unde nomen hoc derivatum eſt, עוד אחת מעט הוא והרגזתי את כל הגוים וגו׳ *ἔτι*

ἅπαξ ἐγὼ σείσω & ἐφάπαξ ἐγὼ τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηράν [*Adhuc unum medicum eſt & ego commovebo cælum & terram, & mare & aridum*]. quod de Euangelii prædicatione exponit Scriptor ad Hebræos XII, 26. Ad hanc ergo maximam rerum mutationem ſignificat Chriſtus Zebedæi filios eximios ſibi miniſtros fore. Et certè deſtinatam illis excellentiam quandam inter ipſos Apoſtolos vel hoc oſtendit quòd cum Petro ſeorſim à cæteris multarum rerum teſtes ſunt aſſumti. Adde jam quòd Jacobus primus Apoſtolorum omnium ſanguine ſuo Chriſti doctrinam obſignavit, & quòd Johannes omnibus Apoſtolis ſuperſtes diutiſſimè teſtimonium perhibuit veritati.

18. Θαδδαῖον] Λεββαῖον [*Lebbæum*] habent quædam exemplaria, pro quo alios ſcripſiſſe Λευὶν [*Levin*] ex Origene conjicio. Locus eſt Ad Celſum primo, quem citavimus ad Matthæum. Credibile eſt eam lectionem nonnullis placuiſſe, ideo quòd *Jacobum Alphæi* præceſſiſſet, & iſte etiam Levi, ὁ τελώνης [*publicanus*], Alphæi fuerit filius. Certè & Theodoretus videtur ita legiſſe. Citat enim, Θαδδαίῳ, ὁ καὶ Λεβὶ [*Thaddæus, qui & Levi*], Quæſt. XVI ad Numeros.

20. Καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον· *Et veniunt ad domum*] Planè nihil cauſæ video cur hoc avellamus ab iis quæ ſequuntur, quibuſcum & conſtructione & ſenſu cohæret. Vult enim narrare Marcus, maximam concurſionem factam cùm Chriſtus jam domum intraſſet coenaturus. ¶ ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς, *ita ut non poſſent illi*] Ita ut Chriſtus & qui cum eo erant, ſive Apoſtoli omnes ſive illorum aliqui, non poſſent cibum capere, turbâ undique obſtante.

21. ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, *cùm audiſſent ſui*] *Cognati*, ut Syrus interpretatur, aut, ut Latinus, *ſui*. Cùm autem hæc geſta ſint Capharnaümi, videtur & ibi Chriſtus propinquos habuiſſe. Imò credibile eſt matrem, Joſepho jam mortuo (neque enim uſquam illius poſt inchoatum Chriſti κήρυγμα [*prædicationem inchoatam*] fit mentio) Nazarethâ eò migraſſe, ob ea quæ dicuntur infrà commate trigeſimo ſecundo, & cap. ſexto, comm. 3. ¶ ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· *exierunt tenere eum*] *Contingere eum*. Nimirum ut eum ex ea domo in qua premebatur aliò abducerent. Κρατεῖν [*tenere*] enim ſæpe eſt ἅπτεσθαι [*tangere*] cum accuſativo, ut hic & Matth. XXVIII, 9. & infrà IX, 27. & Actor. III, 11. aut cum genitivo, ut ſuprà I, 31. & Matthæi IX, 25. neque aliter hîc interpretantur Syrus & Araba. ¶ ἔλεγον γάρ, *dicebant enim*] Imperſonaliter, more Hebræo, id eſt, *rumor exierat*. ¶ Ὅτι ἐξέστη. *Eum à ſe exiſſe*] Diximus ità nos arbitrari, non Arabem tantùm, quòd notavit vir eruditiſſimus, ſed & Syrum ἐξέστη hoc loco accipere ut ſignificet aut συγκοπτικὸν [*animæ defectum*] aut λιποθυμίαν [*animi defectum*], quorum utrumque Græci ἔκλυσιν [*diſſolutionem*] vocant. Quo ſenſu ἐκλύεσθαι [*deficere*] legimus & Matth. XV, 32. & infrà VIII, 3. Idem eſt Hebræis רפא לבו [*deficit cor ejus*] Geneſeos XLV, 26. ubi in Græco ἐξέστη. Solet autem id ſequi tum ex inedia, ut dictis etiam locis apparet, tum ex circumſtantiis aëris tepore, quem facit nimius turbæ concurſus. Utraque autem cauſa tunc & de Chriſto credibilem hunc rumorem faciebat. Hoc ferme ſenſu καρδίαν ἐξῆσθαι pro *cor refugit* dixit Sophocles. Cicero, *Quid mirum ſi magnitudine timoris, ut plerumque fit, à conſtantia atque mente atque à ſe ipſe diſceſſit.* Hic *à ſe ipſe diſceſſit* eſt ἐξέστη, id eſt, non quidem in furorem actus eſt, ſed ἐλιποθύμησεν [*animo defecit*], aut ἐλιποψύχησεν [*animâ defecit*]. Et multi hodie populi ſimili locutione animi deliquium exprimunt. Pertinent autem hæc omnia ad oſtendendum quàm celebris Jeſu fama fuerit. Vide Actor. XXVI, 26.

22. Ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει, *Quoniam Beelzebub habet*] Bene explicat Syrus *Beelzebub in eo eſt*, id eſt, per eum operatur. Vide Matth. IX, 34. XII, 24, 27. Hinc & ipſum Chriſtum *Beelzebub* vocabant Matth. X, 25. id eſt, Beelzebubi ὄργανον [*inſtrumentum*] & miniſtrum. Similis locutio Matth. XI, 18. Δαιμόνιον ἔχει [*Dæmonium habet*], id eſt, familiariter eo utitur. συγγίνεσθαι δαιμονίῳ [*cum dæmonio verſari*] dicunt Platonici, niſi quòd illi δαιμόνιον [*dæmonium*] in partem meliorem interpretantur. Alio ſenſu illi apud Johannem dicebant Δαιμόνιον ἔχεις [*Dæmonium habes*], ſignificare volentes eum eſſe ἐνεργούμενον [*poſſeſſum à diabolo*].

26. Καὶ εἰ ὁ Σατανᾶς ἀνέστη ἐφ' ἑαυτὸν, *Et ſi Satanas conſurrexerit in ſemet ipſum*] Ὁ σατανᾶς [*Satanas*] videtur mihi hoc loco dici & Lucæ XI, 18. *tota univerſitas malorum ſpirituum*, quomodo ὁ ἄνθρωπος [*Homo*] pro *genere humano* aut *natura humana*. Non enim ſolus Princeps ſpirituum, ſed omnes impuri ſpiritus eo nomine cenſentur, ut hoc ipſo loco commate 23. & Matth. XII, 26. apparet. Proclus ad ſecundum Platonis De republica, ἡ γὰρ ἀθρόα πρόθυσις ἡ τὸ καθ' ὁλοτελοῦς δηλοῖ μόνον, ὡς ὅταν λέγωμεν, Ὁ ποιητὴς εἶπεν, τῷ ἀπορήτῳ τοῦτο ἐξαίρετον ἐπονείμαντες ἢ τὸ ὅλον πλῆθος, ὡς ὅταν λέγωμεν, Ὁ ἄνθρωπος λογικὸς, ἀντὶ τοῦ πάντες τὸ ἄνθρωπον προσαπλώσαντες [*Articulus antepoſitus aut id unum indicat quod excellit, ut cùm dicimus, Poëta dixit, honorem hunc habentes inter Poëtas eximio; aut totam multitudinem, ut cùm dicimus, Homo eſt rationalis, per articulum ponentes in ſenſu Omnis*]. ἀνέστη [*conſurrexit*] cum ἐπὶ [*in*] locutio eſt Helleniſtarum ex Hebraïſmo, quo hoſtilis conatus indicatur קם על ut Pſalm. III, 2. & alibi paſſim.

27. τότε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάσει, *tunc domum ejus diripiet*] Διαρπάσει [*diripiet*] eſt & apud Matthæum: nec aliter legit Syrus: & magis Hebraïſmum ſapit. Senſus quippe eſt, *Tunc enim demum domum prædari poterit.*

29. οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, *non habebit remiſſionem in æternum*] Id eſt, *nunquam*. Nam quædam crimina Judæi putabant tempore finiri. ¶ ἀλλ' ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου ἁμαρτίας· *ſed reus erit æterni delicti*] Κρίσις pro *condemnatione* aut *ſupplicio* paſſim in his libris reperimus. Sed cùm præter veterem Latinum Interpretem codices antiqui habeant ἁμαρτίας [*delicti*], probabilius eſt ita ſcriptum à Marco; κρίσεως [*vocem judicii*] autem fuiſſe interpretamentum Hebraïſmi, quo *peccatum* ſumitur pro *pœna peccati*. Senſus eſt, Non tantùm hîc punitur induratione, ſæpe & pœnis adſpectabilibus, quod Judæis contigit, ſed & poſt hanc vitam ſupplicîis æternis. Plùs dixit; quod minus erat tacuit. Matthæus utrumque expreſſerat; ad quem quæ dicta ſunt vide.

30. Ὅτι ἔλεγον, Πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει. *Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet*] Hac commination uſus eſt Chriſtus quia videbat illos agnoſcere intra ſe vim Divinam, ſed invidiâ & odio comminiſci calumnias ut plebem averterent; atque ita quod Dei erat diabolo adſcribere.

31. ἀδελφοὶ, *fratres*] *Cognati*, ut Geneſ. XIV, 14. XXVII, 37. XXXI, 32. II Paralip. XXXVI, 10.

32. ἔξω ζητοῦσί σε. *foris quærunt te.* Aſſentior putantibus continuari hiſtoriam cœptam commate 2. ſed interruptam ob ſermones quos ſub id tempus Chriſtus habuit cum iis qui Hieroſolymis venerant. Nam Lucas ait cùm acceſſiſſent, introire in domum non potuiſſe ob turbam obſtantem: quod cum illis prioribus certè cohæret.

34. τοὺς περὶ αὐτὸν καθημένους, *qui in circuitu ejus ſedebant*] Credibile eſt proximos aliquot ſediſſe, ſtetiſſe cæteros aut ſediſſe in feneſtris, ut Actorum XX, 9.

CAP. IV.

VALLA.

8. *ET aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum aſcendentem & creſcentem: & afferebat unum triginta, & unum ſexaginta, & unum centum*] Cùm dicatur *aliud ſemen in terram bonam*, q. unum ſit, quomodo dicitur *mox unum & unum & unum*, q. ſit multiplex? Sciamus ergò Græcè non *unum* dici, ſed *in*, quod iiſdem literis ſcribitur quibus *unum*, ſed diverſo tono: [ἐν, ἓν] in quo non puto deceptum interpretem, ſed ità transferendum putaſſe, quia nihil cenſeret eſſe differentiæ in ſententia, & aptiùs dici quàm *ad* verbum, ſic, *Et offerebat in triginta, & in ſexaginta, & in centum.* Sed quomodo congruet hoc cum ſequenti v. 20. ubi dicitur, *Et ii ſunt qui ſupra terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum, & ſuſcipiunt; & fructificat unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum?* Quid eſt hoc *unum*? cur non potiùs *unus*? nam homines dicuntur ſeminati. An *unum verbum*? minimè: quia idem fructificat quod ſuſcipit: at *verbum* ſuſcipitur, non ſuſcipit: & alioqui Græcè *verbum* maſculini, & illa vox de qua agimus, quæ eſt ſimilis præpoſitioni *in*, eſt neutri generis. Ergò transferendum fuit per præpoſitionem uterque locus, ἐν τριάκοντα, καὶ ἐν ἑξήκοντα, καὶ ἐν ἑκατόν.

10. *Et cùm eſſet ſingularis, interrogaverunt eum qui cum eo erant duodecim parabolam*] Legendum eſt, *interrogaverunt eum qui circum ipſum erant cum duodecim*, οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα. *Singularis* autem inuſitatè tranſlatum κατωμένας, ideóque obſcuriùs: cui ſimile eſt in Pſal. 4 9. *Singulariter in ſpe conſtituiſti me*, κατῳκίσας. Apertiùs apud Lucam 9. 18. *Et factum eſt cùm ſolus eſſet orans*, κατὰ μόνας.

12. *Ut videntes videant, & non videant*] Quoniam diverſa ſunt Græcè verba, ego dixiſſem. *Ut cernentes cernant*, ſive ut *aſpicientes aſpiciant, & non videant*, ἵνα βλέποντες βλέπωσι, καὶ μὴ ἴδωσι.

26. *Sic eſt regnum Dei quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram, & dormiat, & exſurgat nocte ac die; & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille*] Pro eodem accipit Interpres *ſementem* & *ſemen*, cùm *ſemen* ſit corpus, *ſementis* autem actio, i. ſatio ſive ſeminatio: quibus exemplis plena ſunt omnia: ut apud Ciceronem De Oratore, *Qui ignorat qua ſit ſementis & meſſis?* i. ſatio & meſſio. Sed quia *meſſis* pro *frumento quod meti poteſt* accipitur, ideo fortaſſis quidam putaverunt poſſe *ſementem* accipi pro *ſemine*, ut in Geneſi 1. 29. *Habens unumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam.* Certè nunc cauſa variandi non fuit, cùm Græcè ſit idem nomen, ὡς ἐὰν ἄνθρωπος βάλῃ τὸ σπόριον, καὶ ὁ σπόρος βλαστᾷ [βλαστάνῃ.]

38. *Magiſter, non ad te pertinet quia perimus?*

39. *Et exſurgens comminatus eſt vento, & dixit, Mare tace, obmutesce*] Ego dixiſſem, *Magiſter, non eſt tibi cura quòd perimus?* οὐ μέλει σοι ὅτι ἀπολύμεθα; aliud eſt *non pertinere ad te*, & *non eſſe tibi cura.* Nam poſſes non curare quæ ad te pertinerent, & curare quæ non pertinerent. *Increpuit* quoque maluiſſem dicere, quia *comminari vento* improprium ſit; & Græcè eſt potiùs *increpare*, καὶ διεγερθεὶς ἐπετίμησε.

40. *Et ait illis, Quid timidi eſtis? necdum habetis fidem?*

41. *Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum, Quiſputas eſt iſte?* Ego dixiſſem, *Quid timidi eſtis? ſiccine necdum habetis fidem?* οὕτως πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; vel ſic, *Quid timidi eſtis? ſiccine? quomodo non habetis fidem? Quiſputas* jam dixi mihi non placere, ſed *quiſnam*, τίς ἄρα. *Alterutrum* autem, quod ſignificat *unum de duobus utrum velis*, neſcio cur dicatur pro eo quod eſt, *mutuò, invicem, inter ſe, alius ad alium*, πρὸς ἀλλήλους, præſertim antepoſitâ præter conſuetudinem præpoſitione, cùm ſit nunc tanquam adverbium. Hoc nomen in hunc ſenſum apud nullum, quod ſciam, veterum reperi, ſed apud Boethium, qui inter veteres non eſt ponendus, qui inquit in libris De Conſolatione, veruntamen in alium ſenſum, h. e. pro *alterno*; *Alterutro calle procedam, nunc hoc, nunc illo propoſita confirmans.*

REVIUS in VALLAM.

8. *Quaſi unum ſit, quomodo mox* unum & unum, &c. *quaſi ſit multiplex?*] *Unum* dicitur ſemen collectivè, ut loquuntur, *multiplex* granorum reſpectu. Ergò poſteriori loco ἓν σπέρμα pro εἰς κάκῳ. ¶ *Non* UNUM *dici ſed* IN] Hoc probare non poſſum, utcunque in ſuis codd. etiam reperit Eraſmus & Beza. Quis enim non videt ἐν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατὸν hîc idem eſſe quod Matth. 13. 8. ὃ μὲν ἑκατὸν, ὃ δὲ ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα; nec convenit illud alterum cum phraſi ſcriptorum Rei ruſticæ, ut Beza credi vult. Quod ut videas, confer Marcum Euangeliſtam cum Marco Varrone. Noſter dicit, juxta illam lectionem, ſemen *ferre* ἐν τριάκοντα, i. *in triginta.* Varro dicit *redire cum decimo, quintodecimo, centeſimo.* In his nulla vox eſt quæ alteri reſpondeat: niſi negemus aliud ſonare *ferre in triginta*, aliud *redire cum trigeſimo.* Propiùs ad hanc lectionem accedit quod idem Varro habet l. 1. *alibi cum decem reſpondeat, alibi cum quindecim:* & Herodotus in primo, ἐπὶ δεκάδας καρπίζεσθαι, &c, ἐπὶ τριηκόσια ἐκφέρει· propiùs, inquam, hæc accedunt, ſed non ideo ſunt idem. Bonum ergò factum quòd Beza noſtram lectionem præferendam putavit, quam & confirmat editio Aldina. Cæterùm non oſcitanter prætereundum eſt utcunque legatur adjectivus, τριάκοντα, ἑξήκοντα, &c. ſubaudiendum neceſſariò σπέρματα, quemadmodum τὸ ἓν notat ἓν σπέρμα, hoc ipſo verſu. Nam quod Hieronymus in Gal. 3. 16. ait, *Omnes Scripturas ſenſu ac memoriâ peragrans nunquam plurali numero* SEMINA *ſcripta reperiri, ſed ſive in bonam partem, ſive in malam, ſemper ſingulari numero*, id vacillat, præſertim in textu Græco. Nam Gen. 47. 24. eſt, τεσσαρες μέρη ἔσαι ὑμῖν εἰς σπέρματα. Lev. 26. 16. σπερεῖτε δὲ κενῶς τὰ σπέρματα ὑμῶν. Pſal. 126. 7. ἔλκων βαστάζων τὰ σπέρματα αὐτῶν. Eſai. 61. 1. καὶ ὡς κύριος τὸ σπέρμα αὐτῶν ἐπεύλογησεν. Dan. 1. 12. δότωσαν ἡμῖν ἀπὸ τῶν σπερμάτων τῆς γῆς. 16. καὶ ἐδίδου αὐτοῖς σπέρματα. Duobus poſtremis locis etiam plurale eſt apud Hebræos, ſed voces nonnihil inflexæ, quas *legumina* quàm *ſemina* maluerunt vertere eruditi. Reliquis locis Hebræa quidem ſunt ſingularia: ſed notum eſt Apoſtolos frequenter reſpicere ad phraſin Græcam.

10. *Cum duodecim*] Hîc variant Græci codd. nam Laurentii cod. habebat οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα, ut & liber qui habebat commentarios Theophylacti, & editio Compl. & Aldina. Vulgata legit, οἱ περὶ αὐτὸν δώδεκα· at Eraſmus, οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. Beza Laurentium ſequitur.

39. Οὐ μέλει σοι] Trajectum erat.

40. *Siccine necdum habetis fidem?* Οὕτως πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; Ac πῶς οὐκ non ſign. *necdum*: hoc primum. Deinde Eraſmus legit, τί δειλοί ἐστε οὕτως; πῶς οὐκ, &c. Et ſic ferè Beza: niſi quòd pro οὕτως habet οὕτω· alii, Eraſmo notante, τί οὕτως δειλοί ἐστε; πῶς. Beza in duobus MS. invenit, τί δειλοί ἐστε; οὔπω ἔχετε πίστιν; Valla etiam ſic diſtingui poſſe putat, τί δειλοί ἐστε; οὕτως; πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; *quid timidi eſtis? ſiccine? quomodo non habetis fidem?* Ego τὸ πῶς puto παρέλκειν & encliticum eſſe, ac ſine accentu ſcribendum, οὕτως πως· ſimpliciter autem vertendum, *ſiccine non habetis fidem?*

ERASMUS.

4. *Secus viam*] Hîc reliquimus præpoſitionem *ſecus*, quòd in progreſſu jacientis ſemen motus quidam ſit. Nam vocem eſſe Latinam aliàs docuimus.

6. *Exaſtuavit*] Ἐκαυματίσθη *exuſtum eſt*, ſive *æſtu periit.*

8. *Aſcendentem*] Ἀναβαίνοντα καὶ αὐξανόμενα. Ut prius verbum pertineat ad herbam emergentem è terra, poſterius ad herbam grandeſcentem & adoleſcentem.' ¶ *Unum ceneſimum*] Καὶ ἓν φέρειν ἐν τριάκοντα, καὶ ἐν ἑξήκοντα, καὶ ἐν ἑκατόν, *attulit unum triginta, & unum ſexaginta, & unum centum.* Laurentius Valla declarat ſe legiſſe ἐν præpoſitionem, non ἓν nomen numerandi: & ipſe ſic ſcriptum comperi in libr's emendatioribus; nominatim in vetuſtiſſ. cod. qui habebat commentarios Theophylacti, quanquam diſſentiebat ed. Aldina. Quo modo ſi legamus, ad verbum ità reddi poteſt, *& adferebat in triginta, & in ſexaginta, & in centum*; ut præpoſitio ἐν poſita ſit pro ἀνὰ, q. d. *per triginta, per ſexaginta, per centum*: quod tamen commodè verti poterat, *& adferebat tricena, ſexagena, & centena*; ut ex ſingulis granis tantum granorum intelligatur enatum. Quanquam paulò inferiùs idem occurrit locus itidem per præpoſitionem ſcriptus. Cæterùm quoniam in hoc facilè labi potuit librarius, rem lectoris arbitrio committo, præſertim cùm & altera lectio probè defendi poſſit: niſi quòd in poſteriore loco, cùm Dominus Diſcipulis explicat parabolam, duriuſculè dicitur *unum* & *unum*, cùm de hominibus loquatur, non de ſeminibus. Proinde nos periphraſi ſumus uſi.

10. *Cùm eſſet ſingularis*] Ὅτε δὲ ἐγένετο κατὰ μόνας, *Cùm autem cœpiſſet eſſe ſolus*, ſive *ſolitarius.* Nam *ſolus* vertit in Luca, *Cùm autem eſſet ſolus orans.* ¶ *Qui cum eo erant duodecim*] Hîc variant Græci cod. Nam Laurentii codex habebat οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα, *qui circa illum erant cum duodecim.* Atque ità ſanè ſcriptum erat in libro qui habebat commentarios Theophylacti, conſentiente ed. Hiſpanicâ & Aldinâ. Mei habebant ἐπηρώτησαν αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, *Interrogaverunt eum diſcipuli ejus.*

11. *Myſterium regni*] Μυστήριον *arcanum*, ſive *ſecretum*, *non communicandum profanis*; quod aliquoties vertit *ſacramentum.* ¶ *Illis autem qui foris ſunt*] Τοῖς ἔξω. Rectiùs vertiſſet per adjectivum, *exteris, extraneis*, ſive *externis*, aut *exoticis.*

12. *Videant, & non videant*] Græcus mutavit verbum, ἵνα βλέποντες βλέπωσι, καὶ μὴ ἴδωσι, *Ut cernentes cernant, & non videant*: quaſi plus ſit *videre* quàm *cernere.* Nam intuemur quædam quæ tamen non videmus, animo aliud agente. Quanquam refragantur magno conſenſu Latini cod. nec apud Theophylactum licet ex ipſius enarratione lectionem hanc deprehendere.

15. *Hi autem ſunt qui*, &c.] Abuſus videtur ſemel atque iterum οὗτοι pro οἱ· velut demonſtret hos & illos: quod ſolemus docendi causâ & geſtu repræſentare. Et *ſeminari* dicitur ſemen quod jacitur, item ager in quem jacitur, quemadmodum *aſpergitur* aqua, & *aſpergitur* homo. Notat Laurentius quòd Interp. *ſementem* dixerit pro *ſemine*, cùm *ſementis* ſit ipſa ſatio, *ſemen* quod jacitur. *Sementem facere* Latinè dicitur, *ſemen facere* non item.

19. *Et arumna*] Καὶ αἱ μέριμναι, *ſolicitudines.*

20. *Unum triceſimum*] *Triginta, ſexaginta, centum*, ut paulò ſuperiùs admonui, conſentientibus & pervetuſtis Latinis cod. de quo copioſiùs diximus in Matthæum.

21. *Num-*

21. *Nunquid venit*] Gr. ἴδετε, μή τι λύχνος ἔρχεται ἵνα ὑπὸ τὸν μόδιον τεθῇ, *Videte num lucerna incenditur ut ſub modium ponatur.* Quanquam illud ἴδετε in multis Græcorum cod. non reperio aſcriptum, velut in Theophylacto. In ed. Aldina ſcriptum eſt ἔρχεται pro καίεται, quemadmodum & in Theophylacto.

22. *Non eſt enim*] Οὐ γάρ ἐστί τι κρυπτὸν ἐὰν μὴ ἵνα φανερωθῇ, *Non eſt enim quicquam abſconditum niſi ut manifeſtetur.* Tametſi diſſentiunt hic exemplaria. Theophylactus legit, Οὐ γάρ ἐστι κρυπτὸν ὃ ἐὰν μὴ φανερωθῇ, *Non eſt occultum quicquam quod non pateſiat.* ¶ *Neque factum eſt*] Οὐδὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον, ἀλλ' ἵνα εἰς φανερὸν ἔλθῃ, *neque factum eſt occultum, ſed ut in apertum veniat.* Etiamſi legi poteſt, *neque fuit occultum.* Videtur autem in noſtro ſermone oratio parùm abſoluta: ſupplebitur in hunc modum, *Neque factum eſt occultum ut maneat occultum, ſed ut veniat in apertum.* Hæc ſententia pulchrè quadrat in doctrinam Euangelicam. Occultata ſunt quædam, non ut ſemper lateant, ſed ut ſuo tempore proferantur in lucem.

24. *Videte quid audiatis*] Hic quoque Græca diſſident, tametſi Latina exempl. magis conſentiunt quàm Græca, Βλέπετε τί ἀκούετε, ᾧ προσετέθησεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν· ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ δοθήσεται αὐτῷ· καὶ ὃς οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ, *Videte quid audiatis, & apponetur vobis audientibus. Qui enim habet, dabitur ei; & qui non habet, etiam quod habet tolletur ab eo.* Græcæ lectioni ſuffragabatur codex Donatiani. Deinde ſequitur, Ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν, *In qua menſura metimini, metietur vobis, & adjicietur vobis.* Theophyl. ità legit, Βλέπετε τί ἀκούετε· ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν· ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ· καὶ ὃς οὐκ ἔχει καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ, *Videte quid audiatis. In qua menſura metimini, in ea alii metientur vobis qui auditis. Quiſquis enim habuerit, ei dabitur; & qui non habet, etiam quod habet tolletur ab eo.* Huic lectioni conſentiebat cod. Aureus, & item Conſtantienſis.

27. *Nocte & die*] Quidam utrumque verbum *dormiat* & *exſurgat* putant referendum ad *eum qui jecit ſemen*, ità ut intelligamus illum *dormire nocte*, & *exſurgere die*: & in hunc quidem ſenſum interpretatur Theophylactus. Ego magis arbitror poſterius verbum referendum ad *ſemen*, quod nullo colente tacitis auctibus & nocte & die proficit uſque ad maturitatem. Nam *dormire* dicitur qui ſecurus eſt nec jam laborat. Hunc ſenſum ſecutus eſt quiſquis ſcripſit in Marcum ſcholia quæ Hieronymo tribuuntur: ſic enim loquitur, *Homo jactans ſemen Filius hominis eſt: ſemen, verbum vitæ; terra, corda humana; dormitatio hominis, mors eſt Salvatoris; exſurgit ſemen nocte & die*, &c. ¶ *Et increſcat dum neſcit ille*] Sermo Græcus ambiguus eſt, καὶ ὁ σπόρος βλαστᾷ καὶ μηκύνηται ὡς οὐκ οἶδεν αὐτός· poteſt enim accipi ut *ſemen exoriatur & exſurgat* vi naturæ, *cùm ipſum hoc neſciat*, eò quòd σπόρος *ſemen* ſit maſculini generis.

30. *Cui parabolæ comparabimus*] Ἐν τίνι παραβολῇ αὐτὸν θῶμεν; *aut in qua parabola illud ponemus*, ſive *ponamus?* Etiamſi nonnulli cod. pro θῶμεν habent παραβάλωμεν, *per quam collationem conferemus?* quandoquidem παραβολὴν Cicero vertit *collationem*. Et præpoſitione *in* Hebræi abutuntur pro *per*. In aliis pro τίνι ſcriptum eſt ἐν τίνι. Verùm hæc minutiora duxi quàm quæ annotentur.

32. *Et cùm natum fuerit*] Græcis hîc repetitur καὶ ὅταν σπαρῇ, *cùm ſeminatum fuerit*, ſuffragante & cod. Aureo, Conſt. aliiſque multis. Offendit lectorem, quòd abſurdè videatur idem repeti, & *cùm ſeminatum fuerit.* ¶ *Aſcendit in arborem*] Ἀναβαίνει *ſurgit.* Porrò illud *in arborem* nec additur apud Græcos, nec in antiquis cod. noſtris, nec in Aureo. Aſſcriptum apparet ex Lucæ & Matthæi decimotertio. ¶ *Habitare*] κατασκηνοῦν, quod alibi vertit *nidificare*: verbum à *ſcena* dictum.

34. *Diſſerebat*] Ἐπέλυεν *diſſolvebat*, ſive *exponebat*, aut, quò aliàs eſt uſus, *ediſſerebat.* Solvuntur enim ænigmata & obſcura veluti nodoſa.

35. *Tranſeamus contrà*, Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν, *Tranſeamus in ulteriorem partem*, ſive, ut ſæpe jam vertit, *trans fretum.*

37. *Et facta eſt*] Καὶ γίνεται, & *fit*, ſive *oritur*: quaſi res jam geratur. ¶ *Mittebat in navim*] Ἐπέβαλλεν εἰς τὸ πλοῖον *irruebat in navim*; ut ſit verbum neutrum quod ad ſignificatum attinet.

38. *Super cervical dormiens*] Ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον, quod indè Græcis nomen habet quòd *capiti admoveatur.* Ezechiel exſecratur eos qui *conſuunt pulvillos ſub omni cubito, & cervicalia ſub omni capite.* Quod tum exhibuit Jeſus, id hodie in nobis agitur. Quàm periculosè indormiunt hodie pulvillis ac cervicalibus hujuſmodi Præſules ac Pontifices quidam horum temporum! Periclitatur univerſus populus, nec eſt qui Chriſtum excitet in illis profundiſſimè dormientem. Imò noluit excitari, & habent qui ſomnum hunc peſtilentiſſimum foveant, occinentes ad aurem blando ſuſurro, Euge, Euge. Expergiſcere tandem, optime Jeſu, nè pereamus. ¶ *Non ad te pertinet*] Οὐ μέλει σοι, *non eſt tibi cura.* Nam aliud eſt *pertinere ad nos*, aliud *eſſe curæ*: ſiquidem multa ad nos maximè pertinent quæ minimè ſunt curæ. ¶ *Quæ perimus*] Ὅτι *quod*, hoc ſanè loco.

39. *Exſurgens comminatus eſt*] Καὶ ἐγερθεὶς ἐπετίμησεν. *Et excitatus increpavit.* ¶ *Obmutеſce*] Πεφίμωσο. Augmentum additum etiam celeritatem indicat; veluti dicas, *Mox obmutеſce.*

40. *Quid timidi eſtis?*] Τί δειλοί ἐστε, *Quid adeo timidi eſtis?* Alii habebant Τί δειλοί ἐστε οὕτως; *Quid timidi eſtis adeò?* ¶ *Nec dum habetis*] Οὔπω *nondum.* Alii habebant πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; *Qui fit ut non habeatis fidem?* & οὕτως referunt ad præcedentem orationis partem. Laurentius ad ſequentem adjunxit, *Siccine nondum habetis fidem?* Porrò *quomodo* parum Latinè reddit πῶς, quod ità vertendum erat, *Qui fit ut non habeatis fidem?* eſt enim non interrogantis, ſed objurgantis.

41. *Ad alterutrum*] Πρὸς ἀλλήλους *inter ſeſe*: quod crebriùs jam admonui. Verùm Interpres perperàm peccat in hoc verbo, tanquam prudens. ¶ *Quisputat*] Τίς ἄρα. Meliùs *Quiſnam*, aut certè *Quis.* Nam hoc loco vix habet Latinus ſermo quod reſpondeat ἄρα.

VATABLUS.

1. *Iterum*] Vel, *alterâ vice.* ¶ *Ad mare*] *Juxta mare.*

2. *In doctrina ſua*] Hebr. pro, *docendo.* vel, *juxta ſuum docendi genus.*

3. *Exiit*] *Exierat.*

4. *Dum ſeminat*] *Factum eſt dum ſeminaret.*

5. *Habuit*] *Habebat.* ¶ *Altitudinem terræ*] Vel, *profundam terram.*

6. *Exæſtuavit*] Vel, *æſtu periit.*

8. *Aſcendentem*] *Emergentem.* ¶ *Et afferebat*] Vel, *ità ut afferret.* ¶ *Trigeſimum, & unum ſexageſimum, & unum centeſimum*] *Triginta, & unum ſexaginta, & unum centum*, Vet. & infrà.

9. *Et dicebat*] *Poſtea dicebat.* ¶ *Audiendi*] *Ad audiendum.*

10. *Singularis*] *Solitarius.* ¶ *Qui cum eo erant duodecim*] *Qui circum eum erant cum duodecim.* i. ſui diſcipuli unà cum Apoſtolis duodecim.

11. *Myſterium*] i. arcanum, ſive ſecretum, non communicandum profanis. ¶ *Qui foris ſunt*] *Exteris.* vel, *extraneis*, ſive *externis.* ¶ *Fiunt*] *Proponuntur*: vel, *contingunt.*

13. *Neſcitis*] Vel, *Non intelligitis.* ¶ *Et quomodo*] *Quomodo igitur*] Hebr. ¶ *Cognoſcetis*] *Intelligetis.*

15. *Hi autem ſunt qui circa viam ubi*] Hebr. pro *Semina jacta ſecus viam, ii ſunt quibus*, &c. vel, *eos ſignificant in quibus ſeminatur*, &c.

16. *Et hi ſunt ſimiliter qui ſuper petroſa ſeminantur*] Heb. *Similiter ſemina quæ ſeminantur ſuper petroſa ſunt ii*: vel, *ſignificant eos, qui*, &c.

17. *Temporales*] *Temporarii.*

18. *Et alii ſunt*, &c.] *Et illos homines ſignificant ſemina jacta in ſpinas, illos inquam ſignificant qui*, &c.

19. *Ærumnæ*] *Curæ, ſolicitudines.* ¶ *Seculi* *] * *Hujus.* ¶ *Deceptio divitiarum*] Heb. pro *deceptrices divitiæ.* ¶ *Circa reliqua concupiſcentiæ*] *Cæterarum rerum cupiditates.*

20. *Et hi ſunt qui*, &c.] Heb. pro, *Et ſemina jacta in terram lætam eos ſignificant qui*, &c.

21. *Et dicebat*] *Rurſum dicebat.* ¶ *Venit lucerna*] *Incenditur candela.*

22. *Abſconditum*] *Abditum.* ſub. *in Prophetis de me*, quod non ſit manifeſtandum in vobis.

¶ *Quod non veniat in palàm*] *Sed ut in palàm veniat.* Vel oratio defectiva ſic ſuppletur, *neque occultum de me in Prophetis quicquam ut maneat occultum, ſed ut*, &c.

24. *Et dicebat*] *Ad hæc dicebat.* ¶ *Remetietur*] *Menſurabitur.* ¶ *Vobis* *. *Qui*] * *Et adjicietur vobis qui auditis.* V.

27. *Dormiat*, &c.] Hebraiſmus eſt, qualis *Introire & exire* pro *Verſari in loco aliquo*. Sic hîc, *dormit & exſurgit homo*, i. Securus tranſigit noctes & dies, & ſegetem Deo committit, ipſe agens alia vitæ munia. ¶ *Exſurgat*] Videtur referri hoc verbum ad *Semen*, quod nullo colente tacitis auctibus nocte & die proficit uſque ad maturitatem. ¶ *Germinet*] *Producatur*. ¶ *Dum neſcit ille*] Ità ut ſenſum patrisfamilias fallat.

29. *Cùm *ſe*] * *Ex.* V. ¶ *Produxerit*] *Productum fuerit*. vel, *ad maturitatem pervenerit*: vel, *percreverit*.

¶ *Mittit*] Sub. *agricola*.

30. *Et dicebat*] Vel, *Dicebat præterea*. Heb. ¶ *Cui parabolæ comparabimus illud?*] *Quâ parabolâ* (*collatione*) *conferemus illud?* i. Quâ ſimilitudine incrementum Regni Dei declarabimus?

32. *Natum*] *ſeminatum*. ¶ *Aſcendit**] * *In arborem*. ¶ *Habitare*] *Nidificare*.

33. *Verbum*] Vel, *ſermonem*. i. de ſermone Euangelico. ¶ *Audire*] Vel, *intelligere*.

34. *Diſſerebat*] *Aperiebat*.

35. *Contrà*] *In ulteriorem ripam*.

36. *Aſſumunt eum ità ut erat in navi*] i. ſuſceperunt eum trajiciendum ut ſe compoſuerat in navi, jacentem ſuppoſito cervicali. ¶ *Naves*] *Navicula*.

37. *Mutebat*] *Irruebat*. ¶ *Ità ut * impleretur*] * *Jam*.

38. *Non ad te pertinet quia*] *Non eſt tibi cura quòd*.

40. *Quid *timidi*] * *Adeò*. ¶ *Necdum*] *Quomodo non*.

41. *Ad alterutrum*, *Quis putas*] *Inter ſe*, *Quisnam*. ¶ *Quia * venum*] * *Et*, Vet.

CLARIUS.

3. ECce exiit ſeminans ad ſeminandum] Prima parabola præparat ad ſtudioſè audiendum verbum Dei, cùm docentur hoc ſemen non ferre fructum niſi in terra bona.

11. *Vobis datum eſt*] Vobis ſtudioſè quærentibus.

12. *Ut videntes videant, & non cernant*] Hoc fit ob dignitatem myſterii, quod dum velatum proponitur, invitat quidem & malè affectos ad attendendum; ſed non datur ſanctum canibus. Quod ergò ait, *ut videntes non cernant*, nè id intelligas, nolle Deum eos cernere, cùm ob hanc cauſam illis loquatur ut reſipiſcant: ſed per conſecutionem id dicitur, ut ſit ſenſus, Audient quidem iſti, ſed dum ſuis tenebris gaudent, fiet ut nunquam neque convertantur neque ſanentur.

21. *Nunquid lucerna*] Dixerat, ſemen quod in terram bonam ceciderat fructum plurimum afferre: at ii qui ejuſmodi ſunt conſpicui ſunt omnibus, ut nihil eorum occultari poſſit. Majus ergò vitæ ſtudium ab iis eſt adhibendum: nam levis macula in pretioſa re magis reprehenditur quàm magna & vili.

24. *Videte quid audiatis. In qua menſura menſi fueritis remetietur vobis*] Docet ſecundùm menſuram auditûs & attentionis addendam eſſe & intelligentiæ gratiam, & habenti alacrem & promptum animum futurarum munerum acceſſionem.

26. *Sic eſt regnum Dei*] Videtur docere, hoc Regnum non eſſe ejus generis cujus cætera regna; ſed parari quidem interea quotidie, ſicut ſemen in agro germinans ſemper augeſcit, verùm in fine aperiendam eſſe ejus vim, quaſi in meſſe.

ZEGERUS.

4. VEnerunt volucres] Τῦ οὐρανῦ cœli hîc non additur apud Bedam, nec in cod. paulò vetuſtioribus.

6. *Exaſtuavit*] Ἐκαυματίσθη ſimpliciter eſt *æſtuavit*; hîc autem pro *æſtu contabuit* vel *æſtu corruptum eſt* ponitur, &, ut ex ſimili apud Matthæum loco patet, ad *ſemen* referendum eſt, quod tametſi hîc nuſquam exprimatur, facile tamen ſubditur.

10. *Interrogaverunt eum ii qui cum eo erant*] Hunc locum apud Græcos non vacare mendo, argumento eſt cod. antiquorum diverſitas. Itaque ſuſpicor legendum ἐπηρώτησαν αὐτὸν οἱ σὺν αὐτῷ δώδεκα.

11. *Qui foris ſunt*] h. e. exteri, & vocatione Chriſti alieni.

12. *Ut videntes videant, & non videant; & audientes audiant, & non intelligant, nequando convertantur, & dimittantur eis peccata*] Propterea, inquit, loquor illis per parabolas atque ænigmata, ut qui rectè ſe videre judicant, in ſua quam agnoſcere nolunt cæcitate maneant, ac pereant; & qui audire ſe atque intelligere exiſtimant, in ſua item inſipientia permaneant; nè forte poſt intellectum reſipiſcant, (quo beneficio prorſus indigni ſunt) & remittantur ipſis delicta. Poſtulat enim hoc pertinaciſſima ipſorum cæcitas atque inſipientia, ut cùm ipſi ſibi falsò perſuadent verè ſe videre, ſapere & intelligere, non poſſint ad verum lumen veràmque ſcientiam pertingere, per quæ conſequenter ad reſipiſcentiam & ad condonationem venitur admiſſorum.

15. *Hi autem ſunt qui circa viam, ubi ſeminatur verbum; & cùm audierint, confeſtim venit Satanas*] Ordo verborum alioqui parùm concinnus, eſſe poterit talis, *Hi autem ſunt circa viam ubi ſeminatur verbum, qui etiam cùm audierint, confeſtim venit Satanas, & aufert verbum.*

16. *Qui ſuper petroſa ſeminantur*] h. e. *qui in ſaxoſa loca ſemen accipiunt*. Dicuntur enim *ſeminari* homines, quia veluti agri quidam ſemen verbi excipiunt. Siquidem *ſeminatur* non modò ſemen quod jacitur, verùm etiam ager in quem jacitur, quemadmodum *aſpergi* dicitur non modo aqua, verùm etiam homo ipſe.

19. *Et circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes*] *Concupiſcentiæ* numeri eſt pluralis, ut conſtruatur cum *introeuntes*, ἐπιθυμίαι εἰσπορευόμεναι.

20. *Unum triginta, unum ſexaginta*] In nonnullis ferunt haberi ἓν, ἀντὶ τῦ ἓν, i. *In* pro *Unum*, ſed mendosè, ni fallor. Subaudiri debet *ſemen*, & *ſemina*, ut facilè colligitur ex tota parabola. Aliàs, *trigeſimum*, *ſexageſimum*.

21. *Nunquid venit lucerna ut ſub modio ponatur*] Pro *venit* in nonnullis καίεται *incenditur* ſcriptum eſt, & quidem commodiùs, an verius equidem ſum neſcius.

22. *Non eſt enim aliquid abſconditum quod non manifeſtetur* uſque *auferetur ab eo*] Totus hic locus olim confuſus fuit apud Græcos varietate ſcripturæ, ſed nuper reparatus eſt, niſi quòd adhuc redundare putem τοῖς ἀκούουσιν· nam hoc neque Latini habent, neque attingitur à Theophylacto & Oecumenio. Et quia etiam in noſtris inolevit diverſitas, hoc judicaverim germanius antiquiuſque, ut ſic legatur, *Nec factum eſt occultum, ſed ut veniat in palam. Si quis habet aures audiendi audiat. Et dicebat illis, Videte quid audiatis. In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis. Qui enim habet*, &c. ¶ *Neque factum eſt occultum, ſed ut in palam veniat*] Pro *factum eſt* Græcè eſt ἐγένετο verbi particula, nè fortè hîc *factum* pro *opere* poſitum arbitreris. Sermo autem, quia inabſolutus videtur, ſuppleri poteſt hoc modo, *Neque factum*, aut *reditum*, *eſt quicquam occultum ut omnino maneat occultum, ſed ut quandoque veniat in apertum.*

26. *Sic eſt regnum Dei quemadmodum ſi homo jaciat ſementum in terram, & dormiat, & exſurgat nocte & die; & ſemen germinet*] Hâc Dominus parabolâ indicare voluit quo pacto Eccleſiæ ſtatus & inciperet & procederet. *Homo* ſiquidem Chriſtus Dominus eſt, qui primùm Euangelii ſui *ſemen* per ſe ac ſuos diſſeminavit in *agros* mentium humanarum: deinde in paſſione ac morte ſua quaſi *noctem* quandam faciens *obdormivit*; poſt hæc etiam tertio *die* à ſomno mortis *reſurrexit*. Interim *ſemen* ipſum *excrevit*, *germinavit*, *germinare haud ceſſat*, idque *die & nocte*, h. e. perpetuò, vel in proſperis pariter & adverſis, tametſi nonnunquam mortalibus exſtinctum & à Deo videatur derelictum. Enarrat hanc parabolam B. Gregorius hom. in Ezech. 15. ſed ſenſu morali: Suprà dictus autem allegoricus & primarius eſt. Cæterùm quod ad literæ ſuperficiem attinet, illud, *dormiat, & exſurgat nocte & die*, ad hominem ſeminatorem referendum eſt, ut intelligas eum nocte quidem dormire, die autem exſurgere.

28. *Ultrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam*] Per hos proveniendi gradus indicatur Eccleſiæ à tempore Chriſti, adeóque cujuſque fidelis, paulatim ad meliora perfectioráque ſuccreſcentis profectus.

29. *Et cùm ſe produxerit fructus*] In antiquis multis eſt *cùm ſe*, non *cum ex ſe*. ¶ *Adeſt meſſis*] Beda & exempl. Corſend. habent, *tempus meſſis*.

32. *Cùm ſeminatum fuerit, aſcendit, & fit majus*] Sic habent codices fideliores, Beda, & Græci; cùm in nonnullis ſit, *cùm natum fuerit, aſcendit in arborem, & fit majus*.

33. *Prout poterant audire*] h.e. quatenus cernebat Dominus rudibus adhuc auditoribus expedire.

35. *Tranſeamus contrà*] Gr. Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν· ubi particula adverbialis πέραν propter præfixum articulum vim habet nominalem, q. d. *Tranſeamus in oppoſitum*, ſive *ad locum ulteriorem*: cujus loco Interpres cap. ſeq. atque alias poſuit *trans fretum*.

36. *Aſſumunt eum ità ut erat in navi*] In navigio quippe

cum

tum adhuc erat, è quo docuerat multitudinem; quâ dimiſſâ, aſſumentes eum Apoſtoli tranſveterunt quò juſſerat. In archetypo & exempl. vetuſtis invenio *erat*; in exempl. Corſend. & Beda, & vulgaris cod. *erant*.

37. *Fluctus mittebat in navim*] Rectiùs, meo judicio, ἐπίβαλλεν tranſitivè acceperis, juxta noſtrum Interpretem, pro *mittebat*, ut ſubaudiatur *procella*, & *fluctus* ſit casûs accuſandi, quàm neutraliter pro *irruebat*, ut κύματα ſit casûs nominandi, & Atticè jungantur cum ἐπίβαλλεν numeri ſingularis.

38. *In puppi*] i. in parte navigii poſteriori, ubi clavus eſt: quæ & ab ultimo Græcis πρύμνα appellata eſt.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον δ', Περὶ τῦ λυχνοῦ.

Μάρκος ἐν τῷ Λατ. τμ. α, Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Μὴ ἔρχεται ὁ λύχνος, ἵνα ὑπὸ τὸν μόδιον τεθῇ, ἢ ὑπὸ τὴν κλίνην; οὐχὶ ἵνα ἐπὶ τὴν λυχνίαν τεθῇ;

Χὠτε λυχνῷ λεπίδες, χαρακτὴρ δ' ἀναδίδωμι δίεμα-
ΔΔωτ,
Σῶμα λυχνοῦ, Χριστῷ καθαιρέτῳ ἀψαμένου.

6. Ἐξεπλαγήθη] *Ardore tactum eſt.*

10. Ὅτε δὲ ἐγένετο κατὰμόνας] *Cùm autem fuit ſolus.*

11. Ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξω] *Illis autem* utpote *externis*: vel, *extraneis.*

22. Οὐδὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον, ἀλλ' ἵνα εἰς φανερὸν ἔλθῃ] *Neque fuit occultum, niſi ut in propatulum veniat.*

27. Μηκύνηται] *Incrementum capiat*: vel, *aſſurgat.*

28. Αὐτομάτη] *Sponte enim* naturæ.

34. Ἐπέλυε] *Explicabat.* Ad verb. *ſolvebat.*

37. Λαίλαψ ἀνέμου] *Turbo venti.*

38. Ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον καθεύδων] *Super cervicali dormiens.*

39. Σιώπα, πεφίμωσο· Καὶ ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος] *Sile, obmutefac.* [Ad verb. *Eſto ære obſtructo*] *Et quievit ventus.*

GROTIUS.

2. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς ἐν τῇ διδαχῇ αὐτῦ, *Et dicebat illis in doctrina ſua*] Idem genus loquendi eſt infrà XII, 38. neque extra Marcum occurrit. Senſus mihi eſſe videtur, *Cùm alia multa differret, tum hoc quoque dixit inter cætera.* Præcipuum quod Chriſtus docebat erant ipſa præcepta, quæ & propriè διδαχὴ [*doctrina*] nomine appellantur. Hæc omni occaſione populo inculcabat: addebat deinde auctarii causâ τὸ παραβολικὸν [*ſermones parabolicos*] & liberas reprehenſiones.

7. καὶ συνέπνιξαν αὐτό, καὶ καρπὸν οὐκ ἔδωκε. *& ſuffocaverunt illud, & fructum non dedit*] Καρπὸν οὐκ ἔδωκε [*fructum non dedit*] de prioribus ſeminibus nihil neceſſe erat dici. Nam quomodo fructum ederent aut ab avibus abſumta, aut æſtu Solis arefacta? ſed de hoc ſemine non ſine cauſa id dicitur, quia primi auctus ſpem faciebant bonæ frugis.

8. ἐδίδου καρπὸν ἀναβαίνοντα καὶ αὐξάνοντα· *dabat fructum adſcendentem & creſcentem*] Providè Marcus ſeminis quarti eventum à trium priorum eventu ſeparavit. Nam primum οὐκ ἀνέβαινε [*non adſcendit*] ab avibus abſumtum; alterum ἀνέβαινε μὲν, ἀλλ' οὐκ ηὐξάνετο [*adſcendit, at non crevit*] æſtu exhauſtum; tertium καὶ ἀνέβαινε καὶ ηὐξάνετο, καρπὸν δὲ οὐκ ἔδωκεν [*& adſcendit & crevit, ſed fructum non dedit*] oppreſſum ab ea quæ ſimul excreverat ſentium ſegete. ¶ ἓν τεσσαράκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατόν· *unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum*] Ἓν [*unum*] diſtributivum apud Hebræos poſuit, ubi Matthæi Interpres magis Græcè ἃ μὲν [*hoc quidem*] & ἃ δὲ [*illud verò*] atque ita apparet legiſſe veteres Interpretes. Quare ita potiùs legendum quàm ἐν [*in*]. Vide quæ infrà ad comma 20.

10. καταμόνας, *Cùm eſſet ſingularis*] *Seorſim à turba.* Utitur & Lucas IX, 18. & Alexis comœdia Paraſito. ¶ οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα, *hi qui cum eo erant cum illis duodecim*] Ambiguum videri poterat quod Matthæus ſcripſerat, Chriſtum ſeorſim Diſcipulis hæc explicaſſe. Nam *diſcipuli* interdum dicuntur Duodecim ſoli, interdum & alii, non ita quidem familiariter, ſed ſatis aſſiduè tamen Chriſtum ſectantes, quales illi ſeptuaginta. Marcus ambiguitatem ſolvit, cùm dicit hæc explicaſſe Chriſtum non ſolis Duodecim ſed & aliis περὶ αὐτὸν [*circa ipſum*]. Hoc autem περὶ αὐτὸν veteres explicarunt μαθηταὶ αὐτῦ [*diſcipuli ejus*], laxiore notione, quod deinde in textum quorundam codicum penetravit. Voculas σὺν τοῖς [*cum illis*], quas omiſit Latinus Interpres, retinendas cenſeo; nam & Græci agnoſcunt & Syrus, & optimi codices.

11. ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξω, *illis verò qui foris ſunt*] Quod Matthæus dixerat *illis*, pulchrè explicat Marcus τοῖς ἔξω [*qui foris ſunt*]. Chriſtiani veteres τοὺς ἔξω [*Extraneos* ſive *foris poſitos*] vocabant omnes qui à Chriſti diſciplina erant extranei, 1 Corinth. V, 12, 13. Coloſſ. IV, 5. 1 Theſſ. IV, 12. & paſſim Clemens atque alii. Bene ergo Marcus eo nomine deſignavit eos qui audiebant quidem Chriſtum, ſed non diſcendæ pietatis animo; ſimiles Athenienſibus illis οἳ ἐπ' οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν ἢ λέγειν τι ἢ ἀκούειν καινότερον [*ad nihil aliud vacabant niſi aut dicere aut audire aliquid novi*], Actorum XVII, 21. ¶ ἐν παραβολαῖς τὰ πάντα γίνεται· *in parabolis omnia fiunt*] Omnia ſcilicet, non quæ ad pœnitentiam, ſed quæ aut ad arcana Divinæ diſpenſationis aut ad eventuum prædictionem pertinent. Præceſſit enim mentio τῦ μυστηρίου [*myſterii*, ſive *arcani*]. Et ἐν παραβολαῖς [*in parabolis*] intelligendum ἐν μόναις παραβολαῖς [*in ſolis parabolis*] ſine earum apertiori explicatione. Γίνεται [*fiunt*], quod generale eſt, ex ſenſus ratione hîc idem valet quod *proponuntur.*

12. ἵνα βλέποντες βλέπωσι, *ut videntes videant*] Non verba ipſa Prophetarum ſed ſenſum comminationis expreſſit Marcus. Futurum ſcilicet ut qui videntes videre, audientes audire & intelligere noluerant, poſtea nec videre nec audire nec intelligere poſſent ea quæ ad ipſorum converſionem pertinebant. Vide quæ ad Matthæum diximus.

14. Ὁ σπείρων, ὁ λόγον σπείρει. *Qui ſeminat, verbum ſeminat*] Is ſator de quo dixeram in fabella ſignificat Doctorem ſalutaris verbi.

15. ὅπου, *ubi*] Ubi pro *in quibus.* Sic *unde* pro *à quo* Latini ſæpe uſurpant, ut Cicero, *Illo exſtincto fore unde diſceret rem neminem.*

18. οὗτοί εἰσιν οἱ τὸν λόγον ἀκούοντες· *hi ſunt qui verbum audiunt*] Repetitio vocum οὗτοί εἰσι [*hi ſunt*] non eſt aliena ab Hebraïſmo: quod ejus inſolitis mutandi cauſam dedit, ideque non uno modo: quod hujus lectionis veritatem oſtendit.

19. καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι, *& circa reliqua concupiſcentiæ*] Id eſt, Voluptates corporis, quas Matthæus non expreſſerat, quia Divitias comitari ſolent. Videtur autem αἰσχρῶς [*verecundè*] dictum τὰ λοιπὰ [*reliqua*], ut cùm dicimus quæ honeſtè nominari nequeunt. ¶ εἰσπορευόμενα, *introeuntes*] Id eſt, *ſupervenientes.*

20. παραδέχονται· *ſuſcipiunt*] ὑπερ. Apparet idem eſſe in hac comparatione λαμβάνειν, παραδέχεσθαι, ἀκούειν, συνιέναι [*capere, ſuſcipere, intelligere, accipere*], eaque omnia plus eſſe quàm ἀκούειν [*audire*], minus quàm τελεσφορεῖν [*perferre*]. ¶ ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατόν. *unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum*] Hîc Syrum ἓν [*in*] legiſſe apparet. Neque dubium quin multi exſcriptores id præcaverint, ut vitarent τὸ εὐλογοφανὲς [*id quod ſpeciem habet ſolœciſmi*]. Credibilius tamen eſt ita ſcriptum fuiſſe ut ſuprà commate 8. Nam & in Matthæo eſt ſimilis repetitio. Neque movet me tranſitio in aliud genus. Nam in explicatione harum παραβολῶν [*parabolarum*] ſæpe ἐν ἀποδόσει [*in redditione*] reditur per figuram ad id quod in comparatione erat poſitum. Sed & de Terra ceptus ſermo ſæpe in Semen deſinit; quia ſcilicet in hoc docendi genere res tota inſpicitur, non particulæ ſingulæ.

21. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Μήτι ὁ λύχνος, *Et dicebat illis, Nunquid lucerna*] Poſſent videri quæ ſequuntur ἀποφάσεως [*ſententia*] non tam cohærentes cum ſuperioribus, atque etiam inter ſe, quàm in unum locum à Marco congeſtæ, ne ſæpius ſeriem hiſtoriæ ejuſmodi dictorum recitatione interrumperet. Sed cùm hæc interſerantur duabus comparationibus, quæ & apud Matthæum cohærent, & poſtrema illa ſententia, *Habenti dabitur*, etiam apud Matthæum recitetur circa hujus temporis narrationem, omnino arbitror iſta cum ſuperioribus cohærere. Neque obſtat quod de Lychno, & de Remenſione alibi apud Matthæum alio ſenſu fit mentio. Nam proverbia iſta uſu vulgi trita ſolent pro re nata ſenſibus diverſis, qui tamen ſub eandem dicti generalitatem veniant, aptari: quod tum apud Græcos Latinoſque, tum & in hac noſtra hiſtoria ſæpe eſt repetire. Quin & Lucas hanc ipſam de lychno ſententiam bis poſuit; hîc Marcum ſequitur, paucis omiſſis. ¶ ἔρχεται, *venit*] Non dubito quin vera hæc ſit lectio, vel eo argumento quo ſæpe uſitor, quòd diverſa ejus interpretamenta in textum irepſerunt. Alii enim codices habent κεῖται, alii πρόκειται [*accenditur*]: quorum alterum legit Arabs ⟨illegible⟩. At Syrus eo antiquior legit ἔρχεται [*venit*], ut & Latinus. Eſt autem ἔρχεσθαι [*venire*] *inferri in conclave*: quod cùm obſcurius videretur, mutandi occaſionem præbuit. ¶ ἢ ἵνα ὑπὸ τὴν κλίνην; *aut ſub lecto?*] Hoc & Lucas poſuit VIII, 16. Magna ubique reluceat in Chriſti dictis populanitas. Quis Modius & Lectus cavitatem habent,

habent, ſub qua condi Lucerna poſſet, ideo iſta nominavit. ¶ *μὴ ἵνα ἐπὶ τὴν λυχνίαν τεθῇ ; nónne ut ſuper candelabrum ponatur ?*] Connexio hæc mihi eſſe videtur, quod alia ſimilitudine idem quod ſuperiore oſtenditur, Non in hoc dari nobis ſalutarem doctrinam ut ſterilis torpeat, ſed ut luceat in nobis per facta pietati conſentanea. Quod ſuprà *Semen*, hic eſt *Lychnus*; quod ſuprà *fructum ferre*, hic *ſuper candelabrum ponere*. Vide Matthæi v, 16. 1 Petri II: 12.

22. *Οὐ γάρ ἐστί τι κρυπτὸν ὃ ἐὰν μὴ φανερωθῇ. Non eſt enim aliquid abſconditum quod non manifeſtetur*] Univerſalis locutio ex ſenſu communi reſtringenda eſt ad res probas & honeſtas. Πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων μισεῖ τὸ φῶς, καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς ἵνα φανερωθῇ αὐτοῦ τὰ ἔργα [*Omnis enim qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus*] Johann. III. 20, 21. Hoc loco ea ſententia ſignificat, Non doceri etiam clàm aut privatim ea quæ bona ſunt niſi ut bonorum operum fructum proferant, atque ita ſe palàm oſtendant. Eſt ergo φανερωθῇ [*manifeſtetur*] poſitum pro δεῖ φανερωθῆναι [*debeat manifeſtari*], quod in ſequenti membro per ἵνα [*ut*] evidentiſſimè explicatur. ¶ *οὐδὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον, nec factum eſt occultum*] Supple τι [*aliquid*] ex membro ſuperiore. Et ἐγένετο [*factum eſt*] hìc eſt quod ibi ἐστί [*eſt*]. Mos Hebræorum eſt eandem *ſententiam* [*ſententiam*] verbis mutatis repetere, quod in Gnomologico Solomonis ſæpiſſimè occurrit. Vide ſimilem dicendi copiam infrà commate 30. ¶ *ἀλλ' ἵνα, ſed ut*] *Niſi ut.* Ita Matth. XX, 23. & infrà X, 40. *οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται* [*non eſt meum dare vobis, ſed* (id eſt *niſi*) *quibus paratum eſt*]. Paulus II Corinth. II, 5. *οὐκ ἐμὲ λελύπηκεν ἀλλ' ἀπὸ μέρους* [*non me contriſtavit, ſed* (id eſt *niſi*) *ex parte*]. Noſter hic IX, 8. *οὐδένα εἶδον ἀλλὰ τὸν Ἰησοῦν μόνον* [*neminem amplius viderunt niſi Jeſum ſolum*].

23. *Εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. Si quis habet aures audiendi audiat*] Vide Matth. XI, 15. Intellectus nobis à Deo potiſſimùm datus eſt ut eum intendamus documentis ad pietatem pertinentibus.

24. *Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Et dicebat illis*] Nota admonitio, ſed cujus ex ſuperioribus occaſio manavit. Dixerat Chriſtus ſe arcana Regni non aperire his qui pœnitentiæ hortamenta negligerent. Hoc factum ſuum nunc ad regulam quandam generalem revocat. Hunc eſſe ſequentium ſenſum oſtendit ſententia illa, *Habenti dabitur*, apud Matthæum XIII, 12. ¶ *Βλέπετε τί ἀκούετε. Videte quid audiatis*] Etiam atque etiam conſiderate quid & quale ſit quod auditis, ut pro rei magnitudine intendatis animum. Πῶς ἀκούετε [*quomodo audiatis*] dixit Lucas. ¶ *ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν. in qua menſura menſi fueritis remetietur vobis, & adjicietur vobis*] Lectionis hujus veritatem defendunt antiqui codices & veteres Metaphraſtæ, à quorum conſenſu, ut ſæpe monui, non eſt temere recedendum. Generalis autem proverbii quis hìc ſit uſus verba illa poſtrema oſtendunt, nimirum idem qui ſequentis ſententiæ, *Habenti dabitur*. Prout homines prima & maximè neceſſaria pietatis monita grato & fideli animo accipiunt, ita ſe in eos magis magisque effundit Divina largitas. Audientibus enim quomodo audire oportet beneficia ulteriora contingunt. Cyprianus epiſtola ad Donatum, *Non enim, qui beneficiorum terreſtrium mos, in capeſſendo munere cæleſti menſura ulla vel modus eſt: profluens largiter ſpiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus clauſtris intra certa metarum ſpatia franatur: manat jugiter, exuberat affluenter, noſtrum tantùm ſitiat pectus & pateat: quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis hauriemus.*

26. *ὡς ἐὰν ἄνθρωπος βάλῃ τὸν σπόρον ἐπὶ τῆς γῆς quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram*] Hæc παραβολὴ [*parabola*] aliis omiſſa, cùm ſuam hic explicationem non habeat, explicari debet ex ſimili comparatione quæ eſt apud Matth. XIII, 24. Quare Sator non eſt hic quivis præco veritatis, ſed ipſe primus ejus ſator Chriſtus, Matth. XIII, 37. Nam & hic qui ſevit dicitur miſſurus in agrum meſſores, infrà 29. Is autem haud dubiè eſt Chriſtus, Matth. XIII, 39. 40. 41.

27. *Καὶ καθεύδῃ καὶ ἐγείρηται νύκτα καὶ ἡμέραν, Et dormiat, & exſurgat nocte & die*] Loquendi genus ſecuritatem agricolæ indicans. Non ſunt autem particulæ ſimilitudinis premendæ ultra id quod intenditur. Senſus mihi videtur perſpicuus; Chriſtum à facta ſemente ad meſſis tempus agro adſpectabiliter non adfuturum.

28. *Αὐτομάτη γὰρ ἡ γῆ, Ultro enim terra*] Sponte ſua: nam ita Latini etiam de terra ſolent loqui. Putat Theophylactus obiter hic indicari *τὸ ἐφ' ἡμῖν* [*libertatem in volendo*]. ¶ *καρποφορεῖ πρῶτον χόρτον, fructificat primùm herbam*] *Καταχρῆσις* [*abuſio*]. nam propriè καρποφορεῖν eſt quod jam dicet, *frugem proferre*. Quod primùm enaſcitur *herbam etiam* vocant Latini: unde proverbium natum eſt, *In herbis eſſe*; &, *Meſſis in herba eſt*.

29. *Ἀποστέλλει τὸ δρέπανον, mittit falcem*] *Immittere falcem* dicunt Latini.

30. *Τίνι ὁμοιώσωμεν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, ἢ ἐν τίνι παραβολῇ παραβάλωμεν αὐτήν ; Cui aſſimilabimus Regnum Dei, aut cui parabolæ comparabimus illud ?*] imitatio verborum Eſaiæ XL, 18.

33. *καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν. prout poterant audire*] Id eſt, *Ut digni erant audire*. Vide ſuprà commate 11. Tale eſt ferme illud Demoſthenis *δυνάμενος ἀκολουθῆσαι* [*cum poſſet contrà convitiis impeti*], id eſt, *ἄξιος ὤν* [*dignus eſſet*]. Sic & alibi *τὸ πρέπον* [*id quod æquum eſt*] per verbum *δύναμαι* [*poſſe*] explicatur, ut Matth. IX, 15. & hìc ſuprà II, 19. *Μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν ; [Nunquid poſſunt filii nuptiarum jejunare?*] Par uſus ejus verbi Geneſ. XXIX, 8. XLIV, 22. Actorum IV, 20. XXV, 11. 1 Cor. III, 1. De ſenſu vide quæ apud Matthæum, & ſimul conſidera quæ hìc ſequuntur.

34. *οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς. non loquebatur eis*] Nempe arcana Regni. Ita enim ex ſententia vocum latitudo reſtringenda eſt, ut aliquoties monuimus. ¶ *ἐπέλυε, ſolvebat*] Simile loquendi genus,

——— *qui legum ænigmata ſolvit.*

Chaldaïcè קשרין שרי *λύων συνδεσμοὺς* [*ſolvens nodos*] Danielis V, 12.

35. *ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, in illa die*] Non oſtendit hæc eo die geſta quo præcedentia Chriſtus docuerat: ſed *ἐκείνη ἡμέρα* ſimpliciter eſt *quadam die*, ut & Matth. XIII, 1. XXII, 23. Lucas pro eo dicit *ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν* [*in una dierum*] V, 17. ita Hebræi בְּיוֹם הַהוּא [*in tempore illo*].

36. *παραλαμβάνουσιν, aſſumunt*] Id eſt, *avehunt*, ut ſuprà IV, 5. ¶ *ὡς ἦν ἐν τῷ πλοίῳ· ita ut erat in navi*] Elegans locutio: ita Latini,

——— *ut erat diſjecta capillos.*

Nihil autem aliud hoc genus loquendi ſignificat quàm continuationem ejus quod priùs erat. Ita Chriſtus erat in navi ut doceret velut è ſuggeſto, manſit in navi ut in altum aveheretur extra conſpectum turbæ ſtantis in littore. De poſitura corporis non videtur hìc agi. ¶ *μετ' αὐτοῦ. cum illo*] Proximè navigantem ſequebantur. Nam qui in iſtis navibus erant dixerunt quod infrà memoratur commate 41.

37. *λαῖλαψ ἀνέμου, procella magna venti*] Sicut *Urbs Patavii*, *Flumen Rheni*. Nam λαῖλαψ eſt *ἀνέμου στρόφος μετὰ ὄμβρου* [*venti vortex cum imbre*], ut ait Heſychius, conſentientibus Homeri interpretibus. ¶ *γεμίζεσθαι. ut impleretur*] Ita interpretes veteres; ut agnoſcas βυθίζεσθαι [*mergeretur*] eſſe interpretamentum.

38. *ἐπὶ τῇ πρύμνῃ, in puppi*] Gubernatoris locus in puppi. Viator Jonas in tranſtris dormiebat, Jonæ I, 5. Jonas excitatur ut oret, Chriſtus ut ſoſpitet.

39. *πεφίμωσο. compreſſus eſto*] Præteriti temporis imperatio ſummam exigit celeritatem. ¶ *καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη. & facta eſt tranquillitas magna*] Subitò, cùm alioqui diu ſoleat mare agitari poſtquam venti ſiluerunt.

40. *Τί δειλοί ἐστε ; οὕτω πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν ; Quid timidi eſtis ? necdum habetis fidem?*] Hanc veram puto lectionem, *Quid timidi eſtis ? Adeóne caretis fiduciâ ?* Tale eſt, *Οὕτως οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι μετ' ἐμοῦ ; Sic non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum ?*] Adde quod infrà VII, 18. & 1 Corinth. VI, 5. Vecula autem πως in iſtiuſmodi locutionibus nihil per ſe ſignificat, ſed vim addit orationi. Cauſam timoris Chriſtus exprimit *ὀλιγοπιστίαν* [*fidei tenuitatem*].

41. *Ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, καὶ ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους, Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum*]: Verbum impersonaliter poſitum: Subauditur, non Diſcipuli, ſed *οἱ ἄνθρωποι* [*homines illi*], quod expreſſit Matthæus. Agitur de illis qui in proximo navigabant, quique non æquè aſſueti erant Chriſti miraculis. ¶ *Τίς ἄρα, Quis putas*] Admirantis; ut notat Servius ad illud Virgilii, *Quis globus!*

CAP.

CAP. V.

VALLA.

1. ET *venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum*] *Gadarenorum* legendum eſt, Γαδαρηνῶν. Neque dicitur *trans fretum maris*, ſed *trans mare*, ſive *ad ulteriora maris*, ſive *trans fretum*, ſive *transfretantes*, *venerunt in regionem Gadarenorum*, καὶ ἦλθον εἰς τὸ πέραν θαλάσσης. Meliùs ergò paulò pòſt, 21. *Et cùm tranſcendiſſet Jeſus in navi, rurſus trans fretum*, καὶ διαπεράσαντος εἰς τὸ πέραν.

23. *Impone manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat*] Quid attinebat addere, *Et vivat?* annon ſatis erat *ut ſalva eſſet?* Ergò legendum erit *& vivet*, i. *& ſalva erit*, ζήσεται. Meliùs in iis cod. ubi legitur in numero pl. manus, τὰς χεῖρας.

35. *Adhuc eo loquente veniunt ad archiſynagogum, dicentes, Quia filia tua mortua eſt*] Melius ubi legitur *ab archiſynagogo*, i. à domo ipſius, ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου.

38. *Et vidit tumultum, flentes & ejulantes multum*] Gr. *Jubilantes*, ἀλαλάζοντας. Sed propriè tamen tranſlatum eſt, quia *jubilatus eſt*, ut Varro ait, *clamor ruſticorum*, & *quiritatus urbanorum*. Quò magis miror eos qui volunt eſſe ſuavem vocem & cantum.

REVIUS in VALLAM.

38. Ἀλαλάζοντας] Trajectum erat.

ERASMUS.

1. TRans fretum] Εἰς τὸ πέραν, quod ſuperiùs vertit *contrà*, i. *in ulteriorem partem*. Quanquam in Matthæo ſæpenumero vertit *trans fretum*. Lacum, ut dixi, appellant *mare*: tamen iiſdem verbis uti licuiſſet etiam amne transmiſſo, aut aggere, aut monte. *Fretum* verò non idem eſt quod *mare*, etiamſi fretum omne dicitur *mare*. ¶ *Geraſenorum*] Γαδαρηνῶν *Gadarenorum*. Ad eundem modum legimus & apud Lucam, cùm Matthæus vocet *Gergeſenorum*, de quo nonnihil attigimus in Matthæo c. 8.

9. *Legio mihi nomen*] Λεγεών. Græcè ſcribens uſus eſt voce Latinâ, tametſi mutato genere.

11. *Paſcens in agris*] *In agris* hîc nec apud Græcos additur, nec in cod. Aureo, nec in Donatianicis, nec in Conſtantienſi.

13. *Et magno impetu*] Καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη διὰ τοῦ κρημνοῦ, *& impetu ferebatur præceps in mare. Magno* addidit Interpres de ſuo. ¶ *Ad duo millia*] Ὡσεὶ δισχίλιοι, *erant autem ferme duo millia*, ſive *bis mille*: & ſubaudiendum eſt *porci*, non *ſpiritus*; quòd *ſpiritus* Græcè eſt neutri generis, & δισχίλιοι maſc. ut ad *ſpiritus* referri non poſſit.

14. *Quid eſſet factì*] Τί ἐστι τὸ γεγονὸς, *quid eſſet quod factum erat*, ſive *quod accideras*. Quanquam haud malè vertit Interpres.

15. *Et venerunt*] Καὶ ἔρχονται, *& veniunt*, præſentis temporis. Et ità habent cod. emendatiores Latini. ¶ *Et ſanæ mentis*] Poſt hæc verba Græci cod. addunt quod in Latinis non habetur, τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγιῶνα, *eum qui habuerat legionem*; quod quoniam viſum eſt ſupereſſe, cùm modò facta eſſet mentio dæmoniaci, eraſerunt. At repetitur ad emphaſim miraculi, *eſſe jam ſanæ mentis, qui non ſolùm fuerit obnoxius dæmonio, verùm etiam legioni dæmonum.*

18. *Cùmque aſcenderet*] Καὶ ἐμβαίνοντος αὐτοῦ, *Ingreſſo ea navim*, ſive *conſcensâ navi*.

19. *Non admiſit*] Οὐκ ἀφῆκεν, *non permiſit*, ſive *non paſſus eſt*. ¶ *Quanta*] Ὅσα, quod ſæpenumero ſign. *quæcunque*. Hîc Interpres legiſſe videtur πόσα, non ὅσα. ¶ *Et miſertus ſit tui*] Hoc non parùm durè cohæret cum eo quod præcedit, *quanta tibi fecerit Deus*: vertendum erat, *quæ tibi fecerit Deus, & in quibus miſertus tui fuerit*, ſive, *quantopere miſertus ſit tui.*

22. *Et venit quidam*] Καὶ ἔρχεται εἷς, *& venit unus*. Sed utinam Interpres Hebraicam figuram, ut hîc mutavit, itidem mutaſſet ubique: tantum abeſt ut reprehendam. ¶ *Jairus*] Penultimâ acutâ pronunciandum eſt Latinis, ob diphthongum Ἰάϊρος.

23. *Quoniam*] Nec in Græcis eſt ὅτι, quod tamen erat omittendum ſi fuiſſet: Hîc addidit de ſuo *Quoniam*. ¶ *Filiæ mea*] Θυγάτριον, *filiola*: eſt enim Græcis diminutivum. ¶ *In extremis eſt*] Ἐσχάτως ἔχει. Ad verbum ſonat, *extremè habet*. Perinde valet acſi dicas, *Peſſimè affecta eſt*, ſive, *In ſummo vitæ diſcrimine eſt*. ¶ *Ut ſalva ſit, & vivat*] Ὅπως σωθῇ, καὶ ζήσεται, *ut ſalva ſiat, & vivet*: ut verbum poſteriùs ſit futuri temporis. Alioqui quid aliud eſt ægrotam *ſervari* quàm *vivere*? Nam ſenſus eſt, *Impone illi manus ut ſervetur: Quod ſi non gravaberis facere, futurum eſt ut vivat.* Nam fieri poteſt ut imponat aliquis manus ægroto ad hoc ut ſanetur, & tamen moriatur ægrotus. Quanquam hoc vitio Interpretis non accidit, ſed librariorum. Ut opinor, tribuunt huic archiſynagogo fidem imperfectam. Non credebat excitari poſſe mortuam: ægrotam ſanari poſſe credebat, ſi modò dignaretur illi Dominus imponere manus. Ad hunc intellectum facit annotatio mea.

29. *Et ſenſit corpore*] Καὶ ἔγνω τῷ σώματι, *cognovit corpore*: quod Interpres non ineptè vertit *ſenſit*. Nam ſenſus eſt, *Illam hoc cognoviſſe ex ipſo ſenſu corporis, quòd jam carebat cruciatu & fluxu.* ¶ *Quia ſanata eſſet à plaga*] Μάστιγος; *flagello*, quemadmodum ſuperiùs indicatum eſt. Et *quia*, ὅτι, vertendum erat in *quòd*.

30. *Cognoſcens virtutem quæ exierat*] Ἐπιγνοὺς ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν. Quæſo, quod hoc ſermonis dedecus? Numqua virtus erat illi incognita? Proinde participium vertendum erat in verbum infinitum, *Jeſus autem ut agnovit*, ſive *ſenſit*, *in ſeipſo virtutem prodiſſe ex ſeſe*. Nec enim hoc loco ferendum erat *de illo* pro *ex ſe*, quod noſtra habet editio.

33. *Omnem veritatem*] Ἐμπροσθεν πάντων πᾶσαν τὴν αἰτίαν αὐτῷ, *coram omnibus omnem cauſam ſuam*: etiamſi illud *coram omnibus* non reperi ſcriptum in omnibus Græcorum exempl. & in nonnullis pro *aitíav* ſcriptum erat ἀλήθειαν· quod nos ſequi maluimus, vel ob hoc quòd cum Latinis exempl. concordaret. Porrò Lucas *aitíav* habet.

35. *Veniunt nuncii*] *Nuncii* addiderunt neſcio qui, quanquam non malè. Certè non erat in cod. Don. nè in Conſt. quidem. Nec eſt ¶ *Ad archiſynagogum*] Sed *ab archiſynagogo*, magno conſenſu Græcorum cod. ut intelligas ab illius veniſſe domo qui nunciarent mortem filiæ. Cæterùm non animadvertens ſive lector ſive Interpres hanc loquendi figuram, *Eamus ad me*, pro eo quod eſt *ad domum meam*, &, *A vobis exis*, i. e. *è domo veſtra*, exiſtimavit non poſſe vitari quin illi ad Archiſynagogum venerint, quandoquidem is jam erat apud Jeſum. Verùm *& ab illo* venerunt & *ad illum*, h. e. ab illius ædibus ad ipſum. Germanam ſcripturam cum Græcis conſentientem reperi in codice Conſt. Tametſi ſermo Græcus poteſt videri dictus κατ' ἔκλειψιν, quemadmodum dicunt ἐν ἄστει, &, *Veniunt ad Veſtæ*. Ità, *veniunt ab archiſynagogi*, ſubaudi *domo*.

36. *Jeſus autem*] Græci addunt εὐθέως, *ſtatim*.

37. *Admiſit*] Ἀφῆκεν, *permiſit*, ſive *paſſus eſt*. Nam quis dicat *admiſit ſequi*? Mirè laſcivit ſuâ copiâ, cùm hoc verbum ſolitus ſit vertere *dimiſit*.

38. *Et vidit*] Καὶ θεωρεῖ, *videt*, præſ. temporis. ¶ *Et ejulantes*] Ἀλαλάζοντας· quòd in Pſalmis vertit *jubilare*. Nam ἀλαλάζειν eſt *ejulare*, vox ab illa non multùm diſſimilis. Quanquam Valla ex autoritate Varronis oſtendit *jubilatum* eſſe clamorem ruſticorum, ut *quiritatum* urbanorum. Certè Chryſoſtomus hom. 1. adversùs Judæos ἀλαλάζειν dicit Paſtores clamore deterrentes lupum ab ovili.

39. *Quid turbamini*] Τί θορυβεῖσθε, *Quid tumultuamini*, ab eadem voce quam modò verterat *tumultum*, θόρυβον.

40. *Et deridebant eum*] Græci nonnulli addunt εἰδότες ὅτι ἀπέθανεν, *ſcientes quòd eſſet mortua*, ſive *cùm ſciret eſſe mortuam*. Verùm id ſuſpicor huc aſſcriptum ex Matthæo. ¶ *Qui ſecum erant*] Legendum eſt, *& qui ſecum erant*, καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ, ut intelligas paucos illos quos paſſus fuerat ſequi, nempè Diſcipulos, quos nominatim recenſuit.

41. *Tabitha cumi*] *Talitha* per λάμβδα ſcribunt Græci, non *Tabitha* per βῆτα, ſuffragantibus Græcæ lectioni vetuſtiſſimis cod. Donatianicis, atque item Conſtantienſi. ¶ *Puella, tibi dico*] *Tibi dico* de ſuo adjecit, ſive is fuit Euangeliſta, ſivé alius quiſpiam, quò ſignificantiùs redderet & ſenſum vocantis & autoritatem imperantis, ut teſtatur & Hieronymus ad Pammachium, in libello cui titulus *De optimo genere interpretandi*. Hebræas voces Marcus ipſe, qui ſine controverſia Græcè ſcripſit Euangelium, nobis interpretatur, *Puella ſurge*: D. Hieronymus, in libello quo colligit voces Hebraicas Euangeliorum, admonet hunc ſermonem *Thabita Cumi* (ſic enim illic ſcribitur, corruptè, ut arbitror) Syrum eſſe, non Hebraicum. טליתא Syriacè *puella* ſignificat. Ab

idem in libro De optimo genere interpretandi fatetur Hebræum eſſe: *Arguatur*, inquit, *Euangeliſta mendacii quare addiderit*, TIBI DICO, *cùm in Hebræo tantum ſit*, PUELLA SURGE. Niſi fortè quod Chaldaicum aut Syriacum ſit id Hebræum dici poſſit, non contrà, quòd Chaldæorum aut Syrorum ſermo nihil aliud ſit quàm Hebræus non eodem modo depravatus, exceptis paucis vocibus, quas, ut fit, aliunde ſibi aſciverunt. Niſi probabilius videtur Hebræos, poſteaquam in Syriam demigrarant, illius gentis linguam didiciſſe, atque eâ linguâ libros ſacros qui intercideranr per Eſdram fuiſſe reſtitutos. Porrò ſermonem vulgarem nunquam diutiùs eundem eſſe, vel in quavis hujus ætatis lingua perſpicuum eſſe poteſt. Tanta eſt rerum humanarum volubilitas. Neque verò mihi diſſimile veri eſt, Chriſtum populari ſermone uſum qui tum promiſcuæ multitudini erat in uſu, præſertim cùm apud populum verba faceret. Qui profitentur hoc literarum genus, ajunt *Talitha*, quemadmodum magno conſenſu legimus in Græcis codicibus, Chaldæis ſonare *puellam*. Et fieri poteſt ut vox ſit utriſque communis.

VATABLUS.

1. *Trans fretum*] *In ulteriorem ripam.* ¶ *Geraſenorum*] *Gaddarenorum.*

2. *De monumentis*] Heb. pro, *ex quodam monumento.* Sic alibi, *in urbibus*, i. *in aliqua urbium.* ¶ *In ſpiritu immundo*] Hebr. pro, *habens ſpiritum immundum.*

5. *In monumentis & in montibus*] *In montibus & in monumentis.*

7. *Quid mihi & tibi*] Vel, *Quid rei tibi mecum.* ¶ *Altiſſimi*] *Summi*, V. ¶ *Adjuro te*, &c.] i. peto à te ut jures mihi per Deum quòd me non torquebis.

8. *Ab homine**] * *Iſto*, Vet.

9. *Dicit ei*] *Reſpondit, dicens.*

10. *Deprecabantur*] *Deprecabatur*, V.

11. *Circa montem*] *juxta montes.* ¶ *Paſcens**] * *In agris*, V.

12. *Spiritus*] *Omnes dæmones.*

13. *Exeuntes*] *Egreſſi.* ¶ *Ad duo millia*] *Erant autem ferè duo millia.*

14. *Agros*] Vel, *pagos.*

15. *Venerunt*] *veniunt*, V. præſ. pro præt. ¶ *Et ſanæ mentis**] *Eum qui habuerat Legionem.*

16. *Qualiter factum eſſet*] *Quomodo accidiſſet.*

18. *Cùmque aſcenderet*] *Ingreſſo autem eo.*

19. *Et non admiſit eum*] *Jeſus autem non permiſit ei.* ¶ *Et miſertus*] *Et* pro *Quia*, Hebr. *tui enim miſertus eſt.*

21. *Cùm aſcendiſſet Jeſus in navim*] *Cùm tranſcendiſſet Jeſus in navi*, Vet. vel, *trajeciſſet Jeſus navi.*

22. *Quidam de archiſynagogis*] *Unus è principibus ſynagogæ.*

23. *Quoniam filia*] *Filiola.* ¶ *In extremis*] i. in extremo vitæ diſcrimine. ¶ *Veni, impone*] *Ut cùm veneris imponas.* Hebr. pro, *Hoc dico ut venias & imponas.* vel, *Oro ut venias & imponas.* ¶ *Manum tuam*] *manus*, V. ¶ *Vivat*] *Vivet.*

25. *Erat in profluvio*] Heb. pro, *Laborabat profluvio.*

26. *Erogaverat*] *expenderat.* ¶ *Profecerat*] *Adjumenti ſenſerat.* ¶ *Magis deterius habebat*] Vel, *magis in deterius venerat.*

28. *Veſtimentum*] *Veſtimenta.*

29. *Fons*] i. ſcaturigo. ¶ *A plaga*] Gr. *à flagello.*

33. *Virtutem quæ exierat de illo*] Vel, *vim ex ſe prodiiſſe.*

34. *Vade in pace*] Heb. pro, *Læto ac tranquillo poſthac ſis animo.* ¶ *A plaga tua*] *A flagello tuo.*

35. *Ad archiſynagogum*] *Ab archiſynagogo*, V. i. à domo principis ſynagogæ. Quidam legunt *ab archiſynagogi.* ſub. *domo.*

36. *Jeſus autem*, * *audito*] * *Statim.*

37. *Admiſit*] *Paſſus eſt, permiſit.*

38. *Vidit*] *Videt*, præſ. temp. Vet.

39. *Turbamini*] *Tumultuamini.*

41. *Tabitha*] *Talitha*, Vet. vox Chaldæa. ¶ *Interpretatum*] *Si interpreteris.*

43. *Juſſit*] *Dixit*, V. Hebr. pro *juſſit.*

CLARIUS.

33. *Timens & tremens*] Quaſi furata eſſet ſanitatem.

43. *Et juſſit dari illi manducare*] Quemadmodum & ipſe ad faciendam veræ reſurrectionis ſuæ fidem petiit ſi quid haberent eſui aptum, & comedit.

ZEGERUS.

1. *Geraſenorum*] Sive legamus *Geraſenorum*, ſive Γαδαρηνῶν *Gadarenorum*, ſive etiam Γεργεσηνῶν *Gergeſenorum*, ut apud Matth. 8. eadem prorſus gens intelligitur, ut nè anxii ſimus de gentis ipſius appellatione.

5. *Concidens ſe lapidibus*] h. e. contundens & immaniter cædens: & producit mediam.

7. *Jeſu Fili Altiſſimi*] In pleriſque eſt *Summi* pro *Altiſſimi.*

11. *Magnus paſcens*] *In agris* ſuperfluum eſt juxta Græcos, Latinos cod. antiquos, & Bedam.

13. *Ad duo millia*] Hujus loco in codice Corſend. in ſpatio vacuo & deraſo ſcriptum, ni fallor, fuit, juxta Græcam editionem, *Erant autem quaſi duo millia:* cernuntur enim adhuc veſtigia, ſed tenuia literarum *e t* & *q.*

14. *Quid eſſet factum*] Sic habet Beda, & codex citatus; aliquot tamen vetuſti habent *facti.* Sed in iſtiuſmodi minuxis nolim te eſſe nimis anxium.

15. *Et ſanæ mentis*] Græci addunt ἢ ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα *eum qui habuerat legionem*, ſed diſſentientibus noſtris, uno inter antiquos excepto cod. Corſend. qui prædictorum verborum ſpatium raſurâ tritum cementibus oſtentat.

20. *In Decapoli*] *Decapolis* regio eſt à *decem civitatibus* ſic vocata.

22. *Jairus*] Pen. prod. propter diphthongum: gravat tamen eandem accentus Græcus.

23. *Salva ſit, & vivet*] Non *vivat*, ut ex Græcis, & Petro Chryſologo, & aliis liquet. Quanquam hoc leviculum eſt.

35. *Ab archiſynagogo*] h. e. ab Archiſynagogi domo, eâ loquendi formâ quâ dicitur, *eamus ad me*, pro eo quod eſt *ad domum meam*; &, *à vobis exit*, i. à domo veſtra: ità tamen ut intelligas nuncios veniſſe ad ipſum Archiſynagogum (juxta alteram lectionem) jam tum Chriſtum interpellantem. *Ab archiſynagoga* eſt Græcè, ſed diſſentientibus cod. quos ego vidi. Et tamen editio Lovanienſis novem adnotat exemplaria quæ ſic habuerint; & nihilominus in contextu habet *ad archiſynagogum.* Tandem duo vidimus exempl. Gemblaci, quorum antiquius *ab archi* habebat, alterum depravationem declarabat raſurâ, quemadmodum & codex Enerbo. Quidam vetuſtus codex habet *ab archiſynagogi.*

38. *Ejulantes*] Interpres legiſſe videtur ὀλολύζοντας, non ἀλαλάζοντας, h. e. *jubilantes*, quod irrepſiſſe videtur occaſione tibicinum, quos commemorat Matthæus 9. 23. Niſi fortè quis docere poſſet in noſtris potiùs depravatam eſſe ſcripturam, quòd abſurda videatur jubilatio in ipſo luctu, juxta illud, *Muſica in luctu importuna narratio*, Eccleſ. 22. 6.

41. *Talitha cumi, quod eſt interpretatum, Puella (tibi dico) ſurge*] Periphraſi ſermonem Chriſti explicuit Euangeliſta: nam טליתא קומי, ex Syro ſive Chaldæo & Hebræo conſtans, nihil plus ſonat quàm *Puella ſurge.* Docet in ſuo Dictionario Munſterus, recentiores cod. perperàm habere *Thabita cumi*, cùm Græci, inquit, & pervetuſti Latini habeant *Talitha:* atque in hac voce lapſos dicit inſignes quoſdam viros, pro טליתא ponentes טבתא, h. e. *reſpice*, quum & Hieronymus (inquit) adſerat *Talitham* Syris ſignificare *puellam.* Verùm huic refragantur quotquot ferè exſtant in hunc Euangeliſtam explanatores. Refragatur ipſe, quem pro ſe citat, Hieronymus, qui tam in epiſt. ad Pammachium de optimo genere interpretandi, quàm in interpretationibus nominum Heb. *Thabita* ſcribit. Refragantur etiam vetuſta quædam exempl. quæ aliàs deprehendimus ſatis caſtigata, nominatim codex Caroli M. & duo cod. Gemblacenſes; quanquam interim alia quædam (ut Munſterus & Eraſmus verè referunt, & nos oculatâ fide deprehendimus) *Talitha* habeant. Præterea *Talitha* apud nullum memini reperiri ſcriptorem veterem, præterquam in homilia quadam falsò, ut arbitror, ſicuti & aliæ nonnullæ, inſcriptâ Chryſoſtomo: quæ etiam perperàm *cumi* interpretatur *Surge mihi*; & in ipſam eandem puto Talitha per *l* irrepſiſſe per aliquem correctorem. Ex his itaque in ſuſpicionem inducor hanc dictionem indifferenter olim ſcribi ſolitam, per *l* & per *b*, quemadmodum idem fieri videmus in dictione *Beelzebul* & *Beelzebub.*

43. *Et dixit dari illi manducare*] Hic locus, ut alii plures, in exemplari Corſend. depravatus eſt à ſciolo quopiam, qui ignorarit *dixit* in Scriptura nonnunquam poni pro *juſſit*; qui etiam ex *dari* fecit *date.* Atque eâdem occaſione factum puto ut etiam

etiam nunc paſſim *juſſit* legamus, non *dixit*, quod in archetypo eſt & multis antiquis.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ε, Περὶ τῦ παραλυτικῦ.

Μάρκ@ ἐν τῷ λατ. ἰμ. β, Καὶ ἰσχυ@ πρὸς ἀυλὸν, παραλυτικὸν φιρονλες, αἰρόμενον ὑπὸ τεσσάρων.

Ἔνθερε ϑ φερόμενον ἀντὶ παραλυτικ@ εἰπόμεν.

Ἄλλος,

Ἀμπλακιῶν λύεται ὃς πρὶν παραλυτικὸς ἦσκεν,
Σκίμποδά ϑ' ᾧ πρὶν ἑκεῖτο, καθαιμάδιον φέρε ἀχϑ@.

5. Καλαλίπων] *Concidens.*

15. Τὸν δαιμονιζόμενον καθήμενον, ϗ ἱματισμένον, ϗ σωφρονῦντα] *Eum qui* priùs *erat* daemoniacus, *ſedentem ac veſtitum, & ſana mentis eſſe.*

23. Ἐσχάτως ἔχει] *In extremum adducta eſt.*

26. Δαπανήσασα τὰ παρ' ἑαυτῆς πάντα] *Impenderat omnia ſua.*

28. Σωθήσομαι] *Salutem conſequar.*

29. Ὅτι ἴαται ἀπὸ τ μάστιγ@] *Se ſanatam eſſe ex eo flagello.*

35. Τί ἔτι σκύλλεις τ διδάσκαλον;] *Quid amplius vexas magiſtrum?*

30. Κλαίοντας, ϗ ἀλαλάζοντας πολλά] *Flentes & ejulantes multum.*

DRUSIUS.

1. *Geraſenorum*] Γεργεσηνῶν. Euſebius, De locis, *Geraſa, urbs inſignis Arabiæ. Quidam autem ipſam eſſe Gadaram exiſtimant. Sed & Euangelium meminit Geraſenorum.* Idem de Gadara, *Urbs eſt*, inquit, *trans Jordanem contra Scythopolin & Tiberiadem ad Orientalem plagam ſita in monte, ad cujus radices aqua calida erumpunt, balneis deſuper adificatis.* Origenes in Joh. tom. 8. *Gadara civitas eſt Judææ, circa quam celeberrima balnea ſunt; haudquaquam verò in ea eſt ſtagnum vel mare præcipitiis adjacens.* Item de Geraſa, *Urbs eſt Arabiæ neque mare neque ſtagnum in propinquo habens.* Sed eum refellit hic locus, tum etiam Zacharias Chryſopolitanus ità ſcribens, *Geraſa eſt urbs Arabiæ trans Jordanem juncta monti Galaad in tribu Manaſſe, non longè à ſtagno Tiberiadis, in quod porci præcipitati ſunt.* Scire licet in diverſa lectione vel ſcriptura eſſe Γαδαρηνῶν *Gadarenorum.* Unde illud Euſebii, *Quidam autem ipſam eſſe Gadaram exiſtimant:* de quo dubitari video. Adhibe Suidam, & alios qui de Gadarenis & Geraſenis ſive Gergeſenis plura notarunt.

7. *Adjuro te per Deum*] משביע באלהים, ut Gen. 24. 3. *Adjurabo te per* DOMINUM *Deum cœli.* Nam ישבע *adjuro*, i. juſjurandum exigo, aut ad juramentum adigo. Sic autem *adjurandi* verbum accepiſſe Livium nonnulli tradunt. Vide Annotationes meas Levit. 5. 1.

9. *Legio mihi nomen eſt: quia multi ſumus*] Nam לגין *multitudo*, unde *legio olearum.* Moſcopulus, Λεγεὼν πλῆθος τῦς ποιήτης ἀγγέλων ἢ δαιμόνων. Baal Aruch *caſtra* interpretatur. Dicunt autem לגין לגיונות *legio*, *legiones*, & לגיונית לגיונית genere fem. Vide Quæſt. meas. Legio apud Romanos, teſte Heſychio, complectebatur milites 6666. Compoſitor Hiſt. Ebraicæ duabus legionibus contineri ait milites 12000. Igitur Legio ſex millium erat. Ex Livio apparet Legionem complexam fuiſſe tantùm quinque millia peditum & trecentos equites. Nam ait lib. 8. dec. 1. *Scribebantur quatuor ferè legiones quinis millibus peditum, equitibus in ſingulas legiones tricenis.* Ego numerum militum in Legionibus variaſſe olim exiſtimarim, ut hodie fit in Vexillis noſtris: Nam alia centum, alia ducentos continent milites, alia vix quinquaginta.

35. *Ab archiſynagogo*] Syrus, *è domo archiſynagogi*, i. principis ſynagogæ. Sic, *iit ad Pompejum*, pro *ad domum Pompeji.* Nihil vulgatius. Vide Bezam & Eraſmum.

41. *Talitha*] טליתא, quod nunc ſcribunt טליתא *taljetha*, eſt *puella*, ἡ παῖς, aut τὸ κορίσιον. In lib. Nom. *Tabita cumi*. mendum manifeſtum, quod me auctore eluendum ex hoc loco, ubi ſcriptum Ταλιθὰ κῦμι, *Talitha cumi.* Noli dubitare quin hæc vera ſcriptura ſit. Nam *Tabitha* aliud eſt. Apud Suidam, Ταλιθὰ κῦμι, ἔγειρε, Ἡ παῖς ἐγείρε. Pro κῦμι legendum κῦμι· deinde malim Ταλιθά. Quanquam in ſcriptura vetuſta η pro ι, ut Ἰωδὴϑ pro Ἰωδϑ, & Τωβὴϑ pro Τωβϑ. Quæ conſuetudo manavit à ſono ejus literæ, qui ævo ſuperiore idem cum Jota: Nec aliter antiqui pronuntiabant, ut ex his & aliis exemplis liquet. Syrum eſt טליתא *puella*, at קום *ſurge* pariter Syrum & Ebræum. In declaratione Marci, Κοράσιον, σοὶ λέγω, ἔγειραι, verba illa σοὶ λέγω includenda ſunt parentheſi, nè quis putet ea interpretationis eſſe. Hujus maſculinum apud Chaldæos טלי & טלי *tali*, à quo ταλὶς, vox reperta à me in authoribus Græcis. Hieron. ad Pammachium de optimo genere interpretandi, pag. 334. *Legimus in Marco dicentem Dominum*, TALITHA CUMI; *ſtatimque ſubjectum eſt.* QUOD INTERPRETATUR, PUELLA, TIBI DICO, SURGE. *Arguatur Euangeliſta mendacii, quare addiderit*, TIBI DICO, *cùm in Ebræo tantùm ſit*, PUELLA SURGE. *Sed, ut ἐμφατικώτερον faceret, & ſenſum vocantis atque imperantis exprimeret, addidit*, TIBI DICO. Ebræum appellat ſermonem qui Syrus eſt. Nam *Taljetha*, quod olim legebant *Talitha*, Syrum eſt non Ebræum. Chryſoſtomus hom. 7. in Mar. *Ait, Talitha cumi* (ità ſcribendum, non *Thalitha*) *quod interpretatur, Puella ſurge mihi.* (falſum. Nam ſod ibi non eſt affixum: præterea *ſurge mihi* Ebraicè diceretur *Cumili*) *Si diceret, Talitha cumi* (leg. fortè, *cum*) *interpretaretur, Puella ſurge. Nunc verò quia dixit, Talitha cumi, interpretatur de Ebræa & Syra lingua, Puella ſurge mihi. Cumi*, i. *Surge mihi. Videte ergò myſterium in ipſa lingua Ebræa & Syra.* Et pòſt aliquantò, *Puella ſurge mihi, non tuo merito, ſed meâ gratiâ: mihi ergò ſurge, quòd ſanaris non tuo merito.* Hæc arguunt magnam imperitiam ſermonis Ebraici. Ubi ergò ſunt qui linguarum ſtudium contemnunt aut inutile putant? Nónne vident viros magnos earum ignoratione pueriliter ſæpe lapſos eſſe? Sed audio dicentes, Nihil hoc ad ſalutem. Quaſi verò ad ſalutem faciat penſio quam annuatim percipiunt, & ſine qua docere nollent. Si tanta cura corporis, quanta deberet eſſe animæ, cujus optimum pabulum eruditio.

CASAUBONUS.

1. Καὶ ἦλϑον εἰς τὸ πέρας τ Θαλάσσης, εἰς τ χώρον τ Γαδαρηνῶν] *Gadarenorum regionem* vocant Marcus & Lucas, quam Matthæus *Gergeſenorum*; ſiquidem vera eſt hæc lectio Γαδαρηνῶν, quod videtur Theophylactus non exiſtimaſſe, qui annotat, *in libris melioris notæ legi* Γεργεσηνῶν, ut apud Matthæum. Videntur autem *Gadara* & *Gergeſa* duorum oppidorum vicinorum eſſe nomina in altero latere lacûs Geneſareticis ſitorum ἀντικρὺ τ Γαλιλαίας, ut Lucas ait. Et Gadara in hoc tractu commemorant Plinius ac Ptolemæus. Polybius lib. 5. Gadara ait ἔσκειν τῶν κατ' ἐκείνους τοὺς τόπους διαφέρον ὀχυρότητι. Longè verò fallitur doctiſſ. Zieglerus, qui in Deſcriptione Palæſtinæ tradit *Gadaridem* Strabonis eſſe iſta Gadara, & aquas quas ille commemorat lacum illum in quem dederunt ſe porci præcipites: longè, inquam, fallitur; etſi ei commentum hoc valdè placet, in eóque multus eſt. Atqui Strabo Gadaridem in regione maritima collocat inter Stratonis turrim & Azotum; quomodo igitur Galilææ reſpectu eſſe dici poſſit trans Jordanem & lacum Geneſareticum? Sed res ipſa loquitur deceptum eſſe doctiſſ. virum, & qui eum ſequuntur. Gadaris autem à Geographo commemorata ea eſt regio ubi fuit Gezera urbs dicta in S. literis: Nam & in Macchabæorum libris Γαζαρα, & apud Joſephum diſertè Γάδαρα quodam loco nuncupatur, ut pluribus expoſuimus in noſtris Commentariis ad Strabonem; quæ cùm hæc ſcribebam inibi erant ut ederentur.

38. Κλαίοντας ϗ ἀλαλάζοντας πολλά] Mirum ſanè ἀλαλάζειν de iis dici qui defunctam deflerent; niſi propter ἀυλητὰς ità loquitur, quos funeri interfuiſſe ex Matthæo conſtat. Sed nec quod corrigunt docti viri ὀλολύζοντας convenire poteſt, ſi propriam illius vocis ſignificationem ſpectes. Propriè enim dicitur de clamore quem tollebant mactatâ victimâ qui ſacris intererant, ut ab Herodoto eſt annotatum, qui morem hunc à Lydia in Græciam manaſſe auctor eſt. Quare qui elegantiùs Græcè ſunt locuti, nunquam, aut rariſſimè, niſi in re læta eo verbo utuntur. Irriſique ſunt LXX interpretes à veteribus, quòd ὀλολύζειν ab ὀλοφύρεσϑ neſciviſſent diſtinguere, ut illis objicit quidam Grammaticus antiquus. Ità tamen etiam in his libris accipitur, ut Jac. 5. 1. Quare hîc quoque fortaſſe ità priùs ſcriptum fuit, ut placet doctis viris. Diſertiores autem Græcos aliter uſurpare vel hæc fidem faciant. Apud Homerum enim Euryclea, cùm vidiſſet occiſos procos, voluit præ gaudio exclamare; ſed impedit Ulyſſes his verbis,

Ἐν ϑυμῷ, γρηῦ, χαῖρε, ϗ ἴαχε, μηδ' ὀλόλυζε.

Et apud Euripidem in Medea ὀλολυγὴ & κωκυτὸς opponuntur. Apud Æſchylum in Agamemnone Caſſandra hortatur inimicos regis ut exſultent ejus morte,

—— τάχιστ' ἀπόλεσον θᾶμα
Καὶλαλητοῦντα θύραθεν ἀλάστορα.

Denique paſſim ità uſurpatur ab illis τὸ ἀλαλύζειν. Vide amplius Euſtathium in iſtum locum ὀδ. γ'.

—— αἱ δ' ἀλάλυξαν
Θυγατέρες τε νυοί τε, καὶ αἰδοίη παράκοιτις.

Gloſſarii auctor ἀλαλάζειν explicat etiam *ejulare*; quod huic loco convenit.

GUALTPERIUS.

2. Ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ] *Homo in quo erat ſpiritus immundus.* Hypallage, pro ἐν ᾧ πνεῦμα ἀκάθαρτον.

9. Λεγεὼν ὄνομά μοι, ὅτι πολλοί ἐσμεν] Syrus מסן לגין LEGIJUN SCHEMAN, *Legio eſt nomen noſtrum.* De hac voce ſuprà Matth. 26. dictum eſt. Obſerva in v. 10. ſing. uſurpari numerum, καὶ παρεκάλει & petebat, ſcilicet *Legio* ſeu *cohors illa:* in 12. verè pluralem, καὶ παρεκάλεσαν αὐτὸν πάντες οἱ δαίμονες, & *precati ſunt eum omnes illi Daemones.*

13. Καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν θάλασσαν (ἦσαν δὲ ὡς δισχίλιοι) καὶ ἐπνίγοντο ἐν τῇ θαλάσσῃ] Syrus, *Et cucurrit grex ille in rupem, & corruit in mare, & ſuffocati ſunt porci in aquis.* Nota, apud Syrum omitti parentheſin illam, *erant autem quaſi bis mille.*

41. Ταλιθὰ κοῦμι ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Τὸ κοράσιον (σοὶ λέγω) ἔγειραι] Perperàm in cod. quibuſdam ſcribitur *Tabitha* pro *Talitha*; qui error etiam in Hieronymi opera irrepſit. Apud Syrum enim eſt קומי טליתא *Telitha Kumi.* Et prior quidem vox *Telitha* planè Syriaca eſt, quæ in genere maſculeo effertur טלי vel טליא vel טלאי *puer, infans, parvulus*; in feminco genere טליתא *puella, adoleſcentula*; ejuſdem ſignificationis cum Hebr. voce נערה. Poſterior, קומי *Kumi* utriuſque linguæ, Hebraicæ ſcilicet & Syriacæ, eſt, ex radice קם *ſurrexit*, quæ ſatis eſt nota. Interpretatio harum vocum ab Euangeliſta adjicitur paraphraſticè, nec in contextu Syriaco (ubi omiſſa) locum habet.

LUD. CAPPELLUS.

29. Ἐξηράνθη ἡ πηγὴ τοῦ αἵματος αὐτῆς] Illud πηγὴ αἵματος phraſis eſt Hebraica. Lev. 12. 7. מקור דמיה *purgata eſt à fonte ſanguinis ſui*, h. e. ſtetit fluxus menſtrui ejus. Et 20. 18. ערה את מקור דמיה *diſcooperuit fontem ſanguinis ſui*, h. e. nudavit ſe cùm fluerent ipſi menſtrua. Cùm ergò laboraret iſta αἱμορροΐσσα nimio ac continuo præter naturam menſtruorum fluxu, atque ex eo plurimùm debilitaretur, ubi à Chriſto ità ſanata eſt ut nonniſi tempore à natura conſtituto fluerent ipſi muliebria, rectè ex Scripturæ phraſi dicitur *exaruiſſe fons ſanguinis ipſius.*

GROTIUS.

1. Γαδαρηνῶν. *Gadarenorum*] Diſcimus è tabulis Judææ quas Judæi edidere גרגש & גדרה, id eſt, *Girgaſa* & *Gadara* ad eandem partem ſtagni vicino eſſe poſitu, ita ut adſita regio non minùs *Gadarenorum* Marco quàm Matthæo *Gergeſenorum* dici rectè potuerit.

2. ἄνθρωπος, *homo*] De duobus inſigniorem memorat. ¶ ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ. *in ſpiritu immundo*] Ἐν pro *cum*, πνεῦμα ἀκάθαρτον {*ſpiritus immundus*} ex Zacharia XIII, 2.

4. διεσπάσθαι ὑπ' αὐτοῦ τὰς ἁλύσεις, *diruptas ab eo catenas*] Bene ad hunc locum Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, ἡ θεία γραφὴ τῷ δαιμονιώδει φρενοπλήκτῳ ἃ δαίμονες τὰ ἱερὰ {*Sacra Scriptura à daemone correpto tribuit daemonis opera*}. Ita contrà ſuprà III, 11. dæmoni adſcribitur id quod erat ἃ δαιμονιζομένῳ {*à daemone correpti*}.

7. ἃ ὑψίστου, *Altiſſimi*] עליון. Phylo Byblius ex Sanchuniathone in hiſtoria Phœnicum, Ἑλιοῦν καλοῦμεν ὕψιστον {*Elium* id eſt *Altiſſimus*}. Pœni, id eſt, Phœnices Africani, pronuntiabant *Alon*, ut ex Siſenna & Plauti Pœnulo vir maximus obſervavit. Neque verò dubitandum quin id nomen Dei apud Chananæos veteres, qui & Phœnices, antiquiſſimum fuerit. Nam & Melchiſedec Rex Salem *Sacerdos* dicebatur כהן לאל עליון, Geneſ. XIV, 18. ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίστου {*Sacerdos Dei Altiſſimi*}, Hebræor. VII, 1. Philo Judæus duobus locis narrat Auguſtum Cæſarem ſacra pro ſe ferri juſſiſſe Hieroſolymis τῷ ὑψίστῳ Θεῷ {*Deo Altiſſimo*}. Et apud Joſephum exſtat Auguſti edictum pro Judæis, ubi eos vult uti patriis legibus, ita ut antè temporibus Hyrcani ἀρχιερέως Θεοῦ ὑψίστου *Sacerdotis Dei Altiſſimi*}. ¶ ὁρκίζω σε τὸν Θεὸν, *adjuro te per Deum*} Id eſt, Νὴ τὸν Θεόν· ut ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν Κύριον {*Adjuro vos per Dominum*} 1 Theſſ. V, 27. ὁρκίζομεν τὸν Ἰησοῦν {*adjuramus vos per Jeſum*} Actorum XIX, 13. Errant autem qui hîc jusjurandum exigi putant. Eſt quidem alicubi ea vocis ὁρκίζειν ſignificatio. At multis aliis in locis, ut oſtendimus ad Matth. XXVI. nihil aliud ſignificat quàm Religionem injicere, quod eſt in lingua verere Romana *obſecrare.* Lucas dixit δέομαί σου {*obſecro te*}· & ſolebat precibus adjungi obſecratio: ut Horatius, *Per omnes te Deos oro.* Virgilius, *Per te ſacra precor:* quibus ſimilia paſſim reperire eſt.

10. ἔξω τῆς χώρας. *extra regionem*] Cur ea in regione manere amabant dæmones? Haud dubiè quia ibi multi erant Judæi מסורת, id eſt, ἀποστάται {*defectores*}. Nam is tractus plenus erat Ἑλληνιζόντων {*Graco more viventium*}, ut ex Joſepho diximus. In tales autem Judæos, utpote exſortes Divini fœderis, diaboli Divinâ conceſſione dominium uſurpabant. Sic & in Judæos incircumciſos Angelo cuidam jus fuiſſe conceſſum tradunt Hebræi ad IV Exodi, & ex Hebræis Origenes. Sic & Chriſtiani deficientes à regula Fidei aut Vitæ mancipia Diaboli fiebant, 1 Corinth. V, 5. 1 Timoth. I, 20. Atque ejus judicii Divini manifeſta ſigna etiam poſt Apoſtolorum ætatem manſere. Tertullianus, *Exemplum accidit ejus mulieris quæ theatrum adiit, & inde cum damonio rediit. Itaque in exorciſmo, cùm oneraretur immundus ſpiritus quòd auſus eſſet fidelem aggredi, Conſtanter & juſtiſſimè quidem, inquit, feci: in meo enim inveni.* Cyprianus, *Quàm multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur?* Nimirum ut idem alibi dixerat, *recedente diſciplinâ receſſit & gratia.*

11. πρὸς τῷ ὄρει, *circa montem*] Ita Syrus legit. Lucas, ἐν τῷ ὄρει {*in monte*}. Intelligi poteſt grex ille tum fuiſſe in parte montis inferiore.

13. ὡς δισχίλιοι, *ad duo millia*] *Bis mille admodum.* Ita loquimur cùm exactè ad numerum adſtringi nolumus.

15. σωφρονοῦντα, *ſanæ mentis*] שלים. Hoc ideo additum quia plerunque οἱ ἐνεργούμενοι {*à daemone poſſeſſi*} ſimul furore corripiebantur. Johann. X, 20. Δαιμόνιον ἔχει καὶ μαίνεται {*Daemonium habet & inſanit*}. ¶ τὸν ἐσχηκότα τὸν Λεγεῶνα· *qui habuerat legionem*} Cùm & Syrus & Arabs agnoſcant, retinendum cenſeo; eóque magis quia credibilius eſt deletum ab iis qui ſupervacuum putabant quàm ab aliis additum. Vide locutionem ſimilem Johannis IX, 35. & XX, 8.

18. ἵνα ᾖ μετ' αὐτοῦ. *ut eſſet cum ille*] Verùm ne digreſſo Jeſu ipſe in dæmonum poteſtatem recideret. At Chriſtus oſtendere voluit ſe etiam abſentem præſidio eſſe eis qui ſibi confiderent, ut rectè obſervat Theophylactus.

19. ἀπάγγειλον αὐτοῖς, *annuntia illis*] Voluit Chriſtus etiam ad Gentes aliquam ſui famam manare, vocationis ſecuturæ præſagium. ¶ καὶ ἠλέησέ σε. & *miſertus ſit tui*] Ita optimi codices, quos Latinus ſequitur. Neque video cur malè cohæreat. Nam Græcè cur non dicatur ὅσα ἠλέησέ σε {*quanta tui miſertus ſit*}, cùm ἠλέησέ σε hîc tantum valeat quantum ἐχαρίσατό σοι; {*gratificatus eſt tibi?*} Apparet offenſos conſtructionis novitate qui ὅτι {*quòd*} addiderunt. Nam Syrus cur id adderet cauſam habuit ſuam, quòd illud Græcum loquendi genus ſua lingua non admitteret. Utitur hîc Chriſtus eâ modeſtiâ quæ τῇ περαυτολογίᾳ {*ſermoni de ſemetipſo*} invidiam demit, ut ſapienter Plutarchus monet, cùm rectè à nobis facta ad Deum referimus auctorem. Poſſes etiam exponere ὅσα σοι ὁ Κύριος ἐποίησε ἐλεήσας σε {*quanta Deus tibi fecerit miſertus tui*}, quomodo ſæpe copulativam conjunctam cum verbo participii vicem explere vidimus.

23. ἐσχάτως ἔχει· *in extremis eſt*} Hebraïcè רעתי לשאול {*infernæ appropinquavit*}, ut Pſalmo LXXXVIII, 4. ¶ ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς, *ut veniens imponas*} Subauditur παρακαλέω σε {*oro te*} ex eo quod præceſſerat. Hoc autem nihil eſt aliud quàm circumſcriptio modi precativi: ἐπίθες {*impone*} dixit Matthæi Interpres. Qui hîc deeſſe aliquid putarunt, adjecerunt ἐλθὲ {*veni*}, quod non legit Syrus; neque enim reperit *veniendi* verbum; ſenſum autem rectè expreſſit per modum, ut diximus, precativum. Simile eſt illud Ariſtophanis Nubibus,

Ὅπως δὲ τοῦτο μὴ διδάξῃς μηδένα.
{*Sed hoc ut alium doceas hominum neminem.*}

nam & hîc ſubauditur παρακαλέω {*precor*} aut aliquid ſimile. ¶ καὶ ζήσεται. & *vivet*} Videtur mihi qui ζήσῃ {*vivat*} annotavit explicaſſe Hebraïſmum. Nam Hebræis futurum eſt

vice

vice ſubjunctivi : atque ita intellexiſſe mihi hunc locum videntur Syrus & Latinus Interpres. Neque eſt ταυτολογία [*idem bis dictum*]. Senſus enim eſt, *ut ſanitatem recipiat, atque ita mortem imminentem effugiat.*

25. Ἥτις ἦν ῥύσει αἵματος, *quæ erat in profluvio ſanguinis*] Αἱμορροοῦσα [*quæ ſanguinis fluxum patiebatur*] Matthæus. Non dubito quin Hebraïſmus ſit Marco familiaris qualis his ſuprà, *in πνεύματι ἀκαθάρτῳ* [*in ſpiritu immundo*].

26. Ὑπὸ πολλῶν ἰατρῶν, *à compluribus Medicis*] Vetus inſcriptio, *Turba Medicorum me perdidit.* ¶ καὶ μηδὲν ὠφεληθεῖσα, *nec quicquam profecerat*] Nimirum,

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger:
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Quod præcipuè locum habet in morbis qui ipſa vetuſtate in naturam vertunt. ¶ εἰς τὸ χεῖρον ἐλθοῦσα· *ſed magis deterius habebat*] Nec mirum : vix enim eſt ut non noceant medicamenta quæ non profunt, præſertim in languidis corporibus, qualia eſſe neceſſe eſt quorum ſanguis in ſuccum non vertitur.

29. ἡ πηγὴ, *fons*] Ῥύσις [*fluxus*] Lucæ. Omnem ſcatebram Hebræi *fontem* appellant. Levit. XII, 7. de naturali mulierum profluvio, מקור דמיה, Græcis καὶ καθαριεῖ αὐτὴν ἀπὸ τῆς πηγῆς τοῦ αἵματος αὐτῆς [*mundabit eam à fonte* ſive *profluvio ſanguinis ſui*]. ¶ ἴαται τῷ σώματι, *ſenſit corpore*] Magna eſt ἐμφασις [*efficacia*] in his vocibus. Nam naturaliter nemo ex veteri morbo ſubitò revaleſcit, ſed longa manent cedentis mali veſtigia. Id apud Lucam ſignificatur in verbis ἰάθη παραχρῆμα [*confeſtim ſanata eſt*].

30. δύναμιν ἐξελθοῦσαν, *virtutem quæ exierat de illo*] Populare loquendi genus, ſed magnæ efficaciæ. Significatur enim apertiſſimè vis quædam non adventitia, qualis ad Prophetarum preces à Deo exerceri ſolebat, ſed quæ eſſet in ipſo ὑφισαμένη [*ſubſiſtens*], atque inde effectus produceret, quod hic eſt ἐξιέναι [*exire*].

33. πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. *omnem veritatem*] Ita veteres Interpretes : nec dubito quin quod præterea habent codices alii adjectum ſit ex Lucæ hiſtoria.

34. ὕπαγε εἰς εἰρήνην, *vade in pacem*, id eſt, *in pace*] Ita & Lucas. Malè mutarunt quidam in ἐν εἰρήνῃ. Eſt enim in utraque locutione ſenſus idem : neque rarò Helleniſtæ εἰς [in *cum accuſativo*] pro ἐν [in *cum ablativo*] & ἐν [in *cum ablativo*] pro εἰς [in *cum accuſativo*] uſurpant. Sed & apud LXX exſtat Πορεύου εἰς εἰρήνην [*Vade in pacem*, id eſt, *in pace*], 1 Samuelis I, 17.

35. ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου, *ab Archiſynagoga*] Vim locutionis apud Latinos uſitatiſſimæ bene expreſſit Syrus. Sic apud Virgilium,

——— *proximus ardet*
Ucalegon.

¶ σώσει, *ſanas*] ישע Eſaiæ VII, 13.

36. τὸν λόγον λαλούμενον, *audito verbo*] Illud quod dictum erat, *Noli Magiſtro moleſtus eſſe*; quod pertinebat ad omnes fiduciæ reliquias ex Archiſynagogi animo proturbandas ; quod Chriſtus pro ſua bonitate antevertit. ¶ μόνον πίστευε, *tantummodo crede*] Ad beneficia adſpectabilia impetranda nihil præter fiduciam Chriſtus exigit, ut oſtendat etiam interna beneficia in ſe confidentibus contingere : qua de re alibi dictum.

38. ἀλαλάζοντας, *ejulantes*] Helleniſtæ, qui non tam Græci ſermonis ἀκριβολογίαν [*proprietatem*] ſequuntur quàm id curant ut quàm proximè fieri poteſt exprimant vim linguæ Hebraïcæ, ut redderent יללה, quod Hebræis *clamorem*, præſertim verò *lugubrem*, ſignificat, voces Græcas quæſiverunt ſono affines. Sunt autem duæ, ἀλαλύζειν & ἀλαλάζειν, quarum illam in ſacris, iſtam in bello maximè Græci uſurpabant : quo ſenſu ἀλαλαγμὸν etiam apud Joſephum reperio. Sed Helleniſtæ, ut dixi, iſtâ proprietate neglectâ abuſionis libertatem ſibi indulſere. Et ἀλαλύζειν quidem eo ſenſu paſſim occurrit, ut Eſaiæ XIII, 6. XV, 2. LII, 5. Jerem. XLVIII, 20, 31. Zachar. XI, 2. Oſeæ VII, 14. & Jacob. V, 1. ἀλαλάζειν verò Jeremiæ XXV, 34. הילילו הילילו ἀλαλάξατε ποιμένες [*ululate paſtores*]. XLVII, 2. καὶ ἀλαλάξουσι πᾶσαι οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν [*ululabunt omnes habitatores terræ*]. Ejuſdem verò Prophetæ loco altero qui eſt IV, 8. alii codices Græci habent ἀλαλύξατε, alii ἀλαλάξατε. Syrus ipſam vocem expreſſit quæ per Græcam exprimitur ילילו [*lugubre clamantes*]. Quare de lectionis veritate in tanto codicum conſenſu non eſt dubitandum.

40. ἐκβαλὼν ἅπαντας, *ejectis omnibus*] Tot teſtes allegabat quot rei probandæ ſufficiebant : plures admittere ſpeciem habere poterat oſtentationis. ¶ τοὺς μετ' αὐτοῦ, *qui ſecum erant*] Id eſt, Diſcipulos tres quos in domum intrans ſecum retinuerat. Optimè igitur Latinus Interpres *qui ſecum erant* ; quomodo accipi potuit & quod apud Syrum & Arabem eſt. ¶ ἀνακείμενον. *jacens* ſive *decumbens*] In eo ipſo lecto in quo ægrotaverat. Si Græcorum ſubtilitas ſequenda eſſet, ne is quidem qui ad menſam accumbit dici poſſet ἀνακεῖσθαι· imò rideri ab elegantibus ſolebant qui ita loquebantur, quia ἀνακεῖσθαι propriè dicebantur ea quæ erecta erant, ut ſtatuæ. Sed vocum arbiter uſus iſtis anguſtiis ſe adſtringi non patitur.

41. αὐτῇ, *ipſi*] Rectè : neque mutandi cauſa. Eſt enim σύνταξις κατὰ τὸ σημαινόμενον [*conſtructio ad ſignificationem*]. ¶ Ταλιθὰ, *Talitha*] Exſtat hæc vox in Chaldæo Interprete Prov. IX. ¶ σοὶ λέγω, *tibi dico*] Vis vocativi additis vocibus exprimitur ; quod & LXX feciſſe alicubi à nobis obſervatum eſt. Imperium autem directum in corpus rationis expers vim Divinam imperantis ſignificat.

43. ἵνα μηδεὶς γνῷ τοῦτο· *ut nemo id ſciret*] Imperium ſuum in mortem ipſam nolebat hoc tempore evulgari, ut quod poſt reſurrectionem demum ipſius omni mundo eſſet publicandum. Interim aliqua ejus potentiæ ſigna nonnullis cognita eſſe voluit ; quæ mox ipſi etiam reſurrectioni fidem adſtruerent. ¶ εἶπεν, *dixit*] Id eſt, ἐκέλευσε [*præcepit*] יאמר, ut & infrà VIII, 7. ¶ φαγεῖν. *manducare*] Ut appareret non vivam tantùm eſſe ſed & rectè valentem : nam graviter ægroti vix ſolent cibum ſumere.

CAP. VI.

VALLA.

3. *Frater Jacobi, & Joſephi, & Judæ, & Simonis*] *Joſe* ſcribendum eſt, non *Joſephi*, Ἰωσῆ.

11. *Exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus veſtris in teſtimonium illis.* 12. *Et exeuntes prædicabant*] Multum in noſtris codicibus deeſt poſt dictionem *illis*, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται Σοδόμοις ἢ Γομόρροις ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ. i. e. *Amen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in die judicii quàm civitati illi.* Quod à nobis detruncatum eſſe, minùs mirabile facit, quòd ex oratione Dominica multum detruncatum eſt.

23. *Quicquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei*] Gr. *Quicquid me petieris, dabo tibi, uſque ad dimidium regni mei*, ὃ ἐὰν με αἰτήσῃς, δώσω σοι, ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου.

26. *Et contriſtatus eſt rex : propter juſjurandum & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare*] Non *contriſtare* legendum eſt, ſed *fraudare* vel *fruſtrari*, ἀθετῆσαι. Nec *contriſtatus eſt* legendum eſt, ſed *contriſtatus*, ſive *triſtior factus, rex*, ἀλλὰ περίλυπος γενόμενος ὁ βασιλεύς. q. d. Etſi contriſtatus, tamen propter convictores noluit eam fraudare ; non autem quòd ſit contriſtatus propter illos.

39. *Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes ſecundùm conubernia ſuper viride fœnum. Et diſcubuerunt in partes per centenos & quinquagenos*] Quod hic *conubernia* in Lucæ 9. 14. transfertur *convivia*, quod nomen magis reſpondet Græco, etſi geminato, συμπόσια συμπόσια. Quod ego tranſtuliſſem *manipulatim*, i. e. per manipulos, *qui manipuli partim erant centeni, partim quinquageni.* Proinde meliùs in iis cod. legitur in quibus legitur *per centenos, & per quinquagenos*, ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα. Sed cur *fœnum* potiùs quàm *herbam* ? Certè ſiccum non erat, ut credibile eſt : & ſi virens erat, ergò *herba* fuit. Quod verbum cur nonnunquam transfertur *fœnum* non intelligo, ut in Pſal. 72. 16. *Florebunt de civitate ſicut fœnum terræ.* Nunquid *herba* floreſcit, an *fœnum* ?

51. *Et plus magis inter ſe ſtupebant :*

52. *Non enim intellexerant de panibus*] Gr. *Et valde ſupra modum intra ſe ſtupebant*, ſive *attoniti erant, & admirabantur*, καὶ λίαν ἐν ἑαυτοῖς ἐξίσταντο, καὶ ἐθαύμαζον.

REVIUS in VALLAM.

3. Ἰωσῆ] Nonnulli codd. habent Ἰώσητος, i. e. *Joſetis* ; juxta Græcam inflexionem, ut *Crates, Cratetis*, &c. Eraſmus.

26. Καὶ περίλυπος, &c.] Trajectum erat. Porrò, quòd

ἀθετῆσαι *fraudare* vel *fruſtrari* vertendum putat, id non immeritò ab Eraſmo improbatur, qui *rejicere* ſeu *repellere* præfert.

E R A S M U S.

3. *Faber, filius Mariæ*] Antiqui codices aliquot habent, *fabri filius & Maria*, ſuffragantibus & Græcis, ὁ τῆ τέκτου & υἱὸς τῆς Μαρίας. Verùm in aliis erat ſcriptum, Οὐχ οὗτος ἐστιν ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς Μαρίας; *Nónne hic eſt faber ille, filius Mariæ?* Atque hanc quoque ſcripturam reperimus in vetuſtis Latinorum exempl. nominatim in Corſend. Deinde annotandum eſt, Græcum articulum utrobique eſſe appoſitum, ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς, *ille faber, ille filius Mariæ.* Præterea vel ex hoc loco licet colligere, nihil referre *Mariam* dicas more Hebræorum an *Maria* more Græcorum; qua de re multis verbis diſceptat Valla. Poſtremò notandum & hoc, apud Matthæum non *fabrum* vocari Chriſtum, ſed *fabri filium*. Hinc accipimus illum & patris ſui legalis exercuiſſe artem. Cur enim hoc recuſaſſet noſtrâ cauſâ Dei Filius, qui nè crucem quidem recuſavit? neque Paulum tantum videlicet Apoſtolum puduit operâ manuariâ parare quo victitaret. Quanquam non inficior in Græcis verbis facillimum eſſe lapſum in τέκτου & υἱὸς & τέκτων ὁ υἱὸς, niſi quòd parùm aptè adhæret *Maria*. Proinde curatum eſt à Spiritu S. nè multa proderentur literis de rebus externis Domini Jeſu, veluti de forma habituque corporis, de cibis ac veſtibus, nè mentibus hominum ad ſuperſtitionem pronis daretur occaſio: Quandoquidem ex hoc quod Euangeliſtæ tradunt Jeſum fuiſſe *fabri filium*, ac *fabrum* ipſum, exortum eſt genus hominum qui *Jeſuita* vocari volunt, quod in monaſteriis fabrilem artem exerceant, malleúmque gerunt pro inſigni; cùm incertum ſit quod genus fabricæ exercuerit Joſeph ac Dominus. Sunt enim fabri aurarii, argentarii, ærarii, ferrarii, lignarii, & lapidarii. Miror non exſtitiſſe qui gerant intonſum capillitium, aut qui ſummam tunicam geſtent inconſutilem. Ad harum rerum imitationem non invitavit nos Dominus, in quibus ipſe ſe geſſit ut unumquemlibet è numero multitudinis. Nec hinc *Jeſuita* dici meremur, ſed ſi auſcultemus illi dicenti, *Diſcite à me, quod mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Qui gratis docent Euangelium, qui pro convitiis & calumniis reponunt ſalutiferam doctrinam, pro malefactis beneficentiam, qui nuſquam ſpectant ad emolumentum aut gloriam ſuam, ſed proximorum commodum ac Dei gloriam in omnibus habent pro ſcopo, in hos magis competit *Jeſuitarum* cognomen. ¶ *Et Joſephi*] Ἰωσῆ *Joſe* legit Laurentius. Nonnulli cod. habebant Ἰώσητος *Joſetus*, juxta Græcam inflexionem; ut *Crates*, *Cratetis*; *Chremes*, *Chremetis*.

4. *Quia non eſt*] *Quia* de ſuo addidit, cùm nihil ſit opus. ¶ *Sine honore*] Ἄτιμος *inhonoratus*, ſive *contemptus*. Cui contrarium eſt ἔντιμος ſive τίμιος, *in pretio habitus*. ¶ *Et in domo*] Communiſſimum enim eſt *patria*, deinde *cognatio*, proximum *domus* ac *familia*. ¶ *Et in cognatione ſua*] Καὶ ἐν τοῖς συγγενεῦσιν, *inter cognatos*.

5. *Niſi paucos infirmos*] Latinitatis ratio poſtulabat ut adderet *quòd*, *Niſi quòd*. Deinde *infirmos* Græcis eſt ἀῤῥώστους, *adverſâ valetudine laborantes*.

7. *Et convocavit*] Προσκαλεῖται, *advocat*, ſive *accerſit*, præſ. temporis. Reclamabit aliquis fortè morioſulus, dum hujuſmodi ſectamur minutias. Cur potiùs *advocat* quàm *convocat*? & cur *advocat* potiùs quàm *advocavit*? Cui totidem reſpondebo verbis, Cur *convocavit* potiùs quàm *advocavit*? & cur *advocavit* magis quàm *advocat*? quod poſterius ut elegantius eſt, ità ſcriptum ab Euangeliſta. ¶ *Binos*] Δύο δύο. Eleganter expreſſit interpres Latinus, cùm Græcè ſit *duos duos*, h. e. *per paria*, ſive *per juga*, ut intelligas omnes Duodecim fuiſſe miſſos, ſed ſena juga. Quandoquidem & Matthæus recenſens duodecim Apoſtolorum nomina, binos copulavit. ¶ *Poteſtatem ſpirituum immundorum*] Quo vitaremus amphibologiam, vertimus *Poteſtatem in ſpiritus immundos*. Nam *poteſtas* dicitur tum ejus qui habet tum ejus rei cujus potentes ſumus.

9. *Calceatos ſandaliis*] Σανδάλιον Græcis eſt calceamenti genus conveniens mulieribus, quod plantas pedum modò tuebatur ab injuria, ſupernè anſulis quibuſdam aut funiculis alligatum: Ὑποδήματα verò, quæ frequenter hic vertit *calceamenta*, inde nomen habent quòd *pedibus ſubligentur*. Unde probabile eſt Euangeliſtas inter Ὑποδήματα & *ſandalia* nullum poſuiſſe diſcrimen, præſertim cùm hic utrumque conjungat ὑποδεδεμένους σανδάλια. Cæterùm quæ hic Græcâ voce *ſandalia* dicuntur, in Actis 12. 8. Interpres vertit *caligas*, Ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. Veteres autem non noverunt hoc caligarum genus quod nunc tegit etiam ilia, ſed erat & hoc calceamenti genus. Unde Cajo Imperatori *Caligulæ* cognomen militari joco fuit additum, & *caligæ Maximini* caſtrenſi joco abiit in proverbium, quòd calceus illius arguerit illi fuiſſe pedes ſupra juſtam longitudinem. Autores Suetonius, Auſonius, & Julius Capitolinus. Poſtremò Plinius meminit de *calceatu equorum*, quibus tamen adduntur ſoleæ tantúm. Itaque meo judicio fruſtrà quidam hîc diſputant an Sandalia *calceorum* nomine contineantur, & an Chriſtus uſus ſit Calceis, déque duplici Calceamentorum genere, altero quod geſtatur in pedibus, altero quod geſtatur in tergo; ex hoc colligentes Chriſtum fuiſſe nudipedem quòd in convivio peccatrix unxerit Jeſu pedes, & lachrymis humectatos capillis ſuis exterſerit. Probabile eſt Chriſtum aliquando fuiſſe uſum calceamentis, aliquando non fuiſſe uſum, videlicet prout res præſens exigebat: alioqui Baptiſta non pronunciaſſet *ſe indignum qui ſolveret corrigiam calceamentorum Jeſu.* Nec magnum erat olim in calidis regionibus incalceatum ingredi. Apud Horatium l. 2. Satyrâ ult. Naſidienus, qui jam accubuerat, dum parat redire ad culinam curaturus reliquum apparatum, *poſcit ſoleas.* Et, ut narrat Plinius junior in Epiſtola ad Tacitum, Avunculus, cùm abſque ſoleis ſtuderet, conſcenſurus locum unde proſpici poterat Veſuvii montis incendium, *poſcit ſoleas.* Apud Platonem autem in convivio Ariſtodemus, ni fallor, admiratur Socratem ſoleatum ad Agathonis convivium accedere, poſiturum utique in accubitu calceamenta. Et apud priſcos aliter diſcumbebant in convivis quam hodie diſcumbimus. Ad hæc videtur id olim hoſpitalitatis fuiſſe, convivæ aut hoſpiti ante diſcubitum lavare pedes. Supereſt ſcrupulus de diſſonantia Matth. 10. 10. apud quem Dominus vetat nè ituri ad prædicandum Euangelium geſtent calceamenta, cùm diverſum ſcribat Marcus. Ad hoc non abſurdè reſpondent quidam, Apoſtolos non fuiſſe prohibitos in pedibus geſtare calceamenta, ſed in ſarcinis. Videmus & hodie morem eſſe, præſertim apud Hiſpanos, ut famulus hero geſtet togam humero pulchrè complicatam, ſi fortè oboriatur pluvia. Eóque non abſurdè Baptiſta pronunciat *ſe indignum qui baſtlaret calceamenta Jeſu.* Verum ſimplicius eſt dicere Chriſtum Diſcipulis adhuc rudibus craſſo more loquendi voluiſſe perſuadere ut abſque ſarcinulis & impedimentis aggrederentur prædicandi negotium, nec ulla de ■ ſoliciti, niſi ut annunciarent Regnum cœlorum. Nec puto Chriſto fuiſſe diſpliciturum ſi quis Apoſtolorum vel ob itineris aſperitatem vel ob pedum offenſam uſus fuiſſet calceis. Eodem ſenſu vetuit *ne quem ſalutarent in via*, per hyperbolen ſummum ſtudium accelerandi negotii ſignificans. Sic 4 Reg. 4. 29. Helizæus mittens famulum cum baculo ſuo, vetat *ne quem obvium ſalutet*, non hoc ſentiens nè cui dicat *Salve*, ſed ut quàm maximè properaret. Itaque hæc ad literam urgere tendit ad ſuperſtitionem. Paulus ille inſignis Euangelii præco 2 Tim. 4. 13. jubet ſibi remitti *penulam Troade relictam*, præterea *libros*, *præſertim in membranis deſcriptos.* Hoc plus eſt quàm habere calceamenta mutatoria. Non eſt igitur Euangelicæ perfectionis Chriſtum in externis anxiè exprimere. Non venit in mundum ut doceret nos quomodo oporteat calceari aut veſtiri. Simili ſtudio quo Chriſtum faciunt nudipedem, faciunt & mendicum. Paupertas convenit Chriſto, mendicitas derogat illius dignitati. Mendicitatem enim nulla res excuſat niſi inevitabilis neceſſitas. Eóque Pontificum Conſtitutionibus cautum eſt nè quis ad Presbyteri gradum recipiatur niſi paratum ſit unde vivat. Quam ob rem? Nè per inopiam adigantur ad mendicitatem, quæ derogat Sacerdotis dignitati. Stulta verò conſtitutio ſi Mendicitas eſt pars Euangelicæ perfectionis. Paulus apud Corinthios nè mendicaret, non dico oſtiatim, in diverſoriis, & in navibus, ſed nè quid peteret à quoquam, noctu conſuit pelles in uſum tabernaculorum. Chriſtus in egenos erat benignus; tantum abeſt ut ipſe mendicaret: ac interdum mittit Apoſtolos ut emant cibum. Nec diſſimile veri eſt Dominum ex bonis paternis ac maternis, aut etiam ex opificio, nonnihil habuiſſe ſuum. Alioqui quomodo legitur à Nazaret commigraſſe Capharnaum, ibique habuiſſe domicilium, ſi nec domum habuit nec ſuppellectilem? Quin & illud probabile eſt, Chriſtum fuiſſe mundo honeſtóque amictu: alioqui milites non fuiſſent inter ſe partiti laceros pannos. Porrò quod ſponte dabitur ab amicis opulentis aut piis mulieribus, multum abeſt à mendicitate. Nec urget quod ipſe dicit *Filium hominis non habere ubi caput ſuum reclinet*: ſiquidem hic ſermo non propriè pertinet ad inopiam, ſed ad omnia in quibus hominum mundo deditorum animus conquieſcit. Hoc autem in affectibus ſitum eſt, non in rebus externis. Affectus autem gloriæ periculoſior eſt quàm affectus divitiarum. Quid ſequantur qui hoc ipſo videri volunt homines Apoſtolici & Euangelicæ perfectionis quòd privatim ac publicè mendicent, ipſi viderint.

Certè

Certè nuſquam legimus Dominum mendicaſſe. Quod enim adferunt de Samaritana frivolum eſt. Sic potuiſſet quivis Rex mendicare. Nec tamen conſtat Dominum bibiſſe, ſed quæſivit occaſionem inſinuandi mulierculæ quis eſſet. Nec uſquam legimus Apoſtolos mendicaſſe, nec ut id facerent unquam à Domino juſſos. Nè Paupertas quidem per ſe virtus eſt, quemadmodum nec Opulentia vitium. Eſt autem duplex paupertas: altera quæ ſuppeditat frugalem victum, nihil habens ſuperflui. Huic pulchrè convenit cum Euangelica philoſophia. Eſt altera quæ urget ac premit, ac frequenter ad graviora ſcelera ſolicitat quàm divitiæ. Proinde Solomon utrumque pariter deprecatur, *divitias*, quia nonnunquam gignunt *oblivionem Dei*; *paupertatem*, quia ſolicitat ad *furandum*, & ad *perjerandum nomen Dei*, quod utique blaſphemiæ genus eſt. Verùm ad multa alia pertrahit inopia quæ non commemorat Solomon, ad Sacrilegia, ad Veneficia, ad Lenocinia, ad Latrocinia, ad Parricidia. Laudandi igitur qui divitiis ſine fraude quæſitis rectè utuntur; & laudandi ſunt qui paupertatem adactam patienter alacritérque ferunt. Nec vituperandos arbitror qui ſpontaneam paupertatem amplectuntur, modò ea conducat ad parandum ac propagandum regnum Dei; rejicienda, ſi officiat. Sunt item qui nolunt Chriſtum exercuiſſe paternum opificium, quòd tales operæ retrahant intentionem mentis ab iis quæ propiùs faciunt ad regnum Dei, velut à ſtudio Theologiæ, à contemplatione rerum cœleſtium, à purè orando. Verùm ab hoc impedimento nihil erat periculi Chriſto: nec Paulum avocavit ab Euangelii negotio quod conſuit coria. Fateor tamen illis rectè concedi otium qui ſeſe toto pectore parant ad prædicandum verbum Dei. Verùm an hoc otium mereantur qui nihil aliud quàm canunt, aliorum eſto judicium. Apud veteres laicorum erat Cantus, quæ nunc ſumma Sacerdotum eſt religio. Poſtremò ſunt qui contendunt Apoſtolos emiſiſſe Vota, videlicet illa tria ſubſtantialia. In cujus manus? Haud dubium eſt quin in manus Chriſti Abbatis omnium ſupremi. Utinam ea potiùs ſtudeamus æmulari in Chriſto quorum imitatio reddit beatos, & quibus Apoſtoli Dominum imitantes verè magni fuerunt, & in quibus B. Paulus profitetur ſe imitatorem Jeſu Chriſti. Quid prodeſt non geſtare æs in zona ſi geſtes in linteolo, aut ſi habeas penes receptores depoſitum? Quid autem magni eſt ſi pro ſandaliis habeas calceos ſupernè feneſtratos? Quantus porrò numerus eſt eorum qui ideo profitentur paupertatem ut effugiant paupertatem, aut etiam ut acceptâ Abbatiâ poſſideant opimas divitias? Profeſſio trium votorum non adfert perfectionem Euangelicam, ſed imitatio Chriſti. Sic enim audit adoleſcens qui jubetur *vendere omnia & dare pauperibus, & veni ſequere me.* Paulus autem Corinthios hortatur *ut ipſum imitentur quemadmodum ipſe imitabatur Chriſtum*; ſed in quibus? Hoc paulò antè expreſſit; *Uſque in hanc horam*, inquit, *& eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus; tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus omnium peripſema uſque adhuc.* Similiter Petrus Apoſtolus adhortans ad imitationem Chriſti, non commemorat cibos, veſtes, aut pedes incalceatos: ſed quid? *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Qui cùm malediceretur non remaledicebat, cùm pateretur non comminabatur*, &c. Sed hiſce de rebus jam plùs ſatis, opinor. Eſt alter ſcrupulus de *Virga*, quam Dominus apud Matthæum 10. & Lucam 9. vetat tolli, hic concedit. Auguſtinus, ut elabatur è quæſtionis anguſtia, confugit ad allegoriam; ut accipiamus *virgam* prohibitam *qua ad defenſionem corporis geſtatur à viatoribus*, ſed *virgam* poteſtatis *vivendi ex Euangelio* conceſſam. Hoc commentum eò valet nè nihil reſponſum eſſe videatur. Atqui durum eſt, cùm cætera ſimpliciter ac citra allegoriam accipiantur, ſubitò *virgam* accipere pro *poteſtate Euangelica*. Deinde quid opus erat hoc ſub ænigmate *virga* concedere quod apertis verbis conceſſit, videlicet ut ederent ac biberent quæ apud illos eſſent quibus annunciabant Euangelium? Præſtat igitur meâ ſententiâ tropum in omnibus accipere, ut intelligamus iſta non ſimpliciter prohibita, (alioqui nec hodie fas eſſet Eccleſiaſticis aliquid horum in via tollere) ſed Dominum voluiſſe ſuos Apoſtolos in legatione Euangelica liberos & expeditos eſſe ab omni ſolicitudine, quæ torquet alios peregrinationem inituros. Provident ſibi de commeatu, armant ſe calceis ac veſtibus adversùs injuriam cœli, bacula adversus vim hominum; inſtruunt ſe viatico nè quid deſit: nimirum hoc eſt *æs in zona*, commeatus in *pera*, *calceamenta* & *altera tonica* in ſarcinis, & *baculus* ad pugnam apparatus. Sed conceduntur *ſandalia in pedibus*, quia nec impediunt iter, nec aliquid addunt ſarcinæ: conceditur & *virga*, non illa gravis quæ geſtatur ad pugnam; ſed quæ ſublevat euntem & laſſum recreat. Fortaſſe nec illud fuiſſet piaculum ſi quis Apoſtolorum fortè habuiſſet aliquid nummulorum in crumenula; ſed iſta Dominus apud Matthæum prohibet *poſſideri*, h. e. ſolicitâ providentiâ parari, tanquam ad Euangelii prædicationem neceſſaria. Quemadmodum non violaſſent præceptum Domini ſi cui fortè obvio dixiſſent *Ave*, nullo ſuſceptæ legationis diſpendio. His igitur tropis animorum ſolicitudo adimitur Apoſtolis potiùs quàm res ipſæ interdicuntur.

11. *In teſtimonium illis*] Addunt hoc loco Græci codices, an rectè neſcio, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται Σοδόμοις ἢ Γομόρροις ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ, *Amen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorris in die judicii, quàm civitati illi.* Verùm haud ſcio an id ſit ex Matthæo huc transſcriptum: quod in Marco, qui ferè conſentit cum Matthæo, niſi quòd breviùs narrat, frequentiùs accidit. Quanquam conſentiunt Græcorum exemplaria, quæ quidem mihi videre contigit.

13. *Et ungebant oleo*] Hinc natum apparet quòd hodiè ſacro oleo unguntur periculosè laborantes, non perinde ut revaleſcant atque ut tutiùs emigrent: cujus rei meminit & Jacobus.

14. *Et audivit rex Herodes*] Quidam Græci cod. addunt τὸν ἀκοὴν Ἰησοῦ *famam Jeſu*, aliunde, ni fallor, aſcriptum.

20. *Herodes autem metuebat*] *Etim* legunt Græci, non *autem*, conſentientibus & antiquis exemplaribus. Addidit autem paulò ſuperiùs αὐτὸς *ipſe*, ut intelligeremus hunc eundem eſſe qui Joannem occidit & qui Chriſto malè volebat, diverſum ab eo ſub quo fugit Dominus. Siquidem illi miſerè exſtincto ſucceſſit Archelaus filius, cui poſt decem annos Regno depulſo ſucceſſit frater Herodes Junior, cujus hic mentio, Regno jam in Tetrarchias diviſo inter hunc, Philippum & Lyſaniam. Sic refert Euſebius in Eccleſiaſtica hiſt. l. 1. c. 8, 9, 10. ¶ *Et cuſtodiebat*] Καὶ συνέτήρει *conſervabat*, vel magis *obſervabat*: id quod indicant ea quæ mox ſubſequuntur.

21. *Herodes natalis ſui*] Ὅτε Ἡρῴδης τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίησεν, *Cùm Herodes natalitiis ſuis cœnam faceret*, ſive *in natalitiis ſuis convivium exhiberet.* ¶ *Principibus*] Μεγιστᾶσι *primatibus*, ſive *primoribus.* Quo verbo uſus eſt & Suetonius in Caligula Cæſare, *Regem etiam regum & exercitatione venandi, & convictu megiſtanum abſtinuiſſe.* ¶ *Et tribunis*] Καὶ χιλιάρχοις, quod Græcè ſonat *eos qui millenis præfecti ſint*: ut militum tribunos intelligas.

22. *Filia ipſius Herodiadis*] Sed ſermo Græcus habet amphibologiam. Poteſt enim & hic accipi ſenſus, *Cùm eſſet ingreſſa filia ipſa Herodiadis*: id quod per ſe liquebit Græca relegenti.

23. *Licèt dimidium*] Ἕως ἡμίσους *uſque ad dimidium.*

26. *Et contriſtatus eſt rex*] Græca ſic habent, Καὶ περίλυπος γενόμενος ὁ βασιλεὺς, διὰ τοὺς ὅρκους, καὶ τοὺς συνανακειμένους, οὐκ ἤθελεν αὐτὴν ἀθετῆσαι, *Et dolore affectus rex, propter juſjurandum, & eos qui ſimul accumbebant, noluit eam rejicere*, ſive *ſpernere.* Quanquam ex Matthæo liquet, poſt *rex* hypoſtigmen apponendam eſſe, ut intelligas eum non *contriſtatum propter juſjurandum*, ſed *propter juſjurandum ac propter ſimul accumbentes noluiſſe fruſtrari puellam*, cùm Joannem vellet incolumem. Nec eſt hoc loco *noluit eam contriſtare*, quemadmodum in Matthæo λυπεῖσθαι, ſed ἀθετῆσαι *rejicere*, ſive *repellere*: quod miror cur Laurentius vertendum putarit *fraudare* aut *fruſtrari.*

27. *Miſſo ſpiculatore*] Καὶ εὐθὺς ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτορα. Euangeliſta Latinam uſurpavit vocem, mutatâ vocali, cùm prima *ſpiculatoris* ſit longa.

29. *Et tulerunt corpus ejus*] Πτῶμα *cadaver.* Interpres legiſſe videtur σῶμα.

30. *Quæ egerant & docuerant*] Græcus ſermo geminat conjunctionem, καὶ ὅσα ἐποίησαν, καὶ ὅσα ἐδίδαξαν, *& quæ egiſſent, & quæ docuiſſent.*

31. *Venite ſeorſum*] Δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ κατ' ἰδίαν, *Venite vosipſi ſeorſum.* Porrò αὐτοὶ poſitum eſt pro *ſoli*, h. e. dimiſſis cæteris: quemadmodum καθ' ἑαυτὸν eſſe dicitur qui ſolus eſt & abſque arbitris.

33. *Et viderunt eos abeuntes*] Gr. Καὶ εἶδον αὐτοὺς ὑπάγοντας οἱ ὄχλοι, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτὸν, *Et viderunt eos abeuntes turba, & agnoverunt eum*: ut prius pronomen ad omnes communiter pertineat, poſterius ad Chriſtum ſolum.

35. *Et cùm jam hora multa fieret*] Græci ſermonis ſenſus eſt, *Cùm jam admodum tempeſtivum eſſet ſumere cibum.* Nam ex aliis Euangeliſtis apparet jam diei veſperum appetiſſe.

36. *In proximas villas*] Εἰς τὰς κύκλῳ ἀγρὰς *in circumjacentes agros.* Ex quoniam ex agris nihil emitur niſi villæ ſint, vertit *villas.* Nam *villæ* domus ſunt in agro. ¶ *Emant ſibi cibos*] Ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς ἄρτους *emant ſibiipſis panes.* Nam Hebræi omne edulium *panis* nomine complectuntur. ¶ *Quos manducent*] Pro hoc Græcè eſt, τί γὰρ φάγωσιν οὐκ ἔχουσιν, *nam quid edant non habent:* etiamſi τί novè poſitum eſt.

37. *Date illis manducare*] Græci addunt *vos*, Δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν· atque ita habent antiqui cod. Latini, *Date illis manducare vos.* ¶ *Et dabimus*] Καὶ δώσω, *demum.*

39. *Secundùm contubernia*] Συμπόσια συμπόσια, *convivia convivia*, h. e. diſtributis conviviis, ut antè dixit, δύο δύο. Laurentius mallet *manipulatim.* ¶ *Super viride fœnum*] Ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ *in viridi herba.*

40. *Et diſcubuerunt in partes*] Καὶ ἀνέπεσαν πρασιαὶ πρασιαί, *Et diſcubuerunt praſia praſia.* Dicuntur autem *praſia* herbaria, cujuſmodi ſunt areolæ hortorum: πράσιον enim *viride.* Cæterùm & hoc *praſia praſia*, & illud συμπόσια συμπόσια, dictum eſt juxta proprietatem ſermonis Hebraici. Ad quam formam multa annotavit D. Auguſtinus in libris quos ſcripſit De tropis V. Inſtrumenti; velut illud, *Decima decima agno ani ſeptem agni:* &, *Mille ex tribu, & mille ex tribu*, pro eo quod eſt *ex ſingulis tribubus millenos.* ¶ *Per centenos & quinquagenos*] Ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα, ut ad verbum reddam, *per centum & per quinquaginta.* Ut intelligas loca fuiſſe diſtincta ſulco aut ſimili intervallo, & pro magnitudine in aliis accubuiſſe centenos, in aliis quinquagenos.

41. *Intuens in cælum*] Ἀναβλέψας *ſuſpiciens*, ſive *ſublatis oculis.*

43. *Et ſuſtulerunt*] Καὶ ἦραν κλασμάτων δώδεκα κοφίνους πλήρεις, *Et ſuſtulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos.* Genitivus referri poteſt vel ad *plenos* vel ad *cophinos.*

45. *Et ſtatim coëgit*] Ἠνάγκασεν· idem verbum quod in Matthæo verterat *juſſit*, ſed perperàm, ut illic indicavimus.

46. *Et cùm dimiſiſſet eos*] Καὶ ἀποταξάμενος αὐτοῖς. Non eſt idem verbum quod paulò ſuperiùs, ἕως ἀπολύσῃ, verùm aliud, quod non ſignificat ſimpliciter *dimittere*, ſed *dimittere dicto Vale, ac mandatis quæ volueris mandare*; quemadmodum ſolemus dimittere notos & amicos. Eandem vocem in Actis cap. 18. 18. vertit *valefaciens.* Similiter 2 Cor. 2. 13. Græca vox ſonat q. d. *amandare.*

48. *Et vidit eos laborantes*] Βασανιζομένους· In Matthæo vertit *vexatos*, aliàs *jactatos.* ¶ *In remigando*] Ἐν τῷ ἐλαύνειν, quod ſign. *agere ac regere* vel *navem*, vel *equum*, vel *currum*, vel ſimile quippiam. Nam *remigare* Græcis ἐρέσσειν dicitur: ἐλαύνειν generale verbum eſt.

51. *Et plus magis*] Καὶ λίαν ἐκπερισσοῦ *valde ex abundanti*, ſive *valde ſupra modum.* Rurſus hìc eſt ἐξίσταντο, quod *vehementem* ſignificat *admirationem*, ut homo præ admiratione non ſit apud ſe: Et tamen in Græcis cod. additur καὶ ἐθαύμαζον *& admirabantur*; velut interpretetur Euangeliſta quid dixiſſet ἐξίσταντο· quod tamen haud ſcio an caſu ſit adjectum.

54. *Et cognoverunt eum*] Addunt Græci οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου *viri loci*: quanquam id in pleriſque cod. non invenitur.

55. *Ubi audiebant eum eſſe*] Ὅπου ἤκουον ὅτι ἐκεῖ ἐστί *ſimulatque audiſſent quòd illic eſſet*: ut intelligas eos qui agnoverunt Jeſum renunciare cæteris illum adeſſe.

56. *In plateis*] Ἐν ταῖς ἀγοραῖς *in foris*: quanquam & *platea*, via ſuſior ac laxior, forum eſſe poteſt.

VATABLUS.

2. *Admirabantur in doctrina ejus*] *Stupentes admirabantur.* ¶ *Et virtutes tales quæ per*] Vel, *quòd etiam virtutes tales per manus ejus* [i. per eum] *efficiuntur.*

3. *Faber, filius Mariæ*] *Fabri filius & Mariæ*, Vet. vel, *ille faber filius Mariæ.* ¶ *Frater * Jacobi*] * *Autem.* ¶ *Joſeph*] *Joſe.* ¶ *Nobiſcum*] *Apud nos.* ¶ *Scandalizabantur in illo*] *Offendebantur per eum*, i. ob miracula & doctrinam.

4. *Quia*] *Certè.* ¶ *Sine honore*] *Inhonoratus*: vel, *in nullo pretio habitus.* ¶ *In cognatione ſua*] *Inter cognatos ſuos.*

5. *Non poterat*] Hebr. pro, *nolebat*: vel, *non ferebat animus ejus.* ¶ *Niſi paucos*] Sub. *quòd*, ſic: *niſi quòd paucos.*

7. *Vocavit*] *Advocat, accerſit.* ¶ *Mittere*] *Emittere.* ¶ *Spirituum immundorum*] i. adversùs ſpiritus immundos.

8. *Virgam*] i. baculum ſolum quo quis nititur.

9. *Sandaliis*] i. ſoleis. ¶ *Nè induerentur duabus tunicis*] i. nè haberent, quod vulgò dicitur, duo paria veſtium ad mutationem.

10. *Quocunque*] *Ubicunque.* i. in quamcunque domum introieritis.

11. *Receperint vos* *] * *Nec audierint*, V. ¶ *In teſtimonium illis.* *] * *Amen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in die judicii quam illi civitati.*

12. *Exeuntes*] *egreſſi.* ¶ *Pœnitentiam agerent*] Vel, *reſipiſcerent.*

13. *Sanabant*] *Sanabantur.* V.

14. *Manifeſtum enim factum eſt nomen ejus*] *Innotuerat enim nomen ejus.* ſub. *Chriſti.* ¶ *Reſurrexit*] Vel, *ſuſcitatus eſt.* ¶ *Virtutes operantur in illo*] Vel, *miracula patrantur per illum.*

15. * *Quaſi*] * *Vel.*

16. *Quo audito*] *Cùm audiſſet, inquam.* ¶ *Hic * à mortuis*] * *eſt: ipſe.*

17. *Miſit ac tenuit Johannem, & vinxit*] *Miſerat, ac manus injecerat in Johannem, & vinxerat.*

19. *Inſidiabatur*] Vel, *graviter irata erat.*

20. *Autem*] *Enim*, Vet. ¶ *Cuſtodiebat*] *Obſervabat, verebatur.*

21. * *Herodes*] * *Quando.* ¶ *Natalitiis ſuis*] *In natalitiis ſuis.* Vetera legunt *in natali ſuo.* ¶ *Fecit*] *Faceret.* Vel, *facere conſueverat.* ¶ *Tribunis*] Vox Græca ſign. *præfectum millenis.*

22. *Puellæ*] *Puellulæ*: & infrà.

23. *Licèt*] *Uſque ad.*

26. *Propter juſjurandum*] Vel, *propter ea quæ juraverat.* ¶ *Contriſtari*] *Rejicere.*

27. *Sed*] *Et protinus.* ¶ *Spiculatore*] Vel, *carnifice.* ¶ *Caput ejus in diſco*] *Caput ejus.*

28. * *Et decollavit*] * *At ille* (ſub. *ſpiculator*) *abiit.*

30. *Et convenientes*] *Tum congregati.* ¶ *Omnia * quæ*] * *Et*, pro *id eſt.*

31. * *Seorſum*] * *Vos ipſi.* i. ſoli, dimiſſis cæteris. ¶ *Redibant*] *Abibant.*

32. *Et aſcendentes in navim, abierunt*] *Itaque abiit.* ¶ *Locum* *] * *Navigio.*

33. *Abeuntes* *] * *Turba.* ¶ *Cognoverunt*] *Agnoverunt eum.* ¶ *Cucurrerunt*] *Concurrerunt*, Vet. i. ſimul cucurrerunt. ¶ *Prævenerunt eos* *] * *Et convenerunt ad illum.*

35. *Fieret*] *Facta eſſet.* i. cùm jam multum diei præteriiſſet. Gr. *hora multa eſſet.* ¶ *Acceſſerunt* *] * *Ad eum.* ¶ *Hora prætériit*] Multum temporis effluxit.

36. *Proximas*] *Circumjacentes.* ¶ *Quos manducent*] *Quod enim manducent non habent.*

37. *Date illis* *] * *Vos*, Vet. ¶ *Dabimus*] *Demus.*

38. *Et * dicit*] *Ille.*

39. *Præcepit illis*] Sub. *turbis.* ¶ *Secundùm contubernia ſuper viride fœnum*] *Per convivia ſuper viridem herbam*: vel, *diſtributis conviviis*: aut, *per ſingulos convivarum ordines.* Gallicè *par bandes.* Gr. *convivia convivia.*

40. *In partes*] *Per areolas.* i. per ſpatia quædam continentia convivas, ut areolæ hortenſes ſua olera.

41. *Benedixit*] *Gratias egit*: vel, *bene precatus eſt*, Heb.

43. *Suſtulerunt reliquias, fragmentorum*] *Suſtulerunt fragmentorum*, &c.

44. *Manducaverunt * quinque*] * *Panes*, ferè.

45. *Trans fretum*] Vel, *in ulteriorem ripam.* ¶ *Dum ipſe dimitteret populum*] *donec dimiſiſſet turbas.*

46. *Et cùm dimiſiſſet eos*] *Et cùm valere juſſiſſet.* Vel, *Cùm juſſiſſet turbas abire.*

48. *Videns eos laborantes*] *Vidit eos vexari.*

49. *Phantaſma*] Vox Græca, quæ *terriculum*; vel *terriculamentum nocturnum*, ſignificat.

51. *Plùs magis*] *Valde ſupra modum.* ¶ *Stupebant* *] * *Et admirabantur.*

52. *Intellexerunt*] *Intellexerant*: vel prudentiores facti fuerant ob miraculum panum.

53. *Applicuerunt* *] * *In portum.*

55. *Univerſam * regionem*] * *circumjacentem.* ¶ *Ubi audiebant eum eſſe*] *Simulatque audiſſent eum illic eſſe.*

56. *In plateis*] Vel, *foris.* ¶ *Eum*] Vel, *eam*, ſcilicet *fimbriam.* Græcè enim ad utrumque referri poteſt.

CASTALIO.

39. *Diſcumbere catervatim*] Συμπόσια συμπόσια, *convivia convivia.* Hebraiſmus eſt, pro, *in ſingula convivia*

vivia diſtributos; ſed ità ut *convivium* ſignificet *convivas*, ſive *convivarum claſſem*; ſicut Latinè *civitas* pro *civibus*, & *juventus* pro *juvenibus* dicitur. Cùm igitur neque Latinè *convivialiter*, neque ſignificanter *in convivia diſtributos* dici poſſit (nam aliud ſignificari videtur) malui *catervatim* interpretari: quo verbo quamvis illud plenè non exprimatur (poſſunt enim catervatim ad aliud quàm ad capiendum cibum collocari) tamen quoniam hic ponitur *diſcumbendi* verbum, quo epularum accubatio ſignificatur, quò fit ut de ſententia dubitari non poſſit, putavi ità mihi vertere licere. Quod idem dico de πρασιαὶ πρασιαί· ſunt enim πρασιαὶ *hortorum pulvini*, ſive *areæ*: quæ verba cùm hîc Latinè non ſatis aptè poni poſſint, malui *claſſes*, latiùs patente verbo, dicere.

52. *Non enim conſiderabant illos panes*] Non eſſe mirum ab eo ſedari ventos qui ità panes multiplicare potuiſſet.

CLARIUS.

5. *ET non poterat ibi virtutem ullam facere*] *Non poterat*, non erat conſentaneum. Nam *poſſe & non poſſe* (quemadmodum ait Theologus Nazianzenus) non uno modo dicitur. Nam interdum ſignificat Defectum virium, & pro tempore, & ad aliquid: ut, *Puerum non poſſe luctari aut Catulum certare, aut hunc adversùs hunc decertare*: nam olim fortaſſe luctabitur, & catulus certet, & hic adversùs hunc decertabit quamvis adversùs alterum fortaſſe non poſſit. Interdum verò ut in pluribus: ut, cùm dicimus, *Non poſſe urbem occultari quæ ſuper montem poſita ſit*: nam fortaſſe aliqua poſſit occultari altioris montis objectu. Interdum quaſi non ſit rationabile: ut, *Non poſſunt filii ſponſi jejunare quamdiu cum illis eſt ſponſus*, ſive dum corporaliter cernitur (non enim illud afflictionis ſed lætitiæ tempus eſt) ſive ut verbum, quod ſolâ mente percipitur: quid enim opus erat corpore jejunare iis qui verbo purificabantur? Ità hoc loco, cùm ad curationem duo concurrere debeant, Fides ejus qui curatur, & curantis Poteſtas, cùm alterum deeſſet, non erat æquum ut curationis munus exhiberetur. Eſt etiam quod naturâ quidem non eſt poſſibile, Deo autem volente fieri poſſit: ut, Non poſſe eundem ſecundò naſci; &, Acum non admittere Camelum; quid enim prohibeat hæc fieri volente Deo? Aliud verò eſt quod omnino ſit impoſſibile: ut, Malum eſſe Deum; aut, Deum non eſſe; aut, Bis duo & Quatuor eſſe & Decem.

8. *Niſi virgam tantùm*] Apud alios Euangeliſtas prohibet & Virgam. Sed intelligamus illic prohibita fuiſſe omnia quibus fidere ſolent homines vel alimenti vel defenſionis gratiâ, hic verò virgam permittit cui defeſſi inniti poſſint: quam ob cauſam etiam hîc Sandalia permittit, ob offenſionem pedum evitandam.

11. *In teſtimonium illis*] In teſtimonium ſuſcepi ob eorum ſalutem laboris.

20. *Metuebat Joannem*] Antea videlicet quàm inſaniret amore Herodiadis.

52. *Non enim intellexerant de panibus*] Non agnoverant in multiplicatione panum poteſtatem Chriſti; propterea videtur Dominus turbaſſe mare, ut vel ſic agnoſcerent eum. Uſu quoque nunc evenit ut multi in ſumma felicitate non obſervent Dei erga ſe beneficentiam, attriti malis tum demùm agnoſcant.

ZEGERUS.

8. *Niſi virgam tantùm*] Dicit aliquis, Quomodo Matthæus, 10. & Lucas 9. tradunt præcepiſſe Dominum Diſcipulis *ne vel virgam ferrent*, cùm Marcus contrà dicat præcepiſſe Dominum *ne quid tollerent niſi virgam tantum*? Huic quæſtioni reſpondens Auguſtinus lib. 2. De conſenſu Euang. c. 30. dicit per *virgam* hîc indicari poteſtatem accipiendi vitæ neceſſaria; apud Matthæum verò & Lucam res minores ad vitam ſuſtentandam oppottunas, quas Apoſtoli portare vetantur, ſicuti & majores, quæ per *aurum* & alia deſignantur; atque hac de cauſa inibi additum eſſe, *Dignus enim operarius cibo ſuo*. Mihi tamen ſimplicius & rectius videtur quod refert Euthymius, nimirum quod priùs quidem præceperit Dominus pro temporis atque laboris ratione, nè vel virgam ſeu baculum portarent in via; poſtea verò propter majorem, utpote longioris, itineris laborem indulſerit, quod priùs, quando neceſſarium non erat, negarat. Rupertus diſtinguens inter virgam & virgam alteram vocat *dominationis*, alteram verò *officii paſtoralis*: de quo qui plura deſiderat, videat ipſius commentarios in Matthæi c. 10.

9. *Sed calceatos ſandaliis*] Quæ apud Matthæum prohibentur Apoſtolis, ὑποδήματα, i. *calceamenta*, vocantur; quæ hîc conceduntur, σανδάλια, i. *ſolea*, appellantur. Eſt autem *ſandalium* genus calceamenti quod plantas pedum modò tuetur ab injuria, ſupernè anſulis quibuſdam aut funiculis alligatum. Hinc Apoſtolo Petro dicitur in Actis 12. non ὑποδήσαι τὰ ὑποδήματά σου, ſed σανδάλιά σου i. *Subliga ſandalia tua*: cujus loco nos legimus, *Calcea te caligis tuis*.

11. *In teſtimonium illis*] Quæ his ſubjiciuntur in Græcis, *Amen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis & Gomorris in die judicii quàm illi civitati*, ex Ammonii monoteſſaro apud Zachariam liquet non Marci eſſe, ſed Matthæi ſimul & Lucæ, & ex Matthæi 10. huc eſſe tranſpoſita, quemadmodum & aliàs alia.

17. *Ipſe enim Herodes*] Vide Matth. 14.

21. *Herodes natali ſuo cenam fecit*] Alii codices habent *natalia ſua*. Codex Corſend. neutrum habet. ¶ *Tribunis*] χιλιάρχοις, h. e. *millenorum Præpoſitis*.

24. *Quæ cùm exiſſet dixit matri ſuæ*] Huic adverſari videtur Matthæus, qui ſcribit puellam *à matre* fuiſſe *præmonitam* quaſi ante ſaltationem inſtructa fuerit, cùm hîc *exiſſe* ſcribatur conſultura matrem de petitione poſt ſaltationem. Sed advertendum quòd Matthæus dicens *præmonitam*, ſubticuerit hujus monitionis tempus, quod hîc Marcus expreſſit; ut intelligas præmonitam non ante ſaltationem, ſed ante petitionem; vel certè idem bis factum eſſe, nimirum & ante ſaltationem & poſt, maximè cùm res fuerit magni horroris.

39. *Per contubernia*] Idem quod apud Lucam 9. 14. eſt *per convivia*.

40. *In partes*] Græcè eſt πρασιαὶ, πρασιαί, h. e. *ſulcatim*, ut ità loquar, & *diſtincti certis viridariis*. Dicuntur enim *praſia* herbaria, cujuſmodi ſunt areolæ hortorum. Eſt autem hæc loquendi forma per anadiploſin germana Hebræis, Græcis autem & Latinis non item.

MASIUS.

8. MArcus permittit eis virgam in itinere, ſive baculum; Lucas 9. prohibet. Ille enim ait εἰ μὴ ῥάβδον μόνον. Hîc vero μήτε ῥάβδον. Putat Oſiander Lucam corruptum eſſe, & ſcribendum εἰ μὴ ῥάβδον. Aut Marcum de baculo cui innitimur, juvamurque in via, qui Hebræis סמך ab alleviando itinere, & נשע ab innitendo nomen habet; Lucam verò de עמד, hoc eſt, virga quâ caſtigamus ſcilicet, intelligendum eſſe. Certe in Syro utrobique idem eſt vocabulum עמד. Nam quod Matthæus cap. 10, 10. virgam quoque prohibet, accipiendum de comparanda virga. Hoc enim illic eſt *poſſidere* קנף, hoc eſt, *comparare*; anxia ſcilicet conquiſitio prohibetur, non uſus, ſi alioqui adſit. Et hac ratione ego putarim Marcum cum Luca rectius concordari poſſe.

LUCAS BRUG.

14. *ET dicebat, Quia Johannes Baptiſta reſurrexit à mortuis.*] V. Beda & S. Thomas, in hujus loci commentariis, clariſſimè *dicebant* legunt. Hoc modo etiam Auguſtinus, lib. 2. De conſenſu Euang. cap. 43, non ſemel nec ambiguè, legit: lectioque iſta, & narrationi Lucæ & ordini ipſius Marci optimè convenit, de qua Janſenius doctiſſimè diſſerit. Verùm codices Euangeliorum Græci, Latini, Syrici, conformiter *dicebat* habent.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ς, Περὶ τῦ Λαζὶ ἔ τελώνυ.

Μάρκ. ἐν τῷ πατ. τμ. β, καὶ παρ. εἴδε Λ. [ἢ μετ' ὀλίγα] ἢ λέγ(αὐτῷ, Ἀκολούθει μοι.

Λαζὶ δὲ τ' ἐν τελώνιον, ἐπὶ Θεῦ ἑλκυσεν ἀνδρῶν.
Ἄλλως,
Τῷ Χριςῷ καλέοντι πρόφρων ἐπέπιθετο Λαζίς.

2. Ἐξεπλήσσοντο] *Percellebantur*: vel, *Obſtupeſcebant*.

11. Ἐκτινάξατε τὸν χοῦν τὸν ὑποκάτω τῶν ποδῶν ὑμῶν] *Excutite pulverem qui ſuberit pedibus veſtris.*

16. Ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα] *Cui caput amputari juſſi.*

19. Ἐνεῖχεν αὐτῷ: *Imminebat ei*: i. ejus exitio: vel, *Infeſta ei erat.*

20. Συνετήρει αὐτόν] *Conſervabat eum*: vel, *tutabatur*: alii, *Obſervabat.*

21. Τοῖς γενεσίοις] *In natalitiis.* ¶ Τοῖς μεγιστᾶσιν] *Proceribus.*

25. Μετὰ σπουδῆς] *Magno ſtudio*: vel, *Cum feſtinatione.* ¶ Ἐξ αὐτῆς] *Protinus*: vel, *Jam nunc.*

26. Περίλυπος γενόμενος] *Valde triſtis factus.* ¶ Ἀθετῆσαι] *Remittere paſſam repulſam.*

27. Σπεκουλάτορα] *Speculatorem.*

29. Τὸ πτῶμα] *Cadaver.*

31. Καὶ ἐδὲ φαγεῖν εὐκαίρουν] *Ne cibum quidem capere ipſis vacabat.*

39. Ἀνακλῖναι πάντας συμπόσια συμπόσια] *Facere ut accumberent in certos ordines diſtributi, ut fit in conviviis.*

40. Πρασιαὶ πρασιαὶ] *Per areolas.*

46. Ἀποταξάμενος αὐτοῖς] *Cum valedixiſſet eis*: vel, *Cum amandaſſet eos.*

48. Βασανιζομένους ἐν τῷ ἐλαύνειν] *Se torquere in remigando.*

49. Φάντασμα] *Spectrum.*

52. Καρδία αὐτῶν πεπωρωμένη] *Cor torpefactum.*

D R U S I U S.

3. NOnne hic eſt?] Verbum è verbo, *Non hic eſt faber?* quod pronunciatione juvandum. Nam qui vertunt *nónne*, interpretantur οὐχί. Sic לא *non* ponitur pro הלא *nónne*, interpretantur οὐχί. Sic לא *non* ponitur pro הלא *nónne*, etiam cùm copulans antecedit הלא, quod quandoque valet הלאם *& nónne?* Nota enim interrogationis hoc modo deſideratur cùm alibi, tum Job 41. 20. *Trahes leviathan hamo?* quod plenè diceretur, *Nónne trahes?* Sic paulò pòſt, οὐχὶ αἱ ἀδελφαὶ; *& non ſunt ſorores ejus apud nos?* Senſus, *Nónne & ſorores ejus ſunt apud nos?* Quod notandum duxi vel propter eos qui negant Vau copulam præponi unquam interrogationi. ¶ *Faber filius Mariæ*, ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς Μαρίας] Lectio varians, *fabri filius Mariæ*, ὁ τέκτονος υἱὸς Μαρίας. Minùs ſe probat mihi. Nam ſi hoc voluiſſet, diciſſet meo judicio, ὁ τέκτονος υἱὸς τῆς Μαρίας, *fabri filius & Mariæ.* Adhæc, ut Joſeph faber erat, ità Jeſus in puericia fabrilem artem exercebat. Erat enim faber lignarius, & aratra, juga aliáque ejus generis fabricabat: Quod uſitatum adeò illo tempore ut vix ſapiens fuerit qui non artem aliquam exercuerit: Alius tentoria conficiebat, alius piſtor erat, alius librarius, alius pellio. Qua de re aliàs, ſi Deus volet. ¶ *Joſeph*] Alibi *Joſe*; quod antiquum eſt pro *Joſeph.* Antiqui enim abjiciebant ultimas. Id Thalmudicis familiare. Nam dicunt עו *denuo*, *iterum*, pro עוד, & בי pro בין *inter.* Ex hoc more ſcribebant *Jeſu* pro *Jeſua*, unde *Jeſus.* Similiter nominis *Joſe* Græcanica terminatio eſt *Joſes*, Ἰωσῆς, unde Ἰωσῆ, quod in quibuſdam libris *Joſe*, *Joſes*, ut *Moſe*, *Moſes*; & Ἰωσῆς, Ἰωσῆ, ut λίβης, λίβη, *lebes*, *olla*, *cacabus*; πάππας, πάππα *tapes*, *ſtragulum*; πένης πένη, *pauper.* Ἀδελφὸς ergò Ἰωσῆ, *frater Joſetis.*

9. *Sandaliis*] i. calceis: ut Jeſ. 20. 2. in LXX τὰ σανδάλιά σου, *calceos tuos.* Sæpiùs ὑποδήματα vocantur in ea editione. *Calceus* in lingua Moſis נעל dicitur, ut in lingua Sapientum סנדל, unde סנדלר *Sandalar*, *ſutor calceolarius.* Cognomen eſt cujuſdam R. Jochanan in lib. Aboth. A *ſandal* plur. eſt סנדלין *calcei.* Quo vocabulo & Jeroſol. interpres uſus fuit in declaratione רז נעל, quod *calceum* ſignificare diximus. Eſt tamen diſcrimen aliquod. Siquidem סנדל non dicitur, quod ſciam, niſi de calceo pedis: נעל verò etiam de calceo manûs uſurpatur quem *chirothecam* propriè vocamus. Sanè in hiſtoria Ruth, ubi legimus, *extraxit calceum ſuum*, Chald. interpres edidit, *thecam manûs dextræ.* Quod Moſes Gerundenſis roborat in loco quem aliàs producemus. Hieron. in Comment. ſuper Jeſaiam, *& calceamentis e pedibus, quæ LXX σανδάλια* vocant. Sic etiam vetus interp. *calcea caligarum tuarum*, *i. caligas, vocant.* Sic etiam vetus interp. *calcea caligarum tuarum*, τὰ ὑποδήματά σου. Nec aliter Origenis interpres ἐκ ποδῶν. Nam profectò *caligam* pro *calceamento* poſuit, aut ego in magno errore ſum. Nota lector. Nam vulgare non eſt, ut nec illud quod de נעל hoc loco notaviman. Cui firmando lingua Belgica, quæ chirothecam *calceum manûs* indigitat, vulgò **handſchoen.**

11. *Pulverem*, τὸν χοῦν] Alibi eſt τὸν χοῦν· eodem redit: nam interpretes hæc duo confundunt. Alioquí χοῦς *lanugo*, & χοῦς *pulvis*, *terra*: χοῦς etiam *palea tenuiſſima*, quæ תן Ebræis dicitur Pſal. 1. 4. & עף Dan. 2. 35. Heſychius, Χοῦς, τὰ λεπτὰ τῶν ἀχύρων. Pro τὸν χοῦν apud alios eſt τὸν κονιορτόν. Lex. vetus, Χοῦς, ὁ κονιορτὸς, *pulver*, *pulvis.* Porrò χοῦς contractum eſt ex χόος, unde χοϊκὸς, *terreus.* Sic νοῦς ex νόος, χοῦς ex χόος.

22. *Filia ipſius Herodiadis*] Herodias erat *filia regis Arethæ*, Anſelmus Matth. 14. *Ariſtobuli filia ex Bernice*, Suidas in *Herodes. Neptis Herodis magni ex Ariſtobulo*, alius. Videatur Gorionides cap. 59. in principio, & Joſephus lib. 18. cap. 7. Hujus filia, quam ex Philippo marito ſuſceperat, *Salome* dicebatur: Ità enim certè Joſephus eam nominat. Mentio Herodiadis Matth. 14. 3. & alibi. Syrus habet הרודיא *Herodia.*

27. *Spiculatore*] Vel *ſpeculatore.* Nam in Græco σπεκουλάτορα. Utraque ſcriptura ſine diſcrimine invenitur apud autores. Julius Firmicus lib. 8. cap. 26. *Speculatores faciet qui nudato gladio hominum amputant cervices.* Ergò *ſpeculator*, *carnifex.* Sed & pro *Regum ſatellite* ponitur. Meminerunt Tacitus lib. 18. Annal. & Seneca lib. 1. cap. 16. De ira, & lib. 3. cap. 25. De beneficiis. Ebræi ſcribunt ספקלטור, & cum Aleph ספקלטור. In principio Gemaræ, *occidit eum ſpeculator.* Gen. 37. 36. Jon. & autor editionis Jeroſol. ספקלטור *magiſter*, ſive *præfectus*, *ſpeculatorum*, i. ſatellitum Regis. Thargum Eſther alterum, *Surrexerunt ſpeculatores Regis.* Manahemus in Moſen 86. 3. *Rex & ſpeculatores ejus qui præcedunt eum ne quis incurrat.* Ecce perſpicuè per *ſpeculatores* intelligit ſatellites. Obvia eadem vox in volumine Echa, & in R. S. Exod. 4. 11. ubi Lira *ſpiculatorem* habet. Eos quidam à *ſpiculo* appellatos putant, alii à *ſpeculando.* Quibus favet autor Gloſſarii veteris, *Speculator*, ἐπόπτης, κατάσκοπος, δήμιος & mox, *Speculatus*, κατάσκοπος, ἢ ὁ δορυφορούμενος. Suidas, Σπεκουλάτορας, δορυφόρους. ספקלטור reperio etiam in Gerundenſi, Exod. 12.

29. *Cadaver*] Hic eſt πτῶμα *cadaver*, & alibi ζῶμα *corpus*, videlicet Matth. 14. 12. Sic variant exemplaria in illo, *Ubi cadaver, ibi aquilæ*: nam in nonnullis, *ubi corpus, ibi aquilæ.* Et rectè, ſi *corpus* eſt propriè quod animâ caret.

36. *In agros circumjacentes*, εἰς τὰς κώμας αἰγιαλοῦ] *In agros circum.* Quod Ebræi dicerent סביב שדות. & eſt locutio, ut apud Livium *hoſtes circum* pro *circumvicini* aut *finitimi.* Sic *via longè*, i. longinqua. Notavi aliàs. Vide ſis Quæſt. meas. Talia Philologis grata quàm Theologis.

C A S A U B O N U S

27. ΚΑΙ ἐνθέως ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτορα] Etiam in Florentinis Pand. & vetere Gloſſario per *e* ſcribitur hæc vox, & (quod huic loco mirè convenit) exponitur Græcè ὁ δορυφορούμενος, δήμιος. Firmicus quoque l. 8. c. 26. *ſpeculatores* vocat, *qui*, ait, *nudato gladio hominum amputant cervices.* Itaque non à *ſpiculis*, quod erat genus *ſicarii*, *ſpiculatores* ſed à *ſpeculando* dici *ſpeculatores*, qui poſtea *ſcultatores* ſint dicti, docti viri arbitrantur; quibus aſſentior.

45. Καὶ προάγειν εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν] Πέραν hîc non ſignificat alteram lacûs Geneſaretici ripam, ſed τὸ πρόσω, ut diximus, Matth. 14. 22.

51. Καὶ λίαν ἐκ περισσοῦ ἐν ἑαυτοῖς ἐξίσταντο] Paulus dicere ſolet ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ. Marcus infrà 7. 37. Καὶ ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο. Idem 14. 31. ἐκ περισσοῦ ἐλάλει μᾶλλον.

G U A L T P E R I U S.

8. ΜΗ' πήραν, μὴ ἄρτον, μὴ εἰς τὴν ζώνην χαλκόν] Πήρα, *Pera*, *Saccus*, qualem mendici geſtant: ut habet παροιμιώδης illud, πτωχῷ πήρα ἡ πίμπλαμαι), *Mendici pera non expletur*, eò quòd mendici ſint inexplebiles, & quantò plura acceperint tantò plura flagitent. Apud Syrum eſt vox תרמלא *Termala*, quam Tremellius *viatorium ſaccum* interpretatur, & propriè ſignificare ait *ſaccum quo utuntur qui iter faciunt ad imponendum cibum neceſſarium ad iter.* Guido Fab. תרמיל *& Syrè* תרמלא *vas coriaceum vel panneum in quo portant viatores cibaria*, *Saccus*, *Pera.* Wellis oder Wattſack auff die Reiſe. Ζώνη *Zona* explicata eſt Matth. 3. 4.

9. Ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια] Σανδάλιον & σάνδαλον, *Sandalium*, *calceamentum muliebre*, ut vult Heſychius: ſicut Hercules apud Lucianum dicitur παίζειν τῷ σανδαλίῳ vel *ſandalio* ab Omphale. Tribuitur tamen & viris. Uſurpatur & apud Hebræos & Latinos. Guido, סנדל, inquit, *idem quod* מנעל *calceamentum*, *Gen.* 14. *In plur.* סנדלין: & addit, *In paraphraſi Hieroſol. omne vocabulum* נעל (*calceamenti*) *redditur per* סנדל, *uti etiam linguâ Romanâ vocantur calcei* SANDALIA. Apud Terentium in Eunucho habes.

Utinam tibi commitigari videam ſandalio caput.

Antilogia quædam hîc eſt φανερὰ. Matthæi enim 10. 10. ſimpliciter prohibentur *pera*, *bina tunica*, *ſolea* ſeu ὑποδήματα, itémque *virga* ſeu *baculus*; hîc verò *calcei* & *baculus* concedantur. Sed ſenſus eſt, nè ſolicitius res tales ſibi comparent

Apoſtoli

Apostoli quibus legatio ipsorum vel tantillùm posset impediri. Aliàs Christus ipse pecuniâ, perâ & similibus est usus. Vox Syra est סנא SENA, *calceamentum.*

21. Καὶ τοῖς χιλιάρχοις] *Ac Chiliarchis*, seu *Tribunis.* Syrus retinet vocem Græcam לכיליארכא.

27. Σπεκουλάτορα] Σπεκουλάτος, *Speculator.* Syrus eandem vocem retinet ספקלטרא *Spucklatera.* Vox Latina est, unâ duntaxat literâ immutatâ. Dicuntur autem *Speculatores* satellites Principum, *à speculis* quæ gestant. Com. Tacitus, *Dilapsis speculatoribus, cætera cohors non aspernata concionantem*, &c. *Speculare* est cuspidem acuere, Plin. lib. 11. cap. 2.

55. Ἤρξαντο ἐπὶ τοῖς κραββάτοις τοὺς κακῶς ἔχοντας περιφέρειν] Κραβάτῳ, vel usitatiùs gemino β κράββατῳ, *grabatus*, lecti seu lecticæ genus, ἀπὸ τοῦ κρεμᾶν τοὺς πόδας, *à suspendendo gradu.* Qui enim ejusmodi lecticis pensilibus sedent aut recumbunt, pedibus terram non contingunt. Habetur & suprà cap. 2. Joan. 5. Act. 5. Virgilius;

Membra levat sensim vili demissa grabato.

In Syro est סרסי idem quod מטתא *lectus.*

LUD. CAPPELLUS.

3. *Nonne iste est faber, filius Maria, frater autem Jacobi & Jose & Juda & Simonis?*] *Frater* hoc loco ex usu Scripturæ est *consobrinus*, uti alii observarunt: quibus & hoc addi possit, Sic etiam locutos fuisse Latinos. Ovidius lib. 13. Metamorph. inducit Ajacem vocantem Achillem *fratrem*, qui patruelis tantùm erat. Idem in Epistolis Heroidum, Epist. 8. Hermione Orestem vocat *fratrem*, qui patruelis erat. Fuisse autem istos Christi consobrinos, liquet ex sequenti genealogico Diagrammate, quod ego exstruxi ex collatione Matthæi 27. 56. Marc. 15. 40. & Joh. 19. 25. cum hoc Marci loco.

HELI, de quo Lucæ 3. 23. — JACOB, de quo Matth. 1. 16.

B. Virgo MARIA. MARIA Cleophæ. — JOSEPH. CLEOPHAS, qui & ALPHÆUS dictus.

Dn. noster JESUS CHRISTUS. — JACOBUS minor. JOSES. JUDA. SIMON zelota.

De hoc stemmate sic habet Hieronymus contra Helvidium, *Restat*, inquit, *conclusio ut Maria ista quæ Jacobi Minoris dicitur mater, fuerit uxor Alphæi, & soror Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Johannes Euangelista nominat.* Interpres Arabs Joh. 19. 25. vocat *Mariam* אמנת אכלובא h. e. *filiam Acluba*, h. e. Cleophæ. Syrus Interpres dicit simpliciter ומרים די מן קלופא *quæ fuit Kliopha:* utrùm uxor an filia, non dicit. Ego existimarim potiùs uxorem quàm filiam; sic enim solent fœminæ à marito potiùs quàm à patre denominari. Neque mirum videri debet ut *Cleophas* & *Alphæus* unum idémque sit viri nomen (nempe חלפי) sed aliter atque aliter pronunciatum: nam litera ח interdum, imò passim, abjicitur cùm nomina in aliam linguam transferuntur, sæpe per χ Græcum exprimitur, aliquando verò, licèt rariùs, per κάππα, ut חסי *φασὶν* toto secundo libro Paralipomenon: juxta quam rationem ex חלפי potest fieri Κλωπᾶς. Cæterùm ex Luc. 6. 15. videtur colligi posse, ex his quatuor Alphæi filiis, Christi consobrinis, tres, nempe Jacobum, Judam & Simonem, ab eo assumptos fuisse ad munus Apostolicum. Illic enim Jacobus Alphæi filius & Simon dictus *Zelotes* & Judas ὁ τοῦ Ἰακώβου numerantur inter Apostolos. Jam verò Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ἀλφαίου est Jacobus iste *Minor* dictus, ad discrimen alterius Jacobi, qui frater erat Johannis, & filius Zebedæi, quique Gal. 1. 19. vocatur *frater Domini*, h. e. consobrinus. Judas autem ὁ τοῦ Ἰακώβου est Juda iste Jacobi illius Minoris frater. Is est qui Catholicam scripsit Epistolam, in cujus initio vocat se *Jacobi fratrem.* Itaque Luc. 6. 15. cùm dicitur Ἰούδας ὁ τοῦ Ἰακώβου, subaudiendum ἀδελφὸς, non verò υἱός. Cùm itaque hinc liqueat Jacobum & Judam Alphæi filios, Christi consobrinos, fuisse ab eo constitutos Apostolos, videtur omnino verisimile, Simonem Zelotem, qui Luc. 6. 15. medius inter eos collocatur, fuisse etiam Christi consobrinum, Alphæi pariter filium, qui *zelotes* dictus sit ut distingueretur à Simone Petro, quique *zelotes* ideo sit dictus quòd antequam ad munus Apostolicum à Christo fuisset vocatus, faveret atque inclinaret in eam Judæorum sectam & factionem qui tum temporis קנאי, h. e. *zelotæ*, erant, & dicebantur, quòd essent libertatis Judæorum adversùs Romanorum, quibus subjecti erant, potestatem singulari devotione studiosi.

GROTIUS.

2. Ἐξεπλήσσοντο, *admirabantur*] Quod quidam codices habent ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ [*super doctrina ejus*] puto additum ex Latino Interprete, qui ad sensum explendum quædam interdum verba addit. Causa admirationis, ut collatio Lucæ & Johannis nos docet, hæc erat, quòd Jesus nullo humano magisterio institutus summa cum perspicuitate Prophetarum verba explicaret. ¶ ἡ δοθεῖσα αὐτῷ, ὅτι καὶ δυνάμεις τοιαῦται διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ γίνονται; *quæ data est illi, quoniam & virtutes tales per manus ejus fiunt?*] Sapientiam ipsius esse datam Divinitus, præterquam quòd notissimum erat Jesum nullis usum magistris, altero argumento probant ex miraculis quæ Capharnaïtæ atque alibi ediderat. Ideo rectius est ὅτι γίνονται [*quoniam fiunt*] quàm quod alii habent ἵνα γίνωνται [*ut fiant*].

3. ὁ τέκτων, *faber*] Vide quæ ad Matthæum. ¶ Ἰωσῆτος, *Josetis*, Videtur mihi hæc vera esse lectio, ad Græcam flexionem perducto nomine. Nam & infrà xv, 40. ita habent optimi codices, quod qui non intellexerunt reposuerunt vocem ἄκλιτον [*indeclinabilem*]. ¶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ ὧδε πρὸς ἡμᾶς; *& sorores ejus hic nobiscum sunt?*] Cùm Nazarethani hîc specialiter meminerint cognatarum Jesu apud se habitantium, adducor ut credam, quod & suprà dixi, matrem Jesu & cognatorum aliquos hoc tempore Capharnaümi habitasse.

5. οὐκ ἠδύνατο, *non poterat*] De variis significationibus vocis δύναμαι [*posse*] jam diximus suprà. Hic puto significari affectum in Christo qui obstiterit illi quominus miracula multa Nazarethæ faceret. Nam ita & Latinè dicimus, *Impetrare hoc à me non possum.* Soletque tam de malis quàm de bonis affectibus ea locutio usurpari. Ita Genes. xxxvii, 4. de fratribus Josephi dicitur ולא יכלו דברו לשלום καὶ οὐκ ἠδύναντο λαλῆσαι αὐτῷ εἰρηνικόν [*nec poterant ei quicquam pacificè loqui*], obstante odio scilicet. Joh. vii, 7. οὐ δύναται ὁ κόσμος μισεῖν ὑμᾶς [*non potest Mundus odisse vos*], nimirum ob morum similitudinem. Actor. iv, 20. οὐ δυνάμεθα ἡμεῖς ἃ εἴδομεν καὶ ἠκούσαμεν μὴ λαλεῖν [*non possumus quæ vidimus & audivimus non loqui*]. Apocal. ii, 2. οὐ δύῃ βαστάσαι κακούς [*non potes sustinere malos*]. Sic & ii Corinth. xiii, 8. Simile Matth. xii, 34. Johannis viii, 43. xii, 39. i Johan. iii, 9. Apoc. ii, 2. Rectè Chrysostomus, Οὕτως οἶδε πολλαχοῦ δύνασθαι τὸν σφαίρεσιν λέγων· τοῦτο ὃ καὶ ἐν τῇ κοινῇ συνηθείᾳ φυλαττόμενοι ἴδοι τις ἂν· ὡς ὅταν λέγῃ τις, Οὐ δύναμαι ἀγαπῆσαι τὸν δεῖνα, τὸ σφοδρὸν τῆς βουλήσεως δύναμιν λέγων [*Ita solet sæpe id quod voluntas est appellare potentiam: idem & in vulgari consuetudine videmus usu venire, ut ubi quis dicit, Non possum illum amare, potentia nomen tribuens vehementi affectui*]. Christus plenam habens miracula faciendi potestatem, quo minùs eam hoc loco exerceret impediebatur odio non hominum sed pertinacissimæ incredulitatis. Nam cùm illi doctrinam & docendi genus faterentur esse eximia ac Divina, famâ etiam rerum Capharnaümi gestarum commoverentur nonnihil, iterum tamen respectu natalium atque educationis avocabantur quominus magnificum aliquid de ipso sentirent.

6. διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν. *propter incredulitatem eorum*] Ita visum est Marco exprimere quod Hebræi dicerent per ב [*in*]: sicut & nostri Scriptores interdum loquuntur, ut Luc. i, 21. ii Thessal. i, 10. aliàs per ἐπὶ [*super*] solet idem exprimi, ut Luc. iv, 22. xx, 26. Actor. iii, 12. ¶ Περιῆγε τὰς κώμας κύκλῳ διδάσκων. *Circuibat castella in circuitu docens*] Patriam ingratam deserens auditores quærebat quorum animi non æquè essent pravis affectibus occupati.

7. τοὺς δώδεκα, *duodecim*] Ita loqui solet Marcus, quare quod alii addunt μαθητὰς αὐτοῦ [*discipulos ejus*] haud dubiè ex Matthæo adjectum est. ¶ δύο δύο· *binos*] Ad plenam testimonii fidem. Sic & Johannes suî gregis discipulos ad Christum legarat, Matth. xi, 2.

8. μηδὲν αἴρωσιν εἰς ὁδὸν, *nequid tollerent in via*] Id est, *ne quid via causâ secum ferrent*, extra ea quæ usûs erant quotidiani.

¶ *εἰ μὴ ῥάβδον μόνον, niſi virgam tantùm*] Eam virgam cum qua tunc fortè ambulabant, non aliam inter ſarcinas uſui futuram ſi fortè prior defeciſſet. Voluit enim Dominus in prima legatione manifeſtum ipſis dare documentum Divinæ providentiæ. Finis horum præceptorum perpetuus eſt, præcepta ipſa temporaria, ut ad Matthæum monuimus. ¶ *μὴ πήραν, μὴ ἄρτον, μὴ εἰς τὴν ζώνην χαλκόν. non peram, non panem, neque in zona æs*] Nimirum *εἰς ὁδὸν* [*ad viam*], id eſt, *viæ causâ*. Noluit enim Chriſtus illos ſuſceptæ legationis ergo vel tantillo ſollicitiores eſſe quàm antè erant.

9. *Ἀλλὰ ὑποδεδεμένους σανδάλια· Sed calceatos ſandaliis*] *Ἐλλείψις* [*defectus*]. Deeſt enim *πορεύεσθαι* [*ire*]. Ire jubet ita ut erant, ſoleatos ſcilicet. Quanquam Chriſtiani veteres multùm inceſſerunt nudis pedibus (*ἀνδρὶ τῷ μάλα ἁρμόδιον ἡ ἀνυποδησία* [*viro maximè convenit nudis ire pedibus*], inquit Clemens. Tertullianus, *Pedes nudi viriles magis quàm in calceis*) videntur tamen id mihi feciſſe Platonicorum magis exemplo, quorum celebris eſt *ἀνυποδησία* [*pedum nuditas*], ne ſcilicet Philoſophis (quos & in Pallio imitabantur) in ulla aut frugalitatis aut fortitudinis parte cederent, quàm ex primævo inſtituto aut exemplo. Nam Judæos plerumque ſua habuiſſe *ὑποδήματα* [*calceamenta*] paſſim nos docet Moſis hiſtoria, ut Exodi III, 5. XII, 11. Deuter. XXV, 10. Ruth IV, 7. & Luc. XV, 22. Neque diſceſſiſſe Chriſtum ab eo more ſatis manifeſtum eſt ex verbis Baptiſtæ, Marth. III, 11. & ſuprà I, 7. Apoſtolos itidem fuiſſe *ὑποδεδεμένους* [*calceatos*] tum hic locus evincit, tum alter de Petro Actor. XII, 8. Judæi verò ſandaliis maximè uſi. Itaque Eſaias jubetur exuere *τὸ σανδάλιον* [*ſandalia*] in verſione LXX XX. 11. & Petrus induere *σανδάλια* [*ſandalia*] dicto Actorum loco, & hìc Apoſtoli viam capere *ὑποδεδεμένους σανδάλια* [*calceati ſandaliis*]. Quin & Metaphraſtes Hieroſolymitanus pro נעל [*calceamentum*] ubique poſuit סנדל [*ſandalium*]. Et ideo in funere jubentur deponere ſandalia lege veteri quæ in Thalmudicis exſtat. Et Joſephus, in expoſitione legis de vidua fraterna, *σανδάλια* [*ſandalia*] dixit quæ alii *ὑποδήματα* [*calceamenta*]. Quanquam autem iiſdem ex locis appareat *σανδάλια* [*ſandalia*] Judaïca fuiſſe *ὑποδήματα* [*calceamenta*] ſatis uſitata, certum tamen eſt Judæis fuiſſe & alia *ὑποδήματα* [*calceamenta*] exquiſitiora. *Σανδάλια* [*ſandalia*] propriè reſpondiſſe videntur iſti *ὑποδημάτων* [*calceamentorum*] generi quod *κονιποδας* [*pulverulenta*] vocabant Attici. Suidas certè *κονιποδα* exponit *στενὸν σανδάλιον ὑφ' οὗ ἡδὺ τὸν στενόπουν ὁ πὼς ἐπανιοῦτο* [*breve ſandalium ob cujus brevitatem pes pulvere adſpergebatur*]. Polluci eſt *λεπτὸν ὑπόδημα* [*parvum calceamentum*]. Clemens Pædagogo II, cap. XI. *εἰ δὴ μὴ ἀδημονοῦμεν, ἀλλὰ μηδὲ φέρωμεν τὴν ἀνυποδησίαν, βλαύτας ἢ Φασηλίτιδας χρησίον· κονιποδας αὐτὰ ἐκάλουν οἱ Ἀττικοὶ ἡδὺ τὸ πηλάζειν, μοι δοκεῖν, τῇ κόνει τοὺ πόδα* [*quòd ſi non peregrinemur, nec feramus pedum nuditatem, utendum ſoleis aut phaſelitis: Attici conipodas vocabant, ideo, ut arbitror, quòd pedem à pulvere non defenderent*]. Ideo in Actis Latinus vertit *caligas*; Dio verò *caligas* Græcè vertit *σφαιρωτὰ ὑποδήματα*. Narrant Judæi morem fuiſſe majoribus ſuis ut diebus feſtis in Templo apparerent cum ſandaliis è melium pellibus. Soleatos igitur, ut ita dicam, non calceatos vult Chriſtus Apoſtolos ſuos iter arripere, non minùs adverſus itinerum in commoda quàm adverſus difficultates alias illis conſulturus. Syrus *σανδάλια* [*ſandalia*] vocat *talaria*, credo quòd ad talos alligarentur. Sic & in Pedonis Elegia, ubi eſt *ſandalia*, alii libri habent *talaria* ex gloſſematis expoſitione, ni fallor. Sed de hoc loco moneo lectorem videat quæ incomparabilis doctrinæ vir Cl. Salmaſius ad Tertulliani *Pallium* notavit. ¶ *καὶ μὴ ἐνδύσησθε δύο χιτῶνας. & ne induamini duabus tunicis*] Id eſt, ne modò hanc, modò illam tunicam induite; ut ſolent qui iter faciunt aliis in itinere veſtibus uti, aliis ubi in urbem aliquam advenerunt. Vide quæ ad Matthæum hoc loco. Hæc omnia, ut dixi, eò pertinent ut Apoſtoli intelligant nullo majore paratu ſibi ad iter opus fore quàm ſi domi eſſent manſuri.

10. *ἐκεῖθεν· inde*] *Ex ea urbe*, ut & ſequenti commate.

11. *εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. in teſtimonium illis*] In teſtimonium contemti ab ipſis Euangelii: nam in ejus contemtus deteſtationem pulvis excutiebatur. Vide ad Matthæum.

12. *ἵνα μετανοήσωσι· ut pœnitentiam agerent*] Legationis Apoſtolicæ ſumma eadem quæ *κηρύγματος* [*prædicationis*] Baptiſtæ, unde & Chriſtus initium fecit. Admonebantur homines ut verè ac ſeriò pœnitentiam agerent, id eſt, vias ſuas de malis bonas facerent. Cauſa addebatur, quia jam adventaſſet tempus illud diu exſpectatum Regni cœleſtis. Ut enim hujus Regni beneficia, Remiſſionem peccatorum & Spiritum Sanctum, intra ſe quiſque reciperet, per pœnitentiam animi erant præparandi. Hoc illi dicebant breviter, ut qui ſtudio pœnitentiæ tenebantur omnia præcepta eò pertinentia ab ipſo Chriſto auditum venirent.

13. *ἤλειφον ἐλαίῳ, ungebant oleo*] Ex more antiquo Hebræorum, qui ut Manuum impoſitionem precibus pro aliquo ſuſceptis adjungere ſolebant, ita & Unctionem per oleum circa ægrotos pro quibus preces ſuſcipiebantur, in ſpem impetrandi à Deo lenimenis & gaudii, quod per Oleum ſignificatur. Quem morem prima Chriſtianorum Eccleſia libenter uſurpavit, non ita tamen ut nunquam *ἰάματα* [*ſanationes*] ſine oleo exercerentur. Notus Jacobi locus de oleo, & hiſtoriæ ſanationum in Actis ſine oleo. Diximus alibi Chriſtianos veteres quicquid *ἀλλογενοῦς* [*ad aliud innuendum*] dictum in Sacris literis reperiebatur id expreſſiſſe viſibilibus ſignis. Hinc factum ut & Baptiſmo & Manuum impoſitioni juxta Baptiſmum oleum adhiberetur, interdum & aliæ unctiones. Dixerat Paulus, *Ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς χρίσας ἡμᾶς Θεὸς* [*qui confirmat & unxit nos Deus*], II Corinth. I, 21. & Johannes I Epiſtolâ II, 20, 27. *ὑμεῖς τὸ χρίσμα ἔχετε· τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων* [*vos unctionem habetis: unctio quam accepiſtis ab eo docet vos de omnibus*]. quæ loca de Spiritu plerique accipiunt. Veteres de ipſa fide quæ per Spiritum obſignatur, modico diſcrimine; ut apparet ex Clemente Alexandrino, qui Chriſtum ita loquentem nobis introducit, *Χρίσω ὑμᾶς τῷ πίστεως ἀλείμματι, δι' οὗ τὴν φθορὰν ἀποβάλεσθε, ἐν γυμνῷ δὲ καινότητι ἐπιδείξω τὸ σῶμα, δι' οὗ πρὸς τὸν Θεὸν ἀναβαίνετε* [*Ungam vos fidei unguento, per quod corruptelam abjiciatis, & nudum apparere in vobis faciam juſtitiæ habitum, per quem ad Deum aſcendatis*]. Hanc fidem, quæ per unctionem deſignabatur, *gratiam Chriſti* vocat Cyprianus epiſtolâ ad Januarium. Tertullianus dixerat, *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit*, eam unctionem ſignificari oſtendens per quam Chriſtus nos conſtituit ſacerdotes. Docet nos Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos inungi ſolitos etiam eos qui ab errore converſi ſine novo Baptiſmo ad Eccleſiam admittebantur; *Τὸ σφάλμα*, inquit, *διορθοῦται τῇ μεταθέσει τῆς φρονήματος, τὸ δὲ βαπτίσματος τῇ ἐπιχρίσει τοῦ ἁγίου μύρου* [*Vitium corrigitur mutatione ſententiæ, Baptiſmatis verò per unctionem qui fit unguento ſancto*]. Sed & Philo apud Moſem antiqua traditione oleum interpretabatur *ἀγωγὸν φῶς τηλαυγέστατον ἀναστράπτειν τοῖς μὴ ἀφειδέως κεκτημένοις ἢ μὴ παγίως ἐξ ἀδιαστάτου καὶ συνεχῶς ἐπιμόνως ἐλαιοφορήσουσιν ὃν ἐρῶσιν* [*eam inſtitutionem quæ lucem clariſſimam alluceat iis qui non perfunctorie ſed fortiter ac firmiter conſtanti perpetuoque ſtudio iis adhærent quæ amant*]. locus eſt in libro cui titulus *περὶ τοῦ τὸ χεῖρον τῷ κρείττονι φιλεῖν ἐπιβουλεύειν* [*Pejorem inſidiari meliori*].

14. *Καὶ ἤκουσεν ὁ βασιλεὺς Ἡρῴδης (φανερὸν γὰρ ἐγένετο) τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Et audivit Rex Herodes (manifeſtum enim factum eſt) nomen ejus*] Ita legendum cenſeo, ut *ὄνομα* [*nomen*] ſit quarti caſus, pro quo interpretamenti vice quidam ſubſtituerunt *ἀκοὴν αὐτοῦ* [*famam ejus*]. Cùm enim ſatis conſtet veteres libros caruiſſe diſtinctionum notis, liberum cuique ea in re judicium permittendum arbitror. Syrus, quia hanc conſtructionem ſua lingua vix patiebatur, duas voces addidit, *de Jeſu*. Herodem Tetrarcham *Regem* vocat, quia ſic à ſuis vocabatur. ¶ *καὶ ἔλεγον, & dicebat*] Ipſe Herodes, ut & Matthæus narrat; cæterùm injectâ ab aliis ſuſpicione, ut ex Luca diſcimus. Videndum num qui codices habeant *ἔλεγον* [*dicebant*], ſicut olim Latini legebant. Nam Marcum ferme ſequitur Lucas. ¶ *ὁ βαπτίζων, baptizans*, id eſt, *Baptiſta*] Et ex hoc loco, & ex eo quod ſuprà habuimus *δύο δύο* [*duo, duo*, id eſt, *bina*], & infrà *συμπόσια συμπόσια* [*ſympoſia, ſympoſia*, id eſt, *per convivia*], & multis aliis apparet verum eſſe quod diximus Marcum plùs cæteris *ἑβραΐζειν* [*Hebraïcis uti locutionibus*]. Nam alii dicunt *ὁ βαπτιστὴς* [*Baptiſta*], ut & Joſephus.

15. *Ὅτι Ηλίας ἐστὶ· Quia Elias eſt*] Matth. XVI, 14. ¶ *Ὅτι προφήτης ἐστὶν ὡς εἷς τῶν προφητῶν. Quia Propheta eſt quaſi unus ex Prophetis*] Miror dubitari de hac lectione quam codices plurimi præferunt, & præterea Syrus, Arabs, & Latinus Interpretes. Adde quòd interpoſitum *ἢ* [*aut*] ſenſum nullum commodum reddit; cùm hujus lectionis aperta ſit ſententia. Nam hæc iſtorum hominum de Chriſto opinatio fuit, Eſſe eum non Meſſiam, non Eliam, non Johannem, ſed Prophetam à Deo ſuſcitatum parem veteribus Prophetis. Diverſum ſentiebant illi apud Lucam, *ὅτι προφήτης εἷς τῶν ἀρχαίων ἀνέστη* [*quia Propheta unus de antiquis ſurrexit*].

17. *Ἀποστείλας, miſit, ac*] Id eſt, *per miſſos à ſe ſatellites*. Idem loquendi genus Matth. II, 16. & XIV, 10.

18. *τὴν γυναῖκα Φ ἀδελφῇ ου, uxorem fratris tui*] Id eſt, *τὴν πρὶν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ ου* [*eam quæ ante uxor fratris*

tui

ni fuit], ut & 1 Cor. v, 1. Videtur enim maritus tum fuiſſe mortuus, ut ad Matthæum diximus.

19. ἐνεῖχεν αὐτῷ, *inſidiabatur illi*] *Exitio ejus imminebat*: quomodo & apud Lucam XI, 53. Hebraicè ישמר, ut Geneſ. XLIX, 23. Aliud eſt ἔχειν πρός τινα [*habere contra aliquem*]. ſubauditur enim μομφὴν [*querelam*].

20. ἐφοβεῖτο, *metuebat*] Δείσας τὸ ἐπὶ τοσόνδε πιθανὸν αὐτοῦ τοῖς ἀνθρώποις [*metuens tantam ipſius apud homines auctoritatem*], ut Joſephus hac de re loquitur. Auctoritas Johannis apud populum Herodi erat formidoloſa. Idem ſignificat Matthæus cùm dicit ἐφοβήθη τὸν ὄχλον [*timuit populum*]. Nimirum ſub ejuſmodi Regibus aut Regulis majus periculum eſt ex magna fama quàm ex mala, & ob virtutes certiſſimum exitium. ¶ δίκαιον καὶ ἅγιον, *juſtum & ſanctum*] Ἀγαθὸν ἄνδρα [*virum bonum*] dixit Joſephus, & monitorem δικαιοσύνης καὶ εὐσεβείας [*juſtitiæ & pietatis*]. ¶ καὶ συνετήρει αὐτὸν, *& obſervabat eum*, id eſt, *obſervaverat*] Hæc explicanda mihi videntur per tempus plusquamperfectum, ut ſolent iſta in Hebraiſmo & ab Helleniſtis confundi. *Obſervaverat*, inquit, *ipſe Herodes Johannem diu, multaque fecerat ejus conſilio, & libenter eum audire erat ſolitus.* Hæc enim referenda ſunt ad tempus quod præceſſerat liberam objurgationem; ita tamen ut poſtea quoque earum rerum memoria & ex eo major infamiæ metus ſæpe animo Herodis oberraverit: etiam tum cùm, ut Matthæus ait, interficere illum cuperet uxori obnoxius. Ita ſe volutabat animus inter exiguas reliquias bonæ mentis rationeſque honeſti, utilis ac jucundi, publicas ac domeſticas. Adeò verum eſt *non eſſe pacem impiis.* ¶ ἀκούσας αὐτοῦ πολλὰ ἠπόρει, *audito eo multa faciebat*] Quod de Herode hîc dicit Marcus, idem de Judæis in univerſum Joſephus prædicat, πάντα γὰρ ἐφέροντο τῇ συμβουλῇ αὐτοῦ πρᾴττοντες [*videbantur enim omnia de conſilio ejus facere*]. & Chriſtus ipſe, ἠθελήσατε ἀγαλλιαθῆναι πρὸς ὥραν ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ [*voluiſtis ad horam exſultare in luce ejus*]. Dubitandum non eſt quin vir ſanctiſſimus, pars patriæ ſuæ non minima, etiam in rebus publicam ſalutem ſpectantibus ſe digna conſilia dederit,

> Βαθεῖαν ἄλοκα δὸξ φρενὸς καρπούμενος,
> Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλάστανεν βουλεύματα.
> [*Sulcos profundos corde demerſos gerens,*
> *Unde illa ſeſe pulchra conſilia exſerunt.*]

21. Καὶ γενομένης ἡμέρας εὐκαίρου, *Et cum dies opportuna accidiſſet*, Opportuna inſidiatrici, quæ vino, amore, & adulatorum conſpiratione facilè ſperabat impelli poſſe nutantem mariti animum. ¶ μεγιστᾶσι, *Megiſtanibus*, id eſt, *principibus*] Uſurpat hanc vocem celebrem in Oriente etiam Johannes in divina Apocalypſi VI, 15. & in Latino ſermone tum Tacitus, tum Suetonius, Græcè uſurparunt olim Menander & Antiochus Sophiſtæ. Exſtat & in Græco II Paralip. XXXVI, 18. Prov. VIII, 16. Eſaiæ XXXIV, 12. Jerem. XIV, 3. XXIV, 8. XXV, 19. XXXIV, 10. XLIX, 38. L, 35. Ezech. XXX, 13. Dan. IV. 36. V, 1, 2, 9. VI, 17. Jon. III, 7. Nahum. II, 5. III, 10. Zach. XI, 2. Vocabantur ita Græco vocabulo qui Chaldaïco רברבנין ut Danieli V, 1, 3, 9. & aliis locis, Perſicè חשתרפנין, id eſt, *Satrapæ*, aut potiùs ἄρχοντες σατραπῶν [*principes Satraparum*], ut eſt in Græca verſione Eſtheris IX, 3. Aulæ minores majorum vocabula imitabantur,

Magnus ut exiguum bos ranam ruperat olim.

¶ χιλιάρχοις, *Tribunis*] Nam exercitum ſub id tempus paratum habebat Herodes adverſus Aretam, δυνάμεως συλλεγείσης [*exercitu collecto*] inquit Joſephus. ¶ τοῖς πρώτοις τῆς Γαλιλαίας' *primis Galilææ*] Magiſtratibus oppidorum: τοὺς πρώτους τῆς πόλεως in Novella CXXIII. vetus interpres tranſtulit *primates civitatis.* Vocabantur pro numero δεκαπρῶτοι, πεντεπρῶτοι, & Latinè *Quinqueprimi*, *Decemprimi.*

23. ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου, *licet dimidium Regni mei*] Vide quæ ad Matthæum XIV, 7.

25. Θέλω, *Volo*] *Peto*, aut *Vellem*, ut Matth. XXVI, 39. Ita aliquoties in his libris. Inter alia Joh. VI, 21. & infrà X, 35. Ex hoc ſenſu ſæpe reperies Hebræum רצה. ¶ ἐξ αὐτῆς, *ab ipſa*, id eſt, *protinus*] Præter Paulum Lucas hac voce utitur aliquoties Act. X, 33. XI, 11. XXIII, 30. Solent Syri in ſermone ſupprimere interdum שעה [*horæ*], quod imitantur noſtri Scriptores. At hic atque alibi in locis Syrus quod Græco ſermoni deerat expreſſit.

26. ἀθετῆσαι, *aſpernari*] Ἀθετῶ etiam Græcorum Grammatici interpretantur ἀτιμάζειν, καταφρονεῖν [*parvi ducere, contemnere*]. Atque ita uſurpatur etiam Lucæ VII, 30. X, 16. & Joh. XII, 48. Reſpondet Hebræo מאס.

27. σπεκουλάτορα, *ſpeculatore*] Adrianus Imperator in epiſtola ad Aquilium Braduam, *neque ſpectatores ultro ſibi vindicent, neque Optiones ea deſiderent quibus ſpoliatur quo momento quis punitus eſt.* Valentinianus, Theodoſius & Arcadius, *Ordinariorum Judicum apparitores qui vel ſpeculatorum vel ordinariorum attigerint gradum.* Seneca, *Centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpeculatorem jubet.* Quibus addenda loca Taciti & Firmici citata ab aliis, qui & Hebræorum uſu tritam hanc vocem manifeſtis teſtimoniis probarunt.

29. τὸ πτῶμα, *corpus*] ſive *cadaver*, פגרא.

30. πάντα, ὅσα ἐποίησαν, καὶ ὅσα ἐδίδαξαν. *omnia, quæ egerant, & docuerant*] Πάντα [*omnia*], id eſt, diverſa illa hominum de Chriſto judicia, de quibus egerat ſuprà 14, 15. Nam dum legationem ſuam obeunt Apoſtoli iſta intellexerant. Præterea verò renuntiarunt tum quæ docuerant, tum quæ fecerant; quod ad miracula pertinet. Similis locutio apud Lucam Actor. I. ἐφ' πᾶσιν ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν [*de omnibus quæ cæpit Jeſus facere ac docere*]. Legatorum eſt de ſingulis mandati partibus quid actum ſit renuntiare. Mandaverat autem Chriſtus Apoſtolis κηρύσσειν μετάνοιαν [*prædicare pœnitentiam*], & in fidem dictorum ejicere dæmonia & morbos ſanare.

31. Δεῦτε ὑμεῖς, ἀπαγάγωμεν αὐτοὶ καθ' ἰδίαν, *Venite vos, eamus ipſi ſeorſum*] Hunc in modum legiſſe mihi videtur Syrus, cùm in aliis codicibus deſit ἀπαγάγωμεν [*eamus*], in aliis ὑμεῖς [*vos*] & αὐτοὶ [*ipſi*]. Mihi iſta lectio non diſplicet ut ſit αὐτοὶ [*ipſi*] poſitum pro ἡμεῖς [*nos*].

32. Καὶ ἀπῆλθον εἰς ἔρημον τόπον *& abierunt in deſertum locum*] Etiam quæ hoc loco in codices quoſdam irrepſit lectio, ἀναβαίνοντες εἰς τὸ πλοῖον [*adſcendentes in navem*], oſtendit ab aliquo interpolatum eſſe Græcum textum ad modum Latinæ verſionis.

33. καὶ προῆλθον αὐτοὺς, *& prævenerunt eos*] Quod hîc noſtri codices poſt iſta verba habent, καὶ συνῆλθον πρὸς αὐτὸν [*& convenerunt ad eos*] ſupervacuum eſt, neque agnoſcitur aut à Syro aut à Latino. Quare cùm alii codices habeant ἦλθον [*venerunt*] & αὐτοῦ [*eo*] ſuſpicari liceat initio ſcriptum fuiſſe à librariis καὶ ἦλθον πρὸ αὐτοῦ [*& venerunt ante eum*], quod interpretamentum erat eorum quæ poſuimus Marci verborum: Sed poſtea cùm in textum irrepſiſſet mutatum, ne bis idem diceretur.

35. ὥρας πολλῆς γενομένης, *cùm jam hora multa fieret*] Ὥραν [*horam*] vocant non diem totum, ſed partem diei, ut infrà XI, 11. ὀψίας ἤδη οὔσης ἡ ὥρα [*cùm jam veſpera eſſet hora*]. πολλὴ ergo dicere videtur eam partem quæ majoris numeri nomine exprimitur.

36. κύκλῳ, *in circuitu*] Vide ſuprà hoc loquendi genus III, 34. Ita κύκλῳ τῆς Ἱερουσαλὴμ [*In circuitu Jeruſalem*] LXX, Jerem. XXXIII. 13. ¶ τί γὰρ φάγωσιν, *quod enim edant*] Pro ἃ φάγωσιν. Ita apud Matthæum XV, 32. οὐκ ἔχουσι τί φάγωσι [*non habent quod manducent*].

37. Ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν, *Euntes emamus*] Cùm Chriſtum conſtet γλισχύμον [*marſupium*] habuiſſe, & in eo ex amicorum collatione pecuniæ aliquid, tum in ſuos & duodecim comitum tum in pauperum uſus: non video cur aliqui adeò abhorreant credere fuiſſe illi hoc tempore, cùm ab oppidis in agros velut ibi manſurus aliquandiu ſeceſſiſſet, *denarios ducentos.* Neque enim de nihilo eſt quòd hanc pecuniæ ſummam Apoſtoli nominant, quæ tamen, ut ex Johanne diſcimus, ipſorum judicio ſufficere non poterat tam immenſæ multitudini ſatiandæ. Senſus ergo eſſe videtur quem nonnulli indicarunt. Sanè ne quid à nobis deſiderari poſſit, parati ſumus quantum apud nos eſt pecuniæ impendere his hominibus, non ſatiandis quidem, ſed contra inediam parumper refovendis.

39. ἀνακλῖναι πάντας, *accumbere facere omnes*] Sic ἀνακλίνας αὐτὸν [*cùm ſe ad accumbendum poſuiſſet*] eſt apud Lucianum. ¶ συμπόσια συμπόσια, *per convivia*] *Per diſtinctos convivarum ordines. Numerus centenorum* aut etiam *quinquagenorum* major eſt quàm ut *contubernii* nomen ei ſatis reſpondeat, cui nomini ſuus uſus eſt in agno Paſchali, qui κατὰ φρατρίας [*per ſodalitia*], denûm aut vicenûm edebatur.

40. πρασιαὶ πρασιαί, *areolæ, areolæ*, id eſt, *areolatim*] Nominativus vice ἀκλίτου [*indeclinabilis*], ut ſæpe apud Hebræos: vide Pſal. LXXIII, 28. Eſth. VI. 7. Syrum Luc. XXIII, 41. Tale eſt Joh. Ep. I, 14. πλήρης [*plenus*] pro πλήρεις [*pleni*]. Tale ἀπὸ ὁ Ὢν [*ab illo Ens*] Apoc. I, 4. & I, 5. ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς ὁ πιστός [*ab Jeſu Chriſto teſte fidelis*]. Nec abſimilis apud Joſephum conſtructio, πάντων

ἅπασιν ἀνθρώποις ἐπιτήδευμα ὄντων τῶν Θεοῦ [*omnibus hominibus opificium Dei exsistentibus*]. Sic & apud Euripidem Phœnissis,

Μέλλων γὰρ πέμπειν μ' Οἰδίπου κλεινὸς γόνος
Μαντεῖα σεμνὰ, Λοξίου τ' ἐπ' ἐσχάραις,
Ἐν τῷδ' ἐπέσχε πύργον Ἀργείων πόλιν.
[*Me mittere autem natus Oedipodis volens*
Pythûs ad aras, clara Phœbi oracula;
Hanc interim urbem clausit Argivum phalanx].

quo in loco μέλλων [*volens*] apertè positum est pro μέλλοντος [*volente*]: ut & illo Herodoti ἁλὸς γενομένης πάσης τῆς Ἑλλάδος, χεὶρ μεγάλη συνάγεται [*omnis Græcia coiens, magnus conscribitur exercitus*]. Sic ἀστράπτοντα [*fulgurans*] pro ἀστράπτοντος [*fulgurantem*] positum in secundo Iliados notavit Eustathius, & νῆσος [*insula*] pro νήσῳ [*insulæ* in dativo] primo Odysseæ. Sic & apud Proclum aliquoties μετὰ τοῦ ἑνὸς, χωρὶς τοῦ ἑνὸς [*unà cum Uno, absque Uno*]. ¶ ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα. *per centenos & quinquagenos*] Id est, nec plures centenis nec pauciores quinquagenis. Potuerunt igitur simul accumbere sexageni, septuageni, octuageni.

43. καὶ ἀπὸ τῶν ἰχθύων. *& de piscibus*] Id est, καὶ τῶν ἰχθύων τι [*& aliquid de piscibus*]. Addidit hoc Marcus, neque tamen quantum fuerit putavit exprimendum. Ita Matth. XXVII, 9. ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ [*à filiis Israel*] positum pro τινὲς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ [*quidam filiorum Israel*].

46. Καὶ ἀπολύσας αὐτοὺς, *Cùm dimisisset eos*] Nimirum τῷ ὄχλῳ [*populum*]: constructio πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad id quod significatur*], ut infrà VIII, 1. παμπόλλου ὄχλου ὄντος, καὶ μὴ ἐχόντων [*cùm turba multa esset, nec haberent*]. ἀπολύσας τοὺς ὄχλους [*dimissâ turbâ*] est apud Matthæum. Priùs Christus Apostolos ablegavit, tum valedixit multitudini, deinde in montem se oratum contulit. Hic ordo est apud Matthæum, nec dubium quin idem aliis verbis dixerit Marcus.

48. ἐν τῷ ἐλαύνειν· *in remigando*] ἐλαύνειν de navi, proprie est κωπηλατεῖν, *remigare*. Xenophon, εἰ δὴ ἐλαύνειν δέοι καθ' ἕνα μέρος τοὺς ναύτας ἀνίεναι [*si remigandum esset per vices nautis quietem dabat*]. Causæ nihil video cur ab hac interpretatione, quam sequuntur Syrus & Latinus, recedendum sit. Molestia navigationis ab eo describitur quòd contra ventum remis obniti necesse esset. ¶ Ἤθελε παρελθεῖν αὐτούς· *volebat præterire eos*] Non intraturus navem, nisi Apostoli hoc precibus ab illo expressissent. Hoc est quod Johannes dicit ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον [*volebant ergo accipere eum in navim*], id est, orabant; quomodo τὸ θέλειν [*velle*] sumi suprà diximus.

51. ἐκόπασεν, *cessavit*] שכך, ut Gen. VIII, 1. ¶ λίαν ἐν ἑαυτοῖς, *plùs magis*] Hoc est quod apud Paulum aliquoties dicitur περισσοτέρως, plùs quàm vehementer. ¶ ἐξίσταντο, καὶ ἐθαύμαζον· *stupebant & mirabantur*] Id est, θαυμάζοντες ἐξίσαντο [*mirantes stupebant*], ut & Syrus accepit.

52. Οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις· *Non enim intellexerunt de panibus*] Non attenderant satis ad prioris miraculi magnitudinem: quod si fecissent, non erat cur ista super mare ambulatio & sedatio tempestatis adeò illis præter opinionem eveniret. Ita συνιέναι [*intelligere*] sumi aliquoties apud Matthæum observavimus. Nec aliter usus est Lucas II, 50. Confer & quod infrà VIII, 17. ¶ πεπωρωμένην. *occalluerat*] Ita & infrà VIII, 17. οὔπω νοεῖτε, οὐδὲ συνίετε; ἔτι πεπωρωμένην ἔχετε τὴν καρδίαν ὑμῶν; [*nondum cognoscitis, nec intelligitis? adhuc callosum habetis cor vestrum?*] Diximus hac voce significari qualecunque vitium vetustate inolitum; quale erat in Apostolis ἀνεπιτηδεία [*negligentia*], præsertim circa ea quæ ad Divinam Christi potentiam pertinebant.

54. ἐπιγνόντες αὐτὸν, *cognoverunt eum*] Ἔλλειψις. Subintelligitur quod expressit Matthæus οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου [*viri loci illius*], quod & hic à Syro est additum, & ex interpretamento in quosdam Græcos codices se insinuavit, cùm non agnoscat Latinus.

55. ὅπου ἤκουον ὅτι ἐκεῖ ἐστι. *ubi audiebant eum esse*] *Ubicunque esse eum intellexerant.* ὅπου [*ubi*] cum ἐκεῖ [*ibi*] est ut שם ל [*cui illi*]: ita enim rectè acceperunt Syrus & Latinus. Sic & ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ [*cujus filiola ejus*] infrà VII, 25.

56. ἐν ταῖς ἀγοραῖς, *in foris*] In locis frequentioribus מרחב. ¶ ἥπτοντο αὐτοῦ, *tangebant eum*] Τοῦ Ἰησοῦ [*Jesum*], non τοῦ κρασπέδου [*fimbriam*]. Apud Matthæum simpliciter est ἥψαντο [*tangebam*] Credibile autem est à multis non fimbriam tactam, sed aliam aut corporis aut vestis partem. In iis autem qui Christum tangebant comprehenduntur & hi qui tetigerunt fimbriam.

CAP. VII.

VALLA.

26. *Erat autem mulier Gentilis Syrophœnissa genere*] Non est nunc *Gentilis* a *Gente*, quod dicitur ἐθνικὸς, sed quod crebrò transfert *Græcus* Ἕλλην, de quo in sequentibus dicetur. Multi cod. habent *Erat enim*, sed non rectè, ἡ γὰρ γυνὴ ἦν.

27. *Non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.*

28. *At illa respondit & dixit ei, Utique Domine: nam & catelli sub mensa comedunt de micis puerorum*] In Matthæo admonui non esse *canes* & *catelli*, sed tantùm alterum, κυναρίοις, κυναρίων· & illud *Utique* esse quod alibi transfertur *Etiam*, ναί. Et *puerorum* opinor magis debuisse transferri *filiorum* παιδίων, ut respondeat illi, *panem filiorum.*

32. *Et adducunt ei surdum & mutum*] Non est Græcè copula, sed *surdum mutum* sive *surdum bardum*, sive *præditâ linguâ*, κωφὸν μογιλάλον.

34. *Effeta, quod est Adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus*] *Adaperire* nihil aliud est quàm *aperire.* Supervacuum esset admonere nisi quidam superstitiosè vellent extrinsecùs fieri *apertionem*, intrinsecùs *adapertionem*: ut locum illum Luc. 2. 23. *Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur*, referrent ad B. Mariam, quasi non id dictum sit de omnibus mulieribus quæ extrinsecùs à viris aperiuntur, Exod. 13. 12. Num. 8. 16. Certè hic locus ostendit ineptiam ità sentientium, cùm dicatur,

35. *Apertæ sunt aures ejus*] cui dictum est, *Adaperire.* Sed neque Latinè neque Græcè hæc est differentia, διανοίχθητι, διηνοίχθησαν.

36. *Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plùs prædicabant*] Ego sic transtulissem, *Quantò autem ipse eis præcipiebat magis, vehementiùs prædicabant*, ut sit *quantò magis.* Aut si non refertur *magis* ad *quantò*, aut alterum *magis* subaudiendum erit, aut transferendum *quantum*, ὅσον ἢ αὐτὸς αὐτοῖς.

37. *Bene omnia fecit: surdos fecit audire, & mutos loqui*] Græcè legitur *& surdos:* & ità in quibusdam vetustis apud nos exempl. translatum legimus. Tamen Græcè est *facit*, non *fecit:* qui plenior quidem sensus est, ἡ τὰς καρδίας ποιεῖ.

REVIUS in VALLAM.

28. Παίδων] In textu est παιδίων. Cæterùm rejecta erat vox hæc post *panem filiorum*, contra mentem auctoris & veritatem: ibi enim est τέκνων.

32. *Bardum, seu præditâ linguâ*] Μογιλάλον. Vetus Glossarium, Μογιλάλος, *attubus*, μόγγος, ἄτυπος. Citat Scaliger Lect. Auson. lib. 2. c. 9. Affert & Stephanus nonnulla in Thesauro. Sed præfectò hic significat ἄλαλον, ut est v. 37. ut & in vaticinio quod hic impletum est, Es. 35. 6. ἡ τραυλὴ ἔσται γλῶσσα μογιλάλων. Ubi in Hebræo est גמגם, quod *mutum* notat. Exod. 4. 11. in versionibus Aq. Sym. Theodotionis, Τίς ἐποίησε μογιλάλον ἢ κωφόν; eadem ibi vox in Hebræo quæ Psal. 38. 13. vertitur ἄλαλος. Itaque rationes Bezæ in contrarium me nondum movent.

34. *Effeta*] In exemp. mihi visis est *Epheta*, & *Hephethah.* Augustin. tamen citat *Effeta*, De Consensu Euang. l. 2. p. 447. Porrò quòd Laurentium reprehendit Erasmus quasi differentiam inter *aperire* & *adaperire* argutiùs irrideat quàm deceat gravem virum, sanè inurbanè facit: nam Laurentius simpliciter errorem notat & refellit. Si auctores illius ἀκεφάλους insulsè se gesserint, id Laurentio vitio verti non debet. Ut lectorem absolvam, monachus quispiam legens, *Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur*, ac veritus nè mariti hoc in se transferrent, exclusis cœlibatum professis, monuerat non intelligendum de extrinsecùs aperientibus, quod virorum est, sed intrinsecùs, quod fœtus facit; & eum in finem excogitarat ridiculum discrimen inter *aperire* & *adaperire*: quasi quisquam mortalium esset cui tam stolidæ rei absque illo monitore in mentem venire posset. Hoc si Laurentius explosit, quid commisit? & quis mihi persuadeat Erasmum sine effuso risu Seraphicam illam distinctionem legisse?

ERAS-

ERASMUS.

2. *Vituperarunt*] Ἐμέμψαντο *accusarunt*, sive *incusabant*, sive *questi sunt*.

3. *Nisi crebrò laverint manus*] Ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας. Theophylactus interpretatur πυγμῇ ut sit adverbium, pro eo quod est *usque ad cubitum*, sive, ut quidam interpretatus est, *cubitaliter*; quòd ex instituto Pharisæorum soliti sint ante cibum lavare manus usque ad cubitum: id quod Lex non præcipit. Equidem reperio apud Græcos Etymologistas πυγμὴ lign. duo, *pugnum*, h. e. manum complicatam, à verbo πλύνω, quod est *plico*; unde πυγμὴ, q. d. πτυγμὴ & *cubitum*, quem Græci πῆχυν vocant: nam hâc parte brachium est complicatile. Hinc & *Pygmæos* populos appellari putant quorum meminit Homerus, quòd cubitali sint proceritate. Verùm non reperio πυγμῇ apud Græcos usurpatum adverbii loco: Et haud scio an à substantivæ vocibus similia veniant, quemadmodum à πᾶς παντὶ, ab ἐγὼ & ἐμοί. Quod si maximè fieret, tamen magis quadrabat πυγμαῖον, *à cubito*, sive *cubito tenus*, quàm πυγμῇ. Ad hæc nihil video causæ cur hæc fabula de lotione cubitali huc accersatur. Nam si constaret hoc à Lege præscriptum nè quis caperet cibum nisi lotis manibus, probabiliter videri poterat inducta cubitalis lotio: tum enim adderetur aliquid Legis præscripto. Nunc tale nihil à Lege præcipi testatur Dominus, dicens, *Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem*. Unde probabile est in vetustioribus cod. scriptum fuisse, non πυγμῇ, sed πυκνᾶς, aut πυκνὰ, aut πυκνῇ, quod sonat *frequenter*, aut *crebrò*, sive *subindè*. Verum hoc eruditis expendendum relinquo.

4. *Et à foro venientes*] *Venientes*, tametsi non malè addidit, tamen non est in Græcis codicibus. Et *foro* idem nomen est quod modò vertit *plateam*, ἀγορᾶς. ¶ *Quæ tradita sunt illis*] Sensus omnino convenit, tamen Græcè est ἃ παρέλαβον τηρεῖν, sive, ut nonnulli cod. habent, κρατεῖν, *quæ acceperunt servanda*, sive *tenenda*. Verùm quoniam παραλαμβάνειν videtur esse *ab alio traditum accipere*, idcirco Interpres conatus est explanatiùs efferre sententiam. ¶ *Baptismata*] Miror cur Interpres maluerit dicere Græcè quàm Latinè *lotiones*, sive *ablutiones*, cùm hîc de vulgari lotione sit mentio. ¶ *Et urceorum*] Ξεστῶν. Apparet intelligenda esse lignea, quòd subjecit *Æramentorum*. Ξεστὰ autem dixit quòd *torno poliantur*, aut quòd *sculpturis ornata sint*: quod poculorum genus & hodie reperitur apud Helvetios. Cæterùm *lectos* appellat spondas, in quibus accumbebant sumentes cibum, non solùm in quibus dormitur.

5. *Et interrogabant*] Ἐπειτα ἐπερωτῶσιν, *Deinde interrogant*.

6. *Bene prophetavit Esaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est*] Cùm Græca congruant, tamen haud scio quo casu ità scriptum comperi in Aureo codice, *Bene prophetavit de vobis Esaias, dicens*.

7. *Doctrinas & præcepta*] *Et* conjunctio tollenda, διδασκαλίας ἐντάλματα, i. *doctrinas*, *mandata*, per appositionem; sicut admonitum est in Matthæo. Vera lectio superest adhuc in cod. Constantiensi.

8. *Mandata Dei*] Ἐντολὴν *mandatum*; quemadmodum & παράδοσιν *traditionem*. Proponit enim Dominus exemplum in uno præcepto & una traditione.

9. *Irritum fecistis*] Ἀθετεῖτε *irritum facitis*, consentientibus & antiquis cod. nostris, atque in his Aureo: quamquam potius erat *rejicitis*, quemadmodum & Cyprianus legit.

11. *Si dixerit homo*] Hîc explicat quod obscurius erat in Matthæo, His verbis à Pharisæis instrui quosdam ut parentibus desertis pecuniam conferant in donaria Templi. Quanquam sermo videtur parùm absolutus, sed subaudiendum *satis est*, aut simile quippiam.

13. *Rescindentes verbum Dei*] Ἀκυροῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *irritum facientes*, sive *abrogantes*, aut *antiquantes*. Nam ἀκυροῦν est propriè *detrahere auctoritatem*, & *irritum facere quod aliquando fuerat comprobatum*.

14. *Iterum turbas*] Πάντα τὸν ὄχλον *totam turbam*.

15. *Nihil est extra hominem*] Οὐδέν ἐστιν ἔξωθεν τοῦ ἀνθρώπου πορευόμενον εἰς αὐτὸν, *nihil est quod aliunde quàm ab homine ingrediatur in eum*: q. d. *deforis*, ut paulò pòst vertit *omne extrinsecùs introiens*, τὸ ἔξωθεν εἰσπορεύομενον.

17. *Parabolam*] Περὶ παραβολῆς *de parabola*, sive *de similitudine*.

18. *Imprudentes*] Ἀσύνετοι *absque intellectu*, ut antè vertebat; aut *expertes intelligentiæ*. Et melius erat, *Sic etiam vos quoque* quàm *Sic & vos*; aut *Itane vos quoque*.

19. *Purgans*] Ἐκκαθαίρων *expurgans*, ad verbum.

22. *Oculus malus*] Ὀφθαλμὸς πονηρός. Cur non & hîc dixit *oculus nequam*, sicut in Matthæo, *Si oculus tuus nequam est, quia ego bonus?* nam eadem verba Græca sunt utrobique. Sentit autem oculum non simplicem & purum, sed fascinatorem & invidum atque iniquum.

24. *In fines Tyri*] Μεθόρια *confinia*, h. e. *Tyro finitimæ regiones*, sive *quæ interjacent inter Tyrum & Sidonem*. Quanquam paulò pòst utitur simplici voce ὅρια in eundem sensum.

26. Ἦν δὲ ἡ γυνὴ Ἕλλην, Συροφοίνισσα τῷ γένει, *Erat autem mulier Græca, Syrophœnissa genere*] Alii cod. habebant Σύρα Φοινίκισσα, sed mendosè: nam si Syra erat, & regionis Phœnices, quæ sine dubio Judæorum est, qui potuit esse *Græca natione*? Cæterùm quod *Gentilem* dixit, non est Græcè ἐθνικὴ, sed Ἕλλην, ut non patriam intelligas designatam, sed quòd declaret non esse Judæam religione. Siquidem gente Chananæa erat, non Græca, sed *Græca* dicitur ex Hebræorum consuetudine, quòd esset aliena à religione legis Mosaicæ. Frequenter enim Ἕλλην *Gentilem*, vertit Interpres. Est autem una Syriæ pars quæ dicitur *Syrophœnice*, in qua est Damascus, ut indicat Tertullianus l. 3. adv. Marcionem.

28. *Utique Domine*] In codicibus quos hactenus viderim nihil erat loco *utique*, sed tantùm Κύριε, ἀλλὰ τὰ κυνάρια, *Domine, & catelli*: quanquam postea in nonnullis reperi. ¶ *Nam & catelli*] Eadem vox est Græcis *canibus* & *catellis*: quanquam utrobique diminutivum est apud illos κυνάριον, ut admonuimus. Ad hoc, *mediùs* rectiùs vertisset *filiorum* quàm *puerorum*, cùm præcesserit τέκνων.

30. *Invenit puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exisse*] In vulgatis Græcorum codicibus ordo sermonis inversus est. Nam illic, *reperit exisse dæmonium, & puellam lecto decumbentem*. Et *super lectum* Latinus erat, ἐπὶ τῆς κλίνης.

31. *Fines Decapoleos*] Δεκαπόλεως. *Regio est trans Jordanem decem civitatum* (unde & nomen habet Græcis) *circa Hippum, Pellam, & Gadaram*, ut testis est Hieronymus in Locis Hebraicis.

32. *Surdum & mutum*] Κωφὸν μογιλάλον *surdum impedita lingua*, sive *balbum*, dictione compositâ à μόγις *vix* & λαλῶ λαλεῖν *loqui*. Est autem id vitii penè perpetuum insanis, aut melancholicis, aut fatuis naturâ, ut testis est Aristoteles.

34. *Adaperire*] *Aperire* Ἐφφαθά. Vocem Hebraicam & hîc adjicit, quemadmodum & superiùs in *Cruci*. Est autem nimirum unum ex eo verborum genere quæ Hebræi *gravia* vocant, & quæ vim habeant transitivam, q. d. *Præsta te apertum*, sive *Fias apertus*. Neque verò libet hîc commemorare ridiculam differentiam inter *Aperire* & *Adaperire*, quam Laurentius argutiùs irridet quàm gravem deceat virum, etiamsi meritò id facit. Certè apud Euangelistam nulla differentia est, cùm idem utrobique sit verbum, Διανοίχθητι, & διηνοίχθησαν, quorum alterum vertit *Adaperire*, alterum *aperta sunt*, perinde quasi nefas esset Latinis eandem vocem repetere.

36. *Tantò magis plus*] Græci quidem codices ità distinguunt ut *magis* non referatur ad *præcipiebat*, quòd præcesserit ὅσον, non ὅσῳ vel ὅστε, sed ad idem verbum ad quod refertur, nempe ad *prædicabant plus*: licèt Græci videantur ὅσον usurpare nonnunquam adverbialiter. Sed περισσότερον verti poterat *vehementer*, aut *magnopere*, ut comparativum positum sit loco positivi: aut μᾶλλον vertendum erat *potius*, ut non habeat vim comparandi sed corrigendi, perinde quasi dicas, Tantum aberat ut facerent id quod erant jussi, ut hoc amplius etiam prædicarent quòd essent vetiti.

37. *Et surdos fecit audire*] Ut nè quid cuiquam de integritate Latini sermonis, quòd Romanis auribus aliud quiddam sonat *facit loqui*, & *facit currere*, rectius fuisse futurum *efficit ut surdi audiant, muti loquantur*: tempus quoque verbi mutavit Interpres, aut certè librarius: est enim ποιεῖ *facit*: idque absolutius est. Laurentius testatur in nonnullis exempl. Latinis conduplicari conjunctionem, *& surdos fecit audire, & mutos loqui*. ¶ *Et mutos loqui*] Ἀλάλους λαλεῖν. Gratiam annominationis non potuit Interpres reddere, q. d. *elingues linguaces*, aut *infantes fari*.

VATABLUS.

1. *ET convenissent*] *Postea convenerunt*.

2. *Communibus*] i. inquinatis: vel, profanis, aut immundis. Metaphora ab iis rebus quæ, quòd communes sint & à multis tractentur, sordes colligunt & impuritatem. ¶

Man-

Manducare panes] Hebr. pro *sumere cibum.* ¶ *Vituperaverunt*] *Accusaverunt.*

4. *A foro**] Rerum scilicet venalium, ubi & Gentiles attingere & alioqui, quædam etiam immunda attrectare cogebantur; ideo se totos abluebant. **Venientes*, Vet. ¶ *Baptizentur*] *Abluti fuerint.* ¶ *Tradita sunt illis servare, baptismata calicum*] *Acceperunt tenenda, nempe ablutiones poculorum.* ¶ *Urceorum*] Videtur de ligneis vasis intelligendum, quæ ideo ξεσὰ vocat quòd *torno poliantur*, aut quòd *sculpturis ornata sint.* ¶ *Lectorum*] Vel, *spondarum.*

5. *Et interrogabant*] *Deinde interrogant.* ¶ *Ambulant*] i. *vivunt*, Heb.

6. *Respondens*] Hebr. pro *alloquens.* ¶ **Bene*] **Certè.* ¶ *Sicut*] Vel, *Nam.* ¶ *Est*] *Abest*, Vet.

7. **Præcepta*] **Et*, Vet.

8. *Traditiones hominum, baptismata*] *Traditionem hominum, ablutiones.* ¶ *Et *similia*] **Alia*, Vet. ¶ *His*] *Hujusmodi.*

9. *Bene*] *Pulchrè*, vel *Bellè.* Ironia: aut, *Retrò rejicitis*, &c. ¶ *Feciſtis*] *Facitis*, V.

11. *Corban*, &c.] Vel, *Dono quod à me est juvaberis*: aut, *juveris.* Initium est legis Pharisaicæ, quam non absolvit. Quidam existimant sic absolvi, *scilicet is demum honorabit patrem & matrem*; quamvis revera minimè honoret.

12. *Dimittitis*] *Sinitis.*

13. *Rescindentes*] Vel, *abrogantes.* ¶ *Verbum*] Heb. pro *mandato.*

14. *Iterum turbas*] *Totam turbam*, Vet.

15. *Homine*] *Ipso.* ¶ *Communicant*] Heb. pro, *coinquinant:* & infrà.

17. *A turba*] Semotus à turba: vel, relictâ turbâ. ¶ *Parabolam*] *De parabola.*

18. *Sic & vos*] Vel, *Adeò & vos.* aut, *Siccine vos.* ¶ *Imprudentes estis*] *Intelligentiâ caretis.*

19. *In secessum exit*, &c.] Vel, *per anum prodit*, per quem quod è cibis versum est in excrementa ejicitur.

20. *Dicebat autem*] Deinde dicebat.

22. *Malum*] Vel, *nequam:* i. non simplex & purus, sed invidus. *Oculum nequam* vocat Invidiam: alii, Malam cupiditatem rerum conspectarum.

24. *Fines*] *confinia*, i. Tyro finitimas regiones; *frontieres.* ¶ *Voluit*] *Volebat.*

26. *Enim*] *Autem.* ¶ *Syrophœniſſa genere*] Vel *originem ducens à Syrophœnicibus.*

27. *Filios*] Vel potiùs, *liberos.* ¶ *Mittere canibus*] *Projicere catellis.*

28. *Utique, Domine*] Vel, Utique dicis quod res habet. ¶ *Nam &*] *Etenim, attamen.* ¶ *Puerorum*] Vel, *filiorum.*

30. *Domum**] **Suam*, Vet. ¶ *Puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exiisse*] *Dæmonium exiisse, & puellam jacentem super lectum.*

31. *Venit per Sidonem*] *Et Sidonis, venit.* ¶ *Inter*] *Per.*

32. *Et mutum*] *Et impedita lingua*, sc. hominem. ¶ *Deprecabantur*] *Deprecantur.*

33. *Apprehendens*] Vel, *cùm assumpsisset.*

34. *Ephphetha*] Imperativus est Chaldaicus. i. *Apertus esto.* h. e. Apertas & audientes habeto aures.

36. *Quanto autem**] **Magis.* ¶ *Plùs*] *Abundantiùs.*

37. *Admirabantur*] *Stupebant.*

CASTALIO.

9. PRobè] Ironia, *Scilicet ità faciendum est.*

11. *Corban*] Curta sententia, quippe in re illis nota; ut cùm Latinè dicimus, *Et castra.*

22. *Malus oculus*] i. Invidia.

CLARIUS.

2. COmmunibus manibus] *Commune* Judæi appellabant immundum; & *communes* cibos, h. e. quibus passim Ethnici vescebantur, sibi verò vesci non licebat, immundos. Nunc ergò illotas manus *communes*, h. e. immundas, vocat.

ZEGERUS.

2. VItuperaverunt] h. e. vitio dederunt. Græca vox μέμφεσθαι multa significat, sed ferè eódem spectantia, nempe *incusare, indignari, vitio vertere, conqueri, accusare, reprehendere.*

3. *Nisi crebrò laverint*] Pro *crebrò* Græcè *est* πυγμῇ· quod si scribatur per diphthongon impropriam ῃ, terminus erit dativi à πυγμὴ, quod *pugnum* & *cubitum* signat; à quo *Pygmæi* dicti: & sensus erit juxta Theophylactum & Euthymium, *nisi cubitaliter*, vel, *usque ad cubitum, laverint manus.* Si verò sine diphthongo scribatur πυγμῆ, vel legatur πυκνὰ, id erit quod noster posuit Interpres. Equidem magis sine diphthongo scribendum puto, ut significet *crebrò* vel *subindè.* Quidam tamen legens πυγμῇ, putat in vetustioribus cod. non πυκνῇ nec πυγμῇ scriptum fuisse, sed πυκναῖς, aut πυκνῇ, quod *frequenter* seu *crebrò* sonat. Hanc opinionem adjuvat quòd in Actis Apostolorum 24. 26. est πυκνότερον. Pro *laverint* plerique habent *lavent.*

4. *A foro* venientes *nisi*] *Venientes* subditum est; neque apud Bedam exstat, neque in Græcis, neque in Latinis antiquis. ¶ *Baptizentur*] i. abluantur, seu laventur.

5. *Communibus manibus*] Solenne est Scripturæ sacræ *commune* dicere pro *immundo.*

11. *Vos autem dicitis, Si dixerit homo patri vel matri, Corban (quod est, donum) quodcunque ex me tibi profuerit: & ultrà non dimittitis eum quicquam facere*] Vos, inquit, Pharisæi, devorare cupientes bona simplicium, hujusmodi contra Divinum præceptum dicere ac docere audetis, ut si quis dicat patri aut matri, Tibi cedet ad utilitatem quodcunque fuerit ex meis bonis *Corban*, h. e. donum dicatum Deo; nec permittitis hæc taliter persuadentem parentibus suis, ut ultrà aliquid ipsis præstet subsidii: atque ità irritum facitis Dei De honorandis parentibus præceptum, quod observatum oportuit antè omnia. Cæterùm *corban* vel *curban* non simpliciter *donum*, sed *donum quod Deo*, vel *Dei templo, offertur & consecratur*, significat. Plura habes suprà Matth. 5.

15. *Communicant hominem*] Tertiò repetitur, ubi cavendum nè legatur *coinquinant*, quanquam idem declaret.

19. *Sed in ventrem* vadit] Hoc *vadit* redundat juxta Græca & exempl. vetusta Latina. ¶ *Purgans omnes escas*] Non video quò illud *purgans* possit referri commodiùs quàm ad id totum quod præcessit, *sed in ventrem vadit, & in secessum exit:* quod cùm natura operatur, proculdubio purgantur omnes escæ, aliis remanentibus ad nutrimentum corporis, aliis egredientibus per secessum. Si cui tamen hoc violentius judicabitur, poterit idipsum referre ad illud, *omne extrinsecus introiens*; quod dum abit per *secessum*, *purgat*, h. e. puras relinquit, *omnes escas* corporis nutrimento servatas.

22. *Stultitia*] Hanc interpretatur Theophylactus *convitium in homines.* Mihi non displiceret si ἀφροσύνη hic acciperetur pro *prava affectu*, à φρονεῖν, quod est *affectum esse.* Nam stultitia alioqui vitio carere potest. Et ἀφροσύνη non modò *stultitiam* seu *imprudentiam*, verùm etiam *immodestiam* & *inconsiderantiam* declarat.

26. *Syrophœniſſa genere*] h. e. *origine:* dicitur enim *genus* origo cujusque generationis, nonnunquam stirpis, & nonnunquam ratione loci unde quis genitus est. *Syrophœniſſa*, h. e. ex Syria Phœnicis, quæ erat regio Chananæorum, atque hinc *Chananæa* dicta est Matth. 15. 22.

32. *Mutum*] Græca vox μογιλάλον propriè dicitur *vix loquens*, vel *linguam habens præditam.* Verbum tamen quod præcessit κωφὸς subindicat illum & surdum fuisse & mutum. Et quisquis naturâ surdus est idem & mutus sit oportet, propterea quòd non aliunde quàm ex auditu homo loquens efficiatur: nisi fortè dicamus utroque vitio utcunque laborasse: nam & κωφὸς pro eo accipitur cui *auditus vitiatus est.*

33. *Exspuens tetigit linguam ejus*] Sentit, ut indicat Theophylactus, Dominum sputo suo contigisse linguam muti, itaque solvisse vinculum ejus.

LUCAS BRUG.

31. ET iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ]. Syriaci Græcique codices, & Græci Interpretes, Euthymius ac Theophylactus, legunt, *Et iterum exiens de finibus Tyri & Sidonis, venit ad mare Galilææ.* Nostrorum codicum etsi mira lectio Jansenio videatur, Græcos nonnullos sibi consentientes habet, Parisiensium secundum & octavum.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ζ, Περὶ τῶ ξηρὸν ἔχοντος ἡ χεῖρα.

Μάρκος ἐν τῷ Λατ. ἰμ. γ, Καὶ εἰσῆλθε πάλιν εἰς ἡ συναγ. ᾗ ἦν ἐκεῖ ἄνθρωπος ἐξηραμμένην ἔχων ἡ χεῖρα.

Τὶ νῦ ζ χεῖρε ἰπίνιαι, ἢ ἀνιπλίβ πτε ἴπτας;
Ἄλλος;
Χεῖρ ξυρὸ, χειτῦ ἀντὶς ἰφτιμίω, ἰξιτανύθη.

3. Ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας] *Niſi pugno laverint manus.* Alii, *ad cubitum uſque.*

4. Ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται] *A foro* redeuntes, *niſi ſe abluerint.* ¶ Βαπτισμοὺς ποτηρίων, ἢ ξυστῶν, ἢ χαλκίων] *Ablutiones poculorum, & ſextariorum, & aramentorum.*

13. Ἀκυροῦντες] *Irritum reddentes.*

18. Οὕτω καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε;] *Itáne & vos intelligentiâ caretis?*

22. Πλεονεξίαι] *Varia avaritiæ genera.* ¶ Ἀσέλγεια] *Libido.*

27. Χορτασθῆναι] *Saturari.*

28. Ἔσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων] *Edunt ex micis.*

32. Μογιλάλον] *Impedita linguæ:* ad verbum, *difficulter loquentem.*

33. Ἀπολαβόμενος] *Cùm abduxiſſet.*

34. Ἐστέναξε] *Ingemuit.*

DRUSIUS.

2. *Communibus manibus* κοιναῖς χερσὶ] i. pollutis. Vocabulum eſt hoc ſignificatu linguæ Helleniſticæ proprium. Qualia ſunt χάρις pro *gaudio*, διαθήκη pro *fœdere*, *pacto*; ἀνάγκη pro *vexatione*; ἑτοιμος pro *firmus*, *ſtabilis*; unde 1 Mach. 1. 17. ἑτοιμάθη ἡ βασιλεία ἀντῦ, *firmatum fuit regnum ejus.* De hujuſcemodi vocibus Lexicon mihi domi ad privatum uſum à me collectum; quod publici juris facerem, ſi eſſet typographus qui talia excudere tam vellet quàm poſſet.

3. *Niſi laverint manus*] De lotione manuum ante cibum & poſt cibum, & de iis quæ obſervanda ſunt in menſa, vide Manahemum Ricinenſem Comment. in Moſem 198. 4. *Qui edebant illotis manibus eos pro pollutis habebant. Etiam manus eorum vocabant* κοινὰς, *i. communes, pollutas. Quin cum iis tanquam cum immundis panem edere* [*i. cibum ſumere*] *nolebant.* Unde in dicto loco refertur de quodam pio (forſan ex iis erat quos *Haſideos* peculiariter vocant) qui *vocatus ad convivium, cùm videret patremfamilias illotis manibus accubuiſſe, ſurrexit è menſa & abiit. Tum inſecutus paterfamilias voluit reducere. Dixit ei, Abſit ut comedam tecum: nam de te ſcriptum eſt,* NE COMEDAS PANEM EJUS QUI MALUM OCULUM HABET: *præterea cibus tuus pollutus eſt & immundus.* Hæc Manahemus ille. ¶ *Crebrò*, πυγμῇ] Alius interpretatur *pugno*; Syrus autem, *accuratè, diligenter*; & Arabs, *frequenter, ſæpiſſimè*; quod Homerus πύκα dixit. Vide ſis Elenchum Scaligeri, cap. 7. *Pugno* interpretatur Beza; nec malè. Nam in χειροπληθίᾳ, quæ Ebr. גמילת ידים, manus in pugnum componebant, atque ità lavabant eo ritu quem Scaliger ibi notat. Meminit hujus Moſes de Gerunda in Exodum ſcribens, f. 151. p. 1. Sed & Albo Serm. 3. c. 14 ubi ait Salomonem ordinaſſe χειροπληθίαν, *elevationem manuum.* In hoc ritu manus attolluntur versùs ſcapulas uſque ad junctúram, & dextera tollitur ſupra ſiniſtram, quæ miniſtrat dexteræ. Nam dextra laudata magis & honoratior eſt. Vide quoque lib. Muſar. 44. 1. & 121. 2. & Principium ſapientiæ breve, 69. 1. ubi præter alia, *Qui comedit abſque chirurgia, ſeu elevatione manuum, ac ſi comederet panem pollutum:* &, *Levat manum dexteram ſupra ſiniſtram, & miniſtrat manus ſiniſtra dextera, & levat uſque ad juncturam ipſius manûs.* Quæ omnia ſtabiliunt interpretationem Theophylacti, ἄχρι τῦ ἀγκῶνος *ad cubitum uſque.*

4. *Urceorum*, ξεστῶν] *Sextariorum. Sextarium* Syrus interpres מנפ appellat, quod legi poteſt מנפף & מנפף, vel certè מנקף. Uſurpat Jonathan Lev. 19. 36. pro ea menſura quæ [ח] Ebræis, quam Hieron. *ſextarium* interpretatur, ubi מסמח ſcriptum, inſertâ literâ Jod, quæ docet legendum eſſe מנפף. In eodem Deut. 25. 15. reperio מסמח רשמח מסמח *ſextarii juſti.* Ajunt duas heminas continere. David de Pomis ſcribit מנפף, quod interpretatur dicens eſſe *vas magnum ad vinum in eo reponendum.* Addit, *fieri è teſta, aut è metallo, aut ligno, aut denique vitro.* Quæ eadem habentur in Lex. Chaldaico Munſteri. Id ambo ex Aruch hauſerunt, ubi מנפ & חמר מנפ *ſextarius vini.* Autor illius Lexici exponit *lagenam*, quam Arabicè ait dici מנפ, *fierique è qualibet materia, ſive teſta fuerit, ſive metallum, ſive lignum, ſive vitrum.* Obvia hæc vox in Breſit rabba & in Vaicra rabba: Commentarii ſunt in Geneſin & Leviticum. Quomodo urceos, vel, ſi mavis, ſextarios, & pocula Judæ hodie lavare ſoleant, docebit te autor Synag. Jud. quem adire te cupio, p. 317. ed. Hanoviæ.

9. *Abrogatis Dei mandatum, ut traditionem veſtram ſervetis*] Sic Matth. 15. 6. In tract. Sanhedrin, cap. *Ellu hen*, &c. *Plus eſt in verbis ſcribarum quàm in verbis Legis.* Per *ſcribas* intelligunt Doctores & Sapientes, quorum verba pluris faciebant quàm verba Dei. Vide Porchetum, part. 2. c. 15. ubi & illud; *Si dixerint ſcriba dexteram eſſe ſiniſtram, & ſiniſtram eſſe dexteram, audi eos.* Hæc improbamus, & tamen in eundem lapidem quotidie impingimus pluris facientes hujus aut illius dictum quàm verbum Dei. Quis hodie admitteret laicum cum Scriptura loquentem contra totum Synodum? Unicum nomen *Jehova* de hac re teſtari poteſt. Nam cùm ego monuiſſem quoſdam de corrupta lectione, ſynodus contrà decrevit me inaudito. Tantum poteſt autoritas quorundam & recepta ſemel opinio, licèt falſa ſit.

11. *Corban, quod eſt, donum*, Κορβᾶν, ὅ ἐστι, δῶρον] Affirmat idem Joſephus Ant. hiſt. l. 4. c. 4. Τῦτο (inquit de Corban) δῶρον σημαίνει τῇ Ἑλλήνων γλώττῃ, i. *donum* ſive *munus.* Negat Chryſoſtomus hom. 52. in Matth. dum ità ſcribit, *Corban non Donum, non munus, ſed oblationem Latini poſſumus dicere.* Cui conſonat Phavorinus in Lexico ſuo, Κορβᾶ (leg. Κορβᾶν) ἀπὸ ἐβρ. ἡ δωρεὰ καὶ ἡ πρόσ, ἀπὸ τοῦ ἐστι ἡ μεγαλοφωνῶ λέγω). Uterque fallitur. Nam etiam Syrus vertit קרבן, quod Græcè eſt δῶρον, Matt. 15. 5. Radix קרב, unde & תקריבתא, obvium aliquoties in Thargum pro *dono* ſive *munere.* Sed *Corban* proprie *quod Deo datur.* Itaque Joſephus lib. 1. adv. Appion. interpretatur δῶρον Θεῦ, *munus Deo dicatum*, & Origenes in Matth. 15. *Ex Corban accipere, nimirum ex ratione pauperum, de his quæ Deo conſecrata ſunt:* & mox, *Corban, h. e. Deo conſecratum:* & aliquantò pòſt, *Corban eſſe ac donum:* & iterum, *conſecravit Deo, quippe Corban.* Quo nomine vocabatur & theſaurus ſacer. Joſephus De bello Jud. l. 2. c. 8. *Eſt apud eos ſacer theſaurus, quem Corban dicunt.* Sed tunc frequentiùs dicebant *Corbana* ſive *Corbona*, i. קרבנא, quod Græci ſcribunt κορβανᾶ & κορβωνᾶ. [Græcè eſt κορβανᾶς, vel κορβωνᾶς.] Reperitur etiam κορβανᾶς, cum Sigma in fine. Suidas ſive Sudas, Κορβανᾶς, παρὰ Ἰουδαίοις ὁ ἱερὸς θησαυρός. Vide ſequentia. Phavorinus, Κορβανᾶς, ὁ ἱερὸς θησαυρός. קרבנא κορβανᾶ, ut בראשית Ὠδάμ. Origenes in Matt. 27. *In corbana data populi propter neceſſitates pauperum congregabantur.* Hinc intelligentiam habet apud Marcum εἰς δῶρον Θεῦ, quod pro eò habendum acſi dixiſſet, *ut Corban* ſive *Corbana.* Nam id Græcè ſonat δῶρον Θεῦ, ut diximus. Erat juſjurandum hoc nomine (meminit Joſephus 1. adv. Appion.) nullis mortalibus præterquam Judæis uſurpatum. Mentio hujus & apud Theophraſtum. Nam in his quæ ſcripſit De legibus ait Tyriorum leges vetare nè quis peregrino juramento utatur. Inter peregrina autem enumerat & *Corban*, quod ſolis Judæis in uſu. Reperitur & קרב *Coban* pro *Corban.* Vide Maſium in Joſuam pag. 111. Tam Arabis quàm Turcis *Corban* dicuntur victimæ votivæ: de quibus Georgiovitz in libello quem De Turcarum ritu vulgavit, *Quæ victima non comburitur mare Judæorum, ſed macta to animali, cujus, caput, pedes & quarta pars carnis ſacerdoti præbetur, altera datur pauperibus, tertia vicinis: reliquum victimatores ſibi & comitibus parant ad veſcendum.* Quod fugit, non planè effugit. Matth. 27. 6. *Non licet eos mittere in Corbanan*, εἰς τὸν κορβανᾶν, i. in templi ærarium.

26. *Gentilis*] i. ἐθνικὴ. Sic etiam Syrus. Nam ענתא ἐθνικὴ ut Matth. 6. 7. ענת *Gentiles:* & 10. 5. εἰς ὁδὸν ἐθνῶν, ארחא ד ענת ἐθνῶν. In fonte γυνὴ Ἑλλὰς, *mulier Græca. Quomodo Græca*, inquit vir doctus, *qua ex Syrophœnice?* & reſpondet, *Græcam hic dici eam quæ Gentilis erat, h. e. religione profana.* Non culpo. Sed tamen Judæi *Græciam* vocant majorem partem Syriæ, in qua & Phœnicia. Sanè in Hiſtoria Ebr. cùm Antiochus è Judæa rediret Antiochiam, quæ ei regia erat, dicitur *profectus in Græciam.* Vide quæ notavimus in libr. 1. Haſamonæorum c. 1. v. 1. Quod de Alexandro ibi dictum non poteſt aliter accipi quàm de Aſia vel Syro-Macedonia, ubi Alexander & ejus poſteri diu regnarunt, non in Græcia propriè dicta. Vide, inquam, quæ ſcripſimus ad illum locum. ¶ *Syrophœniſſa genere*] Συροφοίνισσα τῷ γένει. Quædam exemplaria, Συροφοινίσσα· alia, Σύρα Φοίνισσα, diviſim & duabus dictionibus. Syrus, מן סורית ומן *ex Phœnice Syriæ. Syrophœnix* legitur apud Juvenalem Sat. 3. Syro-phœnice regiuncula eſt Syriæ. Ei Damaſcum attributam fuiſſe ſcribunt Juſtinus in Dialogo cum Tryphone habito, & Tertullianus lib. 3. contra Marc. Quærit hîc Eraſmus quomodo eadem mulier Græca eſſe potuerit quæ Syrophœniſſa erat? Nam Phœnice in Syria, non in Græcia. Et reſpondet Græcam dici quia non erat Judæa religione. Ideo vetus interp. *Gentilem* reddit, quæ Græcis ἐθνικὴ propriè. Scire licet, cùm Alexander devicto Dario Aſiam ſubegiſſet, omnes ejus poſteros & ſucceſſores, qui origine Macedones erant, *Græcos* appellatos fuiſſe; unde, *Regnum Græcorum*, i. Syro-Macedonum: &, *Alexander pro Dario primus regnavit in Græcia*, i. Aſia, ubi Regnum Syro-Macedonum. Indè factum ut à Judæis poſtea omnes gentes *Græci* vocati ſint, ſic adeò ut qui Judæus non eſſet *Græcus* diceretur. Bene igitur interpretatur ad ſenſum Ἑλλὰς *Gentilis.* A Mat-

thæo vocatur *Chananæa*, 15. 22. nempe quia Phœnicia eadem eſt cum Chananæa propriè dicta, cujus incolæ mare accolunt. Sanè Joſ. 5. 1. ubi codex Ebræus, *reges Chananæorum qui ad mare*, Senes habent βασιλεῖς Φοινίκης *reges Phœnicia*, ſive *Phœnices*. Quocirca Procopius Gen. 15. *Chananæi*, inquit, *ſunt Sidonii*. Rei firmandæ quod apud Euſebium Præpar. Euang. l. 9. ubi *Chanaan* appellat *patrem Phœnicum*. Scaliger arbitratur ejus cognomen fuiſſe כנרי, quod nunc legunt *Phinechas*, & antiquitus legebant *Phinees*: ſed Græci, inquit, dicunt *Phœnix*: unde *Phœnice* & *Phœnicia*. Cæterùm *Syrophœnix* ità dicitur ut *Syro-macedo*, *Syro-damaſcenus*. Sic *Anglo-ſaxo*, *Gallo-belga*, &c.

34. *Ephphatha*, ἐφφαθά] Scribo רתפא cum Dagheſ in loco Thau, i. *Ephphatha*, pronunciatione vetere. Nam antiqui Phe ſonabant ubi nos Pe: docent exempla obvia paſſim. Syrus, רתפא, ad Grammaticam non malè, ad ſcripturam Græcam perperàm. Fortè Servator ità pronunciavit. Nihil affirmo: tamen adducor ut credam ſcriptum fuiſſe ιθφαθά, & indè poſtea factum ιφφαθά. Declaratio Marci διανοίχθητι pertinet tam ad os quàm ad aures. Nam agitur non ſolùm de ſurdo, ſed etiam de μογιλάλῳ. Sic uſurpant verbum *Phathach* Hebræi: de muto Pſal. 38. 13. כאלם לא יפתח פיו, *tanquam mutus non aperuit os ſuum*: de ſurdo Iſa. 35. 5. ואזני חרשים תפתחנה, *& aures ſurdorum aperientur*. *Ephphatha* ſcribas, ut eſt in libris Græcis, an *Ephphetha*, ut in Latinis, pluma non intereſt: רתפ *aperio* & Syrum eſt & Hebræum, unde פתחון ὁ βλέπων, *qui oculorum uſum habet*, cui opponitur עור *cæcus*. ¶ *Adaperitor*] Alibi de oculis (unde רתפ appellatur *videns*, & cæco opponitur Exod. 4. 11. aliquando *ſapientem* notat: quanquam *Ephphatha* radicem habet רתפ, non רפס) hîc de auribus dicitur, quorum meatus occluſi erant; aut de lingua, quæ priùs vinculo quaſi aſtricta erat, ſic ut bene loqui non poterit. Eo ſoluto, & auribus apertis, neque μογιλαλῳ neque ſurdus ampliùs erat, ſed loquebatur ὀρθῶς, *rectè*.

CASAUBONUS

3. ἘΑΝ μὴ νυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι] Quid ſit νυγμῇ *lavare manus* quærunt interpretes. Mihi videtur ea vox non aliud ſignificare quàm ἐπὶ πολὺ, i. *ſedulò* & *accuratè*, ut Syrus quoque interpres exiſtimavit. Nam πυκνὰ quidem & πυγμὴ parùm omnino inter ſe differunt: πυκνὰ autem interdum adverbialiter ſumptum idem ſignificat quod *diligenter* & *aſſiduè*, ut hic incerti autoris (Procopii, ut puto) apud Suidam locus teſtatur, Οἱ δὲ Φαρίσαιοι ἅπαν ἐκλυσμὸν ἐπύγχανον, πυκνά τε καὶ ἐπιπολὺ βάθρα ἀρυσάμενοι, νιπτῆρα ἀσφαλέσατα ἔμβιον. Jam verò πυγμῇ tertio caſu adverbiaſcit, ut πάλαι, παιδιστί, aliáque id genus. Sanè non magis ullo loco πυγμῇ πύξ *pugno lavare* cenſuerim interpretandum quàm in ſuperiori loco πυκνὰ ἀρύσαντες *pugno fodientes*.

4. Βαπτισμοὺς ποτηρίων καὶ ξεστῶν] Vetus interpres ξεστῶν interpretatur *urceorum*. Sic in veteri Gloſſario, *Orceolus*, ξέστης, τὸ ἀγγεῖον. Idem alibi ſic diſtinguit. Ξέστης, τὸ μέτρον, *Sextarius*. Ξέστης, *hercelum*. ¶ Καὶ χαλκίων] Χαλκίων Græci Grammatici dicunt eſſe vas μαγειρεῖον. Autor Gloſſarii, Χαλκεῖον, *Olla*, *ahenum*, *Miliarium*.

CAMERO.

3. ἘΑΝ μὴ νυγμῇ νίψωνται] Anxiâ illâ diligentiâ quam adhibebant in manuum & ſupellectilis, cujus uſus quotidianus erat, ablutione, non aliò ſpectabant Phariſæi quàm ut ſe ſanctitatis ſtudioſos hoc externo ritu probarent, ſimul etiam nè per ignorantiam ulli rei immundæ vel veſtem affricarent. Immunda autem illis fuerunt non ea tantùm quæ Lege Deus immunda pronunciavit (quanquam nè illa quidem immunda ſunt niſi quis ſit conſcius immunditiei illius) ſed & alia præterea multa. Hanc ſuperſtitionem notavit hîc Chriſtus, cùm notat *Phariſæos non priùs veſci quàm* νυγμῇ *lavent manus*. Quid ſit autem hîc νυγμῇ non conſtat: variæ enim ſunt de hujus voculæ ſignificatione interpretum ſententiæ. Nam ſunt qui νυγμῇ vertunt *ſæpe*. Et certè νυγμῇ eâ notione occurrit apud authores Græcos, Eccleſiaſticos eos quidem, ſed tamen Græcos. At quoties agitur de locutionibus quæ exſtant in Scriptura, eorum qui ſcripſerunt Græcè, ſi Eccleſiaſtici ſunt authores, non eſt magna authoritas: nam ſolent alludere (etiam tum cùm diſertiſſimè loquuntur) ad locutiones in Scriptura uſitatas. Alii ſunt qui convendunt olim ſcriptum πυκνῇ, h. e. *crebrò*. Sed nec πυκνῇ hâc notione uſurpatur apud probatos authores. Neque verò convenit hoc loco ut νυγμῇ *ſæpe* ſignificet: non enim multis vicibus & per intervalla, cùm cibus eſſet capiendus, Phariſæi manus abluebant: id quidem præſtabant diligenter & accuratè, ſed continuâ non interruptâ lotione. Alii ſunt qui νυγμῇ *pugno* interpretantur, quòd poſtulet ſolicita manuum lotio ut manus in pugnum contracta cavam manum fricet: quæ interpretatio (pace authorum ejus) frigida videtur. Theophylactus νυγμῇ exponit μέχρι τοῦ ἀγκῶνος *ad cubitum uſque*. Quorſum reſpexerit facile eſt conjicere: fando enim accepit haud dubiè qui fuerit mos in lavandis manibus Phariſæorum. Nempe manus in altum ſoliti erant attollere, atque digitis contractis ſuperfuſam aquam excipere, quam neceſſe fuit ad cubitum uſque defluere: quod omnino eſt νυγμῇ νίπτεσθαι, h. e. *digitis in unum contractis lavari manus*, id quod illi vocant נטילת ידים *manuum elevationem*: & notandum eſt הגיל illis eſſe *lavare*, non quomodocunque, ſed *manus lavare*, & quidem hoc ritu, cùm הגיל propriè ſignificet *attollere*.

GUALTPERIUS.

11. ἘΑΝ εἴπῃ ἄνθρωπος τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ, Κορβᾶν (ὅ ἐστι δῶρον) ὃς ἂν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Eraſmus, *Si dixerit homo patri vel matri*, *Corban*, *quod eſt*, *donum*, *quodcunque ex me*, *in tuum cedet commodum*. Beza, *Si dixerit quiſpiam patri aut matri*, *Corban* (*id eſt*, *munus*) *quodcunque ex me erit*, *tibi proderit*, *inſons erit*. Syrus, *Oblationè meâ*, *quæ eſt à me*, *juvaberis*. Κορβᾶν, *Corban*. De ſignificatione hujus vocis dictum eſt ſuprà Matth. 27. 6. Articulus ὃ refertur ad *Corban*, quod eſt generis maſc. Matth. 15. δῶρον, ὃ ἐὰν, &c. Ibi Syrus, *Oblatione mea eſt id*, *unde utilitatem capias à me*, *& non honorabit patrem ſuum aut matrem ſuam*. Tremellius addit, *Duæ ſunt hujus loci interpretationes*, *una ſine ellipſi*, *altera elliptica*. *Sine ellipſi hoc modo*, Qui dixerit patri aut matri ſuæ, Quodcunque donum èx me fuerit oblatum Domino, eo juvaberis, *vel*, percipies utilitatem ejus; nequaquam etiam tenebitur amplius aliquid honoris exhibere patri ſuo aut matri ſuæ. *q. d. Is legi Dei fecerit ſatis. Altera elliptica eſt, in Græci vocant, ἀναστροφῇ, eáque ſimiliter duobus modis. Nam aut unicum ſtatuitur, aut duplex ἀναστρεφόμενον. Sed quia ἀναστρεφόμενον extra neceſſitatem nec ſtatui placet, nec probari poteſt, inprimis autem hanc propoſitionem propriis verbum & æquali-ſonis Spiritus S. enunciat Marc. 7. ſimpliciter hoc modo hæc verba explicanda puto*, Quicunque dixerit patri aut matri, Oblatio mea eſt id, unde utilitatem capias ex me, is etiam non eſt honoraturus, *præterea videlicet*, patrem & matrem, *i. non tenetur*, *nec etiam habet neceſſe alio modo honorare parentes ſuos. Nam propterea etiam duplicem negationem poſuit Matthæus*, *ut impudentem & ſacrilegam Judæorum audaciam licentiámque vehementiùs exprimeret. Significat igitur hâc excuſatione*, *externo Dei cultu ſatisfieri abunde patrio honori*, *ut qui Deo aliquid obtulerit nihil ampliùs parentibus debeat. Sic enim à cupidis Sacrificulis edocebantur*. Hæc ibi. Hoc verò loco, *Oratio*, inquit, *conciſa eſt*, *& ſupplenda aliqua ſunt*, *ſcilicet hoc modo*, *Perſuadetis filiis quòd ſatisfaciant parentibus*, *ſi quid ex ſuis facultatibus Deo ſpontè offerant*, *eò quòd oblatione illâ favorem Dei concilient parentibus: præpoſitâ veſtrâ doctrinâ filios averſatis à pietate erga parentes*. Oſiander, *Vos hypocritæ docetis plebem*, *Si quis facultates ſuas cultui Divino nuncuparit voto*, *aut ad cultum Divinum conſervandum contribuere conſtituerit*, *non poſſe illum ampliùs quicquam retractare*, *nec parentibus amplius de iis facultatibus benefacere*, *etiamſi parentes extremâ inopiâ laborent*. *Interim tales liberi parentibus opem ipſorum implorantibus dicunt*, *Profectò multò melius tibi* (*pater*, aut *mater*) *conſultum eſt*, *quòd cultui Divino ea conſecravi quæ tibi dare potuiſſem*, *quia ſic anima tua conſulitur*. *Sic in Papatu parentes ſub religionis prætextu ſpoliarunt liberos*, *& liberi parentes*, &c.

34. Καὶ λέγει αὐτῷ ΕΦΦΑΘΑ, ὅ ἐστι, Διανοίχθητι] Monuimus in Grammaticis noſtris, in Niphal verborum perfectorum de Imperativo tradere Eliam Levitam, in verbis quæ paſſionem ſuam habeant ab alio agente, ſeu, ut loquuntur alii, quæ paſſionem ſuam recipiant de manu alterius, non exſtare Imperativum, quia iſtiuſmodi patienti improprièdicamur imperare. Ibi verò exempla producuntur contraria, cùm Chriſtus dicit ad leproſum Matth. 8. טהר *Mundare*; & hîc ad μογιλάλον, תתפ *Adaperitor*, quod ſecundùm Dialectum Syriacam ſonat תתפא *atpathach*; ſcilicet quòd hîc cum imperio conjuncta fuerit vis & efficacitas ipſa. Radix igitur in Hebræo eſt רתפ *aperuit*, *patefecit*, ut & in Syro רתפ *aperuit*.

LUD. CAPPELLUS.

3. ἘΑΝ μὴ νυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας] Doctiſſimè hunc locum explicuit magnus Scaliger c. 7. Elenchi Trihæreſii Serarii, cujus explicationi vix quidquam addi poſſit. In hoc tamen falli ille videtur (aliique poſt eum) quòd vocem

νυγμῇ

πυγμῇ accipit de ejuſmodi manûs ſchemate quo pollicis unguis cùm reliquorum digitorum ſummitatibus conjungitur ; (quam manûs conformationem Galli ſolent vocare *cul de poule*) cùm revera πυγμὴ hîc ſignificet *illam brachii partem quæ eſt à cubito ad primam digitorum radicem ſeu diviſionem*. Nam πυγμὴ non tantùm ſignificat *pugnum* (quod nonnulli volunt) ſed & *menſuram cubito ſex digitis breviorem*, h. e. à cubito ad digitorum diſcriminationis initium. Sic enim Pollux in Onomaſtico diſtinguit πῆχυν, πυγόνα & πυγμὴν, ut πῆχυς, *cubitum*, ſit τὸ διάσημα τὸ ἀπὸ τῦ ἀγκῶνος (h. e. ἀγκῶν, q. d. τῦ ἀλένης κορύφη) μέχρι τὸ τῦ μέσου δακτύλου ἄκρου· πυγὼν verò, ἢ συγκάμψαντας τὰς δακτύλους ἀπ' ἀγκῶνος ἐπ' αὐτάς· ἢ ἢ συγκαλέσαντας, (δακτύλους ſcilicet) πυγμή. Atque hinc dicti πυγμαῖοι *Pygmæi* pumiliones, quòd eſſent cubitales, nec menſuram illam quæ πυγμὴ dicitur excedere vulgò cenſerentur. Itaque πυγμῇ νίπτεσθαι non eſt ſimpliciter *lavare manus*, neque etiam *pugno in cavam manum immiſſo lavare*, ſed, uti exponit, & quidem rectiſſimè, Theophylactus, ἕως τῦ ἀγκῶνος, עד המרפק, uti loquuntur Judæi cùm de lotione illa agunt. Sic enim Maimonides in Miſna, Tom. 1. lib. טהרות Tract. De Oratione & Benedictione Sacerdotum, c. 4. §. 2. ubi agit de puritate illius qui preces publicas in Synagoga concipit רוחץ ידיו בחרסם עד המרפק *manus aquâ lavat uſque ad cubitum*, ἕως τῦ ἀγκῶνος. Mahumedani, qui lotionem illam à Judæis acceperunt, eámque votant proprio vocabulo وضوء, vocem illam פרס, ſed tranſpoſitis literis, retinuerunt. פרסם enim *cubitum* ἀγκῶνα ipſis ſignificat, ob conjunctionem duorum brachii oſſium quæ *Focilia* dicuntur, & in cubito conjunguntur : nam פרס ſignificat illis *conſociari* : niſi quis malit vocem illam פרס derivare ab Hebræa radice פרה, qui *innixi cubito* videtur ſignificare Cant. 8. 5. Lotionem illam Mahumedani ſic exponunt, עשל ידיהן עד אל פרסין q. d. *lotionem duorum brachiorum uſque ad utrumque cubitum*. Ergò πυγμῇ νίπτεσθαι non dicitur ob digitorum in manuum elevatione contractionem, atque in pugni veluti ſpeciem conformationem, uti putat Scaliger, ſed ob aquæ defluxum per totam illam brachii partem quæ πυγμὴ dicitur, à digitorum radice ſeu propagine ad cubitum uſque. Nam manus quidem tantùm lavabant Judæi, ſed poſt manuum lotionem elevatis ſurſum manibus aquam manibus adhærentem ſinebant defluere ad cubitum uſque ; atque hoc ſufficere putabant ad tollendam immunditiem, ſi quæ fortè adhæſerat brachio à carpo ad cubitum uſque. Porrò non contenti erant manuum lotione accuratâ, ſed etiam ad cubitum uſque volebant mundari brachium, quia etſi communiter ſolæ manus, ad carpum uſque, rei immundæ attactu fortuito immunditiem contrahere ſolitæ ſint, fieri tamen poteſt, & interdum contingit, ut retectâ etiam brachii aliquâ parte infra carpum, attactu ſimiliter rei minùs mundæ polluceretur. Itaque majoris, uti loquuntur, cautionis gratiâ, & (ut ſolebant dicere de omnibus ſuis traditiunculis) ad faciendam Legi ſepem, lotione volebant purgari non ſolùm manus, ſed brachii etiam partem illam quæ eſt à carpo ad cubitum ; veruntamen lotione illius partis leviùs deſungebantur, ſolo nempe aquæ defluxu à manibus ad cubitum, quia ſcilicet pars illa brachii, utpote veſte plerumque obtecta, minùs eſt obnoxia contrahendæ immunditiæ attactu rei ſordidæ & immundæ.

GROTIUS.

2. Ἐμέμψαντο. *vituperaverunt*, ſive *crimen intulerunt*] Αὐτοῖς [*eis*] ſcilicet, ut Hebræorum VIII, 8. Primùm ſuccenſuerunt, deinde etiam accuſationem inſtituerunt commate 5.

3. καὶ πάντες οἱ Ἰουδαῖοι, *& omnes Judæi*] Oſtendit Marcus non fuiſſe hoc peculiare inſtitutum Phariſaïſmi, ſed ritum communiter obſervatum, ab illis ſcilicet omnibus qui Magiſtrorum receptas ſententias ſequebantur ; quæ Judæorum erat pars maxima. Nam alioqui Sadducæi & alii quidam ejuſmodi inſtitutis ſe non addicebant. Origo moris à contactu cadaveris, tranſlatione facta ad alienigenas ut non minùs quàm cadavera impuros. ¶ πυγμῇ, *pugno*] Ita vertunt LXX פנות Exod. XXI, 18. *facto pugno*, ut Cicero loquitur. Nam manum in pugnum compoſitam manu altera lavabant, ut ex Moſe Gerundenſi atque aliis oſtenſum eſt. Tradit idem Jacobus Baalturim Magiſter Hebræus in Semita vitæ. Quod autem Theophylactus dicit ἄχρι τῦ ἀγκῶνος [*cubito tenus*] in eo verum dixit, ſed quod ad vocis hujus ſignificationem aptari vix poteſt. ¶ νίψωνται, *laverint*] פנו Levitici XV, 11.

4. ἀπὸ ἀγορᾶς, *à foro*] Supple γινόμενοι [*venientes*]. Qui deeſſe aliquid putarunt addiderunt ὅταν ἔλθωσι [*ubi venerint*], quod à Syro non agnoſcitur, neque neceſſarium eſt. In foro aliiſque locis publicis multi erant ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*], à quibus contaminari ſe etiam inſcios poſſe verebantur. Simili de cauſa in Paraſceue metuebant Prætorium accedere ; quòd plenum eſſet hominibus Romanis. ¶ βαπτίσωνται, *baptizentur*] Majori cura ſe purgabant à fori contactu, quippe non manus tantùm lavando, ſed & corpus merſando. Cùm verò hic mos apud omnes ferme Judæos receptus fuerit ob conſentientem Magiſtrorum auctoritatem, ſatis hinc intelligitur eos qui peculiari ſectæ ſuæ nomine ἡμεροβαπτισταὶ [*Baptizatores quotidiani*] vocabantur plus feciſſe quam cæteros, merſatione uſos ſcilicet etiam cùm domo non exiiſſent ; aut manè, ut notatum Clementi Alexandrino ; aut etiam ſæpius, ut Batus ille apud Joſephum ψυχρῷ ὕδατι τρὶς ἢ τετράκις νυκτὸς λουόμενος μέχρις ἀγνείας [*frigidâ aquâ de die & de nocte ſæpius ſe lavans purificationis causâ*]. In Clementis Conſtitutionibus de iiſdem legitur, Καὶ ἡμεροβαπτίσαι ἐὰν μὴ βαπτίσωνται οἱ ἐσθίοντες· ἀλλὰ καὶ τὰς κλίνας καὶ τοὺς κίονας ἤτοι κραβάτους καὶ ποτήρια καὶ καθίσματα ἐὰν μὴ καθάρωσιν ὕδατι, ὕδατι χρῶνται [*Quotidiani baptizatores niſi baptizentur non edunt : ſed nec utuntur lectis, diſcis, crateribus, poculis, ſedibus niſi aquâ purgatis*]. Quare apud Juſtinum ubi ſectarum Judaïcarum nomina recenſentur, legendum putem Φαρισαίων καὶ βαπτιστῶν [*Phariſæorum & Baptiſtarum*] non Φαρισαίων βαπτιστῶν [*Phariſæorum baptiſtarum.*] ¶ οὐκ ἐσθίουσι· *non comedunt*] Ne per cibum pollutum nova pollutio accedat. Lavabant religionis causâ ante cibum & poſt cibum, ut docent ſcripta Thalmudica. ¶ παραλαβόντες, *tradita accepere*] קבל. Relata ſunt παραλαμβάνειν & παραδίδοναι [*traditum accipere & tradere*], ut ad Matthæum annotavimus. ¶ ξεστῶν, *urceorum*] *Aquales* intelligit. Nam & Cicero *aquæ ſextarium* dicit. Sicut autem vox iſta ex Romano ſermone per omnem orbem derivata apud Græcos paſſa eſt literarum μετάθεσιν [*tranſjectionem*], ita & in Oriente : Nam Arabes dicunt قسط [*keſt*], Syri ܩܣܛܐ [*keſta*] pro ܫܬܝܬܐ [*ſexta*]. Nominat ξέστας [*xeſtas*] pro menſura tunc Judæis notiſſima Joſephus in Vita ſua & in Originum libris : ξέσταν [*xeſtam*] dixit & Adrianus Epicteto. ¶ καὶ χαλκίων, *& æramentorum*] Cautè hoc dictum : ærea enim abluebantur, teſtacea frangebantur ſi polluta crederentur.

5. καὶ περιπατοῦσι κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, *non ambulant juxta traditionem Seniorum*] Ita Actorum XXI, 21. μηδὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν [*neque ſecundùm conſuetudines ambulare*], הלך. Hebræi certam vivendi rationem ac conſuetudinem vocant הליכות [*ambulationem*]. ¶ κοιναῖς, *communibus*] Ἀνίπτοις [*illotis*] ; quod quidam habent codices, interpretamentum eſt ex commate 2. ſuprà. Latinus quoque legit κοιναῖς [*communibus*] : nec aliter Syrus : nam & ſuprà is pro κοιναῖς, τοῦτ' ἔστιν ἀνίπτοις [*communibus*, id eſt, *illotis*] interpretatus eſt *Illotis manibus*.

8. Ἀφέντες, *Relinquentes*] Primùm dicit Chriſtus *negligi*, id eſt, minùs curari ſolere præcepta Dilectionis, dum homines toti operoſis iſtis ritibus diſtinentur, quod ipſum ſatis eſt mali. At deinde gradu facto, Chriſtus inſuper demonſtrat eſſe quasdam παραδόσεις [*traditiones*] quæ non tantùm averrant ab interiore pietatis ſtudio, verùm etiam directè repugnent præceptis à Deo traditis, ut ſolet ſuperſtitio in pejus procedere. Minus eſt ἀφίναι [*relinquere*] quàm ἀθετεῖν [*irritum facere*], & propriè oppoſitum τῷ κρατεῖν [*ei quod eſt retinere*]. ¶ καὶ ἄλλα παρόμοια τοιαῦτα, *& alia ſimilia his*] Et alia id genus iſtis ſimilia, id eſt, ceremonias non minùs frigidas ; quarum pleni ſunt Judæorum libri. Lectionem hanc tuentur conſtanter codices Græci & Latinus Interpres, & infrà locutio eadem occurrit.

9. Καλῶς, *Bene*] Græcè admodum. Scholiaſtes ad Ariſtophanem, Χοιροφόνῳ καὶ παροιμιώδως λέγει τὸ Καλῶς [*everſans & rejiciens dicit, Bene*].

12. Καὶ οὐκέτι ἀφίετε, *Et ultrà non dimittitis*] Eſt tranſitio ab oratione recta in obliquam. Nam recta oratio hæc fuerat, *Dicitis, Si quis dixerit patri aut matri, Deo ſacrum eſſe quo à me juvari poſſes, is non opus habet patri aut matri beneficium ullum præſtare.* Sed quia qui hoc dicit, re ipſa non permittit, id eſt, impedit, beneficium, ideo ſenſu eodem manente mutatum eſt ſermonis genus. Sic infrà XI, 32. cùm Sacerdotes indurâſſet loquentes, ἀλλ' ἐὰν εἴπωμεν, Ἐξ ἀνθρώπων [*at ſi dixerimus, Ex hominibus*], ſtatim ſenſu non impleto indirecta oratione intulit, ἐφοβοῦντο τὸν λαόν [*timebant populum*] : quod huic loco ſimillimum eſt. Contrà idem Marcus ſuprà VI, 9. cùm oratione indirecta dixiſſet ὑποδεδεμένους [*calceatos*], ſtatim directam orationem intulit, καὶ μὴ ἐνδύσασθε δύο χιτῶνας [*& ne induamini duobus tunicis*]. Tale eſt & illud Clementis

Romani in libro cui titulus Περίοδοι Πέτρου [*Circuitus Petri*], ubi sic ait, ἢ ὀμόσας ἀνακρίνατο μηδὲν τούτων ἀληθέστερον εἶναι ὧν εἶπας [*& cum jurejurando respondit nihil verius esse his quæ dixisti*]. Et Lucas cùm obliqua oratione dixisset, ὅτι ἄξιός ἐστιν ᾧ παρέξει τοῦτο [*dignum esse cui hoc Jesus præstaret*] *cui hoc præstaret Jesus* (nam ut secundæ sit personæ præter morem est horum Scriptorum), subjecit oratione directa, ἀγαπᾷ γὰρ τὸ γένος ἡμῶν [*diligit enim gentem nostram*]. Sic & Matthæus ubi Christum inducit loquentem quædam tamen de suo interserit, IX, 6. XXVI, 18. Bene autem dictum est, *non finitis*, quia dogmata illorum à tali officio homines avocabant. De re ipsa vide quæ apud Matthæum.

15. Ἔξωθεν τοῦ ἀνθρώπου, *extra hominem*] Citra hominis conscientiam. Vide infrà 19. ¶ κοινῶσαι *coinquinare*] *Profanum*, id est, Deo invisum, *reddere*.

19. καρδίαν] *Animum*, ex quo solo delictum nascitur. ¶ καθαρίζον, *purgans*] Si quid est in cibo naturalis immunditiæ, id alvo ejectum purgat relictum in corpore cibum.

22. πλεονεξίαι, *avaritia*] *Studium habendi*, quod ipsum, ut injustæ rei faciendæ rationes abiint (quod fieri vix solet), per se vitiosum est, imò ut Paulus ait εἰδωλολατρεία [*idololatria*] quædam. Id propriè hæc vox designat, ut ipsa origo indicat, quanquam usus ad res consequentes significationem produxit. Xenophon dixit τὸν δὲ πλεονεκτεῖν ἡρῶλα [*studium plus habendi.*] Nec aliter usurpari à nostris Scriptoribus indicio est Lucæ illud, Ὁρᾶτε καὶ φυλάσσεσθε ἀπὸ τῆς πλεονεξίας· ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ [*Cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet*]. Plurali autem numero πλεονεξίας [*avaritias*] dixit & Petrus epistolâ secundâ cap. II, 14. ¶ πονηρία, *nequitia*] Πονηρία est ubi latiùs sumatur pro omni vitiositate, quam κακίαν Græci vocant. At hîc certa est species tantùm, ni fallor, *à dolo*, qui sequitur, distans quantum κλοπὴ [*furtum*] superat πλεονεξίαν [*avaritiam*]. Idem hujus vocis usus est Romanor. I, 29. ubi vetus Interpres *malitiam* vertit, meo judicio optimè. Cicero Tusculanarum IV. *Malitia certi cujusdam vitii nomen est, vitiositas omnium.* Huic affinis est κακοήθεια [*malignitas*]. ¶ δόλῳ, *dolum*] *Dolum malum*: quem in censu vitiorum Paulus etiam ponit dicto ad Romanos loco. Eum definiebat Aquilius, *Cum aliud simulatum est aliud actum.* Ulpianus, *Machinationem quandam alterius decipiendi causâ cùm aliud simulatur & aliud agitur.* ¶ ἀσέλγεια, *impudicitia*] Reperitur hæc vox plerunque juncta cum voce ἀκαθαρσίας [*immunditiæ*] apud Paulum, ut II Corinth. XII, 21. Galat. V, 19. Ephes. IV, 19. & hîc Syrus *fœtorem* transtulit: unde apparet intelligi obscœnitatem in dictis factisque: ut pars ejus sit αἰσχρολογία [*obscœniloquentia*], quam cæteris vitiis annumerat Paulus Coloss. III, 8. Pluralem autem numerum codices boni præferunt; atque ita legit Latinus. ¶ ὀφθαλμὸς πονηρὸς, *oculus malus*] Φθόνῳ [*invidia*] dicto ad Romanos loco. Eo enim sensu plerunque Hebræi usurpant עין רעה [*oculum malum*], ut Deuteronom. XV, 9. ¶ βλασφημία, *blasphemia*] Exprimitur & hoc vitium, *maledicentia* scilicet, dicto ad Colossenses loco. Et ad Romanos duo genera notantur hominum eo vitio ægrotantium, ψιθυριστὰς καὶ καταλάλους [*susurrones & detractores*]. ¶ ὑπερηφανία, *superbia*] Ὑπερηφάνους [*superbos*] nominat & Paulus dicto ad Romanos loco. Est autem ὑπερηφανία [*superbia*], Theophrasto definiente, καταφρόνησίς τις πλὴν αὐτῷ τῶν ἄλλων [*contemtus aliorum extra se*]. Seneca, *Ex fastidio venit omnis superbia.* ¶ ἀφροσύνη· *stultitia*] Puto ἀφροσύνην [*stultitiam*] hîc esse incogitantiam atque incuriam rerum bonarum, quæ maxima delictorum scaturigo est. Ita Paulus Ephes. V, 17. διὰ τοῦτο μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνίετε τί τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου [*propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei*].

23. ἔσωθεν ἐκπορεύονται, *abintus procedunt*] Factis se produnt. Vide quæ ad Matthæum.

24. οὐδένα ἤθελε γνῶναι· *neminem voluit scire*] Ne de industria profanarum gentium homines ad se alliceret videretur, posthabitis Judæis.

27. Ἄφες πρῶτον χορτασθῆναι τὰ τέκνα· *Sine priùs saturari filios*] Sine priùs Judæos impleri beneficiis, ut nihil habeant quod querantur. Tum tempus veniet spargendi cœlestia beneficia in gentes alias, cùm Judæos eorum fastidium ceperit.

29. Διὰ τοῦτον τὸν λόγον, *propter hunc sermonem*] Μετωνυμία [*transnominatio*] effecti pro causa. Per *orationem* enim significatur fides orationi expressa, ut apud Matthæum videre est. ¶ ὕπαγε· *vade*] Per παρένθεσιν [*insertionem*] accipiendum est, ut præcedentia sequentibus cohæreant.

30. Βεβλημένον ἐπὶ τὴν κλίνην. *jacentem super lectum*] In lecto molliter cubantem sine ulla jactatione.

32. μογιλάλον· *hominem impedita lingua*] Omnino Syro assentior atque aliis qui hunc non mutum sed impeditæ linguæ fuisse arbitrantur. Nam sequitur λαλεῖν ὀρθῶς [*loquebatur rectè*]. Neque obstat quod infrà dicitur ἀλάλους λαλοῦν [*elingues loqui*]. Nam ἀ [*è*] particula Græcis sæpe Difficultatem significat. Sed & Lxx Hebræum פה כבד modò vertunt μογιλάλον [*impedita lingua hominem*], ut Esaiæ XXXV, 6. modò ἄλαλον [*elinguem*], ut Psalm. XXXVIII, 14. ¶ ἵνα ἐπιθῇ αὐτῷ τὴν χεῖρα. *ut imponat illi manum*] Vide Matth. IX, 18. & suprà V, 23.

33. τὰς δακτύλους αὐτοῦ εἰς τὰ ὦτα, *digitos suos in auriculas ejus*] Sæpe Christus externo aliquo signo inadspectabilem efficaciam velut spectandam exhibebat. Ita digitis in aures immissis irrigatàque linguâ restatum fecit se eum esse cujus vi clausi meatus quasi perterebrarentur, & lingua palato adhærescens motum recuperaret. ¶ καὶ πτύσας, *& exspuens*] Vide infrà VIII, 23. & Johann. IX, 6. ubi cæci similiter per salivam sanantur. Nec aliò hoc referendum mihi videtur quàm quò superiora, ut hoc quoque indicio ostenderetur ab ipso Jesu prodiisse hanc salutiferam virtutem, cùm nihil admotum esset affecto corpori præter ea quæ ipsius Jesu erant propria.

34. ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, *suspiciens in cœlum*] Matth. XIV, 19. suprà VI, 41. Luc. IX, 16. Hoc signo referebat ad Patrem, operis gloriam, Johannis XI, 41. XVII, 1. ¶ ἐστέναξε, *ingemuit*] Miserans, ut credibile est humani generis labores. ¶ Εφφαθὰ, ὅ ἐστι, Διανοίχθητι. *Ephphatha, quod est, Adaperire*] Omnia sensuum impedimenta velut vincula quædam sunt: unde etiam פתח [*aperiri*] & פקח עין [*patescere oculis*] dicitur qui oculis rectè utitur, Exod. IV, 11. Numer. XXIV, 4. & διοίγεσθαι [*aperiri*] de oculis dixit Matth. IX, 30. XX, 33. & Johann. IX, 14, 17, 21, 26, 30, 32. X, 21. XI, 37. Quare & hoc loco potest non minùs ad linguam quàm ad aures referri; quanquam propriè, ut jam sequitur, διανοίγεσθαι [*adaperiri*] Auribus convenit, λύεσθαι [*solvi*] Linguæ. Sed solent ista per abusionem misceri, Luc. I, 64. de Zacharia, Ἀνεῴχθη τὸ στόμα αὐτοῦ [*Apertum est os ejus*]. De ore quidem sæpe id loquendi genus reperias, Psalm. XXXVIII, 14. ὡσεὶ ἄλαλος οὐκ ἀνοίγων τὸ στόμα [*sicut mutus non aperiens os suum*]. XXXIX, 10. Ἐκωφώθην, καὶ οὐκ ἤνοιξα τὸ στόμα [*Obmutui & non aperui os meum*]. Prov. XXXI, 8. Ἄνοιγε σὸν στόμα ἀλάλῳ [*Aperi os tuum muto*] juxta Aquilam & Symmachum. Hæc autem vox *Ephphatha* simul cum Saliva, & Tactu aurium ac linguæ, ex hoc Christi facto ad Baptismi ritus postea translata sunt, ut significaretur non minùs interna mentis impedimenta tolli per Spiritum Christi quàm in isto homine sublata fuerant sensuum impedimenta. Nam & Cor dicitur διανοίγεσθαι [*aperiri*] Actor. XVI, 14. Imò & cordi aures tribuuntur, ut alibi vidimus.

35. δεσμὸς τῆς γλώσσης αὐτοῦ, *vinculum linguæ ejus*] Ita & morbus δεσμὸς [*vinculum*] dicitur Lucæ XIII, 16.

36. ὅσον, *quantò*] Cur à Syri & Latini interpretatione hîc recedendum sit causæ nihil video. Nam ἀκόσον [*id quod respondet*] in hoc genere loquendi silentio omitti frequentissimum est, etiam apud Latinos auctores; & potest ea satis intelligi ex sequente comparativo: ὅσον autem dicitur suppressâ voculâ, quæ sæpe supprimi solet, κατά. Nam καθ' ὅσον ita usurpat Scriptor ad Hebræos III, 3. καθ' ὅσον πλείονα τιμὴν ἔχει, [*quantò majorem honorem habet*]. Ostendit hîc locus veritatem proverbii, *Gloria fugientem sequitur.* ¶ μᾶλλον περισσότερον, *magis plus*] Tale est μᾶλλον διαφέρετε [*magis præstatis*] Matth. VI, 26. μᾶλλον εἰς τὸ χεῖρον [*magis in pejus*] Marc. V, 26. περισσοτέρως μᾶλλον [*abundantius magis*] II Cor. VII, 13. ¶ ἐκήρυσσον. *prædicabant*] Sic impletum Esaiæ vaticinium XXXV, 6. תרנן לשון אלם, [*præconium faciet lingua muti*].

37. ὑπερπερισσῶς, *superamplius*] Ita ὑπερπερισσεύειν [*superabundare*] dixit Paulus. ¶ ἐξεπλήσσοντο, *admirabantur*] Rursus dictum impersonaliter. Subintelligendum οἱ ἄνθρωποι [*homines*] qui ista audiebant. Ita & infrà capite VIII, commate 22. φέρουσι [*adducunt*]. ¶ Καλῶς πάντα πεποίηκε· *Bene omnia fecit*] Scriptor Ecclesiasticus, τὰ ἔργα τοῦ Κυρίου πάντα καλὰ σφόδρα [*opera Domini universa bona valde*], XXXIX, 21.

CAP.

CAP. VIII.

VALLA.

8. *ET sustulerunt quod supererat de fragmentis septem sportas*] Ego ad verbum transtulissem sic, *Et sustulerunt superamenta fragmentorum*, περισσεύματα κλασμάτων.

9. *Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia*] *Ferè*, aut *fermè*, aut *circiter* dicendum erat, non *quasi*, ὡς.

11. *Et exierunt Pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo*] Insolens sermo *conquirere cum eo*, pro *altercari* sive *disputare cum eo*, συζητεῖν αὐτῷ.

26. *Et si vicum introieris, nemini dixeris*] Gr. *Neque in vicum introieris, neque cuipiam dixeris in vico*, Μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ. *Vicus* nunc accipitur pro *oppido*: extra oppidum enim Jesus eduxit cæcum.

28. *Respondentes ei dicentes, Joannem Baptistam, & alii Heliam, alii verò quasi unum ex Prophetis*] Non legitur Græcè *quasi*, sed *alii verò unum Prophetarum*, ἄλλοι δὲ ὅτι εἷς τῶν προφητῶν.

32. *Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.*

33. *Qui conversus, & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens, Vade retro me Satana*] Cur non potiùs *increpuit Petrum* quàm *comminatus est Petro?* Increpantis enim non comminantis est dicere, *Vade retro me, Satana*; & Græcè eadem utrobique dictio est, ὐπάγε, ὕπαγε. *Retro* autem *me* pro *post me* ejusdem vitii est cujus illud in Psal. 18. 36. *Dilatasti gressus meos subtus me* pro *subter me*, quoniam *retro* & *subtus* non præpositiones sunt sed adverbia. Apud Augustinum lego per præpositionem dictum, sic, *Redi post me, Satana.*

REVIUS in VALLAM.

11. Συζητεῖν αὐτῷ] Erasmi exemplar habebat ἤρξαντο συζητοῦντες παρ' αὐτῦ σημεῖον, *Cœperunt simul quærere ab eo signum*: quanquam postea nactus est in quibus ità scriptum reperit, καὶ ἤρξαντο συζητεῖν αὐτῷ, καὶ ζητεῖν παρ' αὐτῦ σημεῖον, *& cœperunt disputare cum eo, & requirere ab eo signum.* In quibusdam pro καὶ ζητεῖν erat ζητοῦντες, quod sequitur Beza.

26. Μηδὲ εἰς τὴν κώμην] Trajecta erant. Porrò Erasmi exemplar hic habebat, καὶ ἐὰν εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδενὶ εἴπῃς, μηδ' ἐν τῇ κώμῃ· tamen postea nactus est exemplar consentiens cum codice Laurentiano, idque sequi maluit, præsertim cùm ità legat Theophylactus. Alias lectiones vide apud Bezam.

33. *Comminatus*] Erasmus *interminatus* tolerabile esse putat: id enim pro *interdicere* non esse insolens. Apud Horatium habemus,

Interminato cùm semel fixa cibo
Intabuissent pupulæ.

ubi Cæsar Scaliger in jocularem errorem incidit: putat enim *interminato* esse *in-terminato*, eóque nomine Horatium reprehendit; cùm sit *inter-minato*, i. *vetito*: Hypercritici c. 7. p. 342. Edit. Crispin.

ERASMUS.

2. *CUM turba multa esset*] Gr. πανπόλλου *admodum multa*, sive *plurima.* Nec additur *cum Jesu*, nec apud Græcos, nec in vetustis exempl. nec in Aureo, nec in Const. denique.

2. *Sustinent me*] Προσμένουσί μοι *manent apud me.*

4. *Unde istos*] Πόθεν, quo Græci utuntur in negatione pro *Qui*, aut *Quomodo.*

7. *Et ipsos benedixit*] καὶ αὐτὰ εὐλογήσας *cum & his benedixisset.* Quanquam in nonnullis exempl. sic habebatur, καὶ εὐλογήσας, ἵνα παρατεθῶσι καὶ αὐτὰ, *& cùm benedixisset, jussit apponi & hos.*

9. *Quasi quatuor millia*] Ὡς *ferme*, aut *circiter*, *quatuor millia.*

10. *In partes Dalmanutha*] Quidam Græcus codex habebat Μαγδαλὰ, cujus meminit Matthæus, sive, ut quidam legunt, *Magedam.* Nec apud quemquam adhuc reperi hujus loci descriptionem, nisi quòd in Collectaneis Hebraicarum vocum hanc quoque reperio expositam, sed ità ut ad hunc locum nihil attineat. Augustinus De consensu Euangelist. putat ejusdem regionis plura esse vocabula, addens quòd hoc quoque loco quidam codices habebant *Mageda.*

11. *Conquirere cum eo*] Laurentianum exemplar, ut videtur, secùs habuit. Meum ad hunc modum, ἤρξαντο συζητεῖν παρ' αὐτῦ σημεῖον *cœperunt simul quærere ab eo signum.* Quanquam postea nactus sum in quibus ità scriptum reperi, καὶ ἤρξαντο συζητεῖν αὐτῷ, καὶ ζητεῖν παρ' αὐτῦ σημεῖον, *& cœperunt disputare cum eo, & requirere ab eo signum.* In quibusdam pro καὶ ζητεῖν erat ζητοῦντες.

12. *Ingemiscens spiritu*] Græci addunt *suo*, καὶ ἀναστενάξας τῷ πνεύματι αὐτῦ. ¶ *Si dabitur generationi isti signum*] *Si* hoc loco est abjurantis, quemadmodum & illic, *Si introibunt in requiem meam.* Latini addunt *emoriar, dispeream*, aut simile quippiam. Mirè retudit arrogantiam Pharisæorum, qui videri volebant cum cœlo habere commercium, cùm essent sceleratissimi. At Christus illis ex imo corde terræ signum promittit diversissimum ab eo quod postulabant.

14. *Et obliti sunt sumere panes*] Quidam Græcus codex addidit *discipuli ejus*: mihi magis placet non addi.

15. *Videte & cavite*] Ὁρᾶτε, βλέπετε. Duo verba sunt Græcis idem significantia citra interventum conjunctionis, q. d. *Videte, cernite*, sive *Cavete, fugite*, quò diligentiorem cautionem exprimeret. ¶ *A fermento Herodis*] Ἡρῳδιανῶν *Herodianorum* pro *Herodis* habebant nonnulli. Et in Matthæo mentio fit Herodianorum, veluti factionis cujusdam quæ simul cum Pharisæis aggressa sit Christum.

24. *Et aspiciens*] Ἀναβλέψας *recepto visu.* ¶ *Video homines*] Βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ περιπατοῦντας, *Video homines, quoniam velut arbores video ambulantes.* Et *ambulantes* apud Græcos ad *homines* duntaxat referri potest, quòd illis *arbores* sint neutri generis.

25. *Et cœpit videre*] Καὶ ἐνέμνεν αὐτὸν ἀναβλέψαι, *fecit eum denuo videre.* Bis enim recepit visum, primùm utcunque, deinde perspicuè. ¶ *Et restitutus est*] Ante hoc addidit Græcus codex καὶ διέβλεψεν *& pervidit.* Nec est *omnia*, sed ἅπαντας *omnes*: etiamsi hîc facillimus in scriptura lapsus.

26. *Et si in vicum introieris*] Palàm est Græca exemplaria passim discrepare. Nam Laurentianus codex habebat, *Et neque in vicum introieris, neque cuipiam dixeris in vico.* Meus autem habebat, καὶ ἐὰν εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδενὶ εἴπῃς, μηδ' ἐν τῇ κώμῃ, *& si oppidum ingressus fueris, ne cui dixeris, ne in oppido quidem.* Tamen postea nactus sum exemplar consentiens cum codice Laurentiano; atque id sequi malui, præsertim cùm ità legat Theophylactus.

27. *In castella*] Εἰς κώμας· eadem vox quam toties vertit *vicum.*

28. *Alii verò quasi*] *Quasi* non additur apud Græcos.

29. *Tu es Christus*] Additum arbitror ex alio loco, *Filius Dei vivi*, quod tamen in emendationibus exempl. Latinis non additur apud Marcum, sed apud Matthæum.

30. *Et comminatus est*] Ἐπετίμησεν *increpavit.* Quanquam hîc tolerari posset *interminatus est*: cùm additis minis aliquid interdicimus. ¶ *De illo*] Περὶ αὐτῦ *de se.*

31. *Et cœpit*] Καὶ ἀπὸ τότε ἤρξατο *ex tunc*, sive *ex eo tempore*, *cœpit*, ut habebatur in quibusdam exemplaribus. ¶ *Quoniam*] Ὅτι *quòd.* ¶ *Post tres dies*] In paucis scriptum reperi τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ *tertio die.* Sed apparet datâ operâ mutatam scripturam, quòd primâ fronte falsum esse videatur *Christum resurrexisse post tres dies*, qui tertio die surrexerit; præsertim cùm emendatissima Græcorum exemplaria cum nostra consentiant editione. Atque hac quidem de re diligenter disseruit Jacobus Faber Stapulensis in libello cui titulum fecit *De Magdalenis, ac triduo Christi*, nullum non movens lapidem ut hanc explicet difficultatem; nunc addens horas aliquot ei diei quo revixit Christus, proximæ nocti detractas: nunc eundem ante diem præmittens ad inferos, cùm in horto tæderet ac mœreret; nunc uni diei geminas addens noctes, videlicet Parasceves. Mihi verò non est necesse de singulis illius disputationis partibus quid sentiam aperire: certè non video cur Bedam notandum existimarit, qui triduì mysterium conatus sit per Synecdochen explicare, nimirum figuram Grammaticam. Quasi verò non totam historiam Euangelicam Grammaticis figuris debeamus, aut quasi non veteres ad unum omnes tum Græci tum Latini quæstionem hanc per Synecdochen explicent: Inter quos & Thomas, enarrans prioris ad Corinthios epistolæ cap. 15. Quoties per Hyperbolen, Enallagen, similésque tropos sensum Divinorum voluminum explicant sacri Doctores? Jam *Allegoria*, *Parabola*, vocabula passim in arcanis literis obvia, nónne Grammaticorum sunt schemata? Quid est quòd tam procul à

Sacris ablegamus Grammaticos, de Divinis literis aliquantò meliùs meritos quàm sint frigidi quidam ac jejuni Dialectici, nè dicam Sophistæ? Imò ipse Faber quâ tandem bipenni Gordianum hunc modum dissecuit? nónne ab Apollonio porrectâ, primùm ethnico, deinde qui nihil aliud sit quàm Grammaticus? Qui nisi succurrisset, totus adhuc erraret mundus, & in Marco legeret *Christum resurrecturum post tres dies*. Sic enim argumentatur, *Non surgit post tres dies qui surgit tertio die, Sed constat Christum tertio die resurrexisse. Adversatur igitur Euangeliis, adversatur articulis fidei, adversatur omni veritati, quisquis ait Christum post triduum surrexisse. Atque ità sunt tot jam seculis magno consensu Graca pariter ac Latina legit, canit & scribit Ecclesia.* Neque quisquam adhuc mortalium tam impium errorem animadvertit, nec erat elabendi spes, nisi Apollonius rei literariæ peritissimus commonstrasset μ᷒ Græcis nonnunquam usurpari vice ἐν vel διά. Tantum habet pondus unicum unius Grammatici testimonium, quoties nobis ità collibuit. Quanquam nec hoc exemplum, quod ex Apollonio produxit Faber, videtur ad rem. Euang. respondere. Neque enim simile est μ᷒ χεῖρας εἶχεν & μετ' ἡμέραν ei quod ait Marcus, μ᷒ τρεῖς ἡμέρας· siquidem apud Apollonium μ᷒ positum videtur pro μεταξύ. aut certè pro κ᷒· quo tamen modo non liceat abuti, si certum addas numerum. Jam constat μ᷒ frequenter ab Euangelistis usurpari ad hunc modum, nec aliud significare quàm *post*: velut apud Matthæum cap. 26. 2. *Post biduum Pascha fiet*, μ᷒ δύο ἡμέρας· item apud Joannem, 20. 26. *post dies octo*: apud Marcum 9. 2. *post dies sex*. In Actibus 1. 5. *non post multos hos dies*, aliisque locis compluribus. Sed ut his omissis quod sentio paucis expediam, mihi nihil causæ videtur cur hîc excitemus hujusmodi tragœdiam aut cur ad tam coactam ac violentam interpretationem confugiamus, cùm nodus bifariàm explicari possit haud magno negotio. Primùm, si tertium diem numeremus non à morte Servatoris, sed à tota passione, quæ cœpit pridie Parasceves, cùm jam iniretur consilium de comprehendendo Jesu, cùm venderetur, cùm tæderet ac mœreret. Siquidem Passionis summam videtur & ipse Marcus suis verbis complecti, *Et cœpit*, inquit, *docere eos quòd oporteret Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus summisque Sacerdotibus ac Scribis, & occidi, & post tres dies resurgere.* Sic enim recensui ut *post tres dies* ad totum sermonem qui præcessit referri possit, non tantùm ad id quod erat postremum, *occidi*: quemadmodum proximo capite recensuit, *Filium hominis traditur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertio die resurget.* Hîc, quoniam triduum numerat ab occisione, *tertio die* dixit, non *post triduum*. Alter modus est si per Synecdochen accipiamus factum *post tres dies* quod factum sit post tertium diem exortum: quemadmodum & vulgò loquimur, *Ab eo die cœpit odisse me*, cùm eodem die cœperit odisse: &, *Post eum diem desiit amare*, cùm eodem die desierit. Hæc, ni fallor, minùs certè coacta sunt quàm quæ Stapulensis tanto molimine prodidit. Quòd si quis adduxerit his etiam meliora, non gravabimur sequi.

32. *Et palàm*] Καὶ παῤῥησίᾳ *libere & audaciter*. Neque enim hoc dicebat nisi suis, sed apertè & sine involucro, quemadmodum solet, tametsi sermo hic esset durissimus.

33. *Comminatus est Petro*] Miræ deliciæ hujus interpretis, qui quod aliàs vertit *increpare*, idem nunc vertit *comminari*, cùm nec ad sententiam quadret *comminari*: nam quod sequitur, *Vade retro me, satana*, nimirum increpantis est, non comminantis. Postremò, ut legimus *interminari* pro *interdicere*, ità *comminari* in eundem sensum non memini legere. Est autem ὀπίσω μου, quod in Matthæo notavimus.

37. *Aut quid dabit homo commutationis*] Τί ἀντάλλαγμα *quam commutationem*: de quo quid nobis videretur, indicavimus in Matthæo.

38. *Qui enim me confessus*] Antiqui codices magno consensu pro *confessus* & *confitebitur* habebant *confusus fuerit* & *confundetur*, suffragante his & Aureo codice, & meo vetustæ typographiæ. In Constantiensi rasura prodebat operam depravatoris. Atque ità habent Græca, Ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους, *Quicunque enim erubuerit me & meos sermones*. Ac paulò pòst, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται αὐτὸν, *Et Filius hominis erubescet de eo*: aut, *Filium hominis pudebit illius*. Pro nobis facit interpretatio Theophylacti. Apud Bedam in contextu quidem legitur *confessus & confitebitur*; ipsa enarratio, quæ *verecundia* meminit, declarat illum legisse *confusus & confundetur*. Idem liquet ex verbis Gregorii quæ referuntur in Catena. In eundem sensum legit D. Augustinus, refellens Adimantum Manichæum, *Omnis qui confusus fuerit me in gente ista adultera & peccatrice, & Filius hominis confundetur illum cùm venerit in gloria Patris sui.* Quin & Irenæus l. 3. c. 20. ad eundem modum abutitur *confusus & confundi*. Satis hîc apparet *confessus & confitebitur* verba esse supposita ab auditulo quopiam. Cæterùm an satis Latinè dicamus *confundor te* pro eo quod *pudet me tui*, viderint literatores.

V A T A B L U S.

1. Esset *] *Cum Jesu*, V. ¶ *Convocatis * discipulis*] *Jesus.*

2. *Sustinent me*] *manent apud me.*

3. *Deficient*] Vel, *peribunt.*

6. *Gratias agens*] Hîc liquet quid sit *benedicere*, quod mox in eodem sensu ponitur.

7. *Benedixit*] Heb. pro, *gratias egit*: ut paulò antè.

10. *Ascendens*] *Ingressus.* ¶ *Partes*] Vel, *regionem.*

11. *Conquirè*] *Disputarè.* ¶ *Signum de cœlo*] i. miraculum quod supernè veniret, ut scirent num in cœlo haberet potestatem aliquam.

12. *Spiritu **] * *Suo*: i. intra se. ¶ *Quid*] *Cur.* ¶ *Generatio ista*] Hoc hominum genus. ¶ *Si*] Hebr. pro, *Non.*

14. *Et oblitisunt*] *Tum oblitifuerant.* ¶ *Panem*] *Panes*, V.

15. *Videte, *cavete*] * *Et.*

16. *Cogitabant ad alterutrum*] *Disputabant inter se.*

17. *Cogitatis*] *disputatis*, i. dicitis inter vos. ¶ *Nondum cognoscitis*] *An nondum animadvertitis.*

18. *Nec recordamini?*] Sub. *beneficiorum meorum?*

19. **Quot cophinos*] * *Et.*

20. *Sportas *fragmentorum*] * *Plenas.* ¶ *Et dicunt ei*] *Illi verò dixerunt.*

21. *Intelligitis*] Sub. *potentiam meam.*

22. *Veniunt*] *Venit.* ¶ *Rogabant*] *Rogant*: præs. pro præt. *obsecrarunt.*

24. *Aspiciens*] *recepto visu*: vel, *cùm sustulisset oculos*; scilicet qui priùs clausi erant. Utrumque enim significat ἀναβλέπειν, *oculos attollere*, ut hîc; & *visum recipere*, ut mox. ¶ *Video homines **] * *Quoniam*: vel, *certè.* ¶ *Velut arbores **] * *Video.*

25. *Cœpit videre*] *Fecit ut visum reciperet.* ¶ *Ità ut clarè videret omnia*] *Ac vidit demùm*: vel, *ac discernebat dilucide omnes.*

26. *Misit*] *dimisit.* ¶ *Vade in domum*, &c.] *Neque in vicum introieris, neque cuipiam dixeris in vico.*

27. *Ingressus*] *Egressus*, Vet. ¶ *Discipuli ejus **] * *Is*, V. ¶ *Castella*] *Oppida.*

28. *Dicentes, *Johannem*] * *Alii.* ¶ * *Alii Eliam*] * *Et.* ¶ *Alii verò quasi unum*] *Alii verò unum*, &c.

29. *Tu es *Christus*] *Ille.*

30. *De illo*] *De se.*

31. *Post tres dies*] Vel, *die tertio.*

32. *Palàm*] *Liberè*, vel, *audaciter*, *rem*, &c. ¶ *Et apprehendit*] *Tunc*, &c.

33. *Non sapis quæ Dei sunt*, &c.] i. non sapis Divina, sed humana.

34. *Si quis*] *Quicunque.* ¶ *Deneget*] *abneget.*

35. *Qui*] *Quicunque.* ¶ *Salvam facere*] Vide Matth. 16. 25.

36. *Detrimentum*] *Jacturam.*

37. *Commutationis pro anima sua*] *In retributionem*, vel *permutationem*, *animæ suæ*, i. quo vitam velut permutatione recuperet.

38. *Confessus*] *Confusus*, Vet. i. *qui erubuerit me*: vel, *quem mei puduerit, & sermonum meorum.* ¶ *In generatione ista adultera & peccatrice*] i. inter homines istos idololatras & peccatores. ¶ *Confitebitur*] *Confundetur*, Vet. i. erubescet de eo.

C A S T A L I O.

33. ABI *post me, Satana*] Facesse ex meo conspectu.

C L A R I U S.

2. JAM *triduo manent apud me*] Atqui hoc ob suam ipsorum utilitatem faciebant, non Christi: & tamen miseratur turbam. Ingens benignè faciendi exemplum, & fiducia exspectantium Divinam miserationem.

12. Si

12. *Si dabitur generationi iſti ſignum*] Hebraiſmus eſt pro *non dabitur*. Hic nullum pollicetur ſe daturum ſignum, at apud Matthæum ſignum Jonæ prophetæ promittit: ut minùs miremur alibi prohiberi virgam ferre, alibi permitti.

24. *Video homines veluti arbores*] Quòd paulatim hunc curat, & viſum per partes dat, videtur ſignificare imbecillam ejus fidem qui curabatur.

36. *Quid enim proderit homini*] Oportet, inquit, ſolam animæ ſalutem quærere. *Nam quid proderit*, &c.

ZEGERUS.

2. SUſtinent me] *Suſtinendo aſſidui ſunt apud me*, ſive *exſpectant me.*

10. *Dalmanutha*] Idem locus quem Matthæus *Magedan* vocat, quémque alii codices dicunt Μαγδαλά.

11. *Cœperunt conquirere*] Συζητεῖν, *diſputare*, *altercari*, vel *ſimul quærere*; ut infrà 9. 10. *conquirentes quid eſſet, Cum à mortuis reſurrexerit.*

12. *Si dabitur generi iſti ſignum*] *Si* hoc loco abjurantis eſt, ut ibi, *Si introibunt in requiem meam.* Aut certè, quod mihi magis probatur, ſubeſt orationi Apoſiopeſis, figura turbati animi propria, quâ oratio relinquitur mutila, ità ut tamen negativè eam accipiamus.

15. *Cavete à fermento Phariſæorum*] *Fermentum* doctrinam vocavit quòd amara eſſet, plenáque veteris malitiæ, & parata ad inficiendum incautos.

24. *Video homines velut arbores ambulantes*] Rectiùs, meo judicio, legeris Βλέπω τοὺς ἀνθρώπους ὡς δένδρεα περιπατοῦντας, quomodo legit autor Homiliarum in Marcum in operibus Chryſoſtomi, cum Latinis conſentiens, quàm ut hodie habent Græcorum codices, Βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι, ὡς δένδρεα ἰδοὺ περιπατοῦντας. Quæ verba veluti exprimere videntur affectum quendam animi obſtupeſcentis ex novitate aſpectûs: tanquam ſi dicat, *Cerno homines*, ut hic ſubſultat, ſive propter rei novitatem, ſive quòd necdum ſatis ſciret quidnam cerneret, ac deinde ſubdat, *Dico quòd veluti arbores videam homines ambulantes.*

25. *Et cœpit videre, & reſtitutus eſt, ità ut clarè videret omnia. Et miſit illum in domum ſuam, dicens, Vade in domum tuam, & ſi in vicum introieris, nemini dixeris*] Rurſus hic Græca diſcrepant à noſtris. Ità enim habent, καὶ ἐνέτεινε αὐτὸν ἀναβλέψαι· καὶ ἀπεκατεστάθη, καὶ ἐνέβλεψε τηλαυγῶς ἅπαντας· καὶ ἀπέστειλεν αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, λέγων; Μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ. *Et facit eum videre. Et reſtitutus eſt, & pervidit clarè omnes. Et dimiſit illum in domum ſuam, dicens, Neque in vicum introieris, neque dixeris cuiquam in vico.* Verùm quiſquis ille eſt autor homiliarum in Marcum in operibus Chryſoſtomi cum noſtra conſentit lectione, hoc tantùm excepto quòd legit, *Vade in domum tuam, & in vicum ne introieris, & nemini dixeris*: quod quia abſurdum quid continere conſpexit, ad myſticum ſenſum referendum docet, ità inquiens, *Si dicitur ei*, REVERTERE IN DOMUM TUAM, *utique dicitur ei, Revertere in Bethſaida. Si autem reverſurus in Bethſaida, quomodo dicitur ei*, NE INTROIERIS IN VICUM. *Vides ergo quod ſpiritualis intelligentia eſt? Educitur de domo, de viculo, de lege, de littera, de traditionibus Judæorum. Qui non poterat ſanari in Lege, ſanatur in gratia Euangelii: & dicitur ei*, REVERTERE IN DOMUM TUAM, *non in iſtam domum quam tu putas, quam egreſſus eſt; ſed in domum unde fuit & Abraham. Si quidem Abraham pater credentium eſt.* IN DOMUM TUAM REVERTERE, h. e. *in Eccleſiam, in domum fidei*; & NE REVERTARIS IN VICULUM *Judæorum.* Hactenus ille. Verùm nihil nos offendet hoc incommodi ſi meminerimus vulgò etiam dici *ire in civitatem* qui in ipſa civitate agentes in forum aut in publicum abeunt. Conjicio legendum ad hunc modum, καὶ ἤρξατο ἀναβλέπειν, καὶ διεστατεστάθη, ὥστε τηλαυγῶς αὐτὸν διαβλέπειν ἅπαντα· καὶ ἀπέστειλεν αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, λέγων, Ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου· καὶ ἐὰν εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδενὶ εἴπῃς. Vel juxta Chryſoſtomum quod ad poſtremam partem attinet, καὶ μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, καὶ μηδενὶ εἴπῃς. Noſtram lectionem habet Pet. Chryſologus ſerm. ultimo, & Beda.

31. *Et poſt tres dies*] Tres hi dies numerandi ſunt non propriè à Chriſti morte, ſed à tota paſſione, quæ cœpit pridie Paraſceues; quando mœrens & expaveſcens dixit, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Sic enim ipſe Marcus recenſet paſſionis ſummam ut *poſt tres dies* ad totum ſermonem præcedentem poſſit referri, ità ſcribens; *Et cœpit docere eos quod oporteret Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & ſummis Sacerdotibus, ac Scribis, & occidi, & poſt tres dies reſurgere.* Poſſumus etiam *tres dies* per ſynecdochen intelligere, ut primi & tertii diei partes pro duobus diebus numeremus. Hæc ex aliorum adducimus traditionibus. Verùm nos in Matth. 26. ibi, *Poſſum deſtruere templum Dei*, ex collatione aliorum locorum ſimilium ſimpliciorem ac veriorem hujus nodi indicavimus ſolutionem.

32. *Et palàm verbum loquebatur*] Loco *palàm* eſt παῤῥησίᾳ, i. *intrepidè*, *omnique depoſito terrore.* Loquebatur autem de ſua paſſione.

33. *Comminatus eſt Petro*] Hoc verbi Interpres abuſus videtur non uno in loco pro *increpavit*, ſicut modò verterat Græcam vocem, *capit eum increpare*, ἐπιτιμᾶν. ¶ *Vade retro me, Satana*] SATANA *adverſarius* dicitur. Dicit ergò Petro; *Vade retro me, Satana*, h. e. Sequere meam voluntatem, nec mihi ſtes ex adverſo, quin potiùs me ſequaris.

38. *Qui me confuſus fuerit*] Ità ſcribendum eſt, non *confeſſus*: & mox *confundetur*, non *confitebitur*. Senſus eſt; *Qui de me erubuerit, & Filius hominis erubeſcet de illo. Cæterùm an ſatis Latinè dicamus*, inquit Eraſmus, *Confundetur te, pro eo quod Pudet me tui; viderint Interpretes.* Proinde in duobus aut tribus cod. pro *confundetur* ſcriptum reperimus *confundet.*

LUCAS BRUG.

10. VEnit in partes [*parteo.*] *Dalmanutha.*] D. Auguſtinus, lib. 2 De conſenſu cap. 51. DALMANUTHA; inquit, *quod in quibuſdam codicibus* (apud Marcum) *legitur non dixit Matthæus, ſed* MAGEDAN. *Non autem dubitandum eſt, eundem locum eſſe ſub utroque nomine. Nam plerique codices non habent, etiam ſecundùm Marcum, niſi* MAGEDAN: quæ Auguſtini verba in commentarium ſuum Beda tranſtulit. Hieronymum quoque, & in Matthæo & in Marco, *Magedan* legiſſe ex libro De locis Hebraicis perſpicuum eſt; *Magedan*, ait, *ad cujus fines Matthæus Euangeliſta ſcribit Dominum pervenuiſſe. Sed & Marcus ejuſdem nominis recordatur. Nunc autem regio dicitur Magedena, circa Geraſam.* Horum lectioni accedit unus Græcus codex, qui legit Μαγδαλὰ *Magdala*, quæ eſt vulgaris Græcorum codicum in Matthæo lectio; & Pariſienſium ſecundus, qui habet εἰς τὰ ὅρια Μαδεγαδά. Atqui exemplaria pleraque Græca Δαλμανθά, Syrica etiam, & quæ nunc temporis exſtant Latina, *Dalmanutha*, [*Dalmanucha* o. *Dalmananutha* 1 MS.] concorditer legunt; Theophylacti, Euthymii, Carenſis, Lyrani, & poſteriorum Enarratorum libris adſtipulantibus.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον η, Περὶ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἐυλογίας.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. τμ. γ, Καὶ ἀναβ. εἰς τὸ ὄρος, καὶ προσκ. ὃς ἤθελεν αὐτός· καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ, καὶ ἵνα ἔχῃ.

Δώδεκα κήρυκας ἄνδρας ἐπαρτίτε ἐξελέγησαν.
Ἄλλως,
Δώδεκα ἐυλόγῃ ἄνδρας, κήρυκες ἵν' ὦσι,
Δαιμονίων ἐλατῆρες, ἰητῆρες δ' ἅμα νούσων.

2. ∑ Πλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον· ὅτι ἤδη ἡμέρας τρεῖς προσμένουσί μοι] Q. d. *Viſcera mea affectu miſericordiæ moventur erga hanc turbam; quia jam per tres dies manent apud me.*

3. Ἐκλυθήσονται] *Deficient.*

5. Ἀναπεσεῖν] *Ut diſcumberet.*

11. Συζητεῖν αὐτῷ] *Diſceptare cum eo*: vel, *altercari.*

12. Ἀναστενάξας] *Cùm ingemuiſſet.* ¶ Τί ἡ γενεὰ αὕτη] *Quorſum progenies hæc.*

15. Διεστέλλετο] *Præcipiebat.*

17. Πεπωρωμένην] *Torpefactum cor.*

25. Ἐνέβλεψε τηλαυγῶς] *Intuitus eſt perſpicuè.*

31. Ἀποδοκιμασθῆναι] *Reprobari.*

32. Παῤῥησίᾳ] *Libere*: vel, *Audacter.*

37. Ἀντάλλαγμα] Vide Matth. 16. 26.

DRUSIUS.

10. VEnit in partes Dalmanutha, ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Δαλμανθά] Syrus habet ܠܬܚܘܡܐ ܕܡܓܕܢ *in locum Dalmanutha.* Saraceni *Modan* vocant. Vide Liram Num. 34. 11. *Quidam Græcus codex*, inquit Eraſmus, *habebat* Μαγδαλὰ

ſunt

cujus meminit Matthæus, ſive, ut quidam legunt, Magedan. Auguſtinus, De conſenſu Euangeliſtar. putat ejuſdem regionis plura eſſe vocabula; addens, hoc quoque loco quoſdam codices habere Mageda. Hucuſque Eraſmus. Zacharias in Unum de quatuor, *Ubi Matthæus Magedan, ibi Marcus ponit Dalmanutha. Idem enim locus duobus ſubeſt nominibus: unde plerique codices ſecundùm Marcum habent Magedan.* Hauſit ex Auguſtino. Poſtellus in Deſcriptione Syriæ putat eſſe urbem quæ dicitur *Cæſarea Philippi* & *Maggedan.* In Synonymia Ortelii, *Cæſarea Philippi, quæ & Cæſarea Paneas, ab Euangeliſtis Maggedan & Dalmanutha nominatur, ut ſcribit Poſtellus.* Aliud Onomaſticon, *Dalmanutha, regio vicina mari Tiberiadis, in tribu Iſſachar.* Annotat porrò Theodorus, *in uno vetuſtiſſimo codice pro* εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθὰ ſcribi εἰς τὰ ὅρια Μαδεγαδὰ *in fines Madegada.*

12. *Si dabitur ſignum*] Ad plenam orationem debet ſubaudiri aliquid, putà, *ſim vanus*, aut, *habear mendax*, aut aliquid tale. Simile, *Si Davidi mentiar; Si introibunt in requiem meam.* Sunt tamen qui in his *ſi* exponant *non:* unde regula illa, SI *in jurando vim habet negandi particula.* Prius verius, meo judicio.

15. *Cavete à fermento*, βλέπετε] Sic etiam recentior interpres. Verbum è verbo, *videte.* Sic Cohel. 7. 14. *In die mali vide*, i. interprete Hieron. *præcave.* Marc. 12. 38. *Videte à ſcribis*, idem interpres, *cavete.* 13. 9. *Videte vosmet-ipſos*, cavete vobis ipſis. Cicero 4. Academ. *Sapientiæ hanc cenſet Arceſilas vim eſſe maximam, cavere ne capiatur, ne fallatur videre. Videte vosipſos* quidam exponunt, *ipſi vos reſpicite; Veſtri rationem aliquam habete in periculis.* ¶ *Herodis*] Nonnulli codices habent *Herodianorum* pro *Herodis:* perinde eſt. Nam Herodes perſuaſerat ſuis ſe Meſſiam eſſe. Qui hoc credebant dicebantur *Herodiani.* Idem ergò *fermentum Herodis* & *Herodianorum.* Vide Scaligerum Animadv. Euſeb. 150.

27. *Cæſarea Philippi*] A Philippo Herodis M. filio ſic dictæ, qui eam condidit.

31. *Poſt tres dies*, μετὰ τρεῖς ἡμέρας] Non reſurrexit poſt tres dies, ſed tertio die. Vide igitur num verti poſſit, *tertio poſt die*, ut mox 9. 2. μεθ' ἡμέρας ἓξ vir doctus interpretatur *ſexto poſt die.* Sic nulla erit omnino difficultas. Vide quæ idem ad hunc locum annotavit. Syrus habet ביומא תליתאי *die tertio.*

32. *Palàm*] Sic rectè interpretatur Helleniſticum παῤῥησία, quod Ebræi dicunt בפרהסיא *in* παῤῥησίᾳ, palàm, apertè, cujus contrarium בסתר clàm, occultè. Eraſmus exponit, *libere & audacter:* nempe quoniam id ſignificat in lingua Græca. Lex. vetus παῤῥησία *licentia, fiducia, confidentia.* Vide particulas noſtras Rabbinicas.

C A S A U B O N U S.

15. Βλέπετε ἀπὸ τῆ ζύμης τῶ Φαρισαίων, καὶ τῆ ζύμης Ἡρώδη] In Matthæo eſt ἀπὸ τῆ ζύμης τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων· unde apparet Herodianos à Sadducæis parùm differre.

G R O T I U S.

2. Οὐκ ἔχουσι τί φάγωσι· *nec habent quod manducent*] Ut olim cùm manna datum eſt, Exodi XVI.

3. ἐκλυθήσονται, *deficient*] Reſpondet hæc vox Hebrææ עיף, ut apparet Thren. II, II, 19. ¶ ἦλθαι, *venerunt*] Hanc lectionem tuetur veterum Interpretum auctoritas.

4. Πόθεν, *Unde*] Πόθεν ἄρτοι [*unde panibus*] ſupple λαφθέντων [*acceptis*]. Unde acceptis panibus alere eos poſſimus? Vide Matthæum.

7. εἶπε παραθεῖναι, *dixit apponere*] εἶπε [*dixit*], id eſt, ἐκέλευσε [*juſſit*], ut antè diximus. Atque ita rectè hîc vertit Latinus Interpres.

10. Δαλμανουθά. *Dalmanutha*] Ita Syrus, Arabs, Latinus & præſtantiſſimi codices, & Græci Scriptores ad hunc locum: quare quod alii libri pridem habuerunt Μαγιδὰν [*Magedan*] aut Μαδεγαδὰ [*Madegada*] interpretamentum eſt ex Matthæo. Chriſtus hîc per ſortem Rubenis venit in ſortem Manaſſis; inde per ſortem Gadis in ſortem Danis, infrà 27. ne quam partem terræ inter Jacobi poſteros olim diviſæ omittat.

11. συζητεῖν αὐτῷ, *conquirere cum eo*] Mos antiquiſſimus diſputandi erat per interrogationes. Hinc πλείω ἐρωτήματα [*plura interrogata*] in Sophiſmatum numero ponit Ariſtoteles. Vide & Lucæ II, 46. Hinc factum ut συζητεῖν [*conquirere*] dicatur *diſputare.*

12. ἀναστενάξας τῷ πνεύματι αὐτοῦ, *ingemiſcens ſpiritu ſuo*] *Suſpiria duxit ab imo pectore*, ut loquuntur Latini Poëtæ. Nam πνεῦμα [*ſpiritus*] hoc loco eſt *animus humanus.* Vide quæ ad Matth. V, 3. ¶ εἰ δοθήσεται, *ſi dabitur*] Ut Pſalmo CXXXI, 2. εἰ μὴ ἐτεπείνουφρόνουν [*ſi non humiliter ſentiebam*]. CXXXII, 3. εἰ εἰσελεύσομαι [*ſi introiero*]. ubi male nunc in Græcis codicibus εἰ omittitur, quod apparet ex membro ſequenti καὶ εἰ ἀναβήσομαι [*& ſi aſcendero*]. Subticetur quæ plenam orationem faceret ἀρὰ [*imprecatio*], idque melioris ominis causâ. Quod & Deus ἀνθρωποπαθῶς [*more humano*] imitatur Pſalmo LXXXIX, 36. XCV, 11. ¶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ σημεῖον. *generationi iſti ſignum*] Repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ [*ex dicto in commune*] quod præceſſit ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ [*de cœlo*].

15. βλέπετε, *videte*] Ita & Paulus dixit βλέπετε [*videte*] pro *cavete* Philippenſi. III, 2. & noſter hîc infrà XII, 38. ¶ Ἡρῴδου· *Herodis*] Ita priſci Interpretes. Quare quod alii habent Ἡρῳδιανῶν [*Herodianorum*] ex annotatione natum eſt. Vocatur autem Herodianorum dogma *Herodis*, quia Herodi honorem deferebat qui Meſſiæ debebatur: quos partem fuiſſe Sadducæorum alibi diximus.

17. πεπωρωμένην, *callo obductum*] Vide ſuprà VI, 52.

18. Ὀφθαλμοὺς ἔχοντες οὐ βλέπετε; καὶ ὦτα ἔχοντες οὐκ ἀκούετε; *Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis?* Alibi perverſitas notatur obſtans docilitati; hîc verò ἀμεριμνία [*negligentia*]. Cum verba mea veſtris auribus inſonent, miracula præſtringant oculos, neutra in animum admittitis.

19. κλάσει, *fregi*] *Diſtribui*, ex Hebraïſmo ſatis noto.

23. τὴ κώμης· *vicum*] Ita vocat ex antiquo more, quanquam nuper jus oppidi acceperat: unde *oppidum* Johannes appellat. Joſephus de Philippo, Κώμην δὲ Βηθσαϊδὰν, πρὸς λίμνῃ τῇ Γεννησαρίτιδι, πόλεως παραμοὺ ἀξίωμα πλῆθός τε οἰκητόρων καὶ τῇ ἄλλῃ δυνάμει, Ἰουλίᾳ θυγατρὶ τῇ Καίσαρος ὁμώνυμον ἐπάλξεσι [*Vicum autem Bethſaidam, lacui Genneſaretico adſitum, cùm ad dignitatem oppidi perduxiſſet multiſque habitatoribus & cæterâ opulentiâ inſtruxiſſet, nomen ei dedit ab Julia Cæſaris filia*]. Indignos Chriſtus Bethſaidenſes judicat qui teſtes eſſent miraculi, & mox ne narrari quidem ipſis miraculum permittit, ob eam ſcilicet contumaciam de qua alibi conqueritur.

24. ἀναβλέψας, *adſpiciens*] Aſſentior interpretanti *Oculos tollens*, quo ſenſu ἀναβλέψας habuimus ter ſuprà.

25. καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι· *& fecit eum videre*] Cùm hoc non habeat Syrus, & aliter legerit Latinus, unde nata eſt altera lectio καὶ ἤρξατο ἀναβλέπειν [*& cœpit videre*], fieri poteſt ut adjectum ſit ab eo qui vim poſitarum ſecundò manuum voluit exprimere. ¶ ἀπεκατεστάθη, *reſtitutus eſt*] Vide ſuprà III, 5. ¶ ἐνέβλεψε, *introſpexit*, id eſt, *vidit*] Ita de ſe Paulus Actor. XXII, 11. ἀφ' ἧς οὐκ ἐνέβλεπον [*cùm non viderem*]. ¶ ἅπαντα. *omnia*] Cùm & codices quidam ita habeant, atque ita legerint Syrus & Latinus, præferenda hæc lectio videtur.

26. εἰς τὸν οἶκον αὐτῦ, *in domum ſuam*] Videtur in agro habitaſſe. ¶ τινὶ ἐν τῇ κώμῃ. *alicui in vico*] Locum qui multis obſcurus eſt viſus perſpicuum facit intellecta ἔλλειψις [*ſubauditio vocis*]. Senſus enim eſt μηδὲ εἴπῃς τινὶ τῶν ἐν τῇ κώμῃ [*neque dixeris alicui eorum qui in vico*, ſcilicet οἰκοῦντων [*habitant*]. Non modò vetat eum ire in oppidum, ſed & ſi quis oppidanorum alibi ei fiat obvius rem narrare prohibet. De articuli reticentia ante præpoſitiones diximus ad Matthæi XXII, 30.

30. περὶ αὐτῦ. *de ipſo*] Illud, *Chriſtum ſe eſſe.* Nam veri Doctorem & Prophetam ſe dici ab Apoſtolis volebat; Meſſiam verò ſe eſſe paucis dixit, nolens id ipſum publicè vulgari ante triumphatam mortem. Videtur autem Petrus in hujus hiſtoriæ recitatione magnificam illam promiſſionem à Chriſto ſibi factam modeſto ſilentio præteriſſe, cùm quicquid erat in quo culpari ipſe poſſet apertiſſimè narraverit: quam formam narrandi bonæ fidei ſecurus eſt Marcus.

31. ἀποδοκιμασθῆναι, *reprobari*] Alluſio ad locum Pſalmi CXVIII, 22. cujus ſæpe meminerunt Chriſtus ejuſque Apoſtoli. Ibi in Hebræo eſt מאס, quod Helleniſtæ modò vertunt ἀποδοκιμάζειν [*reprobare*], modò ἐξουθενεῖν [*nihili pendere*]. Habuit ἐξουδένησις [*abjectio*] ſuos gradus; ad ſummum autem pervenit eo tempore cùm Chriſtus à Synedrio, tanquam indignus Judæi nomine, traditus eſt Romanæ poteſtati. ¶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *poſt tres dies*] Vide quæ ad Matth. XXVII, 63. Hoc addam, non malè ab Hebræis dici ſolere. *Deum beneficia ſua cumulatius implere quàm verba ferunt.* Intra triduum præſtare quod exacto triduo facturum te promiſeris, bonitatis eſt laudandæ, non accuſandæ vanitatis. Nam in promiſſis tempus

pus adjicitur ne ſeriùs fiant, non ne citiùs dicto. Atque ita ajunt Judæi liberationem ex Ægyptiaca ſervitute promiſſam poſt annos quadringentos, præſtitam poſt ducentos & quod excurrit.

32. *παῤῥησίᾳ, palàm*] בגלוי Syrus rectè; *ſine involucris, παροιμίαν οὐδεμίαν λέγων* [*proverbium nullum dicens*], ut Johannes hanc vocem explicat, id eſt, *λόγῳ ἀφιγματίκῳ* [*ſermone non figurato*], ſimplici ac nuda oratione, non per figuras, ut antè Johann. II, 19. III, 14 VI, 51. *αὐθημερὸν* [*prompté*] eodem ſenſu eſt apud Dionem.

35. *σώσει, ſalvam faciet*] Εὑρήσει [*inveniet*], Matt. X, 39. ubi quæ notata vide.

38. *ἐπαισχυνθῇ, confuſus fuerit*] Dicunt quidem Latini *erubeſcere aliquem*, ſed ſenſu longè alio, pro eo quod eſt *revereri*. Atque eo modo *αἰσχύνομαι* cum caſu quarto Græci uſurpant. Hic autem eſt *ἐπαισχύνεσθαι, agnoſcere aliquem nolle quòd abjecta ejus ſortis nos pudeat*: quomodo & Paulus uſurpat Rom. I, 16. Eſt autem in hac Chriſti oratione inſigne *ἀντίθετον* [*contrapoſitum*]· nam ex adverſo reſpondent homo quilibet, & Chriſtus; non agnoſcere, & non agnoſci; ſtatus Chriſti humilis, & ſtatus glorioſus; mundus hic perverſus, & ſancti Angeli. ¶ *μοιχαλίδι, adultera*] Matth. XII, 39. Ita meritò vocatur mundus, id eſt, major pars humani generis, ob defectionem ab uno vero Deo & ejus cultu, Johann. XVII, 25.

C A P. IX.

V A L L A.

5. *Rabbi, bonum eſt nos hîc eſſe: & faciamus tria tabernacula*] Legendum eſt, *faciamus*, ποιήσωμεν. Alioquin dicendum erat *& facere*, non autem *& faciamus*.

7. *Hic eſt Filius meus chariſſimus*] Variandi gratiâ dixit interpres *chariſſimus* pro *dilectus*, *ἀγαπητός*. Delectatur ſupra modum interpres variandis verbis.

11. *Et interrogabant eum, dicentes, Quid ergò Phariſæi & Scribæ dicunt*] Græcè non legitur *ergò*, nec *quid*, ſed *quod*, ſeu *quia*, ὅτι λέγουσιν.

14. *Et veniens ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.*

15. *Et confeſtim omnis populus videns eum, ſtupefactus eſt, & expaverunt; & accurrentes ſalutabant eum.*

16. *Et interrogavit eos, Quid inter vos conquiritis?*] Non interrogavit Jeſus Diſcipulos, ſed tantùm Scribas, quid altercarentur. Dicitur enim Græcè, *Et interrogavit Scribas, Quid altercamini*, ſive *diſputatis, apud eos*, ſive *ad ipſos*, h. e. *cum diſcipulis meis?* ſive *apud ipſos*, i. *vos ipſos?* ἢ ἐπηρώτησε τοὺς γραμματεῖς, Τί συζητεῖτε πρὸς αὐτούς;

30. *Et indè profecti pratergrediebantur Galilæam*] Videtur ex his verbis non intraſſe Jeſus Galilæam, ſed juxtà tranſiſſe. At Græcè dicitur *per Galilæam*, διὰ τῆς Γαλιλαίας, ergò legendum *per Galilæam*.

34. *Siquidem inter ſe in via diſputaverant quis eſſet illorum major*] Græcè legitur, *Quis major*, τίς μείζων, quaſi *quis major cæteris*: nam *major omnium* non ità bellè dicitur, quoniam paulò pòſt dicitur, 35. *Erit omnium noviſſimus*, πάντων ἔσχατος.

38. *Reſpondit illi Joannes, Magiſter, vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos: & prohibuimus eum.*

39. *Jeſus autem ait*] Aliquantulum apud nos deeſt: dicitur enim Græcè, *Et prohibuimus eum, quia non ſequitur nos*, ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν. Quod ideo fuit, ut opinor, à librariis prætermiſſum, quia repetuntur eadem verba: atqui cum ſumma gratia repetuntur.

42. *Bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur*] Græcè ſic legitur, *Si circumdetur lapis molaris circum ejus collum, & jaciatur in mare*; εἰ περίκειται λίθος μυλικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ βέβληται εἰς τὴν θάλασσαν.

R E V I U S in V A L L A M.

5. *Faciamus*] Sic emendavi, ſubjunctâ etiam, quæ aliò commigraverat, voce Græcâ; cùm falsò legeretur Faciendum *legendum eſt*. Quomodo enim *faciendum* conveniret cum ποιήσωμεν; ſed an non *faciamus* eſt in textu? Quid ergò ſibi vult? Conjunctionem vult tolli. *Faciamus*, inquam, vult legi, non, *& faciamus*. In quo diſcrepantes à noſtris codices habuit.

11. Ὅτι λέγουσι] Vide Bezam.

14. Τίς μείζων] Aliò hæc fugerant.

19. Ὅτι ἐκ, &c.] Ut & iſta.

E R A S M U S.

1. *Regnum Dei veniens*] Ἐληλυθῦιαν veniſſe. Eſt enim participium præt. temporis, quod vertendum erat per infinitum, ob inopiam Latini ſermonis.

2. *Et poſt dies ſex*] Lucas facit, *dies fermè octo*. Marcus conſentit cum Matthæo in numero. Hoc admonui nè quis temerè ſcripturam mutet. Difficultatem quæſtionum explicant Doctores. ¶ *Et duxit*] Καὶ ἀναφέρει ſubducit, præſ. temporis, ut & *aſſumit* παραλαμβάνει. ¶ *Seorſum ſolos*] Sic habebat antiquiſſ. codex, κατ' ἰδίαν μόνους ſeorſum ſolos. Latina vetera conſentiebant in *ſeorſum*, ſed Paulinum habebat *ſolus*; Corſend. *ſolos*; Itidem & Conſtantienſe. Aliquis offenſus periſſologiâ vocem alteram ut ſupervacaneam reliquit. Verùm hoc modo voluit Evangeliſta ſignificare ſeceſſum vehementer ſecretum. ¶ *Et transfiguratus eſt*] Gr. Καὶ ἐν τῷ προσεύχεσθαι αὐτὸν, μετεμορφώθη, *& dum orant illi, transfiguratus eſt*: quanquam illud *dum orant* in pleriſque Græcorum cod. non additur, nec à nobis eſt additum. Apparet huc tranſcriptum ex Lucæ 9. quando Theophylactus nec legit, nec attingit hanc particulam.

3. *Splendentia & candida*] Abeſt in Græcis conjunctio, τιλβοντα, λευκὰ λίαν· ut intelligas ex inſigni candore fuiſſe relucentia. Hoc & ideo viſum eſt admonere, quò minùs abſurdum videatur quod in Matthæo Græci legunt *ut lux*, non *ut nix*. ¶ *Qualia fullo*] Poterat vitare abſurditatem ſermonis ſi ὡς verteret in adverbium, *quàm candida reddere non poteſt fullo*.

5. *Et faciamus*] Θέλεις ποιήσωμεν vis faciamus. Quanquam pleraque Græcorum exempl. conſentiunt cum noſtra editione vulgata.

7. *Chariſſimus*] Ἀγαπητὸς dilectus, ſive *charus*, niſi quòd articulus additus indicat *unice dilectum*, ὁ ἀγαπητός.

11. *Quid ergò dicunt*] Πῶς ὃν λέγουσι quomodo ergò dicunt. Quanquam emendati codices habebant ὅτι λέγουσιν quòd dicunt.

12. *Primò reſtituet omnia*] Ἀποκαθιστᾷ reſtituit, præſ. temporis, ut referatur ad prophetiam Malachiæ, quæ prædixit id futurum, non ad tempus aliquod definitum. Et *primùm* Græcis dictum pro *prius*.

16. *Quid inter vos conquiritis*] Καὶ ἐπηρώτησε τοὺς γραμματεῖς, Τί συζητεῖτε πρὸς αὐτούς; Poteſt & hic ſenſus accipi, *Et interrogavit Scribas, Quid conquiritis*, ſive *diſputatis, adversùs illos*, ſive *cum illis?* Apparet Interpretem legiſſe πρὸς ἑαυτούς, ſive πρὸς αὐτοὺς, *inter vos*. Sed aliàs admonuimus hanc orthographiæ rationem paſſim negligi in Græcis codicibus.

20. *Spiritus conturbavit*] Gr. Εὐθέως τὸ πνεῦμα ἐσπάραξε τὸ παιδίον ſtatim ſpiritus diſcerpſit puerum. Opinor Interpretem legiſſe ἐτάραξεν, ac fortaſſe rectiùs: quanquam in pleriſque exempl. non erat παιδίον, ſed αὐτόν. Apparet enim jam non fuiſſe puerum, cùm pater reſpondeat hoc illi à puero accidiſſe: etiamſi paulò pòſt vocat eum *puerum*; *Pater pueri*. ¶ *Eliſus in terram*] Καὶ πεσὼν ἐπὶ τῆς γῆς lapſus in terra volvebatur.

21. *Ab infantia*] Παιδιόθεν à puero. Sed rectè mutavit Interpres, niſi dicere maluiſſet *à prima pueritia*: jam enim puer erat cùm ſanaretur.

22. *Et in aquam*] Græcis eſt *in aquas*, εἰς ὕδατα, conſentientibus & vetuſtis exempl. nominatim Conſtantienſi.

23. *Si potes credere*] Τὸ, εἰ δύνασαι πιστεῦσαι. Addidit articulum, qui tamen ad ſuperiora referri poteſt, ut reſpondeat *Dixit ei*, videlicet illud quod audies; ſive ad ſequentia, *Hoc ſi potes*, *nempe credere*. Quemadmodum dicitur Græcis, Τὸ, Μηδὲν ἄγαν, ἄγαν με τέρπει. Nec enim eſt hic otioſus articulus, qui magno conſenſu habetur in Græcorum exemplaribus.

30. *Pratergrediebantur Galilæam*] Παρεπορεύοντο διὰ τῆς Γαλιλαίας. Præpoſitio διὰ facit ut intelligas illos clàm, aut celeriter & in tranſcurſu, velut obiter feciſſe iter per Galilæam, ità ut nec aperirent ſe uſquam, nec commorarentur. Et videri poterant declinaſſe Galilæam in diſceſſu, niſi obſtaret præpoſitio διὰ, quæ facit ut non poſſit aliud accipi quàm *illis iter eſſe factum per Galilæam*.

31. *Filius hominis tradetur*] Παραδίδοται *traditur*: ut intelligas mox futurum.

32. *Et illi ignorabant verbum: & timebant interrogare*] Hæc non habentur in editione Aldina. Quod an caſu factum ſit neſcio. Poterat videri factum ab eo, quiſquis fuit, qui ſibi videtur habuiſſe ſtudio ut aſſutis aliunde fragmentis redderet Marci Euangelium aliquantò copioſius; nam hæc habentur in Luca; niſi conſentirent Latini codices cum Græcis.

33. *Qui cum domi eſſet*] Καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος, *& cum eſſet in domo*, ſive *in ædibus*, non utique ſuis.

34. *Quis eorum major eſſet*] Græcè tantùm eſt τίς μείζων *quis major*. Reliqua addita ſunt explicandæ rei gratiâ.

36. *Quem cum complexus eſſet*] Καὶ ἐναγκαλισάμενος *cum poſuiſſet in ulnis*, ut ſolemus infantulos. Complectimur enim & eos quos in ulnas non ſumimus.

37. *Non me ſuſcipit*] Οὐκ ἐμὲ δέχεται μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀποστείλαντά με, *Non me recipit ſolum, ſed eum qui me miſit.* Sic habebant nonnulli Græcorum codices; verùm altera lectio mihi magis probatur. Nec enim negatio removet, ſed corrigit magis; q. d. *Non tam me recipit quàm eum qui miſit me.*

38. *Et prohibuimus eum*] Poſt hæc in Græcis exempl. repetitur ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν, *quod non ſequeretur nos.* Probabile eſt aliquem offenſum iteratione ſuſtuliſſe poſteriorem particulam.

41. *Calicem aquæ frigidæ*] *Frigidæ* nec in Græcis additur exempl. nec apud Hieronymum in ed. Baſilienſi, nec in veteſtiſſ. exemplaribus, nominatim in Paulino, nec in Corſend. nec in Conſt. nec in Aureo denique. ¶ *Non perdet menſuram ſuam*] *Mercedem* legendum pro *menſura*. Atque ità ſcriptum eſt in emendationibus Latinorum exemplaribus.

42. *Mola aſinaria*] Græci legunt λίθος μυλικὸς ὀνικὸς *mola molaris aſinaria*. Apud Matthæum autem *mola aſinaria*.

43. *Debilem*] Κυλλόν. *Cyllum* propriè Græcis dicitur cui altera manus trunca ſit aut manca. Nam *debilitas* ad omnia membra pertinet, quemadmodum χωλὸς ad pedes propriè pertinet.

44. *Ubi vermis*] Ὅπου ὁ σκώληξ. Alibi vertit *aruginem* quod hic *vermem*. Cæterùm *moritur* & *exſtinguitur* utrumque præſentis temporis eſt Græcis; licèt in Latinis cod. aliquot depravare cœperint, *morietur* & *exſtinguetur*. Qui ex hoc loco contendunt Ignem apud inferos eſſe materialem, neceſſe eſt ut fateantur illic & Vermem eſſe materialem. Quòd ſi hîc tropum admittunt, *Vermem* interpretantes remorſum conſcientiæ, poterant & per *Ignem* accipere perpetuum cruciatum animæ: In quem ſenſum hunc locum interpretatur Theophylactus.

47. *Luſcum*] Μονόφθαλμον *unoculum*: quod tamen elegantèr vertit hoc ſanè loco. *Luſcus* enim Latinis dicitur non qui ſtrabis ac diſtortis ſit oculis, ſed qui altero careat oculorum.

49. *Omnis enim igne ſalietur*] Quò ſermo foret mollior, nos de noſtro addidimus *Omnis homo.*

50. *Si ſal inſulſum fuerit*] Reddidit περισσολογίαν, ἅλας ἅναλον, i. *Si ſal ſale caruerit.* ¶ *In quo illud condietur*] *Condietis* lego in veteſtis cod. ἀρτύσετε. Sic enim legiſſe videtur qui ſic vertit. Et aptius erat *Ipſum* quàm *Illud.* ¶ *Habete in vobis*] *Salem* hîc uſurpavit maſc. genere, nihil aliud, opinor, ſecutus quàm dictionis euphoniam.

VATABLUS.

1. VEniens *in virtute*] *Veniſſe cum potentia*, i. donec viderint typum & exemplar Regni Dei venturi cum potentia.

2. *Aſſumpſit*] *Aſſumit*, V. ¶ *Ducit*] *Subducit, deducit.* ¶ * *Solos*] * *Seorſum*, Vet. ¶ *Transfiguratus eſt*] *Transformatus*, vel, *ſpeciem mutavit.*

3. *Et veſtimenta*] *Et* pro *Nam*, Hebr. ¶ *Et candida*] *Candida.* ¶ *Nimis*] *Valde.*

4. *Apparuit*] *Viſus eſt.*

5. *Et faciamus*] *Et* pro *itaque*, Hebr.

9. *Quod*] *Qua*, V. ¶ *Reſurrexit*] *Reſurrexiſſet.* Vetera legunt *reſurrexerit.*

10. *Cum à mortuis reſurrexerit*] *A mortuis reſurgere.*

11. *Quid ergò dicunt Phariſæi*, &c.] *Scriba dicunt Eliam oportere venire priùs.* Hoc ità enunciant quaſi dicerent, Id ſi verum eſt quod dicis tu de reſurrectione à mortuis, cùm nondum venerit Elias, qui venturus eſt ante diem Judicii, Mal. 4. 5. in quo futura eſt reſurrectio? Vet. legunt *oportet.*

12. *Primò*] *Priùs.* ¶ *Reſtituet*] *Reſtituit*: præſ. pro fut. q. d. Certè quidem dicitur quòd ubi venerit Elias dabit operam ut omnia reſtituat. ¶ *In Filium*] *De Filio.* ¶ *Contemnatur* *] Sub. *ſic eveniet.*

13. *Sed*] *Imò.*

14. *Conquirentes*] *Diſputantes.*

15. *Stupefactus eſt, & expaverunt: & accurentes*] *Stupefactus eſt: & accurrentes.* ¶ *Salutabant*] *Salutaverunt.*

16. *Eos*] *Scribas.* ¶ *Inter vos conquiritis*] *Diſceptatis cum illis.*

18. *Ubicunque*] *Quandocunque.* ¶ *Allidit*] *Lacerat.* ¶ *Et ſpumat, & ſtridet dentibus*] Vel, *ità ut ſpumet ac ſtrideat dentibus ſuis.* Varius enim uſus eſt unius conjunctionis copulativæ apud Hebræos. ¶ *Et areſcit. Et dixi*] Vel, *unde ſit ut totus areſcat. Proinde dixi.*

20. *Attulerunt* * *eum*] * *Illum ad.* ¶ *Conturbavit*] *Diſcerpſit*, vel, *cœpit diſcerpere.* ¶ *Eliſus*] *Cadens, lapſus.*

22. *Aquam*] *Aquas.* Vet.

23. * *Si potes*] * *Illud.* ¶ *Omnia poſſibilia ſunt credenti*] Vel, omnia poſſum facere in gratiam credentis.

24. *Adjuva incredulitatem meam*] Vel, *ſuccurre incredulitati meæ.*

25. *Comminatus eſt ſpiritui immundo*] *Increpavit ſpiritum immundum.*

26. *Quia*] Vel, *Certè.* Ὅτι enim pro כי Hebræorum ponitur, quod *profectò* nonnunquam ſignificat.

28. *Secretò*] *Seorſum.*

29. *In nullo*] *Nullâ re.* ¶ *Exire*] Vel, *ejici.* ¶ *In oratione & jejunio*] Pro, *per orationem & jejunium*, Hebr.

30. *Profecti pratergrediebantur*] *Egreſſi iter faciebant juxta.*

32. *Verbum*] i. quod dixerat.

33. *Venerunt*] *Venit.* ¶ *Eſſent*] *Eſſet*, V. ¶ *In via* *] * *Inter vosipſos.* ¶ *Tractabatis*] *Diſputabatis.*

35. *Erit*] Heb. fut. pro imperativo, *ſit.*

37. *In nomine meo*] Heb. pro *propter me.* ¶ *Non*] *Non* pro *non ſolum*, frequens in S. literis: *non ſolum me ſuſcipit, ſed etiam eum*, &c. vel, *non tam me recipit quàm eum*, &c.

38. *Reſpondit*] Hebr. pro *Locutus eſt autem.* ¶ *Prohibuimus eum* *] *Quia non ſequitur nos.*

40. *Vos*, pro *vobis eſt*] *Nos*, pro *nobis eſt.*

41. *Aquæ* *] * *Frigidæ*, Vet.

42. *Bonum eſt*] *Melius foret.* ¶ *Mola aſinaria*] *Lapis molaris.*

43. *Scandalizaverit te*] *Obſtaculo tibi fuerit*: ſub. *ne ſalutem conſequaris.* ¶ *Bonum*] Hebr. pro *melius*: poſitivus pro comparativo, qui Hebræis deeſt. ¶ *Debilem*] *Mancum*, vel, *mutilum.*

44. *Vermis*, &c.] i. pœna & cruciatus eorum non ceſſat.

45. *In gehennam ignis inexſtinguibilis*] *In ignem inexſtinguibilem*, i. in gehennam, ubi eſt ignis inexſtinguibilis.

47. *Luſcum*] Vel, *unoculum.*

49. *Et omnis victima ſale ſalietur*] Hebr. & pro *ut*, ſic, *ut omnis victima ſale condiri ſolebat*, q. d. Quemadmodum olim ſine ſale nulla hoſtia Deo accepta erat, ſic ſine tribulatione nemo Deo gratus.

50. *Quonam ipſum condietis?*] Vel, *quænam re condietis ſalem ut ſalſus ſiat?* ¶ *Vobis*] *Vobisipſis.*

CLARIUS.

6. NON *enim ſciebat quid diceret*] Nam quæ fuiſſet conſequentia aut utilitas ſi ibi fixiſſent tabernacula?

12. *Elias cum venerit primò*] *Veniet*, inquit, *Elias, & reſtituet omnia*: h. e. ad fidem revocabit Judæos: quod ſi de hoc hujus mei adventûs tempore accipiatur, *quo pacto implebitur quod ſcriptum eſt de Filio hominis, quòd multa ſit paſſurus, & contemnendus?* nam credentibus illis non contemnetur ſed honore afficietur. Si ergò permanentibus Judæis in incredulitate Filius hominis eſt deſpiciendus, ſequitur, non *reſtituturum Eliam omnia*: hoc autem eſt omnino futurum. Non eſt ergò de hoc primo adventu accipiendum, ſed de ſecundo. Neque tamen huic primo defuit ſuus Elias, nempe Joannes Baptiſta, qui *venit in ſpiritu & virtute Eliæ.* Illa autem verba, *Et quomodo ſcriptum eſt de Filio hominis, ut multa patiatur, & contemnatur?* interrogativè ſunt pronuncianda.

49. *Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur*] Ergò omnes igni tradentur examinandi? Sed illud videtur eſſe quod ait Apoſtolus, *Uniuscujuſque opus, quale ſit, ignis probabit*: qui in hac parte vim quandam ac naturam Salis habebit. Nam, in morem Salis, eos qui apti erunt ut ſerventur non ſolùm

ſolùm non lædet, ſed corroborare potiùs videbimur, & quaſi conſtringens facere incorruptos: In reliquos ſic aget ut unam ob cauſam maneant incorrupti, quò ad perpetuam ſerventur corruptionem. Et quemadmodum juxta Legem *omnis victima ſale condiitur*, ſic oportet omnia facta quæ accepta futura ſint, quaſi gratam victimam, Divino ſale condiri. Deinde concludit, *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos*] quod videtur ad inſtitutum priùs ſermonem pertinere, cùm de primatu colloquerentur Apoſtoli; cujus rei gratiâ, præter interpoſita à Joanne verba, omnia reliqua à Servatore dicta ſunt. Etenim neque major unquam perturbatio rerum oritur, neque graviora ſcandala, quàm ubi præeſſe homines quærunt: quæ ut Diſcipuli vitarent, docet quanti apud ſe ſint parvuli, h. e. humiles.

ZEGERUS.

6. *NON enim ſciebat quid diceret: erant enim timore exterriti*] Petrus videlicet & alii duo Diſcipuli. Exterriti autem erant, vel quia ipſis prænunciarat ſuam paſſionem, quæ ipſos ingenti affecerat tum admiratione tum terrore, timentes nè fortè & ipſi unà cum ſuo Magiſtro cogerentur ſubire ſupplicium; vel quia tam inſolitum contuebantur in ipſo ſplendorem & gloriam, qui ſe tanta paſſurum prædixerat & occidendum. Quapropter Petrus optimum judicavit in ejuſmodi gloria permanere, ſcilicet nè vel Dominus ſuus vel ipſe aliquando veniret in prænunciatæ mortis periculum; eóque dicebat, *Bonum eſt nos hic eſſe*, &c. Verùm ignorans loquebatur, utpote qui adhuc neſciret futuræ mortis Chriſti myſterium, nec intelligeret ad ejuſmodi gloriam nullum omnino pervenire poſſe niſi per paſſionis ignominiam.

12. *Elias cùm venerit primò, reſtituet omnia: & quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur. Sed dico vobis quia & Elias venit, & fecerunt illi quæcunque voluerunt, ſicut ſcriptum eſt de eo*] Hic locus evidentior eſt Matth. 17. 11, 12. ità habens, *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis quod Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis. Tunc intellexerunt diſcipuli quia de Johanne Baptiſta dixiſſet eis.* Quod ergò hic dicitur hujuſmodi eſt, Cùm venerit Elias ante adventum Chriſti ſecundum, quæcunque fuerint per Antichriſtum deſtructa ſuâ ipſe prædicatione reſtituet. *Convertet enim*, juxta Malachiæ vaticinium 4. 6. *cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres. Et quemadmodum de Filio hominis*, nempe Chriſto, *ſcriptum eſt, multa ipſum paſſurum & habendum contemptui*: & ſupplendum eſt, *ità futurum eſt ut & Elias ab Antichriſto ejuſque membris multa atque adeò mortem ipſam ſuſtineat. Attamen dico vobis quòd Elias jam venerit, ſicuti de ipſo ſcriptum eſt; & fecerunt illi quæcunque voluerunt.* Hîc ergò tectè duplicem indicat adventum, & utrique ſuum aſſignat Eliam: Poſteriorem præcurret Elias ille Thesbites; priorem verò, ejuſdem ſpiritûs & virtutis Baptiſta Johannes. Illud quoque ſcias oportet, quòd *venire primò* non aliud ſit quàm *prævenire*, uti colligitur ex illo quod præceſſit, *Eliam oportet venire primùm.* Porrò illud, *& quomodo ſcriptum eſt de Filio hominis, ut multa patiatur*, Theophylactus & Euthymius per quæſtionem legentes aliter enarrant: *Hoc enim*, inquit Euthymius, *dixit conjiciens in dubitationem reſponſionis ipſos Scribas. Si enim ſecundùm ipſos, cùm nondum venerit Elias, nondum venit Chriſtus; Elias autem cùm priùs venerit reſtituet omne, h. e. venit & convertet omnem Judæum ad Chriſtum, quomodo ſcriptum eſt de Filio hominis, ſive Chriſto, ut à Judæis multa patiatur? Itaque Elias Thesbites ante ſecundum adventum venturus eſt, quando omnes Judæi converterentur ad ipſum. Nunc autem primus eſt, cùm à Judæis multa patitur, cujus præcurſor Johannes.*

14. *Conquirentes cum illis*] Differentes cum illis novem qui non adfuerant Jeſu transfigurato.

19. *Qui reſpondens eis dixit, O generatio incredula*] Singulare illud *αὐτῷ* indicat increpationem hanc ferri in patrem ipſius obſeſſi & reliquam turbam incredulam, non in Apoſtolos.

38. *Reſpondit illi Johannes, dicens, Magiſter, vidimus quendam*] Quod ad ſeriei continentiam attinet, hujus ſermonis occaſionem Dominus fecerat Johanni, dum de puello loquens aiebat, *Quiſquis unum ex hujuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit.* Quod audiens *Johannes reſpondit, Vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia qui non ſequitur nos*: tanquam ſi dicat, Dixi, Domine, quòd quiſquis in tuo nomine recipit ac juvat abjectum aliquem aut opis indigum hominem, te recipiat: nos antehac in tuo iſthoc nomine vidimus quempiam non recipientem modò miſerum quendam, verùm etiam liberantem ipſum dæmonio: qui ſi te (ſicuti in tuo id fecit nomine) reciperet, ſequeretur utique te nobiſcum. Poteſt quoque illud *reſpondit δὲ autem* juxta Hebraicam phraſin poſitum accipi pro *locutus eſt*, vel *compellavit autem illum*, *Johannes.* ¶ *Qui non ſequitur nos: Et prohibuimus eum*] Quod hîc ſecundò ſequitur in Græcis, *ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν*, *quia non ſequitur nos*, ſuperfluum eſſe vel hinc conjicere licet quòd ſemel præceſſerit, & breviloquentiæ hujus Euangeliſtæ parùm congruat eadem bis repetere.

43. *Si ſcandalizaverit te manus tua, abſcide illam*] Per *manum*, *pedem*, *oculum*, quæ *abſcidere* & *amputare* jubemur, intelligere poſſumus homines impios myſtici corporis Chriſti membra ſcandalizantes; item pravos adfectus; adhæc occaſiones peccandi. ¶ *Debilem intreire*] *Debilem* pro *mutilo* poſuit Interpres, id quod Gr. vocabulum κυλλὸς indicat, *manu* ſignificans *cui altera manus truncata ſit aut manca.*

47. *Luſcum*] i. *uniculum*, *μονόφθαλμον*. *Luſcus* enim dicitur non qui ſtrabis & diſtortis ſit oculis, ſed qui altero careat oculorum.

49. *Omnis enim igne ſalietur* (nec Græcè nec Latinè in vetuſtis inferiur *homo*) *& omnis victima ſale ſalietur*] Docuerat modò per metaphoram Truncationis membrorum reſcindendos eſſe pravos cordis affectus, ſive homines peſtilentes & noxios, omnéſque peccandi occaſiones: nunc quo pacto id fieri debeat aliis etiam metaphoris demonſtrat. *Et quia*, inquit Beda, *tertiò mentionem Vermis & Ignis fecerat æterni, reſtat dicere quo modo fugerem vermis & ignis valeamus evitare tormentum.* Sicuti ergò nulla victima veteris legis legitima erat niſi quæ vel igni ſaliretur vel ſale, Levit. 2. ità quiquis novæ legis juſtitiâ imbuitur, neceſſe eſt ut igni expietur ab omnibus mundanis affectibus, & ſale condiatur, nè poſſit corrumpi malorum contagio. Per *Salem* igitur intelligimus Euangelicæ veritatis acrimoniam emordentem & conſumentem quicquid eſt in nobis obnoxium corruptioni: Per *Ignem* Divini Spiritûs ardorem, primùm exurentem quicquid eſt in homine vitiorum, deinde illuminantem ſi quid eſt ignorantiæ tenebris obvolutum, præterea accendentem & inflammantem, & poſtremò à terrenis ad cœleſtia rapientem, ut nullo jam perſecutionum ſeu tentationum ſcandalo à ſemel ſuſcepta fide atque juſtitia dimoveri valeat quiſquis hoc igne fuerit conditus. Per *ſalem* tamen plerique omnes Euangelicam ſapientiam intelligunt.

50. *Quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis?*] Si ſal evanidum ſit atque inefficax, per quid ſal ipſum condietis? Tanquam ſi dicat, ut reſpiciatur tam ad ſuperiora, quàm ad inferiora, Nili ſit in vobis ſal Euangelicæ veritatis, ſapientiæ & diſciplinæ, quâ & peccandi occaſiones declinare, & mutuam docearnini erga vosipſos conſervare amorem, non erit unde veſtra converſatio proba & gratioſa haberi poſſit. Atque hoc ſenſu *ſal* ufitatiùs in maſc. genere poni conſuevit, tametſi ſecùs noſter poſuerit Interpres. ¶ *Habete in vobis ſal: & pacem habete inter vos*] *Salis* vocabulum ſecundum diverſa videtur ſignare diverſa: in quo exponendo variant Interpretes, maximè hoc loco. Alii enim *ſapientiam* interpretantur, alii *gratiam Spiritûs Sancti*, alii *correptionem*, alii *juſtitiam.*

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον θ', Περὶ τῆ σπέρε παραβολῆ.

Μάρκ. ἐν τῷ λατ. ἰμ. ἅ. Καὶ ἰδιάζ. αὐτὸς ἐν παραδ. ἐστὶν ἀὴ ἰλ. αὐτὸς ἐν τῇ διδ. αὐτῦ, Ἀκούετε. Ἰδὲ, ἐξῆλθεν ὁ σπείρων, τῦ σπεῖραι· ἢ ἐγὼ.

Φεῦ, σπέρε ἐκδοτέ με, ὑπὲρ σπόρου ὅτι διδάγμασι.

Ἄλλως,

Ὃς λόγον ἐκτίθεται ἱερὸν, σπείροντι ἴσως·
Τῇ ἧ σπειρομένῃ γαίῃ αἱ ἀκτῖσι ὅμοιος.

6. Τί λαλήσῃ] *Quid loqui deberet?* Vel, *quid ſibi dicendum eſſet.*

7. Ἐπισκιάζουσα αὐτοῖς] *Inumbrans eos.*

8. Ἐξάπινα περιβλεψάμενοι] *Cùm repentè circumſpexiſſem.*

10. Ἐκράτησαν πρὸς ἑαυτοὺς] *Continuerunt* mandatum memoriæ.

12. Ἐπηρώτων αὐτὸν, λέγοντες; Ὅτι λέγουσιν οἱ γραμματεῖς ὅτι Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον] *Interrogationem illi propoſuerunt de eo quod ſcriba dicerent, oportere Eliam priùs venire.*

18. Ῥήσσει αὐτὸν ἢ ἀφρίζει, ἢ τρίζει] *Lacerat eum, ità ut ſpumet, & ſtridat.*

20. Ἐβουλίετο ἀφρίζων] *Volutabatur ſpumans.*

21. Παιδιόθεν] *Ab infante.*

25. Ἐπισυντρέχει] *Ad ipſum accurrit.*

36. Ἐναγκαλισάμενος] *Ulnis complexus.*

39. Κακολογῆσαί με] *Malè loqui de me.*

44. Ὁ σκώληξ] *Vermis.*

50. Ἐὰν ἡ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε;] *Sed ſi ſal fatuus fuerit inſulſus, quenam ipſum condietis?*

DRUSIUS.

2. POST *dies ſex*] Luc. 9. 28. eſt *quaſi dies octo.* Quidam exiſtimant hæc acta die ſexto; itaque vertunt, *ſexto poſt die:* quæ in Luca conciliamus. Vide ſi placet.

3. *In terra*] Titinnius apud Nonium,

——— *terra hæc eſt, non aqua,*
Ubi tu ſolitus argutarier pedibus,
Cretam dum compeſcis, veſtimentáque lavas.

Nam cretâ dealbabant veſtes. Iſidorus, *Fit toga addito quodam creta genere candidior.* Sed in Gr. ἐπὶ τῆς γῆς, quod alii reddunt, *ſuper terram:* & videtur melior interpretatio eſſe quam vir doctus annotavit. Vide ſodes.

47. *In gehennam ignis*] Γέεννα. Veritas ſcripturæ γεεννὰμ, ex Ebræo גיהנם, quod ſonat *Vallis Hennom.* Nam veteres ſcilicet *Hennom* dixiſſe pro *Hinnom:* & eſt ſanè alterna migratio inter has vocales, ut id mirum videri nemini debeat. Euſebius an Hieronymus? de Locis Ebr. *Geennom, quod interpretatur, Vallis Ennom: & ab hac quidam putant appellatam Geennam.* Vulgò *Ennon* & *Geennon* cum *n* in fine, & literis Ebraicis à correctore canonico גי בן הנם, ſed perperàm. *Geennom*, i. γεεννὸμ. Nam Græci aſpiratione mediâ præterquam in ἡ non utuntur. Manſit poſtea ſpiritus lenis in *Ennom* ex hac cauſa. Origenes in 23. Matth. *Qua ſit hæc Gehenna, & in quo loco Scripturarum prius eſt nominata, qui poteſt requirat, maximè in diviſione hæreditatis Jeſu filii Nave; ubi interdum quidem appellatur Vallis filia Non, interdum autem Vallis Ennom, quæ eſt Gehenna. Gehenna enim eſt vallis.* Verba hæc adduxi Origenis bono: corrupta enim ſunt, & legenda ad hunc modum, *ubi interdum quidem appellatur Vallis filii Ennom, interdum autem Vallis Ennom, quæ eſt Gehenna.* GE *enim eſt Vallis. Vallis filii Hennom* appellatur Joſ. 15. 8. Ebraicè גיא בן הנם; *Vallis Hennom*, & interpretatione Græcâ veteri φάραγξ Ἐννὰμ, Ebraicè גיא הנם, aut גי הנם Joſ. 18. 16. Hic noto quod habeo à Maſſoritis & ab Elia. Elias Thisbite: כשהיו נמצא גיהנם בלי זה בן מקום: Hæc verba in eam partem valent, *Non reperiri Gehennom niſi ter; cæterùm in locis eſſe Gehen Hennom.* Notatum hoc in Maſſoreth Magno. Loca ſunt Joſ. 15. 8. & 18. 16. & Neh. 11. 30. Addit Elias, dicens ſe mirari cur hodie ſcribant גיהנם cum Pathach aut Camets. Nihil mirum. Qui cum Pathach ſcribunt, malè ſcribunt. Scriptura hæc invaluit apud Judæos propter imperitiam antiquitatis. Veriſſimè Chryſoſtomus, Ἀλλ' Ἰουδαῖοι μὲν τὰ Ἰουδαϊκὰ οὐκ οἴδασιν· ἡμεῖς δὲ ἐπιστάμεθα τὰ Ἑβραϊκὰ μαθήματα. Scribi debet גיהנם, i. *Gehinnam* aut *Gehennam.* Hieron. in Comment. Jer. 7. THOPHETH *linguâ Ebraâ interpretatur Latitudo: ſcriptumque fertur in libro Joſua filii Nun de hoc loco qui eſt in valle filii Ennom, & Ebraicè dicitur Gehennam.* GE *quippe* φάραγγα, i. *vallem, &* HENNAM *vel hominis nomen vel Gratiam ſonat.* Parcant mihi manes optimi viri. *Hinnam* hominis nomen, non *Gratiam* ſonat. Eadem interpretatio in lib. De nom. Ebr. *Gehenna, Vallis gratuita:* quaſi nihil interſit inter הנם & חנם, h. e. inter He literam & Heth, quæ eſt aſpiratio duplex. Idem Jer. 19. *Vallis filii Hennom, quæ Ebraicè dicitur Gehennam: unde & Gehennam appellatam putant.* Ex his & aliis locis apparet Hieronymum legiſſe ſemper גי הנם dialecto Syriacâ, etiam in Vet. Teſt. Nec miror, cùm ſciam Ebraicis olim literis raras vocales adſcriptas fuiſſe. Quod me docuit ipſemet Hieronymus in epiſtola quadam ad Euagrium diſertè ità ſcribens. *Nec refert utrùm Salem an Salim nominetur, cùm vocalibus in medio literis perrarò utantur Ebræi, & pro voluntate lectorum atque varietate regionum eadem verba diverſis ſonis atque accentibus proferantur.* Nota quæſo, lector, & deſine mirari, ſi tibi mira viſa diverſitas ſcripturæ in hac voce. Igitur גהנא abſque punctis vocalibus legebant *Gehennom* aut *Gehennam:* quod eò magis credo, quia nuſquam adſcripta Vaf litera, quæ ſolet legi per *o*; vel ſanè quia familiare Syris ut Holem mutent in Camets. Quod autem apud Euangeliſtas ferè legitur γέεννα, corruptum eſt: abeſt μ ſimiliter ut in Μαρία. Vide quæ notavimus ad illud nomen Matth. 1. 16. Dixi de ſcriptura quæ ſcivi, fortaſſe plura quàm debui: dicam nunc de ſenſu, ſed breviter, quia nihil habeo præter alios interpretes. *Gehennam* vocat ὁ Σωτὴρ locum damnatorum. Sic uſurpatur paſſim apud ſcriptores ſacros. Suidas, Γέεννα, κατάδικον. Hieron. Matth. 10. *Nomen Gehenna in vet. libris non invenitur*, ſed primùm à Salvatore ponitur. Diſſentio hîc à Hieronymo. Quid ni diſſentiam? cùm reperiam in Avoth גהנם pro *inferno*, & Zoar libro antiquiſſimo, לית תשובה עד דיתן כורסא דגיהנם, quæ verba citantur in lib. Muſar, cap. 6. unde ego cruo. Reperitur etiam in paraphraſi Jonathæ, qui vixit ætate Chriſti. Non dubito, quin ætate Chriſti uſitatiſſimum fuerit hoc ſignificatu, & notiſſimum in vulgus. Cauſam rectiſſimè idem Hieronymus notat his verbis, *Quæramus ergo quæ ſit ſermonis hujus occaſio. Idolum Baal fuiſſe juxta Jeruſalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non ſemel legimus. Hæc vallis & parva campi planities irrigua erat & numeroſa,* [Fortè *nemoroſa,*] *plenáque deliciis, lucuſque in ea idolo conſecratus erat. In tantam autem dementiam populus Iſrael venerat, ut deſertâ Templi cinctâ, ibi hoſtias immolaret, & rigorem religionis delitiæ vincerent, filioſque ſuos dæmonis incenderent vel initiarent. Et appellabatur locus ille* GE BEN HENNOM (ità leg. non *Gehennom*) *i. Vallis filii Hennom. Hoc Regum volumen & Paralipomenon & Jeremias ſcribunt pleniſſimè. Et comminatur Deus ſe locum illum impleturum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam vocetur Thopheth & Baal, ſed vocatur Polyandrium, i. Tumulus mortuorum. Futura ergò ſupplicia & pœna perpetua quibus peccatores cruciandi ſunt, hujus loci vocabulo denotantur.* Si rectè video, mendum eſt in illis verbis, *ut nequaquam vocetur Thopheth & Baal:* puto Hieronymum ſcripſiſſe *Thopheth & Ge ben Hennom.* A me eſt locus Prophetæ quem hîc laudat: vide Jer. 7. 32. Nuſquam lectum *Baal* de loco: ſed Βάαλ Jupiter planeta alio nomine *Moloch* dictus, q. βασιλεὺς, cui infantes immolabant in hac valle. Vide quæ notamus ad vocem *Moloch*, Actor. 7. 43. Elias Thisbite, *Vocaverunt Magiſtri noſtri, quorum memoria fauſta, locum pœnæ improborum poſt mortem Gehinnam, eo quòd vallis filii Hinnom, quæ vicina urbi Jeruſalem, locus fuerit pollutus, in quo exurebant filios ſuos idolo Moloch.* D. Camius in comment. ad Pſal. 27. ſcribit in valle Hinnom loco prope Jeruſalem olim perpetuum ignem fuiſſe comburendis cadaveribus & corporibus pollutis, quæ illò projiciebantur. Dignum notâ: quia ἀναμφιβλήτως ad illum ignem alluſit Servator Matth. 5. 22. & alibi. Verba Camii, *Gehinnem eſt locus in terra juxta Jeroſolymam, & eſt locus abominandus, in quem projicium polluta & cadavera: Eráttque ibi ignis jugis ad comburendum polluta & cadavera. Propterea vocatur per ſimilitudinem judicium improborum Gehenna.* Igitur *Gehenna ignis* id valet, *Ignis Gehennæ*, potiùs quàm *Gehenna ignita*, ex Ebræorum idiotiſmo: ut, *Superbia viri, viri ſuperbi; Viriditas herba, herba viridis:* ſermo obvius paſſim.

48. *Ubi vermis eorum*] Sirach. 7. 18. *Supplicium impii eſt ignis & vermis:* ignis Gehennæ, & vermis qui nunquam moritur, ſemper rodens conſcientiam: Iſ. 66. 24.

SCALIGER.

49. ΠΑΣ γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται] Legendum, πᾶσα πυρὶ θυσία ἁλισθήσεται, i. *omne ſacrificium ſalietur, & omne holocauſtum ſalietur*, ut Levit. 2. 13. Et rurſus, πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται, *omnis oblatio ſale ſalietur*, ut ibidem etiam legitur. Quid verò hoc ſibi vult? Nempe voluit oſtendere Chriſtus quò ſpectaret iſtud ſal in ſacrificiis. Dixerat igitur Matth. 5. 14. Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας, &c. & Luc. 14. 34. Καλὸν τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ, &c. Videa hos duos Euangeliſtas poſtremam hanc ſententiam Matei, Καλὸν τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ τὸ ἅλας, &c. ex Chriſto citare, ſed non addere Moſis verba ex Levitico, quod Marcus fecit. Ait ergò Chriſtus, *Bonum eſt ſal: ſed ſi infatuatum fuerit & inſipidum*, aut, ut Vet. interpres, *ſi evanuerit & inſulſum & evanidum fiat, quo ſalietur?* i. Si ſapientia à vobis, qui ſal mundi eſſe debetis, abſit, quo ſalietur? q. d. ubi ea quærenda?

JAC. CAPPELLUS.

22. SED, *ſi quid potes, ſuccurre nobis, miſericordiâ motus erga nos.*

23. *Jeſus verò dixit illi, Hoc* poſſum *ſi potes credere*] Τὸ pro τοῦτο. Non pendet Chriſti poteſtas à noſtra, ſed ſæpe vult ut beneficentiam ſuam antecedat noſtra fides. ¶ *Omnia poſſibilia ſunt credenti*] Promittenti Deo beneficium aliquod ſub conditione

conditione fidei, quodcunque ſit beneficium illud, poteris illud impetrare modò credas. Omnino fides quâ Deo promittenti creditur aliter ſe habet quam fides qua Deo narranti creditur. Deus cùm narrat ſive præterita ſive præſentia ſive futura, conſtabit illius narrationi veritas ſua, ſive credas ſive non credas: Deo verò promittenti tibi gratiam & opem, credas oportet, quia non niſi ſub conditione fidei ſua beneficia pollicetur. Hinc eſt quòd fidei tribuitur ſalus, quia ſi credas ſervaberis, niſi credas non ſervaberis. Etiam in iis quæ ſalutem æternam non ſpectant idem uſu venit. Petrus dum credit ambulat ſuper aquas, diffidens immergitur., Matth. 14. 29, 30. Apoſtoli fidei penuriâ dæmonium ejicere non poſſunt, Matth. 17. 20. Imprimis verò veritas hujus ſententiæ conſpicitur in iis quæ ſalutem ſpectant. Nam nec quiſquam ſervatur ſine fide, nec quidquam eorum quæ nobis ad ſalutem neceſſaria ſunt nobis erit impoſſibile ſi verâ fide Dei promiſſiones amplectamur. Vide Matth. 11. 30. 1 Joh. 5. 3.

LUD. CAPPELLUS.

23. Τὸ *εἰ δύνασαι πιστεῦσαι*] Dura, uti videtur, phraſis. In qua explicanda laborant & variant Interpretes. Vulg. & Syrus videntur neglexiſſe articulum τὸ· reddunt enim, *Si potes credere:* & Beza obſervat in veteriſſ. ſuo Codice abeſſe; ſed in reliquis omnibus conſtanter haberi magno conſenſu; in uno autem inveniri junctum cum πιστεῦσαι, hoc modo, *εἰ δύῃ τὸ πιστεῦσαι*. Unde exiſtimat τὸ poſitum eſſe pro τοῦτο, propterèaque reddit, *Si potes illud credere:* quaſi ſcriptum eſſet, *εἰ δύνασαι τοῦτο πιστεῦσαι*. Verùm in carmine quidem ferri utcunque poſſit τὸ poſitum pro τοῦτο, at in proſa oratione ſimpliciſſima, qualis eſt iſta, vix ferendum videtur. Arabs neglexit vocem πιστεῦσαι· videtúrque legiſſe, τί τὸ εἰ δύνασαι; Vel τί legit pro τὸ· ſic enim reddit, *Quodnam eſt hoc tuum dictum, Si potes illud?* Quaſi Chriſtus exprobrarit homini illi incredulitatem, eò quòd dixiſſet, *Si potes aliquid.* Ità ut hoc velit Chriſtus ex Interpretis illius mente, *Itáne verò dicendum mihi fuit à te,* SI POTES ALIQUID? *Quaſi verò tot tantiſque à me editis miraculis non ſatis probaverim omnibus, me iſtud, & verò alia majora, poſſe.* Ego exiſtimarim ſervari poſſe receptam lectionem, atque adeò poſſe ſic diſtingui, τὸ, *εἰ δύνασαι, πιστεῦσαι*· ut ſit elliptica oratio, ſenſúſque ſit, *Credere à te exigitur*, vel, *Credendum tibi eſt*, ſive, *Oportet te credere, ſi quidem id poſſis.* Sic Chriſtus reponit homini illi ſua verba, *εἴ τι δύνασαι*· q. d. *Tu mihi dicis, Siquid potes; Ego verò tibi dico, Si tu potes, crede: ſic te juvabo: omnia enim ſunt poſſibilia credenti.* Vel cum Arabe legendum τί; hoc modo, τί, *εἰ δύνασαι*; πίσθευε. Senſus eſt, *Quid tibi vis cùm dixiſti, Si quid potes? Crede tu tantummodo: hoc enim neceſſe eſt: omnia autem poſſibilia ſunt credenti.* Ità πίσθευε erit Imper. vocis mediæ pro πίσθευσον, non verò Infinit. vocis activæ.

40. *Qui non eſt contra nos, pro nobis eſt*] Videtur omnino proverbialis eſſe locutio, & gnome vulgò nota etiam Romanis; eam enim Cæſar jam antè uſurpaverat in cauſa ſua adversùs Pompejum, referente Ciceronе, Orat. pro Ligario, ubi & illi gnomæ contrariam atque oppoſitam, & à Chriſto Matth. 12. 30. uſurpatam, nempe Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι, Pompejanis tribuit, *Te enim dicere audiebamus* (alloquitur Cicero Cæſarem) *nos* (Pompejanos ſcilicet, in quorum partibus fuerat Cicero) *omnes adverſarios putare niſi qui nobiſcum eſſent; te, omnes qui contra te non eſſent, tuos.* Quas ſummi duo illi Duces inter ſe diſſidentes uſurparunt de ſequacibus ſuis pugnantes ſententias Chriſtus ſimul conjunxit, & de ſectatoribus diſcipulíſque ſuis utramque uſurpavit & veram eſſe pronunciavit, nempe diverſo reſpectu acceptam. Nam *Chriſto adverſantur qui*, quoad animum, ſtudium, & doctrinam, *cum eo non ſunt:* Et Chriſto non adverſantur, ſed interdum potiùs ſubſerviunt, qui etſi quoad externam ſequelam cum Chriſto non ſint, tamen ejus doctrinam non oppugnant; quales erant Nicodemus, Joſeph Arimathæus, aliíque ejuſmodi occulti Diſcipuli Chriſti.

49. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται] Probabilis eſt valde magni Scaligeri conjectura, qui locum iſtum de menda habet ſuſpectum, putátque legendum, Πᾶσα πυρὶα ἁλισθήσεται· ut utrumque illud teſtimonium deſumptum ſit ex Lev. 2. 13. ità ut vocabulum Hebræum מלח, quod capite illo etſi non eo verſu occurrit non ſemel, aptè ab Euangeliſta redditum ſit per Græcum πυρία, nam מ, à quo fit מלח, eſt πῦρ ignis, q. d. *igniarium*, h. e. igne totam abſumendam, *oblationem: Inepti* nempe *homines*, inquit magnus ille vir, *qui hunc locum depravarunt, hoc comma cum ſuperiore conjungere voluerunt, in quo πυρὸς ſit mentio; & cùm quid eſſet πυρὶα non intelligerent, πυρὶ legerunt. Et quia putarunt duo illa commata unum tantùm eſſe, γὰρ, ut eſſet vinculum utriuſque commatis, inſulſerunt. Sed quid habent commune τὸ πῦρ & βέβρωται, & ἁλισθήσεται; & quid eſt ſalire igni?* Hæc ille in Epiſt. ad Johan. de Laet. Quibus addi poſſit Mandatum illud ceremoniale de ſaliendis oblationibus adeóque & victimis, uti liquet ex Ezech. 43. 24. typicam habuiſſe ſignificationem, eámque geminam, alteram quæ ad doctrinam, alteram quæ ad vitam & mores pertinebat. Et quidem quod doctrinam ſpectat, hoc fuiſſe videtur, Gentes aliquando Apoſtolorum Chriſti miniſterio & prædicatione in hoſtiam vivam & acceptabilem Deo fuiſſe veluti offerendas. Atque eò reſpexiſſe hic videtur Chriſtus, ut & Matth. 5. 13. & Luc. 14. 34. cùm vocat Apoſtolos *ſalem terræ:* quaſi hoc vellet, eos eſſe ſalem illum ſpiritualem in ſacrificiis Legis adumbratum ſale quo conſpergi jubebantur hoſtiæ & oblationes omnes, ut eſſent acceptabiles, alioqui ingratæ futuræ. Gentes igitur non aliter fuerunt hoſtia & oblatio Deo accepta, quàm quòd ſale illo ſpirituali (Apoſtolico ſcilicet ſermone atque prædicatione) veluti aſperſa & condita quaſi eſſe debuit. Jam verò notum eſt, à Paulo; Phil. 2. 17. Gentes ad Chriſtum converſas appellari θυσίαν καὶ λειτουργίαν πίστεως. Et Rom. 12. 1. hortatur nos ut noſmet Deo offeramus εἰς θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον, τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν. Quotquot igitur ab Apoſtolis ad Chriſti fidem converſi ſunt, fuerunt quaſi totidem hoſtiæ ſpirituales ab ipſis Deo τῷ σώματι εὐωδίας oblatæ, vitæque ſuæ inculpatæ exemplo, & doctrinæ Euangelicæ ſermone incorrupto, veluti ſale quodam aſperſæ & conditæ. Illud autem quod mores ſpectat, & præcepto illo legali de ſale aſpergendis hoſtiis ſignificatum fuit, hoc videtur fuiſſe, Ut vita, mores & ſermo noſter incorrupta ſint atque inculpata, ut veritatis, ſapientiæ & integritatis veluti ſale quodam ſint condita, & à corruptionibus hujus ſeculi quaſi antidoto quodam præſervata. Quò & reſpexiſſe Chriſtus hîc videtur, cùm jubet Apoſtolos atque in eorum perſona omnes fideles *habere in ſeipſis ſalem.* Hoc enim præceptum non eſt ſolorum Apoſtolorum, quà Apoſtoli ſunt, proprium, ſed omnium fidelium commune. Et Paulus Col. 4. 6. jubet ut ſermo noſter ſit ἅλατι ἠρτυμένος, *ſale* veluti *conditus*, nempe ut nè ſit σαπρὸς *putridus*, h. e. obſcœnus, turpis, ſed ἀγαθὸς πρὸς οἰκοδομὴν *gratus & acceptus ad ædificationem*; Eph. 4. 29. Cujus virtutis Paſtores & Eccleſiæ Præpoſiti omnes debent ſanè omnibus primi in ſe præbere exemplum; at non minùs tamen eo præcepto tenentur fideles omnes. Unum obſtare videtur illi Scaligeri conjecturæ, nempe quòd מלח nunquam à LXX Interpretibus redditur πυρία, neque alibi occurrit hæc vox hoc ſignificatu apud authorem ullum, ut neceſſe ſit eam ab Euangeliſta fuiſſe ab alio ejus uſu traductam, ut verbum verbo vocem Hebraicam מלח Græcâ iſtâ redderet. Tum & hoc adverſari videtur Scaligeri conjecturæ, quòd Levit. 2. 13. ubi habetur præceptum de oblationibus ſale aſpergendis, non comparet vox Hebraica מלח, ſed duntaxat מלח & מלח, quæ à LXX iſthic redduntur per ἅλας & θυσίαν, non verò per πυρία. Itaque ſi cui fortè minùs probabitur illa Scaligeri conjectura & correctio, poterit, ſi libet, retinendo receptam lectionem hunc illi attribuere ſenſum, ut *omnis* fidelis dicatur *igne ſaliendus*, quatenus vi & efficaciâ Spiritûs S. (quæ Igni non ſemel à Chriſto comparatur) à corruptione & ἀλισγήματι hujus mundi præſervatur, & vitæ incorruptione atque ſanctitate Deo gratus atque ſuavis veluti cibus eſt. Gemina nempe eſt in Sale vis & proprietas, una condiendi & ſaporem cibis indendi, qui alioquí ſine ſale inſulſi ſunt & ingrati ſaporis, altera conſervandi à putredine & corruptione: utraque eſt Igni cum Sale communis; nam & cibi probè cocti eſui apti & grati fiunt, & ignis vi nimio & ſuperfluo humore purgati & exquiſitè aſſati à corruptione, ad aliquod ſaltem tempus, præſervantur. Eò ergò quòd hoſtiæ ſub Lege ſale aſpergebantur & veluti condiebantur, & earum pars quæ Sacerdotibus cedebat igne coquebatur, ut eſſet apta eſui, quódque reliqua hoſtiæ pars igne abſumebatur & quaſi ſaliebatur, h. e. à putredine vindicabatur, myſticè ſignificata eſt vitæ per Spiritûs Chriſti vim igneam novæ incorruptio, quæ Deo præ carnis noſtræ corruptæ & peccatricis fœdo atque abominando ἀλισγήματι grata & ſapida videtur, & quaſi ſale quodam ſpirituali condita.

GROTIUS.

1. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, *Et dicebat illis*] Mitor hoc comma in quibuſdam codicibus inchoare novam lectionem; cùm rectiùs adhæreat præcedentibus; quomodo diviſionem inſtituiſſe videntur & veteres Græci. ¶ ἐν δυνάμει, *in virtute*] Per vim Spiritus Sancti.

3. *ſtλβοντα, ſplendentia*] Ἐξαιρέτως Lucas, *fulgurantia*: *οἱ ἀστρολόγοι τὰς ἐν κινήσει ὄντας ἀστέρας σίλβοντας καλοῦσιν* [*Aſtrologi ſtellas quæ in motu ſunt ſplendentes vocant*] inquit Apollonii interpres. ¶ *οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι. qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere*] *Quàm candida nullus in terris fullo faceris.* Non diſſimile loquendi genus apud Horatium,

——— *animæ quales neque candidiores*
Terra tulit.

6. *ἐκφοβοι. exterriti*] Eadem vox Hebr. XII, 21.

10. *τί ἐστι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι. quid eſſet ex mortuis reſurgere*] Generalem Reſurrectionem, ut Martha Joh. XI, 24. tum ex traditione majorum tum ex apertiſſima Chriſti doctrina ſperabant, qualis tamen ea futura eſſet non ſatis intelligentes: At in hoc ævo aliquem verè mortuum in vitam reverti poſſe, in mentem ipſis venire non poterat. Quare ſequitur ut qui à Prophetis & Chriſto reſuſcitati erant hactenus eorum animas non putaverint planè fuiſſe *ἐν ᾅδου* [*apud inferos*], hoc eſt, à corpore ſeparatas, aut id quoque, ut alia multa ante ubertatem Spiritus Sancti, per incogitantiam ipſis in oblivionem verterit. Vide infrà 33.

11. *Ὅτι λέγουσιν, Quid ergo dicunt*] Sic Hebræi כי ſuum pro *cur uſurpant*, Eſa. XXIX, 16. Sic infrà IX, 28. Hoc Hebraïſmis Marci annumerandum.

12. *Ἠλίας μὲν ἐλθὼν πρῶτον ἀποκαθιστᾷ πάντα. Elias veniens primùm reſtituet omnia*] *Μιμητικῶς* [*imitando*] recitat dictum frequens in ore Legis peritorum; quod certo ſenſu verum eſſe concedit. ¶ *πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πολλὰ πάθῃ καὶ ἐξουδενωθῇ. & quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur*] *υἱὸς ἀνθρώπου* [*Filius hominis*] eſt Meſſias; ut alibi diximus. *ἐξουδενοῦσθαι* [*nihili fieri*], ut modò diximus, Helleniſtis idem eſt quod *ἀποδοκιμάζεσθαι* [*reprobari*], & convenit cum illo Eſaiæ נמס נפש [*contemtibilis anima*] XLIX, 7. Si verum eſt *Eliam omnia reſtituturum*, id eſt, quemadmodum Legisperiti interpretantur, effecturum ut à populo omnia Judaïca Meſſias gratis animis accipiatur, quomodo igitur conſtabit fides aliis vaticiniis quæ oſtendunt fore ut Meſſias *multa patiatur* (quod apertiſſimè dixit Eſaias), *& rejiciatur à primoribus populi* (quod David *διὰ τύπου* [*per typum*] ſignificavit,) imò cur Meſſias dicitur *Filius hominis*, quod nomen ſortem abjectam indicat? Simili modo *πῶς* [*quomodo*] ſumitur Matthæo XXII, 45.

13. *Ἀλλὰ λέγω ὑμῖν, Sed dico vobis*] Imò, inquit, tantum abeſt ut Eliæ operâ omnes Judæi ſint ad obedientiam Meſſiæ debitam perducendi, ut ipſe qui Elias dicitur debuerit à Judæis atrociſſima perpeti. ¶ *καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν, ſicut ſcriptum eſt de eo*] Cùm Baptiſtam *Eliam* vocet Propheta, hoc ipſo intelligi datur non defuturos ipſi Achabos & Iezabeles.

16. *πρὸς αὐτούς; ad ipſos*] Ita Syrus legit, Diſcipulos intelligens, quod omnino exigere videtur comma 14 ſuprà.

18. *ῥήσσει αὐτόν· ἀφρίζει, allidit illum: & ſpumat*] *Ῥήσσειν* & *συσπαράσσειν* [*elidere & diſſipare*], pro quo Marcus ſuprà capite I, 26. & hoc loco bis dixit *συσπαράσσειν* [*diſcerpere*], diſtinguit Lucas IX, 42. Et Syrus hic pro *ἀφρίζει* [*ſpumat*] legiſſe videtur *συσπαράσσει* [*diſcerpit*] cùm tamen *μετὰ ἀφροῦ* [*cum ſpuma*] ſit etiam apud Lucam. Puto *ῥήσσει* eſſe *ſolo allidit*, quomodo accepit Syrus & vetus Interpres Latinus. Tertullianus illud Matth. VII, 6. *μήποτε ῥήξωσιν ὑμᾶς* vertit, *ne vos evertant*, Ad uxorem II. Sic חרס Græci alibi vertunt *ῥηγνύναι* [*allidere*], alibi *καταβάλλειν* [*dejicere*]. & רוע alibi *ῥηγνύναι* [*allidere*] alibi *ῥίπτειν* [*projicere*] vel *ἰδιαφίζειν* [*ſolo illidere*]. Eſt autem ἔλλειψις [*defectus locutionis*] in illo *καὶ ἀφρίζει* [*& ſpumat*], ſubauditur enim *αὐτός* [*ille*]. ¶ *τρίζει, ſtridet*] חרק. ¶ *καὶ ξηραίνεται & arefcit*] *Tabeſcit* יבש, ut Zach. XI, 17.

20. *καὶ ἰδὼν αὐτὸν εὐθέως τὸ πνεῦμα, & videns eum ſtatim ſpiritus*] Omnino *ἰδὼν* [*videns*] conſtruendum eſt cum *πνεῦμα* [*ſpiritu*], nimirum *κατὰ τὸ σημαινόμενον* [*ſecundùm vocis ſignificationem*]. Perinde enim eſt quaſi diceretur *δαίμων* [*dæmon*] atque ita apparet Syrum accepiſſe. Similis conſtructio Joh. XVI, 13. ¶ *ἐσπάραξεν αὐτόν· diſcerpſit illum*] Syrus legiſſe videtur *ἔῤῥηξεν* [*allidit*], Latinus *ἐτάραξεν* [*conturbavit*]. Utrumque ab interpretamento natum videtur. ¶ *ἀφρίζων. ſpumans*] Videtur Syrus non intellexiſſe vocem *ἀφρίζειν* [*ſpumare*] hoc loco, & *ἀφρῷ* [*ſpuma*] apud Lucam, niſi fortè hîc *πρίζων* [*ſerratim ſecans*] & ſuprà *πρίζει* [*ſerratim ſecat*] legerit. Noſtram lectionem defendit Lucas; & rei convenit: eſt enim conjunctum id inſaniæ. Vide hiſtoriam quæ eſt 1 Sam. XXI. & ibi Joſephum; item Scriptorem libri *περὶ ἱερᾶς νόσου* [*De ſacro morbo*] qui eſt inter Hippocratea.

21. *Παιδιόθεν. Ab infantia*] Marcus *παιδίον* vocat etiam puellam duodecennem, ut apparet ſuprà v. 39, 42. Neque aliter hîc Syrus accepit, ut notavimus ad Matthæum. נער *παιδάριον* [*puerulum*] plerunque vertunt Lxx. At illud, quod indidem venit, נעורי Gen. VIII, 21. *ἐκ νεότητος* [*à juventute*].

22. *εἴτι δύνασαι, βοήθησον ἡμῖν, ſi potes, adjuva nos*] In paucis verbis & fidei aliquid elucet, & id ſanè exiguum: quod tamen Chriſtus non aſpernatur.

23. *Τὸ, εἰ δύνασαι πιστεῦσαι, Si potes credere*] *Ἐλλειπτικὸς λόγος* [*defectivum ſermo*] quem optimè ſupplebis addito *βοηθήσει σοι* [*juvabit te*]. *Confidere, ſi modò id potes, erit tibi ſaluti.* Ita infrà *ἡ πίστις σου σέσωκέ σε* [*fides tua te ſalvum fecit*]: niſi malimus *τὸ* hîc *περίλυπον* [*abundare*], quomodo ferme apud Lucam XXII, 2. ¶ *πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι. omnia poſſibilia ſunt credenti*] Omnia effici poſſunt (à Deo ſcilicet) in uſum confidentium.

24. *βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ· adjuva incredulitatem meam*] Quod fiduciæ meæ deeſt, bonitate tua ſupple. Nam ut augmentum fiduciæ ab Jeſu ſperaverit, & quidem ſubitò, vix credibile eſt.

25. *ἐπισυντρέχει, concurrentem*] Particula *ἐπὶ* puto motum ad locum ſignificari, ut ſenſus ſit, *concurrere ad ipſum*, quomodo ſumſit Syrus. ¶ *μηκέτι εἰσέλθῃς, & amplius ne introeas*] Id ideo, quia incurſus iſte dæmonis, ad exemplum lunatici morbi, ſua habebat intervalla.

28. *Διὰ τί, Quare*] Pro Τί ὅτι aut Διὰ τί, ut & ſuprà commate 11. Confer cum utroque Matthæi loca.

30. *παρεπορεύοντο, prætergrediebantur*] id eſt, *ἐκτὸς τῆς ὁδοῦ ἐπορεύοντο* [*extra viam ibant*], *diverticulo ibant, non viâ regiâ.* Solus enim eſſe cum Diſcipulis Chriſtus volebat. Eſt quidem *παρεπορεύεσθαι* interdum *prætervire*, aut etiam cum dativo *ad latus alterius ire*: ſed ut qui in eodem ſint itinere dicantur *παρεπορεύεσθαι*, id eſt, *unà iter facere*, non videtur *ἀναλογία* [*Ratio vocum ſimilium*] pati. Eodem quo hîc interpretor ſenſu Marcus *παρεπορεύεσθαι* [*extra viam ire*] & ſuprà uſurpavit II, 23. Nam & ibi Chriſtus per agros privatos non per viam publicam iter faciebat. Et ſic עבר [*transire* vel *prætergredi*] Græci vertunt *παρεπορεύεσθαι* Deut. II, 18. quanquam alibi ea voce laxiùs uſi.

31. *παραδίδοται εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, [traditur in manus hominum*] Puto rectè referri poſſe ad permiſſionem Dei Patris, quia dicitur *ἀνθρώπων* [*hominum*].

32. *Τὸ ῥῆμα, verbum*] Non de morte (nam ob eam triſtitiâ efficiebantur, Matth. XVII, 23.) ſed de modo mortis, violento ſcilicet, Luc. IX, 45. & ſimul de reſurrectione, ut ſuprà commate 11. Non intelligebant quomodo hæc cum vaticiniis de Regno Meſſiæ cohærerent.

34. *τίς μείζων· quis major*] Scilicet inter ipſos: id enim tacitâ primùm cogitatione, deinde & verbis inter ſe agitaverant. At à Chriſto invitati ut dicerent quid eſſet de quo diſceptaſſent, id quidem tacent, ſed generaliùs & honeſtiùs proponunt quæſtionem, Quis in Regno Meſſiæ maximus eſſet futurus, nulla ſui facta mentione.

35. *ἔσται, erit*] Hæc erit Regni mei conditio, ut qui maximas obituri ſunt functiones non majora percepturi ſint commoda, ſed plus toleraturi laboris in aliorum utilitatem. Vide Matth. XX, 26.

36. *ἐναγκαλισάμενος αὐτό, quem cùm complexus eſſet*] Vide infrà X, 16. Hebræum חבק Lxx vertunt *ἐναγκαλίζεσθαι* [*complecti ulnis*] Proverb. VI, 10. alibi vertunt *περιλαμβάνειν* [*circumdare*], ut II Reg. IV, 16. & Eccleſ. III, 5. Geneſ. XXIX. 13. alibi *συνέχειν ἀγκάλαις* [*continere ulnis*] Prov. V. 20. Non malè igitur vertitur *amplectens*. Neque enim erat tam parvus infans ut ulnis geſtandus eſſet, quippe qui vocatus à Chriſto accurrerit, ut ex Matthæo diſcimus. Imò Chriſtus puerum *juxta ſe conſtituit*, ut Lucas narrat IX, 47. Amplexu Chriſtus amorem teſtatus eſt quo ſimplicem ætatem & homines ad eam ſimplicitatem ſe componentes proſequitur.

37. *τῶν τοιούτων παιδίων, ex hujuſmodi pueris*] Metaphora ex comparatione: *Pueros* enim vocat qui puerorum inſtar ab ambitione & ſimilibus vitiis vacant. Vide ad Matthæum. ¶ *ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, & quicunque me ſuſceperit*] Matth. X, 40. ¶ *οὐκ ἐμὲ δέχεται, non me ſuſcepit*] *Μόνον* [*ſolum*] ex interpretamento adjectum, ſed frequenter ſolet in hujuſmodi bimembri oratione ſubaudiri: Gen. XXXII, 28. Joh. XII, 44. Alibi ſimilis ἔλλειψις [*defectus*] per *tam & quàm* rectiùs exprimitur; ut infrà XII, 11. Joh. VII, 16.

38. *ἐν τῷ ὀνόματί σου, in nomine tuo*] *Te nominans.* Formula enim erat exorciſmi, *In nomine Jeſu Nazareni egrede-*

re; ut & in ſanationibus, Actor. III, 6. Hæc autem formula, ſicut in fidelibus omnibus efficax erat ex Chriſti promiſſione (qua de re agemus alibi), ita interdum vim ſuam habebat etiam per minùs bonos pronuntiata, idque ad honorem Jeſu, ut ex Origene alibi oſtendimus. Videtur autem iſte de quo agit Johannes neque tam pravus fuiſſe quàm erant Scævæ filii, neque tamen ita addictus Jeſu ut ſe in ejus diſciplinam traderet; ſed medio affectu, non malè de Jeſu ſentiens; id enim ſignificare videntur Chriſti verba. ¶ ὃς οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν· *qui non ſequitur nos*] Non ſe adjungit noſtro comitatui, neque profitetur ſe tui gregis. ¶ ἐκωλύσαμεν αὐτόν, *prohibuimus eum*] Non invidiâ, ſed improvido in Magiſtrum ſtudio, ſimiles Joſuæ Num. XI, 28. nondum intelligentes illud quod dixit Paulus, παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ, Χριστὸς καταγγέλλεται· καὶ ἐν τούτῳ χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι [*Deum omni modo ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo*] Philipp. I, 18.

39. καὶ δυνήσεται ταχύ, *& poſſit citò*] Hoc δυνήσεται [*poſſit*] moraliter intelligendum. Vix enim reperietur homo tam vanus qui ſub idem tempus ſit obtrectaturus ei cujus nominis vi adversùm dæmonas utitur.

40. καθ' ὑμῶν, ὑπὲρ ὑμῶν· *adversùm vos, pro vobis*] Ita optimi codices, ita Syrus, ita Arabs, ita Latinus: quare mutari non debuit. Proverbium erat uſu communi tritum: quod primâ an ſecundâ an tertiâ perſonâ efferatur nihil refert: nam indefinita oratio eſt ad quosvis pertinens. Locum habet hoc adagium quoties res aliqua aſſumtis undecunque ſubſidiis promovenda eſt. Celebris eſt Caji Cæſaris vox, qui *medios* dicebat *ſibi ſuorum numero futuros*. Quomodo non pugnet cum eo quod dicitur Matthæi XII, 30. vide in inibi annotatis.

41. Ος γὰρ ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς, *Quisquis enim potum dederit vobis*] Vocula γὰρ [*enim*] videtur aliquam cum ſuperioribus cohærentiam requirere: nec obſtat quòd alio tempore Matthæus iſta recitat. Nam, ut aliis ſapientibus, ita Chriſto ſententiæ quædam erant adeò familiares ut eas ſæpe repeteret. Dixerat Chriſtus omnibus modis, id eſt, ut dicitur, velis remiſque, promovendum Euangelii negotium. Addit jam, ut id confirmet, etiam minima beneficia à quovis homine, etiam non rectæ fidei, ei negotio impenſa ſuam mercedem habitura, & contrà non impunè laturum qui vel minimum ei negotio impedimentum attulerit. ¶ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ὅτι Χριστοῦ ἐστε, *in nomine meo, quia Chriſti eſtis*] Meâ causâ, atque ideo quòd mei eſtis diſcipuli & miniſtri.

42. καλόν ἐστιν αὐτῷ μᾶλλον, *bonum eſt ei magis*] Συμφέρει αὐτῷ [*expedit ei*] Matthæus: λυσιτελεῖ αὐτῷ [*utile eſt illi*] Lucas; quibus locis μᾶλλον [*magis*], quod hic expreſſum eſt, ſubauditur. Neque dubito quin hîc καλὸν μᾶλλον [*bonum magis*] ſit ἄμεινον [*melius*], quomodo accipit & Syrus. Hebræi enim quia comparativis carent eos hoc modo circumloquuntur. Solet autem Marcus ἑβραΐζειν [*Hebraicas locutiones imitari*]. Sed & Græci ἄμεινον μᾶλλον [*magis melius*] dicunt, & καλὸν [*bonum*] ſuppreſſo μᾶλλον [*magis*] eodem ſenſu, ut hic quoque commatibus ſequentibus. Simile eſt, Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν [*Beatum eſt accipere magis quàm dare*] id eſt, μακαριώτερον [*beatius*], Actorum XX, 35.

43. εἰς τὴν ζωὴν, *in vitam*] Quam mox interpretatur βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*Regnum Dei*]. ¶ τὸ ἄσβεστον· *inextinguibilem*] Αἰώνιον [*æternum*] Matthæus; qui & ἄσβεστον [*inextinguibilem*] dixit alibi, III, 12. Vide locum Eſaiæ I, 31.

44. ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται. *vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*] Ipſa verba LXX Interpretum, ὁ γὰρ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτήσει, καὶ τὸ πῦρ αὐτῶν οὐ σβεσθήσεται [*vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*], Eſai. LXVI, 24. Videtur Propheta primo quidem adſpectu ſignificare toto iſto vaticinio, quod alibi ſæpe, Fore ut etiam Gentes Deo ſerviant; Judæorum contumaces miſerrimè perituros: Quod duabus comparationibus illuſtratur, *Ignis* quidem qui Dei iram flagrantiſſimam & non parcentem ſignificat, Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον [*Deus noſter ignis conſumens*] Hebr. XII, 29. Deut. IV, 24. eodemque modo idem Eſaias alibi de ſevero Dei judicio agens dixerat, *Noctu dieque non extinguetur, in perpetuum adſcendet fumus ejus: ab ætate in ætatem erit deſolatio*, & quæ ſequuntur XXXIV, 10. cum quibus verbis operæ pretium eſt conferre ea quæ in Epiſtola ſunt Judæ 7. deinde & *Vermis*, qui hærere cadaveribus ſolet donec planè ſint abſumta. Sicut autem vetera illa judicia prætulerunt generalis Judicii imaginem, ita Chriſtus optimo jure quod de illo tempore dictum eſt aptat in perpetua ſupplicia, quibus deſcribendis ipſa verborum proprietas, quod ſæpe in vaticiniis τύπον continentibus obſervatum jam eſt, mirè inſervit. Nam illud οὐ τελευτᾷ [*non morietur*] & οὐ σβέννυται [*non extinguitur*] in cladibus illis de quibus agit Eſaias, habet ſuum ſenſum pro ratione materiæ reſtrictum ac limitatum, in pœnis autem vitæ alterius alium καὶ τὸ κυριολογούμενον [*ſecundum proprietatem verborum*]. Αὐτῶν [*eorum*] hîc interpretor ex ſuperioribus, τῶν σκανδάλων οὐκ ἀποκοπέντων [*ſcandala non abſcindentium*], id eſt, eorum qui vitiis ſuis indulgent. Scriptor Eccleſiaſtici VII, 19. ἐκδίκησις ἀσεβοῦς πῦρ καὶ σκώληξ [*vindicta impii ignis & vermis*]. & Scriptor Judithæ XVI, 21. δῶναι πῦρ καὶ σκώληκας εἰς σάρκας αὐτῶν [*dabit ignem & vermes in carnes eorum*]. Unde apparet tritam fuiſſe inter Judæos ſententiam.

47. γέενναν τοῦ πυρός. *gehennam ignis*] Matth. XVIII, 9.

49. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται· καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. *Omnis enim igne ſalietur; & omnis victima ſale ſalietur*] Locus hic, qui multorum eruditorum torſit ingenia, multis de mendo ſuſpectus eſt. Memini virum incomparabilem Joſephum Scaligerum mihi dicere mutandam lectionem, & ſcribendum πᾶσα γὰρ πυρεία [*omnis enim ignitio*]. Volebat autem πυρεία [*ignitionem*] vocem eſſe novam à Marco confictam ad exprimendam vim vocis Hebrææ מנחה. Sed ea vox πυρεία [*ignitio*] neque apud Græcum neque apud Helleniſtam ullum legitur. Quod autem Hebræis eſt מנחה id ferme κάρπωμα [*decerptionem* ſive *oblationem*] ſolent vertere Helleniſtæ. Præterea ne quid mutare audeam abſterret tanta codicum conſenſio: neque verò neceſſe eſt, cum non deſit ita conceptis verbis ſenſus ſatis commodus & huic loco, ni fallor, optimè conveniens. Primùm igitur πᾶς hîc eſt *quivis*; ut Ariſtophani σίγα πᾶς, δεῦρο πᾶς, πᾶς ἕπου [*tace quivis, huc quivis, ſequere quivis*]. Sophocles,

Σὺν γὰρ Θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ κἀῤῥάϊσται.
[*Ita quisque ridet, aut flet, ut voluit Deus.*]

Lucæ XVI, 16. πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται [*omnis in illud vim facit*]. Deinde verò ſubintelligendum hîc αὐτῶν [*illarum*], ut ſignificetur quilibet eorum de quibus egit hactenus, qui ſcilicet pravis affectibus indulgentiam præſtant. Simile eſt illud Lucæ VI, 40. κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ [*perfectus autem omnis erit ſi ſit ſicut magiſter ejus*]. nam & ibi ex præcedentibus ſubintelligitur τῶν μαθητῶν [*diſcipulorum*]. Sic Euripides Hercule Furente,

—— πᾶς τ' ἀνίσχειν πήδα,
[—— *movet quivis pedem,*]

nempe τῶν παίδων [*puerorum*], de quibus egerat ſuprà: & apud Ariſtophanem Avibus, cùm dicit,

Χωρεῖ δ' πᾶς τις ἔνυχας ἡγκυλαμένος,
[*It quisque curvis unguibus ſeſe inferens,*]

ſubauditur ex his quæ præcedunt τῶν ἱεράκων [*accipitrum*]. & in Pace, πᾶς [*quivis*] ſcilicet τῶν γεωργῶν [*agricolarum*], de quibus ſermo. Jam verò ἁλίζεσθαι [*ſaliri*] eſt *conſumi*, quod non de ſalitis tantùm, ut fert vocabuli origo, ſed & de aliis rebus dicitur. Reſpondet enim Hebræo נמלח Eſai. LI, 6. כעשן נמלחו, Symmachus ὅτι οἱ οὐρανοὶ ὡς καπνὸς ἁλίσκονται [*quia cœli ſicut fumus ſalientur*, id eſt, *tabeſcent*]. Aquila; ὁ οὐρανὸς ὡς καπνὸς μειωθήσεται [*cœlum ut fumus minuetur*]. Hieroſolymitanus vertit יזרון *tranſibunt*. Hinc trita veſtimenta dicuntur מלוחים Jeremiæ XXXVIII, 11. ad verbum ἁλισθέντα aut ἁλισθέντα [*ſalita*]. Et Chaldæis & Arabibus מלח eſt *conſumere*: Homero quoque ἁλῶναι, *irritum reddere*. Jam autem conſumendi modus duplex; aut enim res tota perit, ut in his quæ igne conſumuntur: ignis enim nulli parti ſolet parcere, ſed πάντα ἐξανάλισκει [*omnia abſumit*], ut loquitur Philo libro De vita Moſis; aut parte aliqua conſumta ſervatur quod reliquum eſt, ut accidit in his quæ ſale condiuntur. Idem Philo περὶ κοσμοποιίας [*De mundi creatione*] ait τὰς ἅλας τοῖς κρέασι παραπαρῆναι ἵνα μὴ ῥᾳδίως φθείρωνται [*ſales carnibus adſpergi ne facile corrumpantur*); in libro autem περὶ τῶν εἰς θυσίας [*De iis quæ ad Sacrificia pertinent*] ſic ait, οἷς ἂν περιπεπαθῶσιν (εἰ ἅλες) διατηρεῖν [*quibus adſperſi fuerint ſales ea conſervant*]· & libro περὶ θυόντων [*De ſacrificantibus*] iterum, φυλακτήριον οἱ ἅλες σωμάτων [*ſales corporum cuſtodia*]. Notum illud quod ex Cleanthe Varro dixit, *animam ſuillo pecori pro ſale datam ne putſceret*. Et hujus rei causâ ſalem in ſacris Hebræorum uſitatum notavit doctiſſimus Abarbanel. Mos hic, ut & alii, ad Gentes quoque manavit. Servius ad VIII Eclogam, *Far pium eſt mola caſta, ſalſa: utrumque*

enim

enim idem ſignificat. Duplicem conſumendi modum illuſtrat Chriſtus noto exemplo duplicium θυσιῶν, id eſt, קרבנות [*oblationum*]. Nam harum aliæ conſtantes ex pecudum carne totæ quantæ erant in teſtimonium Divinæ gloriæ igne abſumebantur, ita ut ſupereſſet nihil; quæ vocabantur ὁλοκαυτώματα [*holocaustomata* ſive *holocauſta*, *uſta ſolida*]: de quibus agitur Levit. I. aliæ verò è ſimila ſale condiebantur, de quibus vide Præceptorum Jubentium LXII. eæque peculiariter vocantur θυσίαι [*ſacrificia*], ita enim habet lex Levitici II, 13. apud LXX, quos Marcus ſequitur, καὶ πᾶν δῶρον θυσίας ὑμῶν ἁλὶ ἁλισθήσεται [*Omne donum ſacrificii ſale ſalietur*]. Nam vocem מנחה [*Manaa*] LXX non hic tantùm ſed & alibi vertunt θυσίαν [*ſacrificium*], ut Geneſ. IV, 3. & Levit. VII, 9. Suidas, Μάννα (rectè monuit doctiſſimus Druſius legendum μαναὰ) θυτία. Neque verò hoc tantum Suidæ in loco is error ex vocum vicinitate reperitur, ſed & Jeremiæ XVII, 26. μάννα ſcribitur, cùm ex Hebræo appareat legendum μαναὰ [*manaa*]. quod & Hieronymus monuit. Sic Baruchi I, 10. ſcribitur μάννα, pro quo μαναὰ rectè legit Theodoretus. Idem error Jeremiæ XLVIII. ſecundum Græcam editionem: at rectè ſcriptum legitur Ezech. XLV. in fine: rectè etiam ſcribit eam Chryſoſtomus in ſecundo ad Theodorum ex Daniele II, 46. Impios igitur comparat Chriſtus τοῖς ὁλοκαυτώμασι [*holocauſtis*]: nam & ſuprà dixerat eos conjici εἰς πῦρ ἄσβεστον [*in ignem exſtinguibilem*]. Jam verò & τὸ πῦρ τῶν ὁλοκαυτωμάτων [*ignis holocauſtorum*] erat πῦρ ἄσβεστον [*ignis inexſtinguibilis*]. Philo περὶ θυόντων [*De ſacrificantibus*], Πῦρ ἐπὶ τῷ θυσιαστηρίῳ [*ignis in altari*] (agit de altari τῶν ὁλοκαυτωμάτων [*holocauſtorum*]) καυθήσεται ἀεὶ πᾶν τὸ ἄσβεστον [*ardebit perpetuò inexſtinctus*]. Ignis ille ſolebat tota ὁλοκαυτώματα absumere [*pecora uſta conſumere*], quo verbo non Philo tantùm utitur, ſed & Theophraſtus deſcribens Judæorum ὁλοκαυτώματα [*holocauſta*], citante Porphyrio: Sic & Dei ira adverſus impios eſt, ut diximus, πῦρ ἀναλίσκον [*ignis conſumens*], Deut. IV, 24. Hebr. XII, 29. Impenduntur ὁλοκαυτώματα [*holocauſta*] tantùm ut appareat jus ſummum Dei, nullo hominum bono: ſic & impiorum non alius erit uſus quàm ut materia ſint in quam ſe Divina juſtitia exerceat. Atque hinc eſt quod paſſim apud Prophetas impii Divinæ iræ deſtinati *victima* vocantur, Eſai. XXXIV, 6. Jerem. XII, 3. XLVI, 10. Ezech. XXI, 9, 10. XXXIX, 17. Adde Dan. VII, 11. At quibus pietas cordi eſt meritò comparantur τῇ θυσίᾳ [*oblationi*] ita ſpecialiter dictæ. Hi ſunt quos Paulus admonet παραστῆσαι τὰ σώματα θυσίαν ζῶσαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ [*exhibere corpora ſua ſacrificium vivens, Deo placens*], Rom. XII, 1. Et Petrus conſtitutos dicit πνευματικὰς θυσίας ἀνενέγκαι εὐπροσδέκτους τῷ Θεῷ [*offerre ſpiritualia ſacrificia accepta Deo*], Epiſt I, cap. II, 5. Atque eodem pertinent ea quæ apud Eſaiam leguntur, paulò ante verba à Chriſto jamjam citata, LXVI, 20. ubi eſt in Hebræo vox מנחה, in Græco θυσίας [*ſacrificii*]. Quo & illud Ignatii mihi videtur alludere, Ἄφετέ με θηρίων εἶναι βοῦμα, δι' ὧν ἔστι Θεοῦ ἐπιτυχεῖν· σῖτός εἰμι τοῦ Θεοῦ, καὶ διὰ ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος Θεοῦ εὑρεθῶ [*Sinite me eſſe ferarum eſcam, per quas datur Deo frui: Dei ſum frumentum, & per dentes ferarum molor, ut purus panis Deo reperiar*]. Nam מנחה, id eſt, θυσία [*ſacrificium*] ſpecialiter dictum erat ἐκ σίτου ἀληθιτοῦ [*ex frumento commolito*], id eſt, ex ſimila, ut diximus: & placentæ quæ inde fiebant מנחת Hebræis, ἄρτοι [*panes*] vocantur Græcè tum à LXX, tum ab Joſepho Originum III, cap. X. Non diſſimile quod τὰς ἀλεκτούς, τὰ πόπανα, τὰ πλακούντια [*molas ſalſas, liba, placentas*] vocari προθύματα [*præfecta*] notant ad Homerum & Ariſtophanem Scholiaſtæ. Talis autem θυσία [*ſacrificium tale*] ita demum Deo placet, ſi quicquid eſt putredinis, hoc eſt, malorum affectuum (quos σκάνδαλα [*ſcandala*] dixit Chriſtus) exedatur diligenti cura ac meditatione; quomodo Sal exedere ſolet putredinem. Sic ſermonem noſtrum Paulus Coloſſ. IV, 6. vult eſſe ἅλατι ἠρτυμένον [*ſale conditum*, id eſt, in quo nihil ſit σαπρὸν [*putre*], Epheſ. IV, 29. Et per Salem ſignificari Dei legem notant Hebræi ad Levitici I. Hanc animi ſalituram ſequitur animi ἀφθαρσία [*incorruptio*], ut Paulus loquitur Epheſ. VI, 24. Tit. II, 7. quæ animi ἀφθαρσία etiam corpori paritura eſt ἀφθαρσίαν [*incorruptionem*], Rom. II, 7. 1 Corinth. XV, 42, 50, 53, 54. II Timoth. I, 10. Ita totus homo conſumtis pravis affectibus in æternum conſervatur, cùm cæteros totus abſumat non deſiturum incendium. Idem ergo hîc dicit Chriſtus quod ſuprà, Partis jacturâ redimendum eſſe totum hominem. Omnino aliqua conſumtio homini debetur, aut per modum ſalituræ, aut per modum incendii: Hæc impiorum eſt, illa piorum.

50. Καλὸν τὸ ἅλας· *Bonum eſt ſal*] Salis factâ mentione aliam obiter Chriſti ſententiam Marcus adjicit; ſed in qua ſal non ipſum actum, ut ſuprà, deſignat, ſed eum hominem in quo actus iſte peragitur, Chriſtianum ſcilicet, qui non à ſe tantùm ſed & ab aliis arcere debet τὸ σαπρὸν [*quicquid putre eſt*]. Vide Matth. V. 13. ¶ ἅναλον γένηται, *quod ſi ſal inſulſum fuerit*] Μωρανθῇ [*evanuerit*, Matthæus & Lucas. ¶ ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε, *in quo illud condietis?*] Nullum aliud dogma eſt quod reparare eos poſſit qui à Chriſti ſalutari diſciplina deficiunt. Vide quæ ad Matthæum. ¶ Ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας, [*habete in vobis ſal.*] Hic redit ad priorem Salis ſignificationem. Eſt autem τὸ ἅλας [*ſal,*] ut diximus, attenta meditatio ad purgandos affectus, quos inter violentiſſimi ſunt Ambitio & Invidia: quorum occaſione in hunc ſermonem Chriſtus devenerat. ¶ καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις. *& pacem habete inter vos*] II Corinth. XIII, 11. I Theſſ. V, 13. Pacis ſtudium magna pars eſt ejus de qua hîc agitur purgationis.

CAP. X.

VALLA.

8. *Et erunt duo in carne una*] Græcè eſt caſûs accuſativi, *in carnem unam*, εἰς σάρκα μίαν. Quæ ſententia nonnihil videtur differre: aliud eſt enim, *Tu es mihi in filium*, & *in filio*. Quanquam hoc non auſim affirmare, quia nonnunquam videmus accuſativum Græcè poſitum pro dativo, ut paulò pòſt, 13. 16. *Et qui in agro eſt*, καὶ ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν ὤν, i. *qui in agrum eſt.*

9. *Quod ergò Deus conjunxit, homo non ſeparet*] Verbum de verbo transferendo; dicteremus *conjugavit*, συνέζευξε.

10. *Et in domo iterum diſcipuli ejus de eodem interrogabant eum.*

11. *Et dicit illis, Quicunque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.*

12. *Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur*] *Diſcipuli ſui* dicendum erat, non *ejus*, quia ſequitur *eum*. Quòd interpres unam vocem Græcam γαμήσῃ, γαμηθῇ variaverit per *aliam duxerit* & *alii nupſerit*, fateor rectè feciſſe: quia ad virum non pertinet *nubere*, etſi legamus, *Neque nubent, neque nubentur*, Matth. 22. 30. Quod variaverit μοιχᾶται per *adulterium committit* & per *mœchatur*, non probatur mihi, cùm præſertim hoc ipſum *mœchatur* ſit idem Græcum.

13. *Diſcipuli comminabantur offerentibus*] Interpres *comminari* pro *increpare* accipit, neſcio quo authore. Græcè autem plenè eſt *increpabant*, ἐνεβρίμων.

24. *Filioli, quàm difficile eſt*] Non eſt Græcè *Filioli* ſed *filii* ſive *nati*, τέκνα. Nam & paulò pòſt inquit, 29. *Qui reliquerit patrem aut matrem, aut filios*, τέκνα.

43. *Quicunque voluerit fieri major, erit veſter miniſter*] Gr. *Quicunque voluerit fieri magnus in vobis*, μέγας ἐν ὑμῖν. Et ratio in promptu eſt, quia ſequitur, 44. *Quicunque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus:* nam inter *majorem omnium* & *primum* nihil intereſt. Ergò qui vult eſſe magnus, ſit miniſter: quicunque verò maximus, vel primus, ſit omnium ſervus.

49. *Et vocant cæcum, dicentes ei, Animæquior eſto, ſurge; vocat te*] *Æquanimis* dicitur quis, non *animagnus*. Ergò *æquanimior* dicendum fuit, imò *æquanimis*, quia non habet comparativum, ac nè *æquanimis* quidem, quia verbum eſt, non nomen, θάρρει. Nec omnino ſignificatio reſpondet: nam aliud eſt *eſſe æquanimem* & *confidere:* dicimus enim *æquanimitatem*, quaſi patientiam, quòd æquo animo feramus. Meliùs apud Matthæum 9. 22. *Confide, filia*, θάρσει.

50. *Qui projecto veſtimento ſuo, exſiliens venit ad eum*] Parùm propriè dicitur *exſilire* nunc de cæco, quia non de loco ſuo in alium exſilit. Græcè dicitur *ſurgens*, ſive *cùm ſurrexiſſet*, ἀναστάς.

REVIUS in VALLAM.

13. *Planè eſt Increpabam*] Fortè legendum *planè*.

43. Μέγας ἐν ὑμῖν] Hæc diſceſſerant ad finem periodi.

50. *Cùm ſurrexiſſet*, ἀναστάς] At Vulgata legit ἀναπηδήσας, ideo vertit *exſiliens*. Ità & Bezæ vetuſtus codex.

ERAS.

ERASMUS.

1. *Ultra Jordanem*] Διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, quod magis sonat *per regionem*, sive *ripam*, *quæ est ultra Jordanem*. Etiamsi sensum expressit interpres.

8. *Et erunt duo*] Οἱ δύο, *qui duo fuerant*, ut intelligamus è duobus hominibus velut unum fieri. Nec est *in carne una*, quod sordidè quidam interpretantur de coitu, sed *in carnem unam*, ut & aliàs indicavimus.

9. *Quod Deus conjunxit*] Συνέζευξε *conjugavit*, si quis ad verbum malit reddere.

11. *Machatur*] Græcè est idem verbum quod modò vertit *adulterium committit*, μοιχᾶται. Quid autem est. ¶ *Super eam*] Ἐπ' αὐτὴν; Cur non potiùs *adversus illam*, sive *in illam*, h. e. in injuriam illius?

13. *Offerebant illi parvulos*] Παιδία *pueros*, sive *puellos*. ¶ *Comminabantur*] Ἐπετίμων *increpabant*. Mirum cur hanc vocem plerumque Interpres gaudeat vertere *comminabantur*, etiam refragante sententiâ.

14. *Sinite parvulos*] Τὰ παιδία *Puellos*, ut modò dictum est. Nec additur apud Græcos conjunctio, *Nec prohibueritis*. Vividius enim est, *Sinite*, *ne prohibueritis*. Anadiplosis sententiæ facit ad epitasin.

15. *Non introibit*] Οὐ μὴ εἰσέλθῃ. Condoplicata negatio vim addit futuri, aut certè modi potentialis.

16. *Et complexans*] Καὶ ἐναγκαλισάμενος *suscipiens eos in ulnas*, sicut paulò antè dictum est.

17. *Procurrens*] Προσδραμὼν *accurrens*. Interpres nisi dormitavit, legisse videtur προδραμὼν *præcurrens*. ¶ *Vitam æternam percipiam*] Κληρονομήσω· quod aliàs vertit *hæreditabunt*.

18. *Nisi unus Deus*] Εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός, *nisi unus*, *qui est Deus*, sive *nempe Deus*, ut articulus vim habeat velut interpretantis quis sit ille unus.

19. *Nec fraudem feceris*] Μὴ ἀποστερήσῃς *ne fraudaveris*. Fraudamus enim illum quem privamus re debitâ. Quanquam & qui spoliat, Græcis ἀποστερεῖ.

21. *Et intuitus eum Jesus dilexit eum*] Ἠγάπησεν αὐτόν. Origenes videtur legisse ἐφίλησεν, non ἠγάπησεν. Argumento est quòd homiliâ in Matthæum adducens hunc locum ità legit, *dilexit eum*, sive *osculatus est eum*. Neque enim ἠγάπησεν, opinor, ad osculi significationem potest pertinere. Cæterùm de dilectione nec apud Matthæum nec apud Lucam ulla fit mentio. Et fieri potest ut aliquis offensus vel ambiguitate vocis vel osculo adolescentis, ex ἐφίλησεν fecerit ἠγάπησεν, quanquam & in Græcis Lexicis invenio ἀγαπάζομαι pro *amplector*, sed ut amplectimur quod probamus, velut *amplectimur bonas literas*. ¶ *Et veni, sequere me*] Addunt hic Græci codices, ἆρας τὸν σταυρὸν *sublatâ cruce*, cùm tamen hoc non habeatur in veteribus cod. nec reperiatur apud alios Euangelistas, ut illinc huc asscriptum videri possit.

24. *Filioli*] Τέκνα *Filii*, sive *Nati*. Neque enim hîc est diminutivum, quemadmodum illud apud Paulum ad Galatas τεκνία μου *filioli mei*. ¶ *Confidentes in pecuniis*] Πεποιθότας *fretos* sive *fisos*. Etenim cùm *confidere* sit idem quod *fidere*, tamen *confidens* non idem valet, ut indicavit M. Tullius: nec videtur participium sed nomen, eóque ponitur absolutè; *homo confidens*, non *confidens mihi*. Hic satis aperit quos dixerit *divites*, non quibus divitiæ obrenerunt, sed qui juxta divitum vulgus multum tribuunt divitiis.

26. *Qui magis admirabantur*] Ἐξεπλήσσοντο *obstupescebant*: verbum Græcum est vehementius.

29. *Aut patrem, aut matrem*] Hoc loco Græci cod. addunt ἢ γυναῖκα *aut uxorem*. Quod tamen perperàm àquopiam additum vel hinc licet conjicere, quòd mox cùm repetit evangelistas, non addit *uxores*. Verisimile est *uxoris* nomen hic adjectum ex Matthæo & Luca. Verùm Marcus brevitatis studiosus sub nomine *domûs* judicavit contineri Uxorem. ¶ *Aut filios*] Τέκνα *liberos*, ut utrumque sexum complectaris.

40. *Ad dextram meam vel ad sinistram*] Ut sensus sit idem. Latinius est, *Sedere mihi à dextris, & sedere mihi à sinistris*. Nec est in Græcis *meum dare vobis*, sed solùm *non est meum dare*. Consentiebat cum Græcis codex Const. ¶ *Sed quibus paratum est*] Sermoni parùm absoluto adjecimus duo verba. Subauditur enim, *sed is sedebunt à dextris ac sinistris meis, quibus, &c.*

41. *Et audientes decem indignati sunt*] Ἠρξαντο ἀγανακτεῖν *cœperunt indignari*. Et sic habent vetusti cod. nostri.

42. *Et principes*] Καὶ οἱ μεγάλοι δοκοῦντες *magni illorum*: quod tamen haud malè vertit: nisi malis dici, *Et qui magni sint inter eos, aut magnates illorum*.

43. *Fieri major*] Μέγας *magnus*: & in hunc modum subinde citat Hieronymus. Allusit Christus ad vitam communem hominum, inter quos magnates & optimates è sublimi despiciunt infimates, nec præ se ducunt pro hominibus, cùm ipsis nihil sit abjectius, si velimus hominem suis æstimare virtutibus.

46. *Et proficiscente eo*] Καὶ ἐκπορευομένου *egrediente eo*. ¶ *Bartimæus*] *Filius Timæi* additum videri potest interpretandi causâ: nam id sonat *Bartimæus*. Hebræis enim בר *filius*, & *Timæus*: quemadmodum & BARTHOLOMÆUS, *filius Ptolemæi*, conflatis diversarum linguarum vocibus, & depravatâ, ni fallor, unâ aut alterâ literulâ. Cæterùm quod diximus de *Bartimæo* quidam miro cachinno prosequitur in suis Annotationibus, cùm id hausérim ex Hieronymi commentario in epistolæ ad Galatas cap. 4. In illum igitur suos cachinnos torqueat, non in me.

48. *Et comminabantur*] Καὶ ἐπετίμων *Et increpabant*.

49. *Animæquior esto*] Θάρσει *Bono animo esto*, sive *Confide*. Nec enim est comparativum sed positivum: & aliud est *fidere*, h. e. θαρρεῖν, quàm *æquo animo esse*. *Æquo animo est*, qui boni consulit ac tolerat; *Fidit*, cui certa spes est.

50. *Exsiliens venit*] Græcè non est ἐξαλλόμενος sed *assurgens*. Nam paulò antè dictus est *sedere juxta viam*. In Actis 3. 8. de claudo legitur ἐξαλλόμενος *exsiliens*. Nam ea vox ad miraculi magnitudinem declarandam facit, quia qui sanabatur adeò claudus erat ut à bajulis gestaretur. Hic in Oculis non in Pedibus miraculum est.

51. *Rabboni*] Rursus Hebræam vocem posuit, pronunciatione nonnihil mutatâ, cùm alibi *Rabbi* sit, quòd Hebræorum lingua Chaldæorum ac Syrorum commercio vitiaretur; quemadmodum & hodie Judæi RABBINI *Magistrum* vocant, sed insignem & eminentem. ¶ *Ut videam*] Ἵνα ἀναβλέψω *ut visum recipiam*.

51. *Et confestim vidit*] Ἀνέβλεψε *visum recepit*.

VATABLUS.

1. **Ultra Jordanem*] * *Per locum qui est*.

4. *Qui*] *Illi autem*.

5. *Ad duritiam*] Vel, *Ob duritiem*.

6. *Creatura*] *Creatione*: sub. *Viri & Fœmina*: vel, *à mundo condito*.

8. *In carne una*] *Una caro*: vel, *in carnem unam*: i. veluti unum corpus & unus homo.

11. *Super eam*] *In eam*: Vel, *adversùs eam*: h. e. in injuriam ejus.

13. *Parvulos*] *Puellos*. ¶ *Comminabantur offerentibus*] *Increpabant offerentes*.

15. *Non receperit Regnum Dei velut parvulus*] i. non susceperit Euangelium modestè & simpliciter.

16. *Benedicebat eos*] i. bene precabatur eis, eóque Deo commendabat.

17. *Via*] *Viam*, V. ¶ *Rogabat eum* *] * *Dicens*. ¶ *Percipiam*] *Hæreditate possidebam*.

21. *Sequere me* *] * *Tollens crucem*: Vel, *sublatâ cruce*.

22. *In verbo*] Vel, *ob illud verbum*.

24. *In verbis*] Hebr. pro, *ob verba*. ¶ *Filioli*] *Filii*.

25. *Transire*] *Ingredi*. ¶ *Intrare*] *Ingredi*.

26. *Qui magis admirabantur*, &c.] *Illi autem supra modum stupebant, dicentes intra se*.

29. *Aut matrem**] * *Aut uxorem*.

30. *Cum persecutionibus*] i. cùm calamitate ejus alienissima postulabit auxilium: vel, quantumvis sæviant tyranni.

32. *Venturæ*] *Eunturæ*, Vet.

33. *Et Scribæ, & Senioribus: & damnabunt*] *Et Scribis: & damnabunt*.

38. *Calicem*] Vide Matth. 20. 22.

40. *Vel*] *Et*. ¶ *Dare vobis, sed*] *Dare, sed*, &c. sub. *homines iis*: vel, *nisi quibus paratum est*. Vide Matth. 20.

41. *Indignati sunt*] *Cœperunt indignari*, Vet.

42. *Principari*] *Imperare*. ¶ *Dominantur eis*] *Imperium exercent adversùs illos*.

43. *Est autem in vobis*] *Autem erit inter vos*. ¶ *Vestrûm* * *fiet*] * *Eo vobis*.

44. *In vobis*] *Ex vobis*.

45. *Animam*] *Vitam*.

46. *Proficiscente*] *Egrediente*.

48. *Comminabantur ei*] *Increpabant eum.*

49. *Animaequior eſto*] *Confide*: vel, *Bono animo eſto.*

50. *Exiliens*] *Surrexit, &c.* ¶ *Eum*] *Jeſum.*

51. *Reſpondens*] Hebr. pro, *verba faciens*: aut, *alloquens eum.* ¶ *Rabboni*] Vox Chaldæa quæ ſignificat *magiſtrum.* ¶ *Videam*] *Viſum recipiam.*

52. *Vidit*] *Viſum recepit.*

CASTALIO.

21. AMavit] i. probavit: ut cùm dicimus, *Amo te*; h. e. Rectè feciſti.

37. *In tua gloria*] Cùm glorioſus regnabis.

CLARIUS.

14. TAlium enim eſt regnum Dei] Non dixit *horum*, ſed *talium*, h. e. qui moribus & vitâ horum puerorum innocentiam ſunt aſſecuti.

15. *Quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus*] Quo pacto? Cùm talis quis efficitur ad doctrinam Domini qualis eſt puerulus in diſciplinis, non contradicens, ſed fideliter ac obedienter documenta admittens. Sic Verſari more puerorum eſt, Non quærere antecellere aliis, ſed æqualitatem naturæ agnoſcere, ſed contentum eſſe pari honore cum iis qui aliqua in re videntur inferiores. Tales enim ſunt pueruli inter ſe, qui nondum aſſueti ſunt vitiis eorum quibuſcum verſantur.

28. *Ecce nos dimiſimus omnia*] Intellexit Petrus ex oppoſita re magna quædam bona aſſecuturos eos qui divitias relinquerent, idcirco pro iis qui hâc viâ eſſent ingreſſuri hæc interrogat.

30. *Cum perſecutionibus*] Vel, *in mediis ipſis perſecutionibus*: antè ſcilicet quàm peractum ſit certamen. Vel certè & ipſæ perſecutiones pars muneris eſt. Quod ſi cui inſolens videatur, meminerit ſcriptum, *Ibant apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii quòd digni habiti ſint pro nomine* JESU *contumeliam pati.* Certè *pati pro nomine* JESU exiſtimatum dignitatem?

32. *Et ſtupebant, & ſequentes timebant*] Si ſtupebant, ut apparet, quòd præcederet illos JESUS, videtur Dominus tunc majorem quandam quàm aliàs ſoleret præ ſe tuliſſe proficiſcendi alacritatem, idque cùm iret agendus in crucem: ut nobis exemplo eſſet ferendæ alacri animo crucis noſtræ. *Stupebant* ergò Diſcipuli novum hunc eundi morem, quare etiam *metuebant* quid eſſet ſecuturum.

50. *Projecto veſtimento ſuo*] Ut expeditior accederet. Sic faciendum eſt iis qui lumen accipere à Chriſto ex animo quærunt.

ZEGERUS.

6. FEcit eos Deus, & dixit, *Propter hoc*] Illud *& dixit* invenio in nonnullis antiquis, ſed non in Græcis. Origenes in Matth. 19. addit *& dixit.*

13. *Comminabantur offerentibus*] Pro *increpabant offerentes.*

15. *Quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus*] *Regnum Dei* ſeipſum dicit, h. e. vitam & doctrinam ſuam; quam ſuſcipere atque amplecti debemus non ſecùs atque pueri & benevoli auditores doctrinam atque juſſa capeſſunt ſui magiſtri, nihil addubitantes aut diſquirentes, ſed ſimplici animo quicquid ille vel docet, vel jubet, ſequentes.

21. *Unum tibi deeſt: Vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus*] Ex hoc loco haud obſcurè patet non ſatis eſſe ad obtinendam vitam æternam nudam obſervationem Decalogi, uti in Exodo deſcriptus eſt c. 20. ſed ſuperaddendam ad ipſius abſolutionem Dilectionem Dei & proximi, ſicuti declaratur partim Deut. 6. partim Lev. 19. Hoc enim illud eſt quod Chriſtus, qui Legem venerat declaraturus & abſoluturus, huic adoleſcenti teſtatur in obſervatione Legis defuiſſe. Conſtat enim quòd plùs amarit divitias quàm Deum, quòd plùs dilexerit commodum proprium quàm alienum, qui juſſus *vendere ac dare quæ habebat pauperibus à Chriſto abierit mœrens.* Relinquere ergò debemus bona hæc terrena quatenus nobis impedimento ſunt in obſequio Divino. Quòd ſi verò *divitiis affluamus, nec* tamen *cor illis apponimus*, juxta admonitionem Propheticam, & rectè eis novimus uti, hoc nobis implendum ſuaderur tanquam conſilium, non tanquam præceptum injungitur, uti copioſiùs docetur à Doctoribus Scholaſticis. ¶ *Veni, ſequere me*] Græci & codices & explanatores addunt ἄρας τὸν ςαυρὸν, ſed refragante Auguſtino.

28. *Et* poſt hæc *cœpit ei Petrus*]. Omittendum *poſt hæc* juxta Græcos & Latinos antiquos.

30. *Accipiet centies tantum in tempore hoc, domos & fratres*, &c.] Centuplum recipimus etiam in hac vita, tam quoad poſſeſſionem temporalium, ſive dum *tanquam nihil habentes*, juxta Pauli ſententiam 2 Cor. 6. 10. *poſſidemus omnia*, ſive dum per charitatem Euangelicam omnium efficimur conſortes bonorum; quàm quoad affinitatem, dum tot habemus conſanguinitate affinitateque conjunctos quot nobis ſunt Divinæ voluntatis cooperatores ejuſdémque profeſſionis Euangelicæ ſodales. *Quicunque enim*, inquit Dominus, Matth. 12. 50. *fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* ¶ *Cum perſecutionibus*] h. e. in perſecutionibus, ſive dum is qui ſua relinquit malè afficitur & affligitur.

32. *Et præcedebat illos, & ſtupebant, & ſequentes timebant*] Quod ſi dubitas unde timuerint, ſcito illis non ſemel à Domino auditum fuiſſe quo pacto *Filius hominis multa eſſet paſſurus*, ut videre eſt ſuprà c. 8, & 9. atque idem manifeſtum fieri ex iis quæ ſequuntur.

38. *Aut baptiſmo quo ego baptizor baptizari?*] *Baptiſmum* vocat ſanguinis effuſionem aſperſionémque. *Baptiſmus* enim *immerſionem* declarat.

46. *Filius Timæi Bartimæus*] *Filius* explicandi gratiâ additum eſt, id enim interpretatur *Bartimæus*, à בר quod Syris atque Chaldæis *filium* ſonat. D. Hieronymus, lib. De nominibus Hebr. pro *Bartimæus Barſemia* legendum indicat, ità inquiens, *Barſemia, Filius cæcus, quod corruptè quidam Bartimæum legunt.* Verùm hîc Hieronymus receptus non eſt, ſicuti nec in multis aliis in toto N. Inſtrumento.

39. *Animaequior eſto*] i. Bono ſis animo.

STEPHANUS.

¶ Κεφ. ι, Περὶ τῆς ἐπιτιμήσεως τῶν νηπίων.

Μάρκῳ ἐν τῷ Λατ. τμ. δ. Καὶ λέγει αὐτοῖς ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ [ἢ μετ' ὀλίγα] ἢ γὰρ λαλιᾷ αὐτῶν μεγάλη.

Οὐδὲ ἄνομοι ζαίτουσιν αἰῶνας πόντου ἐφύσαν.

Ἄθως,

Λαλιᾶτε τῶν ἀνόμων χρεῶ πανύστατα ἰμεναίῳ.

16. ENαγκαλισάμενος] *Cùm in ulnas accepiſſet.*

22. Σκυγνάσας] *Triſtitiâ correptus.*

23. Πῶς δυσκόλως] *O quàm difficulter.*

24. Ἐθαμβοῦντο] *Obſtupeſcebant.* ¶ Τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν] *Eos qui confidunt opibus*: vel, *freti ſunt opibus.*

30. Ἐὰν μὴ λάβῃ ἑκατονταπλασίονα] *Quin acceperus ſit centuplicia.*

35. Θέλομεν] *Cupimus.*

42. Κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν] *Dominantur eis, & magnates eorum poteſtatem exercent in eos.*

46. Προσαιτῶν] *Mendicans.*

DRUSIUS.

8. IN *carne una*] Senſus, *erunt caro una*, i. corpus unum, vel ut caro una. Nam revera non ſunt una caro, ſed q. una caro, i. unum corpus. Tacitus De morib. Germ. *Sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus unámque vitam*, &c. Tertullianus l. 5. adv. Marcion. *Aliam ſubſtantiam in homine non video poſt ſpiritum & animam cui vocabulum Corporis accommodetur præter carnem.* Proinde ubi *caro* eſt in textu Hebræo Græci LXX σῶμα interpretantur, Lev. 6. 10. Num. 8. 7. & Chaldæus interp. *corpus*, Pſal. 38. 7. Sic exponunt Cohel. 5. 6. *Ne peccare facias carnem tuam*, i. corpus tuum. Sic *caro piſcium*, i. corpus, Lev. 11. 11. & apud Apoſtolum. Hinc etiam diſces quid ſit *reſurrectio carnis*: Nam ſententia eſt ut ſi dicas *corporis*. Elegerunt tamen *carnis* potiùs quàm *corporis*, fortè propter corpora cœleſtia, quæ non reſurgunt: Quod notavit olim Hieronymus: cujus & illud, *Omnis caro eſt corpus, non omne corpus eſt caro.* Et, *Alia Carnis, alia Corporis definitio eſt. Caro eſt propriè quæ ſanguine, venis, oſſibus nervíſque conſtringitur*, &c. *Carnem* ergò dixit Moſes non partem eam corporis vulgò notam quam Græci σάρκα vocant, ſed totum corpus. Id Sapientes vocant *carnem hominis.* Nam *Homo eſt ipſa forma*, i. *anima*, Manahem in Moſen fol. 14. col. 1. Vocatur etiam *veſtimentum hominis.* Idem ibid.

ibid. ex lib. Zohar, *Corpus hominis vocatur* לבושא דגרמא *indumentum*, ſive *veſtimentum, hominis*. Vide Auguſtinum De civ. Dei, l. 14. c. 2. *In carne una* dicas an *in carnem unam* parùm refert: Nam interpretes promiſcuè ſic loquuntur. Sic *erunt in capite & in caput*. Malim tamen *in carnem unam*, quòd Græce ſit εἰς σάρκα μίαν. Sed & Græci promiſcuè dicitant πιστεύειν ἐν τῷ Θεῷ & εἰς τὸν Θεὸν, *credere in Deo & in Deum*. Sic ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ οὐκ ἐπίστευσε, *in ſanctis ſuis non credidit*. Valet autem *ut caro una*, vel certè *caro una*. Sed caro una eſſe non poſſe videtur cùm ſint duo. Ideo Chriſtus dicit, *Non ſunt amplius duo, ſed una caro. Caro*, i. *corpus*, aut *homo*. Mas enim & Femina ſimul q. unum Hominem faciunt, juxta illud, *Creavit Deus hominem, maſculum & feminam creavit eos*. Non dicit *eum*, ſed *eos*. Quod notandum vel propter eos qui dicunt *virum ſine uxore ſemihominem eſſe*, h. e. hominem dimidiatum duntaxat.

21. *Dilexit eum*, ἠγάπησεν αὐτὸν] *Amavit eum*. Sic etiam Syrus. Eraſmus annotat Origenem legiſſe videri ἐφίλησεν αὐτὸν, quod Latinè reddunt, *dilexit eum*, ſive *oſculatus eſt eum*. Sic enim certè legimus in ipſius verſione, hom. in Matth.

23. *Qui pecunias habent*] Vel *opes*. Nam χρήματα in fonte. Capiendum autem de iis qui fiduciam ponunt in opibus, iiſque ſerviunt, quos v. 24. vocat πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν, & alibi *ſervos divitiarum*; unde illud, *Nemo poteſt Deo ſervire & mamonæ*. Sic dico, Non damnat poſſeſſionem facultatum, ſed impiam fiduciam. Nam ut *bibere vinum* dicitur aliquando qui ſe eo inebriat, ſic *habere opes* qui in iis fiduciam ponit.

45. *Pro multis*] Pro omnibus. Sanè quod hic ἀντὶ πολλῶν, Apoſtolus 1 Tim. 2. 6. interpretatur ὑπὲρ πάντων. Nam hæc duo vocabula ſe invicem explicant. Sic Rom. 5. 19. *Per unum hominem peccatores conſtituti ſunt multi*, i. omnes. Nam *omnes ſumus filii iræ*, ait idem Apoſtolus Epheſ. 2. 3. Similiter Dan. 12. 2. *Multi ex dormientibus terræ pulveris expergiſcentur*. Iſa. 53. 11. *Notitiâ ſui juſtificabit multos*, i. omnes credentes. Act. 13. 39. *Omnis qui credit juſtificabitur*. Vulgò aliter hæc loca conciliant. Nam *pro multis* exponunt *quoad efficaciam*, h. e. pro credentibus: Sed hi multi non ſunt reſpectu aliorum. *Pro omnibus* autem exponunt *quoad ſufficientiam*: Sufficit enim mors Chriſti ad omnes, ſi crederent, ſervandos, nullo excepto.

46. *Filius Timæi Bartimæus*, ὁ υἱὸς Τιμαίου Βαρτίμαιος] Si vera hæc lectio, erit *Bartimæus* nomen proprium, cujus pater *Timæus* dictus ſit, ut ſi quis nomine *Bartholomæus* patrem habeat Tholomæum; qui & *Ptolomæus*; ut *Tholomais* dicimus & *Ptolomais*, quod eſt nomen urbis. Sunt qui putant illud υἱὸς Τιμαίου ex albo libri in contextum irrepſiſſe, & interpretamentum eſſe nominis *Bartimæus*. Sed ex ordine non vanè quis ſuſpicetur ab ipſo Luca adjectum eſſe, qui indicare voluerit nomen patris Bartimæi, ut moris eſt genti Hebræorum. Id eo probabilius mihi videtur, quòd ſciam multa nomina propria cognominaque apud Syros eſſe, quorum formatio à *Bar* voce, quæ apud eam gentem *filium* ſonat: Qualia ſunt *Barabbas*, *Barnabas*, *Barſabas*, &c. Hieron. in epiſt. ad Gal. inter ea numerat quorum nomina ſimul cum interpretatione leguntur, ut *Abba pater*, *Aſer divitiæ*, & alia ejus generis. Idem in lib. Nominum pro *Bartimæus* legendum putat *Barſemia*. Id valet, ut ſi dicas, *filius cæcus*, aut *cæci*. Verba quibus hoc dicit habentur in Nom. de Johanne; *Barſemia*, *Filius cæcus*; *quod & ipſum corrupte quidam Bartimæum legunt*. Syrus edidit, *Timæus filius Timæi*: quod ſcribit, *Timæi Bartimæi*, *Semſa*, qui nunc *Samſa*, i. סמסא, & *Seme*, i. סמא, *cæcum* ſignificat, quem Hebræi עור appellant. Ergò *Barſemia*, i. בר סמיא, quod nunc legunt *Barſamia*. Qualis variatio in *Malchiſedec* & *Melchiſedec*. *Timæi*, *Timæus*, ut *Tholmai*, *Tholmæus*. Ab eo eſt *Bartimæus*.

51. *Rabboni*] Jod ſervit formandæ voci, quale in *Rabbi*, *Magiſter*. Ut enim *Rab* & *Rabbi* dicimus, ſic *Rabbon* & *Rabboni*: Quæ nunc ſonant *Ribbi* & *Ribbon*. Antiquum ergò eſt *Rabbon*, & non mendoſum, ut Elias obſervat. Non enim magis vitium eſt in *Rabboni* quàm in *Rabbi*. Dandum hoc Eliæ archaiſmi minùs gnaro. *Ribbon* in frequenti uſu eſt, & de quovis domino uſurpatur. Nam quod Caninius annotat, *Ribbon* Syriacè dici *non quemvis dominum*, *ſed αὐτοκράτορα*, & *ſoli Deo propriè tribui*, ex multis locis Thargum refelli poteſt. Unum è multis nunc adducam; Exod. 21. *Si dominus ejus dederit ei uxorem*, ecce Onc. hic edidit רבוהי, pro eo quod in fonte מרה *domini ejus*, plur. pro ſing. ex idiotiſmo linguæ. Cùm de Deo loquuntur, dicunt ferè מרן כל עלמא *Dominus totius mundi*, ut eſt in Jonatha Joſ. 3. RR. quoque dicunt רבון שר עולם *Dominus ipſius mundi*. Fuit tempus cùm putarem ſcribendum רבני id valet *domine mi*, & pronunciatione antiquâ ſonat *Rabboni*, ut קרבנא *Corbona* in his libris. Sanè in Græca ſcriptura eſt Ῥαββουνὶ per ο μικρόν. Porrò רבן plus eſt quàm *Rabbi*, dicitúrque de iis duntaxat qui in ſcientia rerum excellunt, ſi Eliæ credendum. Et cur non credemus? cùm idem aſſerat Salmanticenſis Judæus, *Rabbi*, inquit, *minus eſt quàm Rabban*, Juch. 50. 1. &, *Rabban major eſt quàm Rabbi*, ibid. Idem ait *Rabban* peculiariter uſurpari de Principibus quos רשוים appellant, qui præerant Judicibus LXX; quorum ſenatum vocant *Synedrion majus* ſive *Sanhedri magnum*. Vide Juch. & 67. 1. item 48. 1. Vide annotata ad Joh. 20. verſ. 16.

CASAUBONUS.

1. Διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου] h. e. *iter faciens per eam regionem quæ eſt Galilææ reſpectu transjordanina*; vel, ſi admittimus Hebraiſmum in voce πέραν, *iter faciens ſecundùm Jordanem*. Neque enim trajicere Jordanem fuit neceſſe: & cùm dicatur magna turba Chriſtum eſſe comitata, neſcio an hæc interpretatio ſit probabilior. Sanè ſi huc pertinent, ut ſummi viri arbitrantur, quæ ſcribuntur Lucæ 9. ſic omnino fuerit interpretandum. Adde quòd regio ſecundùm Jordanem *Peræa* vocabatur, teſte Plinio; ut etiam ἀπὸ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου exponi fortaſſe poſſit ἀπὸ τῆς Περαίας. Cæterùm nihil affirmamus.

21. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ ἠγάπησεν αὐτόν] Videtur Origenes, cùm non ſatis concoqueret cur diceretur Chriſtus eum dilexiſſe quem narrant Euangeliſtæ auditis ipſius verbis ἀνεχώρησον *abiiſſe*, ἀγαπᾶν maluiſſe accipere pro *oſculari* quàm pro *diligere*. Sanè, cùm illa vox ſignificet interdum *contentum eſſe*, & *acquieſcere in aliquo*, etſi meritò inſolens videbitur ἡ ἐντολή, non diſpliceret tamen mihi ſi quis ità acciperet ut intelligatur Chriſtus ſignum approbationis dediſſe iſti juvenī qui Legis præcepta ſe ſervaſſe dixerat; q. dixerit Chriſtus, *Probo quod ais laudóque*; vel, *Factum bene*, aut aliud quid ejuſmodi. Sic facilè ſolvitur quod inepti homines colligunt ex iſto loco ſuper merito quod vocant *de congruo*.

42. Καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν] Κατεξουσιάζειν non eſt ſimpliciter *habere poteſtatem*, ſed *poteſtate uti tyrannicè adversùs ſubditos*, &, ſicuti explicat Theophylactus, ἐξουσιαστικῶς καὶ τυραννικῶς προσφέρεσθαι. Eſt autem inſolens valde locutio οἱ δοκοῦντες ἄρχειν pro *quibus placet imperare*: ut poſſit fortaſſe ſimpliciùs locus ità verti, *qui habentur pro Principibus gentium*, vel *qui agnoſcuntur Principes gentium*, h. e. Principes & Reges, & οἱ τῶν ἐθνῶν ἄρχοντες, ut interpretantur Græci. Lucas verò ſententiam totam paulò aliter extulit.

GUALTPERIUS.

25. Κάμηλον] Suprà expoſita vox κάμηλος, & ab altera parte, κάμιλος, diſtincta.

30. Ἑκατονταπλασίονα, *centuplicia*] Syrus, *unum in centum*, ſc. auctum. Hebraiſmus.

46. Υἱὸς Τιμαίου Βαρτίμαιος, *Filius Timæi Bartimæus*] Syrus, טימי ד טימי *Timæi filius Timæi*. Parens & filius cognomines.

51. Ῥαββουνί, *Rabboni*] Variè exprimitur hæc vox apud Euangeliſtas, ῥαββί, ῥαββοῦνι, ῥαββουνί, & hic ῥαββονί. Syriacè רבי RABBI, *Domine mi*. Vide Matth. 23. 8. & 26. 25.

GROTIUS.

1. Διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου *per ulteriora Jordani*] Τοῦ hîc ſumo ὑστερέως [*Neutro genere*]. Nam ita τὸ πέραν [*ultrà ſitum*] & alibi reperias, Matthæi VIII, 18, 28. XIV, 22. XVI, 5. Marci ſuprà IV, 35. V, 1, 21. VI, 45. VIII, 13. Lucæ VIII, 22. Per loca quæ vocabantur *uls* aut *propter Jordanem* ibat in eam uſque Judææ partem in qua eſt Ænon. Vide Johann. III, 22. X, 40. ¶ συμπορεύονται πάλιν ὄχλοι, *conveniunt iterum turbæ*] Undique convenientes; quod Matthæus dixit ἠκολούθησαν [*ſequebantur*], Johannes ἦλθον πρὸς αὐτόν [*venerunt ad eum*]. ¶ ἐδίδασκεν αὐτούς. *docebat illos*] Locum Johannis Baptiſmo nobilem & doctrinâ & miraculis faciebat nobiliorem, ipsâ rerum comparatione homines ad ſui admirationem excitans. Vide dicta loca Matthæi & Johannis.

2. Ἀπολῦσαι· *dimittere*] Scilicet *quavis de causa*, quod Matthæus expressit. Nam aliqua de causa quin posset non dubitabant.

3. Ὁ δὲ ἀποκριθείς, *Ille respondens*] Cùm Mosis auctoritatem afferrent pro divortiorum promiscuo jure, Christus urget ut ipsa Mosis verba recitent.

4. ἐπέτρεψε, *præscripsit*] Permisit repudiare dato libello, aut, quod eodem recidit & apud Matthæum est, repudiare volenti præcepit libellum dare.

5. τὴν ἐντολὴν ταύτην· *præceptum istud*] Ἐντολὴ generali significatu leges quascunque, etiam permittentes, significat. Nam & permissio obligat, primùm alios omnes ne tale quid impediant; deinde, si forma actui permisso addatur, obligat eum qui acturus est ne aliter agat.

6. Ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως, *Ab initio autem creaturæ*] Κτίσις [*creatio*] non *actum condendi* sed *res conditas* significat, quomodo accepit Latinus. Sic & infrà XIII, 19. & XVI, 15. & II Petri III, 4. Atque ita toti sex dies sunt ἀρχὴ κτίσεως [*initium creationis*], id est, τῶν κτισμάτων [*rerum creatarum*], cùm primus dies propriè sit ἀρχὴ τῆς κοσμοποιΐας [*initium fabricationis mundi*].

7. Ἕνεκα τούτου, *Propter hoc*] Subintellige λέγων [*dicens*].

8. *εἰς σάρκα μίαν· in carne una*] Ita LXX, quod non aliud significat quàm quod apud Matthæum est & hîc sequitur σὰρξ μία [*caro una*]. Nam apud Hebræos vox substantiva amat talem constructionem. ¶ ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ μία σάρξ. *itaque jam non sunt duo, sed una caro*] Id est, Ex isto Dei facto & verbis apparet æquum esse & Deo gratissimum ut conjugum individua sit copula, quasi in unum hominem coaluissent. Vide quæ ad Matthæum.

11. καὶ γαμήσῃ ἄλλον, *& aliam duxerit*], Quo facto offendit alienum se à reconciliatione. ¶ μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν. *adulterium committit super eam*] Matthæus ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι [*facit eam mœchari*]. *Facere delictum* dicitur qui causam dat delinquendi suâ culpâ: illi enim delictum meritò imputatur. Ita apud Deum adulterii tenetur qui expulsæ præbet impudicitiæ occasionem, ut alibi explicavimus. ἐπ' αὐτὴν [*super eam*], id est, isto facto quod in ipsam committit.

12. Καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς, καὶ γαμηθῇ ἄλλῳ, μοιχᾶται. *Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur*] Id prætereunt alii Scriptores, quia de eo minùs dubitabatur. Erant tamen quæ hoc auderent contra Mosis Legem. Sic Michol olim Davidem deseruit patre auctore, I Samuelis XXV, 44. Fuit & quæ libellum divortii marito mitteret. Josephus, Χρόνῳ δὲ διελθόντι, ἐπεὶ συνέβη τὴν Σαλώμην γαμεῖσθαι ᾧτινι Κανθάρῃ, πέμπει μὲν αὐτῷ γραμματεῖον ἀπολυούσης τὸν γάμον, ὡς ἐξ ἔθους τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις· ἀνδρὶ ὧδε ἔξεστι παρ' ἡμῶν τοῦτο ποιεῖν· γυναικὶ δὲ διαχωρισθείσῃ καθ' αὐτὴν γαμηθῆναι, μὴ δὲ πρότερον ἀνδρὸς ἀφίεντος [*Post tempus aliquod, cùm Salome adversùs Costobarum discordaret, illico libellum ei mittit ad dissuendum matrimonium, non sanè secundùm leges Judæorum: nam apud nos id jus marito est: uxori autem etiamsi sponte discesserit, alteri nubere non licet nisi mariti permissu*]. Salomes exemplum secuta erat Herodias. Mulier ergo, cùm domina sui non esset, si marito relicto ad aliud matrimonium se conferret, omnino adulterium committebat, non interpretatione aliqua aut per consequentiam, sed directè: ideo non debuit hîc addi ἐπ' αὐτόν [*super eum*].

15. ὃς ἐὰν μὴ δέξηται, *quisquis non receperit*] Pueri tabulæ rasæ conferuntur: tales esse oportet qui de dogmatis veritate sunt judicaturi. Propriè autem dixit Christus δέξηται [*receperit*], quia *suscipere in se Regnum cœli* dicebantur Hebræis qui Legi se subjiciebant: unde & Latini quidam veteres pro *Regnum Dei* hoc loco legebant interpretantes *verbum Dei*. Diximus aliquid de hoc Marci loco ad Matthæi XXVI, 29.

16. ἐναγκαλισάμενος, *complexans*] pan.

17. γονυπετήσας αὐτὸν, *genu flexo eum honorans*] Non movenda lectio: nam & suprà I, 40. est γονυπετῶν αὐτόν [*flexu genu eum honorans*]· Sic & προσκυνῶν [*adoro*] modò tertium regit casum, ut Matth. II, 2, 8, 11. & alibi sæpe; modò quartum, Matth. IV, 10. Lucæ IV, 8. XXIV, 52. Johann. IV, 22.

19. Μὴ ἀποστερήσῃς· *Ne fraudem feceris*] Vide quæ ad Matthæum.

21. ἠγάπησεν αὐτὸν, *dilexit eum*] Amat Christus non virtutes tantùm, sed & semina virtutum, suo tamen gradu; illas ut remuneret, hæc ut foveat atque excitet, ni homines sibi ipsis obstent. Sic externa Achabi pœnitentia in aliquid valuit, I Regum XXI, 28. Potest & ἠγάπησε sumi pro *laudavit*, aut *benignè affatus est*, more Græcorum Interpretum, Cantic. I, 3.

I, 4. II Paralipom. XVIII, 2. ¶ ἄρας τὸν σταυρόν. *crucem subiens*] Certus ex professione hujus disciplinæ multa tibi incommoda eventura. Vide Matth. X, 38.

22. συγνάσας, *vultum contrahens*] Cùm sequatur λυπούμενος [*tristatus*], videtur mihi συγνάσας ad vultum magis quàm ad animum pertinere, quasi dicas *fronte nubila*. Nam & ἔαρινὸς συγνάζων [*cælum turbidum*] est apud Matth. XVI, verf. 3.

23. περιβλεψάμενος, *circumspiciens*] Gestu aliquid eximium aut dicturi, ut hîc, aut facturi, ut Luc. VI, 10.

24. τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασι, *confidentes in pecuniis*] Causam reddit cur vix recipiant salutaria dogmata divites, quia spem ac fiduciam suam in divitiis ponunt, eóque defigunt animum in res hujus ævi. Hoc est quod Paulus dicit ἐλπίζειν ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι [*sperare in incerto divitiarum*], I Timoth. VI, 17. ὄζειν τι τύχῃ πλούτου [*opibus adhærei fastus*], inquit Euripides. Consummatur hîc doctrina inchoata in Psalm. XLIX.

26. Καὶ τίς, *Et quis*] Τίς ἄρα [*Quis ergo*], Matthæus: sed Marcus, ut diximus, gaudet Hebraismis. Hebræis autem copula inter alias significationes istam quoque complectitur. Similis ejus usus Genes. II, 3. collato loco Exodi XX, 11. Psa. CXVI, 2. Lucæ I, 42. collato loco Lucæ XI, 27.

27. ἀδύνατον, *impossibile est*] Τοῦτο [*hoc*] addit Matthæus: sed ipsa res loquitur de ea re Christum agere de qua proximè erat locutus, de divitum perductione ad Regnum cœleste. ¶ ἀλλ' οὐ παρὰ τῷ Θεῷ· *sed non apud Deum*] Quod difficillimum est spectato communi rerum cursu, id facilè efficit Deus, cùm ipsi libet insolitâ efficacitate uti.

29. ἢ γυναῖκα, *aut uxorem*] Agnoscit Syrus & codices: neque inducendi causam video. Nam quòd in sequenti commate Uxorum mentio non repetitur, haud adeò mirum est, cùm ex cæteris quæ memorantur κατ' ἀναλογίαν [*per proportionem*] hoc quoque posset intelligi. Fortè & ideo omisit Marcus, quod restitutio Uxorum posset calumniosam interpretationem admittere magis quàm cætera. Nam & Julianus hoc irrisit, ut monet Theophylactus. Ergo cùm cæteri affectus memorantur, Uxor non memoratur; hinc discimus Uxoris jacturam expletum iri restitutione omnium officiorum quæ ab uxore præstantur, excepto eo quod nisi ab uxore præstari non potest.

30. μετὰ διωγμῶν, *cum persecutionibus*] Bene hoc addidit Marcus, ne felicitatem temporariam nobis promissam imaginemur. Solatia promittuntur, non deliciæ. Et vel hoc unum evincit malè adduci hæc Christi verba ad probandam illam plenissimam & incorruptam Mille annorum in terris felicitatem.

32. ἦν προάγων αὐτοὺς, *præcedebat illos*] More intrepidi Ducis. ¶ ἐθαμβοῦντο, *stupebant*] Magnam illam animi fortitudinem certæ morti se offerentis admirabantur. ¶ ἐφοβοῦντο. *timebant*] Pro se solliciti. Cur enim suspecta nobis hæc lectio esse debeat nihil causæ video. ¶ ἤρξατο αὐτοῖς λέγειν, *cœpit illis dicere*] Id est, ἔλεγε [*dixit*]· nam dixerat & antè; sed nunc iterum monet. Ita verbum ἄρχεσθαι [*incipere*] abundat Lucæ VII, 38. & alibi sæpe.

33. ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα, *ecce adscendimus Hierosolyma*] Postremum hoc iter instituimus, illud de quo sæpe jam dixi vobis. Hoc vult ἰδού [*ecce*].

34. Καὶ ἐμπαιχθήσεται αὐτῷ, *Et illudent ei*] Nempe οἱ ἄνθρωποι [*homines*]· id est, impersonaliter, *illudetur ei*.

35. Λέγοντες, *dicentes*] Per matrem. Simile loquendi genus observavimus Matth. VIII, 5. ¶ Θέλομεν, *volumus*, sive *vellemus*] Vide suprà VI, 25.

42. οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, *qui honorem habent imperandi*] Δοκεῖν hîc est *in honore esse*, ut Galat. II, 2. & 6. & Euripidi Hecubâ, illi ἐκ τ' ἀνδρὸς ἀγνῶτος [*ex ignobili*] opponitur κἀκ τῶν δοκούντων [*ex nobili*] Constructio autem similis illi in Susannæ historia commate 5. ἐκ πρεσβυτέρων κριτῶν οἱ ἐδόκουν κυβερνᾶν τὸν λαὸν, [*ex Senatoribus judicibus quibus honor evenerat populum gubernandi*]. ¶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν, *magni eorum*] Id est, qui inter ipsos Principes eminent, ut ad Matth. diximus.

45. Καὶ γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *Nam & Filius hominis*] Rex ibius Regni quem imitari debetis.

46. Ἔρχονται εἰς Ἰεριχώ· *veniunt in Jericho*] Omnes diras Christus solvit; etiam illas Josuæ VI, 26. ¶ υἱὸς Τιμαίου Βαρτίμαιος, *filius Timæi Bartimæus*] Timæi satis noti hominis filius; unde vulgò πατρωνυμικῶς [*à patre*] appellabatur בר־טימי [*Bartimæi*]. Sic Petrus vocabatur בר־יונה [*Barjona*]; Alius בר־תולמי [*Bartholmæi*]: Magus ille in Actis XIII, 6. בר־ישוע [*Barjesu*]. Quod alicubi legisse se dicit Hieronymus *Barsemia*, puto non alterius significatus sed corruptæ esse pronuntiationis.

47. ὁτι

47. ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖός ἐστι, *quia Jesus Nazarenus est*] Nempe ὁ παραγόμενος [*qui præteribat*]: *quod is qui præteribat esset Jesus Nazarenus.* Hic iterum impletur vaticinium Esaiæ de quo suprà VII, 35.

50. ἀναστὰς, *surgens*] Ita & Syrus. Quare non dubito quin alterum ἀναπηδήσας [*exsiliens*] substitutum sit in codicibus Græcis mutatis ad Latinum exemplar; quod aliquot locis factum observavimus.

51. Ῥαββονί, *Rabboni*] Ita pronuntiabant, pro quo alibi ῥαββουνί [*Rabbuni*]. Simile est ῥακὰ [*raca*] pro ῥικά [*rica*]. Vocabantur hoc nomine eximii Doctores, ut Judæi tradunt, & apparet Johannis XX, 16. ¶ ἵνα ἀναβλέψω. *ut videam*] Videtur mihi hic ἀναβλέπειν esse βλέπειν: nam & his convenit qui nunquam antè visum habuerunt, Matth. XI, 5. XX, 34. Luc. XVII, 22. Johann. IX, 18.

52. Ὕπαγε· *Vade*] Annuentis vox hoc loco, ut Matth. VIII, 13. ubi de hac re egimus. ¶ ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. *fides tua te salvum fecit*] Familiare Christo enuntiatum, Matt. IX, 22. suprà V, 34. Lucæ VII, 50. VIII, 48. XVII, 19. XVIII, 42. ¶ ἐν τῇ ὁδῷ. *in via*] Palàm demonstrans oculis se uti, cum per se ambularet, solitus alieno ductu regi.

CAP. XI.

VALLA.

25. ET *cùm stabitis ad orandum*] Neque eleganter dicitur *stabitis ad orandum*, neque Græco respondet, quod ita ad verbum transfertur, *Cùm steteritis orantes*, ὅταν στῆτε προσευχόμενοι.

30. *Baptismum Johannis de cœlo erat, an ex hominibus?*] Ità parùm curæ est hominibus servare loquendi proprietatem, ut cùm dicatur *baptismus*, & *baptisma* etiam, tertium addunt *baptismum*, ut iterum superiùs admonui. Græcè nunc *baptisma* est, βάπτισμα.

REVIUS in VALLAM.

30. TErtium addant, BAPTISMUM] *Deflomachatur hoc loco Laurentius Valla*, inquit Erasmus, *nec sine causa, licèt ignarus, ut apparet, Augustinum ità frequenter loqui, & adeò frequenter ut non possit prætexi scriptoris error. Sic enim loquitur tract. in Johann. 4. in c. 1.* Itaque non duravit diu baptismum Johannis. *Rursus tractatu proximo*, Illi enim nullum baptismum erat necessarium: *ac mox*, Quoniam ergò Johannes acceperat baptismum, quod propriè Johannis diceretur. *Iterum paulò inferius*, Tale erat baptismum Johannis. *Nec alibi tamen* (puto redundare vocalem *nec* ob causam quam mox dicam) *raro idem facit. Etiamsi & in homiliis Origenis semel atque iterum sic positum offendimus; & apud Irenæum: ut appareat eruditos in hoc populi imperitia gessisse morem.* Rectè hæc Erasmus: nam Augustinus tum maximè hoc vocabulo utitur cùm ad populum verba facit, ut in Johannem, & in Psal. 50. p. 488. Interdum etiam in calore disputationis adversario imperitè loquenti se accommodat; ut Contra lit. Petil. l. 2. p. 101, 107. l. 3. p. 183. Contra Cresconium etiam sæpenumero. Vide lib. 2. p. 224. l. 4. p. 304, 331, 465, 484, 494, 629, 1127. l. 83. Quæst. p. 568. In elaborationibus verò scriptis vel nunquam vel raro eo utitur. Frequens etiam multò antè fuit id vocabuli apud Cyprianum; ut in Conc. Carthag. *Cùm non sit baptismum nisi in Ecclesia unum*: & sæpius. Ità Expositio Symboli qui Ruffino tribuitur, *Utrumque enim baptismum nominatur.* Auctor libelli De propriis personis, &c. Athanasii operum tomo 2. infartus, p. 404. Auctor epistolæ De scientia Divinælegis, Hieronymi tomo 4. p. 59. Hieronymus in Ezech. 16. p. 420. *Accipiant baptismum salutare*, &c.

ERASMUS.

1. ET *cùm appropinquarent Hierosolymæ*] Hic Græcus codex addit *Bethphage*; ut sint tria loca, *Hierosolyma*, *Bethphage*, *Bethania*. Siquidem mons Oliveti duobus passuum millibus abest ab Hierosolymis, in cujus latere est Bethania, Bethphage in ipso monte sita est.

3. *Quid facitis?*] Τί ποιεῖτε τοῦτο; *Cur facitis hoc?*

7. *Et sedit super eum*] Nonnulli Græci cod. habent ἐπ' αὐτῷ; ut sit asinus, aut certè pullus asinæ: nonnulli ἐπ' αὐτὴν, *super illam*, ut sit asina femina: quod posterius consentit cum Matthæo.

11. *Cùm vespera esset hora*] Ὀψίας ἤδη οὔσης τῆς ὥρας, *cùm vespertinum jam esset tempus.* Siquidem *horam* Græcè loquendi pro *tempore* posuit.

12. *Et alià die*] Καὶ ἐπαύριον *postridie*, sive *postero die.*

13. *Siquid forte*] Εἰ ἄρα εὑρήσει τι *siquid inventurus esset.* Conjunctionem expletivam vertit in *forte*, idque suo more, sed nullius eruditi hominis exemplo. Quorsum enim attinebat addere *fortè*, cùm Dominus planè speraret cibum, aut certè volebat videri sperare.

21. *Cui male dixisti*] Ἧν κατηράσω *quam devovisti*, sive *quam exsecratus es*, sive *cui male precatus es.*

22. *Habete fidem Dei*] Bonâ fide Græca reddidit Interpres πίστιν Θεοῦ. Cæterùm sentit *fiduciam erga Deum.*

23. *Tollere & mittere*] Ἄρθητι καὶ βλήθητι. Passiva sunt imperativi modi.

25. *Cùm stabitis ad orandum*] Καὶ ὅταν στήκητε προσευχόμενοι, *Cùm steteritis deprecantes.* Ex quo apparet olim stantes precari solitos. ¶ *Peccata vestra*] Augustinus lib. De civ. Dei, 21. c. 27. annotavit vim & emphasim hujus pronominis *vestra.* Nam intelligi peccata non quælibet, aut quamlibèt gravia, sed ejusmodi sine quibus non vivunt etiam probi, quales tum erant Apostoli quibus hæc dicuntur.

26. *Quòd si vos non dimiseritis*] Hæc in Græcis plerisque cod. non adduntur; nec Theophylactus legit aut interpretatur. Videri potest huc asscriptum ex Matth. 6.

29. *Unum verbum*] Ἕνα λόγον *unum sermonem*, potius hoc certè loco.

30. *Baptismum Joannis*] Βάπτισμα *Baptisma*, sive *Baptismus.* Cùm enim habeamus *hoc baptisma* & *hunc baptismum* à Græcis, quorsum opus erat confingere barbaram vocem tertiam, *hoc baptismum*? Adeò nihil interesse putant quidam quomodo loquantur. Hujusmodi ferme destomachatur hoc loco Laurentius Valla non absque causa, licèt ignarus, ut apparet, Augustinum ità frequenter loqui, & adeò frequenter ut non queat prætexi scriptoris error. Sic enim loquitur tractatu in Joannem 4. in c. 1. *Itaque non duravit diu baptismum Joannis.* Rursus tractatu proximo, *Illi enim nullum baptismum erat necessarium.* Ac mox, *quoniam ergo Joannes acceperat baptismum, quod proprie Joannis diceretur.* Iterum paulò inferius, *Tale erat baptismum Joannis.* Nec alibi tamen raro idem facit. Etiamsi & in homiliis Origenis semel atque iterum sic positum offendimus; & apud Irenæum: ut appareat eruditos in hoc populi imperitiæ gessisse morem.

32. *Timemus populum*] Ἐφοβοῦντο τὸν λαὸν, *Timebant populum.* Atque ità habent vetustissimi cod. Latini, nominatim exemplar Paulinum & Const. In Corsend. videre erat etiamnum rasuræ vestigium. Offendit autem castigatorem persona durè subitòque mutata: quasi verò hoc esset novum in Euangelistis. Id incommodi vitari poterat mutatâ sermonis figurâ, *metuendus est nobis populus*; aut mutatâ alterius verbi personâ, quemadmodum nos fecimus, *At si dixissent, Ex hominibus.* ¶ *Quia vere Prophetam*] Ὅτι *quòd*, potiùs quàm *quia*; & *fuisset* potiùs quàm *esset.* Opinor enim Joannem jam fuisse mortuum, ex ipsius Marci narratione.

VATABLUS.

1. ET *Bethaniæ*] *Ad Bethphagen & Bethaniam.* ¶ *Mittit*] *Emittit.*

2. *Contra vos est*] *E regione vobis.*

3. *Quid facitis *?*] * *Hoc.* ¶ *Domino necessarius est*] *Dominum eo opus habet.*

4. *Ante*] *Juxta.*

5. *Dicebant*] *Dicebat*, Vet. ¶ *Quid facitis solventes pullum?*] i. Quid facere vultis ubi solveritis pullum?

6. *Dimiserunt eos*] *Sinebant eos.*

7. *Imponunt*] *Imposuerunt.*

8. *Straverunt*] *Sternebant.*

9. *Hosanna*] Vide Matth. 21. 9. ¶ *Qui venit in nomine Domini*] i. quem misit Dominus.

10. *Regnum **] * *In nomine Domini. Regnum* pro *Rege*, ut Dan. 8. ¶ *Patris nostri David*] i. qui Davidi patri nostro fuerat promissus: vel, *regnum*, *inquam*, *filii patris nostri David.* ¶ *Excelsis*] *Altissimis*: i. qui in altissimis habitas.

11. *Jerosolymam **] * *Dominus, &c.*

12. *Alià die cùm exirent*] *Postero die cùm exissent.*

13. *Tempus*] *Tempestivitas.*

14. *Respondens**] **Jesus.* ¶ *Jam non amplius*] *Ne posthac.*

17. *Et venium**] **Iterum.*

18. *Omnibus gentibus*] i. etiam alienigenis, 3 Reg. 8. 41. ubi dicitur, *Insuper & alienigena*, &c.

19. *Egrediebatur*] *Egressus est.*

20. **Transierunt*] **Juxtà.*

22. *Fidem Dei*] i. fiduciam erga Deum.

23. *Quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei*] *Quòd quæ dixerit fient, erit illi quicquid dixerit.*

24. *Quia accipietis*] *Quòd accipietis.*

25. *Stabitis ad orandum*] *Steteritis deprecantes.*

29. *Unum verbum*] Hebr. pro *rem unam:* vel, *de re aliqua.*

30. *Baptismus*] *Johannis.* Vide Matth. 22. 25.

31. *Dicet**] **Nobis.*

32. *Si*] *At si.* ¶ *Timemus*) *Timebant*, Vet. Mutatio personæ Hebraïs frequens, pro *timemus.* ¶ *Habebant Johannem*] Hebr. pro, *omnes Johannem verè Prophetam esse credebant.*

CASTALIO.

3. *Dimittet*] Adduci sinet.

CLARIUS.

2. *Super quem nemo adhuc hominum sedit*] Ut intelligas omnia hæc mysterii tantùm gratiâ fieri, non quòd tum primùm jumento egeret ad iter.

11. *Et circumspectis omnibus*] Ut qui omnium esset Dominus.

ZEGERUS.

6. *Et dimiserunt eos*] Hoc respondet Græco: & tamen nonnulli legunt *eis*, subaudientes *pullum dimissum sibi.*

11. *Circumspectis omnibus*] Nimirum iis quæ erant atque gerebantur in ipso Templo, ut congruo tandem tempore ea ipsa redargueret; id quod postridiè fecit, uti liquet ex sequentibus. Sic edisserit Euthymius. At Glossa ordinaria seu interlinearis supplet, *si quis eum hospitio susciperet.*

13. *Non enim erat tempus ficorum*] Hoc dicens Euangelista insinuat Dominum non maledixisse ficui propter ipsam, sed propter gentem Judaicam in ficu designatam, cujus jam tempus aderat ut fructum adferret, Sole Christo jam mundum præsentiæ & gratiæ suæ calore fœcundante. Tractat hunc locum Paulinus ad Desiderium.

25. *Ut & Pater vester qui in cœlis est dimittat vobis peccata vestra*] Ab hoc loco in Græcis codicibus integra deest oratio, quæ videtur incuriâ scribarum omissa, qui ferè labi solent quoties eadem dictio diversas claudit sententias. Cujusmodi lapsus aliquot cernere est in codice Corsend. Quod autem hic subsequitur hoc est, *Quod si vos non dimiseritis*, &c. usque ad *peccata vestra.* Tandem in codice quodam addi tum reperi, his verbis, Εἰ δὲ ὑμεῖς οὐκ ἀφίετε, οὐδὲ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἀφήσει τὰ παραπτώματα ὑμῶν· Καὶ ἤρχοντο, &c.

32. *Si dixerimus, Ex hominibus, Timebant populum*] Beda & cod. vulgares habent *timemus*; Græci verò & aliquot vetusti, *timebant.* Subaudiendum est τὸ *dicere*, ut ab hoc regatur illud, *Timebant populum.* Præcessit enim, *Si dixerimus, De cœlo, dicet, Quare ergò non credidistis ei? Si dixerimus, Ex hominibus, dicet, Timebant populum.* Hæc est germana & scriptura & intelligentia.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ιϛ, Περὶ τῶν λεγιῶνος.

Μάρκος ἐν τῷ Δαϛ. τμ. ϛ, Καὶ ἦλθον εἰς τὸ πέραν τῆς θαλ. εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδ. ϗ ἐξελθ. αὐτῷ ἐκ τῶν πλοίων, ἐνθέως ἐπέγν. αὐτῷ ἐκ τῶν μνημ. ἀνθρ. ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, ὃς τὴν κατ.

Δαιμονίης κακότητος ἐκύκλωσε ἕδρια σοῦν.
Ἄλλος,
Δαιμονίων πλῆθος, λεγιῶνος ὃ ὄνομα ἔιχε,
Χοίρων σώματ' ἴδυ, ἀπὸ σώματος ἀνδρομέοιο.

2. Ὑπάγετε εἰς τὴν κώμην τὴν κατέναντι ὑμῶν] *Abite in vicum qui est vobis e regione.*

4. Ἐπὶ τῇ ἀμφόδῳ] *In bivio.*

5. Τί ποιεῖτε λύοντες τὸν πῶλον;] *Quid facitis cùm solvitis pullum?* i. Quæ vobis facti vestri ratio est, cùm solvere auditis?

8. Στοιβάδας] *Frondes.*

22. Πίστιν Θεοῦ] *Fidem in Deum.*

23. Μὴ διακριθῇ] *Non hæsitaverit.*

DRUSIUS.

1. *Beth phage*] De hoc loco diximus Matth. 21. 1. quæ non itero. Perperàm Βηθ-σφαγὴ in libris, quod sonat *domum mactationis.* Alii putant *Phage* positum pro *Phege*, ut *Pharets* pro *Pherets*, *Phaleg* pro *Pheleg*, & interpretantur *domum fontis.* Nam נגיא *fons.* Syrus habet בית תגא. ¶ *Bethaniam*] Βηθανία non tam vicus aut villa quàm certus tractus montis Oliveti, in quo domus Lazari, quem ideo Euangelista *Bethanienſem* dicit, ubi & *vicus Mariæ ac Marthæ*, Joh. 11. 1. In lib. Interpretationum *Bethania*, *Domus afflictionis ejus*, i. עניה. Nam *afflictio* עני dicitur. Malim ego, *Domus* sive *Locus afflicti*, i. עניא, qui Ebraicè עני, quod vetustâ interpretatione *pauperem* denotat. בית autem est locus, unde בית תפוחא Θεοῦ. Aliàs expositi, *Domus ovium.* Sed tum potius diceretur *Anaja*, i. עניא, si modò hic puralis in usu, de quo adhuc dubito. Nam à ע forma emphatica esset ענא. Id Ebræis est צאן, & plurali caret. Quod adagium Thalmudicum attinet, עניא בתר עניא, putarim legendum ענא *Anaja*, *ut dicat*, *Oves post oves.* Sed nihil affirmo. Si in ulla re, in hac certè adhuc ἐπέχω. Quin eò labor ut credam mendum esse in posteriore עניא, & pro eo reponendum ענוותא, ut dicat, *Afflictum sequitur afflictio.* Vide Adagia mea Deut. 4. adag. 1.

9. *Hosanna*, Ὡσαννά] *Hosanna* an *Osanna* scribas parùm refert. Nam Syri aspirationem Ebræorum leniter efferre solent, dicentes ושענא, quod in eorum lingua sonat, *Serva nos:* sed Ebraicum est הושענא contractum ex הושיעה, sive הושיעא, & particula נא, quæ *nunc*, aut *quæso*, significat: unde rectè Græci reddunt, Σῶσον δή, *Opitulare nunc*, aut *obsecro*, *quæso.* Locus est Psal. 118. unde id sumptum arbitrantur, הושיעה נא, נא הושיעה quem laudat Eusebius Ἀποδείξ. libr. 9. per hæc verba, Τὸ δὲ Εὐθραϊκὸν, inquit, Ἄνω Ἀδοναὶ Ὡσαννὰ εὐλόγει. Ex quo emendabis Chrysostomum Hom. 11. in Marc. Nam ubi vulgò *Jehova Hoschiahna*, legendum absque ullo dubio *Adonai Hosanna*, vel certè *Hosiana.* Verba sunt, *Quod enim dicitur in editione LXX*, Ὦ Κύριε, σῶσον δή, *in Ebræo habetur*, ADONAI HOSANNA, *i. DOMINE*, SALVUM FAC, OBSECRO. Nam adduci non possum ut credam Chrysostomum aliter scripsisse. Sic apud Hieron. Comment. in Psalmos, ubi corrector Marianus posuit *Jehova*, in veteribus Erasmi legitur *Jao:* Quam lectionem veram esse non dubito; siquidem *Jehova* inauditum ante hæc tempora nomen. Porrò germana interpretatio, Σῶσον δή, vel Syriacè *Serva nos.* Cæteræ quæ leguntur apud Theologos veteres, adulterinæ sunt; ut, μεγαλεῖον ἀνεκφράστου, apud Justinum, pag. 255. *hymnus*, apud Euthymium monachum Sigabenum; *vox lætantis*, apud Augustinum De doctrina Christ. l. 2. p. 18. *redemptio domûs David*, apud Hilarium Matth. 21. Rursum Augustinus tract. 51. in Johan. *Vox autem obsecrantis est Osanna, sicut nonnulli dicunt qui Ebræam linguam noverunt, magis affectum indicans quàm rem aliquam significans, sicut sunt in lingua Latina quæ Interjectiones vocant, velut cùm dolentes dicimus, Heu! vel cùm delectamur, Vah! dicimus; vel cùm miramur dicimus; O rem magnam! tunc enim O nihil significat nisi mirantis affectum. Quod ideo credendum est ità esse, quia neque Græcus neque Latinus hoc interpretari potuit, sicut illud,* QUI DIXERIT FRATRI SUO, RACA: *nam & hæc interjectio esse perhibetur affectum indignantis ostendens.* Autor operis imperfecti in Matth. *Hosanna quidam interpretantur Gloriam & Redemptionem; alii, Salvifica, vel Salvum fac.* Beda in Matth. *Notandum quòd* HOSANNA *verbum Ebraicum compositum est ex corrupto & integro. Salvanamque, sive Salvifica, apud eos dicitur* OSI: ANNA *verò est interjectio deprecantis, ut Heu apud Latinos dolentis, Papæ admirantis,* &c. Nomen hoc alia duo præterea significat. Nam erat precatio quæ dicebatur *Hosanna*, unde נוחלה ענוותא *Hosanna magnum*, sive *majus.* Et *Hosanna* dicuntur fasciculi salicum, ut in Thargum Esther, *Faciunt sibi Hosanna:* & in Thalmude, cap. *Lulab hagazul*, *Qui nactum hosanna*, i. fasciculos salicum. Legitur & ענוותא in numero multitudinis. Glossographi *salices* interpretantur. Sed Caninius annotat transferri etiam ad aliarum arborum ramos, quos in festo Tabernaculorum gestabant,

ſtabant, ut ſunt cedrorum, palmarum, myrtorúmve. Vide ipſum in Locis N. Teſt. cap. 21. Munſterus in Notis quas edidit in exemplar Ebraicum Matthæi Euangeliſtæ, capite 21. *Decima quinta Thebſi, i. Septembris, vocabatur Dies ſalicum, i.* הושענא: *eo die clamabant Hoſanna geſtantes ramos ſalicum*, &c. Vide nunc, ſodes, annotata ad Joh. 12. 13.

15. *Cepit ejicere*] Sunt qui putant Chriſtum hoc phis ſemel feciſſe. Vide notas Joh. 2. 14. & Matth. 21. 12. & Luc. 19. 45. Vide quoque doctiſſ. Iſaacum Caſaubonum adv. Baronium, pag. 450. Vide quæ ſcripſimus Act. 1. 1. ad *Quæ cepit Jeſus facere & docere*. Nam fortè ſententia hic eſt, *Ejecit vendentes & ementes*.

25. *Cum ſtabitis ad orandum*] Nam ſtantes precabantur: unde תפלה *ſtatio* pro ipſa *precatione* ſeu *oratione*. Et legimus in Manahemo, 52. 3. *Non eſt ſtatio niſi precatio*, ad locum, *ubi ſteterat Abraham ante* DOMINUM. Senſus eſt, Ubi preces fuderat. Quod notavi antea, & nunc itero propter ea quæ vir doctus ad hunc locum annotavit, quæ parùm ſolida ſunt. Non poteſt nimiùm dici quod bene dicitur. Sæpe inculcanda eadem propter rudiores. Jer. 15. 1. *Si ſteterint coram me Moſes & Samuel*, precantes videlicet. Job. 30. 20. *Sto, & conſideras me*, i. precor, aut oro. Vide Notas.

30. *E cælo*] A Deo. *Cælum* pro *Deo* poni notius eſt quàm ut probari debeat. Sic, *Peccavi in cælum*: & Poeta, *Cælo gratiſſimus amnis*, i. Deo, aut cœlicolis. Quò referri poſſet & illud, *Cæli numen adorant*; ut ſenſus ſit, Dei numen adorant. Quanquam emendant, *cæli lumen*; neſcio an bene.

CASAUBONUS.

8. Ἄλλοι δὲ στιβάδας ἔκοπτον ἀπὸ τῶν δένδρων] Glоſſarium vetus, Στοιβὴ, *Stipatio*, *Stramentum*. Στιβὰς, *Stramentum*. Interpretes vertunt *frondes*; non malè cum ſequatur ἀπὸ τῶν δένδρων: propriè tamen id ea vox non ſignificat.

17. Ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν] Huc pertinet, quòd Judæorum templa, ſive loca in quibus ſynagogas ſuas habere ſolebant inter Gentes, *Proſeuchæ* dicebantur: Juvenalis ſatyrâ 5.

—— *in qua te quæro proſeucha!*

Et in hiſtoriis proſeucharum incendia ſæpe leguntur.

GROTIUS.

1. Εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν, *ad Bethphagen & Bethaniam*] Utrius loci meminit Syrus, ut & Thalmudici. Quod aliqui libri habent Βηθσφαγὴ puto eſſe ex corrupta pronuntiatione: nam ת Hebræum declinat ad ſonum ס *s*.

2. ἐφ' ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε· *ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit*] Bene monet vir doctiſſimus ad ſacros uſus ſolitas adhiberi animantes nondum humanis uſibus mancipatas: *Injuges* Latini vocabant, ut apud Feſtum & Macrobium eſt. Vide hiſtoriam 1 Samuelis VI, 7. Ovidius,

Bos tibi, Phabe, ait, ſalis occurret in arvis
Nullum paſſa jugum, curvique immunis aratri.

Seneca,

—— —— *Juſſus erranti*
Comes ire vacca, quam non flexerat
Vomer, aut turdi juga curva plauſtri.

Μόχθῳ ἀδάμαντον πίτνων [*vitulus indomitus cadens*] eſt in Phœniſſis Euripidis.

5. Τί ποιεῖτε λύοντες τὸν πῶλον; *Quid facitis ſolventes pullum*] Id eſt, *Quorſum eum ſolvitis?* Idem loquendi genus Actorum XXI, 13.

8. στιβάδας] *Stramen* ſignificat apud Helleniſtas. Hinc στοιβάσουσι ξύλα ἐπὶ τὸ πῦρ, καὶ στοιβάσουσι οἱ υἱοὶ Ἀαρὼν οἱ ἱερεῖς τὰ διατεταμένα [*ſtruem lignorum imponent igni, & filii Aaronis Sacerdotis ſtruem facient de membris ſectis*], & quæ ſequuntur, Levitici 1, 7, 8.

10. βασιλεία τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαβίδ. *Regnum patris noſtri David*] Quod hic ex ſuperiore commutate quidam codices repetunt ἐν ὀνόματι Κυρίου [*in nomine Domini*] vetus non eſt, ut præter Syrum Latinus docet. Sed habet Arabs, cujus ſeriorem eſſe verſionem multis indiciis apparet.

11. ὀψίας ἤδη οὔσης τῆς ὥρας, *cùm jam ſera eſſet hora*] Ὀψία [*ſera*] adjectivè dici auctor eſt Phrynichus: atque ità hîc acceperim. Sic ſuprà ὥρας πολλῆς γενομένης [*cùm ſatis hora multa fieret*].

12. τῇ ἐπαύριον, *poſterâ die*] Ita & Polybius loquitur. ¶ ἐπείνασε. *eſuriit*] Salutem populi Judaici in Ficu figurati. Tempus enim non erat anni quo ficus fructum ferret. Non ergo arborem ſpectavit in hoc facto, quæ ſi infrugifera eſt, non minùs culpâ caret vernо aut æſtivo quàm hyberno tempore.

15. ἤρξατο ἐκβάλλειν, *cæpit ejicere*] Id eſt, ἐξέβαλε [*ejecit*], quomodo verbum illud πλεονάζειν [*abundare*] ſuprà annotavimus X, 32. Videntur enim viri eruditi rectè colligere, antea quoque rem ſimilem à Chriſto factam, quæ à Johanne narretur, præterita ab aliis ob facti ſimilitudinem.

16. διενέγκῃ σκεῦος, *transferret vas*] Κατὰ τὸ ὑποκείμενον [*ex ſubjecta materia*] intelligi debet σκεῦος [*vas*] ad quæſtum faciendum pertinens.

18. ἐφοβοῦντο γὰρ αὐτὸν, *timebant enim eum*] Refero ad verbum ἐζήτουν [*quærebant*]; quod ſollicitudinem ſignificat. Solliciti igitur dicit fuiſſe *quia ipſum metuebant*, id eſt, multitudinem eorum qui ipſum magni faciebant. ἐφοβήθησαν τοὺς ὄχλους, inquit Matthæus, ἐπειδὴ εἰς προφήτην αὐτὸν εἶχον [*timuerunt turbas, quoniam ſicut Prophetam eum habebant*]. Idem planè dicit Lucas XIX, 47, 48. qui conſiliorum ἀπορίαν [*perplexitatem*] accuratiùs deſcribens addit, οὐχ ηὕρισκον τὸ τί ποιήσωσιν [*non inveniebant quid facerent illi*].

19. ἐκπορεύετο ἔξω τῆς πόλεως. *egrediebatur de civitate*] Ne quam noctu in urbe inquieta rerum novarum occaſionem præſentiâ ſuâ daret aut dare videretur.

20. παραπορευόμενοι, *tranſirent*] *Cùm ficum præterirent*, ut & Matth. XXVII, 39. οἱ δὲ παραπορευόμενοι [*prætereuntes autem*]. *Adambulandi* vox non videtur mihi rectè uſurpari ubi non de amne aut ſimili re extenſa, ſed de arbore agitur.

22. πίστιν Θεοῦ *fidem Dei*] Id eſt, εἰς τὸν Θεὸν [*in Deum*] ſimile eſt

—— *generis fiducia veſtri*,

& *fiducia artis noſtræ* apud Tullium. Sic Actor. III. 16. Ἐπὶ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ [*in fide nominis ejus*]. & Galat. II, 20. ἐν πίστει τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ [*in fide Filii Dei*].

23. ὃς ἂν εἴπῃ τῷ ὄρει τούτῳ, *quicunque dixerit huic monti*] *Montes* in Prophetis ſæpe ut & Apoc. VIII. 8. ſunt magna Imperia. Senſus hoc loco eſt, Si fidem Deo haberet populus Judaicus, Romanum jugum ab eo auferretur.

25. στήκητε προσευχόμενοι, *cùm ſtabitis ad orandum*] Vide Matth. VI, 5. 6. ¶ εἴ τι ἔχετε κατά τινος· *ſi quid habetis adverſus aliquem*] Jus conquerendi de aliquo. Vide quæ ad Matth. V, 23.

26. Εἰ δὲ, *Quòd ſi*] Cur hoc quidem loco δὲ magis cauſſaliter quàm oppoſitè accipi debeat ſanè non video. Itaque rectè vertiſſe mihi videntur Syrus & Latinus.

27. καὶ πρεσβύτεροι· *& Seniores*] Quod additur in libris quibuſdam λαοῦ ex veteri interpretamento eſt, nam nec Syrus nec Latinus agnoſcunt. Cæterùm qui ſint πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ [*Seniores populi*] alibi diximus.

32. ἐφοβοῦντο τὸν λαόν· *timebant populum*] Vide ſuprà VII, 12. ¶ εἶχον Ἰωάννην ὅτι ὄντως προφήτης ἦν. *habebant Joannem quia verè Propheta eſſet*] Conſueta conſtructio fuerat, ut apud Matthæum, ἔχουσι τὸν Ἰωάννην ὡς προφήτην [*habent Joannem pro Propheta*], aut ἐδόκουν καὶ Ἰωάννην ὅτι ὄντως προφήτην ἦν [*de Joanne ſic exiſtimabant, eum verè Prophetam eſſe*]. Nunc duo loquendi genera miſcuit, atque ita conſtructionem fecit πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad id quod ſignificatur*].

CAP. XII.

VALLA.

6. *Adhuc ergò unum habens filium charissimum*] ſuperiùs dixi, poſitivum eſt, non ſuperlativum, *dilectum*, ἀγαπητόν.

14. *Et non curas quenquam*] Significantiùs transfertur ad verbum *non eſt tibi cura de quoquam*, οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός. ¶ *Non enim vides in faciem hominum*] Maluiſſem nunc ego dicere *in perſonam hominum*, h. e. in conditionem, differentiam, qualitatem hominum, εἰς πρόσωπον. ¶ *Licet dare tributum Cæſari, an non dabimus?*] Manifeſtus error ſcripturæ ob ſubtracta verba. Græcè enim eſt, *Licet dare cenſum Cæſari, an non? demus, an non demus?* Ἔξεστι φόρον καίσαρι δοῦναι, ἢ οὔ; δῶμεν, ἢ μὴ δῶμεν;

15. *Qui*

15. *Qui sciens versutiam eorum*] Nescio cur Interpres formidavit hoc loco dicere *hypocrisim*, ὑπόκρισιν, cùm frequenter dicat *Hypocritas*; cùm præsertim *hypocrisis* sit magis *simulatio* quàm *versutia*. Nec est *Qui sciens*, sed *Ille autem sciens*, ὁ δὲ εἰδώς.

31. *Diliges proximum tuum tanquam teipsum*] In Matthæo est *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Non semper observat Interpres differentiam inter *sicut* & *tanquam*, seu *velut*. Est autem *sicut teipsum* hoc quod *sicut teipsum diligis*; *tanquam* verò *teipsum*, sive *velut teipsum*, idem est quod *tanquam*, sive *velut*, *tu ille esses*. Utrum autem sit verius, Hebræus interrogandus est: nam Græcus non habet, ut nos, distincta adverbia, ὡς.

40. *Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius judicium*] Sicut alibi Interpres unum verbum diversis Latinis transfert, ità nunc diversa Græca transfert uno Latino, *prolixum*. Græcè autem est, *Qui devorantes domos viduarum, & prætextu multa orantes*, sive, *& prætendentes longam precem: hi accipient amplius*, sive *abundantius*, *judicium*, Οἱ κατεσθίοντες τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι· οὗτοι λήψονται περισσότερον κρίμα.

R E V I U S in V A L L A M.

24. D*Eumus, an non demus?*] De hac phrasi locuti sumus in Matth. 13. 14. Cæterùm Erasmus *opinatur Latinam lectionem esse veriorem. Alioqui*, inquit, *bis idem quæritur in priore parte*, Licet dare? & Dabimus? Imò (quod non advertit Erasmus) utrobique est repetitio, Ἔξεστι δοῦναι, ἢ οὔ; δῶμεν, ἢ μὴ δῶμεν; quæ cùm, teste Beza, sit in omnibus codd. &, fatente Erasmo, apud Theophylactum quoque, omnino retinenda est. Porrò non sunt planè idem, Ἔξεστι δοῦναι; & δῶμεν; i. δώσομεν; ut accipiendum monuimus loco citato: alterum enim de jure interrogat, alterum de eo quod Christus ab iis fieri velit: quæ duo conjungunt, ut eum magis urgeant.

15. *Magis* Simulatio *quàm* Versutia] Erasmus suspicatur interpretem legisse ὑπομονήν· sed rectè Beza, ὑπόκρισιν, ex Luc. 20. 23.

40. Καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι] Totum hoc deorat, non Vallæ (is enim hæc in versione sua habet) sed exscriptorum culpâ.

E R A S M U S.

1. P*Aſinavit*] Ὤρυξεν *plantavit*. Vox à *paſtino* dicta, quæ declarat instrumentum bifurcum quo semina panguntur: unde vites sterilescentes cùm refodiuntur dicuntur *repaſtinari*. ¶ *Et fodit lacum*] Ὑπολήνιον, in quod excipitur liquor uvarum.

4. *In capite vulneraverunt*] Λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν *jactis lapidibus capitaverunt*, ut ad verbum reddam; h. e. *contriverunt caput*. Verùm quoniam Interpres vidit illum rediisse vivum, vertit *vulneraverunt*, nè putaretur exstinctus. ¶ *Et contumeliis affecerunt*] Καὶ ἀτιμάσαντες ἠτιμωμένον *remisserunt affectum contumeliâ*, seu potiùs *ignominiâ*. Nam *contumelia* magis in verbis est.

6. *Charissimum*] Ἀγαπητὸν *dilectum*. ¶ *Quia revorebuntur*] Ἴσως ἐντραπήσονται, *Forsitan revorebuntur*. Quanquam nonnulli Græcorum cod. habebant ὅτι pro ἴσως. Sic enim legit Theophylactus & editio Hispaniensis. Certè Latini cod. vetusti habent *quia* pro *fortè*: quæ lectio magis mihi probatur. Nec enim est consentaneum diffidere eum qui mittit filium unicum. Et ὅτι, quanquam Latinè reddi non potest hoc loco, tamen apud Græcos vim habet confirmandi.

11. *A Domino factum est istud*] *Istud* referendum est ad *caput*, aut certè ad *angulum*, id quod sermo Græcus indicat, εἰς κεφαλὴν γωνίας. Παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη, *in caput anguli. A Domino factum est hoc*, subaudi *caput*, nisi malis *angulum*: de quo dictum est in Matthæo. Illud extra controversiam est, αὕτη Theophylacto referri ad *angulum*, quam interpretatur Ecclesiam, quod utrumque populum connectat in fide Christi. Hieronymus enarrans Psalmum 118. unde hoc desumptum est testimonium, legit, *factus est iste*: ut ad *lapidem* & *Christum* referatur. ¶ *Mirabile*] Θαυμαστὴ. Et hoc ad *caput* sive ad *angulum* refertur; quemadmodum *factum est*.

13. *Ut eum caperent*] Ἀγρεύσωσι *raperent*, sive *venarentur*. Et cur non potiùs *in sermone* quàm *in verbo*, cùm Græca vox *sermonem* significet magis quàm *verbum*?

14. *Non curas quenquam*] Οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός, *non est tibi cura de quoquam*: tametsi Græcis ἀδενὸς vel ad *hominem* referri potest, vel ad *rem*; h. e. *non curas ullum hominem*, aut *non curas rem ullam*: quanquam quod sequitur indicat ad *hominem* magis esse referendum, quòd alii verum reticerent nè quosdam offenderent. ¶ *In faciem hominum*] Εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων *ad personam hominum*. Quanquam Græcè πρόσωπον utrumque significat, *faciem* & *personam*, hoc tamen loco mollius erat *persona* quàm *facies*: Atque ità verterat eandem dictionem Matth. 22. 16. ¶ *Licet dare tributum*] Κῆνσον *censum*, quæ vox Latina est, ut jam indicavimus. ¶ *An non dabimus?*] Gr. Ἔξεστι κῆνσον Καίσαρι δοῦναι, ἢ οὔ; δῶμεν, ἢ μὴ δῶμεν; *Licène censum dare Cæsari, an non? Demus, an non demus?* Urgent enim hâc iteratione responsum quasi futurum sit ut si responderit, non dandum, daturi non sint; sin, dandum, daturi. Hîc consentiebat codex Hispaniensis cum Theophylacto; licèt Theophylactus non attingat hanc lectionem in commentario. Opinor hîc Latinam esse veriorem: alioqui bis idem quæritur in priore parte, *Licet dare?* &, *Dabimus?* Qui depravavit locum non animadvertit ἢ μὴ δῶμεν; habere vim potentialem, q. d. *An non debemus dare?* ut respondeat illi, *Licène dare?* Græci nimiùm sibi permiserunt in S. libris, præsertim in Marco & Actis Apostolorum; tametsi scribis hoc potissimùm imputandum, qui quod studiosus aliquis sibi notarat in suo codice retulerunt in contextum.

15. *Qui sciens versutiam*] Ὑπόκρισιν *simulationem*, quod minor quare libuerit Interpreti mutare, nisi fortè legit πονηρίαν.

17. *Quæ sunt Dei Deo*] Haud scio casùne factum sit an datâ operâ quòd *Deo* bis addidit articulum, *Cæsari* nequaquam, τὰ Καίσαρος, Καίσαρι· τὰ τοῦ Θεοῦ, τῷ Θεῷ, tanquam Cæsarem, velut incertum & ignotum, nominet, quòd multi sint ejus nominis, Deum veluti certum designet.

18. *Et venerunt super eum*] Καὶ ἔρχονται πρὸς αὐτὸν, *Et veniunt ad eum*.

19. *Et filios non reliqueris*] Τέκνα *liberos*: nam Græca vox etiam *filios* complectitur. Matth. 22. 24. cùm Græci magno consensu legant τέκνα, tamen Latini cod. habent *filios*, non *filios*: quanquam ad sensum nihil refert utrum legas. Nec est, ¶ *Suscitet semen fratris sui*] Sed *fratri suo*, dandi casu, ἀδελφῷ αὐτοῦ. *Semen* enim appellat posteritatem, sive prolem, quam frater fratri suscitat, non sibi, eò quòd in mortui nomen transit quod nascitur. Hâc enim ratione mortuis quodam modo adoptabantur filii.

24. *Nonne ideo erratis*] Οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, *An non igitur erratis*: ut referatur ad id quod sequitur; & sit sensus, eos eò id errare quòd non intelligerent Scripturas. Siquidem Pharisæi errabant, non quòd ignorarent Scripturas, sed quòd avaritiâ & ambitione forent excæcati, Sadducæi labebantur ob imperitiam Scripturarum.

25. *Neque nubentur*] Genuè γαμεῖν verbum est commune & Viro, & Mulieri. Verùm de hoc dictum est in Matthæo.

28. *Conquirentes*] Συζητοῦντας *simul disputantes*.

30. *Ex tota virtute*] Ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου *ex toto robore tuo*. Nam ipse mox vertit *fortitudine*. *Virtus* enim apud Latinos ambigua vox est.

31. *Simile est illi*] Græcè est *similis est illud*, ἡ δευτέρα ὁμοία αὕτη, *Primum præceptum est*, *Diliges Dominum Deum tuum. Et alterum simile*, *videlicet hoc*, *Diliges proximum*, &c. Interpres legisse videtur ταύτη pro αὕτη.

34. *Quòd sapienter respondisset*] Νουνεχῶς. Composita dictio est ab eo quod est τὸν νοῦν ἔχειν *mentem habere*, quâ periphrasi Græci significant *sapere*, sive *sordatum esse*: unde *cordate* vertimus.

35. *Et respondens Jesus dicebat docens*] Καὶ ἀποκριθεὶς: Reperies aliquot locis hoc participium ità positum ut sensus magis exigat *ἀναμείνωμεν interrogans*. Nisi mavis hoc intelligi, *sermonem aliorum præcessisse*, quem Evangelista non retulerit.

39. *Et primos discubitus*] Debebat sibi constare Interpres potius quàm cœperat nomina vertere in verba. Sic enim est Græcè, τῶν θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν, καὶ ἀσπασμοὺς ἐν ἀγοραῖς, καὶ πρωτοκαθεδρίας ἐν συναγωγαῖς, καὶ πρωτοκλισίας ἐν δείπνοις, *volentibus in stolis obambulare*, & *salutationes in foris*, & *præsidentias in synagogis*, & *primos accubitus in cœnis*: aut, *qui cupiunt in stolis ambulare*, *ac salutari in foris*, & *primas tenere cathedras in synagogis*, *primóque loco accumbere in cœnis*.

40. *Qui devorant domos*, &c.] Gr. οἱ κατεσθίοντες τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι, *Devorantes domos viduarum*, & *prætextu longas facientes precationes*, sive

ſive *ſub prætextu prolixè precantes.* ¶ *Prolixius*] Περισσότερον *abundantius*, ſive *plus judicii.* Porrò *judicium* appellat condemnationem, quemadmodum frequenter accipitur in arcanis literis. Quam rem annotavit & D. Auguſtinus De agone Chriſtiano, cap. 27.

41. *Jactaret*] Βάλλει *mittunt*, ſive *jacerent.* Nam jactu mittunt hujuſmodi.

42. *Quod eſt quadrans*] Græcè ſcribens abuſus eſt voce Latinâ, *κοδραντης*, licèt depravatâ.

43. *Et convocans*] Προσκαλεσάμενος *advocans*, ſive *cùm ad ſe vocaſſet.*

VATABLUS.

1. PAſſinavit] *Plantavit.* ¶ *Homo*] Pro, *quidam.* ¶ *Lacum*] In quo ſcilicet excipitur liquor uvarum.

3. *Dimiſerunt*] *Remiſerunt.*

4. *Illum in capite, &c.*] *Jactis lapidibus caput illi contuderunt, & remiſerunt contumeliâ affectum.*

6. *Adhuc ergò unum habens*] *Adhuc cùm unicum adhuc haberet.* ¶ *Charissimum* *] * *Suum.* ¶ *Quia*] *Certè.* Hebr.

7. *Coloni autem*] *Illi autem agricolæ.* ¶ * *Hic*] * *Certè.*

9. *Veniet, &c.*] Reſponſio eſt Judæorum aſtantium, ut ex Matthæo apparet.

10. *Nec*] *Nónne.* ¶ * *Scripturam*] * *Quidem.*

12. *Et*] *Itaque*, Hebr. ¶ *Et timuerunt*] *At timebant*, Hebr. ¶ *Cognoverunt*] *Sciebant.* ¶ *Dixeris*] *Dixiſſet.*

13. *Herodianis*] Sub. *militibus*, qui in eum conjicerent manus ſiquem ſermonem morte dignum elicerent. ¶ *Caperent*] *Captarent.*

14. *Curas*] Vel, *vereris.* ¶ *Faciem*] Vel, perſonam, Hebr. i. nullam habes perſonarum rationem. ¶ *Dari tributum*] *Dare cenſum.* ¶ *Cæſari* *] * *Annon? dabimus.*

15. *Verſutiam*] *Hypocriſim: ſimulationem.*

16. *Obtulerunt*] *Attulerunt*, Vet.

17. *Mirabantur ſuper eo*] *Mirati ſunt de eo:* ſub. *quod dixerat.*

18. *Interrogaverunt*] *Interrogabant.*

19. *Filius*] *Liberos.*

22. *Eam ſimiliter ſeptem*] *Eam ſeptem.* ¶ *Noviſſima* * *omnium*] * *Autem.*

24. *Non ſcientes*] *Quòd neſciatis.* ¶ *Virtutem Dei*] Quâ ſcilicet poteſt reſtituere vitæ functos vitâ corporali.

25. *Reſurrexerint*] Sub. *homines.* ¶ *Nubent, neque nubentur*] *Ducunt uxores, neque nuptum dantur:* præſ. pro futuro. ¶ *Angeli* *] * *Dei.*

26. *Reſurgant*] *Reſurgere* pro *vivere.* Vivunt enim animæ, licèt ſit corruptum corpus. ¶ *Super rubum*] *In rubo.* ¶ *Abraham*] Sub. *cujus anima vivit.*

27. *Non eſt*] Sub. *Deus.* ¶ *Sed* * *vivorum*] * *Deus.*

28. *Conquirentes*] *Simul diſputantes.* ¶ *Videns*] Vel, *ſciens.* ¶ *Reſponderit*] *Reſpondiſſet.*

29. *Quia*] Vel, *Certè*, more Hebræo. ¶ *Tuus, Deus*] *Noſter, Dominus*, V.

30. *Et diliges*] *Et* pro *Itaque*, Hebr. ¶ *Totâ virtute tuâ*] *Toto robore tuo.*

31. *Simile*] Quod ad dilectionem pertinet.

32. *Quia unus eſt*] Vel, quòd unicus ſit, &c.

33. *Et ut diligatur*] *Quódque diligere ipſum.*

34. *Sapienter*] *Cordate: prudenter.* ¶ *Jam*] *Poſtea.*

35. *Reſpondens*] Hebr. pro, *verba faciens.*

36. *In Spiritu S.*] Pro, *Spiritu S. præditus.* ¶ *Ponam*] Vel, *poſuero.*

37. *Unde*] *Quomodo:* vel, *unde ergò*, Hebr. ¶ *Audivit*] *Audiebat.*

38. *In doctrina ſua*] Hebr. pro, *docens eos.* ¶ *Volunt in ſtolis ambulare*] *Amant infulati obambulare.* ¶ *Fore*] *Foris:* i. publicè.

39. *Synagogis*] *Congregationibus.*

40. *Sub obtentu prolixa orationis*] *Et prætextu prolixè orant*, i. occaſione lucri. ¶ *Prolixius*] *Abundantius.* ¶ *Judicium*] i. condemnationem, mulctam, & ſupplicium.

41. *Contra gazophylacium*] *Ex adverſo gazophylacii*; quod quidem erat in atrio majore templi Salomonis, 2 Reg. 12. ¶ *Jactaret*] *Mitteret.*

42. *Quadrans*] Quadrans valet denariolo noſtro Turonenſi, & paulò plus.

43. *Convocans*] *Cùm advocaſſet.*

CASTALIO.

42. DUOS *teruncios contulit*] Quod hîc & Lucæ 21. λεπτὸν dicitur, id Matth. 5. *quadrans.* Quadrantem autem eundem eſſe quem Teruncium, docet Budæus.

CLARIUS.

7. HIC *eſt hæres*] Ex his verbis colligitur Judæos nihilò minùs reos fuiſſe cædis Filii Dei quàm ſi ipſum agnoviſſent, quando ex Scripturis & ipſius factis agnoſcere illum poterant. Quod verò addunt, *noſtra erit hæreditas*, pulchrè convenit Judæis, qui putabant illo ſublato in magna ſe futuros libertate ac licentia.

24. *Erratis non ſcientes Scripturas*] Modum ſcilicet ac futuræ vitæ ſtatum quem docent Scripturæ, *neque virtutem*, h. e. poteſtatem, *Dei*, quam in reſurrectione exercebit. *Cùm enim*, inquit, *à mortuis reſurrexerint*, non erit nuptiis locus, quarum uſus eſt ob reparandum genus, quod quotidie deperit; at in reſurrectione, ubi erit immortalitas, non erit opus ſucceſſione, quæ per nuptias inſtauratur. Adnectit verò & reſurrectionem futuram mortuorum, cùm ipſi Sadducæi minimè futuram illam crederent: de qua vide quid Matth. 22. 31. dictum ſit.

30. *Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*] Nempe & ſiqua alia in homine dici poſſunt: quæ breviter Propheta complexus eſt cùm ait, *Benedic, anima mea, Domino; & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.*

43. *Vidua hæc pauper plus omnibus miſit*] Colligant ex hoc loco divites quando obtuliſſe ſe magnum aliquid judicare poſſunt. Quicquid enim de eo quo non egent ad maximam vitæ neceſſitatem impendunt, minus eſt Quadrante.

ZEGERUS.

1. VIneam *paſtinavit*] i. expoluit, ſuffoſsâ videlicet terrâ, & admoto ſtercore. Vel *paſtinavit* dictum eſt pro *plantavit*, ut Græco reſpondeat, ἐφύτευσεν. Interpretationem parabolæ require Matth. 21. ¶ *Fodit lacum*] Græcè eſt ὑπολήνιον, q. d. *ſubtorculare*, quòd in illud deflueret muſtum è prælo. Poteſt tamen *lacus* hîc per ſynecdochen pro *torculari* accipi, juxta illud interpretis in Matthæo, *Et fodit in ea torcular*, pro quo Euangeliſta λῆνὸν ponit, i. *lacum*, qui olim terræ infodi conſuevit.

9. *Quid ergò faciet dominus vineæ?*] *Vineæ* paterni caſus eſt, non dativi.

35. *Et reſpondens Jeſus*] Cùm nemo Chriſtum interrogarit; quin potiùs ipſe Chriſtus interrogando doceat, liquet illud *reſpondens* valere q. d. *ſubdens*, vel *locutus eſt*, *autem Jeſus*; idque ex conſuetudine Hebræorum.

38. *In ſtolis ambulare*] *Stola* hoc loco non id indumenti genus eſt quod de collo pendet ſacerdotis; ſed pro veſte ſplendidiore atque pompoſiore per catexochen *ſtola* hîc accipienda eſt.

40. *Sub obtentu prolixæ orationis*] i. *ſub prætextu longæ precationis. Obtentus* enim hoc loci non ab *obtineo*, ſed ab *obtendo* dicitur, quod eſt *pro excuſatione allego.* Græca verbis nonnihil diſſident à noſtris, re coincidunt.

42. *Duo minuta, quod eſt quadrans*] *Minuta* vocat, quòd nummi quidam eſſent minimi pretii. Unde & nos minimum pecuniæ genus à *minutis* mûten Teutonicè appellamus: tametſi diverſa fuerint illius tempeſtatis Minuta à noſtris modernis. Bina quippe Minuta Quadrantis valorem habebant: Quadrans autem quartam partem Aſſis deſignat. Porrò Aſſis pretium in re pecuniaria cum Solido ſeu Stufero (quem vocamus) Brabantico convenire, Budæus teſtis; atque ità Quadrans quarta erat Stuferi particula.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ιβ, Περὶ τῆς θυγατρὸς τῦ ἀρχισυναγώγυ.

Μάρκῳ ἐν τῷ Λουκ. ἶμ. ε. Καὶ ἰδὺ, ἔρχεται εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων, ὀνόματι Ἰάϊρος.

Ἤγαγε δὲ αὐδρα τινὸς προστρόφου ἀνδρός.

Ἄλλως,

Σὺ δὲ, Ἰάϊρε, πόρευ σεαυτῷ αὐδρα ἀφιλῆ.

1. Ὤρυξεν ὑπολήνιον] *Fodit lacum.*

4. Λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν] *Lapidato caput vulnerarunt:* vel, *Lapidando caput vulnerarunt, ſeu lapidatione.*

6. Ὀλι ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου] *Aliquâ filii mei reverentiâ movebuntur:* vel, *Movebuntur reſpectu.*

13. Ἀγρεύσωσι] *Captum tenerent:* vel, *Irretirent.*

14. Δῶμεν, ἢ μὴ δῶμεν;] *Par fuerit nos eum dare, an non dare?*

24. Οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ;] *Nónne ideo erratis quòd ignoretis ſcripturas & potentiam Dei?*

34. Νουνεχῶς] *Prudenter.*

38. Ἐν στολαῖς περιπατεῖν] *Stolati incedere.*

41. Κατέναντι τοῦ γαζοφυλακίου] *Ex adverſo ærarii templi.*

44. Ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς] *Ex eo quod ſupererat ipſis.* ¶ Ἐκ τῆς ὑστερήσεως αὐτῆς] *E penuria ſua:* q. d. *E defectu ſuo.*

DRUSIUS.

10. Ædificantes] i. Scribæ ac Phariſæi, qui Sapientes Judæorum erant, & *ædificantes*, i. בונים, vocabantur, propterea quòd ædificabant ſuper fundamentum Legis. Vide Not. in Matth. 21. 42.

11. *A* DOMINO *factum eſt iſtud*] Optimè ſic interpretatur. Pronomen Gr. αὕτη, non poteſt referri ad λίθον, Ebræum אבן poteſt: Nomen enim זאת in ea lingua femininum eſt. Non ergò errant qui legunt ex Ebræo, *factus eſt iſte, & eſt mirabilis?* Quod tamen ità probo ut non improbem verſionem receptam, *factum eſt iſtud*, ut ad complexum orationis referatur, non ad *angulum*, aut *lapidem*. Ebræi enim genus fem. pro neutro uſurpant. Quod notum jam lippis ac tonſoribus. Sic alibi apud Davidem, *Unum petii à* DOMINO. In fonte זאת *unam:* ubi etiam *petitionem* ſubaudire potes.

13. *Quoſdam è Phariſæis*] An Scribæ fuerint, dubitari poteſt. Non enim omnes Phariſæi Scribæ, i. γραμματεῖς, erant, quos סופרים vocant & חכמים, q. *literatos & peritos Legis.* Nam certè peritiſſimi Legis haberi volebant: unde *ſcriba* pro *docto* ponitur. Videndus Elias.

14. *Viam Dei*] Ebraicè דרך אלהים, vel, דרך אל, & non דרך יהוה: nam hoc potiùs dixiſſet ὁδὸν τοῦ Κυρίου *viam Domini.* Porrò *via Dei*, quæ ducit ad Deum, ut ſancti mores, & præcepta Legis.

19. *Et filios non reliquerit*] Rectè τέκνα vertit *filios* hoc loco. Nam filiæ non poſſunt ſuſcitare ſemen; ſiquidem in iis nomen familiæ obliteratur. Antea notavi בנים à Græcis LXX ſæpe τέκνα reddi. Non itero.

31. *Secundum autem ſimile eſt illi*] Ideo in Breſith rabba vocatur כלל גדול *univerſale magnum:* de quo vide Manahemum Ricinenſem, fol. 147. col. 4. *Qui amat ſocium ſuum, qui factus eſt ad imaginem Dei, amat Deum & honorat eum:* ibid.

36. *In Spiritu ſancto*] Alius, *per Spiritum ſanctum.* Genus eſt revelationis Divinæ proximo gradu Prophetiam ſequens; Ebraicè, ברוח הקדש. Unde liber ejus inter הכתובים recenſetur, quia *ſcriptus per Spiritum ſanctum.* Græci tales libros vocant *Hagiographos.* Nam eſt ſermo brevis pro הכתובים ברוח הקדש *ſcripti per Spiritum ſanctum.*

39. *In primis cathedris ſedere*] Facta verbis non reſpondent. Nam docent *unumquemque ſedere debere in loco qui ei deſignatus: Locum enim honorari ab homine, non hominem a loco.* Adhibe libum παιδείας, fol. 136. pag. 1. ubi inter alia *R. Joſe dicit, Non locus ipſius hominis honorat eum, ſed ipſe honorat locum ſuum.* Vide præcedentia.

42. *Quod eſt quadrans*] *Quadrans* in lingua Sapientum פרוטה dicitur, & in Syra ed. ܦܪܘܬܐ. Continet autem duo פרוטות, λεπτὰ ſive *minuta*, quæ à Syro hîc vocantur מעין. Súntque tres quadrantes שעורה in Hanes; de quo ſuo loco. Vide Aruch in חרוס. Porrò *Hanes* nummi genus eſt quod ſcribunt חנס, cum *s* ſade in extremo. χαλκὸν autem à Syro redditur ܥܕܬܐ, quod affinitatem habet cum חרוסא, qui eſt nummus agni ſeu agnæ imagine ſignatus. Nam חרוסא *agnus* aut *agna.* Arabicè כרוף *carof.*

43. *Vidua hæc pauper plus miſit*, &c.] Simile quid refertur in Pheſictha 3. 4. de Agrippa, qui voluit offerre mille holocauſta, ſed antevertit cum pauper duobus bubus. Similiter dominum bovis, qui unum bovem obtulit, antevertit pauper faſciculo oleris.

44. *E penuria ſua*] Lev. 2. 1. *anima cùm obtulerit.* Vide Liram ad hunc locum. Pauper enim cùm aliquid offert, videtur animam offerre, aut certè tam gratum eſt Deo ac ſi animam offerret: *animam*, i. vitam. *Vita* verò pro *victu* ponitur. Quod notum vel ex libellis meis. Qui dat unde vivit, etiamſi parùm det, placet Deo magis quàm qui dat ex eo quod ipſi redundat. Videndus R. S. Hanc interpretationem firmat id quod ſequitur, *totum victum ſuum*, ὅλον τὸν βίον αὐτῆς ad verbum *totam vitam ſuam.* Quod firmabis dicto illo vulgari, *Vita & victus pari paſſu ambulant. Vitam* pro *victu* etiam Latini autores uſurpant. Terentius, *Cui opera vita erat:* vult dicere, *Qui ex opera ſua vivebat.* Apulejus De aſino aureo l. 9. *Fabriles operas prabendo vitam tenebat.* Sic βίος accipitur in illo verſiculo,

Βίος βίου δεόμενος ἀν ἴσι βίος,
Vita ſine vita non eſt vita.

CASAUBONUS.

1. Καὶ ἄρυξεν ὑπολήνιον] Gloſſarii auctor, Ὑπολήνιον, *Venarium, Torcularium.*

4. Κεφαλαίου λιθοβολήσαντες ἐτραυματίσαμεν] Vox κεφαλαιῶν, quæ dubio procul rectè hîc vertitur *in capite vulnerare*, vel *capui ferire*, etſi inſolens valde eſt, & verè, quod aiunt Grammatici, τῶν ἄκρως εἰρημένων, ejuſmodi tamen eſt ut ei præclarè ſuam putem conſtare analogiam: quam ut cognoſcamus, notandum eſt verborum in αω & in ιζω eandem ferè eſſe vim & rationem. Nam & κατακοντῶν & κατακοντίζειν pro eodem ponuntur, & alia id genus ſexcenta. Quid igitur impedit quo minus κεφαλαιῶν rectè ſignificare poſſit *cadere caput*, cùm γαστρίζειν ſit γαστρὸς τύπτειν; id autem ſignificare τὸ γαστρίζειν etiam apud diſertiores Græcos, notum eſt. Et apud Laertium ait quidam, εἰ ὁ εἰς τὴν γαστέρα τύπτων γαστρίζει, καὶ ὁ εἰς τὰς μηρὰς τύπτων μηρίζει.

42. Λεπτὰ δύο, ἅ ἐστι κοδράντης] Heſychius, Κοδράντης, τὸ πᾶν, ἢ λεπτὰ δύο, τὸ ἑξακισχιλιοστὸν τελάντου.

43. Αὕτη ἡ πτωχὴ πλεῖον πάντων βέβληκε] Simillima ſunt quæ docet Philoſophus Nicomacheorum l. 4. ut mirificè huic loco conveniant iſta ejus verba, Κατὰ τὴν ἀετὸν ἡ ὁ ἐλευθέριός λέγεται· οὐ γὰρ ἐν τῷ πλήθει τῶν διδομένων τὸ ἐλευθέριον, ἀλλ' ἐν τῇ τοῦ διδόντος ἕξει· αὕτη δὲ κατὰ τὴν οὐσίαν διδοῦσιν· ὅθεν οἱδὲν καλοῦσιν ἐλευθεριώτερον εἶναι τὸν ἐλάττω διδόντα, ἂν ἀπὸ ἐλαττόνων διδῷ.

GUALTPERIUS.

14. Ἔξεστι κῆνσον Καίσαρι δοῦναι, ἢ οὔ; *Licène cenſum* (argentum capitationis) *dare Cæſari, an non?*] Vide Matth. 17. 25. & 22. 19.

33. Τὸ ἀγαπᾶν τὸν πλησίον ὡς ἑαυτὸν, πλεῖόν ἐστι πάντων τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ τῶν θυσιῶν] Ὁλοκαύτωμα, τὸ, *Holocauſtum.* Vox Græca ex ὁλοκαυτέω ſeu ὁλοκαυτίω, *totum comburo, totum cremo*, ut in quibuſdam ſacrificiis fieri ſolebat: ὁλόκαυστον, *quod totum crematum & combuſtum eſt:* genus ſacrificii quo tota victima cremabatur, cùm aliàs in ſacrificiis Deorum extra tantùm aræ ſuperimpoſita flammis adoleri conſuevilſent. Καυστὸς & καυτὸς ὕστερος, *crematus*, vel *uſtilis, qui uri & cremari poteſt*, ex καίω vel καύω, κάω & κάω uro, *cremo, incendo.* D. Hieronymus in c. 56. Eſaiæ, *Differentiam*, inquit, *Hoſtiarum & Holocauſtorum in Leviticо plenius diſcimus. Holocauſta ſunt, quæ ſuper altare integra concrematur; Victimæ & Hoſtiæ, quarum pars offertur altari, pars Sacerdotibus traditur.* Varia autem apud Hebræos in politia & Eccleſia gentis Iſraelitidæ Sacrificiorum genera viguerunt; quæ omnia typi fuerunt unici Sacrificii quo Chriſtus ſeipſam hoſtiam obtulit pro peccatis totius generis humani, ex eóque omnem vim atque efficacitatem ſuam habuere. Diſtributio eorum poteſt eſſe talis. Sacrificium aliud eſt ἱλαστήριον *Propitiatorium*; aliud εὐχαριστήριον, *Gratiarum actionis.* Propitiatorium vel univerſale, vel particulare eſt. Univerſale, διαλλακτήριον aliàs dictum, omnium eſt peccatorum, ſeu quo omnium peccatorum in Chriſto expiatio ſignificabatur, videlicet Holocauſtum majorum & minorum pecudum; Græcis ὁλόκαυστον καὶ ὁλοκάυτωμα, Hebræis עלה *Olah*, i. *Aſcenſio*; ex radice עלה *aſcendit, ſurſum evellus eſt.* Explicatio vocis apud Hebræos eſt ejuſmodi. Dictum eſt *Olah*, inquiunt, vel *quòd totum ſuper altare aſcenderet*, ſive *imponeretur:* quæ ſententia R. D. Kimhi placet: vel *quòd totum in fumum aſcenderet & abiret*; vel quòd prima ſacrificii fuerit ſpecies, ſanctiſſima omnium, ideóque *aſcendat*, i. ſuperet excellentiâ ſuâ reliqua omnia. Pſal. 51. ult. vox *Olah* & כליל conjunguntur, *Tunc acceptabis*, inquit Pſaltes, *ſacrificia juſtitiæ, holocauſtum & oblationem:* vel, *oblationem & holocauſtum.* Significat enim כלה *conſummavit ex toto:* & propterea docti inter Hebræos affirmant idem geminari, quia Holocauſtum erat כליל, totum enim comburebatur. 1 Sam. 7. hæ duæ voces conjunguntur ſine copula, ut ſignificationis

videantur

videantur esse ejusdem. Alii verò propter copulam in Psalmo adjectam putant significationem esse diversam, sic ut עולה *Olah* dicatur de Animalium sacrificiis, ex quibus pars Lege Deo destinata tota cremabatur; כליל verò etiam de Minha, h.e. de farina, pane, oleo & sale dicatur; & ità quidem inprimis de Sacerdotis sacrificio, cujus libatio tota comburebatur, ut habetur Lev. 6. R. D. & alii volunt copulam Vau ἐξηγητικῶς addi. Lutherus vertit Brandtopffer. Significabatur eo sigillatim, oportere hanc corruptam & foedà peccatorum illuvie contaminatam naturam destrui & renovari. Particulare, certorum est peccatorum, aliàs ὁλοκαυτωτικὸν dictum: & id quidem duplex; Unum quod pro Peccato, alterum quod pro Delicto dicitur. Sacrificium pro Peccato θυσίαν περὶ ἁμαρτίας vocant LXX, Lutherus Sündopffer, Hebræi *Chattath*, ex radice חטא CHATHA, *peccavit*. Expiabantur hoc sacrificii genere peccata ἀκουσίως & ex errore aut ignorantia commissa. Sacrificium pro Delicto LXX vocant θυσίαν περὶ πλημμελείας ἢ πλημμελήματος, Lutherus Schuldtopffer, Hebræi אשם *Aſcham*, i. *delictum*, *culpa*, *reatus*, ex radice אשם *deliquit ignominiosè*. Sacrificium erat pro Delicto, quo peccatum ἑκουσίως à sciente ac volente, & re deliberatà admissum, oblato ariete (cujus pretium æstimabatur ex delicti magnitudine) expiabatur redimebatúrque. Sacrificium εὐχαριστικὸν duplex est, simplex, & mixtum: Utrumque ad novam obedientiam, seu internum & spiritualem cultum Dei, atque inprimis ad gratitudinem testificandam, offerebant. Simplex uno offerendarum rerum genere constabat: & rursum erat duplex, sacrificium Pacificorum, & Minha seu Oblatio. Sacrificium seu hostiam Pacificorum LXX θυσίαν σωτηρίου, Lutherus Danckopffer, Hebræi זבח שלמים *Sebach Schelamim*, i. *Sacrificium pacis ac salutis:* erátque nunc Spontaneum, quod ex animi devotione, nullà urgente necessitate offerebatur; nunc Votivum, quod reddebatur ex pacto, i. quod quis in periculis & necessitatibus constitutus Deo se in Ecclesia oblaturum si liberaretur promiserat. Minca seu Oblatio LXX interpretibus dicitur δῶρον & θυσία, Luthero Speißopffer. De etymo hujus nominis attingit quædam Fagius Levit. 2. Dubium autem non est radicem ejus esse נחה *Nachah*; & sic dicitur ab *offerendo*. Munus enim Deo offerebant honorarium de frugibus terræ, ut auctorem eorum Deum esse testificarentur, & aliquam gratitudinis significationem exhiberent. Mixtum sacrificium Eucharisticum LXX vocant θυσίαν αἰνέσεως, *sacrificium Laudis*, Lutherus Lobopffer, Hebræi תודה *Todah*. Constabat ex diversis rerum generibus, nempe ex animalibus & terræ fructibus: offerebatúrque Deo ad declarandam pro beneficiis acceptis gratitudinem. Plura vide apud Mosen in Levitico.

38. Βλέπετε ἀπὸ τῶν γραμματέων τῶν θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν, καὶ ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, *Cavete à Scribis, qui affectant in stolis ambulare, & amant salutationes* (Syr *pacem*) *in plateis*] Στολὴ *stola*, vox Græca, ex στέλλω, cùm sign. *amicio*, *vestimentis instruo & exorno*. Unde generaliter sign. *amictum*, *vestimentum*, *indumentum*. Specialiùs *Stola*, genus vestimenti promissi Medisque proprii. Latini vocem eandem usurpant. Horat.

Ad talos demissa stola & circundata palla.

Syri itidem vocem Græcam retinent ܣܛܘܠܐ *Istela*, hoc loco, *in Stolis*, i. longis vestibus gravitatis & modestiæ opinionem apud vulgus accupantur, ut in honore habeantur. ¶ *Amant*] Ambitiosè captant. In Græco per Ellipsin omissum.

JAC. CAPPELLUS.

43. PAupercula hæc vidua plus misit quàm omnes hi qui miserunt in gazophylacium] Seneca De beneficiis l. 1. cap. 8. *Socrati cùm multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent, Æschines pauper audiret, Nihil, inquit, dignum te quod dare tibi possim invenio, & hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi quod unum habeo, meipsum. Hoc munus rogo qualecunque est boni consulas, cogitesque alios, cùm multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates, Quidni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, nisi forte parvo te æstimas? Habebo itaque curæ ut te meliorem tibi reddam quàm accepi. Vicit Æschines hoc munere Alcibiadis parem divitiis animum, & omnium juvenum opulentorum munificentiam.* CAP. 9. *Vides quomodo animus inveniat liberalitatis materiam etiam inter angustias paupertatis?*

LUD. CAPPELLUS.

29. Πρώτη πασῶν ἐντολῶν, Ἄκουε, Ἰσραὴλ, &c.] Hæc desumpta sunt & totidem verbis exscripta ex Deut. 6. 4. *Audi, Israel, Dominus Deus noster* יהוה אחד *est unus Dominus*. Estque hæc ipsissima & conceptissima formula quam Judæi vocant קריאת שמע, quámque volunt ab omnibus fidelibus singulis diebus bis, manè & vesperè, recitari. De quo Maimonides in Misna Tom. 1. l. 2. אהבה Tract. קריאת שמע c. 1. §. 2. dicit הנה זה עקר גדול *Hic est magnus articulus*, h. e. præcipuus ac primarius articulus fidei; quomodo nempe Christus hic vocat illud πρώτην πασῶν ἐντολῶν. *Primum* enim vocat, non ordinis in Decalogo, sed ponderis & dignitatis ratione, quòd sit omnium præcipuum maximéque momentosum. Addit deinde ibidem Maimonides, שאחר תלוי בו *quæ omnia ab eo pendent*, h. e. reliqui omnes articuli, totúsque Dei cultus. Hoc verò idem est cum eo quod à Christo dicitur Matth. 22. 40. Ἐν ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται. Quòd autem Christus πρώτην hic dicat non ordine sed pondere, ità ut πρώτη idem sit quod μείζων *maximum*, liquet ex v. 31. μείζων τούτων ἄλλη ἐντολὴ οὐκ ἔστι· & ex Matth. 22. 36. ubi sic ea de re interrogatur Christus, Ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ; *Quodnam est maximum, sive maximè momentosum, Legis præceptum?* & ex v. 38. Αὕτη ἐστὶ πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή· ubi καὶ non distinguit diversa, sed est potiùs ἐξηγητικὸν, uti alibi non rarò, ità ut πρώτη καὶ μεγάλη sit idem quod πρώτη, τουτέστι, μεγάλη.

42. Λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης] Buxtorfius in Diction. Rabb. in voce seu Rad. פרט adfert locum ex Gemara Talmudica, Tract. Kidduschim, c. 1. fol. 12. 1. ubi *duæ Perutæ* dicuntur *efficere unum* פרשון קונטרינק *Kontrinck*, h. e. (*uti videtur*) κοδράντην sive *Quadrantem*, vel fortè potiùs *Centarenicum*; unáque Perutæ dicitur esse secundùm quosdam octava, secundùm verò alios sexta Assarii Italici pars. Porrò Peruta, ex eorundem supputatione & calculo ibidem, est Denarii Romani pars 192. Denarius autem Romanus quarta est Sicli sacri pars: sic fiunt 768 vel 576 Perutæ in Siclo sacro, sive 288 vel 384 *nostratibus*. Cùm itaque Siclus sacer fuerit nummus argenteus æqui pollens quatuor Drachmis Atticis, Drachma autem Attica ejusdem propemodum fuerit valoris cum nummo Hispanico argenteo qui dicitur *Realle*, quorum quatuor valent jam Asses sive Solidos Gallicos XX, ac proinde Denarios Turonenses 348, oblatio viduæ illius pauperculæ hâc ratione fuit paulò plus vel paulò minus quàm Denarius Turonensis. Assarium autem Italicum quandoquidem continet octo, vel, ut alii volunt, sex Perutas, valebit hâc ratione tres vel quatuor Denarios nostrates Gallicos, quos vocamus *Deniers Tournois*, quo pretio, nempe Assarii, D. N. J. Christus dicit *venire duos passerculos*, στρουθία δύο, Matth. 10. 29.

GROTIUS.

1. EN παραβολαῖς, *in parabolis*] משל [*parabola*] inter ea est quæ plurali sono singularem sæpe habent significationem, ut Ezechielis XIV, 8.

2. τῷ καιρῷ, *in tempore*] Τῶν καρπῶν [*fructuum*], ut addit Matthæus.

4. ἐκεφαλαίωσαν, *in capite vulnerarunt*] Apud Aristophanem γαστρίζειν simili modo formatum est; qua de re bene monuit vir doctissimus: Scholiastæ exponunt ἐν γαστρὶ τύπτειν [*ventrem verberare*]. ¶ ἠτιμωμένον. *contumeliis affectum*] Quod Græci dicunt ἀτιμάζειν, ἀτιμᾶν & ἀτιμοῦν, Latini posteriores dixerunt *inhonorare* & *exhonorare*: utraque vox apud Salvianum est, minimè sordidum Scriptorem.

6. ἀγαπητὸν αὐτῷ, *dilectum sunum*] Notant Græci ab Hesiodo aliisque ἀγαπητὸν [*dilectum*] dici τὸν μονογενῆ [*unigenum*]. Sic יחיד quod est μονογενὴς [*unigena*], Lxx vertunt ἀγαπητὸν [*dilectum*] Jeremiæ VI. 26. Genes. XXII, 2. ubi Aquila posuit μονογενῆ [*unigenam*]. In Cantico Esaiæ V. de Vinea, יחיד [*unigena*] vertitur ἠγαπημένῳ [*dilectus*] & ἀγαπητός [*carus*].

8. καὶ ἐξέβαλον ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος. *& ejecerunt extra vineam*] Posset hoc intelligi de corpore mortuo in fabula, & in significatione fabulæ de contumeliis quibus Judæi nomen Christi post mortem affecerunt: sed cùm apud Matthæum alius sit ordo, satius est more Hebræo καὶ ἐξέβαλον [*& ejecerunt*] interpretemur ἐκβληθέντα [*ejectum*].

14. δῶμεν, ἢ μὴ δῶμεν; *demus, an non demus?*] Ἐκλειπτικῶς [*defectivè*]. *Auctor es nobis demus, an non?* neque hoc ideo omnino

omnino eſt cum ſuperiore quæſtione ; ſed, ſi Jeſus licere diziſſet, ſupererat altera quæſtio, An expediret.

15. ὑπόκρισιν, *verſutiam*] Senſit enim ſimulatâ mente locutus. Diſcere cupientium præferebant ſpeciem, cùm animus calumniam ſtrueret.

19. τέκνα, *liberos*] Bene verti puto *liberos*. Vide ad Matthæum.

20. Ἑπτὰ ἀδελφοὶ ἦσαν· *Septem fratres erant*] Ita plurimi codices & Syrus: quare οὖν [*ergo*] ex Latino videtur adjectum: neque neceſſarium eſt. Species enim facti novam ſententiam inchoat.

23. Ἐν τῇ οὖν ἀναστάσει, ὅταν ἀναστῶσι, *In reſurrectione ergo cùm reſurrexerint*] Gaudet hujuſmodi παρομίαις [*nominum cognatorum*] iteratione Marcus ut exemplis aliquot oſtendimus ad Matth. XXIV, 22.

24. Οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες, *Nonne ideo erratis, non ſcientes*] Interrogationem ex more Hebræorum pro vehementi affirmatione poſitam ex Matthæo aut certè ejus Interprete liquet; qui habet πλανᾶσθε [*erratis*]. Eſt autem hîc rurſus σύνταξις πρὸς τὸ σημαινόμενον [*conſtructio ad id quod ſignificatur*]: nam διὰ τοῦτο [*ideo*] dixit quaſi illaturus eſſet ὅτι μὴ εἴδατε [*quia neſciitis*], cùm nunc dixerit μὴ εἰδότες [*neſcientes*].

29. Ἄκουε, Ἰσραήλ, Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν Κύριος εἷς ἐστι· *Audi, Iſrael, Dominus Deus tuus Dominus unus eſt*] Ipſa verba LXX Interpretum Deuter. VI, 4. Bene hoc addidit Marcus, quia ad ſequentis præcepti illuſtrationem pertinet. Ad religionis enim ſubſtantiam non ſatis eſt quodvis numen colere, ſed certum Numen animo proponendum eſt, cujus nota eſt unitas, quæ diſtinguitur à deis Gentium, qui multi eſſe credebantur, item ab Angelis.

30. ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, *ex tota mente tua*] Addidit hoc Marcus ad interpretationem ejus quod præceſſit τῆς ψυχῆς [*ex anima*], uti & infrà additum eſt ἐξ ὅλης τῆς ἐνίσεως [*ex toto intellectu*] ſimili ſenſu.

31. ὁμοία αὐτῇ, *ſimile eſt illi*] Ita congruenter Matthæo legerunt Syrus & Latinus, à quibus cur diſcedendum ſit non video.

32. εἶπεν αὐτῷ ὁ γραμματεύς, *ait illi Scriba*] Exploraturus ſapientiam Chriſti venerat, auditæ teſtimonium præbet.

33. πλεῖον, *majus eſt*] Prius ac potius Deoque gratius. Vide quæ de ordine præceptorum diximus Matth. VII, 13. ¶ τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ τῶν θυσιῶν. *holocauſtomatibus & ſacrificiis*] זבח עולה, ut II Reg. V, 17. II Paralip. VII, 1. Nam LXX modò pro זבח [*Manaa*], ut ſuprà diximus, modò pro זבח [*victima*] ponunt θυσίαν. Sed & זבח modò laxiùs ponitur ut omnia ſacrificia ſignificet præter ὁλοκαυτώματα [*holocauſtomata*], modò ſtrictiùs pro iis quæ χαριστήρια [*ob beneficium*] dicuntur, ut Pſalm. XL, 7. quem citat Scriptor ad Hebræos X, 5.

34. Οὐ μακρὰν εἶ ἀπὸ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. *Non es longè à Regno Dei*] Eorum qui ſpiritum Regni nondum acceperunt multi ſunt gradus, quos inter *non longè à Regno remotus* eſt ille in quo ſunt homines qui intelligunt ſummam pietatis & eam approbant. Hinc aſſiduis precibus ad Regnum tranſitus datur. Vide Rom. VII.

35. Πῶς λέγουσιν οἱ γραμματεῖς, *Quomodo dicunt Scribæ*] Id eſt, Quomodo conſiſtere poteſt quod dicunt Legiſperiti? Proponebatur hæc quæſtio Phariſæis, qui in explicatione Prophetarum multùm credebant Legiſperitis. Itaque Chriſtus eos ſic alloquitur, quaſi quos ſciret ab auctoritate Legiſperitorum non diſceſſuros.

37. πόθεν, *unde*] Πῶς [*quomodo*] Matthæus. Sic & Hebræis מ eſt *quomodo*, & Jerem. V, 7. Sic πόθεν μοι τοῦτο [*unde mihi hoc*] Luc. I, 43. Senſus eſt, Qui fieri poteſt ut idem ſit Dominus & Filius? Vide quæ ad Matthæum. ¶ ὁ πολὺς ὄχλος, *multa turba*] *Plebis pars magna.*

38. Βλέπετε, *Cavete*] Ut ſuprà VIII, 15. ¶ ἐν στολαῖς περιπατεῖν, *in ſtolis ambulare*] Ita & Lucas XX, 46. Στολὴ apud Helleniſtas veſtem etiam virilem ſignificat. Ita infrà XVI, 5. Lucæ XV, 22. & in Apocalypſi aliquoties. Eſt autem στολὴ [*veſtis*], ut ſuprà dicere meminimus, ποδήρης [*ad talos demiſſa*], gravitatis index; quam Legiſperiti ſollicitè oſtentant.

40. Οἱ κατεσθίοντες, *Qui devorant*] Videtur mihi nova eſſe periodus, neque de omnibus Legiſperiti ſed de quibuſdam eximiè improbis hîc agi, ut ὅτοι [*hi*] additum ſit perſpicuitatis causâ. Nam Lucas, qui Marcum in his quæ Marco ſunt peculiaria ita ſequitur ut ſæpe interpretis ſit loco, hanc ſententiam in hunc exprimit modum, Οἱ κατεσθίοντες τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσεύχονται. ὅτοι λήψονται περισσότερον κρίμα [*Qui devorant domos viduarum, ſimulantes longam orationem: Hi accipient damnationem majorem*], id eſt, *Qui verò Legiſperitorum inſuper viduarum ſubſtantiam devorant orationis obtentu, his propria & gravior quàm cæteris imminet pœna.* ¶ τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, *domos viduarum*] Quales & illi quos ad Timotheum Paulus deſcribit, ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας καὶ αἰχμαλωτίζοντες τὰ γυναικάρια σεσωρευμένα ἁμαρτίαις [*qui penetrant domos & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis*]. Sexus muliebris ut ad ſuperſtitionem pronior ita magis patet ad eas fraudes. *Viduas* autem dixit Chriſtus, quia culpam ipſorum hoc onerat quòd eas expilabant quas tutandas lex Divina præcipuè illis commendat. ¶ προφάσει μακρᾷ προσεύχονται· *ſub obtentu prolixæ orationis*] Sic Paulus dixit ſe non verſatum ἐν προφάσει πλεονεξίας [*in obtentu avaritiæ*], I Theſſ. II, 5. Solent enim iſti homines honeſtas quasdam cauſas prætendere ſub quibus quæſtum faciant; ut quòd pro aliis apud Deum indefeſſis precibus inſtent, pro qua opera non injuriâ muneribus donentur: cùm interim eos pro quibus precari ſe dicunt non doceant veram pietatis viam, & munera non dari ſibi patiantur ſed capiant ultro, ſæpe & majora quàm pro facultatibus donantis. Eſt ergo hîc προφάσει dictum pro εἰς πρόφασιν πλεονεξίας [*ad prætextum avaritiæ*]. Oſtendit hoc Lucæ collatio.

41. κατέναντι, *contra*] Id eſt, in conſpectu gazophylacii: ita κατέναντι [*contra*] ſumitur ſuprà XI, 2. & infrà XIII, 3. ¶ τῷ γαζοφυλακίῳ, *gazophylacii*] Γαζοφυλάκιον [*gazophylacium*] hic, ut & Lucas, vocat arcam in quam dona mittebantur; κιβωτὸν [*arcam*] LXX, II Reg. XII, 10. II Paralip. XXIV, 8. alii γλωσσόκομον [*loculum*] II Paralip. XXIV, 8. Joſephus ξύλινον θησαυρὸν [*ligneum theſaurum*]. Alioqui ſolebat γαζοφυλάκιον [*gazophylacium*] dici pars illa Templi quæ penè Ædem ſacram in latus utrumque versùs Occaſum porrigebatur, in qua & arca illa erat, & alia Templi κειμήλια [*pretioſa*], tum verò purpura, coccus, aromata & quicquid præterea in uſus Templi aſſervabatur; de quibus Joſephus Ἀλώσεως [*Captivitatis*] VI, 41. item vinum, oleum, frumentum & reliqua Sacerdotum alimenta, ut videre eſt Neh. X, 37. ubi quod in Hebræo eſt לשכות vertitur γαζοφυλάκιον [*gazophylacium*], ut & Nehem. XIII, 5. pro quo I Paralip. XXVIII, 12. legimus παραφόρια [*paſtophoria*], ut & Jerem. XXXV, 4. cùm eodem Jeremiæ capite commate 2. vox eadem לשכות reddita ſit voce αὐλῶν [*aularum*]. Sic & Ezech. XL, 17. eandem vocem לשכות LXX vertunt παραφόρια [*paſtophoria*] Aquila γαζοφυλάκια [*gazophylacia*], Symmachus ἐξέδρας [*exedras*]. Hoc modo γαζοφυλάκιον [*gazophylacium*] uſurpat Johannes VIII, 20. Huic γαζοφυλακίῳ [*gazophylacio*] præpoſitus erat unus ex Sacerdotum ordine, qui vocabatur γαζοφύλαξ [*gazæ Cuſtos*]. Meminit Joſephus aliquoties, qui & catenam auream ab Agrippa in memoriam vinculorum ſuorum ſuſpenſam ait intra Templum ὑπὲρ τὸ γαζοφυλάκιον [*ſuper gazophylacium*]· & alibi ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ [*in gazophylacio*] fuiſſe ait ad duo millia talentorum. ¶ χαλκὸν, *æs*] Ob id quod ſequitur arbitror χαλκὸν hîc pro quavis etiam aurea & argentea pecunia ſumi, ut *æs* Latinis. Nec aliter Matth. X, 9.

43. προσκαλεσάμενος τοὺς μαθητὰς, *convocans Diſcipulos ſuos*] Seorſim hoc illis dixit, quia nihil attinebat aut viduam hoc audire aut cæteros. Sed Diſcipulos docere voluit quæ vera eſſet liberalitatis æſtimatio apud Deum & imitatores:

In qua cenſendum nil niſi dantis amor.

¶ πλεῖον, *plus*] Quia ἀπὸ ἐλαχίστων [*ex pauxillo*], ut Ariſtoteles loquitur. In rebus omnibus præcipuè ſpectandus animus, non nudè facta externa. Eſt autem affectûs liberalioris de minimo paulum dare quàm multum de magno acervo. Xenophon Exped. VII. Οὐ γὰρ ὁ ἀριθμὸς ὁρίζων ἐστὶ τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον, ἀλλ' ἡ δύναμις ἑκάστου καὶ τοῦ διδόντος καὶ τοῦ λαμβάνοντος [*Non enim numerorum numerus diſtinguit id quod multum & id quod parum, ſed facultates & dantis & accipientis*]. Andronicus Rhodius, Οὐ γὰρ πρὸς τὸ μέγεθος ἢ τὸ πλῆθος τῶν διδομένων ἡ ἐλευθεριότης κρίνεται, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἀναλογίαν ἣν ἔχουσι τὰ διδόμενα πρὸς τὴν οὐσίαν τοῦ διδόντος [*Non enim liberalitas dijudicatur ex magnitudine aut multitudine rerum quæ dantur, ſed ex proportione quam habent quæ dantur ad facultates dantis*]. Valerius Maximus IV, 8. de Fabio Verrucoſo, *eò quidem majore commendatione, quò proni ſtudii certum indicium eſt ſupra vires niti, quàm viribus ex facili niti.* Mox hanc liberalitatem liberalitati feminæ diviſſimæ præfert. Bene Salvianus, *Non animus dantis datis, ſed animo commendantur data: nec pecunia fidem inſinuat, ſed pecuniam fides.* Chryſoſtomus homiliâ XIX in Johannem, μόνον οὐ μὴ κατακρίνῃς· κἂν ἐλεήσῃς δύο κατακρίνῃς· οὐκ ἀπορρίψει, ἀλλ'

ἀλλ' εἰς πολὺν δίχα) πλάττειν. ἐπειδὴ γὰρ ἀνενδεὴς ἐστὶ ἡ ἐχείνου ἕνεκεν τούτου λαμβάνει, εἰκότως ἂν ἐν τῷ μίτρῳ τῶν διδομένων ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει ἔ παρέχοντος τὸ πᾶν ὁρίζοι) [*tu modòne pigreſcas: etiamſi duos tantùm des obolos, non eos ille averſatur, ſed ut magnas divitias acceptat. Cùm enim ipſe nullius rei ſit indigens, neque ideo ea accipiat quod opus habeat, merito res ea æſtimatur non à menſura datorum, ſed ex dantis animo*]. Idem in nonum caput II ad Corinthios IX, 7. τὸ γὰρ πολὺ ἢ τὸ ὀλίγον ὁ τῷ μίτρῳ τ διδομένων ὁ Θεὸς ὁρίζει, ἀλλὰ τῇ δυνάμει τ ἑαυτοῦ ἔ διδόντος [*multum enim & parum Deus æſtimat non ex menſura eorum quæ donantur, ſed ex facultatibus ejus qui dat*].

44. ἐκ τ ἐπερισσεύοντος, *ex eo quod abundabat*] Non πᾶν τὸ περισσεῦον [*omne quod abundabat*], quod tamen minus futurum fuerat quàm quod dabat paupercula, ſed de magna copia aliquantum. Ita τὸ περισσεύειν [*abundare*] Lucas dixit de eo quod neceſſitatibus noſtris ſupereſt XII, 15. ¶ ἐκ τ ὑστερήσεως, *ex penuria*] Sic περίσσευμα & ὑστέρημα [*abundantiam & inopiam*] inter ſe oppoſita inveniuntur apud Paulum II Corinth. VIII, 14. qui & alibi vocem ὑστερήματος [*ejus quod deeſt*] uſurpat in ſignificatione ἐνδείας [*indigentiæ*], חסר. In Græca Veteris Federis verſione promiſcuè ponuntur ἔνδεια [*indigentia*] & ὑστέρημα [*id quod deeſt*]. ¶ τ βίον, *victum ſuum*] Βίος eſt *id quo vita ſuſtentatur*. Hinc

Βίος βίῳ δούλῳ οὐκ ἔστι βίος.
[*Non eſt vitalis vita quæ victu indiget.*]

Laxius etiam βίος [*vita*] vocantur *omnia quæ in uſus noſtros poſſidemus*, ut Luc. VIII, 43. XV, 12, 30. Sic & Hebræi uſurpant חיים. Bene autem hoc loco arbitror à viro raræ eruditionis Aria Montano βίον [*vitam*] accipi tantum quantum quoque die homini alendo ſufficit; nam pauperrimorum hominum diurnus victus quadrante admodum parabatur.

MARQUARDI FREHERI
DISSERTATIO
DE
NUMISMATE CENSUS.
DE VERBIS DOMINI,
DATE CÆSARI, QUÆ CÆSARIS; ET QUÆ DEI, DEO.

Sermo votivus.

QUOD ardentibus & anxiis precibus à Deo optimo maximo vitæ neciſque Domino expetii, cùm ſuperiore anno gliſcente ferali illâ lue ob peccata noſtra Divinitus immiſſa, jámque viciniam meam & proximos parietes depopulante, dulciſſimum larem & lare ipſo dulciorem functionem meam deſerere, & præcipitatis rebus omnibus vicini ſecundíque Nicri opportunitate ad fugam uti neceſſe haberem; ut daretur mihi aliquando, epidemiâ illâ calamitate ſopitâ, incolumi incolumes reviſere, réſque privatas cum publica ſtatione recipere, ejus me voti tandem damnatum, & quæ deſiderio firmàque ſpe præceperam nunc re ipsâ tenere, majus profectò & illuſtrius Dei beneficium agnoſco quàm quod pro magnitudine ſua animo concipi, nedum verborum digno pondere penſari poſſit. Nam & è præſenti periculo velutíque flagranti incendio cunctantem me & reſtitantem ceu angelicâ manu eductum, & cùm in Ubiis, quò me cum familia receperam, contiguas noſtris ædibus domos eodem malo infectas adveniens inveniſſem, confectas poſtridie comperiſſem, ut non periculum ſed locum mutaſſe velutíque è fumo in flammam veniſſe viderer, toto tamen illo tempore quo in Ubiis & Sicambris fui cum meis omnibus mirabiliter ſervatum, denique per varias difficultates & infeſta prædonibus itinera (à quibus pridie modò ſpoliatam navem ſubſequebamur) feliciter huc reductum è peregrinitate ad domicilium, è moleſto & ſterili otio ad honeſtiſſimas functiones, è fuga & ſolitudine ad jucundiſſimum veſtrum conſpectum rediſſe; nónne id tale eſt pro quo nihil ſit ullâ oratione tanti beneficii auctori gratias agere, niſi ejus perpetuò memores totam ætatem nos gratos exhibeamus, & quicquid ſupereſt vitæ ei lubentes conſecremus? Quemadmodum igitur qui avari maris iras tempeſtatéſque ſonoras evaſerunt, terræ & patriæ redditi vota ſua Diis ſervatoribus perſolvunt, tabelláſque in fanis ſuſpendunt, ità nos quoque iſto periculo, Deo cuſtode, ſine magno diſpendio defunctos decere arbitror, antequam ad conſueta officii munia redeamus, votivo aliquo ſermone beneficii memoriam teſtificari. Vel potiùs ut olim apud Romanos qui inſigne aliquod vitæ diſcrimen evaſiſſent, vel quos peregre mortuos fama nunciaſſet (nam & id de me comitibúſque meis factum audio) domum reverſi non per fores admittebantur, ſed conſcenſo tecto in domum demittebantur, velutíque ex aëre in atrium ſub dio poſitum inferebantur, (Plutarch. in Quæſt. Rom. 5.) ità nec ipſe ab iſto intervallo ad recitationes quotidianas rectà redire niſi altiore dicendi exordio facto, & extraordinario quodam aditu viam ad Cathedram repetere volui. Sed nè profano aut humili argumento deberi hanc horulam conſentaneum eſt, modò & idem ab hoc loco & muneris noſtri conditione non ſit alienum, quale illud eſſe quod à nobis ſuſceptum iri publicè ſignificavi, omnino ſtatuo; quippe quod & ab ore ipſius Veritatis profectum nullam vitiligatorum controverſiam admittit, & à fonte ipſius Sapientiæ ortum, inexhauſtas indagantibus doctrinæ venas aperit, & à ſupremo dominantium Domino dictatum omnium humanarum poteſtatum vires, juriſdictionum nervos, legum denique noſtrarum reverentiam auctoritate ſuâ ſancit & confirmat. Ut quid enim aliàs non tantùm apud priorum ætatum homines Chriſtianam, ſed nos etiam reformatam & ſinceram religionem profeſſos, profanorum hominum Antoninorum & Severorum, addo etiam fidei perſecutorum Trajanorum, Deciorum, Diocletianorum non dicam nomina conſervarentur, ſed leges & reſcripta tanquam pro re ſancta & inviolabili haberentur? quid Ulpiani illius magni quidem viri & magnis ſuo merito apud Principem honoribus functi, ſed, ut Lactantius lib. 5. Inſt. cap. 11. ait, ſceleratiſſimi homicidæ, qui injuſtas diſputationes contra Chriſtianos ſcripſerit, & reſcripta Principum nefaria conſtitutionéſque ſacrilegas contra eoſdem collegerit, ideóque meritò bonis omnibus exoſi, ſcita & dogmata ſequeremur? niſi mandati hujus Dominici, & deinceps ab Apoſtolis non otioſè repetiti, memores, cùm Cæſari tum ab eo ordinatis Magiſtratibus ad parendum conſcientias etiam noſtras obſtrictas eſſe, & hàc partitione non tam illis quàm, qui illos conſtituit, Deo ipſi gratum obſequium exhiberi conſtaret?

Etſi autem ſuper hoc quoque loco dicta ſcriptáque à diverſis ſunt plurima, & dici adhuc infinita poſſint; neque diſſimulem

Digitized by Google

pleroſque à nobis & antiquorum & recentiorum ſuper eo jampridem conſultos; nos tamen & limitum profeſſionis noſtræ, & in ea ipſa tenuitatis propriæ memores, pauca tantùm ad inſtitutum noſtrum facientia delibabimus, eáque more noſtro ità tractabimus, ut nemo ſua à nobis compilata jure conqueri, æquiores rerum æſtimatores etiam non omnia dicta fuiſſe priùs agnoſcere poſſint.

Te, æterna Sapientia Dei, qui ineffabile conſilium ſalutis noſtræ generi humano protuliſti è ſinu Patris, & officio Redemptoris in terra defunctus nunc aſſides ad dexteram ejus, unde Eccleſiam tuam potenter gubernas, & ſolus ſalutaria dona largiris mortalibus; te ſupplex veneror & oro per fidem tuam, ut verborum tuorum, dulciorum ſanè quovis favo, validiorum vento, penetrantiorum gladio ancipiti, verum ſenſum pariter & uſum ipſe per Spiritum tuum veritatis magiſtrum nos edocere, & ut ad intelligendum ingenia noſtra, ità obediendum animos & voluntates aptare digneris. Amen.

Quâ occaſione quóque conſilio hoſtes Domini poſt multos congreſſus priores iſto omnium callidiſſimo commento eum adorti ſint, non eſt opus altiùs repetere. Cùm enim vidiſſent ſe tot jam exemplis notatos, legis Divinæ ſuíque officii prævaricatores declaratos, indignóſque judicatos regno Dei & patrum promiſſionibus; neque propoſitis parabolis quid reſponderent habere poſſent, ſuáque reſponſa ſibi ipſis eſſe captioſa multis vicibus comperiſſent; cogitant rationem invenire quâ & ipſum tandem in ſuis capiant reſponſis. Quam quidem ſibi reperiſſe videntur in quæſtione de Tributo, ut obviâ nec longè petitâ, ſed è præſentis temporis ſtatu, cùm Judæa tum cœpiſſet eſſe vectigalis Romanorum Imperio, ità in utramque partem ancipiti, id eſt, & ad Judæos maximè plauſibili, ſi quis eorum libertati aſſertor exſurgeret, & ad Romanos tunc rerum dominos maximè odioſâ & periculoſâ, ſi quis eorum jura armis parta vel leviter attingeret & in dubium revocaret, quod in rebellionis crimen læſæque majeſtatis dicam omnium graviſſimam ſtatim incidebat, ut tragicus exitus Judæ illius Galilæi docuerat, qui tempore primæ deſcriptionis ſub Auguſto Judaicam plebem ſpecioſis verbis ſolicitaverat ad libertatem defendendum, & mox cum tota factione ſua miſerè periit, ut Lucas Actor. 5. ſcribit, & Joſeph. 18. cap. 1. & 2. De bel. Judaic. cap. 7. Non leve ergò quiddam erat quod Domino proponebatur, & quod ſolo diſputationis fine ſtaret, & in quo tantùm de victoriæ laureola inter differentes ageretur: ſed tales quæſtionis tendiculas Domino ſtruxerant, quibus præjudicatam capitis ſententiam & verba per jugulum reditura ab eo elicerent; ubi ſi lubrico linguæ (ut J. C. loquitur l. 7. ff. ad Jul. majeſt.) in alteram partem lapſus eſſet, ſurgendi facultatem non habuiſſet. Patuit ab eventu quid tunc moliti eſſent, qui poſtea etſi eis hoc conſilium minimè ſucceſſerat, tamen fervore accuſationis coram Pilato, & inopiâ verorum criminum, Chriſto impingebant, *tributum Cæſari pendere vetuiſſe*, Luc. 23.

Inito igitur conſilio Phariſæi, *genus hominum*, ut ait Egeſippus, *ſecundùm doctrinam Legis exercitatum*, *ſecundùm qualitatem affectûs callidum*, *avidum negotiorum*, *pecuniæ appetens*, non jam ipſi Dominum accedunt, quippe tot congreſſibus illi noti & ſuſpecti, à quibus ſibi cavendum etiam atque etiam ſciret; ſed miſſis de ſecta ſcholâque ſua diſcipulis, quaſi ignotis ut faciliùs deciperent, & deprehenſi minùs erubeſcerent, *ſubornatis* ergò *inſidiatoribus* (ait Euangeliſta) *qui ſe juſtos & ſimplices ſimularent*, ut propoſitâ quæſtione eum caperent in ſermone, quem in facto non potuerunt, addunt Herodianos, religione licèt illos à ſe multùm diverſos, ſemi-Judæos tamen, & minùs à ſe alienos quàm Pilatus erat cum familia ſua, quæ Judæis infeſta non minùs quàm inviſa erat, & paganæ ſuperſtitioni dedita; ut faciliùs cum Herodianis hoc circumventionis conſilium communicare potuerint. Qui (licèt non neſciam variè ab interpretibus accipi) erant miniſtri Herodis, ex aula & comitatu ejus, vel etiam milites ejus, ut Hieronymus & Chryſoſtomus volunt, eâdem formâ quâ *Cæſariani* dicti. Herodis, inquam, non Magni illius Antipatri F. qui deficiente inclytâ & legitimâ ſtirpe Regum Iſraelis juxta Prophetarum Vaticinia primus ex alienigenis Romanorum voluntate præfectus erat Galilææ cum poteſtate Regis; ſed filii hujus, Antipæ priùs dicti, quem ipſe vivus Tetrarcham Galilææ conſtituerat, & Auguſtus poſt mortem ejus confirmaverat; quíque ideo Cæſarem dignitatis ſuæ auctorem & Romanos ſuperiores recognoſcebat, non aliter quàm Philippus frater ejus in Ituræa & Trachonitide, Lyſanias in Abylene, [Luc. 3. Joſeph. 14. cap. 23. Egeſipp. 1. ca. 30, 34. Euſeb. 1. cap. 4.] Archelao priùs Rege Judææ conſtituto; ut & alii in aliis provinciis Romanis Regum nomen retinuerunt, *vetere ac jampridem receptâ populi Romani conſuetudine* (ait Tacitus in Agricola) *ut haberent inſtrumenta ſervitutis & reges*: qui & in beneficium, & propemodum feudorum hodierno ritu, cum diademate nomen & poteſtatem ſuam à Romanis ſupplices è geniculis accipiebant, ut de Phraate Parthorum Rege Horatius ait,

——— *jus imperiumque Phraates*
Cæſaris accepit genibus minor.

Et ipſi Judæi eò reſpiciunt, exclamantes coram Pilato, Πᾶς ὁ βασιλέα ἑαυτὸν ποιῶν, ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι, Joh. 19. Et hic Herodes eſt impius ille qui inceſtum cum fratris ſui Philippi viventis uxore commiſerat, & Baptiſtam facti cenſorem necaverat; quémque ob verſutos mores *Vulpem* vocare Dominus ſolebat; & cui Pilatus Dominum, quem Galilæum putabat & ad illius Tetrarchiæ jurisdictionem pertinere, transmiſit, móxque ab eo deſpretum illuſúmque recepit. A Cajo deinceps Imp. cùm illâ dignitate ſuâ non contentus Regium nomen peteret, Agrippæ calumniis, nomine pariter & ditione exutus, & Viennam ad Rhodanum relegatus; ubi cum Herodiade uxore ſua ſecunda (ſi uxor dicenda fuit) animi mœrore exſtinctus eſt. Herodes ergò hic, ut antè pater ejus, cliens devotiſſimus & amicus intimus Auguſti fuerat, ab eóque viciſſim ſupra omnes, infra ſolum Agrippam, diligebatur, ità & ipſe poſtea ad magnam amicitiam Tiberii (ſub quo hæc geſta ſunt) pervenit; cujus etiam in honorem civitatem Tiberiadem condidit, Joſeph. 18. cap. 4, 8. Egeſipp. 22. cap. 3. Itaque de rebus apud ſe geſtis diligenter ad Cæſarem referre ſolebat, & (ut credibile eſt) jura Cæſaris omni ſtudio defendebat, atque adeò tributo Cæſariano colligendo in Judæa intentus erat, quippe ipſe à Cæſare non aliter conſtitutus quàm ἐπὶ φόροις ἄγαν τεταγμένοις, ut Appianus ſcribit. Unde eſt quòd Origenes & Cyrillus putant *Herodianos* hos nihil aliud quàm publicanos fuiſſe qui tributa exigerent. Quos ideo (ut ad rem redeamus) Phariſæorum emiſſarii ex compacto ſibi adjunxerant, in ſpeciem quidem, ut cùm ipſi inter ſe diverſarum eſſent partium, hi exigerent, illi ægre perſolverent tributum, Dominum quaſi incorruptum judicem hujus controverſiæ compellarent, velutique arbitrum adigerent; ſed revera ut haberent negati tributi paratam non tantùm probationem, densâ populi catervâ aſtante, ſed etiam exſecutionem, & *captum in ſermone* (ait Lucas 20.) *confeſtim per hos traderent principatui & poteſtati Præſidis Pilati*; denique diſcipuli caperent in ſermone, ſatellites raperent in corpore. Interea has inſidias probè diſſimulantes, quaſi bene Domino reconciliati, blandiſſimo ſermone & honorifico de ejus integritate judicio meditati eum ambiunt, nihil dubitantes quin verborum mellitiſſimorum fuco & palpo delinitus, procul ab omni ſuſpicione fraudis, tanquam apud homines diſcendi cupidos, imprudens animi cogitata ſit effuſurus. Nec pudet inconſtantiæ, quâ nunc Doctorem ſalutant, quem antea calumniabantur ſpiritum habere Beelzebub. Et libertatem ipſius ἀπροσωπόληπτον laudant, quò minùs vereatur Herodianos offendere. *Magiſter*, inquiunt, *ſcimus quòd verax es & ab omni adulationis aut gratificationis nota alieniſſimus*, *Dei ſolam viam in veritate doces*, *nihil curans de hominibus*, *nec ullius mortalium perſonam reſpiciens*. Qui ergò tot alia docuiſti, dic etiam hoc, *Quid tibi videtur?* Ex animi tui ſententia, *Fáſne eſt dare cenſum Cæſari*, *an non?* Nobis nimirum, qui liberi ſumus, ſoboles & poſteritas Abrahæ non ex Agare ancilla ſed Sara matre-familias, qui liberi fuerunt, nec ullum unquam tributum dederunt Regibus terræ, ſed ipſi potiùs ab illis donati ſunt eximiis muneribus, non ſponte ſed impulſis metu Dei noſtri. Nobis, qui populus Deo ſacer ſumus, Divinæ & unicæ religioni deditus, quíque promiſſiones habemus perpetuæ libertatis &, ſi quando premamur ad tempus ab infidelibus, venturi Meſſiæ Gen. 4. 9. qui *jugum oneris & virgam exactoris confracturus*, Iſa. 9. & *Regnum ſuum à mari ad mare propagaturus ſit*, Zach. 9. ſub quo lætâ pace ſecuri fruamur. Nobis ergò *an fas ſit*, per legem potiſſimùm Dei, quâ decimas, primitias, oblationes, didrachmum annuum Templo & Sacerdotio conferre jubemur; *dare Cæſari*, homini profano & peregrino, qualem nullum agnoſcere, ſed eligere Regem è noſtro populo, noſtræ nationis, noſtri ſanguinis, noſtræ religionis jubemur, Deut. 17. Cæſari autem, magiſtratui noſtro non ordinario & legitimo, ſed violento, qui jure belli (ſi jus dicendum) nos tenet, libertate noſtrâ armis oppreſsâ, & à nobis extorquet quæ vult, & fortè plura & graviora deinceps extorquebit; nec tam extorquet ipſe quàm extorquenda locat publicanis & mancipibus ſuis, generi hominum, vel tuopte judicio, omnium peſſimo & iniquiſſimo. Huic ergo an dare liceat *cenſum*, i. capitis redem-

demptionem annuam, ipſiſſimam ſervitutis confeſſionem? Hoc enim argumento ſuperbi illi victores Romani triumphant & nobis inſultant, quaſi à Deo noſtro neglecti, & ut falſi Numinis cultores ità falſi etiam ſpe noſtrâ Divini auxilii ſimus, quod Tullius Pro L. Flacco facit; *Stantibus Hieroſolymis*, inquit, *pacatiſque Judæis, tamen iſterum religio ſacrorum à ſplendore hujus imperii, gravitate nominis noſtri, majorum inſtitutis abhorrebat: nunc verò hoc magis, quòd illa gens quid de imperio noſtro ſentiret oſtendit armis; quàm chara diis immortalibus eſſet, docuit quòd eſt victa, quòd elocata* (publicanis nimirum vectigalium redemptoribus: nihil enim hoc loco mutandum cenſeo) *quòd ſervata*; i. ſe non exciſam funditus ſolóque æquatam, Carthaginis exemplo, *nobis debet*. Incidebat hic vulgata illa & non levicula quæſtio, An Regna & Imperia armis & impreſſione parta ſint à Deo: quam hic quidem non attingam. Sed ſi ulla gens eo ſcrupulo laborare poterat, Judæa poterat; quæ peculiariter à Deo electa & adoptata, & eximiis promiſſionibus ac privilegiis dotata, à Romanis ſe oppugnatam, ſacra ſua inſpecta & profanata à Pompejo, Templum expilatum à Craſſo, & tributum inſuper capitis ab Auguſto imperatum indigniſſimè ferebat, & jure quodam rebellare poſſe videbatur. Hoc ipſum erat quod Judas ille Galilæus plebi Judaicæ ad rebellandum occentaverat, cùm primum cenſum Auguſtus ageret, Joſeph. 18. cap. 1. *deſcriptionem illam cenſuariam nihil aliud quàm apertiſſimam continere ſervitutem, & indignum eſſe poſt Deum ſuſcipere dominatum mortalem.* Addunt ergò Phariſæi, quaſi re totâ in arbitrium Domini rejectâ, & ab ore ejus pendentes, & ſtaturi ei quod ille dixiſſet, *Dabimus cenſum, an non?* Marc. 12. q. d. Quando ità tibi viſum erit, dabimus; ſin minùs, libertatem noſtram & jura Templi exemplo Ducum Macchabæorum, armatâ manu ad mortem uſque defendemus, & extrema admittemus. Parte ex altera aſtabant Herodiani, qui licèt nihil locuti proponantur, tamen tacentes quid ageretur obſervabant, & Romanorum potentiâ ſubnixi jus in armis poſitum habebant, ut ſtrages Bethleemitica oſtenderat. Erant enim non tantùm cuſtodes corporis Regi ſuo (quales etiam è Germanis & Celtis Herodem habuiſſe legimus) ſed etiam Regni ejus ſatellites & apparitores, & nè quid contra eum & Romanos rerum novarum tentaretur, obſervatores oculatiſſimi. Et utcunque cum Pilato Præſide Herodes ſimultates foveret, Principi certè & Senatui Romano non infidum fuiſſe conſtat. Videmus ergò ancipitem velutíque bicornem quæſtionem, & præcipitium ingens, ut utriuſvis partis rationem probaret Jeſus, alterius offenſam incurreret, hinc patriæ & civium ſuorum, illinc victorum & rebus potientium Romanorum. Neque elabi illum poſſe putabant quin ex propoſito bivio alteram partem eligeret; ut ſive affirmaret dandum tanquam Principibus impiis adulatus, & cum eis colludens, populi circumfuſi & patulis auribus reſponſum exſpectantis odium incurreret, nec tantùm Redemptoris & Meſſiæ opinionem tot concionibus & miraculis collectam uno momento amitteret, ſed fortè etiam tumultu populari aliquando opprimi poſſet; ſive negaret, ut Hoſtis Cæſaris motórque ſeditionis præſenti crimine teneretur, daturus pœnas quas antè Theudas & Judas dediſſent; & tamen ipſis voto potitis, interea vindictæ invidia in Cæſarem ejuſque Præfectos & Herodem derivaretur, causâ nihil ad Phariſæos attinente. Et ſperabant utique ipſi magis fore ut Chriſtus more ſuo religioni favens potiùs quàm Cæſari profano aut Herodi inviſo, ſolitâ libertate pronunciaret adversùs Herodianos pro patria & gente ſua, atque ità paratam perniciem non effugeret.

At Dominus, *contra quem nullum valet conſilium aut ſapientia*, Prov. 21. 30. & cui ludus eſt aſtutos in aſtutia ſua deprehendere, Iſa. 44. 25. nihil minùs quàm quod illi putarant fecit. Nam neque præcipitanter reſpondit, neque in alteram partem ſimpliciter, neque ſine cauſa, neque denique ad id tantùm quod quærebant. Vulgò dicimus, *Ad pœnitendum properat, citò qui judicat.* Itaque nec Dominus ſimplici affirmativo aut abnutivo ſe abſolvit; ſed ut ante omnia oſtendat ſe non fallere illorum inſidioſam blandiloquentiam, & quò res tendat, *cognitâ penitùs nequitiâ eorum* (inquit Euangeliſta) conſultores ſuos primùm intentionis ſuæ coarguit: *Quid me tentatis*, inquit, *Hypocritæ?* Illi enim texuerant proœmium alicujus quæſtionis ad pietatem & religionem pertinentis, dicendo, *Viam Dei in veritate doces:* & tamen quæſtio ipſa non pertinebat ex Divino inſtituto ad viam Dei. Ideo vocat eos *Hypocritas*, & mox è reipſa oſtendit illos confundere rationes Divinas cum humanis, quando de cenſu ſolvendo tanquam de præcepti alicujus Divini violatione agunt; cùm tamen allatus numus de quo agitur nil planè ſacrum aut religioſum redoleat, atque adeo illius ſolutio non tangat, aut offendat Deum, nec pietatem lædat; imò debeatur Cæſari tanquam victori, legum & monetæ conditori, & qui non petat violari religionem, ſacra deſeri, idola adorari, ſed ex communi moneta reddi ſibi numiſma, in uſus promiſcuos cuſum & merè Romanum. Damnum autem in ejuſmodi rebus non tangere animum, & pauperiorem reddere, non impium. Si quid peteret Cæſar contra viam Dei, id eſſe negandum, quòd jam non Cæſaris tributum ſit, ſed Diaboli. Illum petere quod Principes omnes petunt, quod antea Ægyptii, Thren. 1. quod Seleucus ab eis petierat, quod Pompejus, imò quod viciſſim David aliquando victor à gentibus Moabiticis accepiſſet 1 Sam. 8. quódque adeò ſemper ei in cujus manum Deus victoriam dederit vel ex ipſa Dei ordinatione & lege expreſſa debeatur Deut. 20. nimirum tributum ad reip. adminiſtrationem. Reddi igitur debere tributum, quod ex ipſa materia & forma manifeſtè oſtendit nihil pertinere ad religionem violandam; & poſſe ſine damno pietatis etiam Deo dicatum hominem dare tributum profano Principi, etiam non debitum, malentem obſequi quàm provocare. At verò pietatem, invocationem, animi fiduciam, vota oblationéſque ſacras Deo ſoli reddi oportere; ut & ipſe Dominus Deo dedit quæ Dei ſunt, faciendo voluntatem Patris mittentis, Johan. 6 Hæc ſumma & medulla eſt reſponſi, cujus ſingula excutere operæ pretium fore mecum fatebimini.

Antè igitur quàm reſpondeat, *Oſtendite mihi*, ait, *numiſma cenſûs*, antequam ſententiam dicam, eamus in rem præſentem, videamus quid ſit de quo agitur. Captioſa eſt quæſtio quævis ni termini probè diſcernantur. Quis ſcit an de illo tributo agatur quod Pater meus lege ſuâ à populo ſuo in Templum ſuum quotannis deferri voluit, quódque vos integra conſcientiâ indè avertere non poteſtis? facilè primo intuitu id viderimus. Nam quod ſinguli Judæi majores xx annorum in Templum quotannis ferre juſſi erant pro Numine propitiando ſuíque redemptione, & in tutelam Ædis ipſius vel Tabernaculi, dimidium Sicli argentei erat, quod efficiebat duas drachmas, Exod. 30. Sicli autem imago & inſcriptio nota: unà parte virga Aharonis perpetuò virens, cum hoc lemmate, JERUSCALAIM KODSCHAH; *Sancta Jeruſalem*; alterà, urna illa ſacra recondendæ Mannæ, cum literis, SCHEKEL JISRAEL, *Siclus Iſraeliticus:* quales ſicli hodiéque etiam archetypi exſtant, & figuratum docti viri exhibent: Bez. ad 17. Matth. Anton. Auguſtin. Dialogo 2. del medagl. num. 2.

Hunc Siclum Sanctuarii colligebat Archiſynagoga à Judæis ſynagogæ cuilibet ſubjectis, non ſolùm in Judæa ſed etiam in aliis Romanorum provinciis, & ipsâ urbe Româ (ut Tullius eodem loco meminit) & collectam pecuniam ad ſummum Pontificem Hieroſolymam tranſmittebat, & ut ſecurè tranſmitti poſſet è locis longinquis trans maria, à Præſidibus ſubſidia armata ac λόγου συγχωρήσεως impetrabat. Quod adhuc duravit vivente Domino ſub Auguſto Tiberióque, uſque ad everſam urbem à Tito Veſpaſiani F. Idque in hiſtoria certum eſt, & errant plerique Homiliarii, qui hanc fuiſſe Phariſæis dubitandi & quærendi cauſam ſcribunt, quòd tributum Templo Dei deſtinatum debitúmque Romani ad ſe tranſtuliſſent. Cùm contrarium potiùs illos moverit, quòd nimirum Judæi, cùm præter oblationes alias primitiarum & decimarum, Semiſiclum etiam iſtum ex Lege quotannis præſtarent, ſaltem de reliquo liberi & immunes eſſe vellent, & pergrave eis videretur Cæſari inſuper cenſitione obnoxios eſſe; ut rectè Theophylactus hoc loco annotavit: *Nil dicit*, inquit, ſub perſona illorum, *in gratiam Herodis aut Pilati. Die igitur nobis, Debemus & hominibus tributarii eſſe, & dare eis cenſum, ſicut & Deo didrachmum? an ſoli Deo tribuemus? numquid autem & Cæſari?* Patet id ab ipſius Domini exemplo, quem legimus Matth. 17. cùm veniſſet Capernaum, ubi frequenter verſari ſolebat, & exactores didrachmi cum de ſolutione per Petrum interpellarent, quamvis ſe ab eo tributo liberum eſſe demonſtraret quòd ſicut Reges gentium non ſuis filiis vectigalia imponent ſed alienis, ità & Dei filio Templíque ac Regni paterni conſorti penſitatio illa non incumbat, tamen nè noceret exemplo qui venerat Legem in omnibus implere, hoc quoque non recuſaſſe; & omnem

ſit

ſuſpicionem contemptæ religionis, loci ſacri & Sacerdotii vitare volentem, de ſtatere invento in ore piſcis perſolvi tributum pro ſe & Petro juſſiſſe. Didrachma enim ſemiſiclum, Stater duas didrachmas unúmque Siclum efficit, ut Epiphanius docet lib. 8. De ponder. & menſur. Quòd ipſum certè non ad exactores quæſtoréſque Romanos & capitis tributum ab eis impoſitum (ut Beda cum aliis quibuſdam, & Budæus è noſtris lib. 5. De Aſſe & poſtremò Maldonatus putarunt) ſed ad collationem illam antiquam pro ſartis tectis Templi à Deo inſtitutam referendum eſſe rectè Hilarius, & Theologorum noſtrorum plerique, & Hotomanus etiam intellexerunt, De re numar. p. 358. Et multis demum poſtea annis Titus eversà urbe ſanctà Judæis ſub imperio Romano ex patriis legibus vivere volentibus hanc conditionem impoſuit, ut Romæ ad Jovem Capitolinum illud argenti penderetur, Suetonio & Dione auctoribus: cùm antea occupatà à ſe maximâ parte Urbis Judæis exprobraſſet quòd tributum illud Dei nomine & donaria permiſſu Romanorum collecta eos ſemper reddidiſſent ditiores & ferociores ad rebellandum, ut Joſephus vernaculus teſtis lib. 7. c. 26. & Egeſippus l. 1. c. 17. prodiderunt.

Redeamus ad cenſum à Cæſare petitum, quem primus Pompejus Judæis, antea Romanorum federatis ſociis, gente victâ, Urbéque captâ, jure victoriæ impoſuit, Ducem eis ſtatuit, Judææ fines determinavit: Sulpit. Sever. lib. 2. Deinde Cæſar Auguſtus, cùm Triumviris ſublatis ſolus rerum potiretur, in generali illa orbis deſcriptione cùm per omnes ſubactas provincias cenſum ageret, in Judæa etiam revocavit, & ad certam ſummam taxavit. Non jubet autem Dominus Siclum illum templarium ſibi exhiberi, ac nè *numiſma* quidem ſimpliciter, ut vulgò quidam ſcribunt. Tum temporis ſubjectionem Judæorum ex amiſſa *αὐτονομίᾳ* & moneta apparuiſſe, quod non ſuâ ampliùs ſed Romanâ pecuniâ uti cogerentur. Nam nec *αὐτονομίαν* penitus amiſerant, cùm etiam ſub Romanis Sacerdotes ſuos haberent, & ritus patrios liberè colerent, ut de Siclo Templi modò dictum, & mox de aliis id genus pluribus dicetur: & quod ſub Græcis Regibus, nominatim autem Demetrio Syriæ Rege, Simoni Sacerdoti magno Judæorum inter alia privilegia & immunitates conceſſum etiam legimus 1 Mach. 15. *facere percuſſuram propriis numiſmatis in regione ſua*, id eis à Romanis ademptum & abrogatum fuiſſe nuſquam legimus. Quamvis non neſciam Mecœnatem Auguſto familiarem inter alias firmandi Imperii artes etiam ſuaſiſſe, nulli provinciæ alterius ponderis, menſuræ vel monetæ quàm Romanæ uſum concedere, Dion. l. 52. μήτε ἢ νομίσματα ἢ καὶ σταθμὰ ἢ μέτρα ἴδια τις αὐτῶν ἔχέτω, ἀλλὰ τοῖς ἡμετέροις καὶ ἐκεῖνοι πάντες χρήσθωσαν. Et ſanè fieri non potuit, cùm Judæi Romanis legibus & moribus aſſueſcerent, quin & ad commodiorem certioremque commerciorum rationem ſimul vel Romanis nummis inter ſuos promiſcuè uterentur, vel ſaltem ſuas monetas ad calculi rationem illis uſitatam, Denariariam dico & Seſtertiariam, redigerent & computarent. Unde apud Euangeliſtas etiam ſub Domini verbis *denariorum* & *aſſariorum* non una mentio, Mat. 20. Marc. 12. Luc. 12. Johan. 8. Act. 19. Sed tamen habuiſſe Judæos non minùs quàm antè Siclos ſuos, Didrachmas, Stateres, charactere vernaculo, in hiſtoria Jeſu paſſim quoque animadvertimus. Quin & ipſum triginta argenteis venditum: quod cùm apud Matthæum ità legitur, οἱ ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια, Euſebius Demonſtr. Euang. lib. 4. ità tranſcripſit τριάκοντα στατῆρας. Ex quorum numero ſi vel illum Argenteum qui Romæ adhuc in æde S. Crucis in Hieruſalem oſtentatur, [apud Ant. Auguſtinum, Dial. 2. num. 1. Herc. Prodic. p. 367. Bud. 5. De Aſſe] vel qui Pariſiis in æde Johannis Lateranenſis trans vitrum ſpectandus, recognoſcamus (meam enim fidem interponere nolim) apparebit Romanum minimè fuiſſe.

Ut non dubitem Judæos eo tempore numos ſuos & monetas proprias etiam in commerciis adhuc habuiſſe, ſi non & cudiſſe. Et hinc eſt quòd requirit Dominus non ſimpliciter exhiberi ſibi *eorum numiſma*, ſed *numiſma cenſûs*, νόμισμα τοῦ κηνσου, i. genus monetæ huic functioni proprium, quo defungerentur cenſu ſuæ provinciæ indicto. Id enim eſt κηνσος, ut Suidas exponit: Κῆνσος, νόμισμα, ἐτήσιον τέλος, ἀφὸ τὸ καίνω, τὸ κόπτω. Et iterum, Κῆνσος, ὅτι τῇ ἐπιχωρίᾳ γλώσσῃ Ῥωμαῖοι τὴν ἐξέτασιν ἢ Ῥωμαϊκῇ πολίτης ἀπογραφόμενος. Et Heſychius, Κῆνσος, ἀφὸ νομίσματος ἐπικεφαλαίου. Et ità in toto Pandectarum titulo De cenſibus. Quaſi dicat Dominus, Hoc inſpecto cujuſmodi ſit, facile erit dijudicatu Deóne an Cæſari eum dare debeatis. Unde apparet Dominum de vi argumenti ſui jam certum fuiſſe, & quid ſibi exhibendum eſſet, & ex eo neceſſariam conſequentiam jam tum prævidiſſe. Si enim quovis pecuniæ genere, aut ſi etiam plùs quàm uno perſolvi tributum potuiſſet, planè incerta & fallax fuiſſet inſtantia de exhibendo *numiſmate cenſûs*; propterea quòd Phariſæi ſive caſu ſive malitiâ aliud numi genus produliſſent, nihil tale ad Cæſarem inferri indè, neque accommodari illa argumentatio potuiſſet.

Statuendum itaque omnino eſt, ut hodie in pleriſque Regnis, Principatibus, Rebuſpublicis, in quibus certæ à ſubditis penſitationes exiguntur, capitationes, centeſimæ, telonia, & alia, uſu receptum & præſcriptum eſt eaſdem in certo pecuniæ genere, quod exigenti maximè placuerit, deponi; ut non ſufficiat valorem & quantitatem ipſam dari, niſi in ea ſpecie expreſſa detur: ità veteres etiam Romanos, Cæſares præſertim, callidiſſimos gubernandi artifices, devictis gentibus omnibuſque provinciis ſuis non tantùm tributa imperaſſe, ſed ea etiam in certo monetæ genere, & quidem argenteo plerumque, ut Plinius annotavit lib. 33. c. 3. neque ſanè alio quàm Romano, in ſignum nimirum ſubjectionis & recognitionem dominatûs ſui, fiſco inferri voluiſſe. Stante republicâ, populis bello ſuperatis quandoque ſummas *Talentorum* (quod ſummæ genus Græcis etiam aliiſque populis commune, Τάλαντα) indictas apud Livium, Florum, Polybium legimus: aliquando *Bigatorum* & *Victoriatorum*, quæ Romanæ pecuniæ erant, & Conſulum nominibus inſignitæ. Recognoſcebant in ipſo earum charactere ſæpe gentes miſeræ calamitatem ſuam, cùm Romani non tantùm Magiſtratuum ſuorum titulos, ſed illas ipſas expeditiones ſuas & victorias inſcriberent, ut ex. gr. (nè à Judæis longiùs abeamus) à M. Scauro & A. Plautio, utroque Cn. Pompeii in Aſia Legato & Proquæſtore, quorum Joſephus meminit lib. 14. c. 4. & Bell. Jud. 1. c. 6. illo ARETAS REX Arabum, hoc BACCHIUS JUDÆUS Arabiæ & ipſe Regulus, ſuperati in Denariis exprimuntur, ſupplicum ritu dextro genu nixi, camelos tenentes, & olivæ ramum paci impetrandæ dexterà prætendentes: apud Ful. Urſin. in famil. Rom. p. 200. Eriz. p. 182. & 274 Piſop. 131.

At nè hoc quidem ad id quod quæritur ſatis eſt; videndúmque modò eſt propiùs quid ſub Cæſare Auguſto in uſu fuerit. Si enim ſatis fuiſſet quemvis Denarium, modò Romanum, exhibere, habuiſſent autem Romani in uſu Denariorum varia genera, in queis veteres Regii, Conſulares, Dictatorii, Triumvirales, Ædilitii, Bigati, Victoriati (ut habuiſſe eos vel Pomponius JC. L. numiſmatum, 28. D. de uſufr. illo ævo meminit, & magna eorum copia ad noſtrum uſque ævum ſuperat) potuiſſet & ſic quæſtio & argumentum de Denario cenſûs ſeu caſu ſeu dolo facilè eludi. Et hoc eſt illud quod magnos illos Eccleſiæ Romanæ Doctores fugit, nobis autem laicis & ſemidoctis non ità eſt difficile explicatu. Scribit enim Cæſar Baronius Cardinalis, Annal. 1. ſub anno Chriſti 34. Tiberii Imper. 18. *moris fuiſſe apud Romanos ut numiſmata pro ratione tributi vel cenſûs ab Imp. cuderentur, nec uno ſemper modo eadem permanerent, ſed ſecundùm incrementa & decrementa tributorum & ipſa mutarentur; adeò ut numiſmata tributorum à ceteris uſualis pecuniæ numis in eo differrent, quod iſtorum pretium ſemper idem eſſet, numiſmata verò cenſus & tributi, quoties mutaretur ejus quantitas, eadem ad rationem tributi noviter formarentur.* Et affert locum Lampridii in Alexandro quem quia & ad cenſum hunc non pertinet, & ævi longè poſterioris eſt, nè recitandum quidem duxi. Certè peculiare pro modo indictionum numi genus, modò gravius, modò levius, ſubindè fabricatum nuſquam adhuc legi: & hoc ipſo noſtro loco dicitur pro-

prolatus Denarius pro numiſmate cenſûs, vulgatum & tritum numi genus, quod drachmam Atticam pondere æquaret, & decem Aſſes ære Cyprio cuſos valeret, ut Voluſius Mætianus, Priſcianus, Fannius, Plinius docent. Et quod deinceps ſub Tito Judæis impoſitum erat didrachmum nil aliud erat quàm duo Denarii, ut eſt compertiſſimum. Non igitur ratione ponderis & valoris ſed formæ potiùs certum quendam numum Cæſar in tributo exigebat, nimirum (ut rem tandem aperiam) vultu & nomine ſuo inſignitum. Nam ut ſtante Republicâ per Triumviros & Conſules monetæ feriebantur, ità Principatu ad unum devoluto, ut in operibus omnibus publicis ſui nominis inſcriptionem Cæſares affectarunt, vel Macro J C. teſte l. 3. D. De operibus publ. ſic in moneta quoque publica caput ſuum cum ornamentis Imperatoriis, ſuaque geſta & dignitatum memoriam conſpici voluerunt: idque præſertim in tributo à Provinciis accipiendo ſtrictiſſimè ſervarunt, ut hic Euangeliſtæ locus auro contrà non carus evidenter docet. De Nerone ſcribit Suetonius cap. 44. eo faſtidio & acerbitate tributa & debita exegiſſe ut numos etiam ſuos non niſi aſperos, i. ab officina adhuc recentes, velutique ab incude calentes, & novitate quadam gratâ (ut Apulejus loquitur) candentes acciperet. Obvia ſunt loca in ipſis Principum Conſtitutionibus per Codicem Theodoſii & Juſtiniani, etiam cùm de illationibus publicis, fiſcalibus reditibus, vectigalibus, auro coronario, adæratione agitur, ubi *ſoludi Principum veneratione formali æternales vultus, ſacrum os, divinus vultus* eis impreſſi dicuntur. Adeóque (quod miremur) manſit ea conſuetudo apud Romanos Principes integra & diuturna, ut etiam viribus ſuis acciſis & Imperio declinante hanc majeſtatis ſuæ ſignificationem nollent remittere. Vel de Juſtiniano II. dicto poſtea *Rhinotmeto* legimus (Zonar. to. 3. p. 73. P. Diac. hiſt. Miſcell. 9.) qui fœdus Arabicum, quod cum Rege Habdimelich habebat, ultro & magno quidem ſuo malo rupit, causâ ex eo ſumptâ quòd annui tributi moneta ab illo miſſa non Romanum (ut ipſe volebat) ſignum, ſed novum & antea inviſum, Arabicum, haberet: cùm quidem Habdimelich multùm deprecaretur, quando Arabibus nefas eſſet Romanorum inciſione & figuratione vultuum in ſuis numis uti, & pondus auri ſufficiens Cæſari offerret, nè Romani damnum ullum cauſari poſſent.

Et ſanè credibile eſt, vel eò gravius fuiſſe Judæis tributum Romanis pendere, quòd ultra diſpendium argenti, Cæſaris etiam imaginem conquirere, manibus contrectare, atque adeò illi afferre cogerentur; cùm memores ipſi Divinæ legis omne pictum ſculptúmque ſummæ exſecrationi haberent, adeò ut non ſemel non dicam ob ſtatuas aliquas hominum aut deorum, aut Aquilam argenteam in Templis eorum collocatas, ſed ſaltem ob militaria inſignia exercituum Romanorum regioni illata graves turbas dederint, vitam potiùs profundere quàm tale quid admittere parati. Scribit Joſephus lib. 17. c. 5. & 18. c. 11. 15. & 2 Belli Jud. c. 8. omnes ante Pilatum Judææ Rectores ſine ſignis ingredi muros Civitatis conſuevisſe; Pilatum primum clanculùm ingreſſum ſigna militaria ſecum allata, in quibus imagines Cæſaris erant, in Urbe conſtituiſſe. Judæis diu multúmque inſtantibus ut tollerentur, tamen, quòd in Cæſaris injuriam id vergere videretur, facere noluiſſe, mortem inſuper illis comminatum niſi quieſcerent. Illos mortem ſe potiùs electuros quàm patriam legem tranſgreſſuros palàm affirmaſſe, ut Pilatus tandem admiratus ſive religionem ſive pertinaciam illorum, ſigna Cæſarea tranſferri juſſerit. Quod ipſum initium ruinæ gentis fuiſſe, nec aliunde fatale illud bellum cum Romanis & ſurrexiſſe & creviſſe Egeſippus ſcribit lib. 2. cap. 3. Taciti teſtimonium de gente Judæa hoc loco non omittam, quam ait *mente ſolâ unumque Numen intelligere, ſummum illud & æternum; nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum templis habere; non Regibus hanc adulationem, non Cæſaribus honorem deferre*, Hiſtor. 5. Simile quid etiamnum videmus in Turcis, qui cùm habeant legem Mahometis, quâ ſtatuas, ſimulacra, ſculptas pictáſque iconas ſeverè prohibuit, ipſi Muſulmanni (Leunclavii fide digni & *αὐτόπτης* narratoris fide referam, Pandect. Turc. num. 55.) non tantùm magno zelo poſitas in templis per Chriſtianos imagines frangere, diſturbare, abolere ſolent, ſed & Romanorum Græcorumque Principum capita in numis antiquis expreſſa conſpicati, violari legem Prophetæ clamant, & uſum numorum ejuſmodi veterum omnino è medio tollendum cenſent. Quamvis hodie non admodum eos hâc religione, in pecuniis ſaltem, tangi idem auctor teſtetur.

Phariſæi tamen (ut ad hos redeamus) Chriſto petente ſibi exhiberi *numiſma cenſûs*, vel, ut paulò breviùs Marcus & Lucas rem memorant, petente *afferri ſibi denarium ut eum videat*, obtulerunt ei Denarium; non Siclum Hebræum, non Didrachmum aut Staterem Græcum (non enim hos Cæſar volebat) ſed Denarium Romanum; ac nè hunc quidem paulò antiquiorem, Conſularem nimirum (quamvis & hic conſulum Romanorum atque adeò Prætorum & Imperatorum exercitûs nomina prætuliſſet, quique tam cum imperio fuiſſent quàm poſtea ipſi Cæſares Conſulatum geſſerunt) ſed ſui ævi, Tiberiani Imperii. Quærit enim Dominus, numo conſpecto, quaſi parùm agnoſceret ejuſmodi literas atque imagines, qui tractabat cœleſtia, *Cujus ſit imago & ſuperſcriptio*. His duobus numus cenſetur, nec ipſe aliud eſt quàm, ut ait Juvenalis ſat. 14.

Conciſum argentum in titulos faciéſque minutas.

Quærit, non quòd neſcierit (ut Hieronymus ait) ſed ut ad quæſtionem illorum competenter reſpondeat: ut Judex bonus quædam ex partibus etiam ultro quærere ſolet, ut confeſſionibus eorum acceptatis congruam meritis ſententiam ferat. Venerant ipſi Jeſum illaqueare verbis ipſius; at eos potiùs ille capit captóſque tenet ipſorum reſponſis. Reſpondent enim ei quod res eſt, *Cæſaris*. Quid audio, *Cæſaris*? Ità eſt; &, ut Juvencus Presbyter hunc locum vertit,

Aſpicite en numum, ſculptique numiſmatis æra:
Cæſaris expreſſum facile eſt ibi cernere vultum.

Et Prudentius in martyrio Laurentii,

En Cæſar agnoſcit ſuum
Numiſma numis inditum.
Auguſtus arcem poſſidens,
Cui numus omnis ſcribitur.

Cæſarem hoc loco accipimus non Auguſtum jam defunctum; ſed Tiberium ejus privignum & adoptivum, cujus tum Imperii decimusoctavus circiter annus vertebatur; ut & cùm iidem Judæi dicunt, *Non habemus Regem niſi Cæſarem*: &, *Omnis faciens ſeipſum Regem contrà facit Cæſari*: &, *Non es amicus Cæſaris*. Nec abfuit alter titulus, *Pontificis Maximi*, in illius operibus & numis perpetuus, & à ſucceſſoribus etiam affectatus uſque ad Conſtantinum, ut eſſet idem *poteſtate Imperator, virtute Victor, Auguſtus ſanctitate, Pontifex religione, indulgentiâ Pater*, Auſon. Panegyrico. Jam aversâ parte numi quid? fortè illud ipſum quod in aureis argenteiſque frequens conſpicimus, PONTIFEX MAXIMUS;

vel aliud quidpiam elogii, CLEMENTIÆ, MODERATIONI; PROVIDENTIÆ AUG. item PERPETUÆ PACI AUG. aut tale quid adulatorium; aut Deorum Dearúmve, aut Semonum aliquis, & fortè Diana Epheſia, cujus D. Lucas meminit Act. 19. Videas & in quibuſdam Auguſteis ejus ævi, & deſpuas, SALUS. GENERIS. HUMANI. Et ſanè Cæſar ipſe Divi inſtar formatus, *os humeróſque Deo ſimilis*, cæſaries radiata, lauri redimita; additum etiam, DIVI. AUG. F. Et ſub patris ejus imagine, DIVO. AUGUSTO. Quin & numum hunc ſuum vult quodammodo pro re ſancta & Numinis plena haberi. Refert Philoſtratus in Apollon. Tyan. lib. 1. Aſpendi urbe Pamphyliæ, in qua & aſylum Tiberii erat, ſtatuas ejus Principis penè ſanctiores ipſius Jovis Olympii ſimulacris habitas fuiſſe; adeò ut quidam majeſtatis damnatus fuerit *quòd ſervum ſuum verberaſſet qui Drachmam* ſive *Denarium argenteum Tiberii imagine ſignatum palàm manu geſtaſſet*; τυπήσας, inquit, ἐπὶ ἰσοτύπῳ δίλλον φέροντα δραχμὴν ἀργυρᾶν νενομισμένην ἐς Τιβέριον. Tranquillus in Tiberio, & Seneca De Benef. ſcribunt *eò rem proceſſiſſe in crimine majeſtatis, ut capitale eſſet nummo vel annulo impreſſam Auguſti imaginem latrinæ aut lupanari intuliſſe*. Habet ergò Denarius cenſualis Cæſaris nomen & vultum; & conſequenter ab ipſo Cæſare percuſſus; nec Judæi rem tam exſecrabilem unquam feciſſent; & dubitabant adhuc an rem non tantùm profanam ſed & paganâ ſuperſtitione imbutam abjicere & erogare deberent; nec religio eis erat, pictum ſculptúmque & idolo proximum penès ſe habere.

Et hinc aptiſſimè Dominus infert, quaſi causâ bene cognitâ, re ipsâ oculis ſubjectâ, confeſſione partium auditâ, *Ergò*, etiam lege veſtrâ jubente, cujus ſervandæ ſtudio me conſulere ſimulaſtis, quæ vos iconibus & idolis idolothytiſque abſtinere jubet, *reddite Cæſari quæ ejus ſunt*: & hunc numum igitur. Denarius enim hic eſt Cæſaris: Sive formam ſpectetis, Cæſar numo formam atque adeò eſſentiam dedit. Ut J C. dicit l. 1. D. de contr. empt. definiens monetam *eſſe materiam electam formâ publicâ percuſſam, quæ uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia præbeat quàm ex quantitate.* Forma autem eſt effigies & titulus, quem ille non renuente Senatu, & ſic ut Magiſtratus non tantùm pro tempore rerum potiens, ſed etiam legitimè vocatus impreſſit. Sive materiam ſpectetis (quæ fortè non abs re formæ cederet) & ipſa verè Cæſaris eſt, ut è metallis Cæſarianis effoſa, in monte Palatino procuſa, & ab eo publicata, ut ſubditi hoc medio ultro citróque inter ſe mercari & contrahere poſſint, quod omnium rerum promercalium pretium certum conſtituit, ſine quo nec victûs comparandi facultas eſt expedita, ut eleganter Athalaricus Rex Gothorum ait, Caſſiodor. 6. Variar. 7. *Principis imaginem ſubditos videre paſcere per commercium, cujus conſilia invigilare non deſinunt pro ſalute cunctorum.* Ipſum denique reddite Cæſarem Cæſari. Nam & hi numi Cæſarum ipſorum quorum imagines ferrent nominibus ſolebant indigitari, ut *Philippi*, *Trajani*, *Domitiani* dicerentur. Martialis 4. epigr. 28.

Et centum dominos nova moneta.

Juvenalis Sat. 8.

Dacicus, aut ſcripto radiat Germanicus auro.

Atque ità hæc verba Chriſti accepit Karolus Magnus Francorum Rex (cujus autoritate libenter utimur) in libro De imaginibus 3. c. 17. *Dominus & Salvator noſter & per paginam V. T. imagines adorare inhibuit, & per corporalem præſentiam imaginem Cæſaris Cæſari potiùs reddendam quàm adorandam cenſuit.* Et iterum l. 2. c. 28. *Si crucem tollere & Dominum ſequi jubemur, & rurſus imaginem Cæſaris Cæſari reddere debemus, non ſunt imagines cruci æquiparandæ, non adorandæ, non colendæ, ſed huic mundo cum cæteris quæ mundi ſunt relinquendæ.*

Non utitur Dominus illo vulgato & falſo, Dd. in l. 3. C. de quadr. præſcript. neque illud auctoritate ſuâ confirmat, *Omnia ſunt Principis*, ergò & numus. Nam neque Cæſar hoc exigebat, neque etiam numos omnes ſuâ imagine ſignatos à Judæis aliiſve hoc ſolo argumento repetebat, ut ſi hodie Rex Hiſpaniæ omnes Philippeos, vel Papa Romanus Paulinos, quos vocant, omnes ob id ſolùm quòd ſuâ imagine ſignati ſunt vendicare velit, ut bene & dextrè Nicolaus Oreſmius Epiſcopus Lexovienſis, qui fuit præceptor Caroli VI *Sapientis* dicti, hunc locum explicat & enucleat, Tract. De mutat. monet. cap. 6. cujus verba, quòd non paſſim in omnium manibus verſentur, adſcribere non pigrabor, *Quamvis pro utilitate communi Princeps habeat ſignare numiſma, non tamen ipſe dominus ſive proprietarius eſt moneta currentis in ſuo principatu, ſed is qui pro eo numiſmate rem ſuam vel laborem proprii corporis dedit. Si quis autem vellet opponere per hoc, quòd Salvator noſter oſtenſo ſibi quodam Denario interrogavit, dicens*, Cujus eſt imago & ſuperſcriptio hæc? *& cùm reſponſum eſſet*, Cæſaris, *ipſe ſententiavit, dicens*, Reddite igitur quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ Dei ſunt, Deo; *ac ſi diceret, Cæſaris eſt numiſma, ex quo imago Regis in eo eſt impreſſa: Sed inſpicienti ſeriem Euangelii patet facilè quòd non ideo dicitur Cæſari deberi Denarius quia erat Cæſaris imagine ſuperſcriptus, ſed quoniam erat tributum. Nam, ut ait Apoſtolus*, cui tributum, tributum; & cui vectigal, vectigal. *Chriſtus itaque ſignificavit per hoc poſſe cognoſci cui debeatur tributum; quia illi debentur qui pro Republica militabat, & qui ratione Imperii poterat fabricare monetam.* Hæc ille. Ex quibus, ut etiam juniorum captui rem inſinuemus, apparet tale argumentum Domini fuiſſe, cujus nulli parti contradici ullâ fronte poteſt?

Quæ Cæſaris ſunt; ità ut Dei jus nihil attingant, danda ſunt Cæſari: ut generaliter ſuum cuique.

Numiſma cenſûs, ſive Denarius cenſualis, eſt Cæſaris:

Deûm non attinet.

Ergò Cæſari non gravatim dandus.

Minor propoſitio per elicitam ipſorum adverſariorum confeſſionem, probatam probationem habet, hoc modo;

Cenſus omnis, dictante jure gentium & ſenſu communi, eſt ejus qui jure victoriæ eum imperat victis; & ipſe rerum potiens ſuo arbitrio, atque adeò ſuâ ſi velit imagine, eum ſignat.

Hic cenſus à Cæſare, orbis ſubacti deſcriptione factâ, exigitur, & talis ſignatur: ad Deum autem nihil pertinet, ut ipſe loquitur.

Ergò Cæſaris eſt.

Non ergò omne argentum ſignatum ſui characteris prætextu Cæſar à ſubditis vendicabat, ac nè plures quidem uno Denarios pro recognitione dominatûs ſui accipiebat. Modeſtum planè tributum & tolerabile. Laudat Dio Caſſius Auguſtum, quòd pro reſtituendo Palatio incendio abſumpto à privatis Denarium, à ſingulis verò collegiis Aureum tantum, qui conſtabat Denariis XXV, acceperet. Erat Denarius merces diurna unius operarii, ut apud Matthæum videmus cap. 20. & ſtipendium diurnum unius militis, ut ex Tacito diſcimus. Jam Magiſtratui quantum debeatur, qui ſubditos cuſtodit, qui legiones alit ut eos in officio & pace contineat? & propter bella neceſſariò militi ſtipendium præbetur, *nè dum ſumptus quæritur, prædo græſſetur*, ait Auguſtinus ad hunc locum, can. 4, & ſeq. 23. q. 1. Eſt aliquid quod Cæſar vobis Judæis præſtat. Defendit vos ab inimicis quos priùs habebatis, Arabibus, Parthis: nec pyramidibus & obeliſcis ædificandis vos occupat, ut Ægyptii Pharaones & Ptolemæi: nec uſurpat tota illa jura Regis quæ olim, cùm Regem vobis exemplo aliarum gentium à Deo flagitaretis, ab irato illo Regi conceſſa ſunt 1 Sam. 8. Quin Judæa gens, ut ipſa legis ſuæ & rituum propriorum ſtudioſiſſima & ad ſuperſtitionem uſque tenaciſſima, ità nec gravabatur à Romanis in ſuis ſacris & ceremoniis. Et hos quidem olim ipſi Judæi ultro ſibi ſocios & amicos aſciverant, eorúmque fœdus & ſuppetias expetierant 1 Macc. 8. Joſeph. 12. cap. 17. ut imputare ſibi ipſis bona ex parte deberent, ſi deinceps in eorum poteſtatem venerant; cùm lege Divinâ vetarentur cum infidelibus fœdus pangere, & experientiâ humanâ ſcire deberent, potentiorum conjunctionem & inæqualia fœdera infida eſſe ſolere. Sed tamen Romani gentis Hebrææ libertatem & religionem ſatis comiter conſervabant, &, præ aliis populis in provinciam redactis, Judæis certè æquiores ſemper fuerunt. De Auguſto Philo teſtatur Legat. ad Caium Imp. eum non tantùm in Palæſtina eorum religioni aut reip. nihil derogaſſe, ſed & bonam Urbis partem trans Tiberim tententes Judæos toleraſſe, nec eorum proſeuchas, in quibus cœtus ſuos, præſertim Sabbatis, haberent, impediiſſe. Claudium etiam Cæſarem omnia Judæis jura, leges & conſuetudines confirmaſſe, & veſtem Sacerdotalem eis liberè dimiſiſſe, quæ priùs ſub manu Romanorum erat, Joſephus fatetur 19. cap. 4. & 20. cap. 3. & 7. Bel. Jud. c. 37. Quin & Titum poſt Urbis excidium petentes Antiochenos *Judæorum privilegia aboleri*, repuliſſe idem teſtatur. Hinc eſt & vox Pilati ad Judæos, *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate.* Itaque etiam circumciſio eorum lege excepta l. 11. D. ad leg. Corn. De ſicar. & Sabbata tolerata; & in muneribus publicis, quibus æquo jure cum aliis civibus tenebantur, ea moderatio adhibita, *Ne quæ ſuperſtitionem eorum læderent*, lib. 3. ſect. ult. D. de decur. Et cùm aliàs Romæ conventus & coitiones hominum, præſertim collegia religionis gratiâ, non facilè concederentur, Judæis tamen concetta ſua ſynedria, ſynagogas, proſeuchas fatetur Joſephus, & auctores noſtri meminerunt lib. 15. ſect. ἥδη, D. de excuſ. tutor. Et adhuc ſub Conſtantino M. Syriarchas & Phœniciarchas fuiſſe, & magna in dignatione habitos, ipſe teſtatur lib. 1. C. De natur. libert. Nè quidquam jam de Chriſtianorum Imperatorum conſtitutionibus & in Judæos indulgentia dicam, C. de Jud. Cujac. 7. Obſervat. cap. 30. Auguſtus certè tributi hujus de quo agimus exactor ità æquus Judæis fuit, Philone teſte, ut non tantùm pari jure cum aliis civibus eos haberet, ſed & quoties menſtruas pecunias, frumenti diſtributiones populus acciperet, Judæorum etiam (qui aliàs plerumque ſordidè pauperes erant, & mendicando inque triviis vaticinando miſeri æruſcatores ægre vitam tolerabant) rationem haberi vellet: adeò ut ſi quando ea liberalitas in Sabbatum incideret, diribitores publicum beneficium in poſterum diem differre juberet.

Adeò igitur nullo Maccabæo vindice hîc opus, ut voce Domini potiùs jubeantur Cæſari tributum non *dare*, ſed *reddere*, quaſi nil gratuitum aut ſterile, ſed redhoſtimentum patrocinii & defenſionis, eodem jure quo antè Seleuco Regi & Pompejo Magno id dediſſent. Nec in Cæſaris perſonam id intelligendum eſt, ſed habentibus etiam cauſam à Cæſare; quales ſunt mancipes, publicani & redemptores vectigalium, quibus Judæa (ut ſuprà relatum) fuerat elocata, quorúmque in hiſtoria Sacra frequens & non bona mentio: dummodo & hi modum quem Baptiſtes eis præſcripſit Luc. 3. ſervent, *nec ultrà quàm conſtitutum eis exigant.* Ut vice verſâ hodie

Chriſtiani

Chriſtiani Principes Judæis ſua jura & vectigalia elocare non prohibentur, cap. 18. de Jud. Sarracen.

Itaque ut & mater Domini in deſcriptione illa generali ſub Auguſto & Quirino Præſide ſe ſtitit, cenſúmque capitis ſui tum uterum gerens detulit, ipſéque Dominus, ut Euſebius dicit, 4. Hiſtor. c. 26. *civis Romanus naſci & cenſeri voluit*, ità & Apoſtoli ejus hoc præceptum popularibus ſuis inculcare non deſierunt, *Neceſſe eſſe ſubjici magiſtratui, ut Dei miniſtro gladio armato, non tantùm formidine pœnæ, ſed etiam ob conſcientiam, atque ideo etiam tributum ei ſolvi.* Et generaliter ſubjicit Paulus Rom. 13. *Reddite omnibus quod debetis; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Et ſemel condemnata voce ſupremi Judicis Judæa natio ſequentibus temporibus jugum tributi excutere, licèt ſubindè rebellando niteretur, non potuit; ſed potiùs fato eos ad pœnam perfidiæ & crudelitatis ſuæ ducente, vitam ſimul & patriam cum libertate tandem amiſerunt, Tito Cæſ. Veſpaſiani F. exſecutione Divinitus demandatâ. De quo hoc ſolum dicam, exſtare præter hiſtorias ejus victoriæ monumentum Romæ ad radices montis Palatini, arcum marmoreum cum ſuperba inſcriptione, in quo ſculptæ manubiæ & ſpolia Templi in triumpho per oſtentationem traducta, candelabrum affabre expreſſum, cum Arca fœderis, & tabulis Divinæ legis. In ejus numis apparere tropæum cum duobus captivis aſſidentibus; item triumphalem quadrigam, duobus captivis præcedentibus. Eſſe & alios Veſpaſiano inſcriptos, quibus ineſt Victoria ſcuto inſcribens, captivis aſſidentibus; item Judæa muliebri figurâ expreſſa habitu lugubri aſſidens tropæo, in aliis duo captivi ſedentes ſub Palma, quæ Judææ Hieroglyphicon, hâc inſcriptione ſignatos, JUDÆA. CAPTA.

C. Valerius Flaccus, qui Argonautica ſua Veſpaſiano Imp. inſcripſit, lib. 1. in princ. auguratur filium ejus Titum tunc, *verſâ Idumè, pulvere Solymo nigrantem*, ut loquitur, paterno nomini templa, apud gentem nimirum talium inſuetam & impatientem, conſecraturum:

Illa tibi cultiſque Deûm, delubráque genti
Inſtituet, cùm jam genitor lucebis ab omni
Parte poli.

Hoc ergò Tito victore capitatio illa Judæorum prior aggravata eſt, ut pro Denario totam Didrachmam, quæ in Templum Solymæum quotannis inferri ſolebat, ubicunque gentium agerent, deinceps penderent Jovi Capitolino, ut Joſephus 18. c. 12. & 7. Bel. Jud. cap. 28. & Romani ſcriptores teſtantur. At Domitianum Titi fratrem Suetonius auctor eſt Judæos Romæ agentes, & alios etiam pro Judæis ſuſpectos, graviſſimè vexaſſe: *Præter cæteros*, inquit, *Judaicum fiſcus acerbiſſimè actus eſt, ad quem deferebantur, qui velut profeſſi Judaicam ſectam intra Urbem viverent, vel diſſimulatâ origine impoſita genti tributa non pependiſſent*; & addit, *Interfuiſſe adoleſcentem me memini cùm a Procuratore frequentiſſimo conciliо inſpiceretur nonagenarius ſenex an circumſectus eſſet.* Sub eo Martialis alludit lib. 7. epigram. 54.

Sed quæ de Solymis venit peruſtis,
Damnatam modò mentulam tributis.

Nerva bonus Imperator illi belluæ ſuccedens vexationem calumnioſam ſuſtulit, & nè liceret ampliùs majeſtatis aut Judaiſmi quenquam deferre edicto vetuit, Dione auctore. Argenteus numus ejus id exprimit hâc inſcriptione, FISCI. JUDAICI. CALUMNIA. SUBLATA. palmâ in medio poſitâ, Judææ arbore familiari; apud Erizz. pag. 171.

Sed tamen calumniâ exactionis ſublatâ tributum ipſum manſit. Hadrianus Judæis ad internecionem cæſis è Civitate coloniam fecit, & nomen ei mutavit, à ſe *Æliam* vocans. Ulpianus JC. Alexandri Severi Imp. familiaris *Ælia Capitolina & Cæſarienſis* meminit l. 1. & 3 D. de cenſib. *coloniæ in Paleſtina* vocans, negátque eas *jus Italicum habere*, unde tributarias eſſe conſequens eſt. Idémque ſcribit, *in Syria à* XIIII *annis maſculos, à* XII *feminas, uſque ad* LXV *annum tributo capitis obligari.* Tandem religione Capitolini Jovis eversâ, pecunia hæc Judaica largitionibus & ærario Principum inferebatur; neque tantùm Didrachmam (de qua dictum) ſed verò etiam aurum Coronarium, quod Judæi antea quotannis ex Italia & omnibus provinciis Hieroſolymam portare & Patriarchæ ſuo conferre conſueverant, deinceps Imperatores ſibi vindicarunt; & ità quidem, ut Judæi hunc canonem anniverſarium ſuo periculo, compellentibus Palatinis & Officialibus Præſidum, colligerent, & collectum Romam ad theſauros Cæſaris mitterent, l. pen. C. de Jud. Cujac. ad l. 1. C. d. auro coron. Quid autem hodie in eos Cæſari, Regibus & Principibus juris ſit, ſunt qui peculiaribus commentariis expoſuerint: Marq. de Suſan. tract. de Jud.

Et hæc de tributo dicta ſint, de quo ſolo Phariſæi quæſierant. At Dominus, qui revera venit ad docendam viam veritatis, ità reſpondit ut non tantùm tributum illud Cæſaris imagine ſignatum, ſed & ſi quid præterea Cæſaris eſt, ei tribuendum pronunciet. Quo dicto non illius tantùm ſummæ poteſtatis apicem & majeſtatem, ſed omnium aliorum Magiſtratuum auctoritatem confirmavit, & voce pariter factiſque ipſis docuit quod alibi profitetur, Se non veniſſe ut everteret politias & ordinem rerump. ſed ut ſtabiliat: quas & ideo *ordinationem eſſe Dei* Apoſtolus pronunciat. Egeſippus ſcriptor belli Judaici lib. 2. cap. 5. teſtatur, *Chriſtum Dominum nihil aliud docentem, niſi quo primùm Deo, deinde Principibus faceret populos obedientes, à Pilato improbo cruci ſuffixum* deplorans. Vult itaque præter tributum & vectigal etiam honorem & reverentiam atque adeò amorem Principi deferri; & Cæſari ipſi, *ut ſuper omnes eminenti*, ait Apoſtolus 1 Pet. 2. *& Præſidibus ejus, ut ab illo miſſis.* In rebus μίσους & temporalibus obedientiam ei præſtari, in contractibus & negotiis civilibus leges ejus ſervari; qua & tandem in parte à Chriſtianis Principibus Judæi in ordinem redacti fuerunt, lib. 6. 8. C. de Judæis. Etſi enim lites & fora Ethnica Chriſtianis, quantum pote eſt, vitanda ſuadet Apoſtolus 2 Cor. 6. tamen ubi per adverſarium non licet litibus carere, adire legitima tribunalia & jure experiri nihil vetat. Ut ipſe Apoſtolus, cùm ſeditionis & rerum novarum reus ageretur, jus Romanæ civitatis allegavit, Præſidum & Cæſaris tribunali ſe ſtitit, nec forùm declinavit, ſed illuc à violentia tanquam ad portum juſtitiæ provocavit Actor. 25. & ab Angelo audiit, *Ne metuas, Paule: oportet te Cæſari ſiſti*, Actor. 27. Quòd ſi *ſuum cuique reddendum eſt*, ut idem monet, *nil cuiquam debendum*, etiam paganis, alienigenis; ſi privatis, quantò magis Magiſtratui, licèt Ethnico, tamen cujus poteſtati ob peccata ſua Judæi commiſſi erant; & omnis poteſtas à Deo? quò Dominus ipſe Pilatum Judicem ſedentem & poteſtate ſuâ ferocientem revocavit, *Non haberes*, inquit, *in me poteſtatem judicandi niſi datum tibi eſſet deſuper.*

At non in hoc ſubſtitit Dominus (quod nec adeò præter exſpectationem Phariſæorum fuiſſet, aut effugiendo periculo ſatis) neque officio docentis Divinam veritatem perfunctum ſe adhuc credidit; ſed addidit aliud quid majoris momenti, & ità temperavit reſponſum admirabili ſuâ ſapientiâ ut neutri factioni ſe redderet obnoxium; ſed potiùs pro bonitate ſua utramque ſibi inimicam factionem moneret quod magis ad ſalutem illorum attineret, & in quo diſcendo majus operæpretium eſſet, quàm de Denario cenſûs, nimirum, Ut Deo Principi ſummo ante omnia ſolvant cenſum pietatis. Non tantùm, inquit, *quæ Cæſaris ſunt, Cæſari date*; ſed inprimis *quæ Dei ſunt, Deo.* Juvencus ità reddidit,

Solvite nunc illi propria ſub lege tributum,
Atque Deo proprium legis ſervemus honorem.

Ergò *qua Dei* & Templi ejus, domûs orationis, ut Didrachmum illud non Cæſaris, ſed propheticæ virgulæ & myſticæ ſuppellectilis figurâ ſignatum, ut antea, *ei perſolvite*: ſolvite Decimas, Primitias, Oblationes & Donaria miniſterio Sacerdotii deſtinata, ut Hieronymus interpretatur. Adeò ſi quis eſſet numus Deo debitus, & ità inſcriptus, quem ipſe peteret, eum bonâ fide reddite. At talem accepiſtis, ipſam Animam Dei imagine inſignitam, accepiſtis ab eo talentum Ingenii, Legis naturæ, Judicii, Sensûs communis, Conſcientiæ, aliorúmque donorum: id bene collocate ad gloriam datoris, & cum fœnore fructibúſque fideliter reddite; præſertim cùm is non paulò & attentiùs & juſtiùs quàm Cæſar ſuum requirat, ipſe numum perditum accensâ candelâ quærat. Quin & hoc ſibi imputabit, cùm Cæſari ſuum dabitis. Magiſtratus cæteri jus ſuum à Cæſare habent, Cæſar à Deo. *Dei* ipſius *eſt miniſter*, *nec fruſtrà gladium gerit*: & ut ipſe Præfectis ſuis gladium ad tutelam bonorum, excidium malorum committit, ità ad hunc uſum priùs à Deo accepit. Denique conjuncta eſt cauſa Dei & Cæſaris, Numinis & Magiſtratûs, quod jam olim ſapientiſſimus Regum docuit Prov. 24. *Time Deum, fili mi, & Regem*; & deinceps Apoſtolus, 1 Pet. 2. 17. *Deum timete, Regem honorificate.* Conjuncta eſt, non confuſa. Itaque neque occupate jura Cæſariana, neque viciſſim quæ ſacri juris ſunt ad profanos uſus conferte, ut Eleemoſynas, quas Chriſtus pro ſe & membris ſuis acceptas fert, & alia ſacris piiſque uſibus deſtinata, illis conſervate, exemplo Laurentii eam ob cauſam ſub Diocletiano paſſi. Multò minùs profanis rebus ſacrorum reverentiam aut hominibus Divinos honores date. Id à Herodianis hiſce factum, qui Herodi, non quidem huic, ſed Antipæ, cùm die quadam ſederet regaliter ornatus pro tribunali, concionabundus ad populum, acclamarunt, *Vox Dei, & non hominis.* Tum *confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, ut eroſus à vermibus exſpiraret.* Actor. 12. Joſeph. 18. c. 8. Et tamen orta eſt poſtea ſecta hominum qui Legem quidem & Prophetas acciperent, & Reſurrectionem etiam faterentur; Herodem autem illum Regem percuſſum ab Angelo ipſum ut Chriſtum ſperantes exſpectarent; quos indè *Herodianos* dictos Philaſtrius Brixienſis annotavit, Catal. hæreſ. p. 12. Ità uno reſponſo Dominus pupugit utramque partem; Herodianos, qui impii erant, herúmque ſuum nimio cultu afficiebant, & de ſtatu Regni ſui tutando, Cæſaríſque gratiâ, per quem regnabat, conſervandâ magis quàm Divino cultu aut Legis obſervatione laborabant; & Phariſæos, qui nimiâ ſuperſtitione tumebant, & obtentu libertatis religioſæ legíſque patriæ, quam ſe ſolos intelligere putabant, Principibus parère gravabantur. Atque ità dum illi ipſum alterutri parti inviſum reddere tentant, ipſe eos Deo pariter & Cæſari adverſarios eſſe oſtendit, & officii tamen erga utrumque ſui (ſi audire voluiſſent) commonefacit. Ipſe autem interea neque Cæſari jus ſuum infregit, aut Herodianos ei devotos oſtendit; & vero Deo Patri ſuo cultum debitum apud gentem illam vernaculam aſſeruit. Quem Cæſares etiam Romani adeò evertere & abolere non potuerunt, ut ipſi tandem Deo unico ejúſque Filio nomen darent, ſéque à Deo coronatos, Θεοστεφεῖς, non inviti agnoſcerent; nec tantùm nullum à Templo dedicatum donarium averterent, ſed ipſi potiùs ſua eò promptiſſimè & largiſſimè conferrent, omnémque ſplendorem & majeſtatem ſuam eò referrent, denique monetam etiam ſuam Chriſti potiùs imaginem ferre, in eáque hoc legi juberent, IHS. XPS. REX. REGNANTIUM. Cedren. f. 563. Glycas 4. Annal. p. 434. Curopal. f. 80. Balſamon in Nomocan. f. 24.

O magnam ſimpliciſſimæ ſapientiæ virtutem, quæ adverſarios in admirationem adductos & confuſos coram populo, quo teſte agebant, pudefacit, ut nihil reprehendere valentes obmuteſcerent, & ſpe ſuâ deluſi abirent! Sed, ut eleganter Hieronymus addit, *qui ad tantam credere ſapientiam debuerant, mirati* tantùm *ſunt quòd calliditas eorum inſidiandi locum non inveniſſet. ET RELICTO EO ABIERUNT, infidelitatem pariter cum miraculo repertantes.* Falsò igitur (ut ad initium ſuum noſtra recurrat oratio) falsò præfati erant, *Scimus quòd magiſter tu veritatis.* Imò nil minùs ſcimus, nec ſcire nobis datum, nec ſcire id cupimus, aut ut credamus induci poſſumus, adeò incredúli & pervicaces. Canarzi citiùs credidiſſent; & verò paſſim auditâ doctrinâ, miraculis viſis cum ſtupore, inclinabant ad credendum. Agrippa audito D. Paulo quaſi cedens, *Parùm abeſt quin Chriſtianus fiam.* Tiberius ad Senatum ſuper Chriſto retulit. Alexander Severus in larario cum aliis poſuit. Denique ità Deo viſum, ut Gentiles illi, & nos Germani, nos barbari à Sole illo molleſceremus, Judæis magis etiam adhuc induratis. Cui pro hoc beneficio ſit laus & honor in ſecula.

APPENDIX.

HIS expoſitis videamus hoc præceptum ab ore Domini profectum de veneratione, tributo, obedientiâque Magiſtratui præſtanda quis primus & maximè violaverit. Quis niſi ille in Templo quidem & Eccleſia Dei ſedens, ſed nihil eorum non dicam quæ Dominus juſſit faciens aut etiam ſcire curans, verùm in contrarium fucre & moliri non dubitans; cui humanas res omnes miſcere & peſſundare ludus; cui audaci & ſibi ipſi placenti Dominatus & Poteſtates mundanas, quas etiam Angeli venerantur, contumelioſè habere & proculcare nulla eſt religio? ut de eo D. Petrus jam tum præſagiebat, 2. ep. 2. & D. Judas v. 5, 8, 10. Ut autem de eo tantùm dicamus quod eſt hujus loci proprium, de numo Cæſaris, de cenſu; Cornelià lege olim cautum erat, quæ *Numaria* dicta, vel potiùs (quia hoc nimis caſcum videri poſſit) à Principibus Chriſtianis Valentiniano & Theodoſio, item Majoriano & Theodoſio, conſtitutionibus ſancitum, à Juſtiniano in Codicem ſuum relatum, & in Pragmatica ſanctione ad Vigilium Romæ Epiſcopum repetitum, deinceps etiam à Leone Philoſopho Imp. in Oriente, & à Carolo denique Magno in Occidente iteratum, *Ne cuiquam numos Principum quorumcunque imagine formatos, modò aliàs juſti ponderis nec dubia fidei eſſent, in commerciis reprobare fas eſſet*: Paul. 5. ſent. tit. 25. l. 1. C. de vet. num. poteſt. Theod. Novel. 25. Major. 1. Prag. ſanct. cap. 14. Leo Nov. 52. Lombar. 3. tit. 28. Porrò cùm tranſlatum eſſet Imperium è Veteri Roma in Novam, & Imperatores Conſtantinopolitani per Exarchos ſuos Ravennæ reſidentes Regnum Italiæ utcunque retinerent, Occidentem & caput ejus Romam ut legibus illorum ità etiam ſolidis, monetis, numis per multos annos ſine difficultate uſum conſtat, qui *Byzantini* dicebantur, *Bezants d'or*; & eorum multa mentio in ejus temporis diplomatis & inſtrumentis, etiam Pontificiis bullis & fundationibus, aliiſque talibus memoriis; necnon in ipſis Decretalibus, & cæteris ejus ævi auctoribus. At Conſtantinus Papa nónne ipſis Judæis rebellior videri poteſt? qui Philippico Bardane Imp. quòd non per omnia cum Sede Romana ſentiret, & picturas ſynodicas (quas vocabant) ſanctorúmque ſtatuas & imagines è Templis eraſiſſet, (gravi ſcilicet ex cauſa) hæreſeos condemnato, cum populo Romano ſtatuit, *Ne nomen Imperatoris haretici aut in chartas aut in figuram ſolidi ſeu numiſmatis ſuſciperent*: Unde nec ejus effigies in Eccleſiam pro more introducta eſt, nec nomen ad Miſſarum ſolennia prolatum; ut Paulus Diaconus, Beda, Adóque teſtantur. [l. Diac. 6. Longob. c. 31. Ado æt. 6. Platin. & Maſſon. in Conſtantin. 1.] Jam quis neſcit quomodo idem Romæ Epiſcopus, & per eum totus Clerus, reditus fiſcales & tributa Imperatoris, Imperiíque & omnium Principum imminuerit & enervarit, dum paulatim res ſuas à juriſdictione & exactione eorum ſubtraxerunt, & ementitis privilegiis immunitatem latiſſimam ſibi ipſis fabrefecerunt? Extr. de immun. Eccleſ. At hoc levius & fortè ferendum præ illo quod idem Papa Imperatores veteres ſub prætextu hæreſeos tributo totius Italiæ ſpoliavit. Cùm enim Leo Iſaurus Imp. bono zelo ſtatuas & imagines templarias evertere cœpiſſet (unde *Iconomachus* dictus, & omnes ſcriptores monaſtici hoc nomine ei mirum in modum iniqui) ídque comperiſſet Gregorius Papa, ſtatim ſynodico anathemate eum obſtrinxit, móxque tributa Romanæ urbis & totius Italiæ, quæ ad id uſque tempus Imperio indè pendebantur, inhibuit eique intercepit. Et mox in totum ab illo deficiens Francos tacitis fœderibus in Italiam pellexit, ut Zonaras, Cedrenus, Diaconus ſcribunt, & ex eis Platina aliíque recentiores Pontificum encomiaſtæ quaſi rem bene geſtam referunt. Zonar. to. 3. p. 85. Cedren. f. 373. & 98. P. Diac. Miſcel. 21. Theo. Nihem. f. 787.

Longum ſit commemorare ut pleraque jura Imperatoria circa res ſacras & profanas infregerit & ad ſe tranſtulerit, convocationem Conciliorum, creationem ſui ipſius, & Epiſcoporum inveſtituras, juriſdictionem in Clericos, jura appellationis; ut ſe ipſe totum ab Imperatoris obedientia exemerit; ut ornamenta Imperatoris omnia à capite ad calcem, infulam, coronam, calceamenta, equeſtrem pompam uſurparit; ut molem Hadriani, Pantheon, Lateranum, Baſilicas, Septimontium totum, Urbem cum ſuis Magiſtratibus juribúſque Senatûs & Populi

Populi occuparit: quinimo Urbe non contentus Italiam, Apuliam, Calabriam, Siciliam, cæteraque Regna pleraque sibi vindicarit, & jam orbis dominium affectet. Itaque quæ olim Romani Cæsares rerum domini è Palatio Regiàque sub titulo, encausto, sigillo suo expediebant, ipse jam in Basilica S. Petri principis Apostolorum sub annulo piscatoris peragit. Ipse jam monetam auro argentóque flat, ferit; claves suas & insignia gentilitia imprimit, addito & in quibusdam elogio, SIC. SOLEO. BEARE. MEOS. In aliis Julius III hæc verba Jesaiæ Prophetæ ad suam monarchiam appositè deflexa inscripsit, GENS. ET. REGNUM. QUOD. NON. SERVIERIT. TIBI. PERIBIT. Certè veris & legitimis Imperatoribus Byzantinis omnia ademit: qui cùm modò à legitima Meroveorum stirpe, Chilperico Rege in monasterium detruso & tonso, Regnum Francorum in Pipinum Majorem domûs transtulisset, paulò pòst & Imperium ipsum à Constantino Irenes F. in Carolum Magnum, à Græcis ad Francos transtuliſſe se gloriatur, & Germanis exprobrat: nimirum nè parùm impleviſſe videretur quod Prophetarum oraculis erat prædictum, eum etiam Regna & Imperia à gente in gentem transpositurum. Et his omnibus parùm se credidit effeciſſe nisi ipse versâ vice Cæsari leges daret, Imperio imperaret, ipse Imperatorem crearet & coronaret, juramentis quibus vellet adigeret, ei taxam & tributa imponeret, adversarios ei excitaret, eum denique si videatur levi prætextu pro arbitrio deponeret. Mirum videri possit quòd non & titulum nomènque *Imperatoris* penitus abrogarit: nisi fortè (ut de Regio nomine quibusdam à Romanis relicto Tacitus dixit) *reliquit ideo ut haberet instrumenta servitutis & Imperatores.* Quam servitutem quàm indigne in complures eorum exercuerit non est hujus loci denarrare. Ut & totam illam amplissimam segetem Theologis intactam relinquo, quomodo ea quoque quæ Dei sunt, Christi Servatoris, ejúsque sanctæ sponsæ Ecclesiæ, idem infideliter reddiderit, quin sibi arroganter usurparit, efferendo se supra omnia, & intolerabilem tyrannidem in Ecclesiam & oves Dominicas exercendo. Et audet spurcus & blasphemus ille auctor libri Monarchalis Papæ, Jacobus de Terano, Urbani VI. cubicularius, opus suum ab hoc dicto Domini ordiri, *Reddite quæ Cæsaris, Cæsari.* Ubi verba illa perbellè ità exponit, *temporaliter scilicet, antequam Christus passus esset, & cælos victor ascendisset.* Verba enim Domini, Johan. 12. *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, suavis conciliator exponit, *Omnia Imperia & Regna mundi recuperabo, & auferam à Cæsare, Regibus & aliis Principibus, idque per milites meos Apostolos.* Quibus portentis adulationum etiam Augustini de Ancona cæterorúmque parasitorum Pontificiorum libri pleni sonant, & bracteatæ ipsæ Decretales Paparum non ab alio ferè auro crepant. Quantò magis Sacerdotem decuisset, præcepti Dominici, Prophetici & Apostolici memorem, Unctos Domini colere & venerari, essque omnem amorem & observantiam quacunque animi submissione deferre, fidelibus præsertim & Dei cognitione verâ imbutis, atque adeò patrocinium & defensionem Ecclesiæ Christianæ profitentibus? Erat quidem illud tempus quo cùm Principes Romani non tantùm Deum verum ipsi ignorarent, sed & alios ab ejus cognitione & professione quantum in ipsis esset arcerent, tum certè Christianis etiam atque etiam cavendum esset nè plusquam fas esset Cæsari tribuerent, & limites hos à Domino positos sanctè religioséque servarent. Ideóque canone Apostolorum 83 cautum legimus, *Episcopum, Presbyterum, Diaconum operam dantem militiæ, & simul utrumque retinere volentem, Romanam ἀρχὴν sive præfecturam, & sacram functionem, deponendum.* Additâ hâc ætiologiâ, *Quæ enim sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Ubi Zonaras annotat, ἐ γὰρ δεῖ μιγνύειν τὰ ἄμικτα, τὰ Καίσαρός, φησι, καὶ τὰ Θεοῦ. Et septimus Chalcedonensis Synodi canon tales quos non pœniteat anathematizari jubet. Quod & Arelatensi Synodo sub Constantino habità ità cautum legitur, *De præsidibus autem qui fideles sunt, & ad Præsidatum prosiliunt, ità placuit, ut cùm promoti fuerint, literas quidem accipiant Ecclesiasticas communicatorias, ità tamen ut in quibuscunque locis gesserint, ab Episcopo ejusdem loci cura de illis agatur. Et si cœperint contra disciplinam agere; tum demum à communione excludantur.* Sed hoc erat illud tempus quo, ut eleganter ait Augustinus epist. 48. c. *Non invenitur*, & seqq. 23. q. 4. *Nondum implebatur illa prophetia*, ET NUNC, REGES, INTELLIGITE; ERUDIMINI, QUI JUDICATIS TERRAM. *Adhuc enim implebatur illud quod in eodem Psalmo paulò superiùs legitur*, QUARE FREMUERUNT GENTES, ET POPULI MEDITATI SUNT INANIA? ASTITERUNT REGES TERRÆ, ET PRINCIPES CONVENERUNT IN UNUM. Et ait epist. 50. suo tempore in Principibus Romanis impletum illud, *Et nunc Reges, intelligite; eruditmini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore. Serviunt enim Reges Domino in timore, ea quæ contra jussa Domini sunt religiosâ severitate prohibendo. Aliter enim servit quia homo est, aliter quia Rex: quia homo, servit vivendo fideliter, quia Rex est, servit leges justa præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo.* Et Paulinus pag. 418 epistolâ ad quendam militem, *Quia uni Deo serviendum est*, inquit, *facile puto esse discerni cui potius serviri debeat, Deo an Mammonæ, Christo an Cæsari, cùm ipse Cæsar Christi servum studeat esse, ut aliquarum gentium Rex esse mereatur.* Itaque hoc unum passim & ubique jam tum à sanctis illis Ecclesiæ Doctoribus inculcatur; *Quo magis conjuncta est Dei & fidelium Principum causa, eò promptiùs Principibus ab omni anima, nullo mortalium excepto, sunm esse reddendum.* Quæ sententia cùm & multorum gravissimorum scriptorum calamo sit discussa, & Imperatoria jura contra attentatores Achilleis argumentis propugnata, vela contraham, & in voto illo desinam quo Bernardus utitur ad Conradum Rom. Regem epist. 253. *Accingere gladio super femur tuum, potentissime: & reddituas sibi Cæsar quæ Cæsaris sunt; & quæ sunt Dei, Deo. Utrumque interesse Cæsaris constat, & propriam tueri coronam, & Ecclesiam defensare. Alterum Regi, alterum Ecclesiæ convenit Advocato.*

De Tributo Soli & capitatione Judaica sub Augusto Observatio.

EX LIB. III. PARERGON M. F.

CAP. X.

TRibuti stipendisve duo sunt genera, *quæ Capitibus, & quæ Solo imponuntur*, l. ult. D. de censib. *quæ prædiis*, & *quæ moventibus*; ut Scævola loquitur l. generali §. ult. D. de usufr. leg. Utrumque *tributum* vocatur, utrumque *census*, ut apparet ex loco Ulpiani in l. 3. in princ. D. de censib. Itaque *census* Suidas definit τίμημα τιλῶ, ἐξεταση τῶ Ῥωμαϊκῶ πλήθους. Hesychius, ἐπίσημον νομίσματος ἐπικεφάλαιον. Utrumque erat ordinarium; utrumque simul pendebant in provinciam redactæ regiones, nisi quæ juris Italici essent. Qui nominis honos eas utroque eximebat. Atque uno remisso non etiam continuò alterum remissum censebatur, nisi fieret expresè, aut juris Italici (ut dictum) prærogativa tribueretur, d. l. ult. Judææ quidem, duræ & rebelli, utrumque initio ab Augusto impositum non dubitatur; eóque nomine descriptionem factam capitum primò, quotquot Judæam inhabitarent, deinde facultatum quantum singuli in bonis haberent: Sigon. De rep. Hebr. lib. 5. in fine. Nam & Quirinum Præsidem missum ἀπογραφὴν & ἀποτίμησιν fecisse Ἰουδαίων Josephus disertè scribit. Et cùm *Syri Ciliciæque quotannis centesimam facultatum penderent, Judæos insuper tributum capitis gravius quàm reliquarum facultatum dependisse* Appianus in Syriacis auctor est: δέδεκται Ἰουδαίους, inquit, ἄπασιν ὁ φόρος τῶν ἐμφύτων βαρύτερος τῆς ἄλλης εὐετηρίας· ἴσι γὰρ Σύροις καὶ Κίλιξιν ἑπτηκοστὴ τὸ τιμήματος ἑκάστου. Et sic utrumque tributum in eos à sequentibus Principibus continuatum vel ex eo colligere est quod Ulpianus scribit, *colonias in Syria Cæsariensem & Æliam Capitolinam, neutram Italicum jus habere*, l. 1. D. de censibus. Quæ verò & quanta capitatio ista fuerit inter eruditos quæritur. Nam alius quidem uniforme illud & in omnia capita æquale, eamque in rem peculiariter cusum numum, & quidem (indicio Euangelistæ de colloquio Domini cum Pharisæis) Denarium fuisse scribit; illum qui merces diurna scilicet unius operarii erat, & stipendium diurnum unius militis: & modestum tributum laudat [Cæsar Baron. Tomo 1. Annal. Eccles.] Alius palàm dissentiens ridiculum hoc putat; *nisi si Denarius aureus*, inquit, *fuerit*, [Lipsi. in Admirand. lib. 2. cap. 3.] Et Strabo sanè pro hoc, qui non modestum sed βαρύτερον solito capitationis Judaicæ tributum facit. Sed & Tacitus lib. 2. sub Tiberio anno V. C. DCCLXX. *Provincias Syriam atque Judæam, fessas oneribus, diminutionem tributi orasse.* Itaque nec inducere in animum idem vir magnus potest, indiscretum uniforme in omnia capita, multóque minùs certum genus numi ad hoc tributi genus cusum fuisse; quòd hoc posito injustitia manifesta adhæreat, ut si quis pauper liberos & familiam multam habeat,

contrà dives & cœlebs sit & orbus. Unde Strabonis de Judæis locum ità accipit. *Solvere quidem illos censum & pro agrorum modo & opum reliquarum, sed æstimatione omnium factâ etiam centesimam pro ipso capite dare: ità ut qui decem aureorum millia, e. g. in censu habeat, solvat ex illis annuè centena.* Hócque *placere sibi ob æqualitatem, & quia pauperes & tenues sic non pressi.* Quod equidem totum, & quæ sequuntur, non satis capio. Tenendum est certè, *tributum soli*, i. agrorum, *pro modo & latitudine eorum indictum fuisse*, ut Ulpianus De censibus docet; vel potiùs pro feracitate. *Stipendium enim & tributum onera sunt fructuum*, l. 7. D. de usufru. l. neque, D. de impens. in res dotal. fact. Unde Mecœnas apud Dionem, *ὅρον ἐπιτιθέναι πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς ἐπικαρπίαν τινὰ τῷ κεκτημένῳ ἀντὶ παρέχουσι.* Nec agris solùm, sed cæteris etiam facultatibus, ædibus, auro facto & infecto, pecuniæ numeratæ, mancipiis, gregibus tributa imponebantur pro eorum modo. Qui ut inter divites & inopes diversus, ità & tributi onus. Neque hoc in opibus valde formidandum. At capitis tributum in omnes peræquè unum, liberos modò (nam servorum nulla capita, sed pecudum instar pro pretiis suis à domino cum cæteris fortunis horum tributum dependebatur) divites & tenues, maritos & cœlibes, parentes & orbos. Non dicam, juvenes & senes, quòd ei rei modus datus, ut nec ante vigesimum annum capite obligarentur, & senectuti sua immunitas esset; nisi quòd in Judæa hoc etiam aliquantulùm aggravatum, Ulpianus auctor est d. l. 3. D. de censibus. Et hoc sanè, nimirum uniforme per omnia capita capitationis tributum fuisse, tam certum est quàm inter ipsos Judæos Didrachmi pensitatio lege Divinâ Exod. 30. instituta non variavit, & à Vespasiano deinde ità innovata *ut omnes ubique Judæi* (verba sunt Josephi, Zonaræ, Xiphilini) *duas illas drachmas Jovi Capitolino Romæ penderent quas antea Templo Hierosolymitano pependerant*: quàm certum est vectigalis aut collectæ genus (ut cum recentioribus loquar) quod singulis familiis per focos, caminos fumantes aut focularia imponitur, nec Græcis incognitum, & κατνικὸν dictum, per omnes æquè familias æquale esse, nec à divitum domibus quàm pauperum tabernis aliud exigi. Quæ etiam res facit ut in personas vel capita, in domos vel fumaria quod exigitur, modicum & tolerabile plerumque definiatur omnibus æquum; quòd nec tenuibus grave sit ad pendendum, & interim numero pendentium exactori magnam summam conficiat. Vide Ubald. De collectis, num. 13. 20, 25. Cedren. instaur. Novell. Isacii Comneni. Jam modum utriusque tributi si quis requirat, etsi nec liquidò hunc constitui posse credam, nec fuisse semper certum putem, sed sub hoc vel illo Principe, in illam vel illam gentem, pro causis vel arbitrio exauctum aut remissum, tamen non video cur aut in tributo bonorum Centesimam (qui ferè modus hodie etiam ubique gentium servatur) aut in capitatione Denarium in singulos excessisse putemus. Sit Denarius decem cupreorum assium numus, drachmali pondere (quis enim *aureum Denarium* uspiam legit?) tamen hoc & in capita singula, supra bonorum censum, quotannis petitum, tenuioribus non ità leve, & in tanta gente immensam victoribus opum vim cumulavit. Neque Deus ipse nili Didrachmum, i. duos Denarios, lege suâ in Templi usum exegerat. Dum itaque Pharisæi jussi *numisma census exhibere* Denarium exhibent Tiberii Cæsaris imagine percussum, capitationis numum exhibent. Puto enim illos de capitis potissimùm censu quem tantopere suâ conditione indignum oderant & aversabantur, cum Domino agere & anquirere voluisse. Quòd si de tributo soli potiùs aut conjunctim de utroque actum fuit, ut Denarius unus ei rei non sufficerit, hoc saltem ex eo loco observare operæpretium fuerit, quandoquidem non Staterem, non Drachmam, non Siclum, sed Denarium protulerunt, mori Romanorum eâ ratione satisfactum, qui tributa & indictiones suas non tantùm rigidè exegerunt, sed nec in alio quàm Romano numo acceperunt, ut est alio loco à nobis fusiùs expositum, [Orat. de Numis. census.] Itaque aut singulis Denariis pro capitis censu defungi Judæi potuerunt, aut capitationem simul & soli tributum ad denariariam rationem ab exactoribus redigi consuevisse, & in Denario, notissimo Romanæ monetæ genere, à provincialibus persolvi debuisse hinc videmus. Quod & Strabonis locus lib. 10. de Gyaro insula adjuvat, *συμπλέων δὴ λέγει πρὸς τὰς συνοικίας, ὅτι πεντακόσια μὲν μυριάδων τὸ φόρον· τελῶν γὰρ ἀφορμὰς* (*denarius* interpres vertit, rectissimè) *ἑκατὸν πεντήκοντα, ἢ τὰς ἑκατὸν χιλιάδας ἀν τελοῦν.*

DE HADRIANI IMP. VICTORIA JUDAICA, ET ÆLIA CAPITOLINA.

CAP. XI.

DE bello Judaico Adriani Imp. quo rebellantes compescuit & ad internecionem cecidit, regionémque eorum ferro & flammâ vastavit, Dion & Spartianus necnon Pausanias auctores sunt. Exstántque apud Sebast. Erizzo, pag. 253. Ant. Agostinum tab. 71. ejus victoriæ monumenta in numis Hadriani; quorum unum, qui ad manum, hîc exhibere visum; in quo Judæa supplex ruinam suam deplorat, veniámque nequicquam precatur.

Eo bello confecto civitatem Hierosolymam victor in coloniam convertit, novis civibus inductis, religione loci sacrisque priscis sublatis profanavit, & nomen adeò ei immutavit, *Ælium* à se vocans, cujus Ulpianus meminit l. 1. D. de censibus. De qua singularis est locus Severi Sulpitii libr. 2. *Adrianus existimans se Christianam fidem loci injuriâ perempturum, in Templo ac loco Dominicæ passionis dæmonum simulacra constituit. Et quia Christiani ex Judæis potissimum putabantur, (namque tum Hierosolyma non nisi ex circumcisione habebat Ecclesia Sacerdotem) militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit, quæ Judæos omnes Hierosolyma aditu arceret.* Quò valde pertinet Apologetici locus in quo Tertullianus (qui post Hadrianum sub Severo vixit) de Judæis loquens, *Dispersi*, inquit, *palabundi, & soli & cœli sui exterres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo Rege: quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur. Hoc etiam fortasse consilio* (ut elegantur vir doctus P. Pithœus lib. 2. Adversus cap. 3. annotavit) *Hadrianus* urbem illam *instaurans in fronte ejus portæ quæ ad Bethlehem erat Suem in marmore sculptam proposuit, ut Cassiodorus in Chronico scribit.* Qui tamen hanc minùs fortè propriam rationem addit, *significasse Romanæ potestati subjacere Judæos*: quasi verò ad jurisdictionem suam denotandam non Aquilam potiùs aut Lupam quàm Scrofam Trojanam expressuri fuissent Romani. Sed figurâ immundi exosique animalis abigere & absterrere aditu Judæos voluerunt. In quo falsus animi Petronius aliique Gentilium, qui reverentiâ ejus affici Judæos putabant:

Judæus licèt & porcinum numen adoret,
Et cœli summas advocet auriculas.

CAP. XIII.

VALLA.

1. *Magister, aspice quales lapides sint, & qualis structura templi.* 2. *Et respondens Jesus, ait illi*] Ego transtulissem potiùs *aspice quanti lapides*, sive *quanta saxa, & quanta structura*, ποταποὶ λίθοι, καὶ ποταπαὶ οἰκοδομαί.

11. *Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini*] Gr. *Nè anxii sitis quid loquamini, neque meditemini*, μὴ μεριμνᾶτε, τί λαλήσητε, μηδὲ μελετᾶτε.

17. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*] Græcè est apertiùs. Non enim dicitur *nutrientibus*, sed *lactantibus*, θηλαζούσαις.

19. *Erunt enim dies illi tribulationes, quales non fuerunt ab initio creaturæ*] Gr. *Tribulatio qualis non extitit ab initio creæ-*

creatura, θλῖψις οἵα οὐ γέγονε τοιαύτη. Et debere ſing. numerum eſſe probat quod ſequitur, v. 24. *Sed in illis diebus poſt tribulationem illam.*

31. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſient*] Hanc varietatem futuri temporis non ità fert linguæ Latinæ ratio, ut Græcæ. Nam *tranſibunt* potiùs quàm *tranſient* dicimus. Græci habent παρελεύσεται, & παρελθωσι· numeri ſing. eſt, ut fuerit transferendum, *Cælum & terra tranſibit.*

REVIUS in VALLAM.

1. QUanti lapides, &c.] *Miror cur Laurentius* quales *mutandum putarit in* quantos: ποταπὸς enim ſonat cujuſmodi, *ſed ità ut non ſimpliciter hanc contineat interrogationem, ut* πῶς, *ſed admirationem potius in bonam partem*, ait Eraſmus hîc; quem vide, & in Luc. 1. 29. & 7. 39. ubi eadem vox per *quanta* non poteſt verti. Sed noſtet eruditus lector, ποταπὸς propriè nec *qualem* nec *quantum* ſignificare, ſed eſſe idem cum Latino *cujas*, pro ποδαπὸς, i. πόθεν ὢν· licèt uſu invaluerit ut & pro πῶς ſumatur. Ità & inter Latinos Manilius l. 2.

Nunc quid ſit cujuſve canam.

i. *quale*: & Prudentius,

——— *Deinque*
Quem colat, aut juſſu cujuſnis venerit.

Vide Scaligerum Manil. p. 180.

19. Θλῖψις οἵα οὐ] E fuga hoc retractum.

31. Παρελεύσονται) & παρελθωσι· *numeri ſing. eſt*] Deeſſe aliquid apparet: & videtur legendum, *quorum illud numeri ſing. eſt*: nam παρελθωσι, ſing. eſſe non poteſt. Cæterùm nè illud quidem in noſtris codd. ſing. eſt, παρελεύσεται dico, ſed plur. παρελεύσονται. Ergò ejuſmodi codicem etiam ſecuta eſt Vulg.

ERASMUS.

1. QUales lapides] Ποταποὶ. Miror cur Laurentius *quales* mutandum putarit in *quantes*: ποταπὸς enim ſonat *cujuſmodi*, ſed ità ut non ſimpliciter habeat interrogationem, ut πῶς, ſed admirationem potius in bonam partem: velut ſi de ignoto ſciſciteris, rectè dixeris πῶς ἐστι; ſed ποταπὸς non rectè dixeris.

2. *Vides has omnes*] Βλέπεις *videt.* In nonnullis erat βλέπετε *videtis.*

6. *Dicentes quia ego ſum*] Ὅτι ἐγώ εἰμι· *Quia* hoc loco tantùm affirmat, & ob id erat omittendum. Sermo neque ad Græcam proprietatem reſpondet, neque ad Romanam. Poteſt autem bifariàm accipi, *dicentes, Ego ſum*, ut ſubaudias *Chriſtus*: aut, *dicentes ſe eſſe eum qui ego ſum.* Incommodum vitari poterat ſi vertiſſet, *Dicentes, Ego ſum Chriſtus.*

7. *Et opiniones*] Ἀκοὰς *rumores.* Nam ad verbum ſonat *auditiones.*

8. *Et regnum ſuper*] Cur non potiùs *contra regnum*, ſicut modò verterat? nam eadem eſt præpoſitio Græcis, ἐπὶ.

9. *Videte vosmetipſos*] Conſentiunt quidem Græci codices; verùm mutanda erat hoc loco Græci ſermonis figura, *Cavete vobiſipſis.* Neque verò eſt otioſa pronominis additio, quo diſcernuntur Diſcipuli à cæteris. Et haud ſcio an ſcriptum fuerit à Marco ἑαυτοῖς. ¶ *In conciliis*] Rectius erat *in concilia*, εἰς συνέδρια. ¶ *Et ante præſides*] Καὶ ἐπὶ ἡγεμόνων δὲ βασιλέων ἀχθήσεσθε, *Et ſub Præſidibus & Regibus ducemini*: ut intelligas eos ad Judices duci.

11. *Nolite præcogitare*] Μὴ προμεριμνᾶτε *nè ante ſitis ſolliciti*, ſive *anxii*; ſive, *ne cum ſollicitudine præcogitetis*: id quod ſolent acturi cauſam apud Principes. ¶ *Quod datum vobis*] Ὃ ἐὰν δοθῇ *quodcunque datum fuerit.* ¶ *Non enim vos eſtis loquentes*] Οὐ γάρ ἐστε ὑμεῖς οἱ λαλοῦντες *non enim vos eſtis qui loquimini*, ut vertit in Matthæo.

12. *Et conſurgent*] Ἐπαναστήσονται *inſurgent.*

14. *Abominationem deſolationis*] Τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως. Sed hoc loco addunt Græci codices, an rectè, viderint alii, τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου *dictum à Daniele Propheta*: apparet enim ex Matthæo huc adjectum: quanquàm & illic ab alio quopiam additum videri poterat, niſi ſic ab Origene citaretur. ¶ *Ubi non debet*] Ὅπου οὐ δεῖ, *ubi non oportet.*

17. *Et nutrientibus*] Καὶ θηλαζούσαις *lactantibus.*

19. *Tribulationes*] Θλῖψις *tribulatio, qualis non fuit*: ut ſit appoſitio ad epitaſin faciens, cùm dies calamitoſos *calamitatem* vocet. ¶ *Creatura*] κτίσεως. ut ſit verbale. Quanquam reperimus hanc dictionem ancipitem in literis Sacris. Aliquoties uſurpatur pro ipſa *conditione* ſeu *creatione*, nonnunquam pro *rebus conditis.* ¶ *Neque fient*] Οὐδὲ οὐ μὴ γένηται *neque fiat.* Quanquam videtur abuſus tempore, ut ſæpenumero occurrunt hujuſmodi, præſertim additâ geminâ negatione, οὐ μή.

20. *Abbreviaſſet dies*] Ἐκολόβωσεν *decurtaſſet*, amputatâ parte aliquâ prioris menſuræ. Nam hoc eſt κολοβῶν, ut admonuimus in Matthæo.

21. *Ecce hic eſt*] Ἰδοὺ ὧδε ὁ χριστὸς, *Ecce hîc Chriſtus.* Hîc a verbium eſt, non nomen.

32. *Neque angeli in cælo*] Οἱ ἐν τῷ οὐρανῷ *qui ſunt in cælo.* Apud Matthæum non eſt mentio *Filii.*

34. *Poteſtatem cujuſque operis*] Gr. ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ *unicuique opus ſuum.* Cæterùm in nonnullis cod. Græcis habetur ἐξουσίαν *ſubſtantiam*, in aliis † ἐξουσίαν *poteſtatem.* Prior lectio magis congruit cum parabola quæ eſt apud Matthæum de Bonis in famulos diſtributis.

35. *An galli cantu*] Ἀλεκτοροφωνίας *gallicinio.* Eſt enim Græcis dictio compoſita, ſicut & illa μεσονυκτίου, q. d. *mediinoctio.*

VATABLUS.

3 CONtra templum] *Ex adverſo templi*: vel, *è regione Templi.* ¶ *Separatim*] Vel, *ſecretò.*

4. *Incipient conſummari*] *Conſummanda ſunt*: vel *perficienda.*

6. *In nomine meo*] i. Vendicantis ſibi nomen meum falsò.

7. *Opiniones*] *Rumores.* ¶ *Timueritis*] *Turbemini.*

8. *Super*] *Adversùs.* ¶ *Per loca*] Vel, *in ſingulis locis.* ¶ *Et fames, **] * *Ac turbationes*: vel, *res turbulenta.*

9. *Initium*] *Initia.* ¶ *Videte autem vosmetipſos*] i. Cavete autem vos vobis ipſis. ¶ *In conciliis*, &c.] *In concilia & in ſynagogas: cademini, & ad Præſides & ad Reges ducemini.*

11. *Nolite præcogitare*) *Nè ante ſolliciti ſitis*: vel, *anxii.* ¶ *Quid loquamini*, *] * *Neque meditemini.* ¶ *Quod*] *Quodcunque.* ¶ *Loquentes*] *Qui loquimini.*

13. *Odio omnibus*] *Odio habiti ab omnibus.* ¶ *Suſtinuerit*] *Perſeveraverit.*

14. *Abominationem deſolationis**] Hebr. pro, *abominabilem deſolationem*: cùm ſcilicet Gentiles hoſtes ingredientur Templum, & vaſtabunt: **qua dicta eſt à Daniele Propheta.* ¶ *Debet*] *Oportet.*

16. *Retro tollere*] Vel, *ad ea quæ reliquit à tergo, ad tollendum.*

17. *Nutrientibus*] *Lactantibus.*

18. *Fiant*] *Fiat fuga veſtra.*

19. *Tribulationes tales*, &c.] *Tribulatio talis qualis non fuit.* i. in illis diebus erit tribulatio talis, &c. Hebr. ¶ *Creatura*] *Conditionis*: i. à primordio rerum conditarum. ¶ *Fient*] *Futura eſt.*

20. *Breviaſſet*] *Decurtaſſet.* ¶ *Dies*] Sub. *afflictionis.* ¶ *Omnis caro*] Hebr. pro, nullus ex Judæis ſalvatus fuiſſet.

21. *Hic*] Adverbium.

23. *Ergò*] *Autem.*

25. *Virtutes*] Sive *robora & voles*: i. Angeli. ¶ *Movebuntur*] Vel, *quatientur*, ſive *concutientur*, i. commovebuntur in impios.

27. *Et tunc mittet*] Vel, *Mittet autem*: antequam ſcilicet veniat. ¶ *Summo*] *Superficie.*

28. *Parabolam*] *Similitudinem.* ¶ *Et nata fuerint*] i. produxeritque.

30. *Generatio*] Vel, *ætas.*

31. *Non tranſibunt*] i. non redigentur in nihilum.

32. *In cælo*] qui in cœlo ſunt.

34. *Sicut homo*] Subaudiendum aliquid, cujuſmodi, *Simile eſt Regnum cælorum homini qui*, &c. vel, *Ità vigilate ſicut homo peregre profecturus janitori mandare ſolet ut vigilet*: tunc &, quod Græcè eſt ante *janitori* redundaret. ¶ *Poteſtatem*] Græcè appoſitus articulus indicat certam poteſtatem, ſcilicet ſuam, vel domeſticam. ¶ *Cujuſque operis*] *Et unicuique opus ſuum.*

CLARIUS.

5. *Videte ne quis vos*] De tota hoc prædictione dictum est Matth. 24. nam eadem ferè & ibi sunt verba.

25. *Stellæ cœli erunt decidentes*] Vel non apparebit lumen earum, sicut neque Solis ac Lunæ, obscuratum luce adventûs Domini, ut videantur decidisse. Vel ea erunt signa ut decidere existimentur. Quòd si ad literam mavis intelligere, nihil prohibeo; & hac in re valeant Philosophi.

27. *A summo terræ usque ad summum cœli*] *Summum* accipe pro *extremo*: ut intelligatur *ab omnibus orbis partibus*.

32. *Neque Filius*] Quatenus scilicet homo est, quemadmodum cernitis. Vel majorum rerum agnitionem refert ad causam, h. e. ad Patrem.

ZEGERUS.

6. *Dicentes, quia ego sum*] h. e. mentientes quòd ipsi sint ego, nempe Christus.

7. *Opiniones bellorum*] Græcè est *rumores bellorum*. Et quanquam *opinio* propriè sit *existimatio*, tamen hic pro *fama* accipi potest, quemadmodum & Cicero ad Cæs. Juniorem usurpavit, *Erat*, inquiens, *opinio bona de Lepido*.

8. *Gens super gentem*] Sic offendo in exemplaribus vetustis.

9. *Videte autem vosmetipsos*] Tanquam si dicat, Quæ modò commemoravi extra vos sunt: quæ dicturus sum vosipsos concernunt; *Tradent enim vos in concilia*, &c. Nec discrepat ab hac sententia quod Græcè legitur, Βλέπετε ὑμεῖς ἑαυτούς. Alii tamen secus interpretantur, nimirum sic, *Cavete vobis*; vel, *Servate vosipsos*, à seductione ventura.

14. *Cùm autem videritis abominationem desolationis*] Hic & deinceps de tempore potiùs loqui videtur consummandi seculi, ut per *abominationem desolationis*, seu *desolatoriam*, intelligamus Antichristum, ut suprà diximus Matth. 24. 15. Redundat in Græcis *quæ dicta est à Daniele Propheta*, quod D. Augustinus testatur à Marco adscriptum non fuisse, De cons. Euang. 2. c. 77.

19. *Dies illi tribulationes tales*] Sic juxta Græcos & codices Latinos antiquos legendum. Est enim appositio ad epitasin faciens, dum dies calamitosos *calamitatem* appellat.

23. *Vos ergò videte*] *Vos* casus est nominandi, non accusandi, ὑμεῖς. Et *videte* dixit pro *intelligite*, nempe Pseudochristos illos & Pseudoprophetas, nè videlicet ipsi vobis imponant.

32. *De die autem illo vel hora nemo scit*] De hoc diximus Matth. 24. 36.

34. *Sicut homo peregre profectus*, &c.] Sermo eclipsim habet, atque hoc aut modo consimili debet suppleri, *Ita se habet Filius hominis Christus quemadmodum homo quispiam profectus peregre*, &c. ¶ *Potestatem cujusque operis*] Ἐξουσία non modò *potestatem*, sed & *curam*, *procurationem*, *auctoritatem* & *substantiam* declarat. Cæterum quòd hodie in archetypo legimus explanatius quàm quod noster habet Interpres. Si tamen idem ab ipso lectum est. Sic enim habet, *Dedit servis suis potestatem* (*curam*, seu *substantiam*) *suam*, & *cuique suum opus*. Sensit autem Euangelista Dominum peregre & quasi foris extra domum suam agentem, omnium rerum in familia sua gerendarum curam atque potestatem commisisse servis, sed cuique suâ designatâ functione, & suis cuique traditis talentis, ut est apud Matthæum c. 24.

LUCAS BRUG.

14. *Cùm autem videritis abominationem desolationis*]. Syriaci codices & Græcorum plerique, cum Theophylacto & Euthymio, subjiciunt, *Quæ dicta est à Daniele Propheta*. Verùm sicut exemplaria Latina partem istam in Marco non legunt, ità nec quædam Græca, (Parisiensium duo, secundum atque octavum, nostráque ad Vaticanum collatio) nec Augustinus, epist. 80. & lib. 2. De consensu Euang. cap. 77. Porrò Matth. 24. 15. legitur concorditer ab omnibus.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ιγ, Περὶ τῆς συμπερασεως.
Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. τμ. 1, Καὶ γενήτις ἔσται ἐν ἐκεί καιρῷ θλῖψις, ἣ οὐ γέγονεν τοιαύτη ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως ἣν ἔκτισεν ὁ θεὸς ἕως τοῦ νῦν, οὐδὲ μὴ γένηται. Καὶ εἰ μὴ ἐκολόβωσεν κύριος τὰς ἡμέρας, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σὰρξ· ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς οὓς ἐξελέξατο, ἐκολόβωσε τὰς ἡμέρας ἐκείνας. Καὶ τότε ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ, Ἰδοὺ ὧδε ὁ Χριστός, ἢ ὧδε, μὴ πιστεύσητε· ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται, καὶ δώσουσι σημεῖα καὶ τέρατα πρὸς τὸ ἀποπλανῆσαι εἰ δυνατὸν καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. Ὑμεῖς δὲ βλέπετε· ἰδοὺ προείρηκα ὑμῖν πάντα. Ἀλλὰ ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις μετὰ τὴν θλῖψιν ἐκείνην, ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φέγγος αὐτῆς, καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔσονται πίπτοντες, καὶ αἱ δυνάμεις αἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς σαλευθήσονται. Καὶ τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν νεφέλαις μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ δόξης. Καὶ τότε ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ, καὶ ἐπισυνάξει τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἀπὸ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ. Ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς μάθετε τὴν παραβολήν· ὅταν ἤδη ὁ κλάδος αὐτῆς ἁπαλὸς γένηται καὶ ἐκφύῃ τὰ φύλλα, γινώσκετε ὅτι ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν· οὕτω καὶ ὑμεῖς ὅταν ἴδητε ταῦτα γινόμενα, γινώσκετε ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη μέχρις οὗ πάντα ταῦτα γένηται. Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσιν. Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἢ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν οὐρανῷ, οὐδὲ ὁ υἱός, εἰ μὴ ὁ πατήρ. Βλέπετε, ἀγρυπνεῖτε· οὐκ οἴδατε γὰρ πότε ὁ καιρός ἐστιν. Ὡς ἄνθρωπος ἀπὸδημος ἀφεὶς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, καὶ δοὺς τοῖς δούλοις αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν, καὶ ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ, καὶ τῷ θυρωρῷ ἐνετείλατο ἵνα γρηγορῇ. Γρηγορεῖτε οὖν· οὐκ οἴδατε γὰρ πότε ὁ κύριος τῆς οἰκίας ἔρχεται, ἢ ὀψὲ, ἢ μεσονύκτιον, ἢ ἀλεκτοροφωνίας, ἢ πρωΐ· μὴ ἐλθὼν ἐξαίφνης εὕρῃ ὑμᾶς καθεύδοντας. Ἃ δὲ ὑμῖν λέγω πᾶσι λέγω, γρηγορεῖτε.

CAMERO.

32. Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης εἰδὼς οὐδὲν] Christus Discipulos multa docuerat Judicii diem præcessura, de die verò vel hora adventûs sui nihil monet. *Nosse* ergò idem valebit hîcac *docere*; ut scilicet dicat, Quæcunque docere poterat docuisse se, non verò convenire muneri suo ut diem adventûs sui designet. Atque hâc significatione *sciendi* vocabulum sumitur à Paulo 1 Cor. 2. 2. *Non enim statui quicquam scire inter vos*, h. e. docere. Sic Gallicè vulgò dicitur, *Un Ministre ne doit scavoir que sa Bible*. Stare verò nequit eorum interpretatio qui volunt dictum hoc accipi de Christo quatenus homo est. Nam ut illud taceamus quòd hîc Euangelista simpliciter habet *Filius*, *Filius hominis* in Scriptura Mediatoris personam designat, & usurpatur tantùm à Domino nostro Jesu Christo ut authoritatem sibi conciliet: quod frustrà fieret, si *Filii hominis* appellatio humanam naturam simpliciter significaret. Et cùm ait, *neque Angeli*, *neque Filius*, Filium aliquid Angelis majus & excellentius esse innuit.

JAC. CAPPELLUS.

32. *Sed de die illo ac hora nemo scit, ne Angeli quidem qui in cœlo sunt, nec ipse Filius, sed* tantum *Pater*] Vel, ut Arabs & Beza, *sed Pater solus*. Particulam εἰ μὴ tantundem valere ac *sed tantum*, docemus Gal. 2. 16. Hic autem tam *Filius* quàm *Pater* sumitur non ὑποστατικῶς sed οὐσιωδῶς· alioqui si alterutrum sumeretur ὑποστατικῶς, ratio postularet ut etiam alterum antheseos membrum ὑποστατικῶς sumeretur. Non opponitur, inquam, hic Persona Patris Personæ Filii, sed humana Filii natura Divinæ. Non est igitur quòd cum Ambrosio suspectam habeamus particulam hanc *nec ipse Filius*, quasi supposititiam; *Veteres*, inquit De fide lib. 5. c. 8. *Codices Græci non habent quòd nec Filius scit. Sed non mirum si & hoc falsarunt, quia Scripturam interpolavere Divinam*. Particulam hanc in ullo codice Græco Latinóve desideravi nemo, quod sciam, præter Ambrosium notat. Habent eam Syrus, Arabs & interpretes omnes. Sed nec locum habet quod Ambrosius ideo dicit Filium nescire quia volebat Apostolos id nescire. Nam ità Pater quoque diceretur id nescire. Meliùs igitur Ambrosius ipse postea, *Eâdem conditione videtur ignorare quâ proficit*. Sic Athanasius adversùs Arianos orat. 4. Δῆλα γὰρ ταῦτα, ὡς ἄνθρωπον, ἴλεγξον, εἰ μὴ τοῦτο ἐλάττωμά ἐστι τοῦ Λόγου, ἀλλὰ τῆς ἀνθρωπίνης ἐστὶ φύσεως ἴδιον καὶ τὸ ἀγνοεῖν. Idem dicit & ad Serapionem sub finem.

GROTIUS.

1. Ποταποὶ λίθοι, *quales lapides*] Admirantis vox, ut Matth. VIII, 27. De his lapidibus ita Josephus, οἰκοδομήθη ὁ ναὸς ἐκ λίθων μὲν λευκῶν τε καὶ μεγίστων τὸ μέγεθος πηχῶν ἐστὶ τὸ μὲν μῆκος πρὸς πέντε καὶ ἑξήκοντα, τὸ δὲ ὕψος, τὸ δὲ πλάτος δώδεκα [*ædificatum erat Templum ex lapidibus candidis & firmis, qui in longum habebant ad cubitos inter quinque & octo, in altitudinem octo, in latitudinem duodecim*].

4. πάντα ταῦτα συντελεῖσθαι. *omnia hæc consummari*] Id est, τοῦτο τὸ πᾶν, *hoc universum*. Vide Johann. 1, 3. Nam alteram esse quæstionem diversam ab excidio Hierosolymorum ostendit Matthæus, ubi hic idem sensus istis exprimitur verbis, τί τὸ σημεῖον τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; [*quod signum consummationis seculi?*]

6. ἐγώ εἰμι. *quia ego sum*] אני הוא *Ego sum ille quem exspectatis*.

8. ταραχαί. *& perturbationes*] Μετεωρισμοὶ [*transnominatio*] Indicat enim prodigia quæ φόβητρα [*terriculamenta*] Lucas vocat. Vide quæ inibi dicentur.

9. βλέ-

9. βλέπετε ὑμεῖς ἑαυτούς· *videte autem vosmetipſos*] Alius eſt uſus verbi βλέπειν [*videre*] ab eo quem ſuprà annotavimus. Sic 11 Joh. 8. Βλέπετε ἑαυτοὺς [*Videte vosmetipſos*], id eſt, Προσέχετε ἑαυτοῖς [*Attendite vobismetipſis*], *Vobis attendite*, in Matthæo eſt Προσέχετε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων [*Cavete ab hominibus*], X, 17. Nam inde ob cohærentiam rerum pars iſta huc transſumta eſt, ut conferenti apparebit. ¶ καὶ εἰς τὰς συναγωγὰς δαρήσεσθε, *in ſynagogis vapulabitis*] Quin vera hæc ſit lectio quam præferunt antiqui codices non dubito. Ea ab ignaris ejus dicendi generis variè eſt interpolata. Nam alii καὶ [&] poſt vocem συναγωγὰς [*ſynagogis*] addiderunt, alii pro εἰς τὰς συναγωγὰς [*in ſynagogas*] repoſuerunt ἐν ταῖς συναγωγαῖς [*in ſynagogis*]. Sic ſuprà dixit, ἐβαπτίσθη εἰς Ἰορδάνην, [*baptizatus eſt in Jordanem*, id eſt, *in Jordane*], & εἰς οἶκόν ἐστι [*in domum eſt*, id eſt, *in domo*], & infrà ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν ὤν [*qui eſt in agrum*, id eſt *in agro*]. Latini quoque dicunt *eſſe in poteſtatem*, & ſimilia.

11. ἀγάγωσιν, *duxerint*] Κυριολογία [*propria locutio*]. Nam ἄγειν [*ducere*] propriè dicitur is qui alium in jus rapit: unde *Agere* & *Actio* Latinis. ¶ μηδὲ μελετᾶτε· *nolite præcogitare*] Luc. XII, 11.

14. τῆς ἐρημώσεως, *deſolationis*] Quod hic in quibuſdam codicibus additur τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου [*prædictum à Daniele Propheta*] puto ex Matthæo adjectum: nam Latini non agnoſcunt. ¶ ὅπου οὐ δεῖ. *ubi non debet*] Οὐ δεῖ [*non debet*] eſt לא כדאי [*non rectè*] ut διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ [*docentes quæ non oportet*] Tit. I, 11. Significari τὰ κύκλῳ Ἰερουσαλὴμ [*ea quæ ſunt circa Jeruſalem*] diximus ad Matthæum.

19. κτίσεως, *creaturæ*] Id eſt, κόσμου [*mundi*], ut habet Matthæus. Diximus ſuprà X, 6.

27. ἐπισυνάξει, *congregabit*] Ipſe facere dicitur quod Angelos facere jubet. Ita enim Matthæus.

32. οὐδὲ ὁ υἱὸς, *nec Filius*] Videtur mihi, ni meliora docear, hic locus non impiè poſſe exponi hunc in modum, ut dicamus Divinam ſapientiam menti humanæ Chriſti effectus ſuos impreſſiſſe pro temporum ratione. Nam quid aliud eſt, ſi verba non torquemus, προέκοπτε σοφίᾳ [*proficiebat ſapientiâ*], Luc. II, 52? Sicut igitur poſt reſurrectionem accepit omnem poteſtatem, ita & omnem ſcientiam. Ac nequis hanc ſententiam ab antiquitate damnatam putet, ſatis admonere nos poteſt illud Ambroſii, *Secundùm carnem utique ſapientiâ Dei implebatur & gratiâ.* Pro tempore autem ἀποστολῆς [*miſſionis*] ſuæ Jeſu opus non erat ſcire diem univerſalis judicii, quem Deus Pater latére voluit. Nec aliter ſenſiſſe Chriſtianorum veuſtiſſimos indicio eſt Irenæus, qui lib. II, cap. XLVIII & XLIX. *Scientiam*, inquit, *diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem, & dixit quod verum eſt.* Item, *Et ſecundùm agnitionem itaque præpoſitus eſſe Pater annuntiatus eſt à Domino.* Leontius De Sectis, Ἰστέον, ὅτι οἱ παλαιοὶ τῶν πατέρων, σχεδὸν δὲ πάντες, φαίνονται λέγοντες αὐτὸν ἀγνοεῖν· εἰ γὰρ τὰ πάντα λέγεται ἡμῖν ὁμοούσιον, ἀγνοοῦμεν δὲ καὶ ἡμεῖς, δηλονότι καὶ αὐτὸς ἠγνόει· καὶ ἡ γραφὴ δὲ λέγει περὶ αὐτοῦ, ὅτι προέκοπτεν ἡλικίᾳ καὶ σοφίᾳ [*Sciendum eſt quòd multi Patrum, imò fere omnes, videntur dicere eum ignorâſſe: nam ſi per omnia dicitur nobis conſubſtantialis, nos autem ignoramus aliqua, & ipſe aliqua ignoravit. Et Scriptura de eo dicit, Proficiebat ætate & ſapientiâ*].

34. ἐξουσίαν, *poteſtatem*] Ita Syrus. Procurationem rerum domeſticarum patet intelligi. ¶ τὸ ἔργον αὐτοῦ, *opus ſuum*] *Miniſterium.* Ita vox hæc ſumitur Joh. IV, 34. VI, 29. 1 Cor. XVI, 10. ¶ καὶ τῷ θυρωρῷ, *& janitori*] Καὶ [&] hic περίλυσι [*abundat*] more Hebraico: quod alibi quoque obſervatum.

pretioſi] *Spicata pretioſa* legendum eſt: refertur enim non ad *unguenti*, ſed ad *nardi*, quod eſt fem. ἀλαβάστρου μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς. Idem dico de loco apud Joan. 12. 3. *Maria ergò accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi.* Sed cùm ſit idem utrobique nomen, cur Interp. nunc tranſtulit *ſpicatæ*, in Joanne non tranſtulit? *Piſtica* enim Græcum verbum eſt, quod Auguſtinus putat dictum ab aliquo loco; & ait, *Piſtica interpretatur Fidelis, à Fide, quæ eſt Chriſtiana religio, quia Piſtis Græcè dicitur:* quaſi Græci *piſtin* appellarent tunc *religionem*, & non *probationem*; ut cùm dicimus, *Fac fidem, Feci fidem*: i. *nardi piſtica*, i. *probata & fidelis, nec doloſa. Spicata* autem ideo tranſtulit Interpres, quòd dicitur *ſpica nardi*; ut *ſpica Celtica*, &c, quæ pretiolior eſt, *ſpica Indica.*

13. *Et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans.*] Quod hic *lagenam*, in Luca 22. 10. dixit *amphoram*, cùm ſit idem utrobique verbum Græcè, quod ſignificat *vas fictile*, κεράμιον.

14. *Ubi eſt refectio mea?*] Melius apud Lucam 22. 11. transfertur *diverſorium* eadem vox, κατάλυμα.

19. *At illi cœperunt contriſtari, & dicere ſigillatim, Numquid ego?*

20. *Qui ait illis*] Nonnihil ſimilitudine ſermonis vel ab Interprete vel à librariis omiſſum eſt. Sic enim eſt Græcè, *Numquid ego? & alius, Numquid ego? Jeſus autem reſpondens dixit eis*, Μήτι ἐγώ; ἄλλος, Μήτι ἐγώ; ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς.

22. *Accepit Jeſus panem, & benedicens fregit*] Verbum è verbo alius tranſtuliſſet ſic, *Acceptum Jeſus panem, cùm benedixiſſet, fregit*, λαβὼν ὁ Ἰησοῦς ἄρτον, εὐλογήσας ἔκλασε. Idem dico de calice.

24. *Qui pro multis effundetur*] Gr. *effunditur*, ἐκχυνόμενον.

36. *Sed non quod ego, ſed quod tu*] Gr. *Sed non quid ego, ſed quid tu*, ἀλλ' ὃ τί ἐγὼ, ἀλλὰ τί σύ.

59. *Et non erat conveniens teſtimonium illorum*] Gr. *Et neque ità conveniens erat teſtimonium eorum.* Nam ſuperiùs iterum dicebatur *non eſſe convenientia teſtimonia*; ideo nunc dicitur, *Ne ſic quidem erat conveniens teſtimonium eorum*, ἀλλ' οὐδὲ οὕτως.

63. *Quid adhuc deſideramus teſtes?*] Elegantiùs tranſtulit Interpres quàm veriùs, etſi propriè tranſtulit. Sed nè quis putaret accipi *deſideramus* pro *cupimus*, non fuit mihi omittendum non ità haberi Græcè, ſed *Quid adhuc* ſive *Quid amplius, neceſſe habemus teſtibus?* Τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων;

70. *Verè ex illis es: nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare & jurare*] Aliquantulum è Græco deeſt, ubi ità legitur, *Etenim Galilæus es, & loquela tua ſimilis eſt*, καὶ ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει. Quod nunc Græcè profert interpres, in Actibus transfert *devovere ſe*, 22. 12, 14, 21. *Collegerunt ſe quidam ex Judæis, & devoverunt ſe, dicentes ſe non manducare neque bibere donec occidant Paulum*: ἀναθέματι ἀνεθεμάτισαμεν. Quod ſi rectè tranſtulit Interpres, *anathema* erit *devotio.* Eſt autem propriè *devovere*, dicere, *Hoc & hoc malè mihi contingat*, vel, *Hoc & hoc mali mihi Deus faciat, ſi hoc ego non agam.* Aliquando etiam *deteſtari*, cum quo magis convenit *anathematizare.*

72. *Et recordatus eſt Petrus verbi quod dixerat ei Jeſus, Priuſquam gallus cantet bis, ter me negabis*] Non dixerat Jeſus Petro, *Priuſquam gallus cantet*, ſed *Priuſquam gallus vocem dederit.* Nimirum oblitus eſt Interpres ſe tranſtuliſſe *vocem dederit*, niſi more ſuo varietatem ſectatus eſt. Nam Græcè eodem modo utrumque dicitur, Ὅλη περὶ αὐλείου φωνῆσαι δίς.

CAP. XIV.

VALLA.

1. ET *quærebant ſummi Sacerdotes & Scribæ quomodo eum dolo tenerent & occiderent*] Alius forſitan ad verbum tranſtuliſſet, *quomodo eum dolo capium*, ſeu *prehenſum dolo, occiderent*, κρατήσαντες ἀποκτείνωσι. Nam nunc, ut multis in locis, *tenere* ſign. *capere.*

2. *Dicebant enim; Non in die feſto*] *Dicebant autem*: eſt Græcè ἔλεγον δέ. Et meritò: non enim reddit cauſam quare eum occidere vellent.

3. *Venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati*

REVIUS in VALLAM.

1. P*Rehenſum dolo occiderent*] Conjunge *dolo* cum *prehenſum*, non cum *occiderent*. Sed videtur vacare, & è præcedentibus inculcatum. ¶ Κρατήσαντες] Loco motum erat.

2. Ἔλεγον δέ] Et hoc.

3. Πιστικῆς] Videatur Heinſius ὁ πάνυ, Exerc. ſacr. c. 25. Caſaubonius item in Baron. Exerc. 14. cap. 13. ubi tamen ſummus is vir ad mentem Euſebii Apod. l. 9. Euangelium vocantis τὸ πιστικὸν τῆς καινῆς διαθήκης κήρυγμα minùs videtur attendiſſe. Neque enim ἀπὸ τῆς πίστεως ſed à πίνω vocem ibi derivat Euſebius, cùm ſubjiciat ea verba ut interpretamentum vaticinii illius, τοῦτο πρῶτον πίε (de quo jamjam aliquid dicam) & mox idem Euangelium appellet πῶμα τῆς εὐαγγελικῆς κηρύγματος. Perquam ſimile eſt quod Æſchylus Prometheo πιστὸν habet pro πίστιον. Scaliger in Verborum etymologiis ad Varronem, vocabulo

vocabulo PISTOR, πιστὸν à πίλαω, quod eſt *pinſo*, deducit: quaſi ità dicatur *nardus expreſſa & contuſa in liquorem & unguentum.* Chaldæis *unguentum* dicitur מרקחת Job 41. 31. in Targum. Id cùm radicem habeat הפר *confidit*, ſuſpicabar *nardum* πιστικὴν idem eſſe quod *nardum* מרקחת, i. *nardum unguenti*: ſed tum redundare videretur vox μύρου. Tempus eſt ut nonnihil dicam de vaticinio laudato ab Euſebio, vel eam ob cauſam quòd nuſquam in Hebræo textu compareat: eſt autem in verſione Græca, Eſa. 9. 1. Τῦτο πρῶτον ταχὺ πίε, ταχὺ ποίει· in quo mira philoſophantur Græci quidam Patres. Nos potiùs videamus quomodo id ex Hebræo corruptum ſit. In Hebræo eſt הקל השחין כעת. Græcus illud כעת conjunxit præcedenti periodo: vertit enim ἴνα καιρῷ, השחין vertit τῦτο πρῶτον, הקל vertit ταχὺ πίε, quaſi ſcriptum eſſet cum Kametz & Tſere. Quod interjectum eſt, ταχὺ πίε, aſſutum eſt ex depravata ſcriptura vocum ταχὺ ποίει, quam aliquis in mendoſo quopiam codice invenit: & tamen in illis totum myſterium eſt apud Euſebium & alios. Sed de his ſatis.

14. *Diverſorium*] Eraſmus ait vocem Græcam καταλύμα utrumque ſignificare, & *refectionem* videlicet & *diverſorium*. Prius illud credam poſtquam probaverit: tantiſper barbarum & ineptum id cum Beza judicabo.

20. *Jeſus autem*] Lege *Is autem*.

36. *Sed non quod ego*] Hic Græca variant exemplaria: nam Valla legit, ἀ τί ἐγὼ, ἀλλὰ τί σύ· atque id ferè vertit apud eundem Vulg. Alii, ἀλλ' οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ. Alii, ἀλλ' ἀ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σύ· quod Beza ſequitur. Omnino autem ferme eſt inabſolutus, ſi maximè adſit τὸ θέλω· ſubauditur enim χωρὶς τῦτο. Vide Eraſmum & Bezam.

ERASMUS.

1. PAſcha & Azyma] *Azyma* pluralis eſt numeri, quemadmodum dicimus *Lupercalia*, *Saturnalia*, ἐπιφάνια· unde vertere poterat *tempus azymorum*, quo abſtinebant à fermentatis. ¶ *Dolo tenerent*] Ἐν δόλῳ κρατήσαντες ἀποκτείνωσιν, *per dolum captum*, ſive *comprehenſum*, *occiderent*. *In* enim præpoſitio pro *per* uſurpatur Hebræis.

2. *Dicebant enim*] Ἔλεγον γὰρ *dicebant autem*. Quanquam id minimum refert. ¶ *Ne forte tumultus*] Μήποτε *ne*, aut *nequando*: de quo non ſemel jam admonuimus.

3. *Nardi ſpicati*] *Piſtica* legendum, quòd *nardus* ſit fem. generis. Laurentius exiſtimat *piſticam* vocari *probatam & ſpectatam*, arguens D. Auguſtinum, qui putet à loco dictum. Alluſum autem ad Fidem Chriſtianam, quòd Græcè *piſtis* dicatur *fides*. Interpres vertit *ſpicatam*, eò quòd Nardi genus quoddam vocetur *Spica*, ſive *Spicum*, *nardi*. Theophylactus Græcus interpres, licèt recentior, ambigit utrùm *piſtica* dicatur ſpecies Nardi ejus cognominis, an *probata*, vel ut ἄδολος, h. e. germana, nullâ arte vitiata. At Dioſcorides complura Nardorum genera commemorans, quibus cognomina ſint à locis addita, *piſtica* nullam mentionem fecit, neque Plinius. Is cujus exſtant in Marcum commentaria Hieronymi nomine, ſed falsò, bellè & expeditè ſcilicet interpretatur *piſticam*, h. e. *myſticam*. Hugo Carrenſis interpretatur *unguentum mixtum*, quòd non ſolùm è foliis ac radice, verùm etiam è ſpicis Nardi conflatum ſit; quaſi verò non longè optimum ſit quod è foliis conficiatur. Plinius enim lib. 12. cap. 12. tradit folium Nardi in unguentis tenere principatum. Quo loco licebit plura de generibus Nardi diſcere, ſi cui vacat. Inibi fit mentio *Pſeudonardi* paſſim naſcentis. Hanc herbam eſſe puto quam vulgò dicimus *Lavendulam*, *craſſiore*, ut inquit, *atque latiore folio*, *& colore languido in candidum vergente*. Veram autem Nardum depingit his verbis, *Frutex eſt gravi & craſſâ radice, ſed brevi ac nigrâ fragilique, quamvis pingui, ſitum redolente ut cyperi, aſpero ſapore, folio parvo denſoque. Cacumina in ariſtas ſe ſpargunt: ideò geminâ dote nardi ſpicas ac folia celebrant.* Fieri tamen potuit ut Marcus vulgari more loquens Latinam vocem corruptè poſuerit, *piſticam* appellans pro *ſpicatam*. Mirum enim quàm depravatè Græci Latinorum nomina uſurpent. De Alabaſtrite lapide meminit idem lib. 36. cap. 8. Cùm enim proximo capite meminiſſet Onychis, ità proſequitur. *Hunc aliqui lapidem Alabaſtritem vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optimè ea incorrupta ſervare dicitur.* Hæc conſentiunt cum eo quod ſcribit Horatius in Odis,

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Beda refert de Nardo & Alabaſtro ex his duobus Plinii locis quos indicavi, mutatis aliquot verbis, mirè diſſimulans autorem, quaſi Plinius ſit autor pudendus, præſertim cùm de rebus naturalibus agitur. Quanquam fieri poteſt ut Beda Plinium in ſpatio marginis annotarit, quemadmodum in præfatione teſtatur ſe annotaſſe titulos eorum à quibus hauſerat quæ refert: verùm hos omiſit ſcribarum inertia. Quod idem factum eſt in commentariis quos edidit in Euangelium Lucæ, cùm ipſe lectorem aut ſcribam obſecret né has nomenclaturas omitteret. Cautiùs fecit Thomas Aquinas, qui in Catena ſua titulos autorum ipſi contexui admiſcuit. Ex Catena videtur & Theophylactus id temporis fuiſſe verſus; adeò conveniunt quæ illic referuntur nomine Theophylacti. Quin & illud mirandum, cùm pleraque Græcorum monumenta tum in Sacris literis tum in Philoſophicis appareat tum fuiſſe verſa, ſic interiſſe ut nuſquam exſtent. Id caſu factum videri vix poteſt. Lyranus macerat ſeſe, num *herba* ſit Nardus, an *frutex*, an *parvula arbuſcula*.

4. *Ut quid*] Εἰς τί *ad quid*.

8. *Prævenit ungere corpus meum*] Non eſt χρίσαι, quod eſt *quocunque illitu ungere*, ſed μυρίσαι, quod propriè eſt *unguentis & odoramentis ungere*.

9. *In memoriam ejus*] Εἰς μνημόσυνον αὐτῆς *in monumentum ejus*, ſubaudi *mulieris*: de quo in Matthæo admonuimus.

13. *Lagenam*] Κεράμιον *vas fictile*, ſive *aqualem fictilem*: niſi quòd duxè *hydria*, ſive *aquali*, additur *aquæ*. Mollius erit ſi dicas *aquæ plenam*. Nam *aqualis* eſt etiam vacua.

14. *Ubi eſt refectio*] Κατάλυμα. Laurentius mavult *diverſorium*, ut vertit apud Lucam; quanquam utrumque vox Græca ſignificat.

15. *Cœnaculum*] Ἀνάγαιον. Triclinium intelligit, ſed lectis ſtratis, in quibus olim diſcumbebatur. Dictum eſt autem Græcis ἀνάγαιον, quod *ſubductius ſit à ſolo*, quòd veteres in ſuperiore ædium parte cœnitarent. ¶ *Stratum*] Poſt hoc in Græcis cod. additur ἕτοιμον *paratum*, ſed aliunde, ni fallor, huc transſcriptum.

19. *Numquid ego*] Græci ſic habent, Μήτι ἐγώ; ἄλλος, Μήτι ἐγώ; *Numquid ego? & alius, Numquid ego?* At mihi ſanè videtur hoc ex interpretamento quopiam adjectum. Nam cùm ſemel dixiſſet εἷς καθ' εἷς, quid erat neceſſe addere & *alius*, & *deinde alius?* præſertim cùm Marcus nihil aliud ferè ſcripſerit quàm Matthæi compendium.

20. *Qui intingit manum*] Ὁ ἐμβαπτόμενος *qui intingit*. *Manum* Interpres addidit de ſuo: atque ſic habent antiquiſſimi codices; quanquam in Matthæo erat ἐμβαψάμενος *qui intinxit*. Nec hic neceſſe eſt accipi exactè temporis rationem. Non enim hoc expreſſit quid tum ageret Judas, ſed his verbis indicavit ad quantam familiaritatem admiſſus eſſet, qui ex eadem patella cum Chriſto peteret intinctum.

21. *Filius hominis tradetur*] Παραδίδοται *traditur*, præſentis temporis, ſed uſurpatum vice futuri. Sunt qui moveant ſcrupulum de verbo *trado*, cui non putant eſſe locum niſi cùm res in manum datur, aut poſteris traditur; cùm *prodere* ſit nonnunquam Indicare, nonnunquam Deſerere, aliquoties In manum dare, ſed in malam partem.

22. *Et benedicens fregit*] Καὶ εὐλογήσας ἔκλασεν *cùm benedixiſſet fregit*: non enim ſimul benedixit ac fregit. Et *benedicere* non eſt Pingere geſtu manûs ſignum Crucis, ſed Laudes Deo canere, & Verba boni ominis dicere. ¶ *Sumite, hoc eſt*] Græci addunt, λάβετε, φάγετε, *Sumite, edite*; quemadmodum erat in Matthæo.

24. *Qui pro multis effundetur*] Τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον *qui pro multis effunditur*. Jam enim hoc repræſentabat quod paulò pòſt eſſet futurum. Qui tantopere aſſeverant quibus verbis Chriſtus conſecraverit, cùm id nuſquam expreſsè legatur, hunc annotent locum, quo res ità narratur quaſi Chriſtus priùs poculum porrexerit, deinde ubi bibiſſent, tum demum dixerit, *Hic eſt calix*, &c. Sic enim habent verba Euangeliſtæ, *Et accepto calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes: & ait illis, Hic eſt ſanguis meus*, &c. Quanquam hac in re nolim eſſe perversè contentioſus, cùm locus exculari poſſit per figuram ὑστερολογίαν.

25. *Quòd jam*] Ὅτι οὐκέτι. *Jam* poſuit pro *poſthac*, nec malè, quanquam obſcurius. ¶ *Ex hoc genimine*] Ἐκ τῦ γενήματος Græca vox eſt, quæ verti poterat *fructu*, ſive *fœtu*. Et *hoc* pronomen nec additur in Græcis exemplar. nec in antiquis Latinis: ut ſit ſenſus, Illum nullum vinum poſtea guſtaturum. Unde & in cruce vinum myrrhatum admotum ori rejecit: niſi quòd articulus τῦ nonnullam habet emphaſin.

26. *Et hymno dicto*] Καὶ ὑμνήσαντες, *Poſtquam dixiſſent laudes*: ut intelligas ab omnibus decantatas laudes.

30. *Bis vocem dederit*] Quod erat anceps in Matthæo, Marcus expeditè dixit, ut *bis* referatur ad cantum Galli. Noctem enim veteres ſic dividebant: Occidente Sole dicebatur *Veſpera*; ab hoc tempore *Prima fax*; deinde *Concubia*, & *Intempeſta*, quod noctis eſt medium; mox *Inclinatio noctis*; deinde *Gallicinium*; inde *Conticinium*, cùm & galli conticeſcunt & homines quieſcunt; poſt hæc *Diluculum*, quo rareſcunt tenebræ; deinde *Mane clarum*. Ità Juvenalis,

Quod tamen ad galli cantum facit ille ſecundum,
Proximus ante diem campo ſciet.

31. *At ille amplius loquebatur*] Ὁ δὲ ἐκπερισσοῦ ἔλεγε μᾶλλον. Rurſum conduplicavit comparativum, exprimere volens vehementem aſſeverationem Petri. Niſi mavis μᾶλλον diſtinctione ſemovere à ſuperioribus, & annectere his quæ conſequuntur, Μᾶλλον ἐάν με δέῃ, *Quin ſi me oporteat*, &c. Ac mox conduplicata negatio οὐ μὴ non caret emphaſi conſtantis aſſeverationis, q. d. *haud unquam*.

32. *In prædium*] Εἰς χωρίον, quod aliàs vertit *agrum*, aliàs *villam*: ſignificat autem *locum*. ¶ Cæterùm *Gethſemani* locus eſt ad radices montis Oliveti: de quo admonuimus in Matthæo.

33. *Pavere & tædere*] Ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν *expaveſcere & anxius eſſe*. Eſt enim poſterius hoc *Impotenter angi animo, & ſupra modum ægreſcere*: cujuſmodi affectio corripit hominem primo objectu magni diſcriminis, ut aliquandiu non ſit apud ſe.

36. *Abba Pater*] Euangeliſta vocem Syriacam poſuit, eámque velut interpretatur, ſubjiciens ὁ πατήρ. Auguſtinus epiſt. 178. putat *Abba* vocem eſſe Græcam: niſi fortè vitiata eſt ſcriptura. Nam De conſenſu Euang. lib. 3. c. 4. dicit *Abba* vocem Hebraicam eſſe. Sed hæc de re nonnihil attingemus in epiſtola Pauli ad Romanos cap. 8. ¶ *Non quod ego*] Gr. ἀλλ' ὃ τί ἐγὼ, ἀλλὰ τί σύ, *at non quid ego, ſed quid tu*. Quanquam hic Græca variant exemplaria. Nonnulla habebant, ἀλλ' οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ, *non ut ego volo, ſed ut tu*. In aliis ſic erat, ἀλλ' ὃ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σύ, *non quid ego velim, ſed quid tu*: nam omnino ſermo eſt inabſolutus.

37. *Et venit & invenit*] Utrumque præſentis temporis, ἔρχεται, *venit* priore circumflexâ, & *invenit* primâ acutâ, nè quis hic indecorè vel hæſitet, vel erret.

40. *Et reverſus denuo*] *Denuo* apud Græcos refertur ad *dormientes*, non ad *reverſus*, εὗρεν αὐτοὺς πάλιν καθεύδοντας. Certè ſermo Græcis eſt anceps.

41. *Sufficit*] Ἀπέχει τὸ τέλος. Etiamſi τὸ τέλος in quibuſdam cod. non reperitur, neque nobis viſum eſt addere. Porrò quòd hic Chriſti ſermo magis ſit exprobrantis quàm jubentis, admonuimus in Matthæo. ¶ *Filius hominis tradetur*] *Traditur* & in Græcis & in antiquis Latinis exempl. παραδίδοται.

42. *Qui me tradet*] Ὁ παραδιδούς με *qui me tradit*. ¶ *Prope eſt*] Ἤγγικεν *appropinquavit*, ſive *adeſt*. Hic Interpres rectè mutavit verbi tempus.

44. *Signum*] Σύσσημον, quod ſonat *commune ſignum de compoſito datum*, cujuſmodi ſunt quæ milites vocant *ſymbola*, quorum alia ſunt vocalia, alia muta. ¶ *Et ducite cautè*] Ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς *abducite tutò*, ſive *certò*, h. e. exactâ cuſtodiâ, nè quà poſſet elabi.

45. *Rabbi*] Græci congeminant, ῥαββεὶ, ῥαββεὶ, *Rhabbi, Rhabbi*; an rectè, neſcio.

49. *Sed ut impleantur Scripturæ*] Abruptus eſt ſermo: ſubaudiendum enim, *Hæc fiunt ut impleantur*, &c.

51. *Et tenuerunt eum*] Nonnulli Græci cod. ſic habebant, quod & nos ſecuti ſumus, haud ſcio an perperàm, καὶ κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι *tenent eum adoleſcentes*, ſive *comprehendunt eum*, aut *injecerunt illi manus*: ut juvenes juveni manum injecerint. Quidam divinant hunc adoleſcentulum fuiſſe è familia ubi Dominus comederat Paſcha. Alii putant fuiſſe Jacobum fratrem Domini, cui cognomentum eſt additum *Juſti*. Gregorius ſuſpicatur de Joanne Euangeliſta. Cæterùm illam vocem νεανίσκος Theophylactus legit quidem, verùm in enarrando non attingit. Additur & in edit. Hiſpanienſi.

54. *Et calefaciebat ſe ad lumen*] Καὶ θερμαινόμενος πρὸς τὸ φῶς. Illud *ad lumen* referendum ad *ſedens*, non ad *calefaciebat*: Siquidem lumen illum prodidit.

56. *Non erant convenientia*] Καὶ ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν, *æqualia teſtimonia non erant*. *Paria* vocavit, opinor, *ſatis idonea*, ſive ἴσα quòd inter ſe non conſentirent. Nam hoc indicio primùm coarguuntur falſa teſtimonia.

58. *Templum hoc manufactum*] Græcè compoſitè dictiones, *manufactum*, χειροποίητον & *non manufactum*, ἀχειροποίητον. Alioqui quis dicitur ædificaturus quod manufactum ſit? Græcæ voces perinde ſonant, q. d. *templum operis manuarii, & opificii non manuarii*. ¶ *Poſt triduum*] Διὰ τριῶν ἡμερῶν *per tres dies*, ſive *triduo*, non μετὰ τρεῖς ἡμέρας. Suffragatur Græcæ lectioni codex Aureus, & exemplaria S. Donatiani, denique & Conſt. in quibus habetur *per triduum*.

59. *Et non erat conveniens*] Καὶ οὐδὲ ὧδε ἦν *nec ſic quidem*. Jam enim ſemel rejecta fuerant illorum teſtimonia.

60. *Quæ tibi objiciuntur*] Gr. τί οὐκ ἀποκρίνῃ οὐδὲν; *Quid*, ſive *Cur*, *iſti adversùs te teſtificantur?*

63. *Quid adhuc deſideramus teſtes?* Τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; *Quid adhuc opus habemus teſtibus?* Ac propriè quidem & eleganter vertit Interpres *deſideramus* pro *requirimus*. Verùm haud ſcio an lector tantum exſpectet.

68. *Ante atrium*] Εἰς τὸ προαύλιον *in veſtibulum atrii*, ſive *locum qui erat ante atrium*.

70. *Nam Galilæus es*] Addunt hic Græci cod. καὶ ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει, *loquela tua ſimilis eſt*, ſive *convenit*, ex Matthæo, ni fallor, aſſcriptum in hunc locum.

71. *Anathematizare*] Quod in Actis Apoſtolorum vertit *devovere*, in Matthæo *deteſtari*, hic reliquit.

72. *Et iterum gallus cantavit*] Ἐφώνησε, idem verbum quod antè, tametſi verbis non iiſdem verterat *vocem dederit* φωνῆσαι. Cùm autem res eadem narratione iteretur convenientius erat vocem eandem repetere. Proinde non in tempore hic affectata eſt varietas. ¶ *Et cœpit flere*] Καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, *erumpens*, ſive *ſubitò*, *flevit*; aut, *prorupit in fletum*. Siquidem ἐπιβάλλειν inter varias ſignificationes interdum declarat *aggredi*, ſive *impetum ſumere ad aliquid agendum*: hinc ἐπιβολὴ pro *impetu*. Hoc igitur verbo Marcus exprimere ſtuduit vehementem ac ſubitam Petri mutationem.

V A T A B L U S.

1. AZyma] Plur. num. i. tempus Azymorum, quo abſtinebant à fermentatis. ¶ *Tenerent &c*] *Captum*.

2. *Ne forte tumultus*] *Ne tumultum*. ¶ *In populo*] *Populi*, Vet.

3. *Spicati*] *Spicata*: vel, *piſtica*: i. *fidelis*, aut *probata*; quaſi *fidem meremis*: h. e. unguenti pretioſi è nardo piſtica. Vetera legunt *piſtici*.

4. *Ut quid*] *Ad quid*.

5. *Enim unguentum iſtud*] *Enim iſtud*.

7. *Habebitis*] *Habetis*, Vet. ¶ *Habetis*] Præſ. pro fut.

8. *Habuit*] *Potuit*. ¶ *Ungere*] *Ut ungeret*. ¶ *In ſepulturam*] i. ſepeliendum: quod brevi ſepeliendum eſt.

9. *Ejus*] Femininum eſt.

10. *Et*] Pro *Tunc*. Hebr. ¶ *Proderet*] *Traderet*.

12. *Diſcipuli**] *Ejus*.

13. *Mittit*] Præſ. pro præt. ¶ *Lagenam*] *Vas fictile*, vel, *æqualem fictilem, aqua plenum*.

14. *Refectio mea*] *Diverſorium meum*.

15. *Cœnaculum*] Ἀνώγεον, cœnaculum ſublimius in altiore ædium parte exſtructum, quaſi *à terra exaltatum* ſit. ¶ *Stratum**] * *Paratum*. ¶ *Et illic*] *Illic*.

16. *Et abierunt*] *Tunc egreſſi ſunt*: vel, *Tum profecti ſunt*: vel, *diſceſſerunt*.

18. *Tradet*] *Proditurus eſt*.

19. *Nunquid ego?**] * *Et alius, Nunquid ego?*

20. *Mecum * in catino*] * *Manum*.

21. *Vadit*] Præſ. pro fut. *mox ibit*. ¶ *Tradetur*] *Traditur*: præſ. pro fut.

22. *Manducantibus illis*] Præſ. pro præt. more Hebræo; pro, *cùm ediſſent agnum*. ¶ *Benedicens*] *Cùm benedixiſſet*, i. gratias egiſſet. ¶ *Sumite**] * *Comedite*.

23. *Gratias agens*] *Cùm gratias egiſſet*.

24. *Effundetur*] *Effundituri*: præſ. pro futuro.

25. *Jam*] *Poſthac*. ¶ *De**] * *Hoc*, V. ¶ *Genimine*] Vel, *fructu*. ¶ *In Regno Dei*] i. regnans in Regno quod acceptarus ſum à Patre.

26. *Hymno dicto*] *Poſtquam dixerunt laudes*.

27. *Scandalizabimini in me*] *Offendiculum patiemini propter me*.

29. *Etſi*] *Etiamſi*. ¶ *Scandalizati fuerint**] *Offendiculum paſſi fuerint*: * *in te*: i. quòd in manus hoſtium veneris. Sic quædam exemplaria Græca. ¶ *Sed*] *Tamen*.

31. *Amplius*] *Vehementius multò.* ¶ *Me ſimul commori*] *Me commori.*

32. *Et*] *Poſtea.* ¶ *Prædium*] Vel, *agrum: villam.* ¶ *Orem*] *Digreſſus oravero.*

33. *Pavere & tædere*] *Expaveſcere & graviter angi.*

34. *Triſtis eſt*] *Dolore afficitur.* ¶ *Sustinete*] *Manete.*

35. *Procidit*] *Proſtratus eſt.* ¶ *Transiret ab eo hora*] i. liberaretur à ſupplicio quod paulò pòſt erat ſubiturus.

36. *Dixit*] *Dicebat.* ¶ *Transfer calicem hunc à me*] i. libera me à morte acerba quæ mihi imminet.

37. *Venit*] Præſ. temporis.

38. *Ut non intretis in tentationem*] q. d. Futurum eſt ut me capto graviter tentemini à Satana: orate itaque Deum nè ſinat vos tentationi illi ſuccumbere.

41. *Dormite jam, & requieſcite. Sufficit*] Imperativi, more Hebræo, pro futuris: q. d. *Dormietis poſthac, & requieſcetis: nunc vero ſufficit.* Similis locutio apud Johannem, 2. 19. *Solvite templum hoc.* ¶ *Tradetur*] *Traditur:* præſ. pro futuro.

42. *Tradet*] *Prodit.*

43. *Et * adhuc*] * *Continuò.* ¶ * *A ſummis Sacerdotibus*] * *Miſſi*, Vet.

44. *Eis ſignum*] *Ejus ſignum eis*, Vet. ¶ *Cautè*] *Tutò, ſecure:* i. exactà cuſtodiâ.

45. *Ait, *]* *Ave*, Vet. ¶ *Rabbi *]* *Rabbi:* i. *Magiſter mi.*

46. *In eum*] *In Jeſum*, Vet.

49. *In templo*] i. in atrio populi. ¶ *Tenuiſtis*] *Comprehendiſtis.* ¶ *Ut impleantur*] Sub. *hæc omnia ità fiunt, ut*, &c.

50. *Tunc diſcipuli ejus relinquentes*] *Tunc relinquentes.*

51. *Adoleſcens*] *Adoleſcentulus.* ¶ *Eum *]* * *Adoleſcentuli.*

53. *Convenerunt *]* *Convenium:* præſ. pro præt. * *ad eum.* ¶ *Omnes *]* * *Summi.*

54. *Calefaciebat ſe*] *Caleſiebat ad lucem:* i. ignem.

56. *Autem*] *Enim*, Vet. ¶ *Convenientia*, &c.] i. inter ſe non conveniebant.

58. *Poſt*] *Per*, Vet.

59. *Non*] *Nè ſic quidem.*

60. *Exſurgens autem*] *Et exſurgens*, Vet. ¶ *Quicquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his*] *Quidquam: quid? iſti adversùm te teſtantur*: q. d. *Parvine facis quòd iſti*, &c.

61. *Filius *]* * *Dei*, Vet. ¶ *Benedicti*] i. laudandi.

62. *Et videbitis*] *Et* pro *itaque*, Hebr. ¶ *Virtutis*] *Potentiæ.* Antonomaſia eſt; i. Dei.

63. *Deſideramus teſtes*] *Opus habemus teſtibus.*

65. *Prophetiza*] *Divina:* vel *vaticinare*; vel, *Prophetam agito.* ¶ *Alapis eum cædebant*] *Alapas illi impingebant:* vel, *depalmabant eum:* ſive, *palmis feriebant.*

68. *Neque ſcio, neque novi*] *Neque novi, neque ſcio.* ¶ *Ante atrium*] *In veſtibulum atrii.*

69. *Rurſus autem cum vidiſſet illum ancilla*] *Et ancillula cum vidiſſet ipſum.*

70 *Galilæus es *]* *Et loquela tua ſimilis:* vel, *lingua tua convenit.*

71. *Anathematizare*] *Deteſtari: devovere:* vel, *exſecrari.* ¶ *Quia neſcio*] *Non novi.*

72. *Et ſtatim gallus*] *Et gallus.* ¶ *Cæpit flere*] *Prorupit in fletum.*

C A S T A L I O.

3. *Picata nardi*] Quod ſcribit Eraſmus, fieri poſſe ut Marcus vulgari more loquens Latinam vocem corruptè poſuerit, *piſticam* appellans pro *ſpicata*, id mihi veriſimile videtur, & cum vetere interprete congruit, qui, ut eſt in nonnullis exempl. vertit *nardi ſpicati.* Atque idem dico de eodem verbo apud Johannem 12. Idémque videmus & in *libra* fieri, quam ibidem Johannes (ut & cæteri Græci) *litram* appellat, ſimili verbi mutatione, ſive à *libra litra*, ſive contrà dicitur: & in *penula*, quam Paulus 2 Tim. 4. φαιόλην appellat. Cætera quæ de πιστικῆς dicuntur, mihi videntur abſurda, ſive à loco dictam putes, ſive à *fide.* Nam nec ullus, quod ſciamus, locus, qui ſit à nardo nobilitatus, ità dictus eſt; & à *fide* non πιστικὴ ſed πιστὸς appellaretur. Illud obiter dicam; Veterem interpretem, quod à Marco dictum eſt fem. genere, id neutro dixiſſe, *ſpicati*, datâ operâ, ut opinor; ut eandem in Latino ſermone (in quo etiam *nardum* neutro genere dicitur) verborum ambiguitatem retineret quæ eſt in Græco, in quo πολυτελῆς & ad νάρδου & ad μύρου referri poteſt. Nos de induſtria ambiguitatem vitavimus, quòd omnino pretium putamus unguenti, non nardi, appellari. Quod niſi vocabulum *ſpicata* adderetur, liceret ità vertere, *Alabaſtrum unguenti nardini pretioſi:* ità nulla foret ambiguitas.

21. *Filium quidem hominis*, &c.] Eſt quidem mihi fatale prodi, ſed non idcirco impunè feret proditor.

62. *Potentia*] h. e. Dei.

C L A R I U S.

3. *Nardi piſtica*] *Fidelis*, h. e. ſincera, quæque depravata minimè fuerit.

6. *Bonum opus*] Myſterium hoc, inquit, eſt, non perditio.

8. *Prævenit ungere*] Fecit nunc quod in morte mea præſtare non poterit: nam antea reſurgam quàm me inveniat ungendum.

20. *Qui intingit mecum*] h. e. qui ſocius eſt menſæ.

21. *Væ autem homini illi*] Vide ut plùs ei doleat interitus Judæ quàm propria mors. Cogita etiam illud, quantum obduret affectus pecuniæ: nullam enim aliam ob cauſam videtur ſceleratus in illud facinus irruiſſe niſi ob illius unguenti pretium.

30. *Priùs quàm gallus vocem bis dederit*] Non eſt cur torqueatur quis, cùm apud Euangeliſtas eadem res non eodem tamen modo dicitur. Nam rectè docet Auguſtinus, *Nihil aliud eſſe quærendum quàm quid velit ille qui loquitur.*

51. *Super nudo*] Fortaſſe non eſt neceſſe omnino nudum intelligere, ſed eo modo dictum quo & Achimelech dixit ad David, *Quare es ſolus, & vir non eſt tecum?* & tamen Euangeliſtæ memorant dixiſſe Dominum quòd *David & qui cum eo erant comederint panes propoſitionis.* Sed *ſolum* vocavit, cùm ei non adeſſet apparatus ille comitum qui Regis generum decebat. Quanquam fieri etiam potuit ut ſolus tunc eſſet David, quia (ut in hiſtoria illa legitur) interroganti Achimelech *cur eſſet ſolus*, reſpondit, *Pueris meis condixi in illum & illum locum.* Hanc autem hujus adoleſcentis hiſtoriam videtur Marcus poſuiſſe ut oſtenderet omnes illâ horâ deſeruiſſe Dominum, ut & adoleſcentulus maluerit nudus effugere quàm apprehendi, quaſi unus ex iis qui Chriſtum ſequerentur.

Z E G E R U S.

1. *Erat autem Paſcha & Azyma poſt biduum*] Inter *Paſcha* & *Azyma* hoc intereſt, ſi propriè accipiantur, quòd *Paſcha* appellatur dies ille unus idémque ſummus quo agnus occidebatur ad veſperam, *Azyma* verò plurativè, ſive *dies Azymorum*, totum illud tempus complectatur quo illicitum erat panibus veſci fermentatis.

2. *Tumultus fieret populi*] Sic ſcriptum oſtendimus apud Auguſtinum, in codice Corſend. & aliis multis conſentientibus cum Græcis, cùm in aliis cernere ſit *in populo*, ut habes Matth. 26. 5.

3. *Alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi*] Genitivi *ſpicati, pretioſi* referri poſſunt ad vocabulum *nardi*, quod neutri generis eſſe poteſt à *nardum*: nam hoc genere uſurpatur à Plinio l. 12. cap. 12. Dicitur autem *ſpicatum* Nardum, quòd ſpicas proferat, teſte eodem; vel, ut aliis placet, quòd genus quoddam Nardi *ſpica* ſive *ſpicum nardi* vocetur. Poſt tamen illud *pretioſi* tam apud Latinos quàm apud Græcos epitheton eſſe *unguenti*, ut dicatur *alabaſtrum unguenti pretioſi è nardo ſpicata:* atque hoc reſtius videtur, propterea quòd duo adjectiva duriùs cohærerent uni ſubſtantivo citra copulam. Porrò, quòd Græcè ſcribitur *nardi piſtici*, vel *piſtica*, intelligere poſſumus *nardum fidelem*, (*piſtis* enim *fides* eſt) *probatam* atque *ſinceram*, cujuſmodi eſt nardus ſpicata, quam Plinius ibidem deſcribit his verbis; *Fruteæ eſt*, inquit, *gravi & craſsâ radice, ſed brevi ac nigrâ fragilique, quamvis pingui, ſuavis redolente, ut Cyperi, aſpero ſapore, folio parvo denſoque. Cacumina in ariſtas ſe ſpargunt: ideo geminâ dote nardi ſpicas ac folia celebrant.* Deinde poſt pauca ſubdit, *Sincerum quidem* (ſubaudi *nardi genus*) *levitate deprehenditur & colore rufo, odoriſque ſuavitate, & guſtu maximè ſiccante os, ſapore jucundo.* Ex his Plinii verbis conjicio Nardum hanc non diſſimilem eſſe ei quam in hiſce regionibus ſatis frequentem *Lavendulam* vocamus. Nam præter ariſtas & alia quæ conveniunt, hinc etiam aqua & oleum eliquatur ſuaviſſimi odoris. Et Dorſtenius in ſuo Botanico tradit Lavendulam à Dioſcoride vocari *Nardum Celticam*, & à nonnullis *Pſeudonardum.* Vide Matth. 26. Haudquaquam caſu factum exiſtimari poteſt quòd

nardi

nardi ſpicati ſcriptum ſit, quoniam magno conſenſu ità omnia vetuſta habent exemplaria; licèt in jam recèns excuſis pro *ſpicati piſtica* haberi cernatur, nè vel in voce non reſponderent Latina Græcis. Imò ſuſpicor in Græcis ſcriptam fuiſſe vocem Latinam *ſpicati*, ſed corruptam in *piſtici*, ut alia multa Latina perperàm ſcribuntur à Græcis, magis etiam quàm Græca à Latinis.

8. *Quod habuit hæc fecit*] *Habuit* dixit pro *potuit*. Id enim declarat & ἔχω & *habeo* adhærens verbo infinito, quod tametſi hic non exprimatur, ſubauditur tamen, nempe *facere*.

14. *Ubi eſt refectio*] Κατάλυμα, idem quod *diverſorium* ſcribitur Luc. 22. 11.

20. *Qui intingit mecum manum in catino*] Juxta Græca & exempl. Latina antiqua non additur hic *manum*, ut in Matthæo. Sunt tamen aliquot exempl. vetuſta quæ habent, ſicuti & Beda.

29. *Omnes ſcandalizabimini*] Beda & multi codices non addunt hic *in me*.

32 *In prædium*] i. *in agrum*, vel *in villam*.

37. *Et venit & invenit*] Utrumque præſentis temporis eſt.

43. *Miſſi à ſummis Sacerdotibus*] Non ſatis conſtat an *miſſi* ſit ipſius Euangeliſtæ, quòd codices varient. Beda enim addit.

45. *Ave Rabbi*] *Ave* redundat.

46. *Et tenuerunt eum*] Meliùs ii codices in quibus abeſt *ei manicum adoleſcentuli* poſt *tenuerunt eum*.

51. *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum*] Cùm præmittat Euangeliſta Diſcipulos omnes, h. e. Apoſtolos defugiſſe, non fit veriſimile hunc adoleſcentem aut Johannem fuiſſe aut alium quempiam ex Apoſtolis: ut ſileam interim, ex annalibus colligi facilè poſſe & Johannem & cæteros omnes Apoſtolos jam tum trigeſimum ætatis annum ut minimum, eóque & adoleſcentiam, exceſſiſſe.

58. *Boſt triduum*] Juxta antiquos quoſdam codices, adſtipulantibus & Græcis, *per triduum* legendum, nam intra non poſt triduum propriè reſurrexit Chriſtus. Et tamen *poſt triduum* non malè, ſed rectiùs fortè habere probari poteſt ex duobus ſimilibus in Matthæo locis, 26. 61. & 27. 63.

62. *A dextris virtutis Dei, & venientem*] Beda & exemplar Corſend. ut alia non pauca, ſic habent, *à dextris ſedentem virtutis, & venientem. Dei* enim etiam abeſt in Græcis.

70. *Nam & Galilæus es*] Quod aſſcribitur καὶ ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει *& loquela tua convenit*, adjectum apparet ab eo cui ſtudium fuit hunc Euangeliſtam reddere abſolutiorem.

LUCAS BRUG.

3. *Venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi.*] Unus Pariſienſium Latinus codex Germani latus pro *ſpicato*, ut ferè conformis eſt Græcis libris, *piſtici* habet; ſic enim eſt Græcè, ἀλάβαστρον μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς. Legunt ſimiliter Autor commentariorum in Marcum Hieronymo adſcriptorum, Autor homiliarum in Marcum Chryſoſtomum mentientium, Theophylactus & Euthymius. Porrò Latina MSS. quotquot habemus, numero 34. *ſpicati* ſervant, duobus exceptis, quorum uni, L notato, id omiſſum eſt; alteri, quod Atrebatenſis collegii eſt, *piſcini* ſcriptum eſt. Hoc illud forſan exemplar eſt quod, illi Pariſienſium additum, ſignificavit Henrenius *piſtici* legere: nam & ipſe Atrebatenſis collegii exemplaribus eſt uſus. Ad eundem modum impreſſi codices, quotquot vidimus, omnes *ſpicati* retinent, Moguntinus, Colonienſis, Nurenburgenſis, quæ primæ ſunt typographorum ante annum Domini 1480 editiones, & alii, uno, qui Coloniæ in ædibus Quentelianis anno 1529 excuſus eſt, dempto, in quo eſt *piſtica*, quo modo & in textibus Gloſſæ ordinariæ Lugduni editæ, & Catenæ D. Thomæ Romæ excuſæ, ac Joannis Arborei commentariis, legitur: id quod ità Græco aſſimilatum eſt ut & genere conveniat, juxta quorundam Autorum monitionem, cùm id neceſſe non ſit: nam & *nardum* neutro genere Plinius lib. 12. cap. 12. dicit. *Spicati* legunt & Latini enarratores, Beda, Carenſis, Albertus, Lyranus, Gorran, Richelius, aliique poſteriores: id quod Zegeri Epanorthotes. ex vetuſtorum exemplarium conſenſu, ut germanam noſtræ editiones ſcripturam, meritò amplectitur. In Euangelio ſec. Johannem cap. 12. verſ. 3. idem legitur. Porrò ibi tam conſtanter Latina exemplaria *piſtici* [*peſtici* 1 MS. o.] ſcribunt, quàm apud Marcum *ſpicati*: *Maria ergò accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi*. Hoc tantùm varietatis invenimus, in antiquo Societatis Jeſu manuſcripto, quod diſcriminis gratiâ album diximus, *ſpicati*, *ſpitici*, vel *ſpitiri* (non enim ſatis legi poteſt) in Quentelianis Bibliis iterum *piſtica*. Quin & Latini Tractatores, veteres & recentiores, *piſtici* illic legunt; Auguſtinus, Alcuinus (quem D. Thomæ Catena citat) Beda, Rupertus, Thomas, Albertus, Carenſis, Lyranus, Gorran, Richelius, & alii: quanquam apud Bedam, Gorran, & Neotericorum unum atque alterum, *piſtica* ſcriptum ſit. Græci codices, ut apud Marcum, ità apud Johannem conſtantiſſimè habent νάρδου πιστικῆς, *nardi piſtica*: quibus Græci enarratores, Theophylactus & Euthymius, adſtipulantur. Quidam in Latino, & Johannis & Marci, Euangelio *ſpicati* vertendum putant: exiſtimant enim Euangeliſtas Latinam vocem in Græcò poſuiſſe, ſed corruptè, πιστικῆς, pro σπικατῆς vel σπικατῆς, vulgari Græcorum more; tum quòd nihil de piſtica nardo in claſſicorum ſcriptorum libris reperiatur; tum quòd ſi à *fide* dicta ſit, πιστὸς ſeu πιστὴ dicenda, non πιστικὴ fuerat. Interpres Syrus utroque loco נרדין רישא *nardum capitalem* ſeu *præſtantem* dixit. Porrò ſentiunt Syri B. Marcum Euangelium ſuum Latinè ſcripſiſſe: quod ſi ità eſt, nihil mirum in Marco *ſpicati*, in Johanne *piſtici*, Vulgatæ noſtræ editioni legi: illud enim Latinus Autor dedit; hoc Latinus Interpres, ut erat in Græco, tranſcripſit, ſi tamen non eſt ambigendi ratio an tranſtulerit *ſpicati*. Hinc etiam fieret veriſimilius *piſtici*, quod eſt Græcè, ex Latino *ſpicati* corruptum eſſe.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ιδ', Περὶ τῆς τῶν Ἀποστόλων διαταξῆς.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. ἁμ. 5, Καὶ προσκαλεῖται τοὺς δώδεκα, ᾗ ἤρξατο αὐτοὺς ἀποστ.

Κήρυκας ἐξαπέστειλε Θεοῦ παῖς, ἃς ἐπιτείλας.
Ἄλλος,
Δώδεκα πηρύκεσσι πόρων κακὰ πνεύματ' ἀναιδῆ,
Πέμψατο, τοὺς τ' ἐς ὁδὸν πάσας διέταξε θέμιστας.

3. Νάρδου πιστικῆς] *Nardi liquidæ*: q. d. *potabilis*. Alii aliter.

13. Κεράμιον] *Amphoram*.

14. Τὸ κατάλυμα] *Diverſorium*.

20. Ὁ ἐμβαπτόμενος μετ' ἐμοῦ εἰς τὸ τρυβλίον] *Qui intingit manum mecum in catinum*.

36. Παρένεγκε] *Transfer*.

40. Ἀποκριθῶσι] *Reſpondere poſſent*: vel, *Reſponſuri eſſent*.

41. Ἀπέχει] *Sufficit*.

44 Σύσσημον] *Signum*: vel, *indicium*. ¶ Ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς] *Ità abducite ut hinc nihil vobis ſit periculi*: vel, *ut elabi non poſſit*.

49. Ἀλλ' ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαί] *Sed* hæc fiunt *ut impleantur ſcripturæ*.

51. Περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ] *Amictus ſindone ſuper nudum* corpus.

56. Ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν] *Pariæ teſtimonia non erant*: i. congruentia: vel, ſecum conſentientia.

58. Τὸν χειροποίητον] *Manibus factum*: i. arte humanâ.

63. Διαρρήξας τοὺς χιτῶνας αὐτοῦ] *Diruptis tunicis ſuis*: vel, *interioribus veſtibus*.

64. Κατέκριναν αὐτὸν] *Contra eum judicarunt*: vel, *ſententiam tulerunt*.

65. Περικαλύπτειν] *Obtegere*.

68. Οὐκ οἶδα] *Non novi* illum. ¶ Τὸ προαύλιον] *Veſtibulum*.

71. Ἀναθεματίζειν] *Exſecrari*.

72. Ἐπιβαλὼν] *Cùm ſe proripuiſſet*: vel, *cùm ſe foras projeciſſet*.

DRUSIUS.

3. *Alabaſtrum*] Plinius l. 13. cap. 2. *Unguenta optimè ſervantur in alabaſtris.* ¶ *Nardi ſpicatæ*] Ex Syro vir doctus laudat נרדין רישא, quod ſcribit *deſchaja*, cùm legendum ſit רישא *riſchaja*. Id *nardum capitatam* ſonat, ſicut *porros capitatos* dicimus. Tremellius interpretatur *nardi præſtantis*.

8. *Ungere corpus meum ad ſepulturam*] Corpus non ungebatur in ſepultura, ſed in curatione funeris, quam *funerationem* appellant, & Græci ἐνταφιασμὸν, quæ vox nunc in textu Græco: ideo meliùs alii reddunt *in funerationem*. Ungebant autem caput, pedes & totum corpus. De hoc more adito ſis ad Caſaubonum, contra Baronium, pag. 336, 337.

12. *Quando Paſcha mactabant*] De tempore quo Chriſtus cœnam celebravit, vide Zachariam Chryſop. Epiſc. in Unum de quatuor pag. 30. 2.

21. *Bonum erat homini illi ſi natus non fuiſſet*] Judam innuit, qui ſi natus nunquam fuiſſet, melius ei fuiſſet. Judam dico proditorem. Nam ait, *per quem Filius hominis proditur*, παραδίδοται, i. e. prodetur brevi. Idem dici poteſt de omnibus improbis, quibus melius eſſet ſi nunquam nati fuiſſent, propter cruciatûs ſupplicia quæ illos manent in altera vita. De cunctis hominibus etiam dicitur propter miſeriam vitæ humanæ, quæ plus fellis quàm mellis habet, ut ſatius ſit nunquam natum fuiſſe quàm in tanta miſeria vitam traducere. Tale judicium olim fuit ſapientis Hebræi Regis, Cohel. 4. 2, 3. *Laudo ego mortuos, qui antea mortui ſunt, præ vivis qui vivunt adhuc. Meliórque eſt utroque qui hucuſque non fuit, qui non vidit opus malum quod fit ſub ſole.* Notum illud, *Non naſci optimum.* Narrant à Mida captum Silenum in venatione & interrogatum Quid hîc optimum eſſet, reſpondiſſe, *O ſemen non durabile, quid me cogis ut dicere quod neſcire vos melius eſſet? Nam vita ignara ſuæ miſeriæ minus habet doloris. Hominibus non naſci longè optimum eſt; ſecundum verò, natum quàm celerrimè mori.*

36. *Abba Pater*] אב nomen Hebraicum *patrem* ſignificat. Syriacè אבא *Aba*, primâ correptâ. Quod antiqui legebant *Abba*; unde ἀββᾶ ὁ πατήρ. Vide Rom. 8. 15. Gal. 4. 6. Quibus addo, *Abba* interdum nomen dignitatis eſſe. Sic enim certè vocabant ſapientes ſenes. R. Nathan, מן *de ſapientibus qui primores ſunt deportationis Babylonicæ*, רבנאי *de ſapientibus domûs David*, אבא & אבי *de ſapientibus provectæ ætatis.* Dubito an etiam alios non ſenes denotet. In libro Jochaſin, quo me donavit doctiſſ. Thyſius, אבא *vocabulum honoris: & eſt plus quàm Rabbi, ut Abba Saul, Abba Joſe, &c.* Aliquando Deus peculiari appellatione vocatur אבא, ut multa & varia ſint ejus epitheta. Quò fortè reſpexit ὁ Σωτὴρ Matth. 23. 9. cùm ait, *Patrem veſtrum neminem vocetis in terra. Unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt.* Poteſt ergò in *Abba Pater* unum Dei epitheton eſſe, & alterum commune ſeu appellativum, ut ſi quis diceret *Adonai Domine*, aut *Elohim Deus.* Quale illud, *filius Timæi Bartimæus.* Poteſt etiam fieri ut *Abba* ſit nomen dignitatis, aut eſt formula loquendi ἐκ παροιμίας ἢ πλεονασμὸν, ut *lutum cœnum*; & in Latio, *commeatus cibus, rete jaculum, leſtus locus, libra pondo, hecatomba boſtia.* Nam nulla cauſa eſt quin idem poſſit diverſis linguis fieri. Nihil temere ſtatuendum. *Aſer divitiæ*, quod pro exemplo Hieronymus adducit, nuſquam exſtat niſi fortè in verſione Latina. Vide quæſtiones ejus in Gen. pag. 462. Certum eſt *Aſer beatum* denotare, non *divitias*, quæ עשר dicuntur, i. *Oſer*, primâ Ain. Corrigendus in hoc nomine Auguſtinus. Nam epiſt. 178. in colloquio cum Paſcentio Ariano habito, *Paulus*, inquit, *qui dicit Romanis ſcribens*, IN QUO CLAMAMUS, ABBA PATER, *in uno nomine duabus utitur linguis. Dicit enim* ABBA *Græco vocabulo* (imò Hebraico, vel certè Syriaco) *& Latinè nominat idemtidem Patrem.* Suidas ſive Sudas, Ἀββᾶ, ὁ πατήρ. Οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν πατέρα τὸ Θεὸν ἐξ ἰδιότητος διανοίας· ὃ δὴ ἐκ χάρετος, ἀπὸ πνευματικῆς ἐνεργείας κινήμενοι· & aliquantò poſt, Καὶ ὥσπερ ἔχομεν τὸ πνεῦμα τῆς υἱοθεσίας, ἀφ' ὃν ὁ ἔχων αὐτὸ λέγει τὸ μίσαντος ἐστὸ τῆς χάρετος κινήμενον, οὕτω δὴ καὶ πνεῦμα ὑοθεσίας, ἀφ' ὃ ὁ λαβὼν πατέρα καλεῖ τὸ Θεὸν ἐστὸ πνεύματος κινήμενος· ὁ δὴ βελόμενος δῆξαι γνησιώτητος ἐν, καὶ τῇ τῶ Ἑβραίων ἐχρήσατο γλώττῃ· ἔστι γὰρ εἰπεῖν, ὁ πατὴρ, αὐτὸ, Ἀββᾶ ὁ πατὴρ, ὅπερ τῶ παίδων μᾶλλόν ἐστι τῶ γνησίων πρὸς τὸς πατέρας ῥῆμα. Hæc ille. Quæ mihi parum ſolida eſſe videntur. Non eſt omittendum, quod Hieron. annotat in Comment. Matth. 23. *Vulgato*, inquit, *ſermone, maximè in Paleſtina & Ægypti monaſteriis, ſe invicem Patres vocant*: & mox, *Nos ſi hominem Patrem vocamus, honorem ætati deferimus.* Atque hinc ſanè *Abbatis* vocabulum: de quo aliàs. *Abba, Abbas*; ut *Juda, Judas*; *Thoma, Thomas.*

41. *Ecce traditur*] Mox tradetur. Simile, *Quò ego vado, vos non poteſtis venire*: &, *Ecce ego commoveo mare & terram*: &, *Invenis navim euntem*, i. mox ituram. Sic, *Libertatem perdimus*: & v. 42. *ecce qui prodit me*, i. proditurus eſt.

51. *Amictus ſindone*] *Sindon*, veſtis linea, non à *Sidone*, ut Grammatici volunt, ſic appellata, ſed à Syriaco vocabulo כרין, inſertâ Nun, ut fit, per epenthefin: nam *Sidon* urbs per *s* Sade ſcribitur צידון, hîc autem eſt Samech in capite. In Chronico Templi ſecundi reperio סדין pro *ſindone*, ut etiam in Nomenclatura Eliæ, & in Thargum Pſal. 104. סדינא, ut apud interp. Syrum ܣܕܝܢܐ. ¶ Κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι] In Concordantiis à Paulo Stephano cuſis anno DC. νεανίσκοι, *milites.* Nam tales potiſſimùm eligebantur ad militiam. Unde in Hebraiſmo juvenes בחורים vocantur, à verbo quod *eligo* ſignificat. Sic νεανίσκων καταγραφὴ de *conſcripta legione militum.*

54. *Ad ignem*] Syrus, *coram igne. Ignem* autem אורא vocat, qui Græcis φῶς & πῦρ. Obvia hæc vox in Targ Joſ. 6. & alibi. Vir doctus, qui propriè *lucernam* ſignificare putat, fallitur. *Lucerna* נר dicitur in Hebraiſmo: אורא vox eſt linguæ Syræ, & aliud ſignificat. Germen Davidis, צמח *ignis.*

61. *Filius Benedicti*] ברוך τῦ ἐυλογητῦ, i. Dei. Sic dicunt ברוך הוא de Deo. Vide Abbreviaturas noſtras.

62. *Potentia*] הגבורה, i. Dei. Nam ὁ ἐκ τὸ ἀκρεβὲς, inquit Euſebius Pamphili, *ſignificat ἰσχὺν ἢ δύναμιν.* Scribit hoc in libris Ἀποδείξ. ad verba Chriſti, Ἠλωὶ; Ἠλεὶ, λαμμὰ σαβαχθανεί; Vide Matth. 26. 64. & Rom. 8. 38.

CASAUBONUS.

3. Κατεμύρισε αὐτῦ τὴν κεφαλὴν ἀλάβαστρον μύρε νάρδε πιστικῆς] Sicut de voce κεφαλαίων paulò antè diximus, vix alibi eam reperiri ea quidem in ſignificatione, ità nec πιστικὸν νάρδον alibi opinor legas quàm hîc & apud Johannem. Placet autem ſummis viris ſic appellari ἀπὸ τῆς πίστεως *nardum purum* Latinis dictum, ut apud Tibullum, & in Lege in argento, D. de auro & argento leg. & apud Medicos. Nam & apud Græcos Juriſconſultos πιστικὸς dicitur navis magiſter, cujus fidei navis committitur. Atque hæc eſt doctiſſ. hominum ſententia; quibus tamen ut aſſentiar nondum penitus inducere animum potui. Quare enim νάρδῳ πιστῇ πρὸς τὸ πιεῖν (etſi erat ἀναλογώτερον πιστῇ) non dicetur, quam Athenæus ait aptam eſſe πρὸς πότον, l. 15. Et apud eundem Athenæum νάρδον ναπαικίνην leges l. 6. Hirtius in lib. De bello Hiſpanienſi, *Ipſe de tempore cœnavit, vinum & nardum identidem ſibi infundit.* Vox ſanè inſolens, & in qua hæſiſſe etiam Nonno aqua videtur, ut ex ejus paraphraſi Johan. 12. 3. eſt intelligere.

8. Εἰς τὸ ἐνταφιασμόν] Vide ad Matth. 26. 12.

9. Ὅπου ἂν κηρυχθῇ τὸ ἐυαγγέλιον τῦτο εἰς ὅλον τὸν κόσμον] Theophylactus obſervat duas prophetias in hac enunciatione contineri: altera eſt, ὅτι τὸ ἐυαγγέλιον κηρυχθήσεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ· altera eſt, ὅτι τὸ ἔργον τῆς γυναικὸς συγκηρυχθήσεται.

13. Ἀνθρώπῳ κεράμιον ὕδατος βαστάζων] Κεράμιον rectè verteris *amphoram*: nam, ut annotat doctiſſ. interpres, fictiles erant amphoræ. Auctor Gloſſarii, Κεράμιον, *Orcium*, *Amphora.*

19. Καὶ λέγειν αὐτῷ εἷς καθ' εἷς] Non puto καθ' εἷς eſſe ἓν ἕκαστος. Idque non ità eſſe vel hîc locus Pauli Rom. 12. 5. ἕν ἐσμεν καθ' εἷς (niſi potiùs eſt ſcribendum καθεῖς) declarat. Alibi tamen ſolet idem Paulus dicere οἱ καθ' ἕνα, ut Ephe. 5. 33. Johannes dixit ἓν καθ' ἓν Apoc. 4. 8. Apud Polybium quodam loco διεῖς legitur: quæ ſi vera eſt lectio, poſſit videri διεῖς dictum ut καθεῖς. Sed vera ejus loci lectio eſt δι' ἓς. Apud Dionem χωρὶς & καθὲν opponuntur.

51. Περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνῷ] Gloſſarium, Σινδών, *Tunica linea.*

72. Καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιεν] Participium ἐπιβαλὼν vel pro ἐννοήσας puto accipiendum, ſicut ἐπιβολὴ interdum eſt ἔννοια, vel pro eo quod Græci auctores dicere ſolent ἐγκαλυψάμενος. Reliquæ interpretationes minùs probabiles mihi videntur.

GUALTPERIUS.

3. Νάρδε πιστικῆς πολυτελοῦς, *Nardi liquidæ multi pretii*] Νάρδος ου, ἡ, *Nardus*, frutex, cujus diverſa ſunt genera. Eſt enim Nardus indica, Nardus Syriaca, Nardus Germanica, Nardus Celtica, Nardus montana, &c. Indè ναρδόσταχυς *ſpica nardi*: & apud Galenum μύρα τὰ ἐξ ναρδοσταχύος γινόμενα, *Unguenta quæ fiunt ex ſpica nardi.* In officinis etiam hodie Oleum de ſpica pretioſum ſanè & utile præparatur. Vult autem ſignificare optimum & incorruptum unguentum, quod magni erat pretii.

36. Ἀββᾶ ὁ πατὴρ] Ἀββᾶ *Abba.* Syrus אבא אבי ABBA, ABBI, *Pater*, *Mi pater.* אבא Chaldaicè & Syriacè idem quod Hebræum אב *pater*, *Abbas*, Etu Abt, ex radice אבה *voluit*, *bene affectus eſt erga aliquem.* Quoties ergò Deum *Abba* ſeu *Patrem* vocamus, ſummam ejus erga nos clementiam atque miſericordiam deprædicamus. Significat hæc vox etiam *Proavos*, *Atavos*, &c. & generaliter, *majores*, & *omnes qui longo tempore anteceſſerunt.* Uſurpatur item honoris gratiâ de dignioribus & auctoritate præcellentibus.

tibus. Conversâ radice πατὴρ *pater*, Vater. πάππος *avus*, &c.

65. Κολαφίζειν αὐτὸν] Κόλαφος *colaphus*, & κολαφίζω *colaphum incutio*. Vox Græca, quam nonnulli deducunt ex κολάπτειν, quod eſt *tundere*. *Colaphus* autem eſt alapa ſeu plaga quæ palmâ in maxillam alicujus incutitur. Frequens vocabuli hujus uſus eſt in Scriptura N. T. *Depalmare aliquem* dixit Gellius, pro *palma percutere*.

LUD. CAPPELLUS.

3. Ναρδου πιστικῆς] Doctiſſimus Interpres Beza tres refert de hac voce ſententias. Sed prima & ultima videntur omnino rejiciendæ. Nam ad primam quod attinet, etſi unguentum illud liquidum fortè fuerit (non craſſum & ſpiſſum) qualia ſunt ea quæ bibi poſſunt, non fuit tamen ipſum potabile, h. e. non confici ſolebat ut biberetur. Ultima ſententia vult ut πιστικὴ ſit pro σπιστή· ſed dura admodum videtur & planè intoleranda illa metatheſis literarum, longéque durior & inſolentior quàm in φελόνη pro φαινόλη vel φαινόλης. Itaque ſola ſecunda ſententia videtur amplectenda, quæ eſt Theophylacti, qui vult ut πιστικὴ idem hic ſit quod ἄδολος, quomodo apud Artemidorum πιστικὴ γυνὴ eſt *fida uxor*. Eſt ergò πιστικὴ νάρδος *nardus pura & ſincera*, minimè adulterata. Græcè δόκιμος dici poſſit, reſpondétque phraſi Hebraicæ מור עובר Cant. 5. 6, 13. ubi LXX reddiderunt μύρου πλήρη *myrrham plenam*: malè; reddi debuit δόκιμον. quomodo Gen. 23. 16. כסף עובר ipſi reddiderunt ἀργύριον δόκιμον· optimè. Atque ità etiam reddi debet 2 Reg. 12. 4. ubi tamen reddiderunt ἀργύριον συντιμήσεως *argentum æſtimationis*: Minùs bene: nam ſenſus loci illius hic eſt, *Omne argentum ſanctificatum quod infertur in domum Domini*, כסף עובר, *ſit argentum* δόκιμον, *probatum, purum, ſincerum, minimè adulteratum*. Quomodo ergò כסף עובר eſt ἀργύριον δόκιμον, ſic etiam מור עובר μύρον δόκιμος *pura & ſincera*. Idem eſt νάρδος πιστικὴ *nardus pura*, δόκιμος. Et ſanè Chaldæus Paraphraſtes Cant. 5. 13. illud מור עובר exponit מירא, ירוקא, h. e. μύρου ἐκλεκτοῦ, *unguentum ſelectiſſimum*, ſeu *probatiſſimum*, δόκιμον.

36. Καὶ ἔλεγε, Ἀββᾶ, ὁ πατὴρ] Paulus Rom. 8. 15. & Gal. 4. 6. docet nos per Chriſti Spiritum ſimiliter Deum compellare atque invocare, Ἀββᾶ, ὁ πατὴρ, quomodo Chriſtus hîc eum compellat; nempe quia in eo adoptamur à Patre, & per eum facilem habemus ad Patrem acceſſum, eâdem fiduciâ quâ Chriſtus eum Patrem appellat, nos itidem eum Patrem familiariter appellamus, acti à Spiritu adoptionis. Cæterùm plerique omnes Interpretes ità accipiunt hanc compellationem quaſi Ἀββᾶ eſſet vox Syriaca à Chriſto uſurpata in illa Patris ſui invocatione, cui ab Euangeliſta ſubjecta ſit vox Græca πατὴρ, tanquam exegetica illius; quod ſæpius alibi fit in aliis vocibus ſimiliter peregrinis. Idem ſentiunt etiam de duobus illis Pauli locis. Sed dilutius videtur ut in ejuſmodi blanda & perfamiliari Filii ad Patrem compellatione & vehementi invocatione voci peregrinæ quidem ſed notiſſimæ, imò verò ne peregrinæ quidem (uti mox oſtendetur) ſubjiciatur ἑρμηνευτικῶς vox alia Græca: ſic enim amittitur atque diluitur vis, gratia & venuſtas tam blandæ & familiaris compellationis. Rectius itaque fortè videri poſſit, ſi dicamus eam eſſe Græcis notiſſimam formulam, quâ filii parentes blandè & familiariter compellabant. Quod hinc confirmari poſſe videtur. Prima vox quam pueri enituntur quâ patrem compellant eſt *pappa*, non Gallorum modò hodie puerulis ſed Græcorum & Latinorum notiſſima: unde & παππάζειν apud Homerum vox eſt puerorum patrem πάππα compellantium. Iliad. ε.

Οὐ δέ τι μιν παῖδες πατρὶ γόνῳ παππάζουσιν.

h. e. uti exponit Interpres, πάππα φωνῇ, πατέρα καλοῦσι. Hoc Latini dicunt *pappare*. Apud Perſium Sat. 3.

Et ſimilis Regum pueris pappare minutum
Poſcis.

Pappare iſthic eſt Patrem blandè & ἑρμηνευτικῶς *pappa* vocare, quod Nobilium maximè & Regum pueri ſolebant. Indè factum ut in Eccleſia Chriſtiana hâc voce πάππας à Græcis & *Papa* à Latinis appellati ſunt, honoris & reverentiæ gratiâ, à Laicis Preſbyteri quidem olim omnes, ſed potiſſimùm Epiſcopi; quæ *Papa* vox poſtmodum, inclinatâ in Eccleſia Latina tum diſciplinâ Eccleſiaſticâ tum linguæ puritate, ſoli Pontifici Romano remanſit propria. Jam quemadmodum infantes primùm loqui nitentes πάππα patrem vocabant, ſic etiam abjectâ literâ ἄππα dixere, ut & ἄττα ex ταττὰ factum eſt. Nam omnium vocalium *A* facillima eſt pronunciatu, conſonarum verò labiales & dentales literæ ex ſunt quas pueri balbutientes primùm emiti conantur, itaque ἄππα & ἄττα *Papa* & *Tata*, & *Mamma*, voces ſunt quæ pueris primùm loqui incipientibus ultrò veluti occurrunt, quibus Græcorum & Latinorum pueri parentibus adblandientes edocebantur eos ἑρμηνευτικῶς appellare. De *Papa* jam dictum eſt. De ἄττα notum eſt ex Iliad θ.

Φοῖνιξ ἄττα γεραιέ.

Verba ſunt Achillis Phœnicem ſe ſeniorem honoris causâ *patrem* ἑρμηνευτικῶς vocantis. De *Mamma* atque *Tata* notum eſt Martialis Epigramma,

Mamma atque Tata habet Afra, ſed ipſa tatarum
Dici & mammarum maxima mamma poteſt.

Gallorum pueri ſimiliter matrem *mammam* vocant, & Anglorum filii patrem Dad appellant, quomodo Latini *Tata*. De voce ἄππα, quod *patrem* etiam Græcorum pueris ſonaverit, liquet ex vocibus illi affinibus ἀππᾶ, ἀππᾶς, ἀππία, & ἀππάριον, quibus & pueri parentes, & frater fratrem, ſoror ſororem ἑρμηνευτικῶς appellabant. Apud Suidam ἀππᾶ eſt fratris vel ſororis ἑρμήνευμα· & Euſtathius notat ſororem à ſorore vocari ἀππᾶν καθ' ὑπακοσμόν. Et ἀππᾶς apud Theocritum eſt *pater*. Ἀππία & ἀππάριον, inquit Pollux Onomaſtici ſui lib. 3. *ſunt apud Comicos nova domina* ὑπαπαίσματα. Jam verò literæ tenues aſpiratis faciliùs pronunciantur. Priùs ergò dictum eſt ἄππα quàm ἀππᾶ. Et certè apud Callimachum, Hymno in Dianam, verſ. 6. Diana Jovem ἑρμηνευτικῶς vocat ἄππα. Illic nempe inducitur à Callimacho tanquam virguncula ludens adhuc in patris Jovis ſinu atque ulnis. Unde non immeritò ſuſpicantur nonnulli, verſ. 8. ubi eadem Diana Jovem ſic compellat ἴα πάτερ, legendum potiùs eſſe ἄππα πάτερ· nam & eò loci nonnulli codices habent ἄττα· ità ut ἄππα & ἄττα idem omnino olim ſignificarint, nempe patrem καθ' ὑπακοσμόν. Ab ea voce ἄππα Latini formarunt *Aba*, atque indè verbum *Abare* apud Auſonium (Epiſtolâ ad patrem, ex Scaligeri emendatione, juxta vetuſtiſſ. codicis fidem) pro ἀδελφίζειν, h. e. *compellare aliquem blandè*, quomodo frater fratrem καθ' ὑπακοσμὸν compellat. Et certè vox Latina *Avus* pro *Abus* (unde *proavus*, *abavus*, *atavus*) videtur omnino deducta ab illo antiquo *Aba* vel *Abba*, & hoc ex Græco illo ἄππα, vel etiam ἀββᾶ. Quin & vocem *Abbas*, *abbatis*, quâ Cœnobiarchæ in Eccleſia Chriſtiana vocati ſunt olim, & etiamnum hodie vocantur in Pontificia, nihil eſt neceſſe deducere à Syriaca voce ארא cùm poſſit eſſe Græca ab antiquo illo Græco ἄππα vel ἀββᾶ. Quin & ratio Grammatices (quæ in etymis deducendis maximè ſpectanda eſt) repugnat ut *Abbas* à Syriaco ארא deducatur; neque enim in ארא litera ב geminatur per Dages, neque Chaldaicè, neque Hebraicè; neque Arabicè vox quæ *patrem* ſignificat recipit Dages in ב. Itaque ſolicitari injuriâ ab Eraſmo videtur Auguſtini locus, Epiſt. 178. ubi ſcribit Auguſtinus *Abba* Græcum eſſe vocabulum: atque hoc librariorum vitio factum eſſe putat Eraſmus, vel etiam ab aliquo aſſuta eſſe Auguſtino iſta exiſtimat. Sed eâ Eraſmi conjecturâ nihil opus eſt. Potuit verè Auguſtinus dicere ἀββᾶ Græcum eſſe vocabulum, *patrémque* illis ſonare; etſi in eo fallatur Auguſtinus quòd dicit Apoſtolum in illa formula, *Abba pater*, duabus eſſe uſum linguis, Græcâ & Latinâ. Ex his videre eſt illud ἀββᾶ ὁ πατὴρ ab Euangeliſta & Paulo uſurpatum, formulam eſſe Græcorum pueris familiarem, quâ patrem blandè, & quâ inferiores ſuperiores, honoris gratiâ & amoris teſtandi ergò, compellabant: qualis eſt illa apud Callimachum ἄττα vel etiam ἄππα πάτερ, ità ut ἀββᾶ ſit pro ἄππα facili literarum *P* & *B* inter ſe permutatione (vel etiam quia tum receptum erat ut ἀββᾶ pro ἄππα diceretur, uti licet conjicere ex illo Auſonii *Abare*) & ὁ πατὴρ dictum ſit pro πάτερ, nominativus nempe pro vocativo: quod paſſim eſt obvium in utroque Teſt. ut ὁ Θεὸς pro ὁ Θεέ. Tum & hoc dici poteſt, Sacros ſcriptores ideo potiùs ſcripſiſſe ἀββᾶ (licèt fortè minùs uſitatum) pro ἄππα, quòd ea vox propiùs referat Syriacam אבא, quæ *patrem* itidem Syris ſignificat, quâ linguâ Chriſtus eſt locutus. Jam verò quòd objici poſſet Chriſtum non Græcè ſed Syriacè locutum eſſe, ac proinde non Græcam ſed Syriacam eſſe vocem illam ἀββᾶ; reſponderi poteſt, Euangeliſtam non retuliſſe ipſas voces Syriacas quibus Chriſtus Patrem compellavit, ſed earum mentem & ſenſum Græcis vocibus expreſſiſſe. Cùm itaque Chriſtus in precatione illa brevi & παθητικῇ Patrem familiariter linguâ quâ loquebatur, Syriacâ nimirum, compellaverit, Euangeliſta blandam illam & familiarem compellationem expreſſit formulâ blandæ itidem & familiaris compellationis Græcis (quorum

linguâ

linguâ ipſe ſcripſit) uſitatiſſimâ. Similiter, cùm Paulus dicit Spiritum Chriſti clamare in cordibus noſtris, *Abba pater*, hoc vult, Nobis tantam ingenerari per Spiritum illum fiduciam ut Deum tam familiariter compellare poſſimus quàm à puerulis pater blandè hâc formulâ Ἄππα πάτερ, Græcis notiſſimâ, compellari ſolet. Si quis objiciat, videri minùs gravem & ſeriam, minuſque Chriſto in tanto agone conſtituto convenientem, puerilem iſtam compellationem, Ἄππα πάτερ, reſpondetur, Similes formulas non fuiſſe pueris duntaxat uſurpatas, verùm etiam à grandioribus erga Superiores ſuos, quos honoris & reverentiæ ergò ſic compellant quaſi patres, uti ſupra oſtenſum eſt Achillem apud Homerum Phœnicem ſenem ſic compellaſſe,

φοινὶξ ἄττα γεγαώς.

quantò magis à filio, licèt grandiore, erga patrem uſurpari poteſt iſta Ἄππα πάτερ; Unum eſt quod huic noſtræ conjecturæ adverſari poſſe videatur, nempe non hic ſcribi Ἀββᾶ πάτερ, ſed Ἀββᾶ ὁ πατὴρ, ubi ſuppliendum ἐſι, ſic, Ἀββᾶ, ὅ ἐſι πατὴρ, ut alterum ſit alterius ἑρμηνεία, Græca vox, nempe πατὴρ, Syriacæ ʾAbbâ. Verùm cùm voces peregrinæ in N. Teſt. à Sacris ſcriptoribus Græcis vocibus explicantur, ſemper illud additur ὅ ἐſι, imò ferè ſemper, ὅ ἐſι μεθερμηνευόμενον, nunquam ſimpliciter dicitur ὁ, abſque voce ἐſί. Itaque tam promptum eſt nobis excipere (uti ſuprà diximus) ὁ πατὴρ eſſe dictum in nominativo pro πάτερ in vocativo, quod fieri ſolet, quàm aliis promptum eſt dicere ſuppliendum hîc eſſe ἐſί, quod nunquam in ea phraſi ſit.

GROTIUS.

1. Ἦν δὲ τὸ πάσχα καὶ τὰ ἄζυμα, *Erat autem Paſcha & Azyma*] Id eſt, Paſcha, qui dies initium eſt Azymorum. Nam octo Azymorum dies numerant noſtri Scriptores, quorum primus eſt cujus fine agnus mactabatur. Vide quæ ad Matth. XXVI, 17.

3. νάρδου πιστῆς, *nardi piſtica*] Ita & Johannes. Πιστικὴ [*piſtica* vocem] hîc derivare ἀπὸ τοῦ πίνειν [*à bibendo*] probari mihi non poteſt, quia cùm de potu hîc non agatur, non video cur nardus hîc *potulenta* dicatur: πιστικὸν dici *quod fidei eſt explorata*, verum eſt, ſed non niſi apud Scriptores aliquot ſeculis ſeriores. Quare cùm Marcus & Johannes uſurpent hanc vocem, qui plùs cæteris ſequuntur Hebræum ſermonem, omnino eò ducor ut credam vocem Latinam *ſpicata*, quam & Græci dicunt σπικάτη & σπικάτη, corruptiùs apud Judæos pronuntiatam, nimirum פסיקא pro נרדא, planè ſimili transpoſitione qualem ſuprà in voce Sexti aut Sextarii obſervavimus. Similis eſt in voce σαξίφαγος, quod Græci poſuere pro *Saxifraga*, & in Arabica voce زرنيخ [*Zarnich*] quomodo *Arſenicum* vocant; in Judaïca lingua ארסניקא [*arſenica*] pro ἀρσενικὸν, multáque id genus: Syrus pro *Golgotha* habet *Gogoltha*. Quod autem apud Syrum eſt ריש non *capitatum*, ni fallor, ſed *eximium* ſignificat, quale fuiſſe ſpicatum conſtat. Videtur & Nonnus ita accepiſſe vocem πιστῆς, quia & producit mediam contra naturam Græcæ vocis, & quod addit φατοζωφόρῳ [*appellata*] propriè convenit nardo ſpicatæ. Nam Latinus Interpres quin ita acceperit ne dubitandum quidem arbitror. Arabs apud Johannem poſuit الطاهر id eſt, *purum*, quod nardi epitheton eſt & apud Latinos Poëtas. Plinius *ſincerum* dixit pro eodem, cui opponitur *pſeudonardum*, cujus multas ſpecies facit idem Plinius. ¶ συντρίψασα, *frangens*] Non comminuens, ſed efficiens ut latè hiaret; quomodo συντετριμμένοι λάκκοι [*ciſternæ diſſipatæ*] Ierem. II, 13. Sic & alibi συντρίβειν eſt *vulnerare*, Ezech. XXXIV, 4. 1 Reg. XX, 37. *Aperuit* poſitum hîc à Syro.

13. κεράμιον ὕδατος βαστάζων· *lagenam aquæ bajulans*] Hîc nota illum Chriſtus deſcripſit nomine non expreſſo: unde τὸν δεῖνα [*certum aliquem, ſed non nominatum*] dixit Matthæus. Dubitandum non eſt quin multi Hieroſolymitæ cœnacula inſtructa ſub id tempus advenis elocaverint; cujus ſortis & hic fuiſſe videtur, ut qui hydriam ferret ad paratum cœnaculi. Et, ni fallor, id ipſum indicat vox κατάλυμα [*refectio* ſive *diverſorium*].

15. ἐστρωμένον, *ſtratum*] In quibuſdam libris ἕτοιμον [*paratum*] ex Matthæo additum; neque enim agnoſcit Latinus: quanquam habet Syrus, ut & alia nonnulla quæ ex Matthæo ſunt addita.

18. ὁ ἐσθίων μετ' ἐμοῦ. *qui manducat mecum*] Hoc addidit Marcus à Petro acceptum. Id ſignificat menſæ ejuſdem participem, quod magnum amicitiæ vinculum veteres exiſtimabant. Τράπεζα καὶ ἅλες σύμβολα γνησίου φιλίας ἀνθρώποις [*Menſa & Sal ſinceræ amicitiæ ſymbola hominibus*], inquit Philo. Quod verò ſequitur ὁ ἐμβαπτόμενος [*qui intingit*] proprior eſt deſignatio, ut ad Matthæum diximus.

19. εἷς καθ' εἷς, *ſingulatim*] Ita & Joh. VIII, 9. Non eſt καθεῖς pro ἄλλος ἕτερος [*& deinde unus*], ſed καθ' εἷς, ut clarè apparet Rom. XII, 5. ὁ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη [*ſinguli alter alterius membra*]. Nimirum ut ſuprà diximus VI, 40. ſueti Hebraïco ſermoni non rarò nominativum ſumunt ἀκλίτως [*indeclinabiliter*]. Itaque καθ' εἷς hîc idem valet quod καθ' ἕνα 1 Corinth. XIV, 31. Eodem modo καθ' εἷς reperitur apud Lucianum Solœciſta, & Chriſtianos Scriptores aliquot. ¶ Μή τι ἐγώ; *Nunquid ego?*] Rectè monet vir diligentiſſimus, quod in quibuſdam codicibus adjicitur, ἢ ἄλλος, Μή τι ἐγώ; [*& alius, Nunquid ego?*] ex interpretamento natum videri. Nam nec Syrus nec Latinus nec Arabs agnoſcunt. Neque cohæret cum illo καθ' εἷς [*ſingulatim*],

22. Λάβετε, *Sumite*] Φάγετε [*comedite*] quod hîc aliqui codices additum habent, ex Matthæo venit: nam veteres Metaphraſtæ non agnoſcunt: & deeſt in codicibus quibuſdam. Sic & infrà commate 34 quidam libri additum habent μετ' ἐμοῦ [*mecum*].

31. ἐκ περισσοῦ μᾶλλον, *multò magis*] Ita ſuprà VII, 36. μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον [*magis plus prædicabant*] Quare non eſt quærenda alia conſtructio.

35. ἡ ὥρα· *hora*] Vide quæ ad Matthæum hoc loco.

36. Ἀββᾶ ὁ πατὴρ, *Abba, pater*] Ita & Paulus Romanorum VIII, 15. & Galat. IV, 6. Videntur Hebræi Græco utentes ſermone retinuiſſe hanc vocem, quia naturaliter pueri eo ſono patres ſalutant. Græci dicunt παπία, παπίδιον [*mi patercule*]. nec aliunde πάππος [*avus*]. Sic quod ממא Hebræis, Græcis eſt μάμμη [*mater*]. Sed & Latini ab eo ſono dixerunt *papare* & *mammas*. Duplex autem vox poſita eſt affectus teſtandi causâ. Simile illud ναὶ, ἀμὴν [*Etiam, Amen*], Apocal. I, 7. ¶ ἀλλ' ὃ ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σύ, *non quod ego volo, ſed quod tu*] Supple *fiat*. Hebræi Græcè ſcribentes particulas τί [*quid*] & ὅ [*quod*] promiſcuè uſurpant.

41. ἀπέχει, *ſufficit*] *Habet*: ut ad Matthæum diximus ad ejuſdem argumenti locum.

44. σύσσημον, *ſignum* ſive *teſſera*] Vox hæc & vox σημεῖον apud Græcos Sacrarum literarum Interpretes planè idem valent, Eſaiæ V, 26. XLIX, 22. LXII, 10. Judic. XX, 38, 40. Uſus voce συσσήμου etiam Menander ex Macedonico, ut creditur, ſermone. ¶ κρατήσατε αὐτὸν, καὶ ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς, *tenete eum, & ducite caute* ſive *certò*] *Tenete, & ducite cum cura*. Ita ἀσφαλῶς τηρεῖν eſt *exactè cuſtodire*, quod Latinè per vocem *tuto* minùs rectè verteris. Bene autem Syrus ἀσφαλῶς [*certò*] refert tam ad κρατήσατε [*tenete*] quàm ad ἀπάγετε [*ducite*].

45. Ῥαββὶ, Ῥαββί· *Rabbi, Rabbi*] Ita optimi codices & Syrus: quare lectio altera ex Matthæo profluxit.

49. ἀλλ' ἵνα, *ſed ut*] Supple τοῦτο ὅλον γέγονε [*totum hoc factum eſt*] ex Matthæo.

51. Καὶ εἷς τις νεανίσκος, *Adoleſcens autem quidam*] Non de Apoſtolorum grege, quod miror veteribus in mentem venire potuiſſe, nec è domo in quam Chriſtus in Urbe diverterat, ſed ex villa aliqua horto proxima, ſtrepitu militum excitatus, & ſubitò accurrens ut conſpiceret quid ageretur. ¶ σινδόνα, *ſindone*] Solebant enim cubare ἐν λινῷ ἱματίῳ [*in veſte linea*], ut ex Dionyſii Alexandrini epiſtola vir ſummæ eruditionis Iſaacus Caſaubonus monſtravit. Atque ita hîc juvenis lecto exſiliverat. ¶ οἱ νεανίσκοι, *juvenes*] Id eſt, milites Romani, quos & Græci νεανίας & Latini ſæpe *juventutem* vocant. Hi autem adoleſcentem iſtum apprehenderunt, unum Diſcipulorum Jeſu eſſe exiſtimantes: quod ideo addidit Marcus, ut ſignificaret conſtitutum fuiſſe non Jeſum tantùm prehendere, ſed & Diſcipulos ejus.

52. καταλιπὼν τὴν σινδόνα, *rejecta ſindone*] Qua tenebatur.

54. πρὸς τὸ φῶς. *ad lucem*, id eſt, *ignem*] *Ad focum lucentem*, qui אור Hebræis.

56. ἴσαι, *convenientia*] Senſus non eſt, teſtimonia inter ſe diſcrepaſſe (neque enim video quomodo id dici poſſit de teſtimonio ſequente, quo recitato idem repetitur), ſed non tam gravia fuiſſe ut æquarent votum Pontificum, quærentium μαρτυρίαν [*teſtationem*] non quamvis ſed quæ ad mortem valeret, εἰς τὸ θανατῶσαι [*ut eum morti traderent*], ut ante dixit. Eſt ergò ἴση hîc, quod Hebræi de teſtimoniis dicunt שוה, *ad probationem ejus quod quæritur ſufficiens*. Nam quod vir apprimè doctus diſſidium teſtium in eo collocat quòd alter teſtatus ſit dictum δύναμαι καταλῦσαι [*diſſolvere poſſum*], alter

alter καταλύσω [*diſſolvam*], mihi non probatur. Idem enim hæc ſignificare arbitror, aut certè alterum altero includi. Nam Marcus qui hæc ex Petri ore accepit, utriuſque teſtimonium recitat per verbum καταλύσω [*diſſolvam* ſive *deſtruam*].

58. οἰκοδομήσω. *ædificabo*] ἐγερῶ [*excitabo*], Johann. II, 19.

65. ῥαπίσματα ἔδαλον. *alapis feriebant*] *Alapis inceſſebant*, ut ad Matthæum diximus.

69. ἡ παιδίσκη, i. παιδίσκη τις, quomodo articulum interdum ſumi certum eſt. Nam aliam fuiſſe à priore Matthæus docet. ¶ πάλιν ἤρξατο, *rurſus cœpit*] Omnino aſſentior iis qui πάλιν cum ἤρξατο conjungunt, ut ſignificetur Iterum idem dictum Petro, quomodo & Latinus Interpres videtur accepiſſe. Neque terrere quenquam debet hac in parte codicum auctoritas: nam cùm veteres libros ſine diſtinctionibus ſcribi ſolitos ſatis conſtet, ſequitur poſtea ex deſcribentium judicio additas: quare & nunc de illis judicium liberum eſſe debet. ¶ ἐξ αὐτῶν ἦσι. *ex illis eſt*] *Eſt illius ſectæ.*

72. Καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε. *Et addens flevit*] Non tantùm recordatus eſt in animo eorum quæ Chriſtus dixerat, ſed præterea etiam fletu teſtatus eſt mœrorem. Sic Hebræi dicunt πρ addito verbo. Lucas eodem modo, προσθεὶς εἶπε παραβολὴν [*adjiciens dixit parabolam*] XIX, 11. id eſt, *præterea dixit comparationem*; & alia conſtructione προσέθετο πέμψαι [*addidit mittere*], Lucæ XX, 11. Inter alias autem ſignificationes ἐπιβάλλειν eſt etiam προσθεῖναι [*addere*]. Sic Baſilius in libro De Baptiſmo vitam Chriſtianam depingens duo hæc verba ponit ſignificatu eodem, ἀγγαρεύομεν, προσθῆς τυπλόμενον, ἐπίβαλε [*angariatus, adde; vapulans, adjice*].

CAP. XV.

VALLA.

16. *Milites autem duxerunt in atrium prætorii*] Gr. *Milites autem abduxerunt intra atrium*, ſive *intra aulam*, ſive *introduxerunt in aulam*, (*Aula* enim Græcè dicitur quoties apud Interpretem *atrium* legimus) *quod eſt Prætorium*, ἤτοι τὴν αὐλὴν, ἤ ἐστι πραιτώριον.

21. *Et angariaverunt quempiam Simonem Cyrenæum*] Græcè eſt præſ. temporis, *angariant*, ut verbum ſuperius verſ. 20. *& educunt illum*, & alterum ſequens verſ. 22. *& perducunt illum. Quendam* autem ego potiùs dixiſſem quàm *quempiam*, ἢ ἀγγαρεύουσι παρέρχοντά τινα Σίμωνα.

34. *Ut quid dereliquiſti me?*] Græc. *Ad quid dereliquiſti me?* εἰς τί. Quod ideo puto fuiſſe mutatum à ſcribentibus quia in Pſalmo 22. 1. eſt, *Ut quid dereliquiſti me?* ἵνα τί.

36. *Currens autem unus, & implens ſpongiam aceto, circumponénſque calamo, potum dabat*] Cùm dixerit ſuperiùs v. 19. Interpres *Percutiebant caput ejus arundine*, ſicuti ubique, cur nunc non dixit *arundine*, ſed Græcam vocem reliquit καλάμῳ; Multis in locis facit hoc Interpres, ut vocem Græcam, quam alibi transfert, alibi non transfert, ut etiam in Pſalmis, 147. 17. *Emittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas*, κρύσταλλον. *Cryſtallus* Græcè *glacies* eſt Latinè.

43. *Nobilis decurio*] Nunc accipiendum eſt *decurio* pro municipali Senatore, quoniam decimus quiſque in conſilium Reip. admittebatur, ἐυσχήμων βουλεύτης.

ERASMUS.

1. *Et univerſo concilio*] Cùm hîc bis dicatur *concilium*, Græcè diverſæ ſunt dictiones: prior eſt συμβούλιον *conciliabulum*, poſterior συνέδριον *conſeſſus*, ſive *conventus*.

8. *Et cùm aſcendit turba*] Καὶ ἀναβοήσας ὁ ὄχλος, *Et cùm acclamaſſet turba.* Quoniam verò conſtanter diſſonant à Latinis exemplaria Græca, in conjecturam venio Interpretem aliud atque nos legimus legiſſe, ni fallor, ἀναβήσας, pro ἀναβοήσας: etiamſi ἀναβοήσας legit Theophylactus, conſentiente Hiſpanâ editione; quanquam ex interpretatione Theophylacti non liquet quid legerit.

Cœpit rogare] Ἤρξατο αἰτεῖσθαι *cœpit petere*, ſive *poſtulare.* Nam ità modò verterat ὅνπερ ᾐτοῦντο, *quemcunque petiſſent.*

Sicut ſemper faciebat illis] Ut ſermo ſit abſolutus ſupplendum eſt, *ut faceret ſicut ſemper fecerat ipſis.*

11. *Pontifices autem*] Quod modò dixit *ſummos Sacerdotes*, nunc vertit *Pontifices*. Nam Gr. eadem eſt vox, ἀρχιερεῖς.

Concitaverunt turbam] Ἀνέσεισαν. Nonnulli Græcorum cod. habebant ἀνέπεισαν *perſuaſerunt*, ſive *retraxerunt in hanc ſententiam.*

14. *Pilatus verò dicebat illis, Quid enim mali fecit*] D. Auguſtinus De Conſenſu Euangel. lib. 3. cap. 13. ut rem ſeriam annotavit, quòd hîc Euangeliſta dixerit, *Pilatus dicebat*, non, *Pilatus dixit*, nimirum ſubindicans non ſemel hoc à Præſide dictum, ſed multum temporis in hoc ſermone conſumptum. Et Græcis quidem eſt ἔλεγεν. Atqui in Matthæo eſt εἶπεν, verbum ejuſdem temporis, ubi Interpres vertit *dixit*, non *dicebat.* Idem fecit in Luca. Hoc ideò tantùm annotavi ut oſtenderem quàm omnia quamvis minuta rapiamus ad cauſæ præſidium quoties conſtringimur anguſtiis.

16. *In atrium prætorii*] Ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον, *in atrium, quod eſt prætorium.* Et hîc Græcè ſcribens Romanâ voce abuſus eſt.

21. *Patrem Alexandri & Ruſi*] Πατέρα Ἀλεξάνδρου τοῦ Ῥούφου *patrem Alexandri Rufi*, ſive *Ruſi filium.* Nonnulli Græcorum cod. cum noſtra editione conſentiebant; ut accipiamus Simoni fuiſſe duos filios. Sic enim interpretatur Theophylactus addita filiorum nomina quò certior eſſet narrationis fides. Eandem lectionem ſequitur is qui ſcholia ſcripſit in Marcum quæ Hieronymo aſſcribuntur, qui putat Alexandrum & Rufum fuiſſe diſcipulos Domini, cùm pater eſſet Cyrenenſis, & Cyrenæ ſit Libyæ civitas. Adeò latè ſe jam tum propagaverat Judaica religio. Siquidem in Actis inter varias nationes quæ ſtupebant ob linguarum miraculum commemorantur & *qui habitabant partes Libyæ circa Cyrenen.* Rurſus ejuſdem operis cap. 6. inter eos qui diſputabant cum Stephano commemoratur *ſynagoga Libertinorum, Cyrenenſium, & Alexandrinorum.* Item cap. 11. fit mentio *quorundam Cypriorum ac Cyrenæorum*, utique Judæorum. ¶ Nec eſt *angariaverunt*, ſed *angariant*, ἀγγαρεύουσι· de qua voce dictum eſt nobis alibi.

24. *Et crucifigentes eum*] Καὶ σταυρώσαντες αὐτὸν *cùm crucifixiſſent eum.*

25. *Erat autem hora tertia*] Admonet hoc loco Petrus Comeſtor ex autoritate D. Hieronymi, in Marco ſcriptum fuiſſe quòd Dominus *crucifixus fuerit horâ ſextâ*; verùm id Græci ſcriptoris accidiſſe vitio, qui pro ϛ (quæ Græcis litera non eſt, ſed literis mixta eſt nota numeri, nec alium habens uſum; ſequitur enim literam ε, quæ Græcis ſignificat *Quinque*, & præcedit ζ, quæ notat *Septem*) pinxerit γ, quæ ſignat *Tria.* Locus eſt apud Hieronymum in expoſitione Pſalmi 77. Idem paulò antè citat eum ex Breviario majore; quod opus non agnoſcimus; niſi fortè deſignat, opinor, Commentarios in Pſalmos: ut in Matthæum ſit Breviarium minus, quòd hîc ſit contractior. Quòd ſi Hieronymi ſententiam recipimus, facilis exitus eſt hujus quæſtionis, in qua mirè ſe torquet Auguſtinus De conſenſu Euang. lib. 3. cap. 13. Et ad eundem modum explicatur nodus lib. Quæſt. V. & N. Teſtamenti, quæſt. 65. Indè petat qui volet. Nos adjecimus quod nacti ſumus.

29. *Qui readificas*] Græcus ſermo ambiguus eſt propter participia. At Hieronymus in Eſaiam citat perſonâ tertiâ, *Vah qui deſtruit templum, & in triduo inſtaurat illud.* Atque ità ſcriptum comperi in codice S. Donatiani, item in Conſtantienſi. Illud annotandum, quòd in Græcis cod. non additur *Dei*, ſed *templum* tantùm eſt, ſuffragantibus libris D. Donatiani & Conſtantienſi. Et in noſtris aliquot pro *Ædificas* perperàm mutatum eſt *readificas.*

34. *Eloi, Eloi, lamazabatani*] Non eſt dubitandum quin Euangeliſta voces Hebræas ſive Syras rectè reddiderit, utcunque à nobis ſonantur: de quo dictum eſt à nobis in Matthæo. ¶ *Deus Deus meus*] In Græcis exemplaribus, librariorum, opinor, incuriâ, non repetitur pronomen *meus*, cùm apud Hebræos repetatur *Deus meus, Deus meus*: proinde non dubitavimus apponere, præſertim hoc freti, quòd videamus apponi apud Matthæum. Poſt comperimus additum & in Græcis, velut in Hiſpanienſi. Et in Theophylacti vetuſtiſſ. codice non addebatur, quemadmodum nec in editione Aldina, quod incuriâ librarii

librarii factum arbitror. Cùm enim in Hebræo ſit *Eloi*, *Eloi*, i. *Deus meus*, *Deus meus*, quî convenit ab hoc diſcrepare interpretationem Euangeliſtæ? ¶ *Ut quid*] Εἰς τί, *ad quid*.

36. *Circumponénſque calamo*] Paulò ſuperiùs *calamum* vertit *arundinem*: nunc oblitus, opinor, Græcam vocem reliquit. Quod idem fecit in Pſalmo, *Emittens cryſtallum ſicut buccellam*, cùm pro *cryſtallo* vertere debuerit *glaciem*: fit enim mentio de *nive*, déque *frigore*.

39. *Videns autem Centurio*] Et hîc uſus eſt Romanâ voce Euangeliſta, Ἰδὼν δὲ κεντυρίων, quem aliàs vocat ἑκατόνταρχον, Græcâ voce. ¶ *Clamans exſpiraſſet*] Κράξας *clamore emiſſo*, ſive *cùm clamaſſet*; mox à clamore exſpiravit.

40. *Jacobi Minoris*] Τοῦ μικροῦ. Græcis poſitivum eſt, *Parvi*, non comparativum, *Minoris*. Apparet fuiſſe cognomen. ¶ *Et Joſeph*] Ἰωσῆ *Joſe*.

42. *Quod eſt anteſabbatum*] Græcis una dictio eſt, προσάββατον, q. d. *praſabbatum*, hoc eſt initium Sabbati.

43. *Venit Joſeph ab Arimathæa*] Non poteſt accipi quòd ab eo loco venerit, cùm intercedat articulus, ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, i. *Arimathæus*, ut patriam additam intelligas. Hieronymus in catalogo Locorum indicat dictam *Arimathæa Sophim*, *civitatem Elchanâ & Samuelis*, *in regione Tamnitica*, *juxta Dioſpolim*, patriam Joſeph cujus hîc fit mentio.

Nobilis decurio] Εὐσχήμων βουλεύτης *honeſtus ſenator*. Lauretius admonet hîc *Decurionem* accipiendum pro *Senatore municipali*.

Audacter introivit] Τολμήσας *ſumptâ audaciâ*; quanquam probè vertit Interpres; nè quis hunc arbitretur à me ſugillatum, quòd aliter verterimus. Porrò Audacia non ſemper opponitur Conſilio, ſed ſæpe refertur ad Periculum. Sentit enim hoc Euangeliſta, Decurionem hoc non ſine periculo fuiſſe auſum amore Jeſu.

44. *Si jam mortuus*] Εἰ πάλαι ἀπέθανε *ſi dudum*, aut *jamdudum*, *mortuus eſſet*. Etiamſi nonnulli codices pro πάλαι habent ἤδη. Atque ità pòſt reperi in editione Aldina, conſentiente Hiſpanienſi, atque item Theophylacto. Proinde non aſſentior eruditis quibuſdam, qui putant hîc εἰ valere idem quod conjunctio *quod*: ſiquidem adhuc dubitaſſe Pilatum indicant ea quæ mox ſequuntur, *Et recognitâ ex Centurione*. Porrò forma ſermonis neminem debet offendere, cùm ità loquatur Terentius, *Mirabar ſi ſic abiret*. Ex hoc loco Origenes colligit animam Chriſti non reliquiſſe corpus ſuum more vulgari hominum morientium, ſed ultro exceſſiſſe è corpore cùm vilum eſſet. Neque enim juxta naturam tam maturè reliquiſſet corpus juvenile, præſertim cùm illi crura non eſſent fracta, quod aliis fieri ſolet ad maturandam mortem.

47. *Maria Joſeph*] Rurſum eſt *Joſe*, non *Joſeph*.

VATABLUS.

1. *Vincientes*] *Vinctum*.

2. *Dicis*] i. dicis id quod res habet.

4. *In quantis te accuſant*] *Quanta adversùm te teſtantur*.

6. *Per diem autem feſtum*] i. In feſto Paſchæ.

8. *Aſcendiſſet*] *Acclamaſſet*. ¶ *Rogare*] *Petere*: ſub. *ut Pilatus dimitteret eis vinctum*.

10. *Per*] Vel, *propter*.

11. *Pontifices autem*] *Summi autem Sacerdotes*. ¶ *Concitaverunt turbam*] Vel, *perſuaſerunt turbæ*. Variat lectio Græca.

Magis] *Potiùs*.

12. *Reſpondens*] Hebr. pro, *alloquens eos*. ¶ *Regi*] *ei quem dicitis Regem*.

14. *Enim*] *Tandem*. ¶ *Magis clamabant*] *Abundantiùs clamaverunt*.

16. *Eum**] * *Intrò*. ¶ *Prætorii*] *Quod eſt prætorium*.

17. *Imponunt ei plectentes ſpineam coronam*] *Circumponunt ei contextam ſpinis coronam*.

20. *Suis*] *Propriis*.

21. *Angariaverunt*] *Coegerunt*.

22. *In Golgotha*] Vide Matth. 27. 33. ¶ *Interpretatum*] *Si interpreteris*: & infrà.

23. *Et non*] *Ipſe verò non*.

24. *Crucifigentes*] *Cùm crucifixiſſent*. ¶ *Quis quid*] Sub. *ut viderent quid quiſque*, &c.

25. *Et crucifixerunt*] *Et* pro *cùm*, Hebr.

26. *Titulus cauſæ ejus inſcriptus*] *Inſcriptio cauſæ illius inſcripta*.

28. *Cum iniquis reputatus eſt*] Vel, *inter improbos annumeratus eſt*.

29. *Blaſphemabant eum*] *Convitiabantur illi*. ¶ *Deſtruis ——— readificas*] Vel. *deſtruit ——— readificat*, i. qui dicebat ſe deſtructurum, &c.

*Templum**] * *Dei*, Vet.

34. *Eloi, Eloi*] Voces Chaldææ, pro quibus Hebræi dicunt *Eli, Eli*.

Ut quid] *Ad quid*.

36. *Calamo*] *Arundini*.

39. *Ex adverſo** *ſtabat*] **Illius*. ¶ *Clamans*] *Clamore emiſſo*.

40. *Minoris*] *Parvi*.

Joſeph] *Joſe*.

41. *Et cum eſſet*] *Quæ etiam cùm eſſet*. ¶ *Sequebantur eum, & miniſtrabant*] *Secutæ fuerant illum, & miniſtraverant*.

42. *Cùm jam ſerò eſſet factum*] Vel, *cùm fieret veſpera*. ¶ *Quod eſt Anteſabbathum*] Vel, *quæ præcedit Sabbathum*.

43. *Nobilis decurio*] *Honeſtus Conſul*: vel, *Senator*. ¶ *Audacter*] Vel, *ſumptâ audaciâ*.

44. *Jam*] *Iamdudum*. Varia lectio Græca.

45. *Corpus* Joſeph*] * *Ipſi*.

46. *De petra*] Vel, *in rupe*.

47. *Joſeph*] *Joſe*, ſub. *mater*.

CLARIUS.

5. UT *miraretur Pilatus*] Videlicet tam generoſum animum, qui in tanto diſcrimine nè loqueretur quidem.

21. *Patrem Alexandri & Rufi*] Videntur hi, ità familiariter proprio nomine appellati, fuiſſe fideles. Neque credibile eſt paſſum fuiſſe Dominum ut qui pro ſe crucem, quamvis aliis jubentibus, portarit, expers Divini fuerit muneris.

28. *Et cum iniquis*] Hic locus aperit illum luce, ubi dicit Dominus, *Quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me, Et cum iniquis deputatus eſt*.

36. *Potum dabat ei*] Videtur hic credidiſſe ex illo potu propagandam illi tamdiu vitam dum adventare Elias poſſet.

47. *Aſpiciebant ubi poneretur*] Ut ſcilicet tranſacto Sabbato venirent ad ungendum eum.

ZEGERUS.

1. CONſilium *facientes*] *Conſilium* hoc loco per *ſ* ſcribi debet, non per *c*. Contrà verò in eo quod ſequitur.

Et univerſo concilio] Nam ibi συμβούλιον, hîc verò συνέδριον eſt. Atque ità συμβούλιον ſumitur quo illud apud Matthæum (quem Marcus ferè ſequitur) συμβούλιον ἔλαβον *conſilium acceperunt*, vel *inierunt*. Huc accedit quòd cùm Euangeliſta præmittat *conſilium facientes ſummi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis*, adjiciat etiam *& univerſo concilio*. Abſurdum enim erit ſi utrumque pro eodem accipiatur: niſi fortè quis συμβούλιον pro *conventu Sacerdotum*, συνέδριον verò pro *Senatu & concilio Seniorum populi* accipiat, ut hoc *& univerſo concilio* ei reſpondeat quod habebat Matthæus *& Seniores populi*: quod an fortè doctis probari poſſit equidem ſum neſcius.

25. *Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum*] Horâ, ergò tertiâ, quæ tres ex noſtris horas continet, ſed ſub horæ hujus finem, h. e. juxta ſupputationem horologii noſtri, circiter horam undecimam, Dominus noſter cruci affixus eſt. Quod autem Matthæus & Lucas de *ſexta hora* tradunt, intelligendum eſt non crucifixionis ſed inchoantium tenebrarum tempus illos deſignaſſe, id quod per ſe liquet rem propiùs intuenti, quemadmodum idem admonet & Theophylactus. Nam Matthæus de hora ſilens crucifixionis, *A ſexta*, inquit, *hora tenebræ facta*

facta ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam. Similiter & Lucas poſt crucifixum Jeſum, poſt fuſas preces pro crucifixoribus, poſt diviſionem veſtium, poſt irriſiones, poſt latroni factam Regni ſponſionem, tandem, *Erat*, inquit, *ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt*, &c. Ab his autem ſolus Johannes diſcrepare videtur, qui de tempore datæ ſententiæ ad hunc ſcribit modum, *Erat autem paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta, & dicit Iudæis.* Verùm hoc ipſo hunc arbitror in concordiam redigi cæterorum, quòd ſignanter adjecerit *quaſi hora ſexta*, ut intelligamus tempore quo Redemptor noſter ſententiam accepit & quo crucifixus eſt tertiam horam (quæ ad ſextam uſque protendebatur, juxta vulgarem videlicet ejus patriæ computationem) necdum fuiſſe abſolutè completam. Quanquam enim apud Judæos duodecim juxta Salvatoris noſtri teſtimonium Joh. 11. 9. numerantur horæ diei, ab exortu videlicet Solis uſque ad occubitum, Prima tamen, Tertia, Sexta, Nona & Undecima nominatiores erant, & veluti capita quædam cæterarum, utpote in quibus cæteræ comprehenduntur, & ab Euangeliſtis paſſim commemorantur. Liquet hoc comprimis ex parabola illa Vineæ, ad quam conducti deſcribuntur operarii Matth. 20. Jam verò quòd is qui Comment. edidit in lib. Pſal. Hieron. titulum præferentes, in explanatione Pſal. 77. affirmat librariorum errore ϛ in γ, h. e. 6 in 3. commutatum eſſe, mihi planè non fit veriſimile, tum quòd in his notis quàm minima ſit affinitas, ut non perinde facile ſit alteram ſubſtituere pro altera, tum quòd idem hic Euangeliſta Matthæo & Lucæ accinens poſt pauca ità ſubjungat, *Et factâ horâ ſextâ tenebræ factæ ſunt*, &c. Neque verò ſum neſcius ab hac de crucifixionis tempore ſententia communem Eccleſiæ ſenſum diſcrepare, denique & Auguſtinum ipſum, qui l. de conſ. Euang. 3. c. 13. hunc ſermonem, *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, rationibus quibus poteſt probare nititur per recapitulationem interjectum eſſe, & ad Judæos pertinere, qui priùs ore, animo, & vociferationibus Dominum crucifixerant. Verùm ut fileamus Auguſtinum hominem fuiſſe ac labi potuiſſe, nos quod magis Euangelicæ narrationis veritati congruere viſum eſt protulimus, nullius interim præjudicantes judicio.

29. *Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus ædificas*] Alii ſic legunt, *Vah qui deſtruis Templum, & in tribus diebus ædificat:* & hoc verius puto.

M A S I U S.

25. MArcus Chriſtum hora tertia crucifixum ait. Johannes vero Pilatum hora circiter ſexta adhuc pro tribunali in loco qui vocatur Lithoſtrotos ſediſſe affirmat. Hieronymus in Marco mendum putat & pro ϛ nota ſenarii à librario γ ternarii ſignum poſitum eſſe. At hoc non ſatis convenit. Nam Matthæus & Lucas dicunt, hora ſexta tenebras factas pendente jam tum in cruce Chriſto Domino. Auguſtinus Marci crucifixionem, ad clamorem Judæorum refert, cum clamarent *crucifige*, *crucifige* &c. Sed & hæc facile refelli poſſunt. Oſiander putat, diem in quatuor ſtationes, ut noctem in quatuor vigilias, dividendum eſſe, quarum prima duret à diluculo ad horam diei tertiam, & vocetur totum hoc tempus, primum mane, quia illinc ſumit initium. Deinde ſecunda ſtatio incipiat ab hora tertia & duret uſque ad ſextam, & vocetur ſimiliter hora tertia, quia à tertia incipit. Tertia ſtatio incipiat ab hora ſexta, & duret uſque ad nonam. Atque ideo vocetur hora ſexta. Quarta denique ab hora nona uſque ad veſperam, & vocetur hora nona, aut veſpera. Et ita Chriſtum hora tertia cruci affixum eſſe, hoc eſt, ante horam diei ſextam, ſtatione ſcilicet ſecunda, in qua etiam ſtatione à Pilato in tribunali ſedente damnatus eſt. Me tamen adhuc ſuſpenſum tenet, quod Pilatus dicitur à Joanne, hora circiter aut quaſi ſexta ſediſſe pro tribunali. Nam illud *circiter* aut *quaſi* ſignificat ſextam horam haud procul abfuiſſe: & non videtur veroſimile Chriſtum in tam parvo temporis ſpatio, videlicet impendente hora ſexta damnatum, eductumque & ante ſextam crucifixum fuiſſe. Vide igitur, an ne potius per diverſos horarum computus concordari poſſint. Ego certo plane credo Joannem computare horas à capto Chriſto, ut qui ipſius univerſo actui præſens interfuit, ceteris dilapſis Apoſtolis, Chriſtumque captum fuiſſe ſub mediam noctem aut paulo poſt. Nam conſtat ex Matthæo, Marco & Joanne, ſummo mane, h. e. ἐπὶ πρωΐας ad Pilatum ductum fuiſſe, nec ita multo poſt à Pilato judicatum eſſe, ita ut hoc judicium potuerit fieri hora circiter ſexta ex quo captus fuerat. Quæ hora ſexta incidebat in primam horam diei ut reliqui tres Euangeliſtæ horas computant, ab orto ſcilicet ſole, more veterum. Deinde interæducendum & crucem aliaque comparanda, elapſas eſſe alias 11 horas, ut tandem hora ab ortu ſole circiter tertia ſit crucifixus; Sexta vero, hoc eſt in meridie, cum ſumma deberet eſſe diei claritas, tenebræ obortæ ſint, &c. Et hæc eo videntur maxime convenire, quia æquum erat, ut univerſum tempus quo paſſus eſt Chriſtus poſſemus cognoſcere & quantum interceſſerit à capto ad Judicii horam, quod nemo melius quam Joannes ſcire potuit, quia Matthæus cum aliis fugerat & ſolus Joannes, donec judicaretur & crucifigeretur remanſit, nam Petrus egreſſus anteà foras flevit amare, &c. Aut dicas verba Marci ἦν δὲ ὥρα τρίτη καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν intelligenda eſſe, quod jam tum tres horæ præterierant ex quo fuerat Chriſtus cruci affixus. Nam ante hæc verba jam dixerat, *& cum crucifixiſſent eum, diviſerunt veſtimenta ejus*, &c. quaſi jam antea fuiſſet crucifixus, quam hæc verba, *Erat autem hora tertia* &c. à *Marco* dicta ſunt.

L U C A S B R U G.

8. ET *cùm aſcendiſſet* [*aſſenſiſſet*, unus liber, ſed malè] *turba, cæpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis.*] Græci codices, cum Theophylacto atque Euthymio, habent, καὶ ἀναβοήσασ ὁ ὄχλος, i. *& cùm vociferata eſſet turba.* His Syri conſentiunt, ומצית עמא *& vociferatus eſt populus.* Conjiciunt plerique à Latino Interprete ἀναβήσας lectum: & ſanè Vaticanus codex ἀναβὰς legit: id quod ſi quis velit juxta vulgatam Græcorum lectionem intelligere, ſubaudiat *clamore*, ſeu *vociferatione*; *Et cùm aſcendiſſet turba, vociferatione, cùm vociferata eſſet, cæpit petere*, ut faceret Pilatus quod ſolitus erat, juxta conſuetudinem ex captivis unum dimitteret.

29. *Vah* [*vha* 1 MS. *va* 3 MS. *vus* 1 MS. *iùs* G.] *qui deſtruis templum*,* [* *Dei* o.] *& in tribus diebus ædificat** [* *illud* o.] Multi codices ſecundâ perſonâ legunt, *deſtruis, readificas* [*ædificas* 1. Quidam libri unum verborum ſecundâ, alterum tertiâ legunt; malè.] Græca & Syra participiis utuntur: itaque ad utrumque modum verti poſſunt. Recentiores interpretes plerique omnes ſecundâ perſonâ vertunt, ità ut hoc ei quod ſequitur, σῶσον σεαυτὸν *ſerva teipſum*, perſonâ reſpondeat. Cæterùm vetuſtiora emendatioraque noſtræ editionis exemplaria tertiâ ſcribunt perſonâ, & quidem *ædificat* ſetè, non *readificat*, quemadmodum Græcè non eſt niſi ἀνοικοδομεῖ. Pariſienſium ſeptem, Do. Conſt. Di. o. l. Ge. o. l. P. noſtra ſeptem, Leod. So. al. au. O. Q. Pl. m. H. cum aliis quinque vulgaribus, A, R, Tril. &c. & textu Hieronymo attributis commentariis adjuncto. Non opus eſt Brugenſe manuſcriptum ex noſtris addamus: illud enim eſt quod Pariſienſes S. Donatiani codicem vocant, ex Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ D. Donatiani Brugenſis, ab eo qui tunc Collegii canonicorum Decanus præerat Marco Laurino acceptum: id quod nos ab eo qui nunc præeſt, D. Nicolao Dheere, viro præſtantiſſimo, nobiſque cognato obſervandiſſimo, atque ejus collega digniſſimo, D. Jacobo Pamelio, Bibliothecæ præfecto, commodatò accepimus, librum præ cæteris omnibus eximium. Epanorthotes notat, *antiquos codices & Gloſſam hic*, deſtruit, ædificat, *in tertia perſona legere, ſicut Matthæi xxvij.* (cap. 40.) Quare Calligatores, Hentenius & Zegerus, rectè hic perſonam tertiam prætulerunt: rectèque *ædificat τῷ readificat* præpoſuerunt. Quin & Matth. 27. 40. perſonam tertiam, *deſtruit, readificat*, præferre rectè potuiſſent.

36. *Currens autem unus*,* [* *ex eis* o.] *& implens ſpongiam aceto, circumponénſque calamo, potum dabat ei*, dicens,* [*dicens dabat ei* o. *eis* o. * *bibere* o.] *Sinite: videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum.*] Hæc lectio, ut noſtrorum, ità Græcorum plerorumque omnium eſt codicum: ea quæ ei qui acetum Domino offerebat, attribuit verba quæ Matthæus (c. 27. 49.) iis qui acetum Domino offerentem prohibebant, tribuit: cui ex veteribus Scriptoribus B. Auguſtinus, lib. 3. De conſenſu cap. 17. ex Neotericis, Dionyſius Richelius hunc enarrans locum, ex iis qui mediâ ætate floruerunt, Euthymius Græcus in Matthæi 27 ſcribens caput, diſertè aſſtipulantur, ac docent, eum qui acetum Domino offerebat, idem cum iis dixiſſe qui prohibebant: id quod in hunc ſenſum accipi poſſit, Cùm cæteri dicerent, Ceſſa, noli ei mortem accelerare, videamus an venturus ſit Elias, ut ſervet eum; ille reſponderit, Permittite, ego ei mortem accelerabo, & videbimus

num Elias liberaturus sit eum: quasi dixerit, efficiam nè eum Elias liberet. Benedictus Arias Montanus, in hujus Euangelii elucidationibus, aliter, & quidem dextrè, explicat. Porrò D. Jansenio probabile est locum esse depravatum. Cùm enim Marcus Dominicæ passionis historiam eodem describat ordine, & eisdem penè verbis quibus Matthæus, verisimile putat etiam hoc loco à Marco, sicut Matthæus habet (c. 27. v. 49.) scriptum, οἱ δὲ λοιποὶ ἔλεγον, ἄφες, *Cæteri verò dicebant, Sine*; Cùmque fortè deessent verba illa, οἱ δὲ λοιποὶ, *Cæteri verò*, à scriptore mutata esse ἔλεγον in λέγων, *dicebant* in *dicens*, & ἄφες in ἄφετε *sine* in *finite*. Huic conjecturæ suffragantur duo quidem Parisiensium exemplaria Græca, 2 & 4, qualitercunque; nam numero singulari ἄφες legunt: similiter vetustum Latinum manuscriptum, quod ex S. Jacobi Leodiensi Abbatia accepimus, & textus V. Bedæ commentariis adjunctus; nam eundem ad modum habent, *Sine*: Textus verò Syriacus quàm maximè; ità enim scribit, & in Cæsareo, & in Regio codice, שבוו רמון, quod est, *& dixerunt*, vel *dicebant*, *Sinite*. Quod verò *Sinite* habent, nihil obstat: sic enim legit etiam in Matthæo. Latinum Trilinguis Collegii exemplar hoc scribit modo, *potum dabat ei bibere dicens*, *Sinite videamus*: id quod legi possit, *dixerunt*, aut *dicebant*, aut similem ad modum: verùm 34 versu superiori & alibi ità scribit, *dicens*.

47. *Maria autem Magdalene & Maria Joseph adspiciebant ubi poneretur.*] Alphæi & Mariæ Cleophæ filius, Jacobi minoris frater, qui in Latinis exemplaribus *Joseph* [*Jósep* 3 MS.] dicitur, in Græcis Ἰωσῆς *Joses* appellatur, in Syris similiter ירס, non hoc solùm loco, verùm etiam aliis omnibus quibus ejus est mentio, Matth. 13. 55. & 27. 56. Marc. 6. 3. & 15. 40. Eodem modo nuncupatur à Patribus, Epiphanio hæresin 78 refellente, Hieronymo adversùs Helvidium agente, Theophylacto atque Euthymio Euangelia enarrantibus. Hoc autem de Hieronymo notandum est, quòd nomen istud, *Joses*, *Josetis*, inflectat, atque ità verba Marci legat, *Maria autem Magdalene, & Maria Jacobi & Josetis, viderunt ubi poneretur.* Quo modo Marci 6 Græcos quosdam codices, Ἰωσητ legere quidam testatur. In aliis, quotquot nos vidimus, est Ἰωσῆ, quemadmodum & Matth. 27. ac Marc. 15. Matthæi verò decimo tertio, ubi nominandi casu nomen refertur, est Ἰωσῆς. Unde inflecti hoc nomen videtur, Ἰωσῆς, Ἰωσῆ, ut Δαρεῖος, Δαρεῖ· quo modo & Theophylactus Græcus autor utitur. Porrò codex Græcus Bibliothecæ Vaticanæ Matth. 13. Ἰωσὴφ *Joseph* legit; similiter Græca Aldi editio, Græcáque Colinæi Matth. 27. Origenes etiam, Matthæi caput 13 edisserens, *Joseph* legit: Certiùs verò 27 caput enarrans, ultimo in Matthæum tractatu, ubi ait, *Erat autem inter præcipuas & Maria Jacobi & Joseph mater*; *aut*, *sicut Marcus dicit*, (c. 15. v. 40.) *Jacobi minoris & Joseph mater*, *secundùm nomen Patriarchæ Jacob supplantatoris fratris sui*, *& Joseph super quem natum genitrix dicit*, (Gen. 30. 24) *Adjiciat mihi Dominus filium alterum.*

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ιε, Περὶ Ἰωάννου καὶ Ἡρῴδου.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. ℣. 5, Καὶ ἤκουσεν ὁ βασιλεὺς Ἡρῴδης (Φανερὸν γὰρ ἐγίνετο τὸ ὄνομα αὐτοῦ) καὶ ἔλεγεν, Ὅτι Ἰωάννης ὁ βαπτ. ἐκ νεκρ. ἠγέρθη. [καὶ τὰ ἑξῆς] Καὶ ἐνθύμιος ἐποιεῖτο ὁ βασιλεὺς οὕτω.

Καὶ καθαλλὰ προφέρουσα γυνὴ μαχλότατα δίδωλα.
Ἄλλως,
Τῷ προφέρουσα κάπη μαχλὰς γυνὴ ἴλαθι δᾶμον.

1. Συμβούλιον ποιήσαντες] *Consilio inito*: vel, *habito*.
7. Μετὰ τῶν συστασιαστῶν] *Cum seditionis sociis.*
8. Αἰτεῖσθαι, καθὼς ἀεὶ] *Petere*, ut faceret *sicut semper.*
11. Ἀνέσεισαν] *Incitarunt*: vel, *instigarunt.*
15. Τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι] *Satisfacere*: Gall. *Le rendre content.*
23. Ἐσμυρνισμένον οἶνον] *Myrrhatum vinum*: i. myrrhâ conditum: vel, cui myrrha admixta erat.
28. Μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη] *Inter sceleratos habitus fuit.*
43. Εὐσχήμων βουλευτὴς] *Honestus senator*: vel, *honoratus.* ¶ Τολμήσας] *Sumptâ fiduciâ.*

DRUSIUS.

16. *Aulam, id est, prætorium*] Rectè sic interpretatur *aulam*. Sanè Ἰσαχὼ ἀυλὴν dicebatur *præfectus prætorio*, quam *aulicam domum* Spartianus appellat. Unde & *aulici milites*, qui vulgò *prætoriani*. Herodianus, φυλάσσοντες ἐν βασιλείοις αὐλῇ δορυφόροι, σωματοφύλακες καὶ πραιτωριανοί.

25. *Hora tertia*] h. e. *tertia diei pars, quæ continebat quatuor horas, nonam, decimam, undecimam & duodecimam*, ait Schindlerus. Nescio quid velit. Nam si diem divides in tres partes, hæc potiùs secunda erit quàm tertia, quæ incidit in pomeridianum tempus. Quomodo igitur ista conciliabis cum loco Johannis 19. 14. *circiter horam sextam*? Nam ea erat hora prandii, quæ nobis duodecima & incidit in meridiem. Igitur alii horas Judæorum, quæ inæquales erant, ut hodiéque Italorum, dividunt in majores & minores. Majoribus, inquiunt, actus fuit Christus in crucem horâ tertiâ, minoribus verò horâ sextâ. Est enim eadem hora tertia major & sexta minor. Ego ampliandum censeo. Nam & illi & hi non satis probarunt mihi dicta sua. Nihil dicit qui non probat quod dicit. Ego experientiâ didici sæpe deceptos esse qui nimiùm crediderunt viris doctis, etiam Theologis, aliquid asserentibus sine fide, sine teste. Vide Zachariam in Unum de quatuor p. 343, & 347. sed & Bezam hoc loco.

34 Ἐλωΐ, Ἐλωΐ, λαμμᾶ σαβαχθανί; ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου, εἰς τί με ἐγκατέλιπες] Matt. 27. 46. Περὶ δὲ τὴν ἐνάτην ὥραν ἀνεβόησεν ὁ Ἰησοῦς φωνῇ μεγάλῃ, λέγων, Ἠλί, Ἠλί, λαμὰ σαβαχθανί; τοῦτ' ἔστι, Θεέ μου, Θεέ μου, ἵνατί με ἐγκατέλιπες; *Deus mi*, *Deus mi*, *propter quid me deseruisti?* In verbis ecce Hebraicis varietas est. Nam pro *Eli*, *Eli*, quod est apud Matthæum, in omnibus exemplaribus Marci scriptum Ἐλωΐ, Ἐλωΐ. Si quæres utro modo pronunciarit Christus, respondeo, Ἐλωΐ magis Syriacum esse: tamen Ἠλί, Ἠλί, servat Jerosolymitana Psal. 22. ubi Syriaca, quam laudat in Introductione ejus linguæ Theseus Ambrosius ex Albonensibus Comes, אלהי אלהי, i. *Elohi*, *Elohi*. Non sum divinus, tamen conjicio Christum dixisse potius *Eli*, *Eli*, quod ad *Eliæ* nomen propiùs accedit; eò magis quia Eusebius citans Marci verba non *Elei* legit, sed, ut in Matthæo quædam exemplaria, Ἠλεί, Ἠλεί, Ἀποδείξ. l. 10. p. 306. edit. Roberti. Stephani. *Eli*, *Eli*, i. אלי אלי Hebraicum pariter & Syrum. Syri etiam ܐܠܝ dicunt. Vide quæ habentur ad Matth. 1. 23. & 27. 46. & Psal. 22. 1. Ἠλί, scriptura alia Ἠλεί· utraque rationem habet ex antiquitate. Nam antiqui Chirec majus, quale est in אי, exprimebant modò per *e*, modò per *iôta*. De *iôta* exempla habes apud Epiphanium in καναεὶ, quod Hebraicè scribitur קני, & apud Euangelistas ἰακὼβ רבני, ζαβαχθανὶ שבקתני, Μελχισεδὲκ מלכיצדק. De *e* sunt ἔβρι עברי apud Theodoritum, ἐλεμεῖμ עלמים in Exaplis Isa. 26. βαελεὶμ, & quæ alia à nobis observata sunt in lib. De pronunciatione veterum. Igitur Ἠλὶ & Ἠλεὶ eadem sunt. Sic ἰακὼβ & ἰακὼβεί. Sic χερουβὶμ & χερουβὶμ, quæ Moschopulus differre ait, eò quòd χερουβὶμ sit numeri singularis, χερουβὶμ verò numeri pluralis: imperitè, cùm utrumque sit numeri multitudinis. Ἐλωΐ, i. אלוה, si Syrum est, ut vulgò creditur, tum erit archaismus, ut αἰδὼμ אדום apud Josephum, *aubo* אוב, & *lecbo* לך apud Hieronymum, κερβὼν קרבן sive κορβανᾶς. Habet enim mixtum sonum hæc vocalis inter *a* & *o*, sonátque propriè *a* obscurum. Hodie Jacobitæ (Syrorum ea gens est) perpetuò efferunt per *o* vocalem quam Odom vocant, quæ respondet Hebræorum Camets. ¶ Λαμᾶ] Hic libri mirè variant. Quidam λιμᾶ, alii λεμὰ, i. למה, plerique λαμμᾶ. Apud Davidem est למה, λαμμᾶ aut λαμμᾶ. Utraque scriptura reperitur apud Hebræos, videlicet למה cum Daghes, & לַמָּה accentu in ultima fine Daghes. In Jerosolymitana לימה, λεμεμᾶ. Chaldæorum מה ex sono antiquo scribi potest λαμᾶ. Lat. Vulg. *lamma*. ¶ Σαβαχθανί] Error à librariis. Scribendum ζαβαχθανὶ, שבקתני. Nam ζαβαχθανὶ, שבכתני sic antiqui distinguebant has literas. *Sabacthani* pro *Sebacthani*, i. שבקתני, scheva in *a* antiquè, ut in *Samuel*, *Salomo*, *Zabulon*, *Zacharias*, *Manasses*, *Chanaan*, *Sabaoth*, *Raphaim*. In Latina vetere *lamma azabthani*: lectio à Patre Hieronymo: In lib. De nom. Hebraicis, *Eli*, *Eli*, *lamma azabthani*, *Deus meus*, *Deus meus*, *quare dereliquisti me*? Stomachum mihi facit Hieronymus qui tam temere solicitet scripturas Græcas. Adeòne imperitus fuit ut nesciverit Christum locutum Syriace? Ex ejus officina est *Beelzebub* & *Belial* in libris Latinis. Hebraica haud dubiè vox *Azabthani*; reponenda Syriaca ζαβαχθανὶ ex libris Græcis. ¶ Θεέ μου] Ὁ Θεός μου, in Euangelio secundùm Marcum. In quibusdam exemplaribus, Θεὲ, Θεὲ, absque pronomine: sed pronomen addendum ex libris melioribus, eò magis quia in Hebraicis est, nec caret emphasi. Apud Syrum pro ܐܝܟ ܐܝܟ videtur quoque reponendum ܐܝ ܐܝ ex interpretatione: alioqui ܐܝܟ Syriæ haud insolitum verbum.

40. *Maria*

40. *Maria Magdalene*, Μαρία ἡ Μαγδαλινή] Syrus habet ܡܓܕܠܝܬܐ *Magdalitha*. Dicta sic à vico *Magdala*, qui Herodoto Μάγδαλος, vel certè à turri. Nam turris *Migdal* dicitur, unde dialecto Syriacâ *Magdal*. Hieron. in Nom. de Matthæo, *Magdalena, Turris. Sed melius, sicut à Monte Montanus, ità Turrensis à Turri dicitur*. Belgicè, **van de tooren.** ܡܓܕܠ *Magdal*, ut ܡܕܝܢ *Madian*. Sunt qui censent duas Magdalenas fuisse, sunt qui negant. Qua de re videndus Zacharias in Unum de quatuor, pag. 364, & 365. Exstat liber Jacobi Fabri Stapulensis de tribus Magdalenis, & de unica Magdalena; ad quem te remitto.

42. *Parasceue, quæ est ante sabbathum*] Vel *prosabbathum*, h. e. dies sabbathum præcedens; quo parabant omnia necessaria ad sabbathum. Unde dictitant, *Qui parat in vespera sabbathi, vescetur in sabbatho*; & contrà, *Qui non parat in vespera sabbathi, non vescetur in sabbatho*. Vide sis Adagia mea sacra. Vespera sabbathi, i. ܥܪܘܒ ܫܒܬܐ, nihil aliud est quàm antesabbathum.

43. *Venit Joseph ab Arimathæa*] Non *venit ab Arimathæa*, sed *Joseph ab Arimathæa*, i. Arimathæus vel Arimathensis. Nam oriundus erat ex illa urbe, quæ *civitas Judæorum* vocatur Luc. 23. 51. Quæ dixi, robur & firmamentum accipiunt ex articulo Græco Ἰωσὴφ ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, qui dubitare nos de hac expositione non patitur. Hæc addenda iis quæ scripsimus Matth. 27. 57. ad, *homo, dives ab Arimathæa*. Sic *vir ab Antverpia*, Antverpianus. Livius lib. 1. *Turnus ab Aricia*, Aricinus: & lib. 6. *coloni à Velitris*, i. Veliterni.

44. *Si jam mortuus esset*] Hîc *si* interrogantis est, non dubitantis, ut antea. Ei respondet ם apud Hebræos. Sic Terentius, *Si domi est rogas?* Itaque recentior interpres, *an jam mortuus est? Jam*, i. ἤδη. Vulgata exemplaria, *pridem, jamdudum*. Vide sis Erasmum. Dubitantis est in eodem versu, *mirabatur si jam obiisset*. Cui simile illud Terentii, *Mirabar, hoc si sic abiret*, citatum & laudatum ab Erasmo.

47. *Maria Joseph*] Alibi *Maria Jose*: perinde est. Nam *Jose* dicebant pro *Joseph*, abjectâ ultimâ nominis barbari, ut factum in *Maria* & similibus. *Jose*, i. יוסי, quod obvium in Aboth. cap. 6, & 7. Hinc *Joses*, cujus obliquus est *Josetis*. Græcè Σαλώμη. Syrus habet ܫܠܡ *Salum*. Similiter est Marc. 16. 1. An *Salem*, *Salome*, ut *Mariam*, *Mariame*? Sic enim vocatur uxor Herodis ex genere Hasamonæo. Ejusdem soror, quam unicam habebat, quæ à Josepho Orig. lib. 14. cap. 12. *Salome* dicitur, in Hist. Hebr. Goroniodis, c. 37. ܫܠܘܡܝܬ *Selomith* vocatur. Quærimus adhuc. Hujus colloquium cum Christo invenies in Clemente Alexandrino, & nos alibi id annotavimus. Vide Apophthegmata Hebræorum & Arabum: nam non vacat mihi nunc quærere. Si me non fallit memoria, Salome quærebat à Christo quando mors cessatura esset: Respondit valde prudenter, *Quando mulieres parere cessabunt*.

CASAUBONUS.

11. Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον] Cùm in manuscriptis legatur ἔπεισαν, videri possit legendum esse *ἀνέπεισαν*: sed *ἀνέσεισαν* rectè legitur.

43. Εὐσχήμων βουλευτὴς] Nusquam alibi fit, opinor, mentio ullius βουλευτοῦ Hierosolymitani. Præterea certum est Curiales & Decuriones Græcè dici *βουλευτὰς*, eorúmque consessum *βουλὴν*, ut in l. 10. D. De pollicitationibus. Gloss. Βουλευτὴς, *Decurio, Curialis*. Quare hic quoque suam significationem ei voci censeo cum Veteri interprete retinendam, ità ut *Decurio* Arimathææ Josephus hîc fuisse intelligatur. ¶ Τολμήσας εἰσῆλθε πρὸς Πιλάτον] Τολμήσας, h. e. *sumptâ fiduciâ*. Nam hîc aut simili modo vertere malim, ut tempus exprimatur, & intelligatur dubitatio quædam præcessisse. Homerus,

Θαρσήσας μάλα δῖπα θοοτρόπου ὅς, τι ἔδηται.

Paulus Rom. 10. 20. Ἡσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ, καὶ λέγει h. e. ἀποτολμήσας λέγει. At *fidenti animo* videtur esse potiùs quod Græci dicunt θαρσῶν.

GUALTPERIUS.

19. Καὶ ἔτυπτον αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν καλάμῳ, *Et verberabant ejus caput calamo*] Κάλαμος, *calamus, arundo*. Vox Græca, ἀπὸ τοῦ καλῶς αἰμάσσῃ, ut vult Etymologus: quam tamen derivationem parùm receptam esse docet Henricus Stephanus in Thesauro. In Syro est ܒܪܘܕ *arundine*.

22. Γολγοθᾶ *Golgotha*] Syr. *Gagultha*, Matthæi 27. vers. 33.

23. Καὶ ἐδίδουν αὐτῷ πιεῖν ἐσμυρνισμένον οἶνον] *Et dederunt ei bibendum myrrhatum vinum*] Σμύρνα, pro quo dicimus μύῤῥα, *Myrrha*, sive *Murrha*. Syriacè ܡܘܪ *Mura*. Indè σμυρνίζομαι *myrrha inficior* vel *misceor*. Et μυρρίνιτες ὄινος sive μυρσίνιτης, *Vinum myrrhâ conditum*. Quidam *Murrinam* vocant.

39. Κεντυρίων, *Centurio*] Vox Latina, quam etiam retinet Syrus ܩܢܛܘܪܝܐ *Kenturuna*. Græcè ἐκατόνταρχος Matth. 27. 54.

GROTIUS.

1. Συμβούλιον ποιήσαντες, *consilium facientes*] Id est, λαβόντες [*capientes*], ut Matthæi Interpres loquitur. Nam sic & Marcus suprà 111, 6. locutus est, συμβούλιον ἐποίουν, id est, *consilium ceperunt*, non, ut quidam interpretantur, *Senatum convocarunt*. ¶ καὶ ὅλον τὸ συνέδριον, *& universum concilium*] *Pleno Senatu*, cujus partes jam nominavit.

3. πολλά. *in multis*] Quod hîc addunt codices quidam; αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο [*ipse autem nihil respondit*], ex Matthæo adjectum est: nam nec Latinus nec Syrus nec Arabs agnoscunt.

7. ἐποιήκεισαν. *fecerant*] Hanc lectionem præferendam censeo, quam secuti sunt & Syrus & Latinus.

8. Καὶ ἀναβοήσας, *Et clamans*] Apparet ita legisse Syrum & Græcos: quare quod Vaticanus codex habet ἀναβὰς [*adscendens*], accedit ad ea argumenta quibus moveor ut credam quædam Marci exemplaria Græca ad Latinam versionem mutata.

11. ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον, *concitaverunt*] Non puto aliter legisse Syrum, nec eum qui Syrum sæpe sequitur Arabem, apud quem est حرك, *commoverunt*.

15. τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι, *satisfacere*] Ex Romano sermone genus hoc loquendi in Græciam traductum, ut multa alia postquam Græcia & Oriens facta erant Romani juris. Sic in Actis Lucas dixit λαμβάνειν ἱκανὸν, quod in jure Romano est *satis accipere*. Theophilus in Institutionibus, titulo De Rerum divisione, Εἰ δὲ πωλήσας παραδιδοῖ, οὐκ ἄλλως ἐπὶ τὸν ἀγοραστὴν μεταβαίνει τὸ πρᾶγμα, ἂν μὴ ὁ ἀγοραστὴς τῷ πωλητῇ τὸ τίμημα κατεβάλῃ ἢ πεφυμάλῳ, ἢ τὸ ἱκανὸν αὐτῷ ποιῇ ἐπὶ τιμήματι [*Quòd si qui vendidit insuper tradiderit, non aliter dominium in emtorem transit quàm si emtor venditori pretium numeraverit, aut de pretio ipsi satisfecerit*]: ubi Tribonianus sic habet, *Venditæ verò res & traditæ non aliter emtori acquiruntur quàm si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit*. Est autem *satisfacere* hîc apud Marcum, ut apud Latinos Scriptores sæpe, Efficere ne alter habeat quod queratur. ¶ Φραγελλώσας, *flagellis cæsum*] Cùm jam antè eum flagris cecidisset: ut ad Matthæum exposuimus.

16. ἔσω τῆς αὐλῆς, *intra aulam*] Αὐλὴν [*aulam*] hîc sumo non pro *subdiali*, ut aliàs sæpe, sed pro ipso *prætorio*, ut exponit Marcus. Sic & Matthæus Pontificis domum αὐλὴν [*aulam*] vocat XXVI, 3. Sed & Latinæ historiæ Scriptores *prætorium* solent vertere αὐλὴν [*aulam*]. A tribunali ergo quod erat in stadio, ut ad Matthæum diximus, in partem domûs interiorem abductus est Jesus.

21. Ἀλεξάνδρου καὶ Ῥούφου, *Alexandri & Rufi*] Qui vivebant cùm hæc scriberet Marcus, &, ni fallor, Romæ, ubi ista scribebat; ita ut meritò provocet ad eorum testimonium, qui rem à patre acceptam narrare aliis poterant. Nam inter eos qui Romæ Christum profitebantur Rufum salutat Paulus. Dicitur huic Alexandro & Rufo frater tertius fuisse *Lucius* nomine, qui in Germania verbi semen sparserit. Patri Hebræo filii Græci Latinique nominis, initia vocationis Gentium.

23. ἐσμυρνισμένον, *myrrhatum*] Vide quæ ad Matthæum. ¶ οὐκ ἔλαβε. *non accepit*] *Non imbibit*, ut ad Matthæum diximus.

25. Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, *erat autem hora tertia*] Id est, Jam audita erat tuba horæ tertiæ, quod dici solebat donec caneret tuba horæ sextæ. Vide quæ ad Matthæum. Lectionis enim mutandæ causam non video, tanto Syri, Arabis, Latini consensu.

28. Καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη. *Et cum iniquis reputatus est*] Ἐν τοῖς ἀνόμοις ἐλογίσθη [*in sceleratis numeratus*] habent LXX apud Esaiam. Impiendum autem hoc vaticinium

in ſe Chriſtus prædixerat Lucæ XXII, 37. Vertere liceat, *Facinoroſis annumeratus eſt.* פשעים [*facinoroſos*] Hebræi Grammatici eos dici volunt qui & deliberatò & cum inſigni quadam perfidia delinquunt. ἄνομοι [*exleges*] alibi dicuntur οἱ ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*], hic verò ii qui nullâ juris aut legum Divinarum humanarumve reverentiâ tenentur, δίκην ἐν χερσὶν ἔχοντες [*quibus eſt in vi poſitum jus*]. Totum autem illud Eſaiæ vaticinium, ſicut in Actis Philippus, ita & vetus Chaldæus Paraphraſtes de Meſſia exponit.

29. Οὐαί, *Vah*] Latina interjectio *vah* à Marco hoc loco uſurpata eſt. Habet autem deteſtandi potiùs quàm, quod Hieronymus cenſuit, inſultandi ſignificationem. Plautus, *Vah quid illâ poteſt pejus quicquam muliere memorarier?* &, *Vah homo impudens.* Reſpondet Hebræum הא, ſed quod plerunque eſt admirantis, ὀὶ Æſchylo in Perſis; unde *ovare.*

32. ἵνα πιστεύσωμεν. *Et credamus*] Ut fidem habeamus ipſi ſe Meſſiam affirmanti.

34. Ελωι, *Elohi*] Vetera exemplaria non omnia ita habuere. Nam Ηλεὶ [*Elei*] (quod idem eſt cum eo quod apud Matthæum Ηλὶ [*Eli*]) citat Euſebius. Et apud Syrum hoc loco eſt אילי אילי [*Il, Il*], ſed haud dubiè transpoſitis à librario literis, cùm ſcribendum fuerit אלי אלי [*Eli, Eli*] ut ad Matthæum monuimus. Quòd autem in tam multa exemplaria illud Ελωὶ [*Elohi*] hoc loco penetraverit, factum inde arbitror quòd ſicut Lucæ Euangelium initio maximè celebratum eſt per Eccleſias à Paulo fundatas, ità Marci per omnem Babylonicam διασπορὰν [*diſperſionem*], cui Petrus præfuerat; ac proinde deſcriptum ab hominibus Syrum ſermonem callentibus, quibus notius erat אלהי [*Elohi*] quàm אלי [*Eli*].

36. λέγων, Αφετε, *dicens, Sinite*] Vide quæ ad Matthæum. At Syrus legit hoc loco ἔλεγον [*dixerunt*], quod exemplaria Græca quædam habere dicuntur; quod ſi recipimus, ſubaudiendum erit *adſtantes:* & fieri poteſt ut omiſſus nominativus mutandæ lectioni occaſionem dederit.

40. Ιακώβου τοῦ μικροῦ, *Jacobi Minoris*] Puto ita dictum inter Apoſtolos ad diſcrimen Jacobi Zebedaidæ. Nam quod quidam putant ita dictum ut à patruo diſtingueretur, non video quid certi habeat. Et quòd Jacobum illum Majorem volunt non Judæ tantùm ſed & Joſetis fuiſſe genitorem, in eo falluntur haud dubiè, præſertim cùm Jacobum eundem filium ſtatuant Alphæi. Nam is Jacobus cum Joſete unam habuit matrem, ut hoc loco apparet. ¶ Σαλώμη. *Salome*] שלומית nomen frequens apud Joſephum.

42. ἦν παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον, *erat Paraſceve, quod eſt anteſabbatum*] Duplici ratione dies iſte παρασκευὴ [*Paraſceue* ſive *præparatio*] dici poterat, tum quia erat ערב שבת [*veſpera Sabbati*], quod hic προσάββατον dicitur, tum quia erat ערב יום טוב, id eſt, ut Philo loquitur, προεόρτιον [*anteſeſtum*]. Hoc enim vult Marcus, juſtam fuiſſe feſtinandi cauſam quia ἡμέρα ἐργάσιμος [*dies permiſſa laboribus*] in eo erat ut jamjam finiretur.

43. Ηλθεν, *Venit*] Ita legiſſe videntur Syrus & Latinus: & ſanè omnes ferme codices ita habent. Neque ἀσύνδετον [*inconnexum*] illud ἦλθε [*venit*], & mox τολμήσας εἰσῆλθε [*audaciter introiit*] alienum eſt ab Hebraiſmo. ¶ προσδεχόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, *exſpectans Regnum Dei*] Ita Lucæ II, 25. προσδεχόμενος τὴν παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ [*exſpectans conſolationem Iſrael*]. Quare dubitandum non eſt quin & hîc & in eadem hiſtoria apud Lucam προσδέχεσθαι ſit *exſpectare*, non autem *amplecti*. ¶ τολμήσας, *audacter*] *Magno animo.* Ita enim rectè verti arbitror.

44. ἐθαύμασεν εἰ ἤδη τέθνηκε· *mirabatur ſi jam obiiſſet*] Ob cauſam quam attulimus ad Matth. XXVII, 50.

46. Καὶ ἀγοράσας, *mercatus*] Ελκυσις [*defectus*] nominativi, qui non ex proximo ſed longius eſt repetendus: quod & alibi occurrit. De Joſepho enim agi certum eſt. Hinc factum ut in quibuſdam codicibus *Joſephi* nomen ex interpretamento repetereretur.

47. ἡ Ἰωσῆ, *Joſe*] *Mater* ſubauditur, ut & capite ſequente Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου [*Maria Jacobi*]. Sic *Hectoris Andromache*, ſupple *uxor*. *Joſe* pro *Joſeph* ex pronuntiatione illorum temporum. Id autem modò ἀκλίτως [*indeclinabiliter*] ponitur, ut hîc, modò declinatur ut faciat Ἰωσητος [*Joſetis*]. Idem enim eſſe hoc nomen cum *Joſephi* nomine inter veteres Origenes rectè cenſuit.

(Tractatum Nic. Fabri V. C. de Myrrhata Potione videſis poſt Matth. XVIII. pag. 657.)

CAP. XVI.

ERASMUS.

5. *Coopertum ſtolâ*] Περιβεβλημένον *amictum.* Nam *coopertus* eſſe poteſt qui non ſit *amictus.*

6. *Nolite expaveſcere*] Μὴ ἐκθαμβεῖσθε. Idem eſt Græcis quod vertit modò *obſtupuerunt.*

8. *Invaſerat enim eos timor*] Εἶχε γὰρ αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκστασις, *habebat autem eas tremor ac ſtupor*, ſive *ecſtaſis.*

9. *Primâ ſabbati*] Σαββάτου habent plerique Græci codices.

14. *Noviſſimi recumbentibus illis*] Auguſtinus De concordia Euang. lib. 3. torquet ſeipſum quæſtione, Qui conſtat quòd dicit hic Jeſum *noviſſimo apparuiſſe*, cùm Joannes referat illum poſt apparuiſſe ſuis ad mare Tiberiadis. Hunc nodum ſic explicat, ut *noviſſime* referatur non ad numerum apparitionum ſimpliciter, ſed ad apparitiones eo die factas. Atqui cùm Græcè ſit ὕστερον, quod ſonat *deinde*, ſive *poſtea*, non erat cur moveret quæſtionem ſi Græcos conſuluiſſet codices: quanquam nolim diſſimulare comparativa nonnunquam uſurpare vice ſuperlativorum: quoniam itaque dixerat *primùm*, Interpres hic maluit dicere *poſtremùm.* ¶ *Illis undecim*] Αὐτοῖς τοῖς ἕνδεκα. D. Auguſtinus ex addito pronomine *illis* & ex articulo Græco colligit hunc locum non poſſe accipi niſi de Apoſtolis. Atqui Græcè non eſt ἐκείνοις αὐτοῖς· quod ſi relativè ſumatur, ſonat Jeſum iiſdem duodecim Apoſtolis apparuiſſe quibus priùs apparuerat. Sin diſcretive, ſenſus erit Jeſum apparuiſſe non mulieribus aut quibuslibet diſcipulis, de quibus ante dictum erat, ſed ipſis undecim, nimirum Apoſtolis, qui narrantibus non crediderant. Etiamſi Marcus ità contexit, quaſi hoc ſenſerit, *Primùm apparuit Maria Magdalena; Poſt hæc duobus ambulantibus in villam: Poſtremò recumbentibus undecim.* Nec obſtat huic ſenſui ſi jam uni aut alteri ex Apoſtolis apparuerat. Certè undecim ſimul diſcumbentibus nondum apparuerat. ¶ *Qui viderant eum reſurrexiſſe*] Gr. ἐγηγερμένον *ſuſcitatum*, ſive *excitatum.* Nec video cauſam cur hic Gregorius aut Bernardus inducant Angelos, qui ſoli viderint Dominum reſurgentem. Qui priùs mortuum viderant, ac mox vivum, utique viderunt eum reſurrexiſſe. Illi fortaſſis legebant *qui viderant eum reſurgentem*, ut hic interpres frequenter participia præteriti temporis vertit in participia præſentis temporis. D. Hieron. in epiſtola ad Hedybiam quæſt. 3. indicat hoc extremum Marci caput à pleriſque non fuiſſe receptum, quòd in raris Latinorum codicibus, Græcorum pene nullis habebatur, præſertim cùm videatur narrare quædam manifeſtè pugnantia cum aliis Euangeliſtis; velut illud quòd refert Dominum *reſurrexiſſe mane primâ Sabbati*, cùm Matthæus tradat eum *reſurrexiſſe veſperâ Sabbati, quæ luceſcit in primâ Sabbati*: pugnant autem inter ſe Veſpere & Mane. Hujus difficultatis oſtendit Hieronymus geminam ſolutionem, quarum prior hæc eſt, *Aut enim*, inquit, *non recipimus Marci teſtimonium, quod in raris fertur Euangeliis, omnibus Gracia libris pene hoc capitulum in fine non habentibus.* Hæc ſolutio impia erat ſi tum temporis hoc capitulum idem habebat autoritatis quod reliquum Marci Euangelium. Admonet autem & illud Hieronymus, ſubdiſtinctionem eſſe faciendam ante *mane*; ut intelligamus Chriſtum veſpere ſurrexiſſe, deinde primâ Sabbati viſum eſſe Mariæ, hoc modo legentes, *Cùm ſurrexit Jeſus*, & hîc interpoſitâ hypoſtigme ſequatur, *mane primâ Sabbati apparuit primò Mariæ.* Hanc diſtinctionem indicat & Theophylactus. Nos, quò dilucidior eſſet ſermo, pro ἀναστὰς, quod Interpres vertit *ſurgens*, vertimus *cùm ſurrexiſſet.* Eſt enim participium præteriti temporis, quod circumcitione reddendum erat. Idem Hieronymus in ſecundo dialogo adverſùs Pelagium diſputans, narrat, in fine Euangelii juxta Marcum, in nonnullis exemplaribus maximè Græcorum coronidem fuiſſe adjectam, hiſce Marci verbis, *Poſtea cùm accubuiſſent undecim, apparuit illis Jeſus, & exprobravit incredulitatem & duritiem cordis eorum, quòd nullis qui viderant eum reſurgentem non crediderunt.* Hic additum erat, *Et illi ſatisfaciebant, dicentes, Seculum iſtud iniquitatis & incredulitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos ſpiritus veram Dei apprehendi virtutem. Idcirco jam nunc revela juſtitiam tuam.* Cæterùm ut hoc extremum Marci caput hodie habetur in omnibus quæ ſane viderim Græcorum exemplaribus, quod enarrat etiam Theophylactus, ità coronidem hanc ex apocrypho quopiam Euangelio aſcriptam apparet à lectore nimiùm audaci. Nam Euangelium Hebræorum, quod tum à Nazaræis & Eſſo-

nis legebatur, Hebraicis ſcriptum literis, ſed ſermone Chaldaico, Hieronymus teſtatur à ſe verſum in linguam Græcam, & ex eo nonnulla profert teſtimonia, in quo leguntur quædam his non diſſimilia. Hoc autem aſſumentum, quoniam nihil habet Euangelicæ gravitatis, ſed olet potiùs dogma Manichæorum, merito relectum ac rejectum eſt tam à Græcis quàm à Latinis. Beda teſtatur D. Ambroſium accuratè ſcripſiſſe in hunc Euangeliſtam, è cujus commentariis fatetur ſe multa decerpſiſſe. Hoc opus nobis intercidit; niſi forte Beda ſenſit commentarios in Marcum qui feruntur Hieronymi titulo eſſe Ambroſii; quod ego nec refello nec aſſevero. Videntur enim hominis nec infantis, nec inerudíti, cui illud certè cum Ambroſio commune, quòd multus eſt in allegoriis & affectibus. Præfationem autem ineptam & indoctam addidiſſe videntur librarii, quo gratioſi nominis lenocinio allicerent emptorem. Illud addam, quòd Hieronymus aliis verbis refert hunc locum quàm habetur in Marco Latinæ editionis, cùm tamen adversùs Pelagianos ſcripſerit admodum ſenex; unde conjectare licet aut hanc editionem non eſſe Hieronymi, aut ipſum neglexiſſe quod tradiderat. Nam quod his indico, perquam frequens eſt illi in eo opere.

VATABLUS.

1. E *Marum*] *Emerant.*

2. *Valde mane unâ ſabbatorum*] *Summo diluculo diei primi ſabbatorum*, i. hebdomadæ. Græcè *una* legitur pro *prima*, Hebr. ¶ *Orto jam Sole*] Vel eſt Hebraiſmus, præt. pro fut. i. *cùm jamjam oriturus eſſet Sol.* Vel ſecundùm eos qui putant multis vicibus mulieres veniſſe ad ſepulcrum, *orto Sole*, & *hanc manè*, i. Sole nondum orto.

4. *Viderunt*] Vident: præſ. pro præt.

5. *Introeuntes*] *Ingreſſa.* ¶ *Juvenem*] *Adoleſcentulum.* ¶ *Coopertum ſtola*] *Indutum veſte.*

6. *Poſuerunt*] *Poſuerant.*

7. *Sed*] *Itaque.* ¶ *Præcedet*] *Præcedit*, Vet. ¶ *Dixit*] Vel, *dixerat.*

8. *Exeuntes* *] *Citò.* ¶ *Pavor*] *Stupor.*

9. *Surgens*] *Cùm ſurrexiſſet.* ¶ *Autem* *] *Jeſus*, Vet. ¶ *Sabbathi*] i. hebdomadæ. ¶ *Apparuit*] Vel, *viſus eſt.* ¶ *Septem*] Hebr. pro, *multa.*

10. *Vadens*] *Profecta.*

12. *Oſtenſus eſt in alia effigie*] *Manifeſtatus eſt in alia forma.*

13. *Euntes*] *Cùm diſceſſiſſent.*

14. *Noviſſimè* *] *Poſtea:* **autem*, Vet. ¶ *Apparuit*] *Manifeſtatus eſt.* ¶ *Reſurrexiſſe, non credidérunt*] *Excitatum, non credidiſſent.*

15. *Dixit*] Hebr. pro, *præcepit.* ¶ *Euntes*] *Profecti:* Vel, *Ite.* ¶ *Omni creaturæ*] i. omnibus hominibus. Sancta hyperbole, ſignificat nulli hominum non eſſe natum Chriſtum & paſſum, ſi modò Euangelium amplectatur. Hæc eſt enim electionis conditio.

19. *Quidem Jeſus poſtquam*] *Quidem poſtquam.* ¶ *Aſſumptus*] *Receptus.* ¶ *Sedet*] *Sedit*, Vet.

20. *Profecti*] *Egreſſi.* ¶ *Sequentibus ſignis*] *Per ſequentia ſigna.*

CLARIUS.

2. ET *valde mane*] Summum erat diluculum quando profectæ ſunt; verùm cùm perveniſſent ad ſepulcrum, ortus jam erat Sol. Studuit autem brevitati Euangeliſta, quam obſcuritas ſolet ſequi.

6. *Jeſum quæritis*] Scio, inquit, *vos Jeſum quærere*, *Illum Nazarenum*, *illum crucifixum*: nam in Græco cum articulo notantur. Hæc autem privatorum ſignorum commemoratio aptiores illas efficiebat ad intelligenda quæ illis dicturus erat Angelus.

19. *Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedit à dextris Dei*] Cernis beatum Philoſophiæ noſtræ finem, naturam ſcilicet hanc noſtram immortalitate donatam, collocatámque ad dextram Dei? *Deus enim*, ut ait Paulus, *convivificavit nos una cum Chriſto, ſimulque cum eo reſuſcitavit, & ſimul cum eo ſedere fecit inter cœleſtes in Chriſto Jeſu.*

ZEGERUS.

1. ET *Salome*] *Salome* vocabulum eſt huic mulieri proprium. Nam quòd hæc dicta ſit *Maria Salome*, in nullis arbitror invenire poſſe commentariis veterum. Quinimo B. Hieronymus in epiſt. ad Hedybiam, quæſt. 4. omnes recenſens quæ in Euangeliis leguntur Marias, quatuor tantùm commemorat; *Mariam matrem Domini*, *materteram ipſius Mariam Cleophæ* dictam, *Mariam matrem Iacobi & Ioſe*, & *Mariam Magdalenam.*

5. *Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem ſedentem in dextris*] Ne te moveat ingreſſus iſte in monumentum, ſciás locum ſepulcri Dominici cavernam fuiſſe & adhuc eſſe rotundam in rupe factam, VIII pedum longitudinis, ſex latitudinis: in quam ab Orientali parte per anguſtum oſtiolum ſeu foramen (cui advolutum fuerat ſaxum) deſcenditur aliquot gradibus. Eſt in ea ſpelunca in parte ingredientium ſiniſtra ſepulcrum eſt Dominicum exciſum ſimiliter in ipſa rupe, elevatius ipſo pavimento tribus palmis. Porrò de apparitione vel apparitionibus Angelorum videtur inter Euangeliſtas parùm convenire: primùm quòd Matthæus ſcribat *Angelum inſediſſe lapidi revoluto*; Marcus *juvenem*, i. Angelum, *conſpectum fuiſſe ab ingreſſis in monumentum ſedentem à dextris*: deinde quòd Matthæus & Marcus unius duntaxat Angeli meminerint, Lucas verò & Johannes duorum, quos Lucas per *viros mulieribus adſtantes* indicat, ad hæc quòd Lucas *ſtantes*, Johannes verò deſcribat *ſedentes*, adjiciens *unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu.* Prima diſſonantia conciliari poteſt, juxta Auguſtinum l. De Conſenſu Euang. 3. c. 24. duobus modis: Aut enim intelligendum eſt Matthæum tacuiſſe de illo Angelo quem intrantes viderant, Marcum verò de illo tacuiſſe quem foris viderunt ſedentem ſuper lapidem: ut duos viderint, & à duobus ſingulatim audierint quæ dixerunt Angeli de Jeſu; priùs ab illo quem foris viderunt ſuper lapidem, deinde ab illo quem viderunt in monumento in dextris: quò ut intrarent, illius qui foris ſedebat verbis exhortatæ ſunt, dicentis, *Venite & videte locum ubi poſitus erat Dominus*, Matth. 28. 6. quò venientes viderunt eum de quo Marcus loquitur, à quo talia ſimiliter audierunt. Aut certè *intrantes in monumentum*, in aliqua ſepta maceriæ debemus accipere, quâ communitum locum tunc fuiſſe credibile eſt in aliquo ſpatio ante petram, quâ exciſâ locus factus fuerat ſepulturæ; ut ipſum viderint in eodem ſpatio *ſedentem à dextris* quem dicit Matthæus *ſedentem ſuper lapidem*: quandoquidem hortus illic erat, & in horto monumentum, ut ſcribit Johannes 19. 41. Hæc poſterior ſententia mihi videtur probabilior vel hinc quod Marcus in toto Euangelio fere non alia referat quàm quæ habentur in Matthæo: atque hanc ſequitur in ſequentibus Auguſtinus. Juxta hanc ergò dicendum ad ſecundam illam diſſonantiam, apud Lucam diverſam eſſe apparitionem ab ea de qua Matthæus & Marcus: nam hæc foris facta eſt ante ingreſſum in monumentum ſeu cavernam, illam intus in ipſa caverna. Unde Auguſtinus, *Poſſumus*, inquit, *intelligere unum Angelum viſum à mulieribus & ſecundùm Matthæum & ſecundùm Marcum*, *ſicut ſuprà diximus*; *deinde intus ab eis* (*dum inſpicerent locum in quo jacebat corpus Domini*) *viſos alios duos ſtantes*, *ſicut dicit Lucas*, *ſimilia locutus ad earum exhortandum animum & ædificandam fidem.* Quod ad tertium attinet, eadem eſt apparitio apud Lucam & apud Joannem: ut intelligamus ſecundùm Auguſtinum eoſdem Angelos priùs quidem ſediſſe, ut Joannes habet, ac deinde ſurrexiſſe, ut etiam ſtantes viderentur ſecundùm Lucam. Vel dicendum *ſedendi* verbum non ſemper Seſſionem indicare uti ex illo liquet Deut. 1. 46. *Sediſtis in Cadesbarne multo tempore*; atque hîc potiùs exiſtentiam [ut ità loquar,] ſignare, ut nihil referat ſive ſtetiſſe dicantur ſive ſediſſe. Verùm huic reconciliationi adverſari videtur quòd Lucas ipſam apparitionem deſcribat antequam de mulieribus agat properantibus ad Apoſtolos ad nunciandum quæ viderant & audierant, & ante curſum Petri ad monumentum; Johannes verò poſt acceptum nuncium Magdalenæ a Petro & Johanne de ſublato Domini corpore, & poſt utriuſque Diſcipuli curſum: deinde quòd Lucas de pluribus mulieribus, Johannes verò de ſola loquatur Magdalena. Quin & alia non pauca hoc loco ſunt quæ non facilè quis ex Euangeliſtarum collatione docere poſſet non eſſe pugnantia. Ut ergò ſcias quomodo quæque in concordantiam & in ordinem redigenda ſint, audi B. Auguſtinum diligentiſſimè hac de re differentem, l. 3. De conſ. Euang. c. 24. *Omnia*, inquit, *quæ circa tempus reſurrectionis Domini facta ſunt, ſecundùm omnium Euangeliſtarum teſtimonia in unam quandam narrationem, quantum nos Dominus adjuverit, quemadmodum geri potuerint, ordinemus. Primâ ſabbati diluculo, ſicut omnes conſentiunt, ventum eſt ad monumentum. Jam factum erat quod ſolus Matthæus commemorat de terræmotu & lapide revoluto, conterritisque cuſtodibus, ità ut in parte aliqua velut mortui jacerent. Venit autem, ſicut Johannes dicit, Maria Magdalena, ſine dubio cum cæteris mulieribus quæ Domino miniſtraverant, plurimum dilectione ferventior, ut non immeritò Johannes ſolam commemoret,*

tacitis

tacitis eis quæ cum illa fuerunt, ſicut aliis teſtantur. Venit ergò, & vidit lapidem ſublatum à monumento: Antequam aliquid diligentiùs inſpiceret, non dubitans ablatum inde corpus, cucurrit, ſicut dicit idem Iohannes, & nunciavit Petro & Iohanni. At illi currere cœperunt ad monumentum: & præveniens Iohannes inclinavit ſe, & vidit poſita linteamina, nec intravit. Petrus autem conſecutus intravit in monumentum & vidit linteamina poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum. Deinde & Iohannes intravit & vidit ſimiliter: & credidit quod Maria dixerat, ſublatum eſſe Dominum de monumento. Nondum enim ſciebat Scripturam quia oportebat eum à mortuis reſurgere. Abierunt ergò iterum ad ſemetipſos diſcipuli. Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans, i. ante illum ſaxei ſepulcri locum: ſed tamen intra illud ſpatium quod jam ingreſſa fuerant: hortus quippe illic erat, ſicut idem Iohannes commemorat. Tunc viderunt angelum ſedentem à dextris ſuper lapidem revolutum: de quo angelo narrant Matthæus & Marcus. Tunc eis dixit, Nolite timere vos: ſcio enim quòd Ieſum qui crucifixus eſt quæritis. Non eſt hic: ſurrexit enim, ſicut dixit: Venite, & videte locum ubi poſitus erat Dominus. Et citò euntes dicite diſcipulis ejus quia ſurrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. Quibus ſimilia Marcus quoque non tacuit. Ad hæc verba Maria dum fleret inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos angelos, ſicut dicit Iohannes, in albis ſedentes; unum ad caput, & unum ad pedes ubi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi, Mulier quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum. Hinc intelligendi ſunt ſurrexiſſe angeli, ut etiam ſtantes viderentur, ſicut eos Lucas viſos fuiſſe commemorat; & dixiſſe ſecundùm eundem Lucam timentibus mulieribus, & vultum in terram declinantibus, Quid quæritis viventem cum mortuis? Non eſt hic, ſed ſurrexit. Recordamini qualiter locutus eſt vobis cum adhuc in Galilæa eſſet, dicens, Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi & die tertiâ reſurgere à mortuis. Et recordati ſunt verborum ejus. Poſt hæc converſa eſt retrorſum Maria, & vidit Ieſum ſtantem, ſicut dicit Ioannes, & non ſciebat quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus, Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei, Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum; & ego eum tollam. Dicit ei Jeſus, Maria. Converſa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magiſter. Dicit ei Ieſus, Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. Tunc egreſſa eſt à monumento, hoc eſt, ab illo loco ubi erat horti ſpatium; & cum illa alia, quas, ſecundùm Marcum, invaſerat tremor & pavor; & nemini quicquam dicebant. Tunc jam, ſecundùm Matthæum, ecce Jeſus occurrit illis, dicens, Avete. Illa autem acceſſerunt & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Sic enim colligimus & Angelorum allocutionem bis numero eas habuiſſe, venientes ad monumentum, & ipſius Domini, ſemel ſcil. illic quando Maria hortulanum putavit, & nunc iterum cùm eis occurrit in via, ut eas ipsâ repetitione firmaret, atque à timore recrearet. Tunc ergo ait illis, Nolite timere. Ite nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam: ibi me videbunt. Venit ergò Maria Magdalena annuncians diſcipulis quia vidit Dominum, & hæc ei dixit. Non ſolùm ipſa, ſed & alia, quas Lucas commemorat, quæ nunciaverunt hæc diſcipulis undecim & cæteris omnibus. Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta; & non credebant illis. His & Marcus atteſtatur. Nam & poſteaquam commemoravit eas trementes & paventes exiſſe à monumento, & nemini quicquam dixiſſe, adjunxit, quòd reſurgens Dominus apparuerit manè prima Sabbathi primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia; & quia illa vadens nunciavit iis qui cum eo fuerant lugentibus & flentibus; & quia illi audientes quòd viveret, & viſus eſſet ab ea, non crediderunt. Matthæus etiam illud inſeruit, Abſcedentibus mulieribus veniſſe quoſdam in civitatem de illis cuſtodibus, qui jacuerant velut mortui, & nunciaſſe principibus ſacerdotum omnia quæ facta fuerant, &c. Docet hæc ipſa paulò fuſiùs idem Auguſtinus in ſequentibus, quæ prætereo. Ex quibus unum illud adjicio, quòd Lucas commemorans curſum Petri ad monumentum, recapitulando id faciat. Non enim eo id loco quo ipſe refert, ſed priùs accidit, ut ex ſuprapoſitis patet. Ut autem etiam ordinem & numerum ſcias ſingularum apparitionum hinc indè in quatuor Euangeliſtis recitatarum, hunc habeas B. Auguſtini epilogum; *Invenimus*, inquit l. De conſenſ. Euang. 3. cap. 25. *apud quatuor Euangeliſtas decies commemoratum Dominum viſum eſſe ab hominibus poſt reſurrectionem; Semel ad monumentum mulieribus; iterum, eiſdem regredientibus à monumento in itinere; tertiò, Petro; quartò, duobus euntibus in caſtellum; quintò, pluribus in Ieruſalem, ubi non erat Thomas; ſextò, ubi eum vidit Thomas; ſeptimò, ad mare Tiberiadis; octavò, in monte Galilææ, ſecundùm Matthæum; nonò, quod dicit Marcus, Noviſſimè recumbentibus, quia jam non erant in terra cum illo convivaturi; decimò, in ipſo die, non jam in terra, ſed elevatum in nube, cum in cœlum aſcenderet, quod Marcus & Lucas commemorant.* Cætera hoc monoteſſaron declarantia brevitatis ergò prætereo. De Angelo viſo foris ſuper lapidem juxta Matthæum dici etiam poteſt quòd idem fuerit qui viſus ſit intus juxta Marcum & quòd mulieres in monumentum præceſſerit.

8. *Illa exeuntes fugerunt*, &c. *& nemini quicquam dixerunt*] Huic planè adverſari videtur Matthæus, dicens, *Exierunt citò de monumento*, &c. *currentes nunciare diſcipulis:* magis etiam Lucas, qui dicit, *Et egreſſæ à monumento nunciaverunt hæc omnia illis undecim & cæteris omnibus*, &c. Secundùm Auguſtinum lib. De conſ. Euang. 3. c. 24. dicendum ipſorum Angelorum nemini auſas fuiſſe aliquid dicere, i. reſpondere ad ea quæ ab illis audierant; aut certè cuſtodibus quos jacentes viderunt. Mihi tamen ex eo quod præceſſit, *Ite, dicite diſcipulis ejus*, &c, *invaſerat enim eas tremor & pavor*, probabilius cenſetur, primùm quidem, cùm adhuc terrore eſſent percitæ, nulli quicquam indicaſſe; poſtea tamen, depoſito timore, quod juſſæ fuerant impleviſſe.

14. *Noviſſime recumbentibus illis undecim apparuit*] B. Auguſtinus locum hunc cum aliis Euangeliſtis duobus conciliat modis, lib. De conſ. Euang. 3. c. 25. Poſterior eſt, qui & melior, ut hæc apparitio eadem intelligatur cum ea quæ facta eſt die poſt reſurrectionem quadrageſimo. Atque τὸ ὕστερον comparativum loco ſuperlativi, ut noſter vertit Interpres, accipiendum eſt. Priorem modum, quo hanc eandem facit cum illa quæ ipſo reſurrectionis die facta eſt ſub veſperam, quia hîc nec ipſe ſibi admodum fidit Auguſtinus, deinde quia id à pleriſque ut coactum (ſicuti manifeſtum eſſe poteſt relegenti locum Auguſtini) rejici cernimus, nobis neque libuit neque viſum eſt operæ pretium ſtudioſis obtrudere. Neque minùs coactum id nobis judicatur quòd nonnulli, ut ὕστερον ad uſitatiorem trahant ſignificantiam, nempe ut pro *deinde* ſumatur, hanc apparitionem unam faciunt cum ea quam Johannes præſente Thoma die octavo accidiſſe deſcribit: præſertim eùm nihil in eis commune deprehendatur utrique præter numerum Undenarium. Præſtat itaque ut alterum illum recipiamus Auguſtini ſenſum, & ὕστερον ſumamus pro *noviſſime*, juxta fidem noſtri Interpretis, quòd videlicet hæc & noviſſimo die facta ſit apparitio, & inter cæteras à B. Marco deſcriptas loco conſtituatur poſtremo. ¶ *Exprobravit incredulitatem eorum*, &c.] De præterita illa incredulitate intelligendum eſt, quando neque mulieribus neque diſcipulis quibuſdam nunciantibus credere voluerunt. Unde etiam ſignanter temporis pluſquam perfecti voce uſus eſt Euangeliſta, dicens, ὅτι οὐκ ἐπίστευσαν, *quòd non credidiſſent.* ¶ *Reſurrexiſſe à mortuis*] Illud *à mortuis* nec veteres legunt ſcriptores, nominatim Petrus Chryſologus, nec codices habent vel Græci vel Latini vetuſti.

MASIUS.

12. DUo diſcipuli quibus Chriſtum apparuiſſe in agro deambulantibus Marcus ſcribit, non fuerunt illi duo, quos Emauntem iviſſe Lucas eodemdie docet. Nam illi annunciarunt reliquis diſcipulis etiam tum ignavis & non credentibus, at hi non incredulis nec ignavis, ſed jam tum ſcientibus Chriſtum Simoni apparuiſſe.

STEPHANUS.

¶ Κεφάλαιον ιε, Περὶ τῶν πέντε ἄρτων καὶ τῶν δύο ἰχθύων. Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. 5, Καὶ ἐξελ. εἶδεν ὁ Ἰ. πολὺν ὄχλον, καὶ ἐσπλαγχν. [καὶ μετ' ὀλίγα] Καὶ λαβὼν τοὺς πέντε ἄρτους καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλ.

Πέντ' ἐπὶ πεντακίσχιλιον ἐπήρατον εὐδοχέων ἄρτοι-
Ἄλλως,
Ἄρτους πέντε μόνον καὶ ἐ πλέον ἢ δύο ἰχθῦς
Βεύματα χιλιάων πέντ' ἄρια Χερσὶς ἔτυξε.

¶ Κεφάλαιον ιζ, Περὶ τῆς ἐν θαλάσσῃ περιπάτου. Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. 5, Καὶ ὀψίας γεν. ἦν τὸ πλοῖον ἐν μέσῳ

μίσω τ̃ θαλ. [καὶ ἐξῆ·] καὶ πρὸς τοῦ. φυλακὴν τ̃ νυκτὸς ἔρχε-
ται πρὸς αὐτούς, περιπατῶν ἐπὶ τ̃ θαλάσσης.

Κύμασιν ἀμφιπίδνατο θεὸς λόγ@, ὡς ἐπὶ χέρσῳ.

Ἄλλως,

Κύμασθ' ἁλὸς Χριστὸς παλίων ἰὼν οἷά τε χέρσον.

¶ Κεφάλαιον ιη, Περὶ τ̃ παρεληθότος τ̃ ἐλθόντος τοῦ Θεοῦ.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ζ, Καὶ συνάγονται πρὸς αὐτὸν οἱ
Φαρ. [καὶ μετὰ πολλὰ] Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Καλῶς ἀθετεῖτε
τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ.

Οἷς νόμ@ ὕστι μέμηλεν, αἱρέσιοι ἄνδρες ἐοικῶτι.

Ἄλλως,

Γραμματικὰς θείοις ἐπαλμασιν ἐ προσίχοντας,
Ἀλλάγε τοὺς σφετέρους, ὑποκριτὰς Χριστὸς ἔειπε.

¶ Κεφ. ιθ, Περὶ τ̃ Συροφοινίσσης.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ζ, Ἀκούσασα γὰρ γυνὴ περὶ αὐτοῦ,
ἧς εἶχε τὸ θυγάτριον αὐτῆς πνεῦμα ἀκάθαρτον, ἐλθ.

Φοίνισσα δ' ἱκέσθη παῖδα πανλὼ νόσῳ ἐ νοσίσασαν.

Ἄλλως,

Δαιμόνιον καὶ σῆς θυγατρὸς, Φοίνισσ', ἀπελαύνεις.

¶ Κεφ. κ, Περὶ τοῦ μογιλάλου.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ζ, Καὶ πάλιν ἐξελθ. [καὶ τὰ ἑξῆς]
καὶ φέρουσιν αὐτῷ κωφὸν μογιλάλον, καὶ παρακ. αὐτὸν ἵνα ἐπι-
θῇ αὐτῷ τ̃ χεῖρα.

Καὶ σῶμα μογιλαλέσιο λάλον θέτο χειρὶ κραιαιῇ.

Ἄλλως,

Ἀνέρι κωφῷ ὁμῶς μόγις ἠδὲ λαλῆσαι Ἰησοῦς
Τῆς γλώσσης λῦσεν δεσμὸς, ἰῶσιξεν ἀκοάς.

¶ Κεφ. κα, Περὶ τῶν ἑπτὰ ἄρτων.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. η, Ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμ. παμπ.
ὄχλου ὄντ@, καὶ μὴ ἐχόντων τί φάγ.

Ὄχλον ἀπειρεσίοιο λιμὸς σχέτο ἑπτὰ ἐπ' ἄρτοις.

Ἄλλως,

Χιλιάδων τετόρων λιμὸν καλέπαυσεν ἀτιεῖν
Ἄρτοι ἑπτὰ μόνοι, κ' ὀλίγοι μικρὸν ἰχθύες ὄψον.

¶ Κεφ. κβ, Περὶ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. η, Καὶ διεσείσθετο αὐτοῖς, λέγων,
Ὁρᾶτε, βλέπετε ἀπὸ τ̃ ζύμης τ̃ Φαρ. καὶ τ̃ ζύμης Ἡρῴδου.

Ἐκ τε κακῆς ζύμης Φαρισαίων ἐξεδίωκε.

Ἄλλως,

Χριστὸς καὶ προσίχων ἀπὸ ζύμης τ̃ Φαρισαίων,
Καὶ ἀπὸ Ἡρῴδου ζύμης, ἐπέτειλε μαθηταῖς.

¶ Κεφ. κγ, Περὶ τοῦ τυφλοῦ.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. η, Καὶ ἔρχεται εἰς Βηθσαϊδάν, καὶ
φέρ. αὐτῷ τυφλ.

Ὀμμασ@ ἀκαμάτοιο τυφλῷ θεὸς ὤπασεν αὐγλὴν.

Ἄλλως,

Πτύσματι ἰῶται ἢ ὅσαν ἀθερίσα γλωσσῶν.

¶ Κεφ. κδ, Περὶ τῆς ἐν Καισαρείᾳ ἐπερωτήσεως.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. η, καὶ ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθ. αὐτοῦ
εἰς τὰς κώμας Καισ. τῆς Φιλίππου· καὶ ἐν τῇ ὁδῷ ἐπηρώτα τοὺς
μαθ. αὐτοῦ, λέγων αὐτοῖς, Τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι;

Ἤρετο τίς δοκέῃσι μετ' ἀνδράσι κῆρυκας ἰοβλῆς.

Ἄλλως,

Ἤρετο τὺς μύστας, Τίνα μ' εἶναι φασὶν οἱ ὄχλοι;

¶ Κεφ. κε, Περὶ τῆς μεταμορφώσεως τ̃ Κυρίου.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. θ, καὶ μεθ' ἡμέρας ἓξ παραλαμβ. ὁ
Ἰησοῦς τ̃ Πετρ. καὶ τ̃ Ἰακ. καὶ τ̃ Ἰω. καὶ ἀναφέρει αὐτοὺς εἰς ὄρ@
ὑψηλὸν κατ' ἰδίαν μόνους, καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν.

Φῶς δέ οἱ ἀμφιέχυτο ἐπ' ὄρεϊ ἰμβεβαῶτι.

Ἄλλως,

Εἰς ὄρ@ εἰσαναβὰς μορφὴν ἠλλάξατο Χριστός.

¶ Κεφ. κς, Περὶ τοῦ σελληναζομένου.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. θ, καὶ ἐπορεύθησαν εἰς ὃν τὸν ὄχλον,
ᾗτε, Διδάσκαλε, ἤνεγκα τὸν υἱόν μου πρός σε, ἔχοντα πνεῦμα
ἄλαλον.

Οὐδὲ σελληναῖόν με παρίδεσθε ἀθετέοντα.

Ἄλλως,

Ἔκβαλε πνεῦμ' ἄλαλον καὶ κωφὸν Ἰησοῦ ἐφέλμῳ.

¶ Κεφάλαιον κζ, Περὶ τῶν διαλογιζομένων τίς μείζων.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. θ, καὶ ἦλθεν εἰς Καπερν. καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ
γεν. ἐπηρ. αὐτούς, Τί ἐν τῇ ὁδῷ πρὸς ἑαυτοὺς διελογίζεσθε; Οἱ δὲ
ἐσιώπων· πρὸς ἀλλήλους γὰρ διελέχθησαν ἐν τῇ ὁδῷ, τίς μείζων.

Τίς πρόφρασίς ἐστιν ἀπίστοισι ἐξερέεινον.

Ἄλλως,

Ἐν μύσαις λόγ@ ἐστὶ, τίς ἂν αὐτῶν πρῶτα φέρηται.

¶ Κεφ. κη, Περὶ τῶν ἐπερωτησάντων τ̃ Κύριον εἰ ἔξεστιν
ἀπολῦσαι τ̃ γυναῖκα.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ι, καὶ προσελθ. οἱ Φαρ. ἐπηρώτ.
αὐτὸν εἰ ἔξεστιν ἀνδρὶ γυν. ἀπολῦσαι, πειράζοντες αὐτόν.

Ἀνδράσιν εἰρομένοισιν ἔχεν ἐφίκτε γυναῖκα.

Ἄλλως,

Μὴ γαμετὴν ἀπόλυσον (ἔφη) εἰ μὴ ἄρα πόρνην.

¶ Κεφ. κθ, Περὶ τοῦ ἐπερωτήσαντ@ πλουσίου τ̃ Κύριον.

Μάρκ@ ἐκπορευομένου αὐτοῦ εἰς ὁδὸν,
προσδραμὼν εἷς καὶ γονυπ. αὐτόν, ἐπηρώτα αὐτόν. Διδάσκ.
ἀγαθὲ, Τί ποιήσω, ἵνα ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;

Πλούσιε, φεῦγε τὰ γαῖρα, τάδ' ἄφθιτα μέλλε παρίλθῃ.

Ἄλλως,

Ἀφνειός τις ἔφη Χριστῷ, Τί, διδάσκαλε χρηστὲ,
Ῥέξω, ὅπως βιότου αἰωνίου ἔμμορ@ εἶω;

¶ Κεφ. λ, Περὶ τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ι, καὶ προσπορεύονται αὐτῷ Ἰακω-
β@ καὶ Ἰωάννης οἱ υἱοὶ Ζεβεδαίου, λέγοντες, Διδάσκ. [καὶ μετ'
ὀλίγα] Οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ, Δὸς ἡμῖν ἵνα εἷς σου δεξ.

Τέκνα δέ τε Ζεβεδαίου ἰούλι@ ἀμφαγαπάζει.

Ἄλλως,

Οἱ Ζεβεδαίου ἕδρης Χριστῷ ἐθέλουσι μεταχεῖν.

¶ Κεφ. λα, Περὶ τοῦ Βαρτιμαίου.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ι, καὶ ἔρχονται εἰς Ἱερειχὼ καὶ ἐκπορ. αὐτοῦ ἀπὸ Ἱερ· καὶ τῶν μαθ. αὐτοῦ, καὶ ὄχλου ἱκανοῦ, υἱὸς Τι-
μαίου Βαρτιμ. ὁ τυφλὸς ἐκάθητο παρὰ τ̃ ὁδὸν προσαιτῶν.

Ὄμμασι Βαρτιμαίοιο θεὸς φάο@ ἐμβαλε λαμπρόν.

Ἄλλως,

Ὄμμασι Βαρτιμαίου ὁρᾷν δίδοι ἠελίου φῶς.

¶ Κεφ. λβ, Περὶ τοῦ πώλου.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ια, καὶ ὅτε ἐγγίζουσιν εἰς Ἱερουσ· εἰς
Βηθφ. καὶ Βηθ. πρὸς τὸ ὄρ@ τῶν ἐλ. ἀποστ. δύο τῶν μαθ. αὐτοῦ·
καὶ λέγει αὐτοῖς, Ὑπάγετε εἰς τ̃ κώμην τ̃ κατέναντι ὑμῶν· καὶ
εὐθέως εἰσπορ. εἰς αὐτὴν εὑρήσετε πῶλον δεδεμένον.

Ὃν πόλ@ ἑ κατίσχεσκεν ἐερέρομ@, ἤγετο πῶλ@.

Ἄλλως,

Ἱερὸν ἰμβεβαὼς πώλῳ πόλιν ἔρχεται ἐσῆλθε.

¶ Κεφ. λγ, Περὶ τ̃ ξηρανθείσης συκῆς.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ια, καὶ τῇ ἐπαύρ. ἐξελθ. αὐτῶν ἀπὸ
Βηθ. ἐπείνασε· καὶ ἰδὼν συκῆν μακρ. [καὶ μετὰ πολλὰ] καὶ περὶ
παρερχόμ. εἶδον τ̃ συκῆν ἐξηραμμένην ἐκ ῥιζῶν.

Ἀναλλίθιον γεγαυῶσι ὑπέρτατος δείδια συκῆν.

Ἄλλως,

Συκῆ φύλλα μόνα καὶ ὀδίνα καιρὸν ἐχούσῃ
Ταῦτα κατηρᾶτο Χριστὸς, Γενεῦ αἰὲν ἄκαρπ@.

¶ Κεφ. λδ, Περὶ ἀμνησικακίας.

Ματθ. ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ι, καὶ ὅταν στήκητε προσευχόμενοι,
ἀφίετε εἴτι ἔχετε κατά τιν@· ἵνα καὶ ὁ πατ. ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐ-
ρ. ἀφῇ ὑμῖν τὰ παρ. ὑμῶν.

Μνησικακεῖν κατέρυκε θεὸς λόγ@ ὡς θεοπέσιος.

Ἄλλως,

Μνησικακεῖν ὁ Χριστὸς ἐοῖς ἐπέπεπε μαθηταῖς.

¶ Κεφ. λε, Περὶ τ̃ ἐπερωτησάντων τὸν Κύριον ἀρχιερέων
καὶ πρεσβυτέρων.

Μάρκ@ ἐν τῷ Λατ. ἰμ. ι, καὶ ἔρχον) πάλιν εἰς Ἱερ. καὶ ἐν τῷ
ἱερῷ περιπ. αὐτὸν, ἔρχ. πρὸς αὐτὸν οἱ ἀρχ. καὶ οἱ γραμμ. καὶ οἱ
πρ. καὶ λέγουσιν αὐτῷ, Ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς; καὶ τίς σοι
ἔδωκε τ̃ ἐξουσ.

Γραμματέων δέ τις ὄχλ@ ἀνέρετο παμβασιλῆα.

Ἄλλως,

Γραμματέες μὲν ἔροντο, ἱερεῖς δὲ μὲν ἀρχιερῆες,
Ταῦτα τίνι κρήτει ἔρδει· ὁ δ' οὐκ ἀπαμείβετ' αὐτούς.

¶ Κεφ. λς, Περὶ τοῦ ἀμπελῶν@.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. τμ. ιβ, καὶ ἤρξατο αὐτοῖς ἐν παραβ. λέ-

Digitized by Google

γεν, Ἀμπελῶνα ἐφύτευσεν ἄνθρωπος, καὶ ἀπέδημησε χρόνον. Δικαιοῦ ὄχλον ἀπέλε σὺν ἡμῖν γηπόνος ὄχλος.

Ἄλλως,

Δίμοχθος, δίλυς καὶ ἀπέλεν παῖδα, γεωργοί.

¶ Κεφ. λζ, Περὶ τῶν ἐπερωτησάντων δῆθ τὸ κλῆσον.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. ἡμ. ιβ, Καὶ ἀποκρίθ. πρὸς αὐτὸν τινὰς τῶν Φαρ. [καὶ μετ' ὀλίγα] Διδάσκ. οἴδαμεν ὅτι ἀληθ. [καὶ τὰ ἑξῆς] Ἔξεσι κλῆσον Καίσαρι δῦναι, ἢ οὔ;

Ἀνδρείοις ἐγκαθέτοισι μέγας λόγος ἔνεκα κλήσου.

Ἄλλως,

Ἐγκάθετοι φῶτ' τῶν Φαρισαίων Χριστὸν ἔφαντα, Ἔξεσι κλῆσον Καίσαρι δῦναι, ἢ οὔ;

¶ Κεφάλαιον λη, Περὶ τῶν Σαδδουκαίων.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. ἡμ. ιβ, Καὶ ἔρχονται Σαδδ. πρὸς αὐτὸν, οἵτινες λέγ. ἀνάστασιν μὴ εἶναι· καὶ ἐπηρ.

Καὶ τέρατ' οὐκ αἰδῆλα Σαδδουκαίοισι μεθήλει.

Ἄλλως,

Ἀθάνατόν τινα πρῶτον ὁ Σαδδουκαῖος ἐφυτῷ.

¶ Κεφάλαιον λθ, Περὶ τῆς γραμματέως.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. ἡμ. ιβ, Καὶ προσελθ. εἷς τῶν γραμμ. ἀκούσας αὐτῶν συζητούντων, εἰδὼς ὅτι καλῶς αὐτοῖς ἀπεκρίθη, ἐπηρώτησεν αὐτὸν, Ποία ἐστὶ πρώτη πασῶν ἐντολή;

Καὶ τις αὐτῆς ἀγέρωχος ἀνήρετο ἀμφὶ ἐφετμῆς.

Ἄλλως,

Εἷς τῶν γραμματέων τίς πρώτη ἤρετ' ἐφετμή.

¶ Κεφ. μ, Περὶ τοῦ τῶ Κυρίῳ ἐπερωτήσεως.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. ἡμ. ιβ, Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἔλεγε, διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ, Πῶς λέγουσιν οἱ γραμμ. ὅτι ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς ἐστι Δαβίδ;

Ἐκ γραφικῆς ἧς λόγιοι ἐδείκνυον αὐτὸν ἄναλκα.

Ἄλλως,

Πῶς ἐμὲ (ἐν ἱερῷ Χριστὸς τάδ' ἔφασκε διδάσκων) Γραμματέες φασὶν τοῦ Δαβὶδ ἔμεθλον υἱόν;

¶ Κεφ. μα, Περὶ τοῦ τὰ δύο λεπτὰ βαλόντος.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. ἡμ. ιβ, Καὶ καθίσας ὁ Ἰησ. κατέναντι τοῦ γαζοφ. [καὶ μετ' ὀλίγα] καὶ ἐλθ. μία χήρα πτωχὴ ἔβαλε λεπτὰ δύο.

Λεπτὰ δύο προσφέρουσα γυνὴ παιάκομος ἴσον.

Ἄλλως,

Παίμμεγα δῶρον ἔφη πτωχῆς δύο λεπτὰ γυναικός.

¶ Κεφ. μβ, Περὶ συντελείας.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. ἡμ. ιγ, Καὶ καθημένου αὐτοῦ εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν κατέναντι τοῦ ἱεροῦ, ἐπηρ. αὐτὸν κατ' ἰδίαν Π. καὶ Ἰακ. καὶ Ἰω. καὶ Ἀνδρ. Εἰπὲ ἡμῖν πότε ταῦτα ἔσαι, καὶ τί τὸ σημεῖον ὅταν μέλλη πάντα ταῦτα συντελεῖσθαι.

Καὶ χρόνος ἔστετ' (ἔφασκεν) οὐ μὲ χρόνος ἔστι) ἄλλος.

Ἄλλως,

Τῆς ἱερῆς φρενὸς πόλος πόσμα τε τελθυτιῶ.

¶ Κεφ. μγ, Περὶ τῆς ἡμέρας καὶ ὥρας.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. τμ. ιγ, Περὶ δὲ τῆς ἡμ. ἐκείνης καὶ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγ. οἱ ἐν οὐρανῷ.

Τοτατον ἦμαρ (ἔφησεν) ἐπέρχεται ὅτε θύελλα.

Ἄλλως,

Βροτοῖς θεῷ μόνῳ ἐγνωσμένη ἐσχάτη ὥρα.

¶ Κεφ. μδ, Περὶ τῆς ἀλειψάσης τὸν Κύριον μύρῳ.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. τμ. ιδ, Καὶ ὄντος αὐτοῦ ἐν Βηθ. ἐν τῇ οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ, κατακ. αὐτοῦ, ἦλθε γυνὴ ἔχουσα ἀλάβ. μύρου νάρδου πιστ.

Μύρα γυνὴ κατέχυτε, θεῷ δίμας ἀμφὶς ἔχουσα.

Ἄλλως,

Πολυτελὴς νάρδος Χριστῷ κατεχεῖτο κεφαλῇ.

¶ Κεφ. με, Περὶ τοῦ πάσχα.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. τμ. ιδ, Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμ. τῶν ἀζ. ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον, λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθ. αὐτοῦ, Πῦ θέλεις ἀπελθ. ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα; Καὶ λέγει.

Πάσχα δέ τοι ποιέοντο, θεῷ λόγε, κήρυκες ἐθέλει.

Ἄλλως,

Πάσχα ἑτοιμάζειν Χριστῷ πείθοντο μαθηταί.

¶ Κεφ. μς, Περὶ τῆς καρδούσης προφητείας.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. τμ. ιδ, Καὶ ἀψίας γενομένης ἔρχεται μὲ τῶν δώδεκα· καὶ ἀνακ. αὐτῶν καὶ ἐσθ. εἶπεν ὁ Ἰ. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι εἷς ἐξ ὑμῶν παραδώ.

Ἀνδρείοις αἱμαλίοις Χριστὸς μὴ χεῖρας ἔπηπτεν.

Ἄλλως,

Τὸν προδόσιον δυπνῶν προεθέσπισε Χριστὸς Ἰούδα.

¶ Κεφ. μζ, Περὶ τῆς ἀρνήσεως τοῦ Πέτρου.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. τμ. ιδ, Καὶ ἔσῃ τῇ Π. ἐν τῇ αὐλῇ πάτου, ἔρχεται μία τῶν παιδ. τοῦ ἀρχ. καὶ ἰδ. τὸν Π.

Τρὶς σε πρὸ φάτο Πέτρος, ὁδὶ ὤμνυτο μή σε προδοῦν, Ἄλλως, (τρὶς.

Ἔστι τρὶς ἕξαρνος γινώσκειν Πέτρος Ἰησοῦν.

¶ Κεφ. μη, Περὶ τῆς αἰτήσεως τοῦ σώματος τοῦ Κυρίου.

Μάρκ. ἐν τῷ Λατ. τμ. ιε, Καὶ ἤδη ὀψίας γενομέ. (ἐστὶ δὲ παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον) ἦλθεν Ἰωσὴφ ὁ ἀπὸ Ἁρμ. Καὶ χάριν ἐκ Πιλάτου, Χριστῷ δίμας ἔχεν Ἰωσήφ.

Ἄλλως,

Τὸ Χριστῷ δίμας Πιλάτου λάβε δῶρον Ἰωσήφ.

1. Διαγενομένου τοῦ σαββάτου] *Interjecto ſabbato.*
3. Ἀποκυλίσει] *Devolvet.*

DRUSIUS.

1. HOC caput libri Græciæ olim non habebant. Hieron. Epiſt. 149. quæſt. 3. *Omnes penè Græciæ libri hoc capitulum in fine non habent.* Zacharias Chryſop. Epiſc. pag. 364. ubi & de loco illo v. 2. *valde manè.* Vide de illo etiam Hieron. loco citato. Matthæus habet, *ſerò Sabbathi*, quo extrema pars ſabbathi ſignificatur. Luc. 24. 1. eſt ὄρθρου βαθέος *profundo diluculo.* Johannes ait σκοτίας ἔτι οὔσης. Quæ omnia in idem recidunt.

2. *Orto jam ſole*] Placet lectio vetuſti codicis ἀνατείλαντος ἤ ἡλίου, *oriente ſole*, i. jamjam exorituro. Nam erat adhuc crepuſculum, h. e. tempus inter lucem & tenebras medium. Notum autem ut participium præſens pro paulò pòſt futuro ſumatur.

14. *Noviſſimè recumbentibus illis undecim apparuit*, &c.] Hunc locum citat Hieron. l. 2. adv. Pelag. cap. 6. ſed paulò aliter. Vide, ſi placet.

15. *Omni creaturæ*] i. omnibus hominibus. Ut *creaturæ* nomen ad omnes homines reſtringitur, ſic Eva vocatur *mater omnium viventium*, i. hominum. Sic etiam *carnis* vocabulum, quòd latiùs patet, de ſolis hominibus uſurpatur. Ebraicè כל־בשר, vel כל־רוח *creaturæ* uſquam non occurrit.

GUALTPERIUS.

1. Ἠγόρασαν ἀρώματα, *emerunt aromata*] Ἄρωμα, *aromatis*, *Aroma*, *odoramentum*: utriuſque linguæ. Latinis tamen in plurali uſurpatur numero. Ἀρωματίτης οἶνος, *Aromatites vinum*, cinnamomo & Saccharo conditum: Plin. lib. 14. cap. 16.

GROTIUS.

OMiſſam à Marco Reſurrectionis hiſtoriam, quæ Euangelii vel potiſſima pars eſt, indignum ſit creditu. Scriptam ab ipſo, ſed perditam, & ab alio partem hanc ſuppletam, æquè mihi videtur incredibile. Unde enim iſta labes advenire potuit libro qui ſtatim ut eſt editus haud dubiè plurimis exemplis deſcriptus, & longè latéque diſtractus eſt? Tum verò qui ſupplevit, cur non ipſa ſecutus eſſet Matthæi verba? Adde jam quòd Latinus, Syrus, Arabs agnoſcunt, &, cujus magna in hac re debet eſſe auctoritas, Irenæus. Quare quod in quibuſdam Græcis exemplaribus hæc pars aut tota, aut ab illis verbis ἀναστὰς [*ſurgens*] (nam in verbis ἐφοβοῦντο γάρ [*timebant enim*] deſiſſe quoſdam libros & Gregorius Nyſſenus docet & manuſcripti quidam oſtendunt) omiſſa fuit, exſcriptoribus tribuendum eſt; qui in hac parte eſſe putaverunt cum Matthæi verbis ἄσπονδον πόλεμον [*pugnam irreconciliabilem*], quam omiſſionis cauſam & Hieronymus reddit; cùm res longè aliter ſe habeat, ut ab aliis demonſtratum eſt, & nos ad Matthæum breviter attigimus.

1. διαγενομένου τοῦ σαββάτου, *cùm tranſiſſet Sabbatum*] *Cùm interceſſiſſet Sabbatum.* Ita Plato, διακοσίων ἐτῶν διαγεγονότων [*cùm interceſſiſſent anni ducenti*]. Lucas Actor. xxv, 13. Ἡμερῶν τινῶν διαγενομένων [*Cùm dies interceſſiſſent aliquot*]

& xxvii,

& XXVII, 9. ἱκανοῦ δὲ χρόνου διαγενομένου [*cùm autem multùm interceſſiſſet temporis*]. ¶ ἠγόρασαν, *emerant*] *Jam erant habebant*, ut ad Matthæum diximus.

2. ἀνατείλαντ@ τ ἡλίου. *orto jam Sole*] Aoriſtus hic non exactum tempus ſignificat, ſed adhuc durans. Vide Matth. XVII, 17. Quare duæ illæ lectiones ἔτι ἀνατείλαντ@ [*adhuc orto*], cujus Nyſſenus meminit, & ἀνατείλαντ@ [*oriente*], quam exemplaria nonnulla præferunt, natæ ſunt ex interpretamento.

3. ἔλεγον πρὸς ἑαυτὰς, *dicebant ad invicem*] Nam cuſtodiam appoſitam ignorabant, quia id factum erat dum ipſæ Sabbato diſtinebantur.

4. ἦν γὰρ μέγας σφόδρα. *erat quippe magnus valde*] Ἔκλυσις [*defectus*]. Senſus enim eſt, *quod commodè ipſis evenit; quia magnum erat ſaxum.*

5. εἰς τὸ μνημεῖον, *in monumentum*] non in ſpecum, ſed intra ſeptum, ut ad Matthæum diximus. ¶ ἐν τοῖς δεξιοῖς, *in dextris*] Super avoluto ſaxo. ¶ στολὴν, *Stolam*] Id eſt, ποδήρη [*talarem*], ut ad Matthæum notavimus.

7. καὶ τῷ Πέτρῳ, *& Petro*] Strabo libro octavo σχῆμα [*figuratum loquendi genus*] eſſe ait non infrequens συνηθίζειν τὸ μέρ@ τῷ ὅλῳ [*poſt totum partem eloqui*], adducens tum alia, tum illud Alcmanis,

Κύπρον ἱμερτὰν λιποῦσα καὶ Πάφον ἀφαρήτην.
[*Splendidam Cyprum relinquens & mari ſpærſam Paphum.*]

& Æſchyli,

Κύπρῳ Πάφῳ τ' ἴσχουσι πάντα κλῆρον.
[*Cypri Paphique jura ſumma habentem.*]

Sic apud Homerum, Φοινίκην τε Σιδονίους τε Τρῶας καὶ Ἔκτορα δῖον· Ἴδην τε Γάργαρον τε Χαλκίδα τ' Εἰρετρίην τε [*Phœnicen & Sidonios; Troas & Hectora; Iden & Gargaron; Chalcidáque Iretriamque*]· quæ notata Euſtathio ad Odyſſeæ A. Donatus ad Prologum Andriæ, *Quod eſt ſummæ auctoritatis, Ennium ultimum dixit.* Servius ad I Æneid.

——— *Danaûm atque immitis Achilli:*

Bene ſecundùm Homerum ſegregavit Ducem à populo. Idem obſervat in illo III Æneid.

Delectos populi ad proceres ipſumque parentem.

Et ad X. *Poſt generalitatem intulit ſpeciem.* Tale & illud in VIII.

——— *ventis & Japyge ferri.*

Ferme autem ubi generi ſpecies ſubjungitur (*ſpeciem* hic Juris conſultorum more uſurpo) in ſpecie aliquid eſt eximii, ut Pſalm. XVIII, 1. II Sam. II, 30. I Regum XI, 1. Actor. I, 14. Petrus autem peculiariter hîc nominatur, ut dux Apoſtolici cœtus, ac proinde exemplum inſigne propoſitum omnibus infirmitatis humanæ, ſeriæ pœnitentiæ & inſtauratæ fidei. Apparet hîc illud de quo Chriſtus dixit, Angelorum gaudium ſuper converſo peccatore.

8. οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον· *nemini quicquam dixerunt*] Obvio ſcilicet; idque præ metu Judæorum. At Apoſtolis renuntiarunt non repertum ſibi corpus, ſed Angelos viſos qui Jeſum dicerent vivere, Lucæ XXIV, 22, 23.

9. Ἀναστὰς δὲ, *Poſtquam reſurrexerat*], Narraverat Angeli teſtimonium; nunc ad ipſius Jeſu ἐπιφανείας [*appariciones*] tranſit: Quarum prima contigit Mariæ Magdalenæ. Itaque ἀναστὰς eſt *ille ipſe qui reſurrexerat*, non autem *ſimulatque reſurrexerat*. Sic infrà ἀυτὸν ἐγηγερμένον [*ipſum excitatum*] perſonam notat, non tempus. Hoc qui non intellexerunt, expunxerunt hoc comma, ſimili temeritate qua totam hanc lectionem à quibuſdam omiſſam diximus. ¶ πρωΐ, *manè*] *Manè jam claro*, cùm illud quod priùs narravit accidiſſet λίαν πρωΐ [*valde manè*], ut ad Matthæum obſervatum eſt.

10. τοῖς μετ' αὐτοῦ γενομένοις, *his qui cum eo fuerant*] Τοῖς ἀδελφοῖς [*fratribus*] Matthæus; Petro nimirum & Johanni, & qui cum ipſis erant. ¶ πενθοῦσι καὶ κλαίουσι. *lugentibus & flentibus*] Lugentibus amiſſum Magiſtrum.

11. ἀκούσαντες ὅτι ζῇ, *audientes quia viveret*] Id eſt, ἀκούσαντες ὅτι ὁ ἄγγελ@ εἶπεν αὐτὸν ζῆν [*audientes ab Angelo dictum, vivere ipſum*]. Hoc enim ad primam illam hiſtoriam refero: quod ſequitur ad ſecundam. Confer locum quem dixi Lucæ XXIV, 23. ¶ καὶ ἐθεάθη ὑπ' αὐτῆς, *& viſum eſſe ab ea*] A Magdalena. Johannes, Ἔρχεται Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ ἀγγέλλουσα τοῖς μαθηταῖς ὅτι ἑώρακε τὸν Κύριον [*venit Maria Magdalena annuntians Diſcipulis, quòd Dominum vidiſſet*]. ¶ ἠπίστησαν, *non crediderunt*] Rei magnitudini fidem ſuperante. Lucas, Ἐφάνησαν ἐνώπιον αὐτῶν ὡσεὶ λῆρ@ τὰ ῥήματα αὐτῶν, καὶ ἠπίστουν αὐταῖς [*Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba ipſa: & non crediderunt illis*].

12. δυσὶν ἐξ αὐτῶν, *duobus ex his*] Τῶν μετ' Ἰησοῦ γενομένων [*eorum qui cum Jeſu fuerant*], ut ſuprà dixit. Nam hoc nomine etiam alii extra XII cenſentur, præcipuè qui de numero erant illorum Septuaginta. Quare immeritò Euthymius hîc aliam putat hiſtoriam indicari quàm eam quæ à Luca copiosè deſcribitur. ¶ ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, *in alia effigie*] *Habitu alio quàm quo uti ſolebat.* Ideo πάροικον [*habitantem in proximo*] putabant. Ex vultu quò minùs ipſum agnoſcerent, oculi Divinitus impediebantur. Ita optimè puto conciliari Marcum cum Luca. Et ſimile contigit circa Magdalenam: nam habitum habebat olitoris, vultum ſuum, ſed qui non repente agnoſceretur. Sic & ſuprà μετεμορφώθη [*transformatus eſt*] ad habitum refertur IX, 2, 3. ¶ πορευομένοις εἰς ἀγρὸν. *euntibus in vicum*] In pagum qui erat extra Urbem, Emmauntem ſcilicet. Solent enim Hebræis opponi עיר & כפרים, Helleniſtis πόλις & ἀγρὸς [*urbs & rus*], ut Deut. XXVIII, 3.

13. οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν. *nec illis crediderunt*] Plerique eorum ſcilicet. Nec obſtat quod Lucas ait, antequam illi duo adventarent, Simoni viſum fuiſſe Jeſum, idque ipſum cœtui renuntiatum. Nam & hoc in animum non ſatis admittebant. Imò & cùm Jeſus jam ſupervenîſſet, adjicit Lucas ἔτι ἀπιστούντων [*adhuc illis non credentibus*]. Hæc omnia eò pertinent ut nos firmiùs credamus his qui ipſi tam tardè crediderunt.

14. Ὕστερον, *Poſtea*] Ὕστερον non eſt *Poſtremò*, ſed *deinde*. Thucydides μικρὸν ὕστερον [*paulò poſt*] dicit, Plutarchus ὀλίγον ὕστερον [*exiguo poſt tempore*], cùm quid volunt paulò poſt factum ſignificare. Ego totus aſſentior referentibus hæc Marci verba ad eandem hiſtoriam quæ eſt apud Lucam XXIV, 36. Quare ὕστερον [*poſtea*] hic parvi temporis intervallum ſignificat, ut Matth. IV, 2. aut idem eſt quod ἄνωθις [*rurſum*], ut interdum ſumi ſolet. ¶ ἀνακειμένοις αὐτοῖς, *recumbentibus illis*] In fine cœnæ: neque enim repugnat intervalli & temporis ratio, ut ad Lucam patefcet. Videntur autem Apoſtoli ad convivia ſua uſi eodem illo cœnaculo quo Chriſtus poſtremò uſus fuerat. ¶ σκληροκαρδίαν· *incredulitatem*] Σκληροκαρδία [*duritiem cordis*] hîc dicitur quomodo ſuprà VI, 52. ἦν γὰρ καρδία αὐτῶν πεπωρωμένη [*obcallucrat enim cor eorum*]. Alibi & hæc & illa vox gravius malum ſignificat; ut ad dictum locum annotavimus.

15. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς, *Et dixit eis*] Toto ſcilicet XL dierum tempore tum in Judæa tum in Galilæa his de rebus illos eſt allocutus. Ideo mox commate 19. ſubjicit μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς [*cùm locutus eſſet eis*]. ¶ εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, *in mundum univerſum*] Benignè hoc intelligendum, ut gens nulla excludatur, & excitentur Apoſtoli ad ſpargendum quàm latiſſimè poſſent Euangelii ſemen. Sic & infra dicitur πανταχοῦ [*ubique.* ¶ πάσῃ κτίσει. *omni creaturæ*] Hebræi Hominem κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] vocant בריאה [*creaturam*], ut excellentiſſimum Dei opus.

16. Ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθείς, *Qui crediderit & baptizatus fuerit*], Id eſt, qui non crediderit tantùm contemplativè, ſed actu quoque fidem iſtam profeſſus fuerit. *Nam corde creditur ad juſtitiam, ore fit profeſſio ad ſalutem*, Rom. X, 10. Hæc autem profeſſio à ſolemni ejus exordio Baptiſmus vocari ſolet. ¶ σωθήσεται· *ſalvus erit*] Accipiet remiſſionem peccatorum, Spiritum Sanctum, & vitam æternam. Hæc enim omnia vox iſta complecti ſolet. ¶ ὁ δὲ ἀπιστήσας, *qui verò non crediderit*] *Qui non crediderit Euangelio*, ita ut oportet ſcilicet, id eſt, cum ſanctæ vitæ profeſſione. Ita ὁ ἀπιστήσας [*qui non crediderit*] opponitur & Credenti & Baptizato. ¶ κατακριθήσεται. *condemnabitur*]. Retentione peccatorum, obduratione & ſupplicîis æternis majoribus quàm quæ eos manent quibus hic ſermo non eſt annuntiatus.

17. τοῖς πιστεύσασι, *iis qui crediderint*] Non omnibus omnia. Sunt enim διαιρέσεις χαρισμάτων [*diſtributiones gratiarum*], I Corinth. XII, 4. Ita tamen ut cuilibet ut oportet credenti aliqua tunc data ſit admirabilis facultas, quæ ſe non ſemper quidem ſed data occaſione explicaret. Hoc enim ſignificat Joëlis vaticinium cùm ait, ἐπὶ πᾶσαν σάρκα [*ſuper omnem carnem*], nempe τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ [*ſervorum Dei*]. Chryſoſtomus in VIII. ad Romanos, διάφορα πᾶσι τοῖς τότε βαπτιζομένοις ἰδίᾳ χαρίσματα ὁ Θεὸς, ἃ δὴ καὶ πνεύματα ἐκάλουν [*varia tunc dedit Deus dona omnibus baptizatis, qui & ſpiritus vocabantur*]. ¶ δαιμόνια ἐκβαλοῦσι· *dæmonia ejicient*] Primo loco hoc donum ponit Marcus;

quia communiter dabatur omnibus credentibus: quod verum eſſe etiam ſeculorum temporum hiſtoria evincit. Juſtinus Martyr Colloquio cum Tryphone, Καὶ νῦν ἡμεῖς οἱ πιστεύοντες ἐπὶ τὸ σταυρωθέντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου Ἰησοῦν Κύριον ἡμῶν τὰ δαιμόνια πάντα καὶ πνεύματα πονηρὰ ἐξορκίζοντες ὑποτεταγμένα ἡμῖν ἔχομεν [*Et nunc nos qui credimus in eum qui crucifixus eſt ſub Pontio Pilato, Jeſum Dominum noſtrum, dæmonia omnia & malos ſpiritus exorcizamus & ſubjectos nobis habemus*]. Et alibi, Ἃ καὶ τίνι ἢ ὀνόματι ἰσχύει καὶ τὰ δαιμόνια τρέμει· Καὶ σήμερον ἐξορκιζόμενα κατὰ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου ἢ γενομένου ἐπιτρόπου Ἰουδαίας ὑποτάσσεται [*vim nominis ejus etiam dæmonia perhorreſcunt: & nunc quoque adjurata per nomen Jeſu Chriſti, qui crucifixus fuit ſub Pontio Pilato Judæa Procuratore, obediunt*]. Ex quibus locis etiam formulam in exorciſmis antiquitus uſurpatam eſt diſcere. Irenæus libro II. Οἱ μὲν γὰρ δαίμονας ἐλαύνουσι βεβαίως καὶ ἀληθῶς, ὥστε πολλάκις καὶ πιστεύειν αὐτοὺς ἐκείνους καθαιρεθέντας ἀπὸ τῶν πονηρῶν πνευμάτων καὶ εἶναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ [*Nam & dæmonas ejiciunt re ipſa & cum fiducia, itaut ſæpe qui ſic à malis ſpiritibus purgantur credant & ipſi, Eccleſiæque accedant*]. Origenes ad celſum ait, Τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ καθ' ἑαυτὸ τῶν δαιμόνων ἐνεφάνιζεν αὐτοῖς μᾶλλον ὅταν οἱ λέγοντες ἀπὸ διαθέσεως ὑγιοῦς καὶ πεπιστευμένως γνησίως αὐτὸ λέγωσι [*Nomen Jeſu contra dæmonas pronuntiatum vim habere, maximè verò ubi qui id pronuntiant id faciunt ſano & ſicut oportet credente animo*]. Tertullianus Apologetico, *Educatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris quem dæmone agi conſtet. Juſſus à quolibet* CHRISTIANO *loqui ſpiritus ille tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo.* Rurſum, *Atquin omnis hæc noſtra in illis* (dæmonibus) *dominatio & poteſtas de nominatione Chriſti valet, & de commemoratione eorum quæ ſibi à Deo per arbitrum Chriſtum imminentia exſpectant. Chriſtum timentes in Deo & Deum in Chriſto ſubjiciuntur ſervis Dei & Chriſti. Ita de contactu deque afflatu noſtro contemplatione & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus noſtris imperio excedunt inviti & dolentes, & vobis præſentibus erubeſcentes.* Et mox, *Quis autem vos ab illis occultis & uſquequaque vaſtantibus mentes & valetudines veſtras hoſtilius reperet? à dæmoniorum incurſibus dico, quæ de vobis ſine præmio, ſine mercede depellimus.* Minutius Felix, *Hæc omnia ſciunt plerique veſtrum ipſos dæmonas de ſemetipſis confiteri, quoties à nobis & tormentis verborum & orationis incendiis de corporibus exiguntur.* Mox, *Exſiliunt ſtatim vel evaneſcunt gradatim prout fides patientes adjuvat, aut gratia curantis adſpirat.* Origenes adversùs Celſum ſeptimo, Τὸ τῶν δαιμόνων γένος οὐκ ὀλίγοι τῶν Χριστιανῶν ἀπελαύνουσι τῶν πραγμάτων, σὺν ὑδρὶ φθέγγῳ ἢ μαγικῷ ἢ φαρμακώδει πράγματι, ἀλλὰ μόνῃ ἰσχυρᾷ ἢ ἐρωτήσεσιν ἁπλουστέραις, ἢ ὅσα ἂν δύναιτο προστάγειν ἁπλουστέρῳ ἀνθρώπῳ· οἷς ἐπίπαν γὰρ ἰδιῶται τὸ τοιοῦτον περίεστι, παρεισάγειν τῆς ἐν τῷ λόγῳ Χριστοῦ χάριτος τὸ τῶν δαιμόνων ἐντελὲς ἢ ἀσθενὲς, ἃ πάντως ἀτόμων φεύγει τὸ ἡγεμονικὸν ἢ εἴξαν ὑποχωρεῖν ἀπὸ ψυχῆς ἀνθρώπου ἢ σώματος, σοφῷ τινος ἢ δυνατῷ ἐν ταῖς λογικαῖς ἐπὶ τῆς πίστεως ἀποδείξεσιν [*Dæmonum genus multi Chriſtiani expellunt à poſſeſſis non ullâ re curioſa aut magicâ aut veneficâ, ſed ſolâ prece & nudis adjurationibus, quas adhibere poſſit homo ſimpliciſſimus; plerunque enim faciunt idiota, & quæ in verbo Chriſti eſt gratiâ exhibente dæmonas contemtibiles & invalidos, ut ad quos vincendos & cogendos exire de anima & corpore hominis opus non ſit aliquo viro ſapiente & potente ad fidem rationem argumentis muniendam*]. Lactantius, *Juſtos autem, id eſt, cultores Dei metuunt* (dæmones), *cujus nomine adjurati de corporibus excedunt; quorum verbis tanquam flagris verberati non modo dæmones ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt illa quæ in templis adorantur, & quod plerunque coram cultoribus ſuis faciunt, non utique in opprobrium religionis, ſed honoris ſui: quia nec Deo per quem adjurantur, nec juſtis quorum voce torquentur mentiri poſſunt.* Cùm verò multò etiam ſeriora ſecula plena ſint teſtimoniis ejus rei, neſcio qua ratione moti quidam id donum ad prima tantùm tempora reſtringant; quibus ut uberiorem fuiſſe miraculorum copiam, ad jacienda tanti ædificii fundamenta contra vim mundi, facilè concedo, ita cum illis exſpiraſſe hanc Chriſti promiſſionem cur credamus non video. Quare ſi quis nunc etiam gentibus Chriſti ignaris (illis enim propriè miracula inferviunt, 1 Corinth. XIV, 22.) Chriſtum, ita ut ipſe annuntiari voluit, annuntiet, promiſſionis vim duraturam arbitror. Sunt enim ἀμεταμέλητα τοῦ Θεοῦ δῶρα [*ſine pœnitentia dona Dei*]. Sed nos cujus rei culpa eſt in noſtra ignavia aut diffidentia id ſolemus in Deum rejicere. ¶ γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς· *linguis loquentur novis*] Hoc quoque donum latiſſimè patuit: non enim Apoſtolis tantùm & Euangeliſtis ſed aliis etiam multis credentibus fuit conceſſum, ut videre eſt Actorum X, 46. XIX, 6. & ex Epiſtola ad Corinthios. Καινὰς [*novas*] autem γλώσσας [*linguas*] dixit quibus quiſque loqui non ſoleret.

18. Ὄφεις ἀροῦσι· *Serpentes tollent*] Nimirum ἢ ἐὰν μὴ αὐτοὺς βλάψωσι [*& eis non nocebunt*], quod ex ſequentibus huc quoque referendum eſt. Χερσὶν eſt *manibus tollent*: ita vipera illa innoxia pendebat à Pauli manu. Notandum autem eſt omnia hæc σημεῖα [*ſigna*] non per ſe tantùm eſſe benefica, ſed & expreſſas in ſe continere imagines eorum beneficiorum quæ animis per Euangelium contingunt. ¶ κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν, *& ſi mortiferum quid biberint*] Quod quidam de Johanne Apoſtolo referunt, de Barſaba Euſebius ex Papia, de Victore milite Cilice martyrologium Adonis ad Pridie Eidus Maji, de Sabino Canuſino Epiſcopo Gregorius Turonenſis, de aliis alii. Sed & Thalmudiſtæ cognatum quendam Joſuæ filii Levi cùm venenum bibiſſet pronuntiato Jeſu nomine convaluiſſe narrant. ¶ ἐπὶ ἀῤῥώστους χεῖρας ἐπιθήσουσι, *ſuper ægros manus imponent*] Δῶρον ἰαμάτων [*donum Sanationum*] videtur communiter ferme conceſſum omnibus qui regimen Eccleſiæ acceperant, Jacobi V, 14. Nam manuum impoſitio viſibile ſignum eſt precationis cujus Jacobus meminit. Conjunxit ſignum rei ſignatæ Lucas, προσευξάμενος, ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ ἰάσατο αὐτὸν [*cùm oraſſet & impoſuiſſet ei manus, ſalvavit eum*], Actorum XXVIII, 8. Irenæus II, 57. Οὐκ ἴσμεν ἀριθμὸν εἰπεῖν τῶν χαρισμάτων ὧν ἡ πανταχοῦ ἐκκλησία παρὰ Θεοῦ λαβοῦσα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελεῖ [*Numerus referri non poteſt donorum, quibus Eccleſia per totum orbem à Deo acceptis, in nomine Jeſu Chriſti crucifixi ſub Pontio Pilato, quotidie utitur bono etiam Gentium*].

19. μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς, *poſtquam locutus eſt eis*] Cum omnia hæc præcepta & promiſſa illis dediſſet, nec quicquam jam reſtaret, niſi ut eadem per Spiritum Sanctum obſignarentur. ¶ ἀνελήφθη, *aſſumtus eſt*] Vocem hanc de Chriſti in cœlum Adſcenſione libenter Apoſtoli uſurpant, Lucas IX, 51. Actorum I, 2. II, 22. Paulus I Timoth. III, 16. Apud LXX Elias dicit Eliſæo II Regum II, 10. ἐὰν ἴδῃς με ἀναλαμβανόμενον ἀπὸ σοῦ [*ſi videris me aſſumi* ſive *tolli à te*] וְרָאִיתָ. Propterea quæ iidem Interpretes paulo pòſt וְעָלָה *adſcendit* vertunt ἀνελήφθη [*aſſumtus eſt*], ad ſenſum magis quàm ad vocem reſpicientes. Et erat inter Judæos liber veteres narrationes de Moſis corpore continens, cui nomen Ἀνάληψις Μωσέως [*Aſſumptio Moſis*]. Nec omittendum de Elia dici ἀνελήφθη ἕως εἰς τὸν οὐρανὸν [*aſſumtus eſt uſque in cœlum*] I Maccabæorum II, 58. de Chriſto verò non tantùm εἰς οὐρανὸν [*in cœlum*], ut hoc loco & alibi, ſed & εἰς οὐρανοὺς [*in cœlos*] Actorum II, 34. Epheſ. VI, 9. Coloſſenſ. III, 1. I Theſſal. I, 10. Hebræorum VIII, 1. de quo diſcrimine egimus ad Matth. III. ¶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν, *ſedet à dextris*] Quid hæc locutio ſignificet alibi diximus. Eſt autem ἐκάθισεν, *ſivit ſeſum*.

20. ἐξελθόντες, *profecti*] Ex Hieroſolymis, unde exire debebat ſceptrum Meſſiæ. Vide Actor. I, 4. ¶ ἐκήρυξαν, *prædicaverunt*] Dogmata Chriſti, Vitam ejus, Mortem, Reſurrectionem & in cœlum Adſcenſionem. ¶ τοῦ Κυρίου, *Domini*] Ita Jeſum in cœleſtem gloriam evectum vocare cœperunt Apoſtoli etiam ſine ullo nominis adjectamento. ¶ συνεργοῦντος, *cooperante*] Θεοῦ γάρ ἐσμεν σύνεργοι [*Dei enim ſumus adjutores*, inquit Paulus I Cor. III, 9. Idem, περισσότερον πάντων ἐκοπίασα· οὐκ ἐγὼ δέ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί *abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum*]. Idem alibi nuntiis verbi tribuit *plantare* & *rigare*, Deo autem *dare auctum*. Nimirum Fideles Euangelii præcones, ut veterum quidam non malè dixit, *& miniſtri ſunt Dei per effectum, & ſocii per voluntarium conſenſum.* ¶ δὲ τῶν παρακολουθούντων, *ſequentibus*] Sicut modò dixerat σημεῖα τοῖς πιστεύσασιν [*ſigna hæc ſequentur*].

ANNO-

ed by Google

ANNOTATA

Ad Euangelium ſecundùm

LUCAM.

CAP. I.

VALLA.

Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis;

3. Viſum eſt mihi aſſecuto à principio omnia, diligenter ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile.

4. Ut cogneſcas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem] Ut dixit Interpres *verborum*, λόγων, cur non dixit *verbi*, λόγυ, potiùs quàm *ſermonis*? cùm poſſit referri ad Jeſum, qui eſt *Verbum*, quem nunquam, quod memini, reperio appellatum *Sermonem*, niſi apud Lactantium, dum Græcam vocem transfert. Nec tranſtuliſſem *aſſecuto*, quòd idem eſt quod *conſecuto*; ſed *perſecuto*, ſeu *exſecuto*, ſive *ſectato*, παρηκολουθηκότι· neque *à principio*, ſed *altiùs*, ἄνωθεν, ſive *mihi repetenti altiùs omnia*. Neque eſt Græcè *veritatem*, ſed (ut ſi dicam) *certitudinem*, ἀσφάλειαν.

5. Et uxor illi de filiabus Aaron] *Uxor ejus* legendum eſt, genitivo, non dativo caſu, αὐτῦ.

6. Incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela] Maluiſſem uno verbo dicere, ut Græcè eſt, ἄμεμπτοι, vel *innoxii*, vel *intemerati*, vel *integri*, *inſontes*, quàm *ſine querela*, quorum non apertus ſenſus eſt, quòd videlicet nemo de ipſis quereretur, aut nemo eos vituperaret: Cùm præſertim reperiam in epiſtola ad Hebræos, 8. 7, 8. etſi pluribus verbis, tamen aliter tranſlatum, *Nam ſi illud prius culpâ vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur. Vituperans enim eos, dicit*, &c. *A culpa* enim *vacaſſet* idem eſt quod hic nomen ἀμεμπτί@. *Vituperans* quoque dicitur μεμφόμε@.

9. Ut incenſum poneret] Significantiùs Græcè dicitur θυμιάσαι, h. e. *thymiamata adoleret*, ſive *odores incenderet*. Idem eſt enim *thymiama* apud Græcos quod apud nos *incenſum*: ſi modò uſitatum eſt nomen & proprium *incenſum*: ſolemus enim dicere *odores*.

17. Ut convertat corda patrum in filios, & incredibiles ad prudentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam] Neſcio an aucupandæ varietatis gratiâ an per imprudentiam Interpres ità faciat, ut partem transferat, partem in Græcanica forma relinquat. Nam Græcè utrumque infinitivum eſt, *convertere*, ἐπιστρέψαι, & *parare*, ἑτοιμάσαι, ut utrumque fuerit convertendum aut per conjunctivum, *ut convertat* & *paret*; aut, quod vix Latinum eſt, per infinitivum, *convertere* & *parare*; aut, quod optimum eſt, per gerundium, quo Græci carent. Tale eſt in Pſalmis 10. 11. *Inſidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.* Cùm eſſet dicendum, *Inſidiatur ut rapiat pauperem, ut rapiat pauperem*, ſive, *Inſidiatur rapere pauperem, rapere pauperem*, vel, *Inſidiatur ad rapiendum pauperem, rapiendum pauperem, dum attrahit eum*: τῦ ἁρπάσαι πτωχὸν, ἁρπάσαι πτωχὸν ἐν τῷ ἑλκύσαι αὐτόν. Quid alia quærimus? nonne paulò pòſt ſequitur, v. 72. *Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti?* Illud, *Ad faciendam miſericordiam*, tranſfert ad formam Latinam, cùm ſit Græcè infinitivum, ποιῆσαι illud *memorari*, ut ſic dicam, informe, & in Græcanitate ſua reliquit, μνησθῆναι. Et iterum è diverſo, v. 76. *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus.* Cur non *ad parandum* ſicuti *ad dandam*, aut *dare* ſicuti *parare*? ἑτοιμάσαι ὁδὸς αὐτῦ, τῦ δῶναι γνῶσιν. Atque iterum, v. 79. *Illuminare iis qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Ἐπιφᾶναι, τ καθδῆναι. *Memorari* pro *recordari* rariſſimè reperias, niſi fortè apud aliquem veteriſſimum Poëtam. Etiam *incredibiles* pro *incredulos* perquam durum eſt, ἀπιθεῖς.

22. *Et manſit mutus*] Gr. *ſurdus*, κωφός.

27. *Mariam*] Non *Maria*, ut ſuperiùs dixi, Matth. 1. 16. accentu acuto, Μαριάμ.

28. *Ave gratiâ plena*] Non magis eſt *Ave* Græcè quàm *Salve*, Χαῖρε, cujus ſignificatio eadem eſt quæ *Gaude*. Nec duo verba ſunt Græcè *plena gratiâ*, ſed unum, κεχαριτωμένη· quòd ſi verbum transferatur è verbo, diceretur *gratificata*, quòd videlicet *in gratiam recepta* eſt. Unde Paulus cùm alibi tum ad Epheſios 1. 6. *In laudem gloriæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto*, ἐχαρίτωσεν.

29. *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus*] Meliùs in quibuſdam vetuſtis cod. legitur, *Quæ cùm vidiſſet*, ἰδοῦσα, quod à quibuſdam aliorum ſcripta ad ſuum ſenſum trahentibus non correctum ſed corruptum eſt. Nolo diſputare nunc quare ſit melius *Quæ cùm vidiſſet* quam *Quæ cùm audiſſet*, nè de fide Scripturæ dubitare videar.

32. *Et dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus*] Meliùs legitur in iis cod. ubi eſt *patris ſui*.

33. *Et regnabit in domo Jacob in æternum*] Gr. *in ſecula*, εἰς τοὺς αἰῶνας.

34. *Quomodo fiet iſtud?*] Gr. *Quomodo erit iſtud?* ἔσται.

46. *Magnificat anima mea Dominum*] Non magis in *Magnificat*, Græcè μεγαλύνει, eſt verbum *facio* quàm in *Beatam me dicent*, μακαριοῦσιν ver. 48. eſt verbum *dico*: ut perinde dicere liceat *magnum facit* pro *dicit*, ut *beatum dicit* pro *facit*. Reperimus in epiſtolâ Jacobi, 5. 11. *Et beatificamus eos qui ſuſtinuerunt*, μακαρίζομεν. Et in Pſal. 41. 2. *Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum*, μακαριεῖ.

48. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*] Gr. *in humilitatem*, ἐπὶ τ ταπείνωσιν, ut multis aliis in locis fit, velut in loco illo Pſal. 102. 17. *Reſpexit in orationem humilium.* Et magis eſt *inſpexit* quàm *reſpexit*, ἐπέβλεψεν. ¶ *Ecce enim ex hoc beatam me dicent*] Adverbium eſt Græcè cum articulo, non pronomen, quod modò implet ſenſum, ut intelligatur *ab hoc tempore*, ἀπὸ τῦ νῦν. Meliùs apud tranſlationem quam Ambroſius ſequitur, *Ecce enim à modò*. Idem dictum ſit de loco poſteriori, cap. 22. 69. *Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei*, ἀπὸ τῦ νῦν.

50. *Et miſericordia ejus à progenie in progenies*] Non rectè dicitur *à*, quia Græcè eſt *in*, & ſanè in quibuſdam atque adeò pleriſque editionibus legitur *in progenie*: quod tamen cum ſequenti non congruit, quòd diverſi caſus, *in progenie* & *progenies*. Ideóque vetuſtiores editiones habent *in progenies & progenies*. Græcè autem eſt *in progenies progenierum*, εἰς γενεὰς γενεῶν.

54. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ*] Veriùs illi codices in quibus legitur *memorari miſericordiæ ſuæ*. Quanquam Græcè non eſt *ſuæ*, ergò nec Latinè debet eſſe, μνησθῆναι ἐλέους.

55. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham & ſemini ejus in ſecula*] Ego dixiſſem *apud patres noſtros*, & *Abrahæ*, ut ſenſus eſſet apertior. Nam dativi caſûs *Abraham* τ πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, τῷ Ἀβραάμ. Dixiſſem inquam *apud*, ut in illo Johannis 1. 1. *Et verbum erat apud Deum*, πρὸς τ Θεόν.

Digitized by Google

Et in Epiſtola Pauli ad Corinthios 1. 16. 7. *Spero enim me aliquantulum tempus manere apud vos*, πρὸς ὑμᾶς. Sicut è diverſo illud in Pſalmo 5. 7. *Adorabo ad templum ſanctum tuum.* Eſt enim *ad templum adorare*, *juxta templum*; *apud templum* verò, *in templo adorare*, πρὸς ναόν. Quidam cod. habent *uſque in ſecula.* Hoc parùm intereſt: illud magis, quòd legendum eſt *in ſeculum*, non *in ſecula*, εἰς αἰῶνα.

66. *Quiſnam puer iſte erit?*] Eſt quidem Græcè neutri generis *quid*, ſeu potiùs *quod*, ſed reſpondet illi *puer*, quod eſt neutri generis, παιδίον. Sed nec Græcè eſt *putas*, ſed dictio quædam indeclinabilis, ut ego maluiſſem transferre, *Quiſnam puer hic erit?* Τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται; quod eſt audacius in Matthæo 18. 1. *Quiſnam putas major eſt in regno cœlorum?* Non enim erat interrogandus, *Quem majorem eſſe putas?* ſed planè, *Quis major eſt?* quia in Deo non eſt opinio, ſed ſcientia. Τίς ἄρα μείζων ἐστί;

68. *Quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ*] *Plebi* legendum eſt, non *plebis*, ſive *populo ſuo.* Nam *populum* ſignificat potiùs vox Græca, τῷ λαῷ αὐτοῦ. Etenim *populus* nunc ſignificat tam primores quàm plebem, ut cùm dicimus *populum Romanum imperaſſe omnibus Gentibus*: nunc ſignificat plebem, ut cùm dicitur, *Senatus populuſque Romanus.*

70. *Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum ejus*] Dicendum erat *Prophetarum ſuorum*, in quo nonnunquam decipit Interpretem vox Græca, αὐτοῦ.

73. *Juſjurandum quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis, ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi*] Græcè abeſt *ſe*, fortaſſis adjectum ab iis qui hunc locum exponunt, *quod Deus dabit ſe nobis*: quæ ſententia multum abeſt à veritate Græca. Quòd ſi ità tranſtulit Interpres, debuit ad rollendum dubitationem antepone re *ſe*, ſic, *Se daturum nobis*: quanquam Græcè non eſt futurum infinitivum, ϑ δώσειν.

77. *In remiſſionem peccatorum eorum*] Græcè eſt caſus ablativus, *in remiſſione*, ἐν ἀφέσει.

78. *In quibus viſitavit nos Oriens ex alto*] *Oriens* ſubſtantivum eſt, & apud Græcos gen. fem. ἀνατολή, ſignificatque ortum Solis, ſive locum unde Sol oritur. Per metaphoram dicitur Deus *Oriens*, ut Angelus *Lucifer*, Iſa. 14. 12.

79. *Illuminare iis qui*] *Illuceſcere* potiùs, ut *apparere* dicendum fuit, ἐπιφᾶναι. Nam *illuminare tibi* ſermo inſolens eſt.

REVIUS in VALLAM.

2. CUM *poſſit referri ad* JESUM, *qui eſt Verbum*] Jure merito hoc repudiat poſt Eraſmum Beza: ſed uterque interpretationem attulit nihilo meliorem. Eraſmus quidem hanc, *ac pars aliqua fuerant eorum quæ narrabam.* Atqui multùm diſtant *miniſtrum* aliquem *ſermonis* vocare & *partem eorum quæ narrantur.* Nam & tempora, & loca, & morbi ſanati, & dæmones ejecti, &c. ſunt pars eorum quæ in Euangelio narrantur, quæ tamen *ſermonis* ὑπηρέτας abſurdiſſime dixeris. Ut jam taceam exemplum incertum pro certo afferri ab Eraſmo, cùm ait ὑπηρέτας fuiſſe Apoſtolos *cùm Lazarum ſolverent*; id quod nuſquam perſpicuè dicitur, nec ſi diceretur à Johanne ad rem faceret, quando Lucas eorum rationem reddit quæ ipſe narraturus eſt, at is hiſtoriam Lazari non attingit. Sed fefellerunt Eraſmum verſiculi Virgiliani,

——— *quæque ipſe miſerrima vidi,*
Et quorum pars magna fui. ———

Eorum enim vim putat expreſſam à Luca iſtis verbis, αὐτόπται γ ὑπηρέται. Quaſi verò Æneas poſſit dici ὑπηρέτης Græcorum dum *Trojanas opes & lamentabile regnum eruunt*: de ea enim re ibi loquitur. Nihil falſius. Bezæ interpretamentum eſt *adminiſtri fuerunt ipſius rei*, propius quidem ad textum, ſed haud paulò periculoſius. Cujus enim *rei* fuerunt illi *adminiſtri?* Ejus videlicet quæ circa Chriſtum, & ab eo geſta eſt, quámque deſcribit Lucas. Fuerint egò miniſtri Conceptionis, Nativitatis, Mortis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Chriſti: hæc enim præcipua ſunt. At hoc falsò diceretur. Relinquitur Verbi & aliqua ex parte Miraculorum adminiſtratio: quod ſi ſic eſt, quid ad Hebraiſmum confugimus, & non ſimpliciter vertimus *adminiſtros verbi*, vel *ſermonis*, Euangelici videlicet, ut tantò habeantur ἀξιοπιστότεροι quod & oculati ſint teſtes & conſtituti præcones? ¶ *Quem nunquam, quod meminì, reperio appellatum* Sermonem, *niſi apud Lactantium*] Imò paſſim apud Cyprianum, Hilarium, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, Prudentium, Bedam, Anſelmum, Remigium, ac alios complures, ut eruditè & copiosè Eraſmus tum ad hunc locum, tum ad Johan. 1. tum Apologiâ in eam rem editâ demonſtravit. Tertullianus etiam multis locis vertit *Sermonem:* in Apologetico, *ſermonem* ac *rationem:* at lib. De Trinitate, (quem Novatiano potiùs tribuunt eruditi, Hieronymum ſecuti Apol. adv. Ruff. l. 2.) *verbum.* Lactantius De vera ſap. c. 7, 8. *ſermonem*, *verbum*, *rationem:* & cauſas addit non ſpernendas, quæ accuratioris diſquiſitionis ſunt, nec hujus loci. Reſpexit eò doctiſſimus Budæus l. 5. De Aſſe, p. 761. *Hic* (de Chriſto loquitur) *eſt enim Sermo, hoc Verbum, hæc Ratio, quibus Divinitatis principium ſummum, arcana ſacramenta mortalibus enarravit.* Vide omnino Heinſium, Exerc. ſacr. cap. 3.

6. *Inſontes*] Hoc Eraſmo non perinde probatur. *Major enim*, inquit, *quædam laus videtur eſſe ἀμεμπτον quàm eſſe Innoxium. Maximum enim eſt ſic temperare mores ut hominum judicio ſatisfacias*, &c. At Beza contrà, *cùm non ſit æſtimanda probitas ex vulgi judicio, qui fere optimos quoſque perſequitur, magis laudabilem ejus vitam eſſe putat qui nihil admiſerit juſta reprehenſione dignum, etſi ſæpiſſimè accuſatur, quàm qui flagitioſè vixerit, & nullum invenerit reprehenſorem. Itaque ἄμεμπτον dici putat, non qui improbis etiam ipſis ſatisfecerit, ſed qui vere fuerit*

Integer vitæ ſceleriſque purus.

Huic Bezæ ſententiæ album calculum apponimus, eâque Vallam probe vallatum exiſtimamus.

17. *Varietatis*] *Veritatis* perperàm in omnibus exemplaribus editum erat. ¶ Ut rapiat pauperem, rapere pauperem] *Pauperem* ſecundo membro ex textu & auctoris mente adjeci: aberat enim. ¶ Incredibiles *pro* incredulos] Aliter habent pleraque Vulgatæ exemplaria. Eraſmus tamen in tribus ità ſcriptum invenit: ipſe *inobedientes* vertit: recte, ſi ſenſum ſpectes, ſed, ut Bezæ videtur, parùm Latinè.

22. Surdus] Vide in Matth. 12. 22.

27. *Non* Maria] Vide principium Matthæi.

48. Ex hoc] Probam eam vocem eſſe à Suetonio in Claudio docet Eraſmus, *Atqui ex eo nunquam non in Senatu noviſſimus conſularium ſententiam dixit.*

50. Εἰς γενεὰς γενεῶν] Ità legit, notante Eraſmo, quiſquis fuit auctor Homiliarum in Lucam quas Origenis titulo legimus, hom. 8. & ipſe Eraſmus in uno duntaxat id ſcriptum reperit. Beza id etiam ſequitur; at Eraſmus, *εἰς γενεὰν καὶ γενεάν.*

55. *Apud Patres*] *Somnium eſt. An ſic Deus locutus eſt* APUD PATRES *ut nos loquimur* APUD JUDICEM *aut* PRINCIPEM? *Quod ſi alicubi* πρὸς *ſonat* APUD, *ut illic*, VERBUM ERAT APUD DEUM: *non ſtatim oportet ubique idem exigere*, Eraſmus.

77. In remiſſionem] Verſus iſte ante 73. perperam erat poſitus.

78. Ἀνατολή] Et hoc luxatum. ¶ *Angelus* Lucifer] Imò Rex Babylonis: inſpiciatur locus.

79. *Ut* apparere] Ità in omnibus exemplaribus, cùm *aut apparere* legendum ſit. ¶ Ἐπιφᾶναι] Trajectum erat.

ERASMUS.

1. QUONIAM *quidem*] Solus Lucas & præfatur operi ſuo, & nominatim dicat libros ſuos. Is tametſi cæteris purior eſt ac dilucidior in eloquendo, ob Græcarum peritiam literarum, quam in Catalogo ſcriptorum tribuit illi Hieronymus, tamen multum & ipſe admiſcet ex idiomate ſermonis Hebraei. Cæterùm quod hîc vertit ἐπειδήπερ *Quoniam quidem*, haud ſcio num apud emendate loquentes reperiatur *Quoniam quidem* in priore ſermonis parte. Ego maluiſſem *Quoniam*, aut *Poſtquam*, aut *Quandoquidem.* Quanquam haud omnino male vertit ἐπεχείρησαν *conati ſunt*; ut intelligamus illos voluiſſe magis quam præſtitiſſe, & tentaſſe rem veriùs quàm effeciſſe. Neque enim Matthæi tantùm id temporis exſtabat Euangelium aut Marci, ſed multa ferebantur Euangelia, Nazarænorum, Thomæ, Matthiæ, ſecundùm Ægyptios, ſecundum Duodecim, Nicodemi, atque item aliorum, quæ deinde velut apocrypha rejecit Eccleſia. Porrò ἐπιχειρεῖν propriè eſt *Aliquid in manus ſumere & aggredi.* ¶ *Ordinare narrationem*] Ἀνατάξασθαι. Quod ego vertiſſem *digerere*, ſive *contexere*: ſiquidem id eſt in ordinem diſponere, quòd cæteri carptim, aut non juxta perpetuam rerum geſtarum ſeriem, prodidiſſent quædam. Quin & Matthæus ipſe, quanquam cæteris eſt plenior, & ab ipſa Chriſti nativitate exorditur hiſtorico more, tamen totam fere

puericiam

pueritiam & adoleſcentiam Chriſti prætermiſit. Porrò Marci Euangelium ejus quod à Matthæo proditum eſt videri poſſit epitome, multa prætermittens, & hiſtoriam Euangelicam auſpicans à prædicatione Johannis. Johannis quædam attingit carptim, velut ab aliis omiſſa. Proinde Ambroſius tribuit Lucæ ſtilum hiſtoricum ceu peculiarem. Cùm enim ſua ſingulis attribuiſſet, inquit, *At verò ſanctus Lucas velut quendam hiſtoricum ordinem tenuit, & plura nobis geſtorum Domini miracula revelavit; ità tamen ut omnes ſapientiæ virtutes Euangelii iſtius complecteretur hiſtoria* Idem aliquantò pòſt, *Hiſtorico enim ſtilo diximus hunc Euangelii librum eſſe digeſtum. Denique deſcribendis rebus magis quàm exprimendis præceptis ſtudium uberius, comparatione aliorum, videmus impenſum. Et ipſe Euangeliſta hiſtorico more de narratione ſumpſit exordium,* FUIT, *inquit*, IN DIEBUS HERODIS REGIS JUDÆÆ, SACERDOS QUIDAM NOMINE ZACHARIAS; *eámque hiſtoriam plenâ digeſtione proſequitur.* ¶ *Quæ in nobis completæ ſunt rerum*] Quæſo quis ex hac interpretatione percipere queat quid ſenſerit Euangeliſta? Nec enim ſimpliciter accipiendum eſt acciditſſe quæ narraturus eſt, ſed *certiſſimâ fide comperta* eſſe & *argumentis indubitatis perſuaſa.* Id enim ſonat Græcis πεπληροφορημένων, à verbo πληροφορέω, quod eſt *plenam facio fidem.* Unde πληροφορία *certa fides quæ fit argumentis aut re exhibitâ:* & πληροφόρημα vocant quod nos vulgò dicimus *certificationem.* Et πληροφορεῖσθαι dicitur *cui certa ſit rei fides, ut jam nihil addubitet:* hinc voce compoſitâ, quòd *adducantur quæ ad plenam rei comprobationem requiri ſolent.* Proinde in epiſtola Pauli ad Romanos 4. 21. πληροφορηθεὶς Interpres vertit *pleniſſimè ſciens.* Et rurſum in eadem, c. 14. 5. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, Græcè eſt πληροφορείσθω, h. e. *Unicuique ſua mens ſatisfaciat, & in eo conquieſcat.* Utitur eodem verbo Paulus in aliis compluſculis locis, atque adeò Lucas ipſe in Actis Apoſtolorum; id quod indicabimus ſuo loco. Quin & Origenis interpres vertit ad hunc modum, *Quæ in nobis manifeſtiſſimè ſint oſtenſa:* & ſubjicit idem, πεπληροφορημένων, *quod uno verbo Latinus ſermo non explicat. Certâ enim fide & ratione cognoverat.* Quanquam ex his verbis colligere licet ſcriptorem hunc aut Paraphraſten Origenis fuiſſe non interpretem, aut nonnihil addidiſſe de ſuo, quo res eſſet explanatior. In eandem ſententiam interpretatur Theophylactus Græcus interpres recentior, ſed haudquaquam malus, meâ ſententiâ: Ait enim, Πεπληροφορημένων ἤ ἐπὶ πεφυγμένων· ἃ γὰρ τῷ φαλῶ παραδόσει εἶχε τὰ ἅγια Χριστοῦ, ἀλλ' ἐν ἀληθείᾳ καὶ βεβαίᾳ πίστει, καὶ μὴ πάσης πληροφορίας· πῶς δὲ εἶχε πεπληροφορημένα ταῦτα; εἰπὲ, ὦ Λουκᾶ· Καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τ λόγου, i. *Res autem geſtas dixit* πεπληροφορημένας. *Non enim geſta Chriſti ſimpliciter vulgarique more tradita ſunt, ſed verâ firmâque fide, cum omni certitudine conſtant. Sed age dic, Luca, iſtarum rerum certitudo? Sicut tradiderunt nobis ab initio qui ipſi ab initio ſpectatores ac miniſtri fuerunt eorum quæ narrant.* Indicat hujuſmodi nonnihil & Ambroſius, licet obſcuriùs, ſcribens hunc in modum, QUÆ IN NOBIS COMPLETÆ SUNT, *vel* QUÆ IN NOBIS REDUNDANT. *Quod enim redundat nulli deficit: de completo nemo dubitat, cùm fidem effectûs aſtruat, exitus prodat.* Ac mox, *Ergò fundatus in petra, & qui omnem fidei ſumpſerit plenitudinem firmamentumque conſtantiæ, recte dicit*, QUÆ IN NOBIS COMPLETÆ SUNT. Argutè quidem luſit in verbis Ambroſius, ſed interim gnarus Græcæ linguæ ſatis indicat vim Græcæ vocis πεπληροφορημένων. Neſcio an illud ſit operæ pretium adjicere, vocem hanc & ad rem accommodari, & ad perſonam. Nam & *cui perſuaſum eſt* πληροφορηθεὶς dicitur, & *quorum eſt facta fides* πεπληροφορημένα dicuntur, quemadmodum & *homini ſit fides*, & *rei fidem facimus.* Suetonius ſuo more Græcam locutionem referens ſcripſit in Tiberio, *Perſuaſioniſque plenus cuncta fato agi*, velut exprimens Græcam vocem πληροφορηθείς.

2. *Sicut tradiderunt*] Vel hinc liquet Lucam Euangeliſtam ab aliis audita ſcribere. *Traditur* enim id quod narratione transfunditur ab aliis in alios. Niſi ſic malumus accipere, *Sicut nobis tradiderunt* abſolutè dici; ut ipſe Lucas ſit è numero eorum qui tradiderunt, & *nobis* ad omnes referatur qui ex prædicatione Apoſtolorum Chriſtum didicerunt. Verùm id ut eſt à nemine dictum, ità coactius eſt, meâ quidem ſententiâ. Quorſum autem opus eſt hic laborare in probationibus, cùm D. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum ingenuè fateatur Lucam ea ſtilo fuiſſe proſecutum quæ ab aliis acceperat, ſed fidei certiſſimæ viris; h. e. non à quibuſlibet, ſed ab iis qui omnibus quæ narrabant interfuiſſent? Hieronymi verba ſuper hac re ſubſcribam, ſi quis forte requiret; *Et Lucam*, inquit, *non ſolùm ab Apoſtolo Paulo didiciſſe Euangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, ſed & cæteris Apoſtolis. Quod ipſe quoque in principio ſui voluminis declarat*, SICUT TRADIDERUNT NOBIS QUI A PRINCIPIO IPSI VIDERUNT, ET MINISTRI FUERUNT SERMONIS. *Igitur Euangelium ſicut audierat ſcripſit; Acta verò Apoſtolorum, ſicut viderat ipſe, compoſuit.* Et apertiùs etiam in præfatione quam præfixit Commentariis in Matthæum, *Tertius*, inquit, *Lucas medicus, natione Syrus, Antiochenſis, cujus laus in Euangelio, qui & ipſe diſcipulus Apoſtoli Pauli, in Achaia Bœotiaque partibus volumen condidit, quædam altius repetens, &, ut ipſe in proœmio confitetur, audita magis quàm viſa deſcribens.* Hactenus Hieronymus. Verùm de hoc paulò pòſt per occaſionem aliarum vocum aliquantò plura dicemus. Dubitari poterat utrò referenda eſſet hæc particula, *Sicut tradiderant nobis*; ad ſuperiora, ut ſit ſenſus, Certitudinem perſuaſionis hinc eſſe, quòd qui ea retulerant non ſolùm ipſi interfuerant, ceu teſtes ac ſpectatores rerum geſtarum, verùm ipſi quoque rerum aliquarum partem geſſiſſent; an ad ſequentia, ut ſit ſenſus; Se quoque velle contexere Chriſti vitam bonâ fide, quam totam plenéque à gravillimis autoribus didiciſſet. ¶ *Qui ab initio ipſi viderunt*] Quod Interpres circumlocutus eſt, *qui ipſi viderant*, Græcis eſt unica dictio αὐτόπται, à pronomine αὐτὸς *ipſe* & ὄπτω *video.* Certiſſimus enim habetur teſtis oculatus, ut ajunt. Hoc quoque indicio colligere licet Lucam non vidiſſe quæ ſcribit in hoc libro, cùm ipſe ſe ſcriptorem fateatur, illos αὐτόπτας, non à ſeſe ſed ab illis autoritatem fidémque mutuans. Cæterùm eos qui pars aliqua fuerunt rerum geſtarum vocat ὑπηρέτας, h. e. *miniſtros.* Subſervit enim qui adjuvat in re peragenda: αὐτόπται erant cùm cernerent ejicientem dæmonium, ὑπηρέται cùm ſolverent Lazarum, cùm & ipſi juſſu Domini ederent miracula, cùm illius causâ periclitarentur. Græci literatores vocem exiſtimant ductam ab ἐρετὸ & ἐρέσσειν, h. e. ab *ſubremigando*, quòd nauclero remiges ſubſerviant. Cæterùm quoniam durè videbatur Latinis dici *miniſter negotii*, non qui fuerat executor, ſed qui partem ipſe geſſerit ac paſſus ſit, maluimus ità reddere, *ac pars aliqua fuerunt eorum quæ narrabant.* Sic & Virgilianus Æneas ſibi fidem conciliat,

> —— *quæque ipſe miſerrima vidi,*
> *Et quorum pars magna fui.*

Hieronymus in præfatione quam edidit in omnia Euangelia paulò aliter legit, *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt ſermonem, & miniſtraverunt ei.* Neque verò quicquam ad rem facit quod argutatur Valla, hìc λόγου potiùs vertendum fuiſſe *Verbi* quàm *Sermonis*, quò commodiùs poſſit ad Chriſtum referri: quandoquidem hoc loco λόγου vocat ipſas res geſtas quæ narrantur: Qui ſermonis typus in libris Sacris haudquaquam eſt novus. Quod genus eſt 1 Reg. 15. 5. *Non declinaſſet ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ Ethæi.* Nihil enim hic dixiſſe fertur Urias, ſed intelligi voluit facinus nefarium quod David in illum perpetrarat, cujus rumor jam pervenerat ad multos. Nec huic arbitror diſſimile quod legimus apud hunc ipſum Euangeliſtam; *Videamus hoc verbum quod factum eſt nobis.* Sentiunt enim ſe velle experiri quod audierant nunciantibus Angelis. Nec illepidum eſt quod hìc philoſophantur Origenes & Ambroſius, quomodo verbum, quod magis auditu percipitur quàm oculis, hìc dicatur cerni, propterea quòd ait *videamus*, & hìc habetur αὐτόπται τῦ λόγου. Neque falſa eſt diſtinctio Verbi *ſubſtantialis*, ut appellant, *quod caro factum eſt*, & verbi *quod aëris ictu pertingit ad aures.* Neque non verum eſt, factis eſſe præſtandum quod intellectu cognoris, quódque animo deſtinaris. Nam huc detorquent illud *miniſtri verbi.* Sed tamen hoc in loco non videntur admodum tempeſtiva. Ubi allegoriæ nubilum admittit hujuſmodi conjecturas, non improbarim lectoris animum avocari ſimilibus commentatiunculis, nè vel deſperans deſinat legere, vel offenſus abſurditate ſenſûs hiſtorici reſiliat. In cæteris probarim ſenſum ſimpliciſſimum minimèque detortum in Sacris literis. Jam quòd negat Valla Chriſtum in myſticis literis uſquam *Sermonem* dici, ſed duntaxat *Verbum*, in promptu eſt refellere, cùm paſſim reperiatur, non apud Lactantium modò, quem is unum excipit, verùm etiam apud Cyprianum, Hilarium, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, Prudentium, & his recentiores Bedam, Anſelmum ac Remigium; quemadmodum ſatis declaravimus in Apologia quam hac de re conſcripſimus, & in Euangelio ſecundùm Johannem carptim attingemus.

3. *Aſſecutò*

3. *Aſſecuto omnia*] Παρηκολουθηκότι. *Aſſecuto* non eſt hic accipiendum quemadmodum utuntur Latini, quibus *aſſecutum omnia* dicitur is qui nulla in re fruſtratus ſit; quod Græci vocant τυχεῖν, cui diverſum eſt ἀτυχεῖν. Sed παρηκολουθεῖν eſt *aſſeſſare*, & *adeſſe*, & *ſubſequi* potiùs quàm *aſſequi*. Ut enim *aſſidere* dicitur *litera* qui nuſquam diſcedit à litera, ità παρηκολουθεῖν dicitur qui, quoquoversùm te conferas, adeſt & aſſectatur individuus comes. Neque verò deſunt qui ex occaſione hujus verbi ſic interpretentur, Lucam ab initio interfuiſſe omnibus quæ ſcribit. Sic enim illis, opinor, viſus eſt ſenſiſſe quiſquis fuit cujus exſtant in Lucam commentarii Adamantii titulo. Verùm huic interpretationi palàm reclamant ea quæ præcedunt in hoc ipſo ſermone Lucæ, quæ quantumvis torqueas, obſecro, num omnibus interfuit Lucas quæ narrat? num etiam colloquio Mariæ cum Angelo? num ſpectaculo Jeſu transfigurati? Quanquam ſi quis Origenis ſermonem diligentiùs expendat, ſentiet illum non hoc affirmare, quòd Lucas interfuerit omnibus quæ texit in hiſtoria, verùm negat ſe carptim ex rumore cognoviſſe, h. e. dubio atque incerto autore, ſed rem omnem ordine ex graviſſimis ac certiſſimis teſtibus. Verba ipſius ſubſcribam, *Viſum & mihi aſſecuto ab initio*] *Incuſpat ac replicat, quoniam ea quæ ſcripturus eſt, non rumore cognoverit, ſed ab initio ipſe fuerit conſecutus. Unde & ab Apoſtolo meritò collaudatur, dicente, Cujus laus eſt in Euangelio per omnes eccleſias.* Hactenus ille. Certe Lucas obambulans per omnes Eccleſias, non vidit ea quæ geſſit Chriſtus, ſed ab ipſis Diſcipulis & Apoſtolis cognovit ac didicit quæ geſſerat ac docuerat. Atque illos non eſſe vanos autores, & vita ipſorum ac miracula declarabant. Neque tamen hoc ſentio, πᾶσιν referendum ad Perſonam, ut intelligamus Lucam *omnibus Apoſtolis adfuiſſe*, ſed ad Rem, ut ſenſus ſit, Illum omnia ordine perſecutum, & ſic omnia cognoviſſe ex his qui quæ viderant memorabant, ut nihil prætermiſerit quod ad hiſtoriæ ſeriem pertineret. Auguſtinus De conſenſu Euang. l. 4. c. 8. legit *aſſecuto à principio omnibus*, ſervatâ conſtructione Græcâ. Scripſit autem non *omnia*, ſed *ex omnibus*, ut annotavit Ambroſius. Porrò ne quis nobis diffidat, uſus eſt hoc verbo Demoſthenes ἐν τῷ περὶ παραπρεσβείας, Ἵνα δὲ μὴ πολλὰς συγγνώμας παρ' ὑμῶν, ὁ ταῦτα πανηδύματα εἰδὼς ἐγὼ, καὶ παρηκολουθηκὼς ἅπασι, κατηγορῶ. Sentit autem non ſe fuiſſe ſpectatorem ac teſtem quæ geſſerat Æſchines, ſed omnia perveſtigaſſe. Idem alibi, Ἡμεῖς δὲ δικάσαι χρὴ παραπολουθήσαντες πᾶσι τοῖς λεγομένοις. Sequitur enim cogitatio judicis ordinem referentis. Et apud Galenum legimus παρηκολουθηκέναι τῇ θεωρίᾳ, quòd animi contemplatio ſequitur orationem: quod non faciunt ii qui parùm attenti ſunt iis quæ dicuntur. Uſus eſt aliquoties hoc verbo & Paulus in ſuis epiſtolis in eundem ferme ſenſum, velut 1 Tim. 4. 6. Ταῦτα ὑποτιθέμενος τοῖς ἀδελφοῖς, καλὸς ἔσῃ διάκονος Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως, ᾗ παρηκολούθηκας, *De his ſi commoneſeceris fratres, bonus eris miniſter Jeſu Chriſti, enutritus in ſermonibus fidei, & bonæ doctrinæ, quam uſque ſecutus es.* Neque enim aſſentior iis qui idem putant eſſe Græcis παρηκολουθεῖν & ἐντυγχάνειν ſive ἐφικνεῖσθαι: ſiquidem *aſſequimur* expetita ac difficilia, *aſſectamur* & παρηκολουθοῦμεν à quibus non recedimus. Qua de re plura dicemus in locum Pauli quem modò adduximus. ¶ Ἄνωθεν] Aut intelligendum eſt *ab initio* & *ordine*, ut intelligamus nihil prætermiſſum; aut *denuò* ac *de integro*, ut quod alii vel carptim vel parùm certâ fide narrarunt, ipſe denuo plenâ certiſſimâque fide iiſdem de rebus texat hiſtoriam. Siquidem hæc vox ἄνωθεν Græcis tria declarat; *deſuper*, h. e. è ſupernis; *ab integro* ſive *denuo*; *ab initio uſque ad finem*, ſive *à ſummo uſque ad imum.* ¶ *Optime Theophile*] Miror unde Lyranus ſuſpicatus ſit Theophilum Magnatem quempiam aut Principem fuiſſe quòd Lucas *optimi* cognomen addiderit. Itáne primates *optimos*, vocare ſolemus? aut num illius peculiare eſt *optimos* eſſe? Verùm id Lyranus in aliquo legerat gloſſemate, quod ut legere potuit ità ob inſcitiam Græcæ linguæ intelligere non potuit. Nam apud Græcos κράτος & robur ſonat, ſive *imperium*. Et κρατεῖν eſt *vincere*, ſive *compotem eſſe*. Unde Paulus in Actis Apoſtolorum Feſtum κράτιστον vocat, q. d. *plurimùm pollentem*. Id quod atteſtantur & interpretes Origenes, Theophylactus, Ambroſius. Quanquam κρείττων non ſolùm *potentiorem* ſignificat ac *ſuperiorem*, cui reſpondet ἥττων, verùm etiam *potiorem* ac *pluris faciendum*, cui ſuperlativi vice eſt κράτιστος. Qui vertit homilias Origenis in Lucam annotavit κράτιστον ſignificare *optimum* ſive *potentiſſimum*. Cæterùm Theophilus ſonat *Amans Dei*, ſive *Gratus Deo*; quod utrùm proprium ſit nomen an epitheton pii lectoris, alii diſputent. Ego proprium hominis vocabulum eſſe puto.

4. *Ut cognoſcas*] Ἵνα ἐπιγνῷς. Annotat & hoc Theophylactus, non dictum eſſe ἵνα γνῷς *cognoſcas*, ſed ἐπιγνῷς *agnoſcas*. *Cognoſcimus* enim quæ diſcimus antea nobis incognita. *Agnoſcimus*, quæ priùs utcunque novimus, velut faciem ante annos aliquot viſam agnoſcimus. Indicat hanc elegantiam duorum verborum & D. Hieronymus, cùm aliàs, tum in Apologiis adversùs Rufinum. ¶ *De quibus eruditus es*] Περὶ ὧν κατηχήθης. Olim qui Baptiſmatis eſſent candidati iis tradebantur fidei Chriſtianæ myſteria, ſed vivâ voce, ſine ſcripto, quemadmodum priſcis illis Theologis mos erat apud Ægyptios, & apud Gallos Druidibus. Id erat *initiari myſteriis*, quod Paulus & Lucas vocant κατηχεῖν· ἠχεῖν enim eſt *voce ſonare*. Indè κατηχεῖν *voce erudire*, *quæ ſcripto nolis committere*. Unde qui docebantur ad eum modum *Catechumeni* ſive κατηχούμενοι vocabantur; qui docebant, *Catechiſtæ*, quos Dionyſiacus interpres *ſuſceptores*, ut arbitror, nominat, vulgò *compatres* dicuntur. Uſurpavit hoc verbi Lucianus in Aſino, Ἐμὲ δ' αὐτίδωκεν ἀπελεύθερῳ τινὶ ἑαυτῆς νεανίσκῳ, ᾧ ὑπὸ κατηχεῖτο, ὅσα πολὺ μάλιστα ψυχαγωγεῖν αὐτὸν δυνάμενα, *Me verò tradidit libertino cuipiam ex ſuis adoleſcentulis, juſſitque ut doceret quæ facienda eſſent quibus maximè ſibi voluptati eſſe poſſem.* Ridicule Lucianus facit puerum Aſini *catechiſtam*. Etiamſi in Actis Apoſtolicis Lucas κατηχήθη uſurpavit pro *reſcivit*, ſive *edoctus eſt*, non de fidei myſteriis agens, ſed de Præfecto prænomito. Verùm Eccleſia ſic verbum hoc ſuum fecit ut non aliter quàm *Catechumenos* vocent, etiam ii qui quid ſit *Catechumenus* non intelligunt. Senſus igitur hic eſt, meo quidem judicio, ut ea quæ olim catechumenus vivâ voce didiciſti, nunc pleniùs ac certiùs ſcripto cognoſcas. Opponit enim hæc inter ſe ceu pugnantia, χρόνῳ & κατηχήθης. Quanquam, ut dixi, in Actis ſemel atque iterum uſus eſt hoc verbo κατηχήθη pro *auditum eſt* ſimpliciter. ¶ *Eruditus es, veritatem*] Græcis eſt non ἀλήθειαν ſed ἀσφάλειαν, i. *certitudinem*: nam veritas & fides conſtabat etiam iis quæ in catechiſmo didicerat. Cæterum ἀσφαλὲς dicitur *quod certum eſt ac tutum, & in quo nullum ſit lapſûs aut erroris periculum.* Hinc enim Græca vox dicta eſt a σφάλλομαι *labor*, & α particulâ privativâ. Certiùs enim ſcimus quæ ſcripto & ordine cognoſcimus, maximè ſi priùs eadem ab aliis audierimus, aut etiam ab iiſdem eadem: quandoquidem ipſa narrationis conſtantia cum primis fidem arrogat rebus.

5. *Fuit in diebus*] Ἐγένετο, *erat* potiùs. ¶ *De vice Abia*] Ἐξ ἐφημερίας. Græca vox evidentior eſt, indicans certos dies eſſe præſcriptos in quibus certi Sacerdotum ordines adminiſtrarent. Nec eſt *uxor ei*, dandi caſu, ſed αὐτῷ *illius*; atque ità legitur & in Latinis cod. emendatis: licèt ad ſenſum nihil referat.

6. *Sine querela*] Græcis unica dictio eſt, ἄμεμπτοι, quod ſonat q. d. *ejuſmodi ut de his nemo queri poſſit.* Dicere poterat *inculpati*, ſive *irreprehenſibiles*. Nam quòd mutat Valla *innoxii* ſive *inſontes*, mihi non perinde probatur. Major enim quædam laus videtur eſſe ἄμεμπτον eſſe quàm *innoxium*. Maximum enim eſt ſic temperare mores ac vitam omnem ut hominum etiam judicio ſatisfacias, ut improbis quoque quod in te eſt placeas. Porrò quod vertit *proceſſiſſent*, &c. Προβεβηκότες, uſitatiùs *provecta ætatis* dicimus.

8. *Factum eſt autem*] Hæc orationis forma frequens eſt apud Lucam: q. d. *Factum eſt ut Petrus me inviſeret*, pro eo quod erat, *Accidit ut me inviſeret.* ¶ *Cùm ſacerdotio fungeretur Zacharias*] Græcis pro *Zacharias* eſt αὐτὸν, quod tamen nihil refert ad ſenſum. Nec additur in Aureo codice, nec in Donatianicis, nec in Conſtantienſi. Pronomen αὐτὸς ità reddi poterat, *cùm is ſacerdotio fungeretur*. Et, *in ordine vicis*, rurſum eſt ἐφημερίας.

9. *Secundùm conſuetudinem ſacerdotii*] Non eſt Græcis ἱερωσύνης, ſed ἱερατείας, nomen ab eo verbo quod modò melius verterat *ſacerdotio fungeretur*. Potuit igitur & hîc transferre *juxta conſuetudinem functionis ſacerdotalis*. ¶ *Sorte exiit*] Græcis eſt ἔλαχε *ſortitus eſt*, quod Interp. ni fallor, volens dilucidiùs reddere, periphraſi verterat, *ſors exiit*, quòd ſortibus miſſis in urnam ſors aut illius aut illius *exiſſe* diceretur. Id aliquis depravavit in *ſorte exiit*: proinde nos vertimus *ſorte illi obvenit*. Alioqui Zacharias ingreſſus eſt, non exiit. Quod ſubindicat Ambroſius, *ſorte ergò eligebatur*, inquit, *ut introiret in Templum Sacerdos*. Sermo perinde ſonat quaſi inter Sacerdotes ſortitio facta ſit quis ingrederetur immolaturus incenſum: Et tamen quidam, quorum eſt Beda, putant illi ſuum Sacerdotium priùs obtigiſſe ſorte: quod an verum ſit, aliis judicandum relinquo. Nam fieri poteſt ut inter plures Sacerdotes primarios in ipſa functione ſors deligeret ingreſſurum. ¶ *Ut incenſum poneret*] Τῷ θυμιάσαι, *ut adoleret thymiamata*, ſive *odores incenderet*. Nam *incenſum* non probatur Laurentio, quòd ea vox

vox non per omnia reſpondeat huic rei. Latini *ſuffitum* vocant. Quanquam mox quoque *hora incenſi* vertit, Θυμιάματος· & paulò pòſt denuò, *à dextris altaris incenſi.*

11. *Apparuit autem*] Non eſt ἐφάνη, ſed ὤφθη *viſus eſt*, ſive *conſpectus eſt.* Nam *apparent* & quæ non ſunt: quanquam non reprehendo quod tranſtulit Interpres. Hoc indicare viſum, quòd Auguſtinus epiſt. 112. ſecutus Ambroſium philoſophatur de verbo *apparuit* quæ non admodum ad rem pertinent.

14. *Multi in nativitate ejus gaudebunt*] Ἐπὶ τῇ γενέσει αὐτοῦ *de nativitate ejus*, ſive *ſuper nativitate ejus.*

15. *Vinum & ciceram*] *Sicera* ſcribendum eſt, per *ſ*, non per *c*. Nec enim à *cicere* dicitur leguminis genere, verùm vox eſt Hebraica, quæ per Schin apud illos ſcribitur, à verbo שכר, quod ſonat *inebriari.* Unde apud illos omnis potus factitius qui poſſit inebriare *ſicera* dicitur. Porrò vini factitii uſum fuiſſe apud Ægyptios teſtis eſt Diodorus Siculus hiſtoriæ ſuæ l. 1. quod ſuâ linguâ vocarent *Zythum*, ſive, ut in quibuſdam habetur, corruptè, opinor, *Cithon*; id quod olim Galli *cerviſiam* vocabant, Hiſpani *caliam*, teſte Plinio. Cujus meminit & Dioſcorides l. 2. docens ex hordeo potiſſimùm fieri, confici tamen & ex triticea fruge, quâ ſoleant uti gentes Occidentales, Hiberiæ ac Britanniæ. Cæterùm potionis genus vehementer improbat, ut multis modis noxium. ¶ *Adhuc ex utero*] Ἔτι ἐκ κοιλίας. Verba quidem annumeravit bonâ fide: Cæterùm purius ac Latinius extuliſſet *jam indè ab utero matris*: ſic enim ſignificamus longè repetitum initium.

17. *Et virtute Eliæ*] Δυνάμει. Ut intelligas vim miraculorum, non ſolùm probitatem, ut crebrò jam admonuimus, licèt non exſtet in literis Joannem edidiſſe miracula, aderat tamen fidei robur uſque ad vitæ contemptum. Hoc autem convenit cum vaticinio Malachiæ, qui prædixit *Eliam venturum priuſquam veniret dies Domini magnus*, ut indicavimus in Matthæo. At nè Lucas quidem, aut Angelus, cujus verba refert, citat ad verbum Malachiæ teſtimonium: ſic enim legimus juxta veritatem Hebraicam, interprete Hieronymo, *Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Pro quo legunt LXX ὃς ἀποκαταστήσει καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ, *qui convertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum ſuum.* ¶ *Et incredulos*] Gr. ἀπειθεῖς. Quod aliquoties vertit *inobedientes*, hîc fortaſſe magis quadrabat, cùm mentio facta ſit *patrum* & *filiorum.* Nam *incredibiles* pro *incredulos*, quod legiſſe videtur Valla, quandoquidem notat, ego nuſquam adhuc ſcriptum offendi præterquam in duobus vetuſtis exempl. denique & in Conſt. ¶ *Ad prudentiam juſtorum*] Neſcio an Lucas abuſus ſit præpoſitione ἐν pro εἰς, quemadmodum fecit cap. 23. 42. ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. Certè eſt *in prudentia juſtorum.* Et tamen altera lectio mollior eſt. Alioqui ſenſus eſſe poterat, Adducet eos, non vi, ſed prudentiâ juſtorum. Juſti enim non ulciſcuntur, ſed ſobrietate perſuadent. ¶ *Parare Domino*] Rectè taxat Interpretem Laurentius, quòd ſive oſcitans ſive varietatem affectans alterum infinitum verterit in modum finitum, alterum ut erat reliquerit, *ut convertat corda patrum, & parare Domino*; cùm eâdem operâ dicere potuerit *ut convertat, & paret.* Quod tamen ità crebrò facit ut ſtudio feciſſe videatur. Quod ſi verum eſt, miror cur affectarit quod erat fugiendum. Itidem in Pſal. *Inſidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum*: cùm utrobique ſit ἁρπάσαι. Et aliquantò pòſt, *Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris & memorari teſtamenti ſui*, cùm Gr. ſit ποιῆσαι & μνησθῆναι. Ac rurſum, *illuminari his qui in tenebris & umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes*, cùm ſit ἐπιφᾶναι & κατευθῦναι, utrumque verbum infinitivum. ¶ *Plebem perfectam*] Κατεσκευασμένον. Quod magis ſonat *inſtructam* & *adornatam* ſive *apparatam.* In hoc enim præcurſor erat Joannes, ut ſuo Baptiſmo, prædicatione ac teſtimonio de Chriſto Judæorum animos dociles redderet Euangelicæ philoſophiæ; quod diligenter explicat Theophylactus. Interpres noſter legiſſe videtur κατηρτισμένον.

21. *Quòd tardaret ipſe in templo*] Ἐν τῷ χρονίζειν αὐτόν. *Ipſe* non erat hoc loco reddendum, ſi voluiſſet Latinè loqui; quod tamen aliàs in conſimili ſermonis genere non ſemel auſus eſt omittere.

22. *Et permanſit mutus*] Mirum cur Laurentium offendat *mutus*, quaſi κωφὸς tantùm ſignificet *ſurdum.* Unde igitur proverbium illud κωφὸν πρόσωπον *muta perſona?* Is qui collegit Græcarum vocum etymologias, citatis autoribus docet κωφὸν dici Græcis non ſolùm qui *ſurdus* ſit, verùm etiam qui *mutus*, quem ἄλαλον vocant; neque quicquam intereſſe, niſi quòd ἄλαλος dicatur *qui fari per ætatem non poſſit*, velut infantes; κωφὸς, *cui nulla ſit omnino vox.*

23. *Dies officii*] Λειτουργίας *miniſterii*: quod tamen plerumque de ſacris miniſteriis accipitur.

25. *Quia ſic fecit*] Ὅτι conjunctio erat omittenda Latinè vertenti; quod alicubi tamen auſus eſt. ¶ *Reſpexit auferre*] Ἐπεῖδεν ἀφελεῖν, *reſpexit*, ſubaudi *me, ut auferret*, &c. i. miſertus mei abſtulit opprobrium.

27. *Deſponſatam viro*] *Deſponſam* & *deſponſatam* utrumque reperio apud probos autores. Græcè eſt μεμνηστευμένην, quod eſt propriè *proco tradere ſponſam.* Jam enim, ut apparet, puella cum ſponſo habitabat, etiam ſi coitus non interceſſerat. ¶ *Viro cui nomen erat Joſeph, de domo David*] Chryſoſtomus hom. in Matth. 2. indicat hoc loco legi *de domo ac familia*, ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς, ſic accipiens quaſi *domûs* appellatio latiùs pateat, *familia* pertineat ad pauciores: quanquam nec apud Ambroſium ità legimus, nec in antiquiſſ. exemplaribus. Verùm *familia* nomen additur proximo capite, *Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa, de civitate Nazaret, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quod eſſet de domo & familia David*, conſentientibus noſtris exempl. cùm Græcis. Proinde fieri poteſt ut Chryſoſtomus memoriâ lapſus ſit, præſertim cùm locum hunc ſecùs adducat quàm habeatur apud Lucam: Adducit enim hunc in modum, *Audi ad Gabriel loquentem Dominum, Vade ad virginem deſponſatam viro cui nomen Joſeph, ex familia & domo David:* Licèt Chryſoſtomus ex altero loco idem poterat conficere quod conficere volebat ex hoc. Neque enim hic contendit ad *virginem* eſſe referendum quod dicitur *de domo & familia David*, ſed ad *Joſeph*; veruntamen hinc colligi Mariam ejuſdem fuiſſe tribûs. Quòd ſi utroque loco legebatur, *de domo & familia*, mirum cur Chryſoſtomus non utrumque adduxerit. Certè Theophylactus hoc loco *familia* non meminit. ¶ *Et nomen virginis Maria*] Μαριάμ, voce & accentu Hebræo. Quanquam oſtendimus hoc non obſervari perpetuò; ſive id accidit incuriâ librariorum, ſive quòd nihil interſit.

28. *Ave gratiâ plena*] Χαῖρε κεχαριτωμένη. Idem verbum χαίρειν apud Græcos tria ſignificat, *gaudere, ſalvere*, & *valere.* Unde nihil referebat *Salve* verteriſſet an *Ave.* Nec eſt *Gratia plena*, ſed ut ad verbum reddam, *Gratificata.* Verbo unde hoc participium deductum eſt utitur Paulus Epheſ. 1. 6. *Gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*, ἐχαρίτωσεν, h. e. *gratos & charos reddidit.* Quanquam participio quod idem pollet Homerus uſus eſt pro *unice dilecto*,

——— Ἐμῷ κεχαρισμένῳ θυμῷ.

i. *meo dilecto animo.* Nam charus eſſe poteſt qui nobis ſuis officiis commodavit. At κεχαριτωμένος non dicetur niſi *quem gratuito quodam animi favore complettimur.* Porrò *gratioſi* Latinis dicuntur quibus faveatur propenſo quodam animi ſtudio. Eſt autem vox velut amorem alicujus erga virginem nunciantis, eò quòd ſonat blandum quiddam. Unde & *turbata* virgo *cogitabat qualis eſſet ea ſalutatio.* Annotavit & Origenes hanc ſalutandi formam nuſquam exſtare in libris ſacris, nec ad virum ullum, nec ad mulierem. Itaque novitas quoque ipſa ſtuporem auxit virginis. Ad id facit, quod Græcè non eſt καῖρε, ſed χαῖρε, ut inſignem ac miram accipias ſalutationem. Nam ſolennis Judæorum ſalutatio *pacem* optabat. Cæterùm aptiſſimum erat ut *gaudii* vocabulo ſalutaretur quæ veræ voluptatis Autorem erat conceptura, & *gratiæ* vocabulo compellaretur quæ Jeſum erat paritura, finem ceremoniarum frigidarum, & ſalutaris gratiæ Principem Autorémque. Video Theologos quoſdam viros alioqui doctos ac pios, quorum eſt Bernardus, mirè philoſophatos in his verbis, *Gratiâ plena*, velut hoc peculiariter competat in Mariam *gratiâ plenam* appellari: cùm nec hoc loco dixerit Lucas *gratiâ plena*, & is ſermo multis promiſcuè tributus in arcanis literis reperiatur. Siquidem de Joanne Baptiſta legimus, *Et Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ.* Rurſum de Eliſabet, *Repleta eſt Spiritu ſancto.* Ac mox Zacharias *Spiritu ſancto repletus* legitur. Et in Actibus Apoſtolicis *Spiritu ſancto repleti* leguntur qui convenerant. Et Stephanus *plenus Spiritu ſancto* dicitur, ac *plenus gratiâ & virtute.* Nec iſta cuiquam videri oportet negligenda. Siquidem ut eſt elegans in hujuſmodi minutiis apòd philoſophari in arcanis literis, ità fœdum extra rem nugari. Proinde nè quis ad eundem impingat lapidem, nos vertimus *gratioſa.* ¶ *Benedicta tu*] Εὐλογημένη· quod ſonat *laudatam* ſive *præclarâ famâ, de qua omnes bene loquantur.* Licèt autem *benedictus* ac *maledictus* pro *laudato* & *illaudato* non reperiatur apud Latinos auctores, tamen velimus nolimus

ad quædam ejuſmodi connivendum eſt receptiora quàm ut citra tumultum mutari poſſint. ¶ *In mulieribus*] Ἐν γυναιξὶν *inter mulieres* : quod ipſe paulò pòſt ad eum tranſtulit modum, & ità legit D. Ambroſius. Quanquam haud ſum neſcius *in* pro *inter* uſurpari, nonnumquam apud Latinos quoque.

29. *Quæ cùm audiſſet*] Græci ſecùs habent, Ἡ δὲ ἰδοῦσα, *at illa cùm vidiſſet*. Ità ſcriptum fuiſſe in nonnullis vetuſtis cod. atteſtatur Valla. In cod. Conſt. raſor neſcio quis ex *vidiſſet* fecerat *audiſſet* : Et, nè quis pergat cauſari, ſic legit D. Ambroſius. Quanquam apud hunc non eſt *turbata in ſermone*, ſed *introitu*. Legit enim ad hunc modum, *Ipſa autem ut vidit eum, mota eſt in introitu ejus*. Et nè quis cauſetur caſu mutatam ſcripturam ſubjicit, interpretans quid legerit, *Trepidare virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pavere, omnes viri affatus vereri*. Niſi forte hìc Ambroſius nonnihil immutavit de ſuo. Quanquam his conſentanea dicit libro Offic. 1. c. 18. *Quòd ſalutata ab Angelo tacet, & mota eſt in introitu ejus, quod ad virilis ſexûs ſpeciem peregrinam turbatur aſpectu virginis*. Jam & in Catena aurea referuntur verba Græci neſcio cujus, ex quibus ſatis liquet & ipſum legiſſe *cùm vidiſſet*, non *cùm audiſſet*. Sic habent, *Cùm aſſueta foret his viſionibus, Euangeliſta non viſioni, ſed relationibus turbationem attribuit, dicens, Turbata eſt in ſermone ejus*, &c. Et paulò pòſt, *& cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio; non, conceptio; nam adhuc ignorabat immenſitatem myſterii; ſed, ſalutatio, nunquid libidinoſa, ut à viro ad virginem, an Divina, dum Dei faceret mentionem, dicens*, DOMINUS TECUM. Hæc Græcus ille. Cùm ego tribus verbis annotaſſem Angeli ſalutationem *amatorium quiddam, ac procorum pra ſe tuliſſe, & ob id Mariam principio fuiſſe turbatam*, Deum immortalem! quas hìc tragœdias excitavit quidam, & alius ab integro renovavit! cùm hæc retulerit D. Thomas in Catena ſua, nequaquam relaturus ſi blaſphema eſſent & impia. Ego dixeram *amatorium quiddam, ac neſcio quid procorum*, extenuans utrumque, hìc plus auſus meminit *libidinis*. Cum his verò ſic concordat Theophylactus ut ipſius verba relata videri queant in Catena, cujus verba ſubſcribam, Διελογίζετο δὲ ἐπὶ τῇ ἀσπασμῷ ποίαν εἴη ἔντος, μὴ ἄρα ἄτοπός τις ἡ πομπὴ, ὡς ἐξ ἀνδρὸς πρὸς κόρην, ἢ θεῖος, ἐπεὶ δὲ ἡ Θεοῦ μῆνυσις σύνεσι τῷ ἀσπασμῷ, τὸ, Ὁ Κύριος μετὰ σοῦ. *Cogitabat autem de ſalutatione qualis eſſet iſta, utrùm abſurda quapiam ac ſcortatoria, veluti à viro proficiſcens ad puellam; an Divina, quandoquidem Dei mentio ſalutationi miſcetur, in hoc quod ait*, DOMINUS TECUM. Hæc Theophylactus. Ego *procorum* memineram tantùm; & *proci* vocabulum non minùs honeſtum eſt quàm *ſponſi*; & *amatorium* dixi, quæ vox non eſt obſcœna; ſponſus enim ſponſæ ſcribit amatorias literas; & vociferantur rem eſſe *plenam blaſphemiæ* : hìc meminit *libidinis* & *ſcortationis*. Quid cæcius iſtorum judicio? Jam non expendo quale ſit hoc quod prior ille Græcus ait, *Virginem non turbatam aſpectu, ſed oratione, eò quod aſſueviſſet Angelorum viſioni*. Primùm enim non conſtat an virgo ſic aſſueverit, ut non turbaretur primo aſpectu. Et ſi agnovit Angelum, quid eſt quòd meruit à ſermone? aut cur dubitat utrùm ſalutatio libidinoſa ſit an ex Deo? Illud ſatis mihi eſt quòd legerit, *cùm vidiſſet*. Alioqui frivolum erat annotare *virginem ſermone fuiſſe turbatam, non aſpectu*, niſi *aſpectus* timul & *viſionis* facta fuiſſet mentio. Proinde pium arbitror credere virginem pudicam initio tum aſpectu juvenis tum blandâ novâque ſalutandi formâ fuiſſe turbatam. Cæterùm quod Laurentius ſubindicat hoc loco neſcio quid argutulum, *Nolo*, inquiens, *diſputare nunc quare ſit melius*, QUÆ CUM VIDISSET, quàm QUÆ CUM AUDISSET, *ne de fide Scripturæ dubitare videar*, quid ſibi velit, ut ingenuè dicam, non ſatis intelligo. Nam ipſe puto Euangeliſtam ſic eſſe locutum ut oſtenderet virginem duplici nomine turbatam fuiſſe, primùm quòd videret juvenem ad ſe ingredientem, deinde quòd audiret ſalutationem novam ac præter ſolitum blandam. Et quò caſtior erat virgo, hoc magis ſuæ pudicitiæ metuebat : nè quis clamitet indignum hunc metum tribuere me virgini, quem in illa laudavit Ambroſius. ¶ *Qualis eſſet*] Rurſus hìc eſt, ut dixi, ποταπὸς, quod in Marco Laurentius transferre volebat per *quantum*.

30. Aptius erat *reperiſti*, ſive *nacta es*, *gratiam*, quàm *inveniſti*, h. e. obtigit tibi eſſe gratioſam apud Deum. Nam apud Græcos εὑρεῖν polyſemon eſt. Unde qui hìc philoſophantur non *invenire* niſi quod perit, argutè magis quàm appoſitè differunt.

32. *Et filius Altiſſimi*] Υἱὸς. Quod quidam legit *Summi*. Idem verbum quod aliàs vertit *in excelſis*, ἐν ὑψίστοις. ¶ *David patris ejus*] Latinius erat *patris ſui*; atque ità legitur in nonnullis exemplaribus.

33. *In æternum*] Εἰς τοὺς αἰῶνας *in ſecula*.

34. Quòd Πῶς ἔσται] *Quomodo erit*, vertit *Quomodo fiet*, nihil peccavit Interpres. ¶ *Virum non cogniſco*] Cùm hìc conſentiant Latina cum Græcis exemplar. mirum eſt unde Ambroſius unus legat *cognovi*, non *cogniſco*, niſi fortè hoc librariorum errore inductum eſt, qui *novi* verterint in *cognovi*. Siquidem præſens verbi tempus meliùs explicat virginis propoſitum.

35. *Quod naſcetur ex te*] Τὸ γεννώμενον *quod natum fuerit*. Cæterùm illa duo verba *ex te* nec in ullis Græcorum exemplar. addita reperi, nè apud Theophylactum quidem, nec in antiquis cod. Latinis, præterquam in uno, in quo neſcio quis in margine adjecerat. Proinde miror unde in primam hujus operis editionem invaſerint. Eſt autem abſolutior ſermo ſi non addantur. Non enim hìc agitur de perſona concipientis, ſed de novo modo concipiendi, deque fœtûs excellentia. Apparet adjecta ab explanatore quopiam, tametſi in Aldina editione comperi addita.

37. *Quoniam non erit impoſſibile*] Ἀδυνατήσει, verbo compoſito. Senſus eſt, Nihil à Deo promitti tam novum aut magnum quod ipſe non queat præſtare. Atque hìc planè *verbum* poſuit pro *oratione* ῥῆμα. Ac paulò pòſt,

38. *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*] Ῥῆμά σου : niſi fortè licet ῥῆμα nativo ſignificatu uſurpare, quo ῥῆσιν vocamus *orationem*.

39. *In montana*] Εἰς ὀρεινὴν *in montanam*, ut ſubaudias *regionem*. Eadem vox eſt aliquantò inferiùs, *Et factus eſt timor ſuper omnia montana Judæa*, ἐν ὅλῃ τῇ ὀρεινῇ. Quanquam Interpres probè reddidit ſententiam, nè quis putet illum à me reprehendi.

41. *Salutationem Mariæ*] Hìc certè *Mariam* pronunciavit inflexione Græcâ, non Hebraico more. ¶ *Exſultavit*] Ἐσκίρτησεν *ſaliit*, ſive *ſubſultavit*. Idem eſt paulò pòſt,

44. *Exſultavit in gaudio*] Nec eſt ἐν χαρᾷ, ſed ἀγαλλιάσει, quod *geſticulationem* magis ſonat *lætantis* quàm ipſum *gaudium*. Unde in Pſalmis ἀγαλλιασώμεθα vertit *exſultemus*. Quoniam *in* poſitum erat pro *per*, vertimus *pra gaudio*.

45. *Et beata quæ credidiſti*] Quoniam Græcè participium eſt ἡ πιστεύσασα, poterat & ad ſecundam perſonam ſermo referri, quemadmodum fecit Interpres. Id erit commodius etiam, ſi αὐτῇ, quod ſequitur, habeat aſpirationem, αὑτῇ, ut ſit pro ἑαυτῇ. Neque verò neſcio, neque non teſtor alicubi, hanc differentiam non obſervari in Sacris libris, incertum qua de cauſa. Nos itaque vertimus per tertiam perſonam, non quòd damnemus id quod vertit Interpres, ſed quòd hic ſermo videatur habere quiddam propheticum. Certè utraque perſona eundem reddit ſenſum. Et in vetuſtis aliquot exempl. ità ſcriptum viſitur, *Beata quæ credidit*, velut in meo veteris typographiæ, ſimiliter in Conſtant. ¶ *Quæ dicta ſunt tibi à Domino*] Παρὰ Κυρίου. Quod ità ſonat non quaſi Dominus dixerit, ſed quòd nomine Domini & illius, ut nos loquimur, verbis hæc illi dicta fuerint : quemadmodum dicimus, *Dic illi ex me ſalutem*. Poteſt & ſic ordinari, *perficientur à Domino*.

46. *Et ait Maria*] In homiliis ſcriptis in Lucam quas Origenis titulo legimus indicatum eſt in nonnullis cod. fuiſſe ſcriptum *prophetavit* pro *ait*. Et ſtilus cantici propheticum quiddam ſapit. Nam Origenes *vaticinium* appellat. ¶ *Magnificat anima mea*] Μεγαλύνει. Aptius erat *Magnifacit* quàm *Magnificat*. Quanquam *Magnificat* poſitum eſt pro *Extollit & effert laudibus*; quemadmodum & *beatificare* dicimus pro *beatum prædicare*.

47. *Exſultavit ſpiritus meus*] Ἠγαλλίασε. ¶ *Salutari meo*] Pro σωτῆρί μου *Salvatore meo*, ſive, ut Latini loqui malunt, *Servatore meo* : Interpres legiſſe videtur σωτηρίῳ.

48. *Humilitatem ancillæ*] Ταπείνωσιν. Ut intelligas *parvitatem*, non animi virtutem quam ſuo vocabulo Græci vocant ταπεινοφροσύνην. Nec eſt *reſpexit humilitatem*, ſed, *aſpexit ad humilitatem*, ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν, ut ſit contrarium ei quod eſt *averſari*; ſitque ſenſus, *Et ſi ſim infima ancilla, tamen non eſt averſatus me*. Rideat qui volet has Grammatiſtarum annotationes, modò fateatur terque quatérque Theologos in his labi. Tolerabile ſi tantùm laberentur, niſi lapſui jungerent imprudentiam calumniandi. Etenim cùm hæc editio quam Quartam damus adornaretur, Theologus quidam Pariſienſis, qui ſibi videtur præcipuus Atlas nutantis Eccleſiæ, ex hoc loco probat *Mariam virtute humilitatis promeruiſſe ut fieret Dei mater*, Luteraniſmum impingens, quòd exponens Angeli ſermonem, *invenisti gratiam*, & μεγαλειωσύνην, ſcripſerim, *Non eſt meriti tui, ſed favoris Divini*. Certè quatenus

erat

erat gratiæ, non erat meriti. Aliquouſque fuiſſe meſiti, non ſum inficiatus. Verùm quod in Euangelio ſcriptum reperi, ut paraphraſtes ſum interpretatus; quod non reperi non habebam neceſſe attingere. Verùm ut demus ταπείνωσιν accipi pro virtute quæ Græcis ταπεινοφροσύνη, Latinis *modeſtia* dicitur; ut demus eſſe verum, Mariam animi modeſtiâ promeruiſſe tantam felicitatem; qui convenit ut Maria, quæ ſe *ancillam* profeſſa coperit magnificare Dominum, mox extollat ſeipſam, dicens quòd virtute ſuâ promeruerit tantam dignitatem ut Deum virgo pareret? Igitur ex hoc loco probari non poterat virginem Modeſtiâ virtute promeruiſſe quod accepit. Si promeruerit, ubi eſt *gratia* quam prædicat Angelus? Si virtute ſuâ promeruit, quomodo cohæret, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes?* Nullus enim *felix* dicitur ob hæc quæ ſuâ virtute ſibi paravit. Deinde qui congruit, *quia fecit mihi magna?* non dixit *remuneravit me magnificè*. Nec addidit, *quia juſtus eſt*; ſed, *quia potens eſt, & miſericors*. Sequitur enim, *& miſericordia ejus à progenie in progeniem*. Non hæc eò ſpectant ut Virgini ſanctiſſimæ detrahamus meritum, ſed ut arguamus hæc quæ Theologus Atlanticus adduxit adversùs meam interpretationem, magis adverſari ſententiæ quam conatur defendere. Jam me verò non fallit eſſe qui occaſione hujus vocis *humilitatem* multa prædicent de Modeſtia, præſertim is qui mihi ſuſpecto Origenis titulo ſcripſit homilias in Lucam. Verùm hujus autoritate, quem nemo novit, non patiar me premi, niſi ſi quis omnia probarit quæ in illis habentur; habentur autem permulta quæ damnantur à Theologis. Quòd ſi permittunt ſibi ut ab hoc opere in multis diſſentiant, æquum eſt ut mihi dent veniam ſi uno in loco ſequi malo ſententiam aliorum, quæ mihi videtur probabilior. Ne perſequar autem omnes omnium opiniones, unum duntaxat adducam Theophylactum, cujus verba referuntur in Catena Thomæ, ſed truncatim. Sic autem ille ſcripſit Græcè, Παιδίον τὸ τελειότερον πληροφορηθεῖσα δοξολογεῖ τὸν Θεὸν, ἐπεὶν ἐπιγεγόνασι τὸ θαῦμα, οὐχ ἑαυτῇ· ἑκείνῳ γάρ, φησὶν, ἐπέβλεψεν ἐπ' ἐμὲ ἡ ταπείνωσις, ὅτι, ἐγὼ πρὸς ἐκεῖνον ἀνέβλεψα· ἐκεῖνός με ἐλέησεν, ὅτι, ἐγὼ αὐτὸν ἐζήτησα· ἦ, ἀπὸ τοῦ νῦν μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί, οὐ μόνη ἡ Ἐλισάβετ, ἀλλὰ καὶ πᾶσαι αἱ πιστευσάσαι γενεαί· διὰ τί ἡ μακαριοῦσι; ἆρα διὰ τὴν ἐμὴν ἀρετήν; οὐχί. ἀλλ', ὅτι ἐποίησέ μετ' ἐμοῦ μεγαλεῖα ὁ δυνατός. δυνατὸν ἡ ὀνόμασεν αὐτὸν, ἵνα μηδεὶς ἀπιστήσῃ τοῖς λεγομένοις, λογισάμενος ὅτι δυνατός ἐστι ταῦτα ποιῆσαι ὁ Κύριος· ἅγιον δὲ εἶπε τὸ ὄνομα αὐτοῦ, δηλῶν ὅτι οὐδὲ μολύνεται γυναικὸς μήτρᾳ, συναναμιγνύμενος ὁ καθαρώτατος, οὐδ' ἁγιάζεται μᾶλλον· ἀλλ' εἰς πάντας τοὺς φοβουμένους αὐτόν· quæ nec interpretari gravabimur ob Græci ſermonis ignaros, *Virgo*, inquit, *plenius edocta glorificat Deum, illi miraculum aſcribens, non ſibi ipſi. Ille enim, inquit, reſpexit ad me humilem; non, ego illum ſuſpexi: Ille mei miſertus eſt; non, ego illum quæſivi: &, Ex hoc tempore beatam me dicent omnes generationes; non ſola verò Eliſabet, ſed & omnes credentium generationes. Sed quam ob cauſam beatam me dicent? num propter meam virtutem? Nequaquam; ſed quia fecit mecum magnifica is qui potens eſt. Nam Potentem eum appellavit, ne quis non habeat fidem iis quæ narrantur, nimirum reputans quòd Dominus poteſt hæc facere. Porrò Sanctum dixit nomen ejus, declarans quòd nec utero muliebri conceptus pollnitur ille puriſſimus, ſed ſanctum manet. Cæterùm non in me ſolam ejus miſericordia, ſed in omnes qui timent ipſum.* Hæc tam multa inter ſe congruentia ſatis declarant Mariam non prædicare ſuam Modeſtiam quâ promeruerit fieri mater Dei, ſed Dei *gratiam* ac *miſericordiam erga ipſam* & *erga omnes* extollere. Quantò meliùs ageretur cum re Theologica, ſi qui Theologiam abſolutam profitentur à linguacibus & Grammatiſtis comiter acciperent quod illi pro ſua qualicunque portione conferunt in medium, & illis vicißim illa ſublimiora myſteria fraternè communicarent, hoc majore modeſtiâ quò penitiùs ingreſſi ſunt in ejus philoſophiæ penetralia quæ dedocet faſtum omnem ac ſupercilium, docétque ſummam tolerantiam erga imbecilles! ¶ *Ex hoc*] Ἀπὸ τοῦ νῦν *poſthac*, ſive ad verbum *ex hoc nunc*, quod tamen aliquoties non dubitat ità vertere. Neque tamen parùm Latinè vertit Interpres, ſi modò Latinè ſcripſit Suetonius in Claudio Cæſare, *Atque ex eo nunquam non in ſenatu noviſſimus conſularium ſententiam dixit.* ¶ *Beatam me dicent*] Μακαριοῦσί *beatificabunt*; quod tamen apud Græcos ſignificat *felicem judicare*; ſicut & *magnificare, laudibus tollere*: Quemadmodum & εὐδαιμονίζειν pro *fortunatum dicere*, ſive *felicem judicare*.

49. *Magna*] Μεγαλεῖα, quod aliàs vertit *magnalia*. ¶ *Qui potens eſt*] Ὁ δυνατὸς *ille potens*, ſive *qui poteſt*. ¶ *Et ſanctum nomen ejus*] Beda hanc particulam refert ad proxima *qui potens eſt*, exponens quid Græcè ſonet ἅγιος; q. ἀγαὸς, i. *procul à terra*, ut intelligas Divinam virtutem: cùm Græci putent ἅγιον dici ab ἄζομαι, τὸ σέβομαι, *veneror religioſè*, q. d. ἀζιον. Mihi magis referendum videtur ad ſuperiora; *& miſericordia ejus. Sanctum* enim dixit *gloriòſum*. Tum enim *glorificatur nomen* Dei cùm nihil noſtris meritis, ſed totum tribuitur illius miſericordiæ.

50. *A progenie in progeniem*] Εἰς γενεὰς καὶ γενεὰν *in generationem & generationem*. Laurentius legit in ſuis exemplar. εἰς γενεὰς γενεῶν *in generationes generationum*: ut intelligat ætates innumerabiles. Atque ità ſanè legit quiſquis fuit autor homiliarum in Lucam quas Origenis titulo legimus hom. 8. Et ipſe in uno duntaxat ità ſcriptum reperi. Oſtendit idem in noſtris quoque exempl. variam fuiſſe ſcripturam. In duobus omnium vetuſtiſſimis ſcriptum erat *in progenies & progenies*, quod perinde valet ac ſi dicas, *in progenies innumeras*, Hebræorum more.

51. *Fecit potentiam*] Κράτος *robur*, ſive *imperium*: nam utrumque ſignificat κράτος. ¶ *In brachio* pro eo quod eſt *per brachium* Hebræorum more dixit. ¶ *Cordis ſui*] Καρδίας αὐτῶν. Græca vox indicat *ſui* non eſſe referendum ad *Deum*, ſed ad *ſuperbos*. Nec eſt *mente* propriè, ſed *διανοίᾳ cogitatione*: ut intelligas *ſuperbos ſuis ipſorum conſiliis diſſergi*.

52. *Depoſuit potentes*] Καθεῖλεν δυνάστας; *Detraxit primores*, ſive *magiſtratus*. Nam δυνάστης propriè *qui poteſtate fungitur publicâ in civitate*, velut hi qui ſunt in imperio. Neque eſt *De ſede*, ſed ἀπὸ θρόνων *à ſedibus*.

53. *Dimiſit*] Non eſt hîc *permiſit*, ſed *emiſit à ſe*, ἐξαπέστειλε, velut fruſtratos. Cæterùm participia Græca commodiùs verteret per verba, *Eos qui eſuriebant implevit bonis; & eos qui divites erant dimiſit inanes*, ſive *vacuos*.

54. *Suſcepit Iſrael*] Ἀντελάβετο· quod propriè eſt *ſuccurrentis ac manum porrigentis*. ¶ *Memorari*] Μνησθῆναι *ut memor eſſet*. Primùm abuſus eſt modo verbi Interpres. Deinde haud ſcio an uſquam legatur *memorari* pro *recordari*. At chorus Eccleſiaſticus hodie canit, *Recordatus miſericordiæ ſuæ*. Nec *ſuæ* additur apud Græcos, ſed tantùm eſt *miſericordiæ*, licèt reclamantibus cunctis Latinis, quæ ſanè viderim, exemplaribus.

55. *Sicut locutus eſt*] Ἐλάλησε. Quoniam verbum eſt præteriti temporis, ſed indefiniti, rectiùs hîc vertiſſet, *Sicut locutus fuerat*. Eſt enim gemini præteriti temporis ſignificatio. ¶ *Abraham & ſemini*] *Abraham* tametſi eſt indeclinabile, tamen articulus appoſitus indicat eſſe dativi caſus, τῷ Ἀβραὰμ, h. e. *ipſi Abrahamo*, ut dilucidè loquar potiùs quàm Latinè. Nimirum *Abrahamo* & Latinum erat, & ambiguo vacat. Cæterùm quod Laurentius diſputat, dicendum potiùs *apud patres noſtros* quàm *ad patres noſtros*, ſomnium eſt. An ſic Deus locutus eſt apud Patres Judæorum ut nos loquimur apud Judicem aut Principem? Quòd ſi alicubi πρὸς ſonat *apud*, ut illic; *Verbum erat apud Deum*, non ſtatim oportet ubique idem exigere. Imò quemadmodum Latinè dicimus, *Scribo tibi*, & *ſcribo ad te*; *Mitto tibi*, & *mitto ad te*; *Loquor tibi*, & *loquor ad te*; itidem & Græci. Proinde quoniam utroque modo licuit dicere, Lucas variavit ſermonis figuram. Sentit autem Maria hoc Deum præſtitiſſe jam humano generi quod olim majoribus fuerat pollicitus. Quibus autem majoribus? Nempe *Abraham*, ad quem loquitur Deus, *Et in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. Deinde *ſemini*, i. poſteris hujus, nempe David, cui promiſſum eſt, *De fructu tuo ponam ſuper ſedem tuam*. Et hunc locum Monachi quidam impudentiſſimè calumniati fuerant apud Cardinalem Sedunenſem, cui perſuaſerant me pro *ſemini* mutaſſe *ſeminibus*, idque volebant hæreſim ſapere, quòd pugnaret cum verbis Pauli, qui ſcripſit, *Non, In ſeminibus, quaſi multis; ſed, In uno ſemine; quod eſt Jeſus Chriſtus*. Ac ſuper hac re me ſeriò vir ille admonuit; cùm à prandio literatis fabulis tempus falleremus, ſolicitus de meo periculo, pro ſuo erga me ſtudio. Quâ calumniâ nihil unquam audivi impudentius. Nec eram cuiquam crediturus, niſi pòſt ſexcentas comperiſſem his non diſſimiles. Quibus rebus adeò proficiunt ut non pro Theologis ſed pro ſcurris habeantur apud cordatos, ac nè tum quidem illis habeatur fides cùm vera prædicant. Primum impudens mendacium erat me mutaſſe quod non mutaram. Deinde ſi Græci legerint *ſeminibus*, nihil facerent adversùs modò citata verba Pauli, cùm Paulus illic agat de Chriſto, per quem unum nobis erat promiſſa ſalus Euangelica, hic Maria non loquatur de Chriſto, ſed de Abraham & poſteris Abrahæ, quibus promiſſus erat Servator Jeſus. Hoc tametſi non erat hujus inſtituti, tamen obiter indicare volui, ut poſteritas norit quas belua

habuerit hoc ſeculum, qui cùm ventri ſuo ſerviant, tam ſtolidis ſycophantiis obſtrepunt alienæ induſtriæ. Et hi falsâ opinione doctrinæ falsâque ſpecie ſanctimoniæ, quas res titulis tragicò-que cultu ſibi comparant apud ſimplices & imperitos, habentur baſes & columnæ Eccleſiæ Catholicæ, cùm illius vomicæ ſint veriùs quàm membra. ¶ *In ſecula*] Εἰς τὸν αἰῶνα *in evum.* Quanquam apud quoſdam lego ἕως αἰῶνος *uſque in evum.*

56. *Quaſi menſibus*] Ὡσεὶ *fere*, ſive *circiter*, aut *plus minus.*

58. *Et congratulabantur*] Συνέχαιρον, i. ut ad verbum reddam, *congaudebant*; quod Latini ferè dicunt *gratulari.* Quanquam *congaudere* poteſt qui non gratuletur, cùm illud ſit animi, hoc voce teſtantis gaudium.

59. *Venerunt circumcidere*] Sunt qui hoc putent & ad Mariam pertinere, quæ interfuerit circumciſioni Joannis; & per tropum excuſant quòd antè dicta ſit *reverſa in domum ſuam.* Verùm hæc quid ad rem pertineant non video; non hercle magis quàm quòd Joannes Gerſon torquet ſeſe, Quot annos natus Joſeph duxerit Mariam, & Quo tempore facta ſit celebritas nuptiarum, quam Gerſon factam exiſtimat poſteaquam deprehenderat uxorem gravidam: huc enim torquet illud *priuſquam convenirent*, quaſi *convenirent* hîc aliud ſonet quàm *coirent*: item illud, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, præter omnium veterum interpretationem: & An idem fuerit Angelus qui apparuit Mariæ, & qui Joſeph.

61. *Quia nemo eſt*] Ὅτι prorſus hîc erat omittendum, cùm ſermo Latinus hujuſmodi genus orationis reſpuat.

62. *Quem vellet vocari*, Τί ἂν θέλοι καλεῖσθαι *quid vellet vocari*, h. e. quo nomine.

63. *Et poſtulans pugillarem*] Quomodo ſcripſit in pugillaribus, poſtulans ut adferrentur? Proinde Græcum participium præteriti temporis ità vertendum erat, *Et poſtulatâ tabellâ.* Sentit enim tabellam ceratam, quam πινακίδιον vocat: in his enim olim ſcribebatur. ¶ *Scripſit, dicens*] Si dixit, quid opus erat ſcribere? Unde *dicens* hoc loco referendum eſt non ad Zachariam loquentem, ſed ſcripturam loquentem; aut, ut dicam apertiùs, ad Zachariam non linguâ ſed ſcripto loquentem. Nam mox ſubditur *apertam fuiſſe linguam illius, & cœpiſſe loqui.*

66. *Quis putas*] Τίς ἄρα, *Quis nam*: nam ἄρα conjunctio eſt expletiva. Plerique cod. habebant Τί ἄρα *Quidnam.* Nam *puer* Græcis neutri generis eſt, παιδίον. Certè *quid* legit Auguſtinus De conſenſu Euang. l. 2.

68. *Plebis ſuæ*] Τῷ λαῷ αὐτοῦ *populo ſuo*, conſentientibus & vetuſtis Latinorum exempl. in quibus eſt *plebi ſuæ.* Laurentius Latinitatis obſervantiſſimus mavult *populo* quàm *plebi*, quòd *populus* univerſos civitatis ordines complectatur, *plebs* infima pars ſit.

70. *Prophetarum ejus*] *Suorum* erat dicendum Latinè, & *qui à ſeculo fuerunt* potiùs quàm *ſunt.*

71. *Salutem ex inimicis*] Σωτηρίαν· quod magis ſonat *ſervationem* ſive *incolumitatem.* Σωτὴρ enim *ſervator* ſive *ſoſpitator*: indè σωτηρία. Quanquam ſuperiùs idem verbum fuit, *Erexit cornu ſalutis*: & paulò pòſt, *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus.* Porrò verſus aliquot ſequentes pendent ab eo quod præceſſit, *Sicut locutus eſt.* Quid locutus eſt? *Salutem ab inimicis* locutus eſt, *quòd faceret miſericordiam*, ac *memor eſſet teſtamenti.* Locutus eſt *quòd præſtaret juſjurandum*; & locutus eſt, *foro ut daret nobis ut ſine timore*, &c. Proinde nos hæc liberiùs explanavimus interpretatione, nè quis calumnietur ſi quid primâ fronte diſſonat.

72. *Ad faciendam*, &c. *memorari*] Utrumque Græcis eſt verbum infinitum, Ποιῆσαι μνησθῆναι, *ut faceret*, & *memor eſſet.*

73. *Daturum ſe*] Δοῦναι ἡμῖν *dare nobis.* Quanquam Græca verba nonnihil aliud ſignificant quàm nos accipimus, Τὸ δοῦναι ἡμῖν ἀφόβως ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ, *Ut daret nobis abſque metu de manibus inimicorum noſtrorum liberatos ſervire ſibi.*

76. *Parare vias ejus*] Ἑτοιμάσαι *ad parandum.*

77. *Ad dandam ſcientiam ſalutis*] Cùm mox reliquerit infinitum ἑτοιμάσαι, nunc vertit in gerundium Τοῦ δοῦναι *ad dandum.* Atque hæc ad puerum quoque quem alloquitur probè referri poſſunt, *Præibis enim ante faciem Domini, ut pares vias illius, & des cognitionem ſalutis populo illius, in remiſſionem peccatorum.* Joannis enim prædicatio fecit ut intelligerent inſtare ſalutem, quæ contingeret in remiſſione, h. e. per remiſſionem peccatorum. Neque enim eſt *in remiſſionem* Græcis, ſed διὰ ἄφεσιν. Non quòd ipſe Johannes remiſerit peccata, ſed quòd ſuo Baptiſmo præparaverit illos ad pœnitentiam. Alioqui remiſſionem peccatorum non fuiſſe ex Johanne palàm arguit quod mox ſequitur, *per viſcera miſericordiæ.* Certè de Johanne interpretatur Theophylactus & Ambroſius cæterique, quod ad priorem partem attinet. ¶ *In remiſſionem peccatorum*] Ità Græcè legitur, & in vetuſtis Latinorum exemplaribus. Cæterùm quando ad ſenſum nihil intererat, ad effugiendum τὸ δυσφθογγον maluimus *ejus* aut *ipſius.* ¶ *In quibus* dictum eſt pro *per quæ viſcera miſericordiæ.*

78. *Oriens*] Non eſt hîc participium, ſed nomen ſubſtantivum, ἀνατολή· quæ vox ſignificat *exortum Solis*, aut *regionem unde oritur.* Chriſtum igitur ipſum *Solem* vocat *orientem*: quod diligenter annotavit Theophylactus. Addit ἐξ ὕψους *ex altitudine* ſive *ſublimitate*, ad differentiam corporei Solis, qui nobis oritur ab inferis ſurgens in altum: hic Sol contrà è ſublimi exortus deſcendit ad nos ut nobis illuceſceret.

79. *Illuminare*] Ἐπιφάναι, *Illuce*, ſive *illuceſce*, ſive *exorare.* Quanquam magis placet ut ſit infinitum verbum, quod tamen in alium modum erat vertendum, *Viſitavit nos Oriens ex alto, ut illuceſceret his qui in tenebris & umbra mortis ſedebant*, (ſive *nobis qui ſedebamus*) *& dirigeret pedes noſtros.* Alioqui mutanda erat perſona, cùm hactenus ſermo ad Johannem habitus ſit. Theophylactus nobiſcum facit, & conjunctim legit.

80. *Et confortabatur*] Ἐκραταιοῦτο, h. e. *fiebat robuſtus ac validus*, non corpore tantùm, ſicut vulgus, ſed ſpiritu. Nam ætas corpori robur ac vires paulatim addit, quod hic tranſtulit ad animum. Nec eſt ſimpliciter *creſcebat*, ſed ηὔξανεν, id quod peculiare eſt Plantis & Animantibus. Cæterùm hîc accommodatiùs dixiſſet *adoleſcebat.* ¶ *Oſtenſionis ſuæ ad Iſrael*] Ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ. Quorum verborum hic ſenſus eſt, *Donec demùm proferretur & oſtenderetur apud populum Iſrael, qualis eſſet.* Nam interea veluti latebat, ſuo tempore proditurus.

VATABLUS.

1. QUoniam quidem multi, &c.] *Quoniam multi aggreſſi ſunt contexere narrationem earum rerum quæ nobis compertiſſimæ ſunt*: vel, *quæ completa ſunt inter nos*: i. in oculis noſtrorum.

2. *Viderunt*] Suis oculis viderant. ¶ *Sermonis*] i. Chriſti, vel, *ſermonis*, i. negotii, q. d. Qui pars aliqua fuerunt eorum quæ narrabant.

3. *Aſſecuto omnia*, &c.] *Qui omnia jampridem didici, res ipſas tibi*, &c.

4. *Cognoſcas*] *Agnoſcas.* ¶ *Veritatem*] *Certitudinem*: i. ut agnoſcas quàm certi ſint hi ſermones quos vivâ voce, cùm Catechumenus eras, edoctus fuiſti.

5. *In diebus Herodis*, &c.] i. Regnante Herode in Judæa. ¶ *De vice Abia*] i. qui fungebatur Sacerdotio in ordine familiæ poſterorum Abiæ, h. e. in hebdomada Abiæ. ¶ *Filiabus*] *Neptibus.*

6. *Ante Deum*] i. teſte Deo, qui omnia novit. Hebr. ¶ *Incedentes*, &c.] i. vitam ſuam inſtituentes juxta doctrinam Divinam. Hebr. ¶ *Juſtificationibus*] i. cæremoniis. ¶ *Sine querela*] *Irreprehenſibiles.*

7. *Et*] Hebr. pro *Et tamen.* ¶ *Filium*] *Prolem.* ¶ *Proceſſiſſent in diebus ſuis*] Hebr. pro, *ætatis eſſent provectæ.*

8. *Fungeretur**] **Zacharias*, Vet. ¶ *Ante Deum*] i. in Sancto.

9. *Sacerdotii*] i. functionis ſacerdotalis. ¶ *Sorte exiit*] *Sorte illi obtigit.* ¶ *In Templum*] i. in Sanctum.

10. *Foris*] i. in atrio populi.

11. *Altaris incenſi*] i. ſuper quod adolebantur odores.

13. *Et uxor*] *Nam uxor.* Hebr.

14. *Et multi*] *Multi enim.* Hebr.

15. *Magnus coram Domino*] Hebr. pro *maximo.* ¶ *Sicera*] *Sicera*, vox Hebræa ſignificatione, at formatione & fine Chaldæa, quæ ſignificat quicquid epotum inebriat. ¶ *Adhuc ex utero*] *Jam tum ab utero.*

17. *Et ipſe*] *Nam ipſe.* ¶ *In ſpiritu*, &c.] i. eo præditus ſpiritu quo erat Elias. ¶ *Ut convertat*, &c.] i. ut patres unà cum filiis convertat. Aut, ut ſarciat concordiam inter patres Chriſtum agnoſcentes, & filios ipſum Meſſiam negantes. Hebr. ¶ *Ad prudentiam*] *Per prudentiam.* ¶ *Parare*] *Ut paret.* ¶ *Perfectam*] *Apparatam*: vel, *diſpoſitam.*

18. *Unde*] *In quo.* ¶ *Proceſſit in diebus ſuis*] Hebr. pro, *jam annoſa eſt.*

19. *Qui aſſto ante Deum*] Periphraſis Hebraica, pro *ſervus Dei.*

Dei. ¶ *Et hæc tibi euangelizare*] i. ut hunc tibi lætum nuntium perferrem.

20. *Et ecce*] Hebr. pro *Itaque.* ¶ *Tacens*] *Tacitus*, *muttus.*

22. *Erat innuens*] Vel, *nutu ſigna dabat.*

23. *Officii*] *Miniſterii*, vel *functionis.*

24. *Occultabat*] *Occultavit.*

25. *Auferre*] *Ut auferret.*

27. *Deſponſatam*] Vel, *deſponſam*; ſive, *promiſſam.*

28. *Gratiâ plena*] *Gratificata*, i. Deo grata. ¶ *Benedicta tu in mulieribus*] Hebr. pro *feliciſſima mulierum*: vel, donis Dei nobilitata præ cæteris mulieribus.

29. *Audiſſet*] *Vidiſſet*, Vet.

30. *Inveniſti enim gratiam apud Deum*] Hebr. pro, *Deo gratiſſima es & acceptiſſima.*

31. *Ecce*] *Et ecce*, Hebr. pro *Itaque*; vel, *Nam.*

32. *Dabit illi*, &c.] i. conſtituet illum Deus ſuper Iſraëlem.

33. *Et regnabit*] *Et* pro *Id eſt*: declarat præcedentia. ¶ *In domo*] *Super domum*, i. familiam, *Jacob*, h. e. populum fidelem.

34. *Virum non cognoſco*] Hebr. *cum viro non concumbo.*

35. *Superveniet in te*] Vel, *venit ad te.* ¶ *Virtus*] *Potentia*, i. Spiritus S. dabit ſanguini tuo vim & efficaciam coaleſcendi in corpus Chriſti. Hebr. ¶ *Naſcetur**] * *Exte.* ¶ *Sanctum*] q. d. non humanâ ſed Divinâ vi genitum.

36. *Vocatur*] *Vocabatur.*

37. *Omne verbum*] i. nihil erit Deo impoſſibile.

39. *In civitatem*] i. in quandam civitatem Judæ in qua habitabat Zacharias.

41. *Exſultavit*] *Subſiliit*, *ſubſultavit*: & infrà.

42. *Benedicta tu*, &c.] Hebr. pro, *Feliciſſima mulierum es, & fructus tuus feliciſſimus.*

44. *In gaudio*] *Præ gaudio.*

45. *Credidiſti*] *Credidit*, Vet. ¶ *Tibi*] *Ei*, Vet.

47. *Exſultavit*] Præt. pro præſ. ¶ *In Deo ſalutari meo*] i. *propter Deum Servatorem meum*: vel, *per Deum*, i. beneficio Dei, à quo ſolo ſalutem exſpecto.

48. *Humilitatem*] *Parvitatem*, *exiguitatem*; ſive *nihilitatem.* ¶ *Ex hoc*] *Nunc*, vel, *ex hoc tempore.* ¶ *Generationes*] Vel, *ætates.*

49. *Et ſanctum nomen ejus*] Hebr. *& cujus nomen ſanctum eſt.*

50. *A progenie in progenies*] *In generationem & generationem*, Vet. i. perpetuò, Hebr. ¶ *Timentibus*] i. religiosè colentibus.

51. *Fecit potentiam in brachio ſuo*] Hebr. *Præſtitit robur per brachium ſuum*: Vel, Exſerto brachio ſuo oſtendit quantum poſſet. ¶ *Mente*] *Cogitatione.* Pſal. 33. 10. *Dominus diſſipat conſilia gentium.*

52. *Depoſuit potentes de ſede*] *Detrahit primores de ſedibus.* Præterita pro præſentibus.

54. *Iſrael*] Accuſ. i. adjuvit Iſraelitas: vel vendicavit ſibi. ¶ *Puerum*] Pro *ſervo.* Græciſmus. ¶ *Memorari*] Hebr. pro, *ut recordaretur*, i. ut oſtenderet ſe memorem promiſſionis ſuæ.

55. *Locutus eſt*] i. promiſit, Hebr. ¶* *Abrahæ*] * *Ipſi.* ¶ *In ſecula*] i. ad perpetuitatem.

57. * *Eliſabeth*] * *Ipſi.*

58. *Magnificavit*, &c.] Hebr. pro, *ſingulari erga eam miſericordiâ uſus eſſet.* ¶ *Congratulabantur ei*] *Unâ cum ea lætabantur.*

62. *Quem*] *Quid*, i. quo nomine.

63. *Poſtulans pugillarem*] *Tabellâ poſtulatâ.*

64. *Lingua ejus**] * *Dearticulata eſt*: i. velut articuli & ligamenti ope cœpit moveri lingua ejus: vocalis reddita eſt. ¶ *Benedicens*] *Laudans.*

65. *Super omnia montana*] *In tota montana*: ſub. *regione.* ¶ *Verba*] *Res.* Hebr.

66. *Poſuerunt in corde ſuo*] Hebr. *cogitaverunt apud ſe.* ¶ *Quis, putas, puer*] *Quiſnam puellus.* ¶ *Manus Domini erat cum illo*] i. in ortu ejus potentiam ſuam declarabat Deus.

68. *Benedictus*] *Laudandus*, Hebr. ¶ *Viſitavit*, &c.] viſitando redemit populum ſuum. Vet. legunt *plebi.*

69. *Et erexit cornu*, &c.] Hebr. pro, Erexit enim potentiam ſalvificam (vel, peperit nobis magnam & potentem ſalutem) per Chriſtum, qui è familia Davidis erat. *Cornu* vocat vim, defenſionem & propugnaculum ſalutare.

70. *Locutus eſt*] i. promiſerat. Hebr. ¶ *Qui à ſeculo ſunt*] Hebr. pro, *qui unquam fuerunt.*

71. *Salutem*] Vel, *ſe liberaturum nos.* Hebr.

72. *Ad faciendam*, &c.] i. *ut pro miſericordia ſua faciat quod patribus erat pollicitus, & memor ſit fœderis ſui ſancti.*

73. *Juſjurandum*] Sub. *& ut faciat*, i. præſtet, *juſjurandum.*

75. *Coram ipſo*] i. Deo ipſo judice, qui omnia novit. ¶ *Noſtris*] *Vita noſtra.*

77. *Ad dandam ſcientiam*, &c.] i. Ut ſcilicet doceas populum ejus ſalutaria; nempe condonata illis eſſe peccata: vel, Ut doceas populum ejus vitam æternam, quæ donatur per remiſſionem peccatorum.

78. *Per viſcera miſericordiæ*] Hebr. pro, *quæ ſit per ſuam miſericordiam.* ¶ *In quibus*] i. per quæ viſcera. ¶ *Oriens*] Subſtantivum eſt.

79. *Illuminare*] *Ut illuceſceret*, i. lucem præberet. ¶ *In tenebris & umbra mortis*] i. in caligine quæ ipſo intuitu metum mortis incutit. Hebr. ¶ *Pacis*] i. proſperam & bonam. Hebr.

80. *Confortabatur*] *Potens fiebat*, *corroborabatur.* ¶ *Ad Iſrael*] *Iſraeli.* Hebr. i. donec veniret dies quo Iſraeli Chriſtum annunciaret.

CASTALIO.

3. *Conſectatus ſum*] Didicerim, ſcilicet ex aliorum narratione.

15. *Nec vinum, nec temetum bibet*] *Sicera* eſt omne vinum factitium, quale eſt quod fit ex Frumentis, Pyris, Malis punicis, Cornis, Meſpilis, Sorbis, Moris, Nucleis pineis, &c. itémque ex herbis, Aſparago, Cunila, Origano, & multis aliis. Nos proprium verbum non habentes *temetum* vertimus, à quo *temulenti* dicuntur: ſicut *ſicera* Hebræis à verbo deductum eſt quod *temulentum fieri* ſignificat. Quòd ſi *temetum* idem ſignificat quod *vinum*, etiam illa omnia Latinis *vina* dicuntur. Et *ſicera* Pſal. 69. pro vino quovis ponitur, ut nihil ferè inter hanc vocem & Hebræam intereſſe videatur.

16. *Domino ipſorum Deo reconciliabit*] Dominum *Jovam* dicit, h. e. Jeſum: de cujus nomine vide in Matth. 1. Nam id de eo dici, apparet ex eo quod ſequitur, *Eumque antecedet.* Quem enim antecedet Johannes? Eum nimirum de quo Angelus antè locutus eſt, videlicet Iſraëlitarum Deum, qui Chriſtus eſt: nec enim Patrem Deum anteceſſit.

19. *Deo aſſto*] Apparitor ſum & adminiſter.

21. *Salvo accepta*] Scilicet Deo: eſt enim idem quod paulò pòſt declaratur, εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ, *Inveniſti gratiam apud Deum*, h. e. Accepta gratáque Deo es, eúmque habes propitium: qui Hebraiſmus frequenter occurrit in V. Fœdere. Ità Gedeon fuit ſalutatus Judic. 6.

64. *Aperto protinus ejus ore ſolutâque linguâ*] In Græco non eſt *ſolutâ*; ſed id facilè intelligitur: Nec enim aperitur lingua: & ad loquendum quod eſt Ori *aperiri*, id eſt Linguæ *ſolvi.* Quòd ſi quis neget vinctam fuiſſe linguam, negabo & ego clauſum fuiſſe os: alioquin cibum capere non potuiſſet. Verùm *clauſum* dicitur, quòd non magis loquebatur quàm ſi clauſum fuiſſet: quod idem de lingua dicendum eſt.

69. *Cornu ſalutis*] Præſidium & robur.

75. *Eum coram pie juſtéque colamus*] Gr. *Cum pietate & juſtitia*; more Hebræorum, qui hujuſmodi adverbiis carentes utuntur nominibus. Cæterùm ὁσιότητα & ἁγιότητα ſive ἁγιωσύνην ſolent noſtri eodem *ſanctitatis* nomine interpretari, cùm non ſint eadem. Nam ὁσιότης ea eſt quæ Hebraicè dicitur חסידות quæ ſi homini tribuitur Pietas eſt; ſin Deo, Clementia: quanquam & in Deo Latinè *pietas* dici poteſt, ut apud Virgilium,

Dii, ſiqua eſt cœlo pietas, quæ talia curet.

Ea alio verbo ἁγιωσύνη & in Deo & in homine dici ſolet. Itaque nos & hoc in loco & aliis multis non tam Græci verbi quàm Hebraici naturam interpretantes *pietatem* reddimus: ἅγιον verò Hebraicè קדש eſt, quod verbum modò *ſanctum*, modò *ſacrum* ſignificat.

78. *Ortus*] Sol & lux oriens, ſcilicet Chriſtus.

CLARIUS.

5. *Fuit in diebus Herodis regis ſacerdos*] Pulcherrima & pleniſſima dignitatis cujuſque Euangeliſtæ inchoandi Euangelii varietas. Sed illud hîc adnotandum, Marci & Lucæ Euangelii initium quidem eſſe Johannem Baptiſtam, tametſi diversâ ratione: Nam ibi à Prædicatione Johannis cœptum eſt;

hìc verò ab ipſo Conceptu, ut aptiùs etiam Filii Dei & Conceptus & Ortus introduceretur. ¶ *De vice Abiæ*] Ἐξ ἐφημερίας, quæ vox ſignificat *ſtatutum miniſtrandi diem*. De Abia verò fit mentio 1 Par. 24. 10.

13. *Exaudita eſt deprecatio tua*] Non videtur poſſe intelligi precationem hanc fuiſſe pro ſuſcipiendis liberis, quos jam non exſpectabant, cùm *ambo proceſſiſſent in diebus ſuis. Et*, quod ſequitur, non ſignificat Cauſam, ut dicat, *Nam uxor tua pariet tibi filium*; ſed particula illa & potiùs notat Additamentum: & ſit ſenſus, *Exaudita eſt deprecatio tua quâ pro populo rogaſti*; & *præterea uxor tua pariet tibi filium, qui huic negotio ſerviet.* Nam conjici facile poteſt, eum in illa precatione petiiſſe liberationem gentis ſuæ, quam per Meſſiam faciendam exſpectabant Judæi: Quæ voto exaudita eſſe admonet Angelus, & ei rei dandum initium per filium qui ex eo naſceretur. De quo etiam ſubdit, *Præceſſurum eum eſſe ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ.* Et pulchrè convenit quòd non dixerit Angelus ante *Meſſiam*, ſive *Chriſtum*, ſed *ante illum*, cujus videlicet Zacharias in votis ſuis feciſſet mentionem.

17. *In ſpiritu & virtute Eliæ*] Ob hanc cauſam Dominus illum *Eliam* appellavit. Quod verò ait, *Ut convertat corda patrum in filios*, ſic intellige, *Ut cor patrum*, h. e. probitatem illam patrum, *det filiis*, ut vias eorum rectas imitentur. Et hoc eſt quod addit, *& inobedientes ad prudentiam juſtorum.*

20. *Et ecce eris tacens*] Appoſitè addita pœna eſt, Ut tamdiu mutus fieret dum Vox naſceretur, de qua non crediderat prædicenti Angelo.

29. *Turbata eſt*] Commota eſt, ut ſit in non exſpectato novæ alicujus rei occurſu, præſertim magnæ. Sic illud, quod *Jeroſolyma turbata fuit* in Magorum adventu. ¶ *Qualis eſſet iſta ſalutatio*] Utrum abſurda, an Divina. Mira Virginis prudentia! In tam admiranda ſalutatione in neutram partem inclinat, ut vel demulceatur his verbis, vel diffidat. Multò verò major & prudentia & conſtantia & gravitas! Cùm promittitur ei filius, qui & *Filius Altiſſimi futurus eſſet*, *cui & Regnum David dandum eſſet*, *idque ſine fine*, tamen adhuc interrogat, ſed eâ ratione ut nunquam fidem deroget promiſſis tam ingentibus, neque temere tamen aſſentiatur.

33. *Et regnabit in domo Jacob in æternum*] *Domus Jacob* fideles ſunt; ut pulchrè Paulus docet, *Non enim omnes qui ſunt ex Iſrael, ii ſunt Iſrael; neque quia ſunt ſemen Abrahæ, idcirco omnes filii: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, hoc eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei.*

34. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?*] Non colligi poteſt quòd ex verbis Angeli intellexerit ſe parituram ſine viri commercio: at interrogare oportuerit quo id pacto fieret. Sciebat etiam ex ea copula ſolere filios procreari. Quid ergò hoc interrogat? Hanc ob cauſam ſapientiſſimè viri ſancti ſunt interpretati B. Mariam, Deo inſpirante, optaſſe in virginitate degere, præter illius gentis morem, cui genti ſumma erat gloria relinquere ſemen in Iſrael; contra ignominia, non relinquere. Et in tam felicibus promiſſis eſt illi curæ virginitas & carnis integritas.

35. *Obumbrabit tibi*] Tanquam nubes quædam, quæ æſtum omnem arceat, ne ulla ex parte virginitas violetur. ¶ *Quod naſcetur ſanctum*] Longe majorem vim habet in neutro genere quàm ſi dixiſſet *qui naſcetur ſanctus*: ut ſit ſenſus, Naſcetur quidem ex te veluti homo, ſed multò majus nomen eſt illi dandum.

43. *Ut veniat mater Domini mei*] His verbis declarat ſe intelligere quantus ſit quem Virgo conceperat.

48. *Quia reſpexit humilitatem*] Non dixit ταπεινοφροσύνην, quod ſignificat *virtutem animi ſeſe demittentis & ſubmiſſe gerentis*, ſed ταπείνωσιν, h. e. *abjectionem* & *vilitatem*, quæ verba fuerunt quidem animi qui virtutem humilitatis eſſet aſſecutus, non tamen humilem ſe appellavit, quod non fuiſſet virtutis. ¶ *Ecce ex hoc*] Dixi, inquit, Deum me abjectam & vilem, & quæ nihil ſum, aſpexiſſe, ob hanc cauſam, quòd tam ingens bonum mihi contulit ut poſthac omnes ſecuturæ generationes beatam me ſint prædicaturæ.

49. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt*] Videtur is eſſe ſenſus, Cùm ſit tam potens (quod in Græco apertius eſt, ubi ſcriptum eſt cum articulo, ὁ δυνατὸς, h. e. *ille potens*) & tantæ nomen ejus majeſtatis, non tamen dedignatus eſt tantis me honeſtare beneficiis.

50. *Et miſericordia ejus*] Jam à privati beneficii commemoratione ad contemplandam etiam in aliis ejus beneficentiam tranſit, quam Deus præcipuè declarat in iis qui antea miſeri & dejecti fuiſſent. Poſtremò commemorat peculiare beneficium quod Iſraeliticæ genti collatum eſt, quod tamen Divinæ miſericordiæ acceptum refert.

68. *Et fecit redemptionem*] Dicit *factam redemptionem* quam eſſe jam in foribus prævidebat.

69. *Et exaltavit cornu ſalutis*] Metaphora familiaris Scripturæ ſacræ; q. d. *ingentem & robuſtam ſalutem.*

71. *Salutem ex inimicis noſtris*] Verba ſunt quaſi de terreno Regno loquentis, cujuſmodi Judæi fere Regnum Chriſti futurum opinabantur. Sed attemperat ſic Spiritus S. ſermonem Prophetæ, cùm nondum tempus eſſet aperiendi myſterii, quod ne Apoſtoli quidem videbantur adhuc intelligere, cùm poſt ipſam reſurrectionem Dominum interrogaverunt, dicentes, *Domine, num in tempore hoc reſtitues regnum Iſraeli?* quibus ne tunc quidem voluit aperire Dominus illius Regni conditionem. Latenter tamen hic Propheta ſub finem cantici naturam Regni CHRISTI *ſubindicat*, cùm *remiſſionis* meminit *peccatorum.* Hac unâ Zachariæ prophetiâ potuiſſent Judæi venire in agnitionem CHRISTI, niſi eos primi recubitus in comis & primæ Cathedræ in ſynagogis magis delectaſſent quàm perſcrutatio Scripturarum.

78. *Viſitavit nos Oriens ex alto*] Eramus, inquit, in profunda nocte, & ecce noſter Sol & noſter Oriens apparere cœpit, ut *illuceſceret* nobis *qui in tenebris habitabamus & umbra mortis*, h. e. in peccatis. Nam Mors & Peccatum ſeſe comitantur ut umbra corpus. *Umbram* etiam pro imagine accipere potes: nam *umbra hominis* eſt imago hominis. Status, inquit, vitæ noſtræ erat imago quædam mortis.

Z E G E R U S.

5. DE *vice Abiâ*] Ex 1 Par. 24. 10. diſcimus filios Aaron XXIV ſortibus fuiſſe diſtinctos, quarum quælibet per vices atque hebdomades ſuo fungeretur in templo Domini munere. Inter cæteros ergò Sacerdotes Abia in ſorte numeratur octava: ex cujus vice hic Zacharias fuiſſe deſcribitur. B. Ambroſius ſimpliciter interpretatur, *de vice Abiæ*, i. inquit, *nobilis inter ſuperiores ſemine.*

9. *Sorte exiit*] Græcis unica vox eſt ἔλαχε, quam neoterici interpretantur *ſortitus eſt*, h. e. ſorte conſecutus eſt, & ſors illi obvenit. Rurſus hoc B. Ambroſius ſimpliciter intelligit, quaſi inter Sacerdotes ſors mitti conſueverit qui eſſet immolaturus incenſum vel thymiama. *Hic* enim *eſt*, inquit, Zacharias *ille ſummus Sacerdos, qui ſorte quæritur, quia verum adhuc ignoratur*, &c. Quod Beda veluti corrigens, aut certè pro ſuo ſenſu explanans, *Non novâ*, inquit, *ſorte electus eſt cùm incenſum eſſet adolendum, ſed priſcâ tunc ſorte præelectus, cùm primùm ex ordine ſui Pontificatûs in vicem Abiæ ſuccederet.* Quòd autem Zacharias Sacerdos fuerit ſummus, multis adſtruit rationibus contra opinionem Lyrani Paulus Burgenſis; cum quo conſentit non modò Ambroſius, verùm etiam Chryſoſtomus enarrans illud Joh. 1. *Ego baptizo in aqua*, & Beda, & Auguſtinus (ut videtur) dum ait Johannem *fibulam* fuiſſe *Legis & Gratiæ*, *quæ diploidem ſummi ſacerdotis ſancto patri jungebat in corpore*, Serm. 3. de S. Johan.

10. *Orans foris*] Non ſub dio, ſed in atrio vulgi: de quo Apoc. 11. 2. *Atrium autem quod eſt foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud.*

15. *Adhuc ex utero matris*] h. e. etiamnum in ipſo matris utero. *Adhuc enim*, inquit Origenes, *In matris utero erat Johannes, & Spiritum S. acceperat. Id autem tunc factum eſt quando ad adventum Salvatoris exſultavit in utero, quando repleta eſt Spiritu S. Eliſabeth.* Hoc ſenſu hunc locum intelligunt omnes ferè veteres, etiam Auguſtinus ſerm. De B. Johan. dicens inter cætera, quòd B. Johannes ad ſimilitudinem Dominæ *ſanctificatus fuerit antequam natus.* Eſt tamen qui ἔτι ἐν κοιλίᾳ μητρὸς ὄντα vertit *jam inde ab utero matris ſuæ.* Quem ſenſum apud duos duntaxat invenio antiquos: quorum prior Chryſoſtomus eſt, in homilia quadam habens, *Et Spiritu S. replebitur mox ut exierit de utero matris.* Verùm hoc non autoris ſed interpretis eſſe puto. Alter eſt Euthymius, qui & ipſe ſuper illud, *Et repleta eſt Spiritu S. Eliſabeth*, teſtatur etiam Johannem tunc Spiritu S. fuiſſe repletum. De ſanctificatione Johannis qui plura deſiderabit legat Origenem & Ambroſium ſuper illud, *Et repleta eſt Spiritu S. Eliſabeth*: item diſt. 6. lib. 4. Senten.

17. *Ut convertat corda patrum in filios*] Perinde eſt q. d. Efficiet ut idem cor, eadem mens atque adeò eadem fides ſit in poſteris quæ olim fuit in V. T. Patribus. Utitur autem Angelus Malachiæ verbis in fine vaticinii ſui ità ſcribentis, *Et convertet*, inquit de Elia loquens, *cor patrum ad filios.*

23. *Abiit*

23. *Abiit in domum suam*] Quæ in montana Judææ regione non procul à Bethlehem sita fuisse refertur. Unde infrà, *Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ.* Alii tamen Hierosolymæ habitasse Zachariam putant, ut infrà dicemus. *Abiisse autem in domum suam* scribitur, post *expletos* videlicet *officii dies*, propterea quòd tempore ministerii Sacerdotes agerent in habitaculis quibusdam Templi in hoc destinatis, ut ex Thalmud & ex libro Joræ refert Burgensis.

24. *Occultabat se mensibus quinque, dicens, Quia sic fecit mihi Dominus*] Pudebat enim ipsam conceptæ prolis propter ætatem. *Sunt enim*, inquit Ambrosius, *ipsi quædam tempora præscripta conjugio, quando dare operam liberis sit decorum. At verò, ubi matura ætas senectus successerit, & ætas regendis liberis habilior quàm creandis, pudor est legitimi licet coitûs indicia gestare, & gravari alienæ ætatis onere, & tumescere alvum non sui temporis fructu.*

27. *Desponsatam viro*] Ex eo quod Matth. 1. 18. legitur, *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent inventa est*, &c. insinuari videtur illud *desponsatam* utrobique accipiendum pro *stipulatam & ad futuras nuptias consummandumque suo tempore conjugium* (quod ad affectum parentum attinet) *destinatam ac traditam*; ità ut jam tum in ipsis ageret ædibus sui sponsi, illibata tamen ab omni carnali commercio. Nam, ut B. tradit Chrysostomus, eum tenebat morem antiquitas ut sponsæ in sponsorum domibus haberentur. *Ut enim*, inquit, *generi Loth apud socerum leguntur habitasse cum sponsis nondum sibi copulatis lege conjugii, sic habitabit etiam Maria cum sponso.* Ambrosius tamen pro eodem accipiens, *desponsatam* & *nuptam*, amplius quid sentire videtur, nimirum consummatas fuisse nuptias, ipsamque Virginem processus jamdudum maritali juri, salvâ tamen pudicitiâ, fuisse subjectam; ne videlicet vel novæ conceptionis sacramentum innotesceret diabolo, vel ulla posset fornicariæ conceptionis alicunde suboriri suspicio. Tractat hunc locum & Hieronymus adversùs Helvidium; si quis plura velit cognoscere.

29. *Quæ cùm audisset, turbata est*] Admodum probabile est, relativi ambiguitatem imposuisse scriptoribus Latinis, ut *vidisset* in *audisset* perverterint. Quippe cùm legerent *quæ cùm vidisset*, existimantes in *quæ* non aliud quàm *Angeli verba* resonare, atque ideo malè cohærere sermonem, cùm contra apud Græcos ἡ *quæ* non possit nisi *Mariam* referre, depravate scriptum judicarunt; dùmque errorem tollere conati sunt, errantes statuerunt errorem. Nam *vidisset* est in archetypo, stipulante Ambrosio; & idem testantur nonnulli in quibusdam haberi vetustiss. exempl. Latinis. Idem & nos tandem reperimus in codice quodam pervetusto Elstensi in Geldria, ac deinde in codice Donatianico Brugis. Quod verò apud Chrysostomum legis, *Quæ audito hoc verbo conturbata est*, non arbitror bonâ fide vel redditum vel transscriptum. Eundem etenim locum corruptum reperimus etiam apud Petrum Chrysologum, cùm ipse quid legerit suâ manifestet explanatione, Serm. 160, & 163. alibi dicens, *Quid est quòd personam videt, & de sermone turbatur?* alibi, *Maria, ut vidit Angelum, turbata est.* Duplici ex causa in his verbis demonstratur Virgo beata turbata fuisse, primùm ex admirabili coruscantis Angeli aspectu, deinde ex inaudita salutationis forma.

34. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*] Non, ut Zacharias, de rei dubitat effectu, sed modum inquirit quo id fieri possit salvo voto pudicitiæ. Ille enim ait, *Unde hoc sciam?* hæc autem, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profectò*, inquit Augustinus De sanct. virg. c. 4. *non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablatura sed potiùs contra violentos custoditura quod illa jam voverat.* De quo etiam voto ità scribit Gregorius Nyssenus, *Hæc*, inquit, *Mariæ verba indicium sunt eorum quæ tractabat in mentis arcano. Nam si causâ copulæ conjugalis Joseph desponsari voluisset, cur admiratione ducta est dum sibi narratur conceptio, cùm nimirum ipsa præstolaretur ad tempus mater effici juxta legis naturam? Verùm quia oblatum corpus Deo quasi quoddam ex sacris inviolabile reservari decebat: & ideo dicit, Quoniam virum non cognosco.*

35. *Obumbrabit tibi*] h. e. *veluti umbram quandam tibi circumfundet quâ te ab æstu libidinis refrigerando communiet*, Gregor. Moral. 18. Job. 17. Haud etiam insciti est quod post prædictum sensum adfert Gregorius, *Per Umbrationis vocabulum incarnandi Dei utraque potuit natura signari. Umbra enim à lumine formatur & corpore. Dominus autem per Divinitatem lumen est, qui mediante animâ in Mariæ utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergò incorporeum Lumen in ejus erat utero corporandum, ei quæ incorporeum concepit ad corpus, dicitur*, VIRTUS ALTISS. OBUMBRABIT TIBI, i. *Corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen Divinitatis.* Vide si lubet etiam Hilarium De Trin. l. 2. ¶ *Nascetur ex te sanctum*] *Ex te* nec in Græcis est, nec in aliquot Latinis vetustis: est tamen apud Augustinum, Bedam & Gregorium.

37. *Omne verbum*] i. Omnis res, ex consuetudine Hebraica: de qua plura cap. seq. ibi *Videamus hoc verbum.*

39. *Abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda*] Civitatem hanc non fuisse Hierosolymam ex illo argui posse videtur, quod Hierosolyma sita fuerit in tribu Benjamin, ut liquet ex Jos. 18. cùm hæc in tribu fuerit Judæ: dein ex illo quod dicitur, *abiit in montana*; &, *super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc:* de quibus intelligendum videtur illud Judic. 1. *Fuitque Dominus cum Juda, & montana possedit.* Eckius tamen nititur adferere contrarium, Serm. De Visit. cujus potissima ratio est, quòd Augustinus dicat Hierosolymam *civitatem fuisse ipsi Benjamin & Judæ communem:* id quod ex illo colligere videtur Augustinus, quòd Jos. 15. scribatur *Jebusæos habitasse cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem*, Quæst. in Judic. Cum hac opinione consentit Beda, super illud, *Ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem*, ita scribens, *Mariam Evangelista hic, mox Domino concepto Hierosolyma mittit; domum Pontificis intromittit: ibi & Baptistam natum refert:* & Bonaventura. Cum priore verò consentiunt Theophyl. enarrans illud, *Ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam*, & Euthymius & hist. Scholast. ut antiquos taceam, qui silentio illi videntur adstipulari.

45. *Beata quæ credidit*, &c. *dicta sunt ei*] Ambrosius legit in secunda persona, *credidisti*; &, *dicta sunt tibi*; & hoc usitatius est. Priorem scripturam habet editio Græca, & cod. nostri vetusti.

47. *Salutari meo*] *Salutaris* hoc loco pro *Salvatore* ponitur, id quod & aliis fit in arcanis literis, ut illo Psalmi versiculo, *Exaudi nos, Deus salutaris noster*; ubi tam Græcè quàm Hebraicè *Salvatoris* est vocabulum.

48. *Humilitatem ancillæ suæ*] Jam vulgò receptum est *humilitatem* hîc declarare Parvitatem & Abjectionem, non animi Virtutem *Modestiam* quam vocant. At Origenes aperte de Virtute interpretatur, Augustinus de utroque. In Scriptura enim sacra non perpetuò servatur differentia illa quæ *respicientem* ad *humilitatem conditionis*, *respectum* verò ad *humilitatem* refert *animi sese demittentis.* ¶ *Ecce enim ex hoc*] Sub. *Tempore:* est enim ἀπὸ τῦ νῦν.

50. *In progenies & progenies*] Ità vetus noster vertit interpres: nam sic legit Beda, Richardus à S. Victore, & cod. antiqui. Sed Augustinus & usus Ecclesiasticus habet *à progenie in progenies*; atque ità scriptum offendimus in uno cod. Gemblacensi, qui inter quatuor erat vetustior.

51. *In brachio suo*] h. e. per Filium suum, quo veluti brachio operatus est Deus nostram salutem. Nonnulli per *brachium* intelligunt Dei Fortitudinem. ¶ *Dispersit superbos mente cordis sui*] Duplex potest adsignari constructio. Prior talis est, *Dispersit eos Deus qui mente*, sive *sensu*, *cordis sui superbi sunt.* Altera talis, *Dispersit superbos diaboli cogitatione cordis ipsorum*; ut intelligamus superbos suis ipsorum consiliis dispergi. Prior tamen sententia mollior est. Poterit & tertia adsignari juxta Augustinum super *Magnificat*, nimirum hæc, *Deus solâ cordis sui intentione, solóque cogitatu*, vel, ut ipse loquitur, *profundo suo consilio, dispergere potest superbos:* nisi quod huic reclamet illud αὐτῶν plurale, quod prohibet ne διανοίᾳ καρδίας possit referri ad *Deum.* Quod si αὐτῦ scriptum esset, uti legisse videtur Augustinus, non posset nisi ad *Deum* pertinere. *Superbos* autem intellige cacodæmones, vel Judæos, vel generaliter quotquot sunt qui adversùs Deum aut proximum efferuntur animo. Illud insuper advertas oportet, in hoc cantico præteritum tempus prophetico more ubique fere per metathesin poni loco futuri; *Dispersit superbos, fecit potentiam*] *deponet potentes*, &c.

53. *Esurientes implevit bonis*] *Qui sunt*, inquit Augustin. *esurientes? Humiles indigentes. Qui sunt divites? Superbi & inflati.* Vide Augustinum hom. 44. & super *Magnificat.*

54. *Suscepit Israel puerum suum*] Consensus interpretum *Israel*, appositive connectit cum *puerum suum*, ut subaudiatur *Deus*, uti in versibus præcedentibus; *Suscepit Deus puerum suum Israelem, ut memor esset sui, de qua locutus fuerat patribus; Abrahamo, & posteris ejus, misericordiæ. Statuendi enim*,

enim, inquit Deus Abrahamo, *pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te*, &c. Gen. 17. 7. ¶ *Memorari miſericordiæ*] Uſus Eccleſiaſticus ex emendatione, ni fallor, Hieronymi, recepit ac legit *recordatus miſericordiæ*: nam ſic lego apud Auguſtinum.

55. *In ſecula*] Hanc coronidem communiter referunt explanatores ad *ſemen* permanſurum in ſecula: ego tamen malim ad totum ſimul canticum referre.

56. *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus*] Manſiſſe Mariam apud cognatam ſuam uſque ad ortum Johannis negat Theophylactus cum Græco quodam in Catena adducto; Ambroſius verò, Euthymius, & quorum mihi ſententia verior cenſetur, adfirmant: id quod Ambroſius, qui cæteris rectior eſt, indicat dum ait, *Tamdiu manſit Maria quam Eliſabeth pariendi tempus impleret*: & rurſus dum ſubdit, *Pulchrè tempus quo fuit in utero, Propheta deſcribitur, ne Maria præſentia taceatur.*

61. *Quia nemo eſt in cognatione tua qui vocatur hoc nomine*] Hoc dicebant quia nolebant infantem nomine appellari alieno & peregrino, cujuſmodi illis erat *Johannis* nomen. Senſus autem apertior fuerit, ſi τὸ *quia* habeatur q. ſupervacaneum, *Dixerunt ad illam, Nemo eſt in cognatione*, &c.

66. *Quid putas puer iſte erit?*] *Quid*, non *Quis*, ſcriptum viſitur in exempl. Corſend. & hoc ſane commodius eſt: nec refragatur lectio Græca, quòd *παιδίον* ſit generis neutri. Apud Bedam item *Quid* lego cum additione *Quis* in margine. *Quid* etiam legit Smaragdus. ¶ *Manus Domini*] i. Divina virtus & gratia.

69. *Erexit cornu ſalutis*] Per *cornu* Regnum deſignat. Mos enim fuit reges ungere ex cornu. Vel *cornu ſalutis* dicit per metaphoram Scripturæ familiarem, pro *ſalute præpotente, robuſta atque invicta.*

71. *Salutem ex inimicis noſtris*] Pendet ab eo quod præceſſit, *ſicut locutus eſt*; vel ſecundùm alios ab illo, *erexit cornu ſalutis*, tanquam ſi dicat, *Cornu nobis erexit regnumque ſalutis*; ſeu *ſalutem quandam regiam, fortem, atque*, ut ità dicam, *corneam*; *ſalutem*, *inquam*, *& redemptionem ab inimicis, tam viſibilibus quàm inviſibilibus.* Quod enim compendio dixerat, *Erexit cornu ſalutis nobis*, hoc verſiculo veluti explanat.

72. *Ad faciendam miſericordiam*] Quod ad Græcam ſyntaxin attinet, quia τὸ ποιῆσαι, μνησθῆναι & ὅρκον infiniti ſunt modi, neceſſe eſt ea referre ad illud quod præceſſit, *ſicut locutus eſt.* Sic enim illi loquuntur, *Locutus eſt facere miſericordiam, & recordari teſtamenti*, pro eo quod eſt, *Locutus eſt ac pronunciavit fore ut faceret miſericordiam*; vel, *dixit facturum ſeſe miſericordiam, ac memorem fore teſtamenti.* Vel ità conjunge; *Deus viſitavit & redemptionem fecit plebis ſuæ, cornu quoque nobis erexit ſalutis, ut miſericordiam faceret cum patribus noſtris, ſicque re ipſâ memorem ſe declararet ſui teſtamenti.*

73. *Juſjurandum*, &c.] *Juſjurandum* accuſandi caſus eſt, & conſtrui poteſt cum *locutus*, quemadmodum & illud, *ſalutem ex inimicis*; vel cum illo quod ſubjungitur, *daturum ſe*, hoc pacto, *Sicut locutus eſt daturum ſeſe ac præſtaturum nobis juſjurandum*, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum. Euthymius tamen hoc cum verbo immediate præcedenti *memorari* jungendum docet, ſicuti & illud *teſtamenti. Indifferenter enim*, inquit, μνησθῆναι *à genitivo tranſit ad accuſativum.* Quòd ſi hic ità ſe habet, idem & in lectione Latina factum intelligi debet. Eſt præterea qui ᾧ hîc ſubaudiat, ſic, *juxta juſjurandum.* Poterit & hoc pacto jungi, *& memorari juſjurandum teſtamenti ſui.*

78. *Per viſcera miſericordiæ*] *Viſcera miſericordiæ* vocat vehementes animi adfectus ad miſerendum propenſos. ¶ *Viſitavit nos Oriens ex alto, Illuminare*] *Oriens* non eſt hîc participii particula, ut ordinari debeat, *ex alto oriens*, ſed nominis, ut *ex alto* jungatur cum *viſitavit*; deinde ſequatur, *illuminare*, h. e. *ut lumen præberet*, ſive *illuceſceret, iis qui in tenebris & in umbra mortis ſederent. Orientem* ergò, h. e. ἀνατολὴν, *Solem* debemus accipere, per quem Chriſtum intelligimus, ut ſubindicat Theophylactus apud interpretem, ità loquens, *Ille viſitavit nos ex alto qui Oriens dicitur: Sol enim juſtitiæ eſt, & illuxit nobis qui in tenebris eramus, h. e. in ignorantia, & umbra mortis, i. peccatis, ſedentes.* Sunt præterea qui ſecus hunc locum diſtinguant: nam *illuminare* paſſive intelligunt, modo imperandi; & ibi, *Oriens ex alto*, novum faciunt ſermonis caput, ut ſint verba deprecantis, hoc pacto, *O oriens Chriſte Sol juſtitiæ, ex alto illuceſcere iis qui in tenebris*, &c. Quam diſtinctionem licet ſermo Græcus non repudiet, alteram tamen magis probaverim. Dicit autem *ex alto*, quòd Chriſtus lux mundi è ſublimi deſcenderit ad illuminandos mortales, cùm contrà ſol iſte corporeus ab imo exſurgat. Vel *ex alto*, i. ex profundo & abſtruſo abyſſi Divinæ ac ſinûs paterni.

79. *Viam pacis*] Phraſis eſt Hebraica, pro *viam proſperam, bonam, pacificam & ſalutarem.*

LUCAS BRUG.

45. ET *beata* [*benedicta* o.] *quæ credidit* [*crediderit* o.] *quoniam perficientur* * *ea* [* *in te* Pl. m.] *quæ dicta ſunt ei* [Pl. m. *illi* Lob.] *à Domino.*] Hæc quinque codicum Pariſienſium eſt lectio, Conſt Di. o. Ge. o. T. Mog. decem noſtrorum, Lob. So. al. au. Q. Pl. ang. A. m. G. Quent. Reg. veteſtorum Zegeri, & antiquorum Epanorthotæ. Altera eſt lectio vulgarior, *Et beata quæ credidiſti, quoniam perficientur* * *ea* [* *in te* o. o.] *quæ dicta ſunt tibi* [Brug. E.] *à Domino*: quæ eſt in libris noſtris 28. nominatim Leod. O. L. Colo. Nuren. In aliquot item ſuperiorum MSS. hæc lectio ex illa facta eſt. Illi Syra conſonant, & Alberti magni commentariis; huic Ambroſii commentariis interjectus textus. Græca, ſi legas αὐτῇ, huic; ſi αὐτῇ, illi conſentiunt: ᾗ μακαρία ἡ πιστεύσασα, ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ Κυρίου· utrumque enim legendi modum Complutenſis admittit editio, quæ ſpiritus non notat. Cæterùm nec obſervatur hæc differentia, in ſacris præſertim literis, ità ut & αὐτῇ, quomodò in aliis Græcis libris legitur, pro αὐτῇ ſive ἑαυτῇ poſſit accipi: quare omnino ad utramque lectionem ambigua ſunt Græca. Priorem Hentenius caſtigator in textum recepit; eandem Epanorthotes probat. *In Antiphona verò*, inquit, *dicitur in perſona ſecunda* credidiſti. Antiphona autem hujuſmodi in Breviario noſtro Romano eſt ad *Benedictus* in feſto S. Mariæ ad Nives, & ad *Magnificat*, Dominicâ tertiâ Adventûs. Porrò in Reſponſorio ſecundo ſecundi nocturni in Nativitate Domini tertia legitur perſona, ut prior lectio habet.

STEPHANUS.

1. Ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων] *Aggreſſi ſunt componere narrationem de rebus apud nos teſtatis & quarum plena fides facta eſt.*

2. Αὐτόπ.] *Qui ſpectatores fuerunt ipſimet.*

3. Παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς] *Cum omnia, reperto alte principio, conſectatus ſim*: ad v. *aſſectatus ſim.*

4. Περὶ ὧν κατηχήθης] *Quorum cognitione imbutus es.*

5. Ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά] *Cui functionis vices ab Abia ſeria perpetuâ deducta.*

7. Στεῖρα] *Sterilis.*

9. Ἔλαχε τὸ θυμιᾶσαι] *Sortitus eſt munus faciendi ſuffitus.*

17. Κατεσκευασμένον] *Inſtructum.*

19. Εὐαγγελίσασθαί σοι ταῦτα] *Bonum hoc nuncium tibi afferre*: i. lætum.

22. Ὀπτασίαν] *Viſionem.*

23. Λειτουργίας] *Functionis ſacerdotalis*: ſeu, *miniſterii.*

24. Περιέκρυβεν] *Occultavit.*

27. Μεμνηστευμένην] *Deſponſam.*

28. Κεχαριτωμένη] *Quæ donata es gratiâ*: i. favore: vel, *conſecuta gratiam.*

29. Διελογίζετο ποταπὸς εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος] *Cogitabat quod eſſet hoc ſalutationis genus.*

41. Ἐσκίρτησε] *Subſultavit.*

46. Μεγαλύνει] *Magnis laudibus extollit.*

48. Τὴν ταπείνωσιν] *Humilem & abjectam conditionem.* ¶ Μακαριοῦσί με] *Beatam me prædicabunt*: vel, *beatitudinem meam.*

49. Μεγαλεῖα] *Magnifica.*

52. Καθεῖλε δυνάστας] *Deraxit principes*: eos quos Lat. itidem *dynaſtas* vocant.

54. Ἀντελάβετο Ἰσραὴλ] *Manum porrexit Iſraeli.*

58. Οἱ περίοικοι] *Accolæ.*

63. Πινακίδιον] *Tabellam.*

65. Διελαλεῖτο] *Divulgabantur.*

79. Ἐπιφᾶναι] *Ut apparent.*

80. Ἐκραταιοῦτο] *Corroborabatur.* ¶ Ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ] *Uſque ad eum diem quo ſe oſtenderet Iſraeli*: vel, *conſpiciendum præberet.*

DRUSIUS.

5. HErodis] Nomen hoc varie ſcribitur, Ἡρώδης, *Herodes*; Ὀρώδης, quod quidam aſpirant, alii leniter ſcribunt;

ſcribunt; Ἡρώδης, *Hyrodes*; quod poſtremum legitur apud Plutarchum in Craſſo. Appianus in Syriacis, *Mithridates Parthorum Rex pulſus ab Orode fratre, ope Arabum, ſuum regnum recepit.* Hinc quidam colligunt nomen Parthicum eſſe. Cui opinioni firmandæ eſt Strabo lib. 15. ubi de Regibus Parthorum, *Arſacidæ vocantur omnes, proprie quidem hic Orodes, ille Phraates*, &c. Quocirca de eo interpretando laborare non debemus. In hiſtoria Ebraica reperio הורדוס *Herodes* cum aſpiratione, & אורודס *Orodes*, abſque aſpiratione. Syri verò pronuntiant *Hiraudes*, ω in αυ mutantes. Cæterùm plures fuerunt hoc nomine, ſed tres tantùm memorantur in N. Fedære: videlicet Herodes cognomento Magnus; & alter Tetrarcha *Antipas* dictus, qui Johannem Baptiſtam decollavit, quem Gorionides *Antipatrem* vocat. Tertius eſt Herodes Agrippa, Magni nepos ex Ariſtobulo filio, cujus mentio Actor. 12. 23. qui à vermibus corroſus, ὑπὸ τῶν σκωλήκων, ut eſt apud Joſephum, interiit. Primi Herodis meminit Euangeliſta Matth. 2. 1. ſub quo natus fuit Chriſtus, qui patrem habuit Antipatrem, avum Herodem Aſcalonitam, ex eorum numero qui Apollini miniſtrabant: unde apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 8. Ἀντίπατρον Ἡρῴδου τινὸς ἱεροδούλου παῖδα. Obiit ſeptimo menſis Chaſleu, ut ſcriptum in volumine Jejunii, quem diem ideo pro meliore habent. Sed de ejus exceſſu vide ſis Scaligerum De emendatione temporum, pag. 239. Stemma hujus Herodis, quoniam ad intelligendum hiſtoriam Ebraicam perneceſſarium eſt', aliàs à me vulgabitur, ſi Deus voluerit. ¶ *Sacerdos quidam*] Non pontifex maximus, ut multi putant, ſed vel ſacerdos è plebe, vel fortè Princeps ſacerdotum; h. e. Sacerdos magnus. & princeps vicis ſuæ. Talis fuiſſe legitur in Hiſt. Ebr. Johannes Baptiſtes: nam vocatur ibi כהן גדול, i. *magnus ſacerdos.* Sic etiam vocantur Johannes & Matthathias Haſamonæi; qui præerant (ità videtur) vici Jojarib, quæ prima erat inter XXIV, è quo & Joſephus fuiſſe memoratur. Ut ut ſit, nam temerarium eſt in re tam obſcura & latente aliquid adfirmare, ſi fuit magnus Sacerdos, videtur ea res impoſuiſſe patribus nomine illo Pontificem ſummum intelligentibus, qui etiam aliquando ità vocatur. Hoc primum, deinde ἱερεὺς hic hic ponitur pro ἀρχιερεύς, ut ſæpe aliàs. Sic ἱερωσύνη *ſacerdotium* aliquando uſurpatur pro ἀρχιερωσύνη *ſummum ſacerdotium.* Nota hæc doctis. Porrò Zachariam hunc fuiſſe unum ex principibus ſacerdotum Theodorus adfirmat. Vide ipſius Annot. ult. ad hunc locum, *In omnibus mandatis & conſtitutionibus.* וכריה *Zacharias*, ut מנשה *Manaſſes.* Ubique additum *S* in extremo: Quod ſolet fieri nominibus in vocali deſinentibus. Eſt autem propheta hoc nomine Luc. 11. 51. cujus meminit Gorionides cap. 80. per hæc verba, *Quomodo in medio veſtrum ceciderunt ſacerdotes DOMINI, & ante templum ſacroſanctum quod in medio tui*, ô Jeruſalem, *mœſtatus eſt Zacharias propheta juſtus & pius, & obdormiit abſque ſepultura, neque texit terra ſanguinem ejus*, &c. Matth. 23. 35. vocatur *Zacharias filius Barachiæ.* Sed in Euangelio quo Nazarzi utuntur ſcriptum fuiſſe teſtatur Hieron. *filius Jojadæ*, de quo Regum narrat hiſtoria quòd *occiſus fuerit inter altare & templum:* Vide 2 Par. 24. 22. & Hieron. in comment. ad hunc locum. Nos etiam aliquid de eo in Obſervationibus. ¶ *Eliſabeth*] Pro *Eliſabeth*, quod in codicibus Latinis, Græci habent Ἐλισάβετ, Syrus autem אלישבע. Quod nomen exſtat Exod. 6. 23. ubi Latina vetus *Eliſabeth*, & Græca ex edit. Rom. Ἐλισαβέθ. Quà formâ dicitur *Nazareth*, item *Genneſareth.* Hîc aliqua quædam obſervanda. Primum acceſſio literæ ad finem, ut in Βηθσαϊδὲθ, quod citatur Pſal. 51. 2. ex A. Sym. Th. & ex editione quæ Septima vocatur. Deinde literam aſpiratam aliquando in tenuem mutari. Nam & in Exodo, ubi Vulg. lib. habent *Eliſabeth*, in antiquis legitur *Eliſabet*, per *t* ſimplex in fine. Sic Ναζαρὲτ & Γεννησαρὲτ. Deinde ſcribendum perpetuò *Eliſabeth* cum *s*; non, ut vulgò ſcribitur à plurimis, *Elizabeth* cum *z.* Pro *Eliſabe* antiquâ lectione, ſunt qui reponant *Eliſeba:* nam in ſcriptura Ebraica אלישבע. Cave ſpernas.

7. *Et ambo proceſſiſſent in diebus ſuis*] Alibi eſt, *in diebus*, ſimpliciter, ut Gen. 18. 11. & Joſ. 13. 1. *ſenex qui proceſſit in diebus.* M. Tullii verbis hoc dicas, *qui proceſſiſſet ætate.* Nam in lib. De ſenectute legimus, *cùm proceſſiſſet ætate:* ad quem locum Eraſmus, *Qui provecta ſit ætatis, eum dicis in ætate proceſſiſſe.* In Geneſi & Joſua Senes ediderunt προβεβηκότες τῶν ἡμερῶν, per *dies* intelligentes *dies annorum vitæ.* Alioqui Græci dicunt προβεβηκὼς τῇ ἡλικίᾳ *ætate*, vel τῷ χρόνῳ *tempore:* ſæpius dicunt προβεβηκὼς & προβεβηκυῖα ſimpliciter.

8. *In ordine vicis ſuæ*] Vel *ſortis ſuæ. Sors* Ebraicè גורל, & *ſorte*, בגורל. Vices habebant ſuas principes Sacerdotum, qui vocantur ראשי משמרות כהנים *capita cuſtodiarum ſacerdotalium*, in Jonatha, Jer. 1. 1. & fortè ראשי כהנים dicebantur. Vide conſequa verba. Mirum ni ſunt qui ἀρχιερεῖς in N. F. nuncupantur. *Vicem Abia* vocat ſuprà verſ. 5. Erant autem vices ſacerdotum XXIV. à Prophetis prioribus inſtitutæ, h. e. à Samuele & Davide, ut habetur in lib. Præceptorum magno 211. 3. In 1 Mach. mentio *vicis Jojarib*, quæ prima erat in ordine, de qua Joſephus fuiſſe perhibetur. In Juchaſin 63. 1. יבוע ſive יבוע eſt nomen vicis ſeu ephemeriæ XIV. Vocatur autem illis ephemeria משמרת *Miſmara*, i. *cuſtodia*, quæ & משמרת, quod malè ſcribunt *Meſimrath*, cùm legi debeat *Miſmereth*, i. φυλακή. Dicitur & מעמד *ſtatio*, ut quidam prodiderunt: unde *viri ſtationis*, & *caput*, ſive *princeps*, *ſtationis*, de qua videndus lib. Præceptor. 211. 4. Sed hi differre videntur à *viris cuſtodiæ.* In tract. De Jejuniis, *Tradiderunt doctores noſtri, Viri cuſtodiæ erant pro oblationibus fratrum ſuorum, ut accepta ſint apud Deum: viri autem ſtationis ingrediuntur domum ſynagogæ, & decernunt quatuor jejunia in hebdomade. Die primo jejunant propter eos qui deſcendunt in mare. Secundo, propter eos qui deſerta pertranſeunt. Quarto, propter συνάγχω, ne infantes corripiat. Quinto, propter gravidas, ne abortiant; & lactentes, ut lactare poſſint filios ſuos. Pridie ſabbathi non jejunant, ut nec in ipſo ſabbatho*, &c. Liber Muſar, 26. 2. *Ordinarunt Prophetæ priores* XXIV *cuſtodias. Super unamquamque cuſtodiam erat ſtatio in Jeruſalem Sacerdotum, Levitarum, & Iſraelitarum. Ubi advenit tempus cuſtodiæ, ſacerdotes ejus, Levitæ ejus aſcendunt Jeroſolymam, & Iſraelita illius cuſtodiæ congregantur in urbibus ſuis, & legunt opus Breſith.* Hæc ibi cap. 4. Vide ſequentia. Has cuſtodias Eucherius *ſortes* vocat, i. κλήρους, in lib. Regum, pag. 186. *Eram*, inquit, *ſortes* XXIV, *& ſacerdotum, & Levitarum, & janitorum, qui per totidem ſeptimanas ſibi ex ordine ſuccederent, ſabbatho novâ turmâ intrante ad officium, & poſt ſabbathum ea quæ proximâ ſeptimanâ miniſtraverat domum redeunte.* Vide Quæſt. ejuſdem, pag. 270. in extremo, ubi explicat quid ſit, *Sacerdos de vice Abia.* Sed nemo plura nec rariora vel magis recondita obſervavit de his vocibus quàm illuſtris Joſephus Scaliger in Can. Iſag. 297, & deinceps, ad quem te remitto. Suprà dixi Joſephum fuiſſe ex prima vice. Diſertè hoc ipſe aſſerit in Vita ſua, uſus his verbis, ἐκ τῆς πρώτης ἐφημερίδος & τῆς ἑκκαιδεκάτης· ubi ἐφημερίδες idem quod ἐφημερία. Vide quoque Gerundenſem fol. 225. p. 2. Ab eo diſces unde deſumptæ fuerint hæ vices.

9. *Sorte exiit ut incenſum poneret*] Sors in urnam mittitur; indè exit cùm educitur, Lev. 16. 9. *cujus exierat ſors.* Joſ. 19. 40. *Egreſſa eſt ſors ſeptima.* 1 Par. 25. 9. *Exivit autem ſors prima.* Sed quid? An etiam is *exire* dicitur ſuper quem ſors cadit, ſive qui ſorte capitur? Unicum exemplum eſt Luc. 1. 9. in Vulg. noſtra, Eraſmo non ſine cauſa ſuſpectum de mendo. Nam potuit interpres ſcripſiſſe *ſors exiit*; ſed in libris, *ſorte exiit*, & in fonte Græco ἔλαχε *ſortitus eſt.* Videtur hoc velle, *ſors ejus exiit.* Eraſmus mavult, *ſorte ei obvenit.* Aut *ſorte exiit*, non ipſe Zacharias, ſed impersonaliter hoc dictum, *per ſortem accidit ut deberet ponere incenſum*, &c. Quæramus ampliùs. Nam temere damnare quod neſcias inſipientis eſt. Ego nihil abſurdi video in hac phraſi, *ſorte exiit ut incenſum poneret*, niſi ſi diſplicet *incenſum* pro *ſuffitu* vel *thymiamate.* Nam Laurentius Valla exiſtimat non per omnia reſpondere *incenſum* huic rei. Sic pro *horâ incenſi* idem mavult *horâ ſuffitûs* vel *thymiamatis.* Expende, ſi otium. ¶ *In templum Domini*] Videtur Sanctum innuere, quod ſoli Sacerdotes ingrediebantur. Ideo vocatur בעל המוראים in Hiſt. Ebr. fol. 80. col. 2. *Nos viri ad domum*, ſive *templum*, הבירה *non accedimus, quia terminus ſacerdotum ibi eſt. Quin ſacerdotes non accedunt ad Sanctum ſanctorum, niſi Pontifex maximus fuerit, qui ſemel in anno illud ingreditur.*

11. *Viſus autem ei Angelus Domini*] Tale quid refertur in tract. Berachoth de Iſmaele Eliſæ F. ſacerdote magno, cap. 1. Vidit enim משכרה *Divinitatem* cùm incenſum adoleret. Meminit Scaliger in Canon. Iſag. 299. ¶ *Altaris incenſi*] Aut *ſuffitûs*, vel *thymiamatis*; quod & *altare aureum*, quoniam auro obductum erat; & *altare interius*, quia erat intra Sanctum ante velum quod Sancto ſanctorum obtendebatur, in quo arca erat. Nam quod extra Sanctum erat, vocatur *altare exterius*; & quoniam in eo holocauſta offerebantur, dicitur communiter *altare holocauſti.* De his aliàs. Vide nunc quæ ſcripſimus de interiori Apoc. 9. 13.

13. *Vocabis nomen ejus Johannem*] Hoc nomine tres memorantur in N. Teſt. Johannes Baptiſta Matth. 3. 1. Joannes F. Zebedæi Matth. 4 21. Johannes qui & *Marcus* Actor. 12. 7. 12. Zebedæi F. vocatur etiam *Euangeliſta*; cui attribuunt

Epiſtolas tres canonicas & Apocalypſin. In Apocalypſi *κατ' ἐξοχὴν* dicitur *Theologus*, quòd de Chriſti Divinitate apertiſſimè ac diviniſſimè ſcripſerit. Quanquam ſunt qui Apocalypſin ab alio quodam Johanne conſcriptam putant, ut narrat Euſebius Hiſt. Eccleſ. l. 3. cap. 39. nempe à Johanne Presbytero quem autorem etiam faciunt Epiſtolæ ſecundæ, ubi ſe initio *πρεσβύτερον* appellat. Nonnulli etiam Theologum à Presbytero diſtinguunt. Ut ut ſit, nomen Ebraicum eſt יוחנן *Johanan* ſive *Jochanen*, ex quo factum *Johannes*, quòd ſcribi debet perpetuò cum aſpiratione. Nam quòd Græci ſcribunt Ἰωάννης, neceſſitatis eſt, quia nomina in medio non adſpirant. Johannis Baptiſtæ mentio in Hiſtoria Ebraica, cap. 63 & in Chronico Templi ſecundi, fol. 54. col. 4. Verba Hiſtoriæ, *Mortuo Archelao F. Herodu Regis regnavit Antipater frater Archelai, qui ſe Herodem commutato nomine vocavit:* & mox, *Hic accepit uxorem Philippi fratris ſui dum adhuc viveret in uxorem, occiditque multos e ſapientibus Iſrael, & in his Johannem Sacerdotem magnum, eò quòd diceret ei, Non licet tibi habere uxorem fratris tui: Ipſe eſt Johannes qui baptizatus fuit:* [Fortè, *qui continenter baptizabat.* Sic נדבר *continenter locutus fuit.*] Sic interpretor המטבל. Nam *qui baptizabat*, i. המטבל. Verba verò Chronici, *Accepit Antipas uxorem Philippi fratris ſui, & reprehendit eum propter hoc factum abominandum R. Johannes Sacerdos magnus, quem propterea Antipas occidit.* Fortè apud Gorionidem pro *Antipater* legendum *Antipas* אנטפס, vel ex Joſepho, qui Herodem hunc aliter non nominat, quod ſciam.

15. *Siceram*, τὸ σίκερα] *Siceram* autem alii à *vino* diſtinguunt; alii genus vini eſſe ſcribunt. R. Eleazar Caphar interpretatur יין זך *vinum vivum*, i. *purum putum*, non mixtum aut dilutum aquâ. *Merum* Latini ſcriptores appellant, Græci ἄκρατον. Jon. & Onc. reddunt *vinum vetus*, i. temetum. Lex. vetus, *Temetum*, οἶνος παλαιός. Vide Notas meas Num. 6. 3. Dicimus autem τὸ σίκερα, quaſi eſſet generis neutrius Jeſ. 24. 9. πικρὸν ἐφάνη τὸ σίκερα τοῖς πίνουσιν. Nam eſt nomen barbarum. Eſt ubi reperiatur οἶνος ἡ σίκερα, tanquam à recto σίκερα. *Temetum* qui vertit malè hic reprehenditur. Nam vinum eſſe *ſechar* Ebræi plerique omnes fatentur. Certè præter eos quos ſuprà nominavi, Jeroſ. quoque reddit *vinum vetus*. Ergò vinum erat. Accedit μέθυ, quod *vinum* denotat, cùm μέθη ſit *ebrietas*: שכר autem, unde *ſicera*, ſignificationem habet *inebriandi*.

19. *Ego ſum Gabriel, qui adſto in conſpectu Dei*] Græcè Γαβριήλ. Unus ex tribus [Malim, *ex duobus*. Nam duo tantùm Archangeli memorantur in libris canonicis. Tobias, ubi nomen Raphaelis, non eſt canonicus apud Ebræos. In canonicis *Raphael* eſt proprium viri 1 Par. 26. 7. Sic *Uriel* nomen eſt viri in canonicis, & Angeli in apocryphis:] Angelis quorum nomina recenſentur in libris canonicis: Sunt autem Gabriel, Michael, Raphael. Tales numero ſeptem eſſe credidit antiquitas, quos & *Archangelos* vocant. Tob. 12. 19. in exemplari Ebræo, *Ego ſum Raphael angelus unus ex principibus qui miniſtrant coram ſolio gloriæ.* Græcus codex habet, ὃς προστατεύω ἑπτὰ τῶν προσευχῶν τῶν ἁγίων. Videndus Lyra Zach. 4. 10. ad locum, *ſeptem oculi DOMINI.* Meminit etiam Jonathan Chaldæus paraphr. Gen. 11. 7, *Dixit DOMINUS ſeptem angelis qui ſtant coram illo, Venite nunc*, &c. In his omnibus locis *angelus* pro *archangelo* ponitur, ut alibi *ſacerdos* pro *ſummo ſacerdote*, *piſtor* & *pincerna* pro *ſummo piſtore* & *ſummo pincerna*. Sic accipies v. 26. ἀπεστάλη ὁ ἄγγελος Γαβριήλ, *miſſus eſt angelus Gabriel.* Nam unus erat ex Archangelis, *præpoſitus præliis*, ut ait Hieron. Dan. 8. 16. pag. 513. Ebraicè גבריאל, quod *in linguam noſtram vertitur Fortitudo, aut Robuſtus, Dei.* Vide ſequentia. In Nom. ex Luca, *Gabriel, Confortavit me Deus; aut, Fortitudo Dei; vel, Virtus mea Deus.* Origenes Hom. in Mat. 2. *Gabriel interpretatur Fortitudo Dei. Fortitudo* potiùs גבורה dicitur, ut גבר *vir*, unde גברי *vir meus. Confortavit*, i. חגבר in conjugatione Hiphil. גברי poteſt etiam reddi *vir* ſimpliciter, ut Joth ſit litera paragogica. Talis paragoge in מלכיצדק *Melchiſedec.* Nam interpretantur, *Rex juſtitiæ*, vel *juſtus.* Sic מלכאל putarim vertendum, *Rex Dei.* In lib. interpretationum quem Plant. excudit, *Gabriel, Vir Deus, vel Dei; aut, Fortitudo Dei; vel, Fortis meus Deus.* ¶ *Qui adſto ante Deum*] Vel, *in conſpectu Dei.* Senſus eſt, Qui miniſtro & inſervio ei. Sic, *Vivit Dominus in cujus conſpectu ego eſto*; cui miniſtro & inſervio. Huc referri poſſet, *Qui ſtatis in domo Domini*, ex Pſal. 135. 2. Quod alibi enarro, *qui ſtatis ad excubias*, fortè meliùs. Hujus loci eſt, *Quis ſtabit in loco ſancto ejus?* Sic Lat. loquuntur. Dicunt enim *ſtare ad pedes*, vel *à pedibus*, pro *miniſtrare.* Item *ſtare ad vinum*, *ad cyathum.* Suetonius, *Ad cyathum & vinum Nicomedi ſtetiſſe objecit illi cum reliquis obſoletis.* Cæterùm *angelus* in hoc verſu ponitur pro *archangelo*, qui ſeptem fuiſſe memorantur: ex iis unus erat Gabriel iſte. Nomen hoc Lat. ſonat ut ſi dicas *Vir Dei.* Nam *Gaber*, vir; & *El*, *Deus.* *Stare coram* DOMINO etiam dicitur qui preces coram eo fundit: unde *ſtare*, *precari.* Sic enarrant locum illum Geneſeos, *in loco ubi Abraham ſteterat coram* DOMINO. Manahemus Judæus 52. 3. *Nihil aliud eſt ſtare quàm precari.* Stantes enim precabantur. Hoc antea me obſervare memini.

25. *Probrum meum*] Sterilitatem meam. Nam ea probro erat antiquitus: unde qui liberis carebat pro mortuo habebatur. Aufert igitur probrum qui ſterilem fœcundam reddit. Qua de re aliàs.

27. *Mariæ*] Hieron. in comment. Hoſ. 5. *LXX hanc habent conſuetudinem ut Ebræa nomina Græco ſermone declinent.* Quod factum cùm in aliis nonnullis, tum in hoc nomine *Mariæ.* Nam abjecta ultima nominis barbari *Mariam*, quod legunt *Miriam*, i. מרים, ut *Migdal*, *Magdal.* In lib. Nominum, *Mariam*, *Stella Maris:* emendo, *Stilla maris.* Nam מר *ſtilla.* Sic leges in Cantionibus Eccleſiaſticis, *Ave Maria ſtilla maris: ſtilla*, inquam, non *ſtella.* In eodem libro, *Sciendumque quod Maria ſermone Syro, Domina, nuncupatur.* מרא *dominus*, מרתא *domina.* Moſchopulus περὶ ὀρθῶν, Μαρία, ὄνομα Ἑβραϊκὸν, ἡ ἑρμηνεύεται κυρία. [Sic etiam Epiphanius, cujus verba producam aliàs.] Quod ait *nomen Ebraicum* eſſe, verum dicit. Sed in ea lingua non ſign. *dominam*, ut nec in Syra. Syri enim non מריא enuntiant, ſed מרים cum Mem in ultima. Ebræi ſic appellatam cenſent propter tyrannidis *amaritudinem* quâ Iſraelitæ oppreſſi cùm ipſa naſceretur. Autor is qui Majora Chronica Ebræis compoſuit, *Cur appellata fuit Mariam? propter amaritudinem ſive amaroremquem totâ ejus ætate ſenſerunt.* Nam ipſorum opinione ſervitus Ægyptiaca non duravit niſi annis LXXXVII. quantus fuit annorum Mariæ numerus. Vide Chronica illa, pag. 18. Vide quoque Angelum Caninium De locis N. T. pag. 18. & quæ ſcripſimus ad Matth. 1. 16. Mariæ plures fuerunt; mater Jeſu Matth. 1. 16. Magdalene Luc. 7. 38. ſoror Marthæ Johann. 11. 2. Cleopæ uxor Luc. 24. verſ. 10. & Johann. 19. 25. Jacobi minoris mater Matth. 27. 56. Marc. 15. 40. Johannis Marci mater Actor. 12. verſ. 12.

34. *Virum non cognoſco*] Sum adhuc pudica virgo, cujus pudicitiam nemo delibavit. Tales vocantur à Latinis autoribus *virgines intactæ*, & *ſignatæ*, & *inviolatæ*, & *illeſæ*, & *integræ à viro.* In Ebraiſmo etiam invenitur *virgo incognita.* Aliud *pudica matrona.* Nota verbum *cognoſco* tam de femina dici quàm de viro. Nam *cognoſcit virum* qui notitiam viri habet; ut *feminam*, qui feminæ.

35. *Quod naſcetur ex te*] *Ex te*, quod Gr. dicunt ἐκ σοῦ, abeſt ab edit. Vulg. Syrus tamen legit. Nam in eo מנך. Sign. autem Chriſtum natum ex Maria, non corpus ſuſcepiſſe ἐξ οὐρανοῦ ἐκ οὐρανοῦ, ut Anabaptiſtæ ſomniant. Vide Macarium hom. 11. pag. 142.

37. *Omne verbum*] *Ullum verbum:* q. d. Nihil dicit quod non poſſit facere. Nam omnia ei δυνατά. Quamobrem *omnipotens* vocatur. Job 42. 2. δύναταί σε οὐδὲν, ubi *fonte*, *non prohibetur à te cogitatio.* Etiam quæ cogitat facit.

39. *Abiit in montana*] Quæ & *montana Judææ*, & *montes* Num. 13. 17. & *mons Judæ* Joſ. 11. 21. Senes τὸ ὄρος vocant, i. *montem*, & ἡ ὀρεινὴ *montanam regionem.* Pars erat Judææ propriè dictæ, quam appellant *montem* הרי. Vir doctus ait fuiſſe *ad Meridiem Jeroſolymorum:* poteſt ità eſſe: tamen legimus Joſ. 10. 40. *percuſſit omnem montem, meridiem & planitiem.* Ecce *mons*, i. montana regio à *Meridie* clarè diſtinguitur. Sed Num. 13. 17. *Aſcendite hoc in Meridie, & conſcendite montem.* In hoc monte ſita erat Hebron urbs Judæ, cujus terminus in Meridie. Vide Annot. Num. 13. & Joſ. 20. 7.

48. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*] עניי, i. *vexationem, afflictionem:* ità vocant ſterilitatem, Gen. 29. 32. *Et concepit Lea, & peperit filium*, &c. *nam reſpexit Dominus* עניי, LXX ἐπιστροφὴν. Hieron. *humilitatem meam.* Vide quæ notavimus ad illum locum. ¶ *Ex hoc*] Sub. *tempore.* Hoc Ebraiſmus dicit מעתה ἀπὸ τοῦ νῦν *ex nunc:* Pſal. 113. 2. *Ex nunc & uſque in ſeculum:* ſenſus eſt, *Ex hoc tempore.* Sic מכן *ex tunc*, quod valet, *Ex eo tempore.* Id Suetonius dixit *ex eo*, ut hìc interp. vulgatus, *ex hoc*, Verba Suetonii habentur in Claudio Cæſare; *Atque ex eo nunquam non in ſenatu noviſſimus conſularium ſententiam dixit.* Verba interpretis noſtri, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

53. *Inanes*,

53. *Inanes*, κενὰς] Ductâ formâ loquendi à legatis Principum, qui vacui & inanes dimittuntur quando non impetrant id propter quod venerunt. Judith. 1. ᾗ ἀπέστειλεν τὰς ἀγγέλους αὐτῆ κενὰς ἐκ ἀπαντῆς, & *redire fecit nuncios*, sive *legatos*, *ejus inanes eum dedecore*. Quod in fonte ריק, id interpretes reddunt *inanes* aut *vacuas*, i. κενὰς, cùm potiùs vim adverbii habeat, reddique debeat κενῶς *vacuè*. Sic Job. 22. 9. *viduas dimisisti vacuè*, κενὰς, ut habent LXX. Luc. 20. 10. *dimiserunt eum κενὸν, inanem*: & 11. *Hunc etiam dimiserunt inanem*. Ruth. 1. *Vacuè reduxit me* DOMINUS, absque liberis & marito.

54. *Puerum suum*] נערו. Siquidem נער *puer* nomen est non tam ætatis quàm ministerii. Nam ità vocatur minister cujuscunque ætatis. Abenmelech Exod. 33. נער *Puer vocatur qui est minorennis, & quia tales communiter ministrant senibus, vocatur minister etiam* נער *Puer, licet sit majorennis.* In Jure Judaico נערה vocatur *minorennis*, quæ nondum attigit annum XX, ut cùm dicunt, *Vir desponsat filiam suam dum adhuc est puera*, sive *puella*. Usurpatur de Roboamo annum agente XLI. Notat Gerundensis Gen. 37. 3. de Absalomo, *An est pax puero Absalom?* de Josepho annum XXX agente, & de Josua cùm annum ageret LV. Vide More fol. 112. pag. 1. In Thanhuma ponuntur hoc ordine בחורים *juvenes*, נערים *pueri*, טפים *parvuli*, יונקים *lactantes*, fol. 23. col. 3. De puero recens nato legimus, *vocavit puerum Ichabod*. In lib. Præceptorum, נערה vocatur ab anno XII die uno & ultrà; קטנה, à quo nata est usque ad annum XII, fol. 134. col. 2. Mirum autem cur interpretes maluerint *puerum* reddere quàm *servum*. Nam in *puer* voce ambiguitas est. Sæpe autem sic interpretantur nomen עבד, etiam cùm de Jacobo & Israele sermo, ut Jes. 44. 1. & 41. 8. Proinde Augustinus in 1. Locut. *Tam assiduè*, inquit, *Scriptura Pueros pro Servis ponit, ut difficilè inveniatur non isto nomine appellare servos.* Et ad locum Geneseos, *Salvus est puer tuus pater noster. Hic expressiùs ostenditur Pueri nomine Servum solere significari. Non enim in illo sene* [de Jacobo loquitur] *posset hoc esse nomen ætatis.* Sic accipies Actor. 4. 25. *Per os Davidis pueri tui.* Sic in Latio, *Certa res est: etiam puerum indè abiens convenî Cheremis.* Cicero ad Attic. *Eo die pueri tui mihi à te literas reddiderunt. Puer* propriè נער, quæ vox etiam *servum* denotat, i. עבד. Sanè 1 Sam. 25. 9. נערי דוד *pueri Davidis*, qui mox v. 10. עבדי דוד *servi Davidis.*

55. *Abrahamo & semini ejus*] Libet hîc describere quæ noster Erasmus ad hunc locum annotavit, ut lector sciat cum religione non mutata esse ingenia Theologorum quorundam. Nam quis plura passus est ab illis quàm ego? Igitur Erasmus *semini* exponit, *posteris ejus, nempe David, cui promissum erat*, DE FRUCTU VENTRIS TUI PONAM SUPER SEDEM TUAM: *& hunc locum monachi quidam impudentissimè calumniati fuerant apud Cardinalem Sedunensem, cui persuaserant me pro* SEMINI *mutasse* SEMINIBUS, *idque volebam hæresin sapere, quòd pugnaret cum verbis Pauli, qui scripsit*, NON, IN SEMINIBUS, QUASI MULTIS, SED, IN UNO SEMINE, QUOD EST CHRISTUS. *Ac super hac re me serio vir ille admonuit, cùm à prandio literatu fabulis tempus falleremus, solicitus de meo periculo pro suo erga me studio. Quâ calumniâ nihil unquam audivi impudentius. Nec eram cuiquam crediturus, nisi post sexcentas comperissem his non dissimiles. Quibus rebus adeò proficiunt ut non pro Theologis sed pro furiis habeantur apud cordatos, ac ne tum quidem illis habeatur fides cùm vera prædicant. Primùm impudens mendacium erat, me mutasse quod non mutaram. Deinde si Græci* SEMINIBUS *legerent, nihil facerent adversùs modò citata verba Pauli, cùm Paulus illic agat de Christo, per quem unum nobis erat promissa salus Evangelica; hîc Maria non loquatur de Christo, sed de Abraham & posteris Abrahæ, quibus promissus erat Servator Jesus. Hoc tametsi non erat hujus instituti, tamen obiter indicare volui, ut posteritas noris quas beluas habeat hoc seculum, qui tam ridiculis sycophantiis obstrepunt alienæ industriæ. Et hi falsâ opinione doctrinæ falsâque specie sanctimoniæ, quæ res tiuulis tragicóque cultu sibi comparant apud simplices & imperitos, habentur bases & columna Ecclesiæ catholicæ, cùm illius vomica sint veriùs quàm membra.*

65. *In tota montana regione Judææ*] Interp. vetus, *in montana Judææ.* Ebræi הר vocant locum montibus contentum. *Montana regio*, ἡ ὀρεινὴ· *Montana*, sub. *loca*, quæ הרים, i. *montes*, vocant Ebræi.

78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri*] רחמי אלהינו. In Annot. viri docti scribes רחום pro eo quod in editis רחמים. Fortè mendum est chalcographicum.

CASAUBONUS.

1. Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν] Interpretes putant de Pseudapostolis loqui Euangelistam, propter verbum ἐπεχείρησαν, quasi innuat Lucas hos quidem ἐπιχειρῆσαι sed non τελέσαι, ut Theophylactus interpretatur. Et sanè ἐπιχειρεῖν, si propriam significationem spectes, nihil aliud est quàm *aggredi & incipere aliquid.* Verùm si necessariò ex eo consequitur hos quod susceperant & instituerant non perfeciisse, quia ἐπιχειρῆσαι tantùm dicuntur, quid dicemus de simili ejusdem Lucæ loco initio Actorum ubi scripsisse se ait περὶ ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν? Fortasse igitur sunt ista simpliciùs accipienda, pro ἀνατάξασθαι, & ἐποίησαν. Nam & apud Latinos scriptores sæpe *incipere facere* & *instituere facere* nihil aliud significat quàm *facere*, ut summus quidam vir rectè observavit. Lucretius lib. 5.

Ut nostra quicquam consilia facere aggrediantur,

i. ἵνα ἐπιχειρῶσι διὰ τὶ ποιεῖν ἡμῶν χάριν· quod nihil aliud est quàm *facere* vel *gerere.* Hoc si doctis viris probetur, erit hæc sententia, ut exemplo aliorum impulsum se dicat Lucas ad hanc scriptionem: non quòd fidem illorum haberet suspectam, sed ut rem totam paulò altiùs repeteret, & simul efficeret ut pluribus testibus hujus sanctissimæ historiæ fides fulciretur. Sanè de Pseudapostolis si locutus fuisset Lucas, nescio an tam leniter eos perstrinxisset. Præterea cùm dicat Lucas hæc se scribere ex relatione eorum qui fuerint ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται, haud scio quàm sit probabile scripsisse eum ante Matthæum aut Marcum; Matthæum præsertim, qui fuit unus illorum τῶν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοπτῶν.

3. Ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς] Paulò aliter verbo παρακολουθεῖν in simili sententia utitur Josephus contra Appionem lib. 1. Δεῖν οἶμαι γινώσκειν, ὅτι δεῖ τὰ ἄλλοις παραδόσεων πράξεων ἀληθινῶν ἱστορικὴν ἐμφανῆ ταύτας ἀφίστορα ἀκριβῶς, ἢ παρηκολουθηκότα τοῖς γεγονόσιν, ἢ παρὰ τῶν εἰδότων πυθανόμενον· quo ex loco intelligimus quid hîc significet, ubi transfertur ad animum, cùm propriè dicatur de corpore.

4. Περὶ ὧν κατηχήθης λόγων] Qui negant verbum κατηχεῖν apud idoneos auctores legi, nimis *χαλκεύουσι*. Nam apud Ciceronem ipsum exstat vox κατήχησις in Epist. ad Attic. Laertius in Zenone, διαιρεῖσθαι ἢ τὸ λογικὸν ζῶον, πρῶτ μὲν ἀφ' ἑαυτὸν τὴν τῶν ἔξωθεν παραγματειῶν πιθανότητας, πρὸς ἣν δὴ τὴν κατήχησιν τῶν συνόντων. Reperitur & apud Porphyrium & interpretes Aristotelis, quorum verba nihil attinet proferre. Est etiam apud Plutarchum in libello de Fluminibus, ubi de Lycorma loquitur, κατηχηθεὶς ἢ περὶ τῶν συμβεβηκότων ὁ Εὔλιος.

CAMERO.

1. Πολλοὶ] Indefinitè dictum κατ' ἐξοχήν, nè quis hîc alios Euangelistas à B. Luca notari aut perstringi putet. ¶ Ἐπεχείρησαν] Et hoc etiam κατ' ἐξοχήν dictum est. Certè aliud est χαίρω παρηκολουθηκότα πᾶσιν ἄνωθεν ἀκριβῶς, aliud verò ἐπιχειρῶν ἀνατάξασθαι διήγησιν. ¶ Περὶ] Aliud est διήγησις περὶ πραγμάτων, aliud διήγησις πραγμάτων. Nam hæc nonnisi vera, illa etiam falsa esse potest: nam περὶ hypothesin quidem, h. e. argumentum narrationis, notat, non significat veritatem continuò.

2. Παρέδοσαν] Rabbinicum est מסר, vel מוס, unde fit מסורה & מסורת *traditio.* ¶ Ἀπ' ἀρχῆς] Ἀρχὴ hîc significat initium dispensationis Euangelii à Christo ipso prædicati: de quo initio dicitur Matth. 4. 17. Ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς κηρύσσειν· tum enim inducta est nova ratio revelationis doctrinæ Euangelicæ, quam notat Apostolus Hebr. 1. 1. Sic in V. Test. ἀρχὴ vocatur tempus constitutionis Ecclesiæ Judaicæ, ejúsque politiæ, statim ab exitu ex Ægypto, Psal. 74. 2. Μνήσθητι τῆς συναγωγῆς σου ἧς ἐκτήσω ἀπ' ἀρχῆς. ¶ Αὐτόπται] Sic Johannes priore Epist. Cathol. cap. 1. 1. ὃ ἑωράκαμεν, ὃ ἐθεασάμεθα, περὶ τοῦ λόγου, &c. Eodem vocabulo usus est Josephus lib. 1. contra Appionem, Τῶν ἧ πολέμων ἡ ἱστορίαν ἐγραψα, πολλῶν μὲν αὐτηγοὺς πράξεων, πλείσων δ' αὐτόπτης γενόμενος, ἅπαντ ἧ τῶν λεχθέντων ἢ πραχθέντων ἐδοτῶν ἀγνοήσας.

3. Ἔδοξε κἀμοὶ] Dictum hoc ut Actor. 15. 25. ἔδοξεν ἡμῖν, & v. 28. ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν· Nequis hinc arripiat ansam elevandi authoritatem hujus Euangelii. Etiam κἀμοὶ habet emphasim: non enim se accenset reliquis, quasi esset εἷς ἐκ τῶν πολλῶν. Itaque videtur dictum non sine indignatione quadam, quomodo Paulus 1 Cor. 7. 40. δοκῶ ἧ κἀγὼ πνεῦμα

πνεῦμα Θεῦ ἔχειν· tangit enim Apoſtolus diverſum in Eccleſia Corinthiaca ſentientes, & ſententiæ ſuæ prætexentes authoritatem Spiritûs. ¶ Παρηκολουθηκότι &c.] Joſephus lib. 1. contra Appionem ſtatim initio iiſdem penè uſus eſt verbis, Δεῖ, inquit, ἢ ἄλλως παρέδοσιν παρέξειν ἀληθινὴν ὑπομνημάτων, αὐτὸν ἐπιστασθαι ταῦτας μᾶλλον ἀκριβῶς, ἢ παρηκολουθηκότα τοῖς γενομένοις, ἢ ἐκ τῶν εἰδότων πυνθανόμενον, ὅπερ ἐμοὶ μάλιστα γεγονέναι, ἢ καθ' ὃν ἐγὼ καιρὸν ἐπιδημῶν νομίζω πεποιῆσθαι τὰς πραγματείας. ¶ Θεόφιλε] Non videtur eſſe hæc προσφώνησις certi cujuſdam hominis, cujus nomen proprium fuerit *Theophilus*, ſed eorum omnium qui Chriſtianæ religionis ſacris fuerant initiati. Nec debet id inſolens videri, cùm ſimili προσφωνήσει uſus ſit Athanaſius: nam in libris De Incarnatione indiſcriminatim μακάριον & φιλόχριστον vocat, interdum utrumque vocabulum conjungit, quo non certum aliquem virum, ſed indefinitè quemlibet pium & verè Chriſtianum hominem compellat. Nec epitheton κράτιστος hic dignitatis nota eſt (quamvis viris in dignitate conſtitutis tribuatur) magis quàm apud Latinos ſcriptores nomen adjectivum *optimus*, quo & Magnates inſigniuntur. Quòd ſi κράτιστος dignitatis titulus fuiſſet, non eſt credibile voluiſſe Lucam Actor. 1. 1. illum omittere. Huc accedit & illud, quòd etſi Epiſtolas nihil eſt quod vetet certis non modò Eccleſiis ſed etiam hominibus ſcribi, attamen hiſtoriam Euangelii Spiritûs S. inſtinctu ſcriptam non eſt uſque adeò veriſimile fuiſſe uni cuidam homini inſcriptam. Sed nihil tamen affirmo.

4. Λόγων] Aliud eſt quod ſuprà λόγον dixit, aliud quod hic λόγους vocat: nam illic Chriſtum videtur ſignificaſſe, hic Doctrinam (quamvis doctrina Euangelii etiam λόγος dicatur frequentiſſimè) aut verò etiam Res geſtas, ut Hebraicè דברים. ¶ Ἀσφάλειαν] Videtur alludere ad etymon vocis אמונה & נאמנה, quæ & *firmitatem* & *fidem* ſignificat, ut hic ἀσφάλεια ſit *certiſſima, firmiſſima & conſtantiſſima veritas atque fides*, quæ ob firmitatem aſſenſûs ὑπόστασις interdum dicitur. Eſt autem ὑπόστασις non ſimpliciter πίστις ſeu quies mentis, quæ non eſt aliunde quàm à vera cognitione veritatis, ſed quies, etiam tum cùm irruunt quæ mentem videntur perturbare. אמונה autem ſignificare *firmitatem* liquet ex Exod. 17. 12. *Et fuerunt manus ejus* (nempe Moſis) אמונה, h. e. *firma & ſtabiles*: & 1 Reg. 11. 38. *Ædificabo tibi domum* נאמנה, h. e. *firmam, ſtabilem*.

6. Δίκαιοι] Hebraiſmus eſt. Hebraicè enim צדיק *ſanctum & religioſum* ſignificat, eſtque illuſtrior titulus quàm ישר, quod ſimpliciter *pium & probum* ſignificat. Et ישר etiam plebeiis (modò probi ſint) tribuitur, at צדיק nonniſi eminentioribus. Unde titulus צדיק, quem Judæi magno Simeoni tribuunt, quem ajunt unum fuiſſe ex viris Synagogæ magnæ tempore ipſius Eſdræ.

7. Προβεβηκότες ἐν ἡμέραις] Hebraiſmus. Sic Gen. 18. 11. de Abrahamo & Sara dicitur quòd fuerint באים בימים & Joſ. 23. 1. Joſue dicitur בא בימים pro. & v. 2. iterum, זקן בא בימים.

35. Τὸ γεννώμενον ἅγιον] Obſervandum hic eſt quòd Angelus dicit τὸ γεννώμενον, non verò ὁ γεννώμενος, quo ſignificatur, non hominem illum qui naſciturus erat dici *Sanctum* concretè, ſed naturam Divinam in eo appellari Sanctum ἅγιον diſcretè; nempe quomodo Dan. 9. 24. natura Chriſti Divina ſeu Perſona ejus Divina dicitur קדש קדשים *Sanctitas ſanctitatum*, munus verò ejus Mediatorium voce *unctionis* ſignificatur. Itaque quod eſt in Chriſto eſſentiale ab Angelo vocatur ἅγιον *Sanctum*, & illud ipſum vocatur *Filius Dei*: Unde efficitur 1. quòd appellatio illa *Filius Dei* deſignat aliquid in Chriſto eſſentiale, perſonam nempe ejus Divinam; 2. quòd illud eſſentiale dicitur *Sanctum*. Itaque novum nec abſurdum eſt ut natura Chriſti Divina dicatur ab Apoſtolo πνεῦμα ἁγιωσύνης, Rom. 1. 4.

78. Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους] Beza, *Germen ex alto*: minùs bene. Nam ἀνατολὴ non eſt *germen*, ſed *Oriens*. Itaque melius Gallica tranſlatio, *l'Orient d'enhaut*, quod idem eſt atque *Sol juſtitiæ*, quem Deus promiſerat fore ut exoriretur, Mal. 4. 2.

GUALTPERIUS.

15. Οἶνον καὶ σίκερα μὴ πίῃ] Σίκερα, *Sicera*. Syr. שכרא *Schachra*. Vox Hebræa eſt, ex Radice שכר *Schachar*, i. *ebrius fuit ex ſicera, inebriatus eſt, ingurgitavit ſe potu dulci, qui facilè ſolet inebriare*. Eſai. 29. 9. שכרו ולא יין נוע ולא שכר *Ebrii ſunt, & non vino; moti ſunt, & non Schechar*, ſeu *potu inebriativo*, ut habet Pagninus. Nomen ergò eſt שכר *Schechar*, i. *potus factitius qui facilè inebriat*: & ſic Hebræi per *Siceram* intelligunt omnem potum inebriantem. Quia etiam Vinum maximè inebriat, præſertim cùm vetuſtum eſt, idcirco Paraphraſtes Chald. Num. 6. 3. pro שכר *Schechar* (quod in Hebræo eſt) ſive *Sicera* reddidit *vinum vetuſtum*, *A vino novo*, inquit, *& veteri ſeparetur*, &c. Hinc Latinum *Saccarum*, & Germanicum Zucker: nam potus factitius & inebrians fiebat olim ex ſaccaro & melle. Lutherus, Wein und ſtarck Getränck wird er nicht trincken. Hoc igitur vult Angelus, Obſervabit leges Nazaræorum Num. 6. deſcriptas, ut majorem ſibi conciliet apud vulgus auctoritatem, & ut aptior ſit ad tantum miniſterium quod Dominus ei committet. Non autem obſervabantur iſta Nazaræorum vota ut iis peccata coram Deo expiarentur, ſed ut vetus Adam facilius coerceretur, & DEO liberiùs atque expeditiùs ſerviretur. / Durabant etiam vota illa ad certum tempus, quo elapſo redibant ad priorem vitæ conſuetudinem. Nihil autem cum hiſce Nazaræorum ritibus commune habent vota Monachorum, qui toti immerſi ſunt luxui & crapulæ, ut vulgò dicitur,

O Monachi, veſtri ſtomachi ſunt amphora Bacchi,
Vos eſtis, Deus eſt teſtis, turpiſſima peſtis.

Et hi verè ſunt illi de quibus Eſaias ait 28. 7. *Sacerdos & Propheta erraverunt propter ſiceram*, &c.

19. Ἐγώ εἰμι Γαβριὴλ ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ] Adjecit hic ad vocem גבריאל *Gabriel* in Paraphraſi Syriaca Tremellius, *Nuſquam in V. T. in libris ante captivitatem Babylonicam ſcriptis propria Angelorum nomina exprimuntur: Imò interrogati de ſuo nomine leguntur recuſaſſe id indicare. At poſt tranſmigrationem in Babylonem, & in Veteri & in Novo Teſtamento eorum nomina expreſſa ponuntur. Unde illud R. Simeonis*, &c. *Patres noſtri nomina Angelorum ſecum adduxerunt ex Babylone.* Hæc ille. Quod autem nominum propriorum interpretationem attinet, reſervavimus eam ſuo loco.

63. Αἰτήσας πινακίδιον ἔγραψε, *Zacharias poſtulatis tabellis ſcripſit*] Syrus vocem retinet Græcam πινακιδιον *penkitha*. Significat enim πίναξ *tabulam, codicem, libellum*, πινάκιον dimin. *tabellam, codicillum*; & πινακίδιον *tabellam ceratam, in quo olim ſcribebant*, &c. Vide Plinium in præfatione Hiſtoriæ naturalis; itémque Gellium in Noct. Atticis.

LUD. CAPPELLUS.

2. Καθὼς παρέδοσαν] Magnum eſt & manifeſtum in quatuor hiſce primis verſiculis hyperbaton, à nemine tamen, quod ſciam, notatum: nempe ſecundus verſus in medio tertii poſt αὐτοπται inſeri debet, ut hæc ſit quatuor verſiculorum iſtorum diſpoſitio, Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς (καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τῷ λόγῳ) καθεξῆς σοι γράψαι, κράτιστε Θεόφιλε, ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν. ¶ Ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου] Etſi λόγος paſſim apud LXX Interpretes V. Teſtamenti & in N. Teſtamento occurrat pro Hebræo דבר, h. e. pro *re geſta*, magis tamen convenit ut hoc loco accipiatur pro ipſo Chriſto, quia hâc appellatione notus eſt apud Johannem. Nam ὑπηρέται aptiùs de perſona quàm de re geſta dicitur. Quare hîc idem ſignificare vult Lucas quod Johannes Epiſtolæ Cath. cap. 1. v. 1. ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν, &c. περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς. Deinde res à Chriſto geſtæ non λόγος ſed ῥήματα dicuntur à Luca. Act. 10. 37. ὑμεῖς οἴδατε τὸ γενόμενον ῥῆμα, &c. Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ, &c.

3. Παρηκολουθηκότι] Notatum eſt ab aliis Joſephum lib. 1. contra Appionem hoc verbo uſum eſſe. Eodem uſus eſt & Demoſthenes Epiſtolâ ad populum Athenienſem περὶ εἰρήνης, Ἀλλ' ὅσα τυγχάνω δι' ἐμπειρίαν, καὶ τὸ παρηκολουθηκέναι τοῖς πράγμασιν εἰδὼς, ταῦτ' ἐβουλήθην τοῖς μὲν παροῦσιν λόγον ἐμφανῆ ποιῆσαι. Verùm hoc intereſt diſcrimen, quòd uterque, tum Joſephus tum Demoſthenes, ſignificant eo verbo ſe rebus ipſis de quibus ſcribunt interfuiſſe, quarum pars magna fuerunt; Lucas verò vult duntaxat ſignificare ſe res illas de quibus ſcribit aſſecutum eſſe & cognoviſſe tam certò quàm ſi ipſe præſens adfuiſſet: nam cæteroqui ipſe rebus illis geſtis non interfuerat, ſed eas tantùm ex aliorum relatione certiſſima cognoverat, uti ipſe teſtatur v. 2. καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν, &c.

5. Ἐξ ἐφημερίας Ἀβιὰ] Quæ fuerint Sacerdotum ἐφημερίαι, notum eſt ex 1 Paral. 24. & ab aliis, maximè verò à magno Scaligero in Canonibus Iſagogicis ad Chronicon Euſebii, & in

Appendice

Appendice ad librum ſuum De Emend. Temporum, ſuè explicatum eſt: quæ ego hìc non repono: appellationis tantùm illius rationem, undè ea ſit derivata, exponam. Obſervat idem ille vir magnus lib. 1. De Emend. Temporum pag. 25, & 60. hanc fuiſſe politiæ Athenienſium rationem, ut tota Attica in decem φυλὰς ſive *Tribus* diſtribueretur, ex unaquaque autem tribu ſorte deligi ſolitos eſſe quinquaginta viros qui τῷ ϗ πεντήκοντα βουλῇ conſtituerent. Hujus Senatûs quinquaginta illi qui ex unaquaque tribu delecti erant πρυτάνεις dicebantur, & per vices diem unum imperabant, ità ut rerum ſumma ad eos deferretur. Sic fiebat ut ſingularum Tribuum πρυλάνες numero quinquaginta anno (qui Athenienſibus erat CCCLX dierum) verente triginta dies imperarent, qui dies dicebantur πρυλανεῖαι talis vel talis Tribûs quæ diebus illis imperaverat, atque tum φυλὴ dicebatur πρυτανεύειν cùm die ſuo imperabat, & πρυλανεύουσα φυλὴ dicebatur illa Tribus quæ vice ſuâ imperabat. Heri ergò, e. g. ἡ Αἰαντὶς φυλὴ ἐπρυλάνευε, h. e. *imperabat*, hodie ἡ Κεκροπὶς, cras ἡ Ἀκαμαντὶς, atque ſic deinceps unaquæque Tribus ἐπρυτάνευε ſuam ἐφημερίαν· ſic enim vocabatur tum dies quo unaquæque Tribus imperabat, tum ipſi quinquaginta πρυτάνεις, qui ſic per vices alii aliis ſuccedebant in imperio, quoniam eorum ἀρχὴ erat ἐφήμερος. Rurſus ex iis ſinguli ſorte ducti viri στρατήγοι dicebantur, qui comitiis habendis præſidebant, ac eorum unuſquiſque reliquorum XLIX Tribûs ſuæ virorum ſeu πρυτανίων erat στρατήγος, ipſe autem erat quinquageſimus ſuæ ἐφημερίας, quo modo in caſtris Romanis Decurio erat decuriæ ſuæ decimus. Porrò quia magna fuit ſimilitudo inter illas Tribuum Atticarum ἐφημερίας, & Sacerdotum Judaicorum משמרות ſeu משמרים (ſic enim Hebraicè vocantur. Nam ut quinquaginta illi πρυτάνεις per vices diem unum imperabant, ſic XXIV Sacerdotum משמרות ſingulæ non unum quidem diem ſed ſeptimanam unam in Templo miniſtrabant per vices: Rurſus, quemadmodum ſingularum Tribuum πρυτάνεις quinquaginta ſuum habebant στρατήγον, erántque in univerſum decem στρατήγοι, totidem nempe quot erant φυλαὶ, ità ſingulæ Sacerdotum משמרות ſuum habebant ראש משמר, ut totidem eſſent ראשי משמרות quot erant משמרות, nempe XXIV) indè factum eſt ut LXX Interpretes vocem ἐφημερίαν Græcis notam & familiarem uſurparint ad ſignificandas Sacerdotum משמרות מחלקות ſive potiùs διαιρέσεις, quòd res ſignificata voce iſtâ Hebraicâ aptè ſatis reſponderet rei quæ voce Græcâ ἐφημερία apud Athenienſes ſignificabatur. LXX autem Interpretes ſecutus eſt in ſua appellatione Lucas de vicibus illis Sacerdotum Græcè ſcribens.

9. Ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι] Omnia quæ in jugi & quotidiano ſacrificio & miniſterio Levitico fiebant, ſolita fuiſſe diſtribui ſorte tum Sacerdotibus tum Levitis, liquet ex Miſna, in Maſſecheth יומא, ubi explicatur tota ratio & ſeries quotidiani illius Miniſterii. Sic ergò habetur cap. 3. in initio, *Dicit eis* (Sacerdotibus nempe) הממונה *Præfectus*, (ἐφημερίας ſcilicet) *Venite*, ורו *& ſortimini quis jugulaturus ſit*, (Agnum nempe jugis ſacrificii) *quis effuſurus ejus ſanguinem, quis excineraturus ſit Altare, quis lucernas accenſurus, quis Agni membra* (ſive *artus*) *illaturus in Altare*, &c. Capite autem quinto ſic habetur, *Dicit eis* (Præfectus) הן הגיע זמנכם ורו מי יקטר *ecce h. e. Novi ad ſuffitum venite, & ſortimini quis ſit futurus dignus.* Atque hìc Commentator Jarchi notat, olim quidem non fuiſſe uſurpatam ſortem in faciendo ſuffitu, ſed poſtmodum immutatum fuiſſe veterem morem, quia experientiâ deprehenſum erat, omnia bene & ex animo ſemper ſuccedere illi qui ſuffitum fecerat: Itaque ut plures hujus benedictionis fierent participes, ſorte fuiſſe delectos. Atque hinc eſſe compellationem illam הן הגיע זמנכם *Novi ad ſuffitum venite, & ſortimini*, &c. h. e. Vos quibus nondum contigit ſuffitum facere, accedite & ſortimini quis veſtrùm futurus ſit dignus eo munere. Videtur quidem iſtud ſomnium & commentum eſſe Rabbinicum; at hinc ſaltem liquet in more tum fuiſſe poſitum ut ſorte deligeretur qui ſuffitum facturus erat.

28. Κεχαριτωμένη] Eſt Hebraicum רמוי, Participium nempe conjugationis Pyhal: quod etſi non occurrat in S. Bibliis, analogicè tamen formari poteſt. חנן in Pihel ſignificat *gratiam facere, gratificari*: In Pyhal ergò ſignificabit *accipi in gratiam*, vel *gratiam*, ſive *beneficium, accipere*: quæ videtur vera eſſe hujus vocis κεχαριτωμένη hoc loco ſignificatio. Nam quantum eſt quámque ſingulare illud beneficium, quòd Deus virginem illam inter omnes mulieres ſibi ſelegit ut ex ea naſceretur! Unde etiam eſt quod mox dicitur *benedicta in mulieribus*. Paſſivè ergò ſumitur hoc loco vox iſta, activè autem Eccl. 18. 19. ἐν ἀποκρίσει λόγου ἀγαθῆς δόμα αἰγαθὸν, ᾧ εὐμορφία ἐπὶ ἐυδοξῇ κεχαριτωμένῃ; Ubi κεχαριτωμένῃ videtur ſignificare *χαρίεσσα, & liberalem*, qui ad beneficia quæ ipſe hominibus inopibus elargitur gratiam ſermonis adjungit, contrà quàm facit μοχθηρὸς, qui κεχαρίσατο ἀναιδίᾳ, uti habetur ſequenti verſu. Quod ſi cum Compl. editione & aliis nonnullis legamus iſthic ἠκχαριτωμένη, tum paſſivè erit interpretanda vox illa, ſignificabitque *grata & accepta*: quæ ſignificatio hic apud Lucam optimè convenit, ut dicatur B. Virgo κεχαριτωμένη, h. e. *grata & accepta* fuiſſe Deo. Sunt qui volunt vocem iſtam reſpondere Hebraicæ מרוחם. Non רחם non activè modò ſed paſſim etiam paſſivè ſumitur in V. T. nempe pro *eo quem Deus ſingulari favore proſequitur*: unde putant femininum illius, nempe מרוחמת, poſſe ſimiliter paſſivè accipi, pro *femina quam Deus ſingulari beneficio affecit*. Verùm illi primò non animadvertunt, cùm רחם ſic paſſivè uſurpatur denotare in genere & propriè pios ac fideles, quos Deus in Chriſto amore ſingulari proſequitur, non autem ſingulariter aliquem quem Deus peculiari beneficio & prærogativâ ornavit. Jam verò voce iſtâ κεχαριτωμένη non videtur ſignificari hic aliquid quod piis omnibus eſt commune, ſed aliquid potiùs ſingulare illi Virgini à Deo conceſſum. Deinde vox מרוחם occurrit quidem in V. T. ſed ſignificatione longè ab iſta diversâ, nempe pro *Cicenia*, ob ſenectutem erga ſenes parentes, & ἀντιπελαργίαν, at nunquam eâ ſignificatione quâ רחם in maſc. genere. ¶ Ὁ Κύριος μετὰ σοῦ] Salutandi formula Hebræis uſitata. Sic nempe Booz meſſores ſuos ſalutat, יהוה עמכם *Dominus vobiſcum*, Ruth. 2. 4. & Jud. 6. 12. Angelus Gedeonem ſic ſalutat, יהוה עמך *Dominus tecum*. Quam videtur imitatus Paulus 2 Tim. 4. verſ. ult. Ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς μετὰ τοῦ πνεύματός σου. Eſt ergò ſalutationis geminatio, Χαῖρε, &, ὁ Κύριος μετὰ σου. Geminari autem ſolere ſalutationes, liquet ex Græcorum formula, χαίρειν ἐν ἐυτυχίᾳ, quam imitatus eſt Horatius,

Celſo Gaudere & Bene rem gerere Albinovano
Muſa rogata refer.

¶ Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξί] Phraſis eſt Hebraica. Sic nempe Jud. 5. 24. Jahel dicitur à Debora מבורכת מנשים *benedicta pra reliquis feminis*. Poteſtque illud σὺ eſſe vocativi caſus, ut ſit hic ſenſus, *Salve ô tu qua benedicta es inter mulieres.*

G R O T I U S.

Κατὰ Λουκᾶν, *Secundùm Lucam*] Docet nos Origenes in Annotationibus Epiſtolæ ad Romanos fuiſſe qui crederent Lucium eum qui in eadem epiſtola nominatur XVI, 21. eſſe hunc ipſum Lucam, & *Lucium* dici flexione Romanâ, *Lucam* Græcâ. Ego Lucium illum cujus ibi meminit Paulus puto non alium eſſe à Cyrenenſi quem noſter hìc nominat Actorum XIII, v. 1. Noſtro autem nomen quidem Romanum fuiſſe arbitror, ſed aliquantò longius. Nam quæ in ᾶς terminantur nomina ſolent partem nominis poſtremam ἀποκόπτειν [*abſcindere*]. Ita Δημᾶς [*Demas*] eſt Δημήτριος [*Demetrius*], Μηνᾶς [*Menas*] eſt Μηνόδωρος [*Menodorus*], Ἀπελλᾶς [*Apellas*] eſt Ἀπολλόδωρος [*Apollodorus*], Θεύδᾶς [*Theudas*] eſt Θεόδωρος [*Theodorus*], Ἐπαφρᾶς [*Epaphras*] eſt Ἐπαφρόδιτος [*Epaphroditus*], Ἁρποκρᾶς [*Harpocras*] eſt Ἁρποκράτης [*Harpocrates*], Ἀλεξᾶς [*Alexas*] eſt Ἀλέξανδρος [*Alexander*], Κλεοπᾶς [*Cleopas*] eſt Κλεόπατρος [*Cleopater*]. Ex *Artemidoro* fit *Artemas*, ut apud Varronem eſt libro VII De lingua Latina. Herodes pater in minore fortuna *Antipas*, in majore *Antipater* Joſepho. Sic *Poſides* ex *Poſidonio*, *Harpocras* ex *Harpocrate* diminuendo factus. Et, ut ad Latina veniam, Ῥοῦφᾶς [*Ruphas*] *Rufinus*. Quare & *Lucas*, ſi quid video, contractum eſt ex Romano nomine, quod ſuſpicor fuiſſe *Lucillium*. Nam ea gens tum Romæ florebat, ex qua erat & ille ad quem exſtant Senecæ epiſtolæ. Erat noſter hìc Syrus, ut veteres conſentiunt; & medicinam fecit. Cur enim alium eſſe putemus de quo Paulus ſcribit Coloſſenſibus, Λουκᾶς ὁ ἰατρὸς [*Lucas medicus*]; cauſſe nihil video: accedit famæ veteſtas. Syria autem multos Romanis ſervos exhibebat: & Medicina, ut ex Plinio atque aliis diſcimus, munus erat ſervile. Manumiſſi autem nomen patroni induebant, ut Comœdiarum Scriptor, Afer cùm eſſet, dictus eſt à patrono Terentio *Terentius*; Alexander Polyhiſtor à patrono Cornelio Lentulo *Cornelius*, Suida referente. Ita hìc à Lucillio *Lucillius* & contractè Λουκᾶς [*Lucas*]. Credibile eſt, cùm Romæ medicinam factitaſſet aliquandiu, acceptâ libertate rediiſſe in patriam. Judaicam religionem domi an Romæ imbiberit incertum. Romæ ſanè multi libertinæ conditionis quotidie ad Judaiſmum tranſibant; qualis Cæcilius ille quicum Cicero de Verre accuſando certavit. Vide Plutarchum Ciceronem. Philo libro De legatione ad Cajum, πῶς ὐν αἰτιάσ-

χετα τὴν πίρω ἢ Τιβίριος ποταμῶ μεγάλην τ῀ Ρώμης ἐντομὴν, ἣν σὺν ἡγοῦ πατεχομένην ὑ ἰουδαίων, Ρωμαίοις ὧ ἦσαν οἱ πλείους ἀπελεύθερωθέντες [*quomodo ergo paſſus eſt magnam illam Romæ partem qua trans Tiberim eſt habitari & teneri, ſe ſcienſe, ab Judæis, qui magna pars Romanâ erant ex ſervitute manumiſſi*]. Sed & Antiochiæ magna erat Judæorum univerſitas & ingens προσηλύτων [*proſelytorum*] numerus: quod & Joſephus nos docet & leges Romanæ. Helleniſtarum ſermonem cum religione hauſit, Græcanicam literaturam dum Medicinæ ſtudet. Utriuſque manifeſta ſunt in ſcriptis ejus veſtigia. Sed & ad Syriacum *idioma* [*loquendi genus*] ſæpe inclinans ejus dictio patriam prodit; & Romæ verſatum ex Romanis quibuſdam locutionibus agnoſcas. Chriſtianum dogma puto ab ipſo ſuſceptum Antiochiæ, poſtquam eò Româ rediiſſet, Paulo docente, cui ab eo tempore comes hæſit, ut ex Actuum libro apparet, niſi ſi quando à Paulo ad Eccleſias legabatur, fovendæ fementi quam fecerat Paulus; quod ſæpiuſcule factum arbitror. Neque mihi diſplicet quod plerique Veterum ſentiunt, Pauli illud II Corinth. VIII. 18. τ῀ ἀδελφὸν ὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ δι᾽ πασῶν τ῀ ἐκκλησιῶν [*fratrem cujus laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias*] de Luca accipi, præſertim cùm Ignatius in epiſtola ad Epheſios (quæ quin ſit γνήσιος [*genuina*] non dubito) ea ipſa verba ad Lucam trahat, ὡς μαρτυρεῖ, inquit Λουκᾶς, ὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ δι᾽ πασῶν τ῀ ἐκκλησιῶν [*ut teſtatur Lucas, cujus laus in Euangelio per omnes Eccleſias*]. Neque tamen εὐαγγελίῳ [*Euangelii*] voce librum hunc indicari ſentio, ſed munus διαγγελίου [*Euangeliſtæ*]. Librum autem & hunc & qui eſt de Actibus Apoſtolicis ſcriptum arbitror non multò poſt quàm Paulus Româ abiit in Hiſpaniam. Nam in id tempus deſinit Actuum liber, qui ſi ſeriùs ſcriptus eſſet, in ulteriora etiam tempora narrationem protenderet. Puto autem Româ iiſſe Lucam in Achajam, atque ibi ab eo conſcriptos quos habemus libros; quod & Hieronymus prodidit. Sunt qui decimo quinto poſt Chriſti Aſcenſum anno, ſunt qui ſecundo & viceſimo id factum narrant.

1. πολλοὶ, *multi*] Apparet cùm Lucas ſcriberet aliquammultos exſtitiſſe libros de rebus Chriſti: nimirum ipſa rerum magnitudo multos in eam curam pertraxerat. Sed alii, dum rumores colligunt, non mirum eſt ſi vera falſis miſcuerint: quos inter numero Euangelii Ægyptiaci veruſtiſſimum Scriptorem. Nam quæ alia circumferuntur Euangelia putidiſſima ſunt figmenta ævi multò poſterioris. Alii verò, Matthæus & Marcus ſcilicet, qui aut viſa aut ex certis auctoribus audita perſcripſerant, ſicut extra omnem erant negligentiæ culpam, ita addere aliquid ad ipſorum laborem cupienti in materia tam ubere viam non præcluſerant. Adde quod credibile eſt ad id tempus Matthæi librum non niſi Hebræo ſermone exſtitiſſe; Marcus autem Græcè compendium magis hiſtoriæ quàm hiſtoriam ſcripſerat. Quod verò quidam exiſtimant Matthæo & Marco priorem in ſcribendo Lucam fuiſſe, plane ut credam induci non poſſum. Refragatur veruſtiſſimus librorum ordo apud omnes nationes; refragatur traditio vetus, Irenæo & Tertulliano teſtibus ſuffulta; refragatur ipſe Lucas, qui ita Matthæi & Marci hiſtoriam auxit additis narrationibus, ut ubi res eaſdem narrat eadem quoque verba non rarò uſurpet. ¶ ἐπεχείρησαν, *aggreſſi*] Bene notavit vir eruditiſſimus vocem eſſe mediam; neque ex ea colligi poſſe non præſtitum ab illis Scriptoribus quod aggreſſi erant. Nam & Plato, Iſocrates, aliique ἐπιχειρῶν [*aggredi*] ſæpe de ſtudio etiam felice uſurpant. ¶ πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, *quæ in nobis completa ſunt, rerum*] *De rebus quæ ſatis atque abunde nobis probata ſunt.* Probatio factorum in teſtibus maximè conſiſtit, in quibus ſpectatur an verum dicere velint, & an verum norint. Velle cenſendi ſunt qui ſunt vitæ integræ, & ex teſtimonio nihil ſperandum habent commodi. Tales autem erant οἱ προκεχειροτονημένοι μάρτυρες [*prærdinati teſtes*] rerum à Chriſto geſtarum, vitæ ſanctiſſimæ homines, & qui à ſpe commodorum tam longe aberant ut contrà ejus teſtimonii causâ omne incommodorum genus tolerarent.

2. Καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν, *Sicut tradiderunt nobis*] Aut voce, ut cæteri; aut etiam ſcripto, ut Matthæus. Nam vox παραδόσεως [*traditionis*] ad utrumque pertinet. ¶ αὐτόπται, *qui ipſi viderunt*] Hoc jam eo ſpectat ut appareat teſtatos illos de re ſibi nota, ita ut eorum veracitati ignorantia obſtare non potuerit. Vetus eſt verſus,

Pluris eſt oculatus teſtis unus quàm auriti decem.

Apud Xenophontem hiſtoriæ Græcæ V. αὐτόπτου μὲν ἀκοὴν ἡμῖν [*ex nomine audiit qui ipſe id viderit*]. Philo, περὶ συγχύσεως διαλέκτων [*De confuſis linguis*], Deum dicit ad res viſendas deſcendiſſe dici, ἵνα μηδεὶς ἀνθρώπων οἷς ἂ πάρεστιν ἀβεβαίῳ χρώμενος εἰκαίᾳ μακρὰν ἀφεστὼς πρόσεισιν, ἀλλ᾽ ἄχρι τ῀ πραγμάτων ἔλθοι, ἢ διανύσας εἰς ἕκαστα, ἢ ἐπιμελῶς αὐτὰ ἀναγκάσωμαι· ὄψις γὰρ ἁπλανὴς περὶ ἁπάντων ἀπατηλῶν ἄξιον μάρτυρος τίθεσθαι· ἀκοὴν δὲ πρὸς τοῖς ἄγαν πολυτροπίοις ἀναγέγραπται νόμος, Ἀκοῇ μὴ μαρτυρεῖν [*neque hominum de rebus à ſe longe remotis incerta opinione feſtinet credere, ſed ita demum ubi ad res ipſas veneris, perſpexeritque ſingulas & oculis diligentibus luſtraveris. Æquum enim eſt viſum qui non fallitur fallaci auditui in teſtimonii fide præponere: qua de cauſa apud eos qui bene reguntur lex ſcripta eſt, Ne ex auditu teſtimonium dicatur*]. Et in libro περὶ δικαστῆ [*De Judice*] ita ait, Ὀφθαλμοὶ μὲν αὐτοῖς ἐντυγχάνουσι τοῖς γινομένοις, ἐφαπτόμενοι τρόπον τινὰ τ῀ πραγμάτων, ἢ ὅλα δι᾽ ὅλων καταλαμβάνοντες, φανερὰς συνεργοῦσι· τὰ πάντα ἀναγάζεταί τι ἢ διελέγχεται· ὦτα δ᾽, ὡς ἔφη τις σὺν αἰτῷ ἐκ σκοτῦ τ῀ μυστηρίων, ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα, πρόγνωσιν μὲν σὺν ἐντυγχάνοντα, ἐρμηνεῖσι δ᾽ πραγμάτων λόγοις σὺν ἀεὶ πεφυκόσιν ἀληθεύειν περιελκόμενα· διὸ ἢ τ῀ παρ᾽ Ἕλλησιν ἐνιστορισθέντων μεταγράψαντες ἐκ τ῀ ἱερογλυφικῶν Μωσέως στηλῶν ἐν διαθήκαις θεσμοῖς, μὴ μαρτυρεῖν ἀκοὴν, ὡς ἔοικε, ἃ μὴ αὐτοὶ τοῖς πρὸ πρίσεως, ἃ δ᾽ ἤκουσε μὴ πάντως βέβαια [*Oculi in ipſa quæ geruntur intrant, tangunique ea quodam modo, & tota in totum comprehendunt, cooperante luce, per quam omnia illuſtrantur & exploruntur: Aures verò, ut non male veterum dixit aliquis, minus fida oculis, ut quæ ad res ipſas non perveniant, ſed interpretibus rerum verbis non ſemper verum dicentibus circumagi ſoleant. Quare & inter Græcos legum conditores quidam ex Moſis titulis depromtum hoc bene conſtituerunt, ne ex auditu teſtimonium dicatur; nempe quòd ea quis fida habere debeat quæ vidit ipſe, quæ verò audivit, non item*] Joſephus, Πάντα τὰ δι᾽ ἀκοῆς εἰς γνῶσιν ἐρχόμενα μ῀ ἀπιστίας παραγίνεται [*Omnia quæ per auditum ad cognitionem perveniunt incertam ſecum adferunt fidem*]. Cteſias in hiſtoria ſua recitante Photio ajebat, αὐτὸν τ῀ πλείονα ἃ ἱστορεῖ αὐτόπτην γενόμενον, ἢ παρ᾽ αὐτῶν Περσῶν, ἵνα τὸ ὁρᾶν μὴ ἐνεχοίη, αὐτήκοον κατασῆναι, ὅτε τὴν ἱστορίαν συγγράφοι [*ſemet maxima partis eorumque narraret conſpectorem fuiſſe, aut quæ videre non licuerat, à Perſis ſuis auribus audiſſe, & inde ſcripſiſſe hiſtoriam*]. Joſephus primo contra Appionem, Δεῖ τ῀ ἄλλοις παραιτεῖσθαι περὶ ἕκαστα ἀληθινῶν ἱστορημάτων, αὐτὸν ἐπίστασθαι ταύτας πρότερον ἀκριβῶς, ἢ παραλαβόντα τοῖς γεγενῆσθαι, ἢ παρὰ τῶν εἰδότων πυθόμενον [*Oportet eum qui ſe polliceatur rerum veritatem aliis traditurum, ipſum exacte eas noſſe, aut quòd adfuerit cùm gererentur, aut quod ex gnaris eas didicerit*]. ¶ ὑπηρέται, & *miniſtri*] Apoſtoli non tantùm viderant pleraque eorum quæ narrabantur, ſed pars quoque eorum aliqua fuerant χειρίστου [*tractatores*], ut Polybius loquitur. Multa enim narrantur ab ipſis aut per ipſos geſta, ut Dæmonum ejectio, Panum diſtributio, Ambulatio ſuper mare, atque alia. Idem de Domini matre dicendum. ¶ τ῀ λόγου· *ſermonis*] Μετωνυμία ἑβραΐζουσα [*transnominatio Hebraizans*] Significat enim res ipſas quæ narratione continentur. Sic mox, περὶ ὧν κατηχήθης λόγων [*verborum de quibus eruditus es*]. Simile eſt infrà II, 15. τὸ ῥῆμα τοῦτο τὸ γεγονός [*verbum quod factum eſt*]. Nam Chriſtum λόγον [*Verbum*] vocare Johannis eſt proprium. Neque mihi videtur de ſolis documentis hîc agi.

3. Ἔδοξε κἀμοὶ, *Viſum eſt & mihi*] Sponte propriâ: non ergo Pauli juſſu, ut quidam putarunt. Dubitandum autem non eſt quin piam diligentiam Deus direxerit. ¶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, *aſſecuto omnia à principio diligenter*] Παρακολουθῶ eſt *notitiam conſequi*. Galenus, παρακολουθῶ βιβλίοις παλαιοῖς [*verſari in libris antiquis*]. Joſephus μ῀ πάσης ἀκριβείας παρακολουθῶν τοῖς ἡμετέροις γράμμασι [*In literis noſtris cum omni diligentia verſari*] dixit. Paulus I ad Tim. IV, 6. τ῀ καλῆς διδασκαλίας ἣ παρηκολούθησας [*bonæ doctrina quam aſſecutus es*]. Quod autem hîc dicit Lucas ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς παρακολουθῶν [*à principio omnia diligenter aſſequi*], tantundem valet quantum id quod apud Plautum eſt Trinummo,

Quòd ſi exquiratur uſque ab ſtirpe auctoritas.

Sic Thucydides hiſtoriam ſcripſit, ut ipſe profitetur, περὶ τ῀ ἄλλων ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐξετάσθην [*ab aliis ſingula aſſecutus ſumma cum diligentia*]. Significat Lucas ſe non ante quieſſe quàm rerum quas diverſi Scriptores prodiderant teſtimonia radicitus inquiſiviſſet, ut ita explorata ab incertis diſcernens nihil ipſe non bene compertum literis conſignaret, cui rei bellam occaſionem ei præbuerunt Pauli itinera in Judæam.

Sed

Sed & cum Eccleſiarum pecuniis à Paulo in Judæam miſſum Lucam aliquoties credo. Ibi ergo cùm eſſet, potuit omnia ex primis auctoribus diſcere. Hoc autem non dubiè ad ea pertinet quæ ſcripta erant non à Matthæo neque ab αὐτοπτῶν [*oculato teſte*] aliquo, ſed ab aliis. ¶ καθεξῆς, *ſigillatim*] Falluntur qui hinc colligunt propoſitum Lucæ temporum ordinem preciùs ſequi quàm alii ante ipſum feciſſent. Nam contrà apparet illum non ſemel ob rerum cohærentiam connexuiſſe quæ temporibus erant diſcreta; quod ſuis locis patefiet. Sed καθεξῆς Lucæ nihil aliud eſt quàm *ſigillatim*, ut videre eſt Act. XI, 4. XVIII, 23. Talis narratio opponitur τῇ κατηχήσει [*primæ inſtitutioni*] quæ generaliter ἐν παχυμερεῖ [*& craſſiore modo*], &, ut Philoſophi loquuntur, ὡς ἐπὶ τὸπολὺ [*ſummatim*] tradebat Jeſum veniſſe, feciſſe miracula multa, damnatum à Pontio Pilato, mortuum, reſuſcitatum: ut ex iis apparet quæ de Baptiſmo ad Matthæum diximus. ¶ κράτιστε Θεόφιλε· *Optime Theophile*] Theophilum hunc alicujus fuiſſe dignitatis non male viri docti ex hac compellatione colligunt. Ego in aliqua Achajæ urbium magiſtratu functum arbitror, & à Luca baptizatum. Ita Feſtus, ita Felix in Actibus hoc vocabulo appellantur. Plutarchus Fundanum vocat κράτιστον [*Optimum* ſive *Egregium*]. Joſephus ſimiliter libro De vita ſua Epaphrodito, Trajani, ni fallor, liberto ac procuratori, dedicans, κράτιστε ἀνδρῶν Ἐπαφρόδιτε [*Virorum præſtantiſſime Epaphrodite*], inquit. Et Juſtinus brevem Chriſtianismi inſtitutionem perſcribens ad Diognetum ità præfatur, Ἐπειδὴ ὁρῶ, κράτιστε Διόγνητε, σπουδαιότατα σε τὴν θεοσέβειαν τῶν Χριστιανῶν μαθεῖν [*Cùm videam, Præſtantiſſime Diognete, ſummo te ſtudio teneri cognoſcendæ religionis Chriſtianæ*]. Latinus Interpres non male hic vertit *optime*. Ita Octavius *optimus* Horatio.

4. Ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν. *Ut cognoſcas eorum verborum de quibus eruditus es, veritatem*] *Ut quæ ante Baptiſmum generali quadam inſtitutione acceperas, nunc ſigillatim ac proinde certius cognoſcas.* Nam, ut rectè Philoſophus, εἰδέναι καλόν ἐστι μανθάνειν τινὰ ἴσως δὲ ἐπίστασθαι, ἴσως δὲ οὐκ ἀγνοεῖν· οὐκ ἄτοπον γάρ, εἰ οἶδέ πως ὁ μανθάνων, ἀλλ' εἰ οἶδε, πῶν γὰρ μανθάνει ἢ οὐκ [*nihil vetat quominus quis ea quæ diſcit aliquo ſenſu noverit, aliquo ignoret: nihil enim abſurdi eſt ſcire aliquem aliquatenus quod diſcit, ſed ita demum ſi dicatur diſcere quatenus novit & quomodo novit*]. Vide quæ ad Matthæum capite ultimo.

5. Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρῴδου τοῦ βασιλέως, *Evenit in diebus Herodis Regis*] Mos Hebræus ordiendi, ut in libro Ruth, ויהי בימי שפט השפטים [*Evenit in diebus cùm judicarent* ſive *regerent Judices*]. Quod quidam ſpectatum hîc à Luca putant Jacobi vaticinium, probare non poſſum. Nam ut præteream quæ à viris doctiſſimis accurate ſuper hac re ſunt diſputata, ſimpliciſſimus oraculi illius ſenſus eſt, Adfore Meſſiam ante τὴν Ἰουδαϊκῆς πολιτείας ἐρήμωσιν [*Judaica Reipublicæ vaſtationem*] quod nihil ad Herodem pertinet. Cæterùm qui olim res Prophetarum ſcripſerant, exorſi erant à tempore ἀναδείξεως αὐτῶν [*oſtenſionis ipſorum*], ut de Elia, Eliſæo atque aliis factum videmus. Ira & Marcus initium hiſtoriæ Chriſti fecerat ipſius & Præcurſoris φανέρωσιν [*patefactionem*]. At Lucas, cùm videret curioſum lectorem ſcire deſideraturum qui & hujus & illius natales fuiſſent, ſimulque proſpiceret progreſſu temporum multa poſſe tradi fabuloſa, inde auſpicandum ſibi exiſtimavit. ¶ ἱερεύς τις, *Sacerdos quidam*] Satis cavit Lucas addito τις [*quidam*], ne Pontifex Maximus fuiſſe Zacharias intelligeretur, quod à veterum multis falsò creditum vel ἐφημερία [*tempus vicis* ipſius] ſatis evincit. Sed nec principem familiæ ſuæ fuiſſe credibile eſt: qua de re ad Matthæum diximus XIV. 2. Pertinet autem hæc narratio ad indicandam Johannis nobilitatem. Joſephus, Ὥσπερ δὴ παρ' ἑκάστοις ἄλλη τίς ἐστι εὐγενείας ἐπίδειξις, οὕτως παρ' ἡμῖν ἡ τῶν ἱερωσύνης μετουσία τεκμηρίων ἐστὶ γένους λαμπρότητος [*Sicut apud alios alia eſt nobilitatis probatio, ita apud nos participatio honoris Sacerdotalis ſplendidi generis argumentum eſt*]. Imò Philo auſus eſt dicere, ὅσῳ θεὸς ἀνθρώπων διαφέρει τῷ τὸ πρωτεῖον, τοσούτῳ καὶ βασιλείας ἱερατεύματα τιμιώτερα, τῷ μὲν εἶναι θεοῦ θεραπείαν, τῷ δ' ἐπιμέλειαν ἀνθρώπων [*quanto Deus hominibus præſtat tantò & regno ſacerdotium; hoc enim eſſe Dei cultum, illud pro hominibus curam*]. Quod ut calidiùs dictum benigna interpretatione mitigandum eſt. Scimus alioqui Reges à Pontificibus etiam Maximis *dominos* ſalutatos, & Deo placuiſſe ut Meſſiæ antecambulo ex Sacerdotali, ipſe autem Meſſias ex Regio genere naſceretur. ¶ ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά· *de vice Abia*] Eſt & hîc μετωνυμία [*tranſnominatio*]. Nam per ἐφημερίαν [*vicem*] intelligitur ἡ πατριὰ [*familia*], quæ certo dierum ſpatio (ἑβδομαίῳ [*ſeptem*] ſcilicet; ut rectè notat Theophylactus, diligens rerum Judaïcarum inquiſitor) λειτουργίαν ſuam [*miniſterium* ſuum] implebat ex Davidis & veterum Prophetarum inſtituto, poſtquam Gens Aaronidarum in eum numerum excreverat, ut eodem tempore occupari Templi negotiis non poſſet. Proprie autem reſpondet vox Helleniſtica ἐφημερίας [*vicis* ſive *ordinis*], aut, ut Joſephus loquitur, ἐφημερίδος voci Hebrææ משמרת. Interpretes Nehemiæ (quos multis argumentis ſuſpicor poſteriores eſſe τῶ̀ [*Interpretibus Septuaginta*]) Nehem. XIII. 30. ἔστησα ἐφημερίας [*conſtituti ordines*] ubi in Hebræo eſt משמרות ואת־עבודת & II Paralip. XXXI, 16. (quorum librorum interpres videtur eſſe Theodotion) εἰς λειτουργίαν ἐφημερίας διατάξεως αὐτῶν [*ad miniſterium vicis ordinationis ipſorum*], לעבודתם במשמרותם למחלקותם: & ſequenti verſu iterum במשמרותם יחד ἐφημερίας αὐτῶν [*in vicibus eorum*]. Lxx autem Interpretes vocem משמרת, quæ λειτουργίαν [*miniſterium*] ſignificat, ſed nondum in orbes temporum diſtributam, φυλακὴν [*cuſtodiam*] ſolent vertere, ut Num. III, 7, 25, 28, 31. atque alibi videre eſt. מחלקת eſt ipſa διάταξις aut μερισμὸς [*diſtributio*]. quanquam interdum ob affinitatem ſignificationis vertitur ἐφημερία [*vicis ordo*]. פקדת autem eſt ἡ ἐπισκοπὴ aut ἐπίσκεψις [*viſitatio*], id eſt, eorum cura qui cæteris præerant, ut clare docemur I Paral. XXIII, 24. Videntur autem Hebræi exemplo hoc inducti ut cæterarum Tribuum ſemiſſes attribuerent Sacerdotalibus familiis, ad quas qui pertinebant, non quidem Templi miniſterio, ſed orationibus & jejunio indicto ſibi tempore vacabant. Ejus rei memoria paſſim exſtat in libro Muſar atque aliis. Ut autem vetus inſtitutum credam facit locus inſignis II Paral. XXIII, 6. πᾶς ὁ λαὸς φυλασσέτω φυλακὰς Κυρίου [*omnis populus obſervet cuſtodias Domini*]. Quod poſtquam receptum eſt, communem illam omnium Tribuum λειτουργίαν [*miniſterium*] dixerunt משמרת φυλακὴν [*cuſtodiam*], illam autem Sacerdotum propriam, diſcriminis causâ, *ſtationem* מעמד. Quod quidam putant ſucceſſionem hanc perpetui miniſterii turbatam, in eo quam fallantur cum a viro & doctrinæ & diligentiæ admirabilis Joſepho Scaligero demonſtratum ſit antehac, idem oſtendere ampliùs velle ſit actum agere. Pauca ſcilicet nomina Zorobabelis temporum quæ cum Davidicis habent fortuitam συνέμπτωσιν [*concurſionem*], cùm tantò plura diſcrepent; hanc hallucinationem pepererunt. At falli certe in iſtis rebus Joſephus, & Sacerdos & diligentiſſimus patriæ hiſtoriæ inquiſitor, non potuit, qui Davidis hiſtoriam enarrans diſerte ait; διέμενεν ἕως ἐμοῦ ὁ μερισμὸς ἄχρι τῆς σήμερον ἡμέρας [*manet hæc diſtributio ad noſtra uſque tempora*]. Interveneruntquidem tempora Regum impiorum, deinde exſilii Babylonici, poſtremò triennium Antiochi: Sed illis quoque temporibus pii Sacerdotes, quod in Templo non poterant, ubi poterant, & qua poterant, præſtabant, non quidem pecudum mactatione, quod extra Templum nefas erat, ſed ſolemni recitatione earum precum quæ ſacrificiis accedere ſolebant. Quarum & Philo & Joſephus aliquot locis meminerunt. Non aliò pertinet quod apud Ezechielem laudat Deus Sacerdotes οἵτινες ἐφυλάξαντο τὰς φυλακὰς τοῦ ἁγίου [*qui obſervarunt cuſtodias Sanctuarii*], quatenus poterant ſcilicet: quod ipſum ſufficiebat ad retinendam memoriam τῶν ἐφημεριῶν, quas tanquam ex prima inſtitutione continuatas in Templum reduxerunt Ezechias, Joſias, & poſtremò Judas Maccabæus. ¶ καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρών, *& uxor illius de filiabus Aaron*] Lex exſtat Levit. XXI, 14. ubi Pontifex Maximus jubetur uxorem docere τοῦτο ἐκ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ [*de populo ſuo*], ut vertunt Lxx, alii ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ [*de genere ſuo*], quod duplici occaſionem præbuit interpretationi. Philo vetita putat Summo Pontifici matrimonia extra genus Aaronicum. Verba ejus apponam ἐκ τοῦ περὶ Μοναρχίας λόγου β. Πρὸς τούτῳ καὶ τὸ γένος ἐπιβλέψασθαι τῶν μελλόντων γαμεῖσθαι, προσέταξε τῷ μὲν ἀρχιερεῖ μνᾶσθαι μὴ μόνον γυναικὸς παρθένου, ἀλλὰ καὶ ἱερείας ἐξ ἱερέων, ἵνα ἐκ μιᾶς οἰκίας καὶ τρόπον τινὰ ἐξ αὐτοῦ αἵματος ὧσιν γνησίῳ τε καὶ νομίμῳ γάμῳ, πρὸς ἀμοιβαῖον ἐπιδειξάμενοι παρ' ὅλον τὸν βίον κρᾶσιν ἠθῶν βεβαιοτάτην· ἐπιτρέπει δὲ τοῖς ἄλλοις καὶ μὴ ἱερέων γαμεῖν θυγατέρας, τῇ μὲν ὅτι μικρὰ τούτων καθάρσια, τῇ δ' ὅτι τὸ ἔθνος ἐκ πάλαι γενεᾶς εἰς ἅπαν ἱερατικῆς ἀμοιρεῖν καὶ παντελῶς ἀποζεύξαι δίκαιον οὐκ ἐπαίνου τοὺς ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐπιγαμίας ποιεῖσθαι πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς ἴθυνε [*ex libro* 3. *De Monarchia. Diligenter etiam inquiſivit in genus nubentium, præcepit enim Summo Pontifici ducere non tantum virginem ſed & ex Sacerdotali gente, ut ex una domo & aliquo modo ex eodem ſanguine eſſent maritus & nupta, per iſtam convenientiam monſtraturi in omni vita ſtabilem morum conſtitutionem. Aliis verò Sacerdotibus permiſſum eſt etiam non Sacerdotum filias ducere, partim quod minor in eis puritas requiratur, partim quod tota gens nollet expers eſſe Sacerdotalis affinitatis & ſic à Sacerdotibus velut abſcindi. Hæc ergo de cauſa non vetuit cæteros Sacerdotes nuptiis jungi cùm*

aliis

Quare Lex Divina per Moſem promulgata ſicut aliarum rerum felicitatem ita progeniem quoque cultoribus ſuis pollicetur, Exod. xxiii, 26. Levit. xxvi, 9. Deuter. vii, 14. xxviii, 11. Neque id tamen impediit quominus Deus, Legis ſuæ diſpenſator & arbiter, interdum piorum patientiam ut aliis advertiſtatibus, ita & infecunditate experiretur, majora interim illis bona præſtans intra animum quàm externa erant quæ negabantur. Nam qui majorem à Deo ſpiritum quàm captus temporum ferebat acceperant, non mirum eſt ſi in rebus caducis minùs indulgenter habebantur, jam tum Divinâ providentiâ in paucis id præmonſtrante quod quaſi commune piis futurum erat ſub Novo atque auguſtiori Fœdere. Sic Moſes, ſupra omne exemplum pius ac mitis, bonorum à ſe promiſſorum partem vix ullam attigit, continuis ingrati populi ſeditionibus vexatus. Ita, ut ſterilium feminarum ante Legem exempla præteream, Manoæ uxor & Anna uxor Elcanæ, piæ cùm eſſent, tentatæ ſunt longâ uteri infecunditate. Quod eò graviùs & illis olim & Zachariæ atque Eliſabetæ accidit, quòd populus ex rebus externis cuncta dijudicans, cùm in vita ipſorum nihil haberet quod reprehenderet, tamen culpam aliquam in illis hærere ex negata ſobole ſuſpicabatur. Hinc ſterilitas *opprobrium* dici ſolet. ¶ προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις, *proceſſiſſent in diebus ſuis*] Duplicavit miraculum ad vetus vitium accedens impedimentum ætatis. Vertunt autem hoc modo Græci Hebræum בימים בא [*provectæ ætatis*] Geneſ. xviii, 11. xxiv, 1. Joſuæ xiii, 1. 1 Reg. i, 1.

8. ἱερατεύειν, *cum ſacerdotio fungeretur*] Hoc eſt quod Hebræi canones dicunt עבר, *operari ſacris*, λειτουργῶν. ¶ ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ, *in ordine vicis ſuæ*] Id eſt, cùm ad familiam Abiæ ordo rediiſſet: quod fiebat poſt intervallum CLXVIII dierum, ut vir maximus annotavit. τάξις [*ordo*] eſt quod Hebræis משמר. Etiam Ægyptiis ſacerdotibus τάξεις adſcribit Porphyrius. ¶ ἔναντι τοῦ Θεοῦ, *ante Deum*] Id eſt, לפני יהוה, ut loquitur Moſes Exodi xxvii, 21. & xxx, 8. ubi LXX habent ἐναντι Κυρίου. Solet id genus loquendi uſurpari de toto illo miniſterio Sacerdotali tam quod in Templo quàm quod ſub dio peragebatur. De Templi ritibus apparet dictis locis. De altari τῶν ὁλοκαυτωμάτων [*holocauſtorum*] idem loquendi genus uſurpatur in Leviticо aliquoties.

9. Κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε τῷ θυμιάσαι, *Secundum conſuetudinem ſacerdotii, Sorte exiit ut incenſum poneret*] Puto hæc rectè eum in modum conjungi. Nam ἱερατεία [*ſacerdotium*] eſt ἡ ἱερατικὴ λειτουργία [*miniſterium Sacerdotale*]: quæ cùm partes haberet plures, ut videre eſt 1 Paral. xxiii, 27. & deinceps, non lege ſed conſuetudine introductum erat ut qui ejuſdem familiæ & ἐφημερίας [*vicis*] eſſent, inter ſe ſortirentur quæ pars miniſterii cuique obtingeret. Itaque ſorte obtigit Zachariæ מקטיר לְהַקְטִיר τὸ θυμιάσαι [*fumigare*]. ¶ εἰσελθὼν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Κυρίου, *ingreſſus in Templum Domini*] Dubitari non debet quin ναῦ voce hîc intelligatur ædes ſacerdotalis in qua erat altare τοῦ θυμιαμάτων [*ſuffitûs* ſive *incenſi*]. Hebræi eam ædem propriè הֵיכָל vocant: Philo etiam *adytum*, quæ tamen vox τῷ ἁγίῳ τῶν ἁγίων [*Sancto ſanctorum*], quod Hebræis דְּבִיר [*oraculum*], magis videtur convenire; ſed addita *Sacerdotum* & veli prioris mentione ambiguitatem ſuſtulit, ita agens de altari illo, Ὃ ὁ χρυσοῦ μὲν κατεσκεύασται, ἵδρυται δ' ἐν ἀδύτῳ ἔσω τοῦ πρώτου τεταμένου καταπετάσματος, ὃς ἀδύτου μὲν ἄλλων ἐστὶν ὁρατὸς ὅτι μὴ τοῖς ἁγνεύουσι τὰ ἱερὰ, καὶ γέγονε πρὸς χρείαν τοῦ θυμιαμάτων [*Factum id ex auro, poſitum verò in adyto intra prius velum; quod nulli alii dabatur conſpici præter Sacerdotes in caſto agentes. Factum autem erat ad ſuffitûs uſum*]. Sacerdotes ἁγνεύοντας vocat eos quorum erat ἐφημερία [*vicis tempus*]: nam illi eo tempore in caſto erant.

10. πᾶν τὸ πλῆθος, *omnis multitudo*] Qui Iſraëlitarum Hieroſolymis erant ad eam φυλακὴν [*cuſtodiam* ſive *apparitionem in Templo*] pertinentes, & ſi qui ſponte acceſſerant ſuis precibus preces Sacerdotis adjuturi, ut mos habebat. ¶ ἔξω, *foris*] In ea parte quæ *Iſraëlitarum* dicebatur. ¶ τῇ ὥρᾳ τοῦ θυμιάματος, *horâ incenſi*] Manè; Exodi xxx, 7.

11. ἐκ δεξιῶν, *à dextris*] Quod boni ominis ſignum: hinc apud Poëtas, *Dexter ades*; &,

——— *Dexter adi pedes ſacra ſecunde.*

12. φόβος ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτόν, *timor irruit ſuper eum*] Vide Judic. xiii, 22. Daniel. x, 8.

13. Μὴ φοβοῦ, *Ne timeas*] Vide quæ ad Matthæum xxviii, 10. ¶ εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου, *exaudita eſt deprecatio tua*] Probare ſe mihi eorum opinio non poteſt, qui de precibus ob impetrandam prolem agi hic putant. Nam quî credibile ſit ea ſenectute ſperaſſe Zachariam quod promittenti Angelo tam ægrè credidit, cùm pater ipſe credentium Abrahamus rem tantam non potuerit animo concipere, ut videre eſt Geneſ. xvii, 17. Ad temporis olim exacti preces hæc referre circumſtantiæ loci non patiuntur. Solebat enim Sacerdos ſimul cum ſuffitu preces offerre: δίκαιον γάρ, ut Hierocles ait, τῶν συμβολικῶν νομοθετημάτων καὶ τὸ φερόμενον φυλάττειν καὶ τὸ ἔσω νοούμενον [*oportet enim in ſymbolicis præceptis & id obſervare quod extra patet, & id quod intus intelligitur*]: cui par ſententia eſt apud Philonem περὶ οἰκοδομίας [*De colonia*]. Significat autem τὸ θυμίαμα [*ſuffitus*], ut Philo libro περὶ θυόντων [*De ſacrificantibus*] non malè dixit, τὸ πνεῦμα λογικὸν [*ſpiritum rationalem*], aut, ut expreſſiùs loquitur Divina Apocalypſis v, 8. τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων [*orationes ſanctorum*]. Simul ergo cum ſuffitu, ut dixi, preces Deo offerebat Sacerdos; nec Sacerdos tantùm, ſed & Iſraelitæ foris ſtantes, ut jam audivimus. Eæ preces concipiebantur pro Dei populo, imò, ſi Joſepho & Philoni credimus, pro mundi totius ſalute. Has preces Angelus dicit exauditas: jam enim præ foribus eſſe adventum Meſſiæ, cujus anteambulo deſtinatus ſit is qui Zachariæ naſciturus erat filius. Sequentia ſi quis rectè expendat videbit non alium ſenſum quæri debere. Adde quòd ex Hebræorum ſcriptis apparet ſolitas Sacerdotibus ἐπιφανείας [*apparitiones divinas*] contingere eo maximè tempore cùm adolebant. Docuit hoc ex Rabbinorum ſcriptis optimus Druſius. Sed addendus eſt Joſephi locus xiii Originum, xviii, ubi Hyrcano θυμιῶντι [*ſuffitum facienti*] Deus oraculum reddit. ¶ τὸ ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης. *nomen ejus Joannem*] יוחנן propriè eſt Θεὸς ἱλάσθη. [*Deus miſertus eſt*] aut ἐχαρίσατο [*gratiam* ſive *beneficium præſtitit*]. Solet autem utrumque verbum hoc apud Helleniſtas, ut & Hebræum illud, ſæpe ſignificare inſignis gaudii exhibitionem: quare non dubito quin in verbis ſequentibus, Καὶ ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις, καὶ πολλοὶ ἐπὶ τῇ γενέσει αὐτοῦ χαρήσονται [*Et erit gaudium tibi & exſultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt*], nominis hujus ſit explicatio. Nam χάριν [*gratiam*] Helleniſtæ dicunt ἀντὶ χαρᾶς [*pro gaudio*], & nominis Divinitus inditi ratio modò antecedentibus, modò etiam ſubſequentibus verbis ſolet indicari, ut apparet Matth. i, 21. & xvi, 18. quo loco καὶ [&] ſimiliter ut hîc eſt αἰτιολογικὸν [*rationis reddituvum*].

14. ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις, *erit gaudium tibi & exſultatio*] חן [*gratia, gratia*] Zach. iv, 7. Meritò: nam

Si quicquam cupidoque optatique obtigit unquam & Inſperanti, hoc eſt gratum animo proprie.

Quare quid Zachariæ dulcius eſſe poterat quàm prolem adipiſci diu optatam, jam verò deſperatam? Non poſſum non adjicere ſuaviſſimos Euripidis verſus:

Γύναι· φίλον μὲν φίλτρον ἡλίου τόδε·
Καλὸν δ' ὅταν πόντιος χεῦμ' ἰδεῖν δίκτυον,
Γῆς τ' ἐμπνέον θάλπος, πλουσίου θ' ὕδατος,
Πολλῶν τ' ἐπαίνων ἐστί μοι λέξαι καλῶν.
Ἀλλ' ὑδὸν ὕπνου λαμπρὸν, ἡδὺ ἰδεῖν καλὸν,
Ὡς τοῖς ἄπαισι κἀπόνοις δεδηγμένοις
Παίδων τεκοῦσιν ἐν δόμοις ἰδεῖν φάος.
[*Mulier: amicum Solis hoc magni jubar,*
Dulce eſt tueri maria cùm venti ſilent,
Dulce eſt & amnis largus, & vernans humus:
Sunt alia pulchra multa quæ poſſem addere.
Sed, crede, nullum gratius ſpectaculum eſt
Quàm poſt querelas orbitatis tetricæ
Conſpicere florem liberûm erumpentem domi.]

Super has communes gaudendi cauſas accedebat alia, eximia filii dignitas, quam prædixit Angelus. ¶ καὶ πολλοὶ ἐπὶ τῇ γενέσει αὐτοῦ χαρήσονται· *multi in nativitate ejus gaudebunt*] ἀγαλλιώμενοι ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ [*exſultantes in luce ejus*], Johan. v, 35.

15. Ἔσται γὰρ μέγας ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ· *Erit enim magnus coram Domino*] Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ hîc eſt *apud Deum*, ut de Moſe Actor. vii, 46. εὗρε χάριν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ [*invenit gratiam ante Deum*]. Huic opponitur eſſe βδέλυγμα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ [*abominationem coram Deo*] infrà xvi, 15. ¶ σίκερα, *ſiceram*] Qui Nazirætum voverat de eo ſcriptum erat in Lege, Ἀπὸ οἴνου καὶ σίκερα ἁγνισθήσεται [*A vino & ſicera* ſive *omni quod inebriare poteſt, abſtinebit*], Num. vi, 3. Ita enim & ibi vox שכר exprimitur à LXX. Sed & Sacerdotibus idem imperabatur tempore λειτουργίας [*miniſterii*], Levit. x, 9. ubi eadem vox σίκερα [*ſicera*] in Græco. Omnino illis Hebræorum Magiſtris aſſentio, quî

ficeram dici putant quicquid inebriat, sive illud Vinum est, sive aliud; ut, Zythum Ægyptiorum, ἐκ κριθῶν μέθυ [*ex hordeo factum*] Æschylo, Supplicibus, & Babyloniorum potus è Palma. Philo ita accepit legem Nazirætûs, hoc modo describens, μηδ' ὅσα ἐκ σταφυλῆς πιεζόμενος μηδ' ἄλλό τι μέθυσμα πίνειν [*nec bibere quod ex uva exprimitur aut aliud quid quod inebriare possit*]. Sic & 1 Sam. 1, 15. שכר vertitur μέθυσμα [*res inebrians*]. Verbum originale, unde & nomen venit, etiam Arabes retinent. Nam & illis شكر est μεθύειν [*inebriare*]. Sicut ergo hi qui ad tempus Deo consecrabantur, abstinere ad tempus debebant vino & ficerâ, quæ signa erant rerum omnium quibus ratio perturbatur; ut rectè à Philone annotatum est: ita Samson olim parentibus non sine miraculo & Angeli annuntiatione concessus, & nunc Baptista simili modo datus Zachariæ, ut in perpetuum Deo positi, & in hoc nati, perpetuò etiam jubentur abstemiam vitam vivere. Vide Jud. XIII, 14. ubi itidem LXX habent οἶνον καὶ σίκερα μὴ πίητε [*vinum & ficeram non bibat*]. De Samuele itidem per miraculum obtento simile votum mater voverat 1 Sam. 1, 11. Josephus in Samsonis historia, δῆλον ἦν προφητεύειν αὐτὸ τὴν θεὸν τοιοῦτον εὐφυᾶ γενόμενον [*ex vi sanè adeò temperato apparebat fore eum Prophetam*]. Similia habet de Samuele. Plutarchus Quæstionibus Romanis, Οὐ θεμιτὸν τῷ ἱερεῖ μεθύσκεσθαι· τῶν γὰρ μεθυσκομένων ἑκάστῳ κεφαλὴν ὁ οἶνος ἴσχει, καὶ πιέζων τὴν καρδίαν, δίον ἑστιατέρας εἶναι καὶ κραδεῖν διὰ τῆς ἡδονῆς ταύτης, ἀλλὰ μὴ κρατεῖσθαι [*Nefas est inebriari sacerdotem; ebriis enim super caput vinum est, opprimuntur & dejiciuntur, cùm deceat eos superiores esse & victores talis voluptatis, non autem ab ea vinci*]. Idem de Ægyptiis, οἶνον δὲ οἱ μὲν ἐν Ἡλίου πόλει θεραπεύοντες ἢ θεὸν εἰσφέρειν τοπαρχήσαι εἰς τὸ ἱερόν [*qui sunt Heliopoli & ibi deum colunt, vini nihil inferunt in templum*]. deinde, πολλὰς δὲ ἀόνους ἀγνείας ἔχουσι [*multas habent castimonias abstemias*]. ¶ Πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται, *Spiritu Sancto replebitur*] Amat *Spiritus Sanctus* sicca corda. Neque hic tantùm vino Spiritus Sanctus opponitur, sed & Actor. II, 15, 17. & Eph. V, 18. ¶ Ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ· *adhuc ex utero matris suæ*] Ἔτι aut περίσσι [*abundat*], ut sæpe apud Græcos Scriptores; aut idem valet quod Latina vox, quæ ex Græca derivari videtur, *etiam*. Nam & sic hanc vocem Lucas infrà usurpat XIV, 26. & Scriptor ad Hebræos XI, 36. Ἐκ κοιλίας [*ex utero*] autem positum est pro ἀπὸ κοιλίας [*ab utero*], id est, *ab eo tempore quo erit in utero*; quomodo hîc verterunt Syrus & Arabs: ita Paulus Gal. 1, 15. ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου [*qui me segregavit ex utero matris meæ*], respiciens illud quod ad Jeremiam dictum erat à Deo 1, 5. Πρὸ τοῦ σε ἐξελθεῖν ἐκ μήτρας ἡγίακά σε [*Antequam exires de vulva sanctificavi te*]. Eodem sensu Actor. III, 2. χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρός [*claudus ex utero matris suæ*]. Sic ἀπὸ γαστρὸς [*de ventre*], Psal. XXII, 10. ἀπὸ μήτρας [*à vulva*], Psal. LVIII, 3. Quod autem hîc dicit Angelus, Johannem *impletum iri Spiritu Sancto jam ab eo tempore quo erat in utero*, non ausim cum Augustino ad solam destinationem Divinam referre: plus enim aliquid verba exigunt. Sed notandum est fœtum qui in utero est non haberi pro homine existente, sed ut partem matris censeri: ita Stoicis ὥσπερ τοὺς καρποὺς μέρη φασὶ φυῶν, ὅτω καὶ τὸ ἔμβρυον [*sicut fructus pendentes pars arborum, ita & fœtus in matre*]. & Empedocli τὸ ἔμβρυον τὸ ἐν τῇ γαστρὶ τῆς μητρὸς μέρη [*fœtus qui in ventre sunt, partes sunt matris*]. *Partus antequam edatur mulieris portio est vel viscerum* ait Ulpianus L. 1, §. 1. ff. De ventre inspic. Græci dicunt τὸ κυοφορούμενον μέρος τῆς ἐγκύου [*quod in utero est, pars est mulieris prægnantis*]. Philo secundo De legibus specialibus, Καὶ τοι τὰ μὲν ἔτι καὶ γαστρὸς παρεχόμενα τῇ μητρὶ φασὶ μέρη λέγεται παρὰ τοῖς φυσικοῖς ἀποδεικνύειν ὡς ὁ θεωρητικὸς διατετεῖνται βίος, καὶ παρ' ἰατροῖς τοῖς ἀκριβεστάτοις [*Certè & quæ adhuc utero adhærent ea pars prægnantium esse dicuntur & Physicis, qui contemplativam partem exercent, & Medicorum nobilissimis*]. Implenda est ergo hoc Angeli dictum tunc cùm Elisabet, in cujus visceribus Johannes latebat, ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου [*repleta est Spiritu Sancto*], ut infrà ipsa Angeli verba repetens Lucas loquitur 41. Benè autem à viro doctissimo observatum est, *plenos Spiritûs Sancti* eos dici solere, non in quibus sit Spiritus Sanctus, sed in quorum sermonibus factisque ejus efficacia exundet: quod & Elisabetæ contigit, quæ Spiritu Sancto mota vaticinari cœpit, & per ipsam quodammodo Johannes, quem Deus hoc miraculo commendatum volebat. Hic autem afflatus matris indicium fuit ejus destinationis de qua agit Augustinus, & præsagium spiritûs plùs quàm Prophetici, quem Deus Baptistæ collaturus erat τῇ ἡμέρᾳ ἐνεδείξατο αὐτῷ πρὸς τὸν Ἰσραήλ [*die ostensionis ejus ad Israelem*].

17. ἐνώπιον αὐτοῦ, *ante illum*] Vide quæ ad Matthæi III, vers. 3. ¶ καὶ δυνάμει, *& virtute*] Quoties δύναμις [*virtus*] nominatur *spiritus* nominato, vis quædam spiritûs solitâ majore indicatur, ut infrà 35. Actor. X, 38. 1 Cor. II, 4. 1 Thess. I, 5. ¶ Ἠλίου, *Eliæ*] Vide Matth. XI, 14. & XVII, 12. ¶ ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, *ut convertat corda patrum in filios*] Baptistæ temporibus Judæi in tres præcipuas plurésque minores sectas & ritibus & opinionibus discrepantes erant divisi. Sadducæi autem & Pharisæi etiam acribus odiis inter se agitabantur. Accedebant diversæ Legisperitorum Scholæ, & nova inde certamina. Hinc *disjectas oves* Christus eos vocavit. Solet autem accidere ut ejusmodi dissidia in ipsas etiam familias penetrent. Dicit ergo Angelus in hoc missum iri Baptistam ut à tot magistris homines ad unum Magistrum, Christum scilicet, alleget, atque ita dissidentes recomponat. In Thalmudico titulo de Rege locus hic sic exponitur, *Mitto vobis Eliam, is pacem faciet in mundo.* Hunc sensum in Malachia LXX (ut solent locos obscuriores παραφράζειν [*fusius explicare*]) additis vocibus aliquot perspicuum fecerunt. Ita enim vertunt, ὃς ἀποκαταστήσει καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱόν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ [*qui convertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum ejus*]. Satis enim ea adjectione significant *patrum & filiorum* nomen exempli illustrioris causâ positum: sensum autem esse, huc spectaturam legationem ut Judæi in eandem doctrinæ formam conveniant, & sint καρδία καὶ ψυχὴ μία [*cor unum & anima una*]. quod tamen consilium Dei non in omnibus Judæis impletum iri ipse Angelus significavit, cùm dixit πολλοὺς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ [*multos filiorum Israel*]. Nam alii illud Dei consilium ἠθέτησαν [*irritum fecerunt.*] ¶ καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων, *& incredulos ad prudentiam justorum*] Ἀπειθεῖς [*increduli* sive *inobedientes*] sunt *Deo nec audientes*, סרים Hebræis; nam hanc vocem per ἀπειθεῖς reddunt Græci; quales erant quos γεννήματα ἐχιδνῶν [*progeniem viperarum*] Johannes vocabat: ἐν [*in cum dativo*] autem hic pro εἰς [*in cum accusativo*] positum, quod non unus monet, pridem etiam non à Latino tantùm Interprete sed & à Syro observatum est. Vertit enim לידעותא [*ad cognitionem*]. Φρόνησις δικαίων [*prudentia justorum*] est ea sapientia quæ homines ad veram justitiam adducit. ¶ λαὸν κατεσκευασμένον. *plebem concinnatam*] Id est, *populum qui paratus sit* ad accipiendum Regnum cœlorum. Itaque præterita vox sumenda hîc ἀορίστως [*indefinitè*] more Hebræo, ut & infrà 19. παρεστηκὼς [*adstans*]. Neque offendere nos debet quòd bis idem dici videtur, quia ἑτοιμάζειν [*parare*] & κατασκευάζειν [*concinnare*] sensu vix differunt, cùm ejusmodi πλεονασμοῖς [*ubertatibus loquendi*] abundet sermo Hebræus & Hellenisticus.

18. Κατὰ τί γνώσομαι, *Unde sciam*] Verba ipsa sunt quæ LXX in Abrahami similiter loquentis historia usurpant Genes. XV, 8. Nuda verba si spectentur, non videntur eam mereri pœnam quam Deus mox infligit. Sed Deus cor ipsum spectavit, in quo diffidentia cernebatur: quam & sequentia verba aliquatenus indicant, ubi ætatem provectam & suam & uxoris Divinæ per Angelum pollicitationi opponit, cùm animum à naturalibus causis ad primæ causæ potentiam debuisset avertere, ut Abrahamus, ὃς οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἤδη νενεκρωμένον, καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάρρας [*qui non consideravit corpus suum emortuum, & emortuam vulvam Sarræ*], Rom. IV, 18. Videtur quidem & Abrahamus initio aliquid hæsitasse, cùm diceret, *Isne mihi centenario nascetur proles, & Sara nonagenaria pariet?* Genes. XVII, 17. Sed hæc repentina cogitatio per fiduciam superata ignoscibilior in eo erat, quia nulla ante se habebat rei similis exempla, quàm in Zacharia, qui & Abrahamæ & Manoæ historiam non poterat ignorare; sed magnitudine rei perculsus parum meminerat: qui mos est humani ingenii: quo fit ut in alienis negotiis quàm in nostris sapiamus magis. Quod quidam putant unicam dubitandi causam Zachariæ fuisse quod nesciret an is qui sibi apparebat Angelus bonus esset, probare non possum. Nam in tali dubitatione quid culpæ sit, præsertim ita castigandæ, non video. Neque tamen nego in eo quod Zachariæ accidit imaginem fuisse Judaïci populi, qui cùm per donum Prophetiæ loqui desiisset, & solis ceremoniarum nutibus futura adumbraret, effœta ætate protulit Christum: sed ea significatio non tollit meritum pœnæ in Zacharia, quod Angelus disertè exprimit cùm dicit ἀνθ' ὧν οὐκ ἐπίστευσας [*pro eo quòd non credidisti*]. Atque adeò hic inter cæteros locus docere nos potest, non simulatque Deus iram suam homini remittit, ea etiam tolli

omnia

omnia quæ pœnæ temporalis aut medicinæ potiùs habent rationem : quod pœnæ genus κόλασιν non τιμωρίαν Philoſophi vocant.

19. Γαβριὴλ, *Gabriel*] Angeli, cùm inter ſe nominibus non indigeant, nomina accipiunt quibus miniſteria ipſorum indicentur. גבריאל eſt Δύναμις Θεοῦ [*Dei virtus*]. Ita ergo hic Angelus dicitur quia eo miniſtro Deus utitur ad ſummam potentiam ſuam explicandam. Summa autem δύναμις Θεοῦ [*virtus Dei*] eſt Euangelium Chriſti, Rom. I, 16. 1 Cor. I, 24. Ideo idem hic Gabriel res non quasvis ſed quæ ad Chriſtum aut directè aut antecedenter pertinerent, juſſus eſt nuntiare Danieli olim, jam Zachariæ, mox & Mariæ. Hujus igitur nominis recitatione Zacharias ad Danielis librum revocatur, quaſi dicat Angelus, Mirari noli ſi quid nunc eximium & naturæ ordinem ſuperans Deus efficit. Inſtant enim illa tempora Danieli indicata quibus potentiam ſuam Deus ampliſſimè eſt exſerturus. Hebræorum Magiſtri ajunt ſeveritatis miniſtrum eſſe Michaelem, Gabrielem miſericordiæ : ideo illum unà alà volare, hunc duabus. Similique de cauſa Michaelem vocant *Ignem*, Gabrielem verò *Aquam*. ¶ ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ· *qui aſſto ante Deum*] Locutio ex aulis Orientalibus ſumta : tantundem enim eſt quaſi dicat, non quemvis miniſtrum ſed Satrapam ſe eſſe Regni cœleſtis. Vide quæ dicta ad Matth. XVIII, 10.

20. ἔσῃ σιωπῶν, καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι, *eris tacens & non poteris loqui*] Tanta eſt inter ſe ἁρμονία [*convenientia*] Oris & Auriùm, ut non mirum ſit verba horum alteri convenientia ad alterum transferri. Quare non improbabilis eſt ſententia Theophylacti, Titi, Euthymii, qui, ne bis hic idem aut pene idem dicatur, exiſtimant σιωπᾶν [*ſilere*] hìc eſſe *ſurdum fieri*, præſertim cùm חרש & חרשׁ Hebræis & *ſilere* & *obſurdeſcere* ſignificet, quod per παρασιωπᾶν [*ſilere*] vertunt Lxx etiam quibus locis propria eſſe videtur *obſurdeſcendi* ſignificatio : unde & adjectivum חרש *ſurdus* Levit. XIX, 14. & alibi. Certè Zachariæ etiam audiendi facultatem eſſe ademtam ſatis ex eo apparet quòd infrà amici dicuntur ipſum nutibus allocuti : quod tamen in Angeli verbis ſubticebitur niſi vocis σιωπᾶν [*ſilendi*] eam quam dico admittamus κατάχρησιν [*abuſionem*]. Favet huic interpretationi quod paulò pòſt tanquam de re jam ſemel indicata dicitur καὶ ἐμόγησε κωφός [*& mansit ſurdus*]. quanquam enim ea vox Græcè ambigua eſt, tamen & apud LXX & his libris ſæpius *ſurdum* quàm *mutum* ſignificat. ¶ γένηται ταῦτα· *hæc fiant*] Ad impoſitionem uſque nominis, de qua egerat ſuprà 13. ¶ ἀνθ' ὧν οὐκ, *pro eo quòd non*] Ita ſolent Helleniſtæ dicere quod Hebræi פ, ut Levit. XXVI, 43. ἀνθ' ὧν τὰ κρίματά μου ἐξουθένησαν [*eò quòd abjecerint judicia mea*]. Ezech. V, 11. ἀνθ' ὧν τὰ ἅγιά μου ἐμίανας [*eò quòd ſancta mea violaſti*]. Eodem Meriti ſenſu hanc vocem uſurpat Lucas infrà XIX, v. 44. & Actor. XII, 23. Sed & Paulus II Theſſ. II, 10. Invenias eodem planè ſenſu illud ἀνθ' ὧν [*eò quod*] apud Sophoclem. Eſt & ubi illativè ponitur, ut infrà XII, 3. ¶ εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν. *in tempore ſuo*] Sic & Geneſeos XVIII, 10. καιρὸς [*tempus*] vocatur juſtum partitudinis tempus.

21. ἐν τῷ χρονίζειν αὐτὸν ἐν τῷ ναῷ· *quòd tardaret ipſe in Templo*] Ultra horam τὸ θυμιάσεως [*ſuffitûs*], qua peracta ſolebant Sacerdotes ad populum progredi. Quare aut diutius traxit Angelus ſermonem, cujus hic ſumma refertur, aut ſtupor Zachariam detinuit.

22. ἐπέγνωσαν ὅτι ὀπτασίαν ἑωράκειν, *cognoverunt quòd viſionem vidiſſet*] Non ex conjectura, quod fieri vix poterat, ſed ex nutuum ſignificatione. Itaque γὰρ [*&*] quod ſequitur hìc, pro γὰρ [*enim*] poſitum arbitror ; ut Geneſ. IV, 1. XX, 5. Exodi II, 10. Pſalm. I, 2. in Græco ; Pſalm. LX, 13. CVIII, 13. Eſaiæ XLVI. in fine. Sic infrà 42. XV, 16. Joh. II, 13. V, 39. I Johann. III, 4. Et ὀπτασία [*viſio*] eſt ἐπιφάνεια [*apparitio*], ut infrà XXIV, 23. Actor. XXVI, 19. II Cor. XII, 1.

23. ὡς ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, *ut impleti ſunt dies officii ejus*] Perſeveravit ergo ἐν τῇ ἐφημερίᾳ [*in functione Sacerdotali*] per tempus legitimum, ad matutinum uſque ſuffitum Sabbati ſequentis.

24. περιέκρυβεν, *occultabat*] Rumores declinans : cæterùm Deo ita diſponente, ne quid de Johanne diſpaleſceret antequam certis teſtimoniis conſtaret de ejus conceptione propter quem Johannes naſcebatur. ¶ λέγουσα, *dicens*] Sibi gaudens, ſolo marito conſcio.

25. ἐπεῖδεν ἀφεῖλαι, *reſpexit auferre*] Nulla eſt ἔλλειψις [*vocis reticentiæ*]. Sed ἐπεῖδεν ἀφεῖλαι vertendum eſt *curavit auferre* ex locutione Hebraica. ¶ τὸ ὄνειδός, *opprobrium*] ΑΦΕΙΛΑΤΟ Θεός μου τὸ ὄνειδός [*abſtulit Deus opprobrium meum*] eſt apud LXX in verbis Rachelis Geneſ. XXX, 23. Vide quæ diximus ſuprà de ſterilitate.

27. παρθένον, *virginem*] Maria Eccleſiæ fert imaginem, quæ παρθένος ἁγνή [*virgo caſta*] II Cor. XI, 2. quæ & Chriſtum parit οὐκ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ [*non ex voluntate viri, ſed ex Deo*], Johann. I, 13. Pertinet huc illud Philonis ; Ἀνθρώπων μὲν γὰρ (malè in editis libris ἀνθρώπῳ) ἡ ἐπὶ γενέσει τέκνων σύνοδος τὰς παρθένους γυναῖκας ἀποφαίνει· ὅταν ἡ ὁμιλία ἄρξηται ψυχῇ Θεὸς, σπέρματος ἔσας γυναῖκα, παρθένον ἀνθις ἀποδείκνυσιν [*Apud homines quæ ſobolis quærendæ causâ fit congreſſio eas quæ virgines fuerant mulieres facit : At Deus ubi cum anima ſociare ſe cœpit eam quæ mulier erat, rurſus virginem facit*]. ¶ ἐξ οἴκου Δαβὶδ. *de domo David*] Directè hoc de Joſepho dicitur ; ut apparet infrà II, 4. Per conſequentiam ad Mariam quoque pertinet.

28. εἰσελθὼν, *ingreſſus*] In eam domum in qua ſub proximorum cura cuſtodiebatur, nondum tradueta in domum Joſephi ; ut ad Matthæum diximus. ¶ κεχαριτωμένη· *gratiâ plena*] חנון. Nam חן Hebræum propriè eſt χαρίζειν [*afficere beneficio*], ut Epheſ. I, 6. unde in Hophal יחן χαρίζεσθαι [*beneficio afficietur*], pro quo ἐλεηθήσεται [*miſericordiam conſequetur*] verterunt Lxx Prov. XXI, 10. Sic & ἠλεήθη [*miſericordiam conſecuta eſt*], Aquila & Theodotio Eſa. XXVI, 10. Nam Helleniſtis ἔλεος [*miſericordia*] dicitur quodvis *beneficium* aut ipſa *beneficentia*. Haud dubiè idem eſt quod infrà dicitur εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ [*inveniſti gratiam apud Deum*]. Subauditur autem hic σὺ [*tu*] ex ſequentibus. ¶ ὁ Κύριος μετὰ σοῦ· *Dominus tecum*] Poteſt ἐξήγησις [*explicatio*] eſſe ejus quod dixit κεχαριτωμένη [*gratiâ plena*], ut ſubaudiatur verbum modi indicativi, aut ejus quod dixit Χαῖρε [*Ave*], ut ſit modi precativi ; quod magis credo, quia mos erat Hebræus ſalutandi, Ruth. II, 4. etiam olim Angelis uſurpatus, ut Jud. VI, 12. Κύριος μετὰ σοῦ δυνατὸς τῇ ἰσχύι [*Dominus tecum, Virorum fortiſſime*]. ¶ εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν. *benedicta tu in mulieribus*] Hoc quoque ſumo non indicativè ſed potiùs apprecativè ſignificatione. Sumtum enim eſt ex Judicum libro cap. V, 24. ubi legimus תְּבֹרַךְ מִנָּשִׁים יָעֵל ; Græcè Εὐλογηθείη ἐν γυναιξὶν Ιαὴλ [*Benedicatur inter mulieres Jahel*] Sic & Ruth. III, 10. Εὐλογημένη σὺ τῷ Κυρίῳ Θεῷ [*Benedicta tu à Domino Deo*]. Et I Samuel. XXV, 33. εὐλογημένη σὺ [*benedicta tu*] eſt bene precantis. Sic infrà Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου [*Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*]. Et Matth. XXI, 9. & infrà XIII, 35. & Johann. XII, 13. εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου [*benedictus qui venit in nomine Domini*]. Simile eſt loquendi genus Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς [*Benedictus Deus*], infrà 68. II Cor. I, 3. Epheſ. I, verſ. 3. I Petri I, 3. Tam autem quod præceſſit κεχαριτωμένη [*gratiâ plena*] quàm iſtud εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν [*benedicta tu in mulieribus*], eò libentiùs ita interpretor quòd tota hæc oratio ſalutantis tantùm ſit, nondum autem exponentis legationem : ideo ἀσπασμὸς [*Salutatio*] dicitur.

29. Ἡ δὲ ἰδοῦσα, *Illa autem videns*] Ita legit & Syrus. Neque rectè ad mutandum quoſdam movit quod ſequitur διεταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ [*turbata eſt in ſermone*]. Nihil enim vetat attonitam fuiſſe & adſpectu & auditu. ¶ ποταπὸς, *qualis*] Admirantis : Matth. VIII, 27. Marci XIII, 1. Præcipuè obſtupuit non intelligens quæ illa eſſet ſupra omne genus muliebre celebritas quam ipſi Angelus ominabatur.

30. εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. *inveniſti enim gratiam apud Deum*] Non eſt argutandum in proprietate Græcæ vocis εὑρεῖν [*invenire*]. Eſt enim nota locutio Hebraica מצא חן, quod Lxx vertunt ad verbum εὑρεῖν χάριν [*invenit gratiam*], ut Geneſ. VI, 8. XVIII, 3. XXXIX, 4. Eſther. II, 15. atque alibi. Loquitur ſic & Stephanus Actor. VII, 46. & Scriptor ad Hebræos IV, 16. Eſt autem מצא [*invenire*] tum iſtis tum aliis in locis ſimpliciter *conſequi*, ſive ſtudio, ſive citra ſtudium.

31. ἰδοὺ, συλλήψῃ ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ, *ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus*] Apertè ſatis Angelus digitum intendit ad illa Eſaiæ citata à Matthæo I, 23. quæ apud Lxx ita ſe habent, Ἰδοὺ, παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Εμμανουήλ [*Ecce virgo concipiet, & paries filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel*]. ¶ Ἰησοῦν. *Jeſum*] Pro eo quod Eſaias dixerat EMMANUEL, Angelus JESUM dixit, interpretis fungens vice : unde apparet eandem in utroque eſſe ſignificationem. Sive enim dicas, *Hic eſt per quem Deus nobis eſt propitius* (quod ſignificat vox Emmanuel), ſive *hic eſt Soſpitator noſter*, idem eſt ſenſus. Quare & Matthæus impoſitione nominis

Jesu vaticinium illud ait impletum. Vide quæ ad Matthæum.

32. Οὗτος ἔσται μέγας, *Hic erit magnus*] Spectat Angelus ejusdem Esaiæ verba IX, 6. ubi μεγάλης βουλῆς ἄγγελος [*Magni consilii Angelus*] & θαυμαστὸς [*Admirabilis*] dicitur. ¶ καὶ υἱὸς ὑψίστου, *& Filius Altissimi*] Ita interpretatur quod Esaias dixerat *vocatum esse in* נבר אל Θεὸν ἰσχυρόν [*Deum fortem*]. Adde quæ ad Marcum V, 7. ¶ δώσει αὐτῷ Κύριος ὁ Θεὸς τὸν θρόνον Δαβὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ· *dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*] Θρόνον Δαβὶδ [*sedem David*] eodem loco Esaias nominat. Davidis autem nepotem fore Messiam, & dandum ei à Deo hoc solium τυπικῶς [*per typum*] significabat Psalm. CXXXII, 11. Adde Esaiam IX, 6, 7. Amos IX, 11. Dicitur autem Messiæ imperium *Davidis solium*, quòd Davidis solio adumbrabatur. Et sic locum II Samuelis VII, 13. explicat Isaac Ben Arama.

33. βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακὼβ, *regnabit in Domo Jacob*] Primò enim destinatus erat ad quærendas oves populi Israelitici, ex quo populo quicunque eum recipere voluerunt eos in Regnum suum adscripsit. Sed & è Gentibus conversi meritò eodem veniunt nomine quasi per accessionem. Sicut enim David, cùm etiam Idumæis atque aliis populis imperaret, *Rex tamen Israëlis* duntaxat dicebatur, quia illi per victorias Davidis in populum Israëlis erant velut incorporati: ita & quicunque per Messiæ arma, id est, verbum Euangelii, eò adducti sunt ut Deum Israëlis colerent, facti sunt Israëlitæ. Esaias XIV, 1. *Adjunget se eis extraneus, & adhærebit Domui Jacob.* XLIV, 5. itidem de extraneo, *In nomine Israël cognominabitur.* Et meritò nomen *Jacobi* in hanc rem usurpatur. Est enim, ut Philo annotat, *Jacob*, ὁ πτερνισὴς [*Supplantator*], id est, ὁ τὴν ἀρετὴν οὐκ ἀπονητὶ κτώμενος [*is qui virtutem non sine labore acquisivit*]. ¶ εἰς τοὺς αἰῶνας, *in sæcula*] עד־עולם dicto Psalmo CXXXII, 12. עד־קדם, ut loquitur Michæas IV, 7. & Esaias IX, 7. Sic שלמי עולם [*postremi sæculi*] Danielis VII, 14. Sed quia Sadducæi לעולם [*in sæculum*] ubique volebant accipi pro *longo* non pro *infinito tempore*, ideo à sapientibus erat institutum ut discriminis causâ infinita duratio pluraliter enuntiaretur לעולמים [*in sæcula*], quam locutionem & interpretationem Angelus hîc comprobat. ¶ καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος· *& Regni ejus non erit finis*] Esaias, μεγάλη ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ, καὶ τῆς εἰρήνης οὐκ ἔσι τέλος· [*multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis*], IX, 7. Daniel, ἡ βασιλεία αὐτοῦ ἡ διαφθαρήσεται [*Regnum ejus non corrumpetur*], VII, 14. Non frustra autem hoc adjicitur: explicat enim quid sit εἰς τοὺς αἰῶνας [*in sæcula*], non *in longum tempus*; sed *sine fine*. Atque ita imperium hoc ab humanis imperiis distinguitur, quæ omnia caduca esse & temporaria tum historiæ docent, tum nobilissimorum Regnorum exemplis Danieli ostensum est. Plato cùm eam quam optimam mente complecti poterat describisset rempublicam, addit, ἀλλ' ἡ τοιαύτη ξύσασις τὸν ἅπαντα μὴ τοῦ χρόνον, ἀλλὰ λυθήσεται [*at ne hæc quidem forma in omne tempus manebit, sed aliquando dissolvetur*].

34. Πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*] Non dubitantis esse arbitror, sed admirantis. Videntur ita Angeli verba à Virgine accepta quasi res jamjam futura indicaretur. Et οὐ γινώσκω [*non cognosco*] est *hactenus viro sum intacta.* Meritò igitur admiratur quomodo conceptura sit sine virili opera, cùm ejus rei nullum exstaret exemplum. *Virum cognovit* etiam apud Ovidium est. Si verum est quod Epiphanius ex veteri auditione narrat, senem admodum fuisse Josephum cùm Maria ipsi desponderetur, tantò erit probabilius quod veteres plerique existimant, his verbis etiam propositum quoddam perpetuæ virginitatis indicari à Maria, ut quæ agnato seni nuptum iret non prolis spe, sed ut haberet cujus sub tutela delitesceret sexûs injuriis obnoxia. Propositum autem virginitatis non tam incognitum Judæis fuit quàm quidam existimant: quod quia ab aliis minùs solidè probatum video, adducam insignem Philonis locum, Συνεσιῶνται δὲ καὶ γυναῖκες, οὐ πλῆσαι γηραιαὶ παρθένοι τὴν ἀγνείαν, οὐκ ἀνάγκῃ, καθάπερ ἔνιαι τῶν παρ' Ἕλλησιν ἱερειῶν, διαφυλάξασαι μᾶλλον ἢ καθ' ἑκούσιον γνώμην, ἔρωτι δὲ ζήλου καὶ πόθου σοφίας ὑπ' εὐμοιρίας σπουδάσασαι τὸν σφῶν σώματος ἡδονῶν ἡλόγησαν, ἃ θνητῶν ἰσχύουσιν ἀλλ' ἀθανάτου ἱερεύειν θείαν, ἃ μόνη τίκτειν ἀφ' ἑαυτῆς οἷά τε ἐστὶν ἡ θεοφιλὴς ψυχὴ, συνάγονται εἰς αὐτὰ ἑκάσται νοητὰς τὰ πατρὸς οἷς δύνηται θηλεῖν τὰ σοφίας δόγματα [*Intersunt convivio & mulieres, quarum pleraque virgines sunt senectæ, non ex necessitate id servantes magis quàm sua sponte, ut nonnulla apud Græcos Flaminicæ, sed studio & amore sapientiæ, cum qua vivere cupientes corporis voluptates spreverunt, immortalis non verò mortalis prolis desiderio, qualem edere sola de se potest anima pia ferente in eam radios intelligibiles Patris, per quos intueri possint sapientiæ dogmata*]. Hebræi tales votrices virginitatis vocabant נזירות [*Pharisæas*], qualis fuit & Jephthæ filia.

35. Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, *Spiritus Sanctus superveniet in te*] Sic Actorum I, 8. Λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς [*Accipietis virtutem superventientis Spiritus Sancti*]· quod alibi dixerat hîc noster Euang. XXIV, 49. ἕως οὗ ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους [*quousque induamini virtute ex alto*]. ¶ καὶ δύναμις ὑψίστου, *& virtus Altissimi*] Vide quæ suprà diximus ad comma 17. ¶ ἐπισκιάσει σοι *obumbrabit tibi*] Solent quidem LXX סכך vertere ἐπισκιάζειν [*obumbrare*], ut Psalmo XCI, 4. CXL, 8. & alibi. Magis tamen mihi placet sententia putantium tralationem sumtam ab avibus pullos excludentibus; à qua non longè abit Theophylactus: ut ita ostendat Angelus eâ virtute oriturum hunc fœtum qua mundus ipse exordium sumsit. Nam in Mosis historia est מרחפת על־פני המים, [*Spiritus Domini supervolitabat super aquas*], quod verbum מרחפת de tali *incubitu* exponunt Hebræorum doctissimi. Et apertè is est ejusdem verbi usus Deut. XXXII, 11. ubi LXX σκεπάσει [*obtegere*] pari significatu. ¶ διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον κληθήσεται Υἱὸς Θεοῦ. *ideoque & quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*] Illud *ex te* [ἐκ σοῦ] omnino retinendum censeo. Nam præter Syrum Arabs quoque agnoscit, & veteres Scriptores, Irenæus libro III, capite XXVI. Tertullianus adversùs Praxean, Novatianus De Trinitate, & post hos Epiphanius contra Ebionæos. Credibile est inductum ab Eutychetis secta postea diu prævalente, cujus sententiæ validè hic locus adversabatur. Puto autem præsens pro futuro positum, *quod nascitur*, id est, *quod nascetur*, ut Matthæi II, 4. Nam si de conceptione ageretur, potiùs dictum esset ὃ ἐν σοὶ [*in te*], ut apud Matthæum I, 20. τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν [*quod in ea natum est*]. At γεννᾶν [*gignere*] de partu etiam suprà commate 13. usurpavit Lucas, & infrà XXIII, 29. & Actorum VII, 20. Sed & Paulus Galat. IV, 4. Christum dicit γενόμενον ἐκ γυναικὸς [*factum ex muliere*], ubi γίνεσθαι [*fieri*] idem est quod γεννᾶσθαι [*nasci*], ut Platoni cùm dicit ἕκαστον ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονε, *quisque nostrûm non sibi soli natus est*, ut vertit Cicero. ἅγιον [*sanctum*] autem dicitur id quod ex Maria erat nasciturum, quia exemtum communi legi humanæ originis. *Id ipsum*, inquit Angelus, *Filius Dei vocabitur*; nimirum ut secundùm Adam. Nam & primus Adam *Dei filius* dicitur Lucæ III, 38. quia Deus in illo præstitit quod in aliis præstant patres. Justinus Colloquio cum Tryphone, ὅτι ἄνωθεν ἦν δεῖ γενέσθαι ἀνθρώπου τὸν Θεὸν καὶ πατέρα τῶν ὅλων γενέσθαι αὐτὸν ἐμέλλε [*quia genitorem eum erat Deus & Pater omnium de supernis idque per humanum uterum*]. Illud autem καὶ [*&*] connexio est inferiorum cum superioribus. Nam quod in hunc locum Novatianus adfert, argutius est quàm ut verborum simplicitati conveniat. Neque desunt meliora argumenta quibus id ipsum probetur quod ille intendit.

36. καὶ ἰδοὺ, *Et ecce*] Quasi dicat, Ne dubites ad magnam hanc rerum renovationem uti Deum novis agendi rationibus, en domesticum tibi exemplum. Quantò autem minus est miraculum in partu anûs sterilis quàm in partu virginis, tantò tuus partus illo erit major. ¶ οὗτος μὴν, *sextus est*] Quo tempore certa solent se prodere indicia prægnantis uteri. Ita confirmandæ virginis fiduciæ signum datur adspectabile, ut Ezechiæ olim. ¶ τῇ καλουμένῃ στείρᾳ. *quæ vocatur sterilis*] Καλεῖσθαι [*vocari*] in Hebræa locutione eum re significat famam rei. Vide quæ ad Matth. caput I.

37. Ὅτι, *Quia*] Αἰτιολογικὸν ἡ ἐπιφορά [*rationis redditio ad id quod subjicitur*], quod & alibi observavimus. Nam quæ præcedunt eò spectant ut firmiùs credat Maria: quod cùm fieri debeat causa hîc redditur. ¶ οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα. *non erit impossibile apud Deum omne verbum*] Puto non ad promissa tantùm pertinere hanc sententiam, sed infinitam Dei omnipotentiam indicari; quomodo & Syrus accepit. Est enim proverbium tritum usûs Hebræorum לא־יכשל ממך כל־דבר [*Non abscondetur à te omne verbum*], quod LXX vertunt οὐκ ἔσι μοι ἀποκρυβῆναι ἀπὸ σοῦ οὐθέν [*nihil à te abscondi queat*], Jeremiæ XXXII, v. 27. Idem ita extulit Matthæi Interpres, παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστι [*Apud Deum omnia possibilia sunt*], XIX, 26. quem sequitur Marcus X, 27. & XIV, 36. Citavimus alibi Lini, Epicharmi & Callimachi versus in eandem sententiam. Neque absterrere nos ab hac interpretatione debet quòd Deus dicitur fidem datam violare non posse, & similia. Nam res ipsa docet universales

locutiones

locutiones extendi non debere ad ea quæ nomine Dei intellecto exclusa intelligi debent. Bene Origenes adversùs Celsum, Δύναται παρ' ἡμῖν πάντα ὁ Θεὸς ἅπερ δυνάμενος ἅμα Θεὸς εἶναι καὶ ἅμα ἀγαθὸς εἶναι καὶ σοφὸς εἶναι οὐκ ἐξίσταται· ὁ δὲ Κέλσος φησὶν (ὡς μὴ νοήσας πῶς λέγεται ὁ Θεὸς πάντα δύνασθαι, ὅτι οὐκ ἐθελήσει ἀδίκων ἀδικεῖν) ὅτι δύναται μὲν καὶ τὰ ἄδικα, ἐ θέλει δέ· ἡμεῖς δὲ φαμὲν ὅτι ὥσπερ οὐ δύναται τὸ πεφυκὸς γλυκαίνειν τῷ γλυκεῖ τυγχάνειν πικρόν περὶ τὴν αὐτοῦ μένειν αἰτίαν, οὐδὲ τὸ πεφυκὸς φωτίζειν τοῦ εἶναι φῶς στοτίζειν, οὕτω οὐδὲ ὁ Θεὸς δύναται ἀδικεῖν ἐναντίου ὄντος ἐστὶ αὐτοῦ τῇ θειότητι καὶ τῇ καθ' αὐτὴν πάσῃ δυνάμει ἡ τοῦ ἀδικεῖν δύναμις [*Ex noſtra ſententia Deus poteſt omnia, quæ agendo Deus eſſe & bonus & ſapiens non deſinat. Celſum verò* (*agnoſcens non velle Deum injuſtè quicquam, ſed non videns quomodo ex noſtra ſententia Deus dici poſſit Poſſe omnia*) *ait, poſſe quidem Deum & injuſta, at non item velle. Nos autem dicimus, ſicut non poteſt id quod natum eſt dulcia facere alia, hæc ſuæ dulcedini alia reddere amara, idque ideo quia interna natura obſtat, nec quod natum eſt illuminare lucendo tenebras obducere: ita nec Deum poſſe agere injuſtè. Pugnat enim injuſtè agendi facultas cum ipſius Deitate & omni ea vi quæ Deitati cohæret*]. Idem Scriptor in eadem diſputatione libro IV ait illud, Πᾶν δυνατὸν τῷ Θεῷ [*Omnia Deo poſſibilia*] intelligendum eſſe οὐκ ἐπὶ τῶν ἀνυπάρκτων, ἐ δ' ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων φαμὲν ἡμῖν, adjicit, καὶ ὅτι ἐ δύναται αἰσχρὰ ὁ Θεὸς, ἐπεὶ ἴσως ὁ Θεὸς δυνάμενος μὴ εἶναι Θεὸς [*non de iis quæ nec exiſtere nec intelligi poſſunt; addimus verò nec turpia Deum poſſe, alioqui poſſet non eſſe Deus*], alludens ad notum Euripidis verſum,

Εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί.
[*Si dii patrant quid turpe, jam non ſunt dii*].

Iſidorus Peluſiota ad quæſtionem, εἰ Θεῷ πάντα δυνατὰ [*An Deo omnia poſſibilia*], breviter reſpondit, πάντα τὰ πρέποντα αὐτῷ [*Omnia quæ eum decent*].

38. Ἰδοὺ ἡ δούλη Κυρίου· *Ecce ancilla Domini*] Locutio Hebræa obedientiæ propoſitum notans. Ita Samuel ad Heli 1 Samuelis III, 6, & 8. Ἰδοὺ ἐγώ [*Ecce ego*]. Et mox ad Deum, Λάλει, Κύριε, ὅτι ἀκούει ὁ δοῦλός σου [*Loquere, Domine, nam audit ſervus tuus*]. ¶ γένοιτό μοι, *fiat mihi*] Non conſentit tantùm Virgo, ſed & deſiderat, eximio fiduciæ exemplo. Nec dubium quin ſimul cum conſenſu & deſiderio impleri promiſſio coperit, ut hæc quoque in parte perſonam Chriſtianorum Maria gereret. Quare & poſt hoc dictum diſcedit Angelus, ut peracta legatione; quemadmodum à veteribus non male notatum eſt.

39. Ἀναστᾶσα, *Exſurgens*] Vox περιλλευτικὴ [*abundans*], ut & infrà IV, 29. Nec aliter 1 Maccabæorum XII, 40. XIII, 24. ¶ μετὰ σπουδῆς, *cùm feſtinatione*] Ne negligeret ſignum quod augendæ ipſius fiduciæ Deus aſſignaverat. ¶ εἰς πόλιν Ἰούδα, *in civitatem Judæ*] Accedo eorum ſententiæ qui Hebronem ſignificari judicant. Nam πόλις [*civitas*], ut Hebræum עיר, ita ſolet poni ut ſignificet μητρόπολιν [*metropolim*]. Et erat quidem Hieroſolyma caput Regni: At peculiariter portionis Judæ urbs præcipua Hebron, ut colligitur II Samuelis II.

41. ἐσκίρτησε, *exſultavit*] Solent quidem Medici hoc verbo notare motum naturalem infantis in utero, quod ἁλλομένζη [*ſubſilire*] eſt aliis. Mihi autem certum videtur motum hunc non naturalem, ſed Divinitus fuiſſe procuratum; perinde ut colliſionem illam infantium in Rebeccæ utero: nam & hoc & illud μυστικὴν [*myſticam*] habuit σύνοψιν [*ſignificationem*].

42. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, *Benedicta tu in mulieribus*] Ipſa verba Angeli uſurpat, ut ab eodem Deo motam apparet. ¶ καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου. *& benedictus fructus ventris tui*] Sunt verba Deuteronomii XXVIII, 4. ברוך פרי־בטנך. Oſtendit ergo Eliſabet Legis promiſſiones nunc excellenter & ſupra communem ſenſum impleri.

43. πόθεν μοι τοῦτο, ἵνα ἔλθῃ ἡ μήτηρ τοῦ Κυρίου μου πρός με; *unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?*] Modeſtiæ filii præludens qui olim Chriſto erat dicturus, σὺ ἔρχῃ πρός με; [*tu venis ad me?*] Matthæi III, 14. Κύριον [*Dominum*] vocat Meſſiam exemplo Davidis Pſalm. CX, 1.

44. ὡς ἐγένετο ἡ φωνὴ τοῦ ἀσπασμοῦ σου εἰς τὰ ὦτά μου, *ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis*] Vertere ſimpliciter licet, *ut pervenit ad aures*. Nam γίνεσθαι pro *venire* ſæpe uſurpant noſtri & alii Scriptores. Syrus בא *accidit auribus*. ¶ ἐν ἀγαλλιάσει, *in gaudio*] Solet ad animum transferri: proprie tamen geſticulationem ſignificat qualis eſſe lætantium ſolet. Atque hoc videtur indicare Eliſabeth, Sicut infantes in utero calore delectati naturaliter ſubſultant, ita citra caſum naturalem & modo non naturali infantem ſuum ſubſultaſſe. Quod autem quidam hinc colligunt rationis uſum in Johanne anticipatum; nec Auguſtino, neque verò mihi ſatis rectum videtur.

45. μακαρία ἡ πιστεύσασα· ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ Κυρίου· *beata quæ credidit; quòd perficientur ea quæ dicta ſunt ipſi à Domino*] Puto generalem eſſe ſententiam, ſed à muliere ad mulierem elatam feminino genere; *Beata quæ credit exitum habitura ea quæ Divinitus ipſi ſunt nuntiata*; quomodo accipit Syrus. Sicut Chriſtus dixit, Μακάριοι οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ φυλάσσοντες αὐτόν [*beati qui audiunt verbum Dei, & qui cuſtodiunt illud*], infrà XI, 28. &, μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύσαντες [*beati qui non viderunt & crediderunt*], Joh. XX, 29. Solet autem res credita per ὅτι [*quòd*] exprimi, ut Matth. IX, 28. Marci XI, 24. Simillimâ autem hujus loci locutioni eſt illa apud Marcum XI, 23. πιστεύσῃ ὅτι ἃ λέγει γίνεται [*credideris quòd quæ dixit fient*] Illud παρὰ Κυρίου [*à Domino*] bene interpretatur Syrus מן קדם [*ex parte Domini*].

46. Καὶ εἶπε Μαριάμ, *Et ait Maria*] Si rectè Origenem intelligo, hîc dicit in quibuſdam codicibus omiſſum *Mariæ* nomen, ac proinde à quibuſdam creditum hoc carmen eſſe Eliſabetæ: quos refellit & librorum & Interpretum & veterum qui verbis hinc depromtis utuntur auctoritas. Solebant Hebræi, ut & gentes aliæ, ad movendos affectus aut lætos aut lugubres uti carminibus, ut paſſim in Veteris Fœderis hiſtoria videre eſt. Bene Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, Κατὰ τὸ εἰ τοῖς ᾠδαῖς ἁρμοζόμενα ἐκινήματα ἁρμοδίως οἱ ῥυθμοὶ τῶν μελῶν ἐγίνοντο, ἄγοντες τὰς ψυχὰς εἰς τὴν περίπτωσιν τοῖς ᾀδομένοις ἤθεσιν [*Numeri carminum fiebant accommodate ad res carminibus comprehenſas, ut ſic animi moverentur ad eos affectus qui conveniebant iis quæ canebantur*]. Erant autem ῥυθμοὶ ſive numeri Hebræorum non ἔμμετροι [*certis menſuris adſtricti*] ſed lege ſoluti; cujuſmodi etiam erant & nunc quoque ſunt ipſorum ſaltationes. Reſpicit hoc carmen non obſcure ad tempora exitûs ex Ægypto, quibus tempora Meſſiæ figurabantur non ſine admirabili Dei diſpoſitu congruentibus circumſtantiis. Eſt ibi Maria προφῆτις [*Prophetiſſa*] dux feminei agminis; & hîc Maria obumbrata Sancto Spiritu, ſupra omnes feminas celebranda. Secundas ibi tenet Eliſabet Aaronis uxor; hîc alia Eliſabet nupta Sacerdoti ex Aaronis genere. ¶ Μεγαλύνει ἡ ψυχή μου τὸν Κύριον· *Magnificat anima mea Dominum*] Ita Pſalmo XXXIV, 4. גדלו ליהוה, Græce, Μεγαλύνατε τὸν Κύριον σὺν ἐμοί [*Magnificate Dominum mecum*]. Solent in carminibus res eædem πολυωνύμως [*multis nominibus*] exprimi, atque hîc prius *animam* dixit, deinde *ſpiritum*. Neque tamen contemnenda videtur Origenis obſervatio, qui μεγαλύνειν [*magnificare*] ad Intellectum, ἀγαλλιάζειν [*exſultare*] ad affectum ſubſequentem retulit.

47. Καὶ ἠγαλλίασε τὸ πνεῦμά μου ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρί μου· *Et exſultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*] Contractum ex Pſalm. XXXV, 9. ubi LXX, Ἡ δὲ ψυχή μου ἀγαλλιάσεται ἐπὶ τῷ Κυρίῳ, τερφθήσεται ἐπὶ τῷ σωτηρίῳ αὐτοῦ [*Anima autem mea exſultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo*]. Sed & in Annæ cantico, ἠγαλλιάσθην ἐν τῷ σωτηρίῳ σου [*lætata ſum in ſalutari tuo*]. Præteritum aut futurum pro præſenti ponere mos eſt Hebræorum.

48. ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ· *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*] Bene notavit vir doctiſſimus ταπείνωσιν eſſe עני. id eſt, *miſeriam*, aut certè *conditionem abjectam*, ut Philipp. III, 21. videre eſt. In Veteri inſtrumento præter locum Geneſeos XXIX, 32. ſunt illuſtres alii ubi LXX ita vertunt, & quidem ubi itidem *reſpiciendi* fit mentio, ut II Regum XIV, 26. εἶδε Κύριος τὴν ταπείνωσιν Ἰσραήλ [*vidit Dominus afflictionem Iſraël*]. Pſalmo XXV, 18. Ἴδε τὴν ταπείνωσίν μου [*Vide humilitatem meam*]. Sed maximè huc faciunt Annæ verba quæ non dubito quin reſpiciantur à Maria, cùm & in cæteris ejus verba imitetur. Ea ſic habent Græcè; Ἐὰν ἐπιβλέπων ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης σου [*Si reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ*], I Samuelis I, 11. unde intelligendum & quæ ibidem ſequuntur ad Chriſtum myſticè referri debere, δώσω σε αὐτὸν ἐνώπιόν σου δοτὸν ἵως ἡμέρας θανάτου αὐτοῦ [*dabo eum coram te datum ad diem uſque mortis ejus*]. Non multò aliter Valerius Maximus de ſe loquens ad Tiberium Cæſarem, *Mea*, inquit, *parvitas*. ¶ μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαὶ· *beatam me dicent omnes generationes*] Alludit, ſed cum augmento, ad id quod Lea dixerat, μακαριοῦσί με αἱ γυναῖκες [*beatam me dicent mulieres*], Geneſeos XXX, 13.

49. ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα, *fecit mihi magna*] LXX Hebræum גדלות ad verbum transferunt μεγαλεῖα [*magna* vel *magnalia*], ut videre eſt Deuter. XI, 2. Pſalmo LXXI, 19. גדלות עשית

ἐποίησάς μοι μεγαλεῖα [*feciſti mihi magnalia*]. ubi μοι [*mihi*] additum à LXX. quem locum hîc reſpici puto. Similis locutio Deuteronom x, 21. תהלתיך הוא אלהיך עשה, ubi Lxx ἐποίησέ σοι τὰ μεγάλα [*qui fecit tibi magna*]. Utitur voce μεγαλεῖον [*magnalium*] Lucas iterum Actorum II, 11. Senſus eſt, Res magnas & miras mihi præſtitit. Confer & Pſalm. CXXVI, 2. ¶ δυνατὸς, *qui potens eſt*] Id eſt, גבור. Id enim Dei attributum: ita vertunt LXX Pſalm. XXIV, 8. ¶ καὶ ἅγιον τὸ ὄνομα αὐτοῦ [*& ſanctum nomen ejus*] Id eſt, ὃ τὸ ὄνομα ἅγιον [*cujus nomen ſanctum*], contractum ex Pſalmo CXI, 9. קדוש ונורא שמו ἅγιον καὶ φοβερὸν τὸ ὄνομα αὐτοῦ [*ſanctum & terribile nomen ejus*]. Eſt autem hæc Dei περίφρασις [*circumlocutio*] religioſa. Philemon aut Menander,

——— Θεὸς ὁ πάντων δεσπότης,
Οὗ τ' ὄνομα φοβερὸν ὑφ' ἂν ὀνομάσαιμ' ἐγώ.
[——— ——— *Omnium rector Deus,*
Cujus tremendum nomen, nec fandum mihi].

50. εἰς γενεὰς γενεῶν, *à progenie in progeniem*] Id eſt, αἰῶνας αἰώνων [*ſecula ſeculorum*]. Sunt enim ipſa verba Pſalmi CIII, 17. quæ LXX ita vertunt, Τὸ δὲ ἔλεος Κυρίου ἀπὸ τοῦ αἰῶνος καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος ἐπὶ τοὺς φοβουμένους αὐτόν [*Miſericordia enim Dei ab æterno & uſque in æternum ſuper timentes eum*]. Solet autem γενεὰ [*progenies* ſive *generatio*] ſumi hoc ſignificatu, ut Epheſ. III, 21. Coloſſ. I, 26. Senſus eſt: Deum perpetuò ac ſine fine benefacere iis qui religioſe ſe verentur.

51. Ἐποίησε κράτος ἐν βραχίονι αὐτοῦ [*Fecit potentiam in brachio ſuo*] Rurſum cum augmento exſulit quod eſt in Pſalmo, δεξιὰ Κυρίου ἐποίησε δύναμιν [*dextera Domini fecit virtutem*], Pſalm. CXVIII, 15 & 16. Efficacia Dei magna per *Digitum* indicatur, per *Manum* major, per *Brachium* maxima: confer locum Exodi XV, 16. Vide Pſalmo LXXVII, 16. LXXXIX, 14. XCVIII, 1. Eſaiæ XL, 10. LXII, 8. Jobi XL, 4, 9. Κράτος [*potentia*] aut δύναμις [*virtus*] dicitur opus *potentiſſimum*, qualis erat virginalis conceptio. ¶ διεσκόρπισεν ὑπερηφάνους διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν. *diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*] Pars eſt ex Pſalmo LXXXIX, 11. ותרהבם כחלל פזרת אויבך בזרוע עזך, ubi ורהבם vulgò *Ægyptum* exponunt, cùm LXX ſumſerint pro adjectivo: ita enim vertunt, Σὺ ἐταπείνωσας ὡς τραυματίαν ὑπερήφανον, ἐν τῷ βραχίονι τῆς δυνάμεώς σου διεσκόρπισας τοὺς ἐχθρούς σου [*Tu humiliaſti, ſicut vulneratum, ſuperbum: in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos*]. Eſt autem in verbo διασκορπίζειν [*diſpergere*] eadem ferme vis quæ in verbo διασκεδάζειν [*diſſipare*]. ut apparet infrà XV, 13. XVI, 1. Actorum V, 37. Adde Matth. XXV, 24, 26. XXVI, 31. Marci XIV, 27. Johann. XI, 52. διασκεδάζειν [*diſſipare*] autem ponere ſolent LXX ubi de diſſipandis conſiliis, quas hîc Lucas διανοίας [*mentem*] dixit, agitur: II Samuelis XV, 34. καὶ διασκεδάσεις μοι τὴν βουλὴν Αχιτοφὶλ [*diſſipabis conſilium Achitophel*]. Et Pſalm. XXXIII. 10. qui locus hîc ſimul cum illo præcedente videtur reſpici, διασκεδάζει βουλὰς ἐθνῶν [*diſſipat conſilia Gentium*] Senſus ergo hîc eſt, *Diſſipavit ſuperbos quod conſilia cordis ipſorum attinet.* Vetus eſt proverbium Hebræorum, quod, ut multa alia ejus generis, ſervatum eſt nobis in Eclogis Jeſu Sirachidæ, quem librum *Eccleſiaſticum* vocamus. Locus ita habet X, 15. ὅτι ἀρχὴ ἁμαρτίας ὑπερηφανία, καὶ ὁ κρατῶν αὐτῆς ἐξυβρίσει βδέλυγμα, καὶ καταστραφήσεται εἰς τέλος· διὰ τοῦτο παρεδόξασεν Κύριος τὰς ἐπαγωγὰς, καὶ κατέστρεψεν εἰς τέλος αὐτάς [*Initium omnis peccati eſt ſuperbia, qui tenuerit illam adimplebitur maledictis, & ſubvertit eum in finem. Propterea mira mala Deus ei intulit, & ſubvertet eum in finem*]. Hæc ipſa ſententia eſt quam in Epinicio late proſequitur Moſes. Impleta autem eſt cùm Deus Meſſiam naſci voluit non ex iis qui aut ſceptro aut Legis ſcientiâ ſuperbiebant, ſed ex virgine contemtæ ſortis. Atque idem quotidie impletur in vocatione Chriſtianorum, cujus imago fuit hæc conceptio. Vide Romanorum X, 3. Matth. XXIII, 12. Eodem pertinet illa γνώμη [*ſententia*] itidem uſu trita, ut ex duorum Apoſtolorum ſcriptis apparet, ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν [*Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*], Jacobi IV, 6. I Petri V, 5. Sed & Seneca dixit,

Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.

52. καθεῖλε δυνάστας ἀπὸ θρόνων, καὶ ὕψωσε ταπεινούς· *Depoſuit potentes de ſede & exaltavit humiles*] Sententia eadem eſt quæ Pſalm. CXIII, 7, 8. & I Sam. II, 8. ubi מרים Lxx vertunt δυναστῶν [*principibus*]. At verba propiùs accedunt ad alterum proverbium Hebraïcum quod dictâ jam rubrica nobis exhibet Sirachides, Θρόνους ἀρχόντων καθεῖλεν ὁ Κύριος, καὶ ἐκάθισε πραεῖς ἀντ' αὐτῶν ἐνδόξους [*ſedes imperantium deſtruxit Dominus, & ſedere fecit mites pro eis inſtar*]. unde etiam diſcimus quid hîc ſit ὕψωσε [*exaltavit*], nempe ἐπὶ τοὺς θρόνους [*in ſedes*]. Nam ταπεινοὺς [*humiles*] & πραεῖς [*mites*] ab Helleniſtis promiſcue dici ſolere alibi annotavimus. Idque ipſum monere nos debet ταπεινοὺς [*humiles*]. hoc quidem loco intelligendos eos qui non ſortis tantùm ſint humilis, ſed animo quoque ταπεινόφρονες [*modeſti*], quomodo ea vox uſurpatur Matth. XI. 29. & dictis Jacobi & Petri locis, ſed & alibi paſſim. Contra δυνάστας [*potentes* ſive *principes*] intelligendi ſunt οἱ ὑπερήφανοι [*ſuperbi*], quales plerunque ſunt οἱ δυνάσται [*potentes*] ſive ἄρχοντες [*Principes*]. Eſt hujus ſententiæ nobile exemplum in Saule & Davide. Quò pertinet id quod ſcriptum eſt II Sam. VI, 22. qui locus hunc illuſtrat. Vide ſi libet & Joſephum Jacchai ad Dan. II, 20. & IV, 14.

53. Πεινῶντας ἐνέπλησεν ἀγαθῶν, καὶ πλουτοῦντας ἐξαπέστειλε κενούς· *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes*] Γνώμη [*ſententia*] ſimilis ſuperioribus. Senſus idem qui in Annæ carmine I Sam. II, 5. ubi itidem dictum generale pertinet ad partûs beneficium. Ἀποστέλλειν κενοὺς [*dimittere inanes*] dicuntur quicunque rei alicujus obtinendæ causâ aliquem compellant neque eam obtinent, ut videre eſt infrà XX, 10 & 11. Lxx in Jobo XXII, 9, χήρας ὃ ἐξαπέστειλας κενάς [*viduas dimiſiſti vacuas*]. Sic & Judithæ X. 11, ἀπέστειλαν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ κενούς [*& remiſerunt nuntios ejus vacuos*].

54. Ἀντελάβετο Ισραὴλ παιδὸς αὐτοῦ, *Suſcepit Iſrael puerum ſuum*] Eſt quidem ubi ἀντιλαμβάνεσθαι [*ſuſcipere*] reſpondet Hebræo תמך, quod & αἱρετίζειν [*eligere*] transferri notavimus, nonnunquam & aliis vocibus. Sed hîc, ni fallor, reſpondet verbo ישעיה, quod eſt *ſuſtentare*, atque interdum etiam *manu ducere*. Nam in loco Eſaiæ XLI, 9. unde hoc deſumtum eſt, cùm dixiſſet Deus עבדי אתה ישראל παῖς μου [*tu Iſrael ſervus meus*], ſequitur ותמכתיך אשר, quod vertunt Lxx ὃ ἀντελαβόμην [*quem apprehendi*] additur autem ἀπ' ἄκρων τῆς γῆς [*ab extremis terræ*]. Idem verbum ſæpe iidem Interpretes vertunt κρατεῖν τῇ χειρὸς [*tenere manu*], interdum & ἐπιλαβέσθαι τῆς χειρὸς [*apprehendere manum*], ut Jerem. XXXI, 32. à qua verſione non diſcedit Scriptor ad Hebræos VIII, 9. quibus locis ſequitur ἐξαγαγεῖν αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου [*ut educerem eos de terra Ægypti*]. Ἐπιλαβέσθαι χειρὸς [*apprehendere manum*] dixit & hic noſter XXIII, 19. Senſus Spiritûs Sancti hoc in loco eſt, Sicut olim Deus populum Iſraeliticum eduxit quaſi manu ſua ex Ægypto, ita nunc ruſſus eum educet ex ignorantiæ tenebris & peccati ſervitute. In carmine Moſis eſt Ὡδήγησας τῇ δικαιοσύνῃ σου τὸν λαόν σου ὃν ἐλυτρώσω [*Duxiſti in juſtitia populum tuum quem redemeras*], Exodi XV, 13. ubi δικαιοσύνη [*juſtitia*] *miſericordiam* ſignificat: nam in Hebræo eſt בחסדך [*in miſericordia tua*]. ¶ μνησθῆναι ἐλέους, *recordari miſericordiæ*] Ut *memorem ſe miſericordiæ ſuæ oſtenderet.* Intenditur digitus ad Pſalmum XCVIII, 3. ubi in Hebræo eſt זכר חסדו ואמונתו לבית ישראל, in Græco, Ἐμνήσθη ὁ ἐλέους αὐτοῦ τῷ Ιακὼβ, καὶ τῆς ἀληθείας αὐτοῦ τῷ οἴκῳ Ισραὴλ [*Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſrael*] Confer & ultima Michææ verba, ubi ſimiliter *miſericordiæ* mentio & *Jacobi* & *Abrahami*. Dicitur autem Deus *populi ſui meminiſſe* quoties eum longis malis oppreſſum inſigni beneficio ſublevat. Vide II Par. VI, 42. & hîc infrà 72.

55. εἰς τὸν αἰῶνα. *in ſecula*] Sunt qui poſitum putant pro Hebræo סלה [*Selah*], quod in hunc ſenſum interpretantur Aquila & Hieronymus. Sed videtur ea ſignificatio non omnibus locis congruere: multique Hebræi ut & Lxx Interpretes aliter illud exponunt: mihi poſt alios hoc εἰς τὸν αἰῶνα· [*in ſeculum*] referendum videtur ad ἐλάλησε [*locutus eſt*], ut ſenſus ſit, Quemadmodum Abrahamo & Iſaaco in perpetuum promiſit. Omnino id reſpicitur, quod fœdus cum Iſaaco initum dicitur ברית עולם לזרעו אחריו [*fœdus ſempiternum ſemini ejus poſt eum*] Geneſ. XVII, 19. quod ita explicant Lxx, διαθήκην αἰώνιον, εἶναι αὐτῷ Θεὸς καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ μετ' αὐτόν [*teſtamentum perpetuum, fore ſe ipſi Deum & ſemini ejus poſt eum*]. Sicut autem ibi rectè ſupplent Lxx εἶναι αὐτῷ Θεός [*fore ſe ipſi Deum*] ex ſuperioribus verbis ejuſdem capitis commate 7. ubi cum ipſo Abrahamo fœdus feritur; ita & hîc idem ſubintelligendum eſt: hoc enim eſt illud quod Deus ἐλάλησε τῷ Αβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ [*locutus eſt Abrahamo & ſemini ejus*]. Atque eadem *perpetuitatis* clauſula ſicut in fœderis renovatione cum Jacobo facta ex pacti originalis natura ineſſe cenſeri debet, ita Davidi aperte repetita eſt, ut videre eſt Pſ. CXXXII, 14. ubi Lxx habent εἰς αἰῶνα αἰῶνος [*in ſeculum ſeculi*]. Et ad hanc fœderis naturam reſpiciens Paulus ait ἀμεταμέλητα εἶναι τὰ Θεοῦ χαρίσματα καὶ κλῆσιν [*ſine pœnitentia eſſe dona & vocationem Dei*], Rom. XI, 29. nimirum quia fixum ratumque ſit apud Deum Iſraelitas ſemper eximia

eximia quadam miſericordia proſequi: quod tunc præcipuè oſtendit cùm Meſſiam ex ipſis naſci atque inter ipſos verſari voluit, & illis ante cæteras nationes verbum ſalutare cum magnis miraculorum teſtimoniis annuntiari.

56. *ὡσεὶ μῆνας τρεῖς· quaſi menſibus tribus*] Turbam ut videtur vitans diſceſſit ſub tempus partitudinis. Nam ſi partui interfuiſſet; quod volunt quidam, manſiſſet etiam per tempora λοχείας [*cubationis à partu*] curatura puerperam; quod excurriſſet extra menſem tertium.

58. *ἐμεγάλυνε Κύριος τὸ ἔλεος αὐτῆ, magnificavit Dominus miſericordiam ſuam*] Eodem ſenſu *μεγαλύνειν δικαιοσύνην* [*magnificare juſtitiam*] verterunt LXX, pro *magnis beneficiis afficere*, גדל חסדו [*magnificavit miſericordiam ſuam*] Geneſ. XIX, 19.

59. *ἐν τῇ ὀγδοῇ ἡμέρᾳ, in die octavo*] In quem Deus circumciſionem differri voluerat, ne recens nimium partus non ſufficeret ferendo dolori. Infantium autem circumciſio oſtendebat fœdus eſſe gentilitium. ¶ *ἦλθον περιτεμεῖν, venerunt circumcidere*] Amici ad eam rem advocati in domum Zachariæ venerunt. Nullus enim locus certus circumciſioni ex Lege præſcribitur, ut nec certus circumciſor, ſed ſolet ad eam rem adhiberi qui maxime eſt in ea arte exercitus. Vide I Macc. I, 63. Domi autem celebratam hanc circumciſionem oſtendit puerperæ præſentia. Neque hodie Judæi in Synagoga pueros circumcidunt tam quam id neceſſarium eſſet, ſed quo pluribus teſtibus res conſtet. ¶ *ἐκάλουν αὐτὸ ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, & vocarunt eum nomine patris ſui*] Statim poſt circumciſionem peractam nomen infanti imponebatur, Geneſ. XXI, 3, 4. Sic & apud Romanos dies infantium luſtricus dicebatur, & *nominalis* ab eodem more; & apud Athenienſes decimo die ſacra fiebant & imponebatur nomen infanti, ut nos docent Aves Ariſtophanis & ad eum Scholiaſtes, & in voce Ἀμφιδρόμια Suidas. Nec aliud ea in re ſpectatum arbitror quam quòd cùm multi ad circumciſionem aut luſtrationem advocarentur, iidem meminiſſe poſſent impoſiti nominis, ſiqua olim controverſia oriretur. Parentum autem aut avorum nomina poſteris imponebantur ut ipſa nominis recordatione ad imitandas eorum virtutes accenderentur. Sic & apud Græcos à Pyrrho plures *Pyrrhi*, à Philippo *Philippi*, à Ptolemæo *Ptolemæi*. Et apud Pœnos Annibal avi nomen ferebat. Ariſtophanes Avibus Ἱππόνικος Καλλίου, καὶ Ἱππονίκου Καλλίας [*Hipponicus Callia, rurſum Hipponici Callias*]. Ulpianus ad orationem Demoſthenis de male obita legatione, *οἰκεῖος γὰρ ἦν ὁ Πρόξενος ᾧ Ἁρμοδίῳ ὀνόματι χρῆσθαι ἐπέτρεπε τοῖς υἱοῖς* [*æquum enim erat Proxenum alicui filiorum ſuorum nomen imponere Harmodii*]: is enim Proxenus ab Harmodio genus ducebat. Demoſthenes in Bœotum, Ἀξιοῖ δ' αὐτὸς, ὡς δὴ πρεσβύτερος ὤν, τοῦνομ' ἔχειν τὸ τοῦ πρὸς πατρὸς πάππου [*Par enim erat illum, ut natu maximum, nomen haberi avi paterni*]. Vide & Plutarchum Cimone, ubi Thucydidem ait fuiſſe πατρὸς Ὀλόρου εἰς ὁ μέγιστον ἀναφέροντος τιμὴ ὁμωνυμίας [*patre Oloro qui nomen referebat ad proavum.*]

60. *ἡ μήτηρ, mater*] Plena ſcilicet Spiritu Sancto ob filium, ut ſupra dictum eſt, quo Spiritu id cognovit quod ab Angelo didicerat Zacharias.

63. *Ἰωάννης ἐστὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Johannes eſt nomen ejus*] Quaſi dicat nullam ſupereſſe conſultationem in re quam Deus jam definiſſet. Itaque ἐστὶ [*eſt*] inquit, non ἔσται [*erit*]. De nomine *Johannis* diximus ſupra.

64. *ἠνοίγη τὸ στόμα αὐτοῦ καὶ lingua ejus*] Quomodo τὸ ἀνοίγεσθαι [*aperiri*] ad linguam referatur diximus ad Marcum VII, 34. quod qui non intellexerunt addendum putarent διηρθρώθη [*formata eſt ad vocem reddendam*]. Sed veteres Paraphraſtæ id non agnoſcunt.

65. *φόβος, timor*] Id eſt, *reverentia* Dei, ut Actor. II, 43.

66. *Ἔθεντο πάντες οἱ ἀκούσαντες ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν, poſuerunt omnes qui audierunt in corde ſuo*] Sic & infrà loquitur Lucas IX, 44. Alibi dixit *διατηρεῖν ἐν τῇ καρδίᾳ* [*conſervare in corde*], II, 51. LXX ſolent dicere *τιθέναι ἐν τῇ καρδίᾳ* [*conſtituere in corde*], ut Ezec. XI, 4. Aggæi II, 18. *Θυμῷ βάλλειν* [*animo immittere*] dixit Æſchylus Prometheo. ¶ *Τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται; Quis, putas, puer iſte erit?*] *Quò evadet puer iſte?* Eſt enim genus idem loquendi quod Actor. XII, 18. ¶ *Καὶ χεὶρ Κυρίου ἦν μετ' αὐτοῦ. Et manus Domini erat cum illo*] Quoties afflatus Prophetiæ deſcribitur dici ſolet *χεὶρ Κυρίου ἦν ἐπ' αὐτὸν* [*facta eſt ſuper eum manus Domini*] non *μετ' αὐτοῦ* [*cum ipſo*], ut Ezech I, 3. III, 22. XXXVII, I. XL, I. Quare hoc quod hîc habemus loquendi genere non *προφητεία* [*Prophetia*] ſed ſingulare Dei auxilium indicatur. Sic II Sam. XIV, 19. Μὴ ἡ χεὶρ Ἰωὰβ ἐν παντὶ τούτῳ μετὰ σοῦ [*Numquid manus Joab tecum eſt in omnibus iſtis?*] עמך [*tecum*], non עליך [*ſuper te*], id eſt, An tibi adjutor fuit?

68. *Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς Ἰσραήλ, Benedictus Dominus Deus Iſraël*] Id eſt, *εὐλογεῖσθαι* [*benedicatur*], ut ſuprà diximus. Dixerat de Semo Noachus Geneſ. IX, 26. ברוך יהוה אלהי שם, Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Σήμ [*Benedictus Dominus Deus Sem*]. ita enim LXX. Nam qui omnium eſt Dominus, peculiariter *Deus* piorum dicitur. Περὶ τὸ ὄν, inquit Philo, αἱ πρῶται καὶ μάλιστα δυνάμεών εἰσιν, ἥ τε εὐεργέτις, Θεὸς, ἐπειδὴ διὰ ταύτην ἔθηκε καὶ διεκόσμησε τὸ πᾶν· ἡ δ' ἑτέρα, Κύριος, καθ' ἣν ἀνῆπται τὸ ὅλον τοῦ κρείττονος [*Apud eum qui Eſt duæ ſunt maximæ facultates, Benefica qua Deus dicitur, quia per hanc hoc Univerſum & condidit & ornavit; altera verò quæ dicitur Dominus, à qua pendet imperium in res omnes*]. quod & alibi ſæpe repetit. Poſtquam verò gentes pleræque ad falſorum deorum cultus erant dilapſæ, cœpit nomen illud ad unum Iſraëlis populum reſtringi. Pſalmo XLI, 14. Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς Ἰσραήλ [*Benedictus Deus Dominus Iſraël*]. Sic & Pſalmo LXXII, 18. & CVI, 48. ¶ *ὅτι ἐπεσκέψατο, quia viſitavit*] Nimirum τὸν λαὸν [*populum*], quod hîc repetendum ex membro ſequente; cui ſimilia loquendi genera reperias Prov. XXXI, 30. Gen. XXI, 1. L, 24. & alibi. Senſus eſt, *animadvertit ad populum.* Chaldæus פקד [*viſitavit*] cum in bonam partem ſumitur vertit זכר [*recordari*]. Accedo putantibus Exodi loca reſpici III, 16. & IV, 31. ubi in Græco vox eſt eadem. ¶ *καὶ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ, & fecit redemptionem plebi ſuæ*] Ex eodem Pſalmo eſt ex quo partem Marià recitavit, CXI, 9. ſcilicet; ubi de beneficio exitus ex Ægypto (quæ imago, ut diximus, Meſſiæ temporum) פדות שלח לעמו; quod vertunt LXX, *λύτρωσιν ἀπέστειλε τῷ λαῷ αὐτοῦ* [*miſit redemptionem populo ſuo*]. Unde apparet rectè *liberationem* hîc verti, neque tam de ſolo Chriſti ſacrificio hîc agi quàm de toto Dei conſilio in liberandis Iſraëlitis, quod eo tempore cœptum eſt in rem conferri. LXX quoties pretii mentionem res exigit ἀπολύτρωσιν potius quàm λύτρωσιν dicunt.

69. *Καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν ἐν τῷ οἴκῳ Δαβὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ· Et exſrexit cornu ſalutis nobis in Domo David pueri ſui*] Quia non unius beſtiæ vis in cornibus conſiſtit, ideo potentia omnis *cornu* Hebræis dicitur, ut colligere eſt ex loco Deut. XXXIII, 17. præcipuè verò potentia Regalis, ut videre eſt Zach. I, 18. & Dan. VII, 24. & VIII, 21. Atque ideo vocem קרן [*cornu*] I Sam. II, 10. Jerem. XLVIII, 25. & alibi veteres Paraphraſtæ vertunt מלכותא, aut מלכותהון [*Regnum*] & מתנהון [*dominationem*]. Vocem autem *ἐγείρειν* [*erigere*] non tam reſpondere arbitror Hebrææ הרים quàm voci הסמ. Duo enim loci conjunctim reſpiciuntur, alter Pſal. CXXXII. 17. שם אצמיח קרן לדוד, ubi LXX ἐξανατελῶ κέρας τῷ Δαβὶδ [*producam cornu David*]: alter verò Ezechiel. XXIX, 21. ביום ההוא אצמיח קרן לבית ישראל, ubi illi ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀνατελεῖ [*in die illo eriget*] (fortè ἀνατελῶ [*erigam*], ut locò ſuperiori) κέρας παντὶ τῷ οἴκῳ Ἰσραήλ (*cornu omni Domui Iſraël*]. Dicitur autem Deus Pſalmo XVIII, 3. קרן ישעי κέρας σωτηρίας μου [*cornu ſalutis meæ*]. *Regnum ſaluti ferum ex Domo Davidis ſurrecturum* Zacharias vaticinatur.

70. *Καθὼς ἐλάλησε διὰ στόματος τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος προφητῶν αὐτοῦ. Sicut locutus eſt per os ſanctorum qui à ſeculo ſunt Prophetarum ejus*] Eadem verba Petrus uſurpat Actor. III, 21. *ὃν ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ στόματος πάντων ἁγίων αὐτοῦ προφητῶν ἀπ' αἰῶνος* [*quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum Prophetarum à ſeculo*]: ubi manifeſtum, Moſen & eum ſecutos Prophetas intelligi. Ita & hîc *ἀπ' αἰῶνος* [*à ſeculo*] non eſt *ab orbe condito*, ſed *ab antiquis temporibus*; quod ſatis eſt ad oſtendendam ſingularem Dei diſpenſationem. Rectè notarunt viri eruditi ſimile loquendi genus exſtare Gen. VI, 4. ubi Græcè eſt *οἱ γίγαντες οἱ ἀπ' αἰῶνος* [*gigantes à ſeculo*], id eſt, *οἱ ἀρχαῖοι* [*antiqui*], & Pſalmo XXV, 6. ſed & alibi. Neque dubito quin hoc quidem loco Zacharias eos Prophetas ſignificet ex quorum vaticiniis deſumta ſunt quæ ſequuntur. Nam *ἐλάλησε* [*locutus eſt*] illud ad ſequentia referentibus aſſentio; ut ſit *ἐλάλησε σωτηρίαν* [*locutus eſt ſalutem*], *ἐλάλησε ποιῆσαι ἔλεος* [*locutus eſt facere miſericordiam*], & *ἐλάλησεν ὅρκον* [*locutus eſt juſjurandum*].

71. *Σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν, καὶ ἐκ χειρὸς πάντων τῶν μισούντων ἡμᾶς· Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos*] Liberationem ſcilicet à Corpore peccati, à Mundo à Morte, & Diabolo; quæ liberatio figurata eſt primùm in liberatione ex Ægypto; de qua ita canit Pſaltes CVI, 10. *Ἔσωσεν αὐτοὺς ἐκ χειρὸς μισοῦντος, καὶ ἐλυτρώσατο αὐτοὺς ἐκ χειρὸς ἐχθροῦ* [*Salvavit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimicorum*]: deinde in liberatione Davidis à vi Saulis; de qua David Pſalm. XVIII, 18. *ῥύσεταί με ἐξ ἐχθρῶν μου δυνατῶν, καὶ ἐκ τῶν μισούντων με* [*eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, &*

ab his qui oderunt me]. Adde locum Oſeæ XIII, 14. & ejus interpretem Paulum 1 Corinth. XV, 55. Solent autem apud Hebræos ſæpe ἐξηγητικῶς [*explicative*] conjungi οἱ ἐχθροὶ [*inimici*] & οἱ μισοῦντες [*odio habentes*], ut Pſalm. XVIII, 18, & 41.

72. Ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν, *Ad faciendum miſericordiam cum patribus noſtris*] Verba ſunt ipſa Decalogi explicata μυστικώτερον [*magis myſtice*]: exſtant Exodi XX, 6. & Deut. V, 10. ubi Deus dicit ſe eſſe τοῖς τοῦ ποιοῦντα ἔλεος [*facientem miſericordiam*] in multam progeniem iis qui ſe diligant; quales fuerant Hebrææ gentis primi ſatores. Quanquam autem verum eſt quod Origenes atque alii hîc monent, ad illos ipſos progenitores fructum beneficiorum Chriſti manaſſe, ſi quis tamen ad verba Legis attendat reperiet ſenſum eſſe, Ipſis genitoribus conferri ea beneficia quæ propter ipſos contingunt poſteris; quod & Theophylactus notavit ad hunc locum. Ariſtoteles libro De Moribus I, cap. XI. Τὰς δὲ τῶν ἀπογόνων τύχας καὶ τῶν φίλων ἁπάντων τῶν μὲν μηδὲν ὧν συμβάλλεσθαι, λίαν ἄφιλον φαίνεται καὶ τῶν δόξας ἐναντίον [*Nihil ad nos pertinere poſterùm & amicorum omnium fortunas, videtur abhorrere ab amicitia & receptis opinionibus contrarium*]: deinde, Συμβάλλεσθαι μὲν οὖν τι φαίνονται τοῖς τεθνηκόσιν αἱ δι' εὐεξίαν τῶν φίλων [*Quare aliquid conferre mortuis videntur amicorum res proſperæ*]. Ita Chriſtus oſtendit æquum eſſe à ſe eam ſublevari quæ ſit *filia Abrahami*, infrà XIII, 16. Et alibi miſſum ſe præcipuè ait *ad ſervandas oves Domûs Iſraelis*, Matth. X, 6. XV, 24. Sic & Petrus Actor. III, 25. ὑμεῖς ἐστε υἱοὶ τῶν προφητῶν [*vos eſtis filii Prophetarum*]: ubi ſequitur, ut & hîc, mentio τῆς διαθήκης [*teſtamenti*]. Paulus Rom. XI, 28. ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας [*cariſſimi propter Patres*]. ¶ καὶ μνησθῆναι διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ *& memorari teſtamenti ſui ſancti*] Sumtum ex Levitico XXVI, 42. ubi cùm de Pœnitentia Deus egiſſet, ſubjicit, Καὶ μνησθήσομαι τῆς διαθήκης Ιακὼβ, καὶ τῆς διαθήκης Ισαὰκ, καὶ τῆς διαθήκης Αβραὰμ μνησθήσομαι [*Et recordabor fœderis mei quod pepigi cum Jacob & Iſaac & Abraham*]. Vide quæ ſuprà diximus ad illa μνησθῆναι ἐλέους [*recordari miſericordiæ*] in carmine Mariæ.

73. Ὅρκον ὃν ὤμοσε πρὸς Αβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν, *Juſjurandum quod juravit ad Abrahamum patrem noſtrum*] Puto & hoc non minus quam infinitivos præcedentes optimè referri ad id quod præceſſit, καθὼς ἐλάλησε [*ſicut locutus eſt*]. Nam gradatim aſcendit oratio *à fœdere ad juſjurandum*, ſicut Deus primò fœdus fecit cum Abrahamo, Gen. XVII, 7. deinde & juravit, XXII, 16, 17. fiduciam nimirum Abrahami in oblatione filii oſtenſam novâ fiduciæ confirmatione remunerans, ut non male obſervat Philo. Verba legi digna adſcribam, Θεὸς τὸν πρὸς αὐτὸν πίστιν ἀγαμένῳ τὴν ἄνδρα πίστιν ἀντιδίδωσιν αὐτῷ τὴν δι' ὅρκου βεβαίωσιν ὧν ὑπέσχετο δωρεῶν, οὐκ ἔτι μόνον ὡς ἀνθρώπῳ Θεὸς, ἀλλὰ καὶ ὡς φίλῳ γνησίῳ διαλεγόμενος [*Deus hominem admirans ob fidem in ſe, fidem ipſe ei reddit, nempe eorum donorum quæ erat pollicitus confirmationem juratam; non ei jam tantùm loquens ut homini Deus, ſed ut amicum familiari*]. Idem Scriptor alibi Dei juſjurandum ait eſſe τὴν ἡμετέρας ἀσθενείας ὑπόστηριγμα [*noſtræ imbecillitatis ſubſidium*], rationem egregiam addens, ἃ γὰρ δυνάμεθα διηνεκῶς τὸ ἄξιον ἐν αἰτίᾳ κεφάλαιον ἐν ψυχῇ τιμιεῖναι τῇ ἑαυτῶν, τὸ ὑπὲρ ὡς ἄνθρωπος ὁ Θεὸς, ἵνα ἅπαντα τὰ ἀνθρωπολογήματα ὑπερκύψωμεν [*non enim poſſumus ſemper in animo ſervare ſententiam dignam primâ cauſâ, Non eſſe Deum qualis homo, ut ſic attollamur ſuper omnia quæ humanum in modum dicuntur*]. Neque verò quibusvis promiſſionibus, ſed eis duntaxat quæ ſe in omne tempus extendunt, juſjurandum Deus adjicere ſolet: quo notari τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς [*immobilitatem conſilii ſui*] ait Scriptor ad Hebræos VI, 17. Talem autem eſſe pollicitationem de ſingulari favore Dei erga Iſraelitas ſupra gentes cæteras oſtendit Paulus in epiſtola ad Romanos; quæ tamen non impedivit quominus quidam inſigniter contumaces ejus favoris fructu exciderent, ut ibidem docemur. Dignum autem notatu eſt paucis hiſce verbis vim nominum quæ & filio & parentibus non ſine Divina diſpoſitione contigerant indicari. Nam ποιῆσαι ἔλεος [*facere miſericordiam*] explicat *Johannis* nomen, μνησθῆναι [*memorari*] nomen *Zachariæ*, ὅρκος [*juſjurandum*] nomen *Eliſabetæ*.

73, 74. τοῦ δοῦναι ἡμῖν, ἀφόβως, ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας, λατρεύειν αὐτῷ, *daturum ſe nobis, ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi*] Παφαφράζει [*circumloquitur*] Spiritus Sanctus verba jurisjurandi, *Semen tuum hereditario jure poſſidebit portam hoſtium ſuorum.* Ὅρκον τοῦ δοῦναι [*juſjurandum dandi*] rectè dixit juſjurandum quo Deus aliquid ſe daturum promittit. Docet autem nos hîc per Zachariam Spiritus Sanctus, quod ſæpe per Apoſtolos, τὰ σαρκικὰ [*carnalia*] habuiſſe in ſe umbram τῶν πνευματικῶν [*ſpiritualium*]. Explicatio autem hæc non obſcure indicat excellentiam Novi & jam promulgandi Fœderis ſupra Antiquum. ¶ ἀφόβως, *ſine timore*] Conjungendum cum λατρεύειν [*ſerviamus*]. Veteris Fœderis erat πνεῦμα δουλείας εἰς φόβον [*ſpiritus ſervitutis ad timorem*]. Roman. VIII, 15. Erant enim qui ad illud fœdus pertinebant ἔνοχοι δουλείας φόβῳ θανάτου [*obnoxii ſervituti timore mortis*], Heb. II, 15. At novo populo paſſim tribuitur Spiritus libertatis & fiduciæ. Bene autem notatum eſt ἀφόβως [*ſine timore*] hîc valere quod לבטח [*confidenter*]. Vide Levitici XXV, 18. & Jeremiæ XXIII, 6. Lxx utroque loco vertunt πεποιθότες [*confiſi*]. Sed proprie videtur hîc reſpici Deuteronomii locus XII, 10. ubi itidem iſtud לבטח additur mentioni liberationis ab hoſtibus, ut hîc. LXX ibi habent ἢ καταπαύσει ὑμᾶς ἀπὸ πάντων τῶν ἐχθρῶν ὑμῶν τῶν κύκλῳ, ἢ κατοικήσετε μετ' ἀσφαλείας [*daturus eſt vobis ut requieſcatis à cunctis hoſtibus per circuitum, & habitabitis cum ſecuritate*]. ¶ ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ. *de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus illi*] Manifeſta alluſio ad verba Dei Exodi III, 12. Qui hoſtes ſint intelligendi ſuprà dictum eſt. Ab his ideo liberamur ut Deo ſerviamus, Rom. VI, 18, 22.

75. Ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ, *In ſanctitate & juſtitia coram ipſo*] Id eſt, in ea juſtitia & ſanctitate quæ non in operoſis ritibus conſiſtit, ſed in ſinceritate cordis, cujus inſpector eſt Deus. Hoc eſt quod Paulus dicit ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας [*in juſtitia & ſanctitate veritatis*], Epheſior. IV, 24. Chriſtus, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ [*in ſpiritu & veritate*] Johan. IV, 23. ¶ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν. *omnibus diebus vitæ noſtræ*] Non interrupto obedientiæ curſu: quod præſtat Spiritus ille in Novo Fœdere promiſſus. Vide Jeremiæ XXXII, 39, 40.

76. Προφήτης ὑψίστου κληθήσῃ· *Propheta Altiſſimi vocaberis*] Προφήτης [*Propheta*] ex vocis Origine *qui futura prædicit*: ſed latius ita vocatur, ut Philonis utar verbis, ἑρμηνεὺς ἐνδίδου ὑπηχοῦντος τὰ λεκτέα τῷ Θεῷ [*interpres Dei intus dicenda ſuppeditantis*]. ¶ προπορεύσῃ γὰρ πρὸ προσώπου Κυρίου, *præibis enim ante faciem Domini*] Verba Angeli ſuprà 17. Munitoris officium deſcribitur. ¶ ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ, *parare vias ejus*] Ex Eſaia XL, 3.

77. Τοῦ δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας, *Dare ſcientiam ſalutis*] Id eſt, δῆλα ἔσται δοῦναι [*dando*]. Jam enim explicat qua in re illa præparatio conſiſtat; nimirum in ſubminiſtratione doctrinæ ſalutaris de Reſipiſcentia, ſummatim commendanda per Johannem, ſed ita ut plenior cognitio à Chriſto eſſet petenda, Johanne hoc ipſum indicante. ¶ ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν· *in remiſſionem peccatorum eorum*] Omnino hîc, ut aliis multis in locis, ἐν [in *cum ablativo*] eſt pro εἰς [in *cum accuſativo*] poſitum. Nam γνῶσις [*ſcientia*] illa σωτηρίας [*ſalutis*] eſt ipſum βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν [*baptiſma pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*], Marcus I, 4. Lucas infrà III, 3.

78. Διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri*] In Hebræis libris invenies hæc disjunctè poſita, ut Eſaiæ LXIII, 15. מעיך ורחמיך [*viſcerum tuorum & miſerationum tuarum*]. Item Jeremiæ XVI, 5. ורחמים את־רחמיו. Sic & Paulo Philipp. II, 1. σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί [*miſericordia & miſerationes*]. At ſimillimum huic loquendi genus eſt apud eundem Paulum Coloſſ. III, 12. σπλάγχνα οἰκτιρμῶν [*viſcera miſericordiæ*], quo haud dubiè intima miſeratio ſignificatur. Vide quæ ad Matth. IX, 36. Putant multi hoc δι' σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν [*per viſcera miſericordiæ Dei noſtri*] referendum ad ἄφεσιν [*remiſſionem*] cujus mentio præceſſit, ut indicetur ea venia ex Dei miſericordia proficiſci; quod certiſſimum eſt. At mihi hæc verba ad totum id quod præceſſit referenda videntur, nimirum ad ipſam miſſionem Johannis atque Meſſiæ, & vocationem ad pœnitentiam illorum utrique mandatam ex miſericordiſſimo Dei conſilio; quod & ſequentia omnino videntur exigere. Sæpe autem Apoſtoli hanc extraordinariam vocationem referunt ad ſummam Dei miſericordiam, eamque miſericordiam humanis operibus opponunt. ¶ ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους· *in quibus viſitavit nos oriens ab alto*] *Per quam miſericordiam*, inquit, *affulſit nobis illa lux cœleſtis.* Ἀνατολὴ [*ortus*] quidem à LXX aliquot locis ponitur pro נצר, quod alii vertunt βλάστημα [*germen*]: nam & Græcis φυτὸν dicuntur ἀνατέλλειν. Sed profectò quæ ſequuntur oſtendunt hîc non ita accipiendum; ſed ἀνατολὴν eſſe id ipſum quod נר [*lucem*] dixit Eſaias IX, 2. qui locus hîc aperte reſpicitur, & ad Chriſtum ejuſque doctrinam refertur etiam à Matthæo. Vox

autem

autem τε quanquam pro omni *luce* accipi ſolet, proprie tamen & peculiariter *lucem matutinam* ſive *orientem* ſignificat: ita Nehem. VIII, 3. τε ρο [*à luce*] LXX vertunt ἀπὸ ὥρας ἧς διαφωΐσει ὁ ἥλιος [*à tempore quo Sol lucere incipit*]. Et verbum παρώνυμον [*ejusdem originis*] ſumitur pro ἀνατέλλειν [*oriri, illuceſcere*], ut Geneſ. XLIV, 3. אור הבקר τὸ πρωὶ διέφαυσε [*mane illuxit*]. Philo ἀνατελὼν ψυχῆς [*ortum animæ*] definit ὅταν ἡλιακῶν ἀκτίνων τρόπον ἀνάσχῃ τὸ ἀφ' ἑαυτῶν φέγγος [*cùm in modum radiorum Solis attollit ſe virtutum lux*].

79. Ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent*] Vide Matth. IV, 16. Senſus eſt, Populo Hebræo affulſiſſe hanc lucem tunc cùm in ſummis ignorantiæ tenebris verſaretur. ¶ τοῦ κατευθῦναι τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης. *ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis*] Continuatur tranſlatio. Nam lux dirigit nos ut ſecurè ambulemus, Johann. XII, ver. 35. Epheſ. V, 8. 1 Johann. I, 7. Apocal. XXI, 24. Sic & Pſalmo CXIX, 105. Verbum Dei *lumen ſemitæ* dicitur. εἰρήνη [*pacem*] hîc *ſecuritatem* interpretamur, ſicut Joſephus Σάλυμα [*Solyma*] exponit ἀσφάλειαν [*ſecuritatem*].

80. ἐκραταιοῦτο πνεύματι· *confortabatur ſpiritu*] Id eſt, Sapientiâ; ut infrà de ipſo Domino, II, 52. προέκοπτε σοφίᾳ [*proficiebat ſapientiâ*]. ¶ ἐν τοῖς ἐρήμοις, *in deſertis*] Errant qui hîc paternam Johannis domum intelligi putant. Ea enim erat in Urbe, ut jam vidimus. Sicut ergo ad victum ſeveriorem ſe compoſuit pœnitentiæ præco, ita & locum ei ſeveritati convenientem elegit, Etiam ſic quoque exprimens. Quod dico, verum eſſe apparebit non ſupinè legenti ipſa Chriſti verba Matthæi XI, 7. ¶ ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ. *oſtenſionis ſuæ ad Iſraël*] Cùm Deus vocationem ipſius innoteſcere voluit. Sic de Jeſu Johann. I, 31. ἵνα φανερωθῇ τῷ Ἰσραήλ [*ut manifeſtetur Iſraëli*].

PRÆCIUS.

Com. 1. Ἐπειδήπερ] Vulgatus, *quoniam quidem*: ex eo (ut ſæpiſſimè) Gloſſarii Auctor, *Quoniamquidem, ἐπειδήπερ*.

Ibid. πολλοὶ ἐπεχείρησαν, &c.] Ut non negaverim (quod Eruditi volunt) τὸ ἐπιχειρεῖν mediæ ſignificationis eſſe; ità perfecta potiùs quàm meditata deſignari opera eâ voce iſto loco crediderim: nam & 2 Maccab. 7. 19. & Actor. 19. 13. cum effectu ponitur, & illud Actor. 24. 6. ἐπείρασεν (id eſt, ἐπεχείρησε) βεβηλῶσαι, ex Act. 21. 18. eo modo exponendum. Diodorus Siculus, & de Hiſtoricis (de Hiſtoria autem & hîc agitur) lib. 1. loquens, Τὰς καινὰς πραγματείας ἀναγεγράφειν ἐπεχείρησαν. Nec malè tamen vertit Vulgatus, *conati ſunt*: nam & Latini verbis *conandi*, *aggrediendi*, & id genus aliis, ſæpiſſime non molitionem rei, ſed rem factam indicant. Gellius 4. 15. *Multique*, &c. *conati ſunt reprehendere pleraque & abrectare*. Apulejus Floridis, *Quæ omnia* (res nempe geſtas Alexandri Magni) *aggreſſus eſt meum Clemens*, &c. *carmine illuſtrare*. Virgilius,

Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras.

Ubi Servius, *Inchoat, perficit*. Hinc *orſa Menandri* Auſonius, id eſt, Scripta, ἐγκώμια. In Codice Theodoſiano, *Servi ac liberti qui Dominos aut Patronos accuſare*, &c. *tentaverint, patibulo affigantur*.

Ibid. ἀνατάξασθαι διήγησιν] Sic Abſyrtus in Veterinariis, Ἀναλαξάμενος ἐν τούτοις, προσφωνῶ σοι. Eſt vox militaris, unde & optimè Vulgatus *ordinare narrationem* vertit. Heſychius, (qui videtur hunc Lucæ locum reſpexiſſe) ἀνατάξασθαι exponit ἐντεταλίσθαι· accedens fortè iis qui hoc non rem effectam ſed inchoatam intellexerunt. In Gloſſis, Διήγησις, *narratio*. Heſychius idem, ſignificatu non diſpari, Διήγημα, ἱστορία.

Ibid. περὶ ὧν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων] Id eſt, περὶ τῶν πραγμάτων ἃ ἐν ἡμῖν γεγενῆσθαι πεπληροφορήμεθα, ut metonymicè de rebus dicatur quod propriè de perſonis effertur. Vel πεπληροφορῆσθαι hîc accipe (ut ſæpe his in Libris, & apud Helleniſtas) pro πεπεῖσθαι. Illud ἐν ἡμῖν vertam cum doctiſſimo Budæo, *inter nos*: quo ſenſu Joh. I. 14. ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, 1 Pet. 2. 12. ἐν τοῖς ἔθνεσιν, Philipp. 2. 15. ἐν οἷς· & Actor. 18. 11. ἐν αὐτοῖς.

Com. 2. Καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς] Quibus non credere nefarium. Marc. 16. 14. Ὠνείδισε τὴν ἀπιστίαν, καὶ σκληροκαρδίαν, ὅτι τοῖς θεασαμένοις, &c. οὐκ ἐπίστευσαν.

Ibid. καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ, &c. αὐτόπται] i. e. Oculati teſtes: intelligit plures ex Apoſtolis. Chryſoſtomus (in Catena Græca Toloſæ edita) ad Matth. 1. Τὸ εὐαγγέλιον ὅτε δὲ ἐνυπνίων γέγονε τοῖς θείοις ἀποστόλοις καταλιπὸν, ὅτε δὲ ἐκ πάντων, ἀλλ' οἷς μαθηταῖς τῷ λόγῳ, καὶ τῷ θαυμάτων αὐτόπταις. Summè autem hoc valet ad fidem narrationibus conciliandam: Unde & Hiſtorici voce eâ, aut aliis vim eandem habentibus, ſolebant poſteris commendare veracitatem ſuam. Thucydides initio Operis ſui teſtatur ſe interfuiſſe eorum maximæ parti quæ in eo complexurus erat. Diodorus Siculus fèrè in exordio Hiſtoriæ ſuæ Europæ & Aſiæ magnam partem ſe luſtraſſe ait, ut eorum quæ propoſuerat narranda ſibi αὐτόπτης fieret. De Eodem in ad Gentes Protreptico Juſtinus Martyr, Τεσσάκοντα ὅλοις ἔτεσιν Ἀσίαν τε καὶ Εὐρώπην, &c. παρελθὼν, καὶ τὰ πλεῖστα αὐτόπτης γεγονώς. Plutarchus de Homero, Γενέσθαι δ' αὐτὸν φασι τοῖς χρόνοις, οἱ μὲν καὶ τὰ Τρωϊκὸν πόλεμον, ὃν καὶ αὐτόπτην γενέσθαι φησὶ, &c. Apud Lucianum neſcio quis ſic orditur Hiſtoriam ſuam, Γεγράφθω μὲ εἶδον, καὶ ἃ ἔπαθον. Plinius lib. 6. Epiſt. ad Tacitum, poſt narratum ſui avunculi exitum; *Hæc nunc audiciam, omnia me quibus interfueram, quæque ſtatim* (cùm maximè vera memorantur) *audiverim, perſecutum*. Et per hoc præcipuè auctoritatem quærebant ſcriptis ſuis qui id plenè prædicare poterant; qui minùs, certitudinem rerum quas deſcripturi erant, profitebantur (ut hoc Lucas) ab iis qui eas viderant accepiſſe. Anonymus apud Suidam, Ταῦτα γράφω, ὡς αὐτὸς θεασάμενος, ἀλλὰ παρὰ θεασαμένων ἱστορήσας αὐτὰ. Philoſtratus lib. 2. de Vitis Sophiſtarum, Ὀπίσω δὲ ἀνδρῶν τούτων ἀναγέγραφα, δαιμονᾷ μαθὼν εἴρηκα τοῦ ἀμφὶ αὐτοῦ εἰδότος. Ammianus Marcellinus initio libri 15. *Utcunque potuimus veritatem ſcrutari, quæque videre non licuit*, &c. *interrogando verſatos in medio ſcire, narravimus*. Ubi & *in medio verſati* ſunt planè quales iſto Lucæ loco οἱ αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι. Photius P. C P. de Cteſia Hiſtorico, Ταῦτα γράφων, &c. λέγει γράφων, &c. ἀληθεύειν, ἰσχυρίζεται εἰς τὰ μὲν αὐτὸς ἰδὼν γράφειν, τὰ δὲ παρ' αὐτῶν μαθὼν τῶν εἰδότων. Quibus ſimillima apud Polybium initio libri 4. leguntur.

Ibid. καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου] Id eſt, οἱ ἀπ' ἀρχῆς (ut Joh. 15. 27.) μετ' ἐμοῦ γεγονότες. Non ſolùm autem duodecim illos, ſed & Apoſtolum Paulum innuere videtur. Vide Actor. 26. 16. ubi & ὑπηρέτης.

Com. 3. Ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς] Οὐ μόνοις στοφιεμένοις ἠκολουθηκότι, ut Auctor ſecundæ quæ dicitur Petri Epiſtolæ 1. 16. locutus. Παρηκολουθηκότι πᾶσιν, ſatis Græcè dictum. Ità πᾶσι παρηκολουθεῖν, Philo in de Decalogo, & Plutarchus in Æmilii vita. Theophraſtus in Præfatione libri *Characteres* inſcripti, Τρέπομαι ἤδη ἐπὶ τὸν λόγον, οὐκ ἂν παρακολουθοῦσί τε, καὶ εἰδῶσι εἰ ὀρθῶς λέγω. Locutio ab iis tracta videtur qui aliena veſtigia legunt: quod enim Iſocrati (in de Permutatione) τοῖς λεγομένοις ἐπακολουθεῖν, id Juliano (Orat. 3.) τοῖς ἐνθείοις ὥσπερ ἴχνεσιν ἕπεσθαι· quâ & formâ Apulejus in Apologia ſua, *Ne fallor, ordine eorum veſtigia perſequar*. Ἄνωθεν heic eſt *altè*, vel fèrè (ut jamjam locutus eſt) ἀπ' ἀρχῆς. Vide Actor. 26. 5. Ità & Vulgatus accepit, qui vertit, *à principio*. Suidas, Ἄνωθεν, ὁὐκ τόπου ἡ χρόνου. Demoſthenes in περὶ Στεφάν. Παρηκολουθηκότα τοῖς πραγμασιν ἐξ ἀρχῆς· quod heic ἄνωθεν παρηκολουθεῖν. Lucianus in Icaro-Menippo, Ἅπαντα διηγήμαι σαφῶς, ἄνωθεν ἀρξάμενος. Sic ἄνωθεν ἄρχεσθαι. Plutarchus in vita Marii: πάντα ἄνω φέρειν. Ariſtophanes in Avibus. Virgilius,

—— Altius omnem
Expediam, prima repetens ab origine famam:

& lib. 8. Apulejus, *narrationem à capite* (i. e. ἄνωθεν) *referre*. Quibus contrarium, *omiſſis initiis, & non repetitâ origine, materiam interpretationis tractare*, apud Pomponium Procem. tit. de Orig. Juris. Commodè autem hiſtorico more ſcripturus Lucas iſto modo præfatur. Macrobius 5. 2. *Hiſtoricis lex eſt incipere ab initio rerum*: q. d. πᾶσιν ἄνωθεν παρακολουθεῖν. Solinus libri ſui procemio ait, *veſtigia veteris* (ἐξ ἄνω) *monetæ ſe perſecutum*: ubi & *perſequi*, παρακολουθεῖν. Πᾶσιν heic, (ut vel ab exemplis quæ attulimus perſpicuum) intellige *rebus*, non *hominibus*, quod Epiphanius exiſtimavit.

Ibid. καθεξῆς σοι γράψαι] Ità, ἀκριβῶς καθεξῆς γράφειν, apud Ariſtidem. Καθεξῆς, *ſingillatim*. Sic Actor. 21. 19. καθ' ἓν ἕκαστον ἐξηγεῖσθαι. Vulgat. *ex ordine*: Onomaſticon vetus, *Ex ordine*, ἐξῆς.

Ibid. κράτιστε Θεόφιλε] Sine cauſa videtur dubitaſſe idem Epiphanius an Theophilus hoc loco ſit nomen cujuſdam individui hominis, an verò compellatio cujuſvis Deum amantis colentiſque.

Digitized by Google

Posteriore enim si modo acceperimus, videri poterit vox κράτιστε ex superfluo addita. E converso autem, scribentibus vel alloquentibus nil usu tritius, quàm attributo illo aliorum merita decorare, in eósque affectûs & observantiæ suæ mensuram testari. Artemidorus lib. 4. Præfat. suum Cassium κράτιστον appellat. Justinus Martyr item Diognetum, & Fundanum suum Plutarchus in libro περὶ εὐθυμίας. Respondet apud Latinos *vir optime*; quo modo Seneca Lucillium suum Epistolis 13, 48, 66, 82 & 89. compellat. Idem de patre suo, cap. 16. Consol. ad Helviam, *virorum optimus*: & *virum optimum*, de Babylio, Natur. quæst. 4. 2. Lucanus ad Pisonem,

——— *Juvat* (*optime*) *tecum*
Degere. ———

Apulejus 10. *Scito*, *lector optime*, &c. Eodem libro illo, *medicorum optime*: &, *vir optime*, ad Proconsulem Africæ, in Floridorum fragmentis. Nimirum isto attributo laudes omnes includi existimabant. Plinius Trajanum alloquens, (qui *Optimus* à Senatu vocatus) *Ut olim frugalitate Pisones, sapientiâ Lelii, pietate Metelli monstrabantur: quæ omnia uno isto nomine continentur.* Hunc autem Theophilum puto & ego (ut ante me alii quidam) fuisse hominem dignitate conspicuum: credo id magis tamen quia librum istum ei Lucas inscriptum voluit, quàm quia animum inducam non nisi illustribus personis illum titulum tribui solitum. Videantur quæ ex Theophrasto, Plutarcho, aliisque ad Actor. 23. 26. annotavimus.

Com. 4. Τὴν ἀσφάλειαν] Vertunt, non malè, *veritatem*. Sic, *veritatem criminum* Apulejus dixit: i. e. certitudinem. In vetere Onomastico, *Certitudo*, ἀσφάλεια.

Com. 6. Ἦσαν δὲ δίκαιοι ἀμφότεροι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ]

Justus erat conjux, & femina conjuge justo
Digna. ——

In narratione de Susanna com. 2. Ὅτι γονεῖς αὐτῆς δίκαιοι. De Baucide & Philemone Ovidius,

Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit: aut illâ reverentior ulla Deorum.

Contrarium apud Martialem,

Cùm sitis similes paréque vitâ,
Uxor pessima, pessimus maritus.

Δίκαιοι ἐνώπιον Θεοῦ hîc est quale Ephes. 1. 4. κατ' ἐνώπιον τῆς ἀγάπης. Sic πίστιν ἐνώπιον τοῦ ἔχειν, Rom. 14. 22.

Ibid. πορευόμενοι ἐν πάσαις τ᾽ ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ Κυρίου ἀμέμπτοι] Ἐν ἀσκήσει καὶ δικαιοσύνῃ (ut infrà com. 75.) ἐνώπιον θεοῦ λατρεύοντες. Κατεδίνοντες (ut Psal. 118. 5.) τὰς ὁδὰς αὐτῶν τοῦ φυλάξασθαι τὰ θεῖα δικαιώματα. Τηροῦντες (ut 1 Tim. 6. 14.) τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ ἄσπιλοι καὶ ἀνεπίληπτοι. *Sacta tecta* (ut cum Latino Comico loquamur,) *ejus præcepta usque habentes modestiâ suâ.* Contrà Baruch. 4. 13. de Hierosolymitis, Δικαιώματα αὐτοῦ οὐκ ἐγνώσαν, οὐδὲ ἐπορεύθησαν ὁδοῖς ἐντολῶν αὐτοῦ. Ἀμέμπτοι hîc, ut modò diximus, est ἀνεπίληπτοι· referendum enim hoc ad rumorem bonum illum quo apud homines florebant: ut membrum antecedens de eorum interna Deóque cognita pietate intelligendum. Ità 14. 17. apud Tobiæ Scriptorem, *Omnis cognatio ejus in bona vita & sancta conversatione permansit: ità ut accepti essent tam Deo quàm hominibus.* Εὐάρεστοι (ut Rom. 14. 38.) τῷ θεῷ καὶ δόκιμοι τοῖς ἀνθρώποις. Rectè hîc ergo Vulgatus, *sine querela*, nimirum illius eorum quibuscum conversabantur. In Glossis, Ἀνεύ μέμψεως, (i. e. ἀμέμπτους) *sine querela.*

Com. 7. Καὶ οὐκ ἦν αὐτοῖς τέκνον] Sic Actor. 7. 5. Idem Lucas noster, οὐκ ἔστιν αὐτῷ τέκνον. Hesychius, Ἄπαις, μὴ ἔχων τέκνον. Virgilius de Latino Rege,

Filius huic fato Divûm prolisque virilis
Nulla fuit. ——

Παιδίον οὐκ ἦν αὐτοῖς, de Epiphanio & uxore ejus dixit Eunapius Sardianus.

Ibid. προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν] Ità 2. 36. de Anna, προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις, & 2 Maccab. 6. 18. de Eleazaro, προβεβηκὼς τ᾽ ἡλικίαν. Τοῖς ἡμέραις προβαίνουσι, est cùm

—— *emeritis modii quis temporis annis,*
Labitur occidua par iter declive senecta.

Glossarium, Προβεβηκὼς τὴν ἡλικίαν. Supple (Latina enim desunt) *provectus*, vel, *provecta ætatis.* In alio Glossario enim legimus. *Provectus*, &c. προβεβηκώς· nempe, τὴν ἡλικίαν, vel, ἐν τῇ αὐτῆ ἡμέρᾳ· quæ tamen minimè supplenda sunt, quasi loco mutilo, cum ita Græci soleant sine adjuncto loqui. Ammonius in verbo γέρων, Ἔστι δὲ γὰρ μέσος, ἔστι προβεβηκὼς, ὃν ἤδη πρεσβύτην καλοῦσιν.

Com. 8. ἐν τῇ τάξει] Glossæ, (& forte ex hoc Lucæ loco) Ἐν τάξει, *vice.*

Ibid. τῆ ἱερατείας] Hesychius, Ἱερατεία, ἡ τῆ ἱερέως λειτουργία.

Com. 9. ἦλθε θυμιάσαι] Vulgat. *ut incensum poneret.* In Glossario, Θυμίαμα, *incensum.*

Ibid. εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ] Ità peculiari quodam jure vocabatur templum Hierosolymitanum, Matth. 21. 12. 2 Thess. 2. 4. Philo in de Legatione ad Cajum, Ἐν ᾧ (de Hierosolymis loquitur,) ἵδρυται ὑψίστου θεοῦ νεὼς ἁγιωτάτου ἱδρυμάτων. & in Flaccum, Καθ᾽ ὃν (πόλιν) ὁ τοῦ ὑψίστου θεοῦ νεὼς ἅγιος. Appellationis ratio, quia Deus αἰνετὸν κατονομάν dictus, Matth. 23. 21. & nomen ibi suum posuisse, 4 Reg. 21. 7. Hegesippus 5. 43. de Templo isto, *Quia tantum non quasi summi Dei crederetur domicilium esse.* In Luca autem eam templi hujus partem intellige in quâ altare erat suffitûum.

Com. 11. τοῦ θυσιαστηρίου] Vulgat. *altaris.* In Glossario, Θυσιαστήριον, *altarium*, &c.

Com. 12. φόβος ἐπέπεσεν ἐπ᾽ αὐτὸν] Simile Act. 10. 4. ubi & vox ἔμφοβος. Frequens autem iste modus loquendi Evangelistæ nostro. Vide Act. 10. 10. 13. 11. 17. 19. Scriptor Judithæ 15. 1. Ἐπέπεσεν ἐπ᾽ αὐτὰς φόβος, καὶ τρόμος. Vide & ibidem 3. 1.

Com. 13. εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου] Sic 51. 11. Sirachidæ, Εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου. Tobiæ 3. 16. εἰσηκούσθη ἡ προσευχὴ ἀμφοτέρων. 4 Reg. 20. 5. Ἤκουσα τὴν προσευχήν σου. & Act. 10. 31. Εἰσηκούσθη ἡ προσευχή σου. Ad Apuleium Dea Isis Milet. 11. *Adsum tuis, Lucî, commotâ precibus.* De Jove Tibullus 4.

Intentâque tuis precibus sis prædite aures.

Vide & 1 Pet. 3. 12. & Græc. Psal. 145. 19. Εἰσηκούσθη hoc in Contextu Lucæ, est, Non procul abest adventus Messiæ: quem ille qui te mox patrem habebit, antecedet, præmunciabitque.

Com. 14. Ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις] Non gaudium tantum, sed & lætitia. In Glossis, Ἀγαλλίασις, *lætitia.* Vide infra com. 44. Vulgatus, *gaudium & exultatio.* Ità, *gaudio exultare*, Minucius in Octavio dixit. D. Hieronymus in expositione Psalmi 44. ad Principiam; *Gaudeo, & veluti quodam tripudio effertur animus meus.* Hesychius, Χαρά, ἀγαλλίασις, εὐφροσύνη. Tobiæ 13. 13. χαίρηθι, καὶ ἀγαλλιάθι. Χαρὰν καὶ ἀγαλλίασιν junxit & Oneirocriticis Scriptor quem Achmeten vocant.

Ibid. ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις] Quia filius in hac declivi ætate tua proveniet tibi. Homerus,

Ὅς μοι τηλύγετός τε φίλος θαλίη δὲ πεπᾶσι.

Ibid. πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ] Ità Judic. 13. 5. de Samsone, Ναζιρ θεοῦ ἔσται, &c. ἀπὸ γαστρὸς κοιλίας. Tale Act. 3. 2. χωλὸς ἐκ κοιλίας. Joh. 9. 1. τυφλὸς ἐκ γενετῆς· & lib. 1. Heliodori, ἱερεῖς ἐκ παίδων ἀναπεφυκότες. Seneca cap. 10. Consol. ad Marciam de filio ejus, *Hoc fatum* (fatum mortis intelligit), *ab utero statim prosequebatur eum.* Arrianus 3. 22. de liberis, Οὐκ ἐκ γαστρὸς ἐξελθόντα δύνασθαι νικᾶν εἶναι.

Com. 16. πολλοὺς, &c. ἐπιστρέψει ἐπὶ Κύριον] Sic Themistius Orat. 11. de Regibus loquens, Καὶ ἐπιστρέφων πρὸς ἑαυτὸν τ᾽ ἀστραπὰς τάς τε ὀφθαλμὰς, καὶ τὰς γνώμας. Ubi & ἐπιστρέφειν, ut apud Lucam, transitive ponitur.

Com. 17. προελεύσεται] ἐνώπιον αὐτοῦ] Hesychius, Προέρχομαι, προπορεύομαι.

Ibid. ἀπειθεῖς] Glossarium, Ἀπειθὴς, &c. *incredulus, diffidens.*

Com. 18. Κατὰ τί γνώσομαι τοῦτο;] Recentior Interpres, *quo argumento istud noscam?* Potes, nec male, ex Catullo, *quo signo?* At cur tricamur, cùm adeò Latine Vulgatus, *unde hoc sciam*, vertit?

Com. 19. ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ] *Qui Deo apparet* (vel, *ministro:*) id enim hîc παρεστάναι. Vide in Græco Esaiæ 60. 10. & 3 Reg. 10. 8. Sic & Exod. 24. 13. de Josue, Ὁ παρεστηκὼς αὐτῷ, Mosi nempe: ubi Vulgatus, *minister ejus.* De choro Angelico Alcimus Avitus,

Fausto-

——— *Famulantia jussus*
Ferre ministeria, & jussis parére superni.

Lactantius 2. 17. *Quorum* (angelorum) &c. *officium est servire nutibus Dei, nec omnino quidquam nisi jussu ejus facere.* Vide Psal. 102. 21. & 103. 4. In vetere Onomastico, *Apparitura*, παρεσία. Aptè verò de Angelo παρεστάναι dictum. In Hymnis Orphei nomen præferentibus,

Σῷ ἢ θρόνῳ πτερόεντα παρεστάμεν πολύμοχθοι
Ἄγγελοι. ———

Lucianus de Mercurio Jovis angelo, (i. e. ministro) Τῷ Διὶ παρεστάναι, ᾗ διαφέρειν τὰς ἀγγελίας τὰς παρ' αὐτοῦ ἅπαν καὶ πάντα. Ἕνα τῶν θεῶν παρεστάναι autem significat, non angelum eum è turba fuisse, at unum è septem illis primatibus, de quibus Tobiæ 12. 5. & Apocal. 8. 2. mentio. Imò & articulus ὁ initio positus innuere videtur è septem illis cœlestis aulæ magnatibus eum vel præcipuum fuisse. Avitus jam dicto loco de Eodem,

Sed tamen in cunctis præcellit clarior ille,
Maxima quæque Dei quo dispensante ministro
Res geritur, summisque parat mysteria causis, &c.

Et Epist. 2. *Princeps ministrorum cui ineffabilia perspicua majestatis arcana* (utpote qui indefessa obsecutionis ministerio conspectibus perpetuæ claritatis adsistat,) *non intelligenda tantùm, sed & contemplanda monstrantur.*

Com. 20. ἔσῃ σιωπῶν καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι] Sic, ἐσὴν, καὶ μὴ δυνάμενον λαλῆσαι, com. 41. in epist. Jeremiæ dicta: &, κωφὸν, καὶ μὴ δυνάμενον λαλεῖν, in 3 Maccabæico. Non tamen accedo Veteribus, qui nè ταυτολογίαν his Lucæ verbis insit, τὸ σιωπῶν exponunt, *surdum fieri.* Apud Plutarchum in Περὶ ἀδολεσχίας, Ταῦτα μηδενὶ φράσῃς, ἀλλὰ σιώπα. Ipse Lucas Actor. 13. 11. Ἔσῃ τυφλὸς, μὴ βλέπων τὸν ἥλιον· ad quem locum de hoc loquendi genere uberiùs diximus.

Ibid. ἄχρι ἧς ἡμέρας γένηται ταῦτα] Ἄχρι τελεσθῇ (ut Apocal. 17. 17.) τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ.

Ibid. ἀνθ' ὧν οὐκ ἐπίστευσας τοῖς λόγοις μου] Dixerat Zacharias enim, κατὰ τί γνώσομαι; &c. quæ verba credentis parùm. Theophylactus ad Joh. 3. Ὅπου πίστις οὐκ ἔστιν, ἐκεῖ τὸ, πῶς τοῦτο; καὶ ἀνθ' τί τοῦτο; Philo lib. Quis hæres rerum divin. Τὸ ζητεῖν ἐνδοιαζοῦντος, τὸ δὲ μηκέτι ζητεῖν, πεπισδικότος ἔχειν ἰσχύ. Τοῖς λόγοις μου, illius qui me misit. Sic Christus Joh. 14. 24. Ὁ λόγος ὃν ἀκούετε οὐκ ἔστιν ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με.

Ibid. οἵτινες πληρωθήσονται εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν] Pro, ἐν τῷ καιρῷ αὐτῶν. Id est, (ut 1 Tim. 2. 6.) καιροῖς ἰδίοις. Sirachides 39. 21. Πᾶν πρόσταγμα (Κυρίου) ἐν καιρῷ αὐτοῦ ἔσται. Vide & ibidem com. 37, 39, 40. & quæ ad Matth. 24. 35. dixi.

Com. 22. ὅτι ὀπτασίαν ἑώρακε] Vulgat. *visionem.* Sic in Glossario, Ὀπτασία, *visio.* Idem est Actor. 10. 4. ἔμφοβον ἐν ὁράματι.

Com. 23. τῆς λειτουργίας αὐτοῦ] Hinc Joel. 1. 13. Θυσιαστηρίου λειτουργεῖν.

Com. 24. Συνέλαβεν, &c. ἡ γυνὴ αὐτοῦ,] Glossæ, *Concepit*, Συνέλαβεν. Glossæ aliæ, Συνέλαβεν, ἐπὶ γυναικὸς, *concepit.* Hesychius, Συνελάβετο, ἐβοήθησεν· ἢ κατὰ γαστρὸς ἔσχε. Ubi legi malim, Συνέλαβε, κατὰ γαστρὸς ἔσχε· Συνελάβετο, ἐβοήθησεν. Συλλαμβάνειν, pro *concipere*, posuit & Aristoteles lib. 1. de Animal. generatione.

Com. 28. Χαῖρε]

Salve, virginei flos intemerate pudoris. Metam. 14.

Ibid. κεχαριτωμένη] Vertunt, alius, *gratiâ plena*, alius, *gratiosa*, alius, *gratis dilecta.* Nemo meliùs autem judicio meo istam circumloquitur vocem quàm mystes Apulejanus, *Te felicem! te beatum, quem propitiâ voluntate Numen augustum tantopere dignatur!* Quæ posteriora ità Græcè vertas, ὦ ὕτω τὸ θεῖον χαριέντως, vel, οἷς τοσοῦτον ὑπὸ τῆ θείᾳ κεχαριτωμένῳ. Virgilius,

Conjugio Anchisæ Veneris dignate superbo.

Ubi Servius, *Dignate*, *digne habite*, *digne judicate.* Quæ idem planè sonant quod κεχαριτωμένῳ. Lex 1. F. de centuriis, de colonia Berytensi, *Augustis beneficiis gratiosa:* i. e. κεχαριτωμένη.

Ibid. ὁ Κύριος μετὰ σοῦ] Non incommodè sensu appreciativo sumas, ut illa non uno loco apud Paulum occurrentia, Ἡ χάρις θεοῦ μετ' ἐμοῦ πάντων. Nec aliud hoc ὁ Κύριος quàm ἡ χάρις Κυρίου.

Ibid. εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ] Id est, ἐν γυναιξὶ πᾶσι. Sic Simonides de uxore casta bonâque loquens,

Ἀριστεύει μὲν ἐν γυναιξὶ γένεται
Πασέων ———

Com. 29. διελογίζετο ποταπὸς εἴη ὁ ἀσπασμὸς] Διαπορεῖ (ut Actor. 10. 17.) τί ἂν εἴη τὸ ὅραμα· ad quem locum quæ annotavimus vide. In Glossis, Ποταπὸς, *qualis.* Scaliger ad Manilium hoc loco mavult *cujus* verti.

Com. 31. ἰδοὺ συλλήψῃ ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἱόν] Ità Angelus alius ad uxorem Manoe Judic. 13. 3. Ἰδοὺ, ἐν γαστρὶ ἔχεις, καὶ τέξῃ υἱόν. Hesychius, Συλλήψῃ, ἔγγαστρον ἕξει. Legendum videtur ex Græcis Esaiæ, (quæ vix putem esse ut non respexerit) ἐν γαστρὶ ἕξεις· vicissimque in Esaia ex Hesychio, non λήψεῖ, sed συλλήψεῖ scribendum.

Com. 33. καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος] ità Daniel. 6. 26. Claudianus,

——— *Nec terminus unquam*
Romana ditionis erit. ———

Virgilius,

Huic ego nec metum rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. ———

Adde Psal. 144. 13.

Com. 34. Πῶς ἔσται τοῦτο;] Interrogatio admiratione mixta, qualis infrà 16. 2. Talis & Joh. 3. Nicodemi illa, Πῶς δύναται ταῦτα γένεσθαι;

Ibid. ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω] Plutarchus in Conjugal. præceptis, Παιδίον ἐδέμνια ποιεῖ γυνὴ λέγεται ποιῆσαι ἐσχατ ἀνδρὸς κοινωνίας. Scholiastes vetus Homeri ad Iliad. ι. Οὐ κοίτασθαι αἱ γυναῖκες χωρὶς τῆς ἀφροδισιακῆς συνηθείας. (ubi melius συνουσίας legas.) Sic è converso Cicero libro de Fato, *Nascetur Oedipus Laio, non poterit dici, sive fuerit Laius cum muliere, sive non fuerit: copulata enim res est.*

Ibid. ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω] Quomodo parere potero quæ virum non cognovi? Non dissimile Plautinum illud Truculento,

— *Quæ nunquam fuit pragnans qui parere potuit?*

Γινώσκειν hoc sensu habemus & Judith. 16. 22. Matth. 1. 25. 1 Reg. 1. 19. Hesychius, Ἔγνω, ὡμίλησεν αὐτῇ κατὰ γυναικός. Idem, Γνῶναι, πρίασθαι, καὶ τὸ συνουσιάσαι. Nec ità tantùm Hebræi loquuntur, sed & Græci Latinique. Γνωτὸν γυναῖκα, Plutarchus in Catone dixit. Idem in Eumene, Βασιλεῖ Ἀρταβάζου, &c. γνὺς ὁ Ἀλέξανδρος, &c. & in Bruto de Cæsare loquens, Ἔγνωσαι, &c. & Σεβιλίαν, αὐτῷ ἐπιμιγνῦσαν. Minucius in Octavio, *Nos uxoribus nostris solummodo viri noscimur.*

Com. 35. Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε] Sic 2 Cor. 12. 9. de eodem Spiritu illo, ἐπ' ἐμὲ ἐπισκηνώσῃ· & 1 Pet. 4. 14. ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται.

Com. 37. ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ Θεῷ πᾶν ῥῆμα] Si ῥῆμα heic intellexerimus, *verbum*, sive *dictum*, illud οὐκ ἀδυνατήσει valebit, οὐκ ἄνευ δυνάμεως ἔσται, habebit vim, sortietur exitum vel effectum suum. Ità apud Virgilium,

——— *Vimque adfore verbo*
Crediderat ———

& Judith. 6. 4. οἱ μετανοήσαντες τὰ ῥήματα τῶν λόγων αὐτοῦ. Puto meliùs autem ex Hebraeorum & Hellenistarum consuetudine πᾶν ῥῆμα hic per τόδε exponere, quasi dicat Angelus, neque ista quam nunciavi tibi, neque ulla alia res Deo facta impossibilis erit. Epicharmus, Ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν Θεῷ. Jobus 42. 2. Ἀδυνατεῖ σοι οὐδέν. De Eodem Scriptor Sapient. 12. 9. Οὗ ἀδυνατῶν, &c. Vide quæ ad Matth. 19. 26. & ad Matth. 24. 35. dicta.

Com. 38. Καὶ ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτῆς ὁ ἄγγελος] Sic infrà 2. 15. ἀπῆλθον ἀπ' αὐτῶν οἱ ἄγγελοι. Vide & Tobiæ 12. 21. *Peracto adorabili nuncio discedit Gabriel.* Apulcius 11. *Sic oraculi venerabilis fine prolato, Numen invictum in se recessit.*

Com. 39. Ἀνάστασα, &c.] Non puto (quod Viro incomparabili videtur) abundare vocem istam, hoc loco autem aut domicilii migrationem significare, aut certè iter aliquod longiusculum. Vide Marc. 7. 24. & 10. 1. ipsum Lucam Act. 8. 26. & 22. 10. & quæ ex Euripide & Suida ad Matth. 1. 20. attulimus.

Com. 41. ἐπλήσθη τὸ βρέφος] Gellius 7. 1. *Concepti fœtus*

fœtûs signa atque sensum pati. Vide Geneſ. 25. 22. Lactantius in de Opif. Dei, cap. 17. *Anima adeò vivit intra viſcera genitricis, ut & incrementis augeatur, & crebris pulſibus geſtiat emicare.* Apud Juvenalem eſt

——— *vexare uterum pueris ſalientibus.*

At verum eſt, hujus fœtûs motum nequaquam naturalem fuiſſe, cùm & infra legamus, ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει, quod nec facere ſolent infantes recens effuſi, nedum intra uterum cluſi. Solinus cap. 3. *Naſcentium vox prima vagitus eſt, lætitia enim ſenſus differtur in diem quadrageſimum.* Lego in Suidæ Collectaneis iſta neſcio cujus, Ἀπελάκτισεν ὁ ἀγαπημένος, ἀντὶ τοῦ, ἀντεκίνησεν· quæ an ad argumentum loci in quo verſamur pertineant, diſquirendum.

Com. 42. Εὐλογημένη ζύ, &c. καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας ζυ] Non ipſam tantum μακαρίζει, ſed & fœtum ejus. In Nubibus Ariſtophanis,

Μάκαρ ὦ Στρεψίαδες
Αὐτός τ' ἔφυς, ὡς σοφός,
Χ' οἷον τὸ γόνον ἐκτρέφῃς!

Καρπὸν de prole dici ad Act. 2. 30. diximus.

Nate, brevis fructus, ———

de Druſo apud Ovidium Livia exclamavit.

Com. 43. πόθεν μοι τοῦτο, ἵνα, &c.] Formula honorem inexpectatum quemvis mirantium obtigiſſe ſibi. Vide Ruth. 2. 10.

Com. 44. ὡς ἐγένετο, &c. εἰς τὰ ὦτά μου] Sic Act. 11. 22. idem Lucas, ἠκούσθη ὁ λόγος εἰς τὰ ὦτα τῆς ἐκκλησίας. Adde Jacob 5. 4. & infrà hîc 4. 21.

Com. 45. ἡ πιστεύσασα ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ Κυρίου] Ità Act. 27. 25. Apoſtolus verbis Lucæ noſtri, Πιστεύω τῷ Θεῷ ὅτι οὕτως ἔσται καθ' ὃν τρόπον λελάληταί μοι.

Com. 46. Μεγαλύνει ἡ ψυχή μου τὸν Κύριον] Eſt (ut Tobiæ 13. 1.) προσδοκᾷ εἰς ἀγαλλίασιν.

Com. 47. ἠγαλλίασε τὸ πνεῦμά μου ἐπὶ τῷ Θεῷ] In Græco Eſaiæ 61. 10. Ἀγαλλιάσθω ἡ ψυχή μου ἐπὶ τῷ Κυρίῳ. Pſal 73. 2. Ἡ καρδία μου, &c. ἠγαλλιάσατο ἐπὶ Θεὸν ζῶντα· & infrà hîc 10. 21. τῷ πνεύματι ἠγαλλιάσατο. Ità, *Intimis affectionibus lætari*, Apuleius dixit.

Com. 48. ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ] Sic in Græco Geneſ. 16. 11. Ἐπήκουσε Κυρίος τῆς ταπεινώσεώς μου. Pſal. 135. 23. Ἐν τῇ ταπεινώσει ἡμῶν ἐμνήσθη ἡμῶν ὁ Κύριος. Pſal. 138. 6. τὰ ταπεινὰ ἐφοβοῦν. & Pſal. 102. 17. Ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν προσευχὴν τῶν ταπεινῶν. Scriptor Judithæ 6. 19. Ἔλιπεν τὴν ταπείνωσιν τοῦ γένους ἡμῶν, καὶ ἐπέβλεψεν, &c. Quibus locis vox ἐπιβλέπειν ità intelligenda eſt, quaſi ſtudium juvandi conjunctum habeat: quo plane modo & Latini verbo *reſpiciendi* utuntur. Juvenalis 7.

Solus enim triſtes hâc tempeſtate Camenas
Reſpexit. ——

Terentius,

Reſpice me in ſecundis rebus tuis. ——

Apuleius 9. *Sic me*, &c. *reſpexit cæleſtis providentia.* Sirachides, & de Deo loquens, εἰς τὸ ἀγαθὸν ἐπιβλέψαι dixit. Ταπείνωσις citatis jam locis (ut & apud Lucam) eſt, ſtatus vilis abjectiſque. Eo ſenſu & 1 Reg. 18. 23. ἀνὴρ ταπεινός. Schoppius (Annotat. ad Voſſium de Vit. Serm. p. 20. ut errare vereor) ταπείνωσιν in contextu noſtro contendit ſenſu ταπεινοφροσύνης debere accipi. Vulgatus bene Latine, *humilitatem* vertit. Apte autem & δούλης ταπείνωσις, in Mariæ cantico. Sic Philipp. 2. 6. de Chriſto, Ἑαυτὸν ἐκένωσεν (i.e. ἐταπείνωσεν) μορφὴν δούλου λαβών. & *humilitatem ſervorum*, lib. 8. apud Apuleium noſtrum.

Ibid. μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί] Alluſum puto aut ad locum Geneſ. 30. 12. aut ad Malachiæ iſta 3. 12. Μακαριοῦσιν ὑμᾶς πάντα τὰ ἔθνη.

Com. 49. ὁ δυνατὸς] Ὁ μέγας, Tobiæ 3. 16. ὁ δυνάστης, 1 Tim. 6. 16. ubi dicta vide.

Com. 50. εἰς γενεὰς γενεῶν] Suidas, Γενεὰς γενεῶν, τοῦτέστιν, ἀπείρους γενεάς.

Com. 51. διεσκόρπισεν ὑπερηφάνους διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν] Idem 13. 11. apud Eſaiam, Ὕβριν ὑπερηφάνων ταπεινώσω· & 3. 6. Sophoniæ, Ἐν διαφθορᾷ κατέπαυσα ὑπερηφάνους. De Eodem Daniel. 4. 34. Τοὺς περιπατοῦντας ἐν ὑπερηφανίᾳ δύναται ταπεινῶσαι. *Diſpergere*, (vel *diſſipare*) *cogitationes ſuperborum*, eſt quod in Græco Jobi 5. 12. βουλὰς διαλύσαι, & 12. 24. καρδίας διαλύσαι. Jacobus 1. 11. Ὁ πλούσιος (i.e. ὑπερήφανος) ἐν τῇ πορείαις (i.e. διανοίᾳ) αὐτοῦ μαρανθήσεται.

Com. 52. Καθεῖλε δυνάστας ἀπὸ θρόνων] ———— Ὑψίστους ὑψηλοὺς ποιῶν.

De Elia 48. 8. Sirachides, Ὁ καταγαγὼν βασιλεῖς (virtute nempe Dei de quo heic ſermo) εἰς ἀπώλειαν, καὶ δεδοξασμένους ἀπὸ κλίνης αὐτῶν. Heſychius, Καθεῖλας, κατέλυσας, &c. κατέβαλες. Recentior Interpres, *detraxit potentes:* non hercle malè. Seneca 3. 43. de Ira, *Ecquid illum nimis ex alto rerum agentem detrahere cupis?* Quid opus autem novatione illâ, cùm æque bene Vulgatus, *depoſuit?* in Gloſſis *Depoſitum*, &c. καθαιρεθέν.

Ibid. καθεῖλε δυνάστας ἀπὸ θρόνων, καὶ ὕψωσε ταπεινούς] Hinc Sirachidi 7. 11. ὁ ταπεινῶν καὶ αἰνυφῶν dictus. Idem 10. 14. Θρόνους ἀρχόντων καθεῖλεν ὁ Κύριος, καὶ αὐτ' αὐτῶν ἐκάθισε πραεῖς ἐνδόξους. Vide & eundem 11. 5, 6. Job. 12. 21. Ἐκχέων αἰσχύνην ἐπ' ἄρχοντας, ταπεινοὺς δὲ ἰάσατο. Pſalmiſta 75. 7. Τοῦτον ταπεινοῖ, καὶ τοῦτον ὑψοῖ. Adde Pſalm. 147. 6. Ezech. 21. 16. Ἐπτειώσας τὸ ὑψηλὸν, καὶ ὕψωσας τὸ ταπεινόν. Tobiæ 4. 19. Δίδουσι πάντα τὰ ἀγαθὰ, (i. ὑψοῖ) καὶ ὃν θέλει ταπεινοῖ. Horatius,

——— *Valet ima ſummis*
Mutare, & inſignem attenuat Deus.

Lucianus, Τοὺς μικροὺς ἀναγει, τοὺς μεγάλους καταγει. Xenophon, Ὁ θεὸς πολλάκις χαίρει τοὺς μὲν μικροὺς μεγάλους ποιῶν, τοὺς δὲ μεγάλους μικρούς. Euripides.

Ὁρᾷ τὰ δ' θεὸς, ὡς τὰ μὲν πύργους' ὄντα
Τὰ μηδὲν ὄντα, τὰ δὲ δουλεύσ' ἀπώλεσαν.

Seneca Præfat. lib. 3. Nat. quæſt. *Nunc cum maxime Deus alia exaltat, alia ſubmittit: nec molliter ponit, ſed ex faſtigio ſuo nullas habitura reliquias jactat.* Et ex Principis (immediato ſummi Dei miniſtro) perſona, *Alium dignitate donavi, alium humilitate.* 1. 1. de Clement. Æſopus interrogatus Jupiter quid rerum ageret, τὰ μὲν οἰκοδομεῖν, τὰ δὲ καταβάλλειν reſpondit. De fato (Dei decreto nempe) Euripides in Heraclidis,

Τὸν μὲν ἀφ' ὑψηλῶν βραχὺν ὤκησεν,
Τὸν δ' αὖ πάλιν εὐδαίμονα τεύχει.

De δίκῃ (id eſt, *juſtitia* Dei) lib. 14. Ammianus Marcellinus, *Neceſſitatis inſolubili retinaculo mortalitatis vincientis faſtus mentes incaſſum, & incrementorum decrementorumque momenta verſans, ut novit; nunc erectas meminimus cervices oppressis & enervat, nunc ab imo ſuſcitans ad bene vivendum extollit.* Ubi *bene vivere* eſt, in honore aliarúmque bonarum rerum abundantia vivere. Quo & ſenſu, *ævum bene agitare* lib. 16. cap. ult. A. Gellius dixit: at ibi pro *ævúmque* minùs rectè *eúmque* in vulgatis legitur.

Ibid. καὶ ὕψωσε ταπεινούς] Petrus 1. 5. 6. Ταπεινώθητε οὖν ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα τοῦ Θεοῦ, ἵνα ὑμᾶς ὑψώσῃ, &c. De eodem Jobi 5. 11. Τοὺς πεπτωκότας εἰς ὕψος, καὶ δυσλαλούντας ἐξυγίωσεν.

Com. 53. Πεινῶντας ἐνέπλησεν ἀγαθῶν] Ἀγαθὰ (ut bene è Xenophonte Suidas) ſunt in uſu Linguæ iſtius (præter laxam & generalem vocis ſignificationem) τὰ πρὸς σίτισιν καὶ ἀναψυχίαν, σῖτον καὶ ποτόν. Vide in Græco Proverb. 17. 1. Sirachid. 14. 4. eundem Suidam verbis μελίνη, & ἐπιτυμβίδιον. & ità hoc Lucæ loco debere accipi evincit vel vox πεινῶντας. Utitur eodem ſenſu & Lucianus 2 Phalaride. Indè & τὰ εἰς γαστρὸς ἀγαθὰ, Theodoreto 6. θεῖ Προνοίας· & πατέρων ἀγαθὰ τοῖς τέκνοις δίκαια Matthæi 7. 11. & demum ἀγαθοποιεῖν de Deo Actor. 14. 17. ubi vide quæ ex Philone adduximus.

Ibid. ἐνέπλησεν ἀγαθῶν] Ità Jobi 22. 18. ἐνέπλησε τὰς οἰκίας αὐτῶν ἀγαθῶν. Sirachidis 16. 29. ἐνέπλησεν αὐτὴν τῶν ἀγαθῶν· & apud Ariſtophanem in Veſpis, ἀγαθῶν ἐνέπλητο. Quod Athenæo lib. 3. ἀγαθοῖς χορταζόμενος. Vide & Sirach. 13. 18. & Pſal. 103. 5. in Græca verſione.

Ibid. ἐξαπέστειλε κενούς] Κενῷ κάλαμῳ ut Jobi 31. 34. Sic Matth. 15. 32. νήστις ἀπολύειν· & νήστεις ἀπολῦσαι πίστεως, in Græco Epigrammate. Eſt autem heic, & infrà 20. 10. item in Græco Pſalmi 81. 12. ἐξαποστέλλειν, non tam ἀποπέμπειν, quàm ἐᾶν, *ſinere*, vel *permittere quem in eo ſtatu quo eſt, manere.* Vide ad 1 Joh. 4. 18. annotata.

Com. 57. Τῇ δὲ Ἐλισάβετ ἐπλήσθη ὁ χρόνος τοῦ τεκεῖν αὐτήν] Sic Gen. 25. 24. Ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτήν· & infrà

infrà heic 2. 21. Ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ ἐκτεκεῖν τὸ παιδίον. Apud Ciceronem 2. de Oratore,

——— *Expletis jam ferè ad pariendum menſibus.*

Idem 3. Verrinâ, *Gravidam, & jam ad pariendum vicinam, temporibus exactis.* Phædrus,

Inſtante partu mulier, exactis menſibus, &c.

Heſychius, Ἐπίφορος, ὃ ἐκτὸς ἰσχύος ὄντα. In Gloſſario, Ἐγγὺς ἐκτείνω, *prope parium.* Terentius,

——— *Partus inſtabat prope.*

Com. 58. οἱ περίοικοι] In eodem Gloſſario, Περίοικοι, *circumhabitatores.*

Ibid. καὶ συνέχαιρον αὐτῇ] Gratulabantur ei, de filio nato nempe. In Plauti Truculento,

Tu cùm veſtè proveniſti, cùmque es aucta liberis,
Gratulor. ———

Apud Gellium 12. 1. *Eamus puerperam viſum, & patri gratulatum.* Ruth. 4. 17. *Vicina mulieres* (ità hic οἱ περίοικοι) *congratulantes ei, & dicentes, Natus eſt filius Noemi.* Varro in de Vita Pop. Rom. *In quibus* (menſis) *qua veniebant ad fanum amica gratulatum, Diis mactabant.*

Com. 59. ἐμάλλον αὐτὸ ἐπὶ τῷ ὀνόματι ἢ πατρὸς αὐτοῦ] Ex more, non illius tantùm, ſed & aliarum gentium. Lucianus Charonte, Χαίρων ὅτι ἄῤῥενα παῖδα ἔτεκεν αὐτῷ ἡ γυνὴ, καὶ φίλους δεῖ τοῦτο ἐσιόντων, καὶ τοὔνομα τοῦ πατρὸς τιθέμενον, &c. Ἐμάλλον, nempe οἱ συγγενεῖς, qui in præcedente commate.

Com. 61. ἐν τῇ συγγενείᾳ σου] Gloſſæ, Συγγένεια, *propinquitas:* Gloſſæ aliæ, *Propinquitas*, ἀγχιστεία, συγγένεια.

Com. 62. τὸ, τί ἂν θέλοι καλεῖσθαι αὐτόν] Legit Vulgatus, τὸ, *livæ*, &c. vertit enim, *quem vellet vocari.* Id eſt, *utrum*, Zachariam nempe, an Joannem. De illo genere loquendi autem ad Matthæum dixi.

Com. 63. αἰτήσας πινακίδιον] In Gloſſis lego quidem, Πινακίδες, *pugillares, ſingulare non habet.* Satis Latinè tamen Vulgatus *pugillarem* vertit. Ità in Excerptis alius Gloſſarii, *Pugillaris*, πινακίδιον, δίλτον, &c. item in vetere inſtructiſſimo Onomaſtico, *Pugillaris*, πινακίδιον, δίλτος, &c. Nec aliter Plinius lib. 1. Epiſt. 6. Vide quæ ſummus venerandæque memoriæ Vir Joannes Gerardus Voſſius, in libris de Analogia 1. 42. & 4. 14.

Ibid. ἔγραψε λέγων] Hypallage pro γράφων ἔλεγε· eſt enim tacita quædam loquela ſcriptura noſtra.

Com. 64. καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ] Supple, ut in edit. Complutenſi, διηρθρώθη. Sic Gellii 5. 19. de filio Creſi, antea muto, *Planéque & articulate* (q. d. διηρθρωμένως) *eloquutus eſt.* Vel ſaltem ἐλύθη ſubaudi, ut ἡ γλῶσσα heic ſit qui Marc. 7. 35. ὁ δεσμὸς τῆς γλώσσης. Hoc κωφὸν autem non agnoſcit Vulgata verſio.

Com. 66. ἔθεντο, &c. ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν] Sic infrà 21. 14. ubi annotata vide.

Ibid. Τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται;] Malim Τίς ἄρα legi, id eſt, ποταπός. Sic infrà enim 8. 25. Τίς ἄρα οὗτός ἐστι; nec aliter legit Vulgatus, qui, *Quis putas puer iſte erit?* ubi & *quis* eſt *qualis.* Sorores ejus ad Pſychen apud Apulejum lib. 5. *Quantum putas boni nobis geris in iſta perula! &c. ô nos beatas quas infantis aurei nutrimenta latabunt.*

Ibid. καὶ χεὶρ Κυρίου ἦν μετ' αὐτοῦ] Virtus, ſive potentia Divina (id enim hoc loco χεὶρ) cum illo erat. Ità Matth. 28. ult. Ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι· ad quem locum annotata vide.

Com. 69. καὶ ἤγειρεν, &c.] Heſychius, (& fortè ex hoc loco) Ἤγειρεν, ἀνέδειξεν, ἀνέστησεν.

Ibid. κέρας σωτηρίας] Idem Heſychius, Κέρας, &c. δύναμις, &c. καὶ ἡ ἰσχύς. Theophylactus hîc, δύναμιν καὶ βασιλείαν.

Com. 74. ἀφόβως ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ] Senſus ferme idem qui in iis Pauli 2 Tim. 2. 26. Ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα. Vocem ἀφόβως nonnulli ad τὸ ῥυσθέντας referunt, pro quibus faciunt Donati in Terentium iſta, (Andr.) *Perfecta ſecuritas liberatio nominatur.* Alii cum verbo λατρεύειν eam malunt conjungi: & in illam ferme mentem Julianus Imperator, Πίφυκε τὸν ἐν τοῖς μείζοσι ἐξεταζομένοις ἀθεότητος ἢ διάνοιαν, καὶ μὴ τοσοῦτον εἰς ἢ σεσεσυγκλωὶ τὰς χεῖρας ἀνατείνειν ταλαίπωρον, τὰς ὃ πανταχόθεν ἔχονσας τὸ ἀμέμπτως, ὁλοκλήρῳ ψυχῇ χαίρονσας, ἱκετηρίους λατρείας ποιεῖσθαι τῷ μείζονι, Epiſt. 20. Vide & Eſaiæ 54. 14. Pſal. 55. 13. in Latino. Actor. 9. 31.

Ibid. λατρεύειν αὐτῷ, &c. ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ, &c. πάντας τοὺς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν] Id eſt, μηκέτι ἀνθρώποις ἐπιθυμίας, ἀλλὰ θελήματι θεοῦ τὸν ἐπίλοιπον ἐν σαρκὶ χρόνον βιῶσαι, 1 Pet. 4. 2. Ad Apuleium Dea Iſis Mileſ. 11. *Memineris, &c. meis veliqua vitæ tuæ curricula aduſque terminos ultimi tui ſpiritus vadata. Nec injurium cujus beneficio ad homines redieris, id ei totum debere quod vives.*

Com. 76. Καὶ σὺ παιδίον] Non malè heic à quibuſdam emphaſis diminutivi παιδίον animadverſa eſt: q. d. Tu puer tantulus, prætalum & quaſi præcipuum gradum tenebis in hoc Chriſti regno. Tale infrà 12. 32. Μὴ φοβοῦ, μικρὸν ποίμνιον, ὅτι εὐδόκησεν ὁ πατὴρ ὑμῶν δοῦναι ὑμῖν τὴν βασιλείαν. Vide & Matth. 2. 6.

Ibid. προπορεύσῃ] Gloſſarium, Προπορεύομαι, *præeo, anteeo.*

Ibid. ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ] Onomaſticon vetus, *Præpara viam*, προοδοποίει.

Com. 77. ἐν ἀφέσει] Pro εἰς ἄφεσιν, ut infrà 5. 16. ἐν ἐρήμοις.

Com. 78. Διὰ σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ] Id eſt, διὰ σπλάγχνα (ut Coloſſ. 3. 12.) ἐλεημῶν αὐτοῦ. Sic, διὰ τῶν ἐλεημῶν, Rom. 12. 1. Heſychius, Δι' οἶδον, δι' ἔλεον ἐλεημῶν. De Deo 5. 11. Jacobus, Πολύσπλαγχνός ἐστι, καὶ ἐλεήμων. Theodoretus in Prov. 7. Ἐλεῶν πτῶσιν, μᾶλλον ἢ ἐλέους πηγὴ τυγχάνων.

Ibid. ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους] Ἐπεσκέψατο, ſalutem attulit: unde in Gloſſario, *Salutigerulus*, ἐπισκέπτης. Ἐπεσκέψατο ἐξ ὕψους, ut in Græco Pſalmi 18. 16. ἐξαπέστειλεν ἐξ ὕψους, καὶ ἔλαβέ με, & Pſalmi 102. 19. ἐξ ὕψους ἐξέκυψεν. Ἀνατολῇ hîc ſummo conſenſu Expoſitores quaſi de Chriſto dictum accipiunt: quàm ſolidis nixi rationibus viderint ipſi. Præcipuè eos moviſſe videtur Zachariæ ille 3. 8. locus, ubi in Græco, ἰδοὺ, ἐγὼ ἄγω τὸν δοῦλόν μου ἀνατολήν. At, *ſervum meum, germen* (ſive *ſurculum*) in Hebræo illius loci eſſe jam aliis annotatum eſt, eóque titulo innui Zorobabelem, collatis aliis Zachariæ locis apertè docuerunt. Ἀνατολὴ metonymicè hîc pro Chriſto dici magis eſt ut me ſuadeant Apocal. 2. 28. & 22. 16. loci, ubi ἀστὴρ πρωϊνὸς, & ἀστὴρ ὀρθρινὸς dicitur; quibus adde Petri 2. 1. 19. illum, ubi φωσφόρος vocatur. Refragatur autem opinioni ex quæ ἀνατολὴ hîc ad perſonam Chriſti refert, vel ipſe communis uſus ſermonis Græci, qui ſtante receptâ expoſitione illâ, omnino ſcribi flagitaret, non ἀνατολὴ, ſed ἡ ἀνατολή. Qui aures non jacentes habuerit, falſurum puto me verum loqui. Infirmâſti, hîc dicat aliquis, communem expoſitorum ſententiam, jam tuam in medium affer. Ego verò libens faciam, atque adeò audebo dicere, non niſi re ſæpius retractatâ. Corruptam à multis jam ſeculis puto lectionem eſſe contextûs Græci, ſcribendúmque, ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἄνωθεν ἐξ ὕψους. Ἐπεσκέψατο, Deus nempe, de quo in præcedente membro. Ἄνωθεν autem ἐξ ὕψους eſt pleonaſmus, cui ſimilis in Aſino Luciani ille, ἄνωθεν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, &c. ἐξάμβων. Eſt ergò ἄνωθεν ἐξ ὕψους ἐπεσκέψατο, *viſitavit nos deſuper ex alto.* Ità & porcus in Sympoſii Ænigmatis,

Deſuper ex alto viridem exſtrello ſaginam.

Poſſent forſan & huc afferri ea in Græco Jobi 31. 2. ὁ θεὸς ἄνωθεν, & ſtatim, ἐξ ὑψίστων. De iis autem non magnoperè contenderim, neque enim in uno orationis membro, ſed in duobus continentur. Ἐπιφαίνειν autem, quod heic ſtatim ſequitur, (nè quem ea vox moretur) etiam alibi de Deo effertur: ut in 3 Maccab. ἐλέους φέγγος ἐπιφάνας. Vide & Tit. 2. 11. Quo & loco ἡ σωτήριος ἐπιφάνεια, planè idem eſt quod hoc loco τὰ σπλάγχνα ἔλεους αὐτοῦ.

Com. 79. ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει, &c. καθημένοις] Lucretius de Epicuro,

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuiſti ———

Seneca de Fabricio, *Non aliter quàm in tenebris lumen effulſit.* Simonides apud Ephæſtionem,

——— Μέγ' Ἀθηναίοισι φέγος γένεθ' ἡνίκ' Ἀρεσγόνιτον
Ἵππαρχον κλεῖνε καὶ Ἀρμόδιον.

Vide Matth. 4. 16. Joh. 12. 46. Eſai. 49. 9. Michææ 7. 8. 2 Cor. 4. 6. 1 Pet. 2. 9. & quæ ad dictum Tit. 2. 11. locum annotata.

Ibid. ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου] In Græco Jobi 3. 5. Ἐκλάβοι αὐτὸν (natalem meum) σκότος καὶ σκιὰ θανάτου. Utroque loco locutione iſtâ ſpiſſæ tenebræ denotantur: apud Jobum autem materiales, (quales ἐξ ἀδύτων Ἅιδου μυχῶν ἐκπλήξεως, 17. 14.

vocat Scriptor Sapientiæ:) apud Lucam morales, vel, ſi malueris, ſpirituales; nempe, cæcitatis & ignorantiæ. Theophylactus ad Luc. 5. Νῦξ (quæ hoc Lucæ σκότος) ὁ περὶ τοῦ Χριστοῦ ἐπιδημίας καιρός. Σκότος, ἢ σκιὰν θανάτου, habes & in Græco Jobi 12.22. Cùm Suidas autem σκιὰν θανάτου, τὰς πρὸς θάνατον ἄγουσας ἀνδύσας interpretatur, ſciendum eſt eum Pſal. 23. 4. locum reſpexiſſe.

Ibid. κατευθῦναι τοὺς πόδας ὑμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης] Sic Paulus 2 Theſſ. 3. 5. Ὁ κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ. Eſt autem luminis proprium in via pedes dirigere: vide ad Joh. 11. 10. dicta. Ad rem de qua hoc Lucas, Lactantius 4. 26. *Pedes claudorum ad officium gradiendi reformavit*, &c. *ſed figura id continebat, quòd cohibitis erroribus vitæ ſecularis, ac devia, iter veritatis aperiretur: per quod graderentur homines ad Dei gratiam conſequendam.*

CAP. II.

VALLA.

1. *EXiit edictum à Cæſare Auguſto ut deſcriberetur univerſus orbis.*

2. *Hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Cyrino.*

3. *Et ibant omnes ut profiterentur, ſinguli in ſuam civitatem*] Licèt Interpres variet, tamen idem verbum eſt *deſcribi* & *profiteri*, ἀπογράφεσθαι. Nec legendum eſt cum præpoſitione *à*, quanquam Græcè magis *Præſidente*, quàm *Præſide*. Nec legendum eſt *Cyrino*, ſed *Cyrenio*, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Nec minùs commodè accuſativus Græcus nunc transferretur per ablativum, ſic, *Singuli in ſua civitate*. Erat autem hæc *deſcriptio* ſive *profeſſio*, nè quis ignoret, ut ſciretur quantum quiſque haberet in facultatibus. Dicta quidem *profeſſio*, eorum qui cenſebantur, *deſcriptio* verò, eorum qui cenſebant reſpectu. Nam ità inquit Aſconius Pædianus, *More veterum* CENSI *dicebantur qui centum millia in profeſſionem detuliſſent; hujuſmodi adeo facultates* CENSUS *dicebantur.*

8. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis*] Cùm dicatur *vigilantes*, quid attinebat *cuſtodientes vigilias*? Græcè non eſt *vigilantes*, ſed *in agro agentes*; nec *cuſtodientes vigilias*, ſed *cuſtodientes cuſtodias*, ſive *excubantes excubias noctis*, ἀγραυλοῦντες καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς.

9. *Et claritas Dei circumfulſit illos*] Non magis eſt Græcè *claritas* quàm *gloria*, δόξα, quam Interpres nonnunquam transfert *majeſtas*: propria autem ſignificatio ejus eſt *gloria*, ut mox cùm dicitur,

14. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*] Δόξα. Si ullo in loco, certè in hoc admiror tantam eſſe mutationem factam, ut legamus *hominibus bona voluntatis* pro *in hominibus bona voluntas*, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Unum eſt apud Græcos nomen *bona voluntas*, quod ſolet transferri *beneplacitum*, quódque transferri poſſe *placentia* Hieronymus ait. Et ſanè quid attinebat precari *pacem* bonis, quaſi non habentibus? ergò precabantur Angeli *pacem ſuper terram*, & *in* omnibus *hominibus bonam voluntatem*, & iis præcipuè qui eam non haberent; ut inquit Dominus Matt. 9. 13. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Ergò ut bona voluntas in iis quibus non eſt.

17. *Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc.*

18. *Et omnes qui audiebant, mirati ſunt, & de iis quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos*] Non fuit transferendum *cognoverunt de verbo quod dictum erat illis*, ſed *notum fecerunt*. Etenim idem verbum nunc ἐγνώρισαν, quod paulò antè, v. 15. *Dominus oſtendit nobis*, ἐγνώρισεν. Narraverunt enim paſtores ea quæ viderant & audierant; & ideo admirabantur omnes iſta audientes. Nec Græcè legitur copula, *& de iis quæ dicta erant à paſtoribus*, ſed ſine copula.

22. *Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem*] Non legitur Græcè *ejus*, ſed *eorum*, h. e. matris & pueri, αὐτῶν.

23. *Omne maſculinum adaperiens vulvam*] Mallem hoc in loco Interpres, ubi de matre Dei virgine loquitur, dixiſſet verecundiùs *uterum*, μήτραν, quod fortaſſe eſt verius, ut in Pſal. 22. 10. *In te projectus ſum ex utero*, μήτρας. Quemadmodum illud Pauli, Phil. 3. 8. *Reputavi ſtercora*, σκύβαλα,

quod nomen transfert Priſcianus *quiſquilias*; nec Priſcianus modò, verùm etiam Hieronymus in dialogo contra Pelagianos, inquiens, *Apoſtolus omnia pro Chriſto ducit quiſquilias, ut inveniatur in Chriſto, non habens ſuam juſtitiam.*

27. *Et cùm inducerent puerum Jeſum parentes ejus*] Abeſt Græcè *ejus*: quòd ſi adeſſet, transferendum eſſet *ſui*, non *ejus*.

34. *Et in ſignum cui contradicetur*] *Contradicitur* legendum eſt, ἀντιλεγόμενον.

35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*] Gr. *tui*. Sed ratio linguæ Latinæ non fert ut dicamus *animam tui* (quemadmodum in Elegantiis tradidi) ſed *animam tuam*, cui illud *ipſius* tanquam genitivo applicatur; ut ſtultiſſimè accipiant qui exponunt hunc locum referentes *ipſius* ad Chriſtum, ἢ ζῶσαν δὲ αὐτῆς τὴν ψυχήν.

38. *Et hac ipſâ horâ ſuperveniens*] Cùm dicatur quòd *non decedebat de templo*, quomodo nunc *ſupervenit*? Græcè eſt *ſtans* ſive *aſſiſtens*, ἐπιστᾶσα.

40. *Puer autem creſcebat & confortabatur, plenum ſapientiâ: & gratia Dei erat cum illo*] Gr. *Et confortabatur ſpiritu, & implebatur ſapientiâ*, ſive *augeſcens ſapientiâ*: eſt enim participium præſens, quo nos caremus. Quòd ſi liceret dicere, diceremus *pleniſcens*, ἢ ἐπληροῦτο πνεύματι, πληρούμενον σοφίας.

43. *Remanſit puer Jeſus, & non cognoverunt parentes ejus*] Superiùs dicitur *parentes ejus*, nunc autem *Joſeph & mater ejus*. Ideóque non dicitur, *non cognoverunt*, ſed *non cognovit Joſeph & mater ejus*, καὶ οὐκ ἔγνω Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ.

REVIUS in VALLAM.

14. *EGò precabantur Angeli*] Orthodoxus eſt iſte ſenſus, ſed veriorem vide apud Bezam.

22. Eorum, αὐτῶν] In noſtris codd. eſt αὐτῆς. Vulgata habet *ejus*: quod ambiguum eſt an ſit ex αὐτοῦ (ut unus Eraſmi codex habebat, & apud Auguſtinum quoque inveni, Quæſt. in Levit. p. 213. ibi enim *pro eo* legitur) an ex αὐλῆς: quod credibilius. Origenes, aut quiſquis fuit, hom. 14. legit αὐτοῦ: ſic etiam Laurentius, & unus codex Eraſmi quod à Beza & Caſaubono Exer. 2. c. 12. rejectum, à Cl. *De Dieu* defenditur: judicium penès eruditos eſto.

Omne maſculinum] Hic verſus cum annotatis præpoſitus erat verſui 17. ¶ *Dixiſſet verecundiùs* uterum] *Ità mavult Laurentius, homo* (ait Eraſmus) *ſuperſtitioſe verecundus: quaſi verò* VULVA *ſit obſcœnum vocabulum, aut quaſi legis hujus verba de Maria propriè dicta ſint, ac non potiùs de omnibus fœminis quæ pariunt. Siquidem* ADAPERIENS VULVAM *juxta ſermonis Hebraici proprietatem dictum eſt pro* NASCENS. Poſtrema hæc nonnihil caſtigat Beza, & meritò: neque enim phraſis hæc *ſimpliciter declarat eum qui naſcitur, ſed qui primus naſcitur.* Idem Beza in Rom. 4. 19. perinde ut hic Valla facit, *uteri* vocabulum verecundius quàm vulvæ judicat, è Plinio, qui l. 11. cap. 37. *uterum* mulieribus, *vulvam* cæteris animantibus tribuit.

33. Et in ſignum] Hic versus erat poſtpoſitus verſui 35.

38. Stans, *ſive* aſſiſtens] Rectè Vulgata *ſuperveniens*. Confer apud hunc Euangeliſtam cap. 2. 9. & 10. 40. & 20. 1. & 21. 34. & 24. 4. ut alia mittam: quòd *non decedebat de templo*, commodè accipiendum. Confer Exod. 38. 8. 1 Sam. 2. 22.

ERASMUS.

1. *DIctum*] Δόγμα *decretum*; quod tamen rectè mutavit Interpres. Nos *decretum* vertimus, non corrigentes quod ille vertit, ſed explanantes.

2. *Cyrino*] Κυρηνίου *Cyrenio*. Tametſi ſunt qui putent hanc vocem corruptè prolatam ab Euangeliſta, quomodo ſæpe Græci pronunciant Latinas, & pro *Quirino* dictum Κυρηνίου, præſertim cùm Joſephus Antiquitatum Judaicarum l. 17. *Cyrinum* appellet hunc cenſui faciendo præfectum, non *Cyrenium*. Cui ſententiæ ut non eſt conſilium admodum repugnare, ità libentiùs accederem, niſi Euangeliſta pro ι poſuiſſet η, & rurſum ῳ vertiſſet in ω. Præterea ſi Ruffinus vertiſſet *Quirinas*, non *Cyrinus*. Nec eſt *à Præſide*, ſed ἡγεμονεύοντος *Præſidem agente*, ſive *Præſide*. Porrò *prima* referri poteſt ad *Præſidem Cyrenium*, ut non accipias ſimpliciter primam, ſed primam ſub illo indictam.

3. *Ut profiterentur*] Ἀπογράφεσθαι. Idem verbum quod hac-

tenus

tenus vertit *deſcribebatur*. Cæterùm eadem res, cùm agitur in re militari, vocatur dare nomen; cùm in æſtimandis facultatibus & expendendo numero capitum, appellatur *cenſus*. Sic enim Ulpianus, *Vitia priorum cenſuum edictu novis profeſſionibus emendantur*. Proinde Magiſtratus cenſet, populus profitetur. Et ſuperiùs Latinius vertiſſet *cenſeretur* quàm *deſcriberetur*, & *profeſſio* rectiùs quàm *deſcriptio*. Declarat & Ambroſius hoc loco nihil aliud eſſe *profeſſionem* quàm *cenſum*, *Profeſſio*, inquiens, *iſta fidei, cenſus animorum eſt*. Porrò quod dixit *univerſus orbis*, Ambroſius ad allegoriam trahere mavult, cùm Auguſtus id temporis nec Armeniis nec Gothis imperarit. Verùm ut hiſtoriæ quoque ſua conſtet fides, *totus orbis* aut accipiendus eſt per ſynecdochen, ut intelligas maximam orbis partem, aut ut intelligas totum orbem Romanum. Ex hoc enim loco colligunt nonnulli ad Imperatorem totius orbis imperium pertinere, cùm nec hoc agat Lucas, nec Auguſtus ipſe totius orbis imperium tenuerit. Quanquam id non improbarim ſi quis unus totius orbis imperio potiatur, modò is quantum præmineret autoritate, tantum & præſtaret prudentiâ ſimul & integritate; ità ſtultiſſimum arbitror id ſomniare quod nec fuerit unquam, & hoc ipſum quod fuit jam olim è vita hominum ſublatum ſit; crudeliſſimum autem, hujuſmodi factitios titulos tanto rerum omnium tumultu tantâque ſanguinis jacturâ perſequi; poſtremò neutiquam turum rebus humanis, tantam poteſtatem unius hominis libidini committere, qui vir peſſimus atque etiam ſtultiſſimus poſſit obtingere. Neque video quorſum hoc ſit evaſurum niſi ut creſcat tyrannis miſeræ plebi. ¶ *In ſuam civitatem*] Hîc licebat vertere *in ſua civitate*, h. e. *in ſua quiſque civitate*; niſi referas ad *ibant*.

4. *In Judæam civitatem*] Εἰς τ' Ἰουδαίαν, εἰς πόλιν Δαβίδ, *in Judæam, in civitatem David*. Deeſt *in* præpoſitio, *in civitatem*. Priùs enim poſuit nomen regionis, deinde civitatis. ¶ *Et familiæ*] Καὶ πατριᾶς. Idem verbum quod in Paulinis epiſtolis vertit *paternitas*; *Ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur*. Sed hac de re proximo capite nonnihil annotabimus.

5. *Uxore prægnante*] Ità vertit Interpres, ut Joſeph videatur duxiſſe Mariam uxorem jam tunc prægnantem ante conjugium initum, cùm Græcè ſit ἔσῃ ἐγκύῳ *quæ erat gravida*, ſive *quæ ferebat uterum*. Ordo ſermonis nonnihil habet amphibologiæ, quòd ordinari poſſit hunc in modum, *Aſcendit Joſeph cum uxore prægnante*, aut, *aſcendit ut profiteretur cum uxore prægnante*. Id tamen ante nos annotavit Petrus Comeſtor, nè quem omnino ſuâ laude fraudemus.

7. *Primogenitum*] Πρωτότοκον. Etiam ethnicis *primogenitus* dicitur ante quem nemo natus eſt, etiamſi nemo ſequatur. Addit autem *primogeniti* nomen, quòd is partus ſacer eſſet juxta Legem, & primi partus aliis ſunt difficiliores. ¶ *Et pannis*] Ἐσπαργάνωσεν. Ad verbum ſonat *infaſciavit*, i. faſciis involvit: ne quis imaginetur laceros pannos. Opinor enim Mariæ paupertatem fuiſſe mundam. Porrò quod Suidas ait σπάργανα propriè dicit τὰ ῥάκη, non eſt neceſſe ut de *vetuſtate laceris pannis* intelligamus, cùm apud Matthæum ῥάκος & ἄγναφον dicatur *rudis ac recens pannus*. ¶ *Non erat ei locus*] Ei eſt Græcè, αὐτοῖς: ut accipias de ambobus. Cæterùm qui convenit *non fuiſſe locum in diverſorio*, cùm Præſepe pars, opinor, fuerit diverſorii? niſi quòd alibi καταλύμα vertit *refectionem*, & *cœnaculum*. Non erat locus aptus parturienti, quæ ſolitudinem requirit.

8. *Vigilantes*] Ἀγραυλοῦντες *in agris agentes*, ſive *ſtabulantes*. Nam hinc Græcis eſt compoſita dictio, ἀγρὸς *ager*, αὐλὴ *ſtabulum*. In ſeptis enim noctu ſervantur greges ob incurſum luporum; verùm ea ſepta in agris ſunt. ¶ *Et cuſtodientes vigilias*] Φυλάσσοντες φυλακὰς *cuſtodientes cuſtodias*, ſive *excubantes excubias*.

9. *Stetit juxta illos*] Ἔστη ἄυτοῖς. Magis ſignificat Angelum *imminuiſſe ex alto ſupra illos* quàm *aſtitiſſe*. Hoc admoniſſe contenti reliquimus quod vertit Interpres, propterea quòd Græca præpoſitio ſit anceps: Et fieri potuit ut aſſiterit qui nunciavit primus. ¶ *Et claritas*] Καὶ δόξα *gloria*: quod aliquoties vertit *majeſtatem*.

12. *Involutum pannis*] Ἐσπαργανωμένον. Participium eſt ejus verbi de quo paulò antè diximus; i. *faſciis puerilibus involutum*; nè rurſum mendicorum pannos imaginemur. Nam ut parentibus Jeſu tenuitatem ac paupertatem libenter tribuimus, ità ſordes ac mendicitatem procul amovemus. Habet & paupertas ſuam munditiem. Nam quò minùs in conclavi pepererit Maria, non paupertas obſtitit, ſed diverſantium turba. Alioqui ſi Chriſto tantopere placuiſſet mendicitas, ut quidam putant, in ptochodochio naſci poterat. Nunc *Mendicantium* vocabulo ſeſe venditant & ii qui Satrapârum opes domi poſſident. Nec inſector quorundam inſtitutum qui vere mendicato vivunt, ſed rectiùs opinor facturos ſi qui valent (ut valent permulti) manibus pararent unde tum ſibi tum aliis egenis poſſent ſuppeditare.

14. *Hominibus bona voluntatis*] Καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, *& in terra pax, in hominibus bona voluntas*: ut intelligas tria diſtributa, ac ſingula ſingulis reddita. *Gloriam* uni *Deo* tribuit, idque *in altiſſimis*; *terra*, *pacem*; *hominibus*, *bonam voluntatem*, *εὐδοκίαν*, quod aliàs vertit *beneplacitum*. Siquidem Homines veluti tertios ac medios inter Cœlum & Terram ponit. Neque verò ſic accipiendum, opinor, *ut ipſis hominibus ſit bona voluntas*, ſed ut intelligant hanc *gloriam*, hanc *pacem*, non ex hominum meritis exhibitam mundo, ſed duntaxat ex *beneplacito Dei*, cui ſic viſum fuit hominibus gratificari. Atque ità ſanè interpretatur Chryſoſtomus in commentariis quos ſcripſit in epiſt. ad Coloſſenſes. Porrò cùm ità conſtanter habeatur in omnibus Græcis exempl. & ad eum modum Chryſoſtomus exponat, & Theophylactus, mirum eſt nuſquam hanc lectionem nec apud Hieronymum deprehendi, nec apud Ambroſium, nec apud Auguſtinum. Theophylactum inſpicere cuivis promptum eſt, qui planè legit ἐν ἀνθρώποις, diſtinguens hanc particulam à ſuperiore, *εὐδοκίαν in hominibus* interpretans *requiem ac refocillationem Dei in hominibus*, quam in illis priùs non invenerat: ut ex eo palàm ſit *bonam voluntatem* non pertinere ad *homines* quaſi qui bonam habebant voluntatem, ſed ad *Deum*, qui propitius factus ſit hominibus per Filium ſuum. Cujus verba ſubſcribam, eò quòd is qui nuper vertit ſubobſcurè videtur reddidiſſe ſententiam. Δόξα γὰρ τῷ Θεῷ, φασὶν· ἐπὶ γῆς γὰρ εἰρήνη νῦν γέγονε· πρώην μὲν γὰρ ἡ ἀνθρωπίνη φύσις ἔχθραν εἶχε πρὸς Θεόν, νυνὶ δὲ τοσοῦτον καταλλάγη ὥστε καὶ προσπλάκη τῷ Θεῷ καὶ ἡνώθη αὐτῷ σαρκωθέντι· ὁρᾷς ἐν εἰρήνῃ ὁ Θεὸς πρὸς τὸν ἄνθρωπον· καὶ ἄλλως δὲ νοηθήσεται· εἰρήνη ἐστὶν αὐτὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ· ἐγὼ γάρ, φησιν, ἡ εἰρήνη· αὐτὴ δὲ ἡ εἰρήνη ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐπὶ γῆς γέγονε· καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις εὐδοκία, τοῦτ' ἔστιν ἀνάπαυσις τοῦ Θεοῦ· ἐπαναπαύθη γὰρ ὁ Θεὸς νῦν, καὶ συμπλεκθη ἐν τοῖς ἀνθρώποις, ὡς πρώην γε οὐ κατεδέχετο, οὐδὲ ἠρέσκετο ἐν τοῖς ἀνθρώποις, i. *Gloria enim Deo, inquiunt: Nam in terra pax nunc facta eſt. Prius ſiquidem humana natura inimicitiam habebat adversùs Deum, nunc verò adeò reconciliata eſt ut & conglutinata ſit Deo & unita illi incarnato. Vides igitur pacem Dei cum Homine. Poteſt & aliter intelligi; Pax eſt ipſe Filius Dei. Ego enim, inquit, ſum pax. Hæc igitur pax, nempe Filius Dei, in terra facta eſt. Et in hominibus bona voluntas, ſeu beneplacitum, hoc eſt, refocillatio Dei. Refocillatus eſt enim Deus nunc & bene habitus eſt in hominibus, quemadmodum priùs quidem non ſibi complacuit nec bonum affectum habuit in hominibus.* Hic certè pro nobis in hoc facit quòd *bonam voluntatem* refert non ad *homines*, ſed ad *Deum*, quódque *pacem* refert ad Dei erga nos *bonam voluntatem*, h. e. animum tranquillum, ut ità loquar, ac poſitâ ità amanter affectum erga nos; undecunque irrepſit huc conjunctio, quæ ſenſui obſtat, nec eſt in Latinis codicibus, nec in Græcis emendatioribus. Cæterùm Chryſoſtomus in epiſt. ad Coloſſ. his verbis utitur, Διὰ τοῦτο εὐχαριστοῦμεν λέγοντες· Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Ἰδού, φησι, καὶ ἀνθρωποι ἐφάνησαν εὐαρεστοῦντες· λοιπὸν, τί ἐστιν εὐδοκία; καταλλαγή· διὰ ὅτι μεσοτοιχεῖόν ἐστι ὁ ἱερεύς, i. *Propterea gratias agentes dicimus, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Ecce, inquit, & homines declarati ſunt gratioſi. Supereſt quid ſit Bona voluntas; Reconciliatio. Jam non amplius interſtitium eſt cœlum.* Ex his palàm eſt illum & diſtinguere quemadmodum diſtinguunt Græci codices, & interpretari quemadmodum nos admonuimus. Quòd enim Deo reconciliati ſumus, id non contigit ex noſtris meritis, ſed illius gratuita in nos benevolentia. Quin & in his libris quos habemus ex Chryſoſtomo verſos reperitur hæc lectio, nominatim in homiliis De vita monachorum. In nonnullis Græcorum cod. reperio præpoſitionem *ἐν* non addi; *hominibus bona voluntas*, manente tamen recto caſu. Jam ex Origenis verbis quæ referuntur in Catena aurea colligi poteſt illum ſentire nobiſcum: ſunt autem hæc, *Sed diligens lector inquirat quomodo Salvator dicat*, NON VENI PACEM MITTERE SUPER TERRAM; *& nunc Angeli de ejus nativitate cantant*, IN TERRA PAX HOMINIBUS: *ſed hoc quòd* PAX *eſſe dicitur* IN HOMINIBUS BONÆ VOLUNTATIS *ſolvit quæſtionem. Pax enim quam non dat Dominus ſuper terram, non eſt pax bona voluntatis.* Hîc perſpicuum eſt *bonam voluntatem* non referri ad *homines*, ſed ad *pacem*: præterea non additur conjunctio &, & additur

præpoſitio

præpositio *in*, quæ in vulgatis Latinorum cod. non additur. Nam codex quem nobis postremum exhibuit collegium Const. habebat præpositionem vetustâ manu asscriptam. Ad hanc sententiam penè compellit nos ipsa dictio Græca *εὐδοκία*. Nam si dixisset *ἀγαθὸν θέλημα*, quadrare poterat in Hominem, nunc non item: neque enim aptè dixeris *εὐδοκίαν hominis erga Deum*. Quare puto veteres qui Græcè sciebant idem sensisse quod interpretati sunt. Alios minùs attentos quid fefellerit videor mihi deprehendisse. *Pacem* hîc vocat reconciliationem. Ità Christus apud Paulum dicitur *pax nostra*, h. e. reconciliatio: & idem suis precatur *pacem*, h. e. peccatorum remissionem. Casterùm nominativus hîc *εὐδοκία* per appositionem refertur ad *pax*, perinde quasi percontanti, *Unde ista pax quam nunciatis*, respondeant Angeli, *Non est ex meritis vestris, sed hæc pax est pius affectus Dei erga homines*. Sic enim ordinandus est sermo, *In terrâ pax, quæ est bona voluntas Dei in hominibus*, i. erga homines. Nam hæc sermonis forma congruit cum illa, *in quo mihi complacui*, *ἐν ᾧ εὐδόκησα*. Quemadmodum enim illic dictum est *in quo mihi complacui* pro eo quod erat *erga quem habeo bonum affectum*, ità hîc dicitur *beneplacitum in hominibus* pro *bono affectu erga homines*. Similiter locutus est Paulus 1 Cor. 10. 5. *Ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεός*, *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*. Multisque aliis Scripturæ locis ponitur *εὐδοκία* ad exprimendum *liberam & gratuitam Dei benevolentiam*; velut hujus Euangelistæ c. 10. 21. *ναὶ ὁ πατὴρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἐμπροσθέν σου*. Porrò Latinus interpres nominativum appositivum vertit in genitivum, quemadmodum dicimus *urbem Romæ* pro *urbe Roma*. Quoniam autem genitivus referri videtur ad id quod est proximum, videlicet *hominibus*, data est Latinis lapsûs occasio, cùm referatur ad *pacem*. Itaque tres particulæ, seu duæ potiùs, ad idem pertinent. Angeli nunciant adesse tempus quo Deus constituerat ex sua misericordia gratuita servare genus hominum, pro qua bonitate admirabili stupescunt Angeli, & canunt *gloriam Deo in altissimis*, ubi nullum erat peccatum, & ob id nulla reconciliatio: sed *pacem* annunciant *terris*, h. e. abolitionem peccatorum, quæ gratis datur per fidem: & ob id hanc pacem vocant *εὐδοκίαν*, h. e. *amicum ac benevolum affectum Dei erga homines*. Itaque nullus erit scrupulus si legamus ac distinguamus hunc in modum, *Gloria in excelsis Deo*; & hîc interpolito puncto sequatur, *& in terra pax*; rursus interjectâ hypostigme addatur, *in hominibus bona voluntas*. Ad sensum tamen haud ità magni refert si genitivus *bonæ voluntatis* referatur ad *homines*, modo intelligamus *homines* sic dici *bonæ voluntatis*, quemadmodum dicuntur *filii gratiæ*, *filii charitatis*, *filii electionis*, & *filii iræ*, quos Deus suâ gratiâ suâque charitate dignatur, aut quos elegit, aut in quos exercet iram suam: Ità dicantur *homines bonæ voluntatis* erga quos Deus gerit bonam voluntatem, qui *non secundùm justitias nostras sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit*. Quæ sententia congruit cum verbis B. Pauli compluribus locis, nominatim 2 Tim. 1. 9. *Non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam*. Quod hîc vocat *εὐδοκίαν*, illic appellat *θέσιν καὶ χάριν*. Ad hanc rationem hæc particula *in hominibus bonæ voluntatis* astringit eam quæ proximè præcessit, *super terram pax*. Nè quis eam pacem putaret ad omne genus animantium in terra degentium pertinere, adjecit *in hominibus*. Rursus nè putaremus eam pacem cunctis hominibus promiscuè dandam, addidit *bonæ voluntatis*, ut intelligamus electos tantùm designari, quos Deus liberâ voluntate suâ dignatus est Euangelicâ gratiâ. Alioqui hominis bona voluntas gratiæ donum est. Hæc opinor candido lectori fore satis. Nam arbitror me quod verum est deprehendisse. Canticum Angelorum quod hodie canitur in templis auctum est per Telesphorum. Hoc eò partim admonui quòd Petrus Comestor indicarit esse in Vitis Pontificum, partim ut intelligeres quibus modis creverit Missa, abbreviatis iis quæ erant præcipua, & adjectis quæ minùs ad rem pertinebant. Nam quæ adjecit Telesphorus (si tamen hoc verum est) plus habent verborum quàm sententiæ; & utinam vel illa magis quadrarent ad argumentum cantici, quæ Divinis attexuit humana. Hoc exemplum latiùs serpsit. In multis Ecclesiis publicè consecratur aqua, & canitur responsorium. Pro Missæ introitu Psalmus qui totus cani solet abbreviatus est. Ante Euangelium canuntur prosæ nonnunquam indoctæ, & prætermittitur Symbolum fidei. Ante Canonem Missæ canitur præfatio aucta. Sub consecrationem canitur *Sanctus*. Cùm ostenduntur mysteria, canitur cantio imploratis opem B. Virginis, aut S. Rochi, & supprimitur precatio Dominica. Hæc impia non sunt, sed recedunt à gravitate pristini cultûs, & si nullus obsistat tendunt ad superstitionem.

15. *Pastores loquebantur*] In plerisque Græcis cod. sic erat scriptum, *καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες ἔλεγον*, *Et homines illi pastores dicebant*: ut Homines opponantur Angelis. Consentiebat hîc editio Hispaniensis. Jam verò illud *ad invicem* pro *inter sese* crebriùs occurit quàm ut libeat admonere. ¶ *Transeamus usque*] Græci addunt conjunctionem expletivam *Διὰ δὴ καὶ δή*, quæ nonnunquam urgens quiddam habet: ut hîc emphasim habeat accelerantium ac gestientium abire. ¶ *Verbum hoc quod factum est*] Nihil obsto quò minus hîc philosophetur qui volet de *verbo facto*, modò sciat juxta proprietatem Hebræi sermonis *verbum* dici rem novam quæ rumore divulgetur: & ita esse deprehendet quisquis observare voluerit. Annotavit hoc & ante nos Augustinus libro De idiomate Vet. Instrumenti, locum adducens ex Judic. 8. 1. *Quid verbum hoc fecisti nobis, ut non vocares nos?* Non est autem hîc *λόγος*, quâ voce designatur aliquoties Filius Dei, sed *ῥῆμα*. ¶ *Ostendit nobis*] *Ἐγνώρισεν notificavit*, sive mavis *notum fecit*, aut *indicavit & aperuit*. Quis enim alioqui dicitur *ostendisse verbum?*

16. *Et invenerunt Mariam*] Deest una conjunctio, *καὶ Μαριὰμ καὶ τὸν Ἰωσὴφ καὶ τὸ βρέφος*, i. *Mariamque & Joseph*. Quanquam hoc locò pene fuit otiosa prima conjunctio Latinis; & Græcis aliquoties sic apponitur ut videatur magis ad venustatem facere sermonis quàm emphasim: quo sermonis genere videmus delectatum Ennium.

17. *Et cognoverunt de verbo*] *Ἰδόντες δὲ διεγνώρισαν*, *Ubi vidissent notum fecerunt*, sive *divulgarunt*: ut intelligas illos quod viderant aliis qui non viderant prædicasse. Est enim verbum compositum à *γνωρίζειν*, quod modò vertit *ostendit nobis*. Astipulatur huic interpretationi Theophylactus, in hanc enarrans sententiam; Officium itaque spiritualium pastorum fuerit quærere panem cœlestem, quem cum viderint debent illum & aliis prædicare, sicut & pastores qui viderunt infantem locuti sunt de eo & aliis. Ne quid tamen dissimulem, Græca vox *διαγνωρίζειν* accepta est ad *cognoscere*, seu potius *pernosse*, & *in aliorum notitiam adducere*. Itaque magis quadrabat *pernoverunt*, quòd perfecta cognitio sit ab oculis magis quam ab auribus. Pastores autem vulgasse quod viderant, colligi potest ex eo quod sequitur, *Et omnes qui audierunt, mirati sunt*.

19. *Maria verò*] *Ἡ δὲ Μαριὰμ*. Expressius erat si vertisset, *Ipsa verò Maria*, propter additum articulum, quò magis distinguatur ab aliis qui hisce de rebus loquebantur ipsâ tacente.

20. *In omnibus*] *Ἐπὶ πᾶσι super omnibus*, sive *de omnibus*. ¶ *Sicut dictum est ad illos*] Hæc clausula referenda est duntaxat ad proximum verbum, *& viderant*. Audierant enim, & audita viderant.

22. *Dies purificationis ejus*] Unus codex habebat *αὐτῆς*, ut *purificationem* referas ad Christum; Hispaniensis editio *αὐτῆς*, ut referatur ad Mariam; tertius *αὐτῶν*, ut ad utrumque. Atque ità sanè legit & enarrat Origenes, aut quisquis fuit hom. 14. scribens hunc in modum, *Si scriptum esset* PROPTER PURGATIONEM EJUS, *i. Maria quæ pepererat, nihil quæstionis oriretur; & audacter diceremus Mariam, quæ homo erat, purgatione indiguisse post partum. Nunc verò in eo quod ait*, DIES PURGATIONIS EORUM, *non videtur unum significare, sed alterum, sive plures*. Rursum hom. 18. refert *oblationem oblatam pro mundatione Christi*, non id sentiens quòd Christus esset immundus, sed quòd eodem ritu purgatus sit quo cæteri solent sordibus obnoxii. Ne quid hîc frustra philosophetur aliquis de purificatione Mariæ: nam *purificationem* vocat eas cæremonias quibus olim & puerpera & fœtus lustrabatur. Vox autem *purificationis* in eodem sensu usurpatur à Suetonio in Octavio Augusto, *Quasi à concubitu mariti purificasse se*. Id admonere visum ob quosdam plus satis morosos in exercendis vocabulis. ¶ *Ut sisterent*] *Παραστῆσαι τῷ Κυρίῳ*, ■ *exhiberent*, sive *commendarent*: nam utrumque significat Græca vox.

23. *Adaperiens vulvam*] *Διανοῖγον μήτραν adaperiens uterum*: sic enim mavult Laurentius, homo superstitiosè verecundus: quasi verò *vulva* sit obscœnum vocabulum, aut quasi legis hujus verba de Maria proprie dicta sint, ac non potius de omnibus feminis quæcunque pariunt. Siquidem *adaperiens vulvam* juxta sermonis Hebraici proprietatem dictum est prò *nascens*. Atque idem quisquis fuit in hom. 14. cujus modò testimonium adduximus, putat & Christum matris adaperuisse vulvam, sed nequaquam more cæterorum. Cæterorum enim conceptus quoque mulieris uterum aperit, cùm Christus clauso Virginis utero sit conceptus citra virilem operam, ubi virtus Altissimi obumbrans cœlitus vice complexûs fuit, Spiritus sanctus illabens vice feminis masculini. Porrò nascens aperuit uterum, sed ità ut non convelleret claustra pudicitiæ virginalis. Atque hæc quidem est illius sententia: pro qua non est animus in præ-

sentia

sentia digladiari, etiamsi pugnat cum eo quod jam olim pia credulitas omnium animis infixit, Christum sine sordibus, sine nixu ac labore parturientis, clauso Virginis utero prodiisse. Quæ sane ut sunt dictu plausibilia nec irreligiosa, ità certis Scripturarum sacrarum testimoniis doceri non possunt. Certe Divus Ambrosius non abhorret ab illius sententia, hunc enarrans locum: nam commentarium his clausit verbis, *Qui enim vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur Propheta, hic est qui aperuit matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret.* Potest enim sic religiosè intelligi prodiisse clauso Virginis utero, ut virginei pudoris claustra non violarit.

25. *Et ecce, homo erat*] Ex his verbis colligit Theophylactus Simeonem non fuisse Sacerdotem, sed tantùm virum justum; ut ex omni hominum genere Christus haberet testimonium. Lyranus affirmat fuisse Sacerdotem, sed argumento planè frivolo. *Justitiæ* nomine *pietatisque* commendatur, non *sacerdotii.* ¶ *Et timoratus*] Εὐλαβὴς *pius* sive *religiosus.* Indè dicta vox quòd *reverenter ac circumspectè tractetur* aliquid.

26. *Et responsum acceperat*] Hic *responsum* accipe *oraculum*: ᾧ ἦν αὐτῷ κεχρηματισμένον, *erat illi promissum oraculo.*

27. *Parentes ejus*] *Ejus* non additur apud Græcos, ἐν τῷ εἰσαγαγεῖν τοὺς γονεῖς τὸ παιδίον, *cùm inducerent parentes puerum Jesum.*

29. *Nunc dimittis*] Ἀπολύεις. Annotavit hunc locum Augustinus lib. 4. De Vet. Instrumenti tropis, quòd rarò reperiatur de morte dictum. Nam ἀπολύειν uxor quæ repudiatur. Adducit locum qui est in Numeris 20. 29. *Et vidit omnis synagoga quia dimissus est Aaron*, pro quo nostra habet editio, *Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit*, &c.

31. *Ante faciem omnium*] Κατὰ πρόσωπον quod magis sonat *in conspectu.*

33. *Et erat pater & mater*] In Græcis aliquot cod. lego pro *pater*, *Joseph*; quod arbitror immutatum à quopiam qui verebatur Joseph vocare *patrem* Jesu, cùm postea ipsâ Maria vocet illum *patrem* Jesu. Certè Augustinus De consensu Euang. l. 2. c. 1. citat hunc locum juxta nostram lectionem.

34. *Et benedixit illis*] Quoniam proximè præcessit mentio patris, matris & filii, potest *illis* ad omnes referri. Nec est absurdum si quis dicatur *benedicere Christo*, sive optemus illi gloriam, sive prædicemus illius laudes. Optando dicimus Patri, *Sanctificetur nomen tuum.* Et in Psalmis, *Omnia opera Domini benedicant Domino.* Qui offenduntur *benedicendi* verbo, imaginantur talem fuisse Simeonis benedictionem qualis est hodie Episcoporum. Major enim benedicit minori. Olim parentes benedicebant filiis. Quid absurdi si Simeon senex ut pater benedicit puero, optans illi successum negotii ad quod erat missus? Verum est hæc benedictio. Cæterùm differentia quam quidam adferunt inter *benedico te* & *benedico tibi* planè ridicula est, cùm hoc ipso loco sit idem verbum Græcum εὐλόγησεν, & utrobique sit additus accusandi casus, τὸν Θεὸν, ac mox αἰνοῦντα, deinde cùm Ecclesia canter, *Benedicite cœli Domino.* Et tamen hanc retusam distinctionem multis convitiis docuit quidam τὰς μίξεις & Rabbinus Parisiensis, quod tamen citra ordinis contumeliam dictum videri velim, nequaquam dicturus nisi ipse libro prodito gloriaretur hoc se docuisse. ¶ *Cui contradicetur*] Ἀντιλεγόμενον *cui contradicitur*; ut absolutè accipiamus. Atque ità citat Augustinus cùm aliàs, tum verò Psalmum enarrans 88. Atque ità subinde adducit Origenes in homiliis quibus hunc explicat Euangelistam, si verax est titulus operis. Item Tertullianus lib. De carne Christi, *Et in signum*, inquit, *quod contradicitur.* Ac mox, *Agnoscimus*, inquit, *ergò signum contradicibile, conceptum, & partum virginis.*

35. *Et tuam ipsius animam*] Καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν, *Et tuam autem ipsius animam pertransibit.* Nec est otiosa conjunctio δὲ, significans mutari personam, & veluti novi doloris initium. Neque verò lubet hic referre varias interpretationes, quas Lyranus & Carrensis in hunc congerunt locum, quorum posterior etiam citat autorem Chrysostomum hujus sententiæ, quòd Simeon dixerit *tuam ipsius animam*, i. animam filii tui, quam ut tuam ipsius animam diligis: quanquam hoc ipsum commentum hausit ex Petro Comestore. Illud constat, *ipsius* non posse referri nisi ad *Mariam*, cùm sit αὐτῆς. Nec est quòd hîc prodigiosas interpretationes comminiscamur, cùm sensus sit expeditus, Fore ut Christo reclametur, & hinc nonnullam doloris portionem ad matrem rediturum. Cæterùm istos illoto sermoni magis assuetos offendit *tuam ipsius* elegantiùs dictum quàm pro illorum auribus. Quanquam venustius erat *penetrabit* quàm *pertransibit*, vel ob id quòd *pertransit* etiam quod præterit. Atque hinc hausisse videtur Augustinus lib. Quæstionum V. & N. Testamenti, quæst. 73. cùm scribit, Mariam quoque Jesu matrem nonnihil in fide vacillasse cùm videret exstinctum filium, sed tantisper donec à mortuis resurgeret: & ob eam causam *pertransit gladius*, quod hæc dubitatio non insederit illius animo, sed pertransierit duntaxat. Hæc quoniam præter publicam Theologorum opinionem dicta sunt, ne quis me vocet in jus, ipsius verba subscribam, *Quod autem adjecit, dicens*, ET TUAM IPSIUS ANIMAM PERTRANSIBIT GLADIUS, UT REVELENTUR MULTORUM CORDIUM COGITATIONES, *hoc utique significavit, quia etiam Maria, per quam gestum mysterium incarnationis Salvatoris, in morte Domini dubitaret, ità tamen ut in resurrectione firmaretur: omnes stupore quodam in morte Domini dubitarent. Quis enim non ambigeret videns cum qui se Filium Dei dicebat sic humiliatum ut usque ad mortem descenderet? Et quia, ut dixi, omnis ambiguitas in resurrectione Domini recessura erat,* PERTRANSIRE *dixit gladium, non superadere, aut contingere transeuntem membrum aliquod. Ut sicut gladius missus, pertransiens juxta hominem, timorem facit, & tamen non percussit, ità & dubitatio mœstitiam faceret, non tamen occideret, quia non sedit in anima, sed pertransiit quasi par umbram contingens corda Discipulorum.* Hactenus Augustinus. Theophylactus indicat intelligi posse vel de dolore Passionis, vel de subdubia cogitatione, cùm videret filium sic natum, tot miraculis clarum, in cruce mori. Nec arbitror ab hac sententia abhorruisse Chrysostomum, qui Mariæ tribuit nonnihil affectûs qualem habet matrum vulgus erga filios, de quorum factis sibi gloriæ nonnihil vendicant; *Considera*, inquit, *tam matris quàm fratrum importunitatem. Nam cùm debuissent intrare atque cum turbis simul audire, aut saltem exspectare foris sermonis finem, ac demum accedere, ambitione quadam ac ostentatione commoti foris cum in præsentia omnium evocaverunt*, &c. Idem enarrans Joannis Euangelistæ cap. 2. hom. 20. consimilem affectum tribuit Mariæ, *Optabat enim*, inquit, *ut jam hominum gratiam conciliaret, & fortassis aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres ejus cùm dixerunt, Ostende teipsum mundo.* Et aliquantò pòst, *Siquidem non adhuc debitam de ipso opinionem habebant, sed more matrum Maria jure omnia filio se præcepturam censebat, cùm tanquam Dominum colere & revereri oporteret.* Ad hæc is quisquis fuit qui scripsit homilias in Lucam, quas habemus ex Merlini cujusdam editione, Origeni inscriptas, apertiùs etiam docet scandali gladium attigisse Mariæ pectus; *Quid? putamus*, inquit, *quod scandalizatis Apostolis mater Domini à scandalis fuerit immunis? Si scandalum in Domini passione passa non est, non est mortuus Jesus pro peccatis ejus. Si autem omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei, justificati gratiâ ejus & redempti, utique & Maria illo tempore scandalizata est.* Ac mox ibidem, *Pertransibit infidelitatis gladius, & ambiguitatis mucrone ferieris, & cogitationes tuæ te in diversa lacerabunt*, &c. Idem hom. 20. Joseph & Mariæ tribuit fidem nondum perfectam, cùm puerum reprehensum è Templo abducerent. De quorum opinione aliorum facio judicium. Ego ut pro hac sententia nolim digladiari, ità non probo quorundam vel audaciam vel pertinaciam, qui quantum animo possunt imaginari tribuunt Mariæ, atque id ità tuentur quasi sit oraculum Euangelicum, hæreticum clamitantes si quis addubitarit. Cæterùm cùm Christus ineffabili novóque consilio redimere voluerit genus humanum, impiæ cujusdam audaciæ videtur si quis ei præscribere contendat quibus rationibus id egerit, præsertim in hujusmodi rebus quæ nobis certò sciri non queunt. Certè quod præsens munus attinet, multò aliud est Græcis διελθεῖν & παρελθεῖν, h. e. *Pertransire & præterire.* Atqui Lucas ait, διελεύσεται, h. e. *per medium ibit, & medium cor scindet.* Eamus nunc & ceu rem supervacaneam irrideamus Græcæ linguæ cognitionem, cùm hoc videamus accidisse tam insigni Ecclesiæ Doctori quòd Græcè vel parùm calluerit, vel non consuluerit. Quod tamen nemo sic interpretabitur quasi dictum sit in tam sacri Doctoris contumeliam, sed potiùs ad excitanda bonorum juvenum studia. Sunt enim quidam sic addicti certis autoribus ut protinus non ferendam contumeliam clament si quis vel unguem latum ab hoc aut illo discrepet. Franciscanus non fert usquam discedi à suffragio Lyrani, Prædicator non tolerat quicquam convelli ex Thomæ aut Carrensis placitis, Augustiniensis non patitur ab Augustino dissentiri. Atqui si hoc recipimus ut suum quisque autorem mordicus teneat, fiet tandem ut prorsus à nemine liceat dissentire, cùm ipsi autores inter sese non consentiant, imò cùm singuli à seipsis aliquoties dissentiant. Nullius autoritati debeat addictus

addictus esse qui veritatis agit negotium, neque par est hoc cuiquam hominem tribuere quod nec ipsi sibi postulant, & si postularent, tantò minùs erat tribuendum.

37. *Et hæc vidua usque*] Καὶ αὐτὴ χήρα ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, *Et hæc vidua circiter annorum octoginta quatuor.* Interpres legisse videtur ἕως pro ὡς. Quod tamen ità est accipiendum ut annorum numerus non ad ætatem mulieris pertineat sed ad spatium viduitatis, in qua tot annos perseverarat. Id palàm ostendit Ambrosius, *Non otiosè tamen*, inquiens, *annos octoginta quatuor viduitatis expressit.* Ità quidem Ambrosius; etiamsi subdurum est creditu tantum annorum exactum fuisse à conjugio, nisi vehementer annus fuit, aut admodum maturè nupsit. ¶ *Obsecrationibus*] Δεήσεσι. Miror quare displicuerit Interpreti *precibus*, aut *deprecationibus*, cùm *obsecratio* aliud quiddam significet, nempe *quoties per rem sacram obtestamur*; quod Græci vocant παράκλησιν. ¶ *Serviens*] Incertum an hi dativi Græcis sint ad aliquid, an instrumentales, veluti dicas, *servio lucro*, & *servio corpore*; h. e. an intelligendum *illam servisse Deo*, an *eam illum coluisse talibus victimis jejuniorum & deprecationum.*

38. *Hæc ipsa horâ*] Αὐτῇ τῇ ὥρᾳ. Clarius erat *eâdem horâ.* ¶ *Superveniens*] Ἐπιστᾶσα *assistens.* Quod autem Valla monet frivolum est: potest enim supervenire dum hæc fiunt, quæ tamen in aliqua Templi parte fit. ¶ *Confitebatur Domino*] Ἀνθωμολογεῖτο. Non est simpliciter *confitebatur*, sed *confessione respondebat*: ut referatur ad confessionem Simeonis & aliorum, quorum hæc confessioni respondebat. ¶ *Redemptionem Israel*] Non est *Israel* in Græcis, sed *in Hierusalem*, ἐν Ἰερουσαλήμ. Vetustissimi cod. habent *Hierusalem* absque præpositione. Et ità legit D. Irenæus: item Augustinus De consensu Euang. lib. 2. c. 5. nec aliter legit Beda.

40. *Et confortabatur*] Græci cod. addunt *Spiritu*, τῷ πνεύματι. ¶ *Plenus*] Non est nomen πλήρης, sed πληρούμενον, quod indicat illum jam impleri accessu ætatis, non quòd proficeret hominum vulgarium more cum ætate, sed quòd paulatim emicaret in illo Divina gratia, nè res ante tempus prodigiosa videretur. Ità quidem Theophylactus mecum faciens, quod quidem attinet ad emphasim participii. Cæterùm vix hominum est definire quomodo & quatenus Divina natura sese communicaverit humanæ naturæ in Christo.

41. *Per omnes annos*] Κατ' ἔτος *annuè*, sive *in singulos annos*, sive *quotannis.* ¶ *In die solemni Paschæ*] Τῇ ἑορτῇ τῶν πάσχα *in festo Paschæ.* Quorsum enim pertinebat periphrasis?

43. *Cùm redirent*] Dilucidius erat si addidisset *illi*, eò quòd mox consequitur *remansit puer Jesus:* & Græcè est ἐν τῇ ὑποστρέφειν αὐτούς. Hoc pronomen ut aliàs citra incommodum nonnunquam omittitur, ità hoc loco commodum erat addere. ¶ *Et non cognoverunt parentes ejus*] Græci cod. habent, καὶ οὐκ ἔγνω Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, *& non cognovit Joseph & mater ejus:* quod & ipsum mutatum arbitror, præsertim cùm in nonnullis exemplaribus secùs habeatur, nempe οἱ γονεῖς αὐτοῦ *parentes ejus*, quemadmodum paulò superiùs.

44. *In comitatu*] Ἐν συνοδίᾳ. Quod propriè sonat *comites & socios ejusdem itineris.*

47. *Stupebant autem*] Ἐξίσταντο, quod significat *vehementem admirationem*, aut *metum*, *ità ut quis non sit apud se:* cui finitimum est illud quo mox utitur ἐξεπλάγησαν, q. d. *attoniti facti sunt.*

50. *Et ipsi non intellexerunt verbum*] Hoc sanè loco ῥῆμα positum est pro *sermone*, sive *dicto.* Quid autem facient huic loco quidam qui sedulò magis quàm circumspectè B. Virgini ferè tantum tribuunt felicitatis jam indè ab initio quantum nunc possidet? Certè non obscurè locutus est Christus, & tamen subjicit Evangelista *ab illis non fuisse intellectum quod dixerat Jesus.* Quin & illud annotandum, quàm non blandè respondet parentibus puer objurgatus, imò penè objurgat objurgantes. Neque enim hoc veritus est dicere Ambrosius: sic enim ille scribit hunc in locum, *Duæ sunt in Christo generationes; una est paterna, materna altera; paterna divinior, materna qua in nostrum laborem usúmque descendit. Et ideo qua supra naturam, supra ætatem, supra consuetudinem sunt, non humanis assignanda virtutibus, sed Divinis referenda sunt potestatibus. Alibi cum ad mysterium mater impellit, hic mater arguitur, quia adhuc qua humana sunt exigat.* Cæterùm in his quæ sequuntur suspicor subesse mendum. *Sed cum*, inquit, *hic duodecim describatur annorum, illic discipulos habere dicatur, vides matrem didicisse à filio, ut exigeret à validiore mysterium, qua stupebat in juniore miraculum.* In libris enim emendatioribus ità legitur, *Vidas matrem didicisse à filio, ut exigeret à validiore miraculum, qua stupebat in juniore mysterium.* Priùs enim obstupuerat cùm reperisset in medio Doctorum: ità Lucas ἰδόντες αὐτὸν ἐξεπλάγησαν: hinc fiduciam concepit ut in nuptiis flagitaret miraculum. Sed in priore loco *ad mysterium mater impellit* haud dubium est quin legendum sit *ad ministerium*, h. e. ad obsequium: legitur enim, *Et subditus erat illis. In juniore stupebant mysterium*, quia legitur, *Et ipsi non intellexerunt verbum:* Mysterium occultum est. Obsequium igitur filii pueri docuit matrem ut in nuptiis à grandiore exigeret ministerium. Adeò Christus suum negotium, quod totum à cœlo pendebat, purum esse voluit ab humanis affectibus; nec hic ullam hominis autoritatem passus est admisceri. Sic & Petrum admonentem ne iret Hierosolymam statim rejecit, *Abi retro, satana.* Nunc humanis cupiditatibus geruntur omnia, quæ tamen cum primis cœlestia videri volumus. Tum inter docendum à matre & fratribus interpellatus parùm blandè respondet, *Quæ est mater mea?* Similiter & in nuptiis compellatus de vino deficiente. Hoc quòd arguit interpellantis est; quòd non intellectus obtemperat, obsequii est, quæ res & illi conveniebat ætati, & parentum infirmitati obsecundabat. Quidam metum parentum ad unum Joseph referunt, similiter & objurgationem Filii, *Quid est*, &c. Postremò & illud, *Et ipsi non intellexerunt verbum*, quasi nihil horum convenerit in Virginem, quæ non tam solicita fuerit de Filio nè quid illi horum accidisset quàm nè quid ipsi per negligentiam omisissent. Equidem ut fateor esse pium affectum illorum qui Virgini sanctissimæ dotes quàm perfectissimas tribuere gaudent, ità non nimiùm abest à periculo temeritatis præter autoritatem Scripturarum definire quibus gradibus Christus matrem suam ad perfectam sui cognitionem evexerit.

51. *Et erat subditus illis*] Ὑποτασσόμενος, *subjiciebatur*, i. obsecundabat. Nec enim statim minor est qui obsecundat. Sæpenumero pater obsecundat filio, dominus servo, non ex necessitate, sed ex humanitate. Durum est quod asseverant quidam, Christum etiam in Euangelico negotio debuisse maris obedientiam, cùm qui sempubl. administrat non teneatur authoritate patris. Neque enim patris est Episcopo præscribere quomodo debeat administrare doctrinam Euangelicam. Sed multò durius est quod iidem docent, B. Virginem etiam nunc ut homini posse imperare Christo; & hoc esse quod canit Ecclesia, *Monstra te esse matrem*; *sumat per te preces*, &c. i. Præcipe Filio tuo ut nos exaudiat. Hoc si verum est, mater imploranda est potiùs quàm Filius, nec omnis potestas tradita est Christo etiam juxta naturam humanam, si tenetur matris imperio. Nec illa Filio remisit adhuc jus maternum, cùm Pater Filio tradiderit *omnem potestatem in cœlo & in terra.* Jus civile per emancipationem consuluit libertati filiorum, & Christus adhuc in potestate matris est. Jam illud qui convenit, quòd negant in contrahendo matrimonio liberos teneri potestate parentum, similiter nec in professione vitæ monasticæ, & Virgini matri fuisse jus præscribendi Filio in negotio Euangelico? Filiis ideo præcipitur obedire parentibus quòd ætas imprudens egeat alienis consiliis. Nec tamen parentibus arbitror perpetuum esse jus præscribendi filiis quæ velint. Dominus non egebat maternis monitis, ad exemplum tamen præstitit summam obedientiam non tantùm matri, sed etiam Joseph, qui pater non erat. Durum mihi verbum videtur in Christo, *debuit obedientiam.* Qui debet, peccat nisi præstet. Clamare solent, *Hæc offendunt pias aures.* At ista certè offendunt aures meas. Verùm hæc παράδοξα missa faciamus.

52. *Et Jesus proficiebat*, &c.] Non me fugit quibus rationibus explicent hunc locum interpretes, Christum profecisse, non quòd illi quicquam accesserit à tempore quo conceptus est in utero matris, sed quòd dotes suas, quibus erat cumulatissimus, magis ac magis exprimeret exereretque, idque tum apud homines, quorum saluti consulebat, tum apud Deum, cujus gloriam illustrabat. Rursum sunt qui sic expediant, ut dicant Christo dotes easdem aliter contigisse, & quod priùs afflatu tenebat mox usu studióque humano comparasse. Quorum ego sententiam non refello: tantùm illud velim expendat lector, num incolumi fidei sinceritate sentiri possit, cùm extra controversiam sit dotes omnes quibus præditus fuit Jesus ut homo beneficentiæ fuisse Divinæ, Deitatem per gradus quosdam eas impertisse naturæ humanæ assumptæ, præsertim cùm id apud Lucam eodem capite bis legamus. Ait enim paulò superiùs, *Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientiâ.* Quod enim corroboratur, auctu quodam virium fulciri videtur. Ac rursum apertiùs hoc loco, *Et Jesus proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & apud homines.* Cùm enim

enim tria conjungat, *ſapientiam*, *ætatem*, & *gratiam*, ſicut verè profecit ætatis acceſſu, ità verè profeciſſe videtur dotium incrementis. Nam quod adferunt quidam, Jeſum ab initio gratiâ plenum fuiſſe, non impedit profectum, cùm idem de Joanne déque aliis dictum ſit quibus gradus & acceſſionem virtutum nihilo ſecius tribuimus. Neque verò proinde nos moveat ſi id pugnet cum aliquo placito Scholaſticorum, aut alicujus hominis opinione; ſed an quod apertè ſcripſit Lucas fidei ſinceræ adverſetur, cui ſemper eſt modis omnibus adhærendum. Atque hoc ipſum quicquid eſt haud alio ſtudio propoſui quàm ut lector pius & eruditus ſecum expendat. Jam illud etiam excutiendum, cur Ætatem mediam fecerit inter Sapientiam & Gratiam, cùm ætati ceu parti leviſſimæ primus locus magis competere videatur: niſi fortè *ætatis* vocabulum hic omnes dotes complectitur quas anni ſuboleſcentes ſolent advehere. Rurſum *gratia* anceps eſt, an ſentiat eum profeciſſe dotibus Divinitus infuſis, an gratioſiorem fuiſſe factum commendatione virtutum in eo ſeſe proferentium. Cæterùm quod hîc vertit *ætatem*, eadem vox eſt Græcè quam Matth. 6. 27. tranſtulerat *ſtaturam*, nimirum ἡλικίαν· item hujus ipſius Euangeliſtæ 19. 3. *Quia ſtaturâ puſillus erat.*

V A T A B L U S.

1. EXiit *editum à Cæſare Auguſto*] Vel, *decreto ſanxit Auguſtus.* ¶ *Deſcriberetur*] *Conferatur.* Magiſtratus *cenſus*, populus *profiteatur.*

2. *Syria*] i. Palæſtinæ, quæ in Syria eſt. ¶ *Cyrino*] *Cyrenio.*

3. *Profiterentur*] Vel, *conferentur:* vel, *deſcriberentur.* ¶ *Civitatem*] In qua ſcilicet nati fuerant.

4. * *Civitatem*] * *In*, Vet.

5. *Deſponſata ſibi uxore*] Vel, *quam uxorem duxerat.*

7. *Pannis*] *Faſciis:* & infrà. ¶ *Ei*] Vet. *eis.*

8. *Et paſtores erant*] *Erant autem paſtores.* Hebr. ¶ *Vigilantes*] *In agris ſtabulantes.* ¶ *Cuſtodientes*, &c.] *Vigilantes:* i. cuſtodientes gregem ſuum nocte.

9. *Dei*] *Domini:* i. immiſſa à Domino.

10. *Euangelizo vobis gaudium magnum*] Hebr. pro, *affero vobis lætum nuncium gaudii magni.*

11. *Quia*] Sub. *Dico enim, quod.* ¶ *Vobis hodie Salvator*] Hebr. pro, *veſter hodie Salvator.*

14. *Et in terra*] Hebr. & pro *nam.* ¶ *Pax*] *Tranquillitas:* i. Pacificator eſt inter homines, qui eos Deo reconciliet, qui offendit benevolentiam Dei erga homines. ¶ * *Hominibus*] * *In*, Vet. ¶ *Bona voluntatis*] *Bona voluntas;* Vel, *beneplacitum*, & *amicus ac benevolus affectus Dei erga homines:* i. grati ſunt homines Deo propter Chriſtum natum.

15. * *Paſtores*] * *Homines.* ¶ *Loquebantur adinvicem*] Vel, invitabant ſe verbis mutuò. ¶ * *Uſque*] * *Jam:* vel, *igitur.* ¶ *Hoc verbum quod factum eſt*] Hebr. pro, *id quod accidit.* ¶ *Quod fecit Dominus*, &c.] *Quod notum fecit nobis Dominus.*

17. *Cognoverunt de verbo*, &c.] *Divulgarunt eam rem quæ dicta fuerat.* ¶ *Puero*] *Puello.*

18. *Audierant*] *Audierunt*, Vet.

19. *Conſervabat*, &c.] i. Verba hæc omnia memoriæ mandabat, conferens apud ſeſe alia cum aliis.

20. *In*] *Super.* ¶ *Eſt*] *Fuerat.*

22. *Dies purgationis ejus*] i. dies quibus contineretur ſe domi impunitatem ſimulans, nè Legis tranſgreſſionis accuſaretur. ¶ *Sisterent*] Vel, *conquendarent.*

23. *Adaperiens vulvam*] Hebr. pro, *primogenitum.* ¶ *Sanctum Domino vocabitur*] Hebr. pro, *Domino conſecrabitur.*

25. *Et ecce*] Vel, *Ecce tum.* ¶ *Timoratus*] *Pius:* vel, *religioſus.* ¶ *Erat in eo*] Vel, *ſuper eum*, i. fovebat eum.

26. *Et reſponſum acceperat*] *Eráque ei oraculum editum:* i. oraculo promiſſum.

27. *In Spiritu*] Hebr. pro, *impulſus à Spiritu.* ¶ *Secundùm conſuetudinem legis*] i. ſecundùm id quod Lege jubente fieri ſolebat.

28. *Et*] *Tum.* ¶ *Benedixit*] *Laudavit.* Hebr.

29, 30. *Nunc dimittis*, &c.] i. Jam fines hinc migrare: vel, Jubebis decedere ſervum tuum, idque cum ſumma lætitia, quòd Salvatorem, quem promiſeras, viderim.

31. *Ante faciem omnium populorum*] i. omnibus hominibus, ut in illud omnes homines defigant oculos exſpectatores ab eo ſalutem.

32. *Lumen*, &c.] Hebr. pro, ut lucem inferat Gentibus, & diſcutiat ab eorum mentibus tenebras: & ut ſit Judæis gloriandi materia, cùm viderint eum quem tamdiu exſpectaverunt.

34. *Et benedixit*] Hebr. *Poſtea bene precatus eſt.* ¶ *Ecce, poſitus eſt hic in ruinam*, &c.] Hebr. q. d. Hic cauſa erit quamobrem multi Iſraelitæ cadent, ſive peribunt; & multis rurſus erit cauſa ſalutis: breviter, vexillarius erit & dux cui multi adverſabuntur. Quin & ad te ex ea re, quòd ità illi contradicetur, juſtus dolor perventurus eſt: atque ità fiet ut quod in multorum cordibus latuerit manifeſtum fiat, dum alii fidem ei habebunt, alii contrà illum oppugnabunt.

36. *Proceſſerat in diebus multis*] Hebr. pro, *ætatis provectæ erat.*

37. *Uſque ad annos*] *Ferme erat annorum.* ¶ *Templo*] i. atrio. ¶ *Serviens*] i. jejunando ac precando.

38. *Superveniens*] *Cum adſtitiſſet.* ¶ * *Confitebatur Domino*] * *Viciſſim.* Hebr. pro, Deum laudans, teſtimonium reddebat quòd Chriſtus veniſſet. ¶ *Iſrael*] *In Jeruſalem*, Vet.

40. *Confortabatur, plenus*] *Corroborabatur Spiritu, implebaturque.* ¶ *Et gratia Dei erat in illo*] Hebr. nam Deo erat gratiſſimus.

41. *Parentes*] Vel, *Joſeph & mater.* Sic legunt quædam Græca exemplaria.

47. *Prudentia*] *Intelligentia.*

48. *Videntes* *] * *Eum.* ¶ *Admirati*] *Attoniti.*

51. *Omnia verba hæc*] *Omnes res hæc.*

52. *Ætate*] *Staturâ.*

C A S T A L I O.

14 ET *in terra pax, erga homines benevolentia*] *Pax*, ut alibi declaravimus, omnes felicitatis numeros complectitur: *eudoxia* autem nos *benevolentiam* interpretamur, quæ eſt quæ Hebraicè רצון appellatur, ſignificárque *ſtudium*, *favorem*, *cupiditatem*, *benevolentiam*, quæ aliàs χάρις appellari ſolet: à verbo *eudoxeō bene velle*, aut *acceptum gratumque habere*, & *alicujus cupidum ac ſtudioſum eſſe*, *eique favere.* Quod autem dicit ἐν ἀνθρώποις *eudoxia* idem eſt quod εἰς ἀνθρώπους *erga homines.* Nam ἐν pro εἰς ſæpe ſcribunt autores ſacri: & *eudoxia* utroque modo ponitur; nam & εἰς ὃ *eudoxeī ἡ ψυχή μου*, & ἐν ᾧ *eudoxeō*, illud Matth. 12. 18. hoc 3. 17. Itaque tam poteſt dici *eudoxia ἐν ἀνθρώποις*, nomini eadem tribuendo quæ verbo, quàm Latinè *domum reditio* dicitur, ſicut *domum redire.* Eſt igitur hæc hujus loci ſententia, *Eſto pax in terris, quæ pax eſt Dei erga homines amor, ſtudium atque favor:* h. e. quæ felicitas eſt Dei muneris ac liberalitatis. Lege diligenter primum caput ad Epheſios, & invenies totam hanc ſententiam copioſiſſimè explicatam.

22. *Tulerunt eum Hieroſolymam*] Ἀνήγαγον pro ἀνέβιβασαν poſitum eſt; ſicut contrà εἰσῆγεν ſive ἔφερεν pro ἄγειν ſæpe ponitur in S. literis. Itaque locum hunc bene vertit Vetus interpres. Nam *adducendi* quidem verbum ponimus in eo qui pedibus eat; id quod de Chriſto eâ ætate dici non poteſt.

25. *Erat vir*] Ἰδὺ & ἴδε non ſemper *en* aut *ecce* ſignificat, ſed ſæpe temporis eſt; ut Marc. 4. Ἰδὺ ἐξῆλθεν ὁ σπείρων, h. e. *Aliquando profectus eſt ſator.* Nonnunquam demonſtrantis eſt, ut ſit idem quòd *ſcito*, aut *ſcitote*; ut Luc. 1. ᾗ ἰδὺ ἴσῃ σιωπῶν, *Scito te fore mutum.* Aliquando idem eſt quod μέλλω, futurum tempus ſignificans; ut Matth. 11. ἰδὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου. *Ego miſſurus ſum angelum meum.* Eſt & *cùm*, Luc. 15. ἰδὺ τοσαῦτα ἔτη δουλεύω σοι, &c. *Cùm tot annos tibi ſerviam.* Item *cùm tamen*, 2 Cor. 6. ὡς ἀποθνήσκοντες, καὶ ἰδὺ ζῶμεν, *Perinde ac morientes, cùm tamen vivamus.* Atque hæ tot hujus vocis notiones non ſunt Græcæ vocis ἰδὺ propriæ, ſed Hebraicæ הן, ſive הנה, quæ præter ea quæ diximus ſignificat *Eſto ſane*, aut *Finge*, *Pone ità eſſe*, Pſal. 78. & Exo. 3. *Scilicet*, Eſa. 58. *Imerea*, Ezech. 9. *Si*, aut *Quid ſi?* Ezech. 15. *Jam*, Luc. 13.

30. *Salutem tuam*] Cujus tu autor es.

34. *Scio hunc multorum vel caſui*, &c.] Et eſt in Græco, & ità pronendum eſt. Chriſtus improbis pernicioſus eſt eorum culpâ, probis ſalutaris. Eſt item quoddam quaſi vexillum populis expoſitum, ad quod confugiant, ſi ſalvi eſſe velint. Sed id vexillum oppugnabunt multi, verúmque negabunt eſſe. Tu quoque Mariæ, graves dolores perferes, dum hic in crucem agetur: quod dum fiet, apparebit quali quiſque mente ſit: nam ſecundis rebus multos ſectatores habebit, ſed rebus adverſis paucos:

paucos: ex quo apparebit, paucorum ſinceram eſſe mentem: amicos enim adverſa declarant.

CLARIUS.

7. *Filium ſuum primogenitum*] Primogenitus eſt is ante quem nemo natus eſt, etiam ſi poſt eum nemo naſcatur. Fuit ergò & *primogenitus* & *unigenitus*. ¶ *Et reclinavit eum in præſepio*] Voluit hâc itineris occaſione Deus non ſolùm impleri Prophetiam illam quæ naſciturum in Bethleem Chriſtum prædixerat, verùm etiam præbere hominibus humilis vitæ ſectandæ exemplum, dum Filius ille per quem facta ſunt omnia in ſtabulo naſcitur, & loci penuriâ reclinatur in præſepio. O ingratum noſtrum genus, & ſtolidum etiam! Vide præterea, ut declarari etiam voluit Paſtoribus, ſimplicioris vitæ hominibus, & illis primùm tam ſalutiferum toti orbi omnium terrarum nuncium afferri.

14. *Hominibus bona voluntas*] Εὐδοκία, quam Chryſoſtomus interpretatur *reconciliationem*: ut ſit ſenſus, Reconciliari vult Deus & benignè facere generi hominum. De qua reconciliatione ait Paulus, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputans eis peccata ſua; & poſuit in nobis ſermonem reconciliationis. Itaque nomine Chriſti legatione fungimur, tanquam Deo vos obſecrante per nos: rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo.*

19. *Conferens in corde ſuo*] Cernis iterum prudentiam matris Dei? Colligebat cum his omnibus pulchrè convenire verba Gabrielis, nec tamen hæſitabat qui fieri poſſet ut è tam inopi & tenui vitæ ſtatu prodirent tam ingentia promiſſa.

27. *Venit in Spiritu*] h. e. in illa Spiritûs revelatione.

29. *Nunc dimittis*] Nunc, inquit, libens migro, poſtea quam oſtendiſti quod mihi pollicitus fueras.

32. *Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam populi tui Iſrael*] Proprium cuique tribuit. Nam *gloriam Iſraelis* appellavit, quia ex Judæis Chriſtus; & *lumen Gentium*, quæ nimirum, ut ait Eſaias, *ſedebant in tenebris.*

34. *In ruinam & in reſurrectionem*] Idcirco appellatus eſt *lapis offenſionis*, non credentibus videlicet; credentibus autem *lapis electus & pretioſus.* ¶ *In ſignum*] Sunt qui laborent quærendo quid velit illud *ſignum.* Sed advertendum eſt hanc eſſe metaphoram acceptam ab iis qui jaculantur, propoſito ſibi aliquo ſigno: Erit, inquit, tanquam *ſignum*, contra quod adverſarii quaſi jaculaturi ſint, dum ei adverſabuntur.

35. *Tuam ipſius animam*] Ex Chriſti cruce & ejus prædicatione utrumque eſt conſecutum, ut *gladius animam pertranſierit* Matris, & *retecta ſint multa hominum cogitationes.* Occultè mihi videtur ſignificaſſe futurum ingentem in animis hominum motum, & omnino novum, atque antea non auditum mundo.

46. *In medio doctorum*] Et hoc fuit maximum Divinúmque conſilium, ut, poſt miracula quæ in Domini infantia ſunt declarata, etiam duodecennis ſe oſtenderet, ac Doctores interrogaret, proculdubio de Chriſto & de tempore adventûs illius ut cùm factus jam vir prædicaret, poſſet faciliùs ex iis quæ præceſſerant agnoſci quis eſſet.

51. *Et erat ſubditus illis*] Quid mirum? Filius parentibus. Sed cogitabat Euangeliſta, quaſi admirans Majeſtatem illam Filii Dei tot annis ſubjectam fuiſſe Mariæ & Joſeph.

52. *Apud Deum & homines*] In iis quæ vel ad Deum vel ad homines pertinerent. Sic enim videtur rectius, ut ſervetur quod omnes affirmant, eum ſemper fuiſſe perfectum, ſed tum videri proficere cùm ſeſe aperiret.

ZEGERUS.

2. HÆC *deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino*] *Prima* dicitur hæc deſcriptio, vel earum quæ univerſum terrarum orbem concluſerint, nam pleræque jam terrarum partes leguntur fuiſſe recenſitæ, ut liquet ex 2 Sam. 24. de numeratione Davidica, & ex Joſephi libris vel ipſius Cyrini, quòd videlicet *hæc deſcriptio Cyrenio præſidente Syriæ*, ut Græcè eſt, vel *à Quirino Præſide, facta prima fuerit.* Fiebat autem ejuſmodi deſcriptio ſive recenſio, ut quiſque ex Cæſario mandato ſeſe declararet quàm eſſet potens in poſſeſſionibus & facultatibus, idque propriis datis & conſcriptis nominibus; úrque ſinguli teſtarentur atque agnoſcerent Romano ſeſe ſubjectos imperio, dato in hoc, ut nonnulli volunt, denario miſmare cenſûs, aut certo aliquo tributo. Syria ampliſſimum quondam Regnum fuit, cujus frequens mentio eſt tum aliàs, tum libro 2 Reg. 8. quæ inter cæteras regiones etiam Palæſtinam complectitur, ut teſtis eſt Plinius lib. 5. cap. 12. Hebraicè *Aram* vocatur, ab Aram filio Sem.

3. *Ut profiterentur*] Quos nos *profiteri* dicimus reſpectu eorum qui cenſentur, & *deſcribere* ſive *cenſere* reſpectu eorum qui cenſent, utrumque uno verbo ἀπογράφεσθαι dixit Euangeliſta; quo factum eſt ut Interpres priori loco verterit *ut deſcriberetur univerſus orbis*, poſteriori *ut profiterentur ſinguli.* Apud Petrum Chryſologum tamen pro *deſcriberetur* legitur *ut profiteretur univerſus orbis*, Serm. 175.

7. *Primogenitum*] *Primogenitus eſt non poſt quem alii, ſed ante quem nullus eſt genitus*, Hieron. contra Helvid.

8. *Vigilantes*] Docet quidam Græcarum literarum peritiâ haud vulgariter inſtructus ἀγραυλοῦντες propriè ſonare, quemadmodum Theophylactus enarrat, *ruſticantes*, i. ruri agentes, ſive *in agro ſtabulantes. Nam hinc*, inquit, *eſt compoſita dictio*, ἀγρὸς *ager*, αὐλὴ *ſtabulum.* Deinde rationem ſubdens cuſtodiendi gregis in Anglia & aliis quibuſdam regionibus ubi magna eſt ovium copia, *In ſeptis*, inquit, *noctu ſervantur greges ob incurſum luporum: verum ea ſepta in agris ſunt.* Euthymius tamen aliam hujus vocis etymologiam ſignificantiámque indicans, Ἀγραυλοῦν, inquit, *quidam interpretantur* ἐν ἀγρῷ αὐλεῖν, *alii verò* ἐν ἀγρῷ αὐλίζεσθαι· quorum prius ipſe Euthymii interpres vertit *tibiâ canere*; nam αὐλὸς *tibiam* & *fiſtulam* ſignat: poſterius *in agro degere*, ſive *pernoctare:* quod poſtremum cum Eccleſiæ lectione conſentit, (nè quis eam reprehendendam putet) ut intelligamus id quod ſequitur, *cuſtodientes vigilias noctis*, vel φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς *cuſtodientes cuſtodias noctis*, quaſi explanativum eſſe illius *vigilantes.*

14. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*] Cùm ità legant antiquiſſimi quique ſcriptores tam Græci quàm Latini, admodum probabile eſt ſcribarum incuriâ aut temeritate factum ut nunc *eudocia* per *o* ſimplex, non per *ω* diphthongon, ſcriptum cernatur; maximè cùm facillima ſit oblivio in uno apiculo: ut ſileam etiam olim non conſueviſſe ſcribi ejuſmodi, ſed neque accentus quidem. Illud *bonæ voluntatis*, quod Græcè eſt *eudocia* caſu videlicet nominativo (nam ità hodie legitur) poteſt referri vel ad *Deum*, ut cum *pax* conſtruatur hoc pacto, *hominibus in terra ſit pax Divinæ beneplaciti*, id quod Græcè per quandam veluti appoſitionem ἐφώνησε cum *eudocia* haberi poteſt, (ſi tamen *eudocia*, & non potiùs *eudociæ*, aut certè *eudociæ* ſcribendum eſt) vel ad *homines*, ut cum *hominibus* conſtruatur hoc pacto, *Et in terra pax hominibus, iis videlicet qui bonæ ſunt voluntatis.* Et quamquam hanc ſententiam hodierna Græcorum lectio non recipiat, Chryſoſt. tamen (ut Ambroſ. & reliquos ſileam) ſermone De nativitate Domini apertè eam conſpicitur ſecutus: ſic enim hunc locum enarrat, *Videte*, inquit, *quod dicitur*; IN COELIS GLORIA, *ubi nulla diſſenſio eſt:* IN TERRA PAX, *ubi bella quotidie. In terra pax*; *In quibus pax?* IN HOMINIBUS BONÆ VOLUNTATIS. *Et quare Gentiles pacem non habent? quare Judæi pacem non habent? Ideo adjecit*, PAX IN HOMINIBUS BONÆ VOLUNTATIS, *h. e. qui ſuſcipiunt natum Chriſtum.* Huc accedit quòd paſſim in ipſius homiliis ſcriptum legimus, *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Hom. in Matth. 26, & 36. Priorem verò ſententiam idem hom. in epiſt. ad Col. 3. (ſi modò non fallit nos vel libri titulus vel ipſius interpres) ſecutus videtur. Ità enim legimus juxta Muſculi verſionem, *Propterea gratias agentes dicimus, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas. Ecce*, inquit, *& homines deinceps apparuerunt comiter ac placide ſe habentes. Quid eſt Bona voluntas? Concilians. Non enim ampliùs interſtitium eſt cælum.* Præterea qui dubitat an *eudocia* etiam ad homines pertinere poſſit, propterea quòd quidam ex recentioribus neget aptè dici *eudocian hominis erga Deum*, ſciat de humana *eudocia* tum aliàs tum apud Sirach Eccleſ. 18. ſcriptum eſſe, Ἐὰν χορηγήσῃς τῇ ψυχῇ σου εὐδοκίαν ἐπιθυμίας, ποιήσει σε ἐπίχαρμα τοῖς ἐχθροῖς σου, *Si præſteteris animæ tuæ concupiſcentiæ beneplacitum, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Et apud Paulum Rom. 10. 1. ἡ μὲν εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας, καὶ ἡ δέησις ἡ πρὸς τὸν Θεὸν, *voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum.* Porrò quòd quidam ſentiunt locum hunc in tres ſecandum particulas, reddendàque ſingula ſingulis, nempe *gloriam* uni *Deo in altiſſimis*, *Terræ pacem*, *Hominibus bonam voluntatem*, mihi ſanè non admodum probatur, tum quòd copula & non niſi binas poſtulet particulas, tum quòd apud vetuſtiores ſolidioréſque ſcriptores idipſum non reperiatur. Nam Irenæus & Hieronymus in Matth. 28. veterem noſtram ſcribunt lectionem,

quæ

Digitized by Google

quæ eam diſtinctionem non admittit; itidem & Origenes, ità habens apud ſuum interpretem, *Gloria in excelſis Deo, & ſuper terram pax in hominibus bona voluntatis:* quibus conſentit Pontianus p. 1. & Hilarius l. 2. De Trin. atque Chryſoſtomus, ut ſuprà patet. Hos itaque ſequi malim quàm Euthymium, Theophylactum, & neotericos, qui ab illis diſſentiunt.

15. *Paſtores loquebantur*] Redundat hoc loco ὁ ἄνθρωπος & *homines*, utpote quod apud nullum invenias interpretem veterem. ¶ *Videamus hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis*] Ità lego in exempl. veruſtis, conſentientibus & Græcis; nè quis putet inſerendum, *quod fecit Dominus, & oſtendit. Verbum* autem ponit pro *re* aut *opere*. Ità enim Hebræi *verbi* ſive *ſermonis* vocabulo uti conſueverunt. Ut Iſa. 39. 2. *Non fuit verbum quod non oſtenderit eis Ezechias in domo ſua.* Ubi & paulò inferiùs ſequitur, *Non fuit res quam non oſtenderim eis in theſauris meis:* ubi utrobique eſt דבר *verbi* vocabulum. Et 2 Sam. 1. 4. *Quod eſt verbum quod factum eſt? Indica mihi.* Unde etiam Marcus Euangelii ſui cap. 1. 45. leproſum illum quem Dominus curarat *diſſeminaſſe ſermonem* commemorat.

17. *Videntes autem cognoverunt de verbo quòd dictum erat illis de puero hoc*] Ne ſermonis fallaris ambiguitate, ſcito *quod* hic eſſe relativum: Et *cognoverunt* dixit pro *certiores facti ſunt de verbo.* Quod autem hujus loco in archetypo ſcribitur διεγνώρισαν anceps eſt ad *cognoverunt* ſeu *certiores facti ſunt*, & *divulgaverunt:* quod poſterius magis quadrat cum eo quod ſubjicitur, *Et omnes qui audierunt mirati ſunt.*

22. *Dies purgationis ejus*] Incertum eſt quò potiùs referendum ſit *ejus:* ordo tamen ſermonis magis poſtulat ut ad *puerum* pertineat, & *purgationem* hic ceremonias illas accipiamus quibus & mater & fœtus ipſe luſtrabatur. Unde etiam Origenes plurativè αὐτῶν & legit & interpretatur, cùm in aliis αὐτῆ, in aliis verò αὐτῆς ſcriptum ſit. Nihil tamen vetat quò minùs *dies purgationis* XL illos dies accipiamus quibus B. Virgo domi ſe continuerat, nè violatæ incuſaretur legis.

25. *Timoratus*] Εὐλαβὴς, *religioſus, providus.*

27. *Venit in Spiritu in templum*] h. e. Spiritu S. inſtigante Templum ingreſſus eſt.

32. *Lumen ad revelationem Gentium*] h. e. ut lucem Gentibus inferat, diſcuſſis tenebris excitatis, ignorantiæ & peccatorum. *Revelationem* ſiquidem viſûs reſtitutionem vocat, teſte Euthymio.

35. *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*] Referenda ſunt hæc non propriè ad proximè præcedentia, ſed ad ſuperiora potiùs, nimirum ad, *Poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur, ut revelentur*, &c. Cæterùm ut conſecutionem hîc dicit, non Cauſam.

37. *Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor*] Perinde eſt acſi dicat, *Vidua erat annis ferè quatuor & octoginta.*

38. *Qui exſpectabant redemptionem Jeruſalem*] *Jeruſalem* ablativi caſûs eſt, aut dativi; ut intelligas locum deſignari ubi hæc facta eſt redemptio. Græcorum codices *Jeruſalem* habent, adſtipulante Irenæo lib. 3. cap. 11. atque Auguſtino De conſ. Euang. lib. 2. cap. 5. Latinorum verò alii *Iſrael*, alii *Jeruſalem* abſque præpoſitione. Ex quo ſuſpicari licet, à B. Luca utrumque ſcriptum fuiſſe, ſic, *redemptionem Iſrael in Jeruſalem*, & procedente tempore nunc hoc nunc illud à ſcribis arbitrantibus alterum ſuperfluere prætermiſſum. In multis Latinorum codicibus eſt *redemptionem Iſrael*; quod ut non exprimatur in contextu, ſubaudiendum tamen erit.

52. *Jeſus proficiebat ſapientiâ*] Juxta humanitatem juxtáque externam exhibitionem intelligendum eſt puerum Jeſum incrementa ſumpſiſſe ſapientiæ: alioqui Divinitas in eo plena ſemper fuit omni ſapientiâ.

LUCAS BRUG.

38. ET *loquebatur de illo omnibus qui exſpectabant redemptionem* [*redemptorem* o.] *Iſrael.*] Hæc Latinorum codicum vulgaris eſt lectio; cui Græcum Vaticanæ Bibliothecæ exemplar adſtipulatur: habet enim λύτρωσιν τῷ Ἰσραήλ, *redemptionem Iſraelis:* accedítque quartum Pariſienſium apographum, quod ἐν τῷ Ἰσραὴλ *in Iſrael* ſcribit. Porrò antiqui Epanorthotæ codices *Jeruſalem* habent, non *Iſrael*, *Omnibus qui exſpectabant redemptionem Jeruſalem:* quibus conſonant antiqui Pariſienſium, Di. o. l. Ge. o. l. V. & antiqui noſtri, Brug. Lob. Leod. So. al. L, A, G, R. ac decem Henteniі exemplaria, cum Moguntina Typographorum prima editione, & poſteriоribus quibuſdam. His Latini enarratores, Beda, Carenſis, Albertus, Gorran, Richelius, volunt; etiam Lyrani commentariis, quæ à M. N. Hunnæo manuſcripta habemus, adſcriptus textus. His & Græci plerique libri, ac Syriaca Euangelia, ſuffragantur: ſed Græci quidem libri, conſentientibus Græcorum, Theophylacti atque Euthymii, textibus, ἐν Ἱερουσαλὴμ, *in Jeruſalem*, legunt; Syriaci verò לפורקנה דירושלם *redemptionem ipſius Jeruſalem.* Quare ſi hos ſequaris, *Jeruſalem* Latinis à præcedenti nomine regitur, *redemptionem Jeruſalem*; ſi illos, genitivus eſt quietis, omnibus qui erant Jeroſolymæ exſpectantes proximam Chriſti redemptionem. Reperitur hæc eadem lectio apud Irenæum lib. 3. cap. 11. & Auguſtinum lib. 2. De conſenſu cap. cap. 5. quanquam apud Auguſtinum diverſitas ſit lectionis. Faciliùs porrò crediderim, cùm de *redemptione Iſrael* paſſim in Scripturis legatur, ex *Jeruſalem* factum *Iſrael*, quam è converſo, ex *Iſrael*, *Jeruſalem*; maximè cum hoc obſcurius ſit. Minimè verò perſuaderi poſſum à B. Luca utrumque ſcriptum fuiſſe ſic, *redemptionem Iſrael in Jeruſalem*; id quod Nicolaus Zegerus ſuſpicatur; tametſi unum ex MSS. noſtris *redemptionem Iſrael, Jeruſalem* legat. Ex infimis id eſt, nec ullius inſignis codicis aut Tractatoris autoritate fulcitum.

STEPHANUS.

1. Ἀπογράφεσθαι] *Ut deſcriberetur:* i. cenſeretur.

7. Ἐσπαργάνωσεν] *Fœciis involvit.* ¶ Ἐν τῷ καταλύματι] *In diverſorio.*

8. Ἀγραυλοῦντες] *In agris cubantes.*

17. Διεγνώρισαν] *Famam ſparſerunt.*

19. Συμβάλλουσα] *Conferens ea inter ſe.*

25. Εὐλαβὴς] *Religioſus.*

26. Κεχρηματισμένον] *Arcanâ ſpiritûs ſancti revelatione ſignificatum.*

30. Τὸ σωτήριόν (s)] *Tunm illum ſalutis autorem.* Ad verb. *Illud ſalutare tuum.*

37. Λατρεύουσα] *Dedita.* Ad verb. *ſerviens.*

38. Ἀνθωμολογεῖτο] *Gratias agebat*; q. d. *Gratum animum profitebatur.* ¶ Λύτρωσιν] *Redemptionem.*

44. Ἐν τῇ συνοδίᾳ] *In comitatu.*

51. Ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς] *Submittebat ſe illis.*

DRUSIUS.

1. HÆC *deſcriptio prima*] Duæ enim fuerunt: ideò hæc *prima* dicitur. De utraque vide Scaligerum Animad. Euſeb. 160. 2. Cyrenius autem iſte in Euſebio, *Quirinus* vocatur. At Ἀκύλας, *Aquila:* ſic κυρίνιος *Quirenius*; item *Quirinus*, & *Quirinius.* In Syro eſt קורנוס κυρῆνος. Sic etiam Latina vetus. ¶ *Syria*] Vocatur etiam *Suria.* Hodiè *Soria.* Ebraicè ארם *Aram.* Sed in Syra ed. סורי *Suria*, & in libris doctorum סוריא & ארמי. Eucherius, *Syros appellatos quidam aſſerunt ab Aſurim filio Abrahæ ex Cetura.* Zacharias, *Syria eſt omnis regio ab Euphrate uſque ad mare magnum, à Cappadocia uſque in Ægyptum, continens inter alias provincias Paleſtinam, in qua Judæi habitant.*

4. *Aſcendit*] Ivit, profectus eſt. Nam qui Auſtrum verſùs proficiſcuntur, potiùs *deſcendere* dicuntur, ut contrà Septentrionem verſùs *aſcendere.* Itaque Hoſ. 8. 9. *Ipſi aſcenderunt in Aſſyriam.* Aben-ezra Exod. 33. 1. *Aſcendere dicitur qui Septentrionem verſus tendit, ut deſcendere qui ad Auſtrum concedit.* Aſcendimus etiam Hieroſolymam, & Joel 1. legimus, *Aſcendit gens contra terram meam.* Quòd autem inde colligunt terram Iſrael altiorem eſſe vicinis regionibus, parùm ſolidum videtur: tamen Judæi hoc adfirmant. *Contra terram meam*, i. contra Judæam, in qua Jeroſolyma & civitas David Bethlehem. Ut ergò illic *Aſcendit gens contra terram*, Judæam; ſic hoc in loco, *Aſcendit è Galilæa ex urbe Nazareth in Judæam in urbem David, quæ vocatur Bethlehem.*

7. *Pannis eum involvit*] Imò *faſciis. Faſcia* pannus eſt oblongus in quo infans involvitur. Græcè σπάργανον, unde ἐσπαργάνωσε Job 38. 9. in LXX, ubi codex Ebræus חתלה, & ed. Chaldaica, quam *Thargum* appellant, חיטלי: unde verba ſunt חתל *faſciis involvo*, & מחתלת *faſciis involvent*, σπαργανῶν. Vide notas noſtras ad eum locum. Audivi pro concione qui dicerent hos pannos laceros & viles ſordidoſque fuiſſe. Quo argumento? Nullo ſane. Nam qui σπάργανα

dicit, nihil tale ſignificat. Demus ſine Suidam vocem illam τὸ ῥάκος exponere, non inde ſequitur quod illi volunt. Nam ῥάκος & ἄγναφον eſt *rudis ac recens pannus*, non *lacerus*. Jam verò credibilius eſt Mariæ paupertatem mundam fuiſſe quàm, ut illi volunt, immundam & ſordidam. Sapienter Eraſmus, *Ut parentibus Jeſu tenuitatem ac paupertatem libenter tribuimus, ita ſordes & mendicitatem procul amovemus. Habet & paupertas ſuam mundiciem. Nam quo minus in conclavi peperit Maria, non paupertas obſtitit, ſed diverſantium turba. Alioquì ſi Chriſto tantopere placuiſſet mendicitas, ut quidam putant, in ptochodochio naſci poterat. Nunc Mendicantium vocabulo ſeſe venditant qui ſatraparum opes domi poſſident.* Hinc elicimus opinionem illam de laceris ac ſordidis pannis à Monachis, qui paupertatem profitentur, ad nos dimanaſſe.

8. *Excubantes*] Priùs erat *vigilantes*. Aliud *vigilare* & aliud ἀγρανλεῖν. Nam vigilat etiam qui in lecto inſomnem noctem ducit, ἀγρανλεῖν proprie *ſub dio agere*, ἐν ἀγροῖς αὐλίζεσθαι, non *vigilare*. ¶ *Cuſtodientes vigilias noctis*] Malim *cuſtodias noctis*. Nam φυλακὴ *cuſtodia*, quæ etiam dici eſt: unde φυλακαὶ νυκτερειναὶ ἢ ἡμερειναὶ apud Xenophontem. Sic אשמורת non tam *vigilias* ſignificat quàm *cuſtodiam*: unde משמרת לילה *cuſtodia noctis*, quæ Arriano ἡ νυκτερινὴ φυλακή. Cæterùm quoniam hæc verſio parum Latina eſt, ideo alii maluerunt; *excubantes excubias noctis*, ad exprimendam quæ in Græco ſermone eſt paronomaſiam. Cujus nullam rationem habent qui vertunt *agentes vigilias noctis*; ubi & vocabulum *noctis* πλεοναζεῖ: nam nullæ ſunt vigiliæ diei. Quod ut verum eſt ità falſum nullas eſſe φυλακὰς τῆ νυκτὸς, i. *excubias noctis*. Nullus igitur hic Ebræus eſt pleonaſmus. Nam אשמורת *cuſtodia* etiam diei erat. Sunt qui *vigilias diei* agnoſcunt, in queis Joſephus Scaliger, cujus hæc verba ſunt, *Veteres Ebræi nullas alias diei partes norant quàm Mane, Meridiem & Veſperam: & ita dies dividitur Pſal.* 55.17. *& Homero*, ἠὼς, ἢ δείλη, ἢ μέσον ἦμαρ. *Sed hic dies intelligitur exclusâ nocte. Nam totum νυχθήμερον in quatuor partes dividebant, quas Vigilias vocabant: Prima vigilia erat à veſpere; ſecunda, à media nocte; tertia, à mane; quarta, à meridie. Alioqui nomen hoc* משמרת, *quo hodie Horam deſignant, ne notum quidem illis erat: Quod apud Danielem aliud ſignificat.* Licet etiam vertere τῆ νυκτὸς *nocte*, ſive *noctu* adverbialiter. Quod tamen potius diceretur νυκτὸς abſque articulo, ut quidem vir doctus obſervat.

13. *Militia cæleſtis*] Malim *exercitûs cæleſtis*. Nam στρατιὰ *exercitus*. Innuit autem Angelus, qui alibi vocantur *duνάμεις & ἰσχυροὶ*, quod interpretantur *virtutes cæli*, *virtutem* pro *exercitu* accipientes, ut cum Deus vocatur *Dominus virtutum*, i. exercituum & copiarum tam cœleſtium quàm terreſtrium. Vide quæ notavimus ad locum *Virtutes cæli commovebuntur*; qui hinc lucem accipit. Habetur autem in Matthæo. 24. 29.

15. *Homines paſtores*, οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες] *Homines illi paſtores. Homo paſtor*, ut *homo ſacerdos*, *vir piſcator*, *homo paterfamilias*, *mulier ancilla*. Ebraice איש רועה, quod modò per ἀνὴρ modo per ἄνθρωπος reddunt: Nam איש utrumque ſignificat. *Homines illi paſtores* האנשים הרועים. Hujus loci eſt ἄνθρωπος βασιλεὺς *homo rex*, Matth. 18. 23. & 22. 2.

21. *Priuſquam in utero conciperetur*] Theologi veteres quatuor numerant ex V. Pacto quibus nomina impoſita fuerunt ante nativitatem: Sunt autem *Iſmael*, *Iſaac*, *Salomo*, *Joſias*. Vide Albinum in Gen. p. 458. & Eucherium, p. 271. His addi poſſet *Cyrus* ab Jeſaia nominatus diu antequam natus eſſet. In N. Fedære ſunt *Johannes*, Luc. 1. 13. & *Jeſus* ante conceptionem ſic ab Angelo vocatus.

23. *Adaperiens vulvam*] Sic loquendo ſignificat primogenitum, qui *vulvam aperire* dicitur, quia primus naſcitur: unde & *primogenitus* vocatur, nullâ habitâ ratione ordinis. Sed *primogenitus* Ebraice בכור, & διανοίγων μήτραν פטר רחם. Ubi forte פטר eſt nomen adjectivum formæ יתר *longus*, כבד *gravis*, & ſimpliciter פטר, quod Seniores πρωτότοκον interpretantur Exod 34. 19, 20. Simul iſta leguntur Num. 3. 12. πρωτότοκον & διανοίγον μήτραν, *primogenitus adaperiens vulvam*.

25. *Simeon*] *Simeon* rectiùs ſcribitur quàm *Symeon*: Quanquam utraque ſcriptura Græcis in uſu, videlicet Σιμεὼν & Συμεών. In hoc nomine poſitum ε pro Ain, quâ veteres uſi pro vocali. Non erat illis proprie vocalis, ſed exprimebant per vocalem. Ideo vocalis appellatur à Hieronymo. Judæi quoque qui in Germania eâ utuntur pro vocali *e*, quoties Germanica ſcribunt characteribus Ebraicis. Quod dico, clarum ex nomine Ebraico שמעון. Id ab *audiendo* ductum. Nam שמע *audio*, *exaudio*. Fuit enim mater exaudita cùm eum pareret. Unde Philo, *Simeon*, *Exauditio*. שמעון *Simeon*, ut גדעון *Gedeon*. Apud priſcum Interp. tres Simones memorantur. Tres, imò quatuor. Simeon patriarcha, filius ſecundus Jacobi ex Lia Apoc. 7. 7. Simeon Petrus, qui & *Simon Barjona*, 2 Petr. 1. 1. Simeon ſenex, qui Chriſtum in ulnis geſtavit Luc. 2. 25. Quartus eſt ex majoribus Chriſti, Luc. 3. 30. ¶ *Homo juſtus*] Non ſequitur, Fuit homo juſtus ergò cognominatus fuit *Simeon juſtus*. Tamen Hieron. ſic eum appellat, adv. Helvid. c. 4. Idem epiſt 46. *Simeon juſtum in Euangelio loquitur*. Id impoſuit Galatino, qui hunc *Simeonem Juſtum* vocat, & cum eo confundit qui Alexandri ævo vixit, quem Ebræi vocant שמעון הצדיק, ajúntque fuiſſe ex Viris ſynagogæ magnæ: error eſt nimis craſſus.

26. *Non viſurum mortem*] *Videre mortem* & *guſtare mortem* eodem recidunt. Quanquam Chryſoſtomus hom. 10. in Marc. aliud eſſe putat cum dicimus, *vidit mortem*, & aliud cum dicimus, *guſtavit mortem*. Cave ne ſequaris. Videt & guſtat mortem qui moritur. Simile in Latio, *Somnum his oculis non vidi meis*.

29. *Nunc dimittis*, Δοπολύεις] Verbum hoc de morte uſurpatur Num. 20. 29. ὅτι ἀπελύθη Ἀαρὼν, ut codex Ebræus, *quòd exſpiraſſet Aharon*. Tob. 3. 6, 13. ubi additum ἀπὸ τῆς γῆς. Sic Apoſtolus Phil. 1. 23. *deſiderans diſſolvi*, ἀναλῦσαι. 2 Mach. 7. 9. Σὺ μὲν ἀπολύεις ἐκ τοῦ παρόντος ἡμᾶς ζῆν Δοπολύεις, i. *vitâ hâc privas*. Sic שלח uſurpatur Job 14. 20. *dimittis eum*, nempe ex hac vita nunquam rediturum. Nam veteres ità loquebantur, *Ivit*, *& non redibit*, mortuum ſignificantes: dicebant etiam, *Ivit*, *& revertetur*, reſurrectionem innuentes. De morte uſurpatur Δοπολύω, ut שלח in Ebraiſmo & Chald. Id verbo שלח interpretantur. Vide Ohel moed שלח. Alioqui שבר etiam *ſolvo*: ex quo illud, *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, i. לשבר, quod plenius cuntiant לשבר מן העולם, & Chald. לשבר מן עלמא *dimitti*, vel *diſſolvi*, *ex hoc mundo*. Hinc etiam נשבר *dimiſſus*, i. mortuus. Elias Thesbite, *Dicunt de homine defuncto* נשבר, *& ex* משברי *poſtquam defunctus eſt Jacob pater noſter*. Similiter משברו *eſt deceſſus ex hac vita*, ſive *mors*, *hominis*.

30. *Viderunt oculi mei*] Non eſt pleonaſmus. Nam etiam cor videt, quando aliquid aſſequitur per intellectum, aut quando intelligit. Unde *videre* pro *intelligere* ponitur. Cohel. 1. 16. *& cor meum vidit* [*aſſecutum eſt*] *multum ſapientiæ & ſcientiæ*. Conſule Manahemum in Moſen 102. 3. Rurſum Cohel. 2. 24. *Etiam hoc vidi à manu Dei eſſe*. Senſus eſt, intellexi. ¶ *Salutare tuum*, τὸ σωτήριόν (σε)] *Tuum illum ſalutis autorem*, i. Jeſum, qui omnibus ſalutem dedit, aut peperit, quem propterea *ſalutem* vocant. Pſal. 13. 5. *Exſultabit cor meum in ſalutari tuo*. Ebraice, *in ſalute tua*. Sic infrà 3. 6. *Videbit omnis caro ſalutare Dei*. Vide quæ notavimus ad hunc locum.

34. *Benedixit eis Simeon*] Etiamne puero? Videtur. Benedixit autem, i. bene precatus eſt. Sic alter alteri benedicimus. Et benedixit ut homini, non ut Deo. Nam Deo benedicit qui eum laudat. Sic, *Omnia opera DOMINI*, *benedicite DOMINO*, i. laudate DOMINUM: unde *Deus benedictus*, i. laudandus. Videndus ad hunc locum Eraſmus.

35. *Tuam ipſius animam pertranſibis gladius*] Quaſi gladius. Nam ut gladius corpus vulnerat, ſic dolores animam lauciant. Videtur ſimilis ſententia eſſe in illo, *Tu tranſibis per gladium*. Quæ locutio obvia Job. 33. 8. & 36. 12. Paulò aliter legimus Pſal. 105. 18. *ferrum venit in animam ejus*. Nam ſenſus eſt, In corpus ejus; & *ferrum*, i. compedes ferreæ. Hieronymus autor, Mariam, quia in parte impaſſibili paſſa eſt, pluſquam martyrem eſſe. Ῥομφαία eſt *gladius*, *framea*, *enſis*. Lex Græco-lat. vetus, Ῥομφαία, *framea*, *gladius*: & Latino-gr. *Framea*, ῥομφαία.

36. *Anna prophetiſſa*] Ἄννα eſt in libris Græcis, h. e. *Anna*: ſed *Hanna* referendum eſſe cum adſpiratione dubitare non debemus, nos præſertim qui ſcimus in ſcriptura Ebr. eſſe חנה, & apud Syr. interpretem חנא per Heth in principio. Nimis temere in multis Græci rejecerunt adſpirationem, quos ſequi non debemus. Nam in nominibus Ebraicis conſuetudo Ebraica valere debet, ut in Græcis Græca, & in Latinis Latina. Ità mihi videtur. Nomen חנה *Hanna* obvium 1 Sam. 1. 11. & deinceps. Sic enim ibi recte nominatur uxor Elcanæ, mater Samuelis. Idem legitur in hiſtoria Ebraica. Sanè mater ſeptem illorum fratrum quos *Machabæos* appellant, quorum martyrium peculiari libro deſcripſit Joſephus, vocatur nun *Hanna* apud Gorionidem compoſitorem illius hiſtoriæ: Quod quia in vulgus ignoratum ideo annotandum duxi. ¶ *Ex tribu Aſer*] Nam decem tribus ſparſæ erant inter Judæos à captivitate Babylonica reverſos:

reversos: unde Jer. 50. 4. *Venient filii Israel & filii Juda simul.* Videndus R. D. ad hunc locum. Theodoretus in Ezechielem, *Nemo dicat ædificationem Jerusalem ad Israel non pertinuisse, cum jampridem à tribu Juda divisus esset. Nam post reditum non mansit illa divisio*, &c. Contrà censet Sulpicius Severus l. 2. & Sigonius p. 848.

37. *Non abscedebat à templo*] Videtur fuisse ex illis mulieribus quæ צבא פתח אהל כונר vocantur Exo. 38. 9. quarum mentio & 1 Sam. 2. 22. qui precandi causâ ad tentorium conventûs turmatim conveniebant. Vide quæ scripsimus ad locum Exodi citatum, & Fagium in paraphrasin Onceli.

44. *In comitatu*] Mater putabat eum esse in comitatu virorum, & pater in comitatu fœminarum. Videatur Lira 1 Sam. 1. 19.

46. *Sedentem in medio magistrorum*, &c.] Nam etiam pueri sedebant inter doctores, qui audiebant & interrogabant eos. R. Juda in lib. Musar, c. 5. *Cum filius est sapiens, pater ejus lætatur de eo, prout dictum est*, FILIUS SAPIENS LÆTIFICAT PATREM, *propterea quod cum eo it ad domos synagogæ & ad domos medrasoth, auditque sapientiam filii sui, & gaudet in corde suo: 71. 1.*

CAMERO.

13. Πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου] Hic στρατιὰ οὐρανοῦ est Heb. צבא השמים, quod est 1 Reg. 22. 19. quâ appellatione designantur illic Angeli. Nomen autem *στρατιὰ exercitus* צבא Angelis tribuitur, non ob id præcipue quod Deus iis utatur tanquam militibus ad debellandos hostes suos; neque enim hic apud Lucam agitur de hostibus delendis: sed *exercitus*, i. *ordinis*, nomine insigniuntur Angeli, ut significetur τάξις *ordo* quem observant in obeundis ministeriis suis: neque enim confuse & temere sed ordine convenientissimo obeunt munia sua. Nam צבא *exercitum* quidem significat, at non primò; etenim צבא *quicquid ordinis rationem habet* complectitur; itaque & de tempore certo atque constituto dicitur Job 7. 1. & Esai. 40. 2. etenim ut in temporum intervallis, sic etiam in situ & dispositione ordo quidam est. Neque hoc mirum videri debet, cùm apud Græcos τάξις & παράταξις de *exercitu* dicantur. Non itaque inepte sed doctissime LXX צבא השמים *exercitum cælorum κόσμον ornatum* interpretati sunt, Deut. 4. 19. Etenim *ornatus* (si proprie & antique velimus hanc vocem efferre) *ordinatus* est: itaque qui loquuntur Romane indiscriminatim *ornare* & *ordinare provinciam* dicunt; & *ornatissimus* is est Latine loquentibus qui per omnes honorum ordines ad summum usque evectus est. Ergo Angeli dicuntur *exercitus cælorum* quòd sint τάξις *ordo* quidam *cælestis*.

52. Προέκοπτε σοφία, &c. ἡ χάρις παρὰ Θεῷ] *Gratia* Favorem hic significat. Est autem duplex Dei favor, alius est qui *misericordia* ἔλεος חסדים dicitur, qualis est Dei favor quo miseros prosequitur peccatores; alius est Dei favor quo prosequitur creaturam in qua imaginem suam videt relucentem, qui רצון & χάρις simpliciter dicitur sive *favor*, quia creatura quà creatura subjecta est Creatori suo. De hoc favore, sive gratia accipiendum est istud προέκοπτε χάριτι παρὰ Θεῷ, Christus nempe *crescebat gratiâ apud Deum & homines*, non quà Deus sed quà homo est. Nam quo illustrior est imago Dei in creatura, eò etiam Deus creatura suâ magis delectatur. Porrò illustrior fuit imago Dei in Christo adolescente quàm in puero, itaque *crevisse* dicitur *gratiâ*: quod nihil detrahit (ut calumniantur Pontificii) dignitati Christi, hoc enim factum est per œconomiam in gratiam nostri; alioqui exclament indignum fuisse Christo ut puer fuerit.

LUD. CAPPELLUS.

6. Ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτήν] Phrasis est Hebraica. Gen. 25. 24. מלאת ללדת de Rebecca, ubi LXX reddiderunt, ἐπληρώθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτήν.

8. Φυλάσσοντες φυλακὰς νυκτὸς] Phrasis est Hebraica שמרים משמרת quæ frequens est in V. T. éstque primum usurpata de excubiis vigilum sive militum, qui noctu excubant ad urbis vel exercitûs custodiam & tutelam. Inde translata ad excubias Sacerdotum, qui in Templo noctu etiam excubabant, & alii aliis per vices succedebant ad ministerium Altaris & Templi, sive noctu sive interdiu. De illis Sacerdotum excubiis sive שמרת משמרת vide 2 Par. 7. 6. Num. 3. 7. Ezech. 40. 46. & 44. 15. quibus in locis (excepto primo) occurrit phrasis illa שמרו משמרת. De excubiis noctis vide Esa. 21. 8. *Ego*, inquit, *stas שמרתי אדני על משמרת super custodia mea singulis noctibus*, nempe instar militum qui agunt excubias.

25. Προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ] Phrasis est Judæis tum temporis familiaris & notissima, quâ Messiæ adventum significabant. Sic loquitur Jonathan in suo Targum, Esa. 4. 3. in hæc Prophetæ verba, *Quisquis scriptus erit ad vitam in Jerusalem*: quæ ipse sic παραφράζει, *omnis qui scriptus fuerit* לחי עלמא *ad vitam æternam* יחזי בנחמת ירושלם *videbit consolationem Jerusalem.* Videtur autem verbis illis describi bonus iste & pius vir Simeon; scriptus enim erat ad vitam æternam, & vidit consolationem Israelis quam ipse exspectabat.

49. Ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου] Syrus Interp. reddit בבית אבי דאיתי למהוי בה *quod oportet me esse in domo Patris mei.* Quasi ἐν τοῖς hic esset idem quod ἐν τῷ ναῷ. Quod ne cui mirum videatur, occurrit similis phrasis eodem sensu apud Josephum l. 1. contra Appion. τόν τε χρυσοῦν κίονα τὸν ἐν τοῖς τοῦ Διὸς ἀνέθηκεν· ubi ἐν τοῖς manifestò ponitur pro ἐν τῷ ναῷ. Aptius est & manifestius hoc exemplum quàm illud quod à Fullero affertur ex Chrysostomo. Est ergò hoc acutum Christi responsum; q. d. *An vos decuit me alibi quærere quàm in Templo? Est enim domus Patris mei, in qua me decet esse.*

52. *Christus proficiebat sapientia & gratia* καὶ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις] Similis est hujus phrasis quæ usurpatur de Samuele, 1 Sam. 2. 26. גדל וטוב גם עם יהוה וגם עם אנשים *crescebat, & gratus erat tum Domino tum etiam hominibus.*

GROTIUS.

1. Ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, *exiit edictum à Cæsare Augusto*] Non ita intelligo quasi uno eodemque tempore factus esset census per totum orbem quà Romanus erat: sed cùm Augustus omnem vim Imperii Romani pernosse vellet; per omnia Regna & Provincias constituit censum agi; modo hic scilicet modo illic, ut commodum erat. Hoc est quod Dion inquit, ἐκπέμψαι ἄλλους ἄλλη τὰ τε τῶν ἰδιωτῶν καὶ τὰ τῶν πόλεων ἀπογραψομένους [*misit alios alio qui facultates tum privatorum tum civitatum describerent*]. De censu per Galliam acto Augusti jussu meminerunt Claudius in oratione quæ Ancyræ servatur, breviator Livii & Dio. Vox ἐξῆλθε [*exiit*] publicationem significat, Danielis 11, 13. 18, 25. Esther 1, 19. ¶ Ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. *ut describeretur universus orbis*] Id est, ut jam dixi, *censum agi per orbem Romanum*; quomodo Syrus hic rectè interpretatur. Nam quod apud Livii breviatorem est *census actus*, Dio dixit ἀπογραφὰς ποιήσασθαι [*describi fecit*]. Errant autem qui putant hoc censu à Romanis capitationem Judæis indictam. Id enim factum non est ante confiscationem rerum Archelaï. Antea populus Judæus Herodi tributa pendebat: Herodes autem Imperio Romano, ut alii Reges socii, dabat, ut Appianus loquitur, φόρους τεταγμένους [*tributa constituta*]. Quare census hic eò pertinebat ut notum esset quid Regna quæque & Provinciæ hominum copiâ, quid pecuniis valerent. Nam ea vis censûs, Floro docente, *ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium officiorumque discrimina in tabulas referantur.* Cicero de legibus 111. *Censores populi ætates, subolem, familias pecuniasque censento.* Et Claudius in dicta oratione censu à se acto nihil ultra exquisitum ait quàm ut publice notæ essent facultates.

2. πρώτη ἐγένετο, *prima facta est*] Id est, hic in Judæa primus à Romanis census actus est. Justinus Adversùs Tryphonem, ἀπογραφῆς ὄντος ἐν Ἰουδαίᾳ τότε πρώτης ἐπὶ Κυρηνίου ἀναληλύθει ἀπὸ Ναζαρὲτ, ἔνθα ᾤκει, εἰς Βηθλεὲμ, ὅθεν ἦν ἀπογράψασθαι [*cùm tum primum in Judæa descriptio fieret sub Quirinio, venit à Nazareta, ubi habitabat, Bethlehemum, ubi facienda erat professio*]: nam ante ullum actum non invenimus. Hic autem census commonebat Judæos impleri vaticinii de destruendis Regnis Syriæ & Ægypti, post quorum eversionem exspectandus erat Messias. ¶ ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου· *Syriam regente Quirinio*] *Præfecto Syriæ Quirinio*; ita enim eum Tacitus vocat: unde emendandi Fasti in quibus *Quirinius* legitur. Κυρήνιος id nomen cum Luca scribunt tum Josephus tum Justinus Martyr. Præfectus autem fuit huic negotio census, cùm Præses Syriæ esset Sentius Saturninus, qui adjunctus haud dubie Quirinio. Sicut autem Lucas Quirinium dicit ἡγεμονεύσαι τῆς Συρίας [*rexisse Syriam*] ita eum ἐν Ἰουδαίᾳ γενέσθαι ἐπίτροπον [*in Judæa Curatorem rerum fuisse*], dicit Justin. Nimirum vox & ἡγεμονίας [*regiminis*] & ἐπιτροπῆς [*curæ*], ut recte ab eruditis viris demonstratum est, imperia quævis etiam extra ordinem mandata significat. Nam ἐπίτροπον [*curatorem*] *Procuratorem Judæa* interpretari non possumus, cùm nullus Procurator Romanus in Judæa fuerit aut esse potuerit regnante Herode: ac præterea Procuratores ex Equestri ordine legebantur: Quirinius, quanquam Patricius non

erat;

erat, rebus in Cilicia bene gestis Consulatum meruerat, ut Tacitus docet, atque ita in Senatum pervenerat. Iosephus, Κυρίνιος ὁ εἰς τὴν βουλὴν συναγομένων διὰ πάντων τε ἄλλων ἀρχὰς ἐπιτετελεκὼς, καὶ δὴ καὶ παρῶν ὑπατεύσας, ὕπατος γενέσθαι [*Quirinius unus Patrum Conscriptorum per multos honorum gradus ad Consulatum pervenerat*] Et alibi de eodem, ἀνὴρ ὑπατικὸς [*vir Consularis*]. Sic & Eusebius dixerat, Κυρίνιος ἀπὸ συγκλήτου βουλῆς ἐπέμφθη, id est, *Quirinius Senatorum unus missus est*, non *ex consilio Senatûs*, ut vertit Hieronymus. Ejus autem ordinis homines Censui præfici solebant. Ità à Druso & Germanico actos census legimus, sed & ab aliis Senatoribus. Tacit. lib. XIV. *Census per Gallias à Qu. Volusio & Sex. Africano Trebellioque Maximo acti sunt, æmulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano.* Sentium Saturninum hoc tempore Syriæ fuisse Præsidem ex Tertulliano certum est, cujus verba sunt, *Sed & census constat actus sub Augusto nunc in Judæam per Sentium Saturninum.* Non potuit autem falli ea in re Tertullianus, cum solerent census in tabulas referri, eæque tabulæ primùm publice proponi, deinde servari in Archivis ubi inspectandi erat copia. Itaque Justinus ad ipsas tabulas provocat, Μαθεῖν δύναιτο, inquit, ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου [*Discere potest ex tabulis professionis factis tempore Cyrenii*]. ubi ἀπογραφὰς vocat *Tabulas censuales*, quomodo in Codice appellantur. Sic & Dio de Caligula, ἤτησε τὰς τῶν Γαλατῶν ἀπογραφὰς [*popposcit Gallorum Tabulas censuales*]. Ipse Tertullianus Tabularum hujus census sæpè meminit. Nam dicto loco adjicit, *apud quos genus ejus inquirere potuissent.* Alibi, *De censu denique Augusti, quem testem fidelissimum Dominica nativitatis Romana archiva custodiunt.* Rursum alibi, *Ut nemo facile ignorare de genere potuisset, vel de recentibus Augustianis censibus tunc adhuc forte pendentibus.* Ubi illud *pendentibus* ad morem Romanorum refer Acta publice proponendi, quomodo *leges pendere fixæ clavis ferreis* dixit Plautus. Alio iterum loco, *Sicut apud Romanos in censu descripta est Maria ex qua nascitur Christus.* Nec mirum exstitisse has Tabulas Tertulliani ævo, cùm suo etiam exstitisse testetur Chrysostomus: Verba ejus sunt, Οθεν δῆλον, ὅτι ἐξ τῶν πρώτων ἀπογραφῶν ἐτέχθη· καὶ τοῖς ἀρχαίοις τοῖς δημοσίοις κειμένοις παίδιξιν ἐπὶ τῆ Ῥώμης ἔξεστιν ἐντυχόντα καὶ τὸν καιρὸν τῆ γενέσεως μαθόντα ἀκριβῶς εἰδέναι τὸ βουλόμενον [*Unde apparet natum in prima descriptione. Et qui consulere volet tabulas Romæ in Archivis positas exacte eam rem poterit cognoscere*]. Videtur autem Quirinium Augustus huic Censui per Syriam agendo præfecisse, quòd cum bellum in Cilicia Syriæ vicina gereret exacte didicisset res Orientis. Eademque de causa C. Cæsari misso ad res Orientis hic ipse Quirinius Rector est datus; & aliquot post annis Judæâ jam in Provinciæ formam redacta missus qui & Syriæ præesset & simul Judæis Romana tributa indiceret, quod ante id tempus factum non erat. Josephus de censu hoc quem Lucas hic attingit memorare insuper habuit, quia cùm tributorum indictio non accederet, nihil in eo evenerat memorabile: at indictionis tributorum per Quirinium meritò meminit, quia tum primùm orta est duce Juda Gaulonita seditio eorum qui negabant ἀλλοφύλοις [*alienigenis*], quales erant Romani, tributum posse salva religione persolvi. Qui Josephum tam diligentem rerum Judaicarum inquisitorem, & cui Romana quoque archiva patuerunt, deceptum putant in re tam obvia, eos ipsos valde decipi arbitror.

3. ἀπογράφεσθαι, *ut profiterentur*] Optime vertit Latinus Interpres *profiteri*. Est enim ea vox censualis, ut ab aliis ostensum est. ¶ ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. *singuli in suam civitatem*] Romani in singulis Provinciis ac Regnis morem censendi antiquitus ibi usurpatum retinebant. Judæorum autem mos hic erat, ut census fieret per tribus, gentes & familias, ut docet nos inquisitio per Josuam facta, sortitio qua Saul Rex creatus est, & postremò census à Davide institutus. Hoc autem post multas Judæorum disjectiones fieri non poterat nisi singuli se ad ea loca conferrent quæ olim genti ac familiæ suæ obvenerant.

4. ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς, *de Domo & familia*] Videtur hic πατριὰ [*familia*] pars esse οἴκου [*Domûs*]. ut in Tribu Judæ οἶκος [*Domus*] sit posterorum Ram, πατριὰ [*familia*] eorum qui ex Davide; ut Romæ *gens* Cornelia, *familia* Scipionum. Sic in Josuæ historiæ מטה, id est, *Tribus*, distinguitur in משפחות, quas δήμους [*gentes*] vocant LXV. משפחה rursum in בית [*familias*]. Bethlehemitica autem regio non Davidis erat propria, sed gentis ejus ex qua erat David, ut Ruthæ historia nos docet. At Josephus non tantùm ex gente illa erat sed ex ipsa etiam Davidis familia.

5. σὺν Μαριὰμ, *cum Maria*] Aperte satis ostendit Lucas etiam Mariam ex genere Davidis fuisse: nam alioqui ipsa in familiæ suæ urbe profiteri debuerat. neque sine causa prægnantem eò duxit Josephus. Admiranda autem in hoc negotio est Dei providentia, qui & natalem locum & genus Filii sui multis vaticiniis prædictum voluit testatum esse publicis tabulis. Nam & infantum capita censebantur: & Jesu nomen adscriptum Tabulis affirmant Justinus, Tertullianus, Chrysostomus. Ulpianus in Digesta relatus L. III. De censibus, *Ætatem in censendo significare necesse est: quia quibusdam ætas tribuit ne tributo onerentur: veluti in Syriis à quatuordecim annis masculi, à duodecim femina usque ad sexagesimum quintum annum tributo capitis obligantur. Ætas autem spectanda est censendi tempore.* ¶ τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικὶ, *desponsata sibi uxore*] Non sponsa tantùm erat sed & nupta: at sponsam maluit Lucas dicere, quia Josephus Mariam habebat ut sponsam. Nam sponsæ interdictæ viris (inquiunt Hebræi) perinde ut *ei in impulvios* [*quæ in profluvio mensium*]. Offendit quosdam male illud γυναικὶ [*uxori*], quod agnoscit Latinus & vetera exemplaria.

6. ἐν τῷ εἶναι αὐτὰς ἐκεῖ, *cùm essent ibi*] Nimirum professio temporis aliquid desiderabat ob hominum multitudinem.

7. πρωτότοκον, *primogenitum*] Vide ad Matthæum I, 25. ¶ ἐν τῇ φάτνῃ· *in præsepio*] Fuisse hoc præsepe sive stabulum ἐν σπηλαίῳ [*in spelæo*], magno consensu produnt veteres, Justinus, Origenes, Eusebius, Athanasius, Gregorius Nyssenus, Hieronymus, Epiphanius; Theodoretus & eos secuti alii. Nec mirum cum ager ille omnis σπήλαιος [*intus lapidosus*] fuerit, ut ex Strabone vir doctus observat. Mos autem præsepia ponendi in speluncis etiam apud Græcos fuit. Euripides Bacchis,

——— καθήρξατ' αὐτὸν ἱππικὰς πίλας
Φάτναισιν, ὡς γ' ἂν σπήλαιον εἰσορᾷ κύφας.
[——— *equorum vinxit ad præsepia*
Tenebricosam videas ut caliginem].

¶ διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι. *quia non erat eis locus in diversorio*] Τὸ κατάλυμα [*diversorium*] dicit eam domum in quam venerant hospitii quærendi causâ. In hac domo nullus erat locus vacuus ob turbam hospitum: itaque in specum coacti sunt se abdere ideo quòd partus solitudinem desideraret. Domum hanc non in ipsa urbe sed proxime urbem fuisse vetus auctor Justinus prodidit; cui hoc magis credendum est quòd non procul Judæâ natus & educatus fuit, quippe Samarites; & ejus temporibus satis recens erat rei memoria: ἐν σπηλαίῳ, inquit, τινὶ πλησίον τῆς κώμης κατάντως [*in specu quodam non procul à vico divertis*]. Nam Bethlehemum κώμην [*vicum*] vocat, utpote exiguum oppidum, ut & Johann. VII, 42. Quam famam secutus Scriptor vetus homiliæ quæ inter Chrysostomi opera edi solebat, *Rem novam!* inquit, *ingrediuntur in diversorium, non ingrediuntur in civitatem.* Possunt videri idem sensisse descriptores Palæstinæ qui specum istam fuisse ajunt juxta muros Bethlehemi. Et sane multis in regionibus diversoria sunt extra portas, quæ quovis tempore adventantes recipiant. Et quanquam pacis temporibus exitum atque aditum patuisse in urbes Judææ non est negandum, cùm Christus sæpe nocte multa exierit Hierosolymis, facilius tamen & minus observati potuerunt pastores in diversorium extra urbis mœnia constitutum venire quàm in urbem penetrare. Nihil sane video quod obstet, nisi quòd infrà natus dicitur ἐν πόλει Δαυίδ [*in oppido David*], & quod templum in ejus specus honorem ab Helena structum dicitur in Bethlehem. Sed apud omnes populos usitatum est, ut continentia ædificia, qualia adhærere etiam parvis oppidis sæpe videmus, oppidorum veniant nomine, jure scilicet accessionis. Sic Christus dicitur moriturus *in Jerusalem* Lucæ IX, 31. & XIII, 33. quem constat extra mœnia crucifixum. Sic Josue dicitur fuisse *Hiericho anno*, V. 13. & *Gabaone*, X, 10. cùm eas urbes obsideret. Et Lucæ V, 12. Jesus dicitur *in una urbium* obviam factus leproso, cùm constet leprosos extra mœnia mansisse. Et ipse Herodes ostendit facto, se Michææ vaticinium in hunc modum intellexisse.

8. Καὶ ποιμένες, *Et pastores*] Est enim valde pascuus circa Bethlehemum ager, I Samuelis XVII, 15. ¶ ἀγραυλοῦντες, *ruri agentes*] *Agentes sub dio:* nam in hac voce nulla est noctis significatio, quam sequentia exprimunt. Cùm autem vix usquam hyeme soleant in agro agere pastores, noctibus præsertim, mirum videri potest natalem Domini ab Ecclesia Romana, cui censuum tabulas inspicere promtum fuit, collocatum in diem XXV Decembris, quod institutum Antiochena

Ecclesia

Eccleſia ſive Conſtantinopolitana (utrubi enim habita ſit oratio quæ id teſtatur dubitant eruditi) ſequi cœpit temporibus demum Chryſoſtomi: totus autem Oriens non ante Juſtini Imperatoris tempora, ut Nicephoro obſervatum. Diligentiſſimus temporum indagator putat natam hanc opinionem ex altera falſa de Pontificatu Maximo Zachariæ; nam à die Expiationum, quo Pontifex Maximus ingredi penetrale ſolebat, putata conceptùs Eliſabetæ tempora, ac ſex menſibus poſteriùs Mariæ: cùm ipſe inita numeratione ἀπὸ τῆ ἐφημερίας [*à vice*] Abia natalem Domini in Septembrem putet congruere, quo tempore ſub dio agunt paſtores. Antiquitus certè variaſſe traditionem conſtat. Nam qui proximè ad ætatem Chriſti accedens ejus rei meminit eſt Clemens Alexandrinus, cujus hæc ſunt verba, Εἰσὶ δὲ οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τὴ σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προσδιδόντες, ὧν φασιν ἔτους κθ΄ Ἀυγούστε ἐν πέμπτῃ Παχὼν ἢ ἕκτῃ· οἱ δὲ αὐτὴ Βασιλείδε καὶ ἕ Βασιλειακοὶ αὐτὴν τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι, περιεργοτέρως ἀναγράφοντες. Φασὶ δὲ εἶναι τὸ πεντεκαιδέκατον ἔτος Τιβερίε Καίσαρος, τὴν πεντεκαιδεκάτην ἕ Τυβὶ μηνός [*Sunt qui curioſius nativitati Salvatoris noſtri non annum modo ſed & diem adſcribunt, nempe anni* XXVIII *Auguſti Cæſaris diem Pachon menſis quintam & viceſimam. Qui verò in Baſilidæ ſunt ſecta etiam diem Baptiſmatis ejus celebrant, noctem præcedentem in lectione agentes. Eum autem diem fuiſſe aiunt quintum & decimum Tubi menſis anno principatus Tiberii Cæſaris quinto & decimo*]. Prior harum ſententiarum in Majum ferme Domini natalem conferebat; quo tempore non dubium eſt paſtores in Judæa ſolitos αἰγαυλίζειν [*in agro permanere*]. Eſt enim Παχὼν [*Pachon*] ſeptimus menſium Ægyptiorum, quorum primus Toth cum menſe Septembri ferme εὐπρεπίζει [*congruit*]. At altera ſententia Baſilidis ſectatorum referebat hunc diem in menſem Ægyptiorum quintum, quod ferme cum traditione Romana congruit. Eadem ſententia unum eſſe diem ſtatuebat quo natus eſſet Chriſtus & quo baptizatus; quod veterum multi crediderunt, ob id quod infrà legitur III, 23. Atque id ſecutas Ægypti Eccleſias etiam ex Caſſiano diſcimus, Collatione X, cap. 11. Ab hac ſententia diverſus abit Epiphanius, ita tamen ut de die natali non multùm diſſentiat. Natum enim Chriſtum vult octavo Eidus Januarias, quæ eſſet undecima Ægyptii menſis Tubi, baptizatum autem ſexto Eidus Novembris, quæ eſſet duodecima Ægyptii menſis Athyr. Atque hunc diem Januarii ut natalem Chriſti olim celebrabant Aſiæ & Ægypti Eccleſiæ, & multò poſt Armenii. Nyſſenus & Ambroſius ſuis locis teſtantur hoc tantùm, celebratum Domini natalem cùm creſcere dies incipiunt. Finiam cum Hieronymo ſermone De Chriſti nativitate, *Sive hodie Chriſtus natus eſt, ſive baptizatus eſt, diverſa quidem fertur opinio in mundo, & pro traditionum varietate ſententia eſt diverſa.* ¶ Φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς, *cuſtodientes vigilias noctis*] Id eſt, per diſpartita temporum intervalla alii aliis ſuccedentes in curam gregis.

9. ἄγγελος, *Angelus*] Ille nominatus non multò antè, I, 26. ¶ ἐπέστη, *ſtetit*] *Apparuit.* De hac voce diximus ad Matth. XXVIII, 2. ¶ δόξα Κυρίου, *claritas Dei*] Ita vocat lucem eximiam more Hebræo: ita infrà IX, 31. de Moſe & Elia, ὀφθέντες ἐν δόξῃ [*viſi in majeſtate*]. Paulus de Moſe, διὰ τὴν δόξαν τῆ προσώπε αὐτῆ [*propter gloriam vultus ejus*], II Corinth. III, 7. idem I Corinth. XV, 41. Ἄλλη δόξα ἡλίε, καὶ ἄλλη δόξα σελήνης, ἄλλη δόξα ἀστέρων [*Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum*]. Sic Hebræis mos uſurpare כבוד. Actor. VII, 2. Ὁ Θεὸς τῆς δόξης ὤφθη τῷ πατρὶ ἡμῶν Ἀβραάμ [*Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ*].

10. εὐαγγελίζομαι ὑμῖν, *evangelizo vobis*] Ut Piſcatores poſtea ita nunc Paſtores Chriſto teſtimonium præbere eliguntur, innocens imprimis hominum genus.

11. ἐτέχθη ὑμῖν, *natus eſt vobis*] Vobis Judæis, ſed publico mundi bono. Zohar Angelos vocat *ſuperiorem Dei familiam*, homines *inferiorem*. Gaudet ſuperior familia de inferioris bono. ¶ σωτὴρ, *Salvator*] Quem Zacharias IX, 9. יושע vocavit, ubi LXX σώζοντα [*ſalvantem*] dixerunt. ¶ Χριστὸς Κύριος, *Chriſtus Dominus*] Non quilibet unctus, ſed ille unctus ſupra omnes, omnium Dominus, & Davidi eo nomine nuncupatus. ¶ ἐν πόλει Δαβὶδ, *in civitate David*] Ut prædixit Michæas; & ut publico teſtimonio appareat hunc eſſe ex Davidis ſanguine.

12. τὸ σημεῖον, *ſignum*] Nota qua hunc infantem ab aliis ſit dignoſcere. Sic & Rhetores hanc vocem uſurpant. ¶ ἐν τῇ φάτνῃ, *in præſepio*] Angelus & domum & ſpecum deſcripſit. Sed Lucas, cùm loci antè meminiſſet, ſatis habuit cum articulo dicere τῇ φάτνῃ [*illo præſepio*], id præſepe ſignificans de quo egerat antè. Ita ſæpe Scriptores ſua verba aliorum directis orationibus permiſcent, ut alibi quoque obſervavimus. Simillimum eſt illud apud Matth. XXVI, 18. & Apoc. II, 24. Tale eſt & apud Virgilium,

——— *Et nunquam fatis conceſſa moveri*
Apparet Camarina procul.

Poëtæ enim verba Æneæ verbis inferuntur.

13. στρατιὰ οὐρανίε, *militia cæleſtis*] Ita ordinata multitudo Angelorum vocatur, ut alibi Dæmonum *legio*. Alibi & ſtellas minores eo nomine vocari diximus. Sed & illud hìc notandum, itidem alibi obſervatum, ubi multi Angeli apparent, ibi unum cæteris velut Imperatorem præfici.

14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas*] Puto ἔσω [*ſit*] rectiùs quàm ἐστὶ [*eſt*] ſubaudiri, ſed ita ut ſignificetur læta approbatio ejus quod erat, non deſiderium ejus quod aberat: quale eſt illud Virgilii,

Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.

Illud ἐν ὑψίστοις [*in altiſſimis*], ut alibi diximus, interdum idem eſt quod *excellentiſſimè*. Sed hìc cum modo locus quoque exprimi videtur, ut oppoſita ſint ἐν ὑψίστοις [*in altiſſimis*] & ἐπὶ γῆς [*in terra*], quemadmodum in oratione Dominica ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ τῆς γῆς [*in cœlo & in terra*]. Impletur hìc illud Eſaiæ XLIV, 23. & XLIX, 13. *Ovate cœli.* εἰρήνην [*pacem*] hìc intelligo more Hebræo שלום, id eſt, *felicitatem.* εὐδοκία [*bona voluntas*] non εὐδοκίας [*bonæ voluntatis*] aut εὐδοκίᾳ [*bonæ voluntati*] habet conſenſus Græcorum codicum: & apparet Chryſoſtomum atque alios Græcos Scriptores conſtanter eum in modum legiſſe. Nam quod ex Origenis homilia in hunc locum affertur nullius eſt ponderis, cùm Græca Origenis non habeamus, & mirum non ſit ſi Latinam Lucæ verſionem ſecutus ſit Latinus Origenis interpres. Offendit, ut puto, Latinum Lucæ interpretem inſolens appoſitio εἰρήνη εὐδοκία [*pax, bona voluntas*]. unde poſterius membrum, per genitivum extulit, quod ſenſum habere cùm Græco eundem poteſt. At Syrus & Arabs retento nominativo copulam interjecerunt, quaſi aliter ſtaret oratio. Sed quod illos offendit offendere nos non debet, cùm ejuſmodi conſtructionibus abundent & ſacri & profani codices. Sic infrà σωτήριον [*ſalutis inſtrumentum*] dicitur φῶς [*lux*], 30, 32. Ita autem interpretor, Super terram felicitas veniat, non terrena tamen ſed cœleſtis, Dei ſcilicet favor erga genus humanum, quem abunde teſtatur miſſione Filii & per eundem Filium magis magiſque teſtaturus eſt. Nam εὐδοκία [*bona voluntas* ſive *beneplacitum*] interdum *decretum & conſilium* Dei, interdum *affectum* ejus *benevolum* ſignificat; quo ſenſu, ut hìc, cum ἐν [*in*] conſtrui ſolet; ut, ἐν ᾧ εὐδόκησα [*in quo complacui*], Matth. III, 17. & XVII, 5. ἐν σοὶ εὐδόκησα [*in te complacui mihi*], infrà III, 22. Sic εὐδοκεῖ Κύριος ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ [*beneplacitum eſt Domino in populo ſuo*], Pſalm. CXLIX, 4. Similiter Paulus ait εὐδοκίαν ſuam [*voluntatem cordis ſui*] eſſe ὑπὲρ τῆ Ἰσραὴλ [*pro Iſraele*], id eſt, *ſe ex intimo animo bene illis velle.* Itaque non malè εὐδοκίαν [*bonam voluntatem*] hoc loco Chryſoſtomus καταλλαγὴν [*reconciliationem*], Theophylactus ἐπαναίτασιν [*obteſtationem*], interpretantur. Sic Pſalmo V. in fine ὡς ὅπλῳ εὐδοκίας ἐστεφάνωσας ἡμᾶς [*ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*], ubi in Hebræo רצון.

15. οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες, *viri paſtores*] Bene omiſerunt Syrus & Latinus interpres οἱ ἄνθρωποι [*viri*]: eſt enim πλεονασμὸς [*abundantia*] ex Hebraiſmo, ut Matth. VII, 9. XI, 19. XIII, 45, 52. XVIII, 23. & alibi paſſim. ἄνθρωποι ποιμένες צאן רעי אנשים [*viri paſtores ovium*] Geneſ. XLVI, 32. ¶ Διέλθωμεν, *Tranſeamus*] Syrus tranſtulit נורד *deſcendamus*, quod dici ſolet cùm loca auſtraliora petimus. Quod ſi rectè dictum eſt, & ſimul verum eſt quod dicunt deſcriptores Paleſtinæ, ad Ortum ab oppido ſitam fuiſſe ſpeluncam iſtam, reſtat dicamus fuiſſe medio ſitu inter Septentrionem & Ortum. ¶ δὴ] Δὴ ſi vertendum ſit (nullo enim ſenſus damno omittitur à Syro & Latino) malim vertere *agedum* quam *ſanè*. Nam illud excitantis, hoc concedentis eſt. ¶ ἕως Βηθλεὲμ, *usque Bethlehem*] Poteſt hæc vox non minùs de continentibus ædificiis quàm de oppido intelligi. Nam ἕως id quod ſequitur modò includit, modò excludit. ¶ τὸ ῥῆμα τὸ γεγονὸς, *hoc verbum quod factum eſt*] הדבר *rem hanc*; ut diximus ſuprà ad anteloquium. דבר ῥῆμα [*verbum*] vertunt & LXX Judic. VIII, 1.

16. Ἦλθαν τε Μαριὰμ καὶ τὸν Ἰωσὴφ, *Mariam & Ioſeph*] Qui proculdubio pietate paſtorum conſpecta narrarunt eis ſuas ὀπτασίας [*Viſiones*].

17. διεγνώρισαν περὶ τοῦ ῥήματος, *cognoverunt de verbo* ſive *cognoſcere fecerunt*] Διεγνώρισαν activum ponitur neutraliter, quaſi dicat, *Famam ſparſerunt de hac re*, id eſt, rem divulgarunt. ומודיעו habet Syrus rectiùs quàm Latinus. Eſt quidem διαγνωρίζειν ambiguum, ſed quæ ſequuntur hunc potiùs ſenſum poſtulant.

19. συνετήρει, *conſervabat*] שמרת, ut Jobi XXIII, 12. ¶ συμβάλλουσα, *conferens*] Συμβάλλειν [*conferre*] dicit Lucas ſatis Græcè, quod alii διαλογίζεσθαι [*differere*], ut apparet Actor. IV, 15. 17, 18. XVIII, 27. Sicut autem διαλογίζεσθαι propriè dicitur de pluribus inter ſe colloquentibus, impropriè de eo qui ſecum ipſe diſſertat, ita & συμβάλλειν [*conferre*]. Vocis διαλογίζεσθαι [*diſſerere* ſive *diſceptare*] ea quam dixi κατάχρησις [*abuſio*] apparet Matth. XVI, 7, 8. XXI, 25. Marci II, 6, 8. infrà V, 22. XII, 17. Johann. XI, 50. Facit hic Maria quod olim mater Samſonis, Judicum XIII.

20. οἷς ἤκουσαν καὶ εἶδον, καθὼς ἐλαλήθη πρὸς αὐτούς. *quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos*] Non tantùm ſigna illa viſibilia, ſed multò magis quæ audierant ex Joſepho & Maria congruebant cum dictis Angeli.

21. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ, *& poſtquam conſummati ſunt dies octo*] Συνειδοχικῶς [*per complexionem*] dictum, ut ſignificaretur impletum id tempus quod ex Lege circumciſioni erat præſtitutum; cujus temporis dies ultimus erat à natali octavus. Itaque non dies ipſe ultimus ſed illa dierum περίοδος [*ambitus* ille] ſic indicatur. Cui ſimile eſt quod annotavimus ad Matthæi XVII, 1. Confer Græcam interpretationem, Geneſ L, 3. ¶ καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦς, *& vocatum eſt nomen ejus Jeſus*] Non eſt mutanda lectio. Nam in connexionibus hiſtoriæ copula apud Hebræos πλεῖται [*ſuperfluit*], quos imitantur Helleniſtæ. ita ſuprà commate 15. & infrà V, 17. Nomen autem Lucas tunc dicit impoſitum, ſolemniter ſcilicet, præſentibus multis ex Davidis familia qui ad profitendum eodem venerant.

22. αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν κατὰ τὸν νόμον Μωσέως, *dies purgationis ejus, ſecundùm legem Moyſi*] Cùm plerique codices, etiam ille vetuſtate conſpicuus qui in Anglia eſt, habeant αὐτῶν [*eorum*], Origenes diligens exemplarium collator ita legerit, nec aliter Syrus, erat omnino lectio hæc retinenda. Nam Arabs Syro recentior eſt, & non rarò Latinum ſequitur. Offendit Latinum Interpretem quòd καθαρισμὸς [*purgatio* ſive *purificatio*] impuritatem aliquam ſupponat, quæ Jeſu tribui non poſſit. Sed ſciendum eſt impuritatem hanc nihil eſſe aliud quàm vinculum à Lege injectum, quo & mater & infans certo tempore primùm ab hominum contactu, deinde à publicis cœtibus arcebantur: A contactu quidem infans ad diem uſque octavum; mater itidem ſi marem peperiſſet, ſin feminam ad diem decimum quartum: A publicis autem cœtibus mater ad diem à partu quadrageſimum ſi marem peperiſſet; ſi feminam, ad ſeptuageſimum quartum: infans verò ſi à matre ſepoſitus eſſet, ad menſem exactum; ſin cum matre eſſet, ad idem tempus cum matre, quia tunc particeps cenſebatur maternæ impuritatis, ut rectè ex collatione legum quæ in Levitico & Numeris exſtant à quibuſdam obſervatum eſt. Putant quidam hanc impuritatem legalem teſtimonium fuiſſe vitioſitatis ejus quæ hominibus agnaſcitur, quam ורע רע [*germen malum*] Hebræi vocant; ad quam & illud Philonis pertinere videtur cùm ait, ὅτι παντὶ γενητῷ, κἂν σπουδαῖον ᾖ, παῤ ὅσον ἦλθεν εἰς γένεσιν συμφυὲς τὸ ἁμαρτάνειν ἐστὶν [*omni homini genito, ut maximè virtute ſit præditus, ideo quia genitus eſt cognatum eſt delinquere*]. cui ſimile illud apud Sopatrem Philoſophum, Σύμφυτον τὸ ἁμαρτάνειν ἀνθρώποις [*Agnatum hominibus delinquere*]· & apud Hieroclem, Τί οὖν ἐρεῖς τὴν λυπηρὰν ταύτην συνήθειαν ἅμα καὶ σύμφυτον ἔχειν λεγομένην ἐξευρήσομεν τὴν ἐν ἡμῖν ἔμφυτον φύσιν διαστηματικῶς ἐγειρομένην, καὶ δῆλα τοῦτο εἰς οἰκείων πολὺ λελυπότας βλάπτων ἐπιπέμψας; [*Quid igitur reperiemus adverſus moleſtam hanc cognitam, agnatam, inquam, diſcordiam, quæ ex eo quod in nobis præter naturam ſe habet excitari ſolet, & ut malum domeſticum eò fallit occultius?*] Celſus, Πέφυκε τὸ ἀνθρώπινον φῦλον ἁμαρτάνειν [*Ita nata eſt gens humana ut facilè delinquat*]. Pythagorici, ut apud Jamblichum videre eſt, principium hoc vocant τὸ παρεπιφυὲς ἡμῖν ἀπὸ τῆς γενέσεως ἀλλότριον ζῷον [*animal extraneum nobis ab initio adhærens*], & πολυκέφαλον θηρίον [*multiceps iſtem feram*], & θνητόν τι ζῴου εἶδος [*mortale quoddam vivendi genus*]. Ariſtoteli vocatur τι πεφυκὸς ἀντιβαῖνον τῷ λόγῳ [*aliquid ita natum ut rationi repugnet*]. Arnobius dixit *vitium infirmitatis ingenitæ*. Sed eam cauſam ſi Lex reſpiceret, non erat cur in feminini ſexus partu tempora duplicarentur: cujus nulla afferri ratio probabilis poteſt, niſi quòd quæ feminas pariunt diutius ſolent profluvio laborare: cujus contactus quia erat noxius, ideo publicis cœtibus mulier arcebatur. Obſtare huic ſententiæ putabit aliquis, quòd puerpera cùm luſtratur offerre jubetur duas pecudes aut aves, alteram in holocauſtum, alteram חטאת περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato*], ut habent LXX. Nam & Origenes eam vocem urget ſeptimo Adverſùs Celſum, οἱ δὲ προφῆται αἰνιττόμενοί τι περὶ τῆς γενέσεως πραγμάτων σοφὸν, θυσίαν περὶ ἁμαρτίας λέγειν ἀναφέρεσθαι καὶ περὶ τοῦ ἄρτι γεγεννημένου, ὡς ἂν καθαρὸν ἀπὸ ἁμαρτίας [*Prophetæ clàm ſignificantes aliquid de rerum ortu ſapientiâ plenum, ſacrificium pro peccato offerri dicunt etiam pro modò natis, tanquam non puris à peccato*]. Sed receptum eſt apud Hebræos ut חטאת [*peccatum*] vocent etiam obligationem illam quæ ex lege ſine ulla hominis culpa contrahitur. Sic Nazaræus quem inſcium contigerit mortui corpus, itidem jubetur offerre in holocauſtum & περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato*], additâ cauſâ משום חטאת על המת ὅτι ἥμαρτε περὶ τῆς ψυχῆς [*quia peccavit ſuper mortuo*]. circa illud cadaver, Num. VI, 11. id eſt, *reus eſt talis cadaveris*, quemadmodum Latini dicunt *voti reum*. Sic & aqua luſtralis quæ hominem reddebat cœtibus, vocatur *aqua* חטאת, id eſt, *peccati*, Num. XIX. Et quod offerebatur à ſcabioſis, ab his qui erant γονορρυεῖς [*feminiſluis*], à femina quæ menſium profluvium erat paſſa, dicitur περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato*], Levit. XIV, 19. XV, 15, 30. Quomodo exponi poteſt id quod quibuſdam videtur dicere Scriptor ad Hebræos Dominum noſtrum obtuliſſe etiam περὶ ἰδίων ἁμαρτιῶν [*pro ſuis delictis*], ut ἁμαρτιῶν nomine intelligatur neque vitium neque vitioſitas ulla, ut quæ ab ipſo longiſſimè abfuerint, ſed conditio mortalis corporis, quæ à cœlo ipſum arcebat, ſicut immunditia legalis aliquem arcebat à Templo. Confer locum ejuſdem epiſtolæ V, 3, 7. Hoc eſt quod Paulus dicit ὁμοίωμα σαρκὸς ἁμαρτίας [*ſimilitudinem carnis peccati*], Roman. VIII, 3. Atque hunc in modum Hilarius, Oecumenius & alii interpretantur & illud Pauli Roman. VI, 10. Ὃ γὰρ ἀπέθανε, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ [*Quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel*], id eſt, corpore illo mortali quale eſt corpus peccato obnoxium; ut diximus ad Matth. XXII. Quod autem quidam diſputant legem quæ de purificatione eſt apud Moſem prodita ad Mariam non pertinuiſſe, quia lex de eis tantùm agat quæ ex virili ſatu concipiunt, pugnat, ni fallor, cum Lucæ verbis, neque probari poteſt è Moſe. Nam זכר, quod LXX vertunt σπερματίσῃ [*ſemen ediderit*], non eſt paſſivum, ſed activum, & quaſi dicas, *cùm prolem genuerit*: quod dictum generale deinde in duas ſpecies ἀρρενογονίας καὶ θηλυγονίας [*partus maſculi & partus feminei*] diſtribuitur, ut apud Hebræos fieri ſolet. Eadem vox eſt Gen. I, 11. עץ פרי עשה, ubi LXX σπεῖρον σπέρμα [*herbam ferentem ſemen*], Aquila σπερματίζον. ¶ ἀνήγαγον αὐτὸν εἰς Ἱεροσόλυμα, *tulerunt illum in Jeruſalem*] Simul duabus legibus defuncturi, unâ quæ erat de Purificatione puerperæ, altera quæ erat de Redemtione primogeniti, quæ intra menſem fieri non poterat, poſt menſem poterat. Exiſtimo autem hæc quæ ſequuntur in parte aliqua Templi geſta paucis conſciis, iiſque fidis: ac ob id horum famam ad Herodem non perveniſſe.

23. διανοῖγον μήτραν, *adaperiens vulvam*] Ita loquuntur LXX Num. VIII, 16. & Philo De ſacrificio Caini & Abelis, & libro De honoribus Sacerdotum. In lege Exodi unde hæc verba depromta ſunt non κατὰ πόδας [*verbo tenus*] ſed κατὰ διάνοιαν [*ſenſu*], ita habent Græci, Ἁγίασόν μοι πᾶν πρωτότοκον πρωτογενὲς καὶ διανοῖγον πᾶσαν μήτραν ἐν τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, ἀπὸ ἀνθρώπων ἕως κτήνους, ὅτι ἐμοί ἐστιν [*Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Iſrael, tam de hominibus quàm de jumentis; mea ſunt enim omnia*]. Sicut autem *clauſus uterus* dicitur Hebræis qui ſterilis eſt, ita *aperiri* qui experimentum dat ſuæ fœcunditatis. Ad primogenitos olim ſpectabat cura ſacrorum: eorum in locum ſurrogati ſunt Levitæ. Manſit tamen veteris juris veſtigium in eo quòd ſiſti in Templo mares primogeniti debuerint & quinque ſiclis redimi. De pecunia hac qua redimebatur infans nihil dixit Lucas, quia nihil in eo erat inſigne, cùm & divitibus & pauperibus tantundem eſſet imperatum. Ἐπεὶ γὰρ, inquit Philo, ἡ παίδων γένεσις ἐν ἴσῳ καὶ τοῖς λαμπροτάτοις καὶ τοῖς ἀφανεστάτοις ἐνθάδε συμβαίνει, ἴσῳ ἰδιαίσει καὶ τιμῇ εὐφροσύνῃ νομοθετῆσαι [*Cùm enim liberûm ortus pari modo contingat nobilibus & ignobilibus, parem judicavit collationem indicendam omnibus*]. Simile eſt quod pari ſumtu corpora divitum & pauperum ſepeliebantur. Ita docebant Hebræi & naſcendo & moriendo nos admoneri ejus quam Natura inter homines conſtituit paritatis. Legem de con-

conſecratione marium primogenitorum Philo ἀλληγορῶν [*in arcanum ſenſum trahens*] ad præſtantiſſimas animi noſtri actiones Deo dicandas refert, dictis jam locis, item libro De herede rerum Divinarum.

24. Θυσίαν, *hoſtiam*] Θυσίας [*hoſtia*] vox hic generaliter ſumitur. Includit enim & ὁλοκαύτωμα [*holocauſtum*] & τὸ περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato*]. Hanc Θυσίαν [*hoſtiam*] putavit Origenes dicto jam loco, & poſt eum alii, propriè oblatam pro infante; quem fefellerunt verba legis malè accepta, Levit. XII, 6. Καὶ ὅταν ἀναπληρωθῶσιν αἱ ἡμέραι καθάρσεως αὐτῆς ἐφ' υἱῷ ἢ ἐπὶ θυγατρὶ, προσοίσει ἀμνὸν ἐνιαύσιον [*Cumque expleti fuerint dies purificationis ſuæ de filio aut de filia, deferet agnum anniculum*] & cætera. Putavit enim illud ἐφ' υἱῷ ἢ ἐπὶ θυγατρὶ [*de filio aut de filia*] referri ad προσοίσει [*deferet* ſive *offeret*], cùm referatur ad καθάρσεως [*purificationis*] ut ſenſus ſit, Cùm purificanda eſt mater à partu maris aut feminæ. Infantis purificationi erant quidem dies præſtituti, ſed nullum ſacrificium: ejus enim impuritas à matre veniebat. ¶ ζεῦγος τρυγόνων, ἢ δύο νεοσσοὺς περιστερῶν. *par turturum, aut duos pullos columbarum*] Manifeſtum indicium paupertatis. Nam lex erat ut agnus cum avicula offerretur: ſed quorum res id non ferret, iis permiſſum defungi duabus aviculis. Unde intelligi poteſt auri non multum à Magis datum, quippe honoris habendi causâ, non exercendæ liberalitatis: quomodo mos illis erat Reges ſuos accedere.

25. εὐλαβὴς, *timoratus*] Vox Lucæ peculiaris; qui bis præterea uſurpat. Actor. II, 5. & VIII, 2. Hebræorum imitatione, quibus *religioſis* dicitur יָרֵא [*timens*], ſed plerunque addito *Dei* nomine, ut Eſaiæ L, 10. Atque ita Chriſtiani veteres Epiſcopos quaſi peculiari titulo vocabant εὐλαβεστάτους [*timentiſſimos*, id eſt, *religioſiſſimos*]. Cùm dixit δίκαιον & εὐλαβῆ [*juſtum & timentem*] omnes officiorum partes complexus eſt. Ita ſuprà I, 75. ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ [*in ſanctitate & juſtitia*]. ¶ προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ [*exſpectans conſolationem Iſraël*] Ita de Joſepho Arimathenſi Marcus dixit προσδεχόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*exſpectans Regnum Dei*]. unde intelligimus his præcipuè verbis indicari beneficia illa Meſſiæ πνευματικὰ [*ſpiritualia*]. quanquam & Reipublicæ reſtitutionem ab illis ſperatam credibile eſt. Sic & infrà 38. προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἰερουσαλήμ [*qui exſpectabant redemtionem in Jeruſalem*]. ¶ Πνεῦμα ἅγιον ἦν ἐπ' αὐτόν. *Spiritus Sanctus erat ſuper ipſum*] De hoc loquendi genere vide quæ dicta ſuprà I, 35, & 66. Si proprietatem ſectamur, videtur hic Simeon non quidem clara habuiſſe viſa (ceſſabat enim pridem προφητεία [*Prophetia*]) ſed afflatus Divinos: id enim diſtinctè רוח הקדש [*Spiritus Sanctus*] Hebræis dicitur.

26. Ὑπὸ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, *à Spiritu Sancto*] Non per Angelum, neque per vocem quam בת קול [*filiam vocis*] vocant, ſed *di ἐπιπνοίας* [*per afflatum*]. ¶ μὴ ἰδεῖν θάνατον, *non viſurum ſe mortem*] Sicut γεύεσθαι θανάτου [*guſtare mortem*] dicitur ut Matth. XVI, 28. ſic & ἰδεῖν θάνατον [*videre mortem*], ut Pſal. LXXXIX, 49. Nomina enim notiſſimorum ſenſuum ad cujuſvis experimenti ſignificationem aptantur.

27. ἐν τῷ Πνεύματι, *in Spiritu*] *Inſtigante Spiritu.* Sic & infrà IV, 1. Vide quæ ad Matth. IV, 1. ¶ τοὺς γονεῖς, *parentes*] Non mirum eſt Joſephum hoc nomine appellari, cùm etiam ſocrum & novercam Jurisconſulti tradant eſſe Matrum loco: & apud Plautum eſt *mater* quæ mammam dedit: & Geneſeos XXXVII, 35. *filiarum* nomine apparet Nurus comprehendi. ¶ κατὰ τὸ εἰθισμένον, *ſecundùm conſuetudinem*] Nempe παραστῆσαι τῷ Κυρίῳ [*ſiſtere Domino*], ut ſuprà dixit, & offerre τὸν λύτρωσιν [*redemtionem*].

29. Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, δέσποτα, κατὰ τὸ ῥῆμά σου ἐν εἰρήνῃ· *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace*] Ἀπολύεις ἐν εἰρήνῃ [*dimittis in pace*], id eſt, *feliciter me dimittis*: Præſens pro futuro. Ἀπολύεσθαι [*dimitti*] Helleniſtis dicuntur pii cum moriuntur, ut Tobiæ III, 6. ita LXX Num. XX. in fine ὅτι ἀπελύθη Ααρὼν [*quia dimiſſus eſt Aaron*]. & Geneſ. XV, 2. Abraham ait ἐγὼ δὲ ἀπολύομαι ἄτεκνος [*ego dimittor liberis carens*]· ubi Targum אנא שלח מן עלמא *abeo ex hoc mundo*: quomodo & Feſtus ait Romanis antiquis mortem dictam *abitionem*. Marcus Antoninus *mori* vocat ἀπολειτουργεῖν [*abire à miniſterio*]. Ejuſdem eſt illud, Ἀπιθι οὖν ἵλεως· καὶ γὰρ ὁ ἀπολύων ἵλεως [*Abi ergo placatus; nam & is qui te dimittit placatus eſt*]· quomodo & Plutarchum & Themiſtium loqui alibi notavimus. Eſt autem in hoc loquendi genere manifeſta profeſſio ſperatæ vitæ alterius; cùm *corpus* habeatur pro animi vinculo, unde dictum δέμας volunt Græci. Illud autem ἐν εἰρήνῃ [*in pace*] de felici morte paſſim uſurpatur, ut Geneſ. XV, 15. II Reg. XXII, 20. Pſalm. IV, 9. Solent autem ita de ſe loqui qui rei optatæ conſpectum ſunt adepti, quaſi jam nihil poſſit illis ad felicitatem vitæ accedere. Ita Jacobus ad Joſephum filium Gen. XLVI, 30. Ἀποθανοῦμαι ἀπὸ τοῦ νῦν, ἐπεὶ εἶδόν σου τὸ πρόσωπον ἔτι [*Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam*]. Quod imitatus Scriptor Tobiæ, Tobiam ſenem ita loqui facit XI, 8. Εἶδόν σε, παιδίον· ἀπὸ τοῦ νῦν ἀποθανοῦμαι [*Vidi te, fili; abhinc moriar.*] Apud Papinium ſenex alter ſic Amigonen alloquitur,

Donec te thalamis habilem integramque reſignem,
Hoc ſatis: & ſeſum vitâ dimittite Parca.

30. τὸ σωτήριόν σου, *Salutare tuum*] Σωτήριον [*ſalutare*] ſolent interdum ponere LXX ubi in Hebræo eſt ישועה; ut Pſalm. XCVIII, 3. εἶδοσαν πάντα τὰ πέρατα τῆς γῆς τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ ἡμῶν [*viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri*]· & I Sam. II, 1. Alibi vertunt σωτηρίαν [*ſalutem*], ut Gen. XLIX, 18. Eſaiæ L.II, 10. ubi eadem illa quæ in dicto Pſalmo ſententia eſt: ut & Lucas ſuprà dixit κέρας σωτηρίας [*cornu ſalutis*]. Eſt ergo hic abſtractum pro concreto poſitum, σωτήριον [*Salutare*] ſive σωτηρίαν ἀντὶ τοῦ σωτῆρος [*ſalus, pro Salvatore*], ſicut & Latinè dicimus, *Tu mea es ſalus.* Apud Eſaiam XLVI, 13. Deus loquens de Meſſia ſimiliter ait תשועתי *ſalus mea*, id eſt, à me; & apud eundem XLIX, 6. ישועתי [*ſalus mea*] ſenſu eodem.

31. Ὃ ἡτοίμασας, *Quod paraſti*] *Paraſti*, ut oſtenderes ſcilicet: ita σωτηρίαν ἑτοίμως ἀποκαλυφθῆναι [*ſalutem paratam revelari*] dixit Petrus I Epiſt. I, 5. ¶ κατὰ πρόσωπον, *ante faciem*] *In conſpectu.*

32. Φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, *Lumen ad revelationem Gentium*] Ex duobus vaticiniis, quorum alterum eſt dicto Eſaiæ loco XLIX, 6. δέδωκά σε εἰς φῶς ἐθνῶν [*dedi te in lucem Gentium*]. Qui locus oſtendit Meſſiæ beneficia non ad Iſraëlitas tantùm ſed & ad gentes alias perventura. Alterum dicto Pſalmo XCVIII, 3. ἐναντίον τῶν ἐθνῶν ἀπεκάλυψε τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ [*in conſpectu Gentium revelavit juſtitiam ſuam*]. Videtur autem collatis his locis hæc eſſe conſtructio Lucæ verborum, per trajectionem quæ Lucæ eſt uſitatiſſima, φῶς ἐθνῶν εἰς ἀποκάλυψιν [*lumen Gentium ad revelationem*] ſcilicet τῆς δικαιοσύνης Θεοῦ [*juſtitia Dei*]. Nam, ut Paulus ait, δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν Χριστῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν [*juſtitia Dei in Chriſto revelatur ex fide in fidem*] Rom. I, 17. Quanquam non nego ἀποκάλυψιν [*revelationem*] poſſe intelligi ipſam videndi poteſtatem quæ Gentibus datur per hoc lumen. Nam ita גלוי Hebraicè, Græcè ἀποκάλυψις [*revelatio*], uſurpatum invenire eſt Pſalmo CXIX, 18. Et Irenæus ſic accipit hunc locum κατ' ἔκλειψιν [*per defectum*]· *ad revelationem oculorum Gentium.* ¶ καὶ δόξαν λαοῦ σου Ἰσραήλ. *& gloriam plebis tuæ Iſrael*] Ex Eſaia dicto loco XLVI, 13. תתי לישראל תפארתי τῷ Ἰσραὴλ δόξασιν [*Iſraeli gloriam*]. Paulus Rom. IX, 4 Ἰσραηλῖταί, ὧν ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα [*Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum & gloria*]. Meſſias *gloria Iſraëlis*, quia ex Iſraëlitis natus, inter ipſos vixit & Gentes vocavit ad religionem Iſraëlis.

33. Θαυμάζοντες ἐπὶ τοῖς λαλουμένοις περὶ αὐτοῦ. *mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo*] Λαλουμένοις [*dicebantur*, aut *dicta erant*] ſumendum ſine temporis definitione, ut intelligantur tam quæ ab Angelo erant dicta quàm quæ ab Elliſabeta, Zacharia, Simeone.

34. εὐλόγησεν αὐτοὺς, *& benedixit illis*] Joſephum & Mariam, quorum præceſſit mentio, bonis omnibus proſecutus eſt. ¶ πρὸς Μαριὰμ, *ad Mariam*] Spiritûs inſtinctu edoctus eam eſſe matrem ſine patre, cùm alioqui priores eſſe patris partes debuiſſent. ¶ κεῖται, *poſitus eſt*] Accedo iis qui putant non nudum eventum ſed & conſilium Dei ſignificari. Nam κεῖται [*poſitus eſt*] eſt τίθεται [*ordinatur*], cujus verbi activum Paulus & Petrus uſurpant locis citandis ad verba ſequentia. Sed ut varia ſunt Dei decreta, ita vocis hujus κεῖται [*poſitus*] uſus eſt diſtinguendus: Paulus de vocatione ad promulgationem Euangelii uſurpat, Philipp. I, 17. de vocatione Chriſtianorum ad patientiam malorum, I Theſſal. III, 3. de præcipua Dei intentione in ferenda Lege carnali per Moſen, I Timoth. I, 9. At cùm ſuprà dixerit Simeon, *omnibus populis*; ac proinde hominibus omnibus, qui in omnibus populis continentur, ſalutem hanc eſſe propoſitam Divino conſilio, omnino res ipſa eò nos ducit ut diligenter diſtinguamus Divina decreta. Nam alia vult Deus προηγεῖσθαι [*præcedanea*], alia verò ἑπομένως [*conſequanea*], ſive, ut veteriſſimi Chriſtianorum loquuntur, ἐκ παρακολουθήσεως [*ex conſequentia*] ſive ἐκ περιστάσεως [*ex circumſtantia*]· quod & δευτέρως [*ſecundario*] dicunt quidam. Nudè ſi homines inſpiciantur, haud dubiè omnium ſalutem Deus ſeriò deſiderat. At ſimul aſſumtis circumſtantiis, ut quod alii ignorantiâ veri & communi

quadam imbecillitate labuntur, alii verò contemtu quodam rerum Divinarum, quas aut nullo habent loco, aut certè honoribus, divitiis atque id genus commodis postponunt, cùm interim pietatis ostentatores sint maximi; vult Deus & horum & illorum intima studia detegi, quod fanè effecit per Euangelii sermonem. ¶ *εἰς πτῶσιν, in ruinam*] Hoc est quod de Messia dixerat Esaias interprete Paulo Rom. IX, 33. & Petro 1 epist. cap. II, 8. fore eum utrique Domui Israël, tam Palæstinis quàm τοῖς ἐν διασπορᾷ [*iis qui in dispersione*], præcipuè verò Hierosolymitis אבן נגף ומצור פחד *πέτραν σκανδάλου* [*lapidem offensionis*], non omnibus quidem, sed, ût Petrus loquitur, τοῖς *προσκόπτουσι τῷ λόγῳ* [*his qui offendunt verbo*], 1 Petri II, 8. Idem est quod apud Johannem dicit Dominus, *venisse se ut videntes cæci fierent*, IX, 39. id est, ut qui pridem multum lucis acceperant, sed amaverant opera tenebrarum, re ipsa ostenderent se esse lucifugas & tenebriones, quod antè non æquè constabat. Nam patefactâ doctrinâ cœlesti sine involucris, tanta cum efficacia miraculorum, sed ita ut secum traheret multa incommoda, detracta est illis hominibus sanctimoniæ persona. Nihil enim causari poterant cur Christi doctrinam non reciperent nisi τὸ *φρόνημα τῆς σαρκὸς* [*studium carnis*]. Sic igitur Euangelium est τοῖς *ἀπολλυμένοις* [*pereuntibus*], id est, his qui verè dici possunt exitium quærere; *ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον* [*odor mortis ad mortem*] II Cor. II, 16. Dicuntur autem illi *cadere*, quia antè stabant, id est, pii judicabantur. Similis oppositio apud Paulum *ὁ δοκῶν ἑστάναι βλεπέτω μὴ πέσῃ* [*qui se existimat stare, videat ne cadat*], 1 Cor. X, 12. ¶ *εἰς ἀνάστασιν, & resurrectionem* sive *surrectionem*] *Τῶν σωζομένων* [*eorum qui salvi fiunt*], ut dicto ad Corinthios loco Paulus loquitur. Christus apud Johannem, *ut qui non vident videant*, id est, ut quibus ignorantia rerum bonarum animum impedierat, eo impedimento remoto verum cum molestia conjunctum libenter amplecterentur. Hi *surgere* dicuntur quia velut jacebant in ignorantiæ luto. ¶ *εἰς σημεῖον, in signum*] Variè exponitur hæc vox. Ego arbitror respici Esaiæ locum VIII, 8. ubi is *se & liberos suos* dicit *constitutos* לאותות ולמופתים *σημεῖα καὶ τέρατα* [*in signa & in portenta*], ut habent LXX, quod Scriptor ad Hebræos ostendit ad Christum & Christi discipulos *διὰ τύπου* [*per typum*] referri debere, II, 13. Simile est quod Ezechiel dicit se futurum למופת *εἰς τέρας* [*in portentum*]. Sensus verborum Simeonis est, Christum & vitæ sanctimonia admirabili & prodigiosis operibus toti mundo conspicuum fore. ¶ *ἀντιλεγόμενον cui contradicetur*] Mirè Simeon gratiæ ubertatem cum eventu comparat. Dixerat fore Jesum *σωτήριον ἑτοίμιον πάντων & λαῶν* [*salutare ante faciem omnium populorum*], sed addidit fore *εἰς πτῶσιν πολλῶν* [*in ruinam multorum*]. Sic dicit eum fore *σημεῖον* [*signum*], sed *ἀντιλεγόμενον* [*cui contradicetur*], id est, quamvis perspicuæ veritati multos adversaturos. *ἀντιλογία* respondens ריב Hebræo, quod & *ἀντιλογία* [*contradictio*] & *μάχη* [*pugna*] vertitur, propriè quidem calumnias significat, sed ita ut & facta calumniam comitantia sæpe includat. Scripeor ad Hebræos de Christo XII, 3. *ἀναλογίσασθε γὰρ τὴν τοιαύτην ὑπομεμενηκότα ὑπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν εἰς ἑαυτὸν ἀντιλογίαν* [*recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem*]. Sic Psalm. XVIII, 44. ריב [*contentionem*] *ἀντιλογίας* [*contradictionem*] vertunt LXX. Simile est quod *βλασφημία* [*blasphemia*] non de dictis tantum sed & de factis usurpatur, ut videre est 1 Macc. II, 6.

35. *Καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία·*] *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*] Cum copula dixit more Hebræo, quod alioqui diceremus *adeo ut tuam quoque animam gladius sit transiturus*: nam quæ sequuntur manifestè iterum cohærent cum his quæ præcellerint. *Gladii* vocem sæpe usurpant Hebræi ubi de calumnia agitur: Psalm. LV, 22. ubi in Græco *καὶ αὐτοὶ* (*οἱ λόγοι*) *εἰσὶ βολίδες* [*& ipsi* (*sermones*) *sunt jacula*]. Psalm. autem LVII, 5. *καὶ ἡ γλῶσσα αὐτῶν μάχαιρα ὀξεῖα* [*lingua eorum gladius acutus*]. Græcus Poëta vetus,

> Σίφων τετρώκται σῶμα, τὸν δὲ τῶν λόγων.
> [*Transadigit ensis corpus, mentem oratio.*]

Neque dubito quin proverbium hoc apud Hebræos fuerit usitatum de *gladio animum transeunte*, quoties de atroci calumnia agebatur. Nam in Psalmo CV, ubi de Josepho agitur, cùm vinculorum ejus facta esset mentio, adjicit Psalmographus ברזל בא נפשו [*ferrum intravit animam ejus*], cujus loci sensus, quanquam aliter exponentibus Græcis, omnino esse videtur, Calumniam (falsam nempe adulterii accusationem) ad omnes corporis vexationes gravissimum dolorem animo ipsius accessisse, non aliter quàm si ille acutissimo ferro transadigeretur. Quod autem de Josepho dictum ad ipsum Christum *δι' αὐτοῦ* [*per typum*] pertinebat, recte Simeon ad matrem transtulit, ut quæ ex atrocissimis in filium calumniis non minus doloris erat percepturæ quàm filius ipse. *Romphæa* Thracum, ut Germanorum *framea*, est hastæ brevioris genus, habilis ad usum quem gladius præbet. Itaque Hebræas voces tam quæ *hastam* quàm quæ *gladium* significant illa voce Græca exprimunt LXX & alii Interpretes. ¶ *ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν οἱ διαλογισμοί. ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*]. Sic *φανερῶσαι τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν* [*manifestare consilia cordium*] dixit Paulus 1 Cor. IV, 5. Sed ibi de judicio post hanc vitam agi videtur, hîc de illis judiciis quæ per Euangelium Deus exercet in hoc etiam sæculo. Sic ad Hebræos Scriptor Euangelium vocat *λόγον κριτικὸν ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας* [*sermonem discretorem cogitationum & intentionum cordis*]. Hæc Euangelii vis sæpe ita exseritur ut etiam hominibus paulò attentiùs rem introspectantibus appareat.

36. *προφῆτις, Prophetissa*] Ita laxiùs sumto vocabulo dicuntur fœminæ quæ interdum à Spiritu Sancto invisebantur. Aliæ olim fuerant *προφήτιδες* [*Prophetissæ*] munere ordinario, ut Debora; quod genus Prophetarum in utroque sexu tum cessabat. ¶ *Θυγάτηρ Φανουήλ, filia Phanuel*] Non frustra hoc additur. Tempus enim venerat ut impleretur mysterium quod sub hoc nomine latebat Gen. XXXII, 30. Sic in ANNÆ vocabulo *gratia*, in ASER *beatitudinis* est significatio. ¶ *ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς. à virginitate sua*] Magna laus mulieris apud nationes penè omnes, non repetere nuptias. Tacitus de Germanorum feminis, *Sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus unamque vitam: ne ulla cogitatio ultrà, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum sed tanquam matrimonium ament*: legendum *ne tanquam non maritum sed matrimonium ament*. Ideo abstinent, inquit, secundis nuptiis, ne videantur nuptias amasse, non eum cui nupserant. Tertullianus duobus hac de re libris recitat privilegia Univirarum apud Romanos & alias gentes. Sed & legibus Romanis multa constituta sunt ad earum nuptiarum licentiam refrænandam. Veteres Christiani cùm non possent ullo Christi edicto prohibitam matrimonii repetitionem ostendere, omnibus tamen modis eam dissuadebant, ità ut nec repetitarum nuptiarum celebritati interesse vellent Presbyteri, ne præsentiâ suâ probare viderentur rem permissam quidem sed minùs laudabilem. Exstat ea de re canon Synodi Neocæsariensis. Sententiam hac de re Christianissimi veteris non malè exprimit Clemens Alexandrinus Stromateôn IV. *καὶ οὕτω ὁ ἀπόστολος δι' οἰκονομίαν καὶ πίστιν τῆς συγγενοῦς δόντος μετοδεύσαι γάμου, ἵνα καὶ ὃν τρόπον οὐκ ἀμαρτανόμενον καὶ διαθήκην· ἡ γὰρ κοινωνία φεύγει καὶ νόμος· ἡ πλεροῦ δὲ τῆς καὶ τὸ διαγγέλιον πολιτείας τὴν κατ' ἐπίτασιν τελειότητα· δάξαν ἂν αὐτῷ μεῖναι ἐφ' ἑαυτοῦ καὶ τὴν διαθήκην θνητῷ συζυγίαν ἄφθαρτον φυλάσσειν* [*Quod sicut Apostolus ob incontinentiam & ustionem per indulgentiam alteras concedit nuptias, talis aliquis in fœdus quidem non peccat; neque enim lex nulla id vetat: at non impetit vitæ secundum Euangelium eximiam perfectionem. Atque qui secum manet & dissolutum morte conjugium integrum custodit, gloriam sibi parit cœlestem*]. Idem Strom. III. *Ἡμεῖς ἐννοχίαν μὲν καὶ εἰς τοῦτο δεδόσθαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ μανθάνομεν· μονογαμίαν δὲ καὶ τὴν μετὰ τὸ ἕνα γάμον σεμνότητα διωμολογοῦμεν συμπαρεῖναι δεῖσθαι λέγοντες καὶ ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζειν* [*Nos spadonum vitam agentes & quibus id à Deo datum est, beatos prædicamus; unas etiam nuptias & non repetitas matrimonii castitatem admiramur: ita tamen ut dicamus debere nos alios aliis compati & mutuò ferre onera aliena*]. Tertullianus libro ad Uxorem de matrimonio cum Gentilibus, *Quantò grandis est continentiæ caro nis qua viduitatem ministrat, tantò, si non sustineatur, ignoscibilis videri potest. Difficilium enim facilis est venia.* Prudentius in Laurentium hymno,

> *Cernis sacratas virgines,*
> *Miraris imaltas annis,*
> *Primique post damnum tori*
> *Ignis secundi nescias:*
> *Hoc est monile Ecclesiæ,*
> *His illa gemmis comitur.*

unde longè abit illud Pauli & Eustochii, *Duplex is inter ecclesiastica ornamenta monachorum & virginum chorus.*

37. *νηστείαις καὶ δεήσεσι, jejuniis & obsecrationibus*] Conjungi hæc solere diximus ad Matthæum XVII, 21. Suprà retulisse nos meminimus, partem Israëlitarum solitam convenire ad Templum, distributis in id temporibus, ut precibus vacarent. Id dicebatur משמר [*stationem servare*], à re militari deducto

deducto vocabulo, quod λειτουργεῖν [*ministrare*] alicubi vertunt Lxx. Alibi non tam vocem exprimunt quàm morem voce denotatum. Nam feminas λειτουργούσας תצבאת [*ministrantes*] vocant τὰς παρεπιμίας παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου [*eas quæ observabant ad ostium Tabernaculi testimonii*], 1 Sam. II, 22. At Exodi XXXVIII, 8. τὰς νηστευούσας, αἱ ἐνήστευον παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου [*jejunantes, quæ jejunabant ad ostium Tabernaculi testimonii*]. quo in loco neque Græci codicis vitium est, quod suspicatur vir diligentissimus, neque in Hebræo aliter legerunt LXX, sed, ut solent, usi sunt liberiore interpretatione rem ipsam explicantes. In jejuniis enim & precibus consistebat ista λειτουργία [*statio ministerii*] aut ejus pars potissima. Sed tum in Exodo tum in Samuele, ut Jonathan & Abenesdra existimant, de matronis agitur, quæ, ut diximus, non perpetuò, quod non ferebat rei domesticæ ratio, sed certis temporibus Templum celebrabant. Nimirum, ut Paulus dixit, ἡ γαμήσασα [*quæ nupta est*] ut maxime pietati se dedat, simul tamen μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῷ ἀνδρί [*cogitet quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*]. At viduæ eâ curâ liberatæ continuare poterant eam λειτουργίαν [*stationem*] atque adeò *non abscedere à Templo*, id est, vix unquam alibi esse, *vacantes precibus & jejuniis die noctuque*. Christiana Ecclesia ut quicquid apud Judæos erat laudabile ita hoc quoque retinuit. Nam Paulus de vidua agens eadem prope verba usurpat quæ hic de Anna Lucas, προσμένουσα τῇ δεήσει καὶ τῇ προσευχαῖς νυκτὸς καὶ ἡμέρας [*instat obsecrationibus & orationibus nocte ac die*]. Ex hoc viduarum ordine legi solebant & πρεσβύτιδες [*seniores femina*], quæ & προϊστάμεναι [*femina præsidentes*] dicebantur, aliarum mulierum συμφοιτήσεων [*formatrices*] & morum magistræ. Harum meminit Paulus Tit. II, 3. Has sollemniter ordinari solitas docet nos Tertullianus libro quem dixi priore, qui *Exhortatio ad castitatem* inscribitur; & agnoscunt Balsamo & Zonaras. Antiquavit eam ordinationem Laodicena Synodus, sicut διακονισσῶν χειροθεσίαν [*impositionem manuum per quam creabantur Diaconissæ*] Synodus Nicena. ¶ λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν [*serviens nocte ac die*] Supple Θεῷ [*Deo*] similis ἔκλειψις [*defectus*] Actor. XXVI, 7.

38. ἀνθωμολογεῖτο τῷ Κυρίῳ [*confitebatur Domino*], Id est, *Deo laudes gratesque agebat*. Neque ulla hîc vis est præpositionis ἀνὰ. Nam ἀνθομολογεῖσθαι pro ἐξομολογεῖσθαι [*confiteri*], usurpant Lxx, ut Psalmo LXXIX. circa finem, ἀνθομολογησόμεθά σοι ὁ Θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα [*confitebimur tibi in seculum*]. Nec aliter Esdr. III, 11. Sirachides XVII, 21 & 22. XX. 2. ¶ τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἰερουσαλήμ. *qui exspectabant redemtionem in Jerusalem*] Puto constructionem esse τοῖς ἐν Ἰερουσαλὴμ προσδεχομένοις τὴν ἀπολύτρωσιν [*iis qui in Jerusalem erant exspectantes redemptionem*]. Nam creber est in trajectionibus Lucas. Lectionem autem hanc esse veram, præter Græcorum codicum consensum, Syrus docet, & Irenæus qui ita legit.

40. Τὸ δὲ παιδίον ηὐξανε, καὶ ἐκραταιοῦτο Πνεύματι, *Puer autem crescebat & confortabatur Spiritu*] Eadem sunt verba quæ de Johanne suprà usurpaverat, diverse tamen κατ' ἀναλογίαν [*secundum proportionem*] interpretanda; quod qui non observarunt, ausi hîc sunt delere vocem Πνεύματι [*Spiritu*]. ¶ πληρούμενον σοφίας· *& implebatur sapientiâ*] ut hoc actum, insolitum quidem, sed tamen successivum, ut loquuntur, significat. Tale est & infrà προέκοπτε σοφίᾳ [*proficiebat sapientia*]. Vide quæ dicta ad Marc. XIII, 32. ¶ καὶ χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτό. *& gratia Dei erat in illo*] Ut de Johanne, καὶ χεὶρ Κυρίου ἦν μετ' αὐτῶν [*& manus Domini erat cum illo*]. Est ergò χάρις hîc singularis Dei protectio & donorum collatio.

41. κατ' ἔτος εἰς Ἰερουσαλὴμ τῇ ἑορτῇ τοῦ πάσχα· *anni tempore redeunte in Jerusalem, nempe in festo Paschatis*] Lex quæ est Exodi XXIII, 17. XXXIV, 23 Deut XVI, 16. ita videtur intelligenda, ut quoque tempore de tribus illis maximis festis pars tertia ex oppidis, vicis & agris iret Hierosolyma; qui vellent, etiam sæpius. Feminæ verò, quanquam de iis lex non exstabat, propria religione semel anno sacros cœtus invisebant. Sic de Anna & Phenana Elcanæ uxoribus legimus quotannis eas iviſse ad ædem Dominicam, 1 Sam. I, 7. Quod omnino credibile est factum tempore Azymorum, quod συνεδοχικῶς [*per complexionem*] hîc vocatur πάσχα [*Pascha*], ut & apud Josephum aliquoties.

42. Καὶ ὅτε ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα, *Et cùm factus esset annorum duodecim*] Lex quæ in Exodo & Deuteronomio exstat in mares omnes concepta est. Sed cùm ipsa ratio & æquitas doceret id ad teneram admodum ætatem non pertinere, locus fuit hujus interpretationi. Nihil enim referebat ad festos dies deduci eos qui rerum istarum nullam habebant intellectum. Exstat lex altera Exodi XII, 27. qua jubentur parentes liberis suis exponere historiam rerum in Ægypto gestarum, simul atque ceremoniæ illius causas inciperent inquirere, id est, simul atque ad rationis usum aliquem pervenissent: quod tempus eùm Lege definitum non esset, videtur relictum arbitrio Sapientum, atque ab iis definitum ætate annorum duodecim, qua & feminas Romani viripotentes judicant & pueros pubertati proximos. Discrimen hoc ætatis indicant & voces Hebrææ: nam intra annum duodecimum dicebantur קטנים [*infantes* sive *parvuli*], eo impleto נערים [*adolescentes*]. At ubi de pœnis irrogandis agitur, is qui annum implevit XIII legibus tenebatur, & vocabatur בר מצוה *filius præcepti*. Vide Abenesdram Genes. XVII, 14. At pii non eousque expectabant, juxta receptam sententiam, זריז מקדים למצוה, *Expeditus antevertunt præceptum*.

43. τελειωσάντων τὰς ἡμέρας, *consummatisque diebus*] Legitimos Azymorum dies.

44. ἐν τῇ συνοδίᾳ εἶναι, *esse in comitatu*] Magna erat turba simul iter facientium & Galilæâ in Judæam & contrà. De die his atque illis, prout ferebat occasio, se aggregabant colloquii causâ; vesperi ad suos se referebant, capiendæ quietis causâ. Itaque mirum non est vesperi primùm desideratum esse puerum: συνοδία [*comitatus*] est id quod Persæ *Caravanam* vocant, Hebræi שיירה, Arabes قافلة Geneseos XXXVII, 25. Æthiopes ሸሬጥ. Sic qui cum Nehemia iter susceperant συνοδία [*comitatus*] dicuntur Nehemiæ VII, 64. ¶ ἦλθον ἡμέρας ὁδὸν. *venêre iter diei*] Hîc ἦλθον [*venêre*] est pro *iverunt*. sic & infrà XV, 20. ¶ ἐν τοῖς συγγενέσι καὶ τοῖς γνωστοῖς. *inter cognatos & notos*] *Inter cognatos & amicos qui erant* ἐν τῇ συνοδίᾳ [*in comitatu*] apud quos eum hæsisse supicabantur.

46. μετ' ἡμέρας τρεῖς, *post triduum*], Id est, *die tertio*, ut Matth. XXVII, 63. Marc. VIII, 31. Diem unum iter fecerant, altero remensi erant idem iter, tertio demum quæsitum inveniunt. ¶ ἐν τῷ ἱερῷ, *in Templo*] In porticu subdialis Israëlitarum, ut ex Baruchò & Thalmudicis datur colligi. ¶ ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων, *in medio Doctorum*], Id est, *in turba Magistrorum*. Alioqui non permixti sedebant, sed distincti senes à junioribus. Ita Paulus *institutum se* dicit *ad pedes Gamalielis* Act. XXII, 3. Philo de Essenis, κατ' ἡλικίαν ἐξῆς καθίζουσι [*secundùm ætatis ordinem sedent*. & alibi, κατ' ἡλικίας ἐν τάξεσιν ὑπὸ πρεσβυτέροις νέοι καθίζουσι] [*secundùm ætates ordinatim sub seniorum sedent juniores*]. Annotat hunc morem in cujus in Pauli Epistolas expositiones sub Ambrosii titulo leguntur ad 1 Cor. XIV, 31. ¶ καὶ ἐπερωτῶντα αὐτούς, *interrogantem eos*] Proponentem quæstiones ex Lege & Prophetis.

47. καὶ τὰς ἀποκρίσεις αὐτοῦ. *& responsis ejus*] Nam explorandi profectûs causâ à Magistris pueri vicissim interrogabantur, ut ex libro Musar apparet. Vide Josephum Vitâ suâ.

48. ὀδυνώμενοι, *dolentes*] Præ affectus teneritudine non satis attendentes ad ea quæ de hoc puero alioqui ignorare non poterant. Nam quæ Origenes hîc adfert parum habent probabilitatis.

49. ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ με εἶναι. *in his quæ Patris mei sunt oportet me esse*] Syrus, *in domo Patris mei*, id est, in Templo; quomodo & Chrysostomum loqui ἐν τοῖς ἔνδον τόποις, *in locis heroicis* annotavit nuper vir exquisitæ diligentiæ Nicolaus Fullerus, etiam illud Johannis adferens XIX, 27. ἔλαβεν εἰς τὰ ἴδια *in domum suam recepit*. Cui addi potest quod vox בית, quæ *domum* significat, τὰ ἴδια [*propria*] vertitur Esther V, 10. VI, 12. Neque verò nova est hæc interpretatio. Nam Origenes non aliter accepit, Græcè eruditissimus, ac nec Euthymius magni judicii interpres: accedit horum numero Theophylactus. Optime autem cohæret cum superioribus. Neque enim alibi quærendus erat potiùs quàm ubi esse cum maxime decebat: id autem erat in æde Paterna. Exstat egregia Musonii diatriba, quia docet esse quædam parentum imperiis excepta: Neque enim filium Medicum curaturum ægrotos ut pater volet, sed ex artis præcepto. Ibidem hæc exstat sententia, Ὁ πατὴρ ὁ σὸς κωλύσει σε φιλοσοφεῖν· ὁ δὲ γε κοινὸς ἀνθρώπων τε καὶ θεῶν Ζεὺς κελεύει σε καὶ προτρέπει [*Pater tuus vetabit te philosophari; at communis deûm & hominum pater Jupiter & jubet & hortatur*]. Hierocles, ὃ δὴ τοῦ αὐτοῦ ἐκείνου (τοῦ γενέτου) διαδοχῆς ἐν ἡρητῇ, τοῦτο ἀλλάξεται τοῦ αὐτοῦ ἐκείνου δεσποτείας ἀφεὶς ὁ νόμος, καὶ τὸν ὄντως πατέρα (id est, Deum) ζητῶν παρακελεύεται, κἀκείνῳ ἕπεσθαι, καὶ τοῖς ἑαυτὸν ὁμοίοις πλείστην ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι [*quod verò ab eorum successione non pendet, hoc ab ipsorum imperiis liberum lex relinquit, & jubet nos eum qui vere pater est quærere, ei adhærere, summamque curam ponere ut ei simus quàm simillimi*].

Sic & alibi Dominus in miracula à se edenda jus esse matri negat.

50. *οὐ συνῆκαν, non intellexerunt*] Συνιέναι & hic & alibi puto non tam esse *intelligere* quàm *attente satis considerare*, ut alio loco monuimus. Intenderat Christus digitum ad Malachiæ vaticinium, *Veniet in Templum suum Dominus quem vos optatis, nuntius ille fœderis quem desideratis.* Hæc plenè posteà demum intellecta sunt cùm idem Jesus in Templo publicè docuit, & Templum à mundinantium sordibus repurgavit: quibus factis jam tum puer præludebat.

51. *καὶ ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς. & erat subditus illis*] Rectè hoc adjecit Lucas ut ostenderet ita Divinis rebus vacasse Jesum, ut parentibus interim debita officia non subtraheret. Οὗτος, inquit Hierocles, *ἀμφότερα δυνατὸς συμβαίνει, τά τε θεῖα ἀγαθὰ τηρεῖν καὶ τὰ ἀνθρώπινα, καὶ ἔστε δι' οἴκου ἀρετῆς γονέων θεραπείας ὀλιγωρήσομεν* [*Ita fiet ut utrumque præstemus, ut & divina bona servemus & humana, nec virtutis opinione inflati curam parentum negligamus*]. ¶ *διετήρει πάντα τὰ ῥήματα, conservabat omnia verba*] Ita suprà 19. Quod ideo videtur à Luca expressum quia ipsam habebat harum narrationum auctorem.

52. *ἡλικίᾳ*] *Statura*, ut Matth. VI, 27. Infrà XIX, 3. ¶ *καὶ χάριτι παρὰ θεῷ καὶ ἀνθρώποις. & gratiâ apud Deum & hominibus*] Χάρις [*gratia*] hic paulò aliter sumitur quàm suprà commate 40. Significat enim *summopere placuisse Jesum & Deo & hominibus.* Ita de Samuele puero (quem Christi gessisse imaginem observavimus) dictum est, גמור גם יהוה ואנשים, id est, *Gratiosus erat apud Deum & homines:* ex quo loco desumta videntur hæc verba. Eadem ferme de Mose dixit Josephus.

PRICÆUS.

Com. 1. Ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος, &c.] Ità Daniel. 2. 13. τὸ δόγμα ἐξῆλθεν· id est, (ut & hîc apud Lucam) ἐξετέθη. Ibidem 6. 25. Ἐτέθη δόγμα. Vide & 3. 29. & 4. 6. Hesychius, Ἔκθεσις, νομοθεσία, φόρος, δόγμα. Vulgatus bene, *edictum.* Plinius lib. 10. epist. 68. *Edictum quod dicebatur D. Augusti.* Donatus in Eunuch. 3. 5. *Edicta Imperatorum sunt.* Hinc & Actor. 17. 7. τὰ τοῦ Καίσαρος δόγματα· &, καθὼς τῷ βασιλεῖ δεδογματισμένον ἐστίν, in 3 Maccabaico.

Ibid. *ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην*, Glossarium, Ἀπογράφομαι, *censeor, profiteor.* Ἀπογραφή, *census, professio.* Indè & *censualis professio* Ammiano Marcellino. Glossæ aliæ, *Census, ἀπογραφὴ κτήσεως* &c. & in Excerptis alius Glossarij, *Capite census*, ἀναπόγραφον. Οἰκουμένην πᾶσαν hîc intellige, non ut in iis,

Orbem jam totum victor Romanus habebat:

(id enim non tam verè quàm hyperbolicè dictum) at eam orbis partem quæ imperio Romano subjacebat. *Imperium mundi nostratis* (i.e. Romani) lib. 11. Apulejus dixit. Anonymus de hoc ipso Augusti edicto (apud Suidam in Ἀπογραφὴ) Ἔπεισεν ἄνδρας, τοὺς ἀεὶ ἐν τῷ βίῳ καὶ ἐν τρόποις ἐπιλεξαμένους, ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν τὴν ὑπηκόων ἐξέπεμψεν, &c. Apulejus in Floridorum fragmentis de Alexandro M. *Edixit universo orbi suo*, &c.

Com. 3. Καὶ ἐπορεύοντο πάντες ἀπογράφεσθαι, &c.] D. Augustinus in Psal. 148. *Quicquid jusserit Imperator, per imperium Romanum emanat*, &c. *movet solùm ille labia cùm loquitur, & movetur omnis Provincia cùm sit quod loquitur.*

Ibid. *εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν*] Ità & Matth. 9. 1. & infrà hoc com. 39. εἰς τὴν πόλιν αὐτῶν.

Com. 6. *ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτὴν*] De Christo de quo hîc agitur, Interpolator epistolæ Ignatii ad Trallinos, Ἐκυοφορήθη, ὡς καὶ ἡμεῖς, χρόνων οἰκείους.

Com. 7. *τὸν πρωτότοκον*] Pollux Onomast. 2. 2. Βρέφος, &c. πρωτότοκον, πρωτόγονον, &c. Non rectè autem ex hoc verbo colligitur B. Virginem alios liberos peperisse: primus enim dicitur etiam de eo qui unicus est, ut ex Servio & aliis Grammaticis ad Matth. 1. 25. Eruditi ostenderunt. Virgilius 9.

Tempore quo primùm Phrygia formabat in Ida
Æneæ classem. ——

Ad quæ idem Servius, *Tempore quo primùm*, i. e. *initio: neque enim secundo naves ab Æneâ factæ sunt.*

Ibid. *ἐσπαργάνωσεν αὐτὸν*] Hesychius, Ἐσπαργάνωσε, περιετύλιξεν, ἔδησεν, &c. Plinius de infantibus agens, *Jacent manibus pedibusque devinctis.* De iisdem Seneca 6. 24. de Beneficiis, *Ne membra libertas immaturæ detorqueat, in rectum exitura* (parentes) *constringunt:* (id est, σπαργανῶσι.) Philo lib. Quòd mundus incorruptibilis, Μαῖαι μὲν μητέρες τὸ βρέφος κατασπαργανῶσι. Vide in Græco Ezechielis 16. 4. & Sapient. 7. 4. Vulgatus hoc loco, *pannis eum involvit:* i. e. fasciis. Indè apud Suidam Κειρία, (fortè κειρίαις legendum) ἡ σπαργάνωσις· & in vetere Onomastico, *Fasciari*, σπαργανοῦσθαι.

Ibid. *διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι*] Ovidius,

Exiguam sedem parituræ terra negavit.

Contrarium Genes. 24. 25. Χορτάσματα, &c. παρ' ἡμῖν, καὶ πόρος τοῦ καταλύσαι.

Com. 8. ποιμένες, &c. *ἀγραυλοῦντες*] *In agro agentes*, sive *commorantes.* Homerus Iliad. ρ. Ἀγρεύλαι· ubi vetus Scholiastes, ἐν ἀγρῷ αὐλιζομένη, &c. Didymus in ejusdem Odyss. κ'. Ἀγρεῦλαι, ἐν ἀγροῖς αὐλιζόμενοι. Parthenius, Ἐρωτικῶν cap. 29. Βυκολῶν καὶ τῶν Αἴτνιον, &c. ἀγραύλα. Hinc & Deus Pan φιλάγραυλος dictus in vetere Epigrammate, quod exstat voce ἀεργυλὴ apud Suidam. Busbequius in Itinerario Turcico, de Galatiæ opilionibus, *Noctem & diem degunt in campis*, (q. d. ἀγραυλοῦσι) *uxoresque & liberos in curribus circumvectant.* Vulgatus videtur hæc legisse ἀγρυπνοῦντες: quæ lectio non spernenda est. Scriptor ad Hebræos 13. 17. de Christianorum gregum præpositis, Ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, quia animarum pastores nempe.

Ibid. ποιμένες, &c. Φυλάσσουσι φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν] Iliad. μ'.

——— Βάσσοφες ἄνδρες
Σὺν κυσὶ καὶ δορέοισι φυλάσσουσαι περὶ μῆλα.

Chrysostomus Homil. 3. ad Pop. Antioch. de Jacobo Patriarcha, Περιβαλὼν βόεια κώδια αὐτοῖς δῆγε. *Ad greges pernoctare*, Varro 2. 10. de R. R. dixit. Jacob. Genes 31. 40. ad Labanum, cujus ovium custos fuerat, Ἀφίσατο ὁ ὕπνος ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν μου. P. Chrysologus Serm. 24. *Pastor adjungit noctes diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi.* Hinc & *insomnes Tityri*, Sidonio Apollinari.

Ibid. φυλακὰς τῆς νυκτὸς] Glossæ, *Excubiæ*, νυκτοφυλακίαι. Vulgat. *vigilias noctis.* In vetere Onomastico, *Vigiliæ*, φυλακαί.

Com. 9. Καὶ ἰδοὺ ἄγγελος Κυρίου ἐπέστη αὐτοῖς, καὶ δόξα Κυρίου περιέλαμψεν αὐτούς] Simillimè Act. 12. 7. Evangelista noster, Καὶ ἰδοὺ ἄγγελος Κυρίου ἐπέστη, καὶ φῶς ἔλαμψεν, &c. ubi & φῶς est quæ hoc loco δόξα. Vocem ἐφίστασθαι de Divinis apparitionibus poni solere ad Act. 23. 11. indicavimus. Pastoribus autem apparuit Angelus διὰ τὸ ἁπλοῦν καὶ ἄκακον τῶν ἤθων αὐτῶν· ut bene hîc Theophylactus: ratione item non inconsonâ Divinæ sapientiæ, quæ magna sæpe mysteria τοῖς νηπίοις (i. e. ἀπλοῖς, *simplicibus*) ἀποκαλύπτει, αὐτὰ ἢ ἀπὸ τῶν σοφῶν καὶ ζωνῶν ἀποκρύπτει. Solere Numina rusticis se conspicuos facere ad 10 Virgilii Eclogam annotavit Servius; Tyndaridas victoriam Pop. Romani, non Catoni (tum temporis principi) sed Vacciano potiùs (homini rustico) prænunciasse, narrat Cicero de Nat. Deorum 3. Imò & Lydiis quibusdam pastoribus θαῦμα ὀφθῆναι, Philostratus in Heroicis scripsit.

Ibid. δόξα Κυρίου περιέλαμψεν αὐτούς] Vide Actor. 9. 3. & 26. 13.

Ibid. *καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν*] Ità in Græco Psal. 53. 5. φόβον ἐφοβήθησαν. Porrò ad hunc Lucæ locum pertinent ista nescio cujus apud Suidam in Ἐκπλαγεῖς. Ποιμένες ἀγραυλοῦντες ἐκπλαγεῖς φωτοφανείας ἔτυχον.

Com. 10. Μὴ φοβεῖσθε, &c. *χαρὰ ἔσται παντὶ τῷ λαῷ*] Ità Tobiæ 12. 17. & ab ore Angeli, Μὴ φοβεῖσθε, εἰρήνη ὑμῖν ἔστω.

Ibid. *εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην*] In Glossis, εὐαγγελίζομαι, *bonum nuncio.* Χαρὰ hic metonymicè est res, sive materia gaudii. Ut in illis Suidæ, Μεγάλην σοι χαρὰν ἐνήνεγκα· & Aristophanis Pluto, λέγεις μοι χαράν· ubi Scholia, Ἐναγγέλισαι μοι χαρᾶς ἄξιον. Terentius 1. 2. Heautont. *Voluptatem magnam nuncias:* i. e. materiem voluptatis. Plautus Capteivis,

Nunc hanc lætitiam accipe à me quam fero.

Sic & 1. 2. Jacobi χαρὰν ἡγήσασθε, ubi dicta vide.

Ibid. εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην] Suidas, Ἀγαθὰ συμβόλια ἀπαλά σοι φέρω. Ἐπὶ τῶν εὐδαιμονίαν εὐαγγελιζομένων.

Ibid. χαρὰν, &c. ἥτις ἔσται παντὶ τῷ λαῷ] D. Augustinus, (& de Christo) in Psal. 96. *In Judæa natus est, sed non Judæa tantùm natus.* Ἔσται hic, *obtinget.* Sic suprà hîc (junctâ itidem χαρᾶς voce) 1. 14.

Com.

Com. 12. καὶ τοῦτο ὑμῖν τὸ σημεῖον, Ἐυρήσετε βρέφος, &c.] Ità Samuel ad Saulum 1 Reg. 10, 1, & 2. Καὶ τοῦτό σοι τὸ σημεῖον ὅτι ἔχρισέ σε ὁ Κύριος, &c. ἐυρήσεις δύο ἄνδρας, &c.

Ibid. ἐσπαργανωμένον] Vulgatus, *pannis involutum*: vide suprà com 7. Sic 7. 4. Sapientiæ idem σπάργανα, *involumenta* vertit.

Com. 13. πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου] Ità 3 Reg. 22. 19. Καὶ πᾶσα ἡ στρατιὰ ἐκ δεξιῶν, id est, angelorum. Philo in de Sacrific. Abelis & Caini, Ἄγγελοι στρατὸς εἰσὶ Θεοῦ. Vide & Apoc. 19. 14. De Sole Plato in Timæo, Τῷ δ' ἑπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμονίων, &c. Vulgat. *militia cœlestis*. Beza, *exercituum cœlestium*, militiam dicens pro exercitu se nunquam legisse. At verò *militia cœlestis*, est *militum cœlestium*, metonymiâ notissimâ.

Com. 14. καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη] Bene notat Vir summus oppositionem istam præcedentibus iis, ἐν τοῖς ὑψίστοις. Ità Psal. 148. 1. αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν τοῖς ὑψίστοις, id est, ut hoc Lucæ loco vos ordines cœlestium, & statim, αἰνεῖτε τὸν Κύριον ἐκ τῆς γῆς. Vide & ibidem com. 13.

Com. 15. Διέλθωμεν ἕως Βηθλεὲμ] Ità Marc. 4. 35. Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν.

Com. 17. διεγνώρισαν, &c.] Ἐξομολογοῦντο (ut Tobiæ 12. 22.) τὰ ἔργα τὰ θαυμαστὰ τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς ὤφθησαν αὐτοῖς οἱ ἄγγελοι Κυρίου. Διεγνώρισαν, est *diffamárunt*, vel διεφήμισαν, quod suprà 1. 65. διελάλει.

Com. 19. συνετήρει τὰ ῥήματα τοῦτα] In Græco Genes. 37. 11. Ὁ δὲ πατὴρ αὐτοῦ διετήρησε τὸ ῥῆμα. Proverb. 3. 1. Τὰ ῥήματά μου τηρείτω ἡ καρδία, & Daniel. 7. 28. τὸ ῥῆμα ἐν τῇ καρδίᾳ μου συνετήρησα. Quod Ezech. 3. 10. λόγους εἰς τὴν καρδίαν λαμβάνειν. At hic, & infrà com. 51. (ubi eadem locutio occurrit) τὰ ῥήματα, facta intellige, non verba.

Ibid. συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς] Illud συμβάλλουσα vertunt: *in corde conferens*. Vertas (forte & ambigue minus) *in corde volvens, cogitans, expendens*. Suidas, Συμβάλλειν, νοεῖν. Julianus epistolâ ad Themistium, Οὐκ ἔχων ὅτι χρὴ σοὶ περὶ τούτων συμβαλεῖν. Quid autem si hic subesse dixerimus Latinam affigurationem? vertendúmque, *in cor conjiciens*, quasi nempe in quoddam penus, sive promptuarium? Virgilius simili formâ *imis sensibus reponere* dixit: & Avienus *in imum jecur* (i. e. cor, mentem) *condere*: &, *in præcordiis ponere*, Sapientiæ 4. 14. Vulgatus interpres. Unde & contrà Matth. 12. 36. ἐκ δὲ τῆς καρδίας θησαυροῦ ἐκβάλλει. Cæterùm aut abundat συμβάλλουσα, aut, si vim aoristi (ἐκβαλεῖ tribuerimus ei, abundabit τὸ συνετήρει. Apulejus, (nec dissimili loquendi formâ) lib. 11. *Divinos vultus tuos*, &c. *intra pectoris mei secreta conditos perpetuò custodiens imaginabor*: ubi aut *conditos* aut *custodiens* abesse posset, sensu nullam jacturam recipiente.

Com. 22. Τῇ καθαρισμῷ] Glossarium, Καθαρισμὸς, *purgatio, purificatio*.

Com. 25. καὶ πνεῦμα ἅγιον ἦν ἐπ' αὐτόν] Sic infrà com. 40. de Christo parvulo, καὶ χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτό· quæ tamen pro personarum discrimine diverse intelligenda.

Com. 26. ἦν κεχρηματισμένον αὐτῷ μὴ ἰδεῖν θάνατον] Ἰδεῖν hîc est pati, vel subire. Sic 4. 4. Tobiæ ὁρᾶν κινδύνους. Κεχρηματισμένον, &c. Vulgato, *responsum acceperat*. Sic idem 2 Maccab. 2. 4. & Matth. 2. 12. ubi dicta vide.

Com. 27. ἦλθεν ἐν τῷ πνεύματι, &c.] Spiritu sancto impellente, ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος, ut infrà 4. 14. loquitur: vel spiritu revelante ei; unde & Galat. 1. 14. ἀναβαίνειν κατ' ἀποκάλυψιν. Spiritûs nempe.

Com. 28. ἐδέξατο αὐτὸν εἰς τὰς ἀγκάλας αὐτῆς] Ità Mar. 9. 36. succinctiùs, παιδίον ἐναγκαλίζεσθαι. Τὸ βρέφη ἐναγκαλίζειν dixit & Diodorus Siculus lib. 3. &, ἐναγκάλισαι παῖδα νήπιον, (qui hoc loco βρέφος) Philostratus in Icon̄ibus.

Ibid. καὶ εὐλόγησε τὸν Θεόν] Sequente hymno nempe. Hesychius, fortasse hunc Lucæ locum ob oculos habens. Εὐλόγησεν, ὕμνησεν.

Com. 29. Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, &c. ἐν εἰρήνῃ] q. d.

Nunc, ô nunc liceat mortalem abrumpere cursum,
Jam te, chare puer, mea fera & summa voluptas,
Complexu teneo. ———

Ἀπολύεσθαι dicuntur qui è vinculis aut carcere liberantur, Joh. 9. 10. Act. 4. 21. 5. 40. 13. 3. 16. 35. & alibi. Hinc poni solet vox ea pro è corpore migrare. Themistius in de Anima, Ἀπολυθέντα τοῦ δεσμωτηρίου τούτου καὶ τοῦ τελευτῆσαι ἀπόλυσιν καλοῦσι. Nimirum corpus vinculum est & carcer animæ. Apollonius apud Philostratum 7. 12. ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἔφασαν τοῦ χρόνου τοῦτον ὃς ἀνόμασαν βίον. Ἀπολύειν eo sensu quo suprà (itidem de summo Numine, ut hoc Symeon) utitur Plutarchus in Παραμυθητικῷ, & 1. 9. Arrianus in Epictetum, Ἐν εἰρήνῃ *tempestive*. Julianus, apud Ammianum Marcellinum, *Advenit nunc abeundi tempus è vita impendio tempestivum*, vel, *feliciter*. Sic 1 Cor. 16 11. ἐν εἰρήνῃ προπέμψατε, imò & Act. 15. 33. conjunctum cum ἀπολύειν. Ἀπολύειν autem in Contextu nostro (quod vix aliis animadversum credam) habere putem & ellipsin & metaphoram. Vult dicere enim, Dimittis me ex corporis vinculis. Ælianus plene Var. 5. 6. ὅτε ἐβουλήθη ἀπολῦσαι αὐτὸν ἐκ τοῦ σώματος διεμῶν.

Com. 30. ὅτι εἶδον οἱ ὀφθαλμοί μου, &c.] Terentius,

——— *Hunc videre sæpe optabamus diem.*

Masinissa in Somnio Scipionis apud Macrobium, *Grates tibi ago, summe Sol, quòd antequam ex hac vita migro, conspicio in meo regno, & in his tectis meis P. Cornelium Scipionem:* ubi & *conspicio* est quod hic in Luca, εἶδον οἱ ὀφθαλμοί μου. Solent dicere autem qui rei cujusvis spectaculo cupiunt oculos pascere, conspectâ demum eâ satis se vixisse: vide Genes. 45. 28. Plinius in Panegyrico, *Inde alii se satis vixisse te viso, te recepto*, &c. *prædicabant*. Apud Quintilianum 9 declam. *Complexum cervices meas*, &c. *fero*, &c. *primam vocem, & diu solam edidit, Satis vixi*. In ejusdem declam. 5. pater filii captivi, *Vivebam miser ut hunc viderem, solaque superstitis exspectatione suspensus, avidissimam moriendi cupiditatem contentiosâ mendicitate fallebam*. Apud Claudianum Romanus Imperator,

Tunc ego securus fati, latusque laborum
Discedam, vobis utrumque regentibus axem.

Plinius lib. 1. epist. 12. de Corellio Rufo, *Adfuit Deus votò* (erat votum ejus ut vel tantillulum tyranno Domitiano superesset) *cujus ille compos ut jam securus, libérque moriturus, multa illa vitæ sed minora retinacula abrupit*. Iterum apud Quintilianum ille, *Ego, si hujus pœnam videro, possum reddere rationem quòd vixi*. Illa, οἱ ὀφθαλμοί μου, παθητικώτερος & significantiùs dicta videntur, quam si dictum esset, ἐγὼ εἶδον. Ità, *oculi mei requirunt meum Cæsum*, Augustus dixit, non *ego requiro*, &c. Sic *canos meos, senectutem meam*, & similia, plus sonant quàm si *me* dicamus.

Com. 32. Φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν] Passiva significatio, vult enim dicere, ut Gentes illuminentur. Lactantius 4. 26. *Aperuit cæcorum lumina*, &c. *& hoc facto significabat fore ut conversus ad Gentes quæ Deum nesciebant, insipientium pectora illuminaret luce sapientiæ*. Clemens Stromat. 5. Ἡ μὲν Ἑλλὰς φιλοσοφία τῇ ἐκ τοῦ θεμελίου ἔσεσθαι κηρυχθέντος ἡμῖν λόγου, πᾶν ἐκεῖνο τὸ ἄγιον φῶς ἐξέλαμψεν. At si (firmante codicum Mss. auctoritate) apud Lucam εἰς ἀποκάλυψιν legeretur, efficeret sensum etiam percommodum, ut Gentium revelationem intelligamus ablationem ἀπὸ κάλυμματος τῆς καρδίων αὐτῶν, ut 2 Cor. 3. 15. Apostolus de Judæis locutus: vel, *revelationem* (ut hoc Irenæus) *oculorum*, id est, intellectûs eorum: ἐσκοτίσθη enim ἡ αὐτῶν καρδία, ut Rom. 1. 21. & de Gentilibus idem Apostolus loquitur.

Com. 34. εἰς σημεῖον] Vide infrà 11. 30.

Com. 35. Καὶ σοῦ, &c. τὴν ψυχὴν διελεύσεται] ῥομφαία] Ità Judith. 6. 4. Διελεύσεται ὁ σίδηρος τὰ τράχηλά μου, &c. τὸν παλαιὸν σὸν &c. & ibidem 16. 4. διῆλθεν ὁ ἐχθρὸς ἀπὸ τῶν ὀρέων αὐτῆς. In Glossario, Ῥομφαία, *framea, gladius*. Τὴν ψυχήν σου, est σὺ· at illa altera locutio est gravior & intensior, ut & contraria illa Joh. 16. χαρήσεται ὑμῶν καρδία. Διέρχεσθαι τὴν ψυχὴν est, in imos ejus recessus penetrare. In Græco Psal. 37. 15. Ἡ ῥομφαία αὐτῶν εἰσέλθοι εἰς τὰς καρδίας αὐτῶν, Ovidius, non inappositè,

Non mea sunt summâ leviter districta sagittâ
Pectora, dejecit vulnus ad ossa meum.

Seneca, mulierem itidem alloquens, ut hoc loco Angelus, *Gravissimum est ex omnibus quæ unquam in corpus tuum descenderunt, recens vulnus: non summam cutem rupit, pectus & viscera ipsa divisit*. Prænunciat autem Mariæ Symeon his verbis summos animi dolores, ex iis quæ in Filium ejus fierent oborituros. Mezentius, filio Lauso occiso, cùm & ipse antea ab Æneâ vulneratus fuisset,

——— *Heu, nunc misero mihi demum*
Exilium infelix, nunc alte vulnus adactum.

Dio Cassius de matre Getæ, occiso filio, Τὸν υἱὸν ἐν τοῖς ἑαυτῆς κόλποις,

πόλεως, &c. Σπουδάζουσι ἰκανῶς, ἢ ἡ θάνατον εἰς αὐτὰ τὰ σπλάγχνα τρόπον τινὰ ἐξ ὧν ἐγεγίνητο διατέμνεται. Irene apud Nicetam Choniatem in Joanne Comneno, Οἵας μοι τὰς ὀδύνας οἱ φονεῖς ἐχάλκευον ἢ ὑός, δεμνιεύεσθε δήπουθεν ὧν ἐν τῷ τίκτειν οἰδίνων πεπείραμαι· ὅτι ἢ πρὸς φῶς αἱ μὲν κατήντησεν τὸ νυφοκρέμμυον, αἱ δ' ἐξ' Ἅιδε κευθμώνων δῆθ' μέσων μὲν σπλάγχνων χωρῆσαι, λυπεῖν αὖθάνατα ἤμελλεν. Petrus Chrysologus Serm. 152. ubi de infanticidio, *In martyrio filiorum passæ sunt matres, nam gladius filiorum pertransiens membra, ad matrum corda pervenit.* Idem Serm. 83. de discipulis jam magistro orbatis, *Tunc tota ad illos pœna Dominicæ transiit passionis, & non solùm lateribus eorum, sed & cordibus doloris lancea tota figebatur.*

Com. 37. ἦτις οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ] Id est, assidue templum frequentabat. Sic infrà 24. 53. de discipulis, δι' παντὸς (i. e. assidue) ἐν τῷ ἱερῷ ἦσαν. Plutarchus de Camma, itidem vidua, in Erotico, Τὸ πολλὰ τῇ θεῷ (Veneri cujus Sacerdos erat) διατελεῖν, οὐδὲν προσεμβάλλον ἢ μυσαττόμενον, &c. αὐτολύ. Apuleius de seipso lib. 11. *Numinis magni cultor inseparabilis.* Quam locutionem quomodo intelligere debeamus docebunt hæc Ejusdem prope finem libri illius, *Nec ullum tam præcipuum mihi studium fuit quam quotidie supplicare summo Numini Reginæ Isidi*, &c. & post, *Eram denique cultor assiduus.*

Ibid. δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν] Assidue, nec enim aliud dicitur quam quod proximè præcedentibus verbis. Sic Apostolus 1 Tim. 5. 5. & de vere viduâ, qualis Anna ista, προσμένει ἢ δεήσεσι καὶ ἢ προσευχαῖς νυκτὸς καὶ ἡμέρας: ad quem locum annotata confer: vide & 2 Tim. 1. 3. Virgil. Æneid 4.

——— *Vigilémque sacraverat ignem:*

Ubi Servius, *Significat sine intermissione fieri sacrificia, atque excubari per diem & noctem; ut dicimus, quotidie in officio esse.* Statius Sylv. 5.

——— *Dum nocte diéque fatigat*
Numina, dum cunctis supplex advolveris aris.

Com. 39. εἰς ἢ πόλιν αὐτῶν] Hoc ἡμῶν dictum, morémque quo de incunabulorum loco, tanquam de re quapiam nostra, solemnis loqui, Hinc Joh. 1. 45. Ἀνδρέου πόλις, & Joh. 11. 1. Μαρίας κώμη.

Com. 40. Τὸ δὲ παιδίον ἠύξανε] Tertullianus in Apologia, *Nascitur homo Deo mistus, caro spiritu instructa nutritur, adolescit.* Idem in de Patientia, *Nasci se Deus*, &c. *patitur, & expectat, natus adolescere sustinet.*

Ibid. καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι] Euthymius ad Matth. 21. ea, PONAM SPIRITUM MEUM SUPER EUM, *De filio incarnato hoc dicit, tanquam de homine proficiente per accessum Spiritûs Sancti.* Vide infrà ad com. 52. notanda.

Com. 42. Καὶ ἔτος] Glossarium, Καὶ ἔτος, *quotannis.* Vulgat. *per omnes annos.*

Com. 44. ἐν τῇ συνοδίᾳ] Utitur voce istâ & Arrianus 3. 26. in Epictetum: Idem Vulgaris bene *comitatum* vertit. Glossarium, *Comitatus*, συνοδία, παρεμπομπή.

Ibid. ἀνεζήτουν αὐτὸν] Vulgatus optimè, *requirebant eum:* cur autem non *quærebant* vertit? quia hoc dilutius esset, illud alterum majorem solicitudinem habet, & quandam quasi negligentiam parentibus propriam. Ità Augustus apud A. Gellium ad nepotem scribens, *Oculi mei requirunt meum Caium.* In vetere Onomastico, *Requiro*, ἀναζητέω.

Ibid. γνωστοῖς] Bene & heic, & infrà idem Vulgatus *notos* vertit. Terentius,

Omnes noti me atque amici deserunt.

Onomasticon vetus, *Notus*, γνώριμος. In Glossis, Γνωστὸς, *cognitus, notus.*

Com. 46. καθεζόμενον ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων] Seniores Concilii Babylonensis ad Danielem (itidem puerum) Susan. com. 50. Κάθισον ἐν μέσῳ ἡμῶν, ὅτι σοὶ (ob sapientiam nempe) ὁ θεὸς τὸ πρεσβεῖον ἐδωκεν.

Ibid. καὶ ἐπερωτῶντα αὐτούς] Ovidius,

Ingenium cœleste suis velocius annis
Surgit, & ignavæ fert mala damna moræ.

Josephus in de Vita sua, Ἔτι παῖς ὢν περὶ τεσσαρεσκαιδέκατον ἔτος ἤδη τὸ φιλομαθέστατον ἁπάντων ἐπηνούμην, συνιόντων ἀεί τε ἀρχιερέων καὶ τῶν ἐκ τῆς πόλεως πρώτων ἅπαξ τοῦ παρ' ἡμῶν περὶ τῶν νομίμων ἀκριβέστερόν τι γνῶναι.

Com. 47. Ἐξίσταντο, &c. ἐπὶ τῇ συνέσει καὶ τοῖς ἀποκρίσεσιν αὐτῶν] Sic Gellii 2. 18. *responsum admirari.* Adde quæ infrà heic 4. 22. ubi & θαυμάζειν, quod heic ἐξίστασθαι. Ἐπὶ τῇ ζωῇ καὶ τῇ διατριβῇ, est ἐν δυσὶ δυοῖν· vult dicere enim, ἐπὶ τῇ ζωηραῖς αὐτῆ ἀποκρίσεσιν. Ἐξίσταντο, est quod Marc. 6. 2. ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες, Πόθεν τούτῳ ταῦτα; nam & videbant ætatulam ejus, nullisque cum magistris instructum sciebant. Guntherus Ligurino 8.

Talia facundo regaliter ore sonantem,
Spectabat fixo miratrix curia vultu:
Quod neque doctrina studiis imbutus, & ævo
Pene puer, canos, Scripturarumque peritos
Sensibus, & blandâ præcederet arte loquendi.

Com. 48. Τί ἐποίησας ἡμῖν οὕτως]; Ità Matth. 18. 35. Οὕτω καὶ ὁ πατήρ ποιήσει ὑμῖν· vide & infrà hîc 8. 39. Τί ἐποίησας ἡμῖν οὕτως; sermo expostulantium. Genes. 29. 25. τί τοῦτο ἐποίησάς μοι; Terentius 1. 5. Andr. *Sed cur tu?* &c. ubi Donatus, *Cur, hic non interrogantis, sed corripientis est, & increpantis.* Bene sane: sic apud Plutarchum in de Deo Socratis, τί διέλεγμας ἡμᾶς; Vide infrà ad 16. 2. annotanda.

Ibid. ὀδυνώμενοί σε ἐζητοῦμεν σε] *Anxiâ disquisitione vestigium requisivimus tuum*, ut lib. 6. locutus Apulcius. Idem 7. *Dum puerum illum parentes sui plangoribus fletibúsque quærebant.* D. Augustinus Confes. 5. 8. de matre absentiam ejus ægrè coacte tolerante, *Cum gemitu quærens quod cum gemitu peperat.*

Com. 49. τί ὅτι ἐζητεῖτέ με;] Imò (inquit) cur quæsistis me? Responsio enim subaustera est, & pro modo interrogationis, τί ἐποίησας ἡμῖν οὕτως; In Græco Genes. 44. 4. τί ὅτι ἀντιπεδώκατε πονηρὰ ἀντὶ καλῶν; Neque dubito quin & Act. 11. 3. scribendum sit, λέγοντες, τί ἦλθες πρὸς ἄνδρας ἀκροβυστίαν ἔχοντας εἰσῆλθες; cùm tamen in omnibus editionibus legatur, λέγοντες ὅτι, &c. τῷ τί excluso. Lectionem à nobis propositam suboffenso illorum hominum animo communi meliùs convenire nemo paulò attentior negaverit: quin & Vulgatus, non *introisti*, sed *quare introisti?* vertit. Corrigamus obiter & Glossarii illud; *Quid quasi*, Τί ὅτι, scribendo, & interpungendo, *Quid? quare?* aut saltem *Quid quod* legendo, (i.e. *Quid est quod*) ut hoc loco Vulgatus vertit.

Ibid. ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ με εἶναι] *In rebus*, (vel *negotiis*) *patris mei* non malè exponas. Sic Joh. 9. 4. idem Dominus noster, Ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με· ubi præter sensûs talis conformitatem habes & similem loquendi modum. Jam verò εἶναι ἐν τινι solere poni pro *esse totum* (i. e. summe occupatum) *in re quavis*, indicavimus ad 1 Tim. 4. 15. Meliùs tamen τὰ τοῦ πατρὸς heic intelligas *patris domum*, vel *ædes*. Ità Esther. 7. 9. Ἐν τοῖς Ἀμάν, ubi Vulgat. *in domo Amanis.* Sirachidis 42. 10. ἐν τοῖς πατρικοῖς αὐτῆς, *in domo patris sui*: & Theocriti Eidyll. β'.

——— Οὐ τὰ Λύκωνος.

ad quem locum vetus Scholiastes, Ὅτι εἰσὶ τὰ οἰκήματα τοῦ Λύκωνος. Est & apud Plutarchum in Demetrii vita, ἐν τοῖς βασιλικοῖς, i. e. *in ædibus*, sive *palatio Regis*: apud Artemidorum lib. 5. εἰς τὰ τῶν ἀποθανόντων οἰκίαν, *in mortuorum ædes introire*; &, ἐν τοῖς τοῦ θεοῦ (*in Dei locis*) εἶναι, lib. 6. apud Clementem Alexandrinum. Non alio sensu Joh. 1. 11. & 19. 27. habemus, εἰς τὰ ἴδια· & apud Arrianum in Epictetæis, Ἔρχει εἰς τὰ σά. item, πλὴν ἐν τοῖς σοῖς ἴσως οὐκ ἔχει. Idem 3. 24. μίχεις ἀν ἔν ἐν τοῖς σοῖς διαλείβῃ, &c. His adde quòd Christus Joh. 2. 16. de hoc ipso templo loquens, πατρὸς οἶκον vocat. Latini (secuti Græcos) *in sua*, & *in mea* dixerunt. Plinius lib. 1. epist. 4. *Si quando [illegible] nostra diverteris.* Ammianus Marcellinus, *Tibicine præeunte rediret ad sua.* Cicero ipse fam. 7. 3. *Ego cum meis (si quidquam nunc cujusquam est) etiam in meis esse malui*: id est, in meis locis, prædiis, possessionibus.

Com. 51. ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς] Ὑποτάσσεσθαι heic est quod Apulcio *parentibus debitum obsequium præstare.* Ignatius ad Magnesios, Ὑποτάγητε τῷ ἐπισκόπῳ, &c. ὡς ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρὶ κατὰ σάρκα. Recentior, non male, *subjectus erat.* D. Hieronymus ad Demetriadem, *Esto avia matrique subjecta.* Idem ad Gaudentiam, de filiolæ educatione, *Amet te ut parentem, subjiciatur ut Domina.* Nec minùs bene Vulgatus, *erat subditus iis.* Glossæ, Ὑποτάσσομαι, *subdor, subjaceo.* In vetere Onomastico, *Subditus*, ὑποτασσόμενος. Videtur ὑποτασσόμενος scribendum.

Com. 52. προέκοπτε σοφίᾳ] Sic 1 Pet. 3. 18. χρῆσει αὐξάνει. Opponitur 2 Tim. 3. 13. ἐπὶ τὸ χεῖρον προκόπτειν.

Ibid. προέκοπτε σοφίᾳ] Vulgat. *proficiebat*, &c. In Glossario, *Profecit*, Προέκοψεν, &c. ὠφέλησεν ἐν παιδείᾳ.

Ibid.

Ibid. προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ, &c.] Πήχεων ἐπὶ σοφίᾳ ηὐξάνετο, ut Eunapius (at non tam verè) de Juliano locutus: vide & in ἐξ ἴσης ἴδιόν Suidæ vocabularium. Jamblichus cap. 2. de puero Pythagora, Σεμνότητος, σωφροσύνης τε ηὐξάνετο· & de Cybele Diodorus Siculus, Αὐξομένῃ δὲ τῷ τε κάλλει καὶ σωφροσύνῃ διενεγκεῖν, ἔτι δὲ συνέσει θαυμαστῶς ἠρέσθη. Illud ἡλικίαν nuperorum haud pauci Interpretum, ex Matth. 6. 27. *ſtaturam* exponunt. Non impedit ſanè ambiguitas vocis quò minùs eo ſenſu accipiamus: Gloſſarium, Ἡλικία, τὸ μῆκος, *ſtatura*: & Heſychius, Ἡλικία, μέγεθος σώματος, &c. Patitur & rei ipſius de qua hîc agitur natura percommodè tali ſignificatu ſumi. Didymus ad Odyſſ. α. ex Herodoto & Galeno, Αὐξανομένῳ τῷ σώματι συναυξάνονται καὶ αἱ λογικῆς ψυχῆς αἱ δυνάμεις. Lucretius lib. 3.

Vis animi pariter creſcit cum corpore quoque.

Tertullianus lib. de Anima, *Simul creſcunt, ſed diverſa ratione, caro modulo, anima ingenio; caro habitu, anima ſenſu*: & ibid. cap. 36. *Pubertatem animalem cum carnali dicimus convenire: paritérque & illam ſuggeſtu ſenſuum, & iſtam proceſſu membrorum exſurgere.* Acceſſerim tamen heic libentiùs Vulgato qui *ætatem* vertebat, quo ſenſu Joh. 9. 21. αὐτὸς ἡλικίαν ἔχει, & Heb. 11. 11. καιρὸν ἡλικίας. Onomaſticon vetus nobiliſſimum, Ætas, ἡλικία. Imò & προκόπτειν τῇ ἡλικίᾳ, (ut Lucas,) dixit Heſychius in μεγάλαις· quo loco *ætatem*, non *ſtaturam*, intelligi res ipſa flagitat. De Chriſto ipſo (de quo hîc res eſt) Serm. 146. de Temp. D. Auguſtinus, *Infans natus eſt*, &c. *patienter exſpectavit ætates, patienter tempora pertulit.* De eodem Serm. 47. P. Chryſologus, *Humana ſuſcipit, intrat tempora, tranſit ætates*: & Serm. 22. *Aliter coæternus Patri, aliter ætatum noſtrarum gradibus cernitur temporalis.* Euthymius ad Matth. 2. *Novem menſibus in utero geſtatus eſt*, &c. *cæteráque ſuo facta ſunt ordine*, &c. id eſt, cæterorum more infantium ætatis per proceſſum ſuæ proceſſit & ſapientiâ. His adde, ſapientiam, cæteráſque animi humani dotes, non tam ſtaturæ comites quàm ætatis eſſe: neque aliter enim heic Lucas intelligendus, quàm ſi ἡλικίᾳ καὶ σοφίᾳ (ut & vetus quoddam exemplar habuiſſe teſtatur Recentior Interpres) ſcriptam reliquiſſet. Theophylactus heic, Ἐξεμηνεύων (ὁ Εὐαγγελιστὴς) τί ἐστὶ τὸ προκόπτειν σοφίᾳ, ἐπάγει, καὶ ἡλικίᾳ· ἢ γὰρ προκοπὴν τὴν ἡλικίας, τὴν σοφίας οἶμαι προκοπὴν λέγει. Lucretius ubi ſuprà,

—— *Velut infirmo pueri teneróque vagantur*
Corpore, ſic animi ſequitur ſententia tenuis.
Inde ubi robuſtis adolevit viribus ætas,
Conſilium quoque majus & auctior eſt animi vis.

Ubi *ætas* eſt quæ in contextu noſtro ἡλικία· *conſilium & vis animi*, quæ heic σοφία. Servius ad Eclog. 4. ubi & de puerulo res, *Non improvidè* (Poeta) *in principio univerſa conſumpſit, ſed paulatim fecit laudem cum ætate procedere*: & ibidem, *Acceſſu ætatis quanta ſit virtus, agnoſcitur.* Apud Gellium 12. 5. Taurus philoſophus non diſſimili argumento, *Poſtea, per incrementa ætatis exorta è feminibus fuit ratio eſt*: & 22. 24. de Civit. Dei D. Auguſtinus, *Ratio & intelligentia in infante ſopita eſt*, &c. *excitanda ſcilicet & exercenda ætatis acceſſu, quâ ſit ſcientiæ capax atque doctrinæ, habilis perceptioni veritatis*, &c. Hæc fuſiùs paulò (nec tamen, uti credimus, impertinenter) attulimus ad pleniorem Contextûs intelligentiam, & ad indicandum haud maleſanum judicium Vulgati Interpretis: pro quo ut non ubique ſempérque digladiandum cenſemus, ità verſionem illius quamplurimis locis aliorum omnium verſionibus præferendam putamus.

Ibid. καὶ χάρις ἦν ἐπ' αὐτῷ θεοῦ καὶ ἀνθρώπων] Sirachid. 45. 1. de Moſe, Εὐηρέστησε χάριν ἐν ὀφθαλμοῖς πάσης σαρκὸς, ἠγαπημένον ὑπὸ θεοῦ καὶ ἀνθρώπων. Vide & 1 Sam. 2. 26. Contrarium, θεῷ μὴ ἀρέσκειν, καὶ ἀνθρώποις ἐναντίον εἶναι, apud Apoſtolum 1 Theſſ. 2. 15.

C A P. III.

V A L L A.

3. ET *venit in omnem regionem Jordanis*] Ego dixiſſem *in omnem regionem circa Jordanem*, εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου.

5. *Et erunt aſpera in directa*] Græcè eſt numeri ſingularis, *in directam*, ſive *in rectam*, εἰς εὐθεῖαν.

8. *Facite fructum dignos pœnitentiæ*] Quia Græcè eſt genitivus, ideo eum reliquit Interpres, quem debebat transferre per ablativum.

22. *Et deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba, in ipſum*] *Velut columba* dicendum fuit, non *ſicut*; quia columba aliqua nunquam in Jeſum deſcendit, ſed Spiritus ſanctus tunc tanquam columba.

23. *Et ipſe Jeſus incipiens quaſi annorum triginta*] *Quaſi* non Latinè dicitur pro *ferè*. Græci pro *ſicut*, pro *velut*, pro *tanquam*, pro *quaſi*, pro *ferè*, unum habent ὡς. ¶ *Ut putabatur filius Joſeph, qui fuit Eli*] Hoc fuit transferendum *qui fuit filius Eli*: etſi Græcè nec relativum legitur, nec verbum, ſed articulus, τοῦ Ἠλεί. Sed veritus eſt Interpres nè ad extremum dicendum eſſet.

38. *Qui fuit filius Dei*, cùm Adam non ſit filius Dei. Sed neſcio an ei verendum fuerit cùm dicat ipſe Deus ad homines Pſal. 82. 6. *Dii eſtis, & filii Excelſi omnes.* Hoc qualecunque eſt, non prætercundum putavi.

R E V I U S in V A L L A M.

38. QUI *fuit filius Dei*] Videndus Beza.

E R A S M U S.

1. PRocurante Pontio] Interpres delectatus eſt varietate, qui nunc vertat *procurante* quod modò verterat *Præſide*, ἡγεμονεύοντος, *præſidem agente*. ¶ *Tetrarchâ autem*] Et hæc apud Græcos participia ſunt abſolutè poſita, τετραρχοῦντος *Tetrarcham agente*. Erat Herodes Major Antipatri Aſcalonitæ & matris Cypridis Arabicæ filius. Is alienigena favore Octavii Auguſti Cæſaris & Senatûs accepit Regnum Judææ, per quem & Sacerdotium profanatum & in alienos tranſlatum eſt, juxta prophetiam. Sub hoc natus eſt mundi Redemptor; ſub eodem fugit in Ægyptum. Is Herodes cùm diu regnaſſet periit morbo pediculari, relictis quatuor filiis, Archelao, Herode Juniore, Philippo, & Lyſania: quanquam de Lyſania an fuerit filius Herodis quidam addubitant. Beda hunc enarrans locum ait Lyſaniam, Herodem Juniorem & Philippum fuiſſe filios Herodis ſub quo natus eſt Dominus. Id ſecuta eſt Gloſſa ordinaria, ſimiliter & Catena aurea. Tametſi Lyranus adjicit, id nullo gravi autore proditum fuiſſe. Quod Beda ſcribit ſenſiſſe videtur Theophylactus, ità ſcribens in hunc locum, *Tetrarchiam autem Herodis Aſcalonitæ filiis tenentibus*, &c. nullâ notâ diſtinguens Lyſaniam ab Herode & Philippo. Joſephus Jud. Antiq l. 14. c. 21. meminit Lyſaniæ qui Ptolemæo Mennæo patri in Regnum ſucceſſerit, matre Alexandrâ Ariſtobuli filiâ. Hunc Petrus Comeſtor, Joſephum opinor ſecutus, ait ſub Libano habitaſſe. Archelaus autem ob immanitatem decimo Principatûs ſui anno relegatur Viennam Galliarum urbem. Romani verò, quò frangerent potentiam Regni Tetrarchias inter fratres Herodis filios diſtribuerunt, ſic ut Herodes, quem arbitror *Antipatrum* cognominatum, adminiſtraret Galilæam. Nam Judæam Pontius Pilatus Præſes adminiſtrabat, Philippus autem Ituræam & Trachonitidem, quas Hieronymus ſic recenſet quaſi ſit eadem regio duplici nomine, dicens, *Trachonitis regio ſive Ituræa, cujus Tetrarches fuit Philippus, in qua eſt Cæſarea Philippi, eadem dicta Paneas.* Lyſanias obtineret Abilenem, quæ eſt inter Libanum & Antilibanum, quam Ptolemæus *Lyſaniam* appellat. Hoc ex Hiſtoricis attigiſſe ſatis ad hunc locum & hoc inſtitutum arbitror.

3. *In omnem regionem*] Ἐπὶ πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου, *in omnem regionem circa Jordanem*, ſive *finitimam*, aut *circumjacentem Jordani.*

4. *Rectas facite ſemitas ejus*] Et hîc pro *Dei noſtri*, quod eſt apud Hebræos ac LXX, mutavit *ejus*: de quo admonuimus ſuperiùs. Niſi quòd Lucas longiùs proſecutus eſt Eſaiæ teſtimonium, in quo conſentit cum Hebraica veritate ſimul & LXX. Nam pro eo quod habet Hebraica veritas, *Et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt*, hic velut interpretans cum LXX dixit, τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, i. *ſalutare Dei.* Cæterùm Hebraica ſic extulit Hieronymus, *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas: & revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt.*

5. *Prava in directa*] Τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν *obliqua in rectam*; ut ſubaudias *viam*. Nam hîc Interpres *prava* poſuit non pro *malis* ſed pro *diſſertis*. Uſus eſt autem figurâ Hebraicâ, quâ illi ſic loquuntur, *Erit mihi in patrem, Erunt duo*

in carnem unam, pro eo quod eſt *Erit mihi pater*, & *Erunt duo una caro.* ¶ *Et aſpera in vias*] Καὶ τραχῖαι εἰς ὁδούς, ut ſubaudias *vias.* ¶ *Planas*] Gr. λείας *lèves*: quod primâ ſyllabâ productâ opponitur *aſpero.*

7. *Genimina viperarum*] Γεννήματα, quod aliàs vertit *progenies*: id quod non ſemel jam admonuimus. ¶ *Quis oſtendit*] Τίς ὑπέδειξεν, quod magis ſonat *ſubindicavit*, h. e. *clàm commonſtravit*, quemadmodum ſolemus inſtante periculo.

8. *Dignos pœnitentiæ*] Ἄξια τῆς μετανοίας. Poteſt accipi & ità, *dignos pœnitentiâ.* Nam *dignus* apud Græcos gignendi caſum habet. Verùm hoc admonuimus in Matthæo. ¶ *Ne cœperitis dicere*] Quod in Matthæo dictum eſt μὴ δόξητε, hic dixit μὴ ἀρξησθε. Græci hîc addunt ἐν ἑαυτοῖς *in vobis ipſis*, ſive *intra vos*, h. e. in animo veſtro. ¶ *Filios Abrahæ*] *Abrahæ* Græcus dativus caſus eſt, τῷ Ἀβραάμ, h. e. *ipſi Abrahæ.*

9. *Jam enim ſecuris*] Græci addunt copulam, *Et ſecuris* ἤδη ἄξίνη, quæ ſanè non eſt otioſa: ſignificat enim præſens periculum, ni reſipiſcant. ¶ *Ad radicem arboris*] *Arborum* eſt & apud Græcos & in vetuſtiſſ. noſtris cod. τῶν δένδρων. Sentit enim de cunctis hominibus; atque ità legit Ambroſius. ¶ *Excidetur*] *Excidítur* & *mittitur* eſt Græcis, ἐκκόπτεται καὶ βάλλεται; quemadmodum & in Matthæo.

11. *Det non habenti*] Μεταδότω *communicet*, ſive *impertiat.* Neque enim jubet dari duas tunicas, ſed è duabus unam: nam id eſt μεταδότω.

13. *Quàm quod conſtitutum eſt vobis faciatis*] Miror non eſſe animadverſum, nec à Laurentio, nec à quopiam alio, nè à Beda quidem, πράσσετε hîc vertendum fuiſſe non *faciatis*, ſed *exigatis*; cùm loquatur de *publicanis*, h. e. publicorum vectigalium redemptoribus, quibus hic & hodie mox extorquere à plebecula non quantum Princeps juſſerit, quod ipſum per ſe iniquum eſt, ſed quantum omnino poſſint: utrumque enim ſignificat πράσσω. Unde πράκτορες *exactores.* Et aliquantò poſt ſemel atque iterum πραγτορες vertit *exactores*, &c. 19. 23. ἤπραξα vertit *exegiſſem.* Atque ità ſanè legiſſe videtur Ambroſius, hujus loci ſententiam reddens his verbis, *Singulis quoque generibus hominum convenientia tribuis S. Joannes Baptiſta reſponſum unum omnibus, ità publicanis, Ne ultra præſcriptum exigant; militibus, Ne calumniam faciant, ne prædam requirant.* Conſimiliter Auguſtinus Serm. De verbis Domini ex Matth. 19. legit & interpretatur, *Nihil amplius exigatis quàm quod conſtitutum eſt vobis.* Theophylactus etiam exponit Græcam vocem aliâ Græcâ, πλεονεξίαν, τὴν ἴσιν αἴτησιν, *exigere*, *hoc eſt Poſcere*: nam utroque modo dicitur, πράττειν & πλεονεκτεῖν.

14. *Calumniam faciatis*] Συκοφαντήσητε. Συκοφαντεῖν apud Græcos non uno ſumitur modo, verùm plerumque συκοφαντεῖν eſt *falsò deferre*, & *crimen datâ operâ impingere*, *quo nonnihil emolumenti exterqueatur à reo.* Duo igitur vult abeſſe à militibus, Vim, quâ provinciales opprimebant, & Calumniam, quâ deferebant illos apud ſuos Præſides, quò ſine vi ſed non minùs perniciosè ſpoliarent. Interdum ſpoliant homines naves aut vicos, ac pòſt confingunt illos faviſſe hoſti, aliúdve quippiam peccaſſe. Audivi ducem quendam ità ſuos admonentem, *Prædarentur quicquid poſſint, ſive eſſent inimicorum bona ſive amicorum: ut enim res peſſimè caderet, cogerentur ad reſtituendum, ſed interim aliquam prædæ portionem reſidere penes raptorem.* Mihi verò non admodum probatur quod quidam ex hoc loco probare nituntur bellum: Quaſi verò Joannes hæc dixerit Chriſtianis, ac non potiùs Ethnicis, aut certè profaniſſimis Judæis, ſi qui tamen Judæi meruerunt unquam ſub Ethnicis: aut hoc egerit ut præſcriberet cujuſmodi deberent eſſe milites; & non illud potiùs, ut qui peſſimi erant inciperent eſſe minùs mali. Notat id eleganter Theophylactus, *Turbæ*, inquit, *hortatur ut aliquid boni faciant, hoc eſt, ſua impertiant; Publicanos autem ac milites, ut deſiſtant à malis. Neque enim capaces illi erant, neque bonum quippiam facere poterant; ſed ſufficiebat eis non facere malum.* Ità Theophylactus. Miles enim qui ſpoliat injuſtè ne miles quidem bonus eſt, tantum abeſt ut ſit vir bonus. Sic enim undique præparabat viam Domini. Alioqui qui potuiſſet Joannes ab illis extorquere militiam, cùm Chriſtus à Judæis non extorſerit ceremonias & ſuperſtitionem Moſaicæ legis & hominum conſtitutiunculas? Quis negat Judæis permiſſum fuiſſe Bellum? ſed iiſdem quibus permiſſum fuit Odium inimici. Bellaſſe Judæos legimus, ſtipendiis meruiſſe ſub alienis ducibus non legimus. Bellabant Judæi, ſed juſſu Numinis: An ob id volumus Chriſtianos contra Chriſti juſſum belligerari? imò ferrum & lanienam habere venalem? Greg. Negotiationem inter eas artes ponit ad quas à Baptiſmo non ſit fas redire, & nos homines facinoroſos qui quavis mercede pellecti advolant ad bellum & cædem Chriſtianorum, imò, ſi deſit conductor, ultro qui erumpunt inter Chriſtianos habemus, & hos Euangelico patrocinio tuemur? Neque verò me fugit quid hîc diſputet Auguſtinus cùm aliàs tum adversùs Fauſtum; ſed fas eſſe puto Chriſti & Apoſtolorum doctrinam anteponere Auguſtini ſententiæ. Nec tamen ille probat hoc bellorum genus quibus nos ſine fine collidimur. Pro publica Chriſtianorum pace tuenda Cæſari Cæſariſque præfectis concedit arma. Verùm hæc non eſt puriſſima pars corporis Chriſti. Religioſus erat id temporis Imperator quiſquis non opprimeret Eccleſiam, & alicubi faveret. Nunc belligerantur Epiſcopi, nec aliud ferè quàm belligerantur. Ambroſius libro De viduis palàm declarat quibus armis velit eſſe inſtructos Sacerdotes & purè Chriſtianos; *Arma*, inquit, *Eccleſiæ fides eſt, arma Eccleſiæ oratio eſt, qua adverſarium vincit.* Atque inibi, *Eccleſia autem non armis ſecularibus vincit adverſarias poteſtates, ſed armis ſpiritualibus, quæ ſunt fortia Deo.* Sit igitur Bellum, ſi videtur, inter neceſſaria mala, ſi modò legitimum ſit: nec eſt neceſſe ut hoc ejus ex Euangelii præſcriptis repetamus. Sed hiſce de rebus alius dabitur dicendi locus. ¶ *Stipendiis veſtris*] Τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν· quo verbo Terentius uſus eſt pro *cibis lautioribus.* Quanquam Paulus quoque ſemel atque iterum uſus eſt hoc verbo pro *ſtipendio* ſive *autoramento militari.* Aptè verò præmium ſordidorum hominum ſordido vocabulo expreſſit: ſiquidem *obſonium* veneris præmium eſt, dignum iis qui veneri militant.

15. *Exiſtimante*] Προσδοκῶντος δὲ, *Exſpectante*, ſive *Sperante*, velut ex eventu judicaturus eſſet. Ambroſius legit *Æſtimante*, nec addit *cogitantibus* omnibus, ſed tantùm *Æſtimante populo & cogitante.* Niſi quòd ex interpretatione propemodum licet ſubodorari Ambroſium legiſſe *Exſpectante*: ſic enim ait inter cætera, *Erat enim qui exſpectabatur: & ipſe utique qui exſpectabatur, non is qui non exſpectabatur, advenit.* Cùm autem vetuſtiſſimi codices conſentiant cum editione Vulg. non ſatis queo conjectare quid legit Interpres, niſi fortè pro προσδοκῶντος legit δοκοῦντος. ¶ *Nè forte*] Μή πως. *Num ipſe* mallem quam *ne.* Nam πότε hîc planè conjunctio eſt expletiva.

16. *Cujus non ſum dignus*] Ambroſius videtur hoc loco legere, *cujus non ſum dignus calceamenta portare*, quemadmodum legimus in Matthæo.

17. *Cujus ventilabrum*] Τὸ πτύον· quod indè dictum quòd paleas ſecernat à granis. Nam πτύω eſt *exſpuo*: velut *abjicio* ac *repurgo.* ¶ *In horreum ſuum*] Εἰς τὴν συνθήκην αὐτοῦ. Incertum an pronomen *ſuum* referatur ad *triticum* an ad *Chriſtum*: ſed magis opinor ad *triticum*, ut indicatum eſt in ſuperioribus.

20. *Adjecit & ſuper hæc omnia*] Librarii vitio depravatus ordo: legendum autem *adjecit & hoc ſuper omnia*, quemadmodum reperio ſcriptum & in emendationibus Latinorum codicibus.

21. *Factum eſt autem*] Poterant commodiùs reddi Græca, *Accidit autem cùm baptizaretur totus populus, ut Jeſu quoque baptizato & orante aperiretur cœlum, & deſcenderet Spiritus ſanctus corporali ſpecie, veluti columba, ſuper illum; & vox è cœlo proficiſceretur quæ diceret,*

22. *Sicut columba*] Ὡσεὶ περιστερὰ. Laurentius mavult *velut columba*, quòd alioqui videatur ſenſus, *& columbam deſcendiſſe in Jeſum*: nunc verò ſentit *Spiritum S. deſcendiſſe, ſed ſpecie columbæ.* ¶ *Tu es Filius meus*] Σὺ εἶ ὁ υἱός μου, *Tu es ille Filius meus*, propter Græcum articulum, cujus vis non eſt hoc loco otioſa.

23. *Quaſi annorum*] Ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, *annorum circiter triginta.* Quanquam nonnulli codices ſic habebant, Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ· quorum verborum hic eſt ſenſus, *Et ipſe Jeſus ingreſſus erat annum trigeſimum, ut putabatur, filius Joſeph*: aut certè ad hunc modum, *Et ipſe Jeſus accedebat ad annum trigeſimum*: ut intelligamus illum aut agere cœpiſſe XXX annum, aut acceſſiſſe jam ad illud ætatis. Cæterùm participium verbi ſubſtantivi ὤν ità poſitum eſt ut poſſit vel ad ſuperiora vel ad inferiora referri. Origenes, ſi modò non fallit inſcriptio, hom. in Lucam 28. palàm admonet in Luca tantùm eſſe verbum *incipiendi*, trahens ad allegoriam, quòd à Baptiſmo ceu renati eſſe incipimus. Verùm qui potuit eſſe filius Joſeph, ſi putabatur tantùm & non erat? Unde res ipſa cogit ut ad ſuperiora referatur, & accipiamus participium uſurpatum vice verbi infiniti, nempe ὤν pro εἶναι, *qui incipiebat eſſe*: quod ſanè non infrequens eſt apud Græcos. ¶ *Qui fuit Heli*) Τοῦ Ἡλὶ *qui fuit filius Heli.* Græcè hæc nomina connectuntur per articulos. Proinde noſtrum *qui* non eſt referendum ad *Joſeph*, nec ad *Chriſtum*, ſed ad proximum nomen, excepto

excepto primo, quod ad proximum *Joſeph* pertinet: ut intelligamus *Joſeph fuiſſe filium Heli*, rurſum *Heli fuiſſe filium Mathat*, atque item de cæteris. Quanquam Auguſtinus Quæſtionum V. & N. T. qu. 56. negat Heli fuiſſe patrem Joſeph. Vult enim ſic Chriſtum dici *filium Heli* quemadmodum dicitur *filius David*. Joſeph enim & Heli erant fratrum filii. In recenſendis nominibus mira in Græcorum codicibus confuſio, nè Latinis quidem inter ſe conſentientibus: alibi deerat; alibi ſupererat; inverſa ac depravata pleraque: quæ nos diligentiſſimâ collatione quâ licuit reſtituimus. Cæterùm quod Matthæus diſcrepat à Luca in recenſenda genealogia Chriſti, quòd hic per NATHAN ſtirpis ſeriem deducat ad DAVID, ille per SOLOMONEM longum ſit altiùs repetere Theologorum quorundam ſuper hac re digladiationem: Quorum nonnulli volunt hunc Nathan non fuiſſe filium David, ſed Prophetam, quem David adoptarit in filii vicem, ſuum videlicet objurgatorem: Et nè ipsâ temporis ratione refellantur, volunt Nathan *μετεμβύκτον* fuiſſe, cæteros qui ante hunc regnaverunt à Salomone *μυνυδάδας*, ut Homerico utar verbo. Et in hac quidem ſententia video propemodum fuiſſe D. Hieronymum, Ambroſium, & ante hos Origenem. Nam Auguſtinus opinionis ſuæ canit palinodiam cùm alias tum l. 2. Retractationum cap. 16. his quidem verbis, *Item ubi dixi, Lucas vero ad ipſum David per Nathan aſcendit, per quem Prophetam Deus peccatum ipſius expiavit*, PER CUJUS NOMINIS PROPHETAM *dicere debui, ne putaretur idem fuiſſe homo, cùm alter fuerit, quamvis & ipſe hoc vocaretur.* Quanquam nihil erat opus ad hæc ſuffugia divertere, ſi perpendiſſent apud Hebræos duplici ratione dici *filios*, juxta Legem, & juxta Naturam. Lex erat, *Siquis ſine liberis deceſſiſſet, ut hujus frater inſtauraret poſteritatem defuncti.* Itaque qui ſic natus erat duos habebat patres, alterum naturalem, ex quo natus erat; alterum legalem, in cujus nomen & progeniem ſuccedebat, nempe defuncti. Ad hunc modum cùm poſteritas Salomonis defeciſſet in Ochozia, ex Simeon cognominato *Joas*, qui prognatus erat è ſtirpe Nathan filii David, inſtaurata eſt poſteritas Salomonica, ut mox latiùs docebimus. Quod quidem palàm arguit illa præfatio, haud ſcio cujus, quæ Lucæ Euangelio præfertur: nam ab Hieronymiano ſtilo tantum abeſt ut nullius omnino Latini videri poſſit, ſed Græci cujuſpiam, eruditi tamen & eloquentis. Quidam Iſidoro tribuunt; ſed nihil minùs congruit. In ea ſic legimus, *Cui ideo poſt Baptiſmum Filii Dei, à perfectione generationis in Chriſto completa, repetenda à principio nativitatis humanæ poteſtas permiſſa eſt ut requirentibus demonſtraret in quo apprehendens erat per Nathan filium David, introitu generationis recurrentis in Deum admiſſo, indiſſeparabilis Dei, ut prædicans hominibus Chriſtum ſuum, perfecti opus hominis redire in ſe per Filium faceret, qui per David patrem venientibus iter præbebat in Chriſto.* Obſecro, quis hunc ſermonem adſcribat Hieronymo? Sed ut ad rem. Hic quiſquis eſt palàm aſſeverat ſtirpem Davidicam intercidiſſe, & per Nathan filium David reſtitutam ſeriem generis. Suffragatur huic ſententiæ & Gregorius Nazianzenus in Carmine genealogico, duos recenſens Δαυίδας, i. *filios David*, Solomonem & Nathan, nec ullam adoptionis faciens mentionem. In opere quod fertur Auguſtini titulo De quæſtionibus V. & N. Teſt. quæſt. 56. habentur hæc, *Heli autem filius Mathat à David per Nathan filium ejuſdem David ordinem tenet.* Idem repetit & inculcat toto capite Nec refert hoc opus non eſſe Auguſtini cùm res indicet eſſe alicujus in S. literis exercitatioris quàm fuit Auguſtinus. Quin 1 Par. 3. 5. palàm inter filios quos David ſuſcepit ex Bethſabee Hieroſolymis nominatim recenſetur *Nathan*, ordine prior Solomone. Porrò omnem adoptionis cauſationem palàm excludit quod additur filiis David ex Bethſabee. Diſſeruit accuratiùs hac de re magnus ille bonarum literarum antiſtes Jacobus Faber Stapulenſis in Commentariis quos edidit in epiſtolam ad Hebræos. Neque pauca refert Joannes Annius ex Philone. Ea quanquam admodum probabilia ſunt, tamen quoniam is non tam certò citat quàm vellem, præſertim in re controverſa, neque nobis erat Græci Philonis copia, paucis attingenda judicavimus, & in hoc duntaxat quò lectori diligenti cætera perveſtigandi præberemus anſam, præſertim cùm hæc penè *παίγνια* ſint huic inſtituto. Jam quoniam hinc plerique falluntur quòd nonnulli ſint *ἀμώνυμοι*, nonnulli binomines aut etiam trinomines, interdum cognomina addita ipſis miſceantur nominibus, pauca recenſebimus quibus cognitis minor ſit errandi occaſio. Primùm ELIH idem eſt cum *Jehojakim*, quem corruptè vocant *Joachim*, pater naturalis Mariæ virginis, & avus Jeſu Chriſti ſecundùm carnem. Quod teſtatur & Hieronymus. Atque hinc colligere licet Lucam naturalem Chriſti genealogiæ ſeriem ſecutum eſſe, non legalem, ſi quidem ad Chriſtum reſpicias: ſin ad Joſeph referas, contrà erit. Nam Matthæus per naturæ lineam devenit ad JOSEPH, quæ ad CHRISTUM tendenti legalis eſt, Deinde, JANE. Et hunc & JANNEUM, qui præceſſit, unà cum his qui inter hos duos intercedunt, Philo teſtatur Iſraelitico functos imperio. Recenſentur autem his inſigniti cognomentis, JA■■■US *ſecundus*, *Hircanus*; JOSEPH *junior*, *Arſes*; MATTHATIA, *Silea*; AMOS, *Shyrach*; NAHUM, *Mulot*; HESLI, *Aglai*; NAGID, *Ariaxai*; MAATH, *Aſor*; ELIH, MATTHATHIAS; SEMEI, *Abner*; JOSEPH *primus*, JUDAS *primus*, *Hircanus*; JANA, *Janneus primus*. Præterea, ZOROBABEL, idem dictus *Barachiæ*, duos habuit filios; unum RESA nomine, cognomine *Miſciollam*, quemadmodum legis in Neemia: Hujus propaginem Lucas narrat: alterum ABIUD, cognomento *Anania*, cujus ſtirpem Matthæus proſequitur. Ex horum ſtirpe deſcendunt & qui apud Lucam & qui apud Matthæum deinceps referuntur. Ad hæc, SALATHIEL (rectiùs, ni fallor, dicendus שאלתיאל SHEALTHIEL, ſi modò vocem Hebraicam reddere volumus, idem alio nomine dictus *Mezebeel*) & ZOROBABEL tam apud Lucam quàm apud Matthæum recenſentur; ut conjectare liceat hos ex Nathan ortos. Jam & NERI idem eſt qui apud Matthæum dicitur JECHONIAS. Id cognominis illi tributum eſt à populo poſteaquam ereptus è carcere in pretio habitus eſt apud Evilmerodach, quòd *lucerna* Davidici generis, quæ videbatur exſtinguenda, redacceſa ſit in hoc. Is igitur tum genuit Salathiel. Proinde fruſtrà Julianus calumniam ſtruit Euangeliſtis quaſi duos patres uni tribuant filio, cùm idem ſit NERI & JECHONIAS, quemadmodum cæteri quoque Reges qui hunc præceſſerunt *πολυονυμοι* fuerunt, uſque ad JOAS, qui eſt SIMEON apud Lucam; haud ille quidem è ſtirpe Solomonis, quæ jam intercideràt in Ochozia, ſed ex Nathan, cujus poſteritas jus habebat hactenus in Regnum ſuccedendi. Cæterùm quòd parùm reſpondeat numerus eorum qui apud Lucam referuntur & qui apud Matthæum, haud ità mirum videbitur ſiquis perpenderit primùm quod & Hieronymus indicavit, & ante hunc Origenes, nonnullos in genealogiæ ſerie fuiſſe prætermiſſos, idque datâ operâ, quemadmodum annotavimus in Matthæum: quandoquidem nec JOAS uſquam recenſetur. Quos ſi cæteris adjeceris, comperies & numerum conſentire. Præterea JECHONIAS idem eſt cum eo qui dictus eſt NERI. Hujus pater JOACHIM prætermiſſus apud Matthæum idem eſt cum MELCHI. Ante quem regnavit menſibus tribus JOACHAZ, quem nè ipſum quidem commemoravit Matthæus: & haud ſcio an huic reſpondeat ADDI. Rurſus JOSIAS, AMON, MANASSES, EZECHIAS & ACHAS cognomentis deſignantur hiſce, COSAM, ELMODAM, ER, JESO, ELIEZER; quorum ſanè cognominum & Philo meminit. Deinde JOATHAM, AZARIAS, AMAZIAS, JOAS adnominati ſunt his nominibus quæ ſunt apud Lucam, JORAM, MATHA, LEVI, SIMEON; quorum Matthæus omnino non meminit. Quin & *Simeon* qui eſt apud Lucam trinominis fuit, idem dictus SIMEON HELI & JOAS. Hic primus ortus eſt ex poſteritatis Davidicæ inſtauratoribus, quos Hebr. אחשתרים *Achesharim* vocant, ceu *Regni adjutores*, cùm jam in Ochozia poſteritas Solomonis defeciſſet, nec hæc modò, verùm etiam ipſa familia Acheſarim, nimirum omnibus ab Athalia interemptis, hoc ſolo ſuperſtite, quòd hunc Joſaba Ochoziæ ſoror ſervaſſet, etiamnum in cunis agentem. Neque enim erat is Joas filius Ochoziæ naturâ, ſed ſucceſſione duntaxat, juxta ejus Acheſarim. Licèt 4 Reg. 11. 2. vocetur *Ochoziæ filius*, Philo tamen apertè pronunciat hunc naturâ filium non fuiſſe, ſed, ut modò dictum eſt, jure ſucceſſionis. Proinde ab hoc reliqua poſteritas omnis ad Nathan pertinet, ut unde duxerit genus, licèt in ſorte collocetur Solomonis Quòd ſi ſtirps Regia defecit in Sedechia, ſicut apparet ex 4 Reg. 25. & Jer. 22. non protinus conſequitur antea non defeciſſe. Porrò Nathan hic de quo coeperamus in initio dicere filius fuit David, frater Solomonis ex Bethſabee, quemadmodum legis 1 Par. 3. 5. Is, ut dixi, nec erat Propheta, nec adoptatus à David in jus filiorum, verùm hujus poſteritatem jus Regni manebat, idque ex edicto David, ſi quando Solomonis ſtirps intercidiſſet; id quod Annio citante docet Philo. Idem propemodum colligere licet ex 3 Reg. 4. nempe quòd Nathan *Acheſar* inſtitutus fuerit, h. e. Regiæ ſtirpis inſtaurator: ſic enim & illic appellatur filius Nathan, quem שתרא Lucas vocat *Nathan*. Hujus partes erant univerſam familiam Regiam moderari: & ob id jus dicebantur Hebræis כתרים *domus ad ſuccedendum*, שתרים *fratres principum*, quia in pari honore cum Regum filiis habebantur. Ad hos pertinebat tribus Benjamin, cùm ad poſteritatem Solomonis ſola domus Juda pertineret. Hæc pauca è multis carptim delibavimus, nè nihil lucis præberemus avidis eadem exactiùs inquirendi, præſertim

cùm ad hiſtoriæ fidem faciant. Neque rurſum probarim in hujuſmodi quæſtionibus vel anxiè diſtorqueri vel contentioſè digladiari; in quibus haud multò plus fructûs eſſe video quàm illa nobili pugna Theologorum de Conceptione Deiparæ Virginis. Et Paulus non uno in loco monet, piis hominibus hujuſmodi *genealogias & nunquam finiendas quæſtiones eſſe vitandas*, quòd non ſolùm nihil conducant ad *pietatem*, verùm etiam *pariant lites & contentiones*, peſtem Chriſtianæ concordiæ.

VATABLUS.

1. PRocurante, &c.] i. Præſide provinciæ Judææ Pilato.

2. *Factum eſt verbum Domini ſuper Johannem*] Hebr. pro, *Dominus allocutus eſt Johannem.*

3. *Jordanis*] *Circa Jordanem.* ¶ *Baptiſmum pœnitentiæ*, &c. Hebr. pro, ut eos anteactæ vitæ pœniteret, & lavarentur aquâ in ſignum condonatorum peccatorum per Chriſtum.

4. *Prophetæ**] * *Dicentis.* ¶ *Vox clamantis*, &c. Hebr. pro, *Vox hominis clamantis in deſerto audietur, qua dicet, Parate*, &c. ¶ *Rectas facite ſemitas ejus*] Hebr. Complanate vias per quas venturus eſt.

5. *Implebitur*] Fut. pro imper. *impleatur.* ¶ *Humiliabitur*] *Deprimatur.* ¶ *Erunt prava in directa*] *Sint obliqua in rectam:* ſub. *viam:* q. d. Quæ diſtorta ſunt exæquentur, & aſpera loca vertantur in vias læves ac planas: nam propediem omnes homines videbunt Salvatorem quem Deus mittit. Hortatur eos qui animo ſunt remiſſo ut illum erigant, & Chriſtum exſpectent.

7. *Genimina*] *Progenies.* ¶ *Oſtendit*] *Subindicavit:* i. etiàm commonſtravit. ¶ *Fugere*] Vel, *ut fugeretis*, aut ut fugere poſſe putetis, *imminentem iram?*

8. *Dicere**] * *In vobismetipſis.* ¶ *Suſcitare filios Abrahæ*] i. vobis ad unum deletis, inſtaurare poſteritatem ipſi Abrahæ.

9. * *Securis*] * *Et.* ¶ *Arboris*] *Arborum.* Vet. ¶ *Excidetur*, &c.] *Exciditur & in ignem mittitur:* præſ. temp. Vet.

13. *Faciatis*] *Exigatis.*

14. *Concutiatis*] Sub. *pecuniæ causâ.* Gallicè, *Ne rapiatis per ſortes.* ¶ *Calumniam faciatis*] *Falsò deferatis.*

15. *Exiſtimante*] *Exſpectante:* vel, *Sperante.* ¶ *Ne forte*] *Num.*

16. *Baptizabit in Spiritu*, &c.] Hebr. pro, *purgabit vos in Spiritu S. qui ignis eſt.*

17. *Cujus ventilabrum in manu ejus*] Hebr. pro, *In cujus manu eſt ventilabrum, quo perpurgabit*, &c.

19. *Fratris ſui**] * *Philippi.* Vet. ¶ *Fecit*] *Faciebat.*

20. *Et incluſit*] Hebr. pro, *ut incluſerit.*

22. *Facta eſt**] * *Dicens.* ¶ *In te complacuit mihi*] Heb. pro, *Tu mihi places:* vel, *gratus es: per te placatus ſum.*

23. *Erat incipiens quaſi*, &c.] i. ingrediebatur triceſimum annum, quo etiam tempore putabatur filius, &c. ¶ *Fuit Hÿli*] Sub. *filius:* ſic in ſequentibus.

CASTALIO.

19. AT *Herodes*, &c.] Hoc factum eſt poſt Chriſti baptiſma, quod mox narratur.

CLARIUS.

3. IN *remiſſionem peccatorum*] Quæ danda erat per Chriſti Baptiſma, ad quod præparabat Baptiſma Joannis.

5. *Omnis vallis implebitur*] *Impletio vallium & humiliatio collium* id efficit ut *via æqua* ac *plana* ſint. Significat igitur adventum Chriſti allaturum tantam lucem orbi terrarum ut futurus ſit facilis omnibus acceſſus ad Deum.

8. *Patrem habemus Abraham*] Non proderit, inquit, gloriatio cognationis. Jam enim apparebunt eſſe filii Abrahæ non qui ſecundùm carnem nati ſunt, ſed qui *ſequentur veſtigia fidei patris noſtri Abrahæ.* Jam parata eſt *ſecuris* quæ naturales ramos excidat, qui fruſtrà de pinguedine radicis gloriantur.

11. *Qui habet duas tunicas det non habenti*] *Dare i duabus tunicas unam non habenti* eſt præter id quod omnino neceſſarium eſt (non ad ſplendorem & pompam ſed) ad victum & cultum cætera egentibus impertiri. Atque id Præcurſor & Lucifer. Quid poſt ortum Solem erit faciendum?

16. *In Spiritu ſancto & igni*] Recordare diei Pentecoſtes.

23. *Qui fuit Heli*] De genealogia hac Servatoris ſatis ſit hic admonere, quòd obſervatum à Theologis ſit, præſertim à Nazianzeno, Chriſtum ab Adam eſſe ſeptuageſimum ſeptimum ſecundùm genealogiam hanc à Luca deſcriptam: quæ res non poteſt non eſſe plena myſterii.

ZEGERUS.

1. TETRARCHA *autem Galilææ Herode*] *Tetrarcha* vel *Tetrarches* is dicitur qui quartam Regni alicujus partem adminiſtrat. Sonat enim τετράρχης q. d. *quartus princeps.* Et Herodes hic idem eſt qui infantes occidi juſſit, Antipatri Aſcalonitæ filius, & Herodis Junioris pater.

2. *Factum eſt verbum Domini ſuper Johannem*] Sub. *ut prodiret in publicum, ac pœnitentiam prædicaret:* nam ſermo apoſiopeſin habet. *Verbum* hic *mandatum* accipere poſſumus.

5. *Prava in directa*] *Prava* dixit pro *tortuoſa & inæqualia.*

7. *Genimina viperarum*] Judæos *genimina*, h. e. filios & progenies *viperarum* vocat ob venenoſam nocentiſſimámque ipſorum vitam. De viperarum natura ſcribit Plinius lib. 10. c. 62. in hæc verba, *Vipera*, inquit de ipſarum coitu loquens, *mas caput inſerit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Terreſtrium eadem ſola intra ſe parit ova, unius coloris, & mollia, ut piſces. Tertiâ die intra uterum catulos excludit: deinde ſingulos diebus ſingulis parit, viginti ferè numero. Itáque cætera tarditatis impatientes perrumpunt latera, occiſâ parente.* Eadem ferè tradit & Hieronymus, aut ſi quis alius eſt epiſtolæ ad Præſidium De cæreo Paſchali author: ſic enim ſcribit, *Vipera per os coitum faciunt: maſculi mortem contemnunt; ſed femina in ipſo coitu, ſive magnâ dulcedine exagitata, ſive futuri præſcia periculi, dum abſorbet ſemen caput maſculi abſcidit, & ſic eum occidit. Sed cùm conceperit, viſcera illius ab ipſis quos concepit comeduntur; & ſic matrem occidunt.*

11. *Qui habet duas tunicas, det non habenti*] Haudquaquam durius hoc eſſe præceptum quàm par eſt judicabimus, ſi meminerimus præcepti Dominici huic concinentis, quo *diligere* jubemur *proximum non minùs quàm noſmetipſos*, & ſi nullam habenti tunicam intelligamus dandam eſſe alteram. Vide Gregor. hom. in Euang. 20.

13. *Quàm conſtitutum eſt vobis, faciatis*] Quod Interpres pro πράσσειν vertit *faciatis*, ſignificatione videlicet famoſiore, poterat etiam *exigatis* dicere, cùm publicanis loquatur exactoribus vectigalium. Nam πράσσω nonnunquam *exigo* & *cogo* declarat. Sed illud generalius, hoc contractius & evidentius. Petrus Chryſologus habet *petatis*, Serm. 138.

15. *Exiſtimante autem populo*] Minimum diſcrimen eſt inter προσδοκῶντος & προσδοκοῦντος, quorum prius ſignat *exſpectante*, à προσδοκία *exſpectio*; poſterius *exiſtimante*, à προσδοκία *exiſtimo.* Cùm itaque in his facillimus ſit lapſus, admodum probabile librariorum incuriâ factum ut hodie προσδοκῶντος legamus. Atqui Ambroſius & Euthymius cum vulgata conſentiunt verſione.

16. *Veniet enim fortior me*] Cave hîc adjicias *poſt me*, contra Græcos & antiquos cod. Latinos, cùm id tamen in Marco ſit, ut liquet ex Auguſtino lib. 2. De conſ. Euang. cap. 12. ¶ *In Spiritu ſancto & igni*] Auguſtinus loco citato dicit *Lucam non addidiſſe* SANCTO.

17. *Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam*, &c.] Docet hâc metaphorâ B. Johannes, Chriſtum datâ ſibi poteſtate editurum inter pios & impios diſcrimen, ventilationéque quadam tribulationum declaraturum qui, ut triticum mundum, excuſſis vitiorum ſordibus, recondendi ſint in æternæ ſecuritatis horreum; rurſus qui, ut paleæ, omnis juſtitiæ frumento vacui, ventilandi ſint in æterni ignis ſupplicium. De Ventilabro & Area habes Matth. 3. 12.

19. *Herodes autem tetrarcha*] Eundem hunc eſſe Herodem cujus in præſentis capitis exordio Euangeliſta mentionem fecit, ex Marc. 6. manifeſtum fit, ubi eandem hanc deſcribens hiſtoriam Herodem *fratrem Philippi* nominat; ſicuti B. Lucas.

35, 36. *Qui fuit Sela, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*] Hanc generationis ſucceſſionem B. Lucas à LXX didicit, ſecundùm quos Arphaxad Cainan genuiſſe ſcribitur; cùm

cùm juxta Hebræos Arphaxad Sela vel Sale, nullo interpoſito, genuiſſe legatur; Gen. 10. 24. & 1 Par. 1. 24.

STEPHANUS.

1. ΤΗΣ ἡγεμονίας] *Imperii.* ¶ Ἡγεμονεύοντος Ποντίου] *Cùm Præſes eſſet Pontius.*

3. Εἰς ἄφεσιν] *Ad* obtinendam *remiſſionem.*

5. Φάραγξ] *Vallis.* ¶ Πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς] *Omnis mons & collis.*

11. Μεταδότω] *Impertiat.*

13. Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε] *Nihil ultra id quod eſt vobis conſtitutum exigite.*

14. Μηδένα διασείσητε] *Adversùs neminem concuſſione utamini: concuſſiones militum*, Tertull. ¶ Τοῖς ὀψωνίοις] *Stipendiis.*

23. Ὡσεὶ ἐτῶν, τριάκοντα ἀρχόμενος] *Annum ferè trigeſimum ingrediebatur.*

38. Τοῦ Θεοῦ] *Qui fuit à Deo:* videlicet conditore.

DRUSIUS.

1. Τ*Rachonitidis regionis*, Τραχωνίτιδος χώρας] Quam à Strabone *Ituræam* vocari ajunt. Euſebius quoque in Locis, *Trachonitis regio*, inquit, *ſive Ituræa, cujus tetrarches fuit Philippus.* Si rectè, tum in verbis illis, *tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis*, copula & erit ἐξηγητική, pro *id eſt.* Quod tamen mihi non videtur. Sed ἰατέχνως. Sequitur in Euſebio, *Eſt autem trans Boſtram Arabiæ civitatem in deſerto contra Auſtralem plagam quaſi ad Damaſcum reſpiciens.* Syrus habet טרכונא, quod legunt *Trachauna.* ¶ *Lyſaniâ Abilena Tetrarchâ*] Sic Interpres vetus. In cod. Græcis eſt Ἀβιλανῆς τετραρχοῦντος. quod Latinè *Abilenes.* Dicitur & *Abellina:* & eſt nomen regiunculæ. In Syro lectum אבילנא. Apud Stephanum, Ἄβιλα, πόλις ἐπὶ τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ· & mox, ἔστι δὲ καὶ ἄλλη πόλις Φοινίκης Ἄβιλα· unde Ἀβιλανός, & Ἀβιλανή. *Abila*, *Abilenus*, ut *Gebala*, *Gebalenus.* Abila, quæ Lyſaniæ cognominator, Cavæ Syriæ urbs eſt Ptolemæo, Polybio, Plinio. Abile Joſepho quoque urbs eſt ad Jordanem Orig. lib. 4. cap. 7. & lib. 5. cap. 1. Perææ regionis, Capt. Jud. l. 2. c. 11. 8. Quærendum an ſit *Abel*, cujus frequens mentio in ſacris, quam interpretes etiam *Abelam* appellant. De hac Euſebius in libro Locorum, *Uſque in præſentem diem in ſeptimo lapide Philadelphiæ villa Abela cernitur, vineis conſita. Alia quoque eſt civitas nomine Abela, vini fertilis, in duodecimo à Gadaris milliario, contra Orientalem plagam. Nec non & tertia in Phœnice Abela, inter Damaſcum & Panceadem.* In Collectaneis nom. propriorum, *Abela nomen urbis, quæ & Abel vocatur.* Hebraice אבל, & אבלה. Vide 1 Sam. 6. 18. & 2 Sam. 20. 10. In libro Nominum, *Abilene, lugentes.* Hic locum habet, *Abel, luctus*, πένθος. Vide Scaligerum Animadv. Euſeb. 164. 1, & 2.

2. *Caipha*] Joſephus Caipha ſive Caiphas Annæ pontificis gener, à Valerio Grato procuratore datus, imperante Tiberio. Hujus mentio Matth. 26. 3. & alibi. Syrus habet קיפא *Caipha.* Sed in libris Græcis, quos adhuc vidi, Καϊάφα ſcriptum, ut apud Joſephum Orig. l. 18. c. 3. Καϊάφας i. *Caiapha* & *Caiaphas. Caipha*, *Caiphas*, ut *Juda*, *Judas.* Syrum ציפא, cùm apices abſunt, poteſt legi *Cepha.* Id ne confundas cum Petri Apoſtoli cognomine, ſciendum eſt in ſcriptura hujus nominis primam eſſe Chaph, alterius autem Coph. Sic dico, Apoſtolus vocatur Syriacè כיפא, quæ vox in ea lingua *petram* denotat, ut ſuo loco dicemus.

4. *In libro ſermonum Eſaiæ*] Sic *liber ſermonem Tobiæ*, i. e. continens dicta & facta Tobiæ. Legimus quoque *verba Amos*, Amos 1. 1. *Verba Jeremiæ*, Jer. 1. 1. *Verba Coheleth*, Eccleſ. 1. 1. Quod tunc fieri perhibent quando verbis Dei admiſcent res à ſe geſtas.

6. *Salutare Dei*] Idem cum illo, *ſalutem Dei.* Nam τὸ σωτήριον idem quod τὸ σωτηρία: ſicut ἁπλότης *ſimplicitas*, τὸ ξηρὸν *terra*, unde ξηράβατον. Sane ישועה *ſalus* à LXX redditur τὸ σωτήριον Pſal. 12. 6. & 14. 7. & alibi. Lex. vetus, Σωτήριος, *ſalutaris*: unde σωτήριον, *ſalutare.* Nota Chriſtum ità paſſim vocari quòd Deus Pater per eum ſalutem dederit mundo. Quò ſpectat illud Angeli, *Ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis ſuis.* Nam propterea etiam *Jeſus* dictus fuit, i. σωτήρ. Sed & יש dicitur, i. *ſalus.* Nam ſi ſalus eſt Dei, etiam rectè *ſalus* vocatur. Sane Jeſa. 45. 8. ubi in fonte *ſalus*, יש. Hieron. habet *ſalvatorem*, nomen abſtractum in concreto reddens: niſi ſane olim, cum puncta vocalia abeſſent, legit ישע, *Jeſum*, *Germinet ergò terra Jeſum*, *ego DOMINUS creavi* [i. *genui*] *eum.* Hic *genui* accipio in propria ſignificatione, *genui ex meâ ſubſtantiâ.* Quid hic heterodoxi? Nam *creo* pro *gigno* uſitatum non modo in lingua Latina, ubi plurima exempla ſunt ejus notionis, ſed etiam in Chaldaica, Hebraica & Helleniſtica. Helleniſticam voco, quâ uſi olim Judæi qui Græcè loquebantur aut ſcribebant, ut Apoſtoli & Euangeliſtæ, LXX interpretes, Jeſus Sirachi nepos, Jaſo Cyrenæus, & alii.

8. *Ne cœperitis dicere*] Ne dixeritis. Sic alibi, *cœpit ejicere vendentes & ementes*, pro *ejecit.* Act. 1. 1. *Quæ cœpit Deus facere & docere.* Vide quæ notavimus ad hunc poſtremum locum.

14. *Ne calumniam faciatis*] עשק אל *ne opprimite.* Sic hodie convertunt: ſed antiquitus utebantur in eo declarando verbo συκοφαντεῖν, quod *calumniari* ſignificat, ut Mich. 2. 2. Coh. 4. 1. ubi πρωτη συκοφαντίας in uno loco, & in alio συκοφαντούμενοι *per calumniam oppreſſi.* Beza in poſtrema editione, *ne dolo opprimite.* Vide ſis annotationes ejus. Qui opprimunt aliquem, fere per calumniam id faciunt. Facile enim invenit baculum qui canem cædere vult. Unde συκοφαντεῖν *per calumniam opprimere*, & ſimpliciter *opprimere:* Nam eſt interpretamentum עשק *opprimo.* Senes aliquando idem verbum reddunt ἀδικεῖν, & aliquando καταδυναστεύειν. ¶ *Stipendiis veſtris*] 1 Mach. 3. 28. ἔδωκεν ὀψώνια τῇ δυνάμει αὐτοῦ, *dedit ſtipendia exercitibus ſuis:* & 14. 22. ἔδωκεν αὐτοῖς ὀψώνια, i. ſtipendia. Hoc ſenſu Apoſtolus uſurpat. Sed & Doctores utuntur voce משכורת eodem ſignificatu. Notavi aliàs.

23. *Erat incipiens quaſi annorum triginta*] *Quaſi* particulam affirmanter hîc accipit vir doctiſſimus, ut in illo, *vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti.* Quod autem ſequitur ἀρχόμενος, id abſolutè poni vult, & intelligit à natali Chriſti XXX annos tunc primùm fluxiſſe, & trigeſimum primum incipere. Vide opus ejus De tempor. emend. p. 255. Idem in Can. Iſag. *Aliud eſt*, inquit, ἦν ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα, & *aliud* ἦν ἀρχόμενος ἐτῶν τριάκοντα. Vide, ſi libet & ſi otium eſt. Mihi nondum clara lux in hoc loco. ¶ *Qui fuit Eli*] *Eli* an *Heli* ſcribendum ſit, incertum. Syra editio ſcribit אלי *Heli* cum adſpiratione. Alii cenſent decurtatum eſſe ex *Eliacim*, ut *Lazarus* dicebant pro *Eleazarus.* Quod ſi recipimus, ſcribendum ἀναμφιβητήτως *Eli.* Sententiam hanc juvat Petrus Galatinus De arcanis catholicæ veritatis l. 7. c. 12. ſcribens *Eli eſſe qui alio nomine Joacim & Eliacim nominetur.* Cui firmando quod *Eliacim* dicatur Judith 4. qui *Joacim* vocetur in eadem hiſtoria, c. 15. Similiter rex Joacim 4 Reg. 23. nuncupatur *Eliacim.* Unde contractum *Eli*, ut diximus, qui fuit avus Chriſti, quem Epiphanius adv. Antidicomarianos hæreſ. 36. & contra Collyridianos hæreſ. 79. *Joacim* vocat, cujus uxor fuerit Hanna mater virginis Mariæ.

24. *Qui fuit Matthat*] Malim *Matthath.* Vide quæ ſcripſimus Matth. 1. 15. ¶ Τοῦ Μελχί, *qui fuit Melchi*] Syrus habet מלכי *Malchi:* id ſonat *rex meus.* Ab eo compoſitum *Melchi-ſedec*, *Rex juſtitiæ:* ac tum Jod litera eſt paragogica. *Malchi*, rex, βασιλεύς. ¶ *Qui fuit Janne*] Jannes iſte creditur eſſe is quem Joſephus *Johannem Hyrcani* appellat, qui fuit ultimus princeps de domo Jechoniæ; cujus bona Epiphanes fiſco addixit: atque hinc Chriſti familiæ paupertas. In libris Græcis eſt ὁ Ἰαννά, *qui fuit Janna*, vel, ſi placet, *Janna*, cum diphthongo. *Janna*, *Janna*, ut *Juda*, *Juda. Janne* abſque diphthongo, i. יי, Nun per Dages geminatâ. Syrus habet יאני *Jani*, niſi legendum יאני *Jane.* Addito *S* diceremus *Jannes*, ut *Joſe*, *Joſes:* quod nomen exſtat 2 Tim. 3. 8. Græcè eſt Ἰαννῆς. Celebrem autem hunc magiæ nomine fuiſſe teſtatur Plinius l. 30. 1. his verbis, *Eſt & alia magices factio à Moyſe & Iamne & Iotape Judæis profecta.* Sic enim ex emendatis codicibus hunc locum legit doctiſſ. Theodorus. Conſule Parallela mea, pag. 122. col. 2. Jannes iſte in Thalmude vocatur יוני, & in Jonatha Exod. 1. 15. יונס, & apud Apulcium Apolog. 2. *Ioannes*, niſi legendum ibi *Iannes*, ut Colvius emendat.

25. Τοῦ Ἀμώς, *qui fuit Amos*] In vulgatis codicibus medius eſt inter Matthathiam & Naum, qui Hebræis *Nahum*; ut neſcias ſitne נחום ſcribendum Hebraicè, quo nomine vocatus quondam fuit pater Jeſaiæ, an verò עמוץ, quod eſt nomen Prophetæ inter XII minores. Scire licet in editione Syra legi קמוץ, primâ Ain & ultimâ Sade In libro perveteri habetur ὁ Ἰωσία, ὁ Ἀμώς, ὁ Μανασσῆ, ubi perſpicue *Amos* pro *Amon* ponitur, qui Hebræis אמון pater Joſiæ & filius Manaſſe 2 Reg. 21. *Amon*, *Amos*, ut קמון κέμως, כמוס χεμώς, ultimâ nominis barbari, ut fit, in S conversâ. Philo Judæus Amos

medium collocat inter Silon & Sirach, cujus ultimi mentio in hiſtoria Hebraica. ¶ *Qui fuit Nahum*] Scribo cum adſpiratione, non *Naum* : in quo ſequor conſuetudinem Hebræam. Hebræi enim dicunt נחם mediâ Heth. Sic etiam Syrus interpres. Hinc *Chapharnahum*, quod ſimiliter ſcribunt *Capharnaum*. Græci quoque habent τῆ Ναούμ. Nam voces in medio non adſpirant : Ergò neceſſitatis eſt. Latini hoc modo ſe excuſare non poſſunt : nam nullâ hujuſmodi neceſſitate adſtringuntur. ¶ *Qui fuit Nagge*] Græcè eſt Ναγγαί, quod ſcribunt *Nagga* cum diphthongo. Malim *Nagge* abſque diphthongo. Sic *Jeſſe* rectiùs ſcribitur quàm *Jeſſa*, quamquam in Græco Ἰεσσαί. Huc referri poſſet *Micheas*, quod perperàm ſcribunt *Michaas*, nempe ex Græco Μιχαίας, cùm αι ibi non ſit diphthongus. Sic in נגי nulla omnino diphthongus. Syrus habet נגי *Naggi*. *Naggai*, *Nagge*, ut *Jeruſalaim*, *Jeruſalem*. Sic *Ephraim* & *Epherem*, *Meſraim* & *Meſrem*. Nam αι cum η permutabant.

27. *Qui fuit Johanna*] Græcè eſt τῆ Ἰωανᾶ. Syrus autem habet בר יוחנן, *filii Johannis*. Fortè יוחנא dicebant pro יוחנן, ut שבא pro שבת, *ſabbathum*. Aut *Johannan*, *Johanna*, ut *Mariam*, *Maria*. Sic *Goliath*, *Golia*. Solent enim Græci ultimam nominis barbari quandoque abjicere. Reperio & Ἰωάνα proprium mulieris Luc. 8. 3. & 24. 10. quod ſcribi debet Latinè *Iohanna* cum adſpiratione. Cæterùm in exemplari Syro utrobique eſt יהן *Juhan* ſive *Juchan*. ¶ Τῆ Νηεί, *qui fuit Neri*] Syrus habet *Niri*. *Neri* legitur etiam Jer. 32. 12. & 16. in vulgata Latina, i. נרי, ubi codex Hebræus נריה *Neria* vel *Nerias*. *Neria*, *Nerias*, ut *Juda*, *Judas*. In libro Nominum, *Neri*, *lucerna mea*: *Neria*, *lucerna DOMINI*. נר *lucerna*, יה DOMINUS.

28. *Qui fuit Addi*] Græcus habet τῆ Ἀδδί. Syrus בר אדי *filii Addi*. Sic dico, ſcribit אדי cum Aleph in principio. Alioqui poſſet aliquis ſuſpicari ſcribendum עדי, vel certè עדו, ut ſit error in Vau & Joth, quod nunc legunt עדו. Nihil temere ſtatuendum. ¶ *Qui fuit Her*] Scribi mavelim *Er*, abſque adſpiratione : nam Græcè eſt Ἤρ, & Syriacè ער. Nomen hoc exſtat Gen. 38. 3. & 1 Par. 4. 21. ubi ער ſcriptum.

29. *Qui fuit Eliezer*] Græcè eſt τῆ Ἐλιέζερ. Syriacè בר אלעזר *filii Eliezer*. Etymon hujus nominis invenies Exod. 18. 4. Meliùs autem interpretantur qui interpretantur *Dei mei auxilium* quam qui interpretantur *Deus meus adjutor*. Nam *adjutor* עזר dicitur : unde eſſet non *Eliezer*, ſed *Eliezer*. ¶ *Qui fuit Jorim*] In lib. Nom. in Luca, *Jojarim*. Fortè mendum eſt pro *Jojarib*, i. Ἰωαρίβ. Nam antiquus character τῆ μ idem erat cum charactere τῆ β. Unde errata non pauca in libris. Sic ſanè Σενναχηρίμ legimus pro Σενναχηρείβ, & alia multa. Nè longè abeam, ecce 1 Macch. 2. 1. corruptè legitur *Joarim* pro *Joarib*, cujus meminit Joſeph. Antiq. l. 12. c. 8. Adhibe notas meas in Tobiam. In Syra ed. invenio יורם *Juram*, qui Hebraicè diceretur *Joram*. Id Latinè ſonat DOMINUS *altus* ſive *ſublimis*. In lib. Nom. DOMINUS *exaltans*. Malim, *exaltabit*, i. ירם.

31. *Qui fuit Nathan*] Ναθάν filius Davidis. Hebraicè נתן 2 Sam. 5. 14. In lib. Nominum, *Nathan*, *Dedit*, *vel Dames*: putarim legendum, *vel Dans* : נתן *dedit*. Chaldaicè *dans*, ut אמר *dixit* & *dicens*. Illud Hebraicum eſt, hoc Chaldaicum. Nam Hebraicè *dans*, נתן. Sic אמר *dicens*.

34. *Qui fuit Thara*] Græcè Θάρα, תרח *Thare*; ut שלח *Sale*, quod & *Sala* ſcribunt. Eſſet autem *Thera* vel *Therach* ſecundùm apices qui nunc obtinent. Tremellius ex Syra editione ſcribit *Tarach*: malim *Tharach*. Nam in pauſa תרח. Apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 4. Ἄταρ vocatur. Reperio & *Tharra* ῤῥ geminatâ. Hic primus ſtatuas & idola fretus arte figulinâ ex luto finxit, Procopius in Gen. pag. 114. ¶ Τῆ Ναχώρ, *qui fuit Nachor*] Avus Abrahæ, qui & *Nahor*. *Nachor*, *Nahor*, ut *Rachab*, *Rahab* : mediam enim Heth modò per χ efferebant, modò per ſimplicem aſpirationem. Nam geminâ carent & Græci & Latini. Hinc *Hermon*, *Chermon*; *Ham*, *Cham*; *Hebron*, *Chebron*, & alia ejus generis. Syrus habet בר נחור *filius Nahor*.

35. Τῆ Ῥαγαῦ] Interp. vetus, *qui fuit Ragau*. Syrus, *filius Aru*, i. ערו. Hebraicè רעו, quod autor editionis Vulgariæ legit *Reu* Gen. 11. 18. & *Ragau* 1 Par. 1. 25. רעו *Ragau*, ut רעואל *Raguel* : item ut עוץ *Aus*, עוז *Saue*. Aliter ſumitur Judith. 1. ἐν τοῖς ὄρεσι Ῥαγαῦ. Nam ibi ſign. campum circa Euphratem & Tigrim, ut Ortelius annotat. ¶ *Qui fuit Phaleg*] Sic libri editionis Latin. quam Vulgatam vocant. Nam in Græcis eſt Φαλὲκ, mendum quale in Δαὶκ pro Δαὶδ. Sanè Syrus habet פלג, & Gen. 10. 25. eſt פלג. *Pheleg*, *Phaleg*, ut פרץ *Pharez*, הבל *Habel*, & alia ſexcenta. Dictus ità quia in ejus diebus נפלגה, *diviſa fuit*, terra. Unde *Phaleg* μερισμὸς, *diviſio*. ¶ *Qui fuit Salè*] Græcè eſt Σαλά, ſed in Vulg. Lat. *Sale*. Hebræi hoc nomen ſcribunt *Sela*. שלח *Sale*, ut תרח *Thare*. Σαλὰ etiam ſcriptum Gen. 10. 24. in editione τῶν ὁ. Potrò Syrus habet שלח, quod legunt *Salach*.

36. *Qui fuit Cainan*] Nomen *Cainan* ſupereſt ex editione τῶ ἑβδομηκοντὰ, LXX *interpretum*. Legitur autem apud Vulg. interpretem & in pleriſque cod. Græcis, tum etiam in edition. Syra. Paulò pòſt v. 37. *qui fuit Cainan*, ſupera verſio habet *Canan* cum diphthongo : malè. Nam in Καινὰν nulla diphthongus, ut nec in קינן. Id nunc legunt קינן, *Cenan*, *ai* in י verſo : quæ inter ſe ſæpe permutantur. Beda in Lucam, *Nomen & generatio Cainan juxta Hebraicam veritatem neque in Geneſi neque in Verbis dierum invenitur : Sed Arphaxad Sela vel Sale filium, nullo interpoſito medio, genuiſſe perhibetur.* ¶ *Qui fuit Sem*] Filius Noe ſive Nochi, qui Hebraicè שם & Græcè Σὴμ ſcribitur, Latinè declinatur *Semus Semi*. Huic Judæam datam fuiſſe à patre tradunt Syri. Vide Maſium in Joſuam. Japeto major an junior fuerit, incertum. In Sanhedrin cap. 8. *Sem major fuit Chamo anno uno, & Cham major Japeto etiam anno.* Unde ſequitur Sem majorem fuiſſe Japeto annis duobus. Sed alii affirmant Japeto juniorem fuiſſe. Quòd autem primo loco recenſeatur Gen. 6. 10. id fit propter dignitatem. Sic alibi Jacob memoratur ante Eſau, & Iſahac ante Iſmaelem. Moſes Gerundenſis putat Cham ultimum fuiſſe filiorum Noe. Vide illum loco citato. Controverſiam de ætate Sem non minuit ſed auget locus Gen. 10. 21. ubi vocatur אחי יפת הגדול, quod alii reddunt, *frater Japheth majoris*, alii, *frater Japheth majoris*. Conſule interpretes. Vide quoque Annot. noſtras ad illum locum. ¶ *Qui fuit Lamech*] Hebraicè dicitur *Lemech*. לכ *Lamech*, ut הבל *Habel*. Nam in pauſa לכ. Sic *Pheres*, *Phares*; *Pheleg*, *Phaleg*.

37. *Qui fuit Mathuſala*] Ubi codices Græci habent Μαθουσάλα. Vulg. interpres legit *Mathuſale*. Syriacè autem eſt מתושלח, quod nunc legunt *Methuſela*. *Sele*, *Sala*; ut *Thare*, *Thara*; *Joſue*, *Joſua*. ¶ *Qui fuit Henoch*, non *Enoch*. Nam Hebraicè eſt חנך, cum adſpiratione duplici. Judæ 14. *Prophetavit autem de iſtis ſeptimus ab Adam Henoch, dicens, Ecce venit DOMINUS cum ſanctis myriadibus ſuis*, &c. Incertum eſt utrùm hoc ſumpſerit ex libro apocrypho, quem Tertullianus laudat, an aliunde : Certè non ex canonica, quia tum ſequeretur aliquid ex canone interiiſſe ; quod non eſt admodum credibile. Hieron. exiſtimat ſumptum ex libro apocrypho, quem tamen ideo inter Eccleſiæ ſcripturas non recipit. Liber iſte hodie adhuc exſtare dicitur apud Æthiopes in regno Reginæ Sabæ Abyſſinâ linguâ, quem Origenes citat. Hom. 28. & Contra Celſ. l. 5. fol. 69. col. 2. & περὶ ἀρχῶν l. 4. fol. 157. col. 2. Nos etiam aliqua de illo in Quæſitis noſtris, epiſt. 102. quæ ad Robertum Belum. Hebr. 11. 5. *Fide Henoch tranſlatus fuit ne videret mortem*, h. e. ne moreretur. Quod quomodo intelligendum ſit, viderint eruditi. Indocti doctoriculi temere affirmant quod non intelligunt. Aut non vidit mortem communem, aut, ſi eam vidit, *Deus rapuit eum, ne malitia mutaret intellectum ejus*, ut ſenſus ſit, ne videret mortem peccatorum. Peccatores enim *mortui* vocantur : ex quo illud, *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Diximus hac de re alibi, quæ non repeto. ¶ *Qui fuit Iared*] Gr. τῆ Ἰαρέδ. Syriacè autem, *filius Iared*. Sed Ebræi dicunt *Iared*. ירד *Iared*, ut הבל *Habel*, פרץ *Phares*, quæ in pauſa mutant primum Segol in Camets : unde *Iared*, &c.

38. Τῆ Σὴθ, *qui fuit Seth*] Syrus habet בר שת *filii Sith*. Idem ſuprà *Sim* ſcribit pro *Sem*. Fortè quòd ejus ætate ità pronuntiarent ש. Nam ea pronuntiatio hodiéque obtinet apud multos. Dictus *Seth* ἀπὸ τοῦ τὸ τιθέναι *pono*, i. *do*. Nam *ponere* & *dare* ſe invicem explicant. *Datus* autem *fuit pro Habele* : inde nomen. Hieron. in Quæſt. *Seth propriè* θέσις, *i. Poſitio, dicitur. Quia igitur poſuerat eum Deus pro Habel, propterea Seth, i. Poſitio appellatur.* ¶ *Qui fuit Dei*] Sub. *filius*. Quomodo filius Dei ? An quia formatus à Deo ex luto terræ? Syrus habet, *qui fuit à Deo*, ſub. *factus* aut *conditus*. Aut *filius Dei* propter animam, quæ ei Divinitus inſpirata. Sed hoc ei commune cum aliis hominibus. Ideo Deus vocatur *Pater animarum* vel *ſpirituum*. Dicunt enim Ebræi tres concurrere ad creationem hominis, Deum, patrem, & matrem; & à Deo eſſe animam, à parentibus verò corpus. Ut ut ſit, *filius Dei* eſt qui ex ſubſtantia ejus genitus, ut Meſſias, & qui à Deo factus, ut Adam.

CASAUBONUS.

1. Ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας] Vetus Interpres hoc loco ἡγεμονεύειν vertit *procurare* præter suam consuetudinem, cùm ἡγεμόνα soleat *Præsidem* interpretando dicere, ut Erasmus observavit: quod doctissimos interpretes retinuisse miror. Pontius enim Pilatus Judææ fuit non Præses sed Procurator. Sic enim à Cornelio Tacito nominatur Annalium lib. 15. *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.*

14. Στρατευόμενοι ἢ αὐτὸν καὶ στρατεύεσθαι] Quod negat hoc loco Erasmus legi Judæos stipendia sub aliis Principibus meruisse, id falsum esse discet ex viri longè doctissimi Brodei Miscellaneis.

23. Ὢν ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ] Quòd Lucas, cùm genus Christi vellet declarare qui Mariâ natus est, Josephi non Mariæ prosapiam descripserit, causam hanc doctissimi interpretes afferunt, quòd nimirum ex eadem esset tribu: nam ità fit ut in persona Joseph etiam Mariæ genus comprehendatur. Atque hoc ut verissimum, ità vanum est quod nonnulli objiciunt, fuisse hanc legem omnibus ferè seculis neglectam. Nam πάνυ τετηρῆσθαι fuisse eam diligentissimè observatam constat: Testatur enim Josephus Judæos hac in parte magnâ semper religione esse usos: Itaque (ait) ubicunque tandem Judæi κρίνει τὸ ἀκριβὲς ἀνατιθέασι (τοῦ) τοῦ ἱερέως αἷμα τοῖς γάμοις.

36. τοῦ Καϊνὰν] Ex Mose Gen. 11. 12. rectè docti viri annotarunt esse hæc verba inducenda; quæ tamen jam pridem hîc leguntur: Nam, ut alias taceam, agnoscit ea Gregorius Nazianzenus in suis Carminibus; quo quidem in loco in scriptura horum nominum est aliquid diversum, quod obiter indicabimus. Ergò v. 24. pro Ματθὰτ est Ματθάν, pro Ἐσλὶ est Ἐλεί. In 26. pro Ματταθίου, Ματθίας τε, pro Ἰωσὴφ est Ὼσῆ. In 27. pro Ἰωαννᾶ est Ἰωανάν. In 28. pro Ἐλμωδὰμ & Ἠρ est Ἐλμωδάμ (fortasse metri causâ) & Εἰρ. In 29. pro Ἰωσῆ est Ἰωσὴφ vel Ἰωσήφ, quæ γραφῆς variantia etiam alibi reperitur: est etiam Ματθὰν non Ματθάτ. In 30. pro Ἰωνὰν Ἰωνάμ, quæ duo nomina multis locis confunduntur. Postremò in 31. non habet Ματταθὰ sed Ματθάν. Cæterùm de germana lectione ex libris Hebraicis est statuendum.

GUALTPERIUS.

1. Τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρῴδου, *Cùm Tetrarcha esset Herodes in Galilæa*] τετραρχης, ου, ὁ, *Tetrarcha, qui quatuor λόχους præest.* Τετραρχία, αἱ τέσσαρες λόχοι, ἀπ' ἀρχῆς ἔχ· καὶ ὁ ἡγεμὼν, τετραρχης. Suid. τετραρχία, *sunt Tetrarcha*, ut & infrà cap. 13. Syrus paraphrastes duabus vocibus Græcum nomen exprimit, cùm pro *Tetrarcha* ponit ריש רבעא *principem quarta partis.*

14. Ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν, *Contenti estote stipendiis vestris*] Syrus retinet vocem Græcam ὀψώνιον אופסונין *Apsonjatchum.* Significat autem quævis *militum stipendia*, præsertim verò *quæ in annona posita erant.*

GROTIUS.

1. Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ, *Anno autem quintodecimo*] Sicut Prophetæ post Regni Israelitici factam divisionem tempora solent notare tum Regum Judæ tum Regum Samariæ, qui tum Terram Promissam inter se partiebantur, ita & Lucas narraturus τὴν ἀνάδειξιν πρὸς τὸν Ἰσραὴλ [*ostensionem ad Israëlem*] duorum Prophetarum, Johannis & Messiæ ipsius, temporis accuratam descriptionem adhibet, nominatis omnibus quo tum ullam Terræ Promissæ partem suo aut alieno nomine obtinebant. ¶ τὴν ἡγεμονίας, *imperii*] Romanam *imperii* vocem expressit, quo tum nomine, ad declinandam invidiam potestas vere Regia occultabatur. Vide Appianum. ¶ ἡγεμονεύοντος, *Præside*] Id est, ἐπιτροπεύοντος [*Procuratorem agente*] quod interpretamentum in codicibus quibusdam contextum occupavit. Hîc ἡγεμονεύειν [*imperare*] non ex Romano sed ex communi usu sumitur, quomodo Petrus ἡγεμόνας [*duces*] vocat omnes τοὺς ὑπὸ βασιλέως πεμπομένους [*à Rege missos*]. Diximus respondere hoc significatu vocabulo *Præsidis*, quod generale est, & eos etiam comprehendit Procuratores qui Gladii acceperant potestatem. ¶ τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας, *Ituræa & Trachonitidis regionis*] Solet & Trachonitis *Ituræa* nomine appellari. Sed hîc *Ituræa* peculiariter dicividetur Batanæa & Auranitis. Nam illis partibus unà cum Trachonitide Philippus præfuit. ¶ καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος, *& Lysania Abilena Tetrarcha*] Lysaniam hunc, ut exiguæ portionis Dynastam, in Josephi historia disertè memoratum non invenias. Sed cùm idem dicat partem aliquam οἶκον Ζηνοδώρου [*Possessionis Zenodori*], id est, Abilenæ, quam & ideo à possessore vocat Ζηνοδώρου τετραρχίαν [*Zenodori Tetrarchiam*], Philippo attributam, eo ipso indicat partem ejus potiorem penes alium fuisse: Is autem fuit Lysanias cujus hîc Lucas meminit, ex posteritate nimirum Lysaniæ illius qui eandem regionem, *Abilenam* dictam ab urbe Abila, *Chalcidenem* aliis ab urbe Chalcide tractus ejusdem, Antonio per Orientem imperante, obtinuit, post patrem Ptolemæum Mennæi filium: à quo Lysania regio ista passim Λυσανίου οἶκος [*Lysaniæ Possessio.*], aut τετραρχία [*Tetrarchia*], aut etiam βασιλεία [*Regnum*], aut Ἀβιλὰ Λυσανίου [*Abila Lysaniæ*] dici coeperat. At sicut post hujus prioris Lysaniæ mortem regio hæc dicta est *Zenodori Tetrarchia*, ita post Zenodori mortem, aut conductione ejus finita (nam locatam obtinuerat) cùm alter hîc Lysanias, prioris cognominis, & quod non dubito ab eo ortus (solebant enim Romani majorum memoriam in posteros honorare) eandem regionem tenuit, dici iterum coepit *Tetrarchia Lysaniæ.*

2. Ἄννα καὶ Καϊάφα, *Annæ & Cajapha*] Cajapham tunc functum Pontificatu Maximo ex Josepho apparet. Sed Annas sive Ananus, qui secundus ab illo Pontifex erat, id est, ἑτὸ, prior nominatur, quòd Cajaphæ esset socer, ac proinde summæ eo tempore auctoritatis, patre genitus Pontifice Maximo, & ante Cajapham functus Maximo Pontificatu: imò, ut credibile est, soceri gratiâ hunc honorem gener impetraverat. Sed & Josephus semel functos Pontificatu solet ἀρχιερέας [*summos Pontifices*] appellare. Quod autem hîc nomen ponitur *Annæ* idem est quod Pœnis effertur *Hanno*: nam Syrorum est *a* longum ut *o* efferre. ¶ ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην, *factum est verbum Domini super Johannem*] Suprà diximus de afflatu Prophetico dici solere, ἐγένετο χεὶρ Κυρίου ἐπί τινα [*facta est manus Domini super illum*]: at de mandato dici solet, ἐγένετο λόγος Κυρίου πρὸς τινα [*factus est sermo Domini ad illum*] ut ex Esaiæ & Jeremiæ libris non uno loco videre est. Lucas, quia utrique locutio rem eandem notat, loquendi genera permiscuit, & ῥῆμα [*verbum*] dixit ubi alii λόγον [*sermonem*], ut & Paulus aliquoties, & Scriptor ad Hebræos. Idem, quod hîc apparet, loquendi genus in Græco initio Jeremiæ. ¶ ἐν τῇ ἐρήμῳ. *in deserto*] In quo versabatur, muneri se præparans. Imitatus est Baptus ille apud Josephum τὸν ἐν τῇ ἐρημίᾳ διατρίβοντα [*in deserto agens*].

3. εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου, *in omnem regionem Jordanis*] Diversis in locis ad Jordanem sitis Baptismum exercebat, ut modò in Bethabara, Joh. 1. 28. modò in *Ænon apud Salim*, Joh. 111, 23. Ubi autem ille erat, eò confluebat ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου [*regio Jordanis*], ut Matthæus nos docet.

5. Πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται. καὶ ἔσται τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν, καὶ αἱ τραχεῖαι εἰς ὁδοὺς λείας· *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aspera in vias planas*] Paulò ulteriùs quàm cæteri verba Esaiæ prosequitur Lucas, quia illis satis fuerat locum indicare, hic omnia quæ rem faciebant verba apponere maluit. Sequitur autem Lucas verbotenus LXX Interpretes, ut sæpe. Nimirum est anxia eorum περιεργία [*curiositas*] qui in dictis ἀλλοτριομιμίους [*aliud innuentibus*] singulas partes minutatim excutiunt, & quærunt quid cui respondeat, cùm satis sit in re tota comparationem intelligi. Ita hîc multa Origenes atque alii argutantur, ut explicent qui sint *montes*, qui *valles*; cùm illud sufficere debeat, quod alibi dixi, munitoris officium describi; ἐν τύπῳ [*in typo*] quidem apud Esaiam, ut significetur omnia jam parata esse ad populum è Babylonia in Judæam postliminio reducendum; δι' ἔργου [*per typum*] verò, ad annuntiandam liberationem à servitute peccati & mortis, quæ reditu illo figurabantur. Notum autem est, quoties magni Reges, cum exercitu præsertim, iter faciunt, præmitti qui hiantia solident, exstantia complanent, per devia compendium faciant, nequid itineri obstet aut moram faciat. Plenæ sunt historiæ. Josephus cùm Titi adventum ad Hierosolyma describit, Ἀνεπλήσθη, inquit, τὰ κοῖλα καὶ χαραδρώδη τοῦ τόπου· τοὺς δὲ τραχεῖς ἐξισοῦσθαι σιδήρου κατεργαζομένου χθαμαλὸν ἅπαντα ἦν καὶ χοῦν [*impleta sunt quæ cava erant aut hiantia; tum verò saxorum exstantia auferentes totum solum æquabant*]. Plutarchus Gracchis, Παρελαμβάνον δὲ τὰς πλάνας καὶ ξυλογομίας γε-

φύρας

φάραγγες ὅσα χείμαῤῥοι διέκοπτον ἢ φάραγγες, ὕψῳ ἢ ἴσα τεθῆναι ἴσον ἀμφοτέρωθεν παρεμπλέον λαμβανόντων, ὁμαλὴν δὲ καλὴν ὄψιν εἶχε διόλου τὸ ἔργον [*Tum verò cavitatibus impletis & junctis per pontes locis quos torrentes aut convallis interrumpebant, ita ut ab utraque parte par eſſet & aqualis altitudo; pulchram ſanè ſpeciem opus hoc habebat*]. Xenophon ad hoc miniſterium dilectos ὁδοποιοὺς [*viarum ſtructores*] vocat. Recte autem arbitror quæ apud Prophetam & Lucam futuro tempore enuntiantur, per imperativum exponi; ἀναλογίᾳ [*proportione ſervata*] tamen, ut nempe imperium illud de reditu ex Babylonia acceptum Dei potentiam ſignificet, in Baptiſtæ autem miniſterio ſimul exigat humanum obſequium. Neque enim novum eſt habere aliquid diſſimile figuram, & id quod per figuram innuitur. Sic & converſio hominis modò creationi, modò reſuſcitationi ex morte comparatur; cùm in converſione ſuas habeat partes humanæ voluntatis τὸ ἑκούσιον [*voluntarium*], in illis actionibus nullas.

6. Καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον Θεοῦ. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei*] Paucis verbis omiſſis proſequitur Lucas Prophetæ verba. Sed apud Prophetam eſt, *Et videbit caro omnis pariter id quod ore Domini eſt pronuntiatum.* LXX autem pronomen addito nomine explicant ſatis commode, Καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, ὅτι Κύριος ἐλάλησε [*Et videbit omnis caro ſalutare Dei, quòd Dominus locutus eſt*]. unde hoc deſumſit Lucas. Diximus σωτήριον [*ſalutare*] & σωτηρίαν [*ſalutem*] promiſcuè poni apud LXX. Senſus eſt, Beneficium hoc ſalutare omnibus hominibus conſpicuum fore, ut fuerat liberatio ex Babylonica captivitate. Ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις [*Apparuit enim gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus*], Tit. II, 11. Sic Simeon, σωτήριον ὃ ἡτοίμασας κατὰ πρόσωπον πάντων λαῶν [*ſalutare quod paraſti ante faciem omnium populorum*].

8. μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, *& ne caperitis dicere*] Id eſt, μὴ λέγετε [*ne dixeritis*]. Similis πλεονασμὸς [*Exuberantia*] Matth. XI, 7, 20. XII, 1. XVI, 22. XXIV, 49. Marc. I, 45. VI. 7. X, 28. XIII, 5. & apud hunc noſtrum ſæpiuſcule, ut IV, 21. V, 21. VII, 24, 38. XII, 45. XIV, 18, 30. XIX, 45. Actor. I, 1.

10. Τί οὖν ποιήσωμεν; *Quid ergo faciemus?*] Primus ad pœnitentiam motus ſe prodit in petendo emendandæ vitæ conſilio. Ita Actor. II. 37. Judæi poſtquam κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ [*compuncti ſunt corde*], quærunt ex Apoſtolis, Τί ποιήσωμεν, ἄνδρες ἀδελφοί; [*Quid faciemus, viri fratres?*] Et commentariensis timore ſubito perculſus Paulum & Silam ſimiliter affatur, Τί με δεῖ ποιεῖν ἵνα σωθῶ; [*Quid me oportet facere ut ſalvus fiam?*] Hominibus longâ peccandi conſuetudine corruptis non ſatis eſt generaliter præcipi ut *dignos pœnitentiâ fructus faciant*, ſed veniendum eſt ad præcepta quædam particularia.

11. Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας μεταδιδότω τῷ μὴ ἔχοντι, καὶ ὁ ἔχων βρώματα ὁμοίως ποιείτω. *Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet eſcas ſimiliter faciat*] Ne putarent ablutionum & victimarum ceremoniis aliiſque id genus ritibus ſe poſſe evadere iram Divinam, oſtendit Baptiſta requiri veras animi virtutes, quarum præcipua Dilectio, quæ dicitur καλύπτειν πλῆθος ἁμαρτιῶν [*operire multitudinem peccatorum*] I Petri IV, 8. Sic Nabuchodonoſoro Daniel dat conſilium τὰς ἁμαρτίας σου ἐν ἐλεημοσύναις λύτρωσαι, καὶ τὰς ἀδικίας σου ἐν οἰκτιρμοῖς πενήτων [*peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum*], ut cum locum vertunt LXX. Et ipſe Jeſus infrà XI, 41. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἔσται [*Quantum poteſtis date eleemoſynam, & eſſe omnia munda ſunt vobis*]. Ubi hac de re plenius agemus. Populariter autem dilectionem ſive beneficentiam ab operibus maximè conſpicuis deſcripſit, jubens ut aliorum egeſtatem ex eo quod ipſis ſupererat, ſupplerent, ἐκ τοῦ ὑστερήσεως καὶ ἐνδεοῦς [*ex ſuperfluo quod deeſt*], ut loquitur Ariſtoteles, ἐκ δὲ περισσεύματος τὸ ὑστέρημα [*ex abundantia inopiam*], ut loquitur Paulus II Corinth. VIII, 14. quæ optima beneficentiæ regula eſt, neque naturalem noſtri curam nobis detrahens, neque nos patiens per delicias abuti quorum penuriâ alii miſerabiles vivant. Exprimit autem hoc ipſum Johannes exemplo tum Veſtium tum Ciborum, quia ea maximè uſus humanus deſiderat, & in iis ſupra modum congerendis & per luxum prodigendis maximè peccatur. Vide quod infra eſt XVI, 1. ubi homo dives deſcribitur ſplendido veſtitu victuque, cum pauper interim popularis extremâ fame conſumeretur. Non longè hinc abit Martialis illud,

Ex opibus tantis veteri fidoque ſodali
Das nihil, & dicis, Candide, Rem tuam
[*Res amicorum communes*].

Quare quod hîc dicitur δύο χιτῶνας [*duas tunicas*] ſatis apparet non ita accipiendum quaſi plus una veſte habere vetemur, (nam neque Petrus neque Paulus ita ſuperſtitiosè hæc ſunt interpretati, ut ex ipſorum exemplo apparet Actor. XII, 8. II Tim. IV, 13.), ſed ut ſignificetur damnari earum rerum affluentiam quarum inopiâ alios graviter premi videamus. Sic & βρώματα [*eſca*] intelligenda ſunt τὰ περισσεύοντα [*quæ ſuperfluunt*]. Bene autem voce μεταδιδόναι [*communicare*] hîc utitur Lucas, quam & Ariſtoteles uſurpat ſimili ſenſu. Sic & apud Paulum ὁ μεταδιδοὺς [*communicans*] eſt *is qui beneficentiam in alios exercet* Rom. XII, 8.

12. τελῶναι, *publicani*] Judæi ſcilicet Romanorum ſocii aut redemtores.

13. Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε. *Nihil amplius quàm quod conſtitutum eſt vobis exigatis*] Præter illa vivendi præcepta quæ communiter ad omnes pertinent, hominum ordines hominesque ſinguli diligenter docendi ſunt agnoſcere ea flagitia quibus præter cæteros laborant. Solebant autem publicani ab hominibus mercatoribus, auctiter facientibus, & quibus incommodum erat adversùs ipſos judicium poſcere, multò plus exigere quàm publicitus erat conſtitutum. Zenonis comici verſus eſt,

Πάντες τελῶναι πάντες εἰσὶν ἅρπαγες.
[*Quot publicani ſunt tot raptores puta*].

Διὰ τὴν πλεονεξίαν τῶν δημοσιωνῶν [*propter publicanorum avaritiam*], apud Strabonem. Adde Philonem De ſpecialibus legibus ultimo. Apud Suidam veteri Scriptori publicanorum vita ſic deſcribitur, Πεπαίρησιαστρίβεια, ἀντιλήμπτωρ & ἁρπαγή, ἀναίσχυντος & πλεονεξία, πραγματεία λέγον μὴ ἔχουσα; ἀναιδὴς ἐμπορία [*vis ſoluta, rapina non reprehenſa, inverecunda avaritia, negotium ratione carens, impudens mercatus*]. Theocritus vir ſapiens interrogatus quæ eſſent feranim ſæviſſimæ, in montibus quidem, inquit, urſi & leones, in urbibus publicani & calumniatores. Apud Tacit. XIII Ann. *Et quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant.* Scholiaſtes ad Equites Ariſtophanis, Διεβέβλητο τὸ ὄνομα τελώνου, ὅτι ὁ ἐπὶ Κλέωνος ὄντος τελώνου καὶ ὑστερεῖ τὸ τίλος τελωνοῦντος [*Male audiebat nomen publicanorum, quia & Cleon erat publicanus & plus exigebat quàm erat in lege publici*]. *Quanta audacia, quanta temeritatis*, inquit Ulpianus, *ſint publicanorum factiones nemo eſt qui neſciat: idcirco Prætor ad compeſcendam eorum audaciam hoc edictum propoſuit.* Paulus Juriſconſultus, *Quod illicitè publicè privatimque exactum eſt, cum altero tanto paſſis injuriam exſolvitur; per vim verò exterorum pœnâ tripli reſtituitur: amplius extra ordinem plectuntur: alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor publicæ diſciplinæ poſtulat.* Cicero ad Q. Fratrem III. *Cauſa publicanorum quantam acerbitatem afferat ſociis, intelleximus ex civibus qui nuper in portoriis Italiæ tollendis, non tam de portorio quàm de nonnullis injuriis portitorum querebantur*]. Exſpectabant nimirum publicani an Johannes ipſis interdicturus eſſet publicorum redemtione; quippe cùm multi Judæorum nefas ducerent vectigal pendi populo extraneo, & vel ob id ſolùm publicanos, ut ſacros atque inteſtabiles, abominarentur. Sed optimus hac quoque in parte Chriſti antecambulo vitæ crimina ab ipſo vivendi genere diſcrevit, demonſtrans ſua monita non obſtare tranquillitati publicæ, quæ in tanta hominum malitia ſine tributis & vectigalibus defendi non poteſt: neque verò ad pietatem referre quorum ſub imperio vivatur. Quod verò hîc Johannes publicanis dixit, dubium non eſt quin idem Herodi dixerit, dicturus & aliis Regibus ſi eos compellandi fuiſſet occaſio. Nam quod publicanos facere vetat lex etiam Civilis, idem Regibus eſſe nefas dictat ratio & Lex ipſa Naturæ. Ut publica poteſtas, ita & tributa, non in uſum hujus aut illius, ſed ad bonum commune ſunt conſtituta. Quare illorum eſt muneris publica onera cum publicis neceſſitatibus æquare: ita quidem ut liceat his qui reipublicæ præſident ex publicis obventionibus ſemet pro dignitatis ratione ſuſtentare, non item modum exigendi petere à ſuo & aulicorum mancipiorum luxu ac libidine, quæ modum non habent. Hoc qui faciunt vere πράσσουσι παρὰ τὸ διατεταγμένον [*exigunt ſupra quam conſtitutum eſt*], plus ſcilicet exigentes quàm lex ejus permittit cujus in Reges omnes ſummum eſt imperium.

14. στρατευόμενοι, *milites*] Aut Herodi, aut Philippo, aut etiam Romanis militantes Judæi. Nam Romani Judæam partim *ſuo*, partim *Sebaſteno*, partim *Cæſareenſi* milite cuſtodiebant, ut nos docet Joſephus fine XIX Originum. *Cæſareenſes*

ſarcenſes autem Judæi erant. Sicut autem militiam in præſidiis non defugiebant Judæi, ita expeditiones ſequi ſalva religione vix poterant; quia Sabbato ferre arma & magna itinera facere per legem vetabantur; adde quod permixti externis vix poterant obſervare traditam victus rationem: quas duas cauſas à Judæis obtendi ſolitas ad impetrandam ἀτελείαν [*immunitatem à militia*] liquet ex Dolabellæ literis ad Epheſios quæ apud Joſephum exſtant: qui & à L. Lentulo Judæos religionis cauſâ millionem impetraſſe narrat. Alia cauſa quæ interdum Judæos à militia arcebat hæc erat, Si adversùs populares eſſent pugnaturi. Nam τῷ τ ὁμοφύλων ὅπλα λαβεῖν ἀθέμιτον [*contra populares arma ſumere, nefas*], inquit idem Joſephus. Cùm Judæi urbe Roma ſub hæc ipſa tempora juſſi eſſent excedere, narrat Joſephus quatuor millia eorum militiæ adſcripta & miſſa in Sardiniam, punitos alios μὴ θέλοντας στρατεύεσθαι διὰ φυλακὴν τ πατρίων νόμων [*quod militare nollent reverentiâ legum avitarum*]. At Alexandro Macedoni multos Judæorum militaſſe narrat idem Joſephus, ſed priùs pactos nequid adversùm religioni ſuæ facere cogerentur. Hoc enim eſt quod ait ἐμμένοντας τοῖς πατρίοις ἔθεσι, καὶ τ αὐτὰ ζῶντας [*manentes in moribus avitis, & ſecundùm eos viventes*]. Et in Diſputatione adversùs Appionem teſtem ejus rei laudat Hecatæum, cujus hæc ſunt verba, Συνεπολέμει τις μετ ἄλλων τῶν παραπεμπόντων ἡμῖν ἱππέων Ἰουδαίων, ὀνόματι Μοσόλλαμος [*Comitabatur autem nos inter alios equites Judæos qui nos deducebant, quidam nomine Moſollamus*], id eſt, משלם, quod nomen exſtat 1 Paral. IX, 19. Sed & ut Xerxi militaſſe Judæos probet adfert Joſephus hos Choerili verſus de expeditione Xerxis,

Τῷ δ' ἑπόμην θαῦμα γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφίεντες,
Ναίεσκ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι, πλατὺν ἐπὶ λίμνην,
Αὐχμαλέοι κορυφάς, τροχοκύμβδες, αὐτὰρ ὄπισθεν
Ἵππων δεξιτερὰ μέζουσ' ἰφθίμων ἐσπλήκτοι καπνῷ.

[*Inde ſequebatur genus admirabile viſu,*
His verò ore ſuo Phœnicia verba ſonabant:
Et montes Solymos juxta vada lata colebant,
Squallent ora, comis tonſura rotunda, ſuperque
Horrida equûm fumo capita indurata ferebant].

Quibus verbis Judæos equites deſcribi Joſephus probat nomine *Solymorum*; & mentione *lacûs*, quem ait eſſe Aſphaltiten. At contra hanc Joſephi interpretationem duo objicit magni judicii vir. Prius eſt, *Solymos* montes antiquis Lycios intelligi. Sed id me non movet: cùm haud dubiè Romani à Græcis acceperint ut Judæos, quorum caput eſt Hieroſolyma, truncato nomine *Solymos* appellarent: ex quo loquendi more nota eſt opinio Tacito memorata eorum qui Judæos ex Lyciis ortos putarent. Et ſanè Lycios linguâ uſos Phœniſsâ, id eſt, Syriacâ aut ad eam accedente, quis credat? Alterum validius eſt, quòd equites illi vocantur τροχοκύμβδες [*in orbem tonſi*], cùm Judæis in orbem tonderi interdicat lex Moſis Levit. XIX, 27. Hoc cùm negari non poſſit, neque verò credibile ſit Judæos ita communiter à legis præcepto receſſiſſe, probabile eſt à Choerilo Arabas quosdam Judæorum vicinos deſcribi, ſed confuſis populorum finibus, quemadmodum & *Idumen* pro *Judæa* ponunt Poëtæ: Nam *Saracenos in orbem tonderi ſolitos* narrant vetera ſcholia ad dictum Levitici locum. Sed de Judæis qui Alexandro militaverunt illuſtris eſt ejus quem dixi Hecatæi locus alter, quo narrat, Ἀλεξάνδρῳ ποτὲ ἐν Βαβυλῶνι γενομένῳ, καὶ βουλομένῳ τὸ τ Βήλου πεπτωκὸς ἱερὸν ἀνακαθῆραι, καὶ πᾶσιν αὐτοῖς τοῖς στρατιώταις ὁμοίως φέρειν τ χῶν προσέταξεν, μόνους τοὺς Ἰουδαίους ἀ προσχεῖν, αἷπερ καὶ πολλὰς ὑπομείναντες πληγὰς καὶ ζημίας ὑποτίσαι μεγάλας, ἕως αὐτοῖς συγγένοντο τ βασιλέα δῶρα τιμὴ ἄδειαν [*Cùm aliquando Babylone eſſet Alexander & vellet is Beli templum quod conciderat reponere, & omnibus militibus præcepiſſet humum aggerere, ſolos Judæos non ſpiuſſe, imò & verbera & multas graves pertuliſſe; donec Rex eis ignoſcens laboris talis gratiam fecit*]. Omnino enim verba illa τοῖς στρατιώταις [*militibus*] exigere videntur ut hæc de Judæis Alexandro militantibus, non de his qui à Nabuchodonoſori tempore Babylone habitabant, intelligantur. Erſam in Pompeji caſtris fuiſſe Judæos teſtis eſt Appianus Civilium bellorum libro ſecundo. Lib. XVI in Ælii Galli exercitu quingentos fuiſſe Judæos Strabo narrat. Militaſſe eos & Antiocho & Demetrio & Ptolemæis docent Joſephus, Maccabæicorum Scriptores & Euſebius; miſſos ab Herode qui Antonio contra Cæſarem militarent, Plutarchus. Quod vir eruditus putat eam cohortem quæ à Pontio Pilato Pontificibus concedi ſolebat è Judæis fuiſſe, cur probari nobis non poſſit, ad hiſtoriam Dominicæ paſſionis in Matthæo lector inveniet. Chriſtianos partim conſilio magis quàm præcepto abſtinuiſſe à militia alibi oſtendimus; nili ſiquando militia conjuncta erat cum neceſſitate impii cultus, aut cum piorum vexatione, quibus temporibus omnino militare nefas ducebant. Non omnes ſanè Chriſtianos primis illis temporibus abſtinuiſſe à militia, præter id quod de Marco Imperatore & de Thebæa legione narratur, exſtant veterum teſtimonia. Clemens Alexandrinus, ubi convenientem Chriſtiano habitum præſcribit, feminas quidem vult eſſe calceatas, at viros non item niſi in militia: ἀνδρὶ δὲ εὖ μάλα ἁρμόδιον, inquit, ἀνυποδησία, πλὴν εἰ μὴ στρατεύοιτο [*viro maximè convenit nudis incedere pedibus, niſi forte militet*]. Tertullianus Apologetico, *Navigamus & nos vobiſcum, militamus & ruſticamur & mercamur.* mox eodem libro *caſtra* dicit *impleta à Chriſtianis.* Et libro De Corona narrat ab uno multorum Chriſtianorum militum coronam capiti non impoſitam, quem laudans ait, *O militem in Deo gloriosum.* Item, *Solus ſcilicet fortis inter tot fratres commilitones, ſolus Chriſtianus.* At libro De Idololatria diſputat an fidelis ad militiam converti poſſit, & an militia ad fidem admitti, etiam caligata vel inferior quæque, cui non ſit neceſſitas immolationum, vel capitalium judiciorum; & ad hæc Johannis verba & Centurionis laudatam fidem reſpondet, *omnem poſtea militem in Petro exarmando diſcinctum.* Paulò ſuſpenſiùs tractat quæſtionem eandem dicto De Corona libro, quærendum putans an in totum Chriſtianis militia conveniat. Sed quæ adfert ne licere videatur, pleraque, ut & illa quæ de Judæis ſupra afferebamus, illorum temporum erant propria; ut quòd pro templis excubare ſæpe, & cœnare in templo cogerentur, quòd corpora mortuorum cremarentur, non ſepelirentur. Ac tandem diſtinguit, ut *alia ſit eorum conditio quos militia præventos fides poſterior invenit*, quales erant *quos Johannes ad lavacrum admittebat*; *ſuſceptâ certe fide aut deſerendam militiam, aut omni modo cavendum ne quid adversùs Deum committatur*: ubi & hoc adjicit, *Apud hunc*, Chriſtum, *tam miles eſt paganus fidelis, quàm paganus eſt miles infidelis. non admittit ſtatus fidei allegationem neceſſitatis.* Narrat Euſebius Diocletiani temporibus Chriſtianos milites militaſſe deſiſſe ἵνα μὴ ἐξαρνοι γένωνται [*ne cogerentur Chriſtum abnegare*]. At Lactantius, qui jam ſub Chriſtiano vixit Imperatore, quo tempore militiæ pericula, ſi non omnia pleraque tamen ceſſabant, cùm negat *fieri poſſe ut qui vere juſtus ſit belligeret, vere juſtum* non quemvis ſed magni profectus Chriſtianum videtur intelligere: nam & navigaturum eum negat. Eundem ſenſum habet Origenis illud, Οὐκ ἔτι γὰρ λαμβάνομεν ἐπ' ἔθνος μάχαιραν, οὐδὲ μανθάνομεν ἔτι πολεμεῖν, γεγόναμεν δὲ τ Ἰησοῦ υἱοὶ τῆς εἰρήνης, ὃς ἐστιν ἡμῶν ἀρχηγός [*Non ultrà gladium ſumimus in gentem ullam, neque ultrà bellare diſcimus, factis per Jeſum, qui Dux noſter eſt, pacis filii*]. Item Origenes Celſo detrectationem militiæ Chriſtianis objicienti hunc in modum reſpondet, Εἶτα δὲ καὶ ταῦτ' εἰπόμεθ' ἂν πρὸς τὰς αἰτιολογίας τ πίστεως ἡμᾶς στρατεύεσθαι ὑπὲρ τῆ κοινῆ, καὶ ἀνθρώπους ἀναιρεῖν, ὅτι καὶ οἱ καθ' ἡμᾶς ἱερεῖς ἁγιάλματων τινῶν ἢ νεκρῶν ὧν νομίζετε θεῶν, τηρεῖν ἑαυτῶν ἀμίαντον τὴν δεξιὰν διὰ τὰς θυσίας, ἵν' ἀναιμάκτοις χερσὶ καθαρεῖς ὑπὲρ φόνων προσάγωσι τὰς νενομισμένας θυσίας εἰς φατὰ θεοῖς· καὶ ὁ δήπου πολέμιε καταλαβόντες τὰς ἱερεῖς στρατεύετε· εἰ δὲ τῶν δικαίως γίνεθαι, πόσῳ μᾶλλον ἄλλων στρατευομένων ἢ ἕτεις στρατεύονται, ὡς ἱερεῖς τ Θεῦ καὶ θεραπεύοντες, καθαρὰς μὲν τηρεῖντες τὰς δεξιὰς, ἀγωνιζόμενοι δὲ διὰ τ αὐτὸ Θεὸν δίκαιον ὑπὲρ τ δικαίως στρατευομένων καὶ ὑπὲρ τ δικαίως βασιλεύοντος; [*His qui à fide alieni pro Republica militare nos jubent & homines occidere, ita reſpondebimus, His qui ſimulacrorum veſtrorum ſunt ſacerdotes, & deorum, quos putatis, flamines, dexteras puras ſervant ſacrificiorum ergo, ut ea incruentis & nulla cade maculatis manibus offerant iis qui creduntur dii; neque, ſi quod exoriatur bellum, ſacerdotes adſcribuntur numeris. Quod ſi ad ratione non caret, quantò magis, cæteris militantibus, illi quoque ſuo modo cenſendi ſunt militare, tanquam Dei ſacerdotes atque cultores, qui manus quidem ſervant puras, ſed precibus apud Deum certant pro his qui juſtè militant, & pro eo qui juſte regnat?*] De Canone Niceno, aliaque ad hanc rem pertinentia ad ad caput Matthæi V. tractavimus. ¶ Μηδένα διαπάσσειν, *Neminem concutiatis*] Uſurpant quidem hanc vocem Græcorum

rum Scholiastæ, sed postquam Græcia facta erat Romani juris. Omnino arbitror expressam ex Latina voce *concutere*, unde in Pandectis titulus De Concussione, in Basilicis περὶ διασεισμῶν. Est autem *concutere* terrore injecto pecuniam aut simile quid alicui exprimere: quod militibus nimiùm quàm familiare. *Omnia*, inquit Tacitus, *tanquam urbes hostium urere, vastare, rapere*: quos bene Curtius vocat *populatores terræ quam à populatoribus vindicare debebant*. Juvenalis aut quisquis est Scriptor Satyræ de commodis militiæ,

Commoda tractemus, primùm communia, quorum
Non minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat; imò & si pulsetur dissimulet, nec
Audeat excussos Prætori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculum medico nil promittente relictum.

& mox,

——— *dignum erit ergo*
Declamatoris mulino corde Vagelli,
Cùm duo crura habeas, offendere tot caligatos.

Adversus hanc militum insolentiam exstat edictum illud apud Cassiodorum, *Vivant cum provincialibus Jure Civili, nec insolescat animus qui se sentit armatum, quia clypeus ille exercitûs tui quietem debet præstare paganis*. Hellenistæ, quod hîc Lucas dixit διασείσω [*concutere*], solent exprimere verbo ἀνασβιάζειν [*facere violentiam*], ut LXX Proverb. 22. 22. Aquila & Theodotio Proverbiorum XXVIII, 24. Idem est ἐκτρίβειν [*conterere*] 1 Samuelis XII, 3, & 4. ¶ μηδὲ συκοφαντήσητε· *neque fraudetis*] Vox Hebræa עשק, quam per συκοφαντεῖν [*calumniari*] sæpe exprimunt LXX, modò generalis est, & tam latè patet quàm ἀδικεῖν [*injuste agere*], ut Jeremiæ XXII, 3. ubi LXX vertunt διαρπάζειν [*rapere*], & apud hunc Scriptorem infrà XIX, 8. modò specialis, ut significet propiùs ad usum Græciæ, *dolo*, aut certè *occultè*, non vi aperta, *aliquid surripere*; quam propriam vocis עשק esse significationem judicat Rabbinus Salomo. Solent autem milites interdum (neque enim semper id lubet) injuriis causas aliquas, quantumvis falsas atque absurdas, prætexere. Quem morem sub Lupi fabula Æsopus non illepidè descripsit, cujus sententiam Latinis versibus ita exprimit Phædrus,

Ad rivum eundem Lupus & Agnus venerant
Siti compulsi: superior stabat lupus,
Longéque inferior agnus: tunc facie improba
Latro incitatus jurgii causam intulit:
Cur, inquit, turbulentam mihi fecisti aquam
Ifiam bibenti? Laniger contrà timens,
Qui possum, quæso, facere, quod quereris, lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus,
Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi:
Respondit agnus, Equidem natus non eram.
At pater hercle tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injusta nece.
Hæc propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

Scriptor ejus quam dixi Satyræ,

——— *cùm falsum producere testem*
Contra paganum possis quàm vera loquentem
Contra fortunam armati, contraque pudorem.

Quod autem hîc dicitur διασείσω [*concutere*] & συκοφαντῆσαι [*fraudare*] respicit locum 1 Samuelis XII, 3. וְעָשַׁקְתִּי מִי אֶקַּח. ¶ καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν. *& contenti estote stipendiis vestris*] Ὀψώνια [*stipendia*] Græci vocant non *sola stipendia*, sed omnia, ut Marcianus loquitur, *militiæ merita*, in quibus est & annonæ præbitio & alia commoda quæ sub Imperio Romano erant non invidenda, si laborum militarium justa habeatur ratio. & sic Judæi usurpant vocem פַּרְנָסָה [*obsonia*] ex Græca ista deductam. Sicut ergo publicanis præscripserat Johannes ne plus exigerent quàm ferret lex publici, ita hîc jubet milites publicitus constitutis præmiis contentos esse. Solent enim invenire mille prædandi vocabula: atque adeò tritum est in multorum ore proverbium, *Satius esse de alieno vivere quàm unde vivat non habere. Vivere* autem est illis non naturæ desideriis satisfacere, sed popinis & lupanaribus indulgere. Videtur hoc Baptistæ præceptum in animo habuisse Josephus cùm militibus suæ curæ traditis præcepit, μὴ ἁρπαγῇ λαμβάνειν τὰς χώρας, ἀλλὰ σκηνῶν πῆξαι τὰ πεδία, ἀρκουμένους τοῖς ἑαυτῶν ἐφοδίοις [*non vi invadere regiones, sed in agris tentoria figere, & contentos esse suis stipendiis*]. Nam Josephum Johannis placita sectatum aliquatenus fuisse alibi monuimus. Simile illud Aureliani apud Vopiscum de milite, *Annonâ suâ contentus sit: de præda hostis, non de lacrymis provincialium vivat*. Et Valentiniani ac Valentis, *Canaicorum nomine milites & super his flentes nihil penitus à provincialibus accipere audeant. Sciant enim milites quid oporteat eos commoda sua, quæ in annonarum perceptione adipiscuntur, accipientes, extrinsecus detrimentis provinciales non afficere*. Mirum in modum mihi placet quod hunc in locum annotat vir Græcè doctissimus & raræ pietatis, dixisse hæc Baptistam legitimis militibus, qui in præsidiis agebant maximam vitæ partem, nec nisi magnis de causis (quæ erat Romanorum gravitas) in hostem ducebantur. Quod si ad eum venissent quales nunc plerique sunt militum, non uni imperio addicti, sed per omnem orbem terrarum bella aucupantes,

Venalesque manus, ibi fas, ubi plurima merces,

qui majore ex diverso mercede jus fasque exuunt, neque vident cur sed quanti aut alios jugulent, aut ipsi jugulentur, profectò non aliud illis dixillet Baptista quàm, si salvi esse vellent, relinquendum vitæ genus, non jam dicam ab omni pietate sed ab omni humanitate abhorrens & verè belluinum.

15. Προσδοκῶντος δὲ τοῦ λαοῦ, *Exspectante autem populo*] Oratio ἐλλειπτική [*defectiva*]. Sensus est, *Exspectante populo* quò evasurus esset Johannes, quid de illo constituturus esset Deus.

16. Ἀπεκρίνατο Ἰωάννης, ἅπασιν λέγων, *Respondit Johannes, dicens omnibus*] Postquam scilicet diversis populi sermonibus permoti Senatores Judæorum legatos ad ipsum miserant, ut Apostolus Johannes narrat. Contigit quidem hoc post Christum baptizatum; sed opportunè à Luca connectitur narrationi rumorum qui de Johanne spargebantur, ut non minùs sciretur quem ipse se professus esset quàm quis esset ab aliis habitus. Certè & infra Lucas temporum ordinem posthabuit, cùm de Johanne in vincula conjecto quàm de Christo baptizato priùs meminit. Sed voluit primùm Johannis historiam percurrere, ut deinde res Christi continua serie pertexeret: quod facere solent etiam optimi Annalium conditores, ut alibi diximus. Non obstat huic interpretationi quòd Johannes dicit μέσος ὑμῶν ἕστηκεν [*medius vestrûm stetit*], tres autem alii ἔρχεται [*venit*] aut ἐρχόμενος [*venturus*]. Sensus enim est eum qui Spiritu copiosissimo discipulos suos esset perfusurus jam tum quidem vivere inter Judæos, sed tempus instare quo magis magisque omnibus innotesceret.

17. εἰς τὸν ἅλωνα αὐτοῦ, *in horreum suum*] Non minùs hoc αὐτοῦ [*suum*] ad Christum referri debet quàm quod præcessit ἅλωνα αὐτοῦ [*aream suam*]· neque aliter acceperunt veteres Interpretes.

18. εὐηγγελίζετο τὸν λαὸν, *evangelizabat populo*] Id est, *bono dogmate populum imbuebat*. Constructio Hellenistica; qualis & illa in Actis VIII, 25. πολλάς τε κώμας τῶν Σαμαρειτῶν εὐηγγελίσαντο [*multas regiones Samaritarum evangelizabant*]· & VIII, 40. εὐηγγελίζετο τὰς πόλεις πάσας [*evangelizabat civitates omnes*]· & XIV, 20. εὐαγγελισάμενοί τε τὴν πόλιν ἐκείνην [*cum evangelizassent civitatem istam*]. Hinc & passivè dicitur πτωχοὶ εὐαγγελίζονται [*pauperes evangelizantur*].

19. ὧν ἐποίησε πονηρῶν ὁ Ἡρῴδης, *de omnibus malis quæ fecit Herodes*] Repetitum nomen vice pronominis, more Hebræo. Sic 1 Corinth. I, 8. 1 Thess. III, 12. II Thess. III, 7, 8. Adde, si placet, Genes. XIX, 24. Numerorum X, 29. Psalmi LXXXII, 1.

20. Προσέθηκε καὶ τοῦτο ἐπὶ πᾶσι, *Adjecit & hoc super omnia*] Ut solent scelera in scelera ducere. Vide quæ ad Matthæum diximus.

21. καὶ προσευχομένου, *& orante*] Ostendit Christus suo exemplo cum Baptismo jungendas preces: quod observatum ab his qui ex Christi disciplina baptizabantur ex Justino annotavimus.

23. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ὢν, *Et ipse Jesus erat quasi incipiens esse circiter annorum triginta*] Omnino rectior videtur constructio si ὢν [*esse*] superioribus jungamus. Neque enim rectè dicitur ἄρχομαι ἐτῶν τριάκοντα [*incipio annos triginta*], sed potiùs ἄρχομαι ἐτῶν τριακοντῆ [*incipio*

[*incipio annum triceſimum*], quod eſt annum ago triceſimum. At ἄρχομαι ὢν ἐτῶν τεσσάρων [*incipio eſſe annorum triginta*] eſt incipio jam eſſe tricenarius, quod non dicitur niſi poſt impletum annum triceſimum: ſicut *anniculus* quis dicitur Juris Romani auctoribus non ſtatim ut natus eſt, ſed trecenteſimo ſexageſimo quinto die. Quod ut rectè obſervavit vir in omni literarum genere ſummus, ita eidem aſſentiri non poſſum cùm ὡσεὶ [*quaſi*] hoc Lucæ loco putat eſſe poſitum vice Caph Veritatis, ut Hebræi vocant. Nam id Caph Græci per ὡς exprimunt, ut cùm dicitur δόξαν ὡς μονογενοῦς [*gloriam tanquam unigeniti*]· quod ipſum locum non habet niſi cùm res altera alterius nota eſt, ut majeſtas illa docebat Jeſum eſſe Dei Filium unicum. At hîc non eſt ὡς [*tanquam*] ſed ὡσεὶ [*circiter*], quod numero aut menſuræ additum ſignificat id quod dicimus *circiter* aut *admodum*, ut Matth. XIV, 21. Marci VI, 44. Infrà IX, 14. XXII, 41. XXIII, 44. Johan. IV, 6. VI, 10. XIX, 14. Neque illa rei alterius per alteram notatio hîc locum habet. Veterum multi, cùm hoc ſatis perſpicerent, putarunt per ὡσεὶ [*circiter*] ſignificari aliquid ad annum triceſimum Chriſto defuiſſe; quorum ſunt Irenæus & Epiphanius, qui Novembri Chriſtum vult baptizatum, cùm natalis ejus Januario immineret. At hoc ſi Lucas voluiſſet quid opus fuerit addere illud ἀρχόμενος; [*incipiens?*] Deinde omnino hæc tam accurata deſcriptio tempus aliquod legitimum reſpicit. Lex quæ exſtat Numer. IV, 3, & 47. additâ hiſtoriâ 1 Paralipomen. XXIII, 2, 3. diſertè docet Levitas juſtam functionem demum aggreſſos cùm eſſent בני שלשים שנה [*filii triginta annorum*], id eſt, *tricenarii*, quanquam, ut alia lex docet Numer. VIII, 24. anno viceſimo quinto exacto jaciebant miniſterii ſui rudimenta; quomodo & apud Achæos aliasque gentes triceſimus annus legitimus ad gerendos magiſtratus. Ad hoc exemplum voluit Deus & Baptiſtam (qui ſex menſibus natu major Chriſto, tantò etiam antè munus ſuum eſt auſpicatus) & ipſum Chriſtum anno demum triceſimo peracto exordiri functionem ipſis mandatam. Neque tamen nulla vis eſt particulæ ὡσεὶ [*circiter*]. Solet enim *circiter* tempus aliquod factum aliquid dici, non minùs ubi aliquid excedit quàm ubi deeſt ad præciſam notationem, ut videre eſt & infrà XXII, 59. & apertiſſimè XXIII, 44. collato Marci loco XV, 33. Significat ergo Lucas Chriſtum non ipſo natali die, ſed aliquot poſt diebus veniſſe ad Baptiſmum, quod ipſi auſpicandi muneris initium fuit. Ac ne hæc interpretatio omni veterum auctoritate deſtituta credatur, ſciendum eſt ita ſenſiſſe Chryſoſtomum, qui Chriſtum ait veniſſe ad Baptiſmum poſt annos triginta. Adde quod de Joſepho Jacobi filio, qui non dubiam Chriſti geſſit imaginem, quo tempore Ægypto præponitur, annotat Moſes, fuiſſe eum שלשים שנה בן [*filium triginta annorum*], id eſt, ut LXX transferunt ἐτῶν τριάκοντα [*annorum triginta*]. Ad exemplum legis Hebraæ & Domini ipſius, Juſtinianus conſtituit eum qui eligeretur Epiſcopus excedere debere trigeſimum ætatis annum, Novellâ CXXVII. Olim ne Presbyter quidem ante eam ætatem legebatur, ut videre eſt Synodi Neocæſarienſis canone XI. ¶ ὢν υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, *filius Joſephi, qui fuit Eli*] In conciliando ſtemmate quod eſt apud Matthæum & iſto quod Lucas poſuit magnopere ſudarunt veterum & recentiorum Scriptorum ingenia: neque id mirum, cùm ab hoſtibus Chriſtianiſmi tantus in ipſo limine diſſenſus objici his libris quotidie ſoleret. Sed qui gnari ſunt morum Populi Judæi, ſciunt multas eſſe poſſe γενεαλογίας [*generis recenſiones*] quæ pugnare videantur, nec tamen pugnent; idque non uno modo accidere ſolere; ut ex iis libris quos Judæi nobiſcum agnoſcunt facile eſt probatu. Quum verò multæ ſint conciliandi rationes, quæ ſit optima, poſt tot ſecula, amiſſis pridem tabulis omnique memoria, difficile dictu eſt: verèque hîc illud vetus locum habet.

Qui bene conjexit, vatem perhibebo optimum.

Facillimè ſe hinc expediunt qui ubi τοῦ Ἡλὶ [*qui fuit Eli*] dicitur, *filium* interpretantur *generum*; aut etiam non ad Joſephum hoc ſed ad Jeſum referunt, ut ipſe ſit τοῦ Ἡλὶ [*ipſius Eli*], *nepos* ſcilicet. Sed ut non eſt negandum generos *filios* poſſe dici, ita in generis recenſione, nullo addito diſcriminis ſigno, quod erat facillimum, rem adeò diverſam communi voce indicari, vix ſit credibile. Nec magis patitur ordo ille perpetuus illud τοῦ Ἡλὶ [*qui fuit Eli*] referri ad id quod erat remotius, præſertim cùm ſi id ageretur verbum ἐνομίζετο [*putabatur*] verbum aliud oppoſitum, putà ἦν δὲ [*fuit autem*], aut ſimile, poſtularet. Multinomines fuiſſe Hebræos qui dicunt, dicunt quod verum eſt & multis veteris Scripturæ locis probari poteſt. Sed ut inter Davidem & Salathielem nullum nomen congruat, neque item inter Zorobabelem & finem ſtemmatis, præſertim cùm ab Abrahamo ad Davidem nomina omnia congruant, ex ſola τῆς πολυωνυμίας [*appellationis multorum nominum uni datæ*] cauſa accidiſſe non facilè concedet qui judicio valebit. Quare multò reſtiùs judicaſſe putandi ſunt qui cauſam diverſitatis hanc adferunt, Quòd Sanguinis & Juris ſucceſſio modò conveniat, modò diſcrepet: Illius arbitra eſt natura, hujus lex Civilis. Et liberi quidem etiam heredes; ſed non & qui heredes liberi, cùm ſæpe agnati à ſatis remoto gradu ad cernendam hereditatem vocentur, quoties propior gradus deficit. Sed qui hoc rectè viderunt, plerique exiſtimarunt ne dubitandum quidem quin Matthæus Naturæ ordinem ſequatur, Lucas Juris: quippe verba ajunt eſſe aperta, in Matthæo quidem ἐγέννησε [*genuit*], in Luca autem ἐνομίζετο [*putabatur*], quorum illud ſit naturale, hoc legitimum. Habet hoc ſpeciem veri, & fulcitur auctoritate antiqui Scriptoris Africani. Sed & eum Scriptorem in multis rebus non tam diligentiâ quàm judicio & linguarum cognitione deſtitutum labi probatu proclive eſt: Et quod vim vocum attinet, primùm illud ἐνομίζετο [*putabatur*] non ad totum ſtemmatis contextum pertinet, ſed ad Jeſum ſolum, qui Joſephi filius non erat, ſed vulgò putabatur. In cæteris autem ἐνομίζετο [*putabatur*] locum non habet; niſi dicere lubeat & Davidem νομισθῆναι [*putatum*] *filium Jeſſe*, & *Jeſſe filium Obed*, atque ita deinceps cæteros ad Adamum usque. Ego verò non conjecturis, ſed liquidis, ni fallor, rationibus adductus certiſſimum arbitror à Matthæo ſpectari Juris ſucceſſionem. Nam eos qui Regnum obtinuerunt, quod erat τῶ πρωτογόνων [*primogenitorum*], privato nemine admixto, recenſet. Deinde, Ἰεχονίας, inquit, ἐγέννησε τὸν Σαλαθιὴλ [*Jechonias genuit Salathiel*]. Atqui eundem Jechoniam ob ſua merita ſine liberis hac vita exiturum non obſcurè Dei imperio prædixerat Jeremias XXII, 30. ubi eſt Hebræa vox ערירי, quæ ἄτεκνον [*prole carentem*] ſignificat Geneſ. XV, 2. Levit. XX, 20, 21. nec aliter ab Hebræorum doctiſſimis intelligitur. Quare cùm eidem Salathieli (nam cur diverſos putemus non video) Neri parentem adſcribit Lucas privatum hominem, Matthæus autem Jechoniam, apertiſſimum eſt à Luca jus Sanguinis, à Matthæo jus Succeſſionis, & præcipuè jus ad Regiam dignitatem ſpectatum; quod jus, ſine liberis mortuo Jechonia & ſi qui alii erant è Solomonis poſteris, ad Salathielem caput familiæ Nathanis legitimo ordine devolutum eſt. Nam inter Davidis filios Solomonem Nathan ſequebatur. Quod enim quidam in Achazia defeciſſe Solomonis poſteritatem putant, non uni Sacræ hiſtoriæ loco repugnat. Sed condonandus ille error eſt non tam hominibus quàm ſeculo miſerè decepto ab Annianis Pſeudophilonibus. Quod autem diximus, verum eſſe oſtendit Scriptor Paralipomenôn, qui cùm rem notiſſimam de Jechonia ſine liberis mortuo ignorare non poſſet, Jechoniæ filium facit *Aſſir*, Aſſiris aut ipſius Jechoniæ (ambigua enim conſtructio eſt) *Salathielem*, lib. I, cap. III, 17. Malo enim cum Hebræis & LXX τον [*Aſſir*] pro nomine proprio quàm pro appellativo accipere, cùm & ipſa, ni fallor, conſtructio id magis exigat. *Filium* ergo dicit Juris ſucceſſorem: nam eum in modum ſolet γενεαλογεῖν [*genus recenſere*]. Neque id ipſe ignorare nos patitur: nam paulò antè eodem loco filium Jechoniæ fecerat *Sedeciam*, quem ejuſdem Jechoniæ patruum fuiſſe negari non poteſt, cùm manifeſtum habeamus teſtimonium II Reg. XXIV, 17. Quo loco cùm Hebræa lectio nihil habeat ambiguitatis, Græci codices quidam habent rectè πατράδελφον [*patruum*], quomodo & Joſephus in hac hiſtoria; alii ex loco Paralipomenôn υἱὸν [*filium*]. Sicut ergo *filius* Paralipomenôn Scriptori dicitur qui Juris eſt ſucceſſor, etiam patruus: ita Matthæo γεννᾷν [*gignere*] dicitur qui heredem aliquem relinquit, Juris ſcilicet fictione. Sicut & adoptivos parentes Latini per ſimilem καταχρῆσιν [*abuſionem*] *genitores* vocant. Et Hebræi, quod plus eſt, genitum ex fratre mortui vocant *ipſum mortui ſemen*. Simili modo τεκνοποιεῖσθαι [*gignere prolem*] Xenophonti in Laconica Republica is dicitur qui alium virum ad uxorem admittit, ut ipſe ſecundùm Laconica inſtituta partûs pater dicatur. Similiter Auguſtum *natum Cæſaris* vocat Ovidius initio Metamorphoſeôn, Germanicus autem Auguſtum *genitorem* ſuum in carmine Arateo. Sic & Levitici XVIII, 11. מולדת quidam Hebræi ſumebant de filio adoptato: & Numeror. III, 1. filii Aaronis dicuntur תולדות *generationes* Moſis, quia ab eo erant inſtituti. His accedit inſuper quòd vox Hebræa ילד, quæ per γεννᾷν [*gignere*] exprimitur, extra originis fines uſum ſuum latè porrigit, ita ut res geſtæ alicujus vocentur תולדות, Helleniſtis, qui

Hebraïſmos amant ſequi, γενέσεις [*generationes*], ut Geneſ. VI, 9 Numer. III, 1. & alibi: & in Pſalmo ſecundo Deus dicatur *genuiſſe* Davidem, cùm eum ad Regnum evexit. Quum ergo in Salathielis perſona apertiſſimum ſit jus Succeſſionis à Matthæo reſpici, à Luca verò jus Sanguinis, ſi qui alibi Matthæum ad jus Sanguinis, Lucam ad jus Succeſſionis more deſultorio transgredi dicant, non video quas adferre poſſint probabiles ejus inconſtantiæ cauſas. Africanus, ut dixi, ſedulus magis quàm exacti per omnia judicii, dum vocibus illis ἐγένετο [*genuit*] & ἐνομίζετο [*putabatur*] plùs æquo innititur, & deceptus ipſe eſt & ſequentium multos traxit in erroris ſui aſſenſum. Nam Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, Euſebius, Nazianzenus, atque alii velut agmine facto ipſum ſequuntur, & Eli à Luca nominatum volunt patrem eſſe Joſephi jure legitimo, Jacobum autem Matthæo nuncupatum patrem ejuſdem jure naturali; cùm rationes à nobis ſuperiùs allatæ contrarium potiùs perſuadeant. Adde his, quòd Lucas ad Adamum naturalem omnium ſatorem genus perducit; Matthæus autem ab Abrahamo incipit, à quo incipiunt αἱ ἐπαγγελίαι [*promiſſiones*], unde jus potiſſimum oritur. His & illud accedit, quòd Lucæ numerus multò eſt plenior quàm eſt Matthæi: nam Lucas inter Salathielem & Joſephum novendecim, ut vulgatæ habent editiones, ut nos cenſemus, ſeptendecim perſonas numerat, cùm decem tantùm recitet Matthæus: quod manifeſtum eſt indicium aliquot perſonas à Matthæo omiſſas. Quis enim credat ex duabus familiis ab eodem tempore ad idem tempus hanc alterum tantum habuiſſe γενῶν [*perſonarum generatarum*] quàm illa haberet? Omnino eſt hoc incredibile. Sed ipſe Matthæus non numerari à ſe perſonas, ſed generis ſummam breviter indicari in τεσσαρεσκαιδεκάδας [*claſſes nominum quatuordecim*] tres memoriæ causâ digeſtam, ſatis aperte profitetur. Nam & inter Joramum Regem & Oziam, qui idem Azarias, Achaziam, Joam, Amaziam ſilentio transmittit, nempe ut ordini ad memoriæ facilitatem inſtituto conſulat: quod in Juris ſucceſſione demonſtranda parum refert. Nam, ut dici ſolet, *heres heredis mei heres meus eſt*. At qui naturalem ſeriem ſequi velit, quod facit Lucas (eam enim ob cauſam à Davide ad Salathielem uſque privatæ fortunæ homines memorat, ne ab eo ordine diſcedat), eum decet de gradu ad gradum, quà ſanguis ducit, progredi, quod quin fecerit non dubitamus. Ac ſi quis tempora rectè putet à Zorobabele ad Chriſtum, videbit, ſecundùm id quod plerunque accidit, totum id tempus perſonis ab illo recitatis rectè expleri; a Matthæo non item. Quare hinc quoque diſcimus à Matthæo τὸ νομικὸν [*id quod legale eſt*], à Luca τὸ φυσικὸν [*id quod naturale eſt*] ſpectari. Sicut autem hactenus ab Africano compellor diſcedere, ita non omnino ſpernendum arbitror quod ab illo traditum, & quo nihil habemus antiquius. Laudabat ille ejus narrationis auctores conſanguineos Domini noſtri, quos ob id Δεσποσύνους [*Dominicos*] vocabant. Sed intervallum temporis quod inter Chriſtum & Africanum intercedit facilè patitur aliquam famæ adulterationem: magis tamen credo ipſius Africani interpretatione corruptum quod rectè acceperat, dum ſervire ſtudet illi ὑποθέσει [*ſuppoſitioni*] quam ſibi præfixerat, ſpectatum à Matthæo Naturæ ordinem, Legis à Luca. Cui conjecturæ meæ fidem haberi nolo niſi ipſe dictis ſuis fidem ſibi deſtruit. *Mathan*, inquit, *à Salomone ducens genus uxorem Eſthan duxerat, & ex ea filium genuerat Jacobum. Eadem Eſthan, mortuo Mathane, nupſit alteri viro Melchi è poſteritate Nathanis, & ex eo Elin genuit. Eli ſine liberis functo Jacobus frater ejus, non quidem conſanguineus ſed uterinus*, id eſt, ὁμομήτριος *ex lege viduam duxit, ex qua natus Joſephus naturâ fuerit filius Jacobi, lege δὲ* ΗΛΙ [*ipſius Eli*]. Hic multa errari quis non videt? Nam lex τὸ ἐπιγαμβρεύεσθαι [*leviratûs*] ad conſervanda familiarum jura pertinebat: Familiæ autem ex agnatione cenſentur: quare Jacobo ſine liberis functo prolem ei gignere debuit, non uterinus, qui agnatus non erat, ſed proximus ejuſdem familiæ ac nominis. Neque ſi uterinus ſponte id officium præſtitiſſet, propterea filius ex demortui nomine cenſeri & in ſtemma referri ullo jure potuiſſet. Quare ut verum ſit Melchin & Mathanem eâdem uſos uxore, id ad concilianda hæc ſtemmata valere non poteſt. Eſt & alia traditio vetus, Epiphanio memorata, Joſephum hunc noſtrum filium fuiſſe τῷ Ἰακώβ, ἐπίκλην δὲ Παν θηρᾶ καλουμένῳ [*Jacobi, qui cognominatus fuerit Panther*]· quod omnino ſpernendum non puto: nam & ipſe Joſephus appellatus eodem cognomento. Quippe & Celſus Mariam ait concepiſſe ἀπὸ τινὸς Παν θήρα τὸνομα [*ab aliquo cui Panthera nomen*]· quod à Judæis haud dubiè acceperat: nam iidem Jeſum Dominum noſtrum *filium Panther* appellant, ut in libro סדרי פרקיו [*Expoſitionis Eccleſiaſtæ*] & in libro עבודת כוכבים [*De idololatria*]. Manavit ad poſteritatem & alia fama Græcis Scriptoribus memorata, Mariæ patrem dictum *Jehojakimum*, ei patrem *Pantherem*, Pantheri patrem *Barpantherem*, Barpantheri *Levin Melchi filium*: quod non eſt temerè improbandum. Nam cùm res ipſa loquatur, ut alibi oſtendimus, Mariam fuiſſe ἐπίκληρον [*heredem*], ac proinde κλήρου εἵνεκα τοῦτο συγγενεύειν [*jure ſucceſſionis ita exigente*], ut rectè loquitur Epiphanius, nupſiſſe proximo agnato, ſequitur propinquo gradu junctos inter ſe fuiſſe Joſephum & Mariam: quamobrem & ex Joſephi ſtemmate genus Mariæ diſcendum nobis proponitur. Id autem apparebit veriſſimum ſi dicamus, ut illa ſignificat narratio, eundem Levin patruum fuiſſe Joſepho, Mariæ verò abavum. Quod autem *Panther* & *Barpanther* appellantur Mariæ avus & proavus, eò factum arbitror quòd cognomen gentilitium poſitum ſit vice nominis per immemoriam obliterati, ut fieri ſolet. Omnino enim Panther videtur commune fuiſſe vocabulum eorum qui à Melchi deſcenderant, fortè & longiori parentum ſerie à Maccabæicis uſque temporibus deductum ex rei alicujus memorabilis eventu. Coeperant enim illis temporibus cognomina quædam gentilitiâ uſurpari, ſive ex nomine progenitoris, ut cognomen *Hasmonæorum*, ſive ex caſu aliquo. Jam quod, collectis in unum traditionibus, atque ita acceptis ut nec cum Matthæo nec cum Luca diſſentiant, vero ſimillimum mihi videtur, ſubjiciam legentium judicio, teſtatus, quod jam dixi, arbitraria hæc eſſe, non explorata. Verum puto quod οἱ Δεσπόσυνοι [*Dominici*] Africano dixerunt Eſtham primùm Matthani, deinde Melchi conjugem fuiſſe; itaque eſſe eos ὁμοχρόνους [*ejusdem temporis*]· in Matthane autem exſtinctam ſtirpem naturalem Abjudis, quæ prima erat ſtirpium profatarum ex Zorobabele. Quare ex lege, viduæ matrimonium ad ſobolem in nomen mortui excitandam debitum ei qui princeps eſſet familiæ ſecundæ per Reſam ab eodem Zorobabele venientis: Atque eum fuiſſe Melchim, qui Jacobum genuerit, patris naturalis cognomine dictum vulgò *Pantherem*, legis autem æſtimatione filium Matthanis mortui, & juris omnis ſucceſſorem. Hujus Jacobi ſine liberis functi jus devolutum ad Joſephum: atque ita Joſephum dici *Jacobi filium*, non ex lege τὸ ἐπιγαμβρεύεσθαι [*leviratûs*], ſed quod hereditas ejus ad ipſum perveniſſet: quomodo Sedecias eſt *filius*, ut diximus, *Jechonia*. Erat autem Joſephus, ſi rectè rationem puto, filius fratris Jacobi, ac proinde Jacobus Joſephi patruus. Mariam autem, cùm ab altero Melchis filio veniret, & eſſet ἐπίκληρος [*heres unica*], nuptam Joſepho, quia nemo exſtabat propior ad cujus tutelam confugeret. His nodis expeditis, una videtur reſtare difficultas, quomodo & Matthæo & Lucæ Zorobabel dicatur *Salathielis filius*, cùm Paralipomenôn Scriptor eum dicat *Pedaja filium*, qui frater videtur fuiſſe Salathielis. Mihi planum videtur non agi ibi de Ethnarcha Zorobabele, quem Salathielis eſſe πρωτότοκον [*primogenitum*] omnibus erat notiſſimum, ſed de alio gentis ejuſdem, qui inter cæteros Regiæ ſtirpis nominatur. Nam & liberi ejus Zorobabelis alia habent nomina quàm quæ aut apud Matthæum aut Lucam exſtant: ita ut ad ſolutionem naturalis & legitimæ ſucceſſionis confugere hîc non liceat. Et apud Eſdram, Nehemiam, Aggæum, Zorobabel Ethnarcha nuſquam *Pedaja*, ſemper, ut hîc tam Matthæo quàm Lucæ, *Salathielis filius* dicitur: atque ita eum ſæpe appellat Joſephus diligens harum rerum inquiſitor. Huic autem Zorobabeli ampliſſimæ à Deo factæ erant promiſſiones de Regno in ejus poſteritate firmando; unde in ejus perſonam non minùs quàm in Davidis & Abrahami concurrunt Matthæus & Lucas. In his autem quæ antè diximus ita rem expoſuimus quaſi duo illa nomina *Matthat* & *Levi* inter Elim & Melchin in contextu Lucæ non extarent: cujus noſtræ exiſtimationis, ut & omiſſi Cainanis, cauſæ mox ſuo loco reddentur. Sed cùm magis veritas oculata fide quàm per aures animis hominum infigatur (ut Juriſconſulti loquuntur cùm de gradibus agunt cognationis) utramque tam Matthæi quàm Lucæ lineam ſpectandam exhibebo, Matthæi dextro, Lucæ ſiniſtro latere, in medium ſpatium rejectis nominibus quæ uterque memorant. Quas autem perſonas Matthæus omiſit, ut τεσσαρεσκαιδεκάδας [*nominum quatuordecim claſſes*] ſuas rotundaret, eas alio literarum genere ſubjiciam: eodemque ſubtexam Mariæ ſtemma:

ADAM.

ADAM.
SETH.
ENOS.
CAINAN.
MALELEEL.
JARED.
ENOCH.
MATHUSALA.
LAMECH.
NOE.
SEM.
ARPHAXAD.
SALA.
HEBER.
PHALEC.
RAGU.
SARUCH.
NACHOR.
THARE.

ABRAHAM.
ISAAC.
JACOB.
JUDA.
PHARES.
ESROM.
ARAM aut RAM.
AMINADAB.
NAASSON.
SALMON.
BOOZ.
OBED.
JESSE.

DAVID.

SOLOMO.	NATHAN.
ROBOAM.	MATTATHA.
ABIA.	MAINAN.
ASA.	MELEA.
JOSAPHAT.	ELIAKIM.
JORAM.	JONAN.
Achazia.	JOSEPH.
Joas.	JUDA.
Amaſia.	SIMEON.
OZIAS, qui & AZARIAS.	LEVI.
JOATHAM.	MATTHAT.
ACHAZ.	JORIM.
EZECHIA.	ELIEZER.
MANASSE.	JOSE.
AMON.	ER.
JOSIAS.	ELMODAN.
JECHONIAS, id eſt, Jehojakim.	COSAM.
JECHONIAS alter, ſine liberis mortuus.	ADDI.
SEDECIAS, patruus & heres Jechoniæ poſterioris.	MELCHI.
Aſſir, poſt Sedeciam Jechoniæ heres.	NERI.

SALATHIEL, Neri filius, heres Aſſiris & Jechoniæ.
ZOROBABEL, Salathielis filius & heres.

ABIUD.	RESA.
ELIAKIM.	JOHANNA.
AZOR.	JUDA.
SADOC.	JOSEPH.
ACHIM.	SEMEI.
ELIUD.	MATTATHIAS.
ELEAZAR.	MAATH.
Ανώνυμος.	NAGGA.
Ανώνυμος.	ESLI.
Ανώνυμος.	NAUM.
Ανώνυμος.	AMOS.
Ανώνυμος.	MATTATHIAS.
Ανώνυμος.	JOSEPH.
Ανώνυμος.	JANNA.
MATTHAN, prior maritus Eſthæ ſine liberis mortuus.	MELCHI, poſterior maritus Eſthæ, pater naturalis Jacobi.

JACOB, qui & *Panther*, Matthanis filius legalis ex Eſtha, frater Elis & Levis naturâ.

ELI. Levi.

JOSEPH, filius Eli naturâ, Jacobi heres, Mariæ agnatus proximus.

I
Barpanther.
I
Panther.
I
Jehojakim, qui & *Eliakim.*
I
Maria, Joſepho nupta.

Aliquot perſonas quarum non exſtant nomina inter Zorobabelis & Chriſti tempora interpoſui, quia ſine illis expleri tempora ſatis commodè non poſſunt: neque id novum in Matthæo, cùm, ut dixi, tres Reges continuos omittat. Quot hîc omiſſi fuerint difficile dictu eſt, cùm ſæpe eodem temporis ſpatio familiæ inter ſe comparatæ γενεὰς [*perſonas generatas*] habeant unâ aut alterâ plures & pauciores; quod in omnibus ſtemmatibus videre eſt. Quia verò Mariæ abavus *Levi* vocabatur, inde natus eſt error veterum exiſtimantium Chriſto ex natalibus etiam acquiſitum Jus Levitici Sacerdotii: in quo multa ſunt reprehendenda. Nam nomina quod attinet, ea communia erant Tribubus omnibus, ita ut & Levita *Judas*, & ex Juda genitus *Levi* diceretur; quod nemo mediocriter in iſtis literis verſatus ignorat. Deinde verò Jus Levitici Sacerdotii non potuit niſi per mares ex maribus, ut Romani loquuntur, deferri. Quantò fuerat ſatius credere divino Scriptori ad Hebræos, diſertè neganti Tribum Judæ, ex qua ortus eſt Jeſus, ullum habere jus ſuccedendi in Sacerdotium; & propterea Chriſti Pontificium non eſſe Leviticum ſed ἀπαράβατον [*non tranſiens per ſucceſſionem*] Regale, quale Melchiſedeci fuerat. Illud addam, omnino me arbitrari Lucæ ſtemma petitum ex tabulis publicis: nam in iis genera accuratè admodum deſcribi ac cuſtodiri ad Excidium uſque ſolita Joſephus teſtatur.

24. Τῦ Ηλὶ, τῦ Μελχὶ, *Qui fuit Eli, qui fuit Melchi*] Sic in antiquis exemplaribus fuiſſe, perſuadeor argumentis quæ à viro veri amante cóque & aliis nominibus mihi amiciſſimo Johanne Cordeſio duabus diſſertationibus allata ſunt. Nam Irenæus diſertè docet ſuo tempore tantùm LXXII exſtitiſſe γενεὰς [*perſonas*] in Luca, eumque numerum eis ſignis exprimit ut de lectionis veritate dubitari non poſſit. Ad eum verò numerum reduci res non poteſt, niſi & *Matthat* & *Levi* hoc loco omittantur & infrà *Cainan*. Africanus verò non minùs apertè citat Lucæ verba his duobus nominibus hoc loco omiſſis, & clarè ſignificat ipſi Eli patrem ἄμεσον [*nullâ perſonâ interpoſitâ*] fuiſſe Melchim; quem & Euſebius ſequitur, & in hexametro carmine de Genealogia Nazianzenus, & ad Matthæum Hieronymus, & alicubi Auguſtinus. Putem cauſam additi nominis *Matthat* fuiſſe, quòd id alterum eſſet nomen Melchis: nam id à Damaſceno aliiſque quibuſdam ex fama aut libris amiſſis proditum eſt. *Levis* autem nomen itidem perperàm inſertum putem ab iis qui audiſſent ipſi Melchi filium fuiſſe Levin, quod nomen fortè pro *Eli* ſubſtituendum putarunt; cùm tamen is Levi non ad Joſephum, cujus hîc genus traditur, ſed ad Mariam pertineret, ad quam ſtemma non perducitur. Nec indignum notatu, nomina ferè omnia Nathanis poſterùm ſpem in ſe ferre Regni quod Davidis poſteritati promiſſum fuerat.

33. Τῦ Ἀρνὶ. *Aram*] Ita LXX ſine libri Ruth, & 1 Paralipomenôn II, 9. ubi Hebræi habent רם [*Ram*]; at Syrus hîc ארם [*Aram*]. Eſt igitur ex Syriaſmo additum Aleph fronti dictionis. Nam & Syri ipſi Hebræis & Arabibus רם [*Ram*] vocabantur, ut Jobi XXXII, 2. & II Paral. XXII, 6. cùm ipſi ſe vocarent ארם [*Aram*], quod nomen apud alias quoque gentes uſu invaluit; unde Ἄρμοι [*Arimi*] Græcis veteribus. Simile eſt quod רמתים urbs dicta eſt Ἁρμαθαΐμ, ut ſuprà diximus.

36. Τῦ Σαλὰ, τῦ Ἀρφαξὰδ, *Qui fuit Sale, qui fuit Arphaxad*] Sic habent manuſcripti Græci aliquot quorum meminit Beza, &, quod potiſſimum eſt, antiquiſſimâ literâ ſcriptus unus qui Lugdunenſis Eccleſiæ fuit, Cantabrigiam poſtea delatus; & alter in Angliam è Græcia nuper miſſus. Irenæi quoque numerus oſtendit *Cainani* nomen non lectum eo tempore; nec certè ejus quæ nunc apparet lectionis indicia reperias ante quartum ſeculum. Omnino Cordeſio aſſentior exiſtimanti *Cainani* nomen hoc loco nec in primitivis Lucæ, nec in Septuaginta Interpretum libris exſtitiſſe. De Luca, præter ea quæ diximus, rem credibilem facit Africanus, qui id nomen non agnoſcit; De Interpretibus Septuaginta, quod Procopius Gazæus notat eum qui eſt in Geneſi de Cainano locum ὠβελισμένον [*obelo notatum*] tanquam ſuppoſititium; quòd Theophilus Antiochenus in temporum ſupputatione Septuaginta illos ſequens in nominum recenſione omiſſo Cainane Arphaxadum Salæ parem facit; itemque Euſebius, ut Græcè à Scaligero eſt editus, idque in ea genealogia quam ipſe ait eſſe ſecundùm Septuaginta; quòdque alii ſecundùm eosdem Interpretes tempora à ſe putari profitentes, ita putant ut conſtare ratio non poſſit niſi omittatur hîc Cainan: quos inter ſunt Epiphanius hæreſi LV. & Oroſius. His adde quòd Septuaginta nomen hoc ex traditione aliqua hauſiſſe dici non poſſint, cùm Samaritana ſcriptio & Chaldæa verſio, & quæ eam ſecutæ ſunt aliæ extra Græcum, codici Hebræo conſentiant, nec quiſquam Hebræorum Magiſtrorum tale quid tradiderit. Adde quòd Abrahamum à Di-

Digitized by Google

luvio eſſe decimum, qui Cainano interjecto eſſet undecimus, non Hebræi tantùm, quos inter Joſephus, affirmant, ſed & ex Chaldæis Beroſus ab ipſo Joſepho productus, & ex Græcis Eupolemus, cujus locum ſervavit Euſebius. Quæ conjecturæ me inducunt ut credam à ſcriptore aliquo libri, unde multa exemplaria fluxerunt, ex penultimo hujus commatis capite nomen *Cainanis* hoc loco errore quodam repoſitum; quales repetitiones vitioſas ex perperàm inſpectis archetypis, aut diſtantis hallucinatione, multis in libris occurrunt. Deinde cùm latè ſpargi ea lectio per Lucæ exemplaria cœpiſſet, Græcos Chriſtianos etiam in verſione Geneſeos ſecundùm Septuaginta inter Arphaxadum & Salam interpoſuiſſe nomen *Cainanu*; annis etiam additis, quò magis Lucæ, quem ſic ſcripſiſſe arbitrabantur, ſua auctoritas conſtaret. Sed horum temeritatem tum alia quæ diximus refellunt, tum quòd Paralipomenôn liber Græcus, cujuſcunque tandem is ſit interpretis, in antiquioribus libris Cainanis hujus novi nullam faciat mentionem.

38. τῦ Ἀδὰμ, ☧ Θεῦ. *qui fuit Adam, qui fuit Dei*] Syrus & Arabs, cùm ubique *filii* nomen expreſſerint, hîc mutarunt loquendi genus; neque dixerunt, *Adam, qui filius Dei*, ſed *qui ex Deo eſt*; ne ſcilicet ex ſubſtantia Divina genitus crederetur. Ego illis potiùs aſſentio qui *filium Dei* dici putant Adamum creationis jure, atque eo gradu attolli animos ad credendam Chriſti genituram. Nam qui ex terra ſine patre hominem primum potuit producere, idem efficere potuit ut Chriſtus ex virgine ſine patre naſceretur, imaginem illam Divinam ad quam Adamus erat conditus, non purgaturus tantùm à peccati maculis, ſed & in multò meliorem ſortem reformaturus. Certè & Paulus illud Arateum laudat.

Τῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.
[*Nos genus illius*].

Et Deus ipſe hoc ſenſu *patrem* ſe vocat Deut. xxxii, 6. Addam Philonis locum, ubi & Deum *patrem Adami* nominat, & cauſas nominis facundè explicat, περὶ τῦ πρώτυ καὶ γηγενῦς [*de illo primo & Terrigena*] hunc in modum loquens, ὡς ἕνεκα ἐυγενείας ἰδίυ θνητῦ σύγκλ@, χαρὰ μὲν θείας εἰς ἀνδριάντα ☧ σωματοειδῆ τυποθεὶς ἀκρότητι τέχνης πλαστικῆς· ψυχῆς δὲ ἀξιωθεὶς ἀπ' ἀϊδυος ἕλ ☧ εἰς γένεσιν ἡκόντων, ἐμπνεύσαντ@ Θεῦ τ θείας δυνάμεως ὅσον ἠδύνατο δέξασθ θνητὴ φύσις. ἦν ἄρ' οὐχ ὑστερβολὴ τ εὐγενείας, μηδεμιᾶς τ ἄλλων ἃ δὴ νομιζόμενα εἰς εὐγένειαν ἰλθῶν δυναμένης; τ μὲν γὰρ τὸ πλέ@ ἐκ φθορέων ἐυγενίας· ἄνθρωπος ἢ αἱ φθορεῖς, ζῶα ἐπίκηρ ☧ φθαρτὰ, ☧ αἱ τούτων αἰθίβασι ☧ ἐφήμερα τὰ πολλὰ διαφορίαι. τῦ δὲ πατρὸς μὲν θνητὸς υἱὸς, υἱὸς ἄτι@, ἀλλ' ἡ Θεός· ἃ τρόπον ἴσως γενομέν@ εἰκὼν ☧ τ ἡγεμόνα νῦν ἐν ψυχῇ, δίον ἀκηλίδωτον τλῶ εἰκόνα φυλάξαι καθ' ὅσον ἦν τε ἦν ἐπακολυθῆσαι ☧ τῦ γενήσαντ@ λόγ@, σπεῦδόντων εἰς αἱρέσεις ☧ φυγὰς τῶν ἐναντίων, ἀγαθῦ ☧ καλῦ, καὶ καλῦ καὶ αἰσχρῦ, καὶ ἀληθῦς καὶ ψεύδυς, τὸ μὲν ψεῦδος καὶ αἰσχρὸν καὶ κακὸν σπεῦδόμενος εἵλετο, ☧ ἢ ἀγαθῶν καὶ καλῶν καὶ ἀληθῶν ἠλέγχθη [*qui quod ad nobilitatem attinet neminem habet qui ſecum comparetur, manibus Divinis in ſimulacrum corporeum formatus ſumma arte figulari; animâ autem donatus non ab ullo genitus eſſet, ſed Deo inſpirante ei tantum divinæ facultatis quantum ferre poterat natura mortalis. Nonne hæc ergo fuit eminentiſſima nobilitas, cum qua nulla alia poſſet contendere? Aliis enim gloria ex majorum nobilitate; at majores illi homines fuere, animal temporarium & corruptibile; fortuna eorum incerta ac diaria: illius verò nullus mortalis aut pater aut cauſa, ſed Deus ipſe. Cujus ille cùm aliquo modo factus eſſet imago, nempe per mentem quæ dux anima eſt, cum debuiſſet illam effigiem ſervare quàm maximè fieri poterat immaculatam, imitando virtutes ejus qui eum genuerat; cùm ei ad eligendum & fugiendum propoſita eſſent contraria inter ſe, hinc bonum, inde malum; hinc pulchrum, inde turpe; hinc verum, inde falſum; & falſa & turpia & mala ſponte præulit, bona autem & pulchra & vera contemſit*]. Joſephus quoque de primis hominibus agens, ὡσ' αὐτῦ τῦ Θεῦ γενόμεν [*ab ipſo Deo genitis*]. Neque verò diſplicet mihi veterum obſervatio, qui Matthæum Judæis ſcribentem eò rem perduxiſſe volunt, ut oſtenderet Jeſum eſſe heredem Abrahami & Davidis, ac proinde ipſorum Meſſiam; Lucam autem, ut qui Græcis ſcriberet, ad ipſam generis humani originem, ſtemma pertexuiſſe, ut ſignificaret hunc illum eſſe qui communi bono generis humani natus in ſe credentibus collaturus eſſet jus filiorum Dei, quod Adamus & eum ſecuti homines amiſerant, & quidem tantò excellentiùs quantò ipſe genitus erat modo excellentiore.

PRICÆUS.

Com. 2. Ἐπὶ ἀρχιερέως, &c.] Τὸ ἐπὶ hîc, & infrà 4. 27. ad deſignandum poteſtatis tempus benè Græcè ponitur: ità paſſim enim in Inſcriptionibus & antiquis marmoribus.

Com. 4. εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβυς αὐτῦ] Τροχιὰς (ut Hebr. 12. 13. ὀρθὰς ποιήσατε τοῖς ποσὶν ὑμῶν.

Com. 5. Πᾶσα φάραγξ πληρωθήσετ, καὶ πᾶν ὄρ@ καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται] Apud Juſtinum lib. 2. non diſſimuli oppoſitione, in rebus Xerxis, *Montes in planum deducebat, & convexa vallium æquabat*: & Suetonium in Caligula, *Campi montibus æquari, & complanata foſſuris montium juga*. Πληρωθήσεται hîc intellige, εἰς πᾶν πλήρωμα Θεῦ, ut Epheſ. 3. 19. vel πάσης χαρᾶς (ut Rom. 15. 13.) καὶ τελείως ἐν τῷ πιστεύειν· ubi & vox πληροῦσθ. Πᾶν ὄρ@ καὶ βουνὸς, eſt, omnes qui ſupercilia habent, ut plerumque colles monteſque: id eſt, qui ex ſapientia mundana altum ſpirant. Ταπεινωθήσονται, remittent flatus inanes, dimittent faſtum, humiliter veritatis Euangelicæ myſterium adorabunt: vide 2 Cor. 10. 5. Baruch. 5. 7. Συνέτριψεν ὁ Θεὸς ταπεινοῦσθ πᾶν ὄρ@ ὑψηλὸν, &c. καὶ φάραγγας πληροῦσθ εἰς ὁμαλισμὸν τ γῆς. D. Auguſtinus Confeſs. 9. 4. *Dulce mihi ſit, Domine, confiteri tibi, &c. quemadmodum me complanaveris, humiliatis montibus & collibus cogitationum mearum*, &c.

Ibid. σκολιὰ] Bene Vulgat. *prava*. In Gloſſis, *Pravæ*, σκολιαὶ, nempe ὁδοὶ; *viæ*: ità enim ex iſto Lucæ loco non inconcinne puto exponi poſſe.

Com. 7. Γεννήματα ἐχιδνῶν] Locutio proverbialis, ut ad 3 Matthæi diximus. Scholiaſtes ad Nubes Ariſtophanis, Γέννημά φαμεν ἐπὶ τέκνυ καὶ θρέμ. Themiſtius 9. Orat. Κακοτρῶ καὶ Ἐρινύων θρέμμασι καὶ γεννήμασι. Tale Sapient. 7. αἰδίκυ γῆς γεννήματα. Adelph. 3. 2. apud Terentium, *genera ſacrilega*: &, —— Στυγνὸ, κακᾶς ἀναθρέμμα λεαίνης, apud Theocritum, Eidyll. 24.

Ibid. Φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλύσης ὀργῆς] Sic Rom. 5. 9. ἀπὸ τῆς ὀργῆς σωθῶμεν. Ὀργὴ μέλλυσα hoc eſt quæ Rom. 3. 5. & Rom. 12. 19. ὀργὴ ſimpliciter: quæ 1 Theſſ. 1. 10. ὀργὴ ἡ ἐρχομένη, Luc. 23. 33. γέεννης πρόσις. P. Chryſologus Serm. 45. ad ea Pſal. 6. NE IN IRA TUA ARGUAS ME, DEUS, &c. *nec irâ accenditur, nec furore turbatur: ſed ira Dei eſt delinquentium pœna, furor Dei eſt ſupplicium peccatorum.*

Com. 8. Ποιήσατε καρπὸς ἀξίυς τῆς μετανοίας] Sic Act. 26. 20. idem Lucas, ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράσσοντας· ubi ἔργα quæ hîc καρποί. Τῆς μετανοίας ἀξίυς, eſt, τῇ μετανοίᾳ πρέποντας, opera quæ oſtendant vos vere pœnitentiam agere. Euthymius ad Joh. 9. illa, OPERA EJUS QUI ME MISIT, *Opera quæ me patris filium eſſe oſtendant.* Ità, καρπὸς τῆς φύσεως (ἀγαθῆς) ἀξίυς φέρειν, Jamblichus Protrept. & ἀξίως τῆς ἀρίστης σπουδῆς ἐπιδείκνυσθαι, in Rom. cap. 3. Chryſoſtomus: &, τὰ φωτὸς, &c. ἄξια, Philo, lib. Quòd deter. inſid. potiori. Fructus autem, ſive opera quos hîc Joannes intelligit, à Paulo Epheſ. 5. 9. diſtinctiùs enumerantur.

Ibid. καὶ μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, πατέρα ἔχομεν τ Ἀβραάμ]

Tanta haud vos teneat generis fiducia veſtri.
Non ego vos ſolâ cenſeri laude avorum
Optarim, nihili eſt aliena incumbere famæ.
— Quis enim generoſos dixerit hos, qui
Indigni genere, & præclaro nomine tantùm
Inſignes? ——
—— Periit omnis in illis
Gentis honos, quorum laus eſt in origine ſola.

Juſtinus contra Tryphonem, Ἐπειδὴ ☧ τὸ καρμικὸν σπέρμα ☧ Ἰακὼβ τέκνα ἐσὶ, πάντως εὐθέως ☧ προσδοκᾶτε. Vide Rom. 2. 15. Chryſoſtomus Homil. 53 in Joannem, Τῦτο ἴσῶ τὸ κωλῦον Ἰουδαίυς, προσελθεῖν τῷ Χριςῷ, τὸ νομίζειν αἱρετὸ αὐτοῖς ☧ ἐκεῖνο (Abraham) συγγένειαν εἰς σωτηρίαν. Contrarium Baruchi 2. 19. ἐπὶ ☧ πατέρων δικαιώμασι ἃ ☧ ἔλεεν ☧ τὸ τῦ Κυρίυ πρόσωπον κατεβάλλετε. Μὴ ἄρξησθε λέγειν, &c. hoc eſt, μὴ ἑαυτὺς φρενατατᾶτε. Lycurgus ad Spartanos ſuos, apud Plutarch. in Apophth. Ἡμᾶς, ὦ πολῖται, ἰδεῖν ἡ παρὰ τοῖς πολλοῖς θαυμαζομένη ἐυγένεια, καὶ τὸ ἀφ' Ἡρακλείας εἶναι ἐύπνοιαν, εἰ μὴ πράττομεν δι' ἃ ἐκεῖν@ ἅπαντων ἀνθρώπων ἐκδέχεται@ καὶ ἐυφρίσκεται@ ἰδόντα. Euthymius ad Matth. 13. *Si nec Dei matri genuiſſe illum profuiſſet, niſi virtutem ſecuta fuiſſet, cui alteri proderit viri ſancti eſſe cognatum, ſi virtutem non*

non habeat? Vide quæ plura hujus commatis ad Matth. 3. 8. annotata.

Com. 9. ἐκκόπτεται, ᾗ οὖν τὸ πῦρ βάλλεται] Nux apud Ovidium,

——— *Excidite ferro,*
Noſtrâque famoſis urite membra focis.

Vide heic ad Matthæum dicta: adde Deuter. 20. 20. Catullus,
Infelicibus uſtulanda lignis.
Ubi *ligna infelicia*, ſunt τὰ δένδρα (ut hoc Lucæ loco) μὴ καρπὸν ποιοῦντα.

Com. 10. Τί οὖν ποιήσωμεν;] *Quid agimus? conſilium quærentium eſt*, inquit Donatus ad Eunuch. 4. 7.

Com. 11. Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι] Sic Paulus 4. 25. ad Epheſios dixit, μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι. Δύο χιτῶνας præciſè intelligere non eſt neceſſe, ac talem veſtimentorum copiam quæ communicationis eſt non incapax. Τῷ μὴ ἔχοντι intellige, ut Jacobi 2. τῷ γυμνῷ· id eſt, aut vere nudo, aut ita ſaltem contecto, ut per pannulos ſit manifeſtus. Quid heic in die illa reſpondebunt quibus ſyntheſes totæ inutiliter aſſervantur? quibus

——— *fragula veſtis*
Blattarum, ac tinearum epula putreſcit in arca?

Ibid. ὁμοίως ποιείτω] Famelicis panem diſtribuat, τοῖς τὴν ἐφημέρου τροφὴς λήψεσθαι, dicto Jacobi loco.

Com 13. Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε] *Præbe vos gerite circa omne negotium veſtrum, & ab iis quæ ſunt prohibita temperate*, ut loquitur l. omnino, ff. de Offic. Præf. urb. de nummulariis agens. In l. 6. §. 3. ff. de Offic. Præſid. *Sub ſpecie tributorum illicitas exactiones fieri prohibeat.* Juſtinianus Novell. 17. Τὸ μὲν δημόσιον ἀπροσκόπτως ἅπαντα τὰ εἰκότα λαμβάνω, καὶ τοὺς ἐξ ἔθους χρυσοῦς κονδουκίους λαμβανέτωσαν οἱ τοῦτο (forte οἱ εἰς τοῦτο) καταλεγέντες, μηδὲν πλέον αἰτησάτωσαν. Cicero de publicanis 6. 1. ad Atticum, *Officio me cui moleſti ſint.* Πράσσειν hîc eſt αἰτεῖσθαι, *exigere.* Sic φῶρες πράκτορα, Plutarchus in Ariſtide dixit: &, τίλος πράττεσθαι, (id eſt, αἰτεῖσθαι) Anonymus apud Suidam. Πλέον παρὰ, &c. locutio eſt qualis & Hebr. 3. 3. Ex qua, & aliis nonnullis eo in Scripto, ſolóque Luca occurrentibus, non improbabilis videtur mihi eorum opinio qui Lucæ eam Epiſtolam adjudicant.

Com. 14. Μηδένα διασείσητε] Nemini per vim, aut injecto metu, quæ cujus ſunt extorquete. Ità & Cæſar ad milites ſuos apud Dionem Caſſium, Μήτε βιάζεσθέ τινα αὐτῶν (Provincialium) μήτ' αἰκίζεσθε, ἀλλὰ τοῖς ἐπιτηδείοις παρ' ἑκείνων σφῶν λαμβάνετε. Chryſologus Serm. 26. de bono milite, *Si paruit imperatis, ſi concuſſit neminem:* ubi *concuſſit*, διέσεισεν. *Illicita miniſteria ſub prætextu adjuvandi militares viros ad concutiendos homines procedentia*, habemus in l. 6. §. 3. ff. de Offic. Præſidis. Excerpta è veteribus Gloſſis, *Concuſſi*, οἱ διασεισθέντες. Sic fine 3 Maccabaici, Τὸν ὑπαρχόντων (αὐτῶν) διασείσαι. Quod vir eximius ait, hâc voce non antequam Græcia Romanæ ditionis eſſet, Græcos iſto ſenſu uſuſeſſe, de eo ampliùs inquirendum puto: nam & Dicæarchus (Ariſtotelis auditor) τὸ σείειν eo plane modo poſuit in Græciæ deſcriptiuncula. Apte Joannes autem hoc milites monet. Salvianus 3. *Quid aliud officialium vita quàm calumnia? quid aliud militantium quàm rapina?* Libanius de ſui temporis militibus, Εἰς τὰ κατηλεῖα πολλάκις ἐκάστης ἡμέρας (εἰσδύοντες) πίνουσιν ὅσον ἂν μέθλιν ποιήσειεν, ἀεθμεῖδ' ἑδὲς τὰ ἐκπώματα, &c. ἀλλ' ἢ δεῖ ζέγῃν, ἢ ἀπολλύναι· τοῖς γὰρ αὐτῶν χρῆσθαι λέγουσι, καὶ εἶναι δεινοῖς ἅπτεσθαι τε πίθων, καὶ ὧν ἔσιν οἱ πίθοι· οἱ μὲν οὖν ἐπιφύσεροι τὸ ἔκπωμα καταβέντες, καὶ φορτίσαντες, οἶνον ἀμείνω ἐξεπιστῶν, ἀπέχονται· οἱ δὲ καὶ ζὺν αὐτοῖς ἐκπώμασιν. ἐβόλος δὲ ἐδὲ παρ' ἑτέρου· ἀλλ' ὁ μὲν κάπηλος οἰνεῖται, οἱ δὲ ἐμπίπλανται δόντες ἀ-δίν. Plura hoc genus alia apud Antiquos occurrunt. Quid autem antiquos dico? volvuntur ſecula quidem, manet idem horum hominum ingenium: adeóque noſtrâ ætate iſtâ nulla facile ætas feracior militaris inſolentiæ.

Ibid. μήτε συκοφαντήσητε] Nemini dolo, id eſt, prætextu muneris veſtri, inferte damnum; (vide infrà ad 19. 8. annotata) aut angariate vel illius corpus, vel jumenti ejus. Ad hortulanum miles apud Apuleium lib. 9. *Ubi ducis iſtum aſinum? reſpondit hortulanus petere ſe proximam civitatem. At mihi (inquit) operâ ejus opus eſt, nam de proximo caſtello ſarcinas Præſidis noſtri, &c. debet advehere: &, injectâ ſtatim manu, loro me* (aſinum) *quo ducebar arreptum incipit trahere.* En ſycophantiæ militaris ſpecimen ſenſu eo qui apud Lucam intelligendæ.

Ibid. ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν] Gloſſarium, (& forte ex hoc Lucæ vulgarique Interpretis loco) Ἀρκεῖσθε, *contenti eſtote.* Ὀψωνίοις eidem Vulgato *ſtipendiis*: vertitur & per *ſalarium*, ac *diarium* à Gloſſariorum conſarcinatoribus. Suidas, Ὀψώνιον, παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ ἡ ἀφωρισμένη τροφή. In iis θείᾳ γραφῇ intelligit duos Pauli, & hunc Lucæ locum. Aptum autem non minùs hoc Baptiſtæ præceptum militibus, quàm illud alterum ejuſdem publicanis: annonâ enim, quamvis largiore, milites rarò contenti ſunt. Ad ſuos Cæſar apud Dionem Caſſium, Τῆς τροφῆς, &c. ἐμπίπλασθε, &c. ἢ οὐκ ἀξιοῦτε τούτοις ἀρκεῖσθαι, &c. Salvianus lib. 4. nationem illam hominum ita querentem inducit, *Etiamſi nobis ſtipendia præſentur, conſuetudini hæc magis quam ſufficientiæ ſatisfacium: & ita implent canonem, ut non expleant ſatietatem:* Hinc & frequentes eorum inſolentiæ, rapinæ, concuſſiones. Libanius jam citato loco, Τὸν δὲ ἐ μαθημένον λόγον τι οἷς ἄρα ἀγαπᾶν (Imperatorem alloquitur) τῇ παρὰ ζῆς τροφῆς; ἢ τίς ἂν οἶδε τὴν ἀκριβῆ, ἣν ὁ πολῶν ἐπιχειρῶν μὲν οὐκ ἐπιχειρεῖ, μὴ παροξύνῃ, δεῖται δὲ ἱλαότητος γενέσθαι; ὅταν δὲ πάνθ' ἁπλῶς ἐπίσχουσι πανταχόθεν ἑλκόντες, εἰ μὴ κρίας, ἢ τὰ τοιαῦτα, φέροντες ἀργύριον. Talibus malis ſæpe obviam itum eſt edictis mandatiſque eorum apud quos ſumma rerum poteſtas fuit. Apud Caſſiodorum 6. 22. in formula Comit. Syracuſ. civit. *Non permittas milites eſſe poſſeſſoribus inſolentes, annonas ſuas ſub moderatione percipiant.* Juſtinianus Novell. 17. Ἀλλὰ μηδὲ ἐξ ἐφόλου τινὰς ἐπινοῦ σοι, (alloquitur quemvis cujuſvis Provinciæ Præſidem) ἐκ τῶν συγχωρήσεων δαπανᾶν, ἀλλ' ἐκ τῶν ἰδίων σιτήσεων· ubi forſan σιτηρεσίων legendum. Vide & l. 3. Cod. de erog. milit. annonæ. Cæſar ad Senatum Romanum, de militibus ſuis, apud Dionem lib. 42. Τρέφεσθαι μὲν αὐτοὺς ἀναγκαῖον πολλῶν ὄντας· τρεφήσονται δ' οὐκ ἐφ' ὑμᾶς, ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν, τοὺς διδομένους χρήμασι. Hæc & ſimilia ad coercendam militarem licentiam, & ſemper fere & ubique jubentur promittunturque: obtinuit uſus tamen, obtinétque, ut præpolitis ſæpe inſciis, ſæpius conniventibus, nonnunquam & ſtrictè prohibentibus, hujuſmodi depræda tiones impune pervagentur.

Com. 16. ἔρχεται δὲ ὁ ἰσχυρότερός μου] Id eſt, μαρτυρίαν μείζω ἐμοῦ ἔχων· vide Joh. 5. 36. Photius Epiſt. 50. Φύσις τοῦτο πεφυτέλιται ὑπερέχεσθαι καὶ παραχωρεῖν τῇ τελεότητι. Servius ad Eclog. 9. *Minora auguria majoribus cedent, nec ullarum ſunt virium, licet priora ſint.* Euthymius ad ejuſdem Baptiſtæ illa Joh. 3. 30. ἐκείνου δεῖ αὐξάνειν, ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι. *Minui*, nempe, *ut Lucifer, orto Sole.* Seneca 66 Epiſt. *Minora lumina claritas Solis obſcurat.* In Epiſtolis Philoſtrati, Λύχνῳ πίπτει πυρὸς ἅπτεσθαι μείζονος. Adde ad Matth. 3. 11. dicta.

Ibid. οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ] Τὸ σανδάλιον (αὐτοῦ) δηλικῶς ἀφαιρεῖν, ut in Herodoto Lucianus locutus. Τοὺς τῶν ὑποδημάτων ἱμάντας, dixit & Plutarchus in Sympoſiacis, 4. 2. & *calceamentorum vincula* Petronius: vide ad Act. 13. 25. notata. Matthæus heic, οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι· ita & παιδάρια τὰ ὑποδήματα κομίζοντα in jam citatis Sympoſiacis. Non diſſimile apud Martialem 7. 8. *indignum matellam præbere.*

Ibid. αὐλὸς, &c.] Servius ad Æneid. 1. in Schedis Fuldenſ. *Antiqui* ILLE *vel magnitudinis vel nobilitatis aſcribebant.* Agræcius Grammaticus, IPSE *nomen dignitatis*, ISTE *abjectionis.*

Ibid. ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί] Non parvo verborum circuitu ad locutionis iſtius expoſitionem uſi ſunt Interpretes; & forte tamen compendiariâ à nobis via proſpectâ faciliùs inveniatur. Cogitemus ergò an πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ ſit ἓν δι' δυοῖν· nempe ἐν πυρὶ πνεύματος ἁγίου, *igne ſpiritus ſancti*: i. e. vi vel virtute ejus, quæ Act. 1. 8. (ni fallor) δύναμις. Et quia vis illa ſub figura ignis (ſaltem Apoſtolis Act. 2. 2.) corporaliter exhibebatur, puto commode verti poſſe, *vigore igneo.* Ità

Igneus eſt ollis vigor ———

apud Poetam præcipuum. Per ignem hîc τὸ σφοδρὸν & χαρίεν ſignificari notavit & Chryſoſtomus.

Com. 17. Οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ] Servius ad Æneid. 1. ea, *Virumque cano*, &c. *Non dicit quem, ſed circumſtantiis oſtendit Æneam.* Varro lib. 4. de L. Lat. *Ventilabrum, quo ventilatur in aëre frumentum:* legendum puto, *in area frumentum.* Ità ſtatim in contextu Lucæ διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα αὐτοῦ: nimirum, ad ventilandum.

Ibid. οὗ τὸ πτύον] D. Auguſtinus in Pſal. 47. *Ventilabrum portabit, ut unum granum tritici non cadat in acervum paleæ comburendum: nec una ariſta paleæ tranſeat ad meſſem in horrea recondendam.*

Ibid.

Ibid. διακαθαιρεῖ τ' ἄλωνα αὐτοῦ, ἢ συνάξει τ' σῖτον αὐτοῦ, &c.] Διακαθαίρει heic eſt λικμίζει ἐν τῷ ἄλωνι αὐτοῦ· ab eo quod ſequitur, id quod præcedit: per ventilationem vel evannationem frumentum à paleis diſtinguit. Heſychius, Λικμῶντες, ἀλῶντες, ἢ τὸ ἄχυρα ἀπὸ τ' σίτου διαχωρίζοντες. Τηρητὴν πάντων examinis divini non diſſimilis in illis Malach. 3. 3. Καθιεῖται χωνεύων, καὶ καθαρίζων, εἰς τὸ ἀργύριον καὶ τὸ χρυσίον. Συναξει, *congregabit triticum ſuum.* Scholiaſtes ad Eidyl. 7. Theoc. Ἅλως, ἀπὸ τ' ἁλίζω, τὸ συναθροίζω (quod hoc loco συνάγει) ἐκεῖ γὰρ διαθροίζουσι τὰς ψάχνας. Sic, σῖτον ἐν ἅλῳ ζυλλέγειν, in Amatoriis Plutarchi narrationibus.

Ibid. ζυνάξει τ' σῖτον αὐτοῦ εἰς τ' ἀποθήκην] Ità Matth. 6. 26. & 13. 30. Heſychius, Ἀπολέσει, συνάγει εἰς τὰς ἀποθήκας. Contra apud Eundem, Ἀσυναγώγους, ἃ μὴ συναγόμενα, ἐξεβλημένα. Græcis ζυνάγειν iſtud eſt & συνομολογεῖν. Sophocles Ajace. μὴ συγκομιζέτω· ubi Scholia, θαπτέτω· ἀπὸ τ' συναγομένων καρπῶν εἰς τὰς ἀποθήκας· ἐπ' ἐνίων γὰρ λέγεται ἡ συγκομιζειν.

Ibid. τὸ δ' ἄχυρον κατακαύσει] Virgilius,

Atque leves ſtipulas crepitantibus urere flammis.

Vide Joh. 15. 6. Varro de Meſſoribus Umbriæ, 1. 50. de R. R. *De ſingulis* (manipulis) *ſecant inter ſpicas* & frumentum. *Spicas conjiciunt in corbem, atque in aream mittunt, ſtramenta relinquunt in ſegete, unde tollantur in acervum.*

Ibid. πυρὶ ἀσβέστῳ] Gloſſarium, Ἄσβεστον πῦρ· *inextinguibile ignis.* πῦρ ἀσβεστεῖον κρεῖττον, Philoſtratus 3. 1. dixit. Cæterùm quòd hoc loco, τ' σῖτον εἰς τ. ἀποθ. συνάγ. τὸ δ' ἄχ. κατακαύσει, apud Matthæum 13. 48. in re piſcatoria eſt, ζυνελέγαν τὰ καλὰ εἰς ἀγγεῖα, τὰ δ' σαπρὰ ἔξω ἔβαλον. Heb. 6. (itidem ut heic, in re ruſtica) εὐλογίας ἀπὸ θεῦ λαμβάνειν, & contrà, κατάρας ἐγγὺς εἶναι, καὶ τὸ τέλος εἰς καῦσιν ἔχειν. Et ut heic in Electionis & Reprobationis argumento habes Agricolæ, ſic Matth. 25. 32. Paſtoris typum.

Com. 18. Πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἕτερα, &c.] Sic Joh. 20. 30. πολλὰ μὲν καὶ ἕτερα.

Ibid. παρακαλῶν] Vide ad 1 Tim. 6. 2.

Ibid. εὐηγγελίζετο τ' λαὸν] Conſtructio, quam in ſacra pagina tantùm, & apud unum Chariclidem inveniri ait Thomas Magiſter.

Com. 19. περὶ Ἡρωδιάδ', &c. καὶ περὶ πάντων ὧν ἐποίησε πονηρῶν] Simile loquendi genus Judæ com. 15.

Com. 20. Προσέθηκε καὶ τοῦτο, &c.] Plane ſimile de eodem illo Lucæ noſter Act. 12. 3. ubi & προσέθετο.

Ibid. καὶ κατέκλεισε τ' Ἰωάννην ἐν τῇ φυλακῇ] Intellige, cum vinculis. Marcus in hac hiſtoria, Ἔδησεν αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ concisè, pro ἔκλεισεν αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ δεσμοῖς ἐπτὰ ἐμβύμβοις. *In carcere poteſt quis eſſe, nec tamen vinctus dici, niſi corpori ejus vincla ſint adhibita,* ait l. 216. ff. de V.S.

Com. 21. ἀντεχθλιῶσι τὸν ἀγωνὸν] Vide Act. 7. 56. Ovidius,

A media tacitum regione dehiſcere capit.

Com. 22. ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς] Horatius ad Mecænatem,

—— *Ego quem vocem Dilecte,* &c.

id eſt, ἀγαπητὲ, vel ἠγαπημένε.

Ibid. ἐν σοὶ ηὐδόκησα] *In te obtlecto*, vel *obtlectavi me*, ut Matthæum vertimus: nec aliter ad eum locum Euthymius.

Com. 23. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν (ὡς ἐνομίζετο) υἱὸς Ἰωσὴφ] Locus difficilis, & in quo plures exercuerunt ſe. Aut fallor, aut puram putam lectionem expediendi rationem inveni, idque minimâ licentioſitate. Eſt autem ratio ea ut tollamus parentheſeos notas, & ὤν, non ὡς legamus: Καὶ ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡ. ἐ. τ. ἀ. ὢν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ. Sinceram autem hanc eſſe lectionem faciam planum ex duobus alis ipſius Lucæ locis, in quorum poſterioribus membris (poſtquam in prioribus, iiidem ut hoc in loco, τὸ ἦν præceſſerat) eodem quo heic modo ponitur relativum illud. Alter eſt Act. 7. 20. ubi ſic de Moſe ait, ἦν ἀστεῖος τῷ θεῷ, ὃς ἀνετράφη μῆνας τρεῖς, &c. Alter autem (qui & adhuc ſimilior, quia & ibi, æque ut heic, de ætate mentio,) eſt Luc. 2. 37. ubi ſic de Anna, Καὶ αὐτὴ (τὸ ἦν præceſſit autem com 36.) ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, ἥ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τ' ἱερεῦ, &c. Neque dubito quin & alii id genus loci attente legentibus occurſuri ſint. In quibus (ut nec id taceam) pronomen relativum illud particulæ connectentis ἢ vim habere videtur. Ità & in l. 13. ff. de his quæ ut indig. aufer. *Mavius in adulterio Sempronia damnatus, eandem Semproniam non damnatam duxit uxorem: qui moriens heredem eam reliquit:* i. e. *& moriens h. e. r.*

Ibid. ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ] Euthymius ad Joh. 1. illud, JESUM FILIUM JOSEPH. *Adhuc enim filius ejus eſſe putabatur.* Scholiaſtes ad Apollonii β'. de Amyco Bebrycum Rege, Ἐνομίζετο ἢ Τυφωῶς, ἢ Γῆς υἱός. Terentius, Andr. 4 5.

Semper enim dicta ejus hæc atque habita eſt ſerox.

Non ineptè autem de Jeſu, etſi Dei filio, dictum, *filius Joſephi putabatur.* Ità & in Romano Jure, *Pater is eſt quem nuptiæ demonſtrant.*

DE

DE
CAINANE ARPHAXADI
Filio, ejúſque Temporibus,
JACOBI USSERII ARMACHANI
DISSERTATIO.

PRæter *Cainanem* illum, Enoshi filium, inter Veteris Mundi Patriarchas celebrem, Gen. 5. 9. duo ejuſdem nominis alii poſt Diluvium in edit. Græca adjecti leguntur, quos Moſes omnino non agnoſcit: Semi dictus filius unus, Geneſ. 10. 22. Arphaxadi verò alter, Geneſ. 11. 12. in Chriſti genealogia Lucæ 3. 36. pariter commemoratus. Quæ apparens inter Lucam & Moſem diſſonantia perplexam illam quæſtionem excitavit, cui ſolvendæ imparem ſe fuiſſe Beda profitetur, in Præfatione Comment. ſuorum in Acta Apoſt. difficultatis rationem ſic exponens; *Lucas teſtimoniis Græcis utitur potiùs quàm Hebraïs. Ex quo accidit, quod maximè miror, & propter ingenii tarditatem vehementiſſimo ſtupore perculſus neſcio perſcrutari, quâ ratione cùm in Hebraica veritate à Diluvio uſque ad Abraham decem tantùm generationes inveniantur, ipſe Lucas, qui Spiritu S. calamum regente nullatenus falſum ſcribere potuit, undecim generationes, juxta LXX Interp. adjecto* Cainan, *in Euangelio ponere maluit:* & in Enarr. Euangelii ſecundùm Lucam, *Scite ergò B. Lucam hanc generationem* (Cainan) *de LXX Interp. edit. ſumpſiſſe; ubi ſcriptum eſt, quòd Arphaxad* 135 *annorum genuerit* Cainan, & Cainan *cùm* 130 *fuerat annorum genuerit Sela. Sed quid horum ſit verius, aut utrumque verum eſſe poſſit, Deus noverit.*

Quæ tanti viri modeſtia inconſideratam Antonii Contii temeritatem ſatis redarguit, qui hinc occaſione arreptâ, in Notis ad 2 cap. Chron. Nicephori CP. contra Hebraicæ veritatis defenſores ità debacchatur. *Cùm computationi LXX Interp. ſuffragetur D. Luca Euangeliſta genealogia à Chriſto ad Adamum replicata, nefas duxit tam Græca quàm Latina Eccleſia Hebraicam ſequi numerationem, ac non potiùs eam amplecti quæ ex Euangelio auctoritatem accipit. Sunt nunc novi Pſeudochriſtiani & Hebraïſantes moleſtiſſimi, qui Judaicâ obſtinatione & nudâ literarum atque apicum auctoritate freti, adverſùs divinam LXX Interp. Tranſlationem & cum Tranſlatione conjunctam prophetiam, & Hebraicorum mendorum emendationem, quotidie blaſphemant.*

Latinæ verò Eccleſiæ uſum, in Notis ad præcedens Nicephori capitulum, ità ille confirmaverat. *Eccleſiæ Occidentales Chronographiam ex vetere Lxx Interp. edit. meridiem retinuerunt: ut teſtantur Beda, Iſidorus, autor Faſciculi temporum, Hugo & alii paſſim autores. Sed & argumentum hujus rei evidentiſſimum præbent Tabulæ quæ quotannis in Eccleſiis Cathedralibus Franciæ cum cereo Paſchali publicè proponuntur.* Neque interim animadvertit, & Bedam in Martyrologio (nam extra illud, ubi de Temporum ratione ex profeſſo agit, Hebraicam illum veritatem ſecutum eſſe conſtat) Iſidorum, & minorum illos gentium ab eo nominatos autores, ipſaſque illas ab eo productas Tabulas Eccleſiaſticas, ejuſmodi ex Lxx edit. petitam Chronographiam retinuiſſe, quæ *Cainanem* tamen (in quo tantopere Contius ſeſe jactitat) ejúſque annos prorſus è medio ſuſtulerit. Talem enim, ab Euſebio acceptam, numerandi annos Mundi rationem non Martyrologia ſolùm, Romanum, Uſuardi, Rabani, Adonis & aliorum (ad diem 25 Decemb.) uſurpârunt; ſed Latini etiam Chronologi & Hiſtorici, Hieronymus in Chronico, Oroſius, (lib. 1. cap. 1.) Idacius, Victorius in Paſchali computo, Proſper, Victor Tununenſis, Marcellinus Comes, Caſſiodorus, Iſidorus, Gregorius Turonenſis, (lib. 1. hiſt. Franc. c. 7.) autor appendicis ad Aimoin hiſtoriam adjectæ (lib. 4. cap. 54.) Ninius in hiſt. Britonum: quibus & ille addatur qui de Mirabilibus S. Scripturæ ſcripſit, (lib. 2. cap. 4. in 3 tomo operum Auguſtini) & quotquot alii vel à Diluvio ad Abrahamum annos 942. vel ab Adamo ad Chriſtum annos 5199 numeraverunt. Ità enim Hermannus Contractus in Chronico ſuo, Dominum noſtrum natum ſcribit, *tranſactis ab initio Mundi ſecundùm Hebraicam veritatem annis* 3952, *ſecundùm Lxx Interpretes* verò 5199: & 250 poſt eum annis, Bartholomæus Cottonius Norwicenſis monachus, in Angliæ hiſtoriâ. *Ab origine Mundi*, inquit, *uſque ad annos gratiæ* 5199. *quicquid alii dicunt; quorum redarguitur contradictio & varietas.*

Unde, cùm hi qui in aliis Lxx Interp. ſupputationem ſunt ſecuti, in annorum *Cainanis* adjectione illos dereliquerint, eos ſatis mirari non poſſumus, qui in aliis textûs Hebraici calculum amplexati, in *Cainanis* ſolius annis ſequendos ſibi Lxx cenſuerunt. Itaque argumenta, quibus ad id faciendum ſunt inducti, jam expendenda veniunt: quorum primum, & omnibus commune, eſt hujuſmodi. Si generatio Cainanis inter Arphaxadum & Salam ſit interponenda, annorum illorum numerus, quibus ante genitum Salam vixit Cainan, ad Hebraicam Chronologiam neceſſariò eſt adjiciendus. Sed generatio Cainanis inter Arphaxadum & Salam eſt interponenda. Ergò annorum illorum numerus, quibus ante genitum Salam vixit Cainan, ad Hebraicam Chronologiam neceſſariò eſt adjiciendus.

Propoſitionem verò illam hypotheticam docti quidam negant, &, admiſsâ Cainanis interpoſitione, numerum tamen annorum Hebraicæ Chronologiæ idcirco neceſſariò eſſe augendum minimè concedunt. Ut enim in Chriſti genealogia, Matth. 1. 8. Joram dicitur genuiſſe Oziam, quamvis proximè Ochoziam ille genuerit, Oziæ proavum; ità & dici potuiſſe, ab Arphaxado genitum fuiſſe Salam, Geneſ 11. verſ. 12. ut ab avo nepotem; intercedente proximo Arphaxadi filio, *Cainane.* [Luc. 3. 36.] *Quòd ſi verè Arphaxad*, ait Genebrardus, Chronic. anno Mundi 1659. *genuit* Cainan, *deinde* Cainan *Selam: genuit* Cainan *anno* 18. & Cainan *Selam anno* 17. *Quâ ratione Sela natus eſt ipſi Arphaxad cùm Arphaxad ageret* 35 *annum*; ſicut in textu habetur Hebraico. Ubi ſi quis cum doctiſſimo Spanhemio Dub. Euangelic. part. 1. dub. 23. ſect. 29. nobis objiciat, non agi hic περὶ τῶν δυνατῶν ſed περὶ τῶν ὄντων, non *de poſſibilibus* ſed *de geſtis*, meminiſſe illum oportebit, non opponentium partes nunc à nobis ſuſcipi, (quibus à *poſſe* ad *eſſe* argumentari non eſt licitum) ſed reſpondentium, & quidem ad conditionatam propoſitionem reſpondentium; cujus negandæ ſufficiens redditur ratio, cùm fieri poſſe oſtenditur ut illud non contingat quod hypotheſi ſuâ admiſsâ diſputator neceſſariò indè conſequi affirmaverat. Atque ità negatæ Propoſitionis probabili (& à Fr. Gomaro, in libello de Genealogia Chriſti cap. 2. probatâ) ratione redditâ, Aſſumptionis refutationem à Petro Poſſino Dialiactic. Theogenealogic. caput. 2. hiſce verbis propoſitam ſubjicere pergimus, *Magnis viris aſſentior, Abulenſi, Eugubino, Cajetano, Cornelio Janſenio Epiſcopo Gandavenſi, Sixto Senenſi, Genebrardo, Benedicto Pererio, Cornelio à Lapide, Dionyſio Petavio, aliiſque antiquioribus & recentioribus multis, Nullum unquam fuiſſe inter homines* Cainanum

qui Arphaxad quidem filium, Salei verò pater exſtiterit. Id invicto argumento conficere mihi videor affirmatione diſertâ Moſis genitum ab Arphaxado Saleum narrantis. Quod teſtimonium quin prout ſonat ac prout jacet accipiendum ſit, cauſa nulla idonea poteſt afferri. Si ergò cum idem Moſes eodem loco genitum aut à Semo Arphaxadum, aut à Saleo Heberem, divinâ quâ valuit autoritate revelaſſe nobis creditur, propriè & ajuſque Heberem Salei fuiſſe Patrem, Semo Arphaxadum Pelium; adeò ut qui proferre auderet alios quoſdam quorum generatio media inter iſtos fuerit, convicio repellendum videretur, tanquam temerarium & lumini rebellis, Divina, inquam, revelationis per Moyſen S. Spiritûs interpretem nobis oblata contemptor contumax: non video quin ſupereſſe locus poſſit iſti de inſititio Cainano *ſententia.*

Adjiciantur his & B. Pererii illa, in Geneſ. lib. 16. ſect. 174, 175. *Sic cum animo meo reputare ſoleo; Aut hæc generatio Cainan ignota fuit Moſi, aut nota. Ignotam fuiſſe Moſi, qua perfecta fuerit & cognita Lxx Interp. quis audeat dicere? cum Moſes tantò propior quàm illi fuerit illi ætati, ſoliuſque illorum temporum Hiſtoriam tanta cum diligentia & cura conſcripſerit. Sin autem ea generatio nota fuit Moſi, cur igitur eam prætermiſit? præſertim autem cum ejus generationis vel adjectio vel detractio non parum variet Chronologiam quæ inter Diluvium & Abraham à Moſe deſcribitur: quam quidem Chronologiam voluiſſe Moſem integre, exacte ac perfectè tradere, illud eſt clariſſimum indicium, quod ſeriem generationum quæ fuerunt inter Diluvium & Abraham diſtinctè & accuratè percenſeat, & ſuos cuique generationi annos ſubtiliter computatos propriè aſſignet. Qui fit igitur credibile Moſen, generatione* Cainan *prætermiſſâ, vitioſam nobis Chronologiam aut voluiſſe tradere aut, cùm minimè vellet, inſcienter tamen tradidiſſe? Equidem diu multumque cogitans nullam rationem (quæ mihi animum expleret) reperire potui, cur Moſes generationem* Cainan, *ſiquidem ea inter Arphaxad & Sale interceſſit, præterire debuerit aut potuerit. Nam quod ajunt quidam voluiſſe Moſen generationes quæ fuerunt ante & poſt Diluvium ad duas tantum decades redigere; id nec probari ab iſtis poteſt, & leve ac futile eſt, nec tale ut propter id debuerit Moſes Chronologiam (cujus exacta cognitio magni erat momenti) perturbare atque confundere. His adde, quod ſaltem in libro Paralipomenon, in quibus ſupplentur quæ alibi in Sacris literis derelicta fuerant, unde nomen etiam illi habent, commemorata fuiſſet generatio hæc* Cainan: *ſiquidem in exordio prioris libri Paralipomenôn ſeries generationum quæ fuerunt ante & poſt Diluvium ſimiliter atque hîc recenſentur; nec ullum tamen verbum ſit de generatione* Cainan.

Huc accedit, quòd Cainanem iſtum nec Onkeloſius Paraph. Chaldæus agnoſcat, nec F. Joſephus in 1 libro Originum cap. 7. neque Beroſus Chaldæus, in ſequente capite ab eodem citatus, μὴ καταλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ, *poſt diluvium undecimâ generatione*, Abrahamum fuiſſe ſignificans; uti & cum eo Eupolemus ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων, ab Alexandro Polyhiſtore (apud Euſeb. lib. 9. Præp. Euangelicæ) productus. Quem denarium, ſecluſo *Cainane*, generationum numerum *Beroſum & Eupolemum ab Hebræis, quia clade decem tribuum toto terrarum orbe ſparſi fuerunt, haud dubiè didiciſſe* Salianus affirmat, Præfat. in 3. tom. Annal. Quibus tamen omnibus autoritas LXX primùm, deinde Lucæ Euangeliſtæ, ab ipſo Saliano & aliis hîc opponitur.

In V. enim editione Græca, quæ LXX nomen præfert, locus ille 11 cap. Gen. ità legitur, Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τεσσαρακονταπέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸ Καϊνάν. Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ μετὰ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Καϊνάν, ἔτη τετρακόσια, καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανε. Καὶ ἔζησε Καϊνὰν ἑκατὸν καὶ τριάκοντα ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλά. Καὶ ἔζησε Καϊνὰν μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σαλὰ, ἔτη τριακόσια καὶ τριάκοντα, καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανε, *Et vixit Arphaxad* 135 *annos, & genuit* Cainan. *Et vixit Arphaxad poſtquam genuit* Cainan *annos* 400, *& genuit filios & filias, & mortuus eſt. Et vixit* Cainan 130 *annos, & genuit Sala. Et vixit* Cainan, *poſtquam genuit Sala, annos* 330, *& genuit filios & filias, & mortuus eſt.* Licet in annis Arphaxadi poſt genitum Cainanem, pro 400 quos ex Gr. edit. Romana poſuimus, Lat. Fl. Nobilii verſio habeat 300. Aldina & Germanicæ ed. cum omnium antiquiſſimo exemplari Cottoniano, Syro meo Chronographo & Faſtis Siculis, 330. Georgius Syncellus 355. Arabicus meus Geneſeos interpres 363. Complutenſis, cum Alexandrino quem in Anglia habemus codice, 430. Tanta Græcæ lectionis hîc eſt inconſtantia. Sed & in annis qui *Cainani* tribuuntur poſt natum Salem, licèt in nonnullis exemplaribus 330 legi notet Georgius Syncellus Chronic. pag. 115. ipſe tamen ea ſequitur quæ 430 legunt: quod & à Syro meo Chronographo (cui Georgio quoque nomen fuit) eſt factum. Nam Arabicus meus Geneſeos interpres hîc etiam ut in Arphaxado, & Sala, 363 habet.

Ad argumentum hinc deductum jam reſpondendum eſt; quod eſt hujuſmodi. Si in Lxx Int. ed. *Cainan* inter Arphaxadum & Salam reperiatur interpoſitus, repudiari ille omnino non debet. Sed verum eſt antecedens. Ergò & conſequens.

Propoſitionem iſtam connexam nos ſimpliciter negamus. Fruſtrà enim Salianus nobis hîc occinit, *potuiſſe illos Lxx viros, qui non meros agebant interpretes ſed prophetas, quique Spiritum illum Scripturarum autorem inhabitantem habebant, ut plerique S. Patrum ſcripto prodiderunt, non ſolum ea in Græcum ſermonem convertere quæ in Moſe reperiſſent, ſed ſupplere etiam quæ ab illo juſtâ quidem, parum tamen nobis explicatâ ratione fuiſſent prætermiſſa: nec magis dubitandum eſſe eos* Cainan *in vertendo Moſe ſupplere potuiſſe, quàm Spiritum ipſum S. qui per eorum ora loquebatur.* Qui ſi attentiùs conſideràſſet, divinâ Græcæ illius ed. autoritate ſemel admiſsâ, Vulg. ed. Latinam à Concilio Tridentino Authenticam declaratam totam eſſe corruptam cogi ſuos fateri, cum ſocio ſuo Bellarmino de verbo Dei, lib. 2. cap. 6. pronunciaturus potiùs fuiſſet, Patres illos qui ſcripſerunt Lxx dictante Spiritu S. feciſſe quod fecerant, *pie quæſiviſſe rationes excuſandi & defendendi eam Verſionem, quâ tunc Eccleſia utebatur*, & cum Martino Martini Hiſpano Theologo Hypotypoſeon Theologicar. lib. 1. cap. 4. *Hieronymum in Prophetis crebrò illorum* (Lxx) *negligentiam carpſit, interdum affirmans literarum ſimilitudine fuiſſe deceptos, interdum non ſatis intellexiſſe quod transferebant. Denique nullibi non admit iis Spiritum S. nec immeritò profectò. Quare, ſi me judice tranſlatio Græca cum noſtra* (vulgata Latina) *de primatu contenderet, non dubitarem primas noſtræ tranſlationi deferre, & fateri longo intervallo illam à noſtra fuiſſe ſuperatam. Nec adduci poſſum ut credam ullum tam ſtupidum, dummodo illas inter ſe & cum Hebraico contulerit, qui de hac re dubitare poſſit & nobis refragari.*

Atque in his etiam inſtitii *Cainanis* patronis verum eſſe illud deprehenditur, quod à Beda olim eſt obſervatum in Præfat. lib. De ratione Tempor. *hos qui Lxx magnis diviniſque laudibus ad cælos tollunt*, breviorem tamen annorum Mundi ſummam in textu Heb. & ed. vulg. Latinâ traditam ſequi non dubitare, quod & à D. Petavio ſic illis videmus eſſe objectum. *Illi ipſi, ſicubi commodum eſt, Lxx ſuos faceſſere jubent, aut eorum codices depravatos eſſe defendunt. In duplici genealogiarum ordine, quem ab Adam ad Diluvium, & à Diluvio ad Abrahamum Moyſes perduxit, ſcimus quàm diverſi ſint Græcorum calculi ab Hebraicis & noſtris. Neque verò recens eſt diſcrimen iſtud, ſed ab antiquiſſimis notatum Scriptoribus; ut proinde mendi non niſi levis poſſit eſſe ſuſpicio. Hîc illi, qui Græcos Interpretes tanti faciunt, & Prophetas appellant, ab eorum rationibus diſcedunt nihilominus, eaſque falſas & conturbatas eſſe non dubitant. Quare cur non idem & in* Cainani *nomine uſurpare nobis liceat, & Græcis illis codicibus Hebræorum ac Vulgata noſtra editionis autoritatem præferre?* lib. 9. de Doct. Temporum, cap. 17.

Quin & in *Cainanis* ipſius temporibus conſignandis LXX ſuos deſerere iſti deprehenduntur. Cùm enim Marianus Scotus, qui omnium primus, Hebræorum in cæteris retento calculo, *Cainani* in Mundi Chronologia contexenda locum dedit, ed. Græcam ſimpliciter ſecutus, Arphaxado ante genitum *Cainanem* 135. *Cainani* ante genitum Salam 130 annos tribuiſſet; 200 totos eo ex numero annos ſubducendos novi noſtri cenſuerunt temporum arbitri, Bellarminus, Gordonus, Torniellus, Salianus, Samerius, Harvillæus, Henricus Philippi, & alii; cum Pererio ſcilicet lib. 16. in Geneſ. cap. 11. ſect. 183. ſtatuentes, *additionem illam centum annorum ad annos quos habent Heb. & Lat. codices, mendoſam eſſe, nec à Lxx profectam, ſed vitioſè in tranſlationem eorum aliunde infuſam.* Atqui centum annorum illa additio in omnibus conſtanter non eſt obſervata; ut in Jaredo, Mathuſâla, Lamecho & Nachore videre licet: Compl. enim, & eam hîc ſecuta Rom. ed. quæ Nachori ante genitum Tharam 179 annos pro 79 adſcribit, planè vitioſa eſt. Deinde & minoris numeri in annis *Cainanis* inconſtans reperitur lectio. Jornandes enim in libro De regnorum ſucceſſionibus, & Georgius Syrus in Chronologicis ſuis tabulis, *Cainani* ante natum Salam annos 135 tribuunt. Et licèt vulgatum 130 annorum numerum Georgius Syncellus præferat; in aliis tamen codicibus 139 fuiſſe lectum ſimul

ſimul agnoſcit, ità hæc de re ſcribens; Chronic. pag. 168. Ἡ δὲ τοῦ Γενέσεως πρώτη Μωυσέως βίβλος τῷ ἑλ' ἔτει αὐτῷ φησι τὸν αὐτὸν Καϊνᾶν γεγεννηκέναι τὸν Σάλα ἐν τοῖς ἡμεδαπωτέροις τῶν ἀντιγράφων, ὡς καὶ ἡμεῖς ἰσορρωπήσαμεν· ἐν τισι δὲ τῷ ρλθ' φέρεται αὐτῷ Καϊνᾶν, *Primus autem Geneſeos à Moſe conſcriptus liber in accuratioribus exemplaribus* Cainanem *anatis anno* 130 *Salam genuiſſe refert, quemadmodum & nos ſupputavimus. In quibuſdam enim, anno* 139 Cainanis *natus ille fuiſſe fertur.* Quam poſteriorem lectionem autores Conſtantinopolitani Computi, à Græcis & Moſcovitis hodie recepti, qui ad annum Mundi 5509 Chriſti natalem retulerunt, ſecutos fuiſſe confirmat Scaliger Canon. Iſagogic. libr. 3. part. 2. cap. 1. epoch. 2. Ut nullo certo argumento conſtare nobis poſſit, utrùm ad Chronologiam Mundi conſtituendam aſſumendus hic à nobis fuerit annorum 30, 35, aut 39. vel etiam 130, 135, aut 139 numerus. Cùm enim centenariorum annorum illa additio non in noſtris ſolùm ſed in antiquiſſimorum etiam Chriſtianorum Patrum codicibus, iiſque etiam qui ante Chriſti tempora ſunt exarati, (ut ex Demetrii Chronologia poſtea oſtendetur) locum obtinuerit; cur eam magis quàm hanc de Cainane totam laciniam, *vitioſe in tranſlationem τῶν Lxx aliunde infuſam* fuiſſe dicamus, nullam poſſumus rationem reddere idoneam.

At negat Salianus Præfat. in 3. tom. Annal. *fuiſſe quempiam aliquando mortalium tam effuse temerarium, aut audaciam tam projectæ, qui non unam aliquam commutare vocem in SS. codicibus, ſed integram hoc loco periodum inſerere atque infercire auſus fuerit:* multúmque hic ille rhetoricatur, pluribus ea urgens quæ à ſocio ipſius Henrico Philippi quæſt. Chronologic. 1. in Geneſ. cap. 11. hiſce interrogatiunculis ſunt comprehenſa, *Qua vel Lxx vel aliorum audacia tanta eſſe potuit, quæ non modò nomen* Cainan, *ſed & annos, quos ante, quos poſt genitum filium vixiſſe memoratur, in ſacrum textum inſtrueret, ſi* Cainan *nunquam exſtitit? Qua malitia, quæ ſpes utilitatis aut Lxx, aut eorum æmanuenſes potuit ad hoc mendacium impellere, tam diſertis verbis toties nomine repetito, tam accuratis annorum numeris concinnandum?* Sed quid verba audiam, cùm facta videam? & tot aliarum periodorum & capitulorum aliquando pluribus periodis conſtantium tum additiones tum detractiones in Græca iſta editione alibi occurrant, quarum cauſa nulla reddi poteſt præter merum ipſius ſcriptoris arbitrium? cùm prætermiſſorum tantum eſſe numerum confirmet Hieronymus, ut *ſi ea vellet cuncta digerere non libro ſed libris opus futurum* dicat lib. 3 Commtent. in Jerem. cap. 17. atque additamenta, vel in uno Eſtheræ volumine, tanta & talia ab Origene in epiſt. ad Julium Africanum ſint notata, ut propter ea *liber hic, quamvis Hebraicus & Hebræis receptus, ſerò admodum apud Chriſtianos Canonicam auctoritatem receperit?* Sixt. Senen. Bibl. ſanct. lib. 1. ſect. 2.

Ad Aſſumptionem jam veniendum eſt; & videndum, an in germana Lxx ed. *Cainan* inter Arphaxadum & Salam fuerit interpoſitus. Ubi primitiva primùm Moſaicæ Pentateuchi verſio, quæ Hebraico textui exactiſſimè reſpondebat, (ut in noſtro de Lxx ed. Syntagmate eſt oſtenſum) & conſequenter *Cainanem* iſtum inſititium (neque ab Hebræis neque ab eorum ſequace Beroſo Chaldæo illis temporibus agnitum) habere non poterat, à liberiore illa totius Veteris inſtrumenti interpretatione eſt ſecernenda, quæ poſt 4 Ptolemæi Philometoris annum (ut ex fine libri Eſtheræ liquet) concinnata, procedente tempore Lxx locum & nomen obtinuit. De poſteriore deinde illa ex Hieronymo, epiſt. 135. ad Sun. & Fretel. eſt ſciendum, *aliam eſſe editionem quam Origenes & Cæſarienſis Euſebius omnéſque Græcia tractatores* Κοινὴν, *i. Communem, appellant atque Vulgatam, & pleriſque* Ἀνταναὶς (vel Ἀνταναΐς) *dicebatur; aliam Lxx interpretum, quæ in ἑξαπλοῖς codicibus reperiebatur.* Et quidem Κοινὴν *iſtam, h. e. Communem editionem, ipſam eſſe quæ & Lxx: ſed hoc intereſſe inter utramque, quod* Κοινὴ *pro locis & temporibus, & pro voluntate ſcriptorum veterum corrupta editio eſt; ea autem quæ habebatur in ἑξαπλοῖς, ipſam eſſe quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata Lxx Interpretum tranſlatio reſervari* credebatur. In communi illa, tum vetere, quæ ante Origenis tempora erat in uſu, tum novâ à Luciano martyre interpolatâ, *Cainanem* interjectum fuiſſe agnoſcimus, eo quo ſuprà ex vulgatis libris propoſuimus modo. In altera verò, quæ incorrupta & immaculata Lxx editio à doctis cenſebatur, quámque in Alexandrina Cleopatræ bibliotheca repoſitam, & in Ægypto, Paleſtina & Syria tum receptam, Hexaplis ſuis Origenes inſerendam curavit, *Cainanem* locum habuiſſe negamus, atque ità textum Moſaicum repræſentatum fuiſſe defendimus, Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σαλὰ ἔτη τριακοντατέσσαρα, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλά. Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ μετὰ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σαλὰ, ἔτη τριακόσια καὶ τεσσαράκοντα (al. τεσσαρακοντα,) καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανε. *Et vixit Arphaxad* 135 *annos, & genuit Sala. Et vixit Arphaxad, poſtquam genuit Sala, annos* 403. (al. 303.) *& genuit filios & filias, & mortuus eſt.*

In Communi editione τῶν Lxx Origenes *Theodotionis editionem miſcuit, aſteriſcis deſignans quæ minùs fuerant, & virgulis quæ ex ſuperfluo videbantur appoſita*, ut in epiſtola 107 ad Chromatium habet Hieronymus: ubi & codices iſtos ab Origene elaboratos Paleſtinis ſuis Euſebium & ſodalem ejus Pamphilum tradidiſſe ſignificat. Hic verò Origenes ea quæ ad *Cainanem* ſpectant uti invenit, ità & reliquit, ſed virgulâ ſive obeliſco prænotata: quod ex illis Procopii Gazæi in Geneſ. cap. 11. intelligimus. *Hebraica veritas habet Salam genitum eſſe ab Arphaxad. Quæ deinde in medio ponuntur obeliſco ſignata viſuntur.* Ipſe verò Euſebius, in priore Chronici ſui libro, annos Patrum ex triplici textu, Hebræo, Græco & Samaritano, recenſens, (Georg. Syncell. pag. 86, & 169.) in nullo eorum *Cainanem* poſuit; ſed in eo etiam qui eſt κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα *juxta Lxx interpretationem* Arphaxadum annos 135 natum genuiſſe Salam commemorat. Quod magnopere ſe mirari Gregorius Syncellus dicit, *lectos per omnes Chriſti Eccleſias ſacros Geneſeos libros* Cainanem *habere* affirmans, & ob illum prætermiſſum, tum Euſebium tum alium quendam ætate ſuâ vetuſtiorem erroris coarguens. Ignorabat enim ille, quod Euſebio probè erat cognitum, diſcrimen inter Communem & ſinceriorem illam τῶν Lxx editionem quæ in Hexaplis fuerat: ex quibus, in Cæſarienſi Bibliotheca à Pamphilo ſuo repoſitis, illam annorum Mundi ſeriem ſeligendam putavit quam germanæ Lxx Interpretum ſententiæ magis congruentem eſſe judicavit.

Neque alicujus eſt momenti quod ab Henrico Philippæo opponitur, Euſebium quidem *aliquando diſſimulare* Cainan: *ſed cùm eum alibi exprimat, negaſſe non eſſe cenſendum.* Fefellit enim hic eum ſocius ipſius Jacobus Salianus: qui in 3 Annalis Proœmio, hoc ex Latina Euſebii Chronici verſione, in præfatione cujus eſt initium, *Incipium tempora*, confirmat; atque locis aliquot pro *Cainane* facientibus ex putido illo Excerptorum Barbarolatinorum libello, à Scaligero edito, deſcriptis, ex illis videre nos poſſe concludit *pro qua ſententia Euſebius ſtare cenſendus ſit:* quaſi qui aliquid omnino videt, Excerpta illa non ex Euſebio ſolo, ſed ex aliis etiam ab Euſebii chronographia ſummè diſſentientibus, deſumpta fuiſſe ignorare potuerit: & alteram illam præfationem (ut eam Saliano appellare libuit) *aut alius auctoris eſſe, aut pauca Euſebiana intermixta* habere, ipſe Scaliger non monuerit Animadverſion. Euſebian. pag. 10. a. & illud ad præſentem cauſam attinere ſatis non evicerit, quòd in ea *ab anno Diluvii uſque ad nativitatem Abrahæ anni* 1072 numerentur; cùm Euſebius, tam *juxta Septuaginta interpretationem* κατὰ τοὺς ὁ ἑβδομήκοντα, quàm juxta textum Samaritanum, à Diluvio uſque ad primum annum Abrahæ annos 942 ſupputaverit. [Georg. Syncell. Chronic. pag. 86, 87, & 88.] Cúmque in omnibus ſuis epilogiſmis hunc numerandi modum Euſebius conſtanter retineat, & per eum *Cainanis* annos à ſua Chronologia penitus excludat, atque ob hoc ipſum non à Georgio Syncello ſed etiam ab illo longè antiquioribus Chronographis Alexandrinis, Aniano & Panodoro (ibid. pag. 35, 36.) reprehenſum eum fuiſſe conſtet: temeritatis certè notam illi effugere non poſſunt, qui vel Euſebium *Cainanem* agnoviſſe affirmaverint, vel ab edit. τῶν LXX quam ille ſequendam propoſuerat *Cainani* generationem abfuiſſe negaverint.

Sed & ante Euſebium Origenis æqualis Julius Africanus, cui ad Bibliothecam Alexandrinam (in qua authenticum erat editionis illius, quæ tum germanam Lxx interpretationem continere credebatur, exemplar) continuus patebat acceſſus, prætermiſſo *Cainane*, (ibid. pag. 86.) Arphaxadum annos 135 natum genuiſſe Salam, & ab Adamo uſque ad mortem Phalec annos 3000 fluxiſſe memorat. A Mundi enim initio annos 2262 uſque ad nativitatem Arphaxad (neglecto, ut alibi eſt dictum, biennio poſt Diluvium) ille numerat. Quibus additi anni 130 Salæ ante natum Eberum, & Eberi 134 ante natum Phalegum, cum integræ vitæ Phalegi annis 339 (tot enim in Græcis codd. illi tributos invenimus) ſimul annos 3000 conficiunt. In Hexaemeron, pag. 55. Καὶ ὁ Θεοφίλου ἐπίσκοπος ἐτῶν τῆς τοῦ κόσμου διαμονῆς εἰς δύο διαιρεῖται χιλιάδας· τελειοῦται γὰρ ἐπὶ τῷ χιλιοστῷ αὐτοῦ ἔτει τὸ τοῦ κόσμου ὑπαρξέως ἔτη ἑπτακισχίλια. *Et qui Mundi durationis annorum numerus eſſe exiſtimatur,*

hinc in duas partes æquales est divisus. Ex quo enim ille est natus, anni Mundi condit ter mille elapsi sunt: ut apud Eustathium Patriarcham Antiochenum legitur; γενέσει proculdubio pro τελευτῇ, *nativitate* pro *morte*, librarii vitio, substitutâ: sicut sequentia illa clarè ostendunt, Γίνεται ἓν ἀπὸ Ἀδὰμ ἐπὶ τοῦ τελευτοῦ Φαλὲκ ἔτη τρισχίλια, *Ab Adam itaque usque ad mortem Phalec anni ter mille numerantur.* Quæ etiam annorum Mundi medietas ab Hesychio in Christi natalem (apud Anastas. Nicæn. in Scriptur. quæstion. 93.) Suida in Φαλὲκ, Johanne Malelâ Antiocheno & Georgio Cedreno in Chronicis suis est constituta: loco Genes. 10. 15. & 1 Chron. 1. 19. ità accepto ac si diebus Phalegi in duas æquales partes dividenda fuissent Mundi tempora. Ejusmodi enim *divisionem* Hebraico nomine *Phaleg* significatam putabant; (sicut Danielis 7. 25. in originali Chaldaico פלג עדן *dimidium temporis*; & 9. 27. in Syriaca interpretatione פלגא שבועא *dimidiatam* vel *mediam Septimanam* denotat) & 6000 annis integrum præsentis sæculi spatium definiebant: quæ recepta fuerat apud Hebræos, Græcos & Latinos opinio; ut in Barnabæ tributa epistola, dicto illo domûs Eliæ apud Talmudicos celebri, Cabbalistico autore libri סדר in primum Geneseos versiculum, Lactantio lib. 7. cap. 14. Tichonio in Regula 5. & aliis videre licet.

Sed & Julio Africano autor antiquior Theophilus Antiochenus, lib. 3 ad Autolycum temporum epilogismum juxta Lxx instituens, omisso *Cainane* Arphaxadum Salæ patrem facit. Imò & ipsorum Apostolorum temporibus Dositheus, in textu quem interpolatum Samaritanis suis dedit Hebraico, Patrum post diluvium annis ante παιδογονίαν ex LXX editione desumptis, *Cainanem* cum suis annis prorsus prætermisit, numeratis hoc modo à Diluvio usque ad primum Abrahami (vel 70. Tharæ potiùs) annis 942. ἀπόσχ ωῦ καὶ ϗ τῶν ε', *quot erant & juxta Lxx*, ut ex Eusebio refert Georgius Syncellus, Chronic. pag. 88. Qui numerorum in Eusebianis & nostris Samaritanis exemplaribus consensus imprimis est observandus: nè quem Grotianum illud commentum in errorem inducat, quòd *Samaritani quos nunc habemus codices facti fuerint ad Græca exemplaria, ex quo Samaritani ab Justiniano coacti sunt suscipere Christianismum*, Annotat. in Levit. 17. v. 4.

Addi his poterant, præter Eusebii sequaces, etiam Josephus in Hypomnestico suo adhuc inedito, & Quintus Julius Hilarion in libello de Mundi duratione, anno æræ Christianæ 397 conscripto; qui, annorum calculo juxta L X X instituto, *Cainanis* tempora prætermiserunt. Ab argumento enim à Lxx ad gravius illud alterum à Lucæ Euangelistæ autoritate deductum, libet jam accedere: quod ità sese habet. Si B. Lucas Spiritûs S. amanuensis in Christi genealogia *Cainanem* inter Salam & Arphaxadum interponendum esse censuit; ea de re dubitandi nullus ampliùs relinquitur locus. At verum est prius, ut ex Luc. 3. 35, 36. liquet. Ergò & posterius. Ubi ad hypotheticam illam propositionem distinguendo primùm respondetur: siquidem ex propria sententia hic locutus Euangelista fuerit, veram eam esse; sin ex aliorum, non item: non magis certè quàm Melchisedecum reipsâ *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habuisse*, oportere credi, quia ex vulgò recepta sententia id Apostolus pronunciaverit, Hebr. 7. 3. *Consuetudinis* enim *Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo illo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Joseph ab ipsa quoque Maria appellabatur* pater Jesu; *ità & Herodes dicitur* contristatus, *quia hoc discumbentes putabant*, inquit Hieronymus, Comment. in Matt. cap. 14. 9. & in Jer. cap. 28. 10. *Lxx prophetam non dixere Ananiam: nè scilicet prophetam viderentur dicere, qui propheta non erat. Quasi non multa in Scripturis S. dicantur juxta opinionem illius temporis quo gesta referuntur, & non juxta quod rei veritas continebat:* atque in libro 2 adversùs Helvidium, *Euangelistæ opinionem vulgi exprimentes, qua vera historia lex est*, patrem *dixerunt Joseph* Salvatoris.

Ità igitur Euangelista Lucas, patres Salvatoris omnes, tam vulgò ità habitos quàm veros, recensendos sibi proponens, genealogiam ipsius ità exorsus, ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθὰν, *exsistens, ut putabatur, filius Joseph, filius Eli*, (patris Mariæ Deiparæ) *filius Matthan*, (nominativo illo υἱὸς in sequentibus omnibus ἀπὸ κοινοῦ repetito:) in progressu quoque ejusdem inter Christi patres & *Cainanem* nominare poterat; non quòd talis revera ipse esset, sed quòd à Judæis Hellenistis & Christianis non aliâ quàm Græca Testamenti veteris interpretatione usis, (quorum maximus erat numerus inter Abrahami majores numeraretur. Etsi enim in ea editione quæ Alexandriæ in Cleopatrina bibliotheca reposita, pro genuina LXX Seniorum postea est habita, *Cainanis* istius nullam exstitisse mentionem ostensum fuerit; in Κοινῇ tamen, sive Vulgata, quæ in communiori usu fuerat, *Cainanem* locum etiam ante Christi tempora obtinuisse, Demetrii in libro De his qui in Judæa regnaverunt Chronologia, apud Eusebium in Euangelicæ Præparationis lib. 9. ab Alexandro Polyhistore proposita, demonstrat. Ea enim, usque ad Jacobi & filiorum descensum in Ægyptum, ab Adamo annos 3624. à Diluvio 1360. (vel potiùs 1362.) ab Abrahami ex Charane in Chananæam adventu 215 dinumerans, 130 annorum *Cainanis* interpositionem necessariò requirit. Quod si à Grotio fuisset animadversum, in eam opinionem nunquam concessisset, in Luc. 3. 36. primùm *Cainanis* nomen errore quodam fuisse repositum: *deinde cum late spargi ea lectio per Lucæ exemplaria cæpisset, Græcos Christianos etiam in versione Geneseos secundum Septuaginta, inter Arphaxadum & Salam interposuisse nomen* Cainanis, *annis etiam additis, quo magis Lucæ, quem sic scripsisse arbitrabantur, sua autoritas constaret.*

Longè igitur probabilior (ut ad Assumptionis examen jam veniamus) altera est sententia, *Cainanis* nomen ex Κοινῇ sive vulgata Geneseos editione, ut in 1 lib. 1 Paralip. cap. (ubi neque in Græco codice Vaticano, neque in Bibliorum Jayanorum versione Arabica, neque in Ruthenica sive Illyrica translatione vetere, adhuc insertum illud reperitur) ità in Christi apud Lucam genealogiam fuisse transfusum. De eo, in 2 Chron. suorum lib. Christianus Massæus; *Imprimis dubium videri potest, utrum beatus Lucas ità scripserit. Quis enim audeat asseverare, quod probari non potest? Quis autem non videat potuisse contingere, ut non ab ipso, sed ab aliis Græcis post mortem ejus insertum sit, si viderint Euangelium à suis Bibliis discrepare, (quod fieri non debuisse constabat) in eo maxime loco ubi generationum series scribebatur? ubi facillime putari potuisset non voluntatem sed inadvertentiam affuisse Scriptoris?* Et, in Comment. ad 11 cap. Geneseos, B. Pererius, *Ex his rectè concluditur generationem* Cainan *non fuisse in omnibus libris Lxx. Unde probabiliter etiam conjicitur eam non fuisse traditam à Lxx, atque eos libros qui eâ generatione carebant, ut qui cum Hebraïs codicibus congruerent, veros & integros esse judicandos; eos autem qui generationem* Cainan *habebant, ut corruptos atque mendosos esse abjudicandos ac rejiciendos. Facile autem fuit, aliquem nactum libros Lxx in quibus erat generatio* Cainan, *inde eam transtulisse in Euangelium Lucæ: quod à principio non animadversum, non solum inhæsisse in uno eo libro, sed in eos postea qui usque ad hanc diem exscripti sunt esse derivatum. At enimvero, si quod de veritate librorum Lxx circa generationem* Cainan *satis bene probatum est, idem quoque de libro Euangelico B. Lucæ probaretur, equidem sententiam hanc toto assensu complecterer. Verum neque hâc ætate ullus est liber B. Lucæ qui in genealogia Salvatoris non habeat generationem* Cainan; *nec legi fuisse unquam aliquem qui diceret vel à se vel ab aliis visum esse codicem ullum B. Lucæ qui tali generatione careret.* Ità ille.

Atqui librum B. Lucæ Græco-latinum, in antiquissimis membranis, literis majusculis, sine spiritibus & accentibus descriptum ipsi vidimus, ubi in Græco, του Φαλεκ, του Εβερ, του Σαλα, του Αρφαξαδ, του Σημ, in Latino, *Qui fuit Phalec, qui fuit Eber, qui fuit Sala, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem*, exsertè legebatur; *Cainanis* hujus mentione prorsus prætermissâ. Codex ille, quatuor Euangeliorum & Actorum Apostolicorum historias complectens, ex Græcia olim in Galliam perductus, in monasterio S. Irenæi in suburbio Lugdunensi est repositus; ibique oriente civili bello anno 1562 repertus, à Theodoro Beza anno demum 1581 publicæ Cantabrigiensis Academiæ Bibliothecæ est donatus. Neque hujus generis Græcus ullus MS. est alius, vel à Beza commemoratus, vel in Angliam è Græcia nuper missus, quicquid in Notationibus suis ad hunc Lucæ locum dicat Hugo Grotius.

Quærit hîc igitur Salianus, Præfat. in Annal. tom. 3. *quæ sit vis in manuscripto uno, sive Gallico sive Anglicano, in quo* Cainan *in Euangelio Lucæ omissus fuerit, ut omnibus omnium Bibliothecarum id genus libris opponi possit?* Negatque omnino Gomarus, unum illum codicem tantæ videri esse vel *antiquitatis, ut reliquis omnibus priscis Patribus sit conferendus, nedum præferendus*; vel *sinceritatis, ut fidem pro cæteris mereatur*; De genealog. Christi, cap. 2. Quasi aliam huic codici

codici vim à cauſæ hujus patronis adſcribi fuiſſet neceſſe, quam quanta ad objectum univerſalem exemplarium Lucæ in *Cainane* retinendo conſenſum refellendum ſufficeret, quæ cui lectio eſſet præferenda, non ex hujus codicis vel antiquitate vel ſinceritate, ſed ex Moſis & Eſræ autoritate, æſtimandum relinquentibus.

In profundioris autem antiquitatis exemplaribus varietates occurrere plurimas, quæ in poſteriorum temporum Manuſcriptis nullibi apparent, vel hic ipſe de quo agimus codex fidem facit, qui unus in Euangeliis plures à vulgatis libris diſcrepantes lectiones nobis exhibet, quàm aliarum fortaſſe Bibliothecarum exemplaria conjuncta ſimul omnia. De cujuſmodi in libris Novi Teſtamenti ſuo tempore reperta varietate, ità & Origenes nos monuit in Matth. tractat. 8. *Multam differentiam inter exemplaria invenimus, ſive per negligentiam ſcribentium, ſive ex temeritate quorundam, ſive propter eos qui negligunt emendare Scripturas, vel propter eos qui quod ipſis videtur in emendationibus vel adjicium, vel ſubducunt.*

Itaque, quemadmodum in Rom. 1. 17. rectè nos hodie legimus, *Juſtus ex fide vivet*, ubi libri qui Hieronymi tempore exſtabant (quemadmodum lib. 1 Comment. ipſius in Habacuc cap. 2. liquet) primæ perſonæ pronomine ex LXX addito, *Juſtus ex fide mea vivet*, legerunt; ità vice versâ, ubi hodie apud Lucam ex Κοινῇ ſive vulgata Græca edit. *Cainanem* videmus repoſitum, in illa quæ Origenis tempore ferebatur codicum varietate eundem pari conſenſu non fuiſſe adjectum, tum ex noſtro hoc venerandæ antiquitatis exemplari argumentum capere poſſumus, tum ex ipſius Origenis verbis illis, tractatu 20 in Johannem, Ἀβραὰμ εἰκοσὸς γεγένηται ἀπὸ τῦ πρωτοπλάςυ· δύο γὰρ γενεαὶ ἀπὸ Ἀδὰμ μὶ Νῶε, ἢ δέκα ἀπὸ Νῶε ἐπὶ Ἀβραάμ, *Abraham à primo homine vicesimus natus eſt. Decem enim generationes ab Adamo ſunt ad Noe, & decem à Noe ad Abraham.* Ut Noe enim, ſeniore *Cainane* connumerato, ab Adamo decimus, ità Abrahamus ab eodem, niſi ſecluſo *Cainane* juniore, numerari nullo modo poterit viceſimus. Quibus addendum quoque, quòd Joſephus, vetus ſcriptor Chriſtianus, in Græco ſuo Hypomneſtico, recenſens generationes ab Adamo ad Chriſtum, poſt Arphaxad ponit Sala, inſtituto illo *Cainane* prorſus omiſſo.

Sed & ex Romanenſium caſtris Joh. Cordeſius, in Gallico De genealogia Chriſti libello, *Cainanis* nomen in primitivis Lucæ codicibus non exſtitiſſe confirmat. Hic enim eſt Anonymus ille cujus contra *Cainanem* argumenta recenſuit in Dubiis ſuis Euangelicis noſter Spanhemius, & *homo non leviter eruditus*, cujus rationibus hac in parte reſpondere conatus eſt, in tertii ſui Annalis Præfatione, Jacobus Salianus. Cui & comites adjicere liceat, ex eadem è qua Salianus fuit ſocietate Jeſu, Theologos tres: quorum primus (ab ipſo Cordeſio productus) Cornelius à Lapide, in Comment. ad Gen. cap. 11. 12. docet *Cainan* in Lucam irrepſiſſe *errore librariorum, vel ſcioli alicujus, qui Hebraice neſciens, cùm in verſione Lxx quæ olim vulgata fuit, in Geneſi inveniret additum* Cainan, *eundem ex Lxx in Lucam tranſtulit, illumque ei inſerendum putavit.* Alter Dionyſ. Petavius, lib. 9 de Doctrina Temporum cap. 17. non debere *mirum aut incredibile videri ſi* Cainani *nomen ex Lxx corruptis libris in Euangelium Lucæ redundâſſe ſuſpicemur.* Tertius denique Pet. Poſſinus, in Dialactico Genealogiæ Chriſti cap. 9. confidenter concludit; *ex corrupta jam editione Lxx longo demum intervallo libris Lucæ inditum à ſcioli exſcriptoribus fuiſſe nomen* Cainani. *Nam quis neſcit*, inquit ille, *Teſtamentum Novum librorum omnium frequentiſſime fuiſſe deſcriptum? Quòd ergo aſſueti editioni Lxx jam mendoſe ſemidocti Graculi ad deſcriptionem Euangeliorum accederent, reſtituere, ut ipſis quidem videbatur, omiſſum apud Lucam nomen non dubitaverunt: quæ hallucinatio emendationis erudita autoritatem habuit, ut in omnes brevi Codices vulgaretur, ſi tamen in omnes.* de teſtimoniis pro retinendo *Cainane*, à LXX Interpretum & Lucæ Euangeliſtæ autoritate deductis, iſta dicta ſufficiant.

CAP. IV.

VALLA.

1. *ET agebatur à Spiritu in deſerto diebus quadraginta,*

2. *Et tentabatur à diabolo*] Meliùs legitur in iis cod. qui habent *in Spiritu*, ἐν πνεύματι. Nec Græcè eſt copula, *& tentabatur*, ſed ſine copula participium præſentis paſſivum, πειραζόμενος. Quod ideo dico quia *tentatus* innuitur *quadraginta diebus*, non autem tot diebus *ductus* ſive *actus*: nam Græcè non eſt *agebatur*, ut dicuntur equi *agi*, quaſi agitari, ſed *duci*, ac potiùs *duƈtus*, ἤγετο. Nam *in deſertum* quoque eſt Græcè, non *in deſerto*, εἰς τὴν ἔρημον. Etſi frequenter hic acculativus habeat vim ablativi, ut ſuperiùs teſtatus ſum.

5. *In momento temporis*] Græci neſcio an habeant ſimile vocabulum noſtro *momento*, quod ſignificat ſpatium breve, ut horæ vel ſemihoræ, aut paulò plus minúſve. Ut apud Horatium,

——— *Quid enim? concurritur, horæ*
Momento.

At nunc Græcè eſt *puncto*, στιγμῇ.

15. *Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus*] Gr. *glorificabatur*: quod ego, nè adderem copulam, quæ Græcè eſt, ſic tranſtuliſſem, *Et docebat in ſynagogis eorum, omnibus eum glorificantibus*: eſt enim participium paſſivi præſens, δοξαζόμενος.

16. *Die ſabbati*; Gr. *ſabbatorum*, τῶν σαββάτων.

19. *Prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Græcè non legitur *& diem retributionis*: nec attinebat tunc mentionem facere *retributionis*, ſed tantùm *gratiæ.*

REVIUS in VALLAM.

1. IN Spiritu] Bezam hìc conſule.

5. *Paulò plus minúſve*] In omnibus codd. ſcriptum erat *paulò poſt minúſve*: quod liberè mutavi.

15. *Ne adderem copulam, quæ Græcè eſt*] Legendum *deeſt*: nam certè deeſt copula Græco textui: unde ſatisfactum eſt Eraſmo, qui, *Non ſatis video*, inquit, *cur hic Laurentium offendere debueris conjunctio.* Verſionem Laurentii ἐν πάσαις ſequitur Beza.

ERASMUS.

1. EGreſſus eſt à Jordane] *Regreſſus* legendum eſt: ὑπέστρεψεν *reversit*, ſive *reverſus eſt*. Certè *regreſſus* conſtanter habent vetuſti codices. ¶ *Et agebatur*] Καὶ ἤγετο *ductus eſt*, ſive *actus*: cùm alibi dicatur *expulſus à Spiritu.* ¶ *In deſerto*] Hic τῆ ἐρήμῳ *in deſertum*, accuſandi caſu.

2. *Diebus quadraginta*] Ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος *Et quadraginta dies tentatus eſt.* Nam *quadraginta dies* ità poſitum eſt ut poſſit vel ad ſuperiora vel ad ſequentia accommodari. Verùm mollius eſt ut ad inferiora pertineat; non quòd toto hoc tempore tentatus ſit à diabolo, ſed quòd aliquâ parte hujus temporis. Certè Origenes, aut quiſquis fuit alius, hom. 29. ità legit ut ſentiat eum *quadraginta diebus tentatum.* Nec abhorret ab hac ſententia quod ſcribit Marcus 1. 12, 13. *Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum. Et erat in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana.* Sed magis etiam facit ad hunc ſenſum ſermo Græcus, qui habet πειραζόμενον. Matthæus 4. 2, 3. ſic narrat quaſi poſt quadrageſimum, aut quadrageſimo demum die, tentatus ſit. Quanquam fieri poteſt ut & aliis diebus fuerit tentatus aliis rationibus.

4. *Vivit homo*] Gr. ζήσεται *victurus eſt*, ſive *vivet*, verbum futuri temporis: conſentientibus vetuſtis Latinorum exemplar. nominatim codice Corſend. In Conſtantienſi rasor mutarat *e* in *i*.

5. *In momento temporis*] Ἐν στιγμῇ χρόνου *in puncto temporis*: quâ Græci proverbiali figurâ breviſſimum tempus indicant. Sumptum eſt à puncto Mathematico.

6. *Et cui volo*] Καὶ ᾧ ἐὰν θέλω *cuicunque volo* ſive *velim.*

7. *Si procidens adoraveris*] Σὺ οὖν ἐὰν προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου, *Tu igitur ſi adoraveris coram me.* Atque ità ſanè legitur in verſibus Latinæ linguæ cod. nominatim in Corſend. & item

item Aureo, Const. ac meo vetustæ typographiæ, sed refragante Paulino. Proinde quisquis addidit *procidens*, rem fecit explanatiorem. Est enim προσκυνεῖν *adorare*, *sed gestu corporis*; verbum vel à *moto galero* dictum Græcis, vel ab *osculando*.

8. *Scriptum est*] Hic Græci codices addunt, Ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ, *Vade post me, Satana*. Sic enim erat in Matthæo, sed in Petrum dictum. Diabolus tantùm audivit ὕπαγε. Verùm apparet huc asscriptum ex eo loco. Quo studio mira depravatio irrepsit in S. libros; quando nec apud Ambrosium quicquam hujusmodi legitur, nec apud Origenem, cujus titulo habemus Homilias in hunc Euangelistam. Imò cùm is annotarit ὀπίσω μου non addi cùm jubetur abire Diabolus, apud Theophylactum tamen additur, Ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ, contra Origenis annotationem: & Theophylacto consentiebat editio Hispanica. In Latinis cod. nihil horum verborum est. ¶ *Servies*] Λατρεύσεις· quod plerumque ad *Divinum cultum* pertinet: unde & *latria* dicta est.

10. *Mandavit de te*] Ἐντελεῖ *mandabit*, fut. temporis, ut indicatum est à nobis & alibi.

11. *Ne forte*] Μήποτε *nequando*, sive *ne*. Quorsum autem erat opus *forte*?

14. *Per universam regionem*] Καθ' ὅλης περιχώρου *per totam finitimam regionem*, sive *per omnem undique regionem*.

15. *Et Magnificabatur*] Δοξαζόμενος *glorificabatur*. Non satis video cur hic Laurentium offendere debuerit conjunctio. Mavult enim ille *docebat in synagogis eorum, omnibus eum glorificantibus*.

16. *In die sabbati*] Σαββάτων *Sabbatorum*.

17. *Et revolvit librum*] Καὶ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον· quod ego mahuissem vertere *& explicito libro*: nam ipse mox vertit *cum plicuisset librum*, πτύξας τὸ βιβλίον.

18. *Spiritus Domini super me*] Locus est apud Esaiam 61. 1. Quanquam hoc sane loco citatio Lucæ magis consentit cum editione LXX quàm cùm Hebraicis voluminibus, etiamsi dissonat ab utrisque. Siquidem Hebræa vertit ad hunc modum Hieronymus, *Spiritus Domini Dei super me, eo quod unxit me Dominus: ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contrito corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, & annunciarem annum placabilem Domino*. Porrò juxta LXX legimus ad hunc modum, Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμὲ, οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με, εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με, ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν, κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, καλέσαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτὸν, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis ut videant, vocare annum acceptabilem Domino*. ¶ *Eò quòd unxit me*] Οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με *propter quod unxit me*. Atque ità legitur in antiquiss. Latinis exemplaribus, sed Græcis ad verbum redditis magis quam eleganter. ¶ *Et cæcis visum*] Καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν. Quod magis sonat *redditum visum* quàm *visum*; q. d. *revidentiam*.

19. *Et diem retributionis*] Hæc verba non adduntur in Græcis voluminibus, nec adduntur ab Hieronymo, qui citat hunc locum è Luca, edisserens Esaiam Prophetam. Quemadmodum nec illud congruit, *dimittere confractos in remissionem*.

21. *Impleta est Scriptura*] *Hæc* addendum est, & ità legitur in emendatioribus libris, *Impleta est hæc Scriptura*.

23. *Utique dicetis*] Πάντως ἐρεῖτε, *Omnino dicetis*. Est enim adverbium confirmandi. ¶ *Quanta audivimus*] Ὅσα *quæ*, sive *quæcunque*. Atque ità legit autor Homiliarum in Lucam quas Origenis titulo legit vulgus.

25. *In veritate dico vobis*] Græci addunt conjunctionem non otiosam, Ἐπ' ἀληθείας δὲ λέγω ὑμῖν, *Sed in veritate dico vobis*. Adversatur enim hæc pars superiori quæ de contemptu meminit: atque ita concinnandus ordo, Contemnitis me quòd præsto sim: verùm non omnibus datum est habere talem qualis ego sum.

32. *Quia in potestate erat sermo ipsius*] Nemo nescit quid sit *esse in potestate*. Atque hìc juxta proprietatem Hebræi sermonis sentit *sermonem Jesu cum autoritate & potestate fuisse conjunctum*. Ità aliàs *in virtute veniet* dictum est pro *cum virtute veniet*.

34. *Sine*] Ἔα· quod tamen aliquoties est adverbium exclamantis. De figura sermonis, *Quid tibi & mihi*, jam dictum est non semel. ¶ *Scio te quis sis*] Οἶδά σε τίς εἶ. ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, *Novi te quis es: nempe Sanctus ille Dei*.

36. *Et factus est pavor*] Θάμβος, quod sæpe vertit *stupor*. Est autem plus quiddam quàm Timor aut Admiratio. Nam hoc loco magis videtur admirantium esse quàm timentium.

37. *Divulgabatur fama*] Ἐξεπορεύετο ἦχος· Nomen est à verbo ἠχεῖν, quod est *resonare*: unde & *echo* dicta est, quæ vocem acceptam reddit: quòd fama tinniat & pro una voce plurimas reddat. Ab eodem composita est vox *Catechumenum*.

38. *Magnis febribus*] Πυρετῷ μεγάλῳ *febre magnâ*. Dices, lector, Quid refert *magnis febribus* legas an *magnâ febri*? Ne quis hìc sine causa philosophetur tractans sensum allegoricum, quomodo multæ febres teneant eandem mulierem. Nec est *tenebatur*, sed συνεχομένη, quod alias vertit *coarctari*. Attamen Interpres Latine reddidit sensum.

39. *Et stans super illam*] Καὶ ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς. Interpretis sermo perinde sonat quasi Jesus pede calcaverit mulierem: hoc an verum sit nescio. Probabilius videtur, astitisse & inflexo core incubuisse in illam, velut appellantem dormientem. ¶ *Imperavit febri*] Ἐπετίμησε *increpavit*. Forte scriptum erat *increpavit febri*, more Græcorum. Et offensus quispiam novitate constructionis mutavit *increpavit* in *imperavit*. Id quod & alias factum deprehendimus, & suo commonstrabimus loco. ¶ *Et dimisit illam*] Maluissem reddi, *eáque reliquit illam*; ne Christus videatur reliquisse mulierem. ¶ *Et surgens ministrabat illis*] Parum commode redditum, cum dicendum fuerit, *erecta ministravit illis*, sive *surrexit ac ministravit illis*.

40. *Cùm autem sol occidisset*] Δύνοντος δέ, *Cùm occideret*, sive *Occidente vero Sole*. Consentaneum est autem eos magis acceleràsse quòd nox immineret.

41. *Quia scirebant*] Ὅτι ᾔδεισαν τὸν Χριστὸν εἶναι. Et hìc sensus esse potest, *quod scirent se*, sive *ipsum*, *Christum esse*: ut intelligamus eos vetitos dicere quòd nollent eum. Sunt enim qui putent hoc mysterium non liquido fuisse cognitum dæmonibus ante mortem Christi.

43. *Quia & aliis civitatibus*] Hìc conjunctionem redundare notavit & Hugo Cardinalis, scribens esse pleonasmum ex idiomate sermonis Hebraici.

V A T A B L U S.

1. IN *Spiritu*] Hebr. per Spiritum: vel, ri Spiritûs: & infrà. ¶ *Deserto*] *Desertum*.

2. * *Esurivit*] * *Postea*, Vet.

4. *Pane*] i. cibo. Hebr. ¶ *Vivet*] *Vivet*, fut. temp. Vet. Hebr. pro, *vivere solent homines*. ¶ *In omni verbo Dei*] i. omni re aliâ quæ à Deo proficiscitur, omni eo quod jusserit Dominus; ut mannâ olim. & aliis.

5. *Momento*] *Puncto*.

6. *Gloriam illorum*] i. eam gloriam quæ ex administratione illorum proficiscitur. ¶ *Illa*] *Illam*: sub. *gloriam*.

7. *Tu ergò* [procidens] Vet.

8. *Dixit illi**] * *Abi post me, Satana*.

9. *Et duxit*] *Jam autem duxerat*. ¶ *Statuit*] *Statuerat*. ¶ *Pinnam*] i. fastigium quod planum erat. ¶ *Dixit*] *Dixerat*.

10. *Mandavit*] *mandabit*.

12. *Ait*] *Dixerat*.

14. **Regionem*] * *Finitimam*.

15. *Et ipse*] *Ipse enim*. ¶ *Magnificabatur*] *Glorificabatur*.

16. *Sabbathi*] *Sabbathorum*.

17. *Et*] *Et postea*. ¶ *Liber*] *Libellus*: & infrà. ¶ *Revolvit*] *Explicuit*.

18. *Super me*] Vel, *fovet me*. ¶ *Propter quod unxit me*] *Propterea quòd unxit me*: vel, *unxit enim me*. ¶ *Pauperibus*] Vel, *mansuetis*. ¶ *Sanare contritos corde*] Vel, *ut medear fracto animo præditis*. ¶ *Captivis remissionem*] i. de salute pene desperantibus liberationem. ¶ *Dimittere confractos in remissionem*] Vel, *per remissionem*. Hebr. ut emittam vulneratos absolvendo illos: i. ut eos liberem.

20. *Librum*] *Libellum*: *volumen*.

21. *In auribus vestris*] Hebr. *vobis audientibus*] i. Jam vos audistis hæc omnia apud Capharnaum esse per me desiderata.

22. *Testimonium illi dabant*] i. laudabant eum. ¶ *In verbis gratiæ*] Hebr. de verbis ejus quæ tántam apud omnes gratiam haberent.

23. *Utique*] *Omnino*, *Haud dubiè*. ¶ *Hanc similitudinem*] *Hoc proverbium*, Hebr. ¶ *Quanta*] *Qua*, vel, *quæcunque*.

25. *In veritate**] * *Autem*.

26. *Et*] Hebr. pro *Et tamen*.

29. *Surrexerunt*] *Insurrexerunt*.

30. *Ibat*]

30. *Ibat*] Vel, *abiit*: aut, *evaſit*.

32. *In poteſtate*, &c.] Hebr. pro, magnâ autoritate verba ad eos faciebat.

33. *Dæmonium immundum*] *Spiritum dæmonii immundi.*

34. *Sine*] *Eia*: q. d. Miſſos nos fac. ¶ *Quid nobis & tibi*] Hebr. pro, *Quid tibi nobiſcum eſt negotii.*

36. *Factus eſt pavor*, &c.] Hebr. pro, *expaverunt omnes.* ¶ *Quod eſt hoc verbum, quia*] *Quis ſermo hic? certè.* ¶ *Et exeunt*] *Exeunt enim.*

37. *Regionis**] **Finitimæ.*

38. *Surgens autem* (Jeſus). ¶ *Magnis febribus*] *Magnâ febre.*

39. *Stans ſuper illam imperavit febri*] *Cùm corpore inflexo in eam incubuiſſet, increpavit febrem.*

40. *Occidiſſet*] *Occideret.* ¶ *Languoribus, ducebant*] *Morbis, duxerunt.* ¶ *Curabat*] *Curavit.*

41. *Autem**] **Etiam.* ¶ *Tues* Filius*] **Chriſtus.* ¶ *Quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*] i. Non ſinebat ea loqui verba iſta, *Scimus te Chriſtum eſſe.*

43. *Ideo*] *Ad hoc.*

CLARIUS.

6. QUia mihi traditæ eſt] Vide ut mendax eſt, & mendacii pater. Neque enim imperium habet in hæc, quamvis vocetur *princeps mundi hujus*, nempe malorum & ſceleratorum.

13. *Receſſit ab illo uſque ad tempus*] Nempe illud, cùm Dominus dixit, *Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.*

ZEGERUS.

1. ET agebatur in Spiritu in deſertum, *in diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo*] Græca minus habent incommodi, præſertim cùm loco *& tentabatur* ſit participii paſſivi particula πειραζόμενος, quâ Latini caremus, abſente etiam copulâ: ſic enim habent, ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον, ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου, quorum verborum ſenſus ita reddi poterat, *Et ductus eſt Spiritu in ſolitudinem, diebus quadraginta tentandus à diabolo.* Adverte inſuper *in* particulam, i. ἐν, hoc loco & aliàs frequenter in arcanis literis quaſi ſupervacaneam uſurpari: ut in eo quod paulò pòſt ſubjungitur, *Et regreſſus eſt Jeſus in virtute Spiritus* (h. e. *virtute Spiritûs*) *in Galilæam.* ¶ *Conſummatis illis poſtea eſuriit*] Videtur hic ſupervacaneè adponi *poſtea*, quod nec apud Bedam eſt, nec in multis cod. antiquis; verùm quia in archetypo viſitur, non auſim abjicere.

5. *Duxit illum diabolus*] Cave hîc omittas cum Beda, ſed contra Ambroſium & Græcos, *in montem excelſum.* Invenio tamen aliquot codices cum Beda conſonantes: id quod me ambigere facit.

7. *Tu ergò procidens ſi adoraveris*] *Procidens* non eſt in vetuſtis, comprehenditur tamen in virtute verbi προσκυνήσης, & ponitur à Beda.

8. *Scriptum eſt, Dominum Deum tuum*] Ante hæc verba tollenda eſt ea particula, Ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ, *Vade poſt me, Satana*; utpote cujus nec apud Origenem nec apud Ambroſium ulla mentio fit, cùm tamen uterque trinam hanc tentationem diligentiſſime explanet. Sileo veteris noſtri interpretis fidem, Bedam, & multos alios.

18, 19. *Spiritus Domini ſuper me: evangelizare*, &c.] Adducit hunc locum Hieronymus enarrans Jeſ. 41. Interpretantur eundem diligenter Origenes atque Ambroſius: verùm apud nullum horum duas haſce particulas reperio, *ſanare contritos corde, & diem retributionis*; quarum poſterior etiam in Græco abeſt Euangelii contextu. Unde conjicere licet utramque particulam ab aliquo adjectam, qui videns apud Jeſaiam plus aliquid, crediderit hic incuriâ prætermiſſum; aut certe qui voluerit Prophetæ teſtimonium reddere abſolutum, reliquis fortaſſe primùm ad marginem adnotatis. Apud Origenem viſitur quidem, vel in medio inſertum commentario, illud *& diem retributionis*, ſed perperam; nam nec explicatur, nec in ſequentibus cum aliis clauſulis repetitis repetitur. Auguſtinus lib. 2. De conſ. Euang. cap. 42. adducens hunc locum, omittit ſimiliter *ſanare contritos corde*; ſed addit in fine, *& diem retributionis*: quem ſequitur & Beda. Quia tamen hactenus in omnibus hoc inveni cod noſtris, verìſimile eſt adjectum tandem fuiſſe ab eo qui poſt Hieronymum correctorem egit N. Teſtamenti, cum autoritate Eccleſiaſtica.

25. *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant, &c. niſi in Sarephtha Sidonis ad mulierem viduam*] Hoc quod Sarephthanæ per Eliam Prophetam contigit, ſicut & ſequens illud quod per Eliſæum circa Naaman Syrum geſtum eſt, exempli gratiâ commemorat Dominus, quò videlicet & Judæorum gentilium ſuorum redarguat incredulitatem, & certiſſimum eſſe doceat Prophetam fere in pretio non haberi apud ſuos & in ſolo ſuo nativo. Hæc ſi necdum tibi ſatisfaciunt, revolve Euangelicæ lectionis ſeriem & dictorum Prophetarum huc ſpectantes hiſtorias.

32. *In poteſtate erat ſermo ipſius*] h. e. poteſtati & autoritati conjunctus.

34. *Scio te qui ſis, Sanctus Dei*] Alias *quis*. Græce ſic legimus, οἶδά σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, quæ & ità juxta ſenſum reddi poterant, *Novi magnum te eſſe, nimirum Sanctum Dei.* Nam τὶς interdum pro *magno* ponitur, h. e. pro uno ἀ τῶν τυχόντων, *non vulgari*, aut *gregario.*

38. *Socrus autem Simonis*] i. uxoris Simonis mater, cui & Petrus gener erat. Maritus autem ſuerùs *ſocer* appellatur.

39. *Et ſtans ſuper illam*] Gr. ἐπάνω, proprie *ſupra. Et ſtans ſupra illam.* Sentit enim aſtitiſſe & imminuiſſe mulieri, aut forte aſtando incubuiſſe in illam. Simile eſt illud, *Sta ſuper me, & interfice me*, 2 Sam. 1. 9. ¶ *Imperavit febri*] Græca vox ἐπιτιμάω proprie quidem *increpo* ſignat: verùm ἐπιτίμησεν, teſte Euthymio, & hoc loco & aliàs pro *præcepit* poſitum eſt; ut non poſſit videri locus à Scribis (ut nonnulli autumant) mutatus, qui offenſi dandi caſu *febri* ex *increpavit* feciſſent *imperavit.* De hac voce nonnihil & in Matthæum dictum eſt c. 8. ibi, *Surgens imperavit ventis.*

41. *Et increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*] Ἐπιτιμῶν, i. *increpans*, vel *imperans.* Bifariam accipi poteſt; primò ſic, *Propterea increpando ſilentium imponebat dæmonibus, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*: deinde ſic, *Increpando dæmonia loqui & teſtari vetabat quod ſcirent ipſum Chriſtum eſſe.* Ideo autem (ut modeſtiæ exemplum ſileam) ad tempus palàm innoteſcere, & prædicari, ſive per Dæmones, ſive etiam per Diſcipulos, nolebat, *ne Divinâ majeſtate prædicatâ* (ut Bedæ verbis dicam) *paſſionis diſpenſatio differretur, & dilatâ paſſione ſalus mundi, quæ per hanc futura erat, negaretur.* Secundum Theophylactum verò non ſinit dæmonia loqui, tum quòd non indigebat immundorum teſtimoniis; neque enim ſpecioſa laus eſt in ore peccatoris; tum quod nolebat accendi invidiam Hebræorum ex hoc quod ab omnibus celebraretur. Cum autem dicitur, *quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*, & rurſum aliquanto ſuperiùs, *Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia, Quia tu es Filius Dei*, evidentiſſimum præſtatur argumentum, Chriſtum Dei Filium, quis eſſet, per miraculorum potentiam atque alia multa manifeſta Divinitatis ipſius indicia, ſicut ab Hominibus ita à Dæmonibus, & ab his forte perfectius atque ab illis, fuiſſe cognitum: tametſi non ſim neſcius non deeſſe qui diverſam huic ſententiam ſuſtineant. Quod ſi mihi objicias D. Pauli teſtimonium 1 Cor. 2. 8. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, intellige primùm, illic non de *principibus hujus ſeculi* Dæmonibus, ſed de mortalibus loqui Apoſtolum; deinde, quia rurſus objicere potes in illis egiſſe Dæmones, ipſos tamen nequaquam perfectè cognoviſſe mortis Chriſti myſterium, nec prænoviſſe ſeſe illius ſupplicio tantam ſibiipſis conciliaturos damnationem.

LUCAS BRUG.

5. ILlum tentationum Chriſti à diabolo ordinem, quo prima narratur ea quæ in deſerto, ſecunda quæ in monte, tertia quæ in Templi ſummitate accidit, quem in Luca noſtrorum Bibliorum habet textus, habent in Luca ſimiliter Græci omnes, Syrici Latinique libri, quos videri potuimus, ſuffragantibus Origene Hom. 29, 30, & 31. in Lucam, Auguſtino cap. 16. ſecundi De conſenſu, Beda, Theophylacto, Euthymio, & poſterioribus Latinis enarratoribus. Cæterùm teſtatur quidam, quod Janſenius refert, antiquos quoſdam codices habere in Luca ordinem eundem quem Matthæus habet, ſecundam quæ in Templi ſummitate, tertiam quæ in monte: quem ſanè & B. Ambroſius, Lucam explanans, tum in textu tum in commentariis, ſervat. *Tria*, inquit, *præcipuè docemur tela diaboli*, &c. *gulæ unum, aliud jactantiæ, ambitionis tertium*: ac primâ, gulæ tentatione expoſitâ, ait, *Sequitur jactantiæ telum, quo proclive delinquitur; quia dum homines gloriam virtutis ſuæ jactare deſiderant, de loco meritorum ſuorum & ſtatione decidunt. Et duxit illum*, inquit, *in Jeruſalem*, &c. Tertiò demum de ambitionis telo late diſſerit; *Et duxit illum*

diabolus

diabolus iterum in montem altiſſimum, &c. & in fine, *Cæterum*, habet, *quod ad myſticum ordinem ſpectat, cernis vetuſti erroris vincula ſuis reſoluta veſtigiis, ut primò gula, ſecundò facilitatis, tertiò ambitionis laqueus ſolveretur*, &c. Quare ordinis mutationem quæ in Euangelio Lucæ reperitur ex ſcriptoris vitio accidiſſe videri fortaſſe poſſit, qui verborum falſus ſimilitudine tertiam tentationem ſecundæ præmiſerit (incipit enim utraque ad eundem modum, *Et duxit illum*; Græce quoque, καὶ ἀπήγαγεν αὐτὸν, ſimile eſt huic, καὶ ἤγαγεν αὐτὸν) ac poſtea errore deprehenſo tertiæ ſecundam ſubjecerit, cùm etiam plerique codices Græci, Theophylacto, atque apertiſſime Euthymio, adſtipulantibus, in ea quæ ſecundo loco ponitur, addant, ὕπαγε ὀπίσω μου Σατανᾶ, *Vade poſt me Satana*. Non eſt enim veroſimile, B. Lucam aliam ſubjecturum fuiſſe Satanæ tentationem, poſtquam narraſſet eum à Domino repulſum. Hoc eſt enim, *Vade poſt me Satana*, ut exponit Euthymius, *E conſpectu meo te aufer; deſine me tentare*. Verumenimvero pars iſta nec in Latinis libris habetur, nec in Syricis additur, nec in Græcis quibuſdam, nominatim Vaticani, & Pariſienſium ſecundo, ſeptimo atque octavo, invenitur; nec denique ab Origene, Ambroſio, Beda, poſterioribuſque Latinis legitur. Probabile eſt, quod ſentiunt quidam, huc ex Matthæi cap. 4. v. 10. à Græculis fuiſſe adſcriptam; de cujus lectione illic in Matthæo tractavimus.

STEPHANUS.

17. Ἀναπτύξας] *Cùm explicuiſſet.*

18. Ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει] *Ut emittam confractos in libertatem.*

20. Πτύξας] *Cùm complicuiſſet.* ¶ Ἀτενίζοντες] *Intenti*: vel, *defixi.*

22. Ἐμαρτύρουν αὐτῷ] *Teſtimonium dabant ei.*

29. Ἕως τῆς ὀφρύος τοῦ ὄρους] *Uſque ad ſupercilium montis*, i. partem cacumini proximam.

35. Φιμώθητι] *Obmuteſce*: q. d. *Vide ne vel hiſcas.* Vide Mar. 4. 39.

36. Τίς ὁ λόγος οὗτος] *Quis hic ſermo*: q. d. *Quantavis huic ſermoni ineſt?*

37. Ἦχος] *Rumor.*

DRUSIUS.

17. *Traditus eſt illi liber*, &c.] Ex hoc loco colligit Suidas Chriſtum Sacerdotem fuiſſe. *Nam populo*, inquit, *non licuit enarrare ſacras literas.* Vide illum in Ἰησοῦς. Magna imperitia rerum Judaicarum. Siquidem Levitæ quoque in Synagogis exponebant Prophetas. Sed alii extra ordinem admiſſi ad hoc, ut apparet ex Act. 13. 15. alii, inquam, ex Iſrael, qui neque Sacerdotes neque Levitæ erant. Quod notum Doctis. Adhæc Sacerdotes omnes erant ex poſteris Aharon. E tribu Juda nulli Sacerdotes eligebantur, niſi fortean eo ſenſu quo legimus, *Et filii David ſacerdotes erant*: quod enarrant, *principes* & *primores.* Quid, inquies, ergò Chriſtus non fuit Sacerdos? Fuit ſecundùm ordinem Melchiſedec, non ſecundùm ordinem Aharon. Diſertè Prophetes, Pſal. 110. 4. *Tu es ſacerdos in æternum juxta morem*, aut *ordinem*, *Melchiſedeci.* Hoc oraculum verius eſt quàm quæ è tripode olim dicta.

18. *Unxit me*] Ut Prophetam. Infrà *ỿ.* 46. *unxit pedes meos*, Joh. 12. 3. *unxit pedes Jeſu.* Cur unxit? An teſſandæ reverentiæ ergò, ſicut Jacob lapidi quo erat uſus pro cervicali oleum ſuperfudit? aut unxit ad pollincturam ſeu funerationem, ut habetur Marc. 14 8. aut unxit ex conſuetudine illius ævi? Nam unctio poſt lotionem facit ad obſtruenda corporis ſpiramenta. Qua de re alibi plura notavimus.

20. *Cùm complicuiſſet librum*, πτύξας] Paulò ante, ἀναπτύξας, *explicans librum.* Nam olim libros complicabant in cylindri morem, unde מגלה *volumen.* Sic hodie Legem deſcriptam habent in volumine, quod explicant cùm eam populo prælegunt. *Cylindrum* à κυλινδεῖν, quod *volvere* ſignificat, ut מגלה *volumen* à גלל *volvo.*

23. *Medice, cura teipſum*] Nam ſi medicus non poteſt ſeipſum curare, quomodo curabit alios? Hoc eſt quod Arabes dictitant, *Non poteſt ſeipſum curare quomodo curabit alios?* Vide lib. Selectarum gemmarum, c. 38. de viſitandis ægrotis. Turpe ſi dicatur, *Medice, cura teipſum.* Nam qui ſe curare nequit, ægre curabit alios. Et tamen ſunt quibus hoc vere dicitur: Nam ſe curare non poſſunt aut propter imperitiam artis, aut quia eorum morbi ſunt incurabiles. Hac adagium Hebraice ſic efferes, רופא רופא עצמך, *Medice, ſana teipſum*; & Syriace, עסק נפשך אסי. Baſilius eleganter torquet in Eunomium hæreticum, lib. 2. adv. Eunom. Huc pertinet quod in Adagiis Thalmudicis, *Ornateipſum, poſt ornato alios.* Vide ſis Adagia mea Rabbinica.

26. Εἰς Σάρεπτα] Vet. interpres, *in Sarepta Sidonia.* Syrus, בצרפת דצידן *in Sarephath Saidan.* Scribitur & *Sarepta*, cum ת aſpirato, 1 Reg. 17. 9. בצרפת אשר לצידן, Vulgatus, *in Sareptham Sidoniorum.* Verbum è verbo, *Sarphatham quæ Sidonis.* Additum autem Σιδῶνος differentiæ causâ. Nam fuit alia Sarphath, cujus mentio Abd. 20. quo nomine hodie Galliam ſignificant: unde צרפתי *Gallus*, & מלך צרפת *Rex Gallia.* Benjamin in Itinerario ſuo, *Hinc reverſus in Francia regnum me contuli, quæ regio ab antiquis Sarphath dicebatur.* ¶ *Sidonia*] Ità apud priſcum interpretem. *Sidonia* idem quod *Sidon.* In exemplari Græco, τῆς Σιδῶνος, *Sidonis.* Syrus habet בצרפת דצידן *Sarephath Saidan*, cum *n* in fine. Quod autem Juſtinus ex Trogo ſcripſit *Sidon piſcem* denotare, verum non videtur. Nam *piſcem* in ea lingua *dag* dicitur; unde *Dagon*, ut Hebræi volunt. Sed illud verum, eo nomine in illa lingua *piſcatum* ſignificari.

27. *Eliſæo*] Nomen hoc varie ſcribitur; *Eliſeum* abſque diphthongo, *Eliſæus* cum diphthongo, Ἐλισσαῖος, Ἐλισαιέ, cùm in textu Hebræo & apud Syrum interpretem ſit יעשא *Eliſa*, ſive, ut veteres legebant, *Eliſe.* Reperio & *Eliſee*, ut *Hoſe* dicimus & *Hoſee.* Ἐλισσαῖος cum duplici σ offendes in hoc loco. Cui ſimile in antiquitate Φαρισσαῖος pro *Phariſæus.* Quæ à ſcribis, ut puto, manarunt. Sic ratio nulla eſt ſcripturæ *Meſſias*, cùm Syri ſcribant משיחא, unde *Meſias.* Sic Ἔμεσα & Ἔμισσα Phœniciæ civitas. ¶ *Naaman Syrus*] Græce eſt Νεεμὰν ὁ Σύρος, i. נעמן. Sed Hebræi legunt נעמן 2 Reg. 5. 2. Syrus quoque legit *Naaman.* Nomen hoc exſtat Gen. 46. 21. ubi Græci codices Νεεμὰν, niſi legendum Νεεμάν.

CASAUBONUS.

5. Ἐν στιγμῇ χρόνου] Sic apud Ciceronem *in puncto temporis.* Recte autem Eraſmus exiſtimavit ſumptam eſſe metaphoram à puncto Mathematicorum. Nam etſi σημεῖον id ab Euclide appellatur, alii tamen στιγμὴν vocant, ut Ariſtoteles, qui στιγμῆς & γραμμῆς toties meminit. Diogenes Laertius στιγμὴ δέ ἐστι γραμμῆς πέρας, ἥτις σημεῖόν ἐστιν ἀλλάχου.

GUALTPERIUS.

14. Φήμη] *Fama, rumor.* Vox Græcà à φάω ἢ φημί, unde & Latinum *Fama*, teſte Vallâ.

38. *Socrus Simonis detinebatur* συνεχομένῃ μεγάλῳ, *febri magnâ*] Syrus, *igni magno*, i. ardenti febre.

LUD. CAPPELLUS.

23. Ἰατρὲ, θεράπευσον σεαυτόν] Videtur omnino uſitatiſſimum fuiſſe inter Judæos hoc proverbium. Neque Græcis etiam fuit ignotum. Sic enim Prometheum alloquitur Chorus apud Æſchylum in Prometheo,

——— καὶς δ' ἰατρὸς οὐς ἵκει ἐς νόσον
Πρευὼν ἀθυμεῖς, ἢ σεαυτὸν οὐκ ἔχεις
Ἐυρεῖν ἀνώδυνους φαρμάκους ἰάσιμα.

GROTIUS.

1. Ἐν τῷ Πνεύματι, *in Spiritu*] Infrà 14. ἐν τῇ δυνάμει τοῦ Πνεύματος [*in virtute Spiritûs*]. Vide ſuprà cap. 11, 27. & quæ ad Matthæum hoc loco.

2. Ἡμέρας, *Dies*] Dies civiles, id eſt, νυχθήμερα [*dies nocte*] intelligit, quod alii Hebraico more dixerunt ἡμέρας τεσσαράκοντα ἢ νύκτας τεσσαράκοντα [*dies quadraginta & noctes quadraginta*]. Neque id impedit quò minùs revera Chriſtus intra ejus temporis terminos Hieroſolymis ἐν τῷ στενωπίῳ [*in lorica Templi*] fuerit. Nam cùm ſtatim relatus fuerit in ſolitudinem ſummâ celeritate, exiguum tempus pro nullo reputatur. ¶ πειραζόμενος, *tentabatur*] Multis modis; quorum præcipui hic referuntur.

3. τῷ λίθῳ τούτῳ, *lapidi huic*,] *Cuivis horum lapidum*: quod pluraliter exprimit Matthæus, ut alibi ſæpe.

5. ἀναγαγὼν, *ſurſum ducens*] pro. ¶ ἐν στιγμῇ χρόνου· *in momento temporis*] ἐν ἀτόμῳ [*in tempore individuo*], ut Græcorum quidam loquuntur. Bene nuper verſum *in puncto temporis*, quomodo loquuntur Cicero & Cæſar. Nam

momentâ

momenti ſignificatio longiùs porrigitur. Hebræum eſt ינה Eſa. XXIX, 5.

6. τὴν ἐξουσίαν ταύτην, *poteſtatem hanc*] Id eſt, *omne hoc Imperium*. Syrus rectè שלטנו. Nam & Lxx שלט vertunt ἐξουσιάζειν [*poteſtate uti*]. Hinc paſſim videre eſt conjungi ἀρχὴν [*imperium*] & ἐξουσίαν [*poteſtatem*], & à ſenſu abſtracto ad concretum, quem vocant, transferri. ¶ καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν· *& gloriam illorum*] Ita & Latinus legit. At Syrus αὐτῆς [*ejus*], ut referatur ad ἐξουσίαν [*poteſtatem*]. Sed rectum puto αὐτῶν [*illorum*], ut ad res ipſas demonſtratas referatur; quomodo mox ἔσται σοι πᾶσα [*erunt tua omnia*]. ¶ αὐτὴν. *illam*] Τὴν δόξαν [*gloriam*], quomodo & Syrus legit. Diabolus hoc loco & alibi, ut Sophiſtæ ſolent, verum falſo permiſcet. Neque enim tam impudens erat ut Deo jus in Imperia abnegaret: ideo dicit παραδέδοται [*tradita ſunt*]. Sed jactat vim ſuam in rebus humanis agendis ferendisque, ob quam ἄρχων τοῦ κόσμου [*Princeps hujus mundi*] ipſi quoque Chriſto dicitur. Falſum præcipuè eſt in illo ᾧ ἐὰν θέλω [*cui volo*]· id enim libertatem ſignificat alieno arbitrio non ſubjectam, quæ Deo illis ipſis verbis ut propria tribuitur Danielis IV, 22. Tantundem ergo dicit Diabolus quaſi diceret Deum ab humanarum rerum reſpectu curam ſuam avertiſſe: quæ opinio fons eſt ἀθεότητος [*impietatis*].

7. ἐνώπιόν μου, *coram me*] *In mei honorem*: quod μοι [*mihi*] dixit Matthæi Interpres. Nam quod ſæpe per dativum dicitur id alibi exprimitur per על [*ſuper*] aut לעני [*ad faciem*], Græcè ἐναντίον aut ἐνώπιόν τινος [*coram aliquo*]. Dativus eſt Hebraïcè & Græcè III Reg. XIX, 18. & Græcè Rom. XI, 4. ubi Latinè *coram*: quod Jerem. XXIX. in dativo, id II Paral. XXV, 14. eſt per לפני [*ad faciem*], Græcè ἐναντίον αὐτῶν [*coram ipſis*].

8. εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, Γέγραπται, προσκυνήσεις, *dixit Jeſus, Scriptum eſt, adorabis*] Hæc haud dubiè vetuſtior eſt lectio, quam & Latinus & Syrus agnoſcit, & Origenes & Ambroſius. Poſt quos omnes addi in Græcis codicibus atque etiam Arabicis cœpit, Ὕπαγε ὀπίσω μου [*Vade poſt me*], aut etiam Ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ [*Vade poſt me, Satana*]· & poſt Γέγραπται [*Scriptum*] additum γὰρ [*enim*], nimirum ex aliorum locorum collatione. Nec quiſquam eſt Græcorum Theophylacto antiquior qui iſta verba hoc loco agnoſcat. Sic & alii exſcriptores commata quædam in hac hiſtoria transpoſuerunt, ut ordinem τῶν πειρασμῶν [*tentationum*] eum reſtituerent qui eſt apud Matthæum. Sed nulla fuit cauſa cur Lucas in rebus ejuſmodi ordinem tam anxiè ſequeretur.

9. Εἰ ὁ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, *Si filius Dei es*] Suprà dixit Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ· quomodo & hic legendum non vanis conjecturis monet eruditus Interpres. Nec refrager, ſi codicum aliquot auctoritas accedat. Nam ne Arabs quidem articulum addidit.

10. τοῦ διαφυλάξαι σε. *ut conſervent te*] Quod eſt in Pſalmo לשמרך ita verterunt Lxx. Sic & alibi in his ſcriptis reperies τοῦ poſitum pro Hebræo ל.

13. ἄχρι καιροῦ. *uſque ad tempus*] Vi aggreſſurus poſtea quem illecebris corrumpere non potuerat, Johan. XIV, 30. ut nihil eſſet malorum in quo vincendo Dux noſter nobis non præiviſſet, πεπειρασμένον κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα [*tentatus per omnia ſimiliter*] Hebr. IV, 15.

14. Καὶ ὑπέστρεψεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῇ δυνάμει τοῦ Πνεύματος εἰς τὴν Γαλιλαίαν· *Et regreſſus eſt Jeſus in virtute Spiritûs in Galilæam*] Id eſt, Spiritu ducente eò ſe contulit. Hæc enim interpretatio præ cæteris arridet ob id quod ſuprà habuimus commate I. Δύναμις Πνεύματος [*virtus Spiritus*] eſt τὸ Πνεῦμα [*Spiritus*], Actorum I, 8.

16. κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ, *ſecundùm conſuetudinem ſuam*] כמנהגו: ita ut Capharnaïtæ facere ſolebat. ¶ ἀνέστη ἀναγνῶναι. *ſurrexit legere*] Solebat in Synagogis eſſe ἀναγνώστης [*Lector*], ut dicemus infrà ad vocem ὑπηρέτης [*miniſter*]. Poſtquam is legerat attributam diei ἀφορμὴν [*ſectionem*] fiebat differendi copia, Actor. XIII, 15. Philo, Ὁ μὲν τὰς βίβλους ἀναγινώσκων λέγων· ἕτερος δὲ τὸ ἐμπειρότατον, ἕως μὴ γνώριμα παρελθὼν, ἀναδιδάσκων (ita legendum ex Euſebio, ubi Philonis codices malè repetunt vocem ἀναγινώσκων). τὰ γὰρ πλεῖστα δίχα συμβόλων ἀρχαιοτρόπως ζηλούντων παρ' αὐτοῖς φιλοσοφεῖται [*Ille quidem ore in libro ſcripta recitat; alius verò ex doctiſſimis, quæ minùs nota ſunt edocet: multa enim apud illos tractantur per ſymbola, Veterum exemplo*]. Sed honoris cauſâ, ſi quis vir gravis adveniſſet, dabatur ei liber cum poteſtate legendi, &, ſi parem ſe judicaret, etiam explicandi.

17. ἐπεδόθη αὐτῷ βιβλίον, *traditus eſt illi liber*] Cùm & ex Lege & ex Prophetis quoque Sabbato ἀφορμαὶ [*ſectiones*] legerentur, datus eſt ei liber qui expoſitu difficilior credebatur, idque juſſu Archiſynagogi per eum qui infrà vocatur ὑπηρέτης [*miniſter*]. ¶ ἀναπτύξας, *ut revolvit*] Ἀναπτύσσειν βιβλίον eſt *evolvere*, πτύσσειν *convolvere*. Nam Hebræorum, ut & Latinorum, libri erant volumina: hinc *evolvere librum* apud Ciceronem atque alios. Idem eſt *revolvere* Livio & Martiali, qua voce & hîc uſus eſt rectè Latinus Interpres. Ejuſmodi libros etiam nunc in Synagogis videre eſt. ¶ τόπον, *locum*] Sic Plutarchus atque alii loqui ſolent. Alii etiam χωρίον dicunt. Cicero *locum libri* aliquoties dixit: & Terentius, *eum Plautus locum reliquit integrum*. Noſter hic Actor. VIII, 32. περιοχὴν [*circuitum*] dixit. Περικοπὴν [*abſectum*] dixerunt Græcorum exemplo Juſtinus Martyr & Hieronymus: & falluntur qui apud Philoponum & Baſilium eam vocem aliter exponunt.

18. Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμὲ, *Spiritus Domini ſuper me*] Sicut liberatio ex captivitate Babylonica & imago & pignus fuit liberationis animorum quam facturus eſſet Meſſias: ita & quæ Eſaias de ſe dixerat, ita directa ſunt à Deo ut Domino Jeſu excellentiùs convenirent. Etiam Kimchi ad Meſſiam hæc aptat. ¶ οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με· *propter quod unxit me*] Videtur οὗ ἕνεκεν aliquid conſequens deſignare, cùm contrà ex uſu Helleniſtarum antecedens ſignificet: reſpondet enim Hebræo יען, quæ vox ſignificat non *propterea*, ſed *eò quod*: ut Geneſeos XXII, 16. Οὐ ἕνεκεν ἐποίησας τὸ ῥῆμα τοῦτο, καὶ οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σου τοῦ ἀγαπητοῦ δι' ἐμὲ, ἦ μὴν εὐλογῶν εὐλογήσω σε [*Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicens benedicam tibi*]· ubi itidem ut hîc in Hebræo eſt יען, quam vocem alibi Lxx vertunt per ἀνθ' ὧν [*eò quod*], ut diximus ſuprà cap. I, 20. ἔχρισεν [*unxit*] hîc non donationem Spiritûs ſignificat (idem enim ſui ipſius cauſa redderetur) ſed injunctum munus, ut & quod ſequitur ἀπέσταλκε [*miſit*]. Genus loquendi inde ſumtum quòd & Reges & Sacerdotes unctione inaugurari ſolebant. Quia munus illud annuntiationis Eſaiæ olim, jam verò multò auguſtius Chriſtus erat impoſitum, ideo uterque inſtructus eſt donis muneri convenientibus. ¶ πτωχοῖς, *pauperibus*] Inter diverſitates lectionum quæ in Hebræis codicibus occurrunt nulla eſt frequentior eâ quæ nata eſt ex literarum ו & י inter ſe commutatione. Quare hæc ipſa vox quæ hîc apud Prophetam exſtat in Pſal. XXXIV, 3. IX, 13, & 19. & Prov. XVI, 19. ab aliis עניים [*pauperes*] ab aliis ענוים [*humiles* ſive *modeſti*] ſcribitur, agnoſcentibus Maſoritis, quorum auctoritatem Judæi ſequuntur. Sed & alibi ubi non niſi ענוי legitur, quomodo hoc Prophetæ loco ſcriptum habemus, Lxx vertunt πτωχοὺς [*pauperes*], ut in loco Pſalmi apud Hebræos X, 17. XXII, 27. Sanè origo vocis oſtendit propriè *miſeriam* hac voce ſignificari; poſtea verò tranſlatam ad *modeſtiæ* & *ſubmiſſi animi denotationem*: quod & de voce ταπεινῶν [quæ *humiles* deſignat] diximus. Et huic loco multo aptior eſt illa *miſeri ſtatus* quàm *animi modeſti* ſignificatio. ¶ κηρύξαι, *prædicare*] Quod ante hanc vocem habent codices quidam ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν [*ſanare contritos corde*] non fuiſſe in libris Græcis veteribus ex Origene apparet. Sed nec in antiquiſſimis Latinorum codicibus apparuiſſe ex Ambroſii ad hunc locum explicatione facile eſt collectu. Quare cùm & nunc antiqui codices ſuperſint qui hanc particulam non habeant, probabilius multò eſt additam ex Eſaia & Interpretibus Lxx quàm ab aliis exſcriptoribus omiſſam. Nam eodem modo Latina editio ex Eſaia additum habet commate ſequenti *& diem retributionis*, quod neque in Græcis neque in Syriacis exſtat. Sæpe autem noſtri Scriptores Prophetarum locis utuntur ea libertate ut verba quædam in medio omittant; quod hic eò minore ſenſus damno fieri potuit, quia Propheta variato ſæpe loquendi genere rem eandem exprimit. ¶ καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, *& cæcis viſum*] Reipſa conſtat idem dici quod ſuperioribus. Verborum proprietas in controverſia eſt. Mihi videntur Lxx, quos ſequitur Lucas, Hebræa ſatis conſideratè interpretati. פקח, ſi quis expendere velit loca in quibus ea vox apparet, non ſignificat quamvis *aperturam*, ut פתח, ſed eam duntaxat quæ ad Oculos pertinet, niſi quòd & ad Aures transfertur, quomodo & פתח Oris eſt proprium. Jam verò quod ſequitur קוח eſſe *carcerem*, ut multi volunt, nullo teſtimonio probatur. Quare non video cur improbemus quod doctiſſimi Hebræorum ſentiunt unam eſſe vocem פקחקח, ſed in qua literæ θέματος [*vocis primitivæ*] poſteriores αὐξητικῶς [*per augmenti modum*] repetantur: Cujuſmodi ſunt אדמדם [*rufus*] & ירקרק [*viridis*] & סחרחר [*circuivit*] & תאבכן [*tortuoſus*]. Diſputant Hebræorum Grammatici, talis literarum repetitio ſitne διανοητικὴ [*diminutiva*] an αὐξητικὴ [*auctiva*]. Sed ut de אדמדם [voce *rufi*] & ירקרק [voce *viridis*] res ſit dubia, duæ reliquæ quas dixi voces omnino auctivam ſignificationem poſtulant, ut

videre est Psalm. XXXVIII, 11. & Prov. XXI, 8. Optimè ergo videntur sentire qui hoc Prophetæ loco τυφλοὺς referunt ad plenissimam libertatem oculos huc atque illuc quà luber circumferendi. Interpretes autem LXX, ut continuarent ἀλαζονείαν, quod præcedit אסורים [*captivis*] verterunt τυφλοῖς [*cæcis*], nimirum quia, ut diximus, עור ad Oculos pertinet, ad Carcerem non pertinet. Atque ideo plerunque de cæcis dicitur, ut Psalm. CXLVI, 8. Esaiæ XLII, 7. At Hebræi amant & propria figuratis & alias figuras aliis connectere. *Cæci* autem dici solent qui in tenebris vivunt, quod præcipuè convenit his quos carcer claudit. Itaque apud eundem Esaiam XLIX, 9. eodem significatu ponuntur οἱ ἐν δεσμοῖς [*qui vincti sunt*] & οἱ ἐν σκότει [*in tenebris*]. & XLII, 7. οἱ τυφλοὶ [*cæci*] & οἱ δεδεμένοι [*vincti*]. Captivi igitur *cæci*, ut Latinis cæci *oculis captis*. Utraque similitudo summam miseriam significat, qualis erat Judæorum in exsilio Babylonico, multóque magis hominum omnium in illo crassæ ignorantiæ statu ante tempora Messiæ. Confer eundem Esaiam XLII, 8. ubi itidem Judæi in exsilio illo *cæci* dicuntur, quantumvis *oculos habeant*: quia scilicet summa miseria oculis videndi libertatem ademerat. ¶ *Συντετριμμένους τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει· dimittere confractos in remissionem*] Nihil aliud est quàm popularis explicatio ejus quod obscuriùs verbis ἰάσασθαι [*illico*] antecedentibus dictum videri poterat. Nam locutionem hanc fuisse vulgò usitatam apparet ex altero Esaiæ loco LVIII, 6. ubi LXX eadem habent verba quæ hic Lucas posuit. Atque ideo credo, quia hoc explicandi causà adjecturus erat Lucas, omisit suprà ἰσοδύναμον [*idem valens*] illud, ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν [*sanare contritos corde*]. Quantillum enim differunt συντετριμμένοι [*contriti*] & τεθραυσμένοι [*confracti*]? Intelligendi autem hoc loco *fracti animo*, non qui pœnitudine peccatorum tanguntur, sed versantes in summis rerum angustiis: ut & Psalm. CXLVII, 3. Nam de prima illa vocatione, ni fallor, agitur, quæ homines plerosque nihil boni cogitantes deprehendit. Non enim de ipso liberationis beneficio sermo est, sed de annuntiatione ejus liberationis jam paratæ: quod & sequentia ostendunt.

, 19. Κηρύξαι, *Prædicare*] קרא לחרות [*vocare* sive *proclamare*]. Similitudo sumta ab anno jubilæo, qui per præconem buccinæ sono indici solebat. ¶ ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν. *annum Domini acceptum*] Δεκτὸν [*acceptum*] est τὸ ἀρεστὸν [*quod placet*], *id quod gratum acceptumque est*, ut videre est infrà commate 24. Act. X, 35. Philip. IV, 18. Sic & Ecclesiastici II, 5. Ἐν πυρὶ δοκιμάζεται χρυσὸς, καὶ ἄνθρωποι δεκτοὶ ἐν καμίνῳ ταπεινώσεως [*In igne probatur aurum, homines verò recipibiles in camino humiliationis*]. Alibi Hellenistis dicitur καιρὸς εὐδοκίας [*tempus beneplacitii*]. Tempori autem tribuitur figuratè, ut significetur id tempus quo Deus se benevolentem ostendit. Atque ita hoc loco LXX vertunt שנת רצון [*annum voluntatis*] ἐνιαυτὸν δεκτὸν [*annum acceptum*], ut & Esaiæ XLIX, 8. בעת רצון [*in tempore voluntatis*] καιρῷ δεκτῷ [*tempore accepto*]. At Psal. LXIX, 14. עת רצון [*tempus voluntatis*] illis non minùs rectè vertitur καιρὸς εὐδοκίας [*tempus beneplacitii*], Symmacho καιρὸς διαλλαγῆς [*tempus conciliationis*]. Falluntur veteres, tum Clemens & Valentiniani, qui hinc colligebant uno anno peractum Christi κήρυγμα [*prædicationem* peractam], tum Epiphanus atque alii, qui ex contrario inferunt, Si unus fuit annus δεκτὸς [*acceptus*], unum itidem fuisse ἀντιλεγόμενον [*in contradictione positum*]. Per quot annos Christus Doctoris functus sit munere, ostendunt οἱ χρονογράφοι [*temporum numeratores*]. At hîc certè *annus* ex similitudine jubilæi dicitur tempus illud omne quo se largissimè Divina bonitas effundebat. Itaque Paulus II Corinth. VI, 2. tempus illud quo ipse scribebat ad Corinthios vocat καιρὸν δεκτὸν [*tempus acceptum*] & ἡμέραν σωτηρίας [*diem salutis*]. Tempus istud, sicut in Judaico populo circumscriptum fuit annis post Christi mortem quadraginta, aut circiter, ita in hominibus singulis suum habet ambitum, nobis ignotum, notum Divinæ providentiæ, qui plerunque ad mortem usque protenditur, nisi ob gravem contumaciam priùs etiam præcidatur. Ideo monemur *non obdurare cor nostrum dum vocatur* σήμερον [*hodie*], Heb. III, 7. & sequentibus.

20. τῷ ὑπηρέτῃ, *ministro*] Post Archisynagogum & Presbyteros erant in Synagoga ὑπηρέται [*ministri*], qui minora munia ex illorum decreto obibant: quomodo Johannes Marcus dicitur ὑπηρέτης [*minister*] fuisse Pauli & Barnabæ Actor. XIII, 5. Hebræis ὑπηρέται vocantur חזנים, ut videre est tum alibi tum Thalmudico titulo De Sabbato cap. I. Horum munus inter cætera erat Legis librum custodire, atque etiam, si opus esset, ex eo legere: quod in Ecclesia Christiana faciebant ἀναγνῶσται [*Lectores*], quæ erat species διακόνων [*Diaconorum*]. Nam olim cùm exigua esset multitudo, eidem διάκονοι [*Diaconi*] omnia ea obibant quæ Presbyteris obire non vacabat: Postea distributi sunt labores & facti sunt alii διάκονοι [*Diaconi*], alii ἀρχιδιάκονοι [*Archidiaconi*], alii ὑποδιάκονοι [*Hypodiaconi*], alii Janitores, alii ἀκόλουθοι [*comites*] Episcoporum, alii ἀναγνῶσται [*Lectores*], alii ψαλμῳδοί [*Psalmodi*]. Etiam Hieronymus *lectuare in Ecclesia* dicit esse Diaconorum. In Massechah Succa legimus שמש הכנסת הוא חזן, id est, *Et minister*, sive ὑπηρέτης, *stat ut recitet de Lege*. Vide quæ diximus suprà ad verbum ἀναγνῶναι [*legere*]. Epiphanius titulo De Ebionæis, de Josepho Judæorum Apostolo agens, quæ erat dignitas proxima à prima τῷ πατριάρχῃ [*Patriarchæ*], ait ab eo multos in Synagogis loco suo motos, ubi Synagogæ munera ita enumerat, Πολλοὺς τῶν κακῶν καλουμένων ἀρχισυνάγωγων ἢ ἱερέων ἢ πρεσβυτέρων καὶ ἑζαυτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς, διακόνων ἐρημουμένων ἢ ὑπηρετῶν, καθαίρων τε ἢ μετατιθεὶς ἢ ἀξιῶν· ὑπὸ πολλῶν ἐνεκοτεῖτο [*Cùm multos homines malos factos Archisynagogos, aut Sacerdotes, aut Presbyteros, aut Azanitas quos vocant, nos Diaconos aut ministros interpretari possumus, loco suo movisset, multorum ob id odia incurrit*]. Apertè ait eos qui Hebræis dicebantur חזנים [*Azanitæ*] Græcè dictos aut διακόνους [*Diaconos*] aut ὑπηρέτας [*ministros*], nam hæ voces idem valent. In Clementis Constitutionibus lib. II, cap. XXVIII. δι' ὑπηρετῶν ἃ βούλονται σημαίνουσιν, τουτέστι δι' διακόνων [*per ministros quæ volunt significent*, id est, *per Diaconos*]. Ignatius in epistola ad Trallianos, Δεῖ δὴ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Χριστοῦ Ἰησοῦ κατὰ πάντα τρόπον ἀρέσκειν· οὐ γὰρ βρωτῶν καὶ ποτῶν εἰσὶ διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται [*Oportet autem & iis qui Diaconi sunt mysteriorum Christi omni modo placere; non enim ciborum & potuum sunt ministri sed Ecclesiæ Dei*]. Quare & Plinius τὰς διακόνους τῶν Χριστιανῶν ἐκκλησίας [*Diaconissas Ecclesiæ Christianorum*] vocat *ministras*. Cyprianus, *Diaconos autem post adscensum Domini Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros*. Et Optatus Milevitanus non uno loco *Ministros* ponit inter *Laïcos* & *Diaconos*, eos intelligens qui ὑποδιάκονοι [*Hypodiaconi*] vocabantur. Canon Synodi Nicænensis XVIII. Ἐμεμψάμεθα οἱ διάκονοι τοῖς ἰδίοις μέτροις, εἰδότες ὅτι ἡ μὲν ἐπισκόπου ὑπηρεσία εἶσι [*Manent Diaconi intra suos fines, scientes se Episcoporum esse ministros*]. Sicut autem ad Presbyterium vix legi solebant nisi qui jam provectæ essent & ætatis & sapientiæ, ita ὑπηρεσία [*ordo ministri*] sive διακονία [*diaconia*] ferme juvenibus mandabatur. Philo, Ὑπηρετοῦσι τὰς διακονικὰς χρείας οἱ νέοι ἐν τῷ συνεδρίῳ μετὰ πάσης ἐπιμελείας ἀρίστοις ἐπιτεθειμένοι [*Ministeriales operas exhibent juvenes, in ipso conventu magna cum cura ex optimis electi*]. ¶ ἐκάθισε· *sedit*] Munus Doctoris suo sibi jure vindicans. Nam alii de plebe, etiamsi quid de sacris disserebant, id faciebant stantes. Patet Actor. XIII, 16. I Corinth. XIV, 30. Vide quæ notavimus ad Matth. XXIII, 2. ubi & illud annotavimus, ipsos quoque Doctores stetisse dum verba Legis aut ab ipsis aut ab aliis legebantur. ¶ *οἱ ὀφθαλμοὶ ἦσαν ἀτενίζοντες αὐτῷ. oculi erant intendentes in eum*] Hoc est quod Virgilius ait,

——— *Intentique ora tenebant.*

21. σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφὴ αὕτη ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν· *hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris*] Hoc exordio usus Jesus explicavit Prophetæ locum, & explicando implevit, annuntians scilicet liberationem illam quæ præ foribus erat. Nam Messiam & liberatorem sese hactenus non profitebatur; quod fecit postea; sed agebat διαγγελίαν [*Euangelistam*] & nuntium paratæ liberationis, hoc est, hoc præ se ferebat quod per Esaiam erat gestum in figura, non quod per Cyrum. Videtur autem Lucas omissis rebus multis quas alii memorant, ab hac dissertatione Nazarethana exorsus acta Domini Jesu: quia actis præmittendum putavit officium ipsius, quod melius exprimere non potuit quàm Prophetæ ipsiusque Jesu verbis. Omnino verum est, contrà quàm alii sentiunt, in omni hac historia Lucam ad rerum magis quàm ad temporum ordinem attendere.

22. ἐμαρτύρουν αὐτῷ, *testimonium illi dabant*] Id est, fateri cogebantur de eo; ut ea vox accipitur Matth. XXIII, 31. & Roman. X, 2. Quid autem fatebantur? Nempe id ipsum quod sequitur, attonitos se ob singularem illam docendi rationem. ¶ λόγοις τῆς χάριτος, *in verbis gratiæ*] Nimirum verè de illo dici poterat,

Πολλά τις ἐπιτάθειεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν·
Οὕτως ἁπαλὰ καὶ μόνῳ τῷ ῥητόρων
Τὸ πίστρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

[*Suada*

[*Suada inſidebat quædam labiis illius:*
Ita delinibat homines, unumque omnium
Linquebat ſtimulos in animo audientium.]

Non illa humanæ ſapientiæ πεῖθω [*Suada*], ſed efficaciæ Divinæ, ut Paulus ait 1 Corinth. II, 4, 7. Reſpicitur illud Pſalmi XLV, 3. יפיעת חן בשפתיך [*diffuſa eſt gratia in labiis tuis*]. ¶ καὶ ἔλεγον, Οὐχ' υἱός ἐστιν ὁ τοῦ Ἰωσήφ; *& dicebant, Nónne hic eſt filius Joſeph?*] Admirantes hoc dicebant, ſed vi veritatis perculſi magis quàm ſincero pietatis ſtudio. Ideo inter doctrinæ auctoritatem & vilem atque ignobilem Jeſu ſtatum fluctuantes, animos facilè in pejorem partem præcipites dedére: οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τοὺς ἀκούσαντας ὑπείκοντας μὴ συγκεκραμένους τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν [*non profuit illis ſermo auditus, non admixtus fide in audientibus*], Hebr. IV, 2.

23. τὴν παραβολὴν ταύτην, *hanc ſimilitudinem*] Id eſt, παροιμίαν [*adagium*]: ut viciſſim Johannes παροιμίαν [*adagium*] vocat quod propriè παραβολὴ [*ſimilitudo*] eſt; quæ nominum communicatio nata ex Hebræo משל, quo & hoc & illud comprehendi ſolet. Eſt autem hoc proverbium, *Medice, cura te ipſum*, uſu Hebræorum, Syrorum & Arabum tritiſſimum. Et primùm quidem ad eos pertinuit

Qui cùm ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.

Quomodo & Græci dicunt,

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.
[*Aliorum medicus ipſe ulceribus obſitus.*]

& Æſchylus,

——— Κακὸς δ' ἰατρὸς ὥς τις, ἰὸς νόσου
Πεσὼν ἀθυμεῖς, καὶ ξυνὼν σὺν ἕλκεσι
Εὑρεῖν ἀπείρους φαρμάκους ἀσκεῖς.
[*Malusque medicus, ipſe cùm in morbo cubas*
Amittis animum, nec remedium ullum in manu eſt
Quod ſanitatem priſtinam reddat tibi.]

Poſtea etiam longiùs produci cœpit ad eos qui in alienos magis quàm in conjunctos ſunt benefici. Tale eſt illud Virgilii,

Hanc primùm tutare domum.

Atque ita hic uſurpatur. ¶ πατρίδι, *in patria*] Vide Matth. XIII, 57.

24. Δεκτὸς ἐστι, *acceptus eſt*] τιμὴν ἔχει [*honorem habet*], Johann. IV, 44. Juxta illud dictum, *Ingrata patria*: cujus de rei cauſa ad Matthæum egimus.

25. ἐκλείσθη ὁ οὐρανὸς, *clauſum eſt cœlum*] Sic & Moſes Geneſ. VIII, 2. *clauſos* dicit *cœli cataractas* cùm pluere deſiit. ¶ ἐπὶ ἔτη τρία καὶ μῆνας ἕξ, *annis tribus & menſibus ſex*] Ex traditione quam & Jacobus ſequitur V, 17. Quare quod eſt 1 Regum XVIII, 1. ni fallor, ita interpretari licet, *Dies aliquammulti* (id eſt, ſex menſes) *præterierant ex quo Deus allocutus erat Eliam anno tertio*, id eſt, fine anni tertii poſtquam pluere deſierat: ut mandatum acceperit Elias fine tertii anni, ſed quod exſequendum fuit poſt ſemeſtre tempus. Videtur autem conſulto Deus hanc calamitatem definiiſſe annis tribus & ſemeſtri tempore. Nam & ἐρήμωσις [*deſolatio*] quæ per Antiochum contigit pari temporis ſpatio definita eſt. At Chriſto in terris agente apertum fuit cœlum pari temporis ſpatio. ¶ ὡς ἐγένετο, *cùm fuit*] *Quo tempore fuit fames maxima.* Ita plerunque in his libris ſumi video illud ὡς ἐγένετο, nec unquam quod ſciam ἐνεγένετο [*pro quod*].

26. Σαρέπτα τῆς Σιδῶνος, *in Sarepta Sidonis*] Meminit Plinius. Hebræis eſt צרפת. Cæterùm non tacendum duxi vetuſtiſſimum codicem hic pro Σιδῶνος [*Sidonis*] habere Σιδονίας [*Sidonia*], ut apertius regionis ſit vocabulum; quanquam ſcio urbis & regionis nomina ſæpe permiſceri. Admirabilis eſt Hebræorum ſtupor, qui apud Obadiam צרפת interpretantur *Regnum Francorum*, atque ejus interpretationis nullâ ratione ſuffultæ fiduciâ res magnas ſibi pollicentur. Sed accidit illis quod & aliis, ut quod unus dixerit credant omnes, dijudicet nemo. ¶ πρὸς γυναῖκα χήραν, *ad mulierem viduam*] Oſtendit hoc exemplo & ſequente Chriſtus miracula non diſpenſari pro privatis affectibus, ſed & liberrimo & ſapientiſſimo Dei arbitratu, qui norit ubi edita optimam frugem ſint paritura. Nam qua ratione Nazarethani æquum putabant ſe à Chriſto præferri cæteris in iſto beneficiorum genere, ea ſi quid valeret valere etiam debuiſſet Eliæ tempore, ut nempe mulieres Iſraëlitidas Sareptanæ anteponeret: quod non fecit.

27. ἐκαθαρίσθη, *mundatus eſt*] Vox propria vitiligini. In hiſtoria Neemanis מצרע LXX ὁ ἐκαθαρίσθη, & in Levitico ſæpe. ¶ εἰ μὴ Νεεμὰν ὁ Σύρος. *niſi Neeman Syrus*] Solent LXX ע ſæpe per ε transferre. Ita ex עמר factum eſt Νεεμὰν: neque dubium quin illis temporibus ita legi ſolitum ſit. De hoc Syro, qui & hîc tacitè videtur ob quandam animi probitatem, quam Deus miſericorditer reſpexerit, commendari, diſquiri ab eruditis ſolet, quid ſit quod à Propheta diſcedens condonari ſibi poſtulat. Qui putant veniam ab eo poſci actûs εἰδωλολατρικῷ [*idololatrici*], non video quomodo id probent. Adde quòd directè hoc pugnare videtur eum verbis antecedentibus, quibus profeſſus erat non ſacrificaturum ſe poſthac ulli deo præterquam Deo illi quem colebat Eliſæus; ubi Sacrificio, tanquam nobiliſſima ſpecie, genus omne cultus externi comprehendi videtur. Deinde ſi tam læva illi mens fuiſſet, quis putat Eliſæum ſine ulla caſtigatione id transmiſſurum fuiſſe? Nam quod ajunt nonnulli apertè erraſſe Syrum etiam in re alia, cùm humum Iſraëliticam ſecum defert, ſuper qua ſacrificet, quippe quia extra Hieroſolyma ſacrificare non liceret, malè ſibi ſumunt etiam ἀλλοφύλοις [*extraneis*] licitum non fuiſſe ſacra facere extra Hieroſolyma, cùm ea de re lex Hebræo tantùm Populo data exteros non conſtringeret. Terram autem quòd ſecum deferebat non erat ſuperſtitioſum; ſed eo ſigno volebat teſtatum illum ipſum à ſe Deum coli qui in Terra Iſraëlitica coleretur. Quare quod de corporis procubitu in templo Remmanis dicit, intelligendum ita mihi videtur, ut ſit non peccati necdum perpetrati deprecatio (quam nemo ſapiens admiſerit) ſed potiùs interpretatio facti ambigui. Nam cùm corporis iſta dejectio apud Syros tam θρησκείας [*cultûs Deo exhibiti*] eſſet ſignum quàm ejus venerationis quæ Regibus exhibebatur, teſtatum volebat Neeman ſe, quoties Regem in templum comitatus ibidem eſſet procubiturus, facturum id in honorem non Remmanis ſed Regiæ majeſtatis, paratus ſcilicet id ipſum coram Rege atque aliis palàm profiteri. Quare non tam ut hoc condonaret quàm ut æqui conſuleret Deus precabatur. Nam כפר, quod ἱλάσκεσθαι [*propitiari*] vertunt LXX, hunc ſenſum non reſpuit, ut videre eſt Num. XXX, 6. & נקה, Græcè καθαρεύειν, valet *innocentem habebis*. Sic συγγνώμην ἴσχε habemus Sirach. III, 13. Vide & II Paralip. XXX, 18. & Numer. XXX, 9, 13. Scilicet facta & dicta dubiæ ſignificationis tali teſtatione purgari ſolent. Ita ex Euſebio diſcimus Chriſtianum quendam, cùm more Perſarum Regem adoraſſet, abſtinuiſſe ab adoratione poſtquam ad Chriſtum abnegandum erat provocatus; & ex Tertulliano, Chriſtianos veteres Imperatoribus tribuiſſe *Domini* appellationem, quando non cogebantur ut *Dominum Dei vice* (id eſt, quaſi Deum) dicerent.

28. ἀκούοντες ταῦτα. *hæc audientes*] Quia indigni miraculis tacitâ comparatione arguebantur.

29. ἀναστάντες, *ſurrexerunt*] Hæc vox hic abundat, ut & infrà 39. ſuprà 1, 39. 1 Macc. XIV, 32. ¶ τῆς ὀφρύος, *ſupercilium*] Non Latini tantùm eminentias vocant *ſupercilia*, ut notum eſt, ſed & Græci. Homerus,

——— ἐπ' ὀφρύσι Καλλιπαλούης.
[——— *ad pulchri umbracula colli.*]

Apollonius,

——— ἐπ' ὀφρύσιν αἰγιαλοῖο.
[——— *quà littora pendent.*]

Plutarchus Numâ, ὀφρῦς γαίδης παρατείνουσα πόρρω [*è terra ſupercilium longè ſe extendens*]. Herodotus, Ἐν τῇ ὀφρύι κατοικημένων [*eorum qui in ſupercilio habitabant*]. ¶ εἰς τὸ κατακρημνίσαι αὐτόν. *ut præcipitarent eum*] Non judicii more, ſed motu concitatæ plebis; ſicut & alio tempore Judæi eum lapidare voluerunt.

30. δι' μέσου αὐτῶν, *per medium illorum*] Nihil læſus à turba undique obſtante. Idem loquendi genus reperitur Johann. VIII, 59. ubi clarè ſignificatur Chriſtum Divina virtute factum inimicis inconſpicuum: quare eodem modo hîc quoque elapſum credibile eſt.

31. Καὶ κατῆλθεν εἰς Καπερναοὺμ πόλιν τῆς Γαλιλαίας. *Et deſcendit in Capernaum civitatem Galilæa*] Mira fuit Marcionis audacia, qui omiſſis omnibus iis quæ apud Lucam ad hunc uſque locum leginus, hinc librum auſpicabatur, talibus verbis, ut Tertullianus nos docet, *Anno quintodecimo principatus Tiberiani Deus deſcendit in civitatem Galilææ Capharnaum:* ſubtexens deinde illud quod Nazarethæ factum ſuprà habuimus, cæteris quæ præceſſerant inductis. Idem indicat Epiphanius. Qui videre volet quot locis Marcio aut qui ei præiverant tum Lucæ tum Pauli libros interpolaverint, conſulant utrumque Scriptorem quem dixi. Ad revincenda id genus παραχαράγματα [*Scripturæ corruptelas* revincendas] meritò Tertullianus

provocat ad eas ecclesias quas Paulus Luca etiam adjutore fundaverat, quæ omnes maximo consensu eam quam nos habemus *ἔκδοσιν* [*editionem*] sequebantur.

32. *ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ. in potestate erat sermo ipsius*] Palàm se ferebat Doctorem Divinitus missum, atque id factis admirandis confirmabat. Vide de hoc significatu *ἐξουσίας* [*potestatis*] quæ ad Matth. VII, 29.

34. *Ea, Ab*] Vide ad Marcum I, 24. Nam hæc omnino ex Marco Lucas descripsit, paucis vocibus mutatis.

36. *Τίς ὁ λόγος οὗτος, Quod est hoc verbum*] Posuit hoc Lucas pro eo quod Marcus dixerat *Τί ἐστι τοῦτο*; [*Quid est hoc?*] quare verior est interpretatio illa, *Quid hoc est rei?* Nam & LXX cùm דבר *rem* significat *λόγον* [*sermonem*] aut *ῥῆμα* [*verbum*] sæpe vertunt: & supra *λόγου* [*sermonem*] & *ῥῆμα* [*verbum*] eo sensu à Luca usurpatum vidimus. Hierosolymitanus Paraphrastes solet vertere מלה [*causam*]. ¶ *ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει, in potestate & virtute*] Δύναμιν malim *potentiam* vertere. Nam *potestas*, cùm accuratè & distinctè loquendum est, magis respondet voci *ἐξουσία*, atque ita verti solet à Jurisconsultis. Ἐξουσία est *jus* sive *facultas moralis*: Δύναμις *vis activa*, sive *facultas naturalis*, aut *naturali similis*.

38. *συνεχομένη, tenebatur*] Ita hanc vocem usurpat & Matthæi Interpres IV, 24. ¶ *ἠρώτησαν, rogaverunt illum*] Videtur esse Latinissimus: quia Latini *rogare* dicunt pro *orare*. Simili modo loquitur Matthæi Interpres XV, 23. Johannes XIV, 16. Noster hic infrà VII, 3. & Actor. XXIII, 20. Paulus II Thess. II, 1. Sed & Hellenistæ vocem *ἐρωτᾶν* in sensu *postulationis* aut *precationis* usurpant, ut videre est Psal. CXXII, 6.

39. *ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς, superveniens super illam*] De voce *ἐπιστῆναι* [*supervenire*] diximus ad Matth. XXVIII. Videtur autem addito *ἐπάνω* [*super*] nihil aliud quàm accessus de proximo significari. Ita II Sam. I, 9. עמד נא עלי [*Sta, quæso, super me*] vertunt Lxx *ἐπίστηθι ἐπάνω μου*, id est, *propius ad me accede*.

40 Δύνοντος τοῦ ἡλίου] *Sole occaso*. Nam præsens usurpatur hîc pro præterito. Vide Marcum. Vetus Interpres rectè, *Cùm Sol occidisset*

42. *Γενομένης δὲ ἡμέρας, Facto autem die*] *Cùm dies imminere*t. Ita enim *ἐγίνετο* [*fiebat*] usurpari interdum solet, ut magis significet *τὸ ἐν γίνεσθαι* [*id quod est in fieri*] quàm *τὸ ἐν εἶναι* [*quod est in esse*]. Vide quæ ad Marcum. ¶ *κατεῖχον αὐτὸν, detinebant illum*] Nempe eorum commodorum causâ quæ ex miraculis percipiebant: id enim præcipuè spectabant. At Christus verbis sequentibus docet præcipuum esse *τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς βασιλείας* [*prædicationem Regni*], cujus sigillum sint miracula.

43. *πόλεσιν, civitatibus*] Vicos oppidorum instar *πόλεις* [*oppida*] vocat Lucas, quas Marcus *κωμοπόλεις* [*vicoppida*]. Sic & infrà V, 12. *ἐν μιᾷ τῶν πόλεων* [*in una civitatum*], id est, *κωμοπόλεων* [*vicoppidorum* sive *castellorum*].

P R I C Æ U S.

Com. 1. Πνεύματος ἁγίου πλήρης] Suprà 2. 40.

Ibid. *ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον*] Sic Apoc. 17. 3. *ἀπήνεγκέ με εἰς ἔρημον ἐν πνεύματι*· id est, (ut infrà hîc com. 14.) *ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος*. Quibus locis Spiritum Sanctum intelligi nullum dubium: vide & Actor. 20. 22. Contrarium infrà 8. 29. *εἰς τὰς ἐρήμους ὑπὸ τοῦ δαίμονος ἐλαύνεσθαι*.

Com. 3. *τῷ λίθῳ τούτῳ*] Cuivis lapidum istorum: quo sensu infrà 17. 6. *τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ*.

Com. 4. *οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ*, &c.] Vide Deut. 29. 6. Sapient. 16. 26. & quæ ibidem comm. 7. & 12. habentur.

Com. 5. *ἀναγαγὼν αὐτὸν*, &c. *ἐπὶ ὄρος ὑψηλὸν, ἔδειξεν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης*] Spartianus in Severo, *Ex altissimi montis vertice orbem terrarum*, &c. *despexit*. Vide Deuteron. 34. 1. 2. Scholiastes ad Iliad. Ξ. Περιωπὴν, ὑψηλὸν τόπον, ἐξ οὗ περιοπτέον καὶ περιβλέψαι ἐστὶ πάντα. Τὰς βασιλείας autem, ipsa regna intellige, non simulacra eorum. Vide ad Matthæum.

Ibid. *ἐν στιγμῇ χρόνου*] Ἐν *ἀτόμῳ*, I Cor. 15. 32. *ἐν ἀκαρεῖ τοῦ χρόνου* Lucianus dixit Contemplant. *ἐν ἀκαρεῖ χρόνου* Aristophanes Pluto: nec aliud *ἀμερὲς χρόνου* in 3 Maccabaico. Plutarchus in Conviv. Sapient. Στιγμὴ, *μέσον ἢ μέρος τι βραχύτατον στιγμῆς*. Idem alibi de Tempore loquens, *στίγμα τι φάρυγξ* dixit. Non malè hîc à nuperis versum, *in puncto temporis*. Glossæ, Στιγμὴ, *punctum*. Donatus ad Phorm. I. 4. *Punctum, angustissimum spatium*: *momentum* autem in nescio quid longius excurrit. Plinius Panegyrico, *Quod momentum? imò quod temporis punctum?* &c. Apulejus 10. *Momento modico, imò puncto exiguo*. Censorinus de tempore præsenti (quod *τῇ στιγμῇ ἰσοδύναμον*) *Adeò exiguum & incomprehensibile, ut nullam recipiat longitudinem, neque aliud quàm transacti futuriquè conjunctio*. Ἐξαίφνης φύσις Platonis: vide 13. 6. A. Gellium 14. 1. *Cursus* (ut alibi idem Gellius) *transvolantis temporis, qui vix cogitatione animi comprehendi potest*. Ejusdem aut cognatissimæ significationis videtur esse quem & *ictum* Latini vocant. Tacitus de Seneca & Paulina, *Eodem ictu ferro brachia dissolvunt*. Gellius 14. 1. *Eodem genere mortis, eodémque ictu temporis interierunt*. In l. 7 § 7. ff. ad leg. Aquil. *Si quis de ponte aliquem præcipitaverit, sive ipse ictu submersus est*, &c. *aut lassatus vi fluminis perierit*, &c. Ammianus lib. 21. *Transitis Alpibus Julus, eodem ictu Florentium itidem Præfectum secum abduxit*. Sic, *intra ictum temporis*, Serm. 33. P. Chrysologus: *uno eodémque ictu temporis*, dialogi ad Asclepium Auctor: *sub ictum surgentis mundi*, Hexaem. 3. 11. D. Ambrosius: &, *sceleris sub ictu*, Seneca in Thebaide.

Com. 6. Σοὶ δώσω τὴν ἐξουσίαν ταύτην]

Rex ego polliceor tot me tibi regna daturum,
Et penitus toto quicquid in orbe placet.

Imitatur hîc diabolus Dei verba Gen. 24. 7. ad Abrahamum: ubi Græcis, *Σοὶ δώσω τὴν γῆν ταύτην*. Ἐξουσίαν, Vulgat. *potestatem*, quod videtur metonymicè accipiendum: vertas, nec malè, *ditionem*. Glossæ, Ἐξουσία *majestas, ditio, potestas*. Neque hîc tam jus in res demonstratur, quàm res ipsæ: quod vel ex Matthæo patet, qui hîc *πᾶσαι πασῶν* dixit. Sic infrà 23. 7. *ἐκ τῆς ἐξουσίας Ἡρῴδου*. Sic & Colossi I. 13. videtur poni, ut vel ex oppositâ voce *βασιλείᾳ* colligere est. Vide & Ephes. 2. 2.

Ibid. *καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν*] Debebat *αὐτῆς*, scilicet *ἐξουσίας*: videtur autem ad *βασιλείας* referri quod in præcedente commate.

Ibid. *ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται*] Similia, sed à dissimillimo enunciatore prolata, illa Matth. 28. 18. Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία, &c. Rex Cyrus I Esdr. I. 2. Πάσας τὰς βασιλείας τῆς γῆς ἔδωκέ μοι ὁ Θεός, &c. Ἐμοὶ heic est quod Joh. 5. 35. *ἐν τῇ χειρί μου* & Joh. 13. 3. *εἰς τὰς χεῖρας*.

Ibid. *καὶ ᾧ ἐὰν θέλω, δίδωμι αὐτό*] Julianus 7. Orat. Πολλά ἐστιν αὐτῇ, *καὶ δίδωσιν οἷς ἂν θέλῃ*. Primore commate diabolus Dei verba sectatus est: heic non solùm verba imitatur ejus, sed & jus assumit. Jerem. 27. 5. Ἐγὼ ἐποίησα τὴν γῆν ἐν τῇ ἰσχύϊ μου, &c. *καὶ δώσω αὐτὴν ᾧ ἐὰν δόξῃ ἐν ὀφθαλμοῖς μου*. Daniel. 4. 7. Κυριεύει ὁ ὕψιστος τῆς βασιλείας τῶν ἀνθρώπων, *καὶ ᾧ ἐὰν δόξῃ δώσει αὐτήν*.

Com. 7. *προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου*] Sic & Apocal. 3. 9. & 15. 4.

Com. 8. Ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ] Indignanter. Tale Apuleianum illud, *Quin abis?* &c. & Plautinum,

——— *Abin' è conspectu meo?*

Hoc *πείθομαι* autem non agnoscunt Syrus cum Vulgato Interprete.

Ibid. Προσκυνήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου *καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις*] Achmetes cap. 170. Oneirocritici, *τῷ Θεῷ μόνον ἡ προσκύνησις ἀξία*. De Eodem in Clementis Constitutionibus, Παρ' ὃν ἄθεός ἐστι, *καὶ αὐτὸν μόνον σέβειν, καὶ προσκυνεῖν*, &c. Diphilus apud Clementem Alexandrinum Stromat. 5. Τοῦτον δεῖ τίλλες τιμᾶν *μόνον*. Lactantius 4. 14. & de Christo loquens, *Docuit quod unus Deus sit, eúmque solum colí oportere*. D. Augustinus Serm. 207 de Temp. *Cui soli*, &c. *dicendus animus tribuendúsque in omnibus famulatus*.

Com. 9. *πτερύγιον*] Hesychius, Πτερύγιον, *ἀκροτήριον*.

Ibid. *βάλε σεαυτὸν ἐντεῦθεν*] Idem ex Matthæi illo, vel hoc Lucæ loco, Βάλε, *ῥίψαι*.

Com. 10. Γέγραπται γὰρ, *ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ*, &c.] Nil est quod timeas (inquit) te projicere, cùm ejusmodi sospitatores habeas. Cicero Tusculi. 2. *Si cui navigantis quem prædones insequuntur, Deus quis dixerit, Ejice te de navi, præstò est qui te excipiat*, &c. *omittet omnem timorem*, &c. ubi & *excipere* est quod in Contextu nostro, *ἐπὶ χειρῶν ἄρειν*.

Com. 11. *ἐπὶ χερῶν ἀροῦσί σε*] Id est, ut Tobiæ 11. in Græco, *ἐπιλήψονταί σου*, ubi & præcessit, *περιέκοπτον*. Vide & Matth. 14. 31. Suidas, *ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, ἀντὶ τοῦ, χειραγωγήσουσι, παιδαγωγήσουσι, ὑπερείσουσι*, &c.

Ibid. *μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον*, &c.] h. e. Nè vel minimum malum incurras. Idem Suidas, *προσκόψῃς πρὸς λίθον*, &c. *τὸ σμικρότατον δεδίηται*.

Com.

Com. 13. ἀπέστη ἀπ' αὐτῆ] Ἀφίσασθαι, & de malo Spiritu, habemus itidem in Græco 1 Reg. 16. 23. & infrà hèic 9. 39. Συσχωρεῖν.

Com. 14. καὶ φήμη ἐξῆλθεν, &c. περὶ αὐτῆ] Sic Matth. 9. 26. de eodem, ἐξῆλθεν ἡ φήμη αὐτῆ· & infrà hìc com. 37. ἐξεπορεύετο περὶ αὐτῆ ἦχος. Adde Luc. 5. 15. & 7. 17. Ἐξῆλθεν heic in gloriæ laudiſque argumento, ut & 1 Theſſ. 1. 8. ἐξελήλυθε.

Ibid. καθ' ὅλης τῆς περιχώρου] Curtius lib. 4. *Fama, ut ſolet, ſtrenue totas urbes diſcurrit.* Apuleius 4. de Pſyche, *Sic immensum indies procedit opinio*, (id eſt, ut heic φήμη, Matthæo 4. 24. ἀκοὴ, ubi & Vulgatus, *opinio*:) *ſic Inſulas jam proximas, & terra plusculum*, &c. *fama perrecta pervagatur.*

Com. 16. εἰσῆλθε κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων] Sic Actor. 17. de Paulo, Κατὰ τὸ εἰωθὸς εἰσῆλθε πρὸς αὐτοὺς, καὶ ἐπὶ σάββατα τρία διελέγετο αὐτοῖς· & in Hiſtoria Suſannæ, Εἰσῆλθε καθὼς χθὲς καὶ τρίτης ἡμέρας.

Com. 18. ἄ ἔτυπτα] Scholiaſtes ad Iliad. β'. ἃ ἔτυπτα, ἄ τινα χάριν.

Ibid. τὰς συντετριμμένας τῆ καρδίαν] Gloſſarium vetus Ms. Συντετριμμένη (ſubaudi καρδία) τεθλασμένη, ταπεινή. Suidas, Συντετρίβησαν τὰς ψυχὰς· ἐθορύβησαν, συνεχύθησαν. Plutarchus de Timoleone, Κατέπλαττε, καὶ συνέτριψεν αὐτῆ τὴ διάνοιαν.

Ibid. αἰχμαλώτοις] Qui Act. 10. 38. argumento iſto, ὑπὸ τοῦ διαβόλου καταδυναστευομένους.

Ibid. τυφλοῖς ἀνάβλεψιν] Id eſt, ἐκ σκότους (ut 2 Pet. 2. 9.) εἰς τὸ θαυμαστὸν φῶς αὐτοὺς καλῶν. Vide & ſuprà 1. 79.

Com. 19. διατόρ] Heſychius, Δεκτὸν, εὐπροσδεκτον.

Com. 20. Καὶ πτύξας τὸ βιβλίον, &c. ἐκάθισε] Ità Suidas (ex hoc loco) de Origene. Gloſſarium, *Complicat*, πτύσσει, διπλοῖ.

Ibid. πάντων ἐν τῇ συναγωγῇ οἱ ὀφθαλμοὶ ἦσαν ἀτενίζοντες αὐτῆ] Ut fieri amat, cùm in concionibus quis ſe parat ad loquendum: vide Act. 6. 15. Apud Lucianum Jove Tragœdo, Ὁρᾷς πάλαι σοὶ καὶ ἐμβλέπουσι πρεμμένοντες ὅ, τι ἂ ἐρεῖς; In Ejuſdem Piſcat. Ἐκκέχυλαι τὸ ὕδωρ, ἂ σοὶ σε τὸ δικαστήριον ἐμβλέπει. Plutarchus in vita Marii, Γενομένης σιωπῆς, καὶ πάντων εἰς ἐκεῖνον ἀπηρτημένων, &c. Gregorius Nazianz. Orat. 3. in Chriſti reſurrect. Ἡσυχία καθεσταλμένη ἦσαν, ὥσπερ ὅταν &c. οἱ λαοὶ καὶ ὦτα καὶ ἀκοὴν συνείροντες, τῆς δημηγορίας ἀπόσασιν ἀναμένουσι. Cicero initio 4 Catilin. *Video P. C. in hoc omnium veſtrum ora atque oculos converſos eſſe.* Petronius, *Converſis omnium in ſe vultibus*, &c. *ſic orſus eſt.* Apulejus in diſertiſſima illa Apologia ſua, de facie loquens, *Hominis nihil prius tacentis, nihil ſapius loquentis contemplamur.* De eadem lib. 11. Quintilianus, *Hâc pendent homines, hanc intuentur: huc ſpectant etiam antequam dicamus.*

Ibid. πάντων, &c. οἱ ὀφθαλμοὶ ἦσαν ἀτενίζοντες αὐτῆ]

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Virgilius,

——— *Oculóſque tulere*
Cuncti ad Reginam Volſci. ———

Apulejus,

——— *Et verum quilibet in te oculos.*

Com. 21. πεπλήρωται, &c. ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν] Idem loquendi genus infrà 7. 1.

Com. 22. Ἐμαρτύρουν αὐτῆ] Elleipſis, ut in Actor. 15. 8. illis, *dulcis* ἐμαρτύρησεν. Μαρτυρεῖν τινι, eſt, dicta aut facta ejus approbare. Priore modo hoc loco intelligendum eſt. *Teſtimonium reddebant ei*, hoc eſt, aſſenſu (tacito ſaltem) approbabant ab eo dicta. Plato in Hippia, Καὶ πάντες σοι μαρτυρήσουσιν οἱ ἀκούοντες ὅτι ἀληθῆ λέγεις. Arrianus 2. 12. de Socrate, Ἠνάγκασεν ἃ προδιαλεγόμενον μαρτυρεῖν αὐτῷ, i. e. confiteri vera eſſe quæ diſſeruerat. Ælianus Var. 1. 30 de Galete, Αὐτῷ γὰρ ὁ Πτολεμαῖος ἐμαρτύρει, καὶ ἔλεγεν, Ὦ ἀγαθὴ κεφαλὴ, &c. Hoc Plutarcho, τὰς μαρτυρίας τῷ διαλεγομένῳ ἀποδιδόναι, libello de Auditione. Exemplum hujuſmodi approbationis eſt in illis Bethulianorum (8. 28.) ad Juditham, *Omnia quæ locuta es, vera ſunt, & non eſt in ſermonibus tuis ulla reprehenſio.* Seneca (7. 11. de Benef.) de Demetrio Philoſopho, *Reddendum egregio viro teſtimonium eſt, ingentem rem ab illo dictam audivi*, &c. Ibidem 3. 4. de Epicuro, *Reddendum eſt ei teſtimonium, dum queritur quod adversùs præterita ingrati ſumus:* h. e. quod dicit, pleno ſanè aſſenſu comprobandum eſt.

Ibid. καὶ ἐθαύμαζον ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆ χάριτος τοῖς ἐκπορευομένοις ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ] Non approbabant tantum doctrinam ejus, ſed & admirabantur eam. Terent. 2. 2. Eunuch. *admiror.* Donatus, *Plus ſenſit quàm ſi laudo dixiſſet.* Gellius 13. 27. ad hæc Lucæ appoſitiſſime, *Ea nos omnia quæ Fronto dixit, cùm ita ut par erat, non approbantes tantùm, ſed & admirantes audiremus*, &c. Ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆ χάριτος, mihi hypallage eſt, pro ἐπὶ τῇ τῶν λόγων χάριτι· innuitur enim admiranda ſuavitas & gratia illa quâ loquela ejus condita erat. Sirachides 21. 19. Ἐπὶ χείλους ζωντὸς εὑρεθήσεται χάρις· id eſt, *ſuavitas, gratia.* Idem 40. 21. *Tibia ac pſalterium ſuavem faciunt melodiam, & ſuper utraque lingua ſuavis.* Suidas de Martio Vero, Χάρις τε ἦν ἐπὶ πᾶσι τοῖς παρ' αὐτοῦ, καὶ λεγομένοις. Porphyrius de Pythagora, Τοῦ ἤθους ἐλεύθερον εἶναι, χάριν τε πλείστην, &c. ἐπί τε τῇ φωνῇ καὶ τῷ ἤθει, &c. ἔχειν. Diodorus Siculus de Eodem in Excerptis, Τοσαύτη ἦν ἐν τοῖς αὐτοῦ λόγοις πειθὼ καὶ χάρις, ὡς, &c. Plutarchus in vita Marii de Antonio rhetore, Τοιαύτη ἦς ἦν, &c. ἃ ἀνδρὸς ἦν τῶν λόγων σεμνὰ καὶ χάρις, ὥστε, &c. Idem de Ciceronis loquela, Καὶ χαρίτι θαυμασίᾳ (αὐτῆ) ὁ λόγος. Sic, λόγου χάριν, Idem in περὶ εὐθυμίας dixit. Joannes Antiochenus de Hadriano, Ἦν ἡδὺς ἐντυχεῖν, καὶ ἐπηβῆσαι τοῖς λόγοις αὐτοῦ χάρις· hoc eſt, ἐπήνθει τοῖς λόγοις αὐτοῦ χάρις. Sic Eunapius in Ædeſii vita, de Euſtathio, Ἐπὶ, &c. τοῖς χείλεσιν αἰμύλιον ἐκ ἔξω γοητείας ἐδόκει, καὶ τὸ μείλιχον καὶ ἥμερον ἐπὶ τοῖς λεγομένοις ἐπήνθει. Lucianus de Demonacte, Καὶ ταῦτα μὲ χαρίεντος, &c. ἔλεγεν, ὡς, &c. ἅ πειθὼ τοῖς χείλεσιν ἐπιπαθῆσαι. Idem de Nigrino, Ἀρξάμενος περὶ τούτων λέγειν, &c. τοσαύτην ἐπὶ μοι λόγων ἀμβροσίαν κατεσκέδασεν, ὥστε καὶ τὰς Σειρῆνας ἐκείνας, &c. ἀποδῦναι, ὅτω δυσπειθὴς ἐφθέγγετο. Ælianus de Olympio apud Suidam, Οὐδεὶς πώ ἄτιμος ἀπεχώρησεν, &c. ὃς οὐκ ἐπείθετο καὶ κατεκηλεῖτο τοῖς ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ στόματος ἐκείνου ῥήμασι λόγοις· τοιάδε τις ἐπεκαίετο πειθὼ τοὺς ἐξ ἀνδρὸς χείλεσιν· οὐκ ἀνθρώπειόν τι χρῆμα, ἀλλὰ θειότερον. Plinius lib. 1. epiſt. 10. de Euphrate philoſopho, *Sermo copioſus & varius, dulcis in primis*, (q. d. μάλιστα ζῶν χαρίτι) *& qui repugnantes quoque ducat, impellat.* Propertius ſuam Cynthiam laudans,

Unica nec deſit jucundis gratia verbis.

Gellius 2. 22. de Phavorino, *Hæc nobis*, &c. *ſumma cum elegantia verborum, totiuſque ſermonis comitate atque gratia diſſeruit.* Idem 7. 7. de Annniano, *Sermocinabatur mirâ quadam & ſcita ſuavitate.* Plutarchus in περὶ ἑ αὐτῆ, Τὸν Ἑρμῆν τῆ χάριτι οἱ παλαιοὶ συγκαθιδρυσαν, ὡς μάλιστα ἑ λόγε τὸ συγκεχαρισμένον, &c. ἀπαστῶντος.

Com. 23. Πάντως] Recentiores *omninò* verterunt: Vulgatus (forte & Latinius) *utique:* nec aliter in Gloſſario.

Ibid. Ἰατρὲ, θεράπευσον σεαυτόν.]

Utilior cuivis quàm tibi cura tua eſt.

Servius Sulpicius ad Ciceronem (Famil. 4. 5.) *Neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur ſe tenere medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt.* Simplicius in cap. 73. Epicteti, Διαφέρετο ἓν ἂν τις δικαίως, εἰ νοσῶν, καὶ βοηθήματα τῆ νόσε ἐυρεθέντα γεγραμμένα, ἀναγινώσκων μὲν αὐτὰ σαφῶς τε καὶ διηρθρωμένως, καὶ ἅλως ἐξηγεῖτο, μὴ χρῶτο ἓ τῆς ἑαυτῷ βοηθήσεως. Apud Lucianum ille inſcitiam damnans ſuam (lib. de merc. conduct.) ἐκείνῳ τῷ Φαρμακοπώλῃ ἴσους, ὃς ἀπαγγέλλειν βοᾷς Φάρμακον, καὶ αὐτίκα παύσειν τὰς πάσχοντας ὀδυνηρόμενος, αὐτὸς μεταξὺ ἐπιπέμπων ὑπὸ βοᾶς ἐφαίνετο. Et hìc eſt ſenſus quidem originalis proverbii iſtiusce apud Lucam autem (ut ſolent proverbialia multa à ſuo ſignificatu primævo deflecti,) pro eo ponitur qui alienos potiùs quàm ſuos obſtringit beneficiis ſuis.

Ibid. ὅσα, &c.] Ὅσα hìc magis ad qualitatem, quàm (cum nuperis quibuſdam) ad numerum retulerim, ut & infrà 8. 39. & 2 Tim. 1. 18. Bene ergò Vulgatus, *quanta:* i. e. qualia, quam magna.

Com. 24. ἰδεῖν προφήτης δεκτὸς ἔστιν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ] Apud Euripidem Herc. fur.

——— Οὐ γάρ ἐσθ' ὅπου
. . Εὐθλὰν λε θέσεσι, μᾶτερ' ἂν λάβοις πατρός.

In Epiſtolis Apollonii dictis, Τί θαυμαστὸν εἰ με ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐπίσθειν ἐγκώμιον, ὑπὸ τοιῶν ἓ καὶ θεῖν, μᾶλλ μᾶχε τῶν ἡ πατρὶς ἀγνοεῖ; Plinius 35. 10. de Protogene, *Sordebat ille ſuis, ut plerumque domeſtica.* Adde quæ ad Matth. 13. 57. dicta.

Com. 25. ὅτε ἐκλείσθη ὁ οὐρανὸς] Cùm Deus cœlum clausit. Sic 5. 18. Jacobi, ὁ οὐρανὸς οὐτὸν ἴδωσι. Deus è cœlo, &c.

Ibid. ἐπὶ ἔτη τρία] Illud ἐπὶ hoc abundat: sic idem Act. 19. 10. ἐπὶ ἔτη δύο.

Ibid. ὡς ἐγένετο λιμὸς] Recentior male, *adeò ut fuerit fames*, quasi ὡς pro ὥστε ponatur: bene Vulgatus, *quum facta esset fames*: ut sit ὡς pro ὅτε. Sic Hesychius, Ὡς, &c. ὥστε, ἵνα, ἕλκ, ἢ ὅτε, &c. & in Glossis, Ὡς, *cùm*, (i. e. *quum*,) &c.

Com. 26. πρὸς γυναῖκα χήρων] Nota ordinem, non χήρων γυναῖκα. Servius ad Æn. 1. citans Salustii ea, *in mulieris ancillæ tugurio*: *Si dicas*, *in ancillæ mulieris tugurio*, *erit superfluum mulieris*, *ancillæ enim & conditionem ostendit*, *& sexum*.

Com. 28. Καὶ ἐπλήσθησαν πάντες θυμοῦ, &c. ἀκούοντες ταῦτα] Sic Idem Act. 7. 54. ἀκούοντες ταῦτα διεπρίοντο ταῖς καρδίαις.

Com. 29. Καὶ ἀναστάντες] Subaudi, ἐκ τῆς συναγωγῆς, ut infrà 38.

Ibid. ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω τῆς πόλεως] Sic Act. 7. 58. ἐκβαλόντες (αὐτὸν) ἔξω τῆς πόλεως· & Act. 13. 50. ἐξέβαλον αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν. Τῆς πόλεως ἐκβάλλειν autem dixit & Ælianus Var. 9. 12.

Ibid. ἕως τῆς ὀφρύος τοῦ ὄρους] Sic in Latino Tobiæ 11. 5. *supercilium montis*: & libro 5. Apulcii *amnis supercilium*: ad quem locum jam olim diximus. Hesychius, Ὀφρὺς, τὸ πρεμνώδη καὶ τραχέα τῶν ὀρῶν. Ità μασοὺς, pro ἀκρώρεια, ἐξοχὴ ὄρους, apud Suidam: & Hebr. 11. 12. θαλάσσης χεῖλος.

Ibid. ἐφ' ᾗ ἡ πόλις αὐτῶν ᾠκοδόμητο] Hinc Nonno in Joh. 6. vers. 233. hæc civitas βαθυκρήπις dicta. Hesychius (ut videtur, ex Homero, de quapiam civitate loquente,) Ὀφρυόεσσα, &c. ἐφ' ὕψους καὶ ἄκρας κεῖσθαι, & Suidas, Ὀφρυόεσσα, ὑψηλὴ, ἀπόκρημνος.

Ibid. εἰς τὸ κατακρημνίσαι αὐτὸν] Ut olim Æsopum Delphenses: vide Suidam in ἔσπερ. 2 Paralip. 25. 12. Ἤνεγκον αὐτοὺς ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς πρεμνοῦ, καὶ κατεκρήμνιζον αὐτούς. Pollux Onomastici 8. 7. Ἀπέφαξαν, &c. κατεκρήμνισαν, τῇ πρεμνῷ ὤσαν. Guntherus Ligurino,

——— *Altaque crepidine ripæ*
Præcipitare parant. ———

Apuleius 7. *Ipsos*, &c. *in proximas ripinas præcipites dedere*.

Com. 30. διελθὼν δὲ μέσος αὐτῶν] Id est, διελθὼν δι' αὐτῶν, vox μέσος enim, ut sæpe, idiotismus Linguæ est: vide ad Matth. 14. 24. dicta. In Plauti Milite,

——— *Subterduxit se & transivit.*

Ibid. ἐπορεύετο] Vulgatus bene, *ibat*: id est, abibat: Recentior *proficiscebatur*. molestissimè.

Com. 32. ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ]

—— *Obstupuere silentes*,
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.

Sic Marc. 10. 24. Ἐθαμβοῦντο ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ. Suidas de Hierocle, Κατέπληττε τοὺς ἀκροωμένους. Julianus Epist. 8. de Ulysse, Μόνον εἶπεν, ἦρκε τοὺς Φαίακας ἐκπλῆξαι. Philostratus 3. 11. de Jarcha Gymnosophista, Ταῦτα αὐτοῦ διελθόντος, ἐκπετῆ ὁ Δάμις αὐτὸν φησὶν ὑπ' ἐκπλήξεως. Vide ad Matth. 7. 28. annotata. Arrianus 3. 21. ait Socrati à Numine ἐλευθερίαν χώραν, διαφόρου τῆς βασιλικῆς καὶ ἐκπληκτικῆς tributam.

Ibid. ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ] Jamblichus cap. 32. de Pythagora, ἐξουσιαστικῶς λέγειν ἐπιχείρει. Vide ad dictum Matthæi locum.

Com. 34. Ἐᾶ] Incondita indignantis vel dolentis ἐκφώνησις. quæ potest commodè sumi pro interjectione. Plato in Protagora, Ἀνοίξας (τὴν θύραν) καὶ ἰδὼν ἡμᾶς, Ἐᾶ, ἔφη, σοφισταί ἐστε. Arrianus 2. 24. in Epictetum, Ἐᾶ, ἄνθρωπε, εἰς τί ἐλήλυθας; Apud Lucianum Deor. dialog. Luna ad Venerem, Ἐρᾷς τὸν ἥλιον, &c. respondet Venus, Ἐᾶ, ἐκεῖνος ἰδιωτικός ἐστι. Malim tamen in Contextu nostro pro imperativo sumere τῷ ἐᾶν. Apud Achillem Tatium ille, Ἐᾶ με, ἄνθρωπε, μὴ τῆς ἐμαυτοῦ συντυχίας τύχῃς· alter apud Plutarchum, Ἐᾶ μ' ἄνθρωπε, διδόναι δίκην· tertius item, è nescio quo Veterum, apud Eundem, Ἐᾶ μ' ὀνομάζειν, τοῦτο γάρ μοι συμφέρει Hesychius, Ἐᾶ, ἄφες, &c. Suidas, Ἐᾶ, ζυγχώρει. Scholiastes ad Callimachi Hymn. 1 ea, ἴα, παῖε, Τὸ ἴα φιλούμενον, τὸ συγχώρει (δηλοῖ). Ubi ζυγχώρει est *sine*, quo verbo itidem apud Latinos utuntur qui aliquem amoliri volunt. Apud Apuleium lib. 1. *At ille*, *Sine*, *sine*, *inquit*, &c. & alter apud Plautum Trucul.

——— *Sine*, *potin' es ut molesta ne sis?*

Nec aliter intellexit Vulgatus, qui hoc *Sine* vertebat.

Ibid. οἶδά σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ] Ità & Act. 16. 17. de Apostolis Dæmoniaca illa, Οὗτοι, &c. δοῦλοι τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου εἰσίν. In iis, ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ, est epexegesis, cui simillima Apocal. 2 illa, Οἶδα, &c. τῶν λεγόντων, ἑαυτοὺς ὁ θρόνος τοῦ Σατανᾶ. In iis, οἶδά σε τίς εἶ, & 19. 3. illis ἐζήτει ἰδεῖν τὸν Ἰησοῦν τίς ἐστι, ostendit Lucas (ut & multis aliis locis) Græce quam peritus fuerit. Aristophanes Pluto,

—— Σαυτὸν ὅς ποτ' εἶ, φράσον. Theocritus,
Κοὐκ οἶδ' ὅτευ τὸν Ἔρωτα τίς ἦν θεός, ——— Eidyll. 28.

Vide & Galat. 4. 11. A Græcis eum modum loquendi sumpserunt melioris ævi Latini, Plautus Pseudolo,

——— *Nosce salsum hunc quis est:*

& pòst,

——— *Scimus nos quidem te, qualis sis.*

Terentiùs,

Cùm meipsum noris quàm elegans formarum spectator
siem.

Idem 3. 2. Andr.

——— *Non satis me pernosti qualis sim, Simo.*

Com. 35. ἐξελθε] Glossarium, Ἔξελθε, *egredere*, *exi*.

Com. 36. Θάμβος] In eodem Glossario, Θάμβος, *stupor*. Bene tamen *pavor* à Vulgato versum: est enim θάμβος stupor pavore mixtus: hinc & Scholia ad Iliad. δ'. Θάμβος, ἔκπληξις, φόβος.

Ibid. ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει, &c.]. Euthym. ad Marcum hac in re, *Cum auctoritate*, *eò quod juberet*: *cum potestate*, *eo quod efficeret quod vellet*.

Com. 38. συνεχομένῃ πυρετῷ] Sic Act. 28. 8. πυρετοῖς συνεχόμενον, ubi dicta vide. Suidas, Συνεχόμενος, ἀῤῥωστῶν, &c. Νοσήμασι συνέχεσθαι dixit & Plato in Gorgia: παθέσι (id est, νόσοις) συνέχεσθαι, lib. 5. Diod. Siculus: &, *ægritudine* αἰθενεῖ συνέχεσθαι, Diogenes Laertius in Zenone. Πυρετὸν plurali numero Vulgatus non sine exemplo vertit: nam & Plinius Trajanum scribens, *febriculâ* se vexatum dixit: nisi *febriculas* ibi pro accessiunculis posuerit subinde recurrentibus.

Com. 39. ἐπιλιμπάνει τῷ πυρετῷ, καὶ ἀφῆκεν αὐτήν] Matthæus hoc, ἥψατο τῆς χειρὸς αὐτῆς, καὶ ἀφῆκεν αὐτήν. Plutarchus de Antigono R. Ἥψατο τῆς χειρὸς, (Demetrii nempe filii sui) ἐκείνου ἡσυχίου ὄντος καὶ πυρέττοντος, &c.

Com. 40. Δύνοντος δὲ τοῦ ἡλίου, &c.] Glossarium, Δύναι ὁ ἥλιος, *occidit*: hoc autem δύνοντος per ἐναλλαγὴν est (ut rectè Vulgatus vertit,) *cùm Sol occidisset*, planèque Homericum illud, Iliad. α.

——— Ἐκὰ κατέδυ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Facti hujus rationem autem pete ex his Euthymii ad Matthæum his in rebus gestis, *Exspectato Solis occasu*, *propter sabbati observationem*, *morbis tunc laborantes adduxerunt*.

Ibid. πάντες ὅσοι] In vetere Onomastico, *Unusquisque*, *quotquot*.

Com. 42. ἐζήτουν αὐτὸν] Ità & Marc. 1. 37. πάντες ζητοῦσί σε· quæsunt nempe, ut te videant: ut infrà hîc 9. 9. & 19. 3.

Ibid. καὶ ἦλθον ἕως αὐτοῦ] Id est, καὶ ἦλθον αὐτόν. Ità 2 Tim. 1. 17. Ἐζήτησέ με, καὶ εὗρε.

Com. 43. εὐαγγελίσασθαί με δεῖ τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, ὅτι εἰς τοῦτο ἀπέσταλμαι] Simile quoad formam loquendi est Epicteti apud Arrianum illud, Τιμᾶν με δεῖ τὸν θεόν, τοῦτό μοι τὸ ἔργον ἐστί.

CAP.

Digitized by Google

C A P. V.

V A L L A.

7. ET annuerunt ſociis qui erant in alia navi, ut venirent & adjuvarent eos] Ego ſic tranſtuliſſem, *Et innuerunt ſociis qui erant in alia navi, ut venientes adjuvarent ſe*, καὶ κατένευσαν, τῷ ἐλθόντας συλλαβέσθαι αὐτοῖς.

27. *Vidit publicanum nomine Levi*] Gr. *Levin*, Λεβείν. Et paulò pòſt,

29. *Et fecit ei convivium magnum Levi*] Dicendum eſt Levis, Λεβείς.

R E V I U S in V A L L A M.

27. Λευὶ] Tranſpoſitum erat.

E R A S M U S.

1. IRruerent in eum] Ἐπ' τῷ ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ, *cùm turba irrueret illi*, ſive *urgeret eum*.

5. *Præceptor*] Ἐπιστάτα. Non eſt διδάσκαλε, neque καθηγητὰ, ſed tertium quoddam quod ſonat quaſi *Præfectum*.

7. *Venirent & adjuvarent eos*] *Se* dicendum erat, non *eos*; & *in altera navi* potiùs quàm *alia*. ¶ *Ità ut pene mergerentur*] *Pene* non additur nec in Græcis nec vetuſtis exempl. nominatim in Aureo. Verùm lector aliquis nolens illic perire Apoſtolos addidit *pene*.

9. *In capturâ piſcium*] Hæc pars non eſt referenda ad verbum *erant*, ſed ad verbum *pavor habebat*: ut intelligas *eos ſtupefactos ob tantum piſcium captum*.

10. *Ex hoc jam*] Ἀπὸ τοῦ νῦν *poſthac*. ¶ *Eris capiens*] Ζωγρῶν. Eſt autem ζωγρεῖν proprie *capere vivum*, quemadmodum fit in bello, dictione compoſitâ ex ζῶ *vivo* & ἀγρέω *venor* ſive *venatu capio*. Nunc qui Turcas invadunt ut illos jugulent ac ſpolient, mortuos capere malunt quàm vivos. Imò pecunias Turcarum venamur potiùs quàm Turcas ipſos.

13. *Volo, mundare*] *Mundare* paſſivum eſt, & imperativi modi, καθαρίσθητι.

14. *Sed vade, oſtende*] Hic nonnihil addendum erat, nempe *inquit*; *Sed vade, inquit, oſtende te ſacerdoti*. Quod nè quis putet illum religione non feciſſe, fecit idem in Actis Apoſtolicis, *Quam audiſtis, inquit, per os meum*.

17. *Et ipſe ſedebat docens*] Ad eum quidem modum habent Græca: verùm Lucas aliquoties adhibet eam conjunctionem καὶ ut planè videatur ſupereſſe.

22. *Quid cogitatis mala*] *Mala* ſupereſt, nec additur apud Græcos, nec in emendationibus Latinis. Jeſus enim civiliter ſic taxat illorum impias cogitationes ut non prodat tamen apud populum quòd eſſent impiæ.

25. *Magnificans Deum*] Δοξάζων τὸν Θεὸν *glorificans*. Ac mox,

26. *Et magnificabant Deum*] Καὶ ἐδόξαζον. ¶ *Quia vidimus mirabilia*] Παραδόξα. Quod aliquando vertunt *nova* aut *incredibilia*.

27. *Nomine Levi*] Lucas inflexit Λεβεὶν velut à nominativo *Levis*.

29. *Convivium magnum*] Δοχὴν μεγάλην, i. ut ad verbum reddam, *acceptionem magnam*; indè dictum quòd *accipiantur* invitati. Unde & *ſplendidè acceptos* dicimus qui lauto convivio paſti ſint. Athenæus l. 5. Dipnoſophiſtarum ſplendida convivia Συνδοχὰς vocat. Ac rurſum lib. 8. ſplendidum epulum δοχὴν appellat. Hoc admonendum duximus, nè quis de nomine cavilletur; ut ſunt nonnulli in his anxii.

34. *Non poteſtis filios ſponſi*] Νυμφῶν filios *thalami*, ſed propriè in quo ſponſus & ſponſa verſantur; ut & antè commonſtravimus.

36. *Commiſſuram à veſtimento*] Rurſus eſt ἐπίβλημα ἐπιβλῆμα *immiſſuram immittit*.

39. *Vetus melius eſt*] Gr. χρηστότερον· quod magis ſonat *ſuavius*, aut *blandius*. Sic enim vertit *Jugum meum ſuave eſt*, χρηστόν. Siquidem ut poma ità & vina per ſe auſtera miteſcunt vetuſtate: ità leviora nobis videntur quibus aſſuevimus.

V A T A B L U S.

1. TUrba *irruerent in eum*] *Turba urgeret eum: immineret, inſtaret ei.* ¶ *Et*] Hebr. pro, *tum*. ¶ *Genneſareth*] Vox Chaldæa. Hebræi autem dicunt *mare Cinereth*.

2. *Deſcenderant* *] * *Ex illis*. ¶ *Lavabant*] *Lavarant*.

5. *Præceptor*] Vox Græca ſonat q. d. *Præfectum*. ¶ *In verbo tuo*] Hebr. *tuo juſſu*.

7. *Ut* [pene] *mergerentur*] Vet.

8. *Exi à me**] * *Domine*.

9. *In capturâ*] *Ob capturam*. ¶ *Quam* **ceperant*] * *Simul*.

10. *Ex hoc jam*] *Poſthac*. ¶ *Capiens*] *Vivos capiens*.

12. *Et ecce*] Hebr. pro, *tum*: vel. q. d. *mirum dictu*. ¶ *Leprâ* *] * *Et*. [¶ *Et*] *Procidens*. Vet. ¶ *In faciem* [ſuam] Vet.

14. *Illis*] Sub. *ſacerdotibus*. Relativum plurale jungitur ſingulari antecedenti, more Hebræorum.

15. *Curarentur* *] * *Ab eo*.

16. *Defertum*] *Deſerta*.

17. *Sedebat docens*] *Docebat*. ¶ *Caſtello*] *Pago*. ſing. pro plur. ¶ *Virtus Domini*, &c.] Hebr. pro, *virtutem enim ſuam exſerebat Dominus ſanando eos*: vel, *homines*. Nam relativum pro nomine poſitum eſt more Hebræorum.

18. *Paralyticus*] *Reſolutus*.

19. *Summiſſerunt*] *Demiſerunt*. ¶ *Lecto*] *Lectulo*.

20. *Remittuntur*] *Remiſſa ſunt*.

22. *Quod cogitatis* [mala] Vet.

23. *Dimittuntur*] *Remiſſa ſunt*.

24. *Ait paralytico*] Mutatio perſonæ, pro *dico paralytico*.

25. *Tulit* [lectum] *in quo*] Vet. ¶ *Magnificans*] *glorificans*: vel, *gloriosè prædicans*.

26. *Magnificabant*] Vel, *gloriâ extollebant*. ¶ *Mirabilia*] *Inopinabilia*: vel, *incredibilia*.

30. *Dicentes ad diſcipulos ejus*] *Adversùs diſcipulos ejus, dicentes*.

34. *Sponſi*] *Thalami nuptialis*.

35. *Et*] Redundat, more Hebræorum; ut & hæc verba, *in illis diebus*, cùm *tunc* ſufficiat.

36. *Commiſſuram*, &c.] *Immiſſuram*: vel, *additamentum*: aut, *fruſtum*. ¶ *A novo veſtimento*] *Veſtis nova*: i. panni, per catachreſin. ¶ *Rumpit*] *Lacerat*: ſub. *veſtimentum vetus*. ¶ *Commiſſura*] *Immiſſura*. ¶ *A novo*] Sub. *ſumpta*.

37. *Rumpit*] *Rumpet*, fut. temp. Vet. ¶ *Et vinum*] *Et ipſum*, Vet.

39. *Melius*] *Suavius*.

C L A R I U S.

10. EX *hoc jam homines eris capiens*] Sermo ingenium Domini in familiari collocutione indicans humanitatem. Non opus, inquit, eſt ut à te recedam quin communem faciamus potiùs conſuetudinem. Et quia aſſuetus es piſcationi, ne tibi grave ſit novam artem ediſcere. Piſcabere quidem adhuc, ſed pro piſcibus homines capies.

39. *Nemo bibens vetus*] Nemo, inquit, facile veteres mores deſerit: ut minùs mirum ſit vos veſtris ità pertinaciter adhærescere.

Z E G E R U S.

4. DUC *in altum*] h. e. ad profundiorem ſtagni locum.

7. *Ità ut mergerentur*] Non ait *ut ſubmergerentur*, ſed *mergerentur*, h. e. profundiùs ſiderent & ſubmerſioni propinquarent: nec enim ſubmerſi, ſed tantùm periclitati ſunt, Auguſt. in Joan. 122. Quod autem in nonnullis Lat. cod. legitur *pene*, ſcito id ab explanatore quopiam adjectum eſſe, quò tolleretur ſermonis incommodum.

10. *Ex hoc jam*, *Ex hoc*, ſubaudi *tempore*.

13. *Volo*, *Mundare*] Disjunctim proferendum eſt: nam καθαρίσθητι *mundare*, vel potiùs *mundator*, jubentis vox eſt: paſſivi generis.

14. *Præcepit illi ut nemini diceret*] Vide Matt. 8. 4. ¶ *Offer pro emundatione ſicut præcepit Moyſes*] Cujuſmodi fuerit oblatio leproſi mundandi atque mundati in Levitico habes c. 14. Mittit autem ad Sacerdotem, ut cujus fuerat judicio juxta legis præſcriptum leproſus pronunciatus & ab hominum convictu ſemotus, ejus quoque judicio decerneretur jam mundatus cóque & communi hominum contubernio dignus. ¶ *In teſtimonium illis*] Vere te eſſe mundatum; non me eſſe Legis præ-

Digitized by Google

prævaricatorem, qui jubeam offerri legale pro emendatione ſacrificium; me denique quovis Sacerdote atque etiamnum ipſa Lege eſſe majorem, qui non modò dijudicare intra lepram & non lepram, verùm & auferre poſſim vel ſolo ſermone cujuſvis morbi immunditiem.

17. *Ex omni caſtello*] Κώμη non modò *caſtellum*, ſed & *pagum*, *vicum*, nonnunquam etiam *oppidum* ſignificat.

25. *Tulit* lectum *in quo jacebat*] *Lectum* abeſt & Græcis & Latinis antiquis, & apud Bedam.

26. *Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum*] Neſcio an hoc appoſitum fuerat ab ipſo Euangeliſta; primùm, quod ſimile huic ſubjiciatur, *Et repleti ſunt timore, dicentes, Quia vidimus*, &c. deinde, quòd adſcriptum non ſit in cod. Corſend. niſi in margine. Apparet quoque nec Ambroſio hoc lectum fuiſſe, dum ſcribit Judæos *Divina opera miracula maluiſſe timere quàm credere*; neque quicquam *meminit* de *ſtupore* & *magnificato Deo*.

32. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam*] *Juſtos* dicit eos qui vel falsâ juſtitiæ perſuaſione vel Moſaicæ legis obſervatione ſe juſtos arbitrabantur, qui, juxta Apoſtolum *ignorantes Dei juſtitiam, ſuámque volentes conſtituere, juſtitiæ Divinæ ſubjici nolebant*, Aliter, Rom. 10. 3. *Non venit vocare juſtos*, quandoquidem nullos repperit juſtos: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei* Rom. 3. 23. *nec eſt juſtus quiſquam: nec eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*, Rom. 3. 10, 12. Item, *Non veni vocare juſtos ad pœnitentiam, ſed peccatores.*

39. *Et nemo bibens vetus, ſtatim vult novum: dicit enim, Vetus melius eſt*] Hoc ipſo declarat quàm ſit difficile repente novam ac ſpiritualem doctrinam commendare his qui jam diu veteri aſſueverunt. Quemadmodum Hebraico illi populo veteris legis ac diu ſervatæ conſuetudinis ſalivâ imbuto difficillimum erat novæ gratiæ inſtillare præcepta. Ità quidem communis habet interpretatio: poterit tamen meo judicio rectiùs hoc dictum ita intelligi, Nemo bibens vinum vetus, ubi audit expreſſum novum, illico cupit recens illud bibere; ſcit enim nec-dum potationi eſſe accommodum; ſed patienter exſpectat donec ampliùs matureſcat, & expulſis fæcibus conclareſcat: Ità quoque doctrina Euangelica non poterat repente animos hominum occupare; ſed neceſſe erat illam priùs quodammodo matureſcere, ac per miraculorum fomenta inclareſcere, atque ità demum hominibus bibendam propinari. Et juxta hunc ſenſum emphaſis ſita eſt in eo quod dicitur *ſtatim*.

STEPHANUS.

1. Ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ] *Cùm turba urgeret eum*: vel, *Cùm immineret illi, & quaſi in illum incumberet.*

4. Εἰς ἄγραν] *Ad capturam.*

7. Τοῖς μετόχοις] *Sociis.* ¶ Ὥστε παρὰ βυθίζεσθαι αὐτά] *Ità ut illa propemodum mergerentur.*

9. Θάμβος γὰρ περιέσχεν αὐτὸν] *Pavor enim eum occuparat.*

15. Διήρχετο δὲ μᾶλλον ὁ λόγος] *Dimanabat magis rumor.*

26. Ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας] *Tanta cepit omnes admiratio ut vix apud ſe eſſent.*

29. Καὶ ἐποίησε δοχὴν μεγάλην] *Et fecit epulum magnific. cum.*

30. Ἐγόγγυζον] *Murmurabant.*

33. Ἐσθίουσι καὶ πίνουσι] *Edunt & bibunt*, aliorum more, & jejunia illa non interponunt.

39. Ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστι] *Vetus ſalubrius eſt.*

DRUSIUS.

1. Σ *Tagnum Geneſaret*] *Geneſar*, *Geneſara*, *Geneſareth*, terra & lacus. Matth. 14. 34. ἦλθον εἰς τὴν γῆν Γεννησαρέτ· libri alii, Γεννησαρέ. In Latina vetere *Geneſar*: apud Hieronymum *Genneſareth*. *Genneſareth* Auguſtinus Eugubinus corrupte dici ait, cùm *Cinnereth* dicendum ſit. Sed fallitur vir alioqui doctiſſimus. Nam *Chinnereth*, quod eſt nomen antiquum, poſterior ætas dixit *Gennereth*, & inſertâ literâ *Genneſareth*: In quo mutatio primum י in ע, deinde כ in ג ex Chaldaiſmo: ut זגוכית, *vitrum*; סגר, *clauſit*; גוח, & כוח. Suidas, Γεννησαρὲτ, ὄνομα τόπου. Γεννησαρὲτ, ſive Γεννησαρὲτ (nam anceps ſcriptura) גנסרט. Malim Γεννησαρὲθ גנסרת, quod factum ex כנרת, in quo Thau ultima non Teth. Sed quoniam mutatio inter has literas, & quia Syri pro Thau fere ponunt Teth, nihil audeo ſtatuere. Apud Ebræos neutrum adhuc horum repperi. Γεννησαρὲθ גנסרא, voce & terminatione Chaldaicâ. Lectio alia, Γεννησαρά. Sic Γεννησὲρ, & Γεννησὲρ, variantibus libris. Apud Syr. גנסר. In Jure Ebr. גינסר, quomodo ſcriptam legimus hanc vocem in tranſlationibus iis quas Thargumin vocant. Concludam de ſcriptura ex Ebr. כנרת: non damno Γεννησὲρ, tamen ſcripſerim præ illo Γεννησὲρ. Eſt autem Γεννησὲρ, ſi interpretis, *Hortus principum.* In Il-medenu, cap. *Mitte tibi viros*, גנסר גני סרים אלו המלכים שיהו לתם גנות בתוכה. Verba clara: גני סרים, i. *horti principum* ſive *regum*: hoc dicit *Genneſar*, *locus ubi regum horti erant.* In lib. De nom. Ebr. *Genneſar*, *Ortus principum.* Interpolarant bardi *ortûs principium*, & explicationis causâ addiderant *initium nativitatis.* Utinam ego illos ut digni ſunt. Legendum, *Hortus principum.* [*Principium* pro *principum* antiquum eſt. Vide annotata ad Matth. 14 34.] Ex hac nota intelligendus locus Hieronymi quem Eraſmus laudat, & in quo explicando fruſtrà eſt, *Si ſciremus quid in noſtra lingua reſonaret* GENNESARETH, *intelligeremus quomodo Jeſus per typum Apoſtolorum & navis, Eccleſiam de perſecutionum naufragio liberatam tranſducat ad littus, & in tranquilliſſimo portu faciat quieſcere.* Ad hunc locum nota nupera, *Genneſareth interpretatur* גיא נצרת *Vallis florida: hinc myſtice pro tranquillo Eccleſia portu ponitur*, à Mariano eſt Eraſmomaſtige: refelli poteſt ex ſcriptura Ebraica, ſed magis ex interpretatione ipſius Hieronymi, quam ſuprà poſui. In Lexico Juris, גינסר סקס קרוב לטבריא ויש ■ גנות ופרדסים Γεννησὲρ *locus eſt prope Tiberiadem, in quo horti ſunt & paradiſi.* Dignum notâ, quia λίμνη Γεννησαρὲτ *ſtagnum Genneſaret*, quod hic legimus; vocatur Joh. 21. 1. Θαλάσσα τῆς Τιβεριάδος *mare Tiberiadis*, & Joh. 6. 1. *mare Galilæa.* Joſ. 12. 3. ים כנרת *mare Chenereth*; pro quo Aquila Chaldaice poſuit ימא דגנסר *mare Genneſar.* In quo nomine poſt ephentheſin Nun, quæ apud Arabes tralatitia, *a* mutat in *e*. Hic fuit è Ponto oriundus, & Adriano Imp. ab uxore frater: A quo reſtaurandæ Jeroſolymæ operum præfectus conſtitutus dicitur. De hoc lacu Plinius l. 5. c. 15. ubi deſcribit Jordanem annem. *Ergo*, inquit, *ubi prima convallium fuit occaſio, in lacum ſe fundit, quem plures Genneſaram vocant* XVI M *paſſ. longitudinis*, VI M *latitudinis*, *amœnis circumſeptum opidis*; *ab Oriente Juliade & Hippo*, *à Meridie Tarichea*, *quo nomine aliqui & lacum appellant*, *ab Occidente Tiberiade aquis calidis ſalubri.* Hæc verba dicunt lacum Geneſar à Tarichea appellatum. Forte ita ſcripſit Plinius; *à Meridie Tarichea*; &, *quo nomine aliqui lacum appellant*, *ab Occidente Tiberiade.* Vocatur enim paſſim ab Ebræis ſcriptoribus ים הטבריא, & memoratur inter ſeptem maria terræ Iſrael, quæ ימים vocant, quo nomine etiam lacus intelligunt. Mentio horum in Midras Thehillim, & apud Camium in comment. ad Pſal. 24. Vide plura Joh. 6. 1.

5. *Præceptor*] Alius, *Magiſter.* In Græco eſt ἐπιστάτης. Quo vocabulo uſi ſunt aliquoties LXX, ſed nunquam pro *magiſtro*: quod ſciam. Quid igitur? ἐπιστάτης eſt *præfectus*, qui Hebræis נגיד 2 Par. 31. 12. & נגש *exactor*, Exod. 5. 14. & מנגח 2 Par. 22. & 34. 13. & ורדר 3 Reg. 5. 16. ubi ἐπιστᾶται τοῦ λαοῦ, *qui populo præfecti ſunt*: & שר *princeps* Exod. 1. 11. Ἐπέστησεν αὐτοῖς ἐπιστάτας ἐπὶ τὰ ἔργα. Forte poſterior ætas hinc tranſtulit ad *magiſtrum* & *præceptorem*, qui diſcipulis ſuis præeſt, & eorum q. præfectus eſt. Vide Theodorum.

19. *Supra tectum*] Nam tecta Judæorum plana erant, non in coni formam faſtigiata. Ea גגו vocabant, ut Syris ܓܓܘ eſt *tectum*. Quidam, *ſupra domum*. Nam δῶμα etiam ὄροφος, ſi Suidæ credendum. Cui aſſenſum præbet Moſchopulus, ſcribens δῶμα εἶναι τὸ ὕπαιθρον. Poteſt ita eſſe; tamen hoc in loco *tectum* ſignificat. Voce hâc pro *tecto* uſus eſt interpres Vulg. Prov. 21. 9. & 25. 24. Hieron. Dan. 6. 10. Δώματα *Latine dicuntur Mœniana*, *vel Tecta*, *ſive Solaria* & ὑπερῶα, *i. Cœnacula.* Idem in epiſt. ad Suniam & Fretelam, Δῶμα *in Orientalibus provinciis ipſum dicitur quod apud Latinos Teſtum. In Paleſtina enim & Ægypto, vel ubi ſcripti ſunt Divini libri, vel interpretati ſunt, non habent in tectis culmina, ſed domata, qua Roma vel Solaria vel Mœniana vocant, i. plana tecta, qua tranſverſis trabibus ſuſtentantur.* Gloſſarium Latino-Gr. vetus, *Teſtum*, τέγη, στέγος, ἢ δῶμα· & Græco-Lat. Δῶμα, *teſtum*. Hinc, *Prædicate ſuper tecta*: & legimus 2 Sam. 11, 2. de Davide, Καὶ περιεπάτει ἐπὶ τοῦ δώματος τοῦ οἴκου τοῦ βασιλέως. Anſelmus in Matth. fol. 45. *Mos architecturæ in Paleſtina, ut tecta deſuper plana non cacuminata habeantur. Similiter & Templum Salomonis factum erat planum deſuper, & in gyro cancelli deambulatorii, ne quis incautus inde laberetur. Et erat ibi ſedes Doctorum, ut inde loquerentur populo.* ¶ *Per tegulas*] Quid ſit *in extrema regula ſtare* docet amicus noſter Iſahacus Caſaubonus in Notis ad Athenæum p. 173, 174. ubi etiam oſtendit qualia fuerint

rint olim Judæorum, Græcorum & Latinorum tecta. Vide ſodes.

20. *Remittuntur tibi peccata*] Propter quæ hic tuus morbus. Sublatâ ergò causâ tollitur effectus. Fontibus obturatis rivuli citò fiunt ἄνυδροι. Si non eſſent peccata, non eſſent flagella. Non flagellatur qui non peccat. Nam à peccatis flagella & caſtigationes. Quanquam ſunt caſtigationes quædam Amoris, quibus pii probantur, ut olim Job.

27. *Nomine Levi*] In Græco eſt Λεβὶν, de qua ſcriptura diximus aliàs. Apud Theodoretum in Num. Quæſt. 16. ſcriptum Λεβὶ, ut Δαβὶδ ſcribimus & Ἰαβὲ, i. *Jeve*: in quibus β loco Vau conſonæ. Sic βαὶδ ſcriptum in Epiphanio pro ωὰὶδ, i. וד, Marc. 2. 14. εἶδε Λεβὶν τὸν τοῦ Ἀλφαίου. Vetus interp. *vidit Levin Alphai*. Syrus autem, *vidit Levi filium Halphai*, ſive *Chalphai*: quod malè ſcribunt *Calphai*. Sed de hoc nomine aliàs. Pro Λεβὶν Baſileenſis editio habèt Λεβεὶ, quod idem cum Λεβί. Sic promiſcuè dicimus ἠλεὶ & ἠλὶ *Deus meus*. Hanc ſcripturam germanam eſſe putant. Ego parùm referre arbitror hoc an illo modo ſcribas. Λεβὶ, i. לי, cui Græci addunt ſuo more Sigma in fine, Λεβὶς· unde obliquus Λεβὶν. Sic ex טובי dicunt *Tobis*, & in accuſandi caſu *Tobin*. Aut ν additum ut in ζαβὶν, & ſimilibus. Nam Ebr. dicimus ζαβί זבי. Prius verius videtur. Nomen לוי etiam *Levitam* denotat, ac tum articulum admittit הלוי, Exod. 4. 14. In edit. Syra eſt לואי Luc. 10. 32. & Act. 4. 36. Pluralis לוים *Levitæ* vel לויים. Syr. לואי Joh. 1. 19. לוא Ezræ 6. 16. A *Levi* adjectivum eſt *Leviticus*, ut *Leviticum ſacerdotium*, Hebr. 7. 11.

29. *Fecit ei convivium magnum*, δοχὴν μεγάλην] i. משתה גדול. Sic Gen. 21. 8, ἐποίησε δοχὴν μεγάλην· & 26. 30. ἐποίησεν αὐτοῖς δοχήν. Eſth. 1. 3. δοχὴν ἐποίησε τοῖς φίλοις, *convivium fecit amicis*. Sic εἰς τὴν δοχὴν, *ad convivium*: &, Δαρεῖος ἐποίησε δοχὴν μεγάλην. Appellatio ab *excipiendo*. Lex. vetus, Δοχὴ, *exceptio*: Quando igitur aliquem convivio excipimus dicitur δοχή. Heſychius reddit δεῖπνον, *prandium*. Athenæus l. 8. ſcribit *ſplendidum epulum* propriè δοχὴν appellari: Quod etiam Eraſmus annotavit.

39. *Vetus melius eſt*] Plautus Caſinâ, *Qui utuntur vino vetere ſapientes puto*. Sirachides, *Vinum novum, amicus novus, ſi veteraverint, dulceſcent.*

CAMERO.

12. Κύριε, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι] Hinc Pontificii putant ſe poſſe probare fidem juſtificantem aliquando eſſe ejuſmodi ut reſpiciat ſolam Dei potentiam, nec prohibeat quominus qui eâ præditus eſt dubitet de Dei voluntate; cùm enim leproſus ille ſic Chriſtum interpellaſſet, *Domine, ſi vis, potes me mundare*, hoc à Chriſto tulit reſponſum, *Volo, mundaris*. Sed primò Reſp. Cùm agitur de beneficiis terrenis impetrandis à Deo, longè aliter ſe res habet, & ſe gerit alio proſus modo fides juſtificans, quàm cùm agitur de impetranda vita æterna, aut Spiritu Dei, aut aliis bonis ſpiritualibus. Nam vita æterna, Spiritus Dei & dona ſpiritualia ſunt in ſe bona; itaque fides juſtificans ea ſibi à Deo pollicetur ſine conditione, quia Deus teſtatus eſt ſe velle illa dare: reliqua autem beneficia quia non ſunt ex ſe bona, neque illorum privatio per ſe mala, & quia nulla exſtat de iis promiſſio certa, ſed Deus pro ſua ſapientia & pro arbitrio ea diſpenſat, ideo fides juſtificans inter orandum bona illa apprehendit cum conditione, *Si vis*. Jam verò beneficium illud quod ſtudebat impetrare leproſus ille terrenum erat; itaque debuit in illo fides juſtificans niti præcipuè Dei potentiâ, teſtationem autem voluntatis Divinæ Deo reſervare: non enim ei conſtabat de ejus voluntate. Reſp. ſecundò, Multum intereſt quo affectu illa pronuncientur, *Si vis*. Vel enim pronunciantur affectu narrantis ſimpliciter, vel affectu exprobrantis, vel, affectu orantis. Si narrantis affectu pronuncientur, verba illa ſignificant clarè & apertè dubitationem animi de voluntate Dei: ſi animo exprobrantis proferantur, arguunt ſummam incredulitatem: at ſi cùm affectu orantis pronuncientur, dubitationem non includunt, quin potiùs argumentum eſt quo fides utitur inter orandum quo ſe ſuſtentet; ut ille qui dicebat, *Domine, dic verbum, & ſervus meus ſanabitur*. Fides enim orantis non dubitat, uti docet Jacobus Epiſtolæ ſuæ Cathol. cap. 1. 5. *Si quis caret ſapientiâ, petat eam à Deo* μὴ διακρινόμενος. Jam autem miſer ille leproſus hæc dixit affectu orantis: præceſſit enim vox ἠθέλησε. Si putaſſet miſer ille Dominum eſſe averſo à ſe animo, non tanta cum fiducia protuliſſet hanc vocem. Reſp. tertiò, Duplex eſt dubitandi genus, alterum quod fidei naturam planè deſtruit, alterum quod comitatur fidem; quomodo ſunt nonnulli morbi qui non poſſunt conſiſtere unà cum ulla ſanitatis parte, & à quibus natura vincitur, alii verò ſunt qui cum aliqua ſanitatis parte conſiſtunt. Qui ſic dubitat ut ipſe dubitationem impugnet, & tandem oppugnet, ille ità dubitat ut hoc non impediat quominus ſit verâ fide præditus, ſed exiguâ: unde oritur exprobratio Chriſti ad Petrum, Ὀλιγόπιστε, *cur dubitaſti?* Non dixit, *O incredule*, ſed, *O exigua fidei homo*. Talis fuit etiam fides patris Lunatici, *Credo, Domine; ſed ſubveni incredulitati meæ*: ubi apparet dubitatio, ſed quæ à fide oppugnatur, ut natura valida oppugnat morbum, & tandem expugnat. Nihil eſt itaque abſurdi ſi dicamus leproſum iſtum dubitaſſe, modò fides, uti fecit, expugnaverit dubitationem.

GUALTPERIUS.

12. Καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ πλήρης λέπρας, *ecce adfuit quidam plenus leprâ*] Syr. *vir quidam, qui plenus erat totus leprâ*. Vide Matth. 8. 2.

26. Παραδόξα, *inopinata*] Syrus *prodigia*.

27. Ἐθεάσατο τελώνην ὀνόματι Λευὶν, καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον] Τελώνης *Publicanus*: ex τέλος & ὠνέομαι, q. d. *tributorum* ſeu *veſtigalium emptor*. Τελωνάρχης, *publicanorum princeps*; qui idem & ἀρχιτελώνης· τελώνιον *teloneum*, *locus in quo ſedent publicani*: ut & Syrus habet, *qui ſedebat in loco veſtigalis*.

34. *Filii thalami*] i. familiares ſponſi quos etiam in thalamum ſinum admittit, ut & Matth. 9. & Marc. 2.

LUD. CAPPELLUS.

8. Ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ] Phraſis eſt ſimilis illi quæ eſt Job. 7. 16. חדל ממני כי הבל ימי· quam ſic reddiderunt Lxx, Ἄφες ἀπ' ἐμοῦ· κενὸς γὰρ ἐμοῦ ὁ βίος. Utraque vox eſt hominis qui agnitâ ſuâ tenuitate & humili ſorte, Deique ſummâ amplitudine atque Majeſtate, veretur nè ſi illi probè fiat, ab illa magnitudine abſorbeatur, neque poſſit coram ea conſiſtere, propterea que Deum rogat ut à ſe diſcedat, nè à conſumente illo igne devoretur.

GROTIUS.

1. Ἐπικεῖσθαι αὐτῷ] *Cum ad eum coiret.* Syrus ſanè & Matthæus & Marcus in facto ſimili uſurpant vocem συνπνίγειν, Matth. XIII, 2. Marc. IV, 1. Sed videtur hæc vox non quemvis *concurſum*, ſed *cum preſſura* ſignificare: unde *irruere* non malè vertit Latinus Interpres. Vide Act. XXVII, 20. & Græca Job. XIX, 3. XXI, 27.

2. οἱ δὲ ἁλιεῖς ἀποβάντες ἀπ' αὐτῶν ἀπέπλυνον τὰ δίκτυα. *piſcatores autem ex iis deſcenderant, & lavabant retia*] Cùm quod infrà ſequitur comm. 19. oſtendere videatur de eadem re hìc agi quam Matthæus quoque & Marcus narrant, intelligendum videtur navibus ſubductis piſcatores alios aliis miniſteriis fuiſſe diſtentos, ut fieri ſolet; fuiſſe qui purgarent retia, fuiſſe qui reſarcirent; quoſdam & ex littore expertos nunquid capere poſſent: itaque partem eorum in navibus fuiſſe, partem in littore.

3. ἐμβὰς δὲ εἰς ἓν τῶν πλοίων, *Adſcendens autem in unam navim*] Omiſerant hujus miraculi hiſtoriam Matthæus & Marcus, fortè quia quantumvis ipſis conſtaret nihil hìc geſtum niſi ſingulari Dei diſpoſitione, tamen videretur ab aliis res iſta ad caſum poſſe referri; ac proinde non eſſe cur in tanta miraculorum multitudine huic rei immorarentur. Lucas hanc narrationem ab illis præteritam ſuo loco reddidit, id eſt, inter repertos ad littus piſcatores, & inter illam vocationem qua audita Petrus, Andreas, Joannes, Jacobus rebus relictis Chriſtum familiariter ſunt ſecuti. ¶ ἐπαναγαγεῖν, *à terra reducere*] Vox nautica: ſignificat *in altum provehi*. II Maccab. XII, 4. ἐπαναχθέντας αὐτοὺς ἐβύθισαν [*cum in altum proceſſiſſent ſubmerſerunt*]. *Reducere*, quod hìc Latinus Interpres uſurpat, non adeò ſpernendum eſt: nam *à littore reducere* eſt amovere, ut

Virtus eſt medium vitiorum utrinquè reductum.

4. χαλάσατε, *demittite*] Χαλᾶν inter cætera eſſe *demittere* peritiſſimum eſt vel ex uno Actuum loco IX, 25. Latini τὸ χαλᾶν per *laxare* vertunt cùm de velo agitur; quod hìc per abuſionem ſequitur Vetus Interpres.

5. ἐπιστάτα, *Præceptor*] Vocem hanc nemo horum Scriptorum præter Lucam uſurpat. Apparet ei viſum hanc vocem Græcam optimè reſpondere Hebraïcæ רבי [*Rabbi*]. Nam id manifeſtum facit collatio ejus quod eſt apud Mar-

cum IX, 5. & infrà apud hunc IX, 33. Matthæi interpres pro eadem voce ponere ſolet κύριε [*Domine*], Marcus etiam διδάσκαλε [*Doctor*], ut videre eſt collatis locis Matth. VIII, 25. Marci IV, 38. & Lucæ VIII, 24. item Matth. XVII, 4. dicto loco Marci IX, 5. & Lucæ IX, 33. item Marci IX, 38. & Lucæ IX, 49. Nimirum exiſtimavit Lucas in voce רבי [*Rabbi*] minus aliquid eſſe quàm in voce κύριε, id eſt, מורי [*Domini*], plus autem quàm in voce διδάσκαλε [*Doctoris*]: ſicut Ammonius διδάσκαλον [*doctorem*] ait eſſe λόγων [*verborum*], at ἐπιστάτην, ἔργων [*præceptorem, operum*]: itaque medium vocem Græcam quæſivit, cui ſatis propriè reſpondet Latina *Magiſter*, quæ ad omnem eminentem dignitatem referri ſolet; unde *Magiſtri equitum* nomen & vox *Magiſtratus*. Lxx in Eſaia XIX, 20. רב verterunt κρίνων [*regens*], in Eſtheris hiſtoria I, 8. οἰκονόμους [*diſpenſatores*]. Iidem Hebræas voces מנגיד נגיד שר ורזן & ſimiles vertunt voce ἐπιστάτης [*magiſtri*], ut alii notare ante verterunt. Quid autem propriè vox ἐπιστάτης deſignet optimè nos docet Callicratides Pythagoreus, cujus hæc ſunt verba, Ἐπὶ τὰς πραξιολογίας καὶ ἐς λογισμοὺς ἔρχεσθαι, αἱ μὲν ἐν δεσποτικαὶ, αἱ δὲ ἐπισταλικαί· καὶ δεσποτικαὶ μὲν ἐστὶ αἱ τῷ ἰδίῳ συμφέροντι ἀρχόμεναι, αἱ δὲ τῶν ἀρχομένων· ταύταν δὲ ἀρχὴν τὰν ἀρχὰν ὁ μὲν δεσπότας τῶν δούλων, ὁ δὲ τύραννος τῶν ὑποτεταγμένων· ἐπισταλικὰ δ' ἔνεκα τῶν ἀρχομένων, οὐκ ἐξ αὐτῶν· ταύταν δ' ἀρχὰν τὰν ἀρχὰν τοὶ μὲν ἀλείπται τῶν ἀθλητῶν, καὶ τοὶ ἰατροὶ τῶν νοσούντων, καὶ τοὶ διδάσκοντες τῶν διδασκομένων· ἃ δὲ αὐτοῖς τὸ συμφέρον, οὐδὲ τοῖς ἀρχομένοις ποτιπαύντι· τοῖς μὲν κεκμώντεσι τοὶ ἰατροὶ, τοῖς δ' ἀπειθεῦσι τοὶ ἐπιστάμονες [*Imperiorum circa agenda cum ratione alia ſunt Herilia, alia Magiſtralia. Herile eſt, cùm quis in imperio ſuum commodum reſpicit, non ejus qui paret: tali imperio imperat dominus ſervis, tyrannus ſubditis. Magiſtrale, cùm quis non ſui ſed eorum qui parent causâ imperat: tali imperio utuntur aliptes in athletas, medicus in ægrotos, doctores in diſcipulos: ſpectant enim non quod ſibi ſed quod illis utile eſt quibus præſunt, nempe male habentibus medici, corpus exercentibus alipta, imperitis periti*]. ¶ ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου, *in verbo autem tuo*] Non hoc tantùm vult, *te jubente*, ſed, *fretus ſolo imperio tuo*, cùm res cæteræ omnes ſpei noſtræ adverſentur. Itaque ἐπὶ [*in*] propriè hic ſumitur; ſed eſt ἔλλειψις [*defectus*] vocis πεποιθὼς [*confiſus*], quæ talem conſtructionem amat; ut videre eſt Marci X, 24. infrà XVIII, 9. II Corinth. I, 9. Hebr. II, 13.

7. Καὶ κατένευσαν, *Et annuerunt*] Signo eos ad ſe vocarunt, quia longiùs aberant quàm ut vox eò pervenire poſſet. Nam quod Theophylactus ait, præ ſtupore loqui nequiſſe, veriſimile non eſt, neque id ferunt quæ ſequuntur. ¶ τοῖς μετόχοις, *ſociis*] Solent enim plurium navium piſcatores ſocietatem inter ſe coire. ¶ Συλλαβέσθαι αὐτοῖς· *adjuvarent eos*] Eadem locutio eſt apud Plutarchum, & Philipp. IV, 3. ¶ ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά, *ita ut pene mergerentur*] Quod hic additur παρά τι [*pene*] videtur mihi adjectum ab his qui genus hoc loquendi emolliendum putabant, quos & Syrus ambiguitatis evitandæ causâ eſt ſecutus. Latinorum codicum vetuſtiſſimi videntur hoc non habuiſſe. Sanè ὥστε Græcis interdum non quod eſt ſed quod propè eſt ſignificat. Poteſt & βυθίζεσθαι intelligi non *ſubmergi*, ſed præ *onere profundiùs ſidere*. Nam & in Marco IV, 37. pro γεμίζεσθαι [*impleri*] ab antiquis explicatoribus poſitum erat βυθίζεσθαι [*mergi*].

8. Ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι, *Exi à me, quia homo peccator ſum*] Sicut Angelos videre metuebant pii homines, communis imbecillitatis conſcientiâ; ita etiam verebantur eorum præſentiam quos à Deo ſingulariter miſſos agnoſcebant; ut Sareptana mulier metuit ne Eliæ hoſpitium ſibi nocuiſſet. Quò minùs mirandum eſt Petrum ſibi metuiſſe ab ejus conſpectu cui omnem rerum naturam cedere videbat, reſtituto ei dominio quod Adam magna ex parte amiſerat. Vide Pſalm. VIII, 9. ubi & *piſces* nominantur. Solet vox ἁμαρτωλὸς [*peccator*] plerunque uſurpari de iis qui projecto metu Divini Numinis ex animi lubidine vivunt; qualis nunquam fuit Petrus, cujus εὐλάβειαν [*pietatem*] vel hæc una hiſtoria ſatis teſtatur. Nam probi animi vel maximum eſt indicium ſeveriſſimam in ſe cenſuram exercere. Ita Paulus ſe *primum* vocat τῶν ἁμαρτωλῶν [*peccatorum*]: quò facit & quod ex Barnaba citaſſe meminimus.

9. Θάμβος γὰρ περιέσχεν αὐτὸν, *Stupor enim circumdederat eum*] Περιέχειν ſimili ſignificatu reperies apud LXX Pſalm. XVIII, 5. CXVI, 3. Item II Samuel. XXII, 5. Simile eſt apud Latinos *circumfletit horror*. Non diſſimilis ſignificatio in voce Hebræa ירש [*poſſedit*]. ¶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων ἣν συνέλαβον· *in captura piſcium quam ceperant*] Simile eſt ἀγέλη χοίρων μεγάλη βοσκομένη [*grex porcorum magnus paſcens*], Marc. V, 11. ubi Lucas habet βοσκομένων [*paſcentium*]. Nam & ἄγρα, ut Latinè *captura*, non actum ſemper, ſed ſæpe universitatem rerum ſimul capiarum ſignificat.

10. Μὴ φοβοῦ· *Noli timere*] Quo magis ſibi diſplicebat hoc magis Domino placet. ¶ ἀπὸ τοῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν. *ex hoc jam homines eris capiens*] De induſtria videtur Lucas dixiſſe non ἀγρεύων [*capere*] ſed ζωγρῶν [*vivos capere*]. Solet enim hæc vox in partem meliorem uſurpari, & talem capturam ſignificare qua redimatur mortis periculum, ſicut & Latini *ſervos à ſervando* dixere. Ita ille apud Homerum precatur,

> Ζώγρει, Ατρέος υἱὲ,
> [*Captivum, Atride, me fac tibi*],

id eſt, inquiunt Scholiaſtæ ζωντά με φύλαξε [*vivum me ſerva*]. Similem κυριολογίαν [*loquendi proprietatem*] obſervare eſt apud Paulum II Timoth. II, 26. ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα [*à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem*]. Deus nos ſibi inimicos ita capit, & ſibi mancipat, ut à morte incolumes ſervet. Hæc autem Chriſti verba nos docent in ſuprà memorato miraculo non beneficium tantùm fuiſſe, ſed & σημεῖον [*ſenſum latentem*]: quod genus interpretandi ſicut non eſt operosè ſectandum ubi nulla ſe præbet occaſio: ita contemnendum non eſt ubi ipſe Dei Spiritus aliquod ejus indicium præbet. Libenter igitur hîc veteres ſequor qui præcedentis hiſtoriæ hoc putant eſſe τὸ αἰνιγματόμενον [*id quod innuitur*], Apoſtolos non ſuapte induſtria ſed Chriſti imperio ac virtute expanſis Euangelii retibus tantam facturos capturam, ut opus habituri ſint ſubſidiariâ multorum διαγγελιστῶν [*Euangeliſtarum*] operâ; atque ita impletum iri non unam navem, Judæorum ſcilicet, ſed & alteram Gentium, ſed quarum navium futura ſit arcta atque indivulſa ſocietas.

12. πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, *procidens in faciem*] Deſcriptio τῆς προσκυνήσεως [*adorationis*], ut collato Matthæi loco apparet.

17. εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς· *ad ſanandum eos*] Αὐτοὺς [*ipſos*] hîc intelligo *loci illius homines*: neque enim commodè referri poteſt ad *Legiſperitos* aut *Phariſæos*, quos ſanatos non legimus: neque de virtute quæ effectum non habuerit hîc agitur. Simile loquendi genus, ubi vox αὐτῶν [*ipſorum*] non ad proximè nominatos, ſed ad eos qui intelliguntur magis quàm nominantur referri debet, apparet Matthæi XI, 1. Καὶ ἐγένετο ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς διατάσσων τοῖς δώδεκα μαθηταῖς αὐτοῦ, μετέβη ἐκεῖθεν τοῦ διδάσκειν καὶ κηρύσσειν ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν [*Et factum eſt cùm conſummaſſet Jeſus, præcipiens duodecim diſcipulis ſuis, tranſiit inde ut doceret & prædicaret in civitatibus eorum*], ad quem locum ſimilia alia attulimus. Nam quod *Phariſæorum & Legiſperitorum* hîc facta eſt mentio, eò pertinet ut oſtendantur & ſpectatores & calumniatores hujus facti fuiſſe. Vide Marcum.

25. κατέκειτο, *jacebat*] שכב.

26. ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας, *ſtupor apprehendit omnes*] Id eſt, ἐθαύμαζον [*mirabantur*], ut dixit Matthæi Interpres. Non eſt ergo idem cum eo quod ſequitur ἐπλήσθησαν φόβου [*repleti ſunt timore*], id eſt, *impleti ſunt reverentiâ Divini Numinis*, ut acceptum vocem φόβου [*timoris*] ſolere oſtendimus. Hæc ideo dico nequis accedat aliquid hîc delendum ſuſpicantibus. ¶ παράδοξα] נפלאות [*mirabilia*]. Παράδοξα *admirabilia* vertit Cicero: atque hinc Olympionicæ & alii certaminum victores dicti παράδοξοι [*admirandi*]. Rem autem admirandam optimo jure populus judicabat, non tam quòd ægroto ſanitas eſſet reddita (quod jam contigerat ſæpius) quàm quòd eo miraculo Jeſus probaſſet ſibi inter homines viventi datum jus condonandi peccata: Nam in ejus reî fidem hominem ſanaverat. Vide Matthæum in hac hiſtoria.

28. καταλιπὼν ἅπαντα, *relictis omnibus*] Quæſtuoſum illud vivendi genus, & quod ex rationibus ipſi debebatur.

29. δοχὴν, *convivium magnum*] Hebræum משתה rectè δοχὴν interpretantur Lxx. ſignificat enim משתה *convivium inſtructius*, quale in publica aut privata lætitia adhibebatur: quemadmodum in ſuis locis videre eſt.

30. Καὶ ἐγόγγυζον οἱ γραμματεῖς αὐτῶν καὶ οἱ Φαρισαῖοι, *Et murmurabant Phariſæi & Scribæ eorum*] Fruſtra hîc ſe torquent viri eruditi: & qui vertunt *obmurmurabant illis*, nullo exemplo probant γογγύζειν αὐτῶν dici. Dicendum erat γογγύζειν ἐπ' αὐτῶν [*murmurare contra illos*]: quanquam ne id quidem hîc locum habet, cùm omnis hîc γογγυσμὸς [*murmuratio* hæc] non in publicanos directus fuerit, quos illi vix hominum in numero ponebant, ſed in Chriſti Diſcipulos, qui paulò pòſt

diſertè

diserte nominantur. Sunt ergo οἱ γραμματεῖς αὐτῶν [*Scribæ ipsorum*] *Legisperiti ejus loci*, ac proinde Magistri Capharnaïtarum communiter. Nam ita vocem αὐτῶν [*ipsorum*] accipi sine præcedente nomine suprà demonstravimus.

32. εἰς μετάνοιαν. *ad pœnitentiam*] Vide ad Marcum.

34. Μὴ δύνασθε, *Nunquid potestis*] Secunda persona pro quavis. Vide Matth. 1, 23.

36. Καὶ τῷ παλαιῷ ὁ συμφωνεῖ ἐπίβλημα τὸ ἀπὸ τοῦ καινοῦ, *& veteri non convenit commissura à novo*] Deest ἐπίβλημα [*commissura*] in antiquissimo manuscripto qui in Anglia.

39. Καὶ οὐδεὶς πιὼν παλαιὸν θέλει νέον· λέγει γάρ, Ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστιν. *Et nemo bibens vetus, statim vult novum; dicit enim, Vetus melius est*] Hoc χρηστότερος optimè vertit Syrus *suavius est*. Propriè enim habet ea vox *lenitatis* significationem, ut Matth. xi, 30. infrà vi, 35. Rom. ii, 4. Ephes. iv, 32. Vetera vina solent esse liquoris lenioris, nova contrà austeriora. Scriptor Ecclesiastici ix, 13. Οἶνος νέος, φίλος νέος· ἐκ παλαιωθῇ, μετ' εὐφροσύνης πίεται αὐτόν [*Vinum novum, amicus novus; veterascet, & cum suavitate bibes illud*]· ubi cave cum viro erudito πίεται legas & vertas *comprehendet*: non est enim à πιάζειν [*comprehendere*], sed futurum à πίνω [*bibo*], eâdem formâ quâ φάγεται [*edes*]. Alexis de vino ubi despumavit & ætatem nactum est ait,

——— Καὶ καταγλῶττα πάλιν
Ἡδὺν δ' ἅπασι τ' ἐπιλίπτων διατελεῖ.
[——— *Tempus est considere,*
Ut præbeat sese omnibus potabile].

Quia ergo lenius est vinum vetus, ideo qui ei sunt assueti non possunt subitò adduci ut ament novum. Significavit hoc proverbio Christus homines non subitò ad austeriorem vitam pertrahendos, sed per gradus quosdam assuefaciendos esse: quod accommodatissimum erat ei rei de qua agebatur: sicut quod hîc afferri à multis solet de discrimine Legis & Euangelii, ab instituto alienum est.

PRICÆUS.

Com. 1. Ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ] Cùm à nimio populi concursu premeretur urgerétúrque: id enim hîc ἐπικεῖσθαι. Affine Marc. 5. 31. ζυνθλίβειν. Lib. 5. Cod. Theod. de sepulcro viol. *Per confertam populi frequentiam, & per maximam insistentium densitatem*: ubi *insistentium* magis Græcè non reddere est quàm per ἐπικειμένων.

Ibid. Καὶ ἦν ἑστὼς παρὰ τὴν λίμνην] Recentior, *stabat apud stagnum*: cùm satis bene Vulgatus, *stabat secus stagnum*: & infrà hîc 7. 38. *Stans secus pedes ejus*. In vetere Onomastico, *Secus*, παρά· & in Glossis, *Secus*, &c. πλησίον· ubi πλησίον est παρά.

Com. 4. χαλάσατε τὰ δίκτυα] Hinc

——— *dictya duplicia*, apud Græcos Poëtas.

Com. 5. Δι' ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιάσαντες, οὐδὲν ἐλάβομεν] Sic Joh. 21. 3. ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ ἐπίασαν οὐδέν. Et hoc est quod ἀλιεύειν, ἢ δυσαχρεῖν, Plutarchus in Antonio vocat. Suidas, Ἄντη ἡ μέσῃ· οὐδὲν ἔπιασεν, ἐπὶ τῶν μηδενὸς τυγχανόντων· ἢ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἁλιέων. Piscator apud Plautum 4. 3. Rudente,

Non vides referre me viduum rete absque squamoso pecu?

Et pòst,

Cibum captamus è mari: sin eventus non venit,
Nec quidquam captum est piscium, salsi lautique parè
Domum redimus clanculùm, dormimus incænati.

D. Chrysostomus Homil. 6. ad 2 Timoth. de Piscatoribus, Παλαιὸς δὲ ἁλιεῖς ἡμέρας βάλλοντες τὰ δίκτυα, ἢ οὐκ ἐπιτυγχάνοντες. *Nocturnam piscationem* habemus in l. 10. ff. de incend. &c. P. Chrysologus Serm. 28. de his iisdem piscatoribus nostris, *Addicti vigiliis, fluctibus mancipati.*

Ibid. ἐπὶ τῷ ῥήματί σου] Id est, tuo jussu: quo sensu Heb. 11. 3. Θεοῦ ῥήματι, & ibidem 1. 3. τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ· i. e. (καθ' ὑπαλλαγὴν,) τῇ δυνάμει τοῦ ῥήματος αὐτοῦ, *vi jussionis suæ.*

Com. 6. συνέκλεισαν ἰχθύων πλῆθος πολύ] Apud Suidam in voce ἄμαχον, Ælianus; Ἰχθύων ἀπλοϊγμάτων ἄμαχον πλῆθος. Philostratus Icon. 1. & de Piscatoribus agens, Ἀμηχάνῳ δ', τι χρήσωνται) τῷ πλήθει· i. e. τῷ τῶν ἰχθύων πλήθει.

Ibid. διερήγνυτο] Parùm abfuit quin rumperetur. Hyperbolicè ergò, ut & commate sequente, βυθίζεσθαι, & infrà 8. 42. συνέπνιγον.

Com. 7. κατένευσαν τοῖς μετόχοις, &c.] Κατένευσαν, manibus intellige, non capitibus. Vide ad Actor. 12. 17. & ad Actor. 21. 40. annotata. Recentior, *innuerunt*. Quantò meliùs Vulgatus, qui *annuerunt*? Quintilianus 11. 3. de manibus loquens, *Annuendi quoque & renuendi ratione demittuntur & elevantur.* Μέτοχοι hîc sunt qui infrà com. 10. κοινωνοί. Hinc μέθεξις, κοινωνία, apud Hesychium. In vetere lapide, (cujus in parte superiore exhibetur piscis, in inferiore naviculæ figura,) *D. M. M. Aurelio*, &c. *bene merenti, quem omnes sodales sui quærunt*: ubi *sodales* fortè qui hîc μέτοχοι.

Ibid. συλλαβέσθαι αὐτοῖς] Sic, συλλαμβάνεσθαί τινι, Variarum 2. 4. Ælianus. Hesychius, Συλλαμβάνει, βοηθεῖ. Συνελάβετο, ἐβοήθησεν, &c. Moschopolus, Συλλαμβάνειν κυρίως λέγεται ἐπὶ τοῦ βαστάζοντος βαρύ τι, ἢ ἐπὶ ἀλλήλων βοηθημάτων καταχρηστῶς ἢ ἐπὶ τοῦ ἄλλῳ τινὶ βοήθειαν βοηθοῦντος. Propriè ergò hoc in Lucæ loco, ut Philipp. 4. 3. metaphoricè.

Com. 8. προσέπεσε τοῖς γόνασι] Terentius Hecyr. 3. 3. *ad genua accidit.* Donatus, *Accidere, est gestu corporis offendere humilitatem cadentis.* Et hinc in Glossario, Προσπίπτω, &c. *humilior.* Hesychius, Προσπίπτω, λιταρῶ, ἱκετεύω. Vulgat. *procidit ad genua.* Sic, *procido*, προσπίπτω, in vetere Onomastico.

Ibid. Ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ] Exi è navigiolo meo.

Ibid. ὅτι ἁμαρτωλός εἰμι] Indignum omnibus modis profiteor me qui prope sanctitudinem tuam & potentiam consistam. Sic infrà 7. 6. Centurio ille, Ἱκανός εἰμι ἵνα ὑπὸ τὴν στέγην μου εἰσέλθῃς. Ambrosius paulò aliter, lib. 3 de Virginibus, *Nihil utilius sibi* (Petrus) *esse professus, quàm ne secundantis operis extolleretur eventus: & ideo, Exi* (*inquit*) *à me. Non rogat ut deseratur, sed ne infletur.* Simplicior mihi videtur expositio nostra. Ἁμαρτωλῷ vocem hîc cum significatûs intensione, ex summa Petri humilitate est æquum intelligere.

Com. 9. Θάμβος γὰρ περιέσχε αὐτὸν καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων] Homerus,

——— Θάμβος δ' ἴσχε ἑκαστάων.

Ἐπελήφθησαν (ut Actor. 3. 10. idem Lucas loquitur) θάμβους καὶ ἐκστάσεως ἐπὶ τῷ συμβεβηκότι. Recentior *pavor enim occupaverat eum*, &c. Vulgatus, *stupor enim circumdederat eum.* Ità, *stupore ac miraculo torpidos*, T. Livius lib. 22. Glossarium, *Stupor*, θάμβος, ἔκπληξις, καταπληξις· &c,

——— *circumfusus horror*, apud Poëtam præcipuum. Καὶ πάντας τοὺς σὺν αὐτῷ hîc, ut & infrà 8. 45. de Eodem, Πέτρος, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ 9. 32. Πέτρος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ· & Marc. 1. 36. Ὁ Σίμων, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ. Vide ad Actor. 2. 14. dicta. Ἄγρα, *capturam piscium*, non malè versum. In vetere Onomastico, *Captura*, λῆψις, ἄγρα· quæ vox (ambigua Græcè) significat isto Lucæ loco, non actum piscis capiendi, sed captos pisces. Vide Aristænetum jam statim adducendum. Jul. Pollux 5. 1. Ἄγρα, ἡ μόνον τὸ ἔργον, ἀλλὰ καὶ τὸ θηρώμενον καλεῖται. Sic in Glossario, *Piscatus*, ἄγρα· ubi & *piscatus* notat pisces ipsos. Ità 2. Apuleji, *Inque eo* (foro) *piscatum opiparum expositum video.*

Com. 10. ἀπὸ τοῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν] Capturis longè pretiosioribus ditabo te. Piscator apud Aristænetum, Τῷ ἀγκίστρῳ προσπεπωγότι καλλίονα ἰχθὺν ἀνασπάσαι μοι, &c. προσεπλήσθη τις ἐνθουσιάσεως κόρη, &c. καὶ σοὶ ἐμαυτὸν ἑλῶ, Ἑτέρᾳ παλῷ βελόνῃ τὴν προτέρως ἐμπεπτωκυῖαν ἄγουσι. Simile apud Philonem, lib. de Somniis, illud, ἀγελαιοχήσουσι γὰρ ἀνθρώπων καὶ ἀλόγων, &c. δεκάμυα ἢ καὶ λαγωῶς, &c. ἀγέλας. Democritus ad Protagoram vecturas corpore facilitantem, *Sunt majora meliorâque quæ mecum facere possis.* Narrat Gellius 5. 3. additque, *Abduxit eum statim, secum habuit*, &c. *philosophiæ docuit: & esse eum fecit quantus postea fuit.* Quæ verba commodè aptari poterunt ad rem præsentem. Illa, ἀπὸ τοῦ νῦν, Vulgato, *ex hoc jam*: at fortè *ex hoc* legendum. Sic enim Idem suprà 1. 48. infrà 12. 52. & 22. 69. item Actor. 18. 6.

Com. 12. πλήρης λέπρας] *Squalens leprâ*, bene Latinè vertas: Vide Gellium 2. 6. in fine: commodè & Vulgatus, *plenus leprâ*; ut & infrà 16. 20. *ulceribus plenus.*

Ibid. πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, ἐδεήθη αὐτοῦ] Marcus in hac historia, παρεκάλει αὐτὸν, καὶ γονυπετῶν. 1. 40. Mamertinus in Panegyrico, *Videmus eos qui preces allegant, humiles atque*

demissos, &c. *neque orationem solam inclinare, sed totis corporibus in genua submissi.* Adde Matth. 17. 14, & 15.

Ibid. Κύριε, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι] Sic κατὰ μίμησιν apud Horatium,

——— *Si vis, potes.* ———

Serm. 2. 6. Arrianus, (quem ad Matthæum adduximus,) Τί καλαπείνεις ἑ ἰατρόν; τί λίγεις, Κύριε, ἐὰν θέλῃς, καλῶς ἔχει; Illud δύνασαι est inter voces vel maximè impetrabiles. Ad Deum Josua apud Josephum 5. 1. Σὺ δύνασαι, (δύναμις γὰρ σὸν τοῦτο ἔργον ἰσχύειν) τὸ λυπηρὸν ἡμῶν, &c. Lucretius ad Deam Venerem, *Effice ut*, &c. & statim,

Nam tu sola potes tranquillâ pace juvare
Mortales. ———

Cicero famil. 9. 13. *Quod*, &c. *ut perficias* (*posse enim te mihi persuasi*) *vehementer te*, &c. *rogo.* Apud Virgilium lib. 6.

—— *Precor, miserere, potes namque omnia*, &c. ——

Ibidem Juno ad Jovem lib. 10.

——— *In melius tua, qui potes, orsa reflectas.*

Ovid. 2. 9. de Ponto,

Quámque potes profugo, (nam potes) affer opem.

Plura ad Matthæum vide.

Com. 13. ἥψατο αὐτῆς] Glossarium, Ἥψατο, *tetigit, attigit.*

Ibid. λέγων, Θέλω, καθαρίσθητι] Vide ad Matthæum notata.

Ibid. Καὶ ἰυθέως ἡ λέπρα ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτῆς] Iliad. ζ'.

Αὐτίκ' ἐπεὶ τό γε μῦθος ἔλυ, τετέλεστο ἑ ἔργον.

Com. 14. δεῖξον σεαυτὸν] Transitio ab obliqua ad directam orationis formam, de qua ad Actor. 1. 4. diximus.

Com. 15. Διήρχετο, &c. ὁ λόγος περὶ αὐτοῦ] Vulgat. *pervadebat*, &c. i. e. pervagabatur. Vide ad Apuleji 4. pag. 232. annotata.

Ibid. Διήρχετο ἧ, &c. ὁ λόγος, &c.] Planè sic Plutarchus, διελθόντος τούτου τοῦ λόγου, &c. Apud Lucam λόγος est φήμη supra 4. 37. ἦχος. Διήρχετο, nempe omnes tractus & regiones illas. Isidorus 5. 27. Orig. *Fama dicta, quia fando & loquendo pervagatur:* ubi *pervagatur* est διέρχεται.

Com. 18. φέροντες ἐπὶ κλίνης ἄνθρωπον] Hinc ἐν κλινιδίῳ φορείδιον καμίζειν, in Plutarchi Coriolano. Post ἄνθρωπον supple ex Matthæo παθαλυτικόν.

Com. 19. δήμῳ ποίας] Ὁδῷ nempe, ut infrà 19. 4. δι' ἐκείνης· quæ ellipsis apud meliores Græcos non infrequens. Euripides Hecubâ,

Ποίαν, ὦ τανύπτερ' ἢ πάτραν
Στείχω;

Sic Plutarchus in Themistoclis vita ἡ ἐναυλίαν dixit: & Xenophon ἡ συντομωτάτην. Secuti sunt & eam formam Latini l. ult. ff. de rer. divis. *Aliâ quàm per portas egredi non licet.* Seneca 4. 33. de Benef. *Eâ ire qua ducit verisimilitudo.*

Ibid. δήμῳ ἡ ὄχλον] Turbæ enim (ut locutus Phædrus) locum deficiebant.

Ibid. δήμῳ τῶν κεράμων καθῆκαν αὐτὸν] Sic 2 Cor. 11. ult. at fine multùm dispari, δήμῳ θυρίδος χαλάσαι· &, *per tegulas demitti*, apud Ciceronem. Quibus addamus Ovidii ista,

Si tibi per tutum placidámque negabitur ire, &c.
At tu per præceps tollo delabere aperto.

Com. 21. ἤρξαντο διαλογίζεσθαι] Periphrasis passim occurrens apud Scriptores istos, nec minùs apud Latinos. Catul.

—— *Quem tu diligere incipieres:*

id est, diligeres. De cervo Phædrus,

——— *Retentis impeditus cornibus*
Lacerari cœpit morsibus sævis canum.

Ibid. λέγοντες] Nempe ἐν ἑαυτοῖς, in cordibus suis.

Ibid. λαλεῖ βλασφημίας] Id est, (ut Joh. 10. 33.) θεὸν ἑαυτὸν ποιεῖ, quod nempe Dei solius est, arrogando sibi: & hoc proximè quæ hîc sequuntur innuunt.

Com. 22. Ἐπιγνοὺς, &c. τὰς διαλογισμοὺς αὐτῶν] Psalmista 138. 2. ad Deum, Σὺ συνίεις τοὺς διαλογισμούς μου. De eodem Minucius Fœlix in Octavio, *Tenebris interest, interest cogitationibus nostris.* In Anthologia Græca l. 1. c. 18.

Ἀνθρώπους μὲν ἴσως λήσεις ἄτοπόν τι ποιήσας,
Οὐ λήσεις ἧ θεὸν ἢν λογιζόμενος.

Vide ad Matth. 9. 4. dicta. Hîc autem τὰς διαλογ. αὐτῶν ἐπιγνοὺς, est propriè quod Joh. 6. 61. (at in re alia) *indoluit*, &c. ὅτι περὶ τούτου γογγύζουσι· de iis nempe com. 20. ἀφίστασθε σου, &c. In loco Minucii autem pro *tenebris* (præsertim cùm sequatur *cogitationibus*) si *animis* legendum proposuero, non est cur à quoquam cordato audaciæ damner. Seneca (quem videtur imitatus Minucius) *Interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit.*

Com. 23. τί ἐστιν εὐκοπώτερον; &c.] Τί hîc est πότερον· vide ad Matthæum 9. 5. & 21. 31. dicta.

Com. 25. ἆρας ἐφ' ᾧ κατέκειτο, ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ] Similimum apud Lucianum Philopseude illud, Ἀράμενος ἑ σκίμποδα ἐφ' ᾧ ἐκαθέυδετο, ᾤχετο. Notetur & ellipsis quæ in illis, ἆρας ἐφ' ᾧ κατέκειτο· sic Actor. 21. 16. ἄγοντες παρ' ᾧ ξενισθῶμεν· Rom. 7. 6. ἀποθανόντος ἐν ᾧ κατειχόμεθα· & 1 Pet. 2. 8. ἀπειθοῦσιν εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν.

Com. 26. ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας] Et statim, ἴδομεν παράδοξα. Hinc, ἐπὶ τῷ παραδόξῳ ἐξίστασθαι, 5. 2. apud Sapient. Scriptorem.

Ibid. ἐδόξασαν ἑ θεὸν] Supple, ut Actor. 4. 21. ἐπὶ τῷ γεγονότι· vel, ut Matth. 9. 8. in hac ipsâ narratione, ἑ δόντα τ. ἐξουσίαν τοιαύτην τ. ἀνθρώπους.

Ibid. ἐδόξασαν ἑ θεὸν, ἃ ἐπλήσθησαν φόβου] Apocal. 11. 13. Ἔμφοβοι ἐγένοντο, καὶ ἔδωκαν δόξαν τῷ θεῷ· ibidem 14. 7. Φοβήθητε ἑ θεὸν, καὶ δότε αὐτῷ δόξαν· & 15. 4. τίς οὐ μὴ φοβηθῇ σε, Κύριε, καὶ δοξάσῃ τὸ ὄνομά σου; Infrà hîc 7. 16. ἔλαβε φόβος ἅπαντας, καὶ ἐδόξασαν ἑ θεόν· quod Act. 19. 17. ἐπέπεσε φόβος ἐπὶ πάντας, καὶ ἐμεγαλύνετο τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου.

Ibid. εἴδομεν παραδόξα σήμερον] In avibus Aristophanis,

Πολλὰ δὴ καὶ καινὰ καὶ θαυμάσ' ἐπιτρόμητα,
Καὶ δεινὰ πραγματ' εἴδομεν. ———

Suidas, Παράδοξον, θαυμαστὸν, ἀπροσδόκητον. Quæ sumpta ex Eudemi Lexico, quod cùm alibi, tum in biblioth. Florent. exstat. Παράδοξα recentior Interpres non malè *inopinata* (i. e. ἀπροσδόκητα] vertit: at æquè bene Vulgatus, *mirabilia*: unde *inopinatum & mirabile*, Cicero in Paradoxis dixit. In Glossis, *Admirabile*, παράδοξον. Salust. de Mario, *Per hostias Diis supplicanti, magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat:* i. e. παράδοξα, ἀπροσδόκητα. Plin. lib. 9. Epist. 26. *Sunt maximè mirabilia quæ maximè inexspectata: itaque Græci magis exprimunt*, παράδοξα. Idem 6. Epist. 20. *Multa ibi miranda, multas formidines patimur:* ubi *miranda* sunt παράδοξα. Sic, *nimia mira vidi*, in Plauti Amphitryone: &, *dictu visúque miranda*, Declam. 13. apud Quintilianum. Jam & Ciceronem ipsum παράδοξα *admirabilia* vertisse ab aliis annotatum est. Παράδοξον ἀδοκητοφάνειαν habemus 19. 5. apud Scriptorem Sapientiæ. A voce παράδοξα deducitur παραδοξάζειν, *mirandа*, vel *mirabilia facere*, quod occurrit in Græco Exod. 11. 7. Sirachides 43. 25. de marinis belluis, παράδοξα ἔργα. Arrianus 2. 18. de affectuum domitore, Χαῖρε, παράδοξε· i. e. ὦ homo admirande.

Com. 27. καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον] Εἰς φέρειν (ut Rom. 13. 6.) μεταπαιτεῦντα. Τὸ ἐπὶ hîc, ut & Act. 6. 3. 8. 27. & 12. 20. Ephes. 2. 10. & alibi, est τελωνὸν, notátque in assignato munere instantiam assiduitatémque. Habet & vox καθήμενον non dissimilem energiam. Virgilius,

—— *Celsâ sedet Æolus arce:*

ubi Servius, *Sedet hoc*, non otiatur, *sed curat.* Vide quæ infrà ad 14. 31. annotanda.

Com. 29. δεχὴν] Hesychius, Δοχὴν, ἄρτον.

Com. 31. Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ὑγιαίνοντες ἰατροῦ] Auctor de Claris Oratoribus, *Supervacuus inter sanos medicus.* In Plautina Menechmo ille,

—— *Sanus si sim, non te medicum mihi expetam.*

Laertius de Diogene, πρὸς τὸν συνιέντα τὸν παῖδα, ἃ λέγοντα, οἷς ἐνφυέστατός ἐστι, ἃ τὰ ἤδη χρήσιμος· Τί ὄν (ἔφη) ἐμοῦ χρείζει;

Ibid. ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες]

—— *Egene*

Digitized by Google

——— *Egent medicis & lectis mollibus agri.*

Cicero in de Divinat. *Ad agros*, &c. *medicos solemus adducere.* Idem famil. Epist. 9. *Gravitas morbi facit ut medicina egeamus.* Epiphanius in contra Origenem, Ποῖ ἄγομεν τὰς τὸ σώματα κάμνοντας; ἢ πρὸς τὰς ἰατρούς; Artemidorus 3. 39. Οὐ τῷ ὑγιαίνοντι λέγει ἰὸς, ἀναίμωτον, ἀλλ', ὡς ἰατὸς, τῷ κάμνοντι. Theophylactus ad 1 Tim. Ὁ ἰατρός, τῷ τεχνήματι ἔχων τὸ καὶ τοῦτο ἰτείμασαι, ἢ τῷ ὑγιαίνοντι. Gregorius Nazianz. in Epistolis, Τίνων οἱ λιμῶντες ἢ τῶν χαμαζοκιῶν; ἢ τὸ φάρμακον ἢ τῶν ἀῤῥωστούντων; Locutionem illam de corpore ægrotantibus proverbialiter efferri solitam, adaptat hoc Christus ad animas medicinæ indigas. Joannes Geometres,

Ἐξ ὀρέων κατέβαμεν κατ' ἄστεα λίμνῃ ἀνιεῖ,
Καὶ συνίμυλο κακοῖς, οὐδ' ἀγαθοῖσιν· ἔπε δὲ λιγ,
Τοῖῳ ἰὼν τοιοῖς ἢ συνέχεο; φάτιν, ὀρῶ γὰ
Τὰς Ἀσκληπιάδας πλησίον αἰθυίαν.

Seneca 47 Epist. *Quidam canent tecum quia digni sunt, quidam ut sint: si quid enim illis ex sordida conversatione servile est, honestiorum convictus excutiet.* Plutarchus Tract. Εἰ μαλ. τ. ἡγεμ. δεῖ τ φιλος. διαλέγ. de Aristone Chio, Ἐπὶ τῷ πάντι διαλέγεδζ τοῖς βυλομένοις ὥσπερ τ Σοφιστῶν κακῶς ἀκούειν, ὄφελον εἶπον ἢ τὸ θηρίον λέγων συνίναι κακῶν ἀρχὰς ἀρετῶν.

Com. 32. Οὐκ ἐλήλυθα καλέσαι δικαίους ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν] De hoc loco vide Jobium apud Photium cod. 222. fusè disserentem. Εἰς μετάνοιαν, ad convivium resipiscentiæ: ita enim non illibenter exposuerim vel ob vocem καλέσαι. Euthymius ad Luc. 14. ea, CUM CONVIVIUM FECERIS, VOCA PAUPERES, &c. *Spiritualis dispensator pauperes convocat, qui videlicet scientiâ indigent, debiles præcordiorum dissolutione, qui in activa vita claudi sunt, & qui in contemplativa cæci: nam tales qui non sunt, hoc convivio non indigent:* i. e. ἃ χρείαν ἔχει.

Com. 34. Μὴ δύνανδζ τοὺς υἱοὺς τ νυμφῶν@ ἐν ᾧ ὁ νυμφί@ μετ' αὐτῶν ἐστι, ποιῆσαι νηστεύειν;] Νυμφῶν@, hoc κοιτῶν@, explicante Suida. Ἐν ᾧ, subaudi χρόνῳ, ut infrà 7. 45. ἀφ' ἧς, nempe ὥρας. Pro νηστεύειν (quod habent Marcus & Lucas noster) Matthæi interpres Græcus habet πενθεῖν· quod eo loco significat, non solum lugere, sed & cum jejunio, urbanissimum luctûs comite. Ἀπέχεσθαι πολλοὺς πλαίειν θανάδζ dixit Euripides Alcestide. Apud Apuleium 2. vidua illa, *Abi, abi, fatue, qui in domo funesta cenas requiris.*

Com. 35. Ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι, &c.].

Ὅταν ἀπ' αὐτ@ ἄρθ@ ὁ νυμφί@].———

Ibid. καὶ ὅταν, &c.] Illud καὶ conjungi debere tum τότε ex Marco & Matthæo patet.

Com. 36. ἐπίβλημα ἱματίου ἀγνάφου] Ita Chrysostomus Homil. 5. ad Titum, Ἐπὶ οἰκίας εὐθρῦς διακειμένης ἰδοὺς ἐπαιτοῦντα ῥάκιον ἔδυσεν, ἰδὼν συμπάντων τ πολλῶν οἰκοδομίαν. Suidas, Ἐπίβλημα τὸ τῷ ἀρχαίῳ ἐπιβαλλόμενον. In vetere Onomastico, *Assumentum*, ἐπίῤῥαμμα, bene: eadem enim in hujusmodi argumento ἐπιβάλλειν & ἐπιῤῥάπτειν.

Ibid. τὸ καινὸν σχίζει, καὶ τῷ παλαιῷ ἡ συμφωνεῖ] Est ὑστερολογία· vult enim dicere, τῷ παλαιῷ συμφωνεῖ, καὶ (quod aliquanto pejus est) τὸ καινὸν σχίζει.

Com. 37. ἀδοὺς βαλὼ οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς] Vide ad Matthæum dicta.

Ibid. αὐτοὺς ἐκχυθήσεδζ, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται] Est & hoc ὑστερολογία, pereunt enim utres, & sic vinum effunditur. In 4 Esdræ dicto, *Cùm acceperit terra semen*, &c. *vel vas aliquod escam aut potum; cùm fuerit exterminatum id in quo seminatum est, vel in quod missum est, simul id quod seminatum vel missum est*, &c. *exterminatur.* Pro ἀπολοῦνται, Marcus & Matthæus ῥήγνυται. Seneca 83 Epist. *Musto dolia ipsa rumpuntur.*

Com. 39. οὐδεὶς πιὼν παλαιὸν, εὐθὺς θέλει νέον] Gellius 13. 29. *Plerumque homines ita loquuntur, ut omne vinum aut novum esse dicant, aut vetus.* Vinum vetus autem est anniculum, teste in de R. R. 1. 65. Varrone.

Ibid. λέγει δὲ] Nempe ἐν ἑαυτῷ, ut Matth. 9. 21. Marc. 5. 28. & alibi. Suidas in διανοεῖδζ, Λέγ@ ἐς ἡ διάνοια αὐτῆς ἢ ψυχῆς ἐφ' ἑαυτῆς λογίσεις. Donatus ad Adelph. 1. 1. *Omne quod sentimus aut cogitamus aut dicimus: & utrumque pro oratione est.*

Ibid. ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστι] Recentior importune, *utilius est*: commodius multo Syrus, *suavius est.* Macrob. Saturnal. 7. 7. *Vinum cùm in infantia est, dulce, cùm pubescit magis suave quam dulce est: esse autem harum duarum rerum distantiam certe Homerus testis est, qui ait* —— μέλιτι γλυκερῷ ἢ ἡδὺ οἴνῳ, *vocavit enim mel dulce, & vinum suave.* Horatius, *molli mero*: Scholiastes, *Aut leni, aut suavi.* Cicero in Lælio, *Veterrima quæque amicitia, ut ea vina quæ vetustatem ferunt, debent esse suavissima.* Gellius 13. 5. de Aristotele decumbente, *Rhodium petit, degustat: Firmum, inquit, hercle vinum, & jucundum. Petit mox Lesbium, quo item degustato, Utrumque, inquit, oppido bonum, sed ἡδίον ὁ Λέσβιος lepide simul & verecunde voce illâ Theophrastum successorem designans.* Subdit Gellius (respiciens proculdubio ἡδίον illud, quod hoc Lucæ χρηστότερος) *Is erat è Lesbo; suavitate bonus insigni lingua pariter & vita. Suavius* ergò (ut dixi) Syrus non inconsulte: Vulgato autem, qui *melius*, nemo meliùs plane, sive vocis Græcæ significatum respicias, sive Latine loquentium consuetudinem. Cornelius Fronto, *Vinum hoc melius est quo sit vetustius.* Zeno Veronensis Serm. 79. *Pretiosum fluentum à suis calcatoribus*, (lego, *à servis calcatoribus*) &c. *patrisfamilias cellis vinariis infertur, ut melius vetescendo reddatur.* Horatius,

Si melior dies, ut vina, poemata reddit.

Seneca Epist. 36. de Aristone, *Vinum* (ajebat) *fieri bonum, quod recens durum atque asperum esset.* Juvenalis,

——— *Albani veteris pretiosa senectus*
Displicet, ostendat melius, densissima ruga
Cogitur in frontem, vetus acri ducta Falerno.

Ὅτου χρηστὸν autem dixit non Lucas tantùm, sed & Plutarchus in περὶ εὐθυμίας libello, & in apophthegm. Laconicis: item ἄξιον ἢ χρηστὸν οἶνον, in Hermotimo Lucianus: quò alludens & Petrus, εἴπερ ἐγεύσασθε ὅτι χρηστὸς ὁ κύριος, 1. 2. 3. dixit.

CAP. VI.

VALLA.

20. VÆ cùm benedixerint vobis omnes homines: *secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum*] Græcè non legitur *Omnes*, nec *Prophetis*, sed *Pseudoprophetis*, ψευδοπροφήταις. Causa autem est, ut opinor, cur scriptor depravaverit codicem, quia paulo ante dicitur, *Secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.* Sed ob hoc ipsum minus debuit depravari scriptura, quia hoc facere ab altero plurimum differt, atque adeò contrarium est.

33. *Et si mutuum dederitis iis à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.*

35. *Verumtamen diligite inimicos vestros, & benefacite, & mutuum date, nil inde sperantes*] Quia Græcum vocabulum δανείζειν anceps est, pro *mutuum dare* sive *mutuare* & *fenerare*, quod Interpres ait *fœnerari*, ideo ipse Interpres consilii incertus utroque modo transtulit, & lectorem quidni, ut ipse incertus est, incertum reliquit? cùm aliud sit *mutuare*, quod sine peccato fit; & *fenerare*, quod fit cum peccato. Quæ causa fuit ut Interpres, cùm de *peccatoribus* agitur, dixerit *fœnerantur* δανείζουσι. Sed hæc causa non satis est ad sententiam seu vocem mutandam. Nam argumentum similitudinis sit à peccatoribus, qui & ipsi gratis mutuant, tamen inde sperantes vicissitudinem: vos autem gratis quoque mutuate δανείζετε, sed sine spe vicissitudinis. Quod nisi gratificarentur peccatores peccatoribus, non foret argumentum à majori. Qui enim æqualia sperant, non fœnus exspectant, sed gratiæ vicissitudinem. Ergo non *fœnerantur* sive *fœnerant* dicendum erat, sed *mutuant.*

REVIUS in VALLAM.

35. Δ Δανείζετε· δανείζουσι· δανείζετε] Hæc confusa erant.

ERASMUS.

1. IN *sabbato secundoprimo*] Δευτεροπρώτῳ. Annotavit Ambrosius nove positum à Luca *secundoprimum* Sabbatum potius quam *primosecundum*, cum magis debuerit præ-

quod naturâ prius est. Verùm nihil explicat præter allegoriam, dicens hâc dictione significari Sabbatum Euangelicum, quod est spirituale. Id & *secundum* dicitur & *primum*; *secundum*, quia successit Legis carnali Sabbato; *primum*, quia prælatum ei Sabbato cui successit, quemadmodum secundus Adam prælatus est priori Adam. Hunc secutus Beda similia ferme congerit. D. Hieronymus in epistola ad Nepotianum narrat se, cùm versaretur apud Nazianzenum, hanc illi proposuisse quæstionem, Quid sibi vellet apud Lucam *Sabbatum δευτεόπρωτον*. At illum, cùm, opinor, non haberet in promptu quod responderet, elusisse joco, Docebo te, inquit, apud populum, ubi acclamantibus & applaudentibus cunctis velis nolis cogeris nobis assentiri. Lyranus salebram hanc fortiter transilit. Hugo Carrensis addit *secundoprimum* Sabbatum dici *quod à præcedenti proximum sit*. Atqui juxta hanc rationem omnia Sabbata *δευτεόπρωτα* erunt excepto eo quod fuit omnium primum. Admonet idem nimirum homo diligens *secundoprimo* duas esse dictiones, ne quis vel imprudens bene posset errare; ut quemadmodum apud Græcos è duabus unica composita est dictio, itidem apud Latinos unam faceret, & ita diceret *secundoprimo* quemadmodum Plautus dixit *Tragicomediam* & nos dicimus *Gallogræciam*. Equidem super hac re nihil adhuc apud autores comperi quod satisfaciat. Cæterùm quod Theophylactus Græcus interpres, etiamsi recentior, in hunc prodidit locum, hic asscribam, & quidem ipsius verbis, Οἱ Ἰουδαῖοι πᾶσαν ἑορτὴν Σάββατον ὀνόμαζον· Ἀναίσανεις γὰρ τὸ Σάββατον· πολλάκις ἂν εὑρίσκετο ἡ ἑορτὴ ἐν τῇ παρασκευῇ, ἢ ἐκάλουν τὴν παρασκευὴν Σάββατον διὰ τὴν ἑορτήν· ἔστι τὸ κυρίως σάββατον ὀνόμαζον Δευτεόπρωτον, ὡς δεύτερον ὄν, μεσηνυκτίου ἄλλως ἑορτῆς ἢ Σαββάτου. Quæ quidem ut non gravatus sum asscribere in eorum gratiam qui difficilunt: ita non pigebit interpretari Latine propter eos qui Græce nesciunt, *Judæi*, inquit, *omne festum Sabbatum vocabant: nam Sabbatum Requiem sonat. Sæpenumero igitur incidebat festum in parascenen, & vocabant parascenem Sabbatum propter festum. Itaque quod proprie sabbatum erat nominabant Secundoprimum, quod secundum esset ab altero festo & sabbato quod præcesserat.* Hactenus Theophylactus. Chrysostomus hom. in Matth. 39. indicat hoc esse sabbatum cujus meminit ille c. 12. addens *secundoprimum* vocari, *quando quies atque otium duplex erat, tam sabbati Domini quam solennitatis alterius succedentis.* Miserabile vero dictu quam hoc loco sese torqueat Petrus Comestor, explicare conans quid sit *primosecundum*, vertens sese in omnia, ac ne sic quidem elabens. Nec multò minus Carrensis. Simplicius erat dicere, *Nescio*. Nec libet excutere quid hic divinet Isidorus, aut alius huic similis. Hæc rectiùs explicaret Judæus; si quid tamen illi possunt adferre quod ad rem pertineat. Nuper quidam Monachus & idem Theologiæ Professor in convivio rogatus ab erudito quopiam, sed tamen aliud studiorum genus profesto, Quid sibi vellet apud Lucam *sabbatum secundoprimum*, negavit quicquam tale reperiri usquam in Euangeliis, quæ alioqui probe teneret. Cùmque alter asseveraret apud Lucam esse, ibi provocat vir fortissimus ad certaminis periculum, *Hanc*, inquit, *cappam meam depono si quid tale scripsit usquam Lucas.*

9. *Interrogo vos*] Ἐπερωτήσω *interrogabo*. ¶ *Si licet Sabbatis*] Τί ἔξεστι, *quid liceat*, sive *utrum liceat*, quandoquidem de duobus interrogat, Interpres pro *Ti* legisse videtur *si*.

10. *Restituta est manus ejus*] Exemplar Græcum addit ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη *sana quemadmodum altera*. Verum haud scio an aliunde huc ascriptum.

11. *Repleti sunt insipientiâ*] Ἀνοίας *dementiâ*.

14. *Simonem, quem cognominavit*] Ὃν καὶ ὠνόμασε Πέτρον *quem & nominavit Petrum*, sive *quem eundem*: ut binominem intelligas, quanquam alias cognomen appellat.

15. *Jacobum Alphæi*] Subaudi *filium*: quanquam Interpres addere debuit quod in articulo Græco subauditur.

17. *Et maritima, & Tyro*] Καὶ τῆς παραλίου Τύρου *& maritimæ Tyro*, citra conjunctionem. Siquidem olim Tyrus insula fuit, post facta peninsula per Alexandrum Magnum regaliter insanientem. Potest tamen accipi *maritima* substantive, ut subaudias *regione*; quemadmodum ante dixit *montanam Judææ*. In Const. codice rasura mutarat locum: videbatur fuisse scriptum *maritimis & Tyri & Sidonis*: nam utraque civitas emporium est ad littus maris. ¶ *Et Sidonis*] Mirum cur hic reliquerit Græcum genitivum, nisi, ut dixi, putavit utrumque relinquendum fuisse, ut subaudias *regione*, ad hunc modum, *A maritima parte Tyri & Sidonis*, h. e. ab extrema parte qua spectat ad mare: aut, *maritima parte Judææ, nempe Tyro & Sidone.*

20. *Beati pauperes*] Hic aperit cœlestis ille Doctor arcanam illam suam Philosophiam, quam ut traderet suis è cœlo descenderat in terras: Et hanc Christianorum vulgus libenter antiquari sinimus ac velut obsolescere, & alias nugas agimus, cùm hæc in primis sint inculcanda animis omnium. Quod si fieret, non ità passim omnes pro rebus frivolis, pro pecuniola, pro vanissimis imperii titulis, pro quavis injuriola digladiaremur. Hæc demum sunt quæ verè reddunt Christianos, non argutiæ Scotistarum aut Occanistarum, frigidæve hominum constitutiunculæ.

22. *Exprobraverint*] Ὀνειδίσωσι *probris affecerint*.

26. *Væ cùm benedixerint vobis omnes homines*] Aut, ut in vetustis legitur, *cùm bene vobis dixerint*. ¶ *Secundùm hæc enim faciebant Prophetis patres eorum*] Græci legunt non *Prophetis*, sed ψευδοπροφήταις *falso-prophetis*, consentientibus & Latinorum cod. emendatioribus nonnullis, sed reclamante Paulino. In Corsend. *pseudo* asscriptum erat manu recentiore, quemadmodum & in Constantiensi: unde mihi subboritur suspicio utriusque linguæ exemplaria variasse. Et haud scio an germana lectio sit *Prophetis*. Cæterùm quoniam sententia primâ specie videtur durior, opinor offensum eruditulum quempiam mutasse scripturam. Meo judicio probè quadrat ut hîc quoque legamus *Prophetis*: illic ejiciebant Prophetas, quòd vera loquerentur; hic ità faciebant Prophetis, quòd ab eis assentationem exigebant potiùs quàm veritatem. Quòd si cui magis placet diversa lectio, non admodum repugnarim. Superiùs enim totidem verbis de Prophetis locutus est; at hic de adulatoribus Prophetis. Illic *faciebant* significat *affligebant*; hic *faciebant* significat *præbebant sese, & demulcebantur illorum assentatione*. Ex Ambrosio colligi non potest quid legerit. Certè Beda legit & interpretatur *Prophetis*; Irenæus, *pseudoprophetis*. Theophylactus *Prophetis* legit, sed in enarrando non attingit hanc dictionem.

29. *Et qui te percusserit*] Subitò mutatus numerus facit ad inculcandum præceptum, quod unusquisque sic audire debeat quasi sibi uni dicatur. Ac paulò pòst redit ad numerum multitudinis, *Et prout vultis ut faciam.* ¶ *Aufert tibi vestimentum*] Ἱμάτιον *pallium*, h. e. summam vestem. Nam *tunica* infrà pallium est. Unde Plautinum illud, *Tunica pallio propior est*.

33. *Et si benefeceritis iis qui vos diligunt*] Καὶ ἐὰν ἀγαθοποιῆτε τοὺς ἀγαθοποιοῦντας, *Et si benefeceritis benefacientibus*. Consentiunt & Latinorum vetusti codices. Interpres legisse videtur τοὺς ἀγαπῶντας. ¶ *Siquidem & peccatores hoc faciunt*] Τὸ αὐτὸ ποιοῦσι *idem faciunt*.

34. *Peccatores peccatoribus fœnerantur*] Δανίζουσι *mutuum dant*: nam est idem verbum quod superiùs ità transtulit. Cæterùm Interpres intelligens *fœnerari* vitio datum, non ausus est uti eo verbo de probis verba faciens. Illic igitur dixit *mutuum dare*, hîc *fœnerari*, cùm Græcus utrobique idem sit verbum, quod tamen illis anceps est: nam & qui citra usuram dat mutuum *δανίζει*, & qui ad usuram dat *δανίζει*. Verùm hîc perpetuò vertendum erat *dare mutuum*. Agit enim non de quæstu fœneratorum, sed de mutuis officiis amicorum inter ipsos. At inter impios quoque reperias qui amico credat pecuniam mutuam. Idem si faciunt discipuli Christi, nihil magni faciunt. Extenuat enim Christus vulgaria officia, utpote communia cum ethnicis ac malis, ut ad illa provocet quæ peculiaria sunt Christianorum, ut sit in quo cæteros antecellant. Verùm eò redierunt mores ut si titulum, si cæremonias subduxeris, hâc notâ vix possis Christianum ab Ethnico dignoscere. De vulgo Christianorum loquor, non de omnibus.

35. *Verùm tamen*] Πλὴν *Imò*. ¶ *Nihil indè sperantes*] Μηδὲν ἀπελπίζοντες. Græcis composita dictio est *ἀπελπίζειν ex re quapiam sperare*. Sentit enim, opinor, de fœnore quod ex mutuo redit. Nam in hunc sensum interpretantur veteres. ¶ *Quia ipse benignus est*] Χρηστός· quod sæpenumero vertit *bonus*. Sonat autem *commodum & humanum*, ac *facilem ad gratificandum*: id quod propemodum declarat & *benignus*: qua de re compluscula locis & dictum est & dicetur.

37. *Dimittite, & dimittetur vobis*] Latinis erat, *remittite, & remittetur*. Credi vix possit quantas tragœdias excitarint apud indoctam plebeculam sycophantæ quidam, cucullâ personati, quòd in oratione Dominica maluerim, *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus*, quasi sit atrox contumelia facta Christo si quis malit dicere *Remitte* quàm *Dimitte*. Atqui D. Augustinus libro Quinquaginta homiliarum, hom. 29. adducens hunc locum, legit, *Remittite, & remittetur*. Cur non æquè clamant in illum?

38. *Confertam*] Πεπιεσμένον· quod sonat *pressum*. Id enim

sit

ſit in aridis, quò plus capiat menſura. ¶ *Et coagitatam*] Σεσαλευμένον *concuſſam.* Nam & hoc pacto fit ut plus capiat vas quo metimur. Gaudet enim Chriſtus harum rerum collationibus uti quæ ſenſibus omnium notiſſimæ ſunt. ¶ *Et ſuperefluentem*] Ὑπερεκχυνόμενον. Satis expreſſit Interpres Græcam vocem inde dictam quod *ſuperne effundatur* id quod menſura non capit.

40. *Si ſit ſicut magiſter ejus*] Græca ſecus habent, nempe ad hunc modum, κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, *perfectus autem omnis erit ſicut magiſter ipſius.* Non enim vetat Chriſtus ne ſit perfectus diſcipulus: at non vult ut diſcipulus uſurpet ſibi quæ præceptor non uſurpaverit, ac præire conetur; ſed ita perfectus erit ſi per omnia imitetur ſuum præceptorem. Et in hanc ſententiam legit & interpretatur Theophylactus. Itaque citat Irenæus circa finem operis ſui. Chriſtus non uſurpavit opes & honores hujus mundi; hæc ſi affectet Chriſti Vicarius, videtur plus quiddam uſurpare ſibi quam uſurparit Chriſtus.

41. *Trabem autem quæ in oculo tuo*] Ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ *in tuo ipſius oculo*, ſive *in proprio oculo.*

48. *Qui fodit in altum*] Senſum recte vertit, cæterùm Græce eſt ὃς ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε, h. e. ut ad verbum reddam, *fodit & profundavit.* Nec eſt *ſupra petram*, quod Græci dicunt ἐπὶ τὴν πέτραν, ſed ἐπὶ τὴν πέτραν *ſuper petram*, ſive *in petra.*

49. *Ædificanti domum ſuam*] Οἰκοδομήσαντι, *qui ædificavit domum ſuam*, præt. temporis.

VATABLUS.

1. *Secundoprimo*] Unica dictio eſt Græcis: i. in die ſeptimo à Paſcha: qui adeo feſtus & venerabilis erat ut dies Paſchæ, excepto eſu Agni; Exod. 12. 16.

2. *Quod non licet**] * *Facere.*

4. *In domum Dei*] i. in atrium tabernaculi. ¶ *Dedit * iis*] * *Etiam.*

9. *Autem*] *Igitur.* ¶ *Interrogo*] *Interrogabo.* V. ¶ *Si licet Sabbatis*] *Utrum licet Sabbatis.* ¶ *Animam*] i. vitam: vel, hominem. Hebr.

10. *Omnibus * dixit*] * *Illis.* ¶ *Et extendit*] *Ille autem fecit.* ¶ *Manus ejus**] * *Sana ut altera.*

11. *Inſipientiâ*] *Amentiâ.* ¶ *Jeſu*] *De Jeſu.* V.

12. *Oratione Dei*] i. quâ orabat Deum. q. d. Totam noctem deprecabatur Deum.

14. *Cognominavit*] *Et nominaverat.*

15. *Alphæi*] Sub. *filium.* ¶ *Vocatur*] *Vocabatur.*

16. *Jacobi*] Sub. *fratrem.* ¶ *Qui * fuit*] * *Etiam.*

17. *Deſcendens*] *Cùm deſcendiſſet.* ¶ *Maritima, & Tyri*] *Maritima Tyri*, i. ab extrema parte quâ ſpectabat ad mare: vel, *à maritima Tyro & Sidone*: i. à maritima parte Judææ, nempe Tyro & Sidone. ¶ *Qui venerant*] *Qui* videtur redundare, vel ſupplendum eſt à priori, *& ſteterit in loco campeſtri.*

18. * *Curabantur*] * *Etiam.*

22. *Eritis*] *Eſtis.* ¶ *Separaverint*] i. excommunicaverint. ¶ *Exprobraverint*] *Probris affecerint.*

23. *Merces veſtra multa*] *Præmium veſtrum multum*: i. vitam æternam conſequemini pro hac temporali.

24. *Verumtamen*] *Caterum.* ¶ *Qui*] *Quia.* V. ¶ *Habetis*] *Recipitis.* Ἔχειν eſt *habere*; ἀπέχειν, *receptum habere.*

26. *Væ**] * *Vobis.* ¶ *Pſeudoprophetis*] *Prophetis.* V. Sic etiam quædam exempl. Græca.

28. *Benedicite*] *Bene precamini.* ¶ *Male dicentibus vobis*] *Iis qui diris imprecationibus malum vobis optant.* ¶ *Calumniantibus*] *Ledentibus.*

29. *Præbe* &]* * *Illi.* V. ¶ *Veſtimentum*] *Pallium.*

34. *Fœneramini*] *Mutuum dant.*

35. *Merces veſtra multa*] *Præmium veſtrum copioſum.* ¶ *Benignus*] Vox Græca ſignificat *commodum*, *humanum*, ac *facilem ad gratificandum.*

36. *Miſericordes*] Vel potiùs, *benigni & benefici.* Nam hoc proprie ſignificat vox Hebraica quam ſolent interpretari *miſericordem.*

37. *Judicare*] Dictio Græca etiam *accuſare* ſignificat: ut ſit ſenſus, Neminem accuſetis, niſi & ipſi accuſari velitis. Quod ſi aliquem veſtrâ jam accuſatione ad judicem pertraxeritis, ne curetis eum condemnandum, niſi & ipſi condemnari velitis. ¶ *Dimittite, & dimittemini*] Vel, *Abſolvite, & abſolvemini*: q. d. Eum quem ad judicem pertraxeritis vobis condemnandum, abſolvendum curate, ſi & ipſi abſolvi velitis.

38. *Menſuram*] Quidam ſubaudiunt *date*, & diſtinguunt poſt *coagitatam.* ¶ *Superefluentem*] Vel, *effuſiſſimam.* ¶ *Remetietur*] *Remetientur.*

39. *Cadunt*] *Cadent.*

40. *Perfectus autem*] *Sed perfectus.* ¶ [*Si ſit*] *ſicut*] Vet. *Magiſter ejus*] i. pro doctoris ſapientia quiſque proficit: ſive, debet quiſque dare operam ut proxime accedat ad abſolutam ſapientiam magiſtri ſui.

42. *Videt*] *Videns.* Vet. ¶ *De oculo*] *Quæ eſt in oculo.*

43. *Fructus malos*] *Fructum marcidum.* ¶ *Faciens*] Vel, *quæ facit.*

45. *De malo theſauro**] * *Cordis ſui*: i. ex his quæ in corde ſuo coacervata habet veluti theſaurum. ¶ *Os * loquitur*] * *Ejus.*

49. *Ædificanti*] *Qui ædificavit.* ¶ *Ruina*] *Fractura.*

CASTALIO.

22. *Separabunt*] Ex ſuo conſortio tanquam abominandos ejicient.

40. *Præclare cum quoque agitur*] Κατηρτισμένος *conditum & bene compoſitum* ſignificat, *ita ut nihil ei deſit.* Hoc loco idem ſignificat quod in eadem ſententia, Matth. 10. 25. dictum eſt, Ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, *Satis eſt diſcipulo*: boni conſulere debet, & nihil amplius poſtulare, ſed bene ſecum agi putare. Eſt autem in Græco curta ſententia, quæ plena foret ſi εἰ ἔσται interponeretur, hoc pacto, Κατηρτισμένος ἢ πᾶς ἔσται εἰ ἔσται ὡς, &c. Atque ita legiſſe videtur vetus Interpres, qui vertit, *Perfectus omnis erit ſi ſit ſicut magiſter ejus.* Nec fuit difficile alterum ἔσται excidere. Sed ut ita non legerit, ſic quoque manet eadem ſententia.

CLARIUS.

1. *Sabbato ſecundo-primo*] Δευτεροπρώτῳ. Cùm altera alteri ſolennitati continuabatur, ſequens feſtum vocabatur *Sabbatum ſecundo primum*: nam feſtum omne *Sabbatum* appellabant. Et ex Joſepho l. 3. Antiqu. c. 13. & quibuſdam gloſſis Hebræorum colligit Tullius Criſpoldus, vir & ſanctitate vitæ & Divinarum literarum exercitatione præſtans, fuiſſe hunc diem qui feſtum Paſchæ ſequeretur, h. e. ſextam decimam Lunam, quo die Levit. 23. præcipitur offeri manipulus, atque is dies eodem loco vocatur *alterum ſabbatum.* Quidam cenſent ſic appellari dies qui ea feſta concludunt quæ pluribus diebus aguntur, ut ſeptimus dies Azymorum; in feſto item Tabernaculorum: nam cùm hi poſtremi dies pari honore obſervarentur cum primo, recte δευτεροπρώτους vocari.

17. *Deſcendens cum illis ſteterit in loco campeſtri*] In Matthæo autem *aſcendit in montem.* Sed fieri poteſt ut in ipſo monte fuerit aliqua planities ubi conſtiterit Dominus. Quanquam ſunt qui diverſum hunc velit eſſe ſermonem ab eo qui à Matthæo deſcribitur.

20. *Beati pauperes*] Quos ſcil. Matthæus *pauperes ſpiritu* vocat: & hos M. Baſilius dicit eſſe qui non aliam ob cauſam inopes facti ſunt niſi ob doctrinam Domini dicentis, *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*: ſi quis vero incidentem quamlibet paupertatem amplexatus regatur juxta voluntatem Dei, ſicut Lazarus, ne hunc quidem eſſe alienum à beatitudine. Idem & differentiam ponit inter πτωχὸν & πένητα, h. e. *inopem & pauperem*, ſic dicens, *Dum recordor Apoſtolum dicentem de Domino, quod propter nos inops factus ſit, cùm eſſet dives, puto Inopem quidem eſſe eum qui à divitiis deſcenderit ad indigentiam, Pauperem vero, qui a principio in indigentia fuerit, & in hoc ſtatu ita vivat quemadmodum placitum eſt Deo. David vero Inopem & Pauperem ſe confitetur, fortaſſe & hoc in perſona Domini dicens, qui Inops quidem vocatur ſecundum illud,* QUI PROPTER NOS INOPS FACTUS EST, CUM ESSET DIVES; *Pauper autem, quatenus non divitis alicujus ſed fabri filius ſecundum carnem eſt appellatus.*

24. *Væ vobis divitibus*] Quatuor *Væ* oppoſita ſuperioribus ſunt *Beatitudinibus.*

27. *Diligite inimicos veſtros*] Interrogatus M. Baſilius *qui ſint inimici quos diligere jubemur*, reſpondet, *Inimici proprium eſt ladere & inſidiari. Omnis igitur qui quocunque pacto laedit aliquem, vocari Inimicus poteſt: præcipue autem is qui peccat, quantum in ipſo eſt, diverſis laedit modis, & ei quicum vivit atque verſatur inſidiatur. Sed quoniam corpore atque animâ conſtat homo, ſecundum animam quidem diligamus tales, corripientes eos atque admonentes, & quovis modo agentes ut con-*

convertantur; ſecundum corpus, benefacientes eis, ſi iis egeam quæ ad vitam ſunt neceſſaria.

29. *Præbe illi & alteram*] Eo ſis affectu ut, ſi in altera maxilla cædere te velit, non reſilias, neque cenſeas ſatis eſſe quòd ſemel ſis perpeſſus. Docet ergo in patiendo conſtantiam.

37. *Nolite judicare*] Cùm Dominus dicat, *Nolite judicare*, alibi verò, *Juſtum judicium judicate*, Non prohibemur omnino judicare, ſed judicii differentiam docemur. Quibus autem in rebus judicare oporteat, & in quibus non, manifeſte nos docet Apoſtolus, dum in iis quæ in cujuſque poteſtate poſita ſunt, neque à Scriptura prohibentur, dicit, *Tu vero quid judicas fratrem tuum?* & rurſum; *Ne igitur poſthac mutuo judicemus.* In iis verò quæ Deo diſplicent reprehendit eos qui non judicant, & ipſe ſuum judicium proferens, dum ait, *Nam ego quidem ut abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens eum qui hoc egit, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, tradere ejuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſervetur in die Domini Jeſu.*

38. *Menſuram bonam*] Ponit ea quæ adhibere ſolemus cùm menſuram copioſam & locupletem facere volumus.

39. *Dicebat autem illis & ſimilitudinem*] Tota hæc doctrina in primis ad Diſcipulos habetur, ſicut ſuprà dictum eſt *Dominum oculos in Diſcipulos convertiſſe* in hujus ſermonis initio. Monet ergò ſequenti Similitudine quanti referat eos attente audire & ſervare quæ docentur: nam ſubjectos ſecuturos mores eorum, quales futuri cunque ſint. Præterea niſi magiſtri ſine vitio fuerint, quo pacto reprehendere alios poterunt? idcirco ait, *Quid vides feſtucam*, &c.

45. *Malus homo de malo theſauro*] Hoc reſponderi poteſt iis qui cùm ſuperbe aut invide quid dixerint, & derogaverint proximo, ſe tamen ipſos fallentes dicunt ſe non odii causâ dixiſſe, nihilque ſe inimicum corde ſervare: Nam fieri non poteſt ut qui bonus eſt malum quid proferat; & rectè ait Dominus *Ex abundantia cordis os loqui.*

ZEGERUS.

1. IN *ſabbatho ſecundo-primo*] D. Johannes Chryſoſtomus hom. 40. in Matth. hoc Sabbathum dicit *ſecundo-primum*, h. e. δευτεόπρωτον, appellari, *quia quies & otium duplex erat, tam ſabbathi Domini, quam ſolennitatis alterius ſuccedentis.* Nec multùm diſcrepat ab hac ſententia Theophylactus, ita ſcribens, *Judæi omne feſtum Sabbathum nuncupabant: nam* SABBATH *Requiem ſonat. Sæpenumero igitur incidebat feſtum in paraſceuen, & vocabant paraſceuen Sabbathum propter feſtum. Itaque quod proprie Sabbathum erat nominabant Secundo primum, quod ſecundum eſſet ab altero feſto & Sabbatho quod præceſſerat.* Eſt qui ſcribat hoc Sabbathum intelligi debere diem Paſchæ ſeptimum, quòd is fuerit primo in celebritate (exceptu eſu agni) æqualis, atque ita veluti alter primus, vel prioris alter. De hoc verbo ſuum conſulens præceptorem Nazianzenum Hieronymus jocum potiùs quam ſerium reſponſum tulit. Vide Hieronymum ad Nepotianum epiſt. 2. Secundum Eucherium verò (cujus mihi ſententia magis placet) dies ille Sabbathi ita intelligitur *ut obſervatione noſtra ſecundus ſit qui primus fuerat obſervatione Judaicâ.*

5. *Dominus eſt Filius hominis etiam Sabbathi*] Ita conſtrue, *Filius hominis etiam ipſius Sabbathi Dominus eſt:* ut qui condidit poſſit & abrogare.

10. *Et reſtituta eſt manus ei*] Illud ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη, *ſana ſicut altera*, ex Matthæo huc tranſpoſitum eſſe, ſicut & in Marco, 3. 5. vel hinc conjicere licet, quòd non perinde apte apud iſtos cohæreat ſermo ut apud illum, ubi ſcriptum eſt 12. 13. ἀπεκατεστάθη (alias ὑγιὴς) ὑγιὲς ὡς ἡ ἄλλη, (ſic enim legendum arbitror juxta Chryſoſtomum & Hieronymum) *& reſtituta eſt ſanitati ſicut altera.*

17. *Et maritima, & Tyri & Sidonis*] Græca nihil habent ſcrupuli, καὶ πλῆθος πολὺ ἀπὸ πάσης τῆς Ἰουδαίας, καὶ Ἰερουσαλὴμ, καὶ τῆς παραλίου Τύρου καὶ Σιδῶνος, *& multitudo copioſa populi ab omni Judæa & Hieruſalem, & à maritima Tyro & Sidone*; vel *maritima* (ut ſubaudias *regione*) *Tyri & Sidonis.* Siquidem Tyrus & Sidon maritimæ ſunt civitates, h. e. mari Magno vicinæ. Porro in Vulgata verſione ſubaudiri poteſt *maritima multitudo*, & *Tyri* ſcilicet & *Sidonis:* niſi forte Interpres ſcripſit *maritima Tyri & Sidonis*, circa copulam ante *Tyri*, ſicuti tandem ſcriptum reperimus in edit. Complutenſi, in exemplari Corſend. & in cod. Gemblacenſi, niſi quòd hîc quidam adjecerat &.

23. *Secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum*] *Eorum* non refert Prophetas, ſed Judæos, à quibus, ut præ-

dicitur, probris afficiendi erant Apoſtoli. Et *ſecundum hæc* poſitum eſt pro *ad hunc modum*, vel *conſimiliter*, κατὰ ταῦτα. Bis autem ponitur hic verſiculus, ſed poſteriori loco legendum arbitror *pſeudoprophetis* juxta Irenæum & Græcorum, & nonnulla etiam Latinorum, vetera exemplaria. Beda, tametſi legat *Prophetis*, admonet tamen intelligendum de pſeudoprophetis; ut hinc colligi poſſit eum cujus ipſum commentum ſequitur legiſſe *pſeudoprophetis.*

29. *Qui te percutit in maxillam unam, præbe illi & alteram*] De hoc vide Matth. 5. 39. Duæ voces *unam* & *illi* nec apud Bedam ſunt, nec in Græcis, nec in aliquot Latinis.

34. *Peccatoribus fœneratur*] i. *mutuum dat*, ut ſuperiùs verterat Interpres.

35. *Benignus eſt ſuper ingratos*] h. e. *commodus & beneficus etiam erga ingratos.* Quanquam χρηστὸς & multa alia complectitur, *bonitatem, ſuavitatem, cómitatem, probitatem, humanitatem.*

39, &c. *Dicebat autem illis & ſimilitudinem, Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? Nónne ambo in foveam cadunt? Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum*, &c. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo eſt non conſideras?* &c. *Non eſt arbor bona quæ faciat fructus malos, neque arbor mala faciens fructus bonos. Unaquæque arbor*, &c.] Quia Dominus noſter quatuor modò præmiſerat dogmata, dicens, *Nolite judicare, & non judicabimini; Nolite condemnare, & non condemnabimini; Dimittite, & dimittetur vobis; Date, & dabitur vobis*; hæc quo magis infigeret animis audientium, ſingulis ſingula adhibuit exempla. 1. Pro temerario in proximum vitando cuique judicio, proponit exemplum *cæci ducis*, oſtendere volens quantum id cum utriuſque fiat periculo, ſi quis alium judicet iniquum cùm ſit ipſe iniquus. 2. Adversùs condemnationem ſuiipſius, qui *Magiſter* eſt omnium, adducit exemplum; qui dum damnaretur, ſuos injuſtos damnatores cùm potuiſſet nequaquam damnabat. 3. Ut facilis ac paratus ſit quiſque ad condonandam aliorum in ſe noxam, vult unumquemque ſuorum potius facinorum expendere magnitudinem quam aliorum. 4. Adversùs tenacitatem, de qua dixerat, *Date, & dabitur vobis.* Arboris adducit ſimilitudinem, quæ ſi bona ſit, ſuâ ſponte non niſi bonos legentibus profert fructus; ſin mala, non item niſi malos; nimirum hoc ipſo declarans quòd quiſquis bonus fuerit facilis erit ad benefaciendum quantum in ſe eſt omnibus; contra quiſquis malus, aut nihil tribuet, aut mala impendet. Poterunt tamen hæ ſimilitudines etiam indiſcriminatim ad omnem illam præmiſſam Domini doctrinam accommodari.

40. *Perfectus autem omnis erit ſi ſit ſicut magiſter ejus*] Cùm ita nimirum, *ſi ſit ſicut magiſter ejus*, conſtanter habeant exemplaria, ſuſpicor Vulg. interpretem legiſſe καταρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, aut certe ὡς particulam ſubintellexiſſe. Quinimo & Beda & Theophylactus in Catena citatus, utcunque reddiderit is qui nuper ipſum tranſtulit, aut potiùs tranſlatum olim reſtaurarit, nobiſcum legunt *ſi ſit.* Atqui quod recentiores legunt, *perfectus autem omnis erit ſicut magiſter ipſius*, hactenus apud veteres non reperi, niſi apud unum Irenæum: verùm ipſius interpres (nam ipſum Græce ſcripſiſſe non uno probari poteſt argumento) id reddidit quod viſum fuit.

42. *Trabem non vides? Hypocrita*] Lege, non *vides* ſed *videns*, juxta Bedam & codices quoſdam antiquos & Græcos.

48. *Qui fodit in altum*] i. *in profundum.*

MASIUS.

1. NOta quod feſtum azymorum, quod 7. diebus agitur, & feſtum tabernaculorum, quod octo, ſola habent δευτεόπρωτον. Illud ſeptimum diem, hoc octavum, & in eo nomine vocantur, quia pari religione cum ipſo primo obſervantur, quum intermedii ſunt duntaxat hoc eſt dies profeſti.

STEPHANUS.

1. Ψῶχοντες] *Confricantes.*

10. Περιβλεψάμενος] *Cùm circumſpexiſſet.*

11. Ἐπλήσθησαν ἀνοίας] *Veſano quodam adverſus illum odio repleti ſunt:* vel *rabie.*

17. Ἐπὶ τόπου πεδινοῦ] *In loco campeſtri.*

18. Οἱ ὀχλούμενοι] *Qui vexabantur.*

22. Ἀφορίσωσιν] *E ſuo cœtu ejecerint:* vel, *contubernio:* ad verb. *ſeparaverint:* vel, *ſegregaverint.*

28. Τοὺς

28. Τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς] *Pro iis qui aliquâ contumeliâ vos afficiunt.*

35. Μηδὲν ἀπελπίζοντες] *Nihil commodi ex illis rebus ſperantes.* ¶ Χρηστός ἐστιν] *Benignitatem exercet.*

38. Μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον καὶ σεσαλευμένον καὶ ὑπερεκχυνόμενον] *Menſuram bonam compreſſam & ſuccuſſam ac ſuperfluentem.*

40. Κατηρτισμένος] *Doctrinâ*, vel, *ſcientiâ aquè magnâ inſtructus: vel, pari perfectione.*

45. Ἐκ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας] *Ex eo quod in corde abundat.*

48. Πλημμύρης δὲ γενομένης προσέρηξεν ὁ ποταμὸς] *Inundatione autem ortâ illiſum eſt flumen.*

DRUSIUS.

1. *IN ſabbatho ſecundo primo*] Vel, *altero primo.* Græcè δευτεροπρώτῳ. Sic vocatur ſabbathum id quod proximè poſt ſolenne Paſchatis: de quo Scaliger copiosè diſputat lib. 6. De tempor. emend. Vide quoque Baronium, pag. 140. & Sigonium De Repub. Ebræor. lib. 3. Rurſum Scaliger in De emend. temp. l. 2. *Pentecoſte ſemper incidit in eandem feriam in qua fuit ἡ δευτέρα τῶν πάσχα· quæ ſi ſequitur ſabbathum, Pentecoſte incurrit in feriam primam: tunc continuantur duo ſabbatha. Nam præcedit ſabbathum ordinarium.* Sed vide, ſi placet, eundem de hoc ſabbatho, lib. 3. Can. Iſagog. pag. 217. & deinceps. Vide quoque Eucherium in Quæſtionibus pag. 271. & Bezam ad hunc locum.

5. *Dominus eſt Filius hominis etiam ſabbathi*] Huc refer Ebræorum illud, *Qui fecit ſabbathum etiam eſt Dominus ſabbathi.*

7. *An ſanaturus eſt illum*] Nam ſabbatho non licebat medicinam facere; nè ſputum quidem ponere ſuper oculos, quia medicina eſt. Thanchuma fol. 5. col. 1. *Nec emplaſtrum poterant eo die ponere ſuper vulnus.* Idem 30. 1. *Vetitum eſt ponere ἐπιλώτιον ſuper plagam in ſabbatho.* Vide ſequentia. Libet hic exclamare,

O cæcas hominum mentes & pectora cæca!

Excipiebant tamen periculum animæ, h. e. cùm ægrotus de vita laboraret. Nam tunc poterant eum curare. Rurſum Thanchuma 8. 1. *Sabbatho licet curare ubi periculum vitæ, ut in circumciſione.* Et 83. 4. *Licet etiam fugere ob latrones & hoſtilem exercitum.* De obſervatione ſabbathi exſtat colloquium R. Aquibæ Phariſæi cum Turno ſive Turannio Rufo milite Romano, qui ſolo Templi aratrum induxit. Id invenies in Ilmedenu, vel, ſi mavis, Jelammedenu, fol. 41. col. 3. Ubi, ut alia omittam, dicit eum qui mortuos excitat מחיה מתים *per Pythonem*, non poſſe id facere ſabbatho, cùm aliis diebus poſſit. Vide, ſi lubet.

12. *In oratione Dei*] *Ad Deum:* ſenſus, Quæ ad Deum dirigebatur, ſive, Quam habebat ad Deum. Quid ſi *pernoctabat in proſeucha Dei?* ut *Dei* nomen redundet; aut, *proſeucha Dei veri*, ad differentiam aliarum proſeucharum in quibus Dii falſi adorabantur. *Proſeucha* aliàs *domus orationis* dicitur, & erat extra urbem. Vide Actor. 16. 13. & notata ad illum locum.

14. *Bartholomæum*] *Bar* extra controverſiam Syra vox eſt, & *filium* ſignificat, qui Ebraicè *Ben* dicitur. Quanquam & *bar* reperitur in textu Ebræo, ut Pſal. 2. & Prov. 30. nec alibi quod ſciam. In N. T. *Barrabas*, *Barjona*, *Bartholomæus*, *Bartimæus*, *Barjeſus*, apud Euſebium *Barchochebas*, Xiphilinum *Barporas* nomina ſunt propria compoſita cum hac voce; De quibus ſingulatim quæ digna notatu habeo, notabo. BARRABAS. In Nominibus de Matthæo, *Barrabam*, *Filium magiſtri eorum.* Quis credat hanc interpretationem Hieronymi eſſe? Pronomen delendum, vel ex eo quòd *Barrabas* dicimus in recto caſu, non *Barrabam*, בר רבא *filius magiſtri.* In Syriacis reperio בר אבא *filius patris*, aut *filius patris mei.* Vide Matth. 27. 16. BARJONA, Matth. 16. 17. βαριωνᾶ, i. υἱὸς τῦ Ἰωνᾶ. Ebraicè בר יונה. lectio alia βαριωάνα, i. בר יוחנן aut בר יוחנא *filius Joannis.* Nonnus poëta,

Τὸν Ἰωάννου σύ μοι φίλες· ἐσὶ γὰρ Σίμων.

Priorem lectionem interpretatur Hieronymus in lib. De Nominibus Ebraicis; & puto germanam eſſe. BARTHOLOMÆUS. In *Bartholomæus* negat vir doctus *Tholomæum* eſſe qui à nobis *Ptolomæus* dicitur. Gorionides contrà, Hiſtor. Jud. l. 2. c. 3. diſertè ait, תלמי טיט זה תלמי, *Ptolomæus & Talmai idem eſſe.* Firmandæ rei citabo locum ex Seder Olam Suta, qui Caninium clarè convincit, תלמי טיב את התורה יונית i. ad verbum, *Thalmai ſcripſit legem Græce.* Significat autem Ptolomæum Philadelphum Regem Ægypti, qui procuravit tranſlationem Græcam Legis per ſeptuaginta duos interpretes. Eſt autem Thalmai à Syris dictus *Tholmai*, unde *Ptolomæus*: fortean Phe additum ex proprietate linguæ Iſmaeliticæ. BARTIMÆUS, Mar. 10. 46. υἱὸς Τιμαίου Βαρτίμαιος. Ex ordine non vanè quis ſuſpicetur abipſo Euangeliſta eſſe τὸ *filius Timæi*, quæ declaratio indicat nomen patris Bartimæi, eò magis quòd multa nomina propria Syris quorum formatio à *Bar* voce, quæ apud eam gentem in compoſitionibus frequens eſt. In Syriacis Marci, טימי בר טימי, i. *Timæus filius Timæi:* lectio alia, *filius Timæi Barſemia:* eam obſervat Hieronymus; ſed addit corruptam eſſe, lib. De Nom. Ebraicis. *Barſemia*, i. *filius cæcus* בר סמיא. BARJESUS, Βαριησοῦς, Actor. 13. 6. Admonet Hieron. de corrupta ſcriptura, & legit Beriesu, lib. De Nom. Ebr. Ego non capio cur hæc ſcriptura melior ſit præ vulgata. *Barjeſu*, i. בר יש υἱὸς Ἰησοῦ. In ſchidis meis reperio Βαριησοῦ, i. בר ישוא. Apud Syrum בר שמא, *Bar Suma*: & paulò poſt, *Stetit igitur contra eos magnus ille Barſuma; quod interpretatum ſonat Elumus.* Pro *Elumus* in Græco eſt Ἐλύμας, i. אלימא, ut conjicio, μάγος ἤτοι σοφὸς· qua de re dicam aliàs. Addam aliud, quanquam non repertum in N. Teſtamento. Quid refert ſi locum faciam parœmiæ Græcæ, ἐπὶ τῶν ἀπὸ ἰλαιῶν; Euſebius Eccleſ. hiſtor. lib. 4. c. 6. Ἐσφάλησε τῶν Ἰουδαίων τινὰ πλάνη Βαρχοχεβᾶς ὄνομα ὁ αἰτίος δηλοῖ. Tu à me diſce; *Barchochebas* non αἰτὸς, ſed υἱὸς τῦ αἰτίρος· eſt enim compoſitio vocis ex בר & כוכב, i. בר כוכב pronunciatione vetere כוכא, *ſydus* ſive *ſtella.* Χωχαβὰ vicus Galilææ, unde fortè *Barchochebas*, q. *filius Chochabæ.* BARPORAS. Ponam in hac voce emendationem meam: licet enim mihi, credo, quod aliis multis licuit: ſi non temere id facio, ſi receptam ſcripturam non ſolicito, tantùm mendum indico, quis reprehendat? Xiphilinus in Veſpaſiano, *Capti ſunt ab eo multi, præſertim Barporas, qui apud eos principatum tenebat: iſque ſolus in triumpho ſupplicitis affectus eſt.* Quis iſte Barporas? Videtur leg. *Bargioras*, i. *filius Giora.* Joſephus Captæ Judææ lib. 4. cap. 30. υἱὸς δὲ Γιώρα Σίμων τις Γερασηνὸς τὸ γένος, νεανίας· υἱὸς Γιώρα, i. Βαργιώρας, & Græcâ terminatione Βαργιώρας. Nè autem putes mendum eſſe in Γιώρα, ecce eadem ſcriptura apud Ruffinum, *Erat Simon Gioræ filius, patriâ Geraſenus, ætate juvenis.* Fuit tempus cùm exiſtimarem legendum *Sarporas*, q. שרפרס pro שר פרצים, *princeps militum* an *latronum?* quod epitheton Johanni plurimùm tribuit Joſephus Gorionides ſeu Gorionis filius hiſtoricus Ebræus, qui putatur idem eſſe cum Flavio Joſepho: nunc muto, & indubitanter de Simone hæc intelligenda eſſe ſtatuo ex ipſa hiſtoria: ſolus enim Simon triumpho ſervatus eſt, Johanne ad perpetuos carceres damnato, Joſeph. lib. 3. c. 46. Σίμων δὲ πολλὰ διαμαχήσας πρὸς τὸν ἀναγκαῖον, οὐκ ὀλίγῳ τῷ ἐξῆς δηλώσομεν, ἀνδρὶ παραδόσιμον· ἐφυλάχθη δὲ ὁ μὲν τῷ θριάμβῳ σῴζεσθαι, ὁ δὲ Ἰωάννης δεσμοῖς αἰωνίοις. In *Giora* hæreo, ac dubito proprium nomen ſit, an pater Simonis ex iis fuerit qui *giora* vocabantur. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 7. Τὸ γὰρ ἀναγον ἐπὶ τὰς πατριάρχας ἡ μεσηλύτης, τὰς τῶν καλαμῶν γενέσεις τὰς ἱστορίας. Juſtinus Martyr. in Diſput. πρὸς Τρύφωνα, ταῦτα ὑμεῖς μὲν εἰς τὸ γήρασαι ἢ τὰς μεσηλύτας εἰρῆσθαι νομίζετε. In lingua Syr. מיתא מסחלו. Theodorius ad Exod. Quæſt. 24. Καὶ γὰρ μεσηλύτης μέλλοντα τῷ πάσχα προσίτασθαι, γειρὸν δὲ τὸ μεσήλυτον ἑκάλεσε. Non γήρασαι, ſed γήρ· hoc Ebraicum, illud Syrum eſt, cum pace dixerim Theodoriti. Porrò apud Joſephum ut ſit proprium *Giora*, magis inclinat ſententia. Suidas, Γιώρας, ὄνομα κύριον.

17. Ἀπὸ τῆς παραλίας] Sub. χώρας, aut γῆς. Deuter. 1. 7. παραλίαν γῆν Χαναάν. Joſ. 9. 1. ἐν πάσῃ τῇ παραλίᾳ τῆς θαλάσσης τῆς μεγάλης. Gen. 49. 13. παράλιος *maritimus*, i. παραθαλάσσιος.

30. *Omni petenti à te*] Enarrant de generibus, non de individuis; q. d. Sive fuerit amicus ſive inimicus.

36. *Miſericordes*] רחמים non ſunt *miſericordes*, ſed ὅσιοι *ſancti* & *pii.* Deus etiam cùm dicitur *miſericors*, id Ebræi exprimunt non per רחם, ſed per רחמן, ut Exod. 34. 6. κύριος ὁ Θεὸς οἰκτίρμων, & alibi paſſim. Syri dicunt רחמנא, quod inter epitheta Dei, ut cùm audis, רחמנא לבא בעי *Miſericors cor requirit*, Ὁ οἰκτίρμων τὴν καρδίαν ζητεῖ.

40. *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum*] Quamdiu diſcipulus eſt, non debet ſe præferre magiſtro. Satis ſi ei par ſit. Vide Adagia mea ſacra. Si tamen contingat ut ad altiorem doctrinæ gradum perveniat, non eſt culpandum; imò laudi dandum ſi ſuperet magiſtrum. Quod ſi rarò accidit, tamen accidere aliquando docet hic verſiculus Græcus,

Παῖδαὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.

Quâ ratione autem hoc fieri poſſit, docebunt te hi verſus vulgares,

Multa rogare, rogata tenere, retenta docere,
Hæc tria diſcipulum faciunt ſuperare magiſtrum.

Ut ut ſit, perfectus eſt diſcipulus, ſi æquet magiſtrum, dum diſcipulus eſt.

41. *Feſtucam*] *Dicit R. Tarphon* (τράφων vocat Juſtinus) *Miror ego hâc ætate eſſe qui velit alium reprehendere. Nam ſi dicit ei, Tolle feſtucam ex oculo tuo, ſtatim audit, Tolle trabem è dentibus tuis*: ex lib. Muſar, cap. 8. in principio. Videndus R. D. K. in שפר. *Feſtuca* ibi קכנא dicitur, quod David de Pomariis interpretatur dicens eſſe *fruſtum ligni*, vel *putamen lignorum cæſorum*.

CASAUBONUS.

23. Κατὰ ταῦτα δὲ ἐποίουν] Et hîc & ſimilibus in locis legendum cenſeo mutato accentu κὸ ταυτὰ, ut rectè apud Herodotum & alios legitur. Sic igitur ſcribendum etiam paulò pòſt v. 26. & infrà 17. 30.

29. Καὶ ἀπὸ τῦ αἴροντός ϛε τὸ ἱμάτιον] Matthæus 5. 40. paulò aliter eandem ſententiam effert, Καὶ τῷ θέλοντί ϛε κριθῆναι, καὶ τὸν χιτῶνά ϛε λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον.

35. Καὶ δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες] Non poteſt meo judicio dubitari ἀπελπίζειν hoc loco reſpondere ei quod ſuperiore verſu dictum eſt, παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν. Quare nè illud quidem dubium eſſe poteſt, ἀπὸ in hac voce id valere quod in ἀπέχει quando ſignificat *recipere*, qua in ſignificatione frequenter in his libris occurrit. Sic annotatum eſt ab Athenæo l. 14. ἀπεθέλειν dixiſſe veteres pro ἀπὸ τῦ θέλειν. Ita ἀπογενόμενος pro ἀπὸ τῦ γενόμενος legitur apud eundem. Similiter ἄφιξιν novè pro *diſceſſu ab aliquo* uſurpavit Lucas in Actor. 20. 29. Itaque fallitur omnino Syrus interpres, qui pro *deſperare* accepit.

40. Κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται] Epiphanius qui hæc ſic interpretatur, τᾶτ' ἔστιν, ἕτοιμος εἰς διαγωγὴν, videtur legiſſe κατηρτυμένος. Nam *parare ſe & inſtruere ad aliquid eſt* καταρτίειν vel ἐξηλύειν, non καταρτίζειν. Falli autem Epiphanium rectè doctiſſimus interpres cenſuit.

GROTIUS.

1. Ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ, *in Sabbato ſecundoprimo*] Facetè de hoc loco conſulentem ſe Hieronymum eluſit Gregorius Nazianzenus, promittens dicturum ſe ea de re, ſed in Eccleſia, ubi Hieronymus, toto populo acclamante, cogeretur ſcire quod neſciret, aut ſi ſolus tacuiſſet, futurum ut ab omnibus ſtultitiæ condemnaretur. Quam rem narrans Hieronymus hoc ἐπιφώνημα [*acclamationem* hanc] ſubjicit, *nihil tam facile quàm vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, qua quicquid non intelligit plùs miratur.* Quam multi ſunt hodie quibus pro eruditione eſt audax aſſeveratio, præſertim quoties de loco ſuperiore loquuntur, ubi contradictorem non habent? Cæterùm de vocis δευτεροπρώτῳ [*ſecundoprimo*] interpretatione dici ferme poteſt, *Quot capita tot ſententiæ.* Syrus & Arabs, tantò quàm nos ſumus illi & ſeculo & loco propiores, ſatis manifeſtè oſtendunt ſe quid hæc vox velit ignoraſſe: quò æquius eſt aliis ignoſci quibus præter conjecturas nihil eſt relictum, quas refellere eſt promtius quàm certi aliquid adferre. Falli eos qui non diem quam *Saturni* dicimus ſed feſtum aliquem diem hîc volunt intelligi, ex eo apertum eſt quòd tota quæ hinc orta eſt diſputatio non ad feſtos dies pertinet, quibus non tam rigidè otium ſervabatur, ſed ad diem illum qui propriè ac peculiariter *Sabbatum* appellatur, quem οἱ ἔξω [*extra Eccleſiam poſiti*] *Saturni* vocant. Sed neque eorum ſententia recipi poteſt qui δευτεροπρώτου [*ſecundoprimum*] ita exponunt ut nomen ſit multis diebus conveniens, cùm Lucas hoc nomine uſus ſit ut certus anni dies intellegeretur: quibus rectè animadverſis pleræque veterum ariolationes concidunt, ut à recentioribus quibuſdam prudenter notatum eſt. Traxit multos in aſſenſum viri magni auctoritas, qui δευτεροπρώτου [*ſecundoprimum*] exponit πρῶτον ἀπὸ τῆς δευτέρας τ πάσχα [*primum à ſecunda Paſchatis*]. Sed ei quominus ſubſcribam apud me hæc obſtant: primum quòd nullum viderim talis formationis exemplum, qualis eſſet ſi δευτεροπρώτου [*ſecundoprimum*] deduceretur à voce δευτέρας [*ſecunda*] & voce πρώτου [*primi*]: deinde quòd lex quæ exſtat in Levitico non hoc dicit, Sabbata denominari à poſtridie Paſchatis, ut hoc Sabbatum dicatur *primum*, illud *ſecundum*, atque ita deinceps, ſed dies illos quinquaginta יום תנופר [*Dies Manipulorum*] τὰς ἡμέρας τῆς πεντηκοστῆς [*Dies Pentecoſtes*, ſive *temporis dierum quinquaginta*] numerari ab eodem illo die; ita ut poſtridie Paſchatis ſit dies illorum quinquaginta primus, qui hunc ſequitur ſecundus, atque ita uſque ad quinquageſimum: quem numerandi modum Judæi nunc quoque anxiè obſervant: neque tamen in nominandis diebus repetunt nomen illud δευτέρας [*ſecunda*], ſed quæque nox ut advenit, ſolent dicere, *Hic eſt dies primus Omer*, *Hic eſt dies ſecundus*, atque ita porrò. Sententia igitur iſta quæ magnis argumentis à ſuo auctore defenſa eſt, cùm mihi ſe non probet ob eas quas dixi cauſas, indulgebo mihi quoque poſt tot alios cenſendi libertatem. Judæi Diem Sabbati qui Paſcha proximè antecedit hodieque vocant שבת הגדול [*Sabbatum magnum*]. Sed & ſi Paſchatis dies in ipſum Sabbatum inciderit, appellabitur is dies eodem nomine, ut apparet Joh. xix, 31. ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τ σαββάτε [*erat enim magnus dies ille Sabbati*]. Eſt & σαββάτε μεγάλε [*Sabbati magni*] mentio in hiſtoria de martyrio Polycarpi apud Euſebium. Alii pro הגדול [*magno*] dixerunt הראשון [*primum*], id eſt, τὸ πρῶτον σάββατον [*Primum Sabbatum*]. Nam ἐν τῷ Πέτρε κηρύγματι [*in Pradicatione Petri*] erat, σάββατον γὰρ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον [*non agunt Sabbatum quod dicitur Primum*]. Cùm verò præter Paſcha duæ ſint præterea celeberrimæ Judæorum ἑορταὶ [*feſtæ dies*], nempe τὸ πλήρωμα τ πεντηκοστῆς [*Completio pentecoſtes* ſive *quinquageſima*] & σκηνοπηγία [*Tabernaculorum erectio*], etiam quæ eas ἑορτὰς [*feſtas dies*] proximè contingebant Sabbata μεγάλα ἢ καὶ πρῶτα [*magna* ſive *prima*] vocata ſimili ratione. Nam & Sabbatum quod incidebat εἰς τὴν σκηνοπηγίαν [*in Tabernaculorum erectionem*] Joſephus vocat μάλιϛα θρησκεύομεν σάββατον [*Sabbatum maximè honoratum*], Belli Judaici libro II, cap. XXXVII. Atque ita cùm tria eſſent Sabbata πρῶτα [*prima*], id eſt, *maxima*, diſtinctionis causâ repertum ut Sabbatum Paſchale, quod ordine antegreditur, diceretur πρωτόπρωτον, *primorum primum*; Sabbatum Pentecoſtes δευτεροπρώτου, *primorum ſecundum*; Sabbatum σκηνοπηγίας [*Erectionis tabernaculorum*] τριτοπρώτου, *primorum tertium*. Sic in municipiis ubi erant δεκαπρῶτοι [*Decem-primi*], primus ordinis dici poterat πρωτοπρώτου [*Primoprimus*], alter δευτεροπρώτου [*Secundoprimus*], atque ita deinceps. Notandum autem eſt meſſem, ut Hebræi docent, incidiſſe ferme in menſem Elul, qui partim Junio partim Julio reſpondet: itaque Exodi XXIII, 16. Pentecoſtes ſolemne vocatur *Solemne meſſis*; Tabernaculorum autem ſolemne, quod in finem Auguſti aut initium Septembris incidebat, *feſtum Collectarum in horrea frugum.* Nam quòd poſtridie Paſchatis δράγμα καρπῶν [*manipulus ſpicarum*] ad altare adferebatur, fiebat id dicis causâ & ſpicis virentibus quæ igne torrebantur, ut Joſephus nos docet ex loco Levit. II, 14. unde & menſi Niſan nomen alterum אביב, quod *ſpicam virentem* ſignificat: & hæ ipſæ ἀπαρχαὶ [*primitiæ*] ſumebantur ex hordeo, fruge temporiùs ſe prodente. Vide Joſephum. Et hæc δευτεροπρώτου [*ſecundoprimi*] formatio ab ἀναλογίας [*ſimilis formationis*] regula non excedit. Adde quod apud Helleniſtas, quorum haud dubiè ſermonem hîc Lucas exprimit, exſtabat vox ſimilis formæ. Nam decimas illas quas Levitæ pendebant Sacerdotibus vocabant δευτερεδεκάτας [*ſecundodecimas*], id eſt, *ſecundas decimas*, ut notat Hieronymus in caput XL Ezechielis. Eædem vocantur δεύτερα δεκάτα [*ſecunda decima*] Tobiæ 1, 6. Sunt ergo idem δευτέρα δεκάτη [*ſecunda decima*] & δευτερεδεκάτη [*ſecundodecima*], item Sabbatum δεύτερον πρῶτον [*ſecundum primorum*] aut δευτερόπρωτον [*ſecundum inter prima*]. ¶ ψώχοντες, *confricantes*] *Friantes.*

5. καὶ τ σαββάτε. *etiam Sabbati*] Quòd hîc habent inſertum nonnulli codices, de eo qui Sabbato opus famulum faciebat, cui dictum ſit à Chriſto, *Beatum eſſe ipſum ſi noſſet quid ageret; ſin minùs, legis violatorem*, ſpurium eſſe non dubito: nam neque Metaphraſtæ veteres nec qui ad hunc locum ſcribunt ejus meminerunt hiſtoriæ. Quin pugnat cum perpetuo Chriſti inſtituto, qui Doctorem hîc agens, nemini legis Hebrææ gratiam fecit. Erat enim ea poteſtas cœleſti Regno ipſius reſervata. Puto igitur ab aliquo Marcionita adjectum.

6. ἄνθρωπος, ᾧ ἡ χεὶρ αὐτῦ δεξιὰ ἦν ξηρά. *homo, & manus ejus dextra erat arida*] Hebraïſmus, pro ἄνθρωπος ὃς ἡ χεὶρ ἦν αὐτῦ ξηρά [*homo, cujus manus erat arida*].

7. κατηγορίαν αὐτῦ. *accuſationem ejus*] Satis Græcè: nec de lectione dubitandum: κατηγορία μου [*accuſatio mei*] ſimili ſenſu eſt apud Demoſthenem. Solent genitivi ſæpe objectum ſignificare. Ita infrà ἐν τῇ προσευχῇ τ Θεῦ [*in oratione Dei*].

Dei]. Eſt autem ἵνα εὑρίσκωσι κατηγορίαν [*ut invenirent accuſationem*] idem quod in Daniele VI, 4. להשכחות עלוה [*invenire praetextum*].

9. Ἐπερωτήσω ὑμᾶς τι, *Interrogabo vos aliquid*] Ita legit & Syrus, ſed ut ad ſequentia referret interrogandi ſenſu; Τι [*Quid*] pro πότερον [*utrum*], ſicut & apud Matthæum legimus XXI, 31. Τίς ἐκ τῶν δύο [*Quis ex duobus*] pro πότερος [*uter*]. Quòd ſi ad priora referre malis, ſenſus erit, *Eſt quod vos interrogem.* Atque id præfero: quia & alibi ſimili præfatione Chriſtus interrogationem exorditur, Matth. XXI, 24. Luc. XX, 3. ubi ἵνα λόγον [*unum verbum*] eſt quòd hic τι [*aliquid*]. ¶ ἀπολέσαι; *an perdere?*] Id eſt, ἀποκτεῖναι [*interimere*], ut Marcus loquitur. Vide quæ ad Matthæum.

10. Καὶ ἐποίησεν οὕτω. *Et fecit ſic*] Fecit ut erat juſſus; id eſt, *extendit manum*, quod explicatè poſuit Syrus, ut & Latinus: ut ſolent liberiùs interdum verba interpretari. ¶ ἀπεκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ, *reſtituta eſt manus ejus*] Quod apud Marcum dixi hic repeto, verba illa ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη [*ſana ſicut altera*] videri ex Matthæo adſcripta; nam multi codices non habent; nec agnoſcit Latinus. Syrus agnoſcit illud ὡς ἡ ἄλλη [*ſicut altera*], non illud ὑγιὴς [*ſana*].

11. ἀνοίας. *inſipientiâ*] שטות, id eſt, *ira*. Bene Philemon;

Μαινόμεθα πάντες ὁπόταν ὀργιζώμεθα.
[*Furiamur omnes ira nos quoties rapit.*]

τί ἂν ποιήσαιεν τῷ Ἰησοῦ. *quidnam facerent Jeſu*] Nempe ut eum è medio tollerent; quemadmodum ex Marco liquet.

12. εἰς τὸ ὄρος, *in illum montem*] Notum montem in ora maritima, ut ex Marco diſcimus III, 7, & 13.

17. καταβὰς μετ' αὐτῶν ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ. *& deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri*] Id eſt, de ſublimiore receſſu contulit ſe in planitiem montis capacem majoris turbæ: ita ſermo qui ſequitur habitus eſt ἐπὶ τόπου πεδινοῦ [*in loco campeſtri*] *in planitie*, במישר, ut hic apud Syrum, & nihilominus in monte, quod omnino exigere videtur Matthæi narratio. Sunt qui putant diverſi temporis eſſe narrationes apud Matthæum & Lucam: & ſanè ſicut facti narrationes circumſtantiis congruentes non temere ad res diverſas referendæ ſunt, ita ſermones nihil vetat ſæpius habitos eoſdem aut ſimiles, præſertim continentes vitæ totius præcepta, quæ non potuerunt nimiùm ſæpe repeti. Sed me ne diverſas eſſe narrationes putem movent non tantùm exordium idem, eademque peroratio, ſed multò magis quòd uterque Scriptor hoc ſermone habito Chriſtum ait rediiſſe Capharnaümum atque ibi ſanaſſe Centurionis ſervum. Steriſſe autem potuit Chriſtus in hac planitie dum ægrotos valetudini reſtituit, quod dicit Lucas, deinde ſediſſe Doctoris in morem cùm præcepta exordiretur, ut Matthæus indicat. ¶ ὄχλος μαθητῶν αὐτοῦ, *& turba diſcipulorum ejus*] Noli ſolos Apoſtolos intelligere: nam μαθηταῖς [*diſcipulos*] modò dixit eos ex quibus delecti ſunt Apoſtoli. Diſtinguuntur tamen à cætero populo, qui non tam aſſiduè Chriſtum ſectabatur atque illi μαθηταί [*diſcipuli*]. In hoc numero μαθητῶν [*diſcipulorum*] ponendæ ſunt etiam feminæ quædam Galilææ, & illi apud Lucam LXX, plures que alii. ¶ τῆς παραλίου, *& maritimæ*] Syrus vertit ים נמב, id eſt, *portum maris*, quomodo Hebræi vocant oram maritimam: nam Deuteronomii I, 7. חף הים אצל כנעני eſt παραλίου γῆς Χαναάν [*juxta littus maris Terræ Chananæorum*]. Sic & Joſuæ IX, 1. Vocatur autem tota illa ora maritima in qua ſunt Tyrus & Sidon *Regio Tyri & Sidonis*, ut Matth. XV, 21. Marci III, 8. VII, 24.

18. οἱ ὀχλούμενοι] Non improbo illud Veteris Interpretis, *qui vexabantur*. Nam *vexandi* verbum multo eſſe vehementius quàm vulgus putat, docent Grammatici ad illud Maronis,

Dulichias vexaſſe rates.

19. παρ' αὐτοῦ ἐξήρχετο, *de illo exibat*] Significatur non adventitia fuiſſe efficacia, ſed Chriſto intrinſeca ἐκ τῆς θείας φύσεως [*ex Divina natura*]. Vide infrà VIII, 46. Matth. IX, 5.

21. οἱ πεινῶντες νῦν· *qui nunc eſuritis*] Id eſt, qui hîc famem ſitimque tolerant, non quavis de cauſa, ſed quia ſummo tenentur deſiderio Divinæ juſtitiæ in ſe atque aliis propagandæ. Ita optimè convenit Lucæ & Matthæo. Atque ita interpretatus eſt Clemens Alexandrinus, τοὺς πεινῶντας καὶ διψῶντας, inquit, διὰ τὴν δικαιοσύνην [*qui eſuriunt & ſitiunt propter juſtitiam*]. Vide exemplum in Paulo I Corinth. IV, 11. & II Corinth. XI, 27. ¶ Μακάριοι οἱ κλαίοντες νῦν· ὅτι γελάσετε. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis*] Populariter luctum *lacrymis*, gaudium *riſu* deſcribit. Nam apud Matthæum eſt πενθεῖν [*lugere*] & παρακαλεῖσθαι [*conſolari*]. Ita mox σκιρτᾶν [*exſultare*] pro *gaudere* ponitur; alibi ἀγαλλιᾶσθαι.

22. ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς, *cùm ſeparaverint vos*] Ἀφορίζειν [*ſeparare*] propriè reſpondet Hebræo הבדיל. Nam quod apud Hebræorum Magiſtros eſt נדוי idem eſt τὸ ἀφορίζειν in canonibus Chriſtianis. Johannes dixit ἀποσυνάγωγον ποιεῖν [*extra ſynagogam facere*], Joſephus ἐκβάλλειν ἐκ τύμπανου [*ejicere ex conventu*]. Mos hic ex Legis verbis ortum non habuit: nam ex ejus præſcripto minora delicta Sacrificiis expiabantur, majoribus Multa aut etiam Verbera indicebantur, maximorum criminum pœna Mors erat: Exilii nulla mentio. Sed cùm multa eſſent delicta in Lege non diſertè nominata, ſapientum interpretatio inter verbera & victimalem expiationem conſtituit τὸ ἀφορισμὸν [*Separationem*], præcipuè in eos qui moniti vitam non emendabant. Nam נדוי [*Separationem*] in uſu fuiſſe ſtante Solomonis Templo tradunt Hebræi. Major hujus inſtituti neceſſitas nata eſt ex quo populus in Babyloniam abductus cum libertate amiſit jus publicorum judiciorum. Ipſa enim naturalis ratio coegit ad eas coercitiones recurrere quæ ſine uſurpatione publicæ poteſtatis expediri poterant. Namque hoc & in Gallia Druides feciſſe legimus, ut *qui decretis non ſtarent*, eos *ſacrificiis interdicerent*. *Quibus ita interdictum erat* (inquit Cæſar) *ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur. Iis omnes decedunt, aditum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiatur.* His non diſſimiles erant Romæ olim qui *ſacri* & *inteſtabiles* dicebantur, & quibus ut vitâ indignis aquâ atque igni interdicebatur. Et in Græcia οἱ ἀγορᾶς καὶ λιμένων εἰργόμενοι [*qui foro & portubus arcebantur*] & οἱ ἀπαγορευόμενοι [*qui voce præconis publicè expellebantur*]. Eſt deſcriptio hujus ritus luculenta apud Sophoclem Oedipo Tyranno;

Τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τῶνδε γῆς ὅστις ἐφ' ἡμῖν
Τῆσδ' ἧς ἐγὼ κρατῶ τε κἀν θρόνοις νέμω,
Μήτ' εἰσδέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινα,
Μήτ' ἐν θεῶν δίκαισι μήτε θύμασιν
Κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν.
[*Veto ne quis iſta ſola colens quorum mihi*
Sedes data ſceptrumque, quem ſigno virum
Domo recipiat hoſpitem, aut paret alloqui.
Aut in deorum ſinat honore aut victimis
Habere partem, ſumere aut lavices ſinat].

Xenophon Hierone, πεποίηνται πολλοὶ νόμοι τῷ μιαιφόνῳ μὴ ξυνεῖναι τὴν ἀνόσιον καθαρσίοις [*fecerunt multi legem ne purus eſſet qui cum homicida conviveret*]. In epiſtola Philippi ad Athenienſes, εἰς τοῦτο ἐλήλυθεν ὁ δῆμος ὥστε μυσταγωγὸν εἶργειν αὐτούς [*Eo venit populus ut illos à myſteriis arcerent*]. Scholiaſtes Ariſtophanis, κατὰ τὸ ἔθος οἱ ἀνδροφόνοι μὴ μεταλαμβάνουσι τῶν θυσιῶν [*mos eſt ne homicida de victimis participent*]. Nicolaus Damaſcenus de Cercetis Indiæ populo, Τοὺς ἀδικήσαντας ὁτιοῦν τῶν ἱερῶν ἀπείργουσι [*Eos qui quovis modo injuriam fecere arcent à ſacris*]. Ad naturalem rationem acceſſerunt exempla quædam & argumenta per ratiocinationem ex Lege derivata. Nam Caino Deus cùm mortis pœnam parricidio commeritam indulſiſſet, latam quandam fugam inflixerat, ſed ita ut ipſum ſimul omnibus deteſtabilem haberi vellet. Cui ſimile quid vetus Græcia in homicidis obſervabat. Præterea cùm turpi ſcabie laborans ex Lege arceretur ab omni hominum commercio, ne ſcilicet morbus tranſitione aliis noceret, non iniqua erat collectio, ſi nihil poſſet gravius, hoc certè in homines facinoroſos conſtituendum, qui & exempli contagio læderent alios, & populum omnem communis probri labe adſpergerent, unde liberari populus non poterat niſi manifeſta quadam ſceleris deteſtatione. Quanquam autem ſingulorum quoque officium erat eos quos gravioris culpæ affines noſſent defugere ac declinare, quo pudorem eis injicerent, in famoſis tamen criminibus res ipſa exigebat communem aliquam notionem. Ea temporibus Babylonici exſilii fuit non penes Sacerdotes, neque penes Legis interpretes, ſed penes ἀρχιμαγειτάρχην [*principem captivorum*] & ei additos Seniores, quos, quanquam ſummo imperio exutos, Judæi omnes Magiſtratuum vice reverebantur, eorumque decretis parebant. Quoties verò Judæis ἀνομία [*uſus ſuarum legum*] & jus publicæ animadverſionis citra necis poteſtatem fuit conceſſum, acceſſerunt ad ἀφορισμὸν [*Separationem*] pœnæ aliæ: quo ipſo liquet ἀφορισμῷ [*Separandi*] jus fuiſſe partem imperii. Itaque Eſdræ temporibus coetu

indicto Hierosolyma qui se non stitisset huic poenæ obstringitur תורת, כתוב, יסוד ראש, id est, καὶ αὐτὸς ἀφορίζεται ἀπὸ τῆς συναγωγῆς τῆς ἀποικίας [*ipse abjicietur de cœtu transmigrationis*]. Lxx ita vertunt, καὶ αὐτὸς διασαλήσεται ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας τῆς αἰχμαλωσίας. Josephus, ἀπαλλοτριωθήσεται δὲ πλήθους [*alienus erit à populo*]. unde intelligimus συναγωγὴν [*synagogam*], unde ἀποσυνάγωγοι [*aposynagogi*] dicuntur, non significare τὸ διδασκαλεῖον [*locum in quo Lex docebatur*] sed *omnem populi conventum*. Nam כנסת modò συναγωγὴν [*synagogam*] modò ἐκκλησίαν [*ecclesiam*, id est, *conventum*] verti alibi diximus. Fecerat hoc decretum Esdras, quippe Ethnarcha à Rege constitutus, de consilio συναγωγῆς μεγάλης [*Synagoga magnæ* sive *Conventus magni*], id est, Synedrii & aliorum populi principum: ita enim legimus in decreto: כעצת השרים, Lxx ὡς ἂν ἡ βουλὴ τῶν ἀρχόντων καὶ τῶν πρεσβυτέρων [*juxta consilium principum & Seniorum*]. Hebræi Magistri dicunt factum hoc decretum à collegio Judicum superiore & inferiore, id est, Senatu populi & urbano. Ibidem relegatio à cœtu conjunctam habet ἀφορισμὸν τῆς οἰκίας, ut Josephus loquitur, ἀναθεματισμὸν & ὑπαράξεως, ut Lxx, id est, *bonorum confiscationem*. Simile est quod Nehemias dicit Sanballatæ generum à se expulsum, nimirum eadem potestate qua alios delictorum compertos maledicto, depilatione, verberibus castigarat. Redactâ à Romanis in provinciæ modum Judæâ, status ferme idem fuit qui Esdræ & Nehemiæ temporibus. Nam ademtâ aut accisâ interficiendi potestate, cætera publicorum judiciorum Judæis relinquebantur. Quare quod ait Johann. IX, 22. συνέθεντο οἱ Ἰουδαῖοι ἵνα ἐάν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ Χριστὸν, ἀποσυνάγωγος γένηται [*constituerant Judæi ut siquis eum Christum esse confiteretur, extra Synagogam fieret*], omnino intelligendum de decreto aut Synedrii aut etiam συναγωγῆς μεγάλης [*Synagoga magnæ*]. de quo cœtu alibi diximus. Neque aliò pertinet quod apud eundem est Johannem, διὰ τοὺς Φαρισαίους οὐχ ὡμολόγουν, ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται [*propter Pharisæos non confitebantur ut de Synagoga non ejicerentur*], XII, 42. Quanquam enim Sadducæi sæpe ad summos honores perveniebant Romanorum gratiâ, utpote minùs suspecti rerum novarum, dubitandum tamen non est quin pars major Synedrii ex Pharisæis fuerit. Nam & Johannes VII, 45. Synedrium circumloquitur nomine ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων [*Pontificum & Pharisæorum*]. Ita Nicodemus & Gamaliel erant Φαρισαῖοι [*Pharisæi*] & σύνεδροι [*Senatores Synedrii*]. Quin & plerique γραμματεῖς [*Scribæ*] ejus erant sectæ, Actor. XXIII, 9. Sed & sectæ aliæ quæ se reipublicæ non miscebant, quales præcipuè erant Esseni, è quibus collecta est magna multitudo Christianorum (unde eosdem esse Naziræos & Essenos dixerunt Hebræi quidam), ad tuenda instituta sua necessariò ἀφορισμὸν [*Separationem*] usurpabant. Erant quidem inter ipsos in usu pœnæ etiam aliæ, ut longæ ξηροφαγίαι [*victus aridus* longo tempore], jejunia, atque alia id genus, quæ nunc etiam Judæi inter se exercent: sed cùm neque cœtus ipsorum neque ejus cœtus Præsides haberent τὸ ἀναγκαστικὸν [*vim coactivam*], extremum quò deveniri poterat adversus contumaces erat à cœtu relegatio, ut Josephus nos docet. Secuti sunt morem eundem Pythagorei: nam qui non servabat ejus instituti regulas cœtu arcebatur, eumque omnes pro mortuo habebant, ita ut & κενοτάφιον [*imaginarium sepulchrum*] ei structerent. Cæterùm notandum est ἀφορισμῶ [*Separationis*] plures fuisse species: Prima species est nudus ἀφορισμὸς [*Separatio nuda*], generis obtinens nomen נדוי. Qui hac nota insusti erant stante Templo accedebant ad Templum, ut ex Hebræis vir doctus notavit: sed haud dubiè constitebant extra τὸ φραγμὸν qui [*septum* quod] distinguebat ἀπεριτμήτους [*incircumcisos*] ab Israëlitis. Nam οἱ ἀφορισμοὶ [*separati*] interim ἀπεριτμήτων [*incircumciforum*] loco habebantur. Christiani veteres (qui ut sæpe notavimus omnia proba Judæorum instituta libenter sequebantur) hos vocabant τοὺς ἐν ἀρχῇ κλαίοντας [*eos qui erant in primo fletu*], qui non cum cæteris orabant, sed fidelibus legationes deprecationis injungebant, ut Tertullianus loquitur, squallidi interim & mœrentes: quod & nunc Judæi observant. Eosdem vocabant χειμαζομένους [*tempestate infestatos*], quod velut extra Ecclesiæ portum in Mundi alto jactarentur. Sed post decursum tempus aliquod tam mœsti reatus, propius admittebantur: cujus admissionis Christiani alii pauciores, alii plures gradus fecere: de quibus aliàs erit agendi locus. Altera ἀφορισμῶ [*separationis*] species erat חרם [*exsecratio*] ἀνάθεμα Græcis, qua is qui deliquerat diris quibusdam, ut Deo ultori sacer devovebatur. Videntur hoc maximè usurpasse Judæi adversùs eos qui à tota Legis professione deficiebant, quos ipsi vocant מומר, nos ἀποστάτας [*desertores*], quibus pares censent eos qui post admonitionem Deum contumeliosè nominant. Horum non modò familiare commercium vitabant, sed nec dignos arbitrabantur quos leviter salutarent. Describit hoc Johannes in Epistola, μὴ λαμβάνετε τις οἰκίαν, καὶ Χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε· ὁ γὰρ λέγων αὐτῷ Χαίρειν κοινωνεῖ ταῖς ἔργοις αὐτοῦ τοῖς πονηροῖς [*nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit illi Ave communicat operibus ejus malignis*]. Sed ipsa ἀναθεματισμῶ [*anathematis*] formula à Paulo adversùs Alexandrum doctrinæ adulteratorem, pronuntiatur: ἀποδώη αὐτῷ ὁ Κύριος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ [*reddat illi Dominus secundùm opera ejus*], II Timoth. IV, 14. Hoc loco Judæis erant Samaritæ quos multò pejore loco quàm ἔθνους [*gentiles* sive *incircumcisos*] habebant. Nam pro Gentibus, si id postularent, sacrificia fiebant in Templo, ut nos docent Josephus & Philo, & satis colligitur ex verbis Solomonis I Reg. VIII, 41. at pro defectore non item. Sic & in Ecclesia Christianorum pro lapsis pœnitentiam agentibus fideles preces suas interponebant, non item pro desertoribus Christianismi, quibus per prima illa secula æquabantur hi qui aut peccandi consuetudinem traxerant, aut in tam gravibus delictis deprehensi erant quæ credibile non erat cadere potuisse in animum pietatis aliquid retinentem, qualia erant ex deliberato idololatria, homicidium, adulterium. Clemens Alexandrinus Strom. VII. οὐκ ἐπὶ τῇ τοιᾷδε τῶν ἀνθρώπων βλάβῃ τὴν τοιᾶδε συγχωρητέον δέησιν ποτε· πλὴν εἰ μὴ τινὰ ἐπιστρέψειε τῇ & θαυμασίως τεχνάζοντι τοῖς δι' ἀπωλειῶν ὁ γνησιώτατος οἰκονομία & πάντων [*talis prece non utendum in damnum cujusquam, nisi fortè vir sapiens extra ordinem eam adhibeat ut eos qui dedoluerunt ad justitiam revocet*]. Vide ut adversùs desertores & alios factis pietatem abnegantes severa Dei judicia invocaverint, si forte ea ratione ad resipiscentiam perducerentur. Ideo addit Paulus ἵνα παιδευθῶσι [*ut discant*] de Hymenæo & Alexandro loquens I Timoth. I, 20. Simile est illud in Psalmo, *Imple vultum eorum ignominiâ, ut quærant nomen tuum Domine* LXXXII, 17. Tales erant quos Apostoli Satanæ tradebant ad temporalem vexationem. Quod si qui in tale exitium lapsi multos eódem traherent, in eos exercebatur non illud commune ἀνάθεμα [*anathema*]. sed gravius atque atrocius. Id Hebræi vocant בא אלהים *Deus venit*: nam אלהים, id est, *nomen* pro *Deo* dicunt. Paulus dicit ἀνάθεμα Μαρανάθα אלהים בא [*anathema Maranatha sive Dominus venit*] eodem significatu. Nam מרן est *Dominus*. Ea voce oratur Deus ut quàm primùm talem maleficum & seductorem coerceat, vel alio modo, vel etiam eum tollendo ex hominum numero. Apparet ex his quæ diximus in disciplinæ custodia secutos Christianos exemplum Judæorum, sed Essenorum præsertim, ut qui essent merè privati, sine ullo imperio, quemadmodum & Christiani. Inter vetera Essenorum instituta & hoc erat, si qui nondum impleto indictæ pœnitentiæ spatio ad mortis periculum ægrotarent eos ad communionem reciperent: quod εἰς τὸ ἔσχατον πνεῦμα ἀναλαμβάνειν [*in ultimo spiritu recipere*] vocat Josephus. Faciebant autem hoc ait ἐπειδὴ ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν αὐτῶν τιμὴ μέχρι θανάτου βάσανοι ἠγήμενοι [*sufficere arbitrati tolerates ad mortem usque dolores*]. Idem à Christianis antiquitus observatum constat idoneis testibus, Patribus Synodi Nicænsis quos veterum Ecclesiæ morum nihil latere poterat, οἷδε γὰρ τῶν ἐξεδόντων, inquiunt, ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε εἴτις ἐξοδεύοι τὸ τελευταῖον καὶ ἀναγκαιότατον ἐφόδιον μὴ διοικεῖσθαι [*de iis verò qui in fine sunt vitæ vetus canonum lex etiam nunc observatur, ut ubi quis moriturus est non fraudetur ultimo ac maximè necessario viatico*]. Rursus, sicut apud Essenos judicium tantæ rei non erat penes paucos, sed penes cœtum in quem convenirent homines non minùs centum, ut Josephus docet, ita & apud Christianos veteres præsidente quidem Episcopo & Senioribus, sed conscia ac consentiente fratrum multitudine morum judicia exercebantur, I Corinth. V, 4. συναχθέντων ὑμῶν [*congregatis nobis*] II Corinth. II, 6. ἐπιτιμία ἡ ὑπὸ πλειόνων [*objurgatio qua fit à pluribus*]. Sic Eusebius memorat antiquitus ἐξέτασιν [*inquisitionem in mores*] fieri solitam πλήθους παρόντος [*præsente multitudine*]. Tertullianus Apologetico cùm de cœtu & congregatione locutus esset subjungit, *Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina: nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliqueris ut à communicatione orationis & conventus & omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quique seniores.* Non poterat illustrior adferri descriptio ἀφορισμοῦ [*separationis*]. Adde illud in libro Ad uxorem: *Fideles Gentilium matrimonia subeuntes stupri reos esse constat, & arcendos ab omni communicatione fraternitatis, ex literis*

Apostoli

Apoſtoli dicentis, Cum ejuſmodi nec cibum ſumendum. Libro de Monogamia dixit *à communicatione depellere:* libro de Pudicitia, *Libidinum furias impias & in corpora & in ſexus ultra jura naturæ, non modò limine veriùm omni Eccleſia tecto ſubmovemus.* At ἀφορισμὸς ἐπ' ἀναθέματι, [*ſeparatio cum anathemate*], quam & ἀποπύξωσιν τελείαν [*plenam ejectionem*] Græci vocant, idem Scriptor vocat *in perpetuum diſcidium relegare*; quod uſurpatum ait adversùs ſemel atque iterum ejectos. Locus eſt libro Adversùs hæreticos. Origenes ἀποκλείειν τῆ κοινῆ [*à cœtu ejicere*], & ἀποκωλύειν ἡμᾶς ἐπὶ τὸ κοινὸν σύναγωγον [*vetare ad communem conventum accedere*]. Cyprianus ἀφορίζειν modò dicit *abſtinere*, modò aliis vocibus circumloquitur, ut *à Communicatione arcere, cohibere, prohibere; de Eccleſia ejicere, excludere, depellere.* Cujus quidem viri ſanctiſſimi epiſtolas ſi quis legat, facilè cognoſcet totum ferme Chriſtianæ diſciplinæ vigorem in iſtis judiciis conſtitiſſe: neque verò eos tantùm qui contumaciter monita reſpuebant in perpetuum, id eſt, ſine præfinitione temporis, à commercio piorum relegatos, ſed ad tempus etiam eos qui ſpem præberent pœnitentiæ. Quem morem qui ex Eccleſia ſublatum volunt graviſſimum intligunt vulnus diſciplinæ, quam corruptis adeò Chriſtianorum moribus ad veterem ſeveritatem reduci maximum ſit operæ pretium: tantum abeſt ut ulla ejus pars reliqua luxari debeat. Neque ad eam rem peculiare præceptum deſideratur; cùm Eccleſiæ cœtu à Chriſto ſemel conſtituto omnia illa imperata cenſeri debeant ſine quibus ejus cœtûs puritas retineri non poteſt. Sunt alii qui abſtentionem probent, ἀνάθεμα [*anathema*] non probent. Atqui diſcrimen eſſe debet audientium monita & refractariorum. Jam verò diximus nihil aliud eſſe ἀνάθεμα [*anathema*] quàm *ſine præfinitione temporis ejectionem*, quæ tamen pœnitentiâ ductis reditum non ſemper præcludit. Certè quanquam vetus Eccleſia, cùm vigerent διακρίσεις πνευμάτων [*ſpirituum diſcretiones*], certiùs de animis hominum judicare potuit, ſunt tamen quædam delicta tam atrocia, ut, ſi contumacia accedat, nemo non videat eſſe ἁμαρτίας εἰς θάνατον [*peccata ad mortem*]: pro talibus, dum tales manent, Eccleſia non intercedit precum ſuffragio; quod ſolis pœnitentibus patet; generaliter tamen his, ut & infidelibus, mentem optat meliorem. Chryſoſtomus ubi ἀνάθεμα [*anathema*] pronuntiandum ait *adversùs facta, non adversùs homines*, intelligit deſtrictum illud ἀνάθεμα quo Deus rogatur ut aliquem coerceat, vel aliter vel etiam tollendo eum è medio. Hujus ſanè rarior eſt uſus; non tamen nullus. Nam in Julianum, cùm defectioni adderet machinationes evertendi Chriſtianiſmi, uſa eſt Eccleſia iſto extremæ neceſſitatis telo, & à Deo eſt exaudita. Reperti ſunt & qui judicia iſta Eccleſiæ putarent inhibenda, quoties Chriſtianas Poteſtates Deus concederet ſeculo: quam in rem utuntur exemplo Judæorum, apud quos Synedrium habebat jus illud pronuntiandi ἀποσυνάγωγους [*alienos à ſynagoga*, id eſt, *cœtu*]. Quibus ego illud facilè largiar, piorum Regum nonnullam eſſe etiam ad res iſtas auctoritatem. Nam & Johannes Romæ Epiſcopus Juſtinianum Imperatorem rogat pro Neſtorianis atque aliis, ut ſi proprio depoſito errore & prava intentione depulſa ad unitatem Eccleſiæ reverti voluerint, in ſuam eos communionem recipiat; & apud Ivonem Carnutenſem legitur capitulum vetus, ex quo conſtat ad communionem Eccleſiæ admitti ſolitos quos poſt delictum aliquod Rex menſæ ſuæ adhibuiſſet. Sed hæc non eò valent ut libertas judicandi tollatur Eccleſiæ: neque procedit petitum à Judæis argumentum. Nam apud eos lex tota ex qua judicabatur erat accommodata populo carnali, ita ut cives omnes æqualiter obſtringeret: ac proinde idem erant respublica & ἐκκλησία. At Chriſti leges multò plus exigunt quàm in commune civibus imperii alicujus præſcribi ſolet, aut etiam poteſt: ſemper enim magna pars hominum φρονεῖ τὰ τῆς σαρκός [*ſapit ea quæ ſunt carnis*]. Quare Civiles quidem leges ſuo funguntur officio ſi graviora & ſocietati maximè nocentia delicta coerceant: At quæ contra dilectionis, contra manſuetudinis, contra patientiæ leges peccantur extra communes leges ſunt poſita; non etiam extra eas leges quas ſe ſectantibus Chriſtus præſcribit, & ſecundùm quas judicare debet ille ſelectus ex mundo cœtus. Quare rectè Conſtantinus & eum ſecuti Imperatores reliquerunt Eccleſiæ ſua judicia, atque ea inſuper ſuis legibus munierunt; ut videre eſt in Actis Synodorum & legibus in Codicem relatis. Et hos quidem qui iniquiores ſunt adversùs Eccleſiæ diſciplinam monitos hactenus volui. Superest ut qui eandem exercent meminerint quantum ſit ipſis onus impoſitum. Scitum eſt veterum Judæorum cujus Maimonides meminit, *Si quis innocentem à Communione arcuerit, ipſum excidere jure Communionis.* Sicut & in Clementis Conſtitutionibus legimus, Ἡ κατάρα ἐπιστρέψει ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῶν ἀδίκως αὐτὴν ἐκπεμψάντων [*Dira revident in caput injuſtè eas emittentium*]. quam æquitatem ſecutus Cyprianus ex more illorum ſanctiſſimorum temporum de Feliciſſimo ita pronuntiat, *Accipiat ſententiam quam prior dixit.* Solent autem injuſta atque immitia judicia exerceri non tam in morum examine (nam hîc nimiùm pleraque indulget cenſura, tantum abeſt ut æquo ſit rigidior) quam circa quæſtiones dogmatum rituumque. Quod Apoſtolis accidit & terrere temerarios debet, & pios ſolari. Prædixit illis Chriſtus fore ut ἀποσυνάγωγοι pronuntiarentur [*à ſynagoga* ſive *cœtu alieni* haberentur] Johann. XVI. 2. quod hîc dixit ἀφορίσουσιν ὑμᾶς [*ſeparabunt vos*]. Neque intra primum ἀφορισμῶ [*Separationis*] gradum ſterit impotens odium, ut cum ἀποσυνάγωγοι [*à cœtu alieni*] judicati ſunt qui Jeſum eſſe Meſſiam faterentur, Johann. IX. 22. XII, 42. ſed cùm poſt Jeſu reſurrectionem ejus dogma magnis auctibus invaleſceret, & libertas rituum paulatim clarius doceretur, acceſſit ἀνάθεμα [*anathema*]. cujus meminit Juſtinus Adversùs Tryphonem: ait enim quoſdam Judæos ſolitos ἐν ταῖς συναγωγαῖς καταναθεματίζειν τοὺς ἐπὶ τὸν Χριστὸν πιστεύοντας [*in ſynagogis anathema dicere iis qui in Chriſtum crederent*]. Et alio quodam loco ait τοὺς ἀρχισυναγώγους μετὰ τινὰ εὐχὴν [*Archiſynagogos poſt peractas preces*] ſolitos Chriſtum ὑβριστικῶς [*convitiis inſequi*]. rurſum alibi Judæos ita alloquitur, Καὶ νῦν τοὺς ἐλπίζοντας ἐπ' αὐτὸν (τὸν Χριστὸν) καὶ τὸν πέμψαντα αὐτὸν παντοκράτορα καὶ ποιητὴν τῶν ὅλων Θεὸν ἀθετεῖτε καὶ ὅτον ἐφ' ὑμῖν ἀτιμάζετε, καταρώμενοι ἐν ταῖς συναγωγαῖς ὑμῶν τοὺς πιστεύοντας ἐπὶ τὸν Χριστόν [*Et nunc eos qui in ipſum (Chriſtum) ſperant, ſimulque in eum qui Chriſtum miſit omnipotentem & omnium opificem Deum, rejicitis & quantâ maximè poteſtis ignominiâ afficitis, etiam diris devoventes in ſynagogis veſtris eos qui in Chriſtum credunt*]. Hæc vera eſſe norunt etiam qui nunc Thalmudicos libros aut etiam Ritualia Judæorum perlegunt. Paſſim enim diris ibi devoventur Chriſtiani. Ipſe apud Juſtinum Tryphon Judaïs præceptum ait à Doctoribus μηδενὶ τῶν Χριστιανῶν ἡμῶν μηδὲν κοινωνῆσαι τῶν λόγων [*ne cum Chriſtianorum ullo converſarentur, aut ſermonem ſociarent*]. Epiphanius idem de ſua ætate teſtatur: Verba ſunt, Ἀνεκαθεν ἔνιοι (οἱ Ἰουδαῖοι) καὶ μίσει ἡμῶν καὶ ἀεὶ τῷ ἐπιόντι ἐν ταῖς αὐτῶν συναγωγαῖς, ἐπαρῶνται αὐτοῖς καὶ ἀναθεματίζουσι, φάσκοντες, ὅτι ἐκκαθάραισε ὁ Θεὸς τὸν Ναζωραίων [*Intra Synagogas exſurgentes Judæi tam medio die quam circa veſperam diras illis imprecantur & anathemati eos devovent dicentes: O Deus diris defige Nazaræos*] quod ille tanquam de una Chriſtianorum ſecta dictum interpretatur, cùm revera ad omnes Chriſtianos pertineret, quos Judæi appellabant atque etiamnunc appellant Ναζωραίους [*Nazaræos*]. ¶ καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν, & *ejecerint nomen veſtrum tanquam malum*] ἐκβάλλειν [*ejicere*] non eſt hîc ex albo aut diptychis expungere; id enim verbo ἀφορίζεσθαι [*ſeparare*] ſatis erat comprehenſum; ſed ſicut ὀνειδίζειν [*probris affiſere*] eſt *præſentes convitiis proſcindere*, ita ἐκβάλλειν τὸ ὄνομα ὡς πονηρὸν [*ejicere nomen tanquam malum*], *abſentium nomen, ut improborum hominum, differre rumoribus.* Eſt enim Hebraiſmus יצא שם רע Deut. XXII, 19. ἐξέβαλε, [*ejecit,*] aut, ut LXX vertunt, ἐξήνεγκεν ὄνομα πονηρόν. [*eduxit nomen malum*]. Contigit hoc Apoſtolis tunc præcipuè cùm à Synedrio legatio ad omnes per orbem Judæos miſſa eſt ad infamandum dogma Chriſtianum: quam rem ex Juſtino alibi memoravimus.

23. σκιρτήσατε· *exſultate*] ὑπερ.

24. τοῖς πλουσίοις· *divitibus*] *Qui divites eſtis & communi divitum more vivitis.* ¶ ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν. *habetis conſolationem veſtram*] Sic infrà XVI, 25. Τέκνον, μνήσθητι ὅτι ἀπέλαβες σὺ τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου. [*Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua*].

25. οἱ ἐμπεπλησμένοι· *qui ſaturati eſtis*] Qualis ille qui ſepulchro inſcribi curaverat,

Τόσσ' ἔχω ὅσσ' ἔπιον ἠδ' ἐφάγον.

¶ πεινάσετε. *quia eſurietis*] Vide narratiunculam de epulone dicto capite XVI. Eſaias LXV, 13. *Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis; ſervi mei bibent, & vos ſitietis.* Sicut felicitas vitæ æterius convivio depingitur; ita ſtatus oppoſitus fame & ſiti. ¶ οἱ γελῶντες νῦν· *qui ridetis nunc*] Id eſt, qui omnes gaudendi occaſiones in hac vita captatis.

26. ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι πάντες οἱ ἄνθρωποι· *quum bene dixerint vobis homines*]. Phocion cùm in dicendo multitudini placuiſſet, ecquid peccaſſet amicos interrogabat. Nimirum,

Obsequium amicos, veritas odium parit.

¶ τοῖς ψευδοπροφήταις, *pseudoprophetis*] Quippe qui dogmata sua & vaticinia accommodant procerum & populi cupiditatibus.

27. τοῖς ἀκούουσι· *qui auditis*] Qui obedienti proposito me auditis.

30. ἀπὸ δὲ αἴροντος τὰ σὰ, μὴ ἀπαίτει *Et qui aufert quæ tua sunt ne repetas*] αἴρειν est hic *non vi extorquere*, sed *pro suo uti*. Sic & infra XIX, 21. αἴρεις ἃ οὐκ ἔθηκας [*tollis, quod non posuisti*]. Sensus est: *Si quis quod tuum est aut tibi debetur pro suo usurpet, noli rigide adversus eum jus tuum cum detrimento mutuæ dilectionis urgere.*

32. ποία ὑμῖν χάρις ἐστι; *Qua vobis est gratia?*] Ita Plautus, *est gratia*, id est, *gratia tibi debetur*. Omnino enim dativus hic videtur exigere ut χάριν [*gratiam*] intelligamus non beneficium, sed beneficii repensationem. Quam, inquit, ex tali facto à Deo poteritis gratiam exspectare? Sic χάριν ἔχειν est *gratias agere*, infrà XVII. 9. Aliter hic gloria cœlestis χάρις [*gratia*] dicitur, aliter apud Paulum aliquot locis. Apud Paulum quia liberaliter promissa, cùm ex jure Dominus nihil nobis deberet, imò nos ipsi multis nominibus essemus debitores: hic verò quia respectum habet ad bene facta: quomodo & merces dicitur hoc loco apud Matthæum: sed gratia ad benevolum dantis affectum: merces ob promissionem.

34. παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν, *à quibus speratis recipere*] Omnino hoc pertinet ad illud beneficii genus quod ἐρανισμὸν [*Collationem*] Græci vocant, de quo præclara annotavit doctissimus Casaubonus ad Theophrastum. Si quis naufragio, incendio, aut alio casu tristiore multum rei amisisset, solebant amici pecunias ei contribuere, non ad certum diem solvendas, sed ubi commodum esset. Id verò præstare vix solebant nisi his quos spes esset ex adversa fortuna in meliorem emersuros: ita ut aliquando possent non pecuniam tantum, sed & *beneficii vicem rependere*, quod vocabatur ἀντερανίζειν. Lucas ἐρανίζειν [*Symbolam conferre*] communiore vocabulo δανείζειν [*mutuo dare*] vocat? & ἀπολαμβάνειν, *recipere beneficium:* ut mox ἀπολαμβάνειν τὰ ἴσα: sicut Latini dicunt paria facere, *par pari referre.*

35. μηδὲν ἀπελπίζοντες· *nihil inde sperantes*] Legit omnino Syrus μηδὲν ἀπελπίζοντες [*neminem spe frustrantes,*] & ἀπελπίζειν [*desperare*] sumit activè ut ἀποκομπάζειν [*jubere memoriter respondere*]. Atque alia quæ ad formam Hiphil fingunt Hellenistæ: Sed & Græci interdum ἀπελπίζειν [*desperare*] ita usurpant. Sensum igitur esse existimavit: *omnibus petentibus date mutuum neminem frustrantes spe ea, quam de vestra beneficentia concepit.* At Græci scriptores & Latinus interpres vetus legunt μηδὲν [*non*] & ἀπελπίζειν interpretantur ἀπὸ τοῦ πράγματός τι ἐλπίζειν. [*ex eâ re aliquid sperare*]. qui sensus optime huic loco congruit: vult enim contrarium fieri ejus quod supra dixerat. Homines non Christiani solent δανείζειν ἐλπίζοντες ἀπολαβεῖν. [*mutuum dare his, à quibus sperant recipere.*] Suis præcipit Christus δανείζειν μηδὲν ἀπελπίζοντες, id est, μηδὲν ἐλπίζοντες ἀπολαβεῖν, *nullam exspectantes vicem beneficii.* Non longè hinc abit Plutarchi illud, τοῖς ἀπόροις μὴ δανείζουν, ἀλλὰ βουλομένοις ἀποχρῆν ἵνα ἑαυτοῖς κτᾶσθαι· καὶ μᾶλλον δίδουσι τοῦ βεβαιωτὴν ἄξιον, ὃν ἔχει πίστιν, δίον ἔχοντα μὴ δανείζεσθαι. [*Egeno pecuniam nemo credit, sed is qui sibi copiam aliquam parare volunt; testemque & sponsorem habent, esse se quibus tuto mutuum committatur, cùm debuerit cui res est, mutuum nihil sumere*]. At verò, ut ait Lactantius, *id juste, id pie, id humane fit quod sine spe recipiendi feceris.* Non arbitror propriè huc pertinere quæstionem fœnebrem, quæ tamen in hunc locum à plerisque veterum tractari solet. Quâ de causâ, & quia per consequentiam censeri hic debet vetita avaritia fœneratorum, non alienum erit pauca eâ de re disserere. Potest autem quadruplex esse quæstio, de jure naturali, de lege Mosis, de Lege Christi, de moribus veterum Christianorum quod jus Canonicum dici solet. Sed hac de re acturus illud primùm præfabor, probare me eorum pietatem qui totum hoc lucrandi genus sublatum vellent è rebus humanis, quando multa inde mala nasci manifestissimum est, quæ facundè enarrat in istius argumenti libro Plutarchus. Sed rursum video fieri plerumque ut nimius rigor occasionem det effrœni licentiæ. Nam cùm vident homines non satis firmis rationibus probari id quod nimium tenditur, in contrarium lapsi sine fine modoque sibi indulgent. Quare nihil est tutius quam præcepta adstringere aut rectæ rationis aut divinorum oraculorum finibus. Ita fiet ut nec vetita condonentur, & quæ vetita non sunt, si opus est, dissuadeantur potius quam vetentur. Ut à jure naturæ incipiam: multi ut probent illicitum esse omnem quæstum ex usu pecuniæ aut rei similis alteri concesso, dicunt pecuniam naturâ suâ esse sterilem. Sed in hoc argumento manifestus est παραλογισμὸς [*paralogismus*]. Dicitur enim pecunia sterilis naturâ, non quod jus naturæ id præcipiat, sed quod hominum industria non ipsa natura tali fructui originem dederit: quomodo & domus naturâ est sterilis, cùjus tamen pensiones inique à domino percipi nemo dixerit. Alii illud urgent, mutuo transferri dominium: fructum autem rei penes dominum esse debere. Sed ista quoque subtilitas vocum ad æquitatem naturalem nihil facit. Nam in rebus quæ genere recipiunt functionem, ut pecunia, frumentum, vinum, jus illud ad recipiendum idem genere est vice dominii. Fatentur autem omnes plus eum recipere qui statim aliquid recipit, quàm qui multò post tempore, ob utilitates eas quas secum fert ἡ φυσικὴ κατοχὴ [*naturalis possessio*], quod non minùs in mutuo quam in re commodata procedit, si rei momenta non verborum apices sectamur. Hoc ipsum autem quod in temporis morâ situm est, haud dubie æstimari ac proinde in stipulationem deduci potest. Nam si cui dem mutua centum, & paciscar ut alio tempore mihi det itidem centum mutua, quæ est vera ἀντιλλαγὴ [*permutatio*], quomodo iniqua probabitur magis esse hæc pactio quàm si bovem vicino ad opus ruris commodem, eâ lege ut idem aliquanto post mihi tantumdem præstet? Jam verò illa iterum mutuum dandi obligatio, ut res omnes, communi mensurâ, id est, pecuniâ æstimari potest. Dictat natura non teneri quenquam prodesse alteri cum detrimento suo. At is qui pecuniâ ad tempus caret in gratiam alterius, poterat eam in agros aut domos impendere ac medii temporis percipere fructus; quos si quis dicat incertos, illud ipsum tamen incertum, ut omnis alea, suum habet pretium, ita ut vendi quoque soleat. Rursum si locupletior censetur cui sine proprietate legatus est pecuniæ ususfructus, apparet hunc ipsum usum aliquid esse quod æstimationem recipiat: atque idem proinde de annuo usu dicendum est. Video à plerisque eorum qui usurarum stipulationes damnant, usuras ex mora non improbari; ac proinde concedi, ut, ni præfinito die mutuum reddatur, usuram stipuler. Licebit ergo, si ea sententia recipitur, ita paciscì, ni intra triduum reddas, solves tantum pro mora, quod si tridui illius omissa sit mentio pactio erit illicita. Hæc subtilitas in Scholis habet verborum effugia quibus se tueatur, negotiis aptari ægre potest. Quare ita habendum videtur, posse non repugnante natura eum qui pecuniæ usu in gratiam alterius careat, vicissim aliquid eo nomine paciscì. Ut autem sciatur quantum recipi æquitas permittat, non est spectandum, ut quidam censent, quantum lucri faciat qui pecuniam sumsit, sed quantum ei absit qui alteri pecuniam numeravit: sicut in emtione quoque & in aliis contractibus nunquam æstimatio facienda est ex eo quod interfit accipientis, sed ex eo quod absit danti. Abest autem tantum quantum quisque pro vitæ suæ genere ex pecunia compendi facere potest ac solet; puta ex agris, ex domibus, ex mercatura, detracta æstimatione periculi, quod in aliis rebus majus in aliis minus est, ita ut fieri inter mercatores solet in contractu aversi periculi quem *assecurationis* vocant. Venio ad jus illud quod Deus Hebræo populo dedit. Lex Deut. ita concepta est XXIII, 19. *Non fœnerabis fratri tuo in usuram pecuniæ, in usuram cibi, in usuram rei illius fœnerabilis. Alienigenæ fœnerabis: fratri autem tuo non fœnerabis.* Hic qui omnem usuram Juri naturali contrariam putant, quod de extraneo fœnerando dicitur permissionem esse volunt facti, non juris: quod neque verba admittunt, neque unquam ita intellectum est ab eo populo cui lex ferebatur. Testes adducam Josephum & Philonem, quibus consentiunt Rabbini omnes. Josephi hæc sunt verba Originum IV. Δανείζειν δὲ Ἑβραίων ἐπὶ τόκοις ἐξέστω μηδενὶ, μηδὲ βρωτὸν, μήτε ποτόν· οὐ γὰρ δίκαιον πλεονεκτεῖσθαι τοὺς ὁμοφύλους τοὺς τύχῃς, ἀλλὰ βοηθήσαντα τῇ χρείᾳ αὐτῶν, κέρδος οὐκ ὄντα νομίζειν τὸν τ' ἐπίτοκον ἰσχαρίσιον ἢ τὸν ἀμοιβὴν τὸν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ γεννησόμενον ἐπὶ χρηστότητι. [*Ne liceat fœnari dare Hebræo alicui, ne esculenta quidem aut potulenta; neque enim æquum est lucrari ex mala popularium fortuna: sed ipsius necessitatibus succurrendo pro lucro habere & ipsorum gratiam, & repensationem pro bono facto à Deo venturam.* Philo libro περὶ φιλανθρωπίας [*de humanitate*] ita legem hanc explicat, Ἀπαγορεύει τοίνυν ἀδελφῷ δανείζειν, ἀδελφὸν ὀνομάζων οὐ μόνον τὸν ἐκ τῶν αὐτῶν φύντα γονέων, ἀλλὰ καὶ ὃς ἂν οἰκεῖος ἢ ὁμόφυλος ᾖ [*vetat igitur fratri dare fœneri, fratrem vocans non eum tantum qui ex iisdem sit parentibus, sed omnem civem ac popularem*]. Et mox, Εἰ δή τις μὴ βούλοιτο δωρεᾷ, κιχρᾶναι γοῦν ἑτοιμότατα καὶ προθυμότατα, μηδὲν ἔξω

τῶν

τ ἀρχαίων ἀπαλληλομένης· ὅτου γὰρ ἅπαξ οἱ πάντες ἔμελλον ἀποροῦντατοι γίνεσθαι, πλείονα ὧν ἔλαβον εἰσφέρειν ἀναγκαζόμενοι, ὅτε οἱ συμβαλόντες ἀδικεῖσθαι, χρηστότητα, μεγαλόνοιαν, εὐφημίαν, εὔκλειαν, ἂν κτῆσις ἰφάμιλλος· [*Quod ſi nolit dare, mutuum det igitur promto benevoloque animo nihil ſupra ſortem receperus: ita futurum eſt ut nec qui in tenui ſunt re, plane ad inopiam detrudantur, coacti plus reddere quam acceperunt: nec qui profuere alios ea amittant, quorum poſſeſſio æſtimari nequit, bonitatem, magnanimitatem, bonum nomen ac gloriam*]. Quem Philonis locum ita in ſuos uſus transtulit ut ſimul interpretetur Clemens Alexandrinus Stromateôn II, ubi ita loquitur, Ὁ νόμος ἀπαγορεύει ἀδελφῷ δανείζειν, ἀδελφὸν ἀναμένων οὐ μόνον τὸν ἐκ τῶν αὐτῶν φύσει γονέων, ἀλλὰ καὶ ὃς ἂν ὁμόφυλος ἢ ὁμογνώμων τε καὶ ὁμοῦ κοινωνικὸς· οὐ δικαίων ἐκλέγων τόκους ἐπὶ χρήμασιν, ἀλλ' ἀνεμφάτως χεροὶ καὶ γνώμαις χαρίζεσθαι τοῖς δεομένοις· Θεὸς γὰρ ὁ κλῆσις τοιάνδε χάριτος. ἤδη γὰρ ὁ μεταδοτικὸς καὶ τοῦτο ἀξιολόγως ἀπολαμβάνει τὰ τιμιώτατα τῶν ἐν ἀνθρώποις ἡμερότητα, χρηστότητα, μεγαλόνοιαν, εὐφημίαν, εὔκλειαν [*Lex vetat fratri dare fœnori, fratrem vocans non eum tantùm qui ex iisdem natus ſit parentibus, ſed & qui popularis ſit, qui paria ſentiat, ejuſdemque verbi ſit particeps: non æquum judicans ut ex pecunia lucrum fiat, ſed ut laxa manu & animo bene fiat opus habentibus: Deus enim talis beneficentiæ auctor. Adde quod qui liberalis eſt eo magnas recipit & dignas facto ſuo uſuras, ſuavitatem, bonitatem, bonum nomen, gloriam, quæ ſunt inter homines pretii maximi*]. Satis hinc, ni fallor, apparet legem illam Deuteronomii intellectam de officio civium erga cives: quod & Levitici verba indicant: nam & ibi fœnus vetatur hac addita ratione, *ut tecum vivat frater tuus*, XXV. 36. Quare & cùm in Pſalmis & apud Ezechielem laudatur qui ab exercendo fœnore abſtinuit, id intelligendum eſt ex Legis præſcripto. Ambroſius & quidam eum ſecuti, *alienigenas* intelligendos putant ſeptem illos populos in quos Hebræis juſtum bellum erat; nec mirum putat ſi fœnerare eis licuerit quos licuerit occidere. Sed ne hæc quidem interpretatio verbis legis congruit: nam cùm *fratribus*, id eſt, civibus, opponuntur *extranei*, certum eſt non hos aut illos ſed omnes intelligi. Adde quòd Legis gravitati neutiquam conveniebat permittere in eos fœnus quos planè interfici oportebat. Cauſa igitur diſcriminis hæc fuit, quòd Deus Hebræis inter ſe non ea tantùm præcepta vellet quæ ſunt hominibus omnibus inter ſe communia, & quæ ſtrictâ juris ratione debentur, ſed multa etiam propioris cujuſdam neceſſitudinis ac caritatis officia; ut in lege de Servis, Pignoribus, de Spicilegio, aliisque multis videre eſt. Accedit quòd potiſſimus Hebræi populi quæſtus in agricultura & re pecuaria ſitus erat. Joſephus primo contra Appionem, Ἡμεῖς τοίνυν οὔτε χώραν οἰκοῦμεν παραθαλάττιον, οὔτ' ἐμπορείαις χαίρομεν, οὐδὲ ταῖς πρὸς ἄλλους ἔξεστι τύπων ἐπιμιξίαις· ἀλλ' εἰσὶ μὲν ἡμῶν αἱ πόλεις μακρὰν ἀπὸ θαλάσσης ἀπωκισμέναι, χώραν δ' ἀγαθὴν νεμόμενοι ταύτην ἐκτησάμεθα [*Nos verò neque terram habitamus maritimam, neque commerciis & ob ea externorum conſuetudine delectamur; ſed ſunt noſtræ urbes à mari remotæ: terram autem habemus uberem, eamque diligenter excolimus*]. Quare cùm finitimi plerique Judæorum ex mercatura magnum quæſtum facerent, ut Sydoni, Tyrii, accolæ Maris Rubri, & Ægyptii, fœnus in illos permitti, in Hebræos agricolas & paſtores non permitti, ſummam habebat rationem. Nam & aliorum populorum legibus odioſiſſimum eſt fœnus quod in agricolas exercetur. Sed lex iſta Moſis cùm illius populi ſtatum peculiariter ſpectet, unique populo ſit data, cæteros non obſtringit, niſi quatenus indicium aliquod præbet naturali æquitati. Quid nos Chriſtus facere velit, cùm peculiare de hac re præceptum non exſtet, ex præceptis generalibus hauriendum eſt. Cùm vetatur omne πλεονέκτημα [*ex alieno lucrum*], dubium non eſt quin exigatur à nobis ἡ ἐν τοῖς συναλλάγμασιν ἰσότης [*æqualitas in contractibus*]. Quare ſicut ex hac lege ne vendere quidem rem ſuam licet niſi æquo pretio, ita nec pro pecuniæ uſu plus paciſci quàm quo detrimentum noſtrum ſarciatur. At Caritatis regula plus exigit. Nam ſi egenti danda eſt pecunia mutua, nullâ ſpe compenſationis, ſane danda etiam eſt ſine uſura, cùm alioqui non beneficium ſit futurum ſed veneficium potius. Non malè enim veteres fœnus *venenum patrimonii* vocabant. Hunc ſenſum Lactantius lib. VI. ſic exprimit, *Pecuniæ, ſi quam crediderit, non accipiat uſuram; ut & beneficium ſit incolume quòd ſuccurrat neceſſitati, & abſtineat ſe prorſus alieno. In hoc enim officii genere debet ſuâ eſſe contentus, quem oporteat aliàs ne propria quidem parcere ut bonum faciat: plus autem accipere quam dederit injuſtum eſt.* Sic & Tertullianus legem Hebræam oſtendit fuiſſe rudimentum quoddam ad ea quæ à Chriſtianis præſtanda ſunt; libro IV Adverſùs Marcionem, *Prius ergo fuit ut fructum fœnoris eradicaret, quò facilius aſſuefaceret hominem ipſi quoque fœnori, ſi fortè, perdendo, cujus fructum didiciſſet amittere. Hanc etenim dicimus operam Legis fuiſſe procurantis Euangelio. Querundam tunc fidem paulatim ad perfectum diſciplinæ Chriſtianæ nitorem, primis quibuque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat.* Sed hæc cautio ad eos qui quæſtûs majoris faciendi causâ pecuniâ alienâ utuntur non pertinet. In antiquis Canonibus nullum invenio qui fœnus exercentes omnes promiſcuè à Communione ſubmoveat, quod factum eſt poſterioribus ſeculis. Solis his qui in Eccleſia munere aliquo conſpicui erant, quos dicunt τοὺς ἐν πανόσι [*in matricula*], is quæſtus interdicitur canone Apoſtolico, ut vocant, XLIV, Laodiceno IV, Niceno XVII, Africano V, & XVI. Cauſa fuiſſe videtur, quòd hi qui in ſacro erant ordine non tantùm crimine omni, ſed & ſuſpicione avaritiæ vacare deberent. Ità enim loquuntur Afri Patres dicto canone V. Τὸ ἐν λαικοῖς ἐπιλήψιμον, πολλῷ μᾶλλον ἐν κληρικοῖς ὀφείλῃ καταδικάζεσθαι [*Quod in Laicis reprehenſibile eſt, multò magis in Clericis damnari debet*]. ubi ἐπιλήψιμον eſt *id quod reprehendi ſolet*, τὸ ἐπιμεμπτόν. Quin dicto canone XVI. ſimul cum fœnore prohibetur Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, procurationem rerum alienarum ſuſcipere, aut aliorum cauſis patrocinium præſtare, addita ratione, Quod non deceat eos qui ſacræ militiæ nomen dederint ſeculi rebus implicari. Neque ſanè aliam cauſam affert Harmenopulus: Nam cùm dixiſſet ἱερωμένοις τόκους οὐ συγχωρεῖσθαι λαμβάνειν [*Sacerdotibus non permitti uſuras accipere*], & dictos canones citaſſet, addit, πῶς γὰρ ὃς οὐδὲ πράγματα ἔχειν συγχωρεῖται ἢ βιωτικοῖς καὶ οὐκ ἐκκλησιαστικοῖς (malè in vulgatis codicibus negatio hæc omittitur) ἐσχολεῖ; [*quomodo enim hoc ei liceret cui nec negotiis ſecularibus & non eccleſiaſticis vacare permittitur?*] Primus Imperatorum Leo, ut idem Hermenopulus notat, exiſtimans omne fœnus Chriſtiano interdictum, lege id ipſum communi ſanxit; cùm antè ipſæ Eccleſiæ ſolerent pecunias ſumere ſub trientalibus uſuris. Priſcos illos canones ſi quis inſtaurandos putet non refragabor. Par enim eſt ad exactiorem normam eos vivere à quibus cæteri vivendi exemplum petunt. Cæteros quod attinet, primùm cavere debent ne uſurarum nomine plus æquo exigant, quod quia non poſitum eſt ἐν σημῇ [*in puncto individuo*], ſed πλάτει [*latitudinem aliquam*] aliquod habet pro regionum ac populorum diverſitate, legibus Civilibus definiendum eſt; ita tamen ut pii meminerint, ſæpe citra id quod leges permittunt conſiſtendum. Ad multa enim leges connivent, quia corrupti mores remedium non ferunt. Deinde etiam intra hanc æqualitatis menſuram non exercendum fœnus in egentes, aut eos quos credibile ſit fœnore in egeſtatem prolapſos. Nam talibus aut pecunia neganda eſt ſi eâ opus non habent, aut donanda ſi id poſſumus: certè id cavendum ne aliorum aut miſeriâ aut imprudentiâ in quæſtum abutamur. ¶ καὶ ἔσται ὁ μισθὸς ὑμῶν πολύς, & *erit merces veſtra multa*] Confer Joſephi & Philonis quæ citavimus. Abrahamus cùm beneficentiam ſuam in Regem & cives Sodomorum liberaliter eſſet teſtatus à Deo audivit, *Ego ſum merces tua magna valde*, Gen. XV, 1.

36. καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί. *ſicut & Pater veſter miſericors eſt*] Thalmudiſtæ, Chaldæi & Arabes Deum quaſi proprio nomine vocant רחמן, id eſt, οἰκτίρμονα [*miſericordem*]. Et hanc ipſam ſententiam uſu populi tritam fuiſſe (ut multas alias quibus utitur Chriſtus tanquam indubitatis) apparet ex Pandecte Thalmudico. Sciendum autem eſt voces *miſericordiam* ſignificantes apud Hebræos & Helleniſtas ad omne beneficentiæ genus extendi; ut Geneſ. XX, 13. & alibi. Vide quæ ad Matthæum.

37. καὶ ἀπολύετε, καὶ ἀπολυθήσεσθε. *dimittite, & dimittemini*] Sicut καταδικάζειν [*condemnare*] eſt *dubia aliorum facta in partem peſſimam rapere*, ita ἀπολύειν [*dimittere*] hîc eſſe arbitror *omnia quatenus fieri poteſt æqui bonique conſulere & interpretari benignius*; quod Latini, etiam cùm de privatis agitur, dicunt *abſolvere*. Sic Joſephus dixit ἀπολύειν τὰς διαβολὰς, *diluere calumnias*, VI Originum, cap. XII.

38. σεσαλευμένον, *coagitatam*] Λαγῆνα σαπέρνια [*vaſa conſtipata*] Ariſtoteli Probl. ſect. XXI. ¶ δώσουσιν, *dabunt*] Impersonaliter interpretandum, id eſt, *menſura juſta, coacta, ſuccuſſata, ſuperfluens vobis dabitur.* ¶ τῷ γὰρ αὐτῷ μέτρῳ ᾧ μετρεῖτε ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. *eadem quippe menſura qua menſi fueritis remetietur vobis*] Id eſt, ut Heſiodus loquitur, αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώιον· [*Par dando, melimque*] ut eadem ſit menſura in genere, ſed exuberans. Senſus eſt, Deum eos qui ſunt benigni & clementes benignè & clementer habiturum.

39.

39. Εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς, *dicebat autem illis & ſimilitudinem*] Fruſtra laborari puto in quærenda hujus loci cum prioribus aut ſequentibus connexione. Lucas enim cùm multas Chriſti ſententias recitaſſet, has etiam, quanquam alio fortè tempore & occaſione pronuntiatas, huc referendas putavit. Eſt ergo hoc εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς [*dicebat autem illis & ſimilitudinem*] tale quale illud, Καὶ τόδε Φωκυλίδεω [*Hoc quoque Phocylidæ*]. Reſpondet autem εἶπε [*dicebat*, vel *dixit*] Hebræo אמר, quod de nobilibus Magiſtris uſurpant Hebræi, cùm ſignificare volunt ſententiam aliquam aut ab illo auctore manaſſe, aut certè in ore ejus frequentem fuiſſe.

40. κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ· [*perfectus autem omnis erit ſicut magiſter ejus*] Non eſt horum verborum ſenſus alius quam illiorum apud Matthæum, ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, [*ſufficiet diſcipulo ut ſit ſicut magiſter ejus*], x, 23. Subauditur hîc pòſt πᾶς [*omnis, ſive quivis*] genitivus μαθητῶν [*diſcipulorum*]: de quo loquendi genere aliquid diximus ad Marcum II, 49. Videtur autem mihi apertiſſima eſſe conſtructio, quàm & Syrus ſequitur, *Quisquis diſcipulorum erit* נפק *verus, reſtus*, quod hic ad originem vertitur κατηρτισμένος [*perfectus*], *is erit ut magiſter*, id eſt, ſciet ea ſibi agenda & ferenda quæ magiſter egerit tuleritque: nam huc ea ſententia refertur non apud Matthæum tantùm ſed & apud Johannem duobus locis. Itaque ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον [*ſuper Magiſtrum*], quod dicunt Matthæus & Lucas, aut μείζων τοῦ κυρίου [*major domino*], ut loquitur Johannes, non eſt illud quod in Græco verſu κρείττονες διδασκάλων [*quos magiſtris præferas*]. Ibi enim de comparatione eruditionis agitur: hîc indicatur non eſſe meliori ſorte ac conditione ſectatores alicujus eo quem ſectantur. Nec aliter hunc locum intellexit Irenæus, ut videre eſt libro quinto, cap. XXXI.

42. πῶς δύνασαι λέγειν; *quomodo potes dicere?*] *Quomodo audes dicere?*

43. Οὐ γὰρ ἔστι δένδρον καλὸν, *non eſt enim arbor bona*] Quanquam γὰρ [*enim*] illud Syrus & Arabs non habeant, tamen cùm Græci codices præferant, habeat Latinus, agnoſcat & interpretetur Theophylactus, delere non aufim; neque ſatis cauſæ eſt. Alibi notavimus ſæpe apud Hebræos & Helleniſtas cauſas reddi ejus quod ſubticetur, ſed ex argumento rei de qua agitur ſatis intelligi poteſt. Ita hîc γὰρ [*enim*] eſt αἰτιολογία ἢ ζητουμένη. [*redditivum cauſæ de eo quod ſubticetur*]. Cùm enim de ſimulatoribus actum ſit, cauſam reddit Chriſtus cur diu prodeſſe non poſſit illa perſona ſanctimoniæ, quia fieri non poteſt ut ſemper diſſimuletur ingenium. Itaque ſiquis advertat, plerumque ſolent ſuo indicio prodi ſorices. Diximus alibi hæc ἀποφθεγματικὰ [*ſententioſe dicta*] intelligenda ἠθικῶς [*moraliter*], & ad eorum veritatem ſatis eſſe ſi eventus ſæpe & frequenter reſpondeat. Similis eſt hujus ſententiæ uſus Matth. XII. 33. Nam & ibi Chriſtus oſtendit inanem eſſe ſimulandi conatum. Lucas eum locum cum altero Matthæi qui eſt VII capite, ob argumenti ſimilitudinem in unum contraxit. Quare inde petenda quæ ad hujus θέσεως [*ſectionis*] interpretationem pertinent.

46. Τί δὲ λέγω; *quæ dico?*] Quæ præcipio ex Patris voluntate. Vide Matthæum.

47. καὶ ποιῶν αὐτούς, *& facit eos*] Ποιῶν [*facere*] hîc non unicam operationem, ſed vitæ totius diligentem conformationem ſignificat, ſine qua veræ doctrinæ profeſſio nihil prodeſt, imò ne poteſt quidem rebus adverſis explorata ſubſiſtere.

48. ὃς ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε, *qui fodit & profundavit*] Hebraiſmus. Nam Hebræi quod per verbum & adverbium diceretur duobus verbis amant circumloqui. Ita ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε eſt ἔσκαψε βαθέως [*fodit in altum*,] quomodo vertit Latinus Interpres. Deſignat hæc comparatio ſtudium pietatis, non in ſuperficie fluitans, ſed alto penitus corde reconditum.

PRICÆUS.

Com. 1. Σπορίμων] Vulgat. *ſata*. Gloſſarium, Σπορίμη γῆ, *arvum, ſativa terra*.

Ibid. ἔτιλλον, &c. στάχυας] Sic στάχυας τίλλειν, lib. 3. Diodorus Siculus dixit.

Ibid. ψώχοντες ταῖς χερσὶ] Ψώχω hîc eſt quod argumento ſimili συνθλῶ, καὶ τρίβω ταῖς χερσὶ lib. 2. idem Diodorus vocat. Heſychius, Ψώχοντες, λεπίνοντες, &c.

Com. 2. Τί ποιεῖτε] Increpantis formula; ſic Marc. 11. 5. Act. 14. 15. & 21. 13.

Com. 4. ὃς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν, εἰ μὴ μόνοις τοῖς ἱερεῦσι] Sic Judith. 11. 12. de primitiis frumenti, decimis vini, &c. Ὧν οὐδὲ τοῖς ἱερεῦσι καθῆκεν ἅψασθαι οὐδενὸς τούτων ἐκ τοῦ λαοῦ.

Com. 7. κατηγορίαν αὐτοῦ] Bene Græce, ad quam formam *accuſationem mei* Apuleius dixit, Apolog. Eſt autem hîc κατηγορία αὐτοῦ, materia accuſandi ejus. Sic, *ſermonem dare*, pro, materiam ſermonis dare. Cicero lib. 9. epiſt. famil.

Com. 9. τί ἔξεστι τοῖς σάββασιν, &c.;] Si ita, ut vulgò fit, interpungimus, τί hîc, ut & alibi, valebit, πότερον. Vulgatus autem (ὑποστιγμῆς notâ ſublatâ) videtur εἰ ἔξεστι legiſſe: quod non ſpernendum. Sic Act. 21. 37. εἰ ἔξεστί μοι εἰπεῖν, &c. vide & Matth. 12. 20. 19. 3. & Act. 22. 25.

Com. 10. περιβλεψάμενος πάντας αὐτοὺς] Seneca Octaviæ,

Partémque in omnem vultus inquirens erat.

Poſt *ambæ*, ſupple ex Marci 3. μετ' ὀργῆς. Livius de Horatio Coclite, *Circumferens truces*, &c. *oculos ad proceres Hetruſcorum*. Lucretius,

—— Calor ille animi quem ſumit ab ira
Cùm ferveſcit, & ex oculis micat acribus ignis.

In Chriſto autem hîc intellige iram mœrore & miſeratione permixtam.

Ibid. ἀπεκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ]

—— Rediere in priſtina vires:

ubi Servius, *In uſum priorem: hoc eſt, quales priſtina fuerunt*. Achilles Tatius lib. 3. Ἀπεκατέστησεν εἰς τὸ ἀρχαῖον. Vulgatus, *reſtituta eſt manus ejus*. In Gloſſario, ἀποκαθίστημι, &c. *reſtituo*.

Com. 11. Ἐπλήσθησαν ἀνοίας]

Effera prætumido quatiebant corda furore.

Vide Act. 5. 17. Act. 7. 54. & ſuprà hoc 4. 28. Vulgatus, *inſipientia*. Sic ἄνοια inter alia vertitur & in Gloſſario. Ita & Heſychius, qui Ἄνοια, μωρία. Ἀνοίας ἀναπίμπλασθαι autem dixit & Plutarchus in de Liber. educandis.

Ibid. διελάλουν πρὸς ἀλλήλους τί ἂν ποιήσειαν τῷ Ἰησοῦ] Similia Act. 5. 33. ubi de Apoſtolis. Sic Act. 4. 15. idem Lucas, Συνέβαλον πρὸς ἀλλήλους, λέγοντες, τί ποιήσωμεν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις; Vide & Joh. 11. 47. Plato in Sympoſio, Ὁ Ζεὺς καὶ οἱ ἄλλοι θεοὶ ἐβουλεύοντο ὅ, τι χρὴ αὐτὸν ποιῆσαι. Eunapius in Juliano, Τὰ χείλη διέδακνεν, &c. καὶ πρὸς τοὺς ἑταίρους ἐπιβλέπει, καὶ παρεφθέγγετό τι πρὸς αὐτούς. Διελάλουν πρὸς ἀλλήλους, (ut hîc Lucas) dixit Diodorus Siculus in Photii Bibliotheca.

Com. 12. ἐν διανυκτερεύσει ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ θεοῦ] Heſychius, Διανυκτερεύοντες, ἀγρυπνοῦντες πᾶσαν τὴν νύκτα. Προσευχὴ θεοῦ, *oratione ad Deum*. Sic Marc. 11. 22. Θεοῦ πίστιν. 1 Tim. 1. 4. (ubi dicta vide) θεοῦ οἰκοδομήν. Jacobi 1. 20. θεοῦ δικαιοσύνην. apud Saluſtium in Catilinario, *ſupplicia Deorum*; & 10. Apulei, *numinum religionem*.

Com. 17. τόπου πεδινοῦ] Vulgat. *in loco campeſtri*. Onomaſticon vetus, *Campeſtria*, πεδινὰ χωρία.

Ibid. ἀπὸ τῆς παραλίας] Subaudi χώρας. Sic Act. 12. 20. hîc Scriptor, ἀπὸ τῆς βασιλείας. Quæ elleipſis valde Græca eſt. Agatharcides in de Rubro mari, Οὐκ ὀλίγας ἢ (νῆας) ἀπὸ τῆς Περσίδος καὶ Καρμανίας, καὶ τῆς σύνεγγυς πάσης.

Com. 18. οἱ ὀχλούμενοι ὑπὸ πνευμάτων, Ità & Act. 5. 16. & Tobiæ 6. 8. Sic ὑπὸ νόσων ἐνοχλεῖσθαι, dixit Herodianus, & lib. 5. Diodorus Siculus.

Com. 19. Καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἐζήτουν ἅπτεσθαι αὐτοῦ] Poſidonius de Athenione quodam apud Athenæum 5. Ἐπάσσετο τοῦ ἀνδρὸς καὶ ἐθεᾶτο.

Com. 20. Μακάριοι οἱ πτωχοὶ] Alloquitur circumſtantium diſcipulorum multitudinem, quod indicat quæ ſtatim ſequitur vox ὑμετέρα, quæ tamen non de toto cœtu intelligenda, ſed de iis qui in illo cœtu eſſent pauperes. Hæc optima ratio videtur mihi conciliandi hæc Lucæ verba cum iis quæ apud Matthæum, quæ quanquam ad alios omnes rectè poſſunt extendi, primarie tamen ad tum temporis adſtantem multitudinem fuiſſe enuntiata puto. Μακάριοι οἱ πτωχοὶ ergo utroque loco hoc valet, quotquot ex vobis pauperes eſtis. Τῷ πνεύματι autem, quod additur apud Matthæum, ſignificat mentem atque animum paupertate & humili ſuâ ſorte contentum.

Ibid. ὅτι ὑμετέρα ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ] Sic infra 12. 32. ſimilem diſcipulorum turbam, μὴ φοβοῦ τὸ, μικρὸν ποίμνιον, ὅτι

ὅτι ἰυδάμων ὁ πατὴρ ὑμῶν δοῦναι ὑμῖν τὴ βασιλείαν· ubi μικρὸν, ad fortunæ tenuitatem animique demiſſionem potiùs quàm ad numeri paucitatem referri debere, ex Matth. 10. 42. veriſimile eſt.

Com. 21. Μακάριοι οἱ κλαίοντες νῦν, ὅτι γελάσετε] Vide infrà ad ea, 16. 25. ὁ ἡ παροιμία τοῦτο, &c. præcipuè ex Luciano adducta.

Com. 22. Μακάριοί ἰστε ὅταν, &c.] Ambroſius 1. 16. de Officiis, *Inde incipit beatitudo judicio divino, ubi omnia æſtimatur humano.*

Ibid. ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς] Ad explicandam hanc vocem video multa à viris eruditionis eminentiſſimæ dicta, & ſcitu quidem digniſſima. At fortè hoc loco ἀφορίζειν eſt id quod Act. 13. 50. ἐκ τῶν ὁρίων ἐκβάλλειν, *è finibus*, vel *ditionis terminis*, *ejicere:* unde & in Gloſſario, *Abterminatus*, ἀφορισθείς. Hoc autem in medium affero, non ut omnimodis mihi vel ipſi probatum, ſed ut alii, ſi voluerint, expendant an ſit probandum.

Ibid. καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν] Eſt ferè idem cum præcedente ὀνειδίζειν, ut apparet ex Matthæi 5. 11. ubi poſt ὀνειδίζειν ſequitur, εἶπῶν πᾶν πονηρὸν ῥῆμα κατὰ ὑμῶν, i. e. τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν ἐκβάλλειν· quale 3 Joh. epiſt. com. 10. πονηροῖς λόγοις φλυαρεῖν· Judith. 8. 8. πονηρὸν ῥῆμα ἐκφέρειν. Τὸ ὄνομα ὑμῶν, veſtram ſectam, veſtrum inſtitutum: id eſt, nomen Chriſtianum. Quo planè modo Gellius 1. 2. de jactatore illo, *Omnes lingua Attica principes gentemque omnem togatam, totumque nomen Latinum rudes eſſe & agreſtes prædicabat.* Jacobus 2. 7. βλασφημοῦσι τὸ καλὸν ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς. Qui locus optimè inſervit huic Lucæ illuſtrando: ibi enim τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς per hypallagen eſt, ἐφ' οἷς ἐπικαλεῖσθε, vel ἐπίκλησιν ἔχετε, id nomen in quod juraſtis, & ex quo cenſemini. Ut de Socrate Apulejus loquens, *Cum etiam nunc egregii philoſophi ejus ſectam ſanctiſſimam præoptent, & ſummo beatitudinis ſtudio jurent in ipſius nomen.* Ἐκβάλλειν hic non aliud puto eſſe quàm ἀποδοκιμάζειν.

Com. 23. Χάρητε ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, καὶ σκιρτήσατε] Id eſt, (ut hîc Matthæus) χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε· ad quem locum annotata vide: & quæ de loci ſenſu ad Jacobi 1. 2. dixi. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, at de futuræ in altera vita retributionis die, dixit & Paulus 2 Tim. 4. 8. Σκιρτᾶν (quod propriè pecudum eſt) de hominibus occurrit non ſolùm in Græco Malachiæ 4. 2. & 19. 9. apud Sapientiæ Scriptorem: ſed & apud Euripidem. Contrà, *gaudere* de leone Virgilius 12. dixit, ad quem locum Servius, *Nulli ferarum vel pecudum iſte ſenſus apponitur, alacritatem autem leonis exprimere voluit Gaudii verbo.* Vulgatus hîc, *gaudete & exſultate:* i. e. *gaudio exſultate:* nam σχίσις ἐνὸς ῥήματος δυοῖν eſt & in Græcis. Sic, *exſultare lætitiâ* Cicero 14. 6. ad Atticum: & *gaudio exſultare*, Minutius in Octavio dixit.

Ibid. ἰδοὺ γὰρ ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τῷ οὐρανῷ] Q. dicat,

—— *Nec enim levia aut ludicra ponuntur Præmia.* ——

Arrianus 1. 16. in Epictetum, Στρεβλοῦτη ἀγαθῷ ὁ μισθοδοτῶν ἐ λοιπεῖαι. Deus Geneſ. 15. 1. ad Abrahamum, *Merces tua magna nimis.*

Com. 24. Πλὴν, &c.] Recentior, *ſed*, cùm idem valeat; *verumtamen* à Vulgato & hîc & infrà com. 35. poſitum. Saluſtius, *Plerique ad judicandum ſatis ingenii habent, aut ſimulant, verumtamen ad reprehendenda aliena facta aut dicta ardet omnibus animus.*

Ibid. ναὶ ὑμῖν τοῖς γελῶσιν] i. e. Qui in luxu & lætitiis viviris, ut ille infrà 16. 19.

Ibid. ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν] Ἀπέχετε Recentiori *reportatis*, &c. cùm interim optimè Vulgatus, *habetis conſolationem veſtram.* Horatius pari formâ *habes pretium* (i. e. operæ pretium) dixit. Πλὴν παράκλησιν, eſt, τὰ ἀγαθὰ ὑμῶν nempe ἐν τῇ ζωῇ ὑμῶν infrà 16. 25.

Com. 25. οἱ ἐμπεπλησμένοι] Id eſt, οἱ καθ' ἡμέραν (ut infrà 16. 19.) λαμπρῶς ἐυφραινόμενοι. Sic 1 Cor. 4. 8. at metaphoricè, οἱ κεκορεσμένοι.

Ibid. ὅτι πεινάσετε] In Inferno nempe: non quod ibi cibo aut potu opus, ſed quòd ut gaudium cœleſte in his libris ſolet dapibus & convivio aſſimilari, ità in inferno ſtatus per oppoſita depingi. Unde & infrà 16. 24. immitis & immiſericors epulo ille ſummâ ſiti vexatus inducitur.

Ibid. Οὐαὶ ὑμῖν οἱ γελῶντες νῦν, ὅτι πενθήσετε καὶ κλαύσετε] Proverb. 14. 13. *Riſus dolore miſcebitur & extrema gaudii luctus occupat.* Vide quæ fusè infrà ad 16. 25. annotamus.

Com. 26. Οὐαὶ ὑμῖν ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι πάντες] Cùm omnes omnia bona dicunt, vóſque laudibus efferunt. Vulgatus bene, *cum benedixerint vobis.* Sic, *blanda & benedica* dicta, in Plauti Ciſtellaria. Cur autem famâ florentibus ſecundóque rumore glorioſis τὸ νὲ denuncietur, afferri poteſt hæc ratio ex lib. 14. Athenæi, Παρὰ τοῖς ὄχλοις ἐυδαιμονίᾳ, σημεῖον δὲ κακοτυχίας. Τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν, βδέλυγμα ἔνπιον τοῦ θεοῦ, ait & Chriſtus ipſe infrà 16. 15. Seneca epiſt. 52. de Philoſopho quovis, clamoribus magnis dum diſſereret excepto, *Non tunc laudatur, ſi intelligis, ſed conclamatur.* Pſyche parentes ſuos alloquens in ſalubertima prolixâque allegoria illa Apulejana, *Cum gentes & populi celebrarent nos divinis honoribus, cùm novam me Venerem ore conſono nuncuparent: tunc dolere, tunc flere, tunc me jam quaſi peremptam lugere debuiſtis.* Iterum Seneca 29 Epiſt. *Caterum, ſi te videro celebrem vocibus vulgi, &c. ſi totâ civitate te fœmina puerique laudaverint, quidni ego tibi miſereat? cùm ſciam quâ viâ ad iſtum favorem feratur.* Sapienter ergò Nicetes Sophiſta à Smyrnenſibus nimiis præconiis ornatus, Φοβοῦμαι δῆμον ἐπαίοντα μᾶλλον ἢ λοιδορούμενον. Imò etſi abſuerint malæ artes, *commendationem in vulgus eámque quæ expetitur gloriam, plus moleſtiæ quàm voluptatis habere*, Orator ille ſummus dixit Tuſculan. 5. In verbis Niceteæ (quæ apud Philoſtratum exſtant) ἐπαίοντα eſt *tollentem*, vel *efferentem*, laudibus nempe: id eſt, ἐπαινοῦντα.

Ibid. ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι] Heſychius, Ἐγκωμιάζει, ἐπαινεῖ, καλῶς λέγει.

Ibid. κατὰ ταῦτα γὰρ ἐποιοῦντο ψευδοπροφήτας] Tanquam iis qui (ut mendaces genethliaci) ad voluntatem eorum ficta reſpondebant, cæteri enim odio habiti: vide 2 Paralip. 18. 7.

Com. 27. ὑμῖν λέγω τοῖς ἀκούουσιν] Ità Paulus 11. 13. ad Romanos, Ὑμῖν λέγω τοῖς ἔθνεσιν· & Petrus 1. 2, 7. ὑμῖν ἡ τιμὴ τοῖς πιστεύουσι. Τοὺς ἀκούοντας heic intellige qui non audirent tantùm, ſed & auſcultarent: id eſt, animum obſequendi haberent. Sic ἀκούειν habemus Galat. 4. 21. Epheſ. 3. 2. item, πείθεται τῇ τοῦ ποιμένος φωνῆς ἀκούειν, Joh. 10. 3. Vide ad Act. 28. 28. ea, αὐτοὶ καὶ ἀκούσονται. Euthymius heic, *Qui mihi*, &c. *obedientes eſtis.* Idem ad Joh. 1. ea, ET AUDIERUNT EUM DUO DISCIPULI LOQUENTEM: *Ex diſcipulis enim Joannis ſoli hi duo tunc animo præſentes erant, cùm tamen multi alii adſtarent.*

Ibid. Ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν] Tertullianus contra Scapulam, *Amicos diligere, omnium eſt: inimicos, ſolorum Chriſtianorum.* Lactantius 5. 11. *Hoc nobis credimus expedire, ut vos diligamus, & in vos ipſos, qui odiſtis, omnia conferamus.* Seneca ex Stoicorum perſona cap. 28. de V. B. *Non deſinemus communi bono operam dare, adjuvare ſingulos, opem ferre etiam inimicis.* Apud Quintilianum Declam. 9. filius à patre abdicatus quòd inimico ejus alimenta ſuffecerat, *Ignoſce, pater, amare miſericordiam miſer cepi. Sed inimicum (inquis) meum eſt: nam quis nos tamopere laudaret (pater) ſi hoc amico præſtaremus? Hæc eſt celebranda virtus, hæc animo ſuſpicienda moderatio, vincere iram, & inter ſimultates quoque meminiſſe hominis.*

Ibid. καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς] Non vincamini à malo, ſed malum bono vincite.

Com. 28. Εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς] Vide ad Matth. 5. 44. dicta. In Gloſſis, *Imprecor*, καταρῶμαι.

Ibid. προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς] Pſalmiſta 108. 4. Ἀντὶ τῆ ἀγαπᾶν με, ἐνδιέβαλόν με, ἐγὼ δὲ προσηυχόμην, *orabam*, pro ipſis nempe. Ignatius ad Epheſ. in cōd. Florentino, Πρὸς τὰς μεγαλοῤῥημοσύνας αὐτῶν ὑμεῖς ταπεινόφρονες πρὸς τὰς βλασφημίας αὐτῶν τὰς προσευχὰς ſubaudi, *opponite.* D. Auguſtinus in Pſal. 68. *Quando tibi jactantur opprobria, & quomodo corrigas eum à quo jactantur non invenis; nihil tibi reſtat niſi orare: ſed & memento pro ipſo orare:* ubi *probra* quæ in verbis Ignatii λοιδορίαι. Heſychius in eum ſenſum, ἐπηρεάζει, λοιδορεῖ. Vulgat. (diſcrimine non magno) *calumniantes* vertit. Ità in Gloſſario, *Calumnia*, ἐπήρεια· & apud eundem Heſychium, Συκοφάνται, (eſt autem illa hominum natio vel maximè calumniatrix) οἱ ἐπηρεάζοντες.

Com. 29. τῷ τύπτοντί σε ἐπὶ τὴν σιαγόνα, πάρεχε καὶ τὴν ἄλλην] Seneca 72. Epiſtolâ, *Quiſquis volet tibi contumeliam facere, faciat & injuriam.* Idem 2. 34. de Ira, *Percuſſit te? recede: referiendo enim & occaſionem ſæpius feriendi dabis, & excuſationem.* Arrianus 3. 22. de vero, non ſimulante Cynico, Οὐδεὶς αὐτὸν λοιδορεῖ, οὐδεὶς τύπτει, &c. τὸ σωμάτιον αὐτῦ δίδωσιν αὐτὸς χρῆσθαι τῷ βουλομένῳ. Ἄλλην hic, ut ſæpe alibi, ἑτέραν. Πρόσωπον παρέχειν autem, eodem qui hic ſenſu uſi D. Baſilius, & Achilles Tatius ad Matthæum adducti. Ità & *os præbere* in Adelphis Terentius dixit, & *os contumeliis præbere*, Tacitus 3. Hiſtoriarum.

Ibid. καὶ διότι τῦ κύριος ἐν τὸ ἰμάτιον, &c.] Arrianus 2. 2. in Epictetum, Τὸ ἀγαθὸν ἐπί ἐμοὶ ἐστι ἔχειν, &c. ἐφ' ἑαυτῷ θέλει;

&c. ἕ. τὰ δὲ ἁμάρτια; ἕ. Αἴρειν heic intellige litigando (vide Matth. 5.) vel (quod rectius puto) vi apertâ auferendo: sic αἴρειν, τῷ κρείττονι λαμβάνειν, & Suidas & Hesychius exponunt: imò & ἁμάρτιόν τινι ἀφαιρεῖσθαι, apud Plutarchum lege Apophtheg. Lacon.

Ibid. καὶ τὸ χιτῶνα μὴ κωλύσῃς] Arrianus 1. 24. jam citati operis, Λέγει τίς σοι, Θὲς τὸ πλατύσημον, ἰδοὺ τιθέημι· θὲς καὶ τοῦτο, ἰδοὺ ἁμάρτιον μόνον· θὲς τὸ ἱμάτιον, ἰδοὺ γυμνός. Didymus ad Odyss. ξ. Χιτῶνες, τὰ ἔσωθεν ἀνδρεῖα ἱμάτια. Χιτῶνα autem & ἱματίῳ conjunctio itidem apud Plutarchum occurrit in præceptis conjugalibus.

Com. 30. παντὶ αἰτοῦντί σε δίδου] Pro modo facultatum tuarum, & illius indigentiæ. In eum sensum accipio & illud Jobi 31. 32. Ἡ θύρα μου παντὶ ἐλθόντι ἀνέῳγε.

Com. 31. Καὶ καθὼς θέλετε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς ὁμοίως] Hierocles apud Stobæum Serm. 84. *Sic cum unoquoque agas tanquam tu illius, ille tuam personam induerit.* Vide ad Matth. 7. 12. notata.

Com. 32. εἰ ἀγαπᾶτε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί;] Sic Petrus 1. 2. 20. Ποῖον κλέος ὑμῖν, εἰ ἁμαρτάνοντες καὶ κολαφιζόμενοι ὑπομενεῖτε; & in Epist. Ignatii dicta ad Polycarpum, Καλὸς μαθητὰς ἀπὸ φιλῇς, χάρις σοι οὐκ ἔστιν. Repete Quintiliani locum suprà ad com. 27. adductum. Χάρις hîc (id est, μετονυμικῶς *præmium*) apud Deum intelliges.

Com. 33. ἐὰν ἀγαθοποιῆτε τοὺς ἀγαθοποιοῦντας ὑμᾶς, &c.] Hoc est quod ἐ ἰυπαιδεύτα αὐτόπαιδα Arrianus 2. 14. vocat: τὰς ἐναργίτας αὐτόνοιαν, Andronicus Rhodius 10. 10. & Lucianus in Abdicato: τὰς χαριζομένας ἀντιχαρίζεσθαι, Xenophon παιδ. 8.

Com. 34. ἵνα λάβωσι τὰ ἴσα] Cùm nempe indiguerint: in quam mentem, vide quæ infrà 16. 9. dicta. In Glossario, *Consequerentur* (legerim *consequantur*, quod Vulgato heic *recipiant*) λαμβάνωσι.

Com. 35. ἀγαθοποιεῖτε] Subaudi, ut Galat. 6. 10. πρὸς πάντας· vel αὐτὰς, inimicos nempe. Uterque sensus convenit sequentibus iis, ἐπὶ τὸ ὕψιστον ἔσεσθε.

Ibid. δανείζετε] Hesychius, Δανείζει, μεταδίδοῖ, τοῖς ἐνδεέσι κιχρᾷ. Vulgatus, *mutuum date.* Ità in Glossario, *Mutuum dat*, δανείζει.

Ibid. μηδὲν ἀπελπίζοντες] Idem sentio cum Viro incomparabili non heic solum fœnus prohiberi, à quo vel inter Ethnicos ipsos reperti sunt qui abstinuerint se, (narrat enim (ut alios taceam) Plutarchus Catonem hereditatem centum talentorum quæ obvenit sibi, in pecuniam redegisse, amicisque pauperibus sine fœnore utendam præbuisse:) at ἀπελπίζοντες heic esse λαμβάνειν ἐλπίζοντες· τὸ κεφάλαιον, nimirum: ut mens loci sit, Date mutuum, tanquam nec vel sortem ipsam aut aliquam illius partem recepturi: si nempe ejusmodi bonitatem flagitaverit extremâ debitoris indigentiâ. Quod præceptum & ad alias benefaciendi species extendi rectissimè intelligamus. Lactantius 6. 12. *Tenendum est ut ab omni officio misericordiæ spes recipiendi absit omnino, nam si ab homine exspectes, jam non humanitas erit illa, sed beneficii fœneratio.* Seneca, *Demus beneficia, non fœneremus: dignus est decipi qui de recipiendo cogitavit cùm daret.* Idem de Benef. 1. 2. *Fœneratio est beneficium expensum ferre.* Ibidem 3. 15. *Qui dat beneficia Deos imitatur; qui repetit, fœneratores:* & cap. 14. *Interit tamen res dignata, si beneficium mercem facimus.* Iterum 4. 14. ejusdem operis, *Non est beneficium quod in quæstum mittitur: hoc dabo, hoc recipiam, mutuo est:* & 1. 1. *Tunc est virtus dare beneficia non utique reditura.* In summa, eadem bonitas hîc a Christo commendatur quæ (præter alias virtutes) in Pomponio eluxit: *Illum* (inquit C. Nepos) *liberalitas neque temporaria neque callida fuit: fletentibus non venditavit se, sed afflictis succurrit.*

Ibid. καὶ ἔσεσθε υἱοὶ ὑψίστου] Dum nempe inimicos (quod præcessit) dilexeritis, (vide suprà ad com. 27. dicta: & adde ista Photii 193. Epist. Τὸ δίκαιον αἰτητὸν ἢ ἡδυπάθεια, αὐθαίρετον· τὸ μὴ ἀμυνασθαι, φιλόσοφον· τὸ μὴ κατ' ἐνεργείαν ἀμείβεσθαι, λοιπὸν ἤδη θεῖον, καὶ μιμητὰς τοῦ ἐν οὐρανοῖς πατρὸς ἀποφαίνον] & dum sine recipiendi spe benefeceritis. *Deus* (inquit Seneca 4. 9. de Benefic.) *plurima & maxima in nos confert sine spe recipiendi.* Sirachides 4. 11. Γίνου ὀρφανοῖς ὡς πατὴρ, &c. καὶ ἔσῃ ὡς υἱὸς τοῦ ὑψίστου· id est, non eris degener filius, quâ quæ laus major?

—— Παιδὶ γὰρ κλέος τόδε
Κάπίστον, ὅστις ὀν πατρὸς χρηστοῦ γεγὼς
Εἰς ταυτὸν ἦλθε τῷ τεκόντι τὸς τρόπους.

Sunt verba sapientissimi Euripidis: in quibus itidem vox χρηστοῦ (quæ & in Lucæ Contextu sequitur) observatu digna.

Ibid. ὅτι αὐτὸς χρηστός ἐστι] *Bonus est:* sic & 1 Pet. 2. 3. Servius Fuldensis ad Æn. 1. ea,

—— *Et bona Juno,*

Bona, χρηστή. De Diis Seneca 2. 27. de Ira, *Natura illis mitis & clemens est.* Plinius in Panegyrico, *Ille parens hominum deorumque, Optimi prius, deinde Maximi nomine colitur.*

—— *Mitis in alto Jupiter,*

apud Lucanum est: &, *Deus candidus* (i. e. χρηστὸς) in Petronii fragmentis. Διὰ τοῦτο eodem sensu de eodem Joannes dixit, 1 Epist. 1. 9. Theophylactus ad Luc. 15. Πιστὸς τῇ χρηστότητι, εἰ καὶ φύσει θεός.

Ibid. χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους] Seneca 4. 25. de Beneficiis, *Si Deos imitaris, da & ingratis beneficia.* Vide ad Matth. 5. 45. annotata.

Com. 36. Γίνεσθε οὖν οἰκτίρμονες] Ἐνδύσασθε (ut Coloss. 3. 12.) οἰκτιρμῶν σπλάγχνα. Opponuntur Rom. 1. 29. ἀνελεήμονες.

Ibid. καθὼς ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί] De eodem 2 Paralip. 30. 9. Ἐλεήμων καὶ οἰκτίρμων· & Joëlis 4. 2. Σὺ ἐλεήμων, καὶ οἰκτίρμων.

Com. 37. μὴ κρίνετε] Vide ad Matth. 7. 1. dicta.

Ibid. Δικάζετε, καὶ δικασθήσεσθε] Ità 6. 10. apud Sapientiæ Scriptorem, Οἱ φυλάξαντες, &c. τὰ ὅσια ὁσιωθήσον). Ἀπολύειν hîc puto esse quod Coloss. 3. 13. χαρίζεσθαι, ἐάν τις πρός τινα μομφὴν ἔχῃ. Sic, εἰς τὸ μίμψιν (i. e. μομφὴν) δικάζεσθαι, Thomas Magister ex Aristide. Ἀπολυθήσεσθε est, δικασθήσεσθε) ὑμῖν· nempe, τὰ ὑμῶν ἁμαρτήματα, vel, ὀφειλήματα. Sirachides 28. 2. Ἄφες ἀδίκημα τῷ πλησίον σου, καὶ τότε δεηθέντος σου αἱ ἁμαρτίαι σου λυθήσονται. Scholiastes vetus Horatii, *Qui ignoscit peccatis alterius, eandem veniam consequetur.*

Com. 38. μέτρον καλὸν] Sic, *bene emensum dare*, Seneca Natur. quæst. 4. 4. &, *pleno modio verborum honorem* Cicero 6. 1. ad Atticum. Glossæ, Κοφινὸς μόδιος, *cumulatus*: quali opponitur apud Juvenalem Sat. 14. *iniquus modius*: quo loco Vetus Scholiastes, *prava mensura.*

Ibid. πεπιεσμένον] Vulgat. *confertum*: nec malè ille qui *pressum.* In Glossis, Πιέζω, *premo*, *presso*: & in vetere Onomastico, *Presso*, καλαπτίζω. Huic loco nec aliena sunt Hesychii illa, Πακτὸν, ἔσυξυ, ἐπίλεσον, συνεπλήρωσε, ἐπιμελῶς ἐμέτρησεν.

Ibid. καὶ ὑπερεκχυνόμενον] Plautus (ut Tit. 3. 6.) ἐκχυνόμενον· mensuram non solùm bonam & pressam, sed & superefluentem. Plautus Prologo Menæchm.

—— *Demensum dabo,*
Non modio, neque trimodio, verum ipso horreo.

In voce ὑπερεκχυνόμενον est αὔξησις, qualis 2 Cor. 7. 4. illa, Πεπλήρωμαι, &c. τῇ χαρᾷ ὑπερπερισσεύομαι ubi sufficisset, περισσεύομαι, & hîc apud Lucam ἐκχυνόμενον. At ὑπὲρ illud, ut & Rom. 8. 37. in ὑπερνικῶμεν, intensè modum rei & mensuram auget. Hujus loci sunt & Hesychii illa, Ὑπερχυλὸς, ὑπερμεμετρημένον.

Ibid. δώσουσιν εἰς τὸ κόλπον ὑμῶν] Locutio eadem, at in partem sequiorem posita, est & in Græco Psalmi 79. 12. Esaiæ 65. 7. & Ecclesiastis 7. 9. Apulejus 8. *Stipes*, &c. *sinu recepere paulo.* Δώσουσιν hîc puto esse ἀποδώσουσιν, ob illud μέτρον quod præcessit, & quod sequitur, ἀντιμετρηθήσεται. Ammonius Græcus Grammaticus, Μετρεῖσθαι ἔλεγον οἱ παλαιοὶ μέτρῳ λαμβάνειν πυρὸν ἢ τι τοιοῦτον ἐν δόσει, ἵνα ἀποδῷ.

Ibid. τῷ γὰρ αὐτῷ μέτρῳ ᾧ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν] Horatius,

Quàm temere in nosmet legem sancimus iniquam!

Scholiastes, *Quia eadem ab aliis patimur*, &c. *nam & illi eandem de nobis legem statuunt.* In vetere Mimo apud Senecam 94 Epistolâ,

Ab alio exspectes alteri quod feceris.

Cicero ad Q. Fratrem de Syllanis hominibus, *Qui in magistratibus injuriose decreverant, eodem ipsis privatis erat jure parendum.* In l. 1. ff. quod quisque juris, &c. Et *quis aspernabitur idem jus sibi dici quod ipse aliis dixerit?*

Com. 39. Εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς] Sic & suprà 5. 36. Suidas, Παραβολὴ, λόγος αἰνιγματώδης καὶ πεπυκνωμένος εἰς ὠφέλειαν φέρων.

Ibid. μή τι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν;] Glossarium Isidori dictum, *Palpones qui ducunt cæcos.* Τυφλὸν χειραγωγὸν λαμβάνειν, dixit & Plutarchus in περὶ Τύχης· & τυφλῷ ὁδηγῷ ἀκολου-

ἀναλυθεῖν, Philo in de Allegoriis. Proverbialem hanc locutionem fuisse patet & ex Ciceronis hisce Tusc. 5. (non nostri quidem argumenti, sed nec inficetis,) *Cùm quorum res essent, sua ipsi non videbant, cæcum tamen adhibebant ducem.* Loquitur de C. Drusо, cæco, at jurisconsultissimo.

Ibid. οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται;] Philo in de Fortitudine, Τυφλῷ μὲν βλέποντι συμπεσόντομαι, καὶ ἄγεμόνι τῆς ὁδὸν χρώμενος πεπηρωμένῳ, πίπτειν ἐξ ἀνάγκης ὀφείλω. Plutarchus in περὶ φυγῆς de ineptis consolatoribus, Καθάπερ οἱ κόλυμβοι πνιγομένοις βοηθεῖν ἐπιχειροῦντες, συνεμπλέκονται, καὶ συναπολλύουσιν. Est & proverbiale illud, *in foveam cadere*: pro, decipi, & capi. In Plauti Persâ,

——— *Ille ego doctum lenonem penè in foveam dedidi.*

Hoc autem εἰς βόθυνον πίπτειν, multò gravius est, & ferè quod 1 Tim. 6. 9. ἑαυτοὺς εἰς ὄλεθρον καὶ ἀπώλειαν βυθίζειν.

Com. 40. κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ] Quicunque autem bene, ac prout decet, instructus fuerit, non gravabitur eam sortem subire quam & subiit magister ejus: hoc enim est, εἶναι ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ. Κατηρτισμένος hic est qualis 2 Tim. 3. 17. ἄρτιος καὶ ἐξηρτισμένος· Matth. 13. 52. μαθητευθείς. In Glossis, Κατηρτισμένον, &c. *instructus*. Hesychius, Ἀπηρτισμένον, τέλειον· ubi ἄνδρωπον potiùs quàm ὑποδούμενον subaudiendum putem.

Com. 41. Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ δοκὸν ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ οὐ κατανοεῖς;] Anonymus Græcus,

Τί τ' ἀθρόεσιν, ἄνθρωπε βασκανώντατε,
Κακὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παρορβλέπεις;

Ad quæ Plutarchus (libello περὶ Πολυπραγμοσ.) Ὥσπερ ἐν τῷ μύθῳ τὴν Λαμίαν λέγουσιν οὖσαν μὲν ἄδυτον, τυφλὸν δὲ ἐν αὐγείῳ τινὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχουσαν ἀποκειμένους, ἔξω δὲ περιιοῦσαν, ἀποπίπτειν (malim ἐμπίπτειν vel ἐντίπτειν) καὶ βλάπτειν ὅτου ἡμῶν ἅψοιτο, ἔξω, καὶ περὶ τοὺς τοίχους, τῇ κακοσοίᾳ τῆς ἀδικίας ὥσπερ ὀφθαλμῶν ἐνίεσθαι, τοῖς δὲ ἑαυτῶν ἁμαρτήμασι καὶ κακοῖς πολλοῖς παρεπταίομεν ἐν αὐγείοις, ὅθεν ἐκ αὐτῶν καὶ φῶς ἀπεριζόμενοι. Lucretius lib. 4.

Atque alios alii irrident.——

Et statim,

Nec sua respicium miseri mala maxima sæpe.

Seneca 2. 28. de Ira, *Aliena vitia in oculis habemus, à tergo nostra sunt*: ibidem 3. 26. *Quicquid in alio reprehenditur, id unusquisque in suo sinu inveniet.* Adde ad Matth. 7. 3. annotata.

Com. 42. Ἢ πῶς δύνασαι λέγειν τῷ ἀδελφῷ σου; &c.]

Unde tibi frontem libertatémque parentis?

Quo ore illum objurgabis? ut non dissono apud Terentium argumento, Phorm. 5. 8.

Ibid. ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου] Vide ad Matth. 7. 5. dicta.

Com. 43. Οὐκ ἔστι δένδρον καλὸν ποιοῦν καρπὸν σαπρόν] Vide ibidem com. 17. annotata.

Ibid. ἢ δένδρον σαπρὸν ποιοῦν καρπὸν καλόν]· Qualis enim ἡ ῥίζα, tales οἱ κλάδοι. (Rom. 11. 16.) Seneca 66 Epist. *Qualis ratio est, tales & actiones sunt.* Arrianus 1. 11. in Epictetum, Οἷα τὰ αἴτια ἐφ' ἑκάστου, τοιαῦτα καὶ τὰ ἀποτελούμενα. Macarius Homil. 46. Ἕκαστον γέννημα τοῖς ἰδίοις γονεῦσιν ὅμοιον. Andronicus Rhodius 9. 12. Ἀπὸ μὲν τῶν ἀγαθῶν τὰ ἀγαθὰ, ἀπὸ δὲ τῶν φαύλων φαῦλα καρπούμεθα. Theophylactus ad Heb. 12. Τὴν παιδείαν ῥίζαν, &c. ἐκ ἧς ποτὲ γλυκὺν ἐκφυσᾷ καρπόν. Ecdorus apud Stobæum,

Ἐκ τῶν καλῶν γὰρ ἡ φύσις ἔκτισε καλά,
Ὡς ἐξ ἀφύδρης πάλιν ἐχίδνα γίγνεται.

Chrysippus apud Gellium 6. 2. *Est genere ipso fatale & consequens, ut mala ingenia peccatis,* &c. *non vacent.*

Chi ha nel petto fiele, Non può fuor mele,

proverbialiter solent Itali dicere. Simplicius in cap. 19. Epicteti, Ἀδύνατον γάρ τὸ ἄλογον τὸ ἑαυτῆς ζῶσαν ψυχὴν, &c. φησὶ καὶ τοὺς κακῆς ὑπαίτιους ἐκφεύγειν δοκοῦντας. Varro de L. L. lib. 8. *Sanè mutarene fit lupus, aut mormo?* Jerem. 13. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos potestis benefacere, cùm malum didiceritis.* Adde quæ ad Matth. 7. 17. annotavimus.

Com. 44. ἕκαστον δένδρον ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ γινώσκεται] Sive bona, sive mala arbor (quæ hic homo) ex fructu (id est, operibus) cognoscitur. Apulejus in Apologetico, *Certus cujusque index animus est, eodem ingenio ad virtutem vel ad malitiam moratus.*

Ibid. ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ γινώσκεται] In paræmiis Græcis, Ἡ πέτρα τῇ αἰλούρου μαρτυρεῖ. Vide & in Αὐτὸς αὐτὸν αὐλεῖ Suidæ vocabularium. Apollonius apud Eusebium, Eccl. hist. L. 5. de Montano, Τίς ἐστιν ὅτῳ ὁ σωτὴρ διδάσκαλος τὰ ἔργα αὐτοῦ, &c. δείκνυσιν. Andronicus Rhodius 10. 10. Τὸ, &c. ἀληθὲς ἀπὸ τῶν ἔργων, &c. φαίνεται, καὶ τούτοις ἐλέγχεται τὸ ψεῦδος, ὅταν οἱ λόγοι μὴ φαίνωνται τοῖς πεφύκασιν ἐξαπολουθοῦντες. Dio Cassius lib. 61. de Nerone noctu per Urbem discursante, Ἐδόκουν μέν πως λανθάνειν (ἐπὶ γὰρ ἐσθῆτι ποικίλῃ καὶ κόμῃ ἀφθόνῳ ἄφνω ἄλλως ἐχρῆτο) ἠλέγχετο δή, &c. ἐκ τῶν ἔργων. Ἀπὸ τῶν ἰδίων ἔργων ἐλέγχεσθαι, dixit & Artemidorus 3. 65. de talpa loquens. Herodianus 3. de Severo, Τὸ ὕπουλον αὐτοῦ ἦθος μᾶλλον ἐκ τῶν ἔργων ἐδηλοῦτο. Simile, etsi in partem contrariam positum, Xenophontis illud de Rege Agesilao, Ἀπὸ τῶν ἔργων καὶ τὸν τρόπον αὐτοῦ νομίζω κάλλιστα καταδήλους εἶναι.

Ibid. ἐκ τῶν ἰδίων καρπῶν γινώσκεται] Seneca cap. 2. de Vitæ brevitate, *His illos notis dignosci videbis.* Lucianus (quem ad Matthæum adduximus.) Γνώσῃ αὐτὸν ὃς ἐστι, ἀπὸ τῶν συμμίκτων.

Ibid. οὐ γὰρ ἐξ ἀκανθῶν συλλέγουσι σῦκα] Martialis 11. 43.

Mella jubes Hyblæa tibi vel Himettia nasci?
Et thyma Cecropia Corsica pone apis?

Seneca 87 Epistolâ, *Non nascitur ex malo bonum, non magis quàm ficus ex olea: ad semen nata respondent.*

Ibid. οὐδὲ ἐκ βάτου τρυγῶσι σταφυλήν]

Usque adeò sequitur res rem, neque flamma creari
Fluminibus solita est, neque in igni gignier algor.

Sunt verba (facundissimi poetarum) Lucretii libro 3. Idem 5.

Denique in æthere non arbor, non æquore salso
Nubes esse queunt, neque pisces vivere in arvis,
Nec cruor in lignis, nec saxis succus inesse:
Certum ac dispositum 'st, ubi quicquid crescat & insit.

Ovidius, A. A. 1. quasi de re impossibili,

Si quis idem speret, lauros poma myricæ
Speret, & è medio flumine mella petat.

Plura ad Matth. 7. 16. hanc in mentem annotata vide.

Com. 45. Ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ ἀγαθόν]

Βαθεῖαν ἄλκαρ ἐξ φρενὸς καρπούμενος,
Ἀφ' ἧς τὸ καθαρὸ βλαστάνει βυλεύματα.

Τὸ ἀγαθὸν interpretor τοὺς ἀγαθοὺς λόγους. Sunt autem tales, οἱ λόγοι πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας ἀγαθοί, καὶ χάριν τοῖς ἀκούουσι δόντες, ut Paulus 4. 29. ad Ephes. locutus. In Epistolis quæ nomen ferunt Anacharsidis, Λόγος καλὸς ὁ γίνεται, ὅταν βουλαὶ ἀγαθαὶ ὦσι. Isocrates Nicocle, Λόγος ἀληθὴς καὶ νόμιμος καὶ δίκαιος, ψυχῆς ἀγαθῆς καὶ πιστῆς εἰδωλόν ἐστι. In Excerptis Diodori Siculi, de Viriatho, ἐξ αὐτοδιδάκτου καὶ ἀδιαφθόρου φύσεως ἁπλοῦς τοὺς λόγους φέρων. Ex Ennio refert Cicero, à sapiente faciliùs flammam ore inardente opprimi, quàm bona dicta: ubi *bona dicta* videntur planè λόγοι πρὸς οἰκοδομὴν, &c. ut jam citato Apostoli loco. Ἐκ θησαυροῦ καρδίας, ex cordis penu, sive promptuario. Sic θησαυρὸν γλώσσης Hesiodus (nec indiserte) dixit: ἐκ γὰρ (ut statim hoc additur) ἧς τῆς καρδίας ἀφειστήματος τὸ στόμα (id est, ἡ γλῶσσα) λαλεῖ.

Ibid. ἐκ δὲ πονηροῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ πονηρόν] Esaiæ 59. 13. *Locuti sumus de corde verba mendacii.* Declamationis in Sallustium Auctor, *Neque enim qui ità sentit ut tu, aliter ac tu loqui potest.* τὸ πονηρὸν intellige, ut Matth. 15. 19. διαλογισμοὺς πονηρούς.

Ibid. προφέρει τὸ πονηρὸν] Ἐπαφείλε (ut Judæ com. 13.) τὴν ἑαυτοῦ αἰσχύνην. In Glossario, *Profert*, προφέρει, &c.

Ibid. ἐκ γὰρ δὲ περισσεύματος τῆς καρδίας λαλεῖ τὸ στόμα] Achilles Tacitus 2. Φωνὴ ψυχῆς σκιά· Basil. Conc. de doctr. & admonitione, Ὅλως ὕδατος δείκνυσι τὴν ἰσότητα πηγὴ, λόγῳ

λόγῳ δὲ φύσις ἢ σφοδρύνασα αὐτὸν καρδίαν χαριεντιεύεται. Plutarchus in de Liber. educ. Ὁ νοῦς δέχεται ἐγκρατὴς ὢν τὸν λόγον, ὁ δὲ λόγος ἐγκρατὴς τοῦ νοῦ. Idem in Catonis vita, Τῷ λόγῳ πρὸς τὸ μάλλον ἢ τῷ πρόσωπον τῶν ἀνθρώπων φωνῇ τὸ ἦθος ἐμφαίνοντι. Sirachides 27. 5. Γυμνάσιον ξύλων ἐκφαίνει ὁ καρπὸς αὐτοῦ, οὕτως ὁ λογισμὸς (i. e. ὁ λόγος) ἐνθυμήματα ἀνθρώπου καρδίας. Terent. 2. 4. Heautont.

—— *Mihi quale ingenium haberes fuit indicio oratio.*

Seneca Epiſt. 114. de Mecœnate, *Quid ergo? non oratio ejus æque ſoluta eſt quàm ipſe diſcinctus?* &c. *Hæc verba* (citaverat autem quaſdam ejus ἀφορμὰς) *tam improbè ſtructa, tam negligenter abjecta, tam contra conſuetudinem omnium poſita, offendunt mores quoque non minus*, &c. *pravos fuiſſe.* Pòſt, *Iracundi hominis iracunda oratio eſt, commotis nimis incitata, delicata tenera ac fluxa:* & demum de animo (qui in contextu noſtro καρδία) loquens, *Ab illo ſenſus, ab illo verba exeunt: illo ſano ac valente oratio quoque robuſta, fortis, virilis eſt; ſi ille procubuit, etiam cætera ruinam ſequuntur:* quibus ultimis planè concinit Julianus, qui τὴν γλῶτταν τῇ διανοίᾳ συντεκμαρτάρτως dixit, in longæ illius epiſtolæ fragmento. Commodè porrò ex verbis contextûs puto Apulejum exponi poſſe, qui os *cogitationum comitium* in Apologia vocavit: q. d. locum cogitationes promendi enarrandique; quia nempe ut quæ quis domi meditatus eſt, in comitiis deprimit, ità quæ in corde quis concepit, in os tanquam in locum publicandi confluunt.

Ibid. ἐκ γὰρ τῆς εὐσεβείας ἡ καρδίας λαλεῖ τὸ στόμα αὐτῆς] Vide ad Matth. 12. 34. dicta: & adde hæc Alexandri apud Q. Curtium lib. 7. Philotam onerantis, *Jam linguæ violentiam, temeritatémque verborum, qua in ſemetipſum jacularetur, nihil aliud eſſe quàm ſceleſti animi indicem ac teſtem.*

Com. 46. Τί δέ με καλεῖτε, Κύριε, κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε ἃ λέγω;] Τί λέγετε (ut Matth. 23. 2. illi) καὶ οὐ ποιεῖτε; Cur eſtis æra ſonantia, & cymbala tinnientia? Non hoc diſcipuli eſt, magiſtro ſolùm nomen dare, ſed & ſequi præcepta ejus. Germanicus apud Tacitum Annal. 2. *Non hoc præcipuum amicorum munus eſt, defunctum ignavo queſtu proſequi, ſed quæ voluerit meminiſſe, quæ mandaverit exſequi.* Ad filium pater ille apud Ariſtophanem,

Ἀλλ' εἶπερ ἐκ τῆς καρδίας μ' ὄντως ἐρᾷς,
Ὦ παῖ, πιθοῦ. Filius, Τί δῆτα πιθοῦμαί σοι τὰ σά;
Pater, Ἐπιστρεψον ὡς τάχιστα τοὺς σαυτοῦ τρόπους,
Καὶ μάνθαν' ἐλθὼν ἃ 'γὼ ἐπαινῶ παρών.

Καλεῖτέ με heic καταχρηστικῶς, pro προσφωνεῖτε· alioqui κύριον, non κύριε, dicendum erat.

Com. 48. ἔσκαψε, καὶ ἐβάθυνε, καὶ ἔθηκε θεμέλιον] i. e. In altum (vel profundum) fodit, ut poneret fundamentum. Simplicius in Ariſtotelis 2. φυσικ. ἀκροασ. Ὀρύττει τις καὶ βούλεται φυτεῦσαι χάρακα, καὶ τὸ θεμέλιον καταβαλεῖν. Ἔσκαψεν καὶ ἐβάθυνεν, ut diximus, pro, βαθέως ἔσκαψεν· ut Judic. 13. 10. ἐτάχυνεν καὶ ἦλθεμαι, pro, ταχέως ἦλθεμαι· & 2 Reg. 15. 14. Ἵνα μὴ ταχύνῃ, καὶ καταλάβῃ ἡμᾶς, pro, ἵνα μὴ ταχύνας, ἡμᾶς καταλάβοι.

Ibid. πλημμύρης δὲ, &c.] Θλίψεως ἢ διωγμοῦ Matth. 13. 21. καιρὸν πειρασμοῦ infrà 8. 13. In Gloſſario, Πλημμύρα, *inundatio.*

Ibid. τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν] Vide ad Matth. 7. 25. dicta.

Com. 49. Ὁμοίος ἐστὶν ἀνθρώπῳ] Vel ἀνδρὶ (ut Jacob. 1. 23.) κατανοοῦντι τὸ πρόσωπον, &c.

Ibid. οἰκοδομήσαντι οἰκίαν ἐπὶ τὴν γῆν χωρὶς θεμελίου, ᾗ προσέρρηξεν ὁ ποταμὸς, καὶ εὐθέως ἔπεσε] Herodianus lib. 3. Σφοδρὸς χειμάρρους (quod Lucæ ποταμὸς) καταῤῥαχθεὶς, &c. διέστησε τῷ ὕδατι τὰς ἁρμογὰς, (τῷ ἑρμαίῳ) ἐπωχυρούντων τὴν θεμελίων τῷ ῥεύματι, ἅτε δὴ σαθρῶν, καὶ οὐ μετ' ἐπιμελείας κατασκευασθέντων.

Ibid. προσέρρηξεν ὁ ποταμὸς] Id eſt, non fluvius, ſed χείμαρρος.

—— *Rapidus montano flumine torrens.*

Sic ποταμοῦ vocem 40. 13. poſuit Græcus Sirachidis Interpres. Hinc & χείμαρροι ποταμοὶ apud Homerum Iliad. δ'. Torrentis non injucundam deſcriptionem ex Ovidio apponemus,

Nomen habet nullum nivibus collectu' caducis,
Huic non ſunt fontes, huic neque certa domus.
Fontis habens inſtar pluviáſque nivéſque ſolutas,
Quas huic divitias pigra miniſtrat hiems.
Hic lutulentus agit brumali tempore curſus,
Et premit obtectam pulverulentus humum.
Hunc nunquam potuit ſitiens haurire viator,
Dicere nec gratâ voce, Perennis eat.

Ibid. ᾧ, &c. ἔπεσε] Lucretius lib. 1. non inappoſitè,

Nec validi poſſunt pontes venientes aquai
Vim ſubitam tolerare, ità magno turbidus imbri
Molibus incurrit validis cum viribus amnis.

Ubi *amnis* eſt quod Lucæ ποταμὸς· *incurrere*, quod eidem προσρήγνυσθαι. Cecidit domus autem, quia χωρὶς θεμελίου poſita. Seneca 1. 16. de Ira, *In ruinam prona ſunt quæ ſine fundamento crevere.* Xenophon in de Re equeſtri, Οἰκίας ἰδεῖν ὄφελος ἂν εἴη, εἰ τὰ ἄνω καλῶς ἔχοι, μὴ ἐστηκεναι δὲ εἶεν δεῖ θεμελίων. Ocellus Lucanus, *Prima ſtructura magnopere facium ad totum opus conficiendum, ut in domûs conſtructione fundamenti poſitio, in navis fabricatione carina.* Quod hîc χωρὶς θεμελίου, id ἐπὶ τὴν ἄμμον eſt apud Matthæum: quod idem eſt, nam & indè ædificii labes. D. Ambroſius Offic 2. 2. *Arenoſum ſolum citò cedit, quia non poteſt impoſita ædificationis onera ſuſtinere.* Seneca 52 Epiſt. *Alterius* (domûs) *fundamenta lapſabunda, in mollem ac fluidam demiſſa humum.* Idem Natur. quæſt. 3. 27. *Lutoſâ humo nihil ſtabile eſt.*

Ibid. ᾧ ἐρράγη τὸ ῥῆγμα τῆς οἰκίας ἐκείνης μέγα] Apollodorus Comicus,

Οἶκος μεγάλου πτώματα γίνεται μέγα.

Ubi πτῶμα eſt quod hîc ῥῆγμα. Ῥῆγμα autem expone non tam ruinam ipſam, quàm ſonitum ſive fragorem ex ruina factum. Sic Æn. 11.

—— *Primique ruinam*
Dant ſonitu ingenti. ——

Ibidem 2.

—— *Ea lapſa repentè ruinam*
Cum ſonitu trahit. ——

Et 8. —— *Tum pondere turris*
Procubuit ſubitò, & cœlum tonat omne fragore.

Ità & Seneca *ruentis ædificii fragorem* dixit cap. 11. de Animi tranquillitate: &, *formidabilem ex ruina ſonum*, 19. 1. A. Gellius. Hoc Italis *ſfoſcio* vocatur.

C A P. VII.

V A L L A.

11. ET *ibant cum illo diſcipuli ejus*] Forma Græca decipit frequenter Interpretem, ut dicat *ejus* pro *ſuus* ſive *ſui*, αὐτοῦ· quale etiam paulò pòſt,

18. *Et nunciaverunt Joanni diſcipuli ejus*] Pro *ſui*, αὐτοῦ.

22. *Pauperes euangelizantur*] Etſi Græcè eſt voce paſſivâ, tamen pro activa (nam apud illos anceps eſt) potiùs acciperem, transferrémque *euangelizant.*

24. *Quid exiſtis in deſertum? videre arundinem vento moveri?*] Parùm Latinè dixit *moveri* pro *qua movetur*, vel potiùs *quæ agitatur*, σαλεύομενον.

25. *In domibus regum ſunt*] Gr. *in regiis ſunt*, ſive *in regnis ſunt*, ἐν τοῖς βασιλείοις εἰσίν.

38. *Et ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus*] Græcè unum magis quàm apud nos verbum eſt: dicitur enim, *Et ſtans juxta pedes ejus retro, flens cœpit rigare pedes ejus lachrymis*, ὀπίσω, κλαίουσα ἤρξατο βρέχειν τοὺς πόδας αὐτοῦ τοῖς δάκρυσι.

42. *Non habentibus illis unde redderent, donavit utriſque*] Græcanicè dixit *utriſque* pro *utrique*, ἀμφοτέροις· etſi magni quidam autores nonnunquam ſic locuti ſunt.

REVIUS in VALLAM.

22. Euangelizant] Vide Matth. 11. 5.

ERASMUS.

2. *Centurionis autem*] Ex hoc loco conſtat quem Matthæus παῖδα vocat non *filium* fuiſſe ſed *famulum*: Δοῦλος enim nihil aliud quàm *ſervum* aut *famulum* ſignificat. ¶ *Erat moriturus*] Ἤμελλε τελεύτᾳν. Vertere poterat *agebat animam*, aut *erat in periculo mortis*, aut certè *incipiebat mori*. Sic enim vertit aliquoties. ¶ *Qui erat illi pretioſus*] Nove dixit. *Charus* enim tum ad Rem tum ad Hominem pertinet, *pretioſus* non niſi ad Rem, niſi per metaphoram. Proinde ἔντιμος vertendum erat *charus*, aut *in pretio habitus*.

4. *Solicitè*] Σπουδαίως *diligenter* ſive, ut magis ad verbum, *ſtudioſè ac ſedulò*. ¶ *Quia*] Conjunctio erit omittenda. Annotandum autem quàm Judaica commendatio, quam non ſine cauſa recenſuit Lucas.

5. *Amat*, inquiunt, *gentem noſtram, & ſynagogam noſtram ipſe ædificavit nobis*] Ad eundem modum & hodie quidam quæſtui prætexentes pietatem adulantur divitibus, *Benignè largiuntur fratribus; extruxit nobis monaſterii partem; favet ordini noſtro; tantum legavit, fraudatis etiam liberis.* Quaſi quod illis datur fortaſſis ad luxum, Deo detur; quod liberis aut cognatis egentibus relinquitur, Deo non detur. Hæc non eò ſpectant ut damnem benignitatem in Monachos, præſertim pios, ſed ut admoneam quoſdam nihil aliud agentes quàm ut capiant divites.

9. *Nec in Iſrael tantam fidem inveni*] Ambroſius oſtendit olim in Latinis cod. hanc fuiſſe lectionem, *In nullo tantam fidem inveni in Iſrael*, cùm juxta Græcos legendum ſit, *Nec in Iſrael tantam fidem inveni.*

11. *Diſcipuli ejus*] Græci addunt *suavi multi.*

21. *In ipſa autem hora*] Ἐν αὐτῇ *In eadem autem hora*: quanquam hoc loco *tempus* ſignificat potiùs quàm *horam.*

22. *Pauperes euangelizantur*] Demiror quid Laurentio acciderit cùm hoc loco mavult *euangelizant* quàm *euangelizantur*: quaſi verò ſenſus ſit, *pauperes prædicaſſe Euangelium*, ac non potiùs *accepiſſe Euangelium.* Etenim ut Græci dicunt, *Euangelizo te* pro eo quod eſt *Adfero tibi bonum nuncium*, ità dicunt, *Ille euangelizatur* pro eo quod eſt *Accipit lætum nuncium*, ut & aliàs indicavimus. Id quanquam ad Apoſtolos pertinere poteſt, tamen hoc non erat argumentum veniſſe Meſſiam quòd Apoſtoli prædicarent Euangelium, ſed quòd humiles & idiotæ reciperentur ad Euangelii gratiam. Dominus autem alludit ad Prophetiam, *Euangelizare pauperibus miſit me.* Hoc indicio ſignificat ſe eſſe Chriſtum. Porrò *pauperes* vocat mites ſive manſuetos, Hebræorum more, quibus עני ab Hieron. vertitur *pauper*, à LXX *manſuetus*; quòd ferè divitias comitetur ferocia, & ferocia indocilis ſit.

24. *Quid exiſtis*] In nonnullis vetuſtis cod. hic locus alio pacto diſtinguitur, *Quid exiſtis in deſertum? Videre arundinem vento moveri? Sed quid exiſtis? Videre Prophetam?* Eadem diſtinctio poſſet eſſe in Græcis, etiamſi id nihil refert ad ſententiam. ¶ *Vento agitatam*] Σαλευόμενον *qua agitatur*, ſive *vacillantem.* Eſt enim paſſivum præſ. temporis. Proinde Ambroſius legit *arundinem vento moveri*, participio verſo in verbum, ut temporis ratio conveniret. Atque ità ſanè legitur in cod. Aureo, in Conſt. aliiſque multis.

25. *In veſte pretioſa*] Ἐνδόξῳ *glorioſa*, ſive *ſplendida.* Nec enim eſt ἔνδοξος, ſive πολυτελεῖ. Quòd ſi Latinè loqui voluiſſet, mutanda erat forma Græcanici ſermonis. Nam illi ὁ ἐν πορφύρᾳ dicunt, *illum qui eſt in purpura*, pro *purpurato* ſive *purpuram induto.* Vertendum igitur erat ad hunc modum, *Qui ſplendido veſtitu utuntur, & in deliciis verſantur, in regiis ſunt*, ſive *in Regum palatiis ſunt.* Eſt enim Græcis ἐν τοῖς βασιλείοις.

26. *Utique dico*] Ναὶ, quod eſt affirmantis.

30. *Spreverunt in ſemetipſos*] Ἠθέτησαν εἰς ἑαυτοὺς *aſſerunt ſibi adversùs ſeipſos.* Sentit enim illos recepiſſe in ſuum bonum, hos in ſuum malum rejeciſſe. Ambroſius legit *in ſe.* Poteſt & εἰς accipi poſitum vice ἐν, atque ità fuerit ſenſus, *intra ſeſe*, h. e. in animo ſuo, cùm non auderent palàm damnare quod impensè placeret populo.

32. *Et loquentibus ad invicem*] Καὶ προσφωνοῦσιν ἀλλήλοις *acclamantibus inter ſeſe.* De cæteris item quæ ſequuntur diximus in Matthæo.

33. *Venit autem*] Ἐλήλυθε γάρ *Venit enim*, ſuffragantibus & antiquis exemplaribus.

34. *Devorator*] Φάγος *edax.* ¶ *Et bibens vinum*] Οἰνοπότης *vinipotor*, ſeu *vinibibus*: contumeliæ vox.

35. *Sapientia ab omnibus filiis ſuis*] Apud Lucam additur *omnibus*, πάντων· ut intelligamus Chriſti doctrinam placuiſſe omnibus qui eſſent filii ſapientiæ. Atque ità legit Ambroſius, nec legit modò verùm etiam interpretatur: atque itidem ſcriptum eſt in libris emendatioribus tum Græcis tum etiam Latinis.

37. *Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*] Καὶ ἰδοὺ γυνὴ ἥτις ἦν ἐν τῇ πόλει ἁμαρτωλός, *Et ecce mulier in civitate quæ erat peccatrix*, ſive *qua fuerat peccatrix.*

38. *Lacrymis cœpit rigare*] Interpres omiſit dictionem κλαίουσα, quæ tamen haud ſcio an addita ſit à ſtudioſo quopiam: ſiquidem per ſe flere intelligitur, & affatim flere, quæ lacrymis rigarit pedes: Καὶ στᾶσα ὀπίσω παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ κλαίουσα, ἤρξατο βρέχειν, *Et ſtans juxta pedes illius à tergo flens, cœpit rigare lacrymis*, &c. Cæterùm conjicere licet triclinium more veterum in edito fuiſſe, ut ſtans attigerit pedes, à tergo lectis patentibus in quibus diſcumbebatur.

39. *Qua & qualis*] Rurſum eſt ποταπὴ, quod alibi Laurentius verti voluit in *quanta*, quod hic certè non poterat, niſi dixiſſet *quanta peccatrix.* Certè vox admirationem habet.

41. *Cuidam fœneratori*] Δανιστῇ· quod non ſolùm *fœneratorem* ſonat, verùm etiam *creditorem.* Nomen verbale à verbo δανίζω, de quo ſuprà diximus. Hoc ſanè loco magis quadrabat *creditori*, quandoquidem de officio loquitur. Alioqui quis unquam audivit fœneratorem condonaſſe cuiquam ære alienum? ¶ *Unus debebat denarios*] *Unus* & *alter* dicendum erat non *alius*, aut *alter* & *alter*, ſi Latinè loqui ſtuduiſſet.

42. *Donavit utriſque*] Ἐχαρίσατο, melius hîc erat *condonavit.* ¶ *Quis ergo plùs diliget?*] Græci habent Τίς οὖν αὐτῶν, εἰπέ, πλεῖον αὐτὸν ἀγαπήσει; *Horum igitur, dic, uter eum plùs diliget?*

43. *Æſtimo*] Ὑπολαμβάνω *Opinor*, ſive *Exiſtimo.*

44. *Pedes meos*] Εἰς τοὺς πόδας μου *in pedes meos.*

45. *Non ceſſavit oſculari*] Οὐ διέλειπεν καταφιλοῦσα. Bellè participium mutavit in verbum infinitum. Eſt enim Græcè *non defecit deoſculans.*

47. *Cui autem minus dimittitur*] Ὀλίγον eſt Græcè, i. *parum* ſive *paulum*, non *minus.*

49. *Intra ſe*] Græcus ſermo anceps eſt. Accipi poteſt *intra ſeſe*, ut cogitarint duntaxat; aut *inter ſeſe*, ut collocuti ſint.

VATABLUS.

1. CUM *impleſſet*, &c.] Hebr. Cùm hæc dixiſſet audiente populo.

2. *Moriturus*] In periculo mortis. ¶ *Pretioſus*] Ἔντιμος, *in pretio habitus: charus.*

3. *Audiſſet de Jeſu*] Sub. *quòd veniſſet Capharnaum.* ¶ *Salvaret*] *Sanaret*, V.

4. *Solicitè*] Vel, *ſtudioſè: ſedulò.*

5. *Et*] *Nam.* Hebr.

7. *Meipſum non*] *Nec meipſum.* ¶ *Dic verbo*] i. jube. Hebr.

8. *Et dico*] Latinè diceretur, *& tamen cùm dico*, &c.

9. *Quo audito, Jeſus miratus eſt*] *Quibus auditis, Jeſus admiratus eſt eum.*

11. *Ejus**] * *Multi.*

12. *Appropinquaret*] *Appropinquaſſet.* ¶ *Unicus*] *Unigenitus.*

14. *Adoleſcens*] *Adoleſcentule.*

16. *Magnificabant*] *Glorificabant*: vel *gloriam tribuebant Deo.*

17. *Circà*] *Circumjacentem.*

19. *Es*] *Erat*: & infrà.

21. *Languoribus* ſuis] Vet. ¶ *Plagis*] *Noxis*: aut, *cruciatibus.*

22. *Reſpondens* *] * *Jeſus.* ¶ *Audiſtis & vidiſtis*] *Vidiſtis & audiſtis.* ¶ *Vident*] *Viſum recipiunt.* ¶ *Pauperes euangelizantur*] Vel, *pauperibus Euangelium nunciatur.*

23. *In me*] Hebr. *per me.*

24. *In deſertum videre?*] Vel, *in deſertum? ut videretis*: & infrà. ¶ *Vento agitatam*] *Qua vento agitaretur.* Vet. legunt *moveri.*

25. *Qui in veſte pretioſa ſunt & deliciis*] Hebr. pro, *qui veſtibus pretioſis induuntur, & in deliciis agunt.* ¶ *Sunt*] i. *verſari ſolent.*

26. *Plus quam Propheram*] *Excellentiorem Propheta.*

27. *Ecce * mitto*] * *Ego.*

29. *Juſtificaverunt Deum*] Hebr. pro, *juſtum Deum eſſe ingenue faſſi ſunt*, i. Dei conſilium probarunt. Nam ſequitur de Phariſæis hujus contrarium, *conſilium Dei ſprevérunt.*

30. *In ſemetipſos*] *Adversùs ſemetipſos*, i. ſuo damno.

32. *Loquentibus adinvicem*] *Acclamantibus inter ſeſe.* ¶ *Lamentavimus**] * *Vobis.*

33. *Autem*] *enim*, q. d. Johannes quidem cecinit vobis lugubria, & non ploraſtis: Chriſtus autem læta, & non ſaltaſtis.

34. *Devorator & bibens vinum*] *Edax & vinipotor.*

35. *Juſtificata*] *Judicata*: ſive *condemnata.* Sic ſæpe apud LXX in V. T.

37. *Qua erat in civitate*] *In civitate, quæ erat.* ¶ *Quòd Jeſus accubuit*] *Quod accubuiſſet.* Vet.

38. *Retro ſecus pedes*] *Ad pedes.* ¶ *Ejus**] * *Flens à tergo.*

41. *Fœneratori*] *Creditori.*

42. *Quis ergo eum plus diligit?*] *Horum igitur, dic, uter eum plus diliget?*

43. *Æſtimo*] *Exiſtimo.*

44. *Suis*] *Capitis ſui.*

47. *Remittuntur ei*] *Remiſſa ſunt ejus.* ¶ *Quoniam dilexit multùm*] Sub. *unde factum eſt quod diligat multùm.* ¶ *Minus dimittitur, minus*] *Parùm remittitur, parùm.*

48. *Remittuntur tibi*] *Remiſſa ſunt tua.*

CASTALIO.

11. *Accidit poſtridie*] Ἐν τῇ ἑξῆς verùs legi puto quam ἐν τῷ ἑξῆς, ut eſt in quibuſdam exemplaribus. Nam cap. 9. 37. illud plene habetur, ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ.

CLARIUS.

28. *Major inter natos mulierum Propheta*] Explicat Euangeliſta Hebraiſmum de quo in Matthæum diximus, ubi legitur, *Non ſurrexit major*, h. e. non exſtitit, non declaratus eſt major Propheta.

29. *Juſtificaverunt*] Hic poſitum eſt ἐδικαίωσαν pro ἐδόξασαν *glorificaverunt:* quòd ſcilicet juſtus eſſet, neque deeſſet iis qui reverti ad ſe vellent.

35. *Et juſtificata eſt*] Et hîc poſitum videtur *juſtificata* pro *honorata:* Omnes, inquit, filii intellexerunt ſapientiam Dei. Sin mavis dicere *juſtificata*, ſic intellige, Declaravit ſe ſapientia Dei omnino juſtam, & à filiis ſuis omnibus agnita eſt, quæ nihil prætermiſerit quod ad hominum ſalutem pertineret.

39. *Sciret utiquè*] Atque idcirco non pateretur ſe tangi: perinde quaſi contactus viri peccatoris, ejúſque quem jam ſceleruin poeniteat, maculare poſſit.

41. *Alius quinquagima*] Is qui minùs agnoſcit ſua debita, minus ſe debere exiſtimat, & ideo minùs diligit: quare dignus eſt ut minùs diligenti minus remittatur: ſed à quo majorem quis gratiam exſpectat, magis etiam diligit; & amplius diligenti plura etiam remittuntur. In hanc ſententiam videtur facta concluſio, cùm dictum eſt, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm: cui autem parùm remittitur, parùm diligit.* Alioqui inveniri poteſt generoſus animus, qui in exigua venia plùs diligat quàm alius in magna. At Euangeliſta, dum breviter multa concludit, videtur quibuſdam in hac concluſione obſcurior, cum dicendo, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm*, cauſam remiſſionis ponit Dilectionem; per id verò quod addit, *cui autem parùm remittitur, parùm diligit*, cauſam dilectionis facit Remiſſionem. Neque verò ſtare ullo modo poteſt quod quidam dicunt, invertendam eſſe ſententiam, & dicendum, *Dilexit multùm, quoniam remittuntur ei peccata multa:* nam hoc nimis eſt violentum, neque ferendum ullo pacto ut tam ingens vis Scripturæ ſacræ adhibeatur, & tanta aperiatur feneſtra iis qui inverteré Divina eloquia conſueverunt. Quamvis enim pro ſe facere putent primùm quòd dictum priùs ſit illum fœneratorem *donaſſe utrique*, hîc verò *remittuntur peccata* non gratis, ſed *propterea quòd dilexit*; deinde quod dictum ſit *plus diligere cui plus ſit donatum*, & paulò inferiùs, *parùm diligere cui parùm remittitur*; tamen non ob hanc cauſam tam monſtroſa inverſio facere facienda. Nam quod dicit *illum donaſſe*, verum quidem eſt: nam legimus *donum Dei eſſe vitam æternam*, quæ tamen & dilectione & rectè factis dari prædicatur. Quod verò ad alteram rationem pertinet, ſenſus totius rei potiùs quàm ſingula verba ſunt conſideranda; alioqui & hîc & pluribus aliis Scripturæ S. locis in multos nos induemus laqueos è quibus non facile poterimus expediri. Hîc ergò cogitandum eſt quid Servator Chriſtus voluerit, nempe ut intelligeret Phariſæus quam ob cauſam peccatricem mulierem tam benigne acceperit eique veniam præbuerit, quemadmodum ſuperiùs fuit dictum. Et vide ut hoc loco ſalutem non ſolùm Fidei tribuat, verùm etiam Charitati, cùm ait, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Recipit ergò utraque ſalutem, quam tamen Chriſti ſanguis nobis comparavit.

ZEGERUS.

2. *QUI erat illi pretioſus*] h. e. quem magni æſtimabat, vel quem unice colebat: ἔντιμος enim dicitur *qui veneratione dignus, & in pretio habetur*, à τιμὴ *honor, pretium.*

3. *Salvaret ſervum ei*] Non magni refert *ſanaretne* legas cum Auguſtino & juxta codices multos, an *ſalvaret* cum P. Chryſologo & Beda, & juxta codices paucìores, niſi quod *ſalvaret* magis accedit ad ſonum vocis Græcæ διασώσῃ.

19. *Tu es qui venturus es*] Non quærit quaſi ignorans, ſed ut diſcipulos ſuos de adventu Chriſti certos reddat.

22. *Pauperes euangelizantur*] Idem quod in codice Matthæi Hebraico 11. 5. eſt ענוים, i. *humiles beatificabuntur*, ut ad verbum reddam, vel *pauperes felices reddentur.* Aut, ſi mavis, *euangelizantur*, i. *lætum accipiunt nuncium.*

28. *Qui autem minor eſt in regno Dei, major eſt illo*] i. ego qui ampliùs me humiliavi in Eccleſia præſtantior illo ſum. De hoc plura in Matthæum diximus 11. 11.

29. *Juſtificaverunt Deum*] h.e. juſtum declaraverunt, ſeu *confeſſi ſunt*, aut *honoraverunt.* Juſtificatur autem Deus dum homines injuſtos ſeſe & peccatores confitentur; id quod in primis fit in ſacri ſuſceptione Baptiſmi: ut non inepte ſubjiciatur *baptizati baptiſmo Johannis.*

30. *Conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos*] i. *adversùs ſemetipſos.* Sentit enim illos in ſuum malum reſpuiſſe Dei conſilium. Poterit & aliter ordinari, ut dicamus illos rejeciſſe Dei conſilium quod erat in bonum ipſorum deſtinatum, recuſantes Baptiſma Johannis, *non baptizati ab eo.*

31. *Ait autem Dominus, Cui ergo ſimiles*] Illud *ait autem Dominus* neſcio an ſit ipſius Euangeliſtæ, propterea quòd multi codices & Beda non habeant.

35. *Et juſtificata eſt ſapientia*] Vide Matth. 11. 16.

38. *Et capillis ſuis terſit*] Hujus loco Græci & aliquot codices Latini habent *capillis capitis ſui terſit.* Sed Ambroſius & Beda prius legunt, Chryſologus poſterius, Serm. 94.

41. *Fœneratori*] Inter *fœneratorem* & *creditorem* hoc intereſt, quòd ille mutuum det ad uſuram, hic citra uſuram; & utrumque ſonat Græca vox δανειστὴς· verùm ad allegoriam magis facit *fœneratoris* vocabulum. Fœnerator quippe Chriſtus eſt, qui talentum concreditum cum uſura repoſcit. Nec abſurdum fuerit, imò fortaſſe utroque melius, ſi in una voce ſimul intelligamus utrumque, & *creditorem* videlicet, quia bona ſua mortalibus committit & credit, & *fœneratorem*, quia concreditum cum fœnore repoſcit. Quòd ſi quandoque iis qui ſolvendo non ſunt ad ipſorum preces condonet, in hoc vel maxime ſuam liberalitatem ſuámque indulgentiam commendat, quòd etiam id remittat unde jure lucrum expoſcere poſſet.

46. *Unguento unxit pedes*] *Unguentum* non eſt illa compoſitio tenax quâ chirurgi ununtur ad vulnera curanda, ſed commiſtio quædam diverſorum odorum addito oleo aut balſamo ad ungenda corpora, deliciarum causâ inventa. Plura habes ſuprà Matth. 26.

STEPHANUS.

2. Ἔντιμος] *In pretio.*

3. Διασώσῃ] *Servaret*: vel, *Eriperet*: morti videlicet.

6. Μὴ σκύλλου] *Ne te fatiges.*

7. Οὐδὲ ἐμαυτὸν ἠξίωσα σπεῦσαι [ἐλθεῖν] *Nec meipſum dignum duxi qui venirem ad te.*

12. Ἦν [συν αὐτῷ] *Cum ea erat*, ſimus proſequens.

14. Ἥψατο τῆς σοροῦ] *Tetigit loculum.*

19. Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος;] *Tune is es qui venturus erat?*

23. Ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί] *Qui non fuerit offenſus in me*, i. ſumptâ ex me offenſionis occaſione.

25. Ὃ

25. Οἱ ἐν ἱματισμῷ ἐνδόξῳ καὶ τρυφῇ ὑπάρχοντες] *Qui in vestitu honorifico & deliciis educantur:* vel, *luxu.*

26. Ἐδικαίωσαν τὸν Θεόν] *Justitiam Dei agnoverunt.*

30. Τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς] *Consilio Dei erga seipsos dare locum noluerunt.*

32. Καὶ προσφωνοῦσιν ἀλλήλοις] *Et qui acclamant alii aliis.*

37. Ὅτι ἀνάκειται] *Eum accubuisse.*

41. Χρεοφειλέται δανιστῇ] *Debitores feneratori.*

42. Ἐχαρίσατο] *Gratiam fecit* debiti, *Condonavit* debitum.

44. Ἐξέμαξε] *Exterfit.*

D R U S I U S.

11. NAin, *Naim*, cum m, non cum n, libri Latini; Naiv, cum ν, non cum μ, Græci. Cui firmando editio Syra; Nam in ea נעים. Si rectè, tum profectò non rectè liber interpretationum, *Naim*, *Pulcher*, *sive Decorus*, i. נעים.

34. *Bibens vinum*] i. *vini potor*, aut *vinubibus*. Græce οἰνοπότης. *Bibere vinum* dicitur, qui se vino inebriat; & שתי יין *bibentes vini*, i. vini potores, qui se vino replent, non qui simpliciter vinum bibunt: quibus opponitur *abstemius*, qui à vino penitus abstinet, ut olim Romulus. Quæ dixi firmabis ex illo Prov. 31. 4. *Non est regum bibere vinum.* Nam hoc dicit, Non debent Reges se vino inebriare. Nam Regibus nunquam interdictum fuit vinum, quod sciam. Ideo autem interdicitur ebrietas, quia mentem aufert, & simul quia Rex custos est populi. Si ebrius fuerit, jam eget alio custode. *Turpe* autem *custodem custodis indigere*, ut dicebat Plato. Utinam hoc omnes qui cum imperio sunt ad cor revocarent.

38. *Lacrymis cœpit rigare*] Hic rursum *cœpit rigare* dixit pro *rigavit.* Frequens locutio, quam antè hoc tempus sæpe observavi. Vide Act. 1. 1.

44. *Aquam pedibus meis non dedisti*] Moris erat ut aquam pedibus darent hospitibus advenientibus peregrè, ut liquet ex Gen. 18. 4. & 19. 2. Jud. 19. 21. & aliunde. Id faciebant vel ut pedes lavarent quos in via maculaverant, vel propter lassitudinem. Aqua enim frigida lassum recreat & reficit; unde illud Solomonis, *Quod aqua frigida animæ lassæ, id est nuntius bonus è terrâ longinquâ.* Nunc quæritur an Simo morem hunc neglexerit; & non videtur, quia Christus peregrè non advenerat, sed tantùm invitatus erat ad vescendum cum ipso; nisi forte quis probaverit etiam vocatis ad convivium aquam præberi solitam. Quod aliis disquirendum relinquo. ¶ *Lacrymis rigavit pedes meos*] Sunt qui existimant in hoc sermone, *lavare pedes aquâ*, nomen *aquâ* redundare. Non redundat. Nam ut demus lacrymas aquam esse, etiam vino lavabant pedes: unde ποδονιπτῆρες οἴνου δι' ἀμυμώνων apud Athenæum, lib. 14.

46. *Oleo caput meum non unxisti*] Ne oleo quidem caput meum unxisti, cùm ipsa unguento, i. oleo bono, pedes meos unxerit. Aut *oleo*, i. unguento. Hiero. Cohel. 7. 1. *Moris est Ebræorum unguentum Oleum appellare.* Moris autem erat ut convivator oleum præberet, quod fundebatur super caput convivarum: quem morem tetigit David Psal. 23. 5. *Pingue facis oleo caput meum:* & Salomo Cohel. 9. 8. *Oleo caput tuum ne deficiat.* In quibus locis *olei* voce unguentum intelligunt, quod *oleum bonum*, i. pretiosum, vocatur.

C A S A U B O N U S.

37. Γυνὴ ἐν τῇ πόλει ἥτις ἦν ἁμαρτωλός] Etsi *peccati* omne genus hæc vox complectitur, tamen de muliere cùm dicitur non male posse verti existimo *scortatrix*: nam id genus mulieres ἁμαρτάδας Græci vocant. Procopius, Αἱ τῶν γυναικῶν ἁμαρτάδες οὐκ ἐς τοὺς ἄνδρας ἥκουσι μόνον, ἀλλὰ καὶ παίδων ἀπωλείαι μεῖζον.

44. Ὕδωρ ἐπὶ τοὺς πόδας μου οὐκ ἔδωκας] Fuit hic mos illarum gentium ut discubituris pedes lavarent: quod etiam apud Græcos in splendidioribus conviviis fuit usitatum. Athenæus l. 14. describens Phoci convivium, Συνελθόντων εἰς τὸ δεῖπνον, λαμπρῶς μὲν ἦν ἡ παρασκευὴ, καὶ τοῖς οἰκείοις προσφιλοποδονιπτῆρες ἀμυμώνων. ¶ Καὶ τὴν θρὶξ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμαξε] Hujus moris exstat vestigium in Romana historia. Legimus enim imminente aliquo Reip. periculo, (ut cùm Annibal esset ad portas) Romanas mulieres solitas Deûm aras suis capillis abstregere.

G U A L T P E R I U S.

11. ΚΑΙ ἐγένετο ἐν τῇ ἑξῆς, *& factum est die sequenti*] Syrus, *die qui est post eum.* Sic enim Syriace & Chaldaice, pro *postero die.*

LUD. C A P P E L L U S.

31. ΤΙΝΙ ὁμοιώσω τοὺς ἀνθρώπους τῆς γενεᾶς ταύτης;] Phrasis est Rabbinica. Sic nempe in Targ. Eccl. 7. 10. אמר לא תימר ארום מן קדמוי עבדו אבהתן דנא מן אבהתך *Homines generationis illius fecerunt opera meliora istis.*

G R O T I U S.

1. ΠΑΝΤΑ τὰ ῥήματα αὐτοῦ, *omnia verba sua*] Dogmata sua, quorum summam superior sermo expresserat. ¶ *εἰς τοὺς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ, in aures plebis*] Erant enim hi λόγοι ἐξωτερικοὶ [*sermones extranei*], non ἀκροαματικοὶ [*interioris auditionis*], ad omnes qui salvi esse vellent pertinentes, non ad Apostolos solos & eorum in docendi munere successores.

2. ἤμελλε τελευτᾶν, *erat moriturus*] Jam jamque moriturus videbatur, קרוב למות [*propinquus erat mortis*]. Eandem hanc esse historiam quæ à Matthæo narratur cap. VIII, certum arbitror ob eas causas quas ad Matthæum attulimus. ¶ ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος· *qui erat apud eum plurimi*] *Quem plurimi dominus faciebat.* Ita enim Græcis usurpatur ἔντιμον ποιεῖν. Non puto igitur rectè verti *pretiosum.* Non enim vendi potuisse magno hunc servum Lucas significatum voluit, sed potiùs bonitatem commendavit Centurionis, qui servulum tam propenso affectu prosequeretur, memor hominem esse, ut Seneca Romanos sæpe monet, & Philemon olim Græcos facetis versibus,

> Κἂν δοῦλος ᾖν τις, ὑπὸ τὸν αὐτὸν ἥλιον, δέσποτα,
> Ἄνθρωπος αὐτός ἐστιν, κἂν δουλεύῃ.
> [*Here, quisquis est homo natus, quamvis serviat*
> *Is servitutem, tamen esse homo non desinit.*]

Sapiens Hebræus dixit, Οἰκέτην συνετὸν ἀγάπατο ὡς ἡ ψυχή σου [*Servum prudentem amet anima tua*], Eccles. VII, 23. Item Εἰ ἔχει τις οἰκέτην, ἄγε αὐτὸν ὡς ἀδελφόν [*Si servum habeat, ut fratre utere*]. quæ Pauli super hac re præceptis congruunt.

3. πρεσβυτέρους τῶν Ἰουδαίων, *Senieres Judæorum*] Ut Magistratus oppidi, aut Præpositus Synagogæ. Nam & hi & illi eo nomine dicebantur.

4. παρέξει, *præstaret*] Vide ad Marcum capite septimo, commate undecimo & duodecimo.

5. Ἀγαπᾷ γὰρ τὸ ἔθνος ἡμῶν, *Diligit enim Gentem nostram*] Nempe ob cultum unius Dei, quem tot inter populos soli ferme Judæi profitebantur: ex aliis gentibus perpauci, qualis alter ille in Actibus Apostolicis Centurio, & Petronius Syriæ Præses, quem à pietate & justitia Philo commendat, Ἀλλ' ἔχε, inquiens, ἣν αὐτὸς, ὡς ἔοικεν, ἐνεσπάσω τι τῆς Ἰουδαϊκῆς φιλοσοφίας ἅμα καὶ δεισιδαίμονος, εἴτε καὶ πάλαι σεμνυνθὲν ἕνεκα τῆς περὶ παιδείαν σπουδῆς, εἴτε καὶ ἀφ' ἧς ἡ χώρα ἐπιτρόπευσιν, ἐν αἷς Ἰουδαῖοι καθ' ἑκάστην πόλιν εἰσὶ παμπληθεῖς Ἀσίας τε καὶ Συρίας, εἴτε καὶ ἡ ψυχὴν οὕτω διατεθεῖσα, αὐτηκόου καὶ αὐτοπαθοῦς καὶ αὐτομαθοῦς τινι πρὸς τὰ σπουδῆς ἄξια φύσει· τοῖς δὴ ἀγαθοῖς ἀγαθὰς ὑπηχεῖν ἔοικε γνώμας ὁ Θεὸς δι' ὧν ὠφελοῦντες ὠφελήθησονται [*Habebat ille, quantum judicari poterat, scintillam quandam Judaicæ & Philosophiæ & pietatis, sive jam olim talia persenserat, utpote literarum studiosus, sive ex quo Asia Syriaque præfuerat, in quarum regionum urbibus singulis Judæi sunt plurimi, sive animo tali præditus qui sponte sua facile audiret, & præciperet & discurret ea quæ suapte naturâ digna sunt in quibus cura ponatur. Solet enim Deus viris bonis bonos suggerere sensus, per quos dum aliis prosunt prosint & sibi*]. ¶ καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν· *& synagogam ipse ædificavit nobis*] Suis impensis, fortè & missum eam in rem usus operâ. Solebant enim Romani ad theatra etiam aliasque substructiones uti manu militari, ne otium in lasciviam verteret. Nec mirum si Synagogæ ædificandæ curam ac sumtum impendit homo Romanus, cùm ipse Augustus (cujus instituta Tiberius sectabatur) venerit necubi Judæi prohiberentur εἰς τὰ συναγώγια συνέρχεσθαι· μὴ γὰρ εἶναι ταῦτα συνόδους ἐπὶ μέθῃ καὶ παρανοίᾳ ἐπὶ συνόδοις δὲ λυμαίνεσθαι τὰ τῆς εἰρήνης, ἀλλὰ διδασκαλεῖα σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης, ἀνδρῶν ἐπιτηδείοντων ἢ χρείαν [*ad synagogas convenire; non enim eos conventus per temulentiam & lasciviam ferri in seditiones ad exitium publicæ pacis, sed scholas esse*

esse castum & justitiæ, constantes ex viris virtutem exercentibus.

6. μὴ σκύλλου· *noli vexari*] *Ne tibimet molestum esto*; aut *ne te fatiga*. ut Syrus.

11. ἐν τῇ ἑξῆς, *postridie*] Ita & Syrus Legit. ¶ πόλιν καλουμένην Ναΐν· *civitatem dictam Nain*] Galilææ hoc oppidum adscribit Hieronymus, & post eum alii. Non dubito quin idem sit locus quem Josephus Orig. xx. cap. v. nominat, κώμας, inquiens, τὰς Ναΐς λεγομένης [*vici, cui nomen Nais*]. Nam & Καφαρναοὺμ, id est, *Capharnaum* alibi κώμην [*vicum*] vocat, & nostris Scriptoribus Bethsaida modò est πόλις, modò κώμη. [*oppidum*]. Obstare videtur quod eam κώμην Josephus adscribere videatur non Galilææ sed Samaritarum regioni. Verùm si quod rectè judico locus Josephi non est integer. Videntur enim ad explendam historiam aliqua deesse. ¶ μαθηταὶ, *discipuli*] Non Apostolos, sed quosvis assiduos sectatores significat.

12. τῇ πύλῃ τῆς πόλεως, *porta civitatis*] Nam sepulchra Judæis extra urbem; ut vidimus Matthæi xxvii, 60. sed & aliis populis: unde *efferendi* vox. Et certe ita postulat ratio publicæ sanitatis, quæ multùm lædi solet aurâ sepulchrorum. Quò magis mirum Christianis ferme omnibus placuisse ut conventus sacri eisdem in locis haberentur in quibus ista sunt cadavera: quod in memoriam martyrum olim inductum, nescio an satis sapienter retineatur. ¶ μονογενὴς, *unicus*] Hoc ad luctûs magnitudinem significandam pertinet. Nam in proverbium transiit apud Hebræos מספד יחיד *planctus super unigena*, Zach. xii, 10. Jeremiæ vi, 26. ¶ Καὶ αὐτὴ χήρα, καὶ ὄχλος τῆς πόλεως ἱκανὸς ἦν μετ' αὐτῆς. *Et ipsa vidua, & turba civitatis multa cum illa*] Hæc frequentior lectio, à qua stant Syrus & Latinus. Nec video quid obstet. Nam ut ἦν [*erat*] subaudiatur etiam ubi non præcessit, omnibus fermè linguis commune est, Hebræis autem usitatissimum. Apparet autem funus non fuisse ignobile cùm exsequias populus frequens iret.

13. ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτῇ, *misericordiâ motus super eam*] Notant veteres in tribus miraculis quæ post sermonem in monte habitum Christus edidit, tria beneficiorum Dei genera nobis ostendi; primum eorum quæ conferuntur ipsis orantibus, ut illi vitiliginoso cujus meminit Matthæus; alterum eorum quæ per aliorum preces alii obtinent, quorum exemplum est in servo Centurionis; tertium eorum quæ nullis precibus quæsita ex mera suapte misericordia Deus largitur: cujus rei in hac historia est specimen. Ad talem autem misericordiam optimo jure referri solet ab Apostolis gentium profanarum vocatio ad cognitionem veri. ¶ Μὴ κλαῖε. *noli flere*] Non tantùm repræsentata, ut hic, sed & exspectata Resurrectio minuere nobis debet luctum ob mortuos. Nam profanas gentes quæ ejus rei aut nullam aut admodum incertam spem habent, in luctum immodicè effundi mirum est, ut nos docet Paulus 1 Thessalonic. iv, 13.

14. ἥψατο τῆς σοροῦ, *tegit loculum*] Σορὸν hic Syrus rectè, ni fallor, ex more inter opulentiores tunc recepto, *lectulum* interpretatur *in quo mortui efferebantur*. Notum illud Martialis,

Invidiosa tibi quàm sit lectica requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Sed & Judæos ita claros ex Josepho discimus. Attigit autem Christus ut sisteret ferentes: quod indicant sequentia. An mortuum etiam tetigerit incertum est: quod etsi fecisset, nihil sanè in eo fecisset contra Legem. Nam ipsa ἐπιείκεια [*æquitas*] dictat eum qui mortuum tangendo in vitam revocet, tactu mortui non pollui, cùm causam ipsam pollutionis auferat. Quare nec Elias nec Elisæus cùm id fecerunt censendi sunt contra Legem fecisse. Hæc melior solutio quàm illa allata ad quæstionem Orthodoxorum xxviii apud Justinum, ubi respondurus auctor defendere nititur Christum ex quo baptizatus & munus suum auspicatus est Legi non fuisse subditum: quod tamen commoda interpretatione leniri posse non nego: cùm sit alioqui παρησκανδαλισμένον [*periculosè dictum*]. ¶ σοὶ λέγω; *tibi dico*] Divinâ illâ potestate qua rebus etiam inanimis imperabat: qua de re diximus alibi. Dei est καλεῖν τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα [*vocare ea qua non sunt, tanquam ea qua sunt*], Rom. iv, 17. Vide Ezech. xxxvii, 4.

15. ἀνεκάθισεν, *resedit*] *Erecto corpore sedit.* ¶ ἔδωκεν αὐτὸν τῇ μητρὶ αὐτοῦ· *dedit illum matri suæ*] Jus parentum facto suo confirmans. Manuscriptus autem ille in Anglia vetus apertiùs id exprimit verbo ἀπέδωκεν [*reddidit*]. Mirum videri potest historiam hanc tam illustrem à Matthæo & Marco omissam. Sed videtur mihi horum uterque contentus fuisse uno exemplo redditæ vitæ in Jairi filia, ex quo similia alia possent intelligi. Quod eò magis necessarium est quia apud Matthæum Christus legatis à Johanne missis ait, νεκροὶ ἐγείρονται [*mortui resurgunt*].

16. φόβος, *timor*] Vide suprà i, 65. ¶ προφήτης μέγας ἐγήγερται, *propheta magnus surrexit*] Προφῆται [*prophetæ*] vocabantur omnes Divinitus missi. *Magnum* autem dicunt, quia non precibus, non corporis superstratione, sed nudo imperio, citra omne exemplum, mortuum vitæ reddiderat. ¶ ἐπεσκέψατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ. *visitavit Deus plebem suam*] Vide suprà i, 68.

21. ἐχαρίσατο, *donavit*] *Misericorditer largitus est*; quod Hebræi dicunt חנן. LXX ἐλεεῖν [*misereri*] solent vertere: Gen. xxxiii, 5, 11. 11 Sam. xii, 22. Psalm. xxxvii, 26.

24. Τί ἐξήλθατε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι; *quid existis in desertum videre?*] Eadem distinctio est apud Matthæum; quam & retinendam censeo. Quærit enim Christus cujus rei videndæ causâ molestum illud iter in loca deserta suscepissent. Vide quæ ad Matthæum.

25. ἐν ἐσθῆτι, *qui sunt*] Cùm ita legerint Latinus & Syrus, alteram lectionem διάγοντες [*qui versantur*], apparet interpretamentum esse.

26. προφήτου; *prophetam?*] De hoc loco vide quæ ad Matthæum.

29. Καὶ πᾶς ὁ λαὸς, *Et omnis populus*] Non potest hoc accipi tanquam à Luca dictum, cùm Johannes jam conjectus esset in carcerem ac proinde baptizare desiisset cùm Christus sermonem præcedentem habuit; ita ut eo quidem sermone commotus nemo ad Baptisma Johannis venerit. Sed narrat Christus quis eventus fuerit laboris à Johanne suscepti: ac planè continua est oratio ad comma usque 35. Πᾶς ὁ λαὸς [*omnis populus*], id est, *populus terræ*, ut loquebantur Judæi, homines illiterati: Hi opponuntur τοῖς νομικοῖς, *in Lege exercitatis*: Sicut τελῶναι [*Publicani*] vitæ impurioris creditis, opponuntur Φαρισαίοις [*Pharisæis*] singularem quandam atque eminentem sanctimoniam pollicentibus. ¶ ἐδικαίωσαν τὸν Θεὸν, *justificaverunt Deum*] Δικαιῶν [*approbare*] prorsum sæpissimè est *approbare*. Τὸν Θεὸν, id est, ut sequitur τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ [*consilium Dei*]. Publicani & de rudi plebe homines summis laudibus ac gratiis prosequebantur eximiam hanc Dei bonitatem qui pœnitentiâ contentus constituisset prioris vitæ flagitia omnia clementer condonare, ejusque rei fidem certam facere tum per Johannem tum per eum qui à Johanne monstrabatur. ¶ Βαπτισθέντες τὸ βάπτισμα τοῦ Ἰωάννου. *baptizati baptismo Johannis*] Ostendit quomodo probaverint Dei consilium, obediendo scilicet. nam Baptisma indicium resipiscentiæ.

30. τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς, *consilium Dei sprevernnt in semetipsos*] Βουλὴ Græcis ut & *consilium* Latinis significare potest, aut *id quod secum quis constituit facere*, aut *quod faciendum alteri censet*. Potest utravis significatio hîc locum habere. Sed prior illa à Syro agnoscitur qui vertit עבד & ni fallor, perpetua est nostris scriptoribus, sive cùm de hominibus agitur, ut infrà xxiii, 51. Actor. v, 38. xxvii, 12, 42. 1 Corinth. iv, 5. Sive cùm de Deo, ut Actor. ii, 23. iv, 28. xiii, 36. Ephes. i, 11. Hebr. vi, 17. Quare tum hîc, tum Actor. xx, 27. hæc significatio potiùs sumenda videtur, ut significetur ipsum Dei propositum: & hoc quidem loco illud propositum Dei, quo clementer decrevit Judæos per Johannem ad resipiscentiam excitare, certâ fide factâ, priores culpas se condonaturum: ut jam dicere occepimus. εἰς ἑαυτοὺς [*erga se*] omnino construendum arbitror cum illo τὴν βουλὴν [*consilium*], ex more Lucæ voces sæpe trajicientis, ut sit τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ εἰς ἑαυτοὺς βουλὴν ἠθέτησαν [*Consilium Dei erga se rejecerunt*]. Nam εἰς pro ל Hebræorum particulâ poni solet, ut ἀποκαταλλάξαι εἰς αὐτὸν [*reconciliare in se*] Colossi. i, 20. Et infrà ix, 13. βρώματα εἰς τὸν λαὸν [*escas in turbam*], id est, τῷ λαῷ [*turbæ*]. Quod enim nonnullis placet εἰς ἑαυτοὺς hîc idem esse quod *suo malo*, non video quo exemplo probetur. εἰς [III *cum accusativo*] pro ἐν [IN *cum ablativo*] poni, quod alii hic præferunt, & apud Græcos usitatum est, & apud nostros occurrit; sed plerumque in loci descriptione, ut ἐβαπτίσθη εἰς Ἰορδάνην, [*baptizatus est in Jordane*], εἰς οἶκόν τινα [*domi est*]. Quare ista quoque interpretatio, quanquam Syro placuit, non videtur simile exemplum habere: ut taceam non de eo agi quod apud se cogitaverint Pharisæi & Legisperiti, sed de eo quod palàm testatum fecerint: sequitur enim μὴ βαπτισθέντες ὑπ' αὐτοῦ [*non baptizati ab eo*]· quod cum illo sensu tacitæ cogitationis non cohæret. Ἀθετῶν rectè ni fallor vertitur *rejicere*, ut infrà x, 16. Johann. xii, 48. Id enim optimè opponitur verbo δικαιοῦν quod est *approbare atque laudare*. Sapiens & misericors

Dei

Dei conſilium in mittendo tam eximio pœnitentiæ hortatore, cum tantis promiſſis, admirati ſunt gratiſque animis exceperunt rudes & vitæ minùs probatæ homines: contra id ipſum aſpernati ſunt hi qui cæteris & doctiores & ſanctiores videbantur freti ritibus & factis quibuſdam ſpecioſis. Docet nos apertè hic locus non uniuſmodi eſſe Dei conſilia. Sunt enim quædam ejus βουλήματος ὃ οὐδεὶς ἀνθέστηκε [*voluntatis cui nemo reſtitit*], Rom. IX, 19. Eſai. XLVI, 10. Hebr. VI, 17. Quanquam & horum quædam προγνωσιν [*præſcientiam*] quandam includunt, ut illa βουλὴ ὡρισμένη [*definitum conſilium*] de Chriſto in mortem tradendo, cujus mentio eſt Actor. II, 23. IV, 28. Hanc βουλὴν ὡρισμένην [*definitum conſilium*] Juſtinus Martyr in Apologetico vocat εἱμαρμένην ἀναγκαῖον [*fatum inevitabile*], cujus exemplum ponit in decreto de remunerandis his qui honeſta delegerint, puniendis qui contraria. Sunt rurſus aliæ Dei βουλαὶ [*conſilia*] quæ relinquunt nobis τὸ ἐφ' ἡμῖν [*liberum arbitrium*], ſive, ut Juſtinus dicto loco Chriſtianam contra Stoicos ſententiam explicans loquitur, τὴν προαίρεσιν [*liberum propoſitum*]. Hæ & poſſunt & nimium ſæpe ſolent ab hominibus ἀθετεῖσθαι [*rejici*], ut illud miſericors Dei conſilium, quod ad Phariſæos non minùs quàm ad alios Judæos pertinebat: unde βουλὴν εἰς ἑαυτὸν dixit hoc loco Chriſtus *conſilium ad ipſos ipſorumque ſalutem pertinens.* Neque id mutabilem facit Deum: nam eximus conſilii non ſuſpenditur, niſi ab ea ipſa conditione quam conſilio ſuo ineſſe Deus voluit; idque optimâ ratione. Nam, ut Juſtinus inquit, εἰκὸς ἦν ἄξιον ἐπαίνου ἢ ἀποδοχῆς ἢ ἀπ' αὐτοῦ ἀπολαύσεως τὸ ἀγαθὸν [*laude aut remuneratione dignus non eſſet, niſi ſua ipſe voluntate eligeret bona*] provocatus jam ſcilicet Divino beneficio. Alibi dixit: *ſi γὰρ ἦν ἀνωφελὲς ἐξ αὐτῶν εἰ εἰκὸς ἦν ἐπ' ἀμφότερα τρέπεσθαι* [*neque enim quicquam horum eſſet laudabile, ſi non eſſet homini liberum in quam vellet partem ſeſe inclinare*]: cui ſimilem ſententiam habet doctiſſimus Athenagoras. Hinc & illud Platonicum Juſtinus approbat, αἰτία ἐκλογῆς [*culpa eligentis*]; idque eo loco ubi non ſuam peculiarem ſed communem ac conſentientem Chriſtianorum omnium ejus ſeculi doctrinam proponit atque propugnat. Utrumque hoc genus conſiliorum Divinorum pulchrè unâ ſententiâ complectitur Proſper, *Qui voluntatem Dei ſpreverunt invitantem, voluntatem Dei ſentiens vindicantem. Spernere* dixit quod hic eſt ἀθετεῖν [*rejicere*], Clementi Alexandrino ὑπερφανεῖν [*ſuperbè contemnere*]; ita enim ait, ὁ Θεὸς ἐκ δούλων ἡμᾶς ἐλευθέρους βούλεται (habes hîc βουλὴν [*conſilium*], εἰ δὲ καὶ ἡμᾶς γενέσθαι ὑπερφανείκασι [*vult Deus nos ex ſervis fieri filios: iſti vero, filii Dei fieri, propter arrogantiam nolunt*]. Multis verbis idem hoc ἀθετεῖν [*rejicere*] Arnobius exprimit adverſùs nationes diſputans, *Si tibi faſtidium tantum eſt, ut oblatis reſpuas beneficium muneris, quinimo ſi tantum ſapientiâ prævales, ut ea quæ offeruntur à Chriſto ludum atque ineptias nomines, quid invitans paceris?* & mox, *an*, inquit, *tibi aſpernanti fugientique infundenda in gremium eſt Divina benevolentiæ gratia? Vis ſumere quod offertur, atque in tuos uſus convertere? conſulueris tibi. aſpernaris, contemnis & deſpicis? tu te muneris commoditate privaveris. Nulli Deus infert neceſſitatem, imperioſa formidine nullum terret. Neque enim neceſſaria noſtra illi ſalus eſt.*

31. Τίνι οὖν ὁμοιώσω, *cui ergo ſimiles dicam*] Cohærent cum præcedentibus. Qui putarunt Lucam interlocutum verbis Chriſti, infarciunt hîc εἶπε δὲ ὁ Κύριος [*ait autem Dominus*], ut ſignificarent rediri ad ſermonem Chriſti. Sed hoc aſſumentum multi veteres codices Græci Latinique non habent. Neque Ambroſius legit, neque Theophylactus, neque Euthymius; ſed nec Syrus, nec Arabs: quare non dubito pronuntiare eſſe παρεμβεβλημένον [*ſpurium*].

32. ἐκλαύσατε, *ploraſtis*] ἐκόψασθε [*planxiſtis*] Matthæus. Solebant conjungi fletus & planctus, ut ex Tragœdiis liquet.

35. Ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς πάντων. *juſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis*] σοφίαν [*ſapientiam*] vocat ſapientiſſimum Dei conſilium, primùm in mittendo Johanne Præcone pœnitentiæ victu multò ſeveriore quàm eſſet Phariſæorum qui vitæ auſteritate ſibi eximiè placebant: deinde in mittendo Jeſu facili ac comi. Δικαοῦν ut ſuprà, hîc quoque eſt *approbare* & *laudare.* τέκνα σοφίας [*filii ſapientiæ*] ex Hebraiſmo dicuntur hi qui idonei ſunt agnoſcere Divinam ſapientiam: tales autem ſunt qui ſe inſipientes & peccatis oneratos agnoſcunt: Nam ſanitatis initium eſt, morbum fateri. Tales qui erant, baptizati ſunt à Johanne, plenius edocti ab Jeſu. Vide quæ ad Matthæum diximus.

36. Ἠρώτα δέ τις αὐτὸν τῶν Φαρισαίων, *Rogabat autem illum quidam de Phariſæis*] Simon nomine, ut mox dicitur, qui olim λεπρὸς [*leproſus*], &, ut credibile eſt, à Chriſto ſanatus Marc. XIV, 3. Nam cur eandem à quatuor Scriptoribus hiſtoriam tradi exiſtimemus cauſæ ad Matthæum allatæ ſunt. Neque Lucas quicquam dixit cur id continuò poſt narratos jam Chriſti ſermones accidiſſe credendum ſit. Quare rectè cenſent qui rerum ordinem hîc ab eo ſpectatum putant. Eſt enim is ordo valde conſpicuus. Nam verbis Chriſti exemplum illuſtre ſubjungitur. Dixerat Chriſtus homines antea minùs laudatæ vitæ peccata ſua agnoſcentes magis eſſe idoneos ad acceptanda Dei beneficia, quàm eos qui ſibi plus æquò placent. Eodem facit hæc hiſtoria, ut explicatio oſtendet.

37. ἐν τῇ πόλει, *in civitate*] Id eſt, κώμῃ [*vico*]; nam ſolent iſta promiſcuè poni. Bethania indicatur, ubi nobilis erat hæc femina Lazari ſoror, Maria nomine. ¶ ἥτις ἦν ἁμαρτωλὸς, *quæ erat peccatrix*] Non publicæ libidinis victima, ſed alioqui vitæ parùm pudicæ, זונה [*femina vitæ parùm pudicæ*], non קדשה [*proſtibulum publicum*] ut diſtinguunt Hebræi. Tales feminas Hebræi propriè & inſigniter *peccatrices* vocabant. Et quid mirum tales ad Chriſtum confugiſſe, cùm & ad Johannis baptiſmum venerint? Matth. XXI, 32. Bene autem monent Interpretes aut ἦν [*erat*] vertendum *fuerat*, aut certè ἁμαρτωλὸν [*peccatricem*], ut Syrus accepit, impropriè dici, non ex præſenti tempore, ſed ex vita anteacta, ut & Galat. II, 15. Quomodo & vox ἀσεβὴς [*impius*] ſumitur Rom. IV, 5.

38. Θεξὶ τῇ κεφαλῇς, *capillis capitis*] Bene notant veteres feciſſe hanc mulierem quod omnes converſos facere vult Paulus cum ita loquitur, ὥσπερ παρεστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν, οὕτω νῦν παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμόν [*ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*]. Rom. VI, 19. Nam feminæ minùs cuſtoditi pudoris maximam comæ curam impendunt,

Quod primum forma decus eſt, cocidere capilli.

itaque Clemens ἀφελοῦσαι τὴν τρίχων [*cincinnos capillorum*] vocat ἑταιρικὰς [*meretricios*] Pædagog. III, cap. XI. ¶ ἤλειφε τῷ μύρῳ. *ungebat unguento*] Non caput tantùm, quòd fieri honoratis hominibus ſolebat, ſed ipſos etiam pedes, ne quid ad ſummam animi demiſſionem teſtandam deeſſet. Pedum unctionem etiam apud Antiphanem & Cephiſidorum Comicos Græcos reperias. Curtius de Indis, *Demtis ſoleis, odoribus illinunt pedes.* Ariſtophanes Veſpis tria quæ hîc ſunt poſuit, ablutionem, pedum unctionem & oſculationem, & quidem in muliebribus obſequiis,

——— Καὶ πρῶτα μὲν ἡ θυγάτηρ με
Λουτρίζῃ κἀκ τοῦ πόδ' ἀλείφῃ κἀπεκτύλιξεν φιλήσῃ.

[——— *Atque imprimis filia grandis*
Lotum permulcet aquis, ungitque pedes, fertque oſcula prona].

ubi Scholiaſtes: παλαιὰ ἡ δίκη τῶν γυναικῶν τιμιλία, καὶ ὅτιος ἐτιμίλων τοὺς πατέρας καὶ γέροντας, ὅτε μὲν τὸ πίνειν ἀλείφειν τοὺς πόδας. Εὐφρόνιος δὲ καὶ τοὺς παρ' Ὁμήρῳ λευκοὺς πόδας ὅτιος ἐκπεδίδοσι τινὰς φησι [*Hæc officia fœminis mandata erant antiquitus: præcipuè verò parentes ſenes filia ſic curabant, ut lotos pedes ungerent. Atque ita* pedes unctos, *quod eſt apud Homerum, à nonnullis explicari refert Euphronius*].

39. εἰ ἦν Προφήτης, *ſi eſſet Propheta*] Leves animi facilè inveniunt quò offendantur. Nam nec Prophetæ omnia ſciverant, ſed ea duntaxat quæ Deo viſum erat ipſis aperire. ¶ ποταπὴ, *qualis*] Cujus vita: nam ſequitur ὅτι ἁμαρτωλός ἐστι [*quia peccatrix eſt*]. ¶ ἥτις ἅπτεται αὐτοῦ, *quæ tangit eum*] Nam Phariſæorum hoc erat ſcitum, contactu hominum flagitioſorum alios inquinari: quod falſum erat. Et cautio de vitando talium hominum acceſſu non debebat ad jam emendatos porrigi.

40. Ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, *Reſpondens Jeſus*] Oſtenſurus notum ſibi tum quæ femina tum quis Simon eſſet, non extra tantùm, ſed & in receſſu intimo pectoris. ¶ ἔχω σοί τι εἰπεῖν. *habeo tibi aliquid dicere*] Comiter à convivatore ſuo poſtulat loquendi veniam.

41. δανιστῇ τινι, *cuidam fœneratori*] חבא חנו; id eſt, *Domino debiti*, Latinè *creditori*. Nam & Latina iſta vox, cum propriè ad mutuum pertineat, cœpit ad omnem debendi cauſam transferri. Sic & Matthæi Interpres quod δάνειον [*mutuum*] dixerat,

dixerat, interpretatus eſt τὸ ὀφειλόμενον [*debitum*]. Extat autem vox utraque & δανειστῆ [*creditoris*] & χρεωφειλέτου [*debitoris*] in Græco Proverb. XXIX, 13.

42. ἐχαρίσατο, *donavit*] Bene Latinus *donavit*, id eſt, *donationis cauſâ remiſit*, ut loquuntur Imperatores in L. Si donationis. C. de donationibus. Sic & cepiſſe videtur qui liberatur obligatione, ut habet Juris regula. ¶ Τίς οὖν αὐτῶν, εἰπὲ, πλεῖον αὐτὸν ἀγαπήσει; *Quis ergo eum plus diliget*]? Quid probabile ſit Chriſtus quærit, non quid neceſſarium. Nam homines de hominibus judicare ſolent ſecundùm id quod probabile eſt.

43. Ὑπολαμβάνω, *Æſtimo*] Rectiùs verti puto *exiſtimo* quàm quod aliis placet *reſpondeo*. Nam quid ſibi probabile videatur reſpondet Phariſæus.

44. Βλέπεις ταύτην τὴν γυναῖκα; *videsne hanc mulierem*]? *Videsne quid hæc faciat?* ¶ Ὕδωρ ἐπὶ τοὺς πόδας μου οὐκ ἔδωκας· *aquam pedibus meis non dediſti*] Comparat Chriſtus Simonem fœminæ: ille etiam communia officia neglexerat; hæc eximia, nec unquam viſa documenta reverentiæ ſuæ in Chriſtum dederat. Cauſa diſcriminis hæc, quod mulier peccatorum magnorum ſibi eſſet conſcia: Simon ſibi ſat placens, quaſi minùs opus Chriſto haberet, proinde quoque minùs eum reverebatur. Solebat aqua dari peregrè adventantibus, ut aliquot teſtimoniis alii probârunt: quibus adde loca 1 Regum XXV, ver. 41. 1 Timoth. V, 10. Venerat autem Chriſtus Hieroſolymis Bethaniam: nam dies Hieroſolymis docendò tranſigebat, veſperis ferme Bethaniam concedebat, ut alibi vidimus.

45. Φίλημά μοι οὐκ ἔδωκας· *oſculum mihi non dediſti*] Etiam hic mos ad peregrè adventantes pertinet. Vide quæ ad Matth. XXVI, 49. ¶ εἰσῆλθεν, *intravit*] Cum hanc lectionem Græci codices nonnulli adhuc præferant & præter Syrum Arabs eam agnoſcat, præferendam alteri cenſeo: quanquam ad ſenſum non multùm refert.

46. Ἔλαίῳ, *oleo*] Quanquam ſolent Hebræi unguenta quævis καταχρηστικῶς [*per tropum duriorem*] olei nomen appellare, ut & Græci, quemadmodum notant Interpretes ad illud Homeri ἰνῶδες ἔλαιον [*ſuaveolens oleum*], dubitandum tamen non eſt quin hoc loco oleum commune intelligi debeat. Eſt enim perpetua ἀντιθετικὸς [*oppoſitio*]. Mulier illa lachrymas impendit pedibus Chriſti proluendis: Simon ne aquam quidem. Illa aſſidua eſt in pedibus Chriſti oſculandis: Simon ne uno quidem oris oſculo Chriſtum excepit. Illa pretioſo unguento non caput tantùm ſed & pedes perfundit: ille ne caput quidem mero oleo: quod perfunctoriæ amicitiæ fuerat. Convivis oleum affundi ſolitum videas & Pſalm. XXIII, 5. Eodemque reſpicit locus Pſalm. XLV, 8.

47. Οὗ χάριν λέγω σοι, ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαί, ὅτι ἠγάπησε πολύ. *Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*] Variæ ſunt admodum hujus loci interpretationes. Quidam putant de ea dilectione hîc agere Chriſtum quæ remiſſionem antecedat. Et ſanè fides illa quæ remiſſionem impetrat ſine dilectione non eſt. Sed ea dilectio ſolet magis aut pœnitentiæ aut fidei etiam nomine comprehendi, cum ἀγάπη [*dilectio*] peculiariter dici ſoleat ἕξις [*habitus*] illa ſolidior quæ fidem & remiſſionem conſequi ſolet, pars ſcilicet præcipua ejus ſanctimoniæ ad quam remiſſionis beneficio invitamur. Solent & Platonici dicere amorem eſſe duplicem, alterum tenerum ante cognitionem plenam, alterum robuſtiorem poſt eandem plenam cognitionem. Illi autem robuſtiori amori nomen ἀγάπης [*dilectionis*] magis convenit, ut videre eſt Rom. XIII, 10. 1 Corinth. XIII, 13. Galat. V, 6. & 1 Petr. I, 22. Ubi purificatio dicitur facta ad dilectionem. Adde quod hæc fœmina non, ut illi exiſtimant, nunc primùm veniam delictorum conſecuta eſt. Accidit enim hæc res paulò ante mortem Chriſti: atque adeò illæ lacrimæ ex audita mortis prædictione natæ videntur: ideoque accipiuntur à Chriſto, non ut ſignum pœnitentiæ, ſed ut ſignum dilectionis. Multò autem ante Maria hæc Lazari ſoror à Chriſto beata erat dicta quod ipſius inſtitutioni tam diligenter immineret, quanquam id Lucas narrat κατὰ προθύστερον [*per præpoſteram rerum & verborum poſitionem*] X, 42. Ibi nomen ejus ponens ubi ſola laus ejus prædicatur: hic ſubticens, ubi prioris vitæ fit mentio; quomodo & Matthæi nomen reticent Marcus & Lucas ubi de Publicano vocato agitur. Erat igitur Maria pridem jam Chriſti diſcipula, pridem Chriſto cara, ut & ex Lazari reſuſcitati hiſtoria liquet. Jam verò & illud durum eſt quod dicunt illius interpretationis Patroni inverti à Chriſto ratiocinationem, & cum priùs dilectionem ſtatuiſſet conſequens condonationis, nunc viciſſim condonationem ponere ut conſequens dilectionis. Nam certè ſi hoc inferre voluiſſet Chriſtus quod ipſis videtur, non ſatis appoſitè videretur interrogationem propoſuiſſe & confeſſionem expreſſiſſe Simoni. Veteres quoque video hujus loci auctoritate uti, ut probent dilectionem naſci ex beneficio remiſſionis, non contra: Irenæus lib. III, cap. XXII, *Munus incorruptelæ conſecutus ab eo ut plus diligeret eum. Cui enim plus dimittitur, plus diligit.* Cyprianus in excerptis ad Quirinum: *Plus ab eo diligi Deum cui in baptiſmo plura peccata dimittuntur.* In Euangelio κατὰ [*ſecundùm*] Lucam: *Cui plus dimittitur, plus diligit: & cui minus dimittitur, modicum diligit.* Alii putant ex dilectione tanquam ſigno probari remiſſionem quæ contigerit. At Chriſtus non hoc ſimpliciter dicit jam remiſſa eſſe illi peccata: ſed ἐμφασιν [*ſignificationis efficaciam*] ponit in voce αἱ πολλαὶ [*multa*], quod & exigebat antecedens interrogatio. Et ſi de ſigno ageretur dicendum potiùs in ſequente membro fuerat, ὃς δὲ ὀλίγον ἀγαπᾷ, ὀλίγον αὐτῷ ἀφίεται [*qui verò parum diligit, parum illi remittitur*]. Sed longior in refutandis aliorum opinionibus non ero: dicam quòd maximè mihi probatur, judicet æquus Lector. Putaverat Phariſæus rejiciendam hanc mulierem à Chriſti contactu ob vitæ impuritatem: Chriſtus contra oſtendere voluit digniorem hanc eſſe ſuo contactu quàm illi ipſi qui factum hoc reprehenderent. Contactu enim digniſſimus ille eſt qui maximè diligit. Hoc autem de illa credi primùm communis ratio exigebat, docens magis nos ab iis diligi quibus plus fecerimus boni: deinde congruebant & facta, quæ Simonis factum, nudam ſcilicet vocationem ad cœnam, multis partibus ſuperabant. His ergo duobus argumentis, communi præſumtione & factorum indicio cùm dilectionem ſui Chriſtus probâſſet, abſtinuit illationem ponere, ut quæ ſponte pateret, digniſſimam ſcilicet hanc fœminam eſſe ſuo contactu. Quod ipſum validius probat addito enthymemate, in quo iterum & illatio & pars argumenti de more ſubticentur. Plena argumentatio hæc eſſet; *Cujus facti gratiâ ac ſpe Deus multa peccata remittit, id factum minimè prohibendum eſt: Hujus autem facti gratiâ ac ſpe, Deus multa peccata mulieri iſti remiſit: non eſt igitur id prohibendum.* Propoſitio conſpicuæ eſt veritatis. Aſſumtio hoc modo probatur. *Solet Deus remittere magna peccata, ut & conſequatur opera magna dilectionis. Hoc autem opus tale eſt. Hujus ergo operis conſequendi cauſâ Deus multa peccata remiſit.* Hujus argumenti aſſumtio jam probata erat collatione facti Simonis & facti mulieris. Nam Simon quin in cœnula Chriſto danda exhibuiſſet factum dilectionis non dubitabat. Illa autem multò plus fecerat. Propoſitio conſentanea eſt Bonitati & Sapientiæ Divinæ. Illuſtratur autem ex oppoſito: nam quia quibus minus remiſſum eſt minus diligunt, ideo Divinæ Sapientiæ convenit magna etiam & multa peccata remittere, ut exſtare poſſint eximiæ dilectionis opera. Apud Valerium Maximum eſt: *non eſſe credibile ut quem tantopere amaret, ab eo invicem non diligeretur.* Videtur mihi hæc expoſitio nihil habere violenti. Nam ὃ χάριν [*propter quod*] plerumque Græcis finem propoſitum ſignificat. Et λέγω σοι [*dico tibi*] ſæpe κατὰ παρένθεσιν [*per interpoſitionem*] interponi ſolet, ut videre eſt apud hunc Scriptorem XII, 5. & apertiùs XIII, 24. & XXI, 10. In remittendis autem peccatis à Deo ut finem ſpectari opera dilectionis multis locis docemur, quorum nonnulla adduximus ad illa Zachariæ, ἀφόβως ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ [*ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviremus illi*]. Irenæus quoque illud ὃ χάριν ἀφέωνται [*propter quod remittuntur*] eodem modo accepiſſe videtur loco jam citato: ἠγάπησεν [*dilexit*] accipio ἀορίστως [*indefinitè*], ſine certi temporis nota, ita ut per præſens reddi non incommodè poſſit. Et ὅτι [*quoniam*] eſt αἰτιολογικὸν [*redditio cauſæ*] ſimus ὃ χάριν [*propter quod*]. Nam ideo hoc & hujuſce ſimilia facta magni à Deo æſtimantur, ita ut eorum ſpe peccata remittat, quia facta hæc magnæ ſunt dilectionis. Eſt ergo hæc verborum Chriſti παράφρασις [*interpretatio prolixior*], *Hujus, inquam, facti ergo, ut hoc nimirum fieret, Deus dignatus eſt illi gratiam facere peccatorum, quæ, ut dicis, & magna & multa ſunt, neque id immeritò: nam quod ex hoc facto apparet, & me & in me Deum ardentiſſimè illa diligit. quod ſi minus illi condonatum eſſet, (ut tu minus tibi condonatum putas), minus quoque diligeret, ut tu minus diligis. Vides ergo conſilii Divini æquiſſimam rationem.*

48. Ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι. *Remittuntur tibi peccata*] Pridem remiſſa ſunt per me, qui cum ea poteſtate in mundum veni. Nam hæc aut addidit Chriſtus, aut vultu geſtuque ſignificavit, ut ſequentia oſtendunt.

49. Τίς οὗτος ὃς καὶ ἁμαρτίας ἀφίησιν; *Quis eſt hic, qui etiam peccata remittit*]? Non puto eſſe Phariſæorum calumniantium, ſed potius aliorum qui in eodem convivio erant admi-

admirantium: quod significare videtur vocula καὶ [*etiam*]: ut sensus sit, *Quis aut quantus hic est qui etiam danda venia jus habet?* Simile loquendi genus est infrà VIII, 25. Matth. VIII, 27. Marci IV, 41. quibus locis manifesta est admirandi significatio.

50. Ἡ πίστις σου σέσωκέ σε· *Fides tua te salvam fecit*] Noli superciliosos istos censores metuere: noli te indignam meo contactu existimare. Fides tua pœnitentiam operata pridem te à vitæ prioris criminibus absolvit. Tertullianus adversùs Marcionem ita in hunc locum commentatur: *Sed & si pœnitentia stimulus ex fide acciderat, per pœnitentiam ex fide justificatam ab eo audiit: fides tua salvam te fecit, qui per Abacuc pronuntiarat, justus ex fide sua vivet.* Cui fortè locis aliquid à Clemente Alexandrino, qui Strom. II. ita loquitur: Πίστις ἄν καὶ ἡ μετάνοια κατόρθωμα· ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσῃ ἁμάρτημα εἶναι ὃ πεποιήκασι, οὐδὲ μετανοήσεται· κἂν μὴ πιστεύσῃ, κόλασιν μὴ ἐκφεύξεται τῷ πλημμελοῦντι, συνηρείας ἢ τῷ κρίνοντι τοὺς ἐντολὰς βαίνοντι, οὐδ' ὅτως μεταβαλεῖται· ἤδη γὰρ καὶ ἡ ἐλπὶς ὁπόθεν πίστεως συνίσταται [*Est ergo & pœnitentia è fide. Nisi enim credideris quis peccatum esse id, cui antèà mancipatus fuerit, non mutabitur. Quod si non & hoc insuper credat, pœnam ei, qui peccet, imminere, salutisque æternæ compotem fore eum qui juxta præcepta vixerit, ne sic quidem mutabitur. Jam verò & spes è fide est*]· ¶ πορεύου εἰς εἰρήνην. *vade in pace*] Abi felix, & felicitatis tuæ conscia & certa.

PRICÆUS.

Com. 2. Ἦμελλε τελευτᾶν] Jam statim moriturus erat. Sic lib. I. Thucydidis, μέλλοντι αὐτῷ ἐντυγχάνειν· & Maccabaico 3. Ἐκ πληγῆς τελευτᾶν μέλλων. Τελευτᾶν μέλλειν hic, Marc. 5. 23. (at in re alia) est, ἐσχάτως ἔχειν. 2 Maccab. 3. 31. ἐν ἐσχάτῃ πνοῇ κεῖσθαι. Lucretius,

Non, ut opinor, illa à letho jam longiter erat.

Recentior, *moribundus erat.* Vulgatus, fortè meliùs, *moriturus erat.* Servius ad Æneid. 10. *Quando dico, moriturus est, verè moriturus est: moribundus autem, non verè, sed similis morienti est.*

Ibid. ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος]

——— *Discrimina quædam*
Sunt famulis, splendorque suus, ———

Claudianus dixit I. in Eutrop. &, ἐν ὑμοδούλοις διαφορὰν καὶ σεμνύμασιν εἶναι, Gregorius Nazianzenus Orat. 40. Hinc ἑαυτὰς τοῖς δεσπότας τιμίους, Simplicius in cap. 31. Epicteti: &, δούλους ἐν τιμῇ παρὰ τοῖς δεσπόταις, 2. 8, & 32. Artemidorus. Idem 5. §. 21. Τὸν δοῦλον αὐτῷ ὃν μάλιστα παρὰ τοῖς ἄλλοις ἐίμεν. Sic *acceptissimum servum* Plautus in Captivis. 4 Reg. 5. 1. de Naamane, *Erat apud Dominum suum*, &c. *honoratus.* Vide & 1 Reg. 26. 21. Ἔντιμον hoc Erasmus *charum* non inconcinnè vertit. De Lygdo Tacitus Annal. 4. *Charus Domino, interque primores ministros erat*: sic *vernulam Pericli charum*, Plinius 22. 17. Vulgatum tamen, qui *pretiosum* vertit, reprehendi nolim: non semper enim vox ea curationis quantitatem notat, sed auctoritate & gratiâ pollentiam (ut & hoc loco) demonstrat. In l. 4. §. 8. ff. de re milit. *Qui eo animo militiæ se dedit, ut sub obtentu militiæ pretiosiorem se adversario faceret*, &c. id est, τιμιώτερον, vel ἐνδοξότερον· quo loco tamen Heraldus, approbante Grotio, *speciosiorem* substituit: póstque eos Salmasius, (cap. 21. ad Jus Atticum, *gratiosiorem* malnit: cùm interim rectè se habeat communis lectio.

Com. 3. Ἀκούσας ἢ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, &c.] Ità & Matt. 14. 13. Marc. 5. 27. 6. 55. Joh. 6. 46.

Ibid. ἐρωτῶν αὐτὸν, &c.]

——— *Postquam mortalia sensit*
Tentamenta mihi, nil artes posse medentum,
Auxilium cœleste petit. ———

Com. 4. παρεκάλουν αὐτὸν σπουδαίως] Quod Marc. 5. 10. παρεκάλουν πολλά. Actor. 20. 2. πολλῷ λόγῳ παρεκάλεσεν.

Ibid. ὅτι ἄξιός ἐστιν ᾧ παρέξῃ τοῦτο] Sic 3. 4. Apocal. Περιπατήσουσι μετ' ἐμοῦ ἐν λεύκοις, ὅτι ἄξιοί εἰσιν. Apud Euripidem Chorus ad Admetum uxorem, ut putavit, morituram deflentem,

——— Ἐγώ σοι πόνῳ οὐ φίλῳ φίλα
Δυσφόρῳ συνοίσω τ' ἄλγη, κἀγὼ γὰρ ἄξια.

In Adelphis Terent.

——— *Dii tibi, Demea,*
Benefaciant, cùm te video nostræ familiæ
Tam ex animo factum velle. Dignos arbitror.

Ovidius Amor. 2. 13.

——— *Precibusque fave, Lucina, puellæ:*
Digna est quæ jubeas munera esse tua.

Com. 5. Ἀγαπᾷ γὰρ τὸ ἔθνος ἡμῶν] Contrà 1 Maccab. 11. 21. ἐπορεύθησαν τινες μισοῦντες τὸ ἔθνος αὐτῶν.

Ibid. καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν] Suis sumptibus. Affectûs specimen in Romano homine planè rarum, nec tamen unicum. Philo de Julio Cæsare, Οὗτος ἐσπούδασε μὲν τὰ ἡμέτερα, ὅσα μόνον ἡ παντοίου ἀναθημάτων πολυτελείαις τὸ ἱερὸν ἡμῶν ἐκόσμησε, φροντίδας καὶ δι' αἰῶνος ἀπόγνωτος θυσίας ἐνδελεχεῖς ἀλαπάντους καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐκ τῶν ἰδίων φροντίσαι ἀπαρχὰν τῷ ὑψίστῳ θεῷ.

Com. 6. οὐ γὰρ ἤμην ἱκανὸς, &c.

——— *Non equidem tali me dignor honore.*

Com. 8. Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπ' ἐξουσίαν τασσόμενος, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας] Id est, ἀνθρώπου ὢν ὑπ' ἐξουσίαν τασσόμενος, ἔχω ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας. (Commutárunt enim hic locos verbum & participium.) Ità D. Augustinus in Psal. 61. de Diabolo, *Potestas ejus sub potestate est.* Et Servius ad Æneid. 1. de ventis, *Acceperunt regem, qui & ipsa quoque alienæ parèrat imperio.* Seneca Tragicus,

Quicquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur.

Ὑπ' ἐξουσίαν τασσόμενος, Imperatoris nempe, atque adeò Tribuni: vide Act. 23. com. 23, & 31. ubi itidem Tribuni in Centuriones, Centurionum vicissim in milites imperii specimen occurrit. ὑπ' ἐμαυτὸν, *sub meâ potestate.* Hesychius, Ὑπ' ἐμοί, ὑπὸ τὴν ἐμὴν ἐξουσίαν· & Suidas, Τῶν ὑπὸ σὲ τεταγμένων· ἢ ὑφ' ἑαυτῷ. Στρατιώτας, centum nempe. Æneid. 9.

——— *Illos centeni quemque secuti.*

Servius,

Quemque Centurionum scilicet, ex more Romanæ militiæ.

Ibid. λέγω τούτῳ, Πορεύθητι, καὶ πορεύεται] Servius ad Æn. I. *Omnis potestas dictûs constat*, i. e. *imperio.* Τούτῳ, στρατιώτῃ nempe. Seneca de Clement. I. 16. *Imperat Princeps civibus suis, pater liberis*, &c. *Tribunus vel Centurio militibus.* Artemidorus 2. 32. Εἰ καὶ ἐλεύθερος ὁ στρατιώτης, ὑπὸν ἴσον ὑπηρετεῖ. Adde ad Apuleji lib. 10. pag. 612. annotata.

Ibid. καὶ ἄλλῳ, Ἔρχου, καὶ ἔρχεται] Ἄλλῳ, ut suprà, intellige στρατιώτῃ. Histaspes apud Xenophontem παιδ. β'. Ἐκάλεσεν αὐτὸν (στρατιώτην) πρὸς ἑαυτὸν· ὁ δὲ μάλα εὐπρόσωπος ὑπῆκουεν. Simplicius in cap. 37 Epicteti, de milite agens, Καθήκει ἢ καὶ ἐπιτάττεσθαι ταχέως ὑπακούειν. Pollux I. 10. Στρατιώτης ἵππευς, ὑπασπιστὴς, πανοπλίτης, πανοπλίτης, κατάφρακτος, ἱππόφορβος. Plutarchus in vita Marii de Caio Lucio, Tribuno; Μετεπέμπετο δὲ Τρεβώνιον (juvenem sub ipso militantem,) ὃ δὴ ἦκεν, αὐτοκελεύστων γὰρ οὐκ ἐξῆν παλύνεσθαι. Pro ἄλλῳ hoc in hodierna Vulgati est *alii*: antiqui autem codices videntur *alio* habuisse. Scriptor de Orthographia, vulgò Bedæ creditus, ALIUS dativum dupliciter effert, ALII, & ALIO: *habes in S. Scriptura*, DIC HUIC, VADE, ET VADIT; ET ALIO, VENI, ET VENIT.

Ibid. Πορεύθητι, καὶ πορεύεται, &c.] Ἔρχου, καὶ ἔρχεται] De his formulis in unum conjunctis vide ad Matth. notata.

Ibid. καὶ τῷ δούλῳ μου, &c.] Servo domestico meo. Vide ad dictum Matthæi locum.

Com. 9. ἐθαύμασεν αὐτὸν] Mirabatur sermonem ejus: sic infrà 20. 26. θαυμάσαντες ἐπὶ τῇ ἀποκρίσει αὐτοῦ.

Com. 12. ἐξεκομίζετο τεθνηκώς] Virgilius,

——— *Tunc corpora luce carentum*
Exportant tectis. ———

Plautus,

——— *Vidi efferri mortuum.*

Glossæ, Ἐκκομίζω, *exporto, effero*: &, Ἐκκομιδὴ νεκροῦ, *funus*,

funus, exequia. Vide ad Andr. 1. 1. Donatum. Non tantùm autem ex ædibus hoc funus, sed & ex urbe efferebatur: id moris vide Matth. 27. 59. Act. 5. 6. nec tantùm apud Hebræos, sed & alibi gentium. Plutarchus in Romanis quæstionibus, τὰς πύλας οὐκ οἴόν τε λῦ ἀφιερῶσαι, δι' ὧν αἱμά τε πολὺ ἢ σίνασθαι ἢ τὰς νεκρὰς ἐκκομίζουσιν.

Ibid. ὡς μονογενὴς ὢν τῇ μητρὶ αὐτῆ] ——— *Matri proles dilecta virebat*
Unica, nec tribuit sobolem Lucina secundam.

In cantico Solomonis 6. 9. Μία ἐστὶν ἡ ἐκλεκτή μου &c. μία ἐστὶ τῇ μητρὶ αὐτῆς. Sic & Judic. 11. 34. Καὶ αὐτὴ λῦ μονογενὴς αὐτῷ· & Tobiæ 3. 15. Ἐγὼ μόνος (i. e. μονογενὴς) τῷ πατρί. Τὸν μονογενῆ dixit & Hesiodus, item Plutarchus in Lycurgi vita.

Ibid. καὶ αὐτῇ χήρᾳ] Hoc ad indicandam majorem matris calamitatem. Vide Baruch. 4. 16. καὶ αὐτῇ, &c. Locutio Lucæ nostro perfamiliaris. Vide ad Act. 15. 32. dicta. Potest & abundare ut infra 8. 41. καὶ αὐτός· & Marc. 1. 19. καὶ αὐτούς.

Ibid. καὶ ὄχλος ἱκανὸς λῦ ζὺν αὐτῇ] In Pluto Aristophanis.

——— Ἦν ἀεὶ αὐτὸν ὄχλος ὑπερφυὴς ἕπων.

heic autem confluxus populi ad funus comitandum. Vide ad Apulei 8. pag. 413. dicta. Παμπομπεῖα φίλων, οἰκετῶν τε καὶ γυναικῶν, inter alia funerum solemnia 2. 54. memorat Artemidorus. Seneca 77 Epistolâ, *Quantus te mortuum populus sequetur! quantus comitabitur!*

Com. 13. ἰδὼν αὐτὴν] Videns planctus ejulatúsque ejus, item alia per quæ muliebris dolor tumultuari solet.

Ibid. ἐσπλαγχνίσθη] Sic infrà 15. 20. Ἰδὼν αὐτὸν, &c. καὶ ἐσπλαγχνίσθη.

Ibid. Μὴ κλαῖε] Flebat enim, & quidem amarius, quia pro unico filio. Seneca,

Qualis peremptum qua flet unicum mater.

Vide ad Apulei 8. pag. 449. dicta.

Com 14. ἥψατο τῆς σοροῦ] Hesychius, ex hoc, ut videtur, loco, Ἥψατο, ἐλάβετο, &c. παρακείμενον· ubi forte ἐφεστηκότων legendum. Tetigit Jesus autem loculum ut sisteret: sic, *tollentibus manum injicere, ut funus morentur*, in Quintiliani Declamationibus: & *manibus torum* (funebrem) *invadere*, 2. Apulei. In Glossis, Σορός, *arca funebris.*

Com. 15. ἀνεκάθισεν ὁ νεκρὸς, καὶ ἤρξατο λαλεῖν] Apuleius, eâdem copulâ, jam citato libro, *Assurgit cadaver, & profatur adolescens:* ubi & *assurgere* est quod heic ἀνακαθίζειν, id est, suberecto corpore sedere. Sic ἀνακαθίζειν ponit & Plutarchus in vita Philopœmenis: & οἷς ἢ πάλιν ἀνακαβίζω ἔθη, Plato in Phædone. Vide Genes. 29. 19. Diversum Act. 14. 10. ἐπὶ τοὺς πόδας ὀρθὸς ἀνάστα.

Ibid. καὶ ἔδωκεν αὐτὸν τῇ μητρὶ αὐτοῦ] Sunt ipsa LXX seniorum verba in re simili 3 Reg. 17. 23. Ms. autem qui in Britannia, forte melius, ἀπέδωκεν legit: sic infrà heic 9. 49. ἀπέδωκεν αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ· quin & *reddendi*, non *dandi* verbo utuntur Latini hujusmodi in argumentis. Apud Apulcium 8. ille, *Meum parvulum ab Inferis ereptum cantu mei reddite:* quo loco pag. 448. annotata vide.

Com. 16. Ἔλαβε δὲ φόβος ἅπαντας, καὶ ἐδόξασαν τὸν Θεόν] Vide supra ad 5. 26. dicta.

Ibid. Ἔλαβε δὲ φόβος ἅπαντας] Vulgat. *accepit autem omnes timor.* Videtur *cepit* legendum. Sic, *cepit me formido* Latine dicimus.

Com. 18. Καὶ προσκαλεσάμενος δύο τινὰς τῶν μαθητῶν] Sic Act. 23. 23. idem Lucas noster, Καὶ προσκαλεσάμενος δύο ἑκατοντάρχους.

Com. 21. μαθηταῖς] Μαθηταὶ hîc, Marc. 3. 10. & alibi, putem esse ἀγγέλους ἢ Σατανᾶ, &c. ut 2 Cor. 12.

Com. 22. ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ ἃ εἴδετε καὶ ἠκούσατε] Non ego quæ facio prædicabo, vos quæ videtis, déque me auditis, Joanni enarrate. Apostolus (modestiæ hujus imaginem imitatus) 2 Cor. 12. 6. Φείδομαι (κενοδοξῶ) μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει με, ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ.

Ibid. εὐαγγελίζονται] Passivè, ut suprà 3. 18. Hebr. 4. 2. Jacob. 2. 5. & alibi.

Com. 24. κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον] In 3 Maccabaico, de Deo R. Ptolemæum puniente, Κραδαίνας αὐτὸν ὡς κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου. Subaudi σαλευόμενον. Plutarchus, & de calamo, lib. πῶς ἑαυτὸν τις ὠφελοῖτο, &c. Τῇ συνήθειᾳ πληγὰς καὶ τρώσεις λαμβάνοντι. Hesychius, Δόναξ, κάλαμος, Κρῆτες, ἀφ' ᾧ τὸ δοντίδιον. Scholiastes vetus Horatii, *Ripa flumineum arundinum sylvâ decoratur, quæ à ventis agitata obscure sonat.* Ovidius,

Ut quatitur tepido fraxina virga Noto.

Adde ad Matth. 11. 7. dicta.

Com. 25. ἐν μαλακοῖς ἱματίοις] Onomasticon vetus, *Mollicina*, μαλακὸν ἱμάτιον. Diodorus lib. 2. de Sardanapalo, Παρφύραν, καὶ τὰ μαλακώτατα τῶν ἐσθήτων ἐνεδεδύκει. Idem 13. de Agrigentinis, Τὴν ἐσθῆτα καθ' ὑπερβολὴν μαλακὴν φορῦντες. Habemus in Ejusdem 4. ἐσθῆτας ἢ τὰ μαλακώτατα τρυφερᾶς· & in Fragmentis, pag. 393. edit. Valesianæ, ἐσθῆτας διαφόρους τῇ μαλακότητι· Artemidori 2. 3. μαλακὴν ἐσθῆτα· & in Basilii Epistolis, τὰ καλαυρὰς τὸ λεπτὸν καὶ μαλακόν. Juvenalis 2.

——— *Cùm tu multitia fumes.*

Scholiastes, *Vestes molli subflamine intextæ.* Adde quæ ad Matth. 11. 8. allata.

Ibid. ἐν ἱματισμῷ ἐνδόξῳ, &c. ὑπάρχοντες] Sic & infrà 16. 23. ὑπάρχων ἐν βασάνοις. Utroque loco ὑπάρχων est διάγων· unde & διάγοντες in nonnullis libris hoc Lucæ loco minùs rectè legitur. Recentior Interpres, *qui vestitu honorifico utuntur:* quasi minùs Latinè Vulgatus, *qui in veste pretiosa sunt:* certè Gellius *in quæstibus & voluptatibus esse*, (id est, *vivere*) 16. 19. dixit. Ἱματισμὸς ἔνδοξος heic est qualis 1 Tim. 2. 8. ἱματισμὸς πολυτελὴς, 2 Maccab. 8. 35. ἐσθὴς δεξιά. Matth. 6. 9. simpliciter δόξα.

Ibid. καὶ τρυφῇ] Est quod infrà 16. 19. καθ' ἡμέραν λαμπρῶς εὐφραινόμενος, ubi & præcessit, πορφύρᾳ καὶ βύσσῳ, ut heic ἱματισμὸς ἔνδοξος.

Ibid. ἐν τοῖς βασιλείοις εἰσὶν] Ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων, Matth. 11. 8. vel, ἐν βασιλείοις αὐλαῖς, ut Plutarchus De in virt. profic. locutus. Ad rem Idem in Solonis vita, Τῷ αὐλῷ (Crœsi Regis) διαπορευομένῳ, (αὐτῷ) καὶ πολλὰς ἐρωτῆσι τῶν βασιλικῶν πολυτελῶς κεκοσμημένων, &c. Adde Ennapium ad Matthæum adductum, ubi & βασιλεία.

Com. 29. βασιλεύσῃς τὸ βάπτισμα, &c.] Ita & infrà loquitur 12. 50.

Com. 30. ἡ βουλὴ ἢ θεῦ ἠθέτησαν] Ἀπειθοῦντες (ut 1 Pet. 2. 8.) εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν. Hoc Actor. 7. 51. ἀντιπίπτετε· ad quem locum annotata vide. Proverb. 1. 25. Ἀκύρους ποιεῖτε τὰς ἐμὰς βουλάς· i. e. ἀθετεῖτε, *irrita facite consilia mea*: quo sensu & in Græco Psalmi 33. 10. Ὁ θεὸς ἀθετεῖ βουλὰς ἐθνῶν· ubi Vulgatus, (quod eodem cadit) *consilia dissipat.* Βουλὴ hîc intellige Τὸ ἢ Θεῦ θέλημα προηγούμενον. Vide ad 1 Tim. 2. 4. dicta.

Ibid. εἰς ἑαυτούς] Construenda cum iis ἢ βουλή. Vult dicere, consilium Dei quod ipsorum salutem spectabat.

Com. 31. ἢ ἡμέρας ταύτης] Ταύτης non sine moerore & animi offensione dictum. Terentius Hecyr. 4. 3. at in vetuli persona,

——— *Odiosa est hæc ætas adolescentulis.*

Donatus, HÆC *cum gemitu pronunciandum est.*

Com. 32. ἐν ἀγορᾷ καθημένοις] Ἐν ἀγορᾷ καθήμενος, est & apud Platonem 2 de Republica.

Ibid. οὐκ ὠρχήσασθε] Subaudi σοὶς τοῖς αὐλοῖς. Hoc 4. 14. apud Pollucem, αὐλοῖς προορχεῖσθαι· &, *musica* (si vera saltem lectio illa) *suppari gressu saltare*, Apulei 6.

Ibid. ἐθρηνήσαμεν, &c.] Lessum incepimus vobis. Pollux 6. 50. Θρηνῶν ἐξαρχος, ἢ θρηνῳδὸς, ἢ ἡ θρηνῶν ἐπαείδων· ubi τὸ θρηνῶν corruptum videtur.

Com. 34. Φάγος καὶ οἰνοπότης] Ità λίχνον καὶ οἰνόληπτον junxit Plutarchus in de liber. educand. Vide ad Matth. 11. 19. dicta.

Com. 35. ἐδικαιώθη] Lege quidem in Hesychio, ἐδικαιώθη, ἴσως ἐμεμίσθη· quæ quo pacto huc trahi possint non video. Videndum an lux iis affulgeat ex Colos. 4. 1. illis, τὸ δίκαιον καὶ ἢ ἰσότητα, παρέχεσθε· at δικαιοῦν dividendi vel partiendi significatu nondum invenire potui.

Com. 36. ἀνεκλίθη] Suidas, ex hoc fortasse loco, Ἀνεκλίθη, ἀνέπεσεν ἐντῇ τραπέζῃ.

Com. 37. ἥτις λῦ ἁμαρτωλὸς] Benè Vir summus Casaubonus latitudinem vocis ἁμαρτωλὸς ad parùm servati pudoris feminas hoc loco restringendam putavit: ita enim & Joh. 8. 11. ad mulierem in adulterio deprehensam, μηκέτι ἁμάρτανε.

Achilles

Achilles Tatius, Ἐμὸς γὰρ αὐτὴν καὶ πρὸς ἄλλους τοὺς ἡμαρτηκότας. Hinc & Judith. cap. 13. ἃ ποιῶν ἡμάρτημα. *Peccare* eodem ſenſu à Latinis ponitur.

Tibullus,

Rumor ait noſtram crebrò peccare puellam.

Petronius,

Et qui ſollicitat nuptas, ad præmia peccat.

Idem de Jove, *In cœlo ſuo non invenit quod eligeret, peccaturus in terris*, &c. Propertius,

—— *Ut noſtra nolint peccare puella.*

Et in l. 6. Cod. de Spectac. & Scenic. *Leones patres, & Dominos, qui ſuis filiabus vel ancillis peccandi imponunt neceſſitatem*, &c. Lactantius 5. 20. *Quid lætro ſacrificans aut gladiator roget, niſi ut occidat? quid venenarius, niſi ut fallat? quid meretrix, niſi ut plurimùm peccet?*

Ibid. ἀλαίβασγον μύρου] Ælianus Var. 12. 18. Ἡ θεὸς ἔδωκεν ἀλαίβασγον αὐτῇ, ἣ εἶχεν αὐτὴ μύρον. Scholiaſtes vetus ad Theocriti eidyll. 15. Ἀλαίβασγος, σκεῦος μύρων ὀνομαζόμενον. Scholiaſtes vetus Ariſtophanis ad Acharnenſes, Ἀλάβασγον, μυροθήκην. Vide ad Matth. 26. 7. dicta.

Com. 38. κλαίουσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω] Inter miniſtrantes, qui retrò (id eſt ſecus pedes diſcumbentium) ſtabant. Martialis,

At ille retrò flexus ad pedum turbam.

Idem,

Omnia cùm retrò pueris obſonia tradis,
Cur non menſa tibi ponitur à pedibus?

Com. 39. ὁ καλέσας αὐτὸν] Convivator, ſic infrà 14. 9. Ὁ σὲ καὶ αὐτὸν καλέσας.

Ibid. Οὗτος, εἰ ἦν προφήτης, ἐγίνωσκεν ἄν, τίς καὶ ποταπὴ ἡ γυνὴ ἥ τις ἅπτεται αὐτοῦ] Hinc Sareptanæ illud, 3 Reg. 17. 18. ad Eliam Prophetam, *Ingreſſus es ad me ut remoremerentur iniquitates meæ?* Vide & Joh. 4. 19. Τίς καὶ ποταπὴ, Vulgat. *quæ & qualis.* Sic *quiſve, vel qualis*, lib. 5. Apulejus dixit, & *quis qualiſque* Plinius in Epiſtolis.

Ibid. ὅτι ἁμαρτωλός ἐστι] Sunt ἐξηγήσεις præcedentium, ἐγίνωσκεν ἄν, &c. Similis ejuſdem Lucæ locutio Act. 16. 3. illa, Ἦδεισαν ἅπαντες ὅτι Ἕλλην ἐστί.

Com. 40. Καὶ ἀποκριθεὶς] Non malè ſubintelliges, Phariſæi cogitationi, quæ animi ejus quaſi ſermo erat. Hinc Matth. 9. 4. de eodem Jeſu, ἰδὼν τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν, εἶπεν, &c. & infrà heic 9. 47. ἰδὼν τὸν διαλογισμὸν τῆς καρδίας αὐτῶν. At verò ἀποκρίνεσθαι de eo dici non ſolùm qui reſpondet, ſed & qui ſermonem inchoat, ad cap. 2. Matthæi indicavimus. Adde Matth. 11. 25. & 12. 38. Joh. 5. 17. Actor. 3. 12. & 5. 8. 1 Maccab. 2. 17. atque ità heic eam vocem fuerit melius intelligere.

Ibid. ἔχω τί σοι εἰπεῖν] Recentior, *habeo quiddam quod dicam tibi.* Vulgatus, *habeo tibi aliquid dicere:* quod non eſt cur ut barbarum damnemus; ut nec infrà 12. 50. ejuſdem illud, *habeo baptiſma baptizari.* Apud Gellium 20. 9. Grammaticus ille, *Si quid quærere habes, quæras licet.* Vide ad Tit. 2. 8. dicta.

Ibid. εἰπὲ] Ità apud Terentium ille,

—— *Auſculto, loquere quid velis.*

Com. 42. Μὴ ἔχοιεν ἧ αὐτῶν ἀποδῶναι] Diodorus Siculus apud Photium, Μὴ ἔχων ἀποδοῦναι.

Ibid. Τίς ὃν αὐτῶν] Τίς heic, ut ſæpe alibi, pro πότερος.

Com. 43. Τπολαμβάνω ὅτι ᾧ τὸ πλεῖον ἐχαρίσατο] Seneca 73 Epiſt. *Neptuno plus debere ſe judicat ex his qui eâdem tranquillitate uſi ſunt, qui plura & pretioſiora illo mari vexit: animoſius à mercatore quàm à vectore votum ſolvitur: & ex ipſis mercatoribus effuſius gratus eſt, qui odores & purpuras & auro penſanda portabat, quàm qui viliſſima quæque & faburra loco futura congeſſerat.*

Ibid. Ὀρθῶς ἐκρίνας]

—— *Perſuades hoc tibi verè.*

In Equitibus Ariſtophanis,

Τυτὶ μὲν ὀρθῶς ἧ φρονίμως ἤδη λέγεις·

& apud Comicum Latinum Heautont.

Videre verum, atque ità uti res eſt, dicere.

Com. 44. ὕδωρ ἐπὶ τοὺς πόδας μου οὐκ ἔδωκας] Fortè meliùs εἰς τοὺς πόδας legas: *ad pedes*, nempe lavandos. Sic 9. 3. εἰς τὴν ὁδὸν, *ad viam*, conficiendam ſcilicet: & ibidem com. 13. εἰς τὸν λαὸν, paſcendum nempe: item 15. 22. δακτύλιον εἰς τὴν χεῖρα αὐτοῦ, καὶ ὑποδήματα εἰς τοὺς πόδας, h. e. ad manum, & pedes ejus induendos: niſi frigidâ fortè fallacique opinione quis dixerit illud ἐπὶ heic poni, quia pedibus aqua ſolet ἐπιχεῖσθαι.

Com. 45. ἀφ' ἧς] Subaudi ὥρας. Sic ἀφ' ἧς, nempe ὥρας, vel ἡμέρας, 2 Pet. 3. 4. & infrà 13. 25. Lucas noſter, ἀφ' οὗ, nempe καιροῦ, dixit.

Ibid. οὐ διέλιπε καταφιλοῦσά μου τοὺς πόδας] Ità Geneſ. 45. 15. καταφιλήσας τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. Hoc eſt id quod *hærere oſculis* Latini dicunt: Apulejus, *multùm diùque deoſculari.* Apud Ariſtænetum, 1. 16. & de muliere, Πεφίληκεν, ἔτω προσφύσασα, &c. ὥστε μόλις ἀποσπάσαι τὰ χείλη. Satis hîc fuerat dicere, οὐ διέλιπε φιλοῦσά μου τοὺς πόδας· vel (quod idem implet) καταφιλοῦσά μου τοὺς πόδας· οὐ enim nonnunquam in adjectivis (ut in καταειδωλος, καταδένδρος, κατάκαρπος, &c.) copiam & ubertatem notat. Conjunxit autem Lucas utrumque ut locutio magis intenderetur.

Com. 47. Οὗ χάριν] Eſtne Latiniſmus? *Veteres Gratiâ pro Cauſa dicebant*, Donatus ad Terentium. Οὗ χάριν, *cujus gratiâ*, eſt & in vetere Gloſſario.

C A P. VIII.

V A L L A.

9. *Interrogabant eum diſcipuli ejus*] Jam admonui dicendum fuiſſe *diſcipuli ſui.*

16. *Aut ſubtus lectum ponit*] *Subter lectum* dicendum erat; quia *ſubtùs* adverbium eſt. Apud Græcos adverbia multa vim habent præpoſitionum.

17. *Quod non cognoſcatur, & in palam veniat*] Neque Latinè dicitur *in palam*, neque Græco reſpondet, quod eſt *in apertum*, εἰς φανερόν.

19. *Venerunt autem ad illum mater & fratres ejus*] Nimis frequenter fortaſſis admoneo fuiſſe dicendum *mater & fratres ſui*, non *ejus.*

24. *Suſcitaverunt eum, dicentes, Præceptor, perimus*] Græcè eſt geminatum, *Præceptor, præceptor*, quod eſt hominis ſoliciti & anxii, & quia non ad primam vocem excitari voluit Jeſus. Ἐπιστάτα, ἐπιστάτα.

26. *Geraſenorum*] Gr. *Gadarenorum*, Γαδαρηνῶν.

27. *Occurrit illi vir quidam qui habebat dæmonium*] Deſunt duo verba: nam ſic legendum eſt, *vir quidam ex civitate*, ſive *ex urbe, qui habebat dæmonium.* ἐκ τῆς πόλεως.

29. *Agebatur à dæmonio in deſerto*] Melius ubi legitur *in deſerta*, εἰς τὰς ἐρήμους.

48. *Vade in pace*] Neſcio an ſit potiùs dicendum, *vade in pacem*: accuſativus enim Græcè eſt, εἰς εἰρήνην.

52—56. *Nolite flere: non eſt mortua, ſed dormit. Et deridebant, ſcientes quia mortua eſſet. Ipſe autem tenens manum ejus clamavit, dicens, Puella, ſurge*, &c. *Et ſtupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat*] Cur *præcepit parentibus puellæ ne cui dicerent quod factum erat*, ſi aderant illi qui deriſerant negantem eſſe puellam mortuam, ſed dormientem? Aut cur ſoli parentes obſtupuerunt? Ergò non aderant alii. Itaque ſciamus ità eſſe Græcè, *Et deridebant eum, ſcientes quia mortua eſſet. Ipſe autem, ejectis foràs omnibus, & captâ manu illius, vocavit, dicens,* Αὐτὸς δὲ ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, καὶ κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς, ἐφώνησε, λέγων.

R E V I U S in V A L L A M.

54. Ἐκβαλὼν ἔξω πάντας] Ità conſtanter in omnibus Græcis codd. ſcriptum inveniri cùm fateatur Eraſmus, tamen punat adjectum ex Matthæo & Marco; & rationes Laurentii naſo ſuſpendit. Sed cùm Eraſmi judicium à Beza refellatur, eo labore ſupersedebo: adeat lector ejus notas, & ſatis tutum Laurentium videbit ab Eraſmi cavillis.

E R A S M U S.

1. *Per civitates & caſtella*] Veteres codices habent *per civitatem & caſtellum* numero ſing. nimirum Græcis

ad verbum redditis, κατὰ πόλιν καὶ κώμην. Verùm id perinde valet Græce acsi dicas *oppidatim & castellatim*, i. *per singulas civitates & castella.* Unde Interpres non omnino perperam mutavit numerum.

4. *De civitatibus*] Καὶ τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων *eorum qui oppidatim accedebant*, h. e. è singulis civitatibus.

7. *Inter spinas*] Ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν *in medio spinarum.* Quanquam & hoc rectè mutavit Interpres. ¶ *Et exorta spina*] Καὶ συμφυεῖσαι αἱ ἄκανθαι *simul enatæ spinæ*, h. e. unà cum herba segetis.

13. *Nam qui supra petram*] Οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, οἵτινες ὅταν ἀκούσωσι, *Qui verò in petra, qui cùm audierint:* ut subaudias *seminati sunt*, aut *semen acceperunt.* ¶ *Quia ad tempus credunt*] Οἵτινες *qui* est, non *quia* ὅτι, suffragantibus etiam vetustis exemplaribus.

14. *Euntes suffocantur*] Pro *euntes* Græce est πορευόμενοι. Apparet hoc participium non usurpatum ut sit deponens, sed ut sit passivum à πορεύω, quod ut constat significare *ago* sive *duco*, ita haud scio an idem significet *copiam adfero:* idem enim est πορῶν, & παρέχω· ut ordinemus ad hunc modum, συμπνίγονται πορευόμενοι ὑπὸ μεριμνῶν καὶ πλούτου καὶ ἡδονῶν, *suffocantur dum obruuntur à curis ac divitiis & voluptatibus.* Verùm hoc lectoris eruditi judicio relinquo. Nam intelligi potest, *progressu temporis accrescente divitiarum copiâ.* Quid si πορευόμενοι dictum est pro ἐμπορευόμενοι, ut ad negotiatores pertineat? ¶ *Non referunt fructum*] Τελεσφοροῦσιν. Unicam dictionem Græcam duabus reddidit. Sonat autem Græca vox non solùm *fructum* sed *fructum perfectum & absolutum suo tempore.* Herbescunt enim & illa semina, cæterùm non edunt fructum quem exspectat agricola. Τέλος Græcis ut significat *finem*, ità etiam significat *vectigal*, sive *emolumentum quod ex re quacunque capitur.* Hoc sensit Euripides cùm dixit τῶν ἀχαλίνων σωμάτων τὸ τέλος εἶναι δυσχάλινον. Ex arbore mala malus fructus provenit. Idem Græcis sonat φόρος ab *adferendo*, sicut τέλος à *fine*, quòd fructus suo tandem tempore proveniunt. Hinc composita vox τελεσφορεῖν.

15. *Bono & optimo*] Ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ *in corde honesto & bono:* utrumque positivum est. Sed conduplicatio facit ad epitasin, q. d. *egregie bono.* Hoc loco in quibusdam libris comperi adscriptum, Ὃ ἔχων ὦτα, ἀκουέτω.

16. *Subtus lectum*] Valla rectè mutat *subtùs* adverbium in *subter* præpositionem.

17. *Quod non manifestetur*] Græcis utrumque verbum futuri temporis est, φανερὸν γνωσθῇ, & γνωσθήσεται. Proinde mutato duntaxat verbi modo, sic commodè reddidisset, *Nihil occultum quod non futurum sit manifestum; & nihil absconditum quod non sit cognoscendum & in propatulum venturum.* ¶ *In palam*] Εἰς φανερὸν *in apertum*, aut *in propatulum.* Nec Latinè locutus est Interpres, nec Græca reddidit verba.

18. *Videte igitur quid audiatis*] Πῶς ἀκούετε *quomodo audiatis.* ¶ *Qui enim habet*] Ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ *quicunque enim habet*, sive *habuerit.* ¶ *Quod putat se habere*] Ὃ δοκεῖ ἔχειν *quod videtur habere.* Licet Græcus sermo ancipitem habeat sensum, *videtur habere sibi*, & *videtur aliis.*

19. *Et non poterant audire*] *Adire* legendum est suffragantibus vetustis codicibus. Nam Græce est οὐκ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ *non poterant convenire eum.* Verùm id non accidit Interpretis culpâ sed librariorum.

22. *In naviculam*] Εἰς πλοῖον *in navim:* ut hunc præter diminuta nihil delectat. ¶ *Transfretemus trans stagnum*] Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης, *Transeamus in ulteriora stagni.* Non jam excutio an apte dicatur *transfretari stagnum*, cùm *fretum* sit rapidum, *stagnum* à *stando* nomen habeat, quemadmodum & λίμνη Græci dictam putant ἀπὸ τοῦ λίαν μένειν. Quanquam Homero & Oceanus dicitur λίμνη, ut in Iliade,

Ἠλίῳ δ' ἀνόρουσε λιπὼν περικαλλέα λίμνην.

Et hic lacus Tiberiadis alicubi *mare* dicitur Euangelistis. Siquidem hunc esse lacum indicat Hieronymus in Locis Hebraicis, *Gergesa*, inquit, *ubi qui à dæmonibus vexabantur Salvator restituit sanitati: hodieque super montem viculus demonstratur juxta stagnum Tiberiadis, in quod porci præcipitati sunt.* ¶ *Ascenderunt*] Ἀνήχθησαν potiùs est *solverunt*, h. e. discesserunt à litore subducti.

23. *Compellebantur*] Hoc scio depravatum à librariis; tamen quia tam propè accedit ad veram lectionem, ne invalescat error, admonendum duxi *complebantur* esse legendum, concordantibus & vetustiss. exempl. Latinis, nominativo Aureo: συνεπληροῦντο. Latinus quidam codex addit *fluctibus.*

24. *Præceptor*] Gr. ἐπιστάτα, ἐπιστάτα, *Præceptor, præceptor:* ut intelligat & Jesum altum dormisse somnum, & Discipulos instanter inclamasse. ¶ *At ille surgens*] Ὁ δὲ ἐγερθεὶς *At ille experrectus.*

26. *Gerasenorum*] Τῶν Γαδαρηνῶν *Gadarenorum:* de quo jam ante non semel disseruimus.

27. *Vir quidam*] Græci addunt ἐκ τῆς πόλεως *è civitate:* quod tamen nusquam additum reperio apud Latinos; nec ex Ambrosianis Commentariis conjicere licuit illum ita legisse. Apud Theophylactum Græcum reperio. Quanquam magis vertendum erat *ex ea civitate*, ut accipias dæmoniacum prodisse è civitate Gadara.

29. *Arripiebat illum*] Συνηρπάκει αὐτὸν *corripuerat illum.* ¶ *Et compedibus custoditus*] Καὶ πέδαις φυλασσόμενος καὶ δεσμοῖς διαῤῥήσσων τὰ δεσμὰ ἠλαύνετο, *& compedibus servabatur: ac disrumpens vincula, agebatur*, &c. Quod tamen molliùs verti potuit ad hunc modum, *cumque compedibus servaretur, tamen disrumpens vincula ferebatur à spiritu.* ¶ *In deserta*] Εἰς τὰς ἐρήμους, *in deserta*] ut subaudiamus *loca.* Atque ita legitur in codicibus Latinorum emendatioribus.

31. *In abyssum*] Græca vox est; Latine *vorago* dicitur.

33. *Præceps*] Κατὰ τὸ κρημνῶ *per præceps*, sive *per præcipitium.* Et sic habent vetustissimi Latini codices.

36. *A legione*] Ὁ δαιμονισθεὶς *à dæmonio vexatus*, sive *à dæmonibus agitatus.*

37. *Multitudo regionis Gerasenorum*] Ἅπαν τὸ πλῆθος τῆς περιχώρου τῶν Γαδαρηνῶν, *universa multitudo regionis undique finitima Gadarenis.* Ambrosius aut legit *Gerasenos*, aut eosdem putavit *Gerasenos* & *Gadarenos*, cum paulo post ait, *Reliquerat in Gerasenis synagogam Christus*, &c.

38. *Dimisit autem eum Jesus, dicens*] Quoniam Interpres alicubi usurpat *dimisit* pro *sivit* sive *permisit*, sciat lector hîc esse ἀπέλυσεν, h. e. *non passus est esse secum, sed ablegavit à se.*

42. *Et hæc moriebatur*] Ἀπέθνησκεν. Poterat esse *& mortua erat:* ut intelligamus jam tum puellam exspirasse, licet nondum sciret pater, qui reliquerat agentem animam. Imò haud scio an hoc verbo secùs liceat uti. ¶ *Et contigit dum iret*] Etiamsi ad sensum nihil omnino habet momenti, tamen in Græcis quos ego viderim non additur δὲ αὐτοῦ. ¶ *A turbis comprimebatur*] Οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτόν *turba suffocabant eum*, h. e. constringebant & arctabant: diversum verbum ab eo quod mox vertit *comprimunt.*

43. *Quæ in medicos erogaverat*] Ἥτις εἰς ἰατροὺς προσαναλώσασα ὅλον τὸν βίον, *in quam* (ἣν) ὑπὸ οὐδενὸς θεραπευθῆναι, *quæ cùm insumpsisset in medicos totam substantiam, non potuit à quoquam sanari.*

45. *Turba te comprimunt & affligunt*] Συνέχουσί σε καὶ ἀποθλίβουσι. Malim *coarctant te*, sive *distringunt te, atque affligunt.*

46. *Nam & ego novi*] In Græcis tantùm est *nam ego novi*, consentiente exempl. Paulino, sed dissentiente Corbeiens. Ambrosius consentit cum Paulino. ¶ *Virtutem de me exisse*] Ἐξεληλυθυῖαν ἀπ' ἐμοῦ. Rectè sanè hoc loco Interpres mutavit participium in verbum infinitum; quod tamen in Matthæo & Marco non fecit.

48. *Vade in pace*] Εἰς εἰρήνην *in pacem:* quæ Græca præpositio anceps est.

49. *Venit quidam ad principem synagogæ*] Ità quidem constanter habebant Latini codices, etiam vetusti. Ex Ambrosio non liquet quid legerit. Cæterùm Græce est ἔρχεται τοῦ ἀρχισυναγώγου, λέγων αὐτῷ, *à principe synagogæ, dicens ei.* Verùm offensus aliquis absurditate quam primâ fronte præ se fert sermo, mutavit *à principe* in *ad principem.* Atqui erat subaudiendum *Domo*, ut fieri solet in hujusmodi orationibus. Verùm de hoc quoque superiùs dictum est copiosius in Marc. 5. 35.

54. *Ipse autem*] Hic addunt Græci ἐκβαλὼν ἔξω πάντας *foras ejectis omnibus:* id quod additur in cæteris Euangelistis. Quanquam apud Ambrosium non reperio additum; & haud scio an aliunde huc transcriptum sit. Argutatur Valla non convenire parentes solos obstupuisse, si turba aderat illa tota cujus ante facta est mentio. Præterea, *quorsum attinebat*, inquit, *interdicere ne cui dicerent, si res toti testibus acta est?* Ob hæc necesse putat adjici hæc verba, quæ sanè in Græcis codicibus constanter adscripta visuntur, *ejectis omnibus.* Mihi, ut dixi, videntur ex Marco ac Matthæo addita, quorum uterque testatur turbam fuisse ejectam. Matthæus 9. 24, 25. narrat *turbam ejectam*, idem dicens quod Marcus 5. 40. qui prodidit *omnes fuisse ejectos, præter parentem utrumque puellæ, ac Discipulos quos secum habebat*, nimirum tres, *Jacobum, Petrum & Joan-*

Digitized by Google

Joannem, quos paulo ante ſolos juſſerat ſequi. Neque erat cauſa cur hîc adderetur *ejectis foras omnibus*, cum Lucas paulò antè teſtatus ſit Jeſum non paſſum eſſe quenquam ingredi eò ubi funus erat puellæ præter patrem & matrem ac tres modò dictos Diſcipulos. Quos ſi ejectos intelligamus, quomodo dicuntur *obſtupuiſſe?* Neque periculum erat ne res celari non poſſet, tam paucis teſtibus geſta. Nihil eſt igitur quod hoc loco cavillatur Laurentius. Unus modo ſcrupulus reſtat; Si juxta Lucam Jeſus non eſt paſſus turbam ingredi, quomodo dicitur *ejecta?* Sed fieri potuit ut in veſtibulo aut in atrio conſiſterit turba, funus autem in interioribus ædibus poſitum fuerit.

55. *Et reverſus eſt ſpiritus ejus*] Ἐπέστρεψε, *converſus* potiùs quàm *reverſus:* niſi fortè interpres legit ἀνέστρεψε.

VATABLUS.

1. *ET ipſe iter faciebat*] *Ut ipſe iter faceret.* ¶ *Per* * *civitates*] * *Singulas.* ¶ *Caſtella*] *Oppida.*

4. *De* * *civitatibus*] * *Singulis.*

5. *Seminat*] *Seminabat.*

7. *Exorta*] *Enata.*

8. *Qui habet aures*, &c.] i. Audiat is cui à Deo donatum eſt ut audita intelligat. Lege Deut. 29.

9. *Diſcipuli ejus**] * *Dicentes.*

10. *Myſterium*] *Myſteria:* vel *arcana*, i. obſcura quæque quæ ad Regnum Euangelicum pertinent.

11. *Eſt autem hæc parabola*] *Eſt* pro *Significat*, more Hebræorum.

12. *Qui autem*] *Illa autem:* ſub. *ſemina ſeminata.*

13. *Nam qui*] *Quæ autem:* ſub. *ſemina jacta ſunt.* ¶ *Et hi*] *Et* pro *at.* Heb. ¶ *Quia*] *Qui*, Vet. ¶ *Recedunt*] i. deficiunt à Deo & Chriſto.

14. *Euntes*] Vel, *ſequentes* illas. ¶ *Referunt fructum*] Τελεσφορεῖν *fructum perfectum & abſolutum ſuo tempore proferre* ſignificat.

15. *Bono & optimo*] *Honeſto & bono.* ¶ *Fructum afferunt*] i. illud alios docent. ¶ *In patientia*] Vel, *per patientiam.*

17. *Non eſt enim occultum*] Subaudiendum ex Matth. 10. 26. *ne timueritis eos.* ¶ *Manifeſtetur*] Vel, *manifeſtari debeat.* Vide Marc. 4. 22. ¶ *Palam*] *Propatulum.*

18. *Quid*] *Quomodo*, Vet. i. Habete rationem doctrinæ quam auditis. ¶ *Qui*] *Quicunque.* ¶ *Habet*, &c.] i. conſtanter retinet doctrinam auditam, copioſiùs dabitur illi. ¶ *Quod putat ſe habere*] i. quod initio accepit.

20. *Nunciatum eſt* * *illi*] * *Dicentibus quibuſdam.*

21. *Facinus**] * *Illud.*

22. *In una dierum*, &c.] Hebr. i. *quodam die ut aſcenderet.* ¶ *Aſcenderunt*] *Receſſerunt:* Vel, *ſolverunt.*

23. *Compellebantur*] *Complebantur*, V. i. obruebantur aquis.

24. *Præceptor, * perimus*] * *Præceptor.* ¶ *Surgens*] *Experrectus.* ¶ *Ceſſavit*] *Ceſſaverunt.*

25. *Quis, putas*] Vel, *Quis tandem.* ¶ *Mari*] *Aquæ.*

26. *Geraſenorum*] *Gadarenorum.*

27. *Cùm de navi egreſſus*] *Cùm egreſſus*, Vet. ¶ *Quidam**] * *E civitate.*

28. *Quid mihi & tibi eſt?*] i. Quid eſt propter quod tecum diſceptare debeam?

29. *Arripiebat*] *Corripuerat.* ¶ *Cuſtoditus*] *Servabatur.*

31. *Abyſſum*] *Voraginem:* vel, *aquarum profunditatem.*

36. *A Legione*] *Is qui à dæmoniis agitatus fuerat.*

37. *Multitudo**] * *Regionis*, V. ¶ *Geraſenorum*] *Gadarenorum.*

38. *Et rogavit illum*] *Rogabat autem eum.* ¶ *Dimiſit*] *Abiegavit.*

39. *Quanta*] *Quæcunque.* ¶ *Quanta*] *Quæcunque.*

40. *Erant autem*] *Erant enim.*

42. *Et contigit, dum iret*, &c.] *Inter eundum autem turba conſtringebant*, vel *coarctabant, eum.*

43. *Erogaverat*] *Inſumpſerat.* ¶ *Potuit*] *Potuerat.*

45. *Comprimunt*] *Coarctant:* vel, *conſtringunt.*

46. *Nam & ego*] *Nam ego*, Vet.

48. **Filia*] * *Confide. Bono animo eſto.*

49. *Ad principem*] *A principe.* ¶ *Illum*] *Magiſtrum.*

52. *Sed dormit*] i. dormit enim tantùm.

54. *Ipſe autem * tenens*] * *Ejectis foràs omnibus.*

CASTALIO.

18. *VIdete igitur quomodo audiatis*] Ut his quæ dico vobis ad utilitatem veſtram utamini.

23. *Illi complerentur*] Compleretur eorum navis.

CLARIUS.

14. *A Solicitudinibus*] Nempe hujus vitæ, quas *ſeculares* vocant. Sed quænam appellari *ſecularis ſolicitudo* poteſt? *Omnis*, ait Baſilius, *ſolicitudo, etiamſi nihil in ſe habere videatur eorum quæ interdicta ſunt, ſi tamen non proficiat ad pietatem & Dei cultum, ſecularis eſt.*

16. *Nemo autem lucernam accendens*] Refertur hæc ſimilitudo ad illud quod de *terra bona* dictum eſt. Apoſtoli ergò, terra videlicet illa fructifera, quò virtute præſtantiores, eo magis etiam conſpicui futuri erant.

18. *Quod ſe putat habere*] *Habere*, h. e. tenere: nam in hac ſignificatione & apud Græcos & apud noſtros in uſu eſt. Qui ergò non adhibet ſtudium ut cum Dei donis fiat acceſſio rectè factorum, etiam illud quod tenere ſe putat amittet.

55. *Et juſſit illi dari*] Opinor id Dominum juſſiſſe ut evidentiùs veram eſſe puellæ reſurrectionem intelligerent.

ZEGERUS.

1. *PER civitatem & caſtellum*] Sic habes in Beda, in Græcis & Latinis antiquis.

2. *Maria quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant*] Ex eo quòd B. Lucas hanc mulierem nominans nil meminit eorum quæ acta ſunt per mulierem illam peccatricem capitulo proximè præcedenti, quin potiùs aliud de hac narrat, nimirum quòd *ab ipſa exierint ſeptem dæmonia*, admodum probabile eſt alteram hanc fuiſſe ab illa. Vide infra Joh. 11.

9. *Interrogabant autem eum diſcipuli ejus quæ eſſet hæc parabola. Quibus ipſe dixit, Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant*] Non mox interrogaſſe præſentibus adhuc turbis putandi ſunt Apoſtoli, ſed, ut Marcus refert 4. 10. *cùm eſſet ſingularis, interrogabant eum ii qui cum ipſo erant duodecim parabolæ.* Ideo autem turbis negatum eſt noſſe myſteria Divinorum operum circa genus humanum, quia non requirebant quemadmodum Apoſtoli. Non requirebant autem quia intelligere ſeſe arbitrabantur; atque ideo indigni erant quibus Divina ſacramenta panderentur.

12. *Qui autem ſecus viam hi ſunt*] Et hîc, & in eo quod ſequitur, *nam qui ſuper petram*, ſubaudiendum eſt *ſeminati ſunt:* nam ſeminantur & agri. *Qui ſecus viam ſeminati ſunt, hi ſunt qui audiunt.*

14. *Euntes ſuffocantur*] *Euntes*, i. in hoc mundo verſantes. Ponitur autem abſolute. Nam quod præcedit, *à ſolicitudinibus & divitiis*, cum *ſuffocantur* jungendum eſt, ut liquet ex ſimili loco apud Matth. 13. 22.

16. *Nemo autem lucernam accendens operit eam vaſe*, &c. *Non eſt enim occultum quod non manifeſtetur*] Ne quis exiſtimaret myſteria Chriſti nunquam ventura in publicum, ex eo quod privatim Apoſtolis illa referret, non autem promiſcuæ multitudini, docet nunc hâc metaphorâ doctrinam ſuam, quam per *lucernam* deſignat, univerſo tandem terrarum orbi eſſe manifeſtandam; nihilque ſeorſim unquam traditum Diſcipulis quod non progreſſu temporis proferendum eſſet in notitiam omnium.

18. *Videte ergò quomodo audietis*] Quia dixerat Dominus promulgatum iri quod ipſe Diſcipulis ſuis prædicaſſet occultiùs, vult illos hîc attentos eſſe ad myſteria intelligenda quæ ipſi poſtmodum erant cæteris prodituri. ¶ *Qui enim habet, dabitur illi; & quicunque non habet*, &c.] Ità conjungi poterit hæc cum clauſula proximè præcedenti. Quando *vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei, videndum vobis eſt ita audiatis* ut adeſſe ac retineri vobis poſſint. Ita enim fiet ut etiam copioſior vobis gratia impertiatur: *Quiſquis enim habet, dabitur ei: at quicunque non habet*, &c.

19. *Et fratres ejus*] *Fratres Domini* Cognatos accipere debemus. Tametſi non defuerunt qui ſecùs ſenſerint: Quorum alii D. Virgini Mariæ plures liberos tribuunt: alii B. Joſephum & alteram poſt matrem Domini uxorem habuiſſe ex qua proles genuerit autumant. Verùm utrorumque horum ſententiam ut Eccleſia reſpuit, ità poſt B. Hieronymum Adv. Helvid. & Beda improbat in Marc. 6. ſcribens his verbis, FRATRES, inquit,

inquit, *&* SORORES EJUS *non liberi Joſeph aut Mariæ juxta hæreticos putandi ſunt, ſed potiùs juxta morem S. Scripturæ cognati ipſorum ſunt intelligendi: quo modo Abraham & Lot* FRATRES *appellantur, cùm eſſet Lot filius fratris Abrahæ.* ¶ *Non poterat adire eum*] Cave legas *audire eum*: eſt enim ζυντυχῶν, h. e. *contingere* vel *adire*, non ἀκύων. Adſtipulantur cod. antiqui.

23. *Et compellebantur*] Lege *complebantur* juxta Græca & noſtra vetera exemplaria, ut ſubaudiatur *aquis*, ζυνεπλήρουτο. Quidem codex habebat *complebatur fluctibus navicula*: ut intelligas undas vi ventorum irruiſſe in navigium.

24. *Increpavit ventum*] Ἐπετίμησεν. Interpres tum aliàs tum ſupra 4. 35. verterat *imperavit*, ſenſum magis quam verbum reddens. Idacius ſcribit *increpavit vento*, ad verbum reddens.

27. *Vir quidam*] Additur in Græcis ἐκ τῆς πόλεως *è civitate*. Verùm apud Ambroſium & Auguſtinum non reperio: ſed nec in ullis exemplaribus Latinorum.

37. *Rogaverunt illum*] Subaudi *Jeſum*: ne quis exiſtimet hominem ſanatum rogatum ab illis fuiſſe ut abſcederet ab ipſis. ¶ *Reverſus eſt*] In Galilæam, unde egreſſus fuerat, ultra ſtagnum.

41. *Jairus*] Penultimam producit propter diphthongon Græcam, Ἰάειρος.

45. *Affligunt*] Ἀποθλίβουσι, i. *angunt*.

49. *Venit quidam ad principem*] Sive legamus *ad principem* juxta Vulg. editionem, ſive *à principe* παρὰ τοῦ ἀρχισυναγώγου, juxta Græcam editionem, ſenſus ipſe in idem recidet, ſi meminerimus Græcanicæ elocutionis formâ *à principe* ità dici, pro eo quod eſt *à domo principis*. Atque ità & *à principe*, h. e. ab ipſius ædibus, & *ad principem* jam tum interpellantem pro filia Dominum, veniſſe intelligendus eſt. Itaque in utraque lectione relinquitur quod ſubaudiatur.

54. *Ipſe autem*] Quod hic in Græcis adjicitur, ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, *ejectis foras omnibus*, quoniam nec apud Ambroſium nec apud Bedam (ut Veteris fidem interpretis ſileam) reperitur, ex aliis Euangeliſtis hùc tranſcriptum conſtat: id quod alias paſſim factum deprehendere licet.

STEPHANUS.

1. Κατὰ πόλιν καὶ κώμας] *Per ſingulas urbes & vicos.*

6. Ἰκμάδα] *Humorem.*

13. Ἀφίστανται] *Deficiſcunt.*

14. Οὐ τελοφοροῦσι] Q. d. *non ferunt fructum ad finem uſque:* id eſt, ad maturitatem uſque.

19. Συνίχωσιν αὐτῷ] *Accedere ad ipſum:* vel, *Pervenire.*

20. Ἰδεῖν σε] *Te convenire.*

22. Ἀνήχθησαν] *Provecti ſunt.*

23. Ἀφύπνωσεν] *Obdormivit.* ¶ Καὶ συνεπληροῦντο] *Ità ut navis eorum compleretur.*

28. Προσέπεσεν αὐτῷ] *Procidit ad pedes ejus.*

35. Σωφρονοῦντα] *Compoſita mentis:* vel, *Gerentem ſe ut ſolent qui ſunt ſanæ mentis.*

36. Ἐσώθη] *Liberatus fuiſſet:* vel, *ſibi reſtitutus.*

40. Ἀπεδέξατο αὐτὸν] *Excepit eum* benigno vultu. Id eſt, *Reditum ejus ſibi gratum eſſe ſignificavit.*

42. Οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτόν] *Multitudo ita comprimebat eum ut fere ſuffocaret.* Ad verb. *Suffocabat.*

45. Ἀρνουμένων δὲ πάντων] *Negantibus omnibus.* ¶ Οἱ ὄχλοι συνέχουσί σε καὶ ἀποθλίβουσι] *Multitudo hæc te conſtringit & comprimit.*

49. Μὴ σκύλλε] *Ne fatiga.*

54. Ἐφώνησε, λέγων] *Inclamavit* eum, *his verbis.*

55. Ἐπέστρεψε] *Rediit.*

56. Ἐξέστησαν] *Ità obſtupuerunt, ut vix apud ſe eſſent.*

DRUSIUS.

3. SUſanna] Σουσάννα, nomen mulieris Syrus habet ܫܘܫܢ *Suſan.* Utrumque ſign. *lilium*, i. κρίνον· unde & τὰ Σοῦσα dicta. Sed *Suſanna*, cùm appellativè ſumitur, Hebræis eſt ששנה, à ſenario numero foliorum: ex quo Σουσάννα in editione Græca, *Soſqima.* Hebræi etiam ששן & שושן dicunt pro *lilio*: cujus diminutivum inter nomina Batavica **Lelilien**: q. *Lilielum* dicas.

8. *Fecit fructum centuplum*] *Cum centeſima fruge fructum reddidit.* Summus gradus ubertatis & fertilitatis. Gen. 26. 12. *Seminavit Iſaac in terra illa, & invenit eo anno centuplum.*

14. Οὐ τελεσφοροῦσι, *nec fructum ad finem perducunt*] h. e. ad maturitatem. Deut. 23. 17. *Non erit* τελεσφόρος *ex filiabus Iſrael*, Hebraice קדשה *ſcortum*, aut *proſtibulum.* Vox Græca propriè ſignificat eam quæ ad finem uſque illo quæſtu vitam traducit. Sunt variæ ſententiæ: Nam alii exponunt *feſtas ferens*; alii, *veſtigal pendens.* Quod ultimum Tertulliani eſt, qui etiam legit *ex filiis Iſrael*, cùm in fonte ſit *ex filiabus.* Filiæ autem non pendebant veſtigal. Vide ſis ed. Rom. Latinam: nam mihi hic meræ tenebræ adhuc.

17. *In palàm*] *In palàm* ità dicitur ut *in ante*, *in coram*, *in circum*, *in ſuper*, *ex ante.* Sic *de ſub*, & alia ejus generis. Nam veteres libenter ita geminabant particulas. Sic Hebræi dicunt מרחוק *de longe* ſive *à procul*, מתחת *de ſub*, &c.

23. *Obdormivit*] Lex. vetus, Ἀφυπνῶ, *obdormio.* Jud. 5. 27. שכב, LXX ἀφύπνωσεν *obdormivit.* Quidam maluit *ſopitus eſt*, i. נרדם; quod vertunt ἐβρόντησε. Jon. 1. 5. וישכב וידום ἐκάθευδε καὶ ἐβρόντησε, ut mox ἵνα σὺ μὴ βρονταῖς; *quid tu ſtertis?* ¶ *Complebantur*] Abuſive tribuit hominibus quod proprium eſt ipſius navis. Non enim certè homines complebantur, ſed navis complebatur aquâ, ſic adeo ut periclitarentur de naufragio. Contra legimus Jon. 1. 4. *Et navis cogitabat frangi.* Vide quæ notavimus ad eum locum.

24. *Magiſter, Magiſter*, ἐπιστάτα, ἐπιστάτα] Repetitio non caret emphaſi; ut *Rabbi, Rabbi*; *Abraham, Abraham*; *Moſes, Moſes.*

31. *Ut in abyſſum irent*] Accipio ut ibi, *angelus abyſſi*, ut ipſum tartarum deſignet. Quidam de mari enarrant, ut Gen. 7. 11. *rupti ſunt omnes fontes abyſſi*, i. aquarum infra & ſupra terram.

41. *Jairus*] Nomen Græce declinatum ex Hebræo יאיר, quod eſt viri proprium Num. 32. 42. Deut. 3. 14. Jud. 10. 3. Eſth. 2. 5. Quod noto quia non nemo hoc refert ad יער, quod *ſaltum mellis* interpretatur. Cave ſequaris.

43. *Omnem ſubſtantiam ſuam*] Πᾶσαν τὴν οὐσίαν αὐτῆς. Græca exemplaria legunt ὅλον τὸν βίον, quod recentior interpres vertit *totum victum.* Nam βίος tum *vita* tum id quo vitam tuemur; h. e. *victus.* Notum illud,

Βίος βίῳ ἀναίρεται οὐκ ἔστι βίος.

Sed & οὐσία ſignificat: Luc. 15. 30. ὁ κατεφαγών σου τὴν βίον, *facultates tuas*, ſive *ſubſtantiam tuam*, σου τὴν οὐσίαν. Marc. 12. vidua laudatur quæ in gazophylacium miſerat ὅλον τὸν βίον αὐτῆς *omnem ſubſtantiam ſuam*, vel *totum victum ſuum.* Syrus, *omnem poſſeſſionem ſuam.* Sic interpretatur Lucam. Ergò βίος *quicquid poſſidemus.* Sed tam late non patet hoc nomen; neque omnem ſubſtantiam denotat, ſed tantum eam unde vivimus.

GUALTPERIUS.

22. Καὶ ἀνήχθησαν, *& provecti ſunt*] Apud Syrum non habetur.

54. Ἡ παῖς, ἐγείρου, *Puella, ſurge.*] Apud Syrum *Talitha Kumi*, ut Marc. 5. 41.

LUD. CAPPELLUS.

17. Οὐ γάρ ἐστι κρυπτὸν, &c.] Simile quid habetur in Targum Eccl. 12. 13. *Finis verbi hic eſt, quod quicquid honeſte & verecunde fit in hoc mundo, revelabitur & manifeſtabitur omnibus hominibus: propterea time Dominum, ſerva mandata ejus:* & mox v. ſeq. *Deus omnia hominum opera adducet in judicium illud magnum, & propalabit quicquid homines latet, ſive illud ſit bonum ſive malum.*

GROTIUS.

1. Κατὰ πόλιν καὶ κώμας, *per civitates & caſtella*] Ne quis Judæus præteritum ſe queri poſſet, non urbes tantùm obit Chriſtus, in quas ex agris conveniri Sabbatis ſolebat, ſed domi ſuæ omnes inviſit. ¶ καὶ οἱ δώδεκα σὺν αὐτῷ. *& duodecim cum illo*] Ut ab ipſo acciperent docendi formam: non quod docerent præſente Magiſtro. Id enim cum veteri more pugnabat.

2. δαιμόνια ἑπτὰ, *ſeptem dæmonia*] Non opus eſt figuram quærere: nec in voce δαιμόνια [*dæmonia*], cum præcedat πνεύματων πονηρῶν [*ſpiritibus malignis*] nec in numero ſepenario: cùm etiam plures dæmones unum hominem obſederint, ut qui ſe legionem vocabant.

3. ἐπ-

3. ἐπιτρόπου, *Procuratoris*] Syrus vertit רב ביתה *οἰκονόμον* [*diſpenſatorem*]: rectiùs Latinus *Procuratorem*, Nam quem Latini *Cæſaris Procuratorem*, Græci ἐπίτροπον vocant: ad quod exemplum hic λογοθέτης [*Herodi à rationibus*] Herodis eodem vocabulo dictus eſt. Quod autem quidam hinc argumentum petunt, licere uxoribus viros à fide alienos deſerere, non video quid certi habeat. Credibilius aut uxorem dici quæ vidua fuerit, aut maritum non alienum fuiſſe à pietate: ut ſolet Deus rimulis quibuſdam in aulas alioqui nimium ſibi præcluſas penetrare. Nam & in Neronis aula non defuere qui Chriſtianiſmo faverent, Philipp. IV, 22. ¶ Σουσάννα, *Suſanna*] A lilio. Nam *ſuſa* שושן ſunt κρίνα [*lilia*] Phœnicibus, ut rectè inquit ſcriptor Etymologici. Sed & Perſis ut notat Athenæus: unde urbs Suſa, & unguentum σύσινον τὸ κρίνινον [*ex liliis confectum*]. ¶ αἵτινες διηκόνουν αὐτοῖς ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς. [*Quæ miniſtrabant eis de facultatibus ſuis*] More Judaico, ut recte notat Hieronymus, mulieres viduæ præſertim, ſolebant Magiſtris neceſſaria ſuppeditare: quod ſecuti ſunt Apoſtoli inter Judæos, Paulus inter gentes omiſit, ne ſiniſterioris ſermonis anſam præberet. Maluit autem Chriſtus admittere hoc beneficium, quam cum Apoſtolorum comitatu gravis eſſe ignotis ad quos adventabat. αὐτοῖς [*eis*] habent Græci codices optimi, Syrus & Latini exemplaria quædam.

4. τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτὸν, *de civitatibus properarent ad eum*] Nam ex urbibus omnibus, ut in quamque advenerat, everriculi more multos auditores ſecum trahebat admirabilis doctrinæ efficaciâ.

5. ὃ μὲν, *aliud*] ἑτέρως [*neutraliter*] ut ex ſequentibus apparet: Id eſt, ὃ μὲν μέρος ἔπεσε [*hæc quidem feminis portio*]. ¶ Κατεπατήθη, *conculcatum eſt*] Hæc conculcatio (ut quidam rectè monent) ſignificat conſuetudinem mundi ad pietatis præcepta callum obducentis.

6. φυὲν, *natum*] Non caruit omni vivida vi: nam enaſci cœpit, ἐξανέτειλε [*exortum eſt*] inquit Matthæus. ¶ μὴ ἔχειν ἰκμάδα *non habebat humorem*] Humor hauritur radice: radix profundam terram poſtulat. Ideo in unam hæc recidunt, οὐκ ἔχειν ἰκμάδα [*non habere humorem*] quod dicit Lucas, quæ eſt cauſa proxima ἡ ξηρανθῆναι [*arefactionis*] & οὐκ ἔχειν ῥίζαν [*non habere radicem*] quod Marcus, οὐκ ἔχειν βάθος γῆς [*non habere altitudinem terræ*] quod Matthæus. Sic de vitiis dixit Poëta,

Et mala radices altiùs arbor agit.

Loca arida ſunt infructuoſa Jerem. XVII, 6.

7. συμφυέντα, *ſimul exorta*] Bene notat Lucas enatum hoc ſemen, ſed ſimul enatas ſpinas, ut duplicem in homine uno frugem ſignificaret, quarum quæ mala eſt ni ſtatim evellatur bonam opprimit. Quærenti cuidam cur ſpinæ & lolia uberiùs quàm frumentum naſcerentur, reſponſum eſt quia terra ſpinarum mater eſt, frumenti noverca, id eſt, ſpinas ſuapte ſponte proferret, frumentum non niſi humanæ induſtriæ conatu provocata. Idem de humano ingenio non ineptè dixeris: nam ea quæ carnis ſunt, ob naturale commercium corporis, ſponte & ſine labore profert; ad meliorem frugem, conditione, cultura & labore opus habet.

10. τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, *cæteris autem in parabolis*] ſupple πάντα γίνεται [*omnia fiunt*], quod addidit Marcus.

11. Ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. *Semen eſt verbum Dei*] Quem propterea λόγον ἔμφυτον [*verbum inſitum*] Jacobus vocat I, 21.

14. πορευόμενοι, *euntes*] πορεύεται [*abundat*] hæc vox, ut ſæpe apud Matthæum πορευθέντες [*euntes*], IX, 13. XXV, 16. & alibi: quare & Syrus omiſit. Si quid ſignificat, ſignificat proceſſum temporis nec quicquam ultra. ¶ οὐ τελεσφοροῦσι. *non referunt fructum*] τελεσφόρα Græcis dicuntur *quæ fructum ad plenam maturitatem & meſſis tempus perferunt*. Itaque Lucas ipſe τελεσφορεῖν [*referre fructum*] jam interpretabitur non καρποφορεῖν [*fructum ferre*] ſimpliciter, ſed καρποφορεῖν ἐν ὑπομονῇ [*fructum ferre in patientia*]. Hinc tralationem duxit Sophocles de Præſagiis:

Εἰ μὴ πίφηνεν ἐσθλὰ, δὸς τελεσφόρα.
[*Maturum prabe ſi quid apparet boni*].

Joſephus quoque τελεσφορεῖσθαι [*fructum perferre*] de mulieribus dixit non abortientibus. Apertè ſignificat Lucas hos non fuiſſe planè ſteriles, ſed ſterilem habuiſſe exitum: ἄκαρπον γένεται [*fructum non dedit*] inquit Marcus.

15. καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ, *in corde bono & optimo*] Videtur non ſine delectu voce hac vulgò quidem trita, ſed à Philoſophis ſubtiliùs explicata uti Lucas. Nam cum de iis diſſeruiſſet qui metu incommodorum, aut externorum bonorum nimia cupiditate à virtute diſtrahuntur, his rectè opponit τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν [*honeſtum ac bonum*], Nam ſi Ariſtoteli, aut quiſquis eſt ſcriptor τῶν ἠθικῶν μεγάλων [*magnorum moralium*] credimus, ἔστι δὲ κακῶς λεγόμενον ἐπὶ τῆ τελείως σπουδαίᾳ καλοκἀγαθίᾳ· καλὸς κἀγαθὸς γάρ, φησιν, ὅταν τελείως σπουδαῖος. ἐπὶ γὰρ τῆς ἀρετῆς τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν λέγουσιν, οἷον τὸν δίκαιον καλὸν καὶ ἀγαθόν φασι, τὸν ἀνδρεῖον, τὸ εὐφρενὲς, ὅλως ἐπὶ τῶν ἀρετῶν. ἐπειδὴ δ' ἐν τοῖς δύο διαιροῦμεν, καὶ τὰ μὲν φαμὲν εἶναι καλὰ, τὰ δὲ καὶ ἀγαθά· καὶ τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν ἁπλῶς ἀγαθὰ, τὰ δ' οὔ. καὶ καλὰ μέν, οἷον τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ἀπ' ἀρετῆς πράξεις· ἀγαθὰ δὲ, ἀρχὴν, πλοῦτον, δόξαν, τιμὴν, τὰ τοιαῦτα· ἔστιν οὖν ὁ καλὸς καὶ ἀγαθὸς, ᾧ τὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ ἐστιν ἀγαθὰ, καὶ τὰ ἁπλῶς καλὰ καλὰ ἐστιν· ὁ τοιοῦτος γὰρ καλὸς καὶ ἀγαθός· ᾧ δ' ἢ τὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ μὴ ἐστιν ἀγαθὰ, οὐκ ἔστι καλὸς καὶ ἀγαθός· ὥσπερ οὐδὲ ὑγιαίνειν ἂν δόξειεν, ᾧ τὰ ἁπλῶς ὑγιεινὰ μὴ ὑγιεινά ἐστιν. εἰ γὰρ ὁ πλοῦτος καὶ ἡ ἀρχὴ συμβαίνοιτό τινα βλάπτειν, οὐκ ἂν αἱρετὰ εἴη, ἀλλὰ τὰ τοιαῦτα ἔσται ἂν αὐτὸν μὴ βλάψῃ βουλήσεται αὐτῷ εἶναι. [Καλοκἀγαθία (*integritas*) *de eo qui perfectè probus ſit non male dicitur. Integer enim eſt is qui perfectè & conſummatè probus eſt. Integritatem enim de virtute ferè dicimus. Ita integrum atque honeſtum, bonum denique virum appellant eum qui juſtus ſit, eum item qui fortis, quive temperans: denique in univerſum ad omnem virtutem hæc vocabula accommodantur. Jam quum ita dividamus, ut alia pulchra & honeſta, alia inſuper bona dicamus: bonorum autem alia ſimpliciter bona, alia non ſimpliciter quidem, verùm ita tamen ut bona nihilominus appellanda ſint: honeſta porrò ac pulchra iſtiusmodi, virtutes putà & quæcunque ab iis actio proficiſcitur: bona verò, imperia putà, honores, divitias, gloriam & hujusmodi plurima. Quum inquam hæc omnia ita ſecanda ſint: καλὸς κἀγαθὸς is demum appellandus eſt, cui ea bona ſunt quæ ſimpliciter ſunt bona; ea honeſta, quæ ſimpliciter ſunt honeſta. Is enim vere & honeſtus eſt & bonus. Hæc autem honeſti & boni appellatio ei convenire non poteſt cui ea quæ ſimpliciter ſunt bona, bona non ſunt. Ut ne ſanus quidem videri poteſt is, cui id quod ſimpliciter ſalubre eſt, non ſit ſalubre. Quod ſi quem divitiæ atque imperia, quum ea nactus ſit, lædant, certè optanda ei non ſunt: ſed ea eliget à quibus lædi non poſſit.*] Et mox: ᾧ τὰ ἀγαθὰ πάντα ὄντα ἀγαθὰ ἐστι, καὶ ὑπὸ τούτων μὴ διαφθείρεται, οἷον ὑπὸ πλούτου καὶ ἀρχῆς, ὁ τοιοῦτος καλὸς καὶ ἀγαθός. [*Cui omnia ea utilia ac bona ſint quæ verè ſunt bona, quique ab iis, verbi gratiâ ab imperio aut opibus, non fiat deterior, is verè honeſtus ac bonus eſt*]. ¶ ἐν ὑπομονῇ, *in patientia*] Hæc vox Helleniſtis frequens conſtantiam illam denotat, quæ inter adverſa durat ſpe meliorum.

16. σκεύει, *vaſe*] Generis nomen pro ſpecie poſuit. Nam μέδιον [*modium*] ſignificat, quod exprimunt Matthæus & Marcus. de ſenſu ad Marcum vide.

17. γενήσεται· *fiet*] Futurum ponitur in ſignificatione ejus quod oporteat fieri, ut ſæpe. Itaque mox idem explicat modo potentiali, εἰς φανερὸν ἔλθῃ [*in palàm veniat*].

18. ὃ δοκεῖ ἔχειν, *quod putat habere*] Explicavimus ad Matthæum.

20. λεγόντων· *dicentibus*] Deeſt perſonarum notatio: quia facilis eſt intellectus ex eo quod præceſſit δὲ ἀπήγγελον [*prænuntiabant*]. Conſtructio eſt πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad id quod ſignificatur*].

23. συνεπληροῦντο, *complebantur*] Simillimum loquendi genus iſti Virgiliano:

—— *Jam proximus ardet*
Ucalegon. ——

24. ἐπετίμησε, *increpavit*] Ita Græci vertunt גער, Pſalm. CVI, 9. ibi de mari, hìc de vento.

27. ἐκ τῆς πόλεως, *ex urbe*] Hanc partem Latino omiſſam agnoſcunt Syrus & Arabs. Intelligendus autem eſt homo ille non ex urbe veniſſe id temporis, ſed in urbe natus atque educatus fuiſſe. Quod fortè minus advertit Latinus interpres, ideoque partem hanc ut hiſtoriæ malè cohærentem expunxit. ¶ ἱμάτιον οὐκ ἐνεδιδύσκετο, *veſtimento non induebatur*] Feri animalis in morem. Itaque mox cum ad ſe rediiſſet deſcribitur ἱματισμένον [*veſtitus*].

28. δέομαί σου, *obſecro te*] Cùm graviſſima obteſtatione, μετ' ὁρκωμοσιῶν [*cum adjurationibus*] ut ex Marco diſcimus.

29. πολλοῖς γὰρ χρόνοις, *multis enim temporibus*] malim exponere per πολλάκις [*ſæpe*] quod apud Marcum eſt: quanquam aliter accepit Syrus. ¶ εἰς τὰς ἐρήμους, *in deſerta*]

Modò in loca montana, modò in sepulcreta, ut docet Marcus. Montana ἐρήμους [*deserta*] dici alibi annotavimus.

31. ἄβυσσον, *abyssum*] Quod Hebræi תהום dicunt, Lxx vertunt ἄβυσσον [*abyssum*] & plerunque de mari ea vox usurpatur. Solet tamen & ad alia transferri. Nam & Divina judicia ἄβυσσος [*abyssus*] vocantur: quia sunt impervestigabilia. Hoc sensu Paulus id quod apud Mosem est, τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον [*quis descendet in abyssum*] interpretatur *Christum à mortuis reducere*: quia & ᾅδης, id est, *mortuorum sedes* nobis est impervia. Cæterùm hic ἄβυσσε [*abysse*] nomine non est intelligendus ᾅδης [*infernus*] sed *Tartarus*; quæ duo non rectè confunduntur. Nam ᾅδης [*infernus*], ut alibi diximus meminimus, & infra repetendum erit, non pertinet ad dæmonia, sed tantùm ad homines mortuos bonos malosque & quidem medio duntaxat tempore inter mortem & resurrectionem. *Tartara* autem Græcorum exemplo Petrus dixit eam regionem in qua impuri spiritus ad tempus judicii velut captivi asservantur. Neque dubium est quin idem hic sit ἄβυσσος [*abyssus*]. Nam & in Apocalypsi Johannis ἄβυσσον hoc significatu sumi manifestissimum arbitror: præsertim capite xx, 3. ubi itidem vinculorum est mentio ut apud Petrum: sed & Græci τηρεῖσθαι ἄβυσσον χάσματα [*tartari fundo carentes hiatus*] dixere. Nec illis assentio qui aërem esse volunt *Tartarum*. Nam si quis Apocalypsis loca cum aliis quæ diximus locis attentè conferat, inveniet dæmonas modò in illum suum carcerem recludi (quod ne sibi accidat hic precantur) modò verò permitti ut nostras regiones invisant. Quo tempore nisi humana aut bestiarum corpora obsideant, in aëre ferme vagari solent, unde δαίμονας ἠεροφοίτας [*dæmonas in aëre oberrantes*] Græci etiam dixere, & Paulus hanc dæmonibus à Deo concessam potestatem vocat ἐξουσίαν τοῦ ἀέρος [*potestatem in aëre*], & alibi τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις [*spiritualia nequitiæ in cœlestibus*], idque ex vetustissima Hebræorum sententia, quam & in libro Aboth expressam est invenire. Ubi locorum sit *Tartarus* aut ἄβυσσος [*abyssus*] cujus hic fit mentio, nihil valde opus est indagare. Si quis tamen modestæ conjecturæ est locus, malim extra hunc mundum adspectabilem eum ponere, ut & regionem beatorum spirituum, quam cum quibusdam in centro terræ, quòd ferme perinde est quasi nusquam dicas. Ipsa certè vox ἄβυσσος [*abyssi*] vastitiem quandam præ se fert. Et videri potest τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον [*tenebræ exteriores*] ideo dici, quod extra hunc orbem sit qui in usus nostros est conditus. Nec malè fortè huc referas quod apud Johannem est xii, 31. Νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω [*nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*].

38. Ἐδέετο δὲ, *rogabat autem*] Ita legit & Syrus. multoque id præstat lectioni alteri.

39. καθ' ὅλην τὴν πόλιν, *per universam civitatem*] Illam unde erat oriundus: sed & per urbes circumsitas, ut Marcus docet.

40. ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ὄχλος· *excepit illum turba*] *Gratanter excepit*: ea enim vis est vocis, ut Actor. xv, 4. & xviii, 27.

42. ὡς ἐτῶν δώδεκα, *ferè annorum duodecim*] Quæ ætas periculosissimis maximè morbis obnoxia διὰ τὴν ἡλικίας τροπὴν [*ob transitum à pueritiâ ad pubertatem*]. ¶ ἀπέθνησκεν. *moriebatur*] Id est, ἔμελλεν ἀποθνήσκειν [*animam agebat*]. Nondum enim mortuam fuisse, cum Pater exiret, tota historia loquitur, præcipuè id quod est infrà commate 49. Mori Philosophis consistit ἐν στιγμῇ [*in puncto*]. At populariter loquendo mori dicitur qui morti vicinus videtur. ¶ συνέπνιγον, *suffocabant*] etiam hoc dictum ὑπερβολικῶς [*supra fidem*]. Sensus est συνέθλιβον [*premebant*] ut apud Marcum est.

43. τὸν βίον, *substantiam*] Lucas & hîc & alibi βίον vocat quod Marcus dixit τὰ παρ' ἑαυτῆς [*opes suas*], קניה, κτῆσιν [*possessionem*], ut vertit Syrus, *substantiam* rectè Latinus. Nam victus nomen angustius est quàm ut hanc significationem impleat. Vide infrà xv, 30.

47. οὐκ ἔλαθε, *non latuit*] לא נשתרית.

51. εἰσελθὼν, *cum venisset*] εἰσελθόντος [*indefinitum tempus*] hîc per futurum verti debet, ut sit idem quod *ingressurus*. Liquet id ex Marco. ¶ καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην, *& Jacobum & Johannem*] Hunc ordinem nominum ponunt Syrus & Latinus: quod sequendum puto cùm & Græci codices accedant.

52. ἐκόπτοντο αὐτήν. *plangebant illam*] Eadem locutio infrà xxiii, 27. Breviter dictum pro ἐπ' αὐτῇ [*super illam*] ut loquitur Apocalypsis i, 7. & xviii, 9. Hebræi quoque plenè dicunt ספד עליה [*planxit super illam*], brevius לה ספד [*planxit illam*], quod Lxx vertunt κόπτεσθαι αὐτὴν [*plangere illum*], ut 1 Reg. xiv, 13. ἦλθεν Αβραὰμ κόψασθαι Σαῤῥάν [*venit Abraham plangitum Saram*] Gen. xxiii, 2. & alibi.

54. ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, *ejectis foras omnibus*] Intellige ex superioribus τοὺς κλαίοντας καὶ κόπτοντας [*flentibus & plangentibus*]. Partem autem hanc cum Syro Arabs agnoscit quoque. Credibile est omissam à Latino quòd non videret quomodo hoc conciliari posset cum eo quod narratur parentes puellæ miraculo adfuisse, quod alios etiam postea torsit: cùm nulla esset difficultas repetitis quas dixi vocibus.

55. καὶ ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα αὐτῆς, *& reversus est spiritus ejus*] Providè hoc adjecit Lucas, ut obiter doceret animum humanum non esse κρᾶσιν [*temperamentum*] corporis, nec aliquid quod cum corpore intereat, sed αὐθυπόστατόν τι [*quoddam per se subsistens*] quod post exitum vitæ mortalis alibi est quam ubi corpus. Id enim docet vox ἐπέστρεψε [*reversus est*]. Ubi sit non refert scire. Satis est esse in manu Dei, cui morientes pii spiritum suum commendant recipiendum corpori in hora resurrectionis, cujus imaginem & pignus ista miracula præbebant.

PRICÆUS.

Com. 2. Ἐξελήλυθει] Sic infrà 35. & 38. id est, ἐξεβλήθη· non enim sponte Dæmones, animalium, duntaxat humanorum corporum habitacula relinquunt.

Com. 3. ἐπιτρόπου] Bene Vulgatus, *procuratoris*. In vetere Onomast. *Procuro*, ἐπιτροπεύω.

Ibid. διακόνουν αὐτῷ ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς] Ἀπὸ τῆς ὑπαρχούσης (αὐταῖς) δυνάμεως, ut locutus Rhetor Aristides. Ità 1 Esdræ 6. 8. ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων δοκάλου (τοῦ) βασιλέως & Tobiæ 4. 7. ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ἐλεημοσύνην ποιεῖν. Vide & Act. 11. 29.

Com. 4. ᾧ πόλιν ἐπιπορευόμενον πρὸς αὐτὸν] Recentior, *proficiscerentur ad eum*. Vetus, *properarent ad eum*: nec displiceat, *confluerent ad eum*. Apulejus 4. *Multi*, &c. *longis itineribus*, &c. *ad seculi specimen gloriosum confluebant*. Τὸ ἐπὶ qualem vim hoc habeat, ex infrà ad 12. 1. annotatis vide. Κατὰ πόλιν dixit & Paulus 1. 4. ad Titum.

Ibid. εἶπε διὰ παραβολῆς] Vide ad Matth. 13. 3. dicta. Recentior, *per parabolam*. Vulgatus commodissimè, *per similitudinem*. Hesychius, Παραβολὴ, πραγμάτων ὁμοίωσις.

Com. 5. ᾗ κατεπατήθη] A transeuntibus.

Ibid. ᾗ κατέπατησε] Subaudi, ἀπὸ χοίρων καὶ ἀνθρώπων, Matt. 7. 6. Innuuntur hîc homines suis viis assueti, & salutarium monitorum conculcatores. Tales Matth. 7. 6. οἱ χοῖροι τὸ ἅγιον καταπατοῦντες.

Ibid. τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ] Ità & in Græco Danielis 2. 38. Psal. 8. 9. & alibi. Οὐρανῷ est *aëris*, ut infrà 10. 18. Hinc & Thren. Jerem. 4. 19. ἀετοὶ οὐρανοῦ. Aves Apulejus terrestre animal, non aërium vocat: *est enim* (inquit) *semper illis victus omnis in terra, ibidem pabulum, ibidem cubile: tantum quod aëra proximum terræ volitando transverberant: cæterum cùm illis fessa sunt remigia pennarum, terra ceu portus est.*

Com. 6. ἐπὶ τῆς πέτρας] Id est, ut apud Matthæum, ἐπὶ τὸ πετρῶδη. Atticè ejusmodi loca φηλοὶ & φηλεῖς dicta: vide Hesychium, Scholiasten ad Acharnens. Aristophanis, & Jul. Pollucem.

Ibid. ἐξηράνθη, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα] Simile Jobi 4. 21. illud, Ἀπώλοντο διὰ τὸ μὴ ἔχειν σοφίαν.

Ibid. ἐξηράνθη διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα] Ejusdem Jobi 8. 12. Πρὸ τοῦ πιεῖν πᾶσα βοτάνη ἀχλὶ ξηραίνεται; Hesychius, ex hoc Lucæ loco, Ἰκμάδα, τροφὴν, ὑγρασίαν. Idem, Ἄνυδρος, ξηρὸς, ἰκμάδα, ὁ ἐξ ὑγρασίαν μὴ ἔχων. Adde Glossarii illud, *Humor*, ὑγρασία, ἰκμάς. Exaruit autem hoc semen: quia humor in petrosis locis non invenit ubi consistat. Ità Virgilius,

Et sterilem exiguus ne deserat humor arenam.

Ubi Servius, *Arenam*, *aridam terram*, *quæ est sicca arena*. Matthæus hîc, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν· quod in idem recidit cum istis Lucæ: Humor enim nisi fuerit in radice, superiora exarescunt. Philo lib. Quòd deter. insid. potiori, Αἱ ῥίζαι τὸ καλὸν τρέφουσι, καὶ ἀφαυαινομένας καλύπτουσι. Varro de L. L. lib. 4. *Virgultum dictum à viridi, idque à vi quadam humoris, qui si exaruit, moritur.* Claudianus Mamercus 1. 21. *Ex elementis quatuor*, &c. *si quid fortè extra mensuram vel superfuit vel defuit, arescit arbor*, &c. *debinc emoritur, velut victa languore.* Ἐξηράνθη, nullum fructum protulit. Imò mirum si protulisset. Apud Suidam quis in σφάλαξ, Ἰδὼν πρισβύτην πέτρας ἐργαζόμενον, καὶ λιθώδεις τόπους, ἤρετο αὐτὸν ἵνας ἐκ τῶν

(malire

(malim πόνον legi) καρπὸς ὠφείλετο. *Qui agros scrupulosè, rupinas, & senticeta colunt, nullum interjacere suis videre fructum solere*, dixit & Apulejus Florid. 2.

Com. 7. αἱ ἄκανθαι ἀπέπνιξαν αὐτό] Hinc *herbam* (cui heic ἄκανθαι respondent) *angentem* Columella lib. 10. dixit. De voce ἀποπνίγω, similibúsque aliis hac in re usitatis, vide quæ ad Matth. 13. 7. notata.

Com. 8. ἐπὶ τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν] *In bonam ac pinguem terram*, ut Varro R. R. 1. 40. locutus.

Ibid. ποιῆσαι καρπὸν ἑκατονταπλασίονα] *Centuplum* heic non precisè intelligendum est, ut apud Matthæum, sed cum latitudine quadam, ut infrà 15. 4. in iis, ἑκατὸν πρόβατα. Vult dicere, fructum copiosum edidit. Servius ad Georg. 2. de Terra loquens, *Majore fœnore fœmina accepta restituit*: præsertim si, ut hoc loco, gleba pinguis fuerit. D. Augustinus in Psalm. 94. *Pauca semina uberrimam messem retulerunt, si sit terra fructifera.* Vide infrà ad com. 15. notanda.

Ibid. φωνῇ] Id est, ut Joh. 7. 28. & 12. 44. de eodem, ἔκραξε· nimirum, ut attentionem auditorum excitaret.

Ibid. Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω] Consideret quid velint, & quò tendant parabolæ meæ. Artemidorus 4. 73. Ἐοικὸς τὸν θεὸν τοῖς πολλὰ δι' αἰνιγμάτων λέγειν, ἵνα δὴ, &c. *videlicet ut nos admirantes vehementiùs discamus.*

Ibid. ἀκουέτω] Q. d.

Quòd si quis monitis tardas adverterit aures,
Heu, referet quanto verba dolore mea! Propert.

Com. 9. Λέγοντες δὲ τίνι ἂν ἡ παραβολὴ] Pro, λέγοντες δὲ τίνι ἐστιν, &c. vel abundat vox λέγοντες.

Com. 10. ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια, &c.] *Vobis*, utpote humilibus, *datum est.* Sirachides 3. 21. Περίεργα ἀνθρώπου μὴ ἐξήτει τὰ μυστήρια. In Libro Fulgentii Planciadis de Virgiliana continentia, *Nulli vera nosse contigit nisi vobis quibus Sol veritatis illuxit.*

Ibid. τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς] Supplet Vir maximus, πάντα γίνεται· accedo tamen iis qui ex Matthæo putant λαλῶ supplendum: sequitur enim, ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ ξυνιῶσι. Simillimè planè Themistius Orat. πρὸς τὸν φιλόσοφον λεπίδιον, Τοῦτο δὴ (nempe τὸ μυστικὸν, cui hic ex parte respondet τὸ παραβαλλόμενον) ἐμηχανήσατο, ὅπως οἱ ἀμύητοι (quibus simile profanum vulgus in Contextu nostro) καὶ ἔχοντες μὴ ἔχωσιν. Ità Menander indoctum hominem βλέποντα μὴ βλέπειν dixit: & Polybius Fragment. πολλοὺς δὲ τὴν ἀπειρίαν καὶ κακοπραγίαν, &c. καὶ βλέποντας μὴ βλέπειν. De similibus, lib. de Profugis Philo Judæus, Οὐκ ἔχουσι οἱ τοιοῦτοι τρόποι καρδίαν ξυνιέναι, ὀφθαλμοὺς βλέπειν, καὶ ὦτα ἀκούειν. Lactantius 6. 9. *Is videt, qui veritatem*, &c. *oculis cordis aspexerit: is audit, qui divinas voces ac præcepta vitalia pectori suo affigit.* De formula illa τοῖς λοιποῖς infrà ad cap. 18. 11. dicemus.

Com. 11. Ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος] Ità σπείρειν καὶ φυτεύειν λόγους dixit Plato in Phædro; & λόγων σπέρματα non semel Plutarchus ad Matth. 13. 20. adductus. Hippocrates in Lege, Ἡ φύσις ἡμῶν ἐστὶν ἡ χώρη, τὰ δὲ δόγματα τῶν διδασκάλων ἐστὶν τὰ σπέρματα. Iterum Plutarchus libello de Liber. educandis, Γῆ ἐστὶν ἡ φύσις, γεωργὸς ὁ παιδεύων, σπέρματα δὲ αἱ τῶν λόγων ὑποθῆκαι καὶ παραγγέλματα.

Com. 12. οἱ ἀκούοντες] Malim, ut infrà 14. οἱ ἀκούσαντες.

Ibid. Ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσιν] Actor. 16. 31. Πίστευσον, &c. καὶ σωθήσῃ.

Com. 13. μὲ χαρὰν δέχονται τὸν λόγον] Seneca 108 Epist. *Quidam ad magnificas voces excitantur, & transeunt in affectum dicentium, alacres vultu & animo.* Vide ad dictum Matthæi locum.

Ibid. ὅτι ῥίζαν οὐκ ἔχουσι] Non magis in iis sermo meus radices agit quàm semen inter saxosa sparsum: non mirum itaque si ad tempus credunt. Senec. Epist. 40. *Oratio quæ sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet, remedia non profunt nisi immorantur:* ubi *descendere* est radices agere.

Ibid. ῥίζαν οὐκ ἔχουσι] Planè Adonidis horti, ut in Græco proverbio. Vide Suidam: in cujus etiam verbis habes, μὴ ἐῤῥιζωμένων.

Ibid. ὅτι ῥίζαν οὐκ ἔχουσιν, οἱ πρὸς καιρὸν πιστεύουσι] Similiter Scriptor Sapientiæ de adulterino semine, Οὐ δόσεως ῥίζαν εἰς βαθὺ, &c. κ' οὐκ ἐν ἐλπίσι πρὸς καιρὸν ἀναθαλῇ.

Ibid. καὶ ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται] Ità & Arrianus 3. 15. eos qui vitæ institutum rationémque aliquam inconsultè aggrediuntur, τὴν πρώτην ἔχουσι μὲν πρόθυμον dixit, ὕστερον δὲ ἀναφανέντων τινῶν (δεινῶν nempe, ἢ ἀηρεσάντων· quibus hæc respondet πιεσθεισῶν, apud Matthæum διωγμὸς ἢ θλῖψις) σκηψάντων ἀφίστασθαι· ubi & notatu digna vox ultima illa, quam videmus itidem in Contextu nostro. De similibus Plutarchus lib. de In virt. profic. Προϊέμενοι τὸ κοινὸν ἢ συνήθη περὶ ἢ τοῦ βελτίονα γνῶναι καὶ λαβεῖν, ἐν μέσῳ ἀφιέασιν, πολλάκις ὑποστρεφόμενοι. Adde quæ ad Matthæum hoc loco ex Luciano adduximus. Contrarium ei quod heic ἀφίστανται dicitur, est, ἢ τὴν πίστιν ὁμολογίαν ἀκλινῆ κατέχειν, Heb. 10. 23. Vide & Heb. 13. 6.

Com. 14. αἱ ἀκάνθαι· ἢ ὑπὸ μεριμνῶν, ἢ πλούτου, ἢ ἡδονῶν τοῦ βίου πορευόμενοι συμπνίγονται· ἢ οὐ τελεσφοροῦσι] Idipsum planè quod ait Dominus de populo suo ad Ezechielem 33. 31. *Audiunt sermones tuos, & non faciunt eos*, &c. *quia avaritiam suam sequitur cor eorum.* Seneca Epist. 108. audito Attalo philosopho; *Magno in omnia impetu veneram*, (μετὰ χαρᾶς τὸν λόγον ἐδεξάμην) *deinde ad civitatis vitam reductus* (πορευόμενος, &c.) *ex bene cœptis pauca servavi*; ἵνα οὐ τελεσφόρησα. Ἡδοναὶς hîc intellige, ut Jacob. 4. 1. ubi dicta vide. Seculares curas voluptatesque (quæ hic μέριμναι καὶ ἡδοναὶ) impedimento esse quò minùs qui ad scientiarum, quamvis humanarum, cognitionem accingunt se, proficiant, pulcrè nos docet. Philo itidem, libro de Congressu erudit. quær. causâ, Ἀντὶ δὲ περιέχειν ἐτέρωσε τὸν νοῦν δυσκολαίνει, οἱ μὲν πλοῦ καὶ ἐμπορίας, οἱ δὲ περιόδου καὶ γεωργίας, οἱ δὲ τιμῶν καὶ πολιτείας, οἱ δὲ τὰ ἀφ' ἑκάστης τέχνης, καὶ ἐπιδόσεως κερδῶν, ἄλλοι δὲ τιμωρίας ἐχθρῶν, οἱ δὲ τὰ ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς ἀτοπήμασιν διαμιμνήσκεται, &c. ὡς ἰδεῖν αὐτῶν ἰσχνὸν τὴν ψυχὴν συλλαβῶν καὶ κυοφορίαν· ubi & κυοφορίαν eandem ferè vim habet quam τελεσφορεῖν apud Lucam. Μερίμνας autem, id est, animi ægritudines & seculi inanes curas aptissimè Christus Spinis comparavit. Artemidorus 3. 33. Ἄκανθαι καὶ σκόλοπες φροντίδας σημαίνουσι. Philo ad Genes. 3. illud, *Terra sentes & tribulos pariet tibi*, Τί φύεται, &c. ἐν ἄφρονι ψυχῇ πάλιν τὰ κακὰ τοῦτα, &c. αὐτῷ παθήματα, ἃ δὴ συμβάλλων ἀκάνθας κέκληκεν; Horatius ad Villicum suum,

Certemus spinas animone ego, fortiùs an tu
Evellas agro.

Spinosæ curæ dixit & Catullus. Illud συμπνίγονται videre est non incommodè illustratum ex iis quæ è Pythagoricis & Quintiliano ad Matthæum attulimus: quibus addas & ista licet ex Hermæ 3. 9. *De tertio verò monte qui spinas & tribulos habebat, tales sunt, divites quidam, quidam autem plurimis adstricti negotiis; tribuli enim divites sunt, spina verò qui multis obligati sunt negotiis. His ergò*, &c. *non adjungunt se servis Dei, sed ab his aberrant, negotiis avocati à quibus suffocantur.*

—— *Quod si*
Frigida curarum fomenta relinquere possent,
Quo illos cœlestis sapientia duceret irent.

Vox προπεμπόμενοι autem in Luca trajecta videtur, ordo constructionis enim ferè hic videtur, Καὶ πορευόμενοι, ὑπὸ μεριμνῶν, καὶ πλούτου, &c. aut certè πλανώζει, ut sæpe in his libris προπεμφθεὶς & προπέμποντες. Vide & in Græco Jonæ 1. 11, & 13. Sirachid. 34. 31.

Ibid. καὶ οὐ τελεσφοροῦσι] Cicero Tusculan. 2. *Ut agri non omnes frugiferi sunt qui coluntur, sic animi non omnes culti fructum ferunt.* Apud Gellium 12. 1. Phavorinus, *In frugibus major plerumque vis & potestas, ad earum indolem vel detrectandam vel augendam, aquarum atque terrarum quæ alunt, quam ipsius quod jacitur seminis.* Terræ & aquæ, ubi de colendis ingeniis agitur, sunt bona indoles, attentio aurium, pectus sincerum, constans cordis propositum, & similia: sine subsidio quorum quæ spargunt doctores præceptorésque, rarò vel radices agunt, ad maturitatem certè non possunt perduci. Seneca 112. Epist. *Non qualibet insitionem vitis patitur, si vetus & exesa est, si infirma graciliſque, aut non alet, nec applicabit sibi, nec in qualitatem ejus naturámque transibit.* Andronicus Rhodius 10. 12. Ἡ διδασκαλία, &c. δῆλον ὡς οὐ πάντας δύναται πείθειν, ἀλλ' ἀναγκαῖόν ἐστι ψυχὰς ἤθεσί τισιν ἀγαθοῖς παρεσκευασμένας εἶναι, &c. ὅτου γὰρ ἂν καλῶς ὑποδέξασθαι τὴν διδασκαλίαν, καθάπερ ἡ τὸ σπέρμα θρέψαι δυναμένη γῆ. Lucianus in Nigrino, Καθάπερ οἱ τῇ Φρυγίᾳ αὐλῇ ἀκούοντες, οὐ πάντες μαίνονται, ἀλλ' ὁπόσοις αὐτῶν τὴν Ῥέαν λαμβάνουσι, &c. ὅτου δὲ φιλοσόφων ἀκούοντες, οὐ πάντες ἔνθεοι καὶ τραυματίαι ἀπίασιν, ἀλλ' οἷς ὑπολύ τι ἐν τῇ φύσει φιλοσοφίᾳ συγγενές.

Ibid. οὐ τελεσφοροῦσι] Seneca 123 Epist. *Bonum tritici non*

est in herba lactente, nec cum folliculo se exerit spica mollis: est in frumento astas & debita maturitas coxit. Τελεσφορεῖν autem de segete ad maturitatem perducta, dixit & Arrianus 4. 8. in Epictetum.

Com. 15. καρποφορεῖσθαι ἐν ὑπομονῇ] Sic Coloss. 1. 10. *in omni bono opere fructificantes.* Καρποφορεῖν, ἐν ὑπομονῇ, est *in patientia*: vide Jacob. 5. 7.

Com. 16. καλύπτῃ αὐτὸν στέγῃ] Ità, *lucernam tegmini subdere*, lib. 5. Apulejus dixit. Servius ad Æneid. 6. de lucerna loquens, *Sed si quâ re tecta fuerit*, &c. ubi *res*, quæ heic στέγη.

Com. 17. οὐδὲ ἀπόκρυφον, ὃ οὐ γνωσθήσεται] Vide infrà ad 12. 2. annotanda. In Glossario, Ἀπόκρυφον, *abditum*, *secretum*, *absconditum*.

Com. 18. Βλέπετε πῶς ἀκούετε] Ità Paulus Ephes. 5. 15. βλέπετε πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε· & 1 Cor. 3. 10. Ἕκαστος βλεπέτω πῶς ἐποικοδομεῖ. D. Augustinus in Psalm. 98. *Quic quid loquimur, Dei est per nos loquentis: imber Dei est, videte vos qualis terra sitis.*

Ibid. ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ] Id est fortasse ὃς γὰρ ἂν κρατήσῃ ὃ ἔχει· sic Apocal. 3. 11. κράτει ὃ ἔχεις.

Ibid. δοθήσεται αὐτῷ] Vide ad Matth. 25. 29. dicta. Plutarchus περὶ ἠγεμ. ἀπαιδ. de Deo loquens, τὰς δ' ἀρετὰν ζητούσῃς αὐτῇ, ἢ πρὸς τὸ καλὸν ἀμελοῦντας ἀφαιροῦντας ἑαυτούς, ἡδόμενον αὔξει, καὶ μεταδίδωσι τοῖς πρὸς αὐτὸν, &c. ἀληθείας καὶ πραότητος.

Ibid. ὃ δοκεῖ ἔχειν ἀρθήσεται] Vide ad dictum Matthæi locum. Ὃ δοκεῖ ἔχειν est ὃ ἔχει· & ità hîc Marcus & Matthæi Græcus Interpres: vide infrà ad 22. 24. annotata.

Com. 19. καὶ οὐ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ διὰ τὸ ὄχλον] Quod Marco, (in alia autem historia) διὰ τὸ ὄχλον μὴ προσπαγγέλλειν δύνασθαι. Συντυχεῖν, *adire*, *convenire* cum. Hesychius, Συντυχία, συνέντευξις.

Com. 20. ἀπήγγελη αὐτῷ, λεγόντων] Pro ἀπήγγελαν αὐτῷ, λέγοντες· cujus locutionis tamen exemplum quæro.

Ibid. ἰδεῖν σε θέλοντες] Id est, ἐπιποθοῦντες· sic 2 Tim. 1. ἐπιποθῶν σε ἰδεῖν.

Ibid. ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἑστήκασιν ἔξω, ἰδεῖν σε θέλοντες] Ἰδεῖν hîc non tantùm videre sed & alloqui significat. In Satyrico Petronii, *Ecce ipsa venit ad stabulum* (i. e. diversorium) *petitque ut vobiscum liceat loqui.*

Com. 21. Μήτηρ μου καὶ ἀδελφοί μου οὗτοί εἰσιν] Martialis,

Hos fratres vocat, hos vocat sorores.

Ibid. Μήτηρ μου καὶ ἀδελφοί μου οὗτοί εἰσιν, οἱ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἀκούοντες, καὶ ποιοῦντες αὐτόν] Plutarchus de Alexandro M. Πατρίδα μὲν ἡ εἰκαμψίλιον περιέπλεξεν ἡγεῖσθαι πάντας, &c. συγγενεῖς δὲ τοὺς ἀγαθούς. (De fort. Alex. α.) Imò & ἀδελφοὶ non alios quàm συγγενεῖς significant in Contextu nostro. Plinius Trajanum laudans, *Et hunc tibi proximum, hunc tibi conjunctissimum existimes, quem optimum, quem diis similimum inveneris.* Ulysses apud Homerum Odyss. φ'. ait, quos bonos fidósque servos invenerit, eodem se necessitudinis gradu habiturum, ac si Telemachi (filii sui) fratres essent: & Arrianus 2. 22. ad rectum de amicitia vera judicium ferendum, inspiciundum ait, non an sanguinis vincula intercedant, sed an bonorum dogmatum (quæ sola firmam amicitiam faciunt) consensus interveniat. Similem habent sensum quæ Actor. 10. 35. D. Petrus. Ad quem locum annotata vide.

Com. 22. Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης] Hesychius, Διέλθωμεν, *διαπερήσωμεν*. Idem, Πέρασαι, εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης διαπέρασας. Item, Περαιοῦσθαι, *διαπερᾶν πλοίῳ ἐπιβάντα*: ità & præcessit heic εἰς πλοῖον ἐνέβη.

Ibid. εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης] In Glossis Ἀντιπέραν τῆς θαλάσσης, *trans mare*.

Com. 23. ἀφύπνωσεν] Recentior, *sopitus est*. Vulgat. *obdormivit*: sic in Glossario, Ἀφυπνῶ, *obdormio*. Hesychius, Ἀφυπνίσας, ἀφύπνισεν· quæ videntur in mendo esse.

Ibid. καὶ κατέβη λαῖλαψ ἀνέμου εἰς τὴν λίμνην]

Continùo venti volvunt mare, magnáque surgunt
Æquora. ——

Λαῖλαψ Recentiori *turbo*, Vulgato *procella*: ità in jam citato Glossario, Λαῖλαψ, *procella*. Κατέβη impetum ac vim majorem denotat: κατενέχθη, in re simili Pollux 1. 9. §. 22. dixit.

Ibid. συνεπληροῦντο] Populariter dictum pro, *navis complebatur*. Juvenalis,

Cum plenus fluctu medius foret alveus. ——

Gellius 19. 1. *Ventus*, &c. *navem undis compleverat*. Vide Pollucem 1. 9. § 19.

Ibid. (συνεπληροῦντο, καὶ ἐκινδύνευον] Ità, δέχεσθαι πολλὴν θάλατταν, (quod heic συμπληροῦσθαι) ἢ κινδυνεύειν, Plutarchus in vita Cæsaris. Commodè autem τῷ συμπληροῦσθαι sequitur κινδυνεύειν. Festus Pompejus, *Navis cum multum aquam recipit, periclitatur.* Ἐκινδύνευον, nempe,

Esset ut in mediis obruta puppis equis.

Vel συντεβλιῶσι. Ità Jonæ 1. 14. τὸ πλοῖον ἐκινδύνευε τοῦ συντριβῆναι. Κινδυνεύειν autem, tacitâ voce ἐκπλεῖν, aut simili quavis, bene Græcum est: exempla occurrunt in Plutarchi Crasso, & in ejusdem Antonio; apud Arrianum 3. 26. in Epictetum, & Marcum Antoninum: vide & 1 Cor. 15. 30. Sequuntur eam formam & Latini. Apulejus 3. *Propter earûs multitudinem, quæ pressura nimiâ densitate periclitaretur.* Amobius 1. *Terrarum*, &c. *motibus tremefacta civitates nutans usque ad periculum*: subversionis periculum nempe. Ammianus Marcellinus lib. 22. de Juliano Imperatore, *Multorum hujusmodi petulantem sæpe dementiam adusque discrimen expertus*: discrimen vitæ nimirum.

Com. 24. Προστελθόντες δὲ διήγειραν αὐτὸν, λέγοντες, Ἐπιστάτα, ἀπολλύμεθα]

——— *In te suprema salus, miserere tuorum.*

Marcus heic, οὐ μέλει σοι ὅτι ἀπολλύμεθα; quasi dicerent, prout tempus exigebat, commotioribus animis,

——— *Potes hoc sub casu ducere somnos?*
Nec quæ circumstant nos tanta pericula cernis?
Securus dormire potes instante ruinâ?
——— *Non fluctus, stridénsque rudentibus Eurus*
Te movet, & surgens ad summa pericula clamor?

Apud Ciceronem Tuscul. 1. & in Academicis quæstionibus, ex Tragœdia vetere,

Mater, te appello, quæ curam somno suspensam levas,
Neque te mei miseret. ———

Et in Quintiliani Declamationibus, *Qua tam gravis quies ista ut te mors vicina non excitet?* Et nota, non λέγοντες, ἀπολλύμεθα, sed λέγοντες, ἐπιστάτα, ἀπολλύμεθα. Apud Terentium Hecyr. 1. 2. ille, *Parmeno*, *perii*: ubi Donatus, Ex ipso nomen repetit: & alter ille Andr. 2. 2. *Dave*, *perii*: ad quæ idem Donatus, *Habet affectum quòd & addidit Dave.* Tobias junior ad Angelum, comitem suum 6. 4. *Domine, piscis invadit me.* Ulysses de sociis suis (in mari, itidem ut heic Petrus cum suis) ultimè periclitantibus,

——— Ἐμοὶ δ' ἅμα θύγγανον καλέοντες
Ἐξονομακλήδην, τόσα γ' ἄσσον ἀχνύμενοι περ.

Icarus apud Ovidium ex alto decidens,

Decidit, atque cadens, Pater, ô pater, aiebat, inquit.

Propertius ad Cynthiam suam quam dormiens naufragantem viderat,

At tu vix primas attollens gurgite palmas
Sæpe meum nomen jam periture vocas.

Ibid. ἐπλήμυρεν τῷ κύματι] In Græco Psal. 106. 9. Ἐπλήμυρεν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. Vide ad Matthæum dicta. Plinius 32. 1. de Echeneide, *Ruant venti licet, & saviant procellæ, imperat furori, vimque compescit.*

Ibid. ἐκοπάσθη] Psal. 107. 29. Ἐπέταξε τῇ καταιγίδι, καὶ ἦν εἰς αὔραν.

Ibid. ἐκοπάσατο, καὶ ἐγένετο γαλήνη] Homerus,

——— Ἄνεμος μὲν ἐκοπάσατο, ἦ δὲ γαλήνη
Ἔπλετο νηνεμίη. ———

Lucianus in Deorum dialogis, Ἡ θάλαττα εὐθὺς ἀνέμων ἐγένετο, καὶ τῷ γαλήνῃ ἐκπαγεῖσα, λεῖαν ἑαυτὴν παρεῖχεν. Achilles Tatius, Τὸ πολὺ τῆ πνεύματος ἀξιοπιστοῦντι, τὸ δὲ ἄχρι τῆ κύματος ἐφορᾶτο.

Ibid. ἐγένετο γαλήνη]

——— *Venti posuere, omnisque repentè resedit*
Flatus. ———

——— *Sæpe*

by Google

——— *Seséque pavere*
Confessa, finem flatu fecere procellæ.

Adde ad Matthæum dicta. In Glossis, Γαλήνη, *tranquillitas*, & ità heic Vulgatus.

Com. 25. Πῦ ἐστι ἡ πίστις ὑμῶν ;] Marcus heic, τί δειλοί ἐστε οὕτω; πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; & ità sanè eo loco interpungi solet: neque longè utriusque locutionis exempla quærenda. Idem 2. 7. τί οὗτος οὕτω λαλεῖ βλασφημίας; Matth. 16. 11. πῶς οὐ νοεῖτε ὅτι οὐ περὶ ἄρτου εἶπον ὑμῖν; Luc. 12. 56. πῶς οὐ δοκιμάζετε; & Marc. 8. 21. πῶς οὐ ζητεῖτε; Potest tamen non minùs commodè interrogatio poni post ἐστε, hoc modo, τί δειλοί ἐστε ; οὕτω πῶς, &c. Sic 1 Cor. 6. 5. οὕτως οὐκ ἔστιν ἐν ὑμῖν σοφός; &c. Idem Marcus 7. 18. οὕτω καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε ; Arrianus in Epictetum, Οὕτως οὐκ ἀρκεῖ σοι μηδὲν ἀλγεῖν; &c. Apud Apulejum Lib. 1. ille, adeóque (ut hic Christus) sono vocis objurgatorio, *Tam jam nec amicis quidem nostris*; &c. *parcitis?*

Ibid. ἐθαύμασαν, λέγοντες, &c. τίς ἄρα οὗτός ἐστιν ; ὅτι καὶ τοῖς ἀνέμοις ἐπιτάσσει; &c.] Vide ad Matthæum dicta : adde Sirach. 43. 25. Τοῦ θαλάσσης κύματα ἐπιτάσσων, ut potentiæ plusquam humanæ notam habemus & 2 Maccab. 9. 8. Pro ὅτι heic, si libri veteres faverent, malim ὃς legi.

Com. 26. κατέπλευσαν] Vertas, *devecti sunt*. Glossarium, Κατεπλεῖ, *devehitur* : Vulgat. & Recentior, *navigavêrunt*.

Ibid. ἀντίκεινται, &c.] Iliad. γ'. ἀντίξοοι, ubi Scholia, Τὰ ἐξ ἐναντίας τῆ Ἠλιδι πείμενα χωρία.

Com. 27. ἀπήντησεν αὐτῷ ἀνήρ τις ἐκ τῆ πόλεως] E civitate Gadarenorum nempe; sic infrà com. 39. de eadem, καθ' ὅλην τὴν πόλιν. Illud ἐκ, ut rectè animadversum est, non significat, dæmoniacum istum id temporis ex urbe obviam Christo venisse, aut ibi fortitum natale solum, illius loci civem fuisse, sive ἄνδρα τῆ τόπου ἐκείνου, ut 14. 35. apud Matthæum. Sic 1 Maccab. 6. 3. τοῖς ἐκ τῆ πόλεως, civibus loci illius : & Judic. 19. 16. Ὁ ἀνὴρ ἦν ἐξ ὄρους Ἐφραΐμ. Ità, *esse ex civitate aliqua*, l. 1. §. 1. ff. de Jure immunitatis.

Ibid. καὶ ἱματίων οὐκ ἐνεδιδύσκετο] Philo in Flaccum de Carabo subinsano illo, Δημέρου καὶ διανυκτέρευε γυμνὸς ἐν τῆ ὁδοῖς, ὥστε θάλπη ὥτε κρυμῶν ἐκτρεπόμενος.

Ibid. καὶ ἐν οἰκίᾳ οὐκ ἔμενεν] Infrà com. 29. εἰς τοὺς τάφους ὑπὸ τῦ δαίμονος ἠλαύνετο. Virgilius de Metabo,

Non illum tecta ulla, non mœnibus urbes
Accepere, neque ille manus feritate dedisset:
Pastorum & solis exegit montibus ævum.

Philostratus 3. 12. de Vita Apollonii, τῦ σταδίου τότε ἐνοχλοῦντος ὑπὸ τῦ δαίμονος ἑνὸς, καὶ οὐ συγχωροῦντος αὐτοῦ νοῦν ἔχειν, &c. οἰκεῖ οἴκους τινάς, &c. Plutarchus de Porcia, morte Bruti auditâ, Τὸ μέγεθος μὴ φέρουσα τῆ συμφορᾶς, ἑαυτὴν μάλις οἴκοι κατοῦχον, &c. Curtius de pueris Alexandri M. eo recens mortuo, *Nec doloris magnitudinem capere, nec seipsos intra vestibulum regia retinere potuerunt: vagique, & furentibus similes totam urbem luctu ac mœrore compleverunt.* Bene Artemidorus 3. 42. Κυνῶδες ἡ μανία καὶ ἀβέβαιον σημαίνεται, καὶ μὴ καταμένον ἐν τόποις, καὶ ἐρημίαι.

Com. 28. προσέπεσεν αὐτῷ] Vide suprà ad 5. 8. dicta. Προσπίπτειν *Iovi* dixit & Eunapius in vita Ædesii.

Ibid. Τί ἐμοὶ καὶ σοί ;] Id est, Τί παράγματά μοι παρέχεις; ità 2 Reg. 16. 10, 3 Reg. 17. 18. 2 Paralip. 35. 21. 1. Esdr. 1. 26. & Joh. 2. 4.

Ibid. τῦ θεῦ τῦ ὑψίστου] Vide suprà ad 6. 35. dicta.

Ibid. μή με βασανίσῃς] Βασανίζειν hic, nec non apud Matthæum & Marcum in hac narratione, fortasse non est (quod non pauci Expositores credidere) nè me in locum tormentorum (id est, in Tartarum) mitte; nec, quod alii, qui dæmonas dixerunt se torqueri existimare dum homines lædere prohibentur: sed, nè me torque in hoc domicilio meo. Nec mirum potuisse Christum quod vel Magos potuisse creditum est. Ægyptius ille apud Apulejum cadaver sufurris suis magicis animatum alloquens, *Annon putas devotionibus meis posse diras invocari? posse tibi lassa membra torqueri?* Philostratus de Empusa conspectu Apollonii territa, Δειμαίνει ἰδοῦσα, καὶ ἰδοῦσα μὴ βασανίζειν αὐτόν omnino ut apud Lucam nostrum, δέομαί σου, μή με βασανίσῃς. Est autem heic, *ne me torque*, ne me crucia jussis tuis, tuis interrogationibus: & hunc sensum esse evincunt sequentia, παρήγγειλε γάρ, &c. Cyprianus 76 Epist. *per exorcistæ vocem humanâ, potestate divinâ*, (nempe Christi) *flagellatur* (diabolus) *& uritur & torquetur. Tormenta verborum, & orationis incendia*, hoc argumento Minucius in Octavio dixit. Ità B. Martinum verbo (i. e. oratione) *torsisse dæmonem* ait Paulinus lib. 2. de Vita ejus. Lactantius 2. 15. de spiritibus istis, *Cultores Dei metuunt*, &c. *quorum verbis tanquam flagris verberati*; &c. & post, *Nec Deo, per quem adjurantur, nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt.* Idem 5. 22. *Exclamant, uri verberarique se testantur: & interrogati qui sint, unde venerint, quando in hominem irrepserint, confitentur.* Jam vero tortos fuisse eos indicat mugitus, Marc. 1. 26. 9. 26. & suprà hic 4. 41. Cicero Offic. 3. *Cùm quærimus si possint celare, quid futuri sint, non quærimus, possintne celare; sed tanquam tormenta quædam adhibemus: ut si responderint*, &c. Βασανίζειν autem non tantùm αἰκίζεσθαι, καὶ μαστιγοῦν, καὶ τιμωρεῖσθαι significare, sed & δοκιμάζειν, ἐπιμελῶς ἀνακρίνεσθαι χωρὶς πληγῶν τὸ ἀληθὲς ἐξῆ λογικῆ ἀνακρίσεως, ex Artemidoro 4. 61. Jamblicho cap. 18. de Pythagoræ vita Suidæque Collectaneis docemur. Hesychius, Βασανιστής, &c. παιδευτὴς ὁ πρὸς τὸ ἀνδραποδῶδες τὴν ἀλήθειαν συνθλίβων.

Com. 29. παρήγγειλε τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ ἐξελθεῖν ἀπὸ τῦ ἀνθρώπου] Philostratus de Apollonio, Οἷον διεπέπτης αὐτὸς ἀνδρείπωδα, ποικίλον πανοῦργόν τε καὶ ἀναιδῆ, καὶ τὰ τοιαῦτα οὐκ ἐργῷ λέγων, καὶ κελεύων ἀπαλλάττεσθαι, &c.

Ibid. πολλοῖς χρόνοις, &c.] Id est, ut suprà com. 27. ἐκ χρόνων ἱκανῶν. Plutarchus de Sotade, (libro de Liber. educ.) ἐν δεσμωτηρίῳ πολλὺς χρόνους κατεσάπη. Itaque Græce non minus quam Latine per tertium pérque quartum casum locutionem istam usurpari videmus.

Ibid. ζυνηρπάκει αὐτὸν] Vulgat. *arripiebat illum*. Hinc in Glossario. *Areptitius*, ἀναρπαστός. Ubi fortè συναρπαστὸς legendum; ità in contextu nostro, συνηρπάκει. Ità & in alio Glossario. Συναρπάζω, *corripio*.

Ibid. ἐδεσμῶτο ἁλύσεσι καὶ πέδαις φυλασσόμενος] Pro, ἐφυλάσσετο, ἁλύσεσι καὶ πέδαις δεδεμένος. Horatius, non quidem de Dæmoniaco, sed appositè,

——— *In manicis &*
Compedibus, sævo te sub custode tenebo.

Glossarium, Πέδη, ὁ δεσμὸς, *compes*. *Vincula & manicas* junxit itidem Virgilius. Plinius lib. 7. Epist. 27. *Cruribus compedes, manibus catenas gerebat.* Solinus, *Nullóque momento fueris sine compedibus & catenis.*

Ibid. καὶ διαῤῥήσσων τὰ δεσμὰ, &c.] Hieronymus de tali quodam in vita Hilarionis, *Non catenæ, non compedes*, &c. *integra patiebatur.* Seneca 1. 13. de Ira, *Sæpe validiorem furor reddit.* Vide Cassii iatro-sophistæ problem. 51. Quintilianus in Declamationibus, *Excesserunt opera ejus humanarum virium mediocritatem; quicquid factum est, rabies, insania fuit*: ubi forte *fecit* legendum.

Ibid. ἠλαύνετο ὑπὸ τῦ δαίμονος εἰς τὰς ἐρήμους] Philostratus non ità pridem citato loco, εἰς τὰ ἕρκεα τῶν χωρίων (τὴ πῶλον) ἐστρέφετο. Plutarchus de Timoleone, Ἀδημονῶν, καὶ πλανώμενος, ἐν ταῖς ἐρημοτάτοις τῶν ἀγρῶν διέτριβεν. Apud Ciceronem Tuscul. 3. de Bellerophonte,

——— *In campis mœrens errabat Alais,*
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Ἠλαύνετο bene vertas, *ferebatur*. Apulcius lib. 8. de insaniente illa, *Per plateas populosas, & arva rursestria fertur.* Et hinc forte illustrandus Hesychius, qui Παρεφέρετο, Ἐδαιμονίζετο· ut παραφέρεσθαι sit, per devia errare, quod solent mentis commotæ homines, vel dæmoniaci. Suidas, Παραφορὰ, ὁ παρ' ἑαυτὸν, καὶ ὑπὸ δαίμονος παραφερόμενος. Εἰς τὰς ἐρήμους, est,

Per juga, per valles, qua furs ducebat eumem.

Com. 30. Τί σοί ἐστιν ὄνομα ;] Commoti & urgentis sermo. Aristophanes apud Suidam verb. μαφοῖ,

Τί σοι ποτ' ἐστιν ὄνομα; ἀπ ἐρεῖς μαφοῖστι;

Ibid. εἶπε γὰρ, Λεγεών] Lactantius loco suprà adducto, *Non modo dæmonas se esse confitentur, sed & nomina sua edunt*, &c.

Ibid. ὅτι δαιμόνια πολλὰ εἰσῆλθεν εἰς αὐτὸν] Hæc Lucas ex persona propria: at verò Marcus hic, ὅτι πολλοί ἐσμεν· ut nempe dæmones ipsi rationem ediderint cur *legio* vocarentur. Sic in Equitibus Aristophanis ille, nomen ejus quærenti alteri non solùm nomen eloquitur suum, sed & causam vocabuli.

Ἐμοὶ δέ γ' ὄ, τι σοι τὔνομ' ἐστ' · Ἀγοραίοις
Ἐν τῆ ἀγορᾷ γὰρ πανάμενος ἐβυσσόμην.

Com. 31. εἰς τ᾽ ἄβυσσον] Εἰς τ᾽ ἄβυσσον, at de mari loquens dixit Plutarchus, libro de Iſide & Oſiride. Suidas in ἀβλάβιλλον, Ἄβυσσον καλεῖ τ᾽ ὑγρὸν ἰσίαν ἡ θεία γραφή. In Luca autem, (cum inſigniſſimo Expoſitorum) ἄβυσσον, Tartarum (Dæmonum carcerem) intelligendum exiſtimem.

Com 32. Ἦν δὲ ἐκεῖ ἀγέλη χοίρων, &c.] Illud ἐκεῖ (quod porcos in vicino fuiſſe innuit) videtur indicare apud Matthæum, non μακρὰν, ſed (cum Vulgato) ἀ μακρὰν legendum. Ità Joh. 21. 8. οὐ ἦσαν μακρὰν ἀπὸ τ᾽ γῆς· & Act. 27. 28. ἀ μακρὰν ἀφ᾽ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν.

Ibid. ἵνα ἐπιτρέψῃ αὐτοῖς εἰς ἐκείνους ἐλθεῖν] Videbant ſibi exeundum eſſe, nec facile in alios homines intrare ſibi permiſſum iri: ut aliquâ ergò hominibus nocerent, tranſire vel in animalia cupiebant. Hieronymus in Hilarionis vita, *Docebat hominum causâ Diabolum etiam jumenta corripere: & tanto eorum ardere odio, ut non ſolum ipſos, ſed & ea quæ ipſorum eſſent, interire cuperent.* Euthymius ad Matthæum hic, *Studet porcos occidere, ut horum damno contriſtati Domini gregis Jeſum non ſuſciperent.* Si quis hèic dixerit,

Quid perdi fecere, animal ſine fraude dolóque?

reſpondebimus ejuſdem Euthymii verbis, ubi de ficu ab eodem Chriſto infœcunditati damnata, *Ne inquiras cur punita ſit planta quæ nihil offenderat, ſed ſolum intuere miraculum.*

Com. 33. καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κὶ ἔ κρημνοῦ] Solent ſpiritus iſti obſeſſa corpora in præcipitia agere. Philoſtratus ſupra citato loco, de Dæmone puerum vexante, αἰτιᾶται κρημνὸς καὶ βάραθρα. Ὥρμησεν hèic *ruit* vertas. Gloſſæ, Ὁρμᾷ, &c. *ruo.* Donatus ad 3. 2. Adelph. *Proprie ſues ruere dicuntur.* Vulgat. *impetu abiit:* quod in idem cadit. Servius ad Æn. 10. ea,

— *Ruebat*
Matura jam luce dies —

Cum impetu veniebat: & ad 8. ea,
Una omnes ruere —

Cum impetu venire: & hoc verbo, more ſuo, oſtendit velocitatem.

Ibid. εἰς τ᾽ λίμνην, ἢ ἀπνιγήν] Philoſtratus, ut de equabus, in Heroicis, Στᾶσαι ἐπὶ τ᾽ ἀκρωτηρίων, &c. ἢ τ᾽ θαλάσσης ἐαυτὰς ἵεσαν. Agathias apud Suidam in κατασπᾶσθαι, Εἰς τὴν θαλαττίαν κατασπάσαι, ἐμπίπτοντες, ἀπώλοντο·

Com. 34. οἱ βόσκοντες, &c. ἔφυγον]

— *Pavidi ceſſere magiſtri.*

Ibid. καὶ, &c. ἀπήγγειλαν εἰς τὴν πόλιν] Ut ſolent qui quid novum & mirum conſpexerunt: vide Matth. 28. 11. Joh. 4. 28, 29. 1 Reg. 13. 25. Jamblichus de piſcatoribus Pythagoræ divinatione ſtupefactis, τὸ πεπραγμένον ἀπήγγειλαν. Heſychius, Ἀπαγγέλλει, φανερὸν ποιῶ. Vulgat. bene, *nunciaverunt.* Mamertinus in Genethliaco, *Concurſare inter ſe agricolæ, nunciare totis* (id eſt, omnibus) *viſa.*

Com. 35. ἐξῆλθον δ᾽ ἰδεῖν, &c.] Theod. Prodromus,

— Ἡ γε μὴν πόλις,
Ἐπεὶ τὸ ξυμβὰν ἢ τελούμενον μάθοι,
Ἐξέσεσαν ξύγκλυδες ὡς τ᾽ δαμάτων.

Apulejus 7. *Tota civitas ad conſpectum effunditur.*

Ibid. ἱματισμένον καὶ σωφρονοῦντα] Addit Marcus, καθήμενον: ad pedes Jeſu nempe, ut hèic Lucas: vel ut opponeret hunc placidum quietímque geſtum priori inſanæque ejus diſcurſationi per devia ac deſerta. Hoc ſenſu, & in re ſimili, idem Marcus 7. 30. βεβλημένον dixit. Servius ad Æn. 9. *Sedentium animi tranquilliores ſunt.* Apulejus 9. *De vima proſpiciunt me* (rabiei falsò ſuſpectum) *ſanum atque otioſum conſiſtere:* plane ut apud Marcum in dæmoniaci iſtius narratione, καθήμενον, καὶ σωφρονοῦντα.

Com. 38. εἶναι (ὃν αὐτῷ] Id eſt, ut infrà 9. 49. ἀκωλύτων μετ᾽ αὐτῶ.

Ibid. ἀπέλυσε δ᾽ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς] Ἀπολύειν hèic, non eſt *dimittere*, ſed, *non admittere:* ut 1 Joh. 4. 18. ἐκβάλλει non eſt, *ejicere*, ſed, *non recipere:* ad quem locum notata vide.

Com. 39. καὶ ἀπῆλθε καθ᾽ ὅλην ἐπόιησε δι᾽ αὐτοῦ ὁ Θεός] Sic Act. 15. 4 idem Lucas noſter, Ἀνήγγειλαν ὅσα ὁ Θεὸς ἐποίησε μετ᾽ αὐτῶν.

Com. 40. ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ὄχλος, ἦσαν γὰρ πρσδοκῶντες αὐτὸν] Vide ad Apuleii 8. pag. 364. dicta. Ex hoc Lucæ loco puto lucem dari poſſe Heſychii illis, Ἐδόκαζεν ἀπεδέχετο· ut idem ſit δοκάζειν quod προσδέχεσθαι, & conſequenter ſenſus non abſimilis hujus loci ſententiæ.

Com. 41. ᾧ ὄνομα Ἰάειρος, καὶ αὐτὸς ἦν, &c.] Sic 19. 2. Πρόμαλε Ζακχαῖος, καὶ αὐτὸς ἦν, &c.] Suidas, Ἰάειρος, ὄνομα πόλεως. Fortaſſe Ἰάιρος, ut apud Lucam, legendum.

Com. 42. ἀπέθνησκεν] i.e. ut ſuprà 7. 2. ἤμελλε τελευτᾶν. Sic 1 Maccab. 1. 5. de Alexandro, Ἔγνω ὅτι ἀποθνήσκει. Ἀποθνήσκειν pro eo quod eſt *animam agere* poſuit & in Gallo Lucianus.

Ibid. οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτὸν] *Comprimebant eum*, ut bene Vulgatus: Id turbæ proprium. Juvenalis 3.

— *Magno populus premit agmine lumbos.*

Ovidius, Pont. 4. 9.

Sed foret à populo tum mihi dulce premi.

Turbâ undique confluentis fluctuantiſque populi jactari Gellius 10. 6. dixit. Eſt itaque συμπνίγειν hèic hyperbolicum, ſed & uſitatum: nam & *turbam* (à ſeipſa nempe) *ſuffocari*, (q. d. συμπνίγεσθαι) Seneca Epiſt. 91. dixit: &, *elidi* (quod idem valet) *in turba ſua.* Idem in de Vitæ brevitate: quomodo & Ovidius jam citato loco,

Nec querulum, turbâ quamvis eliderer, eſſem.

Vult dicere ergo hyperbole iſta, à populo tanto ſtudio confluente ità compreſſum Chriſtum fuiſſe, ut de vita periclitaretur. Sic Suetonius in Caii vita de Germanico, *Ita vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel ſicunde diſcederet, præ turba occurrentium proſequentiumque cum diſcrimen vitæ adiiſſe.* Catonem, πολλῶν ὑπὸ σπουδῆς καὶ φιλοφροσύνης περὶ αὐτὸν ἀθουμένων, ἐν κινδύνῳ γενέσθαι, Plutarchus narrat. Polybius de Græcorum populis Tito Quinctio adventante, ἀπὸ τὴν ὑπερβολὴν τ᾽ χαρᾶς διαφθαῆναι τ᾽ Τίτον· & ſtatim, καθ᾽ ὀλίγον διαλυσθῆναι τ᾽ ἀνθρωπον.

Com. 43. ἐν ῥύσει αἵματος] Heſychius, Ῥύσις, φλὼξ χρυσῆ, &c. ἡ (lege ἢ) αἱμόῤῥοια. Vulgat. *in fluxu ſanguinis.* Scribonius Largus § 121. *fluorem ſanguinolentum* vocat. Solinus cap. 35. *proſluvium ſanguinis:* ità in vetere Onomaſtico, *Proſluvium*, ῥύσις.

Ibid. ἥτις εἰς ἰατροὺς προσαναλώσασα ὅλον τ᾽ βίον, &c.] Serenus Sammonicus,

Multos præterea medici compenere fuſces
Aſſúerunt; pretioſa tamen cum veneris emptum,
Fallêris fruſtráque immenſa numiſmata fundes.

Vim morborum medentibus pretia ferre, dixit Tacitus Annal. 11. &, σῶμα εἰς νόσους παροξυνεῖ, δαπάνας ἰατρείαν, Cleanthes apud Plutarchum. Joannis Patriarchæ C. P. de morbo ſuo, in ſuo teſtamento hæc verba ſunt apud Nicephorum Gregoram lib. 8. Διατίλλει τ᾽ ἰσὴν τ᾽ αἱμαλέαν ἕξιν, εἴον εἴ τις ἐκμυζῶσα βδέλλα, τ᾽ δ᾽ ἂν αἷμαν (Lucas βίον dixit) ὑφαιρεῖται μικρὸν, διδύμη (τὸ λεγόμενον) χειρὶ τοῖς τ᾽ ἰατρῶν κέλπαις ἐπισπωμένη. *Facunt redditus* (de medicis dixit Herbarii Auctor) *dum tempus curationum extrahunt, puto quia ſeviores ipſis morbis exſiſtunt.* Merito itaque Plutarcho teſte, Apophth. Lacon. ſolebat eum Pauſanias medicum optimum vocare, qui ægrotorum corpora, non frequentibus, nihilque profuturis (ſæpe & nocituris) potionibus conficeret, ſimúlque eorum opes exinaniret; ſed qui citò rem terræ ſuam mandaret, id eſt, ut loquitur (& de medico) Apulejus, tanquam famoſæ manûs gladiator, ſine mora multa Oreo funera demitteret.

Ibid. οὐκ ἴσχυεν ὑπ᾽ οὐδενὸς θεραπευθῆναι]

— *Cœſere magiſtri,*
Phillyrides Chiron, Amithaoniſque Melampus:
Non requies erat ulla mali, defeſſa jacebant
Membra, & muſſabat tacito medicina timore.

Maximianus,

Nec toties experta mihi medicamina proſunt.

Diodorus Siculus de Alexandro M. Τῇ παθῇ (αὐτῇ) ἐπιτείνοντος, καὶ τ᾽ ἰατρῶν ἐγκαλούντων βουθῆσαι μὴ δυνάμενοις ἐδυνήθη. Commode hìc offert ſe Sirachidis 10. 11. locus, cujus inter complures legendi modos libenter eum prætulerim qui ſic habet, μακρὸν ἀῤῥώστημα (κάμνοντι ἰατρὸν, *infirmitas longa derider medicum:* tentantem nempe & molientem multa, ſanantem nentiquam. Philo in de Allegoriis Legis, Ἰδὼν λογισμὸν ἰατρὸν, νενόσα

Google

κενόσεν ἢ κάμνοντα, θρέψω, φαγμάκοις ἰάσομαι, διατιμῶ, ποιέσω· ἀλλὰ παιδάκις ἡ φύσις ἢ αὐτὸ τέτων ἰάσατο, καὶ μὴ τέτων ἀκούσιον, ὡς τὰς ἰατρῶ πάντας ἐπιλογισμὸς ἐνύπνια ἐυρεθῆναι, & quæ ut plurimum ridenda magis quàm insomnia.

Com. 44. Προσελθοῦσα ὄπισθεν ἥψατο ἢ κρασπέδε ἢ ἱματίε αὐτῦ] Post tot humana sine successu adhibita, ad Christum mulier ista, quasi ad Deum, certe homine augustiorem, se confert. Vide supra 7. 3. Philo in de sacrific. Abel & Caini, Ἐπειδὰν ξυμβῇ τι Τ ἀβελήτων, ἅτε μὴ πεπιςδυκότες παγίως θεῷ, πρότερον καταφύγειν (οἱ ἀθλιοι) ἐπὶ τὰς ἐν χρείαι βοηθείας· ἰατρὸς, βοτάνας, φαρμάκων ζυνθέσεις, δίαιταν ἡκεβαμβύλου παρὰ δεσπότε τῷ ὄντων χρὴ βοηθήματα, &c. ἀλλ' ὅταν γε Τ ἀνθρωπίνων μηδὲν ἀρκῇ, &c. τελικαῦτα ἐξ ἀμηχανίας πολλῆς Τ ὑπὸ Τ ἄκων ἀφίλιαν ὑποτρόντες, ὁψὲ. &c. ἐπὶ τ μόνον ζωτῆρα θεὸν καταφεύγομεν. Aristides Orat. 1. pro Rhetorica. Τὸ καταφυγεῖν ἐπὶ τὰς θεὰς χρεὼν ἀρχὴ ἢ τ τέχνης ὑστερεῖν ἐςι.

Ibid. προσελθοῦσα ὄπισθεν, ἥψατο ἢ κρασπέδε ἢ ἱματίε αὐτῦ] Suidas, & de muliere loquens, Ἐξόπισθεν αὐτῦ (Συλᾶ) προσιούσης, ἐπιβάλλ Τ χεῖρα, ἢ κροκίδα ἢ ἱματίε σπᾷ· τῦ ἐπιςραφέντ@, &c. βέλομαι κ' ἀγὼ (ἔφη) τῆς σῆς τύχες ἐυτυχίας μεταλαβεῖν. Vides actûs utriusque feminæ conformitatem quandam: quin & sermo mulieris Romanæ, ἐυτυχίας verbo in δυνάμεως (quam infra 46. habemus) mutato, ejusmodi est ut nec Hebrææ isti incongrua censeatur.

Ibid. ἔση ἡ ῥύσις ἢ αἵματ@] Si credimus Græcis magistris, quibus ἐλεῖν est τὸ καθ' ἑάυτὸν ὁρμὴν ἢ σφαῖρον, εἶσι, ἔση ὁ ἄνθρωπ@· καθῆναι verò τὸ ὑφ' ἑτέρε, εἶσι, ἐκάθη ὁ ἀνδρίας, ἐκάθη ἡ νόσ@· non ἔση hic debuit Lucas, sed ἐκάθη dicere: vicissimque infrà 21. 36. σῆναι, non autem καθῆναι. Potest vera esse κ τὸ ἀκριβὲς discriminatio illa; non tamen debet excludere reciprocas hujusmodi καταχρήσεις quæ in omnibus fere linguis occurrunt.

Com. 45. οἱ ὄχλοι συνέχυσί σε, &c. ἢ λέγεις, Τίς ὁ ἁψάμενός μ;. More ingenii humani dicta. Seneca in de Beneficiis. *Quid est iniquius homine qui eum odit à quo in turba calcatus, aut respersus, aut quo nollet impulsus est?* Ubi & *impelli* est fere quod Lucæ ἀποθλίβεσθ ἢ συνέχεσθ.

Com. 49. τίθηται ἡ Ξυγάτηρ ζε, μὴ σκύλλε Τ διδάσκαλον] Phile, libro de Animalibus,

Μὴ, μὴ, Γάλλωνε, μηδὲν φάρμακον χέρε,
Ὁ σφυγμὸς ἐκλέλοιπεν, ὁ ζὼν ἐξέπνη.

Marcus in hac historia, τί ἔτι σκύλλεις, &c. Tale illud,

Quid frustra nemorum Dominum Regémque fatigas?

Glossæ, *Fatigat*, &c. ζκύλλει. Glossæ aliæ, Σκύλλω, *fatigo, vexo.* Hesychius, Σκύλλε (legendum forsan ζκύλλε) ἐνόχλει. vel certe, Σκύλλῃ, ἐνοχλεῖ.

Com. 50. μόνον πίςευε, ἢ ζωθήσεται] In Carmine Endelechii Rhetoris,

——— *Si tamen hunc Deum*
Exorare velis, credere sufficit.
Votum sola fides juvat.

Vide ad Act. 14. 9. annotata. Libanius Sophista, Βαλέσθαι μόνον, ἢ πάντα ἴδεται.

Com. 52. οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει] Medicus in Floridis Apulejanis de homine mortuo credito, *Quiescit, dormit: & protinus marcido sopore diffluxit: emerget ad diem lucidam.* Puella autem de qua Lucas, erat vere mortua. Cur tamen eam Christus dormire dixit, videre est ex iis quæ ad Joh. 11. 11. annotavimus.

Com. 53. κατεγέλων αὐτῦ] Ut solent qui παροίμιον audiunt. Gellius 17. 3. *Riserunt hoc* (quod nempe de sparso dictum fuerat *ad illudendum.* Vide ad Matth. 9. 24. dicta. Recte autem hèic αὐτῦ; non αὐτῶ. Suidas, Καταγελᾷ σε, γυναιξῖ. Hinc & καταγελᾶν τινος, Arrianus 1. 25. in Epictetum.

Com. 55. ἐπέςρεψε τὸ πνεῦμα αὐτῆς]

Ψυχὴ δ' εἰς δίμας ἦλθε τὸ δεύτερον, ———

ut Dionysiac 25. locutus Nonnus.

Ἐξ ἄιδ@ νόσφι φυγὰς ἔτυξε ———

idem Joh. 11. de Lazaro dixit.

Ibid. διέταξεν αὐτῇ δοθῆναι φαγεῖν] Ut certò adstantibus pateret revixisse eam. Etiam propriæ resurrectionis veritatem sumptione cibi probatam voluit, infra hic 21. 44.

Com. 56. παρήγγειλεν αὐτοῖς μηδενὶ εἰπεῖν τὸ γεγονὸς] Ità Marc. 8. 26. vide & Marc. 7. 24.

CAP. IX.

VALLA.

3. *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam; neque duas tunicas habeatis*] Non est hoc *tuleritis* à verbo *fero*, sed à verbo *tollo*: ergò meliùs *in viam*, & Græcè accusativus est εἰς τλὴ ὁδόν. Et *tuleritis* ut apertiùs ità veriùs translatum esset *tollatis* sive *tollite*, μηδὲν αἴρετε. Neque *duas tunicas* dicitur, sed *binas*, h. e. singuli duas. Neque imperativum aut subjunctivum est *habeatis*, sed infinitivum, μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν.

4. *Et in quamcunque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis*] Veritas Græca habet, & *inde exite*, ἢ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε· quod quia quibusdam videbatur absurdum, ut juberentur exire, convenientiùsque esse, cùm dicatur *ibi manete*, nè exirent, addiderunt negationem. Sed Dominus præcepit ut ex eadem domo exirent, cùm illinc ad aliam civitatem pergerent, in quam à principio introissent, nè fortè ex alia exirent.

10. *Secessit seorsum in locum desertum qui est Bethsaida*] Gr. *in locum desertum urbis quæ vocatur Bethsaida*, πόλεως καλυμένης Βηθσαϊδά.

21. *At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent*] Cur non dixit Interpres nunc *minatus illis præcepit*, sicut alibi frequenter, cùm idem sit verbum, ἐπιτιμήσας; Non enim nunc locus est *increpationi*, tanquam peccassent, sed *deportationi*, nè peccent.

23. *Tollat crucem suam quotidie*] Non est apud hunc Evangelistam *quotidie.*

24. *Nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam*] Nisi accipiat *nam* pro *autem*, non respondet translatio Græcæ veritati, in qua dicitur, *qui autem*, sive *quicunque autem*, *perdiderit animam suam gratiâ mei, hic salvabit eam*, sive *ipsam*, ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τλὴ ψυχλὴ αὐτῦ ἕνεκεν ἐμῦ, ὑτ@ σώσει αὐτλήν.

31. *Dicebant excessum ejus*] *Excessu* pro *morte* accipiendus est, ut apud Ciceronem De Legibus, *Certè non longè ab ædibus tuis inambulans post excessum suum Romulus Proculo Julio dixerit se Deum esse, & Quirinum vocari.* Et apud Valerium Maximum, *Tum quoque clarissimi excessûs, Catonis, Uticæ monumentum est, in quo ex fortissimis vulneribus tuis plus gloriæ quam sanguinis manavit.* Quòd autem hoc senserit Interpres etsi fatuum est dubitare, sciamus Græcum vocabulum esse illud quo secundus liber Moysi inscribitur *Exodus*, ἔξοδ@, qui dicitur *Exitus*, ut in Psalmo 114. 1. *in exitu Israel ex Ægypto:* qui pro *morte* accipitur, ut apud Quintilianum in Mathematico, *Commendo vobis exitum meum:* & apud Plinium ad Com. Tacitum, *Petis ut tibi exitum avunculi mei scribam.* Quid alia exempla? Apud ipsum Interpretem in epistola Petri 2. 1. 15. *Dabo autem operam & frequenter habere vos post exitum meum*, ἔξοδον.

42. *Et reddidit illum patri ejus*] *Patri suo* Latinum est.

44. *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos*] Gr. *Ponite vos in aures vestras*, sive *in auribus vestris, sermones istos*, sive *hos:* εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν.

52. *Intraverunt in civitatem Samaritanorum*] Nè quis putet hanc civitatem esse Samariam. Nam Græcè est κώμλω, quod est *castellum* vel *vicus:* unde dicitur paulò pòst, v. 56. *Et abierunt in aliud castellum*, κώμλω.

54, 55. *Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos? Et conversus increpavit illos*] Græcè plus est quàm Latinè: dicitur enim illic, *Domine, vis dicamus ignem descendere de cœlo, & consumere eos, ut & Elias fecit?* *Conversus autem increpuit illos*, ὡς ἢ Ἠλίας ἐποίησε; Στραφεὶς δὲ.

REVIUS in VALLAM.

4. Καὶ' ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε] Hæc loco suo exciderant. Porrò negationem, quam Laurentius hîc refellit, in quodam cod. scriptam invenit Beza: & eundem manere sensum, sive adsit, sive absit, argutè nos docet.

ERASMUS.

3. *In viam*] Εἰς τλὴ ὁδὸν *in viam.* Et *tuleritis* non est à verbo *fero*, sed à *tollo. Ne quid tollatis in viam*, sive *ad iter*, h. e. *Ne quid deportetis.* ¶ *Neque duas tunicas*]

Μήτε

ἀνὰ δύο χιτῶνας neque binas tunicas, i. singuli duas. Quùm ἔχειν infinitum verbum positum est vice imperativi Græcanico. *Tunicam* autem dixit non pro quavis veste, sed pro specie vestis: ut intelligas alteram indui, alteram deportari in sarcina pro mutatoria.

4. *Et inde ne exeatis*] Græce secùs est, ἢ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε *& inde exite*. Sentit enim ut unis duntaxat ædibus uterentur; ne aliunde exirent relicturi civitatem quàm quò ingressi fuissent advenientes, ne cui parùm stabiles viderentur. Ad eundem modum non legit modò Theophylactus verùm etiam interpretatur. Verùm hoc non Interpretis culpâ sed librariorum vitio mutatum esse constat.

5. *In testimonium supra illos*] Ἐπ' αὐτούς. Quæso cur non potiùs *adversùs illos* quàm *supra illos*? adeóne studio fuit corrupte dicere?

7. *Et hæsitabat*] Διηπόρει· quod ut significat *hæsitare*, ita significat & *perplexum esse atque ancipitis consilii*, & *animi dubium*. Metuebat enim ne is resurrexisset quem occiderat.

10. *Qui est Bethsaida*] Εἰς τόπον ἔρημον πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά, *in locum solitarium civitatis quæ dicitur Bethsaida*. In vetustis lego *qui est Bethsaidæ*, ut intelligas desertum Bethsaidæ vicinum.

11. *Qui curâ indigebant*] Θεραπείας. Cur non potiùs *curatione*, cùm de morbis loquatur, cùm & Latinius sit & ad Græcam vocem exprimendam accommodatius?

12. *Villásque quæ circa sunt*] Εἰς τὰς κύκλῳ κώμας *in circumjacentes vicos*, sive *oppidula*. Et rursus *agros* vertit *in villas*; nec id sane male, modo bene intelligatur. ¶ *Inveniant escas*] ἐπισιτισμὸν *commeatum*: ἐπισιτίζω enim est *cibaria instruere*.

14. *Per convivia*] Κλισίας ἀνὰ πεντήκοντα, i. *in singulo quoque accubitu quinquaginta*. Nam id intelligit Interpres *per convivia*. Neque enim est hic συμπόσια, ut in Matthæo sed κλισία, quod sonat *accubitum*, sive *discubitum*. Ἀνὰ distributive ponitur.

15. *Et discubuerunt omnes*] Καὶ κατέκλιναν ἅπαντας *discumbere fecerunt omnes*: quomodo legitur & in Aureo codice. Interpres legisse videtur ἅπαντες, ut subaudias ἑαυτούς, aut verbum transitivum usurpes pro neutro. Alioqui videtur bis idem dixisse, *Et fecerunt sic, & discumbere fecerunt omnes.*

21. *At ille increpans illos*] Antehac Interpres pene perpetuò transtulit ἐπιτιμῶν *comminari*: quod, si usquam alias, hîc certe faciendum erat. Cur enim *increparet* Christus Discipulos ob hoc responsum ob quod tantopere collaudatus est Petrus juxta alios Euangelistas? Proinde vertendum erat *interdixit eis*, sive *interminatus eis præcepit*, *ne cui dicerent.*

22. *Dicens, quia oportet Filium hominis*] Aut omittenda erat Interpreti conjunctio ὅτι, aut vertendum erat *Quod oportet*, &c.

23. *Tollat crucem suam quotidie*] *Quotidie* in nonnullis Græcis cod. non addebatur: sed refragantibus vetustissimis Latinis.

24. *Nam qui perdiderit*] Ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ *quicunque verò perdiderit*: nisi *nam* positum est loco *autem*.

26. *Nam qui me erubuerit*] An hic sermo sit Latinus nescio. Certe apud Q. Curtium legimus *erubuit fateri*, & *erubescens fortuna*. Nam apud exactiùs loquentes *erubescere* ferme verbum est absolutum. Certè optarim esse Latinum quod posuit Interpres; nec ipse talibus offenderer nisi essent aures meis delicatiores. Tolerabilius tamen hoc illo quod alibi notavimus, *Qui me confusus fuerit.* ¶ *In majestate*] Ἐν τῇ δόξῃ *in gloria*: quemadmodum vertit & paulò superius.

29. *Species vultûs ejus altera*] Τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον] Maluissem ità reddere, *facies aspectûs ejus alia, diversa*: aut, si licet à verbis discedere, *mutata est facies vultûs ejus.* ¶ *Et vestitus ejus albus & refulgens*] Ἐξαστράπτων· q. d. *ex se mittens fulgur*, & *effulgurans*. Convenit cum eo quod annotavimus in Matthæo, *sicut lux* pro *sicut nix*.

31. *Excessum ejus*] *Excessum* mortem intelligit. Nam Græce est ἔξοδον *exitum*, non ἔκστασιν. Quandoquidem & *excessum* & *exitum* usurpari pro Morte compluribus exemplis docet Laurentius; à quo petat, si quis forte diffidet. Nos compendio studemus.

39. *Dilanians eum*] Καὶ μόγις συντρῖβον ἀπ' αὐτοῦ συντρίβοντα *vix* & *vix discedit ab illo lacerante se*: ut intelligas puerum vix effugere à spiritu. Quanquam hoc loco variant exemplaria Græcorum. Quædam habebant συντρίβον *comminuens*, aut *discerpens*: quæ lectio mihi magis probatur, ut accipiamus spiritum dilaniare puerum.

42. *Elisit eum dæmonium & dissipavit*] Ἔρηξεν αὐτὸν τὸ δαιμόνιον καὶ συνεσπάραξεν *laniavit illum dæmonium & concerpsit*. Interpres pro ἔρηξεν legisse videtur ἔρριψεν, pro quo reddidit *elisit*. Nec mihi displicet hæc lectio.

43. *In magnitudine Dei*] Ἐν μεγαλειότητι *in magnificentia*, sive *majestate*. Dictum est enim ab eo nomine quod solet vertere *magnalia*, μεγαλεῖα.

44. *Ponite vos in cordibus vestris*] Gr. εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν *in aures vestras*, h. e. Diligenter auscultate quæ dicturus sum: refertur enim ad sequentia. Porro *in auribus* dixit potius quam *in cordibus*, propterea quod non essent intellecturi: sequitur enim mox, *At illi ignorabant verbum istud.*

45. *Velatum ante eos*] Παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν *absconditum ab illis.*

46. *Intravit autem*] Εἰσῆλθε *subiit*. ¶ *Cogitatio*] Διαλογισμὸς *disputatio*. Quanquam Græca vox anceps est. Cæterùm ex aliis Euangelistis liquet inter illos hac de re disceptatum fuisse, neque rem intra tacitam animi cogitationem constitisse. Atque in eo quod mox sequitur, *At Jesus videns cogitationes cordis*, significat se de cogitatione loqui: est enim & hic eadem vox, διαλογισμός. Est autem in hoc loco magna inter Euangelistas diversitas, quæ tamen haud magno negotio redigi potest in concordiam. Jam articulus Græcus, quem addit Lucas, τὸ, Ἵς ἂν εἴη μείζων, ità reddi potuit, *de hoc, quis nam esset futurus major*, sive *maximus*. ¶ *In eis*] Ἐν αὐτοῖς *inter eos.*

48. *Hic major est*] Græce sic habet, ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, οὗτος ἐστὶ μέγας, *qui enim minor fuerit inter vos omnes, hic magnus erit.* Jam ante demonstratum est *magnum* dici magnatem, & *minorem* infimatem.

52. *In civitatem*] Εἰς κώμην *in castellum*. Nam ità plerumque vertit: tametsi quidam cod. habent πόλιν *civitatem*. Atque ita legisse videtur Interpres: nam aliquanto post ἐις ἑτέραν κώμην vertit *in aliud castellum*.

53. *Facies ejus erat euntis*] Τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον *facies ejus erat vadens*: quanquam nihil refert ad sententiam. Et utinam frequentiùs id ausus esset, Euangelistæ sensum magis quàm verba reddere. Sicut enim Oculi *loqui* dicuntur qui innuunt quod dictum velis, ità Facies *ire* dicitur quæ præ se ferat iter aliquo destinatum esse.

54. *Vis dicimus*] Θέλεις εἴπωμεν *vis dicamus*. ¶ *Et consumsit illos*] Ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησε *quemadmodum & Elias fecit*. Hoc additum reperio in Græcorum cod. quos quidem viderim omnibus. Verum haud scio an velut ab explicante locum aliquo sit huc ascriptum. Neque enim in ullo veterum exempl. nostrorum comperi, etiamsi sic legit & Theophylactus.

56. *Non venit animas perdere, sed servare*] In Græcis quos videre memini codicibus additur *hominem*, sed reclamantibus vetustis exempl. pluribus, atque etiam vulgatis: nec refert ad sensum. Quin totum hoc, *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*, non attigit Theophylactus, nec legens, nec interpretans: quòd an casu acciderit incertum; videtur incuriâ prætermissum. Alioqui videri poterat huc adjectum ex Matth. 18. 11.

57. *Quocunque ieris*] Ἀπερχῇ *abieris*.

58. *Ubi caput suum reclinet*] *Suum* apud Latinos additum admonuimus alias.

61. *Renunciare iis quæ domi sunt*] Ex Græcis non liquet an legendum sit *iis quæ domi sunt* an *iis qui domi sunt*: nisi quod vetustiss. codex habebat *iis qui domi sunt*, genere masc. consentiente & Corsend. exemplari, nimirum ut ad personam referatur. Quanquam idem Lucas eodem verbo sic usus est hujus Euangelii c. 14. 33. ut ad rem pertineat, *Nisi quis renunciaverit*, &c. Quemadmodum & *hominem* jubemus *valere*, & *voluptates valere* jubemus. Poterat igitur & hic accipi *renunciare negotiis domesticis*. Quod Interpres hîc vertit *renunciare*, alibi vertit *valefacere*: velut 2 Cor. 2. 13. ἀποταξάμενος αὐταῖς, *sed valefaciens eis*. Rursum Act. 20. 1. *Et exhortatus eos, vale dixit.* Nam illic Interpres legisse videtur ἀσπασάμενος, licet nostri cod. habent ἀποταξάμενος. Rursum ejusdem operis cap. 18. 18. *fratribus valefaciens navigavit in Syriam*, τοῖς ἀδελφοῖς ἀποταξάμενος. Est autem proprie ἀποτάσσεσθαι *mandatis iis quæ velis aliquem dimittere.* An idem polleat *renunciandi* verbum mihi non admodum liquet. Aliquoties *renunciare* comperio positum pro *nunciare quod gestum est*, aliquoties pro *nuncio misso interdicere*; ut *renunciavit illi hospitium* apud Ciceronem; & apud Suetonium in Caligula *renunciavit amicitiam qui denunciat inimicitiam*; & apud eundem in Galba *renunciat vita*, qui decreverat mori. Nos quò dilucidior esset sermo, vertimus *valedicere* pro *renunciare.*

62. *Nemo*

62. *Nemo mittens manum*] Ἐπιβαλὼν, ἁ βλέπων. Alterum participium eſt præteriti temporis, alterum præſentis. Ea ſic commodè reddi poterant, *Nemo, ſi poſtquam admovit manum aratro in tergum reſpexerit, accommodus eſt Regno Dei.*

V A T A B L U S.

1. *Convocatis autem* * Jeſus] * Vet. ¶ *Virtutem & poteſtatem*] *Poteſtatem & auctoritatem.*

3. *In via*] *In viam*, Vet.

4. *Indè exeatis*] *Indè ne exeatis*, V. Hebræa dicendi forma, quâ monet ut unis tantùm utamur ædibus.

5. *Supra*] Vel, *adverſus.*

7. *Fiebant*] *Facta erant.* ¶ *Hæſitabat*] *Perplexo animo erat & ancipiti.*

9. *Quærebat*] Vel, *cupiebat.*

10. *Fecerunt*] *Fecerant.* ¶ *Deſertum, qui eſt Bethſaida*] *Deſertum civitatis quæ vocatur Bethſaida.*

11. *De Regno Dei*] i. de Rege à Deo miſſo: q. d. Dicebat ſe eſſe Meſſiam, Regem olim à Deo promiſſum. Res pro perſona.

12. *Eſcas*] *Commeatum.*

14. *Convivia*] *Diſcubitus.*

15. *Diſcubuerunt*] *Fecerunt diſcumbere*, Vet.

16. *Benedixit illis*] Hebr. pro, gratiis actis, multiplicavit illos.

17. *Omnes, & ſaturati ſunt*] *Et ſaturati ſunt omnes.*

19. *Prioribus*] *Antiquis.*

23. *Quotidie*] i. quacunque occaſione oblatâ.

24. *Nam qui*] *Qui autem.* ¶ *Animam*] i. vitam.

28. *Et aſſumpſit*] *Ut aſſumeret.*

29. *Altera*] *Alia*: vel, *diverſa.* ¶ *Refulgens*] *Effulgurans.*

30. *Erant autem*] *Qui erant.*

31. *Viſi in majeſtate: & dicebant exceſſum*] *Qui viſi in gloria dicebant exitum*, i. mortem: h. e. dicebant quo mortis genere moriturus eſſet in Jeruſalem.

32. *Evigilantes*] *Expergefacti.* ¶ *Majeſtatem*] *Gloriam.*

33. *Diſcederent*] Vel, *diſcedere inciperent.* ¶ *Et faciamus*] *Faciamus igitur.*

34. *Obumbravit*] Vel, *obtexit.* ¶ *Et timuerunt*] *Timuerunt autem.* ¶ *Intrantibus illis*] Sub. *Moſe & Eliâ.*

36. *Fieret*] *Facta eſſet.* ¶ *Dixerunt*] *Renunciaverunt.*

37. *Illis*] *Illi*, Vet.

39. [*Et elidit*] *Et diſſipat*] *lacerat.* ¶ *Diſcedit* *]* *Abeo.* ¶ *Dilanians*] *Conterens*: vel, *allidens.*

41. *Infidelis & perverſa*] *Diffidens & diſtorta.*

42. *Et cùm accederet, eliſit*] *Adhuc autem accedente eo alliſit.* ¶ *Diſſipavit*] *Simul laceravit.* ¶ *Et increpavit*] *Increpavit autem.*

43. *In magnitudine Dei*] *Ob magnificentiam* [*majeſtatem*] *Dei*: i. quam oſtendebat Deus per Chriſtum ſuum. ¶ *Omnibuſque mirantibus*, &c.] *Omnibus autem admirantibus propter omnia quæ fecerat.* ¶ * *Dixit*] * *Jeſus.*

44. *In cordibus veſtris*] *In aures veſtras.* Hebr. pro, *Diligenter auſcultate.* ¶ *Futurum eſt ut tradatur*] *Tradendus eſt.*

45. *Ante eos, ut non ſentirent*] *Ab eis, ità ut non intelligerent.*

46. *Intravit*] *Intraverat*; *Subierat.* ¶ *Cogitatio*] Διαλογισμὸς *diſputationem & cogitationem* ſignificat: ſed ex aliis Euangeliſtis colligitur diſputationem fuiſſe.

47. *Puerum*] *Puellum.* ¶ *Secum*] *Juxta.*

48. *Major*] *Magnus.*

49. *Sequitur*] Sub. *te.*

50. *Illos*] *Illum*, Vet. ¶ *Vos, pro vobis*] *Nos pro nobis*, Vet.

51. *Dum complerentur dies aſſumptionis ejus*] i. cùm pauci ſupereſſent ei in cœlum aſcenſuro dies. Hic per aſcenſionem Chriſti intelligitur & mors, quæ præcedere debebat. ¶ *Et ipſe*] Hic & aut redundat, more Hebræorum, aut pro *tunc* accipe.

52. *Ante conſpectum ſuum*] Hebr. pro, *præ ſe.* ¶ *Civitatem*] *Caſtellum.* Sic quædam exemplaria Græca.

53. *Euntis in Jeruſalem*] Gr. *proficiſcens Hieroſolymam.* Sed Hebraiſmus eſt. Ægre autem ferebant Samaritani quenquam ire Hieroſolymam adoratum, cùm vellent locum adorationi dicatum apud ſe eſſe.

54. *Dicimus*] *Dicamus*: i. *jubeamus.* Hebr. ¶ *Illos* *] * *Sicut Elias fecit.*

56. *Caſtellum*] *Oppidum.*

57. *Ierit* *] * *Domine. Et.* Vet.

58. *Caput* * ſuum] * Vet.

59. *Ire*] *Abire.*

60. *Dixitque*] *Dixit autem.* ¶ *Vade* * *& annuncia*] * Ver.

61. *Et ait*] *Dixit autem.* ¶ *Renunciare*] *Ut valedicam.*

C A S T A L I O.

4. *Indidem exitote*] Uno hoſpitio utimini.

31. *Exitum*] Mortem.

34. *Nubes quæ illos obumbravit*] ſc. Moſem & Eliam.

51. *Ejus aſſumptionis dies*] *Dies* cùm temporis ſpatium ſignificat Latinè ſingulari numero dicitur, Hebraicè plurali. Hac de cauſa quod hic plurali numero dixit Lucas, τὰς ἡμέρας, ego per ſingularem reddidi: quod & alibi feci.

53. *Quoniam ire ſe Hieroſolymam præ ſe ferebat*] Oderant Samaritani eos qui Hieroſolymam ibant ad adorandum.

C L A R I U S.

13. *Niſi nos eamus & emamus*] Vide paratos animos ad impendenda quæ habebant in alimentum tantæ multitudinis.

20. *CHRISTUM Dei*] Τὸν Χριστὸν τ Θεῦ non ſimpliciter *Chriſtum*, ſed cum articulo *illum Chriſtum Dei*; cujus cognomen multi quidem antea tulerant, ſed unus erat ille qui exſpectabatur.

23. *Abneget ſemetipſum*] *Abnegatio ſui ipſius* eſt plena rerum præteritarum oblivio, & à propria voluntate diſceſſio: quod in communi conſuetudine viventem aſſequi difficillimum eſt, nè dicam prorſus impoſſibile. Quin & ad *tollendam crucem ſuam & ſequendum Chriſtum* impedimento eſt in ejuſmodi vita permixtio. Nam præparatio ad ferendum pro Chriſto mortem, & mortificatio membrorum quæ ſunt ſuper terram, & inſtructos eſſe ad omne imminens pro nomine Chriſti periculum, & nihil affectos erga hanc vitam eſſe, hoc *tollere* eſt *crucem ſuam*; ad quæ magna nobis impedimenta ferre cernimus hanc communis vitæ conſuetudinem. Hæc Magnus.

31. *Exceſſum ejus*] h. e. mortem, quam hîc Ἔξοδον appellavit.

51. *Dies aſſumptionis*] Uſus eſt Euangeliſta vocabulo digno majeſtate Chriſti: nam moriturus quidem erat, non tamen detinendus à morte. Sed quæ ſequuntur verba examinanda ſunt diligentiùs. Quid enim eſt *offirmaſſe faciem*, & *præmiſiſſe nuncios*, quem morem non facilè invenias fuiſſe Domino? quódque *non ſuſceperint eum, quia facies ejus erat proficiſcens in Jeruſalem*? Scimus Dominum multa ſæpe & dixiſſe & feciſſe quæ dum agerentur non tunc intelligebantur, ſed ſunt poſtea ſuo tempore declarata; ut cùm dixit, *Solvite templum hoc*, &c. Hic ergo videtur ſignificare Dominum *offirmaſſe*, h. e. decreviſſe, olim in Jeruſalem mori, & ſalutem operari in medio terræ; idque multò antea prædixiſſe; ſed hos nuncios non ſuſceptos tunc fuiſſe à Samaritanis, h. e. à Gentibus, quia primùm eligenda erat Judæa gens è qua Chriſtus naſceretur. Quòd ſi textum literæ alio modo ſolvamus quàm quòd ſub deliteſcenti myſterio hæc facta ſint, non facilè inveniemus quod aures impleat. Atque id quidem non intelligentes Diſcipuli (ſicut neque cum de *Templo ſolvendo & excitando* locutus eſt Dominus, & de *duobus gladiis*) petierunt *num vellet ut juberent ignem demitti è cælo, & illos perdere.* Poteſt tamen ſic ad literam exponi, Cùm Samaritani, qui erant inimici Judæorum, cernerent Dominum obfirmare faciem ut iret in Jeruſalem, non receperunt eum.

58. *Vulpes foveas habent*] Tacitè admonens ut cogitet quantam rem aggrediatur, cùm ipſe Dei Filius deteriore ſit conditione quàm hæc animantia, quæ proprias latebras habent.

Z E G E R U S.

3. *Neque duas tunicas habeatis*] Simpliciſſima foret interpretatio ſi unicam accipiamus vellem conceſſam fuiſſe Apoſtolis: Verùm quia hoc abſurdum judicatur, maximè ſi de uno veſtimenti genere accipiatur, conſtat ità potiùs acci-

Digitized by Google

ad verbum redditis, κατὰ πόλιν καὶ κώμην. Verùm id perinde valet Græce acſi dicas *oppidatim & caſtellatim*, i. *per ſingulas civitates & caſtella.* Unde Interpres non omnino perperam mutavit numerum.

4. *De civitatibus*] Καὶ τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων *eorum qui oppidatim accedebant*, h. e. è ſingulis civitatibus.

7. *Inter ſpinas*] Ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν *in medio ſpinarum.* Quanquam & hoc rectè mutavit Interpres. ¶ *Et exorta ſpinæ*] Καὶ συμφυεῖσαι αἱ ἄκανθαι *ſimul enatæ ſpinæ*, h. e. unà cum herba ſegetis.

13. *Nam qui ſupra petram*] Οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, οἵτινες ὅταν ἀκούσωσι, *Qui verò in petra, qui cùm audierint:* ut ſubaudias *ſeminati ſunt*, aut *ſemen acceperunt.* ¶ *Quia ad tempus credunt*] Οἵτινες *qui* eſt, non *quia* ὅτι, ſuffragantibus etiam vetuſtis exemplaribus.

14. *Euntes ſuffocantur*] Pro *euntes* Græce eſt πορευόμενοι. Apparet hoc participium non uſurpatum ut ſit deponens, ſed ut ſit paſſivum à πορεύω, quod ut conſtat ſignificare *ago* ſive *duco*, ita haud ſcio an idem ſignificet *copiam affero:* id enim eſt πορεῖν, & πορίζειν· ut ordinemus ad hunc modum, συμπνίγονται πορευόμενοι ὑπὸ μεριμνῶν καὶ πλούτου καὶ ἡδονῶν, *ſuffocantur dum obruuntur à curis ac divitiis & voluptatibus.* Verùm hoc lectoris eruditi judicio relinquo. Nam intelligi poteſt, *progreſſu temporis accreſcente divitiarum copiâ.* Quid ſi πορευόμενοι dictum eſt pro ἐμπορευόμενοι, ut ad negotiatores pertineat? ¶ *Non referunt fructum*] Τελεσφοροῦσιν. Unicam dictionem Græcam duabus reddidit. Sonat autem Græca vox non ſolùm *fructum* ſed *fructum perfectum & abſolutum ſuo tempore.* Herbeſcunt enim & illa ſemina, cæterùm non edunt fructum quem exſpectat agricola. Τέλος Græcis ut ſignificat *finem*, ità etiam ſignificat *vectigal*, ſive *emolumentum quod ex re quacunque capitur.* Hoc ſenſit Euripides cùm dixit τὸν ἀκαλίνων σοφάτατον τὸ τέλος εἶναι δυσχέρειαν. Ex arbore mala malus fructus provenit. Idem Græcis ſonat φόρος ab *adferendo*, ſicut τέλος à *fine*, quòd fructus ſuo tandem tempore proveniunt. Hinc compoſita vox τελεσφορεῖν.

15. *Bono & optimo*] Ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ *in corde honeſto & bono:* utrumque poſitivum eſt. Sed conduplicatio facit ad epitaſin, q. d. *egregiè bono.* Hoc loco in quibuſdam libris comperi aſſcriptum, Ὃ ἔχων ὦτα, ἀκουέτω.

16. *Subtus lectum*] Valla rectè mutat *ſubtus* adverbium in *ſubter* præpoſitionem.

17. *Quod non manifeſtetur*] Græcis utrumque verbum futuri temporis eſt, φανερὸν γνωσθῇ, & γνωσθήσεται. Proinde mutato duntaxat verbi modo, ſic commodè reddidiſſet, *Nihil occultum quod non futurum ſit manifeſtum; & nihil abſconditum quod non ſit cognoſcendum & in propatulum venturum.* ¶ *In palàm*] Εἰς φανερὸν *in apertum*, aut in *propatulum.* Nec Latinè locutus eſt Interpres, nec Græca reddidit verba.

18. *Videte igitur quid audiatis*] Πῶς ἀκούετε *quomodo audiatis.* ¶ *Qui enim habet*] Ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ *quicunque enim habet*, ſive *habuerit.* ¶ *Quod putat ſe habere*] Ὃ δοκεῖ ἔχειν *quod videtur habere.* Licet Græcus ſermo ancipitem habeat ſenſum, *videtur habere ſibi*, & *videtur aliis.*

19. *Et non poterant audire*] *Adire* legendum eſt ſuffragantibus vetuſtis codicibus. Nam Græcè eſt οὐκ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ *non poterant convenire eum.* Verùm id non accidit Interpretis culpâ ſed librariorum.

22. *In naviculam*] Εἰς πλοῖον *in navim:* ut hunc præter diminuta nihil delectat. ¶ *Transfretemus trans ſtagnum*] Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης, *Tranſeamus in ulteriora ſtagni.* Non jam excutio an apte dicatur *transfretari ſtagnum*, cùm *fretum* ſit rapidum, *ſtagnum* à *ſtando* nomen habeat, quemadmodum & λίμνη Græci dictam putant ἀπὸ τοῦ λίαν μένειν. Quanquam Homero & Oceanus dicitur λίμνη, ut in Iliade,

Βίλιον ἀν' ἀνέρος ἀπλητὸν. ἀξέσκετο λίμνη.

Et hic lacus Tiberiadis alicubi *mare* dicitur Euangeliſtis. Siquidem hunc eſſe lacum indicat Hieronymus in Locis Hebraicis, *Gergeſa*, inquit, *ubi qui a dæmonibus vexabantur Salvator reſtituit ſanitati: hodieque ſuper montem vicinum demonſtratur juxta ſtagnum Tiberiadis, in quod porci præcipitati ſunt.* ¶ *Aſcenderunt*] Ἀνέχθησαν potiùs eſt *ſolverunt*, h. e. diſceſſerunt à littore ſubducti.

23. *Compellebantur*] Hoc ſcio depravatum à librariis; tamen quia tam propè accedit ad veram lectionem, ne invaleſcat error, admonendum duxi *complebantur* eſſe legendum, concordantibus & vetuſtiſſ. exempl. Latinis, nominatim Aureo: συνεπληροῦντο. Latinus quidam codex addit *fluctibus.*

24. *Præceptor*] Gr. ἐπιστάτα, ἐπιστάτα, *Præceptor, præceptor:* ut intelligat & Jeſum alium dormiſſe ſomnum, & Diſcipulos inſtanter inclamaſſe. ¶ *At ille ſurgens*] Ὁ δὲ ἐγερθεὶς *At ille experrectus.*

26. *Geraſenorum*] Τῶν Γαδαρηνῶν *Gadarenorum:* de quo jam ante non ſemel diſſeruimus.

27. *Vir quidam*] Græci addunt ἐκ τῆς πόλεως *è civitate:* quod tamen nuſquam additum reperio apud Latinos; nec ex Ambroſianis Commentariis conjicere licuit illum ita legiſſe. Apud Theophylactum Græcum reperio. Quanquam magis vertendum erat *ex ea civitate*, ut accipias dæmoniacum prodiſſe è civitate Gadara.

29. *Arripiebat illum*] Συνηρπάκει αὐτὸν *corripuerat illum.* ¶ *Et compedibus cuſtoditus*] Καὶ πέδαις φυλασσόμενος καὶ διαῤῥήσσων τὰ δεσμὰ ἠλαύνετο, *& compedibus ſervabatur: ac diſrumpens vincula, agebatur*, &c. Quod tamen molliùs verti potuit ad hunc modum, *cùmque compedibus ſervaretur, tamen diſrumpens vincula ferebatur à ſpiritu.* ¶ *In deſerta*] Εἰς τὰς ἐρήμους, *in deſerta*] ut ſubaudiamus *loca.* Atque ita legitur in codicibus Latinorum emendationibus.

31. *In abyſſum*] Græca vox eſt; Latinè *vorago* dicitur.

33. *Præceps*] Κατὰ τὸ κρημνὸν *per præceps*, ſive *per præcipitium.* Et ſic habent vetuſtiſſimi Latini codices.

36. *A legione*] Ὁ δαιμονισθεὶς *à dæmonio vexatus*, ſive *à dæmonibus agitatus.*

37. *Multitudo regionis Geraſenorum*] Ἅπαν τὸ πλῆθος τῆς περιχώρου τῶν Γαδαρηνῶν, *univerſa multitudo regionis undique finitima Gadarenis.* Ambroſius aut legit *Geraſenos*, aut eoſdem putavit *Geraſenos* & *Gadarenos*, cum paulo poſt ait, *Reliquerat in Geraſenis ſynagogam Chriſtus*, &c.

38. *Dimiſit autem eum Jeſus, dicens*] Quoniam Interpres alicubi uſurpat *dimiſit* pro *ſivit* ſive *permiſit*, ſciat lector hîc eſſe ἀπέλυσε, h. e. *non paſſus eſt eſſe ſecum, ſed ablegavit à ſe.*

42. *Et hæc moriebatur*] Ἀπέθνησκεν. Poterat eſſe & *mortua erat:* ut intelligamus jam tum puellam exſpiraſſe, licet nondum ſciret pater, qui reliquerat agentem animam. Imò haud ſcio an hoc verbo ſecùs liceat uti. ¶ *Et comitigit dum iret*] Etiamſi ad ſenſum nihil omnino habet momenti, tamen in Græcis quos ego viderim non additur δὲ ἐγένετο. ¶ *A turbis comprimebatur*] Οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτόν *turba ſuffocabant eum*, h. e. conſtringebant & arctabant: diverſum verbum ab eo quod mox vertit *comprimunt.*

43. *Quæ in medicos erogaverat*] Ἥτις εἰς ἰατροὺς προσαναλώσασα ὅλον τὸν βίον, οὐκ ἰσχυεν ὑπ' οὐδενὸς θεραπευθῆναι, *quæ cùm inſumpſiſſet in medicos totam ſubſtantiam, non potuit à quoquam ſanari.*

45. *Turbæ te comprimunt & affligunt*] Συνέχουσί (σε καὶ ἀποθλίβουσι. Malim *coarctant te*, ſive *diſtringunt te, atque affligunt.*

46. *Nam & ego novi*] In Græcis tantùm eſt *nam ego novi*, conſentiente exempl. Paulino, ſed diſſentiente Corſend. Ambroſius conſentit cum Paulino. ¶ *Virtutem de me exiſſe*] Ἐξεληλυθυῖαν ἀπ' ἐμοῦ. Rectè ſanè hoc loco Interpres mutavit participium in verbum infinitum; quod tamen in Matthæo & Marco non fecit.

48. *Vade in pace*] Εἰς εἰρήνην *in pacem:* quæ Græca præpoſitio anceps eſt.

49. *Venit quidam ad principem ſynagogæ*] Ità quidem conſtanter habebant Latini codices, etiam vetuſti. Ex Ambroſio non liquet quid legerit. Cæterùm Græcè eſt πρὸς τὸν ἀρχισυναγώγου, λέγων αὐτῷ, *à principe ſynagogæ, dicens ei.* Verùm offenſus aliquis abſurditate quam primâ fronte præ ſe fert ſermo, mutavit *à principe* in *ad principem.* Atqui erat ſubaudiendum *Domo*, ut fieri ſolet in hujuſmodi orationibus. Verùm de hoc quoque ſuperiùs dictum eſt copioſius in Marc. 5. 35.

54. *Ipſe autem*] Hîc addunt Græci ἐκβαλὼν ἔξω πάντας foras *ejectis omnibus:* id quod additur in cæteris Euangeliſtis. Quanquam apud Ambroſium non reperio additum; & haud ſcio an aliunde huc tranſcriptum ſit. Arguatur Valla non convenire parentes ſolos obſtupuiſſe, ſi turba aderat illa tota cujus ante facta eſt mentio. Præterea, *quorſum attinebat*, inquit, *interdicere ne cui dicerent, ſi res tot teſtibus acta eſt?* Ob hæc neceſſe putat adjici hæc verba, quæ ſanè in Græcis codicibus conſtanter adſcripta viſuntur, *ejectis omnibus.* Mihi, ut dixi, videntur ex Marco ac Matthæo addita, quorum uterque teſtatur turbam fuiſſe ejectam. Matthæus 9. 24, 25. narrat *turbam ejectam*, idem dicens quod Marcus 5. 40. qui prodidit *omnes fuiſſe ejectos, præter parentem utrumque puellæ, ac Diſcipulos quos ſecum habebat*, nimirum tres, *Jacobum, Petrum & Joan-*

Digitized by Google

Joannem, quos paulo ante solos jusserat sequi. Neque erat causa cur hic adderetur *ejectis foras omnibus*, cum Lucas paulò antè testatus sit Jesum non passum esse quenquam ingredi eò ubi funus erat puellæ præter patrem & matrem ac tres modò dictos Discipulos. Quos si ejectos intelligamus, quomodo dicuntur *obstupuisse?* Neque periculum erat ne res celari non posset, tam paucis testibus gesta. Nihil est igitur quod hoc loco cavillatur Laurentius. Unus modo scrupulus restat; Si juxta Lucam Jesus non est passus turbam ingredi, quomodo dicitur *ejecta?* Sed fieri potuit ut in vestibulo aut in atrio constiterit turba, funus autem in interioribus ædibus positum fuerit.

55. *Et reversus est spiritus ejus*] Ἐπιστρέψε, *conversus* potiùs quàm *reversus:* nisi fortè interpres legit ἀνέστρεψε.

VATABLUS.

1. *ET ipse iter faciebat*] *Ut ipse iter faceret.* ¶ *Per * civitates*] **Singulas.* ¶ *Castella*] *Oppida.*

4. *De * civitatibus*] **Singulis.*

5. *Seminat*] *Seminabat.*

7. *Exorta*] *Enata.*

8. *Qui habet aures*, &c.] i. Audiat is cui à Deo donatum est ut audita intelligat. Lege Deut. 29.

9. *Discipuli ejus**] **Dicentes.*

10. *Mysterium*] *Mysteria:* vel *arcana*, i. obscura quæque quæ ad Regnum Euangelicum pertinent.

11. *Est autem hæc parabola*] *Est* pro *Significat*, more Hebræorum.

12. *Qui autem*] *Illa autem:* sub. *semina seminata.*

13. *Nam qui*] *Quæ autem:* sub. *semina jacta sunt.* ¶ *Et hi*] *Et* pro *at.* Heb. ¶ *Quia*] *Qui*, Vet. ¶ *Recedunt*] i. deficiunt à Deo & Christo.

14. *Euntes*] Vel, *sequentes* illas. ¶ *Referunt fructum*] Τελεσφοροῦν *fructum perfectum & absolutum suo tempore proferre* significat.

15. *Bono & optimo*] *Honesto & bono.* ¶ *Fructum afferunt*] i. illud alios docent. ¶ *In patientia*] Vel, *per patientiam.*

17. *Non est enim occultum*] Subaudiendum ex Matth. 10. 26. *ne timueritis eos.* ¶ *Manifestetur*] Vel, *manifestari debeat.* Vide Marc. 4. 22. ¶ *Palam*] *Propatulum.*

18. *Quid*] *Quomodo*, Vet. i. Habete rationem doctrinæ quam auditis. ¶ *Qui*] *Quicunque.* ¶ *Habet*, &c.] i. constanter retinet doctrinam auditam, copiosiùs dabitur illi. ¶ *Quod putat se habere*] i. quod initio accepit.

20. *Nunciatum est * illi*] **Dicentibus quibusdam.*

21. *Facium**] **Illud.*

22. *In una dierum*, &c.] Hebr. i. *quodam die ut ascenderet.* ¶ *Ascenderunt*] *Recesserunt:* Vel, *solverunt.*

23. *Compellebantur*] *Complebantur*, V. i. obruebantur aquis.

24. *Præceptor, * perimus*] **Præceptor.* ¶ *Surgens*] *Expergefactus.* ¶ *Cessavit*] *Cessaverunt.*

25. *Quis, putas*] Vel, *Quis tandem.* ¶ *Mari*] *Aquæ.*

26. *Gerasenorum*] *Gadarenorum.*

27. *Cum de navi egressus*] *Cum egressus*, Vet. ¶ *Quidam**] *Ecivitate.*

28. *Quid mihi & tibi est?*] i. Quid est propter quod tecum disceptare debeam?

29. *Arripiebat*] *Corripuerat.* ¶ *Custoditus*] *Servabatur.*

31. *Abyssum*] *Voraginem:* vel, *aquarum profunditatem.*

36. *A Legione*] *Is qui à dæmoniis agitatus fuerat.*

37. *Multitudo**] **Regionis*, V. ¶ *Gerasenorum*] *Gadarenorum.*

38. *Et rogavit illum*] *Rogabat autem eum.* ¶ *Dimisit*] *Ablegavit.*

39. *Quanta*] *Quæcunque.* ¶ *Quanta*] *Quæcunque.*

40. *Erant autem*] *Erant enim.*

42. *Et contigit, dum iret*, &c.] *Inter eundum autem turba constringebant*, vel *coarctabant, eum.*

43. *Erogaverat*] *Insumpserat.* ¶ *Potuit*] *Poterat.*

45. *Comprimunt*] *Coarctant:* vel, *constringunt.*

46. *Nam & ego*] *Nam ego*, Vet.

48. **Filia*] **Confide. Bono animo esto.*

49. *Ad principem*] *A principe.* ¶ *Illum*] *Magistrum.*

52. *Sed dormit*] i. dormit enim tantùm.

54. *Ipse autem * tenens*] **Ejectis foràs omnibus.*

CASTALIO.

18. *VIdete igitur quomodo audiatis*] Ut his quæ dico vobis ad utilitatem vestram utamini.

23. *Illi complerentur*] Compleretur eorum navis.

CLARIUS.

14. *A Solicitudinibus*] Nempe hujus vitæ, quas *seculares* vocant. Sed quænam appellari *secularis solicitudo* potest? *Omnis*, ait Basilius, *solicitudo, etiamsi nihil in se habere videatur eorum quæ interdicta sunt, si tamen non proficiat ad pietatem & Dei cultum, secularis est.*

16. *Nemo autem lucernam accendens*] Refertur hæc similitudo ad illud quod de *terra bona* dictum est. Apostoli ergò, terra videlicet illa fructifera, quò virtute præstantiores, eo magis etiam conspicui futuri erant.

18. *Quod se putat habere*] *Habere*, h. e. tenere: nam in hac significatione & apud Græcos & apud nostros in usu est. Qui ergò non adhibet studium ut cum Dei donis fiat accessio rectè factorum, etiam illud quod tenere se putat amittet.

55. *Et jussit illi dari*] Opinor id Dominum jussisse ut evidentiùs veram esse puellæ resurrectionem intelligerent.

ZEGERUS.

1. *PER civitatem & castellum*] Sic habes in Beda, in Græcis & Latinis antiquis.

2. *Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant*] Ex eo quòd B. Lucas hanc mulierem nominans nil meminit eorum quæ acta sunt per mulierem illam peccatricem capitulo proximè præcedenti, quin potiùs aliud de hac narrat, nimirum quòd *ab ipsa exierint septem dæmonia*, admodum probabile est alteram hanc fuisse ab illa. Vide infra Joh. 11.

9. *Interrogabant autem eum discipuli ejus quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant*] Non mox interrogasse præsentibus adhuc turbis putandi sunt Apostoli, sed, ut Marcus refert 4. 10. *cùm esset singularis, interrogabant eum ii qui cum ipso erant duodecim parabolæ.* Ideo autem turbis negatum est nosse mysteria Divinorum operum circa genus humanum, quia non requirebant quemadmodum Apostoli. Non requirebant autem quia intelligere sese arbitrabantur; atque ideo indigni erant quibus Divina sacramenta panderentur.

12. *Qui autem secus viam hi sunt*] Et hic, & in eo quod sequitur, *nam qui super petram*, subaudiendum est *seminati sunt:* nam seminantur & agri. *Qui secus viam seminati sunt, hi sunt qui audiunt.*

14. *Euntes suffocantur*] *Euntes*, i. in hoc mundo versantes. Ponitur autem absolute. Nam quod præcedit, *à solicitudinibus & divitiis*, cum *suffocantur* jungendum est, ut liquet ex simili loco apud Matth. 13. 22.

16. *Nemo autem lucernam accendens operit eam vase*, &c. *Non est enim occultum quod non manifestetur*] Ne quis existimaret mysteria Christi nunquam ventura in publicum, ex eo quod privatim Apostolis illa referaret, non autem promiscuæ multitudini, docet nunc hâc metaphorâ doctrinam suam, quam per *lucernam* designat, universo tandem terrarum orbi esse manifestandam; nihilque seorsim unquam traditum Discipulis quod non progressu temporis proferendum esset in notitiam omnium.

18. *Videte ergò quomodo audiatis*] Quia dixerat Dominus promulgatum iri quod ipse Discipulis suis prædicasset occultiùs, vult illos hic attentos esse ad mysteria intelligenda quæ ipsi postmodum erant cæteris prodituri. ¶ *Qui enim habet, dabitur illi; & quicunque non habet*, &c.] Ità conjungi poterit hæc cum clausula proximè præcedenti. Quando *vobis datum est nosse mysteria regni Dei, videndum vobis est ita audiatis* ut adesse ac retineri vobis possint. Ita enim fiet ut etiam copiosior vobis gratia impertiatur: *Quisquis enim habet, dabitur ei: at quicunque non habet*, &c.

19. *Et fratres ejus*] *Fratres Domini* Cognatos accipere debemus. Tametsi non defuerunt qui secùs senserint: Quorum alii D. Virgini Mariæ plures liberos tribuunt: alii B. Josephum & alteram post matrem Domini uxorem habuisse ex qua proles genuerit autumant. Verùm utrorumque horum sententiam ut Ecclesia respuit, ità post B. Hieronymum Adv. Helvid. & Beda improbat in Marc. 6. scribens his verbis, FRATRES, inquit,

inquit, & SORORES EJUS *non liberi Joſeph aut Mariæ juxta hæreticos putandi ſunt, ſed potiùs juxta morem S. Scripturæ cognati ipſorum ſunt intelligendi: quo modo Abrahæ & Lothi* FRATRES *appellantur, cùm eſſet Lothi filius fratris Abrahæ.* ¶ *Non poterat adire eum*] Cave legas *audire eum*: eſt enim ζυντυχῶν, h. e. *contingere* vel *adire*, non ἀκούων. Adſtipulantur cod. antiqui.

23. *Et compellebantur*] Lege *complebantur* juxta Græca & noſtra vetera exemplaria, ut ſubaudiatur *aquis*, ζυνεπληρῶντο. Quidem codex habebat *complebatur fluctibus navicula*: ut intelligas undas vi ventorum irruiſſe in navigium.

24. *Increpavit ventum*] Ἐπετίμησε. Interpres tum aliàs tum ſupra 4. 35. verterat *imperavit*, ſenſum magis quam verbum reddens. Idacius ſcribit *increpavit vento*, ad verbum reddens.

27. *Vir quidam*] Additur in Græcis ἐκ τῆς πόλεως *è civitate*. Verùm apud Ambroſium & Auguſtinum non reperio: ſed nec in ullis exemplaribus Latinorum.

37. *Rogaverunt illum*] Subaudi *Jeſum*: ne quis exiſtimet hominem ſanatum rogatum ab illis fuiſſe ut abſcederet ab ipſis. ¶ *Reverſus eſt*] In Galilæam, unde egreſſus fuerat, ultra ſtagnum.

41. *Jairus*] Penultimam producit propter diphthongon Græcam, Ἰάειρος.

45. *Affligunt*] Ἀποθλίβουσι, i. *angunt*.

49. *Venit quidam ad principem*] Sive legamus *ad principem* juxta Vulg. editionem, ſive *à principe* παρὰ τοῦ ἀρχισυναγώγου, juxta Græcam editionem, ſenſus ipſe in idem recidet, ſi meminerimus Græcanicæ elocutionis formâ *à principe* ità dici, pro eo quod eſt *à domo principis*. Atque ità & *à principe*, h. e. ab ipſius ædibus, & *ad principem* jam tum interpellantem pro filia Dominum, veniſſe intelligendus eſt. Itaque in utraque lectione relinquitur quod ſubaudiatur.

54. *Ipſe autem*] Quod hic in Græcis adjicitur, ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, *ejectis foras omnibus*, quoniam nec apud Ambroſium nec apud Bedam (ut Veteris fidem interpretis ſileam) reperitur, ex aliis Euangeliſtis huc tranſcriptum conſtat: id quod alias paſſim factum deprehendere licet.

STEPHANUS.

1. Κατὰ πόλιν καὶ κώμην] *Per ſingulas urbes & vicos.*]
6. Ἰκμάδα] *Humorem.*
13. Ἀφίσανται] *Deſciſcunt.*
14. Οὐ τελεσφοροῦσι] Q. d. *non ferunt fructum ad finem uſque*: id eſt, ad maturitatem uſque.
19. Συνίσχων αὐτῷ] *Accedere ad ipſum*: vel, *Pervenire.*
20. Ἰδεῖν σε] *Te convenire.*
22. Ἀνήχθησαν] *Provecti ſunt.*
23. Ἀφύπνωσε] *Obdormivit.* ¶ Καὶ συνεπληροῦντο] *Ità ut navis eorum compleretur.*
28. Προσέπεσεν αὐτῷ] *Procidit ad pedes ejus.*
35. Σωφρονοῦντα] *Compoſita mentis*: vel, *Gerentem ſe ut ſolent qui ſunt ſanæ mentis.*
36. Ἐσώθη] *Liberatus fuiſſet*: vel, *ſibi reſtitutus.*
40. Ἀπεδέξατο αὐτὸν] *Excepit eum* benigno vultu. Id eſt, *Reditum ejus ſibi gratum eſſe ſignificavit.*
42. Οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτόν] *Multitudo ita comprimebat eum ut fere ſuffocaret.* Ad verb. *Suffocabat.*
45. Ἀρνουμένων δὲ πάντων] *Negantibus omnibus.* ¶ Οἱ ὄχλοι συνέχουσί σε καὶ ἀποθλίβουσι] *Multitudo hæc te conſtringit & comprimit.*
49. Μὴ σκύλλε] *Ne fatiga.*
54. Ἐφώνησε, λέγων] *Inclamavit* eum, *his verbis.*
55. Ἐπέστρεψε] *Rediit.*
56. Ἐξέστησαν] *Ità obſtupuerunt, ut vix apud ſe eſſent.*

DRUSIUS.

3. Susanna] Σουσάννα, nomen mulieris Syrus habet ܫܘܫܢ *Suſan*. Utrumque ſign. *lilium*, i. κρίνον· unde & τὰ Σοῦσα dicta. Sed *Suſanna*, cùm appellativè ſumitur, Hebræis eſt ששנה, à ſenario numero foliorum: ex quo Σουσάννα in editione Græca, *Soſigma*. Hebræi etiam ܫܘܫ & ܫܘܫܢ dicunt pro *lilio*: cujus diminutivum inter nomina Batavica **Lelilien**: q. *Lilioſum* dicas.

8. *Fecit fructum centuplum*] *Cum centeſima fruge fructum reddidit.* Summus gradus ubertatis & fertilitatis. Gen. 26. 12. *Seminavit Iſaac in terra illa, & invenit eo anno centuplum.*

14. Οὐ τελεσφοροῦσι, *nec fructum ad finem perducunt*] h. e. ad maturitatem. Deut. 23. 17. *Non erit* τελεσφορῶν *ex filiabus Iſrael*, Hebraice קדשה *ſcortum*, aut *proſtibulum*. Vox Græca propriè ſignificat eam quæ ad finem uſque illo quæſtu vitam traducit. Sunt variæ ſententiæ: Nam alii exponunt *veſtes ferens*; alii, *veſtigal pendens*. Quod ultimum Tertulliani eſt, qui etiam legit *ex filiis Iſrael*, cùm in fonte ſit *ex filiabus*. Filiæ autem non pendebant veſtigal. Vide ſis ed. Rom. Latinam: nam mihi hîc meræ tenebræ adhuc.

17. *In palàm*] *In palàm* ità dicitur ut *in ante*, *in coram*, *in circum*, *in ſuper*, *ex ante*. Sic *de ſub*, & alia ejus generis. Nam veteres libenter ita geminabant particulas. Sic Hebræi dicunt מרחוק *de longe* ſive *à procul*, מתחת *de ſub*, &c.

23. *Obdormivit*] Lex. vetus, Ἀφυπνῶ, *obdormio*. Jud. 5. 27. שכב, LXX ἀφύπνωσεν *obdormivit*. Quidam maluit *ſopitus eſt*, i. נרדם; quod vertunt ἔρεγχε. Jon. 1. 5. וישכב וידום ἐκάθευδε καὶ ἔρεγχε, ut mox τί ζὺ ῥέγχεις; *quid tu ſtertis?* ¶ *Complebantur*] Abuſive tribuit hominibus quod proprium eſt ipſius navis. Non enim certe homines complebantur, ſed navis complebatur aquâ, ſic adeo ut periclitarentur de naufragio. Contra legimus Jon. 1. 4. *Et navis cogitabat frangi*. Vide quæ notavimus ad eum locum.

24. *Magiſter, Magiſter*, ἐπιστάτα, ἐπιστάτα] Repetitio non caret emphaſi; ut *Rabbi, Rabbi*; *Abraham, Abraham*; *Moſes, Moſes*.

31. *Ut in abyſſum irent*] Accipio ut ibi, *angelus abyſſi*, ut ipſum tartarum deſignet. Quidam de mari enarrant, ut Gen. 7. 11. *rupti ſunt omnes fontes abyſſi*, i. aquarum infra & ſupra terram.

41. *Jairus*] Nomen Græce declinatum ex Hebræo יאיר, quod eſt viri proprium Num. 32. 42. Deut. 3. 14. Jud. 10. 3. Eſth. 2. 5. Quod noto quia non nemo hoc refert ad יש, quod *ſavum mellis* interpretatur. Cave ſequaris.

43. *Omnem ſubſtantiam ſuam*] Πᾶσαν τὴν οὐσίαν αὐτῆς. Græca exemplaria legunt ὅλον τὸν βίον, quod recentior interpres vertit *totum victum*. Nam βίος tum *vita* tum id quo vitam tuemur; h. e. *victus*. Notum illud,

Βίος βίῳ διάμβος οὐκ ἔστι βίος.

Sed & οὐσία ſignificat: Lucæ 15. 30. ὁ κατεφαγών σου τὸν βίον, *facultates tuas*, ſive *ſubſtantiam tuam*, σου τὴν οὐσίαν. Marc. 12. vidua laudatur quæ in gazophylacium miſerat ὅλον τὸν βίον αὐτῆς *omnem ſubſtantiam ſuam*, vel *totum victum ſuum*. Syrus, *omnem poſſeſſionem ſuam*. Sic interpretatur Lucam. Ergò βίος *quicquid poſſidemus*. Sed tam late non patet hoc nomen; neque omnem ſubſtantiam denotat, ſed tantum eam unde vivimus.

GUALTPERIUS.

22. Καὶ ἀνήχθησαν, *& provecti ſunt*] Apud Syrum non habetur.

54. Ἡ παῖς, ἔγειρε, *Puella, ſurge.*] Apud Syrum *Talitha Kumi*, ut Marc. 5. 41.

LUD. CAPPELLUS.

17. Ὅτ γάρ ἐστι πρεπτὸν, &c.] Simile quid habetur in Targum Eccl. 12. 13. *Finis verbi hujus eſt, quod quicquid honeſte & verecunde fit in hoc mundo, revelabitur & manifeſtabitur omnibus hominibus: propterea time Dominum, ſerva mandata ejus*: & mox v. ſeq. *Deus omnia hominum opera adducet in judicium illud magnum, & propalabis quicquid homines latet, ſive illud ſit bonum ſive malum.*

GROTIUS.

1. Κατὰ πόλιν καὶ κώμην, *per civitates & caſtella*] Ne quis Judæus præteritum ſe queri poſſet, non urbes tantùm obit Chriſtus, in quas ex agris conveniri Sabbatis ſolebat, ſed domi ſuæ omnes inviſit. ¶ καὶ οἱ δώδεκα σὺν αὐτῷ. *& duodecim cum illo*] Ut ab ipſo acciperent docendi formam: non quod docerent præſente Magiſtro. Id enim cum veteri more pugnabat.

2. δαιμόνια ἑπτὰ, *ſeptem dæmonia*] Non opus eſt figuram quærere: nec in voce δαιμόνια [*dæmonia*], cum præcedat πνεύματα πονηρῶν [*ſpiritibus malignis*] nec in numero ſeptenario: cùm etiam plures dæmones unum hominem obſederint, ut qui ſe legionem vocabant.

3. ἐπι-

3. ἐπιτρόπου, *Procuratoris*] Syrus vertit רב ביתא [*diſpenſatorem*]: rectiùs Latinus *Procuratorem*, Nam quem Latini *Cæſaris Procuratorem*, Græci ἐπίτροπον vocant: ad quod exemplum hic λογοθέτης [*Herodi à rationibus*] Herodis eodem vocabulo dictus eſt. Quod autem quidam hinc argumentum petunt, licere uxoribus viros à fide alienos deſerere, non video quid certi habeat. Credibilius aut uxorem dici quæ vidua fuerit, aut maritum non alienum fuiſſe à pietate: ut ſolet Deus rimulis quibuſdam in aulas alioqui nimium ſibi præcluſas penetrare. Nam & in Neronis aula non defuere qui Chriſtianiſmo faverent, Philipp. IV, 22. ¶ Σουσάννα, *Suſanna*] A lilio. Nam שושן ſunt κρίνα [*lilia*] Phœnicibus, ut rectè inquit ſcriptor Etymologici. Sed & Perſis ut notat Athenæus: unde urbs Suſa, & unguentum σύσινον τὸ κρίνινον [*ex liliis confectum*]. ¶ αἵτινες διηκόνουν αὐτοῖς ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς. [*Quæ miniſtrabant eis de facultatibus ſuis*] More Judaico, ut rectè notat Hieronymus, mulieres viduæ præſertim, ſolebant Magiſtris neceſſaria ſuppeditare: quod ſecuti ſunt Apoſtoli inter Judæos, Paulus inter gentes omitit, ne ſiniſterioris ſermonis anſam præberet. Maluit autem Chriſtus admittere hoc beneficium, quam cum Apoſtolorum comitatu gravis eſſe ignotis ad quos adventabat. αὐταῖς [*eis*] habent Græci codices optimi, Syrus & Latini exemplaria quædam.

4. τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτὸν, *de civitatibus properarent ad eum*] Nam ex urbibus omnibus, ut in quamque advenerat, everriculi more multos auditores ſecum trahebat admirabilis doctrinæ efficacià.

5. ὃ μὲν, *aliud*] ἑτέρως [*neutraliter*] ut ex ſequentibus apparet: Id eſt, ὃ μὲν μέρος ἦν σπόρου [*hæc quidem ſeminis portio*]. ¶ Κατεπατήθη, *conculcatum eſt*] Hæc conculcatio (ut quidam rectè monent) ſignificat conſuetudinem mundi ad pietatis præcepta callum obducentis.

6. φυὲν, *natum*] Non caruit omni vivida vi: nam enaſci cœpit, ἐξανέτειλε [*exortum eſt*] inquit Matthæus. ¶ μὴ ἔχειν ἰκμάδα *non habebat humorem*] Humor hauritur radice: radix profundam terram poſtulat. Ideo in unum hæc recidunt, οὐκ ἔχειν ἰκμάδα [*non habere humorem*] quod dicit Lucas, quæ eſt cauſa proxima τοῦ ξηρανθῆναι [*arefactionis*] & οὐκ ἔχειν ῥίζαν [*non habere radicem*] quod Marcus, οὐκ ἔχειν βάθος γῆς [*non habere altitudinem terræ*] quod Matthæus. Sic de vitiis dixit Poëta,

Et mala radices altiùs arbor agit.

Loca arida ſunt infructuoſa Jerem. XVII, 6.

7. συμφυέντα, *ſimul exorta*] Bene notat Lucas enatum hoc ſemen, ſed ſimul enatas ſpinas, ut duplicem in homine uno frugem ſignificaret, quarum quæ mala eſt ni ſtatim evellatur bonam opprimit. Quærenti cuidam cur ſpinæ & lolia uberiùs quàm frumentum naſceretur, reſponſum eſt quia terra ſpinarum mater eſt, frumenti noverca, id eſt, ſpinas ſuapte ſponte proferret, frumentum non niſi humanæ induſtriæ conatu provocata. Idem de humano ingenio non ineptè dixeris: nam ea quæ carnis ſunt, ob naturale commercium corporis, ſponte & ſine labore profert; ad meliorem frugem, conſitione, cultura & labore opus habet.

10. τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, *cæteris autem in parabolis*] ſupple πάντα γίνεται [*omnia fiunt*], quod addidit Marcus.

11. Ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. *Semen eſt verbum Dei*] Quem propterea λόγον ἔμφυτον [*verbum inſitum*] Jacobus vocat I, 21.

14. πορευόμενοι, *euntes*] πορεύεσθαι [*abundat*] hæc vox, ut ſæpe apud Matthæum πορευθέντες [*euntes*], IX, 13. XXV, 16. & alibi: quare & Syrus omiſit. Si quid ſignificat, ſignificat proceſſum temporis nec quicquam ultra. ¶ οὐ τελεσφοροῦσι. *non referunt fructum*] τελεσφόρος Græcis dicuntur *quæ fructum ad plenam maturitatem & meſſis tempus perferunt*. Itaque Lucas ipſe τελεσφορεῖν [*referre fructum*] jam interpretabitur non καρποφορεῖν [*fructum ferre*] ſimpliciter, ſed καρποφορεῖν ἐν ὑπομονῇ [*fructum ferre in patientia*]. Hinc tralationem duxit Sophocles de Præſagiis:

Εἰ μὴ πέφηνεν ἐσθλὸς, ὃς τελεσφόρος.
[*Maturum prabe ſi quid apparet boni*].

Joſephus quoque τελεσφορεῖσθαι [*fructum perferre*] de mulieribus dixit non abortientibus. Apertè ſignificat Lucas hos non fuiſſe planè ſteriles, ſed ſterilem habuiſſe exitum: ἄκαρπος γίνεται [*fructum non dedit*] inquit Marcus.

15. καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ, *in corde bono & optimo*] Videtur non ſine delectu voce hac vulgò quidem trita, ſed à Philoſophis ſubtiliùs explicata uti Lucas. Nam cum de iis diſſeruiſſet qui metu incommodorum, aut externorum bonorum nimia cupiditate à virtute diſtrahuntur, his rectè opponit τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν [*honeſtum ac bonum*], Nam ſi Ariſtoteli, aut quiſquis eſt ſcriptor τῶν ἠθικῶν μεγάλων [*magnorum moralium*] credimus, ἔστιν δὲ κακῶς λεγόμενον ἐπὶ τῶ τελείως σπουδαίῳ καλοκἀγαθία· καλὸς κἀγαθὸς γάρ, φησιν, ὅταν τελείως σπουδαῖος. ἐπὶ γὰρ τῆς ἀρετῆς τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν λέγουσιν, οἷον τὸν δίκαιον καλὸν καὶ ἀγαθὸν φασι, τὸν ἀνδρεῖον, τὸ εὐφρενὲς, ὅλως ἐπὶ τῶν ἀρετῶν. ἐπειδὴ δ' ὧν εἰς δύο διαιρεθέντων, καὶ τὰ μὲν φαύλως εἶναι καλὰ, τὰ δ' καὶ ἀγαθά· καὶ τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν ἁπλῶς ἀγαθὰ, τὰ δ' οὔ. καὶ καλὰ μὲν, οἷον τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ἀπ' ἀρετῆς πράξεις· ἀγαθὰ δ', ἀρχὴν, πλοῦτον, δόξαν, τιμὴν, τὰ τοιαῦτα· ἔστιν οὖν ὁ καλὸς καὶ ἀγαθὸς, ᾧ τὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ ἐστιν ἀγαθὰ, καὶ τὰ ἁπλῶς καλὰ καλὰ ἐστιν· ὁ τοιοῦτος γὰρ καλὸς καὶ ἀγαθός· ᾧ δ' τὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ μὴ ἔστιν ἀγαθὰ, οὐκ ἔστι καλὸς καὶ ἀγαθός· ὥσπερ οὐδὲ ὑγιεινὸν ἂν δόξειεν, ᾧ τὰ ἁπλῶς ὑγιεινὰ μὴ ὑγιεινὰ ἐστιν. εἰ γὰρ ὁ πλοῦτος καὶ ἡ ἀρχὴ συμφέρουσά τινὰ βλάπτοιεν, οὐκ ἂν αἱρετὰ εἴη, ἀλλὰ τὰ τοιαῦτα ὅσα ἂν αὐτὸν μὴ βλάψῃ βουλήσεται αὐτῷ εἶναι. [Καλοκἀγαθία (*integritas*) *de eo qui perfectè probus ſit non male dicitur. Integer enim eſt is qui perfectè & conſummatè probus eſt. Integritatem enim de virtute ferè dicimus. Ita integrum atque honeſtum, bonum denique virum appellant eum qui juſtus ſit, cum item qui fortis, quive temperans: denique in univerſum ad omnem virtutem hæc vocabula accommodantur. Jam quum ita dividamus, ut alia pulchra & honeſta, alia inſuper bona dicamus: bonorum autem alia ſimpliciter bona, alia non ſimpliciter quidem, verùm ita tamen ut bona nihilominus appellanda ſint: honeſta porrò ac pulchra iſtiusmodi, virtutes putà & quæcunque ab iis actio proficiſcitur: bona verò, imperia putà, honores, divitias, gloriam & hujusmodi plurima. Quum inquam hæc omnia ita ſecanda ſint: καλὸς κἀγαθὸς is demum appellandus eſt, cui ea bona ſunt quæ ſimpliciter ſunt bona; ea honeſta, quæ ſimpliciter ſunt honeſta. Is enim vere & honeſtus eſt & bonus. Hæc autem honeſti & boni appellatio ei convenire non poteſt cui ea quæ ſimpliciter ſunt bona, bona non ſunt. Ut ne ſanus quidem videri poteſt is, cui id quod ſimpliciter ſalubre eſt, non ſit ſalubre. Quod ſi quem divitiæ atque imperia, quum ea nactus ſit, lædant, certè optanda ei non ſunt: ſed ea eliget à quibus lædi non poſſit.*] Et mox: ᾧ τὰ ἀγαθὰ πάντα ἔντα ἀγαθὰ ἐστι, καὶ ὑπὸ τούτων μὴ διαφθείρεται, οἷον ὑπὸ πλούτου καὶ ἀρχῆς, ὁ τοιοῦτος καλὸς καὶ ἀγαθός. [*Cui omnia ea utilia ac bona ſint quæ verè ſunt bona, quique ab iis, verbi gratiâ ab imperio aut opibus, non fiat deterior, is verè honeſtus ac bonus eſt*]. ¶ ἐν ὑπομονῇ, *in patientia*] Hæc vox Helleniſtis frequens conſtantiam illam denotat, quæ inter adverſa durat ſpe meliorum.

16. σκεύει, *vaſe*] Generis nomen pro ſpecie poſuit. Nam μόδιον [*modium*] ſignificat, quod exprimunt Matthæus & Marcus. de ſenſu ad Marcum vide.

17. γενέσεται· *fiet*] Futurum ponitur in ſignificatione ejus quod oporteat fieri, ut ſæpe. Itaque mox idem explicat modo potentiali, εἰς φανερὸν ἔλθῃ [*in palàm veniat*].

18. ὃ δοκεῖ ἔχειν, *quod putat habere*] Explicavimus ad Matthæum.

20. λεγόντων· *dicentibus*] Deeſt perſonarum notatio: quia facilis eſt intellectus ex eo quod præceſſit δέ τις ὄχλου [*præturba*]. Conſtructio eſt πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad id quod ſignificatur*].

23. συνεπληροῦντο, *complebantur*] Simillimum loquendi genus iſti Virgiliano:

—— *Jam proximus ardet*
Ucalegon.——

24. ἐπετίμησε, *increpavit*] Ita Græci vertunt גער, Pſalm. CVI, 9. ibi de mari, hic de vento.

27. ἐκ τῆς πόλεως, *ex urbe*] Hanc partem Latino omiſſam agnoſcunt Syrus & Arabs. Intelligendus autem eſt homo ille non ex urbe veniſſe id temporis, ſed in urbe natus atque educatus fuiſſe. Quod fortè minus advertit Latinus interpres, ideoque partem hanc ut hiſtoriæ malè cohærentem expunxit. ¶ ἱματίων οὐκ ἐνεδιδύσκετο, *veſtimento non induebatur*] Feri animalis in morem. Itaque mox cum ad ſe rediiſſet deſcribitur ἱματισμένον [*veſtitus*].

28. δέομαί σου, *obſecro te*] Cùm graviſſima obteſtatione, μετ' ἐπιορκιῶν [*cum adjurationibus*] ut ex Marco diſcimus.

29. πολλοῖς γὰρ χρόνοις, *multis enim temporibus*] malim exponere per πολλάκις [*ſæpe*] quod apud Marcum eſt: quanquam aliter accepit Syrus. ¶ εἰς τὰς ἐρήμους. *in deſerta*] Modò

Modò in loca montana, modò in ſepulcreta, ut docet Marcus. Montana ἐρήμους [*deſerta*] dici alibi annotavimus.

31. ἄβυσσον, *abyſſum*] Quod Hebræi תהום dicunt, Lxx vertunt ἄβυσσον [*abyſſum*] & plerunque de mari ea vox uſurpatur. Solet tamen & ad alia transferri. Nam & Divina judicia ἄβυσσος [*abyſſus*] vocantur: quia ſunt imperveſtigabilia. Hoc ſenſu Paulus id quod apud Moſem eſt, τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον [*quis deſcendet in abyſſum*] interpretatur *Chriſtum à mortuis reducere*: quia & ᾅδης, id eſt, *mortuorum ſedes* nobis eſt impervia. Cæterùm hic ἀβύσσου [*abyſſi*] nomine non eſt intelligendus ᾅδης [*infernus*] ſed *Tartarus*; quæ duo non rectè confunduntur. Nam ᾅδης [*infernus*], ut alibi dixiſſe meminimus, & infra repetendum erit, non pertinet ad dæmonia, ſed tantùm ad homines mortuos bonos malosque & quidem medio duntaxat tempore inter mortem & reſurrectionem. *Tartarus* autem Græcorum exemplo Petrus dixit eam regionem in qua impuri ſpiritus ad tempus judicii velut captivi aſſervantur. Neque dubium eſt quin idem hic ſit ἄβυσσος [*abyſſus*]. Nam & in Apocalypſi Johannis ἄβυσσον hoc ſignificatu ſumi manifeſtiſſimum arbitror: præſertim capite XX, 3. ubi itidem vinculorum eſt mentio ut apud Petrum: ſed & Græci πεφυκέναι ἄβυσσα χάσματα [*tartari fundo carentes hiatus*] dixere. Nec illis aſſentio qui aërem eſſe volunt *Tartarum*. Nam ſi quis Apocalypſis loca cum aliis quæ diximus locis attentè conferat, inveniet dæmonas modò in illum ſuum carcerem recludi (quod ne ſibi accidat hîc precantur) modò verò permitti ut noſtras regiones inviſant. Quo tempore niſi humana aut beſtiarum corpora obſideant, in aëre ferme vagari ſolent, unde δαίμονας ἠεροφοίτας [*dæmonas in aëre oberrantes*] Græci etiam dixere, & Paulus hanc dæmonibus à Deo conceſſam poteſtatem vocat ἐξουσίαν τοῦ ἀέρος [*poteſtatem in aëre*], & alibi τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις [*ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*], idque ex veteriſſima Hebræorum ſententia, quam & in libro Aboth expreſſam eſt invenire. Ubi locorum ſit *Tartarus* aut ἄβυσσος [*abyſſus*] cujus hîc ſit mentio, nihil valde opus eſt indagare. Si quis tamen modeſtæ conjecturæ eſt locus, malim extra hunc mundum adſpectabilem eum ponere, ut & regionem beatorum ſpirituum, quàm cum quibuſdam in centro terræ, quòd ferme perinde eſt quaſi nuſpiam dicas. Ipſa certè vox ἄβυσσος [*abyſſi*] vaſtitiem quandam præ ſe fert. Et videri poteſt τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον [*tenebræ exteriores*] ideo dici, quod extra hunc orbem ſit qui in uſus noſtros eſt conditus. Nec malè fortè huc referas quod apud Johannem eſt XII, 31. Νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω [*nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*].

38. ἐδέετο δὲ, *rogabat autem*] Ita legit & Syrus. multoque id præſtat lectioni alteri.

39. καθ' ὅλην τὴν πόλιν, *per univerſam civitatem*] Illam unde erat oriundus: ſed & per urbes circumſitas, ut Marcus docet.

40. ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ὄχλος· *excepit illum turba*] *Gratanter excepit*: ea enim vis eſt vocis, ut Actor. XV, 4. & XVIII, 17.

42. ὡς ἐτῶν δώδεκα, *ferè annorum duodecim*] Quæ ætas periculoſiſſimis maximè morbis obnoxia διὰ τὴν ἡλικίας τροπὴν [*ob tranſitum à pueritiâ ad pubertatem*]. ¶ ἀπέθνησκεν. *moriebatur*] Id eſt, ἔμελλεν ἀποθνήσκειν [*animam agebat*]. Nondum enim mortuam fuiſſe, cum Pater exiret, tota hiſtoria loquitur, præcipuè id quod eſt infrà commate 49. Mori Philoſophis conſiſtit ἐν στιγμῇ [*in puncto*]. At populariter loquendo mori dicitur qui morti vicinus videtur. ¶ συνέπνιγον, *ſuffocabant*] etiam hoc dictum ὑπερβολικῶς [*ſupra fidem*]. Senſus eſt συνέθλιβον [*premebant*] ut apud Marcum eſt.

43. τὸν βίον, *ſubſtantiam*] Lucas & hîc & alibi βίον vocat quod Marcus dixit τὰ παρ' ἑαυτῆς [*opes ſuas*], קניניה, κτῆσιν [*poſſeſſionem*], ut vertit Syrus, *ſubſtantiam* rectè Latinus. Nam victus nomen anguſtius eſt quàm ut hanc ſignificationem impleat. Vide infrà XV, 30.

47. οὐκ ἔλαθε, *non latuit*] לא כסתרה.

51. εἰσελθὼν, *cum veniſſet*] ἀόριστος [*indefinitum tempus*] hîc per futurum verti debet, ut ſit idem quod *intraturus*. Liquet id ex Marco. ¶ τὸν Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην, *& Jacobum & Johannem*] Hunc ordinem nominum ponunt Syrus & Latinus: quod ſequendum puto cùm & Græci codices accedant.

52. ἐκόπτοντο αὐτὴν, *plangebant illam*] Eadem locutio infrà XXIII, 27. Breviter dictum pro ἐπ' αὐτὴν [*ſuper illam*] ut loquitur Apocalypſis I, 7. & XVIII, 9. Hebræi quoque plenè dicunt ספד על [*planxit ſuper illam*], brevius ספד לו [*planxit illam*], quod Lxx vertunt κόπτειν αὐτὸν [*plangere illum*], ut I Reg. XIV, 13. ἦλθεν Ἀβραὰμ κόψασθαι Σαΐβην [*venit Abraham planctum Saram*] Gen. XXIII, 2. & alibi.

54. ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, *ejectis foras omnibus*] Intellige ex ſuperioribus τὰς κλαίοντας καὶ κόπτοντας [*flentibus & plangentibus*]. Partem autem hanc cum Syro Arabs agnoſcit quoque. Credibile eſt omiſſam à Latino quòd non videret quomodo hoc conciliari poſſet cum eo quod narratur parentes puellæ miraculo adfuiſſe, quod alios etiam poſtea torſit: cùm nulla eſſet difficultas repetitis quas dixi vocibus.

55. καὶ ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα αὐτῆς, *& reverſus eſt ſpiritus ejus*] Providè hoc adjecit Lucas, ut obiter doceret animum humanum non eſſe κρᾶσιν [*temperamentum*] corporis, nec aliquid quod cum corpore intereat, ſed αὐθυπόστατόν τι [*quoddam per ſe ſubſiſtens*] quod poſt exitum vitæ mortalis alibi eſt quam ubi corpus. Id enim docet vox ἐπέστρεψε [*reverſus eſt*]. Ubi ſit non refert ſcire. Satis eſt eſſe in manu Dei, cui morientes pii ſpiritum ſuum commendant recipiendum corpori in hora reſurrectionis, cujus imaginem & pignus iſta miracula præbebant.

P R I C Æ U S.

Com. 2. Ἐξελαλύθη] Sic infrà 35. & 38. id eſt, ἐξεβλήθη· non enim ſponte Dæmones, animalium, duntaxat humanorum corporum habitacula relinquunt.

Com. 3. ἐπιτρόπου] Bene Vulgatus, *procuratoris*. In vetere Onomaſt. *Procuro*, ἐπιτροπεύω.

Ibid. δυνάμεων αὐτῷ ἀπὸ τῆς ὑπαρχούσης αὐταῖς] Ἀπὸ τῆς ὑπαρχούσης (αὐταῖς) δυνάμεως, ut locutus Rhetor Ariſtides. Ità 1 Eſdræ 6. 8. ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων δαπάνων (τοῦ) διδόναι & Tobiæ 4. 7. ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ἐλεημοσύνην ποιεῖν. Vide & Act. 11. 29.

Com. 4. καὶ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτόν] Recentior, *proficiſcerentur ad eum*. Vetus, *properarent ad eum*: nec diſpliceat, *confluerent ad eum*. Apulejus 4. *Multi*, &c. *longis itineribus*, &c. *ad ſeculi ſpecimen glorioſum confluebant*. Τὸ ἐπὶ qualem vim hcic habeat, ex infrà ad 12. 1. annotatis vide. Κατὰ πόλιν dixit & Paulus 1. 4. ad Titum.

Ibid. εἶπε διὰ παραβολῆς] Vide ad Matth. 13. 3. dicta. Recentior, *per parabolam*. Vulgatus commodiſſimè, *per ſimilitudinem*. Heſychius, Παραβολή, πραγμάτων ὁμοίωσις.

Com. 5. καὶ κατεπατήθη] A tranſeuntibus.

Ibid. καὶ κατεπατήθη] Subaudi, ἀπὸ χοίρων καὶ ποδῶν, Matt. 7. 6. Innuuntur hcic homines ſuis viis aſſueti, & ſalutarium monitorum conculcatores. Tales Matth. 7. 6. οἱ χοῖροι τὸ ἅγιον καταπατοῦντες.

Ibid. τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ] Ità & in Græco Danielis 2. 38. Pſal. 8. 9. & alibi. Οὐρανοῦ eſt *aëris*, ut infrà 10. 18. Hinc & Thren. Jerem. 4. 19. ἀετοὶ οὐρανοῦ. Aves Apulejus terreſtre animal, non aërium vocat: *eſt enim* (inquit) *ſemper illis victus omnis in terra, ibidem pabulum, ibidem cubile: tantum quod aëra proximum terræ volitando transverberant: cæterum cùm illis foſſa ſunt remigia pennarum, terra ceu portus eſt.*

Com. 6. ἐπὶ τὴν πέτραν] Id eſt, ut apud Matthæum, ἐπὶ τὸ πετρῶδη. Atticè ejuſmodi loca φιλοῖ & φιλεῖ dicta: vide Heſychium, Scholiaſten ad Achamenſ. Ariſtophanis, & Jul. Pollucem.

Ibid. ἐξηράνθη, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα] Simile Jobi 4. 21. illud, Ἀπώλοντο διὰ τὸ μὴ ἔχειν σοφίαν.

Ibid. ἐξηράνθη διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα] Ejuſdem Jobi 8. 12. Πρὸ τοῦ πεσεῖν πᾶσα βοτάνη ἰσχὺ ξηραίνει); Heſychius, ex hoc Lucæ loco, Ἰκμάδα, ταγόνα, ὑγρασίαν. Idem, Ἄνικμος, ξηρὸς, ἰκμάδα, ὃ ἐστιν ὑγρασίαν μὴ ἔχων. Adde Gloſſarii illud, *Humor*, ὑγρασία, ἰκμάς. Exaruit autem hoc ſemen: quia humor in petroſis locis non invenit ubi conſiſtat. Ità Virgilius,

Et ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam.

Ubi Servius, *Arenam*, *aridam terram*, *quæ eſt ſicut arena*. Matthæus hcic, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν· quod in idem recidit cum iſtis Lucæ: Humor enim niſi fuerit in radice, ſuperiora exarefcunt. Philo lib. Quòd deter. inſid. potiori, Αἱ ῥίζαι τὴν πλάσιν τρέφουσι, καὶ ἀφανεῖς οὖσαι κολύουσι. Varro de L. L. lib. 4. *Virgultum dictum à viridi, idque à vi quadam humoris, qui ſi exaruit, moritur*. Claudianus Mamercus 1. 21. *Ex elementis quatuor*, &c. *ſi quid fortè extra menſuram vel ſuperfuit vel defuit, areſcit arbor*, &c. *debinc emoritur, velut victa languore*. Ἐξηράνθη, nullum fructum protulit. Imò mirum ſi protuliſſet. Apud Suidam quis in σφάκελος, Ἰδὼν προσόντως πίτυας ἐργαζομένους, καὶ λιθώδους τόπους, ἤρατο αὐτὸν λίνας ἐν τῷ τόπῳ

(malire

(malim πόνον legi) καρπὸς ὑμίζοντο. *Qui agros scrupeſos, rupinas, & ſenticeta colunt, nullum in teſquis ſuis videre fructum ſolere*, dixit & Apulejus Florid. 2.

Com. 7. αἱ ἄκανθαι ἀπέπνιξαν αὐτό] Hinc **herbam** (cui heic ἄκανθαι reſpondent) *angentem* Columella lib. 10. dixit. De voce ἀποπνίγω, ſimilibuſque aliis hac in re uſitatis, vide quæ ad Matth. 13. 7. notata.

Com. 8. ἐπὶ τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν] *In bonam ac pinguem terram*, ut Varro R. R. 1. 40. locutus.

Ibid. ἓν ἔφερεν ἑκατὸν καρπὸν ἑκατονταπλασίονα] *Centuplum* heic non precisè intelligendum eſt, ut apud Matthæum, ſed cum latitudine quadam, ut infrà 15. 4. in iis, ἑκατὸν πρόβατα. Vult dicere, fructum copioſum edidit. Servius ad Georg. 2. de Terra loquens, *Majore fœnore fœmina accepta reſtituit*: præſertim ſi, ut hoc loco, gleba pinguis fuerit. D. Auguſtinus in Pſalm. 94. *Pauca ſemina uberrimam meſſem refe. runt, ſi ſit terra fructifera.* Vide infrà ad com. 15. notanda.

Ibid. ἐφώνει] Id eſt, ut Joh. 7. 28. & 12. 44. de eodem, ἔκραξε nimirum, ut attentionem auditorum excitaret.

Ibid. Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω] Conſideret quid velint, & quò tendant paraboliæ meæ. Artemidorus 4. 73. Ἐπὶ τοὺς θεοὺς τὰ πολλὰ δι' αἰνιγμάτων λέγειν, ἐπεὶ, &c. ἰδεῖν ἡμᾶς ἀβασανίστως βέλτιον] μανθάνειν.

Ibid. ἀκουέτω] Q. d.

Quòd ſi quis monitis tardas adverterit aures,
Heu, referet quanto verba dolore mea! Propert.

Com. 9. λέγοντες δὲ τίς ἂν ἡ παραβολὴ] Pro, λέγοντες δὲ τίς ἐστιν, &c. vel abundat vox λέγοντες.

Com. 10. ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια, &c.] *Vobis*, utpote humilibus, *datum eſt*. Sirachides 3. 21. Περίεργον ἀποκαλύπτεται μυστήρια. In Libro Fulgentii Planciadis de Virgiliana continentia, *Nulli vera noſſe contigit niſi vobis quibus Sol veritatis illuxit.*

Ibid. τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς] Supplet Vir maximus, πάντα γίνεται· accedo tamen iis qui ex Matthæo putant λαλῶ ſupplendum: ſequitur enim, ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ ζυνιῶσι. Simillimè planè Themiſtius Orat. πῶς τῷ φιλοσόφῳ λυτέον, Τοῦτο δὴ (nempe τὸ μυστικὸν, cui hic ex parte reſpondet τὸ παραβολικὸν) ἐμηχανήσαντο, ὅπως οἱ ἀμύητοι (quibus ſimile profanum vulgus in Contextu noſtro) καὶ ἔχοντες μὴ ἔχωσιν. Ità Menander indoctum hominem βλέποντα μὴ βλέπειν dixit: & Polybius Fragment. πολλοὺς δεῖ τὴν ἀπειρίαν καὶ κακοηθείαν, &c. καὶ βλέποντας μὴ βλέπειν. De ſimilibus, lib. de Profugis Philo Judæus, Οὐκ ἔχουσι οἱ τοιοῦτοι τρόποι καρδίαν ζυνιῶσαν, ὀφθαλμοὺς βλέπειν, καὶ ὦτα ἀκούειν. Lactantius 6. 9. *Is videt, qui veritatem*, &c. *oculis cordis aſpexerit: is audit, qui divinas voces ac præcepta vitalia pectori ſuo affigit.* De formula illa τοῖς λοιποῖς infrà ad cap. 18. 11. dicemus.

Com. 11. Ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος] Ità σπόρον καὶ φυτὸν λόγες dixit Plato in Phædro; & λόγων σπέρματα non ſemel Plutarchus ad Matth. 13. 20. adductus. Hippocrates in Lege, Ἡ φύσις ἡμῶν ἐστὶν ἡ χώρη, τὰ δὲ δόγματα τῶν διδασκάλων ἐστὶν τὸ σπέρμα. Iterum Plutarchus libello de Liber. educandis, Τῇ ἀνδρὶ ἡ φύσις, γεωργῷ ὁ παιδεύων, σπέρματι δὲ καὶ τῶν λόγων ὑποθῆκαι καὶ παραγγέλματα.

Com. 12. οἱ ἀκούοντες] Malim, ut infrà 14. οἱ ἀκούσαντες.

Ibid. Ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσιν] Actor. 16. 31. Πίστευσον, &c. καὶ σωθήσῃ.

Com. 13. μὲ χαρᾷ δέχονται τὸν λόγον] Seneca 108 Epiſt. *Quidam ad magnificas voces excitantur, & tranſeunt in affectum dicentium, alacres vultu & animo.* Vide ad dictum Matthæi locum.

Ibid. ἵνα ῥίζαν οὐκ ἔχωσι] Non magis in iis ſermo meus radices agit quàm ſemen inter ſaxoſa ſparſum: non mirum itaque ſi ad tempus credunt. Senec. Epiſt. 40. *Oratio quæ ſanandis membris adhibetur, deſcendere in nos debet, remedia non proſunt niſi immorentur*: ubi *deſcendere* eſt radices agere.

Ibid. ῥίζαν οὐκ ἔχουσι] Planè Adonidis horti, ut in Græco proverbio. Vide Suidam: in cujus etiam verbis habes, μὴ ἐρριζωμένων.

Ibid. ἵνα ῥίζαν οὐκ ἔχωσιν, οἱ πρὸς καιρὸν πιστεύουσι] Similiter Scriptor Sapientiæ de adulterino ſemine, Οὐ δόσιν ῥίζαν εἰς βάθος, &c. κἂν ἐν πλάσεσι πρὸς καιρὸν ἀναθαλῇ.

Ibid. καὶ ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται] Ità & Arrianus 3. 15. eos qui vitæ inſtitutum rationémque aliquam inconſultè aggrediuntur, τὴν πρώτην ἔχειν μὲν προθυμίαν dixit, ὕστερον δὲ ἀναφανέντων τινῶν (δεινῶν nempe, ἢ ἀπροσδοκήτων· quibus hæc reſpondet πειρασμὸς, apud Matthæum διωγμὸς ἢ θλῖψις) αἰσχρῶς ἀφιστάναι· ubi & notatu digna vox ultima illa, quam videmus itidem in Contextu noſtro. De ſimilibus Plutarchus lib. de In virt. profic. Προσέμενος τὸ κοινὸ καὶ συνήθη περὶ τὰ βελτίονα γνῶναι καὶ λαβεῖν, ἐν μέσῳ ἀφέμενος, πολλάκις ὑποστρεφόμενον. Adde quæ ad Matthæum hoc loco ex Luciano adduximus. Contrarium ei quod heic ἀφιστάναι dicitur, eſt, ἢ τὴν πίστιν ὁμολογίαν ἀκλινῆ κατέχειν, Heb. 10. 23. Vide & Heb. 13. 6.

Com. 14. οἱ ἀκάνθαι· οἱ ὑπὸ μεριμνῶν, καὶ πλούτου, καὶ ἡδονῶν τοῦ βίου πορευόμενοι συμπνίγονται· καὶ οὐ τελεσφοροῦσι] Id ipſum planè quod ait Dominus de populo ſuo ad Ezechielem 33. 31. *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos*, &c. *quia avaritiam ſuam ſequitur cor eorum.* Seneca Epiſt. 108. audito Attalo philoſopho; *Magno in omnia impetu veneram*, (μετὰ χαρᾶς τὸν λόγον ἐδεξάμην) *deinde ad civitatis vitam reductus* (παρορμήσαντος, &c.) *ex bene captis pauca ſervavi*; οὐκ ἐτελεσφόρησα. Ἡδοναὶς hic intellige, ut Jacob. 4. 1. ubi dicta vide. Seculares curas voluptatéſque (quæ hic μέριμναι καὶ ἡδοναὶ) impedimento eſſe quò minùs qui ad ſcientiarum, quamvis humanarum, cognitionem accingunt ſe, proficiant, pulcrè nos docet. Philo itidem, libro de Congreſſu erudit. quær. causâ, Ἀντὶ δὲ περισχεῖν ἐτέρωσε τὸν νοῦν δοκοῦσιν, οἱ μὲν πλοῦ καὶ ἐμπορίας, οἱ δὲ περισόδου καὶ γεωργίας, οἱ δὲ τιμῶν καὶ πολιτείας, οἱ δὲ περὶ ἑκάστην τέχνης, καὶ ἐπιδιδόασιν κερδῶν, ἄλλοι δὲ τιμωρίας ἐχθρῶν, οἱ δὲ ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς δουλεύσεσιν διαμέμυκασι, &c. ὧν ἕκαστον ἐγκρύπτει ἡ ψυχὴ συλλαβὸν καὶ κυοφορεῖν· ubi & κυοφορεῖν eandem ferè vim habet quam τελεσφορεῖν apud Lucam. Μεριμνὰς autem, id eſt, animi ægritudines & ſeculi inanes curas aptiſſimè Chriſtus Spinis comparavit. Artemidorus 3. 33. Ἄκανθαι καὶ σκόλοπες φροντίδας σημαίνουσι. Philo ad Geneſ. 3. illud, *Terra ſentes & tribulos pariet tibi*, Τί φύεται, &c. ἐν ἄφρονι ψυχῇ πολλὰ τοιαῦτα πάθη, &c. αὐτολεῖ παθη, ἃ δὴ συμβόλων ἀκάνθας κέκληκεν; Horatius ad Villicum ſuum,

Certemus ſpinas animóne ego, fortiùs an tu
Evellas agro.

Spinoſas curas dixit & Catullus. Illud συμπνίγονται videre eſt non incommodè illuſtratum ex iis quæ è Pythagoricis & Quintiliano ad Matthæum attulimus: quibus addas & iſta licet ex Heraæ 3. 9. *De tertio verò mente qui ſpinas & tribulos habebat, tales ſunt, divites quidam, quidam autem plurimis adſtricti negotiis; tribuli enim divites ſunt, ſpina verò qui multis obligati ſunt negotiis. Hi ergò*, &c. *non adjungunt ſe ſervis Dei, ſed ab his aberrant, negotiis avocati à quibus ſuffocantur.*

—— *Quòd ſi*
Frigida curarum fomenta relinquere poſſent,
Quo illos cœleſtis ſapientia duceret irent.

Vox πορευόμενοι autem in Luca trajecta videtur, ordo conſtructionis enim ferè hic videtur, Καὶ πορευόμενοι, ὑπὸ μεριμνῶν, καὶ πλούτου, &c. aut certè πλεονάζει, ut ſæpe in his libris προβληθεὶς & προβλήτες. Vide & in Græco Jonæ 1. 11, & 13. Sirachid. 34. 31.

Ibid. καὶ οὐ τελεσφοροῦσι] Cicero Tuſculan. 2. *Ut agri non omnes frugiferi ſunt qui coluntur, ſic animi non omnes culti fructum ferunt.* Apud Gellium 12. 1. Phavorinus, *In frugibus major plerumque vis & poteſtas, ad earum indolem vel detrectandam vel augendam, aquarum atque terrarum quæ alunt, quam ipſius quod jacitur ſeminis.* Terræ & aquæ, ubi de colendis ingeniis agitur, ſunt bona indoles, attentio aurium, pectus ſincerum, conſtans cordis propoſitum, & ſimilia: ſine ſubſidio quorum quæ ſpargunt doctores præceptoréſque, rarò vel radices agunt, ad maturitatem certè non poſſunt perduci. Seneca 112. Epiſt. *Non qualibet inſitionem vitis patitur, ſi vanus & exeſa eſt, ſi infirma graciliſque, aut non alet, nec applicabit ſibi, nec in qualitatem ejus naturámque tranſibit.* Andronicus Rhodius 10. 12. Ἡ διδασκαλία, &c. δῆλον ὡς οὐ πάντας δύναται πείθειν, ἀλλ' ἀνάγκη τοὺς μὲν ἀκροατὰς ψυχικοὺς ἤθεσί τισιν ἀγαθοῖς παρεσκευασμένους εἶναι, &c. ὅτου γὰρ ἂν καλῶς ὑπόδειξατο ἡ διδασκαλίαν, καθάπερ ἡ τὸ σπέρμα θρέψαι δυναμένη γῆ. Lucianus in Nigrino, Καθάπερ οἱ τῇ Φρυγίᾳ αὐλῇ ἀκούοντες, οὐ πάντες μαίνονται, ἀλλ' ὁπόσοι αὐτῶν τῇ Ῥέᾳ λαμβάνονται, &c. ὅτου δὲ φιλοσόφων ἀκούοντες, οὐ πάντες ἴσθροι καὶ τραυματίαι ἄπιασιν, ἀλλ' οἷς ὑπολιπόν τι ἐν τῇ φύσει φιλοσοφίᾳ συγγενές.

Ibid. οὐ τελεσφοροῦσι] Seneca 123 Epiſt. *Bonum tritici non*

est in herba lactente, nec cum folliculo se exerit spica mollis: est in herba lactente, nec cum folliculo se exerit spica mollis: sed cùm frumentum ætas & debita maturitas coxit. Τελεσφορεῖν autem de segete ad maturitatem perducta, dixit & Arrianus 4. 8. in Epictetum.

Com. 15. καρποφορεῖν ἐν ὑπομονῇ] Sic Coloss. 1. 10. *in omni bono opere fructificantes.* Καρποφορεῖν, est *in* μακροθυμίᾳ· vide Jacob. 5. 7.

Com. 16. καλύπτῃ αὐτὸν σκεύει] Ità, *lucernam allategumini subdere*, lib. 5. Apulejus dixit. Servius ad Æneid. 6. de lucerna loquens, *Sed si quâ re tecta fuerit*, &c. ubi *res*, quæ heic σκεῦος.

Com. 17. οὐδὲ ἀπόκρυφον, ὃ οὐ γνωσθήσεται] Vide infrà ad 12. 2. annotanda. In Glossario, Ἀποκρύφοι, *abditum, secretum, absconditum.*

Com. 18. Βλέπετε πῶς ἀκούετε] Ità Paulus Ephes. 5. 15. βλέπετε πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε· & 1 Cor. 3. 10. Ἕκαστος βλεπέτω πῶς ἐποικοδομεῖ. D. Augustinus in Psalm. 98. *Quicquid loquimur, Dei est per nos loquentis: imber Dei est, videte vos qualis terra sitis.*

Ibid. ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ] Id est fortasse ὃς γὰρ ἂν πρόθυμον ἔχῃ· sic Apocal. 3. 11. κράτει ὃ ἔχεις.

Ibid. δοθήσεται αὐτῷ] Vide ad Matth. 25. 29. dicta. Plutarchus ὡσὲ ἡγεμ. ἀκριβ. de Deo loquens, τὰς δ' ἀρετὰὶ ζητοῦντας αὐτὸ, ἢ ὡς τὸ καλὸν ἠμελακότας ἀφορμοῦντας ἑαυτοὺς, ἐδόμβῳ αὔξει, καὶ μεταδίδωσι δὲ καὶ αὐτὸν, &c. ἀληθείας καὶ πραότητος.

Ibid. ὃ δοκεῖ ἔχειν ἀφαιρεθήσεται] Vide ad dictum Matthæi locum. Ὃ δοκεῖ ἔχειν est ὃ ἔχει· & ità hîc Marcus & Matthæi Græcus Interpres: vide infrà ad 22. 24. annotata.

Com. 19. καὶ οὐκ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον] Quod Marco, (in alia autem historia) διὰ τὸν ὄχλον μὴ προσπαγίζειν δύνασθαι. Συντυχεῖν, *adire, convenire* cum. Hesychius, Συντυχία, συνέντευξις.

Com. 20. ἀπηγγέλη αὐτῷ, λεγόντων] Pro ἀπήγγελλαν αὐτῷ, λέγοντες· cujus locutionis tamen exemplum quæro.

Ibid. ἰδεῖν σε θέλοντες] Id est, ἐπιποθοῦντες· sic 2 Tim. 1. ἐπιποθῶν σε ἰδεῖν.

Ibid. ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἐστήκασιν ἔξω, ἰδεῖν σε θέλοντες] Ἰδεῖν hic non tantùm videre sed & alloqui significat. In Satyrico Petronii, *Ecce ipsa venit ad flabulum* (i. e. diversorium) *petitque ut vobiscum liceat loqui.*

Com. 21. Μήτηρ μου καὶ ἀδελφοί μου οὗτοί εἰσιν] Martialis,

Hos fratres vocat, hos vocat sorores.

Ibid. Μήτηρ μου καὶ ἀδελφοί μου οὗτοί εἰσιν, οἱ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἀκούοντες, καὶ ποιοῦντες αὐτόν] Plutarchus de Alexandro M. Πατρίδα μὲν τὴν οἰκουμένην ἀπέφηνεν ἡγεμὼν πάντος, &c. συγγενεῖς δὲ τοὺς ἀγαθούς. (De fort. Alex. α'.) Imò & ἀδελφοὶ non alios quàm συγγενεῖς significant in Contextu nostro. Plinius Trajanum laudans, *Et hunc tibi proximum, hunc tibi conjunctissimum existimes, quem optimum, quem diis similimum inveneris.* Ulysses apud Homerum Odyss. φ'. ait, quos bonos fidósque servos invenerit, eodem se necessitudinis gradu habiturum, ac si Telemachi (filii sui) fratres essent: & Arrianus 2. 22. ad rectum de amicitia vera judicium ferendum, inspiciendum ait, non an sanguinis vincula intercedant, sed an bonorum dogmatum (quæ tota firmam amicitiam faciunt) consensus interveniat. Similem habent sensum quæ Actor. 10. 35. D. Petrus. Ad quem locum annotata vide.

Com. 22. Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης] Hesychius, Διέλθωμεν, *διαπερήσωμεν*. Idem, Πέρασαι, εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης *διαπέρασας*. Item, Περασθῆναι, *διαπερᾶν πλοίῳ ἐπιβάντα*· ità & præcessit heic εἰς πλοῖον ἐνέβη.

Ibid. εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης] In Glossis Ἀντιπέραν τῆς θαλάσσης, *trans mare.*

Com. 23. ἀφύπνωσεν] Recentior, *sopitus est.* Vulgat. *obdormivit*: sic in Glossario, Ἀφυπνῶ, *obdormio.* Hesychius, Ἀφυπνίσας, ἀφύπνωσεν· quæ videntur in mendo esse.

Ibid. καταβῆ λαῖλαψ ἀνέμου εἰς τὴν λίμνην]

Continuò venti volvunt mare, magnáque surgunt
Æquora. ——

Λαῖλαψ Recentiori *turbo*, Vulgatò *procella*: ità in jam citato Glossario, Λαῖλαψ, *procella.* Κατέβη impetum ac vim majorem denotat: κατηνέχθη, in re simili Pollux 1. 9. §. 22. dixit.

Ibid. συνεπληροῦντο] Populariter dictum pro, *navis complebatur.* Juvenalis,

Cùm plenum fluctu medium foret alveus. ——

Gellius 19. 1. *Venisse*, &c. *navem undis complevisse.* Vide Pollucem 1. 9. § 19.

Ibid. συνεπληροῦντο, καὶ ἐκινδύνευον] Ità, ἤρχεσθαι πολλὴν θαλάττης, (quod heic συμπληροῦσθαι) καὶ κινδυνεύειν, Plutarchus in vita Cæsaris. Commodè autem τῷ συμπληροῦσθαι sequitur κινδυνεύειν. Festus Pompejus, *Navis cùm multam aquam recipit, periclitatur.* Ἐκινδύνευον, nempe,

Esset ut in mediis obruta puppis aquis.

Vel συντριβῶσιν. Ità Jonæ 1. 14. τὸ πλοῖον ἐκινδύνευε τοῦ συντριβῆναι. Κινδυνεύειν autem, tacità voce δοκοῦσι, aut simili quavis, bene Græcum est: exempla occurrunt in Plutarchi Crasso, & in ejusdem Antonio; apud Arrianum 3. 26. in Epictetum, & Marcum Antoninum: vide & 1 Cor. 15. 30. Sequuntur eam formam & Latini. Apulejus 3. *Propter cætûs multitudinem, quæ pressura nimiâ densitate periclitaretur.* Amobius 1. *Terrarum*, &c. *motibus tremefacta civitates mutam usque ad periculum*: subversionis periculum nempe. Ammianus Marcellinus lib. 22. de Juliano Imperatore, *Multorum hujusmodi petulantem sæpe dementiam adusque discrimen expertus*: discrimen vitæ nimirum.

Com. 24. Προσελθόντες δὲ διήγειραν αὐτὸν, λέγοντες, Ἐπιστάτα, ἀπολλύμεθα]

—— *In te suprema salus, miserere tuorum.*

Marcus heic, οὐ μέλει σοι ὅτι ἀπολλύμεθα; quasi dicerent, prout tempus exigebat, commotioribus animis,

—— *Potes hoc sub casu ducere somnos?*
Nec quæ circumstant nos tanta pericula cernis?
Securum dormire potes infamè ruinâ?
—— *Non fluctus, stridénsque rudentibus Eurus*
Te movet, & surgens ad summa pericula clamor?

Apud Ciceronem Tusc. 1. & in Academicis quæstionibus, ex Tragœdia vetere,

Mater, te appello, quæ curam somno suspensam levas,
Neque te mei miseret. ——

Et in Quintiliani Declamationibus, *Quæ tam gravis quies ista ut te mors vicina non excitet?* Et nota, non λέγοντες, ἀπολλύμεθα, sed λέγοντες, ἐπιστάτα, ἀπολλύμεθα. Apud Terentium Hecyr. 1. 2. ille, *Parmeno*, *perii*: ubi Donatus, Ἐν ἤθει nomen repetit: & alter ille Andr. 2. 2. *Dave*, *perii*: ad quæ idem Donatus, *Habet affectum quòd & addidit Dave.* Tobias junior ad Angelum, comitem suum 6. 4. *Domine, piscis invadit me.* Ulysses de sociis suis (in mari, itidem ut heic Petrus cum suis) ultimè periclitantibus,

—— Ἐμὲ δὴ φθίγγοντο καλέοντες
Ἐξονομακλήδην, τότε γ' ὕστατον ἀχνύμενοί περ.

Icarus apud Ovidium ex alto decidens,

Decidit, atque cadens, Pater, ô pater, exclamat, inquit.

Propertius ad Cynthiam suam quam dormiens naufragantem viderat,

At tu vix primas attollens gurgite palmas
Sæpe meum nomen jam periture vocas.

Ibid. ἐπελίμνησε τῷ ἀνέμῳ] In Græco Psal. 106. 9. Ἐπελίμνησε τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. Vide ad Matthæum dicta. Plinius 32. 1. de Echeneide, *Ruunt venti licet, & sæviant procellæ; compescit furori, vimque compescit.*

Ibid. καὶ ἐκόπασεν] Psal. 107. 29. Ἐπέταξε τῇ καταιγίδι, καὶ ἔστη εἰς αὔρας.

Ibid. ἐκόπασε, καὶ ἐγένετο γαλήνη] Homerus,

—— Ἄνεμος μὲν ἐκόπασε, νηνεμίη δὲ γαλήνη
Ἔπλετο πλωτῇσιν. ——

Lucianus in Deorum dialogis, Ἡ θάλασσα εὐθὺς ἀνέμων ἐγένετο, καὶ πλοῖα γαλήνῃ ἐπιπλεόμενα, λαμπρὰν ἑαυτὴν παρεῖχεν. Achilles Tatius, Τὸ πολὺ τῆ πνεύματος ἀβεβαίωτο, τὸ δὲ ἄχρι τῆ κύματος ἐσφῆτο.

Ibid. ἐγένετο γαλήνη]

—— *Venti posuere, omnisque repentè resedit*
Flatus. ——

—— *Sedque*

——— *Seſéque pavere*
Confeſſa, finem ſtatu fecere procellæ.

Adde ad Matthæum dicta. In Gloſſis, Γαλήνη, *tranquillitas*, & ità heic Vulgatus.

Com. 25. Πῦ ἐστν ἡ πίστις ὑμῶν;] Marcus heic, τίς ἄρα οὗτός ἐστν ὅτι; πῶς οὐκ ἴσχετε πίστν; & ità ſanè eo loco interpungi ſolet: neque longè utriuſque locutionis exempla quærenda. Idem 2. 7. τί οὗτος οὕτω λαλεῖ βλασφημίας; Matth. 16. 11. πῶς οὐ νοεῖτε ὅτι οὐ περὶ ἄρτου εἶπον ὑμῖν; Luc. 12. 56. πῶς οὐ δοκιμάζετε; & Marc. 8. 21. πῶς οὐ ζυνίετε; Poteſt tamen non minùs commodè interrogatio poni poſt ἐστν, hoc modo, τί δειλοί ἐστε; ὅτι πῶς, &c. Sic 1 Cor. 6. 5. ὅτιος οὐκ ἔστν ἐν ὑμῖν σοφός; &c. Idem Marcus 7. 18. ὅτι καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε; Arrianus in Epictetum, Οὕτως οὐκ ἀρκεῖ σοι μηδὲν ἁλγεῖν; &c. Apud Apulejum Lib. 1. ille, adeóque (ut hic Chriſtus) ſono vocis objurgatorio, *Tam jam nec amicis quidem noſtris*, &c. *parcitis?*

Ibid. ἐθαύμασαν, λέγοντες, &c. τίς ἄρα οὗτός ἐστν; ὅτι καὶ τοῖς ἀνέμοις ἐπιτάσσει; &c.] Vide ad Matthæum dicta: adde Sirach. 43. 25. Τοῖς θαλάσσης κύμασν ἐπιτάσσων, ut potentiæ pluſquam humanæ notam habemus & 2 Maccab. 9. 8. Pro ὅτι heic, ſi libri veteres faverent, malim ὃς legi.

Com. 26. κατέπλευσαν] Vertas, *devecti ſunt*. Gloſſarium, Κατανλεῖ, *devehitur*: Vulgat. & Recentior, *navigaverunt*.

Ibid. ἀνδρί τινι, &c.] Iliad. γ'. ἀνδρί τινι, ubi Scholia, Τὸ ἐξ ἐναντίας τ Ἡλιδ πόλεως χωρίον.

Com. 27. ἀπήντησεν αὐτῷ ἀνήρ τις ἐκ τ πόλεως] E civitate Gadarenorum nempe; ſic infrà com. 39. de eadem, καθ' ὅλν τν πόλν. Illud ἐκ, ut rectè animadverſum eſt, non ſignificat, dæmoniacum iſtum id temporis ex urbe obviam Chriſto veniſſe, ut ibi ſortitum natale ſolum, illius loci civem fuiſſe, ſive ἄνδρα τ τόπου ἐκείνου, ut 14. 35. apud Matthæum. Sic 1 Maccab. 6. 3. τοῖς ἐκ τ πόλεως, civibus loci illius: & Judic. 19. 16. Ὁ ἀνὴρ ἦν ἐξ ὄρους Ἐφραίμ. Ità, *eſſe ex civitate aliqua*, l. 1. §. 2. ff. de Jure immunitatis.

Ibid. καὶ ἱματίων οὐκ ἐνεδιδύσκετο] Philo in Flaccum de Carabo ſubinſano illo, Διπλοίδα καὶ διανυξίδα γυμνὸς ἐν τ ὁδοῖς, ὥστε θαλπ ὥρᾳ κρυμὸν ἐκτετραμμ.

Ibid. καὶ ἐν οἰκίᾳ οὐκ ἔμενεν] Infrà com. 29. εἰς τὰς ἐρήμους ὑπὸ τ δαίμον ἠλαύνετο. Virgilius de Metabo,

Non illum tectis ullis, non mœnibus urbes
Accepere, neque ille manus feritate dediſſet:
Paſtorum & ſolis exegit montibus ævum.

Philoſtratus 3. 12. de Vita Apollonii, τῷ παιδὶ τούτῳ ἐνεργεῖ ἄντ ὁ δαίμων ἐρᾷ, καὶ οὐ συίχωρεῖ αὐτὸν νοῦν ἔχειν, &c. διὸ οἶκοι εἶναι, &c. Plutarchus de Porcia, morte Bruti auditâ, Τὸ μέγεθ μὴ φέρουσα τ συμφορᾶς, ἑαυτὴν μόλις οἴκοι κατέσχεν, &c. Curtius de pueris Alexandri M. eo recens mortuo, *Nec doloris magnitudinem capere, nec ſeipſos intra veſtibulum regia retinere potuerunt: vagique, & furentibus ſimiles totam urbem luctu ac mœrore compleverunt.* Bene Artemidorus 3. 42. Κτείδες ἡ μανία καὶ ἀξέκαστον φεύγεται, καὶ μὴ καταῤῥίφθαι, καὶ ἠρεμεῖν.

Com. 28. προσέπεσεν αὐτῷ] Vide ſuprà ad 5. 8. dicta. Προσπίπτειν ſæpè dixit & Eunapius in vita Ædeſii.

Ibid. τί ἐμοὶ καὶ σοί;] Id eſt, τί πράγματά μοι παρέχεις; ità 2 Reg. 16. 10. 3 Reg. 17. 18. 2 Paralip. 35. 11. 1. Eſdr. 1. 26. & Joh. 2. 4.

Ibid. τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου] Vide ſuprà ad 6. 35. dicta.

Ibid. μή με βασανίσῃς] Βασανίζειν hic, nec non apud Matthæum & Marcum in hac narratione, fortaſſe non eſt (quod non pauci Expoſitores credidere) nè me in locum tormentorum (id eſt, in Tartarum) mitte; nec, quod alii, qui dæmonas dixerunt ſe torqueri exiſtimare dum homines lædere prohibentur: ſed, nè me torque in hoc domicilio meo. Nec mirum potuiſſe Chriſtum quod vel Magos potuiſſe creditum eſt. Ægyptius ille apud Apulejum cadaver ſufurris ſuis magicis animatum alloquens, *Annon putas devotionibus meis poſſe diras invocari? poſſe tibi laſſa membra torqueri?* Philoſtratus de Empuſa conſpectu Apollonii territa, Δακρύουσι ἐδέησε, καὶ ἐδεῖτο μὴ βασανίζειν αὐτόν omnino ut apud Lucam noſtrum, δέομαί σν, μή με βασανίσῃς. Eſt autem heic, *ne me torque*, ne me crucia juſſis tuis, tuis interrogationibus: & hunc ſenſum eſſe evincunt ſequentia, παρήγγειλε γάρ, &c. Cyprianus 76 Epiſt. *per exorciſtæ vocem humanâ, poteſtate divinâ*, (nempe Chriſti) *flagellatur* (diabolus) *& uritur & torquetur. Tormenta verborum, & orationis intendia*, hoc argumento Minucius in Octavio dixit. Ità B. Martinum verbo (i. e. oratione) *torſiſſe dæmonem* ait Paulinus lib. 2. de Vita ejus. Lactantius 2. 15. de ſpiritibus iſtis, *Cultores Dei metuunt*, &c. *quorum verbis tanquam flagris verberati*, &c. & poſt, *Nec Deo, per quem adjurantur, nec juſtis, quorum voce torquentur, mentiri poſſunt.* Idem 5. 22. *Exclamant, uri verberarique ſe teſtantur: & interrogati qui ſint, unde venerint, quando in hominem irrepſerint, confitentur.* Jam vero tortos fuiſſe eos indicat mugitus, Marc. 1. 26. 9. 26. & ſuprà hic 4. 41. Cicero Offic. 3. *Cùm quærimus ſi poſſint celare, quid facturi ſint, non quærimus, poſſintne celare; ſed tanquam tormenta quædam adhibemus: ut ſi reſponderint*, &c. Βασανίζειν autem non tantùm αἰκίζεσθαι, καὶ μαστιγοῦν, καὶ τιμωρεῖσθαι ſignificare, ſed & δοκιμάζειν, ἐπιμελῶς ἀνακινεῖσθαι χωρὶς πληγῶν τὸ ἀληθὲς ἐξ λόγων ἀνακρίνειν, ex Artemidoro 4. 61. Jamblicho cap. 18. de Pythagoræ vita Suidæque Collectaneis docemur. Heſychius, Βασανιστής, &c. ποικίλως ὁ περὶ τ ἀνδραπόδων τ ἀληθείαν πυνθανόμν.

Com. 29. παρήγγειλε τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ ἐξελθεῖν ἀπὸ τ ἀνθρώπου] Philoſtratus de Apollonio, Οἷον διαπότης περὶ ἀνδρείαν ἐσθῆτα, ποικίλων παυσῆγόν τε καὶ ἀναιδῆ, καὶ τὰ τοιαῦτα σὺν ὀργῇ λέγων, καὶ πελάσαι ἀπαπαίσθαι, &c.

Ibid. πολλοῖς χρόνοις, &c.] Id eſt, ut ſuprà com. 27. ἐκ χρόνων ἱκανῶν. Plutarchus de Sotade, (libro de Liber. educ.) ἐν δεσμωτηρίῳ πολλὰς χρόνους κατεσάπη. Itaque Græce non minus quam Latine per tertium pèrque quartum caſum locutionem iſtam uſurpari videmus.

Ibid. ζυνηρπάκει αὐτὸν] Vulgat. *arripiebat illum.* Hinc in Gloſſario. *Arreptitius*, ἁνάρπασις. Ubi fortè συναρπασὸς legendum; ità in contextu noſtro, συνηρπάκει. Ità & in alio Gloſſario. Συναρπάζω, *corripio.*

Ibid. ἐδεσμῶτο ἁλύσεσι καὶ πέδαις φυλασσόμν] Pro, ἐφυλάσσετο, ἁλύσεσι καὶ πέδαις δεδεμέν. Horatius, non quidem de Dæmoniaco, ſed appoſite,

——— *In manicis &*
Compedibus, ſævo te ſub cuſtode tenebo.

Gloſſarium, Πέδη, ὁ δεσμὸς, *compes. Vincula & manicas* junxit itidem Virgilius. Plinius lib. 7. Epiſt. 27. *Cruribus compedes, manibus catenas gerebat.* Solinus, *Nullóque momento fuerit ſine compedibus & catenis.*

Ibid. καὶ διερήσσων τὰ δεσμὰ, &c.] Hieronymus de tali quodam in vita Hilarionis, *Non catenas, non compedes*, &c. *integra patiebatur.* Seneca 1. 13. de Ira, *Sæpe validiorem furor reddit.* Vide Caſſii iatro-ſophiſtæ problem. 51. Quintilianus in Declamationibus, *Exceſſerunt opera ejus humanarum virium mediocritatem; quicquid factum eſt, rabies, inſania fuit:* ubi forte *fecit* legendum.

Ibid. ἠλαύνετο ὑπὸ τ δαίμον εἰς τὰς ἐρήμους] Philoſtratus non ità pridem citato loco, εἰς τὸ ἕρημα τ χωρίον (τ παῖδα) ἐκτρέπει. Plutarchus de Timoleone, Ἀδήματον, καὶ πλανώμεν, ἐν τοῖς ἐρημοτάτοις τ ἀγρῶν διετρίβεν. Apud Ciceronem Tuſcul. 3. de Bellerophonte,

——— *In campis mœrens errabat Alæis,*
Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Ἠλαύνετο bene vertas, *ferebatur.* Apulcius lib. 8. de inſaniente illa, *Per plateas populoſas, & arva rureſtria fertur.* Et hinc forte illuſtrandus Heſychius, qui Παρεφέρετο, ἐδαιμονίζετο· ut παραφέρεσθαι ſit, per devia errare, quod ſolent mentis commotæ homines, vel dæmoniaci. Suidas, Παρεφόρ, ὁ παρ ἑαυτὸν, καὶ ὑπὸ δαίμον παραφερόμν. Εἰς τὰς ἐρήμους, eſt,

Per juga, per valles, quæ ferè ducebat eumem.

Com. 30. Τί σοί ἐστν ὄνομα;] Commoti & urgentis ſermoi. Ariſtophanes apud Suidam verb. μαρτύρομαι,

Τί σοι ποτ' ἐστν ὄνομα; ἵν' εἰδῆς μαρτύριον;

Ibid. εἶπε γάρ, Λεγεών] Lactantius loco ſuprà adducto; *Non modo dæmonas ſe eſſe confitentur, ſed & nomina ſua edunt*, &c.

Ibid. ὅτι δαιμόνια πολλὰ εἰσῆλθεν εἰς αὐτόν] Hæc Lucas ex perſona propria: at verò Marcus hic, ὅτι πολλοί ἐσμεν· ut nempe dæmones ipſi rationem ediderint cur *legio* vocarentur. Sic in Equitibus Ariſtophanis ille, nomen ejus quærenti alteri non ſolùm nomen eloquitur ſuum, ſed & cauſam vocabuli.

Ἐμοὶ δέ γ' ὄ, τι σοι τὔνομ' ἐστ· Ἀγοραῖός ἐστ
Ἐν τῇ ἀγορᾷ γὰρ πρόσθεν ἐβυσσόμν.

Com. 31. εἰς τ̀ ἄβυσσον] Εἰς τ̀ ἄβυσσον, at de mari loquens dixit Plutarchus, libro de Iside & Osiride. Suidas in ἀβύσσους, Ἄβυσσον καλεῖ τ̀ ὑγρὰν οὐσίαν ἡ θεία γραφή. In Luca autem, (cum insignissimo Expositorum) ἄβυσσον, Tartarum (Dæmonum carcerem) intelligendum existimem.

Com 32. Ἦν δὲ ἐκεῖ ἀγέλη χοίρων, &c.] Illud ἐκεῖ (quod porcos in vicino fuisse innuit) videtur indicare apud Matthæum, non μακρὰν, sed (cum Vulgato) ἀ μακρὰν legendum. Ità Joh. 21. 8. οὐκ ἦσαν μακρὰν ἀπὸ τ̀ γῆς· & Act. 27. 28. ἀ μακρὰν ἀφ' ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν.

Ibid. ἵνα ἐπιτρέψῃ αὐτοῖς εἰς ἐκείνους ἐλθεῖν] Videbant sibi exeundum esse, nec facile in alios homines intrare sibi permissum iri: ut aliquà ergò hominibus nocerent, transire vel in animalia cupiebant. Hieronymus in Hilarionis vita, *Decebat hominum causâ Diabolum etiam jumenta corripere: & tanto eorum ardere odio, ut non solum ipsos, sed & ea quæ ipsorum essent, interire cuperent.* Euthymius ad Matthæum hic, *Studem porcos occidere, ut horum damno contristati Domini gregis Jesum non susciperent.* Si quis heic dixerit,

Quid porci fecere, animal sine fraude dolóque?

respondebimus ejusdem Euthymii verbis, ubi de ficu ab eodem Christo infœcunditati damnata, *Ne inquiras cur punita sit planta quæ nihil offenderat, sed solum intuere miraculum.*

Com. 33. καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατ̀ τ̀ κρημνοῦ] Solent spiritus iisti obsessa corpora in præcipitia agere. Philostratus supra citato loco, de Dæmone puerum vexante, ἀπειλεῖ κρημνὸς καὶ βάραθρα. Ὥρμησεν heic *ruit* vertas. Glossæ, Ὥρμει, &c. *ruo.* Donatus ad 3. 2. Adelph. *Proprie fues ruere dicuntur.* Vulgat. *impetu abiit:* quod in idem cadit. Servius ad Æn. 10. ea,

—— *Ruebat*
Matura jam luce dies ——

Cum impetu veniebat: & ad 8. ea,
Una omnes ruere ——

Cum impetu venire: & *hoc verbo, more suo, ostendit velocitatem.*

Ibid. εἰς τ̀ λίμνην, τ̀ ἀκυτενίγη] Philostratus, ut de equabus, in Heroicis, Στᾶσαι ἐπὶ τ̀ ἀφορυσμὸν, &c. τ̃ τ' θαλάττης ἑαυτὰς ἵεσαν. Agathias apud Suidam in κατακάμψας, Ἐς τὴν θαλαττίαν κατακάμψαι, ἐμπίπτουσι, ἀκύλουτοι.

Com. 34. οἱ βόσκοντες, &c. ἔφυγον]

—— *Pavidi cessere magistri.*

Ibid. καὶ, &c. ἀπήγγειλαν εἰς τὴν πόλιν] Ut solent qui quid novum & mirum conspexerunt: vide Matth. 28. 11. Joh. 4. 28, 29. 1 Reg. 13. 25. Jamblichus de piscatoribus Pythagoræ divinatione stupefactis, τὸ περιεργυμένον διήγγειλαν. Hesychius, Ἀπαγγείλαι, φανερὸν ποιῆ. Vulgat. bene, *nunciaverunt.* Mamertinus in Genethliaco, *Concursare inter se agricolæ, nunciare totis* (id est, omnibus) *visa.*

Com. 35. ἐξῆλθον δ ἰδεῖν, &c.] Theod. Prodromus,

—— Ἡ γε μὴν πόλις,
Ἐπεὶ τὸ ξυμβὰν ἠ τελούμενον μάθοι,
Ἐξήεσαν ξύγκλυδες εἰς τ̀ δυμάτων.

Apulejus 7. *Tota civitas ad conspectum effunditur.*

Ibid. ἱματισμένον καὶ σωφρονοῦντα] Addit Marcus, καθήμενον: ad pedes Jesu nempe, ut heic Lucas: vel ut opponeret hunc placidum quietimque gestum priori insanæque ejus discursationi per devia ac deserta. Hoc sensu, & in re simili, idem Marcus 7. 30. βεβλημένον dixit. Servius ad Æn. 9. *Sedentium animi tranquilliores sunt.* Apulejus 9. *De rima prospicium me* (rabiei falsò suspectum) *sanum atque otiosum consistere:* plane ut apud Marcum in dæmoniaci illius narratione, καθήμενον, καὶ σωφρονοῦντα.

Com. 38. εἶναι (ἐν αὐτῷ] Id est, ut infrà 9. 49. ἀκωλύτων μετ' αὐτῶ.

Ibid. ἀπέλυσε δ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς] Ἀπολύειν heic, non est *dimittere*, sed, *non admittere:* ut 1 Joh. 4. 18. ἐκβάλλειν non est, *ejicere*, sed, *non recipere:* ad quem locum notata vide.

Com. 39. καὶ διηγοῦ ὅσα ἐποίησέ σοι ὁ Θεὸς] Sic Act. 15. 4. idem Lucas noster, Ἀνήγγειλαν ὅσα ὁ Θεὸς ἐποίησε μετ' αὐτῶν.

Com. 40. ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ὄχλος, ἦσαν γὰρ προσδοκῶντες αὐτὸν] Vide ad Apuleii 8. pag. 364. dicta. Ex hoc Lucæ loco puto lucem dari posse Hesychii illis, Ἐδέκαζεν· ἀπεδέχετο· ut idem sit δεκάζειν quod προσδοκᾶν, & consequenter sensus non absimilis hujus loci sententiæ.

Com. 41. ᾧ ὄνομα Ἰάειρος, καὶ αὐτὸς ἦν, &c.] Sic 19. 2. Ὀνόματι Ζακχαῖος, καὶ αὐτὸς ἦν, &c.] Suidas, Ἰάειρος, ὄνομα κύριον. Fortasse Ἰάιρος, ut apud Lucam, legendum.

Com. 42. ἀπέθνησκεν] i.e. ut suprà 7. 2. ἤμελλε τελευτᾶν. Sic 1 Maccab. 1. 5. de Alexandro, Ἔγνω ὅτι ἀποθνήσκει. Ἀποθνήσκειν pro eo quod est *animam agere* posuit & in Gallo Lucianus.

Ibid. οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτὸν] *Comprimebant eum*, ut bene Vulgatus: Id turbæ proprium. Juvenalis 3.

—— *Magno populus premit agmine lumbos.*

Ovidius, Pont. 4. 9.

Sed foret à populo tum mihi dulce premi.

Turbâ undique confluente fluctuantisque populi jactari Gellius 10. 6. dixit. Est itaque συμπνίγειν hoc hyperbolicum, sed & usitatum: nam & *turbam* (à seipsa nempe) *suffocari*, (q. d. συμπνίγεσθαι) Seneca Epist. 91. dixit: & *elidi* (quod idem valet) *in turba sua.* Idem in de Vitæ brevitate: quomodo & Ovidius jam citato loco,

Nec querulum, turbâ quamvis eliderer, esse.

Vult dicere ergo hyperbole ista, à populo tanto studio confluente ità compressum Christum fuisse, ut de vita periclitaretur. Sic Suetonius in Caii vita de Germanico, *Ita vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel secunde discederet, pra turba occurrentium prosequentiumque suum discrimen vitæ adisse.* Catonem, πολλῶν ὑπὸ σπουδῆς καὶ φιλοφροσύνης πρὸς αὐτὸν ὠθουμένων, ἐν κινδύνῳ γενέσθαι, Plutarchus narrat. Polybius de Græcorum populis Tito Quinctio adventante, ὥστε τὴν ὑπερβολὴν τ̃ χαρᾶς διαφθεῖραι τ̀ Τίτον· & statim, παρ' ὀλίγον διέλυσαν τ̀ ἀνθρωπον.

Com. 43. ἐν ῥύσει αἵματος] Hesychius, Ῥύσις, φυσικὴ χένωσις, &c. ἡ (lege ἢ) αἱμορροΐα. Vulgat. *in fluxu sanguinis.* Scribonius Largus § 121. *fluorem sanguinolentum* vocat. Solinus cap. 35. *profluvium sanguinis:* ita in vetere Onomastico, *Profluvium*, ῥέυσις.

Ibid. ἥτις εἰς ἰατροὺς προσαναλώσασα ὅλον τ̀ βίον, &c.] Serenus Sammonicus,

Multos præterea medici componere succos
Assuerunt; pretiosa tamen cum veneris emptum,
Falleris frustráque immensa numismata fundes.

Vim morborum medentibus pretia ferre, dixit Tacitus Annal. 11. &, σῶμα εἰς νόσους παρρησιὸν, δαπάνας ἀνεπείλητον, Cleanthes apud Plutarchum. Joannis Patriarchæ C. P. de morbo suo, in suo testamento hæc verba sunt apud Nicephorum Gregoram lib. 8. Διετέλεσε τ̀ ἐμὴν δ αἱμαῤῥοῦν νόσον, οἷον εἴ τις ἐκμυζῶσα βδέλλα, τ̀ δ' ἂν εὐπετείαν (Lucas βίον dixit) ὑφαιρεῖσα μικρὰ κατὰ μικρὸν, διδύμῳ (τὸ λεγόμενον) χρεὶ τοῖς τ̃ ἰατρῶν κέλπεσι ἐπεστρέψατο. *Faciunt reddita* (de medicis dixit Herbarii Auctor) *dum tempus curationum extrahunt, puto quia feviores ipsis morbis exsistunt.* Merito itaque Plutarcho teste, Apophth. Lacon. solebat eum Pausanias medicum optimum vocare, qui ægrotorum corpora, non frequentibus, nihilque profuturis (sæpe & nocituris) potionibus conficeret, simúlque eorum opes exinaniret; sed qui citò rem tenuem suam mandaret, id est, ut loquitur (& de medico) Apulejus, tanquam famosæ manûs gladiator, sine mora multa Oreo funera demitteret.

Ibid. οὐκ ἴσχυεν ὑπ' οὐδενὸς θεραπευθῆναι]

—— *Cessere magistri,*
Phillyrides Chiron, Amithaoniúsque Melampus:
Non requies erat ulla mali, defessa jacebant
Membra, & mussabat tacito medicina timore.

Maximianus,

Nec toties experta mihi medicamina prosunt.

Diodorus Siculus de Alexandro M. τὰ παθήματα (αὐτῷ) ἐπιτάνοντα, καὶ τ̃ ἰατρῶν συναληθίνων βοηθῶντων μὴ ἰδοῖς ἐδυνήθη. Commode hîc offert se Sirachidis 10. 11. locus, cujus inter complures legendi modos libenter eum præstulerim qui sic habet, μακρὰν ἀρρώστημα (ἐάντος ἰατρὸν, *infirmitas longa deridet medicum:* tentantem nempe & molientem multa, sanantem neutiquam. Philo in de Allegoriis Legis, Ἰδὼ λογισμὸν ἰατρῷ, πενόμενον

κενόσει τ' κάμνοντας, θρέψω, φαρμάκοις ἰάσομαι, διατιμῶ, κενόσει· αἱρὰ πολλάκις ἡ φύσις ἢ ἀνὸ τούτων ἰάσατο, καὶ μὴ τούτων ἀπώλεσεν, ὡς τὰς ἰατρῶν πάντας ἐπιλογισμὰς εὑρίσκειν ἐυρεθῆναι, & quæ ut plurimum ridenda magis quàm inſomnia.

Com. 44. Προσελθοῦσα ὄπισθεν ἥψατο ⸗ κρασπέδου ⸗ ἱματίου αὐτοῦ] Poſt tot humana ſine ſucceſſu adhibita, ad Chriſtum mulier iſta, quaſi ad Deum, certe homine auguſtiorem, ſe confert. Vide ſupra 7. 3. Philo in de ſacrific. Abel & Caini, Ἐπειδὰν ξυμβῇ τι τ' ἀβουλήτων, ἅτε μὴ πεπισδυκότες παγίως θεῷ, πρότερον καταφεύγουσιν (οἱ ἄθλιοι) ἐπὶ τὰς ἐν ψυχῇ βοηθείας· ἰατρὸς, βοτάνας, φαρμάκων ζυνθέσεις, δίαιταν ἡκεβουλίῳ πάνυ ὅσα παρὰ τῶν θνητῶν γένει βοηθήματα, &c. ἀλλ' ὅταν γε τ' ἀνθρωπίνων μηδὲν ἀρκῇ, &c. τελευταῖα ἐξ ἀμηχανίας πολλῆς τ' ὑπὸ τ' ἄκων ἀφίλτας ὑποχωροῦντες, ὀψὲ. &c. ἐπὶ τ' μόνον ζωτῆρα θεὸν καταφεύγουσι. Ariſtides Orat. 1. pro Rhetorica. Τὸ καταφυγεῖν ἐπὶ τὰς θεὰς ἀρχὴ ⸗ τ' τέχνης ὑστεραίαν ἐστί.

Ibid. προσελθοῦσα ὄπισθεν, ἥψατο ⸗ κρασπέδου ⸗ ἱματίου αὐτοῦ] Suidas, & de muliere loquens, Ἐξόπισθεν αὐτοῦ (Συμὰ) προσελθοῦσα, ἐπιβάλλ' τ' χεῖρα, ἢ κρασπέδου ⸗ ἱματίου ἁπᾶ· τοῦ ἐπισεσφιγμένου, &c. βύλομαι κ' ἐγὼ (ἴφη) τῆς σῆς μικρὸν ἐυτυχίας μεταλαβεῖν. Vides actûs utriuſque feminæ conformitatem quandam: quin & ſermo mulieris Romanæ, ἐυτυχίας verbo in δυνάμεως (quam infra 46. habemus) mutato, ejuſmodi eſt ut nec Hebrææ iſti incongrua cenſeatur.

Ibid. ἔστη ἡ ῥύσις ⸗ αἵματος] Si credimus Græcis magiſtris, quibus ἑλλὰν eſt τὸ καθ' ἰδίαν ὁρμὴν ἢ σφοδρότητα, οἷον, ἔστη ὁ ἄνθρωπος· καθῆναι verò τὸ ὑφ' ἑτέρου, οἷον, ἐκάθη ὁ ἀνδρίας, ἐκάθη ἡ νόσος· non ἔστη hic debuit Lucas, ſed ἐκάθη dicere: viciſſimque infrà 21. 36. στῆναι, non autem καθῆναι. Poteſt vera eſſe ἢ τὸ ἀκριβὲς diſcriminatio illa; non tamen debet excludere reciprocas hujuſmodi καταχρήσεις quæ in omnibus fere linguis occurrunt.

Com. 45. οἱ ὄχλοι συνέχουσί σε, &c. ἢ λέγεις, Τίς ὁ ἁψάμενός μου; More ingenii humani dicta. Seneca in de Beneficiis. *Quid eſt iniquius homine qui eum odit à quo in turba calcatus, aut reſperſus, aut quo nollet impulſus eſt?* Ubi & *impelli* eſt fere quod Lucæ συνθλίβειν ⸗ συνέχειν.

Com. 49. τίθνηκεν ἡ θυγάτηρ σου, μὴ σκύλλε τ' διδάσκαλον] Phile, libro de Animalibus,

Μὴ, μὴ, γάλλων, μηδὲν φάρμακον χέῃς,
Ὁ σφυγμὸς ἐκλέλοιπεν, ὁ ζῶν ἐξέπνευ.

Marcus in hac hiſtoria, τί ἔτι σκύλλεις, &c. Tale illud,

Quid fruſtra nemorum Dominum Regémque fatigas?

Gloſſæ, *Fatigat*, &c. ζσκύλλει. Gloſſæ aliæ, Σκύλλει, *fatigo, vexo.* Heſychius, Σκύλλει (legendum forſan ζσκύλλει) ἐνόχλει. vel certe, Σκύλλῃ, ἐνοχλεῖ.

Com. 50. μόνον πίστευε, ⸗ ζωθήσεται] In Carmine Endelechii Rhetoris,

——— *Si tamen hunc Deum*
Exorare velis, credere ſufficit.
Votum ſola fides juvat.

Vide ad Act. 14. 9. annotata. Libanius Sophiſta, Βούλῃτι μόνον, ⸗ πάντα ἔξετε.

Com. 52. οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει] Medicus in Floridis Apulejanis de homine mortuo credito, *Quieſcit, dormit: & protinus marcido ſopore diſſoluto remeabit ad diem lucidam.* Puella autem de qua Lucas, erat vere mortua. Cur tamen eam Chriſtus dormire dixit, videre eſt ex iis quæ ad Joh. 11. 11. annotavimus.

Com. 53. κατεγέλων αὐτοῦ] Ut ſolent qui παροίδεξα audiunt. Gellius 17. 3. *Riſerunt hoc* (quod nempe de ſparso dictum fuerat *ad illudendum.* Vide ad Matth. 9. 24. dicta. Recte autem heic αὐτοῦ; non αὐτῷ. Suidas, Καταγελῶ σε, γενικῶς. Hinc & καταγελῶν τινες, Arrianus 1. 25. in Epictetum.

Com. 55. ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα αὐτῆς]

Ψυχὴ δ' εἰς δίμας ἦλθε τὸ δεύτερον, ———

ut Dionyſiac 25. locutus Nonnus.

Ἐξ ἄιδος νόστον φυγὰς ἐσεῖς ———

idem Joh. 11. de Lazaro dixit.

Ibid. διέταξεν αὐτῇ δοθῆναι φαγεῖν] Ut certò adſtantibus pateret reviviſſe eam. Etiam propriæ reſurrectionis veritatem ſumptione cibi probatam voluit, infra hic 21. 44.

Com. 56. παρήγγειλεν αὐτοῖς μηδενὶ εἰπεῖν τὸ γεγονὸς] Ita Marc. 8. 26. vide & Marc. 7. 24.

CAP. IX.

VALLA.

3. *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam; neque duas tunicas habeatis*] Non eſt hoc *tuleritis* à verbo *fero*, ſed à verbo *tollo*: ergò meliùs *in viam*, & Græcè accuſativus eſt εἰς τλὴν ὁδόν. Et *tuleritis* ut apertiùs ità veriùs tranſlatum eſſet *tollatis* ſive *tollite*, μηδὲν αἴρετε. Neque *duas tunicas* dicitur, ſed *binas*, h. e. ſinguli duas. Neque imperativum aut ſubjunctivum eſt *habeatis*, ſed infinitivum, μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν.

4. *Et in quamcunque domum introieritis, ibi manete, & inde ne exeatis*] Veritas Græca habet, *& inde exite*, ⸗ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε· quod quia quibuſdam videbatur abſurdum, ut juberentur exire, convenientiuſque eſſe, cùm dicatur *ibi manete*, nè exirent, addiderunt negationem. Sed Dominus præcepit ut ex eadem domo exirent, cùm illinc ad aliam civitatem pergerent, in quam à principio introiſſent, nè fortè ex alia exirent.

10. *Seceſſit ſeorſum in locum deſertum qui eſt Bethſaida*] Gr. *in locum deſertum urbis quæ vocatur Bethſaida*, πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά.

21. *At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent*] Cur non dixit Interpres nunc *minatus illis præcepit*, ſicut alibi frequenter, cùm idem ſit verbum, ἐπιτιμήσας; Non enim nunc locus eſt *increpationi*, tanquam peccaſſent, ſed *deterrationi*, nè peccent.

23. *Tollat crucem ſuam quotidie*] Non eſt apud hunc Euangeliſtam *quotidie.*

24. *Nam qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet illam*] Nili accipiat *nam* pro *autem*, non reſpondet tranſlatio Græcæ veritati, in qua dicitur, *qui autem*, ſive *quicunque autem, perdiderit animam ſuam gratiâ mei, hic ſalvabit eam*, ſive *ipſam*, ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τλὴν ψυχλὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, οὗτος σώσει αὐτλήν.

31. *Dicebant exceſſum ejus*] *Exceſſus* pro *morte* accipiendus eſt, ut apud Ciceronem De Legibus, *Certè non longe ab ædibus tuis inambulans poſt exceſſum ſuum Romulum Proculo Julio dixerit ſe Deum eſſe, & Quirinum vocari.* Et apud Valerium Maximum, *Tui quoque clariſſimi exceſſus, Cato, Utica monumentum eſt, in qua ex fortiſſimis vulneribus tuis plus gloriæ quam ſanguinis manavit.* Quòd autem hoc ſenſerit Interpres etſi ſtultum eſt dubitare, ſciamus Græcum vocabulum eſſe illud quo ſecundus liber Moyſi inſcribitur *Exodus*, ἔξοδος, qui dicitur *Exitus*, ut in Pſalmo 114. 1. *in exitu Iſrael ex Ægypto:* qui pro *morte* accipitur, ut apud Quintilianum in Mathematico, *Commendo vobis exitum meum:* & apud Plinium ad Corn. Tacitum, *Petis ut tibi exitum avunculi mei ſcribam.* Quid alia exempla? Apud ipſum Interpretem in epiſtola Petri 2. 1. 15. *Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt exitum meum*, ἔξοδον.

42. *Et reddidit illum patri ejus*] *Patri ſuo* Latinum eſt.

44. *Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos*] Gr. *Ponite vos in aures veſtras*, ſive *in auribus veſtris, ſermones iſtos*, ſive *hos:* εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν.

52. *Intraverunt in civitatem Samaritanorum*] Nè quis putet hanc civitatem eſſe Samariam. Nam Græcè eſt κώμλην, quod eſt *caſtellum* vel *vicum:* unde dicitur paulò pòſt, v. 56. *Et abierunt in aliud caſtellum*, κώμλην.

54, 55. *Domine, vis dicimus ut ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos? Et converſus increpavit illos*] Græcè plus eſt quàm Latinè: dicitur enim illic, *Domine, vis dicamus ignem deſcendere de cælo, & conſumere eos, ut & Elias fecit?* 5. *Converſus autem increpuit illos*, ὡς ⸗ Ἠλίας ἐποίησε; Στραφεὶς δὲ.

REVIUS in VALLAM.

4. Καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε] Hæc loco ſuo exciderant. Porrò negationem, quam Laurentius hîc refellit, in quodam cod. ſcriptam invenit Beza: & eundem manere ſenſum, ſive adſit, ſive abſit, argutè nos docet.

ERASMUS.

3. *In via*] Εἰς τλὴν ὁδὸν in viam. Et *tuleritis* non eſt à verbo *fero*, ſed à *tollo. Ne quid tollatis in viam*, ſive *ad iter*, h. e. *Ne quid deportetis.* ¶ *Neque duas tunicas*]

Μήτε

Μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας *neque binas tunicas*, i. singuli duas. Cæterùm ἔχειν infinitum verbum positum est vice imperativi more Græcanico. *Tunicam* autem dixit non pro quavis veste, sed pro specie vestis: ut intelligas alteram indui, alteram deportari in sarcina pro mutatoria.

4. *Et inde ne exeatis*] Græce secùs est, καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε *& inde exite*. Sentit enim ut unis duntaxat ædibus uterentur; ne aliunde exirent relicturi civitatem quàm quò ingressi fuissent advenientes, ne cui parùm stabiles viderentur. Ad eundem modum non legit modò Theophylactus verùm etiam interpretatur. Verùm hoc non Interpretis culpâ sed librariorum vitio mutatum esse constat.

5. *In testimonium supra illos*] Ἐπ' αὐτούς. Quæso cur non potiùs *adversus illos* quàm *supra illos*? adeóne studio fuit corrupte dicere?

7. *Et hæsitabat*] Διηπόρει· quod ut significat *hæsitare*, ita significat *& perplexum esse atque ancipitis consilii*, & *animi dubium*. Metuebat enim ijs resurrexisset quem occiderat.

10. *Qui est Bethsaida*] Εἰς τόπον ἔρημον πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά, *in locum solitarium civitatis quæ dicitur Bethsaida*. In vetustis lego *qui est Bethsaida*, ut intelligas desertum Bethsaidæ vicinum.

11. *Qui curâ indigebant*] Θεραπείας. Cur non potiùs *curatione*, cùm de morbis loquatur, cùm & Latinius sit & ad Græcam vocem exprimendam accommodatius?

12. *Villásque quæ circa sunt*] Εἰς τὰς κύκλῳ κώμας *in circumjacentes vicos*, sive *oppidula*. Et rursus *agros* vertit in *villas*; nec id sane male, modo bene intelligatur. ¶ *Inveniant escas*] ἐπισιτισμὸν *commeatum*: ἐπισιτίζειν enim est *cibaria instruere*.

14. *Per convivia*] Κλισίας ἀνὰ πεντήκοντα, i. *in singulo quoque accubitu quinquaginta*. Nam id intelligit Interpres *per convivia*. Neque enim est hic συμπόσια, ut in Matthæo sed κλισίαι, quod sonat *accubitus*, sive *discubitus*. Ἀνὰ distributive ponitur.

15. *Et discubuerunt omnes*] Καὶ κατέκλιναν ἅπαντας *discumbere fecerunt omnes*: quomodo legitur & in Aureo codice. Interpres legisse videtur ἅπαντες, ut subaudias ἑαυτούς, aut verbum transitivum usurpes pto neutro. Alioqui videtur bis idem dixisse, *Et fecerunt sic, & discumbere fecerunt omnes.*

21. *At ille increpans illos*] Antehac Interpres pene perpetuò transtulit *illis minari comminari*: quod, si usquam alias, hic certe faciendum erat. Cur enim *increparet* Christus Discipulos ob hoc responsum ob quod tantopere collaudatus est Petrus juxta alios Euangelistas? Proinde vertendum erat *interdixit eis*, sive *interminatus eis præcepit, ne cui dicerent.*

22. *Dicens, quia oportet Filium hominis*] Aut omittenda erat Interpreti conjunctio ὅτι, aut vertendum erat *Quod oportet*, &c.

23. *Tollat crucem suam quotidie*] *Quotidie* in nonnullis Græcis cod. non addebatur: sed refragantibus vetustissimis Latinis.

24. *Nam qui perdiderit*] Ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ *quicunque verò perdiderit*: nisi *nam* positum est loco *quem*.

26. *Nam qui me erubuerit*] An hic sermo sit Latinus nescio. Certe apud Q. Curtium legimus *erubuit fateri*, & *erubescunt fortunæ*. Nam apud exactiùs loquentes *erubescere* ferme verbum est absolutum. Certè optarim esse Latinum quod posuit Interpres; nec ipse talibus offenderer nisi essent aures meis delicatiores. Tolerabilius tamen hoc illo quod alibi notavimus, *Qui me confusus fuerit.* ¶ *In majestate*] Ἐν τῇ δόξῃ *in gloria*: quemadmodum vertit & paulò superius.

29. *Species vultûs ejus altera*] Τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον] Mallem ità reddere, *facies aspectûs ejus alia, diversa*: aut, si licet à verbis discedere, *mutata est species vultûs ejus.* ¶ *Et vestitus ejus albus & refulgens*] Ἐξαστράπτων· q. d. *ex se mittens fulgur*, & *effulgurans*. Convenit cum eo quod annotavimus in Matthæo, *sicut lux* pro *sicut nix*.

31. *Excessum ejus*] *Excessum* mortem intelligit. Nam Græce est ἔξοδον *exitum*, non ἔκστασιν. Quandoquidem & *excessum* & *exitum* usurpari pro Morte compluribus exemplis docet Laurentius; à quo petat, si quis forte diffidet. Nos compendio studemus.

39. *Dilanians eum*] Καὶ μόγις συντρῖβον αὐτὸν συντρίβοντα αὐτὸν & *vix discedit ab illo lacerante se*: ut intelligas puerum vix effugere à spiritu. Quanquam hoc loco variant exemplaria Græcorum. Quædam habebant συντρίβον *comminuens*, aut *discerpens*: quæ lectio mihi magis probatur, ut accipiamus spiritum dilaniare puerum.

42. *Elisit eum dæmonium & dissipavit*] Ἔρρηξεν αὐτὸν τὸ δαιμόνιον καὶ συνεσπάραξεν *laniavit illum dæmonium & concerpsit*. Interpres pro ἔρρηξεν legisse videtur ἔρριψεν, pro quo reddidit *elisit*. Nec mihi displicet hæc lectio.

43. *In magnitudine Dei*] Ἐν μεγαλειότητι *in magnificentia*, sive *majestate*. Dictum est enim ab eo nomine quod solet vertere *magnalia*, μεγαλεῖα.

44. *Ponite vos in cordibus vestris*] Gr. εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν *in aures vestras*, h. e. Diligenter auscultate quæ dicturus sum: refertur enim ad sequentia. Porro *in auribus* dixit potius quam *in cordibus*, propterea quod non essent intellecturi: sequitur enim mox, *At illi ignorabant verbum istud.*

45. *Velatum ante eos*] Παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν *abscondituin abillis.*

46. *Intravit autem*] Εἰσῆλθε *subiit*. ¶ *Cogitatio*] Διαλογισμὸς *disputatio*. Quanquam Græca vox anceps est. Cæterùm ex aliis Euangelistis liquet inter illos hac de re disceptatum fuisse, neque rem intra tacitam animi cogitationem constitisse. Atque in eo quod mox sequitur, *At Jesus videns cogitationes cordis*, significat se de cogitatione loqui: est enim & hîc eadem vox, διαλογισμῶν. Est autem in hoc loco magna inter Euangelistas diversitas, quæ tamen haud magno negotio redigi potest in concordiam. Jam articulus Græcus, quem addit Lucas, τὸ, τίς ἂν εἴη μείζων, ità reddi potuit, *de hoc, quis nam esset futurus major*, sive *maximus*. ¶ *In eis*] Ἐν αὐτοῖς *inter eos.*

48. *Hic major est*] Græce sic habet, ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, οὗτος ἐστὶ μέγας, *qui enim minor fuerit inter vos omnes, hic magnus erit*. Jam ante demonstratum est *magnum* dici magnatem, & *minorem* infimatem.

52. *In civitatem*] Εἰς κώμην *in castellum*. Nam ita plerumque vertit: tametsi quidam cod. habent πόλιν *civitatem*. Atque ita legisse videtur Interpres: nam aliquanto post εἰς ἑτέραν κώμην vertit *in aliud castellum*.

53. *Facies ejus erat euntis*] Τὸ πρόσωπον αὐτοῦ τοῦ πορεύεσθαι *facies ejus erat vadens*: quanquam nihil refert ad sententiam. Et utinam frequentiùs id ausus esset, Euangelistæ sensum magis quàm verba reddere. Sicut enim Oculi *loqui* dicuntur qui innuunt quod dictum velis, ità Facies *ire* dicitur quæ præ se ferat iter aliquo destinatum esse.

54. *Vis dicamus*] Θέλεις εἴπωμεν *vis dicamus*. ¶ *Et consumat illos*] Ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησε *quemadmodum & Elias fecit*. Hoc additum reperio in Græcorum cod. quos quidem viderim omnibus. Verum haud scio an velut ab explicante locum aliquo sit huc ascriptum. Neque enim in ullo veterum exempl. nostrorum comperi, etiamsi sic legit & Theophylactus.

56. *Non venit animas perdere, sed servare*] In Græcis quos videre memini codicibus additur *hominem*, sed reclamantibus vetustis exempl. pluribus, atque etiam vulgatis: nec refert ad sensum. Quin totum hoc, *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*, non attigit Theophylactus, nec legens, nec interpretans: quòd an casu acciderit incertum; videtur incuriâ prætermissum. Alioqui videri poterat huc adjectum ex Matth. 18. 11.

57. *Quocunque ieris*] Ἀπέρχῃ *abieris*.

58. *Ubi caput suum reclinet*] *Suum* apud Latinos additum admonuimus alias.

61. *Renunciare iis quæ domi sunt*] Ex Græcis non liquet an legendum sit *iis quæ domi sunt* an *iis qui domi sunt*: nisi quod vetustiss. codex habebat *iis qui domi sunt*, genere masc. consentiente & Corsend. exemplari, nimirum ut ad personam referatur. Quanquam idem Lucas eodem verbo sic usus est hujus Euangelii c. 14. 33. ut ad rem pertinet, *Nisi quis renunciaverit*, &c. Quemadmodum & *hominem* jubemus *valere*, & *voluptates valere* jubemus. Poterat igitur & hic accipi *renunciare negotiis domesticis*. Quod Interpres hic vertit *renunciare*, alibi vertit *valefacere*: velut 2 Cor. 2. 13. ἀλλ' ἀποταξάμενος αὐτοῖς, *sed valefaciens eis*. Rursum Act. 20. 1. *Et exhortatus eos, vale dixit*. Nam illic Interpres legisse videtur ἀποταξάμενος, licet nostri cod. habent ἀσπασάμενος. Rursum ejusdem operis cap. 18. 18. *fratribus valefaciens navigavit in Syriam*, τοῖς ἀδελφοῖς ἀποταξάμενος. Est autem proprie ἀποτάσσεσθαι *mandatis iis quæ velis aliquem dimittere*. An idem polleat *renunciandi* verbum mihi non admodum liquet. Aliquoties *renunciare* comperio positum pro *nunciare quod gestum est*, aliquoties pro *nuncio misso interdicere*; ut *renunciavit illi hospitium* apud Ciceronem; & apud Suetonium in Caligula *renunciavit amicitiam qui denunciat inimicitiam*; & apud eundem in Galba *renunciat vita*, qui decreverat mori. Nos quò dilucidior esset sermo, vertimus *valedicere* pro *renunciare.*

62. *Nemo*

62. *Nemo mittens manum*] Ἐπιβαλὼν, ἢ βλέπων. Alterum participium eſt præteriti temporis, alterum præſentis. Ea ſic commodè reddi poterant, *Nemo, ſi poſtquam admovit manum aratro in tergum reſpexerit, accommodus eſt Regno Dei.*

V A T A B L U S.

1. *Convocatis autem* * Jeſus] * Vet. ¶ *Virtutem & poteſtatem*] *Poteſtatem & auctoritatem.*

3. *In via*] *In viam*, Vet.

4. *Indè exeatis*] *Indè ne exeatis*, V. Hebræa dicendi forma, quâ monet ut unis tantùm utantur ædibus.

5. *Supra*] Vel, *adverſus.*

7. *Fiebant*] *Facta erant.* ¶ *Hæſitabat*] *Perplexo animo erat & ancipiti.*

9. *Quærebat*] Vel, *cupiebat.*

10. *Fecerunt*] *Fecerant.* ¶ *Deſertum, qui eſt Bethſaida*] *Deſertum civitatis quæ vocatur Bethſaida.*

11. *De Regno Dei*] i. de Rege à Deo miſſo: q. d. Dicebat ſe eſſe Meſſiam, Regem olim à Deo promiſſum. Res pro perſona.

12. *Eſcas*] *Commeatum.*

14. *Convivia*] *Diſcubitus.*

15. *Diſcubuerunt*] *Fecerunt diſcumbere*, Vet.

16. *Benedixit illis*] Hebr. pro, gratiis actis, multiplicavit illos.

17. *Omnes, & ſaturati ſunt*] *Et ſaturati ſunt omnes.*

19. *Prioribus*] *Antiquis.*

23. *Quotidie*] i. quacunque occaſione oblatâ.

24. *Nam qui*] *Qui autem.* ¶ *Animam*] i. vitam.

28. *Et aſſumpſit*] *Ut aſſumeret.*

29. *Altera*] *Alia*: vel, *diverſa.* ¶ *Refulgens*] *Effulgurans.*

30. *Erant autem*] *Qui erant.*

31. *Viſi in majeſtate: & dicebant exceſſum*] *Qui viſi in gloria dicebant exitum*, i. mortem: h. e. dicebant quo mortis genere moriturus eſſet in Jeruſalem.

32. *Evigilantes*] *Expergefacti.* ¶ *Majeſtatem*] *Gloriam.*

33. *Diſcederent*] Vel, *diſcedere inciperent.* ¶ *Et faciamus*] *Faciamus igitur.*

34. *Obumbravit*] Vel, *obtexit.* ¶ *Et timuerunt*] *Timuerunt autem.* ¶ *Intrantibus illis*] Sub. *Moſe & Eliâ.*

36. *Fieret*] *Facta eſſet.* ¶ *Dixerunt*] *Renunciaverunt.*

37. *Illis*] *Illi*, Vet.

39. [*Et elidit*] *Et diſſipat*] *lacerat.* ¶ *Diſcedit* *]* *Ab eo.* ¶ *Dilanians*] *Conterens*: vel, *allidens.*

41. *Infidelis & perverſa*] *Diffidens & diſtorta.*

42. *Et cùm accederet, elisit*] *Adhuc autem accedente eo allisit.* ¶ *Diſſipavit*] *Simul laceravit.* ¶ *Et increpavit*] *Increpavit autem.*

43. *In magnitudine Dei*] *Ob magnificentiam* [*majeſtatem*] *Dei*: i. quam oſtendebat Deus per Chriſtum ſuum. ¶ *Omnibuſque mirantibus*, &c.] *Omnibus autem admirantibus propter omnia quæ faciebat.* ¶ * *Dixit*] * *Jeſus.*

44. *In cordibus veſtris*] *In aures veſtras.* Hebr. pro, *Diligenter auſcultate.* ¶ *Futurum eſt ut tradatur*] *Tradendus eſt.*

45. *Ante eos, ut non ſentirent*] *Ab eis, ità ut non intelligerent.*

46. *Intravit*] *Intraverat*; *Subierat.* ¶ *Cogitatio*] Διαλογισμὸς *diſputationem* & *cogitationem* ſignificat: ſed ex aliis Euangeliſtis colligitur diſputationem fuiſſe.

47. *Puerum*] *Puellum.* ¶ *Secum*] *Juxta.*

48. *Major*] *Magnus.*

49. *Sequitur*] Sub. *te.*

50. *Illos*] *Illum*, Vet. ¶ *Vos, pro vobis*] *Nos pro nobis*, Vet.

51. *Dum compleremur dies aſſumptionis ejus*] i. cùm pauci ſupereſſent ei in cœlum aſcenſuro dies. Hic per aſcenſionem Chriſti intelligitur & mors, quæ præcedere debebat. ¶ *Et ipſe*] Hic & aut redundat, more Hebræorum, aut pro *tunc* accipe.

52. *Ante conſpectum ſuum*] Hebr. pro, *præ ſe.* ¶ *Civitatem*] *Caſtellum.* Sic quædam exemplaria Græca.

53. *Euntis in Jeruſalem*] Gr. *proficiſcens Hieroſolymam.* Sed Hebraiſmus eſt. Ægre autem ferebant Samaritani quenquam ire Hieroſolymam adoratum, cùm vellent locum adorationi dicatum apud ſe eſſe.

54. *Dicimus*] *Dicamus*: i. *jubeamus.* Hebr. ¶ *Illos* *]* *Sicut Elias fecit.*

56. *Caſtellum*] *Oppidum.*

57. *Ieris* *]* * *Domine. Et.* Vet.

58. *Caput* * *ſuum*] * Vet.

59. *Ire*] *Abire.*

60. *Dixitque*] *Dixit autem.* ¶ *Vade* * *& annuncia*] * Vet.

61. *Et ait*] *Dixit autem.* ¶ *Renunciare*] *Ut valedicam.*

C A S T A L I O.

4. *Indidem exitote*] Uno hoſpitio utimini.

31. *Exitum*] Mortem.

34. *Nubes quæ illos obumbravit*] ſc. Moſem & Eliam.

51. *Ejus aſſumptionis dies*] *Dies* cùm temporis ſpatium ſignificat Latinè ſingulari numero dicitur, Hebraicè plurali. Hac de cauſa quod hic plurali numero dixit Lucas, τὰς ἡμέρας, ego per ſingularem reddidi: quod & alibi feci.

53. *Quoniam ire ſe Hieroſolymam præ ſe ferebat*] Oderant Samaritani eos qui Hieroſolymam ibant ad adorandum.

C L A R I U S.

13. *Niſi nos eamus & emamus*] Vide pararos animos ad impendenda quæ habebant in alimentum tantæ multitudinis.

20. *CHRISTUM Dei*] Τὸν Χριστὸν τοῦ Θεοῦ non ſimpliciter *Chriſtum*, ſed cum articulo *illum Chriſtum Dei*; cujus cognomen multi quidem antea tulerant, ſed unus erat ille qui exſpectabatur.

23. *Abneget ſemetipſum*] *Abnegatio ſui ipſius* eſt plena rerum præteritarum oblivio, & à propria voluntate diſceſſio: quod in communi conſuetudine viventem aſſequi difficillimum eſt, nè dicam prorſus impoſſibile. Quin & ad *tollendam crucem ſuam & ſequendum Chriſtum* impedimento eſt in ejuſmodi vita permixtio. Nam præparatio ad ferendum pro Chriſto mortem, & mortificatio membrorum quæ ſunt ſuper terram, & inſtructos eſſe ad omne imminens pro nomine Chriſti periculum, & nihil affectos erga hanc vitam eſſe, hoc *tollere* eſt *crucem ſuam*; ad quæ magna nobis impedimenta ferre cernimus hanc communis vitæ conſuetudinem. Hæc Magnus.

31. *Exceſſum ejus*] h. e. mortem, quam hic ἔξοδον appellavit.

51. *Dies aſſumptionis*] Uſus eſt Euangeliſta vocabulo digno majeſtate Chriſti: nam moriturus quidem erat, non tamen detinendus à morte. Sed quæ ſequuntur verba examinanda ſunt diligentiùs. Quid enim eſt *offirmaſſe faciem*, & *præmiſiſſe nuncios*, quem morem non facilè invenias fuiſſe Domino? quódque *non ſuſceperint eum, quia facies ejus erat proficiſcens in Jeruſalem*? Scimus Dominum multa ſæpe & dixiſſe & feciſſe quæ dum agerentur non tunc intelligebantur, ſed ſunt poſtea ſuo tempore declarata; ut cùm dixit, *Solvite templum hoc*, &c. Hic ergò videtur ſignificare Dominum *offirmaſſe*, h. e. decreviſſe, olim in Jeruſalem mori, & ſalutem operari in medio terræ; idque multò antea prædixiſſe; ſed hos nuncios non ſuſceptos tunc fuiſſe à Samaritanis, h. e. à Gentibus, quia primùm eligenda erat Judæa gens è qua Chriſtus naſceretur. Quòd ſi textum literæ alio modo ſolvamus quàm quòd ſub deliteſcenti myſterio hæc facta ſint, non facilè inveniemus quod aures impleat. Atque id quidem non intelligentes Diſcipuli (ſicut neque cum de *Templo ſolvendo & excitando* locutus eſt Dominus, & de *duobus gladiis*) petierunt *num vellet ut juberent ignem demitti è cælo, & illos perdere.* Poteſt tamen ſic ad literam exponi, Cùm Samaritani, qui erant inimici Judæorum, cernerent Dominum obfirmare faciem ut iret in Jeruſalem, non receperunt eum.

58. *Vulpes foveas habent*] Tacitè admonens ut cogitet quantam rem aggrediatur, cùm ipſe Dei Filius deteriore ſit conditione quàm hæc animantia, quæ proprias latebras habent.

Z E G E R U S.

3. *Neque duas tunicas habeatis*] Simpliciſſima foret interpretatio ſi unicam accipiamus veſtem conceſſam fuiſſe Apoſtolis: Verùm quia hoc abſurdum judicatur, maximè ſi de uno veſtimenti genere accipiatur, conſtat ità potiùs acci-

accipiendum ut mutatorias hâc veste veritas intelligamus, h. e. duas ejusdem generis, quarum videlicet alteram armarium aut sarcina haberet pro mutatoria. Hac enim de causa vetuit Apostolis Dominus ne quid deportarent in itinere, ut omnem ab ipsis rerum exterarum tolleret solicitudinem, cunctáque secularis subsidii adminicula indicaret aspernanda: nimirum sciens nihil illis unquam defuturum si bonâ fide quæ acceperant mandata servarent. Cæterùm τὸ ἔχειν infinitum positum est vice imperativi more Græcanico.

4. *Et inde nè exeatis*] Mutantes videlicet hospitium. Idem sensus est & in Græcis etiam absente negatione, nisi quòd aliud subaudiri debeat; *Et indè exeatis*, vel *illinc exite*, sub. *in publicum causâ prædicationis, eodem tamen reversuri causâ hospitii.* Beda tamen & Augustinus in Speculo addunt negationem.

5. *Pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos*] Pulverem è pedibus excutere jubet ad contestationem laboris terreni quem pro illis inaniter suscepissent; aut ut ostenderent usque adeò se nihil ab ipsis terrenum quærere, ut etiam pulverem de terra eorum sibi non paterentur adhærere. Vide August. Quæst. 7. in Matth.

10. *In locum desertum qui est Bethsaida*] Bethsaida in Galilæa est civitas Andreæ, Petri & Philippi, juxta stagnum Gennesareth, cui vicinum erat desertum. Unde in Græcis est (si modò ità scripsit Euangelista) εἰς τόπον ἔρημον πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά *in locum desertum civitatis quæ dicitur Bethsaida.*

15. *Et discubuerunt omnes*] Nonnulli restituunt ad amussim Græcam *& discumbere fecerunt omnes:* Sed cùm præcedat *& ità fecerunt*, quod est *discumbere fecerunt turbam*, rectius censeo si legamus juxta exemplaria vetera *discubuerunt.* Codex tamen Aureus *discumbere fecerunt* habet, atque item alius quidam.

21. *Increpans illos præcepit ne cui dicerent*] Ἐπιτιμήσας αὐτοῖς esse potest *comminatus illis.* Ambrosius *increpandi* verbo utitur.

24 *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam*] Bifariàm exponi potest, primò sic, *Qui voluerit vivere juxta mundum hunc, perdet animam suam:* deinde sic, *Qui animam suam perpetuò servare voluerit, in præsenti seculo odiat oportet.* Cæterùm *animam* vitam ipsam accipere possumus.

27. *Donec videant regnum Dei*] *Videant* habent Græci & cod. antiqui. Beda contrà *videat* habet.

28. *Fere dies octo*] Notanter adjecit *ferè*, propterea quòd sex tantùm dies integri, quot B. Matthæus numerat 17. 1. intercesserint.

31. *Excessum ejus*] Τὴν ἔξοδον αὐτοῦ *exitum ejus*, nempe mortem. Euthymius admonet in nonnullis pro ἔξοδον, δόξαν scriptum fuisse: nam & Crux ipsa *gloria* appellatur.

43. *In magnitudine Dei*] *In magnificentia Dei*, ἐν μεγαλειότητι.

50. *Sinite eos, & nolite prohibere*] Sic invenio in Ambrosio & nonnullis cod. etiam vetustis, nominatim in Corsend. Sed illud *finite eos &* adsumentum esse, arguit primùm singulare illud quod præmittitur, *prohibuimus eum*, &c. cùm hîc sit *eos*; deinde lectio Græcorum, Bedæ, & multorum cod. aliorum.

51. *Dies assumptionis*] Quando assumendus erat ex hoc mundo. Vide etiam nè fortè *dies assumptionis* dies festus aliquis possit intelligi, quo Judæi ascendebant Hierosolymam, illic oraturi & sacrificaturi, quomodo quotannis quater aut ter ut minimùm facere jubebantur.

53. *Non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem*] Samaritæ, inquit, quibus invisi erant Judæi, non receperunt eum, propterea quòd scirent Christum & Apostolos esse Judæos, ex eo scilicet quod Hierosolymam peterent oraturi; cùm contrà Samaritæ in monte adorandum Deum affirmarent, Joh. 4. Vide Hier. ad Algasiam quæst. 5.

55. *Nescitis cujus spiritûs estis*] Percontativè legi potest, tanquam ità dicat, An ignoratis quòd mansueti spiritûs & ab omni vindictâ alieni vos esse oporteat?

61. *Et ait alter, Sequar te, Domine*] Eundem hunc esse arbitror qui paulò superiùs dixerat, *Sequar te quocunque ieris*, & audierat, *Vulpes foveas habent.* ¶ *Renunciare his quæ domi sunt*] Quod Græcè legitur, πρῶτον δὲ ἐπίτρεψόν μοι ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου, propter articulum incerti generis anceps est ad *Primùm autem indulge hoc mihi ut valere jubeam domesticos meos*, & ad *Sed prius permitte mihi ut cedam rebus domesticis.* Sed melius est ut simul utrumque intelligamus.

M A S I U S.

52. CHristus non receptus in vico Samaritanorum cum Hierolymam abiret, aliquousque progressus est, designatisque in munere aliis septuaginta, pauciscque dictis & factis, pervenit ad Bethaniam Castellum Mariæ & Marthæ sororum Lazari, & prius quam ingrederetur, Lazarum quartiduanum suscitavit. Quo nuncio excitati sunt Judæi ad ponendas ipsi insidias authore Caipha. Igitur quia nondum aderat Pascha, in quo erat occidendus, cessit furori illorum, abiitque ex Bethania versus septentrionem ad deserta Ephraim, ibique ea docuit & fecit quæ Lucas à principio cap. 11. usque ad 17. caput describit. Inde, appropinquante Paschate, ut solitudinem evitaret, parumper ad lævam declectens per mediam Samariam & Galilæam profectus, obiterque 10 leprosis mundatis, tandem per Hiericho iterum in Bethaniam venit, ubi hospitio exceptus & unctus est, & postero die illinc asino triumphabundus Hierosolymam invectus.

S T E P H A N U S.

3. Μὴ δύο χιτῶνας] *Binas tunicas.*

5. Ἀποτινάξατε] *Excutite.*

7. Διηπόρει] *Anxius erat.*

12. Καταλύσωσι, καὶ εὑρωσιν ἐπισιτισμόν] *Diverstant illuc, & inveniant ad victum necessaria.*

29. Ὁ ἰματισμὸς αὐτοῦ λευκὸς ἐξαστράπτων] *Vestitus ejus candore coruscans.*

31. Ἐν δόξῃ] *Specie gloriosâ.*

32. Διαγρηγορήσαντες δὲ] *Cùm autem evigilassent.*

39. Σπαράσσει] *Discerpit.*

43. Ἐπὶ τῇ μεγαλειότητι τοῦ Θεοῦ] *Super majestate Dei, quæ illa in re elucebat.*

46. Εἰσῆλθε δὲ διαλογισμὸς ἐν αὐτοῖς] *Subiit autem eos cogitatio, dum inter se colloquerentur.*

49. Οὐκ ἀκολουθεῖ μεθ' ἡμῶν] *Non sectatur* te *nobiscum.*

51. Τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἰερουσαλήμ] *Immotum tenuit vultum versùs iter quod Hierosolymam ferebat.* Alii, *Sese obfirmavit ut proficisceretur Hierosolymam.*

53. Ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς Ἰερουσαλήμ] *Quod faciem versùs Jerusalem converteret, tanquam illinc profecturus.*

60. Διάγγελλε] *Annuntia.*

61. Ἀποτάξασθαι] *Valedicere.* Vel, *Longum vale dicere, utpote cum quibus nihil rei posthac mihi futurum sit.*

D R U S I U S.

12. *Divertam*, καταλύσωμαι] Sirach. 14. 24. ὁ καταλύων σύνεγγυς τῆς θύρας αὐτῆς, *qui diversatur prope domum ejus.* Alius, *qui diversatur*: unde καταλύμα *deversorium.* Lex. vetus, Καταλύω, καταγωμαι, *deverter.* Καταλύμα, *deversorium.* Rursum Sirachides v. 25. καταλύσει ἐν καταλύματι ἀγαθῶν. Non *requiescet*, sed *divertet, in diversorio bonorum.* Vide quoque v. 22 ejusdem cap. In eodem 27. 9. πετεινὰ πρὸς τὰ ὅμοια αὐτῶν καταλύσει, *Volucres ad sui similes divertunt.* ¶ *Escas*] Alius, *cibaria.* Nam in fonte ἐπισιτισμόν. Hieron. Quæst. in Gen. *Hic* צדה *omnes uno ore* ἐπισιτισμὸν, *i. cibaria & sitarchia, interpretati sunt.* Quid *sitarchia*? Legerim libenter *sitarciam.* Σιτάρχια, *commeatus, annona:* σιταρχία verò est *munus præfecti annonæ*, qui σιτάρχης dicitur. Σιτάρκιον, unde pluralis esset *sitarcia*, nondum legi. Psal. 132. 15. צידה *venationem ejus*: A. ἐπισιτισμὸν αὐτῆς. Sym. ἐφόδιον αὐτῆς. Jos. 1. 11. צדה Hiero. *cibaria.* LXX ἐπισιτισμὸν *commeatum* aut *viaticum.* Lex. vetus, Ἐπισιτισμὸς, *frumentatio.* Vide annot. Bezæ ad hunc locum.

16. *Benedixit eis*, αὐτοῖς] i. ברך. Nunc dicunt ברוך. Formula est, *Benedictus tu*, DOMINE *Deus noster, Rex seculi, qui educis panem è terra.* Similiter de vino dicunt, *Benedictus tu*, DOMINE *Deus noster, Rex seculi, qui creas fructum vitis.* Vide lib. Precum Judaicarum, quem Bombergus excudit in XVI Venetiis, anno Creationis 284. omissis millenariis, fol. 459. pag. 2, & deinceps. Non est omittendum quod etiam vir doctus annotavit, in vetustiss. codice legi ἐπ' αὐτοὺς *super ipsis* על־יהם. Sic enim certè hodie loquuntur. Nam dicunt *Benedicere super panem, super vinum*, &c. In omnibus autem benedictionibus memorant nomen *Dei* & *Regni*: unde Rab dicit, *Omnis benedictio & benedictio in qua non mem-*

memoratur Nomen, non est benedictio. R. Jochanan ait, Omnis benedictio in qua non est Regnum cœli, non est benedictio. Item dicitant, *Debemus memorare Nomen & Regnum in omni benedictione & benedictione.*

26. *Qui me erubuerit & meos sermones*] Hoc Latinius alii reddunt, *quem mei puduerit & sermonum meorum.* Nec excusari potest interpres nisi fortè per Ciceronis illud, *Nec erubuit ora vestra*, quod exponunt, Nec veritus est vestrum conspectum. Nam si Latinè dicimus *erubuit ora*, cur non etiam, *erubuit me?* Sic *erubuit sermones meos* tale est quale illud Claudiani, *erubuitque preces*, i. supplex esse & precari; cum puduit precum.

27. *Non gustabunt mortem*] Dicunt etiam *gustare gustum mortis* pro *mori*, ut *gustare gustum peccati* pro *peccare.* 1 Sam. 13. 1. *filius anni erat Saul*, Doctores explicant, *non gustavit gustum peccati.* Sensus, Non peccavit ut filius unius anni. Meminit R. S. Testes qui non gustant gustum mortis sunt Cœlum ac Terra: Nam non moriuntur ut Homines, qui sunt testes gustantes gustum mortis.

28. *Ferè dies octo*] Vide Mar. 9. 2. Nam ibi est, *post sex dies:* quod vir doctus interpretatur, *sexto post die.* Igitur *octo* accipies utroque termino incluso, *sex* verò exclusis duobus terminis. Exemplum, sabbathum posterius est octavus dies à priore sabbatho: intervallum, septem dies. At alius dixisset, sex dies, nimirum exclusò utroque sabbatho. Hæc Scaliger in Prolegomenis circa finem.

31. *Excessum ejus*, τὴν ἔξοδον αὐτοῦ] Excessum ex hac vita, i. mortem ejus. Cicero *excessum vita* dixit, & *excessum* absolutè. *Post excessum suum Romulus Proculo dixit se esse Deum.* Vir doctus, *exitum ejus.* Accipitur enim & *exitus* pro *morte* apud idoneos autores, ut annotat Valla. Sic 2 Pet. 1. 15. μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον, *post exitum meum.* Vulg. interpres, *post obitum meum:* ad sensum optimè & rectissimè. Sap. 7. 6. Ἔστι θεοῦ αἶς ἡ βίου, ἐξόδους τε ἴσης. Sirach. 38. 25. ἐν ἐξόδῳ πνεύματος αὐτῶ. Nam in morte spiritus exit ad Deum qui dedit ipsum. Ἔστι θεοῦ εἰς ἡ βίον dicitur ab eodem ἔξοδος ἐκ γαστρὸς μητρὸς, 40. 2. Ἔξοδος etiam ἀνάλωμα, *erogatio, expensa*, שכרון. Vide Lex. vetus.

51. *Obstirmavit*, ἐστήριξε] i. נתן vel שם *posuit.* Vide Græcam edit. Ezech. 14. 8. Jer. 21. 10. & alibi פנים נתן idem significat. Sed *hoc non lego nisi in vitio positum*, inquit Theodorus. Imò in laude ponitur, prout est is qui obstirmato animo aliquid laudabile aut vitiosum aggreditur. In lib. Aboth, c. 5. *Juda F. Thecua dicit, Esto obstirmatus in morem pardi.* Id exponunt *obstirmatus vultu.* Sequitur autem, *ad faciendam voluntatem Patris tui qui in cœlo.* Mox ait, *obstirmatus vultu ad Gehennam:* sub. *tendit.* Commentator ad illum locum, *Esto vultu obstirmato in rebus quæ spectant ad honorem Dei. Nam in iis quæ non spectant ad honorem Dei, obstirmatus facie ad Gehennam tendit.* Dicunt etiam נתן פנים *in verbis Regis.* Huc refer illud Esaiæ, *Posui faciem meam sicut silicem*, vel *saxum durissimum.* Quod æmulatus fuit Elias præfat. 1. in Thesbi, *Ero*, inquit, *levis ut aquila & caprea, & ponam faciem meam sicut silicem*, &c.

53. *Non receperunt eum*] Nam Judæos, qui Jerosolymam ibant sacrorum causâ, non oderant solùm sed etiam abominabantur & pro immundis habebant; unde non mirum si eum recipere noluerint. Nam etiam tactum occurrentis Judæi abhorrebant. Itaque dicebant obviam facto, *Ne tetigeris me: immundus enim es.* Quod illi quoque faciebant qui in insula quadam maris Rubri habitabant, ut liquet ex Geographo Arabe, qui penes me. ¶ *Facies ejus ibat Jerosolymam*] Habitum præferebat euntis Jerosolymam. Sic recentior interpres, ad sensum non malè. In Vulg. nostro, *facies ejus erat euntis.* Eódem redit. Ut hîc Facies *ire* aliquò dicitur, ità Vox *ambulare* Gen. 3. 8. *Et audiverunt vocem DOMINI Dei ambulantem.* Quanquam sunt qui malunt *Dei ambulantis.* Vide Annot. meas in Gen. Erasmi verba sunt ad hunc locum, *Sicut enim oculi loqui dicuntur qui innuunt quod dictum velis, ità facies ire dicitur quæ præ se ferat iter aliquò destinatum esse.*

56. *Animas perdere*] Hoc Ezechiel dixit נפשות לאבד 22. 27. Hanc lectionem secutus fuit Syrus interpres. In alia est, quæ in cod. Græcis ψυχὰς ἀνθρώπων, *animas hominum*, i. נפשות אדם, quod possumus exponere *corpora hominum.* Nam *anima* sæpe pro *corpore* ponitur, etiam mortuo. Quod tamen Gerundensis negare videtur. Nam ait, *De anima mortui non venit corpus, quia corpus hominis vivi vocatur anima.* Fallit & fallitur, si ea fuit mens ejus. In textu Hebraico invenies aliquoties נפש אדם *anima hominis*, Gen. 9. 5. Num. 9. 6, 7. item 19. 11, 13. & 31. 46. & 1 Par. 5. 21. Autor libri qui *Obel moed* inscribitur, explicans locum illum Num. 19. נפת כנפש אדם, disertè ait, יכול הוא לומר *vult dicere ipsummet corpus.* Ait hoc in themate הוא. Huc facit quod Manahem scribit in Mosen, fol. 3. col. 1. *Nomen* אדם *hominis cadit in formam, non in materiam*; h. e. *Homo* dicitur, non id quod videmus, sed anima hominis. Quod tamen non est perpetuum. Nam *Adam* de materia etiam dicitur, ut Gen. 2. *formavit Deus hominem pulverem è terra:* & indè ei nomen *Adam* ab *adama*, ut *homo* ab *humo.* Possumus etiam exponere *anima hominis* ἐκ παραλλήλου, ut *lutum cœni, terra pulveris*, & quæ alia Grammatici notarunt. Cui firmando sunt ex locis modò citatis, *Anima hominis sex millia virorum:* &, *Anima hominis è mulieribus quæ non cognoverunt coitum masculi.* Quæ docent non de corpore solùm dici, sed de toto homine, tam femina quàm mare.

60. *Sine ut mortui*] Qui mortui sunt in peccatis, h. e. improbi. Θανάσιος ὁ λογικὸς ἀθεία ἀθεΐα καὶ ἄνοια, ut ait Hierocles. Sanè qui propter vitia & morum κακίαν è Pythagoreorum schola ejecti erant, mortui credebantur ἐκτὸς τοῦ ὁμαιμίου. Sapientes quoque Hebræi tales pro mortuis habent: unde dicitant, *Improbi in vita sua vocantur mortui.* Vide lib. Musar, 27. 2. & 98. 2. & Aboth, 95. 1. & 52. 1.

GROTIUS.

1. Τοὺς δώδεκα αὐτοῦ, *duodecim suis*] Differens codicum lectio; cum alii adjiciant μαθητὰς [*Discipulos*], alii ἀποστόλους [*Apostolos*], indicio mihi est utrunque natum ex interpretamento. Solet autem Lucas Apostolos nominare τοὺς δώδεκα [*duodecim*] sine adjectamento, ut VIII, 1. infrà commate 12. & XVIII, 31. XXII, 3. XXII, 47. Act. VI, 2. ut & Paulus 1 Corinth. XV, 5. Quare ita hîc legendum non dubito, accedente testimonio Syri & Theophylacti, ut ab aliis est notatum. Arabs addidit لسولهم [*Apostolos*] sive quia ita legit, sive explicandi nominis causâ.

3. μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν. *neque duas tunicas habeatis*] Pendet, ni fallor, ex illo quod præcessit αἴρετε [*ferte*], ut sensus sit; *neque tantùm vobiscum sumite ut singuli bina vestimenta habeatis.* Vestimenta autem intelligit quæ homini bene vestiendo satis sunt. De re ipsa ad Matthæum vide.

4. καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε. *& inde exeatis*] *Indidem exitecium migrandum erit.* Apparet ita legisse Græcos & Syrum: quare retinenda hæc lectio. Sensus est, *manete ibi dum urbs exeundum sit.*

7. διηπόρει, *hæsitabat*] Vox hæc Lucæ attonitam quandam admirationem significat infrà XXIV, 4. Actor. 11, 12. V, 24. X, 17. Quare non malè hîc, ut & alibi, vertit Syrus ܡܬܒܗܬ. Latinus *consternatum esse*, dicto loco XXIV, 4. Alibi *stupere.* Fama miraculorum & judiciorum de Jesu diversitas ita illum percellebant, ut quid crederet nesciret.

8. εἷς τῶν ἀρχαίων, *unus de antiquis*] Puto ἀρχαίους [*antiquos*] dici Prophetas qui antea vixissent, & id opponi eorum sententiæ, qui Jesum Prophetam quidem, sed novum neque antehac visum existimabant. Posses alioqui intelligere ἕνα τῶν ἀρχαίων [*unum ex antiquis*] unum ex iis qui ante Eliam fuissent, putà Samuelem. Nam & Hebræi Prophetas distinguunt in antiquiores & recentiores.

9. τίς δέ ἐστιν οὗτος; *Quis est autem iste*]? Eadem quidem docens, sed non baptizans ut Johannes: miracula autem edens, quod non fecit Johannes. ¶ ἐζήτει ἰδεῖν αὐτόν, *quærebat videre eum*] ut ex vultu aliisque indiciis dignosceret an Johannes esset.

10. εἰς τόπον ἔρημον πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά. *in locum desertum qui est Bethsaida*] In locum qui in dominio erat municipum Bethsaïdensium.

13. εἰ μή τι, *nisi forte*] Exceptio περὶ τοῦ συνκειμένου [*ad id quod subintelligitur*]: De quo loquendi genere alibi actum est. Subauditur, *nulla spes est eos pascendi.*

15. ἀνέκλιναν ἅπαντας. *discumbere fecerunt omnes*] Expositio ejus quod præcessit ἐποίησαν [*fecerunt*]. Nam ἀνακλίνω [*discumbere facere* vel *discumbere*] ut modò καταπίνειν [*discumbere facere* vel *discumbere*] sumitur μεταβατικῶς [*transitivè*]. Nec aliter legit Syrus. Imo & Latina multa exemplaria habent *discumbere fecerunt.*

16. εὐλόγησεν αὐτοὺς, *benedixit illis*] Id est, ἐπ' αὐτοὺς [*super illos*], ut ad Matthæum satis dictum est.

18. κατὰμόνας, *cum solus esset*] *in secessu.* Vide quæ ad Marcum hoc loco, qui ipse alibi simili planè modo vocem hanc κατὰμόνας [*seorsim*] usurpat, ut turbam, non ut discipulos excludat, IV, 10.

23. καθ' ἡμέραν, *quotidie*] Retinendum omnino. Nam agnoscunt Syrus, Arbs, Latinus.

25. ἑαυτὸν δὲ, *se autem ipsum*] Popularis expositio ejus quod dixit ψυχὴν αὐτοῦ [*animam suam*], neque enim corpus excluditur. Et hîc Syrus habet ܢܦܫܗ [*animam ejus*].

26. ἐπαισχυνθῇ με, *erubuerit me*] Diximus ad Marcum aliud esse quam quod Latini dicunt *erubescere ora, preces, fidem.* nam ibi *erubescere* est *revereri.* Hîc contra significat *aversari ob fortem abjectam.* Quare circumlocutione opus est.

28. ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ, *ferè dies octo*] Explicavimus ad Matthæum.

31. ἐν δόξῃ, *in Majestate*] Ille ut Legislator, alter ut Legis Interpretum Princeps, uterque interim Christo ministerium exhibentes, cui serviunt Lex & Prophetæ. ¶ τὴν ἔξοδον, *excessum*] Usitatum fuisse genus hoc loquendi Hellenistis ab aliis abunde ostensum est. Sed & apud Latinos exitus & excessus pro morte passim occurrunt. Potest hæc locutio iis annumerari quæ vetustissimam de animorum immortalitate traditionem consignant, cujus generis aliquot observatæ sunt à Tertulliano. Neque tamen displicet eorum conjectura qui allusum putant ad Israelitarum ἔξοδον [*exitum*] ex Ægypto. Nam sicut illis exitus ex Ægypto initium fuit libertatis, unde Joseph dicitur μνημονεῦσαι τῆς ἐξόδου τῶν υἱῶν Ισραὴλ [*mentionem fecisse exitûs filiorum Israël*], ita & mors Christo via ad gloriam, & Christi exemplo nobis; unde Christiani veteres amarunt mortem ἔξοδον [*excessum*] dicere II Petri I, 15. quod videre est apud Irenæum, Clementem atque alios. ¶ ἤμελλεν, *completurus erat*] Sic Act. XIV, 26. ἔργου ὃ ἐπλήρωσαν [*opus quod compleverunt*].

32. βεβαρημένοι ὕπνῳ, *gravati somno*]. Sic & Homerus: βεβαρημότες ὕπνῳ. [*sopore gravati*].

33. καὶ ποιήσωμεν, *& faciamus*] Id est, ἵνα ποιήσωμεν, [*ut faciamus*]. ¶ μὴ εἰδὼς ὃ λέγει, *nescius quid diceret*] *Pro stupore*, ut Marcus notat.

38. ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν υἱόν μου, ὅτι μονογενής ἐστί μοι. *Respice in Filium meum, quia unigenitus est mihi*] Ita legisse Latinum apparet. At Syrus & Arabs hunc in modum ἐπίβλεψον ἐπί με. υἱὸς μονογενὴς ἐστί μοι. *respice in me, filius unigenitus est mihi*] ut initium hoc sit sequentis narrationis. Consulant vetustos codices Græcos si quibus copia est.

39. κράζει, *clamat*] Post hoc verbum Latinus legit καὶ βίαιον [*& elidit*], quod interpretamentum esse videtur ex Marco additum, aut ex eo quod infrà est commate 42. Syrus id ipsum habuisse videtur ante illud καὶ μόγις [*& vix*]. ¶ μετὰ ἀφροῦ, *cum spuma*] Ut ad Marcum dixi, videtur Syrus vocem ἀφρὸς [*spuma*] & verbum inde derivatum ἀφρίζειν [*spumare*] non intellexisse. Nam apud Marcum bis aliud verbum reddidit: nec minùs hoc loco, nisi valde discrepaverint codices. Spumare furentium est. Euripides de Agave,

> Ἣ δ' ἀφρὸν ἱξυῖσιν καὶ διαστρόφοις
> Κόραις ἰλίσσει, ——
> [*Spumante rictu ast afluans illa & agitans*
> *Oculos retrorsum.* ——]

Idem de Oreste in Iphigenia Taurica,

> σάλλων ἀφρῷ γένειον ——
> [*Spumosa ei barba fuit* ——]

Philostr. Icone Herculis Furentis, πολὺ μὲν τοῦ ἀφροῦ διαπλύνων [*multum spuma exspuens*], Lucan. de Phœbade,

> *Spumea tum primùm rabies vesana per ora*
> *Effluit* ——

¶ συντρίβον αὐτόν. *dilanians eum*] Non temerè rejicienda est lectio altera συντρίβοντος [*dilaniante*]. Subaudiendum enim τοῦ πνεύματος [*spiritu*]. Solet quippe interdum genitivus eo modo, id est, absolutè, ut loquuntur, usurpari, etiam ubi nominativo uti licebat.

42. ἀπέδωκεν αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ. *reddidit illum Patri ejus*] Vide suprà VII, 15.

44. εἰς τὰ ὦτα, *in aures*] Agnoscit hanc lectionem Syrus: sed & Arabs.

46. Διαλογισμὸς ἐν αὐτοῖς, *cogitatio in eos*] *Disceptatio*, ut hæc vox sumitur Philip. II, 14. I Timoth. II, 8. Ideo mox cogitationes indicaturus discriminis causâ dixit διαλογισμὸν τῆς καρδίας [*cogitationem cordis*]. ¶ τὸ τίς ἂν εἴη, *quis esset*] Τὸ hic valet *nimirum*, aut *videlicet*, ut infrà XXII, 2. Xenophon ἐρωτήσας δὲ τὸ πάθημα εἴη [*interrogatus autem nimirum cujus esset*]. Sic & τὸ πῶς [*quomodo*] posuit noster infrà XXII, 4. & Actor. IV, 21.

48. τοῦτο, *istum*] Id est, τοιοῦτο [*talem*] ut apud Matthæum, quomodo & hic Syrus interpretatur. Tale est,

—— *Amor omnibus idem.*

¶ μικρότερος, *minor*] Id est, ταπεινοφρονέστερος [*submissior*] ut ex Matthæo apparet. ¶ ἔστω, *erit*] Retinendam puto hanc lectionem, quam agnoscit & Syrus. Nam de futuro præmio Christus loquitur, & regnum intelligit gloriam regni post resurrectionem. Vide quæ ad Matthæum.

49. οὐκ ἀκολουθεῖ μεθ' ἡμῶν. *non sequitur nobiscum*] Supple εἰ [*te*] quod rectè expressit Syrus; *non una nobiscum te sectatur.* Marcus οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν, id est, *non est in nostro comitatu.*

50. καθ' ἡμῶν, *adversùm nos*] Quod ad Marcum monui repetendum hîc est, ὑμῶν [*vos*] legisse non Syrum tantùm ■ & Arabem quoque & Latinum. Vide quæ ibi diximus.

51. ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ, *dum compleremur dies assumtionis ejus*] De voce ἀνάληψις [*assumtionis*] diximus ad Marcum XVI, 19. haud dubiè ex usu Hellenistarum nihil aliud significat quàm *ad Deum recipi.* Itaque & de Mose & de Elia usurpatur, quanquam illi neutiquam eo modo sunt recepti quomodo Christus. πληροῦσθαι [*impleri*] & συμπληροῦσθαι [*compleri*] Hellenistis, ut מלא Hebræis, interdum *terminum*, interdum *tempus à termino non nimis remotum* significat, quomodo hîc sumi necesse est. Sic & Genes. XXV, 24. αἱ ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτὴν, καὶ τοῦδε δίδυμα ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς [*jam tempus pariendi advenerat, & ecce gemini in utero ejus reperti sunt*]. Neque tamen tam longè hæc profectio à morte Christi (quod initium ἀναλήψεως [*assumtionis*]) abesse potuit, ut post eam redierit in Galilæam, iterumque novum iter Hierosolyma susceperit, quod quidam existimant. Nam si non hoc tempore Christus ad mortem subeundam profectus est, quæ erit ἔμφασις [*significationis efficacia*] in eo quod sequitur τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε [*faciem suam firmavit*]; Movit multos quod Lucas in sequentibus non pauca narrat multo ante iter hoc ultimum gesta. Sed jam sæpe vidimus ex occasione multa ab eo narrari, posthabitâ temporis serie. Idem hîc contigit, nec causam conjectare difficile est. Nam cum duo insignia Christi monita Lucas narrâsset, quorum prius ad vitandam ambitionem, alterum ad vitandam invidiam Apostolos hortabatur, commodum esse locum credidit adjiciendæ monitionis tertiæ adversùs ultionem; quæ quò intelligeretur rectiùs, adjecit facti circumstantias, unde in eum sermonem deventum fuerat. Sic & quæ sequuntur historiæ de tribus hominibus à Christo vocatis, non putandæ sunt ad unum idemque tempus pertinere, sed in unum locum conjectæ sunt ob argumenti similitudinem, ut quæ intercedere soleant vocationi impedimenta compendio intelligeretur. Quibus pertractatis redit Lucas ad filum historiæ, & vocationi Apostolorum, unde hoc caput inchoaverat, subjicit vocationem aliorum LXX. ¶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε, *faciem suam firmavit*] Usurpant hanc locutionem LXX in Ezechiele & Jeremia, ut alii notarunt. Alibi dicunt ἐφιστάναι τὸ πρόσωπον [*obfirmare faciem*] ut Levit. XVII, 10. ὑφίστασθαι πρόσωπα [*obfirmare vultum*] Proverb. XXI, 29. ἑτοιμάζειν τὸ πρόσωπον [*obfirmare faciem*] Ezech. IV, 3. Symmachus ἐτόλμησε πρόσωπον [*audacem fecit vultum*] Prov. VII, 13. Sunt autem voces mediæ, quæ plerisque locis obstinatam inverecundiam, hîc verò, & apud Rabbinos non rarò, firmam animi constantiam denotant.

52. ἀγγέλους, *nuntios*] Fortè Johannem & Jacobum qui mox nominantur. ¶ κώμην, *civitatem*] Ita legit Theophylactus & Tertullianus qui *viculum* vertit adversùs Marcionem IV, Syrus quoque & Arabs. Nam ריר illis magis est κώμη [*vicus*] quàm πόλις [*civitas*]. Et infrà est ἑτέραν κώμην [*aliud castellum*]. Nec movere quenquam debet quod quidam interrogat quomodo ex vico potuerit Christus excludi. Neque enim vi hospitium occupare Christus volebat: & satis excludit qui hospitium negat. ¶ Σαμαρειτῶν, *Samaritanorum*] Vide infrà XVII, 11. ¶ ἑτοιμάσαι, *ut pararent*] Similis locutio apud Marcum XIV, 15.

53. ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς Ιερουσαλήμ. *quia facies ejus erat euntis in Jerusalem*] Id est, ἐτέθη τὸ πρόσωπον αὐτοῦ εἰς Ιερουσαλήμ [*posita erat facies ejus in Jerusalem*], ut hîc vertit Syrus, aut ἐδόθη [*data erat*] ut est in Græca versione Jeremiæ XLII, 15. ἐὰν ὑμεῖς δῶτε τὸ πρόσωπον ὑμῶν εἰς Αἴγυπτον [*si vos dederitis faciem vestram in Ægyptum*] ■ aut ἐτάχθη [*disposita erat*] ut est II Reg. XII, 17. Nam hæc

omnia

omnia itineris apparatum ſignificant. Senſus eſt manifeſtus: *erat vadens Hieroſolyma versùs.* Nam προσωπον [*facies*] omne id quod exteriùs ſpectatur aut indicium præbet Hebræi vocant. Sic II Chronicor. XXXII, 2. τὸ προσωπον αὐτῆ τῦ πολεμῆσαι ἐπὶ Ιερουσαλήμ [*totum impetum ejus verti contra Jeruſalem*]. Et ſimili ſenſu II Samuel. XVII, 11. τὸ προσωπόν σε πορεύομενον ἐν μέσῳ αὐτῶν [*tu eris in medio eorum*], nempe ad prælium. Videtur ex hoc loco poſſe colligi Samaritas humaniùs cum Judæis egiſſe quàm Judæos cum Samaritis. Nam de Judæis dicit Johannes ſimpliciter & indiſcriminatè, οὐ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις [*non conuntur Judæi Samaritanis*]. At Samaritæ hic hoſpitium negant Chriſto ejusque ſectatoribus, non quia Judæi erant, quod certè ex ſermone eorum qui miſſi erant aut etiam ex habitu poterant colligere, ut apparet Johann. IV, 9. ſed quia Hieroſolyma ibant religionis causâ, eo ipſo profitentes eum locum eſſe adorationi peculiariter dicatum: quod erat præcipuum controverſiæ caput inter Judæos & Samaritas. Quare non mirum eſt ſi in rebus ad eam controverſiam pertinentibus noluerunt Samaritæ Judæis quicquam commodare. Nam extra hanc controverſiam videntur, ut dixi, Samaritæ Judæis non negaſſe ea quæ humanitatis ratio poſtulabat. Ideo Samaritis mulier aquam Chriſto petenti non negat; magis eam à ſe poſci miratur. Et in fabula hominis vulnerati ponit Chriſtus Samaritam Judæo, non Judæum Samaritæ ſubvenientem. De ipſa Judæorum & Samaritarum controverſia oportunior erit dicendi ad Johannem locus.

54. πῦρ καταβῆναι ἀπὸ τῦ οὐρανῦ, *ut ignis deſcendat de cælo*] Ita LXX, II Regum I, 10. καταβήτω ἀπὸ τῦ οὐρανῦ πῦρ [*deſcendat ignis de cælo*], in Eliæ hiſtoria, & quidem in vicinis Samaritæ locis. ¶ ὡς καὶ Ηλίας ἐποίησε; *ſicut & Elias fecit*]? Præter Syrum Arabs agnoſcit. Et Tertullianum apparet ſuo tempore ita legiſſe. Urgebat enim Marcio hunc locum, cui argumento ille reſpondet. Quare credibile eſt in Latinis ab aliquo expunctum qui verebatur ne locus hic Marcioni faveret: quæ cauſa alios movit, ut & ſequentia delerent. Illud mirandum cur Tertullianus & poſt eum Ambroſius eveniſſe dicant Pſeudoprophetæ, quod Divina hiſtoria narrat eveniſſe duobus πεντηκοντάρχοις, [*quinquaginta militum Prafectis*]; niſi vetus traditio fuerit duos illos agminis duces fuiſſe Pſeudoprophetas: quod non eſt incredibile.

55. οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς, *neſcitis cujus ſpiritus eſtis*] Sunt qui interpretantur: *neſcitis quis vos ſpiritus decet.* Sed planius ſimpliciusque eſt ita interpretari: *neſcitis quis vos ſpiritus habeat atque agat.* Sciunt qui in Hebræis literis verſati ſunt quàm latè pateat *ſpiritus* nomen. Origine ſua *ventum* ſignificat; ob cujus ſubtilitatem quæ viſum fugit, ad alia transfertur: primùm ad ſubſtantias. Nam Deus, Angeli boni malique, deinde ipſe hominis animus eo vocabulo nuncupantur. Deinde ad accidentia. Nam fames & peſtis πνεύματα [*ſpiritus*] vocantur Eccleſ. XXXIX, 33, 34. Ita & Paulus Juriſconſultus dixit *ſtatua uno ſpiritu continetur.* L. in rem. Digeſtis de in rem vindicatione, quod Conon Mathematicus dixerat ὑπὸ μιᾶς ἕξεως [*ſub uno habitu*]. Sed maximè uſitatum eſt, ut pro affectibus animi ea vox ponatur, quomodo πνεῦμα κατανύξεως [*ſpiritum compunctionis*] dixit poſt Eſaiam Paulus Apoſtolus Rom. XI, 8. Ita uſurpatur רוח [*ſpiritus*] Proverb. XXIX, 11. Ezech. XLIII, 3. & alibi Scriptor libri Sapientiæ σοφίαν [*ſapientiam*] ait eſſe φιλάνθρωπον πνεῦμα [*ſpiritum hominis amantem*]. Sic Clemens libro de Prophetia πνεύματα [*ſpiritus*] vocat τὰς ποιότητας τῆς ψυχῆς [*qualitates animæ*]. Senſus ergo eſt: *Putatis vos agi ſpiritu tali quali olim Elias*, adde etiam Phinees, Samſon, Samuel, Eliæus qui forti animo Dei judicia exercuerunt. *Sed erratis. Habetis quidem ζῆλον* [*zelum*], *ſed οὐ κατ' ἐπίγνωσιν* [*non ſecundùm agnitionem*] *& qui proinde humani eſt affectus, non Divinæ motionis, quod probat ratio ſequens.* Hoc comma cum ſequenti deeſt in manuſcripto qui in Anglia eſt, fortè quod exſcriptori hæc aſperius dicta viderentur.

56. Ο γὰρ υἱὸς τῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε ψυχὰς ἀπολέσαι, ἀλλὰ σῶσαι. *Filius enim hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare*] Ita legit Syrus & Latinus, ut ab aliis eſt annotatum. Quare quod poſt ψυχὰς [*animas*] à nonnullis eſt poſitum ἀνθρώπων [*hominum*], interpretamentum videtur, antiquum tamen, quando & Arabs ita legit. Sed ut alii notarunt, & nos alibi diximus נפשות [*anima*] ſunt *ipſi homines*, non ſola pars potior. Atque id exigit hoc loco verborum connexus. Videtur autem hæc αἰτιολογία [*redditio cauſæ*] ita cohærere ſuperioribus: *ſpiritus qui verè eſt Divinus optimè diſcernit momenta temporum: veſter quo nunc agimini id non facit: non eſt igitur Divinus.* Probatur aſſumtio, quia ratio temporum exigat lenitatem multò majorem, quàm quæ communiter exhibita eſſet Prophetarum temporibus: quippe cùm ipſe Meſſias miſſus eſſet non ad exercenda ſevera judicia, ſed ad homines quamvis peccatores ſervandos, adeò nulli eam in rem parſurus operæ, ut ſemet ipſe ei negotio eſſet impenſurus. Spiritus Legis, *ſpiritus timoris* dicitur, accommodatus illorum temporum rationi: ſpiritus Chriſti, quem ſequi debebant Apoſtoli, *ſpiritum manſuetudinis & lenitatis.* Quanquam ſi quis res ipſas, etiam ſepoſitâ temporum ratione, examinet, multum intererat inter id quod fecit Elias & id quod faciendum cenſebant Apoſtoli. Illo tempore aulæ mancipia, quibus ſatis conſtabat Eliam eſſe Prophetam Dei, ut obſequium ſuum Regi ad profanos cultus delapſo probarent, Prophetam ad Regem vinctum pertrahere ſtudebant in veræ religionis ludibrium. Nunc illi qui per ſecula aliquot à Majoribus illud acceperant colendum eſſe Deum in Templo Garizitano, quotidianis inſuper Judæorum in ſe contumeliis irritati ea officia Chriſto incognito negabant, quæ pugnabant cum avita ipſorum ſuperſtitione. miſerandus magis erat hic error quàm acerbè ulciſcendus. Habet quidem & Euangelium ſua ultimæ neceſſitatis tela, quæ in Ananiam Petrus, in Elymam Paulus exercuit: ſed uſi iis ſunt Apoſtoli ubi nullo eſſe ſuſpicio poterat iracundiæ ſemet ſub Dei obtentu vindicantis: qui color nimium pleriſque imponit: uſi ſunt in præfractæ malitiæ homines, quibus nulla ſpecies ignorantiæ patrocinabatur.

57 πορευομένων αὐτῶν ἐν τῇ ὁδῷ, *ambulantibus illis in via*] Quodam tempore quod propiùs deſcribi nihil attinebat. Viſum enim Lucæ connectere τὰ ὁμογενῆ [*cognata.*]

61. ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου, *renuntiare iis qui domi ſunt*] Dubitant quidam de perſonis, an de rebus hic ſit intelligendum. Mihi manifeſtiſſimum videtur intelligi debere de perſonis. Nam ἀποτάξασθαι [*renuntiare*] de rebus uſurpatum, eſt pro *derelictis habere*: quod nullam temporis moram requirit cum ſolo animo poſſit expleri. At de perſonis, eſt *valedicere*, quomodo Lucas non uno loco uſurpat. Atque ita interpretati ſunt Syrus & Arabs. Nec aliter Latini veteres hunc locum intellexere. Tertullianus adversùs Marcionem IV, *Quum verò & tertium illum prius ſuis valedicere paramem prohibet retro ſpectare, ſectam Creatoris exſequitur.* Accedit quod omnino hæc hiſtoria ad veterem Eliſæi hiſtoriam videtur alludere. Nam is ad Propheticum munus ab Elia injectu togæ vocatus ſpatium ſalutandi Parentes oravit, in qua hiſtoria etiam Joſephus poſuit ἀποταξάμενον αὐτοῖς [*cum iis valedixiſſet*]. Voluit igitur Chriſtus oſtendere Euangelicum miniſterium, quantò majus Prophetico eſſet, tantò etiam avidiùs arripiendum nulla interpoſita cunctatione. Locutio εἰς τὸν οἶκον [*in domum*] pro ἐν οἴκῳ [*in domo*] tam ſæpe occurrit, ut monere ſupervacuum ſit. Non alienum ab hoc loco eſt quod de Indis narrat apud Porphyrium Bardeſanes, qui Samanæis (Sapientum id nomen) accenſeri volebant, ὅτι οὔτε γυναῖκα, ὅτε παῖδας τίκτοιεν, εἰ τύχοι κεκτημένῳ, ἐπιτροφὴν ἢ ἄλλον λόγον ἔτι πεποιημένοι [*neque ad uxorem, neque ad liberos, ſi forte haberet, converſum fuiſſe, aut ullam eorum amplius habuiſſe rationem*].

62. Οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα αὐτῦ ἐπ' ἄροτρον καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω εὔθετός ἐστιν εἰς τὴν βασιλείαν τῦ Θεῦ. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei*] *Manum aratro admovere* pro eo quod eſt *opus aliquod aggredi*, etiam Græci dicunt. Cæterùm hoc loco propria quædam hujus ſimilitudinis vis eſt. Nam *arantes* oculos proſſum intentos in ſulcum habere debent, ne, quæ vox eſt ei rei propria, *delirent. Liram* enim antiqui *ſulcum* vocabant. Quare hîc, ut alibi ſæpe, miſcetur ἀποδοσις [*reſponſio propoſitionis*] comparationi. Nam ſimplex proverbium fuerat: *eum qui in arando reſpiciat, non eſſe bonum aratorem.* Nunc cum proverbio ſignificatur cui rei aptetur proverbium. Quæritur *Regnum Dei* ἐν τῇ ἀποδόσει [*in reſponſione propoſitionis*] ſit miniſterium annuntiandi Euangelii, an latiùs pateat? Mihi videtur Chriſtus ex facto particulari occaſionem ſumſiſſe generalis ſententiæ. Nam ut illi ad miniſterium Euangelii vocato omnis mora erat rejicienda, ita & aliis vocatis ad veram virtutem, ut adipiſci poſſint *regnum cælorum*, id eſt, *pacem conſcientiæ & poſſeſſionem Sancti Spiritus.* Moveor illis verbis βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω [*reſpiciens retro*]. Sumta enim ſunt ex hiſtoria excidii Sodomorum ubi Angeli Lothum ita alloquuntur: אל תבט אחריך, μὴ βλέψῃ εἰς τὰ ὀπίσω [*ne reſpicias retro*], ad quæ verba & pœnam quæ nec obedientem Lothi uxorem ſecuta eſt Chriſtus infra quoque nos revocat XVII, 32. Nimirum ſicut Sodoma à Deo poſita eſt ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβῶν [*exemplum eorum qui impie acturi ſunt*], ut ait Petrus II Epiſt. II, 6. ita qui effugere volunt imminens

impiis ſupplicium, debent omnes, ut cum Paulo ad eandem hiſtoriam reſpiciente loquar, τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθάνεσθαι, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτείνεσθαι, καὶ σκοπὸν διώκοντες ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως [*quæ quidem retrò ſunt obliviſci, ad ea verò quæ ſunt priora ſe extendere, ad deſtinatum perſequentes ad bravium ſuperna vocationis*] Philipp. III, 14. Si enim, ut Seneca dicit, *ambitio non reſpicit*, majora ſemper conſequendi ſtudio flagrans, quanto id æquius eſt eos facere quibus immortalis gloria propoſita eſt? Hic ſane ſi uſquam alibi, locum habere debet illud Juris Romani, *nihil actum videre quamdiu ſupereſt quod agatur.* Neque verò Judæis ignotum erat quid illa hiſtoria ſignificaret. Erat enim antiquâ traditione ſatis celebrata ἡ ἀλληγορία [*figurata ſententia*] quam à Majoribus acceptam facunde nobis explicat Philo, Τῇ δὲ Λὼτ γυναῖκα μὴ ἐπιστρεφῆσαν εἰς τοπίου φασὶν οἱ χρησμοὶ γενέσθαι στήλην ἁλὸς αὐτὴν ἢ μὴ φερομένην· εἰ γάρ τις μὴ τὰ σφέτερα θέας καὶ ἀκοῆς ἄξια διορᾷ· τοῦτο δέ ἐστιν ἀρετὴν καὶ τὰ καθ' ταύτην λεγόμενα περιβλέπεται ἢ τὰ ὀπίσω καὶ τὰ παλαιὰ, πανοῦργον δόξαν, καὶ τυφλὸν πλοῦτον, καὶ ἀναίσθητον εὐπαρείαν, καὶ τὴν πανδὼ ἀμορφίαν, καὶ ὅσα συγγενῆ τούτοις μετεπιόντων, ἀψύχῳ καὶ ἀναισθήτῳ στήλῃ ἐφὲ ἑαυτοὺς καταπήξαντα· οἱ δὲ ἄλες ἐστὶ βέβαιον [*Uxorem enim Lot, quia ad id quod à tergo erat reſpexerit, in ſtatuam ſalis eſſe converſam Divina perhibent Oracula: quod quidem merito & convenienter factum eſt; etenim ſi quis quæ coram ſunt viſu & auditu digna non attendit, virtutes nimirum & opera ad virtutum normam conformata, ſed retro & ad ea quæ poſt tergum ſunt, reſpicit, ſurdam gloriam, cæcas opes, ſtupidam corpulentiam, inanemque mentis formoſitatem, & id genus alia conſectatur, ab inanima ſtatua non differet, diffluetque undiquaque, uti nec ſal ſolidum eſt*). Nec multò ſecus Græcorum quidam fabulam de Orpheo poſt tergum reſpiciente ἐπιμυθέονται [*affabulantur*]. Et in Pythagoricorum præceptis erat, εἰς τὸ ἱερὸν ἐπερχόμενος μὴ ἐπιστρέφου [*qui ad templum veneris ne greſſum converte*]; quod Simplicius ad Epictetum ſic interpretatur, ὅτι ὁ εἰς Θεὸν ἀφιερώσας ἑαυτὸν, καὶ χρὴ ἀγνωμόνα ἔχειν καὶ τῶν ἀνθρωπίνων αὐτὸν ἐπέχεσθαι, [*quia qui ſeſe ad Deum contulerit, eum in dubio hærere, aut humana curare non decet*]. Apud Malchum exſtat ſimile Pythagoræ dictum, ἀποδημοῦντα μὴ ἐπιστρέφεσθαι [*ne reſpiciat qui peregre proficiſcitur.*]. Quid autem duobus his factum ſit quorum excuſationem Chriſtus non admiſit quæri poteſt. Mihi probabile videtur non niſi certo conſilio à Chriſto vocatos εἰς τὸ ἐπαγγέλλειν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*ad annuntiandum regnum Dei*]· ac proinde cum excuſatio rejiceretur, paritum vocanti; Atque adeò & hos impleſſe numerum illum τῶν ἑβδομήκοντα [*Septuaginta*] de quibus conſequentur agit Lucas. Illud ἐνδοτός ἐστι [*aptus eſt*] reſpondet נתר quod χρήσιμον ἔσται [*utile erit*] vertunt Lxx Ezech. xv, 4.

P R I C Æ U S.

Com. 1. Ἐπὶ πάντα τὰ δαιμόνια] Super omnis generis dæmonia.

Com. 3. μήτε πήραν, μηδὲ ἄρτον] Id eſt, μήτε ἐν πήρᾳ ἄρτον. Vide ad Matth. 10. 10.

Ibid. μηδὲ ἀνὰ δύο χιτῶνας] Vide ad dictum Matthæi locum. Ἀνὰ, *perunc*, ut loquuntur Itali.

Com. 5. ὅσοι ἂν μὴ δέξωνται ὑμᾶς] Δίκτυον hic eſt quod 2 Joh. epiſt. com. 10. εἰς οἰκίαν λαμβάνειν. Hoc ſenſu εἰς οἶκον δίκτυον infra 16. 4. habemus.

Ibid. ἐξερχόμενοι ἀπὸ τῆς πόλεως ἐκείνης, &c.] Apud Terentium, Adelph. 5. 3. ille, *Ibo hinc:* ubi Donatus, *Tanquam de malo loco.* Ibidem 3. 3. *Tu tu hinc abis? Recte. Nam quid tu hæc agas, ubi ſi quid bene præcipis, nemo obtemperat?* Adde ad Matthæum dicta.

Ibid. τὸν κονιορτὸν ἀπὸ τῶν ποδῶν ὑμῶν ἀποτινάξατε] Id eſt, fortaſſe, non ampliùs terite limina eorum: quo enim commeari ſolet, ibi pulveris copia. Plutarchus lib. Quomodo adulator, &c. de Dionyſio Siculo, Ζήλῳ (αὐτὸν) ἔχει σεμνῆς φιλοσοφίας, τὰ βασίλεια κονιορτῷ γέμειν ὑπὸ πλήθους τῶν γνωμετρούντων.

Com. 8. ὅτι προφήτης εἷς τῶν ἀρχαίων ἠγήγερται, &c.] Pro, ὅτι εἷς τῶν ἀρχαίων προφητῶν ἠγήγερται.

Com. 11. γνόντες] Præcisè, & καθ' ἑαυτὸν dictum: ut Matth. 24. 29. Marc. 6. 38. 7. 24. 8. 17. 15. 45. & apud Lucam noſtrum Act. 21. 34. & 22. 30.

Ibid. ἐλάλει αὐτοῖς περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ] Ita & Vulgatus, *loquebatur illis de regno Dei:* alioqui rectius putarem, ἐλάλει αὐτοῖς τὰ περὶ τῆς β. τ. Θ. ſic enim ſæpe Lucas. Vide Act. 1. 3. 8. 12. & 19. 8.

Ibid. καὶ τοὺς χρείαν ἔχοντας θεραπείας] Id eſt, τοὺς ἀσθενοῦντας, ὃ δὴ χρείαν ἔχειν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ſupra 5. 31. ubi dicta vide. Vulgatus (male ab Eraſmo notatus,) *qui curâ indigebant.* In Gloſſis, Θεραπεία, *cura, medela, medicina.*

Com. 12. Ἡ δὲ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν] Vide infrà ad 24. 29. dicenda.

Ibid. ἀπόλυσον τὸν ὄχλον, ἵνα, &c. ἔνρωμεν ἐπισιτισμόν] Ita in veteribus Colloquiis Græcis, col. 283. edit. Vulcan. εἰς ἀγρὸν ἀπελθόντες. Heſychius (reſpiciens, ut videtur, iſtum Lucæ locum,) Ἐπισιτισμόν, ἐφοδιασμόν· id eſt, cibaria quæ ad viam in locis aviis conficiendam ſufficerent.

Com. 13. εἰς πάντα τὸν λαὸν τοῦτον] Paſcendum nempe. Vide quæ de particula εἰς hoc modo poſita ſuprà ad 7. 44. dixi. Πάντα τ. λ. τ. iſti tantæ multitudini. Æneid. 11. *Femina*, &c. *hæc agmina vertit?* ubi Servius, *Hæc agmina ἀριθμῶς, id eſt, tantam multitudinem.*

Com. 14. Κατακλίνατε αὐτοὺς] Μεταβατικῶς, & bene Græcè: nam & κατακλίνειν τινὰ (atque ut hoc, comedendi causâ) dixit Nicolaus Damaſcenus, (Fragment.) & Plutarchus in Conjugal. præceptis.

Com. 15. ἀνέκλιναν ἅπαντας] Ità: non, ut in quibuſdam codicibus, ἅπαντες· nam & ἀνακλίνειν hoc & infra 12. 37. μεταβατικῶς dictum. Ad menſam ἀνακλίνειν τινὰ, dixit & Diodorus Siculus. Hàc formâ Sirachid. 10. 16. habemus καθίζειν· & Epheſ. 2. 6. συνκαθίζειν.

Com. 16. ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν] Julius Pollux 2. 4. §7. Καὶ ἀναβλέπειν μὲν εἰς τὸν οὐρανὸν, καταβλέπειν δὲ εἰς τὴν γῆν. Ἀναβλέψας εἰς τὸν ἀέρα, dixit & Antonius Liberalis in Metamorphoſi: & εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβλέπειν, Arrianus 2. 17. in Epictetum.

Com. 17. ἐχορτάσθησαν] In vetere Onomaſtico, *Saturo*, χορτάζω· & in Gloſſis, *Saturitas*, χορτασία.

Ibid. τὸ περισσεῦον αὐτοῖς] Commodius hæc, ut puto, per parentheſim legas.

Ibid. κοφίνους κλασμάτων] Suidas, Κόφινος, ἀγγεῖόν πλεκτόν. Sic Orig. 20. 9. Iſidorus, *Cophinus, vas ex virgultis.* Et (quod propiùs rem hanc factam accedit,) *vas pulmentariis ſervandis* vocat Juvenalis Scholiaſtes. Vide ad Matth. 14. 20. annotata.

Com. 18. Τίνα με λέγουσιν οἱ ὄχλοι εἶναι;] Matthæi Interpres 16. 13. Τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι; ſatis Græcè, modo pronomen οἱ ejecerimus. Lucianus in Aſino, Δόξον αὐτὴν καλὸν ἄνθρωπον.

Com. 21. ἐπιτιμήσας αὐτοῖς] Veras, *interminans illis.* In Gloſſario, Ἐπιτιμῶ, *interminor*, &c.

Com. 23. ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν] Ἑαυτὸν ἀπαρνεῖσθαι, eſt quod Tit. 2. 12. τὰς ἀσεβείας, καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας ἀρνεῖσθαι. Vide quæ ad Matth. 16. 24. annotavimus.

Ibid. καὶ ἀκολουθείτω μοι] Id eſt, ἀκολουθείτω τοῖς ἴχνεσί μου. Vide 1 Pet. 2. 21.

Ibid. ἀεφέτω τὸ καθ' ἡμέραν αὐτῷ καθ' ἡμέραν] Emergentia quotidie mala, ſi non lætus, ſaltem libens; ſi non libens, ſaltem fortis excipiat. Ad hunc ſenſum referre poſſumus Apoſtoli illam 2 Cor. 11. 28. καθ' ἡμέραν ἐπισύστασιν· & ejuſdem 1 Cor. 15. 31. illud, καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω.

Com. 24. Ὃς γὰρ ἂν θέλῃ, &c.] Vide infrà ad cap. 17. 33. annotanda.

Com. 25. Τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος κερδήσας τὸν κόσμον ὅλον, ἑαυτὸν δὲ ἀπολέσας;] Dixit Cicero Offic. 3. nullam rem tanti eſſe, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni ſplendorem & nomen amittamus: quanto minoris ergo omnia æſtimanda ſunt, cùm de animæ perditione periclitamur! Ἑαυτὸν enim eſt, (ut com. 24.) τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ. Ad Alcibiadem Socrates apud Platonem, Ἀλλὰ μὴν τοι ἀλλή γε τῆς ψυχῆς ἂν τὴν πάντων Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων κύριον καὶ τυραννίδα βουληθείης ἄν σοι γενέσθαι. Vide Job. 17. 8. & quæ ad Matth. 16. 26. attulimus. Τί heic majorem habet emphaſin quàm ſi ἄλλο dixiſſet. Sic in Comici Phormione,

—— *Quid mihi luctî eſt te fallere?*

Ubi Donatus, *Significantius dixit* quid, *quam ſi* nihil *dixiſſet.*

Com. 26. ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, καὶ τοῦ πατρὸς] In gloria Patris, quæ & filii eſt, juxta Joh. 16. 15. illud, πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐστι. Vide & Joh. 3. 35. Δόξαν hic interpretare ex 3 Reg. 22. 29. πᾶσαν τὴν τροφὴν τοῦ ἵππου καὶ αὐτὸν αἰσχύνην, ἐν δεξιῶν αὐτοῦ, καὶ ἐξ ἐναντίου.

Com. 27. τῶν ὧδε ἑστηκότων] *Præſentium*, vel *exiſtentium*, potiùs quam *ſtantium* verterim. Vide ad Matth. 6. 5. annotata.

Ibid. γεύσονται θανάτου] Non hæc locutio Hebræorum tantùm, ſed & Græciæ vetuſtiſſimæ.

—— Δικὴν

—— Δεχὸς ἀκοντὴς ἡμιτόμοιο
Ἐκέστην ——

ipsius Homeri est, Iliad. φ'.

Com. 29. ἐχθέτο, &c. τὸ εἶδ@ ἢ σχῆμα αὐτῷ ἕτερον] Glossarium, Εἶδ@, *species*, *vultus*. Homer. Iliad. ε'.

—— ἐτεθήπετο χρώς.

Scholiastes, Ἠλλάττετο ἡ ἰδία ἢ σχῆμα.

Ibid. καὶ ὁ ἰμαλισμὸς αὐτῷ λεπτὸς ἐξαστράπτων] Suidas, Ἰμαλισμὸς, ὁ ἱδρώς. Λεπτὸς ἐξαστράπτων, pro Λευκότητι ἐξαστράπτων. Vide Matth. 28. 3. & infra ad 24. 4. dicta. Τὸ in ἐξαστράπτων intensivum est: ut Marc. 14. 33. in ἐκθαμβεῖσθαι, & Judæ com. 7. in ἐκπορνεύσαν.

Com. 32. Πέτρ@, καὶ οἱ (σὺν αὐτῷ] Sic & supra 5. 9. & 8. 45. Virgil. 11.

Tecum acer Messapus erit.

Ubi Servius, *Ingenti honore Erit tecum dixit, hoc est, non tu illi adjunctus eris, sed ille tibi.* Vide ad Act. 2. 14. annotata.

Ibid. ἦσαν βεβαρημένοι ὕπνῳ] Ità βεβαρημέν@ εὕδειν, dixit Plato in Sympos. Hesychius, Ἐβαρυώθησαν, ἐβαρύνθησαν, καθάπερ ἐχέοντο οἱ ὀφθαλμοί.

Ibid. οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἦσαν βεβαρημένοι ὕπνῳ] Odyss. β'.

—— Σφοὶν ὕπν@ ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτεν.

Scholiastes, Τοῦτο δηλοῖ τυχὸν τὸ βαρέως κλείοντ@. Hujus loci sunt & Hesychii ista, Ἐβαρυώθησαν, καθάπερ ἐχέοντο οἱ ὀφθαλμοί.

Com. 33. καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι] Vide quæ ad Matth. 17. 4.

Ibid. σκηνὰς τρεῖς] Hesychius, Σκηνὰς, καταγωγὰς, οἰκήματα. Glossæ, Σκηνὴ, *tentorium*, *tabernaculum*.

Ibid. μὴ εἰδὼς ὃ λέγει] Non multùm istis dissimilia Marc. 14. 40. ea, οὐκ ἤδεισαν τί αὐτῷ ἀποκριθῶσι· illa autem de somno gravatis intelligenda, hæc de homine visi claritate & excellentiâ stupefacto, & ideo mimus mentis compote. Virgilius,

Cui, vix attollens Palinurus lumina, fatur.

Ad quæ Servius, *Aut à sideribus removens, aut certe Numinis præsentiâ pragravatus: quod est melius, nam & sequens ejus oratio turbata est.* Quintilianus 8. 3. *Ego illos credo qui* (Ciceronе causam Cornelii orante) *aderant, nec sensisse quid facerent, nec sponte judicióque plausisse: sed velut mente captos & quo essent in loco ignaros, erupisse in hunc voluptatis affectum.* Quæ facile quis videat quantum concinnant iis quæ hic de Petro dicuntur. Marcus in hac historia, ἦσαν γὰρ ἐκφοβοί· quo ex loco quidam & hunc Lucæ interpretantur; ut nempe ex stupore Petro neque mens nec lingua consisteret: quod idem fere vult quod expositio nostra. Theophylactus ad Marc. 15. ea, ὑδενὶ εἶχον, ἐφοβοῦντο γάρ. Τῷ φόβῳ (συνεχόμενοι τῷ ἀπὸ τῆς ὀπτασίας καὶ τὸν τῶν ἀγγέλων, καὶ ὅλῳ τούτῳ ὑδενὶ λόγῳ εἶχον, ἐπιλαθόμενοι καὶ ὧν ἤκουσαν.

Com. 35. Φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῆς νεφέλης, λέγουσα, &c.] Apud Plutarchum fine libri De his qui sero à Numine puniuntur, Φῶς, ἔφασαν, ἐξαίφνης διαλάμψαι μέγα, καὶ φωνὴν ἐκ τοῦ φωτὸς γενέσθαι, προστάττουσαν, &c.

Ibid. Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, αὐτοῦ ἀκούετε] Sic 1 Maccab. 2. 65. ὅτ@ αὐτὸς βουλῆς ἐστι, αὐτῷ ἀκούσατε.

Com. 36. ἐσίγησαν, καὶ ὑδενὶ ἀπήγγειλαν] Simillimè apud Gellium, 1. 23. *Respondit, tacendum esse, neque id dici licere.* Vide quæ plura id genus ad Act. 13. 11. allata.

Com. 37. ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ] Glossarium, *Postero die*, τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ.

Com. 38. ἀπὸ τοῦ ὄχλου ἀνεβόησεν] Ambiguus loquendi modus, & ab aliis præteritus. Si unâ serie vocéque minimè suspensâ hæc verba legerimus, sensus erit, ἀπὸ μέσου τοῦ ὄχλου ἀνεβόησεν· id est, ἐκ μέσου τοῦ ὄχλου. Tale infra 11. 27. Ἐπερωτῶσί τις γυνὴ φωνὴν ἐκ τοῦ ὄχλου. Marc. 9. 27. ἀντιλαβόμενος αὐτοῦ ἐκ τοῦ ὄχλου, εἶπεν, &c. & 11. 9. A. Gellii. *Tunc unum è populo exclamasse*, &c. & 2 Paralip. 18. 33. *Accidit ut unus è populo sagittam in incertum jaceret*: id est, unus ex media turba vel acie sagittam, &c. jaceret. Si verò post ὄχλου subdistinxerimus, appositâ ὑποστιγμῆς notâ, ἀπὸ τοῦ ὄχλου sonabit, ἀπὸ ἰχλώδης, *plebeius*, *vilis*, *humo dependens*. Talis & Hesychio, Ἀγελαῖ@, ὀχλώδης, ἰδιώτης. Statio (Procem. Sylv. 5.) *unus è turba*. Seneca de Clement. 1. 8. *Conditio eorum qui in turba quam non excedunt, latent*: & Epist. 8. *Imprudens, rudis, & unus è turba*. Phædrus lib. 3.

—— *quidam è turbâ.*

Idem alibi,

E populo nescio quis. ——

Suetonius, (Claud. cap. 13. & August. cap. 51.) *è plebe homo*. Solinus cap. 3. *Fausta quædam ex plebe*. In Glossario, Χυδαῖ@ ἀνθρωπ@, *gregarius*: & in Glossis Isidori dictis, *Cæterarius, qui in populi caterva est*. Donat. ad 1. 1. Phorm. *Et popularis, vilis* (est) &c. *ut si quis dicat, sordidum; popularem civem*. Et nè illud ἀπὸ τοῦ ὄχλου notione istâ insolentiùs dictum videatur, sciat Eusebium de Quirinio loquentem, ἀπὸ συγκλήτου βουλῆς vocâsse eum, id est, unum Senatorum. Cùm duos jam modos protulerim ista Lucæ intelligendi, videtur mihi prior ille præ altero amplectendus.

Ibid. ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν υἱόν μου] Legerunt Syrus & Arabs; ἐπίβλεψον ἐπί μοι, ὡς μονογενής ἐσί μοι. Ἐπίβλεψον ἐπ' ἐμὲ esto mihi benèficus: ab eo quod præcedit, id quod sequitur: ità ad Jovem Æneas,

Aspice nos. ——

Ubi Servius, *Quia inuentes dii juvant*. Sic ἐπιβλέπειν, non simpliciter *aspicere*, sed cum peculiari quadam reverentiâ. Jacob. 2. 3. Legit Vulgatus autem, ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν υἱόν μου. quasi diceret,

Natum potes servare tu solus mihi.

Quin & isti Lectioni τὸ ἐπιβλέπειν sensu illo priore competit: nisi maluerit quis dictum esse ex consuetudine Latinè loquentium, quibus *inspicere*, ubi de medicis res, occurrit frequentissimè.

Ibid. ὅτι μονογενής ἐσί μοι] Vide suprà ad 7. 12. dicta. Quintilianus declam. 13. *Necessariò nobis pretiosa quæ sola sunt.* Idem, vel alius quis, cujus nomen excidit, *Impensè amantur unigeniti, in plures amor necessariò dispertitur*: quæ eadem habet & Scholiastes vetus ad Iliad. 9. Helmstadii 1620. excusus, Οἱ μονογενεῖς μᾶλλον φιλοῦνται, μὴ μεριζομένης εἰς πολλοὺς τῆς φιλοστοργίας.

—— *Numero languet pietas* ——

est & apud Claudianum. Vide ad Apuleji lib. 8. pag. 449. notata. In Glossario, Μονογενὴς, *unicus*, &c. *ut Cicero*. Ciceronis quem innuit locum, puto istum esse 9. 20. famil. Epistol. *Patriam eluxi jam & gravius, & diutius, quàm ulla mater unicum filium.*

Com. 39. πνεῦμα λαμβάνει αὐτὸν] Λαμβάνειν est quod suprà 8. 29 in re simili συναρπάζειν. Λαμβάνεσθαι pro, *numine agi, rapi* vel *corripi*, itidem Lucianus in Nigrino dixit.

Ibid. καὶ σπαράσσει αὐτὸν μετ' ἀφροῦ]

—— *Spumas agit, ingemit, & iremit artus;*
Desipit, extentas nervos, torquetur, anhelat,
Inconstanter & in jactando membra fatigat.

Sunt verba disertissimi Lucretii, quæ quamvis de Epileptico prolata, bene isti δαιμονιζομένῳ congruunt: imò hunc nostrum Matthæi interpres σεληνιαζόμενον vocat, quâ voce epilepticos Græci sæpe denotant. Pro *desipit* autem (quod de epileptico dicere foret planè *desipere*, & tamen in editione Gifanii, cæteris accuratiore, legitur,) videtur *despuit* substituendum. Apulejus Apolog. & de puero loquens ipsâ illâ labe contacto, *Truces oculos in te inverterisset, faciem tuam spumabundam conspuisset.* At hæc obiter. Σπαράσσει αὐτὸν μετ' ἀφροῦ, est, σπαράσσει αὐτὸν, καὶ ἀφρίζει· ità apud Marcum hèic, ῥήσσει αὐτὸν, καὶ ἀφρίζει· quâ & formâ eodem cap. 9. 24. habemus, κράξας μετὰ δακρύων, pro κράξας καὶ δακρύσας.

Ibid. συντρίβον αὐτὸν] Συντρίβον hìc videtur mihi participium præsentis temporis esse, pro participio aoristi: ut 1 Tim. 1. 12. θέμεν@, ubi dicta vide. Valeat ergò illa altera lectio συντρίβοντ@, nempe πνεύματ@. Vulgat. *dilanians eum*: bene & *fatigat* vertas: repete Lucretii verba superiùs adducta: adde & Glossarii ista, *Fatigantur*, συντρίβονται.

Com. 41. ῥῆγμα ἄγρι@ καὶ διεσταλμένη] Ex Deuteron. 32. 5. ubi Græco, ῥῆγμα σκολιὸν καὶ διεστραμμένη.

Ibid.

Ibid. ἕως πότε, &c. *ἀνέξομαι ὑμῶν;*] Indignantis ſermo: ſic Cicero in Catilinam, *Quamdiu nos furor iſte tuus eludet?* Heſychius, ex hoc Lucæ loco, Ἀνέξομαι, ὑπομενῶ. Ὑμῶν, eſt, τῶν ὑμῶν ὀλιγοπιστίας.

Com. 42. ἔῤῥηξεν αὐτὸν τὸ δαιμόνιον] Ἔῤῥηξεν eſt, *ſolo affligit*, vel, ut heic Vulgatus, *alliſit*: ſic enim ſcribendum videtur, non, ut editur, *eliſit*: ita enim Marc. 9. 18. in hac narratione diſerte apud eundem legitur, & in Gloſſis, (forte itidem ex hoc Lucæ loco) *Alliſit*, ἔῤῥηξεν. Heſychius, Προσεπαφατόμενον, προσρηγνύμενον. Apuleius, ubi ſuprà, de epileptico, *Pavimento illiditur*: i. e. προσρήγνυται.

Ibid. καὶ (συνεπάραξεν] Συνεπαράττεσθαι hic optime ex jam citatis Lucretii verbis intelligi datur, extentare nervos nempe, torqueri, anhelare, membráque inconſtanti jactatione fatigare.

Ibid. ἐπετίμησεν ὁ Ἰησοῦς τῷ πνεύματι] Vide ſuprà 4. 35. & ad Matth. 17. 18. notata.

Ibid. ἀπέδωκεν αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ] Ἀπέδωκεν apte dictum. Donatus ad 1. 2. Eunuch. *Reſtituimur in quibus* (malim *quos*) *nos volumus*, *reddimur in qui nos volunt*. Vide ſupra ad 7. 15. & ad Apuleium pag. 448. dicta.

Com. 43. Ἐξεπλήσσοντο δὲ ἐπὶ τῇ μεγαλειότητι τοῦ Θεοῦ] Ἡ μεγαλειότης hic eſt quæ Act. 8. 10. Θεοῦ δύναμις μεγάλη, & Rom. 1. 20. αὐτοῦ δύναμις θειότης. Confer & Act. 2. 11. ubi μεγαλεῖα, & ἐξίστασο· quod hic ἐξεπλήσσοντο. Apuleius non inappoſite, *Populi mirantur*, &c. *tum evidentem maximi Numinis potentiam*: id eſt, μεγαλειότητα. Beza hic, *ſuper magnifica Dei virtute*: at ſatis bene Vulgatus, *in magnitudine Dei*. Sic *magnitudinem Carthaginis* Apuleius dixit, non pro ambitu murorum, ſed pro auguſta ejus majeſtate. Vide & Act. 19. 27. Vulgatus idem μεγαλειότητα *majeſtatem* vertit.

Com. 44. Θέσθε ὑμεῖς εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν τοὺς λόγους τούτους] Ita Petrus Act. 2. 14. ἐνωτίσασθε τὰ ῥήματά μου· ad quem locum annotata vide. Communem lectionem iſtius Lucæ loci ſecutus eſt Arabs, eóque antiquior Syrus: Vulgatus autem legit, *eis tàs καρδίας ὑμῶν*· cui lectioni favet non ſolùm quod infra 21. 14. occurrit, Θέσθε εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν, & Lxx Deuteron. 32. 46. illud, στηρίχετε τῇ καρδίᾳ ὑμῶν ἐπὶ πάντας τοὺς λόγους τούτους· ſed & vox θέσθε· q. d. in corda veſtra recondite quaſi in promptuaria. Heſychius, Θέσθαι, ἐνοῦσθαι, θησαυρίζεσθαι. Hinc & ſupra 2. 19. illa, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς· ubi dicta vide.

Ibid. εἰς χεῖρας ἀνθρώπων] Ἁμαρτωλῶν, Matth. 26. 45. & Marc. 14. 41. in argumento iſto.

Com. 45. παρεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν] Sic Matth. 11. 25. ἀπὸ σοφῶν ἀποκαλύπτειν.

Com. 46. διαλογισμὸς] Beza (neſcio quid agens) *diſceptatio* vertit: cùm tamen ſtatim vocetur διαλογισμὸς τῆς καρδίας· quod non prætervidens Vulgatus, hoc loco bene *cogitatio* vertebat. Vide Luc. 20. 14.

Ibid. τὸ, τίς ἂν εἴη μείζων αὐτῶν] Vide infra ad 22. 24. dicta. Μείζων hic eſt μέγιστος, ut infrà com. 48. μικρότερος eſt μικρότατος. Vide Matth. 13. 32. 18. 1. 23. 11. Marc. 4. 32. Joh. 10. 29. quin & apud Latinos. Q. Curtius, *Duo omnium majora navigia*, &c.

Com. 47. ἰδὼν ὁ διαλογισμὸν τῆς καρδίας αὐτῶν] Vide ad Matth. 9. 4. & ſupra ad 5. 22. notata.

Ibid. ἐπιλαβόμενος παιδίου] Vide & quam hic ſiniſtre ille alter *acceptum puerulum* vertit: & quanto aptius Vulgatus *apprehenſum puerulum*.

Com. 49. ἐκ ἀκολουθεῖ μεθ' ἡμῶν] Id eſt, ut Joh. 6. 66. μεθ' ἡμῶν οὐ περιπατεῖ. Μεθ' ἡμῶν hic, pro ἡμῖν· & ita heic Marcus: ſic Apocal. 14. 13. τὰ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν. Eſt autem & hæc locutio bene Græca. Plato in Menexeno, Εἰ μὴ πιστεύῃς, ἀκολούθει μεθ' ἡμοῦ, & in Tabula Cebetis dicta, Αἱ γυναῖκες αἱ μετ' αὐτῶν ἀκολουθοῦσαι. Quibus omnibus locis commodiùs me judice *comitari* quam *ſequi* vertas.

Com. 51. ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ] *Cum inſtaret* (vel *immineret*) *tempus*, &c. ita enim hic τὸ συμπληροῦσθαι, ut & Act. 2. 1. & alibi, intelligendum. Suprà hic 1. 57. hoc ſenſu, ἐπλήσθη ὁ χρόνος dixit: nec aliter infra 22. 37. ea, τὰ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει, ſumenda: *ad finem vergunt*, nempe. Vide ibi annotata.

Ibid. τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξεν, &c.] De hac locutione jam alii dixerunt: adde Geneſ. 18. 16.

Com. 52. πρὸ προσώπου αὐτοῦ] Id eſt, πρὸ αὐτοῦ· ſic infra 21. 35. ἐπὶ πρόσωπον τῆς γῆς, pro ἐπὶ τὴν γῆν· & ſtatim heic com. 53. ὅτι, &c. pro, ὅτι παραδόμενος ἦν, vel ἐπορεύετο.

Ibid. ἑτοιμάσατε αὐτῷ] Subaudi, Ξένιον. Vide Philemonem, com. 22.

Com. 53. ἐκ ἐδέξαντο αὐτὸν, ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς Ἰερουσαλήμ] Hæc verba ab eruditis trahi video ad notiſſimas ſimultates illas quas inter ſe Judæi & Samaritæ exercebant. At illa οὐκ ἐδέξαντο αὐτὸν forte aliud volunt, nimirum, οὐκ ἐδύναντο αὐτὸν δέχεσθαι· occulto ſcilicet Dei conſilio impediti, ingens redemptionis opus quod paulò pòſt (vide ſupra com. 51.) conſummari voluit, nolentis moramento aliquo ulteriùs protrahi. Conferantur ſimiles loci Joh. 7. 8, & 30. item 12. 37, 38, 39. vide & 1 Sam. 2. 25.

Com. 54. εἶπον, Κύριε, θέλεις εἴπωμεν πῦρ καταβῆναι ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ] Simillima infra 22. 49. εἶπον αὐτῷ, Κύριε, εἰ παταίξομεν ἐν μαχαίρᾳ; Utraque eodem ſummo (at inconſulto) affectu, quin & à diſcipulis prolata: vide Epiſt. Jerem. com. 63. Ignem de cœlo, at per vim magicam, vocare, habemus Apocal. 13. 13. In Vulgato *vis dicimus*, &c. fortaſſe *vis dicamus* legendum.

Ibid. ὡς καὶ ἐποίησαν αὐτοὺς] Juvenalis 13.

Non, quaſi fortuitus, & ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras ac vindicet ignis.

Heſychius, Ἀναλῶσαι, ἀφανίσαι· ποιμένιον· ni fallor, locus is eſt mutilus, legendúmque Σοφοκλῆς Ποιμέσι· quæ fabula ejus citatur ab eodem Heſychio in verbis βεβίκυτα. ἴασνα, & φουνικίσις.

Ibid. ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησε] Julius Capitolinus de Imper. M. Antonio, *Fulmen de cœlo precibus ſuis contra hoſtium machinamenta exterſit*.

Com. 55. Οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε] Ità Apoſtolus Rom. 8. 26. Τί προσεύξασθε καθὸ δεῖ οὐκ οἴδατε. Οὐκ οἴδατε, eſt formula aliorum inconſulta deſideria graviter comitérque reprehendens, vel etiam ignorantiam eorum miſerans. Vide Matth. 20. 22. & infra heic 23. 34. Οἵου πνεύματος, eſt, οἵῳ πνεύματι φρονήματος, ut Rom. 7. 27. Ipſe qui heic, Chriſtus ad Petrum Matth. 16. 23. Ὕπαγε ὀπίσω μου, &c. τὰ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, &. Tertullianus, *Spiritus, qui accedit animo Dei, vel demonis*. Neſcitis (inquit Chriſtus) quali ſpiritu (i. e. zeli affectu) ducamini. In Carmine aureo.

Ζεῦ πάτερ, ἢ πάντων γε κακῶν λύσεαι ἅπαντας,
Ἢ πάντ' ἀνθρώπους ὅσα τῷ δαίμονι χρῶνται.

Ad quæ Hierocles, Ἀντὶ δὲ, εἴη ψυχῇ χρῶνται. Evangeliſtæ verbis dicas, ὅσα ἐπὶ πνεύματι. Formâ ſimili interpolator Epiſtolæ Ignatii ad Antiochenos, Οἱ διάκονοι γνωσθήτωσαν οἵου ἐστὶν αἱρέσεως. Scriptor 2 Maccabaici 11. 37. Ὅσους ἐπιγνώμῃ οἵους ἐστὶ γνώμης· & Plutarchus in Lacænarum apophthegmatis, Ἔδειξεν οἵου αἵματος ἦν, cujus ſanguinis (i. e. ſtirpis) eſſet. Ità video & Latinos locutos. *Cujus fortunæ ſit*, Horatius dixit. Lex 225. ff. de V. S. *Si modo ejus mentis ſit, ut occaſione data*, &c. l. 46. ff. de negot. geſt. *Et te ejus voluntatis eſſe, ut emptum habere velles*, &c. Seneca cap. 17. Conſolat. ad Marciam, *Ut nunquam ſcires cujus ſtatus eſſes*.

Com. 56. οὐκ ἦλθε ψυχὰς ἀνθρώπων ἀπολέσαι, ἀλλὰ σῶσαι] Εἰ οἰκοδομὴν ἦλθεν, οὐκ εἰς καθαίρεσιν. Idem Joh. 12. 47. Οὐκ ἦλθον ἵνα κρίνω, ἀλλ' ἵνα σώσω τὸν κόσμον. Homerus,

Βάλλ' ἐγὼ οὐδὲ σῶν λαὸν ἰμείρων, ἠδὲ σόεσθαι.

Vide ad 1 Tim. 2. 4. annotata. Apud Apuleium lib. 10. ille, *Nec medicinam exitio hominum, ſed ſaluti quæſitam eſſe*.

Com. 57. Εἶπέ τις] Γραμματεύς Matthæo.

Ibid. Ἀκολουθήσω σοι ὅπου ἂν ἀπέρχῃ] Senec. Theb.

——— *Nemo me comitem tui*
Eripiet unquam. ———

Plaut. Caſ.

——— *Certum eſt mihi*
Quaſi umbra, quoque ibis tu, te perſequi.

Adde heic ad Matthæum notata.

Com. 58. Αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι] Heſychius, Ἀλωπεκίαι, αἱ τῶν ἀλωπέκων καταδύσεις. Idem, Ἴλιος, θηρὸς φωλεός· τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ ἀλωπέκων, &c. Cicero Offic. 1. de Animalibus, *Ad vivendum neceſſaria inquirunt*, &c. *ut paſcua, ut latibula*, &c. Vide ad Matthæum dicta. In Gloſſis, Φωλεοὺς, *luſtrum, latebra, latibulum*.

Ibid. καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνώσεις] Confer quæ ad dictum Matthæi locum adducta. In Epiſtolis Philoſtrati, Τὰς ὄρνις καὶ καλιὰς δίχονται, τὰς ἰχθύας καὶ πέτρας· quæ ſi ſana lectio,

ctio, πέτρας intellige saxa in mari, & scopulos exesos: at potius est ut locum corruptum putem, & θήρας, non ἰχθύας legendum. Euripides,

——— ἔχει μὲν καταφυγὴν θὴρ ἢ πέτρας.

Psalmista 103. 18. *Petra refugium herinaciis.*

Ibid. οὐκ ἔχει πῦ ἡ κεφαλὴν κλίνῃ] Vide & hic ad Matthæum dicta. Locutio similis, at in re planè contraria, (id est, nimiâ abundantiâ) infrà 12. 17. Οὐκ ἔχω πῦ τὺς καρπύς μυ συνάξω. *Non habet ubi caput reclinet*, locutio est ultimam egestatem indicans. Simile Aristophanis illud, Eccles.

—γυμνητῦ τῷ μὲν πόκλῳ (γρ. τῷ ἢ εἶναι μηδὲ ταφλῶσι.

id est, μηδὲ πῦ ταφλῶσι· & illud Ciceronis Philipp. 13. *Vestigium ubi imprimam non habeo.* Idem ad Atticum, *Is ubi consistat, ufpiam non habet.* Juvenalis,

Quando ego figam aliquid quo sit mihi tuta senectus
A tegete & baculo? ———

ad quæ vetus Scholiastes, *Quando habebo ubi maneam, & supra quod incumbam?* q. d. ἢ πῦ τῳ κεφαλῳ δύνωμαι κλίνειν.

Com. 59. ἐπίτρεψόν μοι ἀπελθεῖν πρῶτον, καὶ θάψαι τὸν πατέρα μυ] ——— *Solutia luctûs*
Exigua ingentis, misero sed debita patri.

Qui de pietatis generibus scripserunt (inquit Servius ad Æneid. 6.) *primum locum in sepultura esse voluerunt:* officii ergò id genus erga patrem est piissimum: & ideo fortè Christus hunc talem non objurgat, sed leni responsione eum detlectit.

Com. 60. Ἄφες τὺς νεκρὺς θάψαι τὺς ἑαυτῶν νεκρύς] De mortuis noli cogitare: veni, & me sequere. Admetus ad Herculem, hospitium ejus morte uxoris suæ funestatum ingredi cunctantem,

Τεθνᾶσι οἱ θανόντες, ἀλλ' ἴθ' εἰς δόμους. Euripid.

Clemens, quasi Ulyssem alloquens, in Protrepico, Ἔασον αὐτὴν (Scyllam) τὺς νεκρὺς ἐπιμέλεσθαι, σπεῦσόν σε ἄρειον (fortè ἄμεινον legendum) βοηθεῖ, καὶ ἡδονὴν παίρθι. Adde quæ plura ejus commatis hoc loco ad Matthæum adducta, Matth. 4. 22. Nil grande (inquit Christus) puta facturum te, si patris funus neglexeris: inter eos qui me sequuntur, reperiuntur & qui patrem suum viventem me vocante reliquerunt. Τὺς νεκρὺς hîc priore loco intellige, in peccatis mortuos: de cujusmodi vide quæ infrà ad 15. 24. annotamus. Ἑαυτῶν νεκρύς hic, ut apud Plinium lib. 1. Epist. 5. *Quid tibi cum meis mortuis?* & in l. si venditor. ff. de religios. &c. *suum mortuum inferre.*

Ibid. διάγγελλε, &c.] Glossarium, Διαγγέλλω, *enuncio.* Hesychius, Διαγγέλλει, &c. τῷ λόγῳ διεξέρχεται.

Com. 61. πρῶτον δὲ ἐπίτρεψόν μοι ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μυ] Illud τοῖς ambiguum est: potest de personis intelligi. Plutarchus in de Homerica poesi, Τὺς ἐξιόντας εἰς πόλεμον (in bellum ire autem ob tot impendentes casus ubique & semper habitum est quasi ultimæ valedictionis genus) ἐντέλλεσθαί τι τοῖς οἰκείοις καὶ πᾶσιν ὑθημοῖον· & apud Lucianum ille mortuorum cymbæ jam statim inferendus, Μίαν, ὦ Μοῖρα, ἴασόν μοι μεῖναι ἢ ἡμέραν, ἄχρις ἂν τι ἐπιστείλω τῇ γυναικὶ τῶν χρημάτων. Potest & de rebus accipi: hinc 2 Reg. 17. 23. *disponere domum suam:* & 4 Reg. 20. 1. *præcipere domui suæ.* Diogenes Laertius de Lampsaceno quodam, Epicuri sectatore, Ἀφ' ὗ ἡ ἀνδρὶ (Epicurum) ἔγνω, ἵν' ἐπίῃ ἐπ' αὐτῷ, πλὴν ὀξ μισθῶν εἰς τινὰ οἰκίαν, (ut res nempe domesticas ordinaret) ἔπεισεν ἀπελθεῖν. In ambiguitate ista, etsi ἀποτάσσεσθαι de rebus non nisi cum venia dicatur, quia tamen multa ejusmodi occurrunt apud N. Test. scriptores, fuerit melius cum doctissimo Zegero & res & personas intelligere. Seneca Epist. 8. *Secessi non tantum ab hominibus, sed etiam à rebus: & primùm à meis.*

Com. 62. οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα ἐπ' ἄροτρον, καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω, εὐθετὸς ἔστιν εἰς βασιλείαν τῦ θεῦ] Οὐδεὶς (δὲ) στρατευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τῦ βίυ πραγματείαις, ἵνα ἀρέσῃ τῷ στρατολογήσαντι· ut (aptè ad hæc Christi illustranda) Apostolus 2. 2. 2. ad Timoth. locutus. Vide, si placuerit, quæ ad eum locum annotavimus; nec non ad Christi ea, οὐδεὶς δύναται δυσὶ Κυρίοις δουλεύειν, Matth. 6. 24. Οὐδεὶς ἐπιμορτεύων δύναται στρατεύεσθαι, dixit Arrianus 4. 2. in Epictetum. Qui arat autem, & retrò respicit, (i. e. qui Christum, & res sæculi unò eodémque tempore intuetur) is ἐπιμορτεύει. Philonis est; περὶ φιλανθρωπ. Συμφέρει πρὸς ἀρετὴν ἀμεταστρεπτὶ αὐτομολῶν. Clementis Alexandrini Stromat. 5. μαθόντες τ' ἀληθείας τὴν ὁδὸν, ἀμεταστρεπτὶ βαδίζωμεν· & Hesiodi (de sedulo aratore; & ideo appositissima loquentis,)

——— Ἤθεῖαν αὖλακ' ἐλαύνοι
Μηκέτι παπταίνων μετ' ὀμήλικας, ἀλλ' ἐπὶ ἔργῳ
Θυμὸν ἔχων. ———

Ubi μετ' ὀμήλικας παπταίνειν, est quod Christo πρὸς τὰ ὀπίσω βλέπειν· cui contrarium Philipp. 3. 14. τὰ ὀπίσω ἐπιλανθάνεσθαι, τοῖς δ' ἔμπροσθεν ἐπεκτείνεσθαι. Εἰς βασιλείαν, &c. εὐθετῶ, satis Græcè dictum. Ità, πηγὰς εἰς λύτρα εὐθέτους; Diodorus Siculus lib. 2. &, ἰμάτια εἰς ταφὴν εὐθετα, Hesychius in ταφεῖα.

CAP. X.

VALLA.

1. *Alios septuaginta duos*] Ex aliquantò pòst v. 17. *Reversi sunt autem septuaginta cum gaudio.* Ut interpretes illi Pentateuchi de Hebraica lingua in Græcam, cùm essent septuaginta-duo, ex singulis tribubus seni, tamen commoditatis in loquendo gratiâ sunt appellati *Septuaginta.* Sicut apud Romanos *centumviri* pro *centum quinque*, ex singulis tribubus, quæ triginta quinque erant, terni. Sic nunc è diverso pro *septuaginta* scribitur *septuagintaduo*, non aliquâ ratione, sed vel temeritate vel errore, cùm omnes codices Græci habeant tantùm *Septuaginta*, ἑβδομήκοντα. Nescio an ille qui hoc fecit, voluerit fuisse è singulis tribubus senos: quæ stultissima ratio est, cùm videamus nequaquam hoc factum in Apostolis, qui cùm duodecim fuerint, non sunt singuli è singulis tribubus electi. Certè & Apostolorum & Discipulorum numerum cernimus à Domino in libris Moysi præfiguratum per XII. Fontes & LXX Palmas in deserto repertas, Exod. 15. 27. Ergò *septuaginta*, ut dixi, legendum est. Qui fuit etiam numerus eorum quos Deus spiritu impertivit qui in Moyse erat, Num. 11. 25.

3. *Ità ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*] *Velut agnos inter lupos* transferendum. Non enim sic dicebat Dominus Jesus, *Mitto vos sicut mitto agnos inter lupos*; sed, *mitto vos veluti agni essetis*, ὡς. Nec *inter lupos* dicit, sed *in medio luporum*, ἐν μέσῳ λύκων.

5. *Sin autem, ad vos revertetur*] *Sin autem* non dicendum fuit, sed *sin minùs*, εἰ δὲ μήγε.

21. *In ipsa hora exsultavit Spiritu sancto, & dixit*] Non est Græcè *sancto:* intelligendum est enim *sio.* Sed causa erroris exstitit in scriptore, qui pro Jesus, quod est in Græco, fecit *sancto.* Legitur enim Græcè, *In illa autem hora exsultavit spiritu Jesus, & dixit*, τῷ πνεύματι Ἰησῦς. ¶ *Etiam, Pater, quia sic placuit ante te*] *Etiam* idem verbum est quod Interpres transtulit superiùs *utique*, ναὶ, quâ voce Græcâ Latini sunt frequentissimè usi, ut apud Terentium, *Faciunt na intelligendo, ut nihil intelligant.* Sed ferè ii sunt usi hoc adverbio qui non utebantur *utique*, ut Cicero.

22. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*] Nonnihil nobis deest à veritate Græca, in qua sic legitur, *Et conversus ad discipulos, dixit, Omnia mihi*, Καὶ στραφεὶς πρὸς τὺς μαθητὰς, εἶπε. Causa hujus mendæ illinc exstitit, quòd paulò pòst dicitur,

23. *Et conversus ad discipulos suos, dixit*] Quasi supervacuum esset idem bis dicere. Verùm non repetitur eadem ad verbum oratio, sed additur *seorsum.* Sic enim est Græcè, *Et conversus ad discipulos, seorsum dixit*, πρὸς τὺς μαθητὰς κατ' ἰδίαν εἶπε.

30. *Suspiciens autem Jesus dixit*] Meliùs ii codices qui habent, *Suscipiens autem Jesus.* Hunc locum aliquis in lingua Latina sciolus emendandum putavit, qui cùm vix aliquid significare *suscipiens* existimaret, credidit esse verius *suspiciens*; quòd videlicet Jesus in cœlum suspexerit. Sed *suscipiens* nunc traductum est verbum de verbo, quod solet dici frequentiùs *excipiens*, h. e. *subsequens alium in loquendo*, ut apud Virgilium, *Excipit Ascanius.* Ità nunc *Jesus excipiens*, quasi respondens illi, & verba illius subsequens. Infinita sunt hujusmodi exempla, ut apud Xenophontem, καὶ ὁ Κῦρος ὑπολαβὼν εἶπε·

& Cyrus excipiens inquit. Idem apud Euangelistam vocabulum, ὑπολαβών.

41, 42. *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò unum est necessarium. Maria optimam partem elegit*] Melius *circa frequens ministerium* quàm nunc *erga plurima*, quia *erga* ad personam refertur, *circa* ad omnia. Græcè autem eadem præpositio est, περί. Neque Græcè dicitur *optimam*, sed *bonam partem*. Adestque conjunctio, sic, *Maria autem bonam partem elegit*, Μαρία δὲ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο.

REVIUS in VALLAM.

1. *Seni*] In omnibus exempl. excusum erat *ex singulis tribubus Sem*; quod quin rectè mutarim in *seni* non puto dubitabit cui mica salis inest. Cæterùm quod de Interpretum horum è singulis tribubus electione habet Valla, de eo ambigit Erasmus, licèt probabile putat. Scaliger autem falsum esse docet Animadv. in Eusebium p. 123. vel ex eo quòd tunc temporis duodecim omnes tribus non exstiterint, nec aliæ tribus eo tempore in Judæa fuerint, quàm Juda & Benjamin, decem reliquis sub Ezechia in Mediam deportatis. Quod ad septuaginta Discipulos attinet, quibus duos addit Vulg. quia in uno exemplari ἑβδομήκοντα μαθητὰς scriptum invenit Beza, arbitratur contractè scriptum fuisse *dos* pro *discipulos*; Unde postea factum sit *duos*. Sed conjecturam hanc suam eo labefactat quòd idem exemplar v. 17. habebat οβ· itaque quid certi statuat non reperit. ¶ Ἑβδομήκοντα] Trajectum erat. ¶ *Numerum eorum*] In omnibus erat *unus eorum*, nullo sensu.

22. *Et conversus ad discipulos*] Vide Bezam, cum quo sentio. Repetita enim sunt verba ex versu seq.

ERASMUS.

1. *ET alios septuaginta duos*] Quod Laurentius arguit, *Interpretes V. T. cum numero fuerim septuaginta duo, quippe à singulis tribubus delecti sex, tamen incertum errore an studio Septuaginta vocari, non aliter quàm apud Romanos* CENTUMVIRI *dicti sunt Judices è singulis tribubus, qua triginta quinque erant, delecti terni, utique numero centum & quinque*, verum sit nèene non admodum arbitror ad hunc locum pertinere; certè probabile est. Illud mirum quòd è septuaginta discipulis fecerint septuaginta duos: velut idem oportuerit factum in Discipulis quod factum est in septuaginta Interpr. cùm Apostolos duodecim elegerit, verùm non hos quidem è singulis tribubus singulos. Cæterùm Græci codices consentiunt in *septuaginta*. Atque ità legisse videtur & D. Ambrosius, cùm exponens hunc locum, *Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos*] *Ad septuaginta*, inquit, *discipulos dicit hoc.* Pro nobis facit & typus V. T. ubi duodecim Fontes & septuaginta Palmæ in deserto repertæ præfigurant XII Apostolos & LXX Discipulos: quod diligenter annotavit Theophyl. & Cyrillus, qui citatur in Catena, consentit, præter XII Fontes & LXX Palmas commemorans etiam illos LXX Judices quos Moses delegit jussu Domini, & qui impleti sunt Spiritu S. Ac nè quis cauſetur solos Græcos ità legisse, D. Hieronymus ad Fabiolam Mansione 6. scribit hunc in modum, *Nunquam prius occurrerunt fontes purissimi nisi ubi Magistrorum doctrina prorupit: nec dubium quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus derivata aqua totius mundi siccitatem rigant. Juxta hos aquæ septuaginta creverunt palmæ, quos & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores; Lucâ Euangelistâ testante duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta discipulos minoris gradûs, quos & binos Dominus ante se præmittebat.* Ex his perspicuum est, Augustino fuisse mendosum codicem; quemadmodum & aliis locis fuisse demonstrabimus. Objicitur nobis unus codex è bibliotheca Pontificia: quasi nesciamus post Græcos in concordiam Romanæ sedis receptos & codices illorum ad Latinorum exemplaria fuisse emendatos: quorum de numero multis argumentis colligo fuisse codicem illum majusculis descriptum. Nam si nos movet Pontificiæ bibliothecæ autoritas, etiam is codex quem Rom. Pontifex misit Francisco Cardinali Toletano erat ejusdem bibliothecæ. Ratio quam adducit Beda de XII tribubus Israel & LXXII orbis reliqui gentibus frigida est: Nec multò solidior quam adducit Augustinus de ter viginti quatuor horis, qui numerus conficit LXXII. Quin & Dorotheus martyr in Compendio rerum Apostolicarum & Propheticarum nominatim recensens Discipulos, LX duntaxat facit non LXXII. Et his antiquior Irenæus cùm aliàs tum lib. 3. cap. 13. LXX legit, non LXXII. Postremò Eusebius Eccl. hist. lib. 1. c. 12. LXX tantùm refert fuisse delectos. Et tamen paulò inferiùs in vulgatis cod. repetuntur LXXII, *Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio.* ut appareat non casu sed studio factum. Atque in hoc mirè consentiunt exemplaria Latinorum.

2. *Rogate autem*] *Rogate igitur* legendum est, Δεήθητε οὖν. ¶ *Ut mittat operarios*] Ὅπως ἐκβάλῃ ut extrudat, sive *ejiciat*: ut intelligamus aut invitos emittendos, aut celeriter extrudendos; ut annotatum est in superioribus.

3. *Inter lupos*] Ἐν μέσῳ λύκων in medio luporum. Et Valla mavult *velut oves* quàm *sicut oves*.

6. *Sin autem*] Εἰ δὲ μήγε *sin minus*; h. e. *Si non fuerit illic filius pacis.*

7. *Quæ apud illos sunt*] Τὰ παρ' αὐτῶν *quæ ab illis offeruntur*: alioqui dixisset τὰ παρ' αὐτοῖς.

13. *Pœnituerent*] Μετενόησαν. Cur non potiùs *pœnituissent*, cùm sit præt. temporis? quandoquidem hoc verbum personaliter usurpatum ex Pacuvio citat Nonius Marcellus. Aliis magis arridet periphrasis, *scelerum pœnitentiam egissent*; quæ hoc sanè loco non pessimè quadrat, quòd mentio fiat de *sacco* & *cinere*. Et quanquam *resipiscentem* sequitur dolor de iis quæ præcesserunt, non tamen Græcis μετάνοια dicitur à *pœna*, nec Latinis, ut opinor, *pœnitere*, sed potiùs à *pœnè tenendo*, quòd *post factum teneamur*, & *intelligamus errorem*. Postremò qui *resipiscit* non statim à sceleribus resipiscit, sed interdum ab ignorantia aut errore simplici.

16. *Qui vos spernit, me spernit*] Hieronymus alicubi vertit, *qui vos reprobat, me reprobat*: Est enim Græcum verbum ἀθετεῖ, quod est *rejicit* & *everſatur*: & ità legit Cyprianus in epistola ad Cornelium fratrem. Et hunc locum detorquemus ad nostram tyrannidem, *Christum spernis qui spernit Episcopum, qui spernis Pontificem.* Verum est, sed Apostolorum similes, & Christi negotium agentes; *Qui vos tales spernit, me spernit.* Quin utrique demus operam ut meminerimus officii: Sacerdotes tales esse studeant quales erant Apostoli, nos ut Christum ipsos recipiemus & obtemperabimus. Cæterùm ubi Sacerdos tyrannum agit, ventris negotium persequitur, non Christi, nescio an in tempore citetur, *Qui vos spernit, me spernit.* Scio tamen etiam malis obtemperandum interdum, nè dissidium excitetur, modò ne cogant ad impietatem.

17. *Reversi sunt autem septuaginta duo*] Rursum addidit *duo*, cùm Græcis non sint nisi *septuaginta.*

18. *Videbam Satanam*] Ἐθεώρουν. In quodam Latino codice reperi *videbam*: nam Græca vox ambiguitatem habet: quanquam de prima persona interpretantur omnes. Theophylactus hìc inducit novum sensum, videlicet hunc, *Non mirum est dæmones vobis subjici, cùm ipsorum princeps jam decideris ac dejectus sit.*

19. *Ecce, dedi*] Ἰδοὺ, δέδωκα Ecce, do.

21. *Exsultavit in Spiritu S.*] Ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι ὁ Ἰησοῦς, *In eadem hora exsultavit spiritu Jesus*: nec additur *sancto*, nec præpositio *in*; sed refragantibus vetustis Latinorum exemplaribus, in quibus ut apponitur epitheton *sancto*, ità *Jesu* nomen non apponitur. Certè articulus facit ut de Spiritu S. intelligamus. ¶ *Parvulis*] Νηπίοις· quod hoc sanè loco magis vertendum erat *stultis*, aut *insipientibus*, ut opponatur ei quod præcellit, *sapientibus*; nisi sermo duriusculus videretur: quanquam & de hoc dictum est aliàs. ¶ *Etiam, Pater*] Ναὶ· quod superiùs vertit *utique*. Est autem adverbium Confirmantis. ¶ *Quoniam sic placuit ante te*] Ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου *quia sic fuit bona voluntas coram te*: sic enim vertit Hieronymus. Eadem vox quâ usi sunt Angeli nunciantes *pacem in terris in hominibus bona voluntatis*; quâ significatur gratuita benevolentia favorque Numinis erga mortales.

22. *Omnia mihi tradita*] Ante hæc verba Græci codices aliquot addunt, Καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς εἶπε, *Et conversus ad discipulos dixit*: deinde sequitur, *Omnia mihi tradita sunt.* Et error hinc ortus quòd mox sequitur eadem oratio.

23. *Et conversus ad discipulos suos*] Verùm hìc addit Græcus codex κατ' ἰδίαν seorsum: atque ità separatur à superiore, licèt reclament Latinorum exemplaria.

30. *Suspiciens autem Jesus*] Ὑπολαβὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς, *Suscipiens autem Jesus.* Atque ità legitur in antiquissimis Latinorum exemplaribus. Positum est autem *suscipiens* pro *excipiens* & *succedens in vicem respondendi.* Ad eundem modum Virgilius,

Excipit Æsanius.

& Xenophon, Καὶ ὁ Κῦρος ὑπολαβὼν ἔφη *Et Cyrus suscipiens dixit.*

dixit. Ne id quidem commiſſum eſt Interpretis vitio, ſed ſcioli cujuſpiam, cui viſum eſt *ſuſcipiens* hoc loco nihil ſignificare, & vertit in *ſuſpicatus*, quaſi Jeſus reſponſurus homini ſuſpexerit in cœlum. Nos vertimus *reſpondens*, ne rurſus ad eundem lapidem lector impingeret. ¶ *Semivivo*] Ἀφέντες ἡμιθανῆ *Relicto ſemimortuo.* Hieronymus in Epitaphio Paulæ vertit *ſeminece*: quanquam id quidem ad ſententiam nihil habet momenti.

34. *In ſtabulum*] εἰς πανδοχεῖον *in diverſorium.* Nam Græca vox hinc dicta eſt quòd *accipiat quoslibet*: quod Latini vocant *diverſorium meritorium.* Nec Interpres ſenſit de *ſtabulo jumentorum*, ſed de *loco in quo ſtatur*: unde & *ſtabulari* dicuntur qui locum habent alicubi.

35. *Et alterâ die*] Καὶ ἐπὶ τῇ αὔριον *poſtero die.* ¶ *Stabulario*] Πανδοχεῖ *hoſpiti*, ſed meritorio.

38. *In quoddam caſtellum*] Εἰς κώμην τινὰ *oppidulum*, ſive *vicum quendam*: nè quis imaginetur arcem potentem, ſimilem iis quæ nunc *caſtella* vulgò vocantur.

40. *Satagebat*] Περιεσπᾶτο *diſtrahebatur*, ſive *diſtendebatur*: quanquam Interpres elegantiùs vertit quàm ut rudis lector animadvertat. Siquidem *ſatagere* proprie eſt anxiè torqueri difficultate rei conficiendæ. At Græca vox aptiùs quadrat cum eo quod ſequitur, *Porrò unum eſt neceſſarium.* Pugnant enim Diſtrahi & Intentum eſſe in uno. ¶ *Circa frequens miniſterium*] Περὶ πολλὴν διακονίαν *circa multam miniſtrationem.*

41. *Erga plurima*] Περὶ πολλὰ *circa multa* ſive *plura*; ſuffragantibus & antiquiſſ. libris nonnullis. Et haud ſcio an Interpres ſcripſerit *plura* pro *multa*; Quod ità quiſpiam vertit in *plurima*: ut in precibus ſolennibus legimus *plurimorum martyrum*, pro *plurium.*

42. *Porrò unum eſt neceſſarium*] Ἑνὸς δέ ἐστι χρεία, *Uno opus eſt*: ut opponatur *multa*, quæ vox præceſſit. Quod ad hiſtoricum ſenſum attinet, Dominus videtur in Martha reprehendere, non quòd appararet convivium, ſed quòd nimis varium & accuratum. Id enim antè dixit Lucas πολλὴν διακονίαν, q. d. *variam adminiſtrationem*, cùm ſimplex apparatus ſufficiat naturæ. Hoc eſt quod Jeſus negans opus eſſe multis, dicit *unum eſſe neceſſarium.* Attingit hunc ſenſum & Theophylactus. ¶ *Optimam partem*] Τὴν ἀγαθὴν μερίδα *bonam partem*: niſi quòd articulus additus declarat pluſculum, nempe partem illam certam quæ verè bona ſit. Auguſtinus Serm. in Lucam 26. non *optimam* legit, ſed *meliorem*, *Meliorem*, inquiens, *partem elegit: non tu malam, ſed illa meliorem.* Neque ſecùs legiſſe videtur Ambroſius, in commentariolis hæc ſubjiciens, *Nec Martha tamen in bono miniſterio reprehenditur, ſed Maria quòd meliorem partem ſibi elegerit antefertur.* Sunt quibus placeat juxta proprietatem Hebraï ſermonis poſitivum poſitum vice comparativi aut ſuperlativi, quòd ea lingua careat hujuſmodi vocibus. Quod quidem commentum ut mihi non uſquequaque diſplicet, ità non video cur hîc magis valere debeat quàm aliis locis ter centum.

VATABLUS.

1. *Deſignavit*] Vel, *conſtituit.* ¶ *Septuaginta* *] * *Duos*, Vet.

2. *Et dicebat*] *Dicebat igitur.* ¶ *Mittat*] *Extrudat: ejiciat.* ¶ *Meſſem**] * *Suam*, Vet.

3. *Agnos*] Sub. *emittis aliquis.* ¶ *Inter lupos*] *In medium luporum.*

4. *Sæculum*] i. crumenam. ¶ *Per viam*] *Inter eundum.*

5. *Quamcunque* * *domum*] * *Autem.*

6. *Filius pacis*] Hebr. pro, *aliquis dignus pace*, ex Matth. 10. 13. ¶ *Requieſcet*, &c.] i. bonam veſtram precationem conſequetur. ¶ *Sin autem*] *Sin minus.*

7. *Eidem*] Ipsâ, ſub. *in quam recepti fueritis.* ¶ *Apud illos ſunt*] *Ab illis vobis apponuntur.*

9. *Appropinquabit*] *Appropinquavit*, Vet. i. Acceſſit in regionem veſtram promiſſus à Deo Meſſias. Res pro perſona; *Regnum* pro *Rege.*

10. *Exeuntes*] *Egreſſi.*

11. *In vos*] Vel, *vobis*: ut ſcil. vobis habeatis.

12. *In die illa*] i. in judicio. ¶ *Remiſſius erit*] *Tolerabilius erit*, i. mitiùs agetur cum eis.

13. *Virtutes*] Pro *miraculis.* ¶ *Olim*] Vel, *jampridem.* ¶ *Pœnituerent*] *Pœnitentiam egiſſent.*

16. *Spernit*] *Rejicit*: *reprobat*: *averſatur.* Et infrà.

17. *Septuaginta**] * *Duo*, Vet. ¶ *In nomine tuo*] Hebr. ope & auxilio tuo.

18. *Videbam Satanam*, &c.] q. d. Sciebam cùm ethnici vos ad prædicandum Euangelium meum, ruituras eſſe vires Satanæ.

19. *Dedi*] *Do.* ¶ *Virtutem*] *Potentiam.*

20. *Spiritus*] Vel, dæmonia.

21. *Exſultavit ſpiritu*] *Exſultavit in Spiritu Sancto*, Vet. ¶ *Confiteor*] *Confiteor*, Vet i. Laudo te. ¶ *Prudentibus*] *Intelligentibus.* ¶ *Revelaſti*] *Detexiſti.* ¶ *Parvulis. Etiam*, &c.] *Infantibus*: (vel, *inſipientibus*) *Certè, Pater*, (Sub. *hoc feciſti*) *quia ſic fuit bona voluntas ante te*, i. quoniam ſic tibi placuit.

23. *Suos* * *dixit*] * *Seorſum.*

25. *Poſſidebo*] *Hæreditate accipiam.*

28. *Dixitque*] *Dixit autem.*

30. *Suſpicatus*] *Suſcipiens*, Vet. vel, *Excipiens*, i. Succedens in vicem reſpondendi. ¶ *Semivivo*] *Semimortuo.*

31. *Eâdem*] *Illâ.*

32. *Videret*] *Vidiſſet.*

34. *Stabulum*] *Hoſpitium.*

35. *Alterâ*] *Poſtero.* ¶ *Die**] * *Egreſſus.* ¶ *Stabulario*] *Hoſpiti.* ¶ *Ait**] * *Illi.*

36. *Quis* * *horum*] * *Igitur.* ¶ *Proximus fuiſſe illi*] i. eum proximum ſuum rectè agnoviſſe, & proximi officio erga eum functum.

37. *In illum*] *Cum illo.* ¶ *Vade*] Imperativus loco adverbii hortantis, more Hebraico; *Agedum.*

38. *Caſtellum*] *Oppidum.*

40. *Satagebat circa frequens miniſterium*] *Diſtrahebatur circa multam miniſtrationem.* ¶ *Reliquit*] Vel, *paſſa eſt.*

41. *Turbaris erga plurima*] Vel, *tumultuaris circa plura*, i. velut turbulenta & irrequieta, ad plurima raperis.

42. *Unum eſt neceſſarium*] *Uno eſt opus.* ¶ *Optimam*] *Bonam.*

CASTALIO.

9. *Ad eos Divinum Regnum veniſſe*] Ἐγγίζω in præterito ſignificat aliquando *veniſſe*, ut Lam. 4. 18. Itaque quod eſt hîc ἤγγικε, idem eſt cap. 11. 20. ἔφθασε, hoc modo; ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τῦ Θεῦ. Et cap. 12. 33. ἐγγίζει *accedere* eſt.

CLARIUS.

1. *Et alios ſeptuaginta*] Quorum figura ſub Moſe præceſſit, ut habes Exod. 15. 27. *Cùm venerunt filii Iſrael in Elim, & ibi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ.* ¶ *Ante faciem ſuam*] Ut pararent viam, more Joannis Baptiſtæ.

4. *Neminem per viam ſalutaveritis*] Per *ſalutationem* intellige collocutionem non neceſſariam, ſed quæ retardare negotium poſſit. Videtur autem is eſſe Hebraiſmus, quem habes 4 Reg. 4. 29. ubi ait Eliſæus, *Si occurrerit tibi homo non ſalutes eum.*

6. *Ad vos revertetur*] h. e. Non peribit pax veſtra & bona veſtra imprecatio.

7. *Nolite tranſire de domo in domum*] Videtur hoc admonere ad evitandam curioſitatem & pompam & conviviorum occaſiones.

13. *Pœnitentiam egiſſent*] Quare ergò non ibi factæ ſint virtutes tu nè quæſieris: ſatis tibi lit noſſe juſtum eſſe Dominum, & judicia ejus multam abyſſum.

18. *Videbam Satanam*] Non nova, inquit, res hæc eſt, tametſi vobis recens eſſe videatur: jam olim me ſpectante decidit eorum princeps. Sed nè in his gloriemini, nè his elati & vos corruatis.

21. *A ſapientibus & prudentibus*] De quibus dicitur, *Væ vobis qui eſtis in oculis veſtris ſapientes & apud vosmetipſos prudentes.*

29. *Volens juſtificare ſeipſum*] Et hîc videtur poſitum eſſe ἑαυτὸν *juſtificare* pro δοξάζειν *honeſtum reddere atque honore afficere.* q. d. Volens ſeſe juſtum oſtentare, fortaſſe & doctum. Sed quo pacto? Per hanc interrogationem, quâ petiit ſibi declarari quis eſſet ejus proximus, colligitur fuiſſe interdum inter Judæorum peritos controverſiam quis *Proximi* nomine eſſet intelligendus: quocirca volebat hâc interrogatione eruditionis ſibi nomen acquirere, aut etiam probitatis, ut qui aſſiduè verſaretur in lege Dei. Docet autem Dominus non concludi Proximum Judaicis terminis, ſed unumquemque hominum ſub hac appellatione comprehendendum.

42. *Unum eſt neceſſarium*] Non quæro iſtam anxiam miniſtrandi curam : ſed cogita quò referri velim omnia, videlicet ad unum atque præcipuum, nempe ſtudium in Deum & cœleſtis Regni contemplationem. *Unum* ergò *eſt neceſſarium*, nempe quod *Maria elegit*.

ZEGERUS.

1. *Septuaginta duos*] Græcis ἑβδομήκοντα *ſeptuaginta* tantùm numerantur : utrum verius ambigimus : nili quòd Scripturæ conſuetudo ſit minorem numerum interdum negligere.

4. *Et neminem per viam ſalutaveritis*] Proverbiali ſchemate dictum apparet, quo ſignificaretur inſtanter inſiſtendum Euangelicæ prædicationi, ſpretis his quæ quoquo modo remorari aut præpedire poſſent verbi Divini præconem. Ità quoque Eliæus, 4 Reg. 4. 29. mandavit puero ſuo ne quem per viam ſalutaret. *Feſtinato enim*, ut inquit Ambroſius, *jubebat eum conſcendere, ut celebranda reſurrectionis exſequeretur officium, ne confabulatione alicujus obvii mandato fieſteretur à munere.*

11. *Etiam pulverem qui adhæſit nobis*] Capitulo proximè præcedenti expoſitum eſt, v. 5. ¶ *Tamen hoc ſcitote quia appropinquavit Regnum Dei*] Quoniam præceſſit, *pulverem qui adhæſit nobis extergimus in vos*, intelligendum eſt, quemadmodum recipientibus Apoſtolos *appropinquare regnum Dei* dicitur in beneficium, ità non recipientibus in præjudicium.

18. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*] Hoc Diſcipuli de poteſtate accepta gaudentibus ingerit, ut Luciferi dejecti exemplo illos territans ab inanis gloriæ inſolentia ad humilitatem revocet ; quippe ſi illum ob ſuperbiam à ſumma felicitate ad infimam miſeriam commeminiſſent dejectum, agnoſcerent proculdubio ſe de terra editos, ſi per datam poteſtatem intumeſcerent, humiliandos. Secundùm alios verò, quia regreſſi Diſcipuli retulerant quòd Dæmonia ſibi ſubjicerentur, reſpondit, Hoc & ipſe ſciebam : *videbam* enim *Satanam e cœlo*, h. e. à gloria ſua quam hactenus in terra habuit, *decidentem*. Ante Chriſtum enim ut Deus colebatur : Nunc autem *de cœlo decidit*, h. e. de gloria ſua, nè colatur ut Deus, neque habeatur perinde acſi in cœlo habitet.

21. *Exſultavit in Spiritu ſancto*] Sic invenio in vetuſtis, & apud Auguſtinum De conſ. Euang. & Bedam contra Græcos, & neotericos, nili quòd Beda omittit *in*. ¶ *Etiam Pater, quoniam ſic*] *Etiam vai* non Conjungentis ſed Aſſeverantis particula eſt.

30. *Suſcipiens autem*] Cave legas *ſuſpiciens*, quemadmodum multi inendosè. *Suſpiciens autem* ad verbum reddidit Interpres pro *excipiens & loquendo ſuccedens*. Siquidem ὑπολαμβάνειν aliquotics *ſermonem accipere* & *reſpondere* ſignificat.

34. *Stabulum*] A *ſtando* dicitur ; ſignificátque non perpetuò *caulam pecudum*, ut vulgus putat, ſed *hominum diverſorium*, ſive *hoſpitium*.

35. *Dedit ſtabulario*] Quemadmodum *ſtabulum* propriè hoſpitium ſignat, ità *ſtabularius* hoſpitem viatores pretio excipientem.

38. *In quoddam caſtellum*] Nempe Bethaniam : id quod colligitur partim ex illo quod ſequitur, *Et mulier* quædam *Martha nomine excepit illum in domum ſuam* ; partim ex verbis Joan. 11. 1. *Erat quidam languens Lazarus à Bethania de caſtello Mariæ & Marthæ.* De ſignificantia *caſtelli* habes Matth. 14. 15.

42. *Unum eſt neceſſarium*] Juxta ſimplicem literæ ſenſum dicit non multis ferculis opus eſſe, ſed pauca ſufficere ad refocillationem ſuſcepti hoſpitis.

LUCAS BRUG.

1. *Poſt hæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos* : & v. 17. *Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio*] De diſcipulorum iſtorum numero nonnihil eſt controverſiæ. Plerique enim omnes Græcorum codicum ἑβδομήκοντα *ſeptuaginta* fuiſſe ſcribunt. Hi Syriaco textui conformes ſunt. Volunt etiam eis Autores Græci, Euthymius & Theophylactus, in hunc ſcribentes locum : Præterea Euſebius Cæſarienſis, lib. 1. Eccl. hiſt. cap. 14. ubi & Clementem, ex libro Diſpoſitionum quarto (A). quinto) citat, qui unum ex ſeptuaginta diſcipulis Cephan fuiſſe dicat, cui in faciem Paulus reſtitit, Gal. 2. 11. Adhæc, ℣. Irenæus lib. 3. cap. 13. Contra hæreſes. Inter Latinos quoque Patres B. Damaſus epiſt. 4. quæ eſt de Chorepiſcopis, & S. Ambroſius Lucam enarrans, mentionem diſcipulorum non niſi ſeptuaginta faciunt. Et Damaſus quidem etiam decimumtertium Concilii Neocæſarienſis canonem profert, in quo ſeptuaginta duntaxat nominantur : Ambroſius verò, ſerm. De quadrageſima, qui eſt numero 24. ſeptuaginta diſcipulos, quos ſecundo ab Apoſtolis gradu, propter ſalutem hominum à Domino directos Lucas Euangeliſta teſtatur, ſeptuagiúta palmis comparat quæ in Elim juxta duodecim fontium aquas creverant ; ut eſt Exod. 15. 27. quibus eos & ſuperiores Euthymius ac Theophylactus comparant. Illis & à D. Hieronymo comparantur, epiſt. ad Fabiolam, quæ eſt de 42 manſionibus Iſraëlitarum : de ſexta namque manſione agens, *Juxta has aquas*, inquit, *Lxx creverunt palmæ, quos & ipſos ſecundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangeliſtâ teſtante duodecim fuiſſe Apoſtolos, & ſeptuaginta diſcipulos minoris gradûs.* Potrò Latini Euangeliorum codices diſcipulos iſtos numero ſeptuaginta duos fuiſſe conſtantiſſimè tradunt : quanquam in uno ſcripto, quod Atrebatenſis Collegii eſt, priori loco *ſeptuaginta viros*, poſteriori *ſeptuaginta viri*, nos invenerimus : id quod admiratione dignum eſt. Hi libris quibuſdam Græcis conſonant. Notatum namque invenimus in D. Werneri exemplari, Bibliothecæ Vaticanæ Græcum apographum priori hujus capitis loco ἑβδομήκοντα δύο *ſeptuaginta duos* legere. Annotarunt & Pariſienſes, priori quidem loco etiam *ſeptuaginta duo* ſcribi (γεγράπται καὶ ἑβδομήκοντα δύο) verùm ſine ullius citatione exemplaris ; poſteriori verò β, ſecundum Græcorum codicum, illum nimirum ex Italia transmiſſum, ἑβδομήκοντα δύο *ſeptuaginta duo* habere. Inſuper conſentiunt Latini libri, ut poſteriores Latinos Enarratores præteream, Bedæ, quódque amplius eſt, Auguſtino, lib. 2. Quæſt. Euang. cap. 14. (*Sicut*, ait, *viginti quatuor horis totus orbis peragitur atque luſtratur ; ità myſterium illuſtrandi orbis per Euangelium Trinitatis in 72 diſcipulos intimatur : viginti quatuor enim ter in ſeptuaginta duobus ponimus*) aliſque in locis ; atque inter ſcriptores Græcos, Epiphanio, ſub finem tomi primi lib. 1. Adverſus hæreſes, ubi ait, ἀπέστειλε δὲ ὁ ἄλλους ἑβδομηκοντάδυο χαρίσμασι, *Emandavit verò & alios ſeptuaginta duos ad prædicandum*, &c. ac tertiò poſtea ἑβδομηκοντάδυο *ſeptuagintaduos* vocat. Anacletus etiam, antiquitate, Pontificatu & Martyrio celeberrimus, epiſt. 3. quæ eſt de Patriarchis, Primatibus, & reliquis Epiſcopis, dicit, *ad Apoſtolorum adjumentum electos à Domino diſcipulos ſeptuaginta duos, quorum Presbyteri locum tenent.*

STEPHANUS.

1. Ἀνέδειξεν] *Deſignavit.*

6. Υἱὸς εἰρήνης] *Aliquis fautor pacis.*

7. Τὰ παρ' αὐτῶν] *Quæ ab illis* ſuppetent vobis.

11. Τὸν κονιορτὸν ἡμῶν ἐκ τῆς πόλεως ὑμῶν] *Qui adhæſit nobis ex urbe veſtra abſtergimus.*

15. Ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ] *Uſque ad inferos deprimeris.*

16. Ὁ ἀθετῶν] *Qui rejicit.*

21. Ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι] *Exſultavit animo.* ¶ Ἐξομολογοῦμαί σοι] *Teſtimonium tibi perhibeo.* ¶ Οὕτως εὐδοκία ἐγένετο ἔμπροσθέν σου] *Ità tibi libitum eſt.*

29. Δικαιῶν ἑαυτόν] *Juſti appellatione dignum ſe oſtendere.*

31. Κατὰ συγκυρίαν ἱερεύς τις κατέβαινεν] *Contigit autem ut ſacerdos quidam deſcenderet.* ¶ Ἀντιπαρῆλθεν] *Ex adverſo ejus præterit.*

33. Ἦλθε κατ' αὐτόν] *Venit circa locum in quo erat.* Ad verbum, *circa eum.*

35. Ἐπιμελήθητι αὐτοῦ] *Solicitè illum tracta.*

40. Περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν] *Diſtrahebatur circa multa miniſteria.* ¶ Ἵνα μοι συναντιλάβηται] *Ut me adjuvet.*

41. Τυρβάζῃ περὶ πολλά] *Tumultuando te fatigas circa multa.*

DRUSIUS.

1. *Septuaginta duos*] Sic interp. vetus. In Græcis (ſi unum excipias) & Syriacis exemplaribus ἑβδομήκοντα tantùm, i. עשרים. Sic & in Latinis v. 17. Qui numerus eſt rotundus. Quo utuntur communiter in recenſendis interpretibus V. Inſtrumenti Græcis, qui tamen LXXII fuiſſe perhibentur, videlicet e ſingulis tribubus, quæ XII erant, ſex. Similiter obſervatum Ebræis, Judices ſynedrii majoris fuiſſe numero LXXII, licèt abſolutè vocentur *Judices Sanhedrin ſeptuaginta*, eorúmque conſeſſus dicatur *domus judicii* בית דין h. e. LXX *Judicum*. Phelictha

Phariſæa 46. 1. *Scripſit Moſes* LXXII *ſenes ſex è ſingulis tribubus.* Alibi lectum, *domus judicis ſeptuaginta & unius.* De Judicibus LXX, quibus præerat Moſes, videndus eſt R. Levi comment. in Moſen, 205. 1. De LXX verò diſcipulis, Euſebius Hiſt. Eccl. l. 1. c. 12. Vide nunc Eraſmum noſtrum, ſi placet.

4. *Neminem in via ſalutaveritis*] Ex diſciplina Sapientum, qui docent neminem ſalutandum eſſe in viis, aut in pontibus, aut in locis pollutis, ſi modò ירים ibi ſunt loca. Vide lib. Muſar, 135, 2. Alioqui dictitant, *Saluta prior quemvis hominem*, Dictum eſt Matthiæ filii Haras. Primaſius in 2 Cor. explicat, *Nemini verbum ſalutis tranſitorie prædicaveritis.* Salutandi formulæ ſunt, יומא טבא *Dies bonus*; צפרא טבא *Bonum mane*; שנת טבה *Annum bonum*, i. felix; ליליא טבא *Bona nox*; תערב שנתך *Dulceſcat ſomnus tuus*; שלום לך *Pax tibi*; ישגא שלמך *Augeatur pax tua*; יבך אתך יהוה *Benedicat tibi DOMINUS*; ברכת יהוה עליכם *Benedictio DOMINI ſuper vos.* Vide Comment. ſuper Aboth, 49. 2. Porrò *ſalutare* dicunt *interrogare de pace.* Vide Jud. 18. 15. & notas ad eum locum.

6. *Filius pacis*] בן שלום, i. pace dignus, ut *filius mortis*, morte dignus. Ebraicè בן מות, 2 Sam. 12. 5.

13. Ἐν Τύρῳ] Syris dicitur צור, quod hic legunt *Sor*, ſed malè. Nam Syri carent vocali *o*. Legi ergò debet *Sur*, vel *Saur*. Hodie *Sur* vocatur: unde *Tur*, & *Tyros* Græcâ declinatione. Amant enim Sade cum Teth permutare, cui reſpondet ταῦ Græcorum. *Turos*, *Tyrus*, ut *Suria*, *Syria*. Sic ex צור *premo* Græci fecerunt τυρεῖν *premere*, & τυρὸς *caſeus*, h. e. *preſſi copia lactis.* Dicebant etiam *Sar*, *o* in *a* mutantes, ut factum in טב *bonus* ex Ebræo טוב. Hinc *Sarra.* Unde Ennius Pœnos dixit *Sarra oriundos*, i. Tyro: & *Sarrana veſtis*, i. Tyria. Hujus & alias meminimus. ¶ Καὶ Σιδῶνι] Sidon maximus natu filiorum Chanaan, *à quo urbs in Phœnice Sidon dicta eſt*, ait Hieron. in Quæſt. Ebr. Alii arbitrantur dictam à *copia piſcium*, quòd eo nomine *piſcatum* dicant Phœnices, qui eam urbem condiderunt. Juſtinus l. 18. *conditâ ibi urbe, quam à piſcium uberitate Sidona appellaverunt. Nam piſces Phœnices Sidon vocant.* Videndi ſunt etiam Strabo & Q. Curtius. Syri & Arabes dicunt *Saidan*, quâ formâ nominis uſus eſt interpres Matth. 11. 21. De Syro loquor: Nam in eo צידן. Benjamin pag. 36. *In Sijadan veni, qua Sidon olim, urbem magnam.* Fortè leg. *Saidan.* In margine eſt צירא. Hodie etiam *Sidoni* vocatur. Mela ſcribit, antequam à Perſis caperetur, maritimarum urbium maximam fuiſſe. *Said* hodie, Nigro & Poſtello teſtibus. De Sidoniis Tyrii & omnes Phœnices: unde Jeſ. 23. 2. ubi in Ebræo כוחר צידן, Græci legunt μεθόβολοι Φοινίκης, *negotiatores Phœnicia.*

15. *Uſque ad infernum demergeris*] Alius, *uſque ad inferos deprimeris.* Matth. 11. 23. *uſque ad infernum deſcendes.* Jeſ. 57. 9. והשפל עד שאול, i. interprete Hieron. *humiliata es uſque ad inferos.* Alii, *humilias*, aut *demittis*, vel certè *deprimis te.* Hinc perſpicuum Inferos eſſe in loco depreſſo, & proinde peccare graviter qui eos in Paradiſo locant, aut cum Cœlo confundunt.

30. *Suſcipiens*, ὑπολαβών] *Excipiens:* ſub. *ſermonem*, i. reſpondens. Sic ruy interpretantur Job. 2. 4. Ὑπολαβὼν ὁ διάβολος εἶπε, *Excipiens Diabolus dixit.* Verbum hoc frequens eſt eo ſenſu apud interpretes illius libri. Nam ut omittam alia loca, quæ plurima ſunt, cap. 40. 1. legimus, Ἐκ δὲ ὑπολαβὼν ὁ κύριος εἶπε, *Excipiens DOMINUS dixit.* Sic Dan. 3. 9. Καὶ ὑπολαβόντες εἶπον Ναβυχοδονόσορ τῷ βασιλεῖ, *Et excipientes dixerunt Nabuchodonoſori regi. Ad eundem modum*, inquit Eraſmus, *Virgilius dixit*, EXCIPIT ASCANIUS: *& Xenophon*, καὶ ὁ Κῦρος ὑπολαβὼν εἶπε, *& Cyrus excipiens dixit.* ¶ *Incidit in latrones*] In loco *Adomim* dicto, qui erat clivus inter Jeruſalem & Jericho, quem Hieronymus putat à *cruore* ibidem effuſo appellatum. Adito ſis Maſium in Joſuam. Hujus & ſuprà meminimus. Euſebius De locis Ebr. *Adomim, quondam villula, nunc ruina in ſorte tribûs Judæ, qui locus uſque hodie vocatur Maladomim* (*Galadomim* ἴεως, i. עלי, à verbo עלה *aſcendit*: vel potiùs *Male-adomim*, i. מעלה *aſcenſus*, vel *aſſenſio*, & *adomim*, i. *ruforum.* Collis erat ità dictus quòd ſanguine viatorum ruberet. Hujus mentio Joſ. 15. 7.) *& Græcè dicitur* Ἀναβαθμὸς πυῤῥῶν, *Latinè autem appellari poteſt Aſcenſus Ruforum, ſive Rubentium, propter ſanguinem qui illic crebrò à latronibus funditur. Eſt autem confinium tribûs Judæ & Benjamin deſcendentibus ab Ælia Jerichum: ubi & caſtellum militum ſitum eſt ob auxilia viatorum. Hujus ſanguinarii & cruenti loci Dominus quoque in parabola deſcendentis Jerichum de Jeroſolymâ recordatur.* Hæc Euſebius. *Adomim* Ebraicè אדמים. ¶ *Semivivo*, ἡμιθανῆ] Magis *ſemimortuum* ſonat, quem Hieron. appellat *ſeminecem.* Lex. vetus, Ἡμιθανὴς, *ſeminex.* Sic ἡμιῶμος, *ſemicrudus, ſemicoctus*: ἡμιθαλὴς, *ſemiviridis*: ἡμιάνθρωπος, *ſemi homo.*

38. *Martha*] מרתא. Nomen hoc legitur in Juchaſin, 57. 1. in extremo, *Martha filia Baithus*, ſive *Boethi.* Hinc in Belgio **maerte**, i. *ancilla, famula, miniſtra.* Martha enim Chriſto miniſtrabat *ſatagens & ſolicita circa plurima.* Eſt & nomen viri, Juch. 91. 1. *Martha patruus ipſius Rab.* Sed pro muliere accipitur Juch. 91. 1. *Martha mater R. Iſaacæ filii Martha.* Fol. 105. pag. 1. *Samuel filius Martha.* Neſcimus utrùm מרתא hic ſit vir an femina. Vide quæ Samuel Solem ad hunc locum annotavit. *Martha* etiam viri nomen eſt apud nos. Nam Doctor quidam nomine *Martha* ſcripſit De poteſtate Pontificis Romani.

C A M E R O.

16. Ὁ ἀκούων ὑμῶν, ἐμοῦ ἀκούει] Hinc probant Pontificii Conciliorum ἀναμαρτησίαν. Sed primò, Hoc non Apoſtolis in unum congregatis ſed ſingulis ſeorſum prædicantibus Euangelium tribuitur. Itaque ſiquid faceret ad rem iſte locus, eo efficeretur ut ne ſinguli Epiſcopi ſeorſum exiſtentes errent: quod ipſimet Adverſarii coguntur negare: alioqui nihil opus eſſet Concilio, & locus eſſet (ut quidam locutus eſt) *auferibilitati Papæ.* Sed & aliter reſpondemus, ne forte quis cavilletur verba Chriſti ſingulis Paſtoribus tribuere jus infallibilitatis. Dicimus ergò iſta verba ſequi mandatum Chriſti: mandatum autem Chriſti fuit ut Diſcipuli excitarent in hominum animis Chriſti deſiderium; cui mandato ſubjunctum eſt, *Qui vos audit, me audit.* Ut ſi herus famulo præſcribat primùm quid famulus debeat præſcribere agundum in familia, tum ſubjungeret, *Qui te audit, me audit*, non inde ſequeretur fieri non poſſe ut ille famulus diſcedat ab heri præſcripto; aut ſic, ubi diſceſſerit, ei eſſe parendum: imò potius hoc ſequitur, ut quando herus datis mandatis hoc appoſuit, *Qui te audit, me audit*, diſpiciatur primum, jubeâtne famulus quod præſcripſit herus. Denique, reſpondemus aliam eſſe Apoſtolorum, aliam eſſe vulgarium in Eccleſia Paſtorum conditionem: nam Apoſtolorum & miſſio & dona erant extraordinaria, Paſtorum in Eccleſia diverſa eſt conditio.

G R O T I U S.

1. Ἀνέδειξεν, *deſignavit*]. propriè & ſignificanter. Nam in conſtitutione ad munera eam vocem Græci uſurpant, ut & χειροτονῆσαι [*creare*]. Sic & Act. 1, 24. ἀνάδειξον ἐκ τούτων τὸν ἕνα [*oſtende ex duobus hic unum*]. ¶ ἑβδομήκοντα, *Septuaginta*] De lectionis hujus veritate ob conſenſum Græcorum codicum & Syri, dubitandum non arbitror. Quod Latinus poſuit LXXII, non aliunde eſt quam ex antiqua traditione. Nam tot fuiſſe à Chriſto creatos Antiquitas credidit, etiam Græci, qui hoc loco legerunt ἑβδομήκοντα [*Septuaginta*] ut Origenes & Epiphanius. Neque verò temerè. nam moris erat Hebræis LXX nominare numero rotundo, etiam ubi conſtabat eſſe LXXII. Ita Joſephus ipſe, ut alios idem narrantes prætream, cùm miſſos ad Ptolomæum ad vertendos Legis libros dixiſſet πρεσβυτέρους ἄνδρας ἓξ ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης [*ſenes per tribus Presbyteros*]; Subjicit, ἐμοὶ δὲ καὶ ἀναγκαῖον ἐδόξεν εἶναι τὰ ὀνόματα τῶν ἑβδομήκοντα πρεσβυτέρων, οὓς ὁ νόμων ἐκόμιζον ὑπὸ Ἐλεαζάρου πεμφθέντες, δηλῶν [*ſupervacaneum autem viſum eſt apponere* LXX *ſeniorum nomina qui cum Lege ab Eleazaro miſſi ſunt*]. Sed & Synedrium quod à Moſe conſtitutum eſt, ad cujus exemplum hos Chriſtus elegit, quomodo Apoſtolos ad exemplum Phylarchatum, fuiſſe capitum LXXII Judæi nonnulli prodiderunt, quos inter Scriptor Phariſæus. Nec deſunt argumenta. Nam & hos initio lectos è tribubus ſingulis pari numero fama habebat; quanquam poſtea conſtat continuatam ſucceſſionem nulla tribuum habita ratione. Jam verò ſunt qui Eldadum & Medadum extra caſtra Spiritu Divino afflatos putant fuiſſe ſupra numerum LXX. Alii Moſen & ejus ſucceſſores Synedrii Principes dicunt extra numerum eſſe LXX: quod ſi dicamus & de Principis Vicario, qui dicebatur אב בית דין [*Antiſtes curiæ*], habebimus LXXII. Videtur autem Hebræis etiam in Ægypto conſtitutis, ut alibi notavimus, venerabilis fuiſſe numerus LXX ob totidem capita familiæ Jacobi cum in Ægyptum veniret: Cujus rei memoriam ipſis Deus renovavit oſtenſis in Elim ſeptuaginta fontibus, ſicut duodecim palmæ totidem tribus Hebræas adumbrabant. Ferme autem in omnibus majoribus collegiis erigendis cum numerum ſequebantur, ut in minoribus

noribus numerum XII. Apparet id ex Interpretum numero. Narrat & Josephus Vari jussu ex Judæis Cæsariensibus missos Legatos XII ad Judæos Ecbatenses: à Judæis autem Ecbatensibus missos sui purgandi causâ homines LXX, quos Varus trucidaverit. Atque ipse Josephus missus ad ordinandas res Galilææ ex Galilæis LXX sibi legit Adsessores. Et in obsidio Hierosolymitano LXX è plebi lecti εἰς χρῆμα δικαστῶν [*in speciem Judicum*]. Solent vereres institutâ à Christo munera cum muneribus post Christi adscensum in Ecclesia usurpatis comparare. Et Episcopos quidem comparant Apostolis propter eximium jus τῆς χειροθεσίας [*impositionis manuum*]. His autem LXX alii comparant Diaconos, ut Ignatius, alii Presbyteros, ut Hieronymus, alii Chorepiscopos, ut Synodus Neocæsariensis: videntur autem mihi Chorepiscopi, quos & ἀποστολικὰς [*Emissarios*] vocant optimè illis respondere. Nam hi ab Episcopis in partem sui laboris assumti cum docendi potestate per agros mittebantur. Sed & Presbyteros & Diaconos, non omnes quidem, sed eos quibus docendi populum potestas ab Episcopo facta esset, fatear his LXX non malè comparari. Tales Presbyteri non omnes, sed οἱ κοπιῶντες ἐν τῷ λόγῳ [*laborantes in verbo*]. Tales antiquitus Presbyteri Alexandriæ κατ' ἰδίαν τῆς ἐκκλησίας ἱστάμενοι [*sua quivis Ecclesia præfecti*], ut Epiphanius loquitur, ἐκκλησίας ἰδίας κατέχοντες καὶ τὸν λαὸν συνάγοντες [*suas separatim habentes Ecclesias & populum cogentes*], ut Sozomenus. Eusebius vocat πρεσβυτέρους πιστευθέντας τὴν ἐξήγησιν τῶν θείων λόγων [*Presbyteros quibus explicatio verbi Divini concredita est*]. Huc refer Ignatii illud ad Smyrnenses, εὐκαίρη βεβαία εὐχαριστία ἐχέσθω, ἡ σὰρξ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἡ ἐν ἧ ἀνέστησεν ἑαυτὸν ἐπιτρέψῃ. [*illa demum vera ac syncera existimanda est Eucharistia, quæ aut sub Episcopo sit, aut sub eo cui is eam potestatem commiserit*]. Diversos autem fuisse gradus hos LXX ab Apostolis, vel inde apparet quod Matthias ex hac classe εἰς τὴν ἀποστολικὴν ἐπισκοπὴν [*in Apostolicum Episcopatum*] provectus est. Ad hoc exemplum Romanis Episcopis jam olim LXX Episcopi Adsessores *Libræ* dicti, quod libra Romana tot solidos contineret. ¶ ἀνὰ δύο, *binos*] quod & in Apostolis Dominus observaverat, non tantùm ad opem mutuam, sed & in majoris testimonii fidem. Ita Moses & Aaron ad Pharaonem mittuntur. Etiam Baptista ad Christum duos mittit: Ecclesia Barnabam cum Paulo. ¶ πρὸ προσώπου, *ante faciem*] Simili functuros officio quo Baptista functus fuerat.

4. βαλλάντιον, *sacculum*] *Zonam*. Vide Matthæum X, 9. צרור [*sacculum*] Job. XIV, 17. ¶ μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε. *neminem per viam salutaveritis*] Festinationis signum, ut suprà IX, 61. Salutationes istæ apud Orientis populos non fiebant levi gestu verbove, sed multis percunctationibus, bonisque omnibus trahebantur, non sine multis corporis flexionibus, osculis, amplexibus.

6. ὁ υἱὸς εἰρήνης, *filium pacis*] Id est, εἰρήνης ἄξιος [*pace dignum*] ex Matthæo: animo ad verum audiendum composito.

7. ἐσθίοντες καὶ πίνοντες τὰ παρ' αὐτῶν· *edentes & bibentes quæ apud illos sunt*] *liberè & velut vestro jure*: Quod sequentia indicant. τὰ παρ' αὐτῶν, *quæ ipsorum sunt*, simili loquendi genere quale Marci III, 21. Et apud Græcos ipsos interdum. Ita hic intelligunt Latinus, Syrus, Arabs.

8. ἐσθίετε τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν· *manducate quæ apponuntur vobis*] *Contenti este quamvis frugali apparatu*: ut ita differat hæc monitio à superiore.

11. καὶ τὸν κονιορτὸν, *etiam pulverem*] Quasi dicat: *tantum abest ut ulla ex vobis commoda sectati simus, missi vestra salutis, non nostra utilitatis causâ*. Vide quæ ad Matthæum. ¶ εἰς τοὺς πόδας ἡμῶν, *pedibus nostris*] Præter Syrum Arabs quoque hanc particulam, & vetus ille in Anglia manuscriptus agnoscit. ¶ πλὴν, *verumtamen*] Vide de hac particula quæ ad Matthæum XI, 22.

16. ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς ἐμὲ ἀθετεῖ, *qui vos spernit me spernit*] Ἀθετεῖν [*spernere*] est ἐξουθενεῖν [*nihili facere*]. Alluditur ad historiam I Sam. VIII, 7. ubi Deus ita loquitur, ὅτι οὐκ ἐμὲ ἐξουθενήκασιν (מאסו), ἀλλ' ἢ ἐμὲ ἐξουθενήκασι [*Non enim te abjecerunt, sed me abjecerunt*].

17. μετὰ χαρᾶς, *cum gaudio*] Non videtur hoc poni cum reprehensionis nota. Nam quod sequitur πλὴν ἐν τούτῳ μὴ χαίρετε [*verumtamen in hoc nolite gaudere*] comparative intelligendum est: ideo subjungitur, χαίρετε δὲ μᾶλλον [*gaudete autem magis*]. Majorem enim gaudii causam minori Christus comparat. ¶ καὶ τὰ δαιμόνια, *etiam dæmonia*] non tantùm morbi. ¶ ἐν τῷ ὀνόματί σου. *in nomine tuo*] Hoc intererat inter Christi miracula & Discipulorum: quod Christus ea faciebat vi propria, Discipuli vi Magistri, cujus nomen etiam nuncupabant, ut ex Actis imo & ex Judæorum libris videre est. Sicut hactenus ad nomen Dei Israëlis cesserant dæmones, ita nunc ad nomen Jesu Nazareni.

18. ἐθεώρουν, *videbam*] *Fuit cum viderem*. Sumendum enim ἀορίστως [*indefinitè*], ut sæpe εἶδον [*vidi*], in Apocalypsi. *Nolite mirari*, inquit, *dæmonia vobis cedere: Nam mihi certò constat ipsum dæmoniorum principem subitò de regno, quod in genus humanum obtinet, casurum*. Vide Johann. XII, 31. ¶ ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *sicut fulgur de cælo*] *Tam subitò*, inquit, *quàm fulgur solet è cælo micare*. Similis comparatio infrà XVII, 24. & Matthæi XXIV, 27. ubi vide. Referenda hæc prædictio ad incredibilem celeritatem propagati per terras Euangelii ad destruendas religiones falsas & omnia opera diaboli. Adumbratum id in casu regni Babylonici Esaiæ XIV, v. 12.

19. δίδωμι, *do*] Quasi dicat, *non pro hac tantùm legatione dedi, sed do nunc etiam in posterum, quandocunque usus ita exiget*. ¶ ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων, *supra serpentes & scorpiones*] Manifesta allusio ad Psalm. XCI, 13. ἐπ' ἀσπίδα καὶ βασιλίσκον ἐπιβήσῃ [*Super Aspidem & Basiliscum ambulabis*]; quanquam ibi de tutela Divinæ providentiæ, hic de mirifica virtute agitur. Dictis eventus respondit. Tertullianus Scorpiace: *Nobis fides præsidium, si non & ipsa percutitur diffidentia signandi statim & adjurandi ac urgendi bestia calcem. Hoc denique modo etiam ethnicis sæpe subvenimus donati à Deo eâ potestate quam Apostolus dedicavit*. Et mox: *At tu, Si fides vigilat, ibidem Scorpio pro solea anathema inlidito*. Vide quæ ad Marcum circa finem. Sed & ad Esaiæ locum XI, 8. respexisse potuit Christus, eoque magis quia & mox Discipuli vocantur νήπιοι [*infantes*]. Locus in Græco Esaiæ sic habet, καὶ παιδίον νήπιον ἐπὶ τρωγλῶν ἀσπίδων καὶ ἐπὶ κοίτῃ ἰγγύτου ἀσπίδων τῷ χεῖρα ἐπιβαλεῖ [*& puer infans in foramina aspidum & in cavernam fœtuum aspidum manum immittet*]. ¶ οὐδὲν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσῃ, *nihil vobis nocebit*] Ita Johannes Apocalypsi II, 11. Ὁ νικῶν οὐ μὴ ἀδικηθῇ ἐκ τοῦ θανάτου τοῦ δευτέρου [*qui vicerit non lædetur à morte secunda*] VI, 6. Τὸ ἔλαιον καὶ τὸν οἶνον μὴ ἀδικήσῃς [*vinum & oleum ne læseris*], VII, 3. μὴ ἀδικήσητε τὴν γῆν [*nolite nocere terræ*], IX, 4. ἵνα μὴ ἀδικήσωσι τὸν χόρτον [*ne lederent fœnum*]. Ex specie genus.

20. ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῖν ὑποτάσσεται, *quia spiritus vobis subjiciuntur*] Τὰ ἀκάθαρτα [*immunda*] scilicet. Nam modò dixerant Τὰ δαιμόνια ὑποτάσσεται ἡμῖν [*dæmonia subjiciuntur nobis*]. ¶ χαίρετε δὲ μᾶλλον, *gaudete autem*] Justior gaudii causa, suæ salutis habere fiduciam, quàm alienæ saluti inservire. nam hoc via est, illud meta. Lætiùs id habere quod sanctis est proprium, quàm quod & aliis communicatur. Ista lætitia periculo superbiæ subjacet: illa demissum gratumque animum Deo subjicit. ¶ ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγέγραπται ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *quod nomina vestra scripta sunt in cælis*] Sicut Latini id quod durabile non est dicunt *in vento & aquascribi*, ita Hebræi pari sensu dicunt *scribi in terra*, id est, *in pulvere*. Jeremiæ XVII, 13. סורי בארץ יכתבו ἀφιστάμενοι ἀπ' ἐμοῦ ἐπὶ τῆς γῆς γραφήτωσαν [*recedentes à te, in terra scribentur*]: Huic contrarium est *scribi in cælo*, id est, *vitæ æternæ adscribi atque destinari*. Meminit quidem & Moses *libri viventium*. Sed ut explicat doctissimus Gerundensis, loquitur ibi pro temporum illorum ratione populariter de censu eorum qui vitam in his terris felicem agunt. Nam ספר vocari Hebræis καταλογεῖον [*catalogum*] notissimum est. Neque aliter interpretandum, quod in Psalmo est, *deleantur è libro* aut censu *viventium* LXIX, 28. Sic & Psalm. CXXXIX, 16. ספר כלם dici videtur *liber* quasi *confusio* omnium quæ in hoc mundo nascuntur. At Christus omnia quæ olim in figuris dicta sunt ad vitam æternam retulit, quam apertè mundo revelaturus venerat. Quare qui per fidem ipsi insiti jus æternæ hæreditatis consequuntur, eorum nomina dicuntur jam nunc *in cælo scribi*, ut hic, aut *in libro vitæ*. Hic est liber ille κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] apud Danielem XII, 4. ubi videndus Jacchiades. Philipp. IV, 3. Johanni in Apocalypsi *liber vitæ*, III, 5. XX, 12, 15. XXI, 27. XXII, 19. *liber Agni* XIII, 8. idem liber scriptus dicitur ab initio mundi Apoc. XIII. 8. & XVII. 8. quia scilicet omnes qui unquam sancti fuerunt per Christum τετελειώθησαν [*consummati sunt*], Heb. XI. 40. *Scribi* ergo *in cælo*, aut *in libro Agni*, aut *vitæ æternæ*, est *per fidei obedientiam censeri Dei Filium, ac proinde & hæredem*, Heb. XII, 23. Chrysostomus in II adversùs Judæos illud apud Danielem, ὁ ἐνταῦθα γεγραμμένος ἐν τῷ βιβλίῳ, τουτέστιν οἱ σωτηρίας ὄντες ἄξιοι [*scriptus in libro*: hoc est, *qui sunt salute digni*]. Nam ad statum præsentem, & quidem sub æqua conditione, non ad æterna eaque pura & peremtoria Dei decreta hæc locutio referenda est. Nam cùm

Apostolorum numero unus fuerit υἱὸς ἀπωλείας, [*filius perditionis*] quis omnes LXXII eum ad quem vocati erant finem assecutos nobis affirmet? Certè propositum Christo fuisse, ut ejus rei illos omnes certos faceret, nemo prudens sibi persuaserit. De Paulo ad Philippenses scribente multò minùs id par est credi, ut qui nullam habuerit talis eventûs certam notitiam. In Constitutionibus quæ dicuntur Clementis lib. VIII. cap. I. hic ipse locus quem præ manibus habemus sic explicatur, Καθὼς αὐτὸς πρὸ παιδίων ἡμᾶς ὁ Κύριος ἐδίδαξεν, λέγων, Μὴ χαίρετε ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῖν ὑποτάσσεται, ἀλλὰ χαίρετε ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν γέγραπται ἐν τῷ οὐρανῷ· ἐπειδὴ τὸ μὲν αὐτοῦ δυνάμει γίνεται, τὸ δ' ἡμετέρα, ἐξ ἑτοιμῆς δῆλον ὅτι βουλομένοις ὑπ' αὐτοῦ· [*sicut ipse nos alicubi instituens Dominus ostendit, dicens: ne gaudete quod spiritus vobis obediunt, sed gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlo: quia illud ipsius virtute fit, hoc verò nostra bona voluntate ac studio, ab ipso scilicet adjutis*]. Philo de Abrahamo: χαυδὴς ἡ μνήμης ἄξιος ὁ εὐλαβὴς, ὃ δὲ ἐν καρδίαις τοῖς ἀπὸ σπλάγχνων διαφθαρησομένοις, ἀλλὰ τὸ ἐν ἀθανάτῳ τῇ φύσει πεφυκὸς τὰς σπουδὰς πεφιξεῖς ἀναγράπτους ἀεὶ συμβιβάσει· [*hic bene sperans celebrationeque memoriâque dignus est, non in chartulis corrumpendis à tineis, sed in immortali naturâ, penes quam sunt commentarii virtutum omnium*]. Simile est quod eorum qui impios convertunt nomina ab Angelis in cœlo prædicari tradunt Judæi, ut videre est in libro cui nomen Poma aurea.

21. Ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, *in ipsa hora*] *Eâ tempestate.* Neque enim certum momentum indicatur. Sic & Matthæus ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ [*in illo tempore*] XI, 25. Venit autem in hanc cogitationem Christus revolvens consilia paternæ dispositionis circa hominum salutem, & munia Doctoris, Sacerdotis, Regis sibi mandata: ut ad Matthæum explicavimus. Nam eò hæc referenda etiam is qui sequitur commate 23, & 24. sermò palàm ostendit. Nam & ille non ad quævis pietatis monita, sed ad Regni mysteria pertinet, ut alterius in Matthæo loci collatio ostendit. Neque uno eodemque tempore hæc dicta sunt: sed quæ rerum argumento cohærebant Lucas more suo uno filo contexuit. ¶ τῷ πνεύματι, *spiritu*], Id est, *animo*, ut sæpe. Nam ἁγίῳ [*sancto*] quod addunt Syrus & Latinus, non agnoscit Arabs, neque Græcorum codicum pars antiquior. Adjectum ab iis videri potest qui cum Didymo existimarunt quoties πνεῦμα [*spiritus*] additur articulus, Spiritum sanctum intelligi. ¶ ἐπιστρέψας πρὸς τοὺς μαθητὰς κατ' ἰδίαν, εἶπε πάντα, *& conversus ad discipulos seorsim dixit omnia*] Cùm habeant hanc particulam Syrus & Arabs, credibilius est ab aliis ideo omissam, quia sequenti commate idem loquendi genus repetitur.

22. Τίς ἐστιν ὁ υἱός, *quis sit Filius*] *Quorsum & qua cum potestate missus.* ¶ τίς ἐστιν ὁ πατὴρ, *quis sit Pater*] Qua bonitate, qua justitiâ, qua sapientiâ; quæ ejus consilia in danda hominibus salute, aut certè excusatione adimenda. ¶ Ἀποκαλύψαι. *revelare*] Idque pro temporum ratione, nunc pauxillum, plus post resurrectionem, plurimum post missionem Spiritûs.

25. Νομικός τις, *Legisperitus quidam*] Exercitatus in Legis quæstionibus. ¶ ἐκπειράζων αὐτὸν, *tentans illum*] An quid Legi contrarium doceret? ¶ Τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω; *quid faciendo vitam æternam possidebo*]? Illud αἰώνιον [*æternam*] delebat Marcio, *ut videretur*, quomodo Tertullianus loquitur, *agi de ea vita quæ in Lege promittitur à Creatore longæva.* Sed rectè id refutat idem Tertullianus, *Sciebat utique Legis Doctor quo pacto vitam legalem consequi posset, ut non de ea interrogasset, cujus regulas etiam docebat.* Quærit omnino de vita æterna, cujus fidem Legisperiti & Pharisæi ex veteri traditione conceperant, ut alibi diximus. Hanc vitam æternam in ipso Legis fœdere non expressam cùm audiret à Christo apertissimè doceri & promitti, scisciari voluit, an iter ad eam vitam idem monstraret quod Lege monstrabatur. Ideo quærit τί ποιήσας [*quid faciendo*]? Nam *faciendo*, id est, *opera illa externa à Lege præscripta præstando*, putabant Legisperiti & Pharisæi se non vitam tantùm temporariam felicem, sed & immortalitatem consecuturos. De præceptis tum rituum, tum ad civilem societatem Hebræorum pertinentibus quæ vocantur חקות [*statuta*] & משפטים [*ritus*] ita pronuntiatur in Levitico XVIII, 5. את חקתי ואת משפטי תשמרו אשר יעשה אתם האדם וחי בהם ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς [*homo faciens hæc vivet in eis*]: *Vitam longævam* scilicet, ut ibidem rectè interpretatur Paraphrastes Chaldæus. Extat eadem sententia de præceptis iisdem apud Ezechielem XX, 11. eademque respicit Nehemias IX, 29. Atque eâdem sententiâ bis utitur Paulus Apostolus *facta*, externa scilicet, de quibus conceptum erat fœdus Legis, & quibus fidebant Judæi, opponens *fidei*, quæ in animo potissimum consistit Rom. X, 5. Gal. III, 12. Pernitiosus plane erat error Legisperitorum existimantium eadem ratione vitam æternam parari, qua immunitas à morte violenta & vitæ caducæ felicitas obtinebatur, quam falsi arguens Christus alibi negat ad regnum cœleste perventuros, qui iustra illam justitiam, factorum scilicet, quâ Legisperiti & Pharisæi contenti erant, constitissent, Matth. V, 20. ubi quæ dicta sunt vide. Interim illud ipsum quod in fœdere illo populari conceptum erat, sapientibus occultiorem præbebat significationem majoris scilicet præmii exspectandi pro majore obedientia. Bene Tertullianus, *pro differentia mercedum, operarum quoque credenda distantia est.* Vidit hoc & Philo, qui verba Legis μυστικώτερον [*sensu mystico*], interpretans ita loquitur, ὁ νόμος φησὶ τὰς προσομιλούσας τῷ Θεῷ ζῆν, δόγμα τιθεὶς ἀναγκαῖον καὶ φιλόσοφον· ὄντως γὰρ οἱ μὲν ἄθλιοι τὰς ψυχὰς τεθνᾶσιν· αἱ δὲ τοῦ ὄντος ἐφάπτονται τῷ ὄντι Θεῷ τεταγμέναι τάξιν, ἀθάνατον βίον ζῶσιν. [*ait Lex eos, qui Deo adhærent vivere admodum philosophicè, neque fanè aliter fieri potest. Cui enim anima male habet eum mortuum dicas licet; qui autem ad verum Deum quàm proximè potest accedit, is verò æternum vivit*].

26. Ἐν τῷ νόμῳ, *in lege*] Christus ostensurus suis institutis Legem non oppugnari, sed perfici, Legisperitum ad verba Mosis rejicit, non illa quidem conscripta in Exodi libro ubi fœdus pangitur & Lex Hebræorum propria recitatur, sed in Deuteronomio, ubi Moses, ut fidelis populi Doctor, monstrat quem scopum sibi Lex proponat, quo homines adductos velit, nempe ad observationem Legis illius quæ non Mosis demum tempore, sed à mundi initio data est, non uni populo propria, sed communis toti humano generi, cui nec abrogari nec derogari potest, quæque in amando Deo primùm, deinde & hominibus alteris, ut naturali nobiscum societate conjunctis sita est. Vide quæ hac de re dicta sunt ad Matth. XXII, 36. ¶ πῶς ἀναγινώσκεις; *quomodo legis*]? *Ignorare non potes quod ipse aliis prælegis atque interpretaris.* Simul, ut videtur, locum Deuteronomii Christus ei monstravit.

28. ὀρθῶς ἀπεκρίθης, *rectè respondisti*] *Bene pronunciasti verba Mosis. Restat ut re ipsa impleas.* ¶ τοῦτο ποίει, καὶ ζήσῃ, *hoc fac & vives*] Quia Legisperitus interrogaverat τί ποιήσας; [*quid faciendo?*] Christus idem quoque verbum sed laxiùs sumtum illi regerit. Strictè ποιεῖν [*facere*] dicitur de factis externis; latè porrigitur etiam ad internos animi motus. Omnino simile est illud apud Johannem, ubi Judæis interrogantibus, τί ποιῶμεν ἵνα ἐργαζώμεθα τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ; [*quid faciemus ut operemur opera Dei*]? Christus voculam ἔργων [*operum*] sed mutato paulùm significatu arripiens respondet, τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ ἵνα πιστεύητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος· [*hoc est opus Dei ut credatis in eum quem emisit ipse*], cum alioquì vox ἔργων strictiùs sumta, pro operibus externis nudè & citra internam animi qualitatem consideratis, fidei, ut intus in animo sitæ, multis in locis opponatur.

29. ὁ δὲ θέλων δικαιῶν ἑαυτὸν εἶπε πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ τίς ἐστί μου πλησίον; *Ille autem volens justificare seipsum dixit ad Jesum, & quis est meus proximus?*] Voluerat Christus Legisperitum adducere ad impotentiæ suæ confessionem, ut viso quid Deus potissimùm exigeret, conscius sibi quàm longè à tam seria ac perpetua dilectione abesset, supplex Divini Spiritus auxilium, sine quo dilectio talis in animum admitti non potest, impetraret. At ille in ferocia Judaica perseverans volebat se justum & probum aliis venditare: id enim hic est δικαιῶν [*justificare*]. Et Deum quidem dubium non est quin satis amatum à se credi vellet ob exactam ceremoniarum omnium observationem. De *proximo*, quia ambigi poterat quàm latè ea vox spectaret, interpretationem Christi postulat. Si enim respondisset Christus ex recepta eorum temporum sententia *proximum* esse quemvis Israelitam, nec alium præterea quenquam, arbitrabatur nihil esse quod etiam hac in parte à se desideraretur. Vide quæ dicta ad Matth. V, 43.

30. ἀπὸ Ἰερουσαλὴμ εἰς Ἰεριχώ, *ab Jerusalem in Jericho*] Qui locus latrociniis infamis, ut notat Hieronymus. An tamen inde nomen habeat מעלה אדמים [*ascensus Adummim*] dubitari potest. Nam is locus ita vocatur in Josuæ libro XVIII, 17. sed sciendum, ut in Mosis, ita & in Josuæ & Samuelis historia, non pauca inveniri quæ multò post Mosem, Josuam & Samuelem à Prophetis & Sapientibus explicandi causa adjecta appareat: quod multis argumentis probari posset si id ageretur. Assentior autem existimantibus hoc loco rem gestam potiùs quàm fabulam narrari.

31. Συγκυρίαν, *accidit*] Quod συντύχημα [*fortuitum*] vocat Aristoteles & describit Phys. II, εἴ τις ἔλθοι ἐπὶ τοῦτο ἐνεκα, ἀπὸ συμβεβηκότος ἦλθεν ἡ τοῦτο ἐνεκα τοῦτο [*quale est hoc, non venerat quidem quo id faceret, sed ita evenit ut id quæsitum venisse feceris*]. David Kimchi putat eandem vim esse in Hebræo

brazo γπο [*subitò*] quod interpretatur מהיר מיד *breve* ἀφαιρέτως [*absque proposito*].

32. ἀντιπαρῆλθε. *pertransiit*] *Præterit contrario itinere*, ab Hierichunte scilicet Hierosolyma properans. Quanquam Christo præcipuè propositum erat docere latiùs extendi *proximi* vocabulum, quàm Judæi putarent, obiter tamen ostendere voluit, sæpe ipsos ne iis quidem, quos *proximos* vocarent, præstare id quod est *proximorum*, id est *amicorum*. Nam qui factis magis quàm animo attendunt, facile excusationem reperiunt etiam ne facta præstent; aut iter urget ut morari non liceat, aut suum quoque periculum metuunt: quale aliquid causatos & hos, Sacerdotem & Levitam, credibile est. At si animus fuisset plenus dilectionis, plenus misericordiæ, & manus & pedes ad sublevandam fœmineæ hominis miseriam ultro festinassent. Nunc leviter fortè moti, & dicto, *Deus misereatur*, ad ἐφημερίας suæ [*muneris ecclesiasticis sui*] functionem gradum accelerabant, parùm memores Divinæ sententiæ à Christo toties inculcatæ: *misericordiam malo, quàm sacrificium.*

33. Σαμαρείτης, *Samaritanus*] Samaritam potiùs quàm ἀλλόφυλον [*alienigenam*] alium Christus nominavit, quod Samaritas Judæi, ut ἀποστάτας [*apostatas*] capitaliore quàm ullos alios odio prosequerentur, ac proinde à *proximi* nomine atque æstimatione longiùs submoverent, idque nomen Christo pro summo probro imponerent. ¶ ἦλθε κατ' αὐτόν, *venit secus eum*] *Propius ad eum accessit.* ¶ ἐσπλαγχνίσθη. *misericordia motus est*] Animi motus sincerus præcedit, quem sequuntur facta animo congruentia.

34. ἐπιχέων οἶνον, *& vinum*] Vinum vulneribus adhiberi solere docet Athenæus illo Mnesithei versu,

Καὶ τοῖσιν ἑλκωθεῖσιν ἀφίλητ' ἔχει.
[*Opemque fert vulneribus præsentissimam*].

¶ ἐπιβιβάσας, *duxit*] רכיב [*vehendum imposuit*]. ¶ εἰς τὸ πανδοχεῖον, *in stabulum*] Bene Latinus Interpres *stabulum*. Nam & in jure Romano *stabulum* πανδοχεῖον vertunt Græci, *cauponam* autem καπηλεῖον. *Caupona* est *ubi bibitur*, *Stabulum ubi recipiuntur viatores*. Hoc Hebræis γπο.

35. ἐπὶ τῇ αὔριον, *altera die*] Hellenistica locutio pro τῇ ἑπομένῃ [*posterâ*]. Diximus alibi.

36. πλησίον γεγονέναι, *proximus fuisse*] Id est, *implesse officium proximi*. Nam sæpe *esse* dicitur *quod facto ostenditur*.

37. ὁ ποιήσας τὸ ἔλεος μετ' αὐτοῦ. *qui fecit misericordiam in illum*] Similis locutio suprà 1, 72. ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν *patribus* ἡμῶν [*ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris*]. Admirabili prudentiâ usus est Christus, ut verum invito extorqueret. Si de Samarita vulnerato Christus narrationem proposuisset, fortè dixisset Legisperitus negligendum fuisse hominem impurum & à sacris alienum. At beneficium collatum in Hierosolymitam tam gravi casu afflictum non potuit non laudare. At hoc ambitu cogitur fateri quod directè videbatur negaturus. Nam *proximus*, *amicus*, *cognatus* sunt τῶν σχέσει τι [*relata*]. Quare si Samarites ille rectè fecit, cum opem tulit Judæo, certè & Judæus rectè faciet, si in casu simili opem ferat Samaritæ. Nam par utrinque est naturæ vinculum, quo uno Samarites, & quidem, judice Legisperito, laudabiliter movebatur. Mutuæ sunt istiusmodi obligationes, non claudicant. Meritò igitur Christus pro collecto habet, si jus perpetuum, naturale, omnibus hominibus commune respiciatur, quod lege civili Hebræorum minimè est antiquatum, imò quò Lex ipsa Hebræa quasi manuducit, neminem hominum à nobis alienum esse censendum, qui aliquid à nobis opis sentire possit. ¶ πορεύου καὶ σὺ ποίει ὁμοίως. *vade & tu fac similiter*]. πορεύου [*vade*] hic hortantis est, ut πορευθέντες [*euntes* Matth. IX, 13. *Imitare*, inquit Christus, *non Sacerdotem & Levitam sed illum Samaritem, & quod illum voluisti præstare Judæo, præsta Judæus extraneo, imò, si resistaferat, etiam Samaritæ. Immutabilia enim sunt naturæ jura. De Deo dubitu facile eum à te amari, sed ni hominem alterum, Dei effigiem juves, manifesti mendacii deprehenderis. Nam qui commendantem amat, amat & commendatos*, Johann. I Epist. IV, 20.

38. κώμην τινά· *castellum quoddam*] Bethaniam. ¶ γυνὴ δέ τις ὀνόματι Μάρθα, *mulier quædam Martha nomine*] Videtur hæc mulier fuisse vidua, quicum frater & soror vixerint.

39. ἣ καὶ, *quæ etiam*] Puto καὶ [*etiam*] nihil aliud hîc esse quam additamentum vocis relativæ. Neque aliter intellexit Syrus. ¶ παρακαθίσασα πρὸς τοὺς πόδας τοῦ Κυρίου, *sedens secus pedes Domini*] Ut Discipuli solebant. suprà VIII, 35. Actor. XXII, 3. Hoc Hebræi dicunt יתיב בסיעי דרבי *sordidare se pulvere pedum Doctorum.*

40. περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν, *satagebat circà frequens ministerium*] Verbum διακονεῖν [*ministrare*] Scriptores nostri usurpant sæpe de iis ministeriis quæ ad vitæ hujus necessitates pertinent, ut videre est Matth. VIII, 15. XXV, 44. XXVII, 55. Marc. I, 31. XV, 41. Supra IV, 39. VIII, 3. Johann. XII, 2. Actor. VI, 2. Hebr. VI, 10. ¶ ἵνα μοι συναντιλάβηται, *ut me adjuvet*] *Ut me sublevet*, ut Rom. VIII, 26. Et in Græcis Exodi XVIII, 22. Psalm. LXXXIX, 21. Quod à nonnullis additur *vicissim*, non video quomodo locum habere hîc possit.

41. Μάρθα, Μάρθα, *Martha, Martha*] Amica compellatio, ut Matth. VII, 21. Marc. XIV, 45. item Marci XIV, 36. Rom. VIII, 15. Galat. IV, 6. ¶ τυρβάζῃ, *turbaris*] Τυρβάζειν [*turbare*] inquiunt Græci Grammatici propriè τὴν πηλὸν ταράξαι [*cænam commovere*], unde porrò ad cætera transfertur. Suidas exponit φροντίζειν [*curare*]. *Distraberis* Latini dicerent.

42. Ἑνὸς δέ ἐστι χρεία, *unum est necessarium*] Non puto de uno fercule Christum hîc agere quod tamen quibusdam valde placere video: satiùs est intelligamus Christum ex occasione ejus quod gerebatur generalem propositisse sententiam: varias esse ac multiplices hujus vitæ curas; sed unam esse rem quæ, si salvi esse velimus, omnino nobis sit necessaria, curam scilicet pietatis: Matth. VI, 26. ¶ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ' αὐτῆς, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*] *Maria*, inquit, *ex multis curis eam elegit & huic uni impensè vacat, cujus fructus in æternum mansurus est. Cætera quæ curantur, caduca sunt* καὶ ἐφήμερα [*& breve tempus durantia*]. Hominum piorum duo sunt genera: alii enim ita pietatem colunt, ut simul familiam, aut rempublicam, aut si quid simile est procurent: alii omni illâ curâ in alios rejectâ totos se precibus & sacris studiis devovent. Sicut illorum sollicitudo non est damnabilis, ita horum multo beatior est tranquillitas, qui in terris incipiunt vitam agere cœlestem. Atque hoc nomine cœlibem vitam nuptæ vitæ præfert Paulus, ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου [*cælebs curam gerit eorum quæ sunt Domini*] nempe unicè atque indefesso studio: ἡ δὲ γαμήσασα μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου [*nupta verò curat mundana*], juxta ea scilicet quæ sunt Domini. Ad illam classem Maria pertinebat, ad hanc Martha. Quare errare mihi non videntur veteres qui in duabus his sororibus exemplum ponunt βίου θεωρητικοῦ καὶ πρακτικοῦ [*vitæ contemplativæ & activæ*], ut & Hebræi in Rachele & Lea, τὴν δὲ ψυχὴν ἡμῶν δίμοιρον ὑπαρχούσης, τὸ μὲν λογικὸν, τὸ δ' ἄλογον ἑκάστου, ἀρετὴν ἑκατέρου ὑπάρχειν συμβέβηκε, Λείαν μὲν τοῦ λογικοῦ, τοῦ δὲ ἀλόγου Ραχήλ [*nam cum anima nostra bipartita sit, partim bruta, partim rationalis, utrisque sua virtus est, Leæ rationali parti, Rachel irrationali*], inquit Philo libro περὶ τοῦ εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου [*De congressu eruditionis quærendæ gratiâ*], quem magno consensu sequuntur Christiani Scriptores.

P R I C Æ U S.

Com. 1. Ἀνέδειξεν, &c. ἑτέρους ἐβδομήκοντα] Bene Vulgatus, *designavit*. In Glossis, Ἀποδεικνύω, *declaro*, &c. *designo*.

Ibid. ἀνὰ δύο] Bene & hîc Idem, *misit illos binos*. In alio Glossario, *Quini*, ἀνὰ πέντε.

Com. 2. Ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι] Videtur hæc Christi dictum proverbiale. Tale Phædri illud,

——— *Materia tanta abundat copia,*
Labori faber ut desit, non fabro labor.

Ex istud 5. 47. Hegesippi, *Plurimi venales, emptores pauci.* Adde Apulei ista, *Gessaminum modus numerum gerulorum excedit.*

Ibid. τῷ Κυρίῳ τοῦ θερισμοῦ] Ità *Dominum segetum* Gellius 2. 29. dixit.

Com. 3. Ὑπάγετε· ἰδοὺ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς ἄρνας ἐν μέσῳ λύκων]

Accipitres inter tanquam vos mitto columbas.
Infestos inter mitto ut ovile lupos.

De filio ille apud Ciceronem Tuscul. 3.

Sciebam me (eum) *in mortiferum bellum, non in epulas mittere.*

Sunt autem & hæc Christi proverbialia. Donatus in 5. 1. Eunuchi, Proverbium est, *Ovem Lupo commisisti.* Suidas, Προβαλόντες νῦν ἄρνας· Ἐπὶ τῶν ἀνεφόρτως τοῖς ἐναντίοις παραδιδόντων. *Lupos* hîc Christus vocat

Homines

——— *Homines hominum vix nomine dignos,*
Queisque lupis diris plus feritatis erat.

Lactantius de Christiani nominis suo ævo persecutoribus, (progenie autem luporum istorum,) *Feras immanitate vincunt, placidissimum Dei gregem vastant,*

——— *lupi seu Raptores.* ———

lib. 5. cap. 9.

Ibid. ἐν μέσῳ λύκων] Vult dicere, Incedèndum est vobis per ignes suppositos cineri doloso. Ἐν μέσῳ (ut Sirach. 9. 13.) *meridiem diabaínere, ἢ ἐπ' ἐπάλξεων πόλεων περιπατεῖτε.*

Com. 4. μὴ πήραν] Vide ad Matth. 10. 10. dicta.

Ibid. μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε] Μηδένα, non de tenuioribus intelligo, sed de iis qui cultu apparatúque conspicui essent: horum occursus enim, ità comparante vivendi usu, vel festinantes morari solet. Apulejus Floridis, *Quibus curriculo confectâ viâ opus est, &c. si quem interea conspicantur ex principalibus viris nobilem hominem, &c. adeunt, ac salutant: ac si diutile illi quidpiam percontetur, ambulant* (melius *una ambulant*) *diutule & fabulantur.* Contra hujusmodi prolixas salutationes, quæ non citra temporis dispendium peragi solebant, videtur Christus eos mandato muniisse: non breves illas quæ communi humanitati debentur, & in transitu fiunt. At melius puto hæc Christi verba ut hyperbolica intelligere: q. d. negotio, quod imposui vobis, toto animo incumbite, præterhabitis vel brevissimis (quod genus sunt salutationes in via occurrentium) obstaculis & moramentis. Tale Apostoli illud 2 Tim. 4. 2. ἐπίσηθι ἐυκαίρως καὶ ἀκαίρως· ad quem locum annotata confer. D. Augustinus Serm. 206 de Tempore, post citata ea Elisæi ad famulum suum, SI TE SALUTAVERIT HOMO, NON RESALUTES EUM, *Pro celeritate est dictum, &c. ac si diceret, ità velociter ambula, ut nullis fabulis in via occupari aut retardari præsumas. Festinantibus respondendi facultatem non dari,* dixit Servius ad Æn. 1.

Com. 7. τὰ παρ' αὐτῶν] Recentior Interpres, *quæ ab ipsis apposita fuerint:* & ità heic Theophylactus, Τὰ παρ' αὐτῶν, τουτέστιν, ἃ προσάγουσιν ὑμῖν. At hoc idem videtur cum eo quod sequitur, τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν. Puto Vulgatum vertisse rectiùs, *quæ apud illos sunt:* id est, ut ego intelligo, *quæ illorum sunt.* Sic Marc. 9. 26. τὰ παρ' ἑαυτῆς πάντα, id est, *omnia sua,* ut bene non solùm Vulgatus, sed & ipse Recentior verterat.

Ibid. ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς μισθοῦ αὐτοῦ ἐστι] Quin & hoc proverbiale est. Suidas, Ἄξιόν ἐστιν τοῦτο βραβεῖον· Ἐπὶ τῶν κατ' ἀξίαν τινὸς τυγχανόντων. Μισθὸν heic (ob vocem ἐργάτης) concinniùs dictum quàm τροφῆς, quod apud Matthæi Interpretem. Vide Rom. 4. 4. 1 Cor. 3. 14. Jacob. 5. 4. ipsúmque illum Matthæi Interpretem 20. 8.

Ibid. Μὴ μεταβαίνετε ἐξ οἰκίας εἰς οἰκίαν] Hoc enim circumforaneorum foret ac mendicantium, probrum cuivis homini summâ ope cavendum: (ζωὴ πτωχοῦ ἐξ οἰκίας εἰς οἰκίαν, Sirachid. 29. 25.) quantò plùs vobis evitandum, legatis meis, tantóque ac tam excelso muneri delegatis?

Com. 8. ἐσθίετε τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν] Ità 1 Cor. 10. 27. Apostolus, τὸ παρατιθέμενον ὑμῖν ἐσθίετε· & apud Homerum ille,

Ἔσθιε, δαιμόνιε, φάγον καὶ τέρπεο θυμῷ·
Ὅσσα πάρεστι

Id est, οἷα παρατεθειταί σοι. In Græco Proverb. 23. 1. Νόει τὰ παρατιθέμενά σοι. Aristoteles Polit. 1. de Mida, Παντων τῶν παρατεθειμένων αὐτῷ χρυσῶν γλυκειῶν.

Ibid. τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν] Propriè heic παρατιθέμενα. Vide ad Actor. 16. 34. dicta.

Com. 11. πλὴν τοῦτο γινώσκετε] Ità 1 Reg. 5. 7. πλὴν γνῶτε τοῦτο, καὶ ἴδετε. Vide ad 2 Tim. 3. 1. dicta.

Com. 12. ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ] Ità & 2 Tim. 4. 8. Vult dicere, ut apud Matthæum hoc loco, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως· vide ad 2 Tim. 1. 12. annotata.

Com. 13. καθήμενοι μετενόησαν] Καθήμενοι (ut Matth. 6. 5. ἑστῶτες) potest idiotismus esse; Matthæi enim Interpres hoc loco, μετενόησαν tantùm: Cùm autem heic de luctu agatur, melius vocem eam suâ significatione accipere. Apulejus de æruminoso illo, *Sedebat humi, scissili palliastro semiamictus,* &c. ed quem locum nescio quæ annotavimus. Adde Job. 42. 6. Esther. 4. 3. Jonæ 3. 6.

Com. 15. ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα] Ἡ

——— μέχρι νεφῶν ἡ ὀφρῦς αἰωρεῖται.

Ὑψωθεῖσα, passivum pro reciproco: sensus enim est, quæ ita superbis ex hodierna opulentia tua. Vide Job. 42. 6.

Ibid. ἕως Ἅιδου καταβιβασθήσῃ] Sen. Octav.

——— *Sis licet structu eminens,*
Opibus superba, gaudium capies breve.

Ἕως Ἅιδου καταβιβασθήσῃ, est, καταρριφθήσεται (ut Thren. Jerem. 2. 1.) ἀπ' οὐρανοῦ τὸ δόξασμά σε. Vide & in Græco Esaiæ 14. com. 11, 12, 13, & 15. Καταβιβάζεσθαι itidem de desolatione Tyri habemus Ezech. 28. 8. *Ad Inferos,* est, ad infimam miseriæ sortem: quo sensu *capite ad Inferos dejecto incedere,* habemus apud Apuleium; & *in cælo positum ad Inferos trahere,* apud Petronium. Vult dicere, felicitas ista tua ingruente bello Hierosolymitano mutabitur in æruminas. Hesychius, Κρίσεται· Ἅιδι συμφορᾷ. De Fortuna. (& quid hic à Christo prædicitur nisi fortunarum mutatio?) vetus Epigrammatarius Anthолog. 7.

Τὰς δ' ἀπὸ τῶν πελάων εἰς Ἅιδλιν καταγει.

Com. 16. ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς, ἐμὲ ἀθετεῖ] Ita 1 Thess. 4. 8. Apostolus, Ὁ ἀθετῶν, οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ τὸν Θεὸν, &c.

Ibid. ὁ δὲ ἐμὲ ἀθετῶν, ἀθετεῖ τὸν ἀποστείλαντά με] Sive respicior ut legatus ejus, quo pacto contumelia mei in illum qui me misit recidit, (ἃ γὰρ ἂν πρός τινας ὑπομείνωσιν, ἐπὶ τοὺς πέμψαντας τὴν ἀναφορὰν λαμβάνει) (Philo Jud.) sive (quod longe excellentius est) ut filium ejus: vide Joh. 5. 23. (ubi & πέμπειν est quod hoc loco ἀποστέλλειν) & Joh. 10. 23. (ubi μισεῖν non est, *odio habere,* sed quod heic ἀθετεῖν·) adde l. 8. § ult. ff. de injur. &c. Atherbal ad Senatum Romanum, apud Salustium Jugurth. *Vos in mea injuria despecti estis.* Dorimachus apud Polybium lib. 4. Messenios alloquens, ineptos vocat eos si dum se detinere meditarentur, non Ætolis potius quam sibi injuriam inferre crederent. Mennius apud Tacitum Annal. 1. ad milites vim intentantes sibi, non Præfectum, sed Germanicum Ducem, sed Tiberium ipsum ab iis violari ait: & Thrasybuli filius (apud Plutarchum) à Periandro in cœna loco inferiore ordinatus, ἐν ἐμοὶ (inquit) ἡ πίμψουσα φρουρὰ βουλόμενον, &c. δῆλός ἐστι.

Com. 17. ὑπέστρεψαν &c. μετὰ χαρᾶς] Ità & infra 24. 52.

Com. 18. Ἐθεώρουν τὸν Σατανᾶν ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα] Non hoc vult, Vidi Satanam de cœlo cadentem, (inde enim jam olim ceciderat,) sed, Vidi Satanam cadentem, (nempe de principatu ac tyrannide sua) tam rapide quam fulgur de cœlo micare solet. Ἐθεώρουν puto enallagen esse, pro θεωρῶ. Video brevi ruiturum eum. Celeritas nimia proverbialiter solet fulguri assimilari, vide Matth. 24. 27. Apulejus de aquila, Florid. 1. *Ruit sese fulminis vice: de cælo improvisa.* Suidas de Indaco, celerrimo cursore, Οἷα ἰὸς ἀστραπὴ ἐκ κεραυνοῦ, ἢ τρίχολα μᾶλλον ἢ πετομένου ἰοπώς. Appianus in Præfatione, Διὰ τὴν βραχύτητα τοῦ χρόνου ἀστραπῇ παρεικασεν. Tale apud Senecam Tragicum,

——— *Aut qualis cadit*
Delapsa cælo stella, cùm stringens polum,
Rectam citatis ignibus currit viam.

Ovidius de Phaetonte,

Volvitur in præceps, longóque per aëra tractu
Fertur, ut interdum de cælo stella sereno
Etsi non cecidit, possit cecidisse videri.

Ad celerem istam, tantàque cum potentia factam Euangelii propagationem, quàm hic Christus innuit, pertinet (inter alia) illud Act. 19. 20. ἐκ κράτους ηὐξάνετο.

Ibid. ἐν τῷ οὐρανῷ πεσόντα] Vagellius apud Senecam Natur. quæst. 6. 2.

Si cadendum est mihi, cælo cecidisse velim.

Com. 19. οὐδέν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσει] Ita & in tabula Cebetis, Οὐδὲν οὐ μὴ ἀδικηθήσεται. Ut vocabula quædam à latitudine sua restringuntur ad specialem significationem quampiam, ita alia vicissim à propria & speciali ad latiorem significatum extendi solent: quod & heic in ἀδικεῖν factum. Exempla autem negationum trium junctim occurrentium ad Matth. 24. 21. adduximus.

Com. 20. ἐν τούτῳ μὴ χαίρετε, ὅτι, &c.] Id est, nolite tam ob hoc gaudere, quod, &c. quam quod, &c. Vide ad Matth. 10. 20. notata. Ἐν τούτῳ hic, ut & 1 Joh. 3. 24. abundare videtur.

Com. 21. ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι] Ità rectiùs quàm adjuncto ἁγίῳ, quod in quibusdam codicibus. Additur τῷ πνεύματι autem ad indicandam gaudii ejus magnitudinem: sic Joh. 16. 22. χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία, intensius multò est quàm si χαρήσεσθε dixisset. Tale & Homericum illud,

——— γίγαθε δ' ἔμπης Φρένα Λητώ.

Quod verbis Gellii (laxioribus, significantissimis autem) est, *gaudere gaudium, non pigrum, leve, & quasi in summo pectore supernans; sed imimum, genuinum, ex ipso penetrali cordis atque animæ vigens:* ex quibus commodè intelligi datur qualis & heic ista Christi exsultatio fuerit. Nec dissimile 2 Cor. 7. 4. τῇ χαρᾷ ὑπερπερισσεύομαι. Vide suprà 1. 47. & ibi annotata.

Ibid. ἦ εἶπεν, Ἐξομολογοῦμαί σοι, πάτερ] Ex gaudii quadam redundantia Patri gratias laudésque refert. Simile 28. 7. apud Psalmistam, Ἀνέθαλεν ἡ σάρξ μου, καὶ ἐκ θελήματός μου ἐξομολογήσομαι αὐτῷ. Post ἐξομολογοῦμαί σοι supple χάριν· ut in illis suprà 2. 38. Ἀνθωμολογεῖτο (i. e. ὡμολογεῖτο) τῷ Κυρίῳ· ubi vel χάρις, vel ἔπαινος supplendum, vel utrumque. Suidas, Ἐξομολόγησις, εὐχαριστία. *Confiteor* ergò, ut vertunt, est, solvo gratias. Seneca 72 Epist. *Interdum solutio est ipsa confessio.*

Ibid. ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν] Σοφοὶ hìc, Matth. 11. 25. & 1 Cor. 1. 20. sunt, aut quales 1 Cor. 1. 26. οὐ πολλοὶ σοφοὶ· aut quales Rom. 1. 22. φάσκοντες σοφοὶ εἶναι. Et hanc posteriorem expositionem sequitur D. Augustinus in Psal. 8.

Ibid. καὶ συνετῶν] Quales dicto ad Corinthios loco 1. 1. 20. συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου.

Ibid. καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις] Νήπιοι heic, Apostoli jam dicto loco, com. 26. τὰ μωροὶ τοῦ κόσμου. D. Augustinus in Psal. 77. de Lege Dei loquens, *Quod infunditur, concavo humilitatis excipitur, eminentiâ tumoris expellitur.* Euthymius ad Angeli Luc. 2. ea, ANNUNCIO VOBIS GAUDIUM, *Scribis & Pharisæis non annunciavit hoc gaudium: cùm enim perversi essent & invidi, non erant credituri: sed pastoribus, qui versutiâ & invidiâ carebant.* Adde heic ad Matthæum dicta.

Ibid. οὕτως εὐδοκία ἐγένετο ἔμπροσθέν σου] Sic Jobi 1. 21. ὡς τῷ Κυρίῳ ἔδοξεν, οὕτως ἐγένετο· & Jonæ 1. 14. Σὺ, Κύριε, ὃν τρόπον ἐβούλου, πεποίηκας. Virgil. Georg. 4.

Quippe ità Neptuno visum est ———

Ad quæ Servius, *Ubi deest ratio, sic loquitur:* puto *loquimur* legendum. Adde ad Matthæum notata.

Com. 22. Πάντα παρεδόθη μοι ὑπὸ τοῦ πατρός μου] Esne quod Matth. 28. 18. & Joh. 13. 3? an verò hæc verborum istorum sententia? Quæcunque doceo & facio, proveniunt ex tradita mihi à Patre potestate & sapientia. Οὐδεὶς ταῦτα σημεῖα (ut Joh. 3. 2.) δύναται ποιεῖν ἃ ἐγὼ ποιῶ, ἐὰν μὴ ᾖ ὁ θεὸς μετ' αὐτοῦ.

Ibid. οὐδεὶς γινώσκει τίς ἐστιν ὁ υἱὸς, &c.] Τίς ἐστιν, & heic, & in sequente orationis membro, item Joh. 4. 10. succinctè omnia comprehendit personam comitantia. Asconius in verba *qui fis*, Divinat. in Verrem, *Non in numine tantùm, & in genere est; sed & in omnibus personæ attribuis. Ergò, qui fis, & quòd Siculus, eminet, & quòd indoctus, & quòd non intelligeret*, &c.

Com. 23. κατ' ἰδίαν] Suidas, Κατ' ἰδίαν, ἰδίως.

Com. 25. νομικός τις ἀνέστη, ἐκπειράζων αὐτόν] Par illud apud Phrygium fabulatorem, Ἀνήρ τις καπηλεύσιμον εἰς τὴν ἐν Δελφοῖς ἦλθεν Ἀπόλλωνα, πυθέσθαι αὐτὸν βουλόμενος. Vocem νομικὸς habes apud Arrianum 2. 13. in Epictetum, & Plutarchum in Syllæ vita. Recentior *legis interpres* vertit, meliùs Vulgata versio, *legis peritus.* In Glossario, Νομικὸς, ὁ νόμους εἰδὼς, *legis peritus.*

Com. 26. πῶς ἀναγινώσκεις;] Id est, ut Marc. 10. 3. at in re alia, τί ἐνετείλατο ὑμῖν Μωσῆς;

Com. 27. Ἀγαπήσεις κύριον, &c. ἐξ ὅλης τῆς καρδίας (κ)τ] Ità 7. 23. Sirachides, Ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου εὐλαβοῦ τὸν Κύριον· & 13. 6. apud Tobiæ Scriptorem, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σοῦ ἐξομολογοῦ Κυρίῳ. Plinius lib. 6. epist. 14. *Mei stomachi hæc natura est ut nihil nisi totum ac merum velit:* quæ eminenter dici possunt de summo Numine. Virgil. 9. *Pectore toto:* ubi Servius, *omni affectu.* Donatus in Adelph. 5. 7. *Ex animo facere est*, &c. *ex tota mente præstare, non perfunctoriè.* Adde ad Matth. 22. 37. dicta. Ovidius,

O penitus toto corde recepte mihi!

Ibid. ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου] Ἀγαπήσεις nempe. Sic ἐκ τῆς καρδίας φιλεῖν, in Nubibus Aristophanis.

Ibid. καρδίας, &c. ψυχῆς, &c. ἰσχύος, &c.] Vulgat. *ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus tuis.* Plaut. Captivis,

Id petam, id persequárque corde, animo, atque viribus.

Ibid. ἐξ ὅλης τῆς καρδίας] Servius ad Æn. 9. *Pectore toto; omni affectu. Et est de proverbio. Cicero in de Legibus, Nisi toto pectore amatur, ut dicitur. Cùm enim, ut dicitur, dicit, ostendit proverbiale.*

Ibid. καὶ τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν] Non dicit, τὸν ἀγαπῶντά σε, aut τὸν ἀγαθοποιοῦντά σε· id enim & Gentes faciebant, suprà 6. 32, 33. (Cicero in Lælio, *Eodem modo erga amicum affecti simus quo erga nos ipsos:* & lib. 1. de Legibus, *Est in amicitia necessarium ut alter nihilo sese plus quàm alterum diligat.*) at τὸν πλησίον σου· id est, quemvis hominem. Quo modo autem quâque mensurâ illud ὡς (quod heic similitudinis quidem, at non perfectæ æqualitatis nota est) in usu vitæ adimpleri debeat, difficile, imò impossibile est certis regulis astringere, & finibus coercere, cùm id quod heic præcipitur non sub formulam cadat, ut quæ legibus comprehendi solent; nec verò in puncto consistat, ut quæ mathesis tractat; at in boni prudentisque viri arbitrio, diligentique personarum, locorum, & temporum ac rerum pensitatione.

Com. 28. τοῦτο ποίει, καὶ ζήσῃ] Phocylides,

Ταῦτα πόνει, ταῦτ' ἐπιμελοῦ, τούτου χρὴ ἐρᾶν σε.
Ταύτῃ σε τῆ θείᾳ ἀρετῆς εἰς ἴχνια θήσει.
Hæc summa virtus, petitur hâc cælum viâ.
——— *Semita certè*
Æterna has per virtutes patet unica vita.

Vide Genes. 42. 18. Levit. 18. 5. Deuteron. 4. 1. & 32. 47. Proverb. 7. 2. Esaiæ 55. 3. Ezech. 20. 11.

Com. 30. Ἰωαλαβὼν ὃ ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν] Ælianus Var. 2. 34. Ἰωαλαβὼν ὁ Ἐπίχαρμος, ὃ βίλλεσι, εἶπεν, &c. Idem 1. 34. Ἰωαλαβὼν ὁ βασιλεὺς, ἔφη, &c.

Ibid. Ἰωαλαβὼν ὃ ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν] In Excerptis Diodori Siculi pag. 308. edit. Paris. Ὁ δὲ Δομίτιος Ἰωαλαβὼν, ἔφησεν, &c. Hesychius, Ἰωαλαβὼν, ὑποπτεύεις. Recentior, *excipiens*, bene: ità enim & Virgilius: bene & Vulgatus, *suscipiens.* Apulejus 2. Milet. *Suscepit illo de lectulo:* & 4. *Suscepit unus ex illo posteriore numero*, &c.

Ibid. λῃστὰς περιέπεσεν] Sic, *in latrones incidere*, in l. merito. ff. pro socio. In Excerptis Diodoti Siculi, λῃστῇ περιέπεσεν dicitur: Artemidoro 2. 22. πειρατῶν ἀνθρώπους ἁρπαστάς. Λῃστὰς περιέπεσεν, est & apud Diogenem Laertium in Bione.

Ibid. ἐκδύσαντες αὐτὸν] Glossarium, ἐκδύω, *exspolio, despolio:* Ἔκδυτης, *despoliator.* Despoliare, latronum est. Philo in de Somniis, Λωποδύτας τῷ, &c. ἀναμφιέννυσι τοὺς μὴ ἡθῆτας ἀφαιρῶσθαι, γυμνοὺς δὲ τοὺς ἔχοντας ἀποφαίνει. D. Augustinus in Psal. 69. *Quæris latro tunicam viatoris; latro ad hoc occidit, ut exspoliet*, &c. Hujus loci sunt & Hesychii ista (at fortè in prima voce mendosa) Συλλαβὼν ὁδὸν, τοὺς συλῶντας καὶ ἐκδύοντας.

Ibid. καὶ πληγὰς ἐπιθέντες] Ex more id genus hominum, qui non despoliant tantùm, sed & vulnerant. Cicero 7. 9. ad Atticum, de L. Quinctio, *Ad bustum Basili vulneratus & despoliatus est.*

Ibid. πληγὰς ἐπιθέντες, ἀπῆλθον, ἀφέντες ἡμιθανῆ] Plutarchus in Lacænarum apophthegmatis, Πολλὰς πληγὰς λαβόντος, καὶ ἀπενεχθέντος εἰκαδε ὡς τεθνηκότος.

Ibid. ἀφέντες ἡμιθανῆ] Aristides in Rhodiaca, ἀπολειφθέντες ἡμιθνῆτες. Tacitus Annal. 3. *Quasi exanimes linquebantur.* Recentior Interpres, *semineces relictos:* malè facerem si damnarem nam & *Semianimum liquit* —— apud Virgilium lego, & in Glossis, *Semineces*, ἡμιθνῆτα, καὶ ἡμιθανῆ· si non Latinitas, tamen saltem damnanda est morositas ejus; idem implevit enim Vulgati illud, *semivivo relicto.* Gellius 7. 21. *Quoad vivet, cùm dicitur, item, quoad moritur, videntur quidem duæ res dici contrariæ; sed idem atque unum tempus utrâque verba demonstrant*, &c. *tempora enim duo cùm inter se opposita sunt, atque ità cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio misceatur, non refert utrùm per extremitatem prioris, an per initium sequentis locus ipse confinis demonstretur.* Adde quòd & *semivivum reliquerunt* Cicero ad Atticum dixit.

Com. 31. Κατὰ συγκυρίαν, &c.] Id est, ἐξ συντυχίας. Hesychius, Συγκυρία, συντυχία. Κατὰ συγκυρίαν habes & apud Epiphanium

Epiphanium Hæreſi 1. Cicero 2. 12. ad Atticum *συγκύρημα* dixit. In Heſychio autem ubi legimus, Κατὰ ζυνδασμὸν, ἢ κοινωνίαν, ἢ σύμπραξιν, ἢ συγκυρίαν· videtur ultimo loco ſcribendum ἢ σύγκρασιν· aut alia quæpiam vox aptior ſupponenda eſt: ἢ συγκυρίαν, enim, niſi animi fallor, corruptum eſt. Eſt & corruptum illud *συνδασμὸν*, pro quo *συνδυασμὸν* reponendum.

Ibid. *κατέβαινεν*, &c.] Scholiaſtes ad Iliad. Καταβλώσας, κατιλθών, ἐφ' ὕψους γὰρ ἐστιν ἡ πόλις.

Ibid. *ἰδὼν αὐτὸν, ἀνέπαρεῖλθεν*] Plutarchus de Caio Gracho, Ὁρῶν ἵνα τὸ ξίφος αὐτῷ, &c. ἐλαύμενον ὑπὸ τῶν ὑπηρετῶν τῷ Φανίᾳ, παρῆλθεν.

Com. 32. *ἐλθὼν καὶ ἰδὼν, ἀνέπαρῆλθεν*] Venit, vidit, tranſivit. In ſententiis Damocratis, Ὁ βιῶν παρόδῳ, ἦλθες, ἴδες, ἀπῆλθες.

Com. 33. *ἦλθε κατ' αὐτὸν*] Ut videret quis homo ille, & quid rei eſſet. Apulejus 4. Florid. *Propius acceſſit, ut incognoſceret (more ingenii humani) quiſnam eſſet.* In Plauti Amphitryone, *Qui ante ades noſtras ſic jacet*, &c.

——— *Ibo, & cognoſcam quiſquis eſt.* ———

Com. 34. *κατέδησε τὰ τραύματα αὐτῦ*] Κατεδήσατο habemus itidem hoc ſenſu Sirachidis 27. 21. ibidem 30. 7. *καταδεσμίων*, & in Eſaiæ Græco 1. 6. *καταδεσμός*. Tacitus Annal. 15. *Vulneribus ligamenta, &c. parare eundem jubet:* id eſt, *καταδεσμεῖν*, vel *ἐπιδεσμεῖν*. Suidas, Ἐπίδεσμος, ὁ ἐπὶ τῇ πληγῇ δεσμός. *Faſciolis plagas vincire*, Apulejus dixit. Optimè Vulgatus autem, *alligavit vulnera ejus.* Sic *vulnus alligare*, Tragicus vetus apud Ciceronem, Tuſcul. 2.

Ibid. *ἐπιχέων ἔλαιον καὶ οἶνον*] Sedulius ad Rom. 16. de Aquila & Priſcilla, *Paulum virgis caſum vino oleóque, &c. medicati ſunt.*

Ibid. *ἐπιβιβάσας ἐπὶ τὸ ἴδιον κτῆνος*] Sic Actor. 23. 24. Κτήνη, &c. *ἵνα ἐπιβιβάσαντες τὸν Παῦλον*, &c. Joſue 2. 6. *ἐπὶ τὸ δῶμα ἐπιβιβάζειν*· & 4 Reg. 9. 28. in Græco, *ἐπὶ τὸ ἅρμα ἐπιβιβάζειν*. Heſychius, Ἐπιβιβᾷ· (fortè *ἐπιβιβάζω* legendum,) *ἀναφέρει*. Appianus in Ibericis, Τὰς ἀμάξας ἐπὶ τὰς ἵππους ἀνεβίβασεν. Ἐπὶ ἵππων ἀναβιβάζων, eſt & Diſſert. 19. apud Maximum Tyrium.

Ibid. *ἤγαγε αὐτὸν εἰς πανδοχεῖον*] Ità, *ad hoſpitium* (id eſt, ut hoc loco, *ſtabulum*, πανδοχεῖον, adeóque hominem à latronibus ſpoliatum) *perducere*, lib. 1 Apuleji.

Com. 35. Καὶ ἐπὶ τῇ αὔριον ἐξελθών] Μετὰ ταῦτα nempe, (ut Sapient. 5. 14.) *καταλύτης*.

Ibid. *ἐκβαλὼν δύο δηνάρια ἔδωκε τῷ πανδοχεῖ*]' Sic jam citato Apuleji libro *pretio manſionis ſtabulario perſoluto*: ubi *ſtabularius* (ut & Vulgato noſtro) πανδοχεύς· pro quo (ut paſſim otiosè) Recentior, *hoſpiti* dixit. In vetere Onomaſtico, *Stabularius*, πανδοχεύς.

Ibid. *ἐπιμελήθητι αὐτῦ*] *Curam habe illius.* In vetere Onomaſt. *Curo*, ἐπιμελέομαι. Et bene ἐπιμελήθητι de vulnerato homine curando. Hinc ἐπιμεληταὶ οἱ τὰς τετρωμένους ἐν πολέμῳ θεραπεύοντες, inquit Suidas è Xenophonte.

Ibid. *καὶ ὅ, τι ἂν προσδαπανήσῃς, ἐγὼ*, &c. *ἀποδώσω σοι*] Syneſius 52 Epiſt. Καὶ ὅ, τι ἂν ὑπὲρ τὴν τιμὴν καταβῇ, παρ' ἐμοὶ πολλαπλάσιον κείσεται. Excerpta vet. Gloſſ. *Reddam*, ἀποδώσω.

Ibid. *ἐγὼ*, &c. *ἀποδώσω σοι*] Ἐγὼ (ut Epiſt. ad Philem. com. 19.) ἀποτίσω. Auſonius ad Gratianum Imperatorem, *Prabes miniſtros, inſtruis cibos, fomenta diſpenſas: ſumptum adjicis medelarum.*

Com. 37. *καὶ σὺ ποίει ὁμοίως*] —— *Tu quoque fac ſimile:* id eſt, quemvis hominem tuum proximum exiſtima. D. Auguſtinus in Pſal. 25. *Proximus tuus ille eſt qui tecum natus eſt ex Adam & Eva: omnes proximi ſumus conditione terrena nativitatis:* & pòſt, *Proximum tuum debes putare omnem hominem, & antequam ſit Chriſtianus. Cognationem quandam inter nos Naturam conſtituiſſe* ait JCtus.

Ibid. *καὶ σὺ ποίει ὁμοίως*] Sic Epheſ. 6. 9. Apoſtolus, καὶ οἱ κύριοι τὰ αὐτὰ (id eſt, ὁμοίως) ποιεῖτε.

Com. 38. *εἰς κώμην τινὰ*] Recentior, *in vicum quendam.* Vulgat. (quod eodem recidit) *in caſtellum quoddam.* Gloſſarium, Κώμη, *villa, vicus, caſtellum:* & in vetere Onomaſtico, *Caſtellani*, κωμῆται.

Ibid. *γυνή τις ὀνόματι Μάρθα*] Nomen frequens regionibus iis. Plutarchus in Mario, Σύριαν γυναῖκα, Μάρθαν ὄνομα, &c.

Ibid. *ὑπεδέξατο αὐτὸν*] Gloſſæ, *Suſcepit*, ὑπεδέξατο.

Com. 39. *παρακαθίσασα πρὸς τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ*] More diſcentium. Παρακαθίζειν eodem planè ſenſu habet & Arrianus 2. 21. in Epictetum.

Com. 40. *περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν*] Περιεσπᾶτο, nempe *vel*, vel *διανοίᾳ*. Ità 1 Diodori Siculi, τῇ διανοίᾳ περὶ πολλὰ διασπωμένης. Sirachides 41. 2. de egeno, περὶ πάντων περισπώμενον. Gloſſæ, *Deſtrictus*, περισπασθεὶς, &c. Vocem περισπασμὸς habemus Eccleſiaſtæ 1. 13. 3. 10. 4 8. & 5. 14. item 12. 2. apud Marcum Antoninum: & contrà 1 Cor. 7. 35. adverbium ἀπερισπάστως. Περισπᾶσθαι περὶ πολλὴν διακονίαν, eſt quod Latinis hoc in argumento, *curſitare, currere, diſcurrere.* Horatius de mute urbano murem ruſticum cœnâ excipiente,

——— *Veluti ſuccinctus curſitat hoſpes.*

Idem 4. Carm. 11.

Cuncta feſtinat manus, huc & illuc
Curſitant mixtæ pueris puellæ.

Apud Petronium in apparatu cœnæ Trimalcianæ, *Longè arceſſere fabulas cœpi, ſciſcitarique quæ eſſet illa mulier quæ huc atque illuc diſcurreret.* D. Ambroſius cap. 8. lib. de Elia & jejunio, *Sileat aliquando domus à multis perturbationibus huc atque illuc diſcurrentium. Diſtrahi* autem vel (ut hic Vulgatus) *ſatagere* circa frequens miniſterium ſub hoſpitum amicórúmve adventu, & res ſolennis eſt, & cum excuſatione quadam neceſſaria: Τῷ παρεκδαίζοντι ζυμπόσιον, &c. ὡς ἐυχερὲς, ait Maccabæorum Scriptor 2. 2. 27. Juvenalis,

Hoſpite venturo ceſſabit nemo tuorum;
Verre pavimentum, nitidas oſtende columnas:
Arida cum tota deſcendat aranea tela:
Hic leve argentum, vaſa aſpera tergeat alter.

Εἰ πολλὴν διακονίαν. Plutarchus in materia ſimili fine libri περὶ Φιλοπλουτίας, Τῶν λύχνων ἀντίχεται, περικόπτῃ περὶ τὰς κύλικας, ἀλλάττει τὰς οἰνοχόους, μεταμφιεννύει πάλιν, πάλιν περιᾴττει. Ubi & nota vocabulum περιᾴττει, quo & Lucas uſus.

Ibid. *ἐπιστᾶσα ἢ εἶπεν*] Vulgatus, *quæ ſtetit, & ait*; particulam ἢ in pronomen ἡ mutans, & hoc non ſemel: nam & infrà 18. 28. illa, ὁ ἢ εἶπεν, QUI DIXIT vertit.

Ibid. *μόνην με κατέλιπε διακονεῖν*;] Sermo plus æquo gravari ſe querentium. Moſes ad populum Deuter. 1. 12. Πῶς δυνήσομαι ἐγὼ μόνος φέρειν τὸν πόνον, &c. Idem ad Deum Numer. 11. 14. Οὐ δυνήσομαι ἐγὼ μόνος φέρειν τὸν λαὸν τοῦτον. Nævius,

Miſerum me! cui datum eſt ut hunc ſolus perpetuum laborem.

Contrà, de Deo Apulejus, lib. de Mundo, *Nec multùm ei opus eſt, nec partitis hominum conſervitiis, quibus propter ignaviam appoſitum eſt pluribus indigere.*

Ibid. *ἵνα μοι ζυναντιλάβηται*]

Ut aliqua pars laboris minuatur mihi,

Terentius in Prologo Heautont. dixit. Locutio (id nemo enim mihi viſus docuit) ab iis ſumpta eſt qui ſolent partem onerum ſublevare: unde & in Græco Exod. 18. 22. pòſt κουφίσει ἀπὸ σοῦ, ſequitur, καὶ ζυναντιλήψονταί σοι. Plinius eádem ferè metaphorâ lib. 2. epiſt. 9. *Teque obſecro ut aliquam oneris mei partem ſuſcipere tanti putes.* Vulgatus hic, *ut adjuvet me:* quomodo & Rom. 15. 20. ζυναγωνίζεσθαί μοι, *ut adjuvetis me.*

Com. 41. Μάρθα, Μάρθα] Ut & infrà 22. 31. Σίμων, Σίμων. Habent gravitatem vocabuli repetitiones iſtæ, monentiſque affectum auctoritate quadam mixtum demonſtrant.

Ibid. *μεριμνᾷς*, &c. περὶ πολλά] Sollicita erat de pluribus, indè illa diſcurſatio ejus. Andronicus Rhodius 4. 5. Οὐ δυνατὸν σωφρόνειν τὸν περὶ ὀλίγων φροντίζοντα. Nota & quàm congruè *μεριμνᾷς* de domûs conviviique domina prolatum. In Terentii Phormione 2. 2.

——— *Cùm ille curâ & ſumptu abſumitur*
Ut ſit quod tibi placeat. ———

Ad quem locum Donatus, *Sumptu in emendo, curâ in apparando: & hoc eminenter adjectum eſt, non ſui curam, ſed convivarum gerere illum qui vocat.* Φροντίζειν eodem ſenſu habemus Sirachidis 32. 1. Μεριμνᾶς vertit Vulgatus, *ſollicitaſti*, Latiniſſimè. Horatius,

Tene, ut ego accipiar lautè, torquerier omni
Sollicitudine diſtrictum ne panis aduſtus,
Ne male conditum jus apponatur? ——

Seneca de Brevit. vitæ, cap. 12. *Convivia iſtorum non poſuerim inter vacantia tempora, cùm videam quàm ſollicitè*

argentum erdinant, &c. *quàm suspensi sint quomodo operaeque exeat.* Terent. Heaut. 3. 1.

Relivi delia omnia, omnes feriae,
Omnes sollicitos habui. ——

Julius Firmicus, *Faciet popinarios, & qui alienarum voluptatum curam sollicitudinémque sustineam:* etiam Arnobius, *sollicita cautionis diligentiâ praparare* lib. 2. dixit.

Ibid. τυρβάζῃ] Inertiâ strenuâ exerceris. Τυρβάζει Suidas ἐτοιμάζειν ἢ φροντίζειν· exponit: quorum utrumvis huic loco congruit.

Com. 42. Ἐνὸς δέ ἐστι χρεία] Ἓν ἴδε πολλοῦ ἄξιον, 6. 33. dixit Marcus Antoninus. Apulejus Florid. de Indiæ gymnosophistis, *Non nôrunt aurum colere, vel aurum colere, vel equum domare, vel taurum subigere*, &c. *unum pro his omnibus nôrunt, sapientiam percolunt.* Anonymus apud Suidam, verb. πολλοῦ δεῖ.

Πολλ' εἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἰχθῦς ἓν μέγα.

Arrianus ad Christi verba non inappositè, Ἐκεῖ δυνάμενοι ἐκπεμπλῆξαι, ἢ ἐπὶ σφᾶς αὐτοὺς ἐκπλῆσαι ἑαυτὰς, μᾶλλον θέλομεν πολλῶν ἐκπεμπλῆξαι, ἢ πολλοῖς σφᾶς αὐτοὺς ἐκδεδῶκέναι. Idem 2. 4. Τί ζῶ λοιπόν; ἀλλ' οὖν σοι δείξω ὅτι τὰ ἀναγκαιότατα ἢ μέγιστα σφᾶς ἐκφεύγουσιν μεμέλειαι, ἢ ὅτι μᾶλλον δεῦρο πάντων μᾶλλον ἢ τῶν σφετέρων μεμέλημεν; Et demum 4. 6. ex persona hominis cui in studiis inutilium rerum suum tempus effluxit, Ἄνω κάτω τρέφω τὰς σφετερισμένας, ἢ ἄλλας πλέκω, ἢ μεταπίπτουσας ἀναγκαίας, τὰ δ' ἀναγκαῖα, &c. ἐὰν γυμνάζω, ἐὰν μελετῶ ἢ ᾧ τούτοις σφόδρα ἐσμὲν μελέτης. Aptè huic loco & hoc genus hominibus convenit illud Curtii, *Stultum est eorum meminisse propter quæ tui obliviscaris.*

Ibid. Μακρὰ ἢ ἀγαθῶν μερίδα ἐξελίξατο] Clemens Strom. 4. Τὸ συμφέρον τῷ κυρωτέρῳ, τοῦτο αἱρετώτερον.

Ibid. ἥτις ἐκ ἀφαιρεθήσεται] Præsidium

Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies. Seneca.

Catullus,

Non incendia, non graves ruinæ,
Nec casus alii periculorum.

Cicero, *Quod nec eripi, nec surripi poterit unquam, neque naufragio, neque incendio amittitur: nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur.* Julianus, Χρῆμα ὃ ἐν ναυαγίοις ἔνεστι διασώζεσθαι, ἢ ἐν αἰχμῇ, ἢ δήμῳ, ἢ ἐν οἰκίᾳ, ἢ ἐν ἐρημίαις, ἐν λῃστῶν μέσοις, ἢ ἀπὸ τυράννου βιαίου. Ἥτις ἐκ ἀ. ἀ. αὐτῆς, est, ἧς τυράννου καιρὸς, ἢ χαρᾷ, ἐκ ἀ. ἀ. &c. Sic Joh. 16. 22. Ἢ χαρὰν ὑμῶν οὐδεὶς ἄρει ἀφ' ὑμῶν.

Ibid. ἥτις ἐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ' αὐτῆς] Lucian. Timone, Πλούτου, ἐν ᾧτε κάλαξ θυπτίον, ὅτε συναφάντης Φοβῶν, ἢ δήμου παροξυνθείς, &c. ΑΦΕΛΕΣΘΑΙ δύναιτ' ἄν. Demophilus in Pythagoreorum Sententiis, Δῶρον θεῶ πᾶν ΑΝΑΦΑΙΡΕΤΟΝ. Sic in vetere Scnario;

ΑΝΑΦΑΙΡΕΤΟΝ ὑμῖν ἐστι παιδεία βροτοῖς.

Plutarchus libro περὶ εὐθυμίας, cùm ἢ βελτίονα ἐν ἡμῖν ΜΕΡΙΔΑ (quâ & voce hoc Lucas utitur,) Rationem vocasset, subjunxit, ἐν ᾗ τὰ μέγιστα ἢ ἀγαθῶν ἱδρυνθήναι, &c. ΑΝΑΦΑΙΡΕΤΟΝ ἢ θεῖον ἔχουσι. Lactantius 6. 6. *Potissimum in iis rebus comparandis virtutis ratio consistit, qua nobis nec homo ullus, nec mors ipsa possit auferre:* id est, quæ sunt ἀναφαίρετα. Plinius lib. 1. Epist. 3. ad Rufum suum, *Cæra reliqua rerum tuarum post te alium atque alium Dominum sortientur, hoc nunquam tuum desinet esse, si semel cæperit.* Voluit dicere, erit ἀναφαίρετον. Seneca (cap. 5. lib. In sap. non cad. injur.) de Stilpone philosopho, *Habebat secum vera bona, in qua non est injectio:* q. d. ἀγαθὰ γνήσια, ἢ ἀναφαίρετα. Sic, κτήματα ψυχῆς ἀναφαίρετα lib. 1. Herodianus: ἀγαθὸν οἰκεῖον, ἢ ἀναφαίρετον, Aristoteles Ethic. 1. 5. Arrianus in Epictetum, Θαῤῥῶν ἢ μόνῳ θαῤῥῶν ἐνδέχεται, τῷ πιστῷ, τῷ ἀνελεύθερῳ, τῷ ἀναφαιρέτῳ. Idem 4. 7. de rectis dogmatibus, Ταῦτα μόνα ἡμά ἐστι, ἢ ἀναφαίρετα.

CAP. XI.

VALLA.

1. *Dixit unus ex discipulis ejus ad eum*] *Ex discipulis suis* dicendum fuisse jam admonuimus. Quidam tamen codices habent *suis.*

5. *Commoda mihi tres panes*] *Mutua mihi tres panes* dicendum fuit, χρῆσον, quia (ut Jurisconsultis placet) ibi *mutuum* ubi fit de tuo meum, tuum de meo tuum; *commodatio*, ubi idem corpus redditur.

11. *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit?*] Aliter Græcè habet: dicit enim, *Quem autem vestrum*, sive *ex vobis*, *patrem petet filius panem, nunquid lapidem dabit illi? aut etiam piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit ei?* Τίνα ἢ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον, μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; εἰ καὶ ἰχθύν, μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ;

14. *Et erat ejiciens daemonium, & illud erat mutum: & cùm ejecisset daemonium, locutum est mutum*] Græcè non est *mutum* & *mutus*, sed *surdum* & *surdus*, κωφὸν, κωφός.

17. *Omne regnum in se divisum desolabitur, & domus super domum cadet*] Gr. *desolatur* & *cadit*, ἐρημοῦται, πίπτει.

18. *Si autem & Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ipsius?*] Etsi Græcè accusativus est, tamen ego per ablativum potiùs transtulissem, *In seipso divisus est*; aut per accusativum, transferendo verbum è verbo *super seipsum*, ἐφ' ἑαυτόν.

35. *Vide ergò ne lumen quod in te est, tenebræ sint*] Gr. *Vide*, sive *Animadverte, nunquid lumen quod in te, tenebræ est*, sive *tenebræ sunt*, τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, σκότος ἐστί.

36. *Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te*] Sic reor fuisse transferendum, *ut dum lucerna fulgurat*, sive *fulgore, illuminat te, ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε*· non est enim Græcè copula.

38. *Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium*] Quidam cod. habent *quare non lavatus esset.* Gr. *Pharisæus autem videns admiratus est quod non prius lotus est*, sive *esset*, sive *baptizatus est.* Ὁ δὲ Φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν ὅτι. Nec naturalis est sermo interrogantis, sic, *Quare non baptizatus esset?* sed, *Quare non baptizatus est?*

39. *Quod autem intus est vestrum*] *Quod autem intus est vestri* dicendum fuit, non *vestrum.* De ipsis hominibus loquitur Dominus, non de eo quod est hominum. Nam aliud est *quod tui est* quàm *quod tuum est.* Siquidem quod *tui* est idem est quod *ex te* est; *tuum* autem idem est quod *ex tuo.* Ità *vestri* & *vestrum.* Nam alter genitivus pluralis significat passivè, ut *in medio vestri* vel *nostri*; alter possessivè sive activè, ut *aliquis vestrum*, aut *aliquis nostrum*: de quo latiùs lib. 2. De linguæ Latinæ elegantia.

43, 44. *Væ vobis Pharisæis, qui diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Væ vobis, quia estis ut monumenta*] Nonnihil nobis deest è Græco, quod hoc est, *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia estis ut monumenta*, Οὐαὶ ὑμῖν, γραμματεῖς ἢ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι ἐστέ.

46. *Quia onerati homines oneribus quæ portari non possunt, & ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas*] Nescio cur Interpres unum Græcum, φορτία, φορτίοις, duobus nunc Latinis transtulit, *oneribus* & *sarcinas*, quæ nemo legentium pro eodem accipit.

51. *Qui periit inter altare & ædem*] *Ædem* sive *ades* in singulari vix reperitur sine certo nomine alicujus Numinis; accipiturque pro *templo*; ut, *in ade Apollinis*, *in ade Castoris.* Nunc Græcè dicitur planè *domus*, quod Interpres dixit *ædem*, ἢ τῆ οἴκου.

53. *Os ejus opprimere*] Pro tribus dictionibus nostris, *os ejus opprimere*, unum est Græcum, ἐποστοματίζειν, quod si unâ dictione transferri posset, diceretur *interpellare*, sive *obstrepere*, sive *obloqui.*

REVISUS in VALLAM.

5. Χρῆσον] Transpositum erat.

11. Εἰ καὶ ἰχθύν] Ità & Beza: pro quo alii legunt ἢ, fortè non pejùs.

14. *Surdus*] Vide in Matth. 12. 22.

17. *Omne regnum*] Postpositus erat versui 18.

18. *In*

18. *In seipso*] Imò *adversùs seipsum.* Videantur Erasmus & Beza.

39. *Quod autem intus est vestri*] Beza mavult *quod intra vos est.*

53. Ἀποστοματίζειν] Super hoc verbo inspice notata Erasmo & Bezæ.

ERASMUS.

3. *Da nobis hodie*] Hic variant Græci codices. In nonnullis scriptum erat, δὸς ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν, *da nobis quotidie:* atque ità scriptum erat in codice Aureo, atque item Constantiensi. Offendit lectorem vox eadem repetita, *quotidianum*, *quotidie.* Atqui non est Græcè *quotidianum*, sed ἐπιούσιον, quod magis sonat *crastinum.* Non enim petunt commeatum in multos annos, sed tantùm in proximum diem. Et qui vesperi orat pro victu postridiano, quid aliud petit quàm victum quotidianum? Hoc admoneo ne quis arbitretur multum esse discriminis in sensu: quanquam de hoc aliàs dictum aliquantò copiosiùs.

4. *Dimitte nobis peccata*] Τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν. Sunt qui putent esse discrimen inter *debita* ὀφειλήματα & *peccata*; quòd *debiti* nomen complectatur non modò culpam, verùm etiam obligationem & satisfactionem. At Lucas non existimavit quicquam interesse. Nec Augustinus De verbis Domini; *Debitum autem*, inquit, *quid est nisi peccatum?* ¶ *Sed libera nos à malo*] Hoc in quibusdam Latinis exemplaribus apud Lucam non additur, sicut & alia nonnulla quæ videntur ex aliis Euangelistis adjecta ne viderentur dissentire. Id quod conjicio factum & aliis item compluribus locis. Siquidem apud Lucam hæc oratio multò pauciora complectitur quàm apud Matthæum, ad hunc modum, *Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.* Sic enim habebatur scriptum in vetustissimis cod. quos id temporis nobis exhibebant Amorbachii, Paulino & Gorc. denique & Constantiensi. Cæteri nec admodum hinc discrepant, nec omnino consentiunt, ne inter se quidem. In Græcis cod. precatio Dominica ferebatur absoluta, exceptâ coronide, quam additam aliàs indicavimus. Vel hinc palàm est quàm Euangelistæ non fuerint superstitiosi de verbis. Præscripserat hanc precandi formam, non Episcopus quispiam, non Pontifex Romanus, sed ipse Christus; & tamen in tantula precatiuncula quantam partem omisit Lucas! Et certè consentaneum vero est eum sic orasse ut nobis orandi formam tradit autore Christo. Et ubi sunt interim qui miserè trepidant quoties ex humanis precibus vocula fuerit omissa? At iidem fortes sunt & intrepidi quoties virulentâ linguâ fratris lacerant famam. Nec hoc dixerim quò minùs attenti simus in precibus, sed ne præposterè simus superstitiosi.

5. *Commoda*] Χρῆσον μοι τρεῖς, sive *mutuum da.* Quanquam Græca vox accepta est ad rem quæ usu absumitur & ad eam quæ non absumitur. Etenim qui petit panem dicit Χρῆσόν μοι ἄρτον, & qui petit canistrum dicit, Χρῆσόν μοι κάνεον. Latinis verò diversa sunt verba. Sed apud eosdem pecunia peculiare verbum habet *danizein.* Apud Latinos *commodatur* cujus usus modò præstatur, ut Equus, Vestis, Patella; *mutuum datur* quod usu absumitur, quem Jurisconsulti vocant *abusum*, ut Oleum, Triticum, aut quod non idem redditur.

8. *Si perseveraverit pulsans*] Hæc in plerisque Græcorum codicibus non reperi consentiente vetustissimo codice Latino quem exhibuit bibliotheca Ecclesiæ Paulinæ apud Londinum, sed dissentiente Corsendonensi. ¶ *Propter improbitatem*] Διά γε τὴν ἀναίδειαν *propter imprudentiam.* Eleganter quidem vertit Interpres, si modò rectè intelligatur. Nam ut *probus* dicitur bonus, ità *improbus* malus: sed tamen qui urget nec cessat interdum *improbus* vocatur, nonnunquam & in bonam partem: ut Virgilius,

Labor omnia vincit Improbus:

11. *Quis ex vobis patrem*] Græca nonnihil discrepant, Τίνα δὲ ἐξ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον, *Quem autem ex vobis patrem poscet filius panem.* Ea nos reddidimus in hunc modum, *Quis autem ex vobis pater, à quo si filius petierit panem, num lapidem dabit illi?* Quanquam & hic sermo duriusculus est, opinor, ex idiomate linguæ Hebraæ. Videtur autem allusum ad jocum vulgarem quo panem exspectanti lapidem porrigunt, juxta Plautinum illud,

Alterâ manu fert lapidem, panem ostentat alterâ.

Item scorpium porrigunt vacuo ovi putamini incluſum. Sic & ipsæ dipsades fallunt, struthiocamelorum inanibus putaminibus occultantes sese.

13. *Bona data*] Ἀγαθὰ δόματα *bona dationes*; si sic liceat loqui. ¶ *Dabit Spiritum bonum*] Græci codices qui tum aderant habebant πνεῦμα ἅγιον, *Spiritum sanctum*, sed magno consensu reclamantibus exemplaribus Latinis; etiam vetustis, quibus ego sanè magis assentior. Ex Ambrosio, quoniam carptim ista tractat, nihil potest elici.

14. *Et illud erat mutuum*] Hallucinatur & hoc loco Valla in *mutum* & *mutum*, κωφὸν & ἄφωνος, putans utrobique *surdum* vertendum fuisse, non *mutum*, aut non intelligens, aut certè non animadvertens utrumque Græcè sonare κωφόν. Quemadmodum & mox

17. *Omne regnum in seipsum divisum*] mavult *in seipso* sive *super se ipsum*, cum sit *adversùs seipsum*: quod Græcis hæc præpositio sit anceps, ut fere sunt omnes. ¶ *Desolabitur*] Ἐρημοῦται *desolatur.* ¶ Πίπτει] *Cadit*, non *cadet*, suffragantibus & antiquiss. exempl. Latinis.

21. *In pace sunt omnia quæ possidet*] Τὰ ὑπάρχοντα ἐν εἰρήνῃ *quæ possidet*, consentiente cod. Aureo.

22. *Universa arma*] Τὴν πανοπλίαν, quâ voce Græci declarant quicquid ad justum apparatum armati viri pertinet. ¶ *Auferet*] Αἴρει *tollit*; & *distribuit*, non *distribuet*, διαδίδωσιν ut præsentis sint temporis, non futuri. Nec enim vaticinatur quid futurum, sed quod fieri solet proponit, similitudinem conferens.

25. *Invenit*] Εὑρίσκει *invenit* præs. temporis, primâ syllabâ acutâ. ¶ *Scopis mundatam*] Græci cod. addunt καὶ κεκοσμημένον *& ornatam*, quod haud scio an ex aliis Euangelistis sit huc asscriptum. Cæterùm illud *scopis mundatam* Græcis unica dictio est, σεσαρωμένον *versam*, à verbo *verro*, non *verto.*

28. *Quinimo*] Μενοῦνγε. Ea conjunctio neque negat quod dictum, neque rejicit, sed infert quod est certius. Augustinus libro De sancta virginitate c. 3. pro *Quinimo* legit *Imo*; ut sit correctionis. Vides autem ut hic quoque Christus sui similis haud multum tribuit cogitationis affectui.

29. *Turbæ autem concurrentibus*] Ἐπαθροιζομένων *congregantibus*, *conglobantibus*, sive *condensantibus se*; aut, *cùm turbæ densius affluerent.* Græcis enim συναθροισμὸς dicitur *cùm omnia confertim in unum conferuntur locum.*

31. *Plus quàm Salomon hic*] Ὧδε *hic* adverbium est, *hoc loco*, non pronomen. Similiter & paulo inferius, *plus quam Jonas hic*: ut Christus intelligatur major Templo, Salomone, & Jona.

34. *Lucerna corporis tui*] *Tui* non additur à Græcis; & sensus magis quadrat eo amoto: fit enim catholica sententia, ut & superiùs indicavimus.

35. *Ne lumen quod in te est*] μὴ τὸ φῶς. Potest accipi & *num lumen quod in te est*, &c. quod adverbium μὴ ad utrumque sensum sit accommodum, Interrogantis & Prohibentis.

36. *Et sicut lucerna*] Ὅταν ὅταν ἀστραπῇ ὁ λύχνος τῇ αἰγλῃ φαίνῃ σε, *ut cùm lucerna fulgore illuminat te*: ut sit sensus, Non aliter tuum corpus erit lucidum oculo puro quam domus tua lucida est tibi accensâ lucernâ. Nec est *illuminabit*, sed *illuminat*: alioqui sermo videri possit subabsurdus, *Si totum lucidum fuerit, totum lucidum erit.* Proinde nos de nostro adjecimus *sic*, quo magis sentiretur collatio.

38. *Baptizatus esset*] Ἐβαπτίσθη. Cur non potiùs *lotus esset*, cùm de simplici manuum lotione loquatur?

39. *Catini*] Τοῦ πίνακος· quod non solùm *catinum* sed etiam *quadrum* aut *tabellam* significat. ¶ *Intus est vestrum*] *Vestri* mavult Laurentius, ut sit genitivus pronominis primitivi. Ut non ad supellectilem sed ad ipsos Pharisæos referatur. Quod apud Matthæum 23 ambigue dictum fuit, Lucas explanat addito pronomine ὑμῶν. Quidam enim illic interpretantur immundum esse quod in catinis & poculis continebatur eò quòd fraude ac vi partum esset: Lucas autem videtur totum hominem ligneis ac fictilibus vasculis comparare; quæ cùm sint extra hominem, tamen in his mundandis nonnullam religionem sitam arbitrabantur: Similiter in lotionibus corporum, quæ pars hominis est externa, videlicet animi domicilium, cùm ipsam mentem sinerent vitiorum sordibus inquinatissimam esse. Commemorat autem duo vitia quæ penitiùs latent in animo, *Avaritiam*, ac *Malitiam*, quam Theophylactus interpretatur *invidiam*: neque enim Græcis est κακία, aut ἀνομία, quam fere vertit *iniquitatem*, sed πονηρία, quæ *perversam mentem* significat: eóque Dominus ostendit remedium maximè adversans Avaritiæ & Invidiæ, *Eleemosynam.* Qui largitur sua, multùm abest ab alienorum Rapina: & qui misereatur indolescens malis alienis, multum abest ab Invidia, quæ gaudet aliorum incommodis;

ac maceratur commodis. Et tamen ſenſus ille quem primo recenſui loco non repugnat huic comparationi. Poteſt enim ſic accipi, Vos, Phariſæi, præpoſtero judicio pluris facitis externa quam interna: in diſcis & poculis quod externum eſt mundatis, nec datis operam ut cibus potûſque veſter ſit mundus. Apud Deum enim immundum eſt quicquid fraude partum eſt. Itidem crebris lotionibus curatis corporum mundiciem, cùm mentem habeatis illotam. Huic interpretationi conſentanea ſcribunt Ambroſius ac Theophylactus.

41. *Quod ſupereſt*] Τὰ ἐνόντα. Diverſa vox eſt ea quæ frequentior eſt ac tritior, τὸ λοιπόν. Cæterùm quod noſter interpres vertit *quod ſupereſt*, longè ſecùs interpretatur Theophylactus. Ejus verba ſubſcribam, τὰ ἐνόντα ὦν, τοῦτ' ἐστι, τὰ ὑπάρχοντα ὑμῖν· καλῶς δ' εἶπεν ἐνόντα, ἀντὶ τοῦ ἔστιν ὄντα, διότι τὰ χρήματα ἔνεισι τῇ καρδίᾳ τῷ φιλοχρημάτῳ, καὶ ἐγκάθηται αὐτῇ· διὸ καὶ ὁ Δαβὶδ φησι, Μὴ προσέχῃς τῇ καρδίᾳ τῷ πλούτῳ. *Quæ inſunt igitur, h. e. quæ ſuppetunt vobis. Recte autem dixit Quæ inſunt, & non dixit Quæ ſunt, propterea quod pecuniæ inſint cordi avari, atque infideant ei. Quapropter & David monet, Non apponendum eſſe cor divitiis.* Theophylactus accipere videtur ut τὰ ἐνόντα & ἐλεημοσύνην appoſitive jungantur. *Date res veſtras eleemoſynam.* Poteſt autem & ſic accipi ut ſubaudiatur ἐκ, *Juxta ea quæ ſuppetunt vobis date eleemoſynam.* Interpres intellexiſſe videtur, *juxta ea quæ ſunt in vobis.* At quod præteriit non eſt in nobis, atque ob id vertit *quod ſupereſt*: quanquam ἔνεστι ſonat *licet*, & ἐνόντα dici poſſunt *quæ ſunt in noſtra poteſtate.* Quidam interpretantur *quod ſupereſt*, i. quod redundat, ſed malè. Expendat lector eruditus num τὰ ἐνόντα poſitum ſit abſolute pro τὸ ἐνὸν, ut intelligas quæ facta ſunt non poſſe fieri infecta, illud reſtare quod eſt in poteſtate noſtra, ut rapinas penſemus eleemoſynis. Et hunc ſenſum attingit Beda. Illud annotandum, cùm modo fecerit mentionem *rapinæ*, in remedio non fieri mentionem reſtitutionis: tantum pollicetur, *eleemoſynâ datâ, omnia fore munda.* Sed qui jubetur dare iis quibus nihil debet, multo magis jubetur reddere ſi quid cui debet. Præterea *rapinam* Dominus appellat avaritiam: ut quod Phariſæi colligebant ex decimationibus, licet jure, tamen quoniam cupiditati ſuæ ſerviebant ſub obtentu Legis obſervandæ, *rapina* fuerit. Poſtremò, *rapina* eſt quod dives licet recte partum poſſidet, ſi non impertiat egenti proximo. In his non exigitur reſtitutio, ſed ſufficit animi vitium eleemoſynâ redimere. ¶ *Date eleemoſynam*] Δότε ἐλεημοσύνην. Anceps eſt utrùm ſit *date* an *datis*, Indicandi modo an Imperandi. Juxta poſteriorem lectionem ſenſus erit, Exiſtimatis vos datâ eleemoſynâ liberari ab omni rapina, ſi paululum ex ea contuleritis in pauperes? Siquidem objicit alibi Phariſæis quod *eleemoſynam ſuam facerent coram hominibus.* Juxta priorem lectionem ſenſus manifeſtus eſt. Sed tamen hæc adhortatio duriuſcule cohæret cum iis quæ præcedunt ac ſequuntur, quæ magis exprobationem habent quam admonitionem. Alioqui qui convenit ut quos modò fecerit tam ſceleroſos, ſubito datâ eleemoſynâ velit undiquaque mundos videri?

42. *Qui decimatis*] Græcis eſt οἳ ἀποδεκατεύετε, quemadmodum & in cæteris. Conſentit exemplar Aureum. ¶ *Mentem*] Ἡδύοσμον. Vox dicta ab odoris gratia. Nominat autem duas herbas viles nec admodum neceſſarias ad uſum humanæ vitæ. Et *omne olus* dixit pro *quodvis olus*, h. e. quantumlibet contemptum, inſignem illorum notans avaritiam. Etiamſi D. Ambroſius *decimatis* accipere videtur pro *decimas datis.* Sic enim ſcribit, *Breviter autem vitia eorum multa perſtringit, qui viliorum fructuum decimis conferendis omne ſtudium intendunt ſuum.* Neque ſecùs interpretantur Theophylactus & Cyrillus. Cùmque hæc ſententia magis congruit quod ſequitur, *& præteritis judicium & charitatem Dei. Judicium hominum eſt*, cùm quis ex hujuſmodi obſervatiunculis judicatur pius, ſi quis crebro jejunet, ſi quis multum precularum dicat, ſi quis ſordide veſtiatur: *Judicium Dei* eſt, cùm ex animi affectu pietas hominis æſtimatur. *Charitas hominum* eſt, cùm leviculo beneficio juvatur quiſpiam, quod aliquoties præſtabat collatum non eſſe: *Charitas Dei* eſt, cùm in his ſuccurritur homini quæ ad illius æternam ſalutem pertinent, cùm hic affectus præſtatur & inimicis. Et haud ſcio an hic Chriſti ſermo ad iſtos pertinent qui benignitate ſua rem augent Monaſteriorum aut Collegiorum, fortaſſis etiam Pontificum opibus plùs ſatis affluentium, præteritis egenis, nonnunquam cognatis aut etiam liberis.

46. *Quæ portare non poſſunt*] Δυσβάστακτα *difficilia portatu.* ¶ *Non tangitis ſarcinas*] Τοῖς φορτίοις. Idem verbum quod modo vertit *onera.* Et ſignificantius erat *attingitis* quàm *tangitis*, & appoſitius ad Græcam vocem. Hic locus ad eos pertinet qui conſtitutionibus humanis illaqueant populum, non aliò ſpectantibus quam ad commodum eorum qui inſtituunt.

48. *Quod conſentitis*] Συνευδοκεῖτε *comprobatis.*

50. *A generatione*] Γενεᾶ, quo ſæpe utuntur S. literæ, Græcis ſonat *ætatem.* Neque enim eſt hic eadem vox quâ Matthæus utitur in generatione Chriſti.

51. *Inter altare & ædem*] Καὶ τοῦ οἴκου *domum*: ſed partem Templi intelligit. ¶ *Ità dico vobis*] *Ita* non eſt hîc οὕτως, ſed ναὶ, quod aliquoties transfert *etiam*, aliquoties *utique*, adverbium vehementer affirmantis. Verti poterat *profectò*, ſive *certè.*

52. *Tuliſtis clavem*] Ἤρατε· à τόλλω: h. e. *Recepiſtis in vos. Tollimus* enim gladium ad iter, & *tollimus* quod ab aliis auferimus.

53. *Inſiſtere*] Συνέχειν *cohibere.* Verùm emendatiores cod. habebant ἐνέχειν *immittere*, ſive *urgere*: atque ita conſentaneum eſt Interpretem legiſſe. ¶ *Et os ejus opprimere*] Ἀποστομίζειν. Interpres legiſſe videtur ἐπιστομίζειν, quod ſignificat *obturare os, nec ſinere loqui.* At Græci cod. habent ἀποστομίζειν, quod magis ſignificat *pendere ab ore*, & *obſervare quid dicatur.* Atque id longe rectiùs quadrat cum his quæ præceſſerunt & ſequuntur, *Inſiſtebant ei, & inſidiabantur, quærentes capere aliquid ex ore ejus.* Neque enim hæc competunt in eum qui occludat os loquentis. Denique ad hunc modum interpretantur Græci interpretes. Quod ſi quis mihi parum habet fidei, ipſius Theophylacti verba ſubſcribam, quod ad hunc attinet locum, Καὶ ὁ ἀποστομίζει αὐτὸν ἤρξαντο, τοῦτ' ἐστι πυκνῶς ἐρωτᾷν αὐτὸν καὶ ἀποφαίνειν· γίνεται γὰρ τὸ ἀποστομίζειν, ὅταν πλείονες ἐρωτῶσιν ἵνα σφᾶς ἄλλων καὶ ἄλλων ἀποδέσεων· τότε γὰρ μὴ δυνάμενος ἀποκρίνεσθαι, ἔμφασιν δίδωσι τοῦ αὐτὸν ἐξαπορηθῆναι· τοῦτο τοίνυν ἐνοφίζοντο καὶ οἱ καλέσαντοι σοφισταὶ καλὰ Χριστοῦ· πολλοὶ γὰρ ἐρωτῶντες τ' ἵνα, ἐδόκουν ἀποστομίζειν αὐτὸν καὶ εἰς ἀπορίαν ἄγειν, ὡς μὴ δυνάμενον ἀποκρίνεσθαι· ὅπερ εἰκότως ἐγίνετο· πῶς γὰρ ὁ εἷς δύναιτο πολλοῖς ἀποκρίνεσθαι ἄλλα καὶ ἄλλα ἐρωτῶσιν; Δύναται δὲ τὸ ἀποστομίζειν καὶ ὕπνῳ νοηθῆναι, ἀντὶ τοῦ παγιδεύειν αὐτὸν, καὶ ἀπὸ τοῦ στόματος κρατεῖν· ὅταν γάρ τις κρατηθῇ ἀφ' οὗ λέγει, ἀποστομίζεσθαι δοκεῖ, τοῦτ' ἔστιν ἀπὸ τοῦ στόματος ἁλίσκεσθαι καὶ παγιδεύεσθαι· δηλοῖ δὲ τοῦτο καὶ τὸ ἐφεξῆς· Ζητοῦντες, γάρ φησι, θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ· ὅπερ γὰρ πρὸ ὀλίγου εἶπεν ἀποστομίζειν, τοῦτο νῦν λέγει θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ· quæ nec transferre gravabor in gratiam eorum qui Græce neſciunt. *Verùm* ἀποστομίζειν *etiam illum ceperunt, h. e. frequenter interrogare eum & perplexum reddere. Fit enim τὸ* ἀποστομίζειν *cùm plures interrogant unum de aliis atque aliis argumentis: tum enim qui non poteſt reſpondere, ſpeciem præbet ſtulti, quod hæreat. Hoc ſane tunc moliebantur etiam ſceleſti illi adverſus Chriſtum. Nam cum multi interrogarent unum, videbantur* ἀποστομίζειν *illum & ad hæſitantiam deducere, ut qui non poſſet reſpondere: id quod probabiliter accidiſſet. Quo pacto enim unus poſſet multis reſpondere alia atque alia interrogantibus? Quanquam poteſt* ἀποστομίζειν *& ſic accipi, pro eo quod eſt Illaqueare eum, & Ab ore capere. Cùm enim quis capitur ex his quæ dicit,* ἀποστομίζεσθαι *videtur, h. e. Ab ore trahi ac condemnari. Declarant autem hoc & ea quæ ſequuntur:* QUÆRENTES, *enim inquit,* VENARI QUIPPIAM EX ORE ILLIUS. *Quod enim paulo ante dixerat* ἀποστομίζειν, *hoc nunc dicit Venari quippiam ex ore ejus.* Hactenus Theophylactus. Cæterùm ne Laurentius quidem ſatis attentus fuit hoc loco, qui ἀποστομίζειν ſive ἀποστομαλίζειν (nam utrumque reperio) putat unico verbo reddi potuiſſe *interpellare*, ſive, *obſtrepere*, ſive *obloqui.* Et tamen is ἐπιστοματίζειν legit, non ἀποστομίζειν. Equidem non memini legere verbum hoc apud alios autores præterquam apud paucos, nempe Athenæum lib. Dipnoſophiſtarum 8. pro eo quod eſt *memoriter recitare; nullo codicis auxilio*, quod vulgo dicunt *ex tempore dicere.* Ejus verba ſubſcribam, Καὶ ὁ Πλούταρχος ἔφη Ῥοδιακὸν εἶναι λεγομένου ἰσοφάν, ὃν ἐπὶ μὲν παρόντος ἀποστομαλίζειν ἀδύνατος, τῷ πάνυ μὲν πολλῷ ὑστεροχρόνιον τῶν ταύτα φερόντων βιβλίων, i. *Et Plutarchus ajebat eſſe fabulam quæ Rhodiaca diceretur, ſed quam in præſentia non poſſet memoriter referre, quod ante plurimum temporis incidiſſet in eum librum in quo illa continerentur.* Aſtipulatur & Heſychius, ἀποστομίζειν, inquiens, ἀπὸ μνήμης αἰτῶν λέγειν, *memoriter velle dicere.* Quanquam idem mox interpretatur ἀποστομίζων, φιμῶν, *obturans* ſive *occludens os.* Quod quidem poſterius propiùs accedit ad ſenſum Euangeliſtæ. Verùm haud ſcio an ἐπιστομίζειν legendum ſit pro ἀποστομίζειν. Quo verbo uſus eſt Athenæus eodem in libro paulò inferius, πάνυ γὰ ἐπιστομίζει πρεσμῷ, ἰδιωτὸς μὲν ἁμαρτίαν κατέγνως, ζωτὸν δ' ἀποφαίνεις κακώτερον λο-

Greid,

ενείδῳ, *Etenim dum omnibus studes occludere os, non alios insciti condemnas, sed teipsum ostendis inanioreum liberide.* Consimilem in modum usus est Paulus in epistola ad Titum 1. 11. ὡς δεῖ ἐπιστομίζειν, ubi Hieronymus vertit *silentium indici*, Theophylacti interpres *redargui*. Cujus verbi meminit Julius Pollux l. 2. exponens ἐπιστομίσαι, τὸ ἐπισχεῖν τὴν λέγοντα, *cohibere loquentem*. Idem indicat ἀποστομαλίζεσθαι & apud Platonem inveniri, qui scripserit alicubi τὸς παῖδας ἀποστομαλίζεσθαι, quoties exigentibus præceptoribus pueri reddunt memoriter quæ præcepta sunt. Quin & ipsum quod redditur ἀποστομαλίζεσθαι dici, ut vel ad rem vel ad personam referatur. Nos certe comperimus apud Aristotelem in Elenchis consimili sensu. Quod ipsum non male congruit huic loco. Etenim præceptores solent cùm examinant discipulos, frequenter interpellare rogatiunculis, tentantes an intelligant quæ pronunciant, ut si quid errarint corrigant. Sic isti, quemadmodum interpretatur Cyrillus, multis quæstiunculis interpellabant Dominum: ut si non responderet, videretur indoctus; sin male responderet, coargueretur; aut si bene quoque responderet, tamen ex multis præberetur ansa reprehendendi. Quæ nobis apud idoneos autores super hoc verbo comperta sunt, in medium attuli, prudenti lectori judicium relinquens ac delectum.

V A T A B L U S.

1. *Num*] *Quidam.* ¶ *Docuit * Johannes*] * *Et*, Vet.

2. *Pater**] * *Noster qui es in cœlis.* ¶ *Sanctificetur*] Heb. *celebretur.* ¶ *Regnum tuum.**] * *Fiat voluntas tua sicut in cœlo sic in terra.* Vet.

3. *Hodie*] *Quotidie.*

4. *Nos*] *Ipsi.* Vet. ¶ *Tentationem.* *] * *Sed libera nos à Malo.*

8. * *Dico*] * *Et si ille perseveraverit pulsans*, Vet. ¶ *Improbitatem*] i. impudentem invereundiam.

10. *Aperietur*] *Aperitur*, i. aperiri solet.

11. *Petit * panem*] *Filius.* vel, *Quis autem ex vobis pater, à quo si filius petierit panem*, &c. ¶ *Aut*] *Si etiam.* ¶ *Dabit*] *Porriget.*

13. *Data*] *Dona.* ¶ *Filiis*] *Liberis.* ¶ *Cœlestis **] *De cœlo*, V. ¶ *Bonum*] *Sanctum.*

14. *Erat ejiciens*] Vel, *fuit ejiciens*, i. ejecit. ¶ *Ejecisset*] *Exiisset.*

15. *In Beelzebub*] i. Per Beelzebub, vel, Vi Beelzebub.

16. *Et alii*] *Alii autem.*

17. *Ut vidit*] *Cùm cognovisset.* ¶ *Se*] *Seipsum.* V. ¶ *Desolabitur*] *Desolatur*, V. præs. pro fut. ¶ *Domum*] Sub. *divisa.* q. d. Familia adversùs seipsam divisa corruet, i. corruere solet.

18. *In Beel-zebub*] i. *Beelzebub* præsidio.

19. *In quo*] i. cujus præsidio & ope.

23. *In digito Dei*] i. Divinâ virtute & potentiâ. ¶ *Pervenit in vos*] Vel, *prævenit ad vos*, i. palam est Messiam Regem nunc agere apud vos.

21. *Pace*] i. *tuto.*

22. *Auferet*] *Aufert.* V. i. vires illius frangit. ¶ *Ejus*] i. quæ illi eripuit. ¶ *Distribuet*] *Distribuit.* V.

24. *Ambulat*] *Perambulat*, V. ¶ *Locainaquosa*] Vel, *solitudines.*

25. *Eam*] Vet. ¶ *Mundatam**] * *Et ornatam*, V.

26. *Secum*] Vet. ¶ *Novissima hominis illius*] i. quæ illi posteriùs acciderunt. ¶ *Prioribus*] *Primis.*

28. *Quinimo*] Vel, *Certe.* Consolatur mulierem. q. d. Ne desperes quòd nomen beatæ consequi possis: si enim credideris, beata quoque eris. *Certe beati qui*, &c.

29. *Concurrentibus*] *Conglobatis.* ¶ *Jona**] * *Prophetæ*, V.

32. *In prædicatione*] *Ad prædicationem*, V.

34. *Si*] *Quando igitur.* ¶ *Totum * corpus*] * *Quoque.*

36. *Tenebrarum*] *Tenebrosum.* ¶ *Et sicut lucerna*, &c. *Ut cùm lucerna fulgore illuminat te.*

38. *Cœpit intrà se reputans dicere quare non baptizatus esset*] *Cùm vidisset, admiratus est quod non prius lotus esset.*

39. *Iniquitate*] *Malignitate.*

40. *Stulti*] *Imprudentes.*

41. *Quod superest*] *Quæ adsunt*: Vel; *e facultatibus vestris.* Per *eleemosynam* omnia bona opera intelligit: q. d. Date operam bonis actionibus.

42. *Qui*] *Quia.* Hic & in sequentibus Græco *qui* legitur, consentientibus veteribus exemplaribus. ¶ *Decimatis*] *Decimas datis ex mentâ*, &c. ¶ *Judicium*] *Jus*, Heb.

44. *Væ vobis**] * *Scribæ & Pharisæi hypocritæ.* ¶ *Parent*] *Apparent*, Vet. i. quorum interior pars non est conspicua. ¶ *Nescium*] Sub. *quid intus habeant.*

46. *Quæ portare non possunt*] *Difficilibus portatu.*

47. *Patres autem vestri occiderunt illos*] Vel, *cùm patres vestri occiderint illos*: vel, *quos patres vestri occiderunt.*

48. *Consentitis operibus*] *Comprobatis opera*, q. d. Cùm ita sumptuosè exstruitis sepulcra Prophetis, aliis memoriam turpissimi facinoris patrum vestrorum.

53. *Inquiratur*] *Requiratur.* ¶ *Sanguis*] i. pœna sanguinis effusi. ¶ *Effunditur*] Præs. pro præt. *effusus est.* ¶ *Generatione*] *Natione.*

51. *Ita*] *Profectò.*

52. *Qui*] *Quia*, Vet.

53. *Os ejus opprimere*] *Captiosè interrogare eum.*

54. *Capere*] *Venari.*

C A S T A L I O.

51. *Inter aram & ædem*] Ara erat ante ædem.

C L A R I U S.

3. *Panem nostrum quotidianum*] Scribit D. Hieronymus repertisse se in Euangelio quod appellatur Hebræorum, pro *quotidiano* vel *supersubstantiali*, *crastinum.* Nam & apud Græcos ἐπιοῦσα *crastina dies* dicitur, & hoc loco est ἐπιούσιον. Interrogatus M. Basilius qui sit *panis* ἐπιούσιος quem *dari nobis quotidie* rogare docti sumus, respondet, *Cùm is qui operatur, memor Domini dicentis*, NOLITE SOLICITI ESSE ANIMÆ VESTRÆ, QUID EDATIS AUT QUID BIBATIS, *& Apostoli admonentis ut* OPEREMUR UT HABEAMUS QUOD EGENTI IMPERTIAMUR, *non propriæ necessitatis sed mandati Domini gratiâ operatur, quandoquidem dignus est operarius cibo suo, tunc Quotidianum panem, h. e. qui ad cujusquotidiè vitam subsistentiæ nostræ aptus est, non sibi ipsi permittit, sed à Deo postulat, & necessitatem indigentiæ ostendens sic comedit quod datur.*

9. *Petite*] Sed digna vobis, & eo quem petitis. *Pete*, ait idem Basilius, *non divitias, non terrenam hanc gloriam, non corporis sanitatem: ipse enim te formavit; & illi tua salus est cura; & novit quid cuique sit utile, sanúsne sit, an ægrotus: sed pete, ut tibi est imperatum, Regnum cœlorum duntaxat, & corporis tui indigentia, quemadmodum prædixi, erit illi cura: nam magnificentissimus Rex noster est, & indignatur si quis illum exigua petat.*

13. *Dabit Spiritum sanctum*] Cernis quid petendum doceat?

17. *Omne regnum in se divisum*] Non est, inquit, verisimile, ut dæmonia mutuo adversum sese decertent: nam hoc pacto regnum ipsi suum perderent; quando regnorum & dæmorum interitus dissensio est.

23. *Qui non est mecum*] Qui fieri, inquit, potest ut auxilio utar diaboli, qui mecum dissidet?

28. *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei*] Generosè, de more. Est quidem, inquit, aliquid feminam tantum filium peperisse; sed nihil omnino est præ eo ut quis audiat & servet præcepta Dei.

33. *Nemo lucernam accendit*] Mens, inquit, vobis & scientiæ lumen datum est, non ut illud sub vitio obruatis, sed sit velut oculus, qui in capite tanquam arce est collocatus, qui dum purus est totum illustrat corpus; sin obscuretur, omnia tenebræ erunt.

40. *Nonne qui fecit quod foris est*] Vos, inquit; hæc tantum externa curatis, perinde quasi Deus interiora non fecerit.

41. *Verumtamen de iis quæ suppetunt*] τὰ ἐνόντα, quo vocabulo aliquoties utitur Thucydides. Significat ergo *de iis quæ habetis*; *quæ apud vos sunt*; non quæ sunt superflua; ut quidam falsò opinabantur in illo verbo *quod superest*: quod ob hanc etiam causam mutavimus. Hunc autem locum sic tractat M. Basilius, *Ipsa consequentia eorum quæ dicta sunt dilucidat id quod dictum est. Cùm enim prius dixisset*, VOS PURGATIS ID TANTUM QUOD FORIS EST

IN

IN POCULO ET CATINO, INTERIORA AUTEM VESTRA PLENA SUNT RAPINA ET DOLO ET MALITIA; *ita ſubjecit*, VERUNTAMEN DE HIS QUÆ HABETIS DATE ELEEMOSYNAM, ET ECCE OMNIA MUNDA SUNT VOBIS; *Omnia hæc videlicet quæ in rapina & avaritia peccavimus. Id vero præſtitit & Zacchæus, dicens*, ECCE DIMIDIUM BONORUM MEORUM DO PAUPERIBUS; ET, SI QUEM DEFRAUDAVI, REDDO QUADRUPULUM. *Itaque quæcunque talia ſunt peccata quæ diſſolvi poſſunt, & pro quibus multiplex redds portio poteſt, hoc modo purgantur: & hoc, inquam, modo non qui per ſe ſufficiat ad purificationem, ſed primò egeat miſericordiâ Dei & Chriſti ſanguine, in quo & aliorum omnium habemus redemptionem, facientes in unoquoque dignos fructus pœnitentiæ.*

51. *Requiretur ab hac generatione*] Quæ ſcilicet cæteris eſt deterior.

ZEGERUS.

2. *Pater, ſanctificetur*] Tenor hujus precationis apud Lucam idem ferè eſt in hujus ætatis codicibus Græcis qui apud Matthæum (niſi quòd coronis illa, Ὅτι σοῦ ἐστιν, &c. non adjiciatur) cùm nobis hic non pauca verba deſint, nempe *noſter; qui es in cœlis; fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra; ſed libera nos à malo.* Verùm hæc ſuſpicor à ſtudioſo quopiam ex Matth. 6. huc tranſcripta, ut precatio eſſet integra. Quod genus augmentationis compluribus locis deprehendimus apud Græcos. Beda cum noſtra lectione conſentit.

3. *Quotidianum*] Græcè eſt ἐπιούσιον, quod magis ſonat *ſuperſubſtantialem*, ut vertitur apud Matthæum, teſte etiam Auguſtino, Serm. De verbis Euang. 28. Quanquam Eraſmus magis putat *cræſtinum* ſignificare. Cyprianus communi more legit *quotidianum*, Serm. 6.

8. *Et ſi perſeveraverit pulſans, dico vobis, & ſi non*] Deſunt in Græcis hæc verba, *& ſi perſeveraverit pulſans*; verùm ex Ambroſii commentariis & Auguſtini ſermone De verbis Domini 29. & Beda liquet hæc nequaquam eſſe ſuperflua aut omittenda. Unus tamen inter veteres Petrus Chryſologus concordat cum Græcis, Serm. 39.

14. *Et erat ejiciens dæmonium*] Quod ad conſecutionem ſermonis attinet; Quia & orandum docuerat, & Spiritum bonum poſcentibus promiſerat, ad hæc ipſa congruens ſubinfertur exemplum, quo & orandi impedimentum, quæ loquendi impotentia eſt, aufertur, & pollicitationis effectus conceditur. ¶ *Cùm ejeciſſet dæmonium*] Cùm Græcè ſit ἐξελθόντος, veriſimile eſt Interpretem ſcripſiſſe *exiiſſet*, idque errore ſcribarum depravatum in *ejeciſſet* propter illud præcedens *erat ejiciens dæmonium.*

15. *Beelzebub*] Beda admonet hoc nomen per *b* in fine ſcribendum, non per *l*, nec per *d*, juxta quædam mendoſa exemplaria. Scribitur autem Hebraicè בעלזבוב *Baalzebub*, interpretatúrque juxta Hieronymum *Devorans muſcam*: quo nomine Acaronitarum idolum vocabatur, de quo legitur 4 Reg. 1.

19. *Filii veſtri*] Diſcipulos ſuos loquitur.

20. *Si in digito Dei*] Quemadmodum Filius Dei *brachium* appellatur, ità Spiritus S. *digitus* dicitur.

25. *Invenit eam ſcopis mundatam* & ornatam] *Eam* atque *& ornatam* non invenias apud Bedam, nec apud Smaragdum, nec in codice Corſend. & aliis nonnullis contra Græcos. Quinimo Beda adnotat *ornatam* eſſe Matthæi.

28. *Quinimò beati qui audiunt verbum*] Tanquam ſi dicat, Matrem ac geſtatricem Verbi prædicas beatam; quod equidem non negaverim: Verùm non minùs beati fuerint quicunque idem illud Verbum corde ſuſceperint ac ſervaverint.

29. *Jonæ* Prophetæ] Hoc *Prophetæ* nuperam eſſe adjectionculam arguunt lectio Ambroſii, Bedæ, & codices paulò vetuſtiores.

31. *Salomon hîc*] Videri poterat aurium errore ὧδε *hic* in ὧδε *hic* depravatum, præſertim cùm ejuſmodi lapſus in hujus Euangelii c. 16. 25 repertus ſit in eo quod dicitur *hic conſolatur*: ſed major eſt tum hoc loco tum Matth. 12. 42 exemplarium concentus quàm ut probari poſſit. Unde equidem puto ὧδε poni pro ὧδε, ità tamen ut & perſonam indicet, & nihilominus etiam locum commonſtret. Atque hâc ratione poterit & alter ille citatus locus incolumis cenſeri. Pro *plus quam Salomon* Beda & codex Corſend. habent *plus Salomone*; & itidem, ſi rectè memini, legi etiam in codice Corſend. Græco, nempe πλεῖον Σολομῶντος. Vide Matth. 12. 41.

33. *Sub modio*] *Modium* pro *vaſe* poſuit.

34. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit*] Quod ſuprà dixerat Dominus, *Nemo lucernam accendit & in abſcondito ponit*, ſui ipſius claritatem veritatémque in omnium notitiam proferendam indicabat; quod ut per *lucernam* domum illuminantem declaraverat, ità nunc idipſum per humani corporis *oculum* manifeſtat. Quod enim domui Lucerna, hoc Oculus præſtat corpori. Senſus itaque talis eſt, Quemadmodum *oculus ſimplex*, h. e. ſincerus nullóque operimento implicitus, *lucis* ſuæ beneficium communicat *toti corpori*, contra autem *oculus malus* & excæcatus *totum corpus* reddit *tenebris obnoxium*; ita Chriſtus Dei Filius quaſi in edito poſitus vitæ, doctrinæ & gratiæ ſuæ fulgore univerſum illuminat mundum; qui ſi lucis ſuæ radios abſcondiſſet, mundum utique neceſſe erat in ignorantiæ ac peccatorum tenebris permanſiſſe.

35. *Vide ergo ne lumen quod in te eſt tenebræ ſint*] h. e. Vide ne me, qui lumen vobis adſum, pro tenebris habeas. Vel, Vide ne oculus mentis, quo verum mundi lumen cernitur, ab hoc lumine contuendo propter incredulitatem impediatur.

36. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te*] Quod ad Grammaticæ rationem attinet, ità ſermo ordinandus eſt; *Ergo*, quia dixi *videndum ne lumen quod in te eſt tenebræ ſint, ſi totum*, h. e. integrum, *corpus tuum* propter ſincerum oculum *lucidum fuerit, nec habuerit aliquam partem tenebrarum*, non modo *erit totum lucidum*, verum etiam *ſicut lucerna fulgoris*, ſicut lucerna luciditſima, *illuminabit te.* Græca tamen ut nunc quidem habent nonnihil diſcrepant à Latinis. Ita enim legimus, Εἰ οὖν τὸ σῶμά σου ὅλον φωτεινόν, μὴ ἔχον τι μέρος σκοτεινόν, ἔσται φωτεινὸν ὅλον, ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε. quæ ſi quis ad verbum tranferat, ſic reſonabunt, *Si ergo corpus tuum lucidum*, ſub. *eſt*, *non habens aliquam partem tenebroſam*, *erit lucidum totum, veluti cum lucerna illuminat te.* In ſumma autem hoc vult intelligi, Quod quiſquis verum fidei ſive Euangelicæ doctrinæ lumen habet, non eſt quod metuat necubi tenebras in anima patiatur.

38. *Quare non baptizatus eſſet antè prandium*] De Chriſto loquitur, quem admirabatur Phariſæus quod illotus accumberet præter morem Judæorum; ne quis putet aut de ſe aut de Baptiſmi ſacramento loqui Phariſæum.

39. *Calicis & Catini*] Utrumque ſcribendum juxta Græca & Latina antiqua, contra recentiora; & juxta Ambroſium & Bedam. *Catinus* vel *catinum* vas eſt eſcarium.

41. *Quod ſupereſt date eleemoſynam*] Græce eſt τὰ ἐνόντα, h. e. *ea quæ ſunt*, nimirum facultates quæ reſident ac dominantur in corde tuo; has, inquam, per eleemoſynam erogate pauperibus, ut una cum ſuperfluis divitiis etiam avari cordis ponatis affectum. Vel ita conſtrue, *Idipſum quod neceſſariæ ſuſtentationi ſupereſt date eleemoſynam:* ut ſit quædam proſthеſis, τὸ *quod ſupereſt*, ad *eleemoſynam.* Beda etiam hoc pacto interpretatur, *Quod*, inquit, *tam multo ſcelere præoccupatis ſolum remedium reſtat, date eleemoſynam.*

42. *Decimatis mentam*] i. *decimas exigitis*, vel etiam *datis*, *mentæ & rutæ. Decimare* enim dici poteſt tam qui accipit quam qui dat.

51. *Ita dico vobis*] Nisi quod *Ita* vertit Interpres, idem eſt quod alias Hebraice dicitur *Amen.* ¶ *Requiretur ab hac generatione*] Sub. *ſanguis omnium Prophetarum*, vel *ſanguis Zachariæ.*

53. *Inſiſtere, & os ejus opprimere*] Horum loco duæ tantùm voces ſunt in archetypo; ἐνέχειν, quod ſignat *urgere*, *inſiſtere*, *injuriarum tenacem eſſe*; & ἀποστομίζειν, quod ſecundùm quoſdam ſignat *pendere ab ore*, ſecundùm alios *captiosè interrogare*; id quod magis quadrat cùm eo quod infertur *de multis.* Theophylactus item ἀποστομίζειν bifariam interpretatur, primum *frequenter interrogare, & perplexum reddere*, quod fieri ſolet quando plures interrogant unum de aliis atque aliis argumentis; deinde *illaqueare, & ab teſtimonium oris aliquem apprehendere.* Euthymius verò ἀποστομαλίζειν legit, i. *ab ore interrogare*, *quod ſignificat*, inquit, *extemporales & non conſideratas reſponſiones doloſarum interrogationum expetere.* Eſt & Tertium verbis his non diſſimile, quod vetus interpres legiſſe videtur, nempe ἐπιστομίζειν, *os occludere*: quanquam & id ἀποστομίζειν ſignificare poteſt.

L U-

LUCAS BRUG.

3. HAnc Dominicæ orationis partem, *fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*, in Euangelio D. Lucæ, ut in D. Matthæi, legunt quinque noſtra manuſcripta (Q. A. Beſſ. Pl. par. Pl. long.) quibus tria Hentenii exemplaria conſonant. Quartum, quod Pariſienſium eſt, Moguntinum, quemadmodum & Colonienſe ac Nurenburgenſe, quæ proximè ſunt illud annis ſecuta, & poſteriora quædam, id duntaxat in Lucæ habent, *fiat voluntas tua.* Totum, ut priora illa octo exemplaria, habent Græci libri plerique omnes & Syrici, inſuper & Græci tractatores, Euthymius & Theophylactus. Porrò plerique Latini codices manuſcripti (Brug. Lob. Leod. So. al. au. O, E, L. Pl. m. H. &c.) & quidem ſpectatiſſimi quique, magna quoque impreſſorum pars, pericopen illam apud B. Lucam omnino non agnoſcunt: quibus ſuffragatur Græcum Vaticanæ Bibliothecæ antigraphum, diſertéque adſtipulantur Latini enarratores, Beda, Carenſis, Thomas, Bonaventura, Albertus, Lyranus, Gorran, Richelius; præterea B. Auguſtinus Enchiridii 116 capite, ubi ait, *Euangeliſta verò Lucas in oratione Dominica petitiones, non ſeptem, ſed quinque complexus eſt. Nec ab iſto utique diſcrepavit: ſed quomodo iſta ſeptem ſint intelligenda, ipsâ ſuâ brevitate commonuit: Nomen quippe Dei ſanctificatur in Spiritu: Dei autem regnum in carnis reſurrectione venturum eſt; Oſtendens ergò Lucas tertiam petitionem duarum ſuperiorum eſſe quodammodo repetitionem, magis eam prætermittendo fecit intelligi.* Hactenus Auguſtinus. Veriſimile ſit igitur, quod exiſtimant quidam, partem hanc, *fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*, huc ex Matthæo, quòd deſiderari videretur, ut integra eſſet Dominica oratio, fuiſſe transſcriptam; aut, ut ſcribarum occurrit memoriæ, quod orando haud prætermittere fuerant ſoliti, adſcriptam. Idem judicium de his partibus eſſe videtur, *Noſter qui es in cælis*; &, *Sed libera nos à malo*: quæ in Latinis libris quibuſdam, & pleriſque omnibus Græcis, ſimiliter adduntur.

11. Noſtri codices legunt, *Quis autem ex vobis patrem* [*à patre* Pl. m.] *petit panem? numquid lapidem dabit illi?* Græci verò paulò aliter, τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον, μὴ, &c. *Quem autem ex vobis patrem petet filius panem? numquid*, &c. Similiter Syrici, *Quis autem ex vobis pater quem petet eum filius ejus panem? numquid*, &c. quibus accedit B. Auguſtini lectio, Sermone De verbis Domini 29. *Quis eſt veſtrum à quo petit filius ſuus panem? numquid*, &c.

STEPHANUS.

4. Ἀπὸ τῦ πονηρῦ] *Ab illo improbo.* Tertull. *à maligno.*

5. Χρῆσόν μοι] *Mutuò mihi da.*

8. Τὴν ἀναίδειαν] *Improbam & pertinacem flagitationem: qualis eſt impudentium.*

22. Τὴν πανοπλίαν] *Totam armaturam.* ¶ Τὰ σκῦλα αὐτῦ διαδίδωσιν] *Spolia ejus diſpertitur* ſuis: vel, *diſſipat.*

26. Γίνεται τὰ ἔσχατα χείρονα τ πρώτων] *Fit ultima conditio deterior priore.*

28. Μενοῦνγε μακάριοι] *Quin potiùs beati.* Vel, *Imò beati.*

36. Τῇ ἀστραπῇ] *Fulgore.*

37. Ὅπως ἀριστήσῃ] *Ut pranderet.*

38. Ἐβαπτίσθη] *Ablutus eſſet.*

41. Τὰ ἐνόντα] *Pro iis quæ adſunt:* vel, *Quantum ferre facultates veſtræ poſſunt.*

45. Τῶν νομικῶν] *Legis profeſſorum:* vel, *interpretum.*

48. Μαρτυρεῖτε ἄρα συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις τ πατέρων ὑμῶν] *Teſtimonio veſtro comprobatis facta patrum veſtrorum, & illis factis aſſentimini.*

53. Δεινῶς ἐνίσχυον, ἀναγκάζειν αὐτὸν ἐπὶ πλείονα] *Acriter eum urgere, jubendo ex tempore reſpondere de multis.* Q. d. Acriter urgere interrogationibus, ad quas illum jubebant ex tempore reſpondere.

DRUSIUS.

20. *Digito Dei*] i. virtute aut potentiâ Dei: ut Exod. 8. 19. *Digitus Dei eſt.* Matth. 12. 28. legimus, *per Spiritum Dei.* Nam Spiritus vocatur etiam *digitus Dei*: eſt enim virtus ac potentia Dei.

22. *Spolia ejus*] i. ſuppellectilem & bona domeſtica. Tralatio à re militari, éſtque ab Ebræis. Nam illi שלל eo ſenſu uſurpant, ut videre eſt Prov. 31. 11. Sic alibi, *dividere ſpolia cum ſuperbis*: &, *Implebimus ſpoliis domum noſtras.* Sed hîc potiùs denotare videtur bona ſpoliata.

29. *Generatio hæc generatio nequam eſt*, Ἡ γενεὰ αὕτη γενεὰ πονηρά ἐςι] Quod Ebræi dicerent דור זה דור רע *Ætas hæc ætas mala eſt.* Vult dicere, *genus hoc hominum. Natio* potiùs גוי dicitur. Lex. vetus, Γενεὰ, *ſeculum, generatio, natio, nativitas, propagatio, progenies.*

38. *Non priùs baptizatum fuiſſe ante prandium*] i. ablutum. Nam non ſumebant cibum illoti. Id quia Chriſtus fecit, miratur Phariſæus: quod perito traditionum Phariſaicarum minum non videbitur. Sanè à frequenti lotione βαπτισταὶ vocati ſunt. Quin nè veſci quidem volebant cum eo qui illotus erat; cujus etiam cibum pro polluto habebant. Qua de re diximus alibi, quæ non repeto.

41. *Verumtamen*] Particulâ πλὴν utuntur cùm pr interpretantur. Id ſignificat *ſanè, tantummodo, verùm*, ſed & alia multa: ut poſſis vertere, *Sane date*, &c. Videtur autem ironia eſſe in his verbis, ut Cohel. 11. 9. *Lætare, juvenis, in adoleſcentia tua, & ambula in viis & καρδίας ς.* Nam Phariſæi, cùm intus eſſent pleni rapinâ & ſcelere, putabant, Si darent eleemoſynam de eo quod ſcelere rapuerant, omnia munda & pura eſſe, parùm ſoliciti de vita in melius mutanda. Nam externa illis cordi erant, non interna. Sic dico, Quod foris erat curabant, non quod intus: Unde tanta ſolicitudo circa exteriorem poculi patinæque purgationem & ablutionem. Poſſet aliter exponi, ut ſit imperativus pro futuro, hâc ſententiâ, *Tantummodo date*, i. dabitis, *eleemoſynam, & omnia vobis pura eſſe putatis*; aut, *omnia vobis pura erunt*, opinione veſtrâ videlicet, in qua multùm hallucinamini. Siquidem niſi cor mundum fuerit, eleemoſyna non poteſt nos mundare.

51. *Uſque ad ſanguinem Zacharia*] Hujus meminit compoſitor hiſt. Ebraicæ in Nænia ſua his verbis, *Et quomodo in medio eorum ceciderunt Sacerdotes DOMINI & Prophetæ ejus: & ante Templum ſacroſanctum, quod in medio tui, mactatus fuit Zachariæ Prophetæ juſtus & pius, qui jacuit inſepultus, neque terra texit ſanguinem ejus; ſed hucuſque ipſe aſcendit & garrit in medio tui.* Vide ſis Matth. 23. 35.

CASAUBONUS.

41. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην] Non dubito quin doctiſſimus interpres hunc locum optimè verterit. Nam δοῦναι τὰ ἐνόντα non aliud ſignificat quàm quod Homerus dicere ſolet χαρίζεσθαι παρόντων. Addidit autem ἐλεημοσύνην planè eâdem ratione quâ dicitur δοῦναί τι δῶρον, & ἔχειν τι δῶρον.

53. Καὶ ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων] Conjugationis Hebræorum quam vocant *Hiſhil* defectum non uno modo compenſant Græci; Interdum præpoſitione additâ: ſic dicunt ἐλπίζειν ſperare, ἐπελπίζειν facere ut alius ſperet; ψηφίζειν ſuffragium ferre, ἐπιψηφίζειν mittere in ſuffragium, ſive *facere ut alius ferat ſuffragium.* Sæpe eidem verbo & ϛ Kal & τῦ Hiſhil ſignificationem tribuunt: dicunt enim & καθίσω ἐγὼ & καθίσω ς. Sic καθίζω & *ſedere* ſignificat & *facere ut alius ſedeat*, ut καθίζειν δικαστάς. Atque hoc modo pleraque verba Poëtæ, præſertim tragici, uſurpant; itémque S. Bibliorum Græci autores. Sic ἀναβιβάσαι Matthæus uſurpavit pro *facere oriri*, Paulus θριαμβεύειν pro *facere triumphare*, & alia paſſim. Ejuſmodi eſt ἀποστοματίζειν iſto loco, quod & *memoriter recitare* ſignificat & *facere ut alius recitet.* Itaque & diſcipulus qui recitat aliquid ἀποστοματίζειν dicitur, & præceptor quoque qui facit ut illi recitet. Utriuſque ſignificationis exſtant exempla. Docet hoc manifeſtiſſimè Suidas, qui poſtquam expoſuit ἀποστοματίζειν, ἀπὸ μνήμης λέγειν, ſubjicit, Καὶ ἀποστοματίζειν φασὶ τ διδάσκαλον, ὅταν κελεύῃ τ παῖδα λέγειν ἄρθρα ἀπὸ στόματος. Atque hac ferè in ſignificatione hîc accipitur: Significat enim *facere ut quis loquatur*, ſive *ad loquendum allicere*, ut doctiſſimus interpres vertit.

CAMERO.

52. Ἦραν τὴν κλεῖδα τ γνώσεως] Νομικοὶ ii videntur fuiſſe quos Hebræi סתרים vocant, h. e. *Sapientes*, qui Legem quidem interpretabantur, ſed in Scholis, privatim: quod videtur poſſe colligi ex his Chriſti verbis, *ſuſtuliſtis clavem ſcientiæ.* Nam olim inſigne Doctoratûs apud Judæos fuit Clavis cum Pugillaribus. Itaque de quodam R. Samuele ſcripſerunt, eo mortuo Clavem & Pugillares ejus reconditos fuiſſe in loculo, eò quod filium non haberet cui ſcilicet

relinqueret post se Doctoratûs sui insignia. Verba eorum sunt בשכת ונתו כפתותו ומנקו בשיט כמני שלא אה לנן *Postquam mortuus est posuerunt Clavem & Pugillares ejus in loculo ejus, eò quòd non mortuus habere filium.*

GUALTPERIUS.

3. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸ ἐπιούσιον δίδου ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν, *Panem nostrum quotidianum da nobis in diem*] Syrus habet הב לן לחמא דמסקנן כלהום *Da nobis panem quo opus habemus quotidie.* Vel, *Da nobis panem necessitatis nostræ hodie.* Malè quidam vertit, *Da nobis panem sufficientiæ nostræ.* Radix enim מסק Syriacè significat *indigere, opus habere*; ut videre est Matth. 3. 14. *Ego opus habeo* אנא מסק, inquit Joannes, *ut abs te baptizer.* Et Matth. 9. 12. *Non opus habent* לא מסקין *sani medico.* Inde & מסקנא *indigentia, necessitas, id quod nobis est opus.* Idem מסקנתא Act. 21.

12. Ἐὰν αἰτήσῃ (ὁ υἱὸς) ὠόν, μὴ ἐπιδώσει αὐτῷ σκορπίον; *Si petierit* filius *ovum, num dabit ei scorpium?*] Σκορπίος *Scorpius*, vel *Scorpio, onis*, insecti genus venenatum caudâ feriens. Dicitur πρὸς τὸ σκαιῶς ἴεσθαι, vel, ut alii, πρὸς τὸ σκορπίζειν τὸν ἰόν. Meminit Dioscorides, Aristoteles, Ælianus, Nicander. Et Plinius l. 11. c. 25. de Scorpionibus ex professo tractans, *Vermiculos*, inquit, *ovorum specie pariunt, similitérque pereunt. Pestis importuna veneni serpentium, nisi quòd graviore supplicio lentâ per triduum morte conficiunt; virginibus lethalis semper ictu, & feminis ferè in totum; viris autem matutinò, exeuntes cavernis, priusquam aliquo fortuito ictu jejunum egerant venenum. Semper cauda in ictu est, nullóque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni. Ferit & obliquo ictu & inflexo. Geminos quibusdam aculeos esse tradunt, maréque sævissimos: cùm sitiunt, inexplebiles potu. Constat & septena cauda intermodia sæviora esse; pluribus enim sena. Hoc malum Africa volucre etiam Austri faciunt, pandentibus brachia, ut remigia sublevantes. Apolloderus planè quibusdam inesse pennas tradit. In Scythia intereunt etiam sues, alioqui vivaciores contra venena talia. Homini ictio putatur esse remedio ipsorum cinis potus in vino. Magnam adversitatem olea mersis & stellionibus putant esse, innocuis duntaxat iis, qui & ipsi carent sanguine, lacertarum figurâ: atque scorpiones in totum nulli nocere quibus non sit sanguis. Quidam & ab ipsis fatum devorari arbitrantur; Unum modò relinqui solertissimum, & qui se ipsius matris clunibus imponendo tutus & à cauda & morsu loco fiat. Hunc esse reliquorum ulterem, qui postremò genitores superni conficiat. Pariuntur autem undeni.* Hæc Plinius. Prov. Σκορπίον ἐκλάπτειν ἐγκέφαλον. Σκορπιώδης, *scorpioni similis*, i. ad iracundiam pronus; qui facilè irritatur, ut scorpio. Est & nomen signi cœlestis, quod Cicero *Nepam* interpretatur apud Aratum. Et plantæ genus cujus radix scorpio similis est, *cujusque contactu moriuntur scorpiones*, Plin. l. 25. c. 10. Idem lib. 22. cap. 15. *Ex argumento*, inquit, *nomen accepit Scorpius herba. Semen enim habet ad similitudinem caudæ scorpionis, folia pauca: valet adversùs animal nominis sui.* Est & tormenti bellici genus; de quo vide Vitruvium lib. 10. cap. 15, & 16. Plinium lib. 7. cap. 56. Cæsarem lib. 7.

GROTIUS.

1. Δίδαξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι, *doce nos orare*] *Doce nos compendium rerum orandarum.* Neque enim eo tempore syllabis adstringebantur. Sic & à Johanne credibile est propositam summam precum ad pœnitentiam pertinentium. quomodo *hæc Christi oratio* continet regnum cœleste: hinc *breviarium totius Euangelii* Tertulliano dicitur, Cypriano *cœlestis doctrinæ compendium.* Omnino autem credibile est in Græcis codicibus adjecta ex Matthæo quæ Lucas omiserat, cum non extent in Latinis antiquis: illud *qui es in cœlis.* Item: *fiat voluntas tua ut in cœlo, ita in terra*, (quod & Græci codices quidam omittunt) item, *sed libera nos à malo*: quæ ipsa etiam, non expressa, vi insunt verbis cæteris.

3. τὸ ἐπιούσιον δίδου ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν, *quotidianum da nobis hodie*] Vide quæ de his verbis ad Matthæum. ¶ ἁμαρτίας, *peccata*] Expositio ejus quod apud Matthæum est, ὀφειλήματα [*debita*].

4. καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν, *siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis*] Nam & nos ex tuo præcepto injurias aliis condonamus, ob promissionem veniæ sub hac conditione nobis factam.

5. χρῆσόν μοι, *commoda mihi*] Non fuit reprehendendus qui vertit *mutua mihi.* Nam apud Plautum est,

Si quis quid mutuaverit, sit pro proprio perditum.

Quod autem *commodare* pro *mutuare* hîc posuit vetus Interpres, facit idem Salvianus juris vocum alioqui peritissimus: *Nemo sibi solvi vult*, inquit, *qua non commodat.*

7. τὰ παιδία μου μετ' ἐμοῦ εἰς τὴν κοίτην εἰσί, *pueri mei mecum sunt in cubili*] Significat neminem domi esse qui sine incommodo panes dare petenti possit: cùm omnes jam cubitum issent. Rectè autem παιδία [*liberos*] vertit Syrus: ita enim sumi id nomen solet, ut Heb. 11, 13, 14.

8. διά γε τὴν ἀναίδειαν αὐτοῦ, *propter improbitatem tamen ejus*] Non malè Latinus verterat *improbitatem.* Nam quamquam longius porrigi cœpit, *probitas* propriè est αἰδὼς [*verecundia*]; itaque opponitur *probus inverecundo.* Sallustius hoc sensu Pompejum dixerat, *oris probi, animo inverecundo*, pro quo malè apud Suetonium legitur, *Oris improbi.* Quod autem paulò ante in Latinis est additum, *& ille perseveravit pulsans*, explicandi causa positum puto, non quod in Græcis extaret. Sed vox illa ἀναίδειας, pervicacem istam flagitationem satis significat. ¶ ὅσων χρῄζει, *quotquot habet necessarios*] etiam plus tribuas si opus est.

9. Κἀγὼ ὑμῖν λέγω, *Et ego dico vobis*] Comparatio est non à simili, sed à majore; *Si impudens flagitator tantum obtinet ab homine, quid non à Deo obtinebit supplex & assiduus precator?*

11. Τίνα δὲ ὑμῶν, *quis autem ex vobis*] Optimè cohærent verba, si τίνα interpreteris *si quem*, secundùm ea quæ alibi diximus. Sensus enim est, *Si quem vestrûm, qui Parens sit, filius suus panem poscat, an is filio lapidem dabit?*

13. ὁ ἐξ οὐρανοῦ, *de cœlo*] Id est, οὐράνιος *cœlestis*, ὁ Κύριος ὁ ἐξ οὐρανοῦ [*Dominus de cœlo*] 1 Cor. xv, 47. τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ [*habitatio nostra quæ de cœlo est*] 11 Cor. v, 2. ¶ Ἅγιον, *Sanctum*] Ita legerunt Syrus & Arabs. Ad hunc ergo Spiritum impetrandum præcipuè directa est illa precandi formula.

17. οἶκος ἐπὶ οἶκον, *domus supra domum*] Supple διαμερισθὲν [*divisa*] quod rectè expressit Syrus. Est autem οἶκος ἐπὶ οἶκον [*domus supra domum*] Hebraico more dictum pro οἶκος ἐφ' ἑαυτὸν [*domus contra se*], antecedente voce repetitâ vice relativi.

20. ἐν τῷ δακτύλῳ Θεοῦ, *in digito Dei*] Alludit ad Exodi historiam VIII, 19. Sicut tunc digitus Dei in Mose operans signum erat populi liberandi ex Ægypto, ita nunc digitus Dei per Christum efficax signum liberationis nostræ à peccato, quod est Regnum Dei. ¶ Ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. *pervenit in vos regnum Dei*] Dan. VII, 22. ubi in Græco vox eadem ἔφθασε [*pervenit*].

21. αὐλὴν, *atrium*] Τὸ βασίλειον [*Palatium regium*]. Vide ad locum Matth. XXVI, 69. ¶ ἐν εἰρήνῃ εἰσί, *in pace sunt*] In tuto sunt.

22. τὴν πανοπλίαν, *universa arma*] Puto hîc de armis propriè agi: quia præcessit καθωπλισμένος [*armatus*]. Opponitur huic armaturæ diaboli Dei armatura descripta ad Eph. VI. ¶ τὰ σκῦλα αὐτοῦ, *spolia ejus*] Etiam hoc sumendum in bellica significatione. οἶκον διαρπάζειν [*domum diripere*] dixit Matthæus. Erat autem proverbium inter Hebræos הרמת מלקוח, id est, μὴ λήψεταί τις παρὰ γίγαντος σκῦλα; [*numquid tolletur à fortis præda*]? Esaiæ XLIX, 24. ad quod hîc alluditur.

27. Μακάριος ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, *Beatus venter qui te portavit*] Mos loquendi Græcis quoque non ignotus. Scriptor libri de Ero & Leandro, qui Musæus dici solet,

Ὄλβιος ὅς σ' ἐφύτευσε, μὴ ὀλβίη ἣ τέκε μητήρ·
Γαστὴρ, ἣ σ' ἐλόχευσε μακαριόων.
[*Et Pater, & felix tibi qua dedit ubera Mater,*
Ter felix venter, qui protulit].

Uterum & ubera in circumlocutione fœminarum habes & infrà XXIII, 29. In Thalmudicis libris est ילדיך אשרי, ὄλβια ἣ σε ἔτεκε [*beata quæ te peperit*] apud Græcos.

28. Μενοῦνγε, *Quinimo*] Ἐπανόρθωσις [*correctio*], non negans quod erat dictum, *Nomine tanti partûs felicem esse matrem*, quod Angelus quoque & Elisabetha Sancto Spiritu plena dixerat: sed majus aliquid addens, Beatitudinem scilicet æternam ac solidam neque in hoc esse sitam, neque Mariæ esse propriam.

¶ οἱ

¶ *οἱ ἀκούοντες τ λόγον τ Θεοῦ, κ φυλάσσοντες αὐτόν. qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*] *Audire verbum*, est Christum concipere: *observare* est parere. Qui abortiunt pejore loco sunt quam si non concepissent Matth. VII, 24. Rom. II, 13. Jac. I, 22. φυλάσσειν [*custodire*] enim hoc loco, ut & Matth. XIX, 20. Marc. X, 20. Luc. infrà XVIII, 21. Act. VII, 53. Rom. II, 26. Gal. VI, 13. idem est quod aliis jam dictis locis ποιεῖν [*facere*].

29. Τῶν δ ὄχλων ἐπαθροιζομένων, *Turbis autem concurrentibus*] Cùm aliæ super alias turbæ ad ipsum coirent.

30. *ἐγένετο Ἰωνᾶς σημεῖον, fuit Jonas signum*] Vide supra II, 34. & quæ inibi dicta.

33. Οὐδεὶς λύχνον ἅπτει, *nemo lucernam accendens*] Sententiam hanc Christus, ut Sapientes solebant, occasione data sæpius inculcabat; itaque apud Lucam bis reperitur, quod & de aliis sententiis par est intelligi. Videtur autem hoc tempore dictum ad explicationem ejus quod præcesserat, Μακάριοι οἱ ἀκούοντες τ λόγον κ φυλάσσοντες αὐτόν [*Beati qui audiunt verbum & custodiunt illud*]. Nam φυλάσσειν [*custodire*] est *efficere ut lux verbi animis insiti per opera appareat*. Vide quæ ad Matthæum. ¶ *εἰς κρυπτὸν, in abscondito*] Ita Syrus & Latinus: atque id malo quàm quod alii codices præferunt κρύπτην [*testudinem subterraneam*]. Nam idem hic est εἰς κρυπτὸν [*in abscondito*] quod suprà ἐπὶ κλίνης [*sub lecto*] VIII, 16.

34. Ὁ λύχνος τ σώματός, *Lucerna corporis*] Est & hæc sententia inter Lepe repetitas. Applicatur autem nunc ad perversas hominum de Christo judicationes nascentes ex affectuum nubilo.

35. Σκόπει οὖν μὴ τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, σκότος ἐστίν. *Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint*] Laudo eos qui vertunt *Considera an non lux tua tenebræ sint*. Nam ea vis est voculæ μὴ [*ne*] post verbum σκοπεῖν [*considerare*]. Xenophon, σκοπῶ μὴ ἐπαγωγὸν ᾖ δανείσασθαι [*considero, an non illecebrosum sit, reddere*].

36. ἔσται φωτεινὸν ὅλον, ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φαίζῃ σε. *Erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te*] Εσαι [*erit*] supple σοὶ [*tibi*]; illud φωτεινὸν ὅλον [*lucidum totum*] intellige τὸ σῶμα [*corpus*]: id est, *Eum tibi usum prabebit corpus totum lucidum, quem præberet latè corruscans lucerna: adeò nihil erit quod te offendat.* Ἐν τῷ φωτὶ μένῃ, κ σκάνδαλον ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν [*in lumine manet, & scandalum in eo non est*], inquit Johannes 1 Epist. II, 10. *Corpus* ergo Christus hic vocat perpetuum vitæ tenorem, quod Johannes dicto loco ἐν φωτὶ μένειν [*in luce manere*], & eâdem Epistolâ I, 7. ἐν φωτὶ περιπατεῖν [*in luce ambulare*] appellat.

38. ἐβαπτίσθη, *baptizatus esset*] id est, ἐνίψατο τὰς χεῖρας [*ablusset manus*]. Sed ἐβαπτίσθη [*baptizatus esset*] dicere maluit, quia manus tota & brachii pars cubito tenus non leviter perfundebatur, sed quasi mersabatur ne quid sordis adhæreret. Vide quæ ad Matth. XV. Marc. VII. ¶ πρὸ τ ἀρίστου *ante prandium*] Nam illotis ex Judaico dogmate omnis cibus erat immundus.

39. Νῦν ὑμεῖς, *Nunc vos*] Posset videri esse adversativa oratio πρὸς τὸ ὑποκείμενον [*ad id quod subintelligitur*] quasi diceret Christus, *Animum præcipuè curari oportuit: at nunc in externis occupamini.* Sed eo sensu νῦν [*nunc*] solet habere δὲ [*verò*] adjunctum; ut infrà XIX, 42. Quare rectiùs sic exponemus, *Ut nunc res sunt, nihil aliud curatis quàm quod ad exteriorem munditiam attinet:* ut sui potissimùm sæculi mores respiciat Christus; ut supra cum dixit γενεὰ αὕτη [*generatio hæc*]. Potuit autem hoc eo justiùs facere quia traditio illa non erat admodum antiqua. ¶ τὸ ἔξωθεν τ ποτηρίου κ τ πίνακος καθαρίζετε· *quod deforis est calicis & catini mundatis*] *Tandem facitis, ac si quod extra est poculi & patinarum purgetis diligenter.* Est enim comparatio, ut ad Matthæum diximus. ¶ τὸ δ ἔσωθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς κ πονηρίας· *quod autem intus est vestrûm plenum est rapina & iniquitate*] Breviloqua oratio quæ partem comparationis subticet. Sensus enim est, ut ad Matthæum diximus: Sed quasi illa planè exteriùs purgata pocula & patinæ intus scaterent sordibus, ita cum vos extra bene estis loti, animus vester impurus est flagitiorum conscientiâ.

40. οὐχ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν, καὶ τὸ ἔσωθεν ἐποίησε; *nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit*]? Primum infert quod minus est, Saltem juxta corpus animum curari debuisse ab eodem Deo conditum: illaturus deinde quod majus est, Nihil esse corpori immundum quod ad salutem attinet animo sibi bene conscio.

41. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην· καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν. *Verumtamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*] Variè hic locus exponitur. At nemo Græcorum δότε [*date*] accepit indicativè, neque id consuetudo patitur, ut rectè à viro doctissimo est annotatum. Quare omnino accipiendum imperativè, quomodo acceperunt Latinus, Syrus, Arabs. Neque placet hoc dictum εἰρωνικῶς [*ironicè*] exponi: tum quia non potest ea interpretatio hoc loco non coacta videri; tum quia probabile est eundem esse sensum qui in Matthæi verbis, ubi est ἵνα γένηται καὶ τὸ ἔξω τοῦ καθαροῦ [*ut fiat quod deforis est mundum*], nisi quod ibi continuatur figura à poculis & patinis sumta, hîc res eadem planiùs dicitur. Nam & cætera omnia eadem sunt. Quare & in istis verbis, τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην [*quod superest date eleëmosynam*], idem sensus quærendus est qui est in Matthæi illis καθάρισον τὸ ἐντὸς [*munda quod deforis est*]. Sunt qui putant τὰ ἐνόντα idem esse quod τὸ λοιπὸν [*quod reliquum est*], orationis scilicet connexionem: sed ejus locutionis exemplum desidero. Adde quod nec locum hîc habere potest τὸ λοιπὸν [*quod reliquum est*], cum id quod faciebant Pharisæi ad veram munditiem nihil planè conduceret. Quare multò rectius est ut intelligamus τὰ ἐνόντα [*quod superest*] esse κ τὰ ἐνόντα [*pro facultatibus*], quomodo τ ἐνόντα τρόπον dicunt Græci, pro eo quod est, *quàm maximè fieri potest*. Itaque δότε ἐλεημοσύνην τὰ ἐνόντα, est, *exercete misericordiam quantum potestis maximè*. ita respondet τὰ ἐνόντα voci Hebrææ כח Deuter. XVI, 10. Tertullianus hunc sensum secutus vertit aut ab alio versum citat, *Date quæ habetis.* Nam διδόναι ἐλεημοσύνην [*dare eleëmosynam*] etiam infra dixit Lucas XII, 33. pro quo alii Scriptores dicunt ποιεῖν ἐλεημοσύνην [*facere eleemosynam*]. Dubium non est quin hoc quoque monitum tritum fuerit in ore Hebræorum, quod Scriptor Tobiæ ita extulit, Ἐκ τ ὑπαρχόντων σου ποίει ἐλεημοσύνην, [*ex facultatibus tuis fac eleëmosynam*]: & sic, Ἐὰν σοὶ ὑπάρχῃ κ τὸ πλῆθος ποίησον ἐξ αὐτοῦ ἐλεημοσύνην [*si multum tibi fuerit, fac ex illis eleëmosynam*], IV, 7, 8. Superest videre quo sensu dicantur omnia munda futura facientibus opera misericordiæ: sintne hæc opera consequentia munditiam an antecedentia. Ego quod ad rem attinet, verum utrumque esse non dubito. Nam & opera quædam misericordiæ mundationem illam antecedere & multò plura ac uberiora eam consequi solent. Sed loci hujus circumstantiæ priorem, ni fallor, significationem postulant. Dat enim Christus hic mundandi animi consilium: mundatur animus per pœnitentiam. Pœnitentia duas habet partes: à malo desistere, in quo est & restitutio rerum malè partarum (nam & detentio alieni peccatum est) deinde inchoare aliqua opera frugis melioris, quos καρποὺς ἀξίους μετανοίας [*fructus dignos pœnitentiæ*] vocat Baptista. in his autem operibus eminent maximè opera misericordiæ: itaque ex his συνεδοχικῶς [*comprehensivè*] tota pœnitentia solet describi. Sic Salomo in Gnomis XVI, 6. בחסד ואמת יכפר עון *in veritate & misericordia expiatur iniquitas.* Daniel Nabuchodonosori idem dat consilium, quod hîc Christus Pharisæis, τὰς ἁμαρτίας σου ἐν ἐλεημοσύναις λύτρωσαι [*peccata tua eleëmosynis redime*], ut habet Græca versio IV, 24. Quem locum respiciens Salvianus multum eos accusat, qui quæ admiserunt, donis saltem ac misericordiis redimere non dignantur, Ἐλεημοσύνη ἐκ θανάτου ῥύεται, κ οὐκ ἐᾷ εἰσελθεῖν εἰς τὸ σκότος [*Eleemosyna à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*], est apud Tobiam IV, 10. Ἐλεημοσύνη ἐκ θανάτου ῥύεται, κ αὕτη ἐξαποστέλλει πᾶσαν ἁμαρτίαν [*Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata*], eodem libro XII, 9. Scriptor Ecclesiastici III, 33. Πῦρ φλογιζόμενον σβεσθήσεται ὕδωρ, κ ἐλεημοσύνη ἐξιλάσεται ἁμαρτίας [*ignem ardentem exstinguet aqua, & eleemosyna resistit peccatis*]. & XXIX, 15. συγκλείσον ἐλεημοσύνην ἐν τοῖς ταμείοις σε, καὶ αὕτη ἐξελεῖται σε ἐκ παντὸς κακώσεως [*conclude eleëmosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*], in quem sensum accipi potest & Petri illud, ἡ ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν [*charitas operit multitudinem peccatorum*]. Epistolâ priore IV, 8. adde, Elaiam I, 17. In Clementis quoque Constitutionibus libro VII, cap. XIII. legimus, Ἐὰν ἔχῃς δῶ τ χειρῶν σου, δός, ἵνα ἐργασίᾳ εἰς λύτρωσιν ἁμαρτιῶν σου· ἐλεημοσύναις γὰρ καὶ πίστει ἐξαποθαίρονται ἁμαρτίαι [*si quid habes præ manibus, da, quo peccata tua redimas; eleemosynis enim & fide abluuntur peccata*]. Lactantius libr. VI. *Magna est misericordia merces, cui Deus pollicetur peccata se omnia remissurum.* Magis verò etiam ad præsentem locum pertinent, quæ mox sequuntur, *Nec tamen quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes: abolentur enim, si Deo largiare quia peccaveris, nam si fiduciâ largiendi pecces, non abolentur. Deus enim purgari homines à peccato maximè cupit; ideoque agere pœnitentiam jubet. Agere*

autem pœnitentiam nihil aliud est, quàm profiteri & affirmare se non ulteriùs peccaturum. Adde Chrysostomum oratione Cur finatur esse Diabolus, Tomo VI, ubi inter ἁδὲ μελανίας [*viae pœnitentiae*] & hanc nobis commendat. Ejusdem est secundâ oratione De Pœnitentia, μετάνοια χωρὶς ἐλεημοσύνης νεκρά ἐστι καὶ ἄπρακτος [*pœnitentia sine eleemosyna mortua est & aliis caret*]. Quod autem sequitur, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν [*& ecce omnia munda vobis sunt*], simile est ei quod dicit Paulus, quanquam, pro temporum diversitate, laxiore sensu, πάντα καθαρὰ τοῖς καθαροῖς [*omnia munda mundis*], Tit. 1, 15. Hoc nimirum vult Christus: *Corpus quidem sine animo emendare inutile est; at contra animo per pœnitentiam mundato, res omnes à Deo non vetita ad usum patent, ita ut nihil indè labis possit contrahi.*

42. ὅτι ἀποδεκατοῦτε, *quia decimatis*] Cur quis hîc malit οἱ [*qui*], quàm ὅτι [*quia*], sanè nihil probabilis causæ video. Nam ὅτι [*quia*] simili modo post οὐαὶ [*væ*] ponitur apud Matthæum aliquoties XI, 21. XXIII, 13, 14, 23, 25, 27, 29. ¶ τὸν κρίσιν, *judicium*] Æquitatis naturalis officia. Vide quæ ad Matthæum.

44. μνημεῖα τὰ ἄδηλα, *monumenta quæ non apparent*] *Penitus sub terram defossa*, qualia multa erant in regione Palæstina, ut quæ esset ἀσπόπητος [*petrosa*]. Apud Matthæum est alia comparatio à monumentis sumta idem significans. Fieri potest ut modò hanc, modò illam Christus usurpaverit.

45. ταῦτα λέγων καὶ ἡμᾶς ὑβρίζεις. *hæc dicens etiam contumeliam nobis facis*] Per consequentiam. Nam Pharisæi exactissimè observabant Legisperitorum decreta. Legisperiti vicissim illorum sanctimoniam magnis laudibus prædicabant. Ita scabunt mutuum muli. Datur hinc colligi quod in commate superiore habent Græci libri, & ex illis Syrus & Arabs, Γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταί [*Scribæ & Pharisæi hypocritæ*], aliunde adjectum: nam & Latinus Interpres id non legit.

46. δυσβάστακτα, *quæ portare non possunt*] Sic Græci vertunt משא Proverb. XXVII, 3.

47. οἱ δὲ πατέρες ὑμῶν ἀπέκτειναν αὐτούς. *Patres verò vestri occiderunt eos*] Hebraica locutio pro quo Latinè dicendum esset *quos vestri Majores interfecerunt*: quod hoc loco Syrum & Arabem non latuit.

48. μαρτυρεῖτε καὶ συνευδοκεῖτε, *testificamini quod consentitis*] Ita legerunt Syrus & Arabs. *Testimonium perhibetis de factis Parentum atque ea imitamini.* Confer hunc ipsum in Matthæo locum. ¶ τῶν πατέρων ὑμῶν· *Patrum vestrorum*] *Non natura tantùm sed & morum filii: ita ut non possit non à vobis exspectari quod ab ipsis patratum est.* Vide expositionem loci ad Matthæum.

49. ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν, *sapientia Dei dixit*] *Deus in consilio suo ita apud se cogitavit*, אמר בלבו [*dixit in corde suo*], ut Hebræi dicunt. De his quoque ad Matthæum vide.

51. τοῦ οἴκου· *domus*] Sicut ναὸς [*templum*] interdum est *tota structura Templi*, interdum *pars illa in qua erant Sacerdotes* הכהל, ita οἶκος [*domus*] alibi *pro toto*, hîc *pro eadem illa parte* sumitur. Vide quæ ad Matth. XXIII, 35. diximus. ¶ ἐκζητηθήσεται, *requiretur*] Vox ipsa est quâ moriens Zacharias usus יראה יהוה וידרש [*videat Dominus & requirat*].

52. ἄρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως· *quia tulistis clavem scientiæ*] Ambigua est significatio. Syrus vertit *surripuistis*, Arabs *arripuistis*, aut *in vos suscepistis*: neque Græcus sermo repugnat. Nam αἴρεσθαι ἄχθος [*tollere molestiam*] aut φορτίον [*onus*] simili ferme significatu dicitur. Cùm utrumque de Legisperitis rectè dicatur, prius præfero, quia puto respondere ei quod apud Matthæum est *claudis regnum cœlorum.* Ille enim *claudere* rectè dicitur qui *clavem in sera non relinquit.* Vetus quidam annotator ἄρατε [*tulistis*] expositerat ἐκρύψατε [*occultâstis*] non malè, quod & in textum alicubi penetravit. *Clavim* autem Tertullianus rectè exponit *interpretationem Scripturarum.* Et mos erat apud Hebræos, eum cui potestas dabatur Legem & Prophetas interpretandi, clave data quasi in possessionem muneris mittere.

53. δεινῶς ἐνέχειν, *graviter insistere*] ἐνέχειν, [*constringere*] quod quidam codices habent, legisse videtur Arabs: vertit enim quasi dicas, *indagine clausum tenere.* At receptior ista est lectio quam & Syrus agnoscit, & *indignandi* ac *succensendi* verbis exprimit. Sanè & Hesychio ἐνέχειν [*urgere*] est μνησικακεῖν [*memorem esse injuriæ*]. Ita nonnihil differret ab eo quòd sequitur ἐνεδρεύειν [*insidiari*]. ¶ ἀποστοματίζειν, *os opprimere*] Non videtur discedendum ab hac lectione quam tot codices stabiliunt. Et hæc una est vocum in quibus intimam peritiam Græci sermonis Lucas ostendit. Nam ἀποστοματίζειν planè vox est de Scholâ sumta. Solebant Magistri Scholarum provectiores discipulos junioribus præficere, ut illi hos interrogarent. Id dicebatur ἀποστοματίζειν & μανθάνειν, in quo consistit fallacia illa qua Clinias decipitur ab Euthydemo apud Platonem. Nam cum μανθάνειν alias sit λαμβάνειν τινὰ ἐπιστήμην [*accipere scientiam*], in isto aliud significat, nimirum, ut Socrates explicat, ξυνιέναι, id est, *attendere dicenti*, sive etiam quod addit, ἐπισκοπεῖν τὸ περαινόμενον ἢ λεγόμενον [*observare id quod fit aut dicitur*]: Sicut & apud Aristophanem Scholiastæ μανθάνειν explicant per σκοπεῖν [*observare*]. Hoc qui tenuerit facilè intelliget Euthydemi Sophismata, πότεροι ἐμάνθανον ἢ παῖδων τὰ ἀποστοματιζόμενα οἱ σοφοὶ ἢ οἱ ἀμαθεῖς; [*quinam pueri intelligebant quæ grammaticus præibat, qui sciebant an qui ignorabant*]? bene enim ad illum peculiarem significatum respondet Clinias, οἱ σοφοὶ [*qui sciebant*]. Aristoteles ex hoc Platonis loco sumit τὸ παρ' ὁμωνυμίαν ἐλέγχειν [*fallaciam æquivocationis*]. Ita enim ait, οἷον, ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι· τὰ δὲ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί· τὸ δὲ μανθάνειν ὁμώνυμον, τό τε ξυνιέναι χρώμενον τῇ ἐπιστήμῃ, καὶ τὸ λαμβάνειν τινὰ ἐπιστήμην. [*veluti, eos qui sciunt, μανθάνειν, quoniam ea quæ memoriter recitantur Grammatici μανθάνουσι. nam verbum μανθάνειν est homonymum, quod significat & intelligere utendo scientiâ, & acquirere scientiam*]. Sed ἀποστοματίζειν ambiguum est. Nam & de eo *qui recitat* dicitur, ut apud Athenæum atque etiam apud Platonem dicta disputatione: & de eo *qui alteri interrogando præit eique recitanti attendit.* Testes sunt tres Grammatici nobiles. Nam Hesychius ἀποστοματίζειν, aut quod idem est ἀποστομίζειν, exponit ἀπὸ μνήμης αἰτεῖν λέγειν, hoc est *exigere ut alter quippiam memoriter dicat*: ita enim interpretandum illud αἰτεῖν, aliter quàm accepit vir doctissimus. Suidas pro αἰτεῖν [*exigere*] dixit κελεύειν [*jubere*]. Nam illi ἀποστοματίζειν est κελεύειν τὸν παῖδα λέγειν ἄπτα ἀπὸ στόματος. *jubere puerum quædam memoriter proferre*]. Pollux ἀποστοματίζεσθαι exponit ἐρωτᾶσθαι τὰ μαθήματα [*interrogari de iis quæ didiceris*]. Doctè igitur hôc verbo usus est Lucas, ut indicaret Pharisæos omni modo hoc conatos, ut multa ex ore Christi elicerent. Atque ita hunc locum pridem rectè exposuit Euthymius. Sensum rectè expressit Syrus *aucupandi* vocabulo, & Arabs eo verbo quod significat *facere ut quis differat.* Id quo consilio fecerint ostendit comma sequens, ζητοῦντες θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ [*quærentes aliquid capere de ore ejus ut accusarent eum*].

P R I C Æ U S.

Com. 2. Πατὴρ ἡμῶν] Seneca de Eodem, *parens noster*, Epist. 110. & 2. 29. de Benef. Lucretius,

Omnibus ille idem pater est. ——

Auctor dialogi ad Æsclepium in scriptis Apulejanis, *Qui solus omnia, & pater est omnium.* De Diis Hierocles, πατέρα τάξιν ἔχοντες. Andronicus Rhodius 8. 14. vel apud eum Heliodorus Prusæensis, Τῶν τέκνων τῷ πατρὶ μέλει, ἐντεῦθεν καὶ Ὅμηρος τὸν Δία πατέρα προσαγορεύει· cujus sententiæ sunt quæ & ad Matth. 6. 9. ex Lactantio adduximus.

Ibid. ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς] Id est, ὁ ἐν τῷ οὐρανῷ κατοικῶν· ut 5. 14. Tobiæ: Julianus 6 Orat. de Eodem, Εὐλογῶ οὐρανῷ κοινῶς ὑπολαμβάνομεν. Vide ad Actor. 7. 49. dicta. Sunt autem hæc à Christo διαχειστικῶς adjuncta, ut distinguatur nempe à parentibus secundùm carnem, vel etiam secundùm spiritum: & ut sciamus illi Patris Parentisque nomen præcipuè & præ omnibus aliis convenire. Euthymius ad Matth. 23. 9. illa, πατέρα μὴ καλέσητε ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς. *Præcipuè, & tanquam prima causa pater noster est, qui in cœlis Deus est: qui verò juxta carnem ac spiritum sunt, cooperatores magis, aut ministri nobis nativitatis sunt.*

Ibid. ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου] In oratione Tobiæ 8. 5. Εὐλογητὸν τὸ ὄνομά σου καὶ τὸ ἅγιον, &c. εἰς τοὺς αἰῶνας.

Ibid. ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου] τινὲς βασιλείαν sunt qui exponunt promulgationem doctrinæ ejus: ego ad regni cœlestis gloriam libentiùs retulerim. Vide hîc ad Matthæum dicta. D. Augustinus in Psalm. 136. *Facis tribulationes, ad inflammandos animos nostros desiderio adventûs tui.* Idem in Psalm. 55. *Cùm apparuerit filius hominis in cœlo* (q. d. cùm advenerit regnum ejus,) *tunc securi erunt omnes sancti: illud enim veniet quod sperabant, quod desiderabant, quod ut veniret orabant.* Tertullianus cap. 41. Apologetici, de Christianis loquens, *Nihil nostrâ referi in hoc ævo, nisi de eo quàm celeriter excedere.* Paulò aliter Chrysologus, Serm. 68. *Hic petis ut tibi & in te adventus regnaturus, in quo diabolus arcetur, mors imperium, infernum diu gessit ac tenuit potestatem.*

Ibid.

Ibid. *γίνηθήτω τὸ θέλημά σου*] Nempe in nostris tentationibus: hinc 1 Pet. 4. 19. *καὶ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ πάσχειν.* Vide Actor. 21. 14. & Hebr. 13. 21. Seneca 74 Epistolâ, *Placeat homini quicquid Deo placuit.* Socrates apud Arrianum in Epictetum 1. 4. *εἰ ταύτη τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτη γινέσθω.*

Ibid. *ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς*] *Σὺ γὰρ κύριος ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ.* Matth. 11. 25. Act. 17. 24. In libro Danielis, 4. 35. *Καὶ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖ ἐν τῇ δυνάμει τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἐν τοῖς κατοικοῦσι τὴν γῆν.*

Ibid. *ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς*] Ut ab angelis cœli, sic (quantum non obstat imbecillitas eorum) ab hominibus terræ inhabitatoribus. *Τὸ ὡς* enim hoc loco, ut & Matth. 5. 48. & alibi, est potiùs similitudinis quàm æqualitatis nota.

Com. 3. *Τὸ καθ' ἡμέραν*] Id est, *καθ' ἡμέραν*: illud *τὸ* enim, ut infrà 22. 2. & 4. in *τὸ πῶς*, & alibi apud Lucam, abundat. In Glossis, *Καθ' ἡμέραν, quotidie.*

Com. 4. *ὀφείλοντι ἡμῖν*] Ei qui in nos aliquid admisit. *Obligationem ex delicto nasci*, ajunt & Jurisconsulti.

Ibid. *μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν*] D. Augustinus heic, *ne nos deferendo inferri permittas.* Sæpe Deus facere dicitur quod finit fieri. Euthymius ad Joh. 12. ea, EXCÆCAVIT OCULOS EORUM, *Scriptura idioma est Dei permissionem quasi opus ejus appellare.* Chrysologus ad hæc Christi verba Serm. 71. *Inducere Deus dicitur currentes ad crimina, cùm relinquit.* Psalmista 31. 8. *οὐ συνέκλεισάς με εἰς χεῖρας ἐχθροῦ* non me passus es includi. Idem 55. 23. *Tu verò* (Deus) *adduces eos in laqueum interitûs*: i. e. patieris eos incidere in laqueum interitûs: & Psal. 65. 11. *In laqueum induxisti nos.* Arrianus, & de Deo loquens, 3. 24. in Epictetum, *εἰς δεσμωτήριον εἰσάγει*· id est, patitur incidere. Etiam apud Jurisconsultos *facere* is dicitur per quem stetit quò quid minùs fieret. *Ne nos inducas* itaque heic, est, ne patere nos induci, &c. *Induci* autem, vel *incidere in tentationem*, est, cadere in potestatem ejus, ab impetu ejus agi feriique: id est, abjecto fidei & fortitudinis scuto manus victas protendere. Sic Seneca De Ira, 1. 8. iræ motibus abripi & extra se raptari, vocat, *in iram incidere*: quomodo & *in manus ejus* dicimur *incidere*, à quo nullum effugium datur. Et hoc ferè sensu *εἰς πειρασμὸν ἐμπίπτειν* (id est, *εἰς φθοράν*) habemus 1 Tim. 6. 9. Contrarium 2 Cor. 4. 8. (ubi de adversorum tolerantia agitur) *ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι.*

Ibid. *ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ*] A diabolo, ut ad Matth. 6. 13. expositimus: ad quem locum Serm. 71. Chrysologus, *mali auctorem*: & Euthymius, *Per antonomasiam malum eum* (Diabolum nempe) *appellavit, tanquam in extremo positum malitiæ.* Ignatius ad Trallenses, *Περιφεύγω τὰς ἑνώσεις τοῦ πονηροῦ*· & ibidem, *φεύγετε τὰ κακὰ πονηροῦ ἔκγονα, Θεόδουλοι, καὶ πλεόθυλοι.* Imò, ut ab eo quod est *ὁ πονηρὸς*, non quod *τὸ πονηρόν*, genitivum hoc in loco accipiamus, suadet & vox *πειρασμὸν* quæ præcellit: Diabolus enim *κατ' ἐξοχὴν* 1 Thess. 3. 5. *ὁ πειράζων* dicitur.

Com. 5. *μεσονυκτίου*] Demonstrat quidem vox ista certam noctis partem: tutius tamen non ubique eam strictè sumere, sed cum latitudine quadam (ut & fortè hoc loco) pro incerta aliqua, at provectioris noctis, portione. Sic & *noctem intempestam* nonnunquam apud Latinos poni, ex Ennio & Festo Pompejo ad Apulejum indicavimus.

Ibid. *φίλε, χρῆσόν μοι τρεῖς ἄρτους*] Vulgat. *commoda mihi.* Ex hoc loco Glossarii auctor, *Commoda, χρῆσον.* Aptè autem post *φίλε, χρῆσον.* Suidas, *Τὸ χρῆσαι ἐπὶ φίλων, τὸ δανεῖσαι πρὸς τοὺς ἰσοκόλους.*

Com. 6. *ἐπειδὴ φίλῳ μου παρεγένετο, &c.*]

Εἰνὸν τηλεδαπῶν φιλίων ἐμὸν ἦτορ ἄθυμα·

Ergò pauculos mihi panes commoda. Martialis 4. 15.

—— Sed tu causatus amici
Adventum, lancem, paucáque vasa rogas.

Vide 4 Reg. 5. 22.

Ibid. *φίλῳ μου παρεγένετο ἐξ ὁδοῦ πρός με*] Horatius,

Si vespertinus subitò te oppresserit hospes, &c.

Apulejus 9. *Nocte quadam paterfamilias de pago tenebris, &c. impeditus, & imbre nimio madescens, atque ob id ab itinere directo cohibitus, ad hortulum nostrum, &c. devertit*: quod planè in Contextu Lucæ *ἐξ ὁδοῦ παραγίνεσθαι.*

Com. 7. *Μή μοι κόπους παρέχε*] Mediâ nocte vix ægre solent fores aperiri. Achilles Tatius 2. *Ἤδη δὲ λευκὸν μέσον νύκτος, ὥστε μόλις θυρωροὺς ἀνέῳξεν ἡμῖν.* Παρέχειν ἔχλον, (quod apud Lucam *κόπους*) de fores multum pulsante dixit & Euripides.

Ibid. *ἤδη ἡ θύρα κέκλεισται*] Argumentum nullam spem introeundi relictam. Vide Matth. 25. 10. Lucianus Toxari, *Καὶ τὸ δεσμωτήριον δρομαῖος ἐλθὼν, &c. ἵν' εἰσοδίσχθη, ἐστέρξε γὰρ ἤδη, καὶ ὁ δεσμοφύλαξ πάλαι κεκλεικὼς ἦν θύρας, ἐκαθεύδει·* ubi & *ἐκαθεύδει* respondet ei quod heic sequitur, *εἰς τὸ κοίτιον εἰσί.*

Ibid. *σὺν ἐμοὶ εἰς τὸ κοίτιον εἰσί*] Illud (*σὺν ἐμοὶ* non ita forte necessario capiendum ut in uno eodémque lecto compositos intelligamus: at liberos ejus æque ac ipsum se cubitum recepisse. Ut *σὺν ἐμοὶ* heic valeat, *ὡς καὶ ἐγώ.* *Εἰς* heic, pro *ἐν*, ut passim in his scriptis: quâ formâ itidem usos video melioris notæ Latinos, ipsumque Ciceronem. Confer 1. 7. A. Gellium. Contra *ἐν* pro *εἰς* 16. 28. posuit Matthæi Interpres.

Ibid. *οὐ δύναμαι ἀναστὰς δοῦναί σοι*] Ita Cantic. 5. 2. ad ea, *Aperi mihi*, respondetur, *Exspoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?* i. e. quomodo surgere potero, & indui eâ? Ad gallum finum antelucìò cantantem apud Lucianum ille, *Cum diluculaverit, baculo te commovebo, νῦν γάρ μου κεφάλαιον παρέξεις ἀναπηδῶν ἐν τῷ εὐθέως.*

Com. 8. *Λέγω ὑμῖν, &c.*] Ante hæc verba in quibusdam Latinis exemplaribus habentur ista, *& ille perseveraverit pulsans*: quæ forte explicandi causâ inserta, forte & in Græcis codicibus legebantur; ita enim & Act. 12. 16. loquitur Lucas noster.

Ibid. *διά γε τὴν ἀναίδειαν αὐτοῦ, ἐγερθεὶς δώσει αὐτῷ*] Confer quæ infra ad 18. 5. hunc in sensum annotata. Hesychius ex hoc Lucæ loco, *Ἀναίδειαν, ἀναισχυντίαν.* Recentior, *propter importunitatem ejus*: at cur displicuit ei Vulgatus? qui *propter improbitatem ejus.* Petronius, *Nihil est quod non improbitas extorqueat*: i. e. audax & assidua instantia. In Glossis, *Improbitas, ἀναίδεια*· & quod propius Contextum nostrum accedit) *postulantis improbitati cedere*; in l. nequicquam, ff. de offic. Proconsulis.

Ibid. *δώσει αὐτῷ ὅσων χρῄζει*] Sic Rom. 16. 2. *καὶ παραστῆτε αὐτῇ ἐν ᾧ ἂν ὑμῶν χρῄζῃ πράγματι.*

Com. 9. *Αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν*] *Αἰτεῖτε*, nempe Spiritum sanctum, infra com. 13. Philo in *περὶ φιλανθρωπίας*, de Deo loquens, *Ἃς τῶν χαρίτων αὐτοῦ πηγὰς αἰτοῦσι, οὐ πάσῃ δ' ἀνεμμένοις, ἀλλὰ μόνοις ἱκέταις.*

Tu prior accedas, tu verba precantia dicas:
Excipiet gratas comiter ille preces.
Ut patiare roga: tantum cupit ille rogari
Da causam voti principiumque tui.

Scriptor Sapientiæ 6. 11. *Ποθήσατε, καὶ παιδεύθήσεσθε.* Idem 7. 7. *Ηὐξάμην, καὶ φρόνησις ἐδόθη μοι· ἐπεκαλεσάμην, καὶ ἦλθέ μοι πνεῦμα σοφίας.* Plutarchus de Alexandro M. *Τῷ Σερᾶπιδι, &c. εἰδὼν εἶδε δῆλον τὸ μηδὲν (αὐτὸν) αἰτῶν.*

Ibid. *ζητεῖτε, καὶ εὑρήσετε*] Est fere quod Sirachidis 27. 9. *Ἐὰν τὸ δίκαιον διώκῃς, κατα λήψῃ.* Eundem 32. 15. vide. Arrianus 1. 28. in Epictetum, *Ζήτει, καὶ ἐρήσεις.* Alexis Comicus,

Ἅπαντα τοῖς ζητοῦσι ἐξευρίσκεται.

Alius apud Stobæum,

Ἅπαντ' ἐστὶ τοῖς ζητοῦσιν, ἐξευρίσκεται πόνῳ,

Et Philemon,

Πάντ' ἐστὶν ἐξευρεῖν, ἐὰν μὴ τὸν πόνον
Φεύγῃ τις ὃς πρόκειται τοῖς ζητοῦσιν.

Donatus ad 1. 1. Hecyræ, *Non reperitur nisi quod quæritur.* Artemidorus 2. 64. *Οὐκ ἄνευ δὲ τοῦ γνῶναι ἀναπαφλῶσι θησαυροὶ εὑρίσκεται.* Lactantius 3. 2. *Nunquam reperiri potest quod aut non recte quæritur, aut omnino non quæritur.* Horatius Serm. 1.

Forte metum sic quis te percontabitur avum, &c.

Ad quæ vetus Scholiastes, *Quasi dicat, non omnes sciant; sed ille solus quicunque quæsierit.* Plutarchus in de Liber. educ. *Καὶ τὸ μὴ ῥᾳδίως τοὺς αἰτοῦντας φεύγειν, τὸ δὲ χαλεπῶς πρὸς ἐπιμελείαν αἱλίσκεσθαι.* Sophia Proverb. 8. 17. *Οἱ ἐμὲ ζητοῦντες, εὑρήσουσι.* Paulus 2 Tim. 1. 17. de Onesiphoro, *ἐζήτησέ με, καὶ εὗρε.* Confer Deuteron. 4. 29. 1 Paralip. 28. 9. 2 Paralip. 15. 15. Jerem. 29. 13. Sirachid. 6. 27. Adde & quæ ex Cypriano & Minucio ad Matth. 7. 7. adducta.

Com. 10. ὁ αἰτῶν, &c.] Hesychius, Ἀιτῶν, ζητῶν, παρακαλῶν.

Com. 11. μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ;] Vide ad Matthæum dicta.

Ibid. μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ;] Confer quæ ibidem ex Suida protulimus.

Com. 12. μὴ ἐπιδώσει αὐτῷ σκορπίον;] Vide parœm. Græcam, ἀντὶ πέμμος ζωρπίον.

Com. 13. οἴδατε ἀγαθὰ δόματα διδόναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν] Jamblichus cap. 28. de Pythagoræ vita, Πάντες, ὃς μὲν ἂν φιλῶσι, καὶ οἷς ἂν χαίρωσι, τέκνοις διδόασι τἀγαθά. Quia patres autem præcipuè filios amant, aut amare existimantur, ideo præcipuè de iis solet hoc loquendi genus efferri. Vide ad Matth. 7. 11. dicta. Eugraphius ad Heautont. 5. 2. *Optimum est parentibus semper filiis bona tradere.* Hinc & infra 16. 25. post vocem τέκνοις, sequitur, ἀπολαβὲ τὰ ἀγαθά σου, &c. Δόματα. Vulgatus hoc loco, Sirachidis 18. 15. & 26. 16. bene *data* vertebat. Sic, *datis sollicitare*, Ovidius, quem ad Matthæum adduximus.

Ibid. ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐξ οὐρανοῦ] Id est, ὁ οὐράνιος. Sic 1 Joh. 3. 19. ἐκ τῆς ἀληθείας, pro ἀληθινός.

Com. 15. ἐν ἄρχοντι δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια] Tertullianus in Apologetico, *Quem solum hominem præsumpserant de humilitate, sequebatur ut magnum æstimarent de potestate, cùm ille verbo dæmonia ejiceret*, &c.

Com. 17. εἰδὼς αὐτῶν τὰ διανοήματα] Ita, ἡ διάνοιαν ἴσως καθορᾷν, apud Plutarchum in vita Pyrrhi. Vide supra ad 5. 22. notata.

Ibid. καὶ οἶκος ἐπὶ οἶκον] Subaudi, ἐμπεσὼν, vel (ut Matth. 12. 25.) ἐφ' ἑαυτὸν μεμερισθείς. Hinc & in Glossis, *Divisio*, &c. μερισμὸς οἴκου. Cicero 1. de Finibus, *Civitas in seditione non potest esse beata.* Vide ad Matth. 12. 25. Ἐπὶ hic est *contra*, ut infrà 14. 31. & 1 Pet. 3. 12.

Com. 20. ἐν δακτύλῳ θεοῦ] Virtute ac vi divinâ. Vide Matth. 12. 28. Ita Deuteron. 9. 10. de tabulis lapideis, γεγραμμένας ἐν τῷ δακτύλῳ τοῦ θεοῦ. Theophylactus ad Luc. 12. ea, ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοί. Μετὰ τῆς ἐμῆς ζωοποιίας, ἐν τῇ ἐμῇ δυνάμει. Δακτύλου hoc est qui alibi ἰσχὺς, χεὶρ, ὁ βραχίων. Hinc ἰσχὺς, χεὶρ, καὶ βραχίων θεοῦ, omnia junctim, Deuteron. 9. 29.

Ibid. ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ] Sic 1 Thess. 2. 15. ἔφθασεν ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργή. Ibi autem videtur adventus inopinatus significari, hoc loco simpliciter adventus: ut ἔφθασεν hoc sit ἦλθεν, vel ἤγγικεν. Sic supra 10. 9. ἤγγικεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

Com. 21. καθοπλισμένος φυλάσσει, &c.] Vegetius 3. 3. *Neque enim divitiarum secura possessio est, nisi armorum defensione servetur.* Seneca 6. 3. de Benef. *Ista*, &c. *quæ ferreis claustris custoditis armati*, &c. ubi *armati* καθοπλισμένοι.

Ibid. ἐν εἰρήνῃ ἐστὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ] Id est, (ut Sirachidis 41. 1.) ἐν τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ εἰρηνεύει. D. Chrysostomus Homil. 15. ad Pop. Antioch. ἐν οἰκίᾳ, &c. διὰ τοῦτο καθοπλισμένη καὶ λῃστὴς, καὶ τοιχωρύχος, οὐκ ἄλλως ἂν τὸ τοιοῦτον παρεγένετο ταλαιπώρῳ πλησίον φανεῖσα.

Com. 22. Ἐπὰν δὲ ὁ ἰσχυρότερος αὐτοῦ ἐπελθὼν νικήσῃ αὐτὸν, &c.] Cicero de hujusmodi bonorum possessoribus, *Ejus est iisdem quicquid est, qui vincit eos viribus.* (dialog. de Amicit.) Simplicius in cap. 2. Epicteti, de humano corpore, Ἐκκειται τῷ ἰσχυροτέρῳ ὅ, τι ἂν εἰς αὐτὸ βάλητε. De eodem Seneca Epist. 24. *Cui*, &c. *ex injuria, aut ex potentioribus viribus denunciabitur dolor:* & 3. 22. Arrianus in Epictetum, Πυρετῷ δῦλόν ἐστι, παιδάγρᾳ, &c. παντὸς δὲ ἰσχυροτέρου.

Ibid. ἐπελθὼν] Beza *invadens*, molestè. Vulgatus optimè vertit *superveniens.*

Ibid. τὴν πανοπλίαν αὐτοῦ αἴρῃ] Sic 1 Maccab. 4. 30. αἴρειν τὰ ζωύνη nempe (ut 1 Maccab. 3. 3.) πολεμικὰ σπεύη.

Ibid. ἐφ' ᾗ ἐπεποίθει] Ut ille qui

Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro.

Contrarium *in arcu aut gladio non confidere*, apud Psalmistam.

Ibid. τὰ σκῦλα αὐτοῦ διαδίδωσι] Virgil.

——— *Quæ fortuna non pertulit ullos.*

Ubi Servius, *Quia captivi & præda inter victores dividebantur.* In Gr. Esaiæ 53. 12. Τῶν ἰσχυρῶν μεριεῖ σκῦλα.

Com. 23. Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι] Vide ad Matth. 12. 30. dicta; & legem Solonis de civilibus discordiis apud Gellium 2. 12.

Ibid. ὁ μὴ ζυνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει] Συνάγων & διασκορπίζειν, vel διασκορπιζεσθαι, opponuntur & Joh. 11. 52. & 1. 58. apud Artemidorum.

Com. 24. διέρχεται δι' ἀνύδρων τόπων] Ita τόποι ἄνυδροι dixerunt Plutarchus in Demetrii vita, & Proverb. 9. 12. LXX, δι' ἀνύδρου ἐρήμου διαπορεύεσθαι. Pacuvius, forte apud Nonnium, *Loca arida initat.* Beza *per aridas loca.* Cur autem & hoc rejecit Vulgati illud *inaquosa?* Glossarium, Ἄνυδρος, *inaquosus, siccus.*

Ibid. ἐπιστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου ὅθεν ἐξῆλθον] Livius redundantia simili, *Retro domum, unde venerant, abierunt.*

Com. 26. παραλαμβάνει ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ] In Mostellaria Plauti, Sc. *recordatus*, ubi hominis itidem corpus novis ædibus comparatur,

——— *Ubi ille immigrat nequam homo indiligénsque*
Cum pigra familia, immundus, instrenuus:
Hic jam ædibus vitium additur, bona cùm curantur male.

Ibid. γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων] Recentior Interpres (quem secuti sunt multi alii) & hic & apud Matthæum τὰ ἔσχατα vertit, *ultima conditio eorum.* Ego deliberandum censeo an post ἔσχατα supplendum ἔργα. Sic contra Apocal. 2. 19. de in melius proficiente, τὰ ἔργα σου τὰ ἔσχατα πλείονα τῶν πρώτων· & Sapient. 19. 1. προῄδει γὰρ αὐτῶν καὶ τὰ μέλλοντα· ubi & ἔργα supplendum puto: *præsciebat quæ facturi erant.* Si hæc loci mens est, χείρονα expono *pejoris conditionis*: id est, καὶ μετανοίᾳ, majore supplicio digna. Vulgatus hoc satis caute, *novissima illius.*

Com. 27. ἐπάρασά τις γυνὴ φωνὴν ἐκ τοῦ ὄχλου] Ἐκ τοῦ ὄχλου, *de media turba.* Sic supra 9. 38. εἷς ἐκ τοῦ ὄχλου ἀνεβόησε. ubi dicta vide.

Ibid. μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε] Ἐπιφθεγματικῶς. D. Hieronymus in Epist. ad Demetriadem, *Quæ mater non tuum, Juliana, beatum clamavit uterum?* Apud Petronium ille, *O felicem matrem quæ te talem peperit!* Plautus, citante Donato ad Terentium,

——— *Fortunatum qui illum eduxit sibi.*

Virgilius,

——— *Quæ te tam læta tulerunt*
Secula! qui tanti talem genuere parentes!

Ovidius Metam. 4.

——— *Qui te genuere beati,*
Et mater felix. ———

Quo sensu accipio & Jobi 29. 11. ea, Οὓς ἤκουσε, (ore loquentem nempe) καὶ ἐμακάρισέ με. Βασάζειν ipso argumento satis apte dictum. Phædrus,

Portat omne ignotum certis mensibus.

Hoc 2 Maccab. 7. 27. κοιλοφόρειν.

Ibid. καὶ μαστοὶ οὓς ἐθήλασας] Μαστὸς θηλάζειν, & de infante, habemus etiam in Græco Jobi 3. 12.

Com. 28. Μενοῦνγε] Suidas, Μενοῦνγε, &c. τὸ ἀληθὲς, μᾶλλον ἤ οὖν. In Glossario, Μενοῦν γε, *imo quidem*, &c. & in alio, *Imò μᾶλλον*, μᾶλλον.

Ibid. οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ φυλάσσοντες αὐτὸν] Quod supra 8. 15. τὸν λόγον ἀκούσαντες καὶ κατέχουσιν.

Com. 29. Τῶν δὲ ὄχλων ἐπαθροιζομένων, ἤρξατο λέγειν, &c.] Sic infra 12. 1. ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, &c. ἤρξατο λέγειν, &c.

Com. 31. ἐν τῇ κρίσει] In die judicii, ut infrà 20. 33. ἐν τῇ ἀναστάσει.

Ibid. μετὰ τῶν ἀνδρῶν τῆς γενεᾶς ταύτης] Non, cum populo hujus ævi, ut distinguatur ab eo qui ante vixit, sed, cum hoc populo nequam & flagitioso, qui à multis jam seculis majorum suorum in omni malo opere vestigia subsecuti sunt. Sic & infra com. 50. *con questa razza d'huomini*, ut per contemptum Itali loquuntur.

Ibid. καὶ κατακρινοῦσιν αὐτούς, ὅτι ἦλθε μετὰ τῶν πεφάτων τῆς γῆς αὐτέων τὴν Σοφίην Σολομῶντος] Isti autem Salomonem (ut hic sequitur)

ſequitur) majorem, & ad cujus doctrinam ſapientiámque participandum longinquo, imo vel brevi itinere, non opus eſt, & ſpernunt, & perſequuntur. Theophylactus ad Matth. 2. ea, μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο· Πρὸς κατάληψιν Εὐβοείων, εἰ μὴ γὰρ ἀπὸ τούτου διαστήματος ἦλθον· οἱ γὰρ Εὐβοεῖς αὐτῷ ἔχοντες τὸν Χειρῶν, ἰδίωται. Plinius lib. 8. Epiſt. 21. *Ad quæ noſcenda iter ingredi, tranſmittere mare ſolemus, ea ſub oculis poſita negligimus.* Maximus Tyrius de humanæ naturæ faſtidio & deliciis agens, Diſſert. de Philoſophis & Poetis, Τὸ ἐν ποσὶν ὄντων ἡμῖν, ἢ γὰρ ἀπόλαυσιν θαυμαστικὴν ἔχει. Καλαφρονεῖ αὐτοὺς, eſt, efficiet ut condemnentur. Sic Rom. 12. 20. σωρεύειν· & Daniel. 1. 15. καλλιπαίζειν. Euthymius ad hæc Chriſti verba Matth. 12. 42. *Dicere ſolemus, hunc aut illum in futuro judicio nos condemnaturum, non quaſi ille futurus ſit judex, &c. ſed quod illius operatio noſtris collata confundet nos.* Tertullianus cap. 17. libri de Monogamia; *Etiam bovis illius Ægyptii antiſtites de continentia infirmitatem Chriſtianorum judicabunt.* D. Auguſtinus Meditat. 4. cap. 4. ubi de die reſurrectionis, *Tot judicibus inops adſtabo quot me in bono opere præceſſerunt.*

Com. 32. πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε] Id eſt, ὁ τῆς μαρτυρίας μείζων ἢ Ἰωνᾶ ἔχων ἐστὶν ὧδε. Vide Joh. 5. 36.

Com. 33. εἰς κρυπτὸν λίθησιν] In angulo domûs obſcuro.

Ibid. ὑπὸ ὑπὸ τὸ μόδιον] Aut, *ſub olla tegmine*, ut (de lucerna itidem loquens) Apuleius lib. 5. dixit.

Ibid. ἀλλ' ἐπὶ τὴν λυχνίαν, ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι τὸ φέγγος βλέπωσιν] Heſychius, Λαμπτῆρες, φέγγος, &c. λαμπάδες, ἐφ' ἧς ἔκαιον ἐν μέσῳ τῶν οἴκων, εἰς τὸ φωτίζειν αὐτοῖς, ξυλικὰ ξύλα καὶ δαδία. Servius ad Æneid. 6. *Lucerna per ſe clara eſt, & locum in quo eſt, &c. illuſtrat: ſed ſi quâ re tecta fuerit, & incluſa, non perdit proprium ſplendorem, remoto namque impedimento apparet.*

Com. 34. Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμὸς] Diodorus Siculus lib. 3. ὁ ὀφθαλμὸς, &c. πάντες τοῦ σώματος φύλακες. P. Chryſologus Serm. 87. *Solis condita lux eſt oculis, &c. per quos utique reliquo corpori vel traditur vel negatur.* Ambroſius Hexaem. 6. 9. *Carcer eſt totum corpus tenebroſo ſitu inhorrens, niſi oculorum illuminetur aſpectu.* D. Chryſoſtomus ad Rom. 12. ὀφθαλμὸς ὅταν πηρωθῇ, πάντα σκοτεῖ τὰ λοιπὰ μέλη· & ad 1 Cor. 4. Ὁ ὀφθαλμὸς ἐλάμπρυνε τὸ σῶμα φωτίζει. Quibus adde quæ ex Artemidoro & aliis ad Matth. 6. 22. annotata. Apte autem λύχνος de oculo. Lycophron,

——— Τετρωμένος λύχνος·

Ubi vetus Scholiaſtes Ms. in Medic. bibliotheca, ὀφθαλμὸς διορύξας.

Ibid. ὅταν οὖν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ, καὶ ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινὸν ἔσται] Similia quoad loquendi modum Hippocratis Epidem. 6. § 4. illa, *Oculi ut validi fuerint, ita & corpus*: Ad quem locum Galenus, *Si oculi bonum colorem habuerint, etiam totum corpus bene valere ſignificant*: & iſta ad 1 Cor. 12. Theophylacti, Ὀφθαλμοί εἰσι καλοί, καὶ πᾶν τὸ σῶμα καλὸν δείκνυσι. Φωτεινόν ἐστιν, eſt, ὑ περιόπτου. Vide ad Matthæum dicta.

Com. 35. Σκόπει οὖν μὴ τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστί] Id eſt, ut Epheſ. 4. 18. μὴ ἡ διάνοιά σου ἐσκοτισμένη ᾖ. Σκόπει μὴ, *vide ne*; ut 1 Pet. 5. 2. ἐπισκοποῦντες μὴ, *providentes ne*, bene idem Vulgatus vertit.

Com. 36. ὅλον φωτεινὸν, μὴ ἔχον τι μέρος σκοτεινὸν] De hujuſmodi locutionibus dixi ad Act. 13. 11.

Ibid. μὴ ἔχον τι μέρος σκοτεινὸν] Sic Epheſ. 5. 27. Ἔνδοξον, &c. μὴ ἔχουσαν σπίλον ἢ ῥυτίδα.

Com. 37. Ἐν δὲ τῷ λαλῆσαι] Nempe αὐτὸν, quod & olim forte in MSS. legebatur. Sic Matth. 13. 25. ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους.

Ibid. ὅπως ἀριστήσῃ παρ' αὐτῷ] Ita in Colloquiis vet. *Ut mihi apud illum prandeat.*

Ibid. ἀνέπεσεν] Recentior, *diſcubuit*: quod non improbo, æque autem approbo Vulgatum qui *recubuit*. In vetere Gloſſario, *Recumbit*, ἀναπίπτει. Hoc ſenſu utitur & *recumbendi* verbo Plinius lib. 9. Epiſt. 23.

Com. 38. ὃ καὶ ὁ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου] Βαπτίζεσθαι heic non ſolum manuum lotionem, ſed & partium brachii manibus adjunctarum notat. Vocis πρὸ aut πρότερον abundantia eſt ex uſu melioris Græciæ. Homerus Odyſſ. κ'

——— Τίς γάρ τευ αἶνος ὀνήσεται ἔνδοθι νηὸς
Πρὶν τλαίη πάσασθαι ἰδὲ τοῦδε καὶ ποτῆτος,
Πρὶν λύσασθ' ἱμάντας; ———

Xenophon παιδ. β'. Πῶς οὖν ὅταν ὦσι πρὸ ἀρίστου τὸ μεσονυκτίζουσιν, πρότερον πόθεν; Apulejus (mirus Græciſſator) Florid. 1. de Marſia, *Priuſquam tibias occiperet inflare, priùs de ſe & Apolline quædam deliramenta barbare effutivit*: & ibidem 3. *Priuſquam vobis occipiam, &c. gratias agere, &c. priùs volo cauſam vobis allegare, cur, &c.* Servius in 1 Georg. *Antequam agriculturam exerceas, ante præparabis hæc omnia quæ in illius rei uſum ſunt neceſſaria.*

Com. 39. Εἶπε δὲ ὁ Κύριος πρὸς αὐτόν] Videns nempe cogitationes ejus.

Ibid. τὸ ἔξωθεν δὲ ποτηρίου καὶ τοῦ πίνακος καθαρίζετε, τὸ δὲ ἔνδοθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς καὶ πονηρίας] Propertius lib. 3. de Prometheo,

Ille parum cauti pectoris egit opus:
Corpora diſponens, mentem non vidit in arte.
Recta animi primum debuit eſſe via.

Plutarchus in πρὸς ἡγεμ. ἀπαιδ. de Coloſſis loquens, Τοὺς ἔξωθεν ἡρωϊκοὺς καὶ θεοπρεπῆ μορφοὺς ἔχοντες, ἐντὸς εἰσι γῆς μετοὶ καὶ λίθου, καὶ μολίβδου. Vide ad Matth. 23. 27. dicta.

Ibid. γέμει ἁρπαγῆς καὶ πονηρίας] Ita ἀργίας καὶ τάσεως γέμειν, Anonymus apud Suidam. In Græco Pſalmi 10. 7. σώματα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμων· apud Plutarchum in Æmilii vita, ἀπιθανότητος καὶ ματαιότητος γέμων· & Sympoſ. 7. 8. πολλῆς γέμοντα βωμολοχίας καὶ εὐτραπελογίας. Vides τὸ γέμειν plerumque de malo poni.

Com. 41. τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην] Id eſt, ut pridem ad Act. 11. 29. diximus, κατὰ τὰ ἐνόντα· pro modo virium & facultatum veſtrarum. Euthymius ad Matth. 25. *Ex his quæ poſſumus, humanitatem requiris.* Tobiæ 1. 19. *Dividebat unicuique, prout poterat, de facultatibus ſuis.* Virgilius 5.

——— *Quæ cuique eſt copia, lætis*
Dona ferunt. ———

Ubi Servius, *Pro ſua quiſque facultate.* Hoc Var. 1. 13. Æliano, κατὰ τὰ ἑαυτῶν δυνάμιν μεγαλομίζειν. Ἐνόντα commode interpretari liceat παρόντα· id eſt, ἐκ vel ἀπὸ τῶν παρόντων· quo ſenſu Plutarchus de Antonio, δορυφόρῳ ἐκ τῶν παρόντων· & in Apophthegm. θεὸς ἀπὸ τῶν παρόντων ἡμᾶς. Homerus Odyſſ. ὁ. παρεόντων χαρίζεσθαι· & apud Suidam Anonymus (v. ἐνὸν,) θυσίαν ἐκ τῶν ἐνόντων καὶ παρόντων προσαχθῆναι. Quibus ſimile ſupra hîc 8. 3. ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων διακονεῖν. Vulgatus τὰ ἐνόντα, *quod ſupereſt* vertit: quod perperam à nonnullis intellectum, iis anſam dedit exiſtimandi τὰ ἐνόντα id eſſe quod τὸ λοιπὸν, cùm tamen Græce nemo unquam ſic locutus fuerit. *Quod ſupereſt* concisè dixit Interpres ille pro, *ex eo quod ſupereſt vobis.* Forte uſus eſt autem codicibus qui περιόντων habebant: quo ſenſu infra 21. 4. habemus, ἐκ τῶν περισσευόντων βάλλειν, &c. Non aliter ſane videtur accepiſſe D. Auguſtinus, qui in Pſalm. 95. dixit, *Da ex eo quo abundas*: & in Pſalm. 147. *Quantum tibi* (Deus) *dederit, ex eo tolle quod ſufficit: cætera quæ ſuperflua jacent* (ſuperflua ſunt περιόντα, vel περισσεύοντα) *aliorum uſibus ſunt neceſſaria.* Euthymius in Luc. 16. *Hoc habet juſtitia ut ſuperflua pauperibus dividantur.* Quod genus ſunt & iſtâ, τῶν πενήτων μὴ ἀμέλει ἐν οἷς ἂν ἐνπορῇς· quæ leguntur in Epiſtola Ignatii dicta ad Heronem Diaconum.

Ibid. καὶ ἰδοὺ, πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστί] Idem Ignatius (ſermonem hunc, ut videtur, imitari volens) Epiſt. ad Philadelphenos, Πάντα ὑμῖν (ὑμῖν, ut apud Lucam noſtrum, legendum putem) καλὰ ἐστιν, ἐὰν ἐν ἀγάπῃ πιστεύητε. Πάντα autem in Contextu, *membra corporis* expoſuerim: ea erunt munda (inquit) id eſt, pro talibus habebuntur: non enim eorum nitorem aut immunditiem Deus reſpicit. Juſtinus (hæc Chriſti verba reſpiciens) Colloquia cum Tryphone, Βαπτίσασθε (vos Hebræi) τὴν σάρκα ἀπὸ ὀργῆς, πλεονεξίας, φθόνου, μίσους, καὶ ἰδοὺ τὸ σῶμα καθαρὸν ἔσται.

Com. 42. ἡδύοσμον, καὶ πήγανον, καὶ πᾶν λάχανον] De Syria (Palæſtinæ confini) Plinius 20. 5. *In hortis operoſiſſima eſt, indèque proverbium Græcis, Multa Syrorum olera.*

Ibid. καὶ παρέρχεσθε τὴν κρίσιν, καὶ τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ] Suidas, Ἀφέντες τὰ ἐντέρου, τὰ πόδα διώκουσι· Ἐπὶ τῶν ἀναγκαίων μὲν παραλιμπανόντων, τὰ περιττὰ δὲ περιδιωκόντων.

Ibid. ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφεῖναι] Ita minoribus iſtis, quæ tantùm καθήκοντα dici poſſunt) debueratis attendere, ut majoribus illis (quæ vere κατορθώματα) vel præcipue earum impenderetis: vide ad Matth. 23. 23. annotata. Heſychius, Ἔδει, ἐχρῆν, ἔπρεπεν.

Com. 43. ἀγαπᾶτε τὴν πρωτοκαθεδρίαν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ τοὺς ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς] Vide quæ infra ad 20. 46. annotanda.

Com. 44. καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ περιπατοῦντες ἐπάνω οὐκ οἴδασι] Incedunt per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Ἄνθρωποι heic ſunt ſimpliciores, ἄπειροι. Vide Rom. 16. 18. ubi de non diſſimilibus inter Chriſtianos hypocritis ſermo.

Com.

Com. 45. ταῦτα λέγων, καὶ ἡμᾶς ὑβρίζεις] In Plautina Truculento, —— *Me illis quidem hac verberas verbis.* Tacitus Annal. 4 *Reperias qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi objectari putent.* Plinius (amicus Taciti) in Panegyrico, *Ut in se dicta arbitrarentur quæ de simillimo dicerentur.* D. Hieronymus Epist. ad Demetriadem, *Quisermo* (meus) *offendit plurimos, dum unusquisque in se intelligens quod dicitur, non quasi monitorem libenter audit, sed quasi criminatorem sui adversatur.* Vide infra 20. 19. & Matth. 21. 45. Recentior, *nos afficis injuriâ:* Vulgatus, *contumeliam nobis facis.* Quem loquendi modum, etsi à Cicerone (Philipp. 3.) in Antonio derisum videam, usum eodem video tamen non solum Apulejum, Ulpianum in l. 1. §. 1. ff. de recept. arbitr. Quintilianum Declam. 5. & 19. Senecam de Ira 3. 38. Epist. 71. & 3. 28 de Beneficiis; sed & Terentium ipsum (Phorm.) & (apud Gellium, 12. 9) Metellum Numidicum.

Com. 46. φορτίζετε τοὺς ἀνθρώπους φορτία δυσβάστακτα] Multis ritubus & præceptis oneratis eos. Ita Philo in de Diris, Ἐθάρρυναν ἀνθρώπους ἀδυνατίσεις οἱ δυνατώτεροι συνοχεῖς καὶ ἀδιαφύκτοις ἐπιπάγμασιν. Terentius 3. 5. Andr.

——— *Quidvis oneris impone, impera:*

Ubi Donatus, *Exercitus est translationem oneris, dicendo, impone.* Vide ad Matth. 23. 4. annotata. Φορτίον δυσβάστακτον habemus apud Plutarchum in Antonii vita. Hesychius, Δυσβάστακτον, βαρύ. Idem, Ὄνος ἀλαφρὸν, ὁ βαστακτόν. Opponitur Matth. 10. 30. ἀλαφρὸν φορτίον. Recentior heic, *oneribus difficilibus portatu*; cùm idem tamen voluerit Vulgatus qui, *oneribus quæ portari non possunt*, i.e. difficillimè. Nil in sermone tritius, quam quæ non sine molestia fieri possunt, ea factu impossibilia dicere.

Ibid. Φορτία δυσβάστακτα] Seneca de Tranquillitate animi cap. 5. *Debet semper plus esse virium in latere quam in onere: necesse est opprimant onera quæ ferme majora sunt.*

Ibid. ἑνὶ τῶν δακτύλων ὑμῶν προσψαύετε τοῖς φορτίοις] Id est, ut Matth. 23. 3. de iisdem, λέγετε, καὶ οὐ ποιεῖτε. Donatus ad 2. 2. Eunuch. *Uno digitulo minus nihil dici potest.* Vide ad Apuleji 9. pag. 515. dicta. In Glossario, Προσψαύω, *attingo.*

Com. 47. οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα, &c.] Sic 9. 14. Ecclesiastis, οἰκοδομεῖν χάρακα· Sirachidis 48. 17. οἰκοδομεῖν κέρας· 1 Cor. 8. 10. οἰκοδομεῖν συνείδησιν· & apud Arrianum 3. 24. in Epictetum, νεοσσίας μετοικοδομεῖν. Commodius autem sepulcra dicuntur οἰκοδομεῖσθαι, sunt enim mortuorum domus & habitacula. Diodorus Siculus lib. 1. de Ægyptiis loquens, Τὰς τετελευτηκότων ταφὰς, οἰκίας αἰωνίους προσαγορεύουσι. In Notis Magnonis D. M. *Domus mortui.* Vide in Latino Psalmi 48. 12. & quæ ad Matth 23. 29. diximus. Jam vero & οἰκοδομεῖν τάφους habemus in Platonis epistolis.

Ibid. οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα] Contrarium in Juliani Misopogone, τοὺς τάφους ἀνατρέπειν.

Com. 48. μαρτυρεῖτε καὶ συνδοκεῖτε τοῖς ἔργοις τῶν πατέρων ὑμῶν] Id est, dum facta eorum approbatis, facitis fidem vos eorum filios esse. Vide Matth. 23. 31. & ibi annotata. D. Hieronymus de Vigilantio, *Respondet generi suo.* Ovidius in Epistolis,

Heredem patria, perfide, fraudis agis.

Com. 49. ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν] Apud se nempe. Gen. 8. 21. Καὶ εἶπεν ὁ Θεὸς διανοηθείς, &c. ubi Symmachus, πρὸς ἑαυτόν. Theodotio, πρὸς τὴν καρδίαν αὐτοῦ.

Com. 50. ἀπὸ καταβολῆς κόσμου] In Glossis, *Ab initio*, ἀπὸ καταβολῆς.

Com. 51. Ζαχαρίου τοῦ Βαραχίου μεταξὺ τοῦ θυσιαστηρίου καὶ τοῦ οἴκου] Hecuba apud Senecam,

Vidi execrandum regia cædis nefas,
Ipsâsque ad aras majus admissum scelus.

Justinus lib. 20. *Sacerdotémque Dea velatum ornamentis inter ipsa altaria trucidaverunt.* Adde quæ Matth. 23. 35. adducta.

Ibid. ναὶ, λέγω ὑμῖν, ἐκζητηθήσεται, &c.] Dixerat jam supra, ἵνα ἐκζητηθῇ, &c. addit nunc majoris asseverationis gratiâ, ναὶ, λέγω ὑμῖν, &c. Eadem energia infra 12. 5. post, Φοβήθητε τὸν μετὰ τὸ ἀποκτεῖναι ἐξουσίαν ἔχοντα ἐμβαλεῖν εἰς γέενναν, sequitur, ναὶ, λέγω ὑμῖν, τοῦτον φοβήθητε. Et hanc sermonis vim Vulgatus optimè assecutus videtur, dum vertit utroque loco, *Ita dico vobis.* Quo loquendi modo præ aliis Latinorum Scriptorum video Senecam abundare, cùm quid vehementer affirmare vult, & quasi loco sententiæ dicere. Et ea exempla apponemus, non ingrata forsan futura iis quibus cognitio formularum Romanæ linguæ non injucunda est. Epist. 23. *Ita dico, in præcipiti est voluptas.* Epist. 26. *Ita dico, disputationes, &c. non ostendunt verum animi robur.* Epist. 41. *Ita dico, sacer intra nos spiritus sedet.* Epist. 72. *Ita dico, extrinsecus aliqua sunt incommoda, &c.* Epist. 91. *Ita dico, infelix ob hoc, &c.* Epist. 107. *Paria sum omnibus, ita dico, paria sunt.* Epist. 113. *Ita dico, aliter ab altero debet esse distinctus, &c.* & Natural. quæst. 2. 34. *Ita dico, non refert idem an aliud fit, &c.*

Ibid. ἐκζητηθήσεται (τὸ αἷμα) ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης] Ita in Latino Judithæ 8. 20. *Exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum.* Vide infra 18. 8. & 2 Paralip. 24. 22.

Com. 52. ἤρατε τὴν κλεῖδα] Beza, *sustulistis clavem:* tantundem dixit Vulgatus, qui, *tulistis clavem.* Sic, *ferret* pro *referret* Apuleius. Et multa ejusdem formæ apud Latinos occurrunt. Vide infra 12. 19. in Latino.

Ibid. αὐτοὶ οὐκ εἰσήλθετε, καὶ τοὺς εἰσερχομένους ἐκωλύσατε] Lactantius 5. 19. de Romanis idololatris, *Seipsos jugulant, perditissimis dæmonibus serviendo, &c. deinde, nec ab aliis Deum coli patiuntur.* Chrysostomus in 2 Thessal. 1. de divitiis, Οὐ μόνον αὐτοὶ οὐ φέρουσι καρπὸν αἰώνιον, ἀλλὰ καὶ τοὺς βουλομένους ἐμποδίζουσι. Vide ad Matth. 23. 13. annotata.

Com. 53. Λέγοντος δὲ αὐτοῦ ταῦτα, &c. ἤρξαντο δεινῶς ἐνέχειν] Ita Act. 7. 54. præeunte itidem (ut hoc loco exprobratione, Ἀκούοντες ταῦτα δὲ καρδίας διεπρίοντο. Pro ἐνέχειν habebant heic vetera quædam exemplaria συνέχειν, quasi dicas, *comprimere*, vel, *clausum eum tenere:* quo sensu; adversarium *pinnis*, (id est, quasi indagine quadam) *conseptum tenere*, Apuleius dixit. Habebant alii codices, teste Euthymio, ἐπέχειν· at rectius proculdubio ἐνέχειν, quod exponere liceat, *succensere*, *indignari*, vel (quod melius) cùm Vulgato, *gravuer insistere.* Vertas etiam optimè, *instare ei, eum properanter urgere; opprimere eum studere, & festinare*, quæ verba sunt A. Gellii vocem *infestus* (infesti autem hi Pharisæi & Scribæ) lib. 9. cap. 12. explicare volentis. Hesychius, Ἐνέχει, μηχανᾶται, ἔγκειται· ubi rectè minus (ad Marc. 6. 9.) Vir doctus ἐγκεῖται substituit: ἐγκεῖσθαι enim est idem quod ἐπικεῖσθαι: utrumque autem quod ἐνέχειν. Ipse alibi Hesychius, Ἔγκειται, ἐπίκειται.

Ibid. καὶ ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων] Est quidem ἀποστοματίζειν vox de schola sumpta, præterquam significationes jam ab aliis numeratas, habet adhuc istam, Sapientis cujusvis dogmata vel effata persæpe eloqui, & prout usus tulerit efferre. Themistius 14. Orat. ἀποστοματίζουσί με τὴν τοῦ Πλάτωνος φύσιν, &c. & Orat. 9. Καὶ γὰρ εἰ μὴ τὰ Πλάτωνος ἀποστοματίζεις, μηδὲ τὰ Ἀριστοτέλους μεταχειρίζῃ, ἀλλὰ τά γε ἐκείνου δεικνῦτα τοῖς ἔργοις βεβαιοῖς· & hoc est quod Seneca Epist. 95. Gellius 9. 5. & 12. 11. vocant, *in ore habere.* In Luca autem non mihi significare videtur (quod Eruditis placuit, *exigere ut loqueretur*, quomodo ex imperio magister discipulum recitare jubet: at potius, *ad loquendum prolicere & provocare* eum; quo facilius ex aliqua (ut sperabant) minus cauta responsione ejus, ei possent accusationem struere, dicerèque (ut infra 22. 7. at in re alia) ἠνίσσαμεν αὐτὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ. Theophylactus (quem cùm hoc scripseram inspexi,) Ὅταν τις προτρεπῇ αὐτὸν λέγειν, ἀποστοματίζεσθαι δοκεῖ, τυτθὸν, ἀπὸ τοῦ στόματος ἁλίσκεσθαι, καὶ καταπέπτειν. Et quo hoc melius iis procederet, interrogabant eum περὶ πλειόνων· (id est, ut idem Theophylactus) πυκνῶς, ἀλλὰ καὶ ἄλλα ἠρώτων· quomodo de odioso illo emptore Apuleius lib. 8. *Aliud de alio non desinit quærere.* Aristophanes apud Suidam, Κοὐκ ἀπελαύσας ἐρωτᾷ, σκανδάληθ' ἵνα ἁπῶν. Euthymius in Luc. 23. ea, INTERROGABAT EUM MULTIS SERMONIBUS: *Sermonibus cavillatoriis, & in medium tentantis.* Simili plane malignitate Regulus Plinio juniori infestus, permultis urget eum quid de Modesto exule sentiret, ut aut responso aliquo minùs honesto suam famam læderet, aut laqueis insidiosarum interrogationum ejus se irretiret.

Com. 54. ἐνεδρεύοντες αὐτὸν, καὶ ζητοῦντες θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ] Id est, ut Sirachidis 8. 11. τῷ στόματι (αὐτοῦ) οὐκ ἐνεδρεύσεις ἐγκαθίζοντες· & apud Demosthenem (cujus verba insigniter ista Lucæ illustrant) Ἐγκαθήμενοι, καὶ ἐνεδρεύοντες ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐπεκλαύσετε αὐτὸν εἰς τὸν τῆ παρρησίᾳ λόγον, καὶ τὰς ἐπιτροπὰς αὐτοῦ τὸν λόγον ἐπιτηρεῖτε. Vide infra ad 20. 20. annota. Simile apud jam dictum Sirachidem 5. 16. τῇ γλώσσῃ ἐνεδρεύσω· & 11. 32. τὰ ἀγαθὰ τῶν κακῶν μεταστρέφων ἐνεδρεύσει, καὶ ἐν τοῖς αἱρετοῖς μῶμον ἐπιθήσει. Hesychius, Συνεπιτιθεμένων, συνεδρευόντων· ubi forte Συνενεδρευόντων scribendum. Θηρεύειν heic, ut apud Plautum & alios, *sermonem aucupari.* Hesychius, Θηρᾷν, ζητεῖν, &c. μηχανᾶσθαι. D. Basil. lib. de

lib. de Spiritu sancto, *Velut venatorum laqui, ità complurium interrogationes, occultam & arte compositam orationem habent: proponunt quæstiones, non ut aliquid utilitatis ex iis capiant, sed, ut si convenientes cupiditati sua responsiones non acceperint, hanc justam belli causam habere videantur.*

Ibid. *ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ*] Ἵνα ἔχωσιν, ut (Joh. 8. 6.) κατηγορεῖν αὐτοῦ. D. Augustinus in Psal. 76. *Dum*, &c. *loquitis, quanta plerumque inveniuntur quæ velint tenere inimici & reprehendere! unde velint etiam criminari & calumniari! Hoc dixit, illud sensit, hoc locutus est*, &c.

CAP. XII.

VALLA.

1. *Multis autem turbis circumstantibus*] Gr. *In quibus cùm multa*, sive *permulta*, *millia turba coacta*, sive *congregata essent*, Ἐν οἷς ἐπισυναχθεισῶν μυριάδων. Ideo dixi, sive *permulta*, quòd Græci habent, quod nos non habemus, vocabulum significans *decem millia*. ¶ *Cœpit dicere ad discipulos suos*] Gr. *Cœpit dicere ad discipulos suos primùm*, πρῶτον. ¶ *Attendite à fermento Pharisæorum*] Gr. *Attendite vobis ipsis à fermento Pharisæorum*, Προσέχετε ἑαυτοῖς.

5. *Ità dico vobis, Hunc timete*] Non est hoc adverbium *ità* comparationis, quo frequentissimè utimur, sed quo vulgus solet, (quod ego nusquam legi, quòd sciam) *ità* affirmationis; ut si à me interrogatus an ames Regem, respondeas, *Ità*, vel *Sic*: quod ab elegantibus *Etiam*; ut nonnunquam fit ab Interprete, sicut ostendi: quod Græcè dixi esse *vai*. Ergò meliùs nunc dixisset Interpres, *utique*, seu *verè*, seu *certè*.

8. *Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei*] Gr. *confitebitur in me*, ἐν ἐμοί, item, *confitebitur in illo*, ἐν αὐτῷ. Qui modi loquendi quid differant, Græci Theologi declarant: quanquam & quidam nostri cod. sic habent.

15. *Videte & cavete ab omni avaritia, quia non abundantia cujusquam vita ejus est ex iis quæ possidet*] Græcè non legitur *omnis*: quem locum ego sic transtulissem, *Videte & cavete ab avaritia; quia non in abundando cuiquam vita sibi est è facultatibus suis*, ἀπὸ τῆς πλεονεξίας· ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτῷ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ. Dixi autem *facultates* eo modo quo dixit Interpres in epistola ad Corinthios 1. 13. 3. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, ὑπάρχοντά μου.

19. *Requiesce, comede, bibe, epulare*] Cùm dictum sit *comede, bibe*, quid attinebat dicere *epulare*? Ego potiùs transtulissem *lætare* εὐφραίνου· quod verbum omnia vitæ oblectamenta complectitur; ut fit cùm alibi, tum in Psalmo 104. 15. *Et vinum lætificet cor hominis.* Nam idem hìc verbum est, εὐφραίνω. Idem intellectum volo de sequenti, c. 15. 23, 24. *Adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur*, εὐφρανθῶμεν. *Et cœperunt omnes epulari*, εὐφραίνεσθαι.

22. *Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. Dixitque ad discipulos suos*] Deest hoc apud nos, *Hæc dicens clamabat, Qui habet aures ad audiendum, audiat*: tum sequitur, *Dixit autem ad discipulos suos*, Ταῦτα λέγων ἐφώνει, Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. Ἔλεγε δέ. Sunt tamen Gr. codices quibus hoc abest.

24. *Quibus non est cellarium neque horreum*] *Cellarium* pro *cella vinaria* solet accipi: quod ad Corvos, qui potent aquam, referri non potest: ideo ego dixissem *penarium* seu *promptuarium*. Est tamen idem nomen quod superiùs transfertur *cubiculum*, ταμεῖον. ¶ *Quantò magis vos pluris estis illis*] *Quantò magis vos differtis à volucribus?* dicitur Græcè, πόσῳ μᾶλλον ὑμεῖς διαφέρετε τῶν πετεινῶν;

39. *Hoc autem scitote, Si sciret paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam*] Ego sic transtulissem, h. e. sic transferendum puto fuisse, *Hoc autem scite, quòd si scisset paterfamilias quâ horâ fur venit, vigilasset, nec siviisset perfodi domum suam*] Τοῦτο δὲ γινώσκετε, ὅτι εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης ποίᾳ ὥρᾳ ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἄν, καὶ οὐκ ἂν ἀφῆκε διορυγῆναι τὸν οἶκον αὐτοῦ.

42. *Quisnam est fidelis dispensator & prudens*] Ego mallem dicere, ticuti restatus sum, *Quisnam est?* Τίς ἄρα ἐστίν;

49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?*] Gr. *Et quid volo si jam incensus est?* εἰ ἤδη ἀνήφθη.

52. *Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi*] De hoc dixi superiùs, quòd cùm dicatur Græcè *à nunc*, Ambrosius utitur *à modò*, ἀπὸ τοῦ νῦν.

53. *Tres in duos, & duo in tres dividentur: pater in filium, & filius in patrem suum*] Gr. *Dividetur pater in filium, & filius in patrem*: neque enim est *suum*. Ipsa lectio indicat non debere dici *dividentur*, cùm dictum sit *erunt quinque divisi* διαμεμερισμένοι ἔσονται.

54. *Statim dicitis, Nimbus venit*] Magis respondet in voce, & perinde in sensu, *imber* quàm *nimbus* Græco ὄμβρος.

REVIUS in VALLAM.

1. *Permulta millia turbæ*] Casaubonus ad hunc locum ait, *Mihi videtur Vallæ quoque interpretatio admodum esse diluta*, PERMULTA TURBA. *Quid enim aliud dicas si solum ducenti aut trecenti adessent? Malim*, CÙM COACTA ESSET MULTORUM MILLIUM TURBA: *vel*, CÙM CONVENISSENT HOMINUM MULTA MILLIA. At primùm errat Casaubonus cùm hoc Vallæ tribuit, qui non dixit *permulta turba*, sed *permulta millia turba*. Imò quod hìc Vallæ asscribit, Bezæ est, qui hoc tanquam ex Valla oscitanter citavit, & Casaubonum secum in errorem traxit. Deinde minus in sua interpretatione expressit Casaubonus quàm Valla: nam *decem millia* possunt dici *multa millia*, neque tamen sunt αἱ μυριάδες sed una tantùm μυριάς. Quam difficultatem videns Valla, imò τὸ ἀδύνατον Græca hæc in Latinum vertendi, inopiæ huic quà potuit conatus est mederi, additâ epitaticâ syllabâ *per*, in *permulta millia*. ¶ *Ad discipulos suos primùm*, πρῶτον] Referendum est ad συνεστηκὸς. *Imprimis cavete.*

8. Ἐν ἐμοὶ ἐν αὐτῷ] Transposita & confusa erant.

19. Εὐφραίνου] Trajectum erat, & in ἐυφραίνου mutatum.

24. *Ad Corvos, qui potant aquam, referri non potest*] Bis hìc errat Valla, Erasmo judice: quem consule.

52. *Erunt enim*] Perperàm scriptum inveni *essent*.

53. *Erunt quinque divisi*] Et hìc *essent* irrepserat.

ERASMUS.

1. *Multis turbis*] Τῶν μυριάδων τῷ ὄχλῳ *myriadibus turba*. *Myrias* autem Græcè significat *decem millia*. Quanquam eâ voce abutuntur pro *innumerabili multitudine*. Unde verti poterat, *Innumera turba multitudo*. ¶ *Concurrentibus*] Ἐπισυναχθεισῶν *simul aggregatis*. Vetusti cod. habebant *circumstantibus*. ¶ *Ad discipulos*] Hìc Græci addunt πρῶτον *Primùm*, sive *Primum*. Quanquam adverbium ità positum est ut possit utrovis referri, *primùm dixit ad discipulos*, sive, *Primùm attendite*. ¶ *Attendite*] Προσέχετε ἑαυτοῖς.

2. *Revelatur*] *Revelabitur* est Græcè; & *scietur*, non *sciatur*: ἀποκαλυφθήσεται, γνωσθήσεται.

3. *In cubiculis*] Ἐν τοῖς ταμείοις *in penetralibus*, sive *intimis ædium*.

5. *Ità dico vobis*] Rursum est ναὶ, de quo modò admonui; Affirmantis adverbium.

6. *Dupondio*] Exposuit interpres quod vertit. Nam Græcè est ἀσσαρίων δύο *assibus duobus*. Quanquam Græca vox diminutiva est, sicut & *passerculi*. ¶ *In oblivione*] Ἐπιλελησμένον· quasi passivè dicas *oblitum*.

8. *Confessus fuerit me*] Gr. ἐν ἐμοὶ *in me*. Sic non est *confitebitur eum*, sed *in eo*: id tamen ad sensum nihil refert: tantùm est idiomatis Hebraici.

11. *Qualiter aut quid respondeatis*] Τί ἀπολογήσησθε *quid responsuri sitis*, sed propriè accusanti, h.e. quibus modis verba facturi sitis, & quâ ratione institituri defensionem, quidvè adducturi pro defensione causæ, quemadmodum vulgus reorum facit, qui solent utroque modo periclitari, si vel formam agendi nesciant, vel parùm instructi sint ad refellendum quod objicitur.

15. *Ab omni avaritia*] *Omni* non additur in Græcis cod. Nec est simpliciter *avaritia*, quæ magis dicitur φιλαργυρία sed est πλεονεξίας, nomen à *plus habendo* dictum, quo sæpenumero usus est D. Paulus: ubi quis fraudatus aliis plus usurpat sibi quàm par est.

19. *Epulare*] εὐφραίνου *lætare*. Neque enim opus erat repetere *epulare*, cùm antè dictum sit, *comede, bibe*. Cæterùm verbum εὐφραίνομαι, indè dictum quòd *animo bene sit*, omnes vitæ voluptates complectitur quibus animus oblectat se. Proinde in Psalmis, *Et vinum lætificat cor hominis*, Græcis est εὐφραίνει. At hic perpetuò vertit *epulari*: nam & aliquantò pòst, videlicet 15. 23. *Adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur*, εὐφρανθῶμεν· ac rursum v. 24. *Et cœperunt epulari* εὐφραίνεσθαι· id secutus, opinor, quòd *epulari* non sit simpliciter *agere convivium*, sed *genialiter & opiparè cœnæssari*.

20. *Repetent*] Ἀπαιτοῦσι *repetunt*, sive *reposcunt*. Sic & Hieronymus subinde citat, ut sit præsentis temporis: & aptior est hypallage ad mox imminens periculum significandum. Cyprianus in precationem Dominicam adducit his verbis, *Stulte, hâc nocte expostulatur anima tua*. Et *repetunt* habebat exemplar Const. ¶ *Cujus erunt?*] Τίνι ἔσαι; *cui erunt?* h. e. Cui cedent, & quem dominum sortientur? Est & apud Paulum hic color, *Si fueris alteri viro*, i. cum altero viro.

21. *Sic est qui sibi*] *Est* non additur in Græcis exempl. ut liberum sit subaudire quod commodissimum sit.

24. *Quibus non est cellarium*] Pro *cellario* Græcis idem verbum est quod jam aliquoties vertit *cubiculum*, ταμεῖον· qui propriè *locus est in ædibus in quo esculenta poculentáque reponuntur*, à ταμιεύειν, quod est *dispensare victum*, & ταμίας *promum-condum*. Porrò quod Laurentius cavillatur, *cellam* accipi pro *vinaria* duntaxat, & Corvos esse hydropotas, bis erravit. Nam primùm *cella*, à *celando* dicta, non vini tantùm reconditorium est. Deinde, si corvi non bibunt vinum, hoc magis facit ad sensum Euangelicum, ut quovis potu contenti, quem passim obvium præbet omnibus natura, non egeant cellis vinariis. ¶ *Pluris estis illis*] Διαφέρετε πολλῶν *præcellitis volucribus*. Nam διαφέρειν, tametsi significat *differre*, usurpatur tamen sæpenumero pro *præstare* & *antecellere*. In quem sensum usus est & Paulus Phil. 1. 10. Item Rom. 2. 18.

25. *Cogitando*] Μεριμνῶν *solicitudine*. Quanquam Græcè participium est, q. d. *curans*, sive *solicitè cogitans*.

28. *Si autem fœnum*] Τὸν χόρτον. Cur non potiùs *gramen* aut *herba*, quemadmodum & aliàs transtulit? Nisi fortè nihil interest inter *fœnum* & *gramen*. Ad hoc enim adhibetur similitudo, ut intelligamus Deum non neglecturum nos, cùm curet & gramen, quod eodem die viret, & defectum eodem die exarescit, maximè in æstuosis regionibus. ¶ *Quantò magis vos, pusillæ fidei?*] *Vos* accusandi casu profertur, ὑμᾶς, ut subaudias *vestiet*. Et *modica fidei* Græcis composita dictio est, ὀλιγόπιστοι, quod sonat *parùm fidentes*. Nam *fides* est præstantis, & *fides* est fidentis. Sic enim nos abutimur Christiani.

29. *In sublime tolli*] Μὴ μετεωρίζεσθε. Quod non propriè pertinet ad tumorem, quod Græci vocant μεγαλοφρονεῖν, sed magis *ne curemus ea quæ supra nos sunt*: μετέωρα enim vocantur *quæ sunt in nubibus & in sublimi aëris regione*: de quibus Meteorologica scripsit Aristoteles. Consentit cum doctrina Christi dictum illud Socraticum, *Quæ supra nos, nihil ad nos*. Nec video quomodo hæc particula quadret cum præcedentibus ac sequentibus, nisi sentiatur de his qui ex astrorum cursu procul in futurum consulunt, qui ferè mos est divitum ac principum. Theophylactus aliique Græci interpretantur μετεωρίζεσθαι *qui præsentibus non est contentus, sed semper inhiat majoribus*: quæ profectò cupiditatum humanarum est natura. Et quodammodo supra conditionem hominis attollit sese qui congerit opes in longinquum, ignarus an postridie sit victurus.

31. *Et justitiam ejus*] Hæc verba non adduntur apud hunc Euangelistam, nec in Græcis nec in vetustis Latinorum exemplaribus, verùm ex alio loco huc translata sunt. Atque adeò nec *primùm* adverbium additur. Consentit cum Græca lectione codex Aureus, atque etiam Donatianici, postremò & Constantiensis; in quibus scriptum reperi, *Quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*. Verùm quod deesse videbatur in Luca, studiosus aliquis adjecit ex Matth. 6. 33.

39. *Si sciret paterfamilias*] Lucas usus est verbis præt. temporis, *Si scisset, vigilasset, & non fuisset*; ἤδει, ἐγρηγόρησεν, ἀφῆκε. Ponit enim veluti parabolam alicujus cujus domus perfossa sit.

40. *Super familiam*] Ἐπὶ τὴν θεραπείαν *super famulitium*: ut intelligas tantùm præfectum famulis, non etiam liberis. Quod genus servorum *columen familiæ* vocant. Jam illud *Hîc ἄρα Quis, putas*, vertit suo more pro *Quis*, sive *Quisnam*. Nec est *constituit* præs. temporis, sed καταστήσει *constituet* futur. temp. suffragante exempl. Paulino, licèt in Matthæo habeatur *constituit*. ¶ *Tritica mensuram*] Σιτομέτριον. Referri potest ad omnem cibum. Id quod Latinè vocant *demensum*, sive quòd ad certum modum tribuatur, sive quòd in singulos menses redderetur, ut Donato placet. Ità Terentius in Phormione,

Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defraudans genium, comparsit miser.

Et Plautus in Sticho,

Vos meministis quot calendis petere demensum cibum.

Cæterùm Græcis dictio composita est σιτομέτριον ex *frumento* & *mensura*, & non ex *tritico*. Quanquam σῖτος Græcis aliquando *frumentum*, aliquando mutato genere *quemlibet cibum* significat. Neque enim servi solo tritico alebantur.

46. *Dividet*] Διχοτομήσει *in duas dividet partes*, sive *dissecabit*. ¶ *Cum infidelibus*] Μετὰ τῶν ἀπίστων *cum infidis*: pro quo Matthæus dixit *cum hypocritis*. Nam qui fidus est non simulat neque dissimulat.

47. *Vapulabit multis*] Ac paulò pòst *plagis vapulabit*. Cur non utrobique addidit *plagis*, aut utrobique omisit? quandoquidem apud Græcos utrobique subauditur *plagis*. Verùm hoc nos distinctione corrupimus: etenim ablativus *plagis*, quem nos referimus ad *paucis*, ad *digna* fuerat referendus, ἄξια πληγῶν, atque ità utroque loco in πολλὰς & ὀλίγας subaudiendum πληγάς. Sic enim distinguunt Græci. Ὁ δὲ μὴ γνοὺς, ποιήσας δὲ ἄξια πληγῶν, δαρήσεται ὀλίγας. Eâ verò formâ dixit *vapulare multis plagis* quâ dicimus Attico more *gaudere gaudium*, & *dolere dolorem*. Augustinus ad Valentinum De gratia & libero arbitrio c. 3. nescio quid secutus legit, *vapulabit pauca*, & *vapulabit multa*.

49. *Et quid volo nisi ut ardeat?*] Καὶ τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη; *& quid volo si jam accensus est?* Sic adducit Hilarius Commentario in Canticum graduum. Etiamsi secùs legit Ambrosius ac Hieronymus, quorum hic in Jonam ità citat, *Ignem veni mittere in terram, & quem volo ut ardeat*. Verùm opinor pro *quem* depravatum fuisse *quem*: nam aliis in locis *quam* invenio. Apparet interpretem legisse ἢ τί θέλω εἰ μὴ ἀνήφθαι; *Et quid volo nisi accendi?* Aut certè, quod propius est, τί θέλω ἢ ἤδη ἀνῆφθαι; *Quid velim nisi mox accensum esse?* quandoquidem Græcis ἤ adjungitur etiam positivis, subaudito ἄλλο, quemadmodum Latini *quàm* addunt positivis, subaudito *post* aut simili voce, ut, *Tertio die quàm à me discessisti*. Theophylactus non legit tantùm verùm etiam interpretatur juxta nostram editionem. Nam *quid volo* positum est pro eo quod erat *nihil aliud volo*: & *si jam accensus est* celeritatis habet emphasim? & in *si* subest tacita significatio Voti.

52. *Erunt enim ex hoc*] Ἀπὸ τοῦ νῦν *posthac*, sive *amodo*, ut loquuntur nonnulli Græcam formam reddentes. ¶ *Et duo in tres dividentur*] Et hunc locum corruptâ distinctione depravarunt librarii, verbum *dividentur* referentes ad superiora, cùm quibus ut cohæreret, mutato numero ex *dividetur*, διαμερισθήσεται, fecerunt *dividentur*. At quid opus erat repetere in hac parte *dividentur*, cùm jam dictum sit, *Erunt quinque in domo una divisi?* Sic itaque distinguendum erat, *Dividetur pater adversùs filium*, &c. Siquidem *dividi* vocat Habere dissidium. Proinde meliùs vertisset *adversùs filium* quàm *in filium*, cùm anceps sit Græca præpositio. Hujus casum, si quem id fortè moveat, mutavit eodem in loco Lucas: qui cùm antè cœperit adjungere dativum, ἐπὶ δυσὶ, mox addit accusativum, ἐπὶ τρισὶ καὶ τρισὶν.

54. *Et ità fiet*] *Fit* legendum est. Et Laurentius mavult *imbrem* quàm *nimbum*, cùm Græcè sit ὄμβρος.

57. *Quid autem & à vobis ipsis*] Τί δὲ ἀφ' ἑαυτῶν. Dilucidius erat, *Cæterùm cur non etiam ex vobis ipsis judicatis quid sit justum?* ut sit sensus, Aliunde captatis argumenta ex quibus conjectetis ea quæ sunt extra vos; & earum rerum quæ intra vos sunt, & quarum ex vobis ipsis colligi possunt argumenta, nullam facitis conjecturam.

58. *Cùm autem vadis*] Græcis *enim* est pro *autem*. Cohæret enim cum iis quæ præcedunt, ut intelligant adesse tempus resipiscendi: quod ni fecerint, fore ut duriùs cùm illis in posterum agatur, si tam obviam clementiam Dei neglexerint. ¶ *Ad principem in via*] Ἐπ' ἄρχοντα. Quod Ambrosius haud malè vertit *ad magistratum*: & *in via* rectiùs refertur ad sequentia, *in via da operam*. ¶ *Trahat te ad judicem*] Demiror quid legerit Ambros. qui pro *trahat* habet *condemnet*: nisi fortè pro κατασύρῃ legit καταδίκῃ. Ac sensus sanè magis quàdrat. Nec enim videtur alius esse Judex quàm is quem paulò antè dixit *principem*. Nam id vult agi cum adversario inter eundum, ne sit opus ad Judicem pervenire.

Origenes,

Origenes, ſeu quiſquis fuit, hom. in Lucam 25. annotat amphibologiam eſſe in *trahat*, quòd ſubaudiri poſſit vel *princeps* vel *adverſarius*. ¶ *Tradat te exactori*] Παραδῷ à verbo παράσσω *exigo*, quod antè vertit *facio*, non rectè, ſicut admonuimus in Matthæo.

VATABLUS.

1. *Multis autem turbis concurrentibus*] *Congregatis interim turbæ myriadibus.* Vetera legunt *turbis circumſtantibus.* ¶ *Suos**] *Primùm*: vel, *Primò.* ¶ *Attendite**] *Vobisipſis.*

2. *Enim*] *Autem.* Vet.

3. *Dicentur*] *Audientur.* ¶ *Aure*] *Aurem*, V. ¶ *Cubiculis*] *Penetralibus.*

5. *Iſtà*] *Certè.*

6. *Paſſeres*] *Paſſerculi.* ¶ *Dipondio*] *Aſſiculis duobus.*

7. *Pluris eſtis*] *Præſtatis.*

10. *Blaſphemaverit*] *Blaſphemus fuerit.*

11. *Reſpondeatis*] *Reſponſuri ſitis.*

15. *Non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt ex his quæ poſſidet*] Vel, *in eo quod ſupereſt cuipiam*, &c. i. Nullius vita opus habet eo quod illi ſupereſt; aut, ut illi ſuperſit aliquid. Gr. *quia non in eo ut ſuperſit cuipiam vita ejus eſt ex facultatibus ipſius.* Sed hoc pacto eſt hyperbaton, cujus ſenſus eſt, Vitam non opus habere ſuperfluis. Alii ſequuntur Vet. interpretem, q. d. Non propterea quis vivit diutiùs quòd amplas habeat facultates.

17. *Cogitabat intra ſe*] *Secum ipſe diſſerebat.*

19. *Anima mea*] i. mihimetipſi. Heb. ¶ *Epulare*] *Lætare.*

20. *Stulte*] *Imprudens.*

21. *Theſaurizat*] Vel, *recondit theſauros.*

22. *Anima*] *Vita.*

24. *Cellarium*] *Cella.* ¶ *Horreum*] Vel potiùs, *repoſitorium.* ¶ *Pluris eſtis illis*] *Præcellitis volucribus.*

25. *Cogitando*] *Solicitudine*: vel, *curas agitando.*

27. *Lilia*] i. flores. Species pro genere, juxta Hebraiſmum. ¶ *Gloria*] *Magnificentia.* ¶ *Veſtiebatur*] *Veſtitus fuit.*

28. *Fœnum quod*] Sive, *herbam quæ*, &c.

29. *Nolite in ſublime tolli*] Videtur alludere ad geſtum ejus qui præ magna ſolicitudine angitur, vultum ad cœlum attollens. Verti poteſt, *Ne curetis ſublimia.* Μετεωρίζεσθε propriè *in dubio eſſe & incerto.* Ut quæ ſuſpenſa ſunt & ſublimia facilè huc & illuc impelluntur, ità animus hominis qui in dubio eſt & incertus huc atque illuc fluctuat. Vel, *Ne impreſſiones æthereas ſpectetis, ut ab illis pendeatis.* Verti poteſt, *Ne anxii ſitis*, i. Ne de providentia Divina hæſitetis.

30. *Autem*] *Enim.* ¶ *Quærunt*] *Curant.*

31. *Verumtamen*] *Quin potiùs.* ¶ *Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc*] *Quærite regnum Dei, & hæc*, Vet.

32. *Puſillus grex*] *Parvule grex.*

35. *Ardentes* in manibus veſtris*] * Vet.

37. *Tranſiens*] *Cùm præterierit*: vel, *obambulando*: aut, *ultrò citròque eundo.*

38. *Vigilia*] *Cuſtodia*, Heb. pro *vigilia nocturna.* Noctem hoc loco in tres tantùm vigilias diſtribuit.

39. *Scitote*] *Scitis.* ¶ *Sciret*, &c.] Præt. temporis verba ſunt in Græco codice, *ſciſſet, venturus fuiſſet, vigilaſſet, & finiſſet.*

40. *Et vos* eſtote*] * *Igitur.* ¶ *Veniet*] *Venit*, V. præſ. pro fut.

42. *Conſtituit*] *Conſtituet*, Vet. ¶ *Familiam ſuam*] *Famulitium ſuum.* ¶ *Tritici menſuram*] *Demenſum.*

46. *Dividet eum, partémque ejus cum infidelibus ponet*] *Diſſecabit*, i. ſeparabit & conſortem faciet infidorum, q. d. Eximet eum numero ſervorum ſuorum fidelium, & condemnabit.

47. *Multis*] ſub. *plagis.*

49. *Niſi ut accendatur*] *Si jam accenſus eſt.*

50. *Quomodo coarctor*] Vel, *quàm anguſtè contineor.* Solent enim contrahi & quaſi comprimi corda anxiorum.

51. *Mittere*] *Dare.* Vet.

52. *Ex hoc*] *Poſthac.*

53. *Dividentur*] *Dividetur.*

54. *Dicebat autem* ad*] * *Et.* Vet.

57. *Quid autem & à vobis ipſis*] *Cur autem & ex vobisipſis*, i. Cur citra operam Judicis non dirimitis controverſias inter vos ortas?

58. *Autem*] *Enim.* Debitorem divitem malæ fidei alloquitur, q. d. Cùm à creditore tuo, qui tibi bonâ fide credidit pecuniam, pertraheris ad Judicem, ut pecunias creditas reddas, perſolve eam pecuniam, nè, &c. ¶ *Principem*] *Magiſtratum.*

59. *Dico tibi*] Verba Chriſti, q. d. O debitor malæ fidei, non aliter agam tecum quam Judex terreſtris: nam te in eum carcerem mittam unde non exeas donec mihi ſatisfeceris.

CASTALIO.

3. *Quicquid in tenebris dixeritis*] Εἰπατε, præteritum indicativi pro futuro conjunctivi, more Hebræorum, qui conjunctivo carent & pro eo utuntur indicativo; ut in Gen. 4. 23. indicavimus.

20. *Quæ verò paraſti, cujus erunt?* Τίνι ἔσται; Hebraiſmus eſt pro τίνος ἔσται; לפה יהיו. Nam apud Hebræos litera ל non ſolùm dativi ſed etiam genitivi articulus eſt.

21. *Neque Deo dives eſt*] Non habet in ſuis divitiis Dei rationem.

29. *Nève pendete*] Μετεωρίζεσθε eſt *ſublimem eſſe*, ut ſunt nubes & volantes aves. Jam quæ ſunt in ſublimi, ea nullo firmo ſolo & fundamento nixa nutant & agitantur: hinc fit ut id verbum *dubitare & incertum atque anxium eſſe* ſignificet: quo ſenſu Latini *pendere* propriè dicunt. In eadem notione dixit Demoſthenes ἀνω κατέχεσθαι in oratione De Coronâ.

49. *Quid volo?*] Nihil tam cupio quàm ut ardeat.

50. *Vehementer angor*] Πῶς a מה non ſemper Interrogantis eſt, (ut etiam alibi de כי & אין docuimus) ſed etiam ſine interrogatione Augentis, ut Latinè *quàm*, ut Prov. 16. מה טב *multò melius*, & alibi ſæpe. Atque eodem modo utuntur πῶς etiam authores profani.

57. *Cur, ex vobisipſis non judicatis ex æquo?*] Cur non vosipſos imitamini, & quam in humanis litibus adhibetis prudentiam, eâdem in Divinis utimini? Soletis cum adverſario potiùs componere quàm ad Judicem venire, qui ſeveriùs ſit judicaturus. Cùm igitur videre poſſitis ex his quæ fiunt inſtare Dei judicium, cur non reditis ad frugem dum licet? Nam ad Judicem cùm ventum erit, ſera erit pœnitentia. Quòd autem dicit, *Da operam*, non præcipit quomodo ſit in litibus agendum: nam ea in re ſatis ſapiunt homines. Sicut cùm Matth. 23. 26. dicit, *Phariſæe cæce, purga priùs interiora poculi & ſcutellæ, ut eorum exteriora quoque pura ſint*, non docet quomodo lavanda ſint pocula; nam id ſatis ſciebant illi: ſed perinde eſt acſi dicat, Ut qui calicem exteriùs non interiùs purgat ineptè facit, ità vos præpoſterè facitis qui in parvis religioſi in magnis eſtis diſſoluti. Sic hoc loco Chriſtus docet, quod ſit in litibus, id faciendum eſſe in Regni cœleſtis negotio: ſed id per imperativum breviùs docet.

CLARIUS.

3. *QUÆ in tenebris dixiſtis*] Hypocritæ, inquit, putant fore ut lateat eorum hypocriſis: quod nequaquam verum eſt: nam omnia quæ pro tempore interdum latent tandem in apertum prodeunt.

6. *Nónne quinque paſſerculi*] Si tam exigua, inquit, & vilia animalia curæ ſunt Deo, quantò magis vos, quos tanti facit?

15. *Non in abundantia*] Divitiæ neque meliorem neque longiorem faciunt vitam; ad quod demonſtrandum inducit ſequentem parabolam.

32. *Nolite timere, puſillus grex*] Quid de iis, inquit, temporariis rebus eſtis ſoliciti, cùm vobis Regnum Pater promiſerit, pro quo iſta omnia ſunt contemnenda?

41. *Ad nos dicis hanc parabolam?*] Non reſpondit autem apertè Dominus Petro, ſed per ea quæ poſt addidit fecit eum intelligere quorſum iſta.

47. *Vapulabit multis*] *Sciendum autem eſt*, ut ait M. Baſilius, *illud* VAPULABIT MULTIS, *aut* PAUCIS, *non finem ſed differentiam pœnæ ſignificare. Nam ſi Deus Judex bonus eſt, non bonis ſolum, verum etiam malis reddens cuique ſecundum opera ejus, eſſe poteſt alius quidem inexſtincto Igne dignus; cóque aut molliore aut ferventiore; alius immortali Verme, & eo aut mitiùs aut vehementiùs mordente, juxta cujuſque meritum; & alius Gehennâ, quæ omnino differentes habeat pœnas; alius iterum exterioribus Tenebris, ubi huc quidem in fletu ſolum, ille verò in ſtridore dentium, pro decreta*

illis afflictione, degat. At verò EXTERIORES TENEBRÆ *omnino significant esse etiam interiores quasdam. Et illud in proverbiis quod dictum est,* IN FUNDUM INFERNI, *declarat esse quosdam in inferno quidem, non tamen in imo inferni, qui scilicet leviorem perferant pœnam. Hoc autem & nunc in corporeis membris licet observare,* &c.

52. *Tres in duos, & duo in tres*] *Filium* & *filia* & *nurus* adversùs *patrem* & *matrem*, quæ eadem & *socrus* est.

57. *Et à vobis ipsis non judicatis*] Quæ scilicet sit pax bona, & quæ non bona; & quo pacto quæratur docet.

ZEGERUS.

1. TUrbis *concurrentibus*] In vetustis cod. est *circumstantibus*. Græcè est *ἐπισυναχθεισῶν simul aggregatis*.

5. *Ità dico vobis*] i. *Amen*, vel *Verè, dico vobis*.

6. *Dipondio*] *Dipondium* & *dupondius*, vel *um*, ex duobus assibus constat, qui & *nummus bilibris* dicitur. Unde ab Euangelista *διπλοῦν δύο* scriptum est, *assibus duobus*. De Asse apud Matthæum diximus 10. 29.

13. *Ait autem ei quidam de turba, Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem*] Cùm nil præcedat cui aptè præsens locus respondeat, apparet intempestivè hunc hominem interpellasse Salvatorem, ipsiúsque interturbasse sermonem. Quanquam D. Ambrosius huic cum præcedenti argumento nonnullam tribuere conetur concatenationem, dum ità scribit, *Totus*, inquit, *hic locus ad subeundam pro confessione Domini passionem, aut contemptu mortis, aut spe præmii, aut mansuri denunciatione supplicii, cui nunquam venia laxetur, instruit. Et quoniam avaritia plerumque solet tentare virtutem, etiam hujus abolenda & præceptum subjicitur & exemplum, dicente Domino, Quis me constituit judicem aut divisorem supra vos?*

15. *Quia non in abundantia cujusquam vita ejus ex his quæ possidet*] i. Non propterea quis vivit diutius quòd amplas habeat facultates.

18. *Destruam horrea*] Ἀποθήκη non solùm *horreum* sed etiam omne *reconditorium* declarat.

24. *Cellarium*] A *celando* dicitur, repositorium in quo conduntur ad victum necessaria.

28. *Fœnum*] Ex Scripturæ consuetudine pro *herba* positum est.

29. *Nolite in sublime tolli*] i. Nè curetis ea quæ supra vos sunt, vel nè sublatis in altum oculis sublimia sectemini: id enim propriè declarare putant *μὴ μετεωρίζεσθε*. D. Augustinus tamen in Quæst. Euang. de superbia accipit. Euthymius verò per antiphrasin interpretatur, *μετεωρίζεσθε*, inquiens, *hic mihi intelligo à cœlestibus distrahi ad terrena*. Est præterea qui hanc vocem translatitiam hic esse admoneat, ad declarandam affectatam æstimationem; putátque hoc dictum respondere ei quod apud Matthæum est 6. 25. *aut quo operiemur?* quòd divites ostentent sese splendido habitu procedentes in publicum.

31. *Verumtamen quærite*] Mollior in Græcis est continuatio per τὸ πλὴν, quod hic esse poterat *Verùm*, vel *Quin potiùs*. *Nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis: quin potiùs quærite regnum Dei.* Porrò quod sequitur in nonnullis, *& justitiam ejus*, ex Matthæo huc translatum est, ut liquet ex multis exemplaribus, ex Ambrosio, & Beda, & ex ed. Gr.

35. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes*] h. e. Omnibus modis estote parati, ut quasi lucernis accensis prævidere ac suscipere possitis Domini Salvatoris nostri adventum. Nè mutilatum esse putes contextum Græcanicum, dum vides abesse *in manibus vestris*, scito idem nec Cypriano lectum fuisse, ut patet lib. adversùs Jud. 2. c. 18. nec Ambrosio, nec Augustino lib. De continentia c. 7. nec Chrysostomo hom. in Matth. 15. nec Smaragdo. Deinde & correctoria quædam indicant hoc additum esse à B. Gregorio: id quod probant vetustissimi codices, etiam Missales, in quibus non est. Hanc tamen adjectionem in hoc crediderim factam ut sic recitaretur in templis, non ut haberetur veluti Christi ore reipsa expressum. Quin & ipse Gregorius in Job 38. dicta verba non addit. Est tamen & alter inter veteres, Gregorio non paulò antiquior, Petrus Chrysologus, qui etiam hoc verbi & adjicit & enarrat Serm. 22.

37. *Amen dico vobis quòd præcinget se, & faciet illos discumbere*, &c.] His verbis nihil aliud datur intelligi quàm quòd amplissimam mercedis retributionem dulcissimámque suscepturi sint pro solicitudine quietem quicunque adveniente Christo reperti fuerint strenui ac vigiles in operibus bonis.

41, 42. *Ait autem ei Petrus, Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? Dixit autem Dominus, Quis putas est fidelis dispensator & prudens*] Ab hoc Euangelista prætermissum apparet quod Dominus huic respondit interrogationi. Nam ea quæ subjicit Domini verba equidem non video quid faciant ad interrogationem Apostoli; nisi quòd series ipsa sermonis indicat ea tantùm ad Apostolos eorúmque successores, dispensatores ac sacerdotes, Salvatorem direxisse. Verùm quod hic subticetur, aut certè tectè insinuatur, B. Marcus 13. 37. manifestiùs expressit, nimirum parabolam de servorum vigilantia pertinere prorsus ad omnes, dicens, *Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Potest etiam dici quòd Dominus hâc interrogatione, *Quisnam fidelis est dispensator*, &c. indicarit raritatem eorum ad quos verè pertineret ea parabola, quanquam sermo alioqui ferretur ad omnes. ¶ *Ut det illis*] *Illis* refert antecedens *familiam*, voce quidem singulare, sed plurale significatione; *ut det* sub. *fidus ille dispensator, familiæ*, seu potiùs θεραπείᾳ, i. *famulitio domini sui, cibum in tempore.* ¶ *In tempore tritici mensuram*] Hujus loco Matthæus 24. 45. habet *cibum in tempore*, idem sentiens quod Lucas. Nam σιτομέτριον, quo verbo Lucas utitur, à *cibo*, sive etiam *frumento*, & *mensura* dicitur, quod Latini unico item verbo *dimensum* dicimus. Olim autem quaternos frumenti modios quolibet mense servi à dominis suis accipere soliti erant, idque sive à *dimetiendo*, sive à *mense*, *dimensum* appellamus. Ad hanc igitur consuetudinem respexit Dominus cùm dicit, *ut det illis in tempore dimensum.* Reliqua in Matthæo exposita sunt.

48. *Et fecit digna plagis, vapulabit paucis*] Apud Græcos illud *plagis*, cùm genitivi casûs sit, non potest construi nisi cum *digna*; sed in utroque *multis* & *paucis* subaudiendum relinquitur *plagis*.

49, 50. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?*] Sensit de fervore & zelo charitatis quem habituri erant Apostoli cæteríque fideles ad propagandum æternæ salutis Euangelium. At non priùs hic fervor idque salutis Euangelium latiùs erant proferenda ad innumeras regiones quàm tinctus esset Christus proprii sanguinis undâ: A qua intinctione non solùm non abhorrebat, sed amore ac desiderio angebatur & solicitus erat ut quàm primùm perficeretur. Poterit etiam illud, *& quomodo coarctor usque dum perficiatur?* accipi ut perinde valeat quasi dixisset, Vehementer constringor & angor tum humanæ conditionis miseriis tum passionis meæ cruciatibus: nec me deferent donec per mortem fuero consummatus. ¶ *Nisi ut accendatur*] Græcè est *εἰ ἤδη ἀνήφθη*, *si jam accensus est*, adstipulantibus Hilario in Psal. & Paulino epist. 2. ad Delph. Sed rectius arbitror ut legamus *εἰ μὴ ἀνήφθαι*, quomodo habet apud suum interpretem Chrysostomus hom. in Matth. 6. Ambrosius & Hieronymus. Ad sensum tamen commodius est quod scribit Maximus, *& quàm volo ut ardeat?* Beda & codices vetusti ferè habent *nisi accendatur*. Chrysologus addit *ut* Serm. 164.

51. *Pacem veni dare in terram*] Sic scribunt antiqui tum explanatores tum codices: excepto P. Chrysologo, qui legit *mittere*, ut est in Matthæo.

52. *Duo in tres dividentur*] Ut sit consensus cum Græcis, poteris ad hunc pronunciare modum, juxta quendam, *duo in tres. Dividetur pater in filium*: nam ità distinguit P. Chrysologus, Serm. 164.

53. *Socrus in nurum suam*] *Socrus* uxoris mater, *nurus* uxor filii est.

54. *Nimbum venit*] i. *Pluvia*, vel potiùs *imber*.

56. *Nostis probare*] i. *Dijudicare*, & *argumentis discernere*, δοκιμάζειν.

57. *Quid autem & à vobis non judicatis quod justum est?*] i. *Cur non etiam ex vobis ipsis quid justum sit judicatis?*

58, 59. *Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, nè fortè trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies indè donec etiam novissimum minutum reddas*] Reprehenderat modò Judæos quòd non judicarent quod justum esset: hîc ostendit justius esse condonare noxam adversario, & quoquo modo expediri ab illo, quàm litem cum illo suscipere apud Judicem. Nam qui alium ad judicium pertrahit, periculo sese committit ut à Judice tradatur delatorum examinatori, & ab hoc (si quid criminis deprehensum fuerit) con-

conjiciatur in vincula. Quo ſi res proceſſerit, non reſtituetur, donec etiam pro minutiſſimo admiſſo fuerit ſatisfactum. Vult etiam his verbis Chriſtus, nos operam dare dum ſumus in hujus vitæ itinere, ut liberemur ab adverſario noſtro diabolo; ne ſi cum illo & illo inſtigante imus ad tribunal Principis, noſtrum condemnet errorem; vel, ne tradat nos tortoribus in æternum cruciandos. Vide ſupra Matth. 5. 25.

LUCAS BRUG.

8. *Omnis quicunque confeſſus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei*] Ita fere Latini codices ſcribunt, Latinis expoſitoribus concinentibus. Græci codices atque Expoſitores & Syri legunt. *Omnis quicunque confeſſus fuerit in me* [בי בי ישתו] *coram hominibus, & filius hominis confitebitur in illo* [בר בי אנתה] *coram Angelis Dei.* His conformiter duo Latina manuſcripta. Q. correctiſſimum ſane exemplar, & A, ex inſtructiſſima eximii M. N. Auguſtini Hunnæi Bibliotheca cum multis aliis deſumpta, habent, hoc *in me*; illud *in illo*. Teſtatur & quidam, quoſdam Latinos codices ita habere. Zegerus quoque in N. Teſtamenti à ſe caſtigati margine, *alia*, in me, & in illo, notavit. Bedæ commentariis additus textus *in me* ſcribit. Similis eſt Scripturæ locus Matth. 10. 32. quem D. Cyprianus epiſt. 6. libri 3. adferens, eodem plane legit modo quo & hic & ibi cum Græcis Syri; *in me, in illo*. Porro in Latinis Euangeliorum libris ſine varietate apud Matthæum ſcriptum reperimus, *Confitebitur me, Confitebor & ego eum:* qui ſenſus eſt alterius lectionis: quare & haud pauci noſtræ ætatis Interpretum ita utroque loco vertunt. Euthymius utrumque adfert exponendi modum. Chryſoſtomus &, qui eum ſequitur, Theophylactus aliud ſignificari exiſtimant; *in me*, à me adjutus; *in eo*, gratitudine ipſius motus; quod non ſic de negante dictum ſit verſu proximo, *qui negaverit in me*, ſed, *qui negaverit me*, id quod urget & Heracleon Valentinianus, quem citat Clemens Alexandrinus, quarto Stromatum libro. Atqui Syri & de negante ſic loquuntur, *in me, in eo*, perinde ac de confitente, tum in Matthæo, tum in Luca. Quare ea Hebraica phraſis agnoſcenda videtur, quales iſtæ Pſalmo 43, אלהים הללנו כל היום ושבח לשמך נודה, *In Deo laudamus omni die, & in nomine tuo in ſeculum confitebimur.* Nam præpoſitionem repetendam LXX intellexerunt.

35. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris* [1 MS.] τὸ *In manibus veſtris*, quod multi Latini codices legunt, multi, & quidem antiquiſſimi atque optimi quique, tollunt; noſtri, Brug. Lob. Leod. So. al. au. O. E. Q. Pl. m. A. I. Pariſienſium, Di. o l. Ge. o. l. Mog. Hentenii novem, Janſenii alter, vetuſtiſſimi codices, etiam Miſſales, Zegeri. Græci libri conſtanter rejiciunt. Syrorum exemplaria non legunt. Patrum vetuſtiſſimi non agnoſcunt; Tertullianus, lib. 4. Adv. Marcionem; Cyprianus lib. 2. Adv. Judæos cap. 18. & ſub finem libri De ſimplicitate Prælatorum; Hilarius, enarrans illud Pſalmi 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; Ambroſius, idipſum enarrans, rurſuſque Euangelium Lucæ exponens; Auguſtinus, lib. 2. Quæſt. Euang. cap. 23. libri De continentia cap. 7. & ſermone De verbis Domini 23. Autor operis imperfecti in Matthæum, in fine Homiliæ 15. Euthymius in hunc ſcribens locum. Theophylacti Latina quidem exemplaria in commentariis etiam repetunt, quod in textu non legunt: Exemplar autem Græcum Romæ excuſum ſicut in textu non habet, ita neque in commentariis. Richelius denique ex recentioribus, prætermittit; duntaxat, ut ſuperiores, *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ *ardentes* [**veſtræ* Syra, Hilarius] legit. Zegerus itaque Caſtigator è textu illud ſuſtulit. Cæterum D. Gregorius, Hom. 13. in Euangelia & legit & exponit; ſimiliter Gregorio antiquior, Petrus Chryſologus, ſerm. 22. denique, Gregorio & Chryſologo antiquior, B. Hieronymus, 16 Ezechielis caput ediſſerens, cujus verba ſunt, *Et Dominus ad Apoſtolos loquitur*, Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. *Niſi enim adſtrinxerimus fluentia lumborum remmata, lucernas in manibus habere non poſſumus*: libri etiam 28 Moralium cap. 7. non obſcure Gregorius explicat, tametſi non addatur. Carenſis, Bonaventura, Albertus, Lyranus, Gorranus, interpretantur.

STEPHANUS.

3. Ἀνθ' ὧν ὅσα ἐν τῇ σκοτίᾳ εἴπατε, ἐν τῷ φωτὶ ἀκουσθήσεται] *Unde fiet ut in luce audiantur quæ*, &c.

9. Ἀπαρνηθήσεται] *Abnegabitur.*

11. Ἀπολογήσησθε] *Pro defenſione ſitis allaturi.*

15. Φυλάσσεσθε ἀπὸ τῆς πλεονεξίας] *Cavete ab avaritia.* Proprie, *Cupiditate habendi plus aliis.*

16. Εὐφόρησεν] *Magnum proventum habuit.*

17. Τοὺς γενήματά μου] *Fructus meos.*

23. Ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ] *Repoſcunt à te*, ut precario acceptam.

24. Κατανοήσατε] *Animadvertite.*

29. Μὴ μετεωρίζεσθε] *Ne animi pendeatis* de craſtino. vel; *Ne ſuſpenſo & anxio animo ſitis.*

32. Εὐδόκησεν ὁ πατὴρ ὑμῶν] *Libitum eſt patri veſtro.* Aut; *viſum eſt.*

33. Βαλάντια μὴ παλαιούμενα] *Crumenas quæ non veterascunt.*

36. Προσδεχομένοις τὸν κύριον ἑαυτῶν, πότε ἀναλύσῃ ἐκ τῶν γάμων] *Exſpectantibus ſui domini reditum à nuptiis.*

39. Γινώσκετε] *Scitote*: vel, *ſcitis.* ¶ Ἐγρηγόρησεν ἄν, καὶ οὐκ ἂν ἀφῆκε] *Vigilaſſet, & non permiſiſſet.*

42. Σιτομέτριον] *Demenſum.*

50. Πῶς συνέχομαι] *Quantis in angustiis verſor*; i. in quanta anxietate.

55. Καύσων] *Æſtus.*

56. Δοκιμάζειν] *Explorare.*

58. Δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι] *Da operam ut libereris.*

DRUSIUS.

3. IN *teſtis*] *Supra tecta.* על גגות. Nam è teſtis, quæ plana erant, alloquebantur populum. Hujuſmodi tecta Græci δώματα vocant, Latini autem *ſolaria & mœniana*: de quibus alias. Vide quæ ſcripſimus c. 5. 19. ubi ἐπὶ δῶμα vir doctus interpretatur *in ſolarium.*

6. *Dipondio*] In Græcis eſt *duobus aſſariis*: eodem recidit; Nam *dipondium* ſive *dupondium* duos aſſes pendebat, ut Varro ſcribit. Lex. vetus, Διπλάσιον, *hic as*: διπλασίων ἡμῶν, *ſeſquas.* Syrus habet *duobus aſſorim.* Apud Magiſtros nummus eſt parvus qui סאס vocatur, cujus & Aruch meminit, & David qui à *pondo* cognominatur. In lib. Mandatorum, *Obolus continet duos Aſſarios, & Aſſarius octo Minuta*, i. λεπτὰ, quorum duo Quadrantem efficiunt, ut diximus. *Obolum* voco quem Hebræi מעה appellant. In eodem l. 122. 1. *Siclus habet quatuor Denarios; Denarius, ſex Obolos; Obolus juxta traditionem ponderat ſedecim hordea.* Et, *Extraditione Sapientum, qui Gaones vocantur, omnis obolus ponderat ſedecim hordea mediocria.* Rurſum 124. 1. *Pondus dimidii hordei eſt in Minuto uno*: & 296. 1. פרוטין *duo Iſſorim, quod* ſcribunt איסרין, *h. e. duo Aſſarii Italici, & Aſſarius* ופרוטה, *duo Minuta.* Hujus Aſſarii Italici mentio in eodem lib. 231. 4. & in Aruch quoque, & in Juchaſin, 55. 1. Vide, ſi habes & ſi vis.

16. *Ager*, ἡ χώρα] Quod alius dixit interpretans *in regione.* Nam χώρα *regio.* Sed hic potius *agrum* ſignificat. Ut hoc intelligas, ſciendum, duo hæc, *ager & regio*, i. χώρα, ſe invicem explicare. Nam & *ager* pro *regione* ponitur; ut cum legimus, *in agro Moab, in agrum Edom.* Quod poſtremum Græci LXX interpretantur εἰς χώραν Ἐδώμ, Gen. 32. 3. *in regionem Edom.* Contra *regio*, i. χώρα, pro *agro* uſurpatur, ut Gen. 24. 6. בשדה. A. ἐν χώρᾳ. Sym. ἐν ἀγρῷ & Exod. 23. 11. ושדה תשדה, A. τὰ ζῶα τῆς χώρας, i. *agri*, aut *agreſtia.* Syrus habet ארעה *terra ejus.* Sirach. 43. 3. ἀναξηραίνει χώραν, vet. interp. & Camerarius, *exſiccat terram*; alii, *agros.*

19. *Epulare*] Malim *lætare.* Nam præcedit, *comede, bibe.* Id qui facit *epulari* dicitur. Interdum *bibere* dicunt pro *epulari*, ut Gen. 43. 34. Amos 4. 1. Eſth. 3. 15. & 7. 1. interdum *comedere*: unde illud, *Qui comedit, etiam vivit*: & *Sub comedendi verbo continetur etiam verbum Bibendi.* In cod. Græcis, εὐφραίνου, quod Eraſmus interpretatur *gaude*, i. χαῖρε. Id Latini etiam dicunt *Ave*, quod ſcribendum potius *Have*: nam eſt חי in Hebræo, quod *vivere* ſignificat. *Vivere* autem eum dicimus qui eſt in ſumma lætitia. Nonius, *Vitulantes veteres Gaudentes dixerunt, ſicuti qui nunc eſt in ſumma lætitia Vivere eum dicimus.* Catullus, *Vivamus mea Lesbia.* Martialis, *Poſthume, vive hodie.* Quo pertinet & illud, *Amici, dum vivimus, vivamus.* Ita quoque ζῆν apud Græcos. Agathias, πᾶς γέγων, ζῇ. Hic *vivere* eſt vitulari, lubentiis diffluere, obiectari, hilarem eſſe. Quomodo ſumitur in epigram. Græc. l. 1.

Ἐξ ὥραι μόχθοις ἐκνεύεσθαι· αἱ δ' μετ' αὐτὰς
Γεύσασθαι δοκίμων ζῶθι λέγουσι βροτοῖς.

Innuit horas ſeptimam, octavam, nonam & decimam. Hoc epigramma quidam ita in Latinum convertit,

Sex hora tantùm rebus tribuantur agendis:
Vivere poſt illas littera Zethi monet.

ζ VII. η VIII. θ IX. ι X. A *vitulor*, quod *vivere* ſignificat, Dea Hilaritatis præſes *Vitula* vocatur. Ennius apud Feſtum, *Habet is coronam vitulans victoriâ.* Plautus, *Virtute dixit eos victores vivere*, h. e. oblectari, ἐυφραίνεσθαι. Quod vir doctus hic elegit referens, *comede*, *bibe*, *oblectare.* Infra 15. 23. ἐυφρανθῶμεν, *epulemur*: & mox, ἤρξαντο ἐυφραίνεσθαι, *coperunt epulari*, i. epulati ſunt. Sermo ſæpe à me notatus. Lex. vetus, Ἐυφραίνω, *lætifico*, *epulor.* Ἐυφρασία, *epulatio.* Signa lætitiæ ſunt epulæ & convivia: Unde ἐυφραίνεσθαι, quod interp. noſter reddit *epulari*, & eo ſignificatu accipi in N. F. obſervat clariſſ. Caſaubonus, amicus noſter, dum vixit, ſummus. Huc refer quod Prov. 21. 17. *Vir indigus qui amat lætitiam.* Nam frequenter epulando ad paupertatem devenitur. Quocirca dies quibus convivia inter ſe agitant amici, vocantur *dies lætitiæ* שמחים i. læti & hilares. Unde intelligentiam habet, *Fecit diem bonum ac lætum fratribus ſuis ſacerdotibus*, i. Lauto convivio eos excepit. Sic vocantur etiam dies nuptiarum. Cùm Oxoniæ ſtuderem, memini lautiores epulas ab Anglis *gaudia* vocatas fuiſſe. *Epulare* igitur, i. *genio indulge*, vel, ſi mavis, *genialiter vive.* Sic, *qui amat lætitiam*, qui genialiter vivit.

21. *In Deum dives*] Hebrice לאל, quod poteſt verti, *Deo dives.* Syrus tamen *in Deo*, באלהא. Sed *Deo dives* magis ſe probat mihi quàm *in Deo*, aut *erga Deum.* Simile, *Civitas magna Deo.*

24. *Conſiderate corvos*] Job. 38. 41. *Quis dat corvo eſcam, cùm nati ejus ad Deum clamant, errant abſque cibo?* q. d. Nemo alius quam Deus, *qui dat jumento panem ſuum, filiis corvi cùm clamant*, Pſal. 147. 9. Albertus M. in Hiſt. animalium narrat pullos corvorum deſeri à parentibus immani *ἀποφυΐᾳ.* In tanta omnium rerum inopia vermiculos quoſdam ait ex ſtercoribus enatos ſuâ ſponte ſe ingerere in roſtra hiantia pullorum, & hoc modo mirabiliter eos ali. Conſimilia his ſcribit Chryſoſtomus, inquiens, *Corvi oderunt pullos ſuos ingenitâ crudelitate, vel quod albi ſint; ſed Deus eos enutrit dum boando & crocitando animalcula ex aëre venantur in cibum.* R. D. autor, pullos corvorum candidos eſſe, ac proinde non agnoſci à matribus; item Deum paſcere illos muſcis. Vide ſcholia ejus ad Pſalmum citatum. Fabula inſignis de corvis habetur in Thanchuma, 87. 1. Deus parat muſcas ex ſtercore corvino, quas pulli edunt. Nam a patribus negliguntur, qui fœminas ſuſpectas habent adulterii. Vide & Juchaſin, 82. 1. Corvi albi hodie reperiuntur in India loco qui vocatur *Trilinages.* Doctores autem dicunt duo genera talium eſſe. Juchaſin, fol. 82. Corvi vallium: ibid.

37. *Tranſiens miniſtrabit eis*] i. Veniens. Pſal. 48. 5. עבר, LXX. ἦλθοσαν. Hiero. *venerunt.* Sym. ἦλθον. עבר non ſolum *venio* ſignificat, i. בא, ſed etiam *eo*, i. הלך. Amos 5. 5. *Berſabæam ne tranſeatis*, i. eatis. Sic Jer. 2. 10. Amos 6. 2. Gen. 33. 3. & 37. 28. Supra 2. 15. Διέλθωμεν ἕως Βηθλεὲμ, *Eamus Bethlehem uſque.* Recentior interpres, *accedens miniſtrabit eis.*

58. *Cum adverſario tuo*] Ἀντιδίκῳ proprie *adverſarius in lite*, *pars adverſa litigans tecum*, qui Hebræis ריב איש *vir litis tuæ*, ut Jeſ. 41. 11. *Vir litis tuæ*, οἱ ἀντιδικοί σε· aut כריבך *contendens tecum*, ut 1 Sam. 2. 10. כריבו οἱ ἀντίδικοι αὐτῦ, *contendentes*, aut *litigantes*, *cum eo.* Interdum quemvis hoſtem ita vocant, ut 1 Pet. 5. 8.

59. *Minutum*, λεπτὸν] i. פרוטה. Alibi eſt, *ultimum quadrantem.* Quadrans habet duo minuta, & האיפר octo minuta, ut diximus. Minutum autem pondus dimidii hordei, quod & κέρμα, à κείρειν *in minutas partes concidere.* Sane κέρματα ſunt *minutia æris*, & Grammatici κέρμα definiunt λεπτότατόν τι *minutiſſimum quid.*

SCALIGER.

49. Τί θέλω] *Quid meâ?*

CASAUBONUS.

1. Ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων] Mihi videtur Vallæ quoque interpretatio admodum eſſe diluta, *permulta turba.* Quid enim aliud dicas ſi ſolùm ducenti aut trecenti adeſſent? Malim, *Cùm coacta eſſet multorum millium turba*, vel, *Cùm convenisſent hominum multa millia.*

5. Ναὶ λέγω ὑμῖν, τοῦτον φοβήθητε] Legendum, Ναὶ, λέγω ὑμῖν, τοῦτον φοβήθητε. Nam illa λέγω ὑμῖν ſunt δεῖξαι μέσα interjecta, ut infrà 13. 24. & alibi quoque. Tertullianus τὸ Ναὶ vertit *itaque.* Τὸ *etiam* quid hic ſignificet neſcio.

33. Πεποιήκατε ἑαυτοῖς βαλλάντια μὴ παλαιούμενα] Præclarè ille apud Marcum Tullium, in Tuſc. *Nihil*, inquit, *inveterascere, nihil exſtingui, nihil cadere debet eorum in quibus vita beata conſistit.*

44. Ἀληθῶς λέγω ὑμῖν] Lucas dixit Græcè quod ſolent Euangeliſtæ dicere Ἀμὴν Hebraïcâ voce.

47. Ἐκεῖνος ὁ δοῦλος ὁ γνοὺς τὸ θέλημα] Qui ſcit voluntatem Domini nec facit ſimilis eſt τῷ ἀγνοοῦντι, qui nec ſcit nec facit ſimilis eſt τῷ ἀκολάστῳ. Docet autem Ariſtoteles τὸν ἀκρατῆ longè eſſe deteriorem: quæ diſputatio iſti admodum affinis eſt & ſimilis. ¶ Δαρήσεται πολλάς] Subaudi πληγάς. Ariſtophanes Νεφέλαις,

Ἐπιτρίβεῦ τυπτόμενος πολλάς.

58. Δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ] Purus putus Λαλιστικὸς, *da operam*, δὸς ἐργασίαν· cujuſmodi eſt infrà 14. 18, 19. ἔχε με παρητημένον *habe me excuſatum*, & alia apud Lucam. Theophylactus cùm rectè dixiſſet, Τὸ γὰρ, Δὸς ἐργασίαν, τοῦτο δηλοῖ, τὸ πάντα τρόπον ἐκτινάξασθαι, ὡς ἂν ἀπαλλαγῇς ἀπ' αὐτοῦ, ea ſubjicit unde intelligere eſt parùm intellexiſſe eum hoc loquendi genus.

LUD. CAPPELLUS.

19. Ψυχὴ, ἔχεις πολλὰ ἀγαθὰ, &c.] Horatius l. 1. Serm. Sat. 1. inducit homines ejuſmodi ſic loquentes,

Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautæque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sefe ferre, ſenes ut in otia tuta recedam,
Aiunt, cùm ſibi ſint congeſta cibaria.

Poſtremum iſtud, *cùm ſibi ſint congeſta cibaria*, reſpondet illi, ἔχεις πολλὰ ἀγαθὰ κείμενα εἰς ἔτη πολλά· illud vero, *ſenes ut in otia tuta recedam*, reſpondet illi verbo ἀναπαύου.

GROTIUS.

1. Τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, *multis turbis*] Ita Hebræi dicunt רבבות [*myriades*], Helleniſtæ μυριάδας [*myriades*] ſine alio additamento, ad ſignificandam innumeram multitudinem Deuter. xxxiii, 2. Pſalm. iii, 6. Dan. xi, 12. Multùm ad rem pertinet à tot hominibus viſum auditumque Jeſum: οὐ γὰρ ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτο [*neque enim in angulo quicquam horum geſtum eſt*], inquit Paulus Actor. xxvi, 26. ¶ Πρῶτον προσέχετε ἑαυτοῖς ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων, *attendite primum à fermento Phariſæorum*] Παράδοξον [*paradoxum*] magnum. Nam Phariſæos imprimis populus admirabatur ut apud Joſephum videre eſt. Sicut autem alibi ſuos à commentis Phariſæorum ut ſibi caveant monet, ita hîc ne perſonatos illorum mores imitari velint. Utrumque rectè fermentum dicitur, & ſinceræ doctrinæ incruſtatio, ut Gal. v, 9. & mores exemplo noxii 1 Corinth. v, 6. Vide quæ ad Matthæum xvi. Sed maximè ad fermenti naturam accedebat Phariſaica illa arrogantia, cui ſimulatio inſerviebat. Etiam Philo non uno loco fermentum in Lege interpretatur τὰς τῆ ψυχῆς αἰρεσιάς ἢ κάνυς ἐπαίρεσι ἢ τὸ ὑπ' αἰλαζονείας φύσημα [*levem & ſpongioſam animæ inſolentiam & oſtentatoriam inflationem*]. Etiam hæc Lucas addidit quod materia cum ſuperiore ſermone cohæreret, non quod temporum ſeries id exigeret.

2. Οὐδὲν

2. Οὐδὲν δὲ συγκεκαλυμμένον ἐστὶν, *nihil autem opertum eſt*] Et hoc quod ſequitur dictum proverbiale eſt, ſæpe Chriſto, nec ſemper eodem ſenſu, uſurpatum, ut in adagio fieri ſolet. Dixerat Chriſtus cavendam ſimulationem: rationem addit, Quia non contingat latere volentibus ut ſemper lateant. Prodit illos dies humana ſæpe, ſi non, utique Divina.

3. Ἀνθ' ὧν, *Quoniam*] Loquendi genus Helleniſtis admodum familiare, plerumque uſurpatur in reddenda cauſa ut diximus ſuprà 1, 20. At hìc illis accedo qui illativum putant, quale & illud Eph. v, 31. ἀντὶ τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα [*Propter hoc relinquet homo Patrem*], id eſt, ἕνεκεν τούτου [*hujus rei gratia*] ut habent LXX. יַעַן (*idcirco*). ¶ ὅσα ἐν τῇ σκοτίᾳ εἴπατε, ἐν τῷ φωτὶ ἀκουσθήσεται· *quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur*] Perſona ſecunda ſumenda ἀοριστως [*indefinite*] ut ſæpe monuimus. Videtur apud Græcos ſimilis γνώμη [*ſententia*] in uſu fuiſſe. Nam in libello qui Muſæi dicitur legimus,

——— ἐν δὲ σιωπῇ
Ἔργον ὅπερ τελέουσι, ἵνα τερπέθωσιν ἀκοαί.
[——— *tenebris*
Ut quæ tecta putes, ſpargas per compita rumor.

4. Λέγω δὲ ὑμῖν, *dico autem vobis*] Multa diverſi temporis dicta in unum congeſſit Lucas: quorum cohærentiam texere nihil neceſſe eſt. Sunt enim velut ἀφορισμοὶ [*ſententiæ breviſſimæ*]. ¶ τοῖς φίλοις μου, *amicis meis*] Johann xv, 15. ὑμᾶς δὲ εἴρηκα φίλους, ὅτι πάντα ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός μου ἐγνώρισα ὑμῖν [*vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*]. ¶ καὶ μετὰ ταῦτα μὴ ἐχόντων περισσότερόν τι ποιῆσαι. *& poſt hæc non habent amplius quid faciant*] Hæc Chriſti ſententia directè opponitur illi Ariſtotelicæ: φοβερώτατον ὁ θάνατος· πέρας γὰρ, καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ εἶναι οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακόν εἶναι [*Omnium rerum nihil horribilius eſt morte: nam omnium rerum extremum eſt; nihilque reliquum eſſe mortuo videtur, neque bonum, neque malum*]. Locus exſtat III ad Nicom. c. IX.

5. μετὰ τὸ ἀποκτεῖναι, *poſtquam occideris*] Non vita tantùm altera ſed & hæc in Dei eſt poteſtate, qui etiam citra hominum miniſterium adimere eam poteſt quum lubet. ¶ ἐξουσίαν ἔχοντα. *poteſtatem habet*] Δυνάμενον [*potis eſt*] inquit Matthæus: ſed nimirum jus & vis efficiendi hìc occurrunt.

6. οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον, *non eſt in oblivione*] לֹא נִשְׁכָּח, id eſt, *non eſt extra curam.* Ita Pſalm. IX, 18. Græcè eſt οὐκ εἰς τέλος ἐπιλησθήσεται ὁ πτωχός [*non in finem oblivio erit pauperis*]. Quomodo autem multa animantia ſub cura ſunt Dei, tractatum eſt ad Matthæum.

8. ἔμπροσθεν τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ. *coram Angelis Dei*] Matthæus ἐμπροσθεν τοῦ πατρός [*coram Patre*], ſed & Angelorum mentio in ſimili ſententia apud Marcum VIII, 38.

11. ὅταν δὲ προσφέρωσιν, *cum autem inducent*] Impersonaliter ſumendum, quaſi dicat *cum ſiſtemini.* Nam quod in Actibus aliquoties dicitur ἱσταθαι [*ſiſti*], Matthæo παραδίδοσθαι [*tradi*] & ἄγεσθαι [*duci*], hic dicitur προσφέρεσθαι [*induci*]. ¶ συναγωγὰς, *ſynagogas*] Hoc ad conventus Judæorum pertinet. Vide quæ ad Matthæum. ¶ ἀρχὰς, *Magiſtratus*] Id eſt, ἡγεμόνας [*Præſides*]. ¶ τὰς ἐξουσίας, *poteſtates*] ὑπερεχούσας [*ſupereminentes*] ſcilicet ut Paulus loquitur, βασιλεῖς [*Reges*] apud Matthæum. ¶ πῶς ἢ τί ἀπολογήσησθε, *qualiter aut quid reſpondeatis*] Quid dicturi ſitis pro vobis ipſis ne nocentes putemini, & qua cautione prolaturi, ne ipſa defenſio obſit. ¶ ἢ τί εἴπητε. *aut quid dicatis*] Quomodo propugnaturi ſitis doctrinam quam profitemini.

13. διδάσκαλε, *Magiſter*] Credibile eſt Judæos ſolitos ad fugienda litium ſufflamina Arbitros ſumere eos quorum ſapientia & æquitas erat perſpecta, ac præſertim diſcipulos libenter ſtetiſſe arbitrio Magiſtrorum. ¶ μερίσασθαι μετ' ἐμοῦ τὴν κληρονομίαν. *ut dividat mecum hereditatem*] Ne plus juſta parte detineat, & ut diviſionem admittat æquis conditionibus.

14. τίς με κατέστησε δικαστὴν; *quis me conſtituit judicem?*] Reſpicitur Moſis hiſtoria: nam is cum rixantibus Hebræis medium ſe interponeret & ad fraternum amorem eos revocaret, audivit τίς σε κατέστησεν ἄρχοντα καὶ δικαστὴν ἐφ' ἡμῶν; [*quis te conſtituit Principem & Judicem ſuper nos*]? Ita enim Græca verſio habet verbis iiſdem quæ hìc ſunt poſita Exod. II, 14. Tantundem ergo hoc valet quaſi dicat Chriſtus, *Non committam ut ulla ſpecie objicere mihi poſſitis, ingrati homines, quod Moſi olim objeciſtis. Contentus dare præcepta generalia, quæ ad res quaevis accommodari à volentibus facillimè poſſint, ſingulorum negotiis me non immiſcebo.* ¶ ἢ μεριστὴν; *aut diviſorem*]? Non tantùm negat ſe Judicem eſſe, ſed nec Arbiter eſſe cupit. *Arbitrum* Græci διαιτητὴν vocant: ſed μεριστὴς [*diviſor*] rectè dicitur *qui familiæ herciſcundæ, aut communi dividundo, aut finibus regundis Arbiter ſumitur.* Et quidem Jeſum nullo jure obligatum fuiſſe, ut onus tale ſuſciperet, ſatis eſt manifeſtum. Neque enim aut à Deo, aut ab hominibus erat in id conſtitutus. Cur ſponte non receperit hìc non dicit, ſed intellectu facile eſt. Nam præter id, quod jam diximus de vitanda calumnia, exiguum illi teſtabat vitæ tempus, quod ſanè impendendum erat rebus melioribus, & toti humano generi profuturis. Qui vocatis Diſcipulis permiſit ſepelire patrem, aut domeſticis valedicere, quomodo ipſe expendendis privatorum controverſiis inſumſiſſet docendi tempora? Quod multis occaſionem dedit quærendi, rectène fecerint Chriſtianorum Epiſcopi quod onus à Chriſto recuſatum in ſe ſuſceperint: quod ſe feciſſe magna cum moleſtia, ſed tanquam præceptis Pauli Apoſtoli obtemperantem memorat Auguſtinus, & de ipſo teſtatur Poſidonius. Atque ante eum eodem ſe labore functum narrat Ambroſius. Idemque de Gregorio Neocæſarienſi proditum invenire eſt. Ad rem bene dijudicandam refert intelligere rei originem. Judæi per Babylonicum imperium diſperſi, cum probroſum nomini ſuo exiſtimarent, ortas inter ſe controverſias ad Judices profanos & à religione unius Dei extraneos deferre, inſtituerunt ſuorum Seniorum arbitriis quaſi rebus judicatis ſtare. Quod ſi quis contra feciſſet, is indignus Judæorum conſortio judicabatur. *Qui adducit negotia Iſraëlitica ad extraneos polluit nomen Dei*, inquiunt Hebræorum Magiſtri. Idem poſteris temporibus obſervarunt qui extra Judæam (nam in Judæa ſuos habebant publicos Judices ſuæ religionis) ſub imperio Romano vitam egerunt, duravitque is mos ad uſque Chriſtiana tempora. Apparet id ex Lege Arcadii & Honorii quæ ſic habet: *Si qui vero ex his* (Judæis) *communi pactione ad ſimilitudinem Arbitrorum apud Judæos in civili dumtaxat negotio, putaverint litigandum, ſortiti eorum judicium jure publico ne vetentur. Eorum enim ſententias Judices exſequantur tanquam ex ſententia cogniti Arbitri dati fuerunt.* Et ex altera Honorii & Theodoſii, *Si qua inter Chriſtianos & Judæos ſit contentio, non à Senioribus Judæorum, ſed ab ordinariis Judicibus dirimantur.* Unde diſcimus ſolitas tractari id genus controverſias coram Presbyteris Synagogæ; Præſidentibus nimirum Archiſynagogis, qui cæteris præibant peritiâ Legis. Hunc morem Hebræorum, ut minimè improbandum ſequens Apoſtolus Paulus, cùm reprehendiſſet Corinthios Chriſtianos quod apud profana tribunalia litigarent, ſapientiſſimos certòs totius vult conſtitui componendis id genus controverſiis. Sapientiſſimi autem erant haud dubiè qui *Presbyteri* dicebantur. nam an manentem ſecum Epiſcopum eo tempore habuerit Corinthi Eccleſia veteres non immeritò dubitant. Penes Presbyterium igitur fuit hæc notio, non minus quàm morum cenſura, & ſi ibi componi controverſia non poſſet, ſupererat totius fraternæ multitudinis auctoritas ad permovendum eum qui eſſet pertinacior. Dicitur tamen eadem *Epiſcopi audientia*, quod Epiſcopus præſideret. Hunc morem Conſtantinus & ſecuti Imperatores lege firmarunt, unde illud eſt ex Arcadii & Honorii conſtitutione, *Si quis ex conſenſu*, inquiunt, *apud ſacra Legis Antiſtitem litigare voluerint, non vetabuntur, ſed experientur illius, in civili dumtaxat negotio, vice Arbitri ſponte reſidentis judicium.* Quantum oneris ſequentia tempora Epiſcopis adjecerint ſupervacuum eſt commemorare, cum illud ipſum antiquum & penè neceſſarium, optimo cuique Epiſcoporum grave viſum fuerit. Nemo autem non videt, neutiquam tantam eſſe hujus conſuetudinis rationem, ubi Chriſtiani imperium & judicia publica obtinent, ac fuit cum religionis extranei tribunalia obtinerent. Neque tamen negandum eſt in Chriſtianorum imperiis dilectione plerunque rectiùs conſuli per amicas diſceptationes, quàm per litium moras, odii nutrices. Adde quod & minùs ſæpe damni eſt de ſuo cedere in tempore, quam litem pertinaciter proſequi, quantumvis certa victoriæ ſpe. At ſi quis ſimul expendat quantum ſit negotii ſermonem Divinum rectè diſpenſare, quod ut rectè facere poſſent ipſi Apoſtoli, tanto inſtructi Spiritu, curam pauperum aliis delegarere, facilè intelliget quoſvis alios potiùs adhibendos componendis privatorum controverſiis, quàm eos quos docendi munus occupat. Eſt quidem horum quoque, imo horum præcipuè diſcordias præcidere: ſed ſi id brevi admonitione fieri poſſit, quomodo Oneſimum Philemoni reconciliat Paulus, non ſi cauſæ ambages diſcutiendæ, & magno temporis diſpendio conſtabit res paucorum.

15. ἀπὸ τῆς πλεονεξίας· *ab avaritia*] Πλεονεξίαν [*avaritiam*] hìc, ut & alibi, apparet dici non τὴν ἀδικίαν [*injuſtitiam*],

ut

ut quibusdam placet, sed ipsum illud habendi studium, cujus species est φιλαργυρία [*cupiditas pecunia*]. Nam sicut occasiones tutandæ familiæ negligi non vult Christus, ita hoc impensè agi ut habeamus quàm plurimùm, etiamsi absit injuria, planè improbat. Præbuisse materiam huic sermoni videtur ille de quo actum est paulò ante, qui cum à Christo petere debuisset vitæ æternæ præcepta, maluit auxilium ejus invocare ad ea obtinenda quæ ipsi forte debebantur: at interim ne ad caducam quidem hanc vitam erant ipsi necessaria. quod certum erat indicium plus æquo talia curantis animi. ¶ ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτῷ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ. *quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet*] Hæc non videntur recedere vetusti est receptior lectio, à qua mihi non videntur recedere vetusti Interpretes. περισσεύειν [*abundantia*] omnino hic sumitur ἀμετεβάτως [*neutraliter*] ut apud Græcos sæpe. ita Marcus XII, 44. ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς [*ex eo quod abundabat illis*]. Noster suprà cap. IX, 17. τὸ περισσεῦσαν αὐτοῖς [*quod superfuit illis*], & XXI, 4. ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς [*ex abundanti sibi*]. Infinitivus autem more Græco ponitur vice nominis aut participii. Et ἐκ τῶν ὑπαρχόντων [*ex his quæ possidet*] tunc construitur cum isto περισσεύειν [*abundantia*] trajiciendi more familiari. Sensus est admodum popularis, Lucæ perquam familiari. *Vitam non juvari ex eo quod quis plus in bonis habeat, quàm satis sit ad naturæ desideria*: quem sensum ita exprimit Horatius:

Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hinc capiet venter plus, quam modo, nisi
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quàm
Qui nil portarit. vel dic, quid referat intra
Naturæ fines viventi, jugera centum, an
Mille aret. At suave est ex magno tollere acervo.
Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut, tibi si sit opus liquidi non amplius urna,
Vel cyatho: & dicas, magno de flumine mallem,
Quàm ex hoc fonticulo tantundem sumere.

Aristoteles Nicom. X, 9. ἡ γὰρ ἐν τῇ ὑπερβολῇ τὸ ἀνταρκες οὐδ' ἡ κρίσις οὐδ' ἡ πρᾶξις [*quippe non est in excessu positum id quod satis est, ut nec judicium, nec actio*].

16. διέφερεν ἡ χώρα· *uberes fructus ager attulit*] Recte notat vir doctissimus idem esse Hellenistis ἀγρὸν [*agrum*] & χώραν [*fundum*]: liquet id collatis Matthæi & Lucæ locis. Nam ubi ille dixit ἐν τῷ ἀγρῷ [*in agro*], XXIV, 18. hic dicit οἱ ἐν ταῖς χώραις [*& qui in regionibus sunt*], XXI, 21. Ita & Johannes IV, 35. θεάσασθε τὰς χώρας [*videte regiones*], & Jac. V, 4. τῶν ἀμησάντων τὰς χώρας ὑμῶν [*qui messuerunt regiones vestras*]. Hinc & χωρεπισκόπων, [*Vicariorum Episcopi*] nomen.

17. Τί ποιήσω; *quid faciam?*] Ecce ut

Crescentem sequitur cura pecuniam.

¶ ποῦ συνάξω τοὺς καρπούς μου; *quo congregem fructus meos?*] quasi nusquam essent quibus pascendis possent impendi.

18. καθελῶ μου τοὺς ἀποθήκας & μείζονας οἰκοδομήσω· *destruam horrea mea & majora faciam*]

Dirnit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Ipsa proventuum ubertas majores secum impensas trahit. Non horreis tantùm majoribus, sed & famulis pluribus opus est qui ista servent. Basilius in sermone περὶ πλεονεξίας [*de avaritia*], cum multa singulari facundia dicat in hoc vitium, tum illud eximiè ad hunc locum respiciens, Καθελῶ μου τὰς ἀποθήκας & μείζονας οἰκοδομήσω· ἐὰν γὰρ & ταύτας ἐμπλήσεις, τί τότε ἔσῃ διανοηθήσῃ; ἆρα πάλιν καθαιρήσεις, & πάλιν οἰκοδομήσεις; & τί τούτων ἀνοητότερον, ἀπέργαλα μοχθεῖν, οἰκοδομεῖν μετὰ σπουδῆς καὶ μετὰ σπουδῆς καθαιρεῖν; [*Dirnam horrea mea & majora construam. Ea vero si impleveris, quid fiet? rursumne demolieris & ædificabis rursum? Quid est ergo hoc infinito labore studioque modò ædificandi mox destruendi dementius*]? Adeò illud Solonis verum,

πολύτε δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.
[*Meta fluere opibus non est mortalibus ulla*].

¶ τὰ γεννήματά μου, *qua nata sunt mihi*] Γέννημα est καρπὸς [*fructus*] inquit Phrynicus. Solent ita Lxx vertere Hebræum תבואה ut Exodi XXIII, 10, & alibi. Verùs dixisset τὰ γενήματα τῆς γῆς [*fructus terræ*], communis hominum nutricis. ¶ καὶ τὰ ἀγαθά μου, & *bona mea*] Non sine causâ hoc additum. Nam id hominum genus divitias *bona* appellat, non tantùm populari loquendi modo, sed quòd nihil melius istis existimat. Vetus est controversia inter Stoicos & Peripateticos, an omnino res istæ *bonorum* nomine sint nuncupandæ. Cicero Stoicos in paradoxis sequens ait *se requirere Majorum prudentiam, qui ista imbecilla & commutabilia pecunia membra* bona *appellàssent:* à qua sententia non abeunt veteres Christiani. Nam quanquam & Sacris literis res istæ *bona* interdum appellantur, id tamen censent fieri non propriè, ut sensisse videntur Peripatetici, sed propter similitudinem quandam cum veris bonis. Quare sicut aliis in partibus à Stoicis longè abeunt, ita hic eorum orationem probant. Tatianus in Aristotele reprehendit ὅτι τὴν εὐδαιμονίαν ἐν οἷς ἡδέσκετο περιέγραψε λίαν ἀπαιδεύτως [*quod felicitatem iis quibus delectabatur circumscripsit inerudissimè*]. Idem videre est apud Clementem Alexandrinum non uno loco: ut Strom. II. τίνα δὲ τὰ φοβερὰ ὁ νόμος καταγγέλλει, θεασώμεθα· εἰ μὲν τὰ μεταξὺ ἀρετῆς & κακίας, οἷον πενίαν, & νόσον, & ἀδοξίαν, & δυσγένειαν & ὅσα ἁπλῶς ἀφανῆ, ταῦτα μὲν & οἱ καλοὶ πάλιν νόμοι φοβερίσαντες ἐπαινοῦσιν, καὶ τοῖς ἐκ φαύλης τέλος γίνη τῶν ἀγαθῶν εἰσηγημένοις καὶ τὰ τούτων ἐναντία λογιζομένοις εἶναι κακὰ ἀρμόδιος ἂν ἡ δόξα· ἡμῖν δὲ ὁ θεῖος νόμος τὰ τῷ ὄντι κακὰ δοκοφύλαξ φοβερίζει, μοιχείαν, ἀσέλγειαν, παιδεραστίαν, ἀγνοιαν, ἀδικίαν, νόσον ψυχῆς, (ita distingui locus hic debet malè conceptus in editis libris) θάνατον, ἡ † διαλύουσα ψυχὴν ἀπὸ σώματος, ἀλλὰ † διαλύουσα ψυχὴν ἀπὸ ἀληθείας. [*Videamus porrò qua sint ea quæ Lex metuenda esse dicit. Nam si ea quæ inter virtutem ac vitium intermedia sunt, metui vult, paupertatem putà, morbum, ignominiam, obscuritatem generis, & quæcunque his similia sunt: laudantur omnium pene civitatum leges quum hæc pro malis habeant: deinde hæc opinio cum Peripateticorum sententiâ coincidit, qui tria genera bonorum statuunt, quæque his contraria sunt mala existimant. Quæ verò nobis data est Lex, ea effugere jubet quæ verè sunt mala, adulteria, lasciviam, masculam venerem, ignorantiam, injustitiam, animi morbum omnem, mortem, non quæ à corpore, sed quæ à veritate animam separet*]. Alibi dicit ὅτι τριττὰ εἶναι ἀγαθὰ οἱ ἀφανεστικοὶ θέλουσι [*trium generum esse bona Peripatetici volunt*]. Ipse Sacrarum literarum ductum sequens *bona* vocat, non simpliciter, sed cum additamento, *bona terræ*. Ita enim ait Pædag. III. ἂν γὰρ εἰσακούσητέ μου, τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς φάγεσθε, ὁ παιδαγωγὸς πάλιν λέγει· γῆς ἀγαθὰ, τὰ ἀνθρώπεια ὀνομάζων καλὰ, τὸ κάλλος, & πλοῦτον, τιμὴν ὑγιείαν, τιμὴν ἰσχύν, τιμὴν τροφήν· ἀγαθὰ μὲν γὰρ ὄντως, ἃ ἄτε ὑὸς ἤκουεν, ἅτε ἐπὶ παχεῖαν αἰσθῆσιν ποτὲ, ἀεὶ & ὕλους ὕλαν Βασιλέα, τὰ ὕλους ὕλα, ἀγαθὰ ὕλα, & ἀναμφίβολα ἡμῖν. [*Quod si me audieritis, vescemini* bonis *terræ, ait rursum Pædagogus:* terræ bona *ea vocat quæ in hac vitâ præclara existimantur, formam, opes, bonam valetudinem, vires corporis, vultum. Verè enim bona sunt ea quæ neque auris audivit unquam, quæque nemini unquam in mentem venere: quæ circa verum illum Regem sunt: quæ & verè sunt, & sunt bona, & nos manent.* Origenes adversùs Celsum libro quarto ait: τὴν κακίαν εἶναι τὸ κακὸν, καὶ τὰς κατ' αὐτὴν πράξεις, καὶ ἄλλο οὐδὲν ὡς πρὸς ἀκρίβειαν λέγων [*vitium actionesque quæ exinde resultant esse malum, & præterea nihil, accuratè loquendo*]. Libro autem sextò paupertatem, morbos & id genus alia ait, καταχρηστικῶς ὀνομάζεσθαι κακὰ [*per tropum duriorem vocari mala*]. Idem eruditè & subtiliter de boni malique nominibus disputat ad Psalm. IV, post longam Peripateticorum refutationem ita scribens: ἀλλ' ἐπείπερ ἐστὶν ἐν τῷ φεύγειν ὅτε μᾶλλον κυριολεκτεῖν, ὅτε δέ που καταχρῆσθαι, ἴσως θαυμαστὸν εἴποτε εὑρήσομεν τὴν τῶν ἀγαθῶν & κακῶν μεταγωγείαν καμπὴν ἐπὶ τῶν σωματικῶν. [*Verùm cùm quandoque proprie loquamur, quandoque verbis etiam nonnunquam duriusculè abuti soleamus: non mirum, si quando bonorum & malorum appellationem ad corporea accommodari videamus*]. Sæpe ψευδώνυμα ἀγαθὰ, [*falsò dicta bona*] hæc bona vocant Græci Scriptores. Salvianus *ea quæ falsò dicuntur bona.* His opposita vocat κακὰ τὰ παρὰ πολλῶν νομιζόμενα [*quæ multis mala putant*] Theodoretus. Chrysostomus in caput V. ad Ephesios, τί γάρ ἡ νόσος; τί γὰρ ἡ πάρεσις; οὐδέν ἐστι ταῦτα, ἄνθρωπε· ἓν μόνον ἐστὶ κακὸν, τὸ ἁμαρτάνειν, [*quid autem morbus est? quid excæcatio? nihil hæc sunt, o homo; unum tantùm est* malum, *peccatum scilicet*].

19. ἐρῶ

19. ἐρῶ τῇ ψυχῇ μου, *dicam animæ meæ*] *Tunc*, inquit, *fruar partis, cum horrea auxero:* at id facere jam licebat. Vetus est dictum,

Cras ferum est vivere, vive hodiè.

Pyrrhum, cum Siciliam, Africam atque alia spe suâ devoraret, interrogavit Cyneas quid si ea processissent facturus esset: *postea vivemus*, inquit: *At hoc jam licet* respondit Cyneas. ¶ εἰς ἔτη πολλά. *in annos plurimos*] At nemo tam felix,

Crastinum ut possit sibi polliceri.

Vide Jac. IV, 14. ¶ ἀναπαύου. *requiesce*] Sentit ex ipso sollicitudinum cruciatu quàm dulcis sit quies quam præstare sibi non potest. ¶ εὐφραίνου. *epulare*] Hæc vox hoc quidem loco ad alias omnes voluptates referenda videtur quæ sunt extra esum potumque. Respondet Hebræo רוח *lætari*] ut videre est in Ecclesiaste XI, 9.

20. Εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ Θεὸς, *dixit autem illi Deus*] Non revelando, sed *decernendo*. Decretum autem κατ' ἀποστροφὴν [*per aversionem*] significanter admodum enuntiatur, ut Prov. I, 26. ¶ Ἄφρων, *stulte*] Similis illi qui Nabal nomine & re. 1 Sam. XXV. ¶ ἀπαιτοῦσι, *repetunt*]. Frustra quærunt veteres de quibus hoc dicatur. Est enim personale pro impersonali, ut activum pro passivo, *reposcetur anima tua:* Bene autem dixit *reposcetur*, quia,

Vita data est utenda, data est sine fenore nobis Munus.

¶ ἃ δὲ ἡτοίμασας, τίνι ἔσται; *quæ autem parasti cujus erunt*]? *Non tibi certè, qui ista moriturus non auferes, sed aliis usum sui præstabunt.* Non poterat efficacius derideri soliditas avara, quæ conjunctam habet invidentiam, quàm cum ostenditur eventurum quod malorum ipsi maximum videtur, ut rebus ejus fruatur alius. Bene mimus,

Avarus, nisi cum moritur, nil rectè facit.

Suis nimirum instar, cujus nulla pars ullum sui usum præbet nisi post mortem. Scriptor Ecclesiastici XI, 18. 19. Ἔστι πλουτῶν ἀπὸ πρόσοχῆς ἐν σφιγγίαις αὐτῆ, καὶ αὕτη ἡ μερὶς αὐτῆ· ἀπὸ τῆ μισθῆ ἐν τῷ εἰπεῖν αὐτὸν, εὕρηκα ἀνάπαυσιν, καὶ νῦν φάγομαι ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν μᾶ· ἀδιαλείπτως, καὶ οὐκ οἶδε τίς καιρὸς παρελεύσεται αὐτὸν, καὶ καταλείψει αὐτὰ ἑτέροις. [*est qui locupletatur parcè agendo, & hæc est pars mercedis illius, in eo quod dicit: inveni requiem & nunc manducabo de bonis meis solus: & nescit quod tempus præteriet, & relinquet omnia aliis*]. Sunt & lepida in hanc rem Græcorum epigrammata,

Πλουτεῖν φασί σε πάντες, ἐγὼ δέ σε φημὶ πένεσθαι,
Χρῆσις γὰρ πλούτου μόρτος Ἀπολλόφανες.
Ἂν μετέχῃς αὐτῶν σύ; σὰ γίγνεται. ἂν δ' ὑφλάτῃς
Κληρονόμοις, ἀπὸ νῦν γίγνεται ἀλλότρια.
Πλοῦτον μὲν πλουτοῦσ' ἔχεις, ψυχὴν δὲ πένησ'
Ὦ τοῖς κληρονόμοις πλοῦτε, σοὶ δὲ πένης.
[*Sis aliis dives; certè mihi pauper haberis:*
Divitiæ usus monstrat, Apollophanes.
Uteris ipse bonis? tua sunt. Heredibus autem
Quæ servas, jam nunc hæc aliena puto.
Divitiis locuples, animo sed paupere vivis,
Heredi dives, pauper at ipse tibi.]

Accedat tertium non minùs elegans,

Εἰ μὲν ζῆς ἐλάφου τοσσὸν χρόνον ἢ κορώνης,
Συγγνώμη πλοῦτον πλοῦτον ἀγειρομένῳ.
Εἰ δέ τις ἐσσὶ βροτῶν ὃς αὐλίσκα γῆρας ἱκάνει,
Μή σε γ' ἀπειρεσίων αἶσρ' ἔλῃ κτεάνων,
Μὴ σὺ μοῖρ' ἀτλήτοισιν ἐν ἄλγεσι θυμὸν ὀλέσσῃς,
Χρήσων' δ' ἄλλοις σοῖς ἀγαθοῖς αὐτὸν.
[*Tantas unus opes? sed possem ignoscere, coruo*
Corniciveve dies si tibi fata darent.
At si hominum es numero es, quibus est festina senectus
Distendi immensis parce cupidinibus.
Ne tua carnifices consumant corda dolores,
Deque tibi paris vivere des aliis].

Phædrus,

Tibi dico, avare, gaudium heredis tui.

Martialis,

Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est.

21. οὕτως ἔσται, *sic est*] Talem habet stultitia exitum. ¶ καὶ μὴ εἰς Θεὸν πλουτῶν, *& non est in Deum dives*] Omnino arbitror πλουτῶν [*qui est dives*], idem esse quod θησαυρίζων [*thesauros colligens*], ac proinde εἰς Θεὸν [*in Deum*] idem quod πρὸς Θεῷ [*apud Deum*]. Sic illis evenit qui sibi opes accumulant ac non laborant ut apud Deum opes repositas habeant, opera scilicet misericordiæ, quos θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ [*thesauros in cœlo*] alibi vocat Christus, Matth. VI, 20. atque etiam hic infrà 33. πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς [*divites fieri in bonis operibus*] dixit Apostolus ad Timoth. VI, 18.

24. τοὺς κόρακας, *corvos*] Cum volucres in genere nominaverit Matthæus, non frustra est quod Lucas *corvos* specialiter expressit. Nam circa *corvorum pullos* specialem Dei curam Jobus & Psalmographus prædicant. Quod quomodo exponant Hebræorum Magistri ab aliis notatum est. Certè Aristoteles non uno loco notat *pullos corvorum à suis parentibus nido expelli.* ¶ ταμεῖον, *cellarium*] *Cellam penariam* dixit Cicero.

26. Εἰ οὖν οὔτε ἐλάχιστον δύνασθε, *si ergo neque quod minimum est potestis*] Id est, τὸ ἐλάσσον [*id quod minus est*]. Minus est staturæ aliquid adjicere quàm vitam conservare: si illud non est in vestra potestate, certè nec hoc quidem est. Quare ne putate vitam vestram ideo esse tutiorem, quod tantam rerum congeratis copiam. Vita vestra in Dei est manu, qui æterna curantibus non patietur deesse temporalia, dum mortale hoc ævum agitis. Videmus & divites mori, & pauperes multos supervivere. Vide ad Matthæum. ¶ περὶ δὲ λοιπῶν, *de cæteris*] *De reliquis quæ æquè sunt in manu Dei posita.* ita & Syrus accepit.

29. μὴ μετεωρίζεσθε. *nolite in sublime tolli*] *Ne pendete animi, ne distrahimini cogitationibus*, ut vertit Syrus: Nec malè Theophylactus μετεωρισμὸν interpretabatur τὴν περιεσπασμὸν καὶ πλάνῃ τῆ λόγῳ ἄστατον περιφοράν [*anxiam curam & vagum mentis errorem*], non elationem animi, ut quibusdam placet, sed anxietatem inter spem metumque miserè fluctuantem. Sic μετεωρισμοὶ ὀφθαλμῶν Syr. XXVI, 12. *oculorum vibratio.*

32. τὸ μικρὸν ποίμνιον *pusillus grex*] Omnes eos affatur qui disciplinæ suæ seriò se tradiderant, aut tradituri essent: quos *gregem* vocat, ut Deum non communi tantùm modò, sed peculiari suum esse pastorem meminerint Psalm. XXIII, 1. *Parvum* autem *gregem*, id est, *contemtum, pauperem, ignobilem, minimè munitum iis præsidiis quibus cæteri confidunt.* Ita optimè hæc consolatio cum sermone priori cohæret. ¶ εὐδόκησεν ὁ πατὴρ, *complacuit Patri*] Benevolentiæ significatio ex rei natura, non ex vi vocis hic locum habet. Nam εὐδόκησε cùm infinitivo jungitur nihil aliud est quàm *visum est illi*, ut alibi notavimus. ¶ δοῦναι ὑμῖν τὴν βασιλείαν. *dare vobis regnum*] Æternum illud regnum quod cibi & potùs nomine describi solet, quantò magis ergo dabit ævi hujus brevis viaticum! id est,

Quis humana sibi doleat natura negatis.

33. Πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα ὑμῶν, καὶ δότε ἐλεημοσύνην. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*] Hebræus mos loquendi. Sensus est, *Potius quàm immisericordes sitis in egenos, ipsa rerum corpora divendite, tantùm abest ut quicquid de fructibus redundat, illis invideatis, quemadmodum fecit dives ille paulò ante memoratus.* Simile loquendi genus reperies infrà XXII, 36. ¶ βαλάντια, *sacculos*] Ita Lucas vocat quas ζώνας [*zonas*] Matthæus, ut vidimus supra cap. X. Quod ad rem attinet idem significant βαλάντια [*sacculi*] quod θησαυροὶ [*thesauri*]; Nisi quod θησαυροὶ [*thesauri*] sint majoris quantitatis aut pretii, βαλάντια [*sacculi*] minoris.

35. αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι, καὶ οἱ λύχνοι καιόμενοι. *Lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes*] Omnino puto hæc verba pertinere ad eam similitudinem quæ in sequenti commate explicatur. Nam qui dominum exspectant, & ad ministerium obeundum altè cincti esse debent, &c, si nox est, lumina habere parata, ne quid in mora sit, cum dominus advenerit. Non tantùm militum & iter facientium, sed & mini-

Digitized by Google

miniſtrantium eſt περιζώσασθαι τὰς ὀσφύας [*præcingi lumbos*], ut commate 37 apparet, & Johann. XIII, 4. hinc *altè cinctos* ἀριστέας dixit Phædrus Odyſſeæ ξ.

Ὡς εἶπεν, ζωστῆρι θοῶς συνέργε χιτῶνα.
[*Sic fatus, tunicam zonâ circum illico ſtrinxit*].

ubi Euſtatius σημεῖον δηλαδὴ σπουδῆς [*ſignum feſtinationis*]. Servius ad VIII Æneid. *præcinctos ſtrenuos dicimus.* Horatius, *altiùs ac nos præcincta unum.* Eidem, *puer altè cinctus.* Petronio, *ſtatores & altiùs cincti.* unde & Græcè ἐυζωνος appellatur non *qui bonam zonam habet* ſed *ſtrenuus.* Philo libro de Abele & Caino, τὰς ὀσφῦς περιζωσαμένους [*præcinctos lumbis*] interpretatur ἑτοίμους πρὸς ὑπηρεσίαν ἔχοντας [*expeditos ad miniſtrandum*]. quo loco Paſchalem cæremoniam commemorat, ad quam hic quoque alluſum videri poteſt.

37. περιζώσεται, καὶ ἀναπλινεῖ αὐτοὺς, *præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere*], Ut Saturnalibus Romæ fiebat. Senſus eſt, *honorem illis habebis novum atque inſolitum.* neque ultra premendæ partes comparationis. ¶ παρελθὼν, *tranſiens*] *Accedens propiùs*, ut infrà XVII, 7. & idem Actor. XXIV, 7.

38. καὶ ἐὰν ἔλθῃ, *& ita invenerit*] Repeti debet γρηγορῶντας, *ita vigilantes*, ut ſive intempeſtà nocte, ſive concinio veniat paterfamilias, promptos eos paratosque ſit inventurus, infrà XXI, 36. ἀγρυπνεῖτε ἐν παντὶ καιρῷ [*vigilate omni tempore*]. ¶ ἐὰν ἔλθῃ, *invenerit*] Id eſt, ἐὰν ᾖ, *inventurus ſit.*

41. πρὸς ἡμᾶς τὴν παραβολὴν ταύτην λέγεις, ἢ καὶ πρὸς πάντας; *ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes*]? Rectè hinc colligi puto, cùm prior fabula ad omnes pertinuiſſet, unde & apud Marcum ei ſubjicitur, ἃ δὲ ὑμῖν λέγω, πᾶσι λέγω, γρηγορεῖτε [*quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate*] alteram à Chriſto adjectam, quæ Paſtores Eccleſiarum propriè tangeret.

42. Τίς ἄρα ἐστὶν; *quis, putas, eſt*]? ὑποθετικὸν [*hypotheticum*], ut aliquoties diximus. ¶ καταστήσει, *conſtituet*] Futurum vice ἀορίστου [*indefiniti temporis*], καταστήσῃ [*conſtituis*] Matthæus quaſi dicat, *ſi quis ſervus conſtituatur diſpenſator familiæ, felix erit ſi munus ſuum rectè obeat.* ¶ σιτομέτριον; *tritici menſuram*]? Sic σιτομετρεῖν [*triticum menſurare*] dixere LXX Gen. XLVII, 12.

46. διχοτομήσει αὐτὸν, *dividet eum*] διχοτομεῖν hoc loco *ſegregare* vertit Tertullianus, ad ſenſum non malè. Vide quæ ad Matthæum.

47. Ἐκεῖνος δὲ ὁ δοῦλος ὁ γνοὺς τὸ θέλημα, *Ille autem ſervus qui cognovit voluntatem*] Cum duplicem fabellam Chriſtus propoſuiſſet, alteram quæ ad Chriſtianos omnes, alteram quæ ad Eccleſiarum Præpoſitos pertineret, oſtendit jam in quo conveniant iſta aut diſconveniant. Conveniunt in eo quod tam ἰδιῶται [*plebei*] quàm πρωτοστάται [*Præpoſiti*] plectentur, niſi officium ſuum fecerint: diſconveniunt in eo quòd οἱ πρωτοστάται [*Præpoſiti*] plectentur graviùs, ut quibus communiter major atque exactior data ſit ſcientia omnium eorum quæ ἐμμέσως [*mediatè*] aut ἀμέσως [*immediatè*] ad ſalutem pertinent. Quanquam autem hac occaſione hanc ſententiam Chriſtus protulerit, vis tamen ejus latiùs patet, ut ex ſubjecta ratione intelligi poteſt. Ratio enim quæ ſubjungitur hæc eſt, *Quod æquum ſit multum ab eo reddi qui multum acceperit.* Quare non omnino malè quidam hæc extendunt ad comparandos inter ſe eos qui Euangelii verbum acceperunt, & eos ad quorum aures id ipſum non pervenit. Nam de iis qui audito Euangelio non obediunt dixit Petrus II Epiſt. II, 21. κρεῖττον ἦν αὐτοῖς μὴ ἐπεγνωκέναι τὴν ὁδὸν δικαιοσύνης [*melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ*]. Salvianus libro II. de Providentia, *Ac per hoc intelligimus culpabiliores nos multò eſſe qui Legem Dei habemus & ſpernimus, quàm illos qui nec habent omnino nec norunt.* Ubi & alia præclarè dicta in hanc rem. Non poſſunt quidem ullæ gentes ignorare ea quæ Natura quodammodo ipſa hominibus dictat, ſed non norunt certa revelatione, quæ præmia virtuti, quæ pœnæ vitiis ſint conſtitutæ: quanquam conjecturâ fortè, & veteri traditione aliquid etiam hujus aſſequuntur, ſed quod cum ea notitia quæ nobis Chriſti munere conceſſa eſt, minimè ſit conferendum. Tertullianus libro de Pœnitentia, *Cum etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna (quia Deum in aperto conſtitutum & vel ex ipſis cœleſtibus bonis comprehenſibilem ignorare non dicat) quantò cognitum deſpici periculoſum eſt?* Pro modo ſcientiæ culpam augeri aut minui etiam Philoſophi notant. Extat quoque Philonis dictum ea de re contra Flaccum, τῷ μὲν γνοὺς ἁγνοίᾳ δ' ἐκείνῳ διαμαρτόντι, συγγνώμη δίδοται· ὁ δὲ ἐξ ἐπιτρόπης ἀδικίαν ἑκὼν ἔσπευδεν, ἀνεξάλειπτον ἐν τῷ τῆς συνειδότος δικαστηρίῳ [*Nam qui per ignorantiam peccat, meretur veniam: qui verò prudens ſciensque facit injuriam, excuſationem non habet, prædamnatus judicio conſcientiæ*]. Jacobus Apoſtolus IV, 17. εἰδότι τὸ καλὸν ποιεῖν καὶ μὴ ποιοῦντι ἁμαρτία αὐτῷ ἐστὶν [*ſcienti bonum facere & non facienti peccatum eſt illi*]. Salvianus: *Minoris criminis reatus eſt Legem neſcire quàm ſpernere.* Et alibi: *Ignoſci aliquatenus ignorantiæ poteſt: contemtus veniam non habet.* ¶ μὴ ἑτοιμάσας, *non præparavit*] Supple πρὸς τὸ ποιεῖν [*ad agendum*]. Bene autem hoc additur; nam qui ad faciendum ſe comparat, etiamſi faciendi tempus aut occaſio deſit, extra pœnam eſt. Hieronymus ad XII. Matthæi, *In Lege opera requiruntur quæ qui fecerit, vivet in eis. In Euangelio voluntas quæritur: quæ etiamſi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit.* ¶ δαρήσεται πολλάς· *vapulabit multis*] Sic Ariſtophanes Nubibus loquitur τυπτόμενος πολλὰς [*multis verberatus*], & Xenophon V. Exped. ἀνέκραγον πάντες ὡς ὀλίγους παίοντας [*exclamaverunt omnes, ut paucis eum plagis caderet*]. Et Demoſthenes De falſa legatione, ξαίνει δὲ τὰ νῶτα πολλαῖς [*multis ei plagis cadit tergum*]. Secutus Procopius Vandalicorum primo: ξαινόντες κατὰ τὰ νῶτα πολλαῖς [*terga cædentes multis plagis*]. Ut puræ Græciæ locutionem hîc non minùs quàm alibi in Luca agnoſcas. Alluditur autem ad Legem Deut. XXV, 2.

48. μὴ γνούς, *qui non cognovit*] Tarditate ingenii, aut Doctorum negligentiâ, aut alia gravi de cauſa, modò ne ſtudio quæſita ſit ignorantia, quæ de culpa nihil deterit. ¶ ἐδόθη, *datum eſt*] In ſuos uſus. ¶ ᾧ παρέθεντο πολύ, περισσότερον αἰτήσουσιν αὐτόν. *cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*] Rurſum perſonale pro imperſonali. Senſus eſt, *Cui commendatum eſt multum*, in uſus ſcilicet alienos, *plus ab eo repoſcetur quàm ab eo qui minus commendatum accepit.* Huc pertinet quod apud Petrum eſt I Epiſtola IV, 10.

49. Πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, *ignem veni mittere in terram*] Cum quæ ſequuntur omnia ad perſecutiones Verbi causâ otiturus pertineant, Tertulliano aſſentior locum hunc ſic exponenti: *Ipſe melius interpretabitur ignis illius qualitatem, adjiciens, Putatis me veniſſe pacem mittere in terram? Non, dico vobis, ſed ſeparationem.* Et mox, *Quale prælium, tale & incendium, qualis machæra, talis & flamma.* Bene autem igni comparatur quicquid adverſum animos explorat Petr. I Epiſt. I, 7. ἵνα τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως πολὺ τιμιώτερον χρυσίου τοῦ διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου, εὑρεθῇ εἰς ἔπαινον καὶ τιμὴν καὶ δόξαν [*ut probatio veſtra fidei multò pretioſior auro quod per ignem probatur, inveniatur in laudem & gloriam & honorem*] Menander:

Χρυσὸς μὲν οἶδεν ἐξελέγχεσθαι πυρί,
Ἡ πρὸς φίλους δ' ἔννοια καιρῷ κρίνεται.
[*Aurum ſpectatur ignis teſtimonio,*
At amicus certus in re incerta cernitur.]

Ovidius:

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt experienda fides.

Sed & extra hanc comparationem *res adverſæ* non minùs *igni* quàm *diluvio* comparantur, Pſalm. LXVI, 12. Eſaiæ XLIII, 2. Dicit autem Chriſtus ideo ſe veniſſe, non quod hoc primariò Deus velit, ſed quod conſpectis hominum malorum ingeniis & ſecutura inde ſævitia, non tamen propterea deſtiterit verum ſpargere, uſurus ſcilicet etiam malorum operâ ad nominis ſui gloriam & Eccleſiæ purgationem. Πάντες, inquit Paulus II Timoth. III, 12. οἱ θέλοντες εὐσεβῶς ζῆν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ διωχθήσονται [*qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patientur*]. ¶ καὶ τί θέλω; *& quid volo*]? Interrogationis notam apponendam cenſeo. Nam his in rebus nulla nos codicum auctoritas obſtringit, cum veteres libri fuerint ἀδιάστικτοι [*ſine notis diſtinctionum*]. Senſus eſt, *Quid autem eſt quod opto?* Nam interrogatio ſubjecta reſponſione vehementiùs affirmat. Nec aliter videtur legiſſe & accepiſſe Theophylactus. ¶ εἰ ἤδη ἀνήφθη; *niſi ut accendatur*]? Ita habent omnes antiqui codices à quibus nulla eſt cauſa recedendi. Locus autem eſt hactenus minùs rectè intellectus, quia non eſt animadverſum εἰ etiam addito indicativo apud Helleniſtas idem valere quod *utinam.* Lucas infrà XIX, 42. εἰ ἔγνως καὶ σὺ, *utinam tu quoque novifſes.* & XXII, 42. εἰ βούλει παρένεγκαι [*utinam auferre velles*]. Septuaginta Num. XXII, 29. εἰ εἶχον μάχαιραν ἐν τῇ χειρί μου, *Utinam machæra mihi eſſet in manu.* Joſ. VII, 7. εἰ κατῳκήσαμεν καὶ κατῳκήθημεν πέραν τοῦ Ἰορδάνου, [*utinam remanſiſſemus & habitaviſſemus trans Jordanem*].

Job.

Job. XVI, 4. εἴ τ' ἀνελάμβανεν ὑμᾶς ῥήμασι [*utinam consolaretur vos sermonibus*]. Esaiæ XLVIII, 18. εἰ ἤκουσας τῶν ἐντολῶν μου, *Utinam attendisses præceptis meis.* Syrus, quanquam sunt qui aliter accipiunt, mecum facit. Nam מא pro *utinam* poni Syris solet, ut apparet dicto loco Luc. XIX, 42. Respondet enim Hebræo הן vel מיטו [*utinam*]. Vertenda igitur hæc verba, *Utinam jam jam accendatur*, ignis scilicet ille exploraturus & purgaturus Christi gregem. Quod Latinus vertit, *Quid volo, nisi ut accendatur?* in eo sensum rectè expressit, verba non annumeravit: quomodo & Syrus interrogationem præsentem resolvit in nudam affirmationem, pari libertate quâ commate sequenti πῶς reddidit *multum*. Versiones Latinæ hâc vulgata vetustiores habebant *quàm volo ut ardeas!* aut *quàm volo ut accendatur!* Ad sensum rectè. Sed verbis ne hoc quidem exactè respondet. Nam ut τι [*quid*] pro πόσον [*quantum*] ponatur exemplum desidero. Certè ex illis versionibus aliter lectum olim in Græcis codicibus quàm nunc legitur non satis validè evincas, cum passim interpretes jus sibi indulgeant sensu incolumi ab apicibus recedendi.

50. Βάπτισμα, *baptisma*] Vide Matth. XX, 22. Marc. X, 38. ¶ ἔχω βαπτισθῆναι, *habeo baptizari*] *Primùm in me ipso, deinde in sectatoribus meis.* Nam quod illis fit, sibi fieri Christus dicit Act. IX, 4. ¶ πῶς συνέχομαι ἕως οὗ τελεσθῇ, *quomodo coarctor usquedum perficiatur*] Veteres Scriptores sæpe utuntur testimoniis ex Scripturâ, sed ita ut appareat codicem ab illis non inspectum, cum tamen sententiam satis rectè ex memoria reddant. Tale est quod hunc locum ita citat Irenæus, ἄλλο βάπτισμα ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πάνυ ἐπείγομαι εἰς αὐτό [*alio me baptismate oportet baptizari, & quàm id fiat quantùm possum propero*]. Sic & Epiphanius adversùs Arianos locum hunc longè aliter citat quàm habet, additâ & poculi mentione ex historia Zebedæi: quod illi in aliis quoque locis citandis contingit, ut cùm citat ea quæ sunt infrà XXIII, 41, & 44. Quare non est quòd eo nomine suspecta nobis sit recepta lectio. Videtur autem in verbo συνέχεσθαι [*coarctari*] tacita quædam esse similitudo sumta à prægnante muliere quæ ita partitudinem horret, ut tamen velit quàm primùm fasce suo levari.

51. ἀλλ' ἢ διαμερισμόν. *sed separationem*] Videntur exemplaria quibus usus est Tertullianus ex Matthæo habuisse μάχαιραν [*gladium*]. Nam ipse suspicatur διαμερισμὸν [*separationem*] ejus vice substitutum à Marcione, quod non sit verisimile. Nam διαμερισμὸν [*separationem*] hîc constanter agnoscunt Interpretes.

54. Ὅταν ἴδητε τὴν νεφέλην ἀνατέλλουσαν ἀπὸ δυσμῶν, εὐθέως λέγετε, Ὄμβρος ἔρχεται. *Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, Nimbus venit*]. Aratus Diosemiis,

Καὶ δὴ δυσμῆς τετραμμένος ἠελίοιο.
Ἢν μὲν ἀποκλίνῃσι μελαινομένῃ εἰκυῖα
Ἠέλιον νεφέλη, ταὶ δ' ἀμφὶ μιν ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἀκτῖνες μεσάγυιοι ἐλισσόμεναι διχόωνται
Ἢ τ' ἂν ἐπ' εἰς ἠῶ εὐείρονα καχλιμάχοιο ἴωσι.
—— *Et solem moneo spectare cadentem.*
Nam si nigra obiens condatur carcere nubis
Phœbus, & exiguo radii fulgore micantes
Immensum nebulis circumfundantur in orbem,
Non erit alterius melior fortuna diei.

Causas naturales vide apud Theonem.

55. Καὶ ὅταν νότον πνέοντα, λέγετε, Ὅτι καύσων ἔσται· *& cum austrum flantem, dicitis, Quia æstus erit*] Quia Judææ ad meridiem calidissimæ regiones objacent Ægyptus & porrò Æthiopia, unde delati venti æstum adferunt. Sic contra venti Septentrionales frigus dicuntur adferre Job. XXXVII, 9.

56. τὸ γῆς, *terræ*] Nihil attulit de terræ signis, sed facilè suppleri potest ex Joh. IV, 35. & Matth. XXIV, 32. ¶ καιρὸν τοῦτον, *tempus hoc*] *Adventum Messiæ* qui certa habebat signa à Vatibus pronuntiata. Vide quæ ad Matthæum.

57. Τί δὲ καὶ ἀφ' ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δίκαιον; *quid autem & à vobis ipsis non judicatis quod justum est*]? *Non opus est à cœlo aut terra peti argumenta. A vobis ipsis exemplum sumite. Neque enim tam stulti estis, ut in Judicio contendere velitis cum eo qui certam habeat actionem nulla exceptione elidendam. Quod si talem creditorem in tempore placandum vobis censetis, quid cessatis cum ipso Deo transigere, dum licet, dum æquas conditiones ipse ultro offert?* Usurpat quidem eandem similitudinem Matthæus, sed, ut fieri sæpe diximus, sensu non plane eodem. ibi enim de mutuis hominum offensis agitur. δίκαιον autem hîc non propriè est quod *justum* dicitur, sed *quod fieri convenit*, quodque rationi est consentaneum, ut Philipp. I, 7, & alibi. Id ipsum verum interdum Latini vocant & hîc Syrus,

58. ἐπ' ἄρχοντα, *ad Principem*] ἐπὶ κριτὴν [*ad Judicem*], ut apud Matthæum est & hîc infrà, nisi Romano more intelligere mavis Magistratum qui dandi Judicis jus habet. ¶ δὸς ἐργασίαν, *da operam*] Latinissimum hunc rectè accipit Theophylactus, cum priorem adfert interpretationem hanc: *Omni modo hoc age ut libereris.* Quæ ipsa est Origenis. Nam posterior Theophylacti interpretatio non minùs coacta est quàm quod Syrus hîc posuit Latini sermonis ignorantiâ, è quo tum multa loquendi genera in Græcum profluxerant. ¶ ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, *liberari ab illo*] Sic ἀπαλλάττεσθαι ὀφείλης [*liberari à debito*] dixit Aristoteles. Putem rectè hîc verti, *ut ab eo te expedias.* ¶ τῷ πράκτορι, *exactori*] Hebræum מוציא [*exactores*] vertunt LXX, ut Esaiæ III, 12. Diximus ad Matthæum eum intelligi qui Latinè *Victor* dicitur. Demosthenes, ὧν οὐδεὶς παραδίδωσι τοῖς πράκτορσι τὰ ὀνόματα [*quorum nomina nemo exactoribus tradidit*].

PRICÆUS.

Com. 1. Ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου] Supple αὐτὸν, ut Matth. 13. 2. Sic Esdræ 8. 91. ἐπισυνήχθησαν πρὸς αὐτὸν, &c. ὄχλῳ πολὺς σφόδρα, &c. 1 Mac. 4. 55. ἐπισυνήχθησαν πρὸς αὐτὸν πᾶσαι αἱ δυνάμεις· & ibid. com. 47. ἐπισυνήχθησαν πρὸς αὐτὸν πάντες. Τὸ ἐπὶ in hac & aliis vocibus confluxum mortalium denotantibus, vim quandam adaugentem habet: ut Marc. 9. 25. ἐπισυντρέχει ὄχλος· Marc. 11. 33. ἡ πόλις ἐπισυνῆγμένη ἦν, &c. Luc. 8. 4. τῶν κατὰ πόλιν πρὸς αὐτὸν ἐπιπορευομένων· & 11. 19. τῶν ὄχλων ἐπαθροιζομένων· item Actor. 24. 12. ἐπισύστασιν ποιεῖν. Hesychius, Ἐπήτριμα, ἄθρόα ἐπ' ἄλλοις, πυκνά. Non malè isto Lucæ loco ille, qui *acervatim congregarentur.* Seneca in de Vita beata cap. 3. *Ista coacervatio aliorum supra alios ruentium*: ubi legendum *super alios ruentium.* Apulejus 6. de formicis loquens, *Ruunt alia, supérque alia se pedum populorum unda:* id est, ἐπισυντρέχουσι, vel ἐπαθροίζονται.

Ibid. ὥστε καταπατεῖν ἀλλήλους] Josephus bell. Jud. 2. 20. ὥστε πατηθέντας ὑπ' ἀλλήλων, καὶ συντριβέντας, &c. Herodianus, Ὑπ' ἀλλήλων ὠθούμενοι καὶ πιεζόμενοι. Diodorus Siculus lib. 17. ἀλλήλους συγκατεπάτουν. Idem 2. ὑπ' ἀλλήλων συμπατούμενοι.

Ibid. πρῶτον προσέχετε ἑαυτοῖς ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων] Pars cujus fermenti Pharisaici erat tumor & arrogantia. Philo (ut à doctis notatum) fermentum in Lege non semel interpretatur inanem animi tumorem, nimiámque æstimationem sui. De irascente Comicus,

Nunc in fermento totus, ita turget mihi.

Πρῶτον hîc *inprimis*, non sequente ἔπειτα, ut & 2 Pet. 1. 20, & 33. Quâ & formâ Latini. Seneca cap. 24. de V. B. *Et hoc primum attendite*, &c. Idem de Ira 1. 27. *Hoc primum nobis suadeamus, neminem nostrûm sine culpa esse.* Augustus ad Cinnam, apud Eundem 1. 9. de Clementia, *Hoc primum à te peto, ne me loquentem interpelles.*

Ibid. ἥτις ἐστὶν ὑπόκρισις] Ità Colos. 3. 5. ἥ τε πλεονεξία, ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία.

Com. 2. οὐδὲν δὲ συγκεκαλυμμένον ἐστὶ ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται]

—— *Celata diu, in medium peccata dabuntur.*

Plaut. Capt. *Operta quæ fuere, aperta sunt, patent prætigiæ:* aut citiùs nempe, (τινῶν γὰρ ἀνθρώπων ἁμαρτίαι πρόδηλοί εἰσι, 1 Tim. 5. 24. ubi dicta vide;) aut saltem in die illa quam ideo Paulus Rom. 2. 5. ἡμέραν ἀποκαλύψεως vocat, & ibidem com. 16. ἡμέραν ὅτε κρινεῖ ὁ θεὸς, &c. Heliodorus, Δεινὸς ὁ τῆς Δίκης ὀφθαλμὸς ἐλέγχειν καὶ τὰ ἀμήνυτα κρύφια, καὶ τὰ ἀθέμιτα φωλίζειν. Claudianus,

—— *Lux altissima fati*
Occultum nihil esse sinit, latebrásque per omnes
Intrat. ——

Vide & 1 Cor. 3. 13. Dionys. Halicarnassensis, Ἡ δὲ δαιμονία πρόνοια, &c. τὰ κεκρυμμένα εἰς φῶς ἄγει.

Ibid. καὶ κριτὴν ὃν οὐ γνωσθήσεται] Apud Gellium 12. 11. Peregrinus philosophus, *Si sciant homines nil eorum re-*

rum diutiùs celari poſſe, ſuppreſſiis pudentiſque peccabitur.

Com. 3. ἐν τοῖς ταμείοις] Vulgat. *in cubiculis.* Recentior, *in conclavibus.* Heſychius ταμεῖον, θάλαμον & κοιτῶνα exponit.

Ibid. ἐν τῷ φωτὶ ἀκουσθήσεται] Πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστι, Ephel. 5. 13. Gloſſæ, ex hoc Lucæ loco, *Audietur*, ἀκουσθήσεται.

Ibid. ὃ πρὸς τὸ οὖς ἐλαλήσατε ἐν τοῖς ταμείοις, κηρυχθήσεται ἐπὶ τῶν δωμάτων] 4 Reg. 6. 12. de Eliſæo, Ἀναγγέλλει τῷ βασιλεῖ Ἰσραὴλ πάντας τοὺς λόγους οὓς ἂν λαλήσῃ ἐν τῷ ταμείῳ ἢ κοιτῶνός σου. Δωμάτων, *domibus* vertit recentior Interpres: meliùs vulgatus Interpres, *in tectis.* Gloſſarium, *Tectum*, στέγη, &c. δῶμα· ità & *clamitare* (quod ferè hîc κηρύσσεσθαι) *de tecto*, Apulejus dixit.

Ibid. κηρυχθήσεται ἐπὶ τῶν δωμάτων] Simile, ἐπ' ἄκρων τειχίων κηρύσσεσθαι, in Græco Proverb. 1. 21.

Com. 4. Μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα] Sic 1 Maccab. 2. 62. Ἀπὸ λόγων ἀνδρὸς ἁμαρτωλοῦ μὴ φοβηθῆτε. Μὴ φοβεῖσθαι, &c. eſt, dicere illis, ſi quando caſus ferret, *Quid nobis gladios & ignes oſtenditis, & turbam carnificum circa nos frementium? tollite iſtam pompam ſub qua latetis, & ſtultos territatis: mors eſt quam ſervus, quam ancilla contemnit.* Sunt iſta Senecæ quidem verba 24 epiſtolâ: quæ tamen argumento quod præ manibus ſit hæc concinunt. Ut & Theodori illa (apud Eundem cap. 14. de Animi Tranquill.) tyranno mortem minitanti, *Habes cur tibi placeas, homina ſanguinis in tua poteſtate eſt.* Vide ad Matth. 10. 28. jampridem annotata nobis. Nitebatur autem iſtud Chriſti monitum in veritate & certitudine τῶν πρώτων κατὰ φύσιν. Cùm naturâ enim mors quævis ſit formidabilis, magis illa quam infert aliena violentia, adhùcque magis (cujus periculum, imò & perpeſſio hos Apoſtolos manebat) mors ſummis à Poteſtatibus intentata, quam ſatellites, tortores, totúſque reliquus carnificinæ apparatus ſolebant ſummè formidabilem efficere. Philoſophus ille quem toties advocamus 14 Epiſtolâ, *Timetur inopia, timentur morbi, timentur quæ per vim potentioris eveniunt. Ex his omnibus nihil nos magis concutit quàm quod ex aliena potentia impendet: magno enim ſtrepitu & tumultu venit. Naturalia mala quæ reuli inopia atque morborum, ſilentio ſubeunt, nec oculis nec auribus quicquam terroris incutiunt. Ingens alterius mali pompa eſt: ferrum circa ſe & ignes habet, & catenas, & turbam ferarum quam in viſcera immittat humana. Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & eculeos, & uncum, & adactum per medium hominum qui per os emergat ſtipitem, & diſtracta in diverſum actis curribus membra; illam tunicam alimentis ignium & illitam, & inextam. Non eſt itaque mirum ſi maximus hujus rei timor eſt, cujus & varietas magna, & apparatus terribilis eſt.* ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, eſt, ἀπὸ τῶν δοκούντων ἔχειν τινὰ ἐφ' ἡμῖν ἐξουσίαν διὰ τὸ σωμάτιον, ut 1. 9. in Epictetum locutus Arrianus.

Ibid. καὶ μὴ τούτων μὴ ἐχόντων περισσότερόν τι ποιῆσαι] Περισσότερον, amplius quàm corpus interficere. Plutarchus lib. de his qui ſerò à Numine puniuntur, Αἱ μὲν δικαιότητες αἱ παρ' ἀνθρώποις, &c. ἐν τῷ καιρῷ τὴν δίκην ἔσαν), περιττὸν ἂν ἐξαιροῦν). Seneca de morte loquens, cap. 9. lib. In ſap. non cad. injur. *Maximum illud ultra quod nihil habem,* &c. *ſaviſſimi Domini quod minentur.* Idem 24 Epiſt. *Numquid accidere tibi poteſt durius quàm ut mittaris in exilium? quàm ut ducaris in carcerem? numquid ultrà corpori timendum eſt quàm ut pereat?* Cyprianus in De duplici martyrio, *Mors corporis, quam ſolam,* &c. *inferre poteſt tyrannus.* Tertullianus in Apologetico, *Recogitatâ etiam brevitate cujuſlibet ſupplicii, non ultra mortem remanſuri.* Lactantius 5. 9. de bello victis, *Si adeò ſævire placuit, nihil plus in eos ſit quàm ne occidantur.* D. Auguſtinus in Pſal. 71. *Homicida corpus tantùm perimit; cæterùm animæ nihil nocere poteſt.* Ubi nota, *cæterùm animæ,* &c. Hinc ingeniosè Plutarchus de Eumene captivo, Προσλοιπαρῶν, καὶ δεσμῷ, & σώματι μόνον κρατεῖν δοκοῦντα τὸν πολέμιον, καὶ τὴν ψυχὴν νικῶσαν ἐκόμισε. Arrianus ex perſona liberi intrepidique hominis ſe quemvis potentiorem compellantis, Πείσασαί σε τινὰ δέκην, καὶ γνώσῃ μίκρα τύπτων αὐτὴν ἔχεις· quouſque, nempe, in corpus ſolum: additque (quod & Contextu præceſſit) τίνα ἂν ἔτι φοβηθῆναι δύναμαι; 4. 7. in Epictetum. Boethius Conſolat. philoſoph. libr. 2. *Quò quisquam jus aliquod in quempiam, niſi in ſolum corpus, & quod infra corpus eſt, fortunam loquor, exercere poſſit?*

Com. 5. ναὶ λέγω ὑμῖν, &c.] De hoc aſſeverandi modo vide ſuprà ad 11. 51. dicta.

Ibid. φοβήθητε τὸν μὴ τὸ ἀποκτεῖναι, ἐξουσίαν ἔχοντα ἐμβαλεῖν εἰς τὴν γέενναν] D. Auguſtinus in Pſal. 49. *In focum ſi manum mittere cogaris, facies quicquid voluerit qui hoc minatur: ſi tibi dicat,* &c. *facies, ne ardeat manus tua, ne ardeat ad tempus membrum tuum, non ſemper in dolore futurum. Minatur ergò inimicus tam leve malum, & facis malum? minatur Deus æternum malum, & non facis bonum?*

Ibid. ναὶ λέγω ὑμῖν, φοβήθητε] Gellius 13. 23. *Duplex eadem compellatio admonitionem inſtantiorem facit.*

Com. 6. οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον ἐνώπιον θεοῦ] In oblivione apud eum non eſt. Ità Hebr. 13. 2, & 16. μὴ ἐπιλανθάνεσθε. Eſt autem hæc *in oblivione non eſſe*, eſſe intra cognitionem illius, atque adeò (pro animalculi talis ratione) intra illius providentiam: quæ cùm univerſa complectatur, certè & ad minima extenditur. De Eodem Arrianus 3. 24. Οὐδὲ τῶν μικροτάτων τινὸς ἀμελεῖ. Matthæus hac in re, αὐτῷ ἄνευ habet: proquo Cleantheus apud Stobæum οὐ δίχα dixit,

Οὐδέ τι γίγνεται ἔργον ἐπὶ χθονὶ οὐ δίχα, δαῖμον.

Et Virgilius,

——— *Non hæc ſine numine Divûm*
Eveniunt. ———

Ubi Servius, *Sine auctoritate, ſine voluntate.* De Deo Cyprianus contra Demetrianum, *Nec quicquam fieri poſſit niſi quod aut fecerit, aut fieri ipſe permiſerit.* De eodem Seneca Natur. quæſt. 2. 46. *Ab eo ſic omnia diſpoſita, ut ea etiam quæ ab illo non fiunt, tamen ſine ratione non fiant, quæ illius eſt.* Eundem ibidem cap. 32. vide. Cornelius Nepos de Timoleone, *Nihil rerum humanarum ſine deorum numine agi putabat; itaque domi ſuæ ſacellum αὐτοματίας conſtituerat, idque ſanctiſſimè colebat.*

Com. 7. αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ὑμῶν πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσί] Vide infrà ad 21. 18. annotanda. Ἠριθμημέναι, ſummam curam & cuſtodelam denotat. Seneca ex perſona mitis Principis, lib. 1 de Clementia, *Hodie diis immortalibus, ſi à me rationem reputant, annumerare genus humanum paratus ſum.*

Ibid. πολλῶν στρουθίων διαφέρετε] Sic, ἄνδρες τῶν πολλῶν διαφέροντα, Plutarchus in Coriolani vita. Clemens Pædag. 3. 4. de luxuriosis mulieribus, Καὶ χήνεσι μὲν πτερυγίων, Μαλλίαις πολλῷ διαφέρουσι κνιδίοις.

Com. 9. Ὁ δὲ ἀρνησάμενός με, &c.] Vide ad 2 Tim. 2. 12. dicta.

Com. 11. ὅταν δὲ προσφέρωσιν ὑμᾶς ἐπὶ, &c. τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας] Ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι junguntur hîc, ut & Tit. 3. 1. metonymicè. *Poteſtatem* autem pro Rege vel eminente Magiſtratu dici notat Servius ad Æneid. 10. Hinc & l. quis ſit. § ult. ff. de ædilit. edict. *à Poteſtate damnari.* Προσφέρειν hîc eſt quod Latinis Scriptoribus *offerre*, vel *objicere magiſtratui.* Vide ad Apuleji lib. 3. pag. 166. dicta. Recentior, *cùm vos adduxerint,* &c. Vulgatus, *cùm vos induxerint:* &, ut puto, eruditius. Ammianus lib. 22. *Inducta in judicium femina quædam,* &c. Plinius lib. 2. Epiſt. 11. de Martiano, *Inductus eſt* (in Senatum) *abſente Priſco:* ibid. Epiſt. 12. de Firmino, *Inductus in Senatum reſpondit crimini nato:* & 5. 4. *Nepos poſtulavit ut Nominatus induceretur.* Apulejus 3. *Reus capitis inducor.* Idem lib. 6. de Pſyche fugitiva, *Quæ ubi inductam oblatámque Venus* (quæ & Domina ejus & Judex) *conſpexit,* &c. & lib. 10. *clamatus inducitur reus.*

Ibid. μὴ μεριμνᾶτε πῶς ἢ τί ἀπολογήσησθε, &c. τὸ γὰρ ἅγιον πνεῦμα, &c.] Vide ad Matth. 10. 20. notata. Πῶς, ἢ τί hîc, ut 1 Pet. 1. 11. ποῖον, ἢ τίνα· & ſuprà hîc 7. 39. τίς, ἢ ποταπή.

Com. 12. διδάξει ὑμᾶς ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, &c.] Vide infrà ad 21. 15. annotanda.

Com. 13. εἶπὲ τῷ ἀδελφῷ μου μερίσασθαι μετ' ἐμοῦ τὴν κληρονομίαν] Recentior Interpres, *ut partiatur mecum hereditatem.* Delicato & faſtidienti ſtomacho nempe Vulgati illud, *ut dividat hereditatem mecum*, injucundum viſum. Cur ergò Plinium non calpamus, qui lib. 10. cap. 8. de Thracibus loquens, *Captas* (inquit) *aves dividunt cum accipitribus:* & Senecam, qui 65 Epiſt. *Heſternum diem cum mala valetudine diviſi:* & Epiſt. 24. *Hunc ipſum quem agimus diem, cum morte dividimus:* & (propiùs argumentum noſtri Contextûs accedens) 88 Epiſtolâ, *Quid mihi prodeſt ſcire agellum in partes dividere, ſi neſcio cum fratre dividere?* Dividere hereditatem nempe. Adde Quinctiliani Declam. 10. illa, *Tempora ergò*

cum

cum morte diviserat: & Petronii ista, etsi sensu nequiore prolata, *Sic dividere cum fratre nolito. Dividere* autem in Luca intelligo, æquis partibus. Idem Seneca 117 Epist. *Vitam nobiscum dividit somnus*, mediam partem sumit. Μεριολαχεῖν, non μερίζεσθαι, probatur Julio Polluci. Solennis autem ab omni ævo dissidii causa hereditatis divisio. Hâc parte fratrum quoque gratia rara. Artemidorus 4. 72. Ἔτι ἡ καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῖς ἐχθροῖς τὰ αὐτὰ ἔχουσι λόγον, &c. ἐπειδὴ ἅ μόνος τις ἤμελλεν ἕξειν, ταῦτα ἡ μόνος, ἀλλ' ἐξ ἡμισείας ἢ τέτταρα μέρη μᾶλλον τῶν ἀδελφῶν ἴσχει. Seneca 88 Epistolâ, *Quid mihi prodest scire egellum in partes dividere, si nescio cum fratre dividere?* Virgilius,

—— Infidos agitamus discordia fratres:

Ubi Servius, *Discordiam posuit pro Avaritia: ideo autem infidos, quia avaritia causâ dissentiunt fratres.* Petrus Chrysologus, *Facultates unitatem scindunt, fraternitatem separant*, &c. Tertullianus ad Nationes, *Ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos dirimit fraternitatem.* Plutarchus in Æmilii vita, Οἱ τῶν ἀδελφοὶ, &c. ἐὰν μὴ κλίμασι καὶ παταμοῖς καὶ διατειχίσμασιν ὁρίσωσι τὰ κοινὰ, &c. ἢ πανοῦ διαφερόμενοι. Hesiodus ad fratrem Persem,

——— Διαμερσώμεθα νῶϊν
Ἰθυντῆρι δίκῃσι, τά τ' ἐκ Διὸς εἶσιν ἄριστα.
Ἤδη μὲν γὰρ κλῆρον ἐδασσάμεθ' ἄλλα τε πολλὰ
Ἁρπάζων ἐφόρεις. ———

Justinus lib. 2. *Tantò moderatiùs tunc fratres inter se maxima regna dividebant, quàm nunc exigua patrimonia partiuntur.* Adde Arrianum 2. 22. in Epictetum. Videntur autem de quibus hic in Contextu agitur, fuisse filii alicujus sine supremo judicio è vita profecti, & indè inter illos contentionis origo. Apud Quintilianum 7. 2. in scholastica controversia ille, *Pater intestatus duos nos filios reliquit, partem jure gentium peto.* D. Augustinus in Psalm. 21. Donatistas compellans, *Fratres sumus, quare litigamus? non intestatus mortuus est pater.*

Com. 14. Ἀδικεῖτε] Vide infrà ad 22. 58. dicenda.

Ibid. τίς με κατέστησε δικαστὴν ἢ μεριστὴν ἐφ' ὑμᾶς;] Quasi diceret, (ut Act. 18. 15.) αὐτοὶ ὄψεσθε, κριτὴς ἐγὼ τούτων οὐκ εἰμὶ ἢ βούλομαι· *non enim pecuniarum aut possessionum divisor, at regni cœlestis nunquam hereditatis dator advenis:* ut ad hunc locum Euthymius. Plutarchus de Eumene, Κανές τις ἦν πρὸς τοῖς ἀμφοτέροις, &c. ὡς εἶδεν αὐτῷ μεγάλων ἔξω ὄντα πολυπραγμοσυνῶν ἢ Μακεδόνων διαφορὰς, &c. Μηδέποτε πυρῷ δύο φίλων κριτὴς εἶναι, fuit olim à Menandro dictum.

Ibid. μερίσασθαι] Glossarium, Μερισὴς, *partitor.* Pollux 8. 10. Onomasticì, Καὶ οἱ διανεμόμενοι, (ἢ ἰσίαν) νεμεταὶ, καὶ μεριταὶ, καὶ μεσῖ).

Com. 15. Ὁρᾶτε καὶ φυλάσσεσθε] Sic Matth. 16. 6. ὁρᾶτε καὶ προσέχετε.

Ibid. ὅτι ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ] Intricata hæc visa sunt nonnullis qui transponendo voces quasdam putârunt mentem loci se planiorem fecisse. Ego priorem vel posteriorem hujus clausulæ partem existimo abundare. Sensus ergò est, Ὅτι ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστι· vel, (quod idem efficit) ὅ τινι ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ. Multa hoc genus locutiones in Epistolis Paulinis occurrunt. Ὅτι ἐστὶν ἐκ, &c. est, *non pendet ab*, &c. ut apparet ex sequente apologo. Ità 1 Maccab. 3. 18. Ὅτι ἐν πλήθει δυνάμεως νίκη πολέμου ἐστίν· & Jobi 20. 20. (ubi & sensus idem qui in his Christi verbis,) Ὅτι οὐκ ἔστιν αὐτῷ σωτηρία τοῦ (i. e. ἐκ τοῦ) ὑπάρχειν, ὡς ἐπεθύμησε αὐτοῦ ἡ ψυχὴ ἐπιθυμῆσαι. Vide & Jobi 12. 10. Non dissimile Varronis illud,

Non fit thesaurus, non auro pollet solarium:

& Horatii illud,

Non domus aut fundus, non aris acervus & auri
Ægroto Domini deducit corpore febres.

Post verba αὐτοῦ ἐστιν, vel ea, ὄντων ὑπαρχόντων αὐτῷ, supple, *sed ex verbo & nutu Dei.* Ergò idem hoc loco sensus qui 4. 4. Matthæi. Confer & 1 Tim. 6. 17. ubi *fidere opibus*, opponitur ei fiduciæ quæ in Deo habenda.

Com. 16. Ἀνθρώπου τινὸς πλουσίου εὐφόρησεν ἡ χώρα]

——— *Aurea fruges*
Jugeribus plenis defudit copia eorum.
——— *Magnas messes terra benigna dedit.*

Ὁ σπόρος αὐτῆς καὶ ψυχὴν, ut Jobi 21. 8. Ἀπὸ καρποῦ, σίτου οἴνου, καὶ ἐλαίου αὐτῆς (ut Psal. 4. 8.) ἐπληθύνθη. Vide & Psal. 144. 13. Εὐφόρησεν, *fructus uberes protulit.* Pollux 1. 6. Onomastici, Εὐφορεῖ ἡ γῆς φυομένης. Philo Judæus, Βαθύγειος, &c. χώρα παντοίων αἰεὶ πᾶν ἔτος καρπῶν εὐφορίᾳ ἐκρέῖτο. Sic, χώρα εὔφορος apud Suidam, in εἰ τὸ μέσον, &c. & ἀγρὸς εὔφορος καὶ εὐκαρπος apud Plutarchum. Hesychius, Εὐφορία, εὐθηνία, καλὸς ἐνιαυτός· & contrà in Glossario, Ἀφορία, *sterilitas, infertilitas.*

Com. 17. διελογίζετο ἐν ἑαυτῷ, λέγων, Τί ποιήσω; ὅτι, &c.] Geminum infrà 16. 3. illud, Εἶπε δὲ ἐν ἑαυτῷ, &c. Τί ποιήσω; ὅτι, &c. Τί ποιήσω; ἀπορουμένου est ἐκφώνησις, ut & citato loco, Luc. 20. 13. & Act. 2. 37. Apud Terentium ille,

Quid faciam, Syre mi? gaudeo, fer me.

Hæc autem exclamatio hominis ipsâ affluentiâ laborantis, & cui (ut Senecæ verbis loquar) suæ divitiæ molestæ erant. In Comœdia Plautina,

—— Tantas divitias habet,
Nescit quid faciat auro. ———

Apulejus de factione quadam latronum post opimas prædas conquisitas, *Opulentia nimia nimio ad extremas insitas redacti.* Aristophanes Avibus,

Ὥστε παρέσται κοπιᾶν ὑμῖν
Ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν ———

Ubi vetus Scholiastes, Ἐν πλησμονῇ γλώμφυσι, τ' ἀγαθῶν ἀπεφηνάνω φήσετε. Satyricus de Alexandro,

Æstuat infelix angusto limite mundi.

Hæc est conditio vivendi, hæc humanæ naturæ sinisteritas: ad quam alios consilii inopiam inopia, alios abundantia impellit; dum quæ à summi largitoris munificentia ad pacem animi gratiarúmque actionem impertiuntur, inquietudinis & querimoniarum materiam morum perversitate faciunt. Terent. 1. 3. Phorm.

Alii quia deest quod ament, tibi quia superest, dolet.

Ubi Donatus, *Insanum ait Antiphontem, qui in ea fortuna positus quæ adversa & contraria est, idem patitur quod miser.* Xeno Veronensis de divite isto, & (ut passim) facunde, *Angustiatur ex abundantia, constringitur & coarctatur ex opulentia*, &c. &, *ut video, ager non tam ei reditum largiores quàm gemitus graviores attulit: terra ei non tam fructuum copiam quàm curarum molestiam geminavit:* & post, *Iisdem cruciatibus pro sollicitudine facultatum quibus pauper pro egestate torquetur.* De eodem D. Basilius Homil. de Avarit. Μὴ γὰρ περισσὸς αὐτῷ φέρει ἡ γῆ; στενογμὸς αὐτῷ φέρει. μὴ γὰρ καρπῶν αὐτῷ εὐφορίαν συνάγει; φροντίδας, καὶ λύπας, καὶ δακνηρὰν ἀμηχανίαν. τοῖς πενομένοις ὅμοια ἐδίρει). His adjungamus Theodoreti ista π. προνοίας 7. cùm propter elegantiam, tum & parilitatem, Ἀγνοίμων ἡ γῆ περὶ τὰς γεωπόνους ἐγένετο, &c. ὁ δὲ (paterfamilias, colonus, &c.) καὶ δανειστὴς ἀδιοικητῶν, καὶ γεγραμματέα διωγμάτων, καὶ ἀνθαιρέτου ἐπιστατῶν δουλείαν. ἤτεγκεν ἡ γῆ τοὺς καρπούς, καὶ βελτίω τὰ ἰδίοις, καὶ λιπεῖς καλύπτει), &c. ὁ δὲ πάλιν ἰδίους κενοῖ), τοὺς καρποὺς τοὺς αὐτοῦ ἀδιοικήτων ἐκ ἐνεγκόντων, καὶ γίνεται) αὐτῷ τὸ ἐναντίωμα ἡ εὐθηνία μᾶλλον ἢ ἀφορητοτέρα. Libet heic dicere de *abundantia* quod Seneca de *felicitate* dixit, *res est inquieta, ipsa se exagitat.* Confer 5. 11. Ecclesiastem. In verbis porro Theodoreti vide an ἐναγκάλας, & post, μᾶλλον ἢ legendum.

Ibid. ὡς ἔχω πῦ συνάξω τοὺς καρπούς μου]

——— *Satura compleram horrea messe.*

Com. 18. καθελῶ μου τὰς ἀποθήκας] Καθελῶ, *destruam, diruam.* Glossæ, *Destruxit*, καθεῖλεν, sic enim, non καθεῖλκυσε, scribendum. Glossæ aliæ, Καθαίρεσις οἰκοδομήσεως, *destructio, demolitio.* Ἀποθήκας, *horrea, granaria.* In veteri Onomastico, *Granarium*, ἀποθήκη. Scholiastes vetus ad Horatium de A. P. *Granaria, horrea in quibus frumenta reponuntur, repositoria:* scribe, *vel repositoria:* firmo correctionem

ctionem ex Isidori istis Orig. 15. 5. *Apotheca, vel horrea, &c. repositoria vel recondituria dici possunt, quod in iis homines elaboratas fruges reponunt.* Hinc ἀποταμιευόμενος ἐν ἀποθήκαις εἶτος, apud Julianum in Misopogone. Horatius,

Quàm si quicquid arat non piger Appium
Occultare meus diceret horreis.

Ibid. καθηλῶ μου τὰς ἀποθήκας] Ut jam non pares proventûs magnitudini. Manilius 3.

—— Vincentemque horrea messem.

Salvianus lib. 6. *Angusta esse horrea publica opes fecerant.* Virgil. Georg. 2.

Proventique oneret sulcos, atque horrea vincat.

Idem Georg. 1.

Illum immensa ruperunt horrea messes.

Ubi Servius, *ut non habeat ubi reponat.* Cicero in de Lege Agraria, *Vix jam videtur locus esse qui tantos acervos pecuniæ capiat.* Seneca cap. 10. Consol. ad Helviam, *Cum bene cesserit negotiatio, multum militia retuleris, &c. non habebitis ubi istos apparatus vestros colloceris.*

Ibid. ἢ μείζονας οἰκοδομήσω] Juvenal. 14.

—— Meliore novas attollam marmore villas.

Struam (Catull.)

Horrea fœcundis indeficientia mensis.

Καθηλῶν & οἰκοδομῶν opponuntur etiam 3. 4. Ecclesiastis, ut Psalm. 28. 5. & Galat. 2. 18. οἰκοδομῶν ἃ κατέλυσον. Sic, *alia diruere, alia ædificare*, Salustius & Horatius dixere: &, *ædificia alia ponere, alia subvertere*, Seneca in de tranquillitate cap. 3.

Ibid. ἢ μείζονας οἰκοδομήσω]

O curas hominis! ô quantum mentis inane!

Eâdem nocte illâ ad portam calces rigidos extensurus, & luce crastinâ sublimis efferendus, satagis de granariis laxandis, meditaris inædificandis fructibus tuis majora spatia.

—— Moliminis alti.
Fundamenta locas, & largas exstruis ædes
Frugibus, extremæ venientis nescius horæ.
—— Secanda marmora
Locas sub ipsum funus, & sepulcri
Immemor, struis domos.

Seneca Epist. 13. *In exitu vitæ novas fundamenta ponimus, novas spes inchoamus.* Hieronymus ad Gaudentium, *Vivimus quasi alterâ die morituri, & ædificamus quasi semper in hoc sæculo victuri*: ubi *vivimus*, est, in deliciis & gulæ voluptatibus agimus: imitatus est enim vir sanctissimus quæ Stratonicus de Rhodiis dixit, Οἰκοδομεῖν οἱ ἀθάνατοι, ὀψονεῖν δὲ ὀλιγοχρόνιοι· quæ extant apud Plutarchum in περὶ Φιλοπολυΐας.

Ibid. ἢ συνάξω ἐκεῖ πάντα τὰ γενήματά μου] Ἐκεῖ, nempe, εἰς τὰς ἀποθήκας. Sic οἶνον εἰς ἢ ἀποθήκην συνάγειν, Matth. 3. 12. ubi dicta vide. Hinc & Sirachid. 1. 21. γενημάτων ἀποδοχεῖα· id est, ἀποθῆκαι. Glossæ, *Segetibus*, καρποῖς, γενήμασι. Scriptor Sapient. 16. 26. γενέσεις dixit. Sic, *fœtus*, de terræ gignentibus, Lucretius & Virgilius: *alumnos terræ*, Horatius, & Apulejus.

Com. 19. ἐρῶ τῇ ψυχῇ, &c.] Est ferè quod καρδίαν ἐν εὐφροσύνῃ ἢ ἀγαθῷ παρέχειν, Ecclesiastæ 2. 1.

Ibid. πολλὰ ἔχεις ἀγαθὰ, &c.] Hoc est quod Psal. 61. 11. ἢ καρδίαν πλούτῳ προσιέσθαι. Sirachidis 5. 1. ἐπίσχες τοῖς χρήμασι, καὶ εἰπεῖν, ἀνάπαυσις μοι εἰς ζωήν ἐστιν. Eundem 11. 26. & Jobi 31. 25. vide. Proverb. 10. 15. *Substantia divitis urbs fortitudinis ejus.* Niobe apud Ovidium,

Sum felix; quis enim negat hoc? felixque manebo;
Hoc quoque quis dubitat? tutam me copia fecit.

Ubi *tutam me copia fecit*, est, πολλὰ ἀγαθὰ ἔχων *manebo felix*, respondet verbis contextûs nostri, εἰς πολλὰ ἔτη.

Ibid. εἰς ἔτη πολλὰ κείμενα] Q. d.

Est tibi permultos congesta frugis in annos
Copia. ——

Plena horrea securos menses spondent, ut alicubi Quintilianus locutus (Decl. 13.) Arrianus 4. 5. ex personâ eorum qui munitâ copiisque instructâ civitate tuti, deridentes circumsedentes se, Ἀσφαλὲς ἦσαν ἡμῖν τὸ τεῖχος, τροφὰς ἔχομεν εἰς παμπόλλου χρόνου· & Herodotus Clio, de Babyloniis, Προσεξάρτησε σιτίων ἐτέων πάντα πολλῶν, λόγον εἶχον τῆς πολιορκίης οὐδένα. Tacitus Annal. 16. de Romanis, quorundam absconditorum thesaurorum mendacio delinitis, *Gliscebat interim luxuria spe inani, consumebanturque veteres opes, quasi oblatis quas per multos annos prodigerent.* Quo loco si *quasi divinitus oblatis*, &c. legendum dixerim, nemo me temeritatis damnet. Apulejus, (assiduus Taciti imitator) Milesi. 10. *Oblatis ego divinitus dapibus affatim saginabar.* Κείμενα autem dixit Lucas pro ἀποκείμενα, quod secutus Vulgatus Interpres, *posita* pro *reposita* vertit. Vide suprà 11. 52.

Ibid. εἰς ἔτη πολλὰ] Hoc est quod Seneca Epist. 99 vocat, *opes latè disponere.* Idem Epist. 20. *Nos corpus putre sortiti nihilominus æterna proponimus, & in quantum potest status humana protendi, tantum spe occupamus.* Idem Consolat. ad Marciam, cap. 11. *In quantas cogitationes* (homo) *oblitus suæ conditionis venis! immortalia, æterna volutat animo, &c. cùm interim longa conantem mors opprimit.* Iterum Natur. quæst. lib. 5. *Permansura nobis promittimus bona Fortuna, & felicitatem, cujus ex omnibus rebus humanis velocissima est levitas, habituram in aliquo pondus & moram credimus.* Vide 4. 10. Marcum Antoninum.

Ibid. εἰς ἔτη πολλὰ] Jobus 29. 18. Εἶπα δὲ, ἐν ἡλικίᾳ μου γηρίσει ὥσπερ φοίνικος, πολὺν χρόνον βιώσω. Apud Terentium ille, Andr. 3. 5.

Posthac incolumem sat scio fore me, &c.

Ad quem locum Donatus, *Audaciter, &c. cùm vita hominum tam variis multisque sit periculis conferta.*

Ibid. εἰς ἔτη πολλὰ] Imò, quod tu non cogitabas, ὃν ἐχρῆν (ut Jacob. 5. 5. illi divites) ἡμέρᾳ· atque adeò in alium quàm putabas finem; ὀργὴν nempe (ut Rom. 2. 5.) ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς.

Ibid. ἀνάπαυε] *Quiesce, otiare.* Ephraim apud Oseam 12. 9. Πεπλούτηκα, εὕρηκα ἀναψυχὴν ἐμαυτῷ· id est, ἀναπαύσιν. Sirachides 31. 3. ἐν τῇ ἀναπαύσει ἐμπίπλασθαι τῶν τρυφημάτων vocat; & 41. 1, 2. ἐφηδόνιον, &c. καὶ ἐν τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτῷ ἀφεωρᾶσθαι. Apud Plautum ille,

Dehinc certum 'st otio me dare, satis partum habeo.

Adeò signanter heic post horrea stipata ἀνάπαυε additum. Horatius,

—— Hâc mente laborem
Sese ferre senes, ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cùm sibi sunt congesta cibaria. ——

Seneca de Brevit. vitæ cap. 4. *Audies plerosque dicentes, A quinquagesimo in otium recedam, sexagesimus annus ab officiis me dimittet.* Idem ibidem cap. 5. de Augusto Cæsare, *Omnis ejus sermo ad hoc semper revolutus est ut speraret sibi otium: hoc labores suos, etsi falso, dulci tamen oblectabat solatio, aliquando se victurum sibi. In quadam ad Senatum Epistola, cum requiem suam non vacuam fore dignitatis, nec à priore gloria discrepantem pollicitus esset, hæc verba inveni, Sed ista fieri speciosius quàm promitti possunt, me tamen cupido temporis optatissimi provexit, ut quoniam rerum lætitia morabatur adhuc, perciperem aliquam voluptatem ex verborum dulcedine.* Sequitur dein Senecæ epiphonema, *Tanta vis est res otium, ut illud quia usu non poterat, cogitatione præsumeret.* Et profectò ex magna parte sic vivitur: quotusquisque hujusmodi illectamentis non se inescari patitur? non in longinqua præmittit cogitationes suas? & aut otii aut felicitatis conceptæ simulacris non titillat se? quotusquisque non miscet secum colloquia ista,

Scilicet & morbi & debilitate carebis:
Et luctum & curam effugies, & tempora vitæ
Multa tibi posthac fato meliore dabuntur?

Quis

Quis vel è media plebe ſomniorum figmentis hiſce non ſe libens demulcet? quotuſquiſque non volens fruitur amabili inſaniâ iſtâ? Piſcator (vile mancipium) apud Comicum Rudent.

—— *Ubi liber ero igitur, domum inſtruam, agrum, ædes, mancipia:*
Navibus magnis mercaturam faciam, apud Reges Rex perhibebor.
Mox animi causâ mihi navem faciam atque imitabor Stratonicum,
Oppida circumvectabor; ubi nobilitas mea erit clara,
Oppidum magnum communibo, &c.

Philiſtion de mortuorum ædes inhabitantibus,

Τούτων ἕκαστος ἔλεγεν, Ἐς ὄψιος ἐγὼ
Πλούσιος, φυτεύσω, κήπους τοίχον ἄμφις.

Audiamus Senecam, *O quanta dementia eſt ſpes longæ inchoantium! emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram: tum demum laſſam & plenam ſenectutem in otium referam.* Imò non audiamus ſed & auſcultemus eum; id eſt, quæ ait imis ſenſibus reponamus: remota, & nunquam forſan ſecutura ſpe votóque præſumere deſinamus; fruamur præſentibus, diſcamus in diem vivere.

Dixerat inſipiens magna hic, vimque affore verbis
Crediderat, cælóque animum jam corde ferebat:
Canitiemque ſibi ac longos promiſerat annos;

cùm ignaro unius noctis interventu morti miſer applicatus eſt: ἐπέστρεψεν εἰς τὴν γῆν αὐτῶν, ἢ οἱ διαλογισμοὶ αὐτῶν ἀπώλοντο, Pſal. 146. 4. & dum ſtultiſſimâ longævitatis ſuæ perſuaſione totus integer diſtrictus eſt, rapitur

Illinc unde negant redire quenquam.

Ite nunc, mortales, & magnis cogitationibus implete pectora: ite cauti, & opes mille artibus partas per mille annos diſponite: hic nempe proximâ luce miratus eſt acervos ſuos, annos etiam quos voluptariè tranſacturus eſſet finxit animo: quàm longè ſtatim jacuit à deſtinatione ſua! ubi ardor animi? ubi impotentia ejus? res ſua reddebatur putredini, pabulum vermibus præbebat: & qui paulò antè jactabat copias divitiarum ſuarum, de tot cumulis præter loculum mortuus nil portabat ſecum. Hæc ſunt conſilia mortalium, hæc vota magnarum cogitationum.

Ibid. φάγε, πίε]

—— *Propera ſtomachum laxare ſaginis:*

bona enim congeſta habes εἰς πολλὰ ἔτη. Tales illi qui ſub hac μιμήσει in Latino Eſaiæ 56. 12. deſcribuntur. *Sumamus vinum, & inebriemur: & erit ſic cras, & multò amplius.* Comedere autem & potare in ſacris libris eam ſecuritatem notat quæ ſolet proximè exitium antecedere: ut 1 Reg. 16. 9, & 10. & ibidem cap. 20. 16, cùm ſeqq. Judic. 16. 26. Job. 1. 18. Daniel. 5. 5. Matth. 24. 37. & infrà hoc 21. 35. De Amalechitis jam ſtatim à Davide percutiendis 1 Sam. 30. 16. Καὶ ἰδοὺ ἦσαν διεσκορπισμένοι ἐπὶ προσώπου πάσης τῆς γῆς, ἐσθίοντες, καὶ πίνοντες, καὶ ἑορτάζοντες. De Babyloniis inſtante urbis vaſtatione Xenophon, Ὁ κύρος ἑορτὴν τοιαύτην ἐν Βαβυλῶνι ἦγεν εἶναι, ἐν ᾗ πάντες οἱ Βαβυλώνιοι ὅλην τὴν νύκτα πίνουσι καὶ κωμάζουσι. Rectéque hoc, quaſi perditionem comitantia, φάγε, πίε, poſt οἰκοδομήσω. Infrà 17. 18. de Gomorrhæis paulò pòſt delendis, Ἤσθιον, ἔπινον, &c. οἰκοδόμουν.

Ibid. εὐφραίνου] Horatius,

—— *In rebus jucundis vive beatus.*

Plaut. Bacchid.

Agatur ætas tua in malacum modum.

Eccleſiaſtes 1. 12. &, ut hoc loco, τῷ μίμῳ, Εὐφραίνου, &c. ἀγαθυνίσω ἡ καρδία ζω.

Ibid. φάγε, πίε, εὐφραίνου] Planè ut in Græco verſiculo,

Ψυχὴ, δίδυ ζοι γ' ἡδέως καθ' ἡμέρην.

Et in Milite Plautino,

Es, bibe, anime obſequere, atque onera te hilaritudine.

In ejuſdem Menechmis ille,

—— *Quod vitæ reliquum eſt*
Voluptate, vino & amore oblectavero.

Φάγε, πίε, εὐφραίνου hoc, ut 7. 9. Tobiæ, φάγε, πίε, καὶ εὐφραίνου γίνου. Sic & πίνειν, φαγεῖν, καὶ μηδὲν λυπεῖν ἑαυτὸν, Euripides in Cyclope dixit. Φαγεῖν autem, πίνειν, καὶ εὐφραίνεσθαι non hoc ſolùm juncta occurrunt, ſed & 2. 24. 8. 15. 9. 7. Eccleſiaſtæ: item 3 Eſdræ 9. 55. Sic & Cantic. 5. 1. φαγεῖν, πίνειν, καὶ μεθύσκεσθαι.

Com. 20. Ἄφρων, ταύτῃ τῇ νυκτὶ, &c.] Non (quod tu ſtultè tibi ſpondes) poſt annos multos, ſed hâc nocte ipsâ. Maximus Tyrius Diſſert. 31. de Procis Penelopes, Πίνουσι αἴγας κατίδοντες, ἀπαλῶν ἐρίφων ἁμπεπλαμένας, &c. ἀλλ' ὁ γνησιώτατος τῇ μέλλοντι λέγει,

Ἅ δειλοί, τί καπὸν τόδε πάσχετε; νυκτὶ μὲν ὑμῖν
Εἱλύαι κεφαλαί. ——

In Comœdia Plautina,

O ſtulte, ſtulte, neſcis nunc venire te,
Atque in eo ipſo adſtas lapide ubi præco prædicat.

Sic, cùm Nabuchodonoſor ſupra humanam ſortem efferret ſe, & inter opera manuum ſuarum jactabundus incederet, ἔτι λόγος (Daniel 4. 8.) ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ ἔτι ἦν, φωνὴ ἀπ' οὐρανοῦ ἐγίνετο, καὶ λέγεσθαι, ἡ βασιλεία σου ἀπῄρθη ἀπὸ σοῦ. Vide quæ 2 Reg. 5. 26. de Gehazi Eliæ famulo, & 2 Macchab. 9. 5. de R. Antiocho: adde Eccleſiaſtæ 9. 12. Diodorus Siculus, Τὸ δαιμόνιον ὥσπερ ἐπιτηδὲς τοῖς ὑπερηφάνοις διαλογιζομένοις τὸ τέλος τῶν καταλιπεσθέντων εἰς τὸν ναὸν μετεπέθηκεν. Ἄφρων heic, & 1 Cor. 15. 36. ut ſuprà 11. 40. ἄφρονες. Hoc loco autem vim habet Virgiliani illius,

Vane Lignm, fruſtráque animis inflate ſuperbis.

Sed & magis Simonidæi iſtius,

Κῦφον ἔχων θυμὸν, πολὺ ἀτέλεσε νοῦν.

Λέγων, Πεπλούτηκα, ἰδιωτὸς χρείαν ἔχω· καὶ ἐκ εἴδως ὅτι σὺ εἶ ὁ ταλαίπωρος, καὶ ὁ ἐλεεινὸς, καὶ πτωχὸς, &c. Apoc. 3. Ἄφρων porrò in hac materia ſignatiſſimè Jerem. 17. 11. Ἐν ἡμίσει ἡμερῶν αὐτοῦ ἐγκαταλείψει αὐτὸν (πλοῦτος) καὶ ἐπ' ἐσχάτων αὐτοῦ ἔσται ἄφρων· id eſt, patebit quàm ſtultæ & futiles erant ſpes ejus.

Ibid. ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ] Q. Curtius lib. 9. *Ne pigri quidem ſibi fata diſponunt, ſed unicum bonum diuturnam vitam æſtimantes, ſæpe acerba mors occupat:* ubi & *pigros* ex verbis ibi præcedentibus expone, qui per otium corporis ſenectutem exſpectant: quod ſtultum de quo hic agitur feciſſe oſtendunt verba illa, Ψυχὴ, πολλὰ ἔχεις ἀγαθὰ εἰς ἔτη πολλὰ κείμενα, ἀναπαύου, &c.

Ibid. ταύτῃ τῇ νυκτὶ] Dio Chryſoſtomus, Φέρε, ὦ μάταιε, τί ἐν πάντα σοι ἔχει τῷ τρόπον· ἀλλὰ τοῦτο εἰς τὴν ἐκείνου ἡμέραν βιώσασθαι δύνα ἔχεις πίστιν; Horatius,

Quis ſcit an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Di ſuperi? ——

Seneca 24 Epiſt. *Hunc ipſum quem agimus diem cum morte dividimus.* Vide Jacobum 4. 13, 14. & quæ ibi annotata. Ταύτῃ τῇ νυκτὶ, locutio eſt, quâ quod imminet, vel tantùm non inſtat, ſignificari ſolet. Matth. 26. 34. Joſephus Antiquit. 6. 14. de Davide, Ὁμοίως ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ τὴν αὐτοῦ οἴκου, &c. ἀφανίζειν. Juvenalis,

—— *Infelix ut forſitan ipsâ*
Nocte cadat. ——

Seneca, ubi de terræ motibus, *Hunc forſitan in quo ſonorus conſiſtis locum hæc nox,* &c. *ſcindet.*

Ibid. τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ]

Cedes coëmptis ſaltibus, & domo
Villâque purus quam fluvius lavit
Cedes: & exſtructis in altum
Divitiis potietur hæres.

In voce ἀπαιτοῦσιν (pro impersonali, ut infrà com. 48. αἴρουσι poſita) tranſlatio eſt à rebus mutuum datis, vel commodatis ſumpta.

Digitized by Google

ſumpta. Plutarchus in de Conſolat. Μειράδιον χρὴ εἶναι λέγεται τὸ ζῆν, εἰς ὃ κατοδυσόμενοι. Et pòſt, Ὁ καταβλητίων, &c. ὅταν ὁ δανείσας αἰτῇ. Scriptor Sapient. 15. 8. Μετ' ὀλίγον παραδίδται ἐξ ἧς ἐλήφθη, τὸ δὲ ψυχῆς αἰτηθὲν χρέος. Horatius, *Poſcit Quintilium Deos:* ubi vetus Scholiaſtes, *Poſcit, tanquam creditum: unde homines animas reddidiſſe dicuntur, tanquam quas ad hoc ceperint ut reſtituerent.* Propertius,

——— *Vitam mea fata repoſcent.*

Seneca lib. de Tranquill. animi cap. 11. de ſapiente, *Vivit commodatum ſibi, repoſcentibus ſine triſtitia redditurus.* Virgilius 11.

Injecere manum Parcae: ———

ubi Servius, *Traxerunt velut debitum ſibi.* Phædrus,

Et mors vicina flagitabit debitum.

Artemidorus 3. 4. Δάνειον τῷ ζῆν τὸν αὐτὸν λόγον ἔχει. ὀφείλομεν γὰρ καὶ τὸ ζῆν τῇ τοῦ ὅλου φύσει, ὡς καὶ τὸ δάνειον τῷ ἐγχειρίσαντι.

Ibid. ἃ δὲ ἡτοίμασας τίνι ἔσται;] q. d. *Quid exultas? iſta quibus veheris in ſummum, neſcis ubi te relictura ſint: habebunt ſuum, non tuum finem:* ſunt verba Senecæ Præfat. lib. 3 Nat. quæſt. Maximian.

Conſervaſti aliis qua periere tibi.

Trades ei cui placuit Deo, Eccleſiaſtes 2. ult. *Homo extraneus vorabit ea*, ut apud Eundem 6. 2. ſimili argumento. Vide & Job. 27. 16, 17. D. Auguſtinus in Pſal. 48. de quovis divite, *Multum auri, multum argenti, multum prædiorum, multum mancipiorum habet: remanent illa neſcio quibus.* Ità Pſalmiſta 38. 7. *Theſaurizat, & ignorat cui congregat ea.* Menander,

Ἀλλ' ὦ δυσθανῆς, ταῦτα καταλείψεις τίνι;

ταῦτα, id eſt, τὰ χρήματά σου. Philiſtion,

——— Μετὰ ταῦτα εὐθὺς ἐμβὰς θανεῖν,
Ἅλλοις καταλείψας εἰς τροφὴν τἀμὰ ἐᾶσαι.

Sirachides 11. 18. in re pari, καταλείψει αὐτὰ ἑτέροις. Vide & Eundem 14. 4.

Com. 21. Οὕτως] Supple ἔσται. *Ità erit*, id eſt, ità fiet, aut, continget illi.

Ibid. καὶ μὴ εἰς θεὸν πλουτῶν] Sic, εἰς θεὸν μετανοεῖν, Ignatius ad Smyrnenſes dixit: εἰς τὸ κοινὸν πλουτεῖν Philoſtratus 2. 4. de Apollonii vita: & Galat. 6. 8. Apoſtolus, εἰς τὸ πνεῦμα σπείρειν. Πλουτεῖν εἰς θεόν, eſt quod Prov. 19. 17. θεῷ δανίζειν· id eſt, (ut eodem loco) πίστεως ἔλεον, quod 1 Tim. 6. 17. καλοῖς ἔργοις πλουτεῖν· ad quem locum annotata conſule. Matth. 6. 19. ἐν ἀργυρῷ θησαυρίζειν dicitur. Vulgatus heic, *in Deum dives:* Recentior, *in Deo dives:* ego, *Deo dives.* Sic & Scriptor elegantiſſimus Minucius in Octavio. Lactantius 5. 14. *Nemo Deo pauper eſt niſi qui juſtitiâ indiget, nemo* (ei) *dives niſi qui virtutibus plenus eſt.* Ità, *liberis, amicis, propinquis*, &c. *dives*, apud Ciceronem 3 de Officiis: &, *militem Deo glorioſum*, fortaſſe Tertullianus dixit, (libello de Corona militis.) *Fortaſſe* dixi, quia *militem in Deo glorioſum* habent omnes excuſi libri.

Ibid. καὶ μὴ εἰς θεὸν πλουτῶν] Μεθ' ἕν (ut ſuprà 11. 23.) ὁ μὴ συνάγων, σκορπίζει. Εἰς θεὸν, eſt, εἰς τὰ τῷ θεῷ ἀρέσκοντα· quorum inter præcipua numerari poſſunt debèntque miſericordiæ opera.

Com. 22. μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν τί φάγητε, &c.] Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἔ. *Ad Deum*, &c. *ſuſpenſus quiſquam de alimento multum cogitabit?* Vide ad Matth. 6. 25. dicta.

Ibid. μηδὲ τῷ σώματι τί ἐνδύσησθε] Vide dicto Matthæi loco annotata.

Com. 23. ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς] Hierocles, Εἰ τὸ χρώμενον τῷ σώματι ἐστιν ἡ ψυχὴ, τὸ δὲ σῶμα ὀργάνου τάξιν ἐπέχει (melius ἔχει) πρὸς αὐτὴν, τῷ δὲ ὀργάνῳ χαίρειν τὰ ἄλογα πρὸς βοήθειαν τῆς φύσεως αὐτῷ φύσεως ἐξευρημένα, δῆλον ὡς δεῖ ἡγουμένην καὶ πρώτως μεταχειριζομένην τε καὶ πρώτην δεῖ ποιεῖσθαι τὴν ἐπιμέλειαν, δευτέρως δὲ καὶ τὸ σῶμα. Vide ad Matthæum allata.

Com. 24. οὐ σπείρουσι, οὐδὲ θερίζουσιν] Vide ad Matthæum allata.

Ibid. καὶ ὁ θεὸς τρέφει αὐτούς] Ælianus 11. 31. de Animalibus, Ἴδιον ἄρα τῶν ζώων καὶ ἐπαινῶ ἀγαθὸν πρόνοιαν αὐτῶν καὶ οἱ θεοὶ ποιοῦνται. Vide dicto ad Matthæum loco.

Ibid. πόσῳ μᾶλλον ὑμεῖς διαφέρετε τῶν πετεινῶν] Matth. 12. 12. πόσῳ διαφέρει ἄνθρωπος προβάτου; Vide ad Ejuſdem 6. 26. notata. Apulejus in De Socratis Deo, *In qua* (de Terra loquitur) *præcipuum animal homines ſumus.* Idem in de Platonis dogmate, *Omnium terrenorum nil homine præſtantius.* Cicero Tuſcul. 5. *Ut beſtiis aliud alii præcipui à Natura datum eſt*, &c. *ſic homini multò quiddam præſtantius.* Solinus cap. 3. *Animal quod Natura*, &c. *præpoſuit omnibus.* Seneca 6. 23. de Beneficiis, *Inter maxima rerum ſuarum Natura nihil habet quo magis glorietur.* Philo lib. Quòd mundus incorruptibilis, Ἐν σπουδῇ γὰρ ἔθηκε τὸν χειρώνακτον αἰῶνον ἀεὶ καὶ ἡγεμονικόν. Ità & libro Ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ. Eundem τῶν ζώων ἄριστον vocat.

Com. 25. Τίς ἢ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν πῆχυν ἕνα;] Vide ad Matthæum. Μεριμνῶν Vulgatus *cogitans* vertit, notatúrque (at immeritò) à nuperis quaſi minus dixerit. Gloſſarium, Μεριμνῶ, *cogito, ſollicito:* puto *ſollicitus ſum* legendum. In alio Gloſſario, *Cogitat*, ἐνθυμεῖται, μεριμνᾷ, &c. Sic & Seneca *animum omnis cogitationis* (id eſt, ſollicitudinis) *expertem*, cap. 17. ad Helviam dixit.

Com. 27. Καταμάθετε τὰ κρίνα]

——— *Rerum magnarum parva poteſt res*
Exemplare dare, & veſtigia noſtitiæ.

Κρίνα hîc quoſvis flores intellige. Virgilius 6.

——— *Et candida lilia circum*
Funduntur: ———

ubi Servius, *Lilia pro quibuslibet floribus: ſpecies pro genere.*

Ibid. οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλλετο ὡς ἓν τούτων] Sirachides 40. 22. Χάρις καὶ κάλλος ἐπιθυμήσει ὀφθαλμός σου, καὶ ὑπὲρ ἀμφότερα χλόη σπόρου. *Provocat quidem luxuria* (ut olim Plinius 21. 8. dixit) *veſtibus eos flores qui colore commendantur; nulla ars* autem (ut & verè Cicero in de N. D. ſcripſit) *Natura poteſt ſolertiam imitari.* Philoſtratus de eadem loquens in Iconibus, Δῶτα τέχνης οὐδὲν, ἔργα δὲ τέχνης ἀρχὴ καθέστηκε. Claudianus de Zephyro.

Sanguineo ſplendere roſa, vaccinia nigro
Induis, & dulci violæ ferrugine pinxit.
Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis
Regales vinctura ſinus? quæ vellera tantum
Duibus Aſſyrii ſpumis fucantur aheni?

Quibus adde quæ ex Eodem & aliis ad Matthæum dicta. Σολομὼν ἐν δόξῃ αὐτοῦ heic, planè ut apud Senecam Epiſt. 114. *Mecænas in cultu ſuo*: qualis infrà heic 16. 19. πορφύρᾳ καὶ βύσσῳ. & Actor. 12. 21. ἐσθῆτι βασιλικῇ. In additamentis Eſtheres 15. 6. πᾶσαν τολμὴν καὶ ἐπιφανείας αὐτοῦ ἐνεδύσατο· id eſt, ut hoc Lucæ loco, πᾶσαν δόξαν αὐτοῦ. Hinc Eſai. 3. 18. δόξαν δὲ ἱματισμοῦ, & ſuprà hic 7. 25. ἱματισμὸς ἐνδόξῳ. Περιβάλλεσθαι autem, extra communem ſuum reſtringi peculiari quodam ſignificatu ſolet ad ſpecioſum amictum: vide citatum Eſtheris cap. com. 1. Apocal. 17. 4. 18. 16. & 19. 8. In epiſtola Jeremiæ, Περιβεβλημένων ἱματισμὸν πορφυροῦν. Chryſoſtomus homil. 22. ad Antiochenos, Πολυτελῆ φορεῖτε ἱμάτια, πολλὴν περιβεβλημένοι τὴν φαντασίαν. Eo ſenſu & Sirachides 11. 3. περιβολὴν ἱματίων dixit.

Com. 28. τὸ χόρτον ἐν τῷ ἀγρῷ, σήμερον ὄντα, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον, &c.] Sic de fluxis hujus vitæ bonis Gregorius Nazianzenus,

Τῶν σήμερον μὲν ὄντων,
Εἰς αὔριον δ' ἀπόντων.

Ad ſenſum noſtri contextûs Plinius 11. 21. *Natura flores*, &c. *in diem gignit.* Ovidius,

Quàm longa una dies, aſt tam longa roſarum.

Philoſtratus de pratis (i. e. floribus pratorum) loquens, Εἰ καλὸν καὶ γαργάλεια, ἀλλὰ μιᾶς ἡμέρας.

Ibid. ὁ θεὸς οὕτως ἀμφιέννυσι] Theophilus Antiochenus 2. Κατεσόμενοι (τινὲ γῆν) ὁ θεὸς δὲ παντοδαπῶν χλοῶν, &c. καὶ φυτῶν σπόρῳ, &c. τινὲ ἐν τούτοις ποικιλίαν, διάφορον κάλλους, καὶ πληθύν. Philo lib. Quòd mundus incorruptibilis, eodem argumento, Καὶ τὰς τῶν χρωμάτων ἀμυθήτους ἰδιότητας (ὑπὸ θεοῦ) τέχνῃ δαιμονίῳ πεποικιλμένας.

Com. 29. μὴ ζητεῖτε, &c. τί φάγητε] Saluſt. *Cibus vobis adversùs famem & ſitim, non libidini neque luxuriæ ſit.* Vide heic ad Matthæum dicta. ἐθίσατε τὸ παραπλήσιον ὑμῖν ſuprà 10. 8. habuimus.

Inventis

Inuenies utére cibis, - -
Claudianus dixit.

Ibid. Καὶ μὴ μετεωρίζεσθε] Subaudi, ταῖς ψυχαῖς. Nonnus ad Joh. 14.

Μὴ νόος ὑμμείων δεδονημένος ἄσχετος εἴη.

Palpitantibus ne vivite praecordiis, ut locutus Seneca Epist. 74.

- - *Nec trepides in usum*
Poscentis aevi pauca, - -

Horatius dixit. Et mentem quidem hanc esse Christi nequaquam dubitandum. Quomodo autem sententiæ tali congruat τὸ μετεωρίζεσθαι videamus an demonstrare poterimus: de vocis enim ratione nemo hactenus satisfecit nobis. Μετεωρίζεσθαι, vel, ἐν μετεώρῳ εἶναι, dicebantur naves ex quæ uni vel etiam pluribus anchoris innixæ, nunc sursum, nunc deorsum ferebantur pro undarum impetu. Polybius apud Suidam in τετάρτῃ, Τὰ πλεῖω τῶν πλοίων μετέωρα διὰ τὰ τενάγη ἐκπεσάλευε. Dio Cassius apud Suidam eundem, Τὰ κουφότατα τῶν πλοίων πρὸς τῇ γῇ ὥρμει, τὰ δὲ πλεῖω καὶ μαῖζω μετέωρα, &c. ἐκπεσάλευεν. Suidas ipse in μετέωρος, &c. Μετέωρος νῆις παρὰ Θευκυδίδῃ ἀντὶ τοῦ, πελαγίας, καὶ μὴ ἐπ' ἀγκύραν ἱσαμένας. Scribe, καὶ ἐπ' ἀγκύραν ἱσαμένας. Sic enim alibi idem, Ἐν μετεώρῳ ἦν ἡ ναῦς, ἀντὶ τοῦ, πελάγιος, καὶ ἐπ' ἀγκύραν ἱσαμένη. Hesychius ad Poetæ illud,

Τ' ὄφι δ' ἐπ' εὐναίων ὁρμήσαμεν - -

Μετέωρον αὐτὴν ἐπὶ τῶν ἀγκύρων ὁρμήσαμεν. Moschopulus, Σαλεύειν κυρίως ἐπὶ νηὸς λέγεται, ὅταν ἐπ' ἀγκύρας κινῆται καὶ ἀσχετῇ ὑπὸ τῶν κυμάτων ταραττομένῃ· ubi σαλεύειν nil aliud est quam μετεωρίζεσθαι. D. Augustinus in Psalm. 54. *Fluctuat* (i. e. μετεωρίζεται) *navis in anchoris*. Idem in Psalm. 64. *De navi quæ in anchoris est recte dicimus, quod in terra fit, adhuc tamen fluctuat*: id est, σαλεύει, μετεωρίζεται. Plutarchus in περὶ τῆς εἰς τὰ ἄλογα Φιλοσοφ. de bestiis loquens, Χρώμενα πλόαις καὶ περιδρομαῖς πολλαῖς, οὐ μακρὰν, ἀλλ' ὡς ἐπ' ἀγκύρας τῆς Φύσεως σαλεύει. Ex quo fortasse D. Basilius Hexaem. Homil. 7. de marino echino, Ὅταν προΐδῃ ταραχὴν ἐξ ἀνέμων, ψηφίδα τινὰ ὑπελθὼν γναισίαν, ἐπ' αὐτῆς, ὥσπερ ἐπ' ἀγκύρας βεβαίας, σαλεύει. Pollux 1. 9. §. 12. Ἐπ' ἀγκύρων ὁρμισάμεθα, μετέωροι ὁρμισάμεθα, ἐκπεσαλεύομεν. Synesius in Epistolis, Ἡ ναῦς ἐπὶ μετεώρων ἐσάλευεν· & post, ἐσάλευεν ἐπὶ μιᾶς ἀγκύρας. A jactationibus hujusmodi metaphora sumpta μετεωρίζεσθαι dicuntur ii qui mente fluctuant. Hinc 2 Maccab. 5. 17. de Antiocho, τὴν διάνοιαν ἐμετεωρίζετο· apud Josephum Bello Jud. 7. 29. μετέωρον εἶναι καὶ πραδαίνεσθαι· & apud Suidam, (fortasse ex eodem) μετέωροι, καὶ πρὸς τὸ μέλλον σαλεύοντες. Cicero 15. 14 ad Atticum, *Ita sum meteorus, & magnis cogitationibus impeditus*. Hinc & *falso cogitationum fluctuare*, Apulcius: ad cujus lib. 4. pag. 183. annotata vide. Vulgatus isto Lucæ loco, *nolite in sublime tolli*, si quid video, commodissime. *In sublime tolli*, nempe ut fluctus, (unde Jacob. 1. 6. ὁ διακρινόμενος ἔοικε θαλάσσης κλύδωνι· & apud Plinium lib. 6. Epist. 31. de dorso saxeo, *Impactos fluctus in immensum elidit, & tollit*:) vel, (quod malim) ut qui à fluctibus in sublime tolluntur. Juvenalis 14.

Quam tu Corycia semper qui puppe moraris,
Atque habitas Caro semper tollendus & Austro.

Ubi *tollendus* μέλλων μετεωρίζεσθαι. Sic Joh. 10. 24. idem Vulgatus, *Quousque animam nostram tollis?* id est, ut hoc loco, *in sublime tollis?* Petrus Chrysologus Serm. 81. *Nunc spiritus eorum tollebatur ad altum*, melius *in altum* legas) *nunc animi eorum collidebantur in terram*. Seneca de Vita beata cap. 28. *Turbo quidam animos nostros rotat & involvit*, &c. *& nunc in sublime allevatos, nunc in infima allisos rapit*. Τὸ μετεωρίζεσθαι ad sensum Christi non male vertas, *in futurum prominere*, vel, *ex futuro suspendi*. Cicero, *Qui exspectat, pendet animi*. Idem 1 Tuscul. Quæst. *Pendemus animi, cruciamur*, &c. Sic, *pavidis mentibus pendere* (i. e. μετεωρίζεσθαι) Lucretius dixit, & Seneca epist. 5. *pendentem animum futuræque exspectatione sollicitum*. Idem 101. Epist. *Quomodo effugiemus hanc voluptationem? uno, si vita nostra non prominebit*, &c. *ille enim ex futuro suspenditur cui irritum est præsens*: & alibi, *In spem tota prominent, semper instabiles mobilesque, quod necesse est accidere pendentibus*. Quin & Plinius cum lib. 6. epistolarum dixit, *Pendeo, & exerceor spe, atque afficior metu*, circumlocutus est quod uno verbo Græce μετεωρίζομαι dicas. Plutarchus in de exilio, Οἱ τῷ μέλλοντος ἐκπεμπόμενοι, &c. ὡς ἐπὶ σχεδίας διαφέρονται τῆς ἐλπίδος. Horatius,

- - *Nec fluitem dubia spe pendulus hora.*

Ubi *pendulus fluitare* videtur ipsum id esse quod hoc μετεωρίζεσθαι.

Com. 30. Ταῦτα γὰρ πάντα τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου ἐπιζητεῖ] D. Hieronymus ad Eustochium, *Cogitatio vitiorum spinæ sunt fidei, radix avaritiæ, cura Gentilium*. Irenæus 4. 49. *Unde domus in quibus habitamus, vestimenta quibus induamur*, &c. *nisi ex his quæ cum Ethnicis essemus acquisivimus? vel ab Ethnicis parentibus, aut cognatis, aut amicis*, &c. *accepimus?*

Ibid. Τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου] Quæ 1 Esdræ 8. 87, & 92. τὰ τῆς γῆς ἔθνη vocantur.

Ibid. Τμῶν ὁ πατὴρ οἶδεν ὅτι χρῄζετε τούτων] Andronicus Rhodius 10. 10. Οὐκ εὔλογον, μὴ δεῖσθαι τῶν τοιούτων ἄνθρωπον ὄντα, ἃ γὰρ αὐτάρκης ἡ Φύσις τὰ τοιαῦτα. Aristides Rhetor, Ἑσθῆτος, καὶ σκέπης, καὶ τροφῆς δεόμεθα.

Com. 31. Πλὴν ζητεῖτε τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ] Q. d. μὴ περὶ τοσούτων ἐκείνων τυρβάζεσθε· ἓν τοῦτο ἀναγκαῖον.

Ibid. Καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν] Exemplum Solomo 2 Par. 11. 12. In fragmentis Diodori Siculi, de Arsace Rege, Ἐπιείκειαν καὶ Φιλανθρωπίαν ζηλώσας, αὐτομάτην ἔσχε τὴν ἐπιβροὴν τῶν ἀγαθῶν.

Com. 32. Μὴ Φοβοῦ, τὸ μικρὸν τοίμνιον, ὅτι εὐδόκησεν ὁ πατὴρ δοῦναι ὑμῖν τὴν βασιλείαν] Vobis pauperculo & despecto gregi (id enim heic μικρὸν, ut & Matth. 18. 6.) paratum regnum est. Et hoc est quod 5. 3. Matthæi τῶν πτωχῶν ἡ βασιλεία, &c. In Psalmo qui in Græcis sequitur Ps. 150. οἱ ἀδελφοί μου καλοὶ καὶ μεγάλοι, καὶ ἐν εὐδόκησεν ἐν αὐτοῖς Κύριος. Adde Jacob. 5. D. Augustinus in Ps. 71. de Christianis, *Etsi videntur hoc seculo contemptibiles, nomen eorum coram ipso est honorabile*. Τμῖν τὴν βασιλείαν δοῦναι, est quod supra 10. 20. ad eosdem, γράψειν τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Cum hereditatem æternam (inquit) destinaverit vobis, quanto magis brevis ævi istius subsidiis vos instruet? Similis Rom. 8. 32. Apostoli argumentatio.

Ibid. Εὐδόκησεν] Hesychius, Ἠυδόκησεν, ἠθέλησεν.

Com. 33. Πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα ὑμῶν] Non deest inter summe eruditos qui hoc modo exponit, Vendite, nempe potius quam immisericordes sitis. Ego absolute, hoc est, præcise, acceperim. Vide Matth. 19. 21.

Ibid. Ποιήσατε ἑαυτοῖς βαλάντια μὴ παλαιούμενα] Quod Joh. 6. 27. ἐργάζεσθαι βρῶσιν μένουσαν μὴ ἀπολλυμένην. Seneca 31 Epist. *Quærendum est quod non fiat indies deterius*. Βαλάντια μὴ παλαιούμενα hic, ut apud Philonem ἀγαθὰ γνήσια, ἃ χρόνῳ παλαιούμενα· & Isocratem in de Regno, δωρεαὶ αἷς ἐὰν σΦόδρα χρήσῃ (τις) &c. οὐ κατατρίψει, ἀλλὰ μείζους καὶ πλείονας ἀξίας αὐτὰς ποιήσει. Ita & nescio quis inter Græcos veteres,

Ἀρετὴ δ' ὅσῳ περ μᾶλλον χρῆσθαι θέλῃς,
Τόσῳ δὲ μᾶλλον αὔξεται τελειμένη.

Vide & Themistii locum ad Matth. 6. 20. adductum. Beneficentiam Christus comparat heic Crumenæ, alii (discrimine exiguo) Indumento non veterascenti. Agapetus, Γ'μάτιον ἀπαλαιότον ἐςι τὸ τῆς εὐτονίας περιβόλαιον, καὶ ἀδιάΦθορος ςολὴ ἡ πρὸς τοὺς πένητας ςοργή. Lactantius 6. 13. *Danda opera ut indumento justitiæ pietatisque velemur, quo nos exuat nemo, quod nubit sempiternum præbet ornatum*: id est, κόσμον ἀπαλαίωτον. Symmachus 10. 29. *Aurum & oculorum fructus caducus, largitatis æternus*. Hunc locum claudam iis quæ ad hæc Christi verba ingeniose P. Chrysologus annotavit, *Vidisti, Domine, quia in thesauris tota fides, tota spes in saeculis sit avaris: & ideo in cœlis sæculos vis parari, ut qui te non sequitur ad cœlum, sequatur saltem sæculos suos*.

Ibid. Βαλάντια μὴ παλαιούμενα] Contraria apud Juvenalem *deficiens crumena*. Σαθρὰ τῶν βαλαντίων habemus apud Lucianum, & Diogenem Laertium: &

- - πήρην
Πυκνὰ ῥαγαλέην - - apud Homerum.

Ibid. θησαυρὸν ἀνέκλειπτον]

Qui non deficit, incipitque semper. Martialis.

Qui nec à patre hereditarius est, &c. *nec à corpore caducus, nec ab ætate mutabilis*. Apulcius. Iste est thesaurus ille quem ὑπερξὶν μένουσαν Scriptor ad Hebræos vocat: Petrus κληρονομίαν ἄΦθαρτον, ἀμίαντον, ἀμάραντον· Lucas alibi τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἥτις οὐκ ἀΦαιρεθήσεται. Vide 6. 12. Lactantium.

Ibid. Θησαυρὸν ἀνέκλειπτον] Ita Sapientiam θησαυρὸν ἀνεκλιπῆ 7. 14. Scriptor Sapient. vocat, & 8. 18. πλοῦτον ἀνεκλιπῆ.

Ibid. Ἐν τοῖς οὐρανοῖς] Hic sensus etiam Augusti Imperatoris, qui in Epistola ad Tiberium, *Benignitas mea me ad cælestem gloriam evehet*.

Ibid. Ὅπου κλέπτης οὐκ ἐγγίζει] Quod infra com. 39. οὐκ ἔρχεται. Matth. 6. 19. ἀ διορύττει. Ἐγγίζειν hoc in argumento adrepit,

adrepit, vel *obrepit*, verterim. Gellius 11. 18. *Quod furandi ſolertia acueret obſirmaretque animos ad vigiliarum tolerantiam, & ad obrependi celeritatem.*

Com. 35. *Ἔστωσαν ὑμῶν αἱ ὀσφύες ὑμῶν περιεζωσμέναι*] Id eſt, ut infra com. 40. *γίνεσθε ἕτοιμοι*· qui enim prompti paratique ſunt, habent lumbos præcinctos. Ita *διηκυλίσθαι*, quod (explicante Heſychio) ſignificat *τοὺς δακτύλους τῇ τοῦ ἀκοντίου ἀγκύλῃ ἐνεῖραι*, ponitur etiam, eodem teſte, *ἀντὶ τοῦ, ἕτοιμον εἶναι*. In Gloſſario, *Περιζωννύω*, *accingo*, *circumcingo*, *præcingo*. *Ὀσφύες* heic, ut Epheſ. 6. 14. & 1 Per. 1. 13. *τῆς διανοίας* intellige.

Ibid. *Καὶ οἱ λύχνοι καιόμενοι*] Quæ heic de præcinctis lumbis & accenſis lychnis occurrunt, habemus etiam apud Ariſtophanem, apud quem feminarum chorus,

Ἡμᾶς τοίνυν μετὰ ταῦτ' ἤδη τὰς λαμπάδας ἀψαμένας χρὴ
Συζωσαμένας εὖ κ' ἀνδρείως, &c.
Ζητεῖν, &c. - -

Ibid. *Πότε ἀναλύσει ἐκ τῶν γάμων*] Sic, *ἀναλύειν ἐξ ᾅδου*, 2. 1. apud Sapient. Scriptorem, & (quod propius argumento loci iſtius accedit) *ἀ cœna ἀναλύειν*, 3. 3 Eſdræ; item, *ἐκ συμποσίου ἀναλύειν*, in tertio Maccabaico. *Ἐκ τῶν γάμων*, à cœna nuptiali. (Vide quæ de voce *γάμος* infra 14. 8. annotamus) Ita, *è convivio nuptiali remeare*, lib. 6. Apuleii.

Com. 37. *Ἐλθὼν*] Id eſt, ut præced. commate, *ἐκ τῶν γάμων ἀναλύσας*.

Ibid. *Παραζώσεται*] Hoc prævium eſt ei quod heic ſequitur, *αὐτοῖς διακονήσει*. P. Chryſologus Serm. 24. *Cingulum eſt proprie indicium ſervitutis, quod & diſcurſus expeditos reddat, & faciat obſequentes.*

Ibid. *Ἀνακλινεῖ αὐτούς*] Pro *ἀναπλίνειν ποιήσει αὐτούς*, ut Marc. 6. 39. Sic Heſychio *Ἐπέβησεν* exponitur, *ἐκβῆναι ἐποίησεν*. *Παρακλίνειν* eodem ſenſu quo hic *ἀνακλίνειν* habemus apud Plutarchum in Sapient. Convivio.

Ibid. *Καὶ παρελθὼν διακονήσει αὐτοῖς*] Id eſt, *καὶ διακονήσει αὐτοῖς*· vox *παρελθὼν* enim potius elegantiam ornatumque habet, quam ſignificationem. Sirachides 23. 33. *Παρελθὼν πόρρωθεν τράπεζαν*. Sic infra heic 17. 7. *παρελθὼν ἀνάπεσον*. Lucianus in de Gymnaſiis, *Παρελθὼν ὁ παῖς*, &c. Arrianus 2. 3. in Epictetum, *Βυθιζομένῳ τῷ πλοίῳ παρελθὼν ἁπαίρας τὰς σκεύας*. Ita & 1. 29. & 2. 2. idem Arrianus loquitur. In Teſtamento Indicro, &c. *Cecus dixit, Tranſi puer, affer mihi*, &c. *cultrum*: ubi *tranſi* abundat.

Com. 38. *Καὶ ἔρχῃ ἅπτω*] *Quales* enim *invenerit nos Dominus cum vocat, tales paritur & judicabit.* Sunt verba D. Cypriani Serm. de Mortalit. Poſt *ἅπτω* ſupple *ποιοῦντα*· Vigilantem nempe. Sic infra heic 22. 26. *ὑμεῖς δὲ οὐχ ἅπτως* & Col. 3. 13. *οὕτω καὶ ὑμεῖς*. Ita & poſt *οὕτω* Matth. 5. 19. *ποιῇ*, & Matth. 9. 33. *τετυμμένον* ſupplendum. Plenior infra heic com. 43. Luc. 22. 13. & 24. 24. locutio occurrit. Arrianus 4. 10. in Epictetum, *Διὰ πάντας ἀνθρώπους, καὶ ἀνέγκλητα πάντα ποιοῦντας εὑρεθῆναι*, &c. Quæ cum vera ſint, demus operam ne cum id tempus advenerit, inveniamur aut male, aut aliud, at hoc agentes.

Com. 39. *Τοῦτο δὲ γινώσκετε*] De hac loquendi forma vide ad 2 Tim. 3. 1. dicta.

Ibid. *Ἐγρηγόρησεν ἄν, καὶ οὐκ ἂν εἴασε διορυγῆναι τὸν οἶκον αὐτοῦ*] Faceret ut apud Apuleium ille, qui vigilans, & ſingula rerum ſentiens, &c. paulatim arrepſit, grandique clavo manum latronis ad oſtium affixit: patibulatumque relinquens eum, à tecto voce contenta clamavit, rogans vicinos, eoſque ſalutis communis admonens. *Διορυγῆναι*, *perfodi*: hinc *perfoſſores* Latinis. Vide ad Matth. 6. 19. dicta.

Com. 40. *Γίνεσθε ἕτοιμοι*] Imitamini reniges illos, qui

- - *Tenſam ante tenentes,*
Parebant, obſervantes portiſculus' ſignum
Cum dare cœpiſſet. - -

Paratum habetote pretium; non ſemper quidem exigemini, tamen ſemper debetis. Seneca c. 10. Conſol. ad Marc. *Oportet nos in promptu habere quæ in incertum diem data ſunt: inter hæc licet & corpus, hoc eſt, vitam, numeres.* Idem ad Polybium c. 30. *In procinctu ſtet animus*, &c. *quod incertum eſt, ſemper exſpectes.* Idem de cauto Imperatore (c. 26. de V. B.) loquens, *Nunquam ita paci credit, ut non ſe præparet bello: quod etiamſi non geratur, indictum eſt.* Sedulius ad 1 Cor. 1. *Ille vere exſpectat adventum Domini qui in omnibus præparatus eſt.*

Ibid. *Γίνεσθε ἕτοιμοι*] Heſychius, *Ἕτοιμος, εὔτρεπος, αὐτρεπισμένος, ταχύς*· ubi pro *εὔτρεπος*, ni fallor, *εὐτρεπὴς* legendum. Sic infra idem Heſychius, *Εὐτρεπὴς, ἕτοιμος.*

Ibid. *Ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε*, &c.] Eccleſiaſtes 9. 12. *Οὐκ οἶδεν ὁ ἄνθρωπος τὸν καιρὸν αὐτοῦ*. Euthymius ad Matth. 24. *Propterea & communem omnium finem, & cum qui cuique proprius eſt, fecit Deus ut ignorarent: ne ad illud ſolum tempus vigilarent, omne reliquo male viventes: ſed & cum incertus ſemper ſit finis, ſemper illum exſpectent, ſemper ſint ad certamen parati.* Vide & Apoc. 3. 3.

Com. 41. *Πρὸς ἡμᾶς τὴν παραβολὴν ταύτην λέγεις, ἢ καὶ πρὸς πάντας*;] Non hæc de nihilo: ſunt enim quædam ita ad paucos dicta, ut & omnibus dicta videantur; certe, ad omnes, etſi fortaſſe non æqualiter, pertineant. Menander apud Gellium,

Τ' περὶ γὰρ ἑνὸς λέγων, ἅπαντας νουθετῶ.

Lactantius 6. 12. *Iſta præcepta dantur non tibi ſoli, ſed omni populo.* Chriſtus ipſe Marc. 13. 37. eodem quod hic præ manibus argumento, *ἃ ὑμῖν λέγω, πᾶσι λέγω.* Juſtinus Epiſtola ad Zenam & Serenam, *ταῦθ' ὑμῖν, ὦ ἀδελφαί, συμβουλεύων πράττειν, ἵνα καὶ τοὺς λοιποὺς δι' ὑμῶν ἐπὶ τὸ ποιεῖν τὸ βέλτιον τῇ θεῷ προτρεψώμεθα.* Cicero Offic. 2. *Itaque quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla alia re niſi avaritia perituram, id videtur non ſolum Lacedæmoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe.* Seneca . . . *Hæc nobis Attalus dixit, Natura omnibus.*

Com. 42. *Ὁ πιστὸς οἰκονόμος*] Notemus proprietatem attributi. Sic 1 Cor. 4. 2. *Ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ.* Ejuſmodi Tit. 1. 7. *ἀνέγκλητος οἰκονόμος*, & 1 Per. 4. 10. *καλὸς οἰκονόμος.* Sic & 1 Tim. 1. 12. *πιστὸς εἰς διακονίαν* id eſt, *οἰκονομίαν.* Vide & Heb. 3. 5.

Ibid. *Ὃν καταστήσει ὁ Κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας*] Talis ille de quo Gen. 24. 2. Philo lib. Quod omnis probus liber, *Serviliter natos benignitas fortunæ* (præeuntibus nempe eorum meritis) *ad ingenuorum officia promovit: fiunt enim procuratores in amplis opibus, interdum etiam conſervis præficiuntur.* Vide ad Matth. 24. 47. dicta: adde Geneſ. 39. 4. Pſalm. 104. 21. Scriptorem Tobiæ 1. 21. *Θεραπείας* (ut & in Græco Gen. 45. 16.) eſt *τῶν θεραπόντων*· hinc in Onomaſtico vetere, *Famulatio* (id eſt, ut Iſpius apud Apuleium, *famulitium*,) *θεραπεία.* Thomas Magiſter, *Θεραπεία, ἡ δουλεία, καὶ τὸ τῶν θεραπόντων ἅθροισμα*· qua & metonymia idem Apuleius in Floridis, & lib. 14. Ammianus Marcellinus, *ſervitium* pro univerſitate ſervorum dixerunt.

Ibid. *Τοῦ δοῦναι αὐτοῖς ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον*] Matth. 24. 45. *τὴν τροφὴν* dixit: Interpres Irenæi, *cibaria*: ita 7. Apuleii, *cibaria pro laboribus reddita*: & *ſervo cibaria data*, in l. item ſi, ff. de ædil. edict. Vulgat. *tritici menſuram*: recentiores Interpretes nonnulli, *demenſum*: ita in Onomaſtico, *Demenſum, σιτομέτριον.* Auctor Gloſſarii *σιτόμετρον* habet, ut & non ſemel Plutarchus: hinc & 6. 7. & 7. 4. Julii Pollucis, *ὁ σιτομέτρης.* Phrynichus *σίτου μέτρον*, non *σιτομέτριον*, probat. Sic in Epiſtolis Pythagoræorum dictis, *Σοὶ δὲ πρόχειρον ἔστω τὸ μέτρημα τῶν σιτίων πρὸς τὸν ἀριθμὸν τῆς ἐργασίας τοῖς ἐφ' ἡμέραν πόνοις.* Theodoretus de ſervo loquens, *περὶ προνοίας* 7. *Μέτρα λαμβάνει τὸ σιτηρέσιον*· pro quo Diodorus Siculus, l. 2. *σιτομετρίαν λαμβάνειν.* *Ἐν καιρῷ*, eſt, in tempore debito, opportuno. Ita 19. 9. & 39. 40. apud Sirachidem: & in Græco Eſaiæ 64. 9. Vide ad dictum Matthæi locum notata. Sic Matth. 8. 29. & 1 Cor. 4. 5. *πρὸ καιροῦ* ponitur.

Com. 43. *Μακάριος ὁ δοῦλος ἐκεῖνος*, &c.] *Μακάριος* (ut Jacob. 1. 25.) *ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ ἔσται* id eſt, (ut Apoc. 16. 15.) *μακάριος ὁ γρηγορῶν.*

Ibid. *Ὃν ἐλθὼν ὁ Κύριος αὐτοῦ εὑρήσει ποιοῦντα ὕτως. ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτόν*] Ut quem in opere ſtrenuum & vigilantem invenit. Theophylactus ad 1 Tim. 3. *Οὐ νοννέχου δοῦλε προσκαίρου τυγχάνειν τῷ οἴκῳ, πρὸν δόκιμος τῷ χρόνῳ φανῇς.* Frontinus 4. 1. de Theagene Athenienſium Duce, *Cum inertiſſimus quiſque retro ſe dediſſet, ſtrenui autem in fronte proſiluiſſent; ut quemque invenerat ſtantem, ita ad ordines militia provexit.* *Κατασήσει* etiam, non tantum ob vigilantiam, ſed & fidelitatem ejus: vide ſupra com. 42. De aquila Horatius,

Cui Rex Deorum regnum in vagas aves
Permiſit, expertus fidelem, &c.

Com. 45. *Χρονίζει ὁ Κύριός μου ἐρχεσθαι*] *Δι' ὑμερῶν* (ut Prov. 7. 20.) *ἐτανύζει.* Plinius, & de mancipiis ſuis ruſticis, l. 1. Epiſt. 4. *Secure, ac prope negligenter me exſpectant.* Recentior, *tardat Dominus meus*, non male: at non tantundem implet Vulgati illud, *moram facit Dominus meus?* Gloſſæ, *Χρονίζει, moror, tardo.* Gloſſæ aliæ, *Μέλλω, διατρίβω, χρονίζω.*

Ibid.

Ibid. Καὶ ἄρξηται τύπτειν τοὺς παῖδας] Καὶ ἄρξηται μεθ' ὕβρεως δυναςεύειν, ut (itidem de ſervo) loquitur Solomo 19. 10. Gnomologici. Varro 1. 17. de R. R. & de Villico, (qui conſanguineus, ſaltem affinis diſpenſatori) *Neque illi concedendum eſt ita mancipus* (quæ in Contextu παῖδες) *imperare, ut verberibus coerceat.* Τύπτειν autem τοὺς παῖδας heic, utpote hero jam longe poſito. Virgil. 1.

- - - *Penituſque alias advenerat oras.*

Ubi Servius, *Longe à Regina remotas, quæ res inſolentes cuſtodes literum facit.* Pomponius (forte apud Nonnium Marcellum)

Longe villicari ab Urbe qua herus rarenter venit,
Non villicari, ſed dominari, mea eſt ſententia.

Et hæc quidem in uſu vitæ compertiſſima ſunt. Qui autem

- - *Hero ſuo ſervire vult bene ſervus ſervitutem,*
Na edepol illum multa in pectore ſuo collocare oportet,
Quæ hero placere cenſeat præſenti atque abſenti ſuo.

Plaut. Perſ.

Et ſæpe ſecum ſermonem hunc in modum ferere,

- - *Etſi abeſt, heic adeſſe herum*
Arbitror: nunc ego illum metuo cum hic non adeſt,
Ne cum adſit metuam. - - - Plaut. Pſeud.

Τοὺς παῖδας heic intellige συνδούλους, ut apud Matthæum.

Ibid. Τύπτειν τοὺς παῖδας] Fretus heri abſentia. Apoſtolus 1 Cor. 4. 18. Ὡς μὴ ἐρχομένου μου πρὸς ὑμᾶς, ἐφυσιώθησάν τινες.

Ibid. Ἐσθίειν τε καὶ πίνειν] Plautus citata jam Comœdia & ſcena, *Malus*, &c.

Ex conſpectu heri ſi ſui ſe abdiderint,
Luſtrantur, luxuriantur, comedunt, &c.

Donatus ad 5. 8. Adelph. *Munus ſervile, eſſe & bibere.* Vide ad Matthæum dicta. Ἐσθίειν autem καὶ πίνειν ex prædiorum herilium proventibus. Martialis, tanquam villicos alloquens, de longinquis prædiis,

Dominis parantur iſta, ſervient vobis.

Ibid. Πίνειν καὶ μεθύσκεσθαι] Ita πίνειν καὶ μεθύσκεσθαι. Plutarchus in Antonio dixit. Vulgat. *inebriari* vertit: ſic in Onomaſtico vetere, *Inebrior* μεθύσκομαι· hoc loco autem (ex rei tamen natura, non vocis ſignificatione) eſt *impleri*: hinc Eph. 5. 8. παραλλήλου τῷ πληροῦσθαι ponitur, & 1 Cor. 11. 20. τῷ πεινᾶν opponitur.

Com. 46. Ἥξει ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου] Arrianus 3. 26. in Epictetum, Ὁ κύριος αὐτῷ ἀποδημεῖ, εἶτ' ἥξει, καὶ γνώσεται τὰ παρ' αὐτοῦ.

Ibid. Ἐν ἡμέρᾳ ᾗ οὐ προσδοκᾷ] Virgilius,

- - *Et hoſti*
Ante exſpectatum poſitis ſtat in agmine caſtris.

Ubi Servius, *Antequam ejus exſpectetur adventus.* In Quintiliani Declamationibus ille, *Improviſus adſtiti, dum non timeor adveni.*

Ibid. Διχοτομήσει αὐτὸν] *Dividet*, id eſt, diſſecabit, *cum.* Horatius Serm. 1. 1.

- - *At hunc liberta ſecuri Diviſit medium* - -

In Plauti Truculento,

- - *Jam ego te heic agnum faciam, & medium diſtruncabo*, &c.

Suſannæ com. 59. σχίζειν μέσον dicitur: heic autem, (ut ex continuo ſequentibus apparet) *ſeparare* ſignificat.

Com. 47. Ὁ δοῦλος ὁ γνοὺς τὸ θέλημα τοῦ κυρίου, καὶ μὴ, &c. ποιήσας πρὸς τὸ θέλημα αὐτοῦ, δαρήσεται πολλάς] Clemens Stromat. 4. Ὅσῳ πλείονος κατηξιώθημεν γνώσεως, τοσούτῳ ὑποκείμεθα μᾶλλον κινδύνῳ. Tertullianus in de Pœnitentia, *In quantum ignorantia ſegregaris, in tantum contumacia agglutinaris.* Iſocrates in συμμαχικῷ ex perſona Nicoclis, Εἰ μὲν ἐμοῦ οὐ δεηθέοντος ἃ βούλομαι ποιεῖν ὑμᾶς, διημαρτάνοντε τῆς ἐμῆς γνώμης, οὐκ ἂν εἰκότως ὑμῖν ὀργιζοίμην· εἰ δὲ προειπόντος ἐμοῦ μηδὲν γίνεται τοιοῦτον, δικαίως ἂν ἤδη τοῖς μὴ ποιοῦσιν μεμφοίμην. Vide Joh. 15. 22. Heb. 10. 16. Jacob. 4. 17. De Athenienſibus memoriæ traditur, ſciviſſe illos quæ recta eſſent, at facere nolle. Cicero Cat. M. Poſt πολλὰς ſupple πληγάς· quæ & elleipſis apud Latinos. In Plauti Rudente, Sc. *Ult.*

- - *Habebis plures in tergo tuo.*

Pollux 3. 8. Onomaſtici, Μαστιγῶσαι, &c. πολλὰς πληγὰς τυπτοῦσαι. Suidas, Πολλὰς ἐστρίβετο· ἐστρίβετο τυπτόμενος πολλάς, &c. καὶ ὁ Ἀπόστολος, δαρήσεται πολλάς· lege, ὁ εὐαγγελιστὴς, & δαρήσεται πολλάς· reſpexit enim hunc Euangelii locum.

Com. 48. Ποιήσας δὲ ἄξια πληγῶν] In Comœdia Latina,

- - *Dignus es multis verberibus:*

& in Græca, Eccleſiaz.

- - Ὅσας εἰμὶ ἄξιος πληγὰς λαβεῖν;

Ibid. Δαρήσεται] *Deum* enim (ut bene Serm. 26. Chryſologus) *ſicut contemnere non licet, ſic nec ignorare.*

Ibid. Ὀλίγας] Quia

- - *In ignaro minor eſt peccante reatus.*

Photius in Epiſtolis, Πολλὴ ἡ διαφορὰ τῶν ἐξ ἀγνοίας ἁμαρτημάτων πρὸς τὰς ἐν γνώσει ἀθεμίτους πράξεις. Vide Act. 17. 30. & quæ ad Luc. 23. 34 annotanda.

Ibid. Παντὶ δὲ ᾧ ἐδόθη πολὺ, πολὺ ζητηθήσεται παρ' αὐτοῦ] *Quiſquis magna dedit, voluit ſibi magna rependi.*

D. Ambroſius, *Cum creſcunt dona, rationes etiam donorum creſcunt.* Euthymius ad Joh. 1. *Quanto majore gratia digni habiti ſumus, tanto ad majorem obligamur virtutem, ne tanto beneficio indigne converſantes, dignum tanta ignavia ſupplicium ſuſtineamus.* Gregorius Nazianzenus Epiſt. ad Poſthuminum, Μεγάλων τυχὼν, μεγάλος καὶ ὑπόχρεως εἶ. Agapetus ad Juſtinianum Imperatorem, Ἴσθι ὅτι ὅσῳ μεγάλων ἠξιώθης παρὰ θεοῦ δωρεῶν, τοσούτῳ μείζονος ἀμοιβῆς ὀφειλέτης αὐτῷ ὑπάρχεις. Ibidem ad Eundem, Ἀναλογῶσαν τῷ μεγέθει τῆς δυνάμεως τὴν ἐργασίαν τῶν παλαιῶν ἀναπαιτεῖσθαι προσδόκησον. Juſtinus Martyr Apolog. β'. Πεφεύγοντες, μᾶλλον δὲ πεπεισμένοι, ἔπαιον, &c. πρὸς ἀναλογίαν ὧν ἔλαβε δυνάμεων παρὰ θεοῦ, τὸν λόγον ἀναπαιτηθήσεσθαι. Apollonius ad Veſpaſianum jam imperio proximantem, Θαῤῥεῖτε μᾶλλον ἢ πρότερον, μεγάλα μὲν γὰρ ἀπ' αὐτῶν εἰλήφατε. Jul. Cæſar apud Dionem Caſſium, Τίς εὐβουλότερον (ὀφείλει) τοῖς ἐν τῷ δαιμονίῳ χρῆσθαι δοθεῖσι τῷ τὰ μέγιστα παρ' αὐτοῦ λαβόντος; Juſtinianus Novell. 25. Καὶ ὅστερ (τῷ ἄρχοντι nempe) μείζονα πεποιήκαμεν τιμὴν, οὕτω καὶ εἴπερ ἕυρομεν βαθυμοῦντα, &c. ἀμυνῶμεν τοῖς νόμοις, καὶ προτιμῶντες αὐτὸν μετελευσόμεθα.

Ibid. παρέθεντο] Ἀνθρωποι nempe. Similis elleipſis Matth. 9. 17. vocis βάλλουσιν.

Com. 49. Πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, &c.] Ignem per adverſa exploraturum qui probi, qui adulterini diſcipuli.

Com. 50. Καὶ πῶς συνέχομαι; &c.] Subaudi, τῷ πνεύματι, vide Act. 18. 5. *& ô quam coarctor* ſpiritu (inquit) *dum perficiatur! Arctari* (vel *opprimi*) *ſpiritu* hic videtur eſſe quod Johan. 16. 21. λύπην ἔχειν ὅταν ἡ ὥρα ἔλθῃ. Aſſentior enim incomparabilis doctrinæ Viro, mulieris partui propinquæ ſtatum alludi exiſtimanti. Apoſtolus Galat. 4. 19. non abſimiliter ὠδίνειν dixit.

Com. 51. Οὐχί, &c. ἀλλὰ διαμερισμόν] Ἀλλ' ἢ heic (ut Pſalm. 1. comm. 2, & 5, & ſæpe alibi,) eſt ἀλλά. Ἀλλὰ autem poſt οὐχὶ occurrit & Rom. 3. 27. 1 Cor. 10. 13. Luc. 1. 60. & 13. 2.

Com. 53. Πενθερὰ ἐπὶ τὴν νύμφην αὐτῆς, καὶ νύμφη ἐπὶ τὴν πενθερὰν αὐτῆς] Inter ſocrus ac nurus,

Quamulacunque eſt occaſio, ſufficit iræ.

Uno animo omnes ſocrus oderunt nurus, dixit & Comicus Latinus, Hecyr. 2. 1. Naturales tacitarque iſtæ ſimultatis ſcintillæ, accedente religionis negotio, graviſſimo flabello, facillime in aperta incendia adoleſcunt.

Com. 56. Τὸ πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ οἴδατε δοκιμάζειν]

- - *Noſtis*
Ventos, & varium cæli prædicere morem.

Noſcuntur iſta autem ex ſignis præeuntibus. Seneca 3. 10. de Ira, *Tempeſtatis ac pluviæ ante ipſas nota veniunt.*

Com. 57. Τῷ πράκτορι] Vulgatus *exactori*, rectiſſime. Plinius l. 8. epiſt. 17. *Exactori publico mancipavi:* quo loco Catanæus (ab ipſo Caſaubono laudatus) otioſe (ni faltem fallor) *actori* legit. Eſt enim eadem vis utriuſque vocabuli. In Gloſſis, Πράκτωρ, *actor, exactor.*

Com. 58. Ὡς γὰρ ὑπάγεις μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου ἐπ' ἄρχοντα, ἐν τῇ ὁδῷ δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ] L. 22. ff. de in jus voc. *Qui in jus vocatus eſt, duobus caſibus dimittendus eſt: ſi quis ejus perſonam defendet, & ſi dum in jus venitur, de re tranſactum fuerit.* Quo loco & *de re tranſigere* eſt quod in Luca ἀπαλλαγῆναι.

Ibid. Κατασύρῃ σε πρὸς τὸν κριτὴν] Sic Act. 17. 6. ἐπὶ τοὺς πο-

πολιτάρχας σύρειν ad quem locum, item ad Act. 8. 3. annotata confer.

Ibid. Καὶ ὁ πράκτωρ βάλλῃ σε εἰς Φυλακήν] Julianus in Cæſaribus de Caio Imperatore, Αὐτὸν μὲν ἡ Δίκη δίδωσι ταῖς Ποιναῖς, αἱ δὲ ἔρριψαν αὐτὸν εἰς Τάρταρον. Gloſſarium, Πράκτωρ, *actor*, *exactor*. Heſychius, Πράκτορες, ἀκταντηταί. Æſchylus in Agamemnone, Δίκης πράκτορι. Scholiaſtes, τῷ δίκην εἰσπραττομένῳ. Εἰς Φυλακὴν βάλλειν autem dixit & Arrianus 3. 26. in Epictetum.

Com. 59. Οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν ἕως ἂ τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῷς] Plutarchus in Cimone, de Miltiade, Πεντήκοντα τάλαντων ὄφλων δίκην, καὶ πρὸς τὴν ἔκτισιν εἰρχθείς. Legimus apud Æſchinem, ἕως τοῦ ἀποτίσαι εἰρχθήτω· & apud Demoſthenem, δεδέσθαι μέχρις ἂν ἐκτίσῃ. Eſt & in Pſeudolo Plauti,

Sine argento fruſtra eſt quod me tui miſereri poſtulas.

Cornelius Nepos de Cimone, *Eadem cuſtodia tenebatur, neque*, &c. *emitti poterat, niſi pecuniam qua pater multatus erat, ſolviſſet.* Iſæus apud Suidam, Ἐρμοπράτην εἰς τὸ ἀνάπλεων (lege τὸ ἀναγκαῖον) ἐνέβαλεν, &c. καὶ ὃ πρότερον ἀφῆκε πρὶν λ' δραχμὰς ἐπράξατο. Pro ἔσχατον λεπτὸν, quod hic Lucas habet, Matthæi 5. 26. eſt κοδράντην ἔσχατον· id eſt, totam ſummam. Inde & Heſychio, Κοδράντης, τὸ πᾶν· Τὸ ἔσχατον autem λεπτὸν ἀποδιδόναι, *denique* eſt, qualis Plinii junioris illa, *ad aſſem impendium reddere*, 1. 15.

CAP. XIII.

VALLA.

9. ET *ſi quidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam*] Græce non eſſe *ſin autem*, ſed *ſin autem non*, jam dixi, εἰ δὲ μήγε. Melius alibi per *alioquin* apud hunc Euangeliſtam, 14. 32. *alioquin illo longe agente*, εἰ δὲ μήγε. Caper ſine *n* vult ſcribi, *alioqui*, ut *atqui*.

10. *Erat autem docens in ſynagoga eorum Sabbatis*] Ad quid refert illud *eorum*, cum certos non nominaverit ſuperius, nec una erat ſynagoga? Græce igitur dicitur, *Erat enim docens in una ſynagogarum in Sabbatis*, ἦν μιᾷ τῶν συναγωγῶν ἐν τοῖς σάββασι.

30. *Et ecce ſunt noviſſimi qui erant primi, & ſunt primi qui erant noviſſimi*] Cum dixerit Dominus, *Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno Dei*, etiam per futurum dixiſſet, *Et ecce erunt*, non per præſens, *Ecce ſunt*. Dixit ergo de iis qui impræſentiarum erant ultimi & primi, quos futuros etiam dixit primos & ultimos. Nam ita legendum eſt, *Et ecce ſunt noviſſimi qui erunt primi*, ἔσονται, *& ſunt primi qui erunt noviſſimi*, ἔσονται. Atque ita omnis oratio de futuro eſt.

ERASMUS.

4. IN *Siloe*] Ἐν τῷ Σιλωάμ. Hebræi ſonant *Siloah*. Arbitror hanc eſſe civitatem in qua primum fuit Tabernaculum, cujus meminit Pſalmus 78. 60. *Et repulit tabernaculum Silo*, ubi Græcus Σιλὼμ legit: item Jer. 7. 12. Quoniam hic additur articulus τῷ, videtur ſignificare fluvium Siloe, qui Civitati ſuppeditat aquam, cum nec perpetuus ſit nec copioſus. In vetuſtiſſimis Latinis alibi ſcriptum erat *Siloe*, alibi *Siloam*.

7. *In ficulnea*] Ἐν τῇ συκῇ *in ficu*. Eadem vox eſt quam modo vertit *arborem ſici*. Immodicus copiæ affectator, ne dicam intempeſtivus. ¶ *Terram occupat*] Καταργεῖ *onerat*, *ſed inutilis onere*, hoc eſt enim proprie καταργεῖ. Et illud *etiam terram* ego ſane maluiſſem vertere, *Cur vel terram occupat*, ut intelligamus infrugiferam, non ſolum indiguam ſtercoratione & cultu, verum etiam loco quem occupabat.

8. *Et mittam ſtercora*] Κοπρίαν *ſtercus*, aut potius *ſimum*: mox vertit *ſterquilinium*. Nam Græca vox *ſtercorationem* ſonat magis quam *ſtercus*. Et ſtercoratio non ſolum fit ex animantium excrementis, verum etiam è ſtipulis, culmis, aut terræ medulla, quam *mergam* vocant Britanni, teſte Plinio. Ambroſius legit *coprinum ſtercoris*.

9. *Siquidem fructum fecerit*] Sermo imperfectus eſt: ut ſubaudias *ſinemus illum*, aut aliud commodius. Eſt enim Ecliptis aut Apoſiopeſis, ſive, ut Budæo noſtro placet, ἀναπόδοτον, qui hujus formæ exemplum unum & alterum ex Ariſtophane Ciceroneque adducit in Annotationibus quas ſcripſit in Pandectas Juris. Nec enim eſt quiſquam ſua frandandus laude. Porro quod hic Interpres vertit *ſin autem*, parum Latine, tolerabilius aliquando vertit *alioqui*: εἰ δὲ μήγε, *ſin vero minus*, aut *ſin ſecus*.

11. *Inclinata*] Συγκύπτουσα *toto corpore deflexa in terram & contracta*: cui contrarium eſt quod ſequitur ἀνακύψαι, quod vertit *ſurſum aſpicere*, h. e. erigere caput. Nec enim eſt mentio de *aſpiciendo*, ſed de geſtu corporis quo utuntur qui cupiunt ſurſum aſpicere. Proinde & παρακύψας *proſpectus* dicitur, ubi quis obliquato capite è feneſtra proſpicit. ¶ *Nec omnino*] Εἰς τὸ παντελές· quod alias vertit *in æternum*.

12. *Vocavit ad ſe*] Προσεφώνησε. Poteſt accipi quod *appellaverit eam*, h. e. allocutus ſit. Nam *ad ſe* non additur apud Græcos.

19. *Requieverunt*] Κατεσκήνωσεν. Quod aliquoties vertit *nidificare*, alias *habitare*.

21. *Sata tria*] Σάτα τρία. Superius admonuimus *Satum* non eſſe vocem Latinam, ſed Syram, quæ apud illos menſuræ genus declaret capientis ſeſquimodium. Apud Ambroſium non additur *ſata tria*: tantum eſt *abſcondit in farina, donec fermentatum eſt totum*. Atque adeo interpretans indicat hoc ex Matthæo huc tranſcriptum, cum ait ad hunc modum, *Et quia in Matthæo tribus menſuris abſconditum eſſe fermentum*, &c. Quorſum enim attinebat ex Matthæo citare ſi idem legiſſet in Luca? Sed hoc jam in Euangelicis voluminibus novum videri non debet, neque quenquam magnopere commovere, cum nec moribus piis nec fidei ſinceritati quicquam officiat.

23. *Si pauci ſunt qui ſalvantur*] *Si* non eſt anceps apud Latinos, ut εἰ apud Græcos: unde vertendum erat in *an*, quandoquidem interrogant.

24. *Contendite intrare*] Ἀγωνίζεσθε *Certate*, ſive *Laborate*. Quanquam apte vertit Interpres, ſi modo intelligamus. Nam *contendit* & qui acriter adnititur.

30. *Qui erant noviſſimi*] *Erunt* utrobique legendum, ἔσονται. *Sunt poſtremi qui futuri ſunt primi, & ſunt primi qui futuri ſunt poſtremi*. Agit enim de inverendo ordine inter eos qui tum erant & qui ſucceſſuri eſſent in Euangelio.

32. *Ite & dicite*] *Ite*, *dicite* legitur in antiquis, πορευθέντες εἴπατε. ¶ *Tertio die conſummor*] *Conſummor* legendum eſt, duplicato *m*: eſt enim τελειοῦμαι. Quod quoniam medium eſt verbum, ſatius erat vertere active, ut intelligamus illum tertio die abſoluturum opus ſuum. Quanquam ea conſummatio mors erat & reſurrectio.

33. *Quia non capit*] Ἐνδέχεται. Quod Matthæus dixit χωρεῖ. Eſt autem velut imperſonale, q. d. *Ipſa natura rerum non fert*. Idem autem aliquanto poſt dixit ἀνένδεκτόν ἐςι pro eo quod eſt ἀδύνατόν ἐςι. Loquitur ad hunc modum ſubinde Tertullianus, *capit* pro *convenit*.

34. *Qui mittuntur ad te*] Πρὸς αὐτὴν *ad ſe*, tertiæ perſonæ, niſi componatur cum alio pronomine. Ad hunc ferme modum ſonat Græcis, *Hieruſalem, Hieruſalem, illa quæ occidit Prophetas, & lapidat miſſos ad ſe*. Deinde ſubito mutat perſonam. Sic & nos miſcemus tertiam perſonam primæ, *Tu illa lapidatrix Prophetarum*. Et tamen ſi cui magis placet ſecunda perſona, cum hoc non eſt animus digladiari propter pronomen anceps αὐτὴν, ſive αὐτὸν, quod quidam arbitrantur omni perſonæ congruere. Certe de ſenſu nulla eſt ambiguitas. Ne illud quidem ad ſenſum refert, quod cum in pleriſque libris haberetur ἐπεσταλμένους, in uno quopiam habebatur ἀπεσταλμένους. ¶ *Quemadmodum avis*] Ὄρνις, quod eſt anceps ad *avem* & *gallinam*. Eſt enim mirus amor avibus ad confovendos pullos, ſed præcipue Gallinis. Auguſtinus De conſenſu Euang. l. 2. c. 75. legit *avis*.

35. *Ecce relinquetur*] Ἀφίεται *relinquitur*; ut admonuimus & antea.

VATABLUS.

1. QUorum *ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum*] i. quos Pilatus occiderat inter ſacrificandum.

2. *Reſpondens * dixit*] * *Jeſus*. ¶ *Pra omnibus Galilæis peccatores*] Vel, *omnium Galilæorum ſceleratiſſimi*.

3. *Pœnitentiam habueritis*] *Reſipueritis*.

4. *Sicut*] *Aut*. ¶ *Debitores fuerint præter omnes homines habitantes*] *Sceleratiſſimi fuerint omnium hominum habitantium*.

5. *Habueritis*] *Egeritis*. Vet.

7. *Ficulnea*] *Ficu*. ¶ *Occupat*] *Onerat*: ſub. *inutili onere*.

9.

9. *Fructum*] Sub. *ſinemus illam:* vel, non *succides illam.* ¶ *Sin autem*] *Sin minus:* vel, *aliàs.*

10. *Synagoga*] *Una ſynagogarum:* i. in quadam ſynagoga. ¶ *Spiritum infirmitatis*] Pro *gravi infirmitate.* ¶ *Inclinata*] *Deflexa, contracta.* ¶ *Surſum reſpicere*] *Reflecti, erigere caput.*

14. *Reſpondens*] Hebr. pro *Locutus.* ¶ *Sabbathis*] *Sabbatho.* Vet.

15. *Hypocrita*] *Hypocrita.* Vet.

16. *Alligavit*] *Alligaverat.*

17. *In univerſis*] i. Propter omnia.

18. *Ergo*] *Autem.*

19. *Requieverunt*] *Nidulabantur.*

24. *Contendite*] Vel, *Certate.*

25. *Intraverit*] *Surrexerit.* ¶ *Oſtium**] * *Et.* Vet. ¶ *Incipietis*] *Cœperitis.*

30. *Erant—erant*] *Erunt—erunt.* Vet.

32. *Ejicio*, &c.] Præſentia pro fut. *ejiciam*, &c. q. d. Ego paucos adhuc dies ſum victurus, & miracula perpetraturus: poſtea interficiar.

33. *Veruntamen*] *Certe.* Vet. ¶ *Non capit*] Vel, *non uſu venit: non contingit: fieri non poteſt:* vel, *non licet.*

34. *Mittuntur ad te*] *Ad te miſſi ſunt.* ¶ *Nidum ſuum*] i. Pullos ſuos. Continens pro contento.

35. *Relinquetur*] *Relinquitur.*

CASTALIO.

9. *Si forte fructum edat: ſin minus*] Græce eſt ad verbum, *Et ſi quidem fructum ediderit, ſin minus:* eadem proſus, ſed curta ſententia: ſic tamen ut in ea facile aliquid tacitum intelligas, *Recte eſt*, aut (ut Cato loquitur) *optime eſt.* Talis eſt apud Platonem libro De Legibus 9. καὶ ἐὰν μέν σοι ὁρῶντι ταῦτα λυθῇ τι τὸ νόσημα· εἰ δὲ μή, πολλῷ θάνατον ἐκφεύγοντος ἀπαλλάττῃ τοῦ βίου, *Et ſi quidem tibi hac facienti nonnihil mitigabitur morbus: ſin minus, elige meliorem mortem, & ex vita diſcede.* Sed de hoc loquendi modo plura ſcripſit Budæus in Pandectis.

25. *Poſtquam intraverit paterfamilias*] Gr. ἐγερθεὶς ſurrexerit: ſed parum quadrat: non enim de jacente aut dormiente patrefamilias loquitur, ſed de eo qui foris intrat. Deinde, qui ſurrexit non claudit fores, ſed potius aperit, cum ex ante cubatum claudi ſoleant. His de cauſis veterem ſecutus ſum interpretem, qui vertit *intraverit:* unde legiſſe videtur εἰσέλθῃ.

34. *Nidum*] Pullos.

CLARIUS.

2. *Putatis quod hi Galilæi*] Hic locus maxime eos damnat qui tam facile judicant ex his externis afflictionibus de proximo quoque, cum ſæpiſſime in hac vita fiat ut qui meliores ſint gravioribus atterantur moleſtiis. Cum ergo monuiſſet eos ne ita judicarent, & minatus eſſet illis omnibus eundem interitum niſi pœnitentiam agerent, addidit parabolam quæ rem ante oculos poneret, & quod futurum erat admoneret.

24. *Per anguſtam portam*] *Anguſta* dicitur quia ex utraque parte cohibet ingredientem ne de via deflectat, cum digreſſio omnis periculoſa ſit, ſive ad dexteram ſive ad ſiniſtram; ſicut in ponte, à quo qui deflectat excipitur à fluvio atque demergitur.

32. *Dicite vulpi huic*] Non dixit *vulpi illi*, quaſi Herodi, ſed *vulpi huic*, h. e. ipſis loquentibus, qui videbantur doloſe id admonere. Quod autem ait *hodie & cras & ſequenti die*, ſignificat habere ſe in ſua poteſtate vitam quamdiu velliet.

ZEGERUS.

1. *Aderant autem quidam ipſo in tempore nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum*] Galilæi erant natione, cultu autem & profeſſione Judæi; quos Præſes Judææ Pilatus infra terminos (ut verſimile eſt) tetrarchiæ ſuæ comprehenſos ob impia ſua facinora occidi juſſerat; nec id ſimpliciter, ſed in contemptum Judaicarum victimarum ita interimi mandarat ut ſanguis ipſorum una miſceretur cum ſanguine pecudum quæ in ſacrificium erant immolandæ. Horum itaque necem tam crudelem quidam Chriſto renunciaverunt, cupientes hac de re ipſius audire ſententiam. Cætera quæ de criminis genere feruntur, ob quod aliter in illos animadverſum eſt, quia & varia ſunt & à multis apocrypha habentur, duximus ſilentio prætereunda.

4. *Sicut & illi decem & octo ſupra quos cecidit turris in Siloah*] De his narratur quod cum turrim quandam exſtruerent in civitate aut loco *Siloah* nuncupato, repentino caſu ejuſdem turris, ſuis id exigentibus meritis, oppreſſi ſint, impiam vitam crudeli morte finientes.

9. *Et ſi quidem fecerit fructum: ſin autem*, &c.] Subeſt huic loco figura proprie *Apoſiopeſis* dicta, quod plures dictiones ſubaudiri neceſſe ſit. Hoc autem modo aut ſimili ſuppleri poterit, *Et ſi quidem fecerit fructum, ſucciſione indigna prohibitor: ſin ſecus, in futurum ſucciſes eam.* Similis figura eſt & apud Terentium, ubi ait, *Quem ego, ſi ſenſero. Quem ego*, ſub. *acerrime puniam, ſi ſenſero ſua fallacia quicquam machinari*, aut quid ſimile.

11. *Quæ habebat ſpiritum infirmitatis*] *Spiritum infirmitatis* mulierem *habuiſſe* dicit, quia malignus ſpiritus hac eam infirmitate alligarat, quemadmodum Salvator ipſe in ſequentibus teſtatur, dicens, *Hanc filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas.*

12. *Vocavit* eam *ad* ſe] *Eam* redundat, juxta exempl. antiqua, & Græca, & Bedam.

32. *Dicite vulpi illi*] Herodem *vulpem* appellat quod verſutia humana crederet ſe aliquid poſſe adverſus conſilium Jeſu. ¶ *Ecce ejicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor*] Cum dicit *hodie & cras*, paucis adhuc diebus operaturum ſe Patris ſui opera declarat, ac deinde per mortem *conſummandum.*

33. *Veruntamen oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Jeruſalem*] Phariſæi Chriſto perſuadere nitebantur ut abduceret ſe extra Galilæam à conſpectu Herodis ipſum occidere molientis: Chriſtus autem, quo declararet nihil ſe metuere Herodis malitiam, nec ob hanc citius relicturum Galilæam, *Ecce*, inquit, *ſanitates perficio, & dæmones ejicio hodie & cras, & tertio die etiam ipſe perficiar & conſummabor. Veruntamen his diebus proficiſci me Hieroſolymam oportet*, quæ extra Galilæam eſt, non quod metuam, ſed *quod non conveniat* (id enim ſonat *non capit*) *Prophetam perire extra Jeruſalem*, h. e. alibi quam Hieroſolymis. Poteſt etiam illud *non capit*, h. e. ἐνδέχεται, interpretari *fieri nequit*, propterea quod ita præfinitum ſit à Patre, vel *non licet*, vel *uſu non venit.* Phraſis eſt Græca qua utitur & Irenæus lib. 3. cap. 11.

H. STEPHANUS.

7. Κατάργει] *Inutilem reddit*, q. d. otioſum.

9. Κἂν μὲν ποιήσῃ καρπόν] *Et ſiquidem tulerit fructum:* Sub. relinques eam.

11. Συγκύπτουσα] *Incurva.* ¶ Ἀνακύψαι] *Recurvare ſe.*

13. Ἀνορθώθη] *Subrecta fuit.*

24. Ἀγωνίζεσθε εἰσελθεῖν] *Enitimini, & contendite ut ingrediamini.*

32. Τελειοῦμαι] *Conſummatus ero:* i. Erunt conſummata quæ ſunt peregrinationis meæ.

33. Οὐκ ἐνδέχεται] *Fieri non poteſt ut:* vel, *Conſentaneum non eſt.*

DRUSIUS.

4. *IN Siloe*] Ut *Noe*, *Hoſee.* Scriptura hæc in omnes partes melior eſt quam quæ in cod. Græcis, *Siloam.* Nam ea corrupta eſt ex *Siloa.* Id Syri & Chaldæi ſcribunt ܫܝܠܘܚ, eſtque rivuli an fontis nomen? Fontem appellat Hieron. Jer. 14. 1. *Uno quippe fonte Siloe, & hoc non perpetuo, utitur civitas.* Et Jeſ. 8. 6. *Siloam autem fontem eſſe, qui non jugibus aquis, ſed incertis horis diebuſque ebulliat, & per terrarum concava & antra ſaxi duriſſimi cum magno ſonitu veniat, dubitare non poſſumus, nos præſertim qui in hac habitamus provincia.* Eadem ſcribit Iſidorus Etym. l. 13. c. 13. *Fons Siloa ad radicem montis Sion, non jugibus aquis, ſed incertis horiſque diebuſque ebullit.* Contra legimus in Collectaneis nominum propriorum, quæ in Bibliis Regiis, *Siloe, fons, piſcina, aut amnis ad radices montis Sion, perennibus aquis ebulliens, cujus fit mentio Jeſ.* 8. 6. Legimus quoque in fonte Ebræo שלח אשר ינוח במתינה, quod paraphraſtes Chaldæus convertit ܫܝܠܘܚ. Si recte, *Gehon* idem erit cum *Siloe.* Cui firmando Joſeph Camius pater Davidis. Vide filium in radice ܫܝܐ. Autor Lex. Thalmudici quod *Aruch* vocatur, *Aqua*

Digitized by Google

Siloe fluunt שׁלח *leniter*, & גיח *quiete*, *placide*. De turri in Siloe, quæ cecidit ſupra XVIII homines, & occidit eos, nihil adhuc mihi lectum in monumentis Judæorum. Aquarum Siloe meminit Jeſaias 8. 6. *rejecit populus aquas Siloe*; & ædificii juxta fontem illarum exſtructi Benjamin in Itinerario ſuo, *In deſerto magno populorum eſt fons magnus aquarum Siloa, in torrentem Cedron defluentium, & juxta fontem magnum ædificium à majorum noſtrorum diebus.* Eraſmus hic legendus cum judicio. Nam arbitratur hanc eſſe civitatem in qua primum fuit Tabernaculum, cujus meminit Hymnographus Pſal. 78. 60. *repulit tabernaculum Silo*, ubi Græcus Σιλωμ legit, & Jeremias c. 7. Poſtea ſe corrigens, *Quoniam hic additur*, inquit, *articulus τῷ, videtur ſignificare fluvium Siloe, qui Civitati ſuppeditat aquam, cum nec perpetuus ſit nec copioſus. In vetuſtiſſ. Latinis alibi ſcriptum erat* SILOE, *alibi* SILOAM. Hactenus Eraſmus. *Siloe* an *Siloa* dicas parum refert. In *Siloam* vitium eſt quale in *Silom*. Nam rectum eſt *Silo*, quod ſcribunt שילה ultima He. *Siloe* vel *Siloa* ultimam habet Het. In *Silo* fuit olim Arca per annos non paucos. *Siloe* fons eſt, unde *aqua Siloe*, de qua diximus. Circa hunc fontem turris erat quæ vocatur *turris Siloe*.

6. *Arborem ficî*] Locutio eſt ut *urbs Roma*. Sic *lapides Sohami*, Exod. 25. 7. *fluvius Euphratis*, Jerem. 46. 2. *herba lapathi*, apud Horatium; *Lex Poſthumia magiſtra*, apud Catullum.

16. *Filia Abrahæ*] Vel natura, vel imitatione. Si natura, ita dicitur ut *filia Iſrael*, *filia Juda* de Suſanna, in ejus Hiſtoria; *filia Ebræorum* de Juditha, Jud. 10. 12. *θυγάτηρ εἰμὶ τῶν Ἑβραίων*, *Filia ſum Ebræorum*. Si vero imitatione, ita dicitur ſicut Apoſtolus *filios Abrahæ* vocat qui ejus fidem imitantur. *Filia Iſrael* legitur etiam in Jonatha Exod. 21. 3. pro *Iſraelitide*.

32. *Dicite vulpi illi*, *τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ*] Sic appellat Herodem ob verſutiam & calliditatem. Baſilius hom. in Pſal. 44. Ὁ δολερὸς ἀλώπεκι παρεικάζεται, ὡς Ἡρῴδης. Auguſtinus Pſal. 88. *Scriptura Vulpes appellat doloſos ac timidos, quos terret virtus aliena.*

33. *Non poteſt propheta perire extra Jeruſalem*] Nam Prophetæ non judicabantur niſi à Judicibus Sanhedrin, qui Jeroſolymæ reſidebant in exedra domus. Quod notatum in lib. Præcept. 187. 1. *Non judicant tribum quæ defecit ad idololatriam, neque pſeudopropheten, neque ſacerdotem magnum, niſi per domum judicii* LXXII. Quo pertinet & illud, *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ trucidas prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te:* id mox ſequitur.

CASAUBONUS.

33. Πλὴν δεῖ με σήμερον καὶ αὔριον καὶ τῇ ἐχομένῃ πορεύεσθαι] Syrus interpres cum videret hunc locum pravæ interpretationi valde eſſe obnoxium, verbum יומא addidit, quo omnis tollitur difficultas: ſic enim tranſtulit, *Veruntamen oportet me hodie & cras operari, & die alio ibo.* Quam interpretationem Theophylactus quoque diligenter annotat: mihique videtur eſſe veriſſima. Diſtinguendum eſt igitur poſt vocem αὔριον, & verbum ſubaudiendum quod ex proximi verſiculi ſententia facile intelligitur, nimirum ἐργάζομαι, ut apud Johannem 5. 17. vel ἐργαζεσθαί με δεῖ. Theophylacti verba, cui cum Syro interprete optime convenit, opponam, Ἐγὼ δέ σοι καὶ τὸ ῥητὸν τῆς εὐαγγελίου σαφέστερον ἐκθήσομαι, μὴ νοήσῃς ἔτι δεῖ με σήμερον καὶ αὔριον πορεύεσθαι, ἀλλὰ σῴζω ἄχρι τῆς σήμερον καὶ αὔριον, καὶ ὅταν εἶπε τὸ, τῇ ἐχομένῃ πορεύεσθαι. Equidem etſi temere in his præſertim libris affirmare nihil velim, perſuaſum tamen habeo hanc interpretationem eſſe veriſſimam, eoſque longe falli qui diſtinctionem quam Theophylactus ait non animadvertunt; quam eſſe neceſſariam verſiculus ſuperior aperte, niſi fallor, indicat.

CAMERON.

32. Καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι] Τελειοῦσθαι ut in N. ſic & in V. Teſtamento interdum eſt *conſecrare*; at hoc cum diſcrimine, quod in libris V. Teſt. non ſolet dici ſimpliciter de perſona, niſi ſemel Levit. 21. 10. *τετελειωμένου ἐνδύσασθαι τὰ ἱμάτια*, ubi tamen in Hebræo יד מלא. non enim dicit Scriptura Sacerdotes fuiſſe *τελειωμένους*, ſed Sacerdotum *manus:* At Chriſtus dicitur *τελειωθείς*, non autem Chriſti manus. Deinde non conſecrabatur Leviticus Sacerdos offerendo ſacrificium, ſed conſecrabatur ut ſacrificium offerret: At Chriſti *τελείωσις* eſt ipſa Chriſti oblatio, qua Sacerdos eſt, non eſt conſecratio Chriſti in Sacerdotem. Atque hæc fuit Chriſti mens hoc loco, *τῇ τρίτῃ tertia die*, h. e. brevi, *τελειοῦμαι conſummor:* nempe oportebat eum, priuſquam in cœlum aſcenderet, certis quibuſdam officiis perfungi in terra. Atque eo reſpexit Joh. 17. 4. cum teſtatur ſe exſecutum eſſe in terra quod ei injunctum erat à Patre: nempe quia tantillum ſupererat temporis, atque jam inſtabat Chriſti paſſio qua conſummatus eſt, factum dicit quod jam in eo fuit ut pene factum eſſet. Nec alio pertinet vox Chriſti in cruce, *Conſummatum eſt.*

GUALTPERIUS.

29. Καὶ ἥξουσιν ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν, καὶ ἀπὸ βορρᾶ καὶ νότου, *Et venient ab Oriente & Occidente, & Borea & Auſtro*] Βορρᾶς idem quod βορέας, Boreas, Aquilo, ἀπὸ τῆς βορᾶς *à pabulo*, βορὰ namque *pabulum*, *eſcam* vel *cibum* ſignificat, proprie vero brutorum. Dictum autem hunc ventum ita vult Etymologus vel quod nos βορᾶς avidiores & edaciores reddat, vel quod frugibus incrementum præbens, βορὰν, i. *alimentum*, nobis miniſtret. De ventis autem & oris illis Phyſici ex profeſſo multa. De Aquilone autem ſeu Borea Plinius l. 2. c. 47. & l. 17. c. 4. & alibi. Syrus vocem habet גרבאיא *Garbaja*, quæ raro occurrit. Paraphraſtes alioqui Chaldæus reddit רוחא גרבאיתא *ventum Aquilonis.*

JAC. CAPPELLUS.

15. Ὑποκριτά, *unuſquiſque veſtrum nonne ſolvit Sabbatho bovem ſuum aut aſinum à præſepi, & ducit aquatum?*] Talmud. tract. BETSA cap. 4. fol. 32. *Non eſt ducendum jumentum baculo die boni*, h. e. feſto. *Tamen R. Eleazar nomine Simeonis* יתר *abſolvit* eum qui hoc facit. Et cap. 5. *Non licet aquare nec paſtum deducere die feſto ſylveſtres feras, ſed licet aquare & paſtum ducere domeſticas.*

24. *Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, cupient intrare, & non poterunt*] Ingreſſus in Eccleſiam, ſive militantem ſive triumphantem, conſiderari poteſt ut bonum quidpiam ac beatum ſive beatificans, aut ut δέον τι, ut officium, ut ſanctificans quidpiam, ut debitum. Primo modo ſi conſideretur, poteſt à multis quæri qui tamen ejus compotes non fiunt. Bonum enim quatenus eſt commodum & beatum quidpiam, aut beatificans, optatur ab omnibus, à paucis obtinetur. Bonum autem quatenus eſt debitum à paucis optatur, & à nemine ſerio quæritur à quo non inveniatur, ſaltem quatenus eſt ipſi neceſſarium ad conſequendum bonum beatificans.

GROTIUS.

1. Ἀπαγγέλλοντες, *nuntiantes*] Ut rem novam quæ tum forte acciderat. ¶ Περὶ τῶν Γαλιλαίων, ὧν τὸ αἷμα Πιλάτος ἔμιξε μετὰ τῶν θυσιῶν αὐτῶν. *de Galilæis quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum*] Non in Galilæa: nullum enim ibi jus Pilato: non in Tyrathaba Samaritarum vico, ut quidam exiſtimant: nulla enim ſocietas Sacrorum Galilæis cum Samaritis. Adde, quod ne iſti quidem Samaritæ inter ſacra occiſi: nondum enim ad montem ſacris dicatum pervenerant. Ergo Hieroſolymis hæc acta. Quo Galilæi ſacrificandi cauſa veniebant, Paſchate præſertim. Dubium autem non eſt quin Judæ Gaulonitæ factio, ſicut ortum in Galilæa habuerat, ita & multos ibi habuerit defenſores, qui Hieroſolyma adventantes populum imbuebant opinionibus quæ Imperio Romano adverſabantur: inter quas & hæc erat, *non eſſe ſacra faciendа pro Romanis*, cujus controverſiæ Joſephus meminit. Omnino ergo credibile eſt, ut & Græcorum Interpretum plerique ſentiunt, hujus Sectæ fuiſſe quos Pilatus ſacris intentos (agno puta Paſchali) in ipſa rerum novarum molitione oppreſſerit: ſicut poſtea ab Alexandro Procuratore oppreſſi ſunt Judæ illius filii. Hiſtoriam hanc à Joſepho prætéritam non magis mirum eſt quam infanticidium Bethlehemiticum. Fuerit hoc forte inter illa quorum Judæi Pilatum apud Cæſarem accuſarunt. Ingenium Pilato fuiſſe ἀμείλικτον, [*crudele*] dicit Philo. Quod latis evincunt & Corbanæ invaſio, & invectio clypeorum, quæ mera erant populi irritamenta. Sub hoc Præſide ſi nemini impune fuit δέον τι [*propoſitionem*] illam defendere, ὅτι οὐκ ἔξεστι κῆνσον δοῦναι Καίσαρι [*non licere dare cenſum Cæſari*], nemo mirabitur.

2. Παρὰ πάντας τοὺς Γαλιλαίους, *præ omnibus Galilæis*] Solent

lent quidem magnæ calamitates poenæ eſſe peccatorum, quanquam nec id quidem eſſe perpetuum Chriſtus cæci exemplo nos docuit: ſed vulgus plerunque ulterius judicandi ſibi ſumit audaciam, ut illos cæteris flagitioſiores putet quibuſcum pejus agitur, quam crudelem temeritatem multis caſtigat Jobus & Pſalmorum Scriptor. Merito quidem: nam ſæpe viros extra communem aleam bonos Deus gravibus incommodis exercet. Neque id tantum ſub Novo Fœdere (cujus hæc velut propria diſpenſatio eſt) ſed olim quoque, ut illius quem dicere cœperam Jobi, tum vero & Jacobi, Moſis, Davidis exemplo manifeſtiſſimum eſt, ut jam taceam Eſaiam atque eos qui ſub Antiocho mortem pro veri tuitione oppetiverunt. Sæpe etiam miſericors Deus ex magna malorum turba paucos ſeligit, quos cæteris eſſe velit oſtentui, in illis monſtrans quid omnes meruerint, ut in legionum decumatione fieri ſolet. Cyprianus: *Plectuntur interim quidam, quo cæteri corrigantur. Exempla ſunt omnium tormenta paucorum.* Salvianus: *Pium ſcilicet Deus partem percuſſit ſententiæ ſuæ gladio, ut partem corrigeret exemplo, probaretque omnibus ſimul & coercendo cenſuram & indulgendo pietatem.* Ubi & ſententiam hanc aliquot veteris hiſtoriæ exemplis illuſtrat. Atque hujus ſunt generis Divina illa Judicia de quibus hoc loco agitur. ¶ Ὅτι τοιαῦτα πεπόνθασιν; *quia talia paſſi ſunt*]? Neque enim dubium erat apud auditores, & animos Poteſtatem & cauſas naturales Divino conſilio ita gubernari, ut nihil evenire poſſet quod non Deus aut facere aut ſapienter permittere decrevilſet.

3. Ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε. *niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*] Tota ſermonis cohærentia, & quod de *ſicu* ſequitur, certo mihi perſuadent de communi, & quidem aſpectabili pœna Judæorum populo imminente hic agi: quanquam illa ipſa pœnæ æternæ imaginem & omen geſſit. *Similiter*, inquit, *peribitis*. Videquam omnia congruerint. Paſchatis enim die occiſi ſunt, magna pars in ipſo templo pecudum ritu, ob eandem cauſam ſeditionis, quam falſo pietatis obtentu homines plane impii velabant.

4. Ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωὰμ, *turris in Siloe*] Ita & apud Johannem bis ſcribitur cap. IX. Sed & apud Joſephum invenio ὑπὲρ τὴν Σιλωὰμ ἐπιστρέφων πηγήν. [*ſupra Siloam avertens fontem*]. Nec aliter Lxx Eſaiæ VIII. 6. Apparet ejus ſæculi morem fuiſſe, ut literas interdum fini dictionum adjicerent. Cum maſculino nomine ὁ Σιλωὰμ [*Siloam*] dicitur, videtur χειμάρρους [*torrens*] ſubaudiri. Jugem certe aquam fuiſſe negat Hieronymus. Lenem ejus fuiſſe fluxum produnt Judæi & dicto Eſaiæ loco probatur. γλυκεῖαν καὶ πολλὴν πηγὴν [*dulcem & uberem fontem*] vocat Joſephus, qui & munimenta urbis eouſque percurriſſe nos docet, inter quæ munimenta fuit turris illa, de qua hic ſermo eſt. ¶ Ὀφειλέται, *debitores*] Syriſmus. Vide ſupra XI. 4.

5. Ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis*] *Peribitis ſimili modo*, id eſt, inter ruinas urbis totius, cujus turris illa imaginem gerit.

6. Συκῆν, *arborem ficî*] Eadem ſignificatio quæ vineæ Matth. XXI. 33. Nec aliud indicarum Chriſtus voluit cum ficum ſterilem devoveret Matth. XXI. 19. Vinetum hic eſt genus humanum omne, in quo ficus populus Judaicus læta fronde ſpem de ſe egregiam præbens. Eſt comparatio non diſſimilis à ficu ſumta in Epicteto Arriani I. 15. Συκῆς μὲν καρπὸς ἆφνω καὶ μιᾷ ὥρᾳ οὐ τελεῖται· Γυμνὸς δ' ἀνθρώπου καρπὸν θέλεις ἔτει δὶ ὀλίγῳ καὶ ἐυκόλως κτήσασθαι; [*Ficus fructus cum ſubito quaque hora non perficiatur, animi humani fructum te tam brevi tamque facile comparatum putas*]?

7. Τρία ἔτη, *anni tres*] Qui hæc ad tres annos quibus Chriſtus docuerit referunt, parum attendere videntur quod ſequitur de anno uno exſpectando. Neque enim Deus poſt Chriſti triennium pœnas Judæorum à piis oratus in unum, ſed in quadraginta annos diſtulit. Quare tres annos ſatius eſt dictos intelligi, quod ficus quæ frugiferæ ſunt fructum longius non differant. Quibus tribus annis reſpondet omne tempus ante Baptiſtam & Chriſtum, quo Deus patientiſſime exſpectavit Judæorum emendationem. Vide Eſaiæ V. ¶ Καταργεῖ; *occupat*?] Syrus ipſum verbum poſuit quod hic Græco exprimere Lucas voluit ומעכב [*impediens eſt eam*]. Nam עכב Syris & Magiſtris Hebræorum eſt *impedire*. Ficus multum ſucci è terra haurit, quod vitibus prodeſſe poterat, quin & ipſa ficus umbra hominibus nocet. Judæi eximiis à Deo beneficiis affecti pietate umbratica adeo cæteris gentibus utiles non erant, ut contra eorum vita homines cæteros à vera religione alieniores redderet. Τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ Θεοῦ δι' ὑμᾶς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι [*nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes*], inquit Paulus Rom. II. 24.

8. Σκάψω περὶ αὐτὴν, *fodiam circa illam*] Ablaqueatio ideo admoveatur, ut ſummæ radices & ſolem & imbrem accipiant. Huic videri poſſunt reſpondere χαρίσματα [*dona*] illa quæ Apoſtoli & eorum adjutores Judæis convertendis exercuerunt. ¶ Βάλω κοπρίαν· *mittam ſtercora*] Stercorantur arbores ut calefiant, ficus præſertim, ut quæ cæteris ſint frigidiores. Huic operæ non male reſpondent magna illa incommoda famis, ſeditionum, atque alia quibus Deus Caji, Claudii Neronisque temporibus, veterum Judæis excutere conatus eſt. Vide quæ ad Matth. XXIV.

9. Κἂν μὲν ποιήσῃ καρπόν. *& ſiquidem fecerit fructum*] Subaudi ex ſuperiori commate ἄφες, *relinque*, aut, *bene eſt*. ¶ Εἰς τὸ μέλλον, *in futurum*] Probo hanc lectionem quam veteres codices tuentur, etiam Paulus hoc loquendi genere utitur I Timoth. VI. 19. Syrus hic legit εἰς τί μέλλει ζῆν; ἐκκόψεις αὐτήν [*cui bono vivet etiamnum? exſcindes eam*].

11. Πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας, *quæ habebat ſpiritum infirmitatis*] Poſſet quidem πνεῦμα [*ſpiritus*] Hebræorum more pro ipſo morbo accipi ſecundum ea quæ alibi diximus: ſed cum infra aperte dicatur à Satana immiſſum hoc malum, præſtat ita intelligi quomodo πνεῦμα ἄλαλον [*ſpiritum mutum*] dixit Marcus IX. 17. *dæmonium quod loquendi facultatem impediret*. Extra cauſas naturales morbos multos hominibus immitti per dæmonia vetus fuit Judæorum opinio, ut ex Joſepho etiam videre eſt, & Hebræorum Magiſtris ad Pſ. XCI. 6. Confirmat id ipſum Jobi & Saulis hiſtoria & in Evangelio multæ narrationes. ¶ Συγκύπτουσα, *inclinata*] *Erat cerrina*. non ergo ὀπισθότονος, ut vult vir erudius, ſed ἐμπροσθότονος, non *in ſcapulas rigens*, ſed *in pectus*, ut Plinius ilta exprimit. Nazianzenus συγκύπτειν [*inclinare*] non male exponit κάτω νεύειν [*deorſum vergere*]. Hoc ſenſu συγκύψας προσώπῳ [*inclinans faciem*] eſt in Græco Jobi IX. 27. At ὀπισθότονον [*in poſteriora reflexum*] Lxx uſurpant Deut. XXXII. 24. ubi tamen in Hebræo eſt אפ quod *peſtem* plerique interpretantur. ὀπισθότονος ſunt Latine, ni fallor, *obſtipi*. ¶ Ἀνακύψαι, *ſurſum reſpicere*] *Caput attollere*. Ita ἀναβλέπειν πρὸς τὸν ἥλιον [*ſuſpicere ad ſolem*] dixit Ariſtoteles. Ipſe Lucas infra XXI. 28. ἀνακύψατε [*ſuſpicere*] exponit ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς [*attollite capita*]. Sed & Johannes hoc ſenſu uſurpat. Bene veteres in hac femina imaginem quandam obſervant hominum qui cum vitiis ſui argumento in cœlum erigere deberent, curvas in terram animas gerunt. ¶ Εἰς τὸ παντελές. *omnino*] Idem loquendi genus ad Hebræos VII. 25.

12. Προσεφώνησε, *vocavit*] Ultro nec rogatus beneficium ingerens: quod ipſum pertinet ad eam quam dixi ὑπόνοιαν [*latentem intellectum*]. ¶ Ἀπολέλυσαι, *dimiſſa es*] Præteritum pro præſenti, ut Matth. IX. 2. Marc. II. 9. Simul enim Chriſtus hæc dixiſſe ſimulque manus impoſuiſſe intelligendus eſt.

14. Ὁ ἀρχισυνάγωγος, *Archiſynagogus*] ὁ προεστὼς τῆς συναγωγῆς [*qui præerat Synagogæ*]. Interdum laxius ea vox ſumitur, ut Presbyteros quoque comprehendat quemadmodum diximus ad Matthæum. Sic cum unus eſſet στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ [*Præfectus templi*] interdum ejus adjutoribus id nomen communicatur. ¶ Ἀγανακτῶν ὅτι τῷ σαββάτῳ ἐθεράπευσεν ὁ Ἰησοῦς, *indignans quia Sabbato curaſſet Jeſus*] Nimirum quia ſummam ſanctimoniæ in ritibus collocabat: unde merito audit ὑποκριτής [*hypocrita*]. Nam illam fabulam optime aguut quibus in animo ne mica quidem eſt veræ dilectionis. ¶ Τῷ ὄχλῳ, *turbæ*] Per illorum latus Jeſum accuſans quem palam aggredi non audebat. Etiam hoc ὑποκριτικῶς [*hypocritice*] & veteratorie. ¶ Ἐργάζεσθαι· *operari*]. Arqui cibum ſumere Sabbato licebat: cur non ergo & manum imponere. Male ergo captatur vocula תעבר [*operabere*] rectèque defendi poterat ne verba quidem Legis ad hanc facti ſpeciem pertinere. Sed Chriſtus omiſſis ſubtilitatibus evidentiſſima comparatione calumniæ iniquitatem detegit.

15. Ὑποκριτά, *Hypocrita*] Singulariter legit Syrus. Neque rarum eſt, ut uni dicantur quæ ad ipſum alioſque pertineant. ¶ Ἕκαστος ὑμῶν, *unuſquiſque veſtrum*] *Veſtri gregis tum Legiperitorum, tum Phariſæorum*. Nam erant ſectæ minores quæ aliter ſentirent, ut alibi diximus. ¶ Οὐ λύει τὸν βοῦν αὐτοῦ ἢ τὸν ὄνον; *non ſolvit bovem ſuum aut aſinum*?] Quia periculum animæ impellit, ut ajunt, Sabbatum. Id periculum autem non ſumebant in puncto, ut ita dicam. Neque enim certum erat pecudes non ductas aquatum continuo interituras.

16. Θυγατέρα Ἀβραὰμ, *filiam Abrahæ*] Non contentus ho-

hominem pecudi opponere, quod ſatis fuerat, adjicit filiam Abrahami, quod nomen apud illos in maximo erat pretio. Vide Matth. III. 9. Luc. III. 8. Johan. VIII. 33. Actor. XIII. 26. Hæc interpretatio ſimplicior & rectior quam eorum qui fidem feminæ ſpectatam volunt. ¶ Ὁ Σατανᾶς, *Satanas*] *Dei & humani generis hoſtis.* Singula verba habent ἔμφασιν [*altiorem intellectum*]. ¶ Δέκα καὶ ὀκτὼ ἔτη, *decem & octo annis*] *Non ad horas aliquot*, ut boves & aſini ligantur. ¶ Λυθῆναι, *ſolvi*] Multo minore opera, verbo & manuum impoſitione.

17. Ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἐνδόξοις, *in univerſis quæ glorioſe fiebant*] Ita vocat quæ alibi μεγαλεῖα [*magnalia*].

23. Εἰ ὀλίγοι οἱ σωζόμενοι; *ſi pauci ſunt qui ſalvantur?*] Solet Chriſtus curioſas quæſtiones ſine reſponſo rejicere, ut hic & Actor. I. 7. Noſtra refert ſcire quales ſerventur, non quot ſervandi ſint, quanquam ex altero alterum conjectare aliquatenus licet. Nam paucis libet viam ingredi arduam atque difficilem.

24. Ἀγωνίζεσθε, *contendite*] Aperte oſtendit Chriſtus numerum ſervandorum non eſſe definitum decreto excludente omnem actum humanæ voluntatis, quando omnes ad capeſſendam viam invitat: ſed ſimul oſtendit rem eſſe magni animi & conſtantiæ; id enim verbum hoc indicat, ut & Coloſſ. I. 29. ¶ Ζητήσουσιν εἰσελθεῖν, *quærent intrare*] Supple *eo quo iri niſi per portam non poteſt*, in regnum ſcilicet cœleſte. Nemo eſt qui non immortalitatis cupiditate teneatur: ſed non omnibus ea tanti eſt, ut propterea carere velint hujus ævi commodis.

25. Ἐγερθῇ, *experrectus fuerit*] Ita Syrus & Arabs. Latinum apparet legiſſe εἰσέλθῃ [*intraverit*]. Sed illud præferendum. Nam ἐγείρεσθαι [*expergefieri*] motum ſignificat de ſede ſua aut lectulo procedentis ad claudendum oſtium. ¶ Ἀρξησθε ἔξω ἑστάναι, *incipietis foris ſtare*] Manifeſtus πλεονασμὸς [*abundantia ſermonis*] qui Lucæ frequens, ſupra III. 8. IV. 21. V. 21. VII. 15, 38. Sic & infra XIV. 9. & Actor. I. 1. ¶ Οὐκ οἶδα ὑμᾶς πόθεν ἐστέ. *neſcio vos unde ſitis*] Id eſt, *pro ignotis vos habeo.*

26. Ἐφάγομεν ἐνώπιόν σου καὶ ἐπίομεν, *manducavimus coram te & bibimus*] Id eſt, *admodum familiariter tecum viximus.* Nam φαγεῖν ἐνώπιόν τινος [*manducare coram aliquo*] dicuntur qui una cum eo cibum ſumunt, ut infra XXIV. 43. quod ſicut Judæos qui cum Chriſto vixerunt non ſublevavit, ita nec Chriſtianis non Chriſtiane viventibus quicquam proderit menſæ Dominicæ fuiſſe participes: imo aggravabit hoc ipſum eorum damnationem, ut Paulus docet ad 1 Cor. XI. 29. ¶ Ἐν ταῖς πλατείαις ἡμῶν ἐδίδαξας. *in plateis noſtris docuiſti*] Multi ſunt qui auditu verbi ſe juſtos exiſtimant, cum longe aliter ſe res habeat. Rom. II. 13. Jac. I. 22. 23.

27. Ἐργάται, *operarii*] Quia Hebræi participia pro verbalibus uſurpant, ideo Lucas quod in Pſalmo & apud Matthæum eſt ἐργαζόμενοι [*operantes*] recte interpretatur ἐργάται [*operarii*]. Nam non actus quivis ſed vitæ ſtudium indicatur.

28. Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ καὶ πάντας τοὺς προφήτας, *Abraham & Iſaac & Jacob & omnes Prophetas*] Quibus ſanguinis auctoribus aut conſanguineis gloriamini.

30. Εἰσὶν ἔσχατοι, *ſunt noviſſimi*] Qui nunc alieniſſimi à Dei beneficiis videntur οἱ ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*], quos vos tantopere contemnitis.

31. Προσῆλθόν τινες Φαρισαῖοι, *acceſſerunt quidam Phariſæorum*] Qui in Galilæa aut Peræa vivebant. Nam eo pertinet quod dicunt ἐντεῦθεν [*hinc*]. Neque enim extra eas regiones jus ullum erat Herodi. Phariſæos autem non in Judæa tantum, ſed & in Galilæa atque alibi plurimos fuiſſe docet nos hic noſter, ſupra V. 17. ¶ Ὅτι Ἡρῴδης θέλει σε ἀποκτεῖναι. *quia Herodes vult te occidere*] Ex reſponſo Chriſti datur, ni fallor, intelligi, non ſponte veniſſe hos Phariſæos, neque proprio conſilio, ſed inſtinctu Herodis. Ideo Herodi reſponſum nuntiari jubet Chriſtus. Videtur autem pro vafritie ſua hoc fecille Herodes, ut quem interimere metuebat, ne populum denuo offenderet, eundem tamen injecto metu arceret finibus ſuis. Volebat enim cum quam longiſſime abeſſe qui pallim teſtimonium perhibebat innocentiæ Johannis: idque magna cum auctoritate, ob vim mirificam quæ ipſi aderat.

32. Τῇ ἀλώπεκι, *vulpi*] Solent à Prophetis Reges deſcribi beſtiarum nominibus, ut hirci, arietis, pardi, urſi: neque immerito; quia ſi hiſtorias ſpectemus, pars longe maxima humanitatem exuit & in belluinos mores migrat. Ita & Neronem ſub leonis nomine deſcribit Paulus. Herodi nullum nomen magis conveniebat quam vulpis: erat enim πανουργότατος [*vaferrimus*], & memor ejus quod Lyſander dicere ſolebat, ὅπου ἡ λεοντῆ μὴ ἐφικνεῖται, χρὴ τὴν ἀλωπεκῆν προσράπτειν [*ubi leonina pelle res peragi non poteſt, vulpina aſſumenda*], compoſitus ad Romani tunc Imperatoris exemplum qui nullam, ut rebatur, ex virtutibus ſuis magis quam diſſimulationem diligebat. Itaque videas eum magna arte & populo ſe commendaſſe, quaſi Judaicæ religionis perquam ſtudioſum, & Romano Imperatori adulatum ſerviliter, quaſi ei devotiſſimum, cum interim omni modo ipſe res ſuas ageret. Sic Herodianos partem Sadducæorum clam fovens, interim & Phariſæorum opera utebatur. Neque vero, cum hoc cognomento Tetrarcham indigitavit Chriſtus, quicquam cenſendus eſt feciſſe contra Legem paternam, quæ exſtat Exod. XXII. 28. Nam cum Prophetarum munus eſſet Reges ipſos magna cum libertate reprehendere, ut qui majores Regibus eſſent in muneris ſui obitu, Jerem. I. 10. ſequitur hinc illam Exodi legem ad ipſos non ſpectaſſe, nam mandati Divini exceptio omnibus Dei poſitivis legibus ineſt. Idque exemplis Eſaiæ, Jeremiæ, atque aliorum manifeſtiſſimum eſt. Prophetæ autem munus hoc ipſo loco Chriſtus aperte ſibi vendicat. Eſt apud Gregoram oraculum in quo Imperator quidam Græcus hoc ipſo vulpis nomine deſignatur. ¶ Ἐκβάλλω δαιμόνια, καὶ ἰάσεις ἐπιτελῶ, *ejicio dæmonia, & ſanitates perficio*] *Nihil ago quod in crimen vocari debeat: noceo nemini: regionem ipſius morbis & dæmoniis purgo: quid ergo eſt quod mortem mihi minatur?* Similiter Judæos alloquitur Chriſtus apud Joh. X. 32. ¶ Σήμερον καὶ αὔριον, καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι, *hodie & cras & tertia die conſummor*] Tempus ſignificat indefinitum, ſed ſibi cognitum. Sic Oſeæ VI. 2. ὑγιάσει ἡμᾶς μετὰ δύο ἡμέρας· ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ ἀναςησόμεθα [*vivificabit nos poſt duos dies; in die tertia ſuſcitabit nos*]. Quod ſi quis tamen arcanum ineſſe his verbis vaticinium putet, ut dicta hæc ſint triennio ante mortem, atque ita dies, ut apud Ezechielem, annos deſignent, non repugnabo. Nam quod quidam putant hæc omnino ſub exitum à Chriſto dicta, fragili moventur argumento. Ponunt enim à Luca preſſius quam à cæteris obſervari temporum ordinem, quod non ita eſſe multis exemplis apertum fecimus. Neque vero ea eſt vis vocis ἔξης [*deinceps*] in libri anteloquio: τελειοῦμαι [*conſummor*] autem eſt ἐναλλαγὴ [*enallage*]. Nam conſummari dicitur cujus curſus conſummatur: ὃ τελεῖται ὁ δρόμος [*non conſummatur curſus*] ut noſter hic loquitur Actor. XX. 24. Neque aliter accipiendum videtur Philip. III. 12. ubi Paulus à curſoribus ſumta ſimilitudine ſubjungit, οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, ἢ ἤδη τετελείωμαι [*non quod jam acceperim, aut jam perfectus ſim*].

33. Καὶ τῇ ἐχομένῃ, *& ſequenti*] *Nempe etiam tertio illo die cujus fine demum curſum meum perficiam*: ſive certum ſive incertum tempus notari placet. ¶ Πορεύεσθαι, *ambulare*] *Ambulare* hic eſt *operari*, Johan. XII. 35. & alibi. Senſus idem qui apud Johan. IX. 4. Ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με ἕως ἡμέρα ἐστίν [*me oportet operari opera ejus qui miſit me donec dies eſt*]. Quaſi dicat: *Non eſt quod mihi hoc tempore & loco mortem quiſquam minetur. Divina Providentia nunquam id jus Herodi in me permittet, quod ille ſibi vindicat: moriturus ſum, ſed ubi & quando Pater voluerit atque ego voluero. Interim non deſiſtam à miraculis, quæ quo ſunt majora, hoc magis illum excruciant.* ¶ Ὅτι οὐκ ἐνδέχεται, *quia non capit*] Cauſa redditur cur nondum ſit moriturus, id eſt, cur aut ipſe nondum velit mori, aut etiam Pater nondum decreverit permittere ut occidatur: quia non convenit Prophetam alibi occidi quam Hieroſolymis, quæ urbs jus illud occidendi Prophetas quaſi uſu ceperat. Erant quidem & Prophetæ quidam occiſi extra Hieroſolyma, ſed pauci præ iis qui Hieroſolymis erant trucidati. Factum igitur eſt Divina diſpenſatione, ut illa civitas neglectis omnibus ad pœnitentiam invitantibus, anteacta ſcelera etiam hoc ſummo ſcelere cumularet mox omnium pariter ſcelerum pœnas luitura.

34. Ἰερουσαλήμ, Ἰερουσαλήμ, *Jeruſalem, Jeruſalem*] Puto ob argumenti affinitatem à Luca hoc loco hæc adjecta, non quod ſæpius à Chriſto pronunciata fuerunt. Videtur enim tranſcriptus locus ex Matthæo, ad quem videri poſſunt quæ notavimus.

35. Ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν, *relinquetur vobis domus veſtra*] Ἔρημος [*deſerta*] hic in quibuſdam libris ex Matthæo adſcriptum eſt, cum optimi codices non habeant, & Græci Scriptores ſed & Latini quidam non agnoſcant.

PRICÆUS.

Com. 1. ΩΝ τὸ αἷμα Πιλάτος ἔμιξε μετὰ τῶν θυσιῶν αὐτῶν] De re Euthymium vide. Non diſſimile quod 3 Reg. 13. 2. de Joſia prædictum. Baſilius Seleucienſis ex perſona Herodis infanticidium imperantis, Κατὰ τῶν προσφευγόντων ἔτι τοῖς τῶν μητέρων μαζοῖς ἀθεῖτε τὸν σίδηρον, καὶ κεραννύεσθω τὸ τῆς σφαγῆς αἷμα τῷ γάλακτι.

Com. 2. Ἁμαρτωλοὶ παρὰ πάντας] Ita 14. 13. apud Sapient. Scriptorem, παρὰ πάντας ἁμαρτάνειν. Heſychius, forte ex iſto Lucæloco, Παρὰ πάντας· ὑπὲρ πάντας.

Com. 3. Πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε] Simillimum Rom. 11. 22. illud, ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ. Theophylactus ad Rom. 2. Ἡ μακροθυμία τοῖς πρὸς διόρθωσιν αὐτῇ χρωμένοις σωτήριος, τοῖς δὲ εἰς προσθήκην ἁμαρτίας δεχομένοις αὐτὴν, τιμωρίας μείζονος ἀφορμή ἐστιν.

Com. 4. Παρὰ πάντας ἀνθρώπους] Recentior Interpres, *præ omnibus hominibus*; annon æque autem Latine Vulgatus, *præter omnes homines?* Gellius 10. 17. de Democrito, *Virum præter alios venerandum.* Cicero ipſe de Iſocrate, *Præter cæteros ejuſdem generis à nobis ſemper laudatur.* Exempla hujus locutionis plura ad Gellii 5. 14. adnotavimus.

Com. 7. Τρία ἔτη ἔρχομαι ζητῶν καρπὸν ἐν τῇ συκῇ ταύτῃ, καὶ οὐχ εὑρίσκω· ἔκκοψον αὐτήν] Vide Jerem. 24. 8. & 29. 17. Panegyriſtes ad Conſtantinum Imperatorem, *Ager qui nunquam reſpondet impendiis, ex neceſſitate deſeritur.* De verbis ἔκκοψον αὐτήν, vide ſupra hic ad 3. 9. & ad Matth. 3. 10. annotata.

Ibid. Ἱνατί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ;] Arrianus 3. 26. de homine inutili, Τί ξενοχαρεῖς τὸν κόσμον; Oedipus apud Latinum Tragicum,

- - - Quid terram grave?

Homerus Iliad. α'.

- - - Ετείσιον ἄχθος ἀρούρης.

Ubi vetus Scholiaſtes, μάταιον βάρος τῆς γῆς. Καταργεῖ, Vulgato *occupat*, bene & Vir ſummus, *quid terram impedit?* Apulejus de dolio quodam, ſupervacuum locum detinente, *Præter impedimentum converſationis noſtræ nihil amplius præſtat.* Illud Ἱνατί Vulgatus *ut quid* vertit: ita in Gloſſario Græco-latino, & vetere Onomaſtico.

Com. 8. Κύριε, ἄφες αὐτὴν καὶ τοῦτο τὸ ἔτος] Seneca 7. de Beneficiis, *Quædam nomina bona lentus ac ſapiens creditor facit, qui ſuſtinet, ac mora fovet.* Nota & τοῦτο τὸ ἔτος. Idem 81 Epiſt. *Et poſt malam ſegetem ſerendum eſt: ſæpe quicquid perierat aſſidua infelicis ſoli ſterilitate, unius anni reſtituit uberta.* Fœnerealia quædam diutius ſervata, non modo uſuram adjicere, ſed & ſæpe fructum duplicare, tradit 1. De re ruſtica doctiſſimus Romanorum. In Collectaneis autem Geoponica inſcriptis ſimulanter arborem ſterilem exciſuro præcipitur intervenire qui deprecatorem agat, eamque ſpondeat fructum in poſterum prolaturam. Σὺ ζοσάμενος καὶ λαβὼν πελέκιον, &c. μετὰ θυμοῦ πρόσελθε τῷ δένδρῳ, ἐκκόψαι τοῦτο βουλόμενος· προσελθόντος δέ σοι τινὸς, καὶ παραιτουμένου τὴν τούτου ἀποκοπὴν, ὡς ἐγγυητοῦ τοῦ μέλλοντος καρπὸν, δόξον πείθεσθαι, καὶ φείδεσθαι τοῦ δένδρου, καὶ τοῦ λοιποῦ ἐνδοφορήσει· quæ nata quidem ex Euangelii loco iſto, ac in rem ineptam deflexa.

Ibid. Σκάψω περὶ αὐτήν] Gloſſæ, Περισκάπτω, *fodio.* Videtur *circumfodio* legendum.

Ibid. Καὶ βάλω κοπρίαν] Virgilius,

- - - Quacunque premes virgulta per agros
Sparge fimo pingui. - - -

Scholiaſtes ad Achamenſes Ariſtophanis, Διὰ τῆς κόπρου τὰ σπέρματα βάλλειν ποιοῦσιν οἱ γεωργοὶ, καὶ καρπὸν πλείονα ποιεῖν. Varro 2. 1. de R. R. *Stercoratio ad fructus terreſtres aptiſſima.* Hinc ἔγκοπρος, ἡ μὴ δεομένη κόπρου χώρα apud Heſychium.

Com. 9. Κ' ἂν μὲν ποιήσῃ καρπὸν· εἰ δὲ μὴ] Oratio imperfecta, ſed bene Græca. Poſt vocem καρπὸν ſupplendum καλῶς ἔχει. vel (ut 2 Maccab. 11. 28.) εἴη ἂν ὡς βούλομαι· vel quid aliud poteſtatis ejuſdem. Thucydides, Κ' ἂν μὲν ξυμβῇ ἡ πεῖρα· ubi Scholiaſtes, ὑπονοητέον, καλῶς ἂν τοῖς Ἀθηναίοις ἔχοι. Cyrus moribundus ad filios ſuos apud Xenophontem, Εἰ ἐγὼ ἱκανῶς διδάσκω ὑμᾶς οἷας χρὴ πρὸς ἀλλήλους εἶναι· (ſupple καλῶς ἔχει,) εἰ δὲ μὴ, &c. Plato in Sympoſio, Ἐὰν μέν σοι ἐθέλῃ ἀκούειν ἔχοντι πολὺν χρόνον παύεσθαι ἡ λύγξ· εἰ δὲ μή, &c. Idem in Protagora, Καὶ ἐὰν μὲν ἐκὼν πείθηται· εἰ δὲ μὴ, &c. Damaſcius ex perſona Theoſebii ad uxorem ſuam, apud Photium P. C. P. Εἰ δυνήσῃ τε καὶ θελήσῃς μοι συμβιῶναι τὸν καθαρώτερον τρόπον· εἰ δὲ μὴ, &c. Vide & in Græco Ruth. 3. 13. Nonnunquam plene effertur, ut in illis, Καὶ ἐὰν μὲν λάβῃ, εὖ ἔχει· εἰ δὲ μὴ, &c. quæ exſtant apud Theophraſtum cap. περὶ ἀπροσχυντίας.

Ibid. Εἰ δὲ μήγε] Sic ſupra 5. 37. & 2 Cor. 11. 16. Gloſſæ, *Sin minus*, εἰ δὲ μή· ibidem, *Alioquin*, εἰ δὲ μή γε. Gloſſæ aliæ, Εἰ δὲ μή, *ſin minus*, *alioquin.* Vulgatus heic, & Sirachidis 5. 14. *ſin autem:* ita in eodem Gloſſario, εἰ δὲ, *ſin autem.*

Ibid. Εἰς τὸ μέλλον ἔκκοψον αὐτήν] In Gloſſis iiſdem, Εἰς τὸ μέλλον, *in poſterum.*

Com. 15. Καὶ ἀπαγαγὼν ποτίζει] Quod, *jumentum bibendi cauſa prominare*, Apulejus vocat. Vulgatus heic *adæquare* vertit. Ita in Gloſſario, Ποτίζω κτῆνος, *adæquo:* quæ vox invenitur etiam apud Suetonium, & in vetere Onomaſtico.

Com. 16. Θυγατέρα Ἀβραὰμ ὄσαν] Ita & infra 19. 9. Euthymius ad Luc. 16. ea, ex perſona Abrahami ad Divitem, FILI, &c. *Filium hunc vocat, nipote Patriarcha, ſeu progenitor ipſius.*

Ibid. Ἣν ἔδησεν ὁ Σατανᾶς] Nam & morbi extra cauſas naturales quandoque à dæmonibus immiſſi. Vide ad Matth. 4. 24. Lactantium adductum.

Ibid. Ενδέξους] Qualia ſupra 5. 26. παραδόξα vocavit.

Com. 17. Κατῃσχύνοντο πάντες οἱ ἀντικείμενοι αὐτῷ] Sic 1 Pet. 3. 16. Ἵνα, &c. καταισχυνθῶσιν οἱ ἐπηρεάζοντες ὑμῶν τὴν καλὴν ἀναστροφήν. Vide infra 21. 15. In Gloſſis, Ἀντικείμενος, *adverſarius*, *obtrectator.*

Com. 19. Ηὐξησε, καὶ ἐγένετο εἰς δένδρον μέγα]

Exit & in cælum ramis felicibus arbos.

Scholiaſtes ad Prometh. Æſchyli, Τὸ σπέρμα ἐξ ἐλαχίστου αὔξεται. Seneca 3. 29. de Benef. *Nulla non res principia ſua magno gradu tranſit: ſemina omnium rerum cauſa ſunt, & tamen minima partes ſunt eorum quæ gignunt.* Philo lib. Quod mundus ſit incorruptibilis, Ὅσα λαμβάνει τὴν ἐκ σπέρματος γένεσιν, μείζονα τὸν ὄγκον ἐπὶ τῷ πεπαυμένῳ, καὶ ἐν τέλει μείζονι θεωρεῖται· δένδρα γῶν ἀρουμένην ἀναβλαστάνει ἐκ βραχυτάτης κέγχρου. Idem lib. Quod Deus immutabilis, & de plantis arborum loquens, τὰ τέως διὰ βραχύτητα χαμαίζηλα, ἐξαίφνης ἀναδραμόντα ἔρυη γίνεται τερμινθίσματα. Seneca Troade,

Quæ tenera cæſo virga de trunco ſtetit,
Par ipſa matri tempore exiguo ſubit,
Umbraſque terris reddit, & cælo nemus.

Ovidius,

Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus umbras,
Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.

Εγένετο εἰς δένδρον, hic, ut Ezech. 17. 6. ἐγένετο εἰς ἄμπελον· Gen. 2. 7. ἐγένετο εἰς ψυχὴν ζῶσαν· & Matth. 19. 5. ἔσονται (i. e. γενήσονται) εἰς σάρκα μίαν.

Ibid. Τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατεσκήνωσεν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ] Ita, *aves in frondibus habitare*, dixit Servius ad Virgil. Eclog. 1. & arbores *avium domos* Lucretius vocavit. Arrianus 1. 28. in Epictetum, Τί διαφέρει οἰκία ἀνθρώπου καὶ νοσσιὰ πελαργοῦ εἰς αὔλισιν; Vide ad Matthæum dicta.

Com. 21. Σάτα] Heſychius, Σάτον, μέτρον στερεόν.

Com. 22. Διεπορεύετο κατὰ πόλεις καὶ κώμας διδάσκων] Gloſſarium, Διαπορεύομαι, *perambulo.* Dixit Lucas quidem Act. 16. 4. πόλεις, nuſquam autem κατὰ πόλεις διαπορεύεσθαι. Interpunctio ergo quæ excuſos codices hoc loco male pervagatur, tollenda eſt poſt vocem κώμας, & poſt διεπορεύετο ponenda. Ut illa κατὰ πόλεις, &c. cum διδάσκων jungantur. Et hoc verum eſſe manifeſtum eſt vel ex Luca ipſo, qui ſimili loquendi modo ſupra heic 8. 4. κατὰ πόλιν ἐπιπορεύεσθαι dixit Actor. 15. 21. κατὰ πόλιν κηρύσσειν· ibid. com. 36. κατὰ πόλιν ἐπισκέπτεσθαι· & Act. 20. 23. κατὰ πόλιν διαμαρτύρασθαι· ergo & iſto qui præ manibus loco, κατὰ πόλεις διδάσκειν. Ita & Paulus 1. 4. ad Titum, κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους καταστῆσαι. Διεπορεύετο autem intellige regiones illas. Quæ præcipua loquendi ratio ne quem offendat, ſciat & Paulum Rom. 15. 24. eo modo διαπορευόμενος dixiſſe: quo & loco *Italiæ* ſubaudienda. Similiter & Lucas noſter Act. 8. 4. διῆλθον dixit: & ibidem com. 40. διερχόμενος.

Com. 24. Ἀγωνίζεσθε εἰσελθεῖν διὰ τῆς στενῆς πύλης] Idem fere ſenſus Pythagorici illius, λεωφόρους μὴ βαδίζε. Pulchre etiam (ut jam ab aliis notatum) hoc loco vitæ inſtitutum notat.

Com. 25. Ἀποκλείσῃ τὴν θύραν] Proprie dicuntur κλείεσθαι αἱ θύραι, ἀποκλείεσθαι autem homines: unde eſt Heſychii illud, Ἀποθυρώμενος, ἀποκεκλεισμένος. Eſt ergo heic metonymia.

Ibid. Καὶ ἄρξησθε ἔξω ἑστάναι] Pleonaſmus, qualis plane apud Catullum ille,

- - - Quem tu diligere inciperes.

Ibid. Οὐκ οἶδα ὑμᾶς] Pro meis non agnoſco: quo ſenſu 1 Joh. 3. 1. οὐ γινώσκει ὑμᾶς. Locutio eſt alieni videri volentium. In Menechmo Plautina,

- - - Quid tibi mecum eſt rei?
Ego te non noui. - - -

Vide Joh. 8. 18. & ad Matth. 25. 12. dicta.

Ibid. Πόθεν ἐστὲ] Nonnulli hoc poſt ὑμᾶς ſubdiſtinguunt, & hæc legunt quaſi interrogative prolata: quibus patrocinari poſſent Geneſ. 42. 7. iſta, ἐλάλησεν αὐτοῖς σκληρὰ, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, πόθεν ἥκατε; At tutius eſt hæc una ſerie cum præcedentibus, atque adeo ſine interrogatione, hoc modo legere, ἐκ οἶδα ὑμᾶς πόθεν ἐστέ. Sic 1 Reg. 25. 11. Καὶ δώσω αὐτὰ ἀνδράσιν οἷς ἐκ οἶδα πόθεν εἰσίν. Talis & ſupra 4. 34. locutio illa, οἶδά σε τίς εἶ, &c. ubi dicta vide. Nec aliter accepit Vulgatus, qui NESCIO VOS UNDE SITIS vertit.

Com. 26. Ἐφάγομεν ἐνώπιόν σου] Ideſt, ut Act. 10. 41. συνεφάγομέν σοι, vel, ut 3 Reg. 1. 25. μετά σου. Servat autem hoc, ut paſſim, Dominus conſuetudinem ſuam populares loquendi modos adhibendi. Memoriam ſui qui evanidam & intermortuam vident, antiquæ familiaritatis nota aliqua eam ſuſcitare experiuntur. Imper. Claudius ad Herculem in Senecæ Apocol. *Ego eram qui tibi ante templum tuum jus dicebam totu diebus*, &c. In Menechmo Plautina ille,

- - - Non ſcis, quis ego ſim qui tibi ſæpiſſime
Cyathiſſo, apud nos quando potas?

Seneca reviſens villam ſuam, Epiſt. 12. *Quis eſt ille decrepitus, & merito ad oſtium admotus?* &c. *At ille, Non cognoſcis me, inquit? ego ſum Felicio, cui ſolebas ſigillaria afferre; ego ſum Philoſiti villici filius, deliciolum tuum.* Præcipue autem labenti aliorum memoriæ, quaſi fulcrum ſupponi ſolet unius ejuſdemque menſæ communionis commemoratio. Ovidius,

Ille ego ſum qui te colui, quem feſta ſolebat
Inter conuiuas menſa uidere tuos:
Ille ego conuictor, denſoque domeſticus uſu.

Hinc & Auguſti ad Horatium illud, *Sume tibi aliquid juris apud me tanquam ſi conuictor mihi fueris:* quæ exſtant apud veterem vitæ Horatii Scriptorem.

Ibid. Ἐν ταῖς πλατείαις ἡμῶν ἐδίδαξας] En & aliam conciliandæ benevolentiæ notam. Servius ad Virgilii illud, *- - - Vicine Palæmon, Benevolum reddit ex vicinitatis commemoratione.* Heſychius, Πλατείαις, ῥύμαις, ἀγοραῖς.

Com. 28. Ἐκεῖ ἔσται κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων] Sen. Hippol.

- - - Luctus, & lacrymæ, & dolor,
Hoſpitia digna prorſus inferno hoſpite.

Illud ἐκεῖ (quod excuſſit nemo) quo jure heic locum habeat non eſt facile videre. Poſcit ὅταν (quod ſtatim ſequitur) ut vocem eam accipiamus pro τότε. Vix puto autem illius ſignificatus exempla occurrere: melius ergo poſt ἀπόςητε ἀπ' ἐμοῦ ■ commate præcedente, ſubaudire ex Matth. 8. 11. εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ubi & ſequitur (ut & hoc Lucæ loco) ἐκεῖ ἔσται, &c. Apte autem ἐκεῖ de loco tantis pœnis deſtinato dictum. De Erebo Seneca in Thyeſte,

- - - Quicquid audire eſt metus
Illic videtur. - - -

Ovidius, cum diris agens Ibin, dixiſſet,

In loca ab Elyſiis diverſa fugabere campis,

(quod dicto Matthæi loco εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον ἐκβάλλεσθαι,) adjunxit,

Siſyphius eſt ILLIC, ſaxum volvenſque petenſque:
Quique agitur dira vinctus ab orbe rota.

Ibid. Ὅταν ὄψεσθε Ἀβραὰμ, &c.] Vult dicere, pœnis quas corporales luetis & hic cumulus accedet, ex adverſa beatorum ſtatus viſione ipſa in rabiem efferabimini. Infra heic 16. 23. de Divite, Τυφόμενον ἐν βασάνοις ὁρᾷ τὸν Ἀβραὰμ, &c. Ad quem locum Euthymius, *Peccatores juſtorum vident fruitiones quo magis doleant, videntes quibus ſint privati bonis.* Et hoc eſt quod Apoc. 14. 10. non tantum ἐν πυρὶ καὶ θείῳ βασανίζεσθαι, ſed & ἐνώπιον ἀγγέλων καὶ τοῦ ἀρνίου.

Ibid. Ὑμᾶς δὲ ἐκβαλλομένους ἔξω] Virgilius,

Heu! magnum fruſtra alterius ſpectabis acervum.

Ubi Servius, *In alio cernens quod ipſe non habeas.*

Com. 31. Ἔξελθε, &c. ὅτι Ἡρῴδης θέλει σε ἀποκτεῖναι] Non diſſimile Matth. 2. 13. vide: quid hic θέλειν, ibi eſt ζητεῖν.

Com. 32. Τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ] Theophylactus ad Coloſſ. 3. *Scriptura equos, canes & vulpes nominat eos qui morum ſuorum nomine hujuſmodi animalibus adæquari merentur.* Vide ad 2 Tim. 4. 17. dicta. Homines aſtu nobiles cognomento Vulpium inſignire non infrequens autem nec profanis Scriptoribus. De Ruffino Claudianus,

Ut primum cunctam texêre palatia vulpem.

Perſius,

Aſtutam vapido ſervas ſub pectore vulpem.

Priſcianus de rhetoricis præexercitamentis, *De pulcritudine aliquis certat? parvo ſupponatur. Oportet alicui aſtutiam tribuere? vulpecula ſubjicienda eſt.* Apulejus in Apologia, *Impium, & vulpionem.* Arrianus, 1. 3. in Epictetum, Τί ἐστι, &c. κακοήθης ἄνθρωπος ἡ ἀλώπηξ; Scholiaſtes ad Eidyll. 5. Theocriti, Ἀλώπηξι τύτους εἴκασεν, ὡς πανούργους καὶ δολερούς. Lucianus Reviviſc. de Philoſophaſtris agens, *Inuratur frons eorum, ὁ δὲ τῦ καυτῆρος τύπος ἀλώπηξ ἔςω.* Julianus de Pompejo M. in Cæſaribus, Δακτύλῳ κινούμενα, καὶ τὰ ἄλλα ἀλώπεκος μᾶλλον ἢ λέοντος. Apud Baſilium in De legendis Gentil. libris, Τῆς Ἀρχιλόχυ ἀλωπεκος περδαλέου, καὶ ποικίλου. Bene autem hujuſmodi cognomentum Herodi adaptatum, habebat enim (quod de Alexandro pſeudomante Lucianus dixit) ποικιλοτάτην ψυχῆς ἕξιν, ἐκ ψεύδους, καὶ δόλυ, καὶ ἐπιορκιῶν, καὶ κακοτεχνιῶν συγκειμένην· τολμηρὸν, παράβολον, φιλόπονον ἐξεργάζεσθαι τὰ νοηθέντα, &c. ὑποκριτικὴν τῦ βελτίονος, καὶ τῇ ἐναντιωτάτῃ τῆς βελτίσεως ἑαυτῦ. Irenæus 4. 80. DICITE VULPI HUIC, *Aſtutiam nequam ejus, & dolum ſignificans.* Petrus Chryſologus Serm. 19. *Meritò hanc* (vulpem nempe) *Chriſtus in typum format Herodis, qui priſtinæ libertatis oblitus, ſub Romana poteſtate conſiſtens, dominabatur arte, calliditate regnabat, imperabat fraude, præſidebat dolis, ſimulatione polleba: & quia ab exteris gentibus non valebat referre prædam, vernaculos populos velut aves domeſticas devorabat.*

Ibid. Ἐκβάλλω δαιμόνια, καὶ ἰάσεις ἐπιτελῶ σήμερον καὶ αὔριον, καὶ τῇ τρίτῃ τελειῶμαι] Videtur mihi fere id velle heic quod in illis Joh. 7. 33. μικρὸν χρόνον ὔδὲ εἰμι, καὶ ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με. Ad unum (inquit) & alterum diem (id eſt, breve tempus,) mortales miſeros ſano, & dæmonia ejicio: tum deinde conſummabor. Interim nil cauſæ eſt cur Herodes inſidietur mihi, cum & magnalia iſta quæ virtute divina facio, laudi quam fraudi mihi debent eſſe: nec vero, etſi maxime volens, id tempus præcipitare poterit quod paſſioni meæ meus Pater & ego præſtituimus. Τῇ τρίτῃ, *paulo poſt*, ut præter locum Oſeæ (citatum aliis) monſtrat ille in Græco Gen. 31. 32. Quidam hic poſt Ἐπιτελῶ, ponunt diſtinctionis notam. Mihi, quod & vulgo fit, poſt τὸ αὔριον ponenda videtur. Poſt τρίτῃ ſubauditur ἡμέρᾳ per ἐχέσιν Atticam. Vide in εἰς τρίτην, &c. Thomam Magiſtrum. Σήμερον autem, καὶ αὔριον, καὶ εἰς τρίτην, dixit & Plutarchus in libro περὶ ἀοργησίας, & in Phocionis vita. Τελειῶσθαι, ut diximus, *conſummari*, finem vitæ facere. Hinc τέλειος ἡμέρα Heſychio, ἡ ὑςάτη, καὶ τὸν βίον τελειῶσα· & τελειῶσθαι apud Græcos Patres, pro, martyrio conſummari. Symeon Metaphraſtes de Dionyſio Areopagita, Παρὰ Δομετιανῷ τῷ ὑπὲρ Χριςῦ μαρτυρίῳ τελειωθέντος.

Com. 33. Πορεύεσθαι] *Ire*, ideſt, duci ad mortem, ut in illis infra 22. 22. ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ πορεύεται, &c. Qui *operari* expoſuerunt, eos erraviſſe puto.

Ibid. Οὐκ ἐνδέχεται, &c.] Quod infra 19. 1. ἀνένδεκτόν ἐστι· ideſt, non licet, non convenit. Gloſſarium, *Convenit*, ἁρμόζει, ἐνδέχεται. Gloſſæ aliæ, Ἐνδέχεται, *licet*. Hinc, οὐκ ἐνδέχεται. Xenophon τῷ ἔξεστι opponit, in Hierone. Arrianus 1. 19. in Epictetum videtur poſuiſſe pro *impoſſibile eſt*, Οὐκ ἐνδέχεται (inquit) τὸ Φύσει ἐλεύθερον ὑπ' ἄλλυ τινὸς παραχθῆναι· & Heſychius, qui (ex Lucæ, ut videtur, loco iſto,) Οὐκ ἐνδέχεται, ἀδύνατόν ἐστι. Poſteriore ſignificatu Hyperbole erit, priore Charientiſmus.

Com. 34. Ἱερουσαλὴμ, Ἱερουσαλήμ] Ita Eupolis apud Athenæum lib. 10. Ὦ πόλις, πόλις, &c. & Eſaiæ 29. 1. *Va Ariel, Ariel civitas.* Repetitiones ſive ἀναδιπλώσεις iſtæ non vulgarem alienæ infelicitatis complorationem habent.

Ibid. Ον τρόπον ὄρνις, &c.] Vide ad Matth. 23. 37. annotata. Gloſſarium, Ον τρόπον, *quemadmodum*.

Ibid. Τὴν νεοσσιὰν] Id eſt, pullos: quam metonymiam habent & Latini. Gellius 2. 29. *Caſſita niduum migravit.* Virgilius,

- - - Nidis immitibus eſcam.

Sic ſupra hic 12. 11. pro ſervis, θεραπείαν habemus.

Com. 35. Ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος] Ita Pſ. 69. 25. γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτῶν ἔρημος.

CAP.

CAP. XIV.

VALLA.

14. *QUIA non habent unde retribuere tibi*] Abest à Græco *unde* : & illud *habent* accipitur pro *possunt*, quod ego per *possunt* transtuliſſem.

ERASMUS.

1. *ET factum est*] De hac locutionis forma peculiari Lucæ jam admonuimus.

7. *Dicebat autem & ad invitatos*] *Et* conjunctio non additur apud Græcos, nec in vetuſtis exemplaribus.

8. *Honoratior*] Ἐντιμότερος· quod & *chariorem* ſignificat, & *magis in pretio habitum*.

12. *Neque vicinos, neque divites*] Μηδὲ γείτονας πλουσίους *neque vicinos divites*, atteſtantibus & vetuſtiſſ. exempl. noſtris, & in his Aureo cod. ſimiliter & Conſt. Siquidem huc pertinet parabola Chriſti, ut beneficium conferatur gratuito, citra ſpem redituri fœnoris. Id fiet ſi præſtetur egenis, quibus non eſt facultas referendæ gratiæ. ¶ *Ne forte*] Μήποτε *ne*, ſive *ne quando*. ¶ *Et ipſi te reinvitent*] Commodius verti poterat *viciſſim te invitent*. Nam ut *reinvitent* ſit Latinum, reinvitat qui ſemel vocatum iterum vocat. Græce eſt ἀντικαλέσωσι.

14. *Non habent retribuere*] Οὐκ ἔχουσιν ἀντιποδοῦναι *non poſſunt retribuere*. Nam ita frequenter accipitur ἔχω cum adhæret verbis infinitis. In Aureo cod. ſcriptum erat *non habent unde retribuam*. Ac mox pro *in reſurrectione* ſcriptum erat *in retributione*. Itidem comperi in duobus vetuſtis exempl. S. Donatiani, ſed reclamantibus Græcis.

15. *Qui manducabit panem*] Nonnulli cod. pro ἄρτον habebant ἄριστον *prandium*, ſed reclamantibus vetuſtis exemplaribus Latinis. Ὃς φάγεται poteſt accipi *qui manducat*, ſeu potius *edit*, præſ. temporis. Nam in his tribus verbis φάγω, ἔδω, πίω futurum medium nihil differt à præſenti, φάγομαι, φάγη ſive φάγεσαι, φάγεται, non φαγοῦμαι, φαγῇ, φαγεῖται. Verum hoc ad ſenſum perpuſillum refert.

17. *Ut venirent*] Ἔρχεσθε *Venite*. Interpres forte legit ἤρχεσθαι.

18. *Simul omnes excuſare*] Παραιτεῖσθαι *recuſare*. Quanquam Interpres eleganter uſus eſt *excuſandi* verbo, ſi modo lector animadvertat cum *excuſare* qui adducta cauſa recuſat quod rogatur.

24. *Guſtabit cœnam meam*] Hoc loco addunt libri Græci, πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί, *multi enim vocati, pauci vero electi*. Quanquam id non reperiatur in omnibus exemplaribus: ſuſpicor aliunde huc aſſcriptum.

28. *Nonne prius*] Οὐχί, *non*: quanquam & hoc aliquando pro *nonne* ponitur. ¶ *Sedens computat*] Καθίσας ψηφίζει *calculis ſubducit rationem*: ut intelligas diligentem atque exactam ſupputationem.

29. Μήποτε] Tandem deſiit vertere *ne forte* pro *nequando*.

31. *Iturus committere bellum*] Ἀπέρχεται συμβαλεῖν εἰς πόλεμον *abit ut confligat*, ſive *congrediatur, bello*. Etiamſi Latinius erat *prælio*. ¶ *Non ſedens*] Hic eſt eadem vox quam modo verterat *nonne*, οὐχί. ¶ *Cum decem millibus*] Ἐν δέκα χιλιάσιν. Interpres haud male mutavit *in* Græcam præpoſitionem ex idiomate ſermonis Hebraici poſitam, *in decem millibus*. Quanquam caſtius erat prorſus omittere, quod apud nos nec ullum habeat uſum, & orationem reddat inelegantem. Quod genus ſunt illa in Deuteronomio, *Et incendes civitatem in igni*: item, *Et lapidabis eos in lapidibus*. Cujuſmodi complura recenſuit Auguſtinus in Annot. Hebraï ſermonis. ¶ *Ad ſe*] Ἐπ' αὐτόν. Cur non potius *contra ſe*, ſive *adverſus ſe*?

32. *Alioqui*] Εἰ δὲ μήγε. Quod ante verterat *ſin autem* non recte, hic recte vertit *alioqui*. ¶ *Longe agente*] Πόρρω αὐτῷ ὄντος *cum procul eſt*, ſive *procul abeſt*.

33. *Qui non renunciat*] Οὐκ ἀποτάσσεται. Quod alias eſt *dicto Vale, dimittere*.

34. *Evanuerit*] Μωρανθῇ *fatuum redditum fuerit*. Siquidem non homines ſolum ſed & alia *fatua* dicuntur, quæ nihil ſapiant. Quemadmodum Martialis betas *fatuas* appellat.

35. *Utile eſt*] Εὔθετον *accommodum*. Ante vertit *aptum*. Neque de genere vocis hujus *ſal* ero anxius, cum ſat ſciam & in neutro reperiri, licet & frequentius & apud probatiores in auctores maſculino.

VATABLUS.

1. *CUM introiſſet*] *Ut intraret*. Vet. ¶ *Panem*] i. cibum, Hebr.

2. *Et ecce*] Hebr. pro *Nam*.

3. *Et reſpondens Jeſus dixit ad Legisperitos & Phariſæos, dicens*] Heb. pro, *Dixit autem Jeſus ad Legisperitos & Phariſæos*.

5. *Et non*] Vel, *qui non*.

6. *Ad hæc * reſpondere*] * *Contra*.

7. *Dicebat*] *Dicebat, dicens*. Hebr. pro *Dicebat*.

8. ** Ad nuptias*] * *Ab aliquo*. ¶ *Loco*] *Accubitu*.

9. *Rubore*] *Pudore*.

10. *Diſcumbentibus*] *Accumbentibus tecum*.

11. *Quia omnis*, &c.] Sententia proverbialis, q. d. Quia verum eſt quod vulgo dici ſolet, *Omnis*, &c. ¶ *Humiliabitur*] Vel, *humiliari ſolet*.

12. *Neque vicinos, neque divites: ne forte te*] *Neque vicinos divites: nete*.

14. *Habent*] *Poſſunt*.

15. *Manducabit*] *Manducat*, Vet.

17. *Ut venirent*] *Venite*.

18. *Simul*] *Similiter*.

21. *Servus **] * *Ille*.

23. *Sepes*] i. In loca ſepibus cincta, h. e. in pagos & domos ruſticas. Heb.

24. *Autem*] *Enim*. ¶ *Cœnam meam **] * *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*. Sic quædam exempl. Græca.

26. *Animam*] *Vitam*.

28. *Nonne*] *Non*, Vet.

29. *Poſtquam*] *Poſteaquam*, Vet. ¶ *Vident*] *Videbunt*.

31. *Iturus committere bellum adverſus alium Regem*] *Profectum ad bellum, ut cum altero Rege confligat*. ¶ *Cogitat*] *Conſultat*. ¶ *Ad ſe*] *Contra ſe*.

32. *Agente*] *Exiſtente*. ¶ *Pacis ſunt*] *Ad pacem*, i. Legatos de pace mittit.

33. *Renunciat omnibus*] *Dicto Vale dimittit omnia*.

34. *Sal **] * *Quoque*, Vet. ¶ *Evanuerit*] *Infatuatum fuerit*: vel, *inſulſum fuerit*: aut, *ſaporem amiſerit*. ¶ *In quo condietur?*] Vel, *qua re ſapor illi reſtituetur*.

35. *Utile*] *Aptum, accommodum*. ¶ *Mittetur*] *Mittent ipſum*.

CASTALIO.

14. *REDDETUR enim tibi in reſurrectione juſtorum*] Ut *ambulatio, cœnatio, geſtatio* non actionem ſemper ſignificant, ſed locum ubi ambuletur, cœnetur, &c. ſic hoc loco, & alibi, *reſurrectio* non reſurgendi actionem declarat, ſed eum vitæ ſtatum qui futurus eſt cum reſurrexerint boni.

23. *Vias*] Trivia & pagos atque villas.

26. *Suam ipſius animam*] Semetipſum.

28. *Quis enim veſtrum volens turrim conſtruere*] Omnia impendenda ei ſunt qui velit Chriſti eſſe.

CLARIUS.

10. *TUNC erit tibi gloria*] Non hoc dicit ut doceat quo pacto ſibi gloriam comparent, cum ſermonem hunc inſtituerit adverſus eos qui primos recubitus eligebant, ſed ut moneat eos qui Euangelicam doctrinam ſequuntur, quæ Humilitatem docet & Honorum fugam, multo futuros honoratiores iis qui iſta ambiunt. Quod enim Dominus alibi ait, *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*, non de futura tantum eſt intelligendum, ſed de præſenti etiam, in qua longe felicius cæteris degunt qui Chriſti præcepta legeſque ſectantur.

16. *Homo quidam fecit cœnam magnam*] Cum dixiſſet quidam è diſcumbentibus, *Beatus qui comedit panem in regno Dei*, vult hac parabola Dominus oſtendere, Paratum quidem eſſe hoc Regnum Judæis, & ſe ob hanc cauſam veniſſe ut in ipſo Regno ſecum illi veſcerentur, ſed eos contempturos, & ſuo vitio excludendos eſſe, dum alii aliis rebus occupati nihil minus quam Regnum curant. Et vide ut qui dixit, *Uxorem duxi*, quo nomine accipiuntur qui voluptati carnis operam dant, non addit illa aliorum verba, videlicet, *rogo te, habe me excuſatum*, ſed, *ideo*, inquit, *non poſſum venire*: ut intelligamus nihil ita obruere animum ut laſciviam carnis. Atque li-

quidem qui recusaverunt fuere primates Judæorum ; quorum loco jubentur introduci contempti quique ; juxta illud Pauli, *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes, non multi nobiles*, &c. Atque hi ex civitate adhuc erant, h. e. Judæi: sed ut impleretur convivium, egredi jubetur servus & Gentes etiam introducere. Quod autem ait, *Compelle intrare*, indicat futuram ingentem vim prædicationis Euangelicæ ac plane Divinam, quæ effecerit ut ethnici, qui belluino potius quam humano ritu degebant, tam exiguo negotio ad tantam Philosophiam eveherentur. Quod vero ait *in vias & sepes*, videtur is Hebraismus esse quem habes Jer. 49. 3. ubi ait, *Circumite per sepes*; quod scilicet villæ sepibus & non muris, ut urbes, cingantur.

26. *Si quis venit ad me*] Vide quanti sit discipulum esse Christi & Christianam Philosophiam profiteri, h. e. esse Christianum; Quo nomine nemo dignus esse hic ostenditur qui huic Philosophiæ quicquam quamvis magnum quamvis charum anteposuerit. Quod vero in illa similitudine *Committendi belli* dicit, *legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt*, sic intellige, Si qui imparem se viribus novit non audet belligerare, neque aggreditur certamen nisi belle instructus, multo magis vos cogitare decet quo pacto Philosophiam hanc tantam assequi possitis, quam vobis prædico ita excelsam esse, & hanc pugnam ejus esse generis ut nisi quis impedimenta omnia abjiciat victor evadere non possit. Quod si quis velit parabolarum singula verba rei significatæ accommodare, in multos incidat laqueos necesse est; cum ea non sit parabolæ ratio.

35. *Neque in terram neque in sterquilinium*] Neque sibi, inquit, neque aliis est utilis. Hæc autem admonitio præcipue pertinet ad eos qui discipuli Christi esse velint.

ZEGERUS.

18. *Villam emi*] Gr. ἀγρὸν, quod *rus* sonat Latine, vel *villam*, h. e. *domum extra urbem*. Sentit autem hoc loco prædium illud quod vulgari lingua dicimus, een Hagthof of een Hoeve. Unde & *villicus* dicitur, quem vocamus, een Hagter of een Boerder.

19. *Juga boum emi quinque*] Ζεῦγος anceps est vocabulum. Potest enim significare *ligneum illud sive coreaceum instrumentum quo boves jugantur*, vel *par boum*, sive *aliorum jumentorum vehiculum*. Verum præsenti loco magis congruit, ut de *boum paribus* accipiamus. Atque ita etiam *juga* pro *paribus* κατὰ μετάληψιν accipere possumus.

28 . . . 33. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus*, &c. *Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat*, &c. *Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*] Non video qui rectius constet comparatio quam ut accipiamus ad hunc modum; Quemadmodum is qui turrim aliquam exstruere parat, & is qui expeditionem adversus hostem suum adornare cogitat prudenter ac mature sibi pro sui utereque instituti conditione consulit ac prospicit, ita sibi prudenter consulere debet quisquis perfectus Christi cupit esse imitator, & in turri bonorum operum construenda feliciter laborare, & in militia spirituali gnaviter ac fortiter cupit dimicare. Tunc autem optime hic sibi consuluerit, si omnia aversetur ac deferat hujus negotii impedimenta, si prompto animi affectu renunciet cognatis, amicis, parentibus, divitiis, atque adeo omnibus quæ perniciose possidere posset.

34. 35. *Bonum est sal: Si autem sal quoque evanuerit, in quo condietur? Neque in terram neque in sterquilinium utile est*] Per *salem* doctrinam Christi intelligere possumus, quo quisquis semel fuerit imbutus, si in ipso pereat hujusmodi salis vigor, nec sibi jam nec aliis prodesse poterit ad consequendam salutem. Et quemadmodum sal fatuum redditum neque alio sale condiri potest, *neque utile est terræ, nec accommodum latamini* (adfert enim sterilitatem) ita qui post agnitam veritatem retrocedit, neque ipse fructum boni operis ferre, nec alios valet excolere, sed *foras mittendus* est, i. ab Ecclesiæ unitate secernendus. ¶ *Qui habet aures*, &c.) Ad superiora referendum est.

H. STEPHANUS.

1. Ἦσαν παρατηρούμενοι αὐτόν] *Observabant eum*: vel, *explorabant*.

4. Ἡσύχασαν] *Tacuerunt*.

7. Ἐπέχων πῶς ἐξελέγοντο] *Attendens quomodo eligerent*: vel, *Propositum habens* ostendere illis *quomodo eligerent*.

12. Ἀνταπόδομα] *Retributio gratia*.

13. Δοχήν] *Epulum*. ¶ Ἀναπήρους] *Mancos*: vel, *Mutilos*.

18. Ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντας] *Unanimiter excusare se omnes*. ¶ Ἔχε με παρῃτημένον] *Habe me excusatum*.

19. Δοκιμάσαι αὐτά] *Ad probandum ea*.

23. Φραγμούς] *Sepes*.

28. Ψηφίζει τὴν δαπάνην, εἰ ἔχει τὰ πρὸς ἀπαρτισμόν] *Rationes init sumptuum*: vel, *subducit*: vel, Ut videat: vel, Ut sciat *an habeat quæ ad perficiendum* opus *satis sint*.

31. Συμβαλεῖν] *Ut congrediatur prælio*: vel, *confligat*. ¶ Ἀπαντῆσαι] *Occurrere*.

33. Οὐκ ἀποτάσσεται πᾶσι] *Non renunciat omnibus*: vel, *Non valedicit*.

35. Εἰς κοπρίαν οὔθετόν ἐστιν] *Ad sterquilinium aptus est*.

DRUSIUS.

1. *Cujusdam principis Pharisæorum*] Principes Pharisæorum erant, ut verbi gr. Hillel senex, quem Josephus *Pollionem* vocat, & Samæus, & R. Jochanan F. Zachæi, & Aquiba, & alii similes; de quibus alias, si Deus voluerit. Qui Marc. 5. 22. ἀρχισυνάγωγος, & Matth. 9. 18. simpliciter ἄρχων vocatur, erat princeps synagogæ, non Pharisæorum, quod sciam. Sed tamen de hac re amplius quærendum esse puto.

4. *Ipsi vero tacuerunt*] Forte quia nullum erat periculum animæ. Nam si fuisset periculum animæ, dixissent, *Licet*. Sic enim habent eorum traditiones. *Periculum animæ* voco, quando ægrotus de vita periclitatur.

12. *Ne quando & ipsi te reinvitent*] Vel *revocent*, i. iterum vocent ad cœnam aut ad prandium. Hunc locum in mente habuit Lactantius cum scriberet lib. 6. c. 12. *Idem Deus præcepit, ut si quando cœnam paraverimus, eos in convivium adhibeamus qui revocare non possunt & vicem reddere*. Nonius, *Revocare est per vices mutuo vocare*. Respondet tanquam è regione *vocandi* verbo, & significat eum apud quem convivio acceptus fueris *reinvitare*, h. e. vicissim adte invitare.

14. *In resurrectione justorum*] Ubi justi præmium accipient suorum factorum. Alioqui resurrectio etiam improborum est. Sed hi non resurgent ad vitam, quæ *resurrectio* proprie תחיה dicitur, q. ἀναβίωσις. Nam resurrectio, i. ἀνάστασις, תקומה vocatur, quæ omnium est, cum תחיה duntaxat sit justorum. Unde dictitant, Ἀναβίωσις *non est improborum, sed tantum justorum*. Quod dictum qui non intellexerunt, negant improbos resurrecturos: Quo accommodant locum illum Ps. 1. 5. *Improbi non resurgent in judicio*, perperam enarrantes, licet sequatur *in cœtu justorum*. Nam aliud est *resurgere* simpliciter, & aliud *resurgere in cœtu justorum*. Videndus R. D. ad illum locum.

18. Ἀπὸ μιᾶς] Hic στόμα subaudiri non potest. Quocirca non optime vertunt qui vertunt *uno ore*; quod Ebræi dicunt מפה אחד ἐξ ἑνὸς στόματος. Quid igitur? Subaudiri debet γνώμης, aut βουλῆς, *una sententia*, vel *uno consilio*; vel certe ψυχῆς, ut dicat *uno animo, unanimiter*. Sic Act. 4. 32. *cor unum & anima una*. *Uno animo* legitur apud interp. nostrum Actor. 18. 12. & 19. 29. ubi in fonte ὁμοθυμαδὸν *unanimiter*. Syrus hic habet מן חד כולהון *ab uno omnes*, Vulg. noster, *simul omnes*, ἅμα πάντες. Nicolaus Fullerus Anglus mavult subaudire ὥρας, *una hora*; quod exponit *subito, confestim, illico*. אחת *una* pro פעם אחת *vice una, semel*, obvium Job 33. 14.

26. *Non odit*] *Non odisse* hic non significat *amare*, sed *minium amare*, ita ut eos quos amas Deo præferas. Simile, *Non gaudet stulti pater*, i. vehementer dolet. Huc etiam refer, *Non prosunt opes improbe parta*; nam valde nocent. *Accipere personam in judicio non est bonum*; nam pessimum est. *Non remittetur ei*, i. punietur graviter. Alibi *odisse* dicitur *uxorem* qui minus amat eam: unde *uxor exosa*, i. minus amata.

32. *Rogat ea quæ ad pacem*] Qua de re præceptum exstat in Lege. Vide Deut. 20. 10.

CASAUBONUS.

17. Καὶ ἐπέστειλε δοῦλον αὐτοῦ] *Attende*, inquit Theophylactus, *hæc verba. Non enim dicit* ἐπέστειλε δοῦλον, *sed* τὸν δοῦλον, *addito articulo: ut intelligatur ille unicus Dei gratus Servus*, ὁ τὴν μορφὴν τοῦ δούλου ἀναλαβὼν, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ κύριος αὐτῷ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον ἐυαρεστήσας καὶ εὖ δουλεύσας. Atque ita Theophylactus vim adjecti articuli extendit. Verum Matthæus non unius tantum servi facit mentionem, sed plurium; nec

nec unius tantum miſſionis, ſed plurium: quæ omnia diligenter explicat princeps ille Theologorum noſtræ ætatis Calvinus; quem conſule.

GUALTPERIUS.

2. Ἄνθρωπός τις ἦν ὑδρωπικὸς, *erat quidam Hydropicus*] Suidas per ο, ὑδρωπικός. Morbus eſt ὕδρωψ, vel ὕδερος, *Hydrops, hydropiſis, aqua intercus*, ſeu *aqua intra cutem*. Quintus Serenus Sammonicus, ut H. Stephanus in Theſauro, *languorem aquoſum & lymphaticum errorem* vocat, canens in hunc modum,

Corrupti jecoris vitio vel ſplenis, acerbus
Creſcit hydrops, aut cum ſiccata febre medulla,
Atque avida fauces gelidum traxere liquorem:
Tum lympha interius vitio gliſcente tumeſcit,
Secernens miſeram proprio de viſcere pellem.

Quomodo etiam Horatius lib. 2. Carm. od. 2.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Eſt autem ὕδρωψ, inquit idem, *notante Gorrhæo medico inſigni, morbus in tumorum genere præter naturam. Verum tumor alias totius corporis, interdum autem ventris: Ille perpetuo ab humore, hic aliquando à flatu etiam excitatur. Quo fit ut triplex ſit omnis Hydrops: Alius enim ſit humore per totum corpus diffuſo, qui ἀπὸ σάρκα, & ὑποσαρκίδιος dicitur: alius, ſolo ventre aqua diſtento, qui ἀσκίτης: alius, ſolo ventre flatu pleno & tumente, qui τυμπανίας ſive τυμπανίτης appellatur. Sed omnium quidem communia ſunt iſta fere, quod jecinore vehementer refrigerato oriantur, ſintque depravata ſanguificationis ſymptomata: ſive primario, propter phlegmonem, aut ſcirrhum, aut aliud vitium jecur male affectum ſit, ſive lege conſortii quod illi cum aliis partibus intercedit: quodque omnis à cachexia initium ſumat. Differentiis manifeſtis diſtinguitur. Etenim σαρκίτης toto corpore tumet ex æquo, reddiqueque corpus laxum, pallidum & emortuo ſimile: & ſi digitum in carnem paulo altius adegeris, cavitatem ibi impreſſam diutiſſime retinet. Qui vero nominatur ἀσκίτης ὕδρωψ, eſt abdominis aquoſo humore diſtentio. Τυμπανίτης abdomen flatu multo diſtendit, non tamen ſine ullo prorſus humore*, &c. Idem Stephanus in Expoſit. vocab. medicinal. ex Celſo, *Langus vero morbus fieri poteſt eorum quos aqua inter cutem male habet, niſi primis diebus diſcuſſus eſt: ὕδρωπα Græci vocant. Atque ejus tres ſpecies ſunt. Nam modo ventre vehementer intento, creber intus in motu ſpiritus ſonus eſt: modo corpus inæquale eſt, tumoribus aliter aliterque per totum id oriembus: modo intus in unum aqua contrahitur, & moto corpore ita movetur ut impetus ejus conſpici poſſit. Primum τυμπανίτην, ſecundum λευκοφλεγματίαν, tertium ἀσκίτην Græci nominant*, Celſ. lib. 3. cap. 21. *Omnium periculoſiſſima, Tympanites*, Dionyſius Fontanus De morborum internorum curatione pag. 292. Et Leonellus Faventinus de Victoriis, pag. 405. *Tympanites*, inquit, *eſt, in quo plus ſpiritus & minus humoris invenitur: Itaque ſi quis pulſet, velut tympanum, ſonum emittet & edet.* Unde Bertrucii definitio, *Tympanites eſt morbus qui accidit ex generatione aquæ paucæ & ventoſitatis plurimæ in ventre naturaliter collectæ inter mirach & ſiphac, & quandoque inter ſiphac & inteſtina. Eſt autem Siphac panniculus nervoſus, ſolidus, continens inter ſe zyrbum, ſtomachum, & hepar. Mirach vero dicitur pars ventris exterior, compoſita ex cute, pinguedine, & octo muſculis ventris, duobus quidem longitudinalibus, & duobus latitudinalibus, & quatuor tranſverſalibus, procedens à furcula inferiori uſque ad ſummum ventris. Et incipit hæc Tympanites a vitio ſtomachi, & terminatur ad vitium hepatis.* Reliqua Medicis ex profeſſo de hiſce morbis differentibus committo. Apud Syrum eſt ὑδρωπικὸς *qui congregaverat aquas.*

11. *Omnis qui ſe extollit*, &c.] Veteres Hebræi dixere, *Omnis homo in quo eſt tumor ſpiritus, in fine diminuitur.*

JAC. CAPPELLUS.

18. ΚΑΙ *ceperunt confeſtim omnes ſeſe excuſare*] Sic hunc locum explicandum recte contendit Fullerus lib. 1. cap. 1. docens erudite poſt vocem ἀπὸ μιᾶς melius ſuppleri vocem ὥρας quam φωνῆς vel γνώμης. Res tamen indiget illuſtratione plenioré. Vox ὥρα vel *tempus* poſt pronomen cum ſubintelligitur, ſit id Græcorum & Latinorum non Orientalium more. Nec enim Orientales poſt πας ſubintelligunt vocem שעה, ſed Græci poſt vocem ἐξ αὐτῆς, & Latini poſt vocem *ex illo*. Virgilius,

Ex illo fluere & retro ſublapſa referri
Res Danaum.

Vide Act. 10. 33. & 11. 11. & 23. 30. Contra, ſi ſubintelligatur שעה ὥρα poſt vocem שתי, fit id Orientalium non Occidentalium more. Adeoque cum vox שתי ſignificet *unam* & *primam*, ellipſim hanc admittit vox שתי potius ſi ſignificet *primam*. Verbi cauſa, cum Matth. 26. 40. legitur, οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι μετ' ἐμοῦ; tam plene dicunt id Syrus & Arabs quam Græci. Cum igitur Syri paſſim dicunt מיד pro *ſtatim*, ſubintelligenda quidem vox שעה ὥρα, ſed & vox שתי ſumenda prout ſignificat *primum*, non *unum*, q. d. *prime momento*, i. confeſtim. Et ita locum hunc Lucæ capiendum cenſeo, non Græcorum ſane ſed Orientalium more, prout N. Teſt. ſcriptores paſſim Hebraiſmos aut Syriaſmos uſurpant.

GROTIUS.

1. Εἰς οἶκόν τινος τῶν ἀρχόντων, *in domum cujuſdam Principum*] Puto Hieroſolymis hæc geſta. Nam ἄρχοντας [*Principes*] plerumque appellari video eos qui Synedrium participant, ut infra XXIV. 20. Joh. III. 1. Actor. III. 17. ¶ Τῶν Φαρισαίων, *Phariſæorum*] Id eſt, *qui erant ex Phariſæorum numero*. Ita enim malo accipere quam, ut quidam interpretabantur, *Phariſæorum Principes*, id eſt, *primarios* qui potius πρῶτοι Φαρισαίων [*primores Phariſæorum*] dicerentur quam ἄρχοντες [*Principes*]. Græcos autem genitivos ita accipi ſolere nemo neſcit. Johannes eundem ſenſum ita expreſſit, ἄνθρωπος ἐκ τῶν Φαρισαίων ἄρχων τῶν Ιουδαίων, [*homo ex Phariſæis Princeps Judæorum*]. III. 1. ¶ Καὶ, &] Eſt hoc Hebræo more pro ut poſitum, & ſequens indicativus Latine per ſubjunctivum reddendus. ¶ Αὐτοὶ, *ipſi*] Subauditur nomen Φαρισαῖοι καὶ Νομικοὶ [*Phariſæi & Legisperiti*] qui eidem convivio intererant. ¶ Παρατηρούμενοι, *obſervabant*] Ita hæc vox ſumitur & Marci III. 2. & ſupra VI. 7. obſervabant numquid facturus eſſet alienum à ritibus ad Sabbatum pertinentibus, quos Magiſtrorum auctoritas & uſus introduxerat.

2. Ἔμπροσθεν αὐτοῦ. *ante illum*] Qui ſpe recuperandæ ſanitatis, ut credibile eſt, advenerat.

3. Εἰ ἔξεστι τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν; *ſi licet Sabbato curare?*] Ut inter ipſos fieri conſueverat, juris controverſi quæſtionem proponit.

4. Οἱ δὲ ἡσύχασαν. *At illi tacuerunt*] Erant enim diſſentientes auctores. Sed receptior ſententia habebat non licere Sabbato facere medicinam, niſi mortis periculum ex dilatione immineret. Atqui ipſa æquitas Legum optima interpres ſuadebat plus aliquanto dandum homini quam beſtiæ: in tali autem periculo etiam beſtiæ Sabbati die conſulebatur. Diximus de hac re alibi. ἡσυχάζειν [*quieſcere*] autem pro *tacere* frequens eſt apud Helleniſtas, 1 Macc. I. 3. Eſaiæ VII. 4. ¶ Ἐπιλαβόμενος, *apprehendens*] *Attrectans eum:* quo facto oſtendebat à ſe proficiſci vim ſanandi, eademque opera quæſtionem motam definiebat.

5. Τίνος, *cujus*] Idem loquendi genus quod ſupra XI. 11. ¶ Εἰς φρέαρ, *in puteum*] Helleniſtæ per abuſionem vocem φρέαρ [*puteus*] de quavis voragine uſurpant ad exemplum Hebræi כור [*puteus*]. In Pſalmo LV. 23. eſt אנשי דמים לבאר שחת Græcis κατάξεις αὐτοὺς εἰς φρέαρ διαφθορᾶς [*deduces eos in puteum interitus*]. Quo ſenſu φρέαρ τῆς ἀβύσσου [*puteus abyſſi*] dicitur aliquoties in Apocalypſi. Φρέαρ [*puteus*] ergo dixit Lucas quod Matthæi Interpres βόθυνον [*foveam*] XII. 11. Appoſite autem Chriſtus hydropicum ſubmergendæ pecudi, ut τὴν συγκύπτουσαν [*inclinatam*] pecudi vinctæ comparavit. ¶ Ἀνασπάσει, *extrahet*] מפיל [*educens*]. Vide Daniel VI. 23.

7. Παραβολὴν, *parabolam*] Ita appellat ſequentem admonitionem quia exemplo rei convivalis oſtendit quid in omni vita, neque coram hominibus tantum, ſed & coram Deo, nobis ſit faciendum: unde & generale infertur pronuntiatum commate 11, quod repetitum infra eſt XVIII. 14. minus ergo hic dicitur, plus ſignificatur: quod eſt παραβολῆς [*parabolæ*], ut eam vocem Helleniſtæ uſurpant. Opportune autem Chriſtus ſanato corporis hydrope ſanare etiam aggreditur duplicem animi hydropem, ſuperbiæ tumorem & pecuniæ litim. ¶ Πῶς τὰς πρωτοκλισίας ἐξελέ-

γοντο, *quomodo primos accubitus eligerent*] Puto non tàm ad facta quam ad animum convivarum referri hoc debere.

10. Ἵνα, *ut*] Ἐκβατικὸν [*eventum notans*], ut ſupra μήποτε [*ne forte*] quanquam in ἐπιμυθίῳ [*affabulatione*] poteſt etiam τελικῶς [*finaliter*] intelligi. ¶ Προσαναβῆθι ἀνώτερον. *aſcende ſuperius*] Ex Solomone XXV. 7. ubi Græce ſic eſt, Κρεῖσσον γάρ σοι τὸ ῥηθῆναι, Ἀναβῆνα, ἢ ταπεινωθῆναί σε ἐν προσώπῳ δυνάστου. [*melius eſt enim ut dicatur tibi: aſcende huc, quam ut humilieris coram Principe*]. Exſtat parabola ejuſdem ſenſus in libro Judaico cui titulus Electuarium Gemmarum.

12. Ἔλεγε δὲ καὶ τῷ κεκληκότι αὐτόν, *dicebat autem & ei qui ſe invitaverat*] Convivatori ſuo benigne gratiam rependens, πνευματικὰ ἀντὶ σαρκικῶν [*ſpiritualia pro carnalibus*]. ¶ Πλουσίους, *divites*] Referenda hæc vox ad omnia ea quæ præceſſerunt, Φίλους [*amicos*], ἀδελφοὺς [*fratres*], συγγενεῖς [*cognatos*], γείτονας [*vicinos*]. Neque tamen prohibet Chriſtus mutua inter divites amicitiæ teſtimonia. Sed opera miſericordiæ multo præfert, ut quæ ſine ſpe humanæ vicis Dei cauſa præſtantur. Intelligendus enim hic locus, ut alii multi, per comparationem. Cicero de Officiis primo: *In collocando beneficio hoc maxime officii eſt, ut quiſque maxime opis indigeat ita ei potiſſimum opituleri. Quod contra fit à pleriſque: à quo enim plurimum ſperant, etiamſi ille his non eget, tamen ei potiſſimum inſervunt.* Plinius lib. IX. epiſt. 30. *Volo eum qui ſit vere liberalis tribuere amicis, ſed amicis dico pauperibus: non ut iſti quibus potiſſimum donant, qui donare maxime poſſunt.* ¶ Μήποτε, *ne forte*] Id eſt, *Ne, ſi hoc facere contenti ſitis, merces veſtra hic vobis ſit perſoluta.* Vide ſupra VI. 32. ubi χάριν [*gratiam*] dicit quod hic ἀνταπόδομα [*retributionem*]. ¶ Ἀντικαλέσωσι, *reinvitent*] *Revocent.* Ea enim vox hoc ſignificatu mutuæ ad cœnam vocationis Latiniſſima eſt, ut ex Lactantio & Nonio alii obſervarunt. Senſus ferme idem qui apud Dionem Pruſæenſem oratione VII: *ὡς ἔθος δή ἐστιν ἅπασι φιλοφρόνως καὶ ἀνελευθέρως πράττειν τὰ περὶ τοὺς ξένους τοὺς πένητας· μόνους δὲ τοὺς πλουσίους ὑποδέχεσθαι φιλοφρόνως ξενίοις καὶ δώροις· παρ' ἃν δηλονότι καὶ αὐτοὶ προσδόκων τῶν ἴσων ἐντυχεῖν* [*Quod videlicet jam in conſuetudinem veniſſet ita attente & illiberaliter agere cum pauperibus hoſpitibus: ſolos autem divites ſuſcipere benigne donis muneribuſque hoſpitalibus, à quibus nempe & ipſi ſperabant ſe paria percepturos*].

13. Κάλει πτωχούς, *voca pauperes*] Hoc etiam πτωχοὺς [*pauperes*] ad ſequentia omnia referendum eſt, ſive illi mutili, ſive claudi, ſive cæci, à quibus ut mali ominis hominibus multi abhorrent. πτωχοὶς Helleniſtis dici nec *pauperes* proprie, nec *mendicos* ſemper, ſed quos Latini *egenos* vocant, alibi notatum eſt. Ex hoc Chriſti monito natæ ἀγάπαι [*convivia Chriſtianorum*] quibus divites Chriſtiani Chriſtianos pauperes fraterne excipiebant, quem morem corruptum, cum ſeorſim divites epulantur, caſtigat ad Corinthios Paulus.

14. Ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων. *in reſurrectione juſtorum*] Non tempus tantum, ſed & modus retributionis ſignificatur: ἀνάστασις δικαίων [*reſurrectio juſtorum*] eſt ἀνάστασις ζωῆς [*reſurrectio vitæ*] Joh. V. 29. cui opponitur ἀνάστασις κρίσεως [*reſurrectio judicii*]. Plerumque autem ἀνάστασις [*reſurrectio*] in partem illam meliorem ſumitur. Videtur hic Chriſtus alluſiſſe ad illud Pſalmi primi, οὐκ ἀναστήσονται ἐν βουλῇ δικαίων [*non reſurgent in concilio juſtorum*], ubi Symmachus, ἐν συνελεύσει δικαίων [*in conventu juſtorum*], alii ἐν συλλόγῳ [*in collegio*] aut συναγωγῇ [*in congregatione*]. Si magnum hic ducitur conſpici in cœtu Procerum, quanto majus in cœtu Procerum eorum quos Deus cœleſti curiæ adſcripſerit.

15. Μακάριος ὃς φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. *Beatus qui manducabit panem in Regno Dei*] Sententia crebra apud Rabbinos ab Eſdræ, ut credibile eſt, temporibus veniens. Nam τὰ ἀόρατα [*inviſibilia*] imagine τῶν ὁρατῶν [*viſibilium*] depingebant.

17. Τὸν δοῦλον, *ſervum*] *Vocatorem.* Apparet morem fuiſſe, qui nunc etiam multis in locis viget, ut vocati ſub ipſam cœnæ horam iterum appellarentur: quod ipſum obſervare eſt apud Joſephum in Eſtheris hiſtoria. ¶ Ἕτοιμά ἐστι πάντα. *parata ſunt omnia*] Vide ad Matthæum.

18. Ἀπὸ μιᾶς, *ſimul*] Locutio μονήρης [*unica*] in qua interpretanda non eſt mirum ſi eruditi hodie diſſentiunt, cum jam olim Arabs totam prætercurrerit, ut ſolet non intellecta: φωνὴς [*vocis*], quod quidam volunt, ſuppleri non poteſt, cum ſinguli ſuas excuſationes attulerint. Vir raræ in his rebus diligentiæ multis nuper demonſtrare conatus eſt ſubaudiri ὥρας [*horæ*] ex Syrorum more qui dicunt ܒܚܕ ܫܥܬܐ. Sed ut quod mihi videtur ſine cujuſquam fraude pronuntiem, non poſſum perſpicere quomodo is ſenſus huic loco congruat. Nam ſive ἀπὸ μιᾶς ὥρας *ab una hora*] interpreteris *eo ipſo tempore*, quam vim ἐμφατικὴν [*emphaticam*] id habere hic poteſt, cum non alio tempore excuſare ſe potuerint, quam quo compellabantur? Sin potius interpretari libet *confeſtim*, ne id quidem quadrat, nec enim mirum, ſi excuſare ſe vellent, confeſtim ſe excuſaſſe, qui ſub ipſum cœnæ tempus compellati non habebant deliberandi ſpatium. Vidit hoc ipſe Syrus qui non ſenſum hic tranſtulit, facturus ſi commodam ejus vocis ſignificationem reperire hoc loco potuiſſet, ſed ܡܐܡܪ, in quo idem ille vir eruditiſſimus recte ſuſpicatur ܠܒ [*cor*] ſubaudiri. Quare cum vel hinc liqueat ita ſolitos loqui Syros, quid mirum ſi Lucas Syrus Syriacum loquendi genus eſt imitatus? ita tamen ut femininum genus uſurpaverit: quia καρδία [*cor*] ut & ψυχὴ [*anima*] (nam perinde eſt utrum ſubticeri intelligas) apud Græcos feminini eſt generis. μίαν καρδίαν καὶ ψυχὴν [*unum cor & animam*] dixit Lucas noſter Actor. IV. 32. ψυχὴν μίαν [*unam animam*] etiam Paulus Philipp. I. 27. Senſus eſt animum omnibus fuiſſe ſimilem. *Omnes compacto rem agunt quaſi in velabro olearii*, inquit facetiſſimus Comœdiarum Scriptor, ubi parem omnibus, etiam qui inter ſe non convenerant, animum vult deſcribere. Significat autem hæc pars fabulæ non obſcure Judæorum Magiſtratus & Legis Interpretes, qui olim per Prophetas, poſtea per Johannem & Chriſtum ad reſipiſcentiam vocati, quidvis cauſare maluerunt quam ſalutari conſilio parere. ¶ Ἔχω ἀνάγκην ἐξελθεῖν καὶ ἰδεῖν αὐτόν· ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον. *neceſſe habeo exire & videre illam; Rogo te habe me excuſatum.*] Multi ſimul Latiniſmi. ἔχω ἀνάγκην, *opus habeo.* ἐρωτῶ σε, *rogo te.* ἔχε με παρῃτημένον, *habe me excuſatum.* ἀνάγκην ἔχειν [*neceſſe habere*]. Reperias etiam infra XXIII. 17. 1 Cor. VII. 37. Hebr. VII. 27. Judæ 3.

19. Ζεύγη βοῶν, *juga boum*] Satis Græce. Ita & ſupra maluit dicere ζεῦγος τρυγόνων [*par turturum*] quam δύο τρυγόνας [*duos turtures*], ut dixerant LXX.

20. Οὐ δύναμαι ἐλθεῖν. *non poſſum venire*] Idem dicit quod alii ſed ruſticius. Ita eorum qui ſermonem ſalutis reſpuunt, alii videri volunt aliis comiores.

21. Εἰς τὰς πλατείας καὶ ῥύμας τῆς πόλεως, *in plateas & vicos civitatis*] Nam in his ſedere ſolebant qui vitio corporis ſemet ſuſtentare non poterant. ¶ Τοὺς πτωχούς, *pauperes*] *Piſcatores, publicanos, imo & feminas vita antea impurioris.* Intelligendum autem ἐπὶ τὸ πολὺ [*plerumque*], non quod omnes Judæorum qui in Chriſtum crediderunt tales fuerint, ſed plerique, aut ob rude ingenium aut ob vitam priorem deſpecti.

22. Ἔτι τόπος ἐστί. *adhuc locus eſt*] Magnum regnum Chriſto promiſerat Deus. Itaque potius quam paucos ille ſubditos habeat, laxat intima miſericordiæ ſuæ penetralia, nunquam viſa, nunquam audita ratione.

23. Εἰς τὰς ὁδοὺς καὶ φραγμούς, *in vias & ſepes*] *Extra urbem*, id eſt, extra fedus, & ubi miſeras gentes videre erat in multiplici Labyrintho,

Errare atque viam palantes quærere vitæ.

ἐπὶ τὰς διεξόδους [*ad exitus viarum*] dixit Matthæus. Vide quæ ibi notata. De conſulto autem φραγμοὺς [*ſepes*] nominaſſe videtur Chriſtus, quod ſepes quaſi quædam interpoſitæ populos extraneos à veri cognitione ſecluderent: quo ſenſu vocem φραγμοῦ [*ſepis*] uſurpat Paulus Epheſ. II. 14. ¶ Ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, *compelle intrare*] Facit hic locus me memorem eximii inter veteres Doctoris, qui cum antea multis in libris aſſeveraſſet neminem eſſe ad fidei profeſſionem cogendum (qua in re nihil certe dixerat quod non ante eum dixerant Juſtinus, Athenagoras, Tertullianus, Arnobius, Minutius, Lactantius, & quotquot alicujus nominis ante vixerant) mutatæ mox nonnihil ſententiæ obtendit hujus loci auctoritatem, quaſi cogi debeant *qui ſepes conſtituunt*, hoc eſt ut ipſe interpretatur, *qui diviſiones in Eccleſia quærunt.* Nimirum vel hoc exemplo apparet quanto aliter judicemus cum res ipſas ſine affectu introſpicimus, aliter cum facti quæſtio incidit, quo fit ut non ſemper ſint *οἱ ὕστεραι αἱ βελτίους φρονήσεις* [*poſteriores cogitationes ſapientiores*] Expreſſit hoc illi Donatiſtarum pertinacia, quos ut undique urgeret, etiam hoc telum arripuit: Cum tamen hic locus manifeſto pertineat ad gentes adhuc fidem non profeſſas, quas ille ne tunc quidem cogi voluit cum Chriſtianos ad unitatem profeſſionis cogendos arbitraretur. Atque, quam multa ſunt ἐν ταῖς παραβολαῖς [*in comparationibus*] quæ in re ſignificante ſenſum habent proprium, in re ſignificata non niſi valde figuratum? Quid quod ne in ipſa quidem fabula ἀναγκάζειν [*compellere*] de pœnis corporalibus aut minis pœnarum poteſt intelligi, non enim eo modo convivæ cogi ſolent, ſed importuna flagitatione. Dicitur Jeſus *coegiſſe diſcipulos ut navem intrarent*, Matth. XIV. 22. Marci VI. 45. quod certe nec trudendo

nec

nes trahendo fecit, ſed magiſterii ſui auctoritate. Rurſum duo illi qui Emmautem ibant Jeſum παρεβιάσαντο [*coëgerunt*], ut ſecum maneret, inſtanter rogando ſcilicet. Dicitur Petrus *gentes coëgiſſe ad Judaiſmum*, Gal. II. 14. non vi ulla ſcilicet, ſed *exemplo*. Sic igitur gentes ad fidem *quaſi coactæ*, dum Apoſtoli eorumque adjutores illis inſtant εὐκαίρως, [*opportune*], ἀκαίρως [*intempeſtive*] II Tim. IV. 2. per Chriſtum obteſtantur, addunt dictis miraculorum auctoritatem, & innocentiſſimæ vitæ exemplum, I Theſſ. II. 10. Certe & apud Hermam Angelus ita loquens introducitur, *Cogam eos credere*, & Tertullianus dixit, *Qui ſtuduerit intelligere cogetur & credere*. Et vetus formula Eccleſiaſticæ precationis habet, *Ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates*. Cyprianus libello de Mortalitate, *Gentiles coguntur ut credant*, metu mortis ſcilicet. Ad hoc cogendi genus ſunt qui referant ſignum illud πνοῆς βιαίας [*ſpiritus vehementis*] in cœnaculo Apoſtolorum die Pentecoſtes, id eſt, ut Origenes ad Celſum interpretatur, πνοῆς διαζομένης ἐκφανίσαι τὴν ἐν ἀνθρώποις πανοῦργον, καὶ τὰ ἀπ' αὐτῆς [*flatus, qui homines ab improbitate avelleret & quæ ab ea mala oriri ſolent, deſerere cogeret*]. Certe illi præcipue primorum temporum Chriſtiani, ob vim illam ſubitam atque eximiam Spiritus dici poſſunt *quaſi vi pertracti*, quod & de quibuſdam ſui ævi affirmat idem Origenes, ita loquens, Ὅμως λελέξεται ὅτι πολλοὶ ὡσπερεὶ ἅπαντες προσηλύθασι Χριστιανισμῷ, πνεύματός τινος τρέψαντος αὐτῶν τὸ ἡγεμονικὸν αἰφνιδίου ἐπὶ τὸ μισεῖν τὸν λόγον ἐπὶ τὸ ὑπεναντιωθῆναι αὐτῷ, καὶ φαντασιώσαντος αὐτοὺς ὕπαρ ἢ ὄναρ. [*Dicam tamen multos velut invitos Chriſtianos factos, mutante eorum mentem ſpiritu quodam, atque ab odio doctrinæ noſtræ, eo, ut pro ea mortem oppeterent, adducente, viſis ſomniſve*]. Similia dicit ad Lucam Homilia VII. Exempla, præter illud Pauli nobile, dari poſſunt ex martyrologio nonnulla, ut de mimis duobus qui cum Chriſtiana myſteria per ludibrium imitarentur, ſub Diocletiano alter, alter vero ſub Juliano, ſubito mutati ac Chriſtianos ſe profeſſi ſunt. Similis eſt apud Senecam locutio: *Cogenda eſt mens ut incipiat.*

24. Λέγω γὰρ ὑμῖν, *dico autem vobis*] Puto continuari fabulam & verba eſſe Domini ſervos alloquentis, & teſtantis nunquam ſe poſthac illos recuſatores ad cœnam ſuam admiſſurum.

25. Ὄχλοι πολλοί· *turba multa*] *Mali bonis permixti*, ut in grandi turba fieri ſolet, quod occaſionem ſequenti ſermoni præbuit.

26. Ἔρχεται πρός με, *veniat ad me*] *Diſcendi cauſa*. Judæi proſelytis proponebant incommoda quæ Legem comitantur: Chriſtus ſe ſectantibus multo majora. ¶ Καὶ ὃς μισεῖ, *& non odit*] Certum eſt vocem hanc improprie ſumi. Nam parentes odiſſe impium eſt, ſemetipſum τῶν ἀδυνάτων [*impoſſibile*]. Eph. V. 29. Simpliciſſima interpretatio eſt quæ μισεῖν [*odiſſe*] exponit *minus amare*. Nam in Matthæo eſt ὁ Φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμέ [*qui amat patrem aut matrem plus quam me*]· neque aliter ſumitur Hebræum שנא & Græcum μισεῖν Gen. XXIX. 31, 33. Hebræis omnibus conſentientibus, neque enim tam crudelis fuiſſe putandus eſt Jacob ut Leam odio habuerit. Sic & Deut. XXI. 15, 17. & Matth. VI. 24. & μισεῖν τὴν ψυχὴν [*odiſſe animam*]. Joh. XII. 25. quomodo multis placet & illud intelligi quod eſt in Malachia I. 3. ex collatione loci Gen. XXV. 23. qua de re viderimus alias. Quod autem Chriſtus hic monet nullas neceſſitudines apud nos tantum valere debere ut nos ab officio pietatis ſeducant, explicavimus alibi adductis Philoſophorum teſtimoniis. Illis autem non aſſentior qui hæc ad ſolos Eccleſiarum præfectos referunt. Eadem enim hæc apud Matthæum & Marcum dicuntur omnibus Chriſtum ſectari volentibus. Neque hic quicquam eſt cauſæ cur generale dictum lumatur anguſtius. Nam quod illos maxime movet infra poſitum ἀποτάσσεται τοῖς ὑπάρχουσιν [*renuntiat iis quæ poſſidet*], non eum quem ipſi putant ſenſum habet, ſed qui ad omnes Chriſtianos extenditur.

27. Καὶ ἔρχεται ὀπίσω μου, *& venit poſt me*] Hic iſta locutio non *diſcipulatum quærentis*, ſed *ſeriam imitationem* ſignificat.

28. Τίς γὰρ ἐξ ὑμῶν θέλων πύργον οἰκοδομῆσαι, *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare*] In hac & ſequenti comparatione, ut in multis aliis, non ſunt reſecandæ partes ſingulæ quæ ad comparationis ὑποτύπωσιν [*ſubjectionem ſub aſpectum*] pertinent: ſed id ſpectandum quo tendat comparatio. Id autem eſt hoc loco, Aggredienti profeſſionem Chriſtianiſmi bene expendenda incommoda & pericula quæ talem profeſſionem comitari ſolent, offenſas propinquorum, bonorum jacturam, vitæ diſcrimina, ne magis feriant improviſa tela, atque ita quod quis aggreſſus eſt temere, magno ſuo malo deſerat, factus βλωθρὸς καὶ λειποτάκτης [*deſertor abjecto clypeo*]. Bene monet Hebræus Sapiens, Τέκνον, εἰ προσέρχῃ δουλεύειν τῷ Κυρίῳ, ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου εἰς πειρασμόν [*Fili, ſi acceſſeris ad ſerviendum Domino, prepara animam tuam ad tentationem*]· quod optimum eſt harum fabularum ἐπιμύθιον [*affabulatio*]. Non magis hic quam in bello dicere licet, *non putaram*: ſed ita comparati eſſe debemus ut dicere nobis liceat,

Omnia præcepi atque animo mecum ante peregi.

¶ Καθίσας, *ſedens*] Ad menſam ſive abacum.

31. Βουλεύεται, *cogitat*] Salluſtius: *Priuſquam incipias conſulto & poſtquam conſulueris mature facto opus eſt.* Thucydides appoſite ad hanc materiam: τῷ πολέμῳ τὸ παράλογον πολὺ ἐπὶ πλέον ἐν αὐτῷ γενέσθαι προδιάγνωθι [*quam multa in bello eveniant præter ſpem, antequam eo implicare, conſidera*]. Livius: *Cum tuas vires, tum vim fortunæ Martemque belli communem propone animo.* Quintilianus: *Prius eſt parare bellum quam exercere.* Publius Mimus:

Diu apparandum eſt bellum ut vincas celerius.

33. Ὃς οὐκ ἀποτάσσεται πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ ὑπάρχουσιν, *qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet*] Τὰ ὑπάρχοντα ſunt ea *quæ poſſidemus*, ut Matth. XIX. 21. XXIV. 47. XXV. 14. Lucæ ſupra VIII. 3. XI. 21. XII. 15, 33. Infra XVI. 1. XIX. 8. Act. IV. 32. Sed ex ſpecie genus intelligendum eſt. Nam ſicut ſupra ſub amicorum & vitæ, ita hic ſub bonorum exemplo omnia intelligenda ſunt quæ in hac vita diligi ſolent. Neque ἀποτάσσεται [*renuntiat*] aliter hic ſumendum quam ἀπαρνεῖσθαι [*abnegare*] apud Matth. XVI. 24. Marci VIII. 34. & Lucæ IX. 23. Neque enim actus deſignatur, ſed affectus animi iſthæc omnia infra Chriſtum ducentis, & parati ea amittere ſi ſalva pietate retineri nequeant. Hoc eſt quod Paulus dicit I ad Cor. VII. 29, 30. eſſe debere τοὺς ἔχοντας ὡς μὴ ἔχοντας, τοὺς ἀγοράζοντας ὡς μὴ κατέχοντας [*eos qui habent quaſi non habentes, & qui emunt tanquam non poſſidentes*]. Epictetus in Enchiridio ſimiles nos eſſe vult vectoribus ad littus ambulantibus, quibus interim liceat conchas legere, ſed ita ut parati eſſe debeant, ſimul ut nave ſignum redeundi datum ſit, eaſdem à ſe projicere, ne quid navem morentur. Philo: κτήσει μὲν τὰ πάντα Θεῷ, χρήσει δὲ μόνον γενέσεις ἔχει· βεβαίως γὰρ οὐδὲν ἄλλο κέκτηται τῶν ἐν γενέσει, ὡς ἂν ἐνὸς ὄντος ἢ χυρίως βεβαίου ἢ τῶν ὅλων κτήτορος [*pleno vero jure omnia poſſidet Deus: neque eſt creatura ulla in re præter uſum quicquam. Nulli enim quicquam creatura in perpetuum venditum, mancipiove traditum eſt. Unus ſiquidem ita tenet omnia ut avelli non poſſint*]. Quo pertinuiſſe ait legem de anno Jubilæo *Ne quis quicquam ſuum pleno jure arbitraretur.* ¶ Οὐ δύναταί μου εἶναι μαθητής, *non poteſt meus eſſe diſcipulus*] Non poteſt implere officium Chriſtiani.

34. Καλὸν τὸ ἅλας· *bonum eſt ſal*] Adagium hoc ſæpiuſcule Chriſtus uſurpavit, ut & alia ejus ſæculi. Cohærentia autem cum ſuperioribus hæc eſt: Quo quæque res bona ſi ſit, eſt melior, eo eadem mala eſt pejor. Sal dum ſalis naturam retinet optimum eſt, idem ſi naturam ſuam exuat, pejus gleba & ſimo. Ita Chriſtianiſmi profeſſione nihil excellentius ſi vita reſpondeat; nihil pejus, nihil nocentius, ſi nomini vis abſit, quod accidere neceſſe eſt aliud agentibus. ¶ Ἐν τίνι ἀρτυθήσεται; *in quo condietur?*] *Ipſum ſal* ſcilicet, ut ex Marco liquet; ne quis imperſonaliter accipiat: ita cor & ſi quæ ſunt ſimiles partes in quibus corporis ſanitas ſita eſt, ſanitatem ſuam amiſſam non habent unde recuperent.

35. Οὔτε εἰς γῆν, οὔτε εἰς κοπρίαν, *Neque in terram, neque in ſterquilinium*] Id eſt, *neque per ſe fructus profert, neque alteri ad fructum prodeſt.* Nam ſale conſperſæ ſterileſcunt, unde loca devota & humanis ademta uſibus ſale conſpergi ſolebant. Tales ſunt omnes mendoſæ vitæ Chriſtiani & ſibi & aliis inutiles. ¶ Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. *Qui habet aures audiendi, audiat*] Vide Matth. XI. 15.

PRICÆUS.

Com. 4. Οἱ δὲ ἡσύχασαν] Neh. 5. 8. Ἡσύχασαν, καὶ οὐχ ηὗρον λόγον. In Epiſtolis Heracliti dictis, Οἱ δὲ οὐδὲ συνέντες τὸ ῥηθὲν ἡσύχασαν.

Com. 5. Ὅνος ἢ βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται] Sic & Exod. 21. 33.

Ibid. Καὶ οὐκ εὐθέως ἀνασπάσει αὐτὸν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων] i. e. Καίπερ ἐν τ. ἡ. τ. σ. Facit proculdubio, inquit, poſthabito Sabbati reſpectu. Ita, Feſtis oves curare ſuas, apud veterum Romanorum Pontifices nemini fraudi fuit. Servius ad Virgilii ,,

Etiam

- - Etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt. - -

Sciendum ſecundum Varronem contra religionem eſſe, &c. *ſi laventur animalia feſtis diebus*, &c. *Sed ſcimus neceſſitatem religionem cedere: unde perite Virgilius*,

Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri:

id eſt, ſalutifero. Si beſtiis adeo feſtinam curam impendere permiſſum, quanto minus periclitantibus hominibus ſubtrahenda?

Com. 6. Οὐκ ἴσχυσαν ἀντεῖπαι αὐτῷ] Οὐδὲν (ut Act. 4. 14.) ἀντειπεῖν εἶχον. Ἐφιμώθησαν, ut Matth. 22. 12. hîc.

- - Obſtupuere ſilentes,
Converſique oculos inter ſe atque ora tenebant.

Anonymus apud Stobæum Tit. π. Δικαιοσύνης,

Πρὸς ὃ λέγοντες οὐδὲν ἀντεῖπεῖν ἔχω.

Com. 7. Ἔλεγε δὲ πρὸς τὰς πεπλημμένας παραβολὰς, ἐπέχων πῶς τὰς πρωτοκλισίας ἐξελέγοντο] Quod de Socrate Ælianus narrat, Οὐκ ἐβούλετο ἀπεχθάνεσθαι τισὶ πρὸς ἃς διελέγετο, καὶ διὰ τοῦτο αἰνιγματώδεις λόγους παρέχετο, καὶ πλαγίους· videtur hoic ſecutus Dominus noſter, atque id, loci ratione habita; oblique in convivio malens admonere eos, quam coenam aperta objurgatione inſuavem reddere. Macrobius Saturn. 7. 1. *Si opportunitas neceſſariæ reprehenſionis emerſerit, ſic*, &c. *proficiſcetur, ut tecta & efficax ſit.* Ibidem, *Vitius stretitos, ſi hoc in convivio* (nota illud, *in convivio*) *exegerit loquendi ordo, Philoſophus feriet non ſentientes.* P. Chryſologus Serm. 29. *Diſcumbebat Jeſus plus in Matthæi mente, quam ſigmate*, &c. *ut revocaret convivio, collegio, humanitatis affectu, dulciſſima ſui confabulatione diſcumbentes, quos ſciebat poſſe Judæis agnita poteſtate diſſolvi.* Ἔπεχειν hic, ut & Act. 3. 5. in Græco Jobi 30. 26. 2 Macc. 9. 25. & Sirachidis 5. 8. eſt, προσέχειν· nempe τὸν νοῦν. Lucianus plene in Alexandro, τὸν νοῦν ἐπέχειν dixit. De illis πρωτοκλισίας ἐξελέγοντο, vide infra ad 20. 46. dicta. Ἐκλέγειν hoic, eſt, quod Matth. 23. 6. & infra hoic 20. 46. argumento pari, φιλεῖν· ſupra 11. 43. ἀγαπᾶν.

Com. 8. Εἰς γάμους] i. e. Ut ſupra 12. 36. & Joh. 2. 1. ad convivium nuptiale. Pollux Onomaſt. 3. 3. de Homero, Οὐ τὸ ἔργον μόνον ἀλλὰ καὶ τὸν ἑσπέριον γάμον καλεῖ. Vel, ſi laxius accipere libuerit, ad convivium quodvis; quæ indefinita vox fortaſſe hac ſub ſpecie denotatur, quia ſolent ejuſmodi epulæ lautiores eſſe. Apuleius 6. *Cœna nuptialis affluens exhibetur:* ubi malim *affluenter exhibetur* ſcribi. Ita 4. Ejuſdem, *Vinum*, &c. *affluenter immiſſum:* & 2. *Materiam aliquam quam Deus tantus affluenter induceret.*

Ibid. Μὴ κατακλιθῇς εἰς τὴν πρωτοκλισίαν] Οὐ γὰρ ἑαυτῷ τις τιμὴν λαμβάνει.

Ibid. Ἐντιμότερός σε] Ἐντιμότερος hoc loco ſignificare poteſt, aut cum qui reapſe, aut qui apud Dominum convivii honoratior eſt: quomodo ſupra 7. 2. ἔντιμον, σχετικῶς, vel, cum relatione ad perſonam, poſuit.

Com. 9. Δὸς τούτῳ τόπον] In Colloquiis Græcis vet. Τόπον ἐμοὶ δότε. Apuleius 1. *Jubet uxorem decedere, atque in ejus locum aſſideam jubet.* Tale & Jacobi 2. 3. Σὺ κάθου ὧδε, ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου. Nec diſſimilia quæ 29. 34. apud Sirachidem occurrunt.

Ibid. Καὶ τότε ἄρξῃ μετ' αἰσχύνης τὸν ἔσχατον τόπον κατέχειν] Quintilianus 11. 3. *Quo concitate itur, nunquam non frigide redditur.*

Ibid. Μετ' αἰσχύνης τὸν ἔσχατον τόπον κατέχειν] Μετ' αἰσχύνης dixit, reſpiciens ingenia quamplurimorum hominum, qui non minimam ſuam putant in ea re exiſtimationem agi: cum reipſa tamen illius ſubſit detrimentum nullum. Bene Seneca 3. 37. de Ira, *Munus honorato loco poſitus, iraſci capiſti convivatori, vocatori, ipſi qui tibi præferebatur. Demens, quid intereſt quam lecti premas partem? Honeſtiorem te aut turpiorem facere pulvinar poteſt?*

Com. 10. Πορευθεὶς ἀνάπεσον εἰς τὸν ἔσχατον τόπον] Dic tibi,

Summates viri ſummi accumbant, ego infimatis infimus.

Πορευθεὶς hic abundat, ut Matth. 9. 13. πορευθέντες, & Joh. 15. 16. ὑπάγετε.

Ibid. Φίλε, προσαναβῆθι ἀνώτερον] In Colloquiis Græcis, Καθίζεσθε· ἀναπέσωμεν. Ποῦ κελεύεις; Ἐν πρώτῳ τόπῳ ἀνέπεσον. Vide 1 Reg. 9. 22. Jacobus 2. 3. Σὺ κάθου ὧδε καλῶς.

Ibid. Ἐνώπιον τῶν συνανακειμένων σου] Vulgat. *coram ſimul diſcumbentibus.* Juvenalis 14.

- - fortaſſe quibuſdam.

Scholiaſtes, *ſimul diſcumbentibus.*

Com. 12. Φίλους, &c. συγγενεῖς, &c. γείτονας] Eodem modo Gellius 2. 29. *cognatos, affines, vicinoſque* dixit: & 7. 18. *parentes, cognatos, affinesque.*

Ibid. Μηδὲ, &c. πλουσίους] In legibus Saturnalibus apud Lucianum in Cronoſolone, Πλούσιος πλουσίῳ μηδὲν πεμπέτω, μηδὲ ἐρέτω Κρονίους ὁ πλούσιος τὸν ἰσότιμον. Seneca 4. 3. de Beneficiis, *Non eſt beneficium quod fortunam ſpectat.* Lampridius de Alexandro Severo, *Venationem*, &c. *cum amicis dividebat, & his maxime quos ſciebat per ſe non habere: nec divitibus quidquam talium rerum miſit.* Πλουσίους εἰς δεῖπνον καλεῖν, habemus in vita Socratis apud Diogenem Laërtium.

Ibid. Μήποτε αὐτοί σε ἀντικαλέσωσιν] Ex uſu temporum illorum, atque utinam illorum tantum: nam & prava conſuetudo iſta omnes mundi plagas pervaſit, & quanto in plura ſecula ivit, majores tanto vires acquiſivit. Τίνα μᾶλλον ἄν τις εὐεργετήσειεν ἢ παρ' οὗ χάριν ἀπολήψεσθαι νομίζει; dixit Xenophon. D. Ambroſius 2. 25. de Officiis, *His favemus frequentius à quibus referenda vicem ſperamus gratia.* Cicero Offic. 2. *A quo expeditior & celerior remuneratio fore videtur, in eum fere eſt voluntas noſtra propenſior.* Salvianus, *Hoc humanæ vitæ uſus habet, ut referatur gratia fœneratoribus gratiarum, & recipiant vicem munerum muneranies.* Parafitus Plautinus,

Nihil morantur jam Laconæ, imi ſubſellii viros,
Plagipatidas, quibus ſunt verba ſine penu & pecunia:
Eos requirunt qui libenter, cum ederint, reddant domi.

Martialis, nec appoſite minus,

Ad natalicias dapes vocabar,
Eſſum cum tibi, Sexte, non amicus.
Quid factum eſt rogo? quid repente factum eſt,
Poſt tot pignora noſtra, poſt tot annos,
Quod ſum præteritus vetus ſodalis?
Sed cauſam ſcio, nulla venit a me
Hiſpani tibi libra puſulati,
Nec tenuis toga, nec rudis lacerna,
Non eſt ſportula quæ negotiatur.
Poſcis munera, Sexte, non amicos.

Ἀντικαλέσωσι, *viciſſim te vocent*, non male à Recentiore verſum. Ita, *his quibus viciſſitudo debetur*, argumento pari, legimus apud Ammianum Marcellinum, l. 14. At vox Latinis in re iſta uſitatior, eſt, *revocare.* Καλοῦντα ἀντικαλεῖν hic, ut apud Xenophontem Memorabil. 2. τὸν εὐεργετοῦντα ἀντευεργετεῖν, & ibidem lib. 1. τοὺς χαριζομένους ἀντιχαρίζεσθαι.

Com. 13. Ὅταν ποιῇς δοχὴν, κάλει πτωχούς] Scriptor vitæ Tobiæ 2. 2. Ἀνέτεσα τοῦ φαγεῖν, καὶ, &c. εἶπα τῷ υἱῷ μου, βάδιζε, ἄγαγε ὃν ἔυρῃς τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν ἐνδεῆ. Repete hoic Lampridii locum ſuperius adductum. Damaſcius apud Suidam verbo θοίνη, Τοὺς πλουσίους οὐκ ἐν θοίνῃ ποιήμενος. Plutarchus in vita Periclis, de Cimone Athenienſi, Ἀνελάμβανε τοὺς πένητας, δεῖπνον καθ' ἡμέραν τῷ δεομένῳ παρέχων, &c. De eodem 6. 9. Lactantius, *Egentibus ſtipem dedit, & pauperes invitavit.* Scriptor item Virorum illuſtrium, *Quotidie ſic ei cœnæ coquebatur, ut quos convocatos* (Schoppius *invocatos* legit) *videſſet in foro, omnes vocaret.* Καλεῖν, (ut & Latinis *vocare*) eſt, ad menſæ communionem invitare. Ælianus Var. 12. 51. εἰς θοίνην ἐκάλεσε.

Ibid. Κάλει πτωχούς] Lactantius 6. 11. *Non idoneis hominibus largiendum eſt, ſed, quantum poteſt, non idoneis.* Et c. 12. *Juſti & ſapientis viri domus non illuſtribus debet patere, ſed humilibus & abjectis.* Non multum ab hac ſententia abludunt Plutarchi iſta, Ἐθιζέσθω δὲ καὶ θυσίαν ποιήμενον, ἢ γάμον, ἢ τινα ἄλλην ὑποδοχὴν, μὴ τὸν προσδραμόντα καλεῖν, &c. μᾶλλον ἢ τὸν, &c. χρησόν. Tract. π. Δυσωπίας.

Ibid. Ἀνάπηρους, χωλοὺς, τυφλούς] Hæc tria junxit & Plato in Critone, Οἱ χωλοί τε, καὶ τυφλοὶ, καὶ οἱ ἄλλοι ἀνάπηροι. Ἀνάπηροι dicuntur etiam claudi & cæci, (ut nos docent Ælianus 6. 11. Diog. Laërtius in Diogenis Cynici vita, Heſychius, aliique) vel etiam corporis parte quavis mutili defectique. Suidas Ἀνάπηρος, &c. ὁ καθ' ὑπερβολὴν μέλει τινὶ σώματος πεπηρωμένος. Scholiaſtes vetus Homeri ad Iliad. β'. Πηρὸς καλεῖται ὁ κατά τε μέρος τοῦ σώματος βεβλαμμένος. Gloſſarium, Πήρωσις, *mutilatio.* At novum non eſt majoris energiæ gratia generalibus voces ſpeciales

ciales ſubtexi. Ut Matth. 22. 10. poſt πάντας, ſequitur, πονηρούς καὶ ἀγαθούς. Ἀναπήρους autem dum *debiles* Vulgatus vertit, per id hercle eruditè fecit.

Com. 14. Οὐκ ἔχουσιν ἀντιποδῶναί σοι] Ita in fragmentis Diodori Siculi, Μὴ ἔχοντες αὐτῷ δοῦναι.

Com. 17. Ἀπέστειλε τὸν δοῦλον αὐτοῦ τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου] Ut vocatos inſtantis jam cenæ admoneret: de quo more vide quæ ad Matth. 22. 4. annotavimus. Adde Prov. 9. 2, & 3. In re autem ſignificata idem hic dicitur quod in iis Gal. 4. 4. Ὅτε ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἀπέστειλεν. Theophylactus heic, Τίς ἐστιν ὅτος ὁ δοῦλος; ὁ τὴν μορφὴν δούλου λαβών, ὁ υἱὸς θεοῦ, ἄνθρωπος γενόμενος.

Ibid. Ἔρχεσθε, ὅτι ἤδη ἕτοιμά ἐστι πάντα] Coquus in Plautina Pſeudolo,

- - *Convivae cedo,*
Corrumpitur jam cena. - -

In Adelphis Terentianis ille,

Æſchines odioſe ceſſas, prandium corrumpitur.

Et demum in re ſimili apud Ariſtophanem,

Τί ποτ' ἄνδρες οὐχ ἥξουσιν; ὥρα δ' ἦν πάλαι.

Ibid. Ἕτοιμά ἐστι πάντα]

Αἱ τράπεζαι γ' εἰσὶν ἐστρωμέναι
Ἀγαθῶν ἁπάντων, καὶ παρεσκευασμέναι.
- - Τὰ τεμάχη ῥιπίζεται,
Λαγὼ ἀναστηγνύουσι, πόπανα πίττεται,
Στέφανοι πλέκονται, φρύγονται τραγήματα.

Adde quæ ad Matth. 22. 4. allata. In Eunucho Terentiana,

Abi, præcurre, ut ſint parata omnia.

Ad quem locum Donatus, *Non dixit, quæ: quia intelligitur.*

Com. 18. Ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντες] Μιᾶς ἀντὶ ἁπάντων ἐπινοίας κατεχούσης, ut Orat. 6. Themiſtius locutus. Ἀπὸ μιᾶς, ſupple, φωνῆς· q. d. (ut Rom. 15. 6.) ὁμοθυμαδὸν, ἐν ἑνὶ σώματι· vel, (ut Act. 19. 34.) Φωνὴ ἐγένετο μία ἐκ πάντων· ut ibi de corpore collectivo, heic de ſingularibus agitur. In Maccabaico qui Joſepho tribuitur, fine c. 8. Πάντες διὰ φωνῆς ἑνὸς, ὥσπερ ἀπὸ τῆς αὐτῆς ψυχῆς, εἶπον, &c. Simile apud Ciceronem Philipp. 6. *Univerſi una mente ac voce, &c. conclamaſtis.* Ἐλλείψεις ſubſtantivorum autem, qualis heic φωνῆς, non infrequenter occurrunt. Supra hic 5. 9. διὰ τοίας i. e. διὰ τοίας ὁδοῦ. Marc. 11. 11. Ὀψίας ὥρας· pro, ὀψίας τῆς ὥρας ἦσης. Apud Suidam in Ἰνδικός, διὰ μιᾶς, ἡμέρας nempe: & in Gloſſis, Πρὸ μιᾶς, *pridie*. Quod Vir inſignis ſcribit, φωνῆς in Luca commode non ſuppleri poſſe quia ſinguli ſuas excuſationes attulerint, apud me parum auctoritatis obtinet; nec enim ἀπὸ μιᾶς λέγειν Contextus habet, ſed ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι. Eſt verum Variis modis eos excuſaſſe ſe, in eo omnes tamen quaſi de compacto convenere ut ſe excuſatum irent.

Vox diverſa ſonabat, eorum vox fuit una,
Dum omnes cauſantes poſſe venire negant.

Tacitus Annal. 2. *Abnuentibus cunctis, cum diverſa prætenderent, &c.*

Ibid. Ἀγόραζω ἔχω ἐξελθεῖν, καὶ ἰδεῖν αὐτόν] Cur ait videre ſe velle quem jam emerat agellum, cum cauti emptores ſoleant contra facere? At forte ἠγόρασα hoc loco eſt, de pretio veni, ſoluturus nempe ſi ager promiſſæ ſummæ probabiliter ſit reſponſurus. Agrum mercaturo eum ſæpius reviſendum eſſe, ex Catone 1. 4. ſcribit Columella, *Nam prima* (inquit) *inſpectione neque vitia, neque virtutes abditas oſtendit: quæ mox retractantibus facilius apparent.* Emi autem, etiam de cujus pretio convenit, ex Jure notum. Ἀγόραζω ἔχω, video & Plutarchum dixiſſe, nec minus ea re tamen putem Latiniſmum eſſe. Meminimus enim multo ante hæc tempora Romanos Græciæ Dominos fuiſſe, Græcumque illum haud parum temporis in Romana aula verſatum. Dixiſſent puto Græci veteres, ἀναγκαίως ἔχει μοι, &c. Ariſtoph. Veſpis,

Τῶν ἀναγκαίως ἔχει τὸν δεῦρο πωλεῖν.

Apoſtolus 1 Cor. 9. 16. ἀνάγκη μοι ἐπίκειται dixit. Forma vero qua hic Lucas ἀνάγκην ἔχω, *neceſſitatem habere facere quid*, dixit JC. in l. 30. ff. de condit. & demonſtr., &c.

Ibid. Ἔρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον] Duo alii Latiniſmi,

Excuſatum habeas me, rogo: - - -

ad cœnam itidem invitatus Martialis 2. 79. dixit.

Com. 19. Καὶ ἕτερος εἶπεν, &c.] Voluntas bona ubi deſit, nunquam excuſationis color deeſſe poterit. Philoſtratus 4. 12. de iis qui Apollonium de capite periclitantem deſeruerunt; Ἀπαχθέντες, οἱ μὲν ἔφασαν νοσεῖν, οἱ δὲ ὡς εἶναι αὐτοῖς τὰ ἐφόδια, οἱ δὲ, τῶν εἴκων ἐρᾷν, &c.

Ibid. Ζεύγη βοῶν ἠγόρασα πέντε, καὶ πορεύομαι δοκιμάσαι αὐτά] D. Hieronymus contra Jovinianum, *Equus, aſinus, bos, &c. probantur prius, & ſic emuntur.* Cur ergo hic verſo ordine, ἠγόρασα, & poſt δοκιμάσαι πορεύομαι; Nimirum & heic intelligere debemus de pretio conventionem nudam præceſſiſſe, vel, boum venditionem ſub conditione factam. Plane ut in iis l. 51. ff. ad leg. Aquil. *Quidam boves ea lege vendidit, ut daret experiendos.* Sic & *equos venales experiendos accipere*, in l. 20. §. 1. ff. de præſcript. verb. Δοκιμάσαι Vulgatus *probare* peritiſſime vertit. Ita loquitur, itidem de bobus agens, Varro in de R. R.

Com. 20. Γυναῖκα ἔγημα] Nuperrime nempe. Sum ἀρτίγαμος, vel νεόγαμος. Vulgatus, *uxorem duxi.* In Gloſſario, *Ducit uxorem*, γαμεῖ.

Ibid. Καὶ διὰ τοῦτο οὐ δύναμαι ἐλθεῖν] Eandem plane πρόφασιν habemus in Heliodori iſtis, Τῷ Κνήμωνος συγγενέμην αἰτίωντος εἰ μὴ συμπορεύοιτο, νεοτήκτως ἔτι τὰς θαλάμους ἔχων. A re uxoria ſolent mulcæ excuſationes ſumi. Seneca 4. 35. de Benef. *In rem præſentem venturus fui, ſed ager filius, ſed puerpera uxor.* Vide in Τὸ Μιλησιακὸν πλοῖον Suidæ Collectanea. Licentius ad Auguſtinum,

- - - *Totus ſemel in tua corda venirem,*
Ni mens conjugio incumbens retineret euntem.

At quanto melius fuat (ſecundum Apoſtoli mentem) γυναῖκα ὡς μὴ ἔχων ἔχειν; cavereque (ut in c. 12. Epicteti Simplicius dixit,) ne à Deo vocati ἀτιθασευθέντες ὑπὸ τῶν δεσμῶν ἀνθελκόμενοι, καὶ νεογάμους (en id quod heic Chriſtus) θρηνοῦντες γαμετὰς καὶ παῖδας νηπίους;

Ibid. Οὐ δύναμαι ἐλθεῖν] Donatus ad Eunuch. 3. 3. *Non poſſum plus eſt quam nolo.* Seneca 116. Epiſt. *Nolle in cauſa eſt, non poſſe prætenditur.*

Com. 21. Ὀργισθεὶς ὁ οἰκοδεσπότης, &c.] Quod nempe ſe non ſiſterent quos ad cœnam vocaverat. Vide ad Matth. 22. 7. dicta.

Ibid. Εἰς τὰς πλατείας καὶ ῥύμας] *Per quadrivia & angiportus*, ut Catullus locutus.

Ibid. Πτωχοὺς] Πτωχοὺς τοῦ κόσμου, ut Jacob. 2. 6. intelligo,) πλουσίους δὲ ἐν πίστει.

Ibid. Πτωχοὺς, ἀναπήρους, χωλοὺς, τυφλοὺς] Prudentius de Quirino Martyre,

Tribus per Urbem curſitat
Diebus, infirma agmina,
Omneſque qui cogunt ſtipem
Cogens in unum & congregans.
Illic utriſque obtutibus
Orbes cavatos præferens,
Baculo regebat prævio
Errore nutantem gradum:
Et claudus infracto genu
Vel crure trunco ſemipes,
Breviorve planta ex altera,
Greſſum trahebat imparem.
Eſt ulceroſis artubus
Qui tabe corrupta fluat:
Eſt cujus arens dextra
Nervos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, &c. - - - -

Ibid. Εἰσάγαγε ὧδε] q. d.

- - - *Non jam amplius iſtos*
Excuſaturos ſe ſollicitemus amicos.

Com. 22. Γέγονεν ὡς ἐπέταξας]

Haud minus ac juſſus feci; - - -

apud neſcio quem Poetarum legi. Cecinna ad Ciceronem ſcribens, Ut *imperaſti feci*: In Adelphis Terentianis,

- - *Factum eſt quod juſſi, Demea.*

Apuleius 2. Mileſ. *Fiet ut jubes.* Idem 9. *Ita uti juſſum fuerat procurante puero.* Seneca Suaſor. 1. 5. *Confeſſio ſervitutis eſt, juſſa facere.* Seneca alter (6. 11. de Beneficiis) de puero ſervo, *Quod juſſus erat, fecit.* Apud Tacitum Annal. 1. *Factum quod imperaſti.* Suetonius Claudio, *Renuncianto*

centurione factum eſſe quod imperaſſet, &c. 2 Reg. 9. 11. *Sicut juſſiſti, Domine, ſic faciet ſervus tuus.* Gen. 43. 17. de Joſephi diſpenſatore, *Fecit quod ſibi imperatum fuerat:* & ibidem 44. 6. *Fecit quod Joſephus juſſerat.* Ezech. 9. 11. *Feci ſicut præcepiſti mihi.* Vide & Joſuæ 10. 23. Matth. 26. 19. & infra heic 17. 9. Apud Lucianum eſt, Ὡς ἔταξας, πάντα διαπέπραμεν· & Ariſtidem *Ier. λόγ. β'.* Τετέλεσται τὸ πρόσταγμα.

Ibid. Ἔτι τόπος ἐστὶ] *- - - Locus eſt & pluribus. - - -*

Com. 23. Ἔξελθε εἰς τὰς ὁδοὺς καὶ φραγμούς] *Exito in populi ſubito loca prompta viaſque.*

Ibid. Ἀναγκασον εἰσελθεῖν] Lactantius, at μιμητικῶς 5. 20. *Conſulendum eſt, etiam nolentibus, quando quid ſit bonum neſciunt.* Mecænas apud Dionem Caſſium ad Auguſtum, Τὸ θεῖον, &c. αὐτός τε σέβα κατὰ τὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγναζε. At ἀναγκάζειν in Luca (ut & infra 24. 29. παραβιάζεσθαι) non vi agere ſignificat, ſed, ſæpius & calidius inſtando perſuadere. Vide ad Act. 16. 15. annotata.

Com. 24. Τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων] Ἐκείνων commote indignanterque prolatum: ut infra 19. 27. τοὺς ἐχθρούς με ἐκείνους. Vide ad Act. 16. 35. dicta.

Com. 26. Εἴ τις ἔρχεται πρός με, καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ τὴν μητέρα, καὶ τὴν γυναῖκα, καὶ τὰ τέκνα, καὶ τοὺς ἀδελφούς, καὶ τὰς ἀδελφάς, &c. οὐ δύναταί μου μαθητὴς εἶναι] q. d. *Non recipio ſordidum amatorem, ſolute ad me ſinu veniendum eſt:* Senec. de Benef. 2. 24. In Epiſtolis Apollonii dictis, Εἰ λέγει τις εἶναι ἐμὸς γνώριμος, (γνώριμος eſt quod apud Lucam μαθητὴς,) λεγέτω, &c. ἀπαθὴς εἶναι φθόνου, κακοηθείας, μίσους, διαβολῆς, &c. Μισεῖν heic, (ut & Matth. 6. 14. Proverb. 14. 20. & alibi,) non *odio habere* eſt, ſed ἀμελεῖν, *minoris æſtimare:* τὴν κτῆσιν, τὴν φήμην, ἀρχὰς, τιμὰς, τέκνα, ἀδελφοὺς, φίλους ἀφιέναι, (ut appoſite 3. 26. in Epictetum locutus Arrianus:) Ex animo ſecum dicere,

Et ſoror, & mater valeant, charique propinqui:
Quicquid & eſt animæ pars adamata meæ.

P. Chryſologus Serm. 5. *Gubernator prudens à littore cum navem ſolvit*, &c. *domus, patria, pignorum curas deponit.* Lucianus de ſtudio Virtutis, in Hermotimo, Ἐπὶ τούτῳ σπουδαστέον, &c. τῶν δ' ἄλλων ἀμελητέον, καὶ μὴ πατρίδος, &c. τοιεῖσθαι λόγου, μήτε παίδων, ἢ γονέων ἐπιπατεχόντων, καὶ πλανθωμυζομένων ἐπιλᾶσθαι, &c. Τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ μισεῖν, eſt, *animum ſuum ad contemptum animæ adducere*, ut alicubi Seneca locutus. Alludit heic autem Chriſtus proſelytorum apud Hebræos morem. Tacitus Hiſtor. 5. *Nec quidquam prius* (imbuuntur) *quam*, &c. *exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere:* ubi & *vilia habere*, eſt quod μισεῖν in Euangelio noſtro. Quin & illud proſelytorum inſtitutum heic à Chriſto reſpici quadantenus elici poteſt ex verbis, Εἴ τις ἔρχεται πρός με.

Ibid. Τὴν γυναῖκα, καὶ τὰ τέκνα] Οὔτε πρὸς γυναῖκα, οὔτε πρὸς τέκνα ἐπιστροφὴν ποιεῖν, Porphyrius dixit. Repete & Simplicii locum ad com. 20. adductum.

Com. 28. Τίς γὰρ ἐξ ὑμῶν θέλων πύργον οἰκοδομῆσαι, οὐχὶ πρῶτον καθίσας ψηφίζει τὴν δαπάνην] Et hoc è quotidiano vitæ uſu depromptum. Gellius 19. 10. de Cornelio Frontone, novarum balnearum ſtructionem meditante, *Interrogavit quantus eſſet pecuniæ conſpectus ad totum id opus abſolvendum.* Et nota heic τὸ ψηφίζει. Vitruvius lib. 1. *Per Arithmeticam ſumptus ædificiorum conſummantur.* Ubi forte *computantur* ſcribendum. Ita enim hoc Lucæ loco Vulgatus Interpres: cui adde Gloſſarii illud, *Computat*, ψηφίζει, συμψηφίζει· ita enim ibi puto legendum, non συμψηφίζεται. Chriſti porro interrogationes iſtæ eo tendunt, ut qui illius magiſterio ſe tradituri accederent, mature ſecum recolerent quid valerent ferre, ne poſtea, tanquam ſegnes aratores inter, operandum reſpicerent: &, bonos ſe futuros milites profeſſi, deſertores turpes evaderent. Simplicius in cap. 35. Epicteti, Ἐκάστῳ ἔργου ἐυάρεστα τὰ καθηγούμενα, καὶ τὰ ἀκόλουθα αὐτῷ, καὶ ὅτως ἐπ' αὐτῷ ἔρχεται· εἰ δὲ μὴ, τὴν μὲν πρώτην προθύμως ἔξεις, ὕστερον δὲ, &c. αἰσχυνθήσῃ. Δοκιμαζέτω ἑαυτὸν ἄνθρωπος, καὶ ὅτως, &c. non ad menſam tantum, ſed & ad diſciplinam Chriſti acceſſuro poteſt apte præcipi.

Ibid. Τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν] In Gloſſis, Ἀπαρτίζω, *perficio, conſummo:* &, Ἀπαρτισμὸς, *conſummatio.* Item, *Conſummatio*, συναπαρτισμὸς, τελειότης· (quo ſenſu Eſdræ 4. 16. καταρτίζεσθαι habemus.) Contra in eodem Gloſſario, *Imperfectum*, ἀνεπάρτιστον. In Luca poſt particulam τὸ, vel τὸ ἀπαρτιστὸν, ſubaudi ἀναγκαῖα, ἀνήκοντα, aut quid ſimile. Sic infra com. 32. τὰ πρὸς εἰρήνην dixit. Talia & Eph. 6. 21. Col. 4. 7. τὰ κατ' ἐμὲ· & ibidem com. 8. τὰ περὶ ὑμῶν. Terentius 3. 2. Andr. *Signa ad ſalutem:* ubi Donatus, *Deeſt, harentia, aut pertinentia.* Dum dicit autem Donatus *harentia*, exprimit Græcum illud ἐχόμενα.

Com. 29. Μήποτε θέντος αὐτοῦ θεμέλιον, καὶ μὴ ἰσχύοντος ἐκτελέσαι, πάντες οἱ θεωροῦντες ἄρξονται ἐμπαίζειν αὐτῷ] Ἐμπαίζειν αὐτῷ, *Parabolam ſuper eum ſumere*, ut 2. 6. locutus propheta Habacucus. Tzetzes ad Heſiodum, Μηδὲν ἀτελὲς καὶ ἀκαλλώπιστον ἔασης, μή τις, &c. λίαν πρακτικὸς καὶ λάλος ἐπιεῖς αὐτῷ, μώμως κατοχέη σε. Manilius,

Tunc demum conſurgit opus cum cuncta ſuperſunt,
Ne medios rumpat curſus præpoſtera cura.

Ubi melius, *Nec medios rumpit curſus*, fortaſſe ſcripſeris. Tertullianus in de Idololatria, *Sero dicitur, ante enim deliberandum eſt, ex ſimilitudine providi illius ædificii, qui prius ſumptus operis cum viribus ſuis ſupputat, ne ubi cœperit defunctus poſtea erubeſcat:* ubi legendum puto *defectus*, nimirum nummis. In diſtichis Catoni adſcriptis,

Quod potes, id tentato, oneris ne pondere preſſus
Succumbat labor, & fruſtra tentata relinquas.

Etiam Cicero materiam ædificandi tractans, cavendum dixit ne extra modum ſumptu prodeatur. Ἄρξονται ἐμπαίζειν, archaiſmus, ut ſupra 5. 21. ἤρξαντο διαλογίζεσθαι· ubi dicta vide.

Ibid. Λέγοντες] *Dicentes,*

- - - Pendent opera interrupta, minæque
Murorum incepta. - - -

Vel, *Craſſa hic Minerva eſt, qui quod implere nequit, aggreſſus eſt.* Sunt verba Horatii Scholiaſtis ad Serm. 2. 2.

Com. 31. Πορευόμενος συμβαλεῖν ἑτέρῳ βασιλεῖ εἰς πόλεμον] 1 Macc. 10. 3. Ἀνῆλθεν εἰς συνάντησιν αὐτῷ εἰς πόλεμον. Heſychius, Συμβαλεῖν, συναλλάξαι, &c. καὶ, εἰς μάχην συμβαλεῖν. Gloſſæ, *Congreditur*, συνίσταται, συμβάλλει μάχην. Gloſſæ aliæ, Συμβάλλω τὸν πόλεμον, *confligo, confero*, (id eſt, manum confero.) Ibidem, Συμβολὴ ἐπὶ μάχης· *prælium, congreſſio, confligatio:* ſcribe *conflictatio.* Homerus Iliad. μ'.

- - - Σὺν δ' ἐβάλοντο μάχεσθαι.

Vulgatus heic, *committere bellum adverſus*, &c. Putarem rectius legi poſſe, *committere adverſus*, &c. Sic enim Idem 2 Macc. 8. 23. *In prima acie ipſe Dux commiſit cum Nicanore:* & ibidem cap. 14. com. 17. *Simon vero, frater Judæ, commiſerat cum Nicanore.* Iterum 12. 20. *Commiſerunt cum eo Arabes.* Gloſſæ, Συμβάλλω, &c. *committo, congredior, confligo.* Gloſſæ aliæ, *Committit*, συμβάλλει μάχην· ut recte (non, ut vulgo, μάτην) Heraldus legit.

Ibid. Οὐχὶ καθίσας πρῶτον βουλεύεται, &c.] Sirach. 37. 16. Πρὸ πάσης πράξεως βουλή. Cicero Offic. 1. *In omnibus negotiis priuſquam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.* Vide Prov. 24. 6. In carminibus Pythagoræ dictis,

Βουλεύου δὲ πρὸ ἔργου, ὅπως μὴ μωρὰ πέληται. Auſonius,

Locare ſedes, bellum gerere & ponere,
Magnas modicaſque res, etiam parvas quoque
Agere volenti, ſemper meditari decet.

Leo 2. 65. in Tacticis, Μηδὲν τῶν μεγάλων (nempe in re militari) χωρὶς βουλῆς διαπράττου. Καθίζειν dicitur de vel ſecum, vel cum aliis conſultante. In Græco 2 Reg. 9. 5. Οἱ ἄρχοντες τῆς δυνάμεως ἐκάθηντο. Sic *ſedere* apud Latinos. Virgilius 11.

- - - Magnus ſedet Æneas, ſecumque volutat
Eventus belli. - - -

Quo loco & καθίζειν & βουλεύεσθαι habemus. Idem 1.

- - - Celſa ſedet Æolus arce.

Ubi Servius, *Non otiatur, ſed curat:* SEDET *enim apud Antiquos* CONSIDERAT *ſignificabat:* & in Schedis Fuldenſibus; *Curantis eſt & ſolliciti, ſedere.* Idem ad Æneid. 9. *Secundum Plautum, ſedere, eſt, conſilium capere, qui inducit in Moſtellaria ſervum dicentem,*

Sine juxta aram ſedeam, & dabo meliora conſilia.

Ad-

Additque Servius, *Ipsa consilia, à sedendo, quasi considia, dicta sunt.* Hinc illud, ut in re nova, ejusdem ad ea,

Stant longis adnixi hastis. - -

Mira facies consilii, &c. *non sedent, sed stant.* Βουλεύεται, est,

Proponit dubiis Martis incerti vices.

Vulgatus, *cogitat.* Unde & in Glossario, Βουλεύομαι, *cogito.* Recentior, *consultat.* Sic in vetere Onomastico, *Consulo*, βουλεύομαι.

Ibid. Βουλεύεται εἰ δυνατός ἐστιν ἐν δέκα χιλιάσιν ἀπαντῆσαι, &c.) Hoc illud est quod *examinatis rationibus bellum inferre*, Julianus apud Ammianum Marcellinum vocat. Coripppus Africanus,

Quisque suas mensuret opes, viresque suorum
Cum queis bella geris, sub qua spe sumpseris arma.

Mithridates in Oratione sua apud Justinum, lib. 38. Romanis θυμομαχῶν, *Consulendum qua ratione ac spe capta bella sustinerent.* Sepeca, *Æstimanda sunt quæ aggredimur, & vires nostræ cum rebus quas tentaturi sumus comparandæ.* Philo in de Abrahamo, Τῆς ἀρετῆς, &c. ἐπιμελὲς Φασὶν εἶναι, ἐπὰν εἰς χεῖρονα ἄμιλλαν ἴένει μάλλη, τῆς ἰδίας δυνάμεως ἀποπειρᾶσθαι πρότερον, ἵν' εἰ μὲν ἰσχύει κατανικᾶσθαι, συνιζήται· εἰ δὲ ἀσθενεστέρα, χρῆτο τῇ δυνάμει, μηδὲ εἰς τὸν ἀγῶνα τὴν ἀρχὴν συγκαταβῆναι. Confer Arrianum 3. 15. in Epictetum. Cyrus apud Xenophontem παιδ. β'. ad Cyaxarem, Τί δ' καὶ τὴν δύναμιν ἔλεξάς μοι, εἰ οἶσθα; πόση τις ἡ προσῆσα, καὶ πάλιν, τὴν ἡμέτερον· ἵνας εἰδότες ἀμφοτέρας, πρὸς ταῦτα βουλευώμεθα, ὅπως ἂν ἄριστα ἀγωνιζώμεθα. Vegetius 3. 26. *Difficile vincitur qui vere potest de suis & de adversariis copiis judicare.* Ibidem cap. 9. *Dux vigilans, sobrius, prudens, tanquam de civili causa inter partes judicaturus, adhibito consilio, de suis & adversariis copiis judicet.* Et paulo ante, *Præcipua res*, &c. *est, ut adhibitis ex universo exercitu scientibus belli & sapientibus viris, de suis & hostium copiis sapius tractet*, &c. *utrum majorem numerum pugnatorum ipse an hostes habeant: utrum ipsius, an adversariorum homines magis armati sint & muniti*, &c. Agrippa ad Judæos seditiosos apud Josephum 2. 16. Ποίᾳ κρατείᾳ; τοίοις πεποιθότες ὅπλοις; & statim, Οὐ περιεσκέψασθε τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν; ἢ μετρήσατε τὴν ἑαυτῶν ἀσθένειαν; Hesychius, Γνωμαχῆσαι, τινὲς μὲν τὸ γνῶναι τὴν ἑαυτῶν ἀσθένειαν, τὴν τε τῶν ἐναντίων ἰσχύν· ἄλλοι δὲ, τὸ γνόντα ἔτι πρὸς κρεῖττονα ἑαυτοῦ ἔχει μάχην, ἡσυχάσαι, &c. Notanda denique & Contextus ea, εἰ δυνατός ἐστιν, &c. non enim τῶν ἀδυνάτων esse, ut exercitus parvi non solum numerosioribus pares sint, sed & superiores evadant, & hujus & aliarum omnium ætatum memoriæ comprobarunt. Vel vide 2. 4. Jul. Frontinum. 2 Paralipom. 24. 24. & 1 Maccab. 3. 18. Sallustius, *Memorare possumus quibus in locis populus Romanus ingentes hostium copias parva manu fuderit.* Apud Achillem Tatium lib. 3. ille, Ἡμῶν αὐτοὶ πέντε χιλιάδες ἴσμεν πρὸς εἴκοσι τῶν ἐκείνων. Vegetius ubi supra, *Pauciores numero*, &c. *reportaverunt sæpe victoriam.* Vide & Suetonii Julium c. 68.

Ibid. Ἐν δέκα χιλιάσιν ἀπαντῆσαι] 1 Macc. 4. 29. Συνήντησεν αὐτῶν ἐν δέκα χιλιάσι.

Ibid. Ἐρχομένῳ ἐπ' αὐτόν) Sic 1 Macc. 5. 39. Ἕτοιμοι τοῦ ἐλθεῖν ἐπὶ σε εἰς πόλεμον. 2 Macc. 8. 18. τοὺς ἐφ' ἡμᾶς ἐρχομένους. 1 Reg. 12. 12. Ναὰς βασιλεὺς, &c. ἦλθεν ἐφ' ἡμᾶς· & 9. 14. Ecclesiastæ, Καὶ ἦλθεν ἐπ' αὐτὴν (πόλιν) βασιλεὺς μέγας. Vide & 1 Maccab. 8. 4. contextum Jeremiæ Græcum 32. 29. & 2 Paralipom. 24. 23. Vulgatus hoc, *qui venit ad se:* sed videtur *in se* legendum, ut infra 19. 44. ubi *veniem dies in te.*

Com. 32. Εἰ δὲ μή γε] Si se imbecilliorem viderit.

Ibid. Ἔτι αὐτοῦ πόρρω ὄντος, πρεσβείαν ἀποστείλας, ἐρωτᾷ τὰ πρὸς εἰρήνην]

- - Non jam amplius armis,
Sed votis precibusque studet componere pacem.

Herodianis l. 6. Ἔδοξεν αὐτῷ πρεσβείαν πέμψαι, καὶ περὶ εἰρήνης διαλέγεσθαι.

Si nullam infirmis ultra spem ponit in armis,
Orabit pacem, ac dextram jam tendet inermem.

Lucanus de Massiliensibus Cæsare cum exercitu adventante,

- - - - Furorem
Indomitum duramque viri deflectere mentem
Pacifico sermone parant, hostemque propinquum
Orant Cecropia prælata fronde Minerva.

Lucianus de Antiocho, Εἰδὼς τούτους (Galatas) ἀλκίμους ὄντας, καὶ πλήθει πεμπόλλους ὁρῶν, &c. πάνυ πονηρὰς εἶχε τὰς ἐλπίδας, ὡς ἀμάχων ὄντων αὐτῶν· ἐκεῖνος γὰρ δι' ὀλίγων τῆς στρατείας ἐκείνης παρασκευασθείσης, οὐμεγαλωσί, οὐδὲ κατ' ἀξίαν τοῦ πολέμου ἀφίκετο, κομιδῇ ὀλίγας ἄγων, &c. ὥστε εὐθέως αὐτῷ ἥδη στένδεσθαι, καί τινα εὐπρεπῆ διάλυσιν ἐνιδέσθαι τῷ πολέμου. Cæsar De bello civili lib. 3. *Hoc unum esse tempus de pace agendi, dum sibi uterque confideret, & pares ambo viderentur: si vero alteri paulummodo tribuisset Fortuna, non esse usurum conditionibus pacis cum qui superior videretur; neque fore æqua parte contentum eum qui se omnia habiturum confideret.* Nota & Lucæ ea, ἔτι πόρρω ὄντος αὐτοῦ. Justinus lib. 23. de Italis, Agathocle imminente, *Principio adventus ejus* (q. d. ἔτι πόρρω αὐτῆ ὄντος) *concussi, legatos ad eum, societatem amicitiamque petentes*, (τὰ πρὸς εἰρήνην ἐρωτῶντες) *miserunt.* Chorus in Heraclidis Euripidis ad Demophontem,

Ὅρα προνοεῖν πρὶν ὄρους πελάσαι
Στρατὸν Ἀργείων. - -

Ubi πρὶν ὄρους πελάσαι, est id quod in Evangelio ἔτι πόρρω ἐστί. Confer & Judith. 3. 1, 5, & 6. item 5. 4.

Ibid. Πρεσβείαν ἀποστείλας, ἐρωτᾷ τὰ πρὸς εἰρήνην] *Legatis missis* (ut lib. 11. Justini) *bellum deprecabitur.* Vide 1 Paral. 18. 20. Ammianus lib. 27. *Adeo ut legatos supplices mittentes, venialem poscerent pacem.* Sic, πρεσβευτὰς ὑπὲρ εἰρήνης ἀποστέλλαν. lib. 20. apud Diodorum Siculum: &, ἀγγέλους (i. e. πρεσβευτὰς) εἰρηνικοῖς λόγοις ἀποστέλλειν, jam citatis Judithæ locis. Hesychius, Πρέσβεις, &c. μεσῖται, ἀπόστολοι, ἢ ἕνεκεν εἰρήνης· ubi, ni fallor, legendum ἀπόστολοι ἕνεκα εἰρήνης, subaudiendumque πεμπόμενοι. Ἐρωτᾷ τὰ πρὸς εἰρήνην hoc, ut in Epist. Joannis P. (relat. in Cod. de summa Trinit.) *quæ ad pacem sunt, loqui:* & apud Annam Comnenam, Τὰ περὶ εἰρήνης ἐρώτα. Vulgatus, *rogat ea quæ pacis sunt:* Recentior, *rogat ea quæ ad pacem pertinent.* Vir inter nuperos insignissimus, contractius, *rogat pacem.* Ego vertendum putem, *rogat pacis conditiones.* Q. Curtius de Dario, *Ad novas pacis conditiones ferendas, decem legatos*, &c. *mittit.* Vide & Cæsarem jam superius adductum. Sic, *bellum conditionibus dirimere*, Pomponius Mela: &, *bellum conditionibus ponere*, Sallustius in Jugurthino. Mamertinus in Genethliaco Maximiani, *Prætereo Francos, ad petendam pacem cum Rege venientes.*

Com. 33. Ὃς οὐκ ἀποτάσσεται πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ ὑπάρχουσιν, οὐ δύναταί μου εἶναι μαθητής] Οὐδεὶς (γὰρ) δύναται δυσὶ Κυρίοις δουλεύειν, Matth. 6. 24. Οὐδεὶς στρατευόμενος, καὶ ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις ἐμπλεκόμενος, τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσκειν δύναται, 2 Tim. 2. 4. ubi multa hanc in mentem annotavimus. De θεραπευταῖς Suidas è Philone, Τῶν προσηκόντων καὶ τῶν ὑπαρχόντων ἐξίστανται, &c. ταῖς τοῦ βίου Φροντίσιν ἀποταξάμενοι. Ubi notanda (quæ & hoc in Luca) ὑπάρχοντα, & ἀποτάττεσθαι. Servius ad Æneid. 6. *Hi qui sacra maxime accipiebant, renunciabant omnibus rebus*, &c. Plinius ad Præfecturam ærarii à Trajano admotus, *Omnibus advocationibus renunciavi, ut toto animo delegato mihi officio vacarem.* Duobus istis locis *renunciare*, (qua voce & hoc Vulgatus usus,) est id quod apud Lucam ἀποτάττεσθαι.

Com. 35. Ἔξω βάλλουσιν αὐτό] Ut rem inutilem. Locutio proverbialis est. Hinc ἐπὶ κοπρίαν ὡς σκῦβος ἄχρηστον βίπτειν, apud Arrianum, 2. 4. in Epictetum: & ibidem, Εἰ μὲν οὕτω κακὸν σκεύαριον ὥστε σοι μηδὲν δύνασθαι χρῆσθαι, ἔξω ἂν ἐπὶ τὰς κοπρίας ἐρρίπτου· ubi aut ὥστε σου μηδένα, &c. vel, ὥστε σου εἰς μηδὲν existimem legendum. Ἐπὶ τοῦ κοπρῶνος ἀποβληθῆναι, Idem & 1. 19. dixit. Addit hoc Matthæi interpres, 5. 13. καὶ καταπατοῦσιν. Ita de cadavere Plutarchus, ἐκβάλλεσθαι, καὶ καταπατεῖσθαι, libello De his qui tarde à Numine puniuntur.

CAP. XV.

VALLA.

8. *Nonne accendit lucernam, & everrit domum*] Manifeſtus librarii error, qui *everrit* pro *everrit*, *ſcopat*, ſcripſit: *εφοῖ*.

14. *Et poſtquam omnia conſummaſſet*] Hoc vitium & Grammaticæ, & verbi improprii nemo non videt. Erat autem ſic transferendum, *Cum autem is omnia conſumpſiſſet*: ſive, *Poſtea vero quam is omnia conſumpſit*, ſive *erogavit*, δαπανήσαντος δὲ αὐτῦ πάντα.

17. *Quanti mercenarii patris mei*] Etſi Græci non habent *quot*, non tamen non poſſumus transferre per *quot* illud Græcum πόσοι. Melius paulo poſt v. 29. *Ecce tot annis ſervio tibi*: non dixit *tantis*, τοσαῦτα. Sed de hoc dixi in Matth. 25. 33.

20. *Vidit illum pater ipſius*] *Suus* erat melius.

ERASMUS.

6. *Congratulamini*] Συγχάρητε *Congaudete*, aut, ſi cui id parum Latinum videtur, *Gaudete mecum*.

8. *Nonne accendit*] Οὐχί; At *non* magis hic quadrabat, ſive *an non*: etiam ſi hic ſermo eodem laborat incommodo quo is quem ante notavimus, *Quis ex vobis pater ſi filius petet panem*, &c. ¶ *Everrit*] Σαροῖ *verrit*, h. e. ſcopis purgat. Fortaſſis Interpres ſcripſerat *everrit*: id imperitus aliquis ac ſciolus non intelligens inverſa ſcriptura fecit *everrit*. Quod ſane minus mirum eſt fuiſſe depravatum quam non fuiſſe animadverſum: adeo mendum hoc in omnibus exempl. Latinis inolevit, etiam veruſtiſſimis. Senſit hic nonnihil incommodi & Carrenſis, interpretans, *Everrit totam domum*, i. *ea quæ in domo ſunt. Et moraliter Evertere domum eſt Perturbare conſcientias peccatorum*. Theophylactus *verrit* vertit *repurgavit*; & in eundem ſenſum Gregorius Nyſſenus, qui citatur in Catena: licet Gregorius Pontifex R. deceptus vitio codicis *everrit* interpretatur *concuſſit conſcientiam*.

12. *Quæ me contingit*] Τὸ ἐπιβάλλον *quæ redit ad me*. ¶ *Subſtantiam*] Duæ ſunt voces apud Græcos *ſubſtantia* & *ſubſtantiam*, οὐσίας & βίον, i. *ſubſtantia* & *victum*. Quanquam βίος & *vitam* ipſam ſignificat apud Græcos & *facultates quibus vivitur*.

13. *Vivendo luxurioſe*] Ζῶν ἀσώτως *vivens luxurioſe*. Hinc & Paulus luxum vocat ἀσωτίαν, *vinum*, *in quo eſt luxuria*. Id autem non ad libidinem tantum pertinet.

14. *Et poſtquam omnia conſummaſſet*] Δαπανήσαντος δὲ αὐτοῦ πάντα, *Cum is conſumpſiſſet*, ſive *abſumpſiſſet*, *omnia*. Quod quidem arbitror librariorum vitio fuiſſe depravatum, licet mirus ſit noſtratium exemplarium conſenſus. Ambroſius indicat ſeſe legiſſe more Græcorum, cum ita ſcribit in Commentariis, *Ille igitur vivendo luxurioſe conſumpſit omnia ornamenta naturæ. Unde tu qui accepiſti imaginem Dei, qui habes ſimilitudinem ejus, noli eam irrationabili fœditate conſumere*.

17. *Quanti mercenarii*] Cur non potius, *Quot*, Πόσοι, ſive *Quam multi?* Nec additur *in domo*, nec apud Græcos, nec in veteſtis exempl. Donatiani. Tantum eſt, *Quanti mercenarii patris mei abundant*, &c. Conſentiebat Conſtantienſe. Nam *mercenarium* oppoſuit *filio*. Et ſtudioſus aliquis adjecit *in domo*, ut eſſet quod reſponderet adverbio *hic*.

20. *Cum adhuc longe eſſet*] Μακρὰν ἀπέχοντος, *Cum procul abeſſet*.

22, 23. *Cito proferte*] *Cito* non additur in Græcis exemplaribus. ¶ *Stolam primam*] Budæus exiſtimat hic quoque exprimendam fuiſſe vim articuli, τὴν στολὴν τὴν πρώτην *ſtolam illam primam*. Eſt autem veſtis genus in talos demiſſæ: ut intelligamus non de qualibet veſte dictum, ſed de certa quapiam & eximia. Nam *annulo* & *calceamentis* non præponitur Græcus articulus. At rurſum *vitulo* geminum addidit articulum, ut *ſtola*, τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν *vitulum illum ſaginatum*: ut certum & inſignem vitulum accipiamus deſignari. Jam & in ſequentibus, cum ſæpe repetatur hic *vitulus*, ſemper adduntur articuli, cum *hœdo* non addatur ullus articulus, quod non unuſquiſpiam inſignis deſignetur, ſed quilibet è grege. *Vitulum* autem interpretantur ipſum Chriſti corpus pro nobis immolatum. ¶ *Epulemur*] Εὐφρανθῶμεν *lætemur*, ut placet Vallæ.

24. *Et cœperunt epulari*] Rurſum eſt εὐφραίνεσθαι· de quibus ſuperius jam admonuimus.

25. *Symphoniam & chorum*] Συμφωνίας καὶ χορῶν *concentum & choros*, h. e. ſaltationes; id enim hoc loco ſignificat *choros*.

28. *Cœpit rogare illum*] Gr. Παρεκάλει αὐτὸν quod non ſolum ſign. *rogare*, ſed & *invitare* & *adhortari*.

29. *Cum amicis meis epularer*] Rurſus eſt εὐφρανθῶ. Item paulo poſt, *Epulari* εὐφρανθῆναι.

30. *Devoravit ſubſtantiam ſuam*] Græci magno conſenſu legunt *tuam*, ut ſit odioſius, ὁ κατεφαγών σε τὸν βίον. Atque ita legiſſe Ambroſium ex his illius verbis licet colligere, *Impius*, inquit, *qui accuſabat fratrem quod cum meretricibus paternam ſubſtantiam prodegiſſet*. Non enim dixit *ſuam ſubſtantiam*, ſed *paternam*.

VATABLUS.

1. *Et* * *publicani*] * *Omnes*.

3. *Et ait*] *Ait autem*.

6. *Congratulamini*] *Congaudete*: & infra.

7. *Erit*] Hebr. pro *eſſe ſolet*. ¶ *Quam*] *Magis quam*: vel, *& non*. Utrumque Græca vox ſignificat. ¶ *Pœnitentia*: Vel, *reſipiſcentia*.

8. *Everrit*] *Everrit*, Vet. ¶ *Invenerit* *] * *eam*, Vet.

10. *Erit*] Vel, *eſt*.

14. *Conſummaſſet*] *Diſſipaſſet*, Vet. vel, *expendiſſet*: aut *conſumpſiſſet*. ¶ *Et ipſe cœpit*] Heb. *pro ita ut cœperit*.

17. *Quanti*] *Quot*. ¶ *Mercenarii* *] * *in domo*, Vet.

18. *Peccavi in cœlum, & coram te*] i. Deum & te offendi.

19. *Jam*] *Poſthac*. ¶ *Sicut unum*, &c.] Vel, *parem alicui mercenariorum tuorum*.

20. *Eſſet*] *Abeſſet*.

21. *Dixitque*] *Dixit autem*. ¶ * *Jam*] * *Et*.

22. *Cito proferte ſtolam* * *primam*] * *Illam*. ¶ *Calceamentum*] *Calceamenta*, Vet.

23. *Vitulum* * *ſaginatum*] * *Illum*. Et infra. ¶ *Occidite*] *Mactate*, *ſacrificate*. Et infra. ¶ *Et manducemus & epulemur*] *Et cum manducaverimus lætemur*.

24. *Epulari*] *Lætari*.

25. *Chorum*] *Choros*.

26. *De ſervis* *] * *Suis*.

28. *Indignatus*] *Irans*. ¶ *Cœpit rogare*] *Rogabat*: *adhortabatur*.

30. *Devoravit*] *Concoxit*, *turpiter prodegit*. ¶ *Suam*] *tuam*.

32. *Perierat*] *Perieratque*.

CASTALIO.

22. *Proferte primarem ſtolam*] Τὴν στολὴν τὴν πρώτην. Articulus oſtendit eum non de quavis ſtola loqui, ſed de certa: ut paulo poſt τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν de certo vitulo loquitur. Sed articuli vis illa Latine exprimi non poteſt, & tamen intelligitur: ut cum dicimus, *Ait Poeta*, Φησὶν ὁ ποιητής, non de quovis loquimur, ſed de certo & celeberrimo, ſcilicet Marone: & tamen non neceſſe eſt dicere, *Ait ille poeta*: nam id minus eſſet, & de alio poſſet intelligi. Itidem cum dicebant *Urbem* antiqui, Romam dicebant, τὴν πόλιν, nec tamen addebant *illam*: nam id quiddam aliud eſſet. Sed quæ linguæ articulos habent, hoc melius exprimunt.

CLARIUS.

4. *Quis ex vobis homo*] Hac & ſequenti ſimilitudine docet non eſſe quod miremur ſi peccatores admittit, cum in quotidiana conſuetudine accidat ut id quod amiſerimus majorem nobis curam præbeat quam quod tenemus: In illa vero, Hominis duos filios habentis, addit tantam futuram Dei in peccatores, h. e. Gentes, miſericordiam, ut Judæi non ſolum murmuraturi verum in indignationem etiam ſint ſua invidia provocandi.

13. *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam*] Qui enim ſibi ipſi fidit, paulo poſt interit. Quod vero *poſt diſſipatam ſubſtantiam* ait, *fame orta*, *illum adhæſiſſe uni è civibus regionis illius*, ſignificat, & flagitioſiorem vitam factam, & eos qui in flagitia incumbunt, quo majores in ea progreſſus faciunt, eo minus implere animum, ut interdum ad ea quæ quivis abominetur ſeſe dimittant; quod eſt *optare ſaturari ſiliquis porcorum*.

17.

17. *Mercenarii*] *Mercenarii Patris noſtri* ſunt, qui non omnino quidem digni ſunt hæreditate, ut qui nunquam ad illum Filiorum affectum pervenerint; ſed tamen miſeretur eorum Deus. Alius fortaſſe malit intelligere eos qui ſola ſpe bonorum hujus vitæ à vitiis abſtinent, qui longe meliore conditione ſunt quam qui ſe præcipites dant in ſcelera.

18. *Peccavi in cælum*] Quod ſcilicet neglexi.

20. *Et accurrens cecidit ſuper collum ejus*] Solo filii aſpectu *commotus eſt*: neque ſatis fuit commoveri, niſi *accurreret* irruerετque in *oſcula*, oblitus perditæ ſubſtantiæ & cum meretricibus conſumptarum facultatum: neque ſervare potuit ſeveriorem vultum ad horam, idque antequam à filio quicquam audiret, tantum opinatus filium jam pœnituiſſe. Ut vero pœnitentiam filii audivit, proferri jubet *ſtolam*, eamque *primam*, totumque *veſtiri* ut filium, & *occidi vitulum ſaginatum* & ſelectum, & *lætitiam* ingentem declarari cum *ſymphonia & choris*. Cenſes ejuſmodi patrem in toto orbe omnium terrarum reperiri? Tu vero illud etiam cogita; Ubi quis ad Deum revertitur, & ſenſum ejus benignitatis aliquem percipit, hunc ad majora exſpectanda erigi quam antea cogitaſſet: nam hic poſt patris *oſculum* nullam jam de *mercenario* mentionem facit. Sed quid *frater* ille *ſenior*? Nam gloriabantur Judæi ob vetuſtatem cultus; & præ hac dignitate judicabant cæteros ne dignos quidem eſſe qui à Deo reciperentur, nedum ut ſtola prima & ſaginati illius vituli convivio honeſtarentur. Hujus mores pulchre in Actis Apoſtolorum effictos invenies in Judæorum excandeſcentia adverſus eos qui crediderant. At benignus pater & hunc demulcet, reddita etiam ratione cur ita facto opus eſſet; ut intelligatur nihil Deum prætermiſiſſe quod ad Judæorum quoque, quamvis pertinacium & invidorum etiam, ſalutem pertineret. Quod vero ille ſenior frater queritur *occiſum illum vitulum ſaginatum* pro eo qui ita perdite vixerat, notatur quæ futura erat indignatio vel etiam admiratio Judæorum cum viderent in Gentibus prædicari Chriſtum, qui ſcilicet fieri poſſet ut is, qui à Judæis tantum vel certe inprimis exſpectabatur, à Gentibus cæteris, neglectis ipſis, reciperetur; cum ipſi toto cultus ſui tempore non ſolum æquale ſed ne longe quidem minus Dei erga ſe munus acceperint. Hanc indignationem ſedare ſæpe conabatur Paulus: ut cum ait, *Excæcatio ex parte accidit Iſraeli donec plenitudo Gentium advenerit: & ſic totus Iſrael ſalvus erit*: & rurſum, *Sicut enim & vos olim increduli fuiſtis Deo, nunc autem miſericordiam eſtis conſecuti per illorum incredulitatem, ſic & iſti nunc increduli facti ſunt ex eo quod vos miſericordiam eſtis adepti, ut & ipſi miſericordiam conſequantur*. Sed quid demum pater? *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt*. Quod immolatus ille vitulus pro filio perdito ſolum videtur, non ita eſt: & tu hujus convivii eris particeps; neque quicquam ob hoc tibi deperiit: tantum ne indigneris neque invideas. Sic Paulus, *Numquid repulit Deus populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abrahæ, è tribu Benjamin.*

ZEGERUS.

7. QUam *ſuper nonaginta novem juſtis*] Pro *quam* Græcis eſt unica literula η, quæ ſi acuatur & cum tenui ſpiritu ſcribatur ſignificabit *quam*, ut ſit *magis quam de nonaginta juſtis*: ſi vero circumflectatur cum ſpiritu aſpero, ſignare poterit *quemadmodum*; id quod magis quadrare videtur propter præmiſſam particulam ὅτως· ut ſit, *Sic gaudium erit de uno peccatore reſipiſcente quemadmodum de nonaginta juſtis*, &c.

8. *Et everrit domum*] Σαροῖ, i. *verrit*. Atque hinc augurari licet Interpretem ipſum ſcripſiſſe *everrit*. Nam & B. Gregorius hom. in Euang. 34. indicat in quibuſdam *emundat* ſcriptum fuiſſe, quomodo habet B. Ambroſius in opere epiſt. 1. Atqui *everrit* ſcriptum deprehenditur apud Gregorio antiquiorem Petrum Chryſologum.

14. *Poſtquam omnia conſumpſiſſet*] Vetuſti codices fere habent *conſummaſſet*. Beda legit *diſſipaſſet*: & ita caſtigat Henricus Grævius. Mihi magis probatur *conſumpſiſſet*, quod ita ſcribatur à Petro Chryſologo autore antiquiſſimo. Gr. δαπανήσαντος, à δαπανάω *conſumo*.

17. *Quanti mercenarii* in domo *patris mei*] Nolim autor eſſe truncandæ in Eccleſiaſtico cultu lectionis, tamen ſciri optarim *in domo* non legi à veteribus, Ambroſio, Eucherio in Gen. 28. Petro Chryſologo Serm. 5. & Beda; ſed nec haberi in exemplaribus vel Græcis vel Latinis antiquis. Apud Auguſtinum libro Quæſt. Euang. invenitur: ſed per ſcribas id factum puto.

22. *Stolam primam*] *Stola* veſtimenti genus eſt uſque ad imos pedes demiſſi.

LUC. BRUGENSIS.

4. QUis *ex vobis homo qui habet centum oves? & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto*, &c. & v. 8. *Aut qua mulier habens drachmas decem? & ſi* [& o.] *perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam*, &c.] Si pro *nonne* legeretur *non*, unica interrogatione, id quod tam Græca quam Syra permittunt, clarior commodiorque eſſet noſtræ verſionis textus; maxime poſteriori loco, quo non præmittitur & conjunctio, quanquam Græcis ea priori loco nihil obſit. Porro, invenimus nunc *non* priori loco, in textu Iohannis Gagnæi ſcholiis an. 1552. adjuncto. poſteriori, in MS. exemplari M. N. Hunnæi A notato. Cæterum agnoſci hic poteſt Hebræorum loquendi modus, conciſus, nativus, incomptuſque; qualis ille de quo ſuperius, cap. 11. v. 11. *Quis ex vobis patrem petit panem? numquid lapidem dabit illi?*

H. STEPHANUS.

7. ΕΠΙ' ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι] *Super uno peccatore reſipiſcente.* ¶ Οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας] *Quibus non opus eſt reſipiſcentia.*

8. Ζητεῖ ἐπιμελῶς] *Quærit diligenter.*

9. Ἣν ἀπώλεσα] *Quam amiſeram.*

12. Τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας] *Partem bonorum quæ ad me pertinet.* ¶ Τὸν βίον] *Facultates.*

13. Διεσκόρπισε τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, ζῶν ἀσώτως] *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſe.*

14. Ἠρξατο ὑστερεῖσθαι] *Deſtitui rebus ad vitam neceſſariis.*

16. Τῶν κερατίων] *Siliquis.*

17. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθών] *Ad ſe autem cum rediiſſet.* Id eſt, Cum revocaſſet in mentem unde excidiſſet. ¶ Μίσθιοι] *Mercenarii.*

22. Τὴν στολὴν τὴν πρώτην] *Stolam primam.* Id eſt, quam invenietis primam: vel, *Stolam illam præcipuam.*

23. Τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν] *Vitulum illum altilem*: vel, *ſaginatum.* ¶ Εὐφρανθῶμεν] *Lætitia fruamur*: vel, *exhilaremur nos.*

25. Συμφωνίας καὶ χορῶν] *Symphoniam & choreas.*

29. Ἔριφον] Ne *hædum* quidem.

30. Σου τὸν βίον] *Tuas facultates.*

DRUSIUS.

7. SUper *uno peccatore reſipiſcente*, &c.] Dicunt Doctores, *In loco ubi ſtant qui pœnitentiam egerunt, juſti non poſſunt ſtare. Siquidem dignitas pœnitentium major eſt quam eorum qui perfecte juſti ſunt. Nam illi guſtarunt peccatum, hi maxima. Si guſtaſſent, quis ſcit an unquam reſipuiſſent?* R. D. Jeſ. 57. 19. *Hoc in loco pœnitens Remotus dicitur; & juſtus, Propinquus; juxta veteres. Remotus autem præponitur: unde dicunt, Potiores ſunt pœnitentes iis qui perfecte juſti ſunt.*

8. *Drachmam unam*] זוז א. Nam א *drachma*, quarta pars ſicli. 1 Sam. 9. 8. ubi ירע in fonte. Tharg. habet זוזא חד *drachma una.* Siclus enim tetradrachmus erat. De ſacro loquor, quia communis & vulgaris tantum erat didrachmus. Matth. 17. 24. *ſolvit* δίδραχμα, Syrus זוזין תרין *duas drachmas.* ¶ *Accendit lucernam*] Autor More Moſes Ægyptius, fol. 5. in præfat. *Doctores noſtri dicunt, Si quis amiſerit ſiclum aut margaritam intra domum ſuam, dum accendit lucernam q. aſſaris* unius *invenit margaritam.* Vide locum: habetur autem in textu Maimonidis, ubi de uſu Parabolarum. ¶ *Everrit*] Libri vulg. *evertit.* Simile mendum Jeſ. 28. 17. *& ſubvertit grando.* Nam legendum *ſubverrit.* Sane in Hebræo eſt סחף, quod *verrere* ſignificat: unde מסחה *ſcopæ*, quibus verrimus.

16. *Siliquis*, ἀπὸ τῶν κερατίων] Hebraice חרובים. Nam חרוב *ſiliqua*, qui victus eſt pecudum potius quam hominum. Unde Horatius extremam frugalitatem hoc vocabulo expreſſit, inquiens,

- - - *vivunt ſiliquis & pane ſecundo.*

Sunt autem *ſiliquæ* leguminum opercula vel integumenta, quæ proprie ab incurvatione levi κεράτια Græcis dicuntur. Plinius ait pabulum eſſe pecori gratiſſimum. Nam l. 18. de fabis loquens, *Siliquæ*, inquit, *caulesque gratiſſimi ſunt pabulo pecori.* Theophylactus κεράτια de fructu arboris ſiliquæ interpre-

fatur, quem ξυλόγλυκα autèr Gloſſarii nominat, quia dulcis eſt, ut etiam Plinius ſcribit l. 15. c. 24. Hæc arbor in libris Arabum *Charnub* dicitur, inſerta Nun, ut חרנוב, à חרב. David Pomarius חרוב *ſiliqua, vel faba Græca, quæ vernacule dicitur* קרובי *Charobe.* Vernaculam vocat linguam לעז Italicam. Nam Italus fuit. Abenezra Jeſ. 65. 22. *Sicut dies arboris, quæ durat annos multos, ut* חרוב *ſiliqua.* Hic eſt nomen arboris. Quanquam nulli *quercum* interpretantur. R. D. in lib. Rad. *Sunt qui* נבטרי *exponant, dicentes eſſe fructum ſiliquæ.* Siliqua arbor eſt in Syria naſcens, quam Iones *Ceraniam* appellant, omnino diverſa à ſiliqua Græca, de qua videro Plinium l. 13. c. 8. R. Jona ſcribit חרוב ſimilem eſſe fabæ Ægyptiæ. Sunt etiam qui חרוב Græce interpretantur κεράτια, unde Gallicum vocabulum *Carrubes.* De ſiliqua Strabo, *Multum hæc cognata Niceæ & maris Liguſtici accolis, ubi eam eſitant pueri, etiamque porci.* Pro חרוב Moſes Ægyptius ſcribit כרוב κερατίον *ſiliqua.* Arabes ſcribunt חרוב cum punctо ſupra Heth. Nam Heth punctatum & Chaph Raphe Hebræorum poteſtatem habent unam eandemque. Arabes etiam חרוב dicunt. Tantum de ſiliquis.

18. *Peccavi in cœlum*] i. in Deum. Nam שמים unum eſſe ex nominibus Dei ſciunt omnes qui eam linguam callent. Sic ἑλληνιστὶ in lingua Helleniſta, qua uſi ſunt olim Judæi plerique omnes cum Græce ſcriberent. Paucos excipio, in queis Joſephus & Philo. Vide quæ ſcripſimus ad locum de Baptiſmo Johannis, ubi Scribæ interrogantur *ſitne è cœlo an ab hominibus.* Nam etiam autores Latini *cœlum* accipiunt pro *cœlicolis*, ut in illo Poetæ veteris, *Cœlo gratiſſimus amnis*, apud Diomedem Grammaticum.

23. *Epulemur*] Vulg interpres & alibi, & in hoc capite ter, uſus fuit iſto verbo ad declarandum Græcum εὐφραίνεσθαι, quod alii reddunt *exhilarari, oblectari, gaudere.* Id Hebræi שמח dicunt, unde שמחה *gaudium, epulum, nuptiæ.* Sane dies nuptiarum vocantur *dies gaudii*; & *gaudere* dicitur, qui convivium aut epulas celebrat. Notum hoc doctis. Lex. Græco-Lat. vetus, Εὐφραίνω, *lætificо, epulor.* Εὐφραίνομαι, *lator.* Εὐφροσύνη, *epulatio.*

24. *Mortuus erat, & revixit*] Perditus erat, nunc rediit ad ſaniorem mentem. Homines enim improbi *mortui* vocantur; & revera mortui ſunt in peccatis ſuis, etiam Deo mortui ſunt. Vivit enim vere qui vivit Deo. Unde peccatores *mortui* dicuntur, in illo, *Sepeliant mortui mortuos ſuos.* Sic Hebræi dictitant, *Improbi dum vivunt mortui ſunt.* Filius ergo iſte perditus *mortuus* erat; ubi reſipuit & ad ſe rediit, *revixit.* Ea mens hujus loci. Mortuus erat in peccatis, à quibus qui reſipiſcit & in viam redit, *reviviſcere* dicitur. Unde juſti *vivere* dicuntur *etiam in morte:* Vivit enim anima eorum. Similiter qui in morbo cubat, ubi convaluit, *vivere* dicitur, vel potius *revixiſſe*, juxta illud,

Non eſt vivere, ſed valere, vita.

qua de re alias. ¶ *Cœperunt epulari*] Epulati ſunt. Sic alibi, *cœpit ejicere vendentes & ementes.* Locutio paſſim obvia in his libris. Vide quæ notavimus Act. 1. 1. ad, *Quæ cœpit Jeſus facere & docere.* Infra v. 28. *cœpit rogare illum*, ubi cod. Græci, παρεκάλει αὐτόν, *hortatus eſt eum.*

30. *Subſtantiam ſuam*] Τὸν αὐτῆ βίον, vel τὸν αὐτῆ βίον. Nam diximus βίον aliquando βίον ſignificare, non tantum victum, ſed omnes facultates quibus alimur & ſuſtentamur. Fortean interpres ita legit: aut initio ſcripſit *ſuam*, quod poſt librarii mutarunt in *ſuam.* Nam in Græcis omnibus σὸν τὸν βίον *tuas facultates*, & in Syro ܢܟܣ *poſſeſſionem tuam: tuam*, inquam, non *ſuam.* Nam diſſipaverat facultates patris quas ei dederat: expende.

CASAUBONUS.

4. ΕΩΣ ἔρχῃ αὐτό;] Malim eos codices ſequi in quibus nota interrogationis rejicitur in finem hujus ſententiæ, ut in editione Theophylacti Romana: Prorſus enim meo judicio, male frangitur ſententia, quæ una eſt. Sane ſi hæc ſunt ſeparatim cum interrogatione legenda, καὶ ἐρωὰν ἐπιτίθησιν ἐκὶ τὰς ἄμας ἑαυτῆ χαίρων; poſtulare negationem ſenſus videntur: quod acutus lector facile intelligit.

13. Καὶ ἐκεῖ διεσκόρπισε τὸν βίον αὐτῆ ζῶν ἀσώτως] Proprie admodum voce ἀσώτως utitur. Nam ἄσωτος dicitur ὁ μὴ σώζων ſed διαφθείρων τὸν αὐτῆ βίον. Sic fere tradit Philoſophus initio libri quarti Nicomacheorum, Βέλτιστα γάρ, inquit, ἄσωτος εἶναι ὁ ἐν τῇ κακῷ ἔχων, τὸ διαφθείρειν τὸν βίον· ἄσωτος γὰρ ὁ διὰ τοῦτο ἀπολλύμενος· δοκεῖ δὲ διαφθορὰ τοῦ αὐτῆ εἶναι, οἷον ἡ τῆς βίου φθορά, ὡς τοῦ ζῆν διὰ τούτων ὄντος. Atque hic eſt qui proprie *aſotus* dicitur. Verumtamen, inquit Philoſophus, τὰς ἀχρείους καὶ εἰς ἀχολασίαν δαπανηρὰς, ἀσώτους καλοῦμεν. Itaque non male quoque vetus interpres, qui ἀσώτως *luxuriоſe* vertit; quomodo etiam Syrus.

16. Καὶ ἐπεθύμει γεμίσαι τὴν κοιλίαν αὐτῆ ἀπὸ τῶν κερατίων] Non novum veſci ſiliquis. Horatius,

- - - *Vivit ſiliquis & pane ſecundo.*

23. Καὶ ἐνέγκαντες τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν] Veteres Græci inter cibos πολυτελεςάτους referunt τοὺς σιτευτοὺς μόσχους. ¶ Εὐφραίνεσθαι autem Vetus interpres vertit *epulari.* Sic & auctor Gloſſarii. Sane lautiores & hilariores epulas notat hæc vox & in hoc capite, & infra 16. 19. ubi etiam *epulari* vertit Vetus. Syrus hic paraphraſi uſus eſt, *Et comedemus & exſultabimus.*

32. Εὐφρανθῆναι δὲ καὶ χαρῆναι ἔδει] Non puto ſubaudiendam eſſe vocem *εἰ* poſt *ἔδει*: ſed abſolute potius dicit id fuiſſe faciendum. Aut ἡμᾶς certe ſubaudiendum duxerim; quod etiam Syrus interpres expreſſit.

GUALTPERIUS.

22. Ἐξενέγκατε τὴν ςολὴν τὴν πρώτην, *Promite ſtolam illam præcipuam*] Στολὴ, *ſtola, amictus, veſtimentum, indumentum*, à ςέλλω *amicio.* Hic ſpeciatim accipitur pro genere promiſſi veſtimenti: id quod olim Medis proprium fuiſſe dicitur. Vide Xenophontem & Plutarchum. Syrus habet ܣܛܠܐ *Eſtela* ſupra Marc. 12. 38.

LUD. CAPPELLUS.

7. Ὅτω χαρὰ ἔσται ἐν τῷ ὐρανῷ, &c.] Idem habet R. Jona in Arcano pœnitentiæ, *Magiſtri noſtri*, inquit, *Sapientes veteres commendarunt admodum pœnitentiam, dixerunique, Reſipiſcito ſaltem diem unum ante mortem: rurſuſque dixerunt*, גדולה מעלתם של בעלי תשובה בפירוש מעלתם של גמורים *Major eſt dignitas pœnitentium quam perfecte juſtorum. Et hoc eſt quod dixerunt, In loco ubi ſtant pœnitentes, in eo non ſtant perfecte juſti:* h. e. (uti videtur) *loco digniori collocantur in beata vita*, vel, *majore ſunt in exiſtimatione apud Deum, pœnitentes quam juſti.*

GROTIUS.

1. Ἦσαν δὲ ἐγγίζοντες, *erant autem appropinquantes*] *Actum continuum & quotidianum* genus hoc loquendi ſignificat. ut ſupra IV. 31. & alibi monuimus.

2. Ὅτι ὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται, καὶ συνεσθίει αὐτοῖς. *quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*] De iniquitate hujus querelæ diximus ad Matthæum IX. 12. Judæi omnes Dei proprietates, omnes affectus, omnia conſilia ex ſolo fœdere Sinaitico metiebantur. Quare cum id fœdus non niſi minoribus delictis expiationem concederet, ipſi quoque omnibus contra Legem delinquentibus, extra culpas illas minores, implacabiliter irаſcebantur: neque ullum dabant pœnitentiæ locum, qui error alios ſecum traxit. Nam cum de Davide atque aliis gravia quædam delicta in ſacris libris narrentur, illi eadem quæſitis coloribus elevare maluerunt quam cum magnitudine facinoris magnitudinem veniæ agnoſcere. Ita Davidis concubitum cum Berſabea negant adulterium fuiſſe, quia ſcilicet in militiam ſecedentes uxoribus relinquere ſolebant divertendi libertatem: nec quod in Uriam patravit homicidium, quia Regibus jus ſit utendi civibus adverſum hoſtem quantovis vitæ ipſorum periculo. Dubium non eſt quin iſtis commentis aſſueti, ſuis ipſi peccatis facile obducerent tectorium. At quanto fuerat ſatius, fateri quod verum eſt, multa extra fœdus illud & in animis noſtris & in Vatum ſcriptis teſtimonia exſtare Divinæ bonitatis neutiquam circumſcriptæ eo fœdere, quod pro temporum atque hominum ratione conceptum fuerat? Quod ſi Deus eo eſt animo, ut quamvis gravium criminum reos ſeria pœnitentia ductos libenter recipiat in gratiam, ſatis apertum eſt noſtri etiam eſſe officii Divinam hac in parte clementiam imitari, ac proinde non adverſari eos qui poſt gravia flagitia ſpem faciunt emendationis, quales erant publicani illi atque alii vitæ minus probatæ homines; qui niſi deſiderio tenerentur virtutis, neutiquam ad omnis virtutis Magiſtrum tanto ſtudio convenirent, cum vocarent ad ſe, ejus verbis præſtarent audientiam. Chriſtus Deihac in re miſericordem affectum non ex veterum literis, quod poterat, ſed, quod erat popularius, argumentis ex quotidiana hominum experientia petitis confirmat, ſuumque factum defendit ejus exemplo quem imi-

tari

tari ſumma perfectio eſt. Quæ autem tunc fuit Judæorum duritas adverſus populares ſuos qui à Legis orbita receſſerant, eadem fuit poſt Chriſtum exemtum rebus mortalibus eorundem inhumanitas adverſus populos exteros, ut qui ad falſorum Deorum cultus aliaque ſcelera prolapſi, ipſorum judicio nullam deberent Dei indulgentiam ſentire. Itaque ſicut hic queruntur, Οτι ὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται, καὶ συνεσθίει αὐτοῖς [*quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*]. Ita Act. XI. 3. Petro dicam hanc ſcribunt, Οτι πρὸς ἄνδρας ἀκροβυστίαν ἔχοντας εἰσῆλθες, καὶ συνέφαγες αὐτοῖς [*quare intrasti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis*]. Res plane ſimilis. Nam ipſi ἔθνικὸς [*gentiles*] nominare ſolebant ſimul cum publicanis & Judæis ἁμαρτωλοῖς [*peccatoribus*], ut multis horum Scriptorum locis videre eſt. Chriſtus illud videns, & hoc prævidens, præſenti calumniæ ita reſpondet ut ſimul futuram diluat. Quare non videntur mihi erraſſe veteres qui in ſequentibus tribus comparationibus explicandis utramque interpretationem conjungunt.

4. Τίς ἄνθρωπος ἐξ ὑμῶν ἔχων ἑκατὸν πρόβατα, *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves*] Eſt eadem fabella Matth. XVIII, ſed ſine paulo diverſo propoſita. Ibi ne in curſu ad pietatem offendamus eos quos Deus tantopere vult ſervatos, hicne eos crudeliter averſemur quorum Deus miſeretur. Subaudiri autem debet poſt ἄνθρωπος [*homo*] verbum ἐστὶ [*eſt*], ut & infra poſt illud γυνὴ [*mulier*] commate 8. Nam quod hic eſt οὐ [*non*], ibi eſt οὐχί, quod vertendum eſt per *nonne*. τίς ἐστι [*quis eſt*], id eſt, *ai τίς ἐστι* [*ecquis eſt*], ut aliquoties diximus.

7. Η ἐπὶ ἐνενηκονταεννέα δικαίοις, *quam ſuper nonaginta novem juſtis*] Particula μᾶλλον [*magis*] quæ more Græco hic in comparationis explicatione ſubticetur, in ipſa comparatione exprimitur à Matthæo. Dicitur autem majus gaudium fore, ἀνθρωποπαθῶς [*more humano*], quia inſperata aut prope deſperata magis nos afficiunt. Euripides,

Ex τῶν ἐέλπτων ἡ χάρις μείζων βροτοῖς
Φανεῖσα μᾶλλον ἢ τὸ προσδεκώμενον.

[*Plerumque nec ſperata delectant magis*
Quam quæ ſibi antecepit expectatio.]

Accedit, quod, ut Hebræorum Magiſtri non male notant, virtus quo difficilior hoc pulchrior.

Latius eſt quoties magno ſibi conſtat honeſtum.

At multo difficilius eſt abrumpere vitiorum conſuetudinem, quam probabili vitæ generi inſiſtere non offenſo gradu. Multis enim pro virtute eſt vitiorum ignorantia. Sed & illud addi poteſt quod ſupra didicimus cap. IX. *plerumque fieri ut flagrantiores ſint in relicti ſtudio, quos antecellæ vitæ dolor ſtimulat.* πάνυ γὰρ ἡ μεταμέλεια, ut Plutarchus docet, σώτειρα δαίμων [*eſt enim plane ſervatrix dea pœnitentia*]. Eſtque dictum huic ſimile in Gemara de Synedrio cap. XVI. *Quo loco conſiſtent pœnitentiam agentes ibi juſti non poterunt ſtare. Pacem pacem remoto & propinquo, ait Dominus, ut ſanem eum. Præponit remotum. Quis remotus? qui longe abſunt à Deo.* Ad quem locum Interpres, *Magna eſt virtus eorum qui pœnitentiam agunt, ita ut nulla creatura in ſepto illorum conſiſtere queat.* Sicut autem hic gaudium cœleſte prædicatur ſuper converſo peccatore, ita contra ob peccatum Hebræi *flentes Angelos* inducunt Hebræorum Magiſtri. ¶ Οιτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας. *qui non indigent pœnitentia*] Id eſt, *quibus non eſt opus de toto vita genere migrare*, ut expoſuimus Matthæi IX. 12. Opponit autem Chriſtus nonaginta juſtos uni peccatori, non quod ita ſe res habeat: pauciſſimi enim ad normam vivunt, ſed quod etiamſi ita ſe res haberet, vel unius illius cauſa labor magnus fuerit ſuſcipiendus. Quanto magis cum corruptiſſimo ſæculo tantus eſſet peccatorum numerus, tanta juſtorum paucitas.

10. Ενώπιον τῶν ἀγγέλων, *coram angelis*] Sic ἔμπροσθεν τῶν ἀγγέλων [*coram angelis*], ſupra XII. 8. deſcriptio aulæ cœleſtis.

12. Ο νεώτερος αὐτῶν, *adoleſcentior ex illis*] Appoſite in juniore ponitur exemplum depravati ingenii: nimirum ut Theognis cecinit,

Ηβη καὶ νεότης ἐπιτίθεται νόον ἀνδρὸς,
Πολλῶν δ' ἔμπης θυμὸν ἐς ἀμπλακίην.

[*Ætas prima ferox ſubducit pondera menti,*
Multorumque animos crimina multa docet.]

Sed & Homerus dixerat:

Αιεὶ δ' ἠλιτόμην ἀνδρῶν Φρένας ἠερέουτες·
[*Quippe levis ſemper juvenis in pectore mens eſt.*]

Non abit hinc Philonis illud: Θεὸς τὸ μετανοεῖν ἀδελφὸν νεώτερον τῇ μηδόλως ἁμαρτάνειν ἀκοδέχεται [*pœnitentiam velut juniorem immaculatæ innocentiæ ſororem amplectitur Deus*]. ¶ Δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας. *da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit*] Ita Demoſthenes dixit, τὸ ἐπιβάλλον ἐφ' ὑμᾶς μέρος [*pars quæ nos contingit*]: Et Ariſtoteles, καθ' ὅσον ἐπιβάλλει μέρος [*quantum res poſtulat*]. Ariſtides de concordia ad Rhodios, τὸ ἐπιβάλλον ἐφ' ὑμᾶς μέρος [*pars quæ vos contingit*]. Cicero, *quod me contingit*. Juriſconſulti, *Rataam meam partem.* Uſurpari ſolet in iis locis in quibus vigent mercimonia & artes quæſtuoſæ, ut filiis cum venerint ad plenam pubertatem, ſi id depoſcant, parentes aſſignent aliquam patrimonii ſui partem, ex qua filii quæſtum faciant, quæ pars poſt parentum mortem in hæreditatem imputatur. Similem morem ſi non apud Judæos, certe apud Judæorum vicinos Syrophœnicas viguiſſe Chriſti temporibus credibile eſt, cum ſoleat à rebus utitatis exempla & comparationes ducere. Reſpondere autem in re ſignificata puto huic parti de patrimonio, non ſolum τὸ αὐτεξούσιον [*libertatem voluntatis humanæ*], ut veterum plerique ἐπιμυθεύονται [*explicant*], ſed *omnia Dei bona*, tum *communia*, ut cœlum, ſidera, terram, mare, & quæ in his gignuntur, tum populorum aut hominum *peculiaria*, valetudinem bonam, pulchritudinem, robur, ingenii præſtantiam, nobilitatem, divitias, & ſi quid his eſt ſimile; quibus omnibus pars hominum major flagitioſe abutitur. ¶ Διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον. *& diviſit illis ſubſtantiam*] Ratione inita partitionem fecit patrimonii. Nam alioqui major filius partem ſuam non ſeparans manſit in familia paterna de paterno vivens, ut infra commate 31 videre eſt.

13. Απεδήμησεν εἰς χώραν μακράν· *peregre profectus eſt in regionem longinquam*] Apte ad rem ſignificatam: nam μακρύνειν ἀπὸ τῆς Θεοῦ ἑαυτὸς [*longe à Deo ſummovere ſeipſos*] dicuntur *qui reverentiam Dei exuunt.* Pſal. LXXIII. 27. ¶ Διεσκόρπισε, *diſſipavit*] *Dilapidavit.* Ita enim Latini loquuntur: Terentius,

Priuſquam dilapidet noſtras viginti minas.

Cicero, *dilapidabat publicam pecuniam.* Reſpondet Hebræo שד [*diſperſit*]. ¶ Ζῶν ἀσώτως. *vivendo luxurioſe*] ζῶν *Vivens nequiter.* Nam ἄσωτον Gellius Latine *nequam* interpretatur, ſatis proprie, ni fallor. Quippe & Cicero Tuſculanarum tertio *nequitiam* dixit *contrarium vitium frugalitati*, ortamque putat inde vocem, quod qui tales ſint in iis nequicquam ſit, unde & nihili homines dicuntur: & interdictum Prætoris ita erat conceptum, *Quando tu bona tua patria avitaque nequitia tua diſſipabis.* Sed & *perdite vivere* Latinis eundem ſenſum habere videtur, neque male reſpondere Græco ἀσώτως [*luxurioſe*].

14. Δαπανήσαντος δὲ αὐτοῦ τὰ πάντα, *& poſtquam omnia conſumaſſet*] Sic δαπανᾶν τὴν οὐσίαν [*dilapidare ſua bona*] etiam Demoſthenes dixit. ¶ Λιμὸς ἰσχυρὸς, *fames valida*] Quæ hic dicuntur de fame, de domino, porcis, ſiliquis, omnia ni fallor eo pertinent ut nobis deſcribant miſeriam eorum qui vitiis ſerviunt. Seneca: *Multo difficilius eſt facere iſta quæ facitis. Quid enim quæte otioſius eſt animi, quid ira laborioſius? quid clementia remiſſius? quid crudelitate negotioſius? vacat pudicitia, libido occupatiſſima eſt: omnium denique virtutum tutela facilior eſt, vitia magno coluntur.* Præclarum illud Muſonii, *abire voluptatem, manere turpitudinem*, cum in rectè factis *abeat labor, maneat honeſtas.*

15. Εκολλήθη ἑνὶ τολιτῶν, *adhæſit uni civium*] *Ad civem quendam ſe applicuit.* Ita enim Cicero, Livius, atque alii loquuntur.

16. Από τῶν κερατίων, *de ſiliquis*] חרוב Syrus & Arabs. Unde apparet utrique intellectum locum non de leguminum teguminibus, ſed de fructu earum arborum quæ propriè ſiliquiferæ dicuntur, quia earum fructus in ſiliqua eſt. Eum enim fructum Orientis populi חרוב vocant, unde Achuarius fecit καρούβια [*Carrubia*]. Neque aliter nunc Galli, Hiſpani & Itali appellant, nec aliter hic cepit Theophylactus: & Plinio notatum ſiliquam in Syria plurimam nalci, quod de ſilvatica accipi video. Idem Plinius de caſtaneis agit: *Cætera ſuum pabulo gignuntur, ſcrupuloſa corticis intra nucleos quoque ruminatione. Haud procul abeſſe videantur & pradulces ſiliquæ, niſi quod in iis cortex ipſe mordetur.*

17. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν, *In ſe autem reverſus*] *Ad ſe redire* etiam Latinis dicitur *qui ad bonam mentem redit.*

18. Εφῶ αὐτῷ, Πάτερ, ἥμαρτον, *dicam ei, Pater, peccavi*] Non in ætatem, non in malos conſultores culpam reji-

cit,

cit, ſed nudam parat ſine excuſatione confeſſionem. Salvianus bene, *Quicunque ſibi ſe excuſat, accuſat Deo. Nam qui ſe exiſtimat eſſe aliquid cum nihil ſit, ſe ipſum ſeducit. Nemini itaque facilis ſua cauſa ſit. Nullus difficilius evadit quam qui ſe evaſurum eſſe præſumſerit.* Tertullianus, *In quantum non peperceris tibi, intantum tibi Deus, crede, parcet.* Ambroſius, *Allevat penitus errores qui ipſe ſe onerat.* Seneca, *Accuſatoris primum partibus fungere, deinde judicis, noviſſime deprecatoris.* ¶ Εἰς τὸν οὐρανόν, *in cœlum*] Notant hic eruditi *cœlum* pro *Deo* dici. Quod verum puto, non ἀντονομαστικῶς [*per antonomaſiam*], ſed συνεκδοχικῶς [*per ſynecdochen*], ut cœlum ſignificet eam poteſtatem quæ in cœlo maxime relucet שמים [*Poteſtatem cœleſtem*], ut Daniel loquitur IV. 23. 1 Macc. III. 18. οὐκ ἔστι διαφορὰ ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ σώζειν ἐν πολλοῖς ἢ ἐν ὀλίγοις [*non eſt differentia in conſpectu Dei liberare in multis vel in paucis*]. Hic ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ eſt לפני יהוה [*in conſpectu Domini*]. fine capitis, ὡς δ' ἂν ἡ θέλημα ἐν οὐρανῷ, οὕτω ποιήσει [*ſicut autem fuerit voluntas in cœlo ſic fiat*]. Matth. XXI. 25. Τὸ βάπτισμα Ἰωάννου πόθεν ἦν; ἐξ οὐρανοῦ, ἢ ἐξ ἀνθρώπων; [*Baptiſmus Johannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus?*]

19. Οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου· *jam non ſum dignus vocari filius tuus*] Homines omnes ortu Dei ſunt filii ut hæc fabula declarat, ſed eo jure excidunt ſemet à Deo alienando. ¶ Ποίησόν με ὡς, *fac me ſicut*] Ποιεῖν [*facere*] non tantum cum dativo ſed & cum accuſativo ſignificat *tractare*, Matth. V. 44. Καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας [*benefacite his qui oderunt vos*]. Matth. XXVII. 22. τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον Χριστόν; [*quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus?*] Roman. IX. 20. τί με ἐποίησας οὕτως; [*quid me feciſti ſic?*]

20. Κατεφίλησεν αὐτὸν· *oſculatus eſt eum*] Inter omnes Chriſti parabolas hæc ſane eximia eſt, plena affectuum, & pulcherrimis picta coloribus. Videtur autem præter ſimilitudinem rei totius, etiam partibus quibuſdam inſſe τὸ ἀλληγορούμενον [*allegoria*]. Nam oſculum haud dubie ſignum reconciliationis. Itaque hic declaratur ſumma Dei bonitas qui ſeria pœnitudine ductis peccata remittit ex intimo motu miſericordiæ ſuæ.

21. Πάτερ, ἥμαρτον, *Pater, peccavi*] Etiam poſt annuntiatam homini remiſſionem expedit illi culpam ſuam agnoſcere. Quam in rem memoratu non indignum eſt illud Baſilii: μὴ γίνου κριτὴς ἄπονος ἑαυτῷ, μηδὲ πρὸς χάριν ἐξέταζε, εἰ μέν τι δοκεῖς ἔχειν καλόν, τοῦτο ἐν ψήφῳ τιθεὶς, τῶν δὲ πταισμάτων ἐκὼν ἐπιλανθανόμενος· μηδὲ ἐφ' οἷς μὲν σήμερον κατορθοῖς μεγαλυνόμενος, μηδὲ ἐφ' οἷς δὲ πρώην καὶ πάλαι κακῶς εἰργάσω συγχώρησιν ἑαυτῷ διδούς· ἀλλ' ὅταν σε τὸ παρὸν ἐπαίρῃ, τὸ παλαιὸν εἰς ἀνάμνησιν ἄγε, καὶ παύσῃ τῆς ἀναισθήτου φλεγμονῆς. [*Ne inæqualis eſto Judex tui, neque in te ſta inquire, ut gratiæ aliquid largiare; ac ſi quid boni habere videare, hoc numeres, ſi quid deliqueriſti, ejus vero ſciens volensque obliviſcare. Neque ſic age, ut cum te de eo quod hodie recte egeris efferas, quæ & nuper & dudum commiſiſti mala, condones tibi ac pro nihilo putes. Imo vero, ſi te effert id quod præſens eſt boni, fac præterita in memoriam revoces; quo refideat ſtolida illa arrogantia.*] Exemplum hujus modeſtiæ inſigne præbet Paulus 1 Cor. XV. 9. 1 Tim. I. 15. Salvianus: *Non eſt unquam omnino feciſſe facere ceſſaſſe.*

22. Τὴν στολὴν, *ſtolam*] Sicut non conquirendæ ſunt anxie αἱ ἀλληγορίαι [*allegoriæ*] in partibus comparationum, ita hic non negligendæ videntur cum eas aliorum locorum comparatio ſuggerat. Videtur ergo στολὴ [*ſtola*] ſignificare continuam vitæ innocentiam quam Deo dante parit animus gratus ob acceptum tantæ indulgentiæ beneficium. Præit ad hanc explicanem Apoc. VI. 11. VII. 13, 14. addito ejuſdem libri loco XIX. 8. & Eſaiæ LII. 1. ¶ Τὴν πρώτην, *primam*] Aſſentior ad excellentiam, non ad tempus hanc vocem trahentibus, quomodo & Syrus accepit. Sic Rom. III. 2. & X. 19. & 1 Tim. I. 15. Item Matth. XXII. 38. Diximus aliquid & ſupra VI. 1. ¶ Δακτύλιον, *annulum*] Apud Romanos *ingenuitatis*, apud Orientis populos *dignitatis eximiæ ſignum* Geneſ. XLI. 42. aut etiam *opulentiæ* Jac. II. 2. Cum autem annuli uſus inter alia ſit ſignare, non male veteres reſpondere annulo putant donum Spiritus Sancti qui nos obſignat, ut loquitur Paulus II Cor. I. 22. ¶ Καὶ ὑποδήματα εἰς πόδας· *& calceamenta in pedes*] Explicari poteſt ex Epheſ. VI. 15. ὑποδησάμενοι τὰς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης [*calceati pedes in præparatione Euangelii pacis*]. Nimirum pœnitentibus in gratiam receptis etiam hoc Deus concedit, ut apti ſint aliis aut voce aut certe exemplo docendis. David in Pſalmo LI. cum oraſſet veniam & reſtitutionem Spiritus, pollicetur operam ſuam in docendis convertendiſque aliis peccatoribus.

23. Εὐφρανθῶμεν. *epulemur*] Supra diximus XII. 19. τροφὴν [*cibum*] & εὐφροσύνην [*lætitiam*] diſtingui videmus Actor. XIV. 17.

24. Νεκρὸς ἦν, *mortuus erat*] Vide ad Matth. VIII. 22. Vita corporis animus, vita animi Deus. Philo ἀλληγορικῶν [*allegoriarum*] primo, mortem animi definit ἀρετῆς φθορὰν, κακίας ἀνάληψιν [*virtutis amiſſionem aſſumtionemque vitiorum*], i.e. ut ipſe explicat, ὅταν ἡ ψυχὴ τὸν ἀρετῆς βίον θνήσκῃ, τὸν δὲ κακίας ζῇ [*cum virtutis moritur anima, vitio vivit*]. Alibi dicit τοὺς φαύλους ἄχρι γήρως ὑφέντας παρατείνοντας νεκροὺς εἶναι τὸν μετ' ἀρετῆς βίον ἀφῃρημένους [*malos etiam qui vitam in extremam ſenectutem protrahunt, mortuos cenſendos, quum ea vita qua eſt cum virtute conjuncta, careant*]. Item τὸ μὲν ἀγαθὸν καὶ ἡ ἀρετή, ἐστι ἡ ζωή· τὸ δὲ κακὸν καὶ ἡ κακία, θάνατος. [*bonum & virtus vita eſt. Malum vero & vitium mors eſt.*] Adde Apoc. III. 1. Eph. V. 14.

25. Ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν. *audivit ſymphoniam & chorum*] Syrus putavit eſſe ἓν διὰ δυοῖν [*rem unam duobus vocabulis expreſſam*], quia chori ſunt qui concinunt. χορὸς [*Chorus*] enim σύγκλημα παίδων ᾀδόντων [*cœtus canentium puerorum*] Ammonio. Alias χορείαν [*tripudium*] ſignificat, quomodo ſumit Arabs. Erat autem apud Orientis populos non inhoneſta ſaltatio, ut alibi notatum.

29. Παρῆλθον, *præterivi*] Παρέρχεσθαι [*præterire*] dixit quod frequentius dicitur παραβαίνειν [*transgredi*], ut in aureo carmine τὴν παρέβην; [*quo tranſgreſſus ſum?*]

30. Ὁ κατεφαγών σου τὸν βίον, *qui devoravit ſubſtantiam tuam*] Σοῦ [*tuam*], à Latino prætermiſſum, recte agnoſcunt Syrus & Arabs. Auget enim orationis invidiam, quod ille bona non à ſe quæſita ſed à Patre accepta abligurierat.

31. Σὺ πάντοτε μετ' ἐμοῦ εἶ, καὶ πάντα τὰ ἐμὰ σά ἐστιν, *Tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt*] Paulus Juriſconſultus: *In ſuis hæredibus evidentius apparet continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur hæreditas fuiſſe, quaſi olim hi domini eſſem qui etiam vivo patre quodammodo domini exiſtimantur, unde etiam filium familias appellatur ſicut pater familias.* Hinc illud in comœdiis, *herus minor.* Non ſignificat autem hæc comparatio, His qui pii ſemper fuerunt dolitarum quod pœnitentes recipiantur in gratiam: ſed illud potius, Nullam hinc dari juſte quærendi materiam. Præterea eſt συγχώρησις [*conceſſio*]. Neque enim Phariſæi & Legisperiti vixerant ad præſcriptum Divinæ Legis, ſed cum tales videri vellent, Chriſtus hoc velut illis largiens, oſtendit ne ſic quidem eſſe cur veniam invideant pœnitentibus, cum peream nihil ipſis decedat. Confer quod eſt Matth. XX. 12. & ſeqq. Tertullianus de Pudicitia poſtquam hujus loci meminerat: *Poſuit ergo illos* (Judæos) *in parabola, etſi non quales erant, ſed quales eſſe debuerant.*

PRICÆUS.

Com. 2. ΚΑΙ *συνεσθίει αὐτοῖς*] Pro ἐσθίει σὺν αὐτοῖς. Frequens Lucas hoc in genere loquendi præ cæteris Euangeliſtis. Hinc Actor. I. 4. συναυλιζόμενος αὐτοῖς. Actor. 10. 23. συνῆλθον αὐτῷ· Actor. 13. 31. τοῖς συναναβᾶσιν αὐτῷ· Actor. 26. 30. οἱ συγκαθήμενοι αὐτοῖς· ſupra hic I. 58. συνέχαιρον αὐτῇ· 7. 11. συνεπορεύοντο αὐτῷ· & 9. 32. τοὺς αὐτῷ συνεσῶτας.

Com. 4. Ἔχων ἑκατὸν πρόβατα] *Centum* heic pro numero mediocri, at indefinito: ut ſupra 8. 8. καρπὸν ἑκατονταπλασίονα· id eſt, valde uberem fructum. Didymus ad Odyſſ. τ'. de Homero, Ἐν Ἰλιάδι Ἑκατόμπολιν τὴν Κρήτην λέγει, οὐχ ὡρισμένως ἑκατὸν πόλεις ἔχουσαν, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ πολλάς. Virgilius,

Templa Jovi centum, &c. - - -

Ubi Servius, *Finitus numerus pro infinito.* Idem 7.

Centum lanigeras mactabat rite bidentes.

Servius, *Aut pro qualitate fortunæ*, &c. *aut finitum pro infinito poſuit.*

Ibid. Καταλείπει τὰ ἐνενήκοντα ἐννέα ἐν τῇ ἐρήμῳ] Ita, *oves in deſerto relinquere*, 1 Reg. 17. 28.

Ibid. Καὶ πορεύεται ἐπὶ τὸ ἀπολωλός] Non ut contemnens eas quæ non aberraverant, ſed ut tempori illius quæ erraverat inſerviendum ducens. Euthymius ad Matth. 12. ea, QUÆ EST MATER MEA, &c. *Non vilipendens hoc dixit, at docens præponendam PERDITORUM ſalutem parentum & conſanguineorum obſequio.* Τὸ ἐπὶ heic notat cauſam quam

fina-

finalem dialectici vocant: ut in illis Matth. 9. 9. *ἐπὶ τελώνιον καθήμενον*. Cujuſmodi locutiones ſunt *κατ' ἔλλειψιν* intelligendæ. Ἀπολωλὸς heic (quod Matth. 18. 12. in re iſta, *τὸ πλανώμενον*) intellige, non penitus amiſſum, cum ſequatur, *ἕως εὕρῃ αὐτό*. Virgilius,

Amiſſos longo ſocios clamore requirunt.

Ubi Servius, *Non revera, ſed ut illo tempore putabant.* In deperdito quidem (ut loquitur l. 21. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.) dici potuit hujuſmodi ovis, non autem in derelicto.

Com. 5. Ἐπιτίθησιν ἐπὶ τοὺς ὤμους ἑαυτοῦ] Apollonius Argonaut. 1.

- - - Ἐτωμάδὸν ἡίρτάζον

ad quæ vetus Scholiaſtes, *Κατὰ τοὺς ὤμους ἐβάσταζεν, ἐπὶ τῶν ὤμων ἦρεν.* Deſcribitur heic paſtoricius mos, de cauſa non una ulurparus. Calpurnius Siculus,

Te quoque non pudeat cum ſerus ovilia viſes,
Signa jacebit ovis parva reſoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis. - - -

Tibullus,

Non agnamve ſinu pigeat, factamve capellam
Deſertum oblita matre referre domum.

Ubi *referre* eſt quod Lucæ ἐπὶ τοὺς ὤμους τιθέναι. Vide & 40. 11. Iſaiæ.

Com. 7. Χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπ' ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐνενήκοντα ἐννέα δικαίοις, &c.] Redire enim multo gratius eſt quam non diſceſſiſſe. Cicero 9. 19. ad Atticum de Pompejo, *Proficiſcamur ad eum, cui gratior noſter adventus erit, quam ſi una fuiſſemus.* Ἐν τῷ οὐρανῷ, inter ordines cœleſtium. Theophylactus ad Matth. 13. de Angelis, Χαίρουσι καὶ ἥττον ἐπὶ τοῖς δικαίοις. Poſt χαρὰ aut ſuppiendum *μείζων*, aut ante ἢ, *μᾶλλον*.

Ibid. Οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας] Hi ſunt qui Matt. 9. 12. *οἱ ἰσχύοντες, οὐ χρείαν οὐκ ἔχουσιν ἰατροῦ*.

Com. 8. Ἅπτει λύχνον] Ut ſolent perdita quæſituri: vide 1. 12. Sophoniam. Etiam apud Poetas Ceres accenſis facibus quærit filiam amiſſam, & apud alios virum bonum Diogenes lucerna accenſa. Vide & Ariſtophanem ſupra ad 12. 35. adductum. Ἅπτει καὶ λύχνον, eſt & in Nubibus Comici ejuſdem. Arrianus in Epictetum, Εὑρίσκει λύχνους ἐκτομίας. Vide ſupra 8. 16. & 11. 33.

Ibid. Σαροῖ τὴν οἰκίαν] Diligenter ſcrutaturi mos. Apud Theophraſtum in *μικρολόγῳ* characteriſmo, Καὶ τῆς γυναικὸς ἀποβαλούσης τρίχαλκον, οἷος μετακόμιζε τὰ σκεύη, καὶ τὰς κλίνας, καὶ τὰς κίστας, καὶ δαφὴν τὰ κυλύμματα. Gloſſarium, forte ex iſto Lucæ loco, *Verrit, σαροῖ*.

Ibid. Ζητεῖ ἐπιμελῶς] Quod 2 Timoth. 1. 17. *ζητεῖν σπουδαίως*.

Com. 9. Συγκαλεῖται τὰς φίλας καὶ τὰς γείτονας, λέγουσα, συγχάρητέ μοι] Arrianus 2. 5. in Epictetum, Οὗτοι τὸ χαίρειν, ἐκεῖ καὶ τὸ συγχαίρειν. D. Auguſtinus Confeſſ. 4. 8. *Quando cum multis gaudetur, uberius eſt gaudium, quia ferveſaciunt ſe, & inflammantur ex alterutro.* Vide ſupra 1. 58. & Juliani τοῦ παραβάτου Epiſt. 20. Συγχάρητέ μοι· *gaudete gaudium meum*, cum Terentio & Cicerone vertas.

Ibid. Συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον, &c.] Theophylactus ad Joh. 1. Εὑρήκαμεν, περιχαρείας φωνή. Seneca in Apocol. Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Juvenalis,

Exclamare libet populum quod clamat Oſiri
Invento. - - -

Scholiaſtes, *Populus Ægypti invento Oſiride dixit*, Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Minucius Octavio, *Invento parvulo gaudet Iſis.* In Menechmo Plautina,

- - - *Et tu quem ego multis miſeriſque laboribus*
Uſque adhuc quæſivi, quemque ego eſſe inventum gaudeo.

Com. 12. Ὁ νεώτερος αὐτῶν] Commode in juniore filio proponitur hoc luxuriæ ſpecimen. Philo in de Abrahamo, Πρεσβύτερος καὶ πρῶτος ἔφυ, καὶ λεγέσθω ὁ ἀρχαῖος, νεώτερος δὲ καὶ ἔσχατος τῶν ἀδρῶν.

Ibid. Τὸ ἐπιβάλλον μέρος] Partem quæ ad me pertinet. Gloſſarium, *Competens*, τὸ ἐπιβάλλον. Ibidem, *Obtingit*, ἐπιβάλλει μέρος τι. Theophylactus ad Pauli illud, τὸ ἀνῆκον, Τουτέστι, τὸ ἐπιβάλλον μοι μέρος. Sic, ἐπιβάλλον μέρος, apud Philonem in De mundi opificio. Vulgatus bene heic τὸ μέρος *portionem* vertit: quem ſectatur, ut ſæpe alibi, Gloſſarii Auctor, *Portio* (inquit) ἀνάλογον, ἐπιβάλλον, καὶ μερίς. In l. 8. 5. unde: ff. de inoffic. teſtam. *debita portio* vocatur. Hinc & *portionem* (debitam nempe) *ferre*, apud Senecam 4. 39. de Beneficiis. Μέρος autem abſolute heic, ut apud Heſychium, qui ἀποκλήρωσιν, τὸ μέρος· i. e. ut Coloſſ. 1. 12. ἡ τῶν κλήρων μερίς.

Ibid. Καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον] Sic Matth. 25. 14. Καὶ παρέδωκεν αὐτοῖς τὰ ὑπάρχοντα αὐτῶν. Διεῖλεν, eſt διεμέρισεν. Heſychius, Διελεῖν, διαμερίζειν, διανέμειν. Idem Καταδιαλέσθαι, καταμερίσασθαι. Ad loci hujus argumentum Solomo 19. 14. Gnomologici, Οἶκον καὶ ὕπαρξιν πατέρες τέκνοις μερίζουσι· quo pertinet & Deut. 21. 16. *κατακληρονομεῖν τοῖς υἱοῖς τὰ αὐτῶν ὑπάρχοντα.* Cicero Verr. 1. de liberis loquens, *Quibuſcum vivis bona noſtra partimur.*

Com. 13. Συναγαγὼν ἅπαντα] Vino, frumento, pecudibus reliquiſque quæ à patre ſuo acceperat, in pecuniam verſis. Plutarchus de Catone, Κληρονομίαν αὐτῷ προγενομένην εἰς ἀργύριον συναγαγών, &c.

Ibid. Ἀπεδήμησεν εἰς χώραν μακρὰν] Abſceſſum paratis numis iter longum inſtruit. Prov. 7. 19. ut *κατὰ μέσον*, Πεπόρευται (maritus meus) ὁδὸν μακρὰν, ἔνδεσμον χρυσίου ἐν χερσὶν αὐτοῦ. Joſephus Antiquit. 12. 12. Δανειάμενος ἀργύριον, καὶ τὰ πρὸς τὴν ἀποδημίαν ἑτοιμασάμενος. Apud Plautum ille,

Ad forum ibo, nudiusſextus cui talentum dedi
Repoſcam, ut habeam mecum quod feram viaticum.

Virgilius,

Anxiliumque viæ, veteres tellure recludit
Theſauros, ignotum argenti pondus & auri.

Apud Quintilianum Declam. 5. profecturus ille, *Cuncta facultates in pretia collegi.* Apulejus de muliere iter clandeſtinum moliente, *Pretioſiſſimum monilium & auro monetali zonu refertis incinctæ.* Εἰς χώραν μακρὰν ἀποδημεῖν heic in re ſignificata, eſt longe à Dei cultu recedere. Claudianus Mamercus 1. 22. *Non localiter ad Deum venitur, nec localiter ab illo diſceditur.* D. Auguſtinus ad Pſal. 84. *Non regionibus longe eſt quiſquam à Deo, ſed affectibus:* & ad Pſ. 120. *Corpus peregrinatur locis, animus affectibus.* Euthymius ad hunc Lucæ locum, *Longe fiunt à Deo qui peccant, non loci ſegregatione, ſed virtutis.* Quæ ſumpſit, ni fallor, ex his Chryſoſtomi Homil. in hunc ipſum Chriſti apologum, Ὁ ἁμαρτάνων, μακρὰν γίνεται θεοῦ, οὐ τόπῳ, ἀλλὰ τρόπῳ.

Ibid. Μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας, &c.] Beza (quem toties ſub nomine recentioris Interpretis deſignamus) *Poſt dies non multos:* ſincerum (ut ſæpe alibi) nobis vas incruſtans. Vulgatus enim ſat bene, *Non poſt multos dies:* ut & Act. 27. 14. *Non poſt multum autem*, &c. Pomponius ff. de Orig. Juris, *Non poſt multum temporis ſpatium.*

Ibid. Καὶ ἐκεῖ διεσκόρπισε τὴν οὐσίαν, ζῶν ἀσώτως] Ita in Politicis Ariſtotelis, Ὅταν ἀναλίσκωσι τὰ ἴδια, ζῶντες ἀσελγῶς, &c. ἐκεῖ, ἐν μακρᾷ χώρᾳ nempe. Ita, *peregre anteparta patria prodigere*, dixit Nævius apud Soſipatrum Chariſium. Οὐσίαν διασκορπίζειν heic, ut infra 16. 1. *τὰ ὑπάρχοντα διασκορπίζειν.* Sic & σκορπισμὸς οὐσίας apud Artemidorum: qua forma etiam *ſubſtantiam ſuam diſpergere* habemus 4. 5. apud Caſſiodorum. Gloſſæ, Διασκορπίζω, *diſicio, diſpargo.* Legendum *diſjicio.* Ita, *pecuniam flagitiis diſjicere* apud Valer. Maximum.

Ibid. Ζῶν ἀσώτως] Ita, *ſumptum, luxuriam te, & propinationem adoleſcentis filii* 10. 17. dixit Aulus Gellius. Et bene hoc de eo qui (ut infra com. 30. apparet) cum meretricibus verſabatur. Inde 6. 42. apud Julium Pollucem, poſt, ἑταίρας συμβιὰς, ſequitur, ζῶν ἐν ἀσωτίαις. In vetere Onomaſtico, *Prodige*, ἀσώτους. Heſychius, ἀσώτως, ἀσελγῶς, ἀκλήσως. Interpres ſummus è nuperis hoc loco, *vivens nequiter.* Donatus ad Eunuchi Prologum, *Adoleſcens qui rem familiarem ad nequitiam prodegerat*, &c. Vulgatus, *luxurioſe.* Gloſſæ, *Luxuria*, ἀσωτία. Ita Cicero ἀσώτους *luxurioſos* vertit. Idem contra Rullum, *Luxurioſus nepos.* Q. Claudius apud Gellium, *Luxuria & nequitia pecuniam magnam conſumpſerat.*

Com. 14. Δαπανήσαντος δὲ αὐτοῦ τὰ πάντα, &c.] Supple, ut Jacob. 4. 3. ἐν ταῖς ἡδοναῖς αὐτῶν. Heſychius, Παμφάγος, πάντα δαπανῶν. Vulgatus, *cum conſummaſſet omnia.* Libenter *conſumpſiſſet* legerem. D. Auguſtinus in Pſalm. 58. *Aliud eſt conſummari, aliud conſumi. Conſummatur quod ſic finitur ut perficiatur: conſumitur, quod ſic finitur, ut non ſit:* & in Gloſſis, *Conſumit*, ἀναλίσκει, δαπανᾷ, &c. *Conſumpſit*, ἐδαπάνησεν. Hæreo autem ob hæc Heſychii, Κατήνυσεν, ἀνάλωσεν. Κατανύειν autem (quod non aliud puto eſſe quam ἀνύειν, i. e. *perficere*) quid aliud ſonat nobis quam *conſummare?* Πάντα heic in allegoria intellige, omnem ſortem rationis divinitus datam ei.

Sane in eam fere mentem heic Ambroſius, Chryſologus Serm. 5. Hieronymus in parabolæ iſtius expoſitione ad P. Damaſum; item Theophylactus. Τὸ δεπανήσαντος autem quam apte heic à Luca poſitum noſcamus ex his Suidæ, Δεπανᾶν, ἀ τὸ ἀνελῖν ἀναλίσκειν, ἀλλὰ τὸ λιμπρῶς ζῆν, καὶ σπαθᾶν (lege καὶ σπατα-λᾶν) καὶ δεπανᾶν τὴν οὐσίαν.

Ibid. Ἤρξατο ὑστερεῖσθαι] Τροφῆς (ut Sirachid. 37. 23.) καθυ-στερεῖν. Congruenter hoc ſequitur autem poſt ζῶν ἀσώτως. Solo-mo 21. 17. Gnomologici, *Qui diligit epulas, in egeſtate erit.* Ælianus Var. 4. 23. de Pericle & quibuſdam aliis, Τὸ ἀσωτεύε-σθαι, καὶ ὁ πρὸς ἡδονὴν βίος εἰς ἀπορίαν (αὐτὰς) περιέσησεν. Sim-plicius in cap. 39. Epicteti, Οἱ ἄσωτοι (ὕστερον) ἐνδεεῖς ὄντες, πενέστεροι τῶν προσαιτούντων εἰσίν. In Plauti Mercatore,

- - - Egebit qui ſuum prodegerit.

Luxuria in Trinummi prologo, de prodigo adoleſcente,

Is rem paternam me adjutrice perdidit:
Quoniam ea quo me alerat nihil video eſſe reliqui,
Dedi meam gnatam (Inopiam) *quicum ætatem exi-gat.*

Claudianus,

Et luxus populator opum, cui ſemper adhærens
Infelix humili greſſu comitatur egeſtas.

Vide ad Martialis 3. 10. eruditiſſimum Heraldum. Ὑστερεῖσθαι heic eſt quod Jacobi 2. 15. τῆς ἐφημέρου τροφῆς λείπεσθαι. Senſu allegorico autem quod Heb. 12. 15. ἀπὸ τῆς τοῦ θεοῦ χάριτος ὑστερεῖσθαι.

Com. 15. Ἐκολλήθη ἑνὶ τῶν πολιτῶν]

Jam ſibi ſervitium videt, ah! Dominumque paratum:
Heu, heu, libertas illa paterna vale.

Ἐκολλήθη, ut ſolent nempe quibus nullum vitæ ſubſidium reli-ctum. Terentius,

- - - Tum ille egens forte applicat
Primum ad Chryſidis patrem, &c. - - -

Vulgatus, *adhæſit uni civium:* ut & Eſaiæ 56. 3. *Filius ad-venæ qui adhæret Domino.* Utroquè loco optime, i. e. Lati-niſſime. Plinius lib. 7. Epiſt. 27. de Curtio Rufo, *Tenuis ad-huc, & obſcurus obtinenti Africam comes hæſerat.* Suetonius de Nicia Grammatico, *Hæſit Cn. Pompejo & Cajo Memmio.* Virgil. 10.

Herculis Antorem comitem, qui miſſus ab Argis
Hæſerat Euandro. - - -

Terentius 5. 8. Eunuch.

- - - Ut haream in parte aliqua tandem apud Thaidem.

Ad quem locum Donatus, Τὸ *haream, ultimum genus beneficii eſt.* Gloſſæ, Κολλᾶμαι, *hæreo*, & in vetere Onomaſtico, *Ad-hæreo*, προσκολλέομαι. Plautus Menechm. (ſatis prope ad vo-cabulum Græcum)

- - - Se applicant, agglutinant.

Ita in jam citato Gloſſario, Προσκολλῶ, *applico, agglutino.*

Ibid. Καὶ ἔπεμψεν αὐτὸν εἰς τοὺς ἀγροὺς αὐτοῦ βόσκειν χοίρους] Helladius apud Photium, Τὸ πένεσθαι, &c. ἀναγκάζει πολλοὺς τὰ δόλια πράττειν. Paſcere porcos autem vel infimi miniſterii ſpecies. Martialis,

Diſpeream ſi tu Pyladi præbere matellam
Dignus es, aut porcos paſcere Pyrrhoi.

In vetere Onomaſtico, *Porcarius*, χοιροβοσκός. Merito autem porcarius factus qui vita & moribus immundis porcos imitatus fuerat.

Com. 16. Καὶ ἐπεθύμει γεμίσαι τὴν κοιλίαν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν κερατίων, &c.] Sic infra 16. 21. de Lazaro, Ἐπιθυμῶν χορτα-σθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων. D. Auguſtinus in Pſ. 35. *Sunt qui pro magno petunt à Deo hoc quod dedit jumentis.* Oedipus apud Sophoclem,

Τίς τὸν πλανήτην Οἰδίπουν καθ' ἡμέραν
Τὴν νῦν στυγοῦσὶς δέξεται δωρήμασιν;

In fragmentis Petronii,

- - - Nihil eſt quod non mortalibus afferat uſum,
Rebus in adverſis quæ jacuere juvant.

Virgilius,

Obſcœnamque famem. - - -

Ubi Servius, *Quæ homines ad obſcœna compellit.* Ariſtopha-nes in Acharn. Ἰαχνά μοι Φυλλεῖα δός· ad quæ vetus Scholia-ſtes, τὰ ἀπολείσματα τῶν λαχάνων, τὰ ἐντελῆ καὶ μεμαραμ-μένα τῶν λαχάνων Φύλλα· τοιαῦτα γὰρ οἱ πτωχοὶ ἐσθίουσι. Simile Diogenis alimentum, qui ab omnibus (ut hic nequam) derelictus, ἠθύμει, καὶ Φύλλων ἄκρα ἤσθιε, narrante Æliano. Vide Job. 6. 7. & quæ ad Apuleji lib. 4. annotavimus. Τὰ πενίας τάυτα μητρόβια, eſt & alibi apud Ariſtophanem, (Pluto) Κεράτια (in Gloſſario *ſiliqua*) egenorum victus, eorumque qui-bus vel viliſſima quæque non ſuppetunt. Juvenalis,

Sed laudem ſiliquas ocultus ganeo. - - -

Ibid. Καὶ οὐδεὶς ἐδίδου αὐτῷ]

- - - Miſer ſumme, tamen haud miſerabilis illi.

Habebat jam ventrem frugalem, hoc ipſum tamen deeſſe vidit quod, etſi abjectiſſimum, tam inani alvo ſufficiſſet.

Sic cujus luxu modo non ſufficerat aurum,
Nec veſtes facili genitor quas mente fruendas
Tradidit; huic deſunt volantes inguina pœni,
Abjectuſque cibus: ſordentia ſupplementa
Dum ventri petit, & ſiliquis producere vitam.

Seneca Controverſ. 1. 1. *O graves, Fortuna, vires tuas! ille dives, modo ſuperbus, rogavit alimenta.*

Ibid. Καὶ οὐδεὶς ἐδίδου αὐτῷ] Prov. 20. 4. *Mendicabit, &c. & non dabitur illi.* In Epiſtolis Philoſtrati, Κινδυνεύω αὐτῶν ὕδωρ, κομίζει δὲ οὐδείς. Apud Simonidem eſt,

Ἔδωκαν οὐδεὶς οὐδ' ἀρυσσῆρα τροχός

& Heſiodum,

Πτώσσουσι ἀλλοτρίας οἰκους, καὶ μηδὲν ἀνύουσι.

Apud Arrianum 1. 29. in Epictetum, Ἐν δανεῖς εἰμι, καὶ δυ-σχεῶ, &c. οὐδείς μοι δέδωκεν οὐδέν. Sic infra 16. 21. legebat vetus Interpres: in Græcis enim quæ circumferuntur exemplaribus hæc abſunt. Oedipus jam citato Sophoclis loco,

Μικρὸν μὲν ἐξαυτοῦντα, τῷ βαιρῷ δ' ἔτι
Μεῖον φέροντα· - - - -

In Excerptis Diodori Siculi, de Athenæo quodam, Οὐδεὶς ἐδέξατο αὐτὸν εἰς τὴν οἰκίαν, ὥστε τροφῆς μετέδωκεν. Tacitus Annal. 6. de Druſo Germanici, *Extrema vitæ alimenta fruſtra roganteni.*

Ibid. Οὐδεὶς ἐδίδου αὐτῷ]

- - - Ultimus ipſe
Æruinæ cumulus, quod nudum & parva rogantem,
Nemo cibo, nemo hoſpitio teſtove refovit.

Τὸ ἐδίδου heic ſolet referri ad τῶν κερατίων· ſic 1. 5. Jacobi, ὁ διδοὺς πᾶσιν, &c. nempe (quod præceſſit) εὐφίλως. Dio Caſſius de Hadriano Imperatore, Πολλάκις ἤτει φάρμακα καὶ ἔλαβε, ἐδίδου δὲ οὐδείς. Joh. 10. 29. Ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι, &c. nempe τὰ πρόβατα· & ſupra heic 13. 7. καὶ οὐκ εἰρίσκου. Nil tamen vetat ἐδίδου abſolute ſumi. In Colloquiis Græcis vett. ἤτησα, καὶ οὐδείς μοι δέδωκεν· & 1 Petr. 2. 23. Παρεδίδου τῷ δικαίως κρίνοντι.

Ibid. Καὶ οὐδεὶς ἐδίδου αὐτῷ] Sic Thren. Jerem. 4. 4. ἤτησαν ἄρτον, ὁ διακλῶν δὲ οὐκ ἔζη αὐτοῖς.

Com. 17. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν, &c.] Appoſite Philo in de Somniis, Καλὸν μὲν ἦν τὸν λογισμὸν ἐφ' ἑαυτὸν μείναντα μὴ ἀποδυμῆσαι πρός, &c. δεύτερος δὲ πλοῦς ἐφ' ἑαυτὸν πάλιν ὑπο-στρέψαι. Donatus in Terentium, *Redire ad ſe dicitur qui ani-mam recipit & ſedem mentis.* Legerim, *in ſedem mentis.* Ci-cero Tuſculan. 4. *Quid eſt ſeipſum colligere niſi diſſipatas animi partes in ſuum locum* (i. e. ſuam ſedem) *ponere?* Ita, animum in ſuam ſedem *reponere*, apud Senecam cap. 2. Conſolat. ad Marciam. Et bene heic εἰς ἑαυτὸν ἐλθὼν, de juvene ſe ab amo-rum ineptiis abducente: νέοι γὰρ ἐρῶντες, ὅταν ἔξω ὦσι τῶν ἐρωμένων ἑαυτῶν οὐκ ἔχει, (ut apte dixit Philoſtratus in Scopeliano So-phiſta) quia nempe,

- - - alterius ad nutum degitur ætas,

ut & cecinit eodem argumento Lucretius. Εἰς ἑαυτὸν ἔρχεσθαι autem (ut heic Lucas) dixit & 3. 1. in Epictetum Arrianus. Opponitur apud Senecam in de Beneficiis *qui ad ſe nunquam rediturus eſt.*

Ibid. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν, &c.] Heſychius, Ἐμνήσθη, ἐν ἑαυτῷ ἐγένετο, καὶ ἐφρόνησεν. *Ad ſe rediens*, quaſi antea nempe à ſe diſceſſiſſet incuria & oſcitantia ſua. Eleganter 1. 23. Claudianus Mamercus, *Quid legerim neſcio* (ſi non atten-dero) *quia in aliud anima illocaliter intenta, diſceſſit. Denique cum ad meipſum vel admonitus redeo, ego ipſe ſum qui utique redeo: & ego ipſe ſum ad quem redeo. Mecum non fui, quia ad me per intervallum, non loci, ſed temporis redii: & extra me non fui, quia ſine me eſſe non potui.* P. Chry-ſologus

by Google

ſologus Serm. 46. ad Pſalmiſtæ ea, VENITE, EXULTEMUS DOMINO. *Venite, quo? vel unde? exi, homo, in te, ubi non locorum mutatio, ſed ſenſuum.*

Ibid. Μίσθωσι πατρός μου] Ita Marc. 1. 20. πατρὸς μισθωτούς.

Ibid. Περισσεύονται ἄρτων] Hinc, μισθωτοὶ ὡς μάσχυ σιτευτοί, 46. 21. in Græco Jeremiæ; & *verna ſaturi*, apud Martialem.

Ibid. Ἐγὼ δὲ λιμῷ ἀπόλλυμι] Non morior tantum, ſed & fame, morte omnium miſerrima. Homerus,

Πάντες μὲν σύγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ' οἰκτίσσον δυνέειν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν.

In Pluto Ariſtophanis, Ἀπόλλ' ὑπὸ λιμοῦ· & in Pace,

Τὸ τῷ γε λιμῷ νὴ Δί' ἐξολλύτες.

Porphyrius π. ἀποχῆς δ'. Λιμῷ, &c. ἀπόλλυνται. Sic & λιμῷ ἀπόλλυσθαι, 34. 29. in Græco Ezechielis: & lib. 68. apud Dionem Caſſium, item Creſiam Gnidium. Τὸ λιμῷ διαφθείρεσθαι, in Excerptis Polybii: &, ὑπὸ λιμοῦ ἀποθανεῖν, in Platonis Sympoſio. Ἀπόλλυσθαι ὑπὸ δίψους, in Ibericis Appiani: & Eſa. 50. 2. ἐν δίψει ἀποθανεῖσθαι. *Pereo fame*, eſt & in Phædri apologis: &, *pene ſum fame mortuus*, in Sticho Plautina.

Com. 18. Ἀναςὰς πορεύσομαι πρὸς τὸν πατέρα μου] Apud Terentium ille,

Vehementer nunc mihi eſt iratus, ſentio, atque intelligo:
Verum adibo. - - -

Ubi optime (ut apud Lucam πορεύσομαι) *adibo*. In ejuſdem Phormione, *Sed quid ceſſas hominem adire?* ubi Donatus, *Bene, adire, quaſi terribilem:* Et 3. 3. Andr. *Aliquot me adiere.* Donatus, *Non, acceſſerunt, quia aditus arduus difficiliſque eſt.* Habent & magnam emphaſin ea, πρὸς τὸν πατέρα μου. Apud Comicum illum eadem fabula 3. 5.

- - - *Quid ego nunc dicam patri?*

Donatus, *Bene patri*, &c. *ut de auctoritate hujus nominis ſummus terror exſurgat.* Ἀναςὰς heic eſt ἀναπήδησας unde apud Suidam, Ἀνάςημα ψυχῆς, τὸ πρὸς ἀρετὰς ἐπιτεταμένον. P. Chryſologus Serm. 54. *Jacemus in vitiis, & jacemus oppreſſi: ſtamus, cum bonis operibus erigimur ad profectum.*

Ibid. Ἀναςὰς] Surgam, inquit, è cœno & ſordibus impuriſſimæ vitæ illius, quibus ritu animalium convictorum meorum tamdiu volutavi: vel, Surgam (i. e. evigilabo) ex profundo peccati ſomno, quo non tam obdormivi, quam ſepultus fui. Vide Rom. 13. 11.

Ibid. Ἀναςὰς πορεύσομαι πρὸς τὸν πατέρα μου] Q. d.

Remeemus illuc unde non decuit prius
Abire, nunc jam priſca repetatur fides:
Nam ſera nunquam eſt ad bonos mores via.

Repete & Ciceronis locum ſupra ad com. 7. adductum.

Ibid. Πορεύσομαι πρὸς τὸν πατέρα μου]

- - - *Sacram, quamvis inviſus, ad aram*
Confugiam: nullas ſubmovet ara preces.

Pſyche fugitiva apud Apulejum lib. 6. *Quin igitur*, &c. *ultroneam te Domina tua reddis? & vel ſera modeſtia ſævientes ejus impetus mitigas?* Petronius, *Sævi quoque implacabileſque Domini crudelitatem impediunt ſuam, ſi quando pœnitentia fugitivos reduxit, & dediticios hoſtibus parcimus.*

Ibid. Καὶ ἐρῶ αὐτῷ] Specimen quotidiani moris. Qui deprecationis vel etiam negotii cauſa alios conventos volunt, prius quid loqui oporteat apud ſe agitant. In Plauti Amphitryone ille,

Sed quomodo, & quibus verbis me deceat fabularier,
Prius ipſe mecum etiam volo hic meditarier.

In ejuſdem Sticho,

Principium ego quo pacto cum illis occipiam, id ratiocinor.

Apud Terentium,

- - - *Quam egomet nunc totus diſplicco mihi!*
Quam pudet! neque quod principium incipiam ad placandum ſcio.

Virgilius,

Heu! quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? quæ prima exordia ſumat?

Confer & 14. 3. Oſea.

Ibid. Ἐρῶ αὐτῷ, Πάτερ] Adoleſcens Terentianus Andr. 5. 1. *Tibi, pater*, &c. ad quem locum Eugraphius, *Ex nomine benevolentiam comparat.*

Ibid. Πάτερ] Ut primum vitiis renunciamus, id eſt, digna filiis facimus, fidenter Patris vocabulo Deum compellamus, quaſi pluſquam poſtliminii jure tunc in filios reſtituti. P. Chryſologus Serm. 72. *Cujus genus eſſe cœpimus, ejus utique cenſemur & nomine.* D. Hieronymus in explicatione hujus apologi ad P. Damaſum, *Fruſtra quidam argumentantur nomen Patris* (cum Deum nempe compellant) *tantummodo in ſanctos convenire; cum etiam hic Deum Patrem vocet, qui ſe filii nomine confitetur indignum: niſi ideo patrem forte audet vocare, quia plena jam mente converſus eſt.* Irenæus 4. 79. *Secundum naturam*, &c. *omnes filii Dei ſumus*, &c. *ſecundum autem diſciplinam audientiam & doctrinam, non omnes filii Dei ſunt, ſed qui credunt, & faciunt ejus voluntatem.* Hierocles, Ἔςιν ὁ θεὸς δημιουργὸς μὲν πάντων, τῶν δὲ ἀγαθῶν καὶ πατήρ. Ὁ γὰρ τὴν λύσιν τῶν κακῶν συνεὶς, καὶ τῶν αὐθαιρέτων πημάτων ἐλευθερούμενος, &c. ἅτος πρὸς τὴν ἐκ θεοῦ καθήκουσαν βοήθειαν ἐκτρεφόμενος, ἀναβοᾷ, Ζεῦ πάτερ, τῷ ἤδη προυργᾶσθαι τὰ παιδὸς ἄξια; τὸν θεὸν πατέρα καλῶν. Adde Galat. 6. 4.

Ibid. Ἡμαρτον]

- - - *Pœnitet, facti pudet,*
Jamjam dolet quod egi, jamjamque pœnitet.
- - - *Veniam confeſſus crimina poſco.*
Non ego tam pravos auſim defendere mores,
Falſaque pro vitiis arma movere meis:
Confiteor, ſi quid prodeſt delicta fateri.

Cicero ad Quintum fratrem, *Peccavi, ſceleratèque feci.* Dido apud Virgilium, *Anna, fatebor enim*, — &c. ubi Servius, *Fateri, confitorum & culpabilium eſt: at heic per oblationem confeſſionis videtur levius crimen efficere.* Donatus ad 3. 4. Andr. *Plena ſatisfactio eſt confeſſio peccati ſine pœnarum recuſatione.*

Ibid. Ἡμαρτον] Apta vox filio culpam confitenti ſuam. Apud Plautum juvenis ille,

Pudet prodire me ad te in conſpectum, pater,
Tantum flagitium te ſervi audire meum.

Et alter in Adelphis apud Terentium,

Ita velim me promerentem omnes dum vivas, mi prætor,
Ut me hoc delictum admiſiſſe in me id mihi vehementer dolet.

Cicero in pro Ligario, *Cauſa egi, Cæſar, multæ, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio ſtudiorum tuorum: certe nunquam hoc modo, Ignoſcite, Judices, erravit, lapſus eſt, non putavit: ſi unquam poſthac. Ad parentem ſic agi ſolet.*

Ibid. Ἡμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐνώπιόν σου] Antipater ad Herodem apud Joſephum. Κατέγνωσμαι παρὰ θεῷ, καὶ παρά σοι, πάτερ. Exod. 10. 16. Ἡμάρτηκα ἐναντίον Κυρίου τοῦ Θεοῦ ὑμῶν, καὶ εἰς ὑμᾶς· & Num. 21. 7. Ἡμαρτήκαμεν, ὅτι κατελαλήσαμεν κατὰ τοῦ Κυρίου, καὶ κατὰ σοῦ.

Com. 19. Καὶ οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου] Nomen filii enim cum obedientia perdidi: ob flagitia & illaudata facinora mea jus natalium amiſi: ob damna & dedecora morum extraneitatem incidi. Chryſoſtomus in 6 Epheſ. Ἀκουέτωσαν οἱ παῖδες ὅτι δοῦλοι ἄξιοί εἰσιν εἶναι, ὅταν εἰς τὰς πατέρας ἀγνώμονες ὦσιν. ἀφείλετο γὰρ ἑαυτῷ ὁ τοιοῦτος τὴν εὐγένειαν. Salvianus, *Licet omnes admodum filii membra parentum eſſe videntur, non putandi ſunt tamen membra eorum eſſe à quibus affectu cœperint diſcrepare: quia morum degenerantium pravitate perenni in talibus beneficia Naturæ.* In fragmentis Alcimi Aviti, *Ut aut permaneat filius bene vivendi, aut certè per carnalem converſationem rejiciat paternitatem.* Manlius ad filium ſuum apud Valerium Maximum, *Manlius eras mihi, cum præcipites agebas Senonas: poſtquam mutari cœpiſti, unus factus es è Senonibus.* Senex Terentianus ad filium ſuum,

- - - *Ego te meum eſſe tantiſper volo;*
Dum quod te dignum eſt facis. - - -

Petrus 1. 3. 6. Ἧς ἀγαθοποιοῦσαι τέκνα ἐγενήθητε. Tertullianus in de Pudicitia, *Hæc non admittet omnino qui natus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius, ſi admiſerit.* Idem cap. 5: in de Fœmin. cultu, *Chriſtianus à malo ullo adjuvabitur? neſcio an hoc nomen ei perſeveret, erit enim ejus de cujus doctrinis inſtrui concupiſcit.* Et in Apologetico, *Nemo illic* (carcere, metallo, arena, &c.) *niſi tantum planè Chriſtianus, aut ſi & aliud, jam non Chriſtianus.* Notentur ultimo loco,

loco, υἱὸς κληθῆναι. Apoſtolus 1 Cor. 15. 9. οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς καλεῖσθαι ἀπόστολος. Apulejus 5. *Illas ſceleſtas fœminas, quæ poſt internecinum odium, & calcata ſanguinis fœdera, ſorores appellare non licet.*

Ibid. Ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου] Apulejus 9. *Famaque perdita nupta dignitate proſtituta ſibi nomen adſciverat.* Chryſologus Serm. 102. *Sicut fides ſervos promovet in amicos, ita perfidia filios in pœnalem ſervitutem redigit.* Ποίησόν με, &c. formula deprimentis ſe. Phædra apud Senecam,

Matris ſuperbum eſt nomen, & nimium potens;
Noſtros humilius nomen affectus decet:
Me vel ſororem, Hippolyte, vel famulam voca.

Euthymius in hunc Lucæ locum, *Quia primo ordine excidi, dignare me vel ſecundo.* Ita Cicero ad Atticum, *Fac ut me velis eſſe aliquem, quoniam qui fui, & qui eſſe potui, JAM ESSE NON POSSUM.*

Ibid. Ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου] Congruenter qui bona adhuc juvenis dilapidaverat, mercenarii nomen adſciſcit. Solomo 29. 21. Gnomologici, Ος κατασπαταλᾷ ἐκ παιδὸς, οἰκέτης ἔσται.

Com. 20. Ετι δὲ αὐτοῦ μακρὰν ἀπέχοντος] Quod ſupra 14. 32. Ετι αὐτοῦ πόρρω ὄντος. Contra 7. 6. Ἤδη δὲ αὐτοῦ οὐ μακρὰν ἀπέχοντος.

Ibid. Εἶδεν αὐτὸν ὁ πατὴρ, καὶ ἐσπλαγχνίσθη]

- - - Ubi tendentem adverſum per jugera natum
Conſpexit, latus palmas utraſque tetendit:
Effuſaque genis lacryma. - - -

In verbo εἶδεν non actum tantum videndi intellige, ſed & agnoſcendi celeritatem: ne pereat plane τὸ amoris ἀξυδερκὲς, non minimum ſane indicium illius affectus quem heic tam vivis coloribus nobis Chriſtus depingit. Pindarus, de Jaſone, Τὸν μὲν εἰσελθόντ' ἔγνων ὀφθαλμοὶ πατρὸς. Scriptor Tobiæ 11. 6. Ενέθηκε παρβλεπομένη τὸν παῖδα αὐτῆς, καὶ κατενόησεν αὐτὸν ἐρχόμενον. Ubi Vulgatus, *agnovit venientem.* Heliodorus de Chariclia, Πόρρωθεν ἀναγνωρίσασα τὸν Θεαγένην, &c. nimirum quia dilectum ſuum. Tum hoc epiphonema addit, Οξύ τι πρὸς ἐπίγνωσιν ἐρωτικῶν ὄψις, καὶ κίνημα πολλάκις, καὶ σχῆμα μόνον, κ' ἂν πόρρωθεν, ἢ κ' ἂν ἐν νυκτὶ, τῆς ὁμοιότητος τὴν φαντασίαν παρέχουσιν. Euthymius in hunc Lucæ locum, *O viſum compatientis acutiſſimum!*

Ibid. Εἶδεν αὐτὸν ὁ πατὴρ αὐτοῦ, καὶ ἐσπλαγχνίσθη] Ita Marc. 6. 36. Εἶδεν ὁ Ἰησοῦς τὸν ὄχλον, καὶ ἐσπλαγχνίσθη. Vide & ſupra heic 7. 13. Homerus Iliad. Ξ'. ubi de Junone Jovem accedente,

- - - Ὡς δὲ νεφεληγερέτα Ζεύς.
Ὡς δ' ἴδον, οἱ μὲν ἔρως τυπτὸς φρένας ἀμφιμάλυψεν,
Οἷον ἔτε πρώτιστον ἐμαγήσθη φιλότητι.

Ibid. Εσπλαγχνίσθη] Συνεχρίφετο αὐτοῦ τὰ ἔντερα, ut Joſephi, (Geneſ. 43. 30.) Benjamino viſo. P. Chryſologus, Serm. 54. *Judex cum vult ignoſcere, hominem reſpicit, non culpam: pater cum miſereri vult filio, affectum cogitat, non delictum.* Vulgatus, *miſericordia motus eſt.* Ita 1. Juſtinus, *Motus & ipſe miſericordia.*

Ibid. Εσπλαγχνίσθη]

- - - Agnoſcens veteris veſtigia amoris.

Seneca 69 Epiſt. *Nihil facilius quam amor recrudeſcit.* Propertius 2.

Differtur, nunquam tollitur ullus amor.

Ibid. Εσπλαγχνίσθη]

- - - Neque enim patrium conſiſtere mentem
Paſſus amor. - - -

Lucianus in Abdicato filio, Ἡ Φύσις τὸς γεννήσαντας πρὸς τέθον τῶν γεγεννημένων ἕλκει. Donatus in 1. 2. Phormionis, *Hoc exemplum vitæ eſt, in quo ſpectatur nullam eſſe tam juſtam & gravem iracundiam patris, quæ non,* &c. *evaneſcat.* Quintilianus in Declamationibus, *Parentum affectus nunquam in tantum vincuntur odio ut non ad naturam ſuam revertantur.* Seneca Hippolyto,

- - - O nimium potens,
Quanto parentes ſanguinis vinclo tenes
Natura! quam te columnæ inviti quoque!

In Ejuſdem Thyeſte,

Redire pietas unde ſummota eſt ſolet.
Nulla res major pietate vera eſt.
Jurgia externis inimica durant:
Quos amor verus tenuit, tenebit.

Ibid. Καὶ δραμὼν ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ] Terentius,

- - - Ut conſuetum facile amorem cerneres,
Rejecit ſe in eum flens quam familiariter.

Petronius, *Invaſit pectus amplexibus, & perfuſum os lacrymis vultu contrivit ſuo: diu vocem neuter invenit.* Vocis δραμὼν autem notanda vel inpeimis efficacia. Lucianus in Amoribus, Πόρρωθεν ἰδὼν ἑκάτερός μα γήθησε καὶ χεῖρας πλέον προσέδραμον. Euthymius hic, *Accurrit ut appareat amoris vehementia.* Heliodorus ubi ſupra, Ωσπὲρ ἐστρηβεῖσα ὑπὸ τῆς ὄψεως, ἐμμανὴς ἐπ' αὐτὸν ἔτρεχε, (i. e. προσέδραμε) καὶ περιβὰσα τῷ αὐχένος ἐπρὶξ εἶχετο, καὶ ἐξήρτητο, καὶ γοεροῖς τισι κατησπάζετο θρήνοις. De Deo (quem hæc parabola deſignat,) D. Auguſtinus, *ſic feſtinat abſolvere tormenta compaſſionis ſuæ, quaſi plus cruciet ipſum compaſſio miſeri, quam ipſum miſerum compaſſio ſui.*

Ibid. Επέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ κατεφίλησεν αὐτὸν] Geneſ. 33. 4. Εφίλησε, καὶ προσέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ. Vide & Gen. 29. 13. & 46. 29. Apulejus 11. *Colloque ejus multis oſculis inhærens,* &c. Quæ & optime τῷ κατεφιλεῖν virtutem exprimere videntur: nec enim illud κατὰ hic de nihilo apponitur. Vide ſupra ad 7. 45. dicta.

Ibid. Κατεφίλησεν αὐτὸν]

- - - Datur ora tueri,
Nate, tua? & veras audire & reddere voces?
- - - Ut te, ſuaviſſime nate,
Accipio, agnoſcoque libens! ut verba reverſi
Grata habeo, & vocem filii vultumque recordor!

Com. 22. Εἶπε δὲ ὁ πατὴρ πρὸς τοὺς δούλους αὐτοῦ, Ἐξενέγκατε τὴν στολὴν, &c.] 4 Reg. 10. 22. *Dixitque his qui erant ſuper veſtes, Proferte veſtimenta,* &c. In Excerptis veteris Gloſſarii, *Proferte,* ἐξενέγκατε.

Ibid. Ἐξενέγκατε τὴν στολὴν τὴν πρώτην]

Depone ſqualidos cultus, feſtos cape.
- - - Squalidam veſtem exue,
Oculiſque noſtris parce, & ornatus cape
Pares meis. - - -

Apud Curtium lib. 6. *Hic habitus,* &c. *cum iſto ſqualore (tibi) permutandus eſt.* Eſther. 4. 4. Ἀπέστειλεν (ὁ βασιλεὺς) στολὴν τὴν Μαρδοχαίου, καὶ ἀφελέσθαι αὐτοῦ τὸν σάκκον. Apulejus 7. *Veſtem lautiuſculam proferunt (ἐξενέγκασι) ſumeret abjecto centunculo.* Adde Baruch. 5. 1. & Zach. 3. 4. Πρώτην heic (ut & 1 Tim. 5. 12.) προτέραν intellige: ut ſenſus ſit, priori (id eſt, priſtino) reſtituatur affectui meo.

Ibid. Δότε δακτύλιον εἰς τὴν χεῖρα αὐτοῦ] Εἰς τὴν χεῖρα αὐτοῦ, ut digito imponatur ejus. Ita ſupra 5. 4. εἰς ἄγραν dixit. Vide ad 7. 44. dicta. Stola autem & annulus honoris heic inſignia, ut & 1 Macc. 6. 15.

Com. 23. Τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν] Occurrunt μόσχοι σιτευτοὶ itidem in 9 Athenæi libro. Plutarchus in Amatorio, Πωίνοντες ἀπὸ σιτευτῶν μόσχους καὶ ὄρνιθας. Sic Proverb. 15. 27. in Latino, *ſaginatus vitulus*; & 1 Reg. 28. 24. *vitulum paſcualem.* In Gloſſario, Βόες σιτευτοὶ, *ſagino.* Vitulus heic ob reditum mactatus. In Quintiliani Declamationibus, *Nulla adhuc pro reditu meo ſoluta ſunt vota, non percuſſæ* &c. *hoſtiæ.* Horatius,

Paſcitur ob veſtrum reditum votiva juvenca.

Ibid. Θύσατε, καὶ εὐφρανθῶμεν] Ita Judic. 16. 23. θυσιάσαι καὶ εὐφρανθῆναι. In Gloſſario, Εὐφραίνω, &c. *epulor.* Heſychius, Θύεται, εὐθηνεῖ, εὐφραίνεται. Εὐφραίνεσθαι autem in Allegoria iſta eſt, *mente oblectari.* Ita Serm. 29. P. Chryſologus de Chriſto, *Diſcumbebat plus in Matthæi mente, quam ſigmate: & epulabatur, non cibis, ſed reditu peccatoris.*

Com. 24. Οὗτος ὁ υἱός μα νεκρὸς ἦν] Ἐν τοῖς παραπτώμασι nempe, Epheſ. 2. 1. Coloſſ. 2. 13. Sic, θάνατος οὐχ ὁ διαλύων ψυχὴν ἀπὸ σώματος, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἀληθείας, apud Clementem Stromat. β'. Lactantius 3. 12. *Sicut corpus ab hoſtibus ſuis victum morte multatur, ita ſuperatus à vitiis animus moriatur neceſſe eſt.* Porphyrius περὶ ἀποχῆς β'. Τὸ νεκρὸς ζῆν, &c. Δαμοκράτης ἔλεγεν ὡ νεκρὸς ζῆν, ἀλλὰ πολὺν χρόνον ἀτεθνήκειν. Vide quæ fuſe in hanc mentem ad 1 Tim. 5. 6. annotavimus. Ἄνοιαν, τῆς λογικῆς ὑσίας θάνατον vocavit Hierocles. Philo Judæus, Οἱ ἄθλιοι τὰς ψυχὰς, τεθνήκασιν.

Ibid. Νεκρὸς ἦν, καὶ ἀνέζησεν) Ita Rom. 6. 13. (& ut heic, moraliter) ἐκ νεκρῶν ζῶντας· & Apocal. 2. 8. ut ſenſu phyſico,

co, Ὃς ἐγένετο νεκρὸς, καὶ ἔζησεν· item 1. 18. Ὁ ζῶν, καὶ ἐγενόμην νεκρός adde & Apoc. 3. 1.

Ibid. Ἀνέζησε] Τῷ θεῷ, ut Rom. 6. 8. μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν, ut 1 Joh. 3. 14. ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενος, ζῇ τῇ δικαιοσύνῃ, ut 1 Pet. 2. 24. vide & 1 Petr. 3. 18. Ἦν νεκρός, (ut Eph. 5. 8.) νῦν δὲ φῶς. Philo lib. Quod deter. inſid. potiori, Ἄβελ (τὸ παραδεξάτερον) ἀνήρηταί τε, καὶ ζῇ· ἀνήρηται μὲν ἐκ τῆς ἄφρονος δυοίας, ζῇ δὲ τὴν ἐν θεῷ ζωὴν εὐδαίμονα· Clemens Stromat. 5. de Chriſtianis, Ὡς ἀπολωλότας, καὶ τεθνηκότας τῷ θεῷ, τὰς ὑπ' ἀνελπίας ἢ τινος ἀτόπου (melius ἀτόπου πάθους) νενοσηκότας, ὡς νεκροὺς πενθοῦσι, καὶ ὡς ἐκ νεκρῶν ἀναστάντας, ἐὰν ἀξιόλογον μεταβολὴν ἐνδείξωνται. Chryſoſtomus ad Rom. 6. Ὅταν ὁ πόρνος γένηται σώφρων, καὶ ὁ πλεονέκτης ἐλεήμων, καὶ ὁ τραχὺς ἥμερος, καὶ ἐντεῦθεν ἀναίσθητος γέγονεν, ἐκείνης προείμενον ἦσαν. Euthymius ad Joh. 6. *Mors anima eſt ſeparatio à Deo, quemadmodum etiam mors corporis eſt ipſius ab anima ſeparatio: nam anima corpus vivificat, animam vero Deus.* Hierocles de humanis mentibus, Ἀποθνήσκουσί ποτε τὴν θείαν εὐζωΐαν τῇ ἀπὸ θεοῦ Φυγῇ, καὶ ἀναβιοσκόμενοι πάλιν τῇ πρὸς θεὸν ἐπιστροφῇ.

Com. 25. Ἐν τῷ ἀγρῷ] In rure, aut prædio ſuburbano. Ita apud Terentium ille,

Eſt ager ſub urbe hic nobis. - - -

i. e. prædium. Phavorinus, Ἀγρὸς, ὁ ἔξω τῆς πόλεως τόπος.

Ibid. καὶ, ὡς ἐρχόμενος, &c.] Subaudi, ἐκ τοῦ ἀγροῦ. Sic, ἐκ τοῦ ἀγροῦ ἔρχεσθαι, Judic. 19. 16. Vide & Geneſ. 34. 7. in Latino.

Ibid. Ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν] *Vocum* enim (ut locutus Cicero pro Roſc. Amer.) *& nervorum cantu vicinia perſonabat.* Recentior συμφωνίας, *concentum* vertit, quod non improbo. Apuleius in de Mundo, *In choris, cum dux carminis hymno præcinit, concinentium vulgus virorum & feminarum mixtis gravibus & acutis clamoribus unam reſonant harmoniam:* i. e. *unam ſymphoniam.* Quam vocem & heic, & Exod. 32. 18. non minus bene retinuit Vulgata verſio. Scholiaſtes vetus ad Horat. de A. P. *Symphonia eſt concentus cantorum.* Virgilius, *Avium concentus:* ubi Servius, *Commiſtus cantus, ſymphonia.* Idem in ſchedis Fuldenſibus, *Concentum ſymphoniæ tubarumque.* Hinc & *ſymphoniarum cantus* apud Senecam 51 Epiſtola: & *Symphoniaci*, *cantores*, *muſici*, in Gloſſis Iſidori dictis. Cæterum, ſi cum Syro Interprete συμφωνίας καὶ χορῶν acceperimus quaſi per ἓν διὰ δυοῖν dictum, habebimus plane hic quod συναυλίας καὶ συνῳδίας χορῶν, Ariſtides in Monodia de Smyrna dixit. Sane cum Sueronius cap. 37. Calig. *Inter choros ac ſymphonias* dixit, per eandem illam orationis figuram eum locutum exiſtimem.

Com. 26. Ἕνα τῶν παίδων] Servius ad Eclog. 6. *Miniſtros & familiares ſolemus communiter pueros vocare.*

Ibid. Ἐπυνθάνετο τί εἴη ταῦτα] Sic infra 18. 36. ἐπυνθάνετο τί εἴη τοῦτο. Virgilius,

- - - Quid vult concurſus ad amnem?

Plinius lib. 1. epiſt. 13. de Claudio Imperatore, *Cum in Palatio ſpatiaretur, audiſſetque clamorem, cauſam requiſiviſſe*, &c. Plutarchus de Alcibiade, Παρόντα ἐκπεμφθέντων Ἀθηναίων ἐρέσθαι τὴν αἰτίαν τῆς θορύβου.

Com. 28. Ὠργίσθη, καὶ οὐκ ἤθελεν εἰσελθεῖν] Simile 1 Reg. 1. 43. vide.

Ibid. Ἐξελθὼν, παρεκάλει αὐτὸν] In Colloquiis Græcis, Παρακάλεσον αὐτὸν, Τί ἔξω ἐκχύνεις;

Com. 29. Τοσαῦτα ἔτη δουλεύω σοι] Qui ſe probatos volunt & officia ſua, à diuturnitate temporis ſolent argumentum ſumere: vide Geneſ. 31. 38, & 41. 1 Reg. 29. 8. Act. 20. 18, & 31. Propertius,

Quinque tibi potui ſervire fideliter annos.

Apud Senecam ille Controverſ. 2. 1. *Per annos duodecim in officio fui: dic quid in domo tua peccaverim.* D. Hieronymus in Epiſtolis, *Pene certe biennium cum iis vixi*, &c. *dicant quid unquam in me aliter ſenſerint quam Chriſtianum decebat.* Gracchus apud Gellium, *Biennium fui in Provincia: ſi nilla meretrix domum meam introivit, cujuſquam ſervus propter me ſollicitatus eſt, omnium nationum poſtremiſſimum nequiſſimumque exiſtimatote.* Dum ait filius heic, δουλεύω σοι, vult dicere, Non filii tantum reverentia te colui, ſed & ſervi timore. Sirachides 3. 8. de bono filio, Ὡς δεσπόταις, δουλεύσει τοῖς γεννήσασιν αὐτόν. Artemidorus 1. 50. Ἐ πίσης αἱ παῖδες τοῖς θεράπουσιν ὑπηρετοῦσι τοῖς γονεῦσι, καὶ θεραπεύουσιν αὐτὰς ὥσπερ οἰκέται. Servius ad Æneid. 11. *Alii tradunt de filiis qui in patris poteſtate ſunt, non putari jus eſſe funus vocari, ſicque: quia ſervorum loco ſunt parenti.* Ammonius, Κύριος, &c. τῶν υἱῶν ὁ πατήρ. Lactantius 4. 3. *Dominium eundem eſſe qui ſit pater, etiam Juris civilis ratio demonſtrat: quis enim poterit filios educare, niſi habeat in eos Domini poteſtatem?* Adoleſcens ad patrem ſuum in Plautina Trinummo,

Pro ingenio ego me liberum eſſe ratus ſum, pro imperio tuo
Meum animum tibi ſervitutem ſervire æquum cenſui.

In Ejuſdem Aſinaria,

Tuo facit juſſu, tuo imperio paret: mater tu, eadem hæc es.

D. Hieronymus ad Gaudentiam de filiolæ educatione, *Amet (te) ut parentem, ſubjiciatur ut Dominæ.* Vide & Malach. 3. 17. Galat. 4. 1. Philipp. 2. 22. & alium è Plauto locum poſt pauca adducendum.

Ibid. Καὶ οὐδέποτε ἐντολήν σου παρῆλθον] Vult dicere,

Non unquam tenui ſaltem tua gratia nævo
Commaculata mihi eſt. - - -

Cornelius Nepos de Pomponio Attico, *Hoc ipſum vere gloriantem audivi in funere matris ſuæ, (quam extulit annorum nonaginta, cum eſſet ſeptem & ſexaginta,) ſe nunquam cum matre in gratiam rediſſe.* Filius jam dicto loco in Plautina Comœdia,

Semper ego uſque ad hanc ætatem ab ineunte adoleſcentia
Tuis ſervivi ſervitutem imperiis & præceptis, pater:

quod heic, τοσαῦτα ἔτη δουλεύω σοι. Deinde,

Ne tibi ægritudinem, pater, parerem parſi ſedulo,
Sæpe tecta tua præcepta uſque habui mea modeſtia:

i. e. οὐδέποτε ἐντολήν σου παρῆλθον. Seneca 3. 38. de Beneficiis, *Nulla vi verborum, nulla ingenii facultate exprimi poteſt, quantum opus ſit*, &c. *poſſe hoc dicere, Parentibus meis parui, ceſſi, imperio eorum*, &c. *obſequentem ſubmiſſumque me præbui.* Abdicatus à patre filius apud Quintilianum, *Ne illa quidem dicere ſuſtineo quæ initio defenſionis ſolennia cæteri* (filii) *habent, Ecquid peccavi? nunquid luxuriatus ſum?* &c. Abdicatus & alter ille apud Lucianum, Τίνα ἀπειλέων υἱὸν παρῆκα; πότε ἀπήνειτος ἐγενόμην; τίνας πότους ἀναίρω; τίνας κώμους ἐγκαλεῖς; τίς ἀσωτία;

Ibid. Οὐδέποτε ἐντολήν σου παρῆλθον] Nullum imperium tuum omiſi. Arrianus 3. 5. in Epictetum, Ταῦτα ἐπιτηδείων βίλια ἐυρεθῆναι, ἵνα εἰπεῖν δύνωμαι τῷ θεῷ, μή τι παρέβην σου τὰς ἐντολάς; Hoc Proverb. 15. 5. πατρὸς ἐντολὰς φυλάττειν· cui contrarium Tobiæ 4. 6. τὰς ἐντολὰς παραβῆναι. Virgilius de filio Jovis, Mercurio,

- - - Ille patris magni parere parabat
Imperio. - - -

ubi Servius, *Non reſpondet, ſed dictis obtemperat.*

Ibid. Οὐδέποτε ἐντολήν σου παρῆλθον] Servus ad herum ſuum in Plauti Moſtellaria,

Qui tibi nunquam quidquam, poſtquam tuus ſum, verbo-
rum dedi.

Com. 30. Ὁ υἱός σου οὗτος ὁ κατα φαγών σου τὸν βίον] *Deglutitor iſte* (ex Apuleio loquimur noſtro,) *qui in ventrem condidit, & collurcinationibus dilapidavit ſubſtantiam tuam.* Plautus Pſeudolo,

- - - Luſtrantur, comedunt quod habent.

Sic, *bona comedere*, apud Senecam 122 Epiſt. & *bona adedere* apud Tacitum lib. 1. Hiſtoriarum. Τὸ σοῦ poſterius in Vulgata abeſt, at putem retinendum. Ad filium pater ille in Nubibus Ariſtophanis,

- - - Ὅστερ τεθνεῶτος κατηλίσεις με τὸν βίον.

Anthippus Comicus, Μειράκιον ἐρημένην ἔχει, τὴν πατρῴαν οὐσίαν κατεσθίει. Lucretius,

- - - Bene parta patrum fiunt anademata, mitræ,
Interdum in pallam, ac Meluenſia Cæaque vertunt.

Plus autem heic κατα φαγὼν quam ſimpliciter φαγών. Suidas ad jam citata Ariſtophanis ea, κατηλούεις, &c. Τὴν ΚΑΤΑ τρέβειν ἐπιτατικῶς λαμβάνουσιν, ὡς ἐπὶ τῷ κατα φαγεῖν. Gloſſarium, Κατα φαγὰς, *nepos, comiſſator, vorax.* Aliud Gloſſarium, *Devorator*, κατα φαγὰς & ibidem, *Helluo*, ἑαυτὸν κα-

κατα**Φ**αγός. Τὸν βίον σε, *ſubſtantiam tuam.* Plutarchus in De aud. poet. Καὶ τὸν βίον ποτὲ μὲν τὸ ζῆν, ποτὲ δὲ καὶ τὰ χρήματα. Artemidorus 4. 33. Ὁ βίος διχῶς νοείσθω, ποτὲ μὲν ὡς ἀτία καὶ κτήματα, ποτὲ δὲ ὡς αὐτὸ τὸ ζῆν. Heſychius, Ζωὴν, βιόν. Scholiaſtes ad Odyſſ. ξ'. Ζωὴ, ἡ πρὸς τὴν ζωὴν παρασκευή. Donatus ad Phormionem, *Vita meretrix ſignificat, & animam, & alimentum*, &c. Τὸ οὗτος hic, ut & infra 18. 11. per contemptum prolatum. Vide ad Act. 5. 28. annotata.

Ibid. Ὁ' *κατα**Φ**αγών σε τὸν βίον μετὰ πορνῶν*]

- - - Qui rem patriam rumore ſiniſtro
Limina ad obſcœna infregit. - - -

Γαστρὶ χαριζόμενος τὸν σὸν βίον ἢ κατὰ νόμον
Τῇ θ' ὑπὸ τὴν μικρὰν γαστέρα μαργοσύνῃ.

In Epidico Plautina,

Cum illa quam tuus (filius) *deamat, deperit,*
Ubi fidemque remque, ſeque teque properat perdere.

Heſychius, Ἀπολελάχευται, εἰς λαχνείαν ἀνάλωται· ubi forte (ſenſu quo apud Lucam) ἀπολελάγνευται & λαγνείαν ſcribendum. Signanter autem μετὰ πορνῶν βίον κατα**Φ**αγεῖν dictum. Solomo 29. 3. Gnomologici, Ὃς κοιμᾶται πόρνης ἀπολεῖ τὴν τοῦτον. Vide & ibidem 5. 10. Sirachides 9. 6. Μὴ δὸς πόρνῃ τὴν ψυχήν σε, ἵνα μὴ ἀπολέσῃς τὴν κληρονομίαν σου. De Callia Suidas, Ἐγένετο πένης, τὰ πατρῶα εἰς πόρνας καταναλώσας. Servius ad Æneid. 5. de Sirenibus, *Illectos ſuo cantu in naufragia adducebant: ſecundum autem veritatem meretrices fuerunt, quæ tranſeuntes quoniam ducebant ad egeſtatem, his fida ſunt inferre naufragia.* Τὸ μετὰ hic aggravative ponitur, ad convictum demonſtrandum. Donatus ad Terentium, *Gravius eſt cum meretrice vivere quam meretricem amare.*

Com. 31. Τέκνον, σὺ πάντοτε, &c.] q. d. Non hæc in tuam contumeliam facio, ſed in illius honorem. *Eum fratrem amare magis putas quem non amas? falleris, longeque te ab intellectu rerum natura ſepoſuit prava perſuaſio, qui putas ex paternis affectibus filio* (forte *uni filio*) *perire quicquid in altero de neceſſitate præponderat. Par eſt in omnes liberos, eademque pietas; ſed habet in aliquo plerumque proprias indulgentia cauſas: & ſalva charitatis æqualitate eſt quiddam per quod ſingulos rurſum tanquam unicos amamus. Hunc primus naſcendi locum, illum gratiorem prior fecit infantia: alium latior cultus, & blandior oſculis amplexibuſque facies: quoſdam magis ſeveritas probitaſque commendat: in quibuſdam* (en rem ipſam de qua hic Chriſtus) *impatientius calamitates diliguntur. Salva tamen eſt univerſitas, cum quicquid in altero ceſſare creditur, in altero reſtituit affectus. Securus ſis, non intercidunt iſta, non pereunt: ſed invicem vincunt, prævalent, cedunt.* Sunt verba Quintiliani ex 5. declam. ſumpta. Seneca 66 Epiſt. *Parentum amor magis in eos quorum miſerentur inclinat.* Idem exul ad matrem ſuam, *Neceſſe eſt, cum omnia feceris, cogitationes tamen tuæ ſubinde ad me recurrere; nec quenquam nunc ex liberis tuis frequentius obverſari tibi: non quia illi minus chari ſunt, ſed quia naturale eſt animum ſæpius referre ad id quod dolet.* Seneca alter in Thebaide,

- - - Semper infirmo favens
Miſeros magis Fortuna conciliat ſuis.

Quintilianus Declam. 328. de liberis loquens, *Inter quos hæc una differentia eſt apud animum patris, quod ſemper majorem locum habet is cujus miſeremur.*

Ibid. Καὶ πάντα τὰ ἐμὰ σά ἐϛι]

Tecum cuncta mihi, & tibi ſunt communia mecum.

Arrianus 2. 20. in Epictetum, Μέμνησο ὅτι υἱὸς εἶ, τούτου τῦ προσώπου ἐπαγγελία πάντα αὐτοῦ ἡγεῖσθαι τοῦ πατρός. Vide Johan. 3. 35. & 16. 15. Euthymius ad Joh. 17. ea, MEA OMNIA TUA SUNT, ET TUA MEA SUNT, *Etiam antequam darentur, filii erant, & poſtquam data ſunt, patri permanſerunt: hoc eſt, ſemper amborum, utpote æqualium in honoribus & bonis.* De filio & ſuis bonis apud Terentium ille,

Quem pariter uti his decuit, aut etiam magis.

Inſtitut. de ſuis & neceſſ. hæred. *Vivo quoque patre domini quodammodo exiſtimantur.*

Ibid. Πάντα τὰ ἐμὰ, σά ἐϛιν] Tu (inquit) heres meus, ergo κύριος πάντων, (Galat. 4. 1.) κληρονόμος πάντων, (Heb. 1. 2.) ubi tanta quanta inter nos communio intercedit nil donis opus. Romanos ab hac mente inter conjuges donationis mutuas vetuiſſe, Plutarchus narrat, ἐχ ἵνα μηδενὸς μεταλαμβάνωσιν, ἀλλ' ἵνα πάντα κοινὰ νομίζωσιν. Σά ἐϛιν, intellige proprietate, non pleno dominio; nec tamen minus apta & propria locutio eſt. Seneca 7. 4. de Benefic. *Non ideo quod habeo meum non eſt ſi tuum eſt: poteſt enim idem eſſe & meum & tuum:* & cap. 12. *Non eſt argumentum, aliquid tuum non eſſe, quia vendere, quia conſumere, quia mutare in deterius aut melius non potes: tuum enim eſt etiam quod ſub lege certa tuum eſt.*

Com. 32. Εὐ**Φ**ρανθῆναι δὲ καὶ χαρῆναι ἔδει, ὅτι ὁ ἀδελ**Φ**ός σου οὗτος νεκρὸς ἦν, καὶ ἀνέζησε] D. Auguſtinus Confeſſ. 8. 3. *Æger eſt charus, & vena ejus malum renuncias? omnes qui eum ſalvum cupiunt ægrotant ſimul animo: ſit ita recte? &c. ſit tale gaudium quale non fuit cum antea ſalvus & fortis ambularet.* Martialis ubi de Proculo ſanitati reſtituto,

Deſperaſſe juvat. - - -

Et ſtatim,

- - - Minus gaudent qui timuere nihil.

Vulgatus heic, *epulari & gaudere oportebat.* Ita, *hilares ſunt, & epulantur*, in Floridis Apuleius dixit. Χαίρειν autem, & εὐ**Φ**ραίνεσθαι conjungi ſolent, ubi de re convivali agitur, ut Thren. Jerem. 4. 21. Χαῖρε, καὶ εὐ**Φ**ραίνου· & Eſther. 9. 8. Ἦγον αὐτὴν ἡμέραν μετὰ χαρᾶς καὶ εὐ**Φ**ροσύνης. Philo locutionem iſtam de Deo uſurpavit, Μόνος (inquit) χαίρει, καὶ μόνος εὐ**Φ**ραίνεται.

Ibid. Ὅτι ὁ ἀδελ**Φ**ός σου οὗτος νεκρὸς ἦν, καὶ ἀνέζησε] Vide ſupra ad comm. 14. dicta. Vult dicere, Æquum eſt & nos epulari, quia jam ille epulatur, Οὐκ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ, ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας (1 Cor. 5. 8.) ἀλλ' ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας.

Ibid. Ἀ'πολωλὼς ἦν, καὶ εὑρέθη] Vide infra 19. 10.

CAP. XVI.

VALLA.

2. *Redde rationem villicationis tuæ: jam enim amplius non poteris villicare*] Pro *villicatione* Græce eſt *œconomia* οἰκονομία, pro *villicare* οἰκονομεῖν, & *villicus, œconomus* οἰκονόμος. Non fuiſſe Hieronymum utique qui N. Teſtamentum ita interpretatus eſt, vel hinc patet quod ad Algaſiam aliter hunc locum transfert, inquiens, *Redde rationem diſpenſationis tuæ: non enim ultra poteris mea diſpenſare.* Ergo commodius vocabulum *diſpenſator* quam *villicus.* Terentius Varro in libro De agricultura inquit, *Villicus agri colendi cauſa conſtitutus, atque appellatus à villa, quod ab eo in eam conveheuntur fructus, & evehuntur cum veneunt.* Ipſe vero Hieronymus ait, *Villicus propriè villæ gubernator eſt, à Villa nomen Villici accepit. Œconomus non tantum frugum, ſed omnium quæ dominus poſſidet, gubernator eſt. Unde* Œconomicus *Xenophontis pulcherrimus liber eſt, qui non Villæ gubernationem ſed Univerſæ domus diſpenſationem, Tullio interpretante, ſignificat.*

6. *Accipe cautionem tuam*] Γράμμα.

7. *Accipe literas tuas*] Γράμμα. Cum Græcum ſit idem, cur variavit Interpres? Eſt enim Græce *literam*, ſive *ſcripturam*; non autem *cautionem*, aut *literas*, quæ *epiſtolam* ſignificant.

16. *Ex eo regnum Dei euangelizatur*] Gr. *ex tunc*, ſive *à tunc*, ἀπὸ τότε. Quemadmodum in Pſ. 93. 2. *Parata ſedes tua ex tunc.* Id ego tranſtuliſſem *ex eo tempore.*

22, 23. *Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus in inferno. Elevans autem oculos ſuos*] Si erat ſepultus in inferno, qui poterat procul videre Lazarum cum Abraham, aut tollere oculos qui ſepulti erant? Ergo ſciamus in Græco eſſe, *Mortuus eſt autem & dives, ſepultuſque. Et in inferno elevans oculos ſuos*, ſive *in inferno ſublatis oculis ſuis*: ἀνέβλεψε δὲ καὶ ὁ πλούσιος, καὶ ἐτάφη· καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ.

25. *Fili, recordare quia acceperis bona in vita tua*] Dicendum eſt, *quia acceperis in bona tua in vita tua*, ὅτι ἀπέλαβες σὺ τὰ ἀγαθά σου.

26. *Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum, ut ii qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint, neque inde huc tranſmeare*] Ego ſic transferrem, *Et ſuper hæc omnia inter vos & nos abruptum magnum*, ſive *hiatus*, ſive

vo-

uorago magna, firmata eſt, ut ii qui volunt tranſire hinc ad vos non poſſint, neque qui iſtinc ad nos tranſfretent. Et in his omnibus Græce dicitur καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις. *Chaos* autem Græce non legitur, ſed *chaſma* χάσμα. *Inde* dicitur ἐνεῦθεν, quod etſi ſignificat *inde* aut *illinc*, tamen nunc transferendum fuit *iſtinc*, quod adverbium Græci non habent, & pro eo *illinc* ſive *inde* utuntur. Nos vero primæ perſonæ accommodamus *hinc*, ſecundæ *iſtinc*, tertiæ *illinc* ſive *inde*, ut in Elegantiis dixi. *Tranſmeare* Græce eſt διαπερᾶσαι.

REVIUS in VALLAM.

2. NON *gubernationem villæ*] Deerat *Villæ*, quod neceſſario ſupplevi ex Hieronymo ad Algaſiam, tom. 3. p. 162.

17. *Accipe literas tuas*] Hæc ab interpunctis laborabant.

26. Chaos *autem Græce non legitur, ſed* chaſma] Budæus Annot. in Pand. p. 608. putat eſſe erratum librariorum. Eraſmus Interpreti tribuit, ſed vehementer improbat; quod CHAOS *confuſionem* ſignificet, dictum à χέω *fundo*; alterum illud, *hiatum*, à χαίνω *hiſco*. Sed, ſi licet dicere, errat Eraſmus & ipſe Budæus. Nam *Chaos* non à χέω ſed à χαίνω diſerte deducit Feſtus, ac ait CHAOS *appellare Heſiodum confuſam quandam ab initio unitatem, hiantem patentemque* (nota) *in profundum:* & mox etymon quod dixi adjicit. *Cavum* etiam à *chao* & ex *manitate* dictum ait. Hinc *chaos* apud veteres ſignificavit Aerem. Euripides Cadmo, Οὐρανὸς ὑπὲρ ἡμᾶς πενὸς, Φάτνην ἔδας δαιμόνιον· τὸ δ' ἐν μέσῳ ἠρανῆ τε καὶ χθονὸς οἱ μὲν ὀνομάζουσι χάος. Ariſtophanes Ὄρνισι,

Διὰ τῆς πόλεως τῆς ἀλλοτρίας, καὶ τῦ χάους.

Theocritus τρίτυγι, Ἀ'παντ' ὀσ' ἔστει δὶ αἰθέρας χάους τε· quæ loca citata à Scaligero Conject. ad Varr. p. 81. etiam hic merentur legi. Idem in Ænam Com. Severi, ad illos verſus,

Immenſos plerumque ſinus, ac jugera peſſum
Intercepta licet, denſæque abſcondita noctis
Proſpectare procul, chaos ac ſine fine ruina.

χάος, inquit, *vocat* τὸ χάσμα, in Catalect. Virg. p. 97.

ERASMUS.

1. QUI *habebat villicum*] Οἰκονόμον *diſpenſatorem*, h. e. *œconomum*, ab οἶκος *domus* & νέμειν *diſtribuere*, quod ea diſpenſet quæ ad rem domeſticam pertinent. *Villicus*, ut inquit Varro in libris De re ruſtica, *agri colendi cauſa conſtituitur, appellatus à Villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, & evehuntur cum veneunt.* Atque ipſe D. Hieron. diſtinguit *villicum* ab *œconomo: Villicus*, inquit, *proprie villæ gubernator, à Villa nomen Villici accepit: Œconomus non tantum frugum, ſed & omnium quæ dominus poſſidet, gubernator eſt.* Unde OECONOMICUS *Xenophontis pulcherrimus liber, qui non Villæ gubernationem, ſed Univerſæ domus diſpenſationem, Tullio interpretante, ſignificat.* Proinde magis quadrabat hoc loco *œconomum* ſive *diſpenſator* quam *villicum*. Quin & in his quæ mox ſequuntur, *Redde rationem villicationis tuæ*, &, *Non poteris amplius villicare.* Græce eſt οἰκονομίας & οἰκονομεῖν, *diſpenſationis* & *diſpenſare.* Atque ita citat D. Hieronymus, explicans hunc locum in epiſt. ad Algaſiam, *Redde rationem diſpenſationis tuæ: non enim poteris ultra diſpenſare.* ¶ *Diffamatus eſt*] Gr. διεβλήθη, quod magis ſonat *delatus eſt*, à διαβάλλομαι· unde *Diabolus*, *calumniator*, διαβολὴ *calumnia.* Quanquam hoc intereſt; *calumniator* falſo defert, *at defertur* etiam qui merito accuſatur. ¶ *Quaſi*] Ὡς διασκορπίζων *velut diſſipans*, ſive *velut qui diſſiparet.* Nimirum delatus eſt hoc nomine *quod diſſiparet bona illius.*

3. *Mendicare erubeſco*] Ἐπαιτεῖν· pro quo alias uſus eſt προσαιτεῖν.

5. *Convocatis itaque ſingulis*] Προσκαλεσάμενος *ad ſe vocatis*, ſive *accerſitis.*

6. *Centum cados*] Ἑκατὸν βάτους *centum batos*, non *cados.* Nam *Batus* Hebraica vox eſt, illis menſuram ſignificans liquidorum, ut docet Joſephus Antiq. l. 8. ea capiebat Sextarios LXXII. quemadmodum & illud quod mox ſequitur, *Coros.* Ea menſura aridorum capiebat Modimnos Atticos XLI, ut idem teſtatur l. 3. ¶ *Accipe cautionem*] Τὸ γράμμα. Idem verbum quod mox vertit *literas*, idque non Latine. Nam *literæ* numero multitudinis ſignificant *epiſtolam.* Aut igitur utrobique vertere debuerat *cautionem*, cum utrobique ſit γράμμα quod *literam* ſonat, aut *ſcriptum*, aut *ſyngraphem*, aut *codicillos*, aut *libellos*, aut hujuſmodi quippiam.

8. *Villicum iniquitatis*] Ex idiomate ſermonis Hebræi dixit *villicum iniquitatis* pro *diſpenſatore iniquo* ſive *injuſto:* cui non diſſimile eſt quod mox ſequitur, *de mammona iniquitatis.*

10. *Et in majori*] Ἐν πολλῷ *in multo.* ¶ *In minori*] Ἐλαχίστῳ *in minimo.* Sed amat variare Interpres. ¶ *In majori*] *In multo*, ut ſuperius.

11. *Quod veſtrum eſt quis credet vobis*] Τὸ ἀληθινὸν *quod verum eſt*, id quod in nonnullis cod. haud dubie librariorum vitio fuerat depravatum: quandoquidem & in emendationibus Latinorum exempl. *verum* legimus, non *veſtrum.* Opponit autem *verum iniquo.* Nam *vera* divitiæ ſunt quæ ſine fraude parantur. Et hoc loco *credet* poſitum eſt pro *committet.* Porro qui committit tibi, nimirum alienum committit, non tuum. At in proxima clauſula *veſtrum* opponit *alieno.* Et quod *verum* eſt non creditur, quod *noſtrum* non datur.

13. *Aut enim unum odiet*] Id quoniam totidem verbis dicitur apud Matthæum, inde petat qui volet quod in hunc annotavimus locum.

14. *Audiebant autem hæc omnia Phariſæi, qui erant avari; & deridebant illum*] Græci ſecus diſtinguunt, Ἦκουον δὲ ταῦτα πάντα, καὶ οἱ Φαρισαῖοι φιλάργυροι ὑπάρχοντες ἐξεμυκτήριζον αὐτόν, *Audiebant autem hæc omnia, & Phariſæi qui erant avari deridebant eum:* ut intelligas hæc omnia cæteris quoque fuiſſe audita, verum ſolos Phariſæos offenſos fuiſſe, quorum ulcus tetigerat. Etiamſi nonnulla exemplaria rurſus addita conjunctione habebant *& deridebant eum.* Ἐξεμυκτήριζον. Eſt autem μυκτηρίζειν quod Latini vocant *naſo ſuſpendere.* Erat enim olim Naſus irriſioni dicatus: μυκτὴρ Græce *naſus:* inde μυκτηρίζειν *ſubſannare*, & quo uſus eſt Cicero *inter ſe irridere viciſſim irridere.*

16. *Ex eo*] Ἀπὸ τότε *ex tunc*, ut alias vertit, ut in Pſalmo, *Parata ſedes tua ex tunc*, ἀπὸ τότε. Latinius erat *ex eo tempore*, ſive *ab eo tempore.* ¶ *Et omnis in illud vim facit*] Græca quidem reddidit: verum Latinius erat, incolumi tamen ſenſu, *& omnes in illud*, quemadmodum legit Ambroſius, ſive *quivis in illud.* Jam enim promiſcue conabantur irrumpere etiam Ethnici.

19. *Purpura & byſſo*] Mirum unde Auguſtinus in Pſalm. 48. pro *purpura* legat *holoſericis.* ¶ *Epulabatur*] Εὐφραινόμενος, quod Irenæus alicubi vertit *jocundabatur.* Vox enim Græca utrumque ſignificat *lætitiam mentis* & *hilare convivium.*

20. *Nomine Lazarus*] Hebræis ſonat *Adjutus à Domino:* ut ipſum etiam vocabulum faciat ad parabolam: Deſtitutus erat ab hominibus, ſed adjutorem habebat Deum. Siquidem עזר *auxilium* ſonat, אל Deus. Hoc ſenſiſſe videtur qui collegit Sylvam nominum Hebraicorum ex omnibus libris ſacris. Cæterum is cujus exſtat in ſingulos Euangeliſtas Collectio nominum *Lazarum* interpretatur *Adjutum.* ¶ *Qui jacebat*] Ἐβέβλητο *projectus erat.* Quo verbo ſolet uti de vehementer ægrotante & affixo lecto. ¶ *Januam*] Πυλῶνος, quod *veſtibulum* ſonat ſive *oſtium divitum.* Nomen deductum à *porta.* ¶ *Ulceribus plenus*] Ἡλκωμένος *ulceratus*, ſive *ulceroſus:* ſimile illi κεχαριτωμένη *gratioſa*, ſive *gratia plena.*

21. *Et nemo illi dabat*] Hanc particulam non reperio addiram in Græc. cod. ne in his quidem quos nobis præbuit bibliotheca D. Donatiani, & Conſtantienſis. Quin ipſe Beda nec legit nec interpretatur. Ex Ambroſianis Commentariis citius colligas micas fuiſſe datas quam non datas. Neque enim hoc nomine reprehenditur dives quod nihil impertierit pauperibus, ſed quod in deliciis ſuſtineret vivere cum videret fratrem ſuum tot malis diſcruciari, nec collegerit jacentem, nec ſua menſa dignatus ſit, nec curarit ulcera illius, cum canes eſſent ipſo humaniores; nec quicquam impertierit præter ea quæ decidebant de ſumptuoſa menſa à canibus ſublegenda.

22. *Et ſepultus eſt in inferno*] Diſtinctio apud nos vitiata. Id manifeſtum ex Chryſoſtomi homiliis quas ſcripſit de Lazaro. Græce ſecus eſt, καὶ ἐτάφη· καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμούς, *Et ſepultus eſt: & in inferno ſublatis oculis:* ut ſit ſenſus, Divitem quoque, qui felicitatem poſuerat in opibus ac deliciis ſuis, ſimiliter mortuum fuiſſe ac ſepultum quemadmodum & pauperculum illum: Cæterum animam, quæ devecta fuerat ad inferos, ſublatis oculis vidiſſe Abraham. Alioqui qui poterat tollere oculos ſepultus? Ad hunc ſane modum plane diſtinguit & Theophylactus, qui ab eo loco, *Et in inferno elevans oculos ſuos*, novi capitis facit initium, commentario in medio interpoſito. Similiter diſtinguit Auguſtinus in ſerm. quo enarrat hunc verſi-

culum,

culum, *Tibi derelictus eſt pauper: & vide*, inquit, *exitus eorum. Contigit enim mori inopem illum & auferri ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt & dives, & ſepultus eſt: nam pauper forte non ſepultus eſt*, &c. Rurſus homilia quæ eſt ex quinquaginta ſeptima diſtinctionem Græcorum ſequitur: unde mirum eſt Bedam Auguſtini compilatorem ſequi diverſum. Quæ referuntur in Aurea catena ex Chryſoſtomo duobus verbis depravata ſunt, quæ ſi abeſſent, prorſum nobiſcum facerent. Nam in hoc philoſopharur, quod *dives tantum ſepultus legitur, nec ulla ſit mentio famulorum aut amicorum qui morienti adfuerint, eo quod divitem ubi ventum eſt ad vitæ finem omnes deſtituere ſolent. Tantum ſepultus dicitur, jam bis ſepultus, cujus anima prius erat ſepulta in corpore.* In hanc fere ſententiam Chryſoſtomus.

25. *Receptiſti bona*] Græci addunt *tua τὰ ἀγαθά σου*, ut diſtingueret illius falſa bona ab hujus veris. Et mox, ¶ *Similiter mala*] Subaudias *ſua*. Non quod ſimpliciter eſſent mala, ſed illius mala. ¶ *Nunc autem hic conſolatur*] Παρακαλεῖται, paſſive, h. e. *ſolatio fruitur*, ſive *ſolatium habet*, aut *ſolatio afficitur*: atque ita vitaſſet amphibologiam.

26. *Et in his omnibus*] Καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις. Poteſt accipi & hic ſenſus, *Et ſuper hæc omnia*, ſive *Præter hæc omnia*: ut intelligamus hoc accedere ad infelicitatem divitis, quod ob voraginem interjacentem non poſſit illi ſuccurri. ¶ *Chaos magnum firmatum eſt*] Mirum quid venerit in mentem Interpreti ut Græcam vocem alia Græca redderet, nec ea ſane idem ſignificante. Siquidem Græce χάσμα eſt, quod *hiatum terræ* ſignificat, qui ſolet exſiſtere nonnunquam in terræmotu quem Ariſtoteles in lib. De mundo *chaſmatian* appellat: unde & *chaſmaticum terræmotum* dictus. Nonnulli *voraginem* vocant, quod fiſſura terræ in immenſam devergat profunditatem. *Chaos* autem *confuſionem* ſignificat, hoc dictum à χέω *fundo*, illud à χάινω *hio*. Annotavit hunc locum Gulielmus Budæus noſter, nonnihil adjiciens annotationi Laurentianæ. Hoc admonendum duxi, partim ne quem ſuo fraudarem honore, partim ut qui diligentius hæc & exactius velit cognoſcere ex illius petat Annotamentis quæ ſcripſit in Pandectas Juris: nam nos ubique ſervimus compendio, ne lectori faſtidio ſimus. ¶ *Neque inde*] Μηδὲ οἱ ἐκεῖθεν *neque qui iſthinc*. Nam Græci carent hac proprietate adverbiorum, cum apud Latinos *hinc* referatur ad primam perſonam, h. e. loquentis, *iſthinc* ad ſecundam, *illinc* & *inde* ad tertiam. ¶ *Tranſmeare*] Διαπερῶσιν *ne tranſcendant*, ſubjunctivi modi.

28. *Tormentorum*] Τῆς βασάνου *tormenti*, ſive *cruciatus*.

VATABLUS.

1. *Villicum*] *Œconomum: diſpenſatorem.* Et infra. ¶ *Diffamatus*] *Delatus.* ¶ *Quaſi diſſipaſſet bona*] *Veluti diſſipans facultates.*

2. *Villicationis*] *Œconomiæ: diſpenſationis.* ¶ *Villicare*] *Diſpenſare.*

4. *Scio*] *Novi.*

6. *Cados*] *Batos.* Menſura liquidorum capiens Sextarios LXXII. ¶ *Accipe*] Sub. *à me.* i. quam tibi trado, & qua hero meo es obligatus. ¶ *Cautionem*] *Literam: ſyngraphum.* ¶ *Scribe quinquaginta*] Sub. *te mihi ſolviſſe:* vel, *aliam quæ quinquaginta tantum contineat.*

7. *Coros*] Menſura aridorum Medimnos Atticos XLI capiens.

8. *Villicum iniquitatis*] Heb. *Œconomum iniquum.* ¶ *Quia*] *Certe.* ¶ *Filii hujus ſeculi*] i. huic ſeculo dediti. ¶ *In generatione ſua*] Heb. pro *quamdiu hic vivunt.* Vel, *in iis quæ illis accidunt*, aut, *in iis quæ gerunt.*

9. *Iniquitatis*] *Injuſtitiæ.* i. ex divitiis quibus plerique male uti ſolent: aut, quæ homines ad iniquitatem impellunt, 1 Tim. 6.

10. *Majori*] *Multo.* ¶ *Modico*] *Minimo.*

11. *Quod verum eſt*] Heb. pro *ſincero, integro, & incorrupto* ponitur: opponitur enim *injuſto.* i. veras divitias.

12. *Si in alieno*] i. ſi in alienis opibus, nempe iis quas Deus dedit vobis diſpenſandas. ¶ *Quod veſtrum eſt*] i. mercedem veſtram. q. d. Si opes à Deo vobis commiſſas non recte diſpenſaveritis, nullam mercedem accipietis.

13. *Uni adhærebit*] *Unum amplectetur.*

14. *Omnia hæc* * *Phariſæi*] * *Et.*

15. *Hominibus*] *Inter homines.*

16. *Ex eo*] *Ex tunc: ex eo tempore.* ¶ *Euangelizatur*] *Annunciatur:* i. Euangelium quo docemur per quem regat nos Deus. ¶ *Omnis in illud vim facit*] Vel, *quivis ad illud vi tendit:* ſub. *præter vos Iſraelitæ.* Oratio concisa.

18. *Et* * *qui*] * *Omnis.*

19. *Homo* * *quidam*] * *Autem.* ¶ *Qui*] *Et*, Vet.

20. *Et erat*] *Erat autem.* ¶ *Jacebat*] *Porrectus erat.*

21. *Divitis*, * *ſed*] * *Et nemo illi dabat*, Vet.

22, 23. *Sepultus eſt in inferno. Elevans autem oculos ſuos*] *Sepultus eſt. Et in inferno ſublatis oculis ſuis.* ¶ *Vidit*] *Videt.*

25. *Et dixit*] *Dixit autem.* ¶ *Bona* *] * *Tua.* ¶ *Conſolatur*] *Solatio fruitur.*

26. *In his omnibus*] *Præter* [*ſuper*] *hæc omnia.* ¶ *Chaos magnum firmatum eſt*] *Hiatus magnus firmatus eſt:* Vel, *vorago*, i. latiſſima & altiſſima foſſa intercedit, ut nequeamus ultro citroque commeare.

28. *Tormentorum*] *Tormenti.*

31. *Credent*] Vel potius, *perſuadebitur illis.*

CASTALIO.

6. *Scriptum*] Syngrapham, quam ego hic habeo.

8. *Homines lucis*] Durum fortaſſe videbitur, qualia ſunt & illa, *ſpiritus debilitatis, ſpiritus conſolationis*; ſed & Latini ſic loquuntur, ut cum Amorem vocant *Deum pacis.* Item cum dicunt *hominem trium literarum*; & *hominem pauperum*: τοῖς autem pro *hominibus* dici alibi docuimus.

12. *In alieno*] In hujus vitæ facultatibus, quæ vobis ad tempus dantur. ¶ *Veſtrum*] Cœleſtes opes, quæ vobis ſemper manſuræ ſunt.

17. *Quam Legis vel unum apicem intercidere*] Quam non omnia fieri quæ prædicta ſunt in Divina diſciplina.

CLARIUS.

1. *Homo quidam erat dives*] Cauſam introductæ parabolæ ſequentia poſt parabolam Domini verba declarant. Quod vero ait *laudaſſe Dominum iniquum villicum, quod prudenter egiſſet*, non laudat fraudem & iniquum villici factum; ſed quod nos interdum ſolemus cum audimus patratum ab aliquo facinus, ſed ingenioſe, tunc etſi damnamus factum, laudamus tamen ingenium, dolemuſque eum non in melioribus rebus illud ingenium exercuiſſe: quod & hic Dominus quaſi ægre ferens dicit *filios hujus ſeculi prudentiores filiis lucis eſſe.* Cum autem audis opponi *filios ſeculi hujus filiis lucis*, intellige idem eſſe *filios hujus ſeculi & filios tenebrarum*, alioquin oppoſitio non quadraret. Tale quid apud Poetam invenies, cum ait,

. . . Quondam juvenis, nunc femina Canem.

nam ex oppoſitione *femina juvenis* marem ſignificat.

9. *De mamona iniquitatis*] *De mamona injuſto:* nam ſemper injuſtæ divitiæ ſunt cum detinentur.

10. *Qui fidelis eſt in minimo*, &c.] Totam hanc ſeriem ſic intellige; Ex minoribus factis majorum conjectura fit. Si ergo in adminiſtrandis divitiis, quæ res quædam falſa eſt, fideles non fueritis, quis credet vobis ea quæ vera ſunt, adminiſtrationem ſcilicet donorum Spiritus? & ſi in his divitiis, quæ res aliena quædam eſt, reperti fueritis infideles, quomodo apti eritis quibus credantur ea quæ veſtra proprie ſunt, dona Spiritus adminiſtranda?

16. *Lex & Prophetæ*] Sic continua ſenſum textus; Vos Phariſæi nullam aliam celſitudinem agnoſcitis præter eam quæ videtur hominibus, idcirco in hac una excellere cupitis, & magni apud homines apparere: ſed hæc *Deus abominatur* quæ vos *magna* exiſtimatis. Nam etſi divitias polliceri Lex videatur, quas ego doceo abjiciendas, intelligite hæc pro tempore ac moribus veſtris conceſſa. Nunc huic literæ Legis finis eſt imponendus: nam *Joannes* finis *Legis eſt ac Prophetarum*, quem ſcitis appellationem *Regni cœlorum* introduxiſſe. Illius ergo Regni divitiæ ſunt requirendæ, quas Lex ſignabat: quarum niſi aliquando mentio fieret, nunquam Lex perfecta eſſet: Quam nunc ut perficerem veni, & idcirco multa interpretor aliorſum atque vos ſoletis, ut cum doceo *eum qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, adulterum eſſe*, &c. Poſtremo in Divitiarum & Avaritiæ deteſtationem addit parabolam Divitis & Pauperis Lazari; In qua illud in primis notandum eſt, Abraham non objeciſſe diviti ſcelera ulla, ſed tantum quod *receperit bona ſua in vita ſua*, & idcirco *eum cruciari*; *Lazarum* vero contra, quia *perpeſſus ſit mala, eſſe in ſolatio*: ut intelligamus nullam eſſe rem homini tam perniciosam quam in

ſumma

ſummo verſari otio ac deliciis; neque rurſus quicquam utilius quam exerceri afflictionibus.

ZEGERUS.

1. Qui habebat villicum] *Villicus* proprie villæ, h. e. prædii extra urbem, gubernator eſt. Græcum autem vocabulum *œconomus* generalius eſt, nimirum quemvis *diſpenſatorem* ſignans, ab οἶκος *domus* & νέμειν *diſtribuere*, quod rem domeſticam diſpenſet. ¶ *Quaſi diſſipaſſet*] Pro *veluti diſſipaſſet*, vel *tanquam diſſipator*.

2. *Villicationis*] Οἰκονομίας *diſpenſationis*. ¶ *Villicari*] Vel *villicare*: eſt villæ diſpenſatorem agere: cujus loco eſt οἰκονομεῖν *gubernare* ſive *diſpenſare*.

6. *Cautionem*] i. *literas*, vel *tabulas ſupputatorias*. *Repertorium* & *Inventarium* à Jureconſultis vocatur.

8. *Villicum iniquitatis*] Vocat *villicum*, ſive *diſpenſatorem*, *iniquum atque injuſtum*: idque ex conſuetudine ſermonis Hebraici. ¶ *Filii hujus ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt*] Dupliciter accipi poteſt. Primo, ut intelligamus filios hujus ſeculi aſtutiores eſſe in ſua generatione, ut prospiciant ſibi in vita temporali, quam ſint filii lucis in ſua, ut prospiciant ſibi in vita cœleſti. Aliter, ut intelligamus filios hujus ſeculi in temporali hac generatione prudentiores eſſe quam ſint filii lucis. *Filii* autem *lucis* & *filii ſeculi* appellantur, quod illi lucis, hi ſeculi opera faciant. Porro *generatio*, i. γενεὰ, hoc loco vitam ſive vitæ tempus declarat: alioqui γενεὰ idem eſt quod *genus* & *progenies*.

9. *De mammona iniquitatis*] i. de perniciosis divitiis; utpote quæ homines ad iniquitatem impellant. *Mammon* enim *divitiæ* interpretatur. ¶ *Cum defeceritis*] Cum huic vitæ finem dederitis.

11. *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis, quod verum eſt quis credet vobis?*] h. e. *Quod ſi in falſis hujus ſeculi divitiis fideles non fuiſtis, quod verum eſt mammon*, i. ſpiritualia, quæ longe his præſtantiora ſunt, *quis audebit committere vobis?* Sequitur,

12. *Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis?*] Perinde eſt ac ſi dicat, Si vos infideles eſtis aliis, fiet ſimiliter ut alii vobis ſint futuri infideles. Quibus verbis hoc vult intelligi, quod ſicut nos fideles ſumus in concreditis ad tempus hujus ſeculi bonis, ita ſuo tempore Chriſtus pluſquam optima fide reſtituet quæ apud ipſum ſpiritualia bona nobis ſunt depoſita.

14. *Audiebant autem hæc omnia Phariſæi*, &c.] Interpres, quo ſenſus eſſet apertior, Græci ſermonis characterem, qui in copulæ anticipatione ſitus eſt, probe commutavit. Nam quod ibi ad verbum dicitur, *Audiebant autem omnia hæc, & Phariſæi avari exiſtentes deridebant eum*, reſolvendum eſt, *Audiebant autem omnia hæc Phariſæi*, &c. Idem fecit & paulo inferius, ubi pro eo quod eſt καὶ ἐτάφη, καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, ὑπάρχων, &c. ita interpretatus eſt, *Et ſepultus eſt in inferno. Elevans autem*, &c. Hoc genus eſt & illud Marc. 9. 25. *Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, Exi ab eo.*

16. *Lex & Prophetæ uſque ad Johannem*] Diſputantem contra avaritiam Salvatorem Phariſæi deridebant, quaſi contraria Legi Prophetiſque præciperet, ubi multi & ditiſſimi fuiſſe & tamen Deo placuiſſe legerentur. Quibus ille occurrens his ac ſequentibus verbis non minimum intereſſe inter Legem & Euangelium oſtendit. Cum autem dicit, *Lex & Prophetæ uſque ad Johannem*, non ſentit Legem ac Prophetas exinde defeciſſe, ſed non potuiſſe ultra venturum prænunciari quod Johannis præconio jam clarebat veniſſe. ¶ *Ex eo regnum Dei euangelizatur*] *Ex eo*, ſubaudi *Johannis Baptiſtæ tempore*.

18. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & aliam ducit, mœchatur*] Hoc unum ex ipſa Lege veluti exempli gratia adducit teſtimonium, quo doceret non ad abolendam ſed ad abſolvendam perficiendamque ſe Legem advenisſe.

19. *Homo quidam erat dives qui induebatur purpura*] Quod ad narrationis continuationem attinet, quoniam paulo ante propoſita Oeconomi aſtuti parabola cohortatus fuerat ad *faciendos amicos de mammona iniquitatis: qui cum ab hac defecerimus vita, recipiant nos in æterna tabernacula*; id quod *avaritiæ dediti Phariſæi deridebant*; exemplo idipſum nunc aſtruit, oſtenditque ideo divitem holoſericatum irremediabiliter apud inferos cruciari quia pauperem Lazarum, à quo in vitæ tabernacula recipi poterat, amicum ſibi facere contemſit.

21. *Et nemo illi dabat*] Hæc verba nec apud veteres nec in Græcis reperiuntur exempl. nec in Latinis antiquis, ſed huc tranſcripta ſunt ex Filii prodigi hiſtoria, quæ habetur capite præcedenti. Apud Chryſologum adjecta viſuntur, ſed à librariis, ut ex ſerm. 124 conjicio. Smaragdus hoc longe poſterior non legit.

26. *Chaos*] Χάσμα, i. *hiatus*, vel *vorago*. Teutonice **een onderſtand of afgront** dicere poſſumus. CHAOS *confuſionem* ſignat. Hoc dictum à χέω *fundo*; illud à χαίνω *hio*. *Chaos*, inquit Lactantius, *eſt rudis inordinataque materia confuſa congeries*.

H. STEPHANUS.

1. Διεβλήθη] *Accuſatus fuit*.

3. Ἐπαιτεῖν] *Stipem poſcere*: vel, *Mendicare*.

4. Ἔγνων τί ποιήσω, ἵνα ὅταν μεταςαθῶ] *In mentem venit, quidnam mihi faciendum ſit, ut cum amotus fuero*. Gall. *je me ſuis adviſé*.

13. Ἑνὸς ἀνθέξεται] *Uni deditus erit*: vel, *Uni adhærebit*.

14. Ἐξεμυκτήριζον αὐτόν] *Naſo eum ſuſpendebant*.

16. Βιάζεται] *Irruptionem facit*.

17. Κεραίαν] *Apicem*.

20. Ἡλκωμένος] *Vulneribus obſitus*.

23. Ἐν βασάνοις] *In tormentis*.

25. Παρακαλεῖται] *Solatio fruitur*.

26. Ἐστήρικται] *Stabilitum eſt*: q. d. *Stabili & irrevocabili Dei voluntate conſtitutum*.

28. Διαμαρτύρηται αὐτοῖς] *Teſtetur eis* de me.

30. Οὐχί] *Non* audient eos.

31. Πεισθήσονται] *Fidem habebunt ei*.

DRUSIUS.

1. Qui habebat villicum] Lex. Græco-Lat. vetus, *Villicus*, οἰκονόμος, ἐπιτρόπος, καὶ ὁ κατὰ ἀγρὸν οἰκονομῶν. *Villa*, ἔπαυλις, ἐποίκιον. Et Lat. Græcum, Οἰκονόμος, *diſpenſator*, *œconomus*. Οἰκονόμος ὁ ἐπὶ τῆς κώμης, *vilicus*. Οἰκονομῶ *vilico*: lego, *villicus*, & *villico*. Mox v. 2. *Jam non poteris villicare*, i. villicus aut diſpenſator eſſe. Ibid. *Redde rationem villicationis tuæ*, τῆς οἰκονομίας σου. Melius alii, *diſpenſationis tuæ*. Idem Lex. Οἰκονομία, *diſpenſatio*, *adminiſtratio*.

6. *Centum batos*] Vulg. *centum cados*. Syrus, *centum metretas*. Quæ omnia in idem recidunt. Mox probabo. Batus Ebraice בַּת dicitur, quod antiquitus בֵּת legebant per Segol. Theodoretus in lib. Regum, *Iſtud autem* βὲθ *alii interpretati ſunt* βάτον, *alii* βάδον. *Batus autem menſura eſt Paläſtina continens* LXX *ſextarios & IV congios, ſicut dixit Joſephus. Beth*, quod alii ſcribunt *Bath* cum diphthongo, habetur in ed. Græca 3 Reg. 5. *Viginti millia beth olei contuſi*. Hæc menſura varias appellationes habet. Nam & *Batus* dicitur ſive *Badus*, ut vidimus: & *Metretes* 2 Par. 4. 5. in LXX. ubi Hieron. *tria millia metretas*: & Κεράμιον Jeſ. 5. 10. (ubi Hieron. *lagunculam*, alii *batum*, i. *amphoram Atticam*) & *Cadus* apud Vulg. interpretem hoc in loco. Quam interpretationem Georgius Agricola firmat, ſcribens Batum & Cadum eandem menſuram eſſe, quæ reſpondeat Amphoræ Atticæ. Quanquam כד, unde *cadus* appellatus videtur, magis *hydriam* vel *ſitulam* ſonat. Lex. vetus, Κάδος, *ſitula*, *ſitulus*. Κάδιον, *ſitella*, *ſitellum*. Nam pro menſura non memini legere. De כד loquor voce Ebræa. Hieron. Jeſ. 5. *Pro* κεραμίῳ, i. *lagunculæ*, *quam ſoli LXX tranſtulerunt, omnes alii Batum interpretati ſunt, quod Ebraice dicitur Beth*. Et mox, *Decem jugera vineærum facient batum*, i. *tres amphoras*. Quærendum de qua Amphora hic ſermo ſit. Nam Romana duarum tantum Urnarum erat, Attica vero trium. Palæmo,

Attica præterea dicenda eſt amphora nobis,
Seu cadus: hanc facies, noſtra ſi adjeceris urnam.

Beda, *Cadus*, *amphora trium urnarum*. *Batus* in liquidis eſt quod *Ephi* eſt in aridis. Rurſum Hieron. in loco citato, *Batus autem in liquidis ſpeciebus dicitur, & Ephi ſive Epha ejuſdem menſuræ in aridis. Sicut in Execiele juxta Ebraicum legimus*, EPHI JUSTUM ET BATUS JUSTUS ERIT VOBIS. EPHI ET BATUS ÆQUALIA ET UNIUS MENSURÆ ERUNT, UT CAPIAT DECIMAM PARTEM CORI BATUS, ET DECIMAM PARTEM CORI EPHI. JUXTA MENSURAM CORI ERIT ÆQUA LIBRATIO EORUM. Idem Ezech. 45. *Porro Batus, qui Ebraice appellatur Beth ſive Bath, eadem menſura eſt qua & Ephi, & in ſpeciebus tantum liquidis, vini, & olei, & iſtiuſmodi. Cornu tri-*

Digitized by Google

triginta habet modios, & in utraque menſura, h. e. tam aridarum quam liquentium, tenet principium. Decima pars cori in his quæ modio menſurantur, appellatur Epha, i. tres modii: & decima pars cori in ſpeciebus liquidis vocatur Batus ſive Vadus (malim *Badus*) *ut ejuſdem menſura ſit Epha & Batus.* Videndus etiam Eucherius in libr. Regum pag. 172, & 292. Pro clauſula, ſciendum à Senibus Batum quoque reddi χοεὺς, qui eſt *congius*, 3 Reg. 7. 26. & μέτρον 2 Paral. 2. 10. & χοῖνιξ, *chœnix* Ezech. 45. 10. & κοτύλη *cotyla* Ezec. 45. 14.

7. *Centum coros tritici*] Menſura eſt non tam aridorum quam liquidorum. Docent epiſtola Salomonis, quæ apud Euſebium Προπαρασκ. pag. 264. & locus Hieron. quem ſupra produximus. Hæc menſura alio nomine *Homer* dicitur, & continet ova cccccxxx & fere quartam partem ovi, ſive x Ephas, h. e. xxx Modios, ut Hier. prodidit. Nam Epha capit tres Modios. Joſephus autor continere x Medimnos Atticos. Quod etiam Zonaras prodidit 172. Procopius in Gen. 134. *Corus eſt menſura ſpecies. Nomen mutuatur ab Ebræo* כר: *continet Modios* xxx. χαρία *ſignificat Collem vel Cumulum. Hinc* xxx *Modii coacervati & cumulati onus cameli efficiunt. Sed Modius facit* xxii *Sextarios.* Iſidorus Corum quoque appellatum exiſtimat à ſimilitudine collis. *Coacervati enim*, inquit, *Modii* xxx *inſtar collis videntur, & onus cameli efficiunt.* CORA *enim Ebræis Colles appellantur.* Sic ille: ſed profecto fallitur. Nam כר non ſign. *collem*, niſi ſit כ pro כר *tanquam mons.* Id quod in mente habuiſſe, à quo hæc deſumpſit Iſidorus, ſane quam veriſimile eſt. Moſes de Korſi lib. Præcept. 231. 2. כרם *in arido*, *quod* כרן, *Sata in humido.* Imo etiam Satum menſura eſt rerum aridarum.

8. *Filii hujus ſeculi*] Quibus tantum curæ cordique eſt hoc ſeculum, de futuro nihil etiam ſolliciti ſunt. Vocantur interdum *filii ſeculi* ſimpliciter. ¶ *Filii lucis*] Vera luce illuſtrati, qui & *filii ſeculi futuri*, & *filii ſeculi ſupremi.* Vide Principium ſapientiæ breve, 27. 2. & 42. 2.

9. *De Mammona iniquitatis* ἐκ τῆ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας] Sunt divitiæ quæ de vetito ſive de malo parantur. Ovidius, *Sed jam de vetito parabat opes.* Sic, *es de malo habere*, h. e. ex furtis, latrociniis fraudibuſque partum. Dicunt etiam *divitias facere à malo.* Quod Chriſtus non jubet; ſed, *Si feceris*, inquit, *para tibi inde amicos qui te recipiant in æterna tabernacula. Mamon, mamona, mamonas*; ut *Satan, Satana, Satanas; Saron, Sarona, Saronas. Mamon* Ebraicum eſt, *mamona* Syriacum, *mamonas* Græcum, h. e. terminatio Græca. Græci enim nominibus in *a* deſinentibus addere ſolent *s. Mamona, Mamonas*, ut *Juda, Judas.* Cave ponas diſcrimen inter hoc & illud. *Mamon*, i. ממן. Sed in libris fere μαμμωνᾶ, i. ממונא, cum duplici μ μ. Vide quæ habentur ad Matth. 6. 24. Nondum ſcio utra ſcriptura melior verior ſit. Origo nominis, ut quidam exiſtimant, ab אמן, in quo ſignificatio *firmitudinis.* Quo argumento & חיל dicuntur. Aliis *mammon* idem quod ממון, eliſa litera Teth: cui firmando Heſychius, Μαμωνᾶς, θησαυρὸς πλουτίας. Forerius Jeſ. 45. 3. *Putarem ex voce Ebræa* מטמון *fluxiſſe illam quæ Rabbinis frequens eſt, & qua in Euangelio utitur DOMINUS*, MAMMON, T *ablato è medio. Licet enim ſit vox Syriaca* MAMONA, *quia tamen miſtum erat idioma ex Chaldæo & Ebræo, & corrupta erant voces magna ex parte, quid mirum ſi ex* MATMON *ſit factum* MAMMON? *Ergo ab Occultatione dicta ſunt hac voce divitiæ.* Non eſt temere aſſentiendum. Nam Teth hoc modo elidi non ſolet. Præterea מטמון eſt *theſaurus* à *recondendo* dictus; ממן aliud ſignificat. In libro electo, c. 10. *Anima divitiis meliores ſunt divitiis mamona.* Ebraice eſt ממון עושר. Alibi reperias דיני ממוניות *judicia pecuniaria*, i. omnia ea quæ ad rem pecuniariam pertinent. Jam ad Theologos. Irenæus Adv. Hæreſes lib. 3. cap. 8. MAMMONAS *ſecundum Judaicam loquelam, qua & Samarita utuntur, cupidus & pluſquam oportet habere volens. Secundum autem Ebraicam adjunctive dicitur* MAM, *vel ſign. Guloſum, i. qui non poſſit à gula ſe continere.* Nugæ, & Nævii butubata. Hieron. epiſt. ad Algaſiam, quæſt. 6. MAMMONA *non Ebræorum ſed Syrorum lingua divitiæ nuncupantur, quod de iniquitate collectæ ſint.* Cur addit, *de iniquitate collectæ?* An putavit *Mamona* compoſitum ex מן & עון *iniquitas?* verum videtur. Geminatur autem litera Mem; ut in *memmemu* & ſimilibus. Ergo *mamona, opes*, מן עון, i. *ex iniquitate. Min, men, man*, ut *Niſibis, Neſibis, Naſibis.* Sic *Nimrod, Nemrod, Namrod.* Idem Hieron. *Mammona, vox eſt Syra, quæ apud eos Opes denotat, quod apud Græcos* πλοῦτος. Auguſtinus Sermone De verbis DOMINI, & in Quæſt. Euang. *Mamon Punice lucrum eſſe dicit, multiſque in verbis vicinas eſſe linguas Ebræam & Afram.* Idem l. 2. De ſermone DOMINI in monte, MAMMONA *apud Ebræos Divitiæ appellari dicuntur. Congruit & Punicum nomen. Nam Lucrum Punice* MAMMON *dicitur.* Porro Tertullianus interpretatur *Mammona, nummum*, adv. Marcion. l. 4. c. 33. Petrus Lombardus ſive Longobardus l. 2. diſt. 6. *Inde etiam eſt quod nomine dæmonis divitiæ vocantur, ſcilicet Mammona. Eſt enim Mammon nomen dæmonis*; (dubito) *quo nomine vocantur divitiæ ſecundum Syram linguam. Hoc autem non ideo eſt quod diabolus in poteſtate habeat dare vel auferre divitias cui velit, ſed quia eis utitur ad hominum tentationem & deceptionem.* A *Mammone* Syrorum Pluto derivatum eſt *Mammonem*, quod Prudentius uſurpat pro *avido. Mamona injuſtum* Luc. 16. 9. Auguſtinus hom. 30. tom. 10. *Injuſtæ divitiæ dicuntur, non quia injuſtum eſt aurum & argentum, ſed quia injuſtum eſt eas putare divitias quæ non auferant egeſtatem. Mamona injuſtum* & *verum*, i. ἀληθινὸν, opponuntur, *Si in Mammona injuſto fideles non fuiſtis, quod verum eſt quis vobis credet? Verum Mammona* ſunt divitiæ ſpirituales; *injuſtum*, ipſæ divitiæ, quæ ut plurimum injuſte poſſidentur. Unde apud Salomonem dives vocatur *vir fraudum.* Nam opes fere cum aliqua iniquitate vel comparantur vel conſervantur. Ideo Hieronymus, *Dives*, inquit, *aut iniquus aut iniqui hæres.* Sirach. 5. 1. *Noli attendere ad poſſeſſiones iniquas*, Græce ἐπὶ τοῖς χρήμασί σου. Sed vide ſis Eraſmum Luc. 16. & Bezam ultima editione. Ambroſius in 16. Lucæ, *Pulchre* INIQUUM MAMMONA *dixit, quia variis divitiarum illecebris nos avaritia tentabat affectus ut vellemus ſervire divitiis.* Rurſum Auguſtinus Serm. 35. De verbis DOMINI, *Mammona iniquitatis, divitiæ ſunt ſeculi omnes undecunque ſint. Undecunque congregentur, Mammona iniquitatis eſt, i. divitiæ ſunt iniquitatis. Quid eſt, Divitiæ ſunt iniquitatis? Pecunia eſt, quam nomine divitiarum appellat iniquitatis.* Vide præcedentia. Finiam, ſi hoc unum addidero. Μαμωνᾶ Clemens ſtromat. l. 4. Φιλαργυρίαν interpretatur.

11. *Quod verum eſt*] *Verum* hic opponitur ἀδίκῳ *injuſto.* Nam quod verum etiam juſtum, & contra. *Verum* ergo *Mammona*, quod ſine fraudibus partum. Proprie Verum in oppoſito habet Falſum. Sed, ut dixi, Verum etiam quod Juſtum, quia nulla juſtitia quæ non ſit fraudum expers. Eraſmus, *Vera divitiæ ſunt quæ ſine fraudibus parantur.* Eædem & *juſtæ* ſunt. Vide annotata ad v. 9.

16. *Lex & Prophetæ*] Aut eſt ſynecdochica locutio, aut *Prophetas* dicit etiam Hagiographos, qui Prophetæ fuerunt in ſecundo gradu, quem *Spiritum ſanctum* appellant. Sunt qui putant eos qui in primo gradu Prophetæ ponuntur, munus propheticum obiiſſe, cæteros non item. Nam David Rex erat & Daniel homo politicus; neuter Propheta fuit munere functioneve.

17. *Legis unum apicem*] De apicibus vocalium enarrant; ego, de apicibus literarum. Nam apites vocalium Chriſti tempore nondum adſcripti erant, ac ne hodie quidem ſcribuntur cum lege. Qui viderunt volumen Legis in ſynagogis Judæorum, ſciunt me verum dicere.

20. *Nomine Lazarus*] Syrus לזר. Tertullianus vocat *Eleazarum* in lib. De idolol. pag. 735. Sic etiam appellat Prudentius in hymno de ſanctorum exſequiis. Idem eſt: Nam *Lazarus* contractum ex *Eleazarus*, Juch. 91. 2. *R. Lazarus*, לזר, & ſol. 81. pag. 1. *Omnis R. Eleazar in Thalmud Jeroſ. ſcribitur* ר' לזר. Forte Jeroſ. dialectus ita contrahebat hoc nomen. Porro Hebraice hoc nomen integre ſcribitur אלעזר *Eleazar.*

29. *Habent Moſen & prophetas*] *Moſen* dicit Legem, ſcriptorem uſurpans pro libro ejus, & *Prophetarum* nomine complectitur etiam Hagiographos. In hoc ſenſu late nomen *Propheta* accipitur, ut etiam Davidem, Salomonem, Jobum & Danielem comprehendat, qui Prophetæ quidem fuerunt, ſed non in eo gradu in quo Jeſaias, Ezeciel, & reliqui, qui minus lata ſignificatione *Prophetæ* vocantur, ut cum V. Inſtrumentum partiuntur in Legem, Prophetas & Hagiographos. Hæc ſi catechiſtæ hactenus ignorarunt, tamen vera ſunt. Vincat ergo Veritas, & cedat illi arrogans & ſuperbum ſupercilium.

30. *Siquis ex mortuis abierit ad eos, reſipiſcent*] Simile quid legitur in lib. Muſar, 5. 1. de R. Simeone Lacis F. *qui cum egiſſet pœnitentiam, tranſlatus fuit in paradiſum, cum ſocii ejus ad inferos detruderentur. Ibi queſti ſunt de Deo, ac ſi haberet reſpectum perſonarum; ſed is reſpondit, Simeonem egiſſe pœnitentiam. Tum illi, Sine nos, inquiunt, & etiam agemus pœ-*

pœnitentiam. Sed Deus, Non eſt pœnitentia poſt diem mortis. Ideo R. Eleazar dicebat, Uno die ante mortem reſipiſcendum eſſe. Cum autem diſcipuli ejus dicerent, Et quando moriemur? reſpondit, Hora mortis incerta: propterea hodie reſipiſcendum. Nam fortaſſe cras moriemur.

CASAUBONUS.

4 ΙΝΑ ὅταν μετασταθῶ τῆς οἰκονομίας] Vulgata interpretatio, *ut cum amotus fuero à villicatione*: barbare. Perelegan-ter Tertullianus l. 4. Adverſus Marcionem *ab actu ſummotum*. Verba ejus ſunt, *Admonens enim nos de ſecularibus ſuffragia nobis proſpicere amicitiarum, ſecundum ſervi illius exemplum qui ab actu ſummotus dominicos debitores immunit, cautionibus relevat in ſubſidium.* Idem Tertullianus hunc locum tractat in lib. De perſecutione.

CAMERO.

22. ΕΙΣ τὸν κόλπον τῦ Ἀβραάμ] Phariſæi, teſte Joſepho, in ea fuerunt hæreſi quæ ſtatueret animam vita in corpore functam vocari in jus, atque in locis ſubterraneis vel requie & honore frui vel æternis affici pœnis pro eo ac vixit in corpore. Hoc dogma ſive errorem potius Chriſtus hic refutat, cum animam Lazari ait *tranſlatam fuiſſe ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Nam Angeli certe à cœlo in terram, & viciſſim è terra in cœlum aſcendunt; at ad inferos non leguntur commeare. Et *ſinus Abrahæ* eo loco non ſignificat ſpecum quandam ſubterraneam, ne locum quidem omnino ſignificat: quis enim *ſinus humani* nomine locum deſignet? Quid igitur eſt *ſinus Abrahæ?* Nempe Regnum cœlorum, quod à Chriſto Matth. 8. 11. comparatur convivio in quo Abraham pater credentium primum locum tenet, cæteri vero convivæ una cum Abrahamo recumbunt. Fuit autem moris ut qui convivarum in Principis ſinu recumberet, is honoratiſſimus haberetur: quod argumentum fuit & indicium amoris illius ſingularis quo Chriſtus Johannem proſecutus eſt: nam *recubuiſſe* dicitur *in ſinu Chriſti*, Chriſtus autem ſedebat medius; ut apud Judæos locus medius in convivio præcipuus fuit. *Sinus* igitur *Abrahæ* eſt præcipua in regno cœlorum dignitas.

GUALTPERIUS.

6,7. DE *Bato* & *Coro* vide ſupra Matth. 5. 15. Syrus hic pro *Bato* ponit ܡܘܪܐ *Mauran*, i. *menſuras*, mutuatus vocabulum à Græco & ſuæ linguæ accommodans, ſcil. μετρητὰς, &c.

9. Μαμωνᾶ *Mamona*] Syrus ubique *Mammona*. Matth. 6. 24. ſcribitur per duplex μ, ut ibi videre eſt.

19. Πορφύραν] Πορφύρα *Purpura* genus conchæ marinæ, de qua Plinius l. 9. c. 36, & ſeq. & Ariſtoteles Hiſt. anim. l. 5. c. 25. *Purpuræ vivunt annis*, inquit Plinius, *plurimum ſeptenis. Latent, ſicut muricis, circa Canis ortum tricenis diebus. Congregantur verno tempore, mutuoque attritu lenteram emuſſam cera ſalivant. Sed purpura florem illum tingendis expetitum veſtibus in mediis habent faucibus. Liquoris hic minimi eſt in candida vena, unde pretioſus ille bibitur nigrantis roſæ colore ſublucens. Reliquum corpus ſterile. Vivas capere contendunt, quia cum vita ſuccum eum evomunt.* Deinde πορφύρα *pannum liquore purpuræ tinctum* ſignificat: & ſic *veſtis purpurea:* de qua Martialis, quod eſſet antiquitus inſigne Romanorum Magiſtratuum, canit,

Diviſit noſtras purpura veſtra togas.

Carolus Stephanus ex Lazaro Bayſio De re veſtiaria hæc excerpſit, *Purpuræ appellatione omnis generis purpuram contineri puto. Itaque vel ex Plinio conſtat, Buccinum & Conchylium & Muricem inter Purpuræ genera annumerari. Quintiam fuit Romæ purpura violacea, cujus libram denariis centum veniſſe Cornelius Nepos affirmat*, Plin. l. 9. c. 39. *Fuit & alia inſignis purpura quæ à Tyro inſula* Tyria *appellata eſt, & eſt omnium præſtantiſſima. Unde* Tyriæ veſtes *ab Ovidio dictæ, quæ eadem à Juvenale* Sarranæ *appellatæ ſunt. Et quia antiquæ mulierculæ decoris gratia purpura genas oblinire ſolebant, quemadmodum & in Italia factum, ideo* purpuriſſatas buccas *Plautus vocat in Truculento. Meminerunt &* purpuræ rubræ Tarentinæ, *&* purpuræ Tyriæ dibaphæ, *quod bis tinctæ eſſet. Purpureum colorem primum ab Hercule inventum docet idem Bayſius ex Julio Polluce. Inde* purpurare *eſt purpuræ colorem habere ſeu reddere; &* purpuraſcere, *purpureum fieri*; purpurati, *qui dignitate apud Principes antecellunt*, &c. ¶ Καὶ βύσσου] Apud Syrum *Byſſus* primo ponitur loco, deinde *purpura.* Βύσσος *Byſſus* genus quoddam eſt lini apud Indos, ut Pollux lib. 7. unde τὰ βύσσινα φάρη maximo habita in pretio: & βυσσίνη σίνδων *byſſina ſindon, byſſinum linteum* Plinius lib. 19. c. 1. de lino loquens, *Inventum eſt etiam*, inquit, *quod ignibus non abſumeretur. Vivum id vocant; ardenteſque in focis conviviorum vidimus mappas ex eo, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes magis igni quam poſſent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam ab reliquo ſeparant cinere. Cum inventum eſt, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem à Græcis Aſbeſtinon ex argumento naturæ. Huic lino principatus in toto orbe. Proximus byſſino, mulierum maxime delicis circa Elim in Achaia genito: quaternis denariis ſcrupula ejus permutata quondam, ut auri, reperio.* Hæc Plinius. Thyleſius, ut habet excerptor Bayſii, *Byſſinam veſtem tanquam aurum fulgere dicit. Ornatus divitum.* Ein ſehr köſtlich gekleideter Mann! als wenn er aus einem Königlichen Frauwenzimmer kähme! &c. Syrus vocem habet extra *Buza.*

JAC. CAPPELLUS.

19. DE Lazaro & epulone tres refert ſententias Nicolaus Serarius De Rabbinis lib. 2. cap 39. *Prima, parabolam eſſe; ſecunda, hiſtoriam eſſe; tertia, partim hiſtoriam, partim parabolam, uti clare noſter explicat Salmero.* Tertiæ ſententiæ primus auctor fuiſſe videtur Joh. Maldonatus ex eadem Societate. Vult igitur Maldonatus quatuor primis verſibus hiſtoriam, ſequentibus parabolam referri. Hiſtoricos vult eſſe quatuor primos verſus, quod dicatur v. 20. *Erat vero quidam mendicus nomine Lazari.* Chryſoſtomus autem in hunc locum, *Non ſunt*, inquit, *in parabola dicenda nomina.* Certe plura congeri non debent locorum perſonarumque nomina. Quamobrem cum liber Jobi multa locorum & perſonarum nomina recenſeat, merito cenſetur eſſe non parabola ſed hiſtoria. At quod de Lazari cum Abrahamo colloquio refertur, id parabolicum eſſe fatetur Maldonatus. Supereſt in ea quam hiſtoriam eſſe vult parte proprium nomen unicum, & tale quidem quod cuivis mendico poteſt aptari, ut *Lazarus* dicatur עזר *Eleazar* (ſic enim effertur etiam à Tertulliano De Idololatria) cui non homines ſunt *ſubſidio*, ſed *Deus* unus. Non eſt igitur quod unum *Lazari* nomen expreſſum vetet quominus totam hanc narrationem parabolæ deputemus; quam Patrum aliquot fuiſſe ſententiam agnoſcit ipſe Maldonatus. *Theophylactus*, inquit, *non ſolum parabolam eſſe putat, ſed adeo certus aſſeverat, ut qui hiſtoriam eſſe dicunt, ἀνοήτους, inſipientes, appellet. Juſtinus quoque Quæſt. lx. & Theophilus Antiochenus lib. 4. Allegoriarum, & Eucherius, & Chryſoſtomus ubique parabolam vocant.* Juriſconſulti non unum tantum ſed multa congerunt nomina propria in ſuis exemplis, quæ ſunt parabolarum inſtar. Verbi cauſa Pandectarum l. 9. tit. 2. §. 34. ad legem Aquiliam laudatur Marcellus ita loquens, *Titio & Seio Stichum legavi. Deliberante Seio, cum Titius vindicaſſet legatum, Stichus occiſus eſt. Deinde Seius repudiavit legatum. Perinde Titius agere poſſit ac ſi ſoli legatus eſſet.* Dixeris hiſtoriam narrari: tamen id ſi credideris, Juriſconſultis ludibrium debebis. Tibullus l. 1.

Hæc mihi, quæ canerem Titio, Deus edidit ora.

In hunc locum Scaliger, *Titium eſſe Juriſconſultorum perſonam ὑποθετικὴν, ut Philoſophorum Θέωνα, Δίωνα, jam nemo poteſt ignorare.* Sic apud Scholaſticos *Socrates*, apud Rabbinos *Simeon, Ruben* & *Levi* eadem mente uſurpantur qua *Titius, Seius* & *Stichus* apud Marcellum. Varro apud Gellium l. 3. c. 16. *Si quis mihi filius unus pluresve in decem menſibus genuntur*, (i. gignuntur) *ii ſi erunt* ὄνοι λίραι, *exheredes ſunto; quod ſi quis undecimo menſe* κατ' ἀρχοτέλην *natus eſt, Accio idem quod Titio jus eſto apud me.*

22. *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & aſportaretur ab Angelis in ſinum Abrahami*] h. e. In eum portum in quem poſt hujus vitæ procellas receptus fuit Abraham. Quippe quod Latini dicunt *navem appellere*, id Græci dicunt κέλλειν. Homerus Οδυσ. ι.

Οὔτ' ἂν νύμφαι μακραὶ κυλινδόμενα ποτὶ χέρσον
Εἰσοίσειαν πρὶν νῆας ἐύσσελμους ἐπικέλσαι.
Καλάσσῃσι δὲ νηυσὶ κεκεύθομεν ἰχθύσι πάντα.

Ad hunc locum Euſtathius ait à κέλλειν fieri κόλπον. Ab eodem verbo κέλλω fit κοῖλος *concavus*: unde factum ut quidlibet

πῆλον dicatur πόλους. Quo modo Latini quamlibet concavitatem dicunt *ſinum*, etiam portum: ut Virg. Æn. 2. *Tenedus*, inquit, *erat*

Inſula dives opum, Priami dum regna manebant:
Nunc tantum ſinus, & ſtatio male fida carinis.

Vel *deferri in ſinum Abrahami* eſt admitti ad *diſcubitum cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo in regno cœlorum*; quibus verbis deſcribit Chriſtus Matth. 8. 11. felicitatem illam qua fruituri ſunt fideles, utut ex Gentilibus oriundi, cum Judæi, qui ſe *regni filios* eſſe gloriabantur, *ejiciendi ſint in tenebras exteriores*, v. 12. Ut igitur v. 12. deſcribitur inferorum infelicitas ſumma, ſic v. 11. deſcribitur ſumma cœlorum beatitudo.

22, 23. Græci codices habent, ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος, καὶ ἐτάφη. Καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. Sic quoque Syrus & Arabs. Aliter tamen legit V. interpres. Vertit enim ita, *Mortuus autem eſt & dives, & ſepultus in inferno. Elevans autem oculos ſuos.* Nec ullam lectionis varietatem notant editiones Rob. Stephani, Plantinive. Sumpſit videlicet V. interpres vocem ᾅδης ordinaria ſignificatione, qua vel *ſepulcrum* deſignat, vel tam late patet quam *mors*, ut & vox *infernus*, adeoque *tartarus*. Quod ut liquidius fiat, notandum Scripturam ſæpe κατὰ συγκατάβασιν de rebus humanis adeoque de Divinis humano loqui modo. Eo fit ut rebus ſpiritualibus & ipſi Deo multa tribuat quæ proprie ſolis corporibus conveniunt. *Infernus* Hebræis dicitur שאול *ſcheol*, à *petendo*. Nempe quomodo dicit Homerus,

- - - ἀφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

licet proprie vir mucronem moveat, non mucro virum. Sic ἕλκος ἕλκος à *trahendo* dicitur, licet proprie non à vulnere trahantur humores, ſed humores ultro ferantur in partem affectam. Sic examinis corpus ultro tendit deorſum, non trahitur petiturve ab inferiore loco. Utut ſit, motus ille proprius eſt corporibus: Hebræi tamen ita loquuntur ac ſi tam animas quam corpora trahat aut exigat *infernus*. Sic corporum anima diſcedente proprium eſt non videre, carciſque locis condi: Græci tamen ita loquuntur acſi non minus *cæcum* ſit animarum quam corporum receptaculum. Denique corporum anima diſcedente proprium eſt cadere, unde & *cadavera* dicuntur: Tamen ita loquimur acſi diſceſſus animarum à corporibus ſit deſcenſus. Hinc quod earum receptaculum dicitur *infernus*, *inferi*, *tartarus*. Hinc illud pervulgatum ex Æn. 6.

- - - *facilis deſcenſus Averni.*

cum tamen illum deſcenſum & inferos tam beatis quam miſeris ſpiritibus tribuant Virgilius, vulgus, adeoque ſcriptores Eccleſiaſtici, quin & Sacri. Τάρταρος *tartarus* ſæpius quidem reſtringitur ad deteriorem partem, 2 Pet. 2. 4. σειραῖς ζόφου ταρταρώσας· quem *tartarum* Plato quidem à *frigore*, Grammatici deducunt à ταράσσειν *turbare*. Utut ſit, Petrus Chryſologus Ravennas Epiſcopus, Serm. 63. tam late ſumit *tartarum* quam *infernum*. Quippe de Lazaro loquens, *ut tartarus*, inquit, *rapiat, trahat, habeat, admittat*. Et Serm. 64. *ſciebat ubi illum tartara dira retinerent*. Et tamen paulo poſt Chriſtum ſic inducit loquentem, *Quem ego poſui in paradiſo, in regione vitæ, ecce vos ubi poſuiſtis eum!* Sic Virgilius Georg. l. 2.

Quicquid eris; nam te nec ſperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira libido;
Quamvis Elyſios miretur Gracia campos.

LUD. CAPPELLUS.

9. ΠΟιήσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας] Doctus Jeſuita Joh. Mariana, Tractatu quem pro Vulg. Edit. conſcripſit, cap. ult. ſic locum iſtum explicat, *Multi*, inquit, *in ea voce explicanda laborant, & multa comminiſcuntur, cum ſimpliciſſime* MAMMONA INIQUITATIS *ſignificet dona quibus Judices eorum corrumpuntur. Quod ex pluribus locis Chald. Paraph. obſervavimus.* 1 *Sam.* 12. 3. *ubi pro*, SI DE MANU CUJUSQUAM MUNERA ACCEPI, *Chald. habet* קבילית ממון SI ACCEPI MAMMON FALSITATIS: *quaſi pauperes debeamus* (*quorum eſt regnum cœlorum*) *donis allicere & quaſi corrumpere, ut delicta nobis in eorum gratiam condonentur, in ſuorum numero nos recipiant.* Hæc ille. Acute ſane, ſed non accommodate ad Chriſti mentem hoc loco, cui μαμωνᾶς τῆς ἀδικίας hoc verſu idem eſt quod ἄδικον μαμωνᾶ v. 11. At vero ea loco ἄδικον μαμωνᾶ non ſignificat dona quibus Judices corrumpuntur: nam quis poſſit in ejuſmodi muneribus eſſe πιστὸς fidelis? Atqui cum Chriſtus dicit, Εἰ ἐν τῷ ἀδίκῳ μαμωνᾷ πιστοὶ οὐκ ἐγένεσθε, præſupponit nos poſſe eſſe fideles in injuſto illo Mammona, quod fieri nequit in muneribus quibus corrumpuntur Judices. Ergo per ἄδικον μαμωνᾶ Chriſtus intelligit terrenas opes, ſeu divitias hujus mundi, quæ cœleſtibus comparatæ ſunt ψευδῆ γε *falſa & adulterina opes*, non veræ, (ſolæ cœleſtes veræ ſunt & proprie ſic dictæ) & ſunt ἄδικον μαμωνᾶ, quia ut plurimum & malis artibus comparantur, & ſunt (ut Ovidius loquitur) *irritamenta malorum*, hominibus præbent materiam & occaſionem multorum malorum, atque injuriam aliis inferendi. Senſus igitur hujus loci hic videtur potius eſſe, Bene utimini terrenis hiſce fluxiſque & evanidis (nam quæ vana ſunt, ea etiam mendacia & falſa dicuntur) operibus, eaque erogate liberaliter in ſublevandis piis pauperibus quorum regnum eſt cœlorum, (Benefaciendum enim eſt imprimis domeſticis fidei) ut poſt exactam hanc mortalem vitam in eorum conſortium à Deo aſſumpti æternam & beatam vitam una cum ipſis in cœlo agatis.

22. *Et aſportatus eſt* Lazarus *ab Angelis in ſinum Abrahæ*] De hoc Angelorum miniſterio in deportandis piorum animabus poſt mortem conſentiunt etiam Judæi. Sic nempe fabulantur de morte Moſis, in Rabboth, Paraſcha ultima Deuteronomii, *quod nempe cum advenſſet momentum mortis Moſis, Deus dixit Gabrieli* ואמר ליה ואמר ליה *Vade, & adduc ad me animam Moſis.* Sed cum pluribus verbis Gabriel exculaſſet ſe ab hoc munere, Deus id in mandatis dedit Samaeli Angelo mortis ואמר ליה ואמר ליה *& principi omnium Dæmonum:* quod cum ille non autus eſſet facere, Deus tandem ipſe deſcendit, & oſculando Moſem animam ejus per os à corpore avulſit. Porro *ſinus Abrahæ* non tam videtur hic dictus à more accumbentium menſæ (uti vulgo accipitur hæc phraſis) quam potius à puerulis qui parentibus ſunt chariſſimi, quos illi in ſinu ſive gremio fovent, in quo etiam ſuaviter interdum quieſcunt & dormiunt. Pii nempe *dormire* dicuntur in Scriptura cum moriuntur, & *quieſcere à laboribus ſuis:* ubinam autem quieſcere & dormire potius dicantur quam in gremio ſive ſinu ſpiritualis ſui patris Abrahami, qui pater eſt omnium credentium? Porro quod plerique Λάζαρον putant eſſe Hebræis אלעזר *Eleazarus*, (ut Paulinus epiſt. ad Alethium) pace eorum dixerim, falli mihi videntur. Ego potius dixerim eſſe עזר, q. d. עזר מה *ſine auxilio, omni ope deſtitutus*, ἀβοήθητος.

GROTIUS.

1. Οἰκονόμου, *villicum*] Quod pro *diſpenſatore* Latinus Interpres *villicum* dicit, more ſecit ſeculi ſui. Pridem enim vox illa extra nativum ſenſum proferri cœperat: quin & Præfectum urbi *villicum* dixit Juvenalis.

2. Ἀπόδος τὸν λόγον σου. *redde rationem tuam*] Tempus illi præſtituit reddendis rationibus, quibus expunctis ab actu diſcederet. Huic interpellationi reſpondent in re ſignificata morbi, & ſi quid aliud nos mortalitatis admonet.

3. Ἀφαιρεῖται τὴν οἰκονομίαν ἀπ' ἐμοῦ; *aufert à me villicationem*]? Ut Sibnæ. Eſaias xxii. 19. ¶ Σκάπτειν οὐκ ἰσχύω, *fodere non valeo*] Sic apud Ariſtophanem avibus, quidam de laturis victum queritans ita ſe defendit: τί γὰρ τοῦτο; σκάπτειν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι [*quid enim faciam? fodere neſcio*]. Nec multum diſſimile illud ejuſdem, εἰ δ' ὑφεῖλετο, σύγγνωθι· κιθαρίζειν γὰρ οὐκ ἐπίσταται [*quod ſi ſuffuratus eſt, ignoſce, muſicam enim non novit*]. ¶ Ἐπαιτεῖν, *mendicare*] Προαιτεῖν pro eodem dixit hic noſter xviii. 35. Marc. x. 46. Joh. ix. 8. αἰτεῖν ἐλεημοσύνην [*petere eleëmoſynam*] noſter Act. iii. 2. Tyrtæus dixit:

Πτωχείην πάντων ἐστ' ἀνιηρότατον.

[*Mendicitas res omnium eſt miſerrima*].

4. Δέξωνταί με, *recipiant me*] Id eſt, *ſint qui me recipiant.* Nomen enim ſubauditur.

6. Βάτους, *cados*] Vide Joſephum antiquæ hiſtoriæ viii. 2. ¶ Τὸ γράμμα, *cautionem*] Optime Latinus Interpres *cautionem* vertit. Ita enim Juriſconſulti vocant quod Græci *ſyngraphum* aut *chirographum*. Eandem *cautionis* vocem hoc ſenſu uſurpat Tertullianus & Salvianus. Sed & *literas* idem Interpres, niſi quod nulla erat variandi cauſa, non male. Teſtatur juris Romani titulus De literarum obligationibus. Tabularum vox, quam præferunt alii, non *ſyngraphas* ſed

ſed *codicem accepti expenſique* ſignificat: unde *nova tabula*, id eſt, *rationum abolitio*. Notandum eſt autem fingi penes hunc diſpenſatorem fuiſſe *ſyngraphas*, cujus moris exempla etiam in jure Romano conſpicere eſt.

8. Τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας, *villicum iniquitatis*] Id eſt, τὸν ἄδικον [*iniquum*], ut recte interpretatur Syrus ex Hebraiſmo. Sicut & ubi infra dicitur ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας [*judex iniquitatis*], ne quis putet τῆς ἀδικίας [*iniquitatis*] cohærere cum illo ἐπῄνεσεν [*laudavit*]. Quamvis in facto iniquo, non potuit dominus non probare ſolertiam diſpenſatoris, atque in hac ſolertia ſita eſt vis ſimilitudinis, non in facti improbitate. Sed à minori argumentum ducitur. *Si laudatur ſolers improbitas, quanto magis prudentia cum virtute conjuncta.* Sic infra dicto capite XVIII. *Si homo improbus aſſiduis flagitationibus movetur, quanto magis bonus ille Deus conſtanti prece.* Simile eſt quod ſubjunximus ſupra XI. 13. ¶ Ὅτι οἱ υἱοὶ, *quia filii*] Verba ſunt Chriſti pergentis ad explicationem fabellæ: ideo interpretamenti cauſa adjectum à nonnullis διὰ τοῦτο ὑμῖν [*quapropter dico vobis*], quod ſubaudiri ſatis eſt. ¶ Τῆ γενεᾶ τούτου, *hujus ſeculi*] Qui nihil aliud curant quam vitæ hujus commoda Hebræis עולם הזה [*filii hujus ſeculi*]. ¶ Τοῦ φωτὸς, *filiis lucis*] Ita vocat omnes eos *qui luce aliqua*, id eſt, *vitæ melioris cognitione illuſtrati ſunt*, quorum tamen magna pars negligit viam inire quæ ducit ad monſtratum bonum. Ita olim Judæi comparati nationibus recte dici poterant *filii lucis*, & nunc Chriſtiani omnes, 1 Theſſal. v. 5. ¶ Εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν, *in generatione ſua*] Hebraiſmus eſt לדורותם, id eſt, *in rebus ſuis agendis*. Nam *actiones* etiam Hebræi תולדות, id eſt, γενεὰς [*generationes*] vocant, ut apparet Geneſ. VI. 9. & XXXVII. 2. quo loco cauſa deſcenſionis in Ægyptum vocatur γενεὰ [*generatio*] Jacobi.

9. Κἀγὼ ὑμῖν λέγω, *& ego vobis dico*] Hac connexione Chriſtus ſignificat, bonorum quæ poſſidentur non tam proprietarios nos eſſe quam diſpenſatores. Philo: Πρῶτον μὲν ἴδιον, φησὶν, οὐδὲν ἔχεις ἀγαθὸν, ἀλλ' ὅ, τι ἂν νομίσῃς ἔχειν, ἕτερος παρέσχηται. ἐξ ἧ συνάγεται, ὅτι Θεῷ τῷ διδόντος κτήματα πάντα, ἀλλ' οὐ τῆς μετ' αὐτὸν καὶ τὰς χεῖρας εἰς τὸ λαβεῖν προτεινάσης γενέσεως· δεύτερον δὲ, κἂν λάβῃς, λάβε μὴ σεαυτῷ. δάνειον δὲ ἡ παρακαταθήκην νομίσας τὸ δοθὲν, τῷ παρακαταθεμένῳ καὶ σύμβολόν τι ἀπόδος, πρεσβυτέραν χάριν χάριτι νεωτέρᾳ προπετάρχουσαν ἀντεκτίνασῃ δικαίως καὶ προσηκόντως ἀμειψάμενος. πολλοὶ γὰρ ἐκ παρακαταθηκῶν πονηροὶ ἐγένοντο, τοῖς ἀλλοτρίοις ὡς ἰδίοις ὑπ' ἀμέτρου τῆς πλεονεξίας κατεχρησάμενοι [*Primum, proprii, inquiunt, quidem habes nihil; quod ſi quid habere videare, alius dedit. Ex quo efficitur, omnia Dei eſſe omnia, non creaturarum, quæ ut poſſit cum ſint, ita manus ei, quo ab eo accipiant, porrigunt. Deinde nec tibi, ſi quid accipis, accipe: imo vero quaſi mutuum acceperis, depoſitumve ſuſceperis, ita ei, qui tibi credidit, ſymbolum inſuper aliquod redde, vetuſtioremque gratiam poſteriore, antecedentem ſubſequente & rependente, juſte atque ordine remunerare. Corrupit enim multos habita eis fides depoſitumque ſuſceptum, dum alienis ut ſuis ob immoderatam avaritiam abutuntur*]. Seneca: *Quid non quam tuo parcis? procurator es.* ¶ Ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας, *de mammona iniquitatis*] Ex illis bonis quæ maxime inveniuntur apud injuſtos & ab injuſtis maximi fiunt, eoque probantur non eſſe vera bona. Vide infra 11. Chaldæus etiam Jobi Interpres dixit ממון כדבא [*mammona falſum*], μαμωνᾶ ἀδικίας [*mammona iniquitatis*]. ¶ Ἵνα ὅταν ἐκλίπητε, *ut cum defeceritis*] Plato ἐκλείποντας [*deficientes*] dixit *mortuos*, ut LXX interdum. Irenæi Interpres ita citat hunc locum, *quando fugati fueritis*. Et ſane ſolet ἐκλείπειν [*deficere*] etiam hunc habere ſenſum. Sed malim ſubaudiri ex præcedentibus τῆ μαμωνᾶ [*mammona*], ut plena locutio ſit ὅταν ἐκλίπητε τῆ μαμωνᾶ, *cum divitiis illis deſtituemini*, nec aliter accepit Syrus. Vertit enim ובמא דמא, id eſt, *cum defeceris*, nempe τὸ μαμωνᾶ [*mammona*]. Bene autem hoc ad comparationem facit, nam cum moriendum eſt, relinquunt nos divitiæ, ac proinde finem quoque accipit credita diſpenſatio. Martialis:

Rape, congere, aufer, poſſide, relinquendum eſt.

¶ Δέξωνται ὑμᾶς, *recipiant vos*] Id eſt, *efficiant ut recipiamini*, id autem efficiunt egeni à nobis adjuti, eo ferme modo quo parentes culti atque obſervati dicuntur vitam bonis producere Exod. XX. 12. Cæterum meminiſſe & hic debemus quod dictum eſt ſupra ad illum locum, πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν [*quod reliquum eſt, date eleemoſynam, & ecce omnia vobis munda ſunt*], operibus miſericordiæ non ſolis atque nudis, ſed ut comitibus veræ pœnitentiæ tales effectus tribui. Multa ſunt in libro primo Salviani contra avaritiam quæ lucem adferunt his Chriſti verbis. Inter ea & hoc: *Offerat ergo vel moriens ad liberandam de perennibus pœnis animam ſuam, quia aliud jam non poteſt, ſaltem ſubſtantiam ſuam: ſed offerat tamen cum compunctione, cum lachrymis: offerat cum dolore, cum luctu: Aliter quippe oblata non proſunt, quia non pretio ſed affectu placent: nec enim animus dantis datis, ſed animo commendantur data: nec pecunia fidem inſinuat* (id eſt commendat) *ſed pecuniam fides. Ac per hoc qui prodeſſe ſibi vult, quæ Deo offert hoc modo offerat: nec enim homo Deo præſtat beneficium in his quæ dederit, ſed Deum in his homini quæ acceperit, quia etiam quod homo habet Dei ac Domini ſui munus eſt: ac per hoc in his quæ efferuntur ab homine, homo non ſuum reddit, Dominus ſuum recipit. Itaque cum offert Deo quiſpiam facultates ſuas, non offerat quaſi præſumtione donantis, ſed quaſi humilitate ſolventis: nec abſolvere ſe peccata ſua credat ſed adlevare: nec offerat cum redemtionis fiducia, ſed cum ſupplicationis officio: nec quaſi totum debitum reddens, ſed quaſi vel parvum de magno reddere cupiens, quia etiam ſi tradat quod habet pro modo rerum, non reddit quod debet pro magnitudine peccatorum: & ideo licet offerat, oret Deum ut lenta ſua placeat oblatio, plangens id ipſum quod tarde offert; plangens ac pœnitens quod non prius.* Tobiæ Scriptor olim dixerat, Ὡς σοι ὑπάρχει κατὰ τὸ πλῆθος ποίησον ἐξ αὐτῶν ἐλεημοσύνην· ἐὰν ὀλίγον σοι ὑπάρχῃ κατὰ τὸ ὀλίγον μὴ φοβοῦ ποιεῖν ἐλεημοσύνην· θέμενος γὰρ ἀγαθὸν θησαυρίζεις σεαυτῷ εἰς ἡμέραν ἀνάγκης· ὅτι ἐλεημοσύνη ἐκ θανάτου ῥύεται καὶ οὐκ ἐᾷ εἰσελθεῖν εἰς τὸ σκότος· δῶρον γὰρ ἀγαθὸν ἔστιν ἐλεημοσύνη πᾶσι τοῖς ποιοῦσιν αὐτὴν ἐνώπιον τοῦ ὑψίστου. [*Si multum tibi fuerit abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis. Quoniam eleemoſyna à morte liberat & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia enim magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.*] Adde quæ diximus ad caput Matth. VI. 20. ¶ Εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς. *in æterna tabernacula*] Σκηνὰς [*tabernacula*] hic nihil aliud eſſe puto quam *habitacula*: οἰκίαν ἀχειροποίητον αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς [*domum non manufactam æternam in cœlis*] dixit Paulus II Corinth. V. 1. ubi etiam σκήνους [*tabernaculi*] vocem uſurpat. Neque enim ad templi σκηνὴν [*tabernaculum*] hic alluditur ut in Epiſtola ad Hebræos.

10. Ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ, καὶ ἐν πολλῷ πιστός ἐστιν· *Qui fidelis eſt in minimo & in majori fidelis eſt*] Solent heri famulorum ſuorum fidem in re non magni pretii explorare, atque inde de majoribus conjecturam facere. Vide Matth. XXV. 21, 23. Sane & in proverbio vir juſtus dicitur μηδὲ βελόνης ἐπιθυμεῖν [*ne acum quidem concupiſcere*]. Satis autem eſt, ſi in ſententiis aliquid ſit probabilitatis: neque enim requiritur ut ſemper locum habeant. Τὸ πολὺ [*multum*] hic eſt *id quod magni eſt pretii*, ut μισθὸς πολὺς [*merces multa*] Geneſ. XV. 1. ¶ Καὶ ὁ ἐν ἐλαχίστῳ ἄδικος, καὶ ἐν πολλῷ ἄδικός ἐστιν. [*& qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt*] Euripides:

Ὅστις γὰρ ἐπὶ τὸ πλέον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ,
Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον, εἰ δὲ βούλεται.

[*Habere quisquis parte plus quærit ſua,*
Nil ille juſti cogitat, nil expetit.]

11. Ἐν τῷ ἀδίκῳ μαμωνᾷ. *in iniquo mammona*] Vide quæ ſupra 9. ¶ Τὸ ἀληθινὸν τίς ὑμῖν πιστεύσει; *quod verum eſt, quis credet vobis?*] Lucas μαμωνᾶ [*mammona*] declinat οὐδετέρως [*neutraliter*] & τὸ ἀληθινὸν μαμωνᾶ [*verum mammona*] intelligit τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ quæ [*donum Dei quod*] & δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος [*donum Spiritus Sancti*] dicitur. Hoc donum ordinarie Deus non concedit niſi eis qui aliquandiu per opera pœnitentiæ Deo ſe probaverunt, qua in re multum diſtat à divitiis illis quæ per illicita quæri ſolent. Habet autem vox ἀληθινὸς [*verus*] ſæpe excellentiæ ſignificationem. Vide Euang. Joh. I. 9.

12. Ἐν τῷ ἀλλοτρίῳ, *in alieno*] Ἀλλότρια [*aliena*] etiam ſupra Philoni vidimus dici quæ nobis à Deo ſub ofere diſpenſationis ſunt credita. His opponit Chriſtus τὸ ὑμέτερον [*veſtrum*], id quod hominibus erit ἀναφαίρετον, ἀνεκλόγιστον, *proprium* atque *perpetuum*, vitæ ſcilicet æternæ poſſeſſionem. Neque enim idem hic puto dici quod in ſententia ſuperiore. Ibi bona inter ſe comparantur majora minoribus, ſed talia tamen quorum uſum requiratur humana fides & induſtria: hic de fide atque induſtriæ præmio agitur. Solet enim diſpenſatoribus rerum dominicarum pro diſpenſatione aliquid aſſignari, quod ipſorum fiat proprium.

13. Οὐδεὶς οἰκέτης, *Nemo ſervus*] Vide de hac ſententia ad Matthæum. Optime autem hic ſuperioribus connectitur. Nam *ſerviunt mammonæ* quibus præcipuum circa divitias eſt ſtudium: huic autem ſtudio cohærere ſolet illiberalitas & immiſericordia.

14. Καὶ οἱ Φαρισαῖοι, *& Phariſæi*] Ut qui ſe turbæ audientium jungere ſolerent, capturi calumniæ occaſionem. ſupra XI. 54. ¶ Ἐξεμυκτήριζον, *deridebant*] *Irriſerunt tanquam docentem aliena à Lege*, quæ magnas divitias hominibus promittit. Satis autem intelligebant neminem poſſe magnas divitias aut acquirere aut retinere, ſi tanta liberalitate ſuccurrendum eſſet egentibus quantam Chriſti verba exigebant. Non poterat avaris non ingrata aut etiam non ridicula eſſe tam ſevera liberalitatis præſcriptio. Hoc eſt quod Paulus ait, ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος ὁ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ· μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστιν [*Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi*]. 1 Corinth. II. 14. Quod Lactantius ita explicat: *Amara ſunt vitioſis & male viventibus præcepta juſtitiæ.* Chryſoſtomus tales non male comparat *vertiginoſis*, quibus nihil ſtare videtur; aut *palato corruptis*, quibus nihil recte ſapit. Ἐκμυκτηρίζειν [*deridere*] habebimus & infra XXIII. 35. Voce μυκτηρίζειν [*ridere*] utitur & Paulus. Græci in Proverbiis hac voce reddunt Hebræum נז [*deſipere*].

15. Οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς, *qui juſtificatis vos ipſos*] Id eſt, *qui vos pro juſtis venditatis*, ut eam vocem accipi vidimus X. 29. Faciebant autem hoc Phariſæi magno molimine cæremoniarum, quas admirabatur populus. ¶ Ὁ δὲ Θεὸς γινώσκει τὰς καρδίας ὑμῶν, *Deus autem novit corda veſtra*] *Deum ſcit in cordibus veſtris nihil eſſe veræ ſanctimoniæ.* Supra XI. 39. Dei eſſe proprium corda inſpicere docent ſæpe nos Sacræ Literæ. Nazarius in Panegyrico, *Spectat nos ex alto rerum arbiter Deus, & quamvis humanæ mentes profundos gerant cogitationum receſſus, inſinuat tamen ſe totam ſcrutaturæ Divinitas.* ¶ Ὅτι τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν, βδέλυγμα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἐστι. *quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum*] Non puto hic proprie ſuperbiam damnari. Senſus enim eſt, ut & alii notarunt, *Multa quæ hominibus videantur eximia atque in excelſo poſita* (quale erat vitæ Phariſaicæ inſtitutum magnam præferens ſanctimoniæ ſpeciem) *Deo maxime diſplicere, quia abſit vera animi probitas.* Non dubito quin reſpexerit Chriſtus ad hiſtoriam 1 Sam. XVI. 7. ubi Deus Samueli edicit ne in Rege deſignando reſpiciat ſublimitatem ſtaturæ (quod Æthiopas factitare ſolitos legimus) neque enim ſuam æſtimationem congruere cum hominum æſtimatione: ab hominibus reſpici externa: à ſe cor ipſum. Quod ibi de ſtatura dicitur, Chriſtus ad actiones ipſas tranſtulit. Ibi eſt גבה [*altitudo*] quod hic τὸ ὑψηλὸν [*altum*].

16. Ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται ἕως Ἰωάννου, *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*] Quaſi diceret, *Ne miramini ſi majora dilectionis opera nunc quam olim aperte exigantur. Id enim poſtulat temporum ratio. Nunquam tanta in vos Deus beneficia contulit quanta nunc confert. Quid mirum eſt ſi qui plus contulit de collato plus exigit? Moſis & Prophetarum libri accommodati antecactis temporibus funeſti ſunt velut puerorum magiſterio: ideo multa diſſimularunt & externum illum cultum, cujus vos cuſtodia à gentium ſuperſtitionibus arcebat, ſolicite inculcarunt. A Johanne incipit ætas melior, ætas illa Regni, quæ proinde mores etiam meliores poſtulat.* Johannem ideo nominat, quia is adventaſſe Regnum illud aperte nunciavit. ¶ Καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται. *& omnis in illud vim facit.*] *Regnum illud non ſolis ſapientibus, non ſolis Phariſaiſmi tot propriis ritibus circumſepti obſervatoribus, ut vos exiſtimatis, ſed omnibus patet: non tamen adeundum niſi improbo labore.* Πᾶς [*omnis*], id eſt, πᾶς τις [*quilibet*], ut diximus ad Marcum capite nono, comm. 49. εἰς αὐτὴν βιάζεται [*in illud vim facit*], id eſt, βιαζόμενος ἁρπάζει [*vi rapit*], ut ex Matthæo liquet. *Magnares agitur, magno niſu opus eſt, ut ſpiritum illum non Legis, non ſervitutis, ſed Euangelii, ſed adoptionis conſequamini.*

17. Εὐκοπώτερον δέ ἐστι, *Facilius autem eſt*] Dictum de hac ſententia ad Matthæum. Cæterum optime cohæret præcedentibus. Nam Chriſtus ne, quæ dixit, ideo dixiſſe putaretur quo Legis Hebraæ reverentiam animis hominum eximeret, contra oſtendit nihil Legis periturum; ſuis enim præceptis non *aboleri* Legem ſed *conſummari.* Huc enim Lex velut manuduxerat; Lex hoc volebat: ſed cum quod volebat ob hominum ingenia conſequi non poſſet, extorquebat ſaltem & eliciebat quod ſuppliciorum metu extorqueri, & ſpe temporariæ mercedis elici poterat, ne plane perruptis obicibus improbitas regnaret.

Eſt aliqua prodire tenus ſi non datur ultra.

¶ Πεσεῖν, *cadere*] Hebræis *cadere verbum* dicitur *quod ſine eventu cadit.* Joſuæ XXIII. 14. 1 Sam. III. 19. Roman. IX. 6.

18. Πᾶς ὁ ἀπολύων, *Omnis qui dimittit*] Quod dixerat Chriſtus inſigni exemplo colluſtrat: Optabat Moſes omnia non neceſſaria divortia tolli, ſed hoc obtinere non poterat ſine majoris mali periculo. Chriſti Lex majoribus auxiliis populum meliorem colligens palam & aperte vetat quod Moſes improbans tolerabat. Hunc autem locum ex Matthæo non male interpretatur Theophylactus, ut intelligatur ὁ ἀπολύων [*qui dimittit*], *nimirum ut vos Phariſæi facitis, non ſatis gravibus de cauſis.* Nam qui eorum temporum mos fuerit vel ex Joſepho intelligas, qui cum ubique ſe obſervantiſſimum Legis patriæ profiteatur, ita de ſe prædicat: Τὴν γυναῖκα μὴ ἀρεσκόμενος αὐτῆς τοῖς ἤθεσιν ἀπεκεμψάμην, τριῶν παίδων γενομένων μητέρα [*cum uxoris mores diſpliceren, dimiſi eam, trium jam liberorum matrem*]. Cætera hujus argumenti vide ad Matthæum.

19. Ἄνθρωπος δέ τις ἦν πλούσιος, *Homo quidam erat dives*] Hic Chriſtus ad argumentum, unde ſermonem inceperat, regreditur, de uſu divitiarum: oſtenditque à multis Phariſaiſmi ſectatoribus hac in parte ipſam Moſis Legem diſertis verbis prolatam violari, quaſi dicat: *Non opus eſt ut lex illa novi Regni vos condemnet, quibus damnandis Lex ſola Moſis ſuffi-cit.* Lex Regni vult ultro conquiri eos qui beneficentia noſtra poſſint ſublevari: eorum cauſa decidere nos aliquid de noſtris commodis, neque exſpectare dum illi ad extremam miſeriæ lineam, id eſt, ad mendicitatem, deveniant: neque vero popularibus tantum, ſed alienigenis quoque, etiam non optimis, vel ob hoc unum quod homines ſint. At inter Phariſæos multi erant non mediocriter divites & qui opulentiam ſuam veſtibus atque epulis palam oſtentarent. Quam facile his erat ſine ullo ſuo incommodo virum probum & popularem quotidie ſibi ob oculos verſantem, qualis eo tempore erat Lazarus, ſi non alere liberaliter, certe à mendicitate arcere. Quod certè non charitas tantum & natura, ſed ipſa illa Lex civilis Hebræorum per Moſem data exſerte præcipit Deuteron. XV. 7, 8. Prædicit igitur Chriſtus futurum, ut non evadant eas pœnas quas poſt hanc vitam Legis contemptoribus conſtitutas ipſi fateantur. Certant veteres novique Interpretes id quod hic ſequitur hiſtoriane ſit an fabula. Mihi videtur Scriptor reſponſionum ad Orthodoxos non male ſolvere hunc nodum: ait enim nec fabulam eſſe proprie nec hiſtoriam, ſed ὑποτύπωσιν [*hypotypoſin*] potius. Ita ſolent autem eloquentiæ magiſtri appellare *narrationem quæ res vera coloribus veriſimilibus depingitur.* Talis ὑποτύπωσις [*hypotypoſis*] aut potius διατύπωσις [*deſcriptio*] (nam hanc eſſe volunt *delineationem accuratiorem*) eſt illa de Eleazaro, ejus uxore ac ſeptem filiis tum apud Jaſonem Cyrenæum, tum apud Joſephum virum ſane diſertum quiſquis ille fuit: Hiſtoriarum enim Scriptorem hunc eſſe non puto. Narrant autem illi non tantum quæ facta ſunt, ſed & quæ dici aut fieri potuiſſe probabiliter creditur. Sed illud hic addendum eſt, Quæ de ſtatu poſt hanc vitam dicuntur, ea omnia depingi figuris expreſſis ad exemplum vitæ mortalis. His intellectis expeditæ ſunt difficultates, quæ multos Interpretes implicitos habuerunt. ¶ Πορφύραν, *purpuram*] Errant qui Herodem deſignari putant purpuræ argumento. Serius enim uſitatum eſt ut ſoli Imperatores & Reges purpura uterentur, cum antea & alii lautioris fortunæ eo cultu procederent. Nam & Regum amici paſſim *purpurati* in hiſtoriis vocantur. Et Judæis majorem purpuræ copiam fecit Tyri vicinitas. Dubitari tamen poteſt an vox πορφύρας [*purpuræ*] hic proprie uſurpetur. Nam πορφύραν [*purpuram*] Lxx, Joſephus & Philo ubique ponunt ubi in Hebræo eſt ארגמן. Arqui ארגמן non erat *purpura Tyria.* Nam ipſi Tyrii peregre illud accipiebant, ut clare nos docet Ezechiel XXVII. 7. Hebræorum magiſtri ארגמן eſſe volunt, quod *carmeſinum* vulgo dicitur. Ne illud quidem omiſerim, Syrum retinuiſſe *byſſi* vocem שש, Arabem vero vocem ipſam *purpura* ارجي cum interim ארגמן quod Hebræo ארגמן reſpondet, ille pro *purpura*, hic pro *byſſo* uſurpet. Syrum illud שש idem eſt ex Hebræo ששן quod Paral. Interpretes *byſſum* vertunt: idque ipſum Paraphraſtes Hieroſolymitanus poſuit Exodi XXVIII. 42. pro Hebræo פשתים [*linteæ*] in feminalium deſcriptione: cum Lxx, Joſephus & Philo βύσσου [*byſſum*] ponere ſoleant ubi in Hebræo eſt שש. ¶ Εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς. *epulatus quotidie ſplendide*] Non accuſatur hic dives rapinæ, nec quod inutili auro incubaret, ut Heſperidum ſerpens, ſed quod deliciis affluaret cum

alios

alios consumeret egestas, & accusatur ut venenis, non ut novæ ejusque perfectioris Legis violator. Quomodo igitur poenam huic diviti inflictam evadet pars magna Christianorum?

20. Ονόματι Λάζαρος, *nomine Lazarus*] Id est, *qualem nunc videtis Lazarum.* Tale est illud *Pone Tigellinum.* Diviti nomen apponere odiosum fuerat, ideo satis fuit dicere ἄνθρωπός τις [*homo quidam*]. Quod autem Tertullianus, Prudentius, atque alii eundem hunc mendicum *Eleazarum* vocant, non de nihilo est. Nam qui olim dici solebat אלעזר [*Eleazarus*] Christi temporibus contracta pronuntiatione dicebatur לעזר [*Lazarus*]. Itaque idem est *Eleazari* & *Lazari* nomen. ¶ Πρὸς τὸν πυλῶνα αὐτοῦ, *ad januam ejus*] *In ipso divitis aspectu*, ut ignorantiam causari nullo modo posset. ¶ Ηλκωμένος. *ulceribus plenum*] Ut solent ejus fortunæ homines sordibus atque illuvie ulcera contrahere.

21. Ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων, *cupiens saturari de micis*] Duo hic significantur, & divitis inhumanitas, qui de penu tam locuplete, de mensa tot ferculis exstructa nihil illi miserit, & ingens ipsius patientia, cui summa votorum fuerit tantum accipere, quantum canibus concedi solet. Vide Matthæum xv. 27. ¶ Ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες, *sed & canes*] Quasi diceret Christus, *Tantum aberat ut dives illum suis impensis curandum daret, quod Samaritam fecisse narratum mesmiſtis, ut contra canes illum pro cadavere lamberent.* Nam cadaverum sanguinem à canibus fugi solitum passim narrat Sacra Historia.

22. Ἀπενεχθῆναι αὐτὸν, *ut portaretur*] Ita passim Græci quoque & Latini Poetæ, animos corporibus solutos *hominum* nominibus appellant. Videat, si cui lubet, Nekuian [*Tractatum de Manibus*] Homeri & sextam Æneidem. Josephus quoque id quod Sauli apparuit Samuelem vocat. Porphyrius illud Homeri explicans,

Ἦλθε δ' ἔπι ψυχὴ Θηβαίης Τειρεσίαο
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχων. - - -

[*Ecce supervenit Thebani vatis imago*
Tiresia sceptrum gestans. - - -]

Ἐπίτηδες, inquit, ἀπὸ τῆς ψυχῆς ὀνόματος εἰς τὸ ἀρρενικὸν μετέβαλεν, ἵνα δείξῃ ὅτι ἡ ψυχὴ ἦν ὁ Τειρεσίας. [*Data opera, cum de anima sermo esset, masculino tamen nomine usus est, quo animam istam ostendat Tiresiam esse.*] Et ad initium Iliadis Eustathius notat vocem αὐτὰς [*ipsos*] modo animam tantum significare, modo corpus tantum, modo totum hominem. ¶ Τὸ τῶν ἀγγέλων, *ab Angelis*] En subita mutatio. Qui modo non hominum modo, sed & canum ludibrium fuerat, repente Angelorum ministerio honoratur. Erat autem vetus Judæorum traditio, Piorum animas ab Angelis deduci εἰς παράδεισον [*in Paradisum*]· meminit Paraphrastes Chaldæus ad Canticum iv. 12. ¶ Εἰς τὸν κόλπον τῦ Αβραάμ· *in sinum Abrahæ*] Putant veteres plerique *sinum Abrahæ* dici *regionem piis animis adscriptam*, quam Hebræi גן id est, παράδεισον [*Paradisum*], Græci *Elysios campos* dixerunt, & *sinum* dici quomodo maris aut terræ sinum dicimus. At multo illi rectius, qui non regionem illam, sed in regione illa locum honoratissimum significari putant. Dubium non est, quin inter pios omnes Judæi Abrahamo τῷ ἐθνοπάτορι [*genitis primo parenti*] principem attribuerint locum. Hinc Christus alibi *multos ex gentibus* dixit *accubituros cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo*, gaudia post hanc vitam, more tunc recepto, sub convivii specie describens. In conviviis autem solebant dilectissimi in sinu ejus recumbere qui convivii princeps esset. Ita Johannes ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησῦς ἦν ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ αὐτῦ [*quem diligebat Jesus, erat recumbens in sinu ejus*] xiii. 23. Sic Filius Dei esse dicitur εἰς τὸν κόλπον τῦ πατρός [*in sinu Patris*], Joh. i. 18. Indicatur ergo hic summus Lazari honos, ut qui in illa beata sede proximus hæreret Abrahamo, cujus eximiam fidem & in malis perferendis constantiam esset imitatus. Sic Hebræi Eliezerem servum quondam Abrahami ajunt in sinu Abrahami requiescere. Bonis suæ virtutes manent. Sic Abrahamo sua hospitalitas. ¶ Ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος, *mortuus autem est & dives*] Εμφατικῶν [*significanter dictum*] est illud καὶ [*&*]; quasi dicat, *Nihil illi divitiæ adversus mortem profuerunt.* Menander,

Ἀθανασία δ' οὐκ ἔστιν, οὗ ἂν συναγάγῃς
Τὰ Ταντάλου τάλαντ' ἐκεῖνα λεγόμενα·
Ἀλλ' ἀποθανῇ, καὶ ταῦτα κατελήλυθεν τινί.

[*At certe venum non datur immortalitas,*
Nec si talenta Tantali possederis:
Sed ecombendum est, illa linquenda alteri.]

Nec illud à veteribus male observatum, bonitatem Dei in eo significari quod Lazarus prius, Dives posterius mortem obierit: illum enim mature exemtum hujus ævi incommodis, huic ævum ad pœnitentiam prorogatum. ¶ Καὶ ἐτάφη, *& sepultus est*] Ne hoc quidem frustra additum. Significatur enim de tantis divitiis hunc illi honorem postremum contigisse.

23. Καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ, *& in inferno*] Hic unicus, ni fallor, in Sacris Literis locus est quo mori plerique τὸν τόπον τῆς βασάνου *locum tormenti*] propric ᾅδην [*infernum*] dici putarunt. At verissimum est, quod alibi diximus, ᾅδην [*infernum*] esse *locum visibus nostris subtractum*, & de corpore quidem cum accipiunt, *sepulchrum* in quo est corpus sine animo; de animo vero, *totam illam regionem sive statum in quo est anima sine corpore.* Itaque fuit dives quidem ἐν ᾅδῃ [*apud inferos*], sed fuit ἐν ᾅδῃ [*apud inferos*] etiam Lazarus, distinctis ᾅδου [*inferni*] regionibus. Nam & *Paradisus* & *Gehenna*, sive, ut loquebantur Græci, *Elysii* & *Tartara* sunt ἐν ᾅδου [*in inferno*]. Græcos ita locutos res certissima est, quos Virgilius sequitur sexta Æneide. Diphilus,

Καὶ γὰρ κατ' ᾅδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, χατέραν ἀσεβῶν ὁδόν.

[*Ideo silentium credimus calles duos,*
Quorum ille iniquos teneat, iste autem pios.]

Notus & Sophoclis locus,

- - - ὦ τρισόλβιοι
Κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα διερχθέντες τέλη
Μολῶσ' ἐς ᾅδου· τοῖσδε γὰρ μόνοις ἐκεῖ
Ζῆν ἔστι· τοῖσδ' ἄλλοισι πάντ' ἐκεῖ κακά.

[- - - *felices nimis*
Initia quotquot ista cum conspexerint
Eunt ad orcum, namque eos solos manet
Ibi vita, reliquos, miseriis prater, nihil.]

Sic & Diodorus Siculus, τὴν ἐν ᾅδου μυθοποιίαν [*fabulosum de inferno narrationem*] explicat per ἀσεβῶν τιμωρίας [*impiorum pœnas*] & εὐσεβῶν λειμῶνας [*piorum loca amœna*]. Plato, Τὰς τὰς τελετὰς παραδεδωκότας αἰνιττέσθαι φασὶν, ὅτι ὃς ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς ᾅδου ἀφίκηται ἐν βορβόρῳ κείσεται· ὁ δὲ κεκαθαρμένος ἐκεῖσε ἀφικόμενος μετὰ θεῶν οἰκήσει [*Qui mysteria tradiderunt, eos dixisse ajunt, eum, qui iis initiatus non sit itaque ad inferos descenderit, in cœno ibi demersum jacitarum, qui vero eo initiatus venerit, eum cum diis habitaturum*]. Qui sensus & apud Jamblichum exstat. Plutarchus quoque Lucullo, γέρας ἐν ᾅδου [*præmium apud inferos*] dixit. & idem ille Jamblichus, τῆς δικαιοσύνης, ἃς φασὶν οἱ σοφοὶ τῶν ποιητῶν, ἐν ᾅδου κομιούμεθα τὰς δωρεάς [*justitiæ, ut sapientissimi quique Poetæ dicunt, præmium apud inferos feremus*]. De Judæis ne quis dubitet, vadem do Josephum, qui Samuelem ait evocatum ἐξ ᾅδου [*ab inferis*]. Idem de Sadducæis loquens ita ait, Τὰς κατ' ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι [*pœnas honoresque apud inferos tollunt*]. Idem ubi Pharisæorum describit sententiam, Ἀθανάτου τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε, καὶ ταῖς μὲν εἴργμὸν ἀΐδιον προστίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥᾳστώνην τῦ ἀναβιῶν [*Animas credunt esse immortales, supplicia que & honores infra terram, ut virtuti quisque operam dederit, vitiove obnoxius vixerit. Horum ergo animas æterno claudi carcere, illas facile ad vitam redire*]. Aperte & supplicia & præmia animis constituit ἐν ᾅδου [*in inferno*], idemque vocat ὑπὸ χθονὸς [*sub terra*], quia quæ ἐν ᾅδου [*in inferno*] sunt vocari solent ὑποχθόνια [*subterranea*] Græcis. Sicut & Zonaras sententiam explicans Pharisæorum dixit δικαιώσεις ὑποχθονίους [*actus juridicos subterraneos*], sive quod vere sub terra esse ᾅδης [*infernus*] putaretur, sive potius quod non minus extra visum sit quam ea quæ intimo recessu terra celat. Quam ob causam τὰ ἐντὸς γῆς χάος καὶ ᾅδου ὀνομάζεσθαι [*interiores terræ partes hiatum & infernum appellari*] dixit Plutarchus. Τὰ ὑπὸ γῆν δικαστήρια [*judicia subterranea*] dixit Jamblichus. Sic & Pindarus de mysteriis Eleusiniis loquens,

Ὀλβιος ὅστις ἰδὼν εἰσεῖνα
Κοιλὰ εἰς' ὑπὸ χθόνα·
Οἶδε μὲν βίου τελευτὰν,
Οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.

[*Felix ille qui sacra hæcce*
Postquam vidit inferos adit:
Novit enim hujus exitum, atque
Vitæ initium alterum.]

Pa-

Plutarchus ad illud Homeri,

Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη ἀΐδος δὲ βεβήκει.

[*Aſt anima evolitans membris, petit infera regna*].

Εἰς τὸν ἀειδῆ, inquit, καὶ ἄφατον, εἴτε ἄρα θεὴ τίς εἴτε ὑπόγειον τόπον [*in locum obſcurum, atque inviſibilem, ſive eum ſub terra loces, ſeu aerem putes*]. Locum non definit ſed duplicem opinionem proponit, tum quæ *ſub terra* tum quæ *in ſpatioſis aeris campis* τὸν ἅδην locat. Idem Plutarchus de primo frigido, ὃ ἀιδὲς τῷ ἀέρι φῶς ἐπίλημπτον ἔσχεν [*quod inviſibile eſt aeris infernum vocant*]. Sic & Hippocrates libro De diæta opponit φῶς [*lucem*] & ἅδην [*infernum*]. Joſephus ipſe alio loco Eſſæorum placita deſcribens ita ait, Καὶ ταῖς μὲν ψυχαῖς (ψυχαῖς) ἀμεταδότοις παισὶν Ἑλλήνων ἀποφαίνονται τὴν ὑπὲρ ὠκεανὸν δίαιταν ἀποκεῖσθαι, καὶ χῶρον οὔτε ὄμβροις οὔτε νιφετοῖς ἄτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλ' ὃν ἐξ ὠκεανοῦ πραεῖς ἀεὶ ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει· ταῖς δὲ φαύλαις ζοφώδη καὶ χειμέριον ἀφορίζονται μυχὸν γέμοντα τιμωριῶν ἀδιαλείπτων [*De animabus quidem cum Græcis ſentiunt, pias enim vitam ultra Oceanum manere dicunt locumque nec nive nec imbribus nec æſtu gravem, ſed quem placidus ſemper à mari temperet Zephyrus: impias ſub terram in obſcurum gelidumque antrum relegant, æternorum cruciatuum plenum*]. Ecce hic trans Oceanum locat τὸν ἅδην [*infernum*]. Rurſum alio loco idem Joſephus ex eadem ſententia ſedem piis aſſcribit χῶρον ὑπερνῷ τὸν ἁγιώτατον [*regionem cæli ſanctiſſimam*]. Sed profecto illa loquendi genera, *ſub terra*, *in aere*, *trans Oceanum*, & quod apud Tertullianum eſt *trans igneam Zonam*, nihil aliud quam τὸ ἀόρατον [*inviſibile nobiſque inacceſſum*] deſignant. Idem Tertullianus libro de Anima penes *inferos* ponit *tormentum* & *refrigerium*: Ibidem, *puniri* & *foveri animam* interim in inferis ſub exſpectatione utriusque judicii, in quadam uſurpatione & candida ejus. Similia habet adverſus Marcionem IV. Addamus his Ambroſii locum libro de bono mortis cap. X. *Satis fuerat dixiſſe illis* (Philoſophis) *quod liberata anima corporibus ἅδην peteret, id eſt locum qui non videtur, quem locum Latine* infernum *dicimus. Denique & Scriptura habitacula illa animarum promtuaria nominavit.* ¶ Ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, *elevans oculos ſuos*] Sicut Deo ſolent aſſcribi actus corporei, ita & animis à corpore ſolutis ſimili figura. Quare non ſatis certum eſt argumentum quod Irenæus & Tertullianus hinc petunt, ut probent poſt mortem in animo manere lineamenta quædam corporis & ſimulacra membrorum: quod non longe abit ab his quæ περὶ τῆ αὐγοειδῆς σώματος *de tranſparente corpore*] dicta ſunt alibi. ¶ Τυγχάνων ἐν βασάνοις, *cum eſſet in tormentis*] Sicut qui in carcere ſunt ante damnationem torqueri ſolent, ita animi à corpore ſoluti etiam ante publicum judicium non poſſunt non eſſe in cruciatu graviſſimo, futuram ipſis ſententiam prædictante conſcientia. Quo alludens Martialis,

Et cum fateri Furia juſſerit verum
Cogente clamet conſcientia, Scripſi.

Nazianzenus ſecundo adverſus Julianum deſcribit pœnas improborum, inter quas ab eo ponuntur αἱ ἐν αὐτοῖς τοῖς δεινοῖς ἐξαγορεύσεις [*culpæ in mediis malis confeſſio*]. ¶ Ὁρᾷ τὸν Ἀβραάμ, *vidit Abraham*] Conſpicere eum dicit quod eum cogitaturum erat probabile, & dicere quod, ſi dicere poſſet, dicturus videbatur.

24. Πάτερ Ἀβραάμ, *Pater Abraham*] Illum potiſſimum affatur ut beatorum Principem: deinde ut eum quo generis auctore gloriari ſolebant. At quanto ille alius, qui ignotos quosvis tam amice exceperat? ¶ Καὶ πέμψον Λάζαρον, *& mitte Lazarum*] Hoc ideo quia credibile eſt impiorum cogitationibus ſemper illos obverſari quos ab ſe male tractatos meminerunt. Statius,

\- - - *Palliduſque viſu*
Matris lampade reſpicit Neronem.

Plato cruciatus impiorum animorum deſcribens: Βοῶσι, inquit, καὶ καλοῦσιν, οἱ μὲν ἃς ἀπέκτειναν, οἱ δὲ ἃς ὕβριζον, καλέσαντες δ' ἱκετεύουσι τὰς ἡδυπαθείας δοῦναι σφίσι συγγνώμην [*Clamant, appellantque alii occiſos à ſe, alii male contumelioſeve habitos, appellatoſque veniam injuriarum & ſcelerum petunt*]. ¶ Ἵνα βάψῃ τὸ ἄκρον τῆ δακτύλῳ αὐτοῦ ὕδατος, καὶ καταψύξῃ τὴν γλῶσσάν μου· ὅτι ὀδυνῶμαι ἐν τῆ φλογὶ ταύτῃ. *ut intingat extremum digiti ſui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*] Cruciatum conſcientiæ comparat flammæ urenti: ſic & Latine *uri* dicimus eos *qui animi anguntur*: ut apud Terentium, *uro hominem*. Hinc jam cætera finguntur conſequenter. Nam hi qui uruntur maxime ſitim in lingua ſentiunt: ſitis ſolet levari aquis; minimum aquæ eſt quantum digito adhæreſcit. Senſus eſt, Divitem qui olim Lazarum contemſerat nunc libenter illi ſupplicaturum, ſi aliquod vel minimum tantorum cruciatuum levamentum poſſit indipiſci. Simile eſt quod adnotavimus ad Matthæum XXIII. 39. Adde non diſſimiles διατυπώσεις [*deſcriptiones*] Matth. VII. 22. & XXV. 37.

25. Ἀπέλαβες, *recepiſti*] Ἀπολαμβάνειν hic non eſt *recipere*, ſed *plene accipere*, quo ſenſu ἀπέχειν [*habere*] etiam ſumitur Matth. VI. 2, 5, 16. Lucas ſupra VI. 24. ¶ Τὰ ἀγαθά σου, *bona tua*] Et hoc ἐμφατικῶς [*ſignificanter admodum*]. *Illa*, inquit, *bona quæ tu vera, imo ſumma bona duxiſti, quibus uſus es non ut tibi creditis ſub certa lege ac modo, ſed ut plene propriis, in quibus denique fiduciam tuam poſuiſti.* Simile eſt illud Euripidis,

Ἀνέσχε τἄσχετ'· ὀρῶν γὰρ ἴσχυρας.
[*Perſtat: gaviſus dum faceres.*]

¶ Νῦν δὲ ὧδε παρακαλεῖται, *nunc autem hic conſolatur*] Illud νῦν δὲ [*nunc autem*] oſtendit miram viciſſitudinem. Plerumque ſane ita evenit, ut quibus hic optime eſt iis in altera vita ſit peſſime.

Quam vellent nunquam ſceptris fulſiſſe ſuperbis.

Contra, quos hic omne malorum genus exercuit, ibi ſorte optima fruuntur: ita ut in hunc quoque ſenſum uſurpari poſſit illud Heracliti, Ζῶμεν τὸν ἐκείνων θάνατον. τεθνήκαμεν δὲ τὸν ἐκείνων βίον [*Quæ illorum mors eſt noſtra vita eſt: quæ vita illorum fuit, mors erat noſtra*]. Pertinet huc illud Chriſti, Μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται [*Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*]. Lactantius libro VI. *Hæ ſunt viæ quas Deus humanæ vitæ aſſignavit, in quibus ſingula & bona oſtendit & mala, ſed ordine præpoſtero atque converſo. In una enim monſtravit temporalia prius mala cum æternis bonis, qui eſt ordo melior: in altera, temporalia prius bona cum æternis malis, qui eſt ordo deterior; ut quicunque præſentia mala cum juſtitia delegerit, majora & certiora conſequatur bona quam fuerunt illa quæ ſprevit: quisquis autem præſentia bona præpoſuerit juſtitiæ in majora & longiora incidat mala quam fuerunt illa quæ fugit.* Solatium dicitur hic, non plena retributio, quæ redditis demum corporibus fiet, ſed ejuſdem certa exſpectatio, magnis interim gaudiis ſuſtentata: id *refrigerium* vocant veteres Latini. Tertullianus regionem in qua eſt Abraham ait *refrigerium præbere animabus juſtorum, donec conſummatio rerum reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat, tunc apparitura cœleſti promiſſione:* eandemque regionem nominat *temporale animarum fidelium receptaculum, in quo delineetur futuri imago, ac candida quædam utriuſque judicii proſpiciatur.* Sicut autem poſt Chriſti mortem piis animis multum boni acceſſiſſe & pie & recte creditur, ita utriuſque ſortis gradus, momenta, loca deſcribere vereor ne curioſæ nimis ſit audaciæ. Placet hic mihi illud Sophocleum:

Ἀλλ' ὃ γὰρ ἂν τὰ θεῖα πρύσσοντες Θεοῦ
Μάθοις ἄν, εἰ πάντ' ἀκριβῶς ἐκπέλθοις σκοπῶν.

[*Divina nunquam diſcere eſt, ſi dii velint*
Celare, non ſi cuncta ſcrutando eruas].

Quo alludere videtur illud Chryſoſtomi & poſt eum Iſidori Peluſiotæ: Ὅταν ἅπερ ὁ θεὸς ἡμᾶς οὐκ ἠθέλησεν εἰδέναι, ταῦτα βιαζώμεθα μανθάνειν, ὅτε εἰσόμεθα (τίς γὰρ Θεοῦ μὴ βουλομένου;) καὶ τὸ κινδυνεύειν ἡμῖν ἐκ τῆ ζητεῖν περὶ μόνον [*cum quæ neſcire nos voluit Deus, conamur diſcere, nec ſcimus: quis enim vetante Deo? Nec periculo carebit examen*]. *Melius eſt*, inquit Auguſtinus, ſapienter & modeſte tractans hoc argumentum, *dubitare de occultis, quam litigare de incertis.*

26. Χάσμα μέγα ἐστήρικται, *chaos magnum firmatum eſt*] *Chaos magnum* Latinus Interpres, quem nolim hic reprehendi. Intellexit enim *vaſtum quoddam intervallum* hic ſignificari, quo ſenſu & χάσμα & χάος Græci uſurpant. Sic *montis fiſſi hiatus* χάος in Græco Zachar. XIV. 4. Frequentiſſimus autem vocis utriuſque uſus, ubi περὶ ἅδου [*de inferno*] agitur. Euripides, ut alibi meminimus, dixit ἄβυσσα χάσματα [*hiatus fundo carentes*]. Seneca autem Chaos dixit Medea, *Noſtis alterna chaos.* Thyeſte, *Ad chaos inane.* Quam vocem hoc ſenſu Ovidius quoque, Silius & alii uſurpant. Idem Silius ita deſcribit,

In medio vaſtum late ſe tendit inane.

Seneca ſic,

Hinc ampla vetuis ſpatia laxantur locis.

Ari-

Ariſtoteles Aeroamatum IV, χάος [*chaos*] apud Heſiodum *locum* interpretatur, nimirum non à χάειν [*vacuum eſſe*], ut alii, ſed à χαίνειν [*debiſcere*], unde & χάσμα [*hiatus*], eam vocem derivans: quam Ariſtotelis interpretationem & Philo recitat περὶ ἀϊδιότητος κόσμου [*de æternitate mundi*]. & probat vetus Scriptor Chriſtianus adverſus Ariſtotelis dogmata, qui ſub Juſtini nomine legitur. Sicut igitur quod ante mundum hunc aſpectabilem erat, *Chaos* dixere, ita & quod nunc extra eundem mundum eſt. Ἐκτὸς τοῦ κόσμου κενὸν εἶναι ἄπειρον [*extra mundum vacuum eſſe infinitum*] multi Philoſophorum ſciſcebant. Atqui τὸ κενὸν [*vacuum*] etiam vocabant χώραν [*regionem*] & διάστημα [*ſpatium*]. Lucretius,

- - - Locus ac ſpatium quod inane vocamus.

Ibycus, κατέβαν δ' ἐν ἀλλοτρίῳ χάει [*volat in aliena voragine*]. Sed & Hebræum תהו [*re informis*] apud Moſem in hiſtoria mundi conditi Aquila vertit κένωμα [*rem inanem*], Theodotio κενόν [*vacuum*]. Ex qua voce Hebræa per metathefin non infrequentem videri poteſt derivatum תוהם [*hiatus*] quod hic habet Syrus, pro quo Arabs habet هاوية [*chaos*] cui affinis eſt altera vox Arabica هوة quæ & χάος [*chaos*] & ἅδης [*infernus*] verti ſolet. Tertullianus χάσμα *profundum* hoc loco vertit, & mox circumloquens vocat *immenſam diſtantiam ſublimitatis ac profunditatis*. Etiam Plutarchus libro De ſera Numinis vindicta in deſcriptione inferorum ponit χάσμα μέγα καὶ πάντα ἀῤῥηκτον [*vaſtum & profundum hiatum*]. Præter hæc vide locum Platonis de Ere Armenio. ¶ Οἱ θέλοντες, *qui volunt*] Id eſt, κἂν θέλωσι [*ſi velint*]. Simile eſt illud Pythagoræ de animabus, ἄγεσθαι τὰς μὲν καθαρὰς ἐπὶ τὸ ὕψιστον, τὰς δὲ ἀκαθάρτους μήτε ἐκείνοις πελάζειν [*puras in ſublime ferri, impuras nec prope eas poſſe accedere*].

27. Ἵνα πέμψῃς αὐτὸν, *ut mittas eum*] Nempe ipſum *corpori ſuo redditum*, ne quis hic de animorum apparitionibus agi ſuſpicetur. Verum hoc eſſe oſtendit quod infra ſequitur, ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ [*ſi quis ex mortuis reſurrexerit*].

28. Πέντε ἀδελφοὺς, *quinque fratres*] Mediocris numerus ad implendam διατύπωσιν [*deſcriptionem*]. Sic & Eſaiæ XIX. 18. ¶ Ὅπως διαμαρτύρηται αὐτοῖς, *ut teſtetur illis*] Ut teſtimonium ferat eorum quæ hic geruntur. ¶ Εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς βασάνου. *in hunc locum tormentorum*] Quem locum εἱργμὸν [*carcerem*] apud Joſephum vocari vidimus. Plato eundem dixit δεσμωτήριον [*carcerem*]. Sic diabolis Petrus σειρὰς ζόφου [*catenas tenebrarum*]. Judas δεσμὰ ἀΐδια [*æterna vincula*] aſſcribit.

29. Ἔχουσι Μωσέα, *habent Moyſen*] Cujus diſerta exſtant verba præcipientia egenis popularibus ſuccurri. ¶ Καὶ τοὺς προφήτας, *& Prophetas*] Ut Eſaiam qui jejunia ſua jactantibus Judæis *optimum jejunium eſſe* ait, *eſurientes paſcere, extorribus præbere hoſpitium, nudum veſtire*. LVIII. 7. ¶ Ἀκουσάτωσαν αὐτῶν. *audiant illos*] *Illorum monitis pareant*. Id enim eſt cum fructu audire.

30. Οὐχί, *non*] Id eſt, οὐκ ἀκούσονται αὐτῶν [*non audient illos*]. De ſe illorum ingenium noverat.

31. Εἰ Μωσέως καὶ τῶν προφητῶν οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ πεισθήσονται. *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent*]. Atqui de Tyriis & Sidoniis dicitur pœnitentiam eos acturos fuiſſe, ſi miracula vidiſſent quæ facta erant à Chriſto in Galilææ oppidis. Reſpondendum: primo, dici hæc omnia non ἀποδεικτικῶς [*demonſtrative*], ſed κατὰ τὸ πιθανόν [*probabiliter*]; deinde, larum eſſe diſcrimen. Tyrii & Sidonii magna ac vetere ignorantia tenebantur. Veterem Noaidarum traditionem vetuſtas, naturales notitias longa conſuetudo obliteraverat. Tales ſolent miraculis excitari. At Judæi, præter ea quæ humano generi erant communia, habebant Legem quam ipſi fatebantur à Deo traditam & multis atque inſignibus miraculis confirmatam, quorum famam continua ſucceſſione à majoribus traditam acceperant: & tamen contra apertiſſima Legis verba vitam agebant. Non poterant ergo aut ignorantiam, aut etiam probabilem aliquam de Legis interpretatione auctoritatem, culpæ ſuæ obtendere. Nihil illis obſtabat niſi perverſus animus, nolens ea ut vera aut certe ut neceſſaria amplecti, quæ falſi arguere non poterant. In tali hominum multitudine, ut forte ſint aliqui quos velut ex alto ſomno miracula excitent, ita pars longe major inſanabiliter ægrotat. Oſtendit hoc res ipſa. Lazarum huic Lazaro cognominem, (nec vero diſſimile eſt huc Chriſtum reſpexiſſe cum iſta diceret) vitæ reddidit Chriſtus. An eo magis Phariſæi monitis Chriſti obtemperarunt? Imo potius quam id facerent operam dederunt, ut & Chriſtum & Lazarum trucidarent. Chriſtus ipſe à morte rediit: teſtes erant hujus rei viri non pauci, vitæ innocentis, nullo menciendi præmio. Hoc quoque adeo illos ad reſipiſcentiam non permovit, ut omni vi famam ejus rei exſtinctam cuperent. Bene Lactantius, *Qui avaritia & opum inexplebili quadam ſiti flagrant, quia non poſſunt venditis aut dilargitis quæ amant tenui cultu vitam degere, ſine dubio malunt id eſſe falſum quo deſideriis ſuis renuntiare cogantur.* Idem: *Qui libidinum ſtimulis incitati (ut ait Poeta) in furias ignemque ruunt, utique incredibilia nos adferre dicunt, quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ, qua illos à voluptatibus ſuis prohibent, quibus animam ſuam cum corpore adjudicaverunt. Qui vero ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati omne ſtudium ad honores acquirendos contulerunt, nec ſi ſolem quidem ipſum geſtemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ quæ illos jubet omni potentia & honore contemto, humiles vivere, atque ita humiles, ut & accipere injuriam poſſint & referre nolint ſi acceperint. Ii ſunt homines qui contra veritatem clauſis oculis quoque modo latrant.* Salvianus: *Totum durum eſt quicquid imperatur invitis: Pene omnis ſermo divinus habet æmulos ſuos, quot genera præceptorum ſunt, tot adverſariorum: ſi largitatem eſſe in hominibus jubet Dominus, avarus iraſcitur: ſi parcimoniam exigit, prodigus exſecratur: ſermones ſacros improbi hoſtes ſuos dicunt: horrent raptores quicquid de juſtitia ſcribitur: horrent ſuperbi quicquid de humilitate mandatur: averſantur ebrioſi ubi ſobrietas indicitur: deteſtantur impudici ubi caſtitas imperatur.* Mox: *Mavult quilibet improbus exſecrari Legem, quam emendare mentem; mavult præcepta odiſſe quam vitia.* Deinde, *Do tamen conſilium omnibus quibus gravis & onerosa eſt Lex Dei, ſi accipere non recuſant, quemadmodum placere eis poſſint quæ Deus præcipit: Cuncti etenim qui oderunt mandatum ſacrum cauſam odii in ſe ipſis habent: omne faſtidium non in præceptis Legis, ſed in moribus ſuis. Lex quippe bona eſt, ſed mores mali, ac per hoc mutent homines propoſitum & affectum ſuum: ſi enim mores ſuos probabiles eſſe fecerint, nihil eis quod Lex bona præcipit, diſplicebit: quando enim bonus quis eſſe cœperit, non poteſt non diligere Legem Dei, quia hoc intra ſe habet Lex Dei ſancta, quod homines ſancti in moribus.*

PRICÆUS.

Com. 1. Ὃς εἶχεν οἰκονόμον] *Diſpenſatorem*: at bene ſatis Vulgatus, *villicum*. In Gloſſis Iſidori dictis, *Villicus, actor, exactor penſionum villæ: inſularius.* Vide l. 146. de V. S.

Ibid. Καὶ οὗτος διεβλήθη αὐτῷ ὡς διασκορπίζων τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ] Sic infra 23. 14. Προσενέγκατέ μοι τὸν ἄνθρωπον τοῦτον ὡς ἀποστρέφοντα τὸν λαόν. Διεβλήθη, *delatus eſt*. In Gloſſario, διαβάλλομαι, *deferor, inſimulor*. Diſpenſatorem, ſeu villicum iſtum quinam fuerint qui detulerunt, in Contextu non ponitur: at poſcit mos vivendi conſervos intelligamus, nationem præfectis famulitiorum plerumque infenſam. Vide Matth. 18. 31. Virgilius 2.

- - - Atque erepta conjugis ira:

Ubi Servius, Σχῆμα διανοίας· *non enim dicit à Trojanis ſublatam, quia intelligendum reliquit.* Apud Nonnium Varro, *Plures dominos ſervi comedêre quam canes.* Vide ſupra 12. 45.

Com. 2. Τί τοῦτο ἀκούω περὶ σοῦ;] Samuel ad filios ſuos 1 Reg. 2. 24. Οὐκ ἀγαθὴ ἡ ἀκοὴ ἣν ἀκούω περὶ ὑμῶν. Τί τοῦτο ἀκούω; conciſe dictum eſt, pro, τί ἐςι τοῦτο ὃ ἀκούω; &c. Ita Geneſ. 42. 28. Τί τοῦτο ἐποίησεν ἡμῖν ὁ θεός; ubi optime Vulgatus, *Quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus?* & ibid. 27. 20. Τί τοῦτο ὃ ταχὺ εὗρες; quidnam & quale hoc eſt quod tam cito invenire potuiſti? Apulejus, Græciſmis ſcatens Scriptor) Miles. 2. *Quid hoc comperior?* i. e. Quidnam eſt quod comperior? Vox τοῦτο autem in Contextu auget rei invidiam, vult dicere enim, Qualia & quanta ſunt quæ de te audio? Sic in Terentii Hecyra 1. 2.

Quid hoc negotii eſt modo quod narravit mihi
Hetc intus Bacchis? - - -

Ad quem locum Donatus, *QUÆ, qualia, ſcilicet & quanta.* In Plauti Truculento,

- - - Quod ego facinus audivi advenienus tuum!

Pluto, itidem ad hominem accuſatum, (ut villicus iſte) apud Lucianum, Τί ταῦτά φασιν, ὦ Μίνως; & Matth. 26. 62. Pila-

Pilatus, Τί γὰρ ἐποίησε κακὸν οὗτος; Non ergo interrogative (ut quibuſdam viſum) ſed admirative hæc in Contextu prolata. Terentius Andr. 4. 4. *Quid hic?* ubi idem Donatus, *Non interrogantis, ſed mirantis, & non intelligentis eſt.* Idem ad Andr. 5. 3. illud, QUID AIS? *Non interrogantis, ſed invehentis eſt:* & ad Adelph. ea, QUID SIT, *Eſt admirantis magis quam interrogantis.* Nec admirantis tantum apud Lucam iſta, ſed & indignantis oratio. Idem ad Andr. 2. 1. ea, *Quid ais, Byrrhia? Miratur magis quam interrogat: vel potius indignatur.* Hîcnãs autem indignatur paterfamilias iſte ab œconomo ſua bona diſſipata eſſe. Symmachus lib. 6. epiſt. 81. *Exaſperat animum male geſta ratio villicorum.*

Ibid. Απόδος τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας σου] Auctor libri de Singularitate clericorum, in operibus Cypriani, *Neceſſe eſt ut alterius rationi ſubjiciatur qui alienum negotium tractaverit.* Cicero in Hortenſio, *Cum rationem à diſpenſatore accipis:* quod Petronio, *ad rationes ſedere.* Hinc & *actus ſui rationem reddere*, in quodam Papiniani reſponſo: ubi & *actus œconomiæ.* Ad rem hoc loco ſignificatam Apoſtolus Rom. 14. 12. Ἕκαστος ἡμῶν λόγον περὶ ἑαυτοῦ δώσει τῷ θεῷ. Vide & 1 Pet. 4. 5.

Ibid. Απόδος τὸν λόγον, &c.] Panegyriſtes ad Conſtantinum, *Sic quoque cum viceris, redde rationem.*

Ibid. Τῆς οἰκονομίας σου] In Gloſſario, Οἰκονομία, *diſpenſatio, adminiſtratio.*

Ibid. Ο γὰρ δυνήσῃ ἔτι οἰκονομεῖν] Οἰκονομεῖν Vulgato *villicare.* Ita in Gloſſario eodem, Οἰκονομῶ, *villico.* Utitur & lib. 8. Apulejus. D. Auguſtinus in Pſal. 48. vertit, *Non potes agere mihi:* hinc & *actores* dicti. Οὐ δυνήσῃ ἔτι οἰκονομεῖν, eſt, οὐκέτι οἰκονομεῖν μέλλεις. Marc. 2. 19. οὐ δύνανται νηστεύειν, eſt, οὐ νηστεύουσι. 1 Cor. 3. 1. Οὐκ ἐδυνήθην λαλῆσαι, eſt, οὐκ ἐλάλησα· & infra hic, ἀποθανεῖν οὐ δύνανται, eſt, οὐκ ἀποθνήσκουσι. Vide & Joh. 5. 19. Ita, pro eo quod Marc. 6. 5. Οὐκ ἐδύνατο ἐκεῖ οὐδεμίαν δύναμιν ποιεῖν, Matthæi Interpres habet, οὐκ ἐποίησεν. Cujus formæ nec pauca invenire eſt apud Latinos. Vide ad Apulejum pag. 129. & 570. annotata. Vulgatus heic, *jam enim non poteris*, &c. Sic ſupra 15. 19. ea, οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος, vertit, *jam non ſum dignus.* Utroque loco τὸ *jam* pro *jam amplius* poſuit.

Com. 3. Εἶπε δὲ ἐν ἑαυτῷ] Donatus in Terentii Adelph. *Moris eſt ſecum loqui vel ſenes, vel maxime aliquid ex animo agentes.*

Ibid. Τί ποιήσω;] Plautus Rud.

- - - *Quam ſpem, aut opem, aut conſilii quid capeſſam?*

Idem Capt.

- - - *Inter ſacrum ſaxumque ſto, nec quid agam ſcio.*

Ità loqui ſolent qui inopia conſilii vel pecuniæ laborant. D. Baſilius Homil. in Avaritiam, Ο διὰ πτωχείαν ςενοχωρούμενος (λέγει,) Τί ποιήσω; Theophylactus ad illa divitis Luc. 12. Τί ποιήσω; Τοιοῦτος φωνὴς ἠχεῖ καὶ ὁ πένης λέγει; In eodem argumento Zeno Veronenſis, *Egeni vox eſt iſta, Quid faciam?* Arrianus 4. 10. in Epictetum, Ἀπορία, &c. περὶ τὰ ἐκτὸς γίνεται, &c. τί ποιήσω; πῶς γένηται; Galba apud Valer. Maximum, *Quo nomine* (pecuniæ nempe) *appellor, Quid agam?* Terentius 4. 1. Hecyræ, *Quid agam?* ubi Donatus, Διπτώσεις *turbatis apta.* In ejuſdem Eunucho, *Quid igitur faciam?* ubi Donatus, *Menander, εἶτα τί ποιήσω*, &c. & eſt διαλογισμὸς *perdita mentis poſt multam fruſtra cogitationem.*

Ibid. Τί ποιήσω;] Et ſtatim, ἔγνων τί ποιήσω. Sic ſupra 12. 17, 18. Τί ποιήσω; & poſt, τοῦτο ποιήσω.

Ibid. Σκάπτειν οὐκ ἰσχύω] Οὐ θέλω non dicit, at quod plus eſt, οὐκ *ἰσχύω.* Sic in Eunucho Terentii ille,

- - - *neque plagas pati Poſſum:* - - -

ubi Donatus, *Non, nolo: ſed, non poſſum.*

Ibid. Σκάπτειν οὐκ ἰσχύω]

- - - *Non didici aut duro ſubiiſſe labori,*
Aut operi inſuetas attenuiſſe manus.

D. Hieronymus epiſt. ad Euſtochium, *At dices, puella ſum delicata, & qua manibus meis laborare non poſſum.* Fulgentius Myrholog. lib. 3. *Delicata conſuetudo laborioſo fert operi præjudicium.* Seneca 3. 29. de Ira, *Ruſticum laborem recuſat*, &c. *à ſervitute urbana & feriata tranſlatus ad durum opus.* Euripides,

Κακαὶ γεωργεῖν χεῖρες εὖ τεθραμμέναι.

Quintilianus Declamat. 260. *Juvenes in magnis patrimoniis atque in ſumma dignitate nati, ſubito excuſſi, non dico opibus, ſed neceſſariis etiam ad victum* (melius *vitam*) *ſtipendium-que ultimum ſuſtinendum, non redibunt ad opus quotidianum, non ſufficient aſſiduo labori.* Ejuſdem Declam. 3. ille filius abdicatus, *Quid vis porro faciam? agreſtia olera delicatior aggrediar? hoc à fortuna non didici.* Eutropius aula abactus apud Claudianum,

Sternere quippe toros, vel cædere ligna culina
Membra vetant. - - -

Paralitus rege ſuo deſtitutus apud Libanium, Ἡ μὲν χεὶρ μὲν ἀπαιτεῖ τὴν συνήθειαν, ὁ δὲ νοῦς δ' οὐκ ἔῳκεν· τέχνην δ' ἐγὼ (ſcribe τέχνην δ' οὐκ ἔγνων) οὐδὲ γὰρ ἔμαθον τὴν ἀρχήν· πονεῖν οὐκέτι δύναμαι, τῷ σώματι ὑπὸ τῆς τρυφῆς διαφθαρμένος. Ubi & πονεῖν reſpondet ei quod in Contextu σκάπτειν. Ad foſſionem autem confugere ſolent qui nullo ſe manuum poſſunt miniſterio tueri. Philo lib. ὅτι πᾶς ὁ σπουδ. ἐλεύθ. ΤΩ῾ ἧς (anguſtia rerum neceſſariarum) βιαζόντες, ἐγχειρεῖν καὶ τοῖς δουλοπρεπεςάτοις ἀναγκάζονται, σκάπτοντες, γεωπονοῦντες, &c.

Ibid. Επαιτεῖν αἰσχύνομαι] Nam id flagitioſum nimis. Sirachides 40. 29. Ζωὴν ἐπαίτησις μὴ βιώσῃς· κρεῖσσον ἀποθανεῖν ἢ ἐπαιτεῖν. Julianus 3. Orat. Οὐδὲ ὑποσχεῖν τῇ χείρε ὑποδέξασθ' ἐν τις, &c. μὴ πεντάκισσιν ἀποσεισάμενος αἰδῶ. Apulejus 7. *Eique ſuaſiſſe ne manum erogandæ ſtipi porrigeret, ſed*, &c. In Gloſſario, *Mendicus*, ἐπαίτης.

Com. 4. Εγνων τί ποιήσω]

Non ſum divinus, ſed ſcio quid faciam.

In Plauti Aulularia ille, *Scio quid agam*, & in Trinummo,

Scio ego & ſentio ipſe quid agam.

Pro quo in Ejuſdem Capeeivis, *Sic egero.* Moraliter autem poſt, σκάπτειν οὐκ ἰσχύω, addit, ἔγνων τί ποιήσω. Suidas ad ea neſcio cujus,

Πεζῇ βαδίζω, νεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσαμαι·

Ἀντὶ τοῦ, μὴ δύναμαι τοῦτο, ποιήσω ἂν ἐκεῖνο.

Ibid. Ινα ὅταν μετασταθῶ τῆς οἰκονομίας, δέξωνταί με εἰς τὰς οἰκίας αὐτῶν] Hoc eſt quod infra com. 8. œconomus iſte dicitur Φρονίμως πεποιηκέναι· non quod laudetur iniquitas ejus, ſed quod in ſtatu adhuc meliore poſitus, provide ſecuturæ jam ſortis difficultatibus occurreret. Μεθίσταθαι τῆς οἰκονομίας, eſt, quod *ab actu removeri* (de diſpenſatore itidem agens) Paulus J. C. vocat.

Com. 6. Δέξαι σου τὸ γράμμα] P. Chryſologus Serm. 25. *Nonne homo homini exigua charta obligatione conſtringitur?* Vulgatus optime γράμμα *cautionem* vertit. In l. 40. ff. de reb. cred. *Lecta eſt in auditorio Papiniani P. Prætorio cautio hujuſmodi; L. Titius ſcripſi me accepiſſe à P. Mævio quindecim mutua numerata mihi de domo.* Hinc & *cauti nummi* apud Horatium, ubi vetus Commentator, *Propter chirographum dati.*

Ibid. Καθίσας ταχέως γράψον πεντήκοντα] Donatus ad Phorm. 5. 7. *Numerationem pecuniæ antecedit ſcriptura.* Horatius,

Scribe decem Nerio: - - -

ad quæ idem Commentator ille, *SCRIBE verbum Juris eſt, pro, mutuum ſume.* Apulejus in Apologetico, *Non prius diſcedunt quam aliquid ſcripſerint.* Vide in Epiſt. ad Philemonem com. 19. annotata. Καθίσας γράψον hic, ut in Græco Eſaiæ 30. 8. Τὸ ταχέως incertum ad præcedentem an ſubſequentem vocem referendum: maluerim ad præcedentem referri. E converſo enim Joh. 12. 29. ἐγείρεται ταχύ· Matth. 28. 7. ταχὺ πορευθεῖσαι· Apoc. 2. 5. & 22. 12. ταχὺ ἔρχεσθαι· & Act. 17. 7. ἀνάςα ἐν τάχει.

Com. 8. Οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου] Hi fere ſunt qui (ut Demas 2 Tim. 4. 10.) τὸν νῦν αἰῶνα ἠγαπήσαν· nec aliter heic Euthymius, *Filios ſeculi hujus dicit mundo adhærentes.* His Matth. 13. 38. contrarii οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας.

Ibid. Φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς, &c.] In Gloſſario, *Prudentiores*, Φρονιμωτέρως· malim Φρονιμώτεροι legi. Videtur enim hic locus Euangeliſtæ reſpici. Φρονιμώτεροι ὑπὲρ τ. υἱοὺς, &c. conſtructio Helleniſtica. Judic. 11. 25. ἀγαθώτερος ὑπὲρ Βαλὰκ· ibid. 15. 2. ἀγαθωτέρα ὑπὲρ αὐτήν· & 18. 26. δυνατώτερος ὑπὲρ αὐτόν. 3 Reg. 19. 4. κρείσσων ὑπὲρ τοὺς πατέρας. Eccleſiaſtæ 6. 10. ἰσχυροτέρου ὑπὲρ αὐτόν· & 7. 26. πικρότερον ὑπὲρ θάνατον. Pſalm. 19. 10. γλυκύτερον ὑπὲρ μέλι. Habac. 1. 8. ὀξύτεροι ὑπὲρ τοὺς λύκους. Tale & illud,

- - - *Scelere ante alios immanior omnes.*

Ibid.

Ibid. *Εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν*] In conſulendo commodis ſuis, in callidirate mundana. Ita, ſervos ingenuis non ſapientia, ſed nequitia præſtare, Juſtinus lib. 18. dixit.

Com. 9. *Ποιήσατε ἑαυτοῖς Φίλους ἐκ τῆ Μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας*] Non dicit, ex opibus injuſte partis amicos acquirendos: (*ὁ γὰρ ὠΦελήσειν θησαυρὸς ἀνόμως*, Prov. 2. 10. Sirachides item 5. 10. *Μὴ ἔσεχε ἐπὶ ἀδίκοις χρήμασιν, ὐδὲν γὰρ ὠΦελήσει σε ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικησεως*) ſed *ἐκ ψευδωνύμω Μαμωνᾶ* (ita enim ex oppoſito *ἀληθινὸς* infra com. 11. M. T. *ἀδικίας* accipio,) deberi *θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον ἀποθησαυρίζεσθαι· τὰ χρήματα δικαιοσύνης καὶ Φιλανθρωπίας ὄργανα ποιεῖν*, ut Maras, de quo Suidas. D. Auguſtinus ad Pſalm. 48. de iniquitatis Mammona, *De divitiis iſtis quas divitias iniqui vocant. Amicos facere* heic, ut apud Plinium lib. 6. Epiſt. 6. *Quod quidem ſemper, quaſi prævideris hoc tempus, fecit ſedulo: paravit amicos. Ex Mammona iniquitatis amicos facere*, ut apud Juvenalem,

Defoſſa in loculis quos ſportula fecit amicos.

Ibid. *Ἵνα ὅταν ἐκλείπητε δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίας σκηνὰς*) Ut cum defeceritis (id eſt, in re ſignificata, cum mors à bonorum vitæ iſtius procuratione vos abſtraxerit,) recipiamini (id enim heic imperſonale illud, *δέξωνται*, ut ſupra 6. 38. *δώσουσιν*,) in domos non *προσκαίρους*, ut diſpenſator iſte, ſed in manſiones æternas: *μονὰς* (Joh. 14. 2.) *ἐν τοῖς τῦ πατρός μου*. Salvianus 4. contra Avaritiam, *Expeditos ſe non putant ad ſequendum Deum, niſi omnia prius carnalium ſarcinarum impedimenta projecerint, ſimul ut more hominum commigrantium prius ad locum habitaculi res ſuas transferunt, quam ſe. ipſos: ſcilicet, ut cum univerſa quæ ad ſe pertinent tranſtulerint, tunc ipſi in plenam ac refertam bonis immortalibus domum, præmiſſa rerum omnium facultate, commigrent.* Beneficentiam, ſed ad incertos hujus vitæ caſus relatam, laudarunt Hebræorum ſapientes. Vide Eccleſiaſten 11. 2. Tobiæ 12. 9. Sirachidem 3. 33, 34. 29. 15. & 40. 26. Philo in *περὶ Φιλανθρωπίας* de Moſe, *Προτρέπει μὲν διὰ τῦτο (δάνειον) ἀποδύεσθαι καὶ συμβάλλειν ἀνυπόστερον, ἀλλ' ἀνειμένας χεῖρας καὶ γνώμας μάλιστα μὲν χαρίζεσθαι, λογιζομένους ὅτι καὶ ἡ χάρις τρόπον τινὰ δάνειον ἀποδοθησόμενον ἐν καιρῷ βελτίονι ἀνέγκης, ἱκανὴν γνώμην τῷ λαβόντος.* Secuti Gentium Scriptores eandem in ſententiam. P. Syrus,

Habet in adverſis auxilia qui in ſecundis commodat.

Seneca lib. de animi Tranquillitate, *Juſtitia, manſuetudine, humana lege, & benigna manu præparent multa ad ſequentes caſus ſubſidia: quorum ſpe ſecurius pendeant.* Repete quæ ante pauca adduximus ex Plinio juniore. Filius ad patrem parcum apud Menandrum,

- - - Ἐγώ σέ Φημι δεῖν ὅσον χρόνον
Εἶ πύριος (πλάτυ) χρῆσθαι, &c. γενναίως, πάτερ.
Αὐτὸν ἐπιτρεπὲν πᾶσιν, ἐντόμως ποιεῖν
Ὡς ἂν δύνῃ πλείστους διὰ σεαυτῦ· τῦτο γὰρ
Ἀθάνατόν ἐστι, κ' ἂν ποτε πταίσῃς τύχης,
Ἐκεῖθεν ἔσται ταυτὸ τῦτό σοι πάλιν.

Quam in mentem itidem ad Galat. 6. D. Chryſoſtomus, *Οἱ πλουτῦντες ἐρήνας τοῖς δεομένοις εἰσΦέρειν, ἵν' εἴκοτε καὶ αὐτοὶ περιέσσειν ποιῇ, τῶν αὐτῶν ἐπιτυχῶσιν·* & ad Matth. 5. Theophylactus, *Ὁ χρὴς ἐλεήμων, ἐὰν ἀπορήσῃ σήμερον, παρὰ πάντων ἐλεηθήσεται. Πρὸς Τύχης παράδοξα καταΦυγὰς ἑαυτοῖς παρασκευάζειν*, Dio in Excerptis vocat. Nec his aliena ſunt quæ apud Plutarchum de Xenophonte, *Παρήνει τῶν θεῶν ἐυτυχῶντας μάλιστα μεμνῆσθαι, καὶ τιμᾶν, ὅτως ὅταν ἐν χρείᾳ γενώμεθα, θαῤῥῦντες αὐτὰς παρακαλῶμεν· ὡς ἐυμενεῖς ἤδη ὄντας, καὶ Φίλας.* Paraſitus Terentianus, Eun. 2. 2.

- - - *Ad macellum ubi advenimus*
Concurrunt lati mi obviam cupedinarii omnes, &c.
Quibus & re ſalva & perdita profueram, &c.
Salutant, ad cenam vocant, adventum gratulantur.

Ἐκλείπειν hic abſolute ponitur, ut Hebr. 1. 12. in Græco Geneſ. 49. 33. Pſalm. 17. 38. & 103. 29. & apud Tacitum (eaque ipſa quæ apud Lucam noſtrum ſententia) *deficere. Quemcunque mortalium* (de Germanis loquitur,) *arcere tecto nefas habetur, pro fortuna quiſque apparatis epulis excipit: cum defecere, qui modo hoſtes fuerat, monſtrator hoſpitii, & comes*, &c. Nec aliter locutum video Vegetium 2. 20. De re militari.

Com. 10. *Ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ, καὶ ἐν πολλῷ πιστός ἐστι*] Salvianus 3. de Gubernat. *Probat etiam in majoribus, ſi res exigat, exercuerem ſe idoneum fore, à quo munera complentur.* Ἐλάχιστα hic intelligenda reſpectu ſpiritualium donorum quæ vere maxima.

Com. 12. *Καὶ εἰ ἐν τῷ ἀλλοτρίῳ πιστοὶ οὐκ ἐγένεσθε*, &c.] Πιστοὶ, nempe diſpenſatores. Hinc 1 Cor. 4. 2. *Ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις ἵνα πιστός τις ἐυρεθῇ.* Ἀλλότριον eſt quod ab aliis accepimus,

- - - *Nam quæ non fecimus ipſi*
Vix ea noſtra vocanda. - - -

Apulejus in de Socratis deo, *Aliena voco quæ parentes peperêrunt, & quæ Fortuna largita eſt.* In Allocutione ad Aſclepium cum ejuſdem Apuleji ſcriptis excuſa, *Ab omnibus divinæ cognationis partibus aliena ſunt omnia quæcunque terrena corporali cupiditate poſſidentur: quæ merito poſſeſſionum nomine nuncupantur, quoniam non nata nobiſcum, ſed poſtea à nobis poſſideri cœperunt.* Seneca epiſt. 98. *Quicquid eſt cui Dominus inſcripſerit, apud te eſt, tuum non eſt.* Idem Conſolat. ad Marciam cap. 10. *Non eſt quod nos ſuſpiciamus tanquam inter noſtra poſiti, mutuo accepimus.* Chryſoſtomus Homil. 79. in Joannem, *Miniſtramus quæ noſtra non ſunt, eſſi à majoribus noſtris relicta.* Irenæus 4. *Et quæcunque reliqua benefacientes juſtificamur, velut de alienis noſtra redimentes. De alienis, ita dico, non quaſi mundus alienus ſit à Deo, ſed quoniam hujuſmodi dationes ab aliis accipientes habemus.* Vel ἀλλότριον, quod facile ad alios à nobis tranſit, nempe ut

- - *Cujus Dominum Natura nec illum,*
Nec te, nec quemquam ſtatuit. - - -

Unde & Plinius 1. epiſt. 3. ad Caninium ſuum, *Reliqua rerum tuarum poſt te alium atque alium Dominum ſortientur*; & Valerianus Cimelienſis, *Cum non ſit noſtrum quod ſumus, multo minus noſtrum eſſe poteſt quod habemus:* quibus adde Ciceronis iſta, *Nihil meum eſt, nec cujuſquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti poteſt.* Paradox. 4.

Ibid. Τὸ ὑμέτερον, &c.] D. Hieronymus ad Algaſiam, *Alienum eſt nobis omne quod ſeculi eſt.* Idem ad Euſtochium, *Aliena nobis auri argentique ſunt pondera, noſtra poſſeſſio ſpiritualis eſt.*

Com. 13. Οὐδεὶς, &c. *δύναται δυσὶ Κυρίοις δουλεύειν*] De heris majore & minore ſervus ille apud Terentium, Andr. 1. 3.

Nec quid agam certum 'ſt, Pamphilumne adjutem,
an auſcultem ſeni.
Si illum relinquo, ejus vitæ timeo: ſin opitulor, hujus minas.

Plinius in Panegyrico, *Facilius eſt unum amare quam multos.* Andronicus Rhodius 9. 11. Τὸ πολλοῖς θεραπεύειν ἐπίπονον. Ibidem, Οὐχ οἷόν τε πλείοσιν, &c. *ἑαυτὸν διανέμειν.* Deinde, Ἡ ἐρωτικὴ Φιλίας ἐξὶν ὑπερβολή· καὶ διὰ τῦτο πρὸς ἕνα γενέσθαι δύναται. Vide ad Matth. 6. 24. annotata.

Ibid. Τὸν ἕνα μισήσει] Μισεῖν hic (ut & ſupra 14. 26.) non *odiſſe* ſignificat, ſed *amare minus.* Ita *odium* & *odiſſe* ponunt & Latini. Horatius,

Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.

Cicero ad Appium ſcribens Famil. lib. 5. *Citiuſque amore tui fratrem tuum odiſſe deſinam, quam illius odio quidquam de noſtra benevolentia detrahatur.*

Ibid. Ἑνὸς ἀνθέξεται] *Adhærebit.* Voce ἀντέχεσθαι uſus eſt & Simplicius in cap. 74 Epicteti, ſententia itidem huic Chriſti dicto perhercle congrua, Τὸν εἷς θεὸν (inquit) *ὁρμηθέντα ὑ χρὴ δίγνωμόν τι ἔχειν, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων ἀντεχόμενον.* Diximus ad Matthæum hoc loco, Tertullianum dum verbum *ἀντέχεσθαι defendere* vertebat, reſpexiſſe videri tempus quodvis quo duorum dominorum ſalus in periculo verſaretur, neque ſervus eodem momento utrique poſſet præſto eſſe. Sumus & adhuc in eadem ſententia, nam & Helychius (qui Lucam vel Matthæum reſpexit) ἀνθέξεται exponit ἀντιλήψεται· id eſt, *opem*, vel *auxilium, feret.*

Ibid. Οὐ *δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ Μαμωνᾷ*] Sedulius ad Rom. 1. *Non poteſt Deum ſuum dicere in cui*, &c. *gloria ſeculi, & pompa mundi, aut potentia rerum caducarum Deus eſt.* In Epiſtolis Apollonii dictis, Ἀρετὴ καὶ χρήματα, &c. ἀλλήλοις ἐναντιότατα, &c. *πῶς ἂν δυνατὸν ἀμΦότερα περὶ τὸν αὐτὸν γενέσθαι*; notandum autem non hic Chriſtum dicere, impoſſibile eſſe θεῷ δουλεύειν, καὶ Μαμωνᾷ (id eſt, divitias) ἔχειν ſed Deo & Mammonæ ſervire. Euthymius ad Matth. 19. ea, FACILIUS EST CAMELUM, &c. *Divitias non vituperat, ſed ſervire divitiis.* Vere ab Horatio dictum,

Imperat, aut ſervit collecta pecunia cuique.

Ibid. Οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ Μαμωνᾷ] Seneca, loquendi modo non alieno, cap. 15. de V.B. *Quomodo poteſt Deo parere, &c. qui ad, &c. voluptatum puncti unculas concutitur?* Quod idem epiſt. 104. de Libertate dixit, de Deo (forte & aptius) pronunciare licet; *Non poteſt gratis conſtare, hunc qui magno æſtimat, ei omnia parva æſtimanda ſunt.* Chryſologus Serm. 164. *Nemo poteſt connecti terræ, & jungi cælo.*

Com. 14. Ἦκουον δὲ ταῦτα καὶ οἱ Φαρισαῖοι] Ita Marc. 11.14. Καὶ ἤκουον (nempe ταῦτα) οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

Ibid. Φιλάργυροι ὄντες] De iiſdem 1. 12. Hegeſippus, *Genus hominum, &c. negotiorum avidum, pecuniæ appetens.*

Ibid. Καὶ ἐξεμυκτήριζον αὐτόν] Similima etiam Joh. 9. 40. habes, ubi & μὴ καὶ ὑμεῖς, &c. non multum abeſt abeo quod hic ἐκμυκτηρίζειν dicitur. Vide & infra hic 20. 19. Suidas, Μυκτηρίζει, ἐξυθενεῖ, χλευάζει. Heſychius, Ἐκμυκτηρισμός, χλευασμός. In Græco Proverb. 1. 30. Ἐμυκτήριζον τὰς ἐμὰς ἐλέγχους· & 23. 9. appoſite ad hæc Lucæ, Εἰς ὅτα ἄφρονος μηδὲν λέγε, μήποτε μυκτηρίσῃ σε τὰς λόγους κακῶς. Adde Prov. 13. 1. Conſilia autem ad beneficentiam ducentia, congruenter naturæ ipſorum, avari iſti ſannis excepere. Chryſoſtomus Homil. 73. in Joannem, *Mala cupiditates ſolent ſalutaribus ſermonibus aditum obſtruere: cupiditas pecuniæ non ſinit præcepta de eleemoſyna audire.*

Ibid. Ἐξεμυκτήριζον αὐτόν] Ἐγνωσαν γὰρ (ut Marc. 12. 12.) ὅτι πρὸς αὐτὰς τὴν παραβολὴν εἶπε.

Com. 15. Ὑμεῖς ἐστε οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων, ὁ δὲ θεὸς γινώσκει τὰς καρδίας ὑμῶν] D. Auguſtinus in Pſal. 18. *Superba anima in conſpectu hominum vult placere; humilis anima in occulto, ubi Deus videt, placere vult.* Euthymius ad Luc. 1. ea, ERANT JUSTI CORAM DEO, *Hunc habebant ſua juſtitia inſpectorem, hæc enim eſt juſtitia vera.* Illa, οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς, vertunt, *qui vos juſtificatis.* Idem Auguſtinus in Pſalm. 65. & de Judæis loquens, *Quaſi meritis ſuis volebant tribuere juſtificationes ſuas.* Id eſſet quod Rom. 10. 3. τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην ζητῆσαι ζητεῖν, τῇ δικαιοσύνῃ δὲ θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν. Fortaſſe autem ἑαυτοὺς δικαιοῦν hoc, eſt quod Proverb. 21. 2. Φαίνεσθαι ἑαυτοῖς δίκαιοι· ubi & ſequitur (ut hoc loco) de corde, κατευθύνει δὲ καρδίας Κύριος. Sirachides 7. 5. Μὴ δικαιοῦ ἔναντι Κυρίου· ubi Vulgatus, vel quis alius ſtudioſus, (ex iſto, ut videtur, Lucæ loco) addidit, *Quoniam agnitor cordis ipſe* (Deus) *eſt.* Poſſumus & ſic interpretari, *qui pro juſtis vos venditatis:* Sic fere Matth. 23. 28. idem Dominus noſter ad Phariſæos iſtos, Φαίνεσθε τοῖς ἀνθρώποις δίκαιοι.

Ibid. Ὁ δὲ θεὸς γινώσκει τὰς καρδίας ὑμῶν] Θεὸς (Galat. 6. 7.) οὐ μυκτηρίζεται. Αὐτὸς γινώσκει (Johan. 2. 25.) τί ἐστιν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. 1 Reg. 16. 7. Ἀνθρωπος ὄψεται εἰς πρόσωπον, ὁ δὲ θεὸς ὄψεται εἰς καρδίαν· & Pſalm. 44. 21. Αὐτὸς γινώσκει τὰ κρύφια τῆς καρδίας. Vide & Pſ. 33. 15. 1 Theſſ. 2. 4. & in Gr. Prov. 24. 12.

Ibid. Τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν βδέλυγμα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ἐστιν] Chryſoſtomus ad Rom. 2. 13. illud, δίκαιοι παρὰ τῷ θεῷ, Καλῶς προσέθηκε, παρὰ τῷ θεῷ· παρὰ μὲν γὰρ ἀνθρώποις ἴσως σεμνοὶ δόκουσι Φαίνεσθαι, &c. παρὰ δὲ τῷ θεῷ τἀναντίον ἔπαθον. Photius Epiſt. 187. Ἀνθρωποι μὲν, &c. οἱ ἐξ ἀγίλης, ὃ γὰρ ἂν οἱ γε Φιλόσοφοι καθαρὸν τὸν ἔρωτα συντηρήσαντες, πρὸς ἓν μόνον τὸν πλοῦτον, καὶ τὴν ἐξ αὐτοῦ τρυφὴν καὶ δόξαν κεχηνότες, &c. τίμιον αὐτὸν καὶ μακάριον ἡγοῦνται. θεὸς δὲ τὸν εὐσεβῆ τιμᾷ, καὶ τοῖς Φιλαρέτοις τὸ εὐπλεὲς ἀκουέμεν· κ' ἂν ὁ τῶν χρημάτων αὐτὸς ὄγκος ὑ Φλεγμαίνει, κἂν ὁ ἐκεῖθεν τύφος καὶ ἡ τρυφὴ περιβλέπτους ποιῇ. Euſtatius ad Iliad. α'. Πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων θεῷ τιμώμενοι, ὡς θεοφιλεῖς, ἀνθρώποις ἀτέρποι εἰσιν· ἄλλοι δ' ἂν ἀνθρώποις προσεχόμενοι, ἀτεθύμιοι τῷ κρείττονι διεκρίθησαν. Lactantius 6. 16. *Deo humilis & abjectus eſt qui fuerit conſpicuus & ſublimis in terra.* Et contra paulo poſt ex Euripide, *Quæ hic mala putantur, hæc ſunt in cælo bona.* Philo 2. de Legg. ſpecial. Παρ' ἡμῖν μὲν ἀνιαρότης, ἰσότης δὲ παρὰ τῷ θεῷ τίμιον. Idem in de Agricultura, Παρὰ μὲν ἀνθρώποις τὸ ἄδικον πλῆθος πρὸ ἑνὸς τοῦ δικαίου προτετίμηται· παρὰ δὲ τῷ θεῷ τὸ σπάνιον ἀγαθὸν πρὸ μυρίων ἀδίκων. De Chriſto D. Petrus 1. 2. 4. Τὸ ἀνθρώποις μὲν ἀποδεδοκιμασμένον, παρὰ δὲ τῷ θεῷ ἐκλεκτὸν, ἔντιμον.

Ibid. Βδέλυγμα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ἐστιν] Sic contra 1 Petr. 3. 4. ἐνώπιον τοῦ θεοῦ πολυτελές ἐστιν. In Gloſſis, *Abhominatio*, βδέλυγμα.

Com. 16. Ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται ἕως Ἰωάννου· ἀπὸ τότε ἡ βασιλεια τοῦ θεοῦ εὐαγγελίζεται] Hinc de Johanne iſto Caſſianus Inſtitut. 1. 2. *Veteris novique Teſtamenti velut quidam ſacratiſſimus limes, finis initiumque proceſſit.*

Ibid. Ἀπὸ τότε ἡ βασιλ. τ. θ. εὐαγγ.] Matth. 3. 2.

Ibid. Εἰς αὐτὴν βιάζεται] Hinc ἄθλον βιαίου Baſilius regnum cœlorum vocavit. In Gloſſis, *Vim facit*, &c. βιάζεται.

Com. 19. Ἐνεδιδύσκετο πορφύραν] Sic 1 Maccab. 10. 62. Ἐνέδυσαν αὐτὸν πορφύραν. Purpura heic apte diviti tributa. Juvenalis,

- - - Veſtes
Purpureæ, teneris quoque Mecænatibus aptæ.

Diodorus Siculus de Sardanapalo, Πορφύραν, καὶ τὰ μαλακώτατα τῶν ἱματίων, &c. ἐνεδεδύκει.

Ibid. Εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν] Τρυφῶν, σπαταλῶν, τῇ καρδίᾳ τρέφων, ut & divites illi de quibus 5. 5. Jacobus. Vide quæ 1 Cor. 15. 31. & quæ de Apicio ac Nomentano Seneca cap. 10. de V.B. Illud, καθ' ἡμέραν, non luxum intermiſſum, ſed aſſiduum notat. Ulpianus ad Demoſthenis Olynth. β'. ea, τὴν καθ' ἡμέραν ἀκρασίαν, διὰ τὸ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ταῦτα ποιεῖν, διέβαλεν αὐτὸν, ὡς μέθυσον, καὶ τοῦτον τὸν βίον ἔχοντα. Memnon Hiſtoricus de Dionyſio Heracleenſium Tyranno, Ταῖς καθημερινοῖς τρυφαῖς ἐνδυκτηθείς, &c. Sic 2 Pet. 2. 13. ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ (id eſt, *aïs*, vel καθ' ἡμέραν) τρυφήν· & in verſu Græco,

Ψυχὴ, δίδε σοί γ' ἡδονὴν καθ' ἡμέραν.

Recentiori εὐφραίνεσθαι hic eſt *oblectare* ſe, Vulgato (& heic, & Sirach. 39. 37.) reſtrictius, (planeque ut ſumendum videtur,) *epulari.* In Gloſſario, Εὐφραίνω, *epulor:* vide ſupra 12. 19. Εὐφροσύνη etiam apud Heſychium exponitur εὐφραίνεσθαι.

Ibid. Λαμπρῶς] In eodem Gloſſario, Λαμπρῶς, *ſplendide.*

Com. 20. Ἐβέβλητο πρὸς τὸν πυλῶνα] Ut ſolent Fortunæ purgamenta. Didymus in Odyſſ. ρ'. Εἰώθασιν οἱ πτωχοὶ προσκλίνεσθαι ταῖς θύραις, καὶ προσρᾴδεσθαι. Sic alter ille mendicus Act. 3. 2. πρὸς τὴν τῆ ἱερῆ θύραν· ubi dicta vide.

Ibid. Ἑλκωμένος] In Gloſſario, Ἑλκωμένος, *ulceratus*, &c. forte melius *ulceroſus* ſcribas: id eſt, (ut heic optime Vulgatus) *ulceribus plenus:* κοπρῷ ἔλκει (ut Job. 2. 7.) ἀπὸ τοῦδε ἕως κεφαλῆς πεπαχθείς. Plinius de quodam municipe ſuo, lib. 6. epiſt. 24. *Ulceribus putreſcebat.*

Com. 21. Ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῆ πλουσίου] Subaudi, (ut ſupra 15. 16.) καὶ οὐδεὶς ἐδίδου αὐτῷ. Deus ad opulentos illos Ezech. 34. 19. *Oves meæ his quæ conculcata pedibus veſtris fuerant paſcebantur.* Apud Quintilianum 5. declam. ille, *Non exigo tuis manibus porrigas cibos, &c. projice quod rapiam, objice quod calligam.* Vide ad Matth. 15. 27. dicta. Nota & illa τῶν ψιχίων πιπτόντων. Sic, ἐκκρίττοντα τῆ ἄρτυ θρύμματα. Variar. 13. apud Ælianum.

Ibid. Ἐπιθυμῶν, &c.] Heſychius, (&, ni fallor, ex hoc Lucæ loco) Ἐπιθυμῶν, ἐρεγόμενος.

Ibid. Ἀπὸ τῆς τραπέζης τῆ πλουσίου] Supple, ut ſupra 15. 16. καὶ οὐδεὶς ἐδίδου αὐτῷ. Nihil (ut Jobi 20. 21. ubi & de ejuſmodi agitur) de cibo divitis remanſit.

Com. 22. Καὶ ἐτάφη αὐτὸν ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ] Chryſoſtomus Homil. 61. in Joannem, *Ille* (qui bene vixit) *moriens, cum Angelis evolabit, etiamſi nemo exequiis intervenit.*

Ibid. Ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος]

- - - Τὴν αὐτὴν ὁδὸν,
Ἣν πᾶσιν εἶδεν ἐς' ἀναγκαίως ἔχον,
Παρελήλυθεν. - - -

Eſt emphaſis autem in iis, καὶ ὁ πλούσιος· q. d. æque ac mendicus ille. Jobus 21. 23. *Iſte moritur, robuſtus & ſanus, dives & felix. Viſcera ejus adipe ſunt plena, & medullis oſſa illius irrigantur. Alius vero moritur in amaritudine animæ abſque ullis opibus. Et tamen ſimul in pulvere dormient, & vermes operient eos.* Arrianus 3. 26. in Epictetum, Ἡ αὐτὴ κάθοδος, τὰ δὲ κάτω τὰ αὐτὰ, ἐπεῖ καὶ τὰς πλουσιωτάτας, &c. δεῖ κατελθεῖν. In Parænetico Phocylidis dicto,

Κοινὰ μέλαθρα δόμων εἰσίνα, καὶ πατρὶς ἅδης
Κοινὸς χῶρος ἅπασι, πένησί τε καὶ βασιλεῦσιν.
Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regumque turres. - - -
- - - Metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro.
- - - Æqua lege neceſſitas
Sortitur infignes & imos:
Omne capax movet urna nomen.

Di-

Diveſue priſco natus ab Inacho
Nil intereſt, an pauper & infima
De gente, ſub dio moréris
Victima nil miſerantis Orci.

In Trimummo Plautina,

Salillum animæ cum extemplo amiſimus,
Æquo mendicus atque ille opulentiſſimus
Cenſetur cenſu ad Acherontem mortuus.

De Deo Seneca 91 Epiſtola, *Ubi ad finem mortalitatis ventum eſt, diſcede* (inquit) *ambitio, omnium quæ terram premunt ſiremps lex eſto.* Vide & Job. 21. comm. 23, 24, 25, 26.

Ibid. Α'πέθανε] *Oſſa dedit terræ proinde ac famul infimus eſſet.*

Ibid. Α'πέθανεν, &c. καὶ ἐτάφη] Τὸ κοινὸν τῇ πεπραμένῃ χρεὼν ἐπέτυε, καὶ τῆς προσηκούσης κηδείσεως ἔτυχεν, ut apud Suidam (in v. χρεών) Ælianus locutus. Α'πέθανε καὶ ἐτάφη, heic, ut Act. 2. 29. de Davide, Ετελεύτησε, καὶ ἐτάφη.

Com. 23. Ἐν τῷ ᾅδῃ, &c.] Id eſt, in loco illo vitibus ſubſtracto (ᾅδης enim quaſi ἀΐδης) in quo, ſub exſpectatione, ſive (ut cum Tertulliano loquar) candidatura utriuſque judicii manent mortuorum animæ. *Communem omnium cuſtodiam* Lactantius 7. 21. vocavit, & ante illum Menander,

Κοινὸν τὸν ᾅδην ἔσχον οἱ πάντες βροτοι.

Adde ſupra ex Phocylide adducta. Apud Photium Jobius §. 38. Κ' ἂν διάφορος ἑκατέρα μερὶς (ἐν τῷ ᾅδῃ) τῶν τε πεπιςευκότων καὶ τῶν ἀπιςησάντων, ἀλλ' οὖν εἰς ἓν κεφαλαιῶται τὸ τῶν κατεχθονίων. Vulgatus, (quem ſecuti recentiores) *in Inferno*. D. Ambroſius cap. 10. lib. De bono mortis, ᾅδην, &c. *quem Latine Infernum dicimus:* & in vetere Onomaſtico, *Infernus*, ᾅδης.

Ibid. Τὰ πάρχειν ἐν βασάνοις] Ut animæ piorum, etiam ante univerſalis judicii diem in loco refrigerii verſantur, ita malorum animæ, quaſi in anteceſſum graviorum illarum quæ manent eas, pœnis torquentur.

Ibid. Ο'ρᾷ τὸν Α'βραὰμ] Non vidit Noe, non Jacobum, non Iſaacum, (inquit D. Chryſoſtomus Homil. in narrationem iſtam) ſed Abrahamum, quia Abraham Φιλόξενος ἦν, καὶ τῆς ἀναπαύσεως τούτου μᾶλλον γίνεται κατηγορία ἡ ἐκείνου φιλοξενία.

Ibid. Καὶ Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ] Euthymius ad Matt. 8. ea, ACCUMBENT IN SINU ABRAHAM, *Sinum Abrahæ dixit, tanquam requiem ac fruitionem juſtorum:* & poſt, *Quia credebant Abraham in bonis ineffabilibus degere, pro regno cælorum ſinum Abrahæ poſuit, tanquam rem notam.*

Com. 24. Καὶ φωνήσας εἶπεν, &c.] Fingitur dixiſſe quæ homo in tali ſtatu locoque exſiſtens, ſi vocis uſura ei conceſſa eſſet, videri poteſt voluiſſe dicere. Similia Sapient. 5. 13. illa, *Talia dixerunt in Inferno hi qui peccaverunt.*

Ibid. Ινα βάψῃ τὸ ἄκρον τῶν δακτύλων αὐτοῦ ὕδατος] Cui antea quæſitiſſima vina ſuperfuerant, jam guttam aquæ petit. De Pompeio Seneca, *Cum tot poſſideret flumina in ſuo orientia & cadentia, mendicavit ſtillicidia.* In Pace Ariſtophanis, ςαλαγμὸν ὄνε μοι ςάλαξον. In Ejuſdem Acharnenſi.

Σὺ δ' ἀλλά μοι ςαλαγμὸν εἰρήνης ὄνςαξον, &c.

Seneca 3. 8. de Beneficiis, *Tempore quædam magna fiunt, non ſumma: beneficium eſt donata poſſeſſio cujus fertilitas laxare poſſit annonam: beneficium eſt unus in fame panis: beneficium eſt donare regiones per quas multa flumina & navigabilia decurrunt: beneficium eſt arentibus ſiti, & vix ſpiritum per ſiccas fauces ducentibus, monſtrare fontem.* Opponitur autem gutta aquæ de digito pauperis deſideratæ, micæ panis à paupere de menſa divitis petitæ: ut bene ad Pſal. 48. notavit D. Auguſtinus.

Ibid. Καταψύξῃ τὴν γλῶσσάν μου] Onomaſticon vetus, *Refrigero ἀναψύχω.* Ovidius,

Aridaque effuſa guttura tinget aqua.

Com. 25. Μνήσθητι] In Gloſſario, Μνήσθητι, *memor eſto, recordare*, &c.

Ibid. Απέλαβες τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου] Αὐτη (ut 9. 9. Eccleſiaſtæ) μερίς σου ἐν τῇ ζωῇ σου. Αὐτη (ut Sapient. 2. 9.) ἡ μερίς σου, καὶ ὁ κλῆρος οὗτος. Diphilus apud Clementem Alexandrinum,

Οἶει σὺ τὰς θανόντας, ὦ Νικήρατε,
Τρυφῆς ἀπάσης μεταλαβόντας ἐν βίῳ,
Πλεφευγέναι τὸ θεῖον ὡς λελῃθέτας;
Ἐςι δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάντ' ὁρᾷ.

Lactantius 7. 11. *Qui beati ſunt in hac vitæ corporali*, &c. *ſemper miſeri ſunt futuri: quia jam bonis quæ maluerunt potiti ſunt.* Ἀγαθὰ hic vulgariter ſumpta, ſunt *quæ in homine dicuntur bona*, ut Terentius locutus: &, *quæ pro bonis habentur*, cap. 1. de Opif. Dei Lactantius. *Opinione bona, & nomen quidem cum bonis commune habentia, non autem proprietatem*, Seneca Epiſt. 74 dixit. Idem 45 Epiſtola, *Non ſtatim bonum eſt ſi quid neceſſarium eſt: projecimus bonum, ſi hoc nomen pani aut polentæ damus, & cæteris ſine quibus vita non ducitur.* Scriptor τῶν ἠθικῶν μεγάλων, qui vulgo Ariſtoteles, Εἰς δύο (τὰ ἡμᾶς ἀνήκοντα nempe) διαιροῦμεν· καὶ τὰ μὲν φαμεν εἶναι καλὰ, τὰ δὲ καὶ ἀγαθά. καὶ τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν ἁπλῶς ἀγαθὰ, τὰ δὲ οὔ. καὶ καλὰ μὲν, οἷον, τὰς ἀρετὰς, καὶ τὰς ἐκ' αὐτῶν πράξεις· ἀγαθὰ δὲ, ἀρχὴν, πλοῦτον, δόξαν, τιμὴν, καὶ τὰ τοιαῦτα, &c. Omnino lege Ciceronem Parad. 1. Horatius,

. . . Adimam bona, nempe, pecus, rem,
Lectos, argentum. . . .

q. d. Quæ vulgo bona dicuntur. Apuleius in de Philoſophia, *Nullis extrinſecus eorum quæ bona dicimus adminiculis indigens.* Hoc ſenſu ſupra heic 11. 13. ἀγαθὰ δόματα habemus: & è converſo 1 Cor. 1. 27. τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου· i. e. re ipſa non quidem ſtulta, at pro talibus habita. *Populariter verbis* (inquit Cicero Offic. 2.) *eſt agendum, & uſitatis, cum loquimur de opinione populari.* Τὰ ἀγαθά σου ἀπέλαβες heic, ut Matt. 6. 3. ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. Ἐν τῇ ζωῇ σου, eſt, quod 1 Tim. 6. 17. πλουσίως ἡμῖν ἐν τῷ ἀπόνῳ αἰῶνι. *Duxiſti in bonis dies tuos:* ut Jobi 21. 13.

Ibid. Νῦν δὲ, ὧδε παρακαλεῖται] Lactantius ubi ſupra, *Qui juſtitiam ſequentes in hac vita miſeri fuerunt*, &c. *ſemper beati ſunt futuri, ut quia jam mala pertulerunt, etiam bonis fruantur:* & 7. 5. *Afficietur moleſtiis & laboribus quamdiu fuerit in terra, ut habeat divinum & cæleſte ſolatium.* Chryſoſtomus Homil. 15. in Acta Apoſtol. *Vis refrigerium invenire illic? fer heic tribulationem.* Vide Matth. 5. 4. 2 Cor. 1. 7.

Ibid. Σὺ δὲ ὀδυνᾶσαι] Hæc adimpletio eſt illius καὶ quod ſupra 6. 25. Suidas, Ετειδὴ τὸν οἶνον ἡδίως πίνεν, συνεκτείνει ἐςί σοι καὶ τὴν τρύγα. Τοῖς ἀγαθοῖς χρῆσθαι βουλομένους, δεῖ καὶ τὰ κακὰ ὑπομένειν.

Ibid. Νῦν δὲ ὧδε παρακαλεῖται, σὺ δὲ ὀδυνᾶσαι]

In pretio fueras mage tu, miſer iſte jacebat:
Ecce jaces tu, ille in ſummum ſucceſſit honorem.
Sic volvenda ætas commutat tempora rerum.

D. Auguſtinus Soliloquiorum cap. 22. *Qui heic conſolantur, indigni tua conſolatione habentur: ſed qui heic cruciantur, à te conſolantur.* Paſtor Hermæ 3. 4. *Futurum ſeculum eſt juſtis, peccatoribus autem hiems:* ex quo fortaſſe Theophylactus ad Luc. 21. Θέρος ἥξει, &c. μετὰ χειμῶνα καὶ ζάλην, ὡς θέρος ἐρχόμενον τοῖς δικαίοις, ὡς γε τοῖς ἁμαρτωλοῖς χειμὼν ἔσαι τότε καὶ ζάλη. οὕτω γὰρ θέρος τὸν παρόντα αἰῶνα ἔχουσι, ζάλην δὲ τὸν μέλλοντα. Confer locum 2 Theſſ. 1. 6, & 7. Apud Inferos pauper ille in Luciani Cataplo, Ἡμεῖς οἱ πένητες γελῶμεν, ἀνιῶνται δὲ καὶ ὀλιμάζουσιν οἱ πλούσιοι. In ejuſdem Dialogis Diogenes ad Mauſolum Regem, Μαύσωλος ὀλιμάζεται μεμνημένος τῶν ὑπὲρ γῆς, Διογένης δὲ καταγελάσεται αὐτοῦ. Tertullianus in de Spectaculis, *Vicibus res diſpoſita eſt: nunc iſti lætantur, nos conſtillamur*, &c. *lugeamus ergo dum ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint, gaudeamus.* D. Auguſtinus in Pſalm. 74. *Quando acceperint humiles quod irridem ſuperbi, tunc ſuperborum typhus in luctum convertetur.* Sidonius 7. 6. *Ordinis res eſt, ut nunc dives purpura byſſoque veletur, Lazarus hic ulceribus & paupertate feriatur: ordinis res eſt ut dum in hac allegorica verſamur Ægypto, Pharao incedat cum diademate, Iſraelita cum cophino: ordinis res eſt ut dum in hac figurata Babylonis fornace decoquimur, nos cum Jeremia ſpiritualem Jeruſalem ſuſpiriioſis planctibus ululatibus, & Aſſur faſtu regio tonans, ſanctorum ſancta conculcet. Quibus ego præſentium futurarumque beatitudinum viciſſitudini ne inſpectis, communia patientius incommoda fero. Primum, quod mihi qua mereor introſpicienti, quæcunque adverſa provenerint leviora reputabuntur: deinde, quod certum ſcio maximum eſſe remedium interioris hominis, ſi in hac arena mundi variis paſſionum flagellis triturator exterior.* D. Auguſtinus in Pſal. 48.

de Lazaro & hoc divite noſtro, *Mutaverunt vicem à: Ille jamna divitis ſublevatus eſt in ſinum Abrahæ; ille ab epulis ſplendidis miſſus eſt in ignem: ille requieſcebat, ille ardebat: ſatiabatur ille, ille ſitiebat: ille laboraverat in finem, vivet in æternum; ille vixerat in finem, laborabit in æternum.* In Comœdia Plautina,

Fortuna ſolent mutarier, varia vita eſt.
Nos divitem eum meminimus, atque iſte pauperes nos:
Verterunt ſe memoria. - - -

Martialis,

Plus habuit Didymus, plus Philomelus habet.

Ibid. Σὺ δὲ ὀδυνᾶσαι] Vult dicere, Ὅσα (ut Apoc. 18. 7.) ἐδόξασας σεαυτὸν, καὶ ἐστρηνίασας, τοσοῦτον νῦν βασανισμὸν δὸς αὐτῷ. P. Chryſologus Serm. 47. de Inferno, *Quam male ſtridet ibi qui hic male videt!*

Com. 26. Καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις] *Præter hæc omnia*, jam dicta nempe. Καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις, dixit & Simplicius in cap. 2. Epicteti: & Paulus Coloſſ. 3. 14. ἐπὶ πᾶσι δὲ τούτοις & ſenſu eodem Epheſ. 6. 16. ἐπὶ πᾶσιν. Sic & infra hoc 24. 21. σὺν πᾶσι τούτοις. Heſychius, Ἐπὶ τούτοις, πρὸς τούτοις. In Gloſſis, Καὶ ἐπὶ τούτοις, *Inſuper etiam.* Virgilius,

Inſuper his. - - -

Terentius in Eunucho, *Quinetiam inſuper.* Ammianus lib. 21. de Conſtantio, *Eratque ſuper his* (jam nempe memoratis) *adimere facilis quæ donaverat.* Eodem ſenſu πρὸς ἐπὶ τούτοις, Ariſtophanes in Pluto, &, ἔτι δ' ἐπὶ τούτοις, Euripides in Medæa dixerunt.

Ibid. Μεταξὺ ὑμῶν καὶ ἡμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται] Nos ab invicem (Virgil.)

Longa procul longis via dividit invia terris;
Nos iter immenſum diſterminat, & plaga Ponti
Interfuſa coercet. - - -
Inter nos (heu) voſque jacent immania Ponti
Æquora, ſubſtrata æthereis ingentibus oris:
Interjectaque ſunt terrarum millia multa.

Μακρὸν τὸ δεῦρο πέλαγος, ὠδὲ πλεῖμον.
- - - Μάλα πολλὰ μεταξὺ
Οὔρεά τε συόεντα, θέλαστά τε ἠχήεντα.

Virgilius, itidem de piorum (ut in Apologo iſto) impiorumque ſedibus apud inferos agens,

Hæc inter tumidi late maris ibat imago.

Sic Homerus de longiſſimo vivorum à mortuis intervallo,

Μέσσῳ γὰρ μεγάλοι τοταμοὶ, καὶ δεινὰ ῥέεθρα.

Et Petrarcha de Laura mortua,

Quante montagne ed acque!
Quanto mar! quanti fiumi
M'aſconden que' duo lumi!

Lucianus item in Contemplantibus, Ὦ μάταιε τῆς ἀνοίας, ὃν οἶδας ἡλίκος ὅρος διαιτήματι τὰ νεκρῶν καὶ τῶν ζώντων πράγματα;

Ibid. Χάσμα μέγα ἐστήρικται μεταξὺ ὑμῶν καὶ ἡμῶν] Contra apud Ovidium,

- - - Nec nos mare ſeparat ingens,
Nec via, nec montes, nec clauſis mœnia portis:
Exigua prohibemur aqua. - - -

Ibid. Χάσμα μέγα ἐστήρικται]

- - - Immenſo ſpecu
Ingens vorago faucibus vaſtis patet.

Claudianus Mamercus 3. *Inter ſalvatos & perditos intranſmeabile dicitur chaos, ſtatus indemutabilis.* Photius 52 Epiſt. Μέγα χάσμα ἐστήρικται μετὰ γένεσιν καὶ βασιλείας. Lucianus in de Hiſtoria ſcribenda, Ἀγνοοῦντες ὡς οὐ ζενῇ τῇ ἑαθμῷ διώρυξαι, &c. ἡ ἐστρὶν πρὸς τὸ ἐγκώμιον, ἀλλά τι μέγα τοῖχος ἐν μέσῳ αὐτῶν ἐστι. Μέγα χάσμα, pro magno hiatu vel voragine habemus in Græco 2 Reg. 18. 17. Sic χάσμα, &c. σχίσμα γῆς, apud Heſychium; &, *Terræ hiatus*, χάσμα, in Gloſſario. Hoc loco autem ſignificat potius vaſtum aëris intervallum: unde & ἀερόεν, μέγα exponitur à Suida. Lucianus Philopſeude, χάσμα, &c. ἡλίκον Ταρτάρεον τὸ μέγεθος. Idem alibi, & de ἅδῃ loquens, Βασιλεύειν δὲ τῶν χάσματος, &c. Πλάτανα κεκλημένον. Vulgatus heic, *magnum chaos:* quod ſine cauſa Eraſmus damnavit. Rhadamanthus apud Claudianum,

- - - Infraque receſſus
Tartareos, noſtrumque chaos. - - -

Valerius Flaccus,

Stat chaos denſum, tenebræque turpes.

Sic & *chaos inane, ſineque termino*, apud Senecam 72 epiſtola. Ἐστήρικται (de qua voce Beza argutatur nimis) nil aliud iſto loco ſignificat quam ἔστι, κεῖται· vel, *ſtat:* ut in Flacci jam citatis verbis. Ita apud Virgilium 6.

- - - Stat ferrea turris ad auras.

Servius ad ejuſdem 1. *Stat, modo horret, modo plenum, modo poſitum eſt*, (ἐστήρικται iſto Lucæ loco) *modo placet: pro loco ergo hic ſerme intelligendus.*

Ibid. Ὅπως οἱ θέλοντες διαβῆναι ἐντεῦθεν πρὸς ὑμᾶς μὴ δύνωνται, μηδὲ οἱ ἐκεῖθεν πρὸς ἡμᾶς διαπερῶσι] In Epiſtolis Juliani, Καὶ μήτε ἡμῶν εἶναι μηδένα παρ' αὐτῶ ἐλθεῖν, μήτ' αὐτῷ παρ' ἡμᾶς ἐξιέναι. Plinius l. 2. c. 67. *Maria circumfuſa undique dividuo globo partem nobis auferunt orbis, nec inde huc, nec hinc illo pervio tractu.* In fragmento Joſephi dicto, De cauſa, ſive eſſentia, Univerſi, χάος βαθὺ καὶ μέγα ἀνωμάσον ἐστήρικται, ὥστε μὴ δίκαιον συμπαβήσαντα προσδέξασθαι, μήτε ἄδικον τολμήσαντα διελθεῖν. Διαπερῶσι Recentior *tranſire* vertit, faſtidiens imperite Vulgati illud, *tranſmeare.* Apuleius 6. *Cujus limite tranſmeato*, &c.

Com. 27. Ἐρωτῶ οὖν σε, πάτερ, ἵνα πέμψῃς αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου] Ego enim remeare illo jam non amplius poſſum. Job. 7. 9. *Qui deſcenderit ad Inferos*, (εἰς ᾅδην) *non aſcendet, nec revertetur ultra in domum ſuam.* Vide & Sapient. 2. 5.

Com. 28. Ἔχω γὰρ πέντε ἀδελφούς] Accipio iſta ὡς διὰ μέσου interjecta. Parentheſin non abſimilem 1 Cor. 16. 5. vide. Τὸ πέντε hic numerum non præciſum, ſed mediocrem notat, ut ſupra 12. 6. 14. 19. 1 Cor. 14. 19. & nonnunquam apud Latinos. Perſius,

Quinque paleſtrita licet hæc plantaria vellant, &c.

Com. 29. Ἀκουσάτωσαν αὐτῶν] Pareant iis quæ ab illis dicta ſunt: ſic Matth. 17. 5. ἀκούετε· & Marc. 4. 24. τοῖς ἐμὲ ἀκούσι.

Com. 30. Οὐχί] Ambigua & præciſa locutio. Permulti antiquorum recentiorumque ſupplent, αὐτῶν ἀκούσουσι· ſupplere malim ego ἀρκέσει: q. d. non ſufficit: vel οὐχὶ ſumere pro οὐδὲν ἐστι.

Ibid. Ἐάν τις ἀπὸ νεκρῶν πορευθῇ πρὸς αὐτούς, &c.] Lucianus de Demonacte, Ἐρομένου τινὸς, ὁπόθεν νομίζοις τὰ ἐν ᾅδου; πεῖσμόν, ἔφη, ἠκούσθην σοι ἀποσελᾶ. Scholiaſtes vetus Sophoclis de Pythagora, Καθείρξας ἑαυτὸν ἐν ὑπογείῳ, λογοποιεῖν ἐκέλευσε τὴν μητέρα ὡς τεθνηκώς εἴη, καὶ μετὰ ταῦτα ἐπιφανείς, περὶ, &c. τῶν καθ' ᾅδου τινὰ ἐτεραγγέλετο· διηγουμένου πρὸς τοὺς ζῶντας περὶ τῶν εἰκείων οἷς ἐν ᾅδου συντετυχηκέναι ἔλεγεν. Julius Canius jam ſtatim gladio plectendus apud Senecam De Tranquil. c. 4. *Obſervare propoſui illo velociſſimo momento an ſenſurus ſis animus exire ſe; promiſitque ſi quid exploraſſet, circumſturum amicos, & indicaturum quis eſſet animarum ſtatus.* Quibus addas, qui voluerit, quæ Plato habet Polit. ultimo libro; quæ Suidas in Φωὼς de Cynico Menippo; & Matthæus Paris ad annum 1070. ſub Gulielmo Conqueſtore dicto. A mortuis autem reverſi teſtimonio merito Dives ait fidem habitum iri. Seneca Epiſt. 30. *Plus, ut puto, fides haberet apud te, plus ponderis, ſi quis revixiſſet, & in morte nihil mali eſſe narraſſet.* Artemidorus 2. 74. Ἔτι τῶν ἀξιοπίστων εἰσὶ καὶ οἱ νεκροὶ, ἐκεῖ πάντας ἀληθεύοντι. διὰ γὰρ δύο ταῦτα οἱ ψευδόμενοι ἐκπεπώκασι· ἢ διὰ τὸ ἐλπίζειν τί· ἢ διὰ τὸ φοβεῖσθαι· οἱ δὲ μήτε ἐλπίζοντές τι, μήτε φοβούμενοι, εἰκότως ἀληθῆ λέγουσι. μάλιστα δὲ οἱ νεκροί εἰσι τοιοῦτοι.

Com. 31. Οὐδὲ ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ]

Non, ſi materiam cuiquam collegerit ætas
Poſt obitum, rurſuſque redegerit ut fuit ante,
Atque iterum hunc tali fuerint data lumina vitæ.

Ibid. Πεισθήσονται] In Epiſtolis Alciphronis dictis, Οὐδ' εἰ βίᾳ μοι (τὸ λεγόμενον) φθέγξαιτο, πεισθείην ἄν. Lactantius 5. 15. de Lucilio, *Apud quem diſſerens Neptunus de re difficillima, oſtendit non poſſe id explorari, ne ſi Carneadem ipſum Orcus remittat.*

CAP.

CAP. XVII.

ERASMUS.

1. *Lapis molaris*] Μύλος ὀνικὸς *mola asinaria.* Nam Græci ὄνον *asinum* vocant & *saxum substratum in mola quod accipit frumentum:* de quo dictum est in Matthæo.

3. *Si pœnitentiam egerit*] Ἐὰν μετανοήσῃ *si pœnituerit*, sive *si respuerit.* Ne accipiamus de satisfactione & pœna ceu proprie dictum. Ut dissimulem quod *dimittes* toties dixit pro *remittes.*

4. *Conversus fuerit*] In nonnullis Græcorum cod. additum erat *ad te*, ἐπί σε, in aliis non erat. Apud Ambrosium additur.

6. *Si habueritis*] Εἰ ἔχετε *Si habetis*, quod recte vertisset *Si haberetis.* ¶ *Sicut granum sinapis*] Nescio an Interpres usurpavit κόκκον neutro genere. Nec enim esset sensus, mea sententia, absurdus, *Coccum velut habere fidem*, quod in speciem humile & abjectum non ante prodit vigorem suum quam attritu provocatum. Sic alibi vocat nos ad exemplum Paliurulorum & Liliorum. Quod si magis placet κόκκον hic positum masc. genere, ὡς κόκκον perinde valebit acsi dicas *fidem similem cocco.* ¶ *Diceretis huic*] Ἐλέγετε ἂν *dixissetis.* Antiqui cod. habent *diceretis*, non *dicetis*, quod propius accedit ad Græcam veritatem. ¶ *Arbori moro*] Συκαμίνῳ. Est arbor sui generis, peculiaris Syriæ, quemadmodum indicat Hieronymus. Hesychius addit à nonnullis dici μορέαν, vulgato, ut conjicio, vocabulo. De hoc cap. 19. plura dicentur. ¶ *Transplantare*] Sensum magis expressit quam verbum. Nec enim est μεταφυτεύθητι, sed φυτεύθητι *plantare.* ¶ *Et obediret*] Καὶ ὑπήκουσεν ἂν *obedisset.* Antiquus codex habebat *obediret*, ut respondeat *diceretis:* quanquam ἂν modum reddit potentialem, & ob id fortassis tolerabilius erat futurum tempus.

7. *Aut pascentem boves*] Græce non est *boves*, sed tantum *pascentem* ποιμαίνοντα. Consentiunt & antiquissima exempl. Latinorum. Magis autem accipiendum de *pastore Ovium* quam *Boum.* Proinde in Corsend. cod. adscriptum erat in interlitio versuum *oves:* atque ita suspicor legisse Ambrosium, quanquam & illic verterunt *oves* in *boves.*

15. *Magnificans Deum*] Δοξάζων *glorificans:* quod tamen subinde ita transfert, quo magis sit varius.

17. *Novem ubi sunt?*] Venustius est apud Græcos omisso verbo, οἱ δὲ ἐννέα πῦ; *Novem autem illi ubi?* nam *illi* addo loco articuli Græci.

18. *Non est inventus*] Οὐχ εὑρέθησαν ὑποστρέψαντες δοῦναι δόξαν τῷ Θεῷ, *Non sunt reperti reversi dare gloriam Deo*, ut ad verbum reddam. Porro *reperiri* Græci dicunt *quod accidit, quodque compertum sit.*

22. *Quando desideretis*] Ὅτε ἐπιθυμήσετε *cum desiderabitis.* Quanquam legi potest & ἐπιθυμήσητε· ita reor legisse Interpretem.

24. *De sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt*] Ἐκ τῆς ὑπ' ἀρανὸν εἰς τὴν ὑπ' ἀρανὸν λάμπει, *e regione quæ sub cœlo est, in eam quæ sub cœlo est*, h. e. ex una cœli plaga in alteram. Ita enim videtur oculis hominum. Similis locutio est Deuter. 4. 32. *à summo cœli usque ad summum ejus.* Cæterum collatio hæc significat subitum & inexspectatum esse adventum Regni Dei, non solum quantum ad tempus attinet, verum etiam quantum ad locum: non aliter quam fulgur subito erumpit, nunc hinc, nunc illinc, quod prius videas quam exspectes venturum.

25. *Primum autem oportet*] Πρῶτον pro *prius* positum est. Veniet quidem *ut fulgur*, sed nondum veniet; imo *prius oportet illum multa pati*, &c.

27. *Uxores ducebant*] Ἐγάμουν, ἐγαμίζοντο. Quod ante in Matthæo vertit *nubunt*, hic vertit *ducunt uxores*; quod illic *nubuntur*, hic *dabantur ad nuptias.*

36. *Duo in agro*] Hæc pars apud Græcos non additur in Luca, etiamsi meminit *agri* D. Ambrosius. Imo in exemplari Paulino non erat mentio nisi de *lecto.* Theophylactus duo tantum legit, de *lecto* & *mola.* Tertium de *agro* videtur huc adjectum ex Matth. 24. 40. Cæterum Ambrosius pro eo quod est in Græcis ἐπὶ τὸ αὐτὸ legit *in pistrino*, fortassis alterius Evangelistæ sententiam referens.

37. *Ubicunque fuerit corpus*] Gr. Ὅπου τὸ σῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται καὶ οἱ ἀετοί, *Ubi corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Quanquam nonnulli cod. habent πτῶμα *cadaver*, à cadendo dictum Græcis. Atque hanc lectionem videtur magis approbare Hieronymus.

VATABLUS.

1. ET *ait*] *Ait autem.* ¶ *Impossibile est*] *Fieri non potest.*

2. *Lapis molaris*] *Mola asinaria:* vel, mola inferior retinens frumentum. Expressit supplicii genus peculiare Palæstinis.

3. *Peccaverit* *] * *in te*, Vet.

5. *Adauge*] *Adjice.*

6. *Habueritis*] *Haberetis*, Vet. vel, *Utinam haberetis.* ¶ *Granum sinapis*] i. si tantæ vehementiæ fidem, tam incendentem vos ad charitatem Dei & proximi quam incendit corpus sinapis devorata. ¶ *Dicetis*] *Diceretis*, Vet. i. esset in vestra potestate jubere arbori. ¶ *Moro*] *Sycamino:* vel, *sycamoro.* ¶ *Transplantare*] *Plantare.* ¶ *Obediet*] *Obediret*, Vet.

7. *Pascentem* *] * *Boves*, Vet. ¶ *Regresso*] *Ingresso.* Concisa sententia, pro, *regresso de agro, & domum ingresso.* ¶ * *Recumbe*] * *Et*, Vet.

8. *Et non dicit* *] *Ac non potius dicat* * *ei*, Vet. ¶ *Manducem & bibam*] *Manducavero & bibero.*

10. * *Quod debuimus facere fecimus*] * *Quia.* i. nihil enim aliud fecimus quam quod facere debebamus.

11. *Et factum est, dum*, &c.] Heb. pro, *Accidit ut dum iret in Jerusalem, transiret*, &c. ¶ * *Transibat*] * *& ipse.*

12. *Castellum*] *Oppidum.*

14. *Irent*] *Abirent.*

15. *Mundatus est*] *Sanatus esset.* ¶ *Magnificans*] *Glorificans:* vel *gloriose prædicans.*

16. *Ante*] *Ad.* ¶ *Hic*] *Ipse.*

17. *Nonne* * *decem*] * *Illi.*

18. *Non est inventus qui rediret & daret*] *Non est compertum illos redisse ut darent.*

20. *Quando venit Regnum Dei*] i. quando missurus esset Deus Messiam ad regendum ipsos. ¶ *Respondens eis dixit*] *Respondit eis, & dixit*, Vet. ¶ *Veniet*] *Venit*, præs. temp. Vet. i. tempus secundi adventus Christi observari non potest nec prædici.

21. *Intra vos est*] q. d. Non est corporale. Non in urbibus habitat, sed in animis hominum.

22. *Et ait*] *Ait autem.* ¶ *Desideretis*] *Desiderabitis.*

24. *Nam*] *Certe.* ¶ *De sub cœlo in ea quæ sub cœlo sunt*] *E regione quæ sub cœlo est in eam quæ sub cœlo est.* Similis locutio Deut. 4. 32. *à summo cœli usque ad summum ejus.*

26. *Diebus*] Vel, *temporibus.*

30. *Revelabitur*] Vel, *ostendendus est:* aut, *revelandus.*

31. *Vasa*] Heb. pro *supellectile.* ¶ *Ne descendat*] Vel, *non descendet:* ibi enim morietur. ¶ *Retro*] *Ad ea quæ retro sunt.* q. d. Illic exspectet sui mutationem.

34. *Assumetur*] Sub. *ut eat obviam Christo.*

35. *Duæ erunt molentes*] q. d. Etiam in vilissimo vitæ genere suorum delectum habebit Dominus. ¶ *In unum*] i. in eodem pistrino.

36. *Duo in agro: unus assumetur, & alter relinquetur*] Vet.

CLARIUS.

1. IMpossibile *est ut non veniant scandala*] Monet ut non solum non moveantur scandalis Pharisæorum, verum etiam ut caveant ne suis exemplis sint aliis offendiculo, dum intentat pœnam iis qui offendicula pariunt. Deinde addit, ut nullo unquam cujusquam vitio ita offendantur quin sint parati ignoscere, atque etiam increpare ac provocare ad pœnitentiam.

7. *Quis autem vestrum habens servum arantem*] Apte adjecta est hæc similitudo superiori sermoni: Cum enim majus nullum opus videatur quam ignoscere ex animo ei qui sæpius læserit, nequis sibi ex hoc facto placeat, ostendit hac similitudine quid post omnia recte facta sentire de se quisque debeat.

20. *Quando venit regnum Dei*] Videntur ridiculum in modum isti interrogasse, ut qui terrena tantum cogitarent, & somnium illis videretur *Regni cœlorum* appellatio; Quibus tamen

men reſpondet Dominus *Non venire Regnum Dei cum obſervatione* loci vel temporis: neque rem eſſe quandam corpoream, quemadmodum Regna mundi; ſed Regnum hoc parari nunc in ſpiritu, ſuo autem tempore, h. e. in futuro ſeculo, totum ſimul declarandum in morem *fulguris*.

37. *Ubi, Domine?*] Nempe in occurſum Domini. Idcirco reſpondet, *Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. Quod autem ſuperius dicit, *In illa die qui fuerit in tecto*, videtur ſignificare perſecutionem quæ ſub Antichriſto gravis eſt futura.

ZEGERUS.

1. ET *ait ad diſcipulos ſuos, Impoſſibile eſt ut non veniant ſcandala*] Hic locus ad ſuperiora illa reſpicit, ubi Dominus de eleemoſyna danda locutus à Phariſæis irridetur. Qui enim recta loquentem vituperat, *ſcandalum* profecto, i. offendiculum & ruinam, *puſillis præbet*, qui ſcilicet adhuc neſciunt incrementa virtutum. Vide Matthæum 18.

3. *Attendite vobis*] Ne exoriantur offendicula, & ne vos in offendicula ab impiis oblata impingatis. ¶ *Si peccaverit in te frater tuus*] *In te* non invenio in multis cod. veteſtis, nec in commentariis Bedæ. Exſtat tamen apud Ambroſium & peculiariter etiam enarratur, & apud P. Chryſologum ſerm. 139.

6. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis*] h. e. Si tantæ vehementiæ fidem haberetis, tamque incendentem vos ad charitatem Dei & proximi quam incendit corpus ſinapis devorata. Cætera habes Matth. 17. 20.

7. *Quis veſtrum habens ſervum arantem*, &c.] Hujus parabolæ ſumma eſt ut ſimpliciter obedientes juſſis Divinis ſtrenue noſtro fungamur officio, nec tamen hinc quicquam laudis nobis ipſi vindicemus. ¶ *Paſcentem*] Quod adjicitur *boves*, nec Cyprianus habet lib. ad Quirin. cap. 51. nec Chryſologus nec codices ipſi vel Græci vel Latini. Unde apud Auguſtinum lib. Quæſt. Euang. 2. puto à ſcribis eſſe additum.

20. *Interrogatus autem à Phariſæis quando venit regnum Dei, reſpondens eis dixit, Non veniet regnum Dei cum obſervatione*, &c.] Quoniam Dominus frequentius *regni Dei* meminerat, Phariſæi exiſtimantes de temporali eum loqui Regno in quo gens Judaica cæteris nationibus imperaret, interrogabant *quando venturum eſſet hoc Regnum*. At Chriſtus quoniam non de temporali Iſraelis Regno reſtituendo, ſed de ſpirituali & æterno fuerat locutus, oſtendit hujus Regni tempus quo perfecte reſtituetur & conſummabitur nulli prorſus eſſe cognitum, ſed ex inopinato ſuperventurum quando minime obſervabitur: interim tamen manifeſtans Regnum hoc jam tunc fuiſſe inchoatum cum hujus Imperator mundo cœpit innoteſcere, & inter homines atque in hominum cordibus fide illuſtratis diverſari. B. Cyrillus per illud in Theſ. l. 2. c. 4. *Regnum Dei intra vos eſt*, tradit donum Spiritus S. & regenerationem ſignificari. Eucherius duobus modis aliis hoc verbi exponit, ita ſcribens, *In unoquoque pro bonorum malorumque actuum diſcrepantia aut Deus regnat, aut Diabolus; ut cujus voluntatem opere procurat ejus imperio videatur eſſe ſubjectus. Poteſt & fides Regnum Dei dici, qua itur ad Regnum.* Hæc ille.

22. *Venient dies quando deſideretis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis. Et dicent vobis, Ecce hic*, &c.] Manifeſtat his verbis Salvator noſter initiantis Regni ſui ſtatum atque progreſſum, dicitque Apoſtolis ſuis magnam imminere perſecutionem, multos quoque Pſeudoprophetas exorituros qui multos perverſa ſua prædicatione ſeducent, ita ut fideles magna cum animi exſpectatione *videre deſideraturi ſint diem unum Filii hominis*, h. e. candidum diem aliquem ac lætum; verum non dabitur illis donec vitam hanc cum morte commutaverint. Atque ita conſequenter omnia de ſtatu Eccleſiæ exponi poſſunt, etiam uſque ad capitis hujus finem. Nec minus tamen commode, & forte commodius, poterunt eadem etiam de extremis illis ante Judicium diebus accipi, quemadmodum communius exponi conſueverunt, & ſenſus per ſe ſatis obvius eſt.

31. *In illa hora qui fuerit in tecto, & vaſa ejus in domo, ne deſcendat tollere illa*] Hoc quomodo accipiendum ſit ex his quæ in Matthæum diximus c. 24. cognoſcere potes. Locus incipit, *Tunc qui in Judæa ſunt*, verſ. 16.

34. *Duo erunt in lecto uno*, &c.] His verbis electorum & reproborum (ut in Matthæum diximus) aſſumptio & reprobatio ſignificatur.

35. *Duæ molentes* &c.] Poſt hæc deeſt in Græcis tertia particula, Δύο ἔσονται ἐν τῷ ἀγρῷ· ὁ εἷς παραλημφθήσεται, καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται, *Duo in agro*, &c. quam probabile eſt librariorum oſcitantia omiſſam, qui fere labi ſolent quoties plures occurrunt ſententiæ tranſcribendæ eodem ſono aut verbo deſinentes. Nam & apud Ambroſium hanc particulam invenio, ſimiliter & apud Auguſtinum l. 2. Quæſt. Euang. c. 44. & apud Bedam.

37. *Ubi, Domine? Qui dixit illis, Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*] Simplicius erit ſi illud *ubi* pro *Quo* poſitum accipiamus, hoc modo, *Quo Domine, aſſumentur illi?* Diſcipulis ergo interrogantibus per ænigma reſpondet Dominus, dicens, *ubicunque fuerit corpus*: quo ſignificat quod ſicut Filius hominis Chriſtus una cum corpore ſublatus eſt in cœlum, cum eodem rurſus appariturus in judicio; ita electi ferentur obviam Chriſto in aera, cum Domino æternum victuri. Beda autem particulam illam *Ubi* ambigue accipit, quaſi duo interrogarint Apoſtoli quonam aſſumendi electi, & ubi relinquendi reprobi, quorum alteri reſponderit Dominus, alterum ſubintelligendum reliquerit. *Sanctos enim*, inquit, *ſecum futuros aſſeverando, reprobos vero à ſua viſione ſecernendos, & ideo non alibi quam cum Diabolo damnandos inſinuat. Ubicunque ergo fuerit Dominus corpore, illo congregabuntur electi, qui ejus paſſionem humilitatemque imitando tanquam de ejus carne ſatiantur, quorum per reſurrectionem renovabitur, ut aquilæ, juventus.*

H. STEPHANUS.

1. Ἀνένδεκτόν ἐϛι] *Fieri non poteſt ut.*
2. Ἢ ἵνα σκανδαλίσῃ] *Potius quam ut ſcandalizet.*
8. Περιζωσάμενος] *Præcinctum.*
18. Οὐχ εὑρέθησαν εἰ μὴ ὁ ἀλλογενὴς οὗτος] *Non ſunt reperti* novem illi, *ſed tantum alienigena iſte.*
20. Μετὰ παρατηρήσεως] *Ita ut obſervetur.*
29. Ἔβρεξε πῦρ καὶ θεῖον] *Pluit ignis & ſulphur.*
33. Ζωογονήσει] *Vivificabit.*

DRUSIUS.

6. HUic arbori more] In Græco eſt, *huic ſycamino. Morus* arbor Ebraice תות, *ſycaminus* autem שקמה dicitur, quam & *ſycomorum* vocant. Sane Amos 7. 14. ubi LXX κνίζων συκάμινα, Hieron. habet, *vellicans ſycomoros*. Similiter Pſal. 78. 47. שקמתם, LXX. τὰς συκαμίνους, cæteri συκομόρους. Athenæus tamen diſtinguit, l. 2. p. 51. edit. Lugd. Lex. vetus, Συκάμινα, *mora*. Τῶν συκαμίνων mentio in Bibliis Græcis 3 Reg. 10. 27. 1 Par. 27. 28. 2 Par. 1. 15. Jeſ. 9. 10. In his omnibus locis invenies συκαμίνους, non συκάμινα. Dixit Athenæum diſtinguere inter *ſycaminum* & *ſycomorum*. Id alii quoque faciunt. Nam συκάμινον *morum* interpretantur, & *ſycomoron* dicunt eſſe arborem inter ficum & morum mediam. *Morum* autem eſſe qui תות à Sapientibus Ebræis dicitur, præter autorem libri Aruch, qui vernacule, h. e. Italice, תות exponit, & alios qui בטא interpretantur, & Germanice מולבר, etiam Arabes docent, qui morum ſimiliter *Thuth* vocant. Simo Januenſis, TUT *Arabum Morum Celſi*. TUTUN *ſcripſit Stephanus*. בטא pro *moro* etiam Ebræum eſt. Unde apud interpretes Davidis pro בכא עמק aliubi eſt *vallis mori*, & aliubi *vallis fletus*. Nam בכה *flevit*.

10. *Cum feceritis omnia*, &c.] Quadrat cum dicto Ebræorum quod in lib. Muſar, *Si benefeceris multum, ſit in oculis tuis parum*, 136. 2. *Cum malefeceris parum, ſit in oculis tuis multum, & dic, Væ mihi, quoniam peccavi, & venit ſcandalum per me*, ibid.

11. *Samariam*] Quæ Ebræis *Semeron* שמרון, à Syris dicitur שומרון, unde *Samaria*, Σαμάρεια. Eſt autem montis, opidi & regionis nomen. Mons appellatus eſt à quodam *Semer*, à quo & civitas in eo monte condita nomen accepit. Eam condidit Amri Rex Iſraelitarum, cum prius montem illum à dicto Semer emiſſet. Mons iſte vocatur & *Simeron*, & *Samaron*, &c, ut tranſtulit vet. interpres, *Samaria*. Vide 1 Reg. 16. Reperio & *Somer*. Hieron. De locis Actor. *Samaria in vertice montis Somer poſita*. In Antiquitatibus Joſephi l. 8. c. 7. & in verſione Rufini perperam *Mareon* legitur pro *Samaron*. Græce Μαρών. Regionis nomen eſſe liquet ex 2 Reg. 17. 24. *Collocavit eos in urbibus Samaria*. Quod teſtimonio ſuo confirmant Euſebius & Hieron. Euſebii verba ſunt, *Samaria, civitas regalis in Iſrael, quæ nunc Sebaſte dicitur. Sed & omnis regio quæ fuit circa eam, à civitate quondam nomen acceperat*. Hieronymi habentur in De locis Actor. *Sed & omnis regio quæ circa eam fuit, à civitate quondam nomen acceperat: media*

inter

inter Judæam & Galilæam jacet. Hæc ab Herode Antipatri filio in honorem Auguſti Cæſaris Græco nomine Sebaſte, i. Auguſta, vocata eſt.

18. *Non ſunt inventi revertentes dare gloriam Deo*] Sic eſt in fonte Græco ad verbum. Latine hoc diceretur, *Non fuerunt reverſi ut darent gloriam Deo*; aut, *Non accidit ut reverterentur ad dandum gloriam Deo. Inveniri* pro *eſſe* tritum eſt. Exod. 35. 23. *apud quem inveniebatur*, i. *erat*. Mal. 2. 6. *Iniquitas non eſt inventa in labiis ejus*, i. non fuit. Sic *Non eſt inventus in ore ipſius dolus*. Phil. 2. 8. *Figura inventus fuit ut homo*, fuit aut exſtitit. Ebr. 11. 5. *nec fuit inventus*, οὐχ εὑρίσκετο. Sirach. 20. 5. Ἔστι σιωπῶν εὑρισκόμενος σοφός, qui non revera Sapiens eſt, ſed habetur pro eo propter taciturnitatem: ſed hoc alienum.

CASAUBONUS.

30. Κατὰ ταῦτα ἔσται] Lego κατὰ ταυτά. Vide ſupra 6. 23.

QUALTPERIUS.

6. Τῇ συκαμίνῳ] Συκάμινος *Sycaminus*, quæ & συκομορέα & συκόμορος & inverſe μορόσυκος, *morus arbor ferens moras fici dulcedine*. Fructus συκόμορον & συκάμινον appellatur. A Plinio vocatur *ficus Ægyptia*, l. 13. c. 7. *Ficum Ægyptiam*, inquit, *arbor Moro ſimilis Folio, magnitudine, aſpectu, pomum fert non ramis ſed caudice ipſo: idque ipſum ficus eſt pradulcis*. Henr. Stephanus, etſi in voce Συκομορέα non diſtinguit eam à voce Συκάμινος, tamen in voce Μόρον reprehendit Eraſmum, qui utramque pro eadem interpretetur, affirmans & diverſis nominibus apud Euangeliſtam Lucam, cap. hoc, & ſequente 19. 4. notari, & diverſas quoque arbores eſſe; ſic ut *Sycaminus* ſignificet *Morum*, συκόμορον vero vel συκομορέα denotet eam quæ inter Ficum & Morum ſit media, Adams Jergen Maul beer Jergen. Apud Syrum hoc loco eſt vox ܬܐܢܬܐ ſeu ܬܢܬܐ, quam Munſterus exponit *Morum* in Lex. Chaldaico. Cap. vero 19. idem paraphraſtes Syrus συκομορέαν interpretatur ܬܐܢܬܐ ܕܒܝܪܬܐ: i. *ficum ſylveſtrem, degenerem & inſpidam*.

LUD. CAPPELLUS.

33. Ὃς ἐὰν ζητήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, &c.] Hoc Chriſti dictum invenitur à Talmudiſtis uſurpatum, ſed alio ſenſu. Nam in Maſlech. מכירי cap. 4. in Gemara; Commiſcuntur Gemariſtæ Alexandrum Magnum variis quæſtionibus exercuiſſe ותקי גנב *Senes* (h. e. Sapientes) *Auſtri*: inter quas hæc una fuit, מה יעבד איש ויחיה אמרו לה ימית עצמו מה יעבד איש ויחיה אמרו לה ימית את עצמו, *Quid faciet homo, & vivet? Dixerunt illi, Mortificabit ſe. Quid faciet homo, & morietur? Vivificabit ſe*. Illud *mortificabit ſe* videntur intellexiſſe de ſpirituali mortificatione pravorum affectuum & carnalium cupiditatum; illud vero *vivificabit ſeipſum*, de illis qui genio & pravis libidinibus indulgent.

GROTIUS.

1. Ἀνένδεκτόν ἐστι, *Impoſſibile eſt*] Id eſt, *non convenit*, ut ſupra ἐν ἐνδέχεται [*non capit*] XIII. ¶ 3. Non expedit ut vi potentiæ Divinæ impediantur homines adulterare doctrinam, ſcindere unitatem, & plura facere quæ in pietatis curſu alios remorentur. Vide ad Matthæum.

2. Λυσιτελεῖ, *Utilius eſt*] Indicativus pro potentiali, ut & in eo quod ſequitur περίκειται [*imponatur*].

3. Προσέχετε ἑαυτοῖς. *Attendite vobis*] Cavete ne cui occaſionem detis pereundi, non jam dico factis, ſed etiam negligentia officii, ne illis quidem à quibus læſi eſtis. Maximum hoc eſt ei à quo læſus ſis adeo non iraſci, ut etiam ſaluti ejus conſulas & quidem cum ſumma æquitate ac placiditate. Hoc qui recte præſtare norit, neque alios ipſe offendet, neque in officio ſuo circa alios à quibus non eſt injuria provocatus, negligens erit. ¶ Ἐὰν μετανοήσῃ, ἄφες αὐτῷ, *ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi*] Non modo ut ultionem non expetas, quod facere ne quidem adverſus contumacem debes, ſed ut vere reſipiſcentem in veteris amicitiæ ac familiaritatis jus admittas. Vide ad Matthæum. ¶ Αὐτῷ· *illi*] Iis gradibus qui apud Matthæum exponuntur.

4. Ἑπτάκις τῆς ἡμέρας, *ſepties in die*] *Sapiſſime*. Ita enim loquuntur Hebræi Pſ. CXIX. 164. ¶ Ἐπιστρέψῃ πρός σε, *converſus fuerit ad te*] ἐπιστρέφεσθαι πρός τινα aut πρός τινα [*converti ad aliquem*] Hebraice שוב [*reverti*] addito ל [*ad*] eſt *ut aliquem tibi reconcilies operam dare*, ut Deut. IV. 30. Lucas ſupra 1. 17. Actor. IX. 35. XI. 21. & alibi.

5. Πρόσθες ἡμῖν πίστιν. *adauge nobis fidem*] In his narrationibus quæ velut per ſaturam ſunt congeſtæ, non videtur ulla requiri coherentia. Credibile eſt Apoſtolos ſæpe ob ὀλιγοπιστίαν [*incredulitatem*] reprehenſos poſtulaſſe à Chriſto ut fiduciam in ipſis adaugeret, qua certe poſtulatione apertiſſime Divinam in ipſo potentiam agnoſcunt. Simul refellit hic locus eam ſententiam in qua olim fuit Auguſtinus cum diceret, *Quod credimus noſtrum eſt, quod autem bonum operamur illius eſt qui credentibus dat Spiritum Sanctum*, exiſtimans nimirum ut ipſe errorem ſuum poſtea eſt interpretatus, fidem non eſſe donum Dei, ſed per fidem Dei dona impetrari. Recte igitur id correxit in hunc modum, *Utrumque* (& credere & operari) *ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem & utrumque noſtrum quia non fit niſi volentibus nobis*. At ne quis Græcos αὐτεξούσιον [*liberum arbitrium*] ſæpe prædicantes aliter putet ſenſiſſe, videat quæ alibi ex Juſtino aliiſque in hanc rem adduximus.

6. Ὡς κόκκον σινάπεως, *ſicut granum ſinapis*] Vide ad Matthæum. ¶ Τῇ συκαμίνῳ, *arbori moro*] Non venit hæc vox à ficu, ut quidam putant: ſed eſt mere Syriaca ܬܘܬܐ [*morus*], Hebræis תות [*ſycomori*]. Oportet moro admodum ſimilem eſſe arborem, quando non Latinus tantum ſed & Syrus & Arabs *morum* vertunt. Celſus de re medica l. III. c. XVIII. *Cum Græci morum ſycaminum appellent*. Quin & Dioſcorides conjungit μορέαν [*morum*] & συκαμινέαν [*ſycaminum*]. Quod autem de Sycamino hic dicitur eſt proverbiale, quo ſignificatur τὸ παρ' ἀνθρώποις ἀδύνατον [*id quod hominibus impoſſibile eſt*]. Tale illud Claudiani,

Jam frugibus aptum
Æquor.

Per miracula autem, ut ita loquar, Φυσικὰ [*naturalia*] ſignificantur ſimul συμβολικῶς [*allegorice*] miracula ἠθικὰ [*moralia*], ſtupenda ſcilicet opera dilectionis, quorum uberem ſegetem proferre ſolet fiducia in Deum, ubi ad juſtam ſui menſuram pervenit. Ad hæc autem opera Diſcipulos Chriſtus invitat eo ſermone qui iſtis verbis connectitur.

7. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν, *Quis autem veſtrum*] Hanc comparationem veterum multi, quos inter Cyprianus, & ad hunc locum Theophylactus, ad præſtantiſſima etiam Chriſtianorum facta extendunt, docentes ne in illis quidem eſſe quo nos efferamus, aut quod Deo imputemus. Veram enim lectionem apud Cyprianum eſſe arbitror in epiſtola ad lapſos: *qui in Eccleſia ſemper glorioſe & granditer operati ſunt & opus ſuum Domino nunquam imputaverunt*, ut veteres editiones habent, non ut recentiores, quæ negationem omittunt. Nam *imputare* in Latino ſermone cum ad beneficia refertur, non eſt *acceptum* ſed *expenſum ferre*: ita *ſuperbos & imputatores* dixit Seneca, qui magni æſtimant ſua beneficia, & alios eo nomine habere volunt ſibi obligatos. *Facilius enim*, ut Chryſoſtomus dixit, *ſine operibus humilis animus hominem ad ſalutem perducat, quam cum operibus conjuncta ſuperbia*. Multaque ſunt quæ prohibere nos debent ne Deum vocemus ad calculos. Primum enim cum ipſe nos de nihilo ut eſſemus fecerit, quis dubitet quin quicquid in noſtra eſt poteſtate exigere à nobis poſſit, etiam nullo propoſito præmio? Dixit Ariſtoteles, οὐκ εἶναι ἀδικίαν πρὸς τὰ αὑτοῦ ἁπλῶς [*ſimpliciter nos id quod noſtrum eſt, injuria afficere non poſſe*]. Unde etiam negat inter dominum & ſervum jus proprie ſtricteque dictum locum habere. Et ſane ſi ſervus totus eſſet domini, ſicut nos Dei ſumus, verum diceret. *Ne te jactes ſi bene ſerviſti, obſequitur ſol: obtemperat Luna*. Deinde vero cum ratio nobis data ſit, idque habeamus eximium ſupra animantes cæteras, nonne tam naturale nobis cenſeri debet ſecundum rationem vivere, quam beſtiis ſecundum τὰς φύσεως ὁρμὰς [*naturæ impulſus*]? At beſtiis eo nomine nullum debetur præmium. Tertio in mentem venire debet neminem eſſe cui non multa peccata ſint condonata, quod, ut ſupra diximus, vel unum ſatis eſt, ut humiles nos Deo ſubſternat. Nemo tantum præſtare poteſt quin plus pro indulgentiæ beneficio debeat. Accedit quod etiam quæ poſt emendationem remanent in nobis culpæ veſtigia quotidie opus habent Divina miſeratione. Quarum eſt quod ſatori fructus omni jure debentur. Deus autem in nobis ſevit omne vitæ melioris ſtudium, idque non communi quadam ſed vere inſolita atque inaudita benignitate, cum genus humanum jacens in vitiis, admirabili illa per Chriſtum

ſtum vocatione erigere dignatus eſt, quo præcipue reſpectu *vitam æternam*, ut quæ pœnitentiam conſequitur, *donum* & *gratium* vocant Apoſtoli. Addendum quod nunc etiam Dei Spiritus nos excitat ut bene agere velimus, bene agentes adjuvat. Huc illud pertinet Cypriani toties ab Auguſtino repetitum, *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt:* & illud affine, *Dei eſt, Dei omne quod poſſumus.* Salvianus: *Totum ergo*, inquit, *quamvis peccator aliquis oblaturus eſt? imo nihil, ſi non cum fide: imo nihil, ſi non cum ambitu* (id eſt ſupplici devotione) *imo nihil, ſi non cum prece: imo nihil, ſi non hoc animo ut hoc ipſum inter præcipua Dei beneficia reputet, quod animum offerendi dedit.* Gregorius Nazianzenus: ἐπειδὴν γάρ εἰσί τινες τοσοῦτον μεγαλοφρονοῦντες ἐπὶ τοῖς καθορθώμασιν, ὥςε τὸ πᾶν ἑαυτοῖς διδόναι καὶ μηδὲν τῷ ποιήσαντι καὶ σοφίσαντι καὶ χορηγῷ τῶν καλῶν, διδάσκει τοῦτους ὁ λόγος ὅτι καὶ τὸ βούλεσθαι καλῶς δεῖται τῆς παρὰ Θεοῦ βοηθείας. [*Quoniam etenim quidam ſunt bonis ſuis operibus ita valde elati, ut omnia ſibi ipſis, & nihil Operatori, Doctori, bonorumque Suppeditatori tribuant, hos docet Verbum Dei, quod ipſum velle bonum Divino indigeat auxilio*]. Quintum eſt quod Deus αὐτάρκης [*ſibi ſufficiens*], ἀνενδεὴς [*nullius indigus*], non poteſt opera noſtra beatior fieri, neque ad eum fructus noſtrorum operum redundat, ut dici eo nomine debitor poſſit. Huc illud Jobi pertinet XXXV. 7. *Si juſte egeris, quid eo illi donabis, aut quid inde è manu tua accipiet?* & illud Pauli Roman. XI. 35. Τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; [*quis prior dedit illi, & retribuetur ei*]? Quibus conſonat illud Hieroclis: ὅςις τιμᾷ τὸν Θεὸν ὡς προσδεόμενον, οὗτος λάθρα διόμενος ἑαυτὸν τῷ Θεῷ εἶναι κρείττονα [*Qui Deum veneratur tanquam altero indigentem, vere opinatur, quanquam id ſe opinari non putat, ſe Deo eſſe meliorem*]. Poſtremo, quod de perpeſſionibus, idem de factis etiam præſtantiſſimis veriſſime dici poteſt, οὐκ ἄξια εἶναι πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς [*non eſſe digna, quæ comparentur cum futura gloria in nobis revelanda*], ut Apoſtolus loquitur Roman. VIII. 18. Quem locum explicans Salvianus, *indignum eſſe ad futuræ gloriæ comparationem omne opus* dicit *humanum*; merito ſane, quæ enim eſſe poteſt æqualitas inter momentaneum & æternum, ut jam de illis infirmitatibus taceam quæ humanis actionibus intercurrunt? Hæc autem omnia ſicut non tollunt piorum modeſtam παῤῥησίαν καὶ πεποίθησιν καὶ τὸ ἐν Θεῷ καύχημα [*libertatem, fiduciam & in Deo gloriationem*], ita directe adverſantur imputatrici ſuperbiæ, neque patiuntur Deum nobis debitorem cenſeri niſi ex miſericordi promiſſione. Veruntamen an hæc hujus loci ſint propria, ſalva rerum veritate ac luce, quæ nullis diſputationum nebulis obvolvi debuerat, dubitare fas eſt. Me ne id putem movent multa. Primum quod hic Chriſtus de ſervis agit qui accubituri ſunt poſtquam dominus cœnaverit, alibi autem de ſervis quos ipſe dominus, ſtatim ut advenit, jubet accumbere, atque ipſe illis comiter miniſterium exhibet: ſupra XII. 37. Quæ ſicut in fabula multum differunt, ita videntur & in ἐκμυθίᾳ [*fabulæ explicatione*] diverſam requirere ἀνταπόδοσιν [*reddítionem*]. Quin ipſe Chriſtus alibi videtur exprimere ἀνταποδόσεις [*redditionibus*] partem alteram, per figuram ex eadem hac comparatione delumtam, cum Apoſtolos dicit ſuæ, hoc eſt, herili menſæ accubituros, infra XXII. 30. Alterum eſt, quod Chriſtus negat iſtis, de quibus hic agitur ſervis gratiam habitum iri, quod ipſum alibi dixit de his qui benefacientibus benefaciunt & diligentes ſe viciſſim diligunt, ſupra VI. 32, 33. aliud nos jubens ſentire de iis qui inimicos diligunt, & nulla ſpe mutuæ vicis beneficentiam ac miſericordiam exercent, non ad hominum ſed ad cœleſtis Patris exemplum, ibidem 34, 35, 36. Tertium eſt quod ποιεῖν [*facere*] ut ſupra ad caput X Lucæ annotavimus ex recepto loquendi more intelligebatur de factis nude conſideratis, quocunque tandem animo fiant. Quæ inter ſe conjuncta impellunt ut credam non de quibuſvis ſervis hic agi, ſed de iis qui ſerviunt ſerviliter, *non* (ut Terentius loquitur) *liberaliter*. Quam interpretationem non deſtitutam bonis auctoribus ſequentia explicabunt. Videat ſi cui integrum eſt Hermam libro III. cap. 5. ſcriptorem quod conſtat antiquum, & ut Apoſtolis minime æquandum, ita apud Irenæum, Clementem atque alios magnæ auctoritatis. Proponit ibi fabulam domini qui ſervo imperarat, ut palos circa vitem figeret, ille vero & foſſam circumdederat, & herbas inutiles undique abſtulerat. Itaque dominus plus quam promiſerat præſtans illum filio ſuo ſcribit cohæredem. Quare videtur illis temporibus admodum trita fuiſſe hæc comparatio, quæ tamen in eo qui nunc exſtat Hermæ libro aliovorſum trahitur. ¶ Ἀροτριῶντα ἢ ποιμαίνοντα, *arantem aut paſcentem*] Participia more Hebræo poſita pro verbalibus. Idem enim eſt, quaſi dixiſſet δοῦλον ἀρότην ἢ ποιμένα [*ſervum aratorem aut paſtorem*]. Quid magni facit ad arandum poſitus ſi erat, ad paſcendum ſi paſcit? Nec multum intereſt δούλου [*ſervi*] voce *miniſtrum conductum* intelligamus (ut ſæpe ea vox in his & Fœderis Antiqui libris uſurpatur) an vero *eum qui in manu ſit domini*, dummodo talem ſervitutem non ex barbarorum hominum conſuetudine, ſed ex æquo & bono atque adeo ex Lege Hebræa æſtimemus. Chryſippus recte dixit *mercenarium miniſtrum ſervum eſſe ad tempus: ſervum vero perpetuum quaſi mercenarium cui pro pecunia victus detur.* ¶ Εὐθέως παρελθὼν ἀνάπεσαι; *ſtatim tranſi, recumbe*]? Cum patrefamilias accumbere filiorum eſt, non ſervorum, ſolent autem ſervi in ſervitute manere quam diu ſerviliter ſerviunt: menſæ ſervos adhibere manumiſſionis erat ſpecies, ut videre eſt apud Ulpianum in Inſtitutionibus.

8. Περιζωσάμενος, *præcinge*] Qui mos miniſtrantium in regionibus in quibus demiſſiores veſtes gerebantur. Supra XII. 37. Vide Johan. XIII. 4. ¶ Μετὰ ταῦτα, *poſthæc*] Ut mos erat ſervorum aut etiam eorum quorum conducta erat opera.

9. Μὴ χάριν ἔχει, *numquid gratiam habet*] *Mercedis* vox ſtricte ſumitur, ut ſignificet *id quod ſecundum communem æſtimationem opera reſpondet.* Quo ſenſu dicere videtur Paulus τῷ ἐργαζομένῳ τὸν μισθὸν οὐ λογίζεσθαι κατὰ χάριν [*ei qui operatur merces non reputatur ſecundum gratiam*], Rom. IV. 4. Hoc ſenſu, ut alibi attigiſſe meminimus, diſtat *merces* à *gratia*, quod merces factum reſpicit præcipue, gratia ipſum animum. Itaque *merces* hoc modo dicta debetur, etiamſi ſervus aut homo conductus quod faciendum eſt non lubens fecerit. At *gratiam* provocant qui libenter faciunt, & qui vellent facere ſi id quod vellent efficere nequeant. Sed alibi vox *mercedis* laxiore ſignificatu quamvis ἀνταπόδοσιν [*retributionem*] ſignificat, etiam liberalem, quæ non eſt facti pretium, ſed mutua benigni affectus ſignificatio, ut apud Matthæum, ſæpe etiam iis in locis ubi Lucas τῆς ἰδιολογίας [*proprietatis vocum*] memor χάριν [*gratiam*] maluit dicere, ut videre eſt Matthæi V. 46. VI. 1. & Lucæ VI. 32, 33, 34. Lucas igitur hoc loco χάριν [*gratiam*] ſuo more opponit μισθῷ [*mercedi.* ¶ Ὅτι ἐποίησε τὰ διαταχθέντα αὐτῷ; *quia fecit quæ ei imperaverat*]? Agit de iis rebus quæ peculiari præſcripto peraguntur, ut quod arator arat, quod paſtor paſcit, quæ prætermitti ſine flagitio non poſſunt. Hæc qui facit *mercedem* habet, primo quod flagra non patitur, deinde quod dimenſum accipit. *Gratia* autem nulla ei ob talem operam habetur. Hic ſtatus erat Judæorum Legis externa opera mediocriter implentium animo non emundato. ¶ Οὐ δοκῶ. *non puto*] Ex contrario intelligendum, aliter ſe rem habituram ſi ſervus ille non ἐν ὀφθαλμοδουλείαις [*in ſervitiis ad oculum*], ſed ἐν ἁπλότητι καρδίας [*in ſimplicitate cordis*], ut Paulus loquitur Coloſſ. III. 22. etiam extra peculiaria præſcripta omnibus modis honori & commodis heri ſeſe impenderit. Tales enim ſervi *gratiam* hanc ſolent reportare ut libertatem conſequantur, imo & ut filiorum loco adoptentur. Quærit Seneca *an Medico poſſit ultra mercedem gratia deberi?* Recte reſpondit *poſſe*, ſi non perfunctorie & ut cæteros ſed ut amicum te curaverit, ſi ex animo malis tuis indoluerit. Idem docet & *à ſervo beneficium accipi poſſe*, & *quod affectu amici ſit deſinere eſſe miniſterium.* Pertinet huc & Hebræorum proverbium cujus Maimonides meminit Ducis dubitantium lib. III. cap. 17. *Ei datur præmium qui quid injuſſus facit.* Chryſoſtomus VIII Rom. veteres Hebræos Chriſtianis comparans: κἀκεῖνοι δὲ Θόβῳ τιμωρίας πάντα ἔπραττον ἄγόμενοι, οἱ δὲ πνευματικοὶ ἐπιθυμίᾳ καὶ πόθῳ, καὶ τοῦτο δηλοῦσι τῷ καὶ ὑπερβαίνειν τὰ ἐπιτάγματα [*Iſti autem formidine pœnæ ducti omnia fecere, ſpirituales vero amore & deſiderio, & hoc oſtendunt dum etiam faciunt plus, quam præceptum eſt*].

10. Τὰ διαταχθέντα ὑμῖν, *quæ præcepta ſunt vobis*] Τὰ διαταχθέντα [*præcepta*] hic ſtricte ſumi debent, eo ferme modo quo מצות [*præſcripta*] apud Hebræos, qua de voce diximus ſupra ad caput I. in hoc numero τῶν διαταγμάτων [*mandatorum*] ſunt primum ea quibus aliquid veratur fieri: deinde & jubentium illa quæ ad facta exteriora pertinent, quæque certo loco, aut tempori, aut circumſtantiæ ita alligantur, ut ſine manifeſto Numinis contemtu omitti nequeant. In hac claſſe pono non ea tantum quæ Lex communis in commune ad eum modum præcipit, ſed & quæ ſpecialiter hominibus ſingulis indicuntur: ut, *Tu Abraham exi è Chaldæa: Tu Moſes i ad Pharaonem: Tu Paule Euan-*

gelium

gelium annuntia. Talibus præſcriptis qui paret, mercedem hanc reportat quod pœnam evadit. Exemplum poni poteſt in hiſtoria ſequente. Purgati à ſcabie ex imperato oſtendunt ſe Sacerdotibus; at gratias Chriſto actum non veniunt, quod imperatum quidem ſimiliter non erat, ſed quod ſi feciſſent, gratus animus, ut illius Samaritæ, majora impetraſſet beneficia. Locus eſt illuſtris 1 Corinth. IX. 16. *ἐὰν γὰρ εὐαγγελίζωμαι οὐκ ἔστι μοι καύχημα* [*ſi euangelizavero non eſt mihi gloria*]. (hic *καύχημα* [*gloriam*] vocat ſpem habendæ ſibi à Deo gratiæ) *ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται* [*neceſſitas enim mihi incumbit*]. (*ἀνάγκην* [*neceſſitatem*] vocat obligationem *ἐκ διατάγματος* [*ex mandato*], ex præſcripto ſpeciali de quo exſequendo vel omittendo nulla eſſe poterat deliberatio) *οὐαὶ δέ μοι ἐστὶν ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι* [*va enim mihi eſt ſi non euangelizavero*]. (quaſi dicat, *Non poſſem hoc impune praetermittere: ideoque nullam inde exſpectandam habeo gratiam*) *εἰ γὰρ ἑκὼν τοῦτο πράσσω μισθὸν ἔχω* [*ſi enim volens hoc ago mercedem habeo*]. (hic *μισθὸν* [*mercedem*] poſuit latiore illo ſignificatu de quo ſupra diximus, *Si*, inquit, *non facio tantum quod jubetur, ſed facio ſponte, ſed facio alacriter, ἑκουσίως καὶ προθύμως, οὐκ ἀναγκαζῶς* [*voluntarie & ſponte, non coacte*], ut Petrus loquitur 1, v, 2. *in eo ſita eſt ſpes magna atque eximia remunerationis*) *εἰ δὲ ἄκων, οἰκονομίαν πεπίστευμαι.* [*ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt*] (*cujus ſcilicet ratio mihi reddenda eſt, & qua non obita merito plectar*) *Τίς οὖν μού ἐστιν ὁ μισθός;* [*quæ eſt ergo merces mea*]? (hic iterum *μισθὸν* [*mercedem*] vocat *τὸ ἀντίδωρον* quod [*remunerationem quæ*] ex gratia venit non ex facti æſtimatione) *ἵνα εὐαγγελιζόμενος ἀδάπανον θήσω τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ*, [*ut Euangelium prædicans ſine ſumptu ponam Euangelium*] (*Ut cum jus habeam alimenta poſcendi, eo tamen jure non utar ad majorem Dei honorem & profectum Eccleſiæ*) *εἰς τὸ μὴ κατεχρήσασθαι τῇ ἐξουσίᾳ μου ἐν τῷ εὐαγγελίῳ.* [*ut non abutar poteſtate mea in Euangelio*] (hic *κατεχρῆσθαι*, ut & eadem epiſtola VII. 31. videtur eſſe non *male uti*, ſed *quovis modo uti*; quomodo & *abuti* uſurpant Latini de rebus quæ uſu intereunt) *Ἐλεύθερος γὰρ ὢν ἐκ πάντων*, [*cum liber eſſem ex omnibus*] (nemini hac in parte obligatus) *πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα, ἵνα τοὺς πλείονας κερδήσω.* [*omnium me ſervum feci, ut plures lucri facerem*] Quæri hic ſolet an non Divinis præceptis comprehenſum fuerit id quod facit Paulus cum ſe ſuo cum incommodo omnibus aptavit, atque etiam ſuis manibus victum ſibi parare maluit quam Corinthiis oneri eſſe. Sane ſi præcepta dicimus omne id quod Deo gratum eſt, atque etiam à Deo generaliter præceptum, (quomodo Chriſtus vocem *ἐντολῆς* [*mandati*] uſurpat Matth. XXII. 36. ſimili ferme alluſione qualem in voce *ποιεῖν* [*facere*] & nomine *ἔργον* [*opus*] alibi obſervavimus) dubitari non poteſt quin præceptorum ambitus hoc quoque contineat. Proceſſit enim ex intima dilectione tum Dei, tum proximi, qua nihil eſt quod Deo eſſe poſſit gratius, nihil quod magis à Deo poſtuletur. Sed hæc præcepta non ſunt (ut comparationem à Chriſto inſtitutam proſequamur) quaſi dicat ſervo dominus: *Tu paſce, Tu ara:* ſed quaſi eos ſpe magnæ gratiæ ad teſtandum in ſe amorem invitet. Deus quanquam ex noſtris factis nihil capit utilitatis, tamen quæ eo modo, hoc eſt extra ſpecialis præſcripti neceſſitatem & cum determinatione noſtræ ſponti relicta, ſic ex vero atque indefeſſo amore præſtantur, ea non ut ſerviles operas, ſed ut amicorum beneficia accipit, &, ut potentes amici ſolent, non pro rei dignitate, ſed pro affectus in ſe magnitudine, & hic & in meliore vita repenſat. Chryſoſtomus ad productum jam Pauli locum, *Τὸ μέν ἐστιν ἐπίταγμα, τὸ δὲ τῆς ἐμῆς προαιρέσεως κατόρθωμα. ἃ μὲν γὰρ ὑπὲρ τὴν ἐντολὴν γίνεται, πολὺν ἔχει τὸν μισθὸν κατὰ τοῦτο* [*Hoc quidem præceptum eſt: illud autem, cum bene atque ordine fiat, è libera tamen mea electione non è Legis neceſſitate deſcendit. Quod enim ſupra præceptum ſit, id eo ipſo magnam mercedem habet*]. Et mox illud *ἀνάγκη μοὶ ἐπίκειται* [*neceſſitas mihi incumbit*] dictum ait *ὡς ὑπευθύνου ὄντος τοῖς ἐπιταχθεῖσι, καὶ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῆς ἐλευθερίας τῆς ἐν τῷ λαμβάνειν εἰρημένης* [*quia juſſis obnoxius ſit, & ad differentiam ejus de qua ſupra dixit libertatis accipiendi*]. Paris ſenſus apud eum diſſertatio altero Sermone de Jejunio. Hæc ſunt illa fidei miracula quæ pro menſura creſcentis ſpiritus creſcere in nobis debent. Hinc oritur non ſervilis debiti flagitatio ſed ingenua illa *πεποίθησις καὶ παῤῥησία* [*fiducia & loquendi libertas*], quæ Deum non ut Dominum tantum, ſed & ut Patrem compellat, de amore ejus in ſe provocando ac conſervando ſollicita, de retributione ſecura. Clemens Strom. v. *Τῷ τελείῳ οὖν ἐν συμβολαίοις πολιτικοῖς, οὐδ' ἐν ἀπαγορεύσει νόμου, ἀλλ' ἐξ ὑπερβολῆς καὶ τῆς πρὸς Θεὸν ἀγάπης ἡ δικαιοσύνη* [*Perfecte autem pii juſtitia non in civilibus contractibus, neque in Legis prohibitione, ſed in ſingulari ſanctitate atque in pietate erga Deum conſiſtit*]. Locus eſt huic aliquo modo comparandus apud Xenophontem, ubi Cyrus Hyſtaſpæ qui imperata omnia ſedulo fecerat quærenti cur ſibi Chryſantas præferretur, reſpondet, *Χρυσάντας οὗτος πρῶτον μὲν οὐ κλῆσιν ἀνέμεινεν, ἀλλὰ πρὶν καλεῖσθαι παρῆν τῶν ἡμετέρων ἕνεκα· ἔπειτα δὲ οὐ τὸ κελευόμενον μόνον, ἀλλὰ καὶ ὅ τι αὐτὸς γνοίη ἄμεινον εἶναι πεπραγμένον ὑμῖν, τοῦτο ἔπραττεν* [*Chryſantas hic primum quidem non expectabat dum vocaretur, verum invocatus ad noſtra negotia aderat; deinde non hoc ſolum quod juſſus erat, verum id quoque quod ex uſu nobis eſſe ſentiebat, exequebatur*]. ¶ *Ἀχρεῖοί ἐσμεν inutiles ſumus*] Exponunt quidam *inutiles domino ſumus* eo ſenſu quem paulo ante ex Jobi & Pauli verbis adſtruxi. Sed notavimus ad Matt. XXV. 30. vocem eſſe Helleniſticam, quam & hic Syrus עצלא reddidit. Significat autem *ceſſatorem*. Quæ tamen vox non abſolute hic uſurpatur, ut dicto Matthæi loco, ſed comparatione facta ad ſervos qui non peculiaria præſcripta tantum exequuntur, ſed noctu diuque etiam cum periculo ſuo attendunt herilibus negotiis. Plautus Sticho non diſſimilem habet ſententiam,

> *Qui manet ut moneatur ſemper ſervos homo officium ſuum,*
> *Non voluntate id facere meminit, ſervos is habitu haud probu' eſt.*

idque ipſum ad eam obedientiam quam Deo debemus ſoliti ſunt aptare etiam Hebræi veteres, ut videre eſt apud Maimonidem de Regulis Pœnitentiæ capite ultimo. ¶ *Ὃ ὠφείλομεν ποιῆσαι, quod debuimus facere*] Nempe mercenarii, ut parem operæ mercedem conſequantur, ſervi, & ut pœnam effugiant & ut dimenſum quod mercedis eſt loco percipiant. Nam inter illa æqualitas quædam eſt, non ex condicto tantum ſed ex ipſa rerum natura: quippe & viciſſim *τῷ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα* [*ei qui operatur, merces non reputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*]. Eſt enim *ὀφείλημα* [*debitum*] id quod *τὸ ἀντιπεπονθὸς* [*repenſum*] vocat Ariſtoteles. Eſt autem in Fœdere Sinaïtico, ſi non plenum *ὀφείλημα* [*debitum*], aliqua tamen ejus ſpecies. Nam perpetua & diligens factorum obedientia vitæ longævæ ac felici aliquatenus reſpondet. At in noſtro Fœdere nihil tale, in quo Deus reſpicit non quid nos accipere conveniat, ſed quid ſummam ſuam bonitatem deceat dare.

11. *Διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας, per mediam Samariam & Galilæam*] Per ipſa confinia Galilææ & Samaritanæ regionis, non recta per Samariam quod alioqui breviſſimum iter eſt. Joſephus Originum XX. cap. V. *Ἔθος ἦν τοῖς Γαλιλαίοις ἐν ταῖς ἑορταῖς εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν παραγενομένοις ἐδεύειν διὰ τῆς Σαμαρέων χώρας* [*Mos erat Galilæis ob dies feſtos Hieroſolyma petentibus iter facere per Samariam*]. Idem in vita ſua, *Ἔγραψα δὲ καὶ τοῖς ἐν Σαμαρείᾳ Φίλοις προνοήσασθαι τοῦ ἀσφαλῆ γενέσθαι τὴν πορείαν αὐτοῖς· ἤδη γὰρ ὑπὸ Ῥωμαίους ἦν ἡ Σαμάρεια, καὶ πάντως ἔδει τὰς ταχὺ βουλομένους ἀπελθεῖν δι' ἐκείνης πορεύεσθαι* [*Samariam quoque amicis ſcripſi, dare operam, ut Legati per eorum agrum tuto iter facerent, jam enim ea urbs Romanis erat ſubdita, & illac neceſſario fuit eundum properantibus & ſequentibus viarum compendia*]. Quomodo & Johannes dixit IV. 4. *Ἔδει αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας* [*Oportebat eum tranſire per Samariam*]. Adde quod ſupra eſt IX. 51, 52.

12. *Εἰσερχομένου αὐτοῦ, cum ingrederetur*] Præſens pro futuro, ut recte animadvertit Syrus, nam extra oppida ſe tenebant qui illa ſcabie erant polluti, Levit. XIII. 46. Joſephus de Moſe, *Τοὺς δὲ λεπροὺς εἰς τὸ παντελὲς ἐξήλασε τῆς πόλεως, μηδενὶ συνδιαιτουμένους καὶ νεκροῦ μηδὲν διαφέροντας* [*Leproſos vero in univerſum urbe expulit, nemini cohabitabant, & à mortuo nihil differebant*]. ¶ *Ἐστησαν πόῤῥωθεν ſteterunt à longe*] Procul enim ab aliis abſtare jubebantur & proclamare טמא טמא [*immundum, immundum*] ut dicto Levitici loco videre eſt.

13. *Ἐπιστάτα, Præceptor*] Id eſt, רבי ut alibi diximus.

14. *Ἐπιδείξατε ἑαυτοὺς τοῖς ἱερεῦσι. oſtendite vos Sacerdotibus*] Quo dicto tacite pollicebatur ſanitatem in itinere obventuram: neque enim oſtendebantur Sacerdoti, niſi ut aut de morbo cognoſceret, de quo hic ſatis conſtabat, aut ut reſtituram valetudinem pronuntiaret. Eſt autem hic *τοῖς ἱερεῦσι* [*Sacerdotibus*] dictum pro *τοὺς τῶν ἱερέων* [*Sacer-*

datum cuidam]. Vide quæ ad Matth. VIII, 4. Simul notandum eſt quod non prætermiſit Tertullianus, Chriſtum hoc facto cauſam Judæorum adverſus Samaritas in controverſia templi probaſſe, non enim ad Garizitanos ſed ad Hieroſolymitanos Sacerdotes Samaritam ſimul cum Judæis relegat. ¶ Ἐν τῷ ὑπάγειν αὐτοὺς, *dum irent*] Id ſignum eſt ab omnibus conceptam recuperandæ valetudinis fiduciam.

15. Δοξάζων τὸν Θεὸν, *magnificans Deum*] Nempe in Chriſto, ut ſequentia oſtendunt.

16. Παρὰ τοὺς πόδας, *ante pedes*] Quod jam purgato licebat. Credibile eſt hoc factum poſtquam Sacerdoti omnes ſe ſtiterant.

18. Οὐχ εὑρέθησαν, *non inventi ſunt*] Εὑρίσκεσθαι [*inveniri*], ut apud Hebræos נמצא eſt *apparere*. ἐμοὶ ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωὴν, αὕτη εἰς θάνατον [*inventum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem*] Rom. VII. 10. σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος [*habitu inventus ut homo*] Philip. II. 8. ita Prov. X. בשפתי נבון תמצא חכמה [*in labiis ſapientis inventur ſapientia*]. ¶ Ὁ ἀλλογενὴς οὗτος. *hic alienigena*] Reſpondet ἀλλογενὴς [*alienigena*] Hebræo נכר [*peregrinus*]. Samaritas etiam Joſephus ἀλλοεθνεῖς [*de gente aliena*] vocat. Erant enim Samaritæ magna pars ex Chuthæis & aliis Aſſyriæ populis, unde כותים [*Chutæi*] nunc quoque à Judæis dicuntur. Sed quidam Iſraelitici generis illi ſe immiſcuerant: unde data occaſio Samaritis, ut pro re nata (quemadmodum Joſephus narrat) cognatos ſe Judæorum modo profiterentur, modo negarent. Diſcimus autem ex Joſepho Judæorum multos, qui in Legem Sabbati aut ciborum peccaſſent, ad Samaritas immigraſſe, atque ab eo hominum genere habitatam urbem Sicimorum. Hinc eſt quod Sicimitas pejores Garizitanis qui erant Chutæi, ut idem teſtatur Joſephus, facit Sirachides. Verba ſunt Eccleſiaſtici L. 27. Ἐν δυσὶν ἔθνεσι προσώχθισεν ἡ ψυχή μου, καὶ τὸ τρίτον οὐκ ἔστιν ἔθνος· οἱ κατοικοῦντες ἐν ὄρει Σαμαρείας, καὶ ἀνδρες οἱ κατοικοῦντες Φυλιστιείμ, καὶ λαὸς μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Συχεμοῖς [*Duas gentes odit anima mea: tertia autem non eſt gens quam oderim; Qui ſedent in monte Seir & Philiſtiim, & ſtultus populus qui habitat in Sichimis*]. Mirum quo argumento Sicimitæ illi pro Sidoniis ſe venditaverint, quod Joſephus refert.

20. Ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, *Regnum Dei*] Cujus ſæpe & à Baptiſta & à Chriſto facta erat mentio. Regnum autem Dei hic ut & alibi ſignificat *tempora Meſſiæ regnantis*. ¶ Μετὰ παρατηρήσεως· *cum obſervatione*] Non negat Chriſtus ejus temporis eſſe quædam indicia prodita, quod alibi diſerte affirmat, ſed negat illud regnum venturum μετὰ τοιαύτης Φαντασίας [*cum multa pompa*] *cum regio ſplendore, divitiis, triumpho*, qualia exſpectabant Phariſæi, & nunc quoque Judæi exſpectant.

21. Οὐδὲ ἐροῦσιν, *neque dicent*] *Non erit quod dicatur.* Ita interpretandum, ne pugnet cum eo quod ſequitur commate 23. ¶ Ἰδοὺ ὧδε καὶ ἰδοὺ ἐκεῖ. *ecce hic, & ecce illic*] In illo monte aut in illo deſerto, in Cyrene, in urbe Bitter, ut dicebant οἱ ψευδόχριστοι [*falſi Chriſti*]. ¶ Ἐντὸς ὑμῶν ἐστι. *intra vos eſt*] *Jam inter vos*, id eſt, *in ipſo populo Judaico, regnum illud incipit vires ſuas exſerere, vobis non obſervantibus. Signum autem hujus rei evidens ſunt miracula, præſertim ejectio dæmonum.* Matth. XII. 28. Chriſtus eoſdem Phariſæos hunc in modum alloquitur: Εἰ δὲ ἐγὼ ἐν πνεύματι Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ [*Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos Regnum Dei*], ubi voce ὑμῶν [*vos*] ſimiliter populi Judaici univerſitas intelligitur. Illud ἐντὸς ὑμῶν [*intra vos*] recte vertitur *in medio veſtri.* Confer Matthæi XXI. 43.

22. Πρὸς τοὺς μαθητὰς, *ad diſcipulos*] Omnibus ſuis ſectatoribus, in ipſis totam Judæorum gentem compellans. ¶ Μίαν τῶν ἡμερῶν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *unum diem Filii hominis*] Quæ infra ſequuntur, ubi itidem mentio fit τῆς ἡμέρας [*diei*] aut τῶν ἡμερῶν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου [*dierum filii hominis*], faciunt ut hoc nomine intelligam id ipſum quod modo dixit *Regnum*: ſed ita ut ſubintelligendum putem quod præceſſit ἐντὸς ὑμῶν [*intra vos*]. manſit in populo Judaico *Regnum illud*, id eſt, *invitatio ad reſipiſcentiam* ad annos ferme quadraginta, ſub cujus temporis finem nox atra calamitatum ſucceſſit, de qua infra commate 34. Illo autem tempore XL annorum florentiſſimum fuit Chriſti Regnum, & aurea velut ætas, Spiritus donis internis atque externis ubique apparentibus, fide pura, dilectione fervente. ¶ Καὶ οὐκ ὄψεσθε. *& non videbitis.*] Cum Euangelii ſermo è Judæa auferetur, quod certum erit ſignum imminentis excidii.

23. Ἰδοὺ ὧδε ἡ ἰδοὺ ἐκεῖ· *ecce hic & ecce illic*] Poſt illa tempora multi ſurrecturi erunt ψευδόχριστοι [*falſi Chriſti*], ut apud Matthæum videre eſt.

24. Ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν εἰς τὰς ὑπ' οὐρανὸν, *deſub cælo in ea quæ ſub cælo ſunt*] Subaudi χώρας [*regiones*]; ut ſit ἐκ τῆς χώρας εἰς τὰς χώρας [*e regione in regiones*], *ex una regione*, puta Judæa, *in omnes regiones quæ ſub cælo ſunt.* Vide quæ dixi ad Matthæum XXIV. 31. ¶ Ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ. *in die ſua*] Ἐν τῇ παρουσίᾳ [*in adventu*], ut Matthæus explicat. *Illo* inquit *temporis ſpatio celerrime per omnem mundum audietur Euangelium & magnos profectus faciet.*

25. Πρῶτον δὲ δεῖ, *Primum autem oportet*] Antequam illa ætas Regni adveniat, cujus initium fuit miſſio illa Spiritus Sancti die Pentecoſtes. Hujus Spiritus mittendi jus conſequi Chriſtus debuerat per mortem, ut alibi dictum eſt.

26. Οὕτως ἔσται καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. *ita erit & in diebus Filii hominis*] Jam conſpicuam Divinæ bonitatis teſtationem merito ſequetur rejectio contumacium, & ſevera adverſus eos judicia, etiam quæ conſpici poſſint, quale fuit excidium Hieroſolymitanum. Pertinebat enim & hoc ad tuendam Regni illius majeſtatem.

27. Ἅπαντες, *omnes*] Omnes eos qui reſipiſcentiæ monita contemſerint.

29. Ἔβρεξε πῦρ καὶ θεῖον, *pluit ignem & ſulfur*] Puto & πῦρ [*ignis*], & θεῖον [*ſulfur*] in nominativo poni. Sicut apud Latinos legimus, *pluerunt lapides*: & in Apocalypſi ἵνα μὴ βρέχῃ ὑετὸς [*ne pluat pluvia*], XI. 16. Ita ut Syrus ſenſum potius quam verba expreſſerit. Eſt autem hujus hiſtoriæ memoria etiam apud prophanos Scriptores conſervata, Strabonem, Solinum, Tacitum. Poteſt autem *ſulfur* nomine ipſum *fulmen* intelligi. Nam & Græci interdum ita loquuntur, quia *fulmen* odorem ac vim habet ſulfuream: quin ipſa vox θεῖα [*ſulfura*], ſi originem ſpectemus, ad *fulmen* primitus pertinuiſſe videri poteſt. Vide Philonis locum quem jam jam adducemus. ¶ Ἅπαντες. *omnes*] Τοὺς ἀμετανοήτους [*non reſipiſcentes*] ſcilicet. Idem his exemplis Chriſtus ſignificat, quod ita extulit Petrus cum eadem exempla memoraſſet, Οἶδε Κύριος εὐσεβεῖς ἐκ πειρασμοῦ ῥύεσθαι, ἀδίκους δὲ εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν [*Noverit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem Judicii reſervare cruciandos*]. Quo fine etiam Philo libro de Moſis vita utramque hanc hiſtoriam adduxit. Et de Sodomis quidem ita loquitur, Ἐν δὲ τούτῳ συνέβαινε τοιοῦτο· ἀσεβεῖς ταῖς εἰρημέναις τιμωρίαις κολάζεσθαι, καὶ τὰς μελοκῴγαθίας θυννοχέτας εὖ πάσχειν ἀρετῆς ἑπαξίων ἄθλων τυγχάνοντας· ἐν μέντοι τῇ Φορᾷ τοῦ πεπυνιού τυρὸς οἰκήτορσιν αὐτοῖς ὅλης χώρας ἐμπεπρησμένης, εἷς μόνος ἀνὴρ μέτοικος ἐκ Φρονύμη θείᾳ σωζεται, διότι τῶν ἐγχωρίων παρανομημάτων ἰδὲν ἠκτήσατο [*Interea pœnas inentibus impiis, virtuti ſua præmia non deerant. In totius regionis conflagratione ardentis una cum incolis, unicus inquilinus ſervatus eſt Divina providentia, quod abhorreret ab indigenarum iniquitatibus*].

30. Ἡ ἡμέρα ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀποκαλύπτεται. *qua die Filius hominis revelabitur*] Nimirum ad exercenda ſua judicia in contemtores Regni ſui. Sic Paulus dixit, ἀποκαλύπτεται ὀργὴ Θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ [*revelabitur ira Dei de cælo*]. Obſidium autem Hieroſolymorum & quæ mala ex eo ſunt ſecuta, præcipue hic intelligi ſequentia oſtendunt, quæ ad univerſale judicium non ſatis recte referas. Joël quoque hoc ſeveritatis Divinæ tempus vocat ἡμέραν Κυρίου μεγάλην καὶ ἐμφανῆ [*diem Domini magnam & manifeſtam*], explicante Petro Actor. II. 20. ubi & hæc ſententia legitur ad loci præſentis explicationem faciens, πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου σωθήσεται [*omnis quicunque invocaverit nomen Domini ſalvabitur*]. Interim memoria tenere debemus omnia illa localia judicia imagines & pignora eſſe judicii univerſalis.

31. Ὃς ἔσται ἐπὶ τοῦ δώματος, *qui fuerit in tecto*] Proverbialis hæc locutio certiſſimum exitium ſignificat, & quod præciſa omni mora celerrime ſit effugiendum, non ſolo diſceſſu corporis, ſed & locorum diverſitate: nam utrumque hic conjungi debere oſtendunt ſequentia; & alioqui mos eſt Orientalium τὰ σύμβολα [*ſigna*] conjungere τοῖς διὰ συμβόλων [*ſignatis*].

32. Μνημονεύετε τῆς γυναικὸς Λώτ. *Memores eſtote uxoris Lot*] Senſus eſt, Omni modo fugienda malorum contagia, nullo commodorum temporalium reſpectu: quod, ut ſupra ad caput IX diximus, Paulus ita enuntiat, Oportere τὰ ὀπίσω ἐπιλανθάνεσθαι, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτείνεσθαι [*eorum quæ à tergo ſunt oblivi ſci, & ad ea quæ coram ſunt, emitti*]. Philo autem eandem hanc de Lothi uxore hiſtoriam explicans,

Non

Non debere nos *περιβλέπεσθαι τὰ ὀπίσω καὶ τὰ νῶτα, καυχὴν δόξαν καὶ ὅσα τούτῳ συγγενῆ*, sed *τὰ πρόσω διορᾶν* [*quæ à tergo sunt respicere, scordam gloriam & id genus reliqua, sed quæ ante nos sint, prospicere*], nimirum *τὰς ἀρετὰς καὶ τὰ κατὰ τὰς ἀρετὰς ἔργα* [*virtutes, & opera ad virtutis normam conformata*]. Idem alibi ad hanc rem apposite, *Καὶ τί θαυμάζομεν εἰ τὸν ὑπηγμένον ἡδονῇ πάθος ἀλόγῳ προτρέπει μὴ ἐνδιδόναι, μηδὲ τῇ ῥύμῃ τῆς ἐκείνης Φορᾶς κατασυρῆναι, βιάσασθαι δὲ ἀντισχόντα· κἂν εἰ μὴ δύναιτο ἀποδρᾶναι; Δευτέρα γὰρ ἔφοδος εἰς σωτηρίαν τοῖς ἀμύνεσθαι μὴ δυναμένοις δρασμός ἐστι* [*quid vero miramur si eum qui vi affectum, non ratione agitur, monet ne se eis dedat, neque se eorum impetu quasi torrente abripi patiatur, imo vero ut resistat, vimque opponat vi: quod si ad non potest, fugiat! Fuga enim iis, qui resistere non valent, ad salutem alter est aditus*]. Rursum alibi huic fœminæ similes ait, *τὰς ὑπὸ παλιρροίας εἰς τ' ὄπιθεν ἀναχωρήσαντας* [*qui ob inconstantiam retrocesserunt*].

33. Ος ἐὰν ζητήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτῦ σῶσαι, *Quicunque quæsierit animam suam salvam facere*] Nimirum detrectando Christianismi professionem quo impiorum vitetur offensa, quod multos fecisse ex Pauli & Johannis epistolis, tum vero & ex Divina Apocalypsi apparet. Τὴν ψυχὴν αὐτοῦ [*animam suam*], id est, *semetipsum*, quod ostendit verbum ζωογονήσει [*vivificabit*], qua voce Græci Interpretes utuntur pro σώζειν [*salvare*], Exod. 1. 17, 18, 22. Vide quæ ad Matthæum x. 39. ¶ Ἀπολέσει αὐτὴν· *perdet illam*] *Communi impiorum exitio involutus*, quod omnibus illis accidit qui cum Christianis in montana aut Pellam versus fugere noluerunt. Ea autem res simul figuram gessit judicii post hanc vitam tum singularis, tum universalis.

34. Ταύτῃ τῇ νυκτὶ, *in illa nocte*] Sicut modo ἡμέραν [*diem*] dixit omne illud tempus quo Regnum Christi maxime conspicuum fuit, ita nunc noctis nomine appellat ejus temporis ultimam clausulam gravissimis calamitatibus plenam. Solent autem Hebræi noctis & tenebrarum nomine magnas ærumnas denotare. ¶ Ο εἷς παραλημφθήσεται, *unus assumetur*] *E periculo educetur* velut apprehensa manu, ut ad Matthæum exposuimus. ¶ Καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται. *& alter relinquetur*] *Relinquetur communi exitio*. Euangelii sermo vim habet palam discernendi eos qui antea permixti erant, etiam conjuges. Vide supra XII. 51, 52.

35. Καὶ ἡ ἑτέρα ἀφεθήσεται. *& altera relinquetur*] Quod hic in quibusdam codicibus legitur de repertis in agro, ex Matthæo esse adjectum non dubitabit qui animadverterit à Græcis Scriptoribus discrimen hoc loco Matthæi & Lucæ diserte annotari.

37. Ποῦ Κύριε; *Ubi Domine?*] *Ubi fiet*, inquiunt, *ista hominum discretio?* ¶ Οπου τὸ σῶμα ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί. *Ubicunque fuerit corpus illuc congregabuntur aquilæ*] Σῶμα [*Corpus*] dixit quod πτῶμα [*cadaver*] Matthæus, nec mirum: nam & de Homero Porphyrius observat, *ὅτι τῶν ζώντων ἀεὶ δέμας προσαγορεύει· τὸ δὲ ἀποβεβληκὸς τὴν ψυχὴν ἀδὲν ἄλλο ἢ σῶμα κικλῄ*, [*quod viventium semper corpus δέμας vocet, mortuum vero corpus nihil aliud quam σῶμα*], ut in illis versibus,

> Σῶμα δὲ οἶκαδ' ἐμὸν δόμεναι πάλιν.
> [*Ferte meum rursus corpus domum.*]

Et,

> Σώματ' ἀνηλέα κεῖται ἐνὶ μεγάροις Οδυσῆος.
> [*Corpora Ulyssea passim sunt strata per ædes.*]

Item,

> Σῶμα γὰρ ἐν Κίρκης μεγάρῳ κατελείπομεν ἡμεῖς.
> [*Languimus at socii corpus nos Circis in ade.*]

Rationem hanc adfert Porphyrius: Τὸ γὰρ αὐτὸ ζῶντος μὲν τῷ ἀνθρώπῳ δεσμὸς ἦν τῆς ψυχῆς· τελευτήσαντος δὲ οἱονεὶ σῶμα κατελείπετο [*Idem enim, & vivente homine, anima erat vinculum; & moriente eo veluti sepulcrum relinquitur.*] Hoc autem proverbio Christus ad interrogationem respondet, significans illam discretionem hominum futuram quidem in Judæa, sed non ibi tantum, verum ubivis locorum & gentium. Tam late enim patere debebat *ista discretio*, quam late proferendum erat Christi Regnum. Non igitur hic erit Christi Regnum, ibi non erit, pro diversitate locorum, ut Pharisæi putarunt, sed ubique & erit, & non erit pro animorum discrimine.

PRICÆUS.

Com. 2. Λατσελεῖ] Hesychius ex hoc Lucæ loco, Λυσιτελεῖ, συμφέρει, ἐπωφελεῖ.

Ibid. Μύλος ὀνικὸς] Μύλον συνεδοχικῶς dixit pro λίθῳ· liquet id ex Marco, qui λίθον μυλικὸν dixit. Optime Vulgatus itaque *lapidem molarem* vertit. In Glossario λίθος μυλίτης, *lapis molarius*: malim *molaris* scribi. Ονικὸν heic ponitur ad designandam id genus molam quæ jumentis, præcipue asinis, non manu, circumagebatur; cujusmodi lib. 7. Apulejus *machinarium* vocavit; & lib. 9. *molam quæ maxima videbatur*. Lapidem autem molarem non eum solum heic intellexerim qui pars molæ, sed & quemvis alium, mensuram ejusmodi lapidum æquantem vel accedentem. Hinc λίθον ὡς μύλον μέγαν, in Joannis Apocalypsi; & λίθοι ταλαντιαῖοι apud Suidam. Virgilius de Hercule Cacum opprimente,

> . . . *Ramis, vastisque molaribus instat.*

Ubi Servius, *Molaribus, asperrimis saxis, non unde mola fiunt: & secundum Homerum dixit*, (scripserim, *secundum Homerum, qui dixit*) *μυλοειδεῖ πέτρῳ· aut certe magnis, & molæ convenientibus.*

Ibid. Καὶ ἔβληται εἰς θάλασσαν] Vide ad Matth. 18. 6. notata; & adde Jerem. 51. 63.

Ibid. Τῶν μικρῶν τούτων] Μικρὸν (γὰρ) καὶ μέγαν ὁ θεὸς ἐποίησεν, ὁμοίως τε προνοεῖ περὶ πάντων, Script. Sapient. 6. 7.

Com. 3. Επιτίμησον αὐτῷ] Ελεγξον αὐτὸν μεταξὺ, &c. Matth. 18. 15. ubi dicta vide.

Com. 4. Καὶ ἐπτάκις τῆς ἡμέρας ἐπιστρέψῃ ἐπί σε, λέγων, Μετανοῶ, ἀφήσεις αὐτῷ] D. Augustinus Epist. 104. *Memento cito ignoscere, si quis in te peccaverit, & veniam postulaverit.* A Rustico, amico vel monitore suo, M. Antonius scribit didicisse se *πρὸς τὰς χαλεπήναντας καὶ πλημμελήσαντας*, &c. *εὐδιαλλάκτους, ἐπειδὰν τάχιστα αὐτοὶ ἐπανελθεῖν θέλωσι, διακεῖσθαι*· ubi ἐπανελθεῖν est quod hoc Lucæ loco ἐπιστρέφεσθαι. Quæ voces in hujusmodi argumentis magis cordis quam corporis conversionem significant: unde & *converti in pœnitentiam*, Suetonius in vita Claudii dixit. Επτάκις τῆς ἡμέρας, ut apud Strabonem ἑπτάκις καθ' ἡμέραν. Hoc loco autem ἑπτάκις non est *septies*: sed *sæpissime*. Sic Jerem. 15. 9. *Quæ peperit septem*: id est, prolem numerosam. Theophylactus ad Luc. 1. Τὸ ἑπτὰ, ἀντὶ τοῦ, πολλὰ, παρὰ τῇ γραφῇ κεῖται. Suidas in verbo Καὶν, de septenario numero, Σύνηθες τῇ γραφῇ τῷ ἀριθμῷ τούτῳ ἀπροσδιορίστως χρῆσθαι· & post, Αδιορίστως πληθυς σημαντικόν ἐστι. Μετανοῶ Vulgato, *pœnitet me*: unde & Μετανοῶ, *pœnitet me*, in Glossario.

Com. 6. Εἰ εἴχετε πίστιν ὡς κ. τ. λ. εἴπετε ἂν τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ, ἐκριζώθητι, &c. καὶ ὑπήκουσεν ἂν ὑμῖν] Ita apud Stobæum Philemon de argento,

> . . . Τοῦτ' ἐὰν ἔχῃς,
> Λέγε πρὸς τοῦθ' ὃ βούλει, πάντα σοι γενήσεται.

Ad mentem sacri Contextus Cyprianus, *Unusquisque, &c. tantum accipit de Dei ope, quantum se credit accipere: non est quod omnipotens præstare non possit, nisi accipientis fides cadua defecerit*: cap. 11. de Exhortat. martyr.

Ibid. Τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ, ἐκριζώθητι] Demonstrat genus hoc loquendi rem naturaliter impossibilem. Hinc in re magica apud Virgilium,

> . . . *descendere montibus ornos:*

in re hyperbolica apud Eundem de Hesiodo loquentem,

> *Cantando rigidas descendere montibus ornos:*

& in re mythica à cantu Orphei arbores sedibus emotæ suis. Philostratus de illius fabulæ pictore, Νεανίσκου δέ τι καὶ μεῖζον, δένδρα γὰρ ἀνασπάσας τῶν ῥιζῶν, ἀκροατὰς ἄγει τούτα, &c. ubi & nota, ἐκ ῥιζῶν ἀνασπάσας, Lucas heic, ἐκριζώθητι.

Ibid. Καὶ φυτεύθητι ἐν τῇ θαλάσσῃ] Et hoc proverbiale de re plane impossibili. In adagiis veterum Græcorum, Τὸ πέλαγος πρότερον οἴσει ἄμπελον· ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων. Petronius ex Magæ persona,

> . . . *His ego callens Artibus,*
> *Idæo frutices in gurgite fistam.*
> . . . *Non si tellurem effundat in undas,*

Apud Virgilium est: & apud Niceatam Choniaten inter alia hyperbolica habemus, *τὴν θάλασσαν ἀρῦσθαι, τὰ ἴρη ἐν καρδίαις θαλασσῶν μετατίθεσθαι.*

Com. 7. Δοῦλον, &c. ποιμαίνοντα] Subulcum, nempe, opilionem, aut bubſequam.

Ibid. Παρελθών] De hac voce vide ſupra ad 12. 37. notata.

Com. 8. Ετοίμασον τί δειπνήσω] Apud Aurel. Victorem in Juliano, *Quæ habes ad manum? pone quæ habes.*

Ibid. Διακόνει μοι ἕως φάγω καὶ πίω, καὶ μετὰ ταῦτα φάγεσαι καὶ πίεσαι σύ] In Eunucho Terentii,

- - - Ubi nos laverimus, ſi voles, lavato.

Com. 9. Μὴ χάριν ἔχει τῷ δούλῳ ἐκείνῳ;] Nequaquam, ſolemus enim gratias agere ubi licuit nolle. Apud Senecam (at ex ſenſu aliorum) 3. 18. de Beneficiis, *Servo, quo minus in nomen meriti perveniat, neceſſitas obeſt: &* cap. 19. *Ita quæ alio præſtante beneficia dicerentur, miniſteria ſervo ſunt*, &c. *ſervus negandi non habet poteſtatem.*

Ibid. Οτι ἐποίησε τὰ διαταχθέντα αὐτῷ] Vide ſupra ad 14. 22. dicta.

Ibid. Οὐ δοκῶ] In Epigrammate Auguſti Cæſaris dicto,

- - - Faciam? non puto, ſi ſapiam.

Com. 10. Λέγετε, ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν] Dicite (ut 1 Cor. 4. 4.) Οὐδὲν ἐμαυτῷ συνοίδαμεν, ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι· vel, ἐγενήθημεν (ut Eſaiæ 64. 6.) ὡς ἀκάθαρτοι, ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης· πᾶσα ἡ δικαιοσύνη ἡμῶν. In diſcipulis autem ſuis præcipit & aliis omnibus Chriſtus demiſſe de ſeipſis ſapere: *iis quæ agenda ſunt* (ut apud Tacitum Baſſus) *quieta cum induſtria adeſſe: ſine ulla oſtentatione agendi* (ut de Piſone Paterculus,) *curare ea: nec ut facere videantur, ſed quia facienda ſunt:* & minus tamen credere feciſſe ſe quam debuerant facere: ita non tantum ſedulitatis, ſed & humilitatis nomine ſe eos approbatum iri, ac Domino omnium communi acceptiores fore. Καὶ γὰρ ἡμεῖς οἰκέτας ἔχοντες, τότε αὐτοὺς μᾶλιςα ἀποδεχόμεθα, ὅταν πάντα μετ' εὐνοίας διακονησάμενοι, μηδὲν ἡγῶνται μέγα πεποιηκέναι. Quæ verba ſunt D. Joannis Chryſoſtomi homil. 3. in Matthæum. Idem, Εἰ βούλει μεγάλα σε ποιῆσαι τὰ κατορθώματα, μὴ νόμιζε αὐτὰ μεγάλα εἶναι. Euthymius in Matth. 5. ea, Quicunque ſolverit unum de minimis mandatis iſtis, *Minima vocavit, partim modeſtiæ cauſa, partim vero ne extollerentur qui ea ſervarent: ſimul quoque docens nos propria attenuare, quamvis magna, quamvis excelſa ſint.* Ingenuæ ille indolis adoleſcens apud Philoſtratum 6. 2. de vita Apollonii, Τίνα ἐμαυτὸν εἶπω; ναυὸς μὲν γὰρ οὐκ εἰμί· ἀγαθὸν δὲ εἰ χρὴ νομίζεσθαί με οὐκ οἶδα, τὸ γὰρ μὴ ἀδικεῖν ἅπαν ἔπαινος ad quæ Damis, Επαινῶμέν σε ὅτι μηδὲν αἰῶ λαμπρὸν εἰργάσθαι. Cum omnia (inquit Chriſtus) feceritis, fatemini viliratem veſtram, non quod offendiſſe ſciatis vos, ſed ut offenſæ nullum locum relinquatis: nec conſcientiâ culpæ, ſed humilitatis ratione, deputate vobis tanquam omnino dimiſſum, quicquid à vobis, cohibente divina ope, non eſt commiſſum. Majorem gratiam meretur qui innoxius timet, & amori ſupplicatio proficiet, reatu carens: habebit Deus in deprecationibus veſtris tanto plus quod diligat, ſi non habere ſe viderit quod remittat. Ut δοῦλοι ἀχρεῖοι heic, ita in 5. Achillis Tatii δοῦλοι ἀχρειότατοι· & ἀνδράποδον, &c. πρὸς πᾶσαν πραγματείαν ἄχρηςον, apud Plutarchum in De lib. educand. His oppoſiti quos ἐυχρήςους & χρησίμους Græci, Latini, *ſervos bonæ frugi* vocant.

Ibid. Ο ὀφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν] Οὐκ ἔςιν ἡμῖν (ut 1 Cor. 9. 16.) καύχημα· ἀνάγκη γὰρ ἡμῖν ἐπίκειται. Vitavimus forte culpam, non utique laudem meruimus. Meruiſſe nos gloriam non credimus, ſed flagitium effugiſſe. Seneca ubi ſupra μιμητικῶς de ſervo, *Quem conditio ſua eo loco poſuit ut nihil eorum quæ præſtat, ſuperiori imputet:* & ibidem, *Non præſtat beneficium, ſed paret: nec id ſe feciſſe jactat quod non facere non potuit.* Seneca aker Controverſ. 2. 5. *Non eſt beneficium, ſed officium, facere quod debes.* Apta autem ſervis locutio, ὃ ὀφείλομεν ποιῆσαι. Donatus ad Phormionis ea,

Nemo ſatis pro merito gratiam Regi refert:

Quicquid præſtat, DEBERE SE dicit; & eſt proprium perſonæ inferioris. Hinc & ejuſmodi locutiones ab amicis tanquam ſervis uſurpatæ. In ejuſdem Terentii fabula quæ Adelphi dicta,

Ego in hac re nihil reperio quamobrem laudet tam opere, Hegio,
Meum officium facio. - - -

Id eſt, ποιῶ ὃ ὀφείλω ποιῆσαι. In eadem fabula illa,

Non faciam, neque me ſatis pie poſſe arbitror.

Ubi Donatus, *Significat quicquid fecerit, pro pietatis debito illis merito parum eſſe.* Cicero in famil. Epiſt. *Cætera quæ ad te pertinebant, cum etiam plus contenderimus quam poſſumus, minus tamen faciemus quam debemus:* cujus commatis & illa ejuſdem, 5. 14. in iiſdem Epiſtolis, *Præſtitimus patriæ non minus* (lege, *Præſtitimus patriæ minus*) *quam debuimus, plus profecto quam eſt ab animo cujuſquam, aut conſilio hominis poſtulatum.*

Com. 12. Οἱ ἔςησαν πόῤῥωθεν] Fortaſſe non ex morbi tantum, ſed & modeſtiæ præſcripto: ſic infra 18. 3. de publicano, ἐςὼς μακρόθεν. Πόῤῥωθεν Vulgato hic, *à longe:* ita in vetere Onomaſtico, *A longe*, πόῤῥωθεν.

Com. 13. ἦραν φωνὴν] Sic Actor. 14. 11. Φωνὴν ἐπῆραν dixit.

Com. 14. Καὶ ἐπιςρέψας, &c.] Puto idiotiſmum eſſe, ut Actor. 7. 42. ἔςρεψε· nec aliter eo loco exponentibus accedo.

Com. 15. Ἰδὼν ὅτι ἰάθη] Non dicitur, *γνούσιον ὅτι ἰάθη*, ut de illa Marc. 5. 29. nam morbo iſte non interno ſed ſupercute laboraverat.

Com. 16. Αὐτὸς ἦν Σαμαρείτης] Cæteri omnes Judæi.

Com. 18. Οὐχ ἐυρέθησαν ὑποςρέψαντες δοῦναι δόξαν τῷ θεῷ] Honeſta circumlocutio, pro οὐχ ὑπέςρεψαν δοῦναι δόξαν, &c. Virgilius Georg. 2.

- - - Jamque reperti
Qui ſaxo ſuper atque ingenti pondere teſta
Urgerent. - - -

Id eſt, jamque nonnulli ſaxo, &c. urgent, vel urgebant. Gloſſarium (ex hoc, ut videtur, Lucæ loco) *Reperti ſunt*, ἐυρέθησαν. Velim autem hoc totum comma interrogative vel admirative legi. Δοῦναι δόξαν τῷ θεῷ, ſupple ἐπὶ τῷ γεγονότι. Vide ſupra ad 5. 26. dicta.

Com. 19. Ανασὰς πορεύου] Ut ſupra 15. 18. ἀναςὰς πορεύσομαι.

Com. 20. Ερωτηθεὶς δὲ, &c.] Confer Act. 1. 7.

Ibid. Οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως] Exſpectando, præſtolando. Hunc, vel hujuſmodi ſenſum crediderim iſtius loci eſſe, ob ea quæ Marc. 26. 27. nec diſſimilia leguntur. Vulgatus, *cum obſervatione.* Onomaſticon vetus, *Obſervatio*, παρατήρησις.

Com. 21. Η βασιλεία τοῦ θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐςι] Τὴν βασιλείαν expoſuerim, ut Matth. 4. 23. 9. 35. & 24. 4. τὸ ἐυαγγέλιον τῆς βασιλείας. Εντὸς ὑμῶν ἐςι, vertam, *inter vos eſt*, vel, *in medio veſtri.*

- - - Inter vos medio verſatur in uſu,
Non ſic inter vos ut latuiſſe velit.

Hoc eſt, ut Joh. 1. 14. σκηνοῖ ἐν ὑμῖν· ſic ſupra hic 2. 3. & 7. 16. ἐν ἡμῖν occurrit, & Joh. 11. 54. ἐν Ιουδαίοις.

Com. 23. Μὴ ἀπέλθητε] Nempe, ut infra 21. 8. ἐπίσω αὐτῶν.

Com. 24. Η ἀςραπὴ, &c. λάμπει] Hoc loco apte ſe offert Heſychius corrigendum. Ηςραψεν (inquit) ἔκαμψεν· imo ἔλαμψεν ſcribendum. Idem alibi Ασράπτων, ὑπερλάμπων. Julius Obſequens cap. penult. *Fax cæleſtis à meridiano ad Septentrionem extenta, lucis diurnæ ſimilem in nocte fecit.* Poſt ἡμῶν ſubaudi χάριν, & χάριν. Occurrit elleipſis eadem in Græco Jobi 18. 4. Proverb. 8. 28. Baruch. 5. 3. 2 Macc. 2. 18. in Additamentis Eſtheris 13. 10. & in illis Heſychii, Τῇ πρὸς αὐτὸν τῇ ἀνατολῇ.

Com. 25. Δεῖ αὐτὸν πολλὰ παθεῖν] Infra 24. 26. ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριςόν.

Com. 27. Ησθιον, ἔπινον, &c. ἄχρι ἧς ἡμέρας, &c.] Edere, potare, &c. (ut ſupra ad 12. 19. annotavimus,) eam fluxam ſecuritatem notat quæ imminens ſolet exitium antecedere.

Com. 28. Επώλουν, ἐφύτευον, ᾠκοδόμουν] Philemon de jam mortuis, quod Chriſtus de jam morituris,

Τούτων ἕκαςος ἔλεγεν, εἰς ἄρας ἐγὼ
Πλεύσω, φυτεύσω, κτήσομαι, &c. - - -

Com. 29. Εβρεξε πῦρ καὶ θεῖον] Poſſunt hæc ſumi quaſi nominativo enunciata: ut illa Apoc. 11. 6. Ἵνα μὴ βρέχῃ ὑετὸς. Poſſunt & accuſativo intelligi, ſubaudito Κύριος· ſic Exod. 9. 23. Εβρεξε κύριος χάλαζαν, &c.

Com. 31. Μὴ καταβάτω ἆραι αὐτὰ] Quin potius,

Reſtricta tunica fugiat citus, & pede nudo.

Relictis omnibus evadere feſtinet, ut Judith. 15. 2. in Latino legimus. De Juda 1 Maccab. 2. 28. ἔφυγεν, &c. εἰς τὰ ὄρη καὶ ἐγκατέλιπεν ὅσα εἶχεν ἐν τῇ πόλει. Seneca 49. Epiſt. *Se-*

curis

curi eſt, & ex commodo migrantis, minuta conquirere; cum hoſtis inſtat à tergo, &c. excutit neceſſitas quicquid pax otioſa collegerat.

Com. 33. Ος δὲν ζητήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτῦ σῶσαι] Properando in urbem nempe. In urbes, periculis belli ingruentibus, ex agris frequentiſſime concurritur. Appianus ubi de Hannibale intra quartum à Roma lapidem poſito, Οἱ δὲ ἐκ τῶν ἀγρῶν εἰς τὸ ἄςυ ὁρμῇ συνίεσαν. Apud Quintilianum Declam. 253. *Si exercitus hoſtium intra fines noſtros fuerit*, &c. *ſi fugam ruſticorum in urbem*, &c. *viderimus*, &c. Ζητεῖν τὴν ψυχὴν αὐτῦ σῶσαι, exponunt quidam, ſubtrahere ſe ab aperto liberoque Chriſti nominis cultu, aut odii aut ſupplicii evitandi cauſa.

Ibid. Ἀπολέσει αὐτὴν] Concludetur enim cum aliis in obſeſſa urbe, ut in muſcipula mures, aut in naſſa piſces: vel, ἀπολέσει αὐτὴν, intellige, πρὸς ὥραν αὐτὴν σώσει ἵνα αἰώνιον ἀπολέσῃ αὐτήν· vide 2 Maccab. 6. 26. Hæc enim de excidio Urbis ita prædicta videntur, ut & ultimi, ejuſdemque univerſalis, judicii imaginem ferant.

Ibid. Καὶ ὃς δὲν ἀπολέσῃ αὐτὴν] Mei nominis cauſa nempe.

Ibid. Ζωογονήσει αὐτὴν] Id eſt, εἰς ζωὴν (ut Joh. 12. 25.) αἰώνιον αὐτὴν Φυλάξει· εἰς αἰώνιον ζωῆς ἀναβίωσιν (ut 2 Maccab. 7. 9.) θεὸς αὐτὸν ἀναςήσει· perpeſſis brevibus ærumnis æternam felicitatem conſequetur. De Decio Auctor ad Herennium lib. 4. *Amiſit vitam, at non perdidit: re enim viliſſima & parva maximam redemit.* Euthymius in Matth. 17. de Moſe & Elia, *Millies, quod in ſe erat, pro Dei beneplacitis moriebantur*, &c. *ſuaſque perdendo animas invenerunt.* Ζωογονήσει eſt ζωοποιήσει· ſic apud Heſychium, Ζωογόνος, ζωοποιός.

Com. 34. Ταύτῃ τῇ νυκτὶ] Id eſt, in illo malo tempore. Suidas, τὰς συμφορὰς πολλάκις νύκτας ἡ Γραφὴ καλεῖ· imo & Homerus, eodem ipſo teſte, τὰ φοβερὰ νυκτὶ ἐοικότ. D. Auguſtinus in Pſal. 41. & Pſalm. 138. *Proſperitas ſeculi ſignificatur die, adverſitas nocte.* Idem in Pſalm. 118. ea, MEDIA NOCTE SURGEBAM AD CONFITENDUM TIBI: *Hoc aut de perſecutionibus quas patiebatur Eccleſia*, &c. *proinde mediam noctem graviora tribulationis intelligendum exiſtimo.*

Com. 35. Ἀλήθωσιν ἐπὶ τὸ αὐτό] *Commolentes.* In vetere Gloſſario, Συναλήθω, *commolo.*

Com. 37. Ὅπου τὸ σῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί] Ἀετοὶ hic *vultures*, & *alia aves quibus ſtrages cadaverum pabulo eſt*, ut cap. antepenult. locutus Julius Obſequens. Silius Italicus,

\- - - *Paſtuſque cadavere vultur.*

Seneca Epiſt. 66. *Vultur eſt, cadaver exſpectat.* Suidas in ἄετος, Οἱ γύπες τοῖς θνησιμαίοις παρεδρεύοντες. Florus 4. 6. *Aſſueta cadaverum pabulo volucres caſtra* (Caſſii & Bruti) *quaſi jam ſua circumvolabant.* Juſtinus lib. 2. *Tanta fœditas morientium fuit, ut via cadaveribus implerentur, aliteſque, &c. illecebris ſollicitatæ exercitum ſequerentur.* Adeo mira autem quæ hac in parte Horapollo ſcribit, ut apponi mereantur, Πολέμου μέλλοντος τελεῖσθαι, τὸν τόπον (ἡ γὺψ) ὁμίζει ἐν ᾧ μέλλει ὁ πόλεμος γίνεσθαι, πρὸ ἡμερῶν ἑπτὰ ἐπ' αὐτὸν παραγινομένη· & poſt, Σῴζομένης βλέπει, ταμιευομένη τὴν ἑαυτῆς ἐκ τῶν πτωμάτων τροφήν· παρ' ὃ καὶ οἱ ἀρχαῖοι βασιλεῖς κατασκόπους ἔπεμπον ἐπιστρεφόμενοι κατὰ ποῖον τῶ πολέμῳ αἱ γύπες βλέπουσι μέρος, ἐντεῦθεν σημειούμενοι τὺς ἡττωμένους. Σῶμα hoc in Luca quod πτῶμα Matthæo: ſic *corpus* pro *cadavere* apud Latinos. Vide ad lib. 2. Apuleji annotata.

CAP. XVIII.

VALLA.

1. QUoniam oportet ſemper orare, & non deficere] Ego ſic transferrem, *Oportere ſemper orare eos, & non fatigari*, ſive *non ſuccumbere malis*, πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι αὐτὺς, καὶ μὴ ἐκκακεῖν.

4. *Et nolebat per multum tempus*] Græce potius eſt, *Et noluit aliquandiu*, καὶ οὐ ἠθέλησεν ἐπὶ χρόνον.

11. *Non ſum ſicut cæteri homines, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus*] Inceperat loqui per *ſicut*, ergo & hic *ſicut* non *velut* dicendum erat, ſic, *aut etiam ſicut hic publicanus*: niſi ſint duæ dictiones, *vel* & *ut*, ἢ καὶ ὡς ὗτος ὁ τελώνης.

15. *Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret quod cum viderent diſcipuli, increpabant illos.*

16. *Jeſus autem convocans illos, dixit, Sinite pueros venire ad me, & nolite eos vetare*] Ne quis putaret de Apoſtolis dici, quod eos vocaſſet Jeſus, ego ſic unam mutaſſem dictionem, *Jeſus autem accitis pueris, dixit*, προσκαλεσάμενος αὐτὰ. Eſt enim & *infantes* & *pueri* generis neutri, τὰ βρέφη, τὰ παιδία· ut unam ipſe Interpres addit cum ait Luc. 24. 9. *Nunciaverunt hæc omnia illis undecim*, cum non legatur Græce *illa.*

17. *Quicunque non acceperit regnum Dei ſicut puer, non intrabit illud*] *Velut puer* dicendum erat, h. e. *velut puer eſſet*: nam *ſicut puer* intelligitur *ſicut puer accipit.* Atqui non pueri utique accipiunt Regnum, ſed qui tanquam pueri ſunt. Neque enim Dominus dixit *horum*, i. *pherorum*, *eſt regnum Dei*, ſed *talium*: de quo differere Græci ſolent, qui habent hæc duo nomina ſimillima, *horum τούτων*, & *talium τοιούτων.*

REVIUS in VALLAM.

16. UNdecim] Scriptum erat *duodecim*: quod auctoris μνημονικὸν ἁμάρτημα cum bona ejus pace mutavi ex textu.

ERASMUS.

1. QUomodo oportet] Πρὸς τὸ δεῖν *in hoc quod ſemper oportet orare.* Porro ἐκκακεῖν ſonat *ſegneſcere*, h. e. defatigari, quod hic vocat *deficere*: κακὺς enim Græci nonnunquam vocant *inertes* & *ignavos.*

4. *Per multum tempus*] Ἐπὶ χρόνον *ad tempus*, ſive *aliquandiu.*

5. Εἰς τέλος, quod vertit *in noviſſimo*, rectius verſiſſet *denique.* ¶ *Sugillet me*] Τυπτιάζῃ *vituperet, ac deroget.* Nam id ſignificat *ſugillare*, verbum à pugilibus ductum, qui ſuperne ſugillant, genis livore notatis; inferne ſupplantant, impulſo ad ruinam antagoniſta.

7. *Et patientiam habebit in illis*] Græca nonnihil diſcrepant, βοώντων πρὸς αὐτὸν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς, *clamantium ad ſe nocte & die, & lens animo ferens illos.* Sed alius codex habet, καὶ λέγω, μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν, *Etiam dico, longanimis ſuper illis faciet vindictam*: ut intelligamus omnino ulturum, licet ſerius. Quanquam ſecus legit Theophylactus, & rectius, ni fallor, propterea quod ſequitur ἐν τάχει *celeriter*, id quod pugnat cum illo μακροθυμῶν. Chryſoſtomus item in oratione De orando Deum legit μακροθυμεῖ, quod legiſſe videtur Interpres.

8. *Putas inveniet*] Non eſt Græcis εἆρα, ſed ἆρα *an*, ſive *num.*

9. *Tanquam juſti*] Ὅτι εἰσὶ δίκαιοι *quod eſſent juſti*: tametſi verti poterat ad ſententiam *tanquam eſſent juſti.* Senſit enim illos ſibi tribuiſſe juſtitiam, & hac opinione fretos cæteros deſpexiſſe.

11. *Cæteri hominum*] Græce dixit: nam *homines* dicendum erat Latine: cum Græci in his abutantur genitivo pro quovis alio caſu. ¶ *Velut etiam*] Ἢ καὶ ὡς ὗτος *aut etiam ut hic.* Laurentius videtur ſuſpicari ſcriptum fuiſſe, *vel* & *ut.* Cæterum quod de mutata conjunctione cavillatur, leviculum eſt, & ad elegantiam ſermonis artinens magis quam ad rem Theologicam.

13. *Nolebat nec oculos*] Fortaſſe torquebunt Dialecticos hæ duæ negationes uni additæ verbo. Proinde vertere poterat *nec oculos volebat ſuſtollere ad cælum*: atque ita citat Cyprianus in Expoſitione precationis Dominicæ.

14. *Juſtificatus in domum ſuam ab illo*] Nonnulli Græci cod. habebant Κατέβη ὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτῦ, ἢ γὰρ ἐκεῖνος, *deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam quam enim*, ſive *certe, ille*, h. e. magis certe quam ille. Sed in pleriſque non invenio γάρ. Proinde vertendum erat *potius quam ille*, ſive *præ illo.* Non quod neſciam ſic alicubi loqui Gellium, *friget ab illo*, pro eo quod eſt *friget comparatus ad illum*: ſed quod præferam id quod eſt uſitatius apud probos autores. Et ne quis exiſtimet interpretationem noſtram rejiciendam, D. Hieronymus Adverſus Pelagianos citat *juſtificatus plus quam ille.* Et Auguſtinus epiſt. 86. ad Caſſulanum ita ſcribit, *Non dixit damnatum Phariſæum, ſed magis juſtificatum dixit publicanum.*

16.

16. *Convocans illos*] Προσκαλεσάμενος *advocans*, ſeu potius *ad ſe vocatis illis*. Et ad *pueros* referendum eſt αὐτὰ, quod eſt neutri generis; quemadmodum *pueri*, παιδία, *accitis puellis*, *dixit*, haud dubium quin prohibentibus.

17. *Sicut puer*] Offendit Vallam, qui mavult *velut puer*, vel *tanquam puer*: ut intelligamus imitationem perſonæ, non acceptionis. *Qui non acceperit Regnum Dei factus puero ſimilis, non intrabit*; Hic eſt perſonæ imitatio. *Qui non acceperit ut puer accipit*; hic eſt actus imitatio.

19. *Quid me dicis bonum?*] Hoc nonnihil diſcrepat à Matthæo. Nam illic offenſus eſt quod interrogaſſet de bono quod eſſet facturus: audit enim juvenis, *Quid me interrogas de bono?* Marcus conſentit cum Luca. Quanquam utraque lectio tendit eodem, videlicet, Non convenire ut homo ſibi quicquam arroget boni. Chriſto quidem loquitur, ſed ut homini tantum. Atque ut homo nihil habuit boni quod ſibi poſſet arrogare, velut ex ipſo profectum.

25. *Per foramen acus tranſire*] Utrobique Græcis eſt εἰσελθεῖν, *intrare per foramen acus*, & *ingredi in regnum*: & tamen Interpres bene reddidit ſententiam.

31. *De Filio hominis*] Græcis non additur *de*, τῷ υἱῷ τῦ ἀνθρώπυ *Filiohominis*.

41. *Ut videam*, & 42. *Reſpice*] Idem verbum eſt Græcis, Ἵνα ἀναβλέψω. Ἀνάβλεψον· quod ſignificat *recipere viſum*. Id mirum cur mox mutarit Interpres.

VATABLUS.

1. QUoniam] *Ad hoc quod*: vel, *huc ſpectante quod*. ¶ *Deficere*] *Segneſcere*: *defatigari*.

3. *De adverſario*] Adverſarium in lite intelligit.

4. *Permultum tempus*] *Ad tempus*: vel, *aliquandiu*.

5. *In noviſſimo*] *In fine*: *tandem*. ¶ *Sugillet*] *Vituperet*.

7. *Patientiam habebit in illis?*] In longum differat iram in illos? vel, *quamvis in longum diſtulerit iram ſuam in illos?* Gr. *& patiens erit in illis?* i. etiamſi diu differat vindictam illorum?

8. *Cito*] *Brevi temporis ſpatio*. ¶ *Veniens putas*] *Cum venerit*, *an*.

9. *Tanquam*] *Quod eſſent*.

11. *Velut etiam*] *Aut etiamnt*.

12. *Sabbatho*] i. Hebdomada: quæ etiam Lev. 25. *ſabbathum* dicitur.

13. *Et*] Pro *At*, Heb.

14. *Ab illo*] *Magis certe quam ille*: vel, *præ illo*: aut, *& non ille*.

16. *Convocans*] *Cum advocaſſet*. ¶ *Pueros*] *Puellos*. Et infra.

17. *Sicut puer*] Vide Marc. 10. 15.

18. *Poſſidebo*] *Jure hæreditario poſſidebo*.

19. *Solus*] *Unus*. Hebr.

20. *Non occides*] *Ne occidas*. Sic cætera debent reddi. ¶ *Matrem**] * *Tuam*.

22. *Da*] *Diſtribue*.

26. *Audiebant, & quis*] *Audiverunt, Quis igitur*.

27. *Ait illis*] *Ille autem dixit*.

29. *Qui*] *Ille autem*.

30. *Et non*] *Qui non*. ¶ *Futuro*] *Venturo*, Vet.

31. *De Filio hominis*] Vel, *Filio hominis*, in dativo.

32. *Flagellabitur*] *Contumeliis afficietur*.

34. *Et ipſi*] *Et* pro *At*, Hebr. ¶ *Et erat*] *Erat enim*, Hebr.

36. *Audiret*] *Audiſſet*.

37. *Dixerunt*] *Renunciaverunt*.

38. *Clamabat**] * *Dicens*. Sic quædam exempl. Græca.

41. *Videam*] *Viſum recipiam*.

42. *Reſpice*] *Viſum recipe*.

43. *Vidit*] *Viſum recepit*. ¶ *Magnificans*] *Glorificans*: vel, *gloria extollens*. ¶ *Dedit laudem Deo*] Vel, *laudavit Deum*.

CASTALIO.

5. NE me aſſidue ventitans obtundat] Εἰς τέλος eſt πάνυ. Τυπτιάζειν eſt *ſugillare*: ſed non ad famam & ignominiam refertur, (cum ille homines non revereretur, ideoque nullam famæ rationem haberet: id quod verbo ὑπῶπιάζειν ſignificatur) ſed ad illud, *Ne mihi negotium faceſſat: ne aſſiduitate & improbitate ſua me quaſi feriens obtundat*.

7. *Et tam erit in eos difficilis*] Μακροθυμῶν legitur: μακροθυμεῖ legit Chryſoſtomus: μακροθυμήσει legiſſe videtur interpres V. qui vertit *patientiam habebit*. Atque hæc lectio magis convenit verbo πούησει, ut conjunctio καὶ futurum verbum cum futuro conjungat. Quanquam utrum legas manet eadem ſententia. Eſt autem μακροθυμεῖν *patientem & tolerantem eſſe*: ut ſit hæc ſententia, Eritne tam patiens Deus, tam durus & inexorabilis, ut ſe potius ſuorum precibus obtundi patiatur quam eos cito ulciſcatur?

30. *Sæpe conduplicata*] Πολλαπλασίονα *multecupla*, ut ita dicam. Itaque ſi interpretere *multo plura*, non ſatis verbi vim exprimes. Qui enim pro centum conſequitur centum ſeptuaginta, is multo plura conſequitur, nec tamen πολλαπλασίονα. Itaque dixit Matthæus ἑκατονταπλασίονα.

CLARIUS.

8. VEruntamen Filius hominis veniens] Dixerat orandum, & expectandam à Domino certiſſimam à malis liberationem: ſed paucos futuros indicat qui perſiſtant, ob puſillitatem fidei.

34. *Nihil horum intellexerunt*] Quid eſſet videlicet *tradi Gentibus & die tertio reſurgere*.

ZEGERUS.

1. DIcebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet ſemper orare, &c. *Judex quidam*] Nunc de Oratione parabolam proponit, ut doceat in periculis & adverſitatibus, de quibus capitulo præcedenti meminerat, tutiſſimum eſſe confugium continuis inſiſtere precationibus.

5. *Ne in noviſſimo veniens ſugillet*] h. e. Ut interpretatur Auguſtinus l. 2. Quæſt. Euang. c. 45. *ne ſibi ab illa tadium fieret*: vel, *ne in fine veniens detrahat mihi*: id enim ſignat, Ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ. Quanquam ὑπωπιάζειν non ſolum *detrahere* ſed etiam *vituperare* & *derogare* hoc loco ſignificare poteſt. Et *ſugillare* eſt *detrahere*, *deridere*, *accuſare* & *reprehendere*.

8. *Veruntamen Filius hominis veniens*] Si ad contextus ſericm reſpicimus, quæ immediate præcedunt ad noviſſima tempora referenda ſunt, atque ita apte reſpondebit quod hic dicitur, *Veruntamen Filius*, &c.

14. *Amen dico vobis, Deſcendit*] *Amen* non lego niſi in paucis, eiſque parum fidelibus. ¶ *Juſtificatus in domum ſuam ab illo*] *Ab illo* poſitum eſt pro *præ illo*, ſive *magis quam ille*. Eſt enim Græce ἢ ἐκεῖνος.

17. *Sicut puer*] i. Effectus puero ſimilis. Locum hunc explicuimus in Marc. 10.

19. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus*] Non hoc dicit tanquam non agnoſcens Boni cognomen quatenus Deus erat, ſed divitem redarguens qui bonitatem ei tribuerit quem purum hominem credidit, cum *Boni* vocabulum prorſus in neminem competat niſi in ſolum Deum, qui propria eſſentia bonus eſt.

30. *Recipiat multo plura in hoc tempore*] Quæ hic recipimus, ſpiritualia intelligenda ſunt chariſmata gratiarum.

H. STEPHANUS.

1. ΜΗ ἐκκακεῖν] *Non defatigari*.

2. Μὴ ἐντρεπόμενος] *Qui non reverebatur*.

3. Ἐκδίκησόν με ἀπὸ τῦ ἀντιδίκυ μυ] *Jus meum vindica ab adverſario meo*.

4. Ἐπὶ χρόνον] *Per aliquod tempus*: vel, *Per multum tempus*.

5. Κόπον] *Moleſtiam*. ¶ Τυπτιάζῃ με] *Obtundat me*.

8. Πλὴν] *Verum*.

9. Ἐξουθενοῦντας] *Nihili facientes*.

13. Ἱλάσθητί μοι] *Placare*: vel, *Propitius eſto*.

14. Ἢ ἐκεῖνος] Potius *quam ille*.

24. Πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες] *O quam difficile ſi qui pecunias habent*.

32. Ἐμπαιχθήσεται, καὶ ὑβρισθήσεται, καὶ ἐμπτυσθήσεται] *Illudetur & contumeliis afficietur, & conſpuetur*.

41. Ἵνα ἀναβλέψω] *Ut viſum recipiam*.

DRUSIUS.

5. IN noviſſimo veniens] Emendant *ad extremum*, ἐς ἔσχατον· non laudo. Μὴ εἰς τέλος videtur hic potius denotare, *ne tandem veniens*. Sed expende. Nam placet magis, *ne ſemper veniens*. Prius enim illum obtuderat & ſu-

Digitized by Google

sigillaverat. Syrus כל עדן *omni tempore*, i. semper, perpetuo, assidue: bona interpretatio. Nam in fonte *εἰς τέλος*, quod Hebraei dicunt נצח, & est idem cum *εἰς τὸν αἰῶνα in seculum*. Unum exemplum adducam pro multis, Psal. 103. 9. *οὐκ εἰς τέλος ὀργισθήσεται*, i. *in perpetuum*. Vide quoque Psal. 9. 7. ubi Chaldæus *in secula*, LXX *εἰς τέλος*, Lat. vulg. *in finem*. Lex. vetus, *Εἰς τέλος usque finem*. Apud Nazianzenum *εἰς τέλος κρίπτειν*, i. *perpetuo*. Dicitur & *διὰ τέλους*. Hesychius, *Διὰ τέλους, διαπαντός*. Similiter סלה vocem Theodotio interpretatur *εἰς τέλος*, Sym. *εἰς τὸν αἰῶνα*. A. vero *ἀεὶ semper*. Quæ omnia docent *εἰς τέλος perpetuo* significare & *omni tempore*.

12. *Jejuno bis in sabbatho*] i. In hebdomade vel septimana. Jejunabant autem die secundo & quinto, qui dies accepti sunt. Nam quinto conscendit Moses montem Sinai, & secundo descendit ex eo. *Ideo*, inquit R. Jada compositor libri Musar, *soliti sumus jejunare illis diebus*. Hoc ait c. 4. fol. 47. p. 1. Etiam Legem legebant in synagogis. Salmanticensis, *Tempore Mosis Propheta qui tunc vivebant ordinarunt ut legerent in libro Legis secundo & quarto & in die sabbathi*, Juch. fol. 10. Legem legebant primum Sacerdos, deinde Levita, postremo Israel: nam tres erant qui eam legebant. Vide lib. Musar in loco superius citato. Autor libri qui vocatur *Principium sapientiæ*, 14. 1. *Decreverunt jejunandum esse die secundo & quinto. Et secundo quidem ob destructam Ædem, combustam Legem, & probrum* DOMINI. Ecce aliæ causæ illius jejunii. Videndus liber Jejunii, quem alibi produximus. Jejunabant etiam die quarto; Elias Thesbite in rad. רבב. Mercerus Genes. 1. 15. Et tertio; lib. Musar, 26. 2. *Quater jejunant in hebdomade, die secundo, tertio, quarto, & quinto: die secundo, propter nautas & eos qui mare trajiciunt; tertio, propter eos qui iter faciunt per deserta; quarto, propter eos qui angina laborant, quæ ipsis* אסטרית *dicitur; quinto, propter gravidas & lactantes. Sed primo die, qui Dominicus vocatur, non jejunant, quia festum est Christianorum.* Suspicor hæc ultima jejunia non fuisse ordinaria, ut illa duo quæ die secundo & quinto instituta fuerunt antiquitus.

13. *Nolebat nec oculos ad cœlum levare*] Nota hic duas negationes quæ negant non affirmant. Sic Plautus Epidico, *Ne ille haud objiciet:* & Bacchidibus, *Neque ego haud committam.* Forte *nec oculos* dixit pro *ne oculos quidem.*

14. *Justificatus ab illo*] Malim, *præ illo*, aut *ejus comparatione*. In fonte ἢ ἐκεῖνος, & μᾶλλον subintelligitur, i. *magis*, aut *potius*, *quam ille*. Simile apud Homerum,

Βέλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.

i. potius quam perire, *μᾶλλον ἢ ἀπολέσθαι*. Plautus Menæchmis, *Quin vidua vivam quam tuos mores perferam*, i. potius quam. Ellipsis Græcanica, imo etiam Hebraica. Sane mire sonat adverbium *ab illo:* quod Latine diceretur *quam ille*. Terentius, *Si quisquam est qui placere se studeat bonis* (potius) *quam plurimis*. Rursum Plautus Casina, *Ut quid vir velit facias quam adverseris contra*. Sic alibi, *Certum est moriri quam hunc pati lenonem in me grassari*. Alicubi Gellius, *Friget ab illo*, pro eo quod est *comparatus ad illum*.

19. *Nisi solus Deus*] Ad verb. *nisi unus Deus*. Quod quidam ita interpungunt, *nisi unus*, nempe *Deus*. Sed *unus* pro *solus* poni videtur etiam Cohel. 4. 10. *Vebuni*. Sane vetus interp. edidit, *væ soli*. Deus quoque *Unus*, i. אחד, nominatur, quoniam unus in mundo cuncta comprehendens, aut quod sit sui perpetuo similis & semper idem. Vide Thanhuma, 65. 2. Quo accommodant, *Erit Deus unus, & nomen ejus unum*, quod legunt vertentes, *& nomen ejus Unus*, אחד. Dicunt etiam, *Nomen ejus ut nomina nostra. Nam ipse vocatur Unus, & Israel dicitur quoque gens una*. Apud Macrobium, *Ada, Deus*, lego *Hada* אחד, i. unus. Chaldæum & Syrum est. Vide Aboth 54. in commentario.

43. *Laudem, αἶνον*] *Hoc vocabulum*, inquit Beza, *in oratione soluta insuetum est*. Atqui Seniores eo usi sunt Ezræ 3. 11. *ἐν αἴνῳ*, & Neh. 11. 17. ubi תודה legerunt pro תורה quod *principium* sonat. Sed & Philo senior utitur, si modo is autor libri illius, Sap. 18. 9. & Sirachides Eccl. 15. 9. 10. Lex. vetus, *Αἶνος, ὁ ἔπαινος, collaudatio, laus*. Legitur etiam Matth. 21. 16. & Psl. 8. 2. & alibi.

CAMERO.

11. Σταθεὶς πρὸς ἑαυτόν] Doctiss. Interpres vertit *seorsum*. Recte. Etenim hæc verba πρὸς ἑαυτόν, ut ille observavit, non sunt, ut est apud Vulg. interpretem, referenda

sequentia, ut sit sensus *apud se precabatur*, sed cohæsit cum participio *stans*; quomodo etiam locum illum vertit interpres Syrus, *stans inter se & animam suam:* quæ locutio perperam versa est à Boderiano: refert enim illa verba ad sequentia, cum non cohæreant, sed disjungantur: sequitur enim apud Syrum interpretem, *& hæc precabatur*. Quid igitur est πρὸς ἑαυτόν; Certe id ipsum quod Hebraice לבדו nam LXX eam particulam sic exponunt καθ' ἑαυτόν Zach. 12. 12. Atque id ipsum convenit *Pharisæorum* nomini: פרישא enim est *qui segregatus est*, quod illi etiam in vita factitare soliti sunt. Sic ubi Jer. 15. 17. Propheta conqueritur coactum se esse *seorsum sedere*, ישבת בדד in Targum est יתבת פריש, q. d. *Pharisæus*, h. e. *separatus, sedi*. Verebantur nempe Pharisæi ne ex Gentilium & profanorum hominum contactu impuritatem contraherent: quam ob causam nisi necessitate aliqua coacti nullam cum Ethnicis, cum profanis & impiis hominibus (quos illi *Peccatores* vocabant) consuetudinem habebant. Itaque Christus hic induxit Pharisæum precantem, sed σταθέντα πρὸς ἑαυτόν, h. e. *seorsum stantem*; Publicanum autem contra ἐκεῖνα μακρόθεν *longe stantem:* quod quidem referri potest ad verecundiam illius Publicani, qui sanctum illum, scilicet Pharisæum, non audebat propius accedere: sed & alio potest referri, nempe ad locum. Erant enim omnino, ut notat Josephus lib. 2. Adversus Appionem, in Templo quatuor septa: Ad primum patebat aditus quibusvis, etiam Ethnicis; ad secundum viris & fœminis promiscue; ad tertium viris tantum; ad quartum Sacerdotibus; ad adyta vero soli Principi Sacerdotum. Itaque fortasse steterit hic Publicanus in primo illo septo.

JAC. CAPPELLUS.

11. PHarisæus *stans solus*] Vel *seorsim*. Id enim omnino significat hic πρὸς ἑαυτόν, Hebræorum more, quibus לבדו *solum* significat, cum tamen commode reddi possit πρὸς ἑαυτόν. Adeoque cum Exodi 26. 9. & 36. 16. vox Hebraica perspicue significet *seorsim*, LXX reddiderunt ἐπὶ τὸ αὐτό. Et Zach. 12. 12, 13. cum vox לבד decies repetatur, toties à LXX redditur καθ' ἑαυτόν, h. e. *seorsim*. Hanc interpretationem ut amplecterer auctor mihi fuit Joh. Camero in Prælectionibus suis longe doctissimis. Cæterum eo loci quod Pharisæus justitiam suam Deo acceptam refert, id facit ἀφορισμὸς ἴδιος *dicis causa*; quod vero justitiam suam ostentat, & eo nomine supra reliquos mortales sese tumidus effert, id sane facit non perfunctorie, sed toto suæ mentis impetu: quæ causa fuit cur ipsius justitia non fuerit ipsi justitiæ deputata, sed propter peccata sua, quæ, non secus ac si nulla forent, non confitebatur, meritissimo jure damnatus fuit.

GROTIUS.

1. ΠΡὸς τὸ δεῖν, *Quoniam oportet*] Eo pertinentem quod semper preces faciendæ sunt. ¶ Ἐκκακεῖν, *deficere*] Ita Paulus Ephes. III. 13. μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσι [*non deficere in tribulationibus*]. II Thessal. III. 13. μὴ ἐκκακήσητε καλοποιοῦντες [*nolite deficere benefacientes*] Galat. VI. 9. τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐκκακῶμεν [*bonum facientes non deficiamus*]. Sensus est, non esse fatiscendum in precibus, sed orandum, ut Paulus mortet I Thess. V. 17. ἀδιαλείπτως, *indesinenter*. Sic & Proclus ad Timæum, Χρὴ ἀδιαλείπτως ἐυχεσθαι τῆς περὶ τὸν Θεῖον θρησκείας [*ad Dei cultum pertinet perpetuo orare*], in quem sensum & veteri utitur versu,

Δυσὶν ὀνοις βροτῷ πραπτοὶ Μάκαιρες τελέσσαι,

[*Adsunt tardanti veloci Numina cursu.*]

2. Τὸν Θεὸν μὴ Φοβούμενος, *qui Deum non timebat*] Cujus generis hæc sit comparatio diximus ad locum similem in cap. XVI. ¶ Ἀνθρωπον μὴ ἐντρεπόμενος, *& hominem non reverebatur*] Nec hominis cujusquam reverentia ducebatur: nam de Deo præcessit. Plane ut Cyclops Homericus,

Οὐδ' ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος τεφιδοίμην
Οὔτε σεῦ, οὔτ' ἑτάρων, εἰ μή θυμός με κελεύοι.

[*Non odium devito Jovis, nec cætera parcam,*
Vel tibi vel sociis, si non mutavero mentem.]

3. Χήρα, *Vidua*] Deserta, contemta, & quam crudelis ille flocci non faciebat. ¶ Ἤρχετο, *veniebat*] *Veniebat*. Nam Græci frequentativa non habent. ¶ Ἐκδίκησόν με ἀπὸ τοῦ ἀντιδίκου μου. *Vindica me de adversario meo*] Ἐκδικεῖν [*vindicare*] aut ut infra & Actor. VII. 24. ποιεῖν ἐκδίκησιν [*vindictam facere*], sunt Latinum *vindicare*, alias est

ultionem ſumere, alias *quovis modo arcere injuriam*: qui ſenſus huic loco convenit. Cicero vindicationem definit *per quam vim aut contumeliam defendendo aut ulciſcendo propulſamus.*

4. Ἐπὶ χρόνον· *per tempus*] Locutio Lucæ familiaris, quæ per ſe neque magnum neque parvum ſed aliquod tempus ſignificat. Actor. XV. 33. ποιήσαντες δὲ χρόνον [*demorabantur*], & XIX. 22. ἐπέσχε χρόνον ἐν τῇ Ἀσίᾳ [*remanſit ad tempus in Aſia*], idque ſenſus loci magis mihi videtur poſtulare, ut intelligamus non nimium diu potuiſſe ab eo judice perferri quotidianas interpellationes.

5. Εἰς τέλος, *in noviſſimo*] Noli accedere vertentibus *tandem*. Eſt enim, ut vir doctiſſimus productis locis aliquot demonſtravit, Helleniſtica locutio ex Hebræo נצח quod ſignificat *perpetuo*, ut Pſalm. IX. 19. XIII. 1. XLIX. 20. & LXXIX. 5. CIII. 9. in quibus locis etiam Lxx habent εἰς τέλος [*perpetuo*]. Adde Pauli locum I ad Theſſal. II. 16. ἔφθασε δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος [*pervenit ira ſuper illos in finem*]. Nec aliter accipiendum illud Johannis εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς [*ad finem dilexit illos*]. Bene ergo vertit Syrus *omni tempore*, quem & Arabs ſequitur. ¶ Τυπτιάζῃ με. *fugillet me*] Non dubito quin ſit Latiniſmus, quales multi apud Lucam; nam ὑπωπιάζειν ad verbum eſt *obtundere*: at *obtundere* Latinis eſt *ad faſtidium aliquid repetere*. Terentius, *Obtundis, tametſi intelligo*. Cicero, *Si meminiſtis, obtundam*. Bene ergo ſenſum Syrus expreſſit, *Molella ſit mihi*. Et Arabs, *Vexet me*. *Jus*, inquit, *illi reddam ne nunquam deſinat mihi moleſta eſſe aſſiduis flagitationibus.*

7. Τῶν ἐκλεκτῶν αὐτῦ, *electorum ſuorum*] Omnia verba ἔμφασιν [*altiorem intellectum*] habent. Deus ille juſtus, ille miſericors, an non arcebit injuriam, non ab iis quos contemnit, ſed quos diligit, non ab iis qui moleſtiam ipſi exhibent, ſed quorum preces magni æſtimat. De voce ἐκλεκτῶν [*electorum*] ſatis alibi. ¶ Καὶ μακροθυμεῖ ἐπ' αὐτοῖς. *& patientiam habebit in illis*] Ita habet vetuſtiſſimus ille in Anglia manuſcriptus, ita legit Chryſoſtomus, ita Latinus Interpres, ita Syrus & Arabs: quare hanc lectionem retinendam puto, eoque magis quia qui aliter habent codices, non habent eodem modo; alii καὶ [*&*] omittunt, alii ejus loco ναὶ [*certe*] reponunt, ut appareat varie interpolatum locum ab iis qui loquendi iſtud genus non ſatis capiebant. Quidam putarunt μακροθυμεῖν ἐπί τινι [*patientiam habere in aliquo*] hic eſſe *miſericordia alicujus moveri*: quem ſenſum ſi non directe, certe ex conſequentia habet ea vox, ubi de exigendis debitis aut re ſimili agitur, ut Matth. XVIII. 26. 29. idque ipſum hic ſecutus eſt Arabs; vertit enim يعافنت عليم id eſt, ἐλεήσει αὐτὸν [*miſerebitur ejus*], repetita ſcilicet tacite negativa interrogatione. Sed non poteſt vox μακροθυμεῖν [*patientiam habere*] ita hic accipi, ubi de arcendis ab aliquo injuriis agitur. Eſt enim in iſta voce dilationis ſignificatio, quæ ut debitori prodeſt, ita gravis eſt ei qui vim patitur. Quare præferenda eſt Syri & Latini interpretatio qui negationem non repetunt. Syrus habet ולא עלוהי תוחי, id eſt, *protrahet ſpiritum ſuum erga illos?* Latinus, *& patientiam habebit in illis?* id eſt, *in eorum cauſa lentus erit?* Dubitationem omnem eximit Sirachides, qui in re eadem idem loquendi genus uſurpat, haud dubie ex vetere proverbio ad quod alluſit Chriſtus: προσευχὴ ταπεινῆ νεφέλας διῆλθε, καὶ ἕως συνεγγίσῃ οὐ μὴ παρακληθῇ, καὶ οὐ μὴ ἀποσχῇ ἕως ἂν ἐπισκέψηται ὁ ὕψιστος κρίνει δικαίως καὶ ποιήσει κρίσιν, καὶ ὁ Κύριος οὐ μὴ βραδύνῃ, οὐδὲ μὴ μακροθυμήσῃ ἐπ' αὐτοῖς ὁ κραταιὸς [*Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur, & non diſcedet donec Altiſſimus aſpiciat. & Dominus non elongabit, ſed judicabit juſtos, & faciet judicium, & fortiſſimus non habebit in illis patientiam*]. Idem hic dicitur, ſed præſentis temporis verbum poſitum eſt pro futuro. Declarant idem quæ ſequuntur verba, ποιήσει ἐκδίκησιν αὐτῶν ἐν τάχει [*cito faciet vindictam illorum*], cito eos liberabit, quod opponitur τῷ μακροθυμεῖν [*patientiam habere*]. Neque diſcedere ab hac perſpicua admodum interpretatione nos cogit, quod Deus interdum ad tempus amicos ſuos patitur improborum injuriis vexari; nam illud ipſum tempus, quamvis longum interdum ferentibus videatur, re vera exiguum eſt, imo momentaneum, unde τὸ παραυτίκα τῆς θλίψεως [*momentaneum tribulationis*], dixit Paulus II Corinth. IV. 17. adde quod ipſa illa dilatio cauſas habet ipſis ferentibus ſalutares, quæ nonnunquam ſæpe non conſpicuas. Multum autem valet ad excitandam precum aſſiduitatem, ſi confidamus non tantum liberandos nos, ſed & cito liberandos, etiamſi aliquantulum liberatio differatur. Ita Abacuc II. 3. *Si moram fecerit, expecta eum: quia veniendo veniet & non tardabit.* Ipſe Chriſtus in Apocalypſi, ναὶ ἔρχομαι ταχύ [*etiam venio cito*] XXII. 20.

8. Ἐλθὼν, *veniens*] Cum veniet Filius hominis ad ſuos liberandos, quod non tantum faciet tempore judicii univerſalis, ſed etiam in hoc ſæculo ſæpiſſime facit. Ita *venire* ſumitur, dicto Abacuci loco. ¶ Ἆρα εὑρήσει πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς; *putas inveniet fidem in terra?*] Sic & apud Abacucum conſtans illa exſpectatio liberationis tribuitur fidei. ſequitur enim, *Juſtus ſua fide vivet*: & in Apocalypſi recte junguntur ὑπομονὴ καὶ πίστις τῶν ἁγίων [*patientia & fides Sanctorum*] XIII. 10. Hæc fides eſt quæ preces commendat: αἰτείτω δὲ ἐν πίστει [*petat autem in fide*] inquit Jacobus I. 6. Conqueritur Chriſtus multos non perſeverare in patienti fiducia, ac proinde in precibus uſque dum tempus liberationis, quod non longe abeſt, adventet. Huc & illud pertinet, quod alibi dicit, Ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος οὗτος σωθήσεται [*Qui ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit*]. *Fides & nativitas ſalutaris*, teſte Cypriano, *non accepta ſed cuſtodita vivificat.* Hoc opus, hic labor eſt. Non deerunt etiam poſt Chriſtum corruptiſſima ſæcula, qualia olim ſæculum diluvii, ſæculum Tharæ, ſæculum Amrami, ſæculum Antiochi. Vide inter alia II Timoth. IV. 3, 4.

9. Πρός τινας, *ad quoſdam*] Prudenter Lucas monitis de conſtante fiducia annectit monitum de ſubmiſſa animi modeſtia, quæ cum in omni vita uſum habet, tum præcipue in precibus. Dixit autem hæc Chriſtus, cum quoſdam, Phariſaicæ videlicet ſectæ, præſentes conſpicaretur, quorum ferocem animum introſpectabat. ¶ Τοὺς πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς, *qui in ſe confidebant*] בטחים על נפשיהם [*confidentes in animis ſuis*]. Simile loquendi genus II Corinth. I. 9. ἵνα μὴ πεποιθότες ὦμεν ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀλλ' ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ ἐγείροντι τοὺς νεκρούς [*ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos*], quanquam in ſenſu alio: nam ibi de fiducia ea agitur quæ in cauſis naturalibus collocari ſolet, hic de ea fiducia quam multi plus æquo ſibi placentes in virtutibus ſæpe falſo creditis ponunt, eaque re impediuntur ne demiſſo animo ad Divinam miſericordiam confugiant. ¶ Ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, *tanquam juſti*] Id eſt, *quaſi juſti eſſent*, aut *eo quod juſti ſint*, ſua ſcilicet exiſtimatione: utramque enim interpretationem verba recipiunt & ſenſus in idem recidit. Chilo interrogatus *quid eſſet difficillimum*, reſpondit *ſemet noſſe*: πολλὰ γὰρ ὑπὸ φιλαυτίας ἔχειν ἑαυτῷ προσβάλλει [*multa enim ob nimium ſui amorem unumquemque ſibi attribuere*]. Fieri non poteſt, quin ſui amore corruptus animus & bona ſua ſupra verum æſtimet & mala vero minora arbitretur; & contra quæ in aliis ſunt mala vero majora, quæ bona infra verum. Nam ut humore aliquo ſuffuſus oculus omnia videt non ut ſunt, ſed pro humoris illius qualitate, ita qui ſe amat ſibi fingit ſomnia, reſque omnes non ex vero ſed ex ſua cupiditate judicat. Quare cum medium ἐν στιγμῇ [*in puncto*] tenere difficile ſit, ſicut ii quorum calcei dextrorſum vergunt, eos ſolent multum premendo ſiniſtrorſum reflectere, ita & nos æquum eſt conniti in eam partem à qua ſponte noſtra alieniores ſumus: Nam in hanc partem non tutius tantum ſed & laudabiliter erratur. Bene Chryſoſtomus, Εἰ βούλει μεγάλα σου τοῦσθαι τὰ κατορθώματα, μὴ νόμιζε αὐτὰ εἶναι μεγάλα, ἀλλὰ χάριτι ὁμολόγει σώζεσθαι, ἵνα ὀφειλέτην ἑαυτῷ τὸν Θεὸν κατασήσῃς, οὐχὶ τῶν κατορθωμάτων μόνον, ἀλλὰ καὶ ταύτης τῆς ἐυγνωμοσύνης [*Si quando bona tua opera vis extollere, ne quaſo magna ea eſſe opinare; ſed te gratia ſalvari fatere: quo debitorem tibi Deum reddas, non ejus tantum, ſi quid facis boni, verum hujus quoque modeſtiæ*]. Macarius, Καίτερ ὢν ἐκλεκτὸς τοῦ Θεοῦ παρ' ἑαυτῷ ἀποδεδοκιμασμένος ἔσῃ, καὶ ὢν τις ὡς ἀνάξιον ἑαυτὸν ἡγείσθω· τοιοῦτοι γὰρ ψυχαὶ εὐαρεστοῦσι Θεῷ [*Etiam qui electus Dei eſt, improbet ipſe ſe, & pro reprobo putet, & fidelis qui eſt, indignum tamen ſe exiſtimet. Hujusmodi enim animæ Deo acceptæ ſunt*]. ¶ Καὶ ἐξουθενοῦντας τοὺς ἄλλους, *& aſpernabantur cæteros*] Conſequens enim eſt ut aliena deprimat qui ſua miratur. Diximus de hac re ad Matth. VII.

10. Εἰς τὸ ἱερόν, *in templum*] Quod is locus ad preces fundendas acceptiſſimus Deo crederetur, I Reg. VIII. 38. Matth. XXI. 13.

11. Σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν, *ſtans apud ſe*] Non puto hic ſignificari ſeorſim illum à publicano, quaſi impuro, conſtetiſſe. Nam mos id ferebat ut publicani in atrio Gentilium, Phariſæi in atrio Iſraelitarum ſtarent, nec quicquam in eo erat inſolitum aut Phariſæo imputandum. Stetiſſe ergo ſecum dicitur, ut intelligamus eo qui ſequitur ſermone

mone intima ejus sensa explicari, ut qui habitus sit nemine conscio. Vide Marc. IX. 10, 33. X. 26. XIV. 4. XVI. 3. adde 1. Corinth. XI. 13. ubi ἐν ὑμῖν [*in vobis*] idem est quod illis in locis πρὸς ἑαυτὸς [*apud semetipsos*]. ¶ Προσηύχετο, *orabat*] Atqui is qui sequitur sermo ex eorum est genere quos Hebræi תהלות [*laudationes*], Græci δοξολογίας [*orationes laudatorias*] vocant. Sciendum igitur προσευχῶν [*precum*] nomine generalius accepto comprehendi *omne id quo Deum compellamus.* ¶ Εὐχαριστῶ σοι, *gratias ago tibi*] Pharisæi non excludebant Divinam opem, ut ex Josepho apertissimum est, & nos alibi meminimus. Sed etiam qui nomen hoc usurpant ingrati sæpe sunt, cum aut primas sibi in honestis actionibus, Deo secundas tribuant, aut ita agnoscant beneficia communia, ut ad eam peculiarem misericordiam qua peccata ipsorum indigent supplices non confugiant. Bene Chrysostomus adversus Judæos II. Ὥστερ τοῖς δικαίοις ἔθος μετὰ τὰ δικαιώματα μετριάζειν, ἅτω τοῖς πονηροῖς μετὰ τὰ ἁμαρτήματα ἐπαίρεσθαι [*Ut pii quum omnia ex officio egerint, modeste tamen de se & sentire solent & loqui: ita improbis, cum peccarint familiare est, ultro etiam sese efferre*]. Paulinus in Epistola ad Augustinum de hoc Pharisæo: *Non orans ut exaudiretur, sed exigens quasi debitum meriti, pro operibus bonis quidem, sed ingratis Deo, quia quod justitia ædificaverat, superbia destruebat.* ¶ Ὥστερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, *sicut cæteri hominum*] Bis peccat, primum quod in magna laude ponit non esse in sceleratissimorum numero, deinde quod de hominibus cæteris, quorum maximam partem non novit, tam proterve judicat. ¶ Οὗτος ὁ τελώνης. *hic Publicanus*] Quem, si quid in ipso fuisset dilectionis, credere debuit resipiscendi proposito ad templum accedere, quod ipse gestus indicabat. Quod si talem credens nihilominus ei insultavit ob vitam priorem, id vero aliquanto etiam erat atrocius.

12. Νηστεύω δὶς τῶ σαββάτῳ, *Jejuno bis in sabbato*] Non improbat Christus hanc σωματικὴν [*corporalem exercitationem*], quanquam non ex Legis præscripto, sed ex voluntaria susceptione venientem. Dies autem illi νηστείας αὐθαιρέτου [*jejunii sponte suscepti*] erant, ut recte Epiphanius & Theophylactus explicant, dies secundus & quintus, consentientibus Hebræorum libris. Quo & illud referendum quod est in Constitutionibus Clementis: Αἱ δὲ νηστεῖαι ὑμῶν μὴ ἔστωσαν μετὰ τῶν ὑποκριτῶν· νηστεύουσι γὰρ δευτέρᾳ σαββάτων καὶ πέμπτῃ [*Jejunia vestra ne sint qualia sunt hypocritarum, secunda enim & quinta feria jejunant*]. Christiani veteres, ne qua in parte Judæis concederent, ex quo facta erat per totum orbem à Judæis secessio, in horum dierum locum surrogarunt diem hebdomadis quartum & sextum, quos pagani vocabant Mercurii & Veneris. Ignatius ad Philippenses, Μὴ παροράτε τετράδα καὶ παρασκευὴν, νηστεύοντες, πέμψαν ἐπιχορηγοῦντες τὴν περασείαν [*Quartam feriam, item sextam ne negligite; ac facite, ut jejunetis eo tempore, ac pauperibus de eo quod vobis superest benigne largiamini*]. Clemens, περὶ τῦ ἀληθῶς γνωστικοῦ [*de vere sapiente*] loquens, Οἶδεν αὐτὸς καὶ τῆς νηστείας τὰ αἰνίγματα, τῶν ἡμερῶν τούτων, τῆς τετράδος καὶ τῆς παρασκευῆς λέγω· ἐπιφημίζονται γὰρ ἡ μὲν Ἑρμῆ, ἡ δὲ Ἀφροδίτης [*Novit & jejunii anigmata, quod his diebus, quarto inquam, & preparationis die, celebramus. Illum enim Mercurii diem, hunc Veneris vocant*]. Quod ita explicat, Αὐτίκα νηστεύει κατὰ τὸν βίον φιλαργυρίας τε ὁμοῦ καὶ φιληδονίας, ἐξ ὧν αἱ πᾶσαι ἐμφύονται κακίαι [*Ergo abhinc ita vitam degit, ut ab avaritia atque item à voluptatum illecebris abstineat, è quibus omnia mala oriuntur*]. Tertullianus, *Stationibus quartam & sextam Sabbati dicimus.* Quam late is mos patuerit testatur Epiphanius contra Aëtium disputans: Τίνι δὲ ἡ συμπεφώνηται ἐν πᾶσι κλίμασι τῆς οἰκουμένης, ὅτι τετρὰς καὶ προσάββατον νηστεία ἐστὶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀφωρισμένη; [*Quis autem est usquam gentium, qui non concedat statum esse jejunium Ecclesiæ quarto & eo qui Sabbatum antecedit die?*] Idem testantur Ambrosius, Socrates, Augustinus, Hieronymus. Ista *corporalis exercitatio* nunquam à Christo damnatur, neque à nobis improbanda est, si recto fine usurpetur æstimeturque suis ponderibus, id est, infra opera dilectionis. At Pharisæi toti occupati in ritibus negligebant potiora. Facile scilicet illas hederas sibi circumdant quibus intus nihil est nisi vappa, cum veræ dilectionis opera, assidua præsertim atque eximia, non possint nisi ex animo emundato proficisci. Ita evenit illud veteris sententiæ sæpe repetendum,

Τὸ μὲν παέργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
Τὸ δ' ἔργον ὡς παέργον ἐκτενούμεθα.

[*Operose id agimus, agere quod non est opus,*
At in eo, quod opus est, opera perfunctoria est.]

¶ Ἀποδεκατῶ, *decimas do*]. Vide de hac voce ad Matthæum XXIII. 23. ¶ Πάντα ὅσα κτῶμαι. *omnium quæ possideo*] כל אשר לי [*omnia quæ mihi sunt*], Non illa tantum quæ vulgus solet decimæ subjicere, poma & fruges, sed & ea quæ controversi sunt juris, puta minora olera, ova, lac, caseum, potius meis commodis aliquid detrahens, quam ut quicquam faciam contra τὰς παραδόσεις [*instituta*]. At quanto melius Zacchæus, qui bonorum partem alteram pauperibus dabat. Nam in minutis illis aliquid extra Legem præstare perfacile est: in quo tamen Pharisæi summam ponebant singularis cujusdam sanctimoniæ, cujus & nomen præferebant.

13. Οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς, *nec oculos*] Omnino puto respici morem Judæis & aliis gentibus communem, *tollendi manus ad cælum simul cum oculis.* De Judæis testis Philo, Στάντες ἐξῆς κατὰ στοῖχον ἐν τόπῳ καὶ τὰς ὄψεις καὶ χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἀνατείναντες [*ordine & decore stantes, vultusque & manus tendentes in cælum*]. Horum morem secuti sunt Christiani. Clemens Strom. VII. Πᾶσαν γὰρ τὴν ἐνδιάθετον ὁμιλίαν ὁ Θεὸς ἀδιαλείπτως ἐπαίει· ταύτῃ καὶ προσανατείνομεν τὴν κεφαλὴν καὶ τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν αἴρομεν [*Preces omnes, etiamsi qua precere, cogites tantum non proferas, nunquam non audit Deus; atque hinc est, quod vultum orantes attollimus, manusque ad cælum tendimus*]. Conjungit utrumque & Tertullianus loco quem jam jam citabimus. De profanis gentibus pro multis unus sufficiet Maro,

Ad cælum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

Juvenalis,

Arrecto vultu solum hoc, & pallidus, eras.

Seorsim *manuum* meminit Jeremias Threno III. 41. Sic & Solomo *passis ad cælum manibus orat*, 1 Regum VIII. 54. Philo de Judæis Alexandrinis, προτείνοντες τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν [*tendentes manus ad cælum*]. Scriptor libri de mundo, πάντες ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν [*universi homines manus in cælum tollimus*]. Homerus,

Θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνασχών.

[*Manusque ad numina tollens*].

Apud Latinos quoque Poetas & historiarum Scriptores centies occurrit, *manus supinas* aut *palmas ad cælum tollere, pandere, tendere*, ut testimonia congerere sit otio abuti. Pro Christianis unum adducam Salvianum lib. I. de Gub. Dei: *Cur ad cælum quotidie manus tendimus?* eodem allusit & Tertulliani illud, *Paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.* Testabantur autem hoc ritu innocentiam suam. Seneca Oedipode:

Testor: licet jam tollere ad cælum pie
Puras, nec ulla scelera metuentes manus.

Philo dicto loco, Τὰς μὲν (scilicet τὰς ὄψεις) ἐπειδὴ τὰ Θεῷ ἄξια καθορᾶν ἐπαιδεύθησαν· τὰς δὲ (τὰς χεῖρας) ὅτι καθαραὶ λημμάτων εἰσὶν ὑπ' ἀδεμίας προφάσεως τῶν εἰς κορισμὸν μαινόμενοι [*Vultus, quod res Deo dignas docti sunt contemplari: manus, quod vacuæ omni quæstu, nulla unquam se re quæ ad lucrum spectet, patiuntur inquinari*]. Paulus ad 1 Tim. II. 8. Βούλομαι οὖν προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν παντὶ τόπῳ, ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμῦ [*Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione*]. Tertullianus, *Illuc*, in cælum, *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus.* Eodem Chrysostomus respiciens, Τί γὰρ βούλεται, inquit, ἐν τῇ εὐχῇ τῶν χειρῶν ἡ ἔκτασις; πολλαῖς πονηρίαις διακονῦσιν αὐτοὶ [*Quid enim sibi vult inter precandum extensio manuum? multis quidem illæ ministrant flagitiis*], & quæ plura more suo facunde in eam rem differit. Publicanus ergo, peccatorum suorum memor, non modo *manus* non audebat *ad cælum tollere*, ne falsa jactatione iram Dei provocaret, sed ne *oculos* quidem: quod quanquam proprie statui pœnitentiam agentis conveniebat, aliquatenus tamen in exemplum trahi solebat à plerisque Christianis. Tertullianus: *Atqui cum modestia & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius datis, ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus qui non tantum prece, sed & vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificator Pharisæo procacissimo discessit.* Cyprianus libro de oratione Dominica: *Adorans autem, fratres dilectissimi, nec illud ignoret quemadmodum in templo cum Pharisæo publicanus oraverit: non allevatis in cælum impudenter oculis, nec manibus insolenter erectis, sed pectus suum pulsans & peccata intus*

incluſa conteſtans, Divina miſericordia implorabat auxilium, & cum ſibi Phariſæus placeret, ſanctificari publicanus hoc magis meruit, qui ſic rogavit: qui ſpem ſalutis non in fiducia innocentiæ ſuæ poſuit, cum innocens nemo ſit: ſed peccata confeſſus humiliter oravit, & exoravit orantem, qui ſemper humilibus ignoſcit. ¶ Ἐτυπτεν εἰς τὸ στῆθος αὐτῦ, *percutiebat pectus ſuum*] Qui geſtus ſemet accuſantium, ut infra XXIII. 48. Eundem obſervarunt in Chriſtianorum Eccleſia qui pœnitentiam publice profitebantur. ¶ Ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ. *propitius eſto mihi peccatori*] Hebræum סלח, quod modo perſonam, modo rem in dativo habet ſibi ſubſequentem, Lxx vertunt ἵλεων εἶναι [*propitium eſſe*], Num. XIV. 20. Jerem. XXXI. 34. ſequente Scriptore ad Hebræos VIII. 12. ἱλάσεσθαι [*propitium eſſe*], II Reg. XXIV. 4. ἐιλατεύειν [*propitium eſſe*]. Deuter. XXIX. 20. Pſalm. CIII. 3. Ipſa hæc vox Ἱλάσθητι [*propitius eſto*] exſtat Pſal. XXV. 11. ubi in Hebræo eſt סלחת [*propitiaberis*], & Dan. IX. 19. ubi eſt סלח [*propitiare*]. Videtur mihi Syrus non male expreſſiſſe vim vocis per חנני [*miſerere mei*], Huic παρώνυμον [*agnatum*] eſt ἐξιλάσασθαι [*propitium reddere*], qua voce Helleniſtæ reddunt Hebræum כפר [*placavit*], aut חטאת [*expiationem fecit*], quæ verba non ipſam animi miſerationem aut faventiam, ſed *actum aliquem apium impetrandæ miſerationi aut faventiæ* ſignificant: qua de re alias. Senſus totius hujus precationis deſumtus ex toto Pſalmo LI.

14. Παρ' ἐκεῖνον, *ab illo*] Non dubito quin ita ſcripſerit Lucas, quia & multi codices hanc lectionem retinuerunt, & cæteros inde corruptos apparet, ut ἢ γὰρ ἐκεῖνος [*quam ille*], quod quidam libri habent, & παρ' ἐκεῖνα [*ab illo*], quod legit Latinus. At Latini veuſtiores legerunt παρ' ἐκεῖνον [*ſupra illum*]: vertit enim Tertullianus, *juſtificatior Phariſæo*, ut jam vidimus. Cyprianus in verbis jam citata ſequentibus totam hiſtoriam deſcribens ponit, *Juſtificatus magis quam ille Phariſæus:* idemque Syrus & Arabs exprimunt. Adde quod Lucas ſupra quoque ita eſt locutus XIII. 2, 4. ubi ἁμαρτωλοὶ καὶ ὀφειλέται παρὰ πάντας [*peccatores & debitores præ omnibus*] dicuntur qui cæteris ſunt flagitioſiores, poſito παρὰ pro eo quod מן [*præ*] eſt apud Hebræos, alibi & עם [*cum*], ut Jobi XXV. 4. ubi *juſtus cum Deo*, ſignificat *ſi Deo comparetur.* Supra diximus δικαῦν ſæpe eſſe *approbare*, itaque hujus loci ſimpliciſſimus eſt ſenſus, magis probatam eſſe Deo magiſque placuiſſe humilem publicani, quamvis in peccata prolapſi, deprecationem, quam externam illam Phariſæi ſanctimoniam cum ſuperba quadam confidentia conjunctam. Bene Origenes adverſus Celſum diſputatione tertia, Ἐχι δ' ὅτε ἁμαρτωλὸς συνειδὼς τῆς ἰδίας ἁμαρτίας, καὶ διὰ τῦτο πρὸς τὸ μετανοεῖν τρεπόμενος ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις ταπεινὸς, προτιμᾶται τῷ ἧττον μὲν νομιζομένῳ εἶναι ἁμαρτωλῷ· ἐν οἰομένῳ δ' αὐτὸν ἁμαρτωλὸν, ἀλλ' ἐπαιρομένῳ ἐπί τισιν οἷς δοκεῖ συνειδέναι ἑαυτῷ κρείττοσι, καὶ πεφυσιωμένῳ ἐν αὐτοῖς [*Interdum vero peccator conſcientia peccati ſui tactus, ſi pœnitentiam agat fiatque ſubmiſſior, ei præfertur qui cum minus peccare videatur, ne peccatorem quidem ſe exiſtimat, imo erigit ſe atque altum ſapit, neſcio quam ob virtutem, qua ſe præditum putat*]. Quærit hic non abs re Theophylactus quid ſit cur ob pauca verba Phariſæus inſolentiæ arguatur, cum Jobus tam multa de ſe prædicans nullam eo nomine notam ſuſtineat. Ad cujus quæſtionis ſolutionem videndum quanta ſit in factis illis diverſitas. Phariſæus Deo & ſibi loquitur, nemine accuſante, imo ipſe alios animi gratia accuſat. Jobus graviſſime accuſatus, quaſi in hominum aliorum comparatione inſigniter facinoroſus, diluit calumniam innocentis conſcientiæ teſtimonio: neque levia adfert probi animi ſigna, puta jejunia & exactam decimarum ſolutionem, quibus turget Phariſæus animum interius vitiis plenum gerens, ſed ea opera in quibus & dilectio & dilectionis ſoror humilitas micabant. Plutarchus libello quo materiam hanc περιαυτολογίας [*ſui ipſius jactationis*] accurate pertractat, nunquam ait juſtiorem eſſe occaſionem ſua recte facta commemorandi quam cum fama cujuſquam injuſte oppugnatur. Commendant & David, & apertius Nehemias Deo ſua officia, ut eorum benigne meminerit, ſed poſtquam culpas ſuas aut cum populo communes aut ſibi proprias agnoverant, & ſupplici prece à Deo exambiverant veniam. Apoſtoli autem & Chriſtiani, multo quam illi ſub Veteri Fœdere ſe gerunt modeſtius, tantæ veniæ & beneficiorum acceptorum per Chriſtum conſcientia. ¶ Ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται· *quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur*] Vide quæ diximus ad Matth. XXIII. 12. ad Lucam ſupra I. 51.

15. Τὰ βρέφη, *infantes*] Neque vox βρέφη [*infantes*], neque illud quod apud Marcum eſt ἐναγκαλισάμενος [*complexus*] ſatis valide probant de infantibus hic agi, ut ad Matthæum diximus: ibi vide.

18. Ἐπερώτησέ τις αὐτὸν ἄρχων, *interrogavit eum quidam princeps*] Quæ huc pertinent ad Matthæum vide.

31. Τῷ υἱῷ τῦ ἀνθρώπυ, *Filio hominis*] Hæc frequentior lectio: videtur autem eo ſenſu dixiſſe τελεσθήναι τῷ υἱῷ [*impleri filio*], pro ἐν τῷ υἱῷ [*in filio*]; ſicut infra XXII. 37. δεῖ τελεσθῆναι ἐν ἐμοὶ [*oportet impleri in me*]. Ita certe acceperunt Syrus & Latinus. Simile eſt Rom. III. 19. τοῖς ἐν νόμῳ λέγει [*iis, qui ſunt ſub lege dicit*], id eſt, περὶ τῶν ἐν νόμῳ [*de iis qui ſunt ſub lege*].

32. Ἐμπαισθήσεται, *illudetur*] Tribonianus in Inſtitutionibus: *Contumelia quæ à contemnendo dicta eſt, quam Græci ὕβριν appellant.*

34. Οὐδὲν τύτων συνῆκαν, *nihil horum intellexerunt*] Certa ſcilicet comprehenſione. Verborum facilis erat intellectus: ſed quomodo ea congruerent cum vaticiniis de Meſſia proditis receptiſque ea de re opinionibus, videre non poterant. Itaque credibile eſt interdum in dubitationem adductos an non iſta dicerentur κατ' ἀλληγορίαν [*per aliud innuentem locutionem*] aliquam. ¶ Κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν, *abſconditum ab eis*] Sic ſupra παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν [*velatum ante eos*] IX. 45. ἀπέκρυψας ἀπὸ σοφῶν [*abſcondiſti à ſapientibus*] X. 21. & infra XIX. 42. νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν συ [*nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*]. Sic ἀπεκρύβησαν ἀπό συ [*abſconderunt à te*], Pſ. LXIX. 5. Hebraicum loquendi genus quod exſtat & Levit. IV. 13. V. 3. Num. V. 13. Job. XXVIII. 21. I Reg. X. 3. & alibi.

35. Ἐγγίζειν, *cum appropinquaret*] Vide quæ ad Matthæum.

39. Καὶ οἱ προάγοντες, *& qui præibant*] Interpretatur Syrus de turba quæ Jeſum præcedebat: ita Matth. XXI. 9. οἱ δὲ ὄχλοι οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες [*turba autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur*], ubi Marcus, καὶ οἱ προάγοντες καὶ ἀκολυθοῦντες [*& qui præcedebant & qui ſequebantur.*

43. Αἶνον, *laudem*] תן [*magnificentiam*], ut videre eſt Pſ. VIII. 2. & Eſdræ III. 11.

PRICÆUS.

Com. 1. Πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι] Quod I Theſſ. V. 17. ἀδιαλείπτως προσεύχεσθαι, Rom. XII. 12. τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖν.

Ibid. Καὶ μὴ ἐκκακεῖν] Ἐκκακεῖν, eſt, *animum deſpondere*, ἀθυμεῖν· unde apud Heſychium, Ἠθυμόνησεν ἐξεκάκησεν· & Suidam, Ἐξεκάκησα, ἀπηγόρευσα. Hoc Hebr. XII. 3. κάμνειν, τῇ ψυχῇ ἐκλύεσθαι· in Græco V. 9. Jeremiæ ἀποκακεῖν dicitur. Contrarium I Cor. XIII. 7, 8. πιστεύειν, ἐλπίζειν, ὑπομένειν, οὐκ ἐκπίπτειν· quæ ut latius quidem prolata, ita & orandi aſſiduitatem includunt. Euthymius in Matth. 26. ea, ORAVIT TERTIO, *Docens quod ſæpe orare oportet, & non defatigari.* Idem in Matth. 20. ea, ILLI VERO AMPLIUS CLAMABANT, *Hos imitemur & nos*, &c. *quod ſi ab aliquibus impediti fuerimus, intentiorem reddamus orationem, nec deſiſtamus, & omnino flectemus, ſicut & iſti.* Iterum ad Joh. V. de 38 annorum infirmo illo, *Tot annis fruſtratus, adhuc tamen perſeverabat*, &c. *detruſus, & offenſus, neque ſic negligentior efficiebatur: nos autem brevi aliquo tempore diligenter Deo adſtantes, ſi non aſſequimur quod optamus, recedimus, ac pigriores reddimur. At laborioſum eſt, inquies, continue orare: & qua virtus non eſt laborioſa? verum, ſi laborem habet, affert & lucrum.* Vulgatus, μὴ ἐκκακεῖν, *non deficere* vertit: ita in Gloſſario, Ἐκκακῶ, *deficio.*

Com. 2. Θεὸν μὴ φοβούμενος καὶ ἄνθρωπον μὴ ἐντρεπόμενος]

Spernens Superos hominesque ſimul, Sen. Octav.

Θεῷ μὴ ἀρέσκων, καὶ ἀνθρώποις ἐναντίος, I Theſſ.

Theognis, - - - Ἀδικος, καὶ ἀτάσθαλος, ἄτε τι ἀνδρῶν,
Οὔτε τι ἀθανάτων μῆνιν ἀλυσκόμενος.

Temnens humanum genus & mortalia jura,
Deſpicienſque Deum, memorem fandi atque nefandi.

Nec mirum homines non reveritum fuiſſe qui nec Deum timebat. Θεῶ κατεφρονήσας οὐδ' ἄλλο ἄν τινος προτιμήσειεν, Mecœnas apud Dionem dixit. *Neque Deum neque homines timere*, proverbiale eſt, (ut apparet ex jam adductis) ad conſummatiſſimam & poſtremiſſimam improbitatem denotandam: appo-

ponemus tamen & alios locos eodem pertinentes, quibus, ut floribus, ſine labore ſuo congeſtis, qui voluerit, uno ſub faſciculo fruatur. Euripides de Cyclope,

Ὦ θεῶν δόξαν ἢ βροτῶν μέλει.

Philoſtratus de Centauro,

Οὔτε θεῶν τρομέων ὅτιν, οὔτ' ἀνθρώπων.

Dio Caſſius de Vitellio, Οὔτε τῶν ἀνθρώπων, οὔτε τῶν θεῶν ἐφρόντιζεν. Suidas de Daphida Grammatico, Ἦν λοιδορούμενος (id eſt, ἐλοιδόρησε) παντὶ, καὶ μέχρις αὐτῶν θεῶν μὴ Φειδόμενος. Joannes Antiochenus de Domitiano, Ὑβρίζων τά τε θεῖα περιφρονῶν, καὶ τὰ ἀνθρώπινα. Joſephus de Joachimo Rege, Μήτε πρὸς θεὸν ὅσιος, μήτε πρὸς ἀνθρώπους ἐπιεικής. Apud Macrobium ille de Mezentio, *Sine reſpectu deorum in homines impius.* Philippus ad Æmilium Lepidum apud Saluſtium Hiſt. 1. *Hoſtis omnium bonorum, ut te neque hominum neque deorum pudet!* Cato in ejuſdem Catilinario, de Lentulo, *Neque diis, nec hominibus unquam pepercit:* & Bocchus apud Eundem de Jugurtha, *Quem tanta libido exſtinguendi mei invaſit, ut neque vos, neque deos immortales in animo habeat.* De Verre Cicero; *Ita ſe in ea Provincia geſſit, ut non ſolum hominibus, verum etiam diis immortalibus bellum indictum putaretur.* Idem in Cluentiano, exagitans quendam Soliam, *O audaciam ſingularem, non timuiſſe ſi minus vim deorum, hominum famam,* &c. *at,* &c. Livius lib. 39. *Illius excetra delinimentis imbutam, nec parentis, nec vitrici, nec Deorum verecundiam habere.* Procopius Perſ. 1. Joannem Cappadocem, dum Juſtiniani avaritiæ ſatisfacere cuperet, *neque Deum neque homines penſi habuiſſe* ſcribit. Τῶν θεῶν ὀλιγωρεῖν, τοὺς δὲ δήμους ἐν οὐδενὶ τίθεσθαι, habemus in Juliani Epiſtolis: & apud Philonem in hominis vere ἀνεπάρτῳ deſcriptione, ᾧ μήτε τῶν ἀνθρωπίνων μήτε τῶν θείων αἰδώς τις ἕρχεται. Plato de Legg. 11. Οὔτε ἀνθρώπους αἰδούμενος, οὔτε θεοὺς σεβόμενος. Medea apud Libanium, de Jaſone, *Sceleſtus ille, neque deos metuens, neque homines reverens.* Idem alibi, Οὐ θεοὺς δείσαντες, οὔτ' ἀνθρώπους αἰσχυνθέντες.

Com. 3. Καὶ ἤρχετο πρὸς αὐτὸν, λέγουσα, Ἐκδίκησόν με, &c.] Ἔρχεσθαι heic non tam *venire* eſt, quam *ventitare.* Sic in Adelphis Terentianis,

Venit ad me ſæpe clamitans, &c. . . .

Ubi Donatus, *Et importunitatem odioſam oſtendit,* AD ME *dicendo, & incenditam aſſiduitatem, dicendo,* SÆPE. Mulierem Tribunos plebis adiiſſe contra Antiſtium Labeonem Ateius Capito narrat apud Gellium 13. 12. *Aſſiduis mulierum aditionibus inquietati ſumus,* in l. 12. Cod. qui potiores in pignore, &c. Imper. Juſtinianus dixit.

Ibid. Ἐκδίκησόν με ἀπὸ τοῦ ἀντιδίκου μου] Simillime vidua Apuleiana illa lib. 3. *Noſtraque viduitatis ac ſolitudini de vindicta ſolatium date.* Vide & quæ de Eutropia, itidem vidua, l. 6. epiſt. 2. habet Sidonius Apollinaris. In Gloſſis, Ἐκδικῶ, *vindico, defendo, ulciſcor.* Cur autem ſub mulieris, non pauperculi hominis, perſona proponitur narratio iſta? Nimirum, vel quod

. . . *vindicta*
Nemo magis gaudet quam fœmina: . . .

(vide proxime annotata,) vel quod ſequior ſexus maſculino injuriis expoſitus magis, præque aliis illius ſexus mulieres viduæ. Quintilianus declam. 338. *Per ſe imbecilla res eſt fœmina, & affert infirmitati naturali non leve pondus quod vidua eſt.* Apud Terentium 5. 2. Heautont.

Non, &c. *hæc facere auderet vidua mulieri*
Quæ in me fecit. . . .

Apud Petronium, *Jam faxo ſciatis non vidua hanc inſulam eſſe.*

Com. 4. Καὶ οὐκ ἤθελησεν ἐπὶ χρόνον] Hoc eſt quod Jobi 31. 16. ὀφθαλμὸν χήρας ἐκτήσατο· & de ejuſmodi Judicibus vide Eſa. 1. 23. ubi inter alia, καὶ κρίσιν χηρῶν οὐ προσέχοντες. ἐπὶ χρόνον v. rtam, *per aliquod tempus*, vel, *per temporis aliquantum.* Eſt enim hic χρόνον, quod 1 Cor. 16. 7. χρόνον τινά· & ἐπὶ χρόνον, quod ſupra hic 4. 13. ἄχρι καιροῦ. In vetere Onomaſtico, *Aliquantiſper*, ἐπὶ χρόνον. Eadem hujus pronominis elleipſis eſt & ſæpe apud Lucam in Actis Apoſtolorum: monſtraque (inter alia multa dictionis ejus) ſcripſiſſe eum Græce præter cæteros Euangeliſtas. Homerus,

Τλῆτε, φίλοι, καὶ μείνατ' ἐπὶ χρόνον . . .

& in fragmentis Memnonis Hiſtorici, Φιλεττέμενον (αὐτὸν) εἶχον ἐπὶ χρόνον. Sic χρόνος ὕστερον Plutarchus in Arati vita. Subticetur non impari facie apud Latinos. Juſtinus lib. 44. *poſt dies* dixit: & lib. 38. *interjectis menſibus.* Juvenalis,

Et libuit menſes neglectum adhibere clientem.

Sic *noctes excubare*, lib. 4. Apuleius.

Ibid. Εἶπεν ἐν ἑαυτῷ] Nempe

Vix tandem aſſiduis vidua clamoribus actus.

Com. 5. Διὰ τὸ παρέχειν μοι κόπον τὴν χήραν ταύτην] Ita in l. 1. ff. de poſtul. & de fœmina, *Inverecunde poſtulans, & magiſtratum inquietans*; id eſt, τῷ ἄρχοντι κόπον παρέχουσα. Adde quæ de matronarum Romanarum intemperie, & poſtulatione procaci 1. 23. A. Gellius. Κόπον παρέχειν autem hoc loco ὑβριστάτως dictum. Hinc viduæ (itidem Judicem aut potentiorem quemvis adeunti,) λαλιὰς ἔχουσαι, imo & καταβόησιν, Sirach. 35. 14, 15. tributam videmus.

Ibid. Ἐκδικήσω αὐτὴν) Libanius appoſitiſſime, Τάττων (aſſiduas interpellationes intelligit) πολλάκις ὁ δικαιῶν ἡττᾶται, διὰ ταύτας δίδωσιν ἃ μὴ βέλεται. Hinc & *cedere improbitati poſtulantis*, in l. nequicquam ff. de Offic. Proconſ. Apud Senecam Epiſt. 81. *inſtantis pertinacia victus beneficium dare:* &, *fatigatus, ut moleſtia quis careat dare*, apud Eundem 1. 1. de Beneficiis: ubi & *moleſtia* eſt quæ heic κόπος. Ita vivitur plane, *nihil fere eſt quod non improbitas extorqueat*, Petronius: nimirum, quamvis ſolidas mentes rigenteſque, ut cunei ligna, etſi nodis ſqualentia, diffindit. Judic. 14. 17. de Samſone, Ἀπήγγειλεν αὐτῇ ὅτι παρηνώχλησεν αὐτόν. De Boccho Saluſtius, *Sæpius fatigatus lenitur, & ex voluntate Sylla omnia facturum promittit.* Apuleius 10. *Nec eum*, &c. *mulier usque latius à ſe diſcedere paſſa eſt*, &c. *ſed egre, precibus & obteſtationibus ejus multum ac diu fatigata, tandem abire conceſſit.* Terentius Heautont.

Poſtremo adeo res rediit, adoleſcentulus
Sæpe eadem & graviter audiendo victus eſt,
In Aſiam ad Regem militatum abiit.

Idem in Hecyra,

Ille ſe primo negare: ſed poſtquam acrius
Pater inſtat, fecit animi ut incertus foret,
Puderine anne amori obſequeretur magis.
Tundendo, atque odio denique effecit ſenex,
Deſpondit ei gnatam hujus vicini proximi.

Plutarchus in περὶ δυσωπίας, de Antigono ſeniore, ἀπὸ Βίωνος ἀνοχληθεὶς πολλάκις, δότε (εἶπε) Βίωνι τάλαντον, καὶ Ἀνύγιῳ. Vide 4 Reg. 2. 17. ſuprahic 11. 8. Lucianum ad Matth. 6. 8. adductum, & quæ de Alexandra Hyrcani filia Antiquit. 15. 9. Joſephus.

Ibid. Ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με] Εἰς τέλος ſæpe ſignificat, *aſſidue, omni tempore*: quo ſenſu 7. 30. Judithæ, οὐ καταλείψει ὑμᾶς εἰς τέλος· 2 Maccab. 8. 29. εἰς τέλος νίκην. Apud Artemidorum 2. 42. de Dioſcuris loquentem, πάντων τῶν δεινῶν εἰς τέλος ἀλκιμίους ἀπαλλάττουσιν· & apud Julianum Epiſt. 2. γυμνάσασιν εἰς τέλος ἐγκαρτερεῖν. Hanc locutionis τελευτήν illius ſignificationem præ cæteris huic loco convenire putem. Τὸ ὑπωπιάζῃ qui *exſurdet* reddiderit, quod nudum loci ſenſum ſpectat, non peccabit. Terent. Heautont.

Quod ut efficerem orando, ſurdas reddideras jam aures mihi.

Sic *aures exſurdare* dixit & Valerius Maximus. Vide in διατεθρυλλημένος τὰ ὦτα, Suidæ Collectanea. Non plus, imo minus aliquanto errabit, qui cum eruditis illius ſeculi *obtundat* verterit. In Terentii Adelphis,

. . . *Ne me obtundas hac de re ſæpius:*

ubi Donatus, *Ne me ſæpe & moleſte interpelles: nam obtundere eſt, aliquid ſæpe, & odioſe repetere.* Ibidem,

. . . *An ego toties de eadem re audiam?*

ad quæ idem Donatus, *hoc eſt, obtundere.* Hinc &, *orando, inſtando*, &c. *obtundere quem*, apud Gellium 2. 23. Cæcilius Comicus. Idem Donatus ad locum jam ex Heautont. productum, *Tundere, eſt ſæpius idem repetere, tranſlatio à fabrorum malleo.* Utrovis prædictorum modo qui τὸ ὑπωπιάζῃ acceperit, næ ille loci ſenſum aſſequetur; qui ſenſum autem & vocem ipſam Græcam ſectari voluerit, omnino oportebit cum Vulgato *ſuggillet* vertat: metonymia apud Latinos (quos hiſ

Lucas ſequitur) à vibicibus faciei impreſſis ad animum facta. Ita Syllam Valerius Maximus ait *Pretura repulſa ſugillatum* fuiſſe. Sedulius ad 2 Cor. 11. illud, SI QUIS IN FACIEM VOS CÆDIT, *Si quis præſentes vos objurgat.*

Com. 6. Ἀκούσατε τί ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας λέγει] Ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας, eſt, aut ſimpliciter, ὁ κριτὴς ἄδικος, quomodo Jacob. 1. 25. ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς, pro ἀκροατὴς ἐπιλήσμων· Jacob. 2. 4. κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν, pro κριταὶ πονηρὰ διαλογιζόμενοι· & ibid. 5. 15. εὐχὴ πίστεως, pro εὐχὴ πιστή· 2 Theſſ. 2. 8. πέρατα ψευδους, pro πέρατα ψεύδεα· (cujuſmodi ſunt & 1 Petr. 1. 14. ἀγνοίᾳ πάθη, Sapient. 5. 17. διάδημα κάλλους, & Hebr. 3. 12. καρδία ἀπιστίας) aut, Judex ſummo improbus iniquuſque, ut qui nec Deum, nec homines curaret: ſic 2 Theſſ. 2. 3. ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας ſenſu eminentiore dictum; & Johan. 17. 12. de Juda, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας· q. d. præcipue, & præter omnes alios, perditionis candidatus. Poſt λέγει hic, ſubaudi, ἐν ἑαυτῷ· ut ſæpe alibi. Pro ἀκούσατε, ſi libri veteres permitterent, ἰδοὺ ἀκούσατε reponerem.

Com. 7. Ὁ δὲ θεὸς, &c.] Supple (quod 2 Tim. 4. 8. habemus,) ὁ δίκαιος κριτὴς, ut opponatur τῷ κριτῇ τῆς ἀδικίας· habet emphaſin enim vox θεὸς, quæ non præterunda.

Ibid. Οὐ μὴ ποιήσει ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ;] Οὐ μὴ ποιήσει αὐτοῖς κρίσιν ἐκ τῶν δικαιούντων αὐτούς; ut Pſalm. 119. 84. Ibidem Pſalm. 146. 7. de Eodem, ποιοῦντα κρίσιν τοῖς ἀδικουμένοις.

Ibid. Βοώντων πρὸς αὐτὸν] *Clamare* hoc *ad Deum*, eſt, in hujuſmodi voces erumpere, Ἕως πότε, &c. οὐ κρίνεις καὶ ἐκδικεῖς τὸ αἷμα ἡμῶν; ut Apocal. 6. 10. ubi vide quæ è Seneca allata. Solet gravia autem & atrocia perpeſſis clamor affingi, quaſi jure quodam ultionem Divinam expoſcere videantur. Vide Gen. 4. 10. Exod. 2. 23. 4 Reg. 19. 28. Jacob. 5. 4. & 2 Macc. 8. 3.

Ibid. Καὶ μακροθυμεῖ ἐπ' αὐτοῖς] Id eſt, καίπερ ἀναμένει μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς, quamvis patienter exſpectet in cauſa eorum. Dices forte, quid tandem illud erat quod patienter exſpectabat? reſpondeo, ſuſtinuiſſe eum & exſpectaſſe dum inimici electorum ſuorum, facinorum ſuorum menſuram implerent, ut ita demum gravius & cumulatius punirentur. 2 Macc. 6. 14. Οὐ γὰρ, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἐθνῶν ἀναμένει μακροθυμῶν ὁ δεσπότης, μέχρι τοῦ κατεντήσαντας αὐτοὺς πρὸς ἐπλήρωσιν ἁμαρτιῶν κολάσαι, οὕτω καὶ ἐφ' ἡμῶν ἔκρινεν εἶναι, &c. Quo ex loco (à nemine hactenus quod ſciam adducto) fortaſſe magna lux erit iſtis Lucæ verbis à tot expoſitoribus tam moroſe expenſis.

Com. 8. Ποιήσει ἐκδίκησιν αὐτῶν] Hoc eſt quod Apoc. 19. 2. τὸ αἷμα τῶν δούλων αὐτοῦ ἐκδικεῖν dicitur; & ibidem 8. 20. τὸ κρῖμα αὐτῶν κρίνειν. Simile Deuter. 32. 36. ἐπὶ τοῖς δούλοις παρακληθήσεται.

- - - ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα,

dixerat olim & Theognis. Vide 2 Reg. 9. 7. Job. 24. 12. Oſee 1. 4. Judith 8. 20. Lactantius 5. 26. *Confidimus majeſtati ejus, qui tam contemptum ſui poſſit ulciſci, quam ſervorum ſuorum injurias & labores.*

Ibid. Ἐν τάχει] Idem Lactantius 5. 23. *Propterea vindicaturum ſe in eos celeriter pollicetur, & exterminaturum malas beſtias de terra.* Ariſtophanes Theſmophor.

- - - τὰ παράνομα
Τά τ' ἀνόσια θεὸς ἐκτίνεται, παραχρῆμά τε γίνεται.

Ubi παραχρῆμα, quod hic ἐν τάχει. *Cito*, nimirum habita juſta temporis ratione, non utique impatientiæ eorum qui iniqua perpeſſi ſunt, & quibus tardum ingratumque fluit id ſpatium quo inulti exſpectant. D. Hieronymus in expoſitione Pſ. 89. ad Cyprianum, *Qui in anguſtia eſt conſtitutus, ſenum ei videtur Dei auxilium, & propterea impenſius deprecatur, ut cito adjutorem Deum ſentiat.* D. Auguſtinus in Pſ. 91. *Quod tibi videtur longum, breve eſt*, &c. *attendis ad dies paucos tuos, & in iis vis omnia impleri, ut damnentur impii, & coronentur boni*, &c. *Implet ea Deus in tempore ſuo: Quid tu tadium pateris, & facis? æternus eſt: tardat? longanimis eſt.* Idem in Pſalm. 9. ea, REQUIRENS SANGUINEM EORUM MEMORATUS EST; *Memoratus eſt, nemo ita poſitum putet quaſi oblivio in Deum cadat, ſed quia poſt longum tempus futurum eſt judicium infirmorum hominum, qui quaſi oblitum Deum putant, quia non tam cito facit quam ipſi volunt.* Et in Pſalm. 36. *Quamdiu ſuſtinebo? Feſtinas: cito erit quod tibi diu eſt: infirmitas facit diu videri quod cito eſt. Quomodo inveniuntur deſideria ægrotorum, nihil tamdiu quam ut talix ſitienti temperetur: Utique feſtinatur à ſuis ne forte offendatur infirmus. Quando fiet? quando coquetur? quando dabitur? Celeritas eſt in illis qui tibi ſervient, ſed infirmitas tua diuturnum* (malim *diutinum*) *putat quod cito agitur.* Vide & Baruch. 4. 22, 24, & 25. ubi hoc ſenſu ἐν τάχει habes: & additam. Eſtheris 16. 18. ubi διὰ τάχους. Vel, ἐν τάχει apud Lucam intellige, poſt annos 40. ut ita Urbis excidium ſubinuat.

Com. 9. Πεποιθότες ἐφ' ἑαυτοῖς ὅτι εἰσὶ δίκαιοι] Sic 33. 13. Ezech. Πέποιθεν ἐπὶ τῇ δικαιοσύνῃ αὐτοῦ· & 2 Corinth. 10. 7. ἑαυτῷ πέποιθεν. *Salutem animæ in ſeipſo reponere*, Arnobius 2. dixit. Vide Roman. 2. 19. & 14. 10. Salvianus lib. 3. *Hoc ad crimina noſtra addimus, ut cum in omnibus rei ſimus, etiam bonos nos & ſanctos eſſe credamus: ac ſic in nobis cumulentur iniquitatis offenſa etiam præſumptione juſtitiæ.*

Ibid. Καὶ ἐξουθενοῦντας τοὺς λοιποὺς] Plutarchus de Lucullo, Πάντων κατεφρονῶν, καὶ μηδενὸς ἀξίους πρὸς αὑτὸν ἡγούμενος. Philo in ὑπερηφάνου characteriſmo, Πάντων εἶναι οἴεται, &c. Φρονιμώτατος, σωφρονέστατος, δικαιότατος· τοὺς ἄλλους ὑπολαμβάνει, &c. ἄφρονας, ἀδίκους, ἀνετιζήμονας. Τὸ περηφανίαν καὶ ἐξουθενισμὸν habemus juncta in Græco Pſ. 31. 18. Gellius 1. 2. *Præque ſe uno cæteros*, &c. *rudes eſſe & agreſtes prædicabat.* Terent. in Eunucho, *Ego illum contempſi pra me:* ubi Donatus, *Mei comparatione.* Auctor ad Herennium 4. *Et tamen cum ita vivit, neminem pra ſe ducit hominem.* Ita & *alios pra ſe pro nihilo ducere*, apud Ciceronem in Verrinis. Virtus contraria Rom. 15. 1. τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν, καὶ μὴ ἑαυτοῖς ἀρέσκειν· vel, ut ibid. 12. 16. τοῖς ταπεινοῖς συναπάγεσθαι, παρ' ἑαυτῷ οὐ φρόνιμος εἶναι. Πεποιθότες porro & ἐξουθενοῦντες (ut hic in Luca) opponuntur & in Græco Amoſi 6. 1.

Com. 10. Ἀνέβησαν εἰς τὸ ἱερὸν] Sic Act. 3. 1. idem Lucas, Ἀνέβαινον εἰς τὸ ἱερόν. Johan. 7. 14. de Jeſu, Ἀνέβη εἰς τὸ ἱερόν· & Eſaiæ 37. 1. de Ezechia, Ἀνέβη εἰς τὸν οἶκον τοῦ Κυρίου.

Com. 11. Σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν ταῦτα προσηύχετο] Illa πρὸς ἑαυτὸν, ſalva eruditorum pace, conjungo cum προσηύχετο. Πρὸς ἑαυτὸν προσεύχεσθαι hic, ut infra 24. 12. πρὸς ἑαυτὸν θαυμάζειν, & 20. 5. πρὸς ἑαυτοὺς συλλογίζεσθαι. Vulgatus bene, *hæc apud ſe orabat.* Maluceram autem, *ſic apud ſe orabat:* eſt enim ταῦτα hic, οὕτως· ſic Joh. 8. 28. καθὼς ἐδίδαξέ με ὁ πατὴρ, ταῦτα λαλῶ. Apoſtolus 1 Theſſ. 2. 14. ὅτι ταῦτα ἐπάθετε, &c. καθὼς καὶ αὐτοὶ, &c. & forte in illis Johan. 12. 16. καὶ ταῦτα ἐποίησαν αὐτῷ. Plutarchus in Dionis vita, Ταῦτα τῆς Θέσεως παρῳκηκυίας, &c. id eſt, οὕτως παῤῥηκυίας. Sic & Epheſ. 6. 9. τὰ αὐτὰ pro ὁμοίως. Contra vero Matth. 7. 12. οὕτω eſt τὰ αὐτὰ, vel ταῦτα. Σταθεὶς hic (ut & cap. 19. 8. & infra hic com. 40.) merus idiotiſmus eſt, qui minus animadverſus negotium interpretibus faceſſivit: vide ad Matth. 6. 5. annotata.

Ibid. Οὐκ εἰμὶ ὥσπερ οἱ λοιποὶ] Calanus de Gymnoſophiſtis ſuis apud Philoſtratum, Ἑλλήνων Φιλοσόφων οὐκ ἐχομαιμένων. Οὐκ εἰμὶ ὥσπερ οἱ λοιποὶ locutio eſt ſe vel alios è numero vulgarium eximentis. Apoſtolus (vere autem, non jactanter,) 2 Cor. 2. 17. Οὐκ ἐσμὲν ὡς οἱ πολλοὶ, &c. Idem 1 Theſſ. 5. 16. Μὴ καθεύδωμεν ὡς καὶ οἱ λοιποί· & ibidem 4. 13. ἵνα μὴ λυπῆσθε, καθὼς καὶ οἱ λοιποί· ſupra hic 8. 10. Τοῖς δὲ λοιποῖς γνῶναι τὰ μυστήρια, &c. τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, &c. Eph. 4. 13. μηκέτι ὑμᾶς περιπατεῖν καθὼς καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη· & 2. 3. ibidem, ὡς καὶ οἱ λοιποί. 2 Cor. 3. 1. ὥς τινες, & Heb. 11. 25. ὡς ἔθος τισίν. His adde quæ ad Plinii l. 1. epiſt. 10. ea, *Negue ego, ut multi, invideo*, &c. annotavimus.

Ibid. Ἅρπαγες] Ἅρπαγες ſunt, *qui in alienis arripiendis accipitrum ritu vitam ſectantur*, quod de Antiocho lib. 27. Juſtinus dixit. Gloſſarium, Ἅρπαξ, *raptor, rapax.* Martialis,

Rape, congere, aufer, &c. *relinquendum eſt.*

Vide ad Apuleii lib. 9. pag. 506. annotata.

Ibid. Ἄδικοι] In eodem Gloſſario, Ἄδικος, *injuſtus, injurius, iniquus:* ut diſtinguatur autem vox iſta à proxime præcedente, ἀδίκως expone,

Qui fidis cauſis innocentes opprimunt.

Ibid. Ἢ καὶ ὡς οὗτος ὁ τελώνης] Egregium præconium ſane: quaſi vero bonitas ſit peſſimis meliorem eſſe: aut *laudis ſit aliena non rapere*, ut eſt apud Ammianum Marcellinum. Seneca Præfat. lib. 1. Natur. quæſt. *Quid eſt cur ſuſpiciamus noſmet ipſos quia diſſimiles deterrimus ſumus? non video quare ſibi placeat qui robuſtior eſt valetudinario.* Idem 85 Epiſt. *Quid ſi miretur velocitatem ſuam Ladas, ad claudos debileſque reſpiciens?*

cient? &c. *hæc eſt pernicitas per ſe æſtimata, non quæ tarditatum collatione laudatur.* Salvianus 2 de Avaritia, *Infelicissimum conſolationis genus eſt de miſeriis hominum peccatorum ſolatia capere.* Photius 174 Epiſt. Μὴ ὅτι χείρους ἔχομεν ἑαυτοὺς νομίζεσθαι, ἀλλ' εἴ τινων ἐλάττους ἐλεγχθῶμεν, αἰσχυνώμεθα. ἀρετείας, οὐχ ὅταν λειποταξίας ἐχ ἅλω, οὐδ' ὅταν τῶν Φυγάδων ἥχ ἥττων ἀφθῇ, σεμνὸς εἶ καὶ παρίλεκτος, ἀλλ' ἐκεῖθ' ἂν τῶν συσπατιωτῶν πρείττων ἀναφάνῃ, &c. Vulgat. *velut etiam hic publicanus:* lege, *vel etiam ut hic publ.*

Com. 12. Νηστεύω δὶς τῦ σαββάτου] Diebus quinto & ſecundo. Tacitus Hiſtor. 5. de Judæis, *Longam olim famem crebris adhuc jejuniis fatentur.*

Ibid. Ἀποδεκατῶ πάντα] Δεκατεύειν Heſychio eſt τελωνεῖν, δεκάτην εἰσπράττεσθαι & Δεκατευταὶ, οἱ τὴν δεκάδα ἢ δεκάτην ἐπιλέγοντες. His relativum ἀπεδεκατῶν.

Com. 13. Οὐκ ἤθελεν οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπᾶραι]

- - - Non auſus cœli contagia tueri.

Heſychius, Πτίξαντα τὴν ὄψιν, εἰς τὰδαΦος καταβάλλοντα. Legendum videtur πτήξαντα, & verba illa ſupra ſuo loco reponenda. Virgilius,

Illa ſolo fixos oculos aversa tenebat:

& alius quis,

Lumina fixa tenens plena pudoris humo.

Sic ſolent autem ſtricta criminum ſuorum æſtimatione perculſi. Eſdræ 9. 6. Κύριε, ᾐσχύνθην, καὶ ἐντρέπομαι τῦ ὑψῶσαι τὸ πρόσωπόν μου πρός σε. Apud Ariſtophanem in Equit. ad illa, τί κύπτεις; reſpondetur,

Αἰσχύνομαί τοι ταῖς πρότερον ἁμαρτίαις.

Sic, ψυχὴ λυπουμένη, καὶ ἡ ἐπὶ τὸ μέγεθος (τ. ἁμαρτιῶν) κύπτουσα βαδίζει, 2. 18. Baruchi: &, ὑπ' αἰσχύνης εἰς τὴν γῆν κύπτειν, apud Plutarchum in Ageſilai vita. Chryſoſtomus homil. 20. ad Pop. Antiochenum, Πρὸς οὐδένα ἀνθρώπων ἀντιβλέψαι τολμῶντες, οὐδὲ αὐτὸν ἰδεῖν τὸν ἅλιον ἐλευθέρους ὀφθαλμοῖς, τῆς αἰσχύνης πανταχῆ καταγελώσης τὰ βλέφαρα, καὶ ἐγκαλύπτεσθαι κατεναγκαζούσης. Apud Quintilianum 12. Declam. ille, *Gravior indies facti pœnitentia eſt*, &c. *lucem ac Solem intueri non audeo.* Symeon Metaphraſtes de juvene prædone, Ἔσχε, τῷ ἐδάΦει ἀτενὲς ἐνορῶν, μηδ' ὑπ' αἰδῦς ἀνανεῦσαι δυνάμενος. Philo, de Flacco, Ἀπέβαινεν (ex navi nempe) πᾶς εἰς τὰδαΦος νεύων, &c. οὐδ' ὅσον ἀναπτύσαι θέλων ἢ τολμῶν. Apulejus in Apologia, *Spectæ*, &c. *ut hiſce auditis ſubito obſtupuerit, ut oculos ad terram demiſerit.* Cicero Catil. 3. *Sic conſtupuerant, ſic terram intuebantur*, &c. *ut non ab aliis judicari, ſed à ſeipſis viderentur.* Tacitus Hiſtor. 4. de Romanis legionibus, *Stabant conſcientia flagitii mœſta, fixis in terram oculis:* & Curtius de Alexandri M. militibus, *Obortis lacrymis terram intuebantur, nec aut erigere vultus, aut loqui audebant.* Zeno Veronenſis, ad matronam quamvis monilibus, auro, &c. onuſtam, *Cervicem curvas, non religione, ſed pondere:* (graviter, nec ſine gratia tamen,) Serm. de Avarit. 2.

Ibid. Ἱλάσθητί μοι] Lactantius 6. 25. *Ut Deo charus ſit*, &c. *miſericordiam Dei ſemper imploret, nihilque aliud precetur niſi peccatis ſuis veniam.* Congruenter autem demiſſum publicani vultum hæc oratio inſequitur. Virgilius,

Sic Dea ſubmiſſo contra Saturnia vultu.

Ubi Servius, *Submiſſo vultu habitum futuræ orationis oſtendit.*

Com. 14. Δεδικαιωμένος ἢ ἐκεῖνος] Quia ille deteriorem cauſam ſuam vel ipſa confidentia fecerát. Salvianus lib. 3. *Quamvis placere Deo aliquis ſtudeat, hoc ipſum tamen genus maxima injuſtitia eſt, ſi ſe juſtum præſumat.* Idem, *Præſumpta ſpes ſarcina ſunt reatus, uſurpata abſolutio damnationem parit.* Lactantius ubi ſupra, *Quæ tamen ipſa* (oratio) *ut Deo ſit accepta, & humilitate, & timore, & devotione maxima eſt opus: ne quis forte integritatis & innocentiæ fiduciam gerens, & arrogantiæ crimen incurrat, eoque facto gratiam veritatis amittat.* Gloſſarium, ex hoc Lucæ loco, Δεδικαιωμένος, *juſtificatus.*

Com. 15. Οἱ μαθηταὶ ἐπετίμησαν αὐτοῖς] Importunam Gehazi ſedulitatem ſecuti, 2 Reg. 4. 27.

Com. 16. Ἄφετε τὰ, &c. ἔρχεσθαι πρός με] In Plauti Truculento,

Sine eum ipſum adire, ut cupit, ad me.

Ibid. Καὶ μὴ κωλύετε αὐτὰ] Arnobius lib. 2. *Deus ſublimibus, infimis, ſervis, pueris, uniformiter poteſtatem veniendi ad ſe dat.* Herodianus 1. de Marco Imperatore, Τοὺς προσιόντας δεχόμενος, κωλύων τε τὰς περὶ αὐτὸν δορυΦόρους ἀτοσοβεῖν τοὺς ἐντυγχάνοντας. ἌΦετε, καὶ μὴ κωλύετε, bene Græca locutio eſt. Sic Judic. 14. 16. μισεῖν, καὶ οὐκ ἀγαπᾶν· apud Ælianum 6. de Animalibus, ἐᾶν, καὶ μὴ ἀνείργειν· & è converſo apud Plutarchum in Ageſilao, ἀν ἐᾶν, ἀλλὰ κωλύειν· adde ad Act. 13. 11. adducta. Implet autem hic Chriſtus & ſecundum literam quod Joh. 6. 37. dixerat, τὸν ἐρχόμενον πρός με οὐ μὴ ἐκβαλῶ ἔξω.

Com. 17. Ὅς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τῦ θεῦ ὡς παιδίον, &c.] Id eſt, ea ſimplicitate mentis quæ in pueris apparet, abjecto ſcilicet omni ſapientiæ mundanæ tumore, allaroque animo docili, firmoque obediendi propoſito. Hoc ſere 1 Pet. 2. 2. ἀποτίθεσθαι δόλον, ὑπόκρισιν, &c. καὶ ὡς ἀρτιγέννητον βρέΦος τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα ἐπιπόθειν.

Com. 18. Ἐπερώτησέ τις αὐτὸν, &c. τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;] In Hiſpanicis Appiani Alexandrini, Τὸν Λούκυλλον ἱκέτευον τί ποιοῦντες ἂν εἶεν Φίλοι. Vide ad Matth. 19. 16. dicta. Seneca 52 Epiſt. *Et hoc multum eſt velle ſalvari.*

Com. 19. Οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός] Simplicius in c. 1. Epicteti, Ταυτόν ἐστιν ἓν, καὶ ἀρχὴ, καὶ ἀγαθὸν, καὶ θεός· vide ad Matthæum dicta. Poſt εἰς ὑποζυγιὴ ponenda. Vide ad 1 Tim. 2. 5. annotata.

Com. 21. Ταῦτα πάντα ἐΦυλαξάμην ἐκ νεότητός μου] Sed contrario Jerem. 22. 21. Αὕτη ἡ ὁδός σου ἐκ νεότητός σου. Scriptor vitæ Tobiæ 2. 13. *Ab infantia ſua Deum ſemper timuit, & mandata ejus cuſtodiit.* C. Marius apud Salluſtium, *Ita ad hoc ætatis a pueritia fui, ut omnes labores, pericula conſueta habeam:* & poſt, *Mihi qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benefacere jam ex conſuetudine in naturam vertitur.* Hinc Heſychio Φυλακὴ, &c. τήρησις ἐντολῶν.

Com. 22. Πάντα ὅσα ἔχεις, πώλησον] Ita Matth. 13. 44. πάντα ὅσα ἔχει, πωλεῖ.

Ibid. Πάντα ὅσα ἔχεις, πώλησον] Hæc via maxime compendioſa ad thęſaurum illum, hæc optima & facillima ratio gemmam acquirendi illam: vide Matth. 13. 14. Chriſtum autem his verbis non præcipere ſed hortari monereque manifeſtum eſt ex Matth. 19. 21. ἰὼ, εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, &c. D. Hieronymus ad Pammachium, *Semper grandia in audientium ponuntur arbitrio: non tibi imponitur neceſſitas, ut voluntas præmium conſequatur.*

Ibid. Καὶ δὸς πτωχοῖς] Idem in Fabiolæ Epitaphio, *Cenſum omnem*, &c. *vendidit, & in pecuniam congregatum uſibus pauperum præparavit.* In Gloſſis, *Congiarium*, &c. διάδοσις.

Ibid. Καὶ ἀκολούθει μοι] Id eſt, ut poſſis toto animo, nec reſpectans, me ſequi, vende totam ſubſtantiam tuam. D. Ambroſius Offic. 1. 30. *Deus non vult ſimul effundi opes, ſed diſpenſari: niſi forte ut Heliſæus, qui boves ſuos occidit, & pavit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domeſtica, ſed relictis omnibus, in diſciplinam ſe propheticam daret.*

Ibid. Καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ] q. d.

Nunc ſere, quæ plena poſt modo falce metas.

Tertullianus ad Martyres, *Negotiatio eſt aliquid amittere, ut majora lucreris.* Euthymius ad Matth. 5. ea, AMPUTA, ET ABS TE PROJICE, *Quia rem duram præceperat, lucrum in poſterum demonſtravit.* Seneca de Vita beata, cap. 24. *Nunquam magis nomina facio quam cum dono.* Hieronymus de Paula, *Cuncta largita eſt, exheredans ſe in terra ut hereditatem inveniret in cœlo.* Suidas, ex neſcio quo, de Ædeſia, Θησαυρὸν ἡγουμένη τῆς ἀμείνονος ἐλπίδος εἴ τις ἐθέλοι τοῖς, &c. ἐπιπόθητον ἀνθρώποις ἐπιπνοΦίζειν τὲ ἄχθη τῆς χρησμοσύνης, εὐδενὸς ἐΦείδετο. De theſauro iſto vide ſupra ad 12. 33. annotata.

Com. 23. Περίλυπος ἐγένετο] Matthæus, ἀπῆλθε λυπούμενος, Ita apud Plutarchum in περὶ ἀοργησίας, Ἀπῆλθε περίλυπος γενόμενος.

Com. 24. Πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰσελεύσονται εἰς τὴν βασιλείαν τῦ θεῦ;] Hermas 3. 9. de divitibus, *Sicut excalceatis pedibus difficile in tribulis ambulatur, ſic & hujuſmodi hominibus difficile eſt in Dei regnum intrare.* Seneca Epiſt. 59. *Erras, qui inter divitias illuc venturum te ſperas:* ubi *illuc* eſt ad bonam mentem, quæ nos ducit ad cœlum. Πῶς hoc, eſt ὡς, quod Θαυμαστὸν ἐπίθημα eſſe notavit Heſychius. Apriora autem ad hæc Chriſti verba ſunt quæ habet Ariſtophanis Scholiaſtes ad ea initio Pluti, ὡς ἀργαλέον, &c. Πλάνητας

πλουτεῖ ἡ διάνοια ἐκ τῆ θυμάτος καὶ σχετλιασμῆ· τὸ γὰρ Ω'ς ἐπιβάλημα ἐπεμφατερίζει. Δυσπόλως Vetus *difficile*, non *difficulter*, vertit; ita in Gloſſario, Δυσερῶς, *difficile*. Notemus autem ex Chriſti verbis ad cœlum inter illecebras diviriarum pervenire, τῶν ἀδυνάτων non eſſe, ſed τῶν δυσκόλων. Terent. Andr. *Difficile eſt*: ubi Donatus, *Non dicit, impoſſibile eſt.* Epictetus cap. 18. Οὐ ῥᾴδιον καὶ τὴν προαίρεσιν αὐτῆ, &c. Φυλάξει, καὶ τὰ ἐκτός· ad quæ Simplicius, Α'σφαλῶς ἐκ εἶπεν, ἀδύνατον, ἀλλ' ὡ ῥᾴδιον, διὰ τὰς πολλὰς Φύσεις· quæ & commode dici poſſunt de divitiis: nonnulli enim, at illi quidem perpauci, eo viatico inſtructi, non ad mundanas amœnitates deflectunt, at recto ad cœlum itinere contendunt. Nec omittendum, non hic οἱ πλούσιοι dici, ſed, οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες. Euthymius ad hunc Lucæ locum, Οἱ ἔχοντες *ſumitur pro retinent, vel recondunt, nec utuntur: cum pecunia χρήματα dicantur διὰ τὴν χρῆσιν.*

Com. 25. Εὐκοπώτερόν ἐςι κάμηλον διὰ τρυμαλιᾶς ῥαφίδος εἰσελθεῖν, ἢ πλούσιον, &c.] Lactantius 6. 4. *Nec enim poteſt qui ſe apparatu regio circumdederit, aut divitiis oneraverit, angustias illas* (viæ cœleſtis angustias intelligit,) *vel ingredi, vel tenere.* Euthymius ad hæc Chriſti verba, *Sicut foramen acus non eſt capax cameli propter nimiam angustiam ſui, & propter grandem illius molem: ita via qua ducit ad vitam non capit divitem propter ſui angustiam, & propter hujus tumorem.* Alienum ab hoc Chriſti proverbiali dicto non eſt Ennii illud,

\- - - *Prius pariet locuſta lucam bovem:*

quo itidem ex rei minimæ reique maximæ oppoſitione enunciatio fit cujuſvis rei tam arduæ ut ad impoſſibile accedat.

Com. 27. Τὰ ἀδύνατα παρ' ἀνθρώποις δυνατά ἐςι παρὰ τῷ θεῷ] Philo in De Abrahamo, Πάντα εἰσὶ θεῷ δυνατὰ καὶ ὅσα ἂν ἀμηχάνα παρ' ἀνθρώποις κεῖται. Idem lib. περὶ τῦ μίσθωμα, &c. Ὦ (θεῷ) δυνατὰ τὰ παρ' ἡμῖν ἀδύνατα. Ovid.

\- - - *Facile eſt omnia poſſe Deo.*

Com. 28. Ἀφήκαμεν πάντα, &c.] In Andria Terentiana, *relictis rebus:* ubi Donatus, *Adeo præpoſuit hoc negotio rebus omnibus.*

Com. 29. Ὃς ἀφῆκεν, &c. γονεῖς, &c.] Sedulius ad 2 Corinth. 6. illud, ET ERO VOBIS IN PATREM, *Si vos parentes infideles abdicaverint, me habebitis patrem ſempiternum.*

Com. 30. Ὃς ὐ μὴ ἀπολάβῃ πολλαπλασίονα, &c.]

\- *Officio merces plenior iſta ſuo eſt.*

Plautus Capt.

Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravida eſt bonis.

Simplicius in cap. 37. Epicteti, Τῷ θεῷ δανείζει τις τὰς ἀγαθὰς, &c. πρᾶξεις, καὶ μετὰ τόκων μεγάλων γίγνωμενόσερον ἀνθρώπῳ αὐτὸς ἀποδίδωσι· ubi quid aliud μετὰ τόκων μεγάλων ἀποδιδόναι quam quod hoc facere ut quis ἀπολάβοι πολλαπλασίονα; Julianus in quadam Epiſtola ſua cujus pars magna intercidit, Ἐγὼ πολλάκις τοῖς δεομένοις προέμενος, ἐκτησάμην αὐτὰ παρὰ θεῶν πολλαπλάσια· ubi & πολλαπλάσιον, ut apud Lucam πολλαπλασίονα.

Ibid. Πολλαπλασίονα νῦν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ] Euthymius ad Matth. 5. ea, ACCIPIENT HEREDITATEM TERRÆ, *Quidam hoc terram intellectualem cœlum eſſe dicunt. Chryſoſtomus vero ait quod & ſenſibilem pro præmio poſuerit, propter craſſiores, qui ſenſibilia potius quam intelligibilia quærunt.* Apoſtolus 1 Tim. 4. 8. Ἐπαγγελίαν ἔχει· τῆς νῦν ζωῆς, &c. ad quem locum annotata vide. Commode & ad hunc ſenſum trahas illud μέτρον σεσαλευμένον καὶ ὑπερεκχυνόμενον, quod beneficis etiam in hac vita repenſarum iri ſupra hic 6. 38. idem Chriſtus promiſit.

Com. 31. Ἰδὺ ἀναβαίνομεν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ τελεσθήσεται πάντα, &c. τῷ υἱῷ τῦ ἀνθρώπυ] Paulus eodem fere modo Act. 20. 22. Ἰδὺ, &c. πορεύομαι εἰς Ἱερουσαλὴμ· & poſt, τὸ πνεῦμα, &c. διαμαρτύρεται ὅτι δεσμά με καὶ θλίψεις μένουσιν. Mihi autem (quod placere nonnullis video) non videntur hæc Lucæ poni pro τελεσθήσεται ἐν τῷ υἱῷ· at τελεῖσθαι hic eſſe quod Marc. 11. 23, 24. εἶναι· quod 1 Cor. 4. 5. γίνεσθαι· quod 1 Pet. 5. 9. ἐπιτελεῖσθαι· in quibus omnibus locis videre eſt & dativum adjunctum.

Com. 32. Καὶ ἐμπτυσθήσεται] Αὐτῷ (ut Marc. 10. 34.) ἐμπτύσουσιν. Sic Var. 1. 15. Ælianus, αὐτοῖς ἐμπτύει.

Ibid. Κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν] In Gloſſario, Κεκρυμμένον, *obductum, occultum, celatum.*

Com. 34. Καὶ ἰδὲν τούτων συνῆκαν] Sic Act. 18. 17. idem Lucas noſter, καὶ ἰδὲν τούτων τῷ Γαλλίωνι ἔμελεν.

Ibid. Καὶ ἦν ἐγκεκρυμμενον τὸ λεγόμενον] Unus idemque ſenſus tripliciter variatus, ut non ſemel in his libris: vide ad Act. 14. 8. notata.

Com. 39. Ἐπετίμων αὐτῷ ἵνα σιωπήσῃ· αὐτὸς δὲ πολλῷ μᾶλλον ἔκραζε] In fabulis Phædri,

Rogata eſt ut taceret, multo validius
Clamare cœpit. - - -

Com. 40. Σταθεὶς δὲ ὁ Ἰησῦς, &c.] Σταθεὶς hic non eſt gradum ſiſtens: abundat, ut & ſupra hic com. 11. ςαθεὶς ὁ Φαρισαῖος. Vide ad Matth. 6. 5. annotata.

Com. 42. Ὁ Ἰησῦς εἶπεν αὐτῷ, Α'νάβλεψον] Α'μα ἔπος εἶπε καὶ τὸ ἔργον ἐποίει, ut in illo Matth. 8. 3. καθαρίσθητι. Ad ſimilem Æneam Venus apud maximum Poëtarum,

Jam ſummas arces Tritonia (reſpice) Pallas
Inſidet. - - -

Ad quem locum Servius in ſchedis Fuldenſibus, *Dicendo, reſpice, oſtendit vere jam caliginem ab oculis ejus ſublatam eſſe.*

Com. 43. Καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἰδὼν, ἔδωκαν αἶνον θεῷ] Ἤρξαντο (ut infra 19. 37.) θεὸν αἰνεῖν. Apulejus 11. *Populi mirantur*, &c. *tam evidentem maximi Numinis potentiam, claraque & conſona voce*, &c. *teſtantur tam illuſtre beneficium.*

CAP. XIX.

VALLA.

4. QUia inde erat tranſiturus] *Illac* dicendum erat: & ſic Græce habet, δι' ἐκείνης.

31. *Quia Dominus operam ejus deſiderat*] Αὐτῷ χρείαν ἔχει. Eadem verba paulo poſt aliter transferuntur.

34. *Quia Dominus eum neceſſarium habet*] Neutro in loco dictum eſt *operam*: dicitur enim Græce *Quia Dominus eo opus habet*, & hic *neceſſarium eum habet*, pro *neceſſe eo habet.* Sed poteſt videri recte circumlocutus Interpres quod ait, *Quia Dominus operam ejus deſiderat.* Cui ſimile eſt illud poſterius, 22. 71. *Quid adhuc deſideramus teſtimonium? τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτυρίας*; quod alius tranſtuliſſet, *Quid opus habemus amplius teſtimonio?* vel, *Quid amplius neceſſe habemus teſtimonio?*

REVIUS in VALLAM.

4. Δι' ἐκείνης] Omiſſa erat præpoſitio.

ERASMUS.

3. STatura puſillus erat] Quod hic *ſtaturam* vertit, alibi vertit *ætatem*, Græce eſt ἡλικία.

4. *In arborem ſycomorum*] Lucas *ſycomoream* poſuit, quam eandem eſſe volunt cum ea quam *Sycomorum* appellant, quamque c. 17. 6. vocavit *Sycaminum.* Celſus *Moroſycon* appellat, i. *fatuam ficum*, & in 5. indicat Sycomorum & Sycaminum eandem eſſe arborem. Hæc Plinio ac Theophraſto *ficus Ægyptia* dicitur; quod exiſtiment ibi tantum provenire: cum Hieronymus enarrans Amos 7. teſtetur fuiſſe qui putarint hoc eſſe *genus arboris Paleſtinæ* peculiare, gaudens locis *campeſtribus, ac ficus afferens agreſtes; quod niſi vellicetur, amariſſimas caricas facit, & fructus à culicibus corrumpitur.* Quanquam Hieronymus horum ſententiæ non accedit, negans in ea *ſolitudine in qua morabatur Amos ullam hujus generis arborem gigni*: ac mavult Prophetæ ſermonem accipi de *moris* agreſtibus, quæ *rubi* porrigunt, ut his *paſtores famem ac penuriam ſuam conſolentur.* Dioſcorides lib. 1. περὶ τῆς ὕλης ἰατρικῆς cap. 182. docet hanc arborem, ut dictum eſt, tribus appellari nominibus, *Sycomorum*, *Sycaminum*, & *Ficum Ægyptiam*; addens hinc cognomen additum fœtui quod *ignavi* ſit *ſaporis.* Quod idem ſcriptum eſt à Theophraſto, qui indicat & in Cypro naſci Sycomorum, ſed ab Ægyptia ſpecie diverſam. Siquidem Ægyptia foliis noſtram Morum refert, fœtu Ficum noſtrarem, niſi quod eum non profert ramis ſed ex ipſo caudice, non matureſcentem niſi ferreis unguibus ſcalpatur.

Cy-

Cypria vero foliis non abſimilis eſt Ulmo: fructum edit Pruno magnitudine æqualem, ſed ſuaviorem. Porro quod Lucas pro *ſycomoro ſycomoraam* nominat, neminem oportet moveri, cum Græci μορέαν appellant quam Romani *morum*, ſi Dioſcoridi credimus. Multis argumentis videri poterat Caprifici genus, vel quod ſucco ac ſapore caprifici fœtus referat, ut docet Theophraſtus, interprete Gaza, adeo, ut quemadmodum refert Plutarchus, Athenienſis quidam dicaculus per contumeliam Syllam vocarit συκάμινον ἀλφίτῳ πεπαγμένον *Sycomorum polenta maceratum*, quod in facie rubor candori inſperſus viſeretur. Alioqui videri poterat exprobrata ſtultitia, ſi συκάμινος ſcribatur per ω μέγα. Ita ferme Plutarchus in hujus Vita, quod ad convitii rationem attinet. Nec inficior conſtanter apud autores per ο μικρὸν ſcribi, atque haud ſcio an depravate; præſertim cum *morus* arbor, cui cognata eſt Sycomorus ob foliorum ſimilitudinem, apud Naſonem ac Palladium mediam habeat productam. Athenæus lib. 2. prodit συκάμινον nomen eſſe commune; ſolos Alexandrinos appellare μόρον ſive μορέην. Sed de Sycomoro jam ſatis arbitror dictum, quod ad hoc inſtitutum pertinet. Quod ſi quis exiſtimabit ad myſterii rationem pertinere exactius noſſe hujus arboris vim ac formam, autores indicavimus unde poſſit petere. ¶ *Quia inde*] Ἐντεῦθεν *illac*: nec enim eſt ἐκεῖθεν. Ambroſius legit *illa parte* pro *illac*.

7. *Ad hominem peccatorem divertiſſet*] Εἰσελθὼν καταλῦσαι *ingreſſus eſſet ad diverſandum apud illum*.

8. *Et ſi quid aliquem defraudavi*] Ἐσυκοφάντησα, quod eſt proprie *delationibus extorquere* aliquid, hic pro quacunque *fraude* poſuit.

9. *Eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ*] Paulo durius eſt quod hæc ſub tertia perſona pronunciantur à Chriſto, præſertim cum non ſcribatur ad alios verſus. Proinde ſuſpicor quod Græce dicitur *filium Abrahæ* non pertinere ad *Zacchæum*, ſed ad *domum*, quæ Græcis eſt maſc. generis. Nam quemadmodum nos *domum Chriſtianam* diceremus, ita ille domum dixit *filiam Abrahæ*, quod Abraham patrem fide imitaretur. Sub hac lectione manet tamen idem ſenſus quem adferunt vetuſti interpretes: per *domum* enim intelligitur *paterfamilias*. Plenius tamen eſt domum appellari *filiam Abrahæ*, quod talis eſſe ſolet familia qualis eſt paterfamilias. Theophylactus legit & interpretatur ipſam domum dictam *filium*, ſed per *domum* intelligi Zacchæum inhabitatorem. Porro generis incongruentia locum fecit errori, quæ apud Latinos eſt, apud Græcos non eſt. Si per *domum* deſignatur Zacchæus, dure dómus dicitur *filius*, durius *filia* Zacchæus.

12. *Homo quidam nobilis*] Εὐγενὴς *clarus & claro genere prognatus*. Nam *nobilis* eſt qui quocunque modo notus eſt vulgo.

13. *Decem minas*] Latini interponunt *i*, dicentes *minas*. In pleriſque Græcis cod. reperio μνᾶς nominandi caſu, ἡ μνᾶς ex quod errorene an ſtudio factum ſit incertus ſum.

15. *Quantum quiſque*] Τίς τί *quis quid*, ad eam formam, *Quem cui commendes etiam atque etiam aſpice*: Et, *Quid cui des. Quid cui credas*.

17. *Euge ſerve bone*] i. *Recte, bone ſerve*. Collaudat enim ſervum functum officio ſuo.

23. *Exegiſſem illud*] *Illam* erat dicendum, quemadmodum ſcriptum comperi in duobus cod. D. Donatiani. Sed ἀργύριον apud Græcos eſt neutri generis. Et Interpres oblitus ſe vertiſſe *pecuniam*, non *argentum*, reliquit *illud*. Ad hæc, quod hic vertit *Exegiſſem* Græcis eſt ἔπραξα, idem verbum quod ad eundem modum verti oportuit ſuperius cum de publicanis loqueretur, *Nihil amplius quam quod vobis conſtitutum eſt facitis*.

26. *Omni habenti dabitur, & abundabit*] *Et abundabit* nec eſt in Græcis cod. nec in Aureo, nec in Conſt. ſuſpicor ex alio Euangeliſta huc aſcriptum. ¶ *Et quod habet, auferetur ab eo*] *Ab eo* additum eſt ex idiomate ſermonis Hebræi, ne quis velut à nobis oblivione prætermiſſum reponat.

28. *Præcedebat aſcendens*] Ἐπορεύετο ἔμπροσθεν ἀναβαίνων, i. *procedebat*, h. e. *pergebat, ire*, ſive *aſcendere*.

30. *In caſtellum quod contra vos eſt*] Εἰς τὴν κατέναντι κώμην *in caſtellum quod ex adverſo eſt*. Tam enim erat contra Chriſtum quam contra Apoſtolos. In Aureo cod. tantum habebatur *quod contra eſt*. Itidem Conſtantienſi, & in meo veteris typographiæ. ¶ *Pullum aſinæ*] In Græcis cod. non additur *aſinæ*: tantum eſt πῶλον· & tamen neſcio quorum errore reperi id additum in editione ſecunda. Ex Ambroſii Commentariis ſatis colligi poteſt illum legiſſe quemadmodum legunt Græci: ait enim, *Et ideo ſecundum Matthæum & Aſinam & Pullum legimus*, &c. ¶ *Cui nemo unquam*] *In quo nunquam* legendum eſt, ἐφ' ὃν, ſuffragantibus & antiquiſſ. exempl. & Origene: licet Interpres recte verterit.

31. *Quia Dominus*] Ὅτι anceps eſt; & hoc loco aut erat Interpreti omittenda conjunctio, aut vertenda *Quod*: itidem in proximo loco. ¶ *Operam ejus deſiderat*] Αὐτῷ χρείαν ἔχει *eo opus habet*.

32. *Sicut dixerat eis, ſtantem pullum*] *Stantem pullum* non addunt Græci codices. Apparet additum à Latino quopiam, quo ſermo foret dilucidior. Sed abſolutior eſt ſermo ſi non addatur *ſtantem pullum*: ut intelligas illos comperiſſe quicquid prædixerat Dominus.

34. *Quia Dominus eum neceſſarium habet*] Hæc Græca nihil diſſident à proximis, ubi vertit *Dominus ejus operam deſiderat*, cum utrobique ſit αὐτῷ χρείαν ἔχει *illo opus habet*.

35. *Et jactantes*] Καὶ ἐπιῤῥίψαντες. *Et injecto veſtimento*, ſive *pallio*, *ſuo*.

37. *Omnes turbæ deſcendentium*] Ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν *univerſa turba diſcipulorum*. Nam mox jubetur *increpare Diſcipulos*. Probabile eſt Interpretem vertiſſe *diſcentium*. Atque ita ſcriptum adhuc viſitur in nonnullis pervetuſtis cod. In Conſt. apparebat raſuræ veſtigium.

38. *Gloria in excelſis*] Ἐν ὑψίστοις *in altiſſimis*.

40. *Lapides clamabunt*] Κεκράξονται· quod Græci vocant μετ' ὀλίγον μέλλον *paulo poſt futurum*: & habet urgens quiddam ac vehemens. Itaque nos vertimus *mox lapides clamabunt*.

42. *Quia ſi cognoviſſes & tu*] Omittenda erat conjunctio *quia* ὅτι, quæ ex idiomate Græcanici ſermonis apponitur aliquoties affirmandi gratia. D. Hieronymus in Commentariis Eſaiæ non ſemel hunc citat locum, ſed ſenſu nonnihil immutato, videlicet iis verbis, *Si ſcires etiam tu quæ ad pacem ſunt tibi*. Deinde ſubjicit de ſuo, *Quam quia non ſuſcepit, intulit, Nunc autem venient dies ſuper te*, &c. Conſimiliter adducit & enarrat hunc locum, exponens Micheæ 2. Quæ quidem interpretatio, ut longe lateque diſſonat à recentium Theologorum interpretatione, ita vehementer conſentit cum Græca veritate & interpretamento Theophylacti. Nam Græci ſic habent, ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σὺ γε, ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ, τὰ πρὸς εἰρήνην σου, *Si noſſes & tu ſane in die tuo hoc, quæ ad pacem tuam*: ut ſubaudias *quæreres*, ſitque ſenſus, Hic dies eſt tuus, quo te inviſit Redemptor: quod ſi intelligeres quantum boni tibi offeratur, ſaltem tu curares quæ ad pacem tuam pertinent, h. e. crederes & obtemperares mihi. Ad hunc modum legiſſe videtur D. Hieronymus. Cæterum in pleriſque cod. ita ſcriptum eſt, Εἰ ἔγνως καὶ σὺ, καί γε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ τὰ πρὸς εἰρήνην σου, *Si noviſſes & tu, ſaltem in die tuo hoc quæ ad pacem tuam pertinent curares*. Nec eſt otioſa conjunctionis iteratio καὶ & καί γε, quod prior ad perſonam Urbis pertinet, altera ad diem: ut intelligamus adventum peculiariter pertinere ad civitatem Hieruſalem, præſertim eo die quo adveniebat jam moriturus. Licet altera conjunctio non addatur apud Origenem, aut quiſquis eſt autor hom. 38. Porro quod recentiores interpretantur, *Si noviſſes imminentia tibi mala, fleres & tu*, &c. non cohæret cum eo quod ſequitur, *Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*. Repetit enim Chriſtus quod dixerat, *Si cognoviſſes*, nimirum indicans eos non agnoſcere diem ſalutis ſuæ. Et hæc dixerim nullius ſententiæ præjudicans. Certe Cyrillus, qui citatur in Catena, *Si cognoviſſes* refert non ad mala imminentia ſed ad intelligentiam Prophetiarum de Chriſti adventu. Et Euſebius ibidem citatus *pacem* non refert ad delicias hujus mundi, quemadmodum Gregorius, ſed ad reconciliationem humani generis: ne quis credat omnino ſomnium eſſe quod adduximus.

44. *Ad terram proſternent*] Καὶ ἐδαφοῦσι· ἔδαφος ſolum ſive *pavimentum*. Inde ἐδαφίζειν *ſolo æquare*. Plus enim dixit Lucas quam verterit Interpres. ¶ *Tempus viſitationis*] Ἐπισκοπῆς *inſpectionis*. Interpres legiſſe videtur ἐπισκέψεώς σε.

48. *Suſpenſus erat audiens illum*] Ἐκρέμετο *pendebat*, h. e. inhiabat. Ita Virgilius,

Pendetque iterum narrantis ab ore.

VATABLUS.

3. *QUærebat*] Vel, *cupiebat*.

4. *Sycomorum*] *Sycomoraam*, i. ficum Ægyptiam. ¶ *Inde*] *Illac*.

7. *Murmurabant*, &c.] i. in culpam illud vocabant quod divertiſſet ad palam flagitioſum hominem. Gr. *ingreſſus eſſet ad divertendum*.

8. *Jeſum*] *Dominum*, Vet. ¶ *Do--rabdo*] Præſ. pro futuris; *dabo*, & *reddam*. Verba ſunt hominis agnoſcentis peccatum. ¶ *Defraudari*] Vel, *ſi quicquam delationibus vel malis artibus cuiquam extorſi.*

9. *Ipſe filius ſit Abrahæ*] Vel, *ipſa filia ſit Abrahæ.* Continens pro contento. i. imitatrix Abrahæ per obedientiam fidei.

11. *Hæc * illis*] * *Autem.*

12. *Accipere ſibi regnum*] Vel, venire in poſſeſſionem regni.

13. *Dum venio*] *Donec veniam.*

15. *Vocari * ſervos*] * *Illos.* ¶ *Dedit*] *Dederat.* ¶ *Quantum quiſque*] *Quid quis.*

17. *Euge*] Vel, *Recte.* ¶ *Modico*] *Minimo.* ¶ *Eris*] *Eſto*, &c. vel, *habe poteſtatem*, aut, *præficiaris decem civitatibus.*

22. *Judico*] *Judicabo.*

23. *Uſuris*] *Uſura.* ¶ *Illud!*] *Illam?* Vet.

26. *Dabitur *]* * *Et abundabit*, Vet.

27. *Interficite*] *Jugulate.*

29. *Appropinquaſſet*] *Appropinquaret.* ¶ *Olivoti*] *Olivarum.*

30. *Caſtellum*] *Oppidum.* ¶ *Contra *]* *E regione:* * *vos*, Vet.

31. *Operam ejus deſiderat*] *Eo opus habet.*

32. *Dixit*] *Dixerat.*

34. *Eum neceſſarium habet*] *Eo opus habet.*

35. *Jactantes*] *Cum injeciſſent.*

37. *Deſcenſum*] *Clivum.* ¶ *Deſcendentium*] *Diſcentium*, Vet. vel, *diſcipulorum.* ¶ *Virtutibus*] i. factis potentibus.

38. *Benedictus*] i. Celebrandus, Felix, Beatus. ¶ *Excelſis*] *Altiſſimis.* i. cum ſumma gloria & laude agantur gratiæ Patri.

41. *Flevit ſuper illam*] Vel, *illa:* vel, *deflevit eam.*

42. *Tibi*] *Tuam.* Reticentia eſt.

43. *In te*] *Adverſum te.* ¶ *Coanguſtabunt*] Vel, *anguſte continebunt.*

44. *Ad terram proſternent*] *Solo æquabunt.* ¶ *Cognoveris*] Vel, *agnoveris.* ¶ *Viſitationis*] Vel, *inſpectionis.*

45. *Vendentes *]* * *In illo*, Vet.

48. *Suſpenſus erat*] *Pendebat*, i. inhiabat.

CASTALIO.

2. *QUidam vir, qui nomine Zacheus vocabatur*] Quod dicturus ſum, id notius putaſſem quam ut memorandum eſſet, niſi vidiſſem in eo quoſdam labi, qui putent Zachæum non fuiſſe Iſraelitam: opinor, quoniam publicanus erat: quaſi vero non & Matthæus publicanus eſſet. Certe Judæum fuiſſe Zachæum multa ſunt quæ fateri cogant. Primum, quod ejus nomen Hebræum eſt. Deinde, quod contra Jeſum non eo fremunt Judæi quod ad Romanum aut barbarum ſed quod ad famoſum divertiſſet, non prætermiſſuri profecto ſi Zachæus non Judæus fuiſſet. Tertio, quod ſe dicit Zachæus *reddere quadruplum*; id quod ex Moſe didicerat: tametſi & Romanus idem in Judæa diſcere potuiſſet: ſed illud vero propius eſt. Quarto, quod cum dicit Jeſus *Abrahamidem* ſive *Abrahamo prognatum* eſſe. Id enim ſignificat τῷ Ἀβραάμ· id quod de Zachæo, non de domo dicitur: nam hoc durum & contra loquendi conſuetudinem eſſet. Nec obeſt quod perſonæ fit mutatio: eſt enim oratio oblique reddenda; id quod indicat vox ὅτι· quæ etiamſi abeſſet, tamen non eſſet abſurdum perſonam mutari, cum Chriſtus non ſolum Zachæum alloquatur, ſed etiam alios qui aderant: id quod apparet ex eo quod ſequitur, *Illis autem hæc audientibus:* & ſolet alioquin ſæpe perſonæ fieri mutatio. Nec placet quod *Abrahamidem* ideo vocari putant quod Chriſto fidem haberet: nam id eſſet inſolentius obſcuriuſque dictum quam ut eo tempore ab illo poſſet intelligi. Sed *Abrahamidem* vocat hominem Judæum; cui ideo ſalus allata ſit quod eſſet Abrahamo (cui ſalus promiſſa fuerat) prognatus. Quemadmodum Lucæ 13 dicit Chriſtus ſanandam fuiſſe illam feminam incurvam, quæ Abrahamo prognata foret. Itaque bene hunc locum Vetus reddiderat interpres.

42. *O ſi ſcires tu*, &c.] O te felicem, ſi me nunc, qui tibi ſalutem affero, agnoſceres.

44. *Quo tui habita cura fuerit*] Quo ego tui cauſa venerim.

CLARIUS.

12. *HOmo quidam nobilis*] Exſpectantibus *Regni terreni* declarationem, hac parabola indicat rem longe aliter caſuram quam opinabantur. Quod autem ait *accipere ſibi regnum*, tunc fuit cum aſcendit in cœlum & ſedit à dextris Dei: Interea vero miniſtros Regni reliquit, qui negotiationem conſentaneam Regno exercerent, donec in fine ipſe veniret. At Judæi, profecto illo in cœlum, perſecuti ſemper ſunt eum: tantum abeſt ut ſubjici ei vellent.

ZEGERUS.

1. *PErambulabat Jericho*] *Perambulabat*, διήρχετο, h. e. *pertranſibat*, *Jericho*; ne vagabundum arbitreris inambulaſſe per vicos civitatis.

3. *Et quærebat videre Jeſum* quis eſſet] P. Chryſologus non habet Serm. 54.

4. *Arborem ſycomorum*] *Sycomorus* dicitur à σῦκον ficus & μωρὸς fatuus, quod ignavi ſit ſaporis, ut docet Dioſcorides. Explicat hunc locum eleganter B. Auguſtinus Serm. De verbis Apoſt. 8.

9. *Eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ*] Græca ambigua ſunt ita quod *τὸ filius* poſſit etiam referri ad *dominum*, quod illis eſt maſculini generis. Verum cum ex ipſo contextu tum ex veterum interpretum conſenſu liquet potius ad *Zacchæum* referendum quam ad *dominum.*

23. *Exegiſſem illud*] Interpres vertens *illud* neutro genere, reſpexit ad præcedens, ubi dicitur *quod non poſui*, & *quod non ſeminavi.* Cæterum apud Græcos demonſtrativum hoc congruentius ad *pecuniam* refertur. Et *illam* potius legendum, juxta cod. citatos ab Eraſmo & Smaragdo. *Illud* tamen excuſari poteſt, quippe quod referre poſſit *quod poſui:* atque ita primum ſcriptum fuiſſe manifeſtat raſura in aliquot vetuſtis, & lectio Bedæ.

26. *Omni habenti dabitur*, & abundabit] *Et abundabit* ſuperfluum eſt, juxta Græcos, & noſtra exempl. vetuſtiora, & Bedam. Subaudiendum autem hic eſt *à nummulariis*, id quod Origenes ſubindicat, eundem hunc locum in Matthæum edifferens his verbis, *Ut cum veneris*, inquit, *Dominus, eloquia Dei qua commiſimus nos cum uſuris recipiat, & cum additamentis ab eis qui acceperunt à nobis. Nummulariis ergo viris jubet credere verbum, qui poſſunt ejus reddere uſuras.*

27. *Verumtamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me*] Quemadmodum concreditæ pecuniæ (de qua modo dixerat) ratio in extremo judicio exigenda proprie intelligi debet, ita & hæc de inimicis Judæis ac cæteris Chriſti imperium recuſantibus ultio ad idem tempus referenda eſt. Porro quod Interpres vertit *verumtamen*, h. e. πλὴν mollius erat *ſi cæterum*, vel *quin*, vel *autem* verſiſſet. Nam πλὴν tum proprie *verumtamen* ſignat cum ſubſequitur ἀλλά. Atqui D. Hieronymus in Jeſ. 13. legit, *Inimicos autem meos.*

32. *Stantem pullum*] Non eſt in Græcis, ſed in noſtris tantum, adſtipulante Beda.

37. *Omnes turba deſcendentium*] Pro *deſcendentium* lege *diſcipulorum*, aut, ſi mavis, *diſcentium:* utrumque enim reperio in exempl. vetuſtis, conſonantibus & Græcis, tametſi refragetur Beda, *diſcendentium* tum legens tum interpretans, ſed falſus, ut reor, mendoſo codice. *Diſcentium* autem idem eſt quod *diſcipulorum.* Nam ſicut *diſcipulus* à *diſcendo*, ita μαθητὴς ἀπὸ τῦ μαθητεύειν dicitur. Et *diſcentes* pro *diſcipulis* frequens vox eſt apud Tertullianum & interpretem Irenæi, qui indubie antiquiſſimus eſt.

38. *Pax in cœlo*] Quia vetus diſſidium quod mortales habuimus contra Deum, diremptum eſt.

40. *Lapides clamabunt*] *Lapidum* nomine Gentiles deſignavit, quod lapides & ligna pro Diis colerent: de quibus ſcriptum eſt Pſalm. 115. 8. *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Sic enim Chriſtus metaphoris uti gaudet.

42. *Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*] Nemo putet *quæ* relativum ad *diem* pertinere, ſed abſque antecedente expreſſo ſcilicet poſitum eſſe agnoſcas: id quod Græca legenti manifeſtum eſſe poteſt. Cæterum ſermo ipſe perturbatus & abruptus, qualis eſſe ſolet vehementius indolentis, hunc in modum reſtitui poterit, *Flevit ſuper illam, dicens, Et tu etiam in hoc die tua fleres, ſi quidem cognoſceres ea quæ*

ad

ad pacem tibi eſſe poterant: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Venient enim dies in te, &c. Vel, ut Græca extulit Hieronymus in com. Orig. *Si cognoſceres & tu in die iſta quæ ad pacem ſunt tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quoniam venient dies ſuper te.* Cum autem dicit *in die tua*, intelligi vult diem ſeu tempus mundanæ proſperitatis. Ita enim nonnunquam in arcanis literis *dies* uſurpatur. Quidam autem ex recentioribus, quo ſermonem redderet abſolutum, duo verba de ſuo addens convertit ad hunc modum, *Si cognoviſſes & tu, & quidem in iſto die tuo, quæ ad pacem tuam pertinent, curares. Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Quæ etiam explicat his verbis, *Si quoque cognoviſſes*, quemadmodum ego cognovi *hunc tuum diem*, quo tibi *pax* offertur ac remiſſio priſtinorum criminum, ſtuderes amplecti quod offertur. Nimirum hic *tuus dies* eſt quo provocaris ad reſipiſcentiam, & invitat te Dei bonitas ad pœnitentiam. Deinde poſt pauca ſubdit, *Nunc autem* nec diem tuum agnoſcis, nec illum non tuum proſpicis, quoniam uterque *abſconſus eſt ab oculis tuis*, quos habes præſentis felicitatis temulentia cæcutientes. Verum ut nil impium aut falſum habeat hæc interpretatio, mihi tamen coactior minuſque accedens ad Euangeliſtæ verba cenſetur, cum quod illud τὰ πρὸς εἰρήνην σε cum ἔγνως apte conſtrui poſſit, ut nil opus ſit altero addito verbo eo videlicet in loco, tum quod *diem tuum* mutato ſcilicet caſu cum *cognoviſſes* conjungat; id quod Euangelicus contextus non admittit.

H. STEPHANUS.

3. Ἀπὸ τῦ ὄχλυ, ὅτι τῇ ἡλικίᾳ μικρὸς ἦν] *Pre turba quod ſtatura parvus eſſet.*

5. Σπεύσας κατάβηθι] *Propere deſcende.*

7. Διεγόγγυζον] *Murmurabant.*

8. Εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα] *Siquid cuipiam per calumniam extorſi.*

13. Πραγματεύσασθε] *Negotiamini.*

15. Διεπραγματεύσατο] *Negotiando acquiſiviſſet.*

16. Προσειργάσατο] *Lucrifecit.*

23. Ἐπὶ τὴν τράπεζαν] *Apud trapezitas*: vel, *Apud menſam publicam.* ¶ Ἔπραξα] *Exegiſſem.*

40. Κεκράξονται] *Mox vociferari incipient.*

43. Ὅτι ἥξουσιν ἡμέραι ἐπί σε, καὶ περιβαλοῦσιν] *Veniet calamitoſum tempus adverſus te, ita ut circumjiciant*, &c. Vel, *Veniet tempus quo circumjiciant.*

44. Ἐδαφιοῦσί σε] *Solo illident te.*

48. Ἐξεκρέμετο αὐτῦ] *Pendebat ex ejus arbitrio*: vel, *Deditus illi erat.*

D R U S I U S.

2. Z*Accheus*] Vel *Zacheus*. Sed eſt cur malim *Zaccheus*. Nam Græce Ζακχαῖος. Syrus habet זכי *Zacchai*. Quæ forma nominis exſtat apud interp. noſtrum 1 Ezræ 2. 9. & 2 Ezræ 3. 20. item 7. 14. Male ſcribunt *Zaccai*. זכי *Zaccheus*, ut מתי *Matheus*; item ut *Tholmai*, *Tholomæus*. Sic *Timai*, *Timæus*. *Syrum eſt*, inquit Hieron. *non Ebræum*. Dubito an recte. Nam etiam Ebræi dicunt *Zacchai*, ut *Johannes Zacchai filius*, qui vixit ſub Veſpaſiano Imp. magnæ autoritatis apud ſuos. Quin & illud, *Juſtificans*, *vel Juſtificandus*, correctione indiget. Nam זכי, quod ſine punctis ſcribunt זכי, vel זכי, *purus*, *inſons*, *juſtus*, *innocens*, ἀναίτιος, καθαρὸς, ἀνεύθυνος. זכי בדין *purus in cauſſa ſua*, i. צדיק בדינו *juſtus*. זך וזכי *ſanguis innoxius*.

23. *Exegiſſem illud*] Sic Eraſmus hunc locum laudat. In editis à Plantino eſt *illam*. Hoc ad vocem, illud ad ſenſum refertur. Nam in fonte αὐτό, præcedit autem ἀργύριον, quod tam *argentum* quam *pecuniam* denotat. Exegiſſem igitur *illud*, videlicet *argentum*: Sed quia præcedit *pecuniam*, ideo malim *illam*. Sic כסף apud Ebræos & *argentum* & *pecunia*, etiam aurea, etiam ærea.

29. *Beth-phage*] *Sacerdotum viculus erat in monte Oliveti*, Hieron. in Matth. *villula montis Oliveti*, Euſeb. *Nomen loci extra Jeruſalem*, Nathan Juſtus. Græce eſt Βηθφαγῆ hic & Matt. 21. 1. Sic lib. vulg. Nam in antiquis Βηθσφαγῆ. Nec aliter legit Juſtinus in Dialogo cum Tryphone habito. Forte σίγμα acceſſit ut in μῦς & σμῦς, aut ex dialecto Syrorum, qui כסבל dicunt à כבל *caligo*, & סגרר *granum* à גרר, & סגלל *rotundum* ex גלל. Hoc poſtremum exſtat Ezech. 1. Syrus habet בית מעינא. Id Tremellius interpretatur, *Domus fontis*, i. πηγή. Nam in eo fons erat, ſi non fallit nos Origenes ita ſcribens, *Interpretatur autem Beth-phagé Domus maxillarum. Erat autem villa ſacerdotum, quoniam maxilla propria pars erat ſacerdotum ex Lege.* [Nam ſacerdotibus cedebant armus, maxillæ, & ventriculus, Deut. 18. 3.) *In quo poſſumus dicere* (*maxime occaſionem arripientes de libro Judicum*) *quod in his erat fons qui vocabatur Fons maxillæ, de quo biberat Samſon, cum ſitiſſet. Aut forſitan fons ille myſterium erat patientiæ*, &c. In lib. ubi vocum Thalmud. ſenſa ennarrantur ſcriptum בית מעי cum Joth in fine, ubi & illud, *Qui mactat hoſtiam laudis intra murum & extra murum non ſanctificat panem. Quid extra murum? R. Jochanan dicit extra murum Beth-phage. Res Lakis dicit extra murum Azæræ*, i. atrii. Vide ſequentia. Nam inde colligi poſſe videtur juxta murum Bethphage mactatas aliquando fuiſſe victimas. Quod valde roborat ſcripturam antiquam Βηθσφαγῆ. In eodem Lexico *murus Beth phage* exponitur *murus Jeruſalem*: Forte quod Beth-phage erat prope murum illum. Mentio hujus loci apud Thalmudicos in סוטה cap. 5. quod incipit שוטה מרי נשואין, & c. 8. quod incipit אשה כותבין שוטה, & alibi.

37. *Omnes turbæ deſcendentium*] Cum ſit μαθητῶν in textu Græco, non eſt dubium quin interpres ediderit *diſcentium*, i. diſcipulorum. Forte Tertullianus ex hoc loco *diſcentes* dixit pro *diſcipulis*. Sic λέγοντες *rhetores*, *oratores*; *Medicinam facientes*, medici; *paſcentes*, paſtores, &c.

41. *Flevit*, ἔκλαυσεν] Joh. 11. 35. ἐδάκρυσεν. Etiam Angelus fleviſſe legitur Hoſ. 12. 4. Si Angelus, cur non etiam Chriſtus flere potuit? Vide Obſerv. meas l. 7. c. 2. Doctores Ebræi Angelum fleviſſe ſcribunt: & ratio hoc ſuadere videtur. Nam quia victus, ideo flevit & deprecatus eſt Jacobum ut ſe dimitteret. Cur Jacobus victor fleret cauſa nulla eſt. Lira tamen & alii de Jacobo locum enarrant.

G U A L T P E R I U S.

4 Ἀνέβη ἐπὶ συκομωρέαν, *aſcendit in ſycomorum*] Syrus, *in ficum ſilveſtrem*, ut paulo ante in c. 17. 6. De varia autem ſcriptura hujus vocis conſule H. Stephanum in Theſauro.

20. Ἐν σουδαρίῳ] Σουδάριον *ſudarium*. Vocem Latinam eſſe quivis intelligit. Pollux ait καλλιδρέτιον in Comœdia eſſe quod ſuo tempore σουδάριον vocabant. Alias σημικίνθιον, ſecundum Suidæ expoſitionem. In Actis Apoſtolicis 19. 12. utrumque habetur, σουδάρια ἢ σημικίνθια. *Virtutes non vulgares edebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam ad ægrotos deferrentur à corpore ejus ſudaria ſeu ſemicinctia, & diſcederent ab eis morbi.* Henricus tamen Stephanus ex quodam manuſcripto adfert hanc diſtinctionem, Ἀμφότερα λινοειδῆ ἐσι, πλὴν τὸ μὲν σουδάριον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται, τὰ δὲ σημικίνθια ἐν ταῖς χερὶ κατέχεσι, πρὸς τὸ ἀπομάττεσθαι τὰς ὑγρότητας τῦ προσώπυ, οἷον ἱδρῶτα, δάκρυα, πτύελον, καὶ τὰ ὅμοια. *Sudarium*, ein Schweiß-tuch/ darmit man das Haupt trucknet: *Semicinctium*, ein Fazenetlein oder Wiſchtuch/ unter dem Geſicht und an den Händen ſich zu reinigen. Latini vero *ſudarium* uſurpant pro linteo quo ſudor faciei detergitur, & nares purgantur. Suetonius de Nerone, *Adoperto capite, & ante faciem obtenſo ſudario, equum aſcendit.* Idem, *parceret arteriis, ac ſudarium ad os applicaret.* Diminutivum *Sudariolum*. Hieronymus, *Syrus in Actis retinet vocem Latinam.* סודרא Sudare; *& alteram interpretatur* Fruſta panni: *apud Lucam vero eſt vox communis, quæ* linteum *ſignificat.*

22. Αὐςηρὸς *auſterus*] Utriuſque linguæ vox. Græci αὐςηρὸν deducunt ab αὖος *ſicco*: quoniam τὰ αὐςηρὰ ſolent linguam ξηραίνειν καὶ τραχύνειν βαθέως, ſecundum Aetium. Apud Syrum eſt vox קשיא *Kaſchia*, i. *durus*; קשיא קורא *cervix dura*.

JAC. CAPPELLUS.

19. I*LLE vero dixit & iſti, Tu quoque præeſto quinque urbibus*] h. e. Tũ quoque tuorum laborum mercedem ampliſſimam reportato, quandoquidem tu quoque fidam & ſtrenuam operam mihi navaſti. Hoc eſt parabolæ τὸ formale, quod unum in antapodoſi ſpectandum eſt, imprimis ubi volulumus ſymbolicam hanc Theologiam argumentativam reddere: quod admodum parce cauteque faciendum merito monent Scholaſtici. Alioqui tum in hoc tum in aliis pleriſque Chriſti parabolis multa ſunt, veluti τὸ materiale, quæ ſi velis urgere, multis incommodis urgeberis, & à Chriſti ſcopo plurimum aberrabis: τὸ δὲ formale colligitur ex Chriſti ſcopo, qui certe non eſt hic docere futurane ſit præmiorum æternorum in cœlis inæqualitas, eaque Geometrica proportione creſcens, ſed quam munificus futurus ſit Deus laborum noſtrorum remunerator.

GROTIUS.

1. Διήρχετο τὴν Ἰεριχώ. *Perambulabat Jericho*] Videtur temporis nexu cohærere cum historia superiore. Nam Hierichus sita erat inter Galilæam & Hierosolyma. Et quæ sequuntur iter illud continuant.

3. Τίς ἐστι, *quis esset*] Fama norum vultu noscere cupiebat.

4. Προδραμὼν ἔμπροσθεν, *præcurrens*] Loquendi genus simile ei quod supra 1. 17. προελεύσεται ἐνώπιον αὐτῦ [*præcedet ante illum*]. ¶ Συκομωραίαν *sycomorum arborem*] Συκόμορον ἔνιοι δὲ καὶ τοῦτο συκάμινον λέγουσιν [*Sycomorum: quidam vero & hanc sycaminum appellant*] inquit Dioscorides. Et sane non uno in loco ubi Lxx habent συκαμίνους [*sycaminos*] alii Interpretes Græci maluerunt ponere συκομόρους [*sycomoros*]. Syrus ܦܓܪܐ ܕܒܪ quod vertunt *ficum sylvestrem*, cum tamen omnes Magistri Hebræorum, ut & Arabs תות *morum* interpretentur. Nomen Græcum indicare videtur ita similem moro esse hanc arborem, ut *ficum* aliquatenus referat. Arabs habet hic peculiare nomen arboris جميز, id est, *Gimmar*, quomodo hanc arborem in Africæ descriptione libro IX vocat Leo, ficuique similem dicit fructus sapore, ut qui non inter folia sed in ipso arboris trunco nascatur; esse autem magnæ proceritatis: unde apparet cur inde despectum quæsierit Zacchæus. Celsus de re medica lib. III. c. XVIII. *Arboris in Ægypto nascentis quam ibi morosycon appellant.* ¶ Ἵνα ἴδῃ αὐτόν. *ut videret eum*] Veræ pietatis affectu, quod Christus vidit qui τὸν λίνον τυφόμενον οὐκ ἔσβεσε [*linum fumigans non extinxit*]. Bene Scriptor Sapientiæ, Σοφία φθάνει τοὺς ἐπιθυμοῦντας προγνωσθῆναι [*Sapientia anteverti eos qui cupiunt præcognosci*].

5. Ἀναβλέψας, *suspiciens*] Bene hoc loco, ut & Matth. XIV. 19. vertitur *suspiciens*. ¶ Ἐν τῷ οἴκῳ σου δεῖ με μεῖναι. *in domo tua oportet me manere*] Nulli unquam condixit Christus non vocatus, nisi ei qui præ verecundia vocare non audebat.

8. Σταθεὶς δὲ, *stans autem*] Adstans docenti ante vel post prandium. ¶ Εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα, *si quid aliquem defraudavi* τηρεῖν [*fraudavi*]. Vide supra III. 14. ¶ Δίδωμι, *do*] Quasi dicat, *Ita me movent tua præcepta, ut jam nunc me dedam operibus tum justitiæ, tum etiam beneficentiæ*, quorum utrumque factis in animo sibi propositis declarat. Hanc expositionem exigere videtur id quod sequitur σήμερον [*quotidianum*]. Erat jam ante præparatus aliquantum ad pœnitentiam animus Zacchæi, sed nondum ejus præcepta plene hauserat: Hoc illi restabat, parato facere quod faciendum doceretur. Atque hoc modo palam apparuit quam recte hunc hospitem Christus legisset. ¶ Τετραπλοῦν. *quadruplum*] Imitatione ejus quod erat in Lege. Nam qui pecudem, extra bovem, surripuisset pendebat quadruplum Exodi XXII. 1. Unde originem sumtisse videtur lex Attica & porro Romana: imitatione dico, non ex Lege ipsa. Nam primum Lex non obstringebat nisi in judicium adductos: erat enim hæc velut pœna inficiationis: alioqui si quis ante judicium facti pœnitudine duceretur, is culpa absolvebatur, restituens simplum & quintam simpli, quæ videtur successisse in locum incertæ æstimationis damni furtum consequentis. Numer. V. 7. Deinde pœna quadrupli locum non habet nisi post alienationem rei surreptæ: alioqui reus duplum solvens liberabatur Exod. XXII. 4. Discimus ab exemplo quid faciendum sit iis quos peccatorum pœnitet. Primum enim quatenus fieri potest, resarcienda sunt damna aliis per vim aut dolum illata, quod ipsa natura dictat: neque enim peccare desistit qui alienum retinet. *Contra naturam est*, inquiunt Jurisconsulti, *locupletari aliquem cum aliena injuria.* Præterea vero, si non necessarium, admodum tamen utile est, ut qui peccavit Judicis in se personam assumens ipse sibi aliquid indicat pœnæ nomine, quo testetur quantopere sibi peccatum displiceat, Εἰ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα [*Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*] inquit Paulus 1 Cor. XI. 31. Hoc inter illa est de quibus nulla extat lex definita, sed quæ potentior omni lege Spiritus dictat. ¶ Πρὸς αὐτὸν, *ad eum*] Non illum alloquens, sed de illo loquens. Tale est illud ab aliis annotatum Rom. X. 21. πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει [*ad Israel autem dicit*]. Et Ps. III. 2. πολλοὶ λέγουσι τῇ ψυχῇ μου· οὐκ ἔστι σωτηρία αὐτῷ ἐν τῷ Θεῷ αὐτοῦ [*multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo ejus*]. Et infra XX. 41. εἶπε δὲ πρὸς αὐτούς [*dixit autem ad illos*], ut ibi dicemus.

9. Τῷ οἴκῳ τούτῳ, *domui huic*] Synecdoche. *Domus* enim pro *patrefamilias* dicitur: ita supra X. 5. Εἰς ἣν δ' ἂν οἰκίαν εἰσέρχησθε, πρῶτον λέγετε, Εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. Καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἐκεῖ ὁ υἱὸς εἰρήνης, ἐναναπαύσεται ἐπ' αὐτὸν εἰρήνη ὑμῶν [*in quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui, & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra*]. Domum autem ideo nominasse videtur Christus, ut ostendat relatam hospitii gratiam. Dixerat enim Zacchæo Christus, ἐν τῷ οἴκῳ σου δεῖ με μεῖναι [*in domo tua oportet me manere*]. Quare quæ ad hunc locum afferri solent de beneficiis Dei in familiam pii patrisfamilias, quanquam vera sunt recte accepta, tamen huc pertinere non arbitror. ¶ Καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν. *eo quod & ipse filius sit Abrahæ*]. Probare eorum sententiam non possum qui Zacchæum putant fuisse ἀλλόφυλον [*alienigenam*], contra quos ipsum nomen testimonium præbet: est enim pure Hebræum, ut apparet Esdræ II. 9. & VII. 14. Deinde non reprehendunt Christum οἱ διαγογγύζοντες [*murmurantes*] quod apud incircumcisum epuletur, sed quod apud ἁμαρτωλόν [*peccatorem*], id est, *Judæum quidem, sed viventem* ἀνόμως [*præter Legem*]. Nec movere nos debet quod ἀρχιτελώνης [*princeps Publicanorum*] fuisse dicitur quem Hebræi vocant גבא [*primarium vectigalium exactorem*]. Nam Judæis non interdicebatur publica conducere, præsertim si qui eorum erant donati Romana civitate, quales aliquammultos fuisse credibile est. Josephus libro de bello Judaico II, etiam Judæos quosdam in Judæa Equites Romanos fuisse nos docet: Οὐ γὰρ μηδεὶς πρότερον τότε Φλῶρος ἐτόλμησεν, ἄνδρας ἱππικοῦ τάγματος μαστιγῶσαι πρὸ τοῦ βήματος καὶ σταυρῷ προσηλῶσαι, ὧν εἰ καὶ τὸ γένος Ἰουδαίων, ἀλλὰ γοῦν τὸ ἀξίωμα Ῥωμαίων ἦν [*Quod enim nemo unquam prius, tunc Florus ausus est, ut viros scilicet equestris ordinis pro tribunali flagellis caderet, ac patibulis affigeret, quorum etsi origo Judæa tamen Romana dignitas erat*]. Ab Equitibus autem conduci vectigalia solebant. Denique illud ipsum, quod de quadruplo habuimus ad Mosem respicit, ut diximus. Sensus ergo horum verborum hic mihi esse videtur: Homo iste, quamvis antehac ob vitam impuram indignus qui Abrahami nepos diceretur, jam per pœnitentiam jus dignitatis pristinæ recuperavit, natalibus quasi redditus apud Deum, ac proinde non minus nepos Abrahami censendus in posterum quam qui optimo jure: secundum illud dictum, *Sanatibus idem jus quod Fortibus esto.* Vide Ezech. XVIII. Ruffinus ad symbolum, *Si animus in me, qui criminosus effectus est, & in quo origo fuit vitii, corrigatur, cur tibi non videar posse innocens effici, qui prius fueram criminosus?* Atque ita optime cohærebit quod sequitur, ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλός [*venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat*], id est, τὰ πρόβατα ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραὴλ [*oves perditas de domo Israelis*], ut est apud Matth. X. 6. Tenendum interim, quod supra quoque diximus, *in illis peccatoribus, qui extraneis aquabantur, extraneorum fuisse imaginem.* Vocem καθότι [*eo quod*] pro ὅτι [*quia*] solus horum Scriptorum Lucas usurpat, nec hic tantum sed & supra I. 7. Actor. II. 24. Alibi pro καθ' ὅσον [*prout*] ponitur, ut Act. II. 24. IV. 35.

11. Ἀκουόντων δὲ αὐτῶν ταῦτα, *Hæc illis audientibus*] Hoc nimirum, quod postremum Jesus dixerat, *venisse se ut salutem afferret Abrahami posteris:* unde spem concipiebant Apostoli, futurum ut Christus hoc itinere Hierosolyma versus iniret professionem Regni tum sibi gloriosam, tum populo salutarem. At Christus futura ut solet recte indicans significat Regnum quidem sibi deberi, nec in Judæos tantum, sed & in gentes alias, quod de Messia erat prædictum, sed ante plenam ejus Regni felicitatem multos labores ipsis subeundos: præcipue vero Judæorum magnam fore adversus hoc Regnum contumaciam. ¶ Ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἀναφαίνεσθαι, *Regnum Dei manifestaretur*] Quæ & βασιλεία τῷ Ἰσραὴλ [*Regnum Israëlis*] vocatur Actor. I. 6. λύτρωσις τῷ Ἰσραὴλ [*redemtio Israëlis*] alibi. Hanc ex Davide & aliis Prophetis ut propinquam exspectabant.

12. Εὐγενὴς, *nobilis*] Cui Regnum in cives suos ipso natalium jure debebatur εἰς τὰ ἴδια ἦλθε [*in propria venit*] Johan. I. 11.

13. Δέκα μνᾶς, *decem minas*] Æqualibus portionibus. Ita necessaria ad salutem cognitio & remissio peccatorum æqualiter Christianis datur. Vide ad Matthæum. Πραγματεύσασθε, *negotiamini*] Ἐργάζεσθε ἐν αὐτοῖς [*operamini in illis*] ut Matthæus loquitur. *Collocate pecuniam:* ita enim loquuntur Juris Auctores.

14. Οἱ πολῖται αὐτῦ, *cives ejus*] Οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον [*Sui eum non receperunt*] Joh. I. 11. Πολῖται [*cives*] hic, ut apud Platonem, Isocratem atque alios, sunt οἱ συμπολῖται [*concives*]. Ita & Cicero dicit *cives tui*, id est, *qui ejusdem tecum sunt civitatis.* ¶ Οὐ θέλομεν, *Nolumus*] *Stat pro ratione voluntatis.*

16.

16. Ἡ μνᾶ σου προσηργάσατο, *mina tua acquiſivit*] Modeſte lucrum acceptum fert herili pecuniæ, non induſtriæ ſuæ. Talis ſervus iſte qui dicit περισσότερον τούτων ἐκοπίασα· οὐκ ἐγὼ, ἀλλὰ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί [*abundantius omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum*]. Hoc eſt quod dici ſolet, *Deum in nobis ſua dona coronare.*

17. Ἐξουσίαν ἔχων ἐπάνω δέκα πόλεων, *poteſtatem habens ſuper decem civitates*] Præfectura hic non laboris ſed honoris habet ſignificationem. Sic Apoc. 11. 27.

18. Ἐποίησε, *fecit*] *Peperit.* Sicut καρπὸς ποιεῖν [*fructus facere*] arbor dicitur Matth. III. 10. VII. 17, 18. Matthæi Interpres de ipſo homine dixit ἐποίησεν ἄλλα πέντε τάλαντα [*fecit alia quinque talenta*].

19. Γίνου ἐπάνω, *eſto ſuper*] Repete ex ſuperioribus ἐξουσίαν ἔχων [*poteſtatem habens*] ut ſenſus ſit Γίνου ἐξουσίαν ἔχων ἐπάνω [*Eſto poteſtatem habens ſuper*].

20. Ἐν σουδαρίῳ, *in ſudario*] Vocem hanc Latinam Lucas & hic & alibi uſurpat, ſed & Johannes, ſenſu nonnihil producto extra originem, ut *linteum quodvis* ſignificet; ut amplius dicemus ad Johann. XI. 44. quod videns Syrus vertit hic ܣܝܕܪܐ [*linteum*] non male. Arabs alteram vocem ex Latino ſermone in Arabicam derivatam hic poſuit مندیل *mantile.*

22. Ἐκ τοῦ στόματός σου κρινῶ σε, *De ore tuo te judico*] Proverbiale Matth. XII. 37. ἐκ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ [*ex verbis tuis juſtificaberis*]; Job. XV. 6. ἐλέγξει σε τὸ σὸν στόμα [*condemnabit te os tuum*]. Senſus eſt, *Arripio quod dicis.*

23. Ἐπὶ τὴν τράπεζαν, *ad menſam*] Nam τραπεζῖται, οἱ ἐπικαθήμενοι τραπέζῃ [*nummularii qui aſſidebant menſæ*] ut recte Pollux: τοῖς τραπεζίταις [*nummulariis*] interpretamentum eſt. ¶ Ἐγὼ σὺν τόκῳ ἂν ἔπραξα αὐτό; *cum uſuris utique ego exegiſſem illud?*] Rectius in manuſcripto illo in Anglia, σὺν τόκῳ ἂν αὐτὸ ἀνέπραξα [*cum uſura utique illud exegiſſem*].

24. Καὶ τοῖς παρεστῶσιν, *& aſſtantibus*] *Miniſtris ſuis.* Vide quæ ſupra I. 19. ¶ Δότε τῷ τὰς δέκα μνᾶς ἔχοντι. *date illis qui decem minas habet*]. Vide ad Matthæum.

26. Λέγω γὰρ ὑμῖν, *dico enim vobis*] Non puto aliter habuiſſe Græcos codices quibus uſi Syrus & Arabs, ſed ſupplendi ſenſus cauſa addiderunt, *Et dixit illis*, Rex ille ſcilicet. Plane ſicut LXX in ſimili loco II Reg. X. 15. addiderunt καὶ εἶπεν Ιηοῦ [*& ait Jehu*]. Solent autem Græci quoque, & Latini, ubi verba ultro citroque mutantur perſonarum nomina interdum ſubtricere, quæ ex ipſa pronuntiatione ſatis intelligi poſſunt. Sed & illud addendum, γὰρ [*enim*] hoc loco eſſe αἰτιολογικὸν τοῦ συνακουόμενα [*reddituum cauſæ ejus quod ſubintelligitur*]; qualia alibi ſæpe. Perinde enim eſt quaſi dicat dominus, *Quamvis ille decem minas habeat, tamen illi addendum eſt. Nam id æquum eſt ut habenti & utenti amplius detur.* De re vide ad Matthæum non uno loco.

27. Πλήν, *verumtamen*] Explica ut ad Matthæum.

28. Ἐπορεύετο ἔμπροσθεν, *præcedebat illos*] *Ducis in morem ante turbam gradiebatur.* Hæc vera interpretatio. Nam Marcus habet ἦν προάγων αὐτοὺς [*præcedebat illos*] X. 32.

29. Ὡς ἤγγισεν εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν, *cum appropinquaſſet ad Bethphage & Bethaniam*] Ideſt, *cum circa ea loca eſſet.* Nam Bethaniam tranſierat. Vide quæ dicta ad Matthæum XX. 30. & XXI. 1.

37. Πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους, *ad deſcenſum montis*] Ubi jam ante oculos erat urbs Regia. ¶ Πλῆθος τῶν μαθητῶν, *turba diſcipulorum*] Qui ſcilicet miraculis excitati è Galilæa Chriſtum ſequebantur.

38. Εἰρήνη ἐν οὐρανῷ, *pax in cælo*] *Proſperitas Regis Meſſiæ Regnique ejus in cælo procuretur.* Hæc, ni fallor, ſimpliciſſima expoſitio.

39. Ἀπὸ τοῦ ὄχλου, *de turbis*] *Turba permixti*, ut ferme ſolebant, inſidiandi cauſa.

40. Οἱ λίθοι κεκράξονται. *lapides clamabunt*] Proverbiale loquendi genus quo ſignificatur eſſe τῶν ἀδυνάτων [*impoſſibile*] ut non agnoſcatur ab aliquibus Chriſti Regnum, cum Deus id abſolutiſſimo decreto conſtituiſſet: prius proinde lapides mutaturus in homines (ut Matth. III. 9. dicitur) quam id decretum irritum fieri pateretur.

41. Ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ, *flevit ſuper illam*] Agnoſcunt hoc comma Latinus, Syrus, Arabs. At Epiphanius teſtatur ſuo tempore non exſtitiſſe in publice receptis exemplaribus. Verba ejus ἐν Ἀγκυρωτῷ [*in Anchorato*] digna ſunt quæ notentur vel ob hoc ut videamus quantum ſibi Eccleſiarum Præpoſiti permiſerint. Ἀλλὰ καὶ Ἔκλαυσε κεῖται ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίῳ ἐν τοῖς ἀξιοπίστοις ἀντιγράφοις (ita vocat exemplaria quæ manum criticam paſſa non erant) καὶ χέχρηται τῇ μαρτυρίᾳ ὁ ἅγιος Εἰρηναῖος ἐν τῷ κατὰ αἱρέσεων πρὸς τοὺς δοκοῦσι τὸν Χριστὸν παθητὸν λέγοντας [*Eſt autem iſtud flevit in Luca Euangelio in iis exemplaribus quæ poſtea correcta non ſunt: atque utitur hoc teſtimonio Beatus Irenæus in tractatu contra hæreſes quo eos confutat, qui Chriſtum ſpecie tantum volunt apparuiſſe*]. Locum hunc in ea quam Epiphanius dicit diſputatione non invenio, ubi congerit Irenæus ea loca quibus Gnoſtici abutebantur, non verbo tenus ſed ſenſu expreſſo. Ἔτι, inquit, ἐν τῷ προσχόντα αὐτὸν τῇ Ἱερουσαλὴμ δακρῦσαι ἐπ' αὐτὴν καὶ εἰπεῖν, *εἰ ἔγνως καὶ σὺ σύμπαρον τὰ πρὸς εἰρήνην· ἐκρύβη δὲ ἀπό σου* [*Porro dum effundit lacrymas ſuper Jeruſalem dicitque: ſi cognoviſſes & tu hodie quæ ad pacem pertinent; abſcondita autem ſunt coram te*]. Cum tamen non de verbis, ſed de verborum interpretatione Gnoſticis controverſiam moveat, apertum eſt eo tempore de hac lectione non dubitatum. Mutarunt homines temerarii & delicati quibus fiere Chriſto indignum videbatur: at parum profecerunt hac inſigni audacia, cum apud Johannem exſtet ἐδάκρυσεν ὁ Ιησοῦς [*lacrymatus Jeſus*]. Cauſa mali præconceptæ quædam opiniones ex humanæ ſapientiæ ſcitis. Stoicorum erat illud, *Sapiens neminis miſeretur*: tollit enim ea Secta affectus de humana natura. Peripatetici paulo ſapientius moderandos affectus cenſebant, & in vitio eſſe quicquid nimium eſt. At ſi rem ipſam & Divinam voluntatem in Sacris Literis revelatam libet audire, inveniemus Stoicorum quidem ſententiam plane rejiciendam, Peripateticorum autem corrigendam nonnihil. Nam, ut Lactantius libro Inſtitutionum ſexto perſpicue ſatis oſtendit, affectus neque evellendi ſunt cum Stoicis; id enim eſt vim inferre naturæ & hominem ad immobilem mentis ſtuporem pertrahere: neque ſemper temperandi, ſed in veram viam dirigendi. Eſt enim ubi vel punctum gaudere vitioſum ſit; eſt ubi vel exultare lætitia maxime criminoſum. Quare aſſignandæ commotiones illæ ſuis rebus, ſuis temporibus, ſuis locis. Ob ea quæ ad honorem Dei vel æternam proximi ſalutem pertinent, non poteſt nimium gauderi, neque nimius unquam dolor eſt qui ex contrariis naſcitur. Qui via aberrat licet leniter eat, in colliſagoſa aut præcipitia impinget; qui viam tenet licet concitatius iverit, non offendet. Quæ multis exemplis explicata apud Lactantium videre eſt. Neque ille primus hanc philoſophandi rationem iniit: nam & Tertullianus libro de Anima ſimilia dicit, *Proinde cum Plato ſoli Deo ſegregans rationale, duo genera ſubdividit ex irrationali*, indignativum *quod appellant* θυμικὸν, & concupiſcentivum *quod vocant* ἐπιθυμητικὸν, *ut quidem illud commune ſit nobis & leonibus, iſtud vero cum muſcis, rationale porro cum Deo: video & de hoc mihi eſſe retractandum, propter ea quæ in Chriſto deprehenduntur. Ecce enim tota hæc trinitas & in Domino: & rationale, quo docet quæ differit, quo ſalutis vias ſternit: & indignativum, quo invehitur in Scribas & Phariſæos: & concupiſcentivum, quo Paſcha cum diſcipulis ſuis edere concupiſcit. Igitur apud nos nam ſemper ex irrationali cenſenda ſunt indignativum & concupiſcentivum, quæ certi ſumus in Domino rationabiliter decurriſſe.* Mox, *Dat & Apoſtolus nobis concupiſcentiam, Si quis Epiſcopatum concupiſcit bonum opus concupiſcit; ſed bonum opus dicens rationalem concupiſcentiam oſtendit. Concedit & indignationem: quid ni, quam & ipſe ſuſcepit? Utinam & præcidantur*, inquit, *qui vos ſubverterunt. Rationalis eſt indignatio quæ ex affectu diſciplinæ eſt.* & quæ ſequuntur. In quibus tamen omnibus, ſi quis recte attendat, verbo magis à Platone videtur abire quam re ipſa. Nam ipſe ἄλογον [*irrationale*] ſumit ἐναντίως [*contrarie*], cum Plato ſumat ἀποφατικῶς [*negative*] ad indicandam eam vim animi quæ non per ſe ratione utitur, ſed rationali parti aut obtemperare poteſt aut rebellare. Putet forte aliquis aliter de affectibus ſenſiſſe magnum in Chriſtianiſmo Philoſophum Clementem Alexandrinum, cujus hæc ſunt verba Stromatum II, Ὁ μὲν ἡμέτερος ἀτελὴς λόγος τῆς κατ' ἡμᾶς Φιλοσοφίας, *τὰ τοίνυν πάντα ἐνσυμπαθήματα τῆς ψυχῆς φησὶν εἶναι τῆς μαλθακῆς καὶ εἰκαίας, οἷον ἐναποφραγίσματα τῶν πνευματικῶν δυνάμεων πρὸς ἃς ἡ πίστις ἡμῖν* [*Noſtra autem Philoſophiæ hæc eſt ratio, quæ ſimpliciſſima eſt, Affectus non niſi in molli anima inveniri, atque ea quæ illecebris reſiſtere aut non poſſit aut non audeat. Quos quidem affectus ſpirituales illæ poteſtates cum quibus dimicandum nobis eſt, omnibus quaſi impreſſerint*]. Sed res ipſa oſtendit πάθη eo loco ab ipſo dici non *affectus quoſvis*, ſed *affectuum morbos*: quomodo multi Græcorum uruntur ea voce, quod & Hieronymo eſt notatum. Eodem pertinet & ille Tertulliani locus plane Clementino illi conſentiens, *Irrationale autem poſterius intelligendum eſt, ut quod acciderit ex ſerpentis in-*

ſtinctu ipſum illud tranſgreſſionis admiſſum, atque exinde inoleverit & conoleverit in animo adinſtar jam naturalitatis, quia totum in natura primordio accidit. Quod ſi affectus per ſe aut etiam affectuum uberras honeſtis in rebus occupata nihil habet vitii, certe nec eorum affectuum ſigna in quibus eſt *fletus*. Bene apud Ciceronem Lælius, *Neque enim ſunt iſti audiendi qui virtutem duram & quaſi ferream eſſe volunt: qua quidem eſt cum in multis rebus tum in amicitia tenera atque tractabilis, ut & bonis amici quaſi diffundantur & incommodis contrahantur.*

42. Λέγων, Οτι, *Dicens, Quia*] Illud ὅτι [*quia*] rurſum eſt *αἰτιολογικὸν τῦ συνεχομένου* [*ratio ejus quod ſubjicetur*], oſtendit enim reddi à Chriſto cauſam *fletus*. ¶ Εἰ ἔγνως, *ſi cognoviſſes*] Εἰ hic eſt *utinam*, ut diximus ſupra XII. 49. ubi oſtendimus etiam cum indicativo & ſine vocula ἄν eo ſenſu uſurpari. ¶ Καὶ σὺ, *& tu*] Vel tu, urbs illa ſupra omnes terræ urbes Deo dilecta, urbs Davidis, urbs regia, urbs ſacris dicata. ¶ Καίγε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σε ταύτῃ, *& quidem in hac die tua*] Si non hactenus nunc ſaltem cum illa dies illuxit, de qua dictum eſt: *Dicite filiæ Sionis*, Zach. IX. 9. Matth. XXI. 4, 5. Et, *Illuminare Jeruſalem*, Interpretibus LXX Eſaiæ LX. 1. Simile loquendi genus,

Fuſique per herbam,
Hic meus eſt, dixere, dies.

Reſpicitur autem hic potiſſimum locus Danielis IX. 27. ¶ Τὰ πρὸς εἰρήνην σε, *quæ ad pacem tibi*] *Utinam*, inquit, *conſiderares quomodo oportet* (id enim eſt ἔγνως [*cognoviſſes*]) *ea quæ ad tuam incolumitatem pertinent.* Imitatur filius paternum ſermonem, Deut. XXXII. 29. ¶ Νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου. *nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*] *Ignorantia inexcuſabilis, quia lucem oblatam, imo ingeſtam faſtidioſe reſpuis.* De loquendi genere dictum eſt capite antecedenti.

43. Οτι, *quia*] Pergit Chriſtus reddere *fletus* cauſam. ¶ Ἥξουσιν ἡμέραι ἐπὶ σε, καὶ, *venient dies in te, &*] *Veniet tempus cum obſideberis.* Eſt enim Hebraiſmus de quo alibi. ¶ Περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, *circumdabunt te inimici tui vallo*] Facturos hoſtes dicit quod Deus apud Eſaiam de Aſſyriaco obſidio loquens ſe facturum dixerat Eſaiæ XXIX. 3. ואציר כדור עליך [*circumdabo quaſi ſphæram in circuitu tuo*]. Eventum vaticinii vide apud Joſephum cujus verba ſunt de Tito: ἐκέλευσε περιβάλλεσθαι στρατόπεδον [*juſſit circumdari exercitum*]. Sicut & Lucas infra XXI. 20. ὅταν ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἰερουσαλήμ [*cum videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem*]. plane idem eſt. Nam quod Polybius χάρακα dixerit, Cicero *Caſtra* tranſtulit. Tacitus de Tito, *Caſtris ante mœnia Hieroſolymorum poſitis.* ¶ Περικυκλώσουσί σε, *circumdabunt te*] Apud Eſaiam ועיתי עליך מצור [*& faciam contra te aggerem*]: Joſephus, Πρὸς τὰς ἐντρέχοντας ἔςιν ἐκλέξας ἱππέων τε καὶ πεζῶν ὅσους ἀρκέσειν ὑπελάμβανε [*Excurſoribus oppoſuit equitum peditumque, quot ſufficere videbantur*]. ¶ Καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν. *& coanguſtabunt te undique*] Hoc reſpondet iſtis apud Eſaiam, ומקפתי עליך מצורים [*& munimenta ponam in obſidionem tuam*]. Huc illud Joſephi refero, Αμα τε συντάγμασι δηοῦν τὰ πρὸ τῆς πόλεως ἠφίει, καὶ συμφέροντας ἐκέλευσε τὴν ὕλην ἐγείρειν χώματα [*Simul quæ erant ante urbem vaſtare ac populari ſivit exercitum, & fieri aggerem cenſet materia juſſit*]. & quæ ſequuntur.

44. Ἐδαφιοῦσί σε, *ad terram proſternent te*] Apud Eſaiam, מקבר אמרתך תשפיל [*de humo eloquium tuum muſſitabit*]. ubi LXX. πρὸς τὸ ἔδαφος ἡ φωνή σε ἀσθενήσει [*ad fundamentum vox tua infirmabitur*]. Hoc eſt quod Joſephus dicit, Urbem πρόῤῥιζον ἐκ βάθρων ἀνῃρῆσθαι [*radicitus ex fundamentis evellere*]; & quæ alia eam in rem citavimus ad caput Matth. XXIV. ¶ Καὶ τὰ τέκνα σε ἐν σοί. *& filios tuos qui in te ſunt*] Σύλληψις [*comprehenſio*]. paulo enim aliter τὸ ἐδαφίζεσθαι [*ad terram proſterni*] de urbe dicitur *quæ ſolo æquatur*, aliter de hominibus qui *ſolo allidantur*, Pſalm. CXXXVII. 9. quo in loco, ut & Eſaiæ XIII. 25. Ezech. XXXI. 12. Oſeæ X. 14. varias voces Hebræas pari ſignificatu de hominibus uſurpatas vertunt Græci per ἐδαφίζειν [*ad terram proſternere*]. De ſtrage iſta vide Joſephum. ¶ Καὶ οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ. *& non relinquent in te lapidem ſuper lapidem*]. Mos loquendi proverbialis καὶ ὑπερβολικὸς [*& per ſuperjectionem dictus*], ſed quo ſumma vaſtatio intelligitur: de qua ad Matthæum vide. ¶ Ἀνθ' ὧν, *eo quod*] Cauſam excidii reddit Chriſtus, neglectum tempus ἐπισκοπῆς, ἔπρα [*viſitationis*], id eſt, *oblatæ ſalutis*: quo docemur nondum tunc irrevocabiliter, id eſt, citra ullam conditionem, decretam fuiſſe horrendam illam urbis ruinam atque hominum internecionem, quod ſuo tempore, impleta ſcilicet peccatorum menſura, factum vere agnoſcit Joſephus & multis conſpicuis argumentis probat. Vide quæ ad Matth. XXIV. 16. Ἐπισκοπὴ [*viſitatio*] vox eſt media quæ modo ad pœnas, modo ad beneficia pertinet, ut Geneſ. L. 24, 25. Exodi III. 16. XIII. 19. & alibi ſæpe.

47. Καθ' ἡμέραν, *quotidie*] Idem loquendi genus Matth. XXVI. 55. & ſupra XI. 3. & XVI. 19. unde ſatis apparet non eſſe poſitum pro *interdiu* ſed pro *quotidie*, quomodo & veteres Interpretes acceperunt. ¶ Οἱ πρῶτοι τῦ λαῦ, *Principes plebis*] Qui alibi οἱ ἄρχοντες [*Primores*], & capite ſequenti πρεσβύτεροι [*Presbyteri*], id eſt, *Synedrii magni Senatores*, ut & Syrus accepit: nam Sacerdotes ob dignitatis excellentiam, Legisperiti ob famam eruditionis peculiariter nominantur, ut & alibi obſervavimus. πρεσβύτεροι [*Presbyteri*] autem τῦ λαῦ [*populi*] dicuntur, quia erant & alii πρεσβύτεροι τῶν πόλεων [*Principes urbium*], *decuriones* ſive βουλευταὶ [*Senatores*]. Sed de his alibi ſatis actum.

PRICÆUS.

Com. 2. ΟΝόματι καλούμενος Ζακχαῖος] Omnino legendum videtur ὀνόματι Ζακχαῖος, extrita voce καλούμενος, quam nec agnoſcit Vulgata verſio, & ejiciendam clamant tot alii horum librorum loci. Matthæi 27. 32. habemus ὀνόματι Σίμωνα· Marci 5. 22. ὀνόματι Ἰάειρος· ſupra hic 1. 5. ὀνόματι Ζαχαρίας· 5. 27. ὀνόματι Λευΐν· 10. 38. ὀνόματι Μάρθα· 16. 20. ὀνόματι Λάζαρος· 23. 50. ὀνόματι Ἰωσήφ· & ita non minus vicies idem Lucas noſter in Actis Apoſtolorum.

Ibid. Ἦν ἀρχιτελώνης, καὶ πλούσιος] Nil mirum divitem fuiſſe qui publicanus erat.

Com. 3. Ἐζήτει ἰδεῖν τὸν Ἰησῦν τίς ἐςι] Satis Græce. Menander,

Οταν εἰδέναι θέλῃς σεαυτὸν ὅςις εἶ, &c.

Vide quæ plura de hoc loquendi genere ſupra 4. 34. dicta.

Ibid. Τῇ ἡλικίᾳ μικρὸς ἦν] Gloſſarium, Ηλικία, τὸ μῆκος, *ſtatura*.

Com. 4. Ἀνέβη ἐπὶ συκομωραίαν ἵνα ἴδῃ αὐτόν] Homerus Iliad. Ξ'. de Deo Somno,

- - - Ἐμεῖο πρὸς Διὸς ὄσσε, ἰδέσθαι,
Εἰς ἐλάτην ἀναβὰς τερμίνθου. - - -

Plutarchus in Alcibiadis vita, Πρὸς ἐκεῖνον συντρέχοντες, ἐθέατο, ὑπετάζοντο, &c. οἱ δὲ μὴ δυνάμενοι προσελθεῖν, ἄνωθεν ἐθεῶντο.

Ibid. Δι' ἐκείνης] Supple ὁδῦ· vide ſupra ad 5. 19. dicta. Gloſſarium, Ἐκείνη, ἐκείθεν, *illac*.

Com. 5. Ὡς ἦλθεν ἐπὶ τὸν τόπον] Ita & in Græco Gen. 22. 3. Totidem verbis itidem Plutarchus in vita Eumenis.

Ibid. Ἀναβλέψας] Bene verſum *ſuſpiciens*. In vetere Onomaſtico, *Suſpicio*, ἀναβλέπω.

Ibid. Σπεύσας κατάβηθι] Sic ſupra 2. 16. ἦλθον σπεύσαντες.

Com. 7. Εἰσῆλθε καταλῦσαι] Recentioribus ita viſum vertere, *ingreſſum eſſe ad peccatorem ut ibi diverſaretur*: ſatis operoſe. Vulgatus breviter, at ſenſu lucide Latineque reddito, *quod ad hominem peccatorem divertiſſet*. Vide ad Apuleji lib. 9. 534 dicta.

Com. 8. Τὰ ἡμίσιά μου τῶν ὑπαρχόντων μι δίδωμι, &c.] Ita τὰ ἡμίσεα τῶν χρημάτων ἀκονίμων, apud Plutarchum in Ageſilaï vita. Τὰ ἥμισυ τῶν ὑπαρχόντων habemus & apud Tobiæ Scriptorem 8. 24. & 10. 10. Congrua autem ſe multa punit publicanus iſte. De ſomno dixit neſcio quis inter veteres Græcos, οἷον τελώνης τὸ ἥμισυ ἀφαιρεῖ τῦ βίυ.

Ibid. Εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα] Si avare proximum calumniatus ſum: ut Ezech. 22. 12. Sic, *argentum per ſycophantiam*, &c. *auferre*, apud Comicum Latinum. Theodoretus 6. περὶ προνοίας, Τὸν πλῆτον ἢ λῃςὰς μόνον, ἀλλὰ καὶ συκοφάντας ἀφαιρεῖται· ubi συκοφάντης eſt, qui prætexru legibus inſerviendi ſuis commodis velitatur. Menander apud Stobæum,

- - - Ὁ δ' ὁρῶν τὰς νόμως
Λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται.

Latinis ea hominum natio *delatores* dicta; unde in vetere Onomaſtico, *Delatores*, συκοφ. Vulgat. *ſi quid alicujus defraudavi*. Irenæus 4. 26. *Si cujus quid defraudavi*: malim ego (ex negotio ſubjecto) τὸ συκοφαντεῖν hoc loco reſtrictius interpretari, occaſione muneris ſui anſam capere ad plus juſto extorquendum: quod & hodie faciunt qui vectigalibus publicis exigendis primarie vel ſubordinate præſunt: vide ſupra 3. 14.

Hoc

Hoc ſenſu etiam accipio Tertullianum, qui vertit, *ſi quid per calumniam eripui*: unde Suetonii ea de Cajo Imper. cap. 38. *Exhauſtus & egens, ad rapinas convertit animum, varie, &c. calumniarum & auctionum & veſtigaliorum genere.* Et Victoris Uticenſis illud de Humerico, *Rex egens magnus calumniator.* In Gloſſis, Συκοφάντης, *calumniator.* Tὸ hic Latine vertas *quidpiam*, quæ vox *ſignificationem habet rei minimæ.* Sunt verba Donati ad Andr. 2. 6.

Ibid. Ἀποδίδωμι τετραπλοῦν] Sic *quadruplum pretium reſtitui* Apuleji 10. & ita hic bene Vulgatus non *reddo*, ſed *reſtituo*, vertit. Donatus ad 5. 3. Hecyræ, *Redditur nobis quod noſtri cupidum eſt*, *reſtituitur nobis cujus cupidi ſumus*: & in vetere Onomaſtico, *Reſtituo*, ἀποδίδωμι. Magnum putavit Seneca, de V. B. c. 23. *aperta domo, & admiſſa in res ſuas civitate, poſſe dicere, Quod quiſque ſuum agnoverit, tollat*: at quanto amplius præſtat publicanus iſte? non tantum injuſte acquiſita paratus reſtituere, ſed & inſuper pœna tripli ſe damnans. Hoc veluti libamento præludit ſinceræ ſuæ converſionis ſacrificio: & talem fane convivam qualis Chriſtus dominus, decebat tali ferculo excipi, hominemque doctoris tanti magiſterio ſe tradentem, non ſolum adeo juſta ſed & honeſta ſpirare.

Com. 12. Λαβεῖν ἑαυτῷ βασιλείαν] Præfecturam: vide ad Apuleji 4. pag. 230. dicta.

Com. 13. Ἔδωκεν αὐτοῖς δέκα μνᾶς] Numerus denarius hic eſt tantum multitudinis index: ita *nudum nec à decem paleſtritis deſpoliari poſſe*, lib. 1. Apulejus dixit.

Ibid. Πραγματεύσασθε] Apud Quintilianum declam. 345. de divitibus ille, *Per diſpenſatores fœneratis.*

Com. 15. Φωνηθῆναι αὐτῷ] Si vera eſt lectio, Latiniſmus erit qualis ſæpius apud Lucam: illud *αὐτῷ* autem malim ego tolli, nam nec legit Vulgatus, nec alibi his in libris Φωνεῖσθαι cum dativo occurrit.

Com. 16. Ἡ μνᾶ σου προσειργάσατο δέκα μνᾶς] Seneca de Brevitate vitæ cap. 1. *Quamvis modica opes, ſi bono cuſtodi tradita ſunt, uſu creſcunt.*

Com. 17. Ὅτι ἐν ἐλαχίστῳ πιστὸς ἐγένου, ἴσθι ἐξουσίαν ἔχων ἐπάνω δέκα πόλεων] Juſtinianus Novella λά de Cappadociæ Proconſule, ἔχω δύναμις, &c. καὶ γνώσεται ὡς εἰ μὲν ταῦτα ἐποίησ· μενεῖ τι ἐπὶ τῆς ἀρχῆς ἐπὶ μικρὸν, καὶ δυσδέκτως γε αὐτὸν ἕτερα μείζων ἀρχὴ. Claudianus in Serenæ laudibus de Stilicone,

- - - Commiſſoſque ſibi ſic geſſit honores,
Ut ſemper merito Princeps cum magna dediſſet,
Deberet majora tamen. - - -

Com. 18. Ἡ μνᾶ σου ἐτοίησε πέντε μνᾶς] Popularis loquendi modus, quo dicimus aliquam rem feciſſe quod homo reapte uſus fecit. Ποιεῖν hoc forte Latiniſmus eſt: *facere pecuniam* enim dixit Cicero 1. de Divinat. Saluſtius apud Donatum ad Phor. 1. 1. *Quæ pecunia ad Hiſpanienſe bellum facta erat.*

Com. 20. Ἀποκειμένην ἐν σουδαρίῳ] Sic, *ſudariolo involvi*, Apulejus in Apologia. De voce σουδάριον ad Joh. 11. 44. dixi.

Com. 21. Ἄνθρωπος αὐστηρός εἰ] Adelph. 5. 4.

- - - Triſtis, parcus, truculentus, tenax.

Σκληρός Matth. 25. 24. ubi dicta vide. Gloſſarium, *Tetricus, durus*, &c. αὐστηρός, &c. & in alio, Αὐστηρός, *auſterus, ſeverus.*

Ibid. Αἴρεις ὃ οὐκ ἔθηκας] Joſephus contra Appionem 2. Ὁ μὴ κατέθηκέ τις, ἀναιρήσεται; Ælianus, Οὐδὲν ἂν μὴ κατέθετο ἀναιρεῖται.

Ibid. Καὶ θερίζων ὃ οὐκ ἔσπειρας] Baſilius Homil. εἰς τοὺς πλουτοῦντας, de divite fero & impotente, θερίζει τὰ μὴ προσήκοντα. Vide ad Matthæum notata.

Com. 22. Ἐκ τοῦ στόματός σου κρινῶ σε] Ex τῶν λόγων, ut Matth. 12. 37. σοῦ κατακαυθήσῃ.

- - - Legem ſibi dixerat ipſe.

Cicero Verr. 7. *Tua te oratione accuſo.* Vide 1 Reg. 20. 40. 2 Reg. 1. 16. Job. 15. 6. Oſeæ 13. 9. Suſannæ com. 61. Συνέστησεν αὐτοὺς ἐκ τοῦ στόματος αὐτῶν ψευδομαρτυρήσαντας.

Com. 23. Σὺν τόκῳ ἂν ἔπραξα αὐτό;] Sic, μετὰ τόκου ἀποδόσει, Simplicius in cap. 37. Epicteti. D. Hieronymus ad Marcellam, *Sortis dilatio uſuram parturit.* Donatus ad 2. 2. Adelph. *Sors eſt ſumma, cui acquiritur extrinſecus fœnus*: & ibidem, *Fœneratum, eſt cum lucro redditum & multiplicatum.* Nonius Marcellus, *Fœnus dictum eſt, ut Grace τόκος, quaſi partus nummi ſumpti*: & Servius ad Georg. 2. *Omnis miluus fœtus eſt.* In MS. ſummæ vetuſtatis qui in Anglia eſt, σὺν τόκῳ ἂν αὐτὸ ἀνέπραξα· quod Vir doctrinæ incomparabilis præferendum putat. Credam ego ſtandum à partibus receptæ lectionis, nam πράττειν hic, ut & ſupra 3. 13. Lucas pro εἰσπράττειν poſuit: nec ſatis conſtat mihi an vox ἀναπράττειν, hoc ſenſu ſaltem accepta, inter Græcas numeranda.

Com. 24. Τοῖς παρεστῶσιν] Supple αὐτῷ· vide Act. 23. 2. Senſu ſimili Act. 10. 7. τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ.

Com. 25. Ἔχει δέκα μνᾶς] Supplendum hic (ex perſona nobilis patriſfamilias iſtius) *nil refert, quid ad te? bene habet*, vel quid ſimile; ut hæc cum ſequentibus λέγει γὰρ cohæreant.

Com. 26. Τῷ ἔχοντι δοθήσεται] Vide ad Matthæum dicta: & adde, τὸν ἔχοντα hic eum eſſe qui (ut appoſite in Panathenaica Ariſtides loquitur,) πεῖραν δίδωσι τῷ κατ' ἀξίαν τυχεῖν, καὶ τῷ χρήσασθαι τοῖς ὑπάρχουσιν ὡς προσήκει· ſubjungens, Οὐ γὰρ ἠξίωσαν αὐτὸ δὲ τοῦτο τῇ γῇ πρύψαντες, &c. ubi & γῇ πρύπτειν reſpondet ei quod ſupra heic com. 20. ἐν σουδαρίῳ μνᾶν ἀποκειμένην ἔχειν.

Ibid. Ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται αὐτῷ] Seneca Herc. fur.

- - - Perdere eſt dignus bona
Qui neſcit uti. - - -

Vide ad Matthæum allata.

Com. 27. Τοὺς ἐχθρούς μου ἐκείνους] Ἐκείνους amare. Apulejus 5. *Ille bonus filius meus*: & propius, in Floridorum fragmentis, *Si quis ex illis inviſoribus meis*, &c.

Ibid. Τοὺς μὴ θελήσαντάς με βασιλεῦσαι ἐπ' αὐτούς, ἀνάγετε ὧδε, καὶ κατασφάξατε ἔμπροσθέν μου] 1 Reg. 11. 12. Iſraelitæ, Τίς ὁ λέγων ὅτι Σαὺλ ὃς βασιλεύσει ἡμῶν; παράδος τοὺς ἄνδρας, ἵνα θανατώσωμεν αὐτούς. Ἀνάγετε ὧδε, ut apud Petronium, *Attrahite ocyus nocentes in medium.* Κατασφάξατε ἔμπροσθέν μου, ut in Græco Jeremiæ 52. 10. κατ' ὀφθαλμὸς σφάττειν. Plutarchus de Sylla, Ἀκριτον Ὀφελλαν, &c. ἐν ὀφθαλμοῖς ἐκαστοφάξαι προσέταξεν. Et ibidem, Ἀπέσφαξε τὸν ἄνδρα καθεζόμενος ἐπὶ βήματος, &c. καὶ τὸν Φόνον ἐφόρων ἄνωθεν. Saul de Davide loquens, 1 Reg. 19. 15. *Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur.* Juſtinus lib. 42. *In conſpectu ſuo eum trucidari juſſit.* Cæſar Belli civiles lib. 3. *In ejus conſpectu interficiuntur.* Tacitus Hiſt. 3. de Juliano, *Ad Lucium Vitellium perductus, &c. in ore ejus jugulatur.* His adde quæ ad Apuleji lib. 9. pag. 508. annotata.

Com. 28. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἐπορεύετο ἔμπροσθεν]

Dixit, & ante tulit greſſum. - - - Æneid. 6.

Ἐπορεύετο ἔμπροσθεν, Paſtoris nempe ritu, Joh. 10. 4. ubi & eadem locutio iſta: vel, in morem Ducis intrepidi, cui oculis mentis ejus obverſantia quæ Hieroſolymis perpeſſurus erat, vigorem animi firmumque obediendi ſuo patri propoſitum excutere nequiverunt. Similis conſtantia & ejuſdem, Johan. 14. 31. illa, ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν. Confer & quæ Paulus (hujuſce fortitudinis non timidus imitator) Act. 20. 23, 24. locutus.

Com. 30. Πῶλον ἐφ' ὃν οὐδεὶς πώποτε ἀνθρώπων ἐκάθισε] Vulgat. *Pullum cui nemo unquam ſedit*: & ita idem 2 Macc. 3. 23. *Qui autem ei* (equo) *ſedebat*: dubito tamen an utroque loco *reſidebat* legendum. Vide ad Apuleji lib. 3. pag. 178. annotata. Sic apud Ovidium, bos

Nullum paſſa jugum curvique immunis aratri:

Item,

- - - Juvencam,
Nullum ſervitii ſignum cervice gerentem.

Com. 31. Ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει] Vulgatus, *dominus operam ejus deſiderat.* Apud Apulejum lib. 9. ille, & de aſino loquens, *mihi opera ejus opus eſt.*

Com. 32. Εὗρον καθὼς εἶπεν αὐτοῖς] Infra hic, 24. 24. Εὗρον οὕτω καθὼς καὶ αἱ γυναῖκες εἶπον.

Com. 33. Οἱ κύριοι αὐτοῦ] Habebant nempe tam vilia animalia iſta quandoque plures dominos. Apulejus 10. *Multas numero partes in cellulam ſuam mei ſolebant reportare Domini.*

Ibid. Οἱ κύριοι αὐτῷ] Sic Act. 16. 19. de Pythoniſſa, οἱ κύριοι αὐτῆς.

Com. 34. Αὐτῷ χρείαν ἔχει] Ut horum cum immediate ſequentibus connexio clarius procedat, ſupple ex Marc. 11. 16. καὶ ἀφῆκεν αὐτούς.

Com.

Com. 35. Ἐκβάλλοντες, &c.] Vulgat. *jactantes:* ſic & Tobiæ 2. 10. *Cum jactaſſet ſe contra parietem:* & hæc Latine ſatis, pro *jacientes*, & *jeciſſet*. Petronius, *multa in mulierem levitatem capit jactare.* Apul. 7. *Inteſtina canibus noſtris jacta:* ad quem locum annotata vide.

Ibid. Ἐκβάλωσιν, &c.] Supra 10. 34.

Com. 37. Ἐγγίζοντος δὲ αὐτοῦ, ἤδη, &c.] E converſo 7. 6. & 15. 20. ἤδη δὲ αὐτοῦ μακρὰν ἀπέχοντος.

Ibid. Χαίροντες αἰνεῖν, &c.] Supra 5. 26.

Com. 39. Ἐπιτίμησον τοῖς μαθηταῖς σου] Id eſt, ne patere aures tuas titillari hujuſmodi elogiis & acclamationibus. Talia apud Matthæum illa, ἀπάτας τί ἔτι λέγω; Ammonius περὶ ὁμοίων καὶ διαφ. λέξ. Ἐπιτίμησον αὐτὸν, ἀντὶ τοῦ, ἐπίληξον· lege, Ἐπιτίμησον αὐτῷ, ut hoc Lucæ loco: ita & ſupra 7. 3. αὐτῷ ἐπιτίμησον.

Com. 40. Εἰσὶ λέγω ὑμῖν, ἐὰν οὗτοι σιωπήσουσιν, οἱ λίθοι κεκράξονται] Locutio hyperbolica, qua innuit Chriſtus impoſſibile fore ut & doctrina & miracula ejus non agnoſcantur: malignorumque ea in parte æſtimatorum ſilentium vel à lapidibus redargutum iri. Piſides in Suidæ collectaneis, verbo ἀποφήξει,

Οὓς (malim ὡς) *ei* σιωπήσωμεν, οἱ λίθοι τάχα
Φωνὰς ἀποφήξουσι τῶν πεπραγμένων.

Nec diſſimilis Matth. 3. 9. locutio. Juvenalis (adeoque appoſite, ut mirum ſit ab Interpretibus omiſſum fuiſſe,)

- - - *Servi ut taceant, jumenta loquantur,*
Et canis, & poſtes, & marmora. - - -

Ubi *marmora*, ut heic λίθοι. Sic Joſuæ 24. 27. *En lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quod audierit omnia verba Domini quæ locutus eſt vobis, ne forte poſtea negare velitis*, &c. id eſt, ſi negaveritis, vel hic lapis contra vos teſtimonium feret: vide & 2. 11. Habacuci. Verum eſt, inanima omnia κατὰ φύσιν eſſe æqualiter ἄφωνα· lapides tamen proverbialiter & dici & haberi ſolent inanimorum omnium ἀφωνότατα. Hinc voces lapidibus affingere, mos Antiquis frequens, quoties ſermone vellent ἀπρόσιτα ὑπερβολίζειν, aut ſignificare vellent τὰ ἀδυνατώτατα. Κἂν λίθοι φῶσι, καὶ φυτὰ, eſt apud Nicephorum Gregor. lib. 10. *Lapidi dixeris*, apud Comicum Latinum:

- - - *Lapis iſte prius tua facta loquetur,*

apud Ovidium: & *lapidas*, &c. *lamentari coegiſſes*, apud Ciceronem de Orat. 1. Calanus Indus apud Philonem, invincibilem gymnoſophiſtarum ſuorum libertatem Alexandro M. enarrans, Σώματα δὲ τόπου εἰς τόπου μετοίσεις, ψυχὰς οὐ δύνασαι ποιεῖν ἃ μὴ βούλονται, ἢ μᾶλλον πλήθους, &c. φωνὴν ἀφίνας.

Ibid. Οἱ λίθοι κεκράξονται] Hyberbole. Cicero famil. ep. 6. 81. ad Torquatum, *In ea ex urbe, in qua hæc vel plura & ornatiora parietes ipſi loqui poſſe videantur.* Virgilius,

- - - *Monteſque feri ſylvæque loquentur.*

Servius, *Hyperbolice dictum.*

Com. 41. Ἰδὼν τὴν πόλιν, ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ] Ab imagine prævisæ ejus vaſtationis; ἐπὶ ταῖς τελειτωρίαις ταῖς αὐτῇ ἐπερχομέναις, ut 5. 1. Jacobi, ubi & præcellit vox πλαίειν. Sic Apocal. 1. 7. ἐπ' αὐτὸν κόψονται (ubi forte ἐπ' αὐτῷ legendum) & Jobi 30. 25. ἐπ' ἀδυνάτῳ ἔκλαυσα. Sed ad rem contextus noſtri. Ammianus de Juliano Imper. *Angorem animi* (reliquiis Nicomediæ viſis) *tacitis fletibus indicans.* Appianus de Scipione, Πόλιν (Carthaginem nempe) ἑρῶν, &c. ἕρδην τελευτῶσαν εἰς πανολεθρίαν ἐσχάτην, λέγεται μὲν δακρῦσαι. Verterunt hic in Luca Interpretes, *ſuper illam flevit*: nec diſplicerat, *illacrymavit ei.* Sic Marcellum deletis Syracuſis *illacrymaſſe* tradit Valerius Maximus: & Plinius aliique Xerxem, cum immenſum exercitum ſuum oculis luſtraſſet, *illacrymaſſe*, quod tot millibus tam brevis occaſus immineret. Panegyriſtes ad Conſtantinum, *Nam quid ego de cæteris civitatibus illius regionis loquor? quibus illacrymaſſe te ipſe confeſſus es: vidiſti enim, non ut per agros aliarum urbium, omnia fere culta, aperta, florentia; ſed*, &c. *vaſta, inculta, ſqualentia, muta, tenebroſa*, &c.

Com. 42. Εἰ ἔγνως καὶ σὺ, καί γε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σε ταύτῃ, τὰ πρὸς εἰρήνην σου] Summi quidam inter nuperos Viri volunt τὸ *ſi* hic optantis eſſe: potuerunt ſane fulcire conjecturam ſuam ex his Virgilii,

Si unus ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat. - - -

Ubi Servius, *SI, adverbium rogantis & optantis*, eſt *per ſe plenum: ſicut & hoc licet nutrici hæc jungam, & pro una ponam.* Mihi quidem iſte Domini ſermo videtur defectivus, ſupplendumque, non tam ſecure dormires in peccatorum veterno: vel (ut Matth. 21. 11.) pœnitentiam in cinere & cilicio ageres: hæc enim ob eximium τῦφος prolata κατ' ἀντίφρασιν puto. Æneid. 9. *Me, me*, &c. ad quem locum Servius, *Eſt interrupta locutio dolore turbati.* Idem ad Æneid. 11. illa,

Quanquam ô, ſi ſolita quicquam virtutis ineſſet.

O dolentis exclamatio eſt: & intelligimus innumeratam eſſe illic orationem ejus: nam exarſit dolore, &c. Ecgraphius ad 1. 1. Andriæ, *Elleipſis ſolet fieri aut nimia lætitia, aut nimia triſtitia.* Donatus in ejuſdem Eunuch. 3. 3. *Conceditur ſecum loquentibus* (Chriſtus autem hic ſecum loquitur) *multa tranſcendere quæ tacite intelligunt*: & ad alium ejuſdem fabulæ locum, *Nimius affectus in utramque partem defectus orationis amat.* Non diſſimile apud Petronium, illud, *Si ſcires* (εἰ ἔγνως) *quæ mihi acciderunt*: ubi ſupplendum, *utique miraveris.* Illa καὶ σὺ (quibus abſentibus vis eadem orationis manet) deeſſe malim: neque quæri poteſt iis patrocinium ex Matth. 11. 23. illis, καὶ σὺ Καπερναούμ, ob cauſas ſolerti inſpectori perſpectu faciles. Καί γε, eſt, *Si potes his ſaltem monitis parere.* - - - Illa, ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ, à pluribus video exponi, in die iſta qua ego tibi illuceſcere dignatus ſum: quam interpretationem ut non improbo, ita malim, ut Hebr. 4. 7. exponere σήμερον, μετὰ τοσοῦτον χρόνον· hoc eſt, in iſto ſaltem tempore, vel, in die iſta omnimodam ſubverſionem tuam tam prope præcedente. Non multo aliter Servius ad Virgilii illa,

Diſcite juſtitiam moniti; - - -

hoc eſt, vel nunc ſaltem in pœnis locati. Τὰ πρὸς εἰρήνην σου, præciſe dictum, ut ſupra 14. 32. τὰ πρὸς εἰρήνην.

Com. 43. Ἥξουσιν ἡμέραι ἐπὶ σὲ] Exprimitur hac loquendi forma (præcipue autem in prophetarum ſcriptis) improviſa mali adreptio. Simile infra 21. 34. αἰφνίδιος ἐπιστῇ. hoc 1 Theſſ. 5. 4. κατα λαμβάνειν.

Ibid. Περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι] Pollux 1. 10. Onomaſtici, Χαρακώματα ἐποιήσαντο, &c. χάρακα ἔβαλον, περιεχαράκωσαν. Περιβαλεῖν χάρακα dixerunt Ezech. 4. 2. LXX Interpretes, & Arrianus 3. 24. in Epictetum.

Ibid. Περιβαλοῦσιν, &c. χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε] In Græco Eſaiæ 29. 3. Κυκλώσω, &c. ἐπί σε, καὶ βαλῶ περί σε χάρακα. Eccleſiaſtes 9. 14. Κυκλώσει αὐτὴν (πόλιν) καὶ οἰκοδομήσει ἐπ' αὐτὴν χάρακα. Περιτροφεύειν, καὶ περιχαρακοῦν πόλιν, Appianus in Ibericis dixit. Virgil.

Conſidunt caſtris ante urbem, ac mœnia vallant.

Περικυκλοῦν hic fere idem quod περιβάλλειν, &c. Heſychius, Περίβαλλον, (ſcribe περιέβαλλον) ἐκύκλωσαν.

Ibid. Πάντοθεν] Idem Heſychius, Πάντοθεν, πανταχόθεν, ἐξ ἑκάστου τόπου.

Com. 44. Ἐδαφιοῦσί σε] Id eſt, ἕως τῶ ἐδάφους ἀφέσι σε, delebunt te funditus, ſoloque æquabunt.

- - - *Muri congeſta tui decora alta jacebunt.*

Heſychius, Ἐδαφίσθησαν, εἰς ἔδαφος ἀνῃρέθησαν. Virgilius,

- - - *Urbem*
Eruam, & aqua ſolo fumantia culmina ponam.

Hoc 2 Macc. 9. 14. ubi & de hac ipſa civitate agitur, ποιεῖν ἰσόπεδον.

Ibid. Καὶ τὰ τέκνα σου] Repete ἐδαφιοῦσι, quæ vox perſyllepſin jam & de urbe prolata. Heſychius, Ἐδαφιοῦσι, προσκρούσουσι τῇ γῇ. Vide Pſ. 137. 9. Oſeæ 13. 16. 4 Reg. 8. 12. Judith. 16. 5. Eſaiæ 13. 18.

Ibid. Καὶ οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ] Hyperbole, ut infra 21. 6. Vide Jerem. 51. 26. & 2 Reg. 17. 13. De Troja Euripides,

- - Κατείργασται πυρὶ,
Ὡς οὐδ' ἴχνος γε τείχεων εἶναι σαφές.

Auctor ad Herennium 4. *Cujus nitor urbis Italiam nuper illuſtravit, ejus nunc vix fundamentorum reliquiæ manent.* Seneca Epiſt. 91. *Non vides quemadmodum in Achaia clariſſimarum urbium jam fundamenta conſumpta ſint, nec quidquam exſtet ex quo appareat illas ſaltem fuiſſe?* Seneca alter in Troade,

Supereſtque vaſta ex urbe ne tantum quidem
Quo lateat infans. - - -

Ibid.

Ibid. Τῆς ἐπισκοπῆς σου] Vertunt, *viſitationis tuæ*, id eſt, vindictæ: vide 1 Petr. 2. 12. Heſychius, Ἐπισκοπὴ, ἐκδίκησις.

Com. 45. Ἤρξατο ἐπιβάλλειν τοῖς τυλίοντας, &c.] Nemine reſiſtente, πάντων nempe τῷ Φρονήματι τῶ ἀνδρὸς κατασκλαγόντων ut de Socrate per medios hoſtes recipiente ſe Simplicius in cap. 31. Epicteti locutus.

Com. 46. Τμεῖς δὲ ἐποιήσατε αὐτὸν σπήλαιον λῃστῶν] Hegeſippus 4. 7. *In templo latronum receptacula conſtituerunt, itaque pacis locus, reverendus etiam Gentibus, factum eſt prædonum concilibulum.* Vide 2 Macc. 6. 4. & ad Matth. 21. 13. dicta. Baſilius Homil. de Oratione, Τόπον μαρτολογίας τὸν οἶκον τῆς προσευχῆς ποιοῦντας. Syneſius Epiſt. 57. de Andronico quodam in urbe graſſante, τὴν βασιλέων, τὸ πάλαι κριτήριον, ἐπιδείξας βασανιστήριον.

Ibid. Σπήλαιον λῃστῶν] Apul. 4. *Spelunca quam latrones inhabitabant.*

Com. 48. Ὁ λαὸς ἅπας ἐξεπέματο αὐτῦ ἀκούων] Captus divina ejus non ſolum docendi ratione, ſed & dicendi ſuavitate: vide ſupra 4. 22. Juvenalis,

. . . Tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur. . . .

Eunapius de Ædeſio, Ἐξεπέματο τῶν λόγων, καὶ τῆς ἀκροάσεως ἐκ ἀνεπίμπλατο. De eodem, Οἱ ἀκούοντες, παραδιδόντες αὐτὸς καθάπερ οἱ τῦ λωτῦ γευσάμενοι, τῆς Φωνῆς ἐξεπέμαντο. Lucianus in Icaro-Menippo, Μετέωρος ὑπὸ τῶν λόγων καὶ ἐκ τῶν ὤτων ἀπηρτημένος id eſt, ἐκπεμάμενος. Metaphoram deſumptam putem à ferro & magnete, ob hunc Themiſtii locum ex 4 Oratione, Καὶ τραβοὺς παραΦαινόντος, ἐυθὺς ἐξεπέμαντο, ὥσπερ τῆς λίθυ τὰ σιδήρια. *Pendere* etiam Latinis dicuntur qui ſumma cum attentione audiunt. Virgilius,

. . . Pendentque iterum narrantis ab ore.

Ovidius,

Narrantis conjux pendet ab ore viri.

D. Hieronymus ad cap. 3. Eccleſiaſtis, *A præceptoris eloquio pendeamus.* Seneca Controverſ. 9. 1. *Ex vultu dicentis pendent omnium vultus.* De vultu lib. 11. Quintilianus, *Hoc pendent homines, hunc intuentur: hos ſpectant etiam antequam dicamus.* Plinius lib. 1. Epiſt. 10. *Sequaris monentem attentum & pendens.* Commode & Vulgata verſio *ſuſpenſus erat.* D. Auguſtinus Confeſſ. 5. 13. de Ambroſio, *Verbis ejus ſuſpendebar intentus.* Ovidius,

Incipe, ſuſpenſis auribus iſta bibam.

Poſt ἀκούων, ſupplendum αὐτόν. Similis ellipſis eſt & infra 22. 31. ubi ſubaudiendum eſt ὑμᾶς poſt vocem σινάσαι.

CAP. XX.

VALLA.

1. *Convenerunt*] Gr. *ingruerunt* potius quam *convenerunt*, ἐπέςησαν.

6. *Plebs univerſa lapidabit nos: certi enim ſunt Joannem Prophetam eſſe*] Hoc *certi* ad quid refertur? Nempe ad *plebem*. Cur ergo non dixit, *Certa enim eſt*, ut eſt Græce? Etſi potius dicitur *populus* quam *plebs*: nec tam *certus eſt* quam *perſuaſus eſt*, h. e. *perſuaſum habet*, πεπεισμένος γάρ ἐςιν.

ERASMUS.

1. IN *uno dierum*] Græci addunt ἑκάστου *illorum*. Illud ſemel admonuiſſe ſat eſt, Hebræos *unum* dicere quod Latini *quidam*; ut, *uno die* pro *quodam die*, & *unus ſcriba* pro *quidam*. ¶ *Convenerunt*] Ἐπέςησαν *ingruerunt*, ſive *aderant*, ſive, quod malim, *aderti ſunt*. Sic enim utitur in Actis Apoſtolorum.

3. *Unum verbum*] Ἕνα λόγον *unum ſermonem*. In Aureo cod. non addebatur *unum*, nec in Donatianicis. Nos ſenſum reddidimus, non verba; *Interrogabo vos & ego unum quidam.*

6. *Certi ſunt enim*] Πεπεισμένος γάρ ἐςιν *perſuaſa eſt enim*, ſive *perſuaſum habet*, ut ſubaudias *plebs*, quæ modo præceſſit. *Certus* eſt enim aliquis de re vera, at *perſuaſus* eſſe poteſt qui falſum credat.

9. *Multis temporibus*] Χρόνους ἱκανοὺς *multum tempus*, ſive *temporis*, ſi ſenſum maluiſſet reddere quam verba.

18. *Conquaſſabitur*] Συνθλασθήσεται *confringetur.*

27. *Qui negant eſſe reſurrectionem*] Qui putant nihil immutandum in S. literis, vertant hæc Lucæ ad verbum ſi libet, οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάςασιν μὴ εἶναι, *qui contradicunt non eſſe reſurrectionem.* Sed quorſum attinet ex innumeris unum aut alterum proferre? Illud annotandum, quoniam ἀνάςασιν dixit abſque articulo, vertendum potius fuiſſe *qui negant ullam eſſe reſurrectionem.* Eſt reſurrectio corporum, & eſt animarum. Tum ſunt qui fatentur Dominum reſurrexiſſe cum paucis, negantes univerſalem reſurrectionem.

29. *Et mortuus eſt ſine filiis*] Ἄτεκνος ὀρθῦς, ſive *abſque liberis.* Nam *liberorum* nomine & Filiæ continentur.

35. *Neque nubunt, neque ducunt uxores*] Οὔτε γαμίσκονται οὔτε ἐκγαμίζονται *neque ducunt uxores, neque nuptum dantur.* Quod Cyprianus lib. 3. ad Quirinum vertit *nubuntur*: quanquam γαμίσκω ambiguum eſt. Aliascerte vertit *ducunt uxores*, atque adeo paulo ſuperius in hoc ipſo Luca. Prius verbum γαμίσκω pertinere poteſt & ad Viros *ducentes* & ad Feminas *nubentes*, ἐκγαμίζονται ad Parentes *elocantes.*

36. *Æquales enim Angelis*] Ἰσάγγελοι, dictione compoſita, h. e. *ſimiles*, ſive *pares*, *Angelis.* Quemadmodum Homerus ἰσοθέους & θεῷ ἐπίλους appellat eximios viros & *diis æquiparandos.*

37. *Quia vero reſurgent mortui*] Ὅτι δὲ ἐγείρονται. Tametſi anceps eſt Græca conjunctio, tamen hoc loco dicendum erat, *Quod autem reſurgant mortui*, ſive, *Reſurgere autem mortuos.*

47. *Simulantes longam orationem*] Καὶ προΦάσει μακρᾷ προσεύχονται *& pretextu longo precantur.* In nonnullis cod. habebatur προΦάσει μακρᾷ, ultima acuta non circumflexa, *ſub pretextu multa precantes.* Nam quid ſibi vult *longus pretextus*? Nos magis ſenſum quam verba reddidimus, *ſimulantes longas preces.* Neque enim precatur qui ad laudem humanam aut quæſtum precatur. ¶ *Damnationem majorem*] Περισσότερον κρίμα *majus judicium.* Interpres ſententiam explicat, non verbum. Nam hic aliquoties κρίμα uſurpatur pro *condemnatione.*

VATABLUS.

1. IN *una dierum**] Hebr. quadam die; * *illorum.* ¶ *Convenerunt*] *Aderti ſunt.*

3. *Unum verbum*] i. quiddam, Hebr. ¶ * *Reſpondete*] * *Et.*

4. *Baptiſmus Johannis*, &c.] i. Qua autoritate baptizabat Johannes, Divinane, an humana?

6. *Certi ſunt*] *Perſuaſa eſt.*

9. *Plantavit*] *Plantaverat.* Sic in ſequentibus.

10. *In tempore * illo*] * Vet. ¶ *Qui*] *Agricola autem.* ¶ *Dimiſerunt*] *Emiſerunt.*

11. *Addidit alterum ſervum mittere*] Hebr. pro *rurſum miſit alterum ſervum.*

14. *Heres: * occidamus*] **Venite.* ¶ *Fiat*] *Sit.*

17. *Reprobaverunt*] Vel, *reprobaverant.*

18. *Conquaſſabitur*] *Confringetur.*

19. *Et timuerunt*] *Et* pro *ſed* poſitum eſt, Hebr.

20. *Obſervantes*] Vel, *per obſervationem.* ¶ *Et traderent*] *Ut traderent*, Vet.

23. *Dolum*] *Verſutiam.*

24. *Reſpondentes * dixerunt*] * *Autem.*

25. *Et*] *Ille autem.*

26. *In reſponſo*] Vel, *propter reſponſum.*

27. *Negant*] *Contradicentes negant.*

28. *Sine liberis * fuerit*] * *Moriatur.*

30. *Sequens*] *Secundus.* ¶ *Filio*] *Filiis.*

31. *Accepit illam **] * *Similiter.* Sic quidam codices Græci. ¶ *Omnes*] *Illi*: vel, *cæteri.* ¶ *Semen*] *Liberos.*

34. *Et * ait*] * *Reſpondens.* ¶ *Filii*] i. homines, Heb. ¶ *Nubunt, & traduntur ad nuptias*] *Ducunt uxores, & nuptum dant.*

35. *Seculo illo & reſurrectione ex mortuis*] i. ut in ſeculo illo vivant poſtquam reſurrexerint. ¶ *Nubent, neque ducent uxores*] *Ducunt uxores, neque nuptum dant.* Vet. legunt *nubunt, neque ducunt.*

36. *Neque * ultra*] * *Enim.* ¶ *Filii reſurrectionis*] i. conſortes & capaces reſurrectionis.

Digitized by Google

37. *Quia vero*] *Quod autem.* ¶ *Locus rubum, ſicut*] *In rubo, cum.* ¶ *Jacob*] Sub. *verba ſibi feciſſe.* Concilus eſt ſermo.

42. *Et ipſe David dicit*] *Cum ipſe David dicat*, Hebr.

44. *Et quomodo*] Hebr. pro, *quomodo igitur.*

46. *Attendite*] *Cavete.*

47. *Simulantes longam orationem*] *Prætextu: occaſione:* vel, *cauſa* (ſub. *lucri* ſive *propterea*) *prolixe orant.* ¶ *Accipient*] Vel, *ferent.*

CASTALIO.

16. *Abſit*] Iſtud facinus eſt inauditum.

31. *Septem*] Reliqui ex ſeptem.

34. *Nubunt*] Scilicet feminæ.

47. *Per ſpeciem prolixarum precum*] Dum prolixe precantes efficiunt ut imperitis religioſi eſſe videantur, atque ita eliciunt dona.

CLARIUS.

36. *Qualeſ enim angelis ſunt*] Idcirco non erit ibi corporea generatio, quæ per nuptias fit, cujus rei Angeli ſunt expertes. Atque in hac conſideratione Angelicæ ſimilitudinis quæ in reſurrectione promittitur, M. Baſilius ait, *præveniſſe virgines futuram illam in regeneratione & corporum reſurrectione mutationem, quando jam in morem Angelorum neque nubunt neque traduntur ad nuptias: & Dominum noſtrum voluiſſe Virginitatem quaſi ſemen incorrupta vitæ eſſe, quæ à terra in cœlum mirandum in modum homines mitteret; ut jam meditarentur corpora noſtra illam incorruptionis pulchritudinem per virginum incorruptionem. Idque ex eo patet, quod cum toti Legi Dominus obtemperarit, ſolas recuſaverit nuptias, quin & in matre eandem eſſe voluerit incorruptionem.*

ZEGERUS.

QUÆ hic explanatione indigent, in Matth. 21. expoſita ſunt.

37. *Sicut dicit Dominum Deum Abraham*] Gr. ὡς λέγει Κύριον τὸν Θεὸν Ἀβραάμ· quod etiam verti poteſt, *nam dicit, Dominum Deum Abraham, & Deus Iſaac*, &c.

39. *Dixerunt ei, Magiſter, bene dixiſti*] *Ei* extra contextum rejiciendum eſt, etiam ſi id libri habeant quæ hodie habentur emendatiſſimi. Liquet hoc ex archetypo, ex Beda, ex codicibus vetuſtis.

H. STEPHANUS.

3. Ἐπερωτήσω ὑμᾶς κἀγὼ ἕνα λόγον] *Proponam vobis & ego quæſtionem quandam.*

5. Συνελογίσαντο πρὸς ἑαυτούς] *Ratiocinati ſunt apud ſe.*

9. Χρόνους ἱκανούς] *Longo tempore:* vel, *Per annos multos.*

13. Ἐντραπήσονται] *Reverebuntur.*

20. Παρατηρήσαντες ἀπέστειλαν ἐγκαθέτους] *Obſervata occaſione:* vel, *Obſervato tempore commodo, miſerunt quoſdam à ſe ſubornatos.*

23. Τὴν πανουργίαν] *Vafritiem*; vel, *calliditatem.*

26. Ἐπιλαβέσθαι αὐτοῦ ῥήματος] *Carpere verba ejus.*

27. Οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι] *Qui contradicunt iis qui reſurrectionem eſſe ajunt.*

36. Ἰσάγγελοι] *Pares Angelis.*

46. Προσέχετε ἀπὸ τῶν γραμματέων] *Cavete à ſcribis.*

47. Προφάσει μακρὰ προσεύχονται] *Prætextu longarum precum utuntur.*

DRUSIUS.

1. *IN uno dierum*] *Quodam dierum*, aut *quodam die*, ut ſupra 5. 17. Sic *in una urbium* 1 Sam. 1. 1. *ſicut una ancillarum* Ruth 2. 13. Dicunt etiam *die uno* pro *quodam.* Sic *vir unus*, i. quidam. Vulg. noſter utrobique *in una dierum*; quod potius denotat *quodam tempore.* Nam *dies* cum feminine uſurpatur, ſignificat *tempus*: unde *diecula*, parvum tempus. Scire licet interpretem non obſervare hanc differentiam. Alibi μία τῶν σαββάτων *una Sabbathorum* eſt prima dies hebdomadæ, quam *feriam primam* appellant.

4. *E cælo*] i. cœlitus: *à cælo*, i. à Deo. Utrumque dicunt Ebræi מן השמים. Nam ſignificat tam *à cælo* quam *e cælo.* Scitum illud, *Qui venit ut ſe mundet, adjuvant eum è cælo*, i. cœlitus aut Divinitus. *Cælum* autem *Deum* denotare vel hic locus evincit: Nam ei *homines* opponit, non *terram.* Fruſtra ergo eſt qui negat ex hoc loco colligi poſſe *cælum* pro *Deo* accipi. Nam ut hic locus ambiguus ſit, tamen alii omni omnino controverſia carent. Nam quid eſt, *Sit reverentia præceptoris tui ut reverentia cœli*, aliud quam *reverentia Dei?* Non enim certe cœlum reveremur, ſed ipſum Deum, qui in cœlo.

9. *Cœpit autem dicere*] i. dixit. Sic infra 21. 7. *cum fieri inceperit*, i. fient. Vide Actor. 1. 1. Huc refer, *Cœpit ejicere vendentes & ementes*, *Cœpit epulari*, & alia ejus farinæ.

36. *Filii reſurrectionis*] Ἀναστάσεως hic poſitum videtur pro ἀναβιώσεως, quæ proprie reſurrectio eſt ad vitam. Hujus reſurrectionis non ſunt participes improbi, qui reſurgent quidem ſed in æternum exitium. Hæc תחיה, illa vero תקומה dicitur. Ergo υἱοὶ τῆς ἀναστάσεως בני תקומה idem in hoc loco cum בני תחיה *filii reſurrectionis ad vitam.*

42. *Ipſe David dicit in libro pſalmorum*] Locus eſt Pſalm. 110. quem à Melchiſedec dictum exiſtimant; meo judicio, non recte. Nam in titulo eſt לדוד *Davidis*, & Chriſtus hic ait, *David dicit*, non, *Melchiſedec dicit.* Notatum hoc in Baba bathra, & à D. Camio præfat. in Pſalmos. Vide, ſi placet, & Actor. 1. 20. Nam quod ex hoc loco colligunt Hieronymus & Hilarius, firmum non eſt.

CASAUBONUS.

9. Καὶ ἀνθήμινας χρόνους ἱκανούς] Vetus interpres vertit *multis temporibus.* Puto verti poſſe *annos aliquot.* Nam apud recentiores Græcos χρόνοι ſunt *anni*, & χρόνος ἕις *annus unus*: cujus ſignificationis apud Græcos Juriſconſultos exempla ſunt paſſim obvia.

12. Καὶ προσέθετο πέμψαι τρίτον] Marcus habet καὶ πάλιν ἄλλον ἀπέστειλε. Sed Lucas Hebraiſmum retinuit: illi enim verbo פסף ita utuntur, ut Gen. 4. 2. Καὶ προσέθετο τεκεῖν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ τὸν Αβελ. Sic c. 8. 12. καὶ ἐ προσέθετο τῷ ἐπιστρέψαι πρὸς αὐτὸν ἔτι. Sic fere in Act. 12. 3.

JAC. CAPPELLUS.

36. *Neque enim mori poſſunt amplius: pares enim Angelis ſunt*] Non dicit *ſimiles per omnia.* Itaque non, ſi varii ſunt Angelorum ordines, continuo ſanctorum etiam in cœlo varii futuri ſunt ordines. Sed erimus corporibus quidem induti, ſed nihilominus tam immortales, tam immunes ab omni corruptionis cibive ſumendi vel matrimonia contrahendi ſervitute, quam Angeli ipſi. Marcion ex Evangelio Lucæ, quod unum admittebat, expunxerat totum hunc tractatum de Reſurrectione mortuorum, utpote quam negaret cum Cerdone, licet animarum Immortalitatem utcunque profiteretur, ut docet Epiphanius hæreſi 42. §. 546, 57.

GROTIUS.

1. Ἐπέστησαν, *convenerunt*] *Apparuerunt.* Vide ad Matthæi caput ultimum.

5. Συνελογίσαντο, *cogitabant*] Διαλογίζοντο [*cogitabant*] apud Matthæum. Nec aliud puto hac voce συλλογίζεσθαι [*cogitare*] ſignificari. Nam nimis argutum eſt, quod quidam arbitrantur id dici ideo, quod dilemmate ſint uſi. Plutarchus de Cæſare ad Rubiconem, συλλογιζόμενος τὸ μέγεθος τῆ τολμήματος, id eſt, *animo revolvens captæ magnitudinem.*

6. Καταλιθάσει ἡμᾶς. *lapidabit nos*] Metuebant ne in ſe recideret illa immodeſtia cui plebem ipſi aſſuefeceranr. Nam cum inimicos ſuos occidere per publica judicia non poſſent, ſolebant plebem in eos concitare, quod vocabant *judicium zeli*, de quo alibi vide. Joh. x. 31. Act. xiv. 19.

9. Χρόνους ἱκανούς, *multis temporibus*] Simile loquendi genus ſupra viii. 27. ἐκ χρόνων ἱκανῶν *a multo tempore.* Alibi dixit ſingulari numero ἱκανὸν χρόνον [*multo tempore*] Act. viii. 11. xiv. 3. xxvii. 9.

16. Μὴ γένοιτο. *Abſit*] Vox omen averſantium. חלילה [*propitius*] quod Joſephus vertit ἀπίη ἡ τοῖρα τῦ λόγυ [*abſit dicti experimentum*]. Vide quæ ad Matth. xvi. 22.

17. Τί οὖν; *quid ergo?*] Si nihil tale metuitis, quid igitur vult illud vaticinium de lapide rejecto?

19. Ἔγνωσαν γὰρ, *cognoverunt enim*] Optime cohæret ſuperioribus. Volebant eum occidere, quia metuebant multitudinem turbæ ipſum ſectantis: metuebant autem ideo, quia

quia ſe notatos à Chriſto ſatis intelligebant. Vide quæ ad Matth. XIII. ¶ Πρὸς αὐτὸὺς, *ad ipſos*] *De ipſis*, ut & Act. XXVIII. 25. Sic Hebr. I. 5. τίνι εἶπε [*cui dixit*] refertur etiam ad illud Ἐγὼ ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα [*Ego ero illi in patrem*].

20. Παρατηρήσαντες, *obſervantes*] Abſolute ſumitur hæc vox, ut ſupra quoque XIV. 1. Subintelligendum autem ibi, quid factum eſſet; hic, quid diceret: nam ut id obſervarent ſubmittebant ſuos exploratores. ¶ Ἐγκαθέτους, *inſidiatores*] *Subſeſſores*: quales illi qui κάθηνται ἐν ὕλαις ἐνεδρεύοντες [*qui inſidiarum cauſa ſedent in ſylvis*]. Reſpondet Hebræo ארבים & ארבים [*inſidiatores ſilveſtres*]. ¶ Δικαίους εἶναι, *juſtos eſſe*] Δικαιοσύνη [*juſtitia*] hic generali illo ſignificatu ſumitur, ita ut omnia officiorum genera comprehendat, quo ſenſu ſæpe jungitur cum voce ἅγιος [*ſanctus*]. Alibi δίκαιος καὶ Φοβούμενος τὸν Θεόν [*juſtus & timens Deum*]. Simulabant illi de quibus hic agitur eſſe ſe, ut dici ſolet, teneræ conſcientiæ, qui proinde de quæſtionibus omnibus ad conſcientiam pertinentibus plene cuperent edoceri. ¶ Ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτῦ λόγου, *ut caperent eum in ſermone*] Quia vix eſt ut quisquam tam prudens ſit, cujus non verba poſſint interdum accipere ſiniſtram interpretationem. ἐπιλαμβάνεσθαι λόγου [*capere in ſermone*] dictum ut infra ἐπιλαμβάνεσθαι ῥήματος [*reprehendere verbum*]. Plato ſimiliter ἐπελάβοντο προφάσεως [*capiebant prætextum*]. ¶ Τῇ ἀρχῇ καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τῦ ἡγεμόνος, *principatui & poteſtati Præſidis*] Cum de ſacris controverſiæ ad opprimendos innocentes non ſufficiunt, ſolent quædam captari ad rempublicam pertinentia.

22. Φόρον, *tributum*] Bene vertit Syrus כסף ריסא *argentum capitationis*. Neque videtur mihi Lucas hic deſciviſſe à proprietate vocabuli. Nam *quod pro mercibus ſolvitur* τέλος proprie dicitur, *quod pro agris & capitibus* Φόρος, ut docent Græcorum Grammatici & Strabo: quod diſcrimen Paulus ſequitur Rom. XIII. 7.

25. Οὐκ ἴσχυσαν ἐπιλαβέσθαι αὐτῦ ῥήματος, *non potuerunt verbum ejus reprehendere*] Tanta erat in Chriſto ſapientia, ut non res tantum quas docebat, ſed & modus docendi, & verba ſingula calumniæ occaſionem excluderent.

27. Οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι, *qui negant reſurrectionem eſſe*] Similis conſtructio apud Thucydidem, Οὐκ ἀντιλέγω ὡς οὐ πάνυ πόρρω βεβαίως τὰ πράγματα εἴη [*Non nego, quo non prorſus mala res ſient*]. Neque longe abit illud Sophocleum, Κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μὴ [*nullus inficias eo*].

28. Ἄτεκνος, *ſine liberis*] Sic ערי vertitur Gen. XV. 2. Lev. XX. 20, 21. Vide quæ ad Matth. XXII. 24.

34. Οἱ υἱοὶ τῦ αἰῶνος τύτου, *filii hujus ſeculi*] Qui vitam hanc mortalem agunt: quibus opponuntur οἱ υἱοὶ τῆς ἀναστάσεως [*filii reſurrectionis*]. Bene Theodoretus, Οὐ διαιροῦμεν εἰς ἄῤῥεν καὶ θῆλυ τὴν ἀσώματον Φύσιν· ταύτης γὰρ δὴ τῆς διαιρέσεως ἐνδεὴς τῶν ὑπὸ τῷ θανάτῳ τελούντων ἡ Φύσις· ἐπειδὴ γὰρ ἐξανδραποδίζει ταύτην ὁ θάνατος, ὁ γάμος διὰ τῆς παιδοποιΐας ἀντεισάγει τὸ διαφθαρέν· οἷον γάρ τινα ἐπιτεχνᾶται ἀθανασίαν ὁ ποιητὴς τῷ θνητῷ ζώῳ τὴν παιδοποιΐαν ἐμηχανήσατο [*Naturam incorpoream in marem & feminam non dividimus; indigebat enim hac diviſione natura mortalium. Hæc enim cum morti ſubjaceat, nuptiæ id quod perit per liberorum procreationem inſtaurant: procreationem enim liberorum quaſi artificialem quandam immortalitatem mortali animanti largitus eſt Deus*]. Adde illud Athenagoræ: ἄνθρωπος μὲν ἐνδεὴς δεῖται τροφῆς, ὡς θνητὸς διαδοχῆς, ὡς δὲ λογικὸς δίκης [*homo, qua indiga eſt ac facile collabente natura, alimento opus habet; qua mortalis, ſucceſſione; qua ratione præditus, juſtitia*].

35. Οἱ δὲ καταξιωθέντες τῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν καὶ τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐκ τῶν νεκρῶν, *Illi vero qui digni habebuntur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis*] Αἰὼν ἐκεῖνος [*ſeculum illud*] eſt עולם הבא [*ſeculum venturum*], oppoſita enim ſunt ὗτος [*hic*] & ἐκεῖνος [*ille*], ut diximus Matth. XXIV. 36. ubi ἡμέρα ἐκείνη [*ille dies*] eſt ἡ ἡμέρα τῆς ἀναστάσεως [*dies reſurrectionis*]. Eſt autem magna vis in verbo καταξιωθέντες [*qui digni habebuntur*]: Illi enim intelligendi ſunt digni in beatam immortalitatem reſurgere qui hic ex operibus mortuis reſurrexerunt, quod declaratur & verbis ſequentibus, υἱοὶ εἰσι τῦ Θεοῦ [*filii ſunt Dei*]. Hic filii Dei erant Deum moribus imitando, ibi filii Dei erunt fœlicitatis Divinæ participatione, quatenus eam condita natura recipere poteſt. ¶ Ἐκγαμίσκονται, *nubent*] Manuſcriptus ille antiquus & hic & paulo poſt ἐκγαμίζονται [*nubent*], quod uſitatius.

36. Οὔτε γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται. *Neque enim ultra mori poterunt*]. Vide quæ ſupra & quæ ad Matthæum. ¶ Ἰσάγγελοι γάρ εἰσι, *æquales enim Angelis ſunt*] Vox ficta ad ſimilitudinem ἰσοθέου [*æqualis Deo*]. uſurparunt & Pythagorici. Hierocles, Τὰς ὧν τοῖς θείοις γένεσι συντεταγμένους ἀνθρώπους σέβειν ὁ λόγος παραινεῖ, τὰς ἰσοδαίμονας καὶ ἰσαγγέλους καὶ τοῖς ἀγαυοῖς ἥρωσιν ὁμοίους [*Homines in divorum genus relatos venerari ratio ſuadet, nempe Diis, angelis, & illuſtribus æquales heroibus*]. Bene autem dixit ἰσαγγέλους [*æquales angelis*], quia Angeli in Sacris literis filii Dei vocantur, ob illam quam diximus Divinæ felicitatis & gloriæ participationem. ¶ Τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες, *cum ſint filii reſurrectionis*] Ac proinde immortales: nam ἀναστάσεως [*reſurrectionis*] nomen hic *vitam æternam ac beatam* ſignificat, ut Hebr. XI. 35. & alibi ſæpe.

37. Ἐμήνυσεν, *oſtendit*] הורה quod verti ſolet per ὑποδείκνυσθαι, σημαίνειν, προλέγειν, ἀποκαλύπτειν [*oſtendere, ſignificare, prædicere, revelare*]. ¶ Ἐπὶ τῆς βάτου, *ſecus rubum*] Brevis locutio, id eſt, *ubi illam de rubo narrat hiſtoriam*. Quomodo & apud Marcum non male accipias. ¶ Ὡς λέγει Κύριον, *ſicut dicit Dominum*] Narrando ſcilicet quod Deus dixerat.

38. Πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσιν. *omnes enim vivunt ei*] Solutio objectionis tacitæ. Atqui mortui tunc erant. Sane; ſed vivunt quoad Dei potentiam, quæ poteſt mortuos vitæ meliori reddere. Ipſe enim eſt ὁ καλῶν τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα [*qui vocat ea quæ non ſunt quaſi exiſterent*]. Πάντες [*omnes*] illi, nimirum Abrahamus, Iſaacus, Jacobus & horum ſimiles.

39. Καλῶς εἶπας. *bene dixiſti*] Εἶπας, אמרת [*dixiſti*] verbum eſt magiſterii proprium: quaſi dicat, *Optimam ſententiam optimo probaſti argumento*.

41. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτὸὺς, *Dixit autem ad illos*] Id eſt, *De illis Legisperitis ſcilicet & eorum doctrina agens quæſtionem hanc propoſuit*. Neque enim ipſi aderant: quod oſtendunt & ſequentia commate 46. Vide quæ ſupra XIX. 9.

47. Προφάσει, *oratione*] Id eſt, εἰς πρόφασιν [*in ſpeciem*], *Ut prætextum aliquem habeant* emungendi homines, longas preces concipit, atque id ſcilicet aliis imputant. Ita accipit hic & Syrus בעלוא [*in obtentu*], & Latinus apud Marcum; ubi quæ notavimus vide. ¶ Μακρὰ, *longe*] Ita legendum non μακρῷ [*longa*]. Vide quæ ad Marcum.

PRICÆUS.

Com. 1. Ἐπέστησαν] Verterunt alii, *apparuerunt*, alii, *adorti ſunt*. Sequerer hoc loco potius eum qui *ſupervenerunt* vertit: videtur enim non aliud eſſe quam ἐπῆλθον. Eodem ſenſu infra 21. 34. ἐπιστῇ habemus.

Com. 2. Εἶπε ἡμῖν] Sic Act. 5. 8. εἰπέ μοι· loquendi genus communi is ſubiratiſque uſitatum.

Ibid. Τίς ἐστιν ὁ δὺς σοι τὴν ἐξουσίαν ταύτην;] Arrianus I. 29. in Epictetum, Καὶ τίς σοι ταύτην ἐξουσίαν ἔδωκε;

Com. 3. Καὶ εἴπατέ μοι] Id eſt, ut Matth. 21. 24. ἐν ἐὰν εἴπητέ μοι, &c. ſupplendumque, ut Marc. 11. 29. καὶ ἐρῶ ὑμῖν, &c. Cicero De legibus, *Reſpondebo tibi, ſed non antequam tu mihi reſpondeas.*

Com. 5. Συνελογίσαντο πρὸς ἑαυτὸὺς] Recte animadverſum eſt argutatos fuiſſe eos qui vocem συνελογίσαντο putaverunt poſitam quod Scribæ ac Sacerdotes iſti ſint dilemmate uſi. Legimus quidem in vetere Onomaſtico, *Ratiocinor*, συλλογίζομαι· at συλλογίζεσθαι iſto Lucæ loco non aliud eſt quam quod infra com. 14. & apud Matthæum heic διαλογίζεσθαι. Πρὸς ἑαυτὸν σκοπεῖν καὶ συλλογίζεσθαι, dixit & Plutarchus in vita Bruti. Heſychius, Συλλογισάμενος, συναγαγὼν τὸν λογισμὸν, &c. vide & Marc. 11. 31. Vulgatus, *cogitabant intra ſe*: ita *ſcelus intra ſe cogitare*, apud Juvenalem.

Com. 6. Ὁ λαὸς καταλιθάσει ἡμᾶς] Vide ad Apuleji lib. I. pag. 27. dicta.

Ibid. Πεπεισμένος γάρ ἐστιν, &c.] Eraſmus, *perſuaſum enim habet*; Beza, *perſuaſum eſt enim ei*; & alius, *perſuaſa eſt enim*: quæ quidem tota rejicimus, non ut minus Latina forte, ſed ut non magis Latina quam Vulgati illa, *ſunt enim certi*. Idem & Rom. 8. 38. illud πέπεισμαι bene vertit; *certus ſum*. Apulejus initio Apologiæ ſuæ, *Certus eram, proque vero obtinebam*. Gloſſarium, *Certum habet*, πέπεισται.

Com. 9. Ἐξέδετο αὐτὸν] Gloſſæ, Ἐκδίδωμι, ἐπὶ μισθῷ, *colloco*: ibidem, ἔκδοσις, *editio*, *locatio*.

Ibid. Ἀπεδήμησε χρόνους ἱκανοὺς] Ut ſupra 8. 27. ἐκ χρόνων ἱκανῶν. Et hæc, ut paſſim alia apud Lucam, ſatis Græce. Ælianus Var. 4. 25. Διετέλεσε πολλοὺς χρόνους συνόντων τῷ ἀῤῥωστήματι τύτῳ. Gloſſarium, Ἀποδημέω, *proficiſcor*. Ἀποδημία ἐπὶ ξένης, *peregrinatio*, *profectus*, id eſt, *profectio*, nil enim eo loco mutandum, cum & multa ejuſdem formæ legantur in veteribus Gloſſariis. Χρόνους ἱκανοὺς, locutio Lucæ familiaris: vide ad Act. 14. 3. notata.

Com. 10. Ἐν καιρῷ] Supple, *debito*, *opportuno*: vide ad Matt. 24. 45. dicta. Hic autem ex re ſubjecta intelligo vindemiæ tempus. Ovidius Remed. amor. 1.

Temporibus certis maturam ruſticus uuam
Colligit, & nudo ſub pede muſta fluunt.

De καιροῖς καρποφόροις ad Act. 14. 17. diximus. Marcus Antoninus, & de vite loquens, ἐν ὥρᾳ 5. 4 dixit.

Ibid. Ἵνα ἀπὸ τοῦ καρποῦ τοῦ ἀμπελῶνος δῶσιν αὐτῷ] Merito; τίς γὰρ φυτεύει ἀμπελῶνα, καὶ ἐκ τοῦ καρποῦ αὐτοῦ οὐκ ἐσθίει; 1 Cor. 9. 7. 2 Tim. 2. 6. καρπὸν de vite eminenter dictum. Heſychius, Καρπίμαι, τρυγῶ.

Com. 11. Καὶ προσέθετο πέμψαι ἕτερον δοῦλον] Ἀπέστειλεν ἄλλους δούλους, Matthæus. In excerptis è Diodoro Siculo, pag. 380. edit. Pariſienſis, Ἡ σύγκλητος (Romana) πρέσβεις ἔπεμψε λύσειν τὴν πολιορκίαν, οἱ προσέχοντος δὲ Ἰογόρθα, πάλιν ἑτέρους ἔπεμψαν, &c. Idem lib. 17. de Dario, Ὡς δ' οὐ προσεῖχεν αὐτῷ (R. Alexander) πάλιν ἄλλους πρέσβεις ἐξέπεμψεν. Joannes Antiochenus de Menelao, Ἀποστέλλει πρέσβεις, &c. ἀπράκτων δὲ τούτων ἐκπεμφθέντων, πάλιν ἀπέστειλεν. Juſtinus lib. 31. de Senatu Romano, *Legatos ad eum* (R. Antiochum) *mittit*, &c. *quibus ſpretis, interjecto tempore alia legatio ſupervenit.* His adde quæ ad Matthæum dicta.

Ibid. Καὶ τοῦτον δείραντες καὶ ἀτιμάσαντες, ἐξαπέστειλαν κενόν] *Indignis modis multantes eum*, licebat vertere ex T. Livio. In Græco Judithæ 1. 11. Καὶ ἀνέῳξαν τὰς ἀγγέλους αὐτῶν κενὰς ἐν ἀτιμίᾳ.

Com. 12. Ἐξέβαλον] Nempe ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος.

Com. 13. Τί ποιήσω;] Vox ἀπορουμένου· vide ſupra ad 12. 17. dicta.

Ibid. Ἰσως τοῦτον ἰδόντες ἐντραπήσονται] Euthymius ad Matth. 18. illud, DIC ECCLESIÆ: *Fortaſſe illi immutabunt eum, veritum dignitatem ipſorum.* Heſychius ex hoc Lucæ loco, Ἰσως, τάχα. Gloſſæ, Ἐντρέπομαι, *verecundor, revereor.*

Com. 14. Ἀποκτείνωμεν αὐτὸν ἵνα ἡμῶν γένηται ἡ κληρονομία] In Græco Eſaiæ 29. 2. Ἐκθλίψω Ἀριήλ, καὶ ἔσται αὐτῆς ἡ ἰσχὺς καὶ ὁ πλοῦτος ἐμοί. At hæc ad locutionem tantum. De re vide ad Matth. 21. annotata. Occiſionem ſequi ſolet hereditatis invaſio: 1 Reg. 21. 19. Ἐφόνευσας, καὶ ἐκληρονόμησας. Prov. 1. 12. ex impiorum perſona, Καταπίωμεν αὐτὸν, &c. ἄρωμεν αὐτῷ τὴν μνήμην ἐκ γῆς, τὴν κτῆσιν (id eſt, τὴν κληρονομίαν) αὐτοῦ, &c. κατακληρώσωμεθα· & 1 Macc. 6. 24. Οσοι ἐυρίσκοντο ἀφ' ἡμῶν, ἐθανατοῦντο, καὶ αἱ κληρονομίαι ἡμῶν διηρπάζοντο. Apud Apulejum lib. 2. ille, *Hæc miſerum adoleſcentem*, &c. *ob pradam hereditariam extinxit veneno:* & de altera illa, lib. 10. *Inhians filii patrimonio imminebat & capiti ejus.* Tacitus in vita Agricolæ de claſſe Othoniana, *Matrem Agricolæ interfecit*, &c. *& magnam patrimonii partem diripuit*; quæ cauſa cædis fuit.

Com. 15. Ἐκβαλόντες αὐτὸν ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος ἀπέκτειναν] Pro, ἀποκτείναντες αὐτὸν, ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος ἐξέβαλον. Tale infra com. 31. ὃ κατέλιπον τέκνα, καὶ ἀπέθανον· & Sirachidis 11. 20. Καταλείψει αὐτὰ (χρήματα) ἕτερος, καὶ ἀποθανεῖται.

Com. 17. Οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας] Hic ille eſt λίθος ἐκλεκτὸς, ἔντιμος, 1 Pet. 2. 4. Chryſoſtomus ad Galat. 6. Οὐ τὴν αὐτὴν ἅπαντες ἔδραν ἔχουσιν οἱ λίθοι· ἀλλ' ὁ μὲν πρὸς γωνίαν ἐπιτήδειος, ὁ δὲ πρὸς θεμελίους, &c. Seneca 118. Epiſt. *Unus lapis fecit formicem, ille qui latera cuneata inclinavit, & interventu ſuo vinxit.*

Com. 18. Ὁ πεσὼν ἐπ' ἐκεῖνον τὸν λίθον, συνθλασθήσεται] Tanquam fluctus qui ſcopulum verberat, ut diximus ad Matthæum: vel, ut teſta lapidi illiſa. Vide 30. 14. Eſaiam.

- - - Fragili quærens illidere dentem,
Offendet ſolido - - -

Seneca 3. 5. de Ira, *Tela à duro reſiliunt, cum dolore cadentis ſolida feriuntur.* Idem in de Vita beata cap. 27. *Duritia ſilicis nulli magis quam ferientibus nota eſt:* & demum 1. 1. de Ira, de ruinis loquens, *Super id quod oppreſſere, franguntur.* Adde quæ ad Matthæum dicta, & quæ apud Phædrum 4. 6 51. de lima & ſerpente.

Com. 19. Ἐζήτησαν ἐπιβαλεῖν ἐπ' αὐτὸν χεῖρας, &c. καὶ ἐφοβήθησαν τὸν λαόν] Sic infra 22. 20. Ἐζήτουν τὸ πῶς ἀνέλωσιν αὐτὸν, ἐφοβοῦντο γὰρ τὸν λαόν. Ælianus de inimicis Socratis, Ἐπετίθεντο αὐτῷ, καὶ ἐπεβούλευον, &c. ὑφορώμενοι τοὺς Ἀθηναίους, καὶ δεδιότες ὅπως ποτὲ ἔξουσι πρὸς τὴν κατηγορίαν τῷ ἀνδρός. Vide Matth. 21. 46. Marc. 12. 12. & 14. 2. Joh. 7. 13. Act. 5. 26.

Ibid. Ἐγνωσαν γὰρ ὅτι πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν ταύτην εἶπε] Vide ſupra 11. 45.

Com. 20. Καὶ παρατηρήσαντες ἀπέστειλαν ἐγκαθέτους] *Inſidiatores*, ut bene à Vulgato verſum. Theophylactus ad Marc. in hac hiſtoria, Ἐπιβουλὴ ἦν τὸ γινόμενον, διὰ τοῦτο καὶ ὁ Λουκᾶς ἐγκαθέτους αὐτοὺς ὀνομάζει. Heſychius, Ἐγκάθετοι, ἐνεδρεύοντες. Suidas, Ἐγκάθετος, δόλιος, κατάσκοπος, &c. καὶ Ἐγκάθεται, ἐνεδρεύει, alluſione ad militares inſidias. Hinc Joſuæ 8. 9. ἐνέδρα & ἐγκαθίζειν juncta. Inde & Jobi 19. 12. ἐγκάθετοι. Ezech. 35. 5. δόλῳ ἐγκαθίζειν· apud Joſephum Antiquit. 13. 8. ἐν ἐνέδρᾳ καθίζειν· & Pſalm. 10. 8. ἐν ἐνέδρᾳ ἐγκαθῆται. In Axiocho Platonis dicto, προέδρους ἐγκαθέτους ὑφέντες κατεχειροτόνησαν τῶν ἀνδρῶν ἄμαχον θάνατον. Et (de quo plane hic apud Lucam agitur) Sirach. 8. 11. τῷ ῥόματι (τοῦ πλησίου nempe) ὡς ἔνεδρον ἐγκαθίζειν. Quæ ſingula, & alia ejuſdemmodi, alluſionem (ut jam diximus) habent aut ad militares inſidias, aut ferarum, certe aut latronum ferarum more inſidias ſtruentium. Servius ad Æn. 11. *Inſidere, eſt doloſe aliquem expectare, unde etiam inſidiæ nominatæ ſunt.* Libi *inſidere*, ἐγκαθίζειν. Feſtus Pompejus, *Inſeſſores, latrones, qui circa vias ſedentes, inſidiantur.* Ammianus Marcellinus lib. 26. *Subſidebat* (ἐνεκάθιζεν) *ut prædatrix beſtia, viſo quod capi poterat, eruptura.* Παρατηροῦντες, *obſervantes*, (ſupple *eum*,) nempe, in partem pejorem. Donatus ad Terentium, *Obſervatio duplex eſt, vel obſequii, vel captionis:* &, *Obſervatio in duabus rebus eſt, in obſequio, & ſpeculando.* Cicero Verr. 2. *Obſervant:* ubi Aſconius, *Alias venerantur, modo ſpeculantur.* Vide & ſupra hoc 14. 1. & 6. 7. Vox παρατηρεῖν, accuſativo perſonæ tacito, non hoc tantum, ſed & in Græco Danielis 6. 11. occurrit: & apud neſcio quem à Suida citatum in verbo δελεάζοντες. Eadem etiam elleipſi vocem παραφυλάξαντες (de inimicis Pompeji agens) Plutarchus Præcept. Polit. poſuit: &, παραφυλάξας, (apud Suidam in τιμωρῆσαι) Ælianus.

Ibid. Ὑποκρινομένους ἑαυτοὺς δικαίους εἶναι]

Edoctos ſimulare fidem, ſenſuſque doloſos
Contegere, & blando frandem præexcere vultu.

Joſephus Antiquit. 7. 1. Τιμωροῦνται ἀκουῶς εἰς τὸ ἀνύποπτον τῆς ἐπιβουλῆς τὰ τῶν ἀγαθῶν, οἱ ἀτόπους πράγμασιν ἐπιχειροῦντες. Vide Suidam in σοφοὶς δόκουσι· & 2 Maccab. 5. 25. ubi & ὑποκρίνεσθαι. Δικαίους *juſtos* verterunt & Vetus & recentior Interpres: alii, *tenera conſcientia homines:* putem vertendum ego, *qui ſe bonos ſimularent*; eoque magis id putem ob vocem ὑποκρίνεσθαι. D. Auguſtinus de Temp. Serm. 59. *Hypocrita Græco ſermone ſimulator interpretatur, qui dum intus malus ſit, bonum ſe palam oſtendit.* Lucilius,

Blanditia certare, bonum ſimulare virum ſe.

Ubi & ſequitur, *Inſidias facere*, q. diceret, ἐγκαθίζειν. Apulejus 7. *Qui fictis commendatitiis literis, Miloni ſeſe, commentitus virum bonum*, (ὑποκρινόμενος ἑαυτὸν δίκαιον) *artius conciliaverat.* Cicero, *Totius injuſtitiæ nulla capitalior eſt quam eorum qui tum cum maxime fallunt; id agunt ut viri boni eſſe videantur:* quibus conſona D. Baſilii iſta, (lib. De legend. lib. Gentil.) ἕτός ἐστιν ὁ ἔσχατος ἀδικίας ὅρος, τὸ δοκεῖν δίκαιον εἶναι, μὴ ὄντα. In veteribus Mimis,

Bonitatis verba imitari, major malitia eſt:

& ibidem,

Malus bonum cum ſimulat, tunc eſt peſſimus.

Ergo δίκαιοι hoc loco Lucæ ſunt ἀγαθοὶ, χρηστοὶ, ἐπιεικεῖς· quo ſenſu itidem Matth. 1. 19. 1 Joh. 1. 9. & 2. 1. ea vox recurrit.

Ibid. Ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου] Ἀνιχνεύοντες εἰ ἐπιλήψιμόν τι καὶ παραβεβλημένον εἴκοι, ut 4. 4. apud Philoſtratum: quo loco, ut & heic in Luca, ἐπιλήψιμον eſt, *quod capi aut arripi poſſit ad accuſationem ſtruendam.* Θηρεύσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, Lucas ſupra 11. 54. dixit: vide & Joh. 8. 6. Matth. 22. 15.

Ibid. Τῇ ἀρχῇ καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ ἡγεμόνος] Hoc eſt, περιφραστικῶς, τῷ ἡγεμόνι· aut, ſi aliter accipere libuerit, ἀρχὴν intellige *dignitatem* Præſidiis: ἐξουσίαν, *poteſtatem* ejus (vide l. 215. ff. de V. S.) *juris gladii* nempe *ad animadvertendum*, &c. ut in l. 3. ff. de juriſdict. &c. Hinc Joh. 19. 10. Pilati illa, οὐκ οἶδας ὅτι ἐξουσίαν ἔχω; &c. ad quem locum plura annotavimus. Ἀρχὰς & ἐξουσίας junxit & Philo in de Legatione, & Lucas ſupra 12. 11. at (ut Paulus 3. 1. ad Titum) metonymice. Τὴν ἀρχὴν καὶ τὴν δυναστείαν (id eſt, ἐξουσίαν) τῶν

Pa-

Ῥωμαίων δήμου, est & in veteris fœderis formula apud Polybium: sic, *imperium, ac vim potestatis fasciumque*, apud Ciceronem ad Q. Fratrem. Et nota hic, *ut eum Præsidi traderent.* Tertullianus De fuga in persecutione, *Si apprehendimur*, (nos Christiani nempe) *non in concilia eorum* (Judæos intelligit,) *perducemur*, &c. *sed Romanis utique Potestatibus*, &c. *objiciemur.*

Ibid. Τῷ ἡγεμόνος] Glossarium, ex hoc Lucæ loco, *Præsidis*, ἡγεμόνος.

Com. 21. Καὶ ὃ λαμβάνεις πρόσωπον] Οὐ πρόσωπον (ut 6. 7. Sapient.) ὑποφέλλει, ἅτε μέγεθος ἐντρέπει.

Non fulgorem revereris ab auro,
Nec clarum vestis splendorem purpureæ.
Nunquam metuis loqui quod æquum est.
Si te Sylla premat ferusque Carbo,
Et si forte tuum caput latusque
Circumstent gladii triumvirales.

Vide ad Matth. 22. 16. annotata. Λαμβάνειν πρόσωπον autem habemus & Psal. 82. 2. 1 Esdræ 4. 39. Sirach. 4. 27. & 42. 1. item Galat. 2. 6. Adde Hesychium in ἀπρόσωπος, ubi & λαμβάνειν.

Com. 22. Ἔξεστιν ὑμῖν, &c.] Seneca 48 Epist. *Quid aliud agitis cum eum quem interrogastis scientes in fraudem inducitis, quam ut formula cecidisse videatur?*

Com. 23. Κατανοήσας αὐτῶν τὴν πανουργίαν]

Sensit eos simulata mente locutos.

Ibid. Τί με πειράζετε;] Captiosa nempe compellatione ista. Contrarium apud Gellium 7. 17. *percontari, non tentandi gratia, sed studio & cupidine discendi.*

Com. 24. Τίνος ἔχει εἰκόνα; &c.] Hesychius, Εἰκόνα· χαραντόν, τύπον.

Ibid. Καὶ ἐπιγραφήν] Glossæ, ἐπιγραφή, *inscriptio, titulus.*

Ibid. Καίσαρος] Irenæus 4. 49. *Aurum & argentum*, &c. *cum inscriptione & imagine Cæsaris*, &c. sic, ἀρχόντων τὰ ἐν νομίσμασι χαράγματα, in Juliani Misopogone. Horatius,

Retulit acceptos regale numisma Philippos:

ubi vetus Scholiastes, *Nummos qui Philippi vultu signati essent.* Isidorus Orig. 16. 17. *Ideo numisma dicitur, quia nominibus effigiebusque Principum signabatur.* Artemidorus 4. 33. Ὁ Στρατόνικος ὅστις τὸν βασιλέα λακτίζειν, προελθὼν εὗρε χρυσοῦν νόμισμα ὃ ἔτυχε πατήσας, οὐδὲν γὰρ διέφερεν, ἢ τὸν βασιλέα λακτίζειν, ἢ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ. Adde quæ ad Matth. 22. 20. annotata.

Com. 27. Οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι] Pro, λέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι. Sic Joh. 20. 4. Προέδραμεν (i. e. ἔδραμε) τάχιον τοῦ Πέτρου.

Com. 28. Ἄτεκνος] Glossarium, Ἄτεκνος, *orbus, sine liberis.*

Com. 30. Καλῶς εἶπας] Apud Lucianum in βίων πρᾶσει, Καλῶς ταῦτα ἔφης, καὶ ἱεροπρεπῶς.

Com. 33. Ἐν τῇ ἀναστάσει, &c.] Id est, in die resurrectionis. Sic 2 Maccab. 7. 29. ἐν τῷ ἐλέει, in die misericordiæ. Sirach. 6. 7. & 44. 29. ἐν πειρασμῷ, in tempore tentationis. Sapient. 19. 10. ἐν τῇ παροιμίᾳ αὐτῶν. In l. 8. ff. de his qui sui vel al. jur. sunt, *liberi in furore editi.* 1 Tim. 1. 13. ἐν ἀγνοίᾳ· ubi & quæ diximus vide. Qua forma & Marc. 4. 29. θερισμὸς occurrit.

Com. 35. Οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν, &c.] Illud τυχεῖν expungendum videtur: nam nec agnoscit Vetus Interpres, & 2 Thess. 1. habemus καταξιωθῆναι τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, voce τυχεῖν non addita. Virgilius eadem plane loquendi forma,

Conjugio Anchisa Veneris dignate superbæ:

τῇ τῆς Ἀφροδίτης γάμου καταξιωθείς. Quo exemplo possumus & hoc vertere, *Qui autem illo sæculo dignati fuerint.* Vulgat. *qui digni habebuntur sæculo illo.*

Ibid. Οὔτε γαμοῦσι, ἔτι ἐκγαμίζονται] Seneca c. 27. Consolat. ad Marciam, & de cœlo loquens, *Illic omnibus omne cognatum est.*

Com. 36. Οὔτε γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται] i. e. Οὐ γὰρ ἔτι ἀποθνήσκουσι. Vide supra 16. 2. & ibi dicta.

Com. 46. Περιπατεῖν ἐν στολαῖς] *Cum bis ter ulnarum togis*, ut ostentator Horatianus ille. Sic, ἐν νοσηροῖς περιπατοῦντα, Arrianus dixit, 3. 22. in Epictetum. Cicero de Quinctio Trib. plebis, *Excite ut non solum mores ejus & arrogantiam, sed etiam vultum atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini.* Vide quæ de Tuditano quodam 8. 7. narrat Valerius Maximus. Adde 1. 16. M. Antoninum. Contra apud jam citatum Poetam,

Exiguaque toga simulet textore Catonem.

Ibid. Καὶ Φιλήντων ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς] Hoc ipsum habemus etiam in Excerptis Polybianis pag. 160. edit. Valesii, Περὶ τοὺς χαιρετισμοὺς (qui hoc ἀσπασμοὶ) σπουδάζοντες, καὶ κατὰ τὴν ἀγορὰν τὴν διατριβὴν ποιούμενοι. Plinius l. 7. Ep. 3. *Quin ergo aliquando in Urbem redis, ubi dignitas, honor, amicitiæ*, &c. *Saluta pauliſper, quo sit tibi jucundius salutari. Terere in hac turba*, &c.

Ibid. Καὶ πρωτοκαθεδρίας] In Luciani Cataplo ille, Ἐν τῇ πρεσβύᾳ καθέζεσθαί με δεῖ. In Vespis Aristophanis, Ἐὰν μὴ πρεσβύαν φέρωσι. Scholiastes, Τιμᾶς οὗτος τρόπος. Quo loco πρεσβύα non aliud quam πρωτοκαθεδρία. Pollux 8. 10. Onomasticì, Ἐκάλουν τὴν πρόεδραν, &c. τὴν πρώτην καθέδραν. In Vespis ejusdem Comici,

Καὶ σέσυ,
Ἢν μὴ 'πὶ τῷ πρώτου καθίζηται ξύλου.

Euthymius ad Matth. 19. de Pharisæis, eorumque aliis similibus, de cujusmodi heic Christus loquitur, *Primatus totis viribus vendicabant.* Vox πρωτοκαθεδρίας, ni fallor, est & apud Dion. Chrysostomum Orat. 44.

Com. 47. Λήψονται περισσότερον κρῖμα] Nempe ἑαυτοῖς, ut Rom. 13. 2. Jacob. 3. 1.

Ibid. Πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ πρωτοκλισίας ἐν τοῖς δείπνοις] *Anteferri in consessibus & conviviis*, ut apposite Ammianus Marcellinus loquitur, lib. 28. Συναγωγὰς heic intellige non solum Ecclesiasticos, sed & quosvis publicos conventus. Ita & Jacob. 2. 2. accipiendum putamus. Πρωτοκλισίαι Vulgato *primi recubitus.* Terent. Phorm. *Prior decumbas.* Videtur *recumbas* legendum. Sic & supra hic 11. 37. *Et ingressus, recubuit.*

Com. 47. Κατεσθίουσι τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν] Horatius,

Viduas venentur.

Scholiastes, *Insidiis viduas capiunt, ut sibi res earum vendicent.*

CAP. XXI.

VALLA.

19. *IN patientia vestra possidebitis animas vestras*] Non est futuri temporis, κτήσασθε· nec tam *possidere* nunc significat quam *obtinere*, seu *adipisci*, seu *potiri.* Itaque dixissem, *In patientia vestra obtinete animas vestras.*

33. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*] Ut dixi in Marco 13. 31. Græce est, *Cælum & terra transibit*, παρελεύσεται.

38. *Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum*] Inauditum mihi verbum est *manicare*, quo nusquam alibi utitur Interpres, & nescio cur non circuivit, ut fit in Psal. 63. 1. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, ὀρθρίζω. Nam idem est hic verbum, ὄρθριζε, quod multis modis dicere licebat, vel *mane veniebat*, vel *matutinis*, vel *sub auroram*, vel *diluculo veniebat.*

REVIUS in VALLAM.

33. *TRansibit: παρελεύσεται*] In nostris codd. est παρελεύσονται *transibunt*, ut & apud Marcum.

ERASMUS.

1. *RESpiciens autem*] *Respicere* est flexis in tergum oculis aspicere. At hic est ἀναβλέψας, quod aliquoties est *recipere visum*, aliquoties *attollere oculos videndi gratia:* sive quod gazophylacium in edito loco esset, sive quod antea suos intuitus, post tollit oculos in eos qui longius aberant.

Digitized by Google

4. *Ex abundanti ſibi*] Ἐκ τῦ περισσεύοντος αὐτοῖς *ex eo quod ſibi ſupereſt.* ¶ *Ex eo quod deeſt*] Ἐκ τῦ ὑστερήματος *ex defectu*, h. e. ex penuria. ¶ *Omnem victum*] Βίον quod alibi *ſubſtantiam* vertit.

5. *Et donis*] Ἀναθήμασι. Ea dicuntur *dona* quæ dicata Diis ſuſpenduntur in parietibus & columnis Templi: cujuſmodi nunc viſuntur potiſſimum juxta monumenta Divorum, Statuæ argenteæ, Equi aurei, Pocula gemmata: dicta ab ἀνατιθέναι, h. e. à *ſeponendo*, ſive *ſuſpendendo*. Unde & ἀνάθεμα dicitur.

7. *Cum fieri incipient*] Μέλλει ταῦτα γίνεσθαι *futura ſunt hæc.* Verum μέλλω hic & alias expreſſit per *incipiendi* verbum.

8. *Dicentes quia ego ſum*] Ὅτι ἐγώ εἰμι *quod ego ſim*: h. e. *dicent ſe eſſe Chriſtum, qui ſum ipſe.* Atque ita nos vertimus aperte magis quam ad verbum. Nec quis id exiſtimet errore factum.

9. *Nondum ſtatim*] Οὐκ εὐθέως *non ſtatim.*

11. *Peſtilentia & fames*] Adnominationem in λιμοὶ & λοιμοὶ jam alias adnotavimus. ¶ *Terroreſque de cælo*] Φόβητρά τε *terriculamentaque.* Aliud enim *terror*, aliud *monſtrum* quod terrorem incutit.

14. *Non præmeditari quemadmodum reſpondeatis*] Μὴ προμελετᾶν ἀπολογεῖσθαι *non ante meditandam eſſe defenſionem.* Id quod cæteri rei faciunt, qui ad lucernam elaborant arte orationem qua flectant Judicem. Cyprianus ultima tertii libri epiſtola ſic adducit hunc locum, *Ponite in cordibus veſtris non præmeditari excuſare.* Porro *meditari* dicimur ad quod nos cura præparamus.

15. *Omnes adverſarii veſtri*] Ἀντικείμενοι ὑμῖν *adverſantes vobis.*

17. *Et eritis odio omnibus hominibus*] Nec in Græcis nec in Aureo cod. additur *hominibus*, nec in Conſt. nec in meo excuſo.

18. *Capillus de capite veſtro non peribit*] Ἀπόληται *perit.* Habet neſcio quid certius & aſſeverantius temporis ἀπέρασις.

19. *Poſſidebitis*] Κτήσασθε *poſſidete*, ſive *obtinete.* Apparet Interpretem legiſſe κτήσασθε, etiamſi Græci cod. quos ego viderim, conſtanter habent κτήσασθε.

23. *Et nutrientibus*] Θηλαζούσαις *lactantibus & mamma nutrientibus*, ut ſuperius indicatum eſt. Et Ambroſius pro *nutrientibus* legit *quæ ubera dant.* Auguſtinus alicubi *mammantibus* legit. ¶ *Preſſura*] Συνοχὴ *coarctatio*, ſive *anxietas.* Nonnulli cod. habebant ἀνάγκη, quod *neceſſitatem* ſonat & *vim illatam.*

24. *In ore gladii*] *Ore gladii*, στόματι μαχαίρας· quod tamen rectius vertiſſet *acie gladii.* Quandoquidem *aciem gladii* Græci στόμα vocant, quod ea parte mordeat: & δίστομον *utrinque incidens* dicitur. ¶ *Tempora nationum*] Ἐθνῶν *gentium.* Idem nomen quod proxime præceſſit. Interpres mire fugit ejuſdem vocis iterationem, cum Euangeliſta non fugiat.

25. *Pra confuſione*] Ἐν ἀπορίᾳ *in perplexitate*, ſive *deſperatione.* Quanquam uterque genitivus abſolute poteſt legi, ut ſit ſenſus, *Præ deſperatione, reſonante mari & fluctu, & areſcentibus hominibus.* ¶ *Sonitus maris*] Ἤχους θαλάσσης *reſonantis maris.*

26. *Areſcentibus hominibus*] Ἀποψυχόντων, quod ſonat *exanimari dolore*, ſive *extabeſcere.*

29. *Videte*] Ἴδετε. Græce verbum anceps eſt an *videtis* ſit an *videte.*

30. *Cum producunt jam ex ſe fructum*] Græce tantum eſt προβάλωσιν ἤδη, quod ego vertiſſem *proruperint.* Neque enim de fructu ſentit, ſed de gemmis ac frondibus erumpentibus: id quod ex aliis Euangeliſtis liquet, certe ex Marci 13. 28. qui de *ramo tenero* & *frondibus erumpentibus* meminit. Primum enim teneretſcit ramus, ut gemmæ protrudi queant. Eſt autem hoc peculiare Ficui ut ſtatim nullis floribus præcedentibus protrudat groſſos. Etiamſi gemmas protrudunt & aliæ arbores. Nam Lucas præter Ficum & alias arbores addit. Quanquam & alias diſſident Græca à noſtris, βλέποντες ἀφ' ἑαυτῶν γινώσκετε, *cernentes ex vobiſipſis cognoſcitis*, h. e. Cum videtis protrudi gemmas & frondes in arboribus, etiamſi nemo admoneat, tamen ex ipſa re intelligitis adeſſe æſtatem.

34. Rurſum μήποτε vertit *ne forte*: quaſi ſit hoc in illorum fortuna ſitum, ac non potius in illorum cura. ¶ *Curis hujus vitæ*] Μερίμναις βιωτικαῖς· quod in Paulo vertit *ſecularia ſtudia.* Significat autem eas curas quæ ad victum parandum vitæque ulum faciunt.

36. *Ut digni habeamini*] Καταξιωθῆτε *digni reddamini qui poſſitis effugere hæc omnia.* Senſus autem eſt, Ut ſemper hoc ipſum orent quo poſſint effugere.

37. *Morabatur in monte*] Ηὐλίζετο. quod ante verterat *ſtabulare.*

38. *Et omnis populus manicabat*] Græcam vocem imitatus eſt Interpres, ὤρθριζε. Idem verbum quod in Pſalmis vertit *de luce vigilo*, ὄρθριζω. Vetuſtiſſimus codex Latinus habebat *diluculo veniebat.* Unde mirum eſt unde hæc vox omnino Latinis inaudita irrepſerit, quam nec Auguſtini aures ferre queant. Notat enim hanc in librum Judicum, quæſt. 46. indicans quoſdam interpretatos *maturabis*, ceu vox ea dicta ſit à *matutino.* Sunt qui divinent pro *mane ibat* corruptum fuiſſe *manicabat*: verum nihil aliud quam divinant. Auguſtinus indicavit variam ſcripturam ſui temporis in libro Judicum: & eſt idem verbum illic ex interpretatione LXX quod eſt hic, ὄρθριος καὶ ἐκτενεῖς, quod Hieronymus reddidit, *Et primo mane oriente Sole irrues ſuper civitatem*, ἅμα τῷ ἀνατεῖλαι τὸν ἥλιον ὄρθριος καὶ ἐκτενεῖς ἐπὶ τὴν πόλιν. Cæterum nec *manicandi* verbum nec *maturandi* placet Auguſtino, quod alterum neget inveniri apud probatos autores, alterius etymologiam non ſatis probat. Et aliud eſt *maturare*, aliud *mane venire*: frequenter enim ſero venit qui mane venit. Ad hæc Commentarii Bedæ in contextu habent mendoſe nimirum *manebat ad eum*, in expoſitione legit *manicabat.*

VATABLUS.

2. *Mittentem * ara*] * *Illuc.*

4. *Ex eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum quem habuit*] *Ex penuria ſua, omnem ſubſtantiam ſuam quam habebat.* ¶ *Miſit **] * *Hæc dicens clamabat, Qui habet aures audiendi audiat.* Sic quædam exemplaria Græca.

6. *Deſtruatur*] *Diſſolvatur.*

7. *Quando * hæc*] * *Igitur.* ¶ *Fieri incipient?*] *Hæc ventura ſunt? agenda ſunt?*

8. *Nolite * ire*] * *Ergo*, Vet.

9. *Oportet * primum*] * *Enim.* ¶ *Nondum*] *Non.*

13. *In teſtimonium*] i. Ut teſtes ſitis illis de me: vel, ut habeatis quod teſtemini adverſus illos, quod ſcilicet illis ſalutem annunciaveritis.

14. *Ponite ergo in cordibus veſtris non præmeditari*] Hebraiſmus, quem Matth. 10. 19. & Marcus 13. 11. exponunt his verbis, *Ne ante ſolliciti ſitis, quid loquamini, neque meditemini*, &c. ¶ *Quemadmodum reſpondeatis*] *Defenſionem: cauſa dictionem.*

16. *Trademini autem **] * *Etiam.*

17. *Odio **] * *Habiti.* ¶ *Omnibus hominibus propter*] *Omnibus propter*, V.

18. *Et*] Pro *Sed*, Hebr.

19. *Patientia*] *Tolerantia.* ¶ *Poſſidebitis*] *Poſſidete, obtinete.* Matth. 24. 13. ſic hanc ſententiam effert, *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

20. *Exercitu*] *Exercitibus.*

21. *Qui in regionibus*] i. Qui peregre agunt.

23. *Nutrientibus*] *Lactantibus.* ¶ *Preſſura*] *Coarctatio: anxietas.* ¶ *Populo huic*] *In populo hoc*: i. adverſus populum hunc: q. d. Graves pœnæ ſumentur de populo hoc.

24. *Ore*] *Acie.* ¶ *Nationum*] *Gentium*, i. donec expleta fuerint tempora quibus Deus paſſurus eſt Iſraelitas divexari à Gentibus.

25. *Terris*] *Terra.* ¶ *Preſſura*] *Coarctatio: anxietas.* ¶ *Pra confuſione ſonitus maris & fluctuum*] *Pra perplexitate, ſonante mari & procella*: aut, *cum anxietate æſtuantis & frementis maris*, i. cum anxietate ſimili illi qua qui navigant afficiuntur cum mare æſtuat & præ ira fremit.

26. *Areſcentibus*] *Tabeſcentibus. Exanimatis.* ¶ *Exſpectatione **] * *Eorum.*

27. *Magna & majeſtate*] *Et gloria multa.*

28. *Redemptio veſtra*] i. Tempus quo manifeſtum fiet vos eſſe liberatos a morte æterna per me.

29. *Ficulneam*] *Ficum.*

30. *Cum producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quoniam*] *Cum jam gemmaverint, videntes ex vobisipſis cognoſcitis quod.*

32. *Non prateribit generatio hac*] i. Finis hujus ætatis non erit.

33. *Verba autem mea non tranſibunt*] i. Quæcunque promiſi, juſſi, & prædixi, non manebunt infecta.

34. *Ne forte*] *Nequando.* ¶ *Superveniat*] *Ingruat.*
35. *Super faciem omnis terræ*] *Facies* pro *ſuperficie*, Hebr.
36. *Habeamini*] *Reddamini.* ¶ *Stare*] Vel, *ſiſti.*
37. *Morabatur*] *Diverſabatur:* vel, *pernoctabat.* ¶ *Olivetis*] *Olivarum.*
38. *Manicabat*] *Mane ibat*, Vet.

CASTALIO.

19. VEſtra patientia veſtra ſaluti conſulite] Perſeverate ad extremum, & ſalvi eritis.

24. *Exterarum gentium tempora compleantur*] Exteræ gentes ad ſalutem vocentur.

CLARIUS.

26. VIrtutes cælorum movebuntur] Σαλευθήσονται, q. d. *fluctuabunt:* σάλος enim *turbationem maris* ſignificat. *Quis*, ait M. Baſilius, *ſine timore erit? Ne Angeli quidem. Aſtabunt enim & ipſi, non tanquam rationem reddituri; ſed tamen glorioſa illa tanti Regis declaratio atque præſentia omnibus terrorem injiciet.*

28. *Suſpicite & levate capita veſtra*] In ipſo orbis terræ interitu jubentur fideles non ſolum non trepidare, verum etiam, quaſi reſpirandi tempus adſit, attollere capita. At nos minimis quibuſque malis dejicimur, & tamen fideles volumus appellari. De hac autem tota prædictione dictum eſt in Matthæum.

36. *Ut digni habeamini fugere iſta omnia*] h. e. incorrupti ac ſine peccato hæc evadere & intrepidi ſtare ante Dominum.

ZEGERUS.

1. GAzophylacium] Dicitur à *gaza* vocabulo Perſico, quod illis *theſaurum* vel *divitias* ſonat, & φυλάσσω *cuſtodio.* Erat enim locus vel theca ubi opes Templi ſervabantur.

4. *Ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deeſt illi omnem victum ſuum quem habuit miſit*] Idem eſt quod apud Marcum 12. 44. verbis nonnihil diverſis ſcriptum eſt, *Omnes enim ex eo quod abundabat illis miſerunt, hæc vero de penuria ſua omnia quæ habuit miſit, totum victum ſuum.* Quanquam ἅπαντα τὸν βίον eſſe poteſt *omnem ſubſtantiam ad uſum vitæ ſcilicet pertinentem.*

8. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego ſum*] Sunt qui hæc & ſequentia putent de extremo univerſalis conſummationis tempore dicta eſſe: quod equidem non negaverim eo poſſe deduci: ſed rectius ad tempus everſionis Hieroſolymitanæ referuntur.

11. *Terroreſque de cælo & ſigna magna erunt*] Quidam reſtituunt, *terroreſque & ſigna de cælo magna erunt:* ſed contra codices antiqui, Beda, & Gregorius, qui etiam admonet in quibuſdam addi *tempeſtates.*

13. *Continget autem vobis in teſtimonium*] Quo & veſtra probetur conſtantia, & perſequentium condemnetur malitia. Vel, ut aliis placet, εἰς μαρτύριον, h. e. *in martyrii gloriam.*

20. *Circumdari ab exercitu Jeruſalem*] *Jeruſalem* accuſandi caſus eſt, ut intelligas Hieroſolymam ab exercitu Romano circumdatam fuiſſe.

24. *Jeruſalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora Nationum*] h. e. poſſidebitur & inhabitabitur ab exteris nationibus, donec tempora duraverint Gentium, h. e. uſque ad mundi conſummationem.

25. *Et erunt ſigna in ſole & luna*] Quæ hactenus dicta ſunt proprie ad tempus pertinent Hieroſolymitanæ excidionis; quæ vero ſequuntur, conſummandi ſeculi finem reſpiciunt. Quapropter hoc ordine continuanda eſt narrationis ſeries. *Jeruſalem, Judæis effugatis, calcabitur inceleturque à Gentibus ad extremos uſque ſeculi dies; & tunc ſigna erunt in ſole, luna & ſtellis.* Cujuſmodi autem futura ſint Matthæus 24. 29 & Marcus 13. 24, 25 exprimunt, cum dicunt, *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo.*

28. *Reſpicite & levate capita veſtra*] Ἀνακύπτειν non ſolum *reſpicere* ſignificat, ſed etiam *ſurſum ſublatis oculis aſpicere*, item, *ſpe erigi animoque recreari. Reſpicite* ergo *& levate capita veſtra* eſt Animos veſtros cum ſpe & hilaritate ad ſuperna erigite. *Caput* enim in Scriptura nonnunquam ponitur pro *eo quod eſt in homine præſtantius*, ut eſt Animus & Mens hominis.

30. *Cum producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas*] Ita accipiendum eſt q. d. *Cum promittunt jam ex ſe fructum*, nimirum prodeuntibus gemmis, *ſcitis*, &c. Alioqui cum fructus producitur non jam appropinquat ſed præſens eſt æſtas. Id autem incommodi in Græcis non eſt, propter abſentiam verbi *fructum*; tametſi & alias diſcrepent à noſtris: ſic enim habent, Ὅταν ἤδη προβάλωσιν ἤδη, βλέποντες ἀφ' ἑαυτῶν γινώσκετε ὅτι ἤδη ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστί, *Cum producunt jam*, ut ſubaudias *frondes*, aut *gemmas*, *videntes ex vobiſipſis cognoſcitis inſtare jam æſtatem*, vel *meſſem.* Veruntamen utramque lectionem ſuſpicor à ſtudioſis adauctam eſſe; noſtram, in eo quod dicitur *fructum*; Græcam, in eo quod legitur βλέποντες· quæ ſi tollantur, & ſenſus utrobique perſiſtet incolumis, & utriuſque lectionis erit concordia: ſiquidem illud ἑαυτῶν ad utramque perſonam anceps eſt, ad *ſeipſis* & *vobiſipſis.* Ambroſius noſtram ſequitur lectionem.

38. *Omnis populus manicabat*] Cum ſit ὤρθριζε, veriſimile eſt Interpretem ſcripſiſſe non *manicabat*, quæ vox Latinis prorſus inaudita eſt, ſed *manitabat*, à *mane* & *itando* frequentativo ab *eo*, *is*; vel certe *manizabat*, efficta voce ad formam vocis Græcæ. Ὀρθρίζω enim à *diluculo* dicitur, & ſonat fere q. d. *diluculizo.* Unde alii codices habent *diluculo veniebat*, vel, *mane accelerabat*, quod puto in contextum irrepſiſſe ex adnotatione explicante illud *manitabat.*

H. STEPHANUS.

2. ΠΕνιχράν] *Pauperculam.*
4. Ἐκ τῆς ὑστερήματος αὐτῆς] *E penuria ſua.*
5. Ἀναθήμασι] *Donariis.*
9. Ἀκαταστασίας, μὴ πτοηθῆτε] *Res turbulentas, ne expaveſcatis.*
11. Φόβητρα] *Terriculamenta.*
14. Μὴ προμελετᾶν ἀπολογηθῆναι] *Non præmeditari defenſionem.*
21. Οἱ ἐν ταῖς χώραις] *Qui in agris* erunt.
23. Ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ] *Ad extremam enim neceſſitatem redigetur hæc terra, & iratum ſibi Deum populus hic experietur.*
25. Συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ] *Adducentur Gentes in ſummas anguſtias.* Ad verb. *Conſtringentur anguſtiis.*
26. Ἀποψυχόντων ἀπὸ φόβου] *Ita ut animas efflent præ timore:* vel, *exanimentur.*
30. Προβάλωσιν] *Emiſerint* folia.
37. Ηὐλίζετο εἰς τὸ ὄρος] *Diverſabatur in monte.*
38. Ὠρθρίζε] *Mane veniebat.*

LUC. BRUGENSIS.

38. ET *omnis populus manicabat ad eum* * *in* [* *venire* o.] *templo audire eum*] *Manicabat* ficta vox eſſe videtur, ad imitationem Græcæ ὤρθριζε· quanquam ita potius *manizabat* eſſet. Quidam pro *manicabat* [*manebat* 1 male. *magnificabat* 2 MS. male. *veniebat* 1 MS. male.] legendum eſſe conjiciunt *mane ibat*; Zegerus, quod & caſtigando ſecutus eſt, *manitabat.* Pariſienſes in uno manuſcripto, Ge. l. nos in duobus, Pl. m. Tril. & quibuſdam recens impreſſis, *mane ibat* invenimus: *manitabat* in uno ſcripto, Q ſignato, aperte vidimus. Atrebatenſis Collegii ſericatum exemplar *mane accelerabat* [Hæc fere Enarratorum eſt expoſitio.] habet. Veteſtus unus codicum cujuſdam *diluculo veniebat* legit: id quod & Richelius exponit, & Quenteliana Biblia ſequuntur. Porro *manicabat*, ut in pleriſque eſt libris, ita in antiquiſſimis, tum noſtris tum Epanorthotæ; noſtris, So. al. au. Brug. Lob. Leod. O. E. & aliis; legiturque & explicatur apud Enarratores, Lyranum, Bonaventuram, Thomam, Albertum, Carenſem, Autorem Gloſſæ, Bedam. Quia vero obſcura ea Latinilque auribus inaudita eſt vox (id quod & B. Auguſtinus Quæſt. 46. in librum Iudicum annotavit, qui olim illam legit, quibuſdam in libris Iudicum c. 9. [In quibuſdam libris Auguſtinus legerat *maturabu*, Iud. 9. 33.] pro eadem Græca dictione ὀρθρίζω) hinc illæ ortæ videntur lectionis varietates, quibuſdam explicare, quibuſdam emendare conantibus: quanquam, ſi dubium eſſe debeat an *manicabat* Interpres dixerit, *manitabat* proximum eſſe exiſtimarim.

DRUSIUS.

4. IN *munera Dei*] Hieron. epiſt. 142. *in dona Dei. Dona Dei* vocat ipſum gazophylacium, in quod ea mittebantur quæ Deo donabantur. Ideo vocatur *Corban*, i. *donum*: & Syrus edidit בית קנצא דאלהא *in gazophylacium Dei.*

23. *Preſſura magna*, ἀνάγκη μεγάλη] Quidam *neceſſitas magna*. Melior interpretatio, *angustia magna*, quam interp. vetus *preſſuram* vocat, i. θλῖψιν. Vox eſt hoc ſenſu linguæ Helleniſticæ, quam Ebræi uſurpant, ſcribentes צוק. Id exponunt צרה *afflictio*, *vexatio*, & pro. Idem valet quod in diverſa lectione συνοχὴ μεγάλη Nam συνοχὴ *angustia*, ut v. 25. καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν, *angustia gentium*. Vetus, ut ſupra, *preſſura gentium*, i. θλῖψις. Redeamus ad vocem ἀνάγκη, qua uſus fuit in hoc ſignificatu Apoſtolus 1 Cor. 7. 26. διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, *propter inſtantem afflictionem*. In Thargum Jeroſ. צוק עתא. Id Aruch interpretatur *tempus* vel *hora* צרות *afflictionis*, & bene, meo judicio. Viderint ergo David de Pomis & alii, qui צוק *horam* interpretantur, i. עת. Pſ. 107. 6. ἐκ τῶν ἀνάγκων αὐτῶν. Hieron. *de afflictione ipſorum.* 31. 7. בצרות LXX. ἐκ τῶν ἀνάγκων. Hieron. *tribulationes*, i. θλίψεις. Igitur ἀνάγκη idem quod θλῖψις. 1 Sam. 22. 2. πᾶς ἐν ἀνάγκῃ. Ed. Complut. *qui in neceſſitate & angustia.* Tob. 5. 11. εἰς ἡμέρας ἀνάγκης. Videto ſis & v. 7. Job. 30. 25. אביון אנוח בי באנקות. Sic Job. 5. 19. & 7. 11. & 15. 24. & 27. 9. Prov. 17. 17.

24. *Donec impleantur tempora Gentium*] Hoc alius diceret, *donec impleatur menſura Gentium.* Dubito an hic *donec* excludat ſequens tempus, ut ibi, *donec peperiſſet primogenitum.*

38. *Manicabat ad eum*] Verbum à *mane* deductum, ut שחר à nomine שחר *aurora*. Sic ὀρθρίζειν. Dicunt etiam משכים eodem ſignificatu. Porro *manicandi* verbo uſus fuit interp. vet. Juvenalis. Sed & Auguſt. in lib. Judicum, & in epiſtola quadam. Eſt autem poſterioris & ſequioris ævi. Sunt qui malunt *manitabant*, i. *mane itabant*: ſed cl. Nanſius annotat ſe in Gloſſario manuſcripto legiſſe, *Manico*, *mane ſurgo*. Vide Nonnum ejus, p. 211. Tamen unicum exemplar manudeſcriptum hic habet *manitabat*, i. *mane ibat*. Reperio & *matutinare*. Hoc ſenſu Lex. vet. Ὀρθρεύω, *matutino*. Sic Gloſſarius Græco-Lat. Cyrillo adſcriptus. Eſt qui mavult *diluculare* pro *diluculo aliquid facere*. In eodem Lexico, niſi fallor, *Latine Manicare dicitur*, *Hiſpanice*, *Madrugar.*

CASAUBONUS.

4. EBαλον εἰς τὰ δῶρα τῷ Θεῷ] Omnino videtur Lucas expreſſiſſe vocem Syriacam *Corbanam*, quæ *templi ærarium* ſignificat; qua etiam Matthæus utitur 27. 6. Οὐκ ἔξεστι βαλεῖν αὐτὰ εἰς τὸν κορβανᾶν. Eam autem Lucas interpretans dixit εἰς τὰ δῶρα. Nam & CORBAN *donum* ſignificat, ut Matth. 7. 11.

10. Τότε ἔλεγεν αὐτοῖς, Ἐγερθήσεται] Placet mihi quod annotat doctiſſimus interpres, videri ſibi ita hæc eſſe diſtinguenda, Τότε, ἔλεγεν αὐτοῖς, ἐγερθήσεται, ut verba ἔλεγεν αὐτοῖς accipiantur ὡς διὰ μέσου interjecta: qua trajectione videtur Lucas plurimum delectatus.

11. Σεισμοί τε μεγάλοι κατὰ τόπους] Supple τινές certis enim in locis futuros ait terræmotus, non, opinor, in ſingulis. Sic Gallice *en de lieux*, pro *certis in locis.*

GUALTPERIUS.

1. BΑλλοντας τὰ δῶρα εἰς τὸ γαζοφυλάκιον, *mittentes munera ſua in gazophylacium*] Syr. *in domum*, vel *locum*, *gaza*. Vide Matth. 27. 6.

25. Ηχήσης θαλάσσης καὶ σάλου, *reſonante mari & ſalo*] Σάλος *ſalum*, maris ora in qua ſtant naves ad anchoras quæ ad littus accedere non poſſunt. Saxones maritimi vocant AuFF oep Reroe; Derivatur ab ἁλς ἁλὸς *mare*. Latini pro *mari* uſurpant. Virgilius Æn. 2.

Fit ſonitus ſpumante ſalo.

Apud Syrum legitur, *Erunt ſigna in Sole & in Luna & in ſtellis, & in terra angustia gentium, & compleſio manuum pra ſtupore ſonitus maris.*

34. Εν κραιπάλῃ, *crapula*] Græci hanc vocem deducunt παρὰ τὸ κάρα πάλλειν, q. d. *vibrationem capitis dolorem ex nimio vino.* Etenim vinum intemperantius hauſtum capiti detrimenta adfert. Et *luſtio capitis* dicitur, *fluctuſque & agitatio*, quando ex vinolentia caput tremit. Unde etiam Galenus in Aphoriſmos Hippocratis ſcribens annotat omnem noxam ex vino factam Græcis κραιπάλην nominari; παρὰ τὸ κάρηνον *caput καὶ πάλλεσθαι concuti.* Apud Syrum eſt vox ܐܣܘܬܐ *Aſututha*, quæ Græcis eſt ἀσωτία. Abſque dubio enim Syri Græcos imitati סעד ASIT *epulonem*, *comeſſatorem* vocant, & ܐܣܘܬܐ *luxuriam*, *crapulam*, *ingluviem*; ut hic, & 1 Petr. 4. 3. Eph. 5. 18.

GROTIUS.

4. Εἰς τὰ δῶρα τῷ Θεῷ, *In munera Dei*] Dubitari non debet quin hæc ſit περίφρασις τῦ γαζοφυλακίε [*circumſcriptio gazophylacii*] quod συνεχδοχικῶς [*per comprehenſionem*] vocabatur κορβᾶν aut κορβανᾶ [*donum*] ex re contenta. Marcus VII. 11. Κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον [*Corban, quod eſt donum*]. Joſephus, Κορβᾶν δηλοῖ, ὡς ἂν εἴποι τις ἐν τῇ Ἑλλάδι μεθερμηνευόμενος διαλέκτῳ, δῶρον Θεῷ [*Corban ſignificat, quaſi ſi ex Hebræo interpretere, donum Dei*].

5. Ἀναθήμασι κεκόσμηται, *donis ornatum eſſet*] Philo de Auguſto, Ὡςε μονονὺ καινοῖσιν ἀναθήμασιν τολυτελείας τὸ ἱερὸν ἡμῶν ἐκόσμησε [*Itaque & ipſe & domeſtici ejus fere omnes donariorum magnificentia templum noſtrum ornarunt*]. Joſephus, Τοῦ δ' ἱεροῦ παντὸς ἦν ἐν κύκλῳ πεπηγμένα σκῦλα βαρβαρικά [*Circa templum undique fixa erant ſpolia Barbarorum*]. Inter ἀναθήματα [*donaria*] templi erat menſa donata à Ptolemæo: ſed maxime eminebat vitis illa aurea, cujus & Tacitus meminit, ab Herode magno donata templo, θαῦμα καὶ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς τέχνης τοῖς ἰδοῦσιν [*miraculum ſpectantibus cum ob magnitudinem tum ob artificium*] ut Joſephus loquitur. Succeſſerat hæc vitis in locum vitis alterius quæ ab Alexandro Judæorum Ethnarcha donata templo, ab Ariſtobulo inde ablata & data Pompejo fuerat, qui eam Romæ in Capitolio poſuit, ut idem nos Joſephus docet. Hoc δημιούργημα [*opificium*] Strabo vocatum dicit τερπυλὴν [*obtectamentum*], ex quo טרפון [*Tarpon*] fecit is qui ſe Gorionis filium vocat: id fuerit Hebraice עדן [*Eden*], neque enim dubito quin id opus imaginem geſſerit Paradiſi. Strabo ipſe dubitat ἄμπελον [*vineam*] an κῆπον [*hortum*] appellare debeat: Et Joſephus Paradiſum κῆπον [*hortum*] appellat. At Judæi per hanc vitem deſignatum ajunt populum Iſraeliticum ex iis quæ legimus Pſalm. LXXX. & Eſaiæ V.

6. Ταῦτα ἃ θεωρεῖτε, *Hæc quæ videtis*] Id eſt, τούτων ἃ θεωρεῖτε [*horum quæ videtis*], ut ſæpe in his libris. Sed & Latini ita loquuntur: ut,

Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt.

Item, quod propius accedit, apud Plautum:

Hos quos videtis ſtare hic captivos duos
Illis qui aſtant, is ſtant ambo non ſedent.

Quare non accedo interrogationis notam interponentibus; frigide enim dicitur, *Hæcne ſunt quæ videtis?* neque vero Syrus aliter accepit quam nos dicimus. Et optima eſt conſtructio, *Horum quæ vos nunc miramini lapis non relinquetur ſuprà lapidem.* Apud Matthæum eſt ſenſu eodem ὃ μὴ ἀφεθῇ ὧδε [*non relinquetur ibi*].

8. Ὅτι ἐγώ εἰμι, *Quia ego ſum*] Nempe ὁ Μεσσίας [*Meſſias*], ut ὅτι [*quia*] ſit nota orationis μιμητικῆς [*imitantis*], nam quod alii malunt, *dicentes ſe eſſe is qui ego ſum*, durius eſt, ni fallor. ¶ Ὁ καιρὸς ἤγγικε. *tempus appropinquavit*] Hoc eſt quod apud Matthæum dicitur, Οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται [*Non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant*]. Confer quæ ibi diximus. ¶ Μὴ οὖν πορευθῆτε ὀπίσω αὐτῶν. *nolite ergo ire poſt eos*] Ne ſectamini id genus impoſtores.

9. Ἀκαταστασίας. *ſeditiones*] Hoc poſuit pro eo quod apud Matthæum eſt ἀκοὰς πολέμων [*opiniones bellorum*], apud Marcum etiam ταραχὰς [*perturbationes*]. *Tumultus* recte verti puto. Prov. XXVI. 28. ubi in Græco eſt ἀκαταστασίας, *ruinas* poſuit Latinus Interpres. Vide quæ ad Matthæum XXIV. 6.

11. Κατὰ τόπους, *per loca*] Similis locutio ei quam ſæpe habuimus ἐπὶ χρόνον [*ad tempus*] XVIII. 4. ¶ Φοβητρά τε καὶ σημεῖα ἀπ' οὐρανῦ μεγάλα ἔσται, *terroreſque & ſigna de cœlo magna erunt*] Romphæa ſcilicet de cœlo urbi imminens: Flamma in templo viſa: Fores templi ſponte apertæ: Currus & armatæ phalanges conſpectæ in nubibus: Vox audita in templo, *Migremus*, cum exeuntium ſono: Fanaticus homo nomen Jeſu ferens

rens per annos quatuor clamans, Aἰ, αἰ Ιεροσολύμοις, αἰ αἰ τῇ πόλει, καὶ τῷ λαῷ, καὶ τῷ ναῷ [*Va, va Hieroſolymis, va, ve urbi & populo, & templo*]. Quæ omnia & narrata & explicata apud Joſephum videre eſt. Meminit partis horum prodigiorum etiam Tacitus. Videtur autem Syrus codice uſus qui hoc loco voces aliquot additas haberet.

13. Ἀποβήσεται δὲ ὑμῖν εἰς μαρτύριον. *Continget autem vobis in teſtimonium*] Idem loquendi genus Philip. I. 19. Οἶδα γὰρ ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν [*Scio enim quia hoc mihi proveniet ad ſalutem*]. Intellige autem εἰς μαρτύριον τῆς ὑπομονῆς [*in teſtimonium patientiæ*], de qua infra.

14. Θέσθε οὖν εἰς τὰς καρδίας, *ponite ergo in cordibus*] Alibi dixit, τιθέναι ἐν τῇ καρδίᾳ [*ponere in corde*] ſupra I. 66. ſimile eſt IX. 44. θέσθε εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν [*ponite in auribus veſtris*]; alibi συμβάλλειν ἐν τῇ καρδίᾳ [*ſupputare in corde*], & διατηρεῖν ἐν τῇ καρδίᾳ [*conſervare in corde*], II. 51.

15. Στόμα καὶ σοφίαν ᾗ δυνήσονται ἀντειπεῖν ὅτ' ἀντιστῆναι πάντες οἱ ἀντικείμενοι ὑμῖν. *os & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri*] Cui nihil contradici poſſit quod veri habeat ſpeciem. Impletum hoc in Stephano de quo ita Lucas Act. VI. 10. καὶ οὐκ ἴσχυον ἀντιστῆναι τῇ σοφίᾳ καὶ τῷ πνεύματι ᾧ ἐλάλει [*& non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui quo loquebatur*]. Neque ad hoc opus illis fuit eloquio calamiſtrato.

Ἁπλῆς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

[*Simplex & infucata veri oratio eſt*].

Bene Tertullianus ad hunc locum: *Quid ſapientius & incontradicibilius confeſſione ſimplici & exſerta in martyris nomine cum Deo invaleſcentis?* Atque hæc plerumque cauſa eſt cur ad verbera & ſuppliciorum ſævitiam confugiant hoſtes veritatis, quia quod ſpecioſe contradicant non inveniunt.

18. Θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται. *capillus de capite veſtro non peribit*] Proverbiale loquendi genus, quaſi Latine dicas, *Ne bilum quidem damni ſenties.* Eſt eadem locutio 1 Sam. XIV. 45. II Sam. XIV. 11. 1 Reg. I. 52. & Actor. XXVII. 34. intelligendum autem eſt damnum poſt ſubductas rationes; nam damnum facere ad tempus, maximum interdum eſt lucrum. Simile eſt quod alibi *omnes pili ipſorum numerati apud Deum eſſe* dicuntur Matth. X. 30. quia ſcilicet ſi quid ipſorum ad tempus interire videtur, non tam interit quam apud Deum deponitur, qui cum fœnore eſt redditurus.

19. Κτήσασθε τὰς ψυχὰς, *poſſidebitis animas veſtras*] Κτᾶσθαι & quod Syrus hic habet ʾaḥ puto hic accipiendum non in *poſſidendi* ſed in *acquirendi* ſignificatu, ut Matth. X. 9. Actor. I. 18. VIII. 20. XXII. 28. & apud Lxx ſæpe. Idem eſt κτᾶσθαι ψυχὴν [*poſſidere animam*] quod εὑρίσκειν ψυχὴν [*invenire animam*], Matth. X. 39. XVI. 25. quod Lucas exponit per σῴζειν, ζωογονεῖν [*ſalvare, vivificare*] recte: nam is vere ſemetipſum acquirit, qui quod hic habet commodatum recipit proprium atque perpetuum. Huic contrarium eſt ζημιοῦσθαι τὴν ψυχὴν [*detrimentum facere animæ ſuæ*] Marci VIII. 36. ἐν ὑπομονῇ [*in patientia*] igitur eſt, tolerando adverſa omnia, etiam mortem ſi opus eſt. Nam,

Qui per virtutem perditas non interit.

Bene ergo accepit hunc locum Tertullianus, liberius ita vertens aut verſum ab alio citans, *Per tolerantiam ſalvos facietis veſmet ipſos.* Apud Matthæum & Marcum ſenſus idem ſic effertur, Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος οὗτος σωθήσεται [*Qui perſeveraverit in finem hic ſalvus erit*].

20. Κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων, *circumdari ab exercitu*] Vide ſupra XIX. 43. Adde illud Joſephi, μετ' ἐκπλήξεως οἱ στασιασταὶ τοὺς Ῥωμαίους ἀφορῶντες στρατοπεδευομένους τριχῇ [*cum conſternatione ſeditioſi Romanos aſpiciebant ternas in partes caſtra metantes*]. Bene ergo στρατοπέδων [*exercitus*] multitudinis numero.

21. Ἐν ταῖς χώραις, *in regionibus*] De hac voce diximus ſupra XII. 16. Contra autem quam Chriſtus monet fecerunt plerique Hebræorum, ac proinde in urbem velut in naſſam concluſi ſunt.

22. Ἡμέραι ἐκδικήσεως αὗταί εἰσι τοῦ πλησθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα, *dies ultionis hi ſunt ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt*] Joſephus, Τῷ δὲ ἄρα (τῷ ναῷ) κατεψήφιζο μὲν τὸ πῦρ ὁ Θεὸς πάλαι· παρῆν δὲ ἡ εἱμαρμένη χρόνων περιόδοις [*Nimirum ad ignem templum jam pridem condemnarat Deus: erat autem tum tempus illud elapſum, fatumque aderat*].

23. Ἀνάγκη, *preſſura*] Ἀνάγκην [*preſſuram*] Græci vocant τὴν βάσανον [*tormentum*]; in eumque ſenſum eam vocem & Joſephus uſurpat: quo factum, ut quomodo βάσανος [*tormentum*] ad *omnia mala, præſertim graviora*, refertur, ita & ἀνάγκη [*preſſura*]; quod multis locis probavit vir eruditiſſimus. Adde ſi placet Tobiæ III. 6. ἐπίταξον ἀπολυθῆναί με τῆς ἀνάγκης [*præcipe ut ex hac anguſtia diſſolvar*]. Baruch VI. 36. ἐν ἀνάγκῃ ἄνθρωπον ὄντα οὐ μὴ ἐξέλωνται [*de neceſſitate hominem non liberabunt*]. Sed & apud Paraphraſtas veteris ac novi Teſtamenti vox ex Græco deſumta פּשׁר [*ananche*] eundem ſenſum habet. Chryſoſtomus in II ad Corinthios VI. 4. ἀνάγκαις [*neceſſitatibus*] interpretatur ἄφνιστα κακά [*mala inopinabilia*]. ¶ Καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ, *& ira populo huic*] Id eſt, *miſeria.* Ita Matthæus III. 7. & ſupra III. 7. Φεύγειν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς [*fugere a ventura ira*]. Locus huic noſtro ſimillimus eſt 1 Mach. I. 67. ἐγένετο ὀργὴ μεγάλη ἐπὶ Ισραὴλ σφόδρα [*facta eſt ira valde magna ſuper Iſrael*]; quomodo non male ſumas & illud 1 Mach. III. 8. ἀνέστρεψεν ὀργὴν ἀπὸ Ισραὴλ [*averſit iram ab Iſrael*].

24. Πεσοῦνται στόματι μαχαίρας, *cadent in ore gladii*], Τῶν δ' ἀπολομένων κατὰ πᾶσαν τὴν πολιορκίαν μυριάδες ἑκατὸν καὶ δέκα [*periere per univerſam obſidionem myriades centum decem*] inquit Joſephus: ſubjiciens poſtea, Τότε γε μὴν ἅπαν εἰς εἰρκτὴν ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης τῶν συνελείσθη τὸ ἔθνος [*Tum quidem quaſi in carcerem univerſa gens a fato concluſa eſt*]; alio loco de interemtis poſt obſidium agens, Ὁ ἀριθμὸς τῶν ἔν τε ταῖς πρὸς τὰ θηρία μάχαις καὶ τῶν κατατετραμένων ἔν τε ταῖς ἀλληλοκτονίαις ἀναμφιλέκτως πεντακοσίοις ἐπὶ τοῖς δὶς χιλίοις ὑπερέβαλε [*Qui aut beſtiis objecti aut exuſti, aut mutuis in arena cædibus confecti ſunt, ſupra bis mille quingentos fuerunt*]. ¶ Καὶ αἰχμαλωτισθήσονται εἰς πάντα τὰ ἔθνη· *& captivi ducentur in omnes gentes*] Τῶν μὲν οὖν αἰχμαλώτων πάντων, inquit ille, ὅσα καθ' ὅλου ἑλήφθη τὸν πόλεμον ἀριθμὸς ἐννέα μυριάδες καὶ ἑπτάκις χίλιοι συνήχθη [*Captivorum itaque omnium, qui toto bello capti ſunt, numerus ad nonagintа ſeptem millia fuit*]: illud etiam εἰς πάντα τὰ ἔθνη [*in omnes gentes*] bene explicat idem nobiliſſimus Scriptor, Τῶν δὲ νέων τοὺς ὑψηλοτάτους καὶ καλοὺς ἐπιλέξας ἐτήρει τῷ θριάμβῳ· τοῦ δὲ λοιποῦ πλήθους τοὺς ὑπὲρ ἑπτὰ καὶ δέκα ἔτη δήσας ἔπεμψεν εἰς τὰ περὶ Αἴγυπτον ἔργα. πλείους δ' εἰς τὰς ἐπαρχίας διεδωρήσατο Τίτος, φθαρησομένους ἐν τοῖς θεάτροις σιδήρῳ καὶ θηρίοις· οἱ δὲ ἐντὸς ἑπτὰ καὶ δέκα ἐτῶν ἐτράφησαν [*Juvenes, ut forma quiſque & ſtatura eminebat maxime, ſelectos ad triumphum ſervavit: reliqua turba eos qui ſeptimum decimum annum exceſſerant, ad opera Ægyptia miſit vinctos. Plurimos præterea in provincias donavit Titus, qui nimirum in theatris aut ferro perirent aut à beſtiis conficerentur. Qui intra hanc ætatem fuerunt, divenditi ſunt*]. Rutilius Numantianus,

Atque utinam nunquam Judæa ſubacta fuiſſet
Pompeji bellis, imperioque Tui:
Latius exciſa peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos natio victa premit.

Huc pertinet & illud Bardeſanis Syri, Ἰουδαῖοι πάντες οἱ διὰ Μωσέως δεξάμενοι νόμον τοὺς γεννωμένους ἄῤῥενας παῖδας ἐν τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ αἱμάσσουσι περιτέμνοντες, οὐκ ἀστέρας παρουσίαν ἐναμένοντες, οὐ κλίματος ἐξουσίαν ἐκτρεπόμενοι, οὐχ ὑπὸ νόμου ἀλλοτρίας χώρας ἀγόμενοι, ἀλλ' εἴτε ἐν Συρίᾳ τυγχάνουσιν, εἴτε ἐν Γαλλίᾳ, εἴτε ἐν Ἰταλίᾳ, εἴτε ἐν Ἑλλάδι, ἢ ἐν Παρθίᾳ, ἢ ὅπου ἂν ὦσι, τοῦτο ποιοῦσιν [*Judæi omnes, quotquot legem Moſaicam agnoſcunt pueros ſuos mares octavo die circumciſione cruentant, non aſtrorum influxum præſtolantur, non vim climatis reformidant, peregrinæ regionis legibus non utuntur, idque faciunt ſive in Syria, ſive in Gallia, ſive in Italia, ſive in Græcia, ſive in Parthia, ubicunque denique fuerint*). ¶ Ἰερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν, *Jeruſalem calcabitur à gentibus*] Πατεῖν eſt *tenere jure victoriæ.* Talis eſt illud,

Barbarus hæc cineres inſiſtet viator.

Apocalyp. XI. 2. Καὶ τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν πατήσουσι μῆνας τεσσαράκοντα δύο [*Civitatem Sanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus*]. Alienigenæ illi, quos Hebræi עממין [*gentes*] vocant, ſunt Romani, Saraceni, Franci, Turcæ. ¶ Ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν. *donec impleantur tempora nationum*] Chryſoſtomus in diſputatione accurata adverſus Judæos interpretatur de tempore judicii univerſalis: ac proinde negat Judæos unquam in patriam reſtituendos. Sed & Origenes adverſus Celſum de Judæis loquens ſcripſerat, Θαῤῥοῦντες δ' ἐμοὶ μεμενήκοτι οὐδὲ ἀποκατασταθήσονται [*Confidenter prætereà*

negabimus reſtituendos eos eſſe unquam]. Et eam ipſam ſententiam tuetur Scriptor Seder Olam. Ait enim poſt ſecundam ejectionem è Cananæa populum Judaicum nunquam eo rediturum. Alii vero ex iis quæ ſunt apud Eſaiam LXV, LXVI. Jerem. XVI, & XXXI. Ezech. XX, XXVII, XXVIII. & Oſeam III. 3, 4, 5. aliter exiſtimant, Judæos ſcilicet cum Jeſum Meſſiam agnoverint recuperaturos ea bona quæ Deus ipſorum parentibus ſempiterno, ſed conditionem continente, fœdere promiſit. Vide Moſis verba Levitici XXVI in fine, & Deuter. XXX. cujus ſententiæ ſe eſſe dicit in colloquio cum Tryphone Juſtinus. Certe Chriſtus ab Apoſtolis interrogatus an jam reſtituturus eſſet Regnum Iſraelis non negavit id ſe facturum, ſed quo id futurum eſſet tempore, noluit ab ipſis inquiri: & ſane partim ex his quæ dixi vaticiniis, partim ex prærogativa martyrum in reſurrectione (de qua alibi agendi erit locus) concinnata videtur ſententia illa de mille annorum felicitate, quam ut ab Apoſtolorum ſucceſſoribus acceptam tuentur magni auctores Juſtinus & Irenæus, quos ſecuti ſunt Melito, Apollinaris, Tertullianus, Victorinus: quorum opinio, quanquam admixtum aliquid habere videtur humani erroris (quando nec omnes illam felicitatem pari modo explicant) forte tamen non in totum repudianda eſt. Sunt qui huc referendum putent illud Apocalypſeos de Euphrate, *Καὶ ἐξηράνθη τὸ ὕδωρ αὐτοῦ ἵνα ἑτοιμασθῇ ἡ ὁδὸς τῶν βασιλέων τῶν ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου* [*Et ſiccavit aquam ejus ut præparetur via Regibus ab ortu ſolis*], Regum enim nomine Iſraelitas putant intelligi. Quod ſenſiſſe & Lactantius videtur ſeptima inſtitutione cap. XV. cum futurum dicit, ut imperium in Aſiam revertatur & rurſus Oriens dominetur & Occidens ſerviat. Vide ſi lubet quæ in Apocrypho Eſdræ libro qui quartus dicitur cap. XIII. 43, 47. & confer cum dicto Apocalypſeos loco. Quam ſententiam ſi recipimus, *καιροὺς ἐθνῶν* [*tempora nationum*] intelligere licebit *tempora Divinæ patientiæ*, præſtitutæ emendationi eorum qui ex gentibus Chriſti nomen profeſſi à diſciplina Chriſti plurimum receſſerunt. Quo ſenſu *καιρὸν ἐπισκοπῆς* [*tempus viſitationis*] de Hieroſolymitana urbe ſupra habuimus, ut nimirum intelligamus Deum irritatum à gentibus modo quodam novo atque extraordinario uſurum in convertendis ad ſe Judæis: ſicut ab Judæis irritatus modo ſimili gentes ad obſequium ſuum pertraxit. Chryſoſtomus dicta jam diſputatione etiam Joſephi teſtimonio contra Judæos utitur, quaſi is quoque exiſtimaverit ſine fine duraturam *τὴν ἐρήμωσιν* [*deſolationem*]. At Joſephus, ſicut nihil certi populo ſuo auſus eſt polliceri, ita ſpem omnem non abjecit, ut vel ex hoc loco apparet, ubi ſcelera Civitatis & pœnam eis debitam deplorans ita eam alloquitur, *Δύναιτο δ' ἂν γενέσθαι πάλιν ἀν' ἡμέραν, εἴγέ ποτε τὸν τοροθήσαντα Θεὸν ἐξιλάσαιτο* [*Poſſit forte iterum aliquando in melius reſtitui, ſiquidem unquam Deum, qui te perdidit, placaveris*].

25. Συνοχὴ ἐθνῶν, *preſſura gentium*] Heſychius *συνοχὴ, ταραχὴ, ἀθημονία* [*preſſura, conturbatio, graviſſima anxietas*]. Utitur & Paulus II Cor. II. 4. ¶ Ἐν ἀπορίᾳ, *pra confuſione*] Sic *ἀπορεῖσθαι* [*confundi*] dixit Paulus II Cor. IV. 8. Gal. IV. 20. Nec puto aliter legiſſe Syrum, ſed rem ipſam expreſſiſſe additio geſtu. Quod alios legiſſe apparet *ἀποῤῥοίᾳ* [*defluxione*], probare non poſſum. ¶ Ἠχοῦς θαλάσσης, *ſonitus maris*] Mare in libris Propheticis ſignificat *ſtatum mundi variis caſibus turbidum*: ſonus, *excitatos inde tumultus*. Porphyrio mare ſignificat *τὴν ὑλικὴν σύςασιν* [*ſtatum animæ corpori junctæ*]. ¶ Καὶ σάλου, *& fluctuum*] Supple ὄντος [*exiſtente*]. Id eſt, *in magna maris agitatione*; niſi *σάλον* interpretari malis *eram maritimam*, quomodo accepit Polybius, atque ita repetere ἠχοῦντος [*reſonantis*].

26. Ἀποψυχόντων, *arefcentibus*] Puto *ἀποψύχειν* hic eſſe, ut Heſychius interpretatur; *ἀποπνευματίζεσθαι, ſpiritu deſtitui*, ut in ſummo æſtu atque etiam in ſummis doloribus fieri conſuevit. ¶ Αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται. *nam virtutes cælorum movebuntur*] Non mirum eſt ſi mundi totius ſtatus erit impacatiſſimus, cum ipſa agmina cœleſtia, id eſt, Eccleſiæ Chriſtianæ in plurimas factiones ſint diſceſſuræ, ſublata mutua caritate. Imo huc res deveniet ut quod amoris eſſe debebat vinculum fiat bellorum titulus. Vide quæ ad Matthæum.

27. Τότε, *tunc*] Poſt impleta tempora gentium de quibus ſupra.

28. Ἀρχομένων δὲ τούτων γίνεσθαι, *His autem fieri incipientibus*] Cum & imperii civilis & Eccleſiæ tam miſerandus erit ſtatus per ſæcula aliquot, deſperare non debet vere Chriſtianus:

Si fractum illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Chriſtus, ut ad hunc locum pulchre inquit Tertullianus, *poſitus in medio, alterum concluſurus adventu ſuo*, id eſt, incommoda nationum, *alterum incipiens*, id eſt, vota Sanctorum. ¶ Ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν, *reſpicite & levate capita veſtra*] Ut ſolent qui de loco ſuperiore liberationem exſpectant. Hoc eſt quod *ἀποκαραδοκεῖν* [*exſerto capite exſpectare*] dixit Paulus: hæc autem, ut & quæ infra ſequuntur commate 34 & deinceps, in perſona Apoſtolorum dicta ſunt omnibus omnium ſæculorum Chriſtianis. Ideo apud Marcum additur *ἃ δὲ ὑμῖν λέγω, πᾶσι λέγω* [*quæ autem dico vobis, omnibus dico*]. ¶ Ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις, *appropinquat redemtio*] Plena illa liberatio qua mors triumphabitur.

30. Ὅταν προβάλωσιν ἤδη, *cum producunt jam*] Προβάλλειν [*producere*] τὰ φύλλα [*folia*] ſcilicet, ut collatio Matth. XXIV. 32. & Marci XIII. 28. oſtendit. Sic *προβάλλειν ἄνθος* [*producere florem*] dixit Dioſcorides. ¶ Ἀφ' ἑαυτῶν, *ex ſe*] Id eſt, *nullo monitore*, ut & ſupra XII. 57. At Syrus *ἀπ' αὐτῶν* [*ex ipſis*] legit, *ab arboribus* ſcilicet.

31. Ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. *Regnum Dei*] *Tranquilla regni poſſeſſio*: ita ſæpe Hebræi vocabant *τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα* [*futurum ſeculum*]. Alias ſignificatur his vocibus tempus Meſſiæ quo Regnum illud acquiritur.

32. Πάντα, *omnia*] Omnia illa quæ Judæos & excidium urbis ſpectant, in quibus & figura eſt judiciorum quæ Deus adverſus gentes immorigeras eſt exerciturus.

33. Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*] Alibi diximus Hebraiſmum eſſe pro πρὶν τὰς λόγους μου παρελθεῖν [*priuſquam verba mea tranſibunt*], & proverbiale loquendi genus, quaſi dicat, *Omnia fient, fieri quæ poſſe negantur, potius quam horum quæ vaticinor quicquam irritum fiat*. Vide Matth. V. 18. & ſupra XVI. 17.

34. Προσέχετε δὲ ἑαυτοῖς, *attendite autem vobis*] Amat Lucas hoc loquendi genus, ut videre eſt ſupra XII. 1. XVII. 3. Act. V. 35. XX. 28. ¶ Μήποτε βαρυνθῶσιν, *ne forte graventur*] Βαρύνειν [*gravare*] reſpondet Hebræo הכבד [*aggravavit*], ut videre eſt Exod. VIII. 15, 32. IX. 7. 35. idem & per σκληρύνειν [*indurare*] redditur Exod. X. 1. & per πωροῦν [*excæcare*] Rom. XI. 7. Significat autem βαρύνεσθαι [*gravari*] apud hos ſcriptores reddi *ἀναίσθητον* [*inſenſibilem*], Pſalm. IV. 3. *υἱοὶ ἀνθρώπων ἕως τότε βαρυκάρδιοι* [*filii hominum uſque quo gravi corde*]; quo in loco ut multis aliis, apparet Lxx Interpretes non paulo aliter legiſſe quam nos legere docent Maſoritæ. ¶ Τὰς καρδίας ὑμῶν ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ, *corda veſtra in crapula & ebrietate*] Magiſtri Græci tradunt hoc differre μέθην [*ebrietatem*] & κραιπάλην [*crapulam*], quod μέθη [*ebrietas*] ſit ex præſenti potu animi alienatio, κραιπάλη [*crapula*], ut Plato loquitur, *ἐκ τῆς προτεραίας* [*ex præterita die*]; aut, ut Ariſtophanis Scholiaſtes, *ἀπὸ χθιζῆς οἰνοποσίας* [*ex heſterna vini potatione*]. Non dubium autem quin ſub vinolentiæ nomine omne vitiorum genus hic denotetur quod circa voluptates occupatum eſt. Nam quia in ebrietate manifeſtius eſt detrimentum rationis, ideo ex illa ſpecie genus totum datur intelligi:

\- - - Οὐδεὶς δὲ μεθύων, ἂν συνοῖς,
Ὃς οὐχὶ δῆλός ἐςι τῇ κεκτημένῃ.

\- - - [*Nempe quot ſunt ebrii*
Mancipia totidem vini potati aſpicis,]

ut Philemon inquit.
Theognis vero,

Ὃς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκ ἔτ' ἐκεῖνος
Τῆς αὐτῆς γλώσσης κηρτερὸς οὐδὲ νόου.

[*Qui bibit atque modum neſcit ſervare bibendi*
Non lingua, mentis non herus ille ſuæ].

Bene autem ebrietati crapula adjungitur, ut ex hac una ſpecie maxime illuſtri intelligamus eam vim eſſe voluptatum, ut non tantum dum iis fruimur uſum nobis rationis eripiant, ſed & in poſterum eam reddant obtuſiorem. Nam

\- - - *Corpus onuſtum*
Heſternis vitiis animum quoque prægravat - - -

¶ Καὶ μερίμναις βιωτικαῖς, *& curis hujus vitæ*] Circa honores & divitias, quæ alibi *αἱ μερίμναι τοῦ αἰῶνος τούτου* [*cura hujus ſeculi*]. ¶ Καὶ αἰφνίδιος ἐφ' ὑμᾶς ἐπιςῇ ἡ ἡμέρα ἐκείνη, *& ſuperveniat in vos repentina dies illa*] ut olim Chaldæo Regi evenit Dan. V. Paulus I ad Theſſalonicenſes V. 3. Ὅταν γὰρ λέγωσιν, Εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια; τότε αἰ-

αἰΦνιδιος αὐτοῖς ἐΦίςεται ὄλεθρος [*Cum dixerint, Pax & ſecuritas; tum repentinus eis ſuperveniet interitus*]. Sæpe illud obſervare eſt, iiſdem vocibus uti Paulum quibus utitur Lucas, ut plane credibile ſit habuiſſe Paulum deſcriptos Græce quoſdam Domini ſermones quos Lucas libro ſuo inſeuerit.

35. *Ὡς παγὶς γὰρ ἐπελεύσεται ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς. Tanquam laqueus enim ſupervenient in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ*] Ex Eſaia XXIV. 17. פחד ופחת ופח עליך יושב הארץ (*laqueus ſuper te qui habitator es terræ*], Græce παγὶς ἐΦ' ὑμᾶς τοὺς ἐνοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς [*laqueus ſuper vos in terra habitantes*]. Unde liquet *καθημένους* [*ſedentes*] hic eſſe quod *ἐνοικοῦντας* [*inhabitantes*], ita ut *ſecura quædam & in res terrenas defixa habitatio* hoc quidem loco intelligatur. Vide quæ diximus ad Matth. XXIV. 37.

36. *Ἀγρυπνεῖτε οὖν ἐν παντὶ καιρῷ δεόμενοι, Vigilate itaque omni tempore orantes*] Duas nobis res commendat Chriſtianis hominibus apprime neceſſarias, *προσοχὴν καὶ προσευχὴν* [*attentionem & preces*]; nec hic tantum, ſed & alibi, Matth. XXVI. 41. Et aliunde & hinc diſcere eſt, quam apte conſpiret cum humana diligentia auxilium Divinum. Qui *vigilare* jubetur, non agitur ut nervis alienis mobile lignum: qui *precari*, oſtenditur opis Divinæ indigere, ſine qua inanis eſt omnis hominum induſtria. Illud *ἐν παντὶ καιρῷ* [*omni tempore*] optime conſtrui puto cum verbo *δεόμενοι* [*orantes*], ut idem ſit quod ſupra monemur *προσεύχεσθαι πάντοτε* [*orare ſemper*], XVIII. 1. & apud Paulum *ἀδιαλείπτως* [*indefinenter*], 1 Theſſ. V. 17. ¶ *Ἵνα καταξιωθῆτε ἐκΦυγεῖν, ut digni habeamini fugere*] Ita ſupra *οἱ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν* [*qui digni habebuntur ſeculo illo*]. Paulus II Theſſ. 1. 5. *εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ* [*ut digni habeamini in Regno Dei*]. Diſcamus hinc vocem *καταξιοῦσθαι* [*dignum haberi*], ut & *δίκαιον* [*juſtum*] quod in epiſtola ad Theſſalonicenſes ſequitur, & Latinum *mereri* plerumque non ad juris humani rigorem referri, ſed ad æſtimationem benignitate temperatam. Magna pars eſt dignitatis noſtræ indignitatem noſtram ingenue confiteri. ¶ *Ταῦτα πάντα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, iſta omnia quæ futura ſunt*] Fallacias *ψευδοχριστῶν καὶ ψευδοπροΦητῶν* [*falſorum Chriſtorum & falſorum Prophetarum*], pœnas Judæorum aut aliarum nationum proprias, poſtremo pœnas communes impiorum. ¶ *Καὶ σταθῆναι ἔμπροσθεν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. & ſtare ante Filium hominis*] Victoriam hæc locutio deſignat à judiciis ſumta. Sic Pſalmo I. 5. docti exponunt illud יקמו לא [*non reſurgent*]. Sic de eo qui judicio ſuccubuerat dicebatur לא היתה לו הקומה רגל [*non fuit illi pes ſtabilis*]. Nahum I. 6. *ἀπὸ προσώπου ὀργῆς αὐτοῦ τίς ὑποστήσεται*; [*ante faciem indignationis ejus quis ſtabit*]? & Eſdræ IX. 15. *οὐκ ἔστι στῆναι ἐνώπιόν σου* [*non ſtari poteſt coram te*]. Utrobique in Hebræo eſt לפני, id eſt, *ἔμπροσθεν* [*coram*]; & hic quidem ad judicem, alibi illud לפני [*coram*] ad adverſarium refertur: ut Sapientiæ V. 1. *Τότε στήσεται ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ ὁ δίκαιος κατὰ πρόσωπον τῶν θλιψάντων αὐτόν* [*Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt*]. Contrarium huic eſt *cadere*, id eſt, *pudefieri*. Sic & Latini *ſtare* & *cadere* uſurpant:

Secum cadat, an recto ſtet fabula talo.

37. *Ἠυλίζετο εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, morabatur in monte qui vocatur Oliveti*] Haud dubium quin orandi cauſa. Ita quod modo ſermone, nunc exemplo ſuo nobis commendat, Preces cum labore conjunctas. Nam diem labori, noctem precibus impendebat.

38. *Ὠρθρίζε, manicabat*] שכם [*mane expeditus fuit*] eſt Hebræum cui hoc Helleniſticum reſpondet, ut Exodi XXXIV. 4. & alibi. *Diluculo conveniebant*, vertit Tertullianus. *ὄρθριζε πρὸς αὐτὸν* [*mane veniebat ad eum*] concile dictum, ut *ὀρθρίζωμεν εἰς ἀμπελῶνας* [*mane ſurgamus ad vineas*] Cantico VII. 12. Apparet non caruiſſe fructu monitum illud Chriſti, *Ἀγρυπνεῖτε* [*vigilate*].

PRICÆUS.

Com. 1. *Ἀναβλέψας*] Quid heic *τὸ ἀνὰ* valeat à multis operoſe quæritur. Ego ſimplicius putem pro ſimplici compoſitum intelligere. Vide Marc. 16. 4.

Ibid. *Εἰς τὸ γαζοΦυλάκιον*] Gloſſarium, *Γαζοφυλάκιον, erarium.*

Com. 2. *Εἶδε δὲ καί τινα χήραν πενιχρὰν βάλλουσαν ἐκεῖ δύο λεπτά*] Quæ tamen vice erant maximæ oblationis. Ovidius,

Nec quæ de parva libat diis pauper acerra
Thura, minus grandi quam data lance valent.

Idem,

. . . Ut fuſo taurorum ſanguine centum,
Sic capitur minimo thuris honore Deus.

Et alibi,

Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas:
Hac ego contentos auguror eſſe deos.
Hac facit ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat caſo non minus agna bove.

Leo Magnus, *Nunquam merito caret, etiam in tenui facultate, bona voluntatis opulentia. Magna quidem impendia ſunt divitum, minora mediocrium: ſed non diſcrepat fructus operum ubi idem eſt affectus operantium.* D. Ambroſius de Officiis I. 30. *Affectus divitem facit, & pretium rebus imponit:* & paulo ante, *Affectus nomen imponit operi tuo: quomodo à te proficiſcitur, ſic æſtimatur.* Λεπτὰ Vulgatus vertit, *minuta æra*. Ita in Gloſſario, *Minutum*, λεπτάριον. Martialis,

Et centum aureolos ſic velut æra rogat:

id eſt, velut æra minuta. Apuleius lib. 8. *ſtipes æreas* dixit.

Ibid. *Χήραν πενιχράν*] Heſychius, *Χερνῆτις, ἡ ἀπὸ τῶν χειρῶν ζῶσα, πενιχρὰ χήρα.*

Com. 3. *Πλεῖον πάντων ἔβαλε*]

Nam dedit è nullo, de largo quod dare acervo
Haud voluit magni Mammona curta propago.

Ὃ ἔσχεν ἐποίησεν, ut Marc. 14. 8. idem de Magdalena dixit. Plinius junior de Martiali Poeta, *Dedit quantum maxime potuit, daturus amplius, ſi potuiſſet.* Themiſtius Orat. 6. *Πολλάκις μὲν τὸ ἔργον ἐ λίαν μέγα, ἡ γνώμη δὲ μεγάλη, καὶ ἀξιέπαινος.* Chryſoſtomus Homil. 22. ad Pop. Antioch. *Οὐ τὰ μέτρα τῆς οὐσίας, ἀλλὰ τῆς γνώμης τὴν ἐλεημοσύνην ἐργάζεσθαι πέφυκε.* Salvianus I. contra Avaritiam, *Non animus dantis datis, ſed animo commendantur data.* Leo M. jam citato loco, *Non de rei familiaris modo menſura miſerationis pendet*, &c. *nulli parvus cenſus eſt, cui animus magnus.* In Fragmentis Alcimi Aviti, *In affectu* (malim *in effectu*) *quarumcunque rerum, non facta, ſed vota cogitanda ſunt.* Cicero Offic. 2. *Beneficia voluntate benevolentia moventur, etiamſi res forte non ſuppetit.* Vide & 2 Cor. 8. 12. & Iſidori Peluſiotæ lib. 4. epiſt. 118. De Deo Hierocles, *Τὸ αὐτελέστατον προκρίνει τελουμένοις, ὅταν θεοσεβείας γνώμη κοσμεῖται.*

Com. 4. *Οὗτοι γὰρ ἐκ τῶν περισσεύοντος αὐτοῖς*, &c.] Sic Cyrus apud Xenophontem, *Ἃ ἐν ἴδιον περιττὰ ὄντα τῶν ἐμοὶ ἀρκούντων, τούτοις ταῖς ἐνδείαις τῶν Φίλων ἐπαρκῶμαι.* Apud Livium eſt, *ut ex eo quod affluit opibus veſtris, aliorum neceſſitates ſuſtentetis.* Recentiores Interpretes heic, *ex eo quod iis ſupereſt*: at cur non placuit Vulgati illud, *ex abundanti*? Seneca I. II. de Beneficiis, *Cætera ex abundanti veniunt, factura delicatos.* Gloſſarium, *Ex abundanti, ἐκ περισσοῦ.* Nec aliter in l. 17. § ſi quis fundum, ff. de inſtrum. & inſtruct. leg. item in l. 9. ff. de ſupellect. leg Papinianus locutus. Sic, *ex facili beneficium largiri*, apud Senecam, & Valerium Maximum, cujus verba jam ſtatim adducemus. Tacitus Hiſtor. I. ut fere jam citatus Livius, *ex affluenti* dixit. Heſychius, *Ἐκ περισσίας· ἐκ πλήθους ἐκ τοῦ ὑπερέχοντος*· quam lectionem non moveo, propono autem an pro *ὑπερέχοντος* ſcribendum *περισσεύοντος.*

Ibid. *Αὕτη δὲ ἐκ τῆ ὑστερήματος αὐτῆς*, &c.] Erat ergo *καὶ κατὰ δύναμιν, καὶ ὑπὲρ δύναμιν αὐθαίρετος*, ut Apoſtolus 2 Cor. 8. 3. locutus. *Ἡ κατὰ βάθος αὐτῆς πτωχεία ἐπερίσσευσεν εἰς τὸν τῆς ἁπλότητος αὐτῆς πλοῦτον*, Apoſtolus jam dicto loco. Andronicus Rhodius 4. I. § 11. *Τὸ μὴ πρὸς τὴν οἰκείαν χρείαν ὁρᾶν, τῆς μεγίστης ἐλευθερίότητος σημεῖόν ἐστι.* Vulgatus optime heic, *ex eo quod deeſt illi.* Antipater apud Senecam, *Paupertas non per poſitionem, ſed per detractionem dicitur: vel, ut Antiqui dixerunt, κατὰ στέρησιν· non quod habeat dicitur, ſed quod non habet:* & poſt, *Paupertas eſt, non qua pauca poſſidet, ſed qua multa non poſſidet: ita non ab eo dicitur quod habet, ſed ab eo quod ei deeſt. Περισσεύειν* & *ὑστερεῖσθαι*, ut heic, ita & Sirach. II. 12. & Philipp. 4. 12. opponuntur.

Ibid. *Ἅπαντα τὸν βίον*, &c. *ἔβαλε*] Et ideo inquit Chriſtus,

Quantulacunque hæc ſunt, hæc ego magna voco.

Marcus heic, *ὅλον τὸν βίον*, ut & Lucas ſupra 8. 43. Julianus (qui videtur ob oculos habuiſſe narrationem iſtam) Antholog. lib. 6. 3.

Εἰ δ' ὀλίγα δώρα τελέθει δόσις, ἐ τόδε Νύμφαι
Μέμψις, ἐπεὶ Κινύρα ταὐτ' ὄλος ἔπλε βίος.

Euthymius ad Petri illa Matth. 21. RELIQUIMUS OMNIA, ET TE SECUTI SUMUS, *Quæ omnia, beate Petre? an arundinem, rete!* &c. *utique inquit quæ & quanta habebam.* Theophylactus ad eadem Petri verba Marc. 10. Εἰ ὀλίγα ἀφῆκεν· ἀλλ' ὧν πάντα ὀνομάζει ταῦτα, καὶ τὰ ὀλίγα γὰρ δεσμὸν προπαθείας ἔχουσιν. Ex hoc nomine dicitur paupercula ista plus cæteris dediſſe. Οὐ γὰρ πρὸς τὸ μέγεθος τῶν δεδομένων ἡ ἐλευθερίτης κρίνεται, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀναλογίαν ἣν ἔχουσι τὰ δεδομένα πρὸς τὴν τῶ διδόντος οὐσίαν. Sunt verba Andronici Rhodii jam citato loco. Seneca 1. 10. de Benef. *Non quanti quæque ſint, ſed à quali detur, perſpiciendum.* Idem ibidem 3. 8. *Donavit aliquis magnam pecuniam, ſed dives, ſed non ſenſurus impendium: donavit alius, ſed toto patrimonio ceſſurus: ſumma eadem eſt, beneficium idem non eſt.* Quintilianus 5. declam. *Fuerit pretium exiguum parvumque dum totum,* &c. *nemo unquam plus,* &c. *dedit, quam qui nihil ſibi reliquit.* Ambroſius, *Uberior eſt nummus è parvo, quam theſaurus è maximo: quia non quantum detur, ſed quantum reſideat expenditur: nemo plus tribuit quam qui nihil ſibi relinquit.* Æſchines præceptori Socrati non aurum, ſed ſeipſum donans, (apud Senecam 1. 8. de Beneficiis) *Hoc munus, rogo, qualecunque eſt, boni conſulas: cogiteſque alios cum multum tibi darent, plus ſibi reliquiſſe.* Sequitur iſtud Senecæ epiphonema, (haud parum verbis Chriſti conſonum,) *Vicit Æſchines hoc munere Alcibiadu parem divitiis animum, & omnium opulentorum juvenum munificentiam.* Fundum, quem unicum habuit, Fabius Maximus vendidit, pretiumque ejus ad redimendos captivos Hannibali numeravit: de pretio & facto illo ſic Valerius Maximus, *Si ad calculos revocetur, parvum, utpote ſeptem jugerum; ſi animo prærogantis, omni majus pecunia,* &c. *quod proni ſtudii certius indicium eſt ſupra vires niti, quam viribus ex facili uti: alter enim quod poteſt præſtat, alter etiam plus quam poteſt.* De voce βίος eo qui heic ſenſu poſita, ad Luc. 15. 30. egimus.

Com. 5. Λεγόντων περὶ ἱερῶ, ὅτι λίθοις καλοῖς, &c. κεκόσμηται] Philo 2. de Monarchia, Τάτε τῶ ἱερῶ ὁ μὲν ἔξωτάτω περίβολος, &c. τέτρασι ςοαῖς εἰς τελυτέλειαν ἠσκημέναις ἀνέςηκε· διτλὴ δ' αὐτῶν ἐςὶν ἐκάςη· ξύλων καὶ λίθων ὕλαις καὶ χορηγίαις ἀφθόνοις, καὶ δημιεργῶν ἐμπειρίαις, καὶ τῶν ἐφεςηκότων ἐπιμελείαις. Joſephus Antiquit. 15. 14. ᾠκοδομήθη δὲ ὁ νεὼς ἐκ λίθων λευκῶν τε καὶ τελυτελῶν καὶ χρατερῶν, τὸ μέγεθος ἐκάςῳ πῆχ. ε καὶ κ πηχῶν ἐπὶ μῆκος, ὁ δὲ ὕψος, εὖρος δὲ πηχ. μβ. Idem de bello Judaico 6. 14. Τῶν ἐν αὐτῷ λίθων ἔνιοι μῆκος πέντε καὶ τεσσαράκοντα πηχῶν ἦσαν, ὕψος πέντε, εὖρος δὲ ἓξ. Hegeſippus 5. 43. de Tito templum iſtud oculis luſtrante, *Mirabatur ſaxorum magnitudinem,* &c. Λίθοις καλοῖς Recentior *pulcris lapidibus* vertit. Latinius verſio autem Vulgata, *bonis lapidibus.* Vide ad Mileſ. 2. p. 98. dicta.

Ibid. Καὶ ἀναθήμασι] Heſychius, Ἀνάθημα, κόσμημα. Juſtinus de templo Delphici Apollinis, *Multa ibi opulenta Regum populorumque viſuntur munera.* In Gloſſis, *Donaria*, Χαρισήρια, &c. *ἱερὰ ἀναθήματα.* Ἀναθήματα heic Theophylactus γλυπτὰ καὶ τορευτὰ exponit. Plane ita de Junonis Samiæ fano Apulejus, *Ibi donarium dea perquam opulentum, plurima auri & argenti ratia in lancibus, ſpeculis, poculis,* &c. *magna etiam vis aeris, vario effigiata, veterrimo & ſpectabili opere.* Nota & κεκόσμηται illud, 2 Macc. 15. 16. & de donariis ipſo hoc in templo poſitis, *Quæ à Regibus & aliis civitatibus poſita erant ad loci ornatum & gloriam.* Ælianus de neſcio quo, apud Suidam v. σοβαρὸς, Ἀναθήμασι σοβαροῖς τὸν νεὼν ἐκόσμησε. Philoſtratus de Alexandrino templo, Ὁ κόσμος ὁ περὶ αὐτῷ, καὶ ὁ ἐφ' ἑκάςῳ λόγος θεῖός τε ἐφαίνετο. καὶ κατὰ σοφίαν ξυντεθείς.

Com. 6. Ταῦτα ἃ θεωρεῖτε, &c.] Pro, τάτων ἃ θεωρεῖτε. Ita Marc. 3. 8. Οἱ περὶ τὴν Τύρον καὶ Σιδῶνα πολὺ πλῆθος. Vide & Marc. 5. 38. Marc. 14. 18. Joh. 6. 39. & 17. 12. item 1 Cor. 12. 18. Et hæc figura ſermonis eſt Græca, non Helleniſtica. Lucianus ubi de ſeipſo inter ſalutandum lapſo, Οἱ παρόντες, οἱ μὲν παρεκελεύοντο, οἱ δὲ ληρεῖν, &c. ᾤοντό με. Philoſtratus in Icone Orphei, Αἱ χεῖρες δὲ, ἡ μὲν δεξιὰ, &c. Idem in Scopeliano Sophiſta, Ναὶ ἐρῶντες, ὡς ἔςιν ὅςις ἑαυτᾶ νῶν ἔχει. Homerus ipſe,

Οἱ δὲ δύο σκόπελοι, ὁ μὲν ὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει, &c.

Livius, Græcos ſecutus, *Periti,* &c. *juris publici, quando duo ordinarii Conſules ejuſdem anni, alter morbo, alter ferro perierat, ſuffectum Conſulem negabant recte comitia habere poſſe.*

Ibid. Οὐκ ἀφεθήσεται λίθος ἐπὶ λίθῳ, &c.] Vide ſupra 19. 44. dicta.

Com. 7. Καὶ τί τὸ σημεῖον ὅταν, &c.] Verba popularem fæcem olentia. Judæi, ſigno aliquo non addito, prædictionibus Prophetarum fidem paucam adhibere ſolebant: remanſerant notæ ſcabiei illius in quibus iſtis, etſi eximiis.

Com. 8. Ὁ καιρὸς ἤγγικε] Sic Apocal. 1. 3. Ὁ καιρὸς ἐγγύς.

Com. 11. Λιμοὶ, καὶ λοιμοὶ] Simplicius in cap. 13. Epicteti, Σεισμὸς, κατακλυσμὸς, &c. λιμὸς τε καὶ λοιμὸς. Plutarchus in de Roman. fort. Οὔτε λιμὸν, οὔτε λοιμὸν, οὐδὲ γῆς ἀφορίαν. Plura de παρονομασίᾳ iſta ad Matth. 24. annotata. Eſt autem μετὰ λιμὸν λοιμὸς, apud Græcos proverbiale.

Ibid. Φόβητρά τε] In vetere Onomaſtico, *Terriculamenta,* Φόβητρα.

Ibid. Καὶ σημεῖα ἀπ' ὐρανᾶ μεγάλα] Dio Caſſius lib. 47. ubi de Octaviani Cæſaris & Antonii pugna, Πάρεσι δὲ καὶ ἐκ τῶν σημείων τῶν τότε συμβάντων σφίσι, τεκμαίρεσθαι ὅτι μέγιςος ὁ ἀγὼν αὐτοῖς ἐγένετο· τὸ γὰρ δαιμόνιον, ὥσπερ καὶ ἀεὶ, πρὸ τῶν ἀτοπωτάτων φιλεῖ προσημαίνειν.

Com. 12. Βασιλεῖς, καὶ ἡγεμόνας] 1 Pet. 2. 13. εἴτε βασιλεῖ, &c. εἴτε ἡγεμόσι.

Com. 13. Ἀποβήσεται ὑμῖν εἰς μαρτύριον] Non diſſimile Arriani illud 4. 10. in Epictetum, ἔξει σοι τὸ ἀποβῆν εἰς εὐτύχημα. Sermonem autem Lucæ iſtum conſtat præciſum eſſe, unde illud, εἰς μαρτύριον, *in teſtimonium conſtantia veſtra* nonnulli expoſuerunt: malim ego exponere, *in teſtimonium veritatis*, id eſt, Euangelii: quo fere ſenſu Apoſtolus Philip. 1. 12. τὰ κατ' ἐμὲ (id eſt, ærumnæ, perſecutiones meæ) μᾶλλον εἰς προκοπὴν τῶ εὐαγγελίου ἐλήλυθεν· vel (quod adhuc probabilius putem) in teſtimonium contumaciæ eorum omnium qui fidem non amplexuri fuerint: αὐτοῖς (ut Philipp. 1. 28.) εἰς ἔνδειξιν ἀπωλείας, ὑμῖν δὲ σωτηρίας. Senſum non diſſimilem vide Act. 13. 46. Ignatius ad Philadelphenos, Καὶ τῶν ἐν οἷς ἐλάλησα, ἔυχομαι ἵνα μὴ εἰς μαρτυρίαν αὐτὸ κτήσωνται. Ἀποβήσεται, cedent, &c. Heſychius, (& fortaſſe ex hoc Lucæ loco) Ἀποβήσεται, γενήσεται· ſic enim ſcribendum putem, non, ut vulgo, γίνεται.

Com. 14. Θέσθε ὖν εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν] Dionyſius in Periegeſi,

- - - Ὁ δέ σοι λόγος ἐν φρεσὶν ἔςω.

Heſychius, Σῆσιν ἔχε φρεσὶν, &c. μετὰ ψυχῆς ἔχε, καὶ διαμνημόνευε. In Græco Aggæi 2. 15. Θέσθε εἰς τὴν καρδίαν ὑμῶν· & 2. 2. Malachiæ, Ἐὰν μὴ θῆσθε εἰς τὴν καρδίαν ὑμῶν. Judithæ 11. 10. Κατάθου αὐτὸν (λόγον) ἐν τῇ καρδίᾳ σου· quod Deut. 11. 18. ἐν τῇ καρδίᾳ ἐμβάλλειν. Ammianus lib. 20. *Id tamen retineto imo corde.* Catullus,

- - - *Facito ut memori tibi condita corde*
Hæc vigeant mandata. - - -

Apulejus 11. *Memineris, & penitus mente conditum tenebis.* Cicero Catil. 1. *Percipite diligenter quæ dicam, & ea penitus animis veſtris mentibuſque mandate. Abſcondere in pectore penitiſſimo*, Plautus eo ſenſu dixit: Seneca, *in ima præcordia demittere: Saluſtius, in pectus demittere*, in Jugurthino.

Ibid. Μὴ προμελετᾶν ἀπολογεῖσθαι] Id eſt, μὴ προμελετᾶν τὰ εἰς ἀπολογίαν, non præmeditari ea quæ ad defenſionem ſpectant. In Plauti Amphitryone ille,

Sed quomodo, & quibus verbis me deceat fabularier,
Prius ipſe mecum etiam volo hic meditarier:

Id eſt, προμελετῶ· & propius adhuc Apulejus lib. 5. *Principium futuræ ſecum meditabatur defenſionis.* In vetere Onomaſtico, *Præmeditor*, προμελετῶ. Προμελετᾶν dixit & Juſtinus Martyr in Epiſtola ad Zenam & Serenam.

Com. 15. Ἐγὼ γὰρ δώσω ὑμῖν ςόμα, &c.] i.e. Ora veritati intrepide propugnatura. Δώσω ὑμῖν (ut Act. 4. 29.) μετὰ παῤῥησίας πάσης λαλεῖν τὸν λόγον μου. Deus ad Ezechielem 29. 21. Σοὶ δώσω ςόμα ἀνεῳγμένον ἐν μέσῳ αὐτῶν· & ad Moſem Exod. 4. 12. Ἐγὼ ἀνοίξω τὸ ςόμα σου, καὶ συμβιβάσω σε ὃ μέλλεις λαλῆσαι. Idem per Angelum ſuum ad Balaamum, apud Philonem, Ἐμοῦ τὰ λεκτέα ὑποχεόντος, ἄνευ τῆς σῆς διανοίας (q. d. σὺ μὴ προμελετῶντος) καὶ τὰ Φωνῆς ὄργανα τρέποντος ἢ δίκαιον καὶ συμφέρον, ὑπισχνοῦμαι γὰρ ἐγὼ τὸν λόγον, &c. Plinius captioſe interrogatus à Regulo quodam 1 Epiſt. 5. *Non poſſum dicere tum mihi aliud quam deos aſſuiſſe*, q. d. τ. θεὸς μοι ςόμα καὶ σοφίαν δεδωκέναι. Vide 2 Tim. 4. 16, 17. & quæ ad Matth. 10. 19. annotata. Δώσω hic intellige (ut ſupra 12. 12.) ἐν αὐτῇ τῇ

τῇ ὥρᾳ. Apte autem, urgentibus ejuſmodi periculis, pollicetur iis Chriſtus ſe στόμα καὶ σοφίαν daturum, cum capitis cauſam agentibus, etſi innocentibus, perſæpe & lingua hæreat metu, & formido ſapientiam expectoret. Euripides apud Stobæum,

Ὁ φόβος, ὅταν τις πάσματος μέλλει πέρι
Λέγειν, καταιχὴς εἰς ἀγῶν' ἐναντίον,
Τότε στόμ' εἰς ἔκπληξιν ἀνθρώπων ἄγει,
Τὸν νοῦν τ' ἀπείργει μὴ λέγειν ἃ βούλεται.

Ibid. ἧ οὐ δυνήσονται, &c. ἀντιςῆναι πάντες οἱ ἀντικείμενοι ὑμῖν) Hinc Act. 6. 10. de Stephano, Οὐκ ἴσχυεν (accuſatores ejus) ἀντιςῆναι τῇ σοφίᾳ ᾗ ἐλάλει· ad quem locum annotata vide. Judith. 8. 28. Οὐκ ἔςιν ὃς ἀντιςήσεται τοῖς λόγοις σου· id eſt, ὃς δύναται ἀντιςῆναι τῇ σοφίᾳ σου.

Com. 16. Παραδοθήσεσθε δὲ καὶ ὑπὸ γονέων, καὶ ἀδελφῶν, καὶ φίλων]

Non erit infido vel hoſtes ab hoſpite tutus,
Aut pater à gnato, fratrum quoque gratia nulla.

In Excerptis Dionis Caſſii de Sylla tyrannide, Πλείους δὲ καὶ ὑπὸ τῶν συνόντων καὶ φιλτάτων σοφίσι προσδόθησαν, καὶ ἀπώλοντο. In Excerptis Polybianis, ubi de ſtatu Peloponneſi turbato, Καὶ οἱ μὲν ἧγον ἐκδώσοντες ἀλλήλους τοῖς τολμίοις ὡς ἀλλοτρίους γεγονότας Ρωμαίων, οἱ δὲ ἐμίνυον καὶ κατηγόρων τῶν πέλας, ἀδεινὸς ἐπιζητοῦντος τὴν τοιαύτην χρείαν.

Com. 17. Καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων] Τὸ πάντων μισεῖσθαι, dixit & Ariſtoteles in Problematibus. Recentior Interpres, *& eritis exoſi omnibus*. Vulgatus, *eritis odio omnibus*, ſecutus Ciceronem ipſum, qui in Epiſtolis famil. de Lepido dixit, *magno odio civitati eſt*, & in pro Muræna, *Is nemini odio fuit.*

Com. 18. Καὶ θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται] Καὶ heic, ut & alibi, pro ἀλλὰ ponitur: q. d. Deum in eorum cauſa vindicanda ſecuturum τὸ ἀκριβοδίκαιον, neque vel pilum in eorum capitibus eſſe, de quo rationem cum improbis & fidei hoſtibus non ſubducturus ſit: hanc enim vim putem eſſe verborum, οὐ μὴ ἀπόληται. Et hoc eſt quod Matth. 10. 31. dicitur, omnes eorum pilos à Deo numerari. Simile Pſ. 33. 21. *Unum ex oſſibus eorum non conteretur.* Θρὶξ proverbialiter efferri ſolet περὶ ἐυτελῶς καὶ τυχόντος. Vide in ἄξιος τριχὸς Suidam: item Act. 27. 24. Cicero ad Atticum 5. 20. *E Cappadocia ne pilum quidem*, ſubaudi, *abſtuli.* In Gloſſario, Θρὶξ κεφαλῆς, *capillus capitis.*

Com. 19. Ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν] Quod Hebr. 12. 1. δι' ὑπομονῆς τρέχειν· Rom. 2. 7. καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ, &c. ἀφθαρσίαν ζητεῖν· Rom. 12. 12. τῇ θλίψει ὑπομένειν· ſupra hic 8. 15. ἐν ὑπομονῇ καρποφορεῖν· 2 Timoth. 2. 2. ὡς καλοὶ στρατιῶται κακοπαθεῖν. Vide & Apocal. 13. 10. Hebr. 6. 11, 12. Jacob. 5. 10. Seneca 91. Epiſt. *Formetur animus ad intellectum patientiamque fortis ſuæ.* Simile ἐν πτώσει τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ δοξάζειν, Sirachidis 10. 31.

Com. 21. Φευγέτωσαν εἰς τὰ ὄρη] Ut communem cladem evadere poſſint. Ad montes, urgentibus, vel etiam imminentibus hoſtibus, haud rarenter confugiunt homines. Vide Gen. 19. 17. Jerem. 4. 29. 1 Macc. 2. 28. & 4. 5. & 9. 15. Florus lib. 4. cap. 10. *Docuit jam affuturum cum omnibus copiis Regem: irent retro, peterentque montes.* Æneas de Anchiſe ſuo,

- - - Quem tollere in altos
Optabam montes: - - -

& poſt,

- - - Sublato montem genitore petivi.

De ſtella facem ducente ibidem Servius, *Hujus curſus ſignificat Trojanos conglobatos ad domum Æneæ, Idam* (montem) *petere.* Ammianus lib. 19. *Cum omne jam eſſet in celeritate ſalutis præſidium*, &c. *montes petimus celſiores.* Idem lib. 27. *Omnes formidine pereitis militis*, &c. *appropinquantis montes petivere. Serrorum ardnos*: & eodem libro, *Cujus* (Saporis) *adventu territus Para, itidemque Cylaces*, &c. *celſiorum montium petivere receſſus.*

Ibid. Καὶ οἱ ἐν μέσῳ αὐτῆς, &c. μὴ εἰσερχέσθωσαν εἰς αὐτὴν] Ne ibi exitium inveniant ubi ſalutem ſperaverunt. Vide ſupra ad 17. 33. dicta. Ἐν μέσῳ αὐτῆς, pro ἐν αὐτῇ. Vide quæ ad Matth. 14. 24. notata.

Com. 23. Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις] *Propter eorum interitus*, ut hic bene Euthymius. Ammianus lib. 31. *Tunc ſpectare erat*, &c. *fœtibus gravidas adhuc immaturis anteiquam prodirent in lucem impia tolerantes multa.* Inter impia illa numeratur & vel maxime impium illud, mulieres fœtas diſcindere. Vide Oſeæ 14. 1. & 4 Reg. 8. 12. Tacitus Annal. 12. de Zenobia Rhadamiſti conjuge, *Gravida, primam utcunque fugam*, &c. *toleravit: poſt, feſtinatione continua ubi quati uterus, & viſcera vibrantur, orare ut morte honeſta captivitatis contumeliis eximeretur.*

Ibid. Καὶ ταῖς θηλαζούσαις] Ammianus jam dicto loco, *Cadibus*, &c. *cuncta flagrabant, abſtractiſque ab ipſo uberum ſuctu parvulis, & necatis, rapta ſunt matres.* Vide Pſ. 136. 9. Solent alioqui parvuli etiam magna fugæ impedimenta eſſe. Virgilius de Metabo fugiente,

- - - Innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet. - - -

Suetonius de Tiberio, *Parentes apud Neapolim ſub irruptionem hoſtis navigium clam petentes, vagitu ſuo pene bis prodidit; ſemel cum à nutricis ubere, item cum à ſinu matris raptim auferretur ab iis qui mulierculas levare onere tentabant.*

Ibid. Θηλαζούσαις] Pollux 2. 4. §. 33. Θηλάζειν καλεῖται τὸ μαζὸν ἐπισχεῖν. Ambroſius hic *quæ ubera dant*: ut apud Poetam,

- - - - Et quæ dedit ubera nutrix.

D. Auguſtinus, *mammantibus*: ita in Gloſſario, *Mamma*, θήλη. Alii *lactantibus*: ſic in alio Gloſſario, Θηλάζω, *lacto*, &c.

Ibid. Ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις] Sic Apocal. 9. 6. & ἐκείνη ἡμέρα, infra hic com. 34. & ſupra 17. 31. locutio eſt tempora ſummæ ærumnoſa denotans. Terent. 3. 3. Adelph. *Videre videor jam diem illum*, &c. ubi Donatus, *ILLUM dixit, quaſi quendam triſtem ac funeſtum.*

Ibid. Καὶ ἀνάγκη μεγάλη] Quam magna fuerit, videmus ex Joſepho. Euthymius ad Matth. 12. de hoc tempore, *Quæ ſub Veſpaſiano & Tito paſſi ſunt, longe miſerabiliora fuere his quæ ab Ægyptiis ac Babyloniis ac Antiocho ſuſtinuere.* Ἀνάγκη μεγάλη hic eſtque Matth. 24. 21. hoc eodem argumento, μεγάλη θλῖψις· unde & *preſſuram* hoc loco vertit vetus Interpres. Hoc ſenſu occurrit & 2 Cor. 6. 4. & 12. 10. & in his Euripidis,

Τὰς ἐν θεῶν ἀνάγκας θνητὸν δεῖ φέρειν.

Non male ille qui hoc Lucæ loco (ſecutus Græcam vocem) *neceſſitatem* vertit, quomodo & Sapient. 18. 21. συμφορὰν (ejuſdem poteſtatis vocem) vertit & Vulgatus interpres. Quintilianus Declam. 12. de fame loquens, *Duriſſima neceſſitatum, malorum deformiſſima.* Vegetius 3. 9. *Qui* (milites) *magis exercitati: qui ſint in neceſſitatibus fortiores:* Spartianus de Juliano Imperatore, *Primam noctem vigiliis continuavit, de tanta neceſſitate ſollicitus.* Arnobius lib. 1. *Sed fuerunt* (inquitis) *aliquando nonnulla in neceſſitatibus tempora*: & ibidem, de anguſtia rei frumentariæ, *Antiqua tempora neceſſitatis iſtius fuere expertia.* Eodem ſenſu ponit & Tacitus Annal. 13, & 15.

Com. 24. Πεσοῦνται στόματι μαχαίρας] Sic πίπτειν μαχαίρᾳ, in Græco Eſaiæ 3. 25. & 10. 34. item 1 Maccab. 7. 38. Et πίπτειν ἐν στόματι μαχαίρας, Sirach. 28. 18. Ad rem D. Auguſtinus in Pſalm. 62. illud, TRADENTUR IN MANUS GLADII, *Revera illis* (Judæos intelligit,) *hoc viſibiliter contigit.* Μαχαίρας στόμα heic, ut in Græco Geneſ. 34. 26. & 2 Reg. 15. 14. nec non apud Homerum Iliad. κ'. & alios, πολέμου στόμα· quod, πόλεμον τὸ ἀναλωτικὸν καὶ φθαρτικὸν Heſychius exponit. Et illi quidem de aperto Marte, id eſt, acierum certaminibus; Lucas autem de ea cæde quæ in urbibus vi captis perſæpe exercetur: quod *faire main baſſe* Franco-Celtæ vocant.

Ibid. Αἰχμαλωτισθήσονται εἰς πάντα τὰ ἔθνη] Elleipſis, qualis in Act. 7. 9. illis, ἀπέδοντο (αὐτὸν) εἰς Αἴγυπτον· & Joh. 16. 32. σκορπισθῆτε εἰς τὰ ἴδια.

Ibid. Ἰερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν] 2 Maccab. 8. 45. Ἰερουσαλὴμ ἦν ἀοίκητος, ὡς ἔρημος, &c. καὶ τὸ ἁγίασμα κατεπατεῖτο, καὶ οἱ υἱοὶ ἀλλογενῶν ἐν τῇ ἄκρᾳ κατάλυμα ἦν τοῖς ἔθνεσιν. Eſaiæ 5. 5. de Eadem, Καθελῶ τὸν τοῖχον αὐτῆς (ἀμπελῶνός μου) καὶ ἔσται εἰς κατατάτημα. Adde Micheæ 7. 10. Apocal. 11. 2.

Com. 25. Συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ] Συνοχὴ, *anguſtia:* intellige autem (ut 2 Cor. 2. 4.) συνοχὴν καρδίας. In Græco Eſaiæ 65. 14. argumento non diſſono, καρδίας πόνος. Ἀπορίᾳ συνέχεσθαι, dixit & Orat. 13. Themiſtius. Sic & φροντίδι συνέχεσθαι lib. 1. Heliodorus; &, *adventantium calamitatum formidine complicari*, (id eſt, συνέχεσθαι) lib. 18. Ammianus

Marcellinus. Vulgatus *συνοχὴν preſſuram* vertit. Ita in vetere Onomaſtico, *Preſſura, συνοχή.* Ἔθνη hic ſunt, quas τὰς τῆς γῆς (Παλαιστίνης) nempe Φυλὰς, hoc in argumento Matthæus vocat. Ἀπορία hic eſt conſilii inopia ea, illa mentis fluctuatio quæ magnis malis impendentibus ſupervenire ſolet: unde fortaſſe & Heſychius, Ἀπορία, ἀγνωσία. Plinius lib. 6. Epiſt. 20. ubi de Veſuvio flagrante, & partium ad jacentium concuſſionibus; *In commune conſultant intra tecta ſubſiſtant, an in aperto vagentur: nam crebris vaſtiſque tremoribus tecta nutabant, &c. ſub dio rurſus, &c. pumicum caſus metuebatur.* Ariſtides enarrans terræmotum quo everſa eſt Rhodus, Καὶ οἱ μὲν τὰς ἑαυτῶν φεύγοντες οἰκίας, ἐν ταῖς ἑτέρων ἀπώλλυντο· οἱ δὲ ἐν ταῖς ἑαυτῶν ὑπ' ἐκπλήξεως μένοντες· & mox, οἱ μὲν προσεδόκων, οἱ δὲ τοὺς οἰκείους ἐζήτουν, οἱ δ' οὐκ εἶχον πότερ' αὐτοὺς ἢ τὰς ἑαυτῶν σώσωσιν. Dio Caſſius l. 68. argumento ſimili, Ἐν ἀπόρῳ καὶ ἀμηχάνῳ ἦσαν οἱ ἄνθρωποι. Confer & 5. 30. Eſaiæ, ubi in Græco ἀπορία. Tacitus Annal. 15. ubi de Urbe flagrante. *Quid vitarent, quid peterent, ambigui: complere vias, ſterni per agros*, &c. Petronius, ubi de belli rumore,

- - - Pulſata tumultu
Pectora, per dubias ſcinduntur territa cauſas.
Huic fuga per terras, illi magis unda probatur.

Ex his locis, qui bene iis attenderit, quid ſit συνοχὴ ἐν ἀπορίᾳ, ſat bene intelliget.

Ibid. Ἠχέσης θαλάσσης καὶ σάλου] Iliad. α'.

- - - θάλασσά τε ἠχήεσσα.

Scholiaſtes,

Ἠχητικὴ ἀπὸ τῆς τῶν κυμάτων κινήσεως.

Ariſtides in prædictæ cladis narratione, Κατεῖχε δὲ νέφους εἶδος θαλάσσης. Poſt σάλου videtur mihi aut ſupplendum ὄντος, aut accipienda hæc ſecundum σχέσιν ἓν διὰ δυοῖν dictam, q. d. ἠχούντος σάλου θαλάσσης. Pſalmiſta 64. 8. de mari, Ἤχους κυμάτων αὐτῆς τὸς ὑποσήσεται; Ubi & ſequitur, ταραχθήσονται τὰ ἔθνη, quomodo heic præceſſit, συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ.

Com. 26. Ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ Φόβου, &c.] Ἀποψύχειν exponere poſſumus *mori.* Heſychius, Ἐκπέψυχε, τέθνηκεν. Dio Caſſius, lib. 43. de Catone, Τὰς βλάβας αὐτῷ (vulneris ſui) διαῤῥήξας, ἀπέψυχε. Et ſane inter tot formidanda prodigia iſta haud id mirandum. Vopiſcus in vita Cari, *Negari non poteſt eo tempore*, &c. *tantum ſubito fuiſſe tonitruum, ut multi terrore ipſo examinati eſſe dicantur.* Trebellius in Galieno, *Quo motu* (terræ) *multæ fabricæ devoratæ ſunt cum habitatoribus; multi terrore mortui.* Plinius lib. 7. Epiſt. 27. *Creſcente formidine mors ſequebatur.* Poſſumus & ἀποψύχειν pro eo accipere quod Matth. 28. 4. ἀπὸ Φόβου, &c. ὡς νεκροὶ γένεσθαι· & 17. 19. Sapient. *pra timore deficere:* vide & Joſuæ 5. 1. Eſaiæ 13. 7. Ezech. 32. 10. Seneca Natur. quæſt. 6. 29. & de terræ motibus agens, *Ubi cadunt urbes, populi opprimuntur*, &c. *quid mirum eſt animos inter dolorem & metum deſtitutos aberraſſe?* At verum puto locutionem Lucæ hyperbolicam eſſe, ad magnitudinem atque exceſſum pavoris ſignificandum. Sic Iliad. χ'. Homerus,

- - - Αὐτὰρ δὲ ψυχὴν ἐκέκευσεν.

ubi optima Scholia in biblioth. Medic. ὑπερβολικῶς, ἀντὶ τοῦ, ἐξέπνευσεν. Arrianus 3. 26. in Epictetum, Τιμᾷς οἱ τὸν Κύριον τὸν μέγαν ἔχοντες, &c. κ' ἄν τινα ὑμῶν ἴδῃ μόνον συνεσταλμένῳ βλέμματι, ἀποψυχόμενον. Seneca Natur. quæſt. 2. 59. *Paveſcis ad cœli fragorem*, &c. *& quoties aliquid effulſit, exſpiras*, id eſt, ἀποψύχεις. In Gloſſis ἀποψύχειν eſt *derigere:* à quo ſenſu non abit Tertullianus, qui in libro de Reſurrectione carnis hæc Lucæ citans, *refrigeraſcentium* vertit, τῇ ψύχῃ non τῆς ψυχῆς etymon (ut videtur) ſecutus. Ita 3. Apulejus, metu ac ſtupore permixtus, *Fixus in lapidem, ſteti gelidus:* i. e. derigui. Certe timorem algificum eſſe, ex Ariſtotele, Gellio, aliis, res pervulgata eſt. Vulgatus, *areſcentibus pra timore.* Sic, Ξηρὸν ὑπαὶ δείους, ſi memini, etiam Theocritus dixit.

Ibid. Ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ Φόβου, καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων, &c.] Simillima hæc Plutarchi in Antonii vita, Τῆς πόλεως ἐν κατηφείᾳ διὰ τὸν Φόβον καὶ προσδοκίαν τοῦ μέλλοντος ἅπας· ubi & nota Φόβον καὶ προσδοκίαν, &c. junctæ. Apulejus 9. *Adhuc illis exſpectatione teterrima formidinis torpidis*, &c. id eſt, exſpectatione & formidine torpidis: προσδοκίᾳ καὶ Φόβῳ· ubi & *exſpectatio* (ut apud Lucam προσδοκία) malorum venturorum faciem formidabiliorem reddit. Donatus in 3. 4. Hecyræ, *Dura eſt exſpectatio mali.* Servius ad Æn. 6. ea, *Incluſi exſpectant pœnam*, - - - *Quod gravius eſt, nam in exſpectatione & præſens metus eſt, & dolor futurus: in ipſa autem pœna ſolus dolor.* Plinius lib. 8. epiſt. 18. *Parvulum differt, patiaris adverſa, an exſpectes: niſi quod tamen eſt dolendi modus, non eſt timendi.* Huc ſpectat & Φοβερὰ ἐκδοχὴ, quæ Hebr. 10. 27. occurrit.

Com. 29. Ἴδετε τὴν συκῆν, καὶ πάντα τὰ δένδρα] Idem ac ſi dixiſſet, ἴδετε πάντα τὰ δένδρα· at ficus ſpeciatim mentio vel quia nullum regionibus illis frequentius illo arborum genere, aut quia multis aliis arborum generibus nobilius eſt & præſtantius. Vide Scholiaſten ad Equites Ariſtophanis. In Avibus Comici ejuſdem,

Οἱ μὲν ἓν τέττιγες ἕνα μῦν' ἢ δύο
Ἐτὶ τῶν πρώην ᾄδουσιν. - - -

Ad quæ idem Scholiaſtes, Κρεῖττόν ἡ συκῆ· ἀπὸ ἑνὸς δὲ τὰ ἄλλα πάντα δένδρα ἐμφαίνει. Ita Seneca Natur. quæſt. 3. 27. *Vitis, atque omne virgultum:* & Marc. 7. 3. Οἱ Φαρισαῖοι, καὶ πάντες οἱ Ἰουδαῖοι. Virgil. Eclog. 2.

Tum caſia, atque aliis intexens ſuavibus herbis, &c.

Ubi Servius, *Hæc ſic dicta, ut apud Saluſtium, Leonem atque alias feras.* Idem 1 Georgic.

- - - Qua cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori. - - -

Ad quæ Servius, *Qui cultus habendo ſit pecori, i. e. quæ cura boum: aut certe κατ' ἐξοχὴν ait boves: & poſtea inſulit cætera pecora, ut majus animal ſeparet à minoribus.* Vulgatus heic, *videtis ficulneam*, κατ' ἔλλειψιν. Apulejus plene 8. *arborem ficulneam* dixit.

Com. 30. Ὅταν προβάλωσιν, &c. ἀφ' ἑαυτῶν γινώσκετε ὅτι ἐγγὺς ἤδη τὸ θέρος ἐστί] Ὅταν προβάλωσι, folia nempe, vel gemmas: ut ex Marco & Matthæo patet. Vulgatus *cum producunt fructum:* ubi ſi ultima vox (quod cum Zegero, ſani judicii Expoſitore, valde ſuſpicor) non irreptitia eſt, videri poteſt reſpexiſſe ingenium ficus, quæ heic primo loco nominatur, nec gemmas, ut cæteræ arbores, ſed fructum profert. Sic καρπὸν προβάλλειν, & de ficu loquens, Arrianus 1. 15. in Epictetum dixit. Eraſmus, *cum dirumperint.* Ita 10 Apulejus, *Et dirupto ſpineo tegmine promicarent roſa. Ἐγγὺς ἐστι*, non heic reſtricte ſumo, ſed pro *venit*, id eſt, ἐ μακρὰν ἐστί· plane ut in Virgilii iſtis,

- - - Jam venit æſtas
Torrida, jam lato turgent in palmite gemmæ.

Pro ἀφ' ἑαυτῶν, Syrus ἀπ' αὐτῶν, nempe *arboribus*, legebat: eſt rectior lectio communis, ἀφ' ἑαυτῶν· id eſt, *cognoſcitis à vobis ipſis*, nemine prænonente vos. Ita Plautus Rudent. de urna,

- - - Literata 'ſt, ab ſe cantat cuja ſit.

Sic ſupra heic 12. 57. ἀφ' ἑαυτῶν κρίνετε· Joh. 15. 4. ἀφ' ἑαυτῆ καρπὸν φέρειν· Joh. 18. 34. ἀφ' ἑαυτῆ λέγειν· 2 Cor. 3. 5. & 10. 7. ἀφ' ἑαυτῆ λογίζεσθαι.

Com. 32. Οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη] Id eſt, ἐ παραλεύσεται, ut ſupra com. 18. ἐ μὴ ἀπώλητα, pro, ἐκ ἀπολλυθήσεται. Ἡ γενεὰ hic eſt quæ *unius ævi turba* Senecæ in Hippolyto: vide ad Matth. 24. 34 dicta.

Com. 33. Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου, &c.] Præterire poterunt cœlum & terra facilius quam, &c. quod prædico vobis. Παρέρχεσθαι hic, ut & in re ſimili 2 Petr. 2. 10. παρέρχεσθαι καὶ λύεσθαι.

Com. 34. Μήποτε βαρυνθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ] Id eſt, ἐς κραιπάλῃ καὶ μέθῃ. Seneca lib. Cur. bon. viris, &c. cap. 4. *Fugite delicias*, &c. *quibus animi permadeſcunt*, &c. *velut perpetua ebrietate ſopiti.* Καρδία hic eſt νοῦς, ut Matth. 6. & 1. & alibi. Heſychius, Καρδία, ὁ λογισμὸς, &c. Seneca 88 Epiſt. *Quorum corpora in ſagina, animus in matre & veterno.* Κραιπάλη non eſt hoc loco quod magiſtri Græci χθεσινὴν μέθην vocant, ſed πλησμονὴ, ἀδδηφαγία. Clarum id ex adjuncta μέθῃ. Sic, *crapula & vinolentia madidos*, lib. 7. Apulejus dixit. Κραιπάλῃ autem καὶ μέθῃ βαρύνεσθαι heic, ut apud Plutarchum Sympoſ. 3. 6. μεθύων, ἢ ὑπὸ πλησμονῆς βεβαρημένος· & Tacitum Hiſtoriarum 1. de Vitellio loquentem, *Temulentus, & ſagina gravis:* Senecam item de Cambyſe agentem 3. 14. de Ira, *Jam gravis*, (id eſt, ſagina gravis) *& temulentus.* Livius lib. 25. de Syracuſanis, *Dum*, &c. *aut ſopiti vino erant, aut ſemigraves potabant.* Metaphora videtur ducta à navibus onere prægravatis. Tales enim ut ſæpe ſidunt, ita mentes cibi vinique ſarcina oppreſſæ quodam-

by Google

dammodo ſubmerguntur, quod hoc loco βαρύνεσθαι. P. Chryſologus Serm. 41. *Ut navem fluctus, corpus ebrietas ſic demergit, hominem dat in profundum: lucra vita auferi, mortem facit ſubire naufragium.* Philo in περὶ μέθης, Ταῖς ψυχαῖς, ποτημὼ χαμαίῤῥα τρόπον, ἀμετρίᾳ τρυφῶν ἐπιπλέοντες, εἰς βύθον ἀνιγμάζουσι δύεσθαι. Idem in περὶ ἐνυπνίων, Τρυφὰς ἀμέτρας, &c. εἰσφορήντες, καὶ πολὺν ἄπρατον ἄρδοντες, ἕως ἂ βυθὸς ὁ λογισμὸς οἴχηται. Clemens Alexandrinus Pædagog. 2. 5. Διὰ ἣν (παρανίαν) κατακοντίζεται ὁ λογισμὸς ἐν τῇ ψυχῇ καρηβαρήσας τῇ μέθῃ. Sic λογισμὸν βαπτίζειν, Achilles Tatius: &c, ψυχὰς οἴνῳ βεβαπτισμένας, D. Baſilius Homil. in Ebriet. *ingenium poculis ingurgitare*, 15. 2. A. Gellius; *voluptatibus indolem demergere*, Seneca cap. 18. de V. brevitate: &c, *animum vino mergere*, Apulejus in Floridorum fragmentis. Nec aliter expoſuerim Plutarchum, qui τὴν διάνοιαν (quæ apud Lucam heic καρδία) τῇ μέθῃ παραπλήττειν, in vita Demetrii dixit: metaphoram ducens à fluctibus qui *obruere & operire* dicuntur. Vide Pſ. 69. 2, & 15. Jonæ 2. 6.

Ibid. Καὶ μεριμναις βιωτικαῖς] Repete ex præcedentibus βαρυνθῶσιν. Simile 1 Timoth. 6. 9. ὑπὸ ἐπιθυμιῶν ἀνοήτων καὶ βλαβερῶν βυθίζεσθαι· & ſupra heic 8. 14. ὑπὸ τῶν μεριμνῶν τοῦ βίου συμπνίγεσθαι. Sedulius ad 1 Theſſal. 5. ea, ET SOBRII SIMUS, *Ne cura hujus vitæ inebriet mentem noſtram.* Lactantius 7. 1. *Hebetatur acies eorum terrenis cupiditatibus, quæ ſenſus omnes degravant*, (βαρύνουσιν) *imbecilloſque reddunt.*

Ibid. Καὶ αἰφνίδιος ἐφ' ὑμᾶς ἐπιστῇ ἡ ἡμέρα ἐκείνη] Αἰφνίδιος ἐπιστῇ, &c. eſt, ut loquitur de ſenectute ille,

- - - Obrepat non intellecta, - - -

vel, καταλάβοι ὑμᾶς ὡς κλέπτης ἡ ἡμέρα ἐκείνη, ut 1 Theſſ. 5. 4. Apoſtolus locutus.

- - - Ἀπαλοῖσι μετατροχόωσα πόδεσσιν
Ἀκρῃὶς ἐν κεφαλῇσιν ἀνέρος καὶ ἄφαντος.

Ἐν ἅρᾳ ᾗ ἃ δοκεῖτε, heic, ut & ſupra 12. 46. Lucretius,

Et nec opinanti mors ad caput adſtitit. - - -

Seneca de Ira 3. 42. *Stat ſuper caput fatum, & perennis dies imputat.* Idem 108 Epiſt. *Senectus premit, & adhuc adoleſcentiam cogitantibus ſupra caput eſt:* id eſt, ut hic Lucas, αἰφνίδιος ἐφίσηται. Αἰφνίδιος ἐπιστῆναι autem (ut Lucas) dixit & lib. 5. Artemidorus. Simile, αἰφνίδιος αὐτοῖς φόβος ἐπῆλθεν, 17. 15. apud Sapientiæ Scriptorem: & ,θόρυβος ἄφνω ἔπιπτεται in Græco Proverb. 1. 27.

Com. 35. Ὡς παγὶς γὰρ ἐπελεύσεται, &c.] Prov. 7. 23. de incauto juvene, Σπεύδει ὥσπερ ὄρνεον εἰς παγίδα. Eccleſiaſtes 9. 12. Ὡς οἱ ἰχθύες οἱ ὑπρενόμενοι ἐν ἀμφιβλήστρῳ, καὶ εἰς ὄρνεα ἐν παγίδι παγιδεύοντες· οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων εἰς καιρὸν πονηρὸν, ὅταν ἐπιπέσῃ ἐπ' αὐτὸς ἄφνω. Verbis Lucæ, ὅταν ἐπιστῇ ἐπ' αὐτὸς αἰφνίδιος. Euthymius, iſta Lucæ ad Matth. 24. adducens, *Tanquam laqueus ſane propter non apparentiam & impræmeditationem.*

Ibid. Ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ πρόσωπον πάσης γῆς] Sic in Græco Exod. 34. 15. τοῖς ἐγκαθημένοις ἐπὶ τῆς γῆς, & Lev. 18. 25. οἱ ἐπὶ γῆς ἐγκαθήμενοι· id eſt, (ut ex Apoc. 3. 10. præcipue autem Eſaiæ 24. 17. unde hæc verba deſumpta ſunt) οἱ ἐπὶ τῆς γῆς κατοικοῦντες, vel ἐνοικοῦντες. A Luca autem videtur latenter innui in verbo καθημένους quædam ſecuritas & oſcitantia, qualis eorum eſt qui cum gulæ operari volunt, ſolent humi ſe ſternere. Vide Samuelis locum ad Luc. 12. 19. adductum, & quæ ad Jacob. 5. 5. annotavimus. Nec aliter Theophylactus, qui καθημένους heic exponit τοὺς ἐν ἀμεριμνίᾳ καὶ ἀργίᾳ διάγοντας. Ἐπὶ πρόσωπον πάσης γῆς, nempe Judææ; non οἰκουμένης. Sic 2 Reg. 18. 8. ἐγένετο ὁ πόλεμος διεσπαρμένος ἐπὶ πρόσωπον πάσης γῆς· id eſt, illius terræ tractus ubi prælium fiebat.

Com. 36. Ἀγρυπνεῖτε οὖν] Recentiores, *excubate*: melius fortaſſe Vulgatus, *vigilate*: νῆψαι καὶ διανοίᾳ nempe. Ita 2 Apuleji libro, *Vigila, & tecum eſto*: ubi dicta vide, & quæ ad Matth. 25. 13. annotavimus. In Pythagoreorum fragmentis apud Stobæum Serm. 1. Ἀγρυπνος κατὰ νοῦν ἕξει. *Securitatem grave diſcrimen habere* dixit 3. 22. Vegetius.

Ibid. Ἐν παντὶ καιρῷ δεόμενοι, &c.] Recte monitum, illud ἐν παντὶ καιρῷ, non cum voce ἀγρυπνεῖτε jungendum, ut cum verbo δεόμενοι· ſic Rom. 1. 10. πάντοτε, &c. δεόμενος 1 Theſſ. 3. 10. νυκτὸς καὶ ἡμέρας, &c. δεόμενοι. Tale & Epheſ. 5. 18. ἐν παντὶ καιρῷ προσευχόμενοι· & 1 Theſſ. 5. 17. ἀδιαλείπτως προσεύχεσθαι.

Ibid. Ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν ταῦτα πάντα] Ἵνα καταξιωθῆτε, *ut digni habeamini*, vel (ſi loqui cum Antiquis libuerit) *ut dignemini.* Vide ſupra ad 20. 35. Ταῦτα πάντα, quaſi formidabilia. In Cantico trium puerorum com. 4. Ἐν ἀληθείᾳ καὶ κρίσει ἐπήγαγες ταῦτα πάντα· & Judith. 8. 14. Τὸν θεὸν ὃς ἐποίησε ταῦτα πάντα. Sic & 2 Petr. 3. 11. τούτων πάντων habemus: & in vetere Tragœdia apud Ciceronem, *Hæc omnia vidi inflammari*, &c. Simon Magus Act. 8. 24. Ὅπως μηδὲν ἐπ' ἐμὲ ἐπέλθῃ ὧν εἰρήκατε· eorum terribilium quæ prædixiſtis mihi.

Ibid. Καὶ σταθῆναι ἔμπροσθεν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου] Tanquam ante Judicem, id enim hoc loco eſt σταθῆναι ἔμπροσθεν. Sic 2 Cor. 5. 10. ἔμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ Φανερωθῆναι. Matthæus de hoc ipſo Chriſto 27. 11. Ἐστη ἔμπροσθεν τοῦ ἡγεμόνος. Σταθῆναι autem hic in Luca non eſt ſimpliciter *ſtare*, ſed, cum humili fiducia ſtare. Sic Act. 5. 20. idem Lucas, καὶ σταθέντες λαλεῖτε· id eſt, fiducialiter, ſine pavore ac metu. *Stare* autem hic intellige, ἐν ἐκείνῃ ἡμέρᾳ, ſupra com. 34. Hoc Epheſ. 6. 13. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ ἀντιστῆναι· 1 Joh. 4. 17. ἐν τῇ τῆς κρίσεως ἡμέρᾳ παῤῥησίαν ἔχειν· 1 Joh. 2. 28. ὅταν Φανερωθῇ (nempe hic ipſe filius hominis,) παῤῥησίαν ἔχειν, καὶ μὴ ἐπ' αὐτῷ αἰσχύνεσθαι. Vide Apoc. 6. 17. ubi & vox σταθῆναι. Non ergo male ille qui *conſiſtere* vertit. Donatus ad Terentii Adelph. *Conſiſtere, eſt audacter & conſtanter ſtare.* Tertullianus in Apologetico, *Conſtitimus, ut opinor, adverſus omnium criminum intentionem.* Corrigamus hic opportune Lactantium, quem 4. 17. ita loqui faciunt vulgati codices, *Nec tamen cæci homines, &c. intelligere poſſunt aut hanc eſſe veram religionem, cui ad vincendum tanta vis ineſt, aut illam falſam, quæ ſubſiſtere & congredi non poteſt.* Legendum videtur, *quæ conſiſtere & congredi non poteſt.* Sic Gellii 9. 11. *congrediuntur, & conſiſtunt.*

Com. 37. Ηὐλίζετο εἰς τὸ ὄρος] Ut orationi incumberet: vide ſupra 6. 12. Ηὐλίζετο bene Vulgatus, *morabatur.* In Gloſſario, Αὐλίζομαι, &c. *demoror, commoror.*

Com. 38. Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζε πρὸς αὐτὸν εἰς τὸ ἱερὸν] Ita Joh. 8. 2. Matutino quid facere, inſtantiam & ſedulitatem notat; inde factum ut qui frequenter magnoque ſtudio ſectantur quemvis hominem, vel cuivis negotio incumbunt, dicantur ὀρθρίζειν. Ita Pſal. 63. 1. Eſaiæ 26. 9. Oſeæ 6. 1. Sirachidis 32. 18. & 39. 5. πρὸς θεὸν ὀρθρίζειν· ejuſdem Sirachidis 6. 36. ὀρθρίζειν πρὸς συντρόφου· & 4. 13. πρὸς ζωὴν ὀρθρίζειν. Deus 25. 3. apud Jeremiam, Ελάλησα πρὸς ὑμᾶς ὀρθρίζων· ubi Theodoretus, διὰ τὸ ὀρθρίζειν τὸ ἐπιμελὲς δεδήλωκεν. In Gloſſario eſt, *luce vigilare.* Vulgatus hic *manicare* vertit: pro quo Zegerus *manitare* (forma frequentativa) legendum exiſtimabat. Ego communem lectionem ſinceram puto; *manicare* enim lego apud P. Chryſologum Serm. 161. & apud Scholiaſtem Juvenalis Sat. 5.

CAP. XXII.

VALLA.

22. *Tradetur*] Gr. *traditur*, παραδίδοται.

25. *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos*] Dicendum fuit *earum* & *eas*. Decepit autem Interpretem genitivus Græcus, qui eſt omnis generis, αὐτῶν, & *gentium*, quod eſt neutri, ἐθνῶν.

31. *Expetivit vos ut cribraret ſicut triticum*] Non cribrat Satanas triticum, ergo *velut triticum* fuit dicendum.

40. *Orate ne intretis in tentationem*] Videtur Dominus jubere Diſcipulos orare, ut orando non intrent in tentationem, at ille jubebat hoc ipſum orare, ne intrarent in tentationem. Quare ad lucem orationis poterat ſic transferri, *Orate hoc, ne intretis in tentationem*, προσεύχεσθε μὴ εἰσελθεῖν εἰς πειρασμόν· vel, quo ad verbum transferam, *orate non intrare in tentationem.* Secus autem paulo poſt.

46. *Orate ne intretis in tentationem*] Hoc enim non per infinitivum dicitur ſed per imperativum, προσεύχεσθε ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. Quod etiam, ut arbitror, accipiendum in eandem quam dixi ſententiam: neque enim Dominus nunc diverſa præcipiebat. Nec erat dicendum, ne Apoſtoli omiſſa oratione dormientes inciderent in tentationem; ſed ne per ſocordiam, quia dormiebant, non impetrarent, ne paulo poſt ad adventum Judæorum, & Paſtore ſuo capto, ipſi intrarent in Diaboli tentationes, præſertim Petrus, quem cum duobus filiis Zebedæi Dominus ad locum orationis ſevocaverat, & quem tentatio abnegandi Domini manebat. Idem dico de hoc loco apud alios Euangeliſtas.

59. *Et*

59. *Et intervallo facto quaſi horæ unius*] Jam finem facio notandi quoties pro *fere* ponit Interpres *quaſi*, ὡσεί.

67,68. *Si vobis dixero, non creditis mihi. Si autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi, aut dimittetis*] Gr. *Non crediderit is, & non reſponderitis mihi, aut dimiſeritis*, πιςεύσητε, ἀποκριθῆτέ μοι, ἢ ἀπολύσητε.

REVIUS in VALLAM.

22. T*Radetur*] Hic verſus poſtpoſitus erat verſui 25.

46. *Nec erat dicendum*] Forte, *timendum.*

68. Πιςεύσητε] Vide Matth. 13. 14.

ERASMUS.

3. D*E duodecim*] *Ονται ἐκ τῦ ἀριθμῦ τῶν δώδεκα qui erat de numero Duodecim.*

4. *Et magiſtratibus*] *Et ductoribus*, ſive *ducibus*, *exercitus.* Eſt enim στρατηγοῖς, quos alias, ni fallor, ſentit *præfectos tuendo Templo*: nec alios hic arbitror intelligendos. Theophylactus præter hanc opinionem & alias commemorat.

6. *Sine turbis*] Ατερ ὄχλυ *ſine turba*, h. e. ſine tumultu. Nam utrumque ſignificat ὄχλος, ut Latinis *turba*, & *multitudinem* & *tumultum.*

7. *Occidi Paſcha*] Θύεσθαι *immolari.*

10. *Homo quidam*] *Quidam* non additur apud Græcos, ſed Latinus interpres de ſuo addidit, quo ſermo eſſet mollior. ¶ *Ampharam*] Κεράμιον, quod ſignificat *vas fictile.* Hoc idcirco admonui quod mihi videatur ad myſterium facere, ſi quis excutiat quid ſibi velit *hydria fictilis quæ rumpitur* apud Eccleſiaſten *recurrente vitta aurea.* Eadem vox eſt quam alibi vertit *lagenam.*

16. *Ex hoc*] Ἐξ αὐτῦ *ex eo*, nempe *Paſcha*: ne quis ad tempus referat.

17. *Accipite, & dividite*] Λάβετε τῦτο *Accipite hunc.* Annotatum eſt hoc à veteribus, apud Lucam bis fieri Calicis mentionem. Prius enim *accepit calicem, & gratias actis ac benedictione facta dixit, Accipite, & dividite inter vos*: mox conſecrato pane ſequitur, *Similiter & calicem poſtquam cœnavit, dicens.*

19. *In meam commemorationem*] Εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν· quod expreſſius extuliſſet *ad renovandam mei memoriam.*

20. *In ſanguine meo*] *In* poſitum apparet pro *per.* Ut Vetus Teſtamentum confirmatum ac dedicatum eſt populo aſperſo ſanguine pecudis, ita Chriſtus per ſuum ſanguinem dicavit Novum Teſtamentum: quod eleganter explicat is qui ſcripſit epiſtolam ad Hebræos. Nec video cur hic obſtet religio quo minus ſenſum reddamus magis perſpicuum, cum his verbis non conſecrent hodie Sacerdotes. ¶ *Qui pro vobis fundetur*] Τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον *qui pro vobis effunditur.* Cum paulo ſuperius dixerit *datur* tempore præſenti, cur hic vereamur dicere *effunditur*? Et certe *datur* reperitur in exempl. noſtris.

22. *Per quem tradetur*] Παραδίδοται *traditur*; ut ſit præſ. temporis.

25. *Dominantur eorum*] *Eorum* vertendum erat, ſive *eis.* *Gens* enim Græcis neutri generis eſt. Proinde in αὐτῶν oblitus ſui Interpres Græco uſus eſt genere.

26. *Sicut minor*] Ὡς ὁ νεώτερος *ſicut junior*, ſive *minor natu.* Antiquiſſimi cod. habent *junior*, non *minor*: quanquam hoc loco magis contemptum ſignificat quam ætatem. Ut enim honoris cauſa *presbyteros* vocabant, h. e. *ſeniores*, ita contemptos *juniores.* Quod genus eſt illud in Pſalmis, *Adoleſcentulus ſum ego & contemptus.* Nam Hebræis נער ſonat *juvenem* & *nullius auctoritatis.* ¶ *Et qui præceſſor eſt*] Ὁ ἡγούμενος *dux*, ſive *rector.* Nam hoc quoque ſignificat Græca vox, ac magis convenit cum eo quod ſequitur. Pugnant enim *præſidem eſſe* & *miniſtrum eſſe.*

31. *Ait autem Dominus Simoni*] Exemplaria Græcanica ſic habent, εἶπε δὲ ὁ Κύριος, Σίμων, Σίμων, ἰδοὺ, *Dixit autem Dominus, Simon, Simon, ecce*, &c. Porro conduplicatio ſervit affectui. Atque ita citat D. Hieronymus in Dialog. adv. Pelagium: nec aliter refert Beda in Commentariis ſuis: ne quis caſu factum eſſe putet. ¶ *Expetivit vos*] Ἐξητήσατο, quod magis ſonat *depoposcit.* *Deposcuntur* enim qui ad pœnam petuntur: velut hoc eflagitarit Satanas ut illos comminueret; quemadmodum Job popoſcit Satan, & impetravit, verum præſcriptis legibus. Ambroſius lib. 1. De vocatione omnium gentium c. ult. ſic adducit hunc locum, *Simon, Simon, ecce Satanas poſtulavit ut vos cerneret ſicut triticum.* Siquidem à *cernendo cribrum* videtur eſſe dictum. Græce eſt σινιάσαι.

34. *Non cantabit*] Οὐ φωνήσει *non ſonabit*, ſive *non edet vocem.*

36. *Sed nunc qui habet ſacculum*] Quæſo te, lector Chriſtiane, quis tam eſt ἀγέλαςος qui poſſit à riſu temperare, perpendens quam ridicula recentiores quidam in hunc ſcripſere locum? Rurſum quis eſt tam φιλόγελως qui non indignetur cœleſtem illam doctrinam hujuſmodi vitiari interpretamentis? Lyranus enim ille, ut multis videtur, probatus doctor, huc detorquet verba Chriſti quaſi moneat Apoſtolos, ut ingruente procella perſecutionum muniant ſe duabus rebus, nempe commeatu & armorum præſidio, ne vel deſit quod edant, vel à perſecutoribus opprimantur. Atque eadem multo impudentius inculcat Hugo Carrenſis, ſive quis alius fuit, autorem citans Chryſoſtomum. Sed hujus verba truncatim ac depravate referunt recentiores quidam. Nam Chryſoſtomus de Gladio commentum plane rejicit, utcunque de Sacculo moderatur interpretationem. Hujus verba ſunt in Matth. 26. *Ut facilius crederent quia traderetur, propterea dixit eis, Emite gladios. Non ut percutiant animati, ſed ut prædictionem hanc re ante oculos poneret.* Hæc ille. Quid autem ſibi velit quod ait *prædictionem* explicant illius verba quæ referuntur in Catena Aurea D. Thomæ; *Quid eſt hoc? Qui dixerat*, SI QUIS PERCUSSERIT TE IN DEXTRA GENA, VERTAS EI ET ALIAM, *nunc armat Diſcipulos, ſed ſolo gladio. Nam ſi penitus armare decebat, non ſolum oportebat gladium poſſidere, ſed & ſcuta & galeas. Sed & ſi mille hujuſmodi poſſiderent arma pro tot inſultibus & inſidiis populorum, tyrannorum, urbium, nationum, qualiter undecim comparerent, & ex ſolo agminum aſpectu non contremiſcerent, nutriti in ſtagnis & fluviis? Non ergo putemus eum juſſiſſe ut gladios poſſiderent; ſed per Gladios innuit imminentes inſidias Judæorum. Unde ſequitur*, DICO ENIM VOBIS, QUONIAM ADHUC HOC QUOD SCRIPTUM EST OPORTET IMPLERI IN ME, ET CUM INIQUIS DEPUTATUS EST. Rurſus aliquanto inferius, *Et quidem ſi humano eos volebat uti auxilio, nec centum ſufficerent gladii: quod ſi nolebat eos uti humano præſidio, etiam duo ſupervacanei ſunt.* Referuntur illic verba Baſilii & Theophili (quem pro Theophylacto poſitum arbitror) in eandem ſententiam, demum & Bedæ. Quod ſi conſtat, qui convenit ut ſimplicem ſenſum accipiamus in Pera, in Gladio quæramus figuratam interpretationem quæ ſenſum aperiat cum verbis pugnantem? Etenim ſi Dominus juſſit parari quæ pertinebant ad victum ac defenſionem, an Veſtis non pertinet ad vitæ neceſſaria? & hanc vendi jubet. Proinde quemadmodum his verbis præparavit animos Apoſtolorum ad fortiter perpetiendam ſævitiam perſecutorum, ita *ſæculi tollendi* mentione præparavit illos ad tolerantiam famis & omnium incommodorum quæ ſolent in bellis accidere. Malorum enim prædictio non hortatur ad proviſionem commeatus ac munimentorum, ſed ad tolerantiam malorum, quæ citius proſternunt hominem ſi veniunt improviſa. Quoniam autem Dominus, donec adeſſet mortalis, illis cura vacuis abunde ſuppeditarat, & ab incurſione malorum tutos reddiderat: imbecilles erant, ſub ipſum Dominicæ mortis tempus etiamnum contendentes de primatu, nec ſatis inſtructi adverſus malorum procellas quæ imminebant. Præmonet igitur malorum, non ut ſuis fidant viribus, ſed ut vigilent adverſus ingruentem afflictionum tempeſtatem. Quomodo vigilent? Nimirum quemadmodum ipſe docuit exemplo pariter ac monitis, *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Nec aliud quam à Domino didicerant eos feciſſe legimus poſt acceptum Spiritum Sanctum. Volebat illos ex ipſo pendere, non ut infantes, quemadmodum ante fecerant, ſed ut viros, qui ſuam induſtriam jungunt cum auxilio cœleſti. Hoc ſenſit Chryſoſtomus, hoc Theophylactus, hoc Baſilius: qui hoc quoque admonuit, in multis cod. non haberi ſcriptum *accipiat, tollat*, vel *emat*, ſed *tollet* & *emet*: ut ſermo ſit prædicentis imminentem afflictionem, non exhortantis ad parandum commeatum aut armaturam. Quidem ſic interpretantur, Hunc ſermonem non ad Apoſtolos tantum ſed ad omnes Judæos pertinere, quibus immineret tanta procella belli ut nec de cibo nec de veſtitu ſint futuri ſolliciti, ſed tantum de tuenda vita. Id ſignificari tropo quo jubet, *divendata tunica & pera, emi gladium.* Quorſum igitur pertinent verba Chryſoſtomi, *Pullos è nido educens, jubet propriis uti pennis?* An ad parandas lanceas, galeas, clypeos & bombardas? Quid igitur intereſt inter Carem militem conductitium & virum Apoſtolicum? At mutatis, inquiunt, temporibus licet mutare vitæ rationem.

Tem-

Tempore pacis hæc interdicuntur, tempore belli permittuntur. Quaſi vero unquam bonis defuerit perſecutio. Itane Chriſtus omnium illorum dogmatum ſuorum, De *non reſiſtendo malo*, De *diligendis* ac *juvandis inimicis*, De *bene precando iis qui male precantur nobis*, De *beatis mitibus & perſecutionem perpetientibus propter juſtitiam*, De *præbenda maxilla altera, ſi quis alteram percuſſiſſet*, atque aliis id genus plurimis, jam moriturus palinodiam canit, & ad comparandum commeatum & *παροπλίαν* adornandam excitat ſuos? Oblitus etiam eorum quæ paulo ante dixerat, *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras!* Atqui illic ſane de perſecutione loquitur, nec meminit præſidiorum. Imo cum apud Matthæum univerſam perſecutionum tragœdiam ponit ob oculos, rogo num uſquam ulla mentio defenſionis? Ubi eſt illud quod unum Apoſtolos à ſe jubet diſcere, *quod mitis eſſet & humilis corde?* Ubi vox illa ſevera, *Neſcitis cujus ſpiritus ſitis*, qua Diſcipulos à vindictæ revocat affectu? Ubi vox illa qua negat ſe agnoſcere *diſcipulum qui ſublata cruce ſua non ſequatur ſe?* Num hic Crucem mutat in Gladium? Deinde quid magni docet Chriſtus ſuos ſi hoc præcepit quod ſua ſponte faciunt & piratæ & latrones? Hæccine eſt illa doctrina cœleſtis quam ut nobis impertiret relicto cœlo deſcendit in terras? Præterea autem, ſi id docuit quod iſti volunt, cur ipſe non præſtat quod docet? Quando ipſe paravit ſibi commeatum? quando enſibus aut machinis ſeſe adverſus perſecutorum vim communivit? Nec vident quam iſta pugnent cum vaticinio quod edidit in illum Eſaias, *Velut ovis coram tondente obmutuit*. Ut interim ſileam ne conſiſtere quidem iſtorum commentum. Etenim fingamus hanc eſſe Chriſti mentem ut velit Apoſtolos ſuos parare gladium ferreum, quo graſſantur & latrones, & commeatum, quem parant duces exercituum, qua ratione illud explicabunt, quod *tunica divendita* jubet *emi gladium?* quandoquidem placet urgere literas ac ſyllabas ſermonis. Num illos nudos enſibus accinctos mittit in bellum? Novum vero copiarum genus. Ad hæc, cum dixerit, *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram*, qui cohæret quod mox ſequitur, *Et qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium?* An non hinc ſatis evidens eſt non præcipi ut ferrent ſecum ſacculum & peram, ſed tollerent vendenda, pretioque redimerent gladium? quod ſi nihil horum eſſet, tunicam venundarent potius quam gladius non eſſet? Ut maxime torqueant, non jubet parare ſacculum aut peram, ſed permittit ut tolerandum ſi quis forte poſſideat. At enſem etiam vendita tunica jubet emi. Proinde proſpicere de victu permittitur duntaxat, at gladio nos defendere tantopere jubemur, ut nudis etiam ſit cum hoſte confligendum, velut in hoc ſumma pietatis ſita ſit. At ſaltem non reſipiſcunt ex his quæ mox ſequuntur apud alios Euangeliſtas. Objurgat minaciter ac ſevere Petrum quod utatur gladio, & jubet recondi, addens *perire gladio qui gladio pugnent*, ſibi non defuturas quamlibet multas legiones à Patre ſuppetias, ſi ſe vi defendere voluiſſet. Præterea quando unquam legimus Apoſtolos feciſſe quod hic tantopere jubet Chriſtus faciendum? Fugiſſe legimus, reſpondiſſe legimus, loricam aut gladium geſtaſſe nuſquam legimus, ac ne unguibus quidem unquam repugnaſſe, ne dicam gladiis. Denique cur in omnibus ſuis epiſtolis audent à Præceptoris ſui doctrina diſſonare? Tolerantiam uno ore docent omnes; jubent obrui beneficiis inimicum, & *igneos carbones congeri in caput illorum*. Paulus jubet *malum vinci bono*, jactat toleratas calamitates ſuas, proſtratos ac fuſos hoſtes non jactat. Toties armat ille tironem Chriſtianum Euangelica panoplia, *galea ſalutis, ſcuto fidei, gladio ſpiritus*. Ubi inter hæc hujus gladii mentio quem nos comminiſcimur? In nugis leviculis, quæque citra diſpendium Euangelicæ philoſophiæ vel neſciri poterant, hæreſes ac blaſphemias *ἑτεροδιδάσκαλον* Mihi nulla hæreſis videtur perniciosior, nulla blaſphemia ſceleratior, quam ſi quis Philiſtinorum exemplo Euangelici agri puteos, qui à Chriſto venam habent aquæ vivæ ſcatentis in vitam æternam, terra oppleat, & ſenſum ſpiritualem vertat in carnalem, doctrinam cœleſtem depravet in terrenam, ac ſacroſancta Chriſti dogmata detorqueat, imo corrumpat, idque reclamantibus omnibus ejus præceptis, reclamante tota ipſius vita, reclamante doctrina Apoſtolica, retragantibus tot Martyrum millibus, repugnantibus vetuſtis interpretibus. Nec animadverterunt quid hic interpretetur Ambroſius: etiamſi in re tam perſpicua quid opus interprete? *Cur*, inquit, *emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur habere me præcipis, quem vetas promi? Niſi forte ut ſit parata defenſio, non ultio neceſſaria; ut videar potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe.* Deinde diſſolvens quod poterat ex V. Inſtrumenti literis objici, Permiſſum eſſe bellum, *Lex tamen*, inquit, *referire me non vetat, & ideo fortaſſe Petro duos gladios offerenti, Sat eſt, dicit, quaſi licuerit uſque ad Euangelium: ut ſit in Lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.* Mox adverſus reclamaturos opponit hæc, *Multis hoc iniquum videtur; ſed non iniquus Dominus, qui cum ſe poſſet ulciſci maluit immolari.* Denique in calce hoc adjicit, duos gladios interpretatus Veteris ac Novi Teſtamenti ſcientiam, *Quaſi nihil*, inquiens, *deſit ei quem utriuſque Teſtamenti doctrina munierit.* Origenes Theologorum priſcorum ſine controverſia doctiſſimus hom. 7. in Matth. ſermonem hunc Chriſti peſtiferum eſſe pronunciat ſi ad literam accipiatur. Eum poſteaquam recitarat, ſubjicit hunc in modum, *Si quis ergo literam volens aſpicere & non intelligens voluntatem verborum vendiderit veſtimentum ſuum corporale & emerit gladium, talis contra voluntatem Chriſti ſuſcipiens verbum ejus, peribit, forſitan & gladio peribit. De quo autem gladio dicat non eſt loci hujus exponere.* Idem libro adv. Celſum 2. pronunciat bellum ab uno Chriſto ſublatum; quaſi hoc illi fuerit peculiare. Conſentiunt in hanc ſententiam omnes omnium literæ, omnes ſanctorum libri, qui tolerantiam nobis commendant, non armaturam indicunt. Tolerandum utcunque ſi unum duntaxat locum philoſophiæ cœleſtis ad hunc corrupiſſemus modum. Nihil propemodum eſt dogmatis Chriſti quod non hujuſmodi commentis ac diſtinctiunculis ſubvertant quidam. Et hæc leguntur & approbantur à ſummis, ut vulgo videntur, Theologis; hæc velut oraculo prodita citantur; hæc publice docentur: hæc audiunt Principes, his animantur ad bellum, quaſi vero non ſuapte ſponte inſaniant ſatis. Quibus rebus illud factum eſt, ut apud Chriſtianos inſanius prope tumultuetur, litigetur, pugnetur, pro re, pro ditione, pro vindicta, quam uſquam apud Ethnicos. Verum moderandus eſt animi dolor, tametſi juſtiſſimus; præſertim cum indignitas rei vix ingenti volumine poſſit ut par eſt explicari. Nec iſti me vel tantulum movent qui nolunt jus belli Principibus adimi. Quomodo nunc bellent Principes non libet meminiſſe; neque neceſſe eſt hoc illos docere, quod ultro nimis acriter agunt: ſi tamen hoc bellare eſt, ac non potius in populi perniciem inter ſe colludere, & bellorum prætextu ſuam conſtabilire tyrannidem. Illud non fero, nos hujuſmodi dogmata in Chriſtum autorem referre. Si quid habet humanæ vitæ neceſſitas, ut habet multa neceſſaria mala, quemadmodum ait ille, ſi quid condonatur craſſæ multitudini, quid hoc ad cœleſtem Chriſti philoſophiam? Ille de cœlo venit ut doceret cœleſtia; craſſa hæc aut velut ignoraverit, aut reſpuit, aut neglexit. Non agnoſcebat Cæſaris imaginem; Rejicit eum à quo rogabatur ut arbiter eſſet dividendæ hæreditatis; Adulteram mulierem nec abſolvit nec damnat. Neque vero me fugit D. Auguſtinum hunc locum adducere adverſus Manichæum Fauſtum lib. 22. qui bellum deteſtabatur & in Judæis: ſed ita adducit ut tamen Apoſtolos nolit bellare; ne Imperatores quidem, niſi plene piſos pietati, niſi juſta de cauſa, niſi contra ſacrilegos & dæmonum cultores, niſi pro publica tranquillitate. Neque diſſentit à nobis in Pera & Sacculo in viam tollendo: in hoc tantum diſcrepat, quod ille Petrum vult objurgatum fuiſſe quod injuſſus pugnam aggreſſus ſit, quod juſſus quidem eſſet ferre gladium, at non ferire gladio. Quod commentum quantum habeat ponderis, aliis excutiendum relinquo, ne quid aſperius dicere videar in tantum Eccleſiæ Doctorem. Sunt enim qui protinus contumeliam interpretentur ſi quis à receptis autoribus diſcrepat, cum hoc honoris nec ipſi poſtulent. Imo contumelioſum fuerit, opinor, ſi quis illos hominum more lapſos alicubi conetur adverſus veritatem tueri. Nam cujuſmodi eſt, obſecro, tam ſerio præcepto Diſcipulos onerare gladio inutili, quem ne tum quidem liceat eximere cum maxime eſt opus? perinde quaſi jubeat aliquis, *Fac habeas paratum ligonem, at cave ne quando fodias; Circumfer quidem ſoleas, ſemper tamen nuda incedas pedibus.* Tolerabilior erat interpretatio ſi ad hunc modum intelligamus, Etiamſi quando adſit defendendi facultas, tamen abſtinere à defenſione; ſolo verbi Divini gladio vos defendite. Hic frigidiſſimam diſtinctionem adferunt quidam, *Juſſit habere gladium ad defenſionem, vetuit promi ad vindictam.* Jam illud videndum, an de Bello ſibi ſatis conſtet Auguſtinus, qui cum tot locis Chriſtiane Bellum deteſtetur, nunc adverſus Manichæos ac Donatiſtas Belli patronus eſſe videatur. Siquidem is enarrans Pſal. 37. ſcribit, *Orandum pro inimicis, non ut occidantur, ſed ut corrigantur.* Si non licet orare Deum ut inimici juſto ſupplicio coerceantur, multo minus nobis licet illos occidere. Idem epiſt. 158. ſcribit contaminari paſſiones ſanctorum ſi viciſſim occidantur inimici. Rurſus epiſt. 5. quam

quam multa diſſeruit adverſus Bellum ? Porro quot locis agit cum Cæſarianis Præfectis, ne Donatiſtæ non ſolum hæretici verum etiam horrendo latrocinii genere graſſantes in Orthodoxos occiderentur, ne non eſſent qui poſſent corrigi, ſed hactenus coercerentur ut Eccleſiæ bonis alio tranſlatis ſequi cogerentur? Poſtremo cum toties Auguſtino tenderent inſidias Donatiſtæ, quando legitur ille manum armatam adverſus illorum violentiam collegiſſe ? Sed qua fronte faceret hoc ipſe, qui tam obnixe intercedit & obteſtatur ne fieret à Cæſarum Præfectis ? Verum ita fere fit, ut in conflictu cum adverſariis Scripturam ſacram ad ſuam quiſque cauſam detorqueat. Et verum eſt quod ajunt, Hæreticos nonnulla ex parte profuiſſe religioni Chriſtianæ, dum Orthodoxos ad Divinorum voluminum perveſtigationem exſtimulant. Atqui huic commodo illud adjunctum eſt incommodi, quod dum Scripturarum teſtimonia victoriæ ſervire cogimus, non raro deflectantur à germana veraque ſententia. Jam ſi verum eſt quod iſti interpretantur, quid ſenſerunt illi qui putant hoc eſſe dictum ironice, *ſufficit*, videlicet adverſus tantam multitudinem ? Nec hanc opinionem rejicit Theophylactus; ſed addit alteram quæ pariter facit pro nobis, Cum, inquit, illi non intelligerent quod dicebat, reliquit illos, ne moleſtus eſſet. Certe juxta carnem intelligebant Apoſtoli; ergo non juxta carnem loquebatur Dominus. Proinde mihi ſimplicius videtur, Chriſtum paulatim conantem ſuorum animis vulgares affectus eximere, cum prius eos liberaſſet cura commeatus, nunc & ſupplicium ac mortis metu liberare voluiſſe. Sciebat quid illis adhuc rudibus in eo tumultu venturum eſſet in mentem, & ideo de gladiis ſinebat eos ad tempus errare, quo efficacius eximeret ex illorum affectibus vindictæ cupiditatem. Si tacuiſſet de Gladio, videri poterat licita defenſio, quoties urgeret vitæ periculum, viris Apoſtolicis : Nunc ita rem ac ſermonem temperavit ut nulli dubium eſſe poſſit quin uſum ferri ſuis interdixerit. Miſerat eos paulo ſuperius ſpecimen ſui daturos, & guſtum quendam ſumpturos Euangelici muneris, ſed duntaxat intra Judææ fines. Cumque hic humana ſolicitudo commeatum ac nonnulla viæ ſolatia requireret, juſſit ſuos proficiſci ſine pera, ſine baculo : & tamen nihil defuerat, ultro ſuppeditantibus neceſſaria bonis hominibus. Atqui quoniam futurum erat ut Euangelicæ prædicationis faſtigium ſummaque manus eſſet Martyrium, & nihil morte formidabilius, adverſus hoc quoque certamen ſuos inſtructos eſſe voluit, non ſolum exemplo ſuæ mortis, verum etiam admonitu. Proinde, ut ex iis quæ jam erant experti fidem faceret eorum quæ poſtea eſſent conſecutura, commonefacit eos priſtinæ prædicationis ; *Quando miſi vos ſine ſaculo & pera & calceamentis, num aliquid defuit vobis?* Cumque reſpondiſſent nihil omnino defuiſſe, vocat ad perfectiora ; Videtis hactenus nudis nihil defuiſſe, ne quid hæc ſolicitudo vos graver. Sed quemadmodum de commeatu vitæque ſubſidiis non eſt quod angat vos ſolicitudo, ita nihil eſt quod de defenſione ſitis ſoliciti, ſi quando perſecutor cruciatus aut mortem intentabit. Iiſdem præſidiis vincetis tyrannos quibus ego vinco. Imo quo magis eritis omnibus humanis præſidiis deſtituti, hoc magis eritis ad hoc bellum inſtructi. Adeo ut ſi cui forte ſit tunica aut pera, quo ſit expeditior, & hæc abjiciat. Non eſt opus niſi gladio meo, qui ſic amputat ac revellit omnes affectus carnales ut accinctus eo nec tormenta formidet nec mortem : tantum abeſt ut famem metuat aut nuditatem. Neque vero cum hæc dico, jus adimo Principibus gerendi belli, modo Chriſtiane geratur. Laudantur & Ambroſio Cæſares qui ſe pro tuenda Chriſtiana tranquillitate adverſus Barbaros ceu murum oppoſuere ; & tamen idem negat hoc eſſe puritatis Euangelicæ, quam hic ſuos docet Chriſtus. Sed quid hæc ad nos, qui Sacerdotes ipſi ſine fine belligeramur, idque pro imperio, pro præda, pro mundana gloria ? Quid hæc ad Chriſtianos Principes, qui per ambitionem, iram, avaritiam aut alium privatum affectum ſine fine miſcent orbem bellorum tumultibus ? Quid ad hæc bella, quæ tanta cum iniquitate, ne dicam immanitate, geruntur ut crebro minus malorum ſit ab hoſte quam à propugnatore ? Sed de his alias fuſius differendi dabitur locus. Theophylactus diſcrepat nonnihil ab hac interpretatione, quippe qui tollendam Peram ac Sacculum interpretetur quemadmodum & Gladium ; *Non quod velit eos de hiſce rebus proſpiciendis eſſe ſolicitos hominum more, ſed ne poſthac toti pendeant à præſidio Chriſti, qui hactenus eos non ſecus ac pueros cura habuit; verum ut ipſi quoque in poſterum præparent animos ſuos adverſus inopiam, adverſus famem, adverſus mortem : idque ſignificatum eſſe Pera, Sacculo & Gladio.* Quod ſi quis me urgeat ut pronunciem utrum in totum exiſtimem Bellum interdictum Chriſtianis an non, prius rogabo percontatorem ut mihi reſpondeat quid ſenſerit S. Martin. cum diceret, *Donativum tuum militaturus accipiat : ego Chriſtianus ſum : mihi pugnare non licet :* deinde quid præter alios Orthodoxos veteres D. Hieronymus, qui toties damnat bellum inter Chriſtianos. Quod ſi non dignabuntur reſpondere, dicam, Viris Apoſtolicis non convenire bellum, nec religionem Chriſtianam armis tantum eſſe propagandam, nec Principi bellum ullum ſuſcipiendum quod aliquo pacto queat vitari, & ſuſceptum quam minima potuerit ſanguinis jactura gerendum, & quam poteſt ocyſſime finiendum ; denique hanc ipſam functionem non eſſe puritatis Euangelicæ, nec hoc jus ex Euangelicis præceptis eſſe petendum. Multa conceduntur quæ non docet Euangelium, veluti Jusjurandum, & Lites forenſes. In Ethnicis non improbatur jus gladii, ſi leges porrigant, ſi legum arbitrio promatur; quanquam Euangelica pietas mallet ſanare quam occidere. Chriſtus mulierem in adulterio deprehenſam nec damnavit nec abſolvit, ſimul & admonens Sacerdotes officii ſui, quorum eſt mederi non perdere, nec adimens tamen Magiſtratibus publicam poteſtatem, quæ ſervit juſtitiæ Divinæ, etiamſi ſint idololatræ. Poſtremo ſunt in rebus humanis multa neceſſaria mala, quæ tolerantur eo quod excludant majora mala, non probantur ut Euangelicæ doctrinæ. Atque hæc pro diſputatis haberi volumus, non pro decretis. Cæterum ut id ſolum agam quod ago, ſic eſt ordinanda lectio, *Sed nunc qui habet ſaculum tollat*, utique vendendum; *conſimiliter & peram* tollat, nimirum vendendam: *quod ſi deſint, vel tunica divendita emat gladium*, non iſtum quo graſſantur latrones, ſed verbi Divini, qui *penetrantior eſt quovis gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus.* Quod ſi quis omnino contendat *tollat* hic poſitum pro *ſecum deportet*, certe cum in Gladio cogamur allegoriam adhibere, hic quoque adhibeamus oportet ; Accipis Gladium Euangelicum, accipe & Peram & Tunicam Euangelicam.

40. *Orate ne intretis*] Latinis anceps eſt ſermo : Nam poteſt & hic eſſe ſenſus, *Orate, ne ſi non oraveritis, fiat ut intretis in tentationem.* At Græcis non poteſt niſi unus accipi ſenſus, nempe hic, *Hoc rogate Patrem, ne veniatis in tentationem*, Προσεύχεσθε μὴ εἰσέλθειν. Quanquam paulo poſt, commutatis nonnihil verbis, eandem exſulit ſententiam, ἵνα μὴ εἰσέλθητε, i. *ne intretis.*

44. *Et factus in agonia*] Quis tantum latine ſciens cognoſcet ex hiſce verbis quid ſenſerit Interpres ? *Agon* Græcis *certamen*, ſive *periculum*, aut *labor*. *Agoniam* igitur appellat horrorem illum & affectionem qua corripi ſolent homines jam inſtante atque urgente gravi diſcrimine. Nos ut potuimus vertimus, *Et correptus angore.* ¶ *Gutta ſanguinis decurrentis in terram*] Hic variant Græci codices, nec hic ut ad ſenſum nihil referat: & facilis eſt ſcribarum lapſus in tam anguſto confinio, καταβαίνοντος & καταβαίνοντες. Hieronymus Contra Pelag. l. 2. & ante hunc Hilarius De Trinitate lib. 10. indicat in pleriſque Græcorum ac Latinorum cod. non fieri mentionem neque de *ſudore ſanguineo* neque de *Angelo confortante.* Verum id eraſum videtur ab his qui verebantur Chriſto tribuere tam inſignia humanæ infirmitatis argumenta, cum Hilarius etiam doloris ſenſum illi conetur adimere.

49. *Si percutiamus*] Εἰ πατάξομεν *num percutiemus ? Si* pro *an* dixit Interpres.

51. *Sinite uſque huc*] Ἐᾶτε ἕως τούτου, *Sinite hactenus :* id quod perinde ſonat Græcis q. d. *Hactenus ne reſiſtite*, cum alius ſit ſenſus Euangeliſtæ.

52. *Et magiſtratus Templi*] Στρατηγοὺς *duces.* Erant enim & milites præfecti cuſtodiendo Templo, quorum Præfectos hic vocat στρατηγούς.

56. *Et cum fuiſſet intuita*] Καὶ ἀτενίσαν *& fixis in eum oculis.* Plus enim quiddam eſt ἀτενίζειν quam *intueri*, nempe *immotis oculis obtueri.*

59. *Quaſi hora*] Ὡσεὶ ὥρα. Quanquam & Suetonius uſus eſt *quaſi* in hunc modum.

61. *Sicut dixerat*] Ὡς εἶπεν αὐτῷ *quomodo*, ſive *Ut*, *dixiſſet ſibi.* Nam hoc ipſum illi veniebat in mentem, Chriſtum ſibi dixiſſe futurum ut ſe negaret.

66. *Convenerunt Seniores*] Συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον *coiit ordo Presbyterorum.*

68. *Neque dimittetis*] Η ἀπολύσετε *aut dimittetis :* quanquam recte mutavit Interpres.

70. *Vos dicitis quia ego ſum*] Ὅτι εἰμί, i. *Vos dicitis me eſſe.* Alioqui non ideo dicebant quod ille eſſet.

71. *Quid adhuc deſideramus*] Τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρ-

τυ-

τυρίας; *Quid inſuper opus habemus teſtimonio?* Interpres eleganter reddidit magis quam ad verbum, aut ſuo more.

VATABLUS.

2. VEro] *Enim.*

3. *Intravit*] *Intraverat.* ¶ *De * duodecim*] * *Numero.*

4. *Locutus eſt*] Vel, *ſermones contulit*: aut, *collocutus eſt.* ¶ *Magiſtratibus*] Vel, *Præfectis.* Videtur autem eos intelligere militum præfectos qui Templum tuebantur, ut paulo poſt patebit: *ducibus exercitus.* ¶ *Traderet*] *Proderet.*

6. *Turbis*] *Turba*: Vel, *tumultu.*

7. *Occidi*] *Immolari.*

10. *Introeuntibus*] *Ingreſſis.* ¶ *Homo quidam*] *Homo*, Vet. ¶ *Amphoram*] *Vas fictile*: *fidelium.*

13. *Dixit*] *Dixerat.*

15. *Deſiderio deſideravi*] i. Ex animo & ſummo cum deſiderio deſideravi. Heb.

16. *Ex hoc non manducabo illud*] *Poſthac non edam ex eo.* ¶ *Donec impleatur in Regno Dei*] Donec agnoſcatis impletum eſſe quod figurat hæc immolatio & eſus Agni: quod fiet cum poſt reſurrectionem accepero Regnum à Deo.

17. *Accipite**] * *Ex hoc.*

18. *Non bibam*] *Nequaquam biberim.* ¶ *Donec Regnum Dei veniat*] i. donec poſt reſurrectionem accepero Regnum à Patre meo.

19. *Datur*] Præſ. pro fut. ¶ *In meam commemorationem*] *Ad renovandum mei memoriam.*

20. *In ſanguine meo*] *Per meum ſanguinem*, Heb. ¶ *Fundetur*] *Funditur.*

21. *Tradentis*] Vel, *prodentis.*

22. *Vadit*] i. abiit, & tollitur de medio. ¶ *Tradetur*] *Traditur*, Vet.

23. *Quærere*] *Conquirere.*

24. *Major*] Enallage graduum, comparativus pro ſuperlativo.

25. *Eorum*] *Earum*: vel *eis.* ¶ *Eos*] *Eas.*

26. *Minor*] *Junior*, Vet. ¶ *Præceſſor*] *Dux*, *rector.*

29. *Ego diſpono*, &c.] i. ego promitto vobis partem in Regno meo, & omnem familiaritatem in eo.

31. *Simoni, Simon*] *Simon, Simon*, Vet. ¶ *Expetivit*] *Depoposcit.*

36. *Sed nunc, qui habet ſacculum*, &c.] Hac parabola ſignificat Chriſtus impendere magnum periculum, ut ſiquis præſidiis humanis uti voluiſſet nihil conſultius facere potuiſſet quam ſibi parare gladium, vel vendito pallio, ſi aliunde non poſſet.

37. *Iniquis*] *Nefariis*: *exlegibus.* ¶ *De me*] Sub. *ſcripta.*

39. *Ibat*] *Profectus eſt.*

40. *Ne intretis*] Vel, *veniatis*: vel, *ne cedatis tentationi*: & infra.

41. *Quantum jactus eſt lapidis*] *Ferme ad jactum lapidis.*

44. *Factus in agonia*] Vel, *correptus angore. Agonia* enim ſignificat illum horrorem quo corripi ſolent homines jam inſtante atque urgente gravi diſcrimine. ¶ *Et factus eſt*] *Factus eſt autem.* ¶ *Decurrentis*] *Decurrentes.*

48. *Tradis*] *Prodis.*

49. *Si percutimus in gladio?*] Vel, *agemuſque rem gladiis?*

50. *Unus* ex illis*] * *Aliquis.*

51. *Uſque huc*] Sub. *res ipſa pervenire debuit.*

53. *Extendiſtis manus in me*] Vel, *admoliti eſtis manus mihi.*

54. *Duxerunt* ad dominum*] * *Et introduxerunt.*

55. *Atrii*] *Aula.* Area erat non tecta. ¶ *Erat*] *Sedebat.*

56. *Lumen*] i. ignem. Hebr. ¶ *Et eum*] *Et fixis in eum oculis.*

61. *Sicut dixerat*] *Quomodo dixerat ipſi.*

64. *Velaverunt eum &*] *Cum circumtexiſſent eum.* ¶ *Interrogaverunt*] *Interrogabant*, Vet.

66. *Convenerunt Seniores*] *Congregatus eſt ſenatus.* ¶ *Concilium*] *Conſeſſum.*

67. *Non credetis mihi*] *Mihi* non eſt in Græcis.

68. *Si autem &*] Vel, *Quod ſi etiam.*

69. *Autem*] *Nunc.* ¶ *Virtutis Dei*] Periphraſis eſt Dei.

70. *Qui ait**] * *Ad ipſos.* ¶ *Quia ego ſum*] Vel, *ego enim ſum*: aut, *ſum equidem.*

71. *Adhuc deſideramus teſtimonium?*] *Inſuper opus habemus teſtimonio?*

CASTALIO.

25. QUique eis imperant, *gubernatores appellantur*] שרים, qui in S. literis *δυνάσται* dici ſolent, ſunt *duces*, *gubernatores*, *principes.* Itaque eſt *οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν δυνάσται καλοῦνται* ac ſi iiſdem prioris membri verbis uſus eſſet hoc pacto, *οἱ κυριεύοντες τῶν ἐθνῶν βασιλεῖς καλοῦνται.* Eſt autem hæc ſententia, Inter gentes ut quiſque plurimum opibus valet, ita maxime Rex eſt; & potentiſſimus quiſque facillime Principis nomen obtinet.

26. *Perinde ſit ac minimus*] Νεώτερον opponit μείζονι, à νέος, quod non ætatis ſed rei eſt: & tamen ideo ætatis eſſe poteſt quod ætas magnitudinem addit.

36. *At nunc qui crumenam habet, adhibeat*] His verbis inſtare adverſa & pericula oſtendit, ad quæ ſolent crumenæ & gladii adhiberi. Hoc pacto loquitur Jeremias 9. 17. *Videte ut evocandas præficas ſapienteſque accerſendas curetis, quæ naniam de nobis editum propere veniant.* Non enim jubet Vates præficas accerſi, ſed luctum inſtare docet, ad quem ſolent adhiberi præficæ. Quod autem dicit Chriſtus *duos gladios eſſe ſatis*, ſic loquitur ut ſi quis pater dicat emendam eſſe domum, & filius ignarus ad eam rem dicat habere ſe duos teruncios, tum pater reſpondeat, *Satis eſt*: h. e. Scilicet duobus teruncii poteſt emi domus: nec eſt quod quiſquam hanc interpretationem rejiciat quaſi aliena ſit à Chriſto Ironia: nam & alibi eadem figura utitur; ut Matth. 26. 45. & Marc. 14. 41. *Dormite jam & requieſcite*: & Mar. 7. 9. *Probe Dei præceptum antiquatis.*

CLARIUS.

3. INtravit autem Satanas in Judam] Videlicet occaſione ab eo accepta; quem cum intellexiſſet avaritiæ morbo laborare, hoc uſus affectu tanquam adjutore, etiam in proditionis caſum ſpe xxx argenteorum præcipitavit. Nam ipſe per ſeipſum Satanas cauſa cuiquam peccandi eſſe non poteſt.

23. *Et ipſi cœperunt quærere inter ſe*] Conquiſitio illa *Quis eorum videretur eſſe major* forte ſic orta eſt. Cum audiſſent unum ex iis XII fore Magiſtri proditorem, arbitrati ſunt hunc qui id eſſet auſurus patraturum hoc facinus imperandi aliis gratia; atque ita quærebant *quis eorum videretur eſſe major*, ut aliquo pacto deprehendi proditor poſſet: alioqui quomodo in tam triſti nuncio venire potuit illis in mentem hæc cogitatio?

25. *Benefici vocantur*] Nomen eſt poteſtatis & dignitatis: cujus & Eſaias meminit, dicens, *& ingredientur portas beneficorum*, h. e. Principum Babyloniorum.

28. *Vos autem eſtis qui permanſiſtis*] Docui, inquit, ego vos meo exemplo non inſoleſcere, ſed ſubmiſſe vos ſemper gerere. Atque id quidem tuto poteſtis: nam habetis qui curam veſtræ dignitatis gerat, me ſcilicet, qui *diſpono vobis Regnum*, ut ſitis inter primates meos mensæ meæ ſocii. Et vide ut de hoc Regno more humani Regni loquatur: nec dum enim aperuit eis illius Regni conditionem: quanquam etſi etiam aperuiſſet, nihilo tamen minus potuiſſet μεταφορικῶς loqui.

36. *Qui habet ſacculum*] Videtur ænigmatice per *Sacculum* & *Peram* & *Gladium* ſignificare multa illos manere gravia. Solemus enim in rerum anguſtiis dicere, *Nunc armemur neceſſe eſt.* At illi hoc non intellexerunt, & idcirco dixerunt, *Domine, ecce duo gladii hic.* Dominus autem noluit illis tunc ſolvere ænigma quod ipſi ſuo eſſent tempore intellecturi, quod & aliis in rebus interdum fecit, ſed dixit, *Satis eſt.* Magnus autem Baſilius interrogatus quo pacto nunc quidem prohibet Dominus *portare ſacculum & peram ad iter*, nunc vero dicit, *Sed nunc qui habet ſacculum tollat, ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*: reſpondit, *Hoc ipſe Dominus declarat, dicens, Oportet enim etiam hoc impleri in me, Et cum iniquis reputatus eſt. Mox enim poſteaquam impleta fuit prophetia de Gladio, dicit Petro, Converte gladium tuum in vaginam ſuam. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ut hoc non ſit præceptum, ſcilicet, *Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat*, h. e. *tollet* (ſic enim & multa exemplaria habent) ſed prophetia prædicentis Domini, quia futurum erat ut Apoſtoli obliti donorum & legis Domini, etiam gladio uti auderent. Quod vero modo imperandi pro prædicendi ſæpe utatur Scriptura,

multis locis manifeſtum eſt; ut eſt illud, *Fiant filii ejus orphani*: &, *Diabolus ſtet à dextris ejus*, & cætera talia.

44. *Et factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſanguinis*] Medetur hic timori noſtro, ſubjiciens illum Divinæ voluntati. Quin & tulit in ſe quod aliis potuiſſet eſſe non ferendum: futurum enim erat ut etiam teneræ puellæ ad tormenta pro Chriſto raperentur, quarum nunc animum & affectum induit, & perfert ipſe, ut malorum illis ſenſum relinqueret leviorem. Quod profecto cernimus factum cum viderentur ſancti martyres vix ſentire tormenta.

61. *Et converſus Dominus aſpexit Petrum*] Vide ſolicitudinem Domini, & ut nos doceat ne in mediis quidem periculis noſtris obliviſci eorum qui nobis crediti ſunt.

69. *Ex hoc autem*] Poſt hoc tempus paſſionis: ἀπὸ τοῦ νῦν.

ZEGERUS.

7. *Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*] Ad hujus loci ac cæterorum ad Paſchalis agni & paſſionis Dominicæ tempus pertinentium declarationem ſciendum quod Dominus noſter una cum Diſcipulis ſuis juxta Legis quidem præceptum agnum Paſchalem comederit, nimirum die primi menſis ſeu lunationis poſt vernale æquinoctium XIV, non tamen eodem quo illum Judæi comederunt. Majores ſiquidem Hebræorum, ob incommoda quædam concurrentium ſolennitatum vitanda, conſtitutione edita hoc caverant ne unquam II, IV, aut VI hebdomadis die ſacrum Domini Paſcha celebraretur: ob quam cauſam Judæi non raro ſuum Paſcha transferre cogebantur. Conſimili quoque ratione & aliis nonnullis ſolennitatibus certi erant prohibiti dies, ne in eis occurrentes ſolennitates celebrarentur, ne videlicet Sabbathum aut alius quiſpiam caſus obeſſet celebrantibus, quo minus commode obſervare ea poſſent. Quo autem certior hujus rei fides habeatur, ipſius conſtitutionis tenorem ſubſcribo; לא נהוּ רבותינו כהודין (&c.) כך גזרו פסח ולא נהג עצרת ולא אדר ראש השנה ולא אב יום כפור לעולם: *Sic ſtatuere Magiſtri noſtri Judices Sanhedrin*, &c. *diem Sortium non obſervari feria* II, IV, VII; *neque Paſcha feria* II, IV, VI; *neque diem Retentionis* III, V, VII; *neque principium anni* I, IV, VI; *neque diem Expiationis feria* I, III, VI: *in æternum.* Cum igitur crucifixionis Dominicæ anno, ipſis etiam Hebræorum Rabbinis teſtibus, ſolennitas Paſchalis, i. dies XV primæ lunationis, in diem Veneris inciderit, Judæi juxta ſuam traditionem in diem ſequentem, nempe Sabbathum, ſuum Paſcha prorogarunt. Unde & in veſpera diei Veneris agnum Paſchalem ederunt; juxta quod Johannes 18. 28. teſtatur illos *non introiſſe ædes Pilati, ne contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.* Chriſtus autem, cum præſciret ſe verum Agnum Paſchalem poſtridie immolatum iri pro totius mundi ſalute, neglecta Judæorum traditione, die Jovis juxta legitimum Paſchæ occurſum una cum Apoſtolis ſuis comedere voluit. Unde noranter Euangeliſta, *in qua neceſſe*, inquit, *erat occidi Paſcha*, juxta legitimam videlicet ac ſimplicem Legis obſervationem; vel etiam ob ingruentem ipſius Domini paſſionem, quæ in diem alterum Paſcha differri (quemadmodum nec neceſſum erat) prohibebat. Hac de re qui copioſius edoceri voluerit, recurrat ad Pauli Burgenſis additiones Lyranis glollematibus conjunctas Matth. 26.

26. *Quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in Regno Dei*) h. e. Nequaquam ultra Paſcha Moſaicum & veri Agni Paſchalis figurativum ſum celebraturus, donec figura ipſa in rem & ſpirituale Paſcha commutetur, atque ita perficiatur in Eccleſia, quæ ſpirituale eſt Dei Regnum. Cæterum in eo quod dicitur *ex hoc*, ſubintelligi debet *tempore*, ut reſpondeat non illi quod in archetypo eſt ἐξ αὐτοῦ, ut quidam male arbitrantur, cum hujus loco Interpres τὸ *illud* ſubſtituerit, ſed ei quod ſcribitur ἀκ ἔτι, quod ſonat *non amplius*, vel *non ultra.*

21. *Verumtamen ecce manus tradentis*] Rurſus πλὴν vertit *verumtamen*, cujus vice *caterum* mollius quadraret, ſive, ut alias vertit Hieronymus, *autem*; *Ecce autem manus tradentis me.*

25. *Reges gentium dominantur eorum*) Interpres *gentis* vocabulum ſuo aut ſeculi ſui more in maſc. genere uſurpat: nam id frequentius facit quam ut lapſus videri poſſit. ¶ *Et qui poteſtatem habent ſuper eos, Benefici vocantur*] i. prædicantur, & laudibus à ſuis ſubditis attolluntur, quaſi benefactores ac beneficiorum autores.

29. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, Regnum*) *Diſpono*, h. e. διατίθεμαι, ſignificat *præparo, ordino*, Vel *lego, as.*

36. *Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*] His verbis juxta ſenſum hiſtoricum nil aliud declarabat quam tum tempus inſtare, non jam proſperitatis & pacis, quo ſine ſaculo & pera emiſſis nil eſſet defuturum, ſed adverſitatis & perſecutionis, quo propter mala ingruentia cogerentur ſibi proſpicere de his quæ ad uſum vitæ & ad proprii corporis tutelam erant neceſſaria, ut aut reſiſtere poſſent, nondum virtute ex alto imbuti, aut cedere ad tempus humanæ malitiæ, aut forte etiam referire inimicum, nimirum lege veteri necdum plene abrogata. Itaque juxta hunc ſenſum ſic habet ordo verborum, *Sed nunc quiſquis habet ſacculum, ſecum deferat, conſimiliter & peram, & quiſquis gladium non habet, vendat potius tunicam ſuam, & emat gladium.* Eſt tamen qui ſecus hunc locum ordinet atque interpretetur, nempe ad hunc modum, *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat utique vendendum, conſimiliter & peram tollat vendendam. Quod ſi deſint, vel tunica dividita emat gladium, non iſtum quo graſſantur latrones, ſed verbi Divini, qui penetrantior eſt quovis gladio anceps, pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus*, Hebr. 4. 12. Verum hic ſenſus myſticus eſt, non Grammaticus.

40. *Orate ne intretis in tentationem*] Græcus ſermo hunc ſolum poſtulat ſenſum, *Hoc ipſum orate, ne à tentationum ac perſecutionum incurſione ſuperemini.* Sentit enim, ni fallor, non tam de interiori quam exteriori tentatione. Cæterum Latinus hunc etiam admittit, *Orate, ne ſi non oraveritis fiat ut incidatis in tentationem.*

51. *Reſpondens autem Jeſus ait, Sinite uſque huc*] Quo pacto accipiendus ſit, & qui reſpondeat præſens locus cum B. Matthæi Euangelio, ſubjectis Auguſtini verbis indicabo. Sic enim ſcribit l. 3. De conſenſu Euangelico c. 5. *Nec moveat quaſi contrarium ſit quod Lucas dixit, interrogantibus Diſcipulis ſi percuterent in gladio Dominum reſpondiſſe*, SINITE USQUE HUC, *quaſi poſt illam percuſſionem ita dictum fuerit, ut placuerit eis uſque huc factum, ſed amplius fieri noluerit; cum in verbis quæ Matthæus poſuit intelligatur potius totum factum, quo uſus eſt gladio Petrus, Domino diſpliciſſe. Illud enim verius eſt, quod cum eum interrogaſſent, dicentes*, DOMINE, SI PERCUTIMUS IM GLADIO? *tunc reſpondit* SINITE USQUE HUC, *id eſt, Non vos moveat quod futurum eſt. Permittendi ſunt hucuſque progredi, hoc eſt, ut me apprehendant, & impleantur quæ de me ſcripta ſunt. Sed inter moras verborum interrogantium Dominum & illius reſpondentis Petrus defenſionis aviditate & majori pro Domino commotione percuſſit: ſed non potuerunt etiam ſimul dici quæ ſimul fieri potuerunt. Non enim diceret*, RESPONDENS AUTEM JESUS, *niſi illorum interrogationi reſponderet, non facto Petri. Nam de facto Petri quid judicaverit, Matthæus ſolus dixit: ubi etiam non dixit Matthæus*, RESPONDIT JESUS PETRO, CONVERTE GLADIUM TUUM, *ſed dixit*, TUNC AIT ILLI JESUS, CONVERTE GLADIUM TUUM: *quod poſt factum apparet dixiſſe Dominum.* Hactenus Auguſtini verba. Poteſt etiam illud *Sinite uſque huc* tantundem valere ac ſi dicat, Hactenus, lege Moſaica permittente, ferro uti atque vim vi repellere licuit; at deinceps, nimirum nova lege jam inchoata non item: niſi quod hoc magis ad allegoriam quam ad hiſtoriam pertineat.

61. *Et converſus Dominus reſpexit Petrum*] Auguſtinus l. 3. De conſen. Euang. c. 6. hunc Domini reſpectum non corporis ſed cordis fuiſſe putat, propterea quod Matthæus Petrum *in atrio foris* & Marcus *deorſum* fuiſſe ſcribunt.

LUC. BRUGENSIS.

43. & 44. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum: Et factum* in [* eſt o.] agonia, *prolixius [* & o.] orabat: & factum eſt ſudor ejus, ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram [aquam o.]* D. Hilarius lib. 10. De Trinitate, *Nec ſane*, ait, *ignorandum à nobis eſt, & in Græcis & in Latinis codicibus complurimis, vel de adveniente Angelo, vel de ſudore ſanguinis nil ſcriptum reperiri. Ambigentibus igitur, utrum hoc in libris verus aut deſit aut ſuperfluum ſit (incertum enim hoc nobis relinquitur de diverſitate librorum) certe ſi quid ſibi ex hoc hæreſis blanditur, ut infirmum affirmet eis opus fuerit Angeli confortantis auxilio*, &c. Hieronymus quoque, circa medium libri ſecundi Contra Pelagianos, *In quibuſdam*, inquit, *exemplaribus, tam Græcis quam Latinis, invenitur ſcribente Luca, Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum; haud dubium quin Domi-*

num

num Salvatorem. Et factus in agonia, prolixius orabat : factuſque eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Salvator in paſſione ab Angelo confortatur, &c. Hodie nec in Latinis ullis, nec in Græcis, nec in Syricis libris, deeſſe hæc comperiuntur: nec mediæ poſtremæque ætatis Enarratores, cum enarrant unanimiter, quidquam hujuſmodi de ſui temporis codicibus notant.

H. STEPHANUS.

5. Συνέθεντο] *Pacti ſunt.*

6. Ἐξωμολόγησε] *Conditionem accepit:* vel, *Spoſpondit.* ¶ Ἄτερ ὄχλου] *Abſque turba:* vel, *tumultu.*

10. Συναντήσει] *Occurret.*

11. Τὸ κατάλυμα] *Diverſorium.*

12. Ἀνώγεων] *Cœnaculum.*

14. Ἀνέπεσε] *Diſcubuit.*

21. Πλὴν ἰδοὺ] *Sed ecce.*

22. Κατὰ τὸ ὡρισμένον] *Ut definitum & conſtitutum eſt.*

25. Κυριεύουσιν αὐτῶν· καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, εὐεργέται καλοῦνται] *Dominantur illis: & qui eos in ſua poteſtate habent, benefici vocantur.*

29. Διατίθεμαι ὑμῖν] *Paciſcor vobis.*

31. Τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον] *Ut concutiat ſicut triticum dum cribratur:* vel, *Ut ventilet ſicut triticum.*

32. Στήριξον] *Confirma.*

35. Μή τινος ὑστερήσατε;] *An re aliqua egueſtis?*

41. Ἀπεσπάσθη] *Digreſſus eſt:* ad verb. *avulſus eſt.*

42. Παρενεγκεῖν] *Tranſferre:* vel, *tranſmovere.*

43. Ἐνισχύων] *Corroborans.*

44. Γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ] *Cum angi atque æſtuare cœpiſſet.* ¶ Θρόμβοι αἵματος] *Grumi ſanguinis.*

51. Ἐᾶτε ἕως τούτου] *Ne quid ultra tentetis.*

53. Ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους] *Poteſtas* principis *tenebrarum.*

56. Ἀτενίσασα αὐτῷ] *Cum defixiſſet oculos in eum.*

59. Διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς, ἄλλος τις διϊσχυρίζετο] *Interjecta circiter hora una, alius quidam* idem *firme aſſeverabat.*

66. Τὸ πρεσβυτέριον] *Cœtus Seniorum.*

D RUSIUS.

1. *Dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha*] Tria olim feſta erant apud Judæos anniverſaria, quæ רגלים vocantur, videlicet *feſtum Azymorum* מצות, & *feſtum Tabernaculorum* סוכות, & *feſtum Hebdomadarum*, שבועות. Primum vocatur *Paſcha*, ſecundum *Scenopegia*, tertium *Pentecoſte*. Item à menſibus in quibus celebrabantur nomen acceperunt, feſta *Niſan*, *Thiſri*, & *Sivan*. Vide Medras mechilthæ, 20. 1. In his feſtivitatibus omnes ex omnibus partibus Judææ Jeroſolymam confluebant ſacrorum cauſa: nec ulli abeſſe licebat præter ægrotos, cæcos, ſurdos, &c. Ibid. 36. 1. De his vide ſis Hieron. in comment. Zach. 1. 1. pag. ed. Plant. 1492.

3. *Iſcariotem*] *Sciarioth* obvium in Auguſtino pro *Iſcarioth*, ut lib. 2. De conſenſu Euang. c. 78. *Judas Sciarioth*: & *Sciariothis* ſive *Sciariotes*, i. Σικαριώτης, quod legitur in Græcis veteribus. Vide quæ ad Matth. 10. 4.

22. *Vadit*, Πορεύεται] Videtur mortem ſuam innuere. Sane Geneſ. 15. 2. *Ego vado*, Senes interpretantur ἀπολύομαι *dimittor*, *diſſolvor*, i. morior. Quod intelligentiam habet ex illo, *Nunc dimitte ſervum tuum, DOMINE.* Sunt qui malunt, *Ego vado*, i. *viam ago* vel *tranſigo*. Quale illud Virgilii,

Aſt ego, quæ divum incedo regina, Joviſque
Et ſoror & conjux.

Sed הלך de morte uſurpatur. Id frequentius dicunt *abiit*. Unde εὐθημοῦντες *abitionem* mortem appellabant. Tertullianus, *Si de aliquo jampridem defuncto tanquam vivo quis requirat, pro manu occurrit dicere, Abiit jam, & reverti debet.*

23. *Et ipſi cœperunt quærere inter ſe*] Quæſiverunt inter ſe. Pudet notare toties, quia toties occurrit. Vide quæ ſcripſimus Act. 1. 1.

25. *Dominantur eorum*] Populorum videlicet, quod idem cum illo *gentium*. Sic alibi *gentes quos*, conſtructio ſenſu tantum congrua. Nam in voce eſt *eorum*. Editio Chaldaica fere habet עמהון *populos*, ubi codex Ebræus הון, *gentes*. Ubi nunc ferula Seracii? à qua ſi non metuit ſibi interpres olim defunctus, eſt quod nobis metuamus, qui adhuc vivi ſumus,

Cum mihi ſpermologus mentem ſubit Heliodorus
Nam ſolœciſmos illico lingua timet.

69. *Ad dexteram potentiæ Dei*] Alibi eſt, *ad dexteram potentiæ*; quod forte hinc ſupplendum, *potentiæ Dei*, δυνάμεως τοῦ Θεοῦ. Sed videto ſis quæ ad illum locum annotavimus.

SCALIGER.

16. *Donec compleatur in regno Dei*] Sc. poſt reſurrectionem.

20. Τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον] Mera eſt ἀντίπτωσις: nam accuſat. pro dativo, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ. Beza recte exponit: & ait duplicem eſſe metonymiam.

52. Στρατηγοὺς τοῦ ναοῦ] Joſephus meminit. In ſolennibus ipſe στρατηγὸς diſponebat præſidium & excubias circa Templum, ne tumultus ullus à ſeditioſiſſima illa gente oriretur.

CASAUBONUS.

26. Ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως] Phraſis Hebraica, cujus exemplum Pſalm. 1. 4. Malim ſupplere *eritis* quam *eſtote*.

31. Τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον] Vox rara apud Græcos auctores. Gloſſarium vetus, Σινίασμα, ἡ βυτιφία τῶ σίτου, *detrimentum*. Putavit enim deductam eſſe vocem παρὰ τὸ σίνεσθαι.

CAMERO.

30. Ἵνα ἐσθίητε, &c.] His verbis Chriſtus ſignificat haud quidem certe gloriam Apoſtolorum in cœlis, ſed eam dignitatem in qua conſtituti fuere in terris, verbis figuratis ac locutione petita à conſuetudine Regum & Magnatum ſeculi, qui in rerum adminiſtratione ſibi proximos tanta habent in dignatione ut ad menſam etiam adhibeant, à qua cæteri ſummoventur.

31. Ὁ Σατανᾶς ἐξητήσατο ὑμᾶς τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον] Ἐξητήσατο non eſt ſimpliciter *expetivit* ſed *poſtulavit*: nam ἐξαιτεῖσθαι Græce eſt *depoſcere ad ſupplicium* vel *ad quæſtionem*; nempe ut Satanas Jobum. Et Apoc. 12. 10. Satanas dicitur *accuſator fratrum*, quia hoc poſcit ut ſibi dedantur vexandi, ut hypocritæ, quomodo Jobum ſibi dedi poſtulavit. Σινιάσαι quærunt viri docti quid ſit; nam eſt verbum infrequens: attamen σινίον Græce *cribrum* eſt apud Heſychium, & σινιάζεσθαι *cribrare* eſt apud eundem. Sed quia in cribratione duo ſunt, unum concuſſio illa atque agitatio qua omnia ſurſum atque deorſum vertuntur, alterum vero ſegregatio atque ſeparatio, ſecundum priorem ſignificationem hoc loco uſurpatur, ut Chriſtus nihil aliud voluerit quam Satanam voluiſſe Apoſtolos & Petrum dedi ſibi ut eos conturbaret: quomodo Apoſtolus Galat. 1. 7. Euangelium illud falſum non eſſe aliud Euangelium, *ſed ſunt*, inquit, *qui vos conturbant.*

32. Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ] Hinc Papæ & Conciliorum δυναμαρτησίαν probant Pontificii. Sed primo, oratio Chriſti pro Petro non prohibuit quominus Petrus errarit, & quidem in fide: nam abnegavit Chriſtum. Nec eſt quod excipiant fuiſſe hunc lapſum in moribus, non errorem in mente Petri. Nam Doctor qui metu perculſus docet extrinſecus falſum doctrinam, docendo æque decipit ac qui hoc facit proſſus impie: nam qui poteſt plebs divinare an ſponte vel invitus hæc doceat? Deinde, cujus eſt metu cogi ut falſa doceat, ejuſdem eſt ſpe prolici ut falſa doceat. Hoc igitur obtinemus, fieri poſſe ut Papa vel metu coactus, vel ſpe illectus, puta divitiarum, inanis gloriæ, &c. poſſit falſa docere: Ergo poſſit eſſe Apoſtata & Hæreticus. Reſpondemus ſecundo, Hæc non ita dicta ſunt ut quis inde poſſit colligere promiſſionem generalem: referuntur enim ad certam quandam circumſtantiam, nempe *Poſtulavit Satanas*, &c. Itaque ſi nulla alia promiſſio Petro fuiſſet facta præter hanc, non poſſet inde colligi ne Petri quidem infallibilitas, nedum Papæ. Tertio, Chriſtus eadem eſt uſus oratione pro ſingulis credentibus Joh. 17. 20. neque tamen ſingulis credentibus concedunt jus infallibilitatis: ſic enim daretur locus non modo auferibilitati Papæ, ſed etiam Concilii, quando ſinguli fideles æque non errant ac Papa & Concilium. Denique, non cohærent iſta, Petrus non potuit errare, Ergo neque Papa.

GUALTPERIUS.

47. AD finem hujus verſus annexit Syrus hæc verba, *Hoc enim ſignum dederat eis, nempe, Quem oſculatus fuero, ipſe eſt:* quæ etſi hoc loco non habeantur in Græco Codice, ex Matthæo & Marco tamen ſunt repetitaa Paraphraſte.

66. *Συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον τῦ λαῦ, convenit presbyterium,* ſeu *ordo Seniorum, populi*] Græcis πρέσβυς *ſenem* ſignificat; πρεσβύτερος, *ſeniorem*, vel *ætate provectiorem*. Unde πρεσβύτεροι in N. Teſt. ſpecialiter dicuntur Seniores qui Eccleſiæ præſunt, quorum alii politiam Eccleſiaſticam adminiſtrabant, aliis interdum doctrinæ verbi cura incumbebat, 1 Tim. 5. 17. Et πρεσβυτέριον *cœtus Presbyterorum* 1 Tim. 4. 14. Apud Syros ʿatiqa *antiquum*, *ſenem*, *decrepitum* ſignificat; in plur. ʿatiqe *decrepita ætas*, *ſenectus*, *ſenium*; apud Syros vero Chriſtianos *Presbyteratus dignitatem*, ſeu *Epiſcopatum*, deſignat, 1 Timoth. 3. Ex quibus autem perſonis Presbyterium legi debeat docetur alibi. ¶ *Ἀνήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ συνέδριον ἑαυτῶν, adduxerunt eum in ſuum Synedrion*, ſeu *conſeſſum*] Syr. *in locum congregationis eorum.* Supra Matth. 5. 22.

JAC. CAPPELLUS.

19. HOc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur. Hoc facite in mei recordationem] Hoc, i. Hic panis, ut 1 Cor. 10. 16. EST CORPUS MEUM, i. Eſt ſacramentum corporis mei, ut v. 20. *Hoc poculum eſt teſtamentum*, i. ſacramentum teſtamenti. 1 Cor. 10. 16. *Calix, Panis eſt communicatio*, pro *Eſt ſacramentum communicationis.* 1 Cor. 10. 4. *Petra erat Chriſtus*, i. *ſacramentum Chriſti.* QUOD FRANGITUR, h. e. quod mox pro vobis frangetur in cruce. ut v. 20. *qui effunditur*, pro *qui mox effundetur.* Agnovit author Canonis Miſſæ. Sic Deut. 31. 16. *Ecce tu decumbis cum patribus tuis*, i. Ecce mox moriturus es quemadmodum patres tui. Hoc FACITE, Panem accipite, Deo gratias agite, panem frangite, diſtribuite, quo modo me facientem vidiſtis. Non lubet hic omnes controverſiarum circa locum hunc ſinus explicare: paucis tamen ſententiam noſtram confirmabimus. Bellarminus De Euchar. l. 1. c. 1. hujus controverſiæ ſtatum explicans, *Lutherus*, inquit, *ſcripſit verba Chriſti habere hunc ſenſum*, HIC PANIS EST CORPUS MEUM: *quæ ſententia aut accipi debet tropice, ut panis ſit corpus Chriſti ſignificative, aut eſt plane abſurda & impoſſibilis.* Ita ſi Chriſtus dixiſſet, HIC PANIS, &c. Bellarminus fateretur ejus verba neceſſario ſic explicanda ut à nobis explicantur, nempe, *Hic panis eſt ſacramentum corporis mei.* Igitur in hoc cardine vertitur tota controverſia, ut ſciamus quid ſignificet HOC. Si cui diſplicet quod HOC EST interpretemur *Hic panis eſt*, meminerit omnes Patres in eadem eſſe ſententia, cum paſſim dicant Panem à Chriſto vocatum Corpus ſuum. Sed & recentiores quidam etiam adverſus nos diſputantes coacti ſunt hic veritati teſtimonium perhibere. Wideford adverſus Wiclefum ſcribens A. D. 1396. p. 167. *Chriſtus per ly* HOC *demonſtrat panem naturalem quem habuit in manibus.* Joh. Gerſon adverſus Floret. l. 4. *Dicendum eſt quod* HOC *demonſtrat ſubſtantiam panis.* Vigor in Sermonibus ſuis Gallicis to. 1. p. 208. *HOC, i. panis quem tenebat.* Bellarminus de Euchariſtia l. 3. c. 19. *Panem accepit, panem benedixit, panem dedit, de pane dixit, H. E. C. M.* Lutherus De captivitate Babylonica to. 2. fol. 71. *Uſus loquendi & ſenſus communis probat ſubjectum monſtrativum eſſe panis, non corporis, dum dicit Chriſtus, H. E. C. M. i. Iſte panis eſt corpus meum.* Berengarius apud Guithmundum l. 2. col. 421. *Pronomine HOC neceſſario intelligitur panis.*

GROTIUS.

1. H λεγομένη Πάσχα· *qui dicitur Paſcha*] Συνεκδοχικῶς [*comprehenſive*] enim tota ἑορτὴ quæ [*feſtum quod*] erat dierum octo, ex primi diei nomine Paſcha nominabatur. Ita & Joſephus, Τῆς πάσχα προσαγορευομένης ἑορτῆς καθ' ἣν ἔθος ἐστὶν ἡμῖν ἄζυμα προσφέρεσθαι [*Cum Paſcha appelletur id feſtum, quo nobis mos eſt azymis veſci*]. Johan. XVIII. 39. Ἔστι συνήθεια ὑμῖν, ἵνα ἕνα ὑμῖν ἀπολύσω ἐν τῷ πάσχα [*Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha*]; pro quo Matthæus & Marcus κατὰ ἑορτήν [*durante feſto*].

3. Εἰσῆλθε δὲ ὁ Σατανᾶς εἰς Ἰούδαν, *intravit autem Satanas in Judam*] Sicut qui Divinis motionibus pie obtemperant tandem accipiunt Spiritum inhabitantem, ita qui ſuggeſtionibus Diaboli libere conſentiunt tandem Deo eos derelinquente mancipia Satanæ fiunt: ac tunc in ipſos ingredi Satanas dicitur. Sic Diabolum Paulus vocat πνεῦμα ἐνεργοῦν ἐν υἱοῖς ἀπειθείας [*ſpiritum qui operatur in filios diffidentiæ*] Eph. ii. 2. Hunc ordinem in Juda obſervare eſt: primum avaritia tentatus furti ſe alligavit & quidem in pecunia pauperibus deſtinata, Joh. xii. 6. neque id ſatis habens homo ſacrilegus, videri voluit eorum defenſor quos ipſe ſpoliabat: à Magiſtro admonitus de malitia nihil remiſit. Tum illi ſuggeſſit Satanas, ut Chriſtum prodendo lucrum ſibi pararet: εἰς καρδίαν αὐτῦ βάλλειν [*in cor ejus miſiſſet*] inquit Joh. xiii. 2. Huic ſceleratæ ſuggeſtioni poſtquam conſenſerat, jam intraſſe in eum Satanas dicitur. Nempe ut quod animo propoſuerat, id pacto firmaret: iterumque intraſſe in eum, penitus ſcilicet, narratur, poſtquam ille ad Chriſti in cœna ſermones animum obduraverat, Joh. xiii. 27. ut jam ſcilicet quod pacto firmaverat re ipſa impleret. Qui vero definitum Dei decretum de eventibus aliter negant poſſe defendi, niſi tota hæc Judæ malitia ab initio ad finem dicatur decucurriſſe inevitabili neceſſitate, & quidem Deo inclinante atque impellente ipſius voluntatem, his optimo jure dici poteſt quod ſimilia docenti Florino ſcripſit Irenæus: Ταῦτα τὰ δόγματα Φλωρῖνε, ἵνα πεπεισμένως εἴπω, οὐκ ἔχει ὑγιῆ γνώμης· ταῦτα τὰ δόγματα δ' οὐ σύμφωνά ἐστι τῇ ἐκκλησίᾳ, εἰς τὴν μεγίστην ἀσέβειαν περιβάλλοντα τοὺς πειθομένους αὐτοῖς· ταῦτα τὰ δόγματα οὐδὲ οἱ ἔξω τῆς ἐκκλησίας αἱρετικοὶ ἐτόλμησαν ἀποφήνασθαί ποτε· ταῦτα τὰ δόγματα οἱ πρὸ ὑμῶν πρεσβύτεροι, οἱ καὶ τοῖς Ἀποστόλοις συμφωνήσαντες, οὐ παρέδωκάν σοι [*Dogmata hæc, Florine, fideliter dicam à ſana mente profecta non ſunt: dogmata hæc ab Eccleſiæ ſententia abhorrent: atque eum, qui ita ſentiat in ultimam impietatem impellunt: neque ea vel hæretici, qui extra Eccleſiam ſunt, unquam aut recipere aut profiteri ſunt auſi: denique hæc dogmata, qui ante nos fuerunt ſeniores, quique cum Apoſtolis etiam vixerunt, tibi non tradiderunt*]. Quanto ſapientius Euripides,

Εἰ θεοί τι δρῶεν αἰσχρὸν οὐκ εἶσὶν θεοί.

[*Si di patrant quid turpe, jam non ſunt Dei*].

Et Plato, Κακῶν αἴτιον φάναι θεόν τινι γίγνεσθαι ἀγαθὸν ὄντα, διαμαχετέον παντὶ τρόπῳ, μήτε τινὰ ταῦτα λέγειν ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει, εἰ μέλλει εὐνομήσεσθαι, μήτε τινὰ ἀκοῦσαι, μήτε νεώτερον μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν μέτρῳ μήτε ἄνευ μέτρου μυθολογοῦντα, ὡς ἱερὰ ὄντα ἂν λεγόμενα εἰ λέγοιτο, οὔτε ξύμφορα ἡμῖν, ἅτε ξύμφωνα αὐτὰ αὑτοῖς [*Repugnandum omni ratione, ne quis Deum cum bonus ſit, malis cujuſquam cauſam putet, neve quis id in civitate ſua dicat, ſi quidem eam bene conſtitutam eſſe oportebit; neve quis audiat, nec junior nec ſenior aut ſoluta oratione quenquam aut ligata ejuſmodi narrantem quaſi fabulas: qua neque ſancte dicantur profecto, ſi dicantur, neque utilitatis habeant quicquam, neque ipſa conſonent ſibi*].

4. Καὶ τοῖς στρατηγοῖς, *& Magiſtratibus*] Erant hi in Sacerdotum numero, ſed peculiariter nominantur, quod eorum officio incumberet prehendere eos qui in ſacra peccarant: στρατηγοὺς [*Magiſtratus*] vocat τὸν στρατηγὸν [*Præfectum templi*] *cum adjutoribus ei additis.* Nam ἑκάστῃ ἀρχῇ δύο ἄνδρες ὑπηρέται ἐδόθησαν [*unicuique Magiſtratui duo viri in miniſtros erant additi*], ut Joſephus nos docet Originum IV. Vide quæ ad Matthæum hac de re diximus XXVI. 45.

6. Ἐξωμολόγησε· *ſpopondit*] Theophilus in Inſtitutionibus titulo de verborum obligationibus, Τὰ δὲ ἕτερα μεταφράζεται· προμίττις, προμίττω· τοῦτ' ἔστι, ὁμολογεῖς, ὁμολογῶ [*cætera vero transferuntur: promittis, promitto; id eſt, ſpondes, ſpondeo*]. Frequens uſus verbi ὁμολογεῖν [*ſpondere*] hoc ſignificatu apud Græcos Oratores, ſed & apud Platonem.

7. Ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, *dies azymorum*] Primus dierum octo, quo die incipiebant edi azyma ante noctem. ¶ *Ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. in qua neceſſe erat occidi Paſcha*] Marcus inquit, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον [*quando Paſcha immolabant*], id eſt, *quo die de more mactari Paſcha ſolebat.* Sed de his ad Matthæum.

8. Πορευθέντες, *euntes*] *Jamjam euntes*, non exſpectato tempore pomeridiano: ſic & mox, ἑτοιμάσατε [*ſibi parate*], nulla mora interpoſita.

14. Ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα, *cum facta eſſet hora*] Cum tempus eſſet cœnandi, quippe multa jam nocte, ut ad Matthæum diximus. Sic Matth. XIV. 15. ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθεν [*hora jam venit*]. Sic Paulus Rom. XIII. 11. ὥρα ὑμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι [*hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*]. Sic ὥρα πορεύεσθαι [*tempus eſt ire*]

eundi] apud Xenophontem. ὥρα δημηγορεῖν [*tempus concionandi*] apud Plutarchum.

15. *Ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν. Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar*] Quaſi dicat: *feſtinavi ad hanc cenam quia tempus mortis inſtat, quod mihi ereptурum eſt facultatem τοῦ πασχατίζεσθαι μεθ' ὑμῶν* [*Paſcha vobiſcum celebrandi*]. Itaque rationem reddit anticipatæ cœnæ paſchalis, ut apud Matthæum, *ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστι* [*tempus meum prope eſt*]: *ἐπιθυμίᾳ ἐπιθυμεῖν* eſt *magno rei alicujus deſiderio flagrare*, ut Geneſ. xxxi. 30. pro quo *ἐπιθυμίαν ἐπιθυμεῖν* [*deſiderio deſiderare*] dixerunt Lxx. Num. xi. 4. Cauſa autem deſiderii videtur explicari commate ſequenti: nempe quod cuperet Chriſtus ipſis explicare quid eſſet quo potiſſimum reſpiceret Paſchalis cæremonia, idque per ritum aſpectabilem animis ipſorum infigere.

16. Οὐκ ἔτι ὃ μὴ φάγω ἐξ αὐτοῦ ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. *quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in Regno Dei*] Exponere cœpimus ad Matthæum. Senſus eſt: *οὐ πασχατίσομαι μεθ' ὑμῶν αἰ μὴ ὅτε πληρωθήσεται τὸ πάσχα* [*Paſcha vobiſcum non celebrabo priuſquam completum fuerit Paſcha*]. id autem fiet *ἐν τῷ αἰῶνι τῷ μέλλοντι* [*in futuro ſeculo*], qui *κατ' ἐξοχήν* [*per excellentiam*] ſolet vocari *βασιλεία τοῦ Θεοῦ* [*Regnum Dei*]. Sciendum ergo Paſcha, quanquam proprie ſignificat tranſitum illum τῆς ὀλοθρευτοῦ [*perdentis*], ſimul tamen & ex conſequenti ſignificaſſe liberationem ex Ægyptiaca ſervitute: ac, ſi quis diligenter advertat animum ad ſacri contextus loca, in quibus Paſchatis fit mentio, plerumque videbit, non tam prius illud quam poſterius hoc reſpici. Joſephus, *Κατὰ τὴν ἑορτὴν τῶν ἀζύμων ἣν ἄγουσιν Ἰουδαῖοι, σωτηρίαν ἔχοντες τῆς ὑπ' Αἰγυπτίους δουλείας ἀνεθέντες εἰς τὴν πάτριον γῆν* [*Circa azymorum feſtum, quod agunt Judæi in memoriam reſtituæ eis è ſervitute Ægyptiaca & libertatis & patriæ*]. Idem alibi, *Ἄζυμα ἑορτὴ πάσχα καλεῖται, ὑπόμνημα τῆς ἐξ Αἰγύπτου ἐπάρσεως* [*Azymorum feſtum vocatur Paſcha in memoriam liberationis ex Ægypto*]. Tota autem iſta liberatio ex Ægyptiaca ſervitute umbram ferebat liberationis, hic quidem à peccato, in vita autem altera à morte peccati ſtipendio: quare & per Paſcha utrumque hoc *μυστικῶς* [*ſub figura*] figurabatur. Philo, *Καὶ γὰρ τὸ πάσχα τοῖς ἐκ παθῶν εἰς ἄσκησιν ἀρετῆς διαβᾶσιν προστέτακται ποιεῖσθαι τὰς ὁσφῦς περιζωσαμένους, ἑτοίμους πρὸς ὑπηρεσίαν ἔχοντας καὶ τὸν σκηπτικὸν ὄγκον, τὰ ὑποδήματα λόγῳ, περιειλιφότας, ἀλλοτρίως καὶ παγίως ἐχοῦσι τοῖς ποσί, καὶ τὴν παιδείαν δυσὶ χειρὸς ἔχοντας μέσον, πρὸς τὴν ἐν τῷ βίῳ πραγμάτων πάντων ἄπτωτον κατόρθωσιν, καὶ τὸ τελευταῖον μετὰ σπουδῆς ἐντρέφῃναι· διάβασις γὰρ ἐστὶ Θεοῦ τῷ γενητοῦ καὶ φθαρτῷ τὸ πάσχα εἴρηται* [*Præceptum eſt enim tranſeuntibus ab affectu ad virtutum meditationem, ut accincti lumbos Paſcha celebrent, expediti ad miniſtrandum & induti calceamenta, quibus carneam molem ratione contineant, ſtentque recti firmatis pedibus, & diſciplinam habentes virgam in manibus, ad dirigenda citra errorem omnia vita negotia; poſtremo jubentur properando cibum edere: quia Paſcha creaturæ mortalis tranſitus ad Deum dicitur*]. & alibi, *Φησὶ γὰρ μετὰ σπουδῆς θύειν τὸ πάσχα, τὸ δ' ἔστιν ἑρμηνευθέν, διάβασις. ἣν ἀνενδοιάστῳ γνώμῃ καὶ προθυμίᾳ συντόνῳ χρώμενος ὁ νοῦς πήγνυται ἀπὸ τῶν παθῶν ἀμεταστρεπτὶ ποιεῖται διάβασιν, καὶ τὴν πρὸς τὸν σωτῆρα Θεὸν εὐχαριστίαν, ὃς εἰς ἐλευθερίαν ἠ προσδοκήσαντα αὐτὸν ἔξειλετο* [*Ait enim cum feſtinatione immolare Paſchà quod interpretatur tranſitus. Quando inhæſitanter cum ſumma alacritate mens ab affectibus continuato curſu tranſmigrat ad gratiarum actionem pro ſalute accepta à Deo: qui nec opinantem vindicavit in libertatem*]. Rurſum alio loco, *Τυτάσι κυρίως εἰπεῖν τὸ ψυχικὸν Πάσχα, ἡ παντὸς πάθους καὶ παντὸς αἰσθητοῦ διάβασις πρὸς τὸ δέκατον, ὃ δὴ νοητόν ἐστι καὶ θεῖον* [*Hoc proprie anima Paſcha dicitur omnium affectuum & omnium ſenſibilium tranſitus dum properat ad decimum illud, quod eſt Divinum & intelligibile*]. Mox, *Τυτάσι ἔφεσις, τοῦτ' ἐλευθερία παντελὴς ψυχῆς, οὐ ἐκλανθάνεται τὰ πλάνων ἀποστομένης, καὶ πρὸς τὴν ἀπλανῆ φύσιν μεθορμιζομένης* [*Hæc eſt remiſſio, hæc libertas abſoluta animæ priſtinum errorem excutientis & tranſeuntis ad nunquam errantem naturam*]. Iterum alio loco, *Πάσχα δ' ἐστὶν ὅταν ἡ ψυχὴ τὸ μὲν ἄλογον πάθος ἀπομαθεῖν μελετᾷ, τὴν δὲ αὔλογον εὐπάθειαν ἐπανείσῃ πάσχῃ* [*Eſt autem Paſcha cum anima irrationales affectus meditata dediſcere, rationi eos ſubdere & ad mediocritatem reducere conatur*]. Ad priorem tranſitum referendum illud Pauli, *Τὸ πάσχα ἡμῶν* [*Paſcha noſtrum*], (id eſt, *ἡ διάβασις ἐκ τῆς παλαιᾶς ζύμης εἰς τὸ νέον φύραμα* [*tranſitus ex veteri fermento ad novam maſſam*] *ἐτύθη Χριστὸς* [*immolatus eſt Chriſtus*], 1 Cor. v. 7. Origenes adverſus Celſum viii. *Ἔτι δὲ ὁ νικήσας, ὅτι τὸ πάσχα ἡμῶν ἐτύθη Χριστὸς, καὶ χρὴ ἑορτάζειν, ἐτυθέντα τῆς σαρκὸς τοῦ λόγου, ὃν ἔχειν ὅτε ὁ τοιοῦτος τὸ πάσχα, ὅπερ ἐρμηνεύεται διάβασιν, διαβαίνων ἀεὶ τῷ λογισμῷ καὶ παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ πράξει ἀπὸ τῶν τοῦ βίου πραγμάτων ἐπὶ τὸν Θεόν* [*Quiſquis item cogitat Paſcha noſtrum immolatum eſſe Chriſtum, celebrandumque hoc feſtum, edendo carnem Verbi, nunquam non celebrat Paſcha, quod ſonat* tranſitoria, *tranſiens ſemper ratione omnique cogitatione atque actione ab hujus vita negotiis ad Deum*]. Ad poſteriorem: illud Joh. v. 24. *Ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων, καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον· καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν* [*Qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam*]. Nam *μεταβέβηκεν* eſt πσο [*tranſiit*], unde Paſcha Philoni *τὰ διαβατήρια* [*ſacra pro tranſitu*], Joſepho & Symmacho *ὑπέρβασις* [*tranſitus*]. Idque ipſum latius explicat Chriſtus Johannis vi. Ac ne ignoraremus quomodo fiat utraque hæc *μετάβασις* [*tranſitus*], expreſſit hoc ipſum Chriſtus in conſecratione panis & poculi, per ea ſigna nobis velut ob oculos ponens ſuam nobiſcum & noſtram ſecum communitatem & quaſi concorporationem. Nam ipſe culpas noſtras in ſe ſuſcepit, ut nos ipſius innocentiam acciperemus: ipſe pro nobis mortem obivit, ut nos immortalitate ſua donaret. Senſus igitur hujus loci eſt, *Nunc præſens ac conſpicuus vobiſcum Paſcha celebro: poſthac id non faciam. Sed veniet tempus cum me iterum conſpicietis, cum res ipſa quam Paſcha deſignat in vobis per me conſummabitur τῇ διαβάσει τοῦ φθαρτοῦ εἰς τὸ ἄφθαρτον* [*tranſitu de corruptibilitate in incorruptibilitatem*], cujus initium eſt in hac vita *ἡ διάβασις τῆς ψυχικῆς εἰς τὸ πνευματικόν* [*tranſitus animalis in ſpirituale*].

17. Καὶ δεξάμενος τὸ ποτήριον, *& accepto calice*] Ex more cœnæ paſchalis; nam & in cœna aliquoties, & poſtremo poſt cœnam in orbem bibebatur. Nec eſt quod duo hæc commata ſuſpecta habeamus, cum & Græci codices & Latini agnoſcant & Arabici, ſed & Syricorum nonnulli. Interpolandi cauſam nonnullis præbuit Matthæi narratio, hos Chriſti ſermones non ex temporis ordine, ſed brevitatis cauſa ex occaſione recenſentis. Qua de re ad Matthæum monuimus. ¶ *Διαμερίσατε ἑαυτοῖς. dividite inter vos*] Quoties omnibus porrigere poculum paterfamilias non poterat, proximi remotioribus de manu in manum tradebant, idque perinde habebatur, quaſi ſinguli ex patrisfamilias manu poculum accepiſſent.

18. Ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ. *donec Regnum Dei venerit*] Vide quæ ad Matthæum.

19. Τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον *quod pro vobis datur*] Κλώμενον [*quod frangitur*] dixit Paulus. In utroque & ad panem & ad victimas alluditur. Panis frangitur & datur: victimæ quoque dabantur ab offerentibus, deinde frangebantur in altari. Ita & Chriſtus corpus ſuum dedit, cum mortem patienter noſtri cauſa pertulit, quod alibi dicitur *δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ* [*dare animam ſuam*], Matthæi xx. 28. fractum quoque eſt idipſum corpus cum manus pedeſque clavis ſunt perfoſſi, adde & latus tranſfixum. Præſens poſitum pro proxime futuro, ut etiam in verbo *ἐκχυνόμενον* [*quod effunditur*]· qua de re ad Matthæum monuimus. ¶ *Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, hoc facite in meam commemorationem*] Id eſt, *Hoc ritu celebrate mortis, quam jamjam ſubiturus ſum, memoriam.* Et Chriſtus hoc loco, & alibi Apoſtoli mortis potius Chriſti quam vitæ (quanquam & vitæ) meminiſſe nos jubent, quia in morte, & obedientia ejus & amor erga genus humanum eximie elucet.

20. Μετὰ τὸ δειπνῆσαι, *poſtquam cœnavit*] Ut mos erat Judæorum, quemadmodum ad Matthæum diximus. Idem videre eſt & apud prophanas gentes uſitatum. Ita apud Virgilium in Euandri ſacrificio, poſt menſas remotas ſequitur,

Et pocula porgite dextris.

¶ *Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, Hic eſt calix novum Teſtamentum in meo ſanguine*] Simili locutione *διαθήκην περιτομῆς* [*teſtamentum circumciſionis*] dixit Stephanus Act. vii. 8. id eſt, *περιτομὴν εἰς σημεῖον διαθήκης* [*circumciſionem in ſignum teſtamenti*], ut de iride legimus Geneſ. ix. 12. aut *εἰς σφραγῖδα* [*in obſignationem*], ut Paulus loquitur. Tertullianus hunc locum citans non male ſententiam exprimit dicens *teſtamentum ſanguine ſuo obſignatum.* Quæ ſanguine ſignata ſunt, deleri non poſſe ajunt Hebræi. Vide Eſther Rabba. ¶ *Τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. qui pro vobis fundetur*] Conſtructio eſt qualem aliquoties jam annotavimus *πρὸς τὸ σημαινόμενον* [*ad id quod ſubintelligitur*]. Nam quia idem eſt *διαθήκη ἐν αἵματι* [*teſtamentum in ſanguine*] & *αἷμα διαθήκης* [*ſanguis*

teſtamenti], ut hoc loco poſt Moſem & Zachariam Matthæus & Marcus loquuntur, ideo τὸ ἐκχυνόμενον [*qui effunditur*] intulit, quaſi αἷμα διαθήκης [*ſanguinem teſtamenti*] dixiſſet. Sic Matth. xxvii. 19. cum præcellit ἔθνη [*gentes*], ſequitur αὐτὰς [*illos*]. Similia ſunt, *Ubi eſt ſcelus qui me perdidit?* Item, *Curemus aquam uterque partem: tu alterum, ego vero alterum.* Sic Prov. iv. 13. conſtructio eſt quaſi προσ ιτην [*diſciplina* fœm. gen.] ſcriptum eſſet τουο [*diſciplina* maſc. gen.]. Non diſſimilia loquendi genera obſervare eſt Geneſ. iv. 10. Job. xxix. 10. xxxii. 7. xxxiii. 2. xxxv. 9. xxxvii. 10. Pſ. x. 2.

21. Πλὴν ἰδὲ, *verumtamen ecce*] Diverſos Chriſti ſermones nulla ordinis habita ratione Lucas connectit. Nam illud de proditore in cœna juſta contigit; admonitio de vitanda ambitione plane, ut credibile eſt, in lotione inter cœnam paſchalem & cœnam juſtam. Ita πλὴν [*verumtamen*] ſæpe Lucæ eſt μεταβατικόν [*tranſitivum*]. ¶ Ἡ χεὶρ τοῦ παραδιδόντος με, *manus tradentis me*] Non puto *manum* hic pro *conſilio* accipi, ut II Sam. xiv. 19. ſed potius dici manum ejus eſſe in menſa cum Chriſto, quia cibum cum Chriſto communem ſumebat. Matthæus, ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα [*qui intingit mecum manum in paropſide*].

22. Πορεύεται, *vadit*] הלך [*abit*], id eſt, *moritur*, ut apud Matthæum diximus. ¶ Κατὰ τὸ ὡρισμένον, *ſecundum quod definitum eſt*] Τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ [*definito conſilio*] Act. ii. 23. Eſt autem his locis ὁρίζειν [*definire*] idem quod προορίζειν [*præfinire*], ut Act. ii. 23. x. 42. xvii. 26, 31. Sed hoc definitum conſilium de morte Chriſti non erat citra omnem præſcientiam, imo conjunguntur dicto loco Actorum ὡρισμένη βουλὴ [*definitum conſilium*] & πρόγνωσις [*præſcientia*]. Et Juſtinus diſputatione adverſus Tryphonem objectionem illam ὅτι ἔδει τὸν Χριστὸν σταυροῦσθαι καὶ ἐν τῷ γένει τῶν Ἰουδαίων εἶναι τὰς παραβαίνοντας [*neceſſe fuiſſe crucifigi Chriſtum, & eſſe in Judæorum gente qui crederent in eum recuſarent*], ita ſolvit, ὅτι προεγίνωσκεν ὁ Θεὸς γενησομένους πονηρὰς, οὐχ ὅτι τοιούτους ἐποίησε [*quod eos præſciebat Deus malos fore, non quod eos tales fecerit*]. Deus enim, cui non ea tantum quæ inevitabiliter ſunt futura, ſed & quæ poſſunt fieri ſunt notiſſima, non ignoravit nunquam defuturos homines qui doctrinam veri ipſorum commodis adverſam non aſpernarentur modo, ſed crudeli etiam odio infectarentur. Deinde decretum illud definitum dicitur factum de eventu, non de actionibus hominum, quibus oblatis ad eventum uſus eſt Deus. Clare diſtinguunt Apoſtoli in hymno qui eſt Act. iv. 28. ubi Pilatus & Herodes coiiſſe dicuntur ut facerent ὅσα ἡ χεὶρ τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ βουλὴ αὐτοῦ προώρισε [*quæ manus Dei & conſilium præfinierunt*], non αὐτοὺς ποιῆσαι [*illos facere*], ſed γενέσθαι [*fieri*]. Si de ipſis actionibus Judæ, Pilati, Herodis quæramus, certum eſt ne illas quidem contigiſſe ἄνευ τοῦ Πατρὸς [*præter Patrem*], cum *ſine eo ne paſſer quidem cadat*, ſed voluntas Dei circa eos permittens fuit, non efficiens: quæ diſtinctio & Sacris Literis & omnium veterum Chriſtianorum ſententiæ multo eſt congruentior quam ea quæ nonnullis placet, actionem à vitio quod in actione eſt diſcriminantibus, quod in multis actionibus, puta furto, adulterio, atque aliis, quarum'ne nomen quidem ſine vitio intelligi poteſt, rerum naturæ repugnat. Neque magis audiendi ſunt qui actiones tales à Deo impellente procurari poſſe ajunt bono fine, cum ſolus finis non poſſit rectas facere actiones, aut etiam talia decreta quæ antecedenter omnino neceſſitatem ponant talium actionum. Æque rejicienda eorum opinio qui Deum recte iſta facere arbitrantur, quia nulla teneatur lege: nam quædam mala ſunt etiam citra legem; & poſita ac manente ejus obligatione procurare ut aliquis contra legem faciat, naturaliter malum eſt ac proinde naturæ Dei repugnat. Adde quod hoc poſito inane redditur peccati nomen, cum peccari in eo non poſſit quod Deus oprimus voluerit nos facere decreto prævertente libertatem noſtræ voluntatis. Quanto rectius erat cum Paulo dicere εἴασεν ὁ Θεὸς τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν [*permiſit Deus gentes ingredi vias ſuas*], Act. xiv. 16. & ſi quæ ſunt alibi obſcura ad eam formam exponere? quod veteres omnes videmus feciſſe. Clemens Strom. viii. τὸ μὴ κωλύον ἀνενεργητόν ἐστι· διὸ οὐκ ἔστιν αἴτιον μὴ κωλύον, ἀλλὰ τὸ κωλύον· ἐν γὰρ τῷ ἐνεργεῖν καὶ ὁρᾶν τι τὸ αἴτιον νοεῖται [*quod non prohibet, non eo aliquid efficit. Itaque id quod prohibet demum, non id quod non prohibet, cauſa loco eſt. Cauſa enim eo cenſetur, ſi agat aliquid atque effectum det*]. Origenes adverſus Celſum vii. Ὁράτω τὴν ἀτοπίαν ὁ τοῦτο λέγων, τοῦ πάντα κατὰ γνώμην διοικεῖσθαι τῷ Θεῷ. ἀκολουθεῖ γὰρ τῷ λόγῳ καὶ τὰ ἁμαρτανόμενα καὶ πάντα τὰ ἀπὸ κακίας κατὰ γνώμην διοικεῖσθαι τῷ Θεοῦ, ὅπερ ἐστὶ ταυτόν ἐστι τῷ, ἐκ κωλύοντος τῷ Θεῷ γίνεσθαι [*Quod qui dicit, videat quanta abſurditas ſequatur hanc propoſitionem, Omnia diſpenſari Dei arbitrio; ſequitur enim ut quicquid peccatur per malitiam fiat ex voluntate Dei; quod quidem aliud eſt quam fieri non prohibente Deo*]. Mox ea quæ prave fiunt ait non eſſe ἐκ προνοίας [*ex providentia*], ſed κατ' ἐπακολούθησιν τῶν ἐκ προνοίας [*per conſecutionem eorum quæ fiunt ex providentia*]. Cyprianus, *Cum ipſe ſit mundi Dominus, cogitur, & rector, & cuncta arbitrio ejus & nutu gerantur, nec quicquam fieri poſſit niſi quod fecerit aut fieri ipſe permiſerit.* Salvianus, *Quædam ex his Divina diſpoſitio ita ordinavit, quædam patientia ſuſtinuit.* Chryſoſtomus, Οὐδὲν ἀγνοῶντος αὐτῷ γίνεται, ἀλλ' εἰδότος μὲν ἅπαντα, οὐ μὴν πάντα ἐνεργοῦντος [*Inſcio eo nihil fit, ſed ſciente quidem omnia, non tamen omnia operante*]. Scriptor Reſponſionum ad Græcos in operibus Juſtini: Συγχωρεῖται ἡμᾶς πράττειν ἃ ἀκουσίως αἱρούμεθα κακὰ, οὐ διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς αὐτοῦ δυνάμεως, ἀλλ' ἵνα τὸ ἡμῶν αὐθαίρετον καὶ τὸ αὐτῷ μακρόθυμον δειχθῇ [*Permittit nobis facere, quod nitro eligimus, malum: non quo infirmior ſit quam ut poſſit impedire ne quod fiat malum: ſed ut & nos ſponte eſſe improbos & ipſum eſſe clementiſſimum appareat*]. Huc referendum & illud quod veteres omnes conſtanter tradunt ex Divina præſcientia nullam hominibus imponi agendi neceſſitatem: id enim nullius erat uſus, ſi ipſa præſcientia decretis pure effectivis ſubniteretur. Origenes adverſus Celſum diſputans, An recte dicatur πάντως ἐχρῆν γενέσθαι τὸ προειρημένον [*omnino oportebat, id quod prædictum eſt, fieri*], accurate vocem πάντως [*omnino*] diſtinguit, Εἰ γὰρ τὸ πάντως ἀκύρει ἀντὶ τοῦ ἀναγκαίως, οὐ δώσομεν αὐτῷ· δυνατὸν γὰρ ἦν καὶ μὴ γενέσθαι. εἰ δὲ τὸ πάντως λέγει ἀντὶ τοῦ ἴσως ἄτερ οὐ κωλύοντος εἶναι ἀληθὲς πῶν δυνατὸν ἦ τὸ μὴ γενέσθαι, οὐδὲν λυτεῖ τὸν λόγον [*Nam ſi iſtud* omnino *ita accipiat, ut ſonet neceſſario, nunquam id ei concedemus; poterat enim ſane aliter fieri. Quod ſi ita dicit* omnino, *ut nihil aliud ſignificatum velit, niſi hoc*, plane ita fore, *quod verum eſſe nihil prohibet, tametſi aliter fieri poſſit; nihil dicit, quod à vera ratione abhorreat*]. Tractarat idem Origenes tomo in Geneſim tertio verbis non diſſimilibus, addito Judæ exemplo de quo hoc Lucæ loco præcipue agitur, Εἰ μὲν γὰρ τὸ πάντως ἴσον ἔστι τις ἑρμηνεύσει, ὡς ἀνάγκην εἶναι γενέσθαι τὸ προεγνωσμένον, οὐ δώσομεν αὐτῷ. οὐ γὰρ ἐροῦμεν, ἐπεὶ προέγνωσαι Ἰούδαν προδότην γενέσθαι, ὅτι πάσα ἀνάγκη ἦν Ἰούδαν προδότην γενέσθαι· ἐν ἓν τοῖς περὶ τῆς Ἰούδα προφητείας μέμψεις καὶ κατηγορίαι τῷ Ἰούδα ἀναγεγραμμέναι εἰσὶ, παντὶ τῷ παρεῖσθαι τὸ ψεκτὸν αὐτῷ· οὐκ ἂν δὲ ψόγος αὐτῷ προσήκετο εἰ ἐπέναγκες προδότης ἦν, καὶ μὴ ἐνδέχετο αὐτὸν ὅμοιον τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις γενέσθαι [*Nam ſi cui hoc*, omnino ita erit, *ita explicandum videatur, ut patet neceſſario hoc quod cognitum fuit, ante quam fieret, fieri debere; nos vero iſtiſmodi interpretationi non accedimus. Neque enim dicemus, Quia antea cognitum fuerit Judam proditurum, neceſſe ei fuiſſe prodere: Itaque in iis, quæ de Juda ſcripta ſunt propheriis, querimonia atque accuſationes adſcriptæ ſunt, quæ omnibus plenum faciant, vituperabile hoc ejus factum fuiſſe. Neque vero merito vituperari poſſet, ſi proditorem eum fieri neceſſe eſſet, neque ulla ratione conſequi poſſet ut ſimilis cæterorum Apoſtolorum evaderet*]. Mox, Εἰ δέ τις διηγήσεται τὸ πάντως ἴσον, καὶ τοῦτο σημαίνειν αὐτὸ λέγων, ὅτι ἴσως μὲν τάδέ τινα, ἐνδέχετο δὲ καὶ ἑτέρως γενέσθαι, τοῦτο ὡς ἀληθὲς συγχωροῦμεν. τὸν μὲν γὰρ Θεὸν οὐκ ἐνδέχεται ψεύσασθαι· ἐνδέχεται δὲ περὶ τῶν ἐνδεχομένων γενέσθαι καὶ μὴ γενέσθαι Φρονῆσαι τὸ γενέσθαι αὐτὰ ἢ τὸ μὴ γενέσθαι [*Sin quis ita explicet iſtud*: Omnino fiet, *ut hoc ſignificari dicat, Fore quidem hoc ita ut prædictum ſit, potuiſſe autem & aliter fieri: nos quoque hanc ſententiam, ut veram amplectimur. Deus enim ut mentiatur fieri non poteſt: poteſt autem, ut, quæ utramlibet in partem poſſunt cadere, ea utram in partem caſura ſint, ſciat*]. Quod ibidem latius proſequitur, à veterum nulla hac in parte errorum reprehenſus. Imo plurimi Scriptores ad hunc locum idem plane tradiderunt: & Chryſoſtomus oratione Cur obſcura ſint vaticinia: Οὐδὲ γὰρ ἡ πρόγνωσις, ἄνθρωπε, τῆς προνοίας αἰτία· μὴ γένοιτο· ἡ μὲν γάρ ἐστιν ἀναγκαστικὴ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι ἀλλὰ προγνωστικὴ μόνον. διὰ τοῦτο καὶ Ἰούδαν προεῖπεν ὁ Χριστὸς διὰ τοῦτο ἐγένετο ἐκεῖνος προδότης, ἀλλ' ἐπειδὴν προδότης ἔμελλε γενέσθαι διὰ τοῦτο προεῖπεν ὁ Χριστός [*Neque enim præſcientia, ô homo, cauſa eſt improbitatis; abſit. Neque enim cogit ut fiant quæ futura ſunt, ſed tantum ante, quid futurum ſit, novit. Neque hic ideo proditor fuit, quia id Chriſtus prædixerat: verum eo prædixit Chriſtus, quia hic futurus erat proditor*]. Contrariam vero ſententiam magno conſenſu damnatum ubique eſt invenire. Locum Irenæi ſupra adduximus; cui addi poteſt ille Clementis, Τί πρὸ τούτων ἔτι φθέγγονται τὴν φωνὴν αἱ αἱρέσεις, ἀγαθὸν τὸν Παντοκράτορα κηρύττουσιν τῆς γραφῆς καὶ ἀναίτιον κακίας τε καὶ ἀδικίας; [*Quid ad hanc vocem habent hæreſes, quod regeram, cum Scripturæ Omnipotentem & bonum & vitii omnis injuriæque inſontem prædicet?*] ¶ Πλὴν καὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ δι' ὃν παραδίδοται

ve-

veruntamen væ homini illi per quem tradetur] Proſper ad objectiones Vincentianas, *Non caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædeſtinato Dei aut excitavit, aut juvit, aut impulit: ſed plane prædeſtinavit judicium ſuum, quo unicuique retributurus eſt prout geſſit, ſive bonum ſive malum: quod judicium omnino futurum non eſſet, ſi homines Dei voluntate peccarent.* Qui cum bene convenit illud Hierocles, Ὅσα μὲν τοῖς ἐφ' ἡμῖν ἁμαρτάνομεν, ταῦτα εἰς προαίρεσιν ἀναφέρεται· ὅσα δὲ ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις κατὰ τοὺς τῆς δίκης ἕπεται νόμους, εἰς εἱμαρμένην. τὰ δὲ προηγουμένως παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐνδιδόμενα ἀγαθὰ, εἰς πρόνοιαν [*Si quid in re, quæ noſtri arbitrii eſt, delinquit quippiam, id è voluntate ejus oritur: quod delicta è juſtitiæ lege ſequitur, fato attribuitur: quod ultro nobis bona largitur Deus, providentiæ eſt*].

24. Ἐγένετο, *facta eſt*] Puto recte verti poſſe *fuerat*. Neque enim neceſſe eſt, imo vix credibile tam luctuoſo tempore vacaſſe animos ambitioſo certamini. Sed memor Chriſtus quid olim inter ſe diſceptaſſent, abiturus, ut dilectionis ita & humilitatis præcepta ſuis tradidit.

25. Ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, *qui poteſtatem habent ſuper eos*] Vide Matth. xx. 25. ¶ Εὐεργέται καλοῦνται. *beneficî vocantur*] Sæpe apud Joſephum & Philonem reperias hoc nomine appellari Romanos Imperatores. Datur & aliis Regibus, ut apud Plutarchum De ſe laudando; item apud Iſocratem Panathenaico: Apud Joſephum etiam Simon Ethnarcha hoc titulo ornatur. Significat Chriſtus nomina talia ſæpe ab iis affectari qui reipſa ſuis magis quam alienis commodis conſulant. Videant ergo quid pulchrum ſit, (alioqui nomen non affectarent) ſed facere idipſum negligunt. Vide quæ ad Matthæum, imprimis quod ibi ex Philone adduximus, valde enim facit huic loco illuſtrando. Hebræi Reges vocabant מטיבים *benefices*, ut Jobi xii. 21. xxi. 28. & alibi.

26. Ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, *qui major eſt in vobis*] Quicunque munus aliquod in regno meo obtinebit. ¶ Γινέσθω ὡς ὁ νεώτερος· *fiat ſicut minor*] Sicut πρεσβύτεροι [*Seniores*] vocantur *qui Eccleſiæ præſunt*, ita νεώτεροι [*juniores*] qui ſunt ἐν τάξει ἰδιωτῶν [*in ordine laicorum*], Actor. v. 6. Ἀναστάντες δὲ οἱ νεώτεροι [*ſurgentes autem juvenes*], Paulus 1 Tim. v. 1. Πρεσβυτέρου μὴ ἐπιπλήξῃς, ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα· νεωτέρους ὡς ἀδελφούς [*Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem, juvenes ut fratres*]. Vult ergo Chriſtus Præpoſitos Eccleſiis nihil ſplendoris aut commodi ſibi præcipuum ſupra cæteros aſſumere. ¶ Ὁ ἡγούμενος, *qui præceſſor eſt*] Ἡγούμενος [*Præceſſor*] hic dici videtur *qui in Eccleſia ſublimiorem cæteris conſecutus eſt gradum*, ut Apoſtoli erant conſecuturi, & poſt eos Epiſcopi: ita enim veteres explicant illud ad Hebræos, Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν [*Obedite Præpoſitis veſtris*]. His opponuntur οἱ διακονοῦντες [*miniſtrantes*], qui in minimo ſunt gradu.

27. Τίς γὰρ μείζων; *nam quis major eſt*]? Oſtendit Chriſtus diſcrimen ſui Regni à regnis mundi: in regnis mundi Rex ad menſam accumbit, alii miniſtrant: at Chriſtus Rex cœleſtis Regni toto vitæ tempore ſuis ſubditis miniſterium exhibuerat, idque ipſum hoc tempore per pedum lotionem oculis ſubjiciebat, ut res memoriæ penitus hæreret.

28. Ὑμεῖς δέ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ, *Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum*] Quaſi dicat, *Hactenus res veſtræ ſatis recte ſe habent: vos alloquor qui à proditione abhorretis, qui hactenus fideli animo me ſectamini.* ¶ Ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου. *in tentationibus meis*] Πειρασμοὶ [*tentationes*] hic dicuntur *res adverſæ per quas conſtantia explorator*, ut Galat. iv. 14. Jacobi i. 12. 11 Petr. ii. 9. Apocal. iii. 10. Dicitur autem Chriſtus πεπειρᾶσθαι [*tentatus eſſe*], Heb. ii. 18. iv. 15. quatenus per illa adverſa obedientia ipſius emicuit.

29. Κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ Πατὴρ, *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater*] Dubium non eſt quin διατίθεσθαι [*diſponere*] hic non ſit *legare*, quod Patri non convenit, ſed *pacto addicere*, ut apparet in Græco 11 Paral. vii. 18. In Pſalm. lxxxix. 4. כרתי ברית vertitur διεθέμην διαθήκην [*diſpoſui teſtamentum*]: Sicut & libri quidam vetuſtiſſimi hic habent διατίθεμαι ὑμῖν διαθήκην [*diſpoſui vobis teſtamentum*]. Conſtruenda autem verba ſunt hoc modo, Καθὼς διέθετό μοι ὁ Πατὴρ βασιλείαν, κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου [*Sicut diſpoſuit mihi Pater Regnum, ſic & ego diſpoſui vobis, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam*], ut recte exponit Theophylactus. Senſus eſt, *Sicut Pater mihi Regnum addixit acquirendum per tolerantiam rerum adverſarum, ita & ego vobis addico gloriam Regiæ Majeſtati proximam ſimili ratione acquirendam:* ὥσπερ κοινωνοί ἐστε τῶν παθημάτων, οὕτω καὶ τῆς παρακλήσεως [*ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis*] 11 Cor. i. 7. εἰ ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν [*ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus*] 11 Tim. ii. 12. Cohæret autem optime cum ſuperioribus, ubi eos ab ambitione deterruit. Nam quorum gloria in cœlo repoſita eſt, ii non debent eam in terris quærere: Deinde via ad gloriam eſt humilis patientia, ambitioni plane adverſa.

30. Ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ βασιλείᾳ μου, *Ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*] Duabus notis ſolent cognoſci Proceres regni, honoris & poteſtatis. Honos eſt in menſæ regalis conſortio: Poteſtas in judiciorum participatione. His tranſlationibus hoc loco deſcribitur dignitas, ut diximus, regiæ proxima.

31. Σίμων, *Simon*] Latinus & Syrus legerunt Σίμωνι [*Simoni*]. At à recepta lectione ſtat Arabs & veteres Latini Scriptores. Apoſtolos omnes in Petri perſona Chriſtus alloquitur, ſicut & ipſe pro Apoſtolis loqui ſolebat. Nam quæ ad ipſum peculiariter pertinebant, eorum ex reſponſo ipſius nata eſt occaſio. ¶ Ἐξῃτήσατο ὑμᾶς, *expetivit vos*] Id eſt, *petit vos ſibi dedi*. Alluſio ad Jobi hiſtoriam ubi Deus Satanæ, הנה כל אשר לו בידך [*ecce omnia quæ ei ſunt, in manu tua*]. id eſt, *res ejus tibi dedo, tuo arbitratui permitto.* Sic Iſocrates dixit: ἐὰν δὲ μηδὲν τούτων ποιῶ, παρ' ὑμῶν ἔχειτεῖν. *Quod ſi horum nihil facerem, me ut dedi à vobis poſtularem.* ¶ Τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον, *ut cribraret ſicut triticum*] *Ideo*, inquit, *hoc poſtulavit ut vos poſſet pro arbitrio concutere atque agitare.* Nam τοῦ infinitivo junctum eſt τελικὸν [*finale*] apud Lucam. σινιάζειν [*cribrare*] eſt זרה quod λικμᾶν [*ventilare*] vertunt Septuaginta Amoſi ix. 9. ſed καταχρηστικῶς [*per abuſionem*]. Nam ſequitur בכברה, id eſt, *in cribro*. Quare eum Amoſi locum hic reſpici credibile eſt. Paris ſignificatus eſt זרה, quod & ipſum ſæpe per λικμᾶν [*ventilare*] vertitur: alibi per διασκορπίζειν, ἀπαλλοτριοῦν, καθυβρίζειν [*diſpergere, abalienare, dedecore afficere*].

32. Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, *Ego autem rogavi pro te*] Id eſt, *pro te aliiſque Apoſtolis.* Ignatius ad Smyrnenſes: ὁ δεηθεὶς μὴ ἐκλείπειν τὴν πίστιν τῶν ἀποστόλων [*qui rogavit ut non deficeret fides Apoſtolorum*]. Videtur hæc ipſa eſſe oratio quæ exſtat Johan. xvii. 9. ἐγὼ περὶ αὐτῶν ἐρωτῶ [*ego pro eis rogo*] & 11. Πάτερ ἅγιε τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου [*Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo*], & 15, ἵνα τηρήσῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ πονηροῦ [*ut ſerves eos à malo*]. ¶ Ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου· *ut non deficiat fides tua*] Ignatius ἵνα [*ut*] intelligit ὑλικῶς [*materialiter*], ut ſit ipſum illud quod rogatur. Et tale ſimile loquendi genus infra, προσεύχεσθε ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν [*orate ne intretis in tentationem*]. Poteſt alioquin & τελικῶς [*finaliter*] intelligi. Sed res eodem ferme recidit, dum illud teneamus, eſſe hic ſimilem μετωνυμίαν [*tranſnominationem*] qualis obſervata eſt Matth. xxvi. 41. & voluiſſe Chriſtum hac oratione ſuccurrere infirmitati naturæ humanæ, non arrogantiæ, non ſocordiæ: ideo Petrus æquo confidentior ſubſtractione auxilii punitur. Quæri hic ſolet an hæc Chriſti oratio in Petro eventum habuerit talem, ut fides non defecerit. Scriptores antiqui non eodem modo loquuntur: *Fidem in negatione amiſſam eſſe, periiſſe* dicit Ambroſius: negat ἐκλεῖψαι τὴν πίστιν [*defeciſſe fidem*] Chryſoſtomus. Prudentius *animo* dicit *ſervatam fidem*, aliorumque exſtant dicta in utramque ſententiam. Sed appareat *fidei* vocem ab illis diverſe accipi, quod & Sacrarum Literarum & communi linguarum omnium uſui convenit. Nam nomina virtutum & vitiorum modo ἕξιν [*habitum*] denotant, modo τὴν ἐνέργειαν [*actum*]. Quo ſenſu ἅπαντα τῷ ἔργῳ ὁρίζεσθαι [*omnia actu definire*] dixit Ariſtoteles; & Tertullianus, *Mutatis qualitatibus mutari vocabulorum poſſeſſiones:* Salvianus, *Nomen ſine actu ſuo atque officio nihil eſſe.* Defecit in Petro ἡ ἐνέργεια τῆς πίστεως [*actus fidei*] ad tempus: ideoque niſi pœnitentia ſubveniſſet, inciderat in legem illam quæ exſtat Matthæi x. 33. & 11 Tim ii. 12. Neque enim ſatis eſt corde credi ad juſtitiam, niſi ore fiat confeſſio ad ſalutem, Rom. x. 10. Ita is quem dixi Salvianus ait *fidem quæ per opera non probatur, habendam quaſi non ſit.* At ἕξιν [*habitum*] labefactavit, non extinxit: manſit in animo non nuda aſſenſio perceptæ veritatis, ſed & propoſitum Chriſtianiſmi, quanquam eo temporis momento inefficax. Cyprianus egregie epiſtola ad Antonianum, *Nec putemus mortuos eſſe ſed magis ſeminatimos jacere eos quos perſecutione funeſta ſauciatos videmus: qui ſi in totum mortui eſſent, nunquam de eiſdem poſtmodum & confeſſores & martyres fierent. Sed quoniam eſt in illis quod pœnitentia ſequente revaleſcat, ad fidem & ad virtutem de pœnitentia robur armatur.* Bene intellexit vir ſanctiſſimus non

eodem ſe modo habere animi & corporis tum vitam tum mortem. Nam corpus ut momento vivificatur, & momento ſolet interire: animus paulatim & per partes vitam accipit, amittit, & recipit. quod nos docet Divina Apocalypſis III. 2. Στήριξον τὰ λοιπὰ ἃ μέλλει ἀποθανεῖν· οὐ γὰρ ἤυρηκά σου τὰ ἔργα πεπληρωμένα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ [*Confirma cætera, quæ moritura erant, non enim invenio opera tua plena coram Deo*]. Facile autem partes mortuas reſtituit feſtinata pœnitentia, de cujus utilitate ita Salvianus, *Ilico ubi concidere, conſurgant & elevationem protinus meditentur in lapſu: ac, ſi fieri ullo modo pernicitate pœnitudinis poteſt, tam velox ſit remedium reſurgentis, ut vix poſſit veſtigium apparere collapſi.* Hoc fecit Petrus, & propterea id ipſum quod in eo defecit vix defeciſſe cenſendum eſt: meritoque ad eum referas quod alibi de peccatore mox pœnitentiam agente dicit idem Salvianus, *Non penitus enim dominum lædit ſuum, cui propitiatio reſervatur: & quid plura? puto quod ſemper in ipſo errore reſſederit à quo obtinere potuit ne diutius erraret.* ¶ Καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*] Plerique ἐπιστρέψας [*converſus*] interpretantur *pœnitentia ductus.* Cæterum mihi id probari non poteſt: nam ex verbis præcedentibus periculum intelligi poterat, non lapſus. Quare alios ſequi malo qui Hebraiſmum putant eſſe, qualis eſt Pſalm. LXXXV. 7 תשוב, ἐπιστρέψας ζωώσεις ἡμᾶς [*converſus vivificabis nos*], id eſt, πάλιν ζωώσεις ἡμᾶς [*rurſus vivificabis nos*]. Ita hic σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον [*tu aliquando converſus confirma*], eſt σύ ποτε πάλιν στήριξον [*tu aliquando rurſus confirma*]. *Tu quoque olim vicissim fratres confirma*, id eſt, *Da operam ne in fide deficiant, nempe pro ipſis orans, ſicut ego pro te oro*, addo *& exemplo præluceas.*

34. Ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι, *abnoges noſſe*] Similis locutio ei quæ ſupra *οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι* [*qui negant reſurrectionem eſſe*].

36. Ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλάντιον, ἀράτω, *ſed nunc qui habet ſæculum, tollat*] Significare Chriſtus voluit longe alia inſtare tempora quam experti eſſent hactenus: nam antehac multos fuiſſe qui ipſis bene vellent, qui ipſorum ſubvenirent neceſſitatibus; inimicos contra nihil in ipſos gravius auſos moliri: nunc autem ſibi, & conſequenter ipſis, inſtare graviſſima quæque; vix quemquam repertum iri qui ipſos ſublevet: contra venturos ipſos in odium publicum, ita ut à quovis impune atque etiam cum laude vexandi eſſent. Hanc ſortis diverſitatem ut intelligant, primum in memoriam illis revocat anteacti temporis ſortem perquam tolerabilem, quam olim ipſis prædixerat, addictis ſignis quibuſdam viſibilibus, nimirum, vetito ne in futuros uſus ſibi peram aut crumenam aut ſimile quid compararent. Nunc ſortem longe aliam ſignis etiam contrariis indicat: vult enim *ſumi crumenam, ſumi & peram*, ſigna inſtantis penuriæ, quin & *quari gladium*, ſignum ſcilicet inſtantis periculi: nam per loca latrociniis infeſta cum gladio iri ſolet. Diximus alibi morem fuiſſe multis gentibus, ſed Judæis præſertim, res inſigniores non verbis tantum ſed & conſpicuis rebus deſignare, unde orta manuum impoſitio, aliaque multa humani inſtituti. De antiquis Græcis Dionyſius Thrax Grammaticus, Ἐσήμαινον γοῦν οὐ δι' λέξεως μόνον ἀλλὰ καὶ διὰ συμβόλων [*Deſignarunt enim non verbis tantum ſed etiam ſignis*]. Sed præcipue id uſurparunt Prophetæ modo ex Dei præſcripto, modo ſponte ſua, aut ipſi facientes aliquid quod rei futuræ haberet ſignificationem, aut alios facere imperantes. Exempla ſunt 1 Reg. XXII. 11. Eſaiæ XX. 2. Jerem. IX. 17. XXVII. 2. Ezech. IV. 2. XII. 7. Oſeæ I. 2. Actor. XXI. 11. & alibi. Dicit ergo Chriſtus, *Si quis crumenam habet, ne eam domi relinquat ſed ſecum ferat.* Qui imperativum in futurum vertunt, eos apparet offenſos præcepti ſibi non intellecti novitate: ſed lectionem receptam defendit Interpretum conſenſus. ¶ Ὁμοίως καὶ πήραν. *ſimiliter & peram*] Hoc dicitur per modum parentheſeos. Nam ad crumenam redit oratio. Sed obiter & tranſcurſu admonet Chriſtus *peram quoque opus fore*, victu alioqui defecturo. βαλάντιον [*ſaculus*] eſt כיס, quod μαρσίππιον [*marſuppium*] plerumque vertunt Græci. πήρα, περὶ [*pera*]. ¶ Καὶ ὁ μὴ ἔχων, *& qui non habet*] Scilicet βαλάντιον quod [*ſaculum quem*], habere ſolent qui aliquid habent pecuniæ. Nam de pera erat interjecta mentio ut diximus, quod verborum quoque ordo ſatis indicat. Eſt enim quaſi dicat, *Quiſquis crumenam habet ſumat eam; ſed ſimul cum pera: & quiſquis non habet, potius veſtimentum divendat, quam gladio careat*: id enim mos eſt facere quoties vis timetur. ¶ Πωλήσατω τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, *vendat tunicam ſuam*] Hoc non præciſe præcipitur ſed comparate, id eſt, *Omnino gladium ſibi comparet, vel veſte divendita, ſi aliter comparari non poteſt.*

37. Ἔτι τοῦτο, *adhuc hoc*] Poſt multa alia à me tolerata jam illud ultimum reſtat, ut pro ſcelerato morti addicar, unde & illa ſequentur quæ ad vos pertinent: nam magiſtri ignominia atque odium ad diſcipulos redundat. ¶ Τέλος ἔχει. *finem habent*] Id eſt, *jamjam finem accipient: τὰ περὶ ἐμοῦ* [*quæ ad me pertinent*], *ea* ſcilicet *quæ ad ſtatum depreſſionis meæ pertinent.*

38. Ἰδοὺ μάχαιραι ὧδε δύο. *ecce duo gladii hic*] Dicunt hoc, ut intelligant an per duos illos gladios ſatisfactum ſit ipſius imperio. Galilæos fuiſſe μαχίμους [*bellicoſos*] ait Joſephus: & credibile eſt cum iter è Galilæa ad urbem infeſtum eſſet latrociniis, multos ad urbem profectos cum gladiis: quod & ex Joſepho aliquot locis colligere eſt, qui & Eſſenos ait armatos inceſſiſſe latronum metu. Et ſuo tempore etiam ferarum cauſa id fieri in Paleſtina ſolitum Cyrillus narrat. Hunc morem ſecuti videntur Apoſtoli, non omnes, ſed ex omni numero duo, quorum alter fuiſſe Petrus videtur, qui mox gladio, ut ſuo, utitur. ¶ Ἱκανόν ἐστι. *Satis eſt*] Satis ad ſignificationem; nam ad pugnam vel duodecim gladii nihil facerent adverſus ingruentem hoſtium multitudinem.

40. Προσεύχεσθε μὴ εἰσελθεῖν, *Orate ne intretis*] Vide quæ ad Matthæum.

41. Ὅσον λίθου βολήν, *quantum jactus eſt lapidis*] כמהו [*quantum jaci poteſt*], Gen. XXI. 16. ¶ Θεὶς τὰ γόνατα, *poſitis genibus*] Communis mos orandi erat ſtando: *in genibus orabant* quoties res major urgebat.

42. Εἰ βούλει παρενεγκεῖν, *ſi vis auferre*] Id eſt, *utinam velles auferre*: nam ita *ei* accipi, etiam cum indicativo conjunctum, jam bis notavimus. Hoc loquendi genus non intellectum mutandæ ſcripturæ locum præbuit. De hoc deſiderio diximus ad Matthæum.

43. Ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ, *Angelus de cælo*] Illaudabilis fuit & ſuperſtitio & temeritas eorum qui hanc particulam & ſequentem de ſodore delevere, nihilo graviore de cauſa quam quo illud quod ſupra eſt de ſtatu deletum diximus. Chriſtus enim deſtitutus Divinitatis in ſe habitantis virtute humanæque naturæ relictus, ac proinde *βραχύ τι παρ' ἀγγέλους* [*paſillum quid minor factus Angelis*] opus habuit Angelorum ſolatio: quod in aliis etiam Chriſti πειρασμοῖς [*tentationibus*] obſervare eſt, ut Matth. IV. 11. Simile ſolatium alias à voce cœleſti accepit Joh. XII. 28. ¶ Ἐνισχύων αὐτόν. *confortans eum*] Gloriam promiſſam & ſalutem humani generis, mortis iſtius fructum in mentem ipſi revocans, quibus ad tempus refocillatus, iterum permiſſus eſt mœrori. ¶ Ἐν ἀγωνίᾳ, *in agonia*] Proprie Græci hanc vocem uſurpant de eo motu animi ad grave periculum, qui tamen fortitudinem non expectoret. Porphyrius ad illud Homeri,

> Τρῶας μὲν τρόμος αἶψα ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον
> Ἐκτορί τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτησε.
>
> [*Troibus obvenit pavor ingens corpore toto;*
> *Et cordis pulſus vehemens fuit Hectore in ipſo*].

Ita ait, Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι καὶ ὁρῶντες ἔτρεμον, ὁ δ' ἐν τῷ κινδύνῳ τοιούτοις ἀνδράσιν ὤν, μόνον ἠγωνία [*Cæteri enim vel viſo tremebant, ad quem periculum pertinebat is vero cum eſſet fortis, ſollicitus erat tantum*].

44. Ἐκτενέστερον προσηύχετο. *prolixius orabat*] Augeſcente dolore intendebat vim precationis, geſtu quoque id ipſum exprimens. Nam ante genua flexerat: nunc toto corpore in terram procumbit, ut ex Matthæo & Marco diſcimus. Eo autem ſitu corporis orare viri ſancti ſolebant in extrema neceſſitate. Quare errant qui hic confundunt τὰ γόνατα τίθεσθαι [*ſiectere genua*], id eſt כרע, & πίπτειν εἰς πρόσωπον [*procumbere in faciem*] aut ἐπὶ τῆς γῆς [*in terram*], id eſt ארצה, hoc enim eſt ἐντενέστερον προσευχομένου [*intentius orantis*]. ¶ Καταβαίνοντος, *decurrentis*] Ita legit Latinus; & ſenſus videtur eſſe apertior: nam ſanguis maxime cum in terram cadit conſpicitur θρομβοῦσθαι [*concreſcere*]. Eſt enim θρόμβος Galeno etiam in libro primo De ſemine τὸ αἷμα πεπηγός [*ſanguis concretus*]. Syrus quoque ſic legiſſe videtur: ſed ita ut ſubintelligeret vocem ἱδρῶτες [*ſudores*]; quod loquendi genus exemplo non caret. Docet Ariſtoteles III de hiſtoria animalium accidere nonnullis ἱδρῶσι αἱματώδεσι πορευτικοῖς διὰ παχυτέραν καὶ διὰ τὴν τῆς θερμότητος ὀλιγότητα [*exſudare excrementum ſanguinolentum ob craſſum corporis habitum & caloris defectum*]. Attamen hoc loco nihil eſt unde certo col-

colligas sudori huic sanguinem fuisse permixtum. Nam, ut Theophylactus & Euthymius notant, non dictum est ἐγένετο ἱδρὼς αἵματος [*factus est sudor sanguinem*], sed ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος [*factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis*]. Quæ verba indicant verum fuisse sudorem qui emanavit, non tenuem tamen sed crassum, quales esse solent grumi sanguinis, cum sudor vix soleat θρομβᾶσθαι [*in grumos concrescere*]. Non aliter certe intellexit Justinus colloquio cum Tryphone, qui omissa sanguinis mentione satis habuit *grumos* dixisse, ἱδρὼς ὡσεὶ θρόμβοι κατεχεῖτο αὐτοῦ εὐχομένου [*sudare grumorum instar perfundebatur orans*]. Tale illud,

Salsusque per artus
Sudor it.

48. Φιλήματι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου παραδίδως; *osculo Filium hominis tradis?*] *Sub pacis signo proditionem occultas?* Sic illum oscularis, de quo scriptum est Ps. 11. 12. *Osculamini filium?*

49. Εἰ πατάξομεν ἐν μαχαίρᾳ, *si percutimus in gladio*] Dubii inter id quod natura dictabat & sæpe inculcata patientiæ præcepta, Dominum quid faciendum sit rogant. At Petrus non exspectato Domini responso ad vim vi arcendam accingitur.

51. Ἐᾶτε ἕως τούτου, *Sinite usque huc*] *Satis est huc usque vos progressos in vi rependa: nolite ultra progredi: hic consistite.* Ita hunc locum recte exponit Syrus.

53. Αὕτη ὑμῶν ἐστιν ἡ ὥρα καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*] *Hoc est tempus illud quo vobis & per vos tenebrarum principi potestas in me conceditur, ad implenda vaticinia scilicet. Hæc potestas hactenus vobis negata est, alioquin interdiu palam inter vos agentem comprehendissetis sine armis, sine ullo strepitu.* Vox ἐξουσίας [*potestatis*] hoc modo sumitur & in Apocal. IX. 3, & 19.

54. Τοῦ ἀρχιερέως, *Principis Sacerdotum*] *Cajaphæ.* Vide ad Matthæum.

56. Πρὸς τὸ φῶς, *ad lumen*] *Ad ignem*, ut apud Marcum. ¶ Ἀτενίσασα, *cum fuisset intuita*] Requirit vocabuli proprietas circumlocutionem in Latino sermone, puta, *fixitans oculis defixis:* ita supra IV. 20. & in Actis aliquoties.

59. Ὡσεὶ ὥρας μιᾶς, *quasi horæ unius*] Ὡσεὶ [*quasi*] non semper *minus*, sed sæpe & *plusculum eo quod dicitur* significat, ut diximus ad caput III. 23. Atque ita hic accipi debet. Vide quæ ad Matthæum.

61. Ἐπέβλεψε τῷ Πέτρῳ, *respexit Petrum*] Admonens illum tacite & inconsultæ jactationis & maturandæ pœnitentiæ. Non alienum hinc est quod Plutarchus narrat, Πολέμωνα Ξενοκράτης ἀφθεὶς μόνον ἐν τῇ διατριβῇ καὶ ἀποβλέψας πρὸς αὐτὸν ἐτρέψατο καὶ μετέθηκεν [*Polemonem Xenocrates visus tantum dum disputat, aspectu ipso mutavit transtulitque ad se*].

63. Καὶ οἱ ἄνδρες οἱ συνέχοντες, *Et viri qui tenebant*] Ad Matthæum monuimus coactum Lucam retrogredi, quia Historicorum more totam de Petro narrationem una serie exhibere voluerat. Verbum autem תקע verti solet συνέχειν [*tenere*], unde est verbale תקיעה [*angustia*] apud Esa. LIII. 8. ubi hæc historia prædicitur. ¶ Δέροντες, *cædentes*] Omisit Syrus, quia sequitur ἔτυπτον αὐτοῦ τὸ πρόσωπον [*percutiebant faciem ejus*]. Sed non est novum genere nominato speciem quoque eximiam nominari.

66. Ὡς ἐγένετο ἡμέρα, *ut factus est dies*] *Cum dies adventaret:* nam & ita sumi solet ὁ ἀόριστος [*tempus indefinitum*]. ¶ Συνήχθη, *convenerunt*] Id est, ἦν συναγόμενον [*erat congregatum*]. Vide quæ ad Matthæum. ¶ Ἀνήγαγον, *duxerunt*] Videtur hæc lectio verior quam ἀπήγαγον [*abduxerunt*]. Nam Synedrium habebatur in porticu excelsiore.

68. Ἐὰν δὲ καὶ ἐρωτήσω, *Si autem & interrogavero*] *Si qua argumenta proponam quibus me Christum probem.* Argumentari enim Hebræi non minus quam Græci solebant interrogando. Sæpe ita utitur Sextus Philosophus, & hinc apud Aristotelem *fallacia plurium interrogationum.* Cicero de fato, *Sic enim interrogant, Si fatum tibi est ex hoc morbo convalescere, convalesces*, id est, *Sic enim argumentantur.* Recte autem dicit Christus *non responsuros:* sciebat enim hoc illis propositum, non ut se rationibus revincerent, sed ut opprimerent auctoritate: sed & antehac ejusdem confessus Senatores interrogari fuerant. Supra XX. 7, 17, 44.

70. Ὑμεῖς λέγετε, *vos dicitis*] Id est, *rem dicitis:* ut apud Xenophontem, αὐτὸς τοῦτο λέγεις ὃ Σώκρατες [*ipse hoc dicis ô Socrates*]. ¶ Ὅτι ἐγώ εἰμι, *quia ego sum*] Quod hic monet vir eruditissimus ὅτι [*quia*] esse Christi affirmantis, non repetentis vocem, verum putem.

71. Ἠκούσαμεν ἀπὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ, *audivimus de ore ejus*] Βλασφημίαν [*blasphemiam*] scilicet, quod exprimunt Matthæus & Marcus, perspicuitatis causa: cum alioqui mos fuerit Hebræorum βλασφημίαν [*blasphemiam*] silentio potius quam verbo indicare.

PRICÆUS.

Com. 2. Ἐζήτουν, &c. τὸ πῶς ἀνέλωσιν αὐτόν] Plutarchus in Parallelis, Οἵ σε ἀνελεῖν ζητοῦντες. Idem in Eumenis vita, Ἐβουλεύσαντο, &c. πῶς τὸν Εὐμένη διαφθείρωσι & 1 Macc. 12. 40. de Tryphone, Ἐζήτει, &c. συλλαβεῖν τὸν Ἰωνάθαν τοῦ ἀνελέσθαι αὐτόν. Illud τὸ (ut & supra 1. 62. infra hic com. 4. & 24. Act. 4. 21. & alibi apud Lucam) videtur poni pro *scilicet*, vel *nimirum:* aut certe abundat, ex dialecti Atticæ consuetudine.

Com. 3. Εἰσῆλθεν ὁ Σατανᾶς εἰς Ἰούδαν] Ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν αὐτοῦ, ut Act. 5. 3. de Anania dictum.

Com. 5. Ἐχάρησαν] Gavisi sunt hominem promovendis cognatibus suis, adeoque è selectiore ipsius grege, tam opportunum se invenisse.

Com. 6. Ἐζήτει εὐκαιρίαν] Ita dici solet de iis qui mala machinantur. Achilles Tatius lib. 2. Ἐζήτει καιρὸν πρὸς τὸ ἔργον. 2 Maccab. 4. 32. de Menelao, Νομίσας εὐκαίρως ἐκφεύγειν καιρὸν εὑρὼν φυγῆ. Apulejus de Thrasyllo, mortem itidem suo amico struente, *Cruento facinori quærebat accessum.* Hujus loci sunt & Hesychii illa, Καιροφυλακῆσαι, καιρὸν ἐπιτηρῆσαι. Vere, (&c. ad hæc Lucæ apposite) Plutarchus, Οὐχ ἅμα φαίνεται καὶ γίγνεται τῶν πονηρῶν ἕκαστος· ἔχει μὲν ἐξ ἀρχῆς κακίαν· χρῆται δὲ ΚΑΙΡΟΥ καὶ δυνάμεως ἐπιλαβόμενος. Libro de Sera Numinis vindicta.

Com. 10. Κεράμιον ὕδατος] Hesychius, Κεράμιον, τὸ τοῦ οἴνου ἢ ὕδατος ἀγγεῖον. In Glossis, *Orcum* (lege *urceus*) *amphora.*

Com. 12. Ἀνάγαιον ἐστρωμένον] In vetere Onomastico, *Stratum*, ἐστρωμένον. Ita *triclinium stratum* dixit Auctor ad Herennium lib. 4. &, *sternere triclinium* Jurisconsultus ille L. 5. § 24. ff. commodati.

Com. 14. Ἡ ὥρα] Τῆ δείπνου nempe, ut plenius supra 14. 17.

Com. 15. Ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα] Magnopere desideravi. Similis exprimitur affectus in iis Psalmistæ 119. 20. Ἐτετάθη ἡ ψυχή μου τῇ ἐπιθυμῆσαι τὰ κρίματά σου· ubi & similem loquendi modum habemus. In Glossis, ἐπιθυμῶ ὑπερβολικῶς, *desidero:* & ibidem, Κατ' ὑπερβολὴν ἐπιθυμῶ, *gestio.* Veteribus Græcis hoc ὑπερεπιθυμεῖν. Vide 5. 47. Pollucem. Ἐπιθυμίᾳ ἐπιθυμεῖν, ut Ruth. 2. 21. ἐπαγγελίᾳ ἐπαγγέλλειν. Psalm. 64. 6. ἐξερευνήσει ἐξερευνῶν & Jacob. 5. 17. προσευχῇ προσεύξασθαι.

Com. 16. Οὐκέτι οὐ μὴ φάγω, &c.] Vulgat. *ex hoc non manducabo.* Sic idem Ps. 130. 3. *Ex hoc nunc & semper.* Οὐκέτι hoc Lucæ loco, est quod ibi ἀπὸ τοῦ νῦν.

Com. 19. Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου] Æneid. 3.

- - - Haud cruor hic de stipite manat.

Ubi Servius, *Mire, quasi ostendens cruorem sumum de stipite.*

Com. 24. Ἐγένετο δὲ καὶ φιλονεικία ἐν αὐτοῖς, τὸ τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων] Phædrus,

- - - Contendebat acriter
Quis esset pluris. - - -

Theophrastus cap. περὶ λαλιᾶς, in Characteribus, Χθὲς ἐν τῇ στοᾷ πλειόνων ἢ τριάκοντα ἀνθρώπων καθημένων, καὶ ἐμτεσόντος λόγου τίς εἴη βέλτιστος, &c. Suetonius in Caligula, *Cum audiret forte qui officii causa in Urbem advenerant, concertantes apud se super cænam de nobilitate generis, exclamavit, εἷς κύριος ἔστω.* Τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι heic, pro τίς αὐτῶν ἐστι. Ita Marc. 10. 42. οἱ δοκοῦντες τῶν ἐθνῶν ἄρχειν· 1 Cor. 11. 16. εἴ τις δοκεῖ φιλόνεικος εἶναι· & Matth. 3. 9. μὴ δόξητε λέγειν.

Com. 25. Καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν εὐεργέται καλοῦνται] Berneggerus in Notis ad Suetonii Titum commentus est novam horum verborum expositionem, haud uni difficultati innexam, etsi ipse eam plenus fiduciæ in medium protulerit.

Ibid. Οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν] Hic titulus summas Potestates designat, quæ & ideo Rom. 13. 1. ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι ab Apostolo dictæ. Inde & Ecclesiastæ 8. 4. βασιλεὺς ἐξουσιάζων. Seneca Epist. 14. de Regibus, *Quibus potestas populi, & in*

populum data eſt. Ulpianus lib. 1. ff. de Conſtitut. Princip. *Cum lege regia*, &c. *populus ei*, (Principi) *& in eum omne ſuum imperium & poteſtatem contulit.* Αὐτῶν heic intelligo ἐθνῶν quod quidam enim βασιλέων intelligunt, violentum eſt.

Ibid. Εὐεργέται καλοῦνται] Seneca de Cæſaribus loquens, l. 1. cap. 14. de Clementia, *Magnos & Felices & Auguſtos diximus, & ambitioſæ majeſtati quicquid potuimus titulorum congeſſimus.* Exemplum illius veritatis, ut alios taceam, inſigne eſt apud Themiſtium, qui Orat. 12. multos Jovis titulos, & plures neſcio quos alios ſuo Imperatori tribuit. Erat frequens autem in his ſive honoris ſive adulationis ſpeciminibus εὐεργέτου appellatio, ut videre eſt ex multis locis Philonis & Joſephi. Polybius de Antigono loquens, σωτῆρα καὶ εὐεργέτην dixit. Scriptor Geoponicorum in Præfatione ad Conſtantinum, Ὅσα ἡ τοῖς ὑπηκόοις εὐεργετῶν, ἡ τοὺς ἐναντίους ἀτυχοβῶν διαπέπραξται, μικρὸν ἂν εἴη διεξελθεῖν. Unde autem duxerit originem εὐεργέτου titulus conjicere eſt ex Ariſtotele, qui βασιλέων πρὸς τοὺς βασιλευομένους Φιλίαν ἐν ὑπεροχῇ εὐεργεσίας εἶναι dixit, 8 Ethicorum. Seneca de Clementia l. 19. de bono Principe, *Beneficus, largus.* Ita Cato Ptolomæum *Regem beneficentiſſimum* vocat, apud Grammaticum Priſcianum. Cicero in pro Deiotaro R. *Frugi hominem dici in Rege non multum laudis habet*, &c. *magnanimum, largum, beneficum, liberalem; hæ ſunt regiæ laudes.* Macrobius Somn. Scip. ex Heſiodo,

Largi ac munifici, jus Regum nunc quoque nacti.

Sic in vetere Onomaſtico. *Munifici*, εὐεργέται. Vulgatus bene tamen *benefici* vocantur. Heſychius, Εὐεργέτης, ἀγαθοεργός. Gloſſarium, Εὐεργέτης, *benemeritus, beneficus*: & in vetere illo Onomaſtico, *Beneficus*, εὐεργέτης. Nec ſolis Regibus iſte titulus aptatus, nam & Eumeni tribuitur apud Plutarchum, & Flacco Ægypti Præſidi apud Philonem.

Com. 26. Τμεῖς δὲ οὐχ οὕτως] Subaudi ποιεῖτε, ut ſupra 12. 37. ubi dicta vide.

Ibid. Καὶ ὁ ἡγούμενος ὡς ὁ διακονῶν] Sirach. 32. 1. Ἡγούμενόν σε κατέστησαν; &c. γίνου ἐν αὐτοῖς ὡς εἷς ἐξ αὐτῶν. Aurelianus ad milites ſuos apud Vopiſcum, *Alter alteri quaſi ſervus obſequatur.*

Com. 27. Τίς γὰρ μείζων; ὁ ἀνακείμενος, ἢ ὁ διακονῶν;] Arrianus iiſdem pene verbis 2. 23. in Epictetum. Δύναται τὸ διακονῶν κρεῖττον εἶναι ἐκείνου ᾧ διακονεῖ; Τίς hic eſt πότερος vide ad Matth. 21. 31. notata.

Ibid. Ἐγὼ δὲ εἰμὶ ἐν μέσῳ ὑμῶν ὡς ὁ διακονῶν] Apoſtolus ſimili loquendi modo, & fere ſententia, 1 Theſſ. 2. 7. Ἐγενήθημεν νήπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν, ὡς ἡ τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα.

Com. 28. Τμεῖς ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου· κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, &c. βασιλείαν] Sirach. 22. 23. Ἐν καιρῷ θλίψεως (i. e. πειρασμῷ) ΔΙΑΜΕΝΕ αὐτῷ, (nempe Φίλῳ) ἵνα ἐν τῇ κληρονομίᾳ αὐτοῦ συγκληρονομήσῃς. In Adelphis Terentii,

- - - Paupertatem una pertulimus gravem:

ubi Donatus, *Magis conjungit malorum quam bonorum conſortium.* Apoſtolus 2 Tim. 2. 12. Εἰ ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν· ad quem locum annotata vide.

Com. 30. Ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου, &c.] Honorem ſummum promittit, ſuoque proximum. Scholiaſtes ad 1. lib. Apollonii Argonaut. Ἡ καινὴ τράπεζα τὴν αὐτὴν τιμὴν τοῖς μεταλαμβάνουσιν αὐτῆς δίδωσι. Viſibilis breviſque hujus voluptatis imagine, perpetua & inviſibilis illa deſcribi ſolet. Vide ſupra 14. 15. Pſalm. 67. 4. quo ſenſu exponenda & Luc. 16. 23. illa, ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ. In Phædro Platonis itidem pii vita functi ἀθάνατα συμποσιάζουσιν ἐκὸ τῷ νέκταρος ἐμπιπλάμενοι.

Com. 31. Ὁ Σατανᾶς ἐξητήσατο ὑμᾶς] De Eodem in interpolationibus Epiſtolæ Ignatii ad Smyrnæos, Τοῦ ἐξαιτησαμένου σεσεσθῆναι τὴν τῶν Ἀποστόλων πίστιν. Ἐξαιτεῖν, vel ἐξαιτεῖσθαι, Græcis, eſt *petere*, vel *poſcere ut quis dedatur ſibi.* Suidas in verbo Ὅτι, forteſſe ex Demoſthene, Ξένους τινὰς αἰχμαλώτους, &c. ἐξητήσατο παρὰ Φιλίππου. Plutarchus, itidem de Dæmonibus, ut heic Lucas, agens, libro de Oracul. defectu, ψυχὴν ἀνθρωπίνην ἐξαιτήμενοι. Diodorus Siculus, Ἐξήτουν αὐτὸν πρὸς τιμωρίαν. Vide infra 23. 23. & Act. 25. 15. Apul. 6. *Venus*, &c. *te ad extremum ſupplicium expetit.*

Com. 32. Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σου, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου] Non diſſimile Coloſſ. 4. 12. ἐν ταῖς προσευχαῖς ἀγωνίζεσθαι ἵνα τὶς στῆ τέλειος, &c. Prævidit Chriſtus autem fore ut Petrus non modo non perfectus (id eſt, firmus,) ſtaret, ſed & ut fides ejus in diſcrimen graviſſimum adduceretur: precatus eſt ergo,

Hujus ne ſpoliata armis, excuſſa magiſtro
Deficeret tantis navis ſurgentibus undis:

hoc eſt, in totum ne deficeret, id enim eſt heic ἐκλείπειν. Supra 8. 13. ἐν περιασμῷ καιρῷ ἀφίστασθαι vocatur. Heſychius, Ἐκλείψει, ὑστερεῖ, ἀπολείπει.

Ibid. Σύ ποτε ἐπιστρέψας, &c.] Accedo iis qui ἐπιστρέψας heic exponunt, *converſus*, nempe ad pœnitentiam: ſic fere ſupra 17. 4. καὶ, &c. ἐπιστρέψῃ ἐπί σε, λέγων, μετανοῶ, &c. Qui Petrum tam periculoſè lapſurum vidit, eundem itidem prævidit congruam pœnitentiam acturum: nil opus itaque cum eruditis quibuſdam hoc loco ad Hebraiſmum recurrere. Tu, inquit Chriſtus, cum reſipueris, fratres tuos, nempe reliquos Apoſtolos, aut quoſvis alios qui vel per te vel per illos fidem amplexuri fuerint, confirma, ne cadant nempe, aut ſaltem cum ceciderint, tuo exemplo doce eos de venia non deſperare. Sane Eulogius apud Photium ideo claves putat datas ei præter cæteros Apoſtolos, ut poſt negationis vulnus & medelam pœnitentiæ, τῷ καθ' ἑαυτὸν ὑποδείγματι πρὸς τὸ ἐξαμαρτάνοντας φιλανθρωπότερον διατίθεσθαι· εἰ γὰρ ἄλλοι ἀκεῖρασι μεμνημένοι, τάχα ἂν ἀποτομώτερον αὐτοῖς διακέχρηντο.

Com. 33. Μετὰ σοῦ ἕτοιμός εἰμι καὶ εἰς φυλακὴν καὶ εἰς θάνατον πορεύεσθαι] Sic Paulus Act. 21. 13. Οὐ μόνον δεθῆναι, ἀλλὰ καὶ ἀποθανεῖν ἑτοίμως ἔχω ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ κυρίου. Talia & Ejuſdem illa 2 Cor. 7. 3. ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν ἐστε εἰς τὸ συζῆν καὶ συναποθανεῖν· & 2 Cor. 12. 14. ἡδέως δαπανήσω, καὶ ἐκδαπανηθήσομαι, &c. Apud Latinos; Petronii, *Ecce*, *Encolpi, ſi puras contingere poſſe ut ante* (me) *moriare.* Ovidii,

Sancius aut ſanus, nunquam tua ſigna relinquam.

Deucalionis ad Pyrrham apud Eundem Metam. 1.

- - - Crede mihi, ſi te quoque Pontus haberet,
Te ſequerer conjux, & me quoque Pontus haberet.

Virgilii,

- - - Unum & commune periclum,
Una ſalus ambobus erit: - - -

& Horatii,

- - - Ibimus, ibimus,
Utcunque præcedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.

Vide 2 Reg. 14. 25. & ad Matth. 8. 19. annotata.

Com. 35. Ὅτε δὲ ἀπέστειλα ὑμᾶς ἄτερ βαλαντίου, &c. μή τινος ὑστερήσατε;] Videtur alluſio fieri ad Deut. 2. 7. illa, Διάγνωθι τὰς ὁδοὺς τὴν ἔρημον τὴν μεγάλην, &c. ἰδοὺ τεσσαράκοντα ἔτη Κύριος ὁ θεός σου· οὐκ ἐπιδεήθης ῥήματος. Ἄτερ βαλαντίου, i. e. ſine pecunia. Ariſtoph. Avibus, Ἄνευ βαλαντίου· ubi vetus Scholiaſtes, ἄνευ ἀργυρίου.

Com. 36. Πωλησάτω ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν] Id eſt, ſi alio pacto nanciſci gladium non poterit, eum emat ſibi vel per veſtis venditionem ſuæ: ita, *veſte ſua diſtracta ſufficientem ſummulam corradere*, l. 11. Apuleii. Intelligenda autem hæc Chriſti verba non tanquam præcipientis quod fieri vellet, ſed prædicentis quod per ſecuturam neceſſitatem eventurum erat.

Com. 37. Μετ' ἀνόμων ἐλογίσθη] Id eſt, ut Sapient. 5. 4. κατελογίσθη. Sic, *una cum ſceleſtis annumerari*, dixit Auctor Declamationis in Salluſtium, Ciceroni attributæ. Apuleius Floridis de Cratete, *Inter proceres Thebanos numeratus eſt.* Seneca cap. 16. ad Helviam, *Cum his te feminis numerari volo.* Vulgatus hoc loco *deputatus eſt.* Vide an ut apud Eundem Eſai. 53. 12. *reputatus* legendum.

Ibid. Τὰ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει] Id non eſt, finita ſunt, ſed affecta: idem ergo quod 26. 18. ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστι· quod Joh. 16. 32. ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐλήλυθεν· quod 2 Tim. 4. 6. ἤδη σπένδομαι, καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε.

Com. 38. Ἱκανόν ἐστι] Gloſſarium, (& forteſſe ex hoc Lucæ loco,) Ἱκανόν ἐστι, *ſatis eſt.* Quomodo autem intelligi debeant hæc Chriſti verba multifariam diſquiritur: & certum eſt non ita poſſe accipi ea, ut Antiochi illa ad Hannibalem de exercitu ſuo, *Satisne eſſe credis Romanis hæc omnia?* (apud Gel. 5. 5.) Si enim (quod & alieniſſimum à doctrina ejus) de defendendo ſe ſuoſque Chriſtus locutus eſſet, non ſolum duo gladii, ſed nec plures, ſufficiſſent. Simpliciſſimus exponendi modus videtur mihi hujuſcemodi eſſe, Ad defenſionem qualem ego parari velim, (hoc eſt, nullam plane,) duo gladii ſufficiunt.

Eu-

Euthymius heic, *Satis eſt, oſtendit quod nulla erat gladiorum neceſſitas.*

Com. 39. Κατὰ τὸ ἔθος] Sic ſupra 1. 9. & 2. 27. *κατὰ τὸ εἰθισμένον.* Hic autem *κατὰ τὸ ἔθος*, eſt quod Luc. 4. 16. & Act. 17. 2. (ubi dicta vide) *κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ.*

Com. 41. Ἀπεσπάσθη ἀπ' αὐτῶν] Ita & Act. 21. 1. idem Lucas, *ἀπ' αὐτῶν ἀποσπασθέντας·* & 2 Macc. 12. 10. *ἐκεῖθεν ἀποσπασθέντων.* Significat ſæpe, (nominatim autem jam citatis locis,) non violentam (ut vir ſummus exiſtimavit) at ſimplicem ſeparationem.

Ibid. Θεὶς τὰ γόνατα προσηύξατο] Artemidorus 3. 53. Οὐδεὶς ἄτεκνον εἰς προσευχὴν, ἐχὶ ἐφόδρα Φροντίζων. Amat autem Lucas hoc loquendi genus: vide Act. 2. 5. & 9. 40. & 20. 36.

Com. 42. Παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ' ἐμοῦ] Heſychius, Παρενεγκεῖν, παραθεῖναι, παραβαλεῖν. Si iſtum Lucæ locum ob oculos habuit, videtur minus congruam hujus vocis expoſitionem attuliſſe: ex illo enim *ἀπ' ἐμοῦ*, quod hic ſequitur, (collatis Marco & Matthæo,) apparet *τὸ παρενεγκεῖν* hoc loco, non pro *apponere*, ſed pro *auferre*, vel *transferre*, poſitum.

Ibid. Πλὴν μὴ τὸ θέλημά μου, ἀλλὰ τὸ σὸν γενέσθω] Arrianus, itidem ex perſona ſe Deo commodantis, Ὡς σὺ ἠθέλησας· nempe *γένοιτό μοι.* 3. 24. Vide ad Matthæum 26. 42.

Com. 44. Καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ, ἐκτενέστερον προσηύχετο] In Additamentis 14. 1. de Eſthere, Κατέφυγεν ἐπὶ τὸν Κύριον (i. e. προσηύχετο,) ἐν ἀγῶνι θανάτου κατειλημμένη.

Ibid. Γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ] Virgilius 12. *Dum trepidat:* ubi Servius, *Dum turbatur, quod Graci ἐν ἀγωνίᾳ ἐσι.* Heſychius ex his Lucæ, Ἐν ἀγωνίᾳ, ἐν μερίμνῃ. Pro *ἐν μερίμνῃ* melius forte *ἐν ἀθυμονίᾳ* dixiſſet: vide Matthæum.

Ibid. Ἐκτενέστερον προσηύχετο] Bene προσηύχετο, de homine *ἐν ἀγωνίᾳ γενομένῳ.* Voces ἐκτένεια, & ἐκτενῶς, non intenſionem ſolum notant, ſed & aſſiduitatem: in hunc autem aut illum ſenſum pro locorum ratione exponendæ. Habemus Jonæ 3. 8. & Judith 4. 10. *ἐκτενῶς ἀναβοᾶν.* Act. 26. 7. *ἐν ἐκτενείᾳ λατρεύειν.* Suidas, Ἐκτενῶς, ἀλοφύχως, προθύμως. Gloſſarium, *Satis, abundeque*, ἱκανῶς, *καὶ ἐκτενῶς.* Vide ad Act. 12. 5. notata.

Ibid. Ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡς οἱ θρόμβοι αἵματος] Eſt, ut Plato Polit. 1. loquitur, ἱδρῶτος θαυμαςὸν ὅσον· neque aliud enim exprimere Euangeliſta voluit quam ſudoris copiam ex animi ſumma perturbatione obortam. Sic, *αἵματι κλαίειν*, & *αἵματι ἱδροῦν*, *ἐπὶ τῶν σφόδρα ἀγωνιώντων* proverbialiter dici ſolere, ex Zenodoto & Diogeniano notat Photius 138 epiſtola. Vide & Suidæ collectanea. Θρόμβος Galeno & Heſychio eſt *αἷμα πεπηγός*, Latinis *grumus.* Gloſſarium, *Grumi*, τύμβοι, lege, θρόμβοι· ſic *Grumus*, θρόμβος, in vetere Onomaſtico. Talem autem fuiſſe Chriſti ſudorem ait Lucas, non quod ſanguineus fuerit, (quod vel ex particula *ὡσεὶ* videtur conſtare) ſed quod magnorum ſudorum guttæ craſſiores & grandiores ſolent eſſe, quales ſunt ſanguineæ. Virgilius ſimili hyperbole *ſudoris flumen piceum* videtur dixiſſe, quod nempe picis guttæ craſſiores exſiſtant. Idem alibi,

- - - Guttiſque humectant grandibus ora:

Ubi *grandes guttæ* fletus magnitudinem notant. Merito autem homini *ἐν ἀγωνίᾳ γενομένῳ* copioſus ſudor attribuitur. Artemidorus in Oneirocritico, Οἱ περὶ μεγάλων ἀγωνιῶντες, ἱδρῶσι. Philoſtratus in Polemone Sophiſta, de gladiatore, Ἱδρῶτι ῥέοντος, *καὶ δεδιότα τὸν ὑπὲρ ψυχῆς ἀγῶνα.* Philo Legat. ad Cajum de Judæis Petronium orantibus, *ταῦτα διεξήεσαν ὑπ' ἀγωνίας*, &c. *κεκομμένοι τῷ πνεύματι, ῥέοντες κατὰ μελῶν ἱδρῶτι.*

Ibid. Καταβαίνοντος, &c.] Apta & hæc vox ſudoris copiæ exprimendæ. Tale apud Virgilium illud,

- - - Oſſaque & artus
Perfudit toto proruptus corpore ſudor.

Apud Horatium,

- - - Cum ſudor ad imos
Manaret talos. - - -

Item illud Ovidii,

Occupat obſeſſos ſudor mihi frigidus artus,
Caruleaque cadunt toto de corpore gutta.

Ubi *cadere* eſt quod Lucæ *καταβαίνειν.* Vulgatus optime vertit *decurrentis*, quaſi nempe ferretur fluvii aut torrentis more. Iterum Virgilius, & de ſudore loquens,

- - - Fluit undique rivis.

Ubi Servius, *Riverum more, rivatim.* Idem alibi,

- - - Toto corpore ſudor
Liquitur, & piceum, nec reſpirare poteſtas,
Flumen agit. - - -

Grondava il ſudore, diceret Italus quiſpiam. Ovidius Metam. 9.

Caruleuſque fluit toto de corpore ſudor.

Com. 45. Εὗρεν αὐτοὺς κοιμωμένους ἀπὸ τῆς λύπης] Joſephus, aut alius quis, apud Suidam de Jacobo Patriarcha, Τῇ λύπῃ βαρὺς, ἐκαθέζετο. Plutarchus in de Roman. fort. Εἰς ὕπνον ἐκ δυσθυμίας καὶ λύπης ἀπενηνέχθαι. Apulejus 11. *Adſtrictis miſeris lamentationibus, marcentem animam ſopor circumfuſus oppreſſit:* ad quem locum videat, ſi cui vacaverit, quæ fuſe annotavimus. Κοιμωμένους *dormientes* vertunt: ſic & Heſychius, Κοιμηθῆναι, ὑπνῶσαι· mallem ego *ſopitos:* ſumma mœſtitia enim non tam inducit ſomnum, quam in ſoporem mergit: quod & optime Apulejus (eximius proprietatum obſervator) intelligens, citatis modo verbis non *ſomni* voce uſus eſt, ac illa altera. Λύπη heic eſt quæ Græcis μέριμνα, quæ εἰς ὕπνον κατάφορικὴ Φροντὶς exponitur ab Heſychio.

Com. 47. Ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος, ἰδού, &c.]

Τῶ δ' ἔτι μῦθον ἄχραντον ἐνὶ ςομάτεσσιν ἔχοντος.

Sic 1 Maccab. 4. 19. Ἔτι λαλοῦντος ἰδοὺ ταῦτα, ἄφθη μέρος τι, &c. & in libris Regum, ἔτι αὐτῆς λαλούσης, &c. *καὶ* Νάθαν ὁ προφήτης ἦλθε. Vide ſupra hic 8. 49. & 9. 4. Sic & Geneſ. 29. 9. *Adhuc loquebatur, & ecce Rachel veniebat:* ubi bene *ecce*, ut hoc loco ἰδού. Servius ad Æn. 4. illud, *Ecce fera*, &c. *Hæc particula facit nos ita intentos, ut quæ dicuntur putemus videre.*

Ibid. Ἤγγισε τῷ Ἰησοῦ φιλῆσαι αὐτόν] Ita Geneſ. 27. 27. Ἐγγίσας ἐφίλησεν αὐτόν· Tobiæ 11. 7. *Accedere, & oſculari:* & lib. 2. Apuleji, *accedere, & ſalutare:* inſidianter autem, ut hoc Lucæ loco, 2 Sam. 20. 8. Vere Clemens Alexandrinus, Ἀγάπη οὐκ ἐν φιλήματι, ἀλλ' ἐν ὁμοίᾳ κρίνεται· & Philo, Φίλημα διαφέρει τῷ φιλεῖν· τὸ μὲν γὰρ ψυχῶν ἕνωσιν ἀρμοζομένων ὁμοίᾳ, τὸ δὲ ψιλὴν καὶ ἐπιπόλαιον δεξίωσιν χρείας τινὸς εἰς ταυτὸν συναγούσης ἔοικεν ἐμφαίνειν. ὥσπερ γὰρ οὐκ ἐν τῷ ἁπτεσθαι ἐςὶ τὸ κύπτειν, οὐδ' ἐν τῷ κατακύπτειν τὸ πίνειν, οὐδ' ἐν μαρσίππῳ ἵππος, οὕτως οὐδ' ἐν τῷ κατα φιλεῖν τὸ φιλεῖν. Libello, Quis rerum divin. hæres.

Com. 48. Ἰούδα] Quandoque nomine compellare, indignantis eſt. Virgilius,

Veſtras, Eure, domos. - - -

Ubi Servius, *Iraſcentium eſt uti proprio nomine, ut Terentius,*

- - - Egone in piſtrinum, Dave, dedam.

Apulejus in Apologia, *Tune, Æmiliane?* &c. Donatus ad Eunuch. 5. 2. illud, *Quin Pythias*, &c. *Nomen eſt vultuoſe additum.*

Com. 49. Εἰ πατάξωμεν ἐν μαχαίρᾳ;] Inconſultæ ſedulitatis voces, quales ſupra 9. 54. habuimus. Ἐν heic valet σὺν, aut potius ex abundanti ponitur. Sic Apocal. 13. 10. *ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτείνειν·* 1 Macc. 12. *ἐν βομφαίᾳ ἀποκτείνειν·* in Gloſſis, col. 601. edit. Vulcan. *ἐν ῥάβδῳ τύπτειν·* apud Arrianum 1. 16. in Epictetum, *ἐν ῥάβδῳ*, &c. *ἐλαύνειν·* Exod. 17. 5. *πατάσσειν ἐν ῥάβδῳ·* Pſalm. 88. 33. *ἐν ῥάβδῳ ἐκκεντεῖσθαι·* Judithæ cap. 6. *ἐν λίθοις βάλλειν·* Rom. 16. 16. *ἐν φιλήματι ἁγιάζειν·* apud Herodotum, *ἐν βρόχῳ τῷ ὄϊς ἀναπαίεσθαι·* & in l. 1. §. 3. ff. ad Leg. Cornel. de ſicar. *in gladio percutere.* Vide & in Gr. Judic. 14. 15. & 15. 15. Πατάσσειν μαχαίρᾳ autem dixit & Parthenius in Eroticis.

Com. 51. Ἐᾶτε ἕως τούτου] Vertunt, *ſinite uſque huc:* verterem ego, *deſinite*, &c. Poſt illud *ἐᾶτε* enim diſtinctionem ponendam putem, & poſt τούτου ſubaudiendum, *ἀνέχῃ*, vel, *ἱκανόν ἐςι· deſinite, ſatis* eſt (vel *ſufficiat*) *vos hucuſque proceſſiſſe:* ſic fere 1 Maccab. 2. 33. ἕως τῆ νῦν ἱκανόν. Deus ad Angelum viſitatorem 2 Sam. 24. 16. Πολὺ νῦν, ἄνες τὴν χεῖρά σε.

Com. 52. Ὡς ἐπὶ λῃςὴν ἐξεληλύθατε μετὰ μαχαιρῶν;] Non quemvis maleficum, ſed latronem, quod gravius & odioſius. Ita in l. 7. ff. de incendio, &c. *De his*, &c. *Præſidem, ut*

de latronibus, grauem ſententiam dicere. In edicto 1. Valentiniani, *Cui obuiare telo oporteat, ut latroni.* Apulejus 3. *Extremos latrones gladiolo, &c. fugare atque proterere aggreſſus ſum.* In paſſione S. Polycarpi, Ἐξῆλθον διωγμῆται, &c. *μετὰ τῶν συνήθων αὐτοῖς ὅπλων, ὡς ἐπὶ λῃστὴν τρέχοντες.* Plutarchus in vita Cæſaris, Τοῦ ὑπάτου βοῶντος ὅπλων δεῖν πρὸς ἄνδρα λῃστὴν, οὐ ψήφων. Quin & ὅπλα (vocem & *μαχαίρας* & ξύλα, quæ hic habet Lucas, complectentem) in hac de Chriſto narratione Joannes poſuit.

Com. 53. Καθ' ἡμέραν] *Quotidie.* Sic, Καθ' ὥραν, ἐν τάχει ὥρᾳ, Helychio.

Ibid. Αὕτη ὑμῶν ἐστιν ἡ ὥρα] In Græco Jobi 12. 4, 5. Δίκαιος ἀνὴρ, &c. *εἰς χρόνον ταχινὸν ἡτοίμαστο πεσεῖν ἐκ ἄλλων. Dies* autem (id eſt, *tempus*) *alicujus* ſolet dici ille in quo nactus eſt poteſtatem ab libitum agendi ſuum. Quo ſenſu Sirachidis 51. 11. *καιρὸν ὑπερηφάνων* habemus. Davidis comites 1 Reg. 24. 4. Ἰδοὺ ἡ ἡμέρα αὕτη ἣν εἶπε Κύριος πρός σε παραδοῦναι τὸν ἐχθρόν σου εἰς τὰς χεῖράς σου. Apud Senecam Medea,

. . . Meus hic dies.

Martialis 10. 58.

. . . Quando dies meus eſt . . .

Et alibi,

Hæc hora eſt tua, &c.

Com. 54. Συλλαβόντες αὐτὸν] Gloſſarium, Συλλαμβάνω, *συνέχω· opprimo, comprehendo.* Moſchopulus, Συλλαμβάνειν λέγεται καὶ ὅταν πολλοὶ ἕνα κρατήσουσι· quod ipſum hoc in loco factum.

Ibid. Καὶ εἰσήγαγον αὐτὸν] Hæc non legit Vulgatus Interpres.

Ibid. Πέτρος ἠκολούθει μακρόθεν] Exitum rei ſpectans.

Com. 55. Ἁψάντων δὲ πῦρ ἐν μέσῳ τῆς αὐλῆς, καὶ συγκαθισάντων, &c.] Putavi *ἐν μέσῳ τῆς αὐλῆς* heic poſitum eſſe pro *ἐν αὐλῇ*· quomodo vox *μέσος* periphraſticῶς ſæpe his in libris, atque adeo ſtatim hoc ipſo commate, occurrit: nunc, ut ſecundum literam, hoc eſt, pro meditullio aulæ accipiam, faciunt Scholiaſtis iſta ad Equites Ariſtophanis, Πρὸς τὸ πῦρ, *τουτέστι, μέσον τῆς οἰκίας καθεζόμενος*· item hæc Heſychii, Λαμπτὴρ, &c. *ἐσχάρα, ἀφ' ἧς ἔκαιον ἐν μέσῳ τῶν οἴκων,* &c.

Com. 56. Παιδίσκη] Gloſſæ, Παιδίσκη, *ἡ θεράπαινα, ancilla.*

Ibid. Καὶ οὗτος σὺν αὐτοῖς ἦν] In Adelphis Terentianis,

. . . Atque hercle hic de grege illo eſt.

Com. 57. Οὐκ οἶδα αὐτόν] Sic Apulejus itidem ſe purgare volens, lib. 3. *Cum nemo poſſit monſtrare,* &c. *vel omnino mihi notos illos unquam fuiſſe.* Apud Terentium Eunuch 3. 3. ille,

Roget quis quid tibi cum illa? ne noram quidem.

Porro vel ex his Petri verbis, vide quam non minus appoſite quam vere Triſt. 1. Ovidius de Fortuna loquens,

. . . Simul intonuit, NEQUE NOSCITUR ULLI,
Aguminibus comitum qui modo cinctus erat.

Idem 2. 3. de Ponto,

Cumque alii nolint etiam me noſſe videri,
Vix duo projecto trefve tuliſtis opem.

Com. 58. Ἐξ αὐτῶν εἶ] Sic 2 Timoth. 3. 6. *ἐκ τούτων εἰσὶν,* &c. & 1 Johan. 2. 19. *οὐκ ἦσαν ἐξ ἡμῶν,* de noſtro grege.

Ibid. Ἄνθρωπε, οὐκ εἰμί] Sic infra ſtatim, ἄνθρωπε, οὐκ οἶδα ὃ λέγεις. Beza utroque loco, illud *ἄνθρωπε, heus tu* vertebat: melius & heic Vulgatus vertit *homo.* Donatus ad Adelph. ea, *Tu homo,* &c. *Tu homo, dicens, negat illi familiaritatem.* Vide ſupra 5. 20. & 12. 14. Matth. 26. 27. Marc. 14. 71. Joh. 9. 24. Ita & Matth. 20. 13. & 22. 12. *ἑταῖρος* ponitur.

Com. 59. Διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς] Sic Actor. 5. 7. *ἐγένετο ὡς ὡρῶν τριῶν διάστημα.*

Ibid. Διϊσχυρίζετο] *Aſſeverabat;* ut & Act. 12. 15.

Ibid. Γαλιλαῖός ἐστιν] Καὶ γὰρ λαλεῖ αὐτῷ (ut Matth. 26. 73.) δῆλον αὐτὸν ἐποίει. Euthymius ad Joh. 4. ea, QUOMODO TU JUDÆUS CUM SIS? &c. *Unde Judæum eſſe cognovit? ab habitu, aut etiam à loquela.*

Com. 60. Οὐκ οἶδα τί λέγεις] Sic 1 Cor. 14. 16. at ſenſu non eodem, τί λέγεις ἢ οἶδα. In Andria Terentiana, *Quid narres neſcio:* ubi Donatus, *Quaſi fabulam.* Adde Suidam ad Matthæum adductum.

Ibid. Οὐκ οἶδα ὃ λέγεις] Idem Donatus ad Eunuchi 5. 4. illud, *Neſcio; Perturbatur, nec negare potuit* (ita hic Petrus,) *nec conſentire volebat: & idea quaſi defenſionis loco dixit, Neſcio.*

Com. 62. Ἐξελθὼν ἔξω] Subaudi ex D. Marco, *εἰς τὸ προαύλιον,* non enim in plateam exivit: bene ergo *veſtibulum* verterunt προαύλιον illud. Gellius 16. 5. *Qui domos amplas* (tale heic Pontificis palatium) *antiquitus faciebant, locum ante januam relinquebant, qui inter fores domus & viam medius eſſet: in eo loco qui Dominum ejus domus ſalutatum venerant, priuſquam admitterentur, conſiſtebant,* &c. *Ab illa ergo grandis loci conſiſtione & quaſi ſtabulatione Veſtibula appellata ſunt ſpatia grandia ante fores ædium relicta,* &c. Euthymius ad Matth. 27. in hac narratione. *In veſtibulum, hoc eſt, in priorem partem atrii.* Ἐξελθὼν ἔξω, pleonaſmus bene Græcus: ſic *εἴσω πάλιν* in Pluto Ariſtophanis.

Ibid. Ἐξελθὼν ἔξω, ἔκλαυσεν] Subtrahere ſe conſpectui præſentium ſolent qui lacrymis indulgere volunt. Homerus Odyſſ.

Κλαίεσκον ἐξελθόντες. - - -

Idem in Iliade, de Achille,

Δακρύσας, ἑτάρων ἄφαρ ἕζετο νόσφι λιασθείς
Θῖν' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς. - - -

Terent. 3. 3. Hecyræ,

. . . Corripui ilico
Me inde lacrymans. . . .

Ubi Donatus, *Ardens dolore, & eſt cauſa cur cito exierit.* Tacitus Annal. 11. *Meſſalina quoque lacrymas excivit, quibus abluendis cubiculo egrediebatur.* Vide ad Matth. 26. 75. notata.

Ibid. Ἔκλαυσε πικρῶς]

. . . Impenſo lavit ſua crimina fletu.

Com. 63. Ἐπέβλεψε τῷ Πέτρῳ] Non diſſimilia quæ & ab aliis adducta ex Plutarcho, Πολέμωνα Ξενοκράτης ὀφθεὶς μόνον ἐν τῇ διατριβῇ καὶ ἐπιβλέψας πρὸς αὐτὸν, ἐτρέψατο, καὶ μετέθηκεν. Quibus adde & hæc Themiſtii (Orat. 7.) de Philoſophia, Ἤδη γάρ τισι καὶ θέα ψιλὴ τῆς θεᾶς ταύτης ἤρκεσεν εἰς κορυφώτατα τὸν βίον μεταβαλεῖν.

Com. 67. Εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, εἰπὲ ἡμῖν] Sic Johan. 10. 24.

Ibid. Ἐὰν ὑμῖν εἴπω, οὐ μὴ πιστεύσητε] q. d. Cur id interrogatis me quòd ſi dixero non credituri eſtis? In Declamationibus Quintiliani, *Dura eſt conditio interrogationis cum id quæritur, quod ſi reſpondeas, non creditur.*

Com. 71. Τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; αὐτοὶ γὰρ ἠκούσαμεν ἀπὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ] Apulejus ex Ruffini (accuſatoris ſui) perſona, in Apologetico, *Apulejus Magus, dicit ipſa* (Pudentilla) *qua ſentit & patitur: quid vultis amplius?* Virgilius 11.

Ante oculos interque manus ſunt omnia veſtras.

Ubi Servius, *Ac ſi diceret, non egent narratione.*

Ibid. Αὐτοὶ γὰρ ἠκούσαμεν ἀπὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ] In Andria Terentiana ille,

. . . Audiſtin' obſecro?
Hem ſcelera! hunc jam oportet in cruciatum hinc abripi.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIII.

VALLA.

16. *Emendatum ergo illum dimittam*] Παιδεύσας. Et mox,

22. *Corripiam illum & dimittam*, παιδεύσας] Cum idem utrobique ſit verbum Græce, utra melior dicetur tranſlatio? Prior quidem, quia caret copula: poſterior autem, quia invitus quis *corripi* poteſt, *emendari* non poteſt. Præterea Pilatus hæc loquens, de verberibus ſentit, non de verbis. Ergo utrumque locum ipſe tranſtuliſſem ſic, *Caſtigatum ergo eum dimittam:* ſive, *Cum igitur caſtigavero, eum dimittam.* Nam *caſtigare* tum verbis eſt tum verberibus.

23,24. *Et invalescebant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit*] Gr. *Et invaleſcebant voces eorum & principum Sacerdotum. Pilatus autem:* κατίσχυον αἱ φωναὶ αὐτῶν καὶ τῶν ἀρχιερέων· ὁ δὲ Πιλάτος.

29. *Beata ſteriles, & ventres quæ non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt*] *Quæ non lactaverunt* generis neutri eſt, quippe cum referatur ad *ubera*, quæ Græce ſunt generis maſc. καὶ μαζοὶ οἱ οὐκ ἐθήλασαν. Cur non ergo & *ventres qui* dicitur? Credo Interpretem deceptum quia *ventres* Græce generis eſt fem. κοιλίαι.

31. *Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*] *In humido* dicendum eſt potius quam *in viridi*; & *fiat*, non *fiet*: ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γένηται;

33. *Ad locum qui vocatur Calvariæ*] Gr. *Calvaria*, Κρανίον. ¶ *Ibi crucifixerunt eum, & latrones*] Καὶ τοὺς κακούργους. Quid ſibi vult hæc verborum mutatio, ut nunc dicat *latrones* quos paulo ante v. 32. dixit *nequam? Et alii duo nequam*, κακοῦργοι, cum præſertim non ſit nunc nomen *latronum*, ſed *noxiorum*, ſive *ſontium*, ſive *facinoroſorum*. Itidem paulo poſt v. 39. *Unus de iis dependentibus latronibus*, κακούργων.

35. *Erat autem populus exſpectans*] *Spectans* ſive *inſpiciens* legendum eſt, θεωρῶν.

40. *Quod in eadem damnatione es*] Gr. *quod in eodem judicio es*, ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι. Et iterum 24. 30. *In condemnationem mortis*, εἰς κρίμα.

53. *Et poſuit eum in monumento*] Dicendum fuit *& poſuit id*, ſive *illud*. Generis neutri eſt, αὐτό, ſicut illud *& depoſuit*, καὶ κατέθηκεν αὐτό.

ERASMUS.

1. *Duxerunt*] Ἤγαγον *duxit*: tametſi hic variant exemplaria, cum in nonnullis ſit ἦγαγον.

2. *Subvertentem*] Διαστρέφοντα *pervertentem*.

3. *Tu es Rex Judæorum*] Σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; *Tu es ille Rex Judæorum?* ut unicum illum Judæis promiſſum & exſpectatum Regem intelligas.

4. *Nihil invenio cauſæ*] Οὐδὲν αἴτιον *Nihil noxiæ*, aut *Nihil criminis quod imputari debeat*. Siquidem *noxia* culpa dicitur cum *noxa* ſit pœna potius.

5. *Commovit populum*] Ἀνασείει *commovet*, præſentis temporis: ut accipiamus non de una ſeditione accuſari Chriſtum, ſed totam illius ac perpetuam accuſari vitam ac doctrinam velut ſeditioſam.

6. *Et audiens Galilæam*] Ἀκούσας Γαλιλαίας *cum audiſſet de Galilæa*, ſive *audito nomine Galilæa*. ¶ *An homo Galilæus eſſet*] *Galilæus* non eſt conjungendum cum *homine*, ſed ſeparandum, propter articulum Græcum ὁ ἄνθρωπος. Nam cum Chriſtum ſignet, tamen, velut ignoto ſibi nomine, *hominem* vocat: ut Petrus puellam, *mulierem*, γύναι.

10. *Conſtanter accuſantes*] Εὐτόνως κατηγοροῦντες, *& intento clamore*.

14. *Nullam cauſam*] Αἰτίαν. Cur non potius *crimen?* quandoquidem & hoc ſignificat αἰτία. Porro quod addit poſt, v. 22. *cauſam mortis* ſic dixit ut ſi diciſſet *crimen mortis*, quod nos dicimus *capitale*.

16. *Emendatum ergo*] Παιδεύσας *caſtigatum*, ſive *correptum*. Nam quod mox venit *corripiam* eadem eſt vox Græca, παιδεύσας. Cæterum *corripimus* verbis magis quam verberibus, *caſtigamus* utroque modo.

17. *Per diem feſtum*] Κατὰ ἑορτὴν *ſingulis feſtis*. Nam Paſcha recurrebat quotannis. Et hac figura ſubinde utuntur Apoſtoli & Euangeliſtæ, κατὰ τόπους, κατὰ πόλεις.

18. *Simul univerſa turba*] Παμπληθεί. Græcis adverbium eſt, quod additum verbo ſignificat id agi per univerſam multitudinem. Nam verbum ipſum eſt numeri plurativi, ἀνέκραζον *Exclamabant*, ſeu potius *ſuccLamabant*.

23. *Voces eorum*] Hic addunt Græci καὶ τῶν ἀρχιερέων *& ſummorum Sacerdotum*, ſive *Pontificum*, quanquam reclamantibus Latinis exemplaribus.

24. *Petitionem eorum*] Αἴτημα *poſtulationem*. Efflagitant enim ac poſtulant.

29. *Beata ſteriles, & ventres quæ*] Dicendum erat *Ventres qui non genuerunt*. Apparet hallucinatum Interpretem, quod κοιλίαι *ventres* apud Græcos ſit fem. generis. At mox certe Græcus ſermo refert *ubera*, quæ ſunt maſculina apud illos, καὶ μαζοὶ οἱ οὐκ ἐθήλασαν. Nam *quæ non lactaverunt* ad *ubera* referatur non ad *mulieres*. Alioqui fuerat in quo poſſet aliquis utcunque tergiverſari.

31. *In viridi*] Ἐν ὑγρῷ *in humido*, quemadmodum juxta Græcam lectionem citat Hilarius enarrans Pſalmum 1. atque ita magis reſpondet quod ſequitur *arido*. Cohærent autem & *humere* & *virere*: quanquam ſenſum expreſſit Interpres.

32. *Duo nequam*] Δύο κακοῦργοι *duo maleſici*, ſive *facinoroſi*.

33. *Et latrones*] Καὶ κακούργους. *Latrones* nunc vertit quod modo verterat *nequam*: homo nimirum copioſus.

34. *Neſciunt quid faciunt*] An ſic Latini loquantur neſcio: fortaſſe rectius erat, *neſciunt quod faciunt*. Quod ſi dicas *neſciunt quid faciant*, incidis in aliud incommodum, videlicet amphibologiæ.

35. *Stabat populus exſpectans*] Θεωρῶν ſpectans, ſuffragantibus & antiquis exempl. noſtris. Verum id haud dubium quin librariorum acciderit errore. ¶ *Et deridebant eum*] Ἐξεμυκτήριζον *ſubſannabant*. Idem verbum cum eo quod, ut ſuperius indicatum eſt, ſignificat *naſo ſuſpendere*, ſive *deſpectui habere*.

37. *Si tu es Rex*] Ὁ βασιλεὺς *ille Rex*. Et paulo ante ὁ Χριστὸς *ille Chriſtus*: ac rurſus, ὁ τοῦ Θεοῦ ἐκλελεγμένος *ille Dei electus*. Nec enim in his otioſus eſt articulus Græcus.

38. *Erat autem & ſuperſcriptio*] Ἐπιγραφή. Cur non potius *inſcriptio* quam *ſuperſcriptio?* ¶ *Græce & Hebraice & Latinis*] Alius eſt Græcis ordo, Ἑλληνικοῖς καὶ Ῥωμαϊκοῖς καὶ Ἑβραϊκοῖς, *Græcanicis & Romanis & Hebraicis*. Quæ ſane tres linguæ vel hoc nomine Chriſtianis omnibus deberent eſſe commendatæ quod in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti ſint ſolæ omnium dedicatæ. Saltem hunc titulum conveniebat paſſim ſuis depingi formulis, quem Joannes ad hanc formam ponit;

ישוע הנוצרי מלך היהודים׃

ΙΗΣΟΥΣ Ὁ ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ Ὁ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM.

39. *Qui pendebant latronibus*] Κακούργων, quod modo verterat *nequam*.

40. *Neque tu times Deum*] Tacita vis conjunctionis *neque* poteſt ad tria referri, niſi obſtet compoſitio, ad *times*, ad *tu*, & ad *Deum*. Si ad *Deum*, hic erit ſenſus, *Non ſolum non times homines, ſed ne Deum quidem metuis?* Si ad *tu*, hic, *Parum eſt ſi ipſi Deum contemnant, niſi tu quoque contemnas?* Si ad *times*, ſenſus hic erit, *Non ſolum non amas Deum, ſed ne times quidem, cum ſis in ſupplicio conſtitutus?* At ea eſt apud Græcos ſermonis compoſitio ut non poſſit accipi niſi hic ſenſus quem poſtremo loco recenſui, οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν Θεόν; *Ne times tu quidem Deum?* i. *Non ſaltem times Deum?* ¶ *Qui in eadem damnatione es*] Græcis non eſt ὃς, ſed ὅτι, conſentientibus & Latinorum vetuſtis exemplaribus. Siquidem in Paulino erat *quod*, non *qui*, concordans cum Conſtantienſi. In Corſendoncenſi *quia*, niſi quod *a* videbatur eraſum, ſed evidenti veſtigio teſtante corruptelam. Et item in Aureo cod. ſcriptum erat *quia*. Porro de ſenſus ambiguitate diximus alias.

41. *Nihil mali*] Οὐδὲν ἄτοπον *nihil abſurdi*.

43. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo*] Theophylactus oſtendit hic quoſdam aliter diſtinguere ſermonem. Volunt enim adverbium *hodie* referri ad præcedentia, *Amen dico tibi hodie:* deinde interpoſita hypoſtigme adjiciunt *mecum eris in paradiſo*. Hoc commentum eſſe frigidum res ipſa loquitur; ad quod confugerunt ut elaberentur è quæſtione, Quomodo potuerit eſſe verum quod promiſit Dominus, *Hodie mecum eris in paradiſo*, cum eo die atque etiam ſequente corpus

pus ipſius fuerit in ſepulcro, anima deſcenderit ad inferos. Sed Dominus ut alibi *gehennam* appellat extremam infelicitatem, ita hic ſummam quietem ac voluptatem appellat *paradiſum*. Quanquam Theophylactus prolixius diſputans in hunc locum quædam admiſcet quæ non ſatis conveniunt cum decretis Scholaſticorum hujus temporis Theologorum.

46. *In manus tuas commendo*] Græcis eſt παραθήσομαι *commendabo*, ſive *deponam*, fut. temp. idque juxta veritatem Hebraicam, quæ habet ad hunc modum, תפקד רוחי בידך. Siquidem ה additum huic verbo תפקד indicat fut. tempus. Atque ita ſane vertit D. Hieron. & LXX. Etiamſi fieri potuit ut Chriſtus tempus mutaverit: tametſi conſentiunt Græcorum cod. quos ego ſane viderim. Locus autem ſumptus eſt ex Pſ. 31. quem probabile eſt Dominum recitaſſe in cruce uſque ad eum locum, atque illic intendiſſe vocem. In Pſalterio Gallico quod edidit Jacobus Faber habetur *commendabo*, quemadmodum tranſtulerunt LXX. Hic rurſus objicitur ille beatus codex Pontificiæ bibliothecæ. Dominus de ſuo addidit *Pater*, cum nec apud Hebræos nec apud LXX ſit *Patris* aut *Domini* nomen hoc loco. Nec male convenit verbum fut. temporis, primum quia Pſalmum recitat, deinde quod prædicit ſe moriturum antequam moriatur. Cæterum παραθεῖναι eſt *commendare veluti commendatur depoſitum ſervandum ac ſuo reddendum tempore*. Nam huc alluſit Ambroſius cum ait, *Bonum ergo pignus eſt ſpiritus, bonum depoſitum*.

50. *Qui erat decurio*] Βουλευτής. Hic nomen eſt dignitatis, non officii militaris; ac ſonat ferme *Senatorem* ſive *conſultorem*: de quo nonnihil dictum eſt alias.

51. *Conſilio & actibus*] Τῇ βουλῇ καὶ τῇ πράξει *Conſilio & facto*. Interpres legiſſe videtur πράξεσι.

53. *Et poſuit eum*] *Et poſuit illud* legendum eſt: refertur enim ad *corpus*, αὐτό. Atque ideo in Latinis quoque cod. emendatioribus ſcriptum eſt *illud* non *illum*: ut palam ſit librariorum eſſe peccatum, non Interpretis: quemadmodum & participium *depoſitum*, καθελὼν αὐτὸ, quod quidem magis ſonat *detractum* quam *depoſitum*. Quemadmodum & illud in cantico Mariæ, *depoſuit potentes*, καθεῖλεν *detraxit*. Nam καθαιρεῖσθαι dicitur quod in alto ſuſpenſum pendet, veluti clypeus, aut lagena. ¶ *In monumento exciſo*] λελατομημένῳ. Ut intelligamus ſolidum fuiſſe ſaxum, non compactile aut ſtructile, ſed exſculptum ſuo loco nativo.

56. *Sabbato quidem ſiluerunt*] Ἡσύχασαν *quieverunt*: utrumque enim ſignificat ἡσυχάζω.

VATABLUS.

1. DUxerunt] *Duxit.*

3. *Tu es* * *Rex*] * *Ille.* ¶ *Reſpondens* * ait] * *Ipſi.*

4. *Cauſa*] Vel, *noxia.* i. Nullum crimen invenio.

5. *Invaleſcebant*] Vel, *inſtabant.* ¶ *Commovit*] *Commovet*, Vet. ¶ *Incipiens*] *Exorſus.*

7. *De Herodis poteſtate eſſet*] *Ad Herodis ditionem pertineret.*

8. *Erat enim cupiens*] *Cupiebat enim.* ¶ *Signum*] *Miraculum.*

9. *Interrogabat*] *Interrogavit.* ¶ *Multis*] *De multis.* ¶ *Reſpondebat*] *Reſpondit.*

10. *Conſtanter*] Vel, *intente*, & *acriter.*

11. *Exercitu ſuo*] *Exercitibus ſuis.* ¶ *Alba*] *Splendida.*

12. *In ipſa die**] * *Inter ſeſe.*

14. *Avertentem*] Sub. *à Cæſare.* ¶ *Nullam cauſam*] Vel, *nullum crimen.* ¶ *Invenio*] *Inveni*, Vet. Et infra.

16. *Emendatum*] *Correptum*, *Caſtigatum*: i. Cæſum flagris.

17. *Per diem feſtum*] Vel, *in feſto*: i. Paſcha.

21. *Succlamabant*] *Clamabant.*

22. *Enim*] Vacat hæc particula hoc loco. ¶ *Invenio*] *Inveni.* ¶ *Corripiam*] Vel, *caſtigabo*: i. flagris cædam.

23. *Poſtulantes**] * *Ab eo.* ¶ *Voces eorum**] * *Et Principum Sacerdotum.*

24. *Petitionem eorum*] Vel, *quod illi poſtulabant.*

26. *Ducerent*] *Abducerent.* ¶ *De Villa*] *De agro*: vel, *è rure.* ¶ *Portare*] *Ut portaret.*

27. *Quæ* * *plangebant*] * *Et.*

28. *Filiæ Jeruſalem*] i. Mulieres Hieroſolymitanæ. ¶ *Nolite flere*, &c.] i. ne flete mea cauſa, ſed veſtra ipſarum cauſa flete & liberorum veſtrorum.

29. *Venient*] *Venient.* ¶ *Dicent*] Sub. *mulieres.*

31. *Viridi*] *Humido*, i. ſuculenta arbore.

32. *Nequam*] *Malefici.*

33. *Latrones*] *Maleficos.* ¶ *Unum à dextris, alterum*] *Unum quidem à dextris, alterum vero.* Vetera legunt, *& alterum.*

34. *Dimitte*] *Remitte.*

35. *Exſpectans*] *Spectans*, Vet. ¶ *Et deridebant eum*] *Deridebant autem eum &c.*

37. *Si tu es* * *Rex*] * *Ille.*

39. *Si tu es* * *Chriſtus*] * *Ille.* ¶ *Teipſum*] *Temetipſum*, Vet.

40. *Qui*] *Quod*, Vet. q. d. Cum ſis ſimili genere ſupplicii damnatus, oſtendis tamen te Deum non timere, cum ſupplicii ſocio detrahis.

41. *Mali*] *Abſurdi.*

44. *In*] *Super.* ¶ *Univerſam*] Synecdoche: nam de tota Judæa tantum intelligitur.

46. *Commendo*] *Commendabo, deponam.* ¶ *Dicens*] *Cum dixiſſet.*

47. *Centurio*] i. centuriæ Præfectus quam habebat Pilatus Hieroſolymis.

48. *Omnis turba eorum qui ſimul aderant*] *Omnes turba eorum qui ſimul advenerant.* ¶ *Fiebant*] *Facta fuerant.*

49. *Quæ* * *ſecuta*] * *Simul.*

50. *Decurio*] *Conſul.*

51. *Actibus*] *Facto.* ¶ *Judææ*] *Judæorum.* ¶ *Exſpectabat &c.*] *Et exſpectabat etiam.*

53. *Eum*] *Illud.* ¶ *Exciſo*] *Quod erat in lapide exciſum.*

54. *Paraſcenes*] i. *Præparationis*, in quo præparabant neceſſaria ad feſtum.

56. *Et revertentes*] *Reverſæ autem.* ¶ *Siluerunt*] *Quieverunt.*

CASTALIO.

31. SI viridi arbori ſiunt hæc, arida quid fiet?] Si ego juſtus pœnas do, quid fontes? Vide Ezech. 22.

54. *Erat autem ea dies Præparatio, qua Sabbatum illuceſcebat*] Quid ſit *illuceſcere Sabbatum*, itemque alia multa ſuper hoc & ſequenti capite, vide Oſiandrum.

CLARIUS.

8. ET ſperabat ſignum aliquod videre] Sed Dominus neque ſigna fecit, quæ neque vanitatis neque curioſorum hominum gratia facienda ſunt, cum rebus Divinis maxima habenda ſit veneratio; neque quicquam omnino reſpondit, quamvis multis ſermonibus interrogaretur: quod non ſolum ſapienter verum etiam neceſſario factum eſt. Si enim Dominus divinum illud os ſuum coram Herode aut Pilato aperuiſſet, proculdubio perierat noſtra ſalus. Liberatus enim omnino fuiſſet, neque accepiſſemus redemptionem per ſanguinem ejus.

42. *Domine, memento mei*] Miram profecto hominis fidem; hominem in crucem actum credi regnaturum, idque à latrone & facinoroſo homine credi. Cernis quam tempeſtive Chriſtiana fides & crucis Chriſti virtus vigere cœperit?

53. *In quo nondum quiſquam poſitus fuerat*] Ne reſurgente à mortuis Domino, veniret in controverſiam utrum hic an alius ſurrexiſſet: aloquin quid intererat hoc admonere?

54. *Sabbatum illuceſcebat*] Propter lampades quas ante noctem propter Sabbatum accendebant.

ZEGERUS.

11. VEſte candida] Ἐσθῆτα λαμπρὰν magis ſonat *veſtem fulgentem ac ſplendidam.* D. Ambroſius ad utrumque, nimirum *candorem & fulgorem*, alludens, *Non otioſum*, inquit, *quod veſte alba induitur ab Herode, immaculata tribuens indicia paſſionis, quod Agnus Dei ſine macula, cum gloria, mundi peccata ſuſciperet.*

12. *Et facti ſunt amici Pilatus & Herodes*] Diſſidii cauſam fuiſſe putant quod Pilatus miſcuerit ſanguinem quorundam Galilæorum ob impia facta cum ſacrificiis, ut videre eſt capite hujus operis 13.

23. *Voces eorum*] Addunt Græci καὶ τῶν ἀρχιερέων *& ſummorum Pontificum*, ſed ſupervacaneè, ut apparet, propterea quod in *voces eorum* vel imprimis intelligantur ſummorum Pontificum voces.

35. *Et*

35. *Et ſtabat populus*] *Spectans* vel *aſpectans* legendum, non *exſpectans*: eſt enim θεωρῶν. Nam & vetuſta aliquot exempl. habent *ſpectans*. ¶ *Principes cum eis*] h. e. *cum populo*. Conſtruitur enim demonſtrativum plurale cum nomine collectivo: id quod frequenter fit in Scriptura, frequentius etiam apud Græcos.

43. *In paradiſo*] Si *paradiſum* accipiamus Regnum æternæ beatitudinis, aptius erit ut ita diſtinguamus, *Amen dico tibi hodie*, atque hic poſito hypoſtigmate ſubjiciatur, *mecum eris in paradiſo*. Vel, *in paradiſo*, h. e. in ſumma felicitate & beata Dei viſione: quia quiſquis cum Chriſto eſt, vere beatus & voluptate repletus eſt.

50. *Decurio*] Cum Græcis ſit βουλευτὴς, quod illis ſonat *conſultorem* ſive *ſenatorem*, conſtat hic *decurionem* nomen dignitatis eſſe, non officii militaris. Beda tamen, *Decurio*, inquit, *vocatur quod ſit de ordine curiæ, & officium curiæ adminiſtret; qui etiam Curialis, à procurando munera civilia, ſolet appellari.*

54. *Et dies erat Paraſceues, & Sabbatum illuceſcebat*] DIES PARASCEUES *dies Præparationis* interpretatur, quod eo die quæ ad Sabbatum celebrandum eſſent neceſſaria præpararentur. Et, *Sabbatum illuceſcebat*, h. e. veſpera incumbebat, quoniam Hebraica obſervatione lucernæ accendebantur, quas cœpta veſpera & poſt tubæ clangorem accendere, ſicut & cætera opera facere, nefas erat. Itaque quia lucernæ accendebantur ſub veſperam ratione Sabbati ab illa incipientis *Sabbatum illuceſcere* dicebatur. Quod ſi vero quem moveat quod inferius dicitur, *Et revertentes paraverunt aromata*, cum Sabbato illuceſcente, ut jam dictum eſt, operari non licuerit, dici poteſt probabile eſſe quod hoc negotii mulieres peregerint ſub veſperam quidem, ſed ante datum ſignum inchoandi Sabbati. Cave etiam putes hunc eundem eſſe diem de quo ita legis apud Matthæum 28. 1. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati*: nam de illo infra agit Lucas, ubi ait, *Una autem Sabbati valde diluculo.*

56. *Sabbato quidem ſiluerunt*] Ἡσύχασαν non tam *tacuerunt* quam *quieverunt* interpretatur, quemadmodum & *ſiluerunt*. *Quieverunt* autem magis congruit propoſito, niſi malis intelligere ſimul utrumque.

H. STEPHANUS.

2. Ἕτρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος] *Comperimus pervertere hanc gentem.*

4. Αἴτιον] *Crimen.*

5. Ἐπίσχυον] *Magis ac magis urgebant.* ¶ Ἀνασείει] *Ad ſeditionem impellit.*

7. Ἐκ τῆς ἐξουσίας] *Ex ditione.*

8. Ἐξ ἱκανοῦ] *Jam à multo* tempore.

10. Εὐτόνως] *Intente & acriter.*

11. Ἐξουθενήσας] *Cum contempſiſſet & pro nihilo putaſſet.*

14. Ἀποστρέφοντα τὸν λαόν] *Alienantem voluntates populi* à Cæſare. Ad verb. *avertentem populum.* ¶ Αἴτιον] *Crimen*, ut ſupra.

16. Παιδεύσας] *Poſtquam caſtigavero.*

21. Ἐπεφώνουν] *Reclamabant.*

22. Αἴτιον θανάτου] *Crimen morte dignum.*

23. Ἐπέκειντο φωναῖς μεγάλαις αἰτούμενοι] *Inſtanter & cum clamore petebant.*

27. Ἐκόπτοντο] *Plangebant* pectora.

30. Τοῖς βουνοῖς] *Collibus.*

32. Ἕτεροι δὲ κακοῦργοι] *Alii duo*, qui erant *facinoroſi.*

35. Ἐξεμυκτήριζον] *Naſo ſuſpendebant.*

40. Οτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ;] *Cum eodem judicio ſis damnatus?*

41. Οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξε.] *Nihil deliquit.*

46. Εἰς χεῖράς σου παραθήσομαι] *Deponam in manus tuas*: vel, *Manibus tuis committam.*

48. Ἐπὶ τὴν θεωρίαν ταύτην] *Ut ſpectarent hæc.*

51. Οὐκ ἦν συγκατατεθειμένος] *Non erat aſſenſus.*

53. Λαξευτῷ] *Quod inciſum erat in ſaxo.*

D R U S I U S.

3. TU *dicis*] q. d. Nihil opus eſt me dicere quod ſim Rex Judæorum, cum tu ipſe dicas. Simile in Plauto, Ciſtellaria, *Pro me reſponſas tibi.*

22. *Corripiam eum*] Malim *Caſtigabo*. Nam in fonte Græco παιδεύσας. Corripimus verbis, caſtigamus flagris & verberibus. Sic v. 16. ubi noſter habet *emendatum*, prætulerim *caſtigatum*. Nam non emendatur niſi qui malus eſt. Hinc παιδεία *caſtigatio.*

38. *Hic eſt rex Judæorum*] In Euangelio Johannis, *Jeſus Nazarenus rex Judæorum*: Quod Ebraice legitur apud Eraſmum יהושע הנוצרי perperam. Scribi enim debet יש vel certe ש unde Jeſus addito ע, ut fieri ſolet. Hoc primum: deinde Nazarenus ſive Nazaræus mediam habet ע Sade, unde rectius & emendatius ad antiquam conſuetudinem ſcribitur Naſaræus, i. נוצרי. Sane Chriſtianos Judæi & olim & hodie adhuc appellant נוצרים Naſaræos.

43. *Hodie eris mecum in paradiſo*] In horto Eden, qui locus receptaculum eſt animarum poſt hanc vitam: unde dicitant גן עדן *Quies ejus Eden.* Videndus Joſeph Albo Sorienſis Hiſpanus in lib. Fundamentor. 152. 2. in extremo. Idem locus vocatur חלק צדיקים *portio*, ſive *pars*, *juſtorum.* Cæterum qui credunt animas vagari per annum integrum in aere, & modo deſcendere, modo aſcendere, ſi non aliunde, vel ex iſto dicto confutari & refelli poſſunt. Sciendum etiam Paradiſum nonnullis diverſum eſſe à Cœlo, in quem animæ corporibus indutæ recipiuntur poſt reſurrectionem. Quod tamen diſcrimen non eſt perpetuum. Quomodo in Paradiſo, ſi erat apud inferos? Articulus ille, *Deſcendit ad inferna*, varias expoſitiones admittit, ut hinc potius concludi poſſit non fuiſſe in infemo cum eſſet in paradiſo. Quod autem ait, DESCENDIT AD INFEROS, *id vim eandem*, inquit Rufinus, *habet atque illud*, SEPULTUS EST. Omitto quod ἐτάφη reddi poteſt *funeratus eſt.* Nam ſic Græcorum interpretes uſurpant Gen. 5. & alibi. Ut ut ſit, in veteribus ſymbolis articulus ille non exſtabat. Qui adjecit, factum hoc ævo poſteriore, videtur intellexiſſe quemadmodum Eccleſia Romana hodie intelligit. In quam ſententiam & ego irem pedibus manibuſque ſi hiſtoria illa uſpiam in libris myſticis clare prodita eſſet. Nam qui ex Actis citant, *Non relinques animam meam apud inferos*, indigni ſunt quibus reſpondeatur, cum ipſe Princeps Apoſtolorum aliter eum locum nobis enarravit.

GUALTPERIUS.

33. Κρανίον] *Cranium*, *Calvaria.* Syr. ܩܪܩܦܬܐ *Karkephta*, ut ſupra Matth. 27. 33.

43. Σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ] Παράδεισος, ὁ, *Paradiſus*, apud Xenophontem *hortum* ſignificat, & *locum ferarum ſeptum*, ſeu *vivarium*, & *viridarium*: κατ' ἐξοχὴν vero Græci interpretes acceperunt hanc vocem de horto illo in Eden plantato, cujus ſtatim initio hiſtoriæ Moſaicæ fit mentio, & in quo parentes primi noſtri in ſtatu primævo per aliquantulum tempus fuere. Hebræi vocant פרדס PARDES, *hortum amœniſſimum & conſitum arboribus fructiferis.* Eccleſ. 2. 5. *feci mihi hortos, & paradiſos* ופרדסים *& plantavi in eis*, &c. Hinc factum ut per metaphoram beata illa gloriæ Dei ſedes hoc nomine vulgo etiam diceretur. Græci vocabulum παράδεισος à Perſis, Perſæ ab Hebræis accepere. Syri ſimiliter dicunt פרדס *pardes*, & פרדיסא *pardi*, & פרדיסא *paradiſa*, *paradiſus.*

GROTIUS.

1. Τὸ πλῆθος αὐτῶν, *multitudo eorum*]. Ita vocat *cœtum Senatorum*: quare bene vertit Syrus כנשותהון [*cœtus eorum*].

2. Διαστρέφοντα τὸ ἔθνος, *ſubvertentem gentem*] Eodem crimine accuſatur quo ab Achabo Elias: nam & ibi עכר ישראל [*qui conturbat Iſrael*] Lxx vertunt ὁ διαστρέφων τὸν Ισραὴλ [*qui ſubvertit Iſrael*]. Elias à falſorum deorum cultu, Jeſus à vita corruptiſſima populum in rectam viam revocabat. hoc impii vocant διαστρέφειν [*ſubvertere*], quia ſcilicet nolunt moveri Camarinam. ¶ Καὶ κωλύοντα Καίσαρι φόρους διδόναι, *& prohibentem Cæſari tributa dare*] Quia è Galilæa proceſſerat Judas hujus dogmatis auctor, ideo confidenter objiciebant Chriſto crimen, & odioſum maxime Romanis, & in Galilæo credibile. Neque neſciebant quam id eſſet falſum: ſed ita conducebat inſtituto. Quædam crimina objeciſſe ſatis eſt. ¶ Λέγοντα ἑαυτὸν Χριστὸν Βασιλέα εἶναι. *dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe*] Etiam mentitur qui verum ad rem pertinens ſubticet, quod hic faciunt Judæi Senatores. Jeſus *Chriſtum* ſe, id eſt, *eximium promiſſumque Regem* dixerat, ſed *nempe Regni cœleſtis*; quod Romanorum potentiæ non obſtabat: id non additum, facit rem longe aliam videri.

3. Σὺ λέγεις. *Tu dicis*] Rem falſus eſt Jeſus, ſed addita quam Senatores ſuppreſſerant diſtinctione, *Rex ſum*, in-

inquiens, *ſed non Regni terreſtris:* quod Johannes explicat.

4. Ὁ δὲ Πιλάτος εἶπε, *Ait autem Pilatus*] Nempe exiens ad Senatores foris exſpectantes, ut Johannes nos docet. ¶ Οὐδὲν εὑρίσκω αἴτιον, *Nihil invenio cauſa*] *Nullum crimen.* Nam *noxæ* vox *ad privata delicta* referri ſolet. Videbat confeſſionem ita eſſe temperatam, ut crimen non contineret, probationes videbat nullas. Ipſe hominis habitus à regni affectati ſuſpicione longe aberat.

5. Ἐπίσχυον, *invaleſcebant*] *Inſtabant.* pmn [*urgebant*] Exod. xii. 33. ¶ Ὅτι ἀνασείει τὸν λαὸν, διδάσκων *Quia commovet populum, docens*] Cum non recipi à Pilato viderent crimen regni affectati, ad aliud confugiunt quod facti erat non ambigui, ſed juris habebat quæſtionem: *Docet*, inquiunt, *res quasdam novas, neque congruentes cum receptu apud nos ſententiis. Jam vero ſatis notum eſt, ea re populum commoveri ſolere, ac proinde adverſari hoc publicæ tranquillitati cujus tu cuſtos es conſtitutus.* Hoc ipſum eſt quod Socrati Athenis objectum fuit. Ita & Paulum accuſat Tertullus, ut κινοῦντα στάσιν πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις [*concitantem ſeditionem omnibus Judæis*]. Celſus quoque & Judæos, ut ſeditioſos accuſat quod ab Ægyptiorum inſtitutis receſſiſſent, & Chriſtianos quod à Judaicis. ¶ Ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε. *incipiens a Galilæa uſque huc*] Si dubitas, inquirere potes, non per Judæam tantum, ſed & per Galilæam, nutricem ſeditioſorum hominum, quot illæ diſciplinæ ſuæ ſtiparores collegerit.

7. Ἐπιγνὺς ὅτι ἐκ τῆς ἐξουσίας Ἡρῴδου ἐστὶν, *Et ut cognovit quod de Herodis poteſtate eſſet*] *Cognito ipſum eſſe ex Herodis territorio.* Ita enim μετωνυμικῶς [*per transnominationem*] hic ſumitur vox ἐξουσίας [*poteſtatis*]. ¶ Ἀνέπεμψεν αὐτὸν, *remiſit eum*] Propriam Romani juris vocem uſurpavit. Nam remittitur reus qui alicubi comprehenſus mittitur ad Judicem aut originis aut habitationis. Itaque Pilatus Herodi, ut Tetrarchæ ejus loci, unde eſſe Jeſus dicebatur, poteſtatem permiſit Jeſum abducendi in Galilæam, ibique, ſi vellet, cognoſcendi de ejus cauſa, ut fieri inter Romanos provinciarum Rectores ſolebat, quod recte hic notat Theophylactus. Celſus in L. Non eſt dubium D. de cuſtodia rerum, *Illud à quibuſdam obſervari ſolet, ut cum cognovit & conſtituit, remittat illum cum elogio ad eum qui provincia præeſt unde homo eſt: quod ex cauſa faciendum eſt.* Sed hic antequam quicquam conſtituiſſet, remittit reum Pilatus. major enim reverentia Regi quam Præſidi debebatur. Sic Veſpaſianus cognitionem de Tarichææ oppidanis Agrippæ Regi permittit apud Joſephum belli Jud. III. cap. ult.

8. Ἐξ ἱκανῶν, *ex multo tempore*] Id eſt, ἐκ χρόνων ἱκανῶν [*temporibus multis*], ut loquitur ſupra VIII. 27. ¶ Ἰδεῖν αὐτὸν, *videre eum*] Vide ſupra IX. 9. ¶ Ἤλπιζέ τι σημεῖον ἰδεῖν ὑπ' αὐτοῦ γινόμενον. *ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri*] Ut oculos & animum re nova paſceret, more aulæ. At Deus non ita prodigus eſt potentiæ ſuæ, ut eam inſervire cupiat humanæ curioſitati. Res magna ſit neceſſe eſt propter quam naturæ leges exceduntur.

9. Ἐπηρώτα δὲ αὐτὸν, *Interrogabat autem eum*] De poteſtate quam ſibi arrogaret.

10. Εὐτόνως κατηγοροῦντες αὐτοῦ. *conſtanter accuſantes eum*] Vox eſt uſus medii. nam & de Paulo dicitur ἐντόνως διεκατηλέγχετο τοῖς Ἰουδαίοις [*vehementer revincebat Judæos*] Act. XVIII. 28. Puto recte verti *acriter.* Dabant autem operam Senatores, ut Herodi quoque ſuſpectum facerent Jeſum affectati imperii. Nam regnum Davidicum non minus Galilæam quam Hieroſolyma complectebatur.

11. Ἐξουθενήσας δὲ αὐτὸν, *ſprevit autem illum*] Indignum ſua magnitudine ratus, ſi crederetur metuiſſe hominem, neque armis neque regnandi artibus inſtructum. Reſpondet hoc voci שפל [*abjectiſſimus*] apud Eſaiam LIII. 3. ¶ Σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ, *cum exercitu ſuo*] *Cum miniſtris ſuis*, ut recte vertit Syrus. Nam Helleniſtæ στρατιὰν & στράτευμα [*exercitum*] uſurpant, ut Hebræi צבא [*exercitum*], pro *quovis comitatu.* ¶ Ἐμπαίξας, *illuſit*] *Illudens ei, ut homini fatuo:* hæc enim portio eſt Chriſti & Chriſtianorum apud id genus homines. ¶ Ἐσθῆτα λαμπρὰν, *veſte alba*] *Fulgentem* Arabs intelligit, *albam* Latinus: neutrum ſatis certum eſt. Nam, ut ſupra, de eo qui magnifice epulabatur dixerat εὐφραινόμενος λαμπρῶς [*epulabatur ſplendide*], ita & hic λαμπρὰν ἐσθῆτα intelligit *veſtem ſplendidiorem:* quomodo & Jacobus appellat veſtem hominum opulentiorum. At hic inſuper privato cultu *ſplendidiorem veſtem* par eſt intelligi. Nam irriſit eum Herodes ut majora captu ſuo ſtulte appetentem, ita ut à re forte non aberraverit Syrus qui *veſtem coccineam* eſt interpretatus. Dubitari poteſt Latino magis an Arabi faveat quod Actor. x. 30. legimus Angelum Cornelio apparuiſſe ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ [*in veſte alba*]: Nam ſolet Angelis & *candidus & fulgens habitus* adſcribi, ut alibi notatum eſt. ¶ Ἀνέπεμψεν αὐτὸν τῷ Πιλάτῳ. *remiſit eum ad Pilatum*] Indignum ira ſua ratus ac proinde beneficio indultæ cognitionis non utens.

12. Ἐγένοντο δὲ φίλοι, *Et facti ſunt amici*] Eo nimirum amicitiæ genere quod communi utilitate conglutinatur & rectius factio dicitur,

- - - Tam diri fœderis illa
Parta quies.

Vitia inter ſe diſcordia adverſus virtutem facile conſpirant. ¶ Προϋπῆρχον γὰρ ἐν ἔχθρᾳ ὄντες, *nam antea inimici erant ad invicem*] Ob Galilæos, ut credibile eſt, à Pilato nuper trucidatos. Sed & alios facillime inter Reges & Romanos Præſides ex æmulatu odia naſcebantur, cujus rei inſigne exemplum legat qui volet apud Philonem adverſus Flaccum.

13. Καὶ τοὺς ἄρχοντας, *& Magiſtratus*] Id eſt, τοὺς πρεσβυτέρους [*Senieres*]. ¶ Καὶ τὸν λαὸν, *& plebem*] Alloquutus eos eſt adſtante populo. Vide quæ ad Matthæum.

14. Ὡς ἀποστρέφοντα τὸν λαὸν. *quaſi avertentem populum*] *Tanquam qui avertat populum à Romani imperii reverentia.* Sic ἀποστροφὴν [*averſionem*] προδοσίαν [*proditionem*] interpretatur Heſychius. ¶ Ἐνώπιον ὑμῶν, *coram vobis*] Hoc ad Senatores dicitur. Ait Pilatus ſe rem totam inquiſiviſſe non tantum cum conſilio ſuo, ſed & coram ipſis Senatoribus, primum quidem cum reum adducerent, iterum vero cum ad eos ipſe proceſſiſſet. ¶ Ἀνακρίνας, *interrogans*] *Inquiſitione facta.* Etiam hic κυριολογεῖ [*proprie loquitur*] Lucas. Nam vox eſt judicialis Actor. IV. 9. Εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα ἐπὶ εὐεργεσίᾳ [*Si nos hodie dijudicamur in beneficio*]. Act. XXV. 26. Ὅπως τῆς ἀνακρίσεως γενομένης ἔχω τι γράψαι [*Ut interrogatione facta habeam quod ſcribam*]. XXVIII. 18. Παρεδόθην εἰς τὰς χεῖρας Ῥωμαίων, οἵτινες ἀνακρίναντές με ἐβούλοντο ἀπολῦσαι [*Traditus ſum in manus Romanorum: qui cum interrogationem de me habuiſſent, voluerunt me dimittere*]. Plato, Ἄφωνος δ' ἂν δικαστὴς ὑμῖν, καὶ μὴ πλείω τῶν ἀντιδίκων ἐν ταῖς ἀνακρίσεσι Φθεγγόμενος [*Mutus nobis Judex, nec plura in examine adverſariis loquens*]. Plutarchus, Γράψας πῶς δεῖ ἀνακρίνεσθαι τοὺς ἐν αἰτίαις γενομένους [*Scribens quomodo oporteat in reos inquirere*]. ¶ Αἴτιον, ὧν κατηγορεῖτε κατ' αὐτοῦ, *cauſam ex his in quibus eum accuſatis*] *Quod ad Majeſtatem* ſcilicet *pertineat*, id enim præcipue urgebatur.

15. Ἀλλ' οὐδὲ Ἡρῴδης. *ſed neque Herodes*] Si mihi non creditis, credite populari & conſorti religionis. ¶ Ἀνέπεμψε γὰρ αὐτὸν πρὸς ἡμᾶς, *remiſit enim eum ad nos*] Hæc lectio cum multis codicibus fulciatur & Arabi videatur placuiſſe, mihi non diſplicet. Sequentia enim rectius cohærent. Syrus legit ἀνέπεμψα γὰρ αὐτὸν πρὸς αὐτὸν [*remiſi enim eum ad illum*]. ¶ Οὐδὲν ἄξιον θανάτου ἐστὶ πεπραγμένον αὐτῷ *nihil dignum morte actum eſt ei*] Videtur Syrus hoc πεπραγμένον [*actum eſt*] interpretari non ab Jeſu ſed ab Herode circa Jeſum: quem ſenſum & Latina verſio recipit; ut hoc dicat Pilatus, *Remiſſum ab Herode Jeſum ſine ullo elogio aut ſigno quo mortem commeritus poſſet intelligi.* Et certe hunc ſenſum requirere videtur illud ἰδοὺ [*ecce*], quod rem quaſi oculis ſubjicit, & alioqui bis idem dixerit Pilatus. nam præceſſit οὐδὲν εὗρον αἴτιον [*nullam inveni cauſam*].

16. Παιδεύσας, *Emendatum*] Iterum proprietatem ſectatur. nam παιδεύειν reſpondet Latino *caſtigare*; caſtigatio autem de flagellis proprie dicitur L. veluti. D. de pœnis. Sed notandum eſt fuiſſe tum Pilato varia animo conſilia verſanti propoſitum flagris Jeſum cædere, non ut poſtea fecit, quaſi habendæ quæſtionis cauſa, ſed pro pœna. Nimirum legibus Romanis arbitraria erat pœna, ſi quis (ut Paulus JCtus in receptis ſententiis loquitur) novas ex uſu vel ratione incognitas religiones induceret, ex quibus animi hominum moverentur: quod Marcus Imperator dixit, Si quis aliquid fecitiet quo leves hominum animi ſuperſtitione Numinis terrerentur. Hoc crimen, quam Majeſtatis videbatur Pilato, qui quovis modo ſatisfacere Judæis volebat, magis in Jeſum congruere, ut ſolent qui aliud quam jus intuentur quærere aliquid quod obtendant injuriæ.

18. Αἶρε τοῦτον, *tolle hunc*] De hoc clamandi modo diximus ad Matthæum.

22. Τί γὰρ κακὸν; *quid enim mali?*] *Quod capital?* Eſt autem & hic αἰτιολογία τῶν εἰσημένων [*ratio ejus quod ſubticetur*]. Subintelligitur enim, *non faciam quod vultis:* aut, *iniquum poſtulatis.*

23. Καὶ

23. *Καὶ τῶν Ἀρχιερέων. & Principum Sacerdotum*] Agnoscunt has voces Syrus & Arabs. Neque supervacuæ sunt. Significatur enim, hos fuisse in populo ad clamorem præcipuos: quod vel maxime indignum erat eorum gravitate.

24. *Ἐκέλευσε γενέσθαι, adjudicavit fieri*] Ἐκέλευσεν nihil hic est aliud quam *judicando decernere*. Ita θάνατον ἐκέλευσε [*morte damnavit*] dixit Scriptor II Macc. IV. 48.

25. *Τὸν διὰ στάσιν καὶ φόνον βεβλημένον εἰς τὴν φυλακὴν, qui propter seditionem & homicidium missus fuerat in carcerem*] Multo est ἐμφατικώτερον [*significantius*] quam si simpliciter dixisset Barabbam. Ita Petrus Act. III. 14. *Ὑμεῖς δὲ τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον ἠρνήσασθε, καὶ ᾐτήσασθε ἄνδρα φονέα χαρισθῆναι ὑμῖν* [*Vos autem sanctum & justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis*].

26. *Ὀπισθεν τοῦ Ἰησοῦ. post Jesum*] Vide quæ ad Matthæum.

28. *Μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμὲ, nolite flere super me*] Respicit Christus morem hominum de suis quam de alienis malis magis dolentium: quasi diceret, *Si calamitates quæ vobis impendunt videretis, non vacaret vobis lachrymas mihi impendere.*

29. *Ἐν αἷς ἐροῦσι, in quibus dicent*] Indefinite. Id est, *cum dicetur.* ¶ *Μακάριαι αἱ στεῖραι, beatæ steriles*] Quia duplex est dolor liberos videre miseriæ participes. Euripides Alcestide,

> *Ζηλῶ δ' ἀγάμους ἀτεκνούς τε βροτῶν*
> *Μία γὰρ ψυχὴ τῆς ὑπὲρ ἀλγεῖν*
> *Μέτριον ἄχθος.*
>
> *Felix, felix, quisquis thalamis*
> *Et prole vacat, namque una anima est*
> *Cui fas debet suus esse dolor.*

30. *Λέγειν τοῖς ὄρεσι, πέσετε ἐφ' ἡμᾶς, καὶ τοῖς βουνοῖς, καλύψατε ἡμᾶς. dicere montibus: cadite super nos, & collibus, operite nos*] Ex Osea X. 8. ubi de Samaria sermo, quæ & pravitatis & pœnæ Hierosolymorum gessit imaginem: sed ibi transpositis vocibus est, Ἐροῦσι τοῖς ὄρεσι, Καλύψατε ἡμᾶς, καὶ τοῖς βουνοῖς, πέσετε ἐφ' ἡμᾶς [*dicentibus: Operite nos, & collibus: cadite super nos*]. Johannes גבעות βουνὸς [*colles*] interpretatur πέτρας [*rupes*] Apocal. VI. 16. *λέγουσι τοῖς ὄρεσι καὶ ταῖς πέτραις, Πέσετε ἐφ' ἡμᾶς καὶ κρύψατε ἡμᾶς* [*dicunt montibus & petris: cadite super nos & abscondite nos*]. Similis est locus Esaiæ II. 19. Locutiones hæ sunt quidem proverbiales, ac simul à Christo usurpatæ sunt ad eventuum singularum significationem, quo magis ex his dictis ipsius præscientia appareret. Nam & matrum ea fuit miseria, ut suos ipsæ natos præ fame manderent, & occupante urbem Romano exercitu, plurimi se in specus abdiderunt; ut apud Josephum videre est.

31. *Εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γενήσεται; si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*] Quanquam potest *ποιοῦσιν* [*faciunt*] ad Romanos referri, tamen convenientius puto impersonaliter exponi; ut sensus sit, *Si hoc fit* (Divina scilicet dispensatione *in ligno humido, quid fiet in arido?* quomodo Petrus dicit, *εἰ ὁ δίκαιος μόλις σώζεται* [*si justus difficulter salvatur*], (id est non nisi per multas calamitates) *ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρτωλὸς τῷ Φανεῖται*; [*impius & peccator ubi apparebit?*] Rabbi Salomo ad X Num. *Quum Deus sanctus benedictus judicium facit in justis, timetur, extollitur, & laudatur: nam si in illis hoc facit, quanto magis in impiis?* Apparet autem & hoc loquendi genus fuisse proverbiale. Nam Hebræi viros bonos *ligna viridia* vocant, malos *arida.* Est enim tritum apud eos adagium, *Si duo fuerint ligna arida & unum viride, arida illud lignum viride exurent:* quo significant facile bonos, utpote pauciores, opprimi malorum conspiratione. Sed & apud Ezechielem XX. 47. comminatur Deus excisurum se עץ לח ועץ יבש, πᾶν ξύλον χλωρὸν καὶ πᾶν ξύλον ξηρὸν [*omne lignum viride & omne lignum aridum*], quod ipse mox XXI. 3. interpretatur *justum atque improbum.* Utitur eadem similitudine & Hermas libro tertio. Sed & in Psal. I. vir bonus *virenti arbori* comparatur, contraque *arbores emortuæ* & Christo & Baptistæ vocantur homines à pietate destituti.

32. *Κακοῦργοι, nequam*] *Facinorosi.* Nam *nequam* multo est minus; *malefici* autem proprie sunt *qui malis carminibus aut herbis nocent.*

33. *Τὸν καλούμενον Κρανίον, qui vocatur Calvaria*] Si codices adstipularentur, legerem *κρανίων* [*craniorum*], quomodo & Latinum Interpretem legisse suspicor, aut *κρανία* [*crania*], quomodo legisse videtur Epiphanius. Alioqui erit *μετωνυμία* [*transnominatio*], *κρανίον* [*cranium*] pro *κρανίου τόπος* [*cranii locus*], ut est apud Matthæi Interpretem & Marcum. Sed & in Cephallenia urbem fuisse legimus quæ *Cranium* vocaretur: Thucydidi *κράνα* [*crania*] plurali numero.

34. *Πάτερ, ἄφες αὐτοῖς. Pater, dimitte illis*] Quod dicto monuerat Christus, Orandum *ὑπὲρ τῶν ἐνυβριζόντων ἡμᾶς* [*pro iis qui nos damno & injuria afficiunt*], id facto nunc præstat, Pontificem se vere exhibens, cujus est munus *προσφέρειν ὑπὲρ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων* [*offerre pro populi ignorantia*]. Atque ita impletum est quod prædixerat Elaias ויפגע בעד פושעים [*pro transgressoribus intercedet*]. Illud autem *ἄφες* [*dimitte*] interpretandum ex simili oratione Stephani, *Μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην* [*Ne statuas illis hoc peccatum*], *Ne imputa*, scilicet *in hoc, ut pœnitentiam illis præcludas festinato exitio aut plenissima obduratione.* Justinus colloquio cum Tryphone, *Διὸ καὶ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀνθρώπων τῶν ἐχθρῶν τῶν ἡμῶν εὐχόμεθα, ἵνα μετανοήσαντες σὺν ἡμῖν μὴ βλασφημῶσι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν* [*Hac de causa & vestram & omnium eorum, qui inimice in nos sunt animo, vicem deprecamur Deum, ut aliquando acta nobiscum pœnitentia Christo Jesu maledicere desinatis*]. Et alio loco, *Καὶ ὑμεῖς ὑμᾶς καὶ τοὺς δι' ὑμᾶς τοιοῦτο καθ' ὑμῶν ὑπειληφότας οὐ μισοῦμεν, ἀλλ' εὐχόμεθα κἀν ὧν μετανοήσαντες πάντες ἐλέους τυχεῖν παρὰ τοῦ ἐυσπλάγχνου καὶ πολυελέου πατρὸς τῶν ὅλων Θεοῦ* [*Nos vero nec vos odimus, nec eos qui vestro vitio tam maligne de nobis sentiunt: imo vero precamur, quo vel nunc aliquando omnes pœniteat errorum, misereaturque omnium misericors universi parens Deus*]. Sic Paulus I Tim. I. 13. ait se misericordiam consecutum, eo quod ignorans egisset quæ egerat: significans ideo se non obduratum, non præclusum sibi ad veritatem aditum. ¶ *Οὐ γὰρ οἴδασι τί ποιοῦσι. non enim sciunt quid faciunt*] Sic Eccl. IV. 17. *Nesciunt se malum facere.* Facit hic Christus quod solent deprecatores: omisso quod in facto Judæorum erat accusandum, id refert quod ad mitigandam aliquo modo culpam pertinebat. Erat quidem ignorantia crassa ac supina, adde etiam profecta ex multis vitiis, sed tamen non extrema linea peccabant qui in eum peccabant quem non pernoverant. Aristoteles Rhetor. primo, & eum secutus Themistius Oratione ad Valentem, tria faciunt delictorum genera, *ἀτυχήματα, ἁμαρτήματα, ἀδικήματα* [*infortunia, peccata, injurias*]. Et *ἀτυχήμασι* [*infortuniis*] quidem ait Themistius deberi *τὸ συναλγεῖν καὶ τὸ ἐλεεῖσθαι* [*condolentiam & miserationem*] (quod dixerat & Diodorus Siculus Bibliothecæ libro XIII) *τοῖς ἁμαρτήμασι* [*peccatis*] vero *τὸ μέμφεσθαι καὶ τὸ ἐπανορθοῦν* [*querelam & correctionem*], postremo *τοῖς ἀδικήμασι τὸ κατεγνῶσθαι καὶ τιμωρεῖσθαι* [*injuriis condemnationem & pœnam*]. Judæorum hoc peccatum sicut nudum *ἀτύχημα* [*infortunium*] non erat, imo excedens etiam communem *ἁμαρτημάτων* [*delictorum*] sortem, ita aliquid trahebat *ἐκ τοῦ ἀτυχήματος* [*ex infortunio*], ob ignorantiam ei admixtam: quam & Petrus agnoscit Actor. III. 17. & Paulus I Cor. II. 8. Itaque videre est multos eorum hac Christi deprecatione sublevatos, cum intellexissent postea Christi causam Deo probatam, adductos ad seriam facinoris sui detestationem. Alia longe eorum causa est qui à vigilibus mendacium nummis redemerunt, aut Apostolis interdixerunt ne ederent cœlestis potentiæ signa. Bene docuit Aristoteles libro de moribus III. *Ἕτερον εἶναι τὸ δι' ἄγνοιαν πράττειν τοῦ ἀγνοοῦντα ποιεῖν* [*aliud esse per ignorantiam, aliud ignorantem facere*]. Nam quosdam esse qui ignorantes quidem peccent, sed non per ignorantiam; cujus rei evidens esse indicium si eos re comperta facti non pœniteat. Quam sapientissimi Philosophi observationem ad causam hanc Judæorum sapienter aptatam videre est in responsionibus ad Orthodoxos quæst. CVIII. ubi ita ait quicunque ille est magni judicii Scriptor, *Δειχθείσης τῆς νομιζομένης γνώσεως διὰ τὰς ἀκουσίους, ἀγνοίας ὑπαρχούσης τῷ πράγματος, ἐν ἐμμονῇ τῇ αὐτῇ ἀγνοίᾳ ὁ ἀγνοήσας, ἀδεμίαν ἐφέλκεται συγγνώμην, ἀλλὰ τιμωρίαν ἀναμάρτητον* [*Cum postea eventus ostenderit ignorantiam fuisse eam, quæ antea scientia putabatur, si ne tum quidem è priore ignorantia emergat is qui ignoraverat aliquid, nihil est, cur ei ipsa culpa condonetur, imo vero causa dicimulta potest, quo minus severe vindicetur*]. Et mox, *Τὸ ἐξαργυρίζειν αὐτῷ* (Ἰησοῦ) *τὴν ἀνάστασιν καὶ κωλύειν τοὺς ἀποστόλους ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μὴ ἐκτελεῖν θεῖα ἔργα ἐν τῇ δυνάμει τοῦ θείου πνεύματος γινόμενα, οὐκ ἔξω ἀκουσίου ἀγνοίας συγγνώμην ἐφελκομένης, ἀλλ' ἐγκαμμένης ἑκαστοῦ θεομαχίας τιμωρίαν ἐφελκομένης* [*Suscitationem Jesu à morte dato argento velare conari, atque Apostolos Divina opera, quæ ejus nomine vi Divini Spiritus fiebant, vetare facere, hæc vere ab involuntaria ignorantia, cui venia dari solet, profecta non sunt, sed à pugna adversus Deum sponte ac deliberato animo*

ſuſcepta quæ pœnam meretur]. Pro iis qui cognita Dei opera Diabolo aſcribebant, Chriſtum ſimilia peccatum non legimus: & cum Johannes vetat orari pro delinquentibus ad mortem, eos intelligit qui cogniram jam veritatem certo animi propoſito oppugnant, aut monita Eccleſiæ contumaciter ſpernunt, quod genus hominum recte ad mortem peccare dicitur, quia ſunt, ut cum Ariſtotele loquar, ἀνίατοι διὰ τὴν μοχθηρίαν [*inſanabiles ob improbitatem*]. Tractat idem hoc argumentum de multiplici peccatorum genere Theodoretus fine orationis ad Græcos, ubi ait æquum eſſe, ut eos qui palam amant & amplectuntur vitam turpem, exſecremur: eos vero, quorum peccata non ſunt ὅλως τῆς γνώμης [*plane voluntaria*], moneamus ac ſublevemus quantum fieri poteſt.

35. Οἱ ἄρχοντες σὺν αὐτοῖς, *principes cum eis*] Illud σὺν αὐτοῖς [*cum eis*] legiſſe mihi videtur etiam Syrus & recte ſatis expreſſiſſe per עמהון [*eiſdem*]. Senſus enim eſt, *non plebs tantum, ſed & ipſi Senatores* (quorum id gravitatem minime decebat, ut modo notavimus in re ſimili) *crudeliter inſultabant pendenti.* ¶ Ὁ τοῦ Θεοῦ ἐκλεκτός. *Dei electus*] Quæ ſit vis vocis ἐκλεκτὸς [*electus*] diximus ad Matthæum xx. 16. quid hic proprie ſignificet, ad Matthæum hoc loco. Solebat plane inter Judæos Meſſias hoc nomine appellari, quod in nativitatis Chriſti injuriam prave interpretatus eſt Ebion, cujus ſententiam ita explicat Epiphanius, Τοῦτο ἕνεκα Ἰησοῦν γεγεννημένον ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς λέγουσι καὶ ἐκλεχθέντα, καὶ οὕτως κατ' ἐκλογὴν υἱὸν Θεοῦ κληθέντα ἀπὸ τοῦ ἄνωθεν εἰς αὐτὸν ἥκοντος Χριστοῦ [*Atque hanc ob cauſam Jeſum è ſemine viri genitum dicunt electumque, atque ita per electionem Filium Dei appellatum, ob Chriſtum qui ſuperne in eum deſcenderit*]. Ex quo loco lux affulget duobus Juſtini locis, Colloquio adverſus Tryphonem, alioqui obſcuris, Ἤδη μέντοι, ὦ Τρύφων, εἶπον, ἐκ ἀπέλλυται τὸ τοῦτον (ita legendum, non τοῦτου) εἶναι Χριστὸν τοῦ Θεοῦ, ἐὰν ἀποδείξω μὴ δύνασθαι ὅτι καὶ προϋπῆρχεν υἱὸς τοῦ τοιητοῦ τῶν ὅλων Θεὸς ὤν, καὶ γεγέννηται ἄνθρωπος διὰ τῆς παρθένου· ἀλλ' ἐκ τούτου ἀποδεικνυμένου, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ τοῦ Θεοῦ, ὅστις ὕστερος ἔσται, ἐὰν δὲ μὴ ἀποδεικνύω ὅτι προϋπῆρχε καὶ γεννηθῆναι ἄνθρωπος διαπεπαθὼς ἡμῖν, σφάλμα ἔχων κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς βουλὴν ὑπέμεινεν, ἐν τούτῳ πεπλανῆσθαί με μόνον λέγειν δίκαιον, ἀλλὰ μὴ ἀγνοεῖσθαι ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός, ἐὰν φαίνηται ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπων γεννηθεὶς καὶ ἐκλογῇ γενόμενος εἷς τὸν Χριστὸν εἶναι ἀποδεικνύηται· καὶ γάρ εἰσί τινες, ὦ Φίλοι, ἔλεγον, ἐκ τοῦ ἡμετέρου γένους, ὁμολογοῦντες αὐτὸν Χριστὸν εἶναι, ἄνθρωπον δὲ ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον ἀποφαινόμενοι· οἷς οὐ συντίθεμαι, οὐδ' ἂν πλείους ταῦτα μοι δεξάσαντες εἶεν, ἐπειδὴ οὐκ ἀνθρωπείοις διδάγμασι πεπαιδεύμεθα ὑπ' αὐτῶν τοῦ Χριστοῦ πεισθῆναι, ἀλλὰ τοῖς διὰ τῶν μακαρίων ΠροΦητῶν κηρυχθεῖσι καὶ δι' αὐτῶν διδαχθεῖσι. καὶ ὁ Τρύφων, Εμοὶ μὲν δοκοῦσιν οἱ λέγοντες ἄνθρωπον γεγονέναι αὐτὸν καὶ κατ' ἐκλογὴν κεχρίσθαι καὶ Χριστὸν γεγονέναι, πειθανώτερον ὑμῶν λέγειν τῶν ταῦτα ἄπερ Φῂς λεγόντων [*Verum enim vero, Trypho, dixi, non perieris illud, Chriſtum hunc eſſe Dei, ſi demonſtrare nequeam, & fuiſſe prius filium conditoris univerſitatis hujus Dei, eſſeque Deum & genitum eſſe hominem ex virgine: præterquam ex eo omni, quo probatur hunc eſſe Chriſtum illum Dei, quod talem eum fore præoſtenſum ſit. at ſi non demonſtravero, inquam, eum & prius exſtitiſſe & naſci hominem ſuſtinuiſſe, eiſdem nobiſcum perpeſſionibus obnoxium, carnem habentem ſecundum Patris conſilium & voluntatem: in eo ipſo tantum æquum fuerit, me errore lapſum eſſe dicere, non autem negare, hunc eſſe Chriſtum illum, etiamſi tanquam homo ex hominibus genitus videatur, & electione Chriſtum factum eſſe (à quibusdam) aſſeratur. Sunt enim nonnulli, ô amici, dixi, ex genere veſtro, profitentes ipſum Chriſtum eſſe, ſed hominem ex hominibus genitum eſſe affirmant. Quibus non aſſentior: neque id ſane multi, qui in eadem mecum ſint ſententia, dixerint. Siquidem non humanis traditionibus & doctrinis juſſi ſumus à Chriſto ipſo credere, ſed eis quæ beati Prophetæ promulgarunt, & ipſe Chriſtus tradidit.* Et Trypho; *mihi quidem, inquit, qui illum hominem editum, & per electionem inauguratum & unctione Chriſtum factum eſſe aſſeverant, credibiliora quam vos, eadem, quæ ita, affirmantes, dicere videntur*]. Rurſum alibi Tryphon ita loquitur, Καὶ ὑμεῖς τὰ αὐτὰ ἐκείνοις λέγοντες αἰδεῖσθαι ὀΦείλετε καὶ μᾶλλον ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον (male editum λεγόμενον) λέγειν τὸν Ἰησοῦν τοῦτον, καὶ ἐὰν ἀποδείκνυτε ἀπὸ τῶν γραΦῶν ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ Χριστὸς, διὰ τὸ δυνάμις καὶ τελέως πολιτεύεσθαι αὐτὸν κατηξιῶσθαι τῷ ἐκλεχθῆναι εἰς Χριστόν [*Vos quoque, cum eadem cum illis dicitis, ſuffundi rubore oporteret, magisque hunc Jeſum hominem hominibus prognatum eſſe dicere, ob eximiam pietatem perfectamque Legis obſervationem hoc honore dignum habitum ut in Chriſtum eligeretur, ſi jam eum vere eſſe Chriſtum è Scripturis poſſitis oſtendere*]. Quæ eo libentius adduxi quod multum pertineant ad recte intelligendum errorem Ebionis, & ſimul uſum vocis ἐκλέγειν [*eligere*] longe alium fuiſſe illis temporibus quam nunc putatur oſtendant.

38. ἘπιγραΦὴ, *ſuperſcriptio*] *Titulus.* Vide ad Matthæum.

40. Οὐδὲ Φοβῇ σὺ τὸν Θεὸν, *Neque tu times Deum*] Quaſi dicat, *Judæos illos ſecure adſtantes tam crudeliter atque impie ſe gerere minus mirum eſt; ſed tibine etiam libet eorum impietatem imitari?* Bene autem dicit Φοβῇ τὸν Θεὸν [*times Deum*], quia qui miſeris inſultat eum contemnit. ¶ Ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ; *quod in eadem damnatione es?*] Κρίμα [*Damnatio*] dixit μετωνυμικῶς [*per tranſnominationem*], pro ſupplicio quod latrones habebant cum Chriſto commune, quamquam diſparibus meritis, ut ſtatim κατ' ἐπανόρθωσιν [*per correctionem*] ſubjicitur. Uſurpatur ſimilem in modum vox iſta Matth. xxiii. 14. Marci xii. 40. ſupra xx. 47. infra xxiv. 20. Rom. xiii. 2. 1 Cor. xi. 29.

41. Ἡμεῖς μὲν δικαίως, *nos quidem juſte*] Magnum eſt pœnitentiæ ſignum in pœna ſua acquieſcere. Levit. xxvi. 41. Acceſſit & alterum, corrigere peccantem & tueri oppreſſum: hi erant fructus pœnitentiam decentes. ¶ Οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξε. *nihil mali geſſit*] Hinc liquet latronem hunc multa de rebus Jeſu intellexiſſe, partim, ut credibile eſt, antequam caperetur, partim in ipſo prætorio. Ἄτοπον [*inconveniens*] autem eſt αἰσχρὸν [*turpe*]: quæ duo conjungit alicubi Plato. Vetus quidam explicator expoſuerat πονηρὸν [*malum*], quod in quorundam librorum textu legitur.

42. Μνήσθητί μου, Κύριε, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum*] Audierat, ut credibile eſt, profitentem Jeſum ſibi Regnum deberi, ſed non hujus mundi. Magna ejus in ferendis doloribus patientia, manſuetudo erga inimicos, forte & ſigna quædam quæ apparere tunc cœperant, dictis ejus fidem conciliabant: præcipue nova atque inſolita quædam Divinæ virtutis efficacia in exemplum omnibus ſæculis memorabile, latronem hunc ad credendam rem à ſenſibus remotiſſimam excitavit; ita ut in ipſo imago quædam eluceat extraordinariæ illius ac ſubitæ vocationis quæ Apoſtolorum ſæculo multis gentibus contigit: Qua de re vide quæ ſupra dicta ſunt xiv. 23. Non puto aliud eſſe ἔρχεσθαι ἐν βασιλείᾳ [*venire in regno*], quam ἔρχεσθαι εἰς βασιλείαν [*venire in regnum*], ut ſolent illa commutari apud Scriptores. Senſus eſt, *Cum regni illius tibi à Deo promiſſi poſſeſſionem fueris adeptus.* Neque vero magnos in eo Regno honores ſibi poſtulat: ſed indignitatis ſuæ memor hoc tantum rogat, *ſui ut memor eſſe velit*, ſciens Regium eſſe, aliis benefacere.

43. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, *Amen amen dico tibi*] Oſtendit Chriſtus ſe magni aliquid dicturum. ¶ Σήμερον, *hodie*] Peſſime fecerunt qui hanc vocem aut cum λέγω [*dico*] conjunxerunt, (quod aperte improbat Syrus) aut interpretati ſunt σήμερον [*hodie*] poſt reſurrectionem. Chriſtus plus promittit quam erat rogatus. *Rogas*, inquit, *ut olim tui ſim memor cum Regni poſſeſſionem accepero; ego tam diu non differam tua vota: ſed partem & primitias ſperatæ felicitatis tibi intra hunc ipſum diem repræſentabo: morere ſecurus, à morte ſtatim te Divina ſolatia exſpectant.* Eſt autem illud *hodie* ἐμΦατικῶν [*ſignificanter dictum*], & ſolet beneficiorum mentioni adjici, ut Jerem. i. 10. ¶ Μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ. *mecum eris in Paradiſo*] Dubium non eſt quin Chriſtus ita loquutus ſit quomodo ſciebat à latrone intelligi: παράδεισος [*Paradiſus*] vox eſt, ut Pollux vere dicit, Perſica; quanquam & Hebræi uſurpant, ut Eccleſiaſtæ ii. 5. Nehem. ii. 8. ſed Græci uſu hanc vocem ſuam fecerunt. Cicero apud Xenophontem vertit *agrum conſeptum ac diligenter conſitum: Vivarium* Gellius: Lxx Interpretes Hebræum פ [*hortum*] ita vertunt tum alibi, tum in κοσμογονίας [*generationis mundi*] hiſtoria: unde factum eſt, ut jure quodam præcipuo παράδεισος [*Paradiſus*] vocetur Hellenitis, etiam Philoni, *beatus ille hortus in quo Adamum Deus collocarat.* Poſt Eſdræ tempora, cum res poſt vitam hanc mortalem eventuræ, obſcurius olim indicatæ, propriis diſtinctisque nominibus appellari cœperunt, felicitas poſt hanc vitam mortalem, ſed præcipue piarum mentium à corpore ſeparatarum & reſurrectionem expectantium ſtatus, vocatus eſt Hebraïs גן פ [*Hortus Eden*], quæ voces hoc ſenſu in Thalmudicis ſcriptis frequentes occurrunt. Hinc ille εὐΦημισμὸς [*fauſta acclamatio*] de mortuo, יהי נפשו בגן עדן *Sit anima ejus in horto Eden:* aut בשמורת תחת כנפי השכינה בגן עדן, *Animus ejus collectus eſto in horto Eden.* Et in ſolenni-

bus

bus precibus tempore mortis, *Partem habeat in Paradiſo, nec non in futuro illo ſæculo.* Et in alia formula, *Requieſcat anima ejus & ſit dormitio ejus in pace, donec veniat conſolator, qui fecit audire pacem Patrum ſeculi dormientium in Hebron. Portas Paradiſi aperite ei & dicite panem: Venite qui cuſoditis theſauros Paradiſi.* Sic & ſtatum Edenis à ſtatu reſurrectionis diſtinguit Jachiades, Dan. VIII. 14. & in fine libri. Interdum vocant *Paradiſum inferiorem*, quia cœlum Paradiſus ſuperior. Videre hoc eſt inter alia loco de Eſſenis apud Salmanticenſem. Helleniſtæ quoque παράδεισον [*Paradiſum*] eodem ſignificatu dixere, & Hebræi quidam פרדס [*Pardes*], qua voce & Arabs Interpres utitur Heb. XI. 5. agens de tranſlatione Enochi. Cauſam appellationis conjectare non eſt difficile. Nam quia locus ille Adamo conceſſus deliciis omnibus abundaverat, ea ſimilitudine animarum lætam tranquillitatem voluerunt indicatam. Nam & ipſum illum Adami horrum συμβολικῶς [*allegorice*] eum in modum interpretabantur. Philo, Κατὰ δὲ τὸν θεῖον παράδεισον ἔμψυχα καὶ λογικὰ τὰ Φυτὰ πάντ' εἶναι συμβέβηκε, καρπὸν Φέροντα τὰς ἀρετὰς, ζωήν τε ἄνοσον καὶ ἀΦθαρσίαν καὶ πᾶν εἴ τι τούτων ὁμοιότροπον [*Fuerunt autem in Divino Paradiſo planta omnes vita & ratione præditæ, fructum ferentes hujuſmodi, virtutes omnes, vitamque morbi interituſque immunem, & ſi quid eſt aliud his ſimile*]. Alibi, Λαμβάνει μὲν ἐν τῇ ἀρχῇ ἡ γενομένη ἀρετὴ ἀπὸ τῆς Ἐδὲμ, τῆς τοῦ Θεοῦ σοφίας, χαίρει καὶ γάνυται καὶ τρυφᾷ ἐπὶ μόνῳ τῷ πατρὶ αὐτῆς ἀγαλλομένη καὶ σεμνυνομένη Θεῷ [*Virtus univerſalis ab Edem, id eſt ſapientia Dei, ipſitium ſumit, quæ quidem de ſolo Patre ſuo Deo gloriatur, gaudet, exultat, in eo ſe oblectat atque effert*]. Rurſum alio loco, Λέγουσι γὰρ ἐν τῷ παραδείσῳ Φυτὰ εἶναι μηδὲν ὅμοιον τοῖς παρ' ἡμῖν, ἀλλὰ ζωῆς, ἀθανασίας, εἰδήσεως [*Ferunt enim plantas eſſe in Paradiſo, quæ nihil habeant noſtris ſimile, ſine autem vitæ, immortalitatis, ſcientiæ planta*]. Negari ergo non poteſt, quin latro, utpote Judæus, audito nomine גן עדן [*horti Edem*], addita præſertim deſignatione temporis *hodie*, morte jam imminente, ſtatum illum intellexerit, in quo Abrahami, Iſaaci & Jacobi animas eſſe omnibus Judæis erat perſuaſum: quaſi diceret Chriſtus, *Non tantum olim cum Regnum meum ſuum accipiet plenitudinem tui ero memor, ſed jam nunc magna & ingentia ſolatia tibi repræſentabo.* Nec ſine gravi cauſa expreſſum illud *hodie*. Centebant enim Judæi non quorumvis animas ſtatim in felicem Paradiſi ſtatum recipi, ſed eas demum, quæ bene purgatæ ex hac vita excederent, πνεύματα δικαίων τετελειωμένων [*ſpiritus juſtorum perfectorum*], ut loquitur auctor ad Hebræos XII. 23. Confer quæ diximus ad Matthæum XII. 32. Neque aliter interpretandum puto quod eſt II Cor. XII. 4. ut Paulus dicat ſibi à Deo primum oſtenſa illa perfectiſſima gaudia poſt reſurrectionem, quæ tertii, id eſt, ſupramundani cœli nomine appellantur: deinde vero, ne tam longa exſpectatio animum cruciaret, etiam ſolatia piis medio tempore conceſſa, quæ Hebræi vocant נחת גן, κατάπαυσιν τοῦ παραδείσου [*requiem Paradiſi*], aut ſi mavis, παράκλησιν [*conſolationem*], quomodo ſupra dictum eſt Lazarum παρακαλεῖσθαι [*conſolari*]. Nec video cur aliter accipi debeat quod eſt in Apocalypſi, Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ Φαγεῖν ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ὅ ἐστιν ἐν μέσῳ τῷ παραδείσῳ τοῦ Θεοῦ [*Ei qui vicerit dabo edendum ex ligno vitæ, quod eſt in medio Paradiſi Dei*]: præſertim cum & Philo ex Judæorum vetere diſciplina τὸ ξύλον τῆς ζωῆς [*lignum vitæ*] interpretetur τὴν μεγίστην τῶν ἀρετῶν θεοσέβειαν, δι' ἧς ἀθανατίζεται ἡ ψυχή [*maximam virtutum pietatem, cujus ope anima redditur immortalis*]: ut *ex arbore illa veſci* ut *fructu lata recte factorum conſcientia*; quod eadem Apocalypſis vocat *indui candidis veſtibus*: & explicationis cauſa addit, *opera ipſorum ipſos ſequi.* Neque nomen tantum Paradiſi uſurpabant Hebræi ad hæc gaudia exprimenda, ſed etiam ſub horti imagine rem ipſam proponebant plebejis ingeniis vix capientibus τὰ νοητὰ [*intelligibilia*] niſi ſub figura τῶν αἰσθητῶν [*ſenſibilium*]. Ita Joſephus ex Eſſenorum ſententia vocat χῶρον ὔτε ὄμβροις ὔτε νότοις οὔτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλ' ὃν ἐξ ὠκεανοῦ πρεῖς ἀεὶ Ζέφυρος ἐκπνέων ἀναψύχει [*regionem nullis imbribus, austris vel æſtus injuria obnoxiam, ſed quam placida quædam Zephyri aura ex Oceano jugiter tranſpirat & refrigerat*]. Similiter Juſtinus colloquio cum Tryphone ait, τὰς τῶν εὐσεβῶν ψυχὰς ἐν κρείττονι τόπῳ χώρῳ μένειν [*pierum animas manere in meliore alicubi regione*]. Tertullianus id ipſum ſequens, quo loco oſtendit veritatem Divinam Græcorum fabulis adulteratam, *Etſi Paradiſum nominemus*, inquit, *locum Divinæ amœnitatis recipiendis ſanctorum ſpiritibus deſtinatum, maceria quadam ignea illius Zonæ à noſtris orbe communis ſegregatum, Elyſii Campi fidem occupaverunt.* Quicum ſatis convenit quod à Diodoro Siculo eſt proditum, ea quæ περὶ ᾅδου [*de inferis*] narrantur, à barbaris in Græciam pervenille. Ne hoc quidem notatu indignum bis in Apocalypſi nominari *vitæ arborem*, nuſquam vero *arborem ſcientiæ boni & mali*, quia arbor ſcientiæ boni & mali σύμβολον [*ſignum*] erat, Philone explicante, τῆς μέσης Φρονήσεως [*mediæ ſcientiæ*], ejus ſcilicet prudentiæ quæ circa res hujus ævi occupata eſt, *qua uti quidem licet*, ut per guſtum & oſculum ſignificatur; *at veſci*, id eſt, frui, *non licet*: nam animus ei ſtudio deditus pietati quantum ſatis eſt vacare non poteſt: quod nobis Adami peccato ſub figura oſtenditur, explicante Solomone Eccleſ. VII. 29. Τοῦτο εὗρον ὃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον εὐθῆ, καὶ αὐτοὶ ἐζήτησαν λογισμοὺς πολλούς [*Hoc obſervavi quod Deus hominem fecerit rectum, & ipſe ſe miſcuerit infinitis quæſtionibus*]. Hæ curæ atque avocamenta pietatis plane ceſſabunt ἐν τῷ παραδείσῳ τῷ νοητῷ [*in Paradiſo intelligibili*]. Qui Symbolo fidei Chriſtianæ aſcripſerunt κατέβη εἰς ᾅδου [*deſcendit ad infernum*] his Chriſti verbis optime id tueri potuerunt. Nam ſi Chriſti anima fuit in παραδείσῳ [*in paradiſo*], ſequitur eam fuiſſe ἐν ᾅδου [*in inferno*]. Nam ſicut παράδεισος [*paradiſus*] & γέεννα [*gehenna*] vocabula *diſtinctam bonorum malorumque ſortem* ſignificant, ita ᾅδης [*infernum*] communiter deſignat *ſtatum animarum à corpore ſeparatarum*, & opponiturque tum vitæ huic tum reſurrectioni, quomodo & שאול [*infernum*] uſurpant Sacræ Literæ. Nam Jacob ita loquitur ארד אל בני אבל שאולה, כי, Græce, ὅτι καταβήσομαι πρὸς τὸν υἱόν μου πενθῶν εἰς ᾅδου [*deſcendam ad filium meum lugens in infernum*]. Quod de corporis ſepulchro intelligi non poteſt, quia filium non ſepultum, ſed à feris laniatum Jacob exiſtimabat. De voce ᾅδου [*inferni*] produximus alibi teſtimonia Joſephi, Sophoclis, Diphili & aliorum, ſed & qui titulo Sibyllinorum carmina Græce ſcripſit, homo haud dubie Chriſtianus, ita utitur voce ᾅδης [*infernus*], ut quam derivat à primi parentis nomine. Neque offendere nos debet verbum καταβαίνειν [*deſcendere*], id enim Græcus ſermo ad animorum ſeparatorum conditionem ſignificandam receperat, non alia de cauſa, niſi quod quemadmodum corpus, poſtquam in ſepulchrum deſcendit, amplius non conſpicitur, ita & animus è corpore elapſus: quare & Joſephus præmia non minus quam pœnas animis ait contingere ὑπὸ χθόνα [*ſub terra*], quod alibi explicat καθ' ᾅδου [*in inferno*]. Fruſtra ergo hic ſe cruciat Auguſtinus, quærens *quomodo Chriſtus eodem tempore eſſe potuerit in inferno*, id eſt, ἐν ᾅδου [*in inferno*] & *in Paradiſo*, cum alterum ſub altero comprehendatur. Neque vero ſupervacua fuit in Symbolo hujus rei mentio. Nam cum inter paganos variæ eſſent de animarum ſtatu poſt hanc vitam ſententiæ, ad rem pertinebat Chriſti exemplo doceri homines ὡς ὑΦίστασθαι ψυχὴ τῶν ἐκδεδυκότων [*ſubſiſtere animas defunctorum*], id eſt, *non exſtingui cum corporibus animas, ſed aſſervari in loco inconſpicuo.* Quæ vero de gaudiis Paradiſi diximus, ex veterum ſententia ita intelligenda ſupra quoque ad caput XVI. monuimus, ut magna quidem credantur, non tamen plena: nam plenitudo promiſſionum in reſurrectione exſpectanda eſt, quod mihi ſapienter videtur explicare Scriptor reſponſionum ad Orthodoxos quæſt. LXXVI. Quæſtio ſic habet, Εἰ πρὸ τῆς ἀναστάσεως ἐν ἔστιν ἡ τῶν ἔργων ἀνταπόδοσις, τοῦτον τῷ λῃστῇ προσγέγονεν ὄΦελος πρὸς τὸν παράδεισον αὐτῷ τῆς ψυχῆς εἰσαχθείσης, καὶ μάλιστα ὅτι ὃ μὲν παράδεισος αἰσθητὸς, ἐν αἰσθητῇ δὲ ἐστι τῇ ψυχῇ ἡ ὕλη; [*Si ante reſurrectionem non eſt retributio operum, quid latroni profuit inferri ejus animam in paradiſum, præſertim quum paradiſus ſub ſenſum cadat, anima autem ſubſtantia ſenſu neque ulli, nec percipi poteſt*]? Reſpondet, ὌΦελος γέγονε τῷ λῃστῇ εἰς τὸν παράδεισον εἰσελθόντι τὸ ἔργοις μαθεῖν τῆς τίσεως τὸ ὠΦέλιμον, δι' ἧς ἐζωώθη συναθροίσματος τῶν ἁγίων, ἐν ᾧ Φυλάττονται εἰς τὴν ἡμέρας τῆς ἀναστάσεως τε καὶ ἀνταποδόσεως, ἔχει τε τὸ παράδεισος τὴν αἴσθησιν κατὰ τὴν ἐνυπαρκτικὴν λεγομένην αἴσθησιν, καθ' ἣν ὁρῶσιν αἱ ψυχαὶ ἑαυτάς τε καὶ τὰ ὑπ' αὐτάς [*Latro, cum in paradiſum introit, hoc ex eo nactus eſt boni, quod utilitatem fidei reapſe didicit, per quam ipſe dignus fit habitus, qui in ſanctorum cœtum reciperetur, in quo ad reſurrectionis remunerationiſque diem aſſervatur, ſentiatque paradiſi bona ſpiritualia ut vocamus ſenſu, quo & ſe anima & quæ circa ſe ſunt videt*]. Ad illud quod Chriſtus hic dicit μετ' ἐμοῦ [*mecum*], alludere videtur Paulus cum dicit ſe ἐπιθυμίαν ἔχειν εἰς τὸ ἀναλῦσαι καὶ εἶναι Χριστῷ εἶναι [*deſiderium habere diſſolvi & eſſe cum Chriſto*] Philip. I. 23. Simul tamen indicans quemadmodum nunc poſt aſcenſum in cœli regiam major eſt Chriſti gloria quam fuit medio tempore inter mortem & reſurrectionem, ita auctum quoque gaudium eorum qui Chriſtum ſectati mortem obeunt, & pro modo ac captu animorum ſeparatorum à corpore participes fiunt herilis felicitatis: quod hic ſimilitudine non incommoda Theophylactus explicat. Non ſolebant autem Chriſtiani veteres hunc ſive ſtatum ſive locum medii temporis cœli nomine appellare, quod vel ex Juſtino colligas qui cum Tryphone diſputans inter cæteras errantium opiniones & hanc recenſet, *Mei eſſe*

νεκρῶν ἀνάϛασιν, ἀλλ' ἅμα τῷ ἀνοδιήσειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸν οὐρανόν [*Non eſſe mortuorum reſurrectionem, ſed animas, ſimulatque homo moritur, in cœlum recipi*]. Hunc ſtatum ita deſcribit Divina Apocalypſis, *Διὰ τοῦτό εἰσιν ἐνώπιον τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ καὶ λατρεύουσιν αὐτῷ ἡμέρας καὶ νύκτος ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ, καὶ ὁ καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου σκηνώσει ἐπ' αὐτούς* [*Ideo ſunt ante thronum Dei & ſervunt ei die ac nocte in templo ejus, & qui ſedet in throno habitabit ſuper illos*]. Quibus finibus modeſte nos continentes nihil neceſſe habemus penetrare in ea quæ curioſius hac ſuper re inter Græcos & Latinos diſputantur.

46. *Παρατίθεμαι, commendo*] Probo hanc lectionem eo magis quia apud Lxx in Pſalmo ſimili modo legitur; ſed eſt more Hebræorum futurum pro præſenti. In Pſalmo David ſummis in periculis conſtitutus vitam ſuam Divinæ tutelæ commendat, quomodo & Petrus *τὰς πάσχοντας κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ* [*patientes juxta voluntatem Dei*] vult *παρατίθεσθαι τὰς ψυχὰς ἑαυτῶν ἐν ἀγαθοποιΐᾳ* [*animas earum commendari in benefactis*]. Cæterum & hic obſervandum eſt quanto exactius ea verba Chriſto quam Davidi congruant. Apud Davidem πνεῦμα eſt *vita*: apud Chriſtum *ipſa mens hominis*, quam Hebræi proprie eo nomine appellant; deinde deponere ejus eſt proprie qui dominium rei habet: Chriſtus autem *ἐξουσίαν εἶχε θεῖναι τὴν ψυχὴν καὶ πάλιν λαβεῖν αὐτήν* [*poteſtatem habuit ponere animam & iterum aſſumere illam*], ut ipſe apud Johannem profitetur. Paulo aliter Stephanus qui moriturus non *deponendi* utitur voce; ſed *Jeſum* jam factum Dominum vitæ & mortis *rogat ut accipere velit*, in ſuam ſcilicet cuſtodiam, *ſpiritum ipſius*. Juſtinus in colloquio cum Tryphone exemplum nobis dicit à Chriſto datum, *Ἵνα ἡμεῖς πρὸς τῇ ἐξόδῳ τοῦ βίου γενώμεθα τὰ αὐτὰ αἰτῶμεν τὸν Θεὸν τὸν δυνάμενον ἀποστρέψαι πάντα πονηρὸν ἄγγελον μὴ λαβέσθαι ἡμῶν τῆς ψυχῆς* [*Quo & nos, cum jam ad exitum vitæ ſumus, à Deo eadem poſcamus, qui avertere poteſt omnem impudentem & malignum Angelum, ne animam noſtram capiat*]. Confer illud Hebræi ſapientis Sap. III. 1. *Δικαίων δὲ ψυχαὶ ἐν χειρὶ Θεοῦ· καὶ ἃ μὴ ἅψηται αὐτῶν βασανος* [*Juſtorum anima in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum*], & quæ ſequuntur.

47. *Ἐδόξασε τὸν Θεὸν, glorificavit Deum*] Agnovit Dei potentiam: quomodo ſupra v. 26. & alibi locutio hæc uſurpatur.

48. *Οἱ συμπαραγενόμενοι ἐπὶ τὴν θεωρίαν ταύτην, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud*] Qui ad ſpectandum crucis ſupplicium convenerant, ut fieri ſolet. ¶ *Θεωροῦντες τὰ γενόμενα, & videbant quæ fiebant*] Solis deliquium extra naturæ ordinem, tremorem terræ, hominem velut ſuo arbitrio exſpirantem. ¶ *Τύπτοντες ἑαυτῶν τὰ στήθη, percutientes pectora ſua*] Incipiente jam pungi conſcientia, quam poſtea Apoſtolicus ſermo magis excitavit. Signa enim erant hæc Dei facinus averſantis & Jeſu innocentiam teſtantis.

49. *Εἱστήκεισαν δὲ πάντες οἱ γνωστοὶ αὐτῷ μακρόθεν, ſtabant autem omnes noti ejus à longe*] Alluſio ad Pſ. XXXVIII. 11. Græce ibi eſt, *οἱ ἐγγίζοντές μοι ἀπὸ μακρόθεν ἔστησαν* [*qui juxta me erant de longe ſteterunt*].

51. *Οὐκ ἦν συγκατατεθειμένος τῇ βουλῇ καὶ τῇ πράξει αὐτῶν, non conſenſerat conſilio & actibus eorum*] *Neque propoſitum Synedrii, neque rationem exſequendi propoſiti probabat*: memor Divinæ Legis Exodi XXIII. 2. Vide ad Matthæum. ¶ *Προσεδέχετο, exſpectabat*] Vide ad Marcum.

53. *Οὗ οὐκ ἦν οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος. in quo nondum quiſquam poſitus fuerat*] Nequis poſtea alium, non autem Jeſum reſurrexiſſe calumniaretur.

54. *Ἡμέρα ἦν παρασκευῆς, dies erat Paraſceues*] Recta lectio. Nam ex parte totus dies *παρασκευὴ* [*præparatio*] appellabatur, ut & Marci XV. 42. Joh. XIX. 31, 42. & in edicto Auguſti apud Joſephum. Intelligi autem hic *παρασκευὴν* [*præparationem*] magis ratione Sabbati, quam feſtæ diei ſequentia oſtendunt. ¶ *Ἐπέφωσκε, illuceſcebat*] Sicut *ἐπιφαίνειν* [*lucere*] non tantum de Sole, ſed & de Luna aliiſque ſideribus dicitur, ita & quod idem valet *ἐπιφώσκειν*. Huic loco convenientiſſimum erit intelligere ſtellarum ortum, indicem veſperæ à qua Judæi diem ſuum civilem inchoabant. Tertullianus libro De jejuniis ſic de Judæis, *Stella auctoritatem demorantis ſuſpirant*. Notarunt viri eruditi etiam נגה [*ſplendebat*], quod hic habet Syrus, Lunæ aliiſque ſideribus tribui ſolere. Accipiendum autem *ἐπέφωσκε* [*illuceſcebat*] pro *ἤμελλε ἐπιφώσκειν* [*jamjam illucebat*], ſicut præſentia pro futuro alibi quoque habuimus: nam tantum temporis ſupererat, ut in urbem reverſæ mulieres aromata ſibi poſſent comparare.

56. *Ἡσύχασαν. ſiluerunt*] Velut adjuratæ ut quieſcere ſponſum paterentur, donec ipſe ſemet excitaret. Cant. II. 7. ¶ *Κατὰ τὴν ἐντολήν. ſecundum mandatum*] Juxta Dei præceptum, cujus vinculo Chriſtus ſectatores ſuos hactenus non exſolverat ſed verbis benignam & materiæ convenientem adhibuerat interpretationem.

PRICÆUS.

Com. 2. Ἤρξαντο δὲ κατηγορεῖν αὐτοῦ] Sic Actor. 24. 2. de Paulo idem Lucas noſter. *Κατηγορεῖν* non male Tertullianus vertit, *onerare illum*. Virgilius,

. . . His onerat dictis, atque aggerat iras.

Ibid. *Εὕρομεν τοῦτον διαστρέφοντα τὸν λαόν*] Confer Actor. 24. 5.

Com. 5. *Ἐπίσχυον*] Quod Act. 22. 24. & infra hoc com. 21. *ἐπεφώνουν*, com. 23. *ἐπέκειντο* in quibus ſingulis verbis *τὸ ἐπὶ* notat pervicacem inſtantiam.

Ibid. *Ἀνασείει τὸν λαόν*] Gloſſarium, *Concitat, συνείρει*, &c. *ἀνασείει*. Heſychius, *Ἀνασείων, ἀνατείνων*. Imo & in MS. veteriſſimo quodam Marc. 15. 11. legitur non *ἀνέσεισαν*, ſed *ἔπεισαν τὸν ὄχλον*. In Heſychio autem *Ἀνασείει, ἀνατείνει* legendum putem, & hunc Lucæ locum reſpici.

Ibid. *Ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε*] Monſtrat & hic loquendi modus quam non incognitas habuerit Lucas hujus linguæ gratias Venereſque. Dionyſius in Periegeſi, de monte Tauro,

Ἀρξάμενος γαίης Παμφυλίδος ἄχρι καὶ Ἰνδῶν.

Quæ vertens verſu 840 Avienus,

. . . Pamphylia campo
Qua jacet incipiens (nempe Taurus ille) *& verticis*
ardua ducens
Indorum ad pelagus . . .

Ita enim eum ſcripſiſſe puto: non,

. . . ad verticis ardua ducit
Indorum ad pelagus, . . .

ut legitur in vulgatis libris.

Com. 8. *Ἦν θέλων ἐξ ἱκανοῦ ἰδεῖν αὐτὸν διὰ τὰ ἀκοῦσαι περὶ αὐτοῦ*. Vide ſupra 9. 9. & 2 Paral. 9. 23.

Com. 9. *Ἐπηρώτα αὐτὸν ἐν λόγοις ἱκανοῖς*] Sic, *diutile percontari*, in Apulei fragmentis.

Ibid. *Οὐδὲν ἀπεκρίνατο αὐτῷ*] Merito: vide ſupra 22. 67. Quintilianus 19 declam. *Non habet cauſam loquendi cui non poteſt credi.*

Com. 10. *Εὐτόνως κατηγοροῦντες αὐτοῦ*] Beza, *contentioſe accuſantes eum*, ſatis verboſe: imo quis unquam alius ſic Latine locutus? Brevius, & forte aptius, *vehementer* vertiſſet. Sic, *vehementer accuſare*, Plinius 6. 22. in Epiſtolis dixit: quo & ſenſu Heſychius, (iſtum Lucæ, vel illum Act. 18. 28. locum ſine dubio reſpiciens,) *Εὐτόνως, ἰσχυρῶς*. Vulgat. *conſtanter accuſantes eum*: qua voce ſecundum uſurpationem illorum temporum, audacia cum impudentia juncta ſolebat ſignificari: unde & *deterrima femina conſtantiam* dixit Apuleius noſter. Adde quæ adduxit id genus alia Vir eruditiſſimus Heraldus ad Arnobium. Hieronymus c. 2. Gal. *procaciter & conſtanter arguere.*

Com. 11. Ἐξουθενήσας, &c.] Gloſſarium, *Aſſpernatur ἐξουθενίζει· ἀνεξιστιεῖ* forte *ἀνεξιστιεῖ* legendum.

Ibid. *Ἐσθῆτα λαμπρὰν*] Recentior, *veſtem ſplendidam*: non illud quidem male, at ſupervacue, cum idem plane valeat *veſtem album*, ut hic habet Vulgata verſio. Sic, *veſtimenta albentia* (i. e. ſplendida,) Offic. 1. 19. D. Ambroſius dixit.

Com. 12. *Ἐγένοντο δὲ Φίλος ὅ, τε Πιλάτος καὶ ὁ Ἡρῴδης ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ μετ' ἀλλήλων*] Diutinæ magnatum ſimultates, non tam ex voluntate & conſilio ipſorum, quam ex aliqua fortuita occaſione, quaſi vi divina quadam ſe interponente, nonnunquam in amicitiam tranſibant. Vide quæ apud Gellium 12. 8. de Tiberio, Gracchorum patre, & ſuperiore Africano.

Com. 14. *Προσηνέγκατέ μοι τὸν ἄνθρωπον τοῦτον*] Optime (i. e. valde proprie) Vulgatus, *Obtuliſtis mihi hunc hominem.* Apulejus 9. *Repertum, & oblatum magiſtratibus.* Ad quem locum annotata conſule.

Ibid. *Ὡς ἀποστρέφοντα τὸν λαόν*] Ab obſequio nempe Cæſari debito. Vide ſupra com. 2.

Ibid.

Ibid. Ενάντιον ὑμῶν] Hoc ideo dicit, ne si secreto de eo cognovisset, putaretur gratia aut ambitu absolvisse eum.

Ibid. Οὐδὲν εὗρον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ ὧν κατηγορεῖτε κατ' αὐτοῦ] Similia plane Præses alter ille Romanus de Paulo Actor. 25. 18.

Com. 15. Αλλ' οὐδὲ Ηρώδης] Qui γνώσεις τῶν κατὰ Ἰουδαίους (ὑμᾶς) ἐθῶν τε καὶ ζητημάτων (ut Actor. 26. 3. Agrippa) quod ego nequaquam.

Com. 16. Παιδεύσας οὖν αὐτὸν, ἀπολύσω] Παιδεύσας hic est δείρας· cum illum (inquit) flagellis subjecero, dimittam. Sic Actor. 5. 40. de Synedrio, Δείραντες (Apostolos nempe) &c. ἐπέλευσαν αὐτούς. Sic, *fustibus cædi, & ita absolvi*, in l. 7. ff. de jure patronatus. Salustium ab A. Milone *loris cæsum & dimissum*, narrat & Gellius 17. 18. ex M. Varrone.

Com. 18. Ανέκραξαν παμπληθεί]

- - - Uneque omnes eadem ore fremebant.

Com. 21. Επεφώνουν] Vulgat. *succlamabant*. Actor. 22. 24. *acclamarent* vertit. Ubi dicta vide. Hesychius, Επιφωνεῖ, βοᾷ, κράζει.

Com. 22. Ο δὲ τρίτον εἶπε πρὸς αὐτούς, Τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν;] Docete (inquit) me quid fecerit morte dignum: clamores vagi in jure nostro nullum pondus habent. In l. item & ff. De dolo malo, *Item exigit Prætor ut comprehendatur quid dolo malo factum sit, scire enim debet actor in qua re circumscriptus sit, nec in tanto crimine vagari oportet.* Vide ad Matthæum annotata. Ter interrogare, diligenter scisitantium est, (vide Johan. 21. 17. & quæ de Regulo Plinius 1. Epist. 5.) præcipue autem eorum qui judiciis præsunt. Idem Plinius lib. 10. Epist. 99. ad Trajanum, *Interrogavi ipsos an essent Christiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi*, &c. Apulejus in Apologetico, Claudium Maximum alloquens, Proconsulem, & rei tunc temporis capitalis Judicem, *Quod ergo Apulejo commodum si* (mulier) *rnisset? ita enim pulcre & perseveranter tertio quæsivisti.* Non assentior autem eximio Viro existimanti his Lucæ verbis inesse αἰτιολογίαν τῷ συκοφαντῆ, at potius illud γὰρ, ut alibi, abundare. Sic & in Colloquiis veteribus, cum Glossariis excusis, Επισυκοφάντει αὐτόν. Τί γὰρ ἔχει; Λέγωσι.

Com. 23. Επέκειντο φωναῖς μεγάλαις] Περισσῶς ἔκραζον, Matthæus: ubi vide ex Quintiliano, & ex 1 Sam. 18. 9. adducta. Επέκειντο, *urgebant, pertinacuer instabant.* Ælianus Var. 10. 16. Επειδὴ λαπαράτερος ἦν, καὶ ἐπέκειτο, &c. Philostratus de Apollonio Tyaneo, Επικειμένου, καὶ σὺν ἀνάγκῃ, &c. Utitur eodem sensu & Diodorus Siculus in Photii Bibliotheca. Vulgatus bene vertit *instabant.* Seneca 53 Epist. *Institit itaque gubernatori, & illum, vellet nollet, coegit ut littus peteret.* Glossæ, Επίκειμαι, *incumbo, instо*, &c.

Ibid. Καὶ κατίσχυον αἱ φωναὶ αὐτῶν] Ecce gentis ingenium, ut & Act. 25. 23. Horatius,

- - - Multo plures sumus, ac veluti si
Judæi cogemur in hanc concedere partem.

Quibus nihil opportunius inveniri potest ad hæc Lucæ illustranda.

Com. 24. Ο δὲ Πιλάτος] Supple ex Matthæo, ἰδὼν ὅτι οὐδὲν ὠφελεῖ.

Ibid. Επέκρινε] Judicando decrevit. Glossæ, Επικρίνω, *decerno.*

Com. 25. Διὰ τὴν στάσιν καὶ φόνον, &c.] Id est, τὸν διὰ φόνου ἐν στάσει πεποιημένου. Bene aliis notatum autem multo ἐμφατικώτερον hoc esse quam si Barabbam dixisset. Vide ad Joh. 11. 3. annotata nobis.

Com. 26. Ερχομένου ἀπ' ἀγροῦ] Sic supra 15. 25.

Com. 27. Ηκολούθει δὲ αὐτῷ πολὺ πλῆθος] Ut solet ad id genus spectacula: οἱ μὲν ἀγωνιῶντες, οἱ δὲ καὶ ἱκεσίας ἕνεκα, ut loquitur Sacrarum β' Aristides. Scriptor tertii Maccabaici, Τὰ κατὰ τὴν πόλιν πλῆθη συνῆρσεν πρὸς τὴν οἰκτροτάτην θεωρίαν. Heliodorus de Chariclia, Τῶ τείχει ἐκτὸς ἦγετο, πολλῶ καὶ ἄλλω πλήθει ἐκ τῆς πόλεως ἐπακολουθοῦντος. Lucianus in de Peregrino Philosopho, Οὐκ εἰδὼς ὁ ἄθλιος ὅτι καὶ τοῖς ἐπὶ τὸν σταυρὸν ἀγομένοις (en rem de quali agitur in Contextu nostro) ἡ ὑπὸ τῶ δήμου ἀγομένους πολλῶ πλείους ἕπονται.

Ibid. Γυναικῶν, αἳ καὶ ἐκόπτοντο, καὶ ἐθρήνουν αὐτόν] Seneca cap. 3. Consolat. ad Helviam, *Lamentationes, & ejulatus, & alia, per quæ fere muliebris tumultuatur dolor.* In Glossis, Θρηνῶ, *lugeo, plango, lamentor.* Εκόπτοντο; *plangebant.* Scholiastes vetus Horatii, *Planctus*, &c. *magis feminis conveniens.*

Com. 28. Μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμὲ]

- - - Muliebres tollite luctus.

Virgilius, Æn. 12.

Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, de me
Depone. - - -

Agis apud Plutarch. ad supplicium itidem extremum ductus, ploranti servo, Παῦσαι, ὦ ἄνθρωπε, κλαίων· id est, *meam vicem dolere.* Charite jam mori certa apud Apulejum, *Abjicite importunas lacrymas, abjicite luctum meis virtutibus alienum.* Hecuba apud Senecam ad Troadas mulieres,

Alio lacrymas flectite vestras,
Non est Priami miseranda mei
Mors. - - -

Apud Ausonium ille,

Flete alios, natus lacrymis non indiget ullis.

Pro ἐμὲ in Contextu nostro malim ἐμοὶ legi: dativum enim solet regere τὸ ἐπὶ verbis κλαίειν & δακρύειν junctum. Lucianus, Ως δακρύσασα ἐπ' ἐμοί. Vide supra 19. 41. Jacob. 5. 1. Apoc. 18. 11.

Ibid. Μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμὲ]

Siccis ipse genis flentes hortatur amicas.

Ibid. Πλὴν ἐφ' ἑαυτὰς κλαίετε] Κλαίετε (ut Jacob. 5. 1.) ἐπὶ ταῖς ταλαιπωρίαις ὑμῶν ταῖς ἐπερχομέναις. Cassandra ad feminas Troadas apud Senecam,

Cohibete lacrymas omne quas tempus petit
Troades, & ipse vestra lamentabilis
Lugete gemitu funera; erumna mea
Socium recusant. - - -

Andromache apud Eundem ad Hecubam jam mactandæ funus deflentem.

Nos, Hecuba, nos, nos, Hecuba, deflenda sumus,
Quas mota classis huc & huc sparsas feret;
Hanc chara tellus sedibus patriis teget.

Antoninus Imperator apud Jul. Capitol. moriens, ad amicos lugentes, *Quid me fletis, & non magis de pestilentia & communi morte cogitatis?*

Ibid. Καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ὑμῶν] Jolaus apud Euripidem,

Καὶμοὶ μὲν ἤδη, εἴ με χρὴ θανεῖν, μέλει, &c.
Τμᾶς δὲ κλαίω, καὶ κατοικτείρω τέκνα.

Cicero 4. in Catilinam ad Senatum Romanum, *Est mihi jucunda in malis, & grata in dolore vestra erga me voluntas: sed eam per Deos immortales deponite, quæso, & obliti salutis meæ, de vobis, atque de liberis vestris cogitate:* & post pauca, *Quare Patres Conscripti consulite vobis*, &c. *conservate vos, conjuges, liberos, fortunasque vestras*, &c. *mihi parcere, ac de me cogitare desinite.*

Com. 29. Εροῦσι, Μακάριαι αἱ στεῖραι] Dicent cum Nuce Ovidiana,

Certe ego si nunquam peperissem, tutior essem.

In vetere Epigrammate,

Plaudite vos steriles. - - -

Apulejus in Apologia, *O infelix uterum!* &c. *O sterilitas liberis potior!* Tacitus Annal. 2. de Agrippina, *Infelici fœcunditate fortuna toties obnoxia.* Cicero in Epist. famil. *Et ipse status civitatis nostræ, & hæc perturbatio temporum publicorum; cum beatissimi sint qui liberos non susceperunt.* Augustinus de Tempore Serm. 89. de mulieribus Hebræis, quorum partus masculos Rex Pharao occidi præceperat, *Nulla mater infelicior fuit quam qua fœcundior erat.* Seneca Controv. 2. 5. *Quod ad hanc pertinet, agit sua fortuna gratias, quod illo tempore nihil peperit:* & paulo ante, *Trahebantur matronæ, rapiebantur virgines*, &c. *nullis feliciores tunc videbantur quam qui liberos non habebant.*

Ibid. Καὶ μαζοὶ οἳ οὐκ ἐθήλασαν] In urbium direptionibus enim infantes ab uberibus matrum avelli, soloque allidi solent. Clytemnestra ad Agamemnonem apud Euripidem,

Βρέφος τε τὴμὸν σῶ προσῴδισας τέλῳ,
Μαζῶν βιαίως τῶν ἐμῶν ἀποσπάσας.

Vide supra ad 19. 44. notata.

Com. 30. Αρξονται λέγειν τοῖς ὄρεσι, Πέσετε ἐφ' ἡμᾶς] Ut immisericordium Romanorum furorem evadamus. Simplicius in

Digitized by Google

in cap. 2. Epicteti, Πολεμίων ἐνόντων (malim ἐκόντων) ἰσχυροτέρων ἐβουλήθημεν ἐν ἀφανεῖς γενέσθαι. Eſſe autem verba iſta in ſummo hoſtium metu verſantium proverbiale optatum, apparet & ex illis Æneæ ad Turnum,

- - - Opta ardua pennis
Aſtra ſequi, clauſumve cava te condere terra:

ut nempe præſentaneam vim meam fruſtreris. Ejuſmodi voces ſolent fundere & qui in ſumma quavis ærumna conſtituti ſunt. Apud Petronium ille, *Ergo me non ruina terra potuit haurire?* Tale & illud Virgilii,

- - - Quid agam? aut quæ jam ſatis ima debiſcat
Terra mihi? - - -

Et illud Herc. fur.

Ubi me recondam? quæve tellure obruam?

Com. 31. Εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γενήσεται;] Ποιοῦσι, Romani nempe, vel (quod melius) impersonaliter dictum. Τυφὸν ξύλον de Chriſto exponit Theophylactus, quem & ſequitur Euthymius: Ξηρὸν autem, de Judæis. Sic Pſ. 1. 3. vir pius arbori virenti aſſimilatur, & impii arboribus bis mortuis à B. Juda comparantur. Apuleius ad Æmilianum quendam, *Tu vero, & id genus homines qualis tues*, &c. *tanti revera eſtis quantum habetis: ut arbor infœcunda & infelix*, &c. *tanti eſt in pretio quanti lignum ejus in trunco.* Eſt autem & hoc Chriſti dictum proverbiale, cujus formæ & illud Catulli,

Quid facient crines cum ferro talia cedunt?

Et iſtud Rudent.

- - - Quid habebunt ſibi igitur impii
Poſthac, ſi ad hunc modum eſt innoxiis honor
Apud vos? - - -

Nec non Terentiana iſta,

Nam ſi illum objurgas vitæ qui auxilium tulit,
Quid facies illi qui dederis damnum & malum?

Chryſoſtomus ad Philipp. 3. de Apoſtolo, Εἰ ὁ τοιαῦτα πάθων οὕτω ἐθαύμασε, &c. τι ἂν εἴπομεν ἡμεῖς; Seneca de V. B. cap. 19. *Si illi qui virtutem ſequuntur, avari, libidinoſi, ambitioſique ſunt, quid vos eſtis quibus ipſum nomen virtutis odio eſt?* Lactantius 5. 1. de Cypriano, quem lecurræ quidam Coprianum vocaverunt, *Quod ſi hoc accidit ei cujus eloquentia non inſuavis eſt, quid tandem putemus ei accidere cujus ſermo jejunus eſt & ingratus?* Similes loquendi modos vide & Matth. 10. 25. Hebr. 2. 2, 3. & 12. 25. 1 Pet. 4. 17, 18.

Com. 33. Ἐπὶ τὸν τόπον τὸν καλούμενον Κρανίον] Metonymia, pro τῶν κρανίων, continentis pro re contenta. Scholiaſtes vetus ad Medeam Euripidis, Ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς τόποις τὰς τόπους ὀνόμαζον. Vide & Etymologici Auctorem in verbo δεῖγμα. Apuleius in de Mundi fabrica, *Ille moriturus ad ſupplicii locum ducitur.*

Ibid. Οὐ μὲν ἐκ δεξιῶν, ὃν δὲ ἐξ ἀριστερῶν] Ita & in Græco 2 Paral. 3. 17. Seneca de Brevitate vitæ c. 19. *Ad ſupplicium eſſi ſtipitibus ſingulis pendent*, &c.

Com. 34. Πατερ, ἄφες αὐτοῖς] O ingentem bonitatem! amat relictus Chriſtus, amat ad mortem (mortemque crucis) adactus: & cum in pectore majora quam in corpore vulnera eſſent, cicatrix non erat. Ἄφες αὐτοῖς, eſt, ut 2 Tim. 4. 16. μὴ αὐτοῖς λογισθείη.

Horum ſimplicitas miſerabilis, his furor ipſe
Dat veniam. - - -

Seneca 5. 17. de Beneficiis, *Non eſt quod iraſcaris, ignoſce illis*, &c. *inſaniunt.*

Ibid. Οὐ γὰρ οἴδασί τί ποιοῦσι] Servius ad Æneid. 3. de Polydoro, *Etiam qui laditur excuſat, quod pietatis grande teſtimonium eſt.* Οὐκ οἴδασιν, &c.

- - - Ignorant quod facinus faciunt.

Vide Joh. 16. 3. Act. 3. 17. 1 Cor. 2. 8. & quæ de Phocione Var. 12. 49. Ælianus. Apud Xenophontem ille Cyropæd. 3. Μὴ σὺ, ὦ Τιγράνη, ὅτι ἀποκτενεῖ με χαλεπήνας τῷ πατρὶ, ἃ γὰρ κακουργῶ τινι τῶτο ποιεῖ, ἀλλ' ἀγνοίᾳ. Seneca 6. 9. de Beneficiis, *Quare fers ægri rabiem? puerorum protervas manus? nempe, quia neſcire videntur quæ faciunt.* Arrianus, de vere ſapiente, 2. 25. in Epictetum, Τοῦ ἀνομοίου ἀνεκτικὸς πρὸς τὸν πρὸς τοῦτον, &c. συγγνωμονικὸς, ὡς πρὸς ἀγνοοῦντα· & Seneca de ejuſmodi homine cap. 9. In ſap. non cad. injur. *Nec de quoquam tam bene judicat, ut illum putet conſilio feciſſe.*

Com. 35. Ἐξεμυκτήριζον δὲ καὶ οἱ ἄρχοντες σὺν αὐτοῖς] Diodorus Siculus lib. 18. de Phocione ad mortem damnato, Πολλοὶ καὶ τῶν δημοτικῶν, &c. ἐλοιδόρουν τε (αὐτὸν) ἀνελεῶς καὶ πικρῶς ὠνείδιζον αὐτῷ τὰς συμφοράς. Salvianus 2. de Avarit. in hac de Chriſto hiſtoria, *Pœnas quidem* (tulit) *acerbiſſimas, at indignitates pœnis acerbiores.* Illud σὺν αὐτοῖς omnino recipiendum videtur: ſic enim & Actor. 14. 15. idem Lucas, τῶν Ἰουδαίων σὺν τοῖς ἄρχουσιν αὐτῶν· & ſupra hic com. 11. ἐξουθενήσας δὲ αὐτὸν ὁ Ἡρῴδης σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ. Apoſtolus 1 Theſſ. 4. 17. ἅμα σὺν αὐτοῖς dixit: vide & Marc. 9. 4.

Ibid. Ἄλλους ἔσωσε, σωσάτω ἑαυτόν] Servius Sulpitius apud Ciceronem, Epiſtol. famil. 4. 5. de medicis imperitis, *In alienis morbis profitentur ſe tenere medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt.* Medea apud Ovidium,

Quæ me non poſſum, potui ſopire draconem:
Utilior cuivis quam mihi cura mea eſt.

Ibid. Σωσάτω ἑαυτὸν εἰ οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς] In Epiſtola Jeremiæ dicta, com. 49. ac de diis factitiis, Πῶς οὖν ἔστιν αἰσθέσθαι ὅτι οὐκ εἰσὶ θεοὶ, ὅτι δὲ σώζουσιν ἑαυτούς, &c. ἐκ κακῶν; Vide ad Matthæum dicta.

Com. 36. ἐνέπαιζον δὲ, &c.] *Illudebant*, jocularibus dictis inſultabant ei. Ovidius,

- - - Inſultare jacenti
Te mihi, nec verbis parcere fama refert.

Exitium alius cachinnare, non diſſimile apud Apulejum lib. 3.

Com. 38. Ἦν δὲ ἐπιγραφὴ γεγραμμένη ἐπ' αὐτῷ γράμμασιν Ἑλληνικοῖς καὶ Ῥωμαϊκοῖς καὶ Ἑβραϊκοῖς] Julius Capitolinus, *Gordiano ſepulchrum milites apud Circeium caſtrum fecerunt in finibus Perſidis, titulum*, &c. *addentes Græcis, & Latinis, & Perſicis, & Judaicis, & Ægyptiacis literis*, &c. ubi & *titulum*, qui Lucæ ἐπιγραφὴ, Joanni τίτλος.

Com. 40. Οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν θεόν;] Id eſt, (ut Pſal. 36. 1.) οὐκ ἔστι φόβος θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν σου; Apud Achillem Tatium ille, Οὐδὲ τὴν Ἄρτεμιν τὴν σὴν φοβῇ; Attius apud Nonnium Marcellum,

Viden' ut te impietas ſtimulet, nec mederet metus?

De his autem latronis verbis vide quæ fuſe D. Auguſtinus Serm. 130. de Tempore.

Ibid. Ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ] Id eſt, ut infra 24. 20. θανάτου κρίματι. Auguſtinus jam dicto loco, *In ipſo judicio, id eſt, in eadem condemnatione.*

Com. 41. Καὶ ἡμεῖς μὲν δικαίως] Τὰ συμβαίνοντα ἡμῖν (ut 1 Eſdræ 8. 88.) γίνεται διὰ τὰ ἔργα ἡμῶν τὰ πονηρὰ, καὶ τὰς μεγάλας ἡμῶν ἁμαρτίας. Poſt δικαίως ſubaudi πάσχομεν. Ultimus è ſeptem fratribus 2 Maccab. 7. 32. ab Antiocho excarnificatis, Ἡμεῖς διὰ τὰς ἑαυτῶν ἁμαρτίας πάσχομεν· vide & ibidem com. 18. Notanda & vox δικαίως. Scriptor Sapientiæ 19. 13. de Ægyptiis, Δικαίως ἔπασχον τῆς τοιαύτης. Adde citatum è Maccabaicis locum commate 38. Antiochus ipſe à Deo flagellatus ibidem 9. 12. Τῷ θεῷ δίκαια ὑποτίθεσθαι· & Pharao Exod. 9. 27. ab eodem afflictus, Ἡμαρτήκαμεν, ὁ Κύριος δίκαιος. Euripides Supplic.

Καὶ πρὸς δίκης γε πολλὰ πάσχοντες κακά.

Contrarium 1 Petri 2 29. ἀδίκως πάσχειν. Ejuſdem Euripidis eſt apud Stobæum,

Τὰ γὰρ ἐκ δρθῶς πρασσόμεν' ὀρθῶς,
Τοῖς πράσσουσι κακὸν ἦλθε. - - -

Et Ovidii,

Æquo animo pœnam qui meruere, ferant.

Item Catonis, ſive Diſtichorum de Moribus conſcriptoris,

Quod merito pateris patienter perfer id ipſum.

Δικαίως *juſte* verterunt: potes & *merito*, vel *jure merito*. Gloſſæ, Δικαίως, *jure merito*. Sic, *merito plectimur*, Phædrus in fabellis dixit. Apulejus Mileſ. 2. *Dignamque me pluribus etiam verberibus fuiſſe merito conſentio.*

Ibid. Ἄξια γὰρ ὧν ἐπράξαμεν, ἀπολαμβάνομεν] Hecuba apud Euripidem,

- - - Πτω-

- - - Πτωμάτων γὰρ ἄκμα
Πάσχω. - - -

Amicus ille Jobi 11. 6. Καὶ τότε γνώσῃ ὅτι ἄξιά σοι κατέβη ἐν ἁμαρτίαις. Plutarchus in Lycurgi vita, Περιόντες ᾤδον εἰς αὐτοὺς ᾠδήν τινα πεποιημένην ἀϊς δίκαια πάσχουσιν, &c. Gregorius Nazianzenus de fœneratore quodam, Ἄξιος τῇ τρίτῃ τὸν βίον καταῤῥίψας. Vide ad Apuleji lib. 4. pag. 199. notata. Ovidius,

Multa miſer paſsus, quia feci multa proterve.

Seneca 2. 27. de Ira, *Affectis ſumus pœna? ſuccurrat non tantum quid patiamur, ſed & quid fecerimus.*

Ibid. Οὗτος δὲ οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξε]

- - - *Noſtrum ſcelus eſt, nihil iſte nec auſus*
Nec potuit. - - -

Phocion ad ſuos Judices apud Plutarchum, Ἐγὼ μὲν ὁμολογῶ, καὶ θανάτου τιμῶμαι τὰ πεπολιτευμένα ἐμαυτῷ· τούτους δέ (amicos meos) διὰ τί διώκετε μηδὲν ἀδικοῦντας; Apud Senecam Controverſ. 2. 2. ille, *Ego qui peccavi pœna dignus ſum: quare uxore necata ſocero cauſa ſim orbitatis?* Et nota non ἀ, ſed (quod plus eſt) οὐδὲν dici. Donatus ad Phorm. 2. 1. ca, NIHIL FECIT, PATRUE, *Non dixit, leviter peccavit, ſed nihil fecit: neque quod puniat neque quod ſuccenſeat.* Ἄτοπον Vulgatus non male *malum* vertebat. Heſychius, Ἄτοπον, πονηρόν, &c.

Com. 42. Μνήσθητί μου, Κύριε, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου] Hujuſmodi blandis compellationibus ſolent alios conciliare ſibi, qui obventuras iis res proſperas videntur prævidere ſibi. Joſeph ad Pharaonis pincernam Geneſ. 40. 14. Μνήσθητί μου ὅταν εὖ γένηταί σοι. Saul ad Davidem 1 Reg. 24. 21, 22. *Scio quod certiſſime regnaturus ſis*, &c. *jura mihi ne deleas ſemen meum*, &c. Abigail ad eundem Davidem 1 Reg. 25. 31. *Cum benefecerit dominus Domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.* Apud Achillem Tatium ille, Ἀνάςηθι, καὶ θύε ἐπὶ τοῖς εὐτυχήμασιν Ἀφροδίτῃ, μνημόνευε δὲ κἀμοῦ. In Ejuſdem lib. 6. Ναὶ σοὶ Φέρων σωρὸν ἀγαθῶν, ἀλλά τις εὐτυχήσασα μὴ ἐπιλήσῃ μου. Terent. 5. 6. Andr.

- - - *Me in ſecundis reſpice.*

In Excerptis libri 34 Diodori Siculi, Καί τινες αὐτῶν ἀπὸ τραπέζης ἀξιολόγους μερίδας αἴροντες, ἐδεήθησαν, ὅπως ὅταν γένωνται βασιλεῖς, τῆς χάριτος μνημονεύσωσι. Eunapius in vita Maximi, Τῇ θύρᾳ παρεισεχέοντο, τὴν εὐδαιμονίαν θαυμάζοντες, καὶ μεμνῆσθαι σφῶν ἀξιοῦσαι. Ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, expono, ὅταν ἐπανέλθῃς ἐν τῇ δόξῃ τῆς βασιλείας σου· id eſt, ὅταν ἔρχῃ (ut 2 Theſſ. 1. 10.) ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις σου, &c. Vide ſupra 9. 26. ubi & ὅταν ἔλθῃ. *Cum in ſolio regali reſederis, vitæ necisque omnium dominus*, ut loquitur ille neſcio quis apud Q. Curtium lib. 4. id eſt, cum reverteris ad judicandum vivos & mortuos. Euthymius ad Matth. 6. ■, *adveniat regnum tuum*, exponit, *ſecundum adventum ejus.* Ut autem hic ἔλθῃς pro ἐπανέλθῃς habemus, ſic & Marc. 13. 35. ἔρχεται· Act. 1. 11. ἐλεύσεται· 1 Cor. 15. 35. ἔρχονται· & ſupra hic 12. 17. ἐλθών.

Com. 43. Ἀμὴν λέγω σοι, σήμερον ἔσῃ μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ παραδείσῳ] En hominem flagitiis obrutum, in ipſo exitu vitæ eo receptaculo dignatum, quo non auguſtius ſervatur iis qui pie totam vitam agunt. Vide parabolam Matth. 20. 14. Ac ideo (ut ſere 1 Tim. 1. 16. de ſe Paulus) miſericordiam conſecutus eſt, ut in eo primo oſtenderet Chriſtus omnem benignitatem, ad informationem eorum qui crediturí ſunt illi in vitam æternam. Παράδεισον (de qua voce jam plene alii,) hoc loco ſatis commode verbis Senecæ interpretari poterimus, *locum quiſquis ille eſt, qui ſolutas vinculis animas beato ſinu recipit.* τὸν ὀφειλόμενον αὐταῖς τόπον, de Paulo aliiſque ſanctis agens, Ignatius ad Philippenſes vocavit. Μετ' ἐμοῦ ἔσῃ hoc loco, eo plane ſenſu quo 1 Theſſ. 4. 17. σὺν κυρίῳ εἶναι. Qui ὑποζύγιον autem in contextu Lucæ non poſt σοὶ, ſed poſt σήμερον ponendam putarunt, næ illi erraverunt multum: & ut pateat quantum erraverint, exempla apponemus quæ monſtrant non ita legendum, *dico tibi hodie*, ſed, *dico tibi, eris hodie mecum*, &c. In Colloquiis veteribus σήμερον μετ' ἐμοῦ ἄριστον. Ariſtippus apud Diogenem Laërtium, Δίνασαι καὶ σὺ μεθ' ἡμῶν σήμερον γενέσθαι; Terent. Heautont.

- - - *Hodie apud me fis volo:*

& ibidem,

Quam vellem Menedemum invitatum ut nobiſcum eſſet hodie.

Plaut. Trucul.

Nempe tu hodie mecum eris, mea Phroneſium!

& Sticho,

Cras apud me eritis & tu & ille cum veſtris uxoribus.

Spectrum Samuelis ad Saul 1 Reg. 28. 29. *Cras tu & filii mei cum eritis.*

Com. 44. Σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν] *Omnia nigrebant tenebris caliginis atræ.*

Com. 45. Ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος] *Deformes Titan vultus caligine texit,*
Et lucem ſceleri ſubduxit. - - -

Plutarchus in vita Periclis, Τὸν ἥλιον ἐκλιπεῖν συνέβη, καὶ γενέσθαι σκότος. Apte quis heic exclamet verbis Tragici Latini,

O Phœbe patiens, fugeris retro licet,
Mediæque raptum merſeris cœlo diem,
Sero occidiſti. - - -

Ibid. Ἐσχίσθη τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ μέσον] Id eſt, ut hic Matthæus, εἰς δύο ἐσχίσθη· non ergo præciſe illud μέσον capiendum. Vide ad Matth. 14. 24. dicta. Plutarchus in Demetrii vita, Ὁ πόντος, &c. μέσος ἐῤῥάγη.

Com. 46. Φωνήσας φωνῇ μεγάλῃ, &c.] Matthæus, κράξας φωνῇ μεγάλῃ. Unde non male hic *Φωνὴν ſtridorem* vertas. Hieronymus, *Stridorem quo mortalium vita finitur*, &c. Apulejus 10. *Longo ſtridore edito*, &c. *examinis cornua.* Quin & in Luca ſequitur, ἐξέπνευσεν.

Ibid. Παραθήσομαι] Vulgat. *commendo*; Recentior (quod eodem cadit,) *depono. Commendare* idem eſſe quod *deponere* ait lex 186. de V. S.

Ibid. Καὶ ταῦτα εἰπὼν ἐξέπνευσεν] Ita Act. 7. 60. de Stephano idem Lucas, Καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἐκοιμήθη. Ἐξέπνευσεν Matthæo hac in narratione, τὸ πνεῦμα ἀφῆκεν. Sic, τὴν πνοὴν ἀφῆκε dixit Philoſtratus in Hadriano Sophiſta. Vulgatus hic *exſpiravit.* Ex Luca ergo, vel è Marco Gloſſarii conſarcinator, *Exſpiravit*, ἐξέπνευσεν.

Com. 47. Ἀληθῶς οὗτος δίκαιος ἦν] Vulgat. *Vere hic*, &c. unde forſan Gloſſarii illud, Ἀληθῶς, *vero*, (lege *vere*) *certo.* Euthymius ad Matth. 27. Centurionis iſta verba adducens, *Juſtum, ut opinor, divinum nominabat.*

Com. 48. Οἱ συμπαραγενόμενοι ἐπὶ τὴν θεωρίαν ταύτην] Vulgat. *qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud:* id eſt, *quos*, &c. *ſpectaculi rumor ſtudioſa celebritate congregaverat*, ut loquitur Apulejus. Vide ſupra ad com. 27. dicta. Heſychius, Θεωρία, ὄψις, θέα.

Ibid. Τύπτοντες ἑαυτῶν τὰ στήθη] Euthymius citans Lucæ iſta ad Joh. 8. *Cum loqui non auderent propter timorem Principum*, (i. e. ut puto, πρωτοπολιτῶν,) *percutiebant pectora ſua, ſignificantes dolorem interiorem.*

Com. 49. Μακρόθεν] Recentior, *longe.* Vulgatus, *à longe.* In vetere Onomaſtico, *A longe*, μακρόθεν.

Com. 50. Βουλευτὴς] Idem recentior Interpres, *Senator.* Vulgatus autem *Decurio.* Ita in Gloſſario, *Decurio*, βουλευτής.

Com. 51. Ὃς καὶ προσεδέχετο τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, Id eſt, τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ· quod Chriſtus (Marc. 1. 14.) prædicabat. Matthæus hoc loco, τῷ Ἰησοῦ ἐμαθήτευσε. Προσδεχόμενος bene verſum, *exſpectans*, non *ſperans*, vel *amplectens.* Donatus ad Terentii Andr. *Avidior intelligitur qui exſpectat quam qui ſperat.* Et ad Eunuchum, *Inter ſpem & exſpectationem hoc intereſt: exſpectatio certorum eſt, ſpes vero incertorum; & exſpectatio propinquarum rerum, ſpes longinquarum: exſpectatio deſinat tempus, ſpes non deſinat.*

Com. 53. Ἐνετύλιξεν αὐτὸ] Heſychius ex hoc loco, Ἐνετύλιξεν, ἐνείλησεν.

Ibid. Σινδόνι] Gloſſæ, Σινδών, *linea tunica.* Matthæus hic, σινδόνι καθαρᾷ. Apulejus, & de cadavere, *Splendentibus linteis coopertum:* & Homerus,

- - - Ἑανῷ λιτὶ πάλυνται
Ἧς πόδας ἠδὲ κάρηνα, καθύπερθε δὲ φάρεϊ λευκῷ.

Et bene heic *ſindon:* quia in illis regionibus. Martialis 4. 19.

Non ſic in Tyria ſindone tutus erit.

Ibid. *Καὶ ἔθετο αὐτὸ ἐν μνήματι λελαυτῶ*] D. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ, de Amatha Antonii ſectatrice, *Magiſtri corpus ſepelivit.* Anonymus MS. in rebus geſtis Petri & Pauli, de Clemente, Μαθητὴς αὐτῦ (Petri) *τὸ πολύτιμον αὐτῦ σῶμα μεγαλοπρεπῶς ἐνταφιάσας, ἐν τόπῳ ἐτοίμῳ κατέθετο.* Vide plura hanc in mentem ad Matthæum allata. Ad vocem λελαυτὸν pertinent Epiphanii iſta, Πολυάνδριά ἐϛιν ἐν τῇ πατρίδι (Gadarenorum tractu) *καλούμενα σπήλαια, ἐν πέτραις ὀρυκτά.*

Com. 54. *Καὶ σάββατον ἐπέφωσκε*] Recentior Interpres, *& ſabbati dies ſuccedebat*, ſatis operoſe. Vulgatus, *ſabbatum illuceſcebat*, me Judice, Latinius. Gellius 3. 2. *Eo die*, &c. *qui proximus eam noctem illuceſcit.* Ita Iſis cum Apulejo dixiſſet, *jam dies ſalutaris illuceſcet*, ſubjunxit, *Diem, qui dies ex iſta nocte naſcetur*, &c. Ἐπέφωσκεν, eſt, ἔμελλεν ἐπιφώσκειν, ut jam alii docuerunt.

Com. 55. *Ὡς ἐτέθη τὸ σῶμα*] Vulgatus, *quemadmodum poſitum erat corpus.* Sic, *poſitum in hypogæo corpus*, apud Petronium: &, *ſepulcrum in quo corpus depoſitum jacebat*, lib. 10. Apulejus.

Com. 56. *Ἀρώματα καὶ μύρα*] De utriuſque in Floridorum fragmentis idem Apulejus, *Jam miſeri illius omnia membra aromatis perſperſa, jam os ipſius odore unguine delibutum.* Et Plinius lib. 5. epiſt. 16. ubi de Fundano, filiolæ ante nuptias mortuæ deſolato patre, *Præcipientem quod in veſtes*, &c. *& gemmas erogaturus erat, hoc in thura, unguenta, odores impenderetur.* Adde lib. 37. ff. de relig. & ſumpt. funer.

Ibid. *Ἡσύχασαν*] Recentior, *quieverunt.* Vulgatus, *fuerunt*, quod æque videtur amplectendum, forte & præferendum. Sic, *vitam ſilentio* (i. e. otio, vel quiete) *tranſire*, Saluſtius in Catilinario dixit. In Gloſſis, Ἡσυχία, *quies, ſilentium.*

CAP. XXIV.

VALLA.

1. UNa autem Sabbati] *Sabbatorum* legendum eſt, *τῶν σαββάτων.*

2. *Portantes quæ paraverant aromata. Et invenerunt lapidem revolutum*] Gr. *Portantes quæ paraverant aromata, & quædam*, ſive *nonnulla, cum eis. Invenerunt autem lapidem: καί τινες σὺν αὐταῖς εὗρον δέ.*

6. *Recordamini qualiter locutus ſit vobis*] Gr. *Et recordamini quod locutus eſt vobis*, vel *ut locutus eſt vobis*, *ὡς ἐλάλησεν.*

22. *Terruerunt nos*] Gr. *ſtupefecerunt*, vel *attonitos fecerunt*, *nos*, ἐξέϛησαν.

26. *Et ita intrare in gloriam ſuam*] Non eſt Græce *ita*, ſed tantum *& intrare in gloriam ſuam.*

36. *Pax vobis: Ego ſum: nolite timere*] Græce non legitur, *Ego ſum: nolite timere.*

42. *Et favum mellis*] Quid opus eſt addere *mellis*, cum favus omnis ſit mellis? Gr. *& ex melleo favo*, *καὶ μελιτίου κηρίου*, ſive *ex apiario favo.*

43. *Et cum manducaſſet coram eis, ſumens reliquias, dedit eis*] Græce aliter legitur, *Et aſſumens*, ſive *aſſumpto, coram illis, comedit. Dixit autem eis*, *καὶ λαβὼν ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν. Εἶπε δὲ αὐτοῖς.*

45. *Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas*] Ad verbum ſic transferretur, *Tunc aperuit eorum mentem ad intelligendas Scripturas*, *αὐτῶν τὸν νοῦν, τοῦ συνιέναι τὰς γραφάς.*

47. *Incipientibus ab Hieroſolyma*] Et clarius & verius eſſet *incipiendo ab Hieruſalem: ἀρξάμενον ἀπὸ τῆ Ἱερουσαλήμ.* Nam *Hieroſolyma* ſingulariter non reperitur.

52. *Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem*] Cur non potius, *Et cum adoraviſſent? προσκυνήσαντες.*

REVIUS in VALLAM.

47. NAm Hieroſolyma *ſingulariter non reperitur*] Fallitur Laurentius, cum Suetonius in Cæſ. Auguſto ſcribat, *Et Cajum nepotem, quod Judæam prætervehens apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet, collaudavit.* Indicavit hoc Eraſmus.

ERASMUS.

1. UNa autem Sabbati] *Uno Sabbatorum* eſt Græcis, ut ſubaudias *die*, Τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων. ¶ *Val. de diluculo*] Ὄρθρου βαθέος *diluculo profundo*, h. e. quod multum adhuc haberet noctis. Nam ab inclinatione noctis eſt Gallicinium; mox Conticinium; deinde Diluculum, cum incipit rareſcere nox; poſtea Mane; deinde Dies, exorto Sole. ¶ *Ad monumentum*] Hic Græci cod. addunt *& quædam cum illis*, *καί τινες σὺν αὐταῖς* quod tamen anceps eſt de Viris dicatur an Mulieribus, quod *τινὲς* communis ſit generis.

4. *Mente conſternata eſſent*] Ἐν τῷ διαπορεῖσθαι *dum hærerent ac perplexæ eſſent & animi incerti.* ¶ *In veſtibus fulgentibus*] Ἀϛραπτούσαις· quod magis ſonat *fulgurantibus*, & *fulguris inſtar relucentibus.*

5. *Cum timerent autem*] Plus dixit Euangeliſta quam Interpres, Ἐκφόβων δὲ γενομένων *Expaveſactis autem illis*, *ac vultum deflectentibus in terram.* Apparet interpretem legiſſe ἐμφόβων, quod ipſum in nonnullis Græcorum codicibus invenitur.

6. *Recordamini qualiter dixerit*] Μνήσθητε Græcis anceps eſt, quemadmodum nobis *recordamini*, imperativine ſit modi an indicativi: niſi quod ea quæ ſequuntur arguunt imperativum modum, *Et recordatæ ſunt verborum*, &c. Latinius erat *ut dixerit* quam, *qualiter locutus eſt.* Laurentius mavult *quod dixerit.*

7. *Quia oportet*] Aut omittendum erat ὅτι, aut vertendum in *quod*, mutato verbi modo, *Quod oporteret*, &c.

12. *Et procumbens vidit*] Παρακύψας, quod eſt *obliquato capite proſpicere*; veluti ſi quis immiſſo per feneſtram capite proſpiciat. Unde proverbium, περὶ ὄνου παρακύψεως. Nec eſt *vidit* ſed *videt*, βλέπει. ¶ *Et linteamina ſola poſita*] Κείμενα. Maluiſſem *jacentia* quam *poſita.* ¶ *Et abiit, ſecum mirans*] *Apud ſe* referendum ad participium *admirans: Et abiit, admirans apud ſeſe*, *καὶ ἀπῆλθε πρὸς ἑαυτὸν θαυμάζων*· niſi mavis hunc ſenſum, *abiit in domum ſuam admirans.*

13. *Nomine Emaus*] Græci ſcribunt Ἐμμαοὺς per duplex *m*, ut ſit dictio triſyllaba, & inflectitur *Emmauntos, ti, tem*, ſicut *Pityus, Pityuntos.* Emmaunti mutatum eſt poſtea nomen: *Nicopolis* dicta eſt.

14. *Loquebantur adinvicem*] Ὡμίλουν πρὸς ἀλλήλους *colloquebantur*, ſive *confabulabantur*, *inter ſe.* Nam idem verbum mox *fabulabantur.*

15. *Et ſecum quærerent*] Quid Interpres legerit non ſatis conjicio. Nam Græce tantum eſt συζητεῖν, h. e. *ſimul quærerent*, ſive *diſputarent*, ſive *commentarentur.*

17. *Et eſtis triſtes*] Σκυθρωποὶ *parum alacri vultu:* ut ad habitum oris pertineat, non ad animum.

18. *Peregrinus es*] Παροικεῖς *advena es.* Id habet duplicem ſenſum, *Tu ſolus hoſpes es Hieroſolymitanus, ignorans ea quæ nemo neſcit quantumvis advena?* aut, *Tu adeo peregrinus es ut hæc ignores?*

20. *In damnationem*] Alias admonui κρίσιν & κρίμα ſæpe poni pro κατάκριμα, ſimplex pro compoſito.

21. *Quia ipſe eſſet redempturus Iſrael*] Ὅτι αὐτός ἐϛιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ, i. *Speraveramus quod is eſſet ille qui redempturus eſſet Iſrael.* ¶ *Et nunc ſuper hæc omnia*] Ἀλλά γε σὺν τούτοις τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον, *Verumtamen cum omnibus his tertium hunc diem agit*, ut ſubaudias *ille*, aut *tempus.* Nove dixit Lucas, niſi forte ſcripſit ille ἐπὶ τούτοις. Nec eſt *Et nunc* ἀλλά γε ſed *Atqui*, ſive *Verumtamen.*

22. *Mulieres quædam ex noſtris*] *Ex nobis*, ἐξ ἡμῶν, i. noſtri gregis. Deinde plus eſt quam *terruerunt* ἐξέϛησαν, i. *attonitos reddiderunt:* nam magis pertinet ad epitaſin *admirationis* quam *timoris.*

24. *Quidam ex noſtris*] Τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν *quidam eorum qui erant nobiſcum.*

26. *Et ita intrare*] *Ita* redundat, ſed additum explanandi ſermonis gratia.

31. *Evanuit ex oculis eorum*] Ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν *evanuit ab illis:* niſi quod Interpres expreſſit vim nominis ἄφαντος. Cæterum magis hic congruebat dicere, *deſiit illis eſſe conſpicuus.* De Fumo & Spectris apte utimur *evaneſcendi* verbo: hic non de ſpectro ſed de vero corpore fit mentio. Nec defuerunt hæretici qui tribuerint Chriſto corpus phantaſticum: His non erat danda erroris anſa.

36. *Ego ſum, nolite timere*] In Græcis exempl. tantum eſt,

eſt, *Pax vobis:* cætera videntur adjecta: nec admodum cohærent cum ſequentibus, in quibus eximit eis terrorem: licet apud Ambroſium addantur, ſed ex alio Euangeliſta, ſicut opinor, admixta. Ad ſalutantis vocem exterriti ſunt: Eum terrorem Dominus poſt eximit, dicens, *Quid turbati eſtis?* Apparet huc tranſcriptum ex Euangelio Joannis.

41. *Aliquid quod manducetur*] Βρώσιμον ἔσκλεντον, ſive *edulii.*

42. *Favum mellis*] Ἀπὸ μελισσείε κηρίε de apiario favo. Nam & alia quædam inſecta mel & favum habent.

43. *Et cum manducaſſet coram eis*] Græca diſſident, Καὶ λαβὼν ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν· ἔλαβε δὲ αὐτοῖς, *Et accipiens coram illis comedit. Dixit autem illis.* Nam quod apud nos legitur, *reliquias dedit illis*, apud Græcos non reperitur.

47. *Incipientibus*] Ἀρξαμένοις. Apparet Interpretem legiſſe ἀρξαμένων, ut referatur ad *diſcipulos.* Atque hanc germanam etiæ lectionem arbitror, licet reclamantibus Græcorum exemplaribus, atque inſuper editione quæ nuper prodiit ex officina Aſulani. Quod ſi legamus ἀρξάμενον, ut pertineat ad *Chriſtum*, non *ejus* erat dicendum, ſed *ſuo*, ad hunc modum, *Sic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die: & prædicare in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, exorſum*, ſive *initio facto, ab Jeruſalem.* At huic lectioni reclamat quod Chriſtus non cœperit ab Jeruſalem, ſed Apoſtoli. Et rurſum quod ſequitur magis cohæret cum hac lectione, *Vos autem eſtis teſtes horum:* licet ambiguum ſit utrum *eſtis* legendum ſit an *ſitis*, ἐςὲ an ἦτε: & utrumque ſatis quadrat. ¶ *Ab Hieroſolyma*] Laurentius admonet *Hieroſolymam* fem. genere non inveniri; ſed fallitur, cum Suetonius in Cæſare Auguſto ſcribat, *Et Caium nepotem, quod Judæam prætervehens apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet, collaudavit.*

49. *Promiſſum Patris mei*] Ἐπαγγελίαν. Ne neſcias *promiſſum* eſſe nomen ſubſtantivum, non participium.

52. *Et ipſi adorantes*] Προσκυνήσαντες, i. *adorato eo reverſi ſunt.* Adorabant enim abeuntem in cœlum, ac deinde recipiebant ſe Hieroſolymam. Hoc loco ſubjicienda erant ACTA APOSTOLORUM. Nam Lucas hiſtoriam ſuam duobus libris complexus eſt, quos ambos ſcripſit ad eundem Theophilum. Atque ipſe ſecundum exordiens connectit cum ſuperiore. Deinde ACTA illa plane pars eſt Euangelicæ hiſtoriæ. Verum ne videremur Joannem dirimere ab Euangeliſtis, diſtraximus duos Lucæ libros, & Acta proximo ſubjecimus loco.

VATABLUS.

1. *Sabbati*] *Sabbatorum*, i. primo die qui feſtum ſequebatur. ¶ *Valde*] *Profunde.* ¶ *Aromata**] * *Et quædam cum ipſis.*

4. *Mente conſternata*] *Perplexa.* ¶ *Veſte fulgenti*] *Veſtimentis fulgurantibus*, i. inſtar fulguris relucentibus.

5. *Cum timerent autem*] *Cum autem territæ eſſent:* vel, *expaviſſent.*

10. *Maria Magdalene*] *Magdalene Maria.* ¶ *Jacobi*] Sub. *mater.*

11. *Iſta*] *Ipſarum.*

12. *Procumbens vidit*] *Demiſſo capite proſpiciens videt.* ¶ *Poſita*] *Jacentia*, i. quæ ſolo jacebant.

13. *Caſtellum*] *Oppidum.* Et infra. ¶ *Erat in ſpatio ſtadiorum*] *Aberat ſtadiis.*

14. *Loquebantur adinvicem*] *Colloquebantur inter ſe.*

15. *Fabularentur*, &c.] *Colloquerentur & ſimul quærerent, ut ipſe Jeſus appropinquans iret*, &c.

17. *Triſtes*] *Vultu triſti.*

18. *Tu ſolus peregrinus es*, &c.] Heb. pro, Tune ſolus peregrino & externo homini ſimilis fuiſti Hieroſolymis his diebus ut non cogniveris res civitatis in qua verſabaris? vel, Tene ſolum latuit quod per hoſce dies Hieroſolymis geſtum eſt, te illic agente? aut, Tu ſolus hoſpes es Hieroſolymitanus, ignorans ea quæ nemo neſcit quantumvis advena? Externi non ſolent inquirere ea quæ geruntur in urbe in qua ad paucos tantum dies habitant: tamen ea tam nota ſunt ut etiamſi non inquiſieris notiſſima tibi eſſe debeant.

19. * *De Jeſu*] * *Qua:* ſub. *ſunt:* vel, *narrantur.* ¶ *Coram Deo & omni populo*] i. probante Deo opera ejus & ſermones, & etiam populo.

20. *Et*] Pro *Id eſt.* ¶ *In damnationem mortis*] *Ut damnaretur morte.* Gr. *judicium*, i. ſupplicium & pœnam judicio irrogatam.

21. *Nos autem*] *At nos.* ¶ *Ipſe eſſet redempturus Iſrael*] *Ipſe eſſet ille qui redempturus eſſet Iſraelem.* Sub. *à tyrannide Romanorum.* ¶ *Et nunc ſuper hæc omnia*] *Verumtamen cum his omnibus.* ¶ *Tertia * dies*] * *Hæc.*

22. *Noſtris, terruerunt nos*] * *Nobis, attonitos reddiderunt nos*, i. quædam noſtri gregis mulieres. ¶ *Ante lucem fuerunt*] *Diluculo pervenerunt.*

24. *Ex noſtris*] *Ex iis qui erant nobiſcum.* ¶ *Sicut * mulieres*] * *Et.* ¶ *Dixerunt*] *Dixerant.* ¶ *Invenerunt*] *Viderunt.*

25. *Stulti*] *Amentes.* ¶ *In omnibus*] Hebraico more *in* additum. Latini *ad credendum omnibus* dicerent.

26. *Oportuit*] *Opertebat.* ¶ *Intrare in gloriam ſuam*] i. Regnum ſuum inire.

29. *Et coegerunt*] *Coegerunt vero.* ¶ *Intravit * cum illis*] * *Ut maneret.*

30. *Benedixit*] i. gratias egit. In conviviis Hebræorum ante cibum gratias agebat Deo cibi nomine qui inter convivas erat præcipuæ authoritatis, & ille deinde panem frangebat.

31. *Evanuit ex oculis eorum*] *Subduxit ſeſe à conſpectu eorum:* deſiit illis eſſe conſpicuus: diſparuit ab eis.

32. *Loqueretur * in via*] * *Nobis.*

34. *Apparuit*] *Viſus eſt.*

35. *Narrabant*] *Narraverunt.* ¶ *Cognoverunt eum*] *Agnitus fuiſſet ipſis.* ¶ *In fractione panis*] i. ex conſuetudine frangendi panem gratiis actis.

36. *Stetit * Jeſus*] * *Ipſe.*

38. *Et * cogitationes*] * *Quare.*

39. *Pedes **] * *Meos.*

40. *Hæc*] *Hoc.*

41. *Non credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit*] *Non credentibus præ gaudio & mirantibus dixit ipſis*, q. d. Obſcurabat & impediebat judicium illorum vehemens gaudium. ¶ *Quod manducetur*] *Eſculentum.*

43. *Manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis. Et dixit*] *Accepiſſet, coram eis comedit. Dixit autem.*

44. *Scripta ſunt*] Vel, *erant.*

45. *Illis ſenſum*] *Illorum mentem.*

47. *Et*] *Et* pro *Propterea.* ¶ *Prædicare*] *Prædicari*, Vet. ¶ *In nomine ejus*, &c. q. d. Chriſtus jubet ut reſipiſcatis, & remiſſionem peccatorum conſequemini. ¶ *Pœnitentiam*] Vel, *reſipiſcentiam:* aut, *emendationem vitæ.* ¶ *Incipientibus*] *Initio facto:* vel, *incipiendo.*

49. *Et * ego*] * *Ecce*, Vet. ¶ *Mittam*] *Mitto.* ¶ *Civitate **] * *Jeruſalem.*

50. *Eduxit*] Vel, *Eduxerat.* ¶ *Foras **] * *Uſque.* ¶ *Benedixit eis*] Hebr. pro *bene precatus eſt:* pacem & ſalutem illis precatus eſt.

52. *Adorantes*] *Adorato eo.*

53. *Benedicentes*] Vel, *Prædicantes.*

CASTALIO.

18. *Hieroſolyma hoſpes es*] Hieroſolymitanarum rerum ignarus.

32. *Nimirum nobis ardebat animus cum nos in via alloqueretur*] Quoniam Chriſtus erat, ideo tantopere afficiebat nos ejus oratio.

CLARIUS.

5. *Quid quæritis*] Vide gratioſa verba, & præterea certiſſimam fidem de Chriſti reſurrectione facientia: *Nolite*, inquiunt, *cum inter mortuos*, h. e. in ſepulcro, *quærere qui jam vivit.*

7. *In manus hominum peccatorum*] Romanorum: nam proprie infideles *peccatores* appellabantur: ut Paulus ait ad Galatas 2. 15. *Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores.*

18. *Tu ſolus peregrinus es*] Solent interdum *peregrini* vel *hoſpites* appellari qui earum rerum quæ in civitate ſua tractantur ignari ſunt. Sic Cicero ſcribens ad Atticum, *Illud etiam te rogo*, inquit, τὴν ταμιᾶαν κατάςασιν τύπῳ δὸς, *ne iſtinc hoſpes veniam.* Ajunt ergo, *Tu ſolus es in Jeruſalem tanquam hoſpes, qui harum ſis ignarus rerum?*

itized by Google

ERASMUS.

1. *Portantes quæ paraverant aromata*] Hic rurſus Græci addunt *καί τινες σὺν αὐταῖς*, *& quædam*, vel *quidam*, *cum illis*; ſed perperam, meo judicio. Nam veriſimile non eſt viros fuiſſe qui cum mulieribus venerint: & ſi fem. genere illud *τινες* accipias, cum nullas nominatim prius expreſſerit Euangeliſta, quid opus erat addere *& quædam cum illis*? Apparet vero ex ſequentibus huc eſſe tranſpoſitum, ubi dicitur, *& cætera quæ cum eis erant.*

5. *Quid quæritis vivum cum mortuis*] Perinde eſt ac ſi dicat, *Cur tanquam qui vivum quæritis in monumento mortuorum?*

10. *Erat autem Maria Magdalene & Joanna & Maria Jacobi*] Hanc *Magdalenam* alii ſororem Lazari, alii diverſam eſſe autumant. Nos de re non perinde magni momenti ac multum incerta ſupervacaneum ducimus anxius diſputare. *Joanna* ipſa eſt uxor Chuzæ procuratoris Herodis. *Maria* autem *Jacobi* matris Domini ſoror eſt, & Jacobi Minoris ac Joſeph mater: unde & ipſe Jacobus *frater Domini* appellatus eſt. Theophylactus vero *Mariam Jacobi* Deiparam Virginem hic appellatam dicit, quod putaretur Jacobi filii Joſeph mater.

12. *Et abiit ſecum mirans*] Illud *πρὸς ἑαυτὸν* accipi poteſt pro eo quod eſt *in domum ſuam*; atque ita jungendum erit cum *abiit*.

13. *Quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta*] LX ſtadia VII & ſemis milliaria conſtituunt. Siquidem VIII ſtadia unum milliare efficiunt, ſed breve & aliquanto longius quam Italicum. Nam & qui in ſancta illa regione aliquot annis vitam egerunt, paulo plus minuſve diſtare Emmauntem ab Hieroſolyma teſtantur quam itinere duarum horarum cum dimidia. Unde etiam iidem aſſerunt unicum milliare in dicta regione XV ſtadia comprehendere. ¶ *Nomine Emmaus*] *Ipſa eſt*, inquit Beda, *Nicopolis civitas inſignis Paleſtinæ, quæ poſt expugnationem Judææ ſub Marco Aurelio Antonino Principe reſtaurata cum ſtatu mutavit & nomen.* Profertur autem *Emmaus* apud Græcos tribus ſyllabis, & inflectitur *Emmaus*, *Emmauntos*, vel *Emmauntis* more Latinorum.

18. *Unus cui nomen Cleophas*] Alter vero *Amaus* dictus eſt: quod nomen D. Ambroſius expreſſit, Lucæ duodecimum, & rurſus hoc præſens enarrans capitulum. ¶ *Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem, & non cognoviſti*] Sic habet ordo verborum, *Tu peregrinus es Hieroſolymæ, & ſolus non cognoviſti quæ geſta ſunt in illa hiſce diebus?* ut intelligas anticipationem in verbo *ſolus*. Quod autem legimus *peregrinus es in Jeruſalem*, h. e. *παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ*, commodius intelligi poteſt *incola*, vel *inhabitas*, Jeruſalem: *παροικεῖν* enim *ἀπὸ τῆ οἰκεῖν* dicitur, quod ſimpliciter *habitare* interpretatur.

32. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via*] Hoc dicebant admirantes de incredibili quodam ardore quem in cordibus ſuis igni ſenſerant in via ex tam ſuavi Chriſti colloquio.

33. *Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Jeruſalem*] Intelligendum eſt & eadem hora conſurrexiſſe, & eodem veſpere Hieroſolymam, licet ſerius fortaſſe, perveniſſe. Nam iter erat duarum & eo amplius horarum, ut ſupra oſtendimus hoc eodem capite, v. 13. Quod autem apud Theophilum legitur, quod poſt aliquot tandem dies pervenerint in Civitatem, id ſuſpicor à quopiam eſſe depravatum. Nam idem Theophilus vel, ut nunc inſcribitur, Theophylactus in Catena adductus eos dicit non poſt multos dies ſed poſt plures horas perveniſſe. Sed utut res ſeſe habet, non arbitror Theophylactum multum ſolicitum fuiſſe ut ſciret quanta ea fuerit inter Emmauntem & Hieroſolymam intercapedo, contentus ſe ſcire diſtantiam fuiſſe LX ſtadiorum, quæ, ni fallor, ad ſuæ regionis milliaria putavit expendenda. ¶ *Invenerunt congregatos Undecim*] Huic adverſari videtur quod apud Johannem 20. 24 legis *Thomam non fuiſſe cum eis quando venit Jeſus.* Sed intelligendum eſt ſecundum Auguſtinum l. 3. De Conſenſu Euang. c. 25. Thomam adfuiſſe quidem cœtui Apoſtolorum duobus illis intrantibus Emmaunte regreſſis, ſed eundem ante Domini apparitionem exiſſe.

34. *Dicentes quod ſurrexit Dominus vere, & apparuit Simoni*] Hoc congregati illi referebant duobus Emmaunte regreſſis, & ſibi mutuo. Eſt enim *λέγοντας dicentes* acculandi caſus, & conjungi debet cum *congregatos* & cum *eos qui cum illis erant*; *Invenerunt congregatos Undecim & eos qui cum illis erant, dicentes*, nempe hoc, *Surrexit Dominus vere.* Cæterum quid duo illi narrarint ipſe etiam Euangeliſta manifeſtat, dum ſubdit, *Et ipſi narrabant, quæ geſta erant in via.*

36. *Pax vobis. Ego ſum: nolite timere*] Deſunt in Græcis modernis hæc verba, *ego ſum: nolite timere:* & videri poteram adjectitia in noſtris niſi eadem & apud Ambroſium legerentur, & apud Auguſtinum l. 3. De conſ. Euang. cap. 25. & in omnibus quæ viderim exemplaribus antiquæ verſionis.

42. *Et favum mellis*] h. e. Fructum operis apiarii melle plenum. Græce eſt *ἀπὸ μελισσίου κηρίου de melleo favo. Favus* proprie domuſculæ ſunt in quibus apes mella conficiunt.

43. *Et cum manducaſſet coram eis, ſumens reliquias, dedit eis*] Græca ſecus habent, & minus quam nos, *Καὶ λαβὼν ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν. Ἔλαβε δὶ αὐτοῖς*, i. *Et accipiens coram illis comedit. Dixit autem illis.* Utra autem lectio germanior non ſatis conſtat, niſi quod Auguſtinus noſtram ſequatur l. 3. De conſ. Euang. c. 25.

47. *Incipientibus ab Hieroſolyma*] Illud *incipientibus*, quoniam nil habet cui reſpondeat, ſubaudiri poſtulat *vobis Apoſtolis meis.* Quod ſi in Græcis legas *ἀρξάμενον*, ut hodie habent exemplaria (cum Interpres legiſſe videatur *ἀρξαμένων*) ſcito illud aut abſolute poſitum pro eo quod recentiores vertunt *initio facto*, aut cum verbo infinito *κηρυχθῆναι prædicari* jungendum, non autem cum *Chriſto*, ut ne dicas ipſum ab Hieroſolymis cœpiſſe prædicationem, contra id quod ſcriptum eſt ſupra 23. 5. *Docens per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa, uſque huc.*

50. *Eduxit eos foras in Bethaniam*] Quæ eſt in latere montis Olivarum, à quo monte Dominus in cœlos receptus eſt, diſtatque ab Hieroſolyma quaſi ſtadiis XV, ut habes apud Johannem II. 18. h. e. itinere unius meditæ horulæ, aut unico milliari Italico. Præterea videtur B. hic Lucas in his & ſequentibus verbis indicare quod Chriſtus è Bethania in cœlum aſſumptus ſit, cum idem in Actis Apoſtolicis & B. Matthæus videantur inſinuare id quod vulgaris habet opinio, nempe Chriſtum à monte Oliveti fuiſſe aſſumptum. Advertendum igitur Dominum noſtrum una cum Diſcipulis, primum quidem, quantum equidem capio, Bethaniam contendiſſe, ac deinde montem ipſum conſcendiſſe cui Bethania contigua eſt; atque ex eodem monte Dominum in cœlum ſubvectum eſſe.

H. STEPHANUS.

2. *Ἀπεπεπλυμένους*] *Devolutum.*

11. *Λῆρος*] *Nuga:* vel, *deliramentum.*

14. *Ὡμίλουν*] *Sermonem habebant.*

17. *Οἱ λόγοι οὗτοι οὓς ἀντιβάλλετε πρὸς ἀλλήλους*] *Sermones hi quos confertis inter vos.* ¶ *Καὶ ἐστὲ σκυθρωποί*;] *Et* quid *vultus veſtur triſtitiam pra ſe fert?*

18. *Σὺ μόνος παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἔγνως*] *Tu ſolus inter incolas* urbis *Hieroſolyma, non noſti?*

21. *Ὃ μέλλων λυτροῦσθαι*] *Qui eſſet redempturus.*

22. *Ἐξέστησαν*] *Obſtupefecerunt.*

23. *Ὀπτασίαν ἀγγέλων ἑωρακέναι*] *Apparuiſſe ſibi angelos.*

25. *Τῆ πιστεύειν*] *Ad credendum.*

28. *Προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι*] *Pra ſe ferebat ſe velle ultra progredi.*

29. *Παρεβιάσαντο*] *Adegerunt.*

31. *Ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν*] *Conſpici ab illis deſiit.*

37. *Πτοηθέντες δὲ καὶ ἔμφοβοι γενόμενοι*] *Obſtupefacti vero & timore perculſi.*

38. *Διαλογισμοὶ*] *Cogitationes.*

39. *Ψηλαφήσατε*] *Contrectate.*

42. *Ἀπὸ μελισσίου κηρίου*] Aliquid *ex apiario favo.*

49. *Καθίσατε*] *Commetamini.*

51. *Διέστη ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἀνεφέρετο*] *Diſjunctus eſt ab eis, & ſurſum ferebatur.*

DRUSIUS.

4. *Duo viri*] Sic Angeli vocantur Actor. 1. 10. Geneſ. 18. 2. & 19. 5. item Joſ. 5. 13. Sed quomodo Viri, ſi Angeli? Angeli erant revera, & Viri in ſpecie. Nam in veritate Angeli non ſunt Viri. Quia tamen in ſpecie virorum apparent hominibus, ideo *viri* vocantur. Sic Angelus apud Tobiam ſe dicit eſſe *Azariam filium Aniæ:* Nam in forma Azariæ apparuit. Unde canon ille, *Species rerum appellantur de nominibus ipſarum rerum.* Exſtat apud Auguſtinum.

13. *Duo ex iis ibant*] Unus *Cleophas* vocatur infra v. 18. alter non nominatur. Curioſum igitur quærere ipſius nomen. Nam qui de Luca conjiciunt, aliunde confutantur. De Nathanaele mera conjectura eſt, quæ nullo fide digno nititur teſte. Nam Epiphanius hoc affirmat duntaxat, non probat. Cui major fides non eſt habenda quam Ambroſio ſcribenti nomen ejus fuiſſe *Amaon*. Vide Zachariam in Unum ex quatuor, p. 366. ¶ *Emmaus*, Εμμαοὺς] Nomen vici diſtantis ab Jeruſalem LX ſtadiis. Dico *vici*, quia in textu Græco eſt εἰς κώμην. Latinus habet *caſtellum*; Syrus, ܩܪܝܐ *opidum* [imo vicum aut *pagum* ſignificat, & aliquando *agrum*: unde ܩܪܝ ܕܡ *ager ſanguinis*. Videtur eſſe Græcum χωρίον. Sed dubito.] aut, ut Aquila reddere ſolet eam vocem, πολίχνην *civitatulam*. Joſephus Orig. lib. 12. c. 11. πόλιν appellat. *Diſtare autem ab Jeroſolyma* LX *ſtadiis* idem affirmat in De bello Jud. lib. 7. c. 26. Nam quamvis in Latino exemplari ſit *triginta*, tamen in Græco legitur ἑξήκοντα. Eſt autem ſtadium octava pars milliarii. Ergo LX ſtadia conficiunt milliaria ſeptem & dimidiatum octavi, &c. Pro Εμμαοὺς reperio Αμμαοὺς & Εμμαοὺμ & Εμμαοὺμ & *Ammaum*. Hieron. in lib. Locor. *Hac eſt nunc Nicopolis inſignis civitas Paleſtinæ*. In Synonym. Ortelii, *Emmaus*, *Paleſtinæ opidum Ptolomaïs, quod nunc Nicopolis Hieron. Hodie adhuc Nicopol nominari tradit Poſtellus*.

18. *Cleophas*] Sic Latini. In Græcis eſt Κλεόπας *Cleopas*. Syrus habet ܩܠܝܦܐ *Cleiopha*. Scaliger Animad. Euſeb. p. 138. col. 1. exiſtimat ὑποκορισικὰ eſſe Κλεοφᾶς pro Κλεόφιλος, & Κλεοπᾶς pro Κλεόπατρος. Sic Αλεξᾶς pro Αλέξανδρος. Hunc alii Lucam, alii Nathanaelem fuiſſe ſcribunt. Quod plane incertum. Socius ejus vocabatur *Amaon*, teſte Ambroſio in Lucam, & Zacharia in Unum ex quatuor, p. 366. Et hoc incertum. Quod temere dicitur, temere negari poteſt. Cleophas iſte, ut credibile eſt, Joh. 19. 25. Κλωπᾶς vocatur, cui uxor Maria, quæ propterea ibi dicitur ἡ τοῦ Κλωπᾶ. Quanquam pollet etiam *filia* ſubaudiri. Scire licet apud interpretem noſtrum eſſe *Cleopa* ſive *Cleopha*, ut apud Syrum ܩܠܝܦܐ. Quæ ita firmant ſententiam meam ut nihil magis. ¶ *Peregrinus es*, παροικεῖς] Hebraice גר, unde גר *advena*, *peregrinus*. Alius, *commoraris*. Syrus, *extraneus es in Jeruſalem*. Pſ. 15. 1. גר ב LXX τίς παροικήσει; Hieron. *quis peregrinabitur?* Ubi tamen παροικήσει poſitum pro κατοικήσει habitabit, i. שכן.

30. *Accepit panem & benedixit*] Vocatur ab Hebræis *benedictio panis*, i. ברכת הלחם. Nam poſt calicis benedictionem paterfamilias aut honoratior aliquis inter convivas frangit panem, & benedicit ſuper eo, paululumque edit; poſt buccam diſtribuit ſingulis menſæ accumbentibus. Hunc panem ſcindunt, non abſcindunt, poſtea recitant hanc benedictionem, & frangunt; quo facto, reliquis epulis manus injiciunt. Benedictionis formula; ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם המוציא לחם מן הארץ: *Benedictus tu DOMINE Deus noſter, Rex ſeculi, qui educis panem è terra. Hoc dicto*, inquiunt, *ſcindit panem, & benedixit ſuper illum*. Quod abbreviaturas attinet, ex valent, ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם *Benedictus tu, DOMINE Deus noſter, Rex ſeculi*, vel *hujus mundi*. Nam utrumque עולם ſignificat apud Magiſtros.

37. *Spiritum videre*] In Euangelio ſecundum Hebræos, quo Nazarei olim uſi, *dæmonium incorporale*. Vide Hieron. præfat. in lib. 18. Comment. ſuper Jeſaiam. Adhibe etiam libellos meos.

38. *Cogitationes aſcendunt*] Sic Dan. 2. 29. רעיון סלקו *cogitationes tuæ aſcenderunt*. Theodotio (nam ejus editionem Græca Eccleſia recepit) οἱ διαλογισμοί σου ἐπὶ τῆς κοίτης σου ἀνέβησαν. Hieron. *Tu, Rex, cœpiſti cogitare in ſtratu tuo*.

44. *In Prophetis & Pſalmis*] Hic excludit Davidem è numero Prophetarum, licet inſignis Propheta fuerit. Idem fecit Joſephus. Quapropter? Res certi juris eſt. In partitione V. Inſtrumenti, h. e. librorum XXIV, annumeratur Hagiographis, & non Prophetis, una cum Daniele. Neuter ſane obiit munus Propheticum, ut Jeſaias & reliqui qui *Propheta* vocantur tam priores quam poſteriores. Sed cur Pſalmos ſolos memorat, & non etiam alios libros ejuſdem ordinis? An quoniam alii pauca de Chriſto (Danielem excipio) prophetarunt? aut κατὰ συνεκδοχὴν partem poſuit pro toto? Quod eo credibilius mihi videtur, quoniam in nonnullis codicibus Pſalmi primum locum obtinent in hoc ordine, etiam ante Jobum. Quod recte an ſecus fiat, aliis diſcutiendum relinquo. Mihi nunc properandum ad alia.

49. *Sedete*] *Manete*: ut Gen. 22. 5. & Joſ. 1. 14. Cicero, *Si venti eſſent, nos hic Corcyræ non ſederemus*. ¶ *In urbe*] i. Jeroſolymæ, quæ κατ' ἐξοχὴν ἡ πόλις vocatur, i. ἡ πόλις *urbs*: ac tum ſcribitur fere nomen *Urbs* charactere majuſculo. Sic *Urbs* de Roma.

CASAUBONUS.

13. ΕΙΣ κώμην ἀπέχουσαν σταδίους ἑξήκοντα ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ, ᾗ ὄνομα Ἐμμαοὺς] Idem teſtatur Joſephus lib. Ἰουδαϊκῆς ἁλώσεως 7. Ὀγδοηκοστοὺς δὲ μόνους ἀπὸ τῆς στρατιᾶς διαφθαμένους χωρίον ἔδοκεν εἰς κατοίκησιν ὁ καλεῖται μὲν Ἐμμαοὺς, ἀπέχει δὲ τῶν Ἱεροσολύμων σταδίους ἑξήκοντα. Male enim ibi legitur Αμμαοὺς, cum etiam Ptolemæus habeat Εμμαοὺς. Apud Sozomenum l. 5. ſcribitur Εμμαῦ.

JAC. CAPPELLUS.

27. ET *exorſus à Moſe*] A prima canonis Judaici parte; *& ab omnibus Prophetis*, à ſecunda parte Judaici canonis, ut in tertia defineret, *interpretabatur iis in omnibus Scripturis*, in ſingulis Scripturæ libris (ii ſunt XXIV) *ea quæ* prædicta fuerant aut figurata *de ſe*, potiſſimum vero de ſua Paſſione, quæ Diſcipulis erat ſcandalo; Cui tollendo poteris ex ſingulis Scripturæ libris aliquid elicere ſi ſequaris eam canonis Judaici diſtributionem quam etiam nunc uſurpant Judæi, in partes videlicet III. libros XXIV. hoc modo.

I. PARS CANONIS JUDAICI.

I. Gen. 3. 15. Serpens dicitur Meſſiæ calcaneum contriturus. Iſaac etiam eſt inſignis typus Chriſti à Patre ſuo mactati. Joſeph quoque typus eſt abjectionis & gloriæ Chriſti à fratribus venditi.

II. Exodi 12. 46. Paſchalis agnus ita mactandus dicitur ut nullum ejus os ſit frangendum.

III. Omnia Levitici ſacrificia ſunt typi totidem ſacrificii quod in cruce pro nobis obtulit Chriſtus.

IV. Serpentis exaltatio Num. 21. 8, 9. typus eſt Chriſti in crucem ita ſubvecti, ut à Serpentis morſu nos ſanet, Joh. 3. 14. & 8. 28. & 12. 32.

V. Meſſias ſuſcitandus dicitur Deuter. 18. 15. ſimilis Moſi, multis contradictionibus vexato priuſquam ei plena fides adhiberetur.

II. PARS CANONIS JUDAICI.

VI. Joſue Dei populum in Terram promiſſionis inducit, qui tamen antea fuerat à decem teſtibus infirmulatus falſi.

VII. Samſon morte quam vita ſua plures occidit, Judic. 16. 30.

VIII. Samuel fidelis ſacerdos & ſecundum cor Dei fuit, tamen ab Iſraelitis rejectus, 1 Sam. 2. 35. & 8. 7.

IX. David à Deo Rex conſecratur, qui tamen in fugam dia fuerat actus, 2 Sam. 5. 1.

X. Elias ad necem quæritur, 1 Reg. 18. 10. & 19. 2, 10. qui tamen in cœlum glorioſe ſubvectus eſt.

XI. Dei Templum evertitur, 2 Reg. 25. 9. mox inſtaurandum tempore præſtituto.

XII. Chriſtus *ob peccata noſtra percutiendus* dicitur Eſai. 53. 5.

XIII. Chriſti caro in ligno perdenda prædicitur Jerem. 11. 19.

XIV. Ezekiel *filius hominis* paſſim, ut & Chriſtus, nuncupatus futurus prædicitur inſtar portenti, Ezek. 12. 6, 11.

XV. Meſſias *tranſfigendus* prædicitur Zac. 12. 10. Duodecim Prophetæ Judæis ſunt inſtar unius libri.

III. PARS CANONIS JUDAICI.

XVI. Chriſti paſſio graphice deſcribitur Pſal. 22.

XVII. Deus *caſtigare* dicitur *eum quem maxime diligit filium* Prov. 3. 12.

XVIII. Jobi calamitates ſequitur gloria priſtina duplo major.

XIX. Mardochæus ex ſumma contumelia ſubvehitur ad ſummam gloriam in libro Eſther, qui pars eſt parvi Pentateuchi, qui Judæis eſt inſtar unius libri.

XX. Chriſtus *exſcindendus* prædicitur Dan. 9. 26.

XXI. Inſtauratio Templi apud Eſdram typus eſt reſurrectionis Chriſti.

XXII. Nehemias inſtaurator Hieroſolymorum multas ab iniquis vexationes patitur.

XXIII, & XXIV. Quæ de Davidis perpeſſionibus & triumphis, de Templi ſubverſione, de inſtauratione notavimus in libros IX, XI, & XXI, eadem notari poſſunt in I, & 2 Chronicorum, ultimos canonis Judaici libros.

LUD. CAPPELLUS.

13. *CUI nomen Emmaus*] Duo fuerunt loci in Judæa hoc nomine, quorum alter vicus ſeu pagus fuit prope Tiberiadem ad lacum Genezareth, in quo fontes erant aquarum calidarum à quibus nomen habuit pagus ille: nam חמים vel חמי vel חמת *aquas calidas* ſignificat, ex חם & מים, uti notat Joſephus ipſe Belli Jud. l. 4. c. 1. *Οὐεσπασιανὸς δὲ ἀφ' ἑτέρας ἀπὸ τῆς (κώμης) Ἀμμαοὺς, ἔνθα πρὸ τῆς Τιβεριάδος ἐςρατοπεδεύκει, (μεθερμηνευομένη δὲ Ἀμμαοὺς θερμὰ λέγοιτ' ἄν. Ἐςι γὰρ ἐναύτῃ πηγὴ θερμῶν ὑδάτων πρὸς ἄκεσιν ἐπιτήδειος) ἀφικνεῖται πρὸς Γάμαλα.* De eodem vico idem Joſephus Antiq. Jud. l. 18. c. 3. ubi de urbe Tiberiade ab Herode Tetrarcha condita ad ripam lacus Genezareth, hæc addit, *θερμὰ δὲ αὐτόθεν ὕφειν ἐν κώμῃ, Ἀμμαοὺς ὄνομα αὐτῇ.* Hunc pagum non intelligit hoc loco Lucas. Tiberias enim in Galilæa, non in Judæa erat, diſtabatque Jeroſolymis multo pluribus quam LX ſtadiis. Alius itaque fuit vicus hujus nominis in tribu Juda, LX duntaxat ſtadiis diſtans Jeroſolyma, teſte eodem Joſepho l. 7. De bello Jud. c. 27. Ubi dicit, à Tito poſt everſam Jeroſolymam collocatos fuiſſe veluti in colonia DCCC milites Romanos, qui militia ſoluti fuerunt ab eo. *Eodem tempore*, inquit, *Cæſar ad Liberium Maximum Procuratorem ſcripſit, ut omnem terram Judæorum venderet: nec enim civitatem in ea condidit, proprium ſervans ſibi eorum agrum: ὀκτακοσίους δὲ μόνους ἀπὸ τῆς ςρατιᾶς ἀφειμένους χωρίον ἔδωκεν εἰς κατοίκησιν, ἣ καλεῖται μὲν Ἀμμαοὺς· ἀπέχει δὲ τῶν Ἱεροσολύμων ςαδίους ἑξήκοντα.* Sic in Græco habetur, & quidem in utraque Joſephi editione Græca, tum veteri Baſileenſi 1549, tum recentiore Græcolatina Genev. 1611. In verſione autem Latina Ruffini triginta tantum ſtadia numerantur, vitio proculdubio interpretis, aut codicis quo uſus eſt. Mirum autem doctiſſimum Bezam Annot. in hunc Lucæ locum, iſtum interpretis lapſum non animadverſiſſe, & Græcum Joſephi textum non conſuluiſſe, ita ut cenſeat vel Lucam ex Joſepho vel Joſephum ex Luca eſſe emendandum, cum neuter, ſed ſolus Joſephi interpres Latinus emendatione opus hic habeat.

45. *Διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν, τοῦ συνιέναι τὰς γραφάς*] Eadem phraſis habetur Act. 16. 14. de Lydia purpuraria, *ἧς ὁ Κύριος διήνοιξε τὴν καρδίαν*, &c. Hoc ipſum ab Eſaia exprimitur hac formula, *aperire aurem*, c. 50. 5. *Dominus* פתח לי *aperuit mihi aurem:* & c. 48. 8. *etiam ex tunc* לא פתוחה אזן *non aperta eſt auris tua*, cordis nempe & mentis, non corporis. Eam phraſim uſurpant Judæi in Seder Tephilloth Luſitanorum, p. 192. הוא שפתח לבנו בתורתו *Ipſe eſt qui aperit cor noſtrum in lege ſua*, h. e. qui facit ut legem ipſius intelligamus. Sic & Machazor fol. 75. יפתח לבנו בתורתו *Ipſe aperiat cor noſtrum in lege ſua.* Sic & fol. 90. a. פתח לבי בתורתך *Aperi cor meum in lege tua.* Et pag. 205. Aliud eſt *διανοίγειν* ſimpliciter, vel *διανοίγειν τὰς γραφάς*· nam hoc eſt פתר *exponere, explicare:* ut hoc ipſo cap. v. 32. *ὡς διήνοιγεν ἡμῖν τὰς γραφάς, cum explicaret nobis Scripturas:* Et Act. 17. 3. de Paulo docente in ſynagoga Theſſalonicæ dicitur, *διανοίγων καὶ παρατιθέμενος ὅτι τὸν Χριςὸν ἔδει παθεῖν*, h. e. *exponens & explicans proponens ipſis Scriptura loca in quibus Chriſtus paſſurus prædicitur.* Poſtremum illud *διανοίγειν*, quod *exponere* ſignificat, præcedit prius illud, quod de corde & mente uſurpatur. Deus enim Verbi ſui miniſterio & ejus explicatione utitur ad convertendum efficaciter homines, intus Spiritus ſui vi & efficacia perſuadendo id quod externa prædicatione & explicatione extrinſecus fuit propoſitum. Duæ nempe ſunt in nobis velut januæ clauſæ, quas aperiri neceſſe eſt, ut doctrina cœleſtis animam noſtram occupet & pervadat; una eſt ſimplicis *Ignorantiæ*, altera eſt tum Tarditatis in animo & intellectu, tum *Duritiei* & *Malitiæ* in voluntate praviſque affectibus: Utramque à Deo reſerari oportet: alterum fit Verbi præconio & hominum miniſterio qui Scripturas *διανοίγειν exponunt*, alterum vero Spiritus intus operantis vi atque efficacia.

GROTIUS.

1. *Τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων ὄρθρου βαθέος, Una autem Sabbati valde diluculo*] De circumſtantiis hujus hiſtoriæ vide quæ ad Matthæum: *ὄρθρου βαθέος* [*valde diluculo*] בשחרית [*primo diluculo*], quali tempore Darius olim ad Danielem venit foveæ inclusum Dan. VI. 19. ¶ *Καί τινες σὺν αὐταῖς, & quædam cum eis*] Hieroſolymitanæ aliquot quæ ſe mulieribus Galilæis adjunxerant. Neque enim delere has voces licet, quas & libri plurimi & Syrus & Arabs agnoſcunt: qui & *τινὲς* [*quædam*] illud fœminino genere rectè interpretantur.

3. *Εἰσελθοῦσαι, ingreſſæ*] Intra ſeptum.

5. *Καὶ κλινουσῶν τὸ πρόσωπον εἰς τὴν γῆν, & declinarent vultum in terram*] Vide ad Matthæum hoc loco & XVII. 6. Sic Danielis X. 9. *τὸ πρόσωπόν μου ἐπὶ τὴν γῆν* [*vultus meus in terram*].

9. *Ἀπήγγειλαν πάντα, nuntiaverunt omnia*] Primum confuſius, diſtinctius poſtea. ¶ *Τοῖς λοιποῖς, cæteris*] Qui Jeſum ſectati fuerant, Marco interprete.

11. *Ἠπίσουν αὐταῖς, non crediderunt illis*] Vide ad Marcum.

12. *Ὁ δὲ Πέτρος, Petrus autem*] Non ſolus: nam infra dicitur *τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν* [*quidam eorum qui erant nobiſcum*], ſed comite Johanne. Petrum tamen potius nominat, quia is in ſpecum penetravit. ¶ *Παρακύψας, procumbens*] Eandem vocem de Magdalena, deinde & de ſe Johannes uſurpat in hac hiſtoria. LXX ita vertere ſolent Hebræum פשף quod magiſtri exponunt *ſpectare de loco ſuperiore.* Sed latius Græcis patet *παρακύπτειν* [*proſpicere*], ut & noſtris: quemadmodum videre eſt Jacobi I. 25. 1 Petr. I. 12. Proxime ad geſtum eum de quo hic agitur pertinet illa curioſi hominis deſcriptio apud Sirachiden XXI. 16. *ἄφρων ἀπὸ θύρας παρακύψει εἰς οἰκίαν· ἀνὴρ δὲ πεπαιδευμένος ἔξω ςήσεται* [*ſtultus à feneſtra reſpiciet in domum: vir autem eruditus foris ſtabit*]. Vim vocabuli rectè expreſſerunt Syrus & Arabs, ille *introſpiciendi*, hic *explorandi* verbo. Vide ad Matthæum. ¶ *Μόνα· ſola*] Sine corpore. ¶ *Πρὸς ἑαυτὸν θαυμάζων, ſecum mirans*] Conjungenda hæc ſunt, ut fecit Syrus. Sic *διαλογίζεντο πρὸς ἑαυτοὺς* [*cogitaverunt intra ſe*] dixit Lucas ſupra XX. 14.

13. *Δύο ἐξ αὐτῶν, duo ex illis*] Nempe eorum quos modo *λοιπῶν* [*cæterorum*] nomine deſignarat, è ſectatoribus Chriſti. Probabiliter ſentiunt veteres fuiſſe hos de numero LXX. cum enim infra dicunt *τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον* [*tertia dies eſt hodie*] videntur reſpicere id quod Ieſus plebi obſcurius, ipſis autem & apertius & ſæpius dixerat, *tertia ſe die in vitam rediturum.* Nomen alterius infra exprimit Lucas, Cleopam vocans. Alterum ipſum Lucam multi putarunt, quos latis ipſe refellit in Euangelii anteloquio ab oculatis teſtibus ſe diſparans. Nathanaelem Epiphanius putavit, quem alii putant unum eſſe Apoſtolici cœtus qui *πατρωνυμικῶς* [*per denominationem à patre*] Bartholomæus vocatur. In his rebus fama antiquiſſima maximæ debet eſſe fidei: ea autem eſt nomen huic alteri fuiſſe Simoni, aut quod eodem recidit, Simeoni. Nam hoc Hebræum eſt nomen: illud Græcum ex Hebræo expreſſum. Auctor eſt Origenes qui in libro adverſus Celſum, *Γέγραπται δὲ ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν, ὅτι μετὰ τὴν ἀνάςασιν λαβὼν τὸν ἄρτον ὁ Ἰησοῦς εὐλόγησε καὶ κλάσας ἐπεδίδου τῷ Σίμωνι καὶ τῇ Κλεόπᾳ* [*Scriptum eſt in Euangelio ſecundum Lucam, quod poſt reſurrectionem panem acceperit Jeſus, benedixerit, fregerit & dederit Simoni & Cleopæ*]. Alibi in iiſdem libris, ſed in Latinum verſis, Simeon dictus legitur. Quicum conciliari facile poſſet Ambroſius, ſi libeat Simeonem referre, ubi nunc Amaonem (quod inauditum nomen eſt) legimus. Sed cogitandum, quando Origenes non famam ſed ipſum Lucam dicti ſui auctorem laudat, an non eum deceperit id quod infra eſt commate 34. Fieri enim poteſt, ut inibi pro *λέγοντας* [*dicentes* in accuſativo] codices quidam habuerint *λέγοντες* [*dicentes* in nominativo], quomodo an non legerint Latinus & alibi interpretes dubitari poteſt. Itaque illud *ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως καὶ ὤφθη Σίμωνι* [*quod ſurrexit Dominus vere & apparuit Simoni*] videri poteſt ita acceptum ab Origene, quali referatur quid hi duo Apoſtolis narraverint, non quid audiverint ab Apoſtolis: cum tamen rectè rem inſpicienti merito magis ſit placitura recepta lectio *λέγοντας* [*dicentes* in accuſativo]: ita ut per Simonem intelligamus Petrum, cui ſeorſum apparuiſſe Chriſtum etiam Paulus teſtatur. ¶ *Πορευόμενοι ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ εἰς κώμην, ibant ipſa die in caſtellum*] Veroſimile eſt Emmaunte eos habitaſſe, atque eo regreſſos poſtquam & Paraſceuen & Sabbatum & diem à Sabbato pri-

primum Paſchalibus ſacris & precibus impenderant. ¶ Κώμην, *caſtellum*] Χωρίον [*oppidulum*] Joſephus vocat. Plinius toparchiam. Neque enim dubito quin idem ſit nomen quod Plinio & Lucæ ſcribitur Emmaus, Joſepho Ammaus. ¶ Ἑξήκοντα, *ſexaginta*] Totidem ſtadia numerat editio Joſephi Baſileenſis Anni CIↃ IↃ XLV. Quare quod aliæ editiones habent τριάκοντα [*triginta*] vitioſum eſſe non dubito. Non eſt autem tantum hoc intervallum, ut non ante medinoctium inde redire Hieroſolyma potuerint atque ibi congregatos Apoſtolos deprehendere: poteſt enim id ſpatium duabus & quod excurrit horis confici.

14. Περὶ πάντων τῶν συμβεβηκότων τούτων. *de omnibus quæ acciderant*] De vita & morte Chriſti, & de iis quæ mulieres Petruſque & Johannes renuntiaverant.

15. Συζητεῖν, *ſecum quærerent*] *Varias conjecturas in omnem partem volvebant*, id enim hic eſt συζητεῖν, ut & Marci I. 27. ¶ Ἐγγίσας, *appropinquans*] Quaſi à tergo eos aſſecutus, ut in via fieri ſolet: unde & eos ita affatur quaſi partem ſermonum audiiſſet.

16. Ἐκρατοῦντο, *tenebantur*] *Impediebantur vi Divina ne propius conſiderarent ea ex quibus cognoſci Jeſus poterat*, exteroqui habitu externo ſeſe diſſimulans, ut ad Marcum diximus.

17. Οἱ λόγοι οὗτοι οὓς ἀντιβάλλετε, *ſermones hi quos confertis ad invicem*] *Verba quæ inter vos commutatis*: Latiniſmus eſt, ni fallor. ¶ Καὶ ἐστὲ σκυθρωποί; *& eſtis triſtes?*] Id eſt, ὄντες σκυθρωποί [*triſtitia affecti*]. Ita enim loqui ſolent Hebræi.

18. Ὁ εἷς ᾧ ὄνομα Κλεόπας, *unus cui nomen Cleopas*] Senior amborum, ut credibile eſt, cui alter loquendi partes ceſſit. Fieri poteſt, ut idem hic ſit qui Johanni Κλωπᾶς [*Clopas*] dicitur contractiori pronuntiatione, cujus filia fuerit Maria mater Jacobi & Joſetis. Nam Syrus utrobique habet ܩܠܘܦܐ [*Cleopha*] & Latinus ſcribit Cleophas quod ad Syriacam pronuntiationem accedit. Hieronymus, *Notandum autem quod* P *litteram Hebræus ſermo non habeat, ſed pro ipſa utatur* ב *cujus vim Græcum* Φ *ſonat.* Eſt autem Κλεόπας aut potius Κλωπᾶς [*Cleopas*] nomen idem quod Κλεόπατρος [*Cleopater*] per ἀποκοπὴν [*apocopen*], de qua diximus ad hujus libri initium. Cleopatri nomen Macedonicum in Syria & Judæa frequentari cœpit poſtquam Macedones Aſiam tenuere. Sic & multas mulieres Cleopatras vocat hiſtoria, eadem nominis origine. ¶ Σὺ μόνος παροικεῖς ἐν Ἰερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα; *Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem, & non cognovisti quæ facta ſunt?*] Ev [*in*] deeſt in pluribus codicibus: παροικος [*peregrinus*] in his libris plerumque ſignificat eum *qui extra patriam habitat*, unde modo ei adjuncta eſt vox ξένου [*hoſpitis*], modo παρεπιδήμου [*alienigenæ*]. Sic & παροικίαν [*advenatum*] dixit Lucas Actor. XIII. 17. & 1 Petr. I. 17. Scriptor ad Hebræos etiam παροικεῖν [*advenam eſſe*]. Atque ita hoc loco vocem hanc ſunt interpretati Syrus, Arabs & Latinus. Quod ſi recipimus, non dubitandum eſt eſſe Latiniſmum quales ſunt complures apud Lucam. Nam Romani *peregrinari eum & in urbe ſua hoſpitem eſſe* dicunt *qui quid agatur ignorat.* Et hoc loquendi genus ſecutus M. Antoninus Imperator libro III, Ξένος κόσμῳ ὁ μὴ γνωρίζων τὰ ἐν κόσμῳ ὄντα [*Hoſpes eſt mundi, qui ea, quæ in mundo ſunt, neſcit*]. Senſus ergo ſit, *Tune ſolus omnium hic ut peregrinus vivis, ut ea quæ nota ſunt omnibus ignores?* Hanc interpretationem ut prætracte improbare nolim, ita alteram præfero quæ παροικεῖν Ἰερουσαλὴμ exponit *habitare in agro Hieroſolymitano.* Nam & Romani juris auctores vocem Græcam παροίκου ad eos extendi dicunt *qui in oppidi finibus agrum habent*: & Scriptores Chriſtiani veteres, etiam Synodi, παροικίαν vocant *agrum qui intra fines eſt majorum urbium*, unde ita appellatum eſt quicquid unius Epiſcopi curæ ſuberat, quod nunc vocant διοίκησιν [*diœceſin*], cum olim ea vox multo latius pateret. Neque vero ſoli Chriſtiani hoc ſenſu uſurparunt τὸ παροικεῖν [*in confinio habitare*]. Sed & alii, ut Herodes Orator cum dicit *Athenas plurima adferre commoda οὐ μόνον τοῖς ἐνοικοῦσιν ἀλλὰ καὶ τοῖς παροίκοις* [*non ſolum incolis, ſed iis etiam qui prope eam habitant*]: cui affine eſt quod apud Thucydidem παροικεῖν [*adhabitare*] dicuntur *qui in proximo habitant*, ut & Scholiaſtes exponit; ſed & apud Joſephum πάροικοι vocantur *Judæi qui circa Delum habitabant*, in edicto Cæſaris Dictatoris quod legitur XIV Originum, XVII. Optime autem huic loco convenit hæc ſignificatio, nam Chriſtus ita ſe gerebat, quaſi & ipſe in agro habitaret paulo ulterius Emmaunte, ac proinde domum, ut ipſi, contenderet. Mirantur ergo quod tam prope ab urbe habitans ea ignoraret quorum rumorem pro rei magnitudine par erat longe lateque eſſe ſparſum. Atque ita erit Hebraiſmus in his verbis ſatis frequens, quem Græce ita explices, Σὺ μόνος τῶν παροικούντων οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα; [*Tu cum prope habitas, ſolus, quod factum ſit, neſcis?*] niſi quis malit κατηχρηστῶς [*per abuſionem*] ſumere παροικεῖν pro *commorari etiam extra domicilium*, ſicut Judæi Hieroſolymis morabantur ἐν ταῖς ἑορταῖς [*feſtis diebus*]: ut dicat Cleopas, *mirari ſe aliquem invenire poſſe eorum qui nunc Hieroſolymis verſentur quem iſta lateant.*

19. Ποῖα; *Quæ?*] Id eſt, τίνα [*quænam*], ut Matthæi XIX, 18. XXII. 36. & alibi. *Quæ*, inquit, *illa ſunt quæ putatis mihi ignota eſſe non poſſe?* ¶ Δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ, *potens in opere & ſermone*] *Non quivis Propheta, ſed inter ipſos Prophetas eminens docendi modo & factu.* De Moſe dixit Stephanus, ἦν δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἔργοις [*potens erat in verbis & operibus*], Actor. VII. 22. ¶ Ἐναντίον τοῦ Θεοῦ καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ. *coram Deo & omni populo*] Simile quid habuimus ſupra II. 52. ἐναντίον [*apud*] hic, ut ἔναντι [*ante*] I. 8. ἐνώπιον [*coram*] I. 15. & alibi, eſt לפני [*coram*]. Quia vero hic præceſſit δυνατὸς [*potens*], puto ἐναντίον [*coram*] non id proprie ſignificare quod putat Theophylactus & quod poſt Solomonem Paulus nos vult facere, προνοεῖν καλὰ οὐ μόνον ἐνώπιον Κυρίου ἀλλὰ καὶ ἐνώπιον ἀνθρώπων [*providere bona non ſolum coram Domino ſed etiam coram hominibus*] II Corinth. VIII. 21. ſed potius *teſtimonium ei datum à Deo per opera* (quomodo & Petrus Ieſum vocat ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον δυνάμεσι καὶ τέρασι [*virum approbatum à Deo in virtutibus & prodigiis*)], & ab hominibus per fidem habitam ejus ſermoni. Loquendi genus inde natum quod de iis rebus teſtimonium perhibemus quæ nobis in conſpectu ſunt. Affine eſt illud in Geneſi de Nembrodo, גבור צייד לפני־יהוה [*robuſtus venator coram Domino*], ut intelligamus eum potentiſſimum fuiſſe bellatorem (nam & Plato & Ariſtoteles bellum venationi comparant) Deo arma ipſius mirum in modum fortunante, haud dubie ad puniendam eorum populorum inſolentiam qui juſtam libertatem ferre non poterant. Quanquam fateor non improbabilem mihi videri ad eum locum Joſephi interpretationem qui לפני־יהוה ibi exponit πρὸς ὕβριν καὶ καταφρόνησιν τοῦ Θεοῦ [*in contumeliam & deſpectum Dei*]. quia ſcilicet fuerit Nembrodus ingenio violento, & ut Achilles apud Horatium,

Jura negans ſibi nata. - - -

Quod genus hominum ut ſupra habuimus, Θεὸν οὐ φοβοῦνται καὶ ἄνθρωπον οὐκ ἐντρέπονται [*Deum non timent & hominem non reverentur*]. Solet autem illud לפני [*coram*] pro materiæ diverſitate modo in bonam, modo in malam partem accipi, ut videre eſt eodem libro Geneſeos VI. 11. ubi corruptum dicitur humanum genus לפני האלהים [*coram Deo*], id eſt, *ad contemnendum atque iram Numinis.* Quæ obiter afferre viſum ad Moſis verba ab Hebræis Magiſtris varie tractata.

20. Ὅπως τε παρέδωκαν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ἄρχοντες ἡμῶν εἰς κρίμα θανάτου, *Quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes & Principes noſtri in damnationem mortis*] De Senatoribus Synedrii agit qui injuſtam ſententiam à Pilato expreſſerunt. Vide Matth. XX. 19. XXVII. 2. ¶ Ἐσταύρωσαν αὐτόν. *crucifixerunt eum*] Id eſt, *Effecerunt ut crucifigeretur*: nam Helleniſtæ quæ Hebræi efferunt in Hiphil ſolent tum in modum enuntiare.

21. Ἠλπίζομεν, *ſperabamus*] Vox indicans magnum fidei deliquium. Nam quid erat cur non etiamnum ſperarent, niſi quod Dei potentia non ſatis ipſis ob animum verſabatur? ¶ Ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ, *quia ipſe eſſet redemturus Iſrael*] Λυτροῦν hic eſt *liberare*, quomodo & λύτρωσιν [*redemtionem*] ſumi diximus ſupra I. 68. & ſæpe apud Lxx. Nam rationem liberationis in hoc ſitam, ut ſe daret in pretium mundi, non intellectam ab illis hoc tempore, certiſſimum eſt: imo potius regnum terrenum cum animorum emendatione conjunctum exſpectabant. Eſt itaque in his verbis deſcriptio Meſſiæ ex recepta eorum temporum ſententia. ita ſupra II. 25. προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ [*exſpectans conſolationem Iſrael*]. ¶ Σὺν πᾶσι τούτοις, *ſuper hæc omnia*] Σὺν [*Cum*] pro ἐπὶ [*ſuper*] poſitum ut עם [*cum*] Hebræis pro על [*ſuper*]. ¶ Τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον, *tertia dies eſt hodie*] Activum impersonaliter ſumtum pro paſſivo, ut ſæpe. Senſus enim eſt, *agitur jam dies tertia*; ut apud Terentium, *Menſis jam hic agitur ſeptimus.* Nec aliter aut legit aut interpretatus eſt tum Syrus tum Arabs. Eorum vero interpretationem probare non poſſum qui ἄγει [*agit*] ad Ieſum referunt, nam adhuc loquuntur hi duo, quaſi qui de ejus reſurrectione nihil ſperarent; tantum in ſequentibus verbis aliquid adferunt conjecturæ, ſed cui ſe parum confidere

fidere ostendunt, quo nomine graviter reprehenduntur. merito illis dici poterat quod à Spurinna Cæsari, *Venit dies, non abiit.*

22. Τινὲς ἐξ ἡμῶν, *quædam ex nostris*] *Nostri gregis ac cœtus*, quomodo Syrus & Arabs acceperunt. Sic infra τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν [*quidam qui erant nobiscum*].

Ἐξέστησαν, *terruerunt*]. Ἐκστῆναι apud Aristotelem in Rhetoricis Cicero vertit *ad admirationem traducere*: sed videtur hic de tali agi admiratione quæ homines judicii ambiguos reddat: quomodo ἐξίστασθαι καὶ διαπορεῖν [*stupere & admirari*] conjunxit Lucas Actor. II. 12.

23. Ὀπτασίαν Ἀγγέλων, *visionem Angelorum*] De ipso Jesu conspecto nihil: causas silentii ad Matthæum disquisivimus. De voce ὀπτασίας [*visionis*] vide supra I. 22.

24. Τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν, *quidam ex nostris*] *Petrus*, quem modo nominavit, & *Johannes*, cujus nomen subticuit.

25. Ὦ ἀνόητοι, *O stulti!*] Ita & Paulus Galatas compellat. Non ergo Matth. V. 22. voces tales prohibentur, sed vetatur iracundia vocem talem imprudenter ejaculans. Adeo verum est animo facta discerni. Est ubi audientium utilitas aceti aliquid expolcit.

Crudelem medicum intemperans æger facit.

Βραδεῖς τῇ καρδίᾳ, *tardi corde*] Sic & apud Marcum XVI. 14. τῇ ἀπιστίᾳ [*incredulitati*] conjungitur ἡ σκληροκαρδία [*durities cordis*].

Ἐπὶ πᾶσιν, *in omnibus*] *Non iis tantum quæ gloriam, sed & quæ perpessiones Messiæ spectant.* Non debet nostri esse arbitrii excerpere ex Sacris Literis quod maxime placeat.

Οἷς ἐλάλησαν οἱ Προφῆται, *quæ locuti sunt Prophetæ*] *Side ipsius fide dubitastis, certe de Prophetarum fide non erat quod dubitaretis. Neque tam supinos vos esse oportuit, ut non attente consideraretis eorum vaticinia.* Tertullianus adversus Marcionem disputans aliter hunc locum citat, *O insensati & tardi corde in non credendo omnibus quæ loquutus est ad vos!* (Jesus scilicet): sed sciendum ita citari ab ipso hunc locum κατὰ συγχώρησιν [*per concessionem*], non ex recepto sed ex Marcionis Euangelio, quod & libri conclusio ostendit, *Miscreor*, inquit, *tui Marcio, frustra laborasti: Christus enim Jesus in Euangelio tuo meum est.* Marcionis autem editionem, ita ut diximus, hoc loco habuisse ex Epiphanio colligitur: quod eo dico ne quis ob has aut similes Tertulliani citationes (plures enim occurrunt) receptæ lectioni status controversiam moveat.

26. Οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ; *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*] Ex Patris decreto sæpe revelato, in omni ex parte Christus Dux noster fieret, quos & ipsos oportet διὰ πολλῶν θλίψεων εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*per multas tribulationes ingredi in Regnum Dei*], ut loquitur Paulus Actor. XIV. 22. Quare quod illos impediebat quo minus Jesum crederent esse promissum illum Messiam, hoc ipsum illos maxime ad id credendum excitare debuit.

Ἀρξάμενος ἀπὸ Μωσέως καὶ ἀπὸ πάντων τῶν Προφητῶν, *incipiens à Mose & omnibus Prophetis*] In quibus quædam sunt expressi vaticinia, ut apud Esaiam ac Danielem; quædam ἐν τύποις καὶ συμβόλοις [*in figuris & signis*], ut Serpens à Mose erectus, Sacrificium piaculare quod pro populo peragebatur, Res Davidis: quarum explicationem Christus Apostolis, Apostoli nobis tradiderunt. Credibile est aliorum quoque Oraculorum similem explicationem mysticam à Christo aut ejus Spiritu traditam & per manus quasi conservatam in Ecclesia: neque enim omnia scribi potuerunt; quale illud est de oblatione Isaaci, in quo arcanum ingens latere veteres etiam Judæi crediderunt. Sed & nunc per id sacrificium Deum obtestantur, ut ipsis esse velit propitius. Quin & Isaacus illis dicitur crucem suam bajulasse & ex mortuis recuperatus. Sed multa posteris temporibus ad tales significationes pertracta pio magis animo quam laudabili successu innumeræ paginæ testantur. Adeo magna atque ardua res est Φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν [*sapere ad sobrietatem*].

28. Ἤγγισαν, *appropinquaverunt*] *Læti atque alacres*: nam *Comes jucundus in via pro vehiculo est.* Et, ut mox ipsi fatentur, coperat in ipsis resuscitari prope extinctus ignis fidei.

Εἰς τὴν κώμην ὅ ἐπορεύοντο· *castello, quo ibant*] *Emmaunta* nimirum, quam supra nominavit. Nam alium locum hic confingendi, quod quidam fecerunt, nihil est causæ.

Καὶ αὐτὸς προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι. *& ipse se finxit longius ire*] Locus est hoc diligentius considerandus quod hinc argumentum petat Chrysostomus & discipulus in plerisque Chrysostomi Cassianus, ut probarent non semper illicitum esse mendacium, sicut Diphilus olim dixerat,

Τὸ λαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ
Λεγόμενον οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές.

[*Quod pro salute dicitur mendacium*
Me judice nihil potest habere incommodi.]

Et Pisander,

Οὐ νέμεσις καὶ ψεῦδος ὑπὲρ ψυχῆς ἀγορεύειν.

[*Non est grande nefas animam præponere vero.*]

Quin & Democritus, Ἀληθομυθεύειν χρεὼν ἔπι λαίῳ [*Dicendum est verum cum expedit*]. A quibus hactenus dissentit Augustinus, ut dicat quædam esse genera mendaciorum in quibus non sit magna culpa, sed tamen non sint sine culpa: ex Sophoclis sententia,

Καλὸν μὲν οὖν ἀεὶ ἔστι τὰ ψευδῆ λέγειν
Ὅταν δ' ὄλεθρον δανὸν ἡ ἀλιθὲς' ἄγει,
Συγγνωστὸν εἶναὶν ἔστι καὶ τὸ μὴ καλόν.

[*Alsena vero proloqui nunquam decet,*
At vera certam si cui pestem ferunt,
Huic danda venia est, si facit quod non decet.]

Multa viri pii atque eruditi hac de re disputant, quæ omnia huc congerere animus non est. Pauca monebo ne confundantur ea quæ distingui debent. Primum illud pro certo poni debet non mentiri tantum aut simulare, sed & dissimulare (quæ res est haud dubie per se media,) vitio gravi non carere, quoties per eam viam tenditur ad alterius damnum: quod exemplis aliquot illustrat Cicero de Officiis III. Nec id probari opus, cum satis constet actus per se medios malos esse, quoties malo fini adhibentur. Sepositâ igitur omni finis pravitate, restat videre ecquid in illo ipso quod simulare dicitur, sit vitii: in quo duo spectanda, quorum alterum materiæ, alterum formæ habet rationem. Materiam voco actum exteriorem: formam intentionem agentis. Actus exterior aut in factis aut in verbis consistit: de factis primum agamus. Dico igitur facta naturaliter nullam habere significationem, nisi eam quam quisque velit: nam ex instituto significationem non habent nisi ea facta quæ lege Divina aut humana, sub quæ etiam pacta comprehendo, ad certam significationem restringuntur, ac proinde alio significatu usurpari licite non possunt. Cætera omnia libera sunt à certæ significationis vinculo, etiamsi plerumque soleant ad hanc aut ad illam rem significandam usurpari. Exempli causa: Fuga solet quidem plerumque ut pavoris indicium accipi; attamen etiam non paventi fugere licet. Circumcisio solet accipi ut nota se obligandi Judaicis ritibus; aliter tamen eam usurpavit & recte Paulus, cum Timotheum voluit circumcidi. Ita progredi passus aliquot (quod hic fecit Christus) corpusque in gressum componere, quamquam itineris ulterioris propositum significare soleat, licite tamen usurpatur etiam extra tale propositum, quia actus talis est ad quem unusquisque naturaliter jus habet, neque ulla lege ad illam significationem est adstrictus. Dicat hic aliquis, si non ex parte materiæ, certe ex parte formæ, id est intentionis, esse vitium. hoc enim agi, ut qui id videt decipiatur opinando. Id vero negandum arbitror. Nam quod hic intenditur à Christo est major utilitas spectantium, neque talis opinatio ex tali actu spectato inevitabiliter sequebatur: poterant enim opinari & aliud quippiam. Ponamus sane scisse eum aliter illos quam res habebat opinaturos, nec impedisse: nihil in eo vitii est, si quis sciat nec impediat quod impedire non tenebatur. Hic autem Christus non tenebatur hoc impedire, quia id impediri illorum non intererat, imo potius intererat non impediri. Vir bonus, ut inquit Clemens Alexandrinus, Ἐπὶ τῇ τῶν πλησίον ὠφελείᾳ μόνῃ ποιήσει τινὰ ἃ ἂν προηγμένως αὐτῷ πραχθείη [*Solum quo proximo profit, facet id quod ultro nunquam faceret*]. Et hæc quidem dixerim de simulatione quæ in factis sita est, quam Græci οἰκονομίαν [*œconomiam*] vocare interdum solent, quæ nullo modo extendi debet ad eos gestus qui non possunt non avocare homines à vera pietate, Οὐ μόνον τὸ ἐγκαθεῖναι τοῖς ἀγάλμασιν (inquit Origenes) ἠλίθιόν ἐστιν, ἀλλὰ γὰρ καὶ τὸ συμπεριφερόμενον τοῖς πολλοῖς προσκυνεῖσθαι τοῖς ἀγάλ-

ἀγάλματων ἴυχεσθαι, ἐτῶν τοιῶν οἱ τὰ ἀπὸ τῦ Περιπάτου Φιλοσοφῶντες, καὶ οἱ τὰ Ἐπικούρε ἢ Δημοκρίτου ἀσπαζόμενοι· εἶδεν γὰρ νῦν δεῖ ἐνυπάρχειν τῇ ψυχῇ τὸ ἀληθῶς εἰς τὸ Θεῖον ἐυσεβῶς [*Non hoc tantum ſtultum eſt idola adorare, verum id quoque, quod Peripatetici & item Epicuri aut Democriti aſſecla facium, conformare ſe in eo errori vulgi ut te ſimules idola adorare, neque enim decet ut in ejus animo qui vere in Deum pius futurus ſit, quicquam ſit ſtulti*]. In verbis major quam in factis eſt difficultas: quia verba etſi non lege, uſu tamen & conſuetudine ſolent habere ſignificationem certam, quo vinculo magna ex parte continetur hominum inter ſe conſuetudo ac ſocietas. Sed multum refert quibus negotiis verba adhibeantur. Nam quædam negotia talia ſunt, ut ſuapte natura aut lege requirant veri ad id negotium pertinentis patefactionem. Exempli cauſa, interrogatus aliquis de vero ſalutari, tenetur ejus profeſſionem edere etiam cum periculo, tum quia Dei honos & proximi ſalus æterna dignior eſt vita noſtra temporali, tum quia Chriſtus id diſerte præcipit: qui autem verum patefacere tenetur, ſine dubio ſimul tenetur uti verbis eo ſignificatu quo ea ſcit aut ſperat ab audientibus intelligi. nam alioqui verum non patefaciet. In hanc præcipue partem impegerunt Priſcillianiſtæ & alii quidam ab Eccleſia olim damnati: quod dico nequis in eorum conſortium trahat Chryſoſtomum aut Caſſianum. Bene hoc notat Clemens Alexandrinus, qui cum συμπεριφορὰν [*ſimulatam imitationem*] quandam bono aliorum intervientem conceſſiſſet, ita hoc faciendum ait, ut abſit omnis διὰ τὸν ἐντρεπόμενον τοῖς δικαίοις παρὰ τῶν ζηλούντων κίνδυνον ὑπόκρισις [*ſimulatio propter periculum quod juſtis ab invidentibus impendet*]. Sic etiam ubi contractus aliquis peragitur, pars utraque tenetur veritatem aperire rerum ad ejus contractus naturam pertinentium, qua de re vide dicto Officiorum libro. Idemque dicendum de teſtimonii dictione, quoties ad eam aliquis ex æquo & bono obligatur. His ergo caſibus ita loquendum eſt, quomodo verba intelligi putantur. Quæ neceſſitas non ex verborum uſu per ſe ſpectato venit, ſed ex negotii quod agitur qualitate. In reliquo ſermone non eadem eſt neceſſitas. nam primum non ita ſemper uſurpanda verba, quomodo aut ex origine ſua aut ex uſu receptiore ſignificant, probare ſupervacuum eſt; cum ſi id quis affirmet tollat de rerum natura tranſlationes, abuſiones vocabulorum, εἰρωνείας, ὑπερβολὰς, μειώσεις, αὐξήσεις [*irriſiones, ſuperjectiones, extenuationes, amplificationes*] aliasque id genus ſermonis mutationes ac figuras, quibus & humanus & Divinus ſermo abundat. At ne illud quidem pro perpetuo ſtatui hic poteſt quod in ſuperiori illo negotiorum genere diximus, verba ita uſurpanda quomodo ſciuntur aut putantur intelligenda. Nam & Chriſtus ipſe quædam videtur dixiſſe Apoſtolis quæ cum veritatem haberent figuratam, ab illis tamen ſecundum verborum proprietatem intelligebantur, ut de ſermone in duodecim ſedibus aliaque ejuſmodi: in quo tamen ſermonum genere nihil eſt vitii. Nam ſi actum externum ſpectes non erant verba adſtricta ad illam propriam ſignificationem: ſi actum internum, non ea erat intentio ut deciperentur Apoſtoli; cum in illo ſenſu vero, ſed Apoſtolis ad id tempus occulto, plus eſſet quam in eo quod ipſi opinabantur. Ubi vero ſermo eam quæ veritati congruat ſignificationem ex ſani judicii æſtimatione non recipit, etiamſi recta ſit intentio, vitio eum non carere pars Chriſtianorum veterum longe maxima conſentit: nimirum quia ſi talis ſermo admittatur, magna ex parte tollitur vinculum illud quod homines hominibus ſociat. Neque enim fruſtra Dei dono ſingulari ſolis hominibus tributum eſt inter ſe colloqui. Et ad intentionem quod attinet, ea non poteſt rectum efficere actum qui velut agnatam ſibi habeat curvitatem. Veruntamen etiam hic quædam occurrit exceptio. Nam ſi qui inſaniæ malo ægrotent; ut atra bile perciti (qui fere à morbo imaginoſo niſi per remedia imaginoſa curari vix poſſunt) aut ejus ſint infantiæ, quæ rationis uſum non habeat, apud hos qui loquitur is poſitus videri poteſt extra illam neceſſitatem verba ſignificatis rebus aptandi: quia ſcilicet ſermonis commercium non habemus niſi cum iis qui ſermonis ſignificationem intelligere ſunt idonei. Atque ideo illos rationis uſu deſtitutos quod attinet, verba videntur eodem loco habenda quo facta, quæ ad certam aliquam ſignificationem adſtricta eſſe negavimus. Et hoc ſenſu facile receperim quod dicit Plato, non improbandum τὸ ψεῦδος χρήσιμον ὡς ἐν Φαρμάκου εἴδει [*utile mendacium, ſi tanquam pharmaci vice utare*]. Quem ſecutus Clemens virum bonum ſemper ait ἀληθεύειν, εἰ μή ποτε ἐν θεραπείας μέρει, καθάπερ ἰατρὸς πρὸς νοσοῦντας ἐπὶ σωτηρίᾳ ψεύσεται ἢ ψεῦδος ἐρεῖ [*verum dicere, niſi ſi quando tanquam medela adhibendum eſt falſum, perinde ut medicus ægroto nonnunquam quæ eum ſervet mentiatur vel dicat mendacium*]. ubi per ἐπανόρθωσιν [*correctionem*] revocat quod dixerat eum mentiri, & ait potius ab eo mendacium dici, quia ſcilicet vox mentiendi animum fallere ſtudentem ſignificet. Cæterum quod Plato Medicis hac in re æquat civitatum Rectores, in ea re nimiam licentiæ feneſtram aperit: neque par ratio eſt. Nam dignitatis differentia non tollit eam æqualitatem quam inter omnes homines natura conſtituit, cujus pars maxima in mutuo & æquali ſermonis uſu conſiſtit, atque adeo, ut in Apologetico dixit Tertullianus, *Nulla lex*, civilis ſcilicet, *ſibi ſolis conſcientiam juſtitiæ ſuæ debet, ſed eis à quibus obſequium exſpectat.* Illud quoque Chriſtiani meminiſſe debent, cum omnem jurisjurandi uſum ex communi ſermone Chriſtus ſuſtulerit, ejuſque in locum ſubſtituerit nudam affirmationem ac negationem, non minus Chriſtianos abhorrere debere ab omni perfidia atque etiam vanitate, quam cæteri homines, qui modo aliquid habent probitatis, abhorrent à perjurio. Sed ut ex diverticulo ad locum qui eſt in manibus redeam, quanquam allata modo explicatio nihil mihi habere videtur incommodi, tamen & illud inſuper cogitandum relinquo lectoribus, an, cum προσποιεῖσθαι Græcis ſit *pro ſe ferre*, etiam ubi nulla eſt ſpecies ſimulationis, dici non poſſit Jeſum ſicut greſſum ad id iter componebat, ita vere etiam ſecum conſtituiſſe ultra progredi, niſi inſtanter manere rogaretur. Quomodo & Centurioni vere dicebat ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτόν [*ego veniam & ſanabo eum*], Matth. VIII. 7. nempe, ſi Centurio vellet; & apud Marcum de Chriſto dicitur ἤθελε παρελθεῖν αὐτούς [*volebat præterire eos*] VI. 48. nempe, niſi rogatus inſtanter fuiſſet ut navem aſcenderet. Neque enim tali propoſito conditionata obſtat ſcientia futuri eventus, cum illa etiam Dei comminatio, *Ninive intra diem quadrageſimum peribis*, niſi pœnitentiam egerit ſcilicet, veritatem ſuam habuerit quantumvis hanc pœnitentiam Deo præneſcente.

29. Παρεβιάσαντο, *coegerunt*] *Conſtanter rogando:* etiam in Actis XVI. 15. παραβιάζεσθαι Lucas dixit ſignificatu eodem. Simili omnino ſenſu παραβιάζεσθαι habes Geneſ. XIX. 3. & βιάζεσθαι Geneſ. XXXIII. 11. Jud. XIX. 7. reſpondentia Hebræo יצר [*inſtare*]. Vide quæ diximus de verbo ἀναγκάζειν [*cogere*] ſupra XIV. 23.

Ὅτι πρὸς ἑσπέραν ἐστὶ, καὶ κέκλικεν ἡ ἡμέρα. *quoniam ad veſperaſcit, & inclinata eſt jam dies*] Non bis idem dixit: ſed vocem ambiguam ἑσπέρας (nam ad exemplum Hebræi ערב [*veſpertini temporis*] *de pomeridiano omni tempore* uſurpatur) explicavit addito interpretamento. Sic & ſupra IX. 12. quod Matthæi Interpres ὀψίαν [*veſperam* dixerat, interpretatus eſt ἡ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν [*dies cœperat declinare*]. Bene vertit Syrus, *Dies ad tenebras vergit.* Similis eſt illa apud Virgilium invitatio paſtoralis,

Hic tamen hac mecum poteris requieſcere nocte.

Cauſam addidit,

Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

Potuit autem hoc dictum eſſe αὐξητικῶς [*per amplificationem*] ad commendandam magis invitationem, quamvis non tam prope immineret ſolis occaſus: quo facilius mutato conſilio mox Hieroſolyma ſe recipere & Apoſtolos necdum in ſoporem datos invenire potuerunt.

30. Λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησε, καὶ κλάσας ἐδίδου αὐτοῖς. *accepit panem & benedixit, & porrigebat illis*] *Præter morem convivarum:* erat enim id munus convivatoris. Quare hoc facto ſe Dominum ac Patremfamilias profitetur: quod primum ſuſpicionem illis injecit eſſe hunc Jeſum, Præceptorem ſuum, qui inter Diſcipulos ſolebat patremfamilias ritibus defungi.

31. Διηνοίχθησαν αἱ ὀφθαλμοὶ, *aperti ſunt oculi*] Sublatis impedimentis propius eum intueri ac cognoſcere cœperunt. Ita Gen. XXI. 19. de Agare, ἀνέῳξεν ὁ Θεὸς τὰς ὀφθαλμὰς αὐτῆς, καὶ εἶδε φρέαρ ὕδατος ζῶντος [*aperuit oculos ejus Deus: & vidit puteum aqua viventis*].

Καὶ ἐπέγνωσαν αὐτόν. *& cognoverunt eum*] *Ex vultu propius conſiderato.* Non diſplicet myſtica veterum interpretatio, Chriſtum vere non cognoſci niſi ab iis qui in unitate ſunt corporis illius, quod per panis fractionem figuratur.

Ἀφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν. *evanuit ex oculis eorum*] Hoc quomodo factum ſit non nuper demum cœpit diſputari:

ſed olim de iſtis ſalva pace quærebatur. Syrus & Arabs exiſtimare videntur tactum hoc ſubita loci mutatione: at Epiphanius oculis potius obductam putat caliginem, ut ab Eliæo olim & ab Angelis in excidio Sodomorum. Diverſa ab his videtur fuiſſe ſententia Origenis qui in accurata adverſus Celſum diſputatione Chriſti corpus quadraginta illis diebus ait fuiſſe ὁρατὸν ὅτε ἐβούλετο καὶ οἷς ἐβούλετο [*viſibile quando voluit, & quibus voluit*]. Cenſet enim id ipſum ſacratiſſimum corpus fuiſſe eo tempore ἐν μεθορίῳ [*in interſtitio*] inter eam ut ipſe appellat πυκνότητα [*denſitatem*] quam habent corpora caduca, & inter naturas liberas ab hac concretione mortali. De Angelis autem quid ſentiat, explicavit initio commentarii ad Lucam; nimirum eos quoque conſpicuos aut inconſpicuos fieri ſolo voluntatis ſuæ arbitrio. Videtur Latinus Interpres in hanc ſententiam fuiſſe proniot. Ego nihil hic dicendum invenio quod melius ſit illo Baſilii dicto τὸ ὅπως μὴ περιεργάζεσθαι [*qua ratione factum ſit non nimis curioſe inquirendum*]. Ex tribus illis modis, ſicut duos priores video eſſe κατανοητοτέρους [*intellectu faciliores*], ita tertium eſſe ἀδύνατον [*impoſſibile*] affirmare non aulim. Nam dum fax iſta nos detinet, nihil ferme quod aut ad Angelorum aut etiam ad ejus corporis, quod non immerito πνευματικὸν [*ſpirituale*] Paulus vocat, qualitatem pertineat, extra ea quæ revelata ſunt, niſi tenuibus admodum conjecturis aſſequi poſſumus: quod fibulam unponere debet noſtræ curioſitati. Illud mihi liquet non ſatis apte ad definiendum hujus rei modum adferri illud ἀπ' αὐτῶν [*ab illis*] quaſi Φορὰν [*motum*] utique deſignet, cum multo ſit probabilius genus eſſe loquendi ex Hebraiſmo deſumtum. quale ſupra XVIII. 34. κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν [*abſconditum ab eis*] & XIX. 42. ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου [*abſconditum ab oculis tuis*], ubi & plura loca annotavimus eandem locutionem continentia.

32. Καιομένη, *ardens*] De lectionis hujus veritate non dubito, cum conſentiant Syrus, Latinus, Arabs. Hoc ajunt, *Niſi mens fuiſſet læva, potueramus eum antequam nobiſcum accumberet agnoſcere ex docendi modo. Nam præter argumentorum pondera & comitatem in docendo ſummam, accedebat Divina efficacia animos incendens, qualem ſentire quondam ſolebamus ipſo docente.* Calor cordis, vehementis motus indicium. Sic Pſalm. XXXIX. 3. חם־לבי בקרבי, ἐθερμάνθη ἡ καρδία μου ἐντὸς μου [*concaluit cor meum intra me*].

33. Αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, *eadem hora*] Syriſmus, id eſt, *ſtatim*.

Τοὺς ἕνδεκα, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς, *undecim, & eos qui cum illis erant*] Qui nocturnis coetibus alter alterum ſolabantur Johan. XX. 19. Undecim vocat Apoſtolos poſt ejectum Judam, ut ante δώδεκα [*duodecim*], quanquam forte unus aut alter aberant.

34. Λέγοντας, *dicentes*] Veram hanc eſſe lectionem cur nobis videatur ſupra diximus.

Ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, *ſurrexit Dominus vere*] Quaſi dicant, *Res jam non nititur ſolo Magdalenæ teſtimonio aut incertis conjecturis.* ὄντως [*realiter*] eſt ἀληθῶς [*vere*], ut Marci XI. 32.

Σίμωνι, *Simoni*] Ut primo Apoſtolorum, amantiſſimo Domini, & ob lapſum perculſo.

35. Ὡς ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. *quomodo cognoverunt eum in fractione panis*] *In menſa, non ante.* Tarditatem ſuam accuſant.

36. Ἔστη, *ſtetit*] Subito, cum clauſæ eſſent fores.

Εἰρήνη ὑμῖν. *Pax vobis*] Id eſt, *Avete*, ut Jud. VI. 23. & ſupra X. 5. Poſt hæc verba, ἐγώ εἰμι· μὴ φοβεῖσθε [*ego ſum; nolite timere*], quod nunc in Græcis codicibus deeſt, legerunt Syrus, Latinus, Arabs: Quare videndum ne elapſum ſit ſcribarum incuriæ, quando & Ambroſius agnoſcit. Conſulant antiquos codices ſi quibus copia eſt. Quod vir magnus ait videri ex Johanne hæc adjecta mitor, cum apud Johannem nihilo magis exſtent.

37. Εἶδον πνεῦμα θεωρεῖν. *exiſtimabant ſe ſpiritum videre*] Qualem ſpiritum? *malum* ſcilicet: nam id genus ſpiritus ſolebant apparere in ſpecie hominum mortuorum. quomodo Hebræorum plerique hiſtoriam de Samuele à Pythoniſſa evocato interpretantur. In Euangelio Nazaræorum, quod, ut diximus, multa ex famæ traditione ad Matthæum addita habuit, erat hoc loco pro voce ſpiritus *Dæmonum incorporale.* Eſtque id eo minus repudiandum, quod Ignatius, qui Apoſtolos ipſos hæc referentes audire potuit, Chriſti hanc perſuaſionem refellentis verba hanc in modum recitat, Καὶ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἔφη αὐτοῖς· Λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον· πνεῦμα γὰρ σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα [*Et cum ad eos qui circa Petrum erant, veniſſet, dixit eis: apprehendite, contrectate me, & videte quod Dæmonium incorporeum non ſum; ſpiritus enim carnem & oſſa non habet, quemadmodum me habere aſpicitis*]. qui locus eo minus ſuſpectus eſſe nobis debet quod ita ut nunc legitur, jam olim laudatus ſit ab Euſebio, ſicut & locus proxime præcedens ab Hieronymo. Quæ, ni fallor, ad loci hujus interpretationem non parum pertinent, atque eodem faciunt verba πτοηθέντες, ἐμφοβοι, τεταραγμένοι [*attoniti, terrefacti, conturbati*], in hac hiſtoria. Adde quæ diximus ad Matth. XIV. 26. ad verbum Φάντασμα [*phantaſma*].

38. Διαλογισμοὶ ἀναβαίνουσιν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, *cogitationes aſcendunt in corde veſtro*] Locutio in libris Prophetarum frequens, quam & Paulus ſequitur 1 Corinth. II. 9. Sic Latine *ſubire* aliquid *animum* dicitur. Cogitationes autem intelligit in partem ſequiorem proniores. Sic & Dan. II. 28.

39. Ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, *quia ſpiritus carnem & oſſa non habet*] Homerus de mortuorum animis locutus,

Οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσιν.

[*Non tegit oſſa caro, non nervis oſſa ligantur*].

Maximus Tyrius, οὐ γὰρ σάρκες αἱ δαιμόνων Φύσεις [*non enim carnea eſt Dæmonum natura*]. Tribus argumentis Chriſtus ex animo Apoſtolorum revellit falſam illam opinionem, judicio viſus accurato, judicio tactus, & cibi ſumtione. Solent quidem dæmones apparere in ſpecie etiam hominum, ſed ea ſpecies ſoliditatem non habet, &, ſi quis cum fiducia propius intueatur, facile reperiet ſpeciem à re diſcrepare. Sed terror plerumque impedit ne res accurate dijudicetur. quod ſi quis tactum adhibeat multo magis apparebit diverſitas. Species enim ex aëre (ut plurimum) conformata tactum non patitur.

Par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno.

Unde Φαντάσματος [*ſpectri*] nomen id genus imaginibus datum eſt. Apollonius apud Philoſtratum, Λαβέ με, ἔφη, κἂν μὲν διαφύγω σε, εἴδωλόν εἰμί σοι ἐκ Φιλοφάττης ἥκων, οἷα Φαίνονται αἱ χθόνιοι θεοί· εἰ δὲ ὑπομείναιμι ἀττόμενος, πεῖθε καὶ δόμεν ζῆν τί με καὶ μὴ ἀποβεβληκέναι τὸ σῶμα [*Tange me, inquit; quod ſi te effugio, venerim ſane ab inferis, ſimque ſpectrum iis ſimile, quæ interdum mittunt qui ſub terram degunt, dii. Sin contrectari ſuſtineo, perſuade & Damidi vivere me, nequidum è corpore emigraſſe*]. Tertullianus, Epiphanius atque alii contra Marcionem diſputantes probant Chriſti corpus non fuiſſe *phantaſma*, quia tangi potuerit. Objiciet aliquis Angelos interdum apparuiſſe piis hominibus, tactos quoque & cibum ſumſiſſe, neque tamen tot indiciis potuiſſe cognoſci. Facilis eſt reſponſio; *Viſos eos*, ut Tertullianus loquitur, *in carne vera & ſolida etſi non nata:* qui & alibi dicit, *Facile habuit veram dediſſe ſubſtantiam carnis vel qua proprius auctor & artifex ejus.* Diabolus autem (ut cum eodem Tertulliano pergam loqui) phantaſma infert, cujus non valet veritatem. Solvit autem Chriſtus id quod Apoſtolis occurrebat περὶ Φαντάσματος [*de ſpectro*]. De Angelo non ſolvit, quia id non putabant neque vero id opus: nam certum erat Angelos non mentiri. At is qui apparebat Jeſum ſe eſſe profitebatur: aut ergo dæmon erat, quod non eſſe adhibito ſenſuum judicio probatur, aut ipſe Jeſus.

Θεωρεῖτε, *videte*] Θεωρεῖν [*videre*] non ad viſum tantum, ſed & ad alios ſenſus refertur, ut Joh. II. 23. & apertius Act. IV. 13.

40. Ἐπέδειξεν, *oſtendit*] Tangenda offerens, ut Johannes docet hoc loco, quem vide & epiſtolæ initio.

41. Ἀπιστούντων αὐτῶν, *non credentibus illis*] Id eſt, *cum non ſatis firmo animo id quod res erat ſibi perſuaderent.* nam ita vox ἀπιστίας [*incredulitatis*] ſumitur etiam Matth. XVII. 20.

Ἀπὸ τῆς χαρᾶς, *præ gaudio*] Majus erat gaudium quam quod capere poſſet animus. Seneca Thyeſte,

Proprium hoc miſeros ſequitur vitium,
Nunquam rebus credere lætis.
Redeat felix fortuna licet:
Tamen afflictos gaudere piget.

Sic

Sic apud Æschylum Agamemnone Clytemneſtra, cum Troja capta ipſi nuntiaretur, ait:

Πῶς φῂς; πίφυγε τῆνος ἐξ ἀκτῆς ἄτης

[*Quid dicis? excedit fidem mihi quod refers*].

43. Καὶ λαβὼν ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν. *Et ſumens coram illis manducavit*] Conſulendi & hic veteres codices. nam præter Latinum Arabs quoque addit, καὶ λαβὼν τὰ περισσεύματα ἔδωκεν αὐτοῖς [*& ſumens reliquias dedit illis*]. Neque ut ſupervacuum videri poteſt, cum ad certiorem rei fidem pertineat, quod communem cum eo cibum Apoſtoli ſumſerunt. Nam Petrus hoc ipſum urget Actor. x. 41. συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν [*manducavimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit a mortuis*].

44. Εἶπε δὲ αὐτοῖς, *dixit autem ad eos*] Sequitur ſumma ſermonum quos per quadraginta dies Jeſus cum Apoſtolis ſuis habuit, quos quia ejuſdem erant argumenti tum Marcus tum Lucas neque hic tantum, ſed in Actis πεθήμασι [*omnes ſimul*] recitat. Vide Act. i. 3.

Οὗτοι οἱ λόγοι, *Hæc ſunt verba*] *Quod prædicenti mihi ſæpe non credidiſtis, aut quod prædictum non intellexiſtis, nunc reipſa experimini.* Vide Matth. xvi. 21. xvii. 23. xx. 19. Marci ix. 31. x. 34. ſupra ix. 45. xviii. 33. xxiv. 7.

Ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν, *cum adhuc eſſem vobiscum*] *Quotidiano* ſcilicet *convictu*. nam tunc tantum κατ' οἰκονομίαν [*quoties ei ex uſu fore videbatur*] illis aderat.

Ὅτι δεῖ, *quoniam neceſſe eſt*] Id eſt, ἔδει [*oportebat*]. Sic Matthæi xvii. 11. Ηλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον [*Elias quidem primum venturus eſt*]. Refertur autem δεῖ [*neceſſe eſt*] hic ad Patris decretum ſapientiſſimum.

Καὶ ψαλμοῖς, *& Pſalmis*] Id eſt, ἐν βίβλῳ ψαλμῶν [*in libro Pſalmorum*], ut ſupra xx. 42. & Actor. i. 20. Quo probabilius eſt ex parte nobiliſſima totum illud volumen ἁγιογράφων [*Sacrarum Literarum*] deſignari, quod Sacrarum apud Judæos Literarum partem efficit tertiam. Videtur autem alia fuiſſe librorum diviſio Joſephi temporibus quam nunc uſurpatur, ita ut prima pars conſtaret ex Pentateucho: ſecunda ex omnibus hiſtoriis & Prophetis comprehenſo etiam Daniele: tertia ex Pſalmis, ſententiis Solomonis, ejuſdem Eccleſiaſte & carmine Epithalamio. Tertiam hanc partem quatuor, ut dixi, libris comprehenſam ita deſcribit Joſephus, Αἱ δὲ λοιπαὶ τέσσαρες ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας τῆ βίου περιέχουσι [*Reliquæ vero quatuor hymnos in honorem Dei vitæque hominibus inſtituendæ præcepta continent*].

45. Διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν τοῦ συνιέναι τὰς γραφὰς, *Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas*] Eventus optimus vaticiniorum interpres. Sed ne ſic quidem ſatis intelligi poteſt quid cui rei conveniat, niſi mens dono quodam ſingulari, quod ἑρμηνείας [*interpretationis*] aut ἐπιλύσεως [*explicationis*] dici notavimus alibi, illuſtretur ab inſpiratore Prophetarum. Juſtinus colloquio cum Tryphone, Οἴεσθε ἂν ὑμᾶς ποτὲ, ὦ ἄνδρες, νενοηκέναι δυνηθῆναι ἐν ταῖς γραφαῖς ταῦτα, εἰ μὴ θελήματι τοῦ θελήσαντος αὐτὰ ἐλάβομεν χάριν τοῦ νοῆσαι; [*Putatisne, viri, fuiſſe nos hæc in Sacris Literis intellecturos, niſi is, qui hæc fieri voluit, Deus gratia ſua quo intelligeremus effeciſſet*]? Et alibi eodem libro, Οὐδὲ γὰρ δύναμις ἐμοὶ τοιαύτη τις ἐξιν, ἀλλὰ χάρις παρὰ Θεοῦ μόνη εἰς τὸ συνιέναι τὰς γραφὰς αὐτῷ ἐδόθη μοι [*Neque enim eſt mihi ad hæc ingenium, niſi quod mihi à Deo, quo Scripturas ejus intelligerem, data eſt gratia*]. In Clementis Conſtitutionibus legitur de Deo, Τῷ δυναμένῳ ἀνοῖξαι τὰ ὦτα τῶν καρδιῶν ὑμῶν εἰς τὸ καταδέχεσθαι τὰ δικαιούμενα τοῦ Θεοῦ λόγια [*Qui poteſt cordium noſtrorum aures aperire ut percipiamus eximia Divini Numinis oracula*]. Origenes iv περὶ ἀρχῶν [*de Principiis*] de ſcriptis ſacris loquens, Διὰ τὴν εἰς ὑπερβολὴν χαλεπωτάτην εὕρεσιν τῶν πραγμάτων τοῖς ἀνθρώποις ἃ πάνυ σαφηνίζεται ὁ περὶ τούτων ἐκάστου λόγος· καὶ τί δεῖ λέγειν περὶ τῶν προφητειῶν ἃς πάντες ἴσμεν αἰνιγμάτων καὶ σκοτεινῶν πεπληρῶσθαι λόγων; κἀὰν ἐπὶ τὰ εὐαγγέλια δὲ φθάσωμεν, κἀκείνων ὁ ἀκριβὴς νοῦς ἅτε νοῦς ἂν Χριστοῦ, δεῖται χάριτος τῆς δοθείσης τῷ εἰρηκότι, Ημεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν [*Quoniam hæ res difficillimæ inventu ſunt hominibus, minus evidens eſt de earum unaquaque oratio. Quid porro de Prophetiis dicere attinet, quas omnes ſcimus ænigmatis atque obſcuris ſententiis refertas eſſe? Jam ſi ad Euangelia veniamus, eorum quoque pleniſſima intelligentia atque mens, quippe quæ mens Chriſti ſit, ejuſmodi gratia opus habet, qualem ille habuit, qui dixit, Nos autem mentem Chriſti habemus*]. quod deinde exemplis illuſtrat. Idem in epiſtola ad Gregorium, Προσέχειν τῇ θείᾳ ἀναγνώσει ὀρθῶς ζήτει καὶ μετὰ πίστεως τῆς εἰς Θεὸν ἀκλινοῦς τὸν κεκρυμμένον τοῖς πολλοῖς νοῦν τῶν θείων γραμμάτων· μὴ ἀρκοῦ δὲ τῷ κρούειν καὶ ζητεῖν· ἀναγκαιοτάτη γὰρ καὶ ἡ περὶ τοῦ νοεῖν τὰ θεῖα, εὐχή [*Divinæ lectioni diligenter incumbe, atque ita, ut inter legendum recte ac conſtanti in Deum fide abditum pleriſque Divinorum monumentorum ſenſum quæras: neque vero obtuer pulſare & quærere ſatis habe. Etenim preces quoque in hoc negotio vel maxime neceſſariæ*]. Et hæc quidem illi de dono τῆς γνώσεως [*cognitionis*]. Nam de dono πρὸς πίστιν [*ad fidem*] quid ſentiant alibi expoſuimus. Utrumque donum ſimilibus verbis deſcribitur. Nam & his qui primum in Chriſtum credunt dicitur διανοίγεσθαι ἡ καρδία [*cor aperiri*] Actor. xvi. 14. Quod Juſtinus dixit Φωτὸς ἀνοιχθῆναι πύλας [*januas lucis aperiri*].

46. Παθεῖν τὸν Χριστὸν, *Chriſtum pati*] De teſtimoniis ad Chriſti perpeſſiones pertinentibus diximus ſupra ad comma 26, & alibi.

Καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. *& reſurgere a mortuis tertia die*] Ad exemplum Jonæ. Hujus reſuſcitationis imaginem quoque geſſerant liberationes Davidis atque aliorum è ſummis periculis. Vide Actor. ii. 25. & xiii. 35.

47. Καὶ κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μετάνοιαν, *Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam*] Ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ [*In nomine ejus*] recte exponitur *Chriſti mandato* & quaſi vices ejus obeundo, ii Corinth. v. 20. Ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν· δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ Θεῷ [*Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo*]. Itaque & Chriſtus ipſe per Legatos ſuos dicitur gentibus εὐαγγελίζεσθαι [*annunciari*] Epheſ. ii. 17. Hæc annuntiatio duas habet partes, poſtulationem & promiſſionem. poſtulatur pœnitentia cujus nomine tota obedientia comprehenditur: promittitur remiſſio peccatorum, in quo continentur vita æterna, & ejus arrhabo Spiritus Sanctus. Utraque pars per baptiſmum obſignatur ut Matthæus & Marcus nos docent. Ad hoc pœnitentiæ κήρυγμα [*prædicationem*] tum alia apud Prophetas pertinent, tum imprimis illuſtris Eſaiæ locus xlix. 6. *Exiguum eſt quod te mihi miniſtrum elegi, ad ſuſcitandas tribus Jacobi & convertendos deſolatos Iſraelis: Etiam lucem gentium te conſtitui.* Adde quæ ſunt Eſaiæ lxi. in principio citata ſupra apud Lucam iv. 18. & Pſ. xxii. 23, 24, 25, 26, 27, 28.

Καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *& remiſſionem peccatorum*] Eſ. liii. 12. *Ipſe tulit multorum peccatum & pro ſontibus deprecabitur.* Jer. xxxi. 34. *Condonabo iniquitatem ipſorum & peccati ipſorum non recordabor amplius.*

Εἰς πάντα τὰ ἔθνη, *in omnes gentes*] Eſaiæ xlix. *Audite inſulæ me & nationes longinquæ.* Oſeæ ii. 23. *Vocabo non populum meum, populum meum.* Pſalm. ii. *Dabo gentes hæreditatem tuam.* Joel. ii. 32. *Quiſquis invocabit nomen Dei, evadet.* Malachiæ i. 11. *Ab ortu ad occaſum magnum erit nomen meum inter gentes.* Dan. vii. 14. *Et dedit ei poteſtatem & regnum: & omnes populi, nationes & linguæ ei ſervient.*

Ἀρξάμενον ἀπὸ Ἱερουσαλήμ. *incipientibus ab Hieroſolyma*] Ab urbe Davidis cujus ſolium Meſſiæ erat promiſſum, Pſalm. cxxxii. Eſaiæ ix. 7. & alibi. Huc illa pertinent Pſalm. ii. 6. *Ego conſtitui Regem meum ſuper Sion.* Pſalm. cx. 2. *Sceptrum roboris tui mittet Deus ex Sion.* Eſaiæ ii. 3. *De Sione exibit Lex, & Verbum Dei ex Hieroſolymis.* Eſaiæ xxviii. 16. *Fundo in Sione lapidem, lapidem pretioſum.* Eſaiæ xl. 9. *Super celſum montem aſcende, bonorum nuncia Sion, vocem tuam vehementer effer bonorum nuncia Jeruſalem.* Eſaiæ lx. 1. *Surge, illuminare,* Jeruſalem ſcilicet, quod addunt Lxx. Huc refer illud quod apud Suetonium eſt, Vulgatam ſcilicet eo tempore famam, ex Judæa proditurum qui orbi imperaret.

48. Ὑμεῖς δέ ἐσε μάρτυρες τούτων, *Vos autem teſtes eſtis horum*] *Vitæ nempe meæ, mortis & reſurrectionis,* quibus fundamentis totum illius annuntiationis fundamentum ſuperſtruitur; ſed reſurrectioni præcipue, ut nos docet Apoſtolorum Coryphæus Act. i. 21, 22. Nam ſi Jeſus reſurrexit, certe reſurrexit virtute Divina. At quorſum Deus id feciſſe potuit, niſi ut palam oſtenderet verum eſſe quod ab ipſo erat annuntiatum, ſectatoribus nempe ipſius (quamvis autem damnabilis

vitæ) patere Dei pacem ac proinde vitam æternam. Reſurrectio autem probari non potuit, niſi quomodo facta probantur, teſtimonio ſcilicet αὐτοπτῶν [*oculatorum teſtium*], hominum proborum, nulla ex teſtimonio commoda ſperantium. Ponitur autem hic ἐσὶ [*eſtis*] præſens pro futuro ἔσεσθε [*eritis*], ut videre eſt Act. 1. 8. Sic in ſequenti commate ἀποςέλλω [*mitto*] eſt poſitum pro ἀποςελῶ [*mittam*].

49. Τὴν ἐπαγγελίαν τῦ πατρός μυ, *promiſſum Patris mei*] *Nempe quo firmius atque conſtantius adverſus mundi rabiem teſtimonium illud prabeatis.* Ita Actor. 1. 8. Lucas ipſe hoc explicat, Λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τῦ ἁγίυ Πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἰερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ, καὶ ἕως ἐσχάτυ τῆς γῆς [*Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judea & Samaria, & uſque ad ultimum terra*]. Ubi καὶ ἔσεσθε [*& eritis*] more Hebræo eſt *ut ſitis*: ἐπαγγελίαν πατρὸς [*promiſſum Patris*] vocat *donum Spiritus Sancti* ſibi à Patre promiſſum, ut à ſe Diſcipulis daretur. Ita Actor. 1. τὴν ἐπαγγελίαν τῦ Πατρὸς ἣν ἠκύσατέ μυ [*promiſſionem Patris quam audiſtis de ore meo*]. Vide Joel. 11. 28. quod explicatur Act. 11. adde Eſaiam XLIV. 3. Ezechielem XXXVI. 26. & Johan. XV. 26. XVI. 7. & Jerem. XXXI. 33. Bene autem ſubjunxit mandato ferendi teſtimonii; quaſi dicat, *Vos quidem mihi ſermone teſtimonium prabebitis rerum conſpectarum, atque ego vobis intus teſtimonium prabebo rerum ſperatarum.* ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμῦ [*idem ille teſtimonium perhibebit de me*] Joh. XV. 26.

Καθίσατε, *ſedete*] Id eſt, μὴ χωρίζεσθε [*ne ſegregamini*]. Interprete Luca ipſo Actor. 1. 4. Quare hanc partem ſermonis à Chriſto habitam arbitror poſtquam à Galilæa Apoſtoli redierant.

Ενδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψες. *induemini virtute ex alto.*] Ενδύειν [*Induere*] hic reſpondet Hebræo לבש quod Septuaginta Jud. VI. 34. vertunt ἐνδυναμῶν [*validum reddere*]. Sed & *indui ſtupore, pudore, diris*, dicunt Hebræi, ut appareat dici apud illos omne id *indui* quod non accedit & recedit, ſed penitus adhæret. Joh. XIV. 16. ἄλλον Παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα [*alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*]. Atque hac proprietate donum hoc diſtinguitur à ſpiritu τῆς ἐπισκοπῆς τῶν ἀνθρώπων [*viſitationis hominum*].

Ἐξ ὕψους. *ex alto*] מִמְּרוֹמִים [*ab excelſis*], ita & ſupra 1. 78.

50. Εως εἰς Βηθανίαν. *in Bethaniam*] Ad eam Bethaniæ partem quæ in monte erat Oliveti, in quo monte Chriſtus ſæpe preces & lacrimas ad Patrem fuderat; ut qui locus ſubmiſſionis ipſius teſtis fuerat, idem eſſet & gloriæ. Vide Actor. 1.

Ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ, *elevatis manibus ſuis*] Non ſimplex precandi mos ſignificatur de quo egimus ſupra XVIII. 13. ſed ritus εὐλογίας [*benedictionis*] qui fieri ſolebat *manibus impoſitis*, id eſt, διὰ χειρῶν ἐπιθέσεως, ut videre eſt in hiſtoria Iſaaci Geneſ. XXVII. 4, 7, 12, 19, 21, 22. & Jacobi Gen. XLVIII. 9, 14, 15, 16. 17. At quoties pluribus ſimul impartienda eſſet εὐλογία [*benedictio*], compendii cauſa uſurpabatur χειροτονία, id eſt, *manus protenſio* ſuper eorum capita pro quibus preces offerebantur. Ita Levit. IX. 22. ἐπάρας Ααρὼν τὰς χεῖρας ἐπὶ τὸν λαὸν εὐλόγησεν αὐτούς [*extendens Aaron manus ad populum benedixit eis*]. Eum morem tum initio tum fine cujuſque conventus uſurparunt Chriſtianorum Epiſcopi: unde probat Optatus Milevitanus Macarium Judicem, quanquam ad populum Carthaginienſem in Eccleſia verba feciſſet, nihil tamen pro Epiſcopo feciſſe. Verba ejus ſunt diſputatione adverſus Parmenianum ſeptima, *Et locutum eum eſſe aliquid in populo conſtat, ſed inſinuanda alicujus rei cauſa non tamen tractandi* (id eſt docendi) *quod eſt Epiſcoporum: ille enim nunc locutus eſt ſicut loqui potuit. Contra Epiſcopalis tractatus probatur ab omnibus ſanctitate veſtitus, ſalutatione ſcilicet geminata.* (ſalutationem hic vocat τὴν εὐλογίαν) *Non enim incipit aliquid Epiſcopus ad populum dicere, niſi prius in nomine Dei populum ſalutaverit: ſimiles ſunt exitus initiis, omnis tractatus in Eccleſia à nomine Dei incipitur & ejuſdem Dei nomine terminatur. Quis veſtrum audet dicere Epiſcoporum more Macarium populum ſalutaſſe? itaque cum nec ſalutaverit antequam aliquid loqueretur, nec ſalutare auſus ſit, nec manum impoſuerit, nec ſacrificium Deo ritu Epiſcopali obtulerit, quid eſt quod dicitis pollui Epiſcopale collegium, cum ab omni Epiſcoporum officio Macarium videatis alienum?* Lux huic loco Optati affertur ex Conſtitutionibus antiquis quæ ſub Clementis nomine leguntur, Ἀλλ' ἔστω λαϊκοῖς ἐπιτρέπομεν ποιεῖν τι τῶν Ἱερατικῶν ἔργων, οἷον θυσίαν, ἢ βάπτισμα, ἢ χειροθεσίαν, ἢ εὐλογίαν μικρὰν ἢ μεγάλην [*Sed nec Laicis quicquam quod ad Sacerdotum manus ſpectet liberum eſt obire, ut verbi gratia, ſacrificium aut baptiſmum manuumve impoſitionem, aut parvam vel magnam benedictionem*].

Εὐλόγησεν αὐτὰς, *benedixit eis*] Id eſt, εὐλόγησεν ἐπ' αὐτὰς [*precatus eſt ſuper eos*]. Sic Matth. V. 44. εὐλογεῖτε τὰς καταρωμένας [*orate pro perſequentibus*]. Et ſæpe LXX. ut locis jam citatis, εὐλογεῖν modo eſt *gratias agere*, modo ut hic, *precari*.

Εὐλόγησεν αὐτὰς, *benedixit eis*] Solenniter bene eis eſt precatus.

51. Ἐν τῷ εὐλογεῖν, *dum benediceret*] Simul atque ritum illum valedicens impleverat.

Διέςη ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν ὐρανόν. *receſſit ab eis & ferebatur in cælum*] Sic & in Eliæ hiſtoria II Reg. II. 11. וישם בין שניהם ויעל אליהו בסערה השמים [*diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cælum*], ubi Græci alii διέςειλεν [*diviſit*], alii διεχώρισαν ἀνὰ μέσον ἀμφοτέρων [*diſcrevit inter utroſque*]. Brevius poſſet dicere, עלה מעליהם, [*aſcendit ab eis*]: ita Gen. XVII. 22. ויעל אלהים מעל אברהם. ἀνέβη ὁ Θεὸς ἀπὸ Αβραάμ [*aſcendit Deus ab Abrahamo*]. Interpretatur Lucas ipſe Act. 1. 9. Βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν [*videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*].

Ανεφέρετο εἰς τὸν ὐρανόν. *ferebatur in cælum*] τὸν ὐρανὸν τῶν ὐρανῶν [*cælum cælorum*], quod ὑπεράνω πάντων ὐρανῶν [*ſuper omnes cælos*] dixit Paulus Epheſ. IV. 10.

52. Προσκυνήσαντες αὐτὸν, *adorantes eum*] Corpore proſtrato quod antehac non fecerant quippe ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτῦ (ut loquitur ad Hebræos Scriptor) ad familiarem victum admiſſi. Nunc faciunt Majeſtate ipſius aperte cognita, II Cor. V. 16. εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριςόν, ἀλλὰ νῦν οὐκ ἔτι γινώσκομεν [*& ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*].

Τπέςρεψαν εἰς Ἰερουσαλὴμ, *regreſſi ſunt in Jeruſalem*] Ita & Actor. 1. 12. Oſtenditur quam parentes dicto Chriſti ſuerint.

Μετὰ χαρᾶς μεγάλης. *cum gaudio magno*] Ob intellectam rationem admirabilem qua procurata erat redemtio generis humani, & ob inſignem illam pollicitationem mittendi Spiritus.

53. Καὶ ἦσαν διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ, *Et erant ſemper in templo*] Nam in templo potius quam alibi, ut precari, ita & gratias agere Deo Judæi ſolebant: præſertim ſi quid majus incidiſſet. Vide ſupra XVIII. 10. διαπαντὸς intellige *quotidie*, temporibus nimirum congruis. Ita Petrus & Johannes Actor. III. narrantur iiſſe in templum circa horam nonam, quæ deſtinata erat precibus veſpertinis. Quod poſt acceptum Spiritum fecerunt, idem eos & decem diebus poſt Domini ἀνάλημψιν [*aſſumptionem*] feciſſe credibile eſt: de quo tempore hæc mihi videntur accipienda. Nec obſtat quod cœtus ſuos eo tempore habuerunt in privatis ædibus, ut docemur Actor. 1. 15. nam idem fecerunt & poſt acceptum Spiritum, quamvis quotidie interea & templum adirent, Actor. II. 46. III. 1. V. 25. XII. 12.

Αμὴν. *Amen*] Additum ab Eccleſia quæ lectionem Euangelii hac acclamatione excipere ſolebat, I Cor. XIV. 16.

PRICÆUS.

Com. 1. Ὄρθρυ βαθέως ἦλθον ἐπὶ τὸ μνημεῖον] Sic fere II. Apuleji, *Nec dum ſatis luce lucida*, &c. *ad receptaculum ſacerdotis contendo.* At plus fortaſſe hic βαθὺς ὄρθρος· quod nempe Marc. 1. 35. πρωΐ, ἔννυχον λίαν· & libro ejuſdem Apuleji 3. *diluculum primum.* Scholiaſtes ad Iliad. η illud, Ἀμφιλύκη νύξ, τὸ καλύμενον λυκόφως τὸ πρὸς τὸ ἕρθρον· ὁ βαθὺς ὄρθρος. Ετι βαθέως ὄρθρου, dixit & Plato in Protagora: & ὄρθρον βαθὺν, Idem in Cratylo & Critone.

Ibid. Καί τινες τῶν αὐτῶν] Τινὲς, ſubaudi γυναῖκες· & forte, ex illis Matth. 27. 55. memoratis.

Com. 4. Ἐν τῷ διαπορεῖσθαι αὐτὰς περὶ τύτυ, καὶ ἰδὺ δύο ἄνδρες, &c.] Ita & Act. 10. 17. idem Lucas, de Petro, Ως ἂν ἐν ἑαυτῷ διεκόρει, &c. καὶ ἰδὺ οἱ ἄνδρες, &c.

Ibid. Ἐν ἐσθήσεσιν ἀςραπτούσαις] Plutarchus in vita Marcelli, de Inſubrium exercitus Duce, Βυθὸς, καὶ τοπάλμασιν, ἅτερ ἀςραπὴ διαφέρων ςίλβυσα. Beza hoc, *in veſtibus fulgurantibus.* Vulgatus, *veſte fulgenti.* Apulejus *veſtibus præfulgentibus* dicere.

Com.

Com. 5. Καὶ κλινόντων τὸ πρόσωπον εἰς τὴν γῆν] Præ nimio pavore. Vide ad Act. 26. 14. notata.

Ibid. Τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν;] Simillima, etsi ex altera prolata parte, hæc Plauti in Menæchmis,

- - - Tam diu
Hominem inter vivos quæritamus mortuum.
Nam inventissemus jam diu si viveret.

Artemidorus 2. 54. Οἱ ἀποθανόντες τοῖς ζῶσιν οὐ συνεπιστρέφουσιν, οὐδ' αὖ οἱ ζῶντες τοῖς ἀποθανοῦσι. Minutius in Octavio, *Sacrilegii*, &c. *est humi quærere quod in sublimi debeas invenire.*

Com. 6. Οὐκ ἔστιν ὧδε] D. Augustinus Confess. 4. 12. hunc locum imitari volens, *Beatam vitam quæritis in regione mortis: non est illic.*

Ibid. Μνήσθητε ὡς ἐλάλησεν ὑμῖν] Malim, μνήσθητε ὧν ἐλάλησεν ὑμῖν. Sic Judæ com. 17. Μνήσθητε τῶν ῥημάτων, &c. & Act. 20. 35. ubi & de Christo, μνημονεύειν τε τῶν λόγων τοῦ κυρίου Ἰησοῦ.

Com. 9. Καὶ πᾶσι τοῖς λοιποῖς] Expone ex com. 10, & 33. τοῖς σὺν αὐτοῖς.

Com. 11. Ἐφάνησαν ἐνώπιον αὐτῶν ὡσεὶ λῆρος τὰ ῥήματα αὐτῶν] Ita Gen. 19. 14. de Lotho, Ἐνώπιον τῶν γαμβρῶν αὐτοῦ γελοιάζειν ἔδοξεν.

Com. 12. Ὀθόνια] Hesychius, Ὀθόνια, λινᾶ ἱμάτια. Scholiastes ad Iliad. γ'. Ὀθόνῃσιν, ὑφάσμασι λινοῖς. At heic proprie ὀθόνια sunt quæ Apulejus lib. 10. *feralia amicula* vocavit. Lactantius 4. 10. *exuvias quibus involutum corpus ejus incluserant.* Vide quæ ad Johan. 11. 44. annotavimus.

Ibid. Ἀπῆλθε, πρὸς ἑαυτὸν θαυμάζων τὸ γεγονός] Legimus quidem Johan. 20. 30. ἀπῆλθον πρὸς ἑαυτούς· id est, ad domos suas: quo & sensu Ezech. 17. 12. καὶ ἄξω αὐτοὺς πρὸς ἑαυτόν, &c. Distinctio tamen recte hoc Lucæ loco ponitur, non post ἑαυτὸν, sed post ἀπῆλθε. Sic & supra 20. 14. πρὸς ἑαυτοὺς διελογίζοντο· & 18. 11. πρὸς ἑαυτὸν προσηύχετο· ad quem locum quæ attulimus vide.

Com. 15. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὁμιλεῖν αὐτοὺς, &c. καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἐγγίσας συνεπορεύετο αὐτοῖς] Apulejus 1. *Duobus comitibus qui paululum præcesserant tertium me facio.*

Com. 16. Οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατοῦντο τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτόν] Tale supra 9. 45. Ἦν τὸ ῥῆμα παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν, ἵνα μὴ αἴσθωνται αὐτό. Ἐκρατοῦντο, nempe divina vi & potestate. Sic fere 1 Reg. 26. 12.

Com. 17. Τίνες οἱ λόγοι οὗτοι, οὓς ἀντιβάλλετε πρὸς ἀλλήλους;] Apud Platonem Politic. 1. Τίς ὑμᾶς φλυαρία ἔχει; καὶ τί συνῳδίζεσθε πρὸς ἀλλήλους; Vulgatus hic, *sermones quos confertis ad invicem?* secutus Græcum ἀντιβάλλειν, & sensum ejus optime, ni fallor, assecutus. Virgilius 10.

Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant. - - -

Hinc, quia *sermo* (qui teste Servio in Virgilii sertum dicitur proprie qui inter duos *seritur*,) est quasi quædam congressio duorum contra se consistentium, enatum videtur hoc loquendi genus, *sermonem conferre.* In Plauti Menæchmo,

P E. *Compellabo hominem.*
M V. *Orationis aciem contra conferam.*

Dicas Græce, πρὸς αὐτὸν ἀντιβαλῶ λόγον. Ab hac mente dicitur quis & πρὸς ἑαυτὸν ἀντιβάλλειν· ut 2 Macc. 11. 3. de Lysia, πρὸς ἑαυτὸν ἀντιβάλλων τὸ γεγονὸς, &c. Quo modo & solemus dicere quem *differre secum:* i. e. cum animo suo, quasi cum alia persona. E nuperis Vir eximius hoc loco, *verba quæ inter vos commutatis.* Forte, nec incommode, vertas, *sermones quos inter vos velitamini.* In eadem Plautina fabula,

Nescio quid vos velitati estis inter vos duos.

Vel ita, *sermones quos altercamini.* Apulejus 2. (& de duobus qui inter ambulandum fabulabantur,) *Dum hunc & hujusmodi sermonem altercamur.* Idem 5. de duabus sororibus illis, *Domum*, &c. *redeunt, sic secum altercantes. Sermonem altercabilem conferre* Arnobius dixit. Ita, ἀντιβάλλειν λόγους, hoc loco erit, non simpliciter, sed fervidius aliquanto & commotius sermones commutare; ut fieri amat, ubi de rebus novis mirisque differentes, (vel, ut heic dicitur, συζητοῦντες,) nullamque expediendi nos viam invenientes, altercamur, & quasi funem quendam contentionis ducimus. Unde & Suidas ἀντιβάλλειν, καὶ φλυαρεῖν conjunxit in verbo ἔπος. Euthymius item ad hunc Lucæ locum, *Conferetis, sive objicietis.* Et hæc expositio accedit sensui Vulgatæ versionis.

Ibid. Καὶ ἐστε σκυθρωποί] Quidam pro ὄντες σκυθρωποὶ accipiunt, ut sit Hebraismus. Mihi videtur potius heic esse ellipsis particulæ τί. Τίνες (inquit) οἱ λόγοι οὗτοι; &c. καὶ τί ἐστε σκυθρωποί; Ita Ps. 42. 9. ἵνα τί σκυθρωπάζων πορεύομαι; Apud Philostratum 4. 10. Apollonius, Τί κεφροντιστὰς παρίστε, καὶ μετὰ ἀνοίας; In Sophoclis Antigone,

Τί δ' ἔστιν αὐθ' ὃ τὴν δ' ἔχεις ἄθυμίαν;

Hercules in Euripidis Alcestide,

- - - Τί σεμνὸν καὶ τεφροντιστὸς βλέπεις;

ubi & sequitur (παραλλήλως positum,) σκυθρωπὸν εἶναι. In Plauti Mercatore,

Quid est illud quod solum secum fabulatur filius?
Sollicitum mihi nescio quare videtur, - - -

Ubi *sollicitus*, σκυθρωπός. Habet & Christi duplex interrogatio illa majorem energiam. Sic infra com. 38. τί τεταραγμένοι (i. e. σκυθρωποὶ) ἐστέ; καὶ διὰ τί διαλογισμοὶ ἀναβαίνουσιν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν; & Genes. 4. 6. Deus ad Cainum, *Quare iratus es? & cur concidit facies tua?* ubi membrum posterius fere sonat, καὶ τί σκυθρωπός εἶ; Beza heic σκυθρωποὶ *vultu tetrico* vertit. Lego quidem in vetere Onomastico, *Tetrici*, σκυθρωποί. Cur autem obtinere à se non potuit (i. e. noluit) ut accederet Vulgatæ versioni? quæ si non magis, saltem æque Latine habet *tristes:* i. e. vultu tristes. Est hic enim intelligenda animæ turbatio quæ in vultu apparet. Quo sensu item accipio Glossarii ea, Σκυθρωπὸς, *mœstus, tristis*, &c. & illa Plauti in Bacchidibus,

- - - Quid vos mœstos tam, tristesque esse conspicor?

Com. 18. Σὺ μόνος παροικεῖς ἐν Ἰερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἔγνως; &c.] Ita 1. Apulejus, *Tune solus ignoras?* &c. Dupliciter autem cum heic exponi solent vox παροικεῖς, sequar equidem libentius eos qui cum Vulgato verterunt, *peregrinus es*, (i. e. *hospes*, vel *ignarus*) quam qui vertendum putarunt, *commoraris.* Apulejus 2. *Satis peregrinus es, meritoque* (*medioque* legendum monuimus) *Thessaliæ ignorus te consistere?* Adquem locum itidem videantur quæ adduximus ex Arriano & Donato. Cicero in pro Milone, *An vero Judices vos soli ignoratis? vos hospites in hac Urbe versamini? vestræ peregrinantur aures?* Idem 6. 3. ad Atticum, *Est quiddam, advenientem* (ad Urbem nempe) *non esse hospitem & peregrinum:* & ibidem 4. 13. *Te rogo,* τὴν παροῦσαν κατεῖχεν τυχοῦσῃς, *ne illuc hospes veniam:* i. e. rerum ignarus, quales solent peregrini esse. Theophylactus heic, πάροικος, ἀμέτοχος τῶν ἐν μέσῳ γενομένων. Adde quod & discipuli isti cum Christo, tanquam homine plane ignoto, videntur sermocinati, proinde & ignorasse, Hierosolymisne an alibi commoraretur.

Ibid. Καὶ οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα ἐν αὐτῇ;] In Eunucho Terentiana,

- - - Tu fortasse quæ falla hic sint nescis?

Pacuvius apud Ciceronem,

Nihilne igitur ad te de judicio armorum venit?

Ovidius Metamorph. 2.

An quæ per totam res est notissima Lesbon,
Non audita tibi est? - - -

Com. 19. Προφήτης δυνατὸς] Ita apud Apulejum 2. *propheta primarius.*

Digitized by Google

Ibid. Δυνατὸς ἐν λόγῳ καὶ ἔργῳ] *Λόγων καὶ πράττων δυνατὸς*, ut Suidas de Molpagora. *Λόγῳ καὶ ἔργῳ* prædicatione & miraculis: ut Rom. 15. 18. Act. 7. 22. Eadem copula iſta, at non eo qui hic ſignificatu, occurrit & Sirach. 3. 8. Col. 3. 17. & 2 Theſſ. 2. 17.

Ibid. Ἐναντίον τῦ θεῦ, καὶ παντὸς τῦ λαῦ] Ita in Græco Exodi 11. 3. de Moſe, ubi & *ἐναντίον* i. e. *ἐνώπιον*. Heſychius, *Ἐναντίον, ἐνώπιον*. Ita & ſupra 20. 16. Marc. 2. 12. Actor. 7. 10. *Potentem* autem *coram Deo & populo*, hic ita cape, ut ab utriſque ſcias eum teſtimonium reportaſſe.

Com. 20. Ἐπῆραν αὐτὸν] Hoc eſt, *ἠτήσαντο Πιλάτον ἀναιρεθῆναι αὐτόν*. Vide Actor. 13. 28. Ἐπῆραν ergo, *effecerunt*, vel *impetrarunt*, *ut cruci affigeretur*. Tale Marc. 6. 16. Herodis illud, Ἰωάννην ἐγὼ ἀπεκεφάλισα.

Com. 21. Ἡμεῖς δὲ ἠλπίζομεν ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ] Terentius 1. 2. Adelph. *Sperabam*, &c. Donatus, *Sic dicimus, cum erraſſe nos cernimus.*

Ibid. Τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει] Hoc addunt, quaſi magis mirabundi eum de rebus tantis poſt tantum temporis intervallum nil inaudiſſe. Ἄγει, nempe, *ὁ χρόνος*. Τρίτην ταύτην ἡμέραν, ſatis Græce dictum. Ita Plutarchus enim in de Deo Socratis, Lucianus in Deorum dialogis: & 7 Achilles Tatius. Idem 5. ὀγδόην ταύτην ἡμέραν dixit.

Com. 22. Γυναῖκές τινες ἐξ ἡμῶν ἐξέστησαν ἡμᾶς] Heſychius, Ἐξίστησιν, *εἰς ἔκστασιν ἄγαγεν*. Sciunt qui Vocabuliſtam eum triverunt, quot numero N. Teſtam. *ῥήσεις* interpretetur; proinde non mirabuntur ſi legendum putarim *ἐξέστησαν*, & *ἤγαγον*: ut hunc locum Lucæ reſpexerit. Ἐξιστῆναι ſæpius quidem his in libris *αὐτοπαθῶς* ponitur; nec minus tamen (imo fortaſſe magis) Græce hoc loco, ut & Actor. 8. 9. tranſitive effertur. Demoſthenes in Midiam, Ταῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους, &c. Arrianus 1. 18. in Epictetum, *ὃν ἂν ἐξίστησιν οὐδὲν τῶν ἀπροαιρέτων* & 2. 16. Τίνα οὖν ἐστι τὰ, &c. ἐξίστανται ἡμᾶς; i. e. *τὴν ἡμῶν διάνοιαν*: quomodo & præcedentia hic loca exponenda ſunt. Ita, *τὴν τῶν ἀνθρώπων διάνοιαν ἐξιστάναι* Athenæus 1. Vide & in Græco Geneſ. 45. 26. Ἐξ ἡμῶν, noſtri gregis: ita & *ἐξ ἡμῶν* poſteriore loco, 1 Joh. 2. 19. Permirum itaque Budæum hæc verſiſſe, *à nobis nos alienarunt*: nimirum, quaſi illa *ἐξ ἡμῶν* deberent cum ſequentibus connecti.

Ibid. Γενόμεναι ἔρθριαι] Virgil. 8.

- - - *Æneas ſe matutinus agebat:*

ubi Servius, *Rem temporis ad perſonam tranſtulit.*

Com. 25. Ὦ ἀνόητοι, καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ!] Similis exclamatio iſta in Pluto Ariſtophanis,

- - - Ὦ Κρονικῆς γνώμας ἔντως λιμῶντ' ἂν τὰς Φρένας ἄμφω!

Ubi Scholia, Ὦ ἀρχαίας μωρίας τὸ Φρονεῖν ἐστοχασμένος! Ἀνόητοι heic, *ἀναίσθητοι*: unde & apte ſequitur, βραδεῖς τῇ καρδίᾳ. Ita ἀναισθησίαν Theophraſtus ψυχῆς βραδυτῆτα, &c. in characteriſmis definit. Alcimus Avitus,

Aſt aliis ſtolidam lentavit inertia mentem.

Ubi *lentavit*, βραδεῖαν ἐποίησεν. Βραδεῖς τῇ καρδίᾳ hic ſenſu eo quo Pſ. 4. 3. βαρυκάρδιοι, i. e. *μωροὶ, ἀσύνετοι*: ita Heſychio exponente. Idem, Νωθροκάρδιος, *βραδὺς κατὰ λογισμόν*. In hoc autem Lucæ loco putem Latiniſimum ſubeſſe. Terentius 4. 5. Heautont.

- - - *Prorſus nihil intelligo.*
Hui! tardus es. - - -

Donatus in ejuſdem Eunuchum, *Intellectu tardos vocamus qui ſtultis ſunt.* Hinc *tardi bubulci* apud Virgilium, & *agreſtes tardi* apud Ovidium. Plinius lib. 6. epiſt. 2. *Hebetes, & ſupra modum tardi.* Apud Senecam ille Controverſ. 6. 6. *O me tardiſſimum in malis meis!* Unde & *tardus* apud Arnobium opponitur *prudenti.* Καρδία hic eſt *διάνοια*: appoſite itaque de Manlio Torquato Valer. Maximus; *Adeo hebetis atque obtuſi cordis, ut*, &c.

Ibid. Βραδεῖς τῇ καρδίᾳ τῦ πιστεύειν, &c.) Obſtare credulitati eorum ait cordis tarditatem. Ita Virgilius, ne quaſdam Naturæ partes accedere poſſet, dixit frigidum circa præcordia ejus ſanguinem obſtitiſſe: i. tarditatem intellectus ſui, *τὴν τῆς καρδίας βραδυτῆτα*.

Com. 26. Οὐχὶ ἔδει ταῦτα παθεῖν τὸν Χριστόν;] Id eſt, οὐκ οἴδατε ὅτι ταῦτα ἔδει; &c. Sic ſupra 2. 4. Οὐκ οἴδατε ὅτι ἐν τοῖς τῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με; Ἔδει hic, nempe, ex patris decreto, *ὡρισμένῃ αὐτοῦ βουλῇ καὶ προγνώσει*, Actor. 2. 23. item ex prophetiis: vide Matth. 26. 54. ubi & Chriſtus ipſe, οὕτω δεῖ γενέσθαι. Didymus in Odyſſ. ν'. Τὰ ὑπὸ θεῶν κυρωθέντα ἐξ ἀνάγκης πληροῦται. Eundem autem hunc loquendi modum invenio & apud Ethnicos, ubi latentes cauſas, ſive arcanum ſummi Numinis conſilium, præcipue in eventibus aſperis ſubintelligunt. Herodotus, Ἐδέει γὰρ Πέρσῃσι γενέσθαι κακῶς. Socrates pœnæ mortis propinquus apud Platonem, Ταῦτα μὲν, &c. Ἄνευ οὕτω καὶ ἔδει γενέσθαι. M. Antonimus 11. 5. Ὁρᾶτε ὅτι ἄτυς δεῖ ταῦτα περαίνεσθαι. Euander apud Virgilium,

- - - *Sors iſta ſenectæ*
Debita erat noſtræ. - - -

Et in proſopopœia Neronis Druſi occiſi, apud Ovidium,

Exitus hic, mater, debuit eſſe meus.

Ibid. Καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ] Præceſſit, παθεῖν ἔδει. Sic, 1 Petr. 1. 11. Χριστοῦ παθήματα, καὶ μετὰ ταῦτα, δόξας· & Hebr. 2. 9. de Eodem, διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου δόξῃ, &c. ἐστεφανωμένον. Vide & ibidem 1. 3. ſupra heic 17. 24, 25. Rom. 8. 17. 2 Tim. 2. 12. Apocal. 1. 9. Εἰς τὴν δόξαν αὐτῦ, idem eſt ac ſi dixiſſet, *εἰς τὴν δόξαν τοῦ πατρὸς αὐτῦ*. Potius iſtud tamen quam iſtud dixiſſe videtur, ut ſignificaret gloriam illam, *ἣν παρὰ τῷ πατρὶ εἶχε πρὸ τῦ τὸν κόσμον εἶναι*, Joh. 17. 5, & 24. & quam proinde potuit *ſuam* meritiſſimo vocare.

Com. 28. Καὶ ἤγγισαν εἰς τὴν κώμην οὗ ἐπορεύοντο] Perpeti ſuavique ſermone ejus viam citra faſtidium emenſi. Seneca in de Vitæ brevitate, cap. 9. *Sermo*, &c. *iter facientes decipit; perveniſſe ſo ante ſciunt, quam appropinquaſſe.* Vide quæ plura in eam mentem ad Apuleji lib. 2. pag. 72. annotavimus.

Ibid. Προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι] Apud Ovidium Metam. 4.

- - - *Simulatque gradu diſcedere verſo.*

Com. 29. Παρεβιάσαντο αὐτὸν] Παραβιάζεσθαι hic, ut & ſupra 14. 23. *ἀναγκάζειν*, non, *vi adigere* ſignificat, ſed *inſtanter rogare*: quo & ſenſu occurrit apud Lucam noſtrum Act. 16. 15. Ita, *ἐπὶ δεῖπνον λαμπρὸν καὶ βιάζεσθαι*, dixit in Bruto Plutarchus. *Prece cogere*, habemus & apud Horatium. Vide ad dictum Actorum locum annotata.

Ibid. Μεῖνον μεθ' ἡμῶν, ὅτι πρὸς ἑσπέραν ἐστί] Cum longior via ſuperſit tibi, lux brevior, in noſtro mane. Simillima apud Ovidium iſta de Iro Jovem & Mercurium invitante,

- - - *Longa via eſt, nec tempora longa ſuperſunt,*
Dixit, & hoſpitibus janua noſtra patet.
Addidit & vultum verbis, iterumque rogavit.

Ubi *iterum rogare*, eſt fere quod in textu Lucæ παραβιάζεσθαι.

Ibid. Πρὸς ἑσπέραν ἐστὶ, καὶ κέκλικεν ἡ ἡμέρα] Ἡ converſio Rom. 13. 12. at figuratæ, Ἡ νὺξ προέκοψεν, ἡ δὲ ἡμέρα ἤγγικεν. Κέκλικεν hic, ut ſupra 9. 12. ἡ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν· ſubaudi, *in noctem.* Virgilius,

- - - *Devexo propior ſit veſper Olympo.*

Ubi Servius, *Inclinato in noctem cælo.* Sic, *Solem inclinare*, Juvenalis dixit, & *inclinatum diem*, Plinius in Epiſtolis. Πρὸς ἑσπέραν ἐστὶ non minus Græce Euangeliſta dixit, quam vel Græcorum veterum diſertiſſimi. Lyſias in pro cæde Eratoſthenis, Ἦν πρὸς ἡμέραν· & Thucydides, Τοῦ χειμῶνος τελευτῶντος, καὶ πρὸς ἦρ ἤδη - - - Ordo porro verborum Lucæ poteſt talis eſſe, κέκλικεν ἡ ἡμέρα, καὶ πρὸς ἑσπέραν ἐστί· ut plus in ſequente membro quam in priore dicatur. Reipſa idem plane heic dicitur quod contractius Judic. 19. 9. apud Lxx, Κεκλίκασιν εἰς ἑσπέραν ἡμέρα· ubi & ſequitur, αὐλίσθητι ὧδε ut hic apud Lucam præceſſit, μεθ' ἡμῶν μεῖνον. Senſus ergo eſt,

In aſtra jam lux prona, jam præceps dies.

Oc-

Occiduum diei tempus Latine loquentibus. Vide Macrob. Saturnal. 1. 3. in fine. *Occaſui Sol declivis eſt*, Minucius in Octavio dixit: Apulejus, *ad ultimum diei metam curriculum Solis deflexit*: De Sole Mytholog. 1. Fulgentius, *Hora nona proclivior vergens occaſibus pronus incumbit.*

Ibid. Κέκλικεν ἡ ἡμέρα] In Pſeudolo Plautina, *Vides jam die multum eſſe. - - -* Homerus Odyſſ. ρ'. Μέμβλωκεν δ' ἦμαρ· ubi Didymus, Τὸ πλεῖον τῆς ἡμέρας παρελήλυθεν.

Ibid. Καὶ εἰσῆλθε τοῦ μεῖναι σὺν αὐτοῖς] Sic Joh. 4. 40. de Eodem, Ἠρώτων αὐτὸν μεῖναι παρ' αὐτοῖς, καὶ ἔμεινεν. Supereſt hic in contextu Græco, τοῦ μεῖναι, aut (quod verius puto) *ut maneret*, deeſt in Latino.

Com. 30. Λαβὼν τὸν ἄρτον, &c. ἐδίδου αὐτοῖς] Atqui non apud Hebræos tantum, (vide Gen. 43. 34.) ſed & alias gentes, convivatoris id munus erat, neutiquam convivæ. Xenophon, Ἀνάβασ. η'. Ἀνελόμενος τὰς παρακειμένας αὐτῷ ἔρτας, διένειμε, &c. καὶ διαβάλλοντες οἷς αὐτὸς ἔδωκεν. Ita apud Homerum Achilles convivis ſuis Ulyſſi & Ajaci partes diſtribuit: & apud Apulejum paterfamilias epulonibus ſuis caſeum, aliaſque prandii partes diſtribuens inducitur. Et hoc moris fuit, niſi quando convivator de jure ſuo convivæ in honorem cedere vellet. Vide D. Hieronymum in vita Pauli Eremitæ. Dicimus ergo, cum ſciviſſet motus in eorum cordibus exortos à ſermonibus ſuis in via habitis, voluiſſe Chriſtum eodem ritu quo ſæpius cum iis comedens ante paſſionem uſus fuerat, nunc autem quaſi præter morem eo defungi videbatur, dare anſam iis adhuc aliquid propius de ſe conjiciendi.

Com. 31. Αὐτῶν δὲ διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτόν] Ad nutum Chriſti ablata eſt iis ſive oculorum ſive mentium caligo. Apud Homerum Iliad. ε'. Pallas ad Diomedem,

Ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν,·
Ὄφρ' εὖ γνοίσῃς ἠμὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

Geneſ. 3. 7. Διηνοίχθησαν αἱ ὀφθαλμοὶ τῶν δύο, καὶ ἔγνωσαν, &c.

Ibid. Ἐπέγνωσαν αὐτὸν, καὶ αὐτὸς ἐγένετο ἄφαντος ἀπ' αὐτῶν] Virgilius, & de Numine, ac fictitio,

- - - In tenuem ex oculis evanuit aura.
Agnovere Deum. - - -

Ubi Servius, *More ſuo abeuntes deos inducit agnoſci.* Idem ad Æneid. 2. illa,

Dixerat, & ſpiſſis noctis ſe condidit umbris:

Abſceſſu demonſtrantur plerumque Numina fuiſſe, cum ſubito apparere deſierunt. Ita Angelus Judic. 13. 21. in diſceſſu ſuo à Manoe agnoſcitur. Ἐγένετο ἄφαντος heic, ut 2 Maccab. 3. 34. ἀφανεῖς ἐγένοντο, & apud Simplicium in cap. 2. Epicteti, ἀφανεῖς γενέσθαι. Suidas (fortaſſe ex Philoſtrato) de Apollonio Tyaneo, Καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἄδηλος ἦχετο. Non ineptum quod de hoc Chriſti facto nonnulli ex Baſilio attulerunt, τὸ ὅτως μὴ πεφαντάζεσθαι. Addam ego Scriptoris quidem Ethnici verba, ad noſtri diſſimilem autem ſobrietatem ducentia; *Non multum nobis nocebit tranſiſſe quæ nec licet ſcire, nec prodeſt*, Seneca.

Com. 32. Οὐχὶ ἡ καρδία ἡμῶν καιομένη ἦν ἐν ἡμῖν, ὡς ἐλάλει ἡμῖν;] Sentiebant enim ex miro ejus loquendi modo in cordibus ſuis quoſdam motus accenſos, quales illi quos ſæpe antea experti erant dum doceret eos. Caſſianus Collat. 14. 1. *Sermonibus ejus igne quodam in cordibus noſtris excitato.* Sic, *viſcera verborum incendio inflammata*, ac ſenſu alio, l. 5. Apulejî.

Com. 34. Ἠγέρθη, &c. ὄντως] Ὄντως, *vere, certiſſime.* Heſychius, Τὸ ὄντως, τὸ ἀληθῶς. Gloſſarium, Ὄντως, *ſane, plane, certo, profecto.*

Com. 35. Ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου] Κλᾶν ἄρτου habemus etiam in veteribus Græcis Colloquiis.

Com. 36. Ταῦτα δὲ αὐτῶν λαλούντων, αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἔστη ἐν μέσῳ αὐτῶν] Virgilius 3.

Vix ea fatus erat, ſummo cum monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole moventem,
Paſtorem Polyphemum. - - -

Ad quæ Servius, *Ad probationis gratiam pertinet, quod ea quæ Achæmenides affirmaverat, ſtatim approbavere Trojani.*

Ibid. Εἰρήνη ὑμῖν] Amplius, & forte verius, in Vulgato, *Pax vobis*, &c. *nolite timere.* Ita Angelus Raphael Tobiæ 12. 17. Μὴ φοβεῖσθε, εἰρήνη ὑμῖν ἔστω. Nec diſſimilia ſupra 2. 10. habemus.

Com. 37. Πτοηθέντες, καὶ ἔμφοβοι γενόμενοι, ἐδόκουν πνεῦμα θεωρεῖν] Id eſt, ἐπτοήθησαν, καὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο ὅτι ἐδόκουν π. θ. Matth. 14. 26. de iiſdem, aut nonnullis eorum, Ἐταράχθησαν, λέγοντες, ὅτι Φάντασμά ἐστι, καὶ ἀπὸ τοῦ Φόβου ἔκραξαν· & Actor. 12. 9. de Petro, Οὐκ ᾔδει ὅτι ἀληθές ἐστι τὸ γινόμενον, &c. ἔδοξε δὲ ὅραμα βλέπειν. Apud Quintilianum 9 Declam. ille, *Inopinata ſubito amici mei ſpecies affulſit: obſtupui, totumque corpus percurrit frigidus pavor: nèque aliter quam ſi una abjiceretur oculis imago mente captus ſteti.* Petronius, *Viſaque*, &c. *mulcere, quaſi quodam monſtro infernisque turbatus imaginibus, ſubſtitit.* In fragmentis Legationum Eunapii Sardiani, Ἐκπλήξει καὶ θάμβει συνδεθέντες, εἰς τὸ ἀκίνητον ἐκάγησαν, ὥσπερ Ἰουλιανοῦ θείξαντος αὐτοῖς οὐ τὸν νεκύσιον (quem mortuum credebant,) ἀλλ' εἴδωλον. In vetere Onomaſtico, *Obſtupefactus*, πτοηθείς· ita Geneſ. 42. 28. *Obſtupefacti turbatique.* Vulgatus heic, *conturbati & conterriti*: ſic, *pavidus, ac repentinâ facie conterritus*, l. 7. Apulejus.

Com. 38. Διαλογισμοὶ ἀναβαίνουσιν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν] Id eſt, ut ſupra 3. 15. ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν διαλογίζεσθε. Occurrit & Act. 7. 23. illa altera locutio, & ſæpe apud Prophetas. Nec ita Hebræi tantum & Helleniſtæ, ſed & interdum Romani loquebantur. Virgilius,

- - - Qua nunc animo ſententia ſurgit?

Ubi Servius, *Tranſlatio corporis ad animum.*

Com. 39. Ἴδετε τὰς χεῖράς μου καὶ τοὺς πόδας μου] Quaſi diceret, ubi rerum teſtimonia adſint, quid verbis opus? Ulyſſes apud Ovidium Metamorph. 13.

- - - Nec vanis credito verbis,
Aſpicite, en: veſtemque manu diduxit, & hæc ſint
Pectora ſemper, ait, veſtris exercita curis.

Apud Achillem Tatium lib. 8. ille, Ζῶσιν βλέπεις, &c. οὐ γὰρ δὴ τοῦτο τῆς κόρης ἐστὶν ἄδηλον. Χεῖρας καὶ πόδας μου, cicatrices vulnerum in manibus pedibuſque. Utroſque patibulo προσηλοῦσθαι moris fuiſſe videmus & ex his Plauti in Moſtellaria,

Ego dabo ei talentum primus qui in crucem excucurrerit,
Sed ea lege ut affigantur bis pedes, bis brachia.

Ibid. Πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει] Apul. de dæmonibus, *Nulla in illis terrena ſolidítas locum inanem occupat*: libello de Deo Socratis.

Ibid. Ψηλαφήσατέ με] Corpus, non ſpectrum, me eſſe hoc modo deprehendetis.

Tangere enim ac tangi niſi corpus nulla poteſt res.

Quintilianus 10 Declam. *Non inani perſuaſione, nec cogitationibus lugentis* (matris) *ficta umbra veniebat, ſed filius erat, qualis aliquando, & juvenis, & pulcer habitu: nec aſpici tantum videríque contentus, amplexus*, &c. *dabat.* Lucianus 2 Hiſtor. veræ, de animabus infortunat. Inſul. civitate oberrantibus, Εἰ μὴ ἅψαιτό τις, οὐκ ἂν ἐλέγξειε μὴ εἶναι σῶμα τὸ ὁρώμενον. Chryſoſtomus ad Joh. 11. ea,]USSIT (Lazarum) SIMILI; *Ut tangentes*, &c. *noſcerent vere eum reſurrexiſſe.* Euthymius ad Matth. ea, TENUERUNT PEDES EJUS: *Non prohibuit ut per tactum certiores efficerentur quod phantaſma non eſſet.* Umbra Palinuri ad Æneam Æneid. 6. *Da dexteram miſero, - -* ubi Servius, *Præſta auxilium, umbra enim nunquam tenetur.* Ψηλαφήσατε Bezæ *contrectate*: quod non plus efficit quam Vulgati illud *palpate.* In Gloſſis, Ψηλαφᾶ, *contrecto, palpo.*

Com. 40. Καὶ τοῦτο εἰπὼν, ἐπέδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας] In Comico Græco de milite (apud Stobæum) τὰς μάχας ἔλεγεν, ἐδείκνυ δ' ἅμα λέγων τὰ τραύματα.

Com. 41. Ἀπιστούντων αὐτῶν ἀπὸ τῆς χαρᾶς] Seneca Tragicus, *Miſera mens incredula eſt*: apud Terentium ille, *Quæ plus*

plus cupio, minus credo. D. Hieronymus in Epiſtolis, de avia Demetriadis, *Obſtupuit, &c. alienum habitum in nepte conſpiciens, mater gaudio ſtabat attonita: utraque verum non credere quod verum eſſe cupiebat.* Vide Gen. 45. 26. Apud Ariſtænetum 2. 14. illa, Τὸν τῦ σΦέδρα ἐκθυμεῖν ἐλάμβανέ μέ τις ἀκηςία. Catullus,

Quam te libenter quamque lætus inviſo!
Vix mi ipſe credens Thyniam atque Bithynos
Liquiſſe campos, & videre te in tuto.

Apud Terentium Heautont. 3. 1. ſenex ille, *Ubinam eſt?* ubi Eugraphius, *Parum credit gaudio quod ſibi ſalus filii nunciatur.* Alter apud eundem 5. 4. Hecyræ, *Sic te dixiſſe opinor, Inveniſſe, &c. - - - -* Ubi Donatus, *Miro affectu inducitur vix adduci ad credendum quod gaudet.* Valerius Maximus, *Inopinato percuſſi gaudio non audiſſe ſe quæ audierant credentes, &c.* Ovidius,

Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides.

Com. 42. Ἀπὸ μελισσίου κηρίου] Ἀπὸ hic eſt ἐκ, ut Matth. 27. 21. Marc. 6. 43. Actor. 15. 5. & 27. 44. & forſan ſupra hic 8. 3. Ut è converſo ἐκ pro ἀπὸ Lucas 1. 45. videtur poſuiſſe. Deinde, καὶ ἀπὸ, pro καί τι ἀπὸ, &c. ut 6. 16. Tobiæ.

Com. 43. Ενώπιον αὐτῶν ἔΦαγεν] Non ergo ſpiritus, ut Angeli, (qui videntur quidem manducare, &c. Tobiæ 12. 19.) ſed vere corpus.

Com. 44. Ετι ὢν σὺν ὑμῖν] Ita Paulus 2 Theſſ. 2. 5. ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς.

Ibid. Οτι δεῖ πληρωθῆναι πάντα, &c.] Vide ſupra ad com. 26. dicta.

Com. 45. Διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν τοῦ συνιέναι τὰς γραΦάς] Sic Actor. 16. 14. idem Lucas, τὴν καρδίαν διανοίγειν. Νοῦν hoc Vulgatus commode *ſenſum* vertit. Ita, *ſenſus*, &c. νῶς, in Gloſſario: &, *apud ſenſum* (i. e. animum) *diſputare*, Apulejus 11.

Com. 47. Αρξάμενον ἀπὸ Ιερουσαλὴμ] Legendum putem aut ἀρξαμένην, ut referatur ad vocem ἄΦεσιν, aut (quod malim) ἀρξαμένων ſcribendum: ὑμῶν nempe: ut & videtur Vulgatus legiſſe. Sic, ἀρξάμενος ἀπὸ Γαλιλαίας, ſupra 23. 5, & hoc ipſo capite, com. 27. ἀρξάμενος ἀπὸ Μωσέως. Vide & Johan. 8. 9. Act. 1. 22. & 8. 35.

Com. 48. Τμεῖς δὲ ἐςε μάρτυρες τύτων] Plato Epiſt. 8. Ὧν αὐτοὶ μάρτυρες ὑμεῖς. Vide ad Act. 10. 39. dicta. Εςὲ hic pro ἔσεσθε, ut ex loco Act. 1. 8. indicavit vir memoria ſeculorum dignus Joannes Gerardus Voſſius l. 3. cap. 5. Harmoniæ Euangelicæ.

Com. 49. Εως ἧ ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψες] Hoc eſt id quod λαμβάνειν δύναμιν, ἐπελθόντος ἐπ' αὐτὰς ἁγίε πνεύματος, jam citato ex Actis loco dicitur.

Com. 52. Τπέςρεψαν, &c. μετὰ χαρᾶς μεγάλης] Τπέςρεψαν (ut ſupra 2. 20.) δεξάζοντες θεὸν ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἤκεσαν, καὶ εἶδον. Sic 2 Macc. 15. 28. μετὰ χαρᾶς ἀναλύειν & ſupra hoc 10. 17. μετὰ χαρᾶς ὑποςρέΦειν.

Com. 53. Ἦσαν διαπαντὸς ἐν τῷ νεῷ] Id eſt, aſſidue: καθ' ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ, ut Matth. 26. 55. Eodem ſenſu ſupra hoc 2. 36. de Anna, ἀπὸ τῦ ἱερῦ οὐκ ἀΦίςατο.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATA

Ad Euangelium ſecundùm

JOANNEM.

CAP. I.

VALLA.

1, 2, 3. *IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*] Sic legunt Græci nunc, & ajunt, autore Joanne Chryſoſtomo, ut ab hoc loco diſtinguatur ſententia ſequens, *In ipſo vita erat.* Quod ſi ita eſt, fruſtra diſputant qui volunt *Nihil* accipi pro *Peccato*, ſive pro *Malitia:* quod ab altero traditum Hieronymus non probat, & mihi ineptum inprimis videtur. Illud autem non indignum eſt admonitione, non idem verbum Græce eſſe, ut apud nos *factum eſt*, ſed duplex; ἐγένετο, quod poſtea transfertur *fuit*, cum dicitur, *Fuit homo*; alterum γέγονε quod ego transferrem *exſtitit:* quod verbum non jungitur cum participio, more verbi ſubſtantivi, ſignificatque *evidenter fuit*, vel *prodiit*; ut cum dico, *Poſt Socratem Plato exſtitit præceptor.*

6, 7, 8. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de Lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille Lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de Lumine*] Non poteſt ſubaudiri *erat* potius quam *fuit*, quia Græce legitur *nomen ei Joannes*, ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης. Cæterum cum non reformidet Interpres iterationem ejuſdem nominis, dicens, *in teſtimonium, ut teſtimonium*, quod Græce non ſit, ἵνα μαρτυρίαν *ut teſtificaretur*, cur reformidavit dicere de luce, *Non erat ille Lux, ſed ut teſtimonium perhiberet*, ſive *ut teſtaretur, de Luce?* ne lectorem addubitare cogeret, ne dicam errare, in *luce* & *lumine*, tanquam diverſis, quæ uno dicuntur Græce vocabulo, τὸ φῶς, περὶ τῦ φωτός.

10, 11, 12. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt: & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum*] Ad quid refertur *eum?* Certe ad *Verbum:* ergo *id* vel *illud* dicendum fuit. Decepit Interpretem genus maſculinum hujus ipſius pronominis αὐτὸν, quod refertur ad *Verbum* maſculini apud illos generis, λόγος. ¶ *Qui credunt in nomine ejus*] Gr. *in nomen ejus*, εἰς τὸ ὄνομα αὐτῦ· Et iterum poſtea 2. 23. *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus quæ faciebat*, εἰς τὸ ὄνομα αὐτῦ· neque hic ſolum, ſed ubique. Neque hoc dico ut ſentiam cum quibuſdam qui volunt aliud eſſe *in Deum credere* & *in Deo*, vel ob hoc quod ſemper Græci per accuſativum loquuntur, quem noſtri nunc per accuſativum nunc per ablativum transferunt, utrumque modum apud Latinos inſuetum, ut nequeas de ipſorum differentia diſputare: quod liquet vel ex eo loco qui non longe poſt ſequitur 3. 15, &c. *Ut omnis qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim dilexit Deus mundum ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* En quatuor loca, quorum duo per accuſativum, totidem per ablativum Interpres extulit, ut mihi videtur, magis affectate quam ſevere, cum ſint, ut dixi, omnia Græce per accuſativum. Ac ne illud quidem auſim dicere, aliud eſſe *credere Deo* & *credere in Deum*, cum videamus ita ſcribi in ſequentibus, c. 6. 29, 30. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille. Dixerunt ergo ei, Quod ergo tu facis ſignum, ut videamus, & credamus tibi?* En *credamus tibi*, i. *in te:* quod comprobant loca ſuperiora illa, cap. 5. 24. *Amen amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam.* Et non multo poſt v. 38. *Quia quem miſit ille, huic vos non creditis*; viz. *in hunc vos non creditis.* Quid autem *credere Deum?* idemne eſt quod *credere Deo*, & *in Deum?* Non quidem idem eſt, ſed in idem recidit. Nam ſi credam *Deum eſſe*, aut *Jeſum eſſe Deum*, nimirum *ei* & *in eum* credam: quod vel illud ejuſdem loci probat, cap. 6. 36. *Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non creditis:* nempe non creditis me eſſe Filium Dei & Chriſtum: quem ſi Judæi credidiſſent, quidni ſatis habuiſſent, & fideles fuiſſent? ut in Act. Apoſtolorum Eunuchus, 8. 37. *Credo Dei Filium eſſe Jeſum*, i. Credo in Jeſum Dei Filium. Et iterum poſtea Joan. 8. 30, 31. *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Jeſus ad eos qui crediderunt ei Judæos.*

13. *Ex Deo nati ſunt*] Potius eſt *geniti ſunt*, ἐγεννήθησαν.

14. *Et vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à Patre*] Non implet veritatem gloriæ dictio *quaſi*, ut dictio *velut*, vel *tanquam*, vel, quæ maxime Græco reſpondet, *ut*, *ὡς*. *Quaſi* enim imitationem ſignificat, non Veritatem: ut, *Tu ambulas quaſi Rex*, cum dico, Regem te non eſſe ſignifico, At, *Ambulas velut Rex, tanquam Rex, ut Rex*, non utique nego te eſſe Regem. Ergo non *quaſi unigeniti* dicendum fuit, ſed aut *velut*, aut, *tanquam*, aut *ut unigeniti.* Neque vero *unigenitus à Patre* ſic accipiendum eſt ut ſit à Patre genitus: quia Græce non eſt participium *unigenitus*, μονογενῦς, quod Latine dicitur *unici* (*unicus* enim dicitur qui ſolus patri eſt filius) ſive *unigenii*, ſicut *primogenii* dicitur. Neque ea præpoſitio eſt quæ verbis aut participiis paſſivis applicari ſolet, παρά. Ergo hic intelligendum acſi diceretur, *Et vidimus gloriam ejus velut unigeniti*, ſive *unici*, ſive *unigenii*, *gloriam à Patre*, quod videlicet intelligatur gloria eſſe a Patre. ¶ *Plenum gratiæ & veritatis*] *Plenum* non, ut plerique putant, accuſativi eſt caſus ſed nominativi, ut Græca veritas probat, πλήρης, h. e. *Verbum caro factum eſt, plenum gratiæ & veritatis.* Eſt autem Græce generis maſc. ut dixi, *Verbum*, quod miror non potius fuiſſe tranſlatum per idem genus, i. per *Sermo.* Nam & hoc vel magis ſignificat quam *Verbum*, & commodius eſt maſculinum genus cum de Filio Dei & de Chriſto loquimur quam neutrum.

15. *Hic erat quem dixi, Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt*] Quomodo *venturum eſſe*, quem dicit *ſtetiſſe in medio* illorum? v. 26. *Medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis.* Et iterum apertius v. 30. *Hic eſt de quo dixi, Poſt me venit vir qui ante me factus eſt:* non dixerat *venit*, ſed *venturus eſt.* Sciamus ergo non ſolum *venit* eſſe præſentis temporis, ἔρχεται, ſed hujus temporis illud eſſe participium Græce, ἐρχόμενος. Ergo dicendum erat, *Qui poſt me venient, ante me factus.* Sed Filius Dei non fuit *factus.* Ego, ne multis diſputem, dixiſſem, *Qui ante me genitus eſt:* nam num & hoc ſignificat γέγονεν ſive *exſtitit.* Eſt enim *exſtitit* pene quod *prodiit*, differtque à *fuit*, quia ut dicimus *genitus fuit*, aut *factus fuit*, ita non dicimus *genitus exſtitit*, aut *factus exſtitit:* etſi hoc genere ſermonis pleroſque nunc videamus utentes.

29. *Altera die vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe*] Non implet veritatem Græcam Latinum nomen, *altera die*, τῇ ἐπαύριον, quod transferretur *poſtera die*, ſive *poſtridie.* Nullus enim dies interceſſit inter eum quo Phariſæis & Levitis illa reſpondit Joannes, & quo dixit hæc. Idem dico de loco qui paulo poſt ſequitur, v. 35. *Altera die iterum ſtabat Joannes.*

36. *Et reſpiciens Jeſum ambulantem, dicit*] Non eſt Græce *reſpiciens*, ſed *inſpiciens*, ſeu potius *intuitus*, ἐμβλέψας, ut ipſe Interpres paulo poſt dixit, v. 43. *Intuitus autem eum Jeſus.*

39. *Ubi habitas?*] Neſcio cur ita delectetur Interpres in varie efferendo eandem Græcam vocem. Cur enim dixit, *Ubi habitas?* & non potius, *Ubi manes?* cum ſequatur, *Et viderunt ubi maneret, & apud eum manſerunt.* Nam Græce dicitur, *Ubi manes?* Πῦ μένεις; quod etſi pro eo quod eſt *Ubi habitas?* accipi poteſt, tamen non fuit cauſa cur dictio mutaretur, ut dixi.

44. *In craſtinum voluit exire*] Idem ait nunc *in craſtinum* quod ſuperius *altera die*, τῇ ἐπαύριον.

52. *Amen amen dico vobis, Videbitis cœlum apertum*] Deeſt una dictio, ut ſit, *Amen amen dico vobis, Deinceps videbitis cœlum apertum*, ἀπ' ἄρτι.

RE'IUS in VALLAM.

3. *NON idem verbum Græce eſſe . . . ſed duplex, ἐγένετο . . . & γέγονε*] Imo idem eſt verbum: ſola tempora differunt: ut recte mihi Beza dixiſſe videatur *obſervationem hanc Vallæ nullius eſſe momenti.* ¶ *Quod ego transferrem* exſtitit] v. 6. At Eraſmus mavult *Erat homo miſſus:* cum paulo inferius ſequatur, *Non erat ille Lux.* Beza tamen Vallam in hoc ſecutus eſt.

10. *Severe*] Annon præſtaret legi *vere?* niſi ſcripſerit *ſecure:* ut dicere voluerit, non oſcitantia quadam hæc tam varie tranſtuliſſe Interpretem, ſed affectatione & oſtentatione. ¶ *Si credam* Deum eſſe, &c. *nimirum* ei & in eum *credam*] Hoc falſum eſſe fides Diaboli teſtimonio ſit, Jac. 2. 19. De πεπεισθῆναι hic non cogitavit auctor.

14. *Neque vero unigenitus*] Hoc luculenter refellit doctiſſ. Beza: quem adi.

15. Qui ante me genitus eſt: *nam & hoc ſignificat γέγονεν, ſive* exſtitit] Quia teſtimonium Divinitatis Chriſti habet locus iſte, vindicandus eſt ab interpretatione Bezæ. Is, τὸ, ἔμπροσθέν μου γέγονε, vertit, *antepoſitus eſt mihi*, (quod & Bellarminus ſequitur Controv. 2. l. 1. c. 18. ut & apud Auguſtinum reperitur Locut. in Judic. pag. 136. Quæſt. in Num. pag. 254. Tract. 3. in Joan. p. 24. Tract. 4 pag. 34.) quia ἔμπροσθεν in his libris non ſignificet *tempus* ſed *locum*, nec γέγονε *eſſe* ſed *fieri*. Quod ad prius attinet, de libris N. T. non abnuo: ſed cum in V. T. locis quam plurimis ita accipiatur ea vox, nihil, opinor, vetabit & hic ita ſumi. Notabo tantum ea capita in quibus, ut hoc loco, conſtructa eſt cum genitivo. Vide ergo 1 Sam. 3. 18. & 18. 5. & 23. 25. 1 Par. 29. 25. 2 Par. 1. 12. Eccleſ. 1. 16. & 2. 7. Eſa. 42. 35. (in Græco 43. 10.) ἔμπροσθέν μου οὐκ ἐγένετο ἄλλος θεός, καὶ μετ' ἐμὲ οὐκ ἔσται. Alterum illud de voce γίνεσθαι falſi convincunt multa dicta in quibus pro εἶναι uſurpatur. Vide Matth. 6. 16. & 8. 24. & 10. 16. & 11. 26. & 18. 12. & 26. 6. τῦ δὲ Ἰησῦ γενομένου ἐν Βηθανίᾳ, i. *Cum eſſet Bethaniæ*, non *cum fieret.* Sed operæ non eſt omnia exſcribere, præſertim cum ipſe Beza Matth. 5. 45. ἵνας γένησθε vertat *ut ſitis.* & Marc. 6. 2. dicat γενομένης poſſe accipi pro ὄντης, & γενομένοι pro ὄντες. Quia vero etiam pro *gigni* accipi poſſe ſcribit Laurentius, & hoc fatebitur quiſquis apud Herodotum, Thalia, legerit, Ζωπύρῳ δὲ τούτῳ γίνεται Μεγάβυζος - - - Μεγαβύζῳ δὲ τούτῳ γίνεται Ζώπυρος, &c. & apud Homerum Il. ε'.

- - - ἦ δ' ἐν νυκτὶ γένοντο.

i. *Una nocte nati erant.* Et Odyſſ. γ'.

- - - ἐ γὰρ ὅτε

Οὔ σε θεῶν ἀΐδηλον γενέσθαι τετμαῖρέν τε.

Et unde, quæſo, Chriſtus μονογενὴς dicitur niſi à γίνομαι; Quid etiam eſt Βίβλος γενέσεως Ἰησῦ Χριστῦ niſi *Liber generationis* ejus? Refugerunt tamen hanc vocem in doctrina de Deitate Chriſti Patres, & τὸ γενέσθαι prætulerunt, propter Arianos, qui illam πολύσημον ἴσασιν pro ποιεῖσθαι & κτίζεσθαι in ore habebant. Vide Epiphanium hæreſ. 64. & 69.

29. *Vidit*] Non eſt *vidit*, ſed *videt*, βλέπει, ut monet Eraſmus: & *ſic legunt emendatiores codd. veteris editionis, quos neque Valla vidit, neque Eraſmus*, ut notat Beza.

44. *In craſtinum*] Præpoſitus erat verſui 39.

ERASMUS.

1. *IN principio*] Illud in primis annotandum, quod indicavit & Chryſoſtomus, Joannem neque Matthæi aut Marci more ſumere exordium, neque ad exemplum Lucæ, ſed iiſdem verbis ingreſſus eſt hiſtoriam Euangelicam quibus Moſes ingreſſus Geneſin mundi. Cæterum quod illic quidam interpretantur, *In principio, id eſt, In Filio*, hic certe locum non habet. ¶ *Erat Verbum*] Λόγος Græcis varia ſignificat, *Verbum, Orationem, Sermonem, Rationem, Modum, Supputationem:* nonnunquam & pro *Libro* uſurpatur: à verbo λέγω, quod eſt *dico*, ſive *colligo*. Horum pleraque D. Hieronymus aliqua ratione putat competere in Filium Dei. Miror autem cur *Verbum* Latinis placuerit magis quam *Sermo*. Nos tametſi videbamus *Sermonis* vocabulo rectius exprimi Græcam vocem qua uſus eſt Euangeliſta, λόγον, tamen in editione prima ſuperſtitioſo quodam metu non mutaveramus *Verbum*, quod poſuerat Interpres, ne quam anſam daremus iis qui quidvis ad quamvis occaſionem calumniantur. Tantum teſtati ſumus alicubi *Sermonis* nomine non infrequenter ſignari Filium Dei in Sacris voluminibus. Mox ubi comperimus hoc tam paſſim fieri, & hoc ipſo in loco quondam Eccleſiam legiſſe, *In principio erat ſermo*, atque ita citari in libris Cypriani & Auguſtini, non exiſtimabam quenquam fore qui offenderetur; præſertim cum hæc demus non in templis ſed in muſeis legenda. Quid enim erat piaculi ſi in libro qui privatim legitur pro *Verbo* dicam *Sermonem*, aut *Eloquium*, aut *Orationem*, aut *Vocem*, aut aliud quod idem polleat? Non magis, opinor, quam ſi Patrem dicam *genitorem*, *ſatorem*, *parentem*, & ſiqua vox alia Latinis auribus repræſentat autorem generis. Cum igitur nihil futurum fuerit cauſæ cur reprehenderer, etiamſi nuſquam in S. libris *Sermonis* vocabulum tributum eſſet Filio Dei, nunc multo minus merebar reprehendi, cum *Sermo* multis ex nominibus rectius & aptius exprimat Græcam vocem quam *Verbum*, cum ea vox toties reperiatur uſurpata in recentioribus ac vetuſtis Orthodoxis, cum eam & hodie publicitus uſurpet uſus Eccleſiaſticus, & olim publice ſic legerit Eccleſia quemadmodum nos vertimus. Qua de re ſi quis volet exactius cognoſcere, legat Apologiam noſtram qua ſtolidiſſimos quorundam latratus retudimus. Ex hac in præſentia ſat erit pauca quædam excerpere, quæ pro tempore lectoris animum placent, ſi quis forte commovebitur. Primum, *Sermo* commodius explicat quod Euangeliſta poſuit λόγον, quod apud Latine loquentes *verbum* non ſonet totam Orationem, ſed unam aliquam Dictionem; raro tamen dictum aliquod breve, veluti Sententiam aut Proverbium; *Verus verbum eſt.* At Chriſtus ideo dicitur Λόγος quod quicquid loquitur Pater per Filium loquatur. Deinde generis congruentia facit ut mollior ſit oratio quoties dicimus, *Sermo Dei factus eſt caro*, quam, *Verbum Dei factum eſt caro.* Alioqui nihil aptius reddebat emphaſin Græcæ vocis λόγε quam *oratio.* Jam Cyprianus tot nominibus inclytus, primum eloquentia vere Theologica deinde ſanctimonia quadam Apoſtolica, poſtremo martyrio in opere quod ſcripſit adverſus Judæos l. 2. c. 5. non aliter refert hunc Euangeliſtæ locum quam nos vertimus: *In principio*, inquit, *fuit Sermo, & Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo.* Atque idem ejuſdem libri c. 3. cui titulus eſt, *Quod Chriſtus idem ſit Sermo Dei*, inter complures S. Scripturæ locos, quibus docet Filium Dei dici *Sermonem*, & hunc adducit. Quanquam in hoc ſcriba ſciolus in pleriſque codd. *Sermonem* verterat in *Verbum*, non animadvertens quid promitat titulus, qui haud dubie Cypr. eſt, non ſcribæ. Ad hæc Auguſt. enarrans ex Joan. c. 17. locum hunc, *Sermo tuus veritas eſt*, palam docet nihil referri utrum *Sermonem* dicas an *Verbum.* Docet & hoc loco pleroſque cod. habere, *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo.* Quin idem compluribus locis *Sermonis* vocabulum in S. libris interpretatur de Filio Dei; quæ neceſſe non eſt hic repetere. Quod ſi iſta non legunt qui tamen videri volunt Eccleſiæ Doctores, certe non potuit illos fallere quod ex libro Sapientiæ quotannis canit Eccleſia, *Omnipotens Sermo tuus, Domine, exſiliens de cœlo a regalibus ſedibus.* Hæc atque id genus alia loca non veteres tantum, ſed & Thomas, Hugo Cardinalis, Gloſſa ordinaria, Beda, Remigius, Anſelmus, interpretantur de Filio Dei, nihil deſiderantes *Verbi* vocabulum, neque quicquam offenſi dictione *Sermonis.* S. Hilarius l. 2. De Trinitate, Dei Filium nunc *Verbum* appellat, nunc *Sermonem.* Etenim cum ait *Sermo cogitationis æternus eſt, cum qui cogitat eſt æternus*, nonne palam vocat Chriſtum *Sermonem æternum* ex æterna mente Patris ſine tempore proficiſcentem? Ac mox cum ait, *Nunquid audieras in Deo, ut ſermonem reconditæ cogitationis acciperes*, an non tribuit Chriſto *Sermonis* cognomen? Idem aliquanto poſt ſic multis verbis diſputat de differentia ſermonis humani ac Divini ut nuſquam horreat Chriſto tribuere *Sermonis* vocabulum. Ad hæc Ambroſius lib. de fide adv. Arianos c. 2. Chriſtum nunc *Verbum* appellat, nunc *Sermonem:* quod tamen idem & aliis aliquot locis facit. Hieronymus in epiſt. ad Epheſeos cap. 1. *Non*, inquit, *quod alius aſſumptus homo, & alius ſit Sermo qui aſſumpſit*, &c. *Sermonem* dixit Filium Dei. Rurſum eodem capite, *Ut quomodo Dominus noſter Jeſus Chriſtus eſt Sermo, Sapientia, Veritas.* Et Lactantius l. 4. c. 8. Dei Filium *Sermonem*

mentum appellat; atque item capite proximo non ſemel. Claudianus *Vocem* auſus eſt dicere,

Vox ſummi Senſuſque Dei.

Pro *Sermone Vocem* dixit; pro *Sapientia*, *Senſum*. Prudentianis hymnis tantum tribuit Eccleſia ut eos in ſacris liturgiis ſolenniter decantet: Atque in his audit citra offenſam Eccleſia,

Ades, Pater ſupreme,
Quem nemo vidit unquam,
Patriſque Sermo Chriſte,
Et Spiritus benigne.

Sed videri poterat inceptum me hæc perſequi, quæ, ſi quis excutiat Sacros ſcriptores, finem non habent, niſi quidam tam impudenter obſtreperent. Sic olim legit Eccleſia, ſic hodie canit, ſic non raro loquuntur veteres Orthodoxi, ſic recentiores, & tamen quidam ſic offenſi ſunt *Sermonis* vocabulo quaſi nuſquam lectum aut auditum eſſet apud Chriſtianos. *Sed offendit*, inquiunt, *novitas.* Quos tandem? Ipſos qui calumniantur? At iſtis qui rei Theologicæ videri volunt doctiſſimi non oportebat eſſe novum quod toties eſt obvium in Sacris autoribus. Idiotas? At iſtos res ignota nihil moviſſet niſi quidam ſeditioſe clamaſſent apud populum, vanitatem addentes maledicentiæ. *Aiunt*, inquiunt, *de re Chriſtiana poſteaquam novum habemus Euangelium.* Quid hac voce ſtolidius? An ideo novatum eſt Euangelium ſi pro *Verbo* dicitur *Sermo?* Non hercle magis quam novatus eſt Nicolaus, qui poſita veſte candida ſumpſit fuſcam. Scio plurimum eſſe tribuendum tam inveteratæ conſuetudini: ſed quoties apud populum agitur fabula. Receptum eſt ut tingentes ſemigræce loquamur, *Baptizo te:* nolim apud idiotas dicere, *Tingo te:* cum tamen apud Deum nihil referat. Nolim, ut nunc res habent, in Templis recitare, *In principio erat Sermo*, ſi probabiliter ſuſpicarer fore qui vehementer offendantur, præſertim cum hæc lectio ſit proba, altera tolerabilis. Quod ſi lectio recepta ſit palam mendoſa, & ſunt inter auditores qui veterem ſalivam malint abſque judicio, ſunt contra qui judicio malint quod rectum eſt, neque vitari poteſt quin altera pars offendatur, utri jubebor obſecundare? Malim equidem omnibus ἀπρόσκοπος eſſe. Fortaſſe primum obſequar imperitis quod hi magis ſoleant ferocire, ac mox placabo doctos. Sed tamen interim admonendi ſunt imperiti ne per ſuam imperitiam moveant tumultum in eos quibus magis oportuit ipſos parere: Quemadmodum Paulus ex charitate vult abſtineri ab idolothytis ne frater infirmus offendatur; ſed interim admonet & objurgat infirmos qui ſine cauſa judicant fratrem gratias agentem. Fateor, quæ publice recepta ſunt perperam, paulatim ſunt abroganda, quemadmodum Paulus abolevit legem Moſaicam, ſed tamen antiquanda ſunt. Scio fabulam Auguſtini, qui narrat in Africa neſcio quem Epiſcopulum pene deſtitutum à populo propter unam voculam ex Hieronymi tranſlatione ſecus apud populum recitatam quam ſolet. At Hieronymus vir ſanctus ac doctus cucurbitarios illos Africanos fortiter irridet. Quod ſi placuiſſet omnibus omnia tribuere indoctis, jam non haberemus tam multa per veteres Orthodoxos reſtituta. Nec enim quicquam adferunt qui cenſent parcius fuiſſe variandum quod erat receptum. Primum, cum ſint hominum varia judicia, quis præbebit regulam ad quam moderer varietatem, cum mihi ſciam eveniſſe quod apud Poetas Jovi, qui neque pluvius neque ſerenus potuerit omnibus placere? Deinde, quod dicunt iſti fortaſſe nonnihil habeat momenti ſi mea tranſlatio publice receptam protruderet. At in hoc meo propoſito quo major eſt varietas, hoc plus eſt fructus. Siquidem cum hæc adhibeatur nova, non ut vetus antiquetur, ſed ut ſit & dilucidior & caſtigatior, expediebat ſingulas etiam variari voces, ſi cui libuiſſet. Quandoquidem Auguſtinus non uno loco fatetur ſe ex varietate codicum plurimum accepiſſe lucis in S. voluminibus. Quis enim non probat operam literatorum, qui in ludis literariis Maronis aut Horatii verba ſingula ſingulis diverſis interpretantur, non hoc agentes ut illi videantur parum recte locuti, ſed ut intelligatur quod locuti ſunt. Cæterum illud propius ad hoc inſtitutum pertinet, non ſimpliciter poſitum λόγος, ſed additum articulum, ὁ λόγος, ut non poſſit de quovis accipi verbo, ſed de certo quopiam & inſigni. Habet enim hanc vim articulus, quam Latine utcunque reddimus adjecto pronomine *ille.* Veluti cum Ariſtoteles in genere de quolibet agit Bono, ἀγαθὸν vocat; cæterum cum unicum illud ac ſummum Bonum intelligi vult, addit articulum, τ' ἀγαθόν. Item καλὸν appellant Philoſophi quod quovis modo Pulchrum ſit; τὸ καλὸν, eximium illud ac vere Pulchrum ſive Honeſtum quod à virtute proficiſcitur. Item πᾶν appellant quod quocunque modo Totum eſt; verum abſolutum illud Univerſum quod vere complectitur omnia, non ſimpliciter πᾶν ſed τὸ πᾶν appellant. Itidem in Divinis literis, cum *Deos* vocant amicos Dei, non apponitur articulus, ſed tantum θεοί ἐσε *Dii eſtis.* Aut cum intelliguntur Dii Gentium, quale eſt apud Paulum 1 Corinth. 8. 5. *Etſi ſunt qui dicuntur dii, ſive in cælo, ſive in terra; quemadmodum ſunt dii multi, & domini multi.* Nullus enim hic appoſitus eſt Græcus articulus, Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ, εἴτε ἐν οὐρανῷ, εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς· ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ, καὶ κύριοι πολλοί. Auguſtinus in Quæſtionibus quas ſcripſit in Geneſin l. 1. adducit & alterum exemplum ex Geneſ. 33. 10. in quo Jacob ait *ſe vidiſſe faciem Eſau, acſi quis videret faciem dei*, negans in Græcis exemplaribus eſſe ſcriptum πρόσωπον τῦ θεῦ appoſito articulo, ſed πρόσωπον θεῦ citra articulum: at quoties ſignificatur verus ille & ſolus Deus, ſemper additur articulus, ὁ Θεός· niſi ſiqua ratio peculiaris obſtet. Et quoties ſe vult intelligi Chriſtus, non quovis modo Dei Filium, ſed natura ac vere Filium, ὁ υἱὸς τῦ Θεῦ dicitur. Rurſus ubi Divinitatem diſſimulat, ſe *Filium hominis* appellat, ſed utrique nomini ſuo præpoſito articulo, ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπε, ceu non quilibet Adæ filius, ſed eximius ille Filius hominis, humani generis reſtitutor. Rurſum, ὁ ἀμνός, cum multi ſint agni, unicus ille Agnus intelligitur cujus immolatione tolluntur peccata mundi. Et, ὁ προφήτης, unicus ille Propheta per Moſen promiſſus. Et cum Lux illa deſignatur unde lux omnis nobis fluit, τὸ φῶς dicitur, addito articulo. Et cum *Paſtor bonus* dicitur unicus ille Paſtor Chriſtus, ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, congeminato articulo. Et, ἐγώ εἰμι ἡ θύρα, *Ego ſum oſtium*, cum non quodvis oſtium, ſed unicum illud denotatur. Et paulo inferius, *Invenimus Meſſiam*, τὸν Μεσσίαν, unicum illum Meſſiam. Et, *Tu es Rex Iſrael*, ὁ βασιλεύς. Didymus lib. De Spiritu, quem Latinum fecit Hieron. diligenter & hoc adnotavit, quoties in Divinis literis mentio fit Spiritus Divini, articulum apponi, τὸ πνεῦμα· idque confirmat compluribus arcanæ Scripturæ locis in hoc adductis. Atque hoc potiſſimum argumento docet eundem fuiſſe Spiritum qui afflavit Prophetas & quem hauſerunt Apoſtoli. Annotavit idem Athanaſius libro De Spiritu S. ad Serapionem, & hic ſuam ſententiam compluribus Scripturarum teſtimoniis comprobans. Ac plane tantum habet momenti hoc loco prætermiſſus aut additus articulus ut Chryſoſtomus & Cyrillus hoc potiſſimum argumento rejiciant hæreſim quorundam qui negabant Chriſtum illud eſſe Verbum quod ab initio fuerat in Patre, ſed illud aliud quoddam fuiſſe Verbum interius Patri, unde natum ſit alterum Verbum quod eſſet Chriſtus. ¶ *Et Verbum erat apud Deum*] Rurſum addidit articulum non ſolum *Verbo* ſed etiam *Deo:* ut illud unicum ac vere Verbum intelligamus, de quo prius dixerat: & Patrem vere Deum, non quemvis alium Deum. ¶ *Et Deus erat Verbum*] Hoc loco *Deo* non additur articulus, cum tamen vere ac natura Deum ſignificet: verum id facit coactus: alioqui non poterat ſimul explicare Divinam eſſentiam tribus communem Perſonis. Nam ſi utrique addidiſſet articulum, καὶ ὁ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, jam confudiſſet Perſonarum proprietates; atque hic fuiſſet ſenſus, *& ille Deus*, nempe Pater, *erat illud Verbum*, nempe Filius. Rurſum ſi *Deo* addidiſſet articulum, non *Verbo*, καὶ ὁ Θεὸς ἦν Λόγος, jam duo ſignificaſſet Verba; ac ſenſus fuiſſet *& ille Deus*, nempe Pater, *erat & ipſe Verbum quoddam*, & ſi non idem Verbum quod Filius, tamen aliquod Verbum. In qua ſententia fuere veterum nonnulli, duo facientes Verba, Gignens, & Genitum, ut dictum eſt paulo ſuperius. Atque adeo Prudentius ipſe videri poſſet hujuſmodi quippiam ſenſiſſe, cum in hymno Jambico De natali Chriſti ſcribit,

Ex ore quamlibet Patris,
Sis ortus, & verbo editus.

niſi malumus *verbo* interpretari *verbi prolatione.* Nunc quoniam *Verbo* addidit articulum & *Deo* non addidit, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, Chriſtianam expreſſit ſententiam, ſic ut alio detorqueri non poſſit, nimirum hanc, *Et illud idem Verbum*, quod modo dixi *in principio fuiſſe apud Deum*, *erat Deus*, h. e. particeps eſſentiæ Divinæ, ſive, ut melius dicam Græce, ὁμούσιον τῷ πατρί. Neque enim ſic liceret loqui Græcis, ἡ ἐλάτη τὸ δένδρον ἐστίν, *Abies arbor eſt*, aut, ἡ κιθάρα τὸ ξύλον ἐστίν, *Cithara lignum eſt*, appoſito articulo. Hæc ita eſſe ut diximus facile comprobabit qui vel mediocriter Græce noverit. Nos quanquam in hoc exordio parcius immutavimus, reveriti ſacramentum ineffabile, tamen admonendum putavi, quo magis intelligant noſtri Theologi nonnihil intereſſe è fuis haurias fontibus myſticas literas an è lacunis.

3. *Omnia per ipſum facta ſunt*] Cum de Verbo fiat hic quoque mentio, de quo modo locutus eſt, rectius verteret, *Omnia per illud facta ſunt*, ut repetat *Verbum*; ſive, *Omnia per idem facta ſunt*, ſicut paulo ſuperius, *Hoc erat in principio*. Niſi mavis pronomen *ipſum* referri ad *Deum Patrem*, qui proxime præceſſit. Verum huic ſenſui nonnihil refragatur præpoſitio διὰ *per*, quæ non perinde congruit cum ratione Paterni principii, ſive mavis Hilarii verbo uti *auctoritatis*; & magis concinit cum Paulinis verbis, qui ait, *Per quem fecit & ſecula*: ut per Filium intelligamus omnia condita à Patre. At nunc Latinus ancipitem reddidit ſententiam, quod *ipſum* pronomen utrolibet poſſit accommodari. Quanquam & Græcis ambiguus eſt ſermo, ſed quem Græci omnes interpretentur ut *per ipſum* ad *Verbum* referatur, non ad *Patrem*. Siquidem hinc Orthodoxi probant Filium fuiſſe ab æterno. *In principio creavit Deus*: Hæc creatio ſi per Filium facta eſt, conſequitur illum fuiſſe ante res conditas, nec inter res creatas numerari. Ex iiſdem verbis arripuerunt occaſionem Ariani, ſomniantes Patrem in condendis rebus Filio ceu inſtrumento uſum, cum ita per Filium condiderit omnia Pater ut is nihilo ſecius cum Patre condiderit omnia. Ambroſius hæc verba *Fiat lux*, vult eſſe Patris ad Filium; *Et facta eſt lux*, nimirum ex autoritate Patris per Filium. Cæterum eos qui ex argumento præpoſitionis ratiocinantur Filium eſſe Patre minorem refellit Chryſoſtomus, oſtendens hanc præpoſitionem in S. literis interdum & Patri tribui. Igitur & Orthodoxorum ſententia & Hæreticorum calumnia declarant *per ipſum* ad Filium referri non ad Patrem. ¶ *Et ſine ipſo factum eſt nihil*] Hunc locum bifariam diſtinguunt. Chryſoſtomus hom. 4. & hunc ſecutus Theophylactus ita legunt conjunctim, *Omnia per illud*, ſubaudi *Verbum*, *facta ſunt*, *& abſque illo factum eſt nihil quod factum eſt*: ut intelligas nihil omnino creatum quod non ſit creatum à Patre per Filium. Scribit autem Chryſoſtomus, hæreticos quoſdam diſtinguere ad hunc modum, *Omnia per ipſum facta ſunt*, *& ſine ipſo factum eſt nihil*: atque hic interpoſita diaſtole ſubjiciunt, *Quod factum eſt in ipſo*, *vita erat*, interpretantes Spiritum S. quem creaturam faciunt, intelligi in eo quod dicitur, *Quod factum eſt*. Et tamen hunc in modum diſtinguunt Cyrillus Græcus & Auguſtinus Latinus, quanquam diverſo ſenſu. Nam Auguſtinus intelligit *omnem creaturam in Deo vitam eſſe*, ſuo more non illibenter πλατυνίζων. Cyrillus autem ſic interpretatur ut intelligamus *omnia per Filium fuiſſe condita*, tam viſibilia quam inviſibilia, *& quicquid conditum fuit*, *in eo Verbum illud eſt vita*: ut non ſolum ſit omnibus autor originis cum Patre, verum etiam idem admixtum omnibus, veluti vita: tueatur & conſervet univerſa quæ condita ſunt. Atque hanc diſtinctionem ſequitur Hilarius, non admodum diſſentiens & à Cyrilli ſententia. Sequitur & Gregorius Nazianzenus in opere De Spiritu S. ſic rejiciens hæreticos ut dicat hunc locum accipiendum de iis quæ facta ſunt, ut ad Filium aut Spiritum S. accommodari non queat. Cæterum quod quidam interpretantur *nihil* Peccatum aut Malitiam, quod ea ſola *ſint* quæ natura ſunt, & ob id bona ſint, Peccatum eſſe quidem privativum, Sophiſticum eſt magis quam Theologicum. D. Hieronymus enarrans Michææ cap. 2. refert quoſdam hoc loco *nihil* interpretari Malitiam, & ex conſequenti Diabolum: quam opinionem non probat. Beatus Auguſtinus ediſſerens hunc locum *nihil* interpretari videtur *quod non eſt natura ſed malitia vitiatum*: Ita Peccatum *nihil* eſſe, & Hominem peccatorem fieri *nihil*, & Diabolum eſſe *nihil*. Angelum condidit Deus, non Diabolum; & Hominem condidit, non Peccatorem; & Arborem condidit Deus, non Idolum. Sed hic rurſus naſcitur quæſtio, Utrum Peccatum ſive Malitia ſit privatio tantum, an aliquid poſitivum, ut ipſi vocant: &, An Vipera dici poſſit natura mala. Cæterum quod ait Auguſtinus *peccatorem fieri nihil*, & *idolum*, juxta Paulum, *eſſe nihil*, non ſimpliciter eſt accipiendum: alioqui quid attinebat negare à Deo factum eſſe quod nihil ſit, & ob id à nullo fieri poſſit? Verum *nihil* interdum ſonat id quod omnino non eſt in rerum natura, h. e. quod neque Subſtantia ſit neque accidens; interdum, quod pro nihilo ducitur; nonnunquam, quod ex comparatione nihil eſt, velut Homo comparatus ad Deum nihil eſt, & hominis ſapientia ad Divinam collata ſapientiam ſtultitia eſt. Hic igitur ſimpliciter negat, *Nihil factum eſt ſine illo*, i. Quicquid ſubſiſtit in rebus conditis à Deo factum eſt. Sic interpretatur libro De natura boni adv. Manichæos c. 25. *Sine eo factum eſt nihil* nihil aliud valere quam ſi dicas, *Quicquid factum eſt*, *non abſque eo factum eſt*; irridens ſuperſtitioſam Manichæorum diſtinctionem, qui negabant hunc ſenſum reddi niſi cum hoc ordine pronunciaretur, *Nihil ſine eo factum eſt*; cæterum ſi pronuncies, *Sine eo factum eſt nihil*, NIHIL jam accipi pro eo quod ſit aliquid, & factum ſit. Id cum multis verbis derideat Auguſtinus, tamen Sophiſtæ putant non minimum intereſſe quoties vox quæpiam in alium transfertur locum. Hoc ut alias verum ſit, hic certe non habebat locum. Nam & alibi ſic loquitur Dominus, *Palam locutus ſum vobis*, *& in occulto locutus ſum nihil*. Cæterum quid intereſt utrum dicas, *Stultiorem hoc homine vidi neminem*, an *Neminem vidi ſtultiorem hoc homine!* Cavillatur hoc loco neſcio quid is cujus nomine exſtant aliquot homiliæ in Joannem Origenis titulo, ſed falſiſſimo: id quod vel me tacente res ipſa clamitat, cum nihil illic ſit quod ullam Origenis venam ulla ex parte ſapiat. Atqui eo res rediit ut hujuſmodi nugas etiam prudentes dataque opera adjiciant typographi, quo volumine aucto quæſtus fiat uberior. Quod ſi illis licet quicquid volunt quocunque prodere nomine, & nobis fas non erit titulo ſemel illito chartis refragari, bella nimirum erit ſtudioſorum conditio, ſi nebulonis aut impoſtoris nugas pro oraculis cogentur amplecti. Verum hæc παίρεργα. Ut ad rem redeam; Is quiſquis eſt, aut quicunque ſunt, ſive homines, ſive dii, argutatur, neſcio quid Græce ſignificantius dici pro eo quod nos dicimus, *Et ſine ipſo factum eſt nihil*: apud illos enim eſſe *extra*, non *abſque*: quod ſane quid ſibi velit non ſatis intelligo, niſi quod in omnibus quæ quidem viderim Græcis exempl. ſcriptum comperio χωρὶς αὐτοῦ, i. *abſque illo*. Atque eadem eſt præpoſitio Græca Joan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*, χωρὶς ἐμοῦ. At is utrobique vult legi *extra*, non *ſine*. Niſi forte ille quiſquis fuit pro χωρὶς legit ἐκτὸς· aut niſi χωρὶς vertendum putat *extra*, ἄνευ *ſine*. Ad Cyrilli ſententiam nonnihil facit quod cum bis dixerit *vitam*, priori vitæ non addidit articulum, poſteriori addidit: *In eo quod conditum eſt*, *Verbum illud erat quadam vita*, dum imperit incolumitatem naturæ conditæ. Ac mox cum ipſum Verbum peculiari modo *Vitam* appellat, *Et Vita erat Lux hominum*; appoſuit articulum, veram illam ac ineffabilem Vitam ſignificans, Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ Φῶς. Auguſtinus indicat & hic diſtinctionem: ſic enim docet legendum, *Quod factum eſt*, ut hic interpoſito ſilentio ſubjiciatur, *in ipſo vita erat*: ut accipias non in quovis creato eſſe vitam, juxta Manichæos, cum Lapides vita careant, ſed creaturam fuiſſe in Creatore, qui Vita eſt, videlicet de ideis ſenticns. Nam Manichæi ſic diſtinguunt, *Sine ipſo factum eſt nihil*. *Quod factum eſt in ipſo*, *vita erat*: ad hunc modum ratiocinantes, vel potius irrationabiliter delirantes, *Nihil non factum eſt in illo*: *h. e. per illum*: *igitur quicquid conditum eſt*, *vita eſt*; *h. e. vivit*. Atqui Auguſtinus hanc particulam *in ipſo* conjungens cum his quæ ſequuntur *vita erat*, ſentit quicquid conditum eſt vivere, non in ſeipſo, cum multa ſint quæ ſuapte natura nec ſentiant nec vivant, ſed in eo qui condidit, in cujus æterna mente vivunt omnia, etiam antequam condita fuerant. Mihi videtur eſſe vera lectio quam hodie vulgo ſequitur Latinorum uſus, *Quod factum eſt*, *in ipſo vita erat*. Congruit enim hujus Euangeliſtæ peculiari ſermoni fere membrum ſequens ex præcedentis membri fine inchoare. *Factum eſt nihil* finis eſt ſuperioris coli. *Quod factum eſt*, initium eſt alterius. Cujus formæ ſunt & illa, *In principio erat Verbum*, *& Verbum erat apud Deum*, *& Deus erat Verbum*. Dictio finiens primam particulam inchoat ſequentem. In quarta repetit initium primæ, *Hoc erat in principio*, & ita abſolvit periodum. Rurſus in hoc quod ſequitur, *Quod factum eſt*, *in ipſo vita erat*: *& Vita erat Lux hominum*; *& Lux in tenebris lucet*, *& tenebræ eam non comprehenderunt*. Semper ex proximo membro ſumitur gradus ſequentis. Hilarius ſecus diſtinguit, *Quod factum eſt in eo*: ut hic diſtinguatur, deinde ſuccedat, *Vita erat*. Quod ne cui dubium eſſe poſſit, faciunt ea quæ ſequuntur, *Hoc igitur non ſine eo*, *quod in eo factum eſt*. *Nam quod in eo factum eſt*, *etiam per eum factum eſt*. Quanquam autem ſimiliter diſtinguit cum Manichæis, non tamen idem ſentit cum illis.

6. *Fuit homo miſſus*] Ἐγένετο. Idem verbum quod modo tranſtulit *facta ſunt*. Proinde Valla maluit hoc loco *Exſtitit* quam *Fuit*. At ego malim, *Erat homo miſſus*: cum paulo inferius ſequatur, *Non erat ille Lux*. Illud annotandum, hic *homini* non præponi ſuum articulum, quo tantum Hominis indicet naturam, & Joannem hac nota ſeparet à Chriſto, qui ſimul & Deus erat; cui ut reſpondeat *Deus*, & hoc citra articulum extulit, παρὰ Θεοῦ, *Homo erat qui mittebatur* ut hominibus annunciaret Chriſtum: ſed ne cui leve ſit hujus teſtimonium hominis, *à Deo* miſſus erat, non ab homine. Et haud ſcio an alioqui id perpetuum ſit in arcanis literis, cum Deo apponitur articulus, aut certam Perſonam denotari in Di-

Divinis Hypoſtaſibus, aut verum illum & unicum Deum à reliquis Gentium Diis diſtingui, licet non temere liceret addere aut demere articulum. ¶ *Cui nomen erat Joannes*] Ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης, *Nomen ei Joannes.* Et mutavit nonnihil Latinus interpres, & addidit de ſuo, idque nulla compulſus neceſſitate. Ne quis nobis ſuccenſeat ſi quid forte mutamus alicubi, vel adacti neceſſitate, vel invitati commoditate. Nec eſt ſimpliciter *miſſus*, ſed ἀπεσταλμένος, participium ejus verbi unde dicti ſunt *Apoſtoli*, *emandatus.* Nam Græcis βάλλει qui *mittit telum*, aut *lapidem*; πέμπει, qui quocunque modo *mittit munus*, aut aliquid ſimile; ἐπιστέλλει, qui *mittit epiſtolam*; ἀποστέλλει, qui *emittit cum mandatis aliquem.*

7. *Ut omnes crederent per illum*] Græcis incertum eſt an *per illum* referatur ad *Joannem*, ut intelligamus *illo teſtificante omnes debuiſſe credere in Chriſtum*, an *omnes debuiſſe credere Patri per illud Lumen cui teſtimonium perhibebat Joannes*; quod αὐτῷ poſſit accipi maſculino aut neutro genere. Verum δι' αὐτοῦ Doctores referunt ad *Joannem*: unde magis quadrabat hic *ipſum* quam *illum.*

8. *Non erat ille Lux*] Primum illud admonendus eſt lector, quod Latinus hic interpres modo *lumen* vertit modo *lucem*, Græcis eandem eſſe dictionem φῶς: ne quis Græcanici ſermonis ignarus in commutata voce Latina ſomniet ſubeſſe myſterium. In emendationibus Auguſtini exemplaribus legitur, *Non erat ille Lumen, ſed ut teſtimonium perhiberet de Lumine.* Cæterum illud non abs re quæritur à doctis, cum Chriſtus apud Matthæum 5. 14. ſuos Apoſtolos vocet *lucem mundi*, & cum Joannes Baptiſta nominatim dictus ſit *lucerna ardens & lucens*, cur hic eum Lumen eſſe neget. Verum hunc tantum alioqui nodum additus aut omiſſus articulus diſſecat. Quandocunque veram illam & ſuapte natura lucidam Lucem ſignificat, articulum addit, τὸ φῶς, & τῷ φωτός. Hic item cum negat Joannem eſſe Lucem, non dixit οὐκ ἦν ἐκεῖνος φῶς, *Non erat ille lux*, ſed οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς, *Non erat ille Lux illa. Non erat illa vera Lux.* Annotavit hæc Cyrillus, ſi cui noſtra levis eſt autoritas, ac Theophylactus. Ut ſolus Deus dicitur *ſapiens* & *immortalis*, ita ſolus Chriſtus dicitur *lux.* Joannes φῶς erat, τὸ φῶς non erat. Aut ſic accipe, *Non erat ille Lumen* de quo modo locutus ſum cum dicerem, *ut teſtaretur de Lumine.* Habet enim & hoc articulus ut referat rem de qua prius fuerit ſermo: quod ideo adjecimus quia apud Matthæum ubi Chriſtus vocat ſuos *lucem mundi* & *ſal*, utrobique additur Græcus articulus. Ad hæc cur magis placuit periphraſis *ut teſtimonium perhiberet de Lumine* quam *teſtificaretur*, cum Græce ſit μαρτυρήσῃ; Quanquam hic ſermo nonnullam ellipſim habere videtur, quæ ſic poterat ſupplori, *Non erat ille Lumen, ſed miſſus erat ut teſtaretur de Lumine.*

9. *Erat Lux vera*] Jam admonui *lucem* & *lumen* Græcis idem eſſe nomen; ne quis erret in *luce* & in *lumine*, putans eſſe aliquid diſcriminis. Cæterum illud magis ad rem pertinet, *erat* quo referre oporteat, num ad *Verbum.* Nam quominus ad *Joannem* referatur obſtat ipſe ſenſus. Equidem arbitror nec ad *Verbum* referendum, ſed ad ipſum *Lumen*, quod mox ſequitur propterea quod utrique nomini *lux* & *vera* ſuus præponitur articulus, ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν· ut ad hunc legamus modum, *Non erat Joannes Lumen illud de quo loquor, ſed in hunc mundum duntaxat miſſus ut teſtificaretur de Lumine: Nam Lumen hoc de quo loquor erat Lumen verum quod illuminat omnem hominem:* h. e. erat fons luminis, unde ipſi quoque Joanni ſuum fluxit lumen. ¶ *Venientem in hunc mundum*] Εἰς τὸν κόσμον *in mundum.* Nam *hunc* non addunt Græci: niſi quod ita frequenter vertit Interpres, exprimere cupiens, opinor, vim articuli. Sed cur hic magis addit *hunc* quam in iis quæ ſequuntur? *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit:* quæ ſingula cum ſuis articulis efferuntur. Et ἐρχόμενον ſic poſitum eſt ut poſſit & ad *Lumen in mundum veniens* pertinere: & hanc lectionem quoſdam ſecutos indicat Auguſtinus lib. 1. De peccatorum meritis & remiſſ. c. 25. Ambiguitatem ſuſtuliſſet additus articulus, τὸν ἐρχόμενον.

10. *Et mundus eum non cognovit*] Αὐτὸν videtur ad Verbum referri, quod Græcis quidem eſt maſc. generis. Cæterum interpreti Latino vertendum erat in neutrum, *Et mundus illud non cognovit.* Idem ſentiendum de iis quæ mox ſequuntur, *Et ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum.* Hoc certe incommodi vitari poterat ſi pro *Verbo Sermo* placuiſſet interpretibus. Cæterum illud, *In propria venit, & ſui eum non receperunt*, Græcis eſt eadem dictio, τὰ ἴδια, & ἴδιοι, *In ſua venit, & ſui eum non receperunt:* & apparet ſic legiſſe D. Auguſtinum, quandoquidem apud hunc ſcriptum videmus, *In ſua propria venit.* Quod ſi Græci codices pro αὐτὸν habuiſſent αὐτό, pulchre quadraſſet ſententia, Lumen venit in mundum, non creatum, ut Sol & Luna, ſed à quo conditus eſt mundus; & tamen mundus exæcatus vitiis non agnovit illud Lumen. Ita fere Cyrillus.

12. *In nomine ejus*] *In nomen*, εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Quanquam his promiſcue utuntur Euangeliſtæ, *Credere illi*, & *credere in illum*, & *in illo*; *Confiteri illum*, & *confiteri in illo: Baptizari in nomen Chriſti*, & *baptizari in nomine Chriſti.* Qua de re compluribus verbis diſputat Valla, ſi quis forte requiret.

13. *Qui non ex ſanguinibus*] D. Auguſtinus fatetur *ſanguinibus* non dici Latine numero multitudinis, ſed Interpretem abuſum numero, ut declararet ad communem Hominis generationem non Viri ſolum ſed & Mulieris ſemen concurrere. Idem admonet hoc loco *carnem* appellari Feminam. ¶ *Ex voluntate carnis*] Annotandum neque *carni* neque *viro* neque *Deo* ſuum apponi articulum, ut ſpeciem Carnis aut Viri deſignari intelligas, non hanc aut illam carnem, aut virum. Atque his tribus, *ſanguinibus*, *carni*, & *viro*, opponitur *Deus*, item abſque articulo. At Laurentius mavult hoc loco *geniti ſunt* quam *nati*, ἐγεννήθησαν.

14. *Et Verbum caro factum eſt*] Καὶ ὁ λόγος, *Et Verbum illud*, nempe de quo tam ſublimia diximus. Ac recte ſane locis compluribus admonuit Auguſtinus, *caro* hic poſitum pro *Homine*; partim ut excluderetur error Apollinariſtarum, qui negabant Chriſto animam fuiſſe humanam; partim ut evidentius eſſet miraculum conjuncto *Verbo* cum *carne*, quæ pars eſt hominis craſſiſſima. Idque dictum eſt juxta idioma ſermonis Hebraici, qui totum Hominem nunc *anima* nunc *carnis* appellatione notat. Cæterum quando ſermo Græcus anceps eſt *habitavit inter nos* aptius erat quam *in nobis*, ἐν ἡμῖν etiamſi Chryſoſt. diverſam ſequitur interpretationem, & huic accinens Theophylactus: ſentiunt enim Divinam naturam in hypoſtaſi Chriſti junctam fuiſſe corpori humano, quod tabernaculum eſt animæ: quanquam Divina natura in anima pariter & corpore Chriſti habitabat non incluſa, ſed unita. Verum altera lectio, præterquam quod ſimplicior eſt, aptius congruit cum his quæ ſequuntur, *Et vidimus gloriam ejus.* Quidam exponunt, *Vidimus in monte Thabor.* At, mea ſententia, ſimplicius, *Vidimus* ex dictis ac factis illius cum inter nos verſaretur. ¶ *Habitavit*] Ἐσκήνωσεν à *tabernaculo* dictum eſt: quod alias vertit *mansionem facere*: ut intelligas temporariam apud nos habitationem. Admonendum & illud *habitavit* Latinis ſonare quaſi *jam habitare deſerit*; cum Græcis ἐσκήνωσεν ſonet *habitaculum*, ſive *domicilium*, *fecit in nobis*: ut intelligamus eum cœpiſſe habitare in nobis, nec deſiiſſe. ¶ *Et vidimus*] Ἐθεασάμεθα *ſpectavimus*, ſive *conſpeximus*, ceu novum & admirandum ſpectaculum. ¶ *Gloriam quaſi unigeniti*] Laurentius mavult *tanquam unigeniti*, quod vere eſſet unigenitus. Et in hoc verbo philoſophatur nonnihil Chryſoſtomus ac Theophylactus, interpretans ancipitem apud Græcos vocem ὡς, quæ tamen hic non ſonet aſſimilationem, ſed ſpeciem veri exhibitam: veluti ſi deſcripto Regio apparatu ſubjicias, *Inceſſit tanquam Rex*, i. apparatu Regio. Et *unigeniti* non eſt hic participium, ſed nomen, μονογενοῦς *unici.* Unde quod ſequitur *à Patre* magis pertinet ad *gloriam* quam ad *unigenitum. Spectavimus gloriam ejus: gloriam*, inquam, non quamlibet, ſed *gloriam à Patre* exhibitam, quæ declararet eum eſſe *unicum Filium.* Sentit enim, opinor, de Baptiſmo Jeſu & Transfiguratione, cum audita eſt vox Patris, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt: ipſum audite.* Verum non ex his tantum eluxit unigeniti gloria. Moſes habebat gloriam, ut ſervus à Domino; Chriſtus, ut Filius unicus à Patre Deo. ¶ *Plenum gratiæ & veritatis*] *Plenum* hic nominandi caſus eſt, non accuſandi, πλήρης· & refertur ad ὁ λόγος, quod & ipſum Græcis eſt generis maſc. Ut ſit ſenſus, *Verbum illud caro factum eſt, plenum gratiæ & veritatis.* Alioqui verba hæc magis videbantur cohærere cum *Joanne*, qui ſequitur; ut legamus, *Plenus gratia & veritate Joannes teſtificatur de illo:* ut accipiamus, Joannem hac præfatiuncula commendatum, quo plus ponderis habeat illius teſtimonium. Etiamſi non ſum neſcius interpretes omnes ad *Chriſtum* referre, non ad *Joannem.* Verum quoniam duriuſcule cohæret cum ſuperioribus, lectorem admonendum putavi, quo rem expendat. Atque hæc quidem ita velim accipiat lector velut ab admonente dicta, non tanquam à dogmatis autore. Nam quod ſequitur, *De plenitudine ejus accepimus omnes*, magis pro hac facit ſententia: ſiquidem illic, *plenus gratia & veritatis*, de Baptiſta dicebat Euangeliſta; hic Joannes ipſe fatetur ſuam quoque gratiam, qua plenus dicitur, ab illo fonte fluxiſſe. Nec eſt novum in literis Divinis & alios ſanctos *plenos gratia* ac *perfectos* dici; ne quis putet

hoc uni Chriſto tributum: quandoquidem Stephanum *plenum Spiritu Sancto* legimus in Actis, & Zacharias legitur *repletus Spiritu Sancto*, & Baptiſta *replendus Spiritu* dicitur *ex utero matris ſuæ*. Rurſum in Actis Apoſtolorum omnes qui conveniant dicuntur *repleti Spiritu Sancto*. In eodem opere Paulus *plenus Spiritu Sancto* legitur: & ipſe jubet ut *impleamur Spiritu Sancto*. Verum, ut dixi, ſuper hac re nihil definio: ſequatur quiſque quod magis probarit. Certe Theophylactus hæc verba, *De plenitudine ejus accepimus omnes*, refert non ad Euangeliſtam, ſed ad Joannem ita loquentem de Chriſto. Deinde nove mutavit ſubito tempus verbi, μαρτυρεῖ, & κέκραγεν, *teſtificatur* & *clamavit*: niſi forte præteritum uſurpatum eſt vice præſentis: ſic enim legit interpres Cyrilli, *teſtificatur & clamat*. At is qui Chryſoſtomum tranſtulit legit *teſtimonium perhibet*, & *clamabat*.

15. *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt*] Ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ἔμπροσθέν μου γέγονεν. Participium ἐρχόμενος à verbo ἔρχεται eſt, quod ad utrumque tempus ſolet accommodari, præſens ac futurum. Quanquam hoc loco, ſi cui placet tempus præſens vertendum erat per præteritum, propterea quod adhæret verbo præt. temp. γέγονεν, ad hunc modum, *Qui cum poſt me veneris, ante me factus eſt*: ut intelligamus Chriſtum & ſerius natum fuiſſe & ſerius prædicare cœpiſſe quam Joannem, ſed tamen autoritate antevertiſſe. Id quod ſolet accidere gnavis curſoribus, ut ſerius digreſſi à linea æquantur ac præcurrant eum qui multo ante diceſſerat. Et in hanc ferme ſententiam edidiſſe Cyrillus ac Theophylactus. Chriſtus enim ſex menſibus natus eſt poſt Joannem, & Joannes ſummam apud Judæos autoritatem obtinebat cum Jeſus adhuc ignotus eſſet: hoc eſt *poſt me venit*. Quid eſt *ante me factus eſt*? Qui poſterior eſt tempore, factus eſt prior gloria. Quamobrem? Quia majora de illo miracula præceſſerant, in nativitate canentibus Angelis, deinde adorantibus Magis, deſcendente in eum Spiritu Sancto, teſtificante è nubibus Patre. Itaque cœpit apud homines eſſe prior. Quare prior habitus? Quia revera prior erat dignitate: æquum autem erat ut major haberetur apud omnes qui modis omnibus major erat. Chryſoſtomus hanc particulam *poſt me venit* non vult referri ad Nativitatem Chriſti, ſed ad initium Prædicationis. *Etenim ſi locutus fuiſſet*, inquit, *de nativitate, non dixiſſet ἐρχόμενος voce futuri aut præſentis temporis, ſed ἐλθὼν præteriti temporis*. Verum hic nihil eſt ſcrupuli, ſi ἐρχόμενος referas ad totum Chriſti adventum, qui & Nativitatem, & Circumciſionem, & Adoleſcentiam, & omnes noſtræ redemptionis gradus complectitur uſque ad Crucem. Hic unus erat curſus, cui præcurſor erat Joannes, qui ut prior ingreſſus eſt ſtadium ita prior curſum ſuum abſolvit. Cæterum ex eo quod ſequitur, *ante me factus eſt*, Ariani colligebant Dei Verbum eſſe creaturam, non animadvertentes quam totus hic ſenſus ſit abſurdus, *Chriſtus ante me*, h. e. prius quam ego *conditus eſt eo quod prior me fuerit*. Quid enim ſtultius quam ita loqui, *Deus creavit illum prius quam me, eo quod prior me erat*, cum quod creatur non ſit antequam creetur? Sed magis erat invertendus ordo, *Quia hic prior me eſt*, h. e. prior me conditus, *ideo ante me fuit*. Similia quædam diſſerit Chryſoſtomus, ſed locus adeo eſt obſcurus, ſive id interpretis accidit vitio ſive librariorum, ut niſi Theophylactus eadem diciſſet craſſius, vix fuerim intellecturus. Verum quod hic eſt *factus eſt*, Græcis ἐγένετο, vox anceps ad *fieri* & *eſſe*. Nam quod antea legimus, *Fuit homo miſſus a Deo*, erat ἐγένετο. Proinde *factus eſt* non idem valet quod πεποίηται aut ἔκτισται, ſed *factus eſt* poſitum eſt pro eo quod eſt *cœpit eſſe*; *Qui poſt me veniebat, cœpit eſſe ante me*: h. e. Qui ſequebatur, jam præceſſit. Neque enim Chriſtus uſquam ſimpliciter dicitur *factus* in literis Divinis, licet dicatur *factus homo*, *factus hominibus notior*. Quemadmodum dicimus, *Indies fit ſtultior*, cum idem homo maneat: Ita Joannes *factus eſt poſterior*, qui fuerat prior; & contra Chriſtus *factus eſt prior*, qui fuerat poſterior. Quod ſi alteram vocem, ſcilicet *poſterior*, accipias de Adventu ſive Prædicatione, alteram, nempe *prior*, de Autoritate & Gloria, nihil eſt ſcrupuli: ſive mavis utramque accipere de Gloria & Autoritate, nihil fuerit abſurdi, modo *prius* & *poſterius* æſtimes non ex natura, ſed ex hominum notitia. Jam tametſi non eſt abſurdum quod adſert Chryſoſt. *factus eſt* poſitum eſſe pro *futurus eſt*, idque more Prophetarum, tamen non eſt omnino neceſſe huc confugere, cum de Chriſto jam multa miracula teſtimoniaque præceſſiſſent, ut dixi, quæ ſuperarent Joannis virtutem, etiamſi Chriſtus nondum eſſet perinde notus multitudini. Ad hæc *ante* Græcis eſt ἔμπροσθεν, non πρὸ, ut intelligas *præcedentem*: id quod ſubnotavit & D. Auguſtinus. ¶ *Quia prior me erat*] *Prior* poſitum eſt pro *Potior* ac *potentior*, ſive *celebrior*: quam Græce eſt πρῶτος *primus*, ſuperlativum vice poſitivi. Verum ſi *prior erat*, quomodo *factus eſt prior*? Sed quod erat, cœpit & agnoſci. Rurſum cum id temporis notior Chriſto eſſet Joannes, quomodo jam *prior factus* dicitur? Chryſoſt. putat more Prophetarum præteritum vice futuri poſitum, h. e. *factus eſt* pro *futurus eſt*. Jam illud, *Quia prior me erat*, D. Auguſt. videtur ad tempus referre, cum ait, *Prior me erat, quia in principio erat Verbum*. Mihi videtur ad dignitatem pertinere, qua Chriſtus etiam ut homo major erat Joanne. Cujus autoritatem ſua majeſtate obſcuravit. Rurſum *poſt me venit* ad Nativitatem refert, cum juxta Chryſoſtomum magis ad prædicandi tempus attineat. Neque enim magnopere referebat ad autoritatem, ſi Joannes tribus aut quatuor menſibus Chriſto grandior erat.

16. *De plenitudine ejus accepimus omnes, & gratiam pro gratia*] Admonet Auguſtinus ex Græcorum codicum autoritate conjunctionem hoc loco addendam, *Accepimus omnes, & gratiam pro gratia*: atque ita ſcripeum comperi in perveteſtis exemplaribus, quorum alterum exhibuit bibliotheca D. Pauli apud Londinum, alterum collegii Canonicorum Corſendoncenſium juxta inclytam Brabantiæ Antverpiam. Conſentiebat codex Conſtantienſis. Quanquam Chryſoſtomus ſic interpretatur quaſi conjunctio & non copulet hoc loco, ſed interpretetur & explicet; Lex Moſaica nonnullam habebat gratiam, plenitudinem non habebat: At ex Chriſti plenitudine accepimus omnes, nimirum gratiam Euangelicam pro gratia naturæ & legis Moſaicæ. Nec illud opinor omittendum, quod Chryſoſtomus Hom. 13. admonet hæc verba, *De plenitudine ejus accepimus omnes, & gratiam pro gratia*, non ad Baptiſtæ ſolum ſed Euangeliſtæ perſonam eſſe referenda. Sic enim ſcribit, *Et teſtimonium ſuum Baptiſtæ teſtimonio conjungit, Hæc enim particula*, DE PLENITUDINE EJUS NOS OMNES ACCEPIMUS, *non Præcurſoris verbum eſt, ſed Diſcipuli*. Id clarius efficit & pronomen *nos* additum apud Græcos. Nam ii quibus loquebatur Joannes Baptiſta nondum de plenitudine illius acceperant. Conſentit Cyrillus. Theophylactus tamen ad Baptiſtæ perſonam refert; ut ſit ſenſus, *Nos Prophetæ quicquid habemus, ab hoc hauſimus*; ut *nos* non referatur ad auditores ſed ad ordinem Propheticum. Sed huic opinioni nonnihil reclamat quod ſequitur, *Deum nemo vidit unquam*, quæ verba plane videntur Euangeliſtæ.

17. *Per Jeſum Chriſtum facta eſt*] Ne quis ſruſtra hic ſomniet myſterium in *facta eſt*, idem eſt verbum quod primum vertit *facta ſunt*, & *factum eſt*, deinde *fuit homo*, rurſum *ante me factus eſt*. Ergo *facta eſt* hoc loco magis eſt *cœpit eſſe*, ſive *orta eſt*, aut, quod verbum arridet Vallæ, *exſtitit*. Recte tamen hoc annotarunt à veteribus, quod *Lex per Moſen* dicitur *data*, qui Legis autor non fuit, ſed *gratia per Jeſum facta eſt*, veluti per autorem ac fontem gratiæ. Nam & ſub lege Moſaica piis hominibus gratia non aliunde fluxit quam ab hoc fonte. Auguſtinus cum aliis locis aliquot tum lib. adv. Fauſtum 22. cap. 10. miror quid ſecutus, legit hunc in modum, *Lex per Moſen data, gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*: quaſi ſenſerit Euangeliſta Legem quam tulit Moſes eandem factam eſſe Gratiam per Chriſtum. Argute quidem Auguſt. etiamſi Græca non exprimunt hanc ſententiam.

18. *Deum nemo vidit unquam*] Fortaſſe mirabitur quiſpiam hic non apponi Græcum articulum, Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε verum opinor ob id omiſſum quod hoc loco *Deus* neque hac ponitur ratione ut diſtinguatur à cæteris diis, neque pro certa Perſona, ſed potius pro ipſa Deitate, quando hoc verbo uſus eſt & D. Auguſtinus, ſive pro natura Divina. Adeundem modum paulo ſuperius, *Sed ex Deo nati ſunt*, ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν. Sentit enim *Divinam* quandam *generationem* diverſam ab humana. ¶ *Ipſe enarravit*] Annotavit & hanc vocem Chryſoſtomus, qua vult *expreſſiorem ac certiorem* declarari *doctrinam*. Siquidem Græcis eſt ἐξηγήσατο. & ἐξηγήματα dicuntur *commentarii quibus explicatius explanatiuſque edifſeruntur obſcurius dicta*. Quod enim tectius dixerat Pater Prophetarum oraculis, id Filius explicuit. Atque id quoque ad *plenitudinem* cujus modo meminit pertinet. Quod autem vertit *ipſe* non eſt Græcis αὐτὸς, ſed ἐκεῖνος *ille*, ut appareat aliquid ſubaudiendum; *Deum nemo vidit unquam, ſed unigenitus qui eſt in ſinu Patris vidit. Ille igitur qui vidit, enarravit*. Id propemodum indicat enarratio Theophylacti. Cæterum ἐξηγήσατο non ſolum eam habet emphaſim quod Chriſtus ea quæ vidit clarius enarravit quam Moſes aut Prophetæ (dilucidius enim enarramus ea quæ vidimus) verum etiam quod Lex non loquebatur niſi Judæis, Chriſtus per Euangelium omnibus mundi nationibus expoſuit Dei gratiam.

20. *Quia non ſum ego Chriſtus*] Aut vertendum erat omiſſa con-

conjunctione, *Non ſum ego Chriſtus*; aut, *confeſſus eſt ſe non eſſe Chriſtum*, mutata perſona pronominis; aut, quemadmodum nos vertimus, *confeſſus eſt, inquiens, Non ſum ego Chriſtus:* quod ipſa Baptiſtæ verba, ſic velut ab ipſo loquente recitata, nonnihil ad emphaſim fidei facere viderentur. Alioqui quid aliud exprimebatur hiſce verbis, *& confeſſus eſt quia non ſum ego Chriſtus*, niſi *Baptiſtam confeſſum eſſe quod Joannes Euangeliſta non eſſet Chriſtus.* Et tamen illud interim donamus, *quia* conjunctionem accipi poſſe εἰδικῶς, ſicuti *quod.* Quod ſi non donetur, ſenſus erat, *Ideo Baptiſtam fuiſſe confeſſum quod Euangeliſta Chriſtus non eſſet.* Nec eſt quod hic reclament Patres, Intelligebamus ſenſum qualibuſcunque verbis deſignatum; quorſum opus id admonuiſſe? Intelligebamus, non quod Latine ſciremus, ſed quod hujuſmodi ſolœciſmis eſſemus aſſueti. At quanto ſimplicius ita reddere ſententiam Euangeliſtæ ut non ſit opus hac gratia novam diſcere balbutiem, ſed quiſquis Latine norit, protinus intelligat? Verum ad hujuſmodi minutula ſæpenumero ſciens ac prudens conniveo, ne lectori moveam nauſeam.

23. *Dirigite viam Domini*] Εὐθύνατε. Id alias redditum eſt *rectas facite*, quod alii Euangeliſtæ dixerunt ἑτοιμάσατε *Parate.* Flexus enim viæ facit quo minus proſpicias adventantem, & Hebræis eſt עקב, quod non abhorret à verbo Joannis. Jubet enim amoliri obſtacula malarum cupiditatum, quæ faciunt ne Chriſtum adventantem poſſint cernere.

25. *Si tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta*] *Chriſto* appoſitus eſt articulus, ὁ Χριστὸς, quo unicum illum exprimeret. *Elia* nec hic nec ſuperius apponitur, quod unus tantum eſſet Elias, quem quidam putabant revicturum, & Chriſti adventum prænunciaturum eſſe: juxta quod legitur Mal. 4. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniet dies Domini.* Proinde fuiſſet otioſus articulus, cum nihil eſſet quod diſcerneret. Sed quæri poterat cur hic *Propheta* non prætulerit articulum, ὅτι προφήτης, cum paulo ante addiderit, *Propheta es tu?* Ὁ προφήτης εἶ σύ; Verum ſolutio in promptu eſt. Nam cum interrogant, Ὁ προφήτης εἶ σύ; non interrogant illic ſimpliciter an Propheta ſit quiſpiam, ſed an ille Propheta quem velut eximium pollicitus eſt Moſes Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus:* quod ante me Cyrillus annotavit. Hic ὅτι προφήτης ſentire videntur Joannem nullo modo eſſe Propheram. Antea ſciſcitabantur invidentes gloriæ Chriſti; nunc verſi in iram territant, dicentes, Qua tandem autoritate facis iſta, ſi neque Chriſtus es, neque illius præcurſor Elias, neque omnino Propheta? At Joannes non ſe negarat eſſe Prophetam, ſed illum Prophetam quem promiſerat Moſes eſſe ſe negat; non negarat autem ſe eſſe Prophetam quem promiſerat Eſaias. Etiamſi in nonnullis Græcorum exemplaribus additur articulus utrobique. Atque ita Chryſoſtomum apparet legiſſe vel hoc argumento, quod cum annotarit alibi ὁ προφήτης dictum cum articulo, nullum moverit ſcrupulum de articulo mox omiſſo. Theophylactus aperte declarat ſe hic addidiſſe articulum, arguens Phariſæorum inſcitiam, qui putarint Prophetam illum quem promiſerat Moſes alium quempiam eſſe à Chriſto, cum idem ſit Meſſias à Prophetis promiſſus, & Propheta promiſſus à Moſe. Iidem in hoc errarunt, quod exiſtimarent Eliam præcurſorem fore prioris adventus, cum prophetia loquatur de adventu ſecundo.

26. *Medius autem veſtrum ſtetit*] Melius legitur, ut in Aggæum citat D. Hieronymus, *Medius autem veſtrum ſtat:* quod frequenter in his verbis quæ ſignificant actionem manentem, ut γέγονα, δέδωκα, præteritum tempus pro præſenti uſurpetur, quemadmodum jam locis aliquot admonuimus. Apertius etiam quod legit Cyprianus l. 2. Adv. Judæos c. 18. *In medio veſtri ſtat.*

27. *Ipſe eſt qui poſt me venturus*] Totidem verbis repetit quæ ſuperius poſuerat, de quo jam admonuimus. ¶ *Cujus non ſum dignus*] *Ejus* ex ſuperfluo repetitum eſt juxta proprietatem ſermonis Hebraici.

28. *Hæc in Bethania facta ſunt*] Admonet etiam Chryſoſtomus, & hujus æmulus Theophylactus, in vetuſtioribus & emendatioribus exemplaribus non legi *Bethaniam*, ſed *Bethabaram*, quod Bethania non ſit trans Jordanem, nec in deſerto, ſed citra Jordanem, proxima Jeruſalem. Ita legit & Origenes citatus in Catena. Suidas, aut quiſquis is fuit alius hominumve deumve, corrigit hunc locum, & pro *Bethania* ſupponit *Thabera* Θαβηρά. Ex Locis Hebraicis D. Hieronymi nihil admodum comperti licuit excerpere, quod iſtorum vitio depravata ſint apud omnes autores bonos omnia. Quanquam is eodem in ordine meminit *Bethania villa*, quæ abeſt *ab Ælia*, h. e. Hieroſolymis, bis mille paſſus, *in latere montis Oliveti*, ubi Chriſtus Lazarum amicum revocarit in vitam: ac mox ſubjicit *Bethabam*, quæ fuerit *trans Jordanem, ubi Joannes baptizavit in pœnitentiam.* Unde Hieronymi quoque tempore diſcrabat conſuetudo ut *qui cuperent* in Chriſto *renaſci* eo in loco *vitali gurgite abluerentur.* Neque dubium eſſe puto quin hic ſit locus quem deſignat Joannes, utcunque variatum eſt loci vocabulum; maxime cum protinus coargui poſſit Bethaniam ultra Jordanem non eſſe, nec in deſerto. Gloſſa quædam admonet *forte fuiſſe duas Bethanias*; nec ego negarim potuiſſe fieri. Joſephus Antiq. lib. 17. cap. 10. meminit *Bathanæ*, utrobique per *a*, de teſtamento Herodis Majoris loquens, qui Philippo filio Gaulonitidem & Trachonitidem, Bathaniam & Paneada deſtinavit. Cujus nominis ac rei meminit ejuſdem operis ac libri cap. 16. ſecundum quoſdam codices 17. Hanc autem Bathaniam opinor trans Jordanem eſſe. Quod ſiquis objiciat ad rem nihil attinere quo ſint hæc geſta loco, ſciat ſecum ſenſiſſe Euangeliſtam, qui ad rei narratæ comprobationem putavit attinere loci quoque teſtimonium.

29. *Altera autem die*] Τῇ ἐπαύριον *Poſtero die*, ſive *Poſtridie:* ut intelligas diem proxime ſecutum. Nec eſt *videt*, ſed *videt*, βλέπει, prætentis temporis. Habet autem hæc temporis ἐναλλαγὴ miram gratiam in narrando; cum imaginamur jam geri quod geſtum narramus. Hæc levicula non tam ſubinde admonerem ni perſpicerem hanc diligentiam vel illud præſtaturam, ne poſthac codices ſacri facile queant depravari, aut, ſi depravati fuerint, his adminiculis poſſint reſtitui. ¶ *Agnus Dei*] Ὁ ἀμνὸς, i. *ille Agnus:* ut unum & inſignem agnum accipiamus de quo dixerit Eſaias, *Velut agnus coram tondente obmutuit.* Indicavit & hoc Chryſoſtomus ac Theophylactus. Habet articulus non ſolum emphaſim Dignitatis, ut diximus, verum etiam Relationis, *Hic eſt Agnus ille de quo prædixit Eſaias.* Sic & paulo poſt, *Hic eſt Filius Dei*, appoſitus eſt Græcus articulus, ὁ υἱὸς, deſignans eum non generali piorum appellatione dici *filium Dei*, ſed peculiari quadam & inſigni ratione. ¶ *Peccata mundi*] Τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, *peccatum mundi*, numero ſingulari. Ac plus quiddam expreſſit quam ſi dixiſſet *peccata.* Hic Agnus ipſa eſt innocentia: Ex ſolus à ſuis tollit *peccatum*, h. e. ipſam tyrannidem & vim omnium peccatorum, ut jam nullum ſit in eis peccatum. Nam quemadmodum idem Joannes in epiſtola ſua ſummam omnis impietatis, & ceu mundum vitiorum omnium, *malignitatem* vocat, cum ſcribit *mundum in maligno poſitum*, ita hic *peccatum mundi* vocat omnium vitiorum colluviem. Conſentiunt cum Græcis exemplaribus duo veruſtiſſimi codices quorum teſtimonium non ſemel adduximus; conſentiente Conſtantienſi. Denique ſic hunc adjecit locum Origenes hom. 10. in Numeros. Rurſum ejuſdem operis hom. 24. Item Auguſtinus lib. 12. adverſus Fauſtum cap. 30. ex fide veterum codicum. Rurſus ad Bonifacium lib. 3. Etiam in excuſis voluminibus manet integra lectio. Quin & D. Thomas, quo probet eſſe in homine unum peccatum originis, non multa, profert hunc Joannis locum. Annotatum eſt & illud à doctis, quod dixerit *aſpis tollit*, non *remittit*, vel quia penitus tollit, quod non poterat Joannes, vel quia in ſe recipit. *Tollimus* enim onera quæ nobis ipſis imponimus. Annotavit & temporis rationem Chryſoſtomus. Non eſſe dictum *tulit* aut *tollet*, ſed *tollit* verbo præſentis temporis, quod ab illo ſemper proficiſcatur omnis purgatio criminum; veluti dicas, *Elleborum purgat cerebrum*, ſignificans illi perpetuam & nativam ineſſe vim purgandi capitis. Id eo libentius admonuimus quod *tollit* facile verti poterat in *tollet* ſcribarum vitio.

30. *Venit vir*] *Venit* præſentis eſt temporis, aut certe futuri, ἔρχεται. Quod ante dixerat per participium ὀπίσω μου ἐρχόμενος, hic per verbum extulit. Quanquam in utroque aneeps eſt temporis ſignificatio. Et tamen Interpres illic per verbum fut. temp. reddit, hic per verbum præſ. temp. etiamſi ſenſus ferme idem exiſtit. Jam enim ſuccedere cœperat Jeſus in prædicationem Baptiſtæ, & illo exſtincto prorſum erat ſucceſſurus. Jam tum igitur qui prius ſequebatur dicitur antevertiſſe, cum tam inſigni Patris teſtimonio commendatus eſſet.

31. *Ego neſciebam eum*] Malim interpretari, *Et ego non noveram eum*, præſertim cum ita ſonent Græca, κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν. Et ad hujus loci quæſtionem explicandam lectio hæc eſt accommodatior. Nam dictu mirum quam ſeſe torqueat hic D. Auguſtinus; dum conatur expedire qui conſiſtat ut, cum Joannes paulo ante Baptiſmum dixerit, *Ego abs te debeo baptizari, & tu venis ad me?* nunc dicat ſe ignoraſſe quis eſſet antequam Spiritus columbina ſpecie deſcendens Chriſtum deſignaſſet: Nimirum intelligebat eſſe Meſſiam, à quo fatetur ſibi Baptiſmi munus fuiſſe poſtulandum. Ex hac difficul-

tate

tare ſic conatur elabi ut dicat & ante Joannem noviſſe Chriſtum, ſed quiddam tamen ex indicio Spiritus didiciſſe quod prius ignorarat, nempe hoc, Quod ſibi Chriſtus reſervaſſet baptizandi autoritatem: id colligi ex his quæ ſequuntur, *Hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto.* Atque equidem hanc interpretationem id temporis opportunam viſam arbitror refellendis præſertim apud rudem populum hæreticis, qui contendebant denuo baptizandos eſſe qui à malis Epiſcopis eſſent baptizati. Etenim ſi Chriſtus eſt autor Baptiſmatis, Sacerdos nihil aliud quam miniſter, non par eſt ob miniſtri vitium irritari boni autoris beneficium. Cæterum ut ingenue, ſed tamen cum pace tanti viri dicam, coactiorem violentioremque, & quam communis hominum ſenſus non facile amplectatur, niſi forte mihi metus imponit ſenſus. Primum enim ſi ideo Baptiſmus non datur homini puro quod vis Baptiſmi fluat ab ipſo Chriſto, hac ratione nullum Sacramentum eſt homini datum, quandoquidem in omnibus Chriſtus eſt qui largitur vim & efficaciam, Sacerdos nihil eſt aliud quam alienæ liberalitatis adminiſtrator. Neque quiſquam unquam hæreticorum tam craſſe deliravit ut ſibi ſumeret autoritatem ſuo nomine baptizandi, ſed juxta præſcriptum Euangelicum tingebant & illi *In nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Mirum igitur eſt hoc unum latuiſſe Joannem, quod & malis hominibus eſt notum, & cum cætera ſciret omnia quæ commemorat Auguſtinus, quod eſſet *Dominus*, quod eſſet *Chriſtus*, quod eſſet *Jeſus*, quod eſſet *natus ex virgine*, quod eſſet *ipſo poſterior & prior*, ob hoc unum Spiritum S. deſcendiſſe de cœlo ne diutius hoc neſciret. Jam quod nuſquam in Scriptura S. legitur quiſquam hominum dixiſſe Baptiſma *ſuum*, cum Paulus *ſuum* dicat Euangelium (nam & hoc argumentum adducit Auguſtinus) reſponderi poteſt, Publica Eccleſiæ conſuetudine comprobatum receptumque ut his verbis peragatur Baptiſmus, *Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Si *baptiſmus* Græcis idem eſt quod Latinis *baptizatio* ſive *tinctio*, & utique *baptizatio* eſt ejus qui baptizat, ſicut *ſcriptio* ejus qui ſcribit, quid vetat aliquo modo Baptiſmum hominis vocari, non velut autoris, ſed velut miniſtri? Alioqui quo ore dicit Sacerdos, *Baptizo*, ſi non baptizat? At Paulus *ſuum* alicubi dicit *Euangelium*, ſed idem alias appellat *Euangelium Dei*, & *Euangelium Jeſu Chriſti*; *Dei* velut autoris; *Chriſti*, quod is primus prædicaverit, autor & ipſe Paulo, qui muneris hujus functionem à Chriſto delegatam ſuſceperit; quemadmodum idem & cæteris Apoſtolis prædicandi baptizandique vices mandavit, ut *irent in orbem universum*, *prædicarent Euangelium omni creaturæ*, *baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Ita Baptiſmus dici poteſt hominis adminiſtrantis, & idem negari poteſt eſſe hominis, quemadmodum Chriſtus apud Joannem negat ſermonem ſuum eſſe ſuum. Alioqui nec Joannis Baptiſma debuit dici *Joannis*, cujus autorem habuerit Deum. Illud verum, quod in literis Sacris poſt Joannem nullius Baptiſmus dicitur niſi Chriſti: & hoc fortaſſe ſenſit Auguſt. qui licet obſcurius, tamen hoc agit in præſenti loco, non ut oſtendat ſimpliciter Baptiſmi autorem unicum eſſe Chriſtum potius quam hominem, ſed ut evincat Baptiſmum à quocunque datum *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* ratum eſſe, nec iterandum licet ab improbo impiove datum. Sic enim ratiocinatur, Si Chriſtus eſt autor Baptiſmi, nec hanc autoritatem ulli mortalium tradidit, non poteſt illius donum miniſtri quamlibet impuri vitio corrumpi. Hoc Spiritus S. paſſus eſt Joannem aliquandiu neſcire, ut poſtea monitus redderet aliis indubitatum quod ſeorſum didicerat. Etiamſi in hac tota diſputatione mihi videtur nonnihil coactius, & aliquid datum illi tempori ac plebeis auribus. Chryſoſt. ingenue fatetur Chriſtum diu fuiſſe ignotum Joanni, quod probabile ſit eum qui nullis adhuc pene miraculis vulgo innotuiſſet, Joanni, qui pleramque ætatem in deſerto exegerat, notum non fuiſſe: Nam miracula quæ de Chriſti infantia circumferebantur fabulas eſſe. Explicat autem nodum hac ratione, ut dicat id quod dictum eſt, *Et ego neſciebam eum*, non eſſe referendum ad proximum tempus, quo Jeſus venit ad Baptiſmum, ſed ad longinquius, quo nondum Jeſus miraculis inclaruerat. Atqui ea temporis longinquitas rectius, opinor, explicatur per præteritum pluſquam perfectum, *Et ego non noveram eum.* Theophylactus propius accedit ad commentum Auguſtini, *Noverat illum eſſe Meſſiam*, *non noverat eum eſſe qui baptizaturus eſſet Spiritu ſancto.* Quanquam mihi ne hæc quidem interpretatio per omnia ſatisfacit, quod ipſa ſermonis ſeries plane declarat Chriſtum ignotum fuiſſe Joanni donec columbæ indicio certior eſſet factus: ſic enim legimus, *Et ego neſciebam eum*, *ſed qui miſit me baptizare in aqua*, *ille mihi dixit*, *Super quem videris Spiritum deſcendentem.* Nec hujus eſt inſtituti, nec meæ tenuitatis eſt hujuſmodi nodos explicare. Verumtamen admonere lectorem fas eſt, ut expendat num ſimpliciùs ſit dicere Divino conſilio factum ut Joanni gradibus quibuſdam Chriſtus innoteſceret, quo certius eſſet & exploratius illius de Chriſto teſtimonium: Quemadmodum paſſus eſt & Apoſtolos contantius credere, quo nobis certius fidem facerent eorum quæ ipſi non temere credidiſſent. Cum diceret Joannes, *Ego abs te debeo baptizari, & tu venis ad me?* magnum quendam & eximium virum agnoſcebat, qui ſuo Baptiſmo non egeret, forte nondum certus hunc eſſe Filium Dei. Proinde *neſciebat eum* quatenus nondum compertum habebat, ſigno nondum edito quo Pater id certum eſſe voluit: eo prodito, libere ac palam confeſſus eſt Filium Dei. Sciebat autem veniſſe aut jam venturum Meſſiam; an is eſſet nondum explorato noverat. Ac ſubinde repetit, *Et ego neſciebam eum*, partim ut ipſe tandem certiſſimo argumento intelligatur agnoviſſe quem prius non noverat, partim ne minus ponderis haberet Joannis teſtimonium ſi cognato & familiari redditum videretur. Nunc datur ne de facie quidem noto, nec aliter cognito quam indicio ſymboli cœleſtis. Cyrillus aliter extricat ſe ab hac quæſtione, *Neſciebam ex me*, *ſed ex afflatu Spiritus inducioque Patris cognovi.* Hæc opinio mollior fuerit ſi quis ἤδειν vertat *noveram*, pro *noviſſem*, *niſi Pater admoniſſet.* Expende, lector, num ita poſſit accipi, *Non noveram eum*, i. Non acceperam jus illum in omnium notitiam perferendi. Mihi noveram, non aliis: quemadmodum & Filius Dei neſciſſe dicitur extremum diem. Auguſtinus ſic explicat, *Noverat eum Joannes*, *quia multa de illo tenebat*; *non noverat*, *quia quadam illius ignorabat.* Quidam, ut indicatum eſt, ſic explicant, *Neſciebam eum*, *nimirum de facie: Meſſiam veniſſe ſciebam ſpiritu*; *quis eſſet ille certum non ſciebam*, *nec audebam palam pronunciare donec Divinitus eſſet demonſtratus.* Porro quod Joannes exſultans in utero Chriſtum agnovit, magis ad matres & ad nos pertinet quam ad Joannem: niſi forte cum ſaxa ſcinderentur moriente Domino, ſaxis ſenſum datum fuiſſe contendemus. Neque vero me fallit, illico reclamaturos hic quibus illud unice ſtudio eſt Divorum dotes in immenſum attollere; quaſi indignum ſit ſi Joannes, qui nondum natus ſpiritu prophetico Chriſtum nondum natum ſenſerit, cum jam grandis ignorarit. Verum etiam atque etiam videndum iſtis, ne dum nimium laudes Sanctorum exaggerant, non ſatis habeant rationem ſapientiæ conſiliique Divini, qui ſic totum incarnationis & redemptionis negotium temperavit ut alia via non potuerit efficacius fieri. Et moderatius ferret hoc de Joanne dici qui tale quiddam meminerit à Chryſoſtomo tribui Virgini matri, quæ humano quodam affectu dixerit Filio, *Vinum non habent.* Sed præſtat ipſius verba ſubſcribere: ea ſunt in Joannem hom. 20. *Optabat enim*, inquit, *ut jam hominum gratiam conciliaret*, *& ipſa clarior Filii gratia efficeretur*, *& fortaſſe aliquo humano afficiebatur affectu*; *quemadmodum & fratres ejus*, *cum dixerunt*, OSTENDE TEIPSUM MUNDO, *cupidi ejus miraculis ſibi famam comparare. Ideo aſperius reſpondit*, QUID TIBI ET MIHI EST, MULIER? Et aliquanto inferius, *Siquidem nondum debitam de ipſo opinionem habebant*, *ſed more matrum Maria jure omnia Filio ſe præcepturam cenſebat*, *cum tanquam Dominum colere & revereri fas eſſet.* Si nihil volumus latuiſſe Joannem, autore Auguſtino, quomodo ignoravit quod in Chriſto præcipuum erat? Cum enim Chriſtus eſſet fons & autor ſalutis, & Baptiſmus ad ſalutem eſt janua, qui poteſt neſcire Baptiſmi veri autorem eſſe Chriſtum qui Chriſtum eſſe noverit? perinde quaſi Deum norit aliquis qui neſciret an ſumme ſapiens eſſet. Atque idem Hieronymi Gregoriique conſenſu dubitavit num deſcenſurus eſſet ad inferos, cum mittit diſcipulos percontatum, *Tu es qui venturus es*, *an alium exſpectamus?* Verum hac quidem in re nihil pronuncio; tantum erudito lectori cogitandi materiam ſubminiſtro, libenter amplexurus ſi quid illi rectius ſuggeſſerit Chriſti Spiritus. ¶ *Sed ut manifeſtetur in Iſrael*] Græcis abeſt præpoſitio, τῷ Ἰσραήλ· atque ita legiſſe Chryſoſtomum apparet ex hom. 20.

35. *Altera die*] Rurſus ἐπαύριον *Poſtero die*: quod modo admonuimus.

36. *Et reſpiciens Jeſum*] Ἐμβλέψας *intuitus*; ut ipſe cum alias ſæpe tum mox vertit, *Intuitus autem eum Jeſus dixit.* Nam proprie *reſpicit* qui flexo in tergum vultu aſpicit.

39. *Ubi habitas?*] Ποῦ μένεις; *ubi manes?* Idem eſt verbum quod eodem in loco nunc vertit *manere*, nunc *habitare.*

40. *Et viderunt ubi maneret*] Ποῦ μένει. Et rurſum, ¶ *Apud eum manſerunt*] Παρ' αὐτῷ ἔμειναν. Id admonere viſum ne quis in verbis philoſophari cupiens labi poſſit. ¶ *Hora autem erat quaſi decima*] Nonnullis non probatur *quaſi* pro *ferme*: & fateor inuſitatius eſſe apud autores emendatoloquentes:

tes : etiamſi ſic alicubi loquitur Suetonius : quanquam apud hunc & alia quædam reperiuntur nove dicta. Porro hora nominata non ſolum ad fidem narrationis facit, verum etiam ad explicandam aviditatem Apoſtolorum', qui cum eſſet tempus veſpertinum tamen ambiunt ut cum Chriſto privatim colloquantur; ſimulque miram Chriſti humanitatem, qui non juſſerit eos poſtridie ad ſe redire, excuſans noctem imminentem. Judæis enim ab exortu Solis horas numerantibus ſexta meridies eſt; decima, vergens ad veſperam.

43. *Tu es Simon filius Joannis*] Ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ *filius Jona*, quod Hebraice בר יונה *bar Jona*; quod alibi vertit *filius Joannis*. In uno vetuſtiſſ. codice ſcriptum reperi *filius Jona*, non *Joanna*, juxta Græcam lectionem. Concordabat exemplar Conſtantienſe. Nec hic otioſe additus eſt articulus. Nec enim ſimpliciter ſignificat eum *filium Jona*, ſed ex myſtica paterni nominis ſignificatione declarat illius eximiam felicitatem. ¶ *Vocaberis Cephas, quod*, &c.] *Cephas* Hieron. in Hebraicis Nominib. negat Hebræum eſſe verbum, ſed Syrum, & apud illos ſonare *Solidum*. Unde qui tradunt Græcorum nominum ἐτυμολογίας & πέτρον hinc dictam volunt *quod non facile moveatur*.

44. *In craſtinum*] Ἐπαύριον. Quod ſuperius bis vertit *altera die*, tandem mutavit *in craſtinum*, at ne id quidem ſatis Latine aut commode, cum dicendum eſſet *Poſtero die*, aut *Poſtridie*.

45. *A Bethſaida civitate*] Gr. ἀπὸ Βηθσαϊδὰ, ἐκ τῆς πόλεως, *à Bethſaida, de civitate*: quaſi Bethſaida ſit regio in qua ſit civitas. Quanquam D. Hieronym. in Locis Hebraicis oſtendit *Bethſaidam* eſſe *civitatem Galilææ vicinam ſtagno Geneſareth, patriam trium Apoſtolorum, Andreæ, Petri, Philippi*. Unde videtur ἐκ præpoſitio ſupereſſe: præſertim cum nec apud Chryſoſt. verſum addatur, nec apud Cyrillum, nec in vet. Lat. exemplaribus. Niſi forte hoc ſuo more dixit Joannes: ut in ſuo quiſque ſtilo habet aliquid peculiare. Nam proximo capite ſimili forma eſt uſus, Ὡς δὲ ἦν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῷ πάσχα ἐν τῇ ἑορτῇ, *Cum autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha, in feſto*: cum appoſitive cohæreant *Paſcha* & *feſtum*, ceu genus & ſpecies, tamen iteravit præpoſitionem; perinde quaſi dicerem, *Accepi literas à præceptore, à Philippo*, pro *à præceptore Philippo*. Et apud Theophylactum Græcum comperio præpoſitionem additam.

46. *Invenit Philippus Nathanael*] *Invenit* prima ſyllaba acuta pronunciandum eſt: eſt enim præſentis temporis: quanquam Latinius erat *reperit*, ἐυρίσκει, velut obvium. Ac paulo ſuperius, *Invenimus Meſſiam*. Etiamſi Chryſoſtomus diverſum approbat ſenſum, cum ait, *Invenire enim quærentis eſt*. Verum hujus rei arbitrium penes lectorem eſto. Admonet hic idem Chryſoſtomus additum articulum, cum unicum illum Chriſtum Judæis promiſſum & exſpectatum vellet intelligi, τὸν Μεσσίαν. Alioqui Reges omnes & Sacerdotes, imo omnes Deo ſacri, *Meſſiæ* dicuntur & *Chriſti*. ¶ *Filium Joſeph à Nazareth*] Utrumne Joſeph fuit Nazaræus, an Chriſtus? Nam Latinus ſermo prorſus anceps eſt cum Græce ſit expeditus ac certus, τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ, h. e. *Nazarenum*, ſive *è Nazareth oriundum*. Id ne cui dubium eſſe poſſit facit articulus præpoſitioni præpoſitus.

47. *A Nazareth poteſt aliquid*] In nonnullis Græcis ſcriptum erat pronunciative, cum per interrogationem quoque poſſit accipi; quemadmodum annotavit & D. Auguſtinus, qui putat id quod ſequitur ex æquo congruere utrique pronunciationi. Tametſi quod conſequitur magis ſuadet ut per interrogationem legatur, quod videatur velut interroganti reſponſum, *Veni & vide*. Atque hunc in modum legit Chryſoſtomus, indicans hanc interrogationem eſſe hæſitantis de nomine loci, cum prophetia promiſſiſſet Chriſtum proditurum ex Bethlehem.

VATABLUS.

1. VERbum] *Sermo*: & infra.

3. *Nihil*] Græci ſic diſtinguunt, *nihil quod factum eſt. In*, &c.

5. *Et lux in tenebris lucet*] Heb. quæ in tenebris lucebat.

7. *In teſtimonium*] Vel, *ad teſtificandum*. ¶ *Lumine*] *Luce*. ¶ *Per illum*] *Ipſum*: ſub. *Johannem*, i. ut omnes per prædicationem Johannis crederent in ipſum Chriſtum.

9. *Erat lux vera*] Vel, *Lux illa erat lux vera*, i. fons ipſius lucis, unde etiam Johannes quicquid habebat lucis acceperat. Vel, Heb. *Quæ lux erat vera illuminans omnes homines*, &c. ¶ *Venientem in hunc mundum*] Vox Græca poteſt vel ad *hominem* referri, qui in mundo naſcitur: vel ad ipſam *lucem* in mundum venientem: quo ſenſu nos accipimus & multi veteres acceperunt, ut ait Auguſtinus.

10. *Et mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit*] Heb. Qui mundus per ipſum factus erat, à quo non eſt agnitus.

11. *Propria*] *Sua*. ¶ *Eum*] *Ipſum*.

12. *In nomine ejus*] *In nomen*, i. iis qui fidem haberent in ipſum.

13. *Ex ſanguinibus*] Heb. pro, ex commercio virilis & muliebris ſeminis.

14. *Et Verbum*] *Et* pro *Nam*, Heb. ¶ *Vidimus*] *Spectavimus*. ¶ *Quaſi*] *Tanquam*.

15. *Teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat*] Præſ. pro præt. *teſtificatus eſt, & clamavit*. ¶ *Quem dixi*] Vel, *de quo dicebam*. ¶ *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt*] Gr. *Qui poſt me veniens, ante me fuit*, vel, *erat*. ¶ *Quia*] *Certe*, Heb.

16. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*] i. uberrimi illius favoris quo præditus erat, omnes conſortes redditi ſumus, omnes participes fecit adoptando nos Patri. ¶ *Pro gratia*] Vel, *propter gratiam* aut *favorem*. Sub. *Chriſti*, q. d. amore ſuo, benevolentia & favore dignatus eſt nos Deus propter Filium. Vide Epheſ. 1.

17. *Gratia & veritas*] i. Reconciliatio, & promiſſionum exhibitio.

18. *Vidit*] Vel, *viderat*. ¶ *Qui in ſinu Patris*] i. Patri acceptiſſimus.

19. **Miſerunt*] *Miſerant*.

20. *Et*] Vel, *Etenim*.

23. *Dixit*] Vel, *dixerat*, ſub. *ſic factum eſt*.

26. *Baptizo in aqua*] Vel, *baptizo aqua:* & infra. ¶ *Stetit*] Vel, *ſtat*. ¶ *Neſcitis*] *Non noviſtis*.

27. *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt*] Vel, *qui cum me ſequeretur, anteceſſit me*. ¶ *Factus eſt*] *Fuit*, & infra.

28. *Bethania*] *Beth-abara*.

29. *Altera die vidit*] *Poſtera die videt*, Vet. ¶ *Tollet*] i. Condonat & remittit, Hebr. ¶ *Peccata*] *Peccatum*, Vet.

30. *Dixi**] * *Ego*. ¶ *Venit*] Præſ. temp. ¶ *Qui ante me factus eſt*] Vel *anteceſſit me certe*, &c.

31. *Manifeſtetur*] *Innoteſceret*. ¶ *In Iſrael*] *Iſraeli*, Vet.

32. *Quaſi columbam*] *Specie columbæ*.

33. *Neſciebam*] *Non noveram*. ¶ *Baptizare in aqua*] *Baptizare aqua*.

34. *Et*] *Et* pro *propterea*, Heb.

35. *Altera*] *Poſtera*.

36. *Reſpiciens*] *Intuitus*: & infra.

38. *Interpretatum*] *Si interpreteris*: & infra. ¶ *Magiſter*] *Præceptor*.

41. *Invenit*] Præſ. temp. ¶ *Chriſtum*] Lat. *Unctus*.

42. *Es*] Vel, *vocaris*. ¶ *Johanna*] *Jona*. Vet. ¶ *Cephas*] Vox Chaldæa quæ *rupem* ſignificat.

43. *Exire**] * *Jeſum*. ¶ *Invenit*] Præſ. temp.

45. *Invenit*] *Reperit*, præſ. temp. ¶ *Quem*] *De quo*. ¶ *A Nazareth*] *Nazarenum*.

46. *Vide*] Vel, *experire*.

48. *Vidi*] *Videbam*.

49. *Ait**] * *Ei*. ¶ *Filius Dei**] * *Ille*. ¶ *Rex Iſraël**] * *Ille*.

50. *Vidi*] *Videbam*. ¶ *Majus*] *Majora*.

51. *Videbitis **] * *A modo*, Vet. vel, *poſthac*. ¶ *Aſcendentes & deſcendentes*] i. juſſa mea obeuntes, Heb. ¶ *Super Filium*] Vel, *ſub filio hominis*, i. ſub imperio & poteſtate mea, me imperante. Videtur hic locus referendus ad judicii diem, in quo manifeſtum fiet Chriſtum eſſe dominum Angelorum.

CASTALIO.

10. PER eum] Sermonem.

14. *Gratia veritatiſque plenus*] Hoc à fine ſententiæ huc perſpicuitatis cauſa tranſtuli, id quod & in Vetere & in Novo Fœdere ſæpe faciendum eſſe deprehendi: ut Johan. 17. 5. *Illuſtra me tu, Pater, gloria qua præditus eram antequam mundus eſſet apud te*. Sic enim ad verbum legitur; & videtur *apud te* ad *mundum* referri, cum ſit conjungendum cum *præditus eram*, & eo transferendum *Qua apud te præditus eram*. Item Apoc. 13. 8. *Quorum nomina ſcripta non ſunt in libro vitæ Agni mactati ab orbe condito*: ubi *ab orbe condito* referendum videtur ad *ſcripta non ſunt*, non ad *mactati*. Talem figuram reperies & Gen. 25. 18. de Iſmaelis morte. ¶ *Ejuſque ſplendorem*]

δόξα Hebraice כבד dicitur, quod verbum non ſolum *gloriam* ſed etiam *ſplendorem* declarat. Atque ita poſitum eſt verbum δόξα cum alibi tum Luc. 2. 9. & Act. 22. 11. Latine *ſplendorem* dicere (cum hoc verbum utrumque rem Latinis indicet) & aliis locis licet, & in hoc hujuſque ſimilibus neceſſe eſt. Loquitur enim de illo Chriſti ſplendore quem ipſe hujus libri autor una cum aliis vidit in Chriſti transfiguratione. ¶ *Ut unigenæ à Patre ſplendorem*] *Ut* non ſemper Similitudinis eſt: ut ſi dicas, *Objurgavi filium meum, ut pater*, h. e. ut me decet, & pro mea autoritate, qui ſim pater. Sic hoc loco dicitur *ſplendor ut unigenæ*, h. e. unico Dei Filio dignus.

16. *Et gratiam pro gratia*] h. e. Aliam gratiam pro alia. Quale eſt illud Job. 2. 4. *Pellem pro pelle*, ſcilicet aliam pro ſua: &, *Clavum clavo*, ſcilicet alium alio: &, *Legitque virum vir*, &c. *Gratiam* autem vocat beneficium, ut etiam Latine dicitur: & eſt hæc ſententia, Quod à Moſe lata lex eſt, id Divini beneficii fuit: Pro eo beneficio (quoniam alioquin nobis uſui eſſe non poterat) aliud beneficium & gratia nobis per Chriſtum confertur: & quidem ea gratia quæ eſt vere Gratia nominanda: hoc enim eſt quod dicit, *Gratia & veritas*. Nec enim Moſes non verum tradidit. Sed Joannes hoc loco *veritatem* vocaverem ipſam; ut ſit *gratia & veritas* gratia quæ reipſa & vere gratia eſt. Sic Cicero pro Q. Roſcio dicit, *Quod eſt veritate falſum*; h. e. reipſa. Hoc pacto loquitur Jeſus infra 6. 32. cum negat à Moſe mannam fuiſſe datam Iſraelitis: h. e. negat illam mannam fuiſſe veram mannam.

21. *Elias es tu? Non ſum, inquit. Vates es tu? Non*] Quod erat oraculis prædictum, *Venturum eſſe Eliam antequam veniret Meſſias*, id ita erat intelligendum. Venturum eſſe Vatem Eliæ ſimilem, & Eliano ſpiritu præditum. Sicuti quæ in Apocalypſi de Babylone dicuntur, non de illa Babylone Chaldæorum intelligenda ſunt. Quale eſt illud Maronis,

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

h. e. Erunt adhuc bella & heroes, quale fuit Trojanum, & Achilles. At Judæi putabant ipſum Eliam venturum: itaque recte ſe eum eſſe negat Joannes. Quod autem etiam *Vatem* ſe eſſe negat, ſunt qui putent intelligendum eſſe de Vate à Deo per Moſem promiſſo, h. e. de Chriſto; idque propter articulum, quod non προφήτης ſed ὁ προφήτης dicatur. Sed cum ante de Chriſto interrogaverint, id eſſet ſupervacaneum: niſi forte alium putabant fore Vatem illum quam Meſſiam. Sed ſi ita putarent, adderent profecto aliam interrogationem, *Si vates ille non es, eſne alius vates?* id quod non faciunt; ſed ita concludunt, *Quid ergo lavas, ſi neque Chriſtus es, nec Elias, nec Vates?* Idque colligunt ex ejus reſponſis, non habentes amplius quod nominent. Itaque hoc poſteriore loco non additur articulus, tametſi in quibuſdam exemplaribus additur: ſed videntur qui addunt ſecuti eſſe Theophylacti autoritatem, qui ſe addidiſſe teſtatur. Ego neque in priore detrahendum, neque in poſteriore addendum puto; ſed idem eſſe illic ὁ προφήτης quod hic προφήτης: quoniam autores ſacri in Græco ſermone ſæpe articulum addunt ſupervacaneum, ut Apoc. 3. 17. Οὐκ οἶδας ὅτι σὺ εἶ ὁ ταλαίπωρος. Cujus rei cauſa eſt quod habent Hebræi duos articulos; quorum unus, qui eſt ה, ſæpe cum aliis conjungitur, & tamen Græce declarari non poteſt, ut, *Creavit Deus* את השמים את הארץ. Hic vides duos articulos, quorum prior את Græce declaratur τὸν ἰρανὸν καὶ τὴν γῆν, ſed alter exprimi non poteſt. At hi autores, qui ſæpe in Græco ſermone Hebraizant, eum exprimere conantur. Itaque qui Hebraice dicitur הנביא, eum Joannes, ut articulum exprimat, ſic appellat, ὁ προφήτης· quanquam ה per ὁ aliquando exprimi poteſt. Sed id quando faciendum ſit, ex ſententia conjiciendum eſt. Hoc autem loco Germanice & Gallice & Italice articulus vel omitti poteſt, vel ſic exprimi, Ein prophet! *Un prophete*, *Uno propheta*, ſi Græcum articulum omittas. Sin autem addas, & proprie loquaris, ὁ προφήτης erit Der prophet! *Le prophete*, *El propheta:* qua de re nonnihil Luc. 15. ſcripſimus. Et hæc de verbo. Quod ad ſententiam attinet, Non ſe negat eſſe Vatem Joannes: erat enim Vates: ſed ita loquitur ut ſi Perſarum Regem ita roges, *Eſne rex? Non ſum. Quid ergo? Regum rex*, non ſe neget eſſe Regem. Atque hoc pacto loquitur Deus Num. 11. 18, 19, 20. *Dabit vobis Jova carnem*, inquit, *quam comedatis*; *Et comedatis non uno die, non duobus, non quinque, non decem, non vigimi, ſed ad menſtruam diem.* Non negat comeſuros eſſe uno die, aut duobus, &c. ſed plus dicit. Tale eſt quod dicimus, *non ſemel*, h. e. pluſquam ſemel. Sic hoc loco Joannes ſe non Vatem, ſed maximum Vatem, & (ut Jeſus de ipſo loquitur) *pluſquam Vatem* eſſe oſtendit. Atque ita eſſe apparet ex eo quod dicit, *Ego ſum vox in ſolitudine clamantis, Corrigite Domini viam.* Nam id eſſe Vatis officium apparet ex ejus patris Zachariæ carmine, ubi ſic legitur, *Et tu, puer, Supremi vates vocabere.* Subjicitur deinde ratio, *Præibis enim Domino, paratum vias ejus*, &c.

31. *Equidem eum non noveram*] Sciebat Joannes Meſſiam eſſe natum, & ſe ei præmiſſum: alioquin ignoraret ſuum ipſe munus & Zachariæ patris ſui carmen. Sciebat etiam ſuum eſſe cognatum, ex Maria natum, quippe quem jam in utero matris agnoviſſet. Quod ſi vel non agnoverat in utero, vel poſtea per ætatem oblitus fuerat, at certe id à parentibus aut aliis didicerat, nec poterat tantam, tam recentem, tam ſibi cognatam conjunctamque rem ignorare. Sed cum una cum Jeſu non vixiſſet, eum de facie non noverat. Verum cum primum venientem vidit, agnovit, videlicet afflatus Divinitus, quemadmodum ejus mater Elisabetha Mariam Domino eſſe gravidam ejus adventu intellexerat: id quod ex eo patet quod dicit *ſe ab eo debere lavari.* Acceſſit deinde ad hanc Divinitus inſpiratam cognitionem, etiam Spiritus in Jeſum columbæ forma delatus; quibus rebus Jeſum Joannes agnovit. Itaque quod dicit *eum ſibi non fuiſſe notum*, intelligendum eſt *de facie:* idque antequam ille ad eum lavandus veniſſet.

CLARIUS.

1. *IN principio erat Verbum*] Λόγος vox eſt magis gravida ſenſibus quam noſtra, ſive *Verbum* ſive *Sermonem* dicas: non enim ſolum *ſermonem* ſignificat, verum etiam *rationem & definitionem:* quæ omnia pulchre in Filium conveniunt. SERMO: Nam ut Sermo interiorem Animi conceptionem exprimit, ſic Filius Patrem. RATIO: Quia ſic ſe habet ad Patrem ut ad Mentem Ratio, non ob impaſſibilem tantum naturam generationis, ſed ob conjunctionem etiam & vim enunciativam. DEFINITIO: *Qui enim novit Filium* (idem eſt enim qui *vidit*) *novit & Patrem*; ut qui intelligit *Animal rationale mortale*, intelligit Hominem: hæc eſt enim veræ finitionis natura: compendioſa autem ac facilis demonſtratio naturæ Patris eſt Filius. Hæc autem verba, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum*, clariorem in Græca lingua ſenſum habent quam in noſtra ob articulorum additionem. *In principio* autem idem eſt illi quod alibi legis, *Quod fuit ab initio*, & illud, *Ab initio & ante ſecula.* Siquid enim eſſet principio antiquius, non hoc eſſet principium quod appellatur. Quantum igitur cunque cogitatione progrediare, nihil invenies quo principium hoc queas tranſilire, cui additur *erat*, quod idem eſt (ut ait M. Baſilius) quod *in principio.* Non ait ergo, *cepit eſſe in principio*, ſed, *in principio erat:* ut omnia evertat blaſphemorum fundamenta. *Et illud Verbum erat apud Deum*, h. e. cum Deo. Ecce Perſonarum diſtinctionem. Neque dixit *in Deo*, ne occaſionem præberet iis qui confuſionem Perſonarum invexerunt. Deinde ut naturam eandem atque ſubſtantiam Filii cum Patre demonſtraret, addit, *& Deus erat Verbum. Illud*, inquit, *Verbum* (nam additus eſt illi articulus) *erat Deus*, ne quid aliud in illa appellatione *Verbi* ſomniares. Demum ſummatim colligit ſuam omnem Theologiam Euangeliſta, *Hoc erat in principio apud Deum. Hoc*, inquit, *Verbum* quod dixi *Deum eſſe, erat in principio, & erat apud Deum.* Mirum tam ingentis Theologiæ compendium, quod etiam externi ſunt admirati, & in primis Platonici, ut quidam eorum dixerit, quemadmodum recitat Auguſtinus, *dignum eſſe hoc Euangelio Joannis principium quod literis aureis in omnibus Templis deſcribatur.*

3. *Omnia per ipſum facta ſunt*] Ut qui æqualem cum Patre habeat poteſtatem, & idem cum illo ſentiat. Præterea illud *per ipſum* refert primariam cauſam, hoc eſt, Patrem, à quo per Filium omnia facta ſunt. Decebat ergo ut per quem omnia facta ſunt, per eundem etiam fieret ſalus omnium. ¶ *Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*] Major evidentia ejus quod dixerat, *Omnia per ipſum facta ſunt:* fortaſſe ut formatores Deos excludat qui à Platonicis memorantur.

4. *In ipſo vita erat, & Vita erat Lux hominum*] Idcirco non ſolum condidit, verum etiam vitali quadam virtute conſervat. Perſtitit autem in verbo *erat* ob vim ſignificati de quo jam diximus. Sed videtur per id quod ait, *Vita erat Lux hominum*, explicare quam vitam intelligat. Nam de ſalute hominum tractaturus, deque vita quam attulit mundo, oſtendit primo illum recte id potuiſſe præſtare quod in ipſo erat, h. e. vitam; deinde illam vitam eſſe profectam ex luce quam

ſuo adventu in mundum introduxit. Cum autem dixiſſet quod *vita illa erat lux hominum omnium* (non enim eſt Judæorum tantum Deus) jam accedit ad tempus aſſumptæ humanitatis, & mutato verbo, ait, *Et Lux in tenebris lucet*, &c. & ob hanc etiam cauſam mox meminit *Johannis*, ut qui fuerit præcurſor, cujus cauſa quædam ei fuerant interferenda: & demum ad illud redit de quo inſtituerat ſermonem, h. e. ad Verbum, & ait, ET VERBUM CARO FACTUM EST. Si quis tamen illud *quod factum eſt* conjungere cum ſequentibus verbis velit, in hunc modum, *Quod factum eſt in ipſo vita erat*, intelligi poteſt res verius eſſe in Deo, qui eſt Forma formarum, quam in ſeipſis: ſicut eſſentia manus verius habet eſſe in anima quam in manu, cum in anima ſit vita, & manus mortua non ſit manus: in eundem modum de toto corpore & ſingulis membris.

8. *Non erat ille Lux*] *Non erat*, inquit, *ille Lux illa* quam dixi, quamvis à multis crederetur Chriſtus: ſed illum oportuit tamen magnum eſſe qui tantum Dominum eſſet nunciaturus.

14. *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*] *Illud*, inquit, *Verbum* de quo loquebar, & ad quod nunc poſt interjecta quædam quæ dictu fuerant neceſſaria redeo, *ipſum*, inquam, *Verbum carnem noſtram accepit, ac nobiſcum verſatus eſt.* Nam Græce eſt ἐσκήνωσε, quaſi *tabernaculum poſuit inter nos.* Duæ ergo ſunt naturæ, Tabernaculum ſcilicet, h. e. natura accepta noſtra, & Inhabitator tabernaculi, Deus. ¶ *Et vidimus gloriam ejus*] h. e. *intuiti ſumus*, &, ut alibi ait, *manus noſtræ contrectaverunt*, *gloriam* hujus Verbi, in factis ejus ac dictis, & *majeſtatem*, quæ profecto talis fuit, *qualem eſſe decet ejus qui ſit unigenitus* Dei *Patris.*

15. *Qui poſt me venturus eſt*] Qui declarandus eſt poſt hoc prædicationis meæ exordium, *antepoſitus eſt mihi* & longe major agnoſcendus, neque id injuria, *quia ante quam ego fierem ille erat*, nempe Verbum apud Deum.

16. *Gratiam pro gratia*] Et cur hoc dixerit declarat, *Quia Lex per Moſen data eſt, gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt:* ut ſit ſenſus, Nos omnes de copia Divinitatis ejus ingentem accepimus gratiam pro exigua, ſi utraque comparentur. Nam Lex quidem aliquid profuit ad deterrendos animos, ne ita præcipites ferrentur in ſcelera: ſed *Gratia*, qua ſervamur, *& Veritas*, qua impleta ſunt omnia quæ fuerant ante promiſſa, *per Jeſum Chriſtum venit*, atque in primis quod pertinet ad agnitionem Dei, qui cum *inviſibilis ſit ac lucem habitet inacceſſam, hunc Filius nobis explicavit:* id quod Moſes non potuit. Atque hoc eſt quod ait, *Deum nemo vidit unquam*, &c.

21. *Propheta ille es tu?*] Non interrogaverunt ſimpliciter num eſſet quiſpiam Propheta; alioqui ſine articulo poſitum eſſet: verum additus eſt articulus, ὁ προφήτης, dum eum exiſtimabant illum eſſe poſſe de quo Moſes dixerat, *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris:* per quem tametſi intelligitur Chriſtus, videtur tamen apud Judæos illos qui hæc interrogarunt factam eſſe inter utrumque diſtinctionem.

28. *Hæc in Bethabara*] Fortaſſe hic locus eſt de quo habes Judic. 7. 24. & ibi vocatur *Bethbara.*

29. *Ecce Agnus*] Et hic cum articulo, ὁ ἀμνὸς *ille Agnus*, ad quem unum pertinet ingens provincia deſtruendi regni Peccati. Et illud *peccatum mundi* majorem habet evidentiam ſingulari numero quam ſi dixiſſet *peccata.*

52. *Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis*] h. e. In ejus miniſterium, ut in Reſurrectione ejus & Aſcenſione factum eſt. Quod autem ait *cælum apertum*, mos eſt Scripturæ ut dicat *cælum aperiri* cum arcana aliqua aperiuntur è cœlo.

ZEGERUS.

1. IN *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*] Cum cæteri Euangeliſtæ in exordio hiſtoriæ Euangelicæ Chriſti Servatoris noſtri, omiſſa quodammodo Divinitate, ortum inprimis ac nativitatem multis fuiſſent verbis proſecuti, ne quis exiſtimaret Chriſtum ante temporalem ſuam nativitatem non exſtitiſſe, atque hinc in exſecrandas hæreſes prolaberetur; operæpretium eſſe duxit B. hic Apoſtolus ut ante omnia nobis Divinam ejus eſſentiam, æternitatem atque potentiam aperiret, ſecundum quæ Deo Patri per omnia æqualis nunquam eſſe cœpit, nec eſſe deſinet in æternum. Cum ergo dicit, *In principio erat Verbum*, intelligere debemus non quod principium hoc aliquando principium non fuerit, quemadmodum vulgari loquendi conſuetudine *principium* dicimus quod aliquando cepit initium; ſed *in principio* perinde valet q. d. *In prima omnium rerum origine atque natura*, quæ haud dubie Deus eſt, neque exordium neque finem habens. Adverte etiam in his Euangeliſtæ verbis Chriſtum Dei Filium propterea *Verbum* appellari quod per hunc Deus Pater Divinam ſuam voluntatem nobis ſit elocutus. Cæterum quod dicitur *apud Deum* idem eſt, teſte Theophylacto, quod *cum Deo*, *in ſinibus paternis.* Hæc ſufficere arbitror ad ſimplicem literæ intelligentiam. Nam multa hic prudens prætereo, & præteribo, de hæreſium confutatione, de articuli Græci ſignificantia, de verbi cum Filio Dei ſimilitudine, deque aliis non paucis, primum quod non ſit præſentis inſtituti hujuſcemodi omnia ad amuſſim declarare, deinde quod eadem ab aliis ſint interpretibus plenius ediſſerta, ad quos confugere poterit quiſquis ea copioſius edoceri deſiderabit.

3. *Omnia per ipſum facta ſunt*] *Per ipſum*, ſub. *Verbum.* ¶ *Et ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo vita erat*] Alii diſtinguunt ad hunc modum, *Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. In ipſo vita erat.* Utraque diſtinctio apud orthodoxos reperitur ſcriptores. Hujus itaque ſententia juxta Chryſoſtomi enarrationem talis eſt; Eorum quæ creata ſunt, ſive viſui ſive intellectui tantum ſubjecta, nihil ſine Filii virtute productum eſt vel conditum. Et cum hoc dixiſſet de rerum creatione, loquitur deinde de Divina hujus Verbi providentia, Quod non modo per ipſum condita ſint univerſa, ſed etiam illud idem ſit quod vitam omnium creaturarum conſervet. Ex hac quoque diſtinctione evidentius fit Deum nequaquam factum eſſe per Verbum, quemadmodum hæc ipſa verba propter univerſale illud *omnia* nihil non includens ſonare videntur. Illius autem juxta Auguſtinum ſententia iſta eſt, *Quæcunque naturaliter facta ſunt, quæcunque facta ſunt in creaturis, per Verbum facta ſunt. Peccatum quidem non per ipſum factum eſt; & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cum peccant. Et idolum non per Verbum factum eſt: & ſcriptum eſt, Scimus quia idolum nihil eſt.* Hactenus Auguſtini verba. Ex quibus & illud datur intelligi, Angelum à Deo eſſe conditum, non autem Diabolum; hominem quoque à Deo factum, peccatorem non item. Dum autem ſubdit, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, intelligit quicquid in univerſis creaturis conditum eſt vivere non in ſeipſo, cum multa ſint quæ ſuapte natura nec ſentiant nec vivant, ſed in eo qui condidit, in cujus æterna mente vivunt omnia etiam antequam condita ſunt. Præterea idem Auguſtinus indicat ſic pronunciandum, *Quod factum eſt*, ut hic interpoſito commate ſubjiciatur, *in ipſo vita erat*; ut ſic conſtruatur, *Quod factum eſt vita erat in ipſo Verbo.*

4, 5. *Et Vita erat Lux hominum. Et Lux in tenebris lucet*] Illa, inquit, Vita per quam condita ſunt omnia, illa Vita quæ Verbum eſt, imo quæ Deus omnis vitæ fons, ipſa ſemper fuit & eſt Lux omnium hominum, quæ omnibus impertit naturalis luminis & gratiæ beneficium. Et hæc Lux in tenebris animarum noſtrarum lucet, quas animas obſcurarat princeps ille tenebrarum Diabolus. *Tenebras* accipere poſſumus Homines impios; ſecundum alios autem, Mortem atque Errorem; ſecundum alios, Ignorantias & Peccata; ſecundum alios vero, tenebrarum omnium caput Diabolum.

9. *Venientem*] Cum Græca vox ἐρχόμενον ambiguæ ſit conſtructionis videtur potius ad φῶς, i. ad *lucem* venientem in mundum accommodanda quam ad *hominem*, niſi quod *hominem* & *venientem* mutuo ſibi conjungantur, & niſi forte olim τὸν ἐρχόμενον præpoſito articulo ſcriptum fuerit. ¶ *In hunc mundum*] Equidem nolim omitti *hunc*, quod deprehendam eam fuiſſe Interpretis conſuetudinem ut non raro pronomen loco articuli conjunxerit vocabulo *mundi.*

13. *Neque ex voluntate carnis*] *Carnem* pro *femina* poſuit, quomodo interdum *ſpiritus* pro *marito* poſitum reperitur, teſte Auguſtino. Ideo autem mulier *carnis* vocabulo appellatur, quia de ipſa per Adam dictum eſt, *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea*, Gen. 2. 23.

14. *Et Verbum caro factum eſt*] h. e. Vere viſibili atque ſenſibili carne veſtitum eſt. Non enim hoc dicit, quod Verbum carne ipſa mutaverit ſubſtantiam, ſed quod carnem acceperit, nulla parte coinquinata aut coinquinanda ſubſtantia. Eſt autem ſynecdochica locutio à parte totum & integrum hominem deſignans, ſicuti in illo, *Ad te omnis caro veniet.* Pſ. 65. 2. ¶ *Et habitavit in nobis*] Non expreſſit proprie interpretans Græcæ dictionis medullam: ſic enim habet, *Et ten-*

tentorium, ſeu *tabernaculum*, *ſibi nobiſcum*, vel *inter nos*, *conſtituit*: ut intelligamus carnem illam paſſibilem ac mortalem veluti tentorium quoddam ſeu tugurium Dei Verbo fuiſſe, in quo ad tempus ageret, donec ſcilicet terrenam ac temporariam hanc militiam, hoſte ſuo pariter ac noſtro feliciter ſuperato, perageret. ¶ *Gloriam quaſi unigeniti à Patre*] *Quaſi* pro *velut* ſive *tanquam* poſuit Interpres: ut agnoſcas vere Dei unigenitum eſſe Chriſtum, eandemque Patris & Filii gloriam; id quod verius per *velut* vel *tanquam* quam per *quaſi* expreſſeris.

15. *Hic erat quem dixi, Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt; quia prior me erat*] Quod ad ordinem attinet hiſtoriæ, prætermittit hic Euangeliſta quod ab aliis eſt narratum Euangeliſtis, quomodo videlicet Chriſtus à Johanne tinctus ſit; deinde etiam verba illa quibus Johannes Chriſtum, & quibus Chriſtus viciſſim compellavit Johannem, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Et, *Sine modo: ſic enim decet*, &c. Matth. 3. 14, 15. & plenius hic ea commemorat quæ ad Johannis de Chriſto pertinent teſtimonia. Quoniam enim ſupra dixerat, *Fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Johannes. Hic venit in teſtimonium*, &c. & quoniam cæteri Euangeliſtæ nihil aut parum de his quæ ſequuntur meminerunt, ab hoc loco plenius narrare incipit quæ & quanta Johannes de Chriſto teſtatus ac locutus ſit. Contigerunt autem hæc omnia quæ hic commemorantur, (quantum ex Euangeliis colligere poſſum) non ante baptizatum Dominum; quia Johannes infra teſtatur ſe Chriſti perſonam non cognoviſſe, aut ſaltem non ita cognoviſſe ut ratum, indubitatum & omnibus credibile teſtimonium, & cum tanta animi fiducia, conſtantia & evidentia, ut hic & in ſequentibus facit, potuerit proferre, donec certius cœleſti eſſet viſione ac Dei Patris atteſtatione edoctus: Nec rurſus mox à Baptiſmate; quia Matthæus 4. 1. & evidentius etiam Marcus 1. 10. teſtantur Chriſtum jam tinctum *ſtatim à Spiritu actum fuiſſe in deſertum*: Sed hæc contigere mox poſt expletos XL. jejunii dies: quandoquidem ultima Jeſu tentatio, ut B. Lucas refert, in pinna templi Hieroſolymitani facta eſt, ut hinc colligere liceat, ibi tunc, aut certe non procul à Jordane, aliquot diebus Chriſtum hæſiſſe, in quibus quæ hic referuntur contigerint. Nec enim veriſimile eſt teſtem Chriſti Johannem verba illa quæ hic & in ſequentibus referuntur, *Medius autem veſtrum ſtatit quem vos neſcitis*, &c. & rurſum, *Ecce Agnus Dei qui tollit*, &c. &, *Hic eſt, de quo dixi*, &c. item, *Et ego neſciebam eum, ſed ut manifeſtetur*, & alia nonnulla tanta libertate intonaſſe priuſquam cœleſti fuerit ad ſui teſtimonii confirmationem ac fidem munitus oraculo. Jam ut ad explanationem præſentis loci veniamus, hujus ſenſus ſic habet, Hic ille erat de quo antehac ſæpe vobis teſtatus, & hujuſmodi verba locutus ſum, *Qui poſt me venturus eſt*, ordine tum ætatis tum prædicationis, *longe ante me exſtitit*, *factus eſt*, vel *genitus eſt*, generatione videlicet Divina. Eſt enim non γενόμενος, aut ἐκτισμένος, ſed ὑπάρχων, quod nunc *genitus*, nunc *factus eſt*, nunc *fuit* vertitur. Subdit autem & cauſam cur dixerit, *ante me fuit*, *genitus*, vel *factus eſt*; *Quia*, inquit, *prior me erat*, nimirum omnium primus ac noviſſimus, omnibuſque rebus præſtantior ac potior. Græci explanatores aliquanto ſecus ediſſerunt, nimirum hoc pacto, *Ante me factus eſt*, i. venerabilior & glorioſior apparuit, *quia prior me erat* ſecundum Divinitatem, vel ſecundum nativitatem Divinam. Verum quod prius dixi mihi videtur ſimplicius ac germanius.

16. *Gratiam pro gratia*] Gratiam Euangelicam pro gratia legis Moſaicæ & naturæ. Vel, gratiam accipiendæ gloriæ pro gratia ſuſceptæ fidei.

18. *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit*] Ab hoc loco, *Deum nemo vidit*, verba ſunt Euangeliſtæ. Chryſoſtomus etiam illa quæ præmittuntur, *& de plenitudine ejus*, Johannis Euangeliſtæ non Baptiſtæ eſſe dicit. Cæterum ſermonis conſequentia & ſenſus ſic habet, Poſteaquam differentiam demonſtrawit Legis & Gratiæ, rationabilem etiam differentiæ cauſam addit, Quod Legem quidem attulit Moſes homo, qui Deum uti re ipſa eſt non vidit, ſicut neque alius quiſpiam; ideoque Lex inferior, utpote ab homine delata: Gratiam vero Euangelicam Dei unigenitus Filius, qui ſemper Deum contuetur, atque adeo in ipſo eſt Patris ſui ſinu, nempe Deus ipſe, enarravit, ordinavit ac docuit; ideoque potior eſt Gratia, utpote à Deo facta qui Deum intuetur, & qui ea quæ Dei ſunt ſolus perfecte cognoſcit.

21. *Elias es tu? Et dixit, Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit, Non*] Non erat Johannes perſonâ Elias ille de quo percontabantur, præcurſurus Domini adventum poſteriorem; ſed ſpiritu, virtute & imitatione Elias quidam erat, quemadmodum teſtatur de ipſo Chriſtus Matth. 11. 14. *Si vultis*, inquiens, *recipere, Johannes ipſe eſt Elias.* Rurſus Propheta ille eximius ipſe non erat qui in Lege fuerat promiſſus, dicente Scriptura Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus:* quem præjacto articulo percontantes ſeſe intendere demonſtrabant. Propheta tamen quidam erat, nec vulgaris, quemadmodum & ipſe conteſtatur Dominus, dicens, *Etiam dico vobis, & plus quam Propheta*, Matth. 11. 9.

26, 27. *Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt; cujus ego non ſum dignus ut ſolvam*, &c.] Quanquam illud ἕστηκεν præteriti temporis pro *ſtat* ſumi poſſit, ſicuti alii non pauci vertere, propterea quod in verbis actionem manentem ſignificantibus frequenter præteritum uſurpetur pro præſenti, ut ſit ſenſus, *Medius veſtrum ſtat*, h. e. in medio veſtrum tanquam unus ex vobis verſatur, *quem ignoratis*; notanter tamen nec ſine ratione vetus noſter Interpres *ſtetit* vertere maluit, indicans, ni fallor, humilem Jeſum haud dedignatum jampridem in medio promiſcuæ multitudinis Johannis adeſſe prædicationi, & ipſius ſuſcipere Baptiſma, eoque ſermonem hunc, ut ſupra diximus, non ante ſed poſt Baptiſma contigiſſe. Verum huic noſtræ ſententiæ adverſari videntur verba illa, *Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt; cujus ego non ſum dignus ut ſolvam*, &c. & rurſus quod præmittitur, *Ego baptizo in aqua*, quæ Matthæus & Marcus manifeſte indicant ante Baptiſma eſſe prolata. Huic reſpondendum, quod ſicut multi ac varii ad Johannem concurrebant, ita ſæpius ipſe eadem etiam verba replicabat, ſicuti perſpicuum fit ex eo quod hic tertio replicatum commemoratur, *Qui poſt me venturus eſt ante me factus eſt*; & ſecundo, *Ecce Agnus Dei.* Cæterum quæ hic obſcura ſunt ſupra elucidavimus.

28. *Hæc in Bethania facta ſunt trans Jordanem*] De loci vocabulo Johannes Chryſoſtomus non definitionem ſed opinionem proferens, *Quidam*, ait, *exemplaria verius videntur in quibus* BETHABARA *ſcriptum eſt.* Meminit hujus loci & Hieronymus in Catalogo locorum Hebraicorum: ſed codicum varietas ac depravatio obſtat quo minus conſtet quid ipſe ſcripſerit. Nam in vetuſtioribus *Bethabra*, in recens excuſis *Bathbara* ſcriptum cernimus. Verum cum neutrius hujus vocis in opere ſequenti, ubi Hebraica & barbara nomina interpretatur, ullam faciat mentionem, admodum probabile eſt ipſum *Bethania* ſcripſiſſe, ut vulgo hactenus habuit contextus Euangelicus; atque ad diſtinctionem Bethaniæ alterius adjeciſſe, ſicuti & Euangeliſta facit, *trans Jordanem, ubi Johannes in pœnitentiam baptizabat:* ut ſileam interim quod idem admonere conſuevit quoties corruptelam aliquam in vocibus deprehendit.

29. *Altera die vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait, Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi*] *Altera die*, h. e. poſtridie diei illius quo contigerunt quæ modo de Judæorum interrogatione commemorata ſunt. Ideo autem Jeſus ſecundo ad Baptiſtam ſuum venit, ſecundum Chryſoſtomum, ut præco Chriſti jam tunc Patris ac Spiritus S. columbina ſpecie viſi oraculo munitus ac certificatus occaſionem haberet ferendi de Chriſto teſtimonium, tollendique à populo ſuſpicionem qua exiſtimare poterat eadem ipſum de cauſa qua cæteri advenisse ad Baptiſma veniſſe, nimirum ut peccata confiteretur: quam ſuſpicionem illud, *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi*, penitus tollit. *Agnus* autem dicitur per metonymiam pro *victima*: eſt enim ſpeciei nomen pro genere poſitum. Et *Agnus* peculiariter Chriſtum ſignificabat, qui vera erat futurus victima ad tollenda totius mundi peccata. Quædam exemplaria cum Græcis tantum habent, *Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.* Sed Auguſtinus ad imitationem, ni fallor, Hieronymi recognitoris Euangeliorum, idem ſcribit quod nos. Cyrillus alterum *ecce* non legit, in medio. Pro noſtra lectione facit P. Chryſologus ſerm. 50.

30. *Poſt me venit*] *Venit* præſentis temporis hic eſt, ἔρχεται.

31. *Et ego neſciebam eum; ſed ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans*] Negat ſe Joannes ab omni hominum ſemotum contubernio noviſſe Chriſtum de facie, atque ob id ad Jordanem properaſſe ſe dicit, ut non tam ſibi quam reli innoteſceret Iſraeli. Joanne enim baptizante concurrerunt populi; & cum congregarentur manifeſtabatur eis Chriſtus, qui ab ipſo prædicabatur, & præſens præſentibus monſtrabatur. Poteſt & aliter præſens locus accipi. Mihi enim magis videtur hic Joannes in perſona populi loqui, de

quo

quo dicitur, *Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis:* atque ita poſt *neſciebam* apte ſubſequitur *ſed ut manifeſtetur in Iſrael*, &c.

33. *Et ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu S.*] Neſciebat eum Joannes quia vultum ejus non agnoſcebat, utpote ſemper in eremo verſatus: ſciebat tamen certo Chriſtum Meſchiam jam adveniſſe: nam id & exſultando in utero partim declararat Luc. 1. 41. & prophetando indicarat cum diceret Luc. 1. 41. & prophetando indicarat cum diceret Luc. 3. 16. *Veniet fortior me poſt me, cujus non ſum dignus*, &c. denique & in hoc ſe miſſum pronunciarat ut qui latebat manifeſtaretur in Iſrael. Sed tantiſper quis ille eſſet certum non ſciebat, dum humilis Jeſus ad ipſius præſentiam venire dignatus eſt; quo viſo protinus Joannes Divino illuſtratus afflatu agnovit. Nam quod agnoverit verba illa teſtantur quibus adventantem jam compellavit, dicens, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Matth. 3. 14. Certiori tamen atque evidentiori teſtimonio cognovit cum baptizato cœlos patere & Spiritum S. ſuperne veluti advolare conſpexit. Cum ergo ait, *Et ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare*, &c. non id intendit, quod ante illam viſionem Chriſti perſonam, & quis eſſet non cognoverit, ſed hoc ipſum ob id commemorat quo declaret indubitatam ſe habere ſui de Chriſto teſtimonii certitudinem, ſignum ac fidem. Cum enim Joannes de Jeſu loquens Nazareno, vulgo juxta faciem non ignoto, utpote cum hominibus diverſante, diceret, *Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis: ipſe eſt qui ante me factus eſt, cujus ego non dignus*, &c. cum de eodem intonaret, *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi*, cum palam pronunciaret. *Hic eſt de quo dixi, Poſt me venit vir qui ante me factus eſt, quia prior me erat*, poterant Judæi cogitare ac dicere Johanni, Qua fronte tam magnifica audes de eo ferre teſtimonia qui ignotus tibi eſt, cum quo nunquam verſatus es, imo quem hactenus ne de facie quidem noviſti, quippe qui à pueritia in hoc uſque tempus in deſerto te continueris? Huic tacitæ objectioni ita Joannes occurrens reſpondet, Ingenue fateor; *neſciebam ego illum: at qui me ad tingendum* & teſtandum de illo *deſtinavit*, idem & certiſſimum ſignum dedit ac commonſtravit quo confirmarem quæcunque de illo & pronuncio & ſum pronunciaturus. Unde & aptiſſime ſubjungit, *Et ego vidi, & teſtimonium perhibui quia hic eſt Filius Dei:* tanquam ſi diceret, Sciebam quidem illum, aperto tamen pectore apertiſque tibiis nil de illo pronunciabam: at ubi cœlitus ſum edoctus, tum demum propalam ac libere cœpi quod diſſuleram intonare. Tractat hanc quæſtionem multis & prolixis ſermonibus Auguſtinus Tract. in Joh. 5. atque ita tandem ſe extricat, ut dicat Joannem multa quidem de Chriſto noviſſe, at non id quod ipſe totam Baptiſmatis haberet poteſtatem, quodque penes ſe ſolum ipſius retineret vim & autoritatem, ne quis, vel Petrus, vel Paulus, dicere poſſit *ſuum eſſe Baptiſma*. Verum hæc opinio, ſicut & aliæ quædam aliorum parum mihi videntur probabiles; ne quid adjiciam aliud.

40. *Hora autem erat quaſi decima*] Quæ erat diei artificialis ſeu lucis à ſuprema tertia. Nam XII tantum horas in Palæſtina computari ſolitas Chriſtus ipſe teſtis eſt dum ait XI. 9. *Nonne duodecim ſunt horæ diei?*

43. *Filius Jonæ*] Ita eſt in Græcis pariter & Latinis emendatis, juxta illud Matth. 16. 17. *Beatus es Simon Bar Jona.* In aliis contra eſt *filius Johannæ*, juxta illud Joh. 21. *Simon Johannis, diligis me?* Sed prius illud per ſyncopen dici puto. Vide ſupra Matth. 16. 17.

46. *Invenit Philippus*] *Invenit*, εὑρίσκει, præſentis quidem temporis eſt, quemadmodum & illud *dicit*; ſed utrobique præſens vice præteriti poſitum accipi poteſt.

47. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?*] Totus hic ſermo interrogatio eſſe poteſt; vel id ſolum, *à Nazareth?* autore Auguſtino De doct. Chriſt. l. 3. c. 3.

52. *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis*] Hoc adimpletum eſt dum apparentibus Angelis viſus eſt ſubvehi in cœlum: ſed & manifeſtius adimplebitur cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo, judicaturus vivos & mortuos.

LUC. BRUGENSIS.

28. HÆC *in Bethania facta ſunt, trans Jordanem, ubi erat Johannes baptizans*] Græci plerique libri in vulgus noti Βηθαβαρᾶ [Βυθαβαρᾶ o.] *Bethabara* ſcribunt. Latini conſtanter *Bethania* habent (neque enim curamus Neotericorum quorundam permutationes; in quorum unum Johannes Gagneius merito invehitur) quibus Syriaci conſentiunt, &, inter Græca exemplaria, Pariſienſe anni 1549, Regium ex Complutenſi excuſum, Vaticanum manuſcriptum, & Pariſienſium manuſcripta omnia π litera ſignificata, Nonni Græci carmine ſcripta Paraphraſi adſtipulante. Chryſoſtomus, Theophylactus & Euthymius, Græci tractatores, lectionis utriuſque meminerunt. *Bethania* legunt; ſed illa exemplaria emendatiora putant in quibus *Bethabara* ſcriptum eſt; quod *Bethania* non trans Jordanem fuerit, neque in deſerto, ſed haud procul à Jeroſolymis. *Bethabara* ſignificat *locum*, ſeu *domum*, *tranſitus:* quo nomine vocatum arbitrantur quidam locum quem Johannes ad baptizandum elegit, quod eſſet ibi trajectus Jordanis, ac propterea cum frequens eſſet locus, opportunus Johanni fuerit. Andreas Maſius, tertium Joſuæ caput ediſſerens, ſic appellatum exiſtimat, quod illic Iſraelitæ trajecerint cum ſiccato flumine Chananæam ingrederentur. Porro qui alterum ſequuntur legendi modum, Beda, id quod Albertus magnus refert (neque enim hoc in Bedæ commentariis quæ nos legimus habetur) Ordinariæ Gloſſæ Autor, & alii poſteriores, duas dicunt Bethanias fuiſſe, atque ad diſtinctionem hujus abea quæ Jeroſolymis erat vicina, additum fuiſſe *trans Jordanem*. Joſephus Antiq. lib. 17. c. 10. Bathaniæ meminit, quam cum Gaulonitide, Trachonitide & Paneade, Herodes Philippo filio ſuo teſtamento reliquerit: ea quæ c. 17. ejuſdem libri *Bathanea* dicitur. Hanc ultra Jordanem fuiſſe dubium eſſe vix poteſt: regio autem ea fuiſſe videtur quæ ab aliis *Bathanea* ſeu *Bathanea*, à Vet. Teſtamenti ſcriptoribus *Baſan* appellatur. Uſitatiſſimum eſt Chaldæis & Syris ב S Hebraicorum nominum in ת T mutare. *Betharaba* (ſic enim legendum eſt, non, ut Janſenius legit, *Bethabara*) cujus mentio eſt Joſ. 18. v. 22. inter civitates tribus Benjamin, is locus eſſe non poteſt cujus Euangeliſta meminit: Non enim ultra Jordanem excurrit Benjamiticæ tribus ſors. In Græca N. Teſtamenti Baſileenſi editione, anni 1563, Βηθβαρᾶ legitur: id quod cujuſdam conjecturæ convenit qui, *Fortaſſe*, inquit, *hic locus eſt de quo habes Judicum 7. 24. & ibi vocatur* Bethbara, quanquam illic Βηθβαρᾶ pro Βηθαβαρᾶ errore ſcriptum veriſimile ſiat, quod ex Pariſienſium editione id exemplar expreſſum eſſe certo obſervaſſe mihi videar.

H. STEPHANUS.

11. Εἰς τὰ ἴδια, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον] *In ſua, & ſui eum non receperunt.*

14. Ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν] *Habitavit inter nos:* vel, *Converſatus eſt nobiſcum.*

15. Κέκραγε] *Clamat.*

18. Ἐξηγήσατο] *Expoſuit.* Id eſt, Notiam ejus dedit.

21. Ὁ προφήτης εἶ σύ;] *Tune es Propheta ille?*

23. Εὐθύνετε] *Complanate.*

36. Ἐμβλέψας τῷ Ἰησοῦ περιπατοῦντι] *Intuitus Jeſum ambulantem.*

46. Ὃν ἔγραψε] *De quo ſcripſit.*

DRUSIUS.

1. IN *principio erat Verbum*] Vel *Sermo*, i. מימר, aut מימרא: *unde* דיי מימרא *ſermo DOMINI*, de Meſſia paſſim in Thargum. In Alcorano quoque Chriſtus vocatur *Verbum Dei*, nomine proprio. R. Samuel Iſraelita in epiſtola quam ſcripſit ad R. Iſahac Magiſtrum ſynagogæ, *Dicunt in Alcorano quod Eiſe, i. Jeſus Chriſtus, eſt Verbum Dei. Et hoc, ſcilicet eſſe* VERBUM DEI, *eſt Jeſu Chriſti apud Saracenos q. nomen proprium, ita quod nullus alius homo vocetur hoc nomine niſi Jeſus, quem vocant Arabice Eiſe.* Eſt autem compendio dictum, *Sermo* pro *Sermo DOMINI.* Sic *verbum*, i. רבר, uſurpatur pro *verbum Dei.* Sic *via*, pro *via Dei* aut *DOMINI*; *præceptum*, pro *præceptum DOMINI.* Quæ à Græcis enuntiantur per articulum, ὁ λόγος, ἡ ὁδός. Sed רבר & מדרי ſine articulo leguntur in Proverbiis Salomonis. Amelius philoſophus Platonicus, lecto hoc principio, queſtus eſt Johannem Euangeliſtam in ſuum librum tranſtuliſſe Magiſtri ſui myſteria, & quæ erant Platonis arcana ſua propriaque feciſſe, *Per Jovem*, inquiens, *barbarus iſte cum noſtro Platone ſenſit, Verbum Dei in ordine principii eſſe conſtitutum.* ¶ *Sermo*] Aut *Verbum.* Mahumediſtæ *Verbum Dei* vocant מלמרי מללה, quod natum fatentur ex virgine Maria ſine patre in terris. מלמרי *verbum, ſermo*; ut cum dicunt עשרי מלמרי *decem verba, decalogus.*

6. *A Deo*, παρὰ Θεῦ] *Haud ſcio*, inquit Eraſmus, *an alio-*

quin id perpetuum ſit in arcanis literis, cum Deo apponitur articulus, aut certam Perſonam denotari in Divinis hypoſtaſibus, aut verum illum & unicum Deum à reliquis Gentium diis diſtingui. Ego ſcio non eſſe hoc perpetuum, quod facilius & citius probabo quam vulpes pyrum comeſt. Sed quid opus probationis? Paſſim enim *Deus* cum articulo de falſo Deo uſurpatur, ut Amos 8. 14. *Vivit ὁ θεός σου Deus tuus*: & 5. 26. *τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν, aſtrum Dei veſtri.* Contra Θεὸς abſque articulo de vero dicitur v. 12, & 13. hujus cap. etiam hoc v. 6. ad quem Eraſmus hæc annotavit.

9. *Omnem hominem venientem in mundum*] Satis erat, *omnes venientes in mundum.* Sed *Homo* dicitur antequam in mundum venit: *In mundum venit* cum naſcitur. Igitur *homo veniens in mundum* non eſt *homo* ſimpliciter, ſed *homo natus*, aut *qui naſcitur.* Ebræi tamen בא לעולם vocant *omnes homines.* Lib. Muſar, c. 5. *Si congregarentur omnes venientes in mundum ad creationem pulicis, & ad infundendam animam, non poſſent.* In Munere novo (liber eſt ejus nominis) *Videbunt omnes venientes mundi*, i. in mundum, 78. 2. & alibi ſæpe. Phariſæa, 2. 1. *Teſtimonio ſunt omnibus venientibus in mundum, quod inter eos ſit Divinitus*: & mox, *Proventu*, ſive *frugibus, aluntur omnes venientes in mundum.*

10. *Mundus eum non cognovit, ὐκ ἔγνω*] *Non novit, non approbavit.* Sic alibi, *Non novi vos*: &, *Malum quod facio non cognoſco*, non probo. Sic Pſalm. 1. 6. *Deus novit viam juſtorum.* Quidam, *non recepit*: quod mox dicit οὐ παρέλαβον.

12. *Qui credunt in nomine ejus*] Melius, *in nomen ejus*: & eſt idem cum illo, *qui credunt in eum.* Sane Joh. 2. 11. *crediderunt in eum*: & 23. *in nomen ejus.* Nomen enim Dei eſt ipſe Deus, & contra Deus eſt nomen ſuum. Quod Ebræi dicunt, השם שמו ושמו השם, *Ipſe eſt nomen ſuum, & nomen ejus ipſe eſt.* Sic *invocare nomen DOMINI* & *invocare DOMINUM* ſynonyma ſunt. Dicunt etiam *credere in nomen* eodem ſenſu, πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα.

13. *Non ex ſanguinibus*] Sunt qui reponant, *non ex cruoribus.* Virgilius, *ſiccabat veſte cruores*: quod Servius tanquam nove dictum annotavit, cum neque *ſanguines* dicamus néque *cruores.* Tamen in Lex. Lat. Græco veteri, *Sanguinem, αἱμάτων.* ¶ *Ex ſanguinibus*] Alius, *ex ſanguine.* Nam *ex ſanguinibus* Latinum non eſt. Antiqui tamen ſic interpretantur Gr. *αἵματα* & Ebr. דמים. Cuique linguæ ſua proprietas; quæ ſervanda interpreti quoad ejus fieri poteſt. Auguſt. lib. 4. Locut. ſacrar. *Cum Sanguis in Latina lingua tantum numeri ſing. ſit, tamen interpretes poſuerunt Sanguines, ubi in Græco reperirent αἵματα. Sic Primitiæ dixerunt ſingulariter, cum uſus poſtulet Primitia.* ¶ *Ex libidine carnis*] *Caro* pro *femina* non memini legere; pro *homine* paſſim obvium eſt. *Homo* autem peculiariter de ſemina uſurpatur, ut probavimus in Notis noſtris ad hiſt. Sulp. Severi. Significat etiam corruptam hominis naturam, & id quo viri ſumus, ut in illo Ezechielis, *Caro aſinorum caro eorum.* Unde גדל כשר *mutoniati, mentulati*, quibus membrum illud grande ſive magnum eſt.

14. *Quaſi unigenitus*] *Unigenitus, Unicus* & *Primogenitus* ita differunt: *Unigenitus* eſt, teſte Hieron. c. 5. adv. Helvidium, quem pater unicum genuit: *unicus*, qui patri ſolus ſupereſt liberorum, licet plures habuerit. Rurſum, *omnis unigenitus eſt & primogenitus, non omnis primogenitus eſt unigenitus.* Ibid. Hieron. *Ne forte partu poſtea non ſequente unigenitus ſit, & non primogenitus.* Nam *primogenitus* dicitur ſive partus ſequatur ſive non. Quiſquis enim vulvam aperit πρωτότοκος audit matris, non patris. Nam ubi plures uxores, primogenitus patris eſt qui primus ei naſcitur. Sic Ruben ſolus erat primogenitus Jacobi, licèt Dan aperiret matricem Balæ, & Gad Zelphæ, & Joſeph Rachelis, qui poſtea primogenitus fuit, excidente juri ſuo Rubene. *Unicus*, i. יחיד, quandoque pro *dilecto* ponitur, i. ἀγαπητῷ aut ἠγαπημένῳ, qui patri charus & amatus præ cæteris. Hoc ſignificatu Salomo dixit, *Unicus eram matri meæ.*

15. *Ante me factus eſt*] i. fuit. Sic infra, *gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*, i. fuit, aut exſtitit. Familiare huic interpreti ſic reddere verbum ἐγένετο, ut Gen. 1. 5. *Factum eſt veſpere & mane dies unus.* Latinius hoc diceretur, *fuit.* Cave *factum* hic exponas *creatum.* Nam verbum Græcum hoc non ſignificat. Deinde Chriſtus non fuit factus aut creatus proprie loquendo. Nam quod Hebr. 3. 2. *Conſiderate Jeſum fidelem ei qui fecit eum*, ibi *fecit* aliam ſententiam continet. Vide quæ ibi annotavimus. Quod autem Tertullianus Chriſtum *factum* dicit, impropria eſt locutio, *factum* pro *genitum.* Sic dicimus ποιεῖν τέκνα *facere filios.* Notavit hoc Baſilius Theologus.

17. *Gratia & veritas, ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια*] *Gratia* hic non eſt חן, ſed חסד *benignitas*, h. e. gratuitus Dei favor. חסד autem χάρις redditur à Symmacho Pſ. 40. 11. Chaldaice רעוא, unde רעוא עזא *caprea gratiæ.*

21. *Elias es tu?*] Etiam adhuc hodie Judæi exſpectant: de quo non omnes idem ſentiunt. Nam vulgus credit eum adhuc vivere. Doctores opinantur animam ejus reverſuram in aliud corpus ſimile. Quam opinionem ſecutus eſt R. D. Mal. 4. 5. ita ſcribens, *Redire faciet animam Eliæ, quæ aſcendit in cælum, in aliud corpus creatum ſimile corpori ejus priori. Nam corpus ejus prius rediit ad terram ſuam cum aſcenderet ipſe, videlicet omne elementum ad elementum ſuum. Poſtquam vero revixerit in corpore illo, mittet eum Deus ad Iſraelem ante diem judicii, qui & Dies DOMINI magnus & terribilis.* Vide ſodes, Obſerv. meas, l. 4. c. 6. & Annotata ad Matth. 16. 14. ¶ *Et dixit, Non ſum*] Joannes negat ſe Eliam eſſe, ut revera non erat is quem Judæi exſpectabant. Sed Elias erat, quia in virtute Eliæ apparuit. Sic,

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles,

qui Achilli ſimilis ſit.

28. *In Bethania*] Ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾷ ἐγένετο πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Antiqui omnes libri, ἐν Βηθανίᾳ. Sic etiam interpres Vulg. Sed & Syrus quoque habet עבר ירדן. Epiphanius adv. Hæreſes pag. 189. Ταῦτα ἐν Βηθαμαρᾷ ἐγένετο (ἐν ἄλλοις δὲ ἀντιγράφοις, ἐν Βηθανίᾳ) πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Sed ſi *in Bethania* quomodo *trans Jordanem?* Nam Bethania cis Jordanem erat: Reſpondent, πέραν non ſemper ulteriorem ripam ſed τὴν παραποταμίαν notare. Alii, in queis Chryſoſtomus, cenſent emendandum ἐν Βηθαβαρᾷ. Idem cenſet præter Theophylactum Suidas ſive Suidas. Priorem ſcripturam etiam Nonnus expreſſit. Poſterior ab iis eſſe putatur, qui Chryſoſtomum ſecuti locum exiſtimarunt cubare in vitio. Porro *Abara* ſignificationem habet *tranſitus.* Nam עבר *tranſeo.* Maſius in Joſ. 3. 16, 17. in dictum putat locum illum à tranſitu Iſraelitarum. Nam per eam Jordanis partem populus trajecerat. Jud. 7. 24. *uſque ad Bethabara.* Hieron. *Bethbera*, quod LXX ſcribunt Βαιθβήρα· ſed in lib. Βαιθήρα· Tremellius, *qua Bethabara Joh.* 1. 28. Alius interpretatur *Domus vadi*, i. מעבר, aut *trajectus*, quod ibi eſſent vada Jordanis, vel quod cymba trajiceretur eo in loco. Plura ad Joh. 11. 1. quo te remitto. Vide etiam Quæſtiones meas. *Bethamara*, de quo ſupra, ſi non eſt mendum ex affinitate characterum, (quæ tanta eſt in antiqua ſcriptura ut vix diſcerni poſſit μῦ à βῆτα, & contra) quale in Σενναχηρείμ, referri debet ad ea nomina quæ has literas inter ſe permutant; qualia ſunt, *Abana, Amana; Abidan, Amidam: Berodach, Merodach*, & alia pauca. De Bethabara duæ ſententiæ ſunt. Prior eſt eorum qui hoc nomen Ebraice ſcribunt בית עברה, q. *Domum*, vel *Locum, trajectus.* Ajunt autem ibi fuiſſe vada Jordanis, unde nomen. Aut appellatio ab eo quod cymba eo in loco trajicerent flumen. Poſterior eſt Joſephi Scaligeri, qui hunc locum Jud. 7. 24. בירת הירדן dici cenſet, cui ſi literam He præponas, erit הבירת הירדן, quod Græci ſcribunt Βηθαβαρᾶ. Nam voces in medio nunquam aut raro adſpirant: utra ſententia verior melior ſit, judicent eruditi. Quod autem quidam ſcribunt hoc loco בירת אברה per Aleph, q. *domum patris* dicas, non intelligo. Nam אבר non ſignificat *patrem.* Ad hæc in ſcriptura Syriaca eſt בירת עבראי per Ain. Id aliud ſonat. Locus iſte *prope Jeroſolymam erat fere ſtadiis* XV, infra 11. 18. Hinc alterutrum ſequitur, aut duas fuiſſe Bethanias, aut hic legendum eſſe *Bethabara*, non *Bethania.* Nam Jordanis aberat Jeroſolyma Orientem verſus itinere unius diei. Juch. 65. 2. R. S. Jeſ. 24. 16.

29. *Qui tollit, ὁ αἴρων*] i. הנושא *qui aufert, aut condonat*, vel certe *portat.* Quod poſtremum Syrus elegit: Nam transfert רשקי. Verbum Græcum hoc ſenſu legitur 1 Sam. 15. 25. νῦν ἆρον δὴ τὸ ἁμάρτημά μου, ubi codex Ebræus ושא נא את חטאתי. & 25. 28. ἆρον δὴ τὸ ἀνόμημα τῇς δούλης σου. Eſt ubi נשא reddunt ἔλυσε *ſolvit*, videlicet Job. 42. 9. καὶ ἔλυσε τὴν ἁμαρτίαν αὐτοῖς διὰ Ἰώβ, *ſolvit eis peccatum propter Job*, i. condonavit.

38. *Rabbi*] Syrus *Rabban.* Id plus eſt quam *Rabbi.* Nam titulus eſt qui tribui ſolet Principibus, quos נשיאים appellant. Vide Juch. 48. 1. & 50. 1. & 67. 1. Hac de re diximus alibi, ſi me non fallit memoria. Græce Ῥαββί ſive Ῥαββεί, ut Ἠλὶ & Ἠλεί. Nam pro Chirec magno veteres quandoque *ei* ſcribebant, unde Ἐλειμ, Σεραφείμ, Χερουβείμ, & alia ſexcenta. Ebraice רבי. Dicunt etiam רבי, i. *Ribbi.* Sic *Rica* invenies pro *Raca. Rabbi*, i. *magiſter*, aut *doctor*, καθηγητὴς, *præceptor.* Ῥαββί, ὃ λέγεται, ἑρμηνευόμενον, Διδάσκαλε, *quod dicitur, ſi interpreteris, Magiſter.* Syr. רבן, cujus pluralis רבנים *magiſtri.* Minus recte alii, *domine noſter*, i. מרן. Sed *Maran* etiam ſim-

ſimpliciter *dominum* ſignificat, ut *Rabban*, *magiſtrum*. Utrobique Nun eſt litera heemanthica. Vide quæ habentur ad Matt. 23. 7. Geminatum legitur Marc. 14. 45. Ῥαββεί, Ῥαββεί, *Rabbi, Rabbi*. Quod autem ait Matt. 23. 8. *Vos autem ne vocemini Rabbi*, ſenſus eſt, Ne velitis ita vocari, Ne libenter vocemini. Sequitur, *Unus enim veſter Doctor*, καθηγητής. Ergo Ῥαββεί etiam καθηγητής. Sed mirum cur poſt ſubjiciat, Μηδὲ κληθῆτε καθηγηταί, *Ne vocemini doctores*, aut *magiſtri*. Syrus hic habet מרבנא, *doctores*, *rectores*, aut *duces*. Porro Jod in רבי tale eſt quale in אכזרי *crudelis*, נכרי *externus*. Hier. exiſtimavit affixum eſſe. Nam in Nom. de Matthæo, *Rabbi*, *Magiſter meus*, *Syrum eſt*. Sed idem in comment. *Rabbi Latino ſermone Magiſter dicitur*. Sic etiam Auguſtinus Tract. 2. in Johannem. Tale Jod. in *Rabboni*, de quo Joh. 20. 16.

41. *Meſſiam*] משיחא *Meſſias*, ut דבורה *Debbora*. Forma eſt nominis Syriaca. Nam Ebraica משיח, unde eſſet *Maſias*. Et משיחא Μεσσίας, ut יהודה Ἰούδας. Auguſtinus Tract. 16. in Joh. *Meſſias, unctus eſt. Unctus*, *Græce Chriſtus eſt*, *Ebraice Meſſias eſt: unde & Punice* MESSE *dicitur Unge. Cognata quippe ſunt linguæ iſtæ ac vicinæ*, *Ebraica*, *Punica & Syra*. Origenes tom. 14 in Joh. *Meſſias quidem lingua Ebræorum dicitur*, *quod LXX interpretati ſunt* χριστός, *Aquila vero Unctus*, i. ἠλειμμένος. Hieron. Jeſ. 27. *In hoc loco Judæi caſſa ſibi vota promittunt*, *quod in conſummatione mundi*, *quando* Ἠλειμμένος *ſuus venerit*, &c. Lactantius l. 4. c. 7. *Erat Judæis ante præceptum*, *ut ſacrum conficerent unguentum*, *quo perungi poſſent ii qui vocabantur ad Sacerdotium vel ad Regnum. Et ſicut nunc Romanis indumentum purpura inſigne eſt Regiæ dignitatis adſumptæ*, *ſic illis unctio ſacri unguenti nomen ac poteſtatem Regiam conferebat. Ob hanc rationem nos eum Chriſtum appellamus*, *i. Unctum*, *qui Ebraice Meſſias dicitur*. Rurſum Auguſtinus Tract. 7. in Joh. *Meſſias Ebraice*, *Chriſtus Græce eſt*, *Latine Unctus. Ab Unctione enim dicitur Chriſtus. Chriſma*, *Unctio eſt Græce: ergo Chriſtus*, *Unctus. Ille ſingulariter unctus*, *præcipue unctus: unde omnes Chriſtiani unguntur. Ille præcipue*, *quomodo in Pſalmo dicit*, *audi*, PROPTEREA UNXIT TE DEUS DEUS TUUS OLEO EXSULTATIONIS PRÆ PARTICIPIBUS TUIS. *Participes enim ejus omnes ſancti: ſed ille ſingulariter Sanctus ſanctorum*, *ſingulariter Chriſtus*, *ſingulariter Unctus*. Obiter noto, *Chriſtianos* appellatos non ab *unctione* ſpirituali (nam ab eo *Chriſti* vocantur, non *Chriſtiani*) ſed à *Chriſto*. Theodoretus in Gen. Quæſt. 47. Ἡμεῖς δὲ ἐκ τῆ δευτέρᾳ Χριστῆ προσηγορίας Χριστιανοὶ καλούμεθα. Sane *diſcipuli primum nominati fuerunt Chriſtiani Antiochiæ* Act. 11. 26. Occurrit hoc nomen & Act. 26. 28. item 1 Pet. 4. 16. Suidas, Ἔτι Κλαυδίᾳ βασιλέως Ῥωμαίων, Πέτρᾳ τῆ ἀποστόλου χειροτονήσαντος Εὐόδιον ἐν Ἀντιοχείᾳ, μετονομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζωραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι, Χριστιανοί. Ergo *Chriſtiani* à *Chriſto*, ut ab *Auguſtino Auguſtiniani*, à *Symmacho Symmachiani*, à *Hieronymo Hieronymiani*. Quod noto propter quoſdam qui mordicus tuentur contrariam opinionem, quam roborant autoritate ſui Catechiſmi. Valeret argumentum, ſi Catechiſmus ille regula veritatis eſſet: nunc cum ſit humanum ſcriptum, ad ſacras literas tanquam ad Lydium lapidem examinari debet. Cæterum Judæi duos Meſſias exſpectant, unum qui vocatur filius David, & alterum qui dicitur filius Joſeph, de quo R. Levi Gen. 49. 24. ad locum, INDE PASCENS LAPIDEM ISRAEL, *Innuit virum oriturum ex Joſeph*, *h. e. Meſſiam filium Joſeph*. Dicitur etiam *filius Ephraim*.

42. *Filius Jona*, Ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ] Syrus ברה דיונה. Id contractum videtur ex יונה, eliſa Heth litera duriore. Solens hoc facit ſuo more Aramæus. Perperam igitur in lib. Nom. *Barjona*, *Filius columbæ*. Nam יונה non ſignificat *columbam*. Conjecturam hanc meam adjuvant libri, in quibus Ἰωάννου, aut Ἰωαννᾶ. Hieron. epiſt. 46. *Tu es Simon filius Joanna: tu vocaberis Cephas*, *quod interpretatur Petrus*. Auguſtinus in Joh. *Tu es Simon filius Johannis*: alias, *Joanna*, quod notatum in margine fol. 4. col. 3. Rurſum Hieron. in De ſcriptoribus Eccleſ. *Simon Petrus filius Johannis*, &c. Sic legit & ſcribit etiam Fulgentius lib. 3. ad Traſimundum regem, pag. 241. Quæ omnia docent patrem Simonis Petri vocatum fuiſſe יונן aut יונה, & contractius יון, non autem יונ; qui nobis *Jonas*, i. *columba*. Vide Obſerv. meas, ſi vacas. *Johana*, *Jona*, ut יוחנן & יונה. Quanquam hic Ain; ibi Heth. Nam eadem utriuſque ratio. Sic מוניו *munus* pro מוניה, proprie quod datur ad corrumpendum judicem. Etiam He eliditur in medio, unde *Aron* pro *Aharon*. Sic pro אהרן plene aliquando ſcribitur אהרון, & pro יונן reperias etiam יונון, ut & *Juda* dicimus pro *Jehuda*. ¶ Σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος] Vetus interp. *Tu vocaberis Cephas*, *quod interpretatur Petrus*. Emendant *Petra*. Utrumque ſignificat Syris *Cephas*, & Græcis Πέτρος. Cum autem hic ſit nomen proprium, cur damnatur interpres reddens *Petrus*? Nam *Petra* tunc reddi debet cum appellativum eſt. An proprium hic exponitur per appellativum? videtur, & ideo ſcribi debet minuſculo charactere, *petra*. Recentior, *quod declaratur Petra*. Nam, *Petrus*, inquit, *Latinis nomen eſt proprium duntaxat*, *Græcis vero* Πέτρος *etiam appellativum eſt*. Ego ut concedam כפא *Cepha* etiam appellativum eſſe, ita dubito an Κηφᾶς Græcis alium quam proprium ſit. Sed de eo non contenderim. *Cepha*, *Cephas*. Ut *Thoma*, *Thomas*. Matth. 16. 18. σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Syrus utrobique habet כיפא *Cipha*. Nam id in ea lingua tam *Petrum* quam *petram* ſignificat. Similiter Græce Πέτρος ad utrumque ambigue dicitur. Cur ergo elegit, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ; Docte nec minus pie Iſidorus l. 7. De etymol. col. 171. *Dixerat Petrus*, TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI. *Deinde ei DOMINUS*, SUPER HANC PETRAM, *quam confeſſus es*, ÆDIFICABO, *inquit*, ECCLESIAM MEAM. *Petra enim erat Chriſtus*, *ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus*. Si Clementi credendum, fuit alius hoc nomine. Nam in 5. Hypotypoſeon ſcribit unum ex LXX diſcipulis vocatum fuiſſe *Cephan*, cui Paulus Apoſtolus in os reſtiterit. Quod relatum Euſebio Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 13. Sed Clementi reclamant loci alii, tum etiam Patres, in queis Ambroſius 1 Cor. 9. *Cephas*, inquit, *ipſe eſt Simon Petrus*. Loquitur de Cepha cujus mentio 1 Cor. 9. 5. Qui plane idem cum illo qui memoratur Gal. 2. 9, 14. Nam ita fere ſemper eum vocat Apoſtolus. In lib. Nominum, *Cephas*, *Petrus*, *Syrum eſt*. Hoc habetur in Nominib. de Johanne, & in Nom. ex epiſt. 1. ad Cor. כף etiam Ebræum eſt, unde כפתים *petræ* Jer. 4. 29. & Job. 30. 6. Mirum ergo cur ſcribat Eraſmus, *Cephas*, *Hieron. in Ebraicis nominibus negat Ebræum eſſe verbum*, *ſed Syrum*, *& apud illos ſonare Solidum*. Imo contrarium affirmat in Gal. 2. per hæc verba, *Quam nos Latine & Græce Petram vocamus*, *hanc Ebræi & Syri propter linguæ inter ſe vicinitatem Cephan nuncupant*. Tamen כפא non eſt Ebræum, ſed Syrum. Qui etiam כף dicunt, & pro *lapide* uſurpant, ut Prov. 3. 15. pro eo quod in Ebræo פנינים, paraphraſtes habet מרגלי כיפי λίθοι ἀγαθοί, *lapides pretioſi*, *gemmæ*.

45. *Nathanaelem*, τὸν Ναθαναήλ] Syrus habet נתנאל. Cæterum Ebraice ſcribitur hoc nomen נתנאל Num. 1. 8. & alibi. Id Latine ſonat *Dedit Deus*. Unde corrigendus liber Philonis, in quo, *Nathanael*, *Deus meus*; *vel Donum Dei*. Nam legendum, *Deus dedit*, *vel Donum Dei*. Res eſt, non conjectura. *Deuſdedit* & *Adeodatus* nomina ſunt nota Chriſtianis veteribus, reperta in Auguſtino & apud alios religionis noſtræ Antiſtites.

46. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?*] Vide annotata ad Matth. 2. 23.

52. *Amen amen*] Cum geminatur magis intendit aſſeverationem, ut ſæpe in hoc Euangeliſta. Reliqui ſemel tantum habent *Amen*. Id ſonat ἀληθῶς *vere*. Geminatur etiam Num. 5. 22. & Neh. 8. 6. Ἀμὴν *val* ita dicitur ut *Abba pater*, *Adonai Domine*: prius Ebraicum eſt, poſterius Græcum; videlicet *val*, quod Ebræi enuntiant ן. Hieron. in Comment. Jeſ. 25. & Ezech. 16. videtur jurandi formulam agnoſcere in *Amen*: ſed idem rectius de hac re ſentit in Comment. ſuper Gal. 6.

SCALIGER.

16. Χάριν ἀντὶ χάριτος] Verſu ſeq. explicatur: χάρις prior eſt ἡ παλαιὰ διαθήκη, χάρις poſterior ἡ καινὴ διαθήκη· ἡ παλαιὰ διὰ Μωσέως, ἡ καινὴ διὰ Χριστῆ.

CASAUBONUS.

1. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος] Docent Theologi poſitum eſſe ἐν ἀρχῇ pro ἀπ' ἀρχῆς, ut loquitur idem Johannes epiſt. 1. 2. Nonnus vero in paraphraſi retinens hoc loquendi genus addit ἄχρονος, quæ vox eſt inſtar interpretationis. ¶ Καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν] Hunc quoque locum Nonnus ita tractat ut ejus παράφρασις inſtar commentarii eſſe queat,

Καὶ λόγος αὐτοφύτοιο Θεῆ, Φῶς, ἐκ Φάεος Φῶς,
Πατρὸς ἓην ἀμέρισος, ἀτέρμονι σύνθρονος ἕδρῃ.

Nam ita debent duo hæc carmina conjungi, quæ malè vulgo disjunguntur. Idem mox πρὸς τὸν θεὸν explicat σὺν τῇ Θεῇ.

itized gle

4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ Φῶς τῶν ἀνθρώπων] Nonnus paulo aliter legiſſe videtur: duas enim enunciationes in unam confundit,

\- - - καὶ ἔμΦυτος ἦεν ἐν αὐτῷ
Ζωὴ πᾶσι μέλουσα, καὶ ἀκυμόρων Φάος ἀνδρῶν.

14. Καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν] h. e. *Inter nos*, non *in nobis*, ut vertit vetus interpres. Nonnus vero optime,

Οἶκον ἵναιε σὺν ἀνδράσι.

24. Καὶ οἱ ἀπεσταλμένοι ἦσαν ἐκ τῶν Φαρισαίων] Legiſſe videtur hoc loco doctiſſimus Paraphraſtes ἦσαν δὲ ἀπεσταλμένοι καὶ ἐκ τῶν Φαρισαίων. Itaque de alia legatione putavit hic agi, non de ea quæ jam fuit commemorata. Docet hoc ipſius paraphraſis,

Καὶ χῶρος ἄλλος ἔκτιστος ἁμαρτυνόων Φαρισαίων
Πέμπετο.

28. Ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾷ ἐγένετο πέραν τοῦ Ἰορδάνου] Teſtatur Theophylactus accuratiores codices ita habuiſſe, non Βηθανίᾳ. Sed mirum eſt & Syrum interpretem & Nonnum hanc lectionem non agnoſcere: ut videatur illa altera ἐν Βηθανίᾳ eſſe antiquior; hanc autem ἐν Βηθαβαρᾷ ab iis eſſe profecta qui Chryſoſtomum ſecuti locum cenſuerunt eſſe emendandum, cum Bethania non ſit πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ſed cis Jordanem. Verum ſi nihil aliud doctos viros movit ut hanc lectionem improbarent, neſcio an cauſa fuerit illis juſta ſolicitandæ antiquæ lectionis. Poteſt enim reſponderi eorum objectioni, πέραν ex Hebræorum idiotiſmo non ſemper *ulteriorem ripam* ſed ſimpliciter τὴν παραποταμίαν notare: nam ita illi ſuum עבר uſurpant: cujus rei manifeſtiſſimum eſt exemplum Matth. 4. 15. Ergo hic quoque & infra 10. 40. πέραν τοῦ Ἰορδάνου commode fortaſſe poſſumus interpretari *ſecundum Jordanem*. Et tane prædicavit Johannes in eremo Judææ ſic proprie dictæ, cujus fines ultra Jordanem non pertinebant. Nam in eo tractu patrem Zachariam habitaſſe recte docti viri annotant ad Lucam 1. 40. Ideo etiam dicuntur qui ad Johannem veniebant veniſſe ἐκὶ τὸν Ἰορδάνην, nuſquam facta trajecti ab iis Jordanis mentione. Sed & de eo quæri poteſt, an Bethabara ſit πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ut vulgo interpretantur: etſi non ignoro quid hac de re non uno loco ſit ab Hieronymo ſcriptum. Verum hæc, Deo dante, alias pluribus.

43. Σίμων ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ] Nonnus legit Ἰωάννου.

CAMERON.

1. ΕΝ ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος] Si cui placet ut Chriſtus Dei Λόγος dicatur, vel quia promiſſus fuit à Patre, vel quia Interpres fuit paterni conſilii, vel quia noſter eſt Advocatus apud Deum, ſententia quidem non eſt incommoda: ſed mirum alicui videri non immerito poſſit, cur ſi has ob cauſas Λόγος Dei vocatur, is titulus non occurrat ſæpius in libris N. Teſtamenti. Itaque alia videtur eſſe ratio hujus appellationis. Rerum agendarum duæ ſunt rationes, una quæ humanæ imbecillitatis eſt, nempe dum res nonniſi admota ad opus manu peraguntur; altera cum ſolo nutu atque (ut dicitur) verbo fiunt. Unde profectum eſt ut quo quiſque potentior eſt, eo jactet confidentius ſe vel verbo ſolo, h. e. imperio aut mandato, poſſe res maximas præſtare. Indeque factum eſt ut cum Deus per Filium omnia geſſerit, tum quæ pertinent ad opus Creationis, tum etiam quæ ad opus Redemptionis ſpectant, dicatur Dei Λόγος. Quod ſi cui mirum videtur cur hac nomenclatura Chriſtus in libris N. T. non ſæpe ſed raro celebretur, is vero cogitet animo quæ fuerit Johannis mens, dum hic deſcribens majeſtatem Filii Dei ſine ullo reſpectu incarnationis, eum vocat Θεῦ Λόγον, aſſeritque *per eum omnia fuiſſe facta*. Reſpexit nempe haud dubie ad hiſtoriam Creationis, pro eo ac à Moſe inſtituta eſt, ubi toties repetitur illud, *Dixit Deus, & factum eſt*: ut hoc voluerit Johannes, Chriſtum formula iſta ſignificatum fuiſſe, *Dixit, & factum eſt*; quanquam obſcure ſane, prout tempora iſta decebat. Quorſum enim, obſecro, attinebat ut Moſes (quod nuſquam alibi tota Scriptura fit) toties introduceret Deum dicentem, *Iſtud & illud fiat*, & poſtea, *Factum eſt*? Nam certe nullo tum Deus ſermone uſus eſt, ut cum poſtea allocutus eſt Prophetas & Patriarchas. Frigidum enim eſt reſpondere, ideo tantum id factum eſſe ut humano more ſignificaretur omnia nutu ſuo Deum condidiſſe: quis enim ea dare dubitat, aut vero non certo ſciat Deum ad fabricandam mundi machinam nullos adhibuiſſe vectes aut ferramenta? Deinde, ſi ita ſe res habet, cur non etiam alibi Deus introducitur utens ſimili ſermone cum magnum aliquod opus aut miraculum patravit? Cum itaque nulla ratio reddi poſſit ſatis idonea tam operoſæ & anxiæ à Moſe factæ obſervationis, Deum ad ſingula quæque dixiſſe, *Fiat illud*, & *factum eſſe*, aliquod oportet ſubeſſe myſterium. Fateor equidem abſque luce Euangelii fore ut hic cum Judæis hæſiſſemus: At poſtquam Chriſtus vocatus eſt Λόγος, & is dictus *per quem Deus omnia condidit*, nemini amplius dubitandi cauſa ſupereſt quin id voluerit Moſes ſedula illa obſervatione innuere. Sed quærat aliquis, Cur eandem ob cauſam non tam dictus ſit Ῥῆμα quam Λόγος; Id vero factum videtur duabus de cauſis, quarum prior hæc eſt, quod λόγος etiam ad mentem & voluntatem referatur lingua Græca, ῥῆμα nunquam: deinde vero, quod λόγος *orationem* ſignificat, ῥῆμα *vocabulum* tantum, ſeu *nomen*, aut *verbum*, proindeque aliquid imperfecti: uno verbo, quia λόγος nomen dignius eſt quam ῥῆμα, Inde factum eſt ut Chriſto Λόγε potius quam Ῥήματος nomen tributum ſit. Sane מאמר λόγος proprie eſt non ῥῆμα. Atque ubi Deus quicquam dicitur vel *facere* vel *dicere*, ea loca Chaldæus Paraphraſtes ita vertit ac ſi ſcriptum eſſet *Deum feciſſe*, vel *dixiſſe*, *per verbum ſuum*. Cujus rei illuſtre exſtat exemplum Oſeæ 1. 7. hæc enim verba, *Et ſervabo eos per Jehovam Deum ipſorum*. Chaldæus interpres vertit, *& redimam eos per Verbum Dei Domini ſui*. Paraphraſtes tamen Ruth Paltielem ſcribit *interpoſuiſſe gladium ſuum* בין מימרה ובין מיכל *inter verbum ſuum* (h. e. inter ſe) *& Micalem*. Sed & is recentior eſt, atque apud eum fere ſolum hæc occurrit locutio de homine uſurpata. Nam certe cauſa dici non poteſt cur reliqui Paraphraſtæ, niſi cum de Deo agitur, hac fere nunquam utantur locutione præterquam affixi loco, idque perraro. Ut ſit finis, in Eccleſia Judaica (ut conſtat ex Chaldæo Paraphraſte) id quo Deus omnia facit & præſcribit dicitur מימרא ſeu λόγος· & Moſes myſtice ſic eum deſcripſit: hinc factum putamus ut Chriſtus Λόγος dictus ſit, cum is ſit in quo *Deus dicitur omnia feciſſe* cum in primæ tum in ſecundæ creationis opere.

9. Ὁ Φωτίζει πάντα ἄνθρωπον] Etſi verum eſt omnem humanæ mentis lucem eſſe ab illo Sole, attamen intelligendum eſt præcipue de illa luce quæ eſt ad ſalutem, & qua fit ut tenebris peccati & mortis liberemur. Neque tamen inde ſequitur omnes indiſcriminatim homines participes fieri hujus lucis: eſt enim locutio in Scriptura uſitata, qua *diſtributive* non *collective illud omne* accipi debet; ut ſit ſenſus, *Quotquot illuminantur ad ſalutem, nonniſi ab illa luce illuminantur*. Sic cum Pſ. 145. Deus dicitur *ſuſtentare omnes cadentes, & erigere omnes incurvatos*, ſenſus eſt, Quotquot ſuſtentantur, à Deo ſuſtentantur; & qui eriguntur, à Deo eriguntur. Non eſt igitur quod inde concludant Semipelagiani Chriſtum vera illa luce ſalutari omnes illuminaſſe, niſi rem ſic intelligant ut Chriſtus ſtatuatur in tenebris luxiſſe, neque tamen fuiſſe comprehenſus à tenebris; quomodo & Chriſtum *omnium hominum Redemptorem* dicere poſſumus & ſolemus.

16. Χάριν ἀντὶ χάριτος] Ἀντὶ hic poſitum eſt pro ἐπὶ: præpoſitionum enim enallagis nihil eſt in Scriptura frequentius: eſtque Hebraicum תחת תת, atque ſic ſignificatur abundantia gratiæ Chriſti à Prophetis deprædicata. Nota eſt exclamatio illa *Gratia, gratia*, quæ exſtat Zach. 4. 7.

17. Χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια, &c.] *Gratia* & *Veritas* hoc loco unum idemque ſignificant, ſed ratione diverſa. *Gratia* quid ſit nemini obſcurum eſt. Nempe eſt affectus benefaciendi, & quidem gratuito: unde ipſum beneficium *Gratia* dicitur. *Veritas* vero id ipſum ſignificat. Nam qui natura immites ſunt & immanes, ii etiam ingenio ſunt fraudulento & ſubdolo;

Aſſuetam geſtant rabido ſub pectore vulpem.

Vix fieri poteſt qui ſubdolus eſt animus idem ut crudelis non ſit; imo fieri non poteſt. Quod ſi crudelis animus idem non ſit ſubdolus, id fit ob impotentiam phyſicam: nam qui crudelis eſt, idem vellet, ſi poſſet, eſſe inſidiator. Atque hinc fit ut quod *Gratia* idem *Veritas* dicatur in Scriptura. Cujus luculentum documentum exſtat Gen. 24. 27. Nam ſervus Abrahæ Deum alloquens meminit *miſericordiæ & veritatis* Dei. Idem, Labanem dum ſtudet hero & ſibi conciliare, meminit *miſericordiæ & veritatis* v. 49. Quod nos ideo obſervamus ut ne putemus, dum de ſalute noſtra agitur, hæc duo diſtingui, *Gratiam* & *Veritatem*. Certe ſalus noſtra fœdere nititur: itaque dum Deus ſalutem præſtat, probat eadem opera ſe eſſe veracem, h. e. conſtantem in dictis & factis: attamen cum reddenda eſt ratio hujus locutionis, dicendum eſt ſimpliciter, eam ob cauſam quæ eſt à nobis allata, *Gratiam* eandem dici *Veritatem*.

29. Τί οὖν; Ἠλίας εἶ σύ; Καὶ λέγει, Οὐκ εἰμί] Mirum videri poſſit alicui cur Johannes neget ſe eſſe Eliam, cum Chriſtus teſtetur de eo, eum fuiſſe Eliam à Malachia prædictum, Matth. 11. 14. & 17. 12. Sed ſolutio hujus dubii eſt facilis.

Ju-

Judæi enim quærebant ab eo an eſſet is Elias quem ſibi animo finxerant. Jam vero hæc eſt Judæorum de Elia ſententia, vel potius commentum, referente D. Kimhio, Comment. in Mal. 4. Deum creaturam novum corpus Eliæ ante diem ultimi Judicii, prius enim corpus ejus reſolutum fuiſſe in quatuor elementa ex quibus fuerat primo compactum. Itaque cum Judæi interrogarent Johannem Baptiſtam *an eſſet Elias*, recte negavit ſe eſſe *Eliam*, nempe ex eorum mente, & talem qualem ſibi fingebant Eliam. Sic cum Chriſtus ab aliquo appellatus eſſet *bonus*, tacite negavit ſe eſſe bonum, *Cur me*, inquit, *bonum vocas?* nempe Scriba ille eum ita compellaverat acſi Chriſtus merus eſſet homo; negavit ergo Chriſtus ſe eſſe ex mente illius *bonum*.

GUALTPERIUS.

42. Ἐυρήκαμεν τὸν Μεσσίαν] Μεσσίας, *Meſſiah*, vox Hebræa quæ deſcendit ex radice משח *unxit oleo*, *perunxit*, *inunxit*: quemadmodum dicitur Eſa. 61. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxit me Jehovah* משח *ad euangelizandum*. Et 1 Sam. 16. 13. *Accepit Samuel cornu olei, & unxit eum* למשח *in medio fratrum ejus*. Inde igitur nomen משיח *Meſſiah*, i. *Unctus*, Gr. Χριστός. In Lege ungebantur olim Sacerdotes & Reges. 1 Sam. 24. 7. *Abſit mihi a Domino, ſi faciam verbum hoc Domino meo Uncto*, ſeu *Chriſto*, *Domini* יהוה למשיח *ad mittendum manum meam in eum, quia Unctus* (*Chriſtus*) *Domini ipſe*: κατ' ἐξοχὴν vero tribuitur nomen hoc Semini benedicto, Liberatori & Redemptori noſtro, Jeſu Chriſto. Is enim ſolus eſt *Sanctus ille Sanctorum*, qui Domini Spiritu ad hoc officium eſt unctus ut *redimat populum ſuum a peccatis ſuis*. Is *ſolus calcavit torcular iræ Dei omnipotentis*, Eſa. 63. 3. Apoc. 19. 15. *Nec eſt in ullo alio ſalus: quoniam hominibus aliud nomen ſub cœlo datum non eſt in quo ſalvari eos oporteat præterquam in nomine* JESU CHRISTI, Act. 4. 12. Vere igitur hic Jeſus MESCHIAS, & CHRISTUS eſt noſter, eo quod *unctus ſit ſacroſancto Dei Spiritu pra conſortibus ſuis, nec ad menſuram Spiritum illum acceperit*; quippe quod *in eo habitet omnis plenitudo Divinitatis σωματικῶς corporaliter*, ſeu *tanquam in proprio ſuo corpore*, Pſal. 45. 7. Eſa. 61. 1. Joan. 3. 34. Col. 2. 9. *Omnes* item *theſauri ſapientiæ & ſcientiæ in ipſo ſint abſconditi*, Col. 2. 3. Suſtinet ergo triplex officium Meſchias hic noſter, Sacerdotale, Propheticum, & Regium. Sacerdotale, quo ſeipſum Mediatorem inter Deum & homines interpoſuit: quo pertinet ejus Satisfactio, & Interpellatio pro nobis. Propheticum quo ipſe arcanum Dei Patris conſilium & voluntatem de gratuita acceptatione noſtri in Euangelio nobis revelavit. Regium denique quo potenter nos defendit adverſus Diabolum, infernum & omnes inimicos noſtros, cum ſedeat ad dexteram omnipotentis virtutis & majeſtatis Divinæ, &c. Etſi vero impii Judæi Meſchiam illum inſignem generis humani Redemptorem adhuc dum exſpectant, eumque in mundum veniſſe ſcelerate negant, convinci tamen propriorum Prophetarum teſtimoniis luculentiſſimis haud difficulter poſſunt. *Non auferetur Sceptrum de Juda*, inquit Gen. 49. 10. Patriarcha Jacob, *neque ſcriba*, ſeu *legislator*, *de pedibus ejus, donec veneris Schiloh*, i. *Meſſias*, *cujus eſt Regnum*, ut clare habetur in Thargum, ſeu Onkelo paraphraſte Chaldæo. Jam vero Sceptrum iſtud ante mille ſexcentos & amplius annos ablatum & ad peregrinum Magiſtratum tranſlatum eſt, Sanhedrin celeberrimum Hebræorum conſiſtorium dejectum eſt, Judæi ipſi omni dominio exuti in omnes ferme mundi angulos diſperſi ſunt. Quem igitur miſeri deinceps exſpectabunt? Adde, Hebdomadas Danielis adventui Meſchiæ deſtinatas ante tot, ut dixi, annos effluxiſſe, Templum & Urbem in cineres eſſe redacta, Ceremonias Leviticas abrogatas, & quæ hujus generis alia ſunt argumenta quibus excæcati Judæi ſolidiſſime refutari ſolent. Adderem & propriorum Rabbinorum teſtimonia, quorum aliquammulti Meſchiam dudum in carnem veniſſe ingenue profitentur, niſi metuerem ne arguar facem me Soli velle præferre. De variis autem nominibus *Meſchiæ* & luſibus de hoc nomine Cabaliſticis conſulatur Petrus Galatinus in libris De arcanis Catholicæ veritatis, & Reuchlinus De arte Cabaliſtica, lib. 1.

43. Σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος, *Tu vocaberis Cephas, quod declaratur Petrus*] Vel *Lapis*. כיפא & כיפא *Cephas* Κηφᾶς, Chald. & Syriac. eſt. Hebræis אבן *lapis*, πέτρος autem Græcum idem quod λίθος. Appellatur ſic, non quod ſuper perſonam Petri fuerit ædificata Eccleſia, ut ſtulte opinantur Pontificii, ſed quod Petrus per agnitionem Euangelii ædificaretur ſuper Petram veram, quæ eſt Chriſtus. Quo pacto etiam eleganter inquit Auguſtinus De verbis Domini, ſerm. 13. *Quia Chriſtus eſt Petra, Petrus erit populus Chriſtianus.* PETRA *enim principale nomen eſt: ideo* PETRUS *a* PETRA, *non* PETRA *a* PETRO: *quomodo non a* CHRISTIANO CHRISTUS, *ſed a* CHRISTO CHRISTIANUS *vocatur*. Tu, *ergo inquit*, ES PETRUS: ET SUPER HANC PETRAM, *quam confeſſus es*, SUPER HANC PETRAM, *quam cognoviſti, dicens*, TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI, ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM. *Super me ædificabo te; non me ſuper te.* Aliter ergo Chriſtus petra, & aliter Petrus petra.

JAC. CAPPELLUS.

1. *IN principio erat Verbum*] Hic Λόγος, *Sermo*, ſive *Verbum*, eſt ſecunda perſona Trinitatis, ut & v. 14. & 1 Joh. 1. 1. Apoc. 19. 13. Act. 10. 36. Videtur hæc Phraſis ex Pſalm. 33. 6. petita, *Verbo Domini cœli facti ſunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum*: ubi tres Perſonas videmus, τὸν Κύριον, τὸν Λόγον, & τὸ Πνεῦμα. Quin & Onkelus paſſim יהוה *Verbum Domini* יהוה מימר vertens Λόγον ἐνυπόστατον innuere videtur: ut Gen. 21. 20. pro, *Et Deus fuit cum illo*, vertit, *Et verbum Domini fuit illi auxilio*: & v. 22. *Deus eſt tecum*. Onkelus, *Verbum Domini eſt tibi ſubſidio*. Sic quoque R. Jonathan Uzielis F. paſſim. Quin & Targum Hieroſolymitanum: ut Gen. 3. 9. pro *Et Deus vocavit Adamum*, Targum Hieroſ. *Et Verbum Domini vocavit Adamum*. Huic telo derrahatur ut mucro, quidam obſervant מימר ut & נפש paſſim uſurpari pro αὐτὸς *ipſe*. Ut Eccleſ. 8. 17. *Si dixerit vir ſapiens* במי מלרא *in verbo ſuo*, h. e. apud ſeipſum. Sic Gen. 6. 6. *Et pœnituit Dominum*. Onkelus, ואתרע במי מלרא *Et pœnituit in verbo ſuo. Et dixit in verbo ſuo.* Vide Geneſ. 9. 12. Num. 15. 31. Eccleſ. 1. 1. & 2. 2. Ruth. 3. 8. Sed fieri poteſt ut hæc phraſis κυρίως & primum in rebus Divinis uſurpata ad myſterium Trinitatis deſignandum, deinceps ignoratione tanti myſterii tranſlata ſit etiam ad res humanas, vel etiam ad res Divinas in iis locis in quibus huic myſterio vix datur locus. Sic quæ phraſis rebus Divinis propria convenit, ac tum myſterio non caret, אלהים ברא & ſimilia, quæ plurali numero Deum nuncupant & pluralem hunc jungunt cum verbo ſingulari, ea tranſlata ad res humanas pertinet tantum ad deſignandum ejus de quo agitur majeſtatem aut potentiam. Sed quod in rebus humanis hunc tantum uſum habet, in Divinis poteſt alium inſuper uſum habere. Vide quæ notamus in Geneſ. 1. 1. Sic cum Hebræi dicunt נפשי *anima mea*, *tua ve* vel *illius*, paſſim quidem ita ſumunt hanc vocem ut nihil aliud ſignificet quam *ipſe*. Itaque nonnunquam uſurpatur etiam tum cum prædicati capax eſt corpus tantum, non anima; ut Pſalm. 105. 18. *ferrum ingreſſum eſt* בנפש *in ipſummet*. Hæc licet ita ſe habeant, tamen origo phraſeos hujus ab Hominis natura petenda eſt, in quo diſtinguitur corpus ab anima longe nobiliori ratione quam in brutis. Itaque cum David ait Pſalm. 103. 1. *Benedic, anima mea, Domino*, & B. Virgo Luc. 1. 46. *Magnificat anima mea Dominum*, poteſt tum in uſum revocari prima propriaque phraſeologias hujus vis ac emphaſis. Certe cum Pſalm. 110. 1. Jonathan, teſte Fagio in Deut. 5. ita παραφράζει, *Dixit Dominus* לימר ליה לרבי *tæ Λόγῳ ἑαυτοῦ, Verbo ſuo, Sede a dextris meis*, non poteſt id intelligi, *Dixit ſibimet ipſi*. ¶ *Et Verbum erat Deus*, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος] Articulus ὁ ſyntacticam vim hîc habet, ac docet quodnam ſit hujus orationis ſubjectum, ὁ Λόγος videlicet, ut apud Plutarchum De poetis audiendis cum ait p. 17. ζωγραφίαν μὲν φθεγγομένην τὴν ποίησιν, ποίησιν δὲ σιγῶσαν τὴν ζωγραφίαν.

3. *Et ſine illo factum eſt nihil*, ὃ γέγονεν, *quod quidem factum ſit*] Ariſtoteles Phyſ. l. 1. c. 3. Meliſſum reprehendit quod dixerit, εἰ τὸ γενόμενον ἀρχὴν ἐγένετο ἅπαν, καὶ τὸ μὴ γενόμενον ἂν ἔχει. Sed potuit Ariſtoteles Meliſſi ſententiam aut non capere, aut maligne carpere, falſum ei pro more ſenſum affingendo. Utut ſit, Meliſſi verba poſſunt commodum ac verum habere ſenſum, & eum quidem ut illius veritas ad hujus loci faciat illuſtrationem. At ſaltem id agnoſcit etiam Ariſtoteles De cœlo l. 1. c. 12. τὸ ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον, καὶ τὸ γενόμενον ἄφθαρτον *eſſe non poſſe*, nempe *per ſe*. *Poteſt tamen incorruptibilitate donari ab eodem a quo τὸ εἶναι accepit.*

14. *Verbum caro factum eſt*] Recte quidem Auguſtinus lib. Quæſtionum 83. q. 80. *Volens Euangeliſta commendare nobis dilectionem humilitatis Dei, qui ſeſe humiliaverit, & quouſque ſe humiliaverit, exprimens, Verbum Carnemque nominavit, prætermittens Anima naturam, qua Verbo inferior eſt, Carne præſtantior.* Acute dictum: Sed videant eruditi num hic potius lateat idiotiſmus Arabibus frequens, qui

qui paſſim Hominem *carnem* vocant, ut Galat. 1. 1. Pſalm. 4. 2. quod & in Scriptura frequentiſſimum eſt, ut Eſaiæ 40. 5, 6. & 49. 26. & 66. 16, 23, 24. Matth. 24. 22. Ita Λόγος σὰρξ ἐγένετο commode vertetur *Sermo factus eſt homo*. Sed etſi placeat hæc interpretatio, non deerit tamen huic loco ea quam poſtulat Auguſtinus humilitatis commendatio. Quod enim Homo vocatur *caro*, πρὸς ἕντροπὴν id fit, ut cum à Græcis dicitur βροτὸς, à Latinis *mortalis*. Quamobrem Auguſtinus ibidem paulo poſt ſententiam noſtram confirmat, cum ex Lucæ 3. 6. & Pſ. 65. 2. addit, *Unde intelligitur ſolere homines per nominationem ſolius Carnis ſignificari, ut ſecundum hanc locutionem etiam illud poſſit intelligi; ut quod dictum eſt,* VERBUM CARO FACTUM EST, *nihil ſit dictum niſi, Verbum homo factum eſt.*

LUD. CAPPELLUS.

13. Οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων] Ἅιματα pro αἷμα Hebraiſmus eſt. Hebræis autem דמים non dicitur tantum de *cæde*, verum etiam de *ſanguine menſtruo mulierum*, & *eo quo alitur infans in utero materno*, *quique copioſus fluit poſt partum*, Levit. 12. 4. Item pro ſanguine Circumciſionis, Exod. 4. 25, 26. *Sponſus ſanguinum mihi es. Dicebat*, *Sponſus ſanguinum*, ait Moſes, *propter circumciſionem.* ¶ Οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς] Alius Hebraiſmus: σὰρξ enim ſeu בשר ſæpe pro ipſo generationis organo in utroque ſexu dicitur. Et quidem de virili Ezech. 16. 26. & 23. 20. & 44. 7, 9. Exod. 28. 42. Gen. 17. 13. de femineo Levit. 15. 19. Chriſtus videtur hic oppoſitionem facere regenerationis ſpiritualis quæ fit per Chriſti ſpiritum duplici generationi: I. propriæ ſeu carnali, quæ fit ex conjunctione maris & feminæ, quam ſignificat vocibus αἱμάτων, quatenus דמים de *ſanguine menſtruo* uſurpatur, & θελήματος σαρκὸς, ut θέλημα σαρκὸς ſit *impetus* ſeu *appetitus naturalis Veneris*, cujus ſedes in organis generationis tam maris quam feminæ. II. Generationi impropriæ ſeu figuratæ. Quæ duplex eſt: Una Judæorum, quæ fiebat per circumciſionem, per quam fœderi Dei accenſebantur & filii Dei cenſebantur, quæ figurata generatio κατ' ὀνόματα videtur à Chriſto ſignificari voce αἱμάτων, quandoquidem דמים uſurpatur de *ſanguine Circumciſionis* Exod. 4. 25, 26. Altera generatio figurate dicta eſt ea quæ fit per mentis in melius mutationem, ſed quæ viribus naturalibus liberi arbitrii hominis peragitur, quam ſignificat vocibus θελήματος ἀνδρὸς: ut hoc velit, Veros Dei filios neque eos eſſe qui propagatione naturali gignuntur ex maris & feminæ conjunctione, neque Judæos qui per ſanguinem circumciſionis (quæ fuit ſigillum fœderis Dei in illa Gente) Deo quodammodo gignebantur, neque illos qui propriis liberi ſui arbitrii viribus immutantur, ſed eos tantum qui vi Spiritus Dei, qui flat ubi & quando vult, regenerantur.

28. Ἐν Βηθαβαρᾷ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, &c.] Omnino recta videtur eorum conjectura qui putant locum iſtum eum eſſe qui Judic. 7. 24. vocatur בית ברה, qui forte etiam dictus eſt בית עברה, quod iſthic Jordanes navigio trajiceretur: nam עברה eſt ejuſmodi *ſcapha* ſive *ponto* quo trajici ſolent flumina. Ita Βηθαβαρᾶ ſcribendum erit βηθ' Ἀβαρᾶ. Joſephus lib. 2. De bello Jud. cap. 2. meminit loci cujuſdam ad Jordanem ſiti quem vocat Βηθαραίμαθον. Ego ſuſpicarer legendum Βηθαμάραθον, & hoc pro Βηθαβάραθος, ob affinitatem literarum β & μ in veteri ſcriptura Græca: atque ita poſſit eſſe locus ille idem cum iſto, nempe Βηθαβάραθος poteſt eſſe בית עברתה, vel בית בתרה, & hoc idem cum בית ברה. Locus Joſephi ſic habet, Κατεφλέγη δὲ καὶ πλησίον Ἰορδάνου βασίλεια κατὰ Βηθαραίμαθον, ςασιασάντων ἑτέρων τινῶν ἐκ τῆς περαίας. Unde liquet locum iſtum Βηθαραίμαθον fuiſſe πέραν τοῦ Ἰορδάνου, (ut & Bethabara) ſiquidem villa regia prope locum illum ſita incenſa fuit à ſeditioſis quibuſdam ἐκ τῆς περαίας.

35. Τῇ ἐπαύριον πάλιν εἱςήκει, &c.] Hæc geſta ſunt poſt Chriſti Baptiſmum, uti videre eſt ex antecedentibus & conſequentibus. Jam vero ſtatim poſt Baptiſmum Chriſtus à Spiritu abreptus eſt in deſertum, in quo per XL dies verſatus eſt, ſecluſus ab hominum conſortio. Poſtquam vero à deſerto rediit venit in Galilæam, atque iter faciendo videtur omnino prope Johannem tranſiſſe, qui eum conſpicatus Diſcipulis ſuis intento digito demonſtravit, *Ecce Agnus Dei*, uti hic dicitur. Itaque τῇ ἐπαύριον hoc loco non eſt *poſtera die*, ſed *poſtmodum*, *poſtea*, *aliquanto poſt*. Sic nempe Hebræum מחר, quod proprie *cras* ſignificat, aliquando uſurpatur pro *poſtmodum*. Ut Joſ. 4. 6. *Cum rogabunt filii veſtri* מחר *cras*, h. e. *poſtmodum*, Gallice, *ci après*. Sic & cap. 22. 24, 27, 28. Sic etiam ſupra hoc eodem capite v. 29. τῇ ἐπαύριον rurſus non *poſtridie* ſed *poſtmodum* ſignificat, vel *altera die*, quomodo reddidit hoc loco Vulg. Interpres. Nam inter Johannis teſtimonium quod de ſe perhibuit Judæis qui ad ipſum Hieroſolymis miſerant legatos, & teſtimonium quod hic Chriſto perhibet interceſſerunt ea quæ Matthæi cap. 3. narrantur à v. 5. ad 13. de Judæa tota & Hieroſolymitanis ad Johannem confluentibus ut ab eo baptizarentur. Non enim eſt veriſimile Judæos, & maxime Hieroſolymitanos, turmatim egreſſuros fuiſſe ad Johannem, niſi poſtquam ille ſe Sacerdotibus & Scribis per legatos ad ſe miſſos veluti probaſſet: quod ubi fecit, tum ad eum confluxerunt etiam Hieroſolymitani, adeoque ex ipſis Phariſæis non pauci. Poſtquam vero totus populus à Johanne baptizatus fuit, tum vero & ipſe Jeſus, quaſi omnium poſtremus, venit ad Joannem, & ab eo baptizatus teſtimonium iſtud ab eo retulit, *Hic eſt Agnus Dei*, &c. Neceſſe eſt ergo interceſſiſſe non paucos dies inter Johannis teſtimonium quod de ſe perhibuit & Chriſti Baptiſmum. Hoc tempus intermedium hoc loco ſignificatur voce iſta τῇ ἐπαύριον. Falſum itaque hic ego puto Vallam & Maldonatum, qui negant diem ullum interceſſiſſe inter eum quo Phariſæis & Levitis illa reſpondit Johannes, & quo hæc dixit.

GROTIUS.

JOannes Bethſaidenſis piſcatoris filius, piſcator & ipſe, Legem quidem diſcere potuit puer, ut mos erat Hebræis; cæterum nulla tinctus fuit aut Hebraica aut Græca literatura, niſi ſi quid utriuſque hauſit jam major natu in Aſia, ubi eum maximam vitæ partem ad ſenectutem ſummam produxiſſe, partim in Pathmi exſilio, partim ante & poſt id exſilium Epheſi, ſatis inter veteres conſtat. Quare quicquid ei ad Apoſtolici muneris functionem fuit neceſſarium, ſupplevit Dei Spiritus, qui idem in rebus non neceſſariis ſolet ea relinquere cuique quæ ei ſunt propria. Hinc fit ut ſupra cæteros Apoſtolos magna ſit in Johannis dictione ſimplicitas, & ſermo Græcus quidem, ſed plane adumbratus ex Syriaco illius ſæculi: hinc oratio adeo interciſa, tot copulativæ conjunctiones, tot repetitiones vocum, quæ per relativa minus frequentata Hebræis & alia dicendi compendia vitari ſolent. Quod olim Alexandrum de amicis ſuis dixiſſe memorant, alium eſſe Φιλαλέξανδρον [*amicum Alexandri*], alium Φιλοβασιλέα [*amicum Regis*], putem ad duos Domini Jeſu Apoſtolos ſic poſſe aptari, ut Petrum dicamus maxime Φιλόχριςον [*amicum Chriſti*], Johannem maxime Φιλιησοῦν [*amicum Jeſu*]. Nam diverſi hujus in utroque affectus multa in Sacris Libris videmus veſtigia: quod & Dominus reſpiciens illi quidem Eccleſiam præcipuo quodam modo, huic autem Matrem commendavit. De loco & tempore ſcriptionis diſſentiunt auctores, aliis in Pathmo ſcriptum hunc librum volentibus, aliis Epheſi, & aliis quidem triginta & quod excurrit, aliis vero ſexaginta aut amplius poſt Chriſti in cœlum evectionem annis. Cauſam poſt alios hæc ſcribendi præcipuam tradunt omnes, ut veneno in Eccleſiam jam tum ſparſo auctoritate ſua, quæ apud omnes Chriſtianum nomen profitentes non poterat non eſſe maxima, medicinam faceret. Qui autem errores in Eccleſias ejus ſæculi ſe inſinuaverint, intelligi poteſt ex iis quæ ad Matthæum XXIV. 11. & ad Marcum I. 4. diximus. Erant ſub Chriſtiano nomine Judaizantes de quibus non Paulus tantum, ſed & hic noſter in epiſtola prima & in Apocalypſi conqueritur. Erant Gnoſtici ex Cabala Judaica & Pythagoræ Platoniſque ſchola philoſophiam miſcentes ſimplicitati Chriſtianæ, & de emanationibus Divinis earumque ſyzygiis & pleromatis, non ex Dei Spiritu, ſed ex ſuis commentis quæ vellent populo venditantes, vereque ambulantes in iis quæ non viderant, ut dicitur Coloſſ. II. 18. de quibus videnda quæ diximus ad Matthæi XXIV. 11. Erant & qui Johannis Baptiſtæ ſectatores quam Jeſu dici mallent, ad ſubterfugiendam crucem. His omnibus occurrendum videbat Johannes, ne poſt futura ætas incerto opinionum fluctuaret; præcipue verò Gnoſticis, qui inter ſuos Æonas nominabant λόγον [*verbum*], item ζωὴν [*vitam*], item μονογενῆ [*unigenitum*] & σωτῆρα [*ſalvatorem*], quæ omnia nomina etiam apud Proclum ad Platonis Timæum & in Theologiæ libris reperias: & alium rurſus dicebant eſſe mundi Opificem, alium Chriſtum, alium Jeſum. Oſtendit ergo Johannes omnes iſtos titulos uni eidemque Jeſu Chriſto congruere: quo fit ut illis nominibus Dominus noſter non legatur inſignitus apud alios Scriptores ſacros, cum tamen de re idem tradiderint. Neque vero hoc tantum libro ſed & in epiſtola

&

& in Apocalypsi, Λόγου [*Verbi*] nomen Christo diserte tribuit Johannes, & μονογενῆ [*unigenitum*] vocat non initio tantum libri, idque iterato, sed & bis postea: & ζωὴν [*vitam*] infra Jesus ipse se vocat. Cæteri Scriptores Euangeliorum satis habuerunt Christi Divinam naturam tacite indicare ex admirabili ipsius conceptione, ex infinita illa ac liberrima vi ad facienda miracula, ex introspectu cogitationum alienarum, ex his quæ circa mortem, resurrectionem & ascensum in cœlum acciderunt, ex promisso denique perpetuæ præsentiæ, mittendi Spiritus Sancti, remittendi peccata, judicandi genus humanum. At Johannes pro usu temporum & ipso initio Dei nomen ei assignandum & vim ex æterno fonte manantem aperte tradendam existimavit. Neque tantum hoc modo, sed & expressa collatione eum Johanni primum Baptistæ, deinde Mosi, sed & Abrahamo prætulit. Hæc cum scribendi præcipua fuisset causa, eadem opera voluit & de Christo narrare quæ à cæteris, in tanta miraculorum & sermonum ipsius copia prætermissa fuerant, intactis ferme iis quæ ab aliis tractata erant, nisi quatenus connexio aliquid ejus exigebat. Prætermissorum autem pars maxima in tempus incidit quo Johannes Baptista adhuc vivebat. Nam hinc ferme Jesu miraculorum historiam ordiuntur cæteri, quia eo tempore major multitudo Jesum secuta est & factorum ejus testis fuit.

1. Ἐν ἀρχῇ, *In principio*] Desumtum ex Græco Geneseos, sicut vicissim Syrus ex Hebræo hic posuit בראשית [*in principio*]. Noto autem Scripturæ loco verbum inde sumtum ex sententia illius loci intelligendum est. Mosis loci sententia hæc est, *Cum primum creavit Deus cœlum & terram, terra erat* &c. nam præterita apud Hebræos habent Gerundii etiam significationem. Tum vero mos est Hebræis cœli & terræ nomine universum comprehendere, unde factum est ut & status vitæ futuræ significetur nomine novi cœli & novæ terræ, II Petri III. 13. Apocalyps. XXI. 1. Ergo ἐν ἀρχῇ [*in principio*] est *cum primum rerum universitas cœpit creari.* ¶ ἦν, *erat*] *Jam tum erat.* Sic mos est Hebræis æternitatem populariter describere. infra XVII. 5. δόξῃ ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι [*claritate quam habui priusquam mundus esset*]. Et Justinus dixit, πρὸ τῶν ποιημάτων [*ante creaturas*]. & alibi, πρὸ τοῦ ἑωσφόρου καὶ σελήνης [*ante luciferum & lunam*]. Prov. VIII. 24-27. Dei sapientia sic loquitur, *A sæculo habui principatum, à principio, jam ante terram. cum nondum essent voragines formata sum, cum nondum essent fontes aggravati aquis: antequam montes fundati essent, ante colles jam formata. adhuc non fecerat terram & plateas & principia pulverum orbis: cum præpararet cœlos, ibi jam ego.* Justinus alibi de Verbo hoc loquendi genus explicans, προϋπῆρξε πρὸ τῶν αἰώνων [*exstitit ante sæcula*]. Athenagoras, ἐξ ἀρχῆς ὁ Θεὸς νοῦς ἀΐδιος ὢν εἶχεν αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδιὼς λογικὸς ὤν [*ab initio Deus mens æterna cum esset, ipsam in se habuit rationem & in perpetuum rationalis est*]. Rabbi Eliezel, *Ante mundum creatum exstitit clemens & benignus Deus & nomen ejus solum.* ¶ ὁ Λόγος, *Verbum*] Quia Moses scripserat, *Dixit Deus, Fiat Lux, & facta est lux*, & ita de cæteris, hinc factum est, ut *vim* sive προβολὴν [*projectionem*] aut ἀπόῤῥοιαν [*emanationem*] (has enim voces hac in re Christiani veteres usurpant) Dei illam qua res ex nihilo condit aliaque rara & eximia efficit, Hebræi appellarent דבר [*verbum*], ut videre est Psalm. XXXIII. 6. CXLVIII. 8. Vide Maimonidem Duce dubitantium lib. I. cap. XXIII. & LXV. & LXVI. Chaldæi non illis tantum locis sed & aliis, ubi ea vox in Hebræo non exstat, posuerunt, מימרא [*verbum*]. Exempla sunt innumera, sed ad rem maxime pertinet quod apud Esaiam est XLV. 12. in Hebræo legitur, *Ego feci terram & hominem super eam ego creavi.* In Chaldæo est, *Ego in verbo meo feci terram & homines super eam creavi.* XLVIII. 13. in Hebræo legitur, *Manus mea fundavit terram*, in Chaldæo, *Verbo meo fundavi terram.* quos secutus Petrus Apostolus II Epist. III. 5. οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, καὶ γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ [*cœli erant prius, & terra de aqua & per aquam consistens Dei verbo*]. Eandem vocem plurimis in locis usurpat idem Chaldæus paraphrastes, ubi de miraculis, de Prophetia, aut singulari Dei auxilio sermo est: maxime vero ubi in Hebræo est *facies Dei*, *manus*, *oculus*. Ex veteribus Chaldæorum libris Græci citant, ἐξ οὗ λόγου καὶ ἥλιος καὶ σελήνη [*ex quo verbo & sol & luna*]. Hinc sumsit Orphicorum Scriptor,

Εἰς δὲ λόγου θεῖον ἐπέψας, τῷτο προσέδρευε,
Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος. εὖ δ' ἐτίβευε
Ἀτρεκιτῆ· μῦθον δ' ἐσύρα κόσμοιο ἄνακτα·
Εἷς ἐς· αὐτοτελὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.
[*Divinam spectans rationem pectus ad illam*
Dirige & ima animi semper præcordia, recta
Nec deflecte via: fictorem consule mundi,
Unus is æternus; sunt quæque omnia facta per unum].

Idem alibi αὐδὴν [*vocem*] vocavit,

Αὐδὴν ἐρίζω σε πατρὸς τὴν Φθέγξατο πρώτῃ
Ἡνίκα κόσμον ἅπαντα ἐαῖς ἐτρίξατο βυλαῖς.
[*Per te illam adjuro vocem, quæ prima parenti*
Edita, cum totum fundavit jussibus orbem].

Hunc secuti Heraclitus, apud quem hoc nomen eo sensu extare notatum ab Amelio: Zeno laudatus à Tertulliano & Lactantio. Tertulliani verba sunt adversus Gentes, *Apud vestros quoque sapientes* Λογον, *id est*, Sermonem *atque* Rationem *constat artificem videri universitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit.* Locus Zenonis, quem respicit Tertullianus, erat in libro ejus περὶ οὐσίας [*de substantia*], ut Laertius nos docet. Seneca Stoicos sequens *rationem facientem* vocat epist. LXV. E Platonicorum numero Amelius, sed quem sæpe à scitis Platonicis ad barbaram Philosophiam deficere conqueritur Proclus, hunc Johannis locum valde probabat, ut non tantum Eusebius notat in Præparatione libro XI, sed & Augustinus pluribus locis. Et contra Julianum Cyrillus. Plutarchus δύναμιν Θεῦ [*potentiam Dei*] vocat Symp. VIII. Ἀναθαρρῶ δὲ πάλιν αὐτοῦ Πλάτωνος ἀκούων πατέρα καὶ ποιητὴν τοῦ τε κόσμου καὶ τῶν ἄλλων γεννητῶν τὸν ἀγέννητον καὶ ἀΐδιον Θεὸν ὀνομάζοντος, ὃ διὰ στέρματος δή του γενόμενον, ἄλλῃ δὲ δυνάμει τοῦ Θεοῦ, τῇ ὕλῃ γένιμον ἀρχὴν ὑφ' ἧς ἔπαθε καὶ μετέβαλεν ἐντεκόντος [*Recipio tamen animum, audiens ab ipso Platone Deum non natum & æternum nominari Patrem opificemque mundi & aliarum rerum naturarum; non sane quod semine emittendo ista genuisset, sed alia quadam vi materiæ principium genitabile, quod affecerit & mutaverit eam, inseruisset*]. Sic in expositione fidei facta à Gregorio Episcopo Neocæsariensi ὁ Λόγος [*Verbum*] dicitur δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητικὴ [*vis effectiva universæ creationis*]. Philo ad Platonica dogmata deflectens, cum sciret Platoni mundi exemplar Λόγον (*Verbum*] dici, eo sensu Λόγον & usurpavit ipse, & multis aliis usurpandi auctor fuit, & per eum ait conditam rerum universitatem; vocat & ὄνομα Θεοῦ [*nomen Dei*] & εἰκόνα [*imaginem*] & υἱὸν Θεοῦ [*Filium Dei*]. Rejicitur hic à Johanne Gnosticorum figmentum, qui ἐκ τῆς προαρχῆς [*ex priore principio*] post multa sæcula natum νοῦν [*mentem*] ajebant. Deinde ex νοῦ [*mente*] natum μονογενῆ [*unigenitum*], & ab eo Λόγον [*Verbum*]. Vide Irenæum initio. ¶ Καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, *& Verbum erat apud Deum*] Παρὰ τῷ πατρὶ [*Apud Patrem*] ut loquitur Ignatius ad Magnetas. Pro eodem Onkelos dixit, *coram Domino.* Nam Exodi XX. 19. ubi in Hebræo est, *Ne loquatur nobiscum Deus*, ipse vertit, *Ne loquatur Dominus nobiscum per verbum quod est coram Domino.* Sic sapientia dicitur fuisse παρὰ τῷ Θεῷ [*apud Deum*] Proverb. VIII. 30. ubi Chaldæus *ad latus ejus*, id est, præsens ipsi, pro quo μετὰ τοῦ Θεοῦ [*cum Deo*] dixit Græcus Sirachidæ interpres IX. 9. Quem locum de Lege Hebræi interpretantur. Sic Marci VI, 3. πρὸς ὑμᾶς [*nobiscum*] est παρ' ὑμῖν [*apud nos*]. Opponitur autem hoc ei quod infra dicitur ὁ Λόγος [*Verbum*] *in mundo fuisse, caro factus, spectatus.* Vult enim dicere ante eum fuisse inconspicuum. Dicitur enim Deus ἀόρατος [*invisibilis*] I Timoth. I. 17. & *habitare lucem inaccessam* I Timoth. VI. 16. Idem indicat in Epist. I. 2. καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη [*& vita apparuit*]. Et mox, ἥτις ἦν πρὸς τὸν Πατέρα [*quæ erat apud Patrem*], & Ephes. III. 9. Sic infra XVII. 5. παρά σοι [*apud te*]. Et cum dicit fuisse apud Patrem, ostendit contra Gnosticos non esse aliud pleroma τῆς προαρχῆς [*primi Principii*] aliud τοῦ Λόγου [*Verbi*]. ¶ Καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. *& Deus erat Verbum*] Censent Hebræi veteres & Christianorum primi quoties Angelus aliquis in sacris libris appellatur יהוה [*Jehova*] tunc non Angelum merum sed cui adfuerit ὁ Λόγος [*Verbum*] intelligi. Sic interpretatur Moses Gerundensis illud *Nomen meum in eo est*, Exod. XXIII. 21. Chaldæus Paraphrastes Genes. XXXIX. 20. *Erit Verbum Domini missi in Deum.* Et Ezechielis I. 24. קול שדי [*vocem Omnipotentis*], Septuaginta vertunt Φωνὴν τοῦ Λόγου [*vocem Verbi*]. Sed & apud Philonem Λόγος [*Verbum*] vocatur Θεὸς [*Deus*] nomine. Chalcidius ad

Timæum eo libro ubi doctrinam eminentem sectæ sanctioris, id est, Judaicæ explicare se profitetur, *Et ratio Dei Deus est humanis rebus consulens, qua causa est hominibus bene beateque vivendi, si non concessum sibi munus à summo Deo negligant.* Tertullianus de eodem, *Hunc ex Deo prolatum didicimus & prolatione generatum, & ideirco Filium Dei & Deum dictum ex unitate substantiæ. nam & Deus spiritus. Etiam cum radius ex Sole porrigitur, portio ex summa, sed Sol erit in radio, quia Solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur.* Idem alibi, *Prolatum dicimus à Patre, non separatum.* Et adversus Praxeam, *Et nunquam separatus à Patre aut alius à Patre. Hæc erit probola veritatis, custos unitatis qua prolatum dicimus Filium à Patre, sed non separatum.* Mox dicit, *Dispositione alium, non divisione alium.* Quod Tatiano dicitur γέγονε κατὰ μερισμὸν ἢ κατ' ἀποκοπήν [*factum est per divisionem non per abscissionem*], Justino dicitur ἄτμητος καὶ ἀχώριστος Πατρὸς δύναμις ὥσπερ τὸ τῦ ἡλίε φῶς [*individua & inseparabilis Patris potentia sicut solis lux*]. Eidem γεγεννημένος ἀ κατ' ἀποτομὴν ὥσπερ ἀποτεμνομένης τῆς τῦ Πατρὸς οὐσίας [*factus non per abscissionem quasi divisa Patris substantia*]. Quæ omnia, ut in rebus Divinis non possumus nisi balbutire, habent aliquid ἰδιωτὸν [*improprium*], sed intelligenda θεοπρεπῶς [*prout Deo conveniunt*]. Idem Justinus Christum vocat Θεὸν ὄντα πρὸ αἰώνων [*Deum qui exstitit ante sæcula*]. Theophilo dicitur Θεὸς ὁ Λόγος καὶ ἐκ τῦ Θεῦ πεφυκὼς [*Deus Verbum & ex Deo natus*]. Εἰκόνα, χαρακτῆρα, ἀπαύγασμα [*Imaginem, characterem, splendorem*] Apostolis auctoribus sæpe vocant proximi scriptores: Item δύναμιν, σοφίαν [*potentiam, sapientiam*] & si quid his simile. Tertullianus *effigiem & personam Dei.* Vide quæ nos ad Marcum 11, 7. Est autem loquendi genus huic nostro non dissimile ■ Cor. III, 17.

2. Οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν. *Hoc erat in principio apud Deum*] Repetit hoc, quia Deum jam vocavit: hoc volens ita Deum esse intelligendum, ut & illud maneat, *fuisse eum apud Deum.* id est, ut non fuerit ὁ Λόγος [*Verbum*] omne id quod est Deus. *Hypostaseon distinctionem* Origenes & post eum alii vocavere. Sed notandum est hanc vocem ὑποστάσεων [*hypostaseon*], ut & Τριάδος, ὁμοουσίε [*Trinitatis, æqualis essentiæ*], & alias quasdam non à primis Christianis usurpatas, cum contra μίαν ὑπόστασιν [*unam hypostasin*] dixerit Athanasius, Synodi Nicena & Sardicensis & Romanæ Synodi aliquot, sed desumtas ex Platonicis Scriptoribus sensu nonnihil immutato. Apud Platonicos tres ὑποστάσεις [*hypostases*] sunt; τὸ αὐτὸ, ὁ νῦς ὁ δημιουργὸς, ἡ τῦ κόσμου ψυχὴ [*quod est ipsum esse, mens opifex universi, anima mundi*]. Et quia νῦς [*mens*] significationem habet quæ ἐκ τῦ Λόγε [*à Verbo*] non videtur abludere, & idem νῦς [*mens eadem*] etiam γέννημα [*progenies*] ipsis dicitur, ideo quæ περὶ νῦ [*de mente*] dicuntur Platonicis, multi Christianorum ad τὸν Λόγον [*Verbum*] sive *Filium* transtulerunt. Apud Platonicos reperias, ὑποστάντες τρεῖς ἐξ ἑνός [*tres ex uno subsistentes*]. item, ἔδειμεν δεῖ τὴν μονάδα τῆς Τριάδος, ἐξαίρειν δὲ τὴν Τριάδα τῆς μονάδος [*auferre oportet unitatem de Trinitate, sed annectere Trinitatem unitati*]. Similiter Christiani loqui cœperunt, ut apud Lucianum sive quisquis ille est auctor dialogi Philopatridis, ὑψιμέδοντα Θεὸν, Θεὸν ἄφθιτον, ἀρρένωπα, Τὸν Πατρὸς Πνεῦμα ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία [*Deum in excelso regnantem, Deum æternum, cælicolam, Filium Patris, Spiritum è Patre procedentem, ex tribus unum, & ex uno tria*]. Utrosque secuti Cabalistæ Hebræi, verbis magis Christianos, sensu magis Platonicos. ajunt enim, אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד ואחד בשלשה [*Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, tres in unitate & unus in Trinitate*].

3. Πάντα δι' αὐτῦ ἐγένετο. *Omnia per ipsum facta sunt*] Λόγος ἐκοσμοποίησεν [*Verbum fecit mundum*] est apud Philonem. Epistola Barnabæ cum de Filio Dei egisset *solem* vocat *opus manuum ipsius.* Justinus Apologetico priore, ὁ Λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε [*Verbum ante res conditas & cum Deo & genitum fuit; cum in principio omnia per eum condidit ac disposuit*]. Athenagoras, ὁ Θεὸς πάντα διὰ τῦ λόγε πεποίηκε [*Deus omnia per Verbum fecit*]. Tatianus de eodem, τοῦτον ἴσμεν τῦ κόσμε τὴν ἀρχήν [*Hunc agnoscimus mundi principium*] Theophilus, ὁ Λόγος αὐτῦ δι' ὃ τὰ πάντα πεποίηκε [*Verbum ipsius per quem omnia fecit*]. Irenæus, *Verbum Dei per quem facta sunt omnia.* Tertullianus Adversus Hæreticos, *Unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi conditorem, qui universa ex nihilo produxerit per Verbum suum primo omnium emissum.* Adversus Praxeam, *Omnia per Sermonem sunt facta.* Sæpissime autem in Sacris Literis διὰ [*per*] illud τῷ Λόγῳ [*Verbo*] tribuitur, ut ipsi Deo Parenti non adimatur creatio. Et sic sumendum id quod initio Geneseos est apud Paraphrasten Hierosolymitanum חכמתא [*in sapientia*] & quod apud Philonem est Allegoriis, Σκιὰ δὲ Θεῦ ὁ Λόγος αὐτῦ ἐστιν ᾧ καθάπερ ὀργάνῳ προσχρησάμενος ἐκοσμοποίει [*Umbra Dei Verbum ipsius est, quo veluti instrumento usus mundum fabricavit*]. Et de Caino, Ὄργανον δὲ Λόγον Θεῦ, δι' ὃ κατεσκευάσθη [*instrumentum vero Verbum Dei, per quem præparatus est*], mundus scilicet. Tertullianus quoque *instrumentum* dixit intelligens *non extraneum sed connaturale*, alibi & *ministrum.* Justino dicitur ὑπηρέτης τῆ ποιητῆ τῶν ὅλων Θεῦ [*minister opificis omnium Dei*] sæpius, Theophilo ὑπουργὸς [*adjutor*], Origeni Θεῦ διάκονος [*Dei minister*]. Sic Latini & *Verbum* & *Spiritum* vocant *membra, pignera, instrumenta Dei.* ¶ Καὶ χωρὶς αὐτῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. *& sine ipso factum est nihil quod factum est*] Ubi omnem exceptionem removere volunt Sacræ Literæ, id quod affirmarunt explicant oppositi negatione, Esaiæ XXXVIII. 1. XXXIX. 4. Jerem. XLII. 4. infra commate 20. & 1 Epist. I. 5. id autem hic ideo factum, ut in iis quæ per Verbum sunt condita, intelligerentur etiam ea quæ conspicua nobis non sunt, Coloss. I. 16. etiam οἱ αἰῶνες [*sæcula*] Hebræor. I. 2. contra Gnosticos. nam illi alium volebant esse opificem eorum quæ cernimus τὸν δημιουργὸν [*opificem*], alios rerum inaspectabilium in suo quemque pleromate. Nihil ergo præter ipsum Deum ab operibus Verbi excipitur. Et autem χωρὶς [*sine*] hic oppositum illi διὰ [*per*] quod antecessit. Irenæus, *Ex omnibus autem nihil subtractum est, sed omnia per ipsum fecit Pater, sive visibilia, sive invisibilia, sive intelligibilia, sive temporalia propter quandam dispositionem, sive sempiterna.* Est & in eo Hebraismus quod οὐδὲ ἓν nec una res ponitur pro *nulla*, ut Ps. CXXXIX. 16. Sic & 1 Macc. VII, 46.

4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, *In ipso vita erat*] Sæpissime sancti Scriptores novi Fœderis redemptionem humani generis conferunt creationi, imo & præferunt, ideoque *novam creationem* vocant II Corinth. V. 17. Galat. VI. 15. Justinus, Χριστὸς πρωτότοκος πάσης κτίσεως ὢν, καὶ ἀρχὴ πάλιν ἄλλου γένους γέγονεν τοῦ ἀναγεννηθέντος ὑπ' αὐτῦ [*Christus primogenitus cum esset omnis creatura, alterius rursum generis principium factus est, ejus, inquam, quod ab eo regeneratum est*]. Irenæus III. 11. *Significans quoniam per Verbum; per quod Deus perfecit conditionem, in hoc & salutem his qui in conditione sunt præstitit hominibus.* Sic & Rabbi Lakisch adductus in Bereschot Rabba ad locum initio Geneseos ubi Spiritus Dei nominatur ait, *Hic est Spiritus Regis Messiæ.* Hoc & Johannes spectat cum eidem Λόγῳ [*Verbo*] utrumque tribuit, sicut & fine Apocalypsis in descriptione Mundi novi, vocabula usurpat desumta ex primæ creationis historia. Quare vitam hic cave aliam accipias quam vitam æternam. Sic infra Christus de Patre, Ἔδωκε τῷ υἱῷ ἔχειν ζωὴν ἐν ἑαυτῷ [*Dedit Filio habere vitam in semetipso*]. In Epist. prima V. 11. Ζωὴν αἰώνιον ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς καὶ αὕτη ζωὴ ἐν τῷ υἱῷ αὐτῦ ἐστι [*Vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio ejus est*]. Neque mireris hæc ad Λόγον [*Verbum*] jam carnem factum pertinere, cum tanto post dicat Λόγον [*Verbum*] *carnem esse factum.* Nam & quod dicitur *in mundo fuisse* itidem ad hoc tempus pertinet. Itaque illud ultimum tacite hic præsupponitur, tanquam omnibus notum: mox occasione data explicatur. Et in hoc dissertandi genere ordinem superstitiose exigere, id vero est nodum quærere in scirpo. Scripta sunt hæc talia pro impetu, non præmeditato dispositu. Dicitur autem ἐν τῷ Λόγῳ [*in Verbo*] *vitam fuisse* quia per τὸν Λόγον [*Verbum*] ejus adipiscendæ ratio apertissime revelata est. Simile loquendi genus Actor. IV. 12. Simul destruitur Gnosticorum figmentum, aliam Dei emanationem esse Λόγον [*Verbum*], aliam ζωὴν [*vitam*]. Proprium Johanni est Christum Λόγον [*Verbum*] vocare Apocal. XIX. 13. 1 Epist. I. 1. & V. 7. ¶ Καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων· *& vita erat lux hominum*] Non apud Latinos tantum & Græcos, sed & apud Hebræos conjungi solent *lux & vita*, ut Ps. XXXVI. 10. Sensus autem hic est, *cognitionem illam vitæ æternæ & de ejus adipiscendæ ratione, lucem quandam esse ad quam homines gressus suos recte dirigere possint & debeant.* Sic infra XI. 10. *Si quis de die ambulat non offendit: si quis nocte ambulat offendit.* XII. 35. *Lux vobiscum est: ambulate dum lucem habetis.* Ephes. V. 8. *Ut filii lucis ambulate.* Hic ipse in Epist. prima I. 7. *Si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce.* & Apocal. XXI. 24. *In luce ejus ambulabunt.* Vide quæ notavimus ad Lucam I. 79. Platonicis ἐκ Λόγε φῶς τὸ νοητὸν [*ex Verbo lumen intelligibile*], ut videre est apud Philonem De opificio mundi. Platonicos sequebantur Gnostici. Johannes ostendit omnia hæc nomina in Christum unum convenire.

5.

5. *Καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, & lux in tenebris lucet*] Quaſi dicat, *Ideo lux afferri ſolet, ut tenebræ illuminentur: quod & huic luci contigit.* Sunt autem hic tenebræ *homines peccatores* nullam certam habentes vitæ dirigendæ regulam. Sic Epheſ. v. 8. *Fuiſtis olim tenebræ: nunc autem lux eſtis.* Alludi videtur ad locum Eſaiæ IX. 2. ¶ *Καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν. & tenebræ eam non comprehenderunt*] Indefinite enuntiatur quod maximæ parti convenit. Magna pars hominum peccatorum Lucis beneficio uti noluit, ideo quod peccata ipſis nimium allubeſcerent, ut infra III. 20. Eſt autem hic *καταλαμβάνειν* [*comprehendere*] *fructum rei conſequi.* Sic de cognitione Legis Eccleſ. XV. 7. *ὃ μὴ καταλήψονται αὐτὴν ἄνθρωποι ἀσύνετοι* [*homines ſtulti non apprehendent eam*]. Et eodem lib. XXVII. 8. de Juſtitia, *ἐὰν διώκῃς τὸ δίκαιον, καταλήψῃ αὐτό* [*ſi ſequaris juſtitiam, apprehendes eam*]. Sic & Rom. IX. 30. *κατέλαβε δικαιοσύνην* [*apprehenderunt juſtitiam*].

6. *Ἐγένετο, Fuit*] *Exſtitit:* illis ſcilicet temporibus de quibus nos conſtat agere: ut ſumi ſolet Hebræorum היה [*& fuit*]. ¶ *Ἄνθρωπος, homo*] Non Λόγος [*Verbum*], non Angelus, ſed quod de Chriſto falſo Ebionæi & alii dicebant *ψιλὸς ἄνθρωπος* [*nudum hominem*] quanquam eximiis Spiritus Sancti donibus donatus. ¶ *Ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, miſſus à Deo*] Alludit ad locum Malachiæ, Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου [*Ecce ego mitto Angelum meum*]. Vide Matth. XI. 10. & Marc. I. 2. Luc. VII. 27. mittuntur Prophetæ, cum mandatum à Deo accipiunt. ¶ *Ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης, cui nomen erat Joannes*] τῷ [*illi*] pro relativo ponere Hebræorum eſt. Uſitatum fuerat, *Cui nomen Johannis.*

7. *Οὗτος ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν, ἵνα μαρτυρήσῃ, Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet*] Et hoc Hebræorum, conjungere verbalia cum verbis. Tacite ſignificat idoneum fuiſſe teſtem, prænuntiatum à Vatibus, non ſine miraculo conceptum, vitæ auſteritate nobilem, libertatis tantæ, ut nec Regi parceret. ¶ *Περὶ τοῦ φωτὸς, de lumine*] Sic *μαρτυρίαν περὶ ἐμοῦ* [*teſtimonium de me*] legimus Act. XXII. 18. Hoc vult quod poſtea explicabit, Johannem Baptiſtam Jeſu teſtimonium hoc præbuiſſe, ipſum eſſe Chriſtum, ac proinde eximiam illam lucem. ¶ *Δι' αὐτοῦ. per illam*] Nempe τοῦ *φωτὸς* [*lucem*], in Deum ſcilicet.

8. *Τὸ φῶς, lux*] Illa eximia lux promiſſa per Prophetas, ut Eſa. XLIX. 6. Vide ad Luc. II. 32.

9. *Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει, Erat lux vera quæ illuminat*] Ubi ſubjectum alterius eſt generis quam prædicatum, ibi relativa aut demonſtrativa modo hoc, modo illo genere ponuntur, ut,

Sed revocare gradum ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Nam naturalis conſtructio fuerat: *hoc*, ſcilicet evadere, *labor eſt.* Ita quod hic legimus perinde eſt quaſi dictum eſſet, *Ille vere lux erat, per quem non pauci, ſed totum genus humanum illuminatur.* Verum autem dicitur etiam de his quæ figurate alicui competunt, ut *Chriſtus vera vitis* infra XV. 1. *Caro ejus vere cibus* infra VI. 55. *Panis verus ex cælo* infra VI. 32. ſic *bona ſpiritualia verus mammona* Luc. XVI. 12. *Cælum verum tabernaculum* Hebr. VIII. 2. Lux autem vera eſt lux eximia, excellentiſſima, ut & in epiſt. prima II. 8. ¶ *Πάντα ἄνθρωπον, omnem hominem*] Chriſtus dicitur feciſſe quod fieri juſſit & per Apoſtolos fecit. Sic Epheſ. II. 17. *ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν* [*veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuiſtis*]. Opponitur autem hic tacite Jeſus Moſi & Prophetis aliis qui uni tantum populo profuerunt. ¶ *Ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. venientem in mundum*] Valde mihi ſe probat expoſitio quæ apud Cyrillum & Auguſtinum exſtat, ut hoc *ἐρχόμενον* [*venientem*] referatur ad *τὸ φῶς* [*lucem*]. Nam plane eodem modo infra III. 19. *τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, Lux venit in mundum.* Et ipſe Chriſtus XII. 46. *ἐγὼ φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα* [*ego lux in mundum veni*]. Et infra de ſe XVIII. 37. *εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ* [*ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati*]. Eſt autem hic *ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον* [*venire in mundum*] non *naſci*, (diſtinguuntur enim hæc duo XVIII. 37.) ſed *nomine Dei hominibus apparere.* Sic infra v. 14. *ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον* [*Propheta qui venturus eſt in mundum*], Et Chriſtus ſe à Patre miſſum dicit *εἰς τὸν κόσμον* [*in mundum*] X. 36. & XVII. 18. & à ſe ſimiliter Apoſtolos miſſos *εἰς τὸν κόσμον* [*in mundum*] ibidem. Hoc ergo hic dicitur, *Chriſtum in hoc datum hominibus ut eis univerſim prodeſſet.*

10. *Ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, In mundo erat*] *Interfuit hominibus:* κόσμος [*mundus*] pro hominibus paſſim ſumitur. Vide II Petr. II. 5. ¶ *Καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο. & mundus per ipſum factus eſt*] Res quidem omnes per illum factæ, ut jam audivimus, ſed ſpeciali modo homines. Nam *Θεοῦ λόγος* [*verbum Dei*] eſt *παράδειγμα* [*exemplar*] *hominis*, ut Philo notat *περὶ κοσμοποιίας* [*de creatione mundi*]. Tatianus, *Λόγος ὁ ἐπουράνιος τὴν τοῦ γεννήσαντος αὐτὸν πατρὸς μίμησιν, εἰκόνα ἀθανασίας, τὸν ἄνθρωπον ἐποίησεν* [*Ad imitationem Patris à quo ipſum genitum eſt, imaginem immortalitatis hominem fecit Verbum cæleſte*]. ¶ *Καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. & mundus eum non cognovit*] Non agnovit ut opificem ſuum.

11. *Εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, In propria venit*] Docent Juriſconſulti id maxime naturaliter noſtrum eſſe quod nos ut exiſteret effecimus. L. Poſſideri. par. Genera D. de acq. poſſeſſione. Eſt autem *εἰς τὰ ἴδια* [*in propria*] tanquam *in domum ſuam*, ut infra XVI. 32. Actor. XXI. 6. Vide quæ ad Luc. II. 49. ¶ *Καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. & ſui eum non receperunt*] *Non receperunt ut Dominum.* Sic Col. II. 6. Intelligenda autem & hæc de majori parte.

12. *Ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, Quotquot autem receperunt eum*] Oſtendit hic paucos fuiſſe qui excipiendi ſint ex ſuperiore generalitate. Simile loquendi genus Mich. VII. 14 Novatianus de Trinitate, *Verbum hoc illud eſt quod in ſua venit, & ſui eum non receperunt. Mundus enim per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.* Idem eſt *λαμβάνειν* & *παραλαμβάνειν, recipere ut dominum.* ¶ *Ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*] Filios intellige *filios reſurrectionis*, ut explicat Luc. XX. 36. noſter in epiſt. III. 2. *οὔπω ἐφανερώθη τί ἐσόμεθα· οἴδαμεν δὲ ὅτι ἐὰν φανερωθῇ, ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα* [*nondum apparuit quid erimus, ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus*]. Paulus ad Rom. VIII. 23. *υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τῶν σωμάτων ἡμῶν* [*adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemptionem corporis noſtri*]. Eſt autem hic *ἐξουσία, jus ad hæreditatem*, quod & hæreditatis nomine interdum venit, ſicut qui credit (nempe ſicut oportet credere viva fide) dicitur habere vitam æternam III. 36. Sic Juriſconſulti, *Is qui actionem habet ad rem ipſam, rem habere videtur.* Sed hic magis proprie dixit *ἐξουσίαν*, quia *jus hoc* adeo res ipſa non eſt, ut & res poſſit non ſequi, nempe ſi abſit perſeverantia.

13. *Οἱ οὐκ ἐξ αἱμάτων οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis*] Mos eſt Hebræis hominem, præſertim cum Deo aut Angelis comparatum vocare בשר ודם *carnem & ſanguinem:* ſic ſumuntur *σὰρξ καὶ αἷμα* [*caro & ſanguis*] Matth. XVI. 17. Gal. I. 16. & alibi. Eſt autem hic *θέλημα* [*voluntas*] pro Hebræo רצון quod & *libidinem* ſignificat. ¶ *Οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, neque ex voluntate viri*] Ut diſtet hoc à priori (nulla enim videtur eſſe *ἐπεξήγησις* [*ulterior enarratio*]) putem *ex voluntate viri eos genitos dici qui* non naturali ſexuum commixtione de qua actum jam eſt, ſed *adoptione aut inſtitutione fiunt hominis alicujus filii.* Notavimus hac de re ad Matth. XXIII. 9. ſicut & ad Lucam III. 23. oſtendimus quam late pateat Hebræum ילד [*generavit*] reſpondens Græco *γεννᾶν* [*gignere*]. Eandem vocem ילד de adoptione Sadducæi, interpretabantur Levit. XVIII. 11. nec aliter ſumenda vox תולדות [*generationes*] Num. III. 1. nam de naturali Moſis ſobole nihil ibi agitur. ¶ *Ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν. ſed ex Deo nati ſunt*] Hic vero reſpicit non illam adoptionem quæ futura eſt in altero ſæculo, ſed eam quæ hic fit, qua ſcilicet Deo reddimur ſimiles, non majeſtate, ſed bonitate. Vide quæ ad Matth. V. 9. & 45. Sic noſter hic in epiſt. prima III. 2. paulo ante ea quæ jam citavimus: *νῦν τέκνα Θεοῦ ἐσμὲν, jam nunc Filii Dei ſumus*, id eſt, *ejus imitatores.*

14. *Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, Et Verbum caro factum eſt*] *Καὶ* [*&*] hic eſt *αἰτιολογικὸν* [*redditivum cauſæ*] ſuperiorum. Ut Λόγος [*Verbum*] nos homines ad Divinam Majeſtatem eveheret, ipſe in imbecilla hac noſtra humana natura ſe oſtendit. Paulus ad I Timoth. III. 16. *Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί* [*Deus manifeſtatus eſt in carne*]. nam *σὰρξ* [*caro*], ut dicere cœpimus, *infirmitatem & humilem ſtatum* conſignificat. Sic Pſ. LVI. 4. LXXVIII. 39. & alibi. Confer Phil. II. 6. II Cor. VIII. 9. Eodem ſpectat nomen Filii hominis. Bene Juſtinus, *Ἐπειδὴ καὶ δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος γέγονεν (ὁ Λόγος) ἵνα καὶ τῶν παθῶν τῶν ἡμετέρων συμμέτοχος γενόμενος καὶ ἵλεων ποιήσηται* [*Quoniam (Verbum) noſtri gratia homo factum eſt, ut, cum ſe infirmitatibus noſtris ſubdidiſſet, eas ſanaret*]. Origenes, *Ἀπ' ἐκείνου ἤρξατο θεία καὶ ἀνθρωπίνη συνυφαίνεσθαι Φύσις, ἵν' ἡ ἀνθρωπίνη τῇ πρὸς τὸ θεῖότερον κοινωνίᾳ γένηται θεία, οὐκ ἐν μόνῳ τῷ Ἰησοῦ, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς μετὰ τὸ πιστεύειν ἀναλαμβάνουσι βίον ὃν Ἰησοῦς ἐδίδαξεν* [*Ex ipſo incæpit colluceſcere Divina & humana natura, ut humana communicatione Deitatis fieret Divina, non in Jeſu ſolo, ſed & in omnibus cum fide apprehendentibus illam quam Jeſus docuit vivendi rationem*]. Irenæus *Verbum* ait *unitum ſuo plaſmati paſſibilem hominem factum.* Idem alibi, *Εἰς*

τᾶτο καὶ ὁ Λόγος ἄνθρωπος, ἵνα ὁ ἔνθρωπος χωρήσας τὸν Λόγον καὶ τὴν υἱοθεσίαν λαβὼν υἱὸς γένηται Θεᾦ [*Propterea Verbum factum eſt homo, ut homo admiſſa in animum ratione, adoptioniſque honorem nactus, Filius Dei fieret*]. Tertullianus adverſus Praxeam, *Conſequens eſt ut ſic caro factus intelligatur, dum fit in carne & manifeſtatur & videtur & contrectatur per carnem.* ¶ Καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, & *habitavit in nobis*] *Habitavit.* Nam ſic & qui in cœlo habitant σκηνᾶν [*habitare*] dicuntur Apoc. XII. 12. & XIII. 6. ἐν ἡμῖν recte vertas *inter nos*, ut Luc. I. 28. Sed illud notandum voce σκηνᾶν [*habitare*], quæ eadem ſono & ſignificatu eſt cum Hebræo שכן, alludi ad conſpicuam Divinæ Majeſtatis præſentiam, quæ Chaldæo Paraphraſtæ etiam כבוד δόξα [*gloria*]: aut ad operationem ſingularem, quorum utrumque per שכן [*habitavit*], unde שכינה, [*Majeſtas Dei*] ſignificari notant Hebræorum magiſtri, ut Maimonides Duce dubitantium lib. I. cap. XXV. Sic bene cohæret quod ſequitur. ¶ Καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτᾶ, & *vidimus gloriam ejus*] Non fuit humilis ille ſtatus ſine magnis & certis indiciis Divinæ Majeſtatis, quæ כבוד [*gloria*] Hebræis, ut Exod. XVI. 7, 10. XXIV. 16, 17. XXIX. 43. XXXIII. 18, 22. XL. 34, 35. Levit. IX. 6, 23. & alibi ſæpe. Apparuit autem hæc Chriſti δόξα [*gloria*] non tantum in illa eximia transformatione in monte Thaborio, in cujus narratione vocem δόξης [*gloriæ*] uſurpat Petrus II epiſt. I. 17. ſed & in iis quæ circa paſſionem, in reſurrectione & poſt eam, & in adſcenſu ad cœlum acciderunt, imo & in miraculis. Vide infra II. 11. XII. 23. ¶ Ὡς μονογενᾶς παρὰ Πατρός, *tanquam unigeniti à Patre*] Quod hic Chryſoſtomus & alii Græci vocant ὡς ὁρισμοῦ [*tanquam* definitivum], id Hebræi appellant כי לאשרית quod Latine per *ut* rectè transfertur. יחיד quod *unigenam* aut *unicum* ſignificat, Græci ſenſum reſpicientes, vertunt ἀγαπητὸν [*dilectum*] ut Geneſ. XXII. 2, 12. & 16. Judic. XI. 34. Jer. VI. 26. Amos VIII. 10. Zachar. XII. 10. aut ἠγαπημένον [*dilectum*], Proverb. IV. 3. πυθητὸν [*deſideratum*], Judic. XI. 34. Plutarchus, Ὅμηρος ἀγαπητὸν υἱὸν ὀνομάζει μᾶνον τηλύγετον, τουτέστι μὴ ἔχοντα ἕτερον γονεῦσι μηδὲ ἕξοντι γεγεννημένον [*Homerus dilectum filium vocat ſolum unicum, hoc eſt præter quem non habent, vel habebunt parentes alterum de ſe genitum*]. In Odyſſea ſecunda eſt μᾶνος ἐὼν ἀγαπητὸς [*ſolus erat dilectus*]. Vide Matth. III. 17. & Marci XII. 6. Sic Solomonem *filium ſuum unicum*, id eſt, *dilectiſſimum* vocat David I Par. XXIX. 1. & ipſe Solomo ſemet dicto loco Prov. IV. 3. Μονογενὴς [*unigenitus*] ergo hic rectè dicitur Chriſtus eo quem diximus ſignificatu, & cui addi poteſt, quia ſingulari modo à Deo proceſſit. Juſtino, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱός [*qui ſolus proprie dicitur filius*]. Et alibi, μόνος ἰδίως υἱὸς τῷ Θεῷ γεγέννηται λόγος αὐτᾦ ὑπάρχων καὶ πρωτότοκος καὶ δύναμις καὶ τῇ βουλῇ αὐτᾦ γενόμενος ἄνθρωπος [*ſolus proprie Filius Deo genitus eſt, cum & verbum ejus ſit, & primogenitus, & potentia, conſilioque ejus factus ſit homo*]. Et in transcurſu damnantur Gnoſtici qui alium faciebant λόγον [*verbum*], alium μονογενᾶ [*unigenitum*], alium Jeſum. Quod Julianus contra Chriſtianos ſcribens notare non omiſit. Illud autem παρὰ Πατρὸς [*à Patre*], quanquam poteſt referri ad μονογενᾶς [*unigeniti*] conſtructione quæ eſt πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad id quod ſignificatur*], qualis eſt illa, *Quid tibi illam tactio eſt?* quia in nomine derivato ineſt vis verbi, malim tamen referre ad δόξαν [*gloriam*] ob ſimilem Petri locum quem jam annotare cœpimus, λαβὼν γὰρ παρὰ Θεοῦ Πατρὸς τιμὴν καὶ δόξαν [*accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam*]. Sic δόξαν παρὰ τοῦ Θεοῦ [*gloriam à Deo*] infra hoc libro V. 44. Notat Juſtinus Λόγον [*Verbum*] etiam vocari δόξαν Θεοῦ [*gloriam Dei*], & Hebræi quod Rabbini vocant שכינה [*Majeſtatem*] exponunt כבוד [*gloriam*], ut modo diximus. Luciani Martyris confeſſio extat, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ οὐσίας καὶ βουλῆς καὶ δυνάμεως καὶ δόξης ἀπαράλλακτος ἐστίν [*Filius eſt ſubſtantiæ Divinæ, & conſilii, & potentiæ, & gloriæ perfectè ſimilis imago*]. Vide II Cor. III. 9. ¶ Πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. *plenum gratiæ & veritatis*] Non opus eſt parentheſin interponere. Nam rectum cum obliquis conſtruere & Græci ſolent, ut oſtendimus ad Marcum VI. 40. Et ſic noſter loquitur Apocalypſi, ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς [*à Jeſu Chriſto qui eſt teſtis fidelis*], I. 5. Vide & locum Epheſ. III. 17. ubi poſt ὑμῶν [*veſtrum*] ſequitur nominativus. Conjunguntur autem & infra χάρις [*gratia*] & ἀλήθεια [*veritas*] 17. unde apparet tacitam eſſe comparationem cum Moſe, cujus Lex ferme ſine venia ac donis Spiritus, & plena umbris. Legi gratia paſſim apud Paulum opponitur, ſed & veritas, Rom. XV. 8. Hebr. IX. 24. ubi veritas ipſam rerum ſoliditatem ſignificat, quæ & corpus interdum vocatur. Vide & quod infra IV. 23. Jugulatur & hic Gnoſticorum ſomnium, quibus aliud erat ἀλήθεια [*veritas*] quam Λόγος [*Verbum*] aut Chriſtus.

15. Ἰωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, *Joannes teſtimonium perhibet de ipſo*] Ipſius Johannis publica confeſſione eos refellit qui Johannem omiſſo Jeſu ſectabantur deque ejus nomine dici ſe volebant. μαρτυρεῖ [*teſtimonium perhibet*] autem in præſenti, quia durabat in perpetuum auctoritas teſtimonii. ¶ Καὶ κέκραγε, & *clamavit*] Alluſio ad Prophetica vaticinia de Johanne Baptiſta. ¶ Οὗ εἶπον, *quem dixi*] Dixi jam ante baptiſmum ejus, & nunc coram multitudine repeto. ¶ Ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *qui poſt me venturus eſt*] Diximus jam ἔρχεσθαι [*venire*] eſſe *procedere ad populum publicandi Divini mandati cauſa.* ¶ Ἔμπροσθέν μου γέγονεν, *ante me factus eſt*] *Prælatus mihi eſt*, deſtinatione Divina ſcilicet, quia per hunc Deus voluit tollere peccata mundi, judicare mundum. Actor. II. 22. X. 42. Sic Gen. XLVIII. 20. ubi Jacobus dicitur Ephraimum anteposuiſſe Manaſſi, in Græco eſt ἔθηκε τὸν Ἐφραὶμ ἔμπροσθεν τοῦ Μανασσοῦ [*conſtituit Ephraim ante Manaſſen*]. ¶ Ὅτι πρῶτός μου ἦν. *quia prior me erat*] Duo hic notanda: Primum πρῶτος [*primus*] pro πρότερος [*prior*]. Ariſtophanes Avibus, Ἦρξε δὲ Περσῶν πρῶτον Δαρείου καὶ Μεγαβύζου [*Imperabatque Perſis primum, ante Darium & Megabyzum*]. infra XV. 18. ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν, id eſt, πρότερον [*me priorem vobis odio habuit*]. Sic prima epiſtola IV. 19. αὐτὸς πρῶτος ἠγάπησεν ἡμᾶς, id eſt, πρότερος [*ille prior dilexit nos*]. Alterum eſt, quod πρῶτος [*primus*] non temporis aut loci antegreſſum ſed *dignitatis eminentiam* notat. In libro Categoriarum, τὸ βέλτιον καὶ τιμιώτερον πρότερον δοκεῖ [*quod melius & præſtantius eſt videtur & prius*]. In Metaphyſicis IV. c. XI. τὸ ὑπερέχον τῇ δυνάμει πρότερον [*quod potentia excellit prius eſt*]. Ulpianus in orationem Demoſthenis in Leptinen, πρῶτον οὐ τῇ τάξει, ἀλλὰ τῷ ἀξιώματι καὶ τῷ κυρίου [*primum non ordine, ſed dignitate & auctoritate*]. Ariſtophanes Ranis hoc ſenſu, Σοφοκλέα πρότερον ὄντ' Εὐριπίδου [*Sophoclem qui prior eſt Euripide*]. Notant hoc Latini Grammatici ad illud Virgilii,

- - Troja qui primus ab oris.

Et,

- - Primuſque Machaon?

Et ad Terentii illud,

Aut quia ego ſum apud te primus.

Et illud,

Nihil prius aut fortius.

Cur autem dignior Jeſus, patet ex ſuperioribus, quia Filius unigenitus. Matthæus dixit ἰσχυρότερός μου ἐστὶν [*fortior me eſt*] III. 11. quem ſecuti Marcus I. 7. & Lucas III. 16.

16. Καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*] Verum uſum oſtendit vocis πληρώματος [*plenitudinis*], non, ut ſecundum Gnoſticos ſpatium aliquod ſupercœleſte ſignificet, ſed ut τὴν ἄκρην μετοχὴν τῆς Θεότητος [*ſummam Deitatis participationem*], ut Origenes loquitur: ut & Coloſſ. I. 19. & II. 9. Clemens Strom. II. πᾶσαι δὲ αἱ δυνάμεις τοῦ πνεύματος συλλήβδην μὲν ἓν τι πρᾶγμα γενόμεναι συντελοῦσιν εἰς τὸ αὐτὸ τὸν υἱόν [*omnes autem virtutes Divini Spiritus coadunatæ atque in unam rem quaſi conglutinatæ ſimul omnes perficiunt Filium*]. Eſt autem hoc καὶ [&] connectendum cum ſuperioribus quæ præceſſerant, antequam teſtimonium Johannis inſereretur, præſertim cum illis πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας [*plenum gratiæ & veritatis*]. confer Epheſ. I. 5. ¶ Καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος. & *gratiam pro gratia*] Eſt hic καὶ ἐξηγητικόν [*Et enarrativum*]. Elegantia eſt Sacrarum Literarum vocem eandem contiguo loco ponere ſenſu alio. Et id in eadem hac voce χάριτος [*gratiæ*] invenitur Rom. VI. 15. ubi priori loco χάρις eſt *donum*, ſecundo *benevolentia* qua nos propter Chriſtum Deus complectitur: quod diſtinctius enuntiat Apoſtolus ad Roman. XII. 6. χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν [*dona ſecundum gratiam*]. Et alibi ſine tali alluſione, ut Epheſ. III. 7. δωρεὰν τῆς χάριτος [*donum gratiæ*]. Significat ergo Euangeliſta *dona Spiritus Sancti ſibi aliiſque Apoſtolis, imo & credentibus gratis à Deo conceſſa.* Nam ἀντὶ χάριτος [*pro gratia*] nihil aliud hic eſſe putem quam חנם [*gratis*], id eſt, *non pro ullo merito ſed ex mera bonitate:* quod ita per ἀντὶ [*pro*] (quæ particula reſpondet Hebræo חחת) effertur, quia continet in ſe negationem pretii. Sic תחת Hebræum interdum ἀντὶ [*pro*] tranſfertur, ut κακὸν ἀντὶ τῆς κακίας [*malum pro malo*] Jer. XI. 17. alibi χάριν [*propter*] I Reg. XIV. 16. ſæpius διὰ [*propter*] ut Deut. XV. 10. Jer. XV. 4. & alibi.

17. Ὅτι ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη. *Quia Lex per Moſem data eſt*] In tranſcurſu confoditur Ebionis dogma Jeſum Moſi poſthabentis. ¶ Ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. *gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*] Ἀλήθεια [*veri-*

[*veritas*] ut ſupra diximus, opponitur umbris Legis: χάρις [*gratia*] hic præcipue eſt copia illa Spiritus paſſim in Chriſtianos effuſa, ſtatui veteris Legis incognita. Quo præter alia vaticinia recte referas illud Eſaiæ LV. 13. Jeſu Chriſti nomen hic primum exprimit Apoſtolus; poſtquam eum ſuis illis magnificis titulis denoravit, ut ſciret Eccleſia non modo non diverſos eſſe Jeſum & Chriſtum, ut tradebant Gnoſtici, ſed nec alium eſſe Jeſum Chriſtum quam qui Λόγυ [*Verbi*] & Μονογενοῦς [*Unigeniti*] nomine dicatur.

18. Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, *Deum nemo vidit unquam*] Putem hunc eſſe ſenſum; *nemo cum Deo ita vixit familiariter ut ejus conſilia perviderit*: quo ſenſu Paulus dixit, *Quis Deo conſiliarius fuit & mentem ejus quis novit?* Rom. XI. 34. & Matthæus, *Nemo Patrem novit niſi Filius*, XI. 27. Adducor huc etiam loco Eccleſiaſtici, qui oſtendit quaſi proverbium fuiſſe apud Hebræos, & quidem eo magis, quia ut hic verbum ἐξηγεῖσθαι [*enarrare*] ſequitur, ita ibi verbum ἐκδιηγεῖσθαι [*totum enarrare*]. Locus eſt XLIII. 35. τίς ἑώρακεν αὐτὸν καὶ ἐκδιηγήσεται; [*quis vidit eum & enarrabit*]? Vide quæ ad dictum Matthæi locum notavimus. Noſter etiam aut quiſquis ille eſt Epiſt. III. II. οὐχ ἑώρακε τὸν Θεὸν [*non vidit Deum*] poſuit pro *non novit*. Et infra c. III. 32. ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε [*quod vidit & audivit*], *quod certo novit*. ¶ Ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris*] Εἰς [*in* cum accuſativo] pro ἐν [*in* cum ablativo] frequens & aliis & his maxime libris. *In ſinu eſſe* eſt proximum & intimum eſſe. Dicitur de conjugibus inter ſe Deut. XXVIII. 54, 56. de amicis Luc. XVI. 22. ubi quæ diximus vide, infra XIII. 23. de rebus aliis u Sam. XII. 3. Etiam hoc loquendi genus *ſinus Patris* à Gnoſticis male uſurpatum vero rectoque ſenſu hic donatur. Vide Irenæum II. 7. ¶ Ἐκεῖνος ἐξηγήσατο. *ipſe enarravit*] Ἀπεκάλυψε [*Revelavit*] Matth. XI. 27. conſilia Dei tot ſæculis abſcondita mundo patefecit.

19. Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία, *& hoc eſt teſtimonium*] Etiam hoc eſt teſtimonium Johannis, non ex occaſione prolatum, ſed ad legitimam interrogationem. ¶ Οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων, *Judæi ab Hieroſolymis*] Id eſt, *Synedrium magnum*, cujus conſeſſus erat Hieroſolymis, quorumque notio erat de vero ac falſo propheta. Simili modo ad Barchochebam miſiſſe Synedrium narratur percunctatum quem ſe diceret. ¶ Ἱερεῖς καὶ Λευίτας, *Sacerdotes & Levitas*] Miſerant doctiſſimos ſui coetus. Nam hi quibus è publico victus erat, liberius ſtudiis vacabant. ¶ Ἵνα ἐρωτήσωσιν αὐτὸν, Σὺ τίς εἶ; *ut interrogarent eum, Tu quis es*]? Compendio rem dicit quæ ex ſuperioribus plenius intelligitur. Non enim interrogarunt quis eſſet, id eſt, *quo munere fungeretur*, ſed & *an eſſet Chriſtus*: quod Nonnus recte exprimit:

Μυχιτόλαι δ' ἐρέεινον ἀμήλυδες ὄξεϊ μύθῳ
Τις σὺ τέλεις; μὴ Χριστὸς ἔφυς;
[*Quærebant acri Myſtæ ſermone gregatim*
Ecquis es? an vere es Chriſtus]?

Eſt autem mos Hebræorum mandata expeimere oratione directa. Ut Exod. III. 14. II Regum IV. 16.

20. Καὶ ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο· καὶ ὡμολόγησε, *Et confeſſus eſt, & non negavit; & confeſſus eſt*] Supra diximus negationem oppoſiti addi affirmationi ſolere ad omnem exceptionem elidendam. Locutiones huic perſimiles reperire eſt Job. V. 17. II Reg. XVIII. 36. Repetitur autem ὡμολόγησε [*confeſſus eſt*] ut ſignificetur illum bis terve idem magna conſtantia atque aſſeveratione dixiſſe: quod eo magis erat neceſſarium quia multos jam illa falſa opinio invaſerat, Luc. III. 15. ¶ Ὅτι οὐκ εἰμὶ ὁ Χριστὸς, *quia non ſum ego Chriſtus*] Profeſſus eſt ſe non eſſe magnum illum Meſſiam qui circa ea tempora exſpectabatur.

21. Ἠλίας εἶ σύ; *Elias es tu*]? In terras demiſſus ex eo loco in quem raptus eſt. Qui hoc interrogant oſtendunt ſe neſcire quo patre, qua matre natus eſſet Johannes, aut de eo dubitare. Vide ad Matth. XVI. 14. ¶ Οὐκ εἰμί. *Non ſum*] Hoc nimirum ſenſu quo interrogabatur. ¶ Ὁ προφήτης εἶ σύ; *Propheta es tu*]? Græci articulum & legunt & urgent. Quare putem Jeremiam intelligi de cujus reditu rumor quidam inter Judæos vagabatur. Vide ad Matthæum dicto loco. Sic II Macc. XV. 14. Ἱερεμίας ὁ τοῦ Θεοῦ προφήτης [*Jeremias Propheta Dei*]. non mirum igitur & hoc differe à Johanne negari.

22. Τίς εἶ; *quis es*]? Poſt negativas reſponſiones affirmativam volunt elicere, qualem officio ſe diceret.

23. Ἐγὼ φωνὴ βοῶντος, *Ego vox clamantis*] Recta locutio fuerat ἐγὼ ὁ βοῶν [*ego clamans*]; ſed verba ipſa Prophetæ Eſaiæ adferre voluit. ¶ Εὐθύνατε, *dirigite*] Bene Syrus vertit *Complanate*. Vide quæ ad Luc. III. 5.

24. Ἐκ τῶν Φαρισαίων, *ex Phariſæis*] Non mirum: major enim Synedrii pars ejus erat ſectæ, ut videre eſt Actor. XXIII. Phariſæi cenſebant nullum à ſe ritum qui aut à Deo præceptus aut à majoribus eſſet traditus omitti: quare nec baptiſmum ad ſuos ritus addendum fuiſſe arbitrabantur, niſi forte à Propheta.

25. Καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν, καὶ εἶπον αὐτῷ, *& interrogaverunt eum, & dixerunt ei*] Id eſt, *interrogarunt dicentes*. ¶ Τί οὖν βαπτίζεις; *quid ergo baptizas*]? *Tam ſolenni ac publica merſatione* quæ hactenus circa Judæos inuſitata: Nam ablutiones Phariſaicæ alterius erant generis. Vide Marc. VII. Baptiſmum aliquem univerſalem circa tempora Meſſiæ exſpectabant ex Zachariæ XIII. lociſque aliis.

26. Ἐν ὕδατι· *in aqua*] *Sola aqua: Spiritu perfundere illius eſt cujus ego me præconem ac miniſtrum profiteor; quod facio, pars eſt & initium functionis ipſi mandatæ.* Vide infra commate 33.

27. Ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *qui poſt me venturus eſt*] Cum prædicatione & baptiſmo. Reſpicitur Malachiæ locus III. 1. ¶ Ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονε. *qui ante me factus eſt*] Vide ſupra 15. ¶ Οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος, *cujus ego non ſum dignus*] Vide quæ ad Matth. III. 11. ¶ Τὸν ἱμάντα, *corrigiam*] Rem contemptam. Gen. XIV. 22. ¶ Τοῦ ὑποδήματος. *calceamenti*] Nomen generis, cujus ſpecies ſandalium, quo Chriſtus & Apoſtoli utebantur.

28. Ἐν Βηθαβαρᾷ, *in Bethabara*] Lectionem hanc veteſtiorem eſſe magno conſenſu Græci tradunt. Neque videtur dubitandum quin idem ſit locus qui infra deſignatur X. 40. Nam quod hic eſt, ὅπου ἦν ὁ Ἰωάννης βαπτίζων [*ubi erat Joannes baptizans*], ibi eſt ὅπου ἦν ὁ Ἰωάννης τὸ πρῶτον βαπτίζων [*ubi Joannes primum baptizabat*], nimirum quia poſt id tempus baptizavit in Salim, in deſerto ſcilicet, ut alii Euangeliſtæ loquuntur. Dicto autem loco Joh. X. eſt in Syriaco בעברא דירדן [*in Bethabara Jordanis*] quod & hoc loco poſt nomen proprium ſequitur, ad explicandum illud πέραν τοῦ Ἰορδάνου [*trans Jordanem*], cum proprie ſit *in trajectu Jordanis*: idem autem eſt עבר [*Abara*] & מעבר, [*Bethabara*] nam בית [*locus*] nominibus loci apud Hebræos frequenter additur. Eum autem locum ita fuiſſe ad trajectum, Jordanis ut trans Jordanem, id eſt, in Peræa fuerit, colligitur infra cap. XI. 7. & manifeſtum id facit tabula à Judæis edita. Videtur nomen inditum ex hiſtoria quæ eſt Joſ. III. 16. 17. ubi vox trajectus bis apparet. Et hoc & aliis argumentis colligimus Syriacum ut & Arabicum exemplar (utrumque enim hoc loco habet בית עניה [*Bethania*]) ex ſerioribus Græcis verſum aut depravatum. Βηθανίᾳ [*Bethania*] quod apud Joſephum aliquoties legitur huc non pertinet. Eſt enim per τ, à fructu forte qui ibi naſcitur, cui nomen בתנים [*Botnim*]. Neque magis pertinere huc arbitror aut בית־ערבה [*Beth Araba*], quod eſt Joſ. XVIII. 22. aut בית־ברה [*Beth Bera*], quod eſt Jud. VII. quorum illud Græce βαιθαβαρὰ [*Bethabara*] male ſcribitur, cum ſcribi debeat βαιθαμαβὰ [*Bathamabà*], & hoc βαιθηρὰ [*Bathera*], cum legendum ſit βαιθβηρὰ [*Bathbera*]. Videtur autem ὑπόνοια aliqua [*ſeiſus occultior aliquis*] ſubeſſe loco Bethabara: nam ubi Dei populus ex deſerto veniens in terram promiſſam trajecit, ibidem editum eſt Johannis teſtimonium, quaſi trajectum faciens ex Lege in Regnum cœleſte. Mirari autem non debemus in mulis Latinis codicibus pro *Bethabara* ſcriptum *Bethania*, cum frequens ſit ut nomen minus notum in notius à librariis mutetur, ut videre eſt in Latina verſione I Sam. VI. 6. Cant. II. 17. VI. 12. VIII. 1. ¶ Ὅπου ἦν Ἰωάννης βαπτίζων. *ubi erat Joannes baptizans*] Phraſis hæc plerunque actum quaſi continuum ſignificat; *ubi tum ſolebat baptizare.*

29. Ἐρχόμενον πρὸς αὐτὸν, *venientem ad ſe*] Divino conſilio, ut hoc teſtimonium præſenti coram populo redderetur. Sed occaſio adventus videtur fuiſſe, quod ſicut ante Baptiſmum ita tunc prædicationem Johannis inter cæteros vellet cohonestare. ¶ Ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, *agnus Dei*] Deo gratiſſimus; quippe ἄμωμος καὶ ἀσπίλος [*immaculatus & inconiaminatus*]; I Petr. I. 19. Alluſio eſt ad agnum Paſchalem Exod. XII. 5. Sic obiter oſtendit Johannes Jeſum non in pœnitentiam baptizatum. ¶ Ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. *qui tollit peccatum mundi*] Poteſt נשא [*tollere*] Hebræum, cui reſpondet Græcum αἴρειν, & veniæ impetrationem ſignificare & animorum emundationem. Ut poſteriorem ſignificationem hic præferam facit locus I Petr. I. 19. Ubi *à vana converſatione* (idololatria aliiſque flagitiis) redemti dicimur *Agni immaculati ſanguine*, quo ſcilicet doctrinæ ſuæ exemplum ſimul & teſtimonium dedit. Et hujus noſtri Scriptoris locus I Epiſt. I. 7. ubi *ſi qui in luce ambulant* dicuntur *emundari ſanguine Chriſti ab omni peccato*, id eſt, conſideratione ejus dogmatis, quod ipſe morte ſua ſanxit, ab omni genere delictorum retrahi. Inter

vaticinia de Meſſia & hoc eſt, eum fore Doctorem gentium & idololatriæ deſtructorem. De voce κόσμος [*mundi*] ſupra diximus. ἡ ἁμαρτία [*peccatum*] eſt *peccatorum univerſitas, corpus peccati*, Rom. VI. 12.

30. Οὗτός ἐστι περὶ οὗ ἐγὼ εἶπον, Ὀπίσω μου ἔρχεται, *Hic eſt de quo dixi: Poſt me venit*] Vide ſupra comm. 15.

31. Οὐκ ᾔδειν αὐτόν· *ego neſciebam eum*] Veram interpretationem puto: Meſſiam mundi expiatorem & donatorem Spiritus Sancti in terris eſſe ego neſciebam antequam Deus mihi, cum Baptiſmi mandatum mihi injungeret, & hoc revelaret, & ſimul perſonam indicio deſignaret, nempe eum eſſe Meſſiam cui vitulus aliquando eſſem ſuperſedentem columbam cœlitus miſſam. ¶ Ἵνα Φανερωθῇ τῷ Ἰσραὴλ, *ut manifeſtetur in Iſrael*] Baptiſmus ideo mihi injunctus eſt, ut quos de pœnitentia inſtitutos baptizarem, eoſdem ad accipiendam inſtitutionem pleniſſimam, certitudinem veniæ & Spiritum Sanctum, ad Jeſum mitterem, Act. XIX. 4. Φανεροῦσθαι [*manifeſtari*] eſt *innoteſcere cum ſua qualitate*. Vide infra VII. 4. XXI. 1. ¶ Ἦλθον, *veni ego*] *Miſſus à Deo me oſtendi populo*, ut de ea voce ſupra egimus.

32. Καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, *deſcendentem quaſi columbam*] Vide ad Matthæum III. 16. ¶ Καὶ ἔμεινεν ἐπ' αὐτόν. *& manſit ſuper eum*] *In illo acquievit* Spiritus, nemini poſthac majori dandus, imo nec cuiquam niſi per ipſum.

33. Οὐκ ᾔδειν αὐτόν· *neſciebam eum*] Repetitio ſupra dicti, quæ rem plane extra dubium ponit. ¶ Ἐκεῖνός μοι εἶπεν, *ille mihi dixit*] Cum mandatum baptizandi daret.

34. Μεμαρτύρηκα, *teſtimonium perhibui*] *Et teſtatus ſum & teſtor*; more Hebræo quibus vox præteriti etiam permanentem actum ſignificat. ¶ Ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *Filius Dei*] Ille dilectiſſimus, ille ſimillimus, unigenitus denique. Etiam Hebræi נוגה [*effulgentiam Dei*], id eſt, τὸ ἀπαύγασμα Θεοῦ, בן [*Filium*] vocant.

35. Εἱστήκει. *ſtabat*] Muneri ſuo intentus.

36. Ἐμβλέψας, *reſpiciens*] *Intentis in eum oculis.*

38. Λέγει αὐτοῖς, Τί ζητεῖτε; *dicit eis: Quid quæritis*]? Baſilius, Μέγον θέλητρον, καὶ Θεὸς προκαταλαμβάνει [*Tantum velut: & Deus prior occurrit*]. ¶ Ῥαββί, *Rabbi*] Nimirum ex Johanne Baptiſta didicerant hunc eſſe à quo hauriendæ eſſent Regni cœleſtis myſteria. ¶ Πῦ μένεις; *ubi habitas*]? *Ubi diverteris?* ſic enim vox μένειν ſumitur II. 12. & alibi. Volebant hi duo non quovis modo auditores eſſe Jeſu, ſed ἐσωτερικοί, *interioris admiſſionis.*

39. Τὴν ἡμέραν ἐκείνην· ὥρα δὲ ἦν ὡς δεκάτη. *die illo: hora autem erat quaſi decima*] Senſus eſt, Eo die inde non diſceſſerunt, ac proinde ibidem pernoctarunt, quia jam ſerum erat. Vide Luc. XXIV. 29.

40. Ἦν Ἀνδρέας, *Erat Andreas*] Illud ἦν [*erat*] cum εἷς [*unus*] quod ſequitur non male conſtruit Syrus.

41. Οὗτος πρῶτος, *hic primus*] Id eſt, πρότερος [*prior*] ut ſupra 15. prior ſcilicet altero ſuo comite. Adverbio hunc ſenſum expreſſit Syrus & Nonnus ſenſu eodem. ¶ Εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, *Invenimus Meſſiam*] משיח המלך, *Meſſiam illum Regem*, ut Judæi loquebantur. Hoc ideo dicit Andreas quod dogmata Jeſu inveniſſet congruentia iis quæ Johannes de eo prædicaverat. Erat Petrus inter eos qui *exſpectabant conſolationem & redemptionem Iſrael*, ut dicitur Lucæ II. 25, 38. *Regnum Dei*, Marc. XV. 43. Itaque nullus ei nuntius potuit accidere lætior.

42. Σίμων, *Simon*] שמעון *Auditor*; qui primus eſt gradus diſcere cupientium. ¶ Τὸν υἱὸν Ἰωνᾶ· *filium Jonæ*] בר־יונה [*Bar-iochanna*]. Vide quæ ad Matth. XVI. 17. Id vero eſt *filium Divinæ gratiæ*; qui ſecundus gradus jam credentium. ¶ Σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, *tu vocaberis Cephas*] Hic tertius gradus, inconcuſſa conſtantia profitentium. *Vocaberis*, ſcilicet in poſterum, ut Gen. XVII. 5. ¶ Πέτρος. *Petrus*] Non eſt appellativum: nunquam enim ea vox Attica apud Helleniſtas reperitur: & ipſe Johannes ſtatim appellativum communiter exſtulit πέτρα [*petra*]. Eſt ergo proprium, ſed tranſlatum cum ſua ſignificatione in ſermonem Græcum.

43. Τῇ ἐπαύριον, *In craſtinum*] *Poſtero die* ex quo Simon ad Chriſtum acceſſerat. ¶ Εἰς Γαλιλαίαν. *in Galilæam*] Ut ex regione ignobili ignobiles ſibi diſcipulos colligeret. Vide infra VII. 52. Conjunge 1 Cor. I. 28.

44. Ἀπὸ Βηθσαϊδὰ ἐκ τῆς πόλεως, *à Bethſaida, ex civitate*] Hic ἐκ [*ex*] abundat, quomodo infra ἐν [*in*] II. 23. ¶ Ἀνδρέου καὶ Πέτρου. *Andreæ & Petri*] Quorum ut familiarium relatu præparatus jam nonnihil erat Philippi animus.

45. Τὸν Ναθαναὴλ, *Nathanael*] Eruditum, ut veteres exiſtimant; addam quod credibile puto, à Legisperitis inſtitutum; quod aliis ſua tenuitas invideret. Nomen ejuſdem ſenſus cujus Hebræum *Jonathan*, Græca *Doſitheï*, *Dorotheï*, *Theodori*, *Theodoſii*, Latinum *Adeodatus*. ¶ Ὃν ἔγραψεν ὁ Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ, *Quem ſcripſit Moſes in Lege*] In Jacobi vaticinio de Silo. *Quem ſcripſit*, id eſt, de quo ſcripſit; ut *Scriberis Vario*. ¶ Καὶ οἱ προφῆται, *& Prophetæ*] Maxime Eſaias, Malachias, Daniel. circumſcriptio eſt Chriſti. ¶ Ἰησοῦν, *Jeſum*] Indicant cui titulum Chriſti putent competere. ¶ Τὸν υἱὸν τοῦ Ἰωσὴφ τὸν ἀπὸ Ναζαρέθ. *filium Joſeph à Nazareth*] Sicut *Joſephi filium* putabant ex vulgi opinione, ſic & ortu *Nazarenum*, quia vulgo ſic vocabatur.

46. Ἐκ Ναζαρὲθ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι; *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe*]? Non jam dicam Meſſias, ſed Prophetа aliquis inde exſpectetur? nam id Legisperiti diſerte negabant. Vide locum quem jam citavimus VII. 52. ¶ Ἔρχου καὶ ἴδε. *Veni & vide*] Locutio frequens in Zohar. Certiora indicia ex ipſius ſermone accipies quam ex loco originis haberi poſſint. Philippus traditiones illas Legisperitorum aut ignorabat aut non nimium magni faciebat.

47. Ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, *Ecce vere Iſraelita*] Non omnes Iſraelis poſteri digni eo nomine, ſed qui Jacobi probitatem referunt, Rom. IX. 6. Sic Abrahami poſteritas cenſendi qui ejus opera faciunt, infra VIII. 39. Simili loquendi genere Plutarchus libro De Iſide: Ἰσιακὸς ὡς ἀληθῶς [*vere Iſiacus*]. ¶ Ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι. *in quo dolus non eſt*] Reſpicitur elogium Jacobo datum Geneſ. XXV. 27. איש תם [*vir ſimplex*], ubi Græci ἄπλαστος [*non fictus*] Aquila, ἁπλοῦς [*ſimplex*], quomodo idem vocem eandem verterat Jobi initio. Eandem vocem Hebræam alibi ἄκακος [*ſine malitia*] vertunt, ut Job. VIII. 20. Pſalm. XXV. 21. Proverb. VIII. 6. Perhibetur autem Nathanaeli hoc teſtimonium quia nihil gratiæ dans dixerat quod Sacris Literis congruens judicabat. Neque eo tamen minus veniebat, ſi quid poſſet certius exploraturus. Si autem talis, ergo & beatus, ex Pſ XXXII. 2.

48. Τὴν ὑπὸ τὴν συκῆν, *ſub ficu*] Unde eum Philippus ſolus nemine conſcio avocaverat. *Sub ficu agere* ſignum tranquilli animi, Michææ IV. 4. & alibi; *vocare eum qui ſub ficu*, eſt amicitiæ, Zach. III. 10. ¶ Εἶδόν σε. *vidi te*] Vidi animum tuum & approbavi, ut Pſal. I. 6. quaſi dicat, *Ne me putes offenſum quod argumentum objeciſti ne Chriſtus crederer.*

49. Ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *Filius Dei*] Idem quod *Meſſias* ex Pſalm. II. Vide quæ ad Matth. XIV. 33. & XXVI. 63. Itaque ſequitur ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραὴλ [*Rex Iſrael*], alter Meſſiæ titulus, Matth. XXI. 5. XXVII. 11, & 42. Marc. XV. 12. Fecit hic Nathanael quod facere Samuel jubetur 1 Sam. XVI. 7. non reſpexit ad ea quæ hominibus magnifica videntur.

51. Πιστεύεις *credis*] Puto recte legi aſſertive: quomodo infra XX. 29. ὅτι ἑώρακάς με, πεπίστευκας [*quia vidiſti me, credidiſti*]. ¶ Μείζω τούτων, *majus his*] Quibus non Iſraelis tantum ſed & Angelorum Rex cognoſcar. ¶ Ὄψεσθε. *videbis*] Puto agi de iis quæ ad majorem fidem in Diſcipulis & per eos aliis excitandam ſpectabant; non ergo de die Judicii.

52. Οὐρανὸν ἀνεῳγότα, *cœlum apertum*] Præparatio ad ἐκστάσεις [*viſiones*], ut diximus ad Matth. III. 16. ¶ Ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. *aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis*] Eſt σύλληψις [*conceptio*], nam ἐπὶ [*ſuper*] proprie refertur ad καταβαίνοντας [*deſcentes*]. *Aſcendere* autem & *deſcendere* miniſterium ſignificat quale Angeli Jeſu exhibuerunt in Paſſione, Reſurrectione, Adſenſu in cœlum. Diximus alibi quæcunque Deo tribuuntur in Veteri Fœdere, eadem in Novo Chriſto tribui. Angeli aſcendentes & deſcendentes Deo miniſtrant, Gen. XXVIII. 12. Quod ibi in ſomnio vidit Iſrael, idem vigilans viſurus dicitur *verus Iſraelita*, quo magis ipſe Jeſu confidat, ſicut Iſrael Deo confiſus eſt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

ERASMUS.

1. *IN Cana Galilæa*] Hieronymus indicat duas eſſe Canas, Majorem juxta Sidonem, & Minorem in tribu Aſer. Ad diſtinctionem igitur alterius additum eſt *Galilææ*, τῆς Γαλιλαίας. Eſt enim in Galilæa Gentium oppidum, quod Hieronymus in Hebraicis Locis teſtatur ætate ſua adhuc exſtitiſſe.

4. *Quid mihi & tibi*] Græce reddidit: nam Latine dicendum erat, *Quid mihi tecum*, τί ἐμοὶ καὶ σοί.

6. *Hydriæ* Græca vox eſt: nam Plautus vocat *aqualem*: quandoquidem & ὑδρία ab *aqua* nomen habet Græcis. ¶ *Metretas binas*] i. Cados: quanquam utraque vox Græca eſt; ſed Latinis uſurpatur *cadus* apud Horatium,

Nardi parvus onyx eliciet cadum!

atque apud Plinium. *Metreta* eſt apud Catonem & Columellam. Eſt autem Cadus ſive Metreta menſura Congiorum decem, ut docet copioſius noſter Budæus lib. 5. De Aſſe, ſi quis forte plura deſiderabit.

8. *Architriclino*] Græca vox eſt: ſignificat eum *qui præfectus eſt apparando convivio*. *Triclinium*, locus tribus conſtratus lectis ad diſcumbendum.

10. *Uſque adhuc*] Ἕως ἄρτι *uſque nunc*, ſive *uſque ad hoc tempus*.

14. *Nummularios ſedentes*] Κερματιστὰς dixit, non τραπεζίτας *menſarios*. Sunt autem κέρματα *minutia æris*: unde *cermatiſtæ*, qui majores nummos minutulis commutant non ſine quæſtu. Qui mos & hodie durat apud Italos.

15. *Et cum feciſſet quaſi flagellum*] *Quaſi* non additur in Græcis cod. καὶ ποιήσας Φραγέλλιον, i. *facto flagello*. Latinam vocem corrupte pronunciavit ex vulgi conſuetudine. ¶ *Oves quoque & boves*] Non eſt *quoque* Græcis, ſed *que*, τά τε πρόβατα *oves*que.

17. *Zelus domus tuæ comedit me*] Exſtat id teſtimonium Pſalmo 69.

19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*] Ἐγερῶ. Græca vox anceps eſt ad id quod eſt *excitare jacentem*, *dormientem* aut *mortuum*, & *excitare ædificium*, h. e. exſtruere: nam & in hunc ſenſum uſurpatum comperimus *excitare* apud Suetonium in Caligula, *Et in indicium victoriæ altiſſimam turrim excitarunt*.

20. *Quadraginta ſex annis*] Quanquam alienius eſt à noſtro inſtituto, tamen admonere viſum eſt, quod ſerio nec ſemel indicat Auguſtinus, hunc numerum reperiri in nomine ADAM ſi Græcis ſcribatur literis Ἀδὰμ, quod geminum Alpha notet 11, Delta IV, My XL. Id commenti, quanquam ab aliis repertum ac proditum eſt, ut ipſe teſtatur, demiror tamen tam gravi viro tantopere arriſiſſe, cum (ne quid aliud dicam) Hieronymus rideat Græcam allegoriam in vocabulis Hebraicis. Fortaſſe nonnihil fuiſſet ſi hiſce literis apud Hebræos hic numerus ſignaretur. Huic ſimillimum eſt quod annotavit quatuor literis quibus ſcribitur ADAM deſignari quatuor plagas, ἀνατολὴν, δύσιν, ἄρκτον, μεσημβρίαν· quod quidem & ante hunc annotavit D. Cyprianus. Sed homo fuit uterque.

24. *Quod ipſe noſſet omnes*] *Omnia* eſt Græce, τὰ πάντα, in nonnullis; in aliis ſecus. Auguſtinus legit *noſſet omnes*.

VATABLUS.

1. *FActa ſunt*] *Fiebant*.

3. *Deficiente vino*] *Ubi defeciſſet vinum*.

4. *Quid mihi & tibi eſt mulier?*] Vel, *Quid eſt mihi quod & tibi ſit mulier?* ſub. *commune*. Aut *Quid eſt mihi tecum commune, ut agendarum me admoneas?* Scio quæ ſunt legationis meæ, & quo tempore agenda.

8. *Haurite*] Vel, *infundite*. ¶ *Architriclino*] i. Præfecto & magiſtro triclinii, ſive trium lectorum: nam olim in lectis accumbebant, erantque illis vice menſarum noſtrarum.

10. *Primum*] Sive, *primo loco*. ¶ *Inebriati fuerint*] Heb. pro, liberaliter & egregie biberint. ¶ *Uſque adhuc*] *Uſque nunc*: vel, *uſque ad hoc tempus*.

11. *Hoc fecit initium ſignorum*] *Hoc primum miraculum fuit quod edidit*. ¶ *Crediderunt*] Vel, *fiduciam collocarunt*.

12. *Poſt hæc*] *Poſt hoc*, Vet.

15. *Oves & boves*] *Boves & oves*, Vet. ¶ *Æs*] Pecuniam minutulam.

16. *Negotiationis*] *Emporii*, vel *mercatûs*.

17. *Zelus domus tuæ*] i. Juſta indignatio pro domo tua: vel ardens ſtudium domus tuæ.

18. *Reſponderunt*] Vel potius, *orſi ſunt*; vel *objecerunt*: ita enim reſpondendi verbo ſæpe utuntur Hebræi. ¶ *Quia hæc facis?*] *Quod iſta facias?*

19. *Solvite*] Imperativum pro futuro more Hebraico: i. Solveris, vel; ſeparabitis hoc corpus ab anima. ¶ *Excitabo*] *Erigam*.

21. *Dicebat*] *Dixerat*.

22. *Reſurrexiſſet*] *Excitatus fuiſſet*. ¶ *Scripturæ*] Sub. *prædictæ reſurrectionem*. ¶ *Quem dixit*] *Quem dixerat*: nempe, *Die tertia reſurgam*.

23. *In nomine ejus*] *In nomen*: i. in eum, Heb.

24. *Non credebat ſemetipſum eis*] Vel, *non fidebat eis*.

CASTALIO.

4. *QUid tum poſtea?*] Ad verbum, *Quid mihi & tibi?* Quæ ſane loquendi ratio aliquando ſic vertenda eſt, *Quid mihi tecum rei eſt?* nonnunquam, ut nos interpretati ſumus, ut 2 Reg. 16. 10. ubi ſic ad verbum legitur, *Quid mihi & vobis, filii Sarviæ, ſi conviciatur?* &c. ubi inepta erit ſententia ſi ſic vertas, *Quid mihi vobiſcum rei eſt, ſi conviciatur?* at ſi ſic, *Quid tum poſtea, ſi conviciatur?* erit apriſſima. Aliquando eſt, *Quid iſtud?* ut 3 Reg. 17. 18.

CLARIUS.

4. *QUid mihi & tibi eſt, mulier?*] Morem hunc Domini & in aliis etiam Euangeliſtis novimus, nolle illum unquam affectu cognationis quicquam agere: idcirco neque *matrem* appellat, cui tamen ſubjectus eſſe tot annis voluit: & ait *nihil ſibi cum illa eſſe*, nimirum in negotio Patris. Nam illud, *Quid mihi & tibi?* Hebraiſmus eſt, cum ſignificatur non placere quod quis dixerit, ſic 2 Sam. 16. 10. *Quid mihi & vobis, filii Sarviæ?* Quod autem ait, *Nondum venit hora mea*, ſic accipe q. d. *Non deerunt ſua tempora declarandi mei*: atque ita interpretando, non erit neceſſe torqueri quo pacto, ſi nondum venerat hora ejus, declaravit ſe tamen; vel quid ſit *venire horam ejus*. Quod vero ita liceat atque adeo neceſſarium ſit interdum interpretari, colligere poſſumus ex aliis Scripturæ locis: ut cum Dominus ait, *Patres veſtri comederunt manna, & mortui ſunt: qui comedit hunc panem, vivet in æternum*; niſi mutes illud *mortui ſunt* alio verbo, non facile quadrabit: nam & nos æque morimur qui hoc pane veſcimur: quod ſi dicas, *Patres veſtri comederunt manna ſed non vixerunt*, hoc eſt, non attulit illud manna vitam æternam, ſicut hic panis quem ego do, pulchre convenit. Similiter & quod Paulus ait, *Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium*, ſi perſtes in verbo *unus*, videbitur juxta prolatam ſimilitudinem unus tantum eſſe ſervandus, & in *uno* illo cogemur philoſophari: ſin pro *uno* dicas *non omnes*, ſic, *non omnes accipiunt bravium*, ſublata erit omnis difficultas: neque enim omnes ſervantur.

20. *Quadraginta & ſex annis*] Colligitur ex Joſepho Templum hoc non fuiſſe illud ſecundum, quod ſub Cyro fuit ædificatum, ſed tertium ab Herode inſtauratum.

22. *Et crediderunt Scripturæ*] Quæ prædixit ejus reſurrectionem; cujus Scripturæ, videlicet Legis & Prophetarum, protulit Dominus teſtimonia Diſcipulis poſt reſurrectionem ſuam.

24. *Non credebat ſe eis*] Judæis videlicet, quorum cordi ſcrutabatur. Quod ſi accipias de iis qui jam crediderant, non ita quadrabit, niſi intelligas, prævidiſſe illum fore, ut non omnes qui credidiſſent, perſtarent in fide: ſed prior ratio magis propria videtur.

ZEGERUS.

1. *ET die tertia*] Ab ingreſſu Domini videlicet in Galilæam. ¶ *In Cana Galilææ*] Cana oppidulum erat. Hæc *Cana major* dicta eſt ad diſtinctionem alterius quæ *minor* appellabatur.

4. *Quid mihi & tibi eſt, mulier?*] h. e. Quid mihi tecum commune eſt? Tanquam ſi dicat, *Certe non à te ſumpſi unde patraturus ſim miraculum, ut tibi hac in parte obſequi jure debeam*. Nihil vetat tamen quo minus & ita accipi poſſit, tanquam ſi dicat, *Hujus rei pro qua deprecaris nec mihi nec tibi cura incumbit*: ſubindicans præpoſtere & intempeſtive illam, utpote matrem, pro miraculo interpellare filium, quod

Digitized by Google

quod alioqui minus erat in pretio habendum ſi aut ultro aut à ſola matre interpellatus præſtitiſſet, magis autem æſtimandum ſi ab his quorum intererat fuiſſet interpellatus. Atque huic ſanæ ſententiæ apte cohæret quod ſubjungitur, ¶ *Nondum venit hora mea*] h. e. Nondum cognitus ſum. Neque enim quiſquam præter Andream & Philippum ſequebatur, neque hi vere ipſum cognoſcebant. Nondum, ergo inquit, innotui præſentibus; nondum ſciunt vinum deeſſe; nondum tempus adeſt edendi quod quæris miraculum: Tunc autem aderit cum hi quibus miraculo opus eſt mei fuerint nacti notitiam, cognoverintque quod talia poſſim præſtare, cumque ipſi me fuerint deprecati.

6. *Metretas binas vel ternas*] *Metreta*, ſi Budæo credimus, *menſura eſt Congiorum decem, ut autor eſt*, inquit, *Dioſcorides his verbis*, ἔστι δὲ ὁ μετρητὴς χοᾶς δέκα. Decem autem Congii LX Sextarios valent, i. Amphoram & quadrantem. Porro Amphora vas eſt teſſeratium intus quoquoverſus pedale. Juxta quam æſtimationem quælibet hydria binas Amphoras cum ſemiſſe, aut quaternas minus uno quadrante continebat. At ſi verum eſt, ut vulgo creditur, unam ex illis eſſe hydriis quæ apud Thongros ſervatur, formam ſere habens fideliæ noſtræ, & colorem cinereum, quam & nos vidimus, & ex iiſdem eſſe quæ apud Coloniam Agrippinam eſt, non amplius iſta capit, ut ferunt, quam quatuor mediocres Pottos, quos vocamus, aut ad ſummum quinque, illa vero circiter ſex aut ſeptem. Ex quo conjicere licet Metretam hanc continuiſſe plus minus quam ternos Pottos, aut paulo amplius quam Geltam noſtram, ut ita docendi gratia loquar.

9. *Architriclinus*] Dicitur præfectus triclinii, ſive diſcumbentium in triclinio; h. e. diſcubitorio, à *tribus lectis* ſic dicto, quod olim convivantes in lectis diſcumbere conſueverint.

12. *Et fratres ejus*] *Fratres* Domini cognati Mariæ vel Joſeph intelliguntur. Sic Abrahæ *frater* dictus eſt Lot, qui filius erat fratris ipſius.

17. *Comedit me*] i. Inflammavit vel accendit.

H. STEPHANUS.

3. Ὑστερήσαντος] *Cum defeciſſet.*

4. Τί ἐμοὶ καὶ σοί;] *Quid mihi tecum eſt negotii?*

9. Κατὰ τὸν καθαρισμὸν] *Juxta ritum purificationis.*

14. Κερματιστὰς] *Nummularios.*

15. Τὸ κέρμα] *Nummulos:* vel, *monetam.*

24. Οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς] *Non committebat ſe fidei ipſorum.* Ad verb. *Non credebat ſe ipſis.*

D R U S I U S.

1. IN *Cana Galilææ*] i. Opido an vico Galilææ? Syrus habet *Cante*, & *medintha*, i. *urbem*, appellat. *Galilææ inferioris*, ἐν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας. Si una tantum erat Cana, cur adjecit τῆς Γαλιλαίας, i. *opido Galilææ?* Nam videtur additum ad differentiam alterius, ut cum legimus *Bethlehem Judææ*, cum alia fuerit in tribu Zabulon, ut dictum eſt. Euſebius De locis, *Cana in tribu Ephraim.* In libro Johaſin Channa & Chapharchanna (per Chaph) & pagus Hananiæ, initium eſt Galilææ inferioris, 57. 2. Joſ. 19. 28. reperio כנה in tribu Aſer, quam Euſebius eandem facit cum hac noſtra. Verba quibus hoc dicit habentur in lib. Locorum, *Cana uſque ad Sidonem major. Eſt quippe & altera minor, ad cujus diſtinctionem major hæc dicitur. Fuit autem Cana in tribu Aſer, ubi Dominus noſter atque Salvator aquam convertit in vinum, Joh. 2. Unde & Nathanael verus Iſraelita Salvatoris teſtimonio comprobatur: & eſt hodie opidum in Galilæa gentium.* Hæc verba in mente habuit Eraſmus cum ita ſcriberet, *Hieronymus indicat duas eſſe Canas, majorem juxta Sidonem, & minorem in tribu Aſer. Ad diſtinctionem igitur alterius additum eſt* τῆς Γαλιλαίας. *Eſt enim in Galilæa gentium opidum, quod Hieron. in Ebraicis Locis teſtatur ætate ſua adhuc exſtitiſſe.* De duplici Cana, majore & minore, atteſtatur etiam Andreas Maſius comment. in Joſuam, Cana major erat in Galilæa Superiore, minor vero in Galilæa Inferiore, in tribu Zabulon. *Minor in tribu Zabulon erat*, inquit Maſius, *ubi DOMINUS aquam in vinum commutavit.* Erat & fluvius ejus nominis, cujus mentio Joſ. 16. 8. qui Ebraice ibi vocatur נחל כנה *torrens*, vel *fluvius, Cana.* Vox ea *cannam* ſive *calamum*, aut etiam *arundinem*, ſignificat. Nam *Cana*, *zelus*, magis in ſono vocis quam in ipſis literis continetur. Siquidem *zelum* קנאה dicitur, quod antiquius legebant קנא, i. *canna.*

4. *Quid mihi & tibi, mulier?*] *Quid mihi tecum rei*, aut *negotii*, eſt? q.d. Nihil: purus putus Ebraiſmus. Joſ. 22. 24. *Quid vobis & DOMINO?* Etiam Helleniſthus eſt: quod probatum ex Anacreonte & Demoſthene, Matth. 8. 29.

6. *Metretas*] Syrus מדרין, i. *quadrantalia:* eodem redit. Nam Quadrantal menſura eſt eadem cum Amphora, quæ & *Cadus*, quam vocem Syrus alibi מדרא reddit, i. *metretam.* Amphora duplex eſt, Attica, Romana. Attica ſuperabat Romanam dimidio, i. urna, ut notavit ad hunc locum Theodorus ex Georgio Agricola. David de Pomis, מדרא *ſaccus magnus.* Sic etiam Munſterus. Videtur eſſe genus ſacci apud Thalmudicos. Nam quod in eorum libris מדרא בסדינא, id in Juchaſin legitur 44. 2. כסקיטא *in ſaccis.* Adhæc autor Lex. Thalmudici exponit מדרא שלישין של פת *quibus fruges ferunt & omnia genera leguminum ſuper dorſa bouum.* Forte hi Sacci tantum continebant quantum Metreta. Fuit ſane tempus cum exiſtimarem etiam in Thalmud *metretæ* hoc nomine ſignificari. Nunc ambigo.

14. *Invenit vendentes*, &c.] Eadem habentur Matth. 21. 12. Sed & Marc. 11. 15. & Luc. 19. 45. Chryſoſtomus in Matth. *Hoc & Johannes ſcribit, ſed ille quidem in principio Euangelii, & Matthæus ad finem: Unde fit veriſimile, bis idem eſſe factum, & diverſis occaſionibus; quod apparet ex ipſis temporibus, & ex ipſa ſcriptione.* Quanti autem fecerit Hieronymus hoc factum Chriſti, diſces ex Comment. ejus in Matth. Vide & Cl. Caſaubonum contra Baron. p. 450.

20. *Quadraginta ſex annis ædificatum eſt templum iſtud*] An. 1°. regni ſui Cyrus edicto ſanxit ut Jeroſol. Templum conſtrueretur, Ezræ 6. 3. anno autem regni Darii ſexto ædificatum fuit, Ezræ 6. 15. Hic Darius Nothus erat medius inter duos Artaxerxes, quem Judæi cum Hyſtaſpis filio confundunt. Igitur ex opinione vulgi & Sapientum ab anno primo Cyri uſque ad ſextum Darii, cujus mentio Ezræ 6. ſunt anni XLVI: quibus ædificatum fuiſſe Templum hic ajunt. Nam ædificatio non ſemel diſturbata fuit. Quod dixi ex hac tabula perſpicuum fiet:

Cyrus ferum potitus eſt annis	XXXI,
Cambyſes ejus F. annis	IX,
Magi duo, menſibus	VII,

qui IX annis Cambyſis annumerantur. Simul efficiunt annos XL. Adde ſex Darii (nam ſexto ædificium abſolutum fuit) ecce anni XLVI de quibus hic ſermo. Alii tribuunt Magis annos II, & Cambyſi VIII, & Cyro XXX: qui anni eundem numerum efficiunt. Quod autem nonnulli reditum Iſraelitarum, h. e. LXX annum captivitatis, ad XXIII Cyri referunt, mirum videtur, cum edictum de Templo exſtruendo ſancitum ſit anno 1. regni ejus, ut liquet ex loco Ezræ ſuperius citato. Forſan error eſt in calculo. Quæramus amplius. Nam ſi redierunt anno 1. Cyri, ut certe redierunt, ſequitur tunc expletum fuiſſe annum LXX captivitatis, ſecundum prophetiam Jeremiæ. Vide Animad. Scaligeri in Chron. Euſebii, qui à primo Cyri ad ſecundum Darii Nothi putat annos CVI. Nos veram ſupputationem ſecuti non ſumus, ſed Judæorum, qui unum duntaxat Darium noverunt; unum, dico, Perſam. Nam alius fuit Darius Medus, cujus Daniel meminit.

23. *Crediderunt in nomine ipſius*] Ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. Sed in fonte, εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, *in nomen ejus.* Hic duo notanda: primum, *in nomine* dici pro *in nomen.* Sic alibi, ἐπίστευσε ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, *non credidit in ſanctis ſuis:* ἐν pro εἰς. Deinde, *in nomine ejus* pro *in eo.* Nam ipſe eſt nomen ſuum, & nomen ejus ipſe eſt. Veteres promiſcue & indifferenter dicebant *credere in Deum*, & *in Deo*, & *credere Deo.* Sic dicebant *eſſe in capite* pro *in caput*, & *eſſe in carne una* pro *in carnem unam.*

CASAUBONUS.

10. ΚΑΙ ὅταν μεθυσθῶσι, τότε τὸν ἐλάσσω] Certum eſt τὸ μεθύειν ex uſu linguæ Hebraicæ non hic *temulentiam* ſed *paulo hilariorem potationem* ſignificare: quod neſcio tamen an ſatis ſit à Nonno obſervatum. Ita enim vertit,

\- - - βαρυνομένων δὲ καρήνων,
Ἄνδρας ἰδὼν μεθύοντας ἐλάσσονα δεύτερον οἶνον
Ὤφελε φέρειν.

Etiam apud Ariſtotelem in libro De Republ. 9. ubi μέθην, ὕπνον & μανικὴν eodem loco ponere videtur, non ebrietas, opinor, illa intelligitur, quæ porcorum eſt, non hominum, ſed cum liberalius paulo, intra modeſtiæ tamen fines, genio indulgetur. Lego autem apud Nonnum,

\- - - οἶνον ἀφύσσων
Κιρνάμενος προτέρηφι.

non κρινόμενος.

GUALT-

GUALTPERIUS.

6. Μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς *metretas binas aut ternas*] Μετρητὴς *Metreta*, ſeu *amphora*. Variant ſcriptores in menſuris liquidis, ut & in aliis. Plerique tamen ſequuntur auctoritatem Philippi Melanchthonis, qui de nominibus menſurarum ſic habet; SEXTARIUS *duas Heminas continet ſeu Cotulas. Et Sextarius* XII *Cyathos continet, in quos eum Romani, tanquam Aſſem in Uncias, diſtribuerunt. Sic accipiendum eſt illud,*

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur.

Nam tot cyathos bibebant in conviviis quæ litera erant in amaſia nomine. Et Suetonius ſcribit Auguſtum ſolitum ſenos Sextantes bibere, i. Sextarium. Nam Sextans duos Cyathos continet, tanquam duas uncias. CONGIUS *ſex Sextarios continet, ſeu* XII *Heminas*, drey Wittemberger Kannen. METRETA (*quæ & Cadus*) X *Congios capit, i. aliquanto minus quam* XXX Kannen. MODIUS XVI *Sextarios continet*, AMPHORA *tres Modios*, MEDIMNUS VI *Modios*, CHOENIX *duos Sextarios.* Apud Syrum paraphraſten habetur, *bina quadrantalia aut terna.* QUADRANTAL *autem eſt octava pars Cadi ſive Modii*, inquit Tremellius. *Apud Hebræos talis fermè eſt menſurarum in liquidis ratio. Ordiuntur à gallina ovo communi.* LOG *ergo* אחד, LOGIUM ſive LAGENA, *capit menſuram ovorum ſex. Hujus menſuræ ſit mentio Levit.* 14. *ubi Latinus interpres per* Sextarium *reddit. Deinde alia dicitur* HIN הין, *quæ menſura continet* XII *Login, h. e. ova* LXXII. BATH *ſive* BATHUS *in vino & oleo ejuſdem omnino menſuræ rationem ſequitur quam* EPHA *in aridis, h. e. tria Sata; quæ ſi ad Log referantur, ſinguli Bathi continent Login* LXXII. COR, *ſive* HOMER, *eodem ſe habet modo quo in aridis. Quod autem in liquidis etiam locum habeat, teſtatur Scriptura* 3 *Reg.* 5. 11. *ubi viginti Coros puriſſimi olei Hiramo Regi Solomonis dono obtuliſſe legimus. Continet igitur, ſi ad Login referas, Login* CCLXX *vel* X *Bathos.* CADUS *vulgaris olim fuit, ſed non admodum præciſa menſura. Æſtimatur autem ea capacitate acſi diceres, Quantum aquæ virginis humerus imponi poſſet ferendum; ſicut ſcriptum eſt*, Ecce Rebecca egrediebatur, habens hydriam in ſcapula ſua. *Hebraice eſt*, Et Cadus ejus in humero ejus. *Vide etiam Jud.* 7. *de militibus Gedeonis. Vaſa autem fictilia fuerunt deſtinata potiſſimum miniſteriis domeſticis. Ita* 1 *Reg.* 18. 33. *legitur*, Implete, *inquit Elias*, quatuor hydrias aqua. *Hebraice*, quatuor Cados. Eadem habet doctiſſ. Joach. Camerarius De menſuris Hebraicis; LOG, *ſeu Sextarius, viceſima pars Sati.* SATUM, *tertia pars Ephi. Decem menſuræ* EPHI *faciunt unum* CORUM. LOG *eſt minima menſura continens ſex ova, quæ ſi multiplices per* XXIV, *habebis menſuram Sati, nempe* CXLIV *ova*, Eyerſchalen voll. SATUM *continet ſex Cabos. In* CABO *ſunt quatuor Login, i.* XXIV *ova. Scribunt præterea quod decem Ephi faciant unum* HOMER; *quæ menſura* CORUS *dicitur Luc.* 16. *Et hæc continet ova* MMMMCCCXX, *eſtque maxima apud Hebræos menſura.* BATUS, *liquidorum menſura, decima pars Homer, continet ova* CCCCXXXII, *ut Ephi in aridis; Sextarios vero* LXXII, *ut teſtatur Joſephus l.* 8. *c.* 2. *Idem Joſephus l.* 15. *c.* 11. *dicit Corum continere Medimnos Atticos* X, *quod magis convenit quam quod idem autor dicit l.* 3. *circa finem, Corum habere Medimnos Atticos* XLI; *quem locum mendoſum eſſe arbitror.* Hæc Camerarius.

8. Φέρετε τῷ ἀρχιτρικλίνῳ, *Offerte architriclino*] Vox Græca compoſita ex κλίνω *recline*, *acclino*, & κλίνομαι *recumbo*, *jaceo.* Κλίνη *lectus*, ex quo τρίκλινος *tribus lectis inſtructum*, & τρικλίνιον *triclinium*, *conclave diſcubitorium tribus lectis inſtructum: ἀρχιτρίκλινος triclinii præfectus*, cui commiſſa eſt cura adornandi convivii. Apud Syrum paraphraſten eſt רישא *Caput regiminis.*

JAC. CAPPELLUS.

4. QUid mihi & tibi] Cardinalis Toletus interpretatur, *Nihil mihi tecum.* Certe reprehendentis formulam hanc apud Hebræos eſſe docent illa Davidis verba 2 Sam. 16. 10. & 19. 22. *Quid mihi & vobis, filii Sarviæ?*

9. *Ut autem guſtavit Architriclinus aquam in vinum converſam*] Erant in conviviis Regum tres minimum præfecti, רב שקרי *ἀρχιοινοχόος præfectus piſtorum*, רב or רב תבשין *ἀρχιμαγείρος præfectus coquorum.* Etiam in conviviis privatorum, ſaltem apud Romanos, tres leguntur itidem præfecti: 1. *Præfectus morum.* Is à Magiſtratu dabatur. 2. *Rex vini.* Is à convivis eligebatur ſorte. Horatius,

Nec regna vini ſortiere talis.

3. *Præfectus pincernarum.* Is eſt ἀρχιτρίκλινος.

LUD. CAPPELLUS.

19. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον] Chriſtus, cum hæc diceret, non Templum lapideum, in quo ipſe cum Judæis erat, ſed ſeipſum digito intento videtur omnino demonſtraſſe: ſicuti cum infra 6. 50. Capernaitis dicebat, Οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων, digito pariter ſeſe demonſtrabat. Sic apud Sophoclem in Oedipo Tyranno, cum exiſtimaret Oedipus Creontis conſilio & ſuggeſtione factum eſſe ut Tireſias Oedipum diceret Laii homicidam, ut hoc prætextu expulſo vel cæſo etiam Oedipo ipſe Regnum ejus invaderet, Oedipus ira percitus in Creontem, ita eum affatur,

Οὗτος σὺ, πῶς δεῦρ' ἦλθες; ἢ τοσόνδ' ἔχεις
Τόλμης πρόσωπον, ὥστε τὰς ἐμὰς σέβας
Ἰκὼ, Φονεὺς ὢν τῆδε τ' ἀνδρὸς ἐμφανὴς,
Λῃστής τ' ἐναργὴς τῆς ἐμῆς τυραννίδος;

Cum enim Oedipus hæc verba τῆδε τ' ἀνδρὸς efferebat, intento digito proculdubio ſeipſum oſtendebat.

20. *Quadraginta ſex annis ædificatum eſt hoc Templum*] Torquent ſe hic Interpretes in iſtorum numero recte ſupputando. Ego ſimpliciter accipio de tempore quo exſtrui ab Herode cœptum erat Templum, à quo (teſte Joſepho) totum eſt ab ipſis fundamentis inſtauratum novumque factum. Cœpit autem opus illud Herodes anno Regni ſui XVIII (computando ſcilicet Regni ipſius annos ab eo tempore quo expugnatis Hieroſolymis & pulſo Antigono Regnum occupavit, non vero ab eo tempore quo à Senatu Rom. Rex fuit declaratus) ac proinde annis ante mortem XVI. nam à depulſo Antigono regnavit annos XXXIV. Chriſtus autem natus eſt ſub finem Regni Herodis, & (uti videtur) paulo ante ejus obitum. Cum autem Chriſto iſta dicerent Judæi, natus erat annos duntaxat XXX. hoc enim contigit paulo poſt Chriſti Baptiſmum, Paſchate nimirum quod proxime ſecutum eſt ipſius Baptiſma. Itaque à primis ab Herode jactis Templi fundamentis ad id momentum quo iſtud Chriſto objiciunt Judæi fluxerunt præciſe anni XLVI. Porro etſi Herodes dicitur à Joſepho annis VIII abſolviſſe Templi ſtructuram, planum eſt tamen ex eodem ſemper aliquid additum & exſtructum ab eo tempore fuiſſe in illo Templo: imo & pluribus poſt annis. Nam Agrippæ demum Junioris tempore, LX circiter poſt Chriſtum natum annis, abſolutum eſt totum Templi ædificium, teſte eodem Joſepho Antiq. l. 20. c. 8. ἤδη δὲ τότε καὶ τὸ ἱερὸν τετέλεστο· βλέπων οὖν ὁ δῆμος ἀργήσαντας τοὺς τεχνίτας, &c. Hoc itaque videntur ſibi voluiſſe hic Judæi, *Jam ab annis quadraginta ſex cœpta eſt ab Herode hujus Templi ſtructura, necdum eſt abſoluta:* vel, *Hoſce quadraginta ſex annos ædificatur quotidie hoc Templum, nondum tamen perfectum & conſummatum eſt, tu vero illud brevi dierum trium ſpatio inſtauratum collapſum?*

GROTIUS.

1. ΤΡίτῃ, *Die tertia*] *Tertia*, poſtquam Simon ad Chriſtum acceſſerat. nam hinc tempora putare jam ſupra cœperat. ¶ Γάμος, *nuptiæ*] Convivium, nuptiale ſcilicet, recte vertit Syrus, ut & ad Matthæum XXII. 2. notatum eſt. ¶ Ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας. *in Cana Galilææ*] Joſephus Vita ſua, διέτριβον δὲ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἐν κώμῃ τῆς Γαλιλαίας, ἡ προσαγορεύεται Κανᾶ [*agebam autem eo tempore in vico Galilææ cui nomen Cana*]. ¶ Ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ ἐκεῖ. *& erat Mater Jeſu ibi*] Mortuo jam Joſepho vidua, ſorte ut ea quæ ad nuptias opus erant jure proximitatis adornaret ut προμνήστρια [*promuba*] vel νυμφαγωγός [*ſponſæ dux*].

2. Ἐκλήθη δὲ καὶ ὁ Ἰησοῦς, *Vocatus eſt autem & Jeſus*] Quia forte non longe aberat. Ita videtur creviſſe convivarum numerus ultra exſpectatum. ¶ Οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, *diſcipuli ejus*] Sectatores illi primo capite nominati.

3. Τ ἐστερήσαντος οἴνου, *deficiente vino*] Cum deficere incipere, eoque infundi parcius. ¶ Οἶνον οὐκ ἔχουσι. *Vinum non habent*] Perſonale pro imperſonali, Deficit vinum.

4. Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ, γύναι; *Quid mihi & tibi mulier*]? Id eſt, *quid negotium mihi exhibes?* Matth. VIII. 29. ¶ Οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου. *nondum venit hora mea*] Ὥρα [*Hora*] eſt καιρός, *tempeſtivum tempus*, ut Auſonius vertit. Sic inf. VII. 20. XII. 1. Tempus autem edendi miraculum erat ubi plane omnibus conſtaret nullum ſupereſſe vinum, ne aqua vino admixta crederetur. Ita

dat intelligi in miraculis beneficium hominibus obiter conferri, præcipuum eſſe ut Dei honos manifeſtetur. Gregorius Nyſſenus putavit addendam huic ſententiæ interrogationem, ut ſenſus ſit, *Nondumne putas venisse tempus vocationis meæ, ut ab te emancipatus Deo soli paream?*

5. Ποιήσατε. *facite*] Ex Angeli dictis aliiſque ſignis, ſorte & ex Filii ſermonibus edocta nihil tam magnum eſſe quod non ab ipſo poſſet exſpectari, fiduciam concipit mater ipſum non deſore ſublevandæ amicorum inopiæ ac verecundiæ. Ideo famulos monet ut quicquid juſſerit Jeſus faciant, quantumvis id inutile videatur. Vide II Reg. v. 13.

6. Τδρίαι λίθιναι ἕξ, *hydriæ lapideæ ſex*] Non in quibus edentes lavarentur, ſed unde deprompta aqua vaſis minoribus adferretur ad purgandas ſubinde non manus tantum ſed & calices. Vide Marc. VII. 4. *Lacus* vocat Sedulius non male. Apud Hebræos כוד, quod *vas ſinuum* alibi ſignificat, vertitur ὑδρία [*hydria*], II Regum II. 20. Apud Plutarchum nominatur ὑδρία ἑξάγιος [*hydria ſex congiorum*] in Solone. ¶ Κατὰ τὸν καθαρισμόν, *ſecundum purificationem*] Κατὰ [*ſecundum*] non raro valet εἰς [*ad*], & ita hic Syrus accepit. ¶ Τῶν Ἰουδαίων, *Judæorum*] Hoc addit quia Chriſtianis ſcribit, quorum multi ex Gentibus vocati. Intellige autem Judæorum præcipuos ac plurimos Legiſperitos & Phariſæos. ¶ Μετρητὰς, *metretas*] בתים [*batos*], ut apparet II Par. IV. 5. ¶ Δύο ἢ τρεῖς, *binas vel ternas*] Religioſorum eſt teſtium nihil nimium definite loqui.

7. Γεμίσατε, *Implete*] Quia crebris lotionibus depletæ erant. ¶ ὕδατος, *aquæ*] Nullo alio liquore admixto, ut miraculo plena ides conſtaret. Ita in ipſis hydriis, non in poculis facta metatio.

8. Ἀντλήσατε νῦν, *haurite nunc*] *Defundite in pocula.* ¶ Τῷ ἀρχιτρικλίνῳ, *architriclino*] Τῷ ἐπὶ τρ, *Curatori convivii.* Male Syrus & alii quidam *Principem convivæ* interpretantur. Erat hujus, nunc huc nunc illuc diſcurrere, præguſtare cibos ac vina. Quare judicium hujus auctoritatem habet, ut & ſobrii & periti.

9. Τὸ ὕδωρ, *aquam*] Vide quæ ad Matth. XXVI. 6. ¶ Οἱ δὲ διάκονοι, *miniſtri autem*] Hæc vim habent παρενθέσεως [*interjectæ ſermonis*]. ¶ Φωνεῖ τὸν νυμφίον, *vocat ſponſum*] *Accedens compellat dominum convivii.*

10. Πᾶς ἄνθρωπος, *omnis homo*] Ferme ita fit. Univerſalis locutio pro τῷ ἐπὶ πολύ [*eo quod plerunque accidit*]. ¶ Ὅταν μεθυσθῶσι, *cum inebriati fuerint*] *Ubi adhiberim convivia.* Sic & Hebræorum שכר ſumitur, & Græcum μεθύειν, quod *à ſacrificiis* deductum alibi notavimus. ¶ Ἐλάσσω· *deterius*] *Minus nobile vinum.* ¶ Σὺ τετήρηκας, *tu autem ſervaſti*] Sic exiſtimabat, donec conſentiente miniſtrorum teſtimonio pateſactum eſt miraculum.

11. Τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων, *initium ſignorum*] Nam ante auſpicationem muneris ſupervacua fuiſſent. Cæteri Euangeliſtæ ſatis habuerunt ab iis incipere quæ coram plebe facta ſunt poſt Johannem Baptiſtam carceri datum: Nam, quamvis aliquot omiſſis, ſatis magna erat copia. Et hic ipſe noſter cum prætermiſſa collegerit, plurima tamen à ſe quoque miracula prætermiſſa infra teſtabitur. ¶ Ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, *in Cana Galilææ*] Deeſt articulus, τὸ ἐν Κανᾷ, *Hoc in Cana primum fuit miraculorum.* ¶ Τὴν δόξαν αὐτοῦ. *gloriam ſuam*] *Majeſtatem ſuam*, unde Chriſtus agnoſceretur, tanto Moſe major, qui ſitientibus aquam præſtitit, quanto vinum aqua eſt potius. Et ex aqua vinum faciens oſtendit ſe & hujus & iſtius creaturæ Dominum. ¶ Ἐπίστευσαν, *crediderunt*] *Credidiſſe* dicuntur qui firmius credunt.

12. Κατέβη εἰς Καπερναοὺμ, *deſcendit Capernaum*] In oppidum celebrius: qualia loca eligi à Prophetis ſolebant. ¶ Καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, *& mater ejus & fratres ejus*] Videntur mater & conſanguinei Jeſum quaſi à ſe abeuntem proſecuti. Nam Nazareti habitabant. ¶ Οὐ πολλὰς ἡμέρας, *non multis diebus*] Urgente, ut ſequitur, Paſchate.

13. Τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων, *Paſcha Judæorum*] Diximus ſupra Johannen ſcribere Eccleſiis quæ maxima parte ex Gentibus collectæ erant. Celebrabant quidem & illæ memoriam Reſurrectionis Dominicæ, cui nomen dabant *Paſchatis*, ut ex egregia Irenæi ad Victorem epiſtola apparet, ſed non utique more Judæorum. Sic & infra VI. 4. ¶ Ἀνέβη εἰς Ἱεροσόλυμα, *aſcendit Hieroſolyma*] Ex Legis præſcripto. Vide Luc. II. 41.

14. Εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ τοὺς πωλοῦντας, *invenit in templo vendentes*] Jeſus cum veniſſet ad ſacra emendanda, bis conſpicuo ſigno teſtatum hoc fecit, Templum, velut ſacrorum ſedem, purgando, circa initium & circa clauſulam ſui muneris, ut in quo inceperat in eo ſe deſinere oſtenderet. Poſteriorem hiſtoriam alii tradiderunt; priorem Johannes, ideo quod ex occaſione Chriſtus verba fecerat de Templi deſtructione: quæ ipſa verba cum pro crimine ipſi objecta ſint, non parum faciebant ad illuſtrandam Paſſionis hiſtoriam. Vide Matth. XXVI. 61. XXVII. 40. ¶ Τοὺς πωλοῦντας, *vendentes*] Explicavimus ad Matth. XXI. 12.

15. Φραγέλλιον, *flagellum*] Habet hanc vocem & Syrus. Sic Φραγελλώσας [*cum flagellaſſet*], Matth. XXVII. 26. ¶ Ἐκ σχοινίων, *de funiculis*] Quæ facta ibi repererat. Tacite innuit Scriptor ejectionem factam non tenui flagello, ſed Majeſtate Divina, flagello iræ tantum Divinæ ſignum ſuſtinente. ¶ Πάντας, *omnes*] Ipſos nundinatores. Vide Matthæum: Ne quis illud πάντας [*omnes*] ad ſequentia tantum referat: ideo Syrus recte copulam interjecit.

16. Τοὺς περιστερὰς πωλοῦσιν, *qui columbas vendebant*] Quæ incluſæ non perinde ejici poterant, ſed amovendæ erant. ¶ Τὸν οἶκον τοῦ Πατρός μου, *domum Patris mei*] Oſtendit ſe verſari in loco ſuo, ut filii ſolent in fundis paternis. Vide Luc. II. 49. ¶ Οἶκον ἐμπορίου. *domum negotiationis*] Mos recte caſtigantium eſt lenibus primum verbis agere; ſi contumacia occurrat, durioribus. Vide quæ notavimus ad Matth. XVIII, 15. Ideo hic dicit οἶκον ἐμπορίου [*domum negotiationis*], in poſteriore ejectione οἶκον λῃστῶν [*domum latronum*]· hic quæſtum notat, ibi quæſtus in ſacro loco indignitatem efficacius exprimit. Vide quæ ad dictum Matthæi locum.

17. Ἐμνήσθησαν δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, *Recordati ſunt vero diſcipuli ejus*] Locum celebrem Pſalmorum & cantari vulgo ſolitum in memoriam ſibi revocarunt. Nam conſtabat ſub Davidis perſona Meſſiam ibi deſcribi. ¶ Ζῆλος, *zelus*] *Ardens amor.* ¶ Κατεφάγεται. *comedit*] Dictum ut illud,

- - - Eſt cura medullas.

18. Ἀπεκρίθησαν, *Reſponderunt*] Diximus alibi ענה [*reſpondere*] Hebræum, ut & Græcum ἀποκρίνεσθαι, & apud Homerum ἀπαμείβεσθαι, ſæpe dici de eo qui prior loquitur. ¶ Τί σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν ὅτι ταῦτα ποιεῖς; *quod ſignum oſtendis nobis, quia hoc facis?*] In locis publicis tollere vitioſa nullius eſt niſi aut publicæ poteſtatis aut Divinæ. Hæc commercia tolerabat Synedrium, tolerabant Sacerdotes. Reſtabat ergo ut Prophetam ſe Jeſus profiteretur. At Prophetæ ſe tales oſtendere debebant aut prædictionibus aut oſtentis. Vide I Corint. I. 22.

19. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, *Solvite templum hoc*] Malignos obſcure alloquitur. Nam ſi probo fuiſſent animo, in ipſo hoc facto miraculum agnoviſſent, quod homo unus nullis inſtructus humanis viribus tantam turbam imperio ſuo cedere coegiſſet, ſola turpis facti conſcientia & Divinæ iræ ſenſu permotos. Stultos homines ſolemus ad operis finem rejicere. Sic Chriſtus, quanquam liberalis miraculorum, ad maximum miraculum & complementum, reſurrectionem ſcilicet ſuam, frequenter reſpontatores rejicit. In Templo credebatur vis aliqua eſſe Divini Numinis. Sic Solomon apud Joſephum orat: *μοῖράν τινα τῦ θείυ πνεύματος εἰς τὸν ναὸν ἀποπέμψαι* [*partem aliquam Divini Spiritus in templum habitatum mittere*], libr. VIII. 2. Hinc ſimilitudine ſumpta Chriſtiani, quibus Dei Spiritus contigerat, *Templum Dei* dicuntur, I Cor. III. 16. VI. 19. II Cor. VI. 16. Quanto magis ergo hoc nomen humanæ Chriſti naturæ competit, in quo non per figuras ſed plene ac ſolide, σωματικῶς [*corporaliter*], Divinitas non temporarium ſed perpetuum ſibi domicilium delegerat? Coloſſ. II. 9. Rabbi Moſes Gerundenſis: קדש קדשים הוא משיח מקודש מבני דוד *Sanctuarium ſanctuariorum eſt ipſe Meſſias ſanctificatus de filiis David.* Sunt autem verba Chriſti talia ut & de Templo poſſint intelligi: nam λύειν [*ſolvere*] etiam *deſtruere* eſt, II Petr. III. 10, 12. I Joh. III. 8. Imperativus autem poſitus hic eſt pro potentiali, *Deſtruite*, i. Si deſtruatis: ut,

Pone Tigellinum, - - -

Id eſt, ſi ponas. ¶ Ἐν τρισὶν ἡμέραις, *in tribus diebus*] *Intra diem tertium.* ¶ Ἐγερῶ, *excitabo*] Ex hoc ambiguum: nam & de ædificiis dicitur *excitare.* Sic in Græco epigrammate,

- - - Δώματα πολλ' ἀνεγείρειν.
[*- - - Domos dare ſurgere multas.*]

Significanter autem dixit ἐγερῶ [*excitabo*]: ego ipſe vi Divina.

20. Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν, *quadraginta & ſex annis*] Diximus ad Matth. XXIV. 1. Herodis Magni ſubſtructionem non effeciſſe aliud Templum ſed auxiſſe: neque enim dirutum fuit. Itaque ſemper Judæi *Templum ſecundum* vocant à Zorobabele ad Excidium Titi. Largius autem putant tempora ædi-

ædificationis ſub Perſarum Regibus, compreſſenſis etiam annis quibus interruptum opus fuerat, quo majorem Jeſu invidiam faciant.

21. Ἔλεγε, *dicebat*] *Hoc præcipue innuebat.* ¶ Περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ. *de templo corporis ſui*] Genitivus ἐξηγητικὸς [*explicativus*], ſicut *fontem Timavi* dicimus, & alia multa, vice appoſitionis.

22. Ὅτε οὖν ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν, *cum ergo reſurrexiſſet à mortuis*] Cum non eventu tantum ſed & Divina illuſtratione coperunt Scripturas intelligere. Vide quæ ad Lucam XXIV. 45. ¶ Ἐπίστευσαν, *crediderunt*] Cum intellectu ſcilicet. ¶ Τῇ γραφῇ, *Scripturæ*] Eſaiæ, ut qui prædixerat vitam Meſſiæ gloriſam poſtquam ſe in mortem pro peccatoribus dediſſet: quod ipſum innuit Pſalm. XVI. ſumtus κατὰ τὴν ὑπόνοιαν [*ſecundùm ſenſum occultiorem*].

23. Ἐν τῇ ἑορτῇ, *in die feſto*] Quid ſit ἑορτὴ [*dies feſtus*] diximus Matth. XXVI. 5. ¶ Ἐπίστευσαν, *crediderunt*] Θεωρητικῶς [*contemplative*], οὐ πρακτικῶς [*non activè*], intellectu convicto, non etiam flexa ad obſequium voluntate; quod additamentum fidem efficit vivam. Vide Actor. VIII. 13.

24. Οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς, *non credebat ſemetipſum eis*] Alluſio mutata ſignificatione vocabuli, qualis Matt. VIII. 22. *Non committit ſe eorum fidei* quotidiano convictu, ſed rediit in Galilæam, quia opportunum mortis tempus nondum advenerat. Videbat eos non ita affectos ut quicquam aut periculi aut ignominiæ ſuæ cauſa ſubire vellent: quia cognitio illa non habebat ſubſtructum ſibi animum amantem veræ pietatis. Et jam tempus periculorum ingruebat. Ideo capite ſequenti narratur noctu aditus. ¶ Γινώσκειν πάντας, *quod noſſet omnes*] Et malos, & non ſatis bonos.

25. Ἵνα τὶς μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ ἀνθρώπου· *ut quis teſtimonium perhiberet de homine*] Ut quis ſemet dictis vel factis proderet: ὁ ἄνθρωπος [*homo*] hic eſt *homo quivis*: de quo loquendi genere notatum alibi. ¶ Τί ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. *quid eſſet in homine*] In cordis intimo: quod Dei proprium, Pſ. XXXIII. 15. 1 Reg. VIII. 39. & alibi.

DE HYDRIARUM SEX CAPACITATE DISSERTATIO:

IN QUA

Menſuræ quædam veteres cum noſtratibus hic Francofordiæ ad Oderam exactè conferuntur.

MATTHÆO HOSTO Autore.

I. DE HYDRIA.

Ὑδρία vox Græca eſt: & ab ὕδωρ, h. e. *aqua*, nomen accepit.

2. Eſt autem vocabulum commune πολύσημον· quod multis modis accipitur, multaque in genere ſignificat.

3. Primum erat vas aquarium incertæ fere quantitatis capacitatiſque; aquæ hauriendæ, excipiendæ accommodatum.

4. Ὑδρία Latine redditur *ſitula*, *urceus*, *urna*: & apud Plautum dicitur *aqualis*: unde M. Varro lib. 4. De ling. Lat. repetit.

5. Cicero in Verrinis actionibus hac voce tanquam trita, ut quæ in Latinam coloniam jam tranſiiſſet, utitur.

6. Quod in Hebræo eſt כד, id Lxx. reddunt ὑδρίαν, quos V. interpres Lat. ſequitur, Gen. 24. Jud. 7. 3 Reg. 7. 17, & 18. Eccl. 12.

7. כד aliqui derivant à verbo דלה, quod Hebræis *capit*, *comprehendit*, *capax fuit*, ſignificat. Alii vero à verbo כדד deducunt; quod ſignificat *rutilavit*, *inſtar ardentis tædæ candit*. Interpretantur enim *vas quo carbones*, *tiziones*, *tædaque ardentes olim geſtabantur*, Jud. 7. Job. 41.

8. Ab hac voce Hebræa כד eſt terminatio Græca κάδος, & Latine dicitur *Cadus*.

9. Eſt autem Cadus, præter alia ſignificata, certa rerum liquidarum menſura, apud veteres uſitata: ut olei Lucæ 16. de qua alibi pluribus agetur.

10. Hydria varias admittit diviſiones: Primum enim, ratione materiæ unde fiebat, alia erat fictilis & fragilis, quippe facta è luto à figulo: quales erant cadi, h. e. hydriæ Gedeonis, Judic. 7.

11. Joſeph. l. 5. Ἀρχαιολ. de eadem re loquens reddit ἀμφορέας, h. e. *amphoras*.

12. Alia hydria eſt argentea apud Ciceronem in 4 Verrina; alia aurea, 3 Reg. 7. alia lapidea: quales ſunt ſex hydriæ Joan. 2.

13. Deinde ab uſu & objectis hydria eſt aut ſacra, utpotè uſui ſacro deſtinata, 3 Reg. 7, & 18. Joh. 2. aut profana, cujus in rebus profanis uſus erat.

14. Hydria profana rurſus duplex erat: alia privata; alia publica. Ac de privata quidem eſt Gen. 24. 3 Reg. 17. Eccl. 12. Joh. 4.

15. Apud Athenæum eſt lib. 11. *Quidam Nomades in Libya nihil poſſident aliud niſi calicem & macharam & hydriam.*

16. Publica vero hydria Athenis erat urna judiciaria: in quam in publicis judiciis conjiciebantur calculi & ſortes eorum quibus ſententias ſuas declarabant, apud Xenoph. lib. 1. Prætermiſſor. apud Iſocratem & Ariſtophanem.

17. Adhæc Hydria ex relatione, ratione quantitatis, alia erat magna, alia parva ſeu mediocris.

18. Hydriam pro vaſe & majoris & minoris, nunc certæ nunc incertæ capacitatis, apud veteres olim in uſu fuiſſe, probatorum autorum teſtimonia ſatis abunde confirmant.

19. Fuit autem vas nunc aquarium, ut ex allatis teſtimoniis conſtat; nunc vinarium, ut Julius Pollux lib. 10. teſtatur: & hydria farinæ fuit Sareptanæ illius viduæ, de qua eſt 3 Reg. 17.

20. De hydriis mediocribus incertæ capacitatis intelligi debet locus Gen. 24. 3 Reg. 17, & 18. Eccl. 12. Joh. 4.

21. Grandes hydrias habet Cicero in Verrinis actionibus; quales & hæ ſunt Joh. 2.

Digitized by Google

22. Apud Ponticos, quippe Ponti Euxini accolas, hydria certæ fuit capacitatis nimirum decem ſextariorum Alexandrinorum, ut Epiphanius ſcribit: & ad mediocres referenda eſt.

23. Sextarius Alexandrinus capacior fuit ſextario & Græco & Romano, ut alibi à me declaratur.

24. Τ'δρία ab ὑδρεία per diphthongum ει in media ſyllaba differt apud Ariſtophanis interpretem. Nam ὑδρία quidem, de qua hic nunc agitur, erat ἀγγεῖον, h. e. *vas*, quippe aquarium.

25. Τ'δρεῖα vero illi eſt τὸ ὑδρεύεσθαι, h. e. *aquatio*, ut Cæſar vocat, ſeu *aquari*; quod reperit Suidas.

26. Ab ὑδρία eſt & ἐφυδρία, ut Julius Pollux lib. 10. ex Ariſtophane adfert;

Ἐφυδρίαν δανείζειν πεντέχουν ἢ μείζονα,

h. e. *Ephydriam mutuo dare quinque congiorum capacem, aut majorem.*

27. Plutarchus in Solone habet ὑδρίαν ἑξάχουν, h. e. *ſex congiorum capacem:* quæ metretæ Attici, qui duodecim congiorum capax fuit, dimidia pars eſt. Sic enim eſt quoque apud Heſychium, Τ'δρία μέτρόν τι Ἀττικὸν, μετρητοῦ ἥμισυ, h. e. *Hydria menſura quædam eſt Attica, metretæ dimidia pars.*

28. Exſtat ibidem Solonis lex de jure putei: *Si quis puteo, in ſuo fundo decem orgyias effoſſo, aquam non invenerit, is tum licere à ſuo vicino petere & accipere hydriam ſex congiorum capacem: eamque bis quotidie implere.*

29. Ὀργυιὰ, *orgyia*, ut id obiter admoneam & explicem, eſt menſura Græca intervallorum, ſex pedes longa: quæ facit cubitos quatuor (ein Klafftet) ut teſtatur Herodotus lib. 2. cum inquit, ἑξαπόδου μὲν τῆς ὀργυιῆς μετρεομένης καὶ τετραπήχεος, h. e. *ut orgyiam quidem pedibus ſenis & cubitis quaternis metiaris.*

30. Decem orgyiæ faciunt pedes Græcos ſexaginta, perticas Francofordianas, quibus agros, vineas, hortos, prata & alios fundos metiuntur, quatuor, & præterea duos pedes cum quadrante: vulgo vocant Ruten.

31. Sex congii Attici faciunt ſextarios Atticos quidem 36 (congius enim Atticus ſex ſextariorum capax eſt) Romanos vero 32 cum duabus quintis partibus.

32. Sextarius Græcus duabus unciis menſuralibus minor eſt ſextario Romano, quod ut hic 20, ita Atticus 18 tantum unciarum capax ſit.

33. Noſtratis vero menſuræ hic Francofordiæ ad Oderam ſex congii Attici faciunt noſtellas triginta duas, cum duabus quintis partibus, quartas ſedecim.

34. Ab hydria ſunt appellati ὑδροφόροι μέτοικοι, h. e. *inquilini & advenæ Athenis*, teſte Heſychio, *quod eſſent bajuli, & hydrias in feriis ſolennibus portare, & aquam ſubminiſtrare cogerentur.*

35. Julius Pollux lib. 3. hac de re ſic ait, ἄτιμοι δὲ (σκαφηφόροι) μετοίκους ὠνόμαζον, καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν ὑδριαφόρους, ἀπὸ ἔργου ἑκατέρους, h. e. *Sic autem (ſcapharum bajulos) inquilinos appellabant, & eorum uxores hydrias portantes, ab opere utroſque & officio.* Suidas idem repetit, ſed paulo aliter, ex Demetrio.

36. Ortum autem eſſe videtur ex hiſtoria ſacra. Gabaonitæ enim terræ promiſſæ incolæ, poſtquam Hebræos ſua calliditate circumveniſſent, &, ut ſervos apud eos eſſe ipſis liceret, jurejurando aſtrinxiſſent; facti ſunt ὑδροφόροι & ξυλοφόροι, ut LXX transferunt Joſ. 9, & 10. h. e. lixæ & calones, qui aquas & ligna ferrent, & ad ſacrificiorum uſum ſubminiſtrarent.

37. Porro hydriæ apud Johannem lapideæ longe majores & capaciores fuerunt quam ſunt illi aquales de quibus hactenus dictum eſt, ut ex Euangeliſtæ textu manifeſto conſtat.

38. Et hæ non tam à forma quam à contento & uſu, quod aquam continerent, *Hydriæ* dictæ fuerunt.

39. A materia, unde conſtant, vocantur λιθίναι, h. e. *lapideæ*, quod è lapide ſeu ſaxo fuerint excisæ ac factæ, ut eſſent firmiores, durabiliores, & injuriæ minus expoſitæ. Et apud Athenæum lib. 13. mentio fit hydriæ lapideæ.

40. A ſitu dicuntur κείμεναι, h. e. *ſitæ*, *poſitæ*, ſeu *locatæ*: quippe loco non temere mobiles, ſed quodammodo fixæ.

41. Hæc à ſitu circumſtantia harum magnitudinem, capacitatem & gravitatem arguit.

42. Eo quoque facit argumentum ab uſu ſeu à fine: quod eſſent poſitæ κατὰ καθαρισμὸν, h. e. *ſecundum purificationem*, ſeu *ſecundum ritum purificationis*: vel, κατὰ præpoſitione pro εἰς poſita, *in*, ſeu *ad*, *purificationem* Judæorum.

43. Erant quippe vaſa aquaria grandiora, nimirum labra, *ſolia*, ut doctiores vocant, *vanni*, ut eſt apud Columellam, Bade wannen: in quibus Judæi vel ſedentes lavabant, ſeſe immergebant ac mundabant, ſi ſe contra legem Moſe vel conſuetudinem pollutos eſſe ſentirent; vel manus certatim πυγμῇ abluebant cibum ſumpturi, Marci 3.

44. Quare hæ hydriæ Euangelicæ & ſacræ ab illis hydriis & aqualibus profanis differunt cauſis: quippe materia, forma, capacitate, gravitate, fine & uſu.

45. In his ſex hydriis lapideis Jeſus Nazarenus, Mariæ filius, qui eſt Meſſias, h. e. Chriſtus, orbi terrarum Salvator promiſſus, & tandem exhibitus, in nuptiis in Cana Galilææ una cum matre & diſcipulis conviva, aquam in vinum convertit, & primum ſuorum ſignorum & miraculorum ſpecimen edidit.

46. Ut autem certo intelligatur quam liberale hoc nuptiale munus Jeſu Chriſti fuerit, hydriarum capacitas explicanda eſt.

47. Hæc vero capacitas ſatis commode certoque ex metretæ, qua menſura Euangeliſta hic utitur, notitia inveſtigari certoque demonſtrari poteſt.

DE METRETE.

48. Μετρητὴς apud Græcos à *metiendo* dicitur: derivatur enim à verbo μετρεῖσθαι.

49. Et eſt certa apud Græcos menſura liquorum, ut olei, vini, aquæ.

50. Μετρητὴς à Catone & Columella terminatione Latina *metreta* quoque dicitur; quemadmodum à ποιητὴς *poeta*, à κομήτης *cometa*, formatur.

51. Etſi autem μετρητὴς generis ſit maſculini, juxta naturam nominum verbalium primæ declinationis apud Græcos, ut κομήτης *cometa*; Lat. tamen interpres in ſexu femineo contra regulam eſt uſus, cum inquit, *Capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.*

52. Et Cato De re ruſtica cap. 100. & Jureconſultus l. 35. ff. de contrah. empt. in feminino genere utuntur. Sic quoque apud Plautum eſt in Mercatore, *Navis, quæ metretas trecentas tolleret.*

53. Μετρητὴς eſt multiplex: Primum enim ratione regionis, gentis ſeu nationis, alius eſt Græcus, alius Italicus, alius externus apud G. Agricolam. Sed aliis omiſſis ſpeciebus de Græco tantum hic nobis agendum eſt.

54. Hic Græcus μετρητὴς rurſus differt ratione regionis ac populi. Alius enim eſt Atticus, alius Laconicus: quippe à regione & populo ſic dictus.

55. Μετρητὴς Atticus à Rhemnio Fannio dicitur *amphora Attica*, & *Cadus*: & continet χόας, h. e. *congios* Atticos 12. ſextarios Atticos 72. cotylas 144.

56. Hi ſextarii Attici 72 faciunt ſextarios Romanos ſexaginta quatuor cum quatuor quintis partibus. Id verum eſſe, ſupputatio ipſa ſatis perſpicue demonſtrat. Nam ſi ſextarios 72 Atticos metretæ Attici per octodecim, quot unciis menſuralibus hic ſextarius conſtat, multiplicaveris, 1296 prodibunt; quæ ſi rurſus per viginti, quot unciis menſuralibus ſextarius Romanus completur, diviſeris, in diviſorio erunt 64 cum quatuor quintis partibus: qui eſt numerus ſextariorum Romanorum.

57. Hic metretes Atticus, vini plenus, pendet libras Romanas quidem duodecim unciarum ponderalium centum, Zygoſtaticas vero, ſedecim unciarum, ſeptuaginta quinque.

58. Hi ſextarii Romani faciunt totidem, quippe 64 cum quatuor quintis, noſtellas hic Francofordiæ ad Oderam: ex quibus conficiuntur quartæ triginta duæ, Stufæ, Stubichen! octo, quibus addantur quatuor quintæ partes ſextarii.

59. Porro metreten Atticum hic accipiendum eſſe cenſeo: & duabus potiſſimum cauſis moveor: priore quidem, quod hic metretes Johanni Euangeliſtæ non ignotus eſſe potuerit, quippe qui ſuum Euangelium conſcripſerit Græce, ab Aſiæ Epiſcopis exoratus. Idipſum autem edidit Epheſi, quæ eſt urbs Græca Jonica in minore Aſia, ut Herod. lib. 1. teſtatur.

60. Poſterior vero ratio eſt, quod hic idem μετρητὴς Atticus cum batho Hebraico prorſus conveniat; eidemque capacitate par ſit, ut alibi à me copioſius explicatur.

61. Hæc autem menſura Hebræa Johanni Euangeliſtæ, utpote Judæo & in Judæa perpetuo verſato, notiſſima fuit.

62. Quod ſi itaque ſingulæ hydriæ binas metretas ceperint, ut Euangeliſta ſcribit, una hydria capax fuit ſextariorum Atticorum quidem 144, Romanorum vero 129 cum tribus quintis

tis partibus. Qui faciunt menſuræ Francofordianæ totidem noſſellas: quippe 129 cum tribus quintis.

63. Sex vero hydriæ hac ratione efficiunt metretas duodecim, amphoras Romanas ſedecim cum ſextariis Romanis novem & tribus quintis partibus.

64. Francofordianæ menſuræ facit noſſellas 777 cum tribus quintis, quartas 388 cum ſemiſſe, ſtufas 97 & noſſellam unam cum tribus quintis. Hæ noſſellæ, quartæ & ſtufæ faciunt tonnas Francofordianas tres, & reſtant quartæ 58 cum ſemiſſe.

65. Tonna Francofordiana juſta cereviſiaria, cui tonna Bernaviana par eſt, continet noſſellas Francofordianas 220. quartas 110. quot libras Zygoſtaticas ſedecim unciarum ponderalium lapis centenarius hic Francofordiæ continet.

66. Menſuræ vero Romanæ eadem tonna complectitur amphoras Romanas quatuor, & præterea urnam cum quatuor ſextariis Romanis.

67. Sin vero ſingulæ hydriæ ternas metretas ceperint; una hydria capax fuit ſextariorum Atticorum quidem 216, Romanorum vero 194 cum duabus quintis: qui totidem noſſellas Francofordianas faciunt.

68. Facit amphoras Romanas quatuor, & præterea ſextarios duos cum duabus quintis; ſtufas Francofordianas viginti duas cum ſex noſſellis.

69. Sex vero Hydriæ, ternarum metretarum capaces, hac ratione ſimul faciunt metretas octodecim, totidemque bathos Hebraicos, cum ſint menſuræ pares.

70. Et facit libras Romanas ponderales 1800, Zygoſtaticas vero 1350.

71. Romanæ vero menſuræ facit amphoras viginti quatuor & quatuordecim ſextarios cum duabus quintis.

72. Menſuræ Francofordianæ noſſellas 1166 cum duabus quintis; quartas 583, ſtufas 145. cum tribus quartis, & duabus noſſellæ partibus.

73. Inde conficiuntur tonnæ Francofordianæ quinque, & reſtant quartæ 33 cum duabus quintis noſſellæ partibus.

74. Hæc vera & certa eſſe, tum gravillimorum veterum autorum in tribus præcipuis linguis mirus conſenſus, tum vero accurata ac diligens cum noſtratibus menſuris & vaſis hodie uſitatis collatio, perſpicue demonſtrat.

75. Hinc perſpicue profecto conſtat, hoc Jeſu Chriſti, nuptialis convivæ, munus nuptiale ſatis ſuiſſe liberale: ut quo non ſolum novos conjuges honorare, eorumque inopiam ſublevare, ſed etiam multo magis futuræ neceſſitati proſpicere & conſulere voluerit; ne, ſi mox à nuptiis nihil aliud niſi meram inopiam & paupertatem ſibi ſupereſſe viderent, animum ſtatim deſponderent.

76. Minime vero putandum eſt, tantam vini copiam in hunc uſum νεογάμους, h. e. *novis conjugibus*, à Jeſu Salvatore donatam eſſe ut convivæ ſeſe vino immodice ingurgitarent, & id vinum totum in nuptiis abſumerent; ſed potius ut ipſi νεόγαμοι in uſus neceſſarios reſervarent; unde vitam in poſterum ſuſtentarent.

77. Cauſam finalem, uſum & fructum hujus hiſtoriæ & miraculi duplicem Euangeliſta ipſe indicat, cum inquit, *καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ*, h. e. *& manifeſtavit gloriam ſuam: & crediderunt in eum diſcipuli ejus.*

78. Hic enim verus & præcipuus finis & uſus miraculi hujus erat: Primum ut ex aqua in vinum converſa Diſcipuli cognoſcerent certoque ſtatuerent, hunc Jeſum Nazarenum eſſe verum Deum, & verum illum Meſſiam, h. e. Chriſtum jam olim quidem Judæis per Prophetas promiſſum, jam vero, poſtquam temporis plenitudo venit, mundo certo exhibitum Salvatorem.

79. Deinde ut hoc miraculo moniti in ipſum crederent, eum reciperent, ut ipſorum fides confirmaretur: ne de ejus doctrina amplius dubitarent; & ſuæ ſalutis vitæque æternæ certiores redderentur.

80. Chriſtus ipſe Matth. 11. Luc. 7. Johannis diſcipulos ad ſe miſſos monet, ne ſua vilitate & humilitate offendantur: ſed à ſua ſpecie externa contempta avocatos ad ſua ipſius opera remittit, & miracula, quæ ſunt ejus actus proprii & nativi, intueri jubet, cum inquit, *Et reſpondens Jeſus ait illis, Euntes renunciate Johanni quæ auditis & videtis: Cæci vident; claudi ambulant; leproſi mundantur; ſurdi audiunt; mortui reſurgunt; pauperes euangelizantur. Et beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me.*

81. Hæc autem omnia prædicta ſunt, & copioſius referuntur apud Eſaiam Prophetam c. 35, & 61.

82. Vult ſane Deus ex ſuis actibus, operibus & miraculis agnoſci: & ſuam doctrinam de remiſſione peccatorum, de vera juſtitia & juſtificatione, de vera ſalute & vita æterna hiſce certiſſimis teſtimoniis confirmari ac velut conſignari.

83. Hæc ſunt quæ hoc tempore de ſex hydriis in gratiam Studioſorum adferre volui, & ſpero, imo potius confido, hanc meam operam & gratificandi voluntatem ut utilem ita etiam gratam fore.

CAP. III.

VALLA.

3. *Niſi quis natus fuerit*, &c.] Ego maluiſſem tranſferre, *Niſi quis genitus fuerit*, &c, *Quomodo poteſt homo gigni?* & ita deinceps, non modo quia Græcum eſt *genitus* & *gigni*, γενηθῇ, γεννηθῆναι, ſed etiamſi Gr. anceps eſſet ſignificatio, quia cum dicitur *naſci*, videtur res tantum ad matrem referri; cum vero *generari*, ad utrumque parentem refertur.

8. *Spiritus ubi vult ſpirat*] Cur non *quo?* πῇ.

10. *Tu es Magiſter in Iſrael*] h. e. *Iſraelis*. Græce dicitur τῆ Ἰσραήλ.

REVIUS in VALLAM.

3. *Natus*] Valla mavult *genitus*: & rationem reddit petitam è vi vocis: ſequitur eum Beza, ac rationem alteram ex natura rei qua de agitur adjicit.

ERASMUS.

2. *Quod à Deo veniſti Magiſter*] *Magiſter* nominandi caſus eſt, non vocandi; Deus te Doctorem miſit, non homo: nam διδάσκαλος eſt: licet *magiſter* uſurpatum reperias pro *doctore*.

3. *Niſi quis renatus*] Γεννηθῇ *genitus*, ſive *natus*, *fuerit*: Et in antiquiſſ. cod. Latinis *natus fuerit* eſt, non *renatus*: itaque citat Auguſtinus libro adv. Fauſtum 24. c. 1. itaque ſcriptum eſt in cod. Aureo. Valla *genitus* mavult quod è viro quoque *gignatur* aliquis, cum è muliere *naſcamur*.

4. *Quomodo poteſt homo renaſci*] Γεννηθῆναι *naſci*, ſive *gigni*, concordantibus & antiquis noſtris. Item in ſequentibus *naſci* eſt, non *renaſci*.

5. *Ex aqua & Spiritu ſancto*] In Græcis non additur *ſancto*, nec apud Auguſtinum, qui adducit hunc locum lib. adv. Fauſtum 24. c. 1. Nam ut diſtingueret cœleſtem generationem à terreſtri craſſaque, propoſuit duo elementa liquidiora, Aquam & Aerem. Quin nec in Aureo cod. additur *ſancto*.

7. *Naſci denuo*] Ἄνωθεν. Quo adverbio uſus eſt & Lucas in præfatione Euangelii ſui, quod nos vertimus *ab integro*. Chryſoſtomus annotavit Græcam vocem ancipitem eſſe: nam idem pollere quod πάλιν *iterum*, ut referatur ad tempus retroactum, aut ἀπὸ τῶν ἄνω, i. *ſuperne*, ſive *de ſupernis*. In quem ſenſum uſurpatur c. 19. 11. *Non haberes poteſtatem in me ullam niſi tibi datum eſſet deſuper*. Poſteriorem ſenſum ſequitur Cyrillus; interpretans *velut e cœlo naſci qui per Spiritum S. renaſcitur*. Annotavit hoc prior Origenes, edifferens epiſtolæ Pauli ad Romanos caput ſextum; quo tamen in loco rurſus Origenis interpres de ſuo nonnihil addidit.

8. *Spiritus ubi vult ſpirat*] *Ubi* loci adverbium eſt, non temporis. Valla mavult *ſpirat quo vult*: nam mox vertit ita ποῦ ὑπάγει, i. *quo abeat*. Eſt enim ſimile de Flatu, re quidem inviſibili ſed tamen efficaci. Atque hic *ſpiritum* accipere videtur pro *flatu hujus aëris*: ut intelligas ſimilitudinem duci ab hoc ſpiritu, re, cum non videatur, efficaciſſima, ad impetum illius Divini Spiritus: Atque ita prorſus interpretatur Chryſoſtomus hom. 25. cumque hoc Cyrillus ac Theophylactus, & Auguſtinus De quæſt. V. & N. T. qu. 59. apertiſſime teſtans, docendi gratia adhibitum exemplum de aëris impetu, ne quis hoc merum ſomnium eſſe clamitet.

10. *Tu es Magiſter in Iſrael*] Τῆ Ἰσραὴλ *Iſrael* genitivi caſus: ut intelligas Magiſtrum ejus gentis. Nec hic abeſt articulus, σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος, h. e. *ille Doctor*, cujus tam celebris eſt opinio. Quod quo magis exprimeremus, vertimus, *Tu es ille Magiſter Iſraelis*.

12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis*] Variant hic Græ-

Græcorum codices. Quidam habent, *οὐκ ἐπιστεύσατε non credidiſtis*; alii rurſus *οὐ πιστεύετε non creditis*. Nihil igitur cauſæ fuerit cur protinus tadas ſcripturam; præſertim cum in hujuſmodi verbis præteritum tempus pro præſenti ſolent uſurpari. Cæterum quod ſequitur *credetis* in emendatis exemplaribus Græcis eſt *πιστεύσητε credituri ſitis*, ob vim modi potentialis.

13. *Et nemo aſcendit in cœlum*] *Aſcendit* Græcis prat. temporis eſt, *οὐδεὶς ἀναβέβηκεν*, ne quis putet de futura aſcenſione intelligi. Siquidem illud agit, ſe ideo ſolum loqui de ſuperna renaſcentia, quod unus omnium è cœlis deſcendiſſet. ¶ *Qui eſt in cœlo*] Ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Participium verti poterat per prat. imperfectum, *qui erat in cœlo*, videlicet antequam deſcenderet. Sic enim *Filium hominis* dicitur *fuiſſe in cœlo* aut *verſari in cœlis* ſicut *Dominum gloriæ* dicitur *crucifixus*, ob proprietatum in hypoſtaſi duas complectente naturas communionem.

14. *Et ſicut Moſes exaltavit ſerpentem*] Sunt quibus *exaltandi* verbum non ſatis Latinum habeatur. Mihi non placuit mutare, quod vox ipſa non videatur abſona; præſertim cum apud Senecam (certe non peſſimum, opinor, autorem) reperiatur, atque etiam apud Columellam.

16. *Sic enim Deus dilexit mundum*] Ab hoc loco videri poterant verba Euangeliſtæ proſequentis & explanantis ſermonem quem cœperat Jeſus cum Nicodemo. Non enim proſequitur quomodo diſceſſerit Nicodemus, aut quid ad hæc tam miranda reſponderit. Simile quiddam indicavimus & c. 1. 16. *De plenitudine ejus accepimus omnes*. Nec diſſimilis caſus accidiſſe videtur Paulo Galat. 2. ubi ſermonem cum Petro cœptum non abſolvit, ſed veluti Galatis interpretans proſequitur.

17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum ut judicet mundum*] *Judicet* poſitum eſt pro *condemnet*, quomodo ſubinde reperitur apud Paulum aut cæteros, ut opponatur illi quod ſequitur, *ut ſervetur mundus per eum*. Idem ſentiendum in his quæ ſequuntur, *Qui credit in eum non judicatur*; &, *Jam judicatus eſt*: & mox,

19. *Hoc eſt autem judicium*] *Judicium* pro *condemnatione* poſitum eſt.

20. *Omnis enim qui male agit*] Ὁ φαῦλα πράσσων, *qui mala agit*: tametſi ſenſus idem eſt, niſi quod *male agere* dicitur & qui male habet ac malis affligitur.

31. *Qui de terra eſt, de terra loquitur*] In Græcis exempl. adduntur aliquot verba, *ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστι, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ*, *Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur*: perinde quaſi dicas, *Qui è terra profectus eſt, is terrenus eſt, & terrena loquitur*. Neque enim loquitur *de terra*, quod erat *περὶ τῆς γῆς*, ſed *ἐκ τῆς γῆς è terra*, velut humilia. Atque ita legit Chryſoſt. ac Theophyl. cumque his Cyrillus, & Hilarius in præfat. Commentariorum quos ſcripſit in Pſalmos myſticos. Ad eundem modum ſcriptum reperio in veruſtiſſimis Latinorum exemplaribus, *Qui de terra eſt, de terra eſt, & de terra loquitur*. Conſentiebat codex Conſt. & meus veteris typographiæ: quanquam in codice Corſ. manifeſtiſſima veſtigia teſtabantur eraſam hanc particulam alteram, *de terra eſt*. Auguſtinus legit, *Qui de terra eſt, terra eſt, & de terra loquitur*: id confirmant ea quæ ſequuntur, *Nam ſi non eſſet*, inquit, *illuminatus, terra terram loqueretur*. Cæterum parum attentus lector ſcripturam mutavit, quod otioſa videretur iteratio, *de terra eſt, de terra eſt*. Non animadvertit autem ſingulis opponi ſingula, *Qui de cœlo venit* cœleſtis eſt, hoc eſt *ſupra omnes eſt*, & cœleſtia loquitur, & cœleſtia facit, baptizans Spiritu; *qui è terra profectus eſt*, humilis eſt ac *terrenus*, & hinc *loquitur* unde eſt, h. e. humilis humilia: & uterque ſuam refert originem. Dilucidius autem erat ſi extremæ particulæ addidiſſet articulum, *τὰ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ*. ¶ *Et qui de cœlo venit*] *Venit* eſt præſ. temp. *ὁ ἐρχόμενος*· niſi quod hæc participia duobus temporibus deſerviunt, præſenti & præterito imperfecto. Atque ita vertendum erat & *ὢν*, *Qui è terra erat terrenus eſt; at qui de cœlo profectus erat, is ſupra omnes eſt*.

33. *Signavit*] Ἐσφράγισεν *obſignavit*, h. e. ſigno confirmavit. Nam ſigillum additum rem certam efficit.

34. *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum*] Euangeliſta pronomen omiſit *τίνῳ*, ſive *αὐτῷ*, quod ex his quæ præcedunt & conſequuntur ſatis liqueret de quo loqueretur: Id autem fit crebrius apud Græcos quam apud Latinos. Nos igitur, ne quid offenderet lectorem, pronomen de noſtro appoſuimus in verſione duntaxat. Dictum eſt autem figura proverbiali *Dat ad menſuram* pro eo quod eſt *parce*, aut *mediocriter*. Quidargiter & effuſe dat non metitur quod dat aut numerat, ſed cumulatim profundit. Alioqui gratia in Chriſto, quatenus homo fuit finita dici poſſit. Et hic videtur Euangeliſta ſuum ſermonem attexuiſſe ſermoni Joannis: neque enim abſolvit quid acciderit Diſcipulis.

35. *Et omnia dedit in manu ejus*] Incertum eſt an abuſus præpoſitione ſenſerit *omnia Filio tradita in manum* an *omnia nobis dari per manum illius*, quod juxta proprietatem Hebraici ſermonis *in* præpoſitio ſignificationem habeat Inſtrumenti: ſed priorem ſenſum Græci ſequuntur interpretes, & mihi magis arridet.

36. *Sed ira Domini manet*] *Vel manebit*: Quanquam accentu mutato erit *manet μένει*· atque ita legitur in nonnullis exempl. ac, mea quidem ſententia, rectius. Fides aufert peccatum; infidelitas relinquit peccatum: *manet* autem quod non tollitur. Quanquam Cyprianus Adv. Judæos l. 2. c. 26. legit *manebit*. Et quod Interpres vertit *qui non credit*, eleganter reddidit ille *qui dicto non eſt audiens*. Græcis diverſæ voces ſunt *πιστεύων* & *ἀπειθῶν*, quarum poſterior magis ſonat *inobedientem*.

VATABLUS.

2. *Magiſter*, Nominativus eſt: i. Deus te miſit, non homo, ut doceas nos.

3. *Reſpondit*] Heb. pro, Cœpit Jeſus verba facere cum eo, & dicere ei. ¶ *Renatus*] i. natus, Vet. ¶ *Denuo*] Vel, *deſuper*. Iſta videtur lectio potior, quod ita videtur intellexiſſe Nicodemus cum dicit, *in ventrem iterum introire*. ¶ *Videre*] Paulo poſt dicit, *introire*, i. non poteſt eſſe civis regni Dei.

4. *Iterato*] *Iterum*, Vet. ¶ *Renaſci?*] *Naſci?* Vet.

7. *Denuo*] Vel, *è ſupernis*, Vet.

8. *Aut*] *Et*, Vet.

10. *In Iſrael*] *Iſraelis*.

12. *Credetis?*] *Credideritis*, vel, *credituri ſitis?*

13. *Aſcendit in cœlum*] Prat. temp. i. nemo novit res cœleſtes præter me.

16. *Daret*] *Dederit*.

17. *Judicet*] Vel, *condemnet*, & infra.

18. *Credit*] *Credidit*, Vet. ¶ *Nomine*] *Nomen*, i. non credidit unigenito, Heb.

19. *Hoc eſt autem judicium*] Vel, *Hæc eſt autem condemnatio*, i. cauſa condemnationis.

20. *Male*] *Mala*, Vet.

21. *Facit veritatem*] Gr. *Qui operatur veritatem. Veritas* pro *integritate* & *ſinceritate*, Heb. ¶ *Manifeſtentur*] Vel, *conſpicua fiant*. ¶ *In Deo*] Heb. *per Deum*, i. inſtinctu Dei.

22. *Morabatur*] *Demorabatur*, Vet.

25. *Autem*] *Igitur*, Vet. legunt *ergo*. ¶ *Purificatione*] i. baptiſmo quod fiebat nomine Chriſti.

27. *Homo*] Heb. pro *quiſquam*.

28. *Sed*] Sub. *dixi*.

31. *Qui eſt de terra, de terra eſt*] Vel, *qui è terra profectus eſt, terrenus eſt*. ¶ *Venit*] Præſ. temp.

32. *Et*] *Proinde*, Heb.

33. *Qui autem acceperit*] *Qui accepit*, Vet. ¶ *Signavit*] i. Velut ſigno appoſito declarat quod Deus ſtet promiſſis.

35. *Dedit in manus ejus*] Heb. pro, *permiſit omnia ejus poteſtati*.

36. *Non videbit vitam*] Heb. *non vivet*. ¶ *Ira Dei manet ſuper eum*] Heb. ſempiterno Dei judicio morti æternæ erit addictus.

CASTALIO.

1. *Nicodemus Judæorum primarius*] Tota hæc Nicodemi & Jeſu collocutio obſcura & abrupta eſt. Eam quia in Dialogis ſacris fuſius explicavi, hic ſupericdeo.

3. *Videre*] Adipiſci.

21. *Vera*] Recta & juſta.

29. *Voluptatem ex ſponſi voce capit*] Χαρᾷ χαίρει *gaudio gaudet*, ſi ad verbum vertas, quomodo locutus eſt Plautus. Sed id mihi nimis Plautinum viſum eſt, ſignificat autem nihil aliud quam *gaudet*; ut *vitam vivere* & *ſervitutem ſervire* nihil aliud eſt quam *vivere* & *ſervire*. Sed licet hujuſmodi Hebraiſmos ita explicare, ut quod eſt *morte mori* dicamus *mortem oppetere*; *cupiditate cupere*, *cupiditate duci* aut *teneri*: aut, ſi res ita ferat, uno verbo, quæ erant duobus dicta, reddamus.

31. *Ter-*

31. *Terreſtria loquitur*] Ἐκ τῆς γῆς, pro τὰ τῆς γῆς: quem Hebraiſmum oſtendimus in Pſ. 68.

34. *Sine modo Spiritu donet*] Immenſo & toto Spiritu.

36. *Ira Divina*] Supplicium.

CLARIUS.

2. *Scimus quod à Deo veniſti Magiſter*] Vide ut ſine ambitione ſint Euangeliſtarum narrationes, dum tantis de rebus tam ſimplici ac brevi utuntur oratione.

5. *Amen amen dico tibi*] Cum dixiſſet Nicodemus, *Scimus quod à Deo veniſti Magiſter*, idem eſt acſi dixiſſet, Idcirco veni ad te ut docear qua via aſſequar hoc Regnum Dei quod prædicas: quamobrem docet eum Dominus *oportere eum naſci denuo*. Nam etſi illud ἄνωθεν *ſuperne* etiam ſignificet, videtur tamen Nicodemus priorem accepiſſe ſignificationem, cum miretur *num valeat quis iterum in ventrem matris introire, & renaſci*. Quod ſi *de ſupernis naſcendum* intellexiſſet facilius agnoſcere potuiſſet naſcendi differentiam. Deinde dilucidiorem aliquanto facit rem Dominus, addens, *oportere naſci ex aqua & Spiritu*. Et cauſam reddit, quod alia ſcilicet ſit generatio *carnis*, alia *Spiritus:* illa his oculis cernitur, hæc inviſibili ſit modo. Et exemplum profert apud homines tritum, *ſpiritum* ſcilicet ac *venti*, cujus flatus etſi per corpora agatur, itinera tamen ejus non vales obſervare. Et quia hujus generationis modus ignorabatur mundo, admirans Nicodemus quærit *quonam hac modo poſſint fieri*. Quem leviter perſtringens Dominus reſpondet, *Non decere hominem qui aliorum magiſter ſit hæc ignorare*. Deinde taxat Judæos & quod *teſtimonium ejus non accipiant*, & quod demiſſa nimium ſint cogitatione ac ſenſibus, qui eum ne minora quidem hæc, quæ *terrena* appellat intelligant, quo pacto majora ſunt intellecturi? videlicet quod *nemo aſcendit in cælum* niſi qui *deſcendit è cælo*, & cætera talia. In quibus verbis duo ſignificavit, & ſe Deum eſſe, quippe qui *in cælo ſit*, nempe apud Patrem, & humanitatem ſuam ita copulatam Divinitati ut una ſit Perſona, quod niſi eſſet non potuiſſet dicere *Filium hominis eſſe in cælo*. Quod vero ait *neminem aſcendiſſe in cælum niſi eum qui è cælo deſcendit, nempe Filium hominis*, mihi videtur ſignificare voluiſſe Neminem præter ſe potuiſſe efferre è cœlo ſecreta illa quæ per ejus adventum nobis ſunt declarata: ut interpretemur illud *aſcendiſſe in cælum* quemadmodum & Paulus illud interpretatus eſt, *Quis aſcendit in cælum?* hoc eſt, *ad deducendum Chriſtum:* ita hoc loco, *Nemo aſcendit in cælum* ad illa cœleſtia deducenda, h. e. nemo deduxit è cœlo talia, ſed ne deducere quidem potuit.

17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum ut judicet mundum*] Quid erat neceſſe hanc removere dubitationem, quod videlicet *Deus non miſerit Filium ſuum in mundi condemnationem?* Ob hanc cauſam, opinor, quod cum adventu Chriſti Judæi ob infidelitatem ſuam eſſent abjiciendi, quibus tamen venerat ſervandis Chriſtus, res contra erat caſura quam ab omnibus exſpectabatur, ideo prævenit Dominus admonens, *Deum* quidem ob ſolam benignitatem & *ob ſervandos homines miſiſſe illum* unigenitum *ſuum Filium, non ob condemnandos, ſed ut* credens *mundus per illum ſervetur:* quod *ſi quis non credit, ipſe ſe ſuo judicio damnat*; non Deus in cauſa eſt. Addit etiam cauſam cur credere noluerint, quod *eorum* ſcilicet *facta mala erant & aſſueta tenebris*; idcirco *lucem illos refugiſſe:* quibus verbis Scribæ inprimis Phariſæique taxantur. Nihil enim tam ad credendum inertem atque adeo inepcum facit ut inique facta.

27. *Non poteſt homo accipere quicquam*] Non licet homini quicquam ſibi arrogare, ſed id tantum tenere quod à Deo ſibi eſt datum: quare memniſſe poteſtis *me jam dixiſſe, Non eſſe me Chriſtum.*

31. *Qui eſt de terra*] Illa repetitio *de terra eſt* non eſt nugatio, quam dicunt, ſed vehemens confirmatio ſuæ humilitatis & celſitudinis Chriſti. Seque præ illo fatetur admodum humilia loqui: hoc enim eſt *loqui de terra*. Quemadmodum & ſuperius dixit, *Si terrena dixi vobis*, h. e. humiliora. Et quod ait, *Quod vidit & audivit, hoc teſtatur*, ſignificat illum attuliſſe è cœlo & è ſinu Patris arcana illa quorum ab æterno erat conſcius. *Sed nemo*, inquit, h. e. admodum pauci, *admittunt ejus teſtimonium:* verum *quiſquis illud admittit*, evidenter agnoſcit veram hanc eſſe Philoſophiam atque à Deo, perinde quaſi *ſigillum* illius *veritatis* animo ejus imprimatur, obteſtans quod veritati fidem adhibuerit, quodque illud nunc demum præſtiterit Deus quod jam olim fuerat pollicitus, miſeritque illum Unigenitum *in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis* infinita & immenſa.

ZEGERUS.

3. *Niſi quis natus fuerit denuo*] Ἄνωθεν anceps eſt ad *denuo* & *deſuper*. Verum non hic *deſuper* ſed *denuo* potius ſignificare, palam arguunt ſubjecta Nicodemi verba ita interrogantis, *Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterum introire, & naſci?*

8. *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quo vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu*] Quod dicit hujuſmodi eſt, Quemadmodum ventus ille aereus, qui nonnunquam in Scriptura à *ſpirando*, i. flando, *ſpiritus* vocatur, naturali impetu ubicunque vult ſpirat, & ſonitum illius audimus tactumque percipimus, nec tamen ſcimus unde veniat aut quo vadat; ita uſu venit in his qui Spiritu regenerantur. Primum, quiſquis renaſcitur ex Spiritu, ſpiritus efficitur; ita ut jam non carnali affectu; ſed Divino feratur Spiritu, quocunque huic fuerit viſum. Deinde, vocem quidem ſic regenerari percipimus, dum ſpiritualia ac bona eſſe quæ loquitur, quæ canit, quæ orat, ſentimus; ſed neſcimus interim unde veniat & quo vadat, quia videlicet compertum nobis non eſt quando & quomodo is qui loquitur gratiam acceperit loquendi myſteria, nec quem ad finem ſive fructum ceſſura ſit eadem qua nunc videtur donatus gratia.

12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo*, &c.] In hujus loci expoſitione maxime ad rem ipſam accedere viſus eſt Rupertus; quapropter & ipſius placuit ſubſcribere commentum, quod hujuſmodi eſt, *Si terrena dixi vobis*, &c. Ac ſi dicat, *Terrena ſunt Templum manufactum ſolvi, & illud in tribus diebus readificari. Terrena*, inquam, *ſunt veſtro ſenſui*, i. *ſic accepta quomodo verba ſonant exterius, ultra quæ veſter non aſcendit ſenſus. Sed vos iſta non creditis à me tam brevi temporis ſpatio poſſe fieri, videlicet neſcientes me Verbum eſſe per quod mundus & omnia quæ in mundo ſunt in ſex diebus condita ſunt. Revera autem cœleſtia ſunt hæc, quia cœleſte templum eſt, quia cœlitus ædificatum eſt, quia non manufactum ſed à Deo conditum eſt. Quomodo ergo, ſi dixero vobis illud, Crucifigendo ſolvetis, & ego in tribus diebus readificabo, reſurgendo à mortuis; & ex tunc incipient homines renaſci, reſurgendo & ipſi à peccatis ſuis; ſi hæc & cætera his ſimilia, quæ vere cœleſtia ſunt, dixero vobis, credetis?* Hactenus ille. D. autem Chryſoſtomus hunc ediſſerens locum, *Terrena nonnulli*, inquit, *de vento dictum arbitrantur; h. e. Si exemplum à terrenis ſumptum non creditis, quonam pacto altiora credetis?* Verum *terrenum* potius Baptiſma dicit, vel quod in terra perficitur, vel quod ad ſuæ ipſius ineffabilis generationis comparationem ita appellat. Nam etſi cœleſtis ipſa generatio ſit, ad illam tamen veram ex Patris ſubſtantia comparata terrena eſt.

13. *Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis*] Copula & conjungit hæc cum illo, *Amen dico tibi, quod ſcimus loquimur*. Vere ergo, inquit, & hoc dico tibi, quod *nemo aſcendat in cælum*, &c. Niſi malis cum illo hoc conjungere quod aliquanto longius præceſſit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & S. S. non poteſt introire in Regnum Dei*; ut illi reſpondeat quod hic dicitur, *Et nemo aſcendit*, &c. Sic autem intelligere debemus ut ſciamus neminem prorſus aſcendere in cœlum niſi unitum cum Chriſto, qui ſolus propria virtute aſcendit, & cæteros qui ſecum unum ſunt aſcendere facit, ut ubi ille eſt illic ſint & ipſius miniſtri.

17. *Ut judicet mundum*] *Judicet* hic & in ſequentibus poſitum eſt pro *condemnet*.

19. *Hoc eſt autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras*] Eſt, inquit, judicium aliquod, verum hoc non à me proficiſcitur, quippe qui non venerim (ſicuti modo teſtatus ſum) ut judicem mundum; ſed ab illis ipſis proficiſcitur qui judicantur. Hoc eſt ergo, inquit, infidelium judicium, hæc impiorum condemnatio, hæc juſti judicii, i. condemnationis, cauſa, *quia lux venit in mundum, & dilexerunt magis tenebras quam lucem*. Si enim qui ad lucem pervenire poterant, ſcientes in tenebris manere maluerunt, nonne re ipſa declarant omnino juſtiſſime & ſua ipſorum culpa condemnari?

25. *Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Joannis cum Judæis de purificatione*] h. e. Baptiſmate. Advertе autem non ex Jeſu ſed ex Joannis diſcipulis ortam fuiſſe quæſtionem, qui Judæis quibuſdam Baptiſma Chriſti Baptiſmati Joannis præferentibus, idque non injuria, perſuadere conati ſunt ſecus ſe habere quam illi exiſtimabant, maxime cum ipſe Chriſtus à Joanne nuper fuiſſet baptizatus, ſeque veluti pro diſcipulo illius geſſiſſet.

29. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi*] Hoc involucro B. Joannes duplicem in Chriſto naturam, Divinam ſcilicet & humanam, indicavit, eoque & ſibi eum præferendum eſſe declaravit. Tantundem enim valet quaſi ita aperte fuiſſet elocutus, Non ego, ut arbitramini, Chriſtus ſum, cum purus homo ſim, nihilque aliud quam Sponſi, videlicet Chriſti, amicus, gaudens interim quod Sponſi vocem audire ejuſque præſentiam videre contigerit: ſed ille vere Chriſtus eſt qui Deus pariter & homo eſt, ſicuti is vere ſponſus habetur cui ſponſa eſt. Quemadmodum enim duo comprehenduntur in ſponſi vocabulo, Vir & Femina, quorum uterque una caro eſt, ita & in Chriſto duo ſunt Divinitas & Humanitas, quarum illa veluti ſponſus, iſta veluti ſponſa eſt, & ambo unam Chriſti perſonam conſtituunt. Alii tamen fere explanatores aliquanto ſecus enarrant, nimirum hoc ſenſu, Ipſi, inquit, vos ſcitis quod teſtimonium dederim quod ille me major ſit. Itaque ſi omnino meum attenditis teſtimonium, diſcite illum mihi præferendum; quandoquidem ille Sponſus ac Dominus eſt, ego vero amicus & ſponſæ ductor, qui ſtans jam & nuptiis perficiendis intendens, quodque mihi juſſum eſt adimplens, & exinde audiens ſponſum cum ſponſa, i. populo, loquentem, ipſamque componentem & inſtruentem, gaudio perfundor propter hanc ejus vocem tam ſalutarem, dulcem & efficacem.

31. *Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur*] h. e. Qui è terra ſumpſit initium, terrenus eſt, & terrena ſapit & loquitur, terrenitque ſenſibus involvitur. Hæc eſt germana ſcriptura juxta Græca, & exemplaria Latina antiqua. Apud Auguſtinum autem & Chryſoſtomum à ſciolo quopiam demutata eſt ſcriptura, *Qui eſt de terra, terra eſt*, quamquam ſenſus idem eſt. Et in cod. Corſend. depravator eraſit medium illud, *de terra eſt*.

33. *Signavit quia Deus verax eſt*] h. e. Notavit, firmiter ſtatuit in corde ſuo, ac proteſtatur quod Deus verax ſit.

34. *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum*] Subaudiendum eſt *Chriſto*. Loquitur enim de eo quem miſit Pater, eique teſtatur abſque ulla menſura donari Spiritum. Cæterum illud *enim* vel pro *autem* poſitum eſt, vel referenda ſunt hæc ad ea quæ paulo ante præmiſſa ſunt, *Qui de cœlo venit ſuper omnes eſt*: nam is referendi modus non eſt inſuetus Scripturis Apoſtolicis.

H. STEPHANUS.

1. Ἀρχῶν τῶν Ἰουδαίων] *Ex primoribus Judæorum*: vel, *primariis*.

8. Τὸ πνεῦμα] *Ventus*. ¶ Τὴν φωνὴν] *Sonum*: vel, *ſtrepitum*. ¶ Ἐκ τῆ Πνεύματος] *Spiritu*.

12. Τὰ ἐπίγεια] *Terrena*.

14. Ὕψωσε] *Extulit*.

21. Ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν] *At is cujus actiones ſuco carent*; vel, *ſincera ſunt*. Ad verb. *vera*.

26. ᾧ σὺ μεμαρτύρηκας] *Cui teſtimonium perhibuiſti*.

29. Χαρᾷ χαίρει] *Mirifice quodam gaudio fruitur*. ¶ Αὕτη οὖν ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπλήρωται] *Hoc gaudium meum numeris omnibus eſt abſolutum*: vel, *Impletum eſt tempus hoc gaudii mei*, ita ut id à me jam percipiatur.

34. Ἐκ μέτρου] *Ad certam menſuram*.

D. RUSIUS.

1. *Nicodemus*] Nomen Græcum eſt, quod Ebræi corruperunt in נקדמון *Nacdimon*. Extat hoc in Juch. 23. 2. *Nacdimon F. Gerion*, i. *Nicodemus*. Et in lib. Muſæ, *filius Nicodemi*, 7. 1, & 2. *reliquit hæredibus mille millia denariorum aureorum*, ibid. *nullam eleemoſynam dabat*, ibid. Vixit circa tempora Chriſti, ut patet ex Juchaſin. Ubi R. Eleazar F. Sadoci dicitur *vidiſſe filiam Nicodemi*, 51. 1. Idem *vidit excidium Domus*, ibid. *Nicodemus*, *Nacdimon*, ut Δοσθεος, *Doſthai*; Ἰάσων, *Jeſus*; Τρύφων, *Tarphon*; *Dorotheus*, *Dorthai*. Priora Græca ſunt, poſteriora Helleniſtica vel Ebraica.

3. *Niſi quis natus fuerit denuo*] Codices aliqui, *renatus*. Minus hoc ſe probat mihi. Nam *naſci denuo*, ſive, ut Syrus habet, *à capite*, i. principio, idem eſt quod *renaſci*. Mox, *Quo modo poteſt homo naſci cum ſenex ſit?* hic magis probarem *renaſci*. Sunt qui malint *genitus* & *gigni*. *Nam è viro*, inquit, *gignitur aliquis, cum è muliere naſcantur*. Dubito an hoc ſit perpetuum. Nam apud Horatium ſerm. 1. Sat. 6. *patre claro natus*: & apud Ciceronem pro Roſc. Amerino, *patre certe natum*. Sic *partus* vico tribuitur: unde *Omni partu edita*. Ad rem. *Genitus* aliquando valet idem quod *regenitus*, ſimplex pro compoſito. Sic, *non poteſt homo gigni*, i. *regigni* vel *regenerari*. Apud Davidem *populus creatus*, i. *generatus*. Nam *creo*, *gigno*. *Recreo* aliud ſignificat: unde male vertunt qui vertunt *recreatus*. Ut *gigno* valet aliquando *regigno*, ſic *ſurgo*, *reſurgo*; & *audio*, *exaudio*.

10. *Magiſter in Iſrael*] i. Iſraelitarum. Sic Jud. 5. 7. *Mater in Iſrael*, i. Iſraelis: Nam optime de Iſraele merita erat. Sic *pater patriæ*.

14. *Sicut Moſes exaltavit ſerpentem*] Nam poſuit eum in baculo oblongo, ſive in longa pertica, ut eminus ab omnibus conſpici poſſet. Perticam illam vocant *oſſigmum*, & ortha & upra *furcam*. Sic R. S. nuncupat.

15. *Omnis qui credit in ipſum*] Lectio varians, *in ipſo*: eodem recidit. Nam veteres tam Græci quam Latini promiſcue & indifferenter dicebant πιστεύειν εἰς τὸν Θεὸν, καὶ ἐν τῷ Θεῷ, *credere in Deum, & in Deo*: cujus & ſuprà memini. Sed quia hæc ignorata vulgo, Expiumiteranda ſunt.

21. *Qui facit veritatem*, Ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν] Tob. 4. 9. ποιῶν τὸ ἀληθινόν: quod Cyprianus l. 3. ad Quirinum, & ſenn. 1. De eleemoſyna interpretatur, *agens ex veritate*, i. vere, integre, ſincere. Prov. 12. 12. עשׂת עשׂי *facientes veritatem*, ubi עשׂת pro אמת *veritas*. Nam אמונה proprie *fides*, 1 Joh. 1. 6. καὶ οὐ ποιοῦμεν τὴν ἀλήθειαν, *non facimus veritatem*, h. e. non agimus ſincere. Quid ſi אמונה עשׂי *agens ex fide*? *Facere veritatem* Fulgentius ad Monimum lib. 1. explicat *facere opus veritatis*. Sic *facere juſtitiam*, opus juſtitiæ; *virtutem*, opus virtutis. Nam in verbo includi ſolet verbale. Sic *dormire mortem*, ſomnum mortis, vel, ſi mavis, dormitionem mortis: *induere regnum*, veſtem regni, i. regiam. עשׂי *agere* conveniunt & Cohel. 3. 12. *facere bonum*, agere bene, i. recte vel jucunde.

23. *In Ænon*] Iſaacus Caſaubonus vir doctiſſimus & optime de his literis merens contra Baronium diſputans docet Αἰνὰν & Αἰνὼν loca ſeparata eſſe, quæ Baronius confuderat. Nempe in mente habuit Αἰνὰν, quod in LXX Geneſ. 38. 14. ubi פתח in fonte: qui locus abſque dubio alius eſt ab eo qui hic in Evangelio Johannis Αἰνὼν vocatur. Non tamen expeditus nodus. Nam Ezec. 47. 17. חצר legitur, & in LXX Αἰνάν. Quis hæc loca eadem eſſe negabit? ne Carneades quidem, qui tamen de omnibus dubitare ſolitus eſt. *Enon* ſive Αἰνὼν, & ο in α verſa ex dialecto Chaldaica Αἰνὰν, locus erat prope Jordanem, de quo videndi ſunt Euſebius & Hieronymus in Locis Ebr. Quærendum etiam an hic ſit locus ille de quo Ezeciel. Nam mihi nunc non vacat. ¶ *Juxta Salem*] i. שלם, quam putant eſſe *Salem* in lingua Moſis, quod ſcribunt סלם, cujus mentio Gen. 33. 18. *Et venit Jacob in Salem urbem Sicimorum*: ubi tamen recentiores, *venit incolumis in urbem Sichem*. Nam סלם *ſalvus*, *incolumis*. Id Chaldæi dicunt סלם, & appellative accipiunt. Aliter Hieronymus epiſt. 126. Scribit enim ibi Scythopolim uſque hodie appellari *Salem*, quam eandem facit cum *Salim*: cujus hic memoria uſurpatur. *Nec refert*, inquit, *utrum Salem an Salim nominetur, cum vocalibus in medio literis perraro utantur Ebræi, & pro voluntate lectorum atque varietate regionum eadem verba diverſis ſonis atque accentibus proferantur*. Græce eſt Σαλείμ. Syrus habet סלם או ירוק. Sic dico, Salem ſive Salim urbs erat juxta Scythopolim, ubi olim oſtendebatur palatium Melchiſedec, Hieron. epiſt. 126. pag. 355. Videndus quoque Primaſius in epiſt. ad Ebræos, pag. 541. & Procopius Gazæus Geneſ. 15. Mentio *terræ Salim* 1 Sam. 9. 4 in qua Saul aſinas patris quæſivit nec invenit. Hujus regionis opidum putant eſſe *Salim* Tremellius & Junius, cujus hic meminit Joannes: ſed male. Nam *Salim* ibi eſt שלים, quod Senes reddunt Σεγαλμ, & Jonathan vocat *terram* מתברא *Mathbera*.

33. *Obſignavit quod Deus verax ſit*] Imo ipſa Veritas eſt. *Ego*, inquit, *ſum Via, Veritas & Vita*. Quin omnia obſignat veritate: Unde dictitant, *Sigillum Dei veritas*. Quod ergo verum non eſt, à Deo non eſt.

34. *Ad menſuram dat*] Ἐκ μέτρου forſan eſt quod Ebræi dicunt במשורה, quæ proprie menſura parva eſt: unde in Aboth. c. 6. *& aquam in*, vel *cum*, *menſura bibas*, i. parce, ſobrie.

SCALIGER.

5. Ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος] Intelligit per *aquam* ſignum viſibile, per *Spiritum* gratiam inviſibilem καὶ τὴν ἐν Χριστῷ παλιγγενεσίαν.

25.

25. Περὶ καθαρισμοῦ] Intelligit Judaicam purificationem quotidianam, de qua cap. 2. 6.

CASAUBONUS.

3. ΕΑΝ μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν] Doctiſſimus interpres ἄνωθεν vertit *denuo*: optime ſane. Nam & Nonnus pro eo dixit τὸ δεύτερον. Paulus ſcribens ad Galatas 4. 9. videtur ἐκ παραλλήλου dixiſſe πάλιν ἄνωθεν, οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεύειν θέλετε.

7. Μὴ θαυμάσῃς ὅτι εἶπόν σοι] Lege apud Nonnum,

Καὶ μὴ θάμβος ἔχῃ σε θεοφραδὲς περὶ μύθῳ.

Nam male vulgo, Καὶ μὴ θάμβος ἔχητε· quod vix ferre poteſt elegantia puri ſermonis: quanquam dixit idem cap. 5.

Καὶ μὴ θάμβος ἔχοιτε.

Sed hic obſtant Joannis verba ne quis ita locutum putet. Sic & cap. 4.

Ὦ ἄνα, θάμβος ἔχει με.

13. Εἰ μὴ ὁ ἐκ τῆς ἀρανῆ καταβὰς] *Deſcendiſſe* Chriſtus *de cœlis* dicitur reſpectu Deitatis humanæ naturæ ſeſe conjungentis, ſicut explicant Theologi, & Paraphraſtes meo judicio perquam eleganter,

Εἰ μὴ ὁ θέσπελος ἦτος, ὃς ἀθανάτην ἔο μορφὴν
Οὐρανόθεν κατέβαινεν ἀληθέα σαρκὶ συνάπτων.

14. Καὶ καθὼς Μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν] In paraphraſi hujus loci cum ait Poeta,

Δυσπετὲς μεθέπουσι τύπου τοιοῦτον ἀκάνθης,

ἀκάνθη non eſt, ut vulgo interpretantur, *ſpina*, ſed *ſerpens*. Nam hoc illa vox ſæpe cum apud alios tum apud Nonnum in Dionyſiacis ſonat.

23. Ἦν δὲ Ἰωάννης βαπτίζων ἐν Αἰνὼν ἐγγὺς τῆ Σαλείμ] D. Hieronymus in Locis Hebraicis meminit *Ænonis*, & ſua ætate oſtendi ſibi tum refert in octavo lapide Scythopoleos, ad Meridiem, juxta Salim & Jordanem. De Salim autem vide ibidem plura. At Paraphraſtes omiſit neſcio quare hæc verba, ἐν Αἰνών. Idem vet. 25. cum Chryſtomo & Theophylacto μετὰ Ἰουδαίου legit, non μετὰ Ἰουδαίων.

27. Οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τῆς ἀρανῆ] Adſcribam horum verborum paraphraſin,

Οὐδὲν ἑλεῖν δύναται τις ἐπουρανίων ἀπὸ κόλπων
Εἰ μὴ τῦτο γέρας θεόθεν κεχαρισμένον εἴη.

Apparet ita accipi à Nonno Joannis verba quaſi dicat, εἰ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν ἐκ τῆ ἀρανῆ ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ. Sed iſta trajectio non videtur mihi neceſſaria: Et id quoque confirmat ſimilis locus infra 19. 11. εἰ μὴ ἦν σοι δεδομένον ἄνωθεν.

30. Ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν, ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι] Nonnus αὐξάνειν & ἐλαττοῦσθαι accipit pro πλεονεκτεῖν & μειονεκτεῖν, non, ut vulgo, pro *creſcere* & *minui*: de qua interpretatione ſtatuant Theologi.

31. Ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστι, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ] Videntur quibuſdam verba hæc tautologiam moleſtam continere, quam nullam eſſe docet hæc erudita Nonni paraphraſis,

- - - ὁ δὲ χθονὸς αἷμα κομίζων,
Φθεγγόμενος χθονὸς ἔργα τέλει γαιήιος ἀνήρ.

Docti viri, ut ταυτολογία vitetur, vertunt, *Qui è terra eſt, terrenus eſt*. Optime. Sic loquitur Paulus 1 Cor. 15. 47. Ὁ πρῶτος ἄνθρωπος, ἐκ γῆς, χοϊκός.

36. Ἀλλ' ἡ ὀργὴ τῦ Θεῦ μένει ἐπ' αὐτόν] Nonnus cum ita interpretatur,

Ἔρχεται ὑψίζυγι Θεῦ τιμωρὸς ὀργή.

μένει accipit ut τὸ *manere* ille poeta qui dixit,

Sceleſta vere quæ tibi manet vita.

Sæpe enim Græci verbo μένειν ita utuntur, & ita Lucas Act. 20. 23.

CAMERON.

13. Ὁ Τὸν ἀναβάντα] *Aſcendere in cœlum* hoc loco (ut intuenti Chriſti ſcopum propius ſatis liquet) nihil aliud eſt quam *inquirere*, aut *admitti*, *in conſcientiam conſilii Dei*. Et forte alluſiſſe videtur Chriſtus ad factum Moſis, qui in montem ad Deum aſcendebat, eum conſulturus, indidemque veluti à Deo ad populum deſcendebat: ut hæc ſit Chriſti hoc loco ſententia, *Nemo unquam conſcius fuit conſilii paterni, aut conſilium Patris revelavit, aut vero eam habuit communionem cum Patre ut tantum poſſit, præter unicum Filium.* Quæ prærogativa haud dubie tam Chriſtum eximit cæteris creaturarum quam Spiritum S. cui ea cum Chriſto communis eſt, 1 Cor. 2. 11. oſtenditque evidenter eum eſſe vere Deum. Id vero eſt quod alibi docuit Chriſtus, *Patrem nemo vidit unquam*, &c. Joh. 1. 18. Et, *Nemo novit Patrem niſi filius*, &c. Matth. 11. 27.

36. Ὀργὴ τῦ Θεῦ μένει ἐπ' αὐτόν] Natura quidem ſumus omnes *filii iræ*, nec niſi fide in Chriſtum ab ea ira liberamur: itaque qui increduli ſunt, de iis dici poteſt *iram Dei in eos manere*, quatenus ab ea non liberantur: attamen Chriſtus non videtur hic eo reſpexiſſe, ſed ſimplicius locutus eſt. In Scriptura μένειν ſingularem habet ſignificationem; notat nempe *conſtantem & penitiſſimam adhæſionem* rei illius quæ dicitur manere. Nam eſt quædam ira Dei quæ tranſit & adflat tantum & quodammodo (ſi ita loqui licet) lambit (ut ignis qui non deſtruit, ſed expolit potius) ira quædam Dei momentanea; quam experiuntur etiam fideles. At *ira manens* ea eſt qua ita perdit ut nunquam diſperdat, & cruciat ita ut nunquam perimat.

JAC. CAPPELLUS.

6. Quod *natum eſt carne*, h. e. natura hominis vitioſa; *caro eſt*, id & vitioſum eſt. Hujus phraſeologiæ ratio videtur hæc eſſe, quod *caro* nonnunquam ſignificat *pudendum*. Ut cum dicitur alicujus *fluere caro*, Levit. 15. 2, 19; cum dicitur *tegi caro*, Levit. 16. 4. Sic Ezek. 16. 26. *grandes carne*. Ezek. 23. 20. *quorum caro ſimilis eſt aſinorum carni*. Judæ 7. *ambulare poſt carnem alienam*. Latini dicunt *proſtera Venerem*. Judæ v. 8. *carnem polluunt*, Onanis ſcilicet exemplo. Unde fit, *caro* ſæpe ſignificat pravitatem hominis ingenitam, Gen. 6. 3. *propterea quod eſt caro*, i. corruptus, & quidem ὅλως, in Novo præſertim Teſtamento: ut cum dicitur *ambulare ſecundum carnem*, Joh. 8. 15. Rom. 8. 1, 4, 5. 2 Cor. 1. 17. & 10. 2, 3. *eſſe in carne*, Rom. 7. 5, 18, 25; Cum damnatur *caro*, Rom. 8. 3, 6, 7, 8, 9, 12. *opera carnis*, 1 Cor. 5. 5. Gal. 5. 16, 17, 19. & 6. 8. Eph. 2. 3. 2 Pet. 2. 10; 1 Joh. 2. 16.

13. *Nemo conſcendit in cœlum niſi qui deſcendit è cœlo*, nempe *Filius hominis qui eſt in cœlo*] q. d. Nulla creatura dignitatem illam eſt adepta ut illi dici poſſit ὁ ὢν ἐν οὐρανοῖς. Unus eſt Chriſtus cui conveniat hoc elogium antonomaſtice, ut qui, licet ita ſe demiſerit ac exinaniverit ut dici poſſit *è cœlo deſcendiſſe*, nihilominus tamen fruitur adhuc cœleſti ſua poteſtate, ut illi nunc quoque dici poſſit quod nulli creaturæ dicere licet, ὁ ὢν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Quemadmodum autem hic negat Chriſtus quenquam in cœlum conſcendiſſe, ſic Act. 2. 34. negat Petrus Davidem in cœlum conſcendiſſe, affirmans hanc dignitatem uni Chriſto convenire, idque probans ex eo quod uni Chriſto dictum eſt, Pſalm. 110. 1. *Sede à dextris meis*. Sed ſæpe Scriptura videtur aliter loqui. Omnino. Proponit enim nobis conſideranda aliquando Majeſtatem, aliquando Bonitatem Dei. Ubi Majeſtatem Dei conſideranda nobis proponit, tum deſcribit cœlum ut uni Deo conveniens, creaturas omnes ut infra cœlum in terra ſubſidentes procul ab illo faſtigio. Dei Bonitatem ubi nobis conſiderandam proponit, tum ut ſciamus nullum fore diſſidium inter Deum & nos, utut multorum peccatorum reos, proponit Deum nobis ita placatum erga nos, ita nobis benevolum, ut ſimus unum cum ipſo, Joh. 17. unum cum Chriſto, quemadmodum Chriſtus eſt unum cum patre, Joh. 17. deſcribit nos ut ſedentes in ſolio Filii, quemadmodum ipſe ſedet in ſolio Patris, Apoc. 3. 21.

LUD. CAPPELLUS.

14. *Sicut Moſes exaltavit ſerpentem*, &c.] Occurrit aliquid in veterum Judæorum ſcriptis quod injicit ſuſpicionem cognitum olim id illis fuiſſe quod hic dicit Chriſtus. Exſtat nempe locus in במדבר רבה in Seder מסעי ſולה Paraſcha 23. ubi ex occaſione XLII manſionum Iſraelitarum in deſerto, quæ iſthic exponuntur, explicatur (ſtatim initio Sectionis illius) locus qui eſt Pſalm. 77. 21. נחית כצאן עמך ביד משה ואהרן *Deduxiſti inſtar* gregis *ovium populum tuum per manum Moſis & Aharonis*. Exponitur autem locus ille נחית (uti loquuntur) h. e. ita ut ſingulæ vocis illius נחית literæ vocem integram deſignent. Quatuor autem ejuſmodi diverſæ expoſitiones Cabbaliſticæ vocis illius adferuntur iſthic: Quarum hæc eſt ſecunda, quæ R. cuidam Joſuæ tribuitur, י' ישועות ושמי נפלאות עשית להם נחית ענן ושמש שמחם חלוי ושש עשרת להם חיתו נחית לחם בין משה ואהרן, h. e. *R. Joſua dixit*, litera נחית vocis ונחית notat vocem נפלאות *mirabilia*, & ſign. *Deum mirabilia in populi ſui gratiam feciſſe*. Litera ח Heth notat vocem חירות *libertatem*, & ſign. *Deum eos aſſeruiſſe in libertatem*. Litera י Jod notat vocem יתרון *dextera ſua*,

& significat, *Deum dextera sua eos servasse.* Denique litera ת Tau notat vocem תלוי *suspensum*, & sign. *Deum dedisse illis Suspensum pro Capite:* atque hæc omnia fuisse *per manus Mosis & Aharon.* Jam vero quis possit esse senius & mens horum verborum, *Deum dedisse Israelitis in deserto Suspensum pro Capite, per manus Mosis & Aharon?* nisi hoc voluerit Rabbi ille, Messiam populi Dei Caput significatum & adumbratum olim fuisse per Serpentem æneum à Mose & Aharone fabricatum, in altum sublatum, & de ligno veluti suspensum, adeoque & illum esse Jesum Nazarenum Servatorem nostrum, quem Judæi solent per summam contumeliam vocare antonomasticè תלוי *Suspensum illum.* Ita ut videatur R. ille Josua fuisse ex eorum numero Judæorum & Rabbinorum qui Apostolorum tempore in Christum crediderant, sed Legis erant zelotæ, quique propterea magnæ erant nihilominus inter Judæos authoritatis, ita ut dicta eorum & sententiæ (quibus doctrinam de Christo Jesu obumbrabant & obvelabant) à posterioribus Rab. istorum discipulis, minus intellecta, excepta tamen fuerint & collecta atque scripeis mandata. Multa enim videre est in veterum Judæorum scriptis inspersa & immixta quibus ea quæ ad Christum Jesum pertinent involvuntur & obvelantur, quæ non aliunde esse videntur. Quod videtur factum singulari Dei providentia, ut ea sint aliquando quasi totidem testimonia ad revincendam & coarguendam pertinaciam Judæorum hodiernorum incredulitatem & rebellionem. Ita ut ejusmodi dicta in hominum illorum scriptis hic & illic sparsa ejusdem sint propemodum rationis cujus est celeberrimum illud Caiphæ (ab Euangelista hoc notatum) dictum, *Expedit unum hominem mori pro populo*, &c. Deus nempe arcano providentiæ suæ ductu vel ab imprudentibus & nihil minus cogitantibus, vel etiam ab invitis interdum hostibus, ea, cum libet, elicit quæ postmodum ad eorum convictionem & redargutionem faciunt; uti in hodiernis Pontificiis videre est, quibus aliud agentibus infinita excidunt quibus eorum fraudes & errores coarguuntur. Quin & quod hæc allegorica explicatio tribuitur R. Josuæ, innuere videtur eos à Christo, qui est verus R. Josua, habuisse explicationem mysterii illius de Serpente æneo Messiæ typo. Quicquid sit, si R. ille Josue non fuit ipse Dominus noster Jesus Christus, si Jesum Nazarenum pro Messia non agnovit, si eum noluit allegorica hac interpretatione significare, at certe dubium non est eum per illum תלוי *suspensum* voluisse designare Messiam, qui Serpentis æmei in deserto suspensi typo adumbratus fuerit: neque enim alius תלוי *suspensus* potest esse populi Dei ראש *caput* sive *Princeps* præter Messiam. Atque hic observandum est vocem Hebræam נחש, quæ *Serpentem* significat, & vocem משה, quæ *Messiam* seu *Christum* notat, eundem plane (per Gematriam, quam Judæi vocant) numerum conficere, nempe CCCLVIII. quod omnino non videtur temere & fortuito factum, sed potius sapientissimo Dei consilio & occulto providentiæ ipsius ductu contigisse, ut sic Serpens ille æneus in eo etiam fuerit Christi typus quod utrumque nomen eundem parit numerum, uti liquet ex hoc diagrammate,

מ	40	נ	50
ש	300	ח	8
י	10	ש	300
ח	8		
	358		358

Est itaque verisimile R. illum Josuam deprehendisse & animadvertisse נחש & משה eundem efficere numerum, ac proinde alterum altero fuisse significatum, indeque dixisse *Deum per manum Mosis & Aharonis dedisse populo suo* משה תלוי *suspensum pro Capite*, h. e. voluisse à Mose & Aharone erigi atque attolli deque ligno suspendi Serpentem æneum typum Messiæ futuri Ecclesiæ Capitis. Nescio & an huc referri possit fabula quæ habetur in Targum Ruth. 4. 22. qua videri possit veritas ilta fuisse adulterata & involuta. Sic ergo habet ille Paraphrastes, *Isai cognominatus est* נחש *Serpens, propterea quod non est inventa in eo causa ulla cur traderetur in manus Angeli mortis, qui tolleret ab eo animam ejus; propterea vixit dies multos, donec commemoratum est coram Domino consilium quod Serpens dedit Eva de comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, propter quod consilium constituti sunt rei mortis omnes habitatores terræ: eaque de causa mortuus est Isai qui genuit Davidem Regem Israelis.* Hæc ille. Notum est autem Christum à Judæis solere vocari ישו sine י, quod nomen parum distat à יש quoad literas quibus utrumque scribitur: ex quanominum affinitate videri possit nonnullos Judæos ex malitia occasionem (ex 2 Sam. 17. 27. ubi Isai videtur dici נחש *Nahas*) cepisse transferendi id quod à quibusdam de יש Jesu filio Davidis rectè dictum fuerat, ad יש *Isai* patrem Davidis, illudque ipsum fabula insulsissima involvendi. Nam alioqui unde habent Isai dictum esse נחש *Serpentem?* At יש *Jesum* dici potest נחש, quia & Serpente æneo fuit adumbratus, & quia נחש & משה eundem conficiunt, uti dixi, numerum.

GROTIUS.

1. ΗΝ δὲ, *erat autem*] *Ibi*, ut addit Syrus, id est, in urbe Hierosolymorum, ubi ea acciderant quæ paulo ante fuerunt narrata. ¶ Ἐκ τῶν Φαρισαίων, *ex Phariseis*] Melioris sectæ. ¶ Νικόδημος ὄνομα, *Nicodemus nomine*] Pridem jam mos invaserat apud Judæos sumendi Græca nomina, ut *Menelaus, Tryphon, Dositheus.* Hebraicum forte nomen fuerit קדמו [*ab antiquo*]. ¶ Ἄρχων τῶν Ἰουδαίων· *princeps Judæorum*] Id est, unus ex Magno Synedrio. Vide quæ ad Lucam XIV. 1.

2. Νυκτὸς, *nocte*] Ne collegas jam Jesu male volentes offenderet. Simile quid de Josepho Arimathæensi dicitur infra XIX. 38. statimque sequitur hujus Nicodemi mentio, addita hac nota, ὁ ἐλθὼν πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτός [*qui venerat ad Jesum nocte*]. De Euclide Megarensi narratur, eum, cum edicto in Megarenses facto Athenas palam venire vetaretur, venisse noctu ut consiliorum sermonumque Socratis fieret particeps. ¶ Ἀπὸ Θεοῦ ἐλήλυθας, *à Deo venisti*] *Missus es*, ut supra I. 10. & alibi sæpe. ¶ Διδάσκαλος· *magister*] Cum potestate docendi populum. Simile loquendi genus infra XII. 46. ¶ Ἐὰν μὴ ᾖ ὁ Θεὸς μετ' αὐτοῦ. *nisi fuerit Deus cum eo*] Efficacia sua ipsi præsens. Vide Matth. XXVIII. 20. Supponit Christum non docere deos falsos, quo solo excepto credendum erat ei qui miracula ederet. Deinde Jesu miracula omnem vim etiam diabolicam superabant.

3. Ἀπεκρίθη, *Respondit*] Responsio tacite innuit quod adjectum à Nicodemo fuerat, nempe, Velle se sciri, quandoquidem Jesus *Regni cœlestis* inter docendum mentionem sæpe faceret, quæ ratio esset eo perveniendi. ¶ Γεννηθῇ ἄνωθεν, *natus fuerit denuo*] Haud dubie ἄνωθεν est *iterum*, δεύτερον [*iterum*], ut mox accipit Nicodemus, qui significatu vocis dubio falli non potuit, cum in Hebræo aut Syriaco non sit ea ambiguitas. Sic vox ἄνωθεν sumitur Gal. IV. 9. Extat eo sensu apud Athenagoram. Sic hoc loco interpretatur Syrus. Verba autem *seri & nasci* solere usurpari apud Hebræos de formatione animi ostendimus Matth. XIII. 23. Usurpat & Seneca De brevitate vitæ: *Solemus dicere non fuisse in nostra potestate quos sortiremur parentes, sorte nobis datos. Nobis vero ad arbitrium nostrum nasci licet. Nobilissima ingeniorum familia sunt: Elige in quam adscisci velis, non in nomen tantum adoptaberis, sed in ipsa bona.* Plutarchus quædam de Baccho discerpto tradita ait esse μῦθον εἰς τὴν παλιγγενεσίαν [*fabulam quæ ad regenerationem pertineat*], quam interpretatur τῇ ἀλόγῳ καὶ ἀτάκτῳ πάλαι [*castigationem ejus quod à ratione & ordine discedit*]. Simili sensu in antiqua inscriptione legimus, *Taurobolio Criobolioque in æternum renatus.* Etiam Rabbi Israel libro De Anima proselytos vocat *recens natos.* Confer Jac. I. 18. Et sic quidam fumunt צור ילדך [*rupem quæ te genuit*] Deuter. XXXII. 18. ubi Græci Θεὸν τὸν γεννήσαντά σε [*Deum qui te genuit*]. ¶ Οὐ δύναται ἰδεῖν, *non potest videre*] Ἰδεῖν [*videre*] hic est *participem fieri*, ut Luc. II. 26. infra VIII. 51. ¶ Τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. *Regnum Dei*] Quæ hic inchoatur per pacem conscientiæ, in altero seculo per summam felicitatem absolvetur. Rem novam Nicodemo Legis Doctori Christus indicat, Posthac ad salutem pariendam majus aliquid Judaismo requiri. Vide Galat. VI. 15. Sed & præmium fore majus, Regnum cœleste, quod tunc demum manifestari cœpit.

4. Γεννηθῆναι γέρων ὤν; *nasci cum sit senex?*] Exemplum in se ponit, qui senex jam erat.

5. Γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος, *natus fuerit ex aqua & Spiritu*] Exponit jam qualem nativitatem intelligat, ne Nicodemus diutius allegoricæ locutionis ignorantia fallatur. Est autem ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*]. Nam sicut *in spiritu & igne* Matth. III. 11. significat *per spiritum igneum*, ita hic *ex spiritu & aqua* est *ex spiritu aqueo.* Neque obstat quod vox alteram quasi limitans hic præcedat. Nam sic Act. XVII. 25. ζωὴ καὶ πνοὴ [*vita & inspiratio*] est idem quod alibi πνοὴ ζωῆς [*inspiratio vitæ*], ut Gen. II. 7. & II Macc. VII. 23. πνεῦμα καὶ ζωή [*spiritum & vitam*]. Sic Gen. III. 16. *conceptum & dolorem*, id est, *dolorem ex conceptu.* Sic Col. II. 8. διὰ τῆς Φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, [*per Philosophiam & inanem fallaciam*], i. *per inanes fallacias Philosophiæ.* Et Matth. IV. 16. ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου [*in regione & umbra mortis*], vertit Arabs: *in regione umbræ mortis.* Rursum sicut

ibi

ibi per *ignem ſpiritum* ſignificatur ſpiritus efficax, ita hic per *ſpiritum aquæum* ſpiritus emundans. Chryſoſtomus Homilia xxxi. τῷ πνεύματος τὴν χάριν ἡ γραφὴ τοτὲ μὲν πῦρ, τοτὲ δὲ ὕδωρ καλεῖ [*ſpiritus gratiam Scriptura modo ignem, modo aquam vocat*]. Apud Plutarchum legimus quæſtionibus Romanis, τὸ πῦρ καθαίρει, τὸ ὕδωρ ἀγνίζει [*ignis purgat, aqua mundat*]. Hoc ſenſu *aquas mundas* legimus Ezech. xxxvi. 25. & Dei cognitio aquæ comparatur, Eſaiæ xi. 9. Abac. ii. 14. & in Epiſtola 1 Johan. v. 8. *aqua* eſt puritas vitæ Chriſtianæ quæ ſimul cum martyrio & miraculis teſtimonium reddit veritati dogmatis. Sanari etiam apud Prophetas eſſe mundari à peccatis notat in II Apologetico Juſtinus. At ſicut infra capite VI. non agitur quidem de Euchariſtia, ſed metaphoricæ locutiones tacitam habent ad illa ſigna alluſionem, quia & ſigna illa & iſtæ locutiones rem eandem notant: ita hic non agitur directe de Baptiſmo, ſed locutiones ſunt alludentes ad Baptiſmum. Vide Eph. v. 26. & ad Tit. III. 5. Hebr. x. 22. quibus itidem in locis lotio tribuitur verbo Euangelii. Lactantius lib. v. *Quanto ſatius eſt mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus ſordidatur, & una virtutis ac fidei lavacro univerſa vitia depellere? Quod qui fecerit, quamlibet inquinatum ac ſordidum corpus gerat, ſatis purus eſt.* Si quis tamen malit iſta diſcernere, ut *aqua* ſignificet mali fugam, *ſpiritus* vero impetum ad optima quæque agenda, inveniet quo hanc ſententiam fulciat.

6. Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι· *Quod natum eſt ex carne, caro eſt*] Comparatione rem illuſtrat; Quod naturæ lege ex hominibus naſcitur, vitæ naturalis actionibus fungitur. Vide ſupra I. 13. & Rom. VIII. 5. Hæc autem vita ad mortem ducit, Roman. VIII. 6. nullum enim jus habet ad immortalitatem, 1 Cor. XV. 50. ¶ Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῦ πνεύματος, πνεῦμά ἐστι. *quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*] Qui Dei virtute mundatus eſt indolemque Divinam accepit, vitam agit Divinam. Vide iterum ſupra I. 13. Vide Joh. 1 Epiſt. III. 9. & II Pet. I. 4. Et confer infra VIII. 44. Act. XIII. 10. *Spiritus*, id eſt, ſpiritualis, 1 Cor. VI. 17.

7. Μὴ θαυμάσῃς, *Non mireris*] *Ne mireris* tanquam incredulus, quia hæc nativitas in oculos non incurrit, ut iſta naturalis.

8. Τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ· *Spiritus ubi vult ſpirat*]. Oſtendit & alia eſſe quæ non conſpiciantur, revera tamen exiſtant. Et quia de *Spiritu* loqui cœperat, exemplum ſumit à vento qui item *ſpiritus* dici ſolet, ut Gen. VIII. 1. & alibi ſæpe. Minutius Octavio; *Vento & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, & ſub oculis tamen non venit ventus & flatus.* Vento autem voluntas tribuitur κατὰ προσωποποιΐαν [*per perſonæ fictionem*], ut apud Paulum Lex, Peccatum, Mors, introducuntur προσωποποιητικῶς [*perſonam fingendo*]. Ventus nunc huc nunc illuc ſe mövet. ¶ Φωνὴν αὐτῦ ἀκούεις, *vocem ejus audis*] Auditur ſonus. ¶ Οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται, *neſcis unde veniat*] Non cernitur origo ejus; alii enim fluxum naturalem aëris eſſe volunt, alii exhalationes è terra: & tanta reperitur eorum diverſitas, etiam iiſdem in locis, ut ad terrarum ingenium referri tota nequeat. Quæritur ergo origo, non conſpicitur. ¶ Καὶ τῦ ὑπάγει· *aut quo vadat*] Πῦ hic eſt *quo*, ut infra XIII. 36. XVI. 5. & 1 Joh. II. 11. Sic & ὅπου XIII. 36. XIV. 4. Hoc vult, Neſcitur ubi deſinat ventus. Non magis exitus ejus quam origo in conſpectum venit. Vide Eccleſiaſten XI. 5. ¶ Οὕτως ἐστὶ πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τῦ πνεύματος. *ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu*] Id eſt, *ſic ſe res ejus habet.* Vide Matt. XIII. 49. Marc. IV. 26. Hominis renati per Spiritum actiones conſpiciuntur admirabiles, origo ipſa latet: latet & finis in quem tendit, quippe inconſpicuus & alterius ſeculi. Eſt enim τὸ τέλος, ζωὴ αἰώνιος [*finis, vita æterna*], Rom. VI. 22. ἡ ζωὴ ὑμῶν κέκρυπται ἐν τῷ Θεῷ [*vita noſtra abſcondita eſt in Deo*], Col. III. 3.

9. Πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι; *Quomodo poſſunt hæc fieri?*] Hæſitantis eſt.

10. Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τῦ Ἰσραὴλ, *Tu es magiſter in Iſrael*] Ille inſignis inter Legiſperitos. ¶ Καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις; *& hæc ignoras*]? Non legiſti quæ Jeremias & Ezechiel promiſerunt de Corde novo creando Meſſiæ temporibus? Potuit Deus inſpirando in Adamum vitam ei naturalem conferre, & non poterit meliore Spiritu conferre vitam ſupernaturalem? Adeo defixus es in Phariſaicis illis mundationibus corporis ut nihil ſublimius cogites?

11. Ὃ οἴδαμεν λαλῦμεν, *quod ſcimus loquimur*] Eſt proverbialis locutio certo aliquid teſtantium, quam Chriſtus ſibi applicat. ¶ Ὃ ἑωράκαμεν, *quod vidimus*] Certo cognovi conſilium Patris de mutandis hominum animis. Vide ſupra I. 18. ¶ Οὐ λαμβάνετε. *non accipitis*] Non penitus in animum admittitis vos aliique collegæ & populares veſtri.

12. Εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, *Si terrena dixi vobis*] Si rem vobis explicavi comparatione rerum quas quotidie experimur, nempe naturalis Nativitatis & Venti. Sic κατὰ ἄνθρωπον λέγειν [*ſecundum hominem dicere*] Galat. III. 15. eſt *ſimilitudines ſumere à rebus humanis.* ¶ Καὶ οὐ πιστεύετε· *& non creditis*] Et ne ſic quidem aperientem me vobis intelligitis, ut ſupra II. 22. ¶ Ἐὰν εἴπω ὑμῖν τὰ ἐπουράνια, *ſi dixero vobis cœleſtia*] Remotis figuris, lingua Angelorum.

13. Οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, *nemo aſcendit in cœlum*] *Aſcendere in cœlum* dicitur qui arcana cœli penetrat, Prov. XXX. 4. Quantum cœlum à terra diſtat, tantum conſilia Divina ab humanis, Eſaiæ LV. 9. Quod prope nos eſt obvium, planum, cognitum, id dicitur *non eſſe in cœlo, ut eo ſit aſcendendum.* Deut. XXX. 12. Rom. X. 6. Sic ferme *ingredi in ſanctuarium* ſumitur Pſ. LXXIII. 17. ¶ Ὁ ἐκ τῦ οὐρανῦ καταβάς, *qui deſcendit de cœlo*] Qui ſingulari Dei dono nobis conceſſus eſt, ut infra VI. 58. Jac. I. 17. III. 15, 17. Sic 1 Cor. XV. 47. ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ Κύριος ἐξ οὐρανῦ [*ſecundus homo, Dominus ex cœlo*]. Sic Johannis baptiſma *ex cœlo*, Matth. XXI. 25. *Jeruſalem quæ deſcendit ex cœlo*, Apoc. III. 12. XXI. 2, 10. Tertullianus in Apologetico, *Lex tua erravit: puto ab homine concepta eſt, neque enim de cœlo ruit.* Arnobius lib. VII. *Audire deſidero cœlo aliquid lapſum.* ¶ Ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. *qui eſt in cœlo*] Si Chriſtianorum πολίτευμα, id eſt, *converſatio* dicitur *eſſe in cœlo*, quanto magis Chriſti qui ſemper introſpexit Patris intima? Sic ſupra I. 18. ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τῦ Πατρός [*qui eſt in ſinu Patris*]. Vide quæ ibi.

14. Καὶ καθὼς, *Et ſicut*] Pergit dicere quomodo novam hanc hominum nativitatem effecturus eſſet Deus, non nudo ipſius Jeſu dogmate, ſed tali cui & exemplum & teſtimonium ipſe ſua morte eſſet præbiturus, ne qua juſta relinqueretur aut de veritate aut de poſſibilitate dubitandi occaſio. ¶ Ὕψωσε· *exaltavit*] Dubitandum non eſt quin Chriſtus ad crucem ſuam reſpiciat, quo ſenſu vox ὑψωθῆναι [*exaltandi*] & infra reperitur VIII. 28. & XII. 32, 34. Impoſitus eſt ſerpens ille, ut Moſis hiſtoria loquitur, על־נס [*ſuper furcam*] Num. XXI. 8, 9. Illud autem על Rabbi Solomo interpretatur כמרים *furcam*. Et quod hic in Syriaco eſt pro ὑψῶν ܢܣܩ [*exaltare*], id Kimchi interpretatur תלה [*ſuſpendere*], unde eſt vox ܨܠܝܒܐ, quæ *crucem* Syris ſignificat. Juſtinus Apologetico ſecundo ſcribit, λαβεῖν τὸν Μωσέα χαλκοῦν καὶ ποιῆσαι τύπον σταυροῦ, καὶ τοῦτον σῆραι ἐπὶ τῇ ἁγίᾳ σκηνῇ [*cepiſſe Moſem æs & feciſſe figuram crucis, eamque poſuiſſe in Sacro Tabernaculo*]. ¶ Τὸν ὄφιν, *ſerpentem*] Id eſt, Effigiem ſerpentis, ſalutarem, animantis noxii. Sic Chriſtus ſine peccato *in ſimilitudine carnis peccati*, Rom. VIII. 3. imo & *annumeratus improbis*, Marci XV. 28. Luc. XXII. 37. ex ſerpente morbi, per ſerpentem medicinæ; *per hominem peccatum & mors, per hominem juſtificatio & reſurrectio*, Rom. V. 18. 1 Cor. XV. 21. De hoc ſerpente Moſis Philo lib. περὶ γεωργίας [*de Agricultura*] hæc adfert quæ ad Chriſtum optime apies: τὸν Μωσέως ὄφιν θαμὺν τῆς ἡδονῆς ἐναντίαν διάθεσιν, καρτερίαν παρ' ὃ καὶ τῆς χαλκῆ κρατιστείρας ὕλης κατασκευασμένος εἰσάγεται· τὸν ἐν ἅπασι κατατεθαρρηκότα τὸ τῆς καρτερίας εἶδος, ἀφ' οὗ εἴ δεδηγμένος πρότερον ὑπὸ τῶν φίλτρων ἡδονῆς τυγχάνοι, ζῇ καιρίως· ἡ μὲν γὰρ ἐπανασταίνουσι ψυχῇ θάνατον ἀπαραίτητον, ἐγκράτεια δὲ ὑγείαν καὶ σωτηρίαν πρατεῖναι βίου· ἀντιπαθὲς δὲ ἀκολασίας φάρμακον καὶ ἀλεξίκακος εὐφροσύνη [*ſerpentem Moſis dicimus conſtitutionem animi voluptati contrariam, conſtantiam ſcilicet. Unde & ex materia maxime firma, ære ſcilicet fabricatus narratur. Qui igitur planiſſime conſpexerit conſtantiæ formam, etiamſi ante à voluptatis illecebris morſus fuerit, eum neceſſe eſt vivere; Voluptas enim animo porrigit mortem indeprecabilem. At temperantia ſanitatem & vitæ ſalutem præbet. Eſt autem temperantia contrarium libidini, medicamen & malorum propulſatrix*]. Quod diximus ſerpentem hunc æneum (talis enim factus erat quo magis preſberem, qui æri concolor, referret) in eo Chriſti geſtiſſe imaginem quod alius erat quam videbatur, recte notavit adverſus Tryphonem Juſtinus, de eo ſerpente ſic loquens, ἀναίτιός ἐστιν ἀδικίας [*extra culpam eſt injuſtitiæ*]. Notandum autem quo magis vis ſua comparationi conſtet, adſpectum quidem ſerpentis fuiſſe conditionem & viam ad ſalutem, vim autem ſalutarem proprie fuiſſe à Divina gratia. Sapiens Hebræus XVI. 5, 6, 7. Καὶ γὰρ ὅτε αὐτοῖς δεινὸς ἐπῆλθε θυμὸς ὑμῖν θυμὸς, διὰ μιᾶς τε σπολιᾶς διεφθείροντο ὄφεων, ἐ μέχρι τέλους ἤμεσαν ἡ ὀργή σου· εἰς πάθεσιν δὲ πρὸς ὀλίγον ἐταράχθησαν, σύμβολον ἔχοντες σωτηρίας εἰς ἀνάμνησιν ἐντολῆς νόμου σου· ὁ γὰρ ἐπιστραφείς, ἐ διὰ τὸ θεωρούμενον ἐσώζετο, ἀλλὰ διὰ σὲ τὸν πάντων σωτῆρα [*Etenim cum illis ſupervenit ſæva beſtiarum ira, morſibus perverſorum colubrorum exterminabantur. Sed non in perpetuum ira tua permanſit: ſed ad correptionem in brevi turbati ſunt, ſignum habentes ſalutis ad com-*

memorationem mandati legis tuæ; qui enim converſus eſt, non per hoc quod videbat ſanabatur, ſed per te omnium ſalvatorem]. ¶ Ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deſerto*] In loco vaſto, pleno veneni; in quo figura mundi Chriſti temporibus corruptiſſimi. ¶ Οὕτως, *ita*] Simili effectu: quod ſequenti commate explicatur. ¶ Τ' ψωθῆναι, *exaltari*] In cruce, ut jam oſtendimus. ¶ Δεῖ, *oportet*] Patris decreto. Vide quæ nos hac de re apud Matth. XXVI. 54. Marci VIII. 31. Luc. IX. 22. XVII. 25. XXIV. 7, 26, 46. infra XII. 34. & alibi. ¶ Τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου· *Filium hominis*] Hominem quidem, ſed innocentem.

15. Ἵνα πᾶς, *Ut omnis*] Decreti jam indicati cauſas explicare pergit. ¶ Ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, *qui credit in ipſum*] Non quovis modo, ſed penitus in cor admiſſa fide & fiducia: nam talis quæ eſt, eam cætera ad viram æternam neceſſaria per ſe ſequuntur. Intelligenda autem hæc de credente ut oportet, qua & quamdiu talis eſt.

16. Ἠγάπησεν ὁ Θεὸς, *Deus dilexit*] Singula ἐμφασιν [*altiorem intellectum*] habent. Deus ille omnium Dominus dilexit & quidem prior: noſter 1 Epiſt. IV. 10, 19. ¶ Τὸν κόσμον, *mundum*] Non Judæos tantum quibuſcum fœdus habebat aliquod, ſed omne omnino genus humanum, peccatis obrutum, 1 Joh. V. 19. addito Rom. V. 8. & Epheſ. II. 12. ¶ Ὥστε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, *ut filium ſuum unigenitum*] Paulus Rom. VIII. 32. Ὃς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο [*Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit*]. Non ſatis erat *filium* dixiſſe, niſi addidiſſet *unigenitum*. Alluſio eſt ad Abrahami hiſtoriam Gen. XXII. 12. ¶ Ἔδωκεν, *dedit*] Intellige gratis, nullis meritis provocatus: παρέδωκεν [*tradidit*] Paulus dicto loco & alibi ſæpe. De morte ſua obſcure loquitur; de vita æterna aperte, ut animos erigat.

17. Ἵνα κρίνῃ τὸν κόσμον, *ut judicet mundum*] Deus ſæpe ultor deſcribitur in Veteri pagina: itaque conſcii peccatorum merito exſpectare poterant filium venire ad pœnas Patris nomine exigendas. Nam κρίνειν [*judicare*] eſt κατακρίνειν [*damnare*], ut 1 Cor. XI. 32. Heb. XIII. 4. at κατακρίνειν eſt & *damnare & pœnas exigere*. ¶ Σωθῇ, *ut ſalvetur*] *Vitam habeat*, ut hic explicat Syrus.

18. Ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν οὐ κρίνεται· *Qui credit in eum non judicatur*] Eripitur communi exitio. ¶ Ὁ δὲ μὴ πιστεύων ἤδη κέκριται, *qui autem non credit jam judicatus eſt*] Dictum eſt vetus,

Ille nocens ſe damnat quo peccat die.

Sic in legibus Romanis, *Ipſe te pœnæ ſubdidiſti*. Et qui ſceleratum capiunt conſilium *ſuo merito puniri* dicuntur. Sed adde quæ notavimus ad Matth. XXV. 32. ¶ Ὅτι μὴ πεπίστευκεν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*] Quod veritatem & bonitatem Divinam tam aperte referenti & morte ſua obſignanti nec credere nec confidere voluerit: quod ex peſſimo animo proficiſci ſequentibus oſtendit.

19. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις, *Hoc eſt autem judicium*] In hoc ſunt αὐτοκατάκριτοι, *intus ſuapte judicio damnati*. ¶ Τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, *lux venit in mundum*] Chriſtus cum ſuo puriſſimo dogmate, ut ſupra 1. 10. Confer Eſaiam IX. 1. & XLII. 6. Quærere lucem debuerant: ultro ipſis oblata eſt. ¶ Ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος ἢ τὸ φῶς· *& dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*] Μᾶλλον [*magis*] hic oppoſitionis eſt, non comparationis. *Prætulerunt homines* (id eſt, magna pars hominum, ut ſupra 1. 12.) *tenebras luci*. Sic 1 Tim. III. 4. Thucydides, μᾶλλον βουλόμαι τοῦτο ἀντὶ ἐκείνου, *hoc pro illo malo*. τὸ σκότος [*tenebras*] hic intellige vivendi rationem nulla regula ſubnixam, quæ luculente deſcribitur Epheſ. II. 3. Sic infra VIII. 12. XII. 35. 1 Epiſt. I. 6. II. 11. Eph. V. 11. ¶ Ἦν γὰρ πονηρὰ αὐτῶν τὰ ἔργα. *erant enim eorum mala opera*] Intellige non modo opera in quibus vixerant antequam lux affulſiſſet, ſed & ea in quibus manere ipſis placebat: favebant morbo.

20. Πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων μισεῖ τὸ φῶς· *Omnis enim qui mala agit, odit lucem*] Proverbium eſt ex vulgo deſumtum. Euripides Iphigenia,

Κλεπτῶν γὰρ ἡ νύξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς.
[*Lux quippe vero grata: nox fures juvat*].

Philo de Caligula, ἐκείνῳ δὲ ἥλιος ἡ φῶς συνόλως ἀσπαστὸν ἦν, ἀλλὰ οὐχὶ νὺξ καὶ εἴ τι σκότους ἀφεγγέστερον, εἰς τὴν τῶν ἐκνόμων ἔργων διάθεσιν; [*illine ſol & lux ullo modo amica eſſent, & non potius nox, & ſi quid tenebris eſt nigrius, ad diſponenda opera illicita*]? & mox, ἐπειδὰν τὰ μὲν καλὰ περιαυγείας μεσημβρινῆς δεῖται πρὸς ἐπίδειξιν· τὰ δὲ αἰσχρά, φασιν, ἀσχημοσύνης ταρτάρου [*nam certe quæ honeſta ſunt ea lucem meridianam deſiderant, ut pateant; at turpia, ad quod extremum in Tartaro eſt*]. Simile proverbium illud, Οἱ μεθυσκόμενοι νυκτὸς μεθύσκουσι [*Qui inebriantur, nocte inebriantur*]. Hinc *tenebriones, lucifugæ*. Xenophon De Cyri Inſtit. II. οἱ δὲ αἰσχυνόμενοι βαδιουργεῖν τοῖς μᾶλλον δοκοῦσιν ὥσπερ οἱ ἐν σκότει ὄντες [*illi credendi potius clam turpia agere, ut ſolent qui tenebras amant*]. Et de Ageſilao, αἰσχρουργίᾳ μὲν τὸ ἀφανίζεσθαι πρέπειν, τῷ δὲ εἰς κάλλος βίᾳ τὸ φῶς; μᾶλλον κόσμον παρέχειν [*malis actionibus convenit occultari: at vita honeſta lux ipſa plus addit ornatus*]. Seneca Epiſt. CXXII. *Gravis mala conſcientiæ lux eſt*. Et I. Nat. quæſt. XVI *ſcelera conſpectum ſuum reformidant*. Vide egregiam hujus loci explicationem apud Chryſoſtomum in caput IV ad Epheſios II. 19. ¶ Ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ. *ut non arguantur opera ejus*] Ne ſibi ipſi appareat vitæ quam ducit turpitudo. Epheſ. V. 13. τὰ δὲ πάντα ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦται [*omnia autem quæ arguuntur, à luce manifeſtantur*].

21. Ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, *Qui autem facit veritatem*] Qui ſincere agit. Sic II Reg. XX. 3. *ambulare in veritate* exponitur, *integro corde*. Adde Pſalm. XV. 5. LXXXVI. 11. Prov. XXVIII. 6. conjungitur cum luce Pſalm. XLIII. 3. Epheſ. V. 8, 9. Et in hujus 1 Epiſt. I. 6. Hoc quoque intellige, poſtquam lux affulſit: nam conſilium emendandæ vitæ his verbis deſcribitur. ¶ Ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, *venit ad lucem*] Philo dicto loco, τὰ καλὰ περιαυγείας μεσημβρινῆς δεῖται πρὸς ἐπίδειξιν [*honeſta lucem meridianam deſiderant, ut pateant*]. Plutarchus, οὐδεὶς τῶν καλῶν ἔργων τὸ σκότος περιβάλλει [*nemo honeſtis actionibus tenebras circumdat*]. Seneca Epiſtol. XCVII, *bona conſcientia prodire vult & conſpici*. ¶ Ἵνα φανερωθῇ αὐτοῦ τὰ ἔργα, *ut manifeſtentur opera ejus*] Ut ipſe hæc opera ad illud dogma exploret ac dirigat. Neque enim formidat examen. ¶ Ὅτι ἐν Θεῷ ἐστιν εἰργασμένα. *quia in Deo ſunt facta*] Ἐν [*in*] pro κατὰ [*ſecundum*], *ſecundum naturam ac voluntatem Dei*. Sic ἐν Κυρίῳ [*in Domino*] 1 Cor. VII. 39.

22. Εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν. *in Judæam terram*] *In agrum tribus Judæ:* opponitur id oppidis. Vide Joſ. VIII. 1. ubi Græci τὴν πόλιν αὐτοῦ καὶ τὴν γῆν αὐτοῦ [*urbem ejus & terram ejus*], quod alibi dicunt χώραν [*regionem*], ut & Luc. XXI. 21. ¶ Ἐβάπτιζεν. *baptizabat*] Opera Diſcipulorum, infra IV. 2. Sic Tertullianus libro De Baptiſmo, *Semper is dicitur facere cui præminiſtratur*. Sic & Paulus prædicabat Euangelium, baptizabat autem plerunque, non opere ſed per alios, 1 Cor. I. 17. Johannes vero Baptiſta ipſemet baptizabat, hoc quoque ſe inferiorem Chriſto profeſſus.

23. Ἐν Αἰνών, *in Ainon*] עין־נון, ut hic Syrus & tabula Judaica. Nomen eſt fontis forte à Græcis primum reperti. Longe alius eſt locus qui nominatur Ezech. XLVII & XLVIII. neque enim diſtincte ibi legendum eſt חצר & עינן, ſed conjunctim חצר־עינן [*Aſſer Ainon*], ut apparet Num. XXXIV. 9. ubi Græci Ἀρσεναὶν [*Arſenain*] pro Ἀσερναὶν, tranſpoſitione facta, quia Græcis σ & ρ non cohærent. At in Ezechiele priorem partem appellative reddiderunt, αὐλὴν τοῦ Αἰνὰν [*aulam ſive villam Ainan*], pro quo ſecundo loco Αἰλὰμ corrupte legitur. ¶ Ἐγγὺς τοῦ Σαλείμ, *juxta Salim*] Errant qui hunc locum eſſe putant qui dicitur שעלים I Sam. IX. 4. ubi Græci Σεγαλὶμ [*Segalim*], ע, ut fit, in γ mutato. Sequendus eſt potius Hieronymus qui eum eſſe locum ait qui Gen. XXXIII. 18. vocetur שלם, Græcis Σαλὴμ [*Salem*], ut & in tabula Judaica ſcribitur. Eo autem ivit Baptiſta, non alio, ut videtur, conſilio quam ut pluribus locis officio ſuo fungens populum ad pœnitentiam & baptiſmum invitaret. ¶ Ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ· *aqua multæ erant illic*] Intellige non rivos multos, ſed ſimpliciter aquæ copiam, tantam ſcilicet in qua facile corpus humanum mergaretur, quo tum more Baptiſmus peragebatur. Vide ad Matth. III. 6. Sic & alibi, Apoc. VIII. 11. XI. 6. ὕδατα [*aquas*] pro aquæ copia uſurpat hic noſter, ut & Apocal. XIV. 7. XVI. 4.

\- - Ἄφθονον ὕδωρ
[- - *Uber aquæ vim*]

hoc loco Nonnus non male.

24. Οὔπω γὰρ ἦν, *Nondum enim fuerat*] Oſtendit, quod diximus, eas hic à ſe res narratas quæ Johannis captivitatem antecеſſerunt: cum cæteri miraculorum Chriſti inde ferme initium faciant.

25. Ἐκ τῶν μαθητῶν, *ex diſcipulis*] Id eſt, τισὶν ἐκ τῶν μαθητῶν [*quibuſdam ex diſcipulis*], quales ἐλλείψεις [*defectus in loquendo*] notavimus ad Matth. XXVII. 9. ¶ Μετὰ Ἰουδαίου, *cum Judæo*] Sic habent antiquiſſima exemplaria: ſic legerunt Chryſoſtomus & qui poſt eum Græci. Etiam Nonnus,

Ἑβραίῳ μετὰ φωτός· - -
[*Cum quodam Hebræo*, - -]

nec aliter Syrus: quare hæc lectio ſequenda videtur: ut ſenſus ſit,

ſit, Judæum quendam, puta à Diſcipulis Chriſti baptizatum, hanc quæſtionem movîſſe Johannis diſcipulis. ¶ Περὶ καθαρισμοῦ *de purificatione*] Sicut ſuperiore capite καθαρισμὸν vocavit *ablutionem* illam Phariſaicam manuum & poculorum, quam Marcus βαπτισμὸν [*baptiſmum*], ita & hic *Baptiſmum* Johannis & Jaſii vocat καθαρισμὸν [*purificationem*], ſicut & verbo καθαίρειν [*purificare*] uti Joſephum in narrando Johannis baptiſmo oſtendimus ad Matth. III. 6. Neque aliter quam de Baptiſmo ſumma vocem καθαρισμῷ II Petri I. 9. Nam ſic & Arabes Chriſtiani antiquitus Baptiſmum appellabant طهر, id eſt, καθαρισμὸν [*purificationem*]. Videtur autem diſputatum, an Johannis Baptiſmus Divina eſſet cæremonia, an humanum inſtitutum, quandoquidem & alii præter Johannem baptizare incipiebant. Et jam olim apud Hebræos in proſelytis uſitatum fuiſſe Baptiſmum oſtendimus ad III Matth.

26. Ὃς ἦν μετὰ σοῦ, *qui erat tecum*] Qui à te baptizari voluit. ¶ Πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *trans Jordanem*] Id eſt, in trajectu Jordanis, ut hic Syrus, *in Bethabara*. Vide ſupra I. 28. ¶ ᾧ σὺ μεμαρτύρηκας, *cui tu teſtimonium perhibuiſti*] Quem tu pro tua modeſtia elogio tuo ornaſti. ¶ Ἴδε οὗτος βαπτίζει, *ecce hic baptizat*] Non minus quam tu: quod hic rectè notavit Syrus addito *etiam*: quaſi dicant, In tuas partes involat, adeo ut hoc ipſum nobis ad extenuationem tuæ auctoritatis objiciatur. ¶ Καὶ πάντες ἔρχονται πρὸς αὐτόν. *& omnes veniunt ad eum*] Plures quam ad te, quaſi novitatis ſtudio. Tacitè ſciliret quærunt an non prohibendi ſint baptizare alii. Vide hiſtoriam ſimilem Num. XI. 28. & Lucæ IX. 49. Notabilis utraque, ut intelligamus cur *ſectarum ſtudia* annumerentur *operibus carnis*, Gal. V. 20.

27. Λαμβάνειν, *accipere*] Auctoritatem muneris tanquam à Deo impoſiti: λαμβάνειν [*accipere*] intellige cum effectu. Alioqui vanitas ipſa ſe deteget. Ad falſos prophetas cognoſcendos indicia Deus dederat. ¶ Ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *de cœlo*] A Deo, cujus voluntati acquieſcendum eſt.

28. Μεμαρτύρητε, *teſtimonium perhibetis*] Ipſi hoc ipſa qua me compellaſtis oratione proteſti eſtis me agnoviſſe Jeſum majorem me eſſe, & quidem immensò. ¶ Ἔμπροσθεν ἐκείνου, *ante illum*] Ἐκείνου [*illius*], Jeſum ſcilicet quem Chriſtum eſſe dixi: ἔμπροσθεν [*ante*], id eſt, πρὸ προσώπου αὐτοῦ [*pra facie ejus*] Matth. XI. 10. ubi utrumque legitur. Mare. I. 2. diximus muniſterio qui Regem ſuccedit officium deſcribi.

29. Ὁ ἔχων τὴν νύμφην, *qui habet ſponſam*] Cui jus maritale in ſponſam quæſitum eſt. Scriptor Categoriarum, ἄλλο γὰρ ἄλλῳ τῷ ἔχειν γυναῖκα ὀνομάσομεν ἢ ὅτι συνοικεῖν [*cum dicimus habere uxorem nihil aliud intelligimus quam cum ea habitare*], τοῦτο ex origine ſignificat omne illud quo ſponſa ſolet enitescere. Talis Eccleſia eximie fuit, & eſſe debet, Eph. V. 27. ¶ Νυμφίος ἐστὶν ὁ ἔχων τὴν νύμφην *ſponſus eſt*] Principem in nuptiis locum obtinet. Recte autem ſponſo Chriſtus comparatur Matth. XXII. 2. II Cor. XI. 2. Eph. V. 25, 26. ad exemplum Dei, qui populi Hebræi *maritus* dicitur Prophetis. ¶ Ὁ δὲ φίλος τοῦ νυμφίου, *amicus autem ſponſi*] τοῦ. Vide quæ notavimus ad Matth. IX. 15. ¶ Ὁ ἑστὼς, *qui ſtat*] Miniſtrans ſponſo: nam τὸ στῆναι eſt miniſtrare, ut Gen. XLI. 46. Deut. I. 38. Zach. III. 7. ¶ Καὶ ἀκούων αὐτοῦ, *& audit eum*] Audiens blandimenta ejus ad ſponſam. Vide Cant. Canticorum. Hæc eſt mox φωνὴ νυμφίου [*vox ſponſi*]. ¶ Χαρᾷ χαίρει, *gaudio gaudet*] Valde gaudet; Matt. II. 10. ¶ Αὕτη οὖν ἡ χαρὰ ἐμὴ πεπλήρωται. *hoc ergo gaudium meum impletum eſt*] Hic tacita eſt ἀντίθεσις [*redditio*]. *Conſummatum eſt gaudium meum*, quia tanquam proinbus populum Judaicum Chriſto tradidi. Gaudeo eos inter ſe alloqui. χαρὰ πεπλήρωται [*gaudium impletum eſt*] eſt inter locutiones Johanni proprias, infra XV. II. XVI. 24. I Epiſt. I. 4. II Epiſt. 12.

30. Ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν, *illum oportet creſcere*] Fama, &, quod vos invidetis, diſcipulorum copia. ¶ Ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι, *me autem minui*] Ut ſtellæ ſolent ubi Luna affulſit.

31. Ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος, *qui deſurſum venit*] Veniens cum poteſtate plane Divina; ſupra 13. Johannes miracula nulla fecit; quo Chriſtus eſſet illuſtrior. ¶ Ἐπάνω πάντων ἐστὶν *ſuper omnes eſt*] *Super omnes alios*, etiam Prophetas. ¶ Ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, *qui eſt de terra*] Natus ſecundum Adami legem, in quo non eſt illa vere Divina poteſtas. ¶ Ἐκ τῆς γῆς ἐστὶ, *de terra eſt*] Ὁμοιότης [*copulatio*]: nam hic ſignificatur conditio ejus: quaſi dicat, *Humana tantum ſapit*. Simile loquendi genus ſupra 6. & I Cor. XV. 47. ¶ Καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ *& de terra loquitur*] *Loquitur humana tantum*, non illa myſteria abſconditi Divini conſilii. ¶ Ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος, *qui de cœlo venit*] Repetit quod ſupra dixerat ἄνωθεν [*deſurſum*], quo evidentior ſit oppoſitio.

32. Ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, *quod vidit & audivit*] *Quod plane novit*. Nam duobus his ſenſibus homines ad cognitionem deveniunt. Vide ſupra I. 18. & quæ ibi. Adde quod infra VIII. 26. XV. 15. ¶ Τοῦτο μαρτυρεῖ, *hoc teſtatur*] Quod ſupra dixit λαλεῖ [*loquitur*], *prodit hominibus*: ſic infra IV. 44. ſic νυν apud Hebræos, Deut. XXXII. 46. Neh. IX. 34. ¶ Οὐδεὶς λαμβάνει. *nemo accipit*] Loquendi genus quale ſupra 12. *Nemo*, id eſt, pauci. Ipſos eos comprehendit qui hanc querelam ad ſe deferebant.

33. Ὁ λαβὼν αὐτοῦ τὴν μαρτυρίαν, *Qui accepit ejus teſtimonium*] Exceptio qualis ſupra I. 11. λαμβάνειν [*accipere*] eſt *in animum admittere*, παραλαμβάνειν dicto loco, c. I. ¶ Ἐσφράγισεν, *ſignavit*] *Solenniter proteſtatur*. Metaphora ſumta à contractibus qui publice impreſſis ſignis firmantur, quod eſt חתם Hebræis, quo verbo hic Syrus utitur. Sic I Reg. XXI. 8. Neh. IX. 38. X. I. Eſth. VIII. 8, 10. Jer. XXXII. 10. Dan. VI. 17. Simili ſenſu μαρτυρίαν ἐσφραγίζεσθαι [*teſtimonium obſignare*] dixit Ariſtides. ¶ Ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθὴς ἐστιν. *quia Deus verax eſt*] *Se plane credere Deum veracem*, non modo in genere, ſed etiam ſingulariter in eo quod Deus per Filium ſe velat. Contra qui ei non credit, *Deum* dicitur *mendacem facere*, id eſt, non magis ei credere quam ſi mendax eſſet, I Joh. V. 10.

34. Ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς, *Quem enim miſit Deus*] Subauditur *ille*, *Quem miſit*, intellige *arcanorum revelatorem*: cujus typus Joſephus, Ægyptiace נמן נמן, [*Zaphnath paneah*, id eſt, *arcanorum repertor*] Gen. XLI. 45. ¶ Τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ· *verba Dei loquitur*] *Nihil niſi Divina loquitur*, infra VII. 16. VIII. 47. ¶ Οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσι ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα. *non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum*] Ἐκ μέτρου [*ex menſura vel ad menſuram*] dare τινὶ Hebræis eſt *reſtricte dare*, ſicut Deus cognitionem ſui dedit Prophetis. Conſer quod eſt Num. XI. 17. II Reg. II. 9. Attempore Novi Fœderis dicitur non *adnexuiſſe* ſed *effudiſſe Spiritum*, primum in Caput, deinde in Eccleſiam, ſupra I. 16. & infra VII. 39. Actor. II. 17. Tit. III. 6. Vide & infra VI. 45. Adde Eſa. XLII. I.

35. Ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱὸν, *Pater diligit Filium*] Quippe unicum. Vide Matth. III. 17. & quæ ſupra I. 18. Nihil eum celat. ¶ Καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ *& omnia dedit in manu ejus*] Nempe omnia myſteria Regni cœleſtis ipſi dedit pro ipſius arbitrio diſpenſanda: Dan. VII. 14. Vide Matth. XI. 27. & quæ ibi dicta. Sic infra XIII. 3. & XVII. 2. χεὶρ [*manus*], ut ידים Hebraïs eſt *plena poteſtas*.

36. Ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν, *Qui credit in Filium*] Propriè, *qui Filio confidit*, nempe ut volenti & potenti ſalutem præſtare. ¶ Ἔχει ζωὴν αἰώνιον *habet vitam æternam*] *Jus habet ad vitam æternam*, nempe qua talis. Vide ſupra I. 12. Conſer Rom. VIII. 24. ¶ Ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ, *qui autem incredulus eſt Filio*] *Qui inobſequens eſt Filio: qui dicto non eſt audiens*, qua hujus loci interpretatione Cyprianus utitur. Hæc oppoſitio manifeſte oſtendit fiduciam illam quæ jus dat ad vitam æternam talem eſſe quæ in ſe obedientiæ propoſitum includat. ἀπειθεῖν [*refiſtere, non obedire*] reſpondet מרה [*rebellare*] Hebræo, ut ex multis locis apparet. ¶ Οὐκ ὄψεται, *non videbit*] *Non erit particeps vitæ æternæ*; ſupra commate 3. ¶ Ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν. *ira Dei manet ſuper eum*] Ὀργὴ [*Ira*] eſt ultio Dei, quæ ei ſupervenier. Quod autem alii libri habent μενεῖ [*manebit*] quomodo & Syrus hic vertit, eſt interpretamentum. Sic infra XII. 8. ἔχετε [*habetis*] valet *Aderit* [*habebitis*], ubi Latina verſio *habebitis*: ſic & VI. 53. II. 4. XVI. 2. ſic & hic Nonnus ἔρχεται [*venit*]. Familiare autem Johanni μένειν [*manere*] ponere ſimpliciter pro *eſſe*, ut infra V. 38. XV. II. I Epiſt. II. 6, 10. III. 15. II Epiſt. 2. & alibi.

CAP. IV.

VALLA.

1 4 UT ergo cognovit Jeſus] Ge. Ut ergo cognovit *Dominus*, ὡς οὖν ἔγνω ὁ Κύριος.

10. *Tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam*] De hoc jam dixi in ſuperioribus, Interpretem nunc addere affirmativam dictionem *nisne*, nunc dubitativam *forſitan*, quarum neutra ad rem pertinet: quod ex ipſa loci hujus inſpectione agnoſcamus licet; Si hanc mulier ſciret donum Dei, & quis ſibi diceret, Da mihi bibere, quid dubii eſt eam petiturum fuiſſe aquam

aquam à Deo? Aut ſi hoc dubium ſit, illud certe dubium non eſt, Deum fuiſſe daturum illi aquam vivam. Nam eadem ratione dicitur Græce *dediſſet* qua *petiſſes*, σὺ ἂν ἤτησας αὐτὸν, καὶ ἔδωκεν ἂν σοι ὕδωρ ζῶν. Sed Interpres facto ſuo diffidens non repetiit in hoc verbo *forſitan*: quod aut repetendum erat, aut ſuperiori verbo non accommodandum.

11. *Neque in quo hauries habes*] Latinius fuiſſet ſine præpoſitione, *neque quo hauries*. Ideo autem circuitione eſt uſus Interpres quia non habuit ad manum vocabulum proprium Græco reſpondens. Et haud ſcio an unum ſit, niſi illud quo Lucretius utitur, *hauſtrum*: nam *hauritorium* parum mihi nitidum videtur. Græce enim dicitur *neque hauſtrum habes*, ἄντλημα.

ERASMUS.

4. PER *mediam Samariam*] *Mediam* non additur nec in Græcis cod. nec in antiquis Latinorum exempl. magnopere conſentientibus, ac ne in Aureo quidem, διὰ τῆς Σαμαρείας· atque ita legit Chryſoſtomus. Unde mirum videri poteſt unde hoc inoleverit in Vulgatis exempl. niſi forte quiſpiam ſic interpretatus eſt *per Samariam*, *per medium Samariæ*, atque id alius in contextum tranſtulit: qua quidem occaſione deprehendimus complures irrepſiſſe mendas.

6. *Sedebat ſic ſupra fontem*] Οὕτως addit μιμητικῶς, ut geſtus exprimat hominis laſſi. Vel *ſic*, nempe quia fatigatus. Atque hæc dictio conſimilem ad modum uſurpata reperitur apud Terentium alioſque probos autores. Chryſoſtomus ſubindicat habere ſignificationem neglectus; *ſic*, i. *non in ſella, aut commodo loco, ſed neglectim humi, ut ſe locum feſſo dederat.* Idem admonet Theophylactus. Et melius erat *ad fontem* quam *ſupra fontem*: ſic enim habebatur in Vulg. exemplaribus, tametſi in antiquis legitur *ſuper*, non *ſupra*. ¶ *Sextam horam* expreſſit ut intelligeremus Dominum non ſolum itineris labore verum etiam æſtu meridiano fuiſſe fatigatum.

9. *Non enim co-utuntur*] Συγχρῶνται. Vocem Græcam factitia Latina reddidit. Quis enim unquam dixit *co-uti*? aut quis intellecturus ſit *co-uti* eſſe *habere commercium & mutuam vitæ conſuetudinem*. Nam & Latinis *uſus* familiaritatem ſignificat: & *utimur* his cum quibus agimus conſuetudinem. Cæterum *co-uti* & *co-uſus* inaudita voces ſunt.

10. *Tu forſitan petiſſes*] Σὺ ἂν ἤτησας *tu popoſciſſes*. Interpres pro ἂν conjunctione Expletiva poſuit adverbium Dubitantis, cum ἂν magis affirmet. Cæterum cum apud Euangeliſtam utrique verbo ſit addita conjunctio ἂν, *petiſſes* & *dediſſet*, in priore vertit *forte*, in poſteriore non vertit: atqui aut erat omittendum utrobique aut utrobique addendum.

11. *Neque in quo hauries*] Ἄντλημα *hauſtrum*. Nam eo verbo uſus eſt Lucretius; quandoquidem *hauritorium* Vallæ parum nitidum videtur. Et Latinius erat *quo hauries* quam *in quo hauries*. ¶ *Altum*] Βαθὺ *profundum*. Nam *altus* ambigua vox eſt.

12. *Et pecora ejus*] Θρέμματα· quæ vox omne animantis genus complectitur, ab *alendo* dicta, ut βοσκήματα.

14. *In æternum*] Εἰς τὸν αἰῶνα *in ævum*.

17. *Quia non habeo virum*] Quæſo quid ex hiſce verbis percipi poteſt niſi mulierem dixiſſe *quod Chriſtus non habuerit virum*? Uſque adeo nihil referre putamus quomodo loquamur, aut quid auditurus ſit qui legit? Omittenda igitur erat, ſi uſquam aliàs, hoc loco conjunctio ὅτι *quia*; aut mutato verbi modo vertendum erat hoc pacto, *Bene dixiſti te virum non habere*, ſive *Bene dixiſti, Non habeo virum*. Quod ſi nuſquam Interpres omiſiſſet Græcam conjunctionem, poterat videri ſuperſtitione factum; cæterum cum alicubi deprehendatur omiſiſſe, mirum cur hic putarit addendam.

23. *Qui adorent eum*] Τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν *adorantes ſe*, ſive *qui adorent ſe*. Apparet Interpretem fugiſſe amphibologiam pronominis reciproci, quod accipi poterat, *illos adorare ſeipſos*. Ea vitari poterat ſi dixiſſet *qui adorent ipſum*.

25. *Quia Meſſias venit*] Ἔρχεται· quod Græci nonnunquam uſurpant pro futuro, tametſi præſentis temporis vox eſt. Hoc loco magis quadrabat *veniet* propter id quod ſequitur, *Cum ergo venerit ille*. Et *veniet* legitur in antiquis & emendatis cod. Latinis.

27. *Et continuo*] Καὶ ἐπὶ τούτῳ *in hoc* ſive *interim*, nimirum cum hæc dicerentur. ¶ *Quid cum muliere loqueretur*] Ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει, *quod cum muliere loqueretur*, ſive *locutus eſſet*. Interpres pro ὅτι legiſſe videtur τί. Non enim mirabantur quid eſſet quod cum illa fuiſſet collocutus; ſed illud admirabantur, Chriſtum cum Samaritana paupercula tam familiariter collocutum eſſe. Porro *muliere* poſitum eſt pro *ea*, ut *hominem* aliquoties pronominis vice uſurpamus. Nec enim Apoſtolis nova aut ſuſpecta res erat Chriſtum cum muliere colloqui. Quod diximus, propemodum ex Chryſoſtomi interpretatione licet conjicere. Aſtipulatur nobis & veterum exemplarium fides, in quibus ſcriptum eſt, *Et mirabantur quia cum muliere loquebatur*, h. e. mirabantur eum cum muliere colloqui. Nam quod ſequitur, *Quid loqueris cum illa?* magis vertendum erat, *Cur loqueris cum illa*, nimirum Samaritana? Abhorrebant enim Judæi à commercio Samaritanorum. Videntur ſiquidem Diſcipuli voluiſſe dirimere colloquium Chriſti cum muliere, verum non auſi ſunt hoc facere.

28. *Et dicit illis hominibus*] *Illis* Interpres addidit de ſuo, nec omnino intempeſtiviter. Græce tantum eſt τοῖς ἀνθρώποις. Ac rurſum *hominibus* dictum eſt pro *eis*.

33. *Nunquid aliquis*] Μή τις *Num quis*.

34. *Ut perficiam opus ejus*] Græci legunt καὶ τελειώσω *& perficiam*; atque ita Chryſoſtomus. Licet hoc ad ſenſum parvi referat. Et poteſt hæc in parte repeti ἵνα, q. d. *utque perficiam opus ejus*.

35. *Quod adhuc*] Conjunctio ὅτι non erat vertenda, cum ipſorum verba referat. ¶ *Quatuor menſes*] Græcis unica dictio eſt, τετράμηνον *quadrimeſtre*. ¶ *Et meſſis venit*] Ἐρχεται. Poterat eſſe *& ventura eſt*.

37. *In hoc enim eſt verbum verum*] Ὁ λόγος cum articulo, ut intelligas de eo ſermone quem modo dixerat. Porro præfatus eſt *verum eſſe*, cum rem novam & incredibilem ſubjiciat.

41. *Propter ſermonem ejus*] *Ejus* ad *Chriſtum* referendum eſt, non ad *mulierem*, αὐτῆς unde melius erat *ipſius*.

42. *Salvator mundi*] Græci addunt *Chriſtus*, ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου ὁ Χριστός.

46. *Quidam regulus*] Τὶς βασιλικὸς *quidam regalis*. Tametſi legendum opinor βασιλεύς, etiamſi conſtanter reclamant Græcorum exemplaria. Quin & interpretes qui ſcribunt in hoc Euangelium hunc *baſilicon* dictum ajunt, vel quod eſſet generis regii, vel quod magiſtratu munereque regio fungeretur. In hanc ferme ſententiam Chryſoſtomus, niſi quod illic *regulum* lego, non *regalem*, haud ſcio interpretiſne an librarii vitio. Certe Theophylactus citra controverſiam legit βασιλικὸς *regius*. Et Hieronymus in Eſa. 65. admonet *de aula regia fuiſſe*; quem rectius diceremus *palatinum*.

47. *Incipiebat enim mori*] Ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν *erat enim moriturus*, ſive, *nam agebat animam*, h. e. tendebat ad mortem: quod tamen hic data opera ſic aliquoties vertit.

52. *Melius habuerit*] Κομψότερον ἔσχεν *melius*, ſive *commodius, habuiſſet*.

54. *Hoc iterum ſecundum*] Videri poterat dixiſſe *Jeſum duo ſecunda ſigna feciſſe*, & altera vox ſupereſſe, etiamſi Græca ſic habent. Senſit hoc incommodi Chryſoſtomus (quid autem ille non ſentit?) putatque *ſecundum* data opera additum quo magis inculcaret Galilæorum incredulitatem, qui cum prius vidiſſent miraculum in nuptiis, ac rurſum de hoc ſanato puero, tamen perſiſtebant diffidere Chriſto.

VATABLUS.

2. JEſus *] * *Ipſe*.

5. *Ergo*] *Igitur*. ¶ *Sichar*] Pro *Sichem*, corrupte temporibus pronunciabatur. ¶ *Dedit*] Vel, *dederat*.

6. *Jeſus autem*] *Jeſus ergo*, Vet.

9. *Co-utuntur*] *Commercium habent Judæi cum Samaritanis*.

10. *Forſitan*] *Utique*.

11. *In quo hauries*] Gr. *hauſtrum*.

14. *Sed*] *Nam*.

18. *Vere*] *Verum*.

21. *Veniet*] *Venit*, Vet.

23. *Venit*] Præſ. temp. ¶ *Veritate*] i. Integritate. ¶ *Eum*] *Ipſum*.

24. *Et*] *Proinde*, Heb.

27. *Continuo*] *Interim*, *in hoc*: i. cum hæc dicerentur, vel, fierent. ¶ *Aut quid*] Vel, *aut cur*.

29. *Nunquid ipſe eſt Chriſtus?*] Vel, *num hic eſt ille Chriſtus?*

32. *Manducare*] *Comedendum*.

33. *Nunquid*] *Nunquis*.

34. *Ut*] *Et*.

35. *Dicitis*] Vel, *dicere ſoletis*.

36. *Et*] *Nam*, Heb.

37. *In hoc enim eſt verbum verum*] Q. d. Ad hanc rem appoſitiſſime accommodabitur ſententia illa vulgaris qua dicitur, Alius, &c.

38. *Laboraſtis*] Vel, *coluiſtis*, & infra.

40. *Ibi*] *Apud ipſos.*

41. *Sermonem*] i. doctrinam. ¶ *Ejus*] *Ipſius*, ſub. *Chriſti.*

42. *Non* *] * *Jam*, Vet. ¶ *Loquelam*] *Orationem.* ¶ *Salvator mundi* *] * *Chriſtus.*

44. *Habet*] *Haberet*; vel, *habere non ſolet.*

46. *In* *] * *Jeſus.* ¶ *Fecit*] *Fecerat.* ¶ *Regulus*] i. Cæſarianus, qui nomine Cæſaris magiſtratu fungebatur.

47. *Adveniret*] *Advenisſet.* ¶ *Inciepiebat enim mori*] *Erat enim moriturus*, vel, *ſiquidem is agebat animam.*

48. *Creditis*] *Credatis*, Vet.

49. *Filius*] *Puerulus.*

50. *Credidit* *] * *Et.*

51. *Occurrerunt* *] * *Ejus.*

52. *Interrogabat ergo*] *Interrogavit igitur.* ¶ *Melius habuerit*] *Commodius habuiſſet.*

53. *Dixit*] *Dixiſſet.*

CASTALIO.

25. QUI Unctus dicitur] Hoc ex ſua perſona dicit auctor.

36. *Et meſſor mercedem accipit, & ſator fructum congerit*] In Græco deeſt vox *ſator*; quæ ideo ſubjicienda eſt quod non meſſoris eſt ſed ſatoris fructum percipere. Adde quod ſequitur, *Ut & ſator ſimul gaudeat, & meſſor*, ſator ſcilicet fructu percipiendo, meſſor autem mercede: id quod intelligi non poteſt niſi *ſatoris* nomen ex orationis concluſione, intelligas etiam in propoſitione. Hujuſmodi curæ ſententiæ exſtant etiam in profanis literis, ut 1 Tim. 4. Deo volente, monſtrabimus. ¶ *Gaudeat*] Bonis fruatur.

CLARIUS.

5. JUxta prædium quod dedit Jacob Joſeph filio ſuo] Hoc illud eſt quod legitur Gen. 48. 22. ubi ait Jacob ad Joſeph, *Et ego dedi tibi partem unam ſuper fratres tuos, quam cepi è manu Amorræi gladio & arcu meo.*

8. *Diſcipuli enim ejus abierant in civitatem*] Reddit cauſam Euangeliſta cur petierit à muliere potum: nec mirum quidem erat ſitiviſſe Jeſum, qui *ex itinere* eſſet *fatigatus*. Sed obſervanda eſt inprimis & bonitas & ſapientia Domini, ut paulatim mulierem, dum perſtat in illa Aquæ & Potus ſimilitudine, altius evehit & ad agnoſcendam veritatem trahit. Contemplare & mulieris prudentiam, qua quaſi ſuſpenſa hæreat cur homo Judæus ab alienigena petat potum: & in perpetuo etiam ſermone prudentiam præ ſe fert non vulgarem.

16. *Voca virum tuum*] Hoc præcipit Dominus ut per ea quæ hac occaſione dicenda erant intelligeret mulier quiſnam eſſet qui ſecum loqueretur.

20. *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt*] Videtur hæc mulier jam olim optaſſe hunc evelli ſibi ex animo ſcrupulum qui eam torqueret: & nunc tempus eſſe arbitrata eſt idoneum quo animo ſuo faceret ſatis.

21. *Neque in monte hoc, neque Jeroſolymis*] Non poſthac ſub temporis & loci obſervatione cultus exhibebitur Deo. Quin & illud, inquit, addam, Vos non habere integram Divini cultus rationem, ſed eam à Judæis proficiſci oportere, & inde exſpectandam; tempuſque jam imminere quo hæc impleantur.

25. *Scio quod Meſſias venit*] His mulieris verbis colligitur & Samaritanos illo ipſo tempore exſpectaſſe Meſſiam, cum hæc ſperet ſe ab ea docendam hæc omnia. At hic mox ſe Dominus aperit non dedignatus mulierculam. Nos vero, ſi de paulo gravioribus rebus extra conventum loquimur, & eam frequentiam in qua oratorum ſtudia niti ſolent, continuo frigeſcimus. Ob hanc Domini ſubmiſſionem etiam *Diſcipuli ſunt admirati quod cum muliercula loqueretur.*

29. *Nunquid ipſe eſt Chriſtus?*] Et hoc prudentius quam ſi dixiſſet, *Ipſe mihi ſe aperuit Chriſtum eſſe*: voluit ergo ut illi ipſi experirentur & factis agnoſcerent.

37. *In hoc enim eſt verbum verum*] h. e. Proverbium illud, quod *alius metit qua alius ſeminavit*, hoc manifeſte verum eſt: nam *vos meſſuri eſtis qua ab aliis ſunt ſeminata*: ſed *qui ſeminaverunt æque ſunt gavisuri atque ii qui metunt.*

46. *Et erat quidam regulus*] Non eſt βασιλίσκος, ſed βασιλικός, quem appellare poſſumus *Palatinum*: quod & D. Hieronymus antea obſervavit.

48. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*] Quid? an non ſigna faciebat ut crederent? Sed videtur reprehendere Judæos quod adhuc exſpectarent ſigna; nequedum eum cæci agnoviſſent poſt tot indicia.

ZEGERUS.

4. PER mediam *Samariam*] *Mediam* redundat.

6. *Sedebat ſic*] i. eo modo, eoque ordine ut ſequitur. Deſcribit enim ordinem rei geſtæ, ita ſubjungens, *Hora erat quaſi ſexta:* nam *autem* in vetuſtis cod. abeſt. *Venit mulier*; &c. Alii *ſic* ad fatigationem accommodant; *Sic*, nempe quia fatigatus. Chryſoſtomus interpretatur, *non in ſella, non in loco honoratiori, ſed in terra, ut contigit.* Memini quoque me olim alicubi apud quendam legiſſe qui indicaret ex veteribus *ſic* in præſenti loco *aliquantiſper* ſignificare, quod ἔτι nonnunquam extenuandi vim habeat.

25. *Quia venit Meſſias*] *Veniet* legitur in antiquis & emendatis Latinis. Ἔρχεται enim præſentis temporis vox nonnunquam pro futuro uſurpatur, quod tempus hic magis quadrat propter id quod ſequitur, *cum autem venerit.*

35. *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce, dico vobis, levate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt jam ad meſſem*] Docet hac allegoria Chriſtus, ex occaſione adventantium Samaritanorum, tempus nunc eſſe quo omnes in Euangelii prædicatione promiſſam accipiant benedictionem. Nam *flaveſcentium regionum* nomine præſentem moxque metendum indicat Divini favoris fructum. Vel, ut planius quid dicam, *regiones* dicit diverſas populorum turbas; *meſſem*, fidem, ſive ſalutem; *albas*, h. e. ad fidem & ſalutem paratas. Sicut enim ſegetes albeſcentes meſſem indicant & manus poſtulant, ita multitum ad ſalutem properabant.

36, 37. *Et qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam; ut & qui ſeminat ſimul gaudeat & qui metit. In hoc enim verbum verum eſt, quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit*, &c.] Diſcriminantur hic atque etiam comparantur inter ſeſe Vetus ac N. Teſt., Prophetæ atque Apoſtoli. Prophetæ enim in V. T. quaſi gravem hyemem paſſi cuntes ac flentes miſerunt Promiſſionum, Exſpectationum Laborumque ſuorum ſemina, verum non meſſuerunt quod ſeminarant: *defuncti ſunt* enim *non acceptis promiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes ſalutaverunt.* Apoſtoli vero cæterique Chriſti diſcipuli illorum quodammodo mercedem ac fructum congregant, utpote qui promiſſionum quæ ad illos factæ ſunt præſentem ſuſcipiunt effectum. Nec tamen illi ſuo privantur gaudio aut fructu; quemadmodum in his terrenis, ſi alium ſeminare contingat, alium metere, non ſimul gaudent, ſed triſtitia & damnum eſt non metenti. In ſpiritualibus enim longe diverſa ratio eſt. Hic una cum meſſoribus congaudent etiam ſeminantes, omneſque communem capiunt fructum, Vitam æternam.

43, 44. *Abiit in Galilæam. Ipſe enim Jeſus teſtimonium perhibuit quia Propheta in ſua patria honorem non habet*] Abſurdum quid hic Euangeliſta habere videtur, dum Chriſtum dicit in Galilæam contendiſſe propterea quod Propheta in ſua patria honorem non habeat, cum patria Chriſti ipſa videtur fuiſſe Galilæa, utpote in qua conceptus, educatus & ſæpe diverſatus ſit; quandoquidem Nazareth, quæ civitas eſt Galilææ, conceptus & educatus eſt, atque hinc *Nazarenus* dictus eſt; Capharnaum autem, quæ & ipſa in Galilæa eſt, frequenter verſatus eſt. Huic nodo non uno modo occurri poteſt. Primo, ut *patriam Chriſti* civitatem Nazareth peculiariter accipiamus; ad quam ipſe ire noluerit, ſed potius iterum in Galilæam (ut ſupra manifeſtat Euangeliſta) abierit, unde fuerat digreſſus: h. e. non in eam Galilææ partem in qua Nazareth eſt, ſed in eam quæ *Galilæa Gentium* dicitur, in qua eſt Capharnaum Galilææ metropolis, & *maritima*, *in finibus Zabulon & Nephthalim* Matth. 4. 13. quæ Chriſto patria erat peregrina. Nam duplicem eſſe Galilæam etiam Hieronymus teſtis eſt in Locis. Ita *patriam Chriſti* intelligunt fere explanatores in ſimilibus locis apud Euangeliſtas alios, ut Matth. 13. Marc. 6. & Luc. 4. 16. Ex quo perſpicuum fit, ſi ea ibi vera eſt acceptio, etiam eodem modo & hic *patriam* accipiendam. Adhæc cum Luc. 4. 16. referat quod Chriſtus *Nazareth ingreſſus ſit, ubi fuerat nutritus*, & poſt aliquanta ſubjungens Judæos reprehendat quod exprobraturi ipſi eſſent ac dicturi, *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*, manifeſte liquet perperam ſentire qui hic *patriam* Capharnaum accipiunt: qua in re ſuum ſecuti ſunt Chry-

Chryſoſtomum, qui tamen id non aſſeverando ſed putando tantum obiter adnotarat. Nam quod ei civitati eique regioni fuerit non ingratus, & majori in pretio quam in Nazareth habitus, admiranda teſtantur quæ ibidem patravit opera: ut ſileam interim quod hic ſubſequitur de ſuſceptione Chriſti in Galilæa, deque miraculo mox Regulo Capharnaitæ exhibito. Deinde etiam ex iiſdem Lucæ verbis comprobari poſſe videtur, non alias quam Nazareth hunc ſermonem fuiſſe prolatum, *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Alio modo dici poteſt *patriam Chriſti* Judæam ipſam ſignificari, in qua & natus eſt & ſæpe etiam verſatus, quinimo & ſedem, ſicuti Joannes refert 3. 22. habuit: *Venit*, enim inquit, *Jeſus & diſcipuli ejus in Judæam terram, & illic morabatur cum eis.* Et in hac ſententia videtur fuiſſe Ambroſius ſcribens ſuper illud Lucæ, *Fac & hic in patria:* deinde etiam Hilarius & Origenes, & in quodam loco etiam Hieronymus, qui in Catena adducuntur partim Matth. 13. partim in præſenti loco: Idem quoque & Euangeliſta ipſe indicare videtur, dum ſupra 4. 3. præmiſit, *Reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam.* Aliter quoque reſponderi poteſt, illud *enim* hic pro *autem*, ſicut & alibi reperitur, poſitum eſſe, ut huic ſermoni, *Ipſe autem Jeſus teſtimonium perhibuit*, occaſionem præbuiſſe intelligamus credulitatem Samaritanorum, & per *patriam Chriſti* intelligamus ipſam Galilææ regionem.

46. *Regulus*] Gr. βασιλικὸς *regalis:* ut intelligas genere illuſtrem, & regali ſtirpe, ſeu etiam munere quopiam fuiſſe inſignem. Diverſum autem hunc eſſe ab eo quem Matth. 8. 5. & Luc. 7. 2. *Centurionem* appellant, etiamſi ejuſdem civitatis fuerit, argumento eſt diverſa apud hunc Euangeliſtam & illos narratio.

48. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*] Redarguit Dominus non modo Capharnaitarum complurium verum etiam ipſius Regii incredulitatem, qui tametſi cum fiducia quadam ad Dominum properarit rogaturus curationem filii, fide tamen ſe caruiſſe, aut certe admodum imperfecte credidiſſe, demonſtravit, dum & ſanando filio corporalem Domini præſentiam neceſſariam exiſtimavit, & mortuo vitam per eum reſtitui poſſe non credidit. Nam orabat ut & *deſcenderet* Dominus ac deinde *ſanaret*, & *priuſquam moreretur deſcenderet.*

LUC. BRUGENSIS.

46. *ET erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.*] Hieronymus, in caput Iſaiæ 65. *Regulus*, inquit, *qui Græce dicitur* βασιλικὸς, *quem nos* de aula regia *recte* interpretari poſſumus palatinum, *non ſolum filii*, &c. Syri עבד מלכא *ſervus Regis* interpretati ſunt. Interpres noſter βασιλίσκος forte legit.

H. STEPHANUS.

6. Κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας] *Feſſus de via.* Οὕτως] *Ita ut ſit.*

9. Οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις] *Nullus enim uſus inter Judæos & Samaritanos:* vel, *Commercium non habent cum Samaritanis.*

11. Ἄντλημα] *Vas quo haurias.*

26. Ἐγώ εἰμι, ὁ λαλῶν σοι] *Ego, qui tecum loquor, ſum* ille Chriſtus.

29. Μή τι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός;] *Nonne hic eſt Chriſtus ille?* vel, *Num hic eſt Chriſtus ille?*

38. Ὃ οὐχ ὑμεῖς κεκοπιάκατε] *In quo laborem non impendiſtis.*

46. Τὶς βασιλικὸς] *Regius quidam.* Id eſt, Quidam è regio comitatu: vel, Quidam ex aula regia.

52. Κομψότερον ἔσχε] *Melius habuerat.*

DRUSIUS.

5. *Sichar*] Urbs eſt Samariæ, quæ & *Sichem.* Græce eſt Συχὰρ & Συχὰρ, variantibus libris. Sic variant in Συμεὼν & Συμεών. Syrus habet ܣܘܟܪ *Sachar.* Ebraice dicitur שכר, quod ſcribunt *Sichem.* Id poſterior ætas in *Sichar* mutavit. Non enim certe adduci poſſum ut credam errorem eſſe exſcribentium *Sichar* pro *Sichem.* Hieron. in Nom. ex Joanne, *Corrupte autem pro Sichem, quæ transfertur in humeros, ut Sicimus legeretur uſus obtinuit.* Puto eum ſcripſiſſe, *ut Sichar legeretur.* Nam *Sichem* in nullis eſt codicibus à me viſis. Videtur Sichem medio ævo dicta fuiſſe *Sichar*, in quo & *Beliar* dicebam pro *Belial*, & *Baalzebul* pro *Beelzebub*, immutatione ultimæ literæ tantum. Hanc Euſebius collocat ante Neapolim: alii eandem faciunt cum Neapoli, quæ hodie נאבלס *Nablus*, Benjamin in Itinerario, 9. 2. נאפולי *Neapolin*, Thanhuma, 84. 4. *Nables*, Scaliger Animad. Euſeb. 201. 2. *Napoleæ*, Maſius in Joſ. p. 306. Poſtea deductis in ea colonis à Veſpaſiano aut Domitiano *Flavia Cæſarea* dicta eſt. Ex his colonis fuit Juſtinus Martyr, ut Scaliger annotavit. Dicitur & *Sichem* ſeu *Sychar.* In ea erant Benjamini ævo circiter centum Samaritani: Quam etiam ſitam ſcribit inter montes Garizim & Ebal, ibid. & 10. 1.

7. *Mulier de Samaria*] i. Samaritana, ut *vir de Benjamin* 1 Sam. 9. 1. *vir de Bethlehem* Ruth. 1. 1. ἄνθρωπος ἀπὸ Ἀμφαθὰιμ Matth. 27. 57. Sic איש מן *vir de Antverpia*, Antverpianus. Quidam ſcribunt Samariam regionis nomen eſſe, non urbis. Samaria enim diſtabat à Sichem duo milliaria, vel, ut alii, duas leucas. Caſaubonus annotat in hac hiſtoria *Samaritanum* ſæpius pro *Sichemita* dici.

9. *Non utuntur Judæi Samaritanis*] Nec Samaritani Judæis. Quin obviis dicebant, *Ne attingite*, pollui ſe exiſtimantes ſi vel Judæum vel Gentilem attingerent. Odium ex religione natum. Nam Samaritani rejiciebant Prophetas. Adhæc negabant reſurrectionem, animam una cum corpore mori credentes, Teſtis Joſephus Albo in lib. Fundamentor. ſerm. 4. c. 3. in principio. Samaritanorum alii *Chuthæi* erant, h. e. ex Chutha oriundi, quos כותים vocant: alii *Judæi*, qui ex Judæis ad illos defecerant, quos appellant *apoſtatas gentis*, & Jeſus Sirach ait eſſe *gentem non gentem.* Hi fere Sicimam incolebant. Videndus Joſephus de his. Sed & ▪ quoque *Chuthæi* vocantur. Benjamin in Itinerario, 9. 1. *Chuthæi ſunt Judæi Samariæ, qui vocantur Samaritæ.* Idem ait in Nabelus, quæ *Sichem* olim, centum fuiſſe ſuo tempore Samaritanos, qui ſervabant legem Moſis ſolam; & in nova Aſcalone, quam Ezras exſtruxit, quaſi trecentos; & in Damaſco circiter ducentos, 12. 2. & 13. 2. Addit, carere tribus literis ex alphabeto, He, Heth, Ain. Quod dextre capiendum. Nam non omnino carent his literis, ſed pronunciant per Aleph, ac propterea iis carere dicuntur. Quod ſi diſplicet, tunc meta calumniæ eſt. Nam, teſte Hieronymo totidem literis quibus Judæi lectitabant olim Pentateuchum: credo & nunc idem facere, imo nullius dubito. Samaritanorum & Sadducæorum eadem fere fides; tamen differunt, ut oſtendit Scaliger in Can. Hagog. 219. Vide, ſi placet. Doctores *apoſtatam* vocant מומר & מומרי, cujus plurale ממרין in Juchaſin, 48. 2. *Apoſtata ſcripſerunt hoc Chriſtianis ad ſubſannandum nos.* Hi in ritibus nonnullis variabant à Sadducæis. Lib. Muſar, 44. 1. מומר, *h. e. apoſtata, non levat manus: Sadducæi autem levant manus, cum populo benedicunt.* Sunt qui מומר exponunt *idololatram.* Utrumque ſimul legitur in Jonatha Deut. 28. 68. מומרי מזלי מומרי *apoſtata colentes idola.* Plura de Samaritanis invenies in De tribus lectis, l. 3. c. 10, & 11.

11. *Puteus altus eſt*] *Altum* dixit ut *profundum* ſignificaret. Siquidem, conjuncta hæc ſunt. Nam qui puteus altus eſt etiam profundus eſt, & contra. *Profundum*, inquit Origenes, *& Altitudo idem ſignificant: tantum quod Altitudo ſpatium de inferioribus videtur ad ſuperiora metiri, Profundum vero de ſuperioribus incipere & ad inferiora deſcendere.* Ut hic *altus puteus*, ſic alibi *altus ſomnus*, qui & *profundus.* Iſ. 33. 19. in edit. noſtra *alti ſermonis*, quod in aliis *profundi labii.* 2 Cor. 8. 2. in eadem *altiſſima paupertas*, alias *profundiſſima paupertas:* Nam in fonte ἡ κατὰ βάθους στιγμὴ, vel, ut alia lectio habet, κατὰ βάθος. *Profunda paupertas*, ut *profunda avaritia*, i. magna vel multa. *Profunda lingua* Exod. 4. 10. in Onkelo.

20. *In monte hoc*] Montem Garizin ſignificat, in quo Samaritanorum templum ædificatum fuit Alexandri ævo, cum Sanballat Samaritanis præeſſet: quod dirutum fuit à Johanne Hyrcano Ethnarcha. De hoc monte videndi ſunt Joſephus in libris Antiq. Benjamin Tudelenſis in Itinerario, & Joſephus Scaliger De temp. emend. p. 620. ubi & de Samaritanis. Vide quoque Maſium in Joſuam, & Notas in Photium 977. 1. & Animad. in Euſebii Chron. 116. 2. & 117. 1. Montis hujus meminit Eupolemus apud Euſebium Προπαρασκ. p. 245. Memoratur etiam Deut. 11. 29. & 2 Mach. 6. 2. τὸν ἐν Γαριζὶν, i. *montem Garizin.* Reperio etiam πρὸς ὄρει τῷ Ἀργαρίζῳ καλουμένῳ· ubi Ἀργαρίζιν eſt *mons Garizin.* Nam *Har*, *mons*, in lingua Ebræorum. Superat ergo vox ὄρει· ὄρος τὸ Ἀργάριζον ita dicitur κατὰ πλεονασμὸν, ut οἶκος Βυθὴλ *domus Bethel*, & οἶκος Βυθβάαλ *domus Bethbaal* in lib. Judicum.

22. *Salus ex Judæis eſt*] i. doctrina ſalutis quæ verum Deum docet, qui ſolus adorandus eſt. Hoc oraculum Chriſti hodie

non

non intelligunt qui res & literas Judæorum tantopere contemnunt, imo deteſtantur: Qui fons eſt multorum errorum & falſarum opinionum, quibus adhuc Chriſtianiſmus (utinam vanus ſim) hodie ſcatet.

23. *Ἐν Αἰνὼν*] In Latinis *Ænon*, cum ſcribendum potius videatur *Ainon*. Sic perperam legimus in eadem editione *Michæas* pro *Michaias*, quod Græce eſt Μιχαίας, & Ebraice מיכיה. Syrus habet עינין, alias ין עין, quod legunt in Jaun: licet etiam ſcribere *Enon*, i. ענין, ut Αἰνὼν ענין. Sic Chaldæi dicunt בית בירא *Baitha*, & בירא *Betha*. Conſule Grammaticam noſtram. ענין Αἰνὼν, ut עילם Αἰλὰμ, unde *Ælam*, quod rectius *Ailam* ſcribertur. Nomen hoc reperitur Ezech. 47. 17. ענן, ubi LXX Αἰνὼν, & Hieron. *Enon*. Sic עין גדי Αἰν γαδδὶ, עין רגל Αἰν-ῥωγὴλ, עילון *Elon*, Αἰλὼν *Ailon*. De *Ainon* Hieronymus in lib. Locorum, vel magis Euſebius Pamphili, *Ænon juxta Salim, ubi baptizabat Johannes, ſicut in Euangelio ſecundum Johannem ſcriptum eſt, cap. 3. Et oſtenditur uſque nunc locus in octavo lapide Scythopoleos, ad Meridiem, juxta Salim & Jordanem.* In lib. Nom. *Ænon, Oculus aut Fons eorum.* עין *oculus*, ון *eorum:* pro quo Syri & Jeroſolymitani dicunt ין, ut לחין pro לחון.

27. *Quod cum muliere loqueretur*] Nam Sapientes hoc damnant, imo prohibent. Unde in lib. Aboth, c. 1. *Joſe F. Jochanan Jeroſolymitanus dicit, ne multiplica ſermonem cum femina.* Id commentator enarrat non ſolum de aliena, ſed etiam de propria. Quod ſi cum propria uxore non licet colloqui, multo minus cum aliena. Nam ſibi malum creat, qui hoc facit. Si enim *videndo urit femina*, ut ait Poëta, multo magis colloquendo lædit. Adhibe commentarium, ſi placet. Loquor de commentario Ebraico qui exſtat in illum librum.

42. *Propter tuam loquelam*] Catullus, *Verboſa gaudet Venus loquela.* Varro l. 5. *Loquelam dixerunt verbum quod in loquendo efferimus.*

44. *Teſtimonium perhibuit, ἐμαρτύρησεν*] Recentior interpres vertit *teſtatus fuerat* per pluſquam perf. Quod non mirabitur qui ſcit Ebræos præt. uſurpare pro imperf. & pluſquam perf. Notum hoc vel ex Grammatica. Ergo Gen. 2. 2. ubi Vulg. noſter, *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat*, exponi debet *compleverat.* Nam completio operis eſt opus. Si complevit die ſeptimo, igitur opus fecit, nec plane requievit illo die. Id movit Græcos ut *diem ſeptimum* mutarent in *diem ſextum* contra cod. omnium fidem. Similiter Tob. 1. *ἀτέκνου* niſi reddas *defecerat*, falſum eſt quod ibi ait. Vide Caſtig. meas. Hujuſmodi obſervationes, licet leves videantur, non ſunt contemnendæ. Nam ignoratæ magnas quandoque tenebras offundunt viris magnis.

46. *Regulus*] In Græco textu eſt βασιλικὸς, quod *aulicum* vel *regium miniſtrum* denotat, unde βασιλικὴ *ipſa aula*, quæ & βασιλικὸς οἶκος. Hieron. Jeſ. 65. *Regulus qui Græce dicitur* βασιλικὸς (imo βασιλόκος) *quem nos de regia aula rectius interpretari poſſimus Palatinum.* Vide nunc Caſaubonum noſtrum p. 289. adv. Baronium.

47. *Ut deſcenderet*] Capharnahum erat in monte ſita: dicendum ergo erat, *ut aſcenderet.* Forte aulicus ille in declivi loco montis habitabat. Aut aliter ſolvendus hic nodus. Nam legimus Jud. 15. 11. *deſcenderunt in ſummitatem petræ.* Contra Joſ. 7. 24. *Aſcendere fecerunt eos in vallem Achor.* Nam in vallem ex monte deſcenditur: Sed & ex alio loco depreſſiore aſcenditur in eam. Xenophon auctor Græcus *ἀνάγω* dixit pro *ἀπάγω*, *ſubduco* pro *abduco.*

51. *Quia filius ejus viveret*] i. valeret, ut Gen. 20. 7. *& vives*, i. convaleſces, ſanaberis. Joſ. 5. 8. *donec viverent*, i. ſanarentur. Jeſ. 38. 1. *& non vives*, non convaleſces. Sic 2 Reg. 20. 1. Jonathan, *non vives ex morbo tuo.* R. D. *non ſanaberis ex hoc morbo.* Hinc *vita carnium*, i. bona valetudo. *Carnium*, i. corporis. Nam *carnes* & *caro* dicunt eodem ſenſu. Vide Moſem Ægyptium in More lib. 1. cap. 41. Sem Tob comment. ad illum locum 27. 2. *Vita dicitur de ſanatione à morbo.*

CASAUBONUS.

2. Καίτοιγε Ἰησοῦς αὐτὸς οὐκ ἐβάπτιζεν, ἀλλ' οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, *Etſi non Chriſtus ipſe, ſed ejus diſcipuli baptizabant*] Chriſti tamen non Diſcipulorum baptiſmus & creditus eſt & vocatus: qua de re placet perelegantem Tertulliani locum proferre. Sic ille in libro De baptiſmo, *Sed ecce, inquam, venit Dominus, & non tinxit. Legimus enim*, Et tamen is non tingebat, ſed diſcipuli ejus: *quaſi revera ipſum ſuis manibus tinctarum Johannes prædicaſſet. Non utique ſic intelligendum eſt, ſed ſimpliciter dictum more communi. Sicut eſt, verbi gratia,* Imperator propoſuit edictum: *aut*, Præfectus fuſtibus cecidit. *Nunquid ipſe proponit? aut nunquid ipſe cædit? Semper ita dicitur facere cui præminiſtratur.* Simile eſt quod JCti tradunt; *Videri enim facere qui per alium facit*; ut in Lege 22. §. 1. D. De liberali cauſa.

9. Οὐ γὰρ συγχρῶνται Σαμαρεῖται] Hæc verba Nonnus ad Samaritanam retulit, & cum ſequentibus conjunxit.

41. Καὶ πολλῷ] Apud Paraphraſten, cum alia reperias omiſſa, tum verſiculum hunc totum cum ſequenti.

JAC. CAPPELLUS.

9. *QUomodo tu, Judæus cum ſis, à me, quæ mulier Samaritana ſum, potum poſcis?*] q. d. Judæus Samaritano ne frigidam quidem aquam dare velit; cur igitur aquam à Samaritana petis? Eadem immanitate nec iter monſtrare, nec fontem dignabantur Judæi Samaritanis. Adeoque, ſi Juvenali credimus, eandem barbariem etiam erga reliquas gentes exercebant. Sed quemadmodum impie tribuit Juvenalis Moſi quod moribus pravis Judæorum adſcribere debuerat, ſic etiam auxeſi poetica puto Juvenalem dicere negatum omnibus quod ſolis forte Samaritanis negabatur. Utut ſit, ſic Juvenalis de Judæis loquitur,

Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Judaicum ediſcunt & ſervant ac metuunt jus;
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes,
Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti,
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

20. *Noſtri patres adoraverunt in hoc monte*, &c.] Rabba in Geneſim §. 81. *R. Iſmael Joſis F. aſcendebat Hieroſolyma oraturus. Tranſivit per hoc palatium. Vidit eum Samaritanus quiſpiam dixitque; Domine, quonam proficiſceris? Dixit illi* Iſmael, *Aſcendo oraturus in hac Hieroſolyma. Dixit illi* Samaritanus, *Annon melius eſſet adorare in hoc monte benedicto quam in illa deſpicabili civitate? Dixit illi* Iſmael, *Ego verò dico vobis, Cur ſimiles eſtis cani guloſo perſequenti cadaver? Siquidem quia ſcitis idola ſub hoc monte occultata*, (*Scribitur enim* Gen. 35. *Et abſcondit ea Jacob*) *ideo vos inhiatis illis.* Specimen hoc eſto diſceptationum quibus inter ſe digladiabantur Hieroſolymitani cum Samaritanis.

21. *Dicit ei Jeſus, Mulier, crede mihi; veniet hora quando nec in hoc monte nec Hieroſolymis Patrem eſtis adoraturi*] Ubi videlicet everſum videbitis tam Hieroſolymitanum quam Garizimitanum templum: utrique videbitis neutri adeoque nulli loco Dei cultum alligandum, ſicuti nec ullis legis Moſaicæ ceremoniis; ſed Deum colendum cultu mere ſpirituali, ſi modo comparetur cum cultu Moſaico. Alioqui ſi cultum noſtrum cum eo compares quem exhibet Deo triumphans Eccleſia, in cœlo demum mere ſpiritualis erit cultus noſter.

23. *Sed venit hora, & nunc eſt*, &c.] Ἐκπυρώσεις Rhetoricæ non eo pertinent ut falſi damnetur prior propoſitio, ſed ut doceatur etiam alteram vere dici poſſe, licet in ſpeciem videantur inter ſe pugnare. Jam tunc erat hæc hora, quia jam tum inſtituebatur ſpiritualis ille cultus quem Chriſtus opponit externo Moſaicoque, & quem Samaritani Garizimitano, Judæi Hieroſolymitano templo alligabant. Nondum tamen erat hæc hora, ſed veniebat & inſtabat, quia tum demum Moſaico jugo plene ſubſtitutum eſt Chriſti jugum cum everſis Garizimorum & Hieroſolymorum templis totus ille Moſaicarum ceremoniarum apparatus abolitus eſt, & ita quidem ut quod Judæi conantur illum retinere in eo peccent, cum in eo non peccarent ante Templi ſubverſionem, & utut conentur totum legis Moſaicæ jugum retinere, coguntur tamen tam Judæi quam Samaritani maximam ejus partem omittere, nempe Sacrificia.

LUD. CAPPELLUS.

14. Πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου, &c.] Sic Targum Cant. 4. 15. verba Legis comparat *puteo aquæ vivæ:* ויאמרון h. e: *quia occupantur* (Iſraelitæ ſcilicet) *in verbis Legis, quæ comparantur puteo aquæ vivæ.*

24. *Deus eſt Spiritus: & qui adorant eum*, &c.] De ſpirituali Dei adoratione ſic congruenter huic Chriſti dicto docent Judæi in ſuo סדור ſive Euchologio, h. e. *Qua re potius præveniam faciem ejus niſi ſpiritu meo? Nihil enim eſt homini pretioſius anima ſua.*

50. *Dixit ei Jeſus, Vade, filius tuus vivit*, &c.] Narrationi iſti habetur in Talmude fabula, ad ejus imitationem (ut vi-

videtur) confiſta, qua voluit Satan obſcurare inter Judæos gloriam miraculi à Chriſto facti. Nam in Maſſecheth Berachot, c. 5. §. 5. Miſna narrat *R. Chananiam ſolitum fuiſſe preces fundere ad Deum pro agris, atque tum dicere ſolitum de agris pro quibus orabat, Hic vivet, iſte morietur. Cumque interrogaretur unde id ſciret, reſpondiſſe, Cum expedita eſt in ore meo oratio mea, tum ego novi quod æger acceptus ſit* Deo, h. e. quod à morbo convaleſcet: *cum vero contra ſit*, h. e. cum oratio mea non eſt expedita in ore meo, *tum ego novi quod ipſe à morbo rapietur.* In hunc Miſnæ locum ſic commentantur Gemariſtæ, *Tradunt Magiſtri noſtri, forte quondam contigiſſe ut filius R. Gamalielis* (ſenioris ſcilicet, illius quem *Rabban* κατ' ἐξοχὴν vocant, qui vixit Chriſti tempore & ad cujus pedes Paulus teſtatur ſe educatum) *ægrotaret. Miſit ille duos diſcipulos Sapientum ad R. Chananiam F. Doſæ,* לבקש עליו רחמים *ut vellet pro eo (ægro) orare Deum. Qui cum eos conſpexiſſet, conſcendit ſuperius cœnaculum, Deumque pro eo oravit. Cum deſcendit, dixit illis, Ite, dimiſit eum febris. Dixerunt ei diſcipuli, An tu es Propheta? Reſpondit ille, Non ſum propheta, neque filius Prophetæ, ſed ſic ego accepi; Cum expedita eſt in ore meo oratio mea, tum ego novi* שקבל תפלתו *quod æger ſit Deo acceptus; ſi vero non, novi tum ego* שמורד תפלתו *quod ſit à* morbo *rapiendus. Tum ſederunt, ſcripſerunt & annotarunt horam illam: cumque veniſſent ad R. Gamalielem, dixit illis, Totum negotium accurate peregiſtis, tempus diligenter notaſtis: ſic ſe res habet; Illa ipſa hora dimiſit eum febris, poſtulavitque à nobis aquam ad bibendum.*

GROTIUS.

1. Ἔγνω, *Cognovit*] Divina cognitione. ¶ Ὅτι ἤκουσαν οἱ Φαρισαῖοι, *quia audierunt Phariſæi*] Ii maxime qui in Synedrio erant Hieroſolymitano. Vide ſupra III. 1. Sadducæi omnes ritus Lege non præſcriptos pari loco habebant. Quare nec Baptiſmum Jeſu nec Johannis curabant, non magis quam Phariſæorum cæremonias. ¶ Ὅτι Ἰησοῦς, *quod Jeſus*] Ἰησοῦς [*Jeſus*] poſitum pro αὐτὸς [*ipſe*], ut ſæpe apud Hebræos. ¶ Πλείονας μαθητὰς ποιεῖ καὶ βαπτίζει, *plures Diſcipulos facit & baptizat*] Plures habet Diſcipulos & ſolennius eos initiat. ¶ Ἢ Ἰωάννης, *quam Joannes*] Putem cum hæc acciderunt vixiſſe tunc adhuc Johannem Baptiſtam, & aliud hoc eſſe inter quam quod ab aliis Euangelistis deſcribitur. Tanto major in Jeſum invidia erat quam in Johannem quanto plures habebat ſectatores. Et Johannis quidem honos nati ex Sacerdotali familia aliquatenus ipſum ornabat Sacerdotium; & tamen hujus quoque Baptiſmum repudiarunt Phariſæi, Luc. VII. 30. At in Jeſu Galilæo, de plebe, ut putabatur, omnis honos detrimentum erat publicæ auctoritatis.

2. Καίτοιγε Ἰησοῦς αὐτὸς οὐκ ἐβάπτιζεν, *quamquam Jeſus ipſe non baptizabat*] Diximus ſupra III. 22.

3. Ἀφῆκε τὴν Ἰουδαίαν, *Reliquit Judæam*] In qua illi plurimum poterant, judiciorum compotes, Romanis id permittentibus. ¶ Καὶ ἀπῆλθε πάλιν εἰς τὴν Γαλιλαίαν. *Et abiit iterum in Galilæam*] Ubi Herodes regnabat, cujus ira in Johannem nondum exarſerat. Ita ſine damno prædicationis ad tempus ſibi conſuluit.

4. Διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας. *tranſire per Samariam*] *Samariam* intellige, illam partem Terræ Promiſſæ in qua manſerant Aſſyrii poſtquam cæteri à Decem Tribubus olim poſſeſſa Judæi à Babylonia reduces receperant. Ab Urbe enim olim regni capite nomen manſit regioni. Per hanc autem Hieroſolymis in Galilæam & contra iter erat. Vide quæ annotavimus ad Luc. XVII. 11.

5. Ἔρχεται οὖν εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας, *Venit ergo in civitatem Samariæ*] Πόλιν [*Civitatem*] hic vocat civitatis territorium. Simile notavimus ad Luc. II. 7. ¶ Λεγομένην Συχὰρ, *quæ dicitur Sichar*] Συχὰρ habent Græci codices plerique & Syriacus: & ſic in Latinis legitur, & ſuo tempore lectum notat Hieronymus. Alii codices Συχὰρ [*Sychar*], & hoc ſequitur Arabs. Et vocalis quidem permutatio non nova, ſic Σίμων [*Simon*] & Συμεὼν [*Symeon*] ſcribitur, & hæc ipſa urbs Σιχὲμ [*Sichem*] & Συχὲμ [*Sychem*]. Pro ὲμ autem quod ὰρ ſcribitur, putat librariorum vitium eſſe Hieronymus: alii rectius pronuntiationem corruptam temporibus putant, ut ex Βαλιὰλ [*Belial*] factum eſt Βελιὰρ [*Beliar*], & ſimilia. Σίκιμα [*Sicima*] Græca flexione plerumque hæc urbs appellatur, de qua tamen eo tractu exſtant verſus Theodoti Poetæ Græci libro De Judæis, quos citat Euſebius Præparationis lib. IX. c. 1. ſed corruptos, quos ſic emendandos cenſeam,

Ἦ ἀρ' ἔην ἀγαθή τε καὶ αἰγίνομος καὶ ὑδρηλή·
Οὐδὲ μὲν ἔστιν ἴδοις δολιχὴ πόλιν εἰσαφικέσθαι
Ἀγρόθεν· ἠδέποτε ἀρὴ λειχήνιστ' ἀπάερσεν.
Ἐξ αὐτῆς δὲ μάλ' ἄγχι δύ' οὔρεα Φαίνετ' ἀρωγὰ
Πάσης τε πλήθοντα καὶ ὕλης· τῶν δὲ μεσηγὺ
Ἀτραπιτὸς τέτμητ' ἀρηὶ αὐλάπις ἔνερθεν
Ἡ μερὴ Σίκιμον κατεφαίνεται ἱερὸν ἄστυ
Νέρθεν ὑπὸ ῥίζῃ δεδμημένον· ἀμφὶ δὲ τεῖχος
Λισσὸν ὑπώρειαν ὑποδείδραμεν αὐτοῦ ἅπασ.

[*Humida, paſcendo pecori bona terra caprugno.*
Hic ager eſt, à quo non longa extendit in urbem
Se via: non illic nemorum frondentia deſunt.
At ſuper apparent montes duo quæis juga ſurgunt
Inclina, plena herbis & ſaltibus: inter utrumque
Callis ſe tenui diffundit tramite: ſubter
Urbs ſacra conſpicitur Sicimum non indiga limfa,
Structa ſub alterius montis pede: circuit illam
Murus & ad montis ſeſe lævera ardua tollit].

Montes illi duo qui Sicimis immuinent, ſunt Garizim, de quo jam audiemus, & Hebal. Vide Benjaminem Itinerario. Male id negat Epiphanius levibus argumentis. Significanter autem nominatur hæc urbs, ut Hieroſolymis in religione æmula. ¶ Πλησίον τοῦ χωρίου ὃ ἔδωκεν Ἰακὼβ Ἰωσὴφ τῷ υἱῷ αὐτοῦ, *juxta prædium quod dedit Jacob Joſeph filio ſuo*] Geneſ. XLVIII. 22. in cujus loci expoſitione non placet quod quidam putant à Simeone & Levi hunc agrum manu captum cum Sicima diriperent. Nam id factum perfidia mixtum improbavit Jacobus. Neque magis putem diſceſſu Jacobi à vicinis occuparum, deinde à Jacobo reverſo armis recuperatum: quod quidam fingunt. Neque enim ea fuit vis Jacobi ejuſque familiæ ut aperto bello quicquam in vicinos auderent, cum illud ipſum quod Simeon & Levi auſi fuerant non factum ſit niſi dolo & per morbi occaſionem. Quare verſimilius eſt, ſicut donatio hæc effectum non habuit niſi poſtquam Terra Promiſſa armis occupata eſt, ut videre eſt Joſuæ XXIV. 32. ita Jacobum ſpe antecepiſſe hanc victoriam, ſibique tribuere quod ſui poſteri facturi erant, & præterito tempore enunciare more Prophetico id quod certo eventurum videbat.

6. Πηγὴ τοῦ Ἰακώβ· *fons Jacob*] Puteus erat, ut mox videbimus, ſitus ad Auſtrum ab Urbe, ut notant locorum periti. Sed Hebræis mos eſt omnem ſcatebram *fontem* vocare: Notavimus ad Marci V. 29. A Jacobo autem effoſſum hunc puteum ex Sacris Scriptis non conſtabat, niſi quis trahere hoc velit illud Deuteronomii XXXIII. 28. πηγὴ Ἰακὼβ ἐπὶ σίτου καὶ οἴνου [*fons Jacob ſuper frumento & vino*]: ſed vetere fama, ut alia multa. ¶ Κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, *fatigatus ex itinere*] Indicatur veritas humanæ naturæ. ¶ Ἐκαθέζετο οὕτως, *ſedebat ſic*] Incuriose, ut ſe locus obtulerat. Non diſſimile illud Actor. XX. 11. ¶ Ἐπὶ τῇ πηγῇ. *ad fontem*] Ἐπὶ eſt ע, quod valet *ad* vel *juxta*. Sic Exod. II. 15. ויושב על באר, ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ φρέατος [*ſedit ad puteum*]: ad quam hiſtoriam hic alluditur. ¶ Ὡσεὶ ἕκτη· *quaſi ſexta*] Vide ſupra I. 40. Cauſam ſitis offendit, quia & multum itineris fecerat & jam erat meridies.

7. Ἔρχεται, *Venit*] Indicatur caſus, ſed Divino conſilio directus. ¶ Γυνὴ ἐκ τῆς Σαμαρείας, *mulier de Samaria*] Σαμαρῖτις [*Samaritis*] ut mox loquitur Johannes: nam ἐκ [*ex*] hoc loco ponitur ut ם Hebræum ſignificans Originem vel Habitationem. Sic ἀπὸ [*à*] Matth. XXVII. 57. *Samariam* autem hic iterum regionem intellige. ¶ Ἀντλῆσαι ὕδωρ. *haurire aquam*] Cum hydria ſcilicet, ut moris erat: infra commate 28. Geneſ. XXIV. 15. Nonnus ὑδρίδα κάλπιν ἔχουσα [*urnam, ut moris, habens*]. Sic apud Homerum Odyſſeæ ν.

Παρθενικῇ εἴκυῖα νεηνίδι κάλπιν ἐχούσῃ.
[*Urnigeræ ſimilis florenti ætate puellæ*].

¶ Δός μοι πεῖν. *Da mihi bibere*] Ex urna jam impleta.

8. Οἱ γὰρ μαθηταὶ αὐτοῦ, *Diſcipuli enim ejus*] Non aderant Diſcipuli qui urceum ipſi alicunde adferrent. Et hac occaſione conſultum eſt pudori mulieris quam Chriſtus ad meliorem frugem erat perducturus. Videtur autem hoc tempore Chriſtus Diſcipulos adhuc paucos habuiſſe ante electos Duodecim.

9. Ἰουδαῖος ὢν, *Judæus cum ſis*] Diſcrimen etiam Ephraïmitas ab aliis Iſraelitis, Jud. XII. 6. & Galilæos à Judæis diſtinguebat, Matth. XXVI. 73. quanto magis Samaritam à Judæo? Credibile eſt & in veſtibus aliquid fuiſſe diſcriminis, ut melioris ritibus diſcrepabant: ut notatur in libro Maſar. ¶ Οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρίταις. *non enim conjungitur Judæi Samaritanis*]· Quod συγχρῆσθαι (*jungere ſe*) dicitur

Actor.

Actor. IX. 26. id eſt, *amice uti*. Quod Legisperitorum traditio ſic interpretabatur, ut emere quidem neceſſaria liceret, at beneficium à Samarita ullum accipere non liceret. Lex nullum cum alienigena vetat commercium (populos Divina ſententia damnatos excipio) dum cibis vetitis abſtineatur. Ratio non aliud diſſuadet quam quod infirmos à Dei cultu poſſet abducere: quam ob cauſam notant Hebræi veterum cum idololatra vinum bibere, non Lege, ſed eruditorum cautione, ne familiari nimium conſuetudine contagium contraheretur. Introducta hæc cautio ex quo Judæi neque Judæos à Lege deficientes punire, neque alienigenas in ſuo ſolo habitantes intra data Noæ præcepta continere potuerunt. Samaritæ vero adeo erant ſuperſtitioſi ut viſo Judæo exclamarent, *Ne attinge*. Verba autem hæc Euangeliſtæ ſunt rationem reddentis ejus quod femina dixerat. Similis parenthеſis mox occurrit IV. 25.

10. Εἰ ᾔδεις τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ, *Si ſcires donum Dei*] Si intelligeres quantum hoc ſit beneficium, occaſio nempe quam tibi nunc Deus præſtat, quantumvis Samaritidi. Sic Epheſ. II. 8. δῶρον Θεοῦ [*donum Dei*] dicitur vocatio Euangelica. ¶ Τίς ἐστιν, *quis eſt*] *Quis quantuſque*. ¶ Ἔδωκεν ἂν σοι ὕδωρ ζῶν. *dediſſet tibi aquam vivam*] *Aqua* variis in locis variam habet ſignificationem. Hoc loco, & in Apocalypſi aliquoties, non dubito quin ſignificetur dogma Euangelicum; nempe quatenus ea continet quæ ad ſalutem æternam pariendam neceſſaria ſunt ac ſufficiunt. Argumentum ad eam rem præcipuum habeo id quod infra legitur VI. 35. quo jamjam utemur. Nec multum hinc abeunt veteres, ut Cyprianus Epiſtola ad Cæcilium, qui de Baptiſmo accipiunt: nam Baptiſmus eſt iſtius dogmatis ſolennis profeſſio. Philo Allegoriis de Moſe in Madian, ἐκάθισεν ἐπὶ τῆ φρέατος ἐκδεχόμενος τί ὁ Θεὸς ἀναμβρύσει πότιμον τῇ διψώσῃ καὶ ποθούσῃ ψυχῇ τὸ ἀγαθὸν ἀναχωρεῖ μὲν ἀπὸ τῆς ἀθέου καὶ ἡγεμονίδος τῶν παθῶν δόξης [*ſedit ad puteum exſpectans quem potum Deus affuſurus eſſet animæ ſitientis & cupientis id quod bonum eſt, ideoque abit ab opinione impia & ad prava affectus ducente*].

11. Οὔτε ἄντλημα ἔχεις, *nec quo haurias habes*] *Situlam* intelligit Syrus; *ſitulam* ſimul *cum fune* Nonnus,

Οὐ καλὸν ἐλπυζῆρα φέρεις, ἵ σχοῖνον ἀείρεις.
[*Non eſt urna tibi, nec funis portitur urna*].

Apud Martialem *antlia* videtur elaboratius aliquid eſſe. ¶ Τὸ φρέαρ ἐστὶ βαθύ. *puteus altus eſt*] Ita ut ſine tali ope contingi nequeat. ¶ Πόθεν οὖν, *unde ergo*] Primum oſtendit non eſſe credibile ex illo puteo Jeſum aquam dare poſſe; nunc, quod reſtabat, vult oſtendere non eſſe probabile aliunde eum aquam habere poſſe.

12. Μείζων εἶ, *major es*] Sapientior ad inveniendas aquas circa hunc locum. ¶ Τῷ πατρὸς ἡμῶν Ἰακὼβ, *patre noſtro Jacob*] Samaritæ, ut notat Joſephus, cognatione Judæorum ubi res eorum proſperiores erant gloriabantur: quia ſcilicet multis Aſſyriis aliqui permixti erant Hebræi. ¶ Ὃς ἔδωκεν ἡμῖν τὸ φρέαρ, *qui dedit nobis puteum*] Monſtravit poſteris, tanquam quo nullum in his locis eſſet melius. ¶ Καὶ αὐτὸς ἐξ αὐτοῦ ἔπιε, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ, & *ipſe ex eo bibit, & filii ejus*] Probat aquæ ſalubritatem. ¶ Καὶ τὰ θρέμματα αὐτοῦ; & *pecora ejus?*] ues [*grex ejus*]. Probat aquæ copiam.

13. Διψήσει πάλιν· *ſitiet iterum*] Si vivat: quia ſua natura talis eſt hæc aqua ut effectum non habeat niſi temporarium. Digeritur enim & excernitur.

14. Οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα· *non ſitiet in æternum*] Infra VI. 35. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε [*qui credit in me, non ſitiet unquam*]. Ergo hic *aqua* eſt id quod creditur ad ſalutem, quod ſemel hauſtum amplius hauriendum non eſt, ſed retinendum tantum. Nihil eſt quod ei adjici poſſit; aliter quam in humanæ ſapientiæ præceptis, quorum nunquam finis eſt: ideo quo magis ea bibitur eo magis creſcit ſitis. de ea ſermo eſt Eccleſ. XXIV. 29. Cyprianus dicto loco, *Omnis qui biberit ex aqua iſta, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dedero, non ſitiet in æternum. Quo & ipſe Baptiſma ſalutaris aquæ ſignificatur, quod ſemel ſumitur nec rurſus iteratur.* Nimirum Baptiſmus, ut diximus, profeſſio eſt dogmatis, quod ſemel hauſiſſe ſufficit. Tertullianus Præſcriptione: *nihil amplius niſi cuſtodiendum quod credidiſti.* Chryſoſtomus ad caput penultimum prioris ad Corinthios, οὐ γὰρ αὐτὸ δεῖσθαι τὸ δόγμα μαθεῖν, ἀλλ' ὑπομνησθῆναι καὶ διορθωθῆναι [*non enim opus eſt ut diſcatis dogma, ſed ut ejus memores ſitis & ad id corrigamini*]. ¶ Πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον. *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*] Hoc ſolum ſine alia cognitione ſufficit ad pariendam vitam æternam. Vide ſupra I. 4. infra VI. 68. XII. 50. XVII. 3. XX. 31. Hebr. IV. 12. Et emphaſis eſt in voce *ſaliet*: ſolent enim aquæ ſalire ad altitudinem uſque ſuæ originis. Seneca Epiſt. XCI. *Nemo improbe ea conatur aſcendere unde deſcenderat.* Spectat huc myſtice locus Cantici IV. 15. ¶ Κύριε, *Domine*] Sic ignotos quoque Hebræi honoris cauſa compellabant. Vide infra XX. 15.

15. Ἵνα μὴ διψῶ, μηδὲ ἔρχωμαι ἐνθάδε ἀντλεῖν. *ut non ſitiam neque veniam huc haurire*] Inopiam ſuam tacite oſtendit, quæ cogat ſubire laborem quo levari mallet.

16. Φώνησον τὸν ἄνδρα σου, καὶ ἐλθὲ ἐνθάδε. *voca virum tuum, & veni huc*] Non ſatis decorum eſt nuptæ beneficium conferre, marito inconſcio.

18. Πέντε γὰρ ἄνδρας ἔσχες· *quinque enim viros habuiſti*] A quibus te divortio contra legem Moſis liberaſti. Nam ea lex marito permittebat uxorem dimittere, non autem uxori diſcedere à marito; quod tamen poſteriorum temporum mos introduxerat, ut apud Joſephum videre eſt, qui notat exemplum primum unde is mos coeperit. ¶ Οὐκ ἔστι σοι ἀνήρ· *non eſt tuus vir*] Secundum legem:

\- - - Οὐ γυναικὸς ἔστιν ἀνάντης,
[- - - *Non eſt tibi jure maritus,*]

Nonnus. Nimirum, ut ego accipio, quia alii viro obligata adhuc tenebatur, non accepto libello dimiſſionis. Samaritæ ſi qui a Jacobo orti erant ipſo naſcendi jure Lege Moſis tenebantur; cæteri, quia Legem receperant & ſecundum eam ſe victuros circumciſione erant profeſſi, Gal. V. 3.

19. Ὅτι προφήτης εἶ σύ. *quia Propheta es tu*] Prophetarum enim eſt abdita revelare. Ideo ut Prophetam conſulit de agitata diu controverſia, bis oſtendens Dei contemtricem ſe non eſſe, & cum crimina hæc agnoſcit, & cum non de rebus levibus ſed de his quæ ad Deum ejuſque cultum pertinerent eum conſulit.

20. Οἱ πατέρες ἡμῶν, *Patres noſtri*] Diximus Samaritas pro Hebræis cenſeri voluiſſe. Cum autem cauſam aliquo modo hic agat ſuorum, illud πατέρες ἡμῶν [*Patres noſtri*] ad antiquiſſima tempora referam; quomodo id loquendi genus & Archidamus uſurpat in oratione quæ eſt apud Thucydidem ſecundo. De Iſaaco hic ſacrificato quod ſcribunt multi vanum eſt: id enim factum in Monte Moria Gen. XXII. 2. At illud verum, non procul Sicimis altare ab Abrahamo ſtructum aliquanto ante oblationem Iſaaci, Gen. XII. 6. 7. Deinde & à Jacobo, Geneſ. XXXIII. 18. Solebant autem illis temporibus altaria ſtrui in locis cœlo proximis: quod & Straboni notatum. Acceſſit quod in illo monte pronuntiatæ erant benedictiones Legis, Deut. XI. 29. ¶ Ἐν τῷ ὄρει τούτῳ, *in monte hoc*] Digitis monſtrat montem Garizim, ubi templum Sanbelletes ſtruxerat Alexandri Magni temporibus: & quanquam id templum diruerat Hyrcanus, ſacra tamen ibidem eodem more fieri non deſierant. Vocatus is mons & Ἀργαρίζος [*Argarizus*, *id eſt*, *mons Garizus*] addito ר, in quo *montis* eſt ſignificatio. Sic in Apocalypſi XVI. 16. Ἁρμαγεδδών [*Armagaddon*, *id eſt*, *mons Maggedon*] הר־מגדון. Sic apud Tacitum Annalium XV. *caſtellum Arſamoſata* הר *Mons Solis*. ¶ Ὅτου δεῖ προσκυνεῖν. *ubi adorare oportet*] Intellige *adorare obviis victimis aliiſque ritibus publicis*, quod uno tantum in loco, eo nempe quem ſuo tempore deſignaturus eſſet ipſe, fieri Deus voluerat, Deuter. XII. 14, 26. αἵματι ταυρείῳ [*ſanguine taurino*] dixit hic Nonnus.

21. Πίστευσόν μοι, *crede mihi*] Quando me pro Prophета habes, in quo non falleris. ¶ Ἔρχεται, *venit*] Præſens pro proxime futuro. Vide Matth. XXVI. 28. Sic infra commate 25 vertit Syrus: Latini quoque codices antiquiores ibidem, *veniet*. ¶ Οὔτε ἐν τῷ ὄρει τούτῳ, οὔτε ἐν Ἱεροσολύμοις προσκυνήσετε, *neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis*] Nempe, ut dixi, eximio quodam ritu. Philo II Alleg. Legis, ὁ φαῦλος δοκεῖ εἶναι τὸν Θεὸν ἐν τόπῳ μὴ περιέχοντα, ἀλλὰ περιεχόμενον [*qui vitioſus eſt putat Deum eſſe in loco ita ut contineatur, non ut contineat*]. Simul tacite innuitur imminens utrique locorum vaſtitas. ¶ Τῷ πατρί. *Patrem*] Tacite Novi Fœderis ſuavitatem innuit, cum Deum *Patrem* vocat, Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6.

22. Ὃ οὐκ οἴδατε· *quod neſcitis*] Putant quidam à Samaritis Deum habitum corporeum: ſed hoc illis commune cum Judæis non paucis. Alii, Deum Iſraelis habitum pro Deo non univerſi, ſed unius regionis: ita enim olim exiſtimaſſe cenſentur qui primi Aſſyriorum ibi habitaverunt, ſed, ut credibile, nondum Lege ſuſcepta, II Reg. XVII. Credibilius mihi videtur, ſicut *vidiſſe Deum* Filius dicitur quod arcana ejus noverit, ſupra I. 18. ita *noviſſe Deum* dici Judæos, quia voluntatem ejus ubi & quomodo coli vellet non ex Lege tantum cognoverant ſed & ex Prophetis, quos Samaritæ rejiciebant. Prophetarum autem monitu Templum Hieroſolymis ſtruere propoſue-

rat David, ſtruxit Solomo. ¶ Ἡμεῖς προσκυνοῦμεν, *nos adoramus*] Judæis ſe accenſet: nam jam oſtenderat mulier ſe eum pro Judæo habere. ¶ Ὃ οἴδαμεν· *quod ſcimus*] Cognita, ut diximus, per Prophetas ipſius voluntate. ¶ Ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν. *ſalus ex Judæis eſt*] Ibi poſt ſtructum Templum perpetua manſit Sacerdotum ſucceſſio; quod urgent Judæi adverſus Samaritas in hac ipſa controverſia: Joſeph. Antiq. XIII. 16. Illud Templum præſentia ſua honeſtarunt Prophetæ. Quibus ſignis oſtendit Deus cognitionem voluntatis ſuæ indidem non à Garizitanis petendam: ac propterea etiam in eo Templo à Chriſto & Apoſtolis prædicari voluit Euangelicum dogma, juxta id quod prædictum erat per Malachiam III. 1.

23. Ἀλλὰ ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν, *ſed venit hora & nunc eſt*] Νῦν [*Nunc*] ſignificat tempus de proximo imminens: quaſi dicat, *erit*, *imo jamjam erit*. Eadem locutio infra v. 25. ἀλλὰ [*ſed*] refer ad id quod præceſſit de adoratione neutri templo adſtringenda. ¶ Οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ, *veri adoratores*] Ἀληθινοὶ hic ſunt *eximii*, Deo ante alios grati: diximus ſupra 1. 9. ¶ Ἐν πνεύματι, *in ſpiritu*] *Puramente*, ut eſt in Latino verſu; quod *compoſitum jus faſque animi* dixit Perſius. Hierocles, Τιμήσεις τὸν Θεὸν ἄριστα, ἐὰν τῷ Θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς [*Optime Deum honorabis, ſi Deo mente ſis ſimilis*]. Mox, Τὸ δὲ ἔνθεον Φρόνημα διαρκῶς ἡδρασμένον συνάπτει Θεῷ· χωρεῖν γὰρ ἀνάγκη τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον· ὅθεν καὶ μόνος ἱερεὺς ὁ σοφὸς λέγεται, μόνος θεοφιλὴς, μόνος εἰδὼς εὔχεσθαι· μόνος γὰρ οἶδε τιμᾶν ὁ τὴν ἀξίαν μὴ συγχέων τῶν τιμωμένων, καὶ ὁ προηγούμενος ἱερεῖον ἑαυτὸν προσάγων, καὶ ἄγαλμα θεῖον τεκταίνων τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, καὶ ναὸν εἰς ὑποδοχὴν τοῦ θείου Φωτὸς τὸν ἑαυτοῦ παρασκευάζων νοῦν· τί γὰρ τοιοῦτον προτάξεις ἐκτὸς τῶν ἐν μέσῳ κειμένων ὑλῶν, ὃ τῷ Θεῷ προσφυὲς ἄγαλμα ἐργάσῃ, ἢ δῶρον αὐτῷ ἐνεύσεβες δυνάμενον, ἃ δὴ ἐπὶ τῆς λογικῆς οὐσίας καθαρότητος συμβαίνειν ἀνάγκη; ὡς γὰρ οἱ αὐτοὶ ἄνδρες φασὶ, ψυχῆς καθαρᾶς τόπον οἰκειότερον ἐπὶ γῆς Θεὸς οὐκ ἔχει [*Pium autem propoſitum, ſolide fundatum, Deo ſocias, neceſſe enim ut quod ſimile eſt ad ſibi ſimile vadat; unde & ſolus ſapiens Sacerdos dicitur, ſolus Dei amans, ſolus precandi ſciens. Is enim ſolus rectè honorare novit qui rerum quas honorat dignitatem non confundit, & qui ſe præcipue offert victimam, & animam ſuam fabricat in ſimulacrum Dei, & mentem ſuam in id parat ut templum fiat ad Divinum lucem recipiendam. Quid enim tale proponis ex vulgaribus illis materiis quod facere poſſes agnatum Deo ſimulacrum, aut donum quod Deo admari poſſit, quæ neceſſe eſt evenire animæ rectè purgatæ? Ut enim dicunt viri illi, de quibus dicere cœperam, Deus in terra locum nullum magis ſibi proprium habet animo bene purificato*]. Clemens Alexandrinus libro VII. Θεράποντες ἄρα καὶ θεραπευταὶ τοῦ Θεοῦ, οἱ ἐλευθεριωτάτην καὶ βασιλικωτάτην θεραπείαν προσάγοντες τὴν διὰ τῆς θεοσεβοῦς γνώμης τε καὶ γνώσεως [*Famuli ergo & cultores Dei, qui maxime munificum maximeque regalem adferunt cultum per pium propoſitum atque cognitionem*]. Vide Rom. I. 9. XI. 29. II Corinth. III. 6. ¶ Καὶ ἀληθείᾳ· *& veritate*] Non in figuris, ſed rebus ſolidis, quales ſunt Preces, Gratiarum actiones, Martyria, opera Beneficentiæ. Nam *veritatis* vocem ſic ſumi oſtendimus I. 17. Non longe hinc abit Philonis illud de Deo, libro Pejores inſidiari melioribus, ὃς γνησίους μὲν θεραπείας ἀσπάζεται· γνήσιοι δ' εἰσὶν αἱ ψυχῆς ψηλὴν καὶ μόνην θυσίαν φερούσης ἀλήθειαν [*Qui ſinceros amat cultus; ſinceri autem illi quos peragit anima ſolam nudamque adferens victimam ipſam veritatem*]. Ritus illi Judaici ſuam quidem habuerant utilitatem ad avertendum populum ab extraneo cultu, ſimulque ad præparandos animos ad majora; ſed poſtquam in illis præcipua pars pietatis collocari cœperat, evellendi jam erant ut vetæ frugi obſtans lolium. Factum autem hoc primum quidem publicatione Chriſtianæ libertatis (quod *tempus correctionis* dicitur Hebr. IX. 10.) deinde etiam deſtructione Templi & Garizitani & Hieroſolymitani. ¶ Τοιούτους ζητεῖ, *tales quærit*] *Tales ſummè amat ac deſiderat*, ἀσπάζεται [*amplectitur*], ut dixit Philo.

24. Πνεῦμα ὁ Θεός· *Spiritus eſt Deus*] *Mens*, ut Cicero inquit, *ſoluta & libera, ſegregata ab omni concretione mortali. Deus eſt animus*, ut in Latino carmine. Similia ſimilibus gaudent: quare corporeo cultu nec per ſe nec præcipue delectatur. ¶ Ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν. *in Spiritu & veritate oportet adorare*] Sublatis ut ritibus ita & locorum diſcrimine. Menander,

\- - - Πάντ' ἔστι τῷ καλῷ λόγῳ
Ἱερόν· ὁ νοῦς γὰρ ἔσθ' ὁ λαλήσων Θεῷ.
[- - - *Ad bona verba omnis locus*
Pro Templo eſt: mens eſt quippe quæ loquitur Deo].

Clemens dicto loco, πᾶς οὖν καὶ τόπος ἱερὸς τῷ ὄντι, ἐν ᾧ τὴν ἐπίνοιαν τοῦ Θεοῦ λαμβάνομεν [*omnis locus revera ſacer, in quo de Deo cogitationem ſuſcipimus*]. Cicero De natura Deorum II. *Cultus autem Deorum eſt optimus idemque caſtiſſimus atque ſanctiſſimus, plenuſque pietatis, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur.* Idem De legibus I 14. *Caſte jubet lex adire ad Deos, animo videlicet in quo ſunt omnia.* Seneca à Lactantio citatus, *Vultis vos Deum cogitare magnum & placidum & Majeſtate leni verendum? amicum, & ſemper in proximo? non immolationibus & ſanguine multo colendum (qua enim ex trucidatione innocentium voluptas eſt?) ſed mente bona, puro honeſtoque propoſito? Non templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis ſtruenda ſunt: in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore.* Sic oſtendit non eſſe quod mulier ſe de veteri illa controverſia torqueat, cum brevi ceſſaturum omnino id privilegium de quo certabatur.

25. ὅτι Μεσσίας ἔρχεται, *quia Meſſias venit*] Siloh ille Jacobo prædicatus; cujus tempus jam inſtare ex communi fama acceperat. ¶ ὁ λεγόμενος Χριστός· *qui dicitur Chriſtus*] Parentheſis Euangeliſtæ, ut ſupra 9. ¶ Ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα. *nobis annuntiabit omnia*] Nondum nata tunc erat opinio quam in noſtri odium poſteriores Judæi confinxerunt, Meſſiam non fore Propheram. Simile eſt quod hodie de Elia dicunt Judæi, *Elias veniet & revelabit omnia.* Sic & Aſmonæorum temporibus controverſiæ in adventum Prophetæ rejiciebantur, I Maccab. IV. 46. XIV. 41. πάντα [*omnia*] intellige *quæ ſcire expetimus.*

26. Ἐγώ εἰμι, *Ego ſum*] Id eſt, *ego is ſum*, ut infra XVIII. 5. Magnum præmium ſimplicitati mulieris redditur, quod ei primum Jeſus dignitatem ſuam cognitam facit.

27. Καὶ ἐπὶ τούτῳ, *Et continuo*] *Dum loquitur Jeſus*, ut Syrus interpretatur. ¶ Οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, *diſcipuli ejus*] Vide ſupra 8. ¶ Ἐθαύμασαν ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει· *mirabantur quia cum muliere loquebatur*] Nam præter morem id erat & Hebræorum & Jeſu: nec conjicere poterant ſermonis materiam, cum Jeſus nihil niſi cœleſtia ſolitus eſſet loqui, quorum diſcendorum avidam eſſe Samaritidem credere non poterant. ¶ Οὐδεὶς μέντοι εἶπε· *nemo tamen dixit*] Reverentia vetabat eſſe curioſos. ¶ Τί ζητεῖς; *quid quæris?*] *Quid ab ea poſcis?* cibum an potum?

28. Ἀφῆκεν οὖν τὴν ὑδρίαν, *reliquit ergo hydriam*] Vide ſupra 7. Oſtenditur animus acenſus rerum Divinarum ſtudio ita ut idiplum obliviſceretur ob quod venerat. Sic notantur Diſcipuli Jeſum ſecuti omiſſis retibus, Matth. IV. 20. ¶ Τοῖς ἀνθρώποις· *illis hominibus*] Id eſt, τοῖς ἐκεῖ [*hominibus loci illius*].

29. Πάντα ὅσα ἐποίησα· *omnia quæcunque feci*] Vitæ meæ ſeriem quam ſcire humanitus non potuit.

31. Ἠρώτων, *rogabant*] Ἐρωτᾶν pro *rogare* paſſim ſumit, ut IV. 40. 47. XVI. 19. Notavimus ad Luc. IV. 38. Chryſoſtomus, τὸ ἠρώτων ἐνταῦθα παρεπάλυνε ἐπὶ τῇ ἐγχωρίῳ αὐτῶν φωνῇ [*rogarunt hic eſt hortati ſunt more loquendi in illis partibus*]. Attulerant Diſcipuli ex urbe prandium; itaque invitant ut veſcatur, non dubitantes quin ex multo itinere famem contraxiſſet.

32. Ἐγὼ βρῶσιν ἔχω φαγεῖν, *Ego cibum habeo manducare*] Dat Chriſtus exemplum ſuis ut ſemper ſpiritualia temporalibus anteferant. Confer hiſtoriam Samuelis I Sam. XVI. 11. Ideo quamvis eſuriens differt prandium ob oblatam occaſionem docendi Sicimitas. ἔχω φαγεῖν *edendum habeo*, ut ἔχοντα λαλῆσαι *qui habebat quid dicendum.* Actor. XXIII. 18. & ἔχω λέγειν [*habeo dicere ſive dicenda*] infra XVI. 12. Alioqui ἔχω καταφαγεῖν [*habeo edere*] apud Iſocratem eſt *habeo quod edam.* Mos autem eſt Hebræis βρῶσιν [*cibum*] vocare *id quo deſiderium animi expletur*, ſicut & Latini dicunt *paſtum animorum.* Vide Pſ. XIX. 11. ¶ Οὐκ οἴδατε. *vos neſcitis*] *Non conſideratis, non attenditis.*

33. Μήτις, *numquid aliquis*] An quis ex urbe nobis inſciis? Hoc ideo dicunt quia mirantur differri prandium.

34. Τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, *voluntatem ejus qui miſit me*] *Mandatum mihi injunctum.* Sic infra v. 30. VI. 38, 39. 40. ¶ Τελειῶσαι αὐτοῦ τὸ ἔργον, *perficiam opus ejus*] Opus vocandi peccatores ad pœnitentiam: quo mandatum tendit infra XVII. 4.

35. Οὐχ ὑμεῖς λέγετε, *Nonne vos dicitis*] Soliti eſtis laborem ſationis hac ſpe ſolari. Id oſtendit membrum oppoſitum infra 37. Simile eſt illud, ὀψίας γενομένης, λέγετε, εὐδία [*facto veſpere dicitis: ſerenum*], & quæ ſequuntur Matth. XVI. 2. ubi ſimiliter à locutione de rebus temporalibus ad majora aſcenditur. ¶ Ἔτι τετράμηνόν ἐστι, *adhuc quatuor menſes ſunt*] Hebraiſmus eſt pro *Poſt quatuor menſes inſtat meſſis.*

Sic

Sic Jonæ III. 4. At manuſcriptus vetus ſine ἔτι [*adhuc*] habet τετράμηνόν ἐϛι [*quatuor menſes ſunt*], forte à Calendis Niſan, quod anni initium. ¶ Ἐπάρατε τὰς ὀφθαλμὰς ὑμῶν, *levate oculos veſtros*] Mentis oculos. ¶ Θεάσασθε τὰς χώρας, *videte regiones*] Quam late poteſtis animi extendere. Vocatio enim non Judæorum tantum & Samaritanorum, ſed & Gentium innuitur. ¶ Λευκαί εἰσι πρὸς θερισμὸν ἤδη, *albæ ſunt jam ad meſſem*] Quod *flaveſcere* dicunt Latini. Sicut à cibo corporis ad cibum animi, ita à meſſe temporali ad ſpiritualem tranſit. Similis tranſlatio Matth. IX. 37. Indicat autem ingenia multa eſſe docilia.

36. Ὁ θερίζων μισθὸν λαμβάνει, *qui metit mercedem accipit*] Solutio operarum ab agricolis poſt meſſem differtur. ¶ Συνάγει καρπὸν εἰς ζωὴν αἰώνιον· *congregat fructum in vitam æternam*] Quos metit, eos infert Regno cœleſti, tanquam horreo. ¶ Ἵνα καὶ ὁ σπείρων ὁμοῦ χαίρῃ, καὶ ὁ θερίζων. *ut & qui ſeminat ſimul gaudeat, & qui metit*] Ut ſanctorum Veteris ac Novi Fœderis una ſit gloria, Hebr. XI. 40. Ἵνα (*ut*) hic eſt ἐκβατικῶν [*eventuale*]. Huc myſtice pertinet locus Amoſi IX. 13.

37. Ὁ λόγος ἐϛὶν ἀληθινός, *eſt verbum verum*] Id eſt, Dictum illud vetus hic locum habet. ¶ Ἄλλος ἐϛὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος ὁ θερίζων. *alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit*] Proverbium quod & apud Græcos obtinuiſſe notatum eſt,

Ἄλλος μὲν σπείρει, ἄλλος δ' οὐ ἀμήσατο.
[*Alter ſementem facit, quam demetat alter*]

Et Equitibus Ariſtophanis,

Τ' ἀλλότριον ἀμᾶν θέρος.
[*Sementem alienam metens*].

Cui ſimile, *Alius leporem excitaſſi*. Et illa,

Sic vos non vobis. - - -

38. Ἀπέϛειλα ὑμᾶς, *miſi vos*] Id eſt, *deſtinavi mittere*. Sic Matth. X. 5, 16. ¶ Ἄλλοι κεκοπιάκασι, *alii laboraverunt*] Subactum eſt arvum à Prophetis, qui non tantum in Judæa ſed & per diſperſiones varias apud Gentes voce ac ſcriptis homines ad unius Dei cultum excitarant; quod ſemen eſt Euangelicæ frugis. Sic κοπιᾶν [*laborare*] ſumitur II Timoth. II. 6. ¶ Εἰς τὸν κόπον αὐτῶν εἰσεληλύθατε. *vos in labores eorum introiſtis*] Id eſt, *in arvum ab ipſis laboratum:* quomodo apud Poetam,

- - - *Sata læta boumque labores.*

Sic κόπος [*labor*] ſumi videtur II Cor. X. 15.

39. Πολλοὶ ἐπίϛευσαν εἰς αὐτὸν, *multi crediderunt in eum*] Offendunt ſequentia intelligendum hoc de Sicimitis antequam exiiſſent urbe. Ecce complementum ejus quod de Meſſia dictum erat. ¶ Μαρτυρούσης, ὅτι εἶπέ μοι, *teſtimonium perhibentis: quia dixit mihi*] Mulieri credebant ut quæ ſibi non parceret: & arcana noſſe Divinum eſſe aliquid recte judicabant. Eſt autem hic, ut ſæpe, directa oratio pro indirecta. Nam Latine diceremus, *ob ſermonem mulieris teſtantis ſua facta ſibi ab Jeſu indicata.*

40. Ἠρώτων, *rogaverunt*] Sic ſupra 31. ¶ Μεῖναι παρ' αὐτοῖς· *ut maneret cum eis*] Ut *apud ſe diverteret*, ut ſupra I. 39. ¶ Καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ δύο ἡμέρας. *& manſit ibi duos dies*] Non plus biduo illis indulſit, ut rem temperaret, ne aut Samaritas diſcendi avidos contemneret, aut Judæis præferre videretur. Diſcipulis antehac vetuerat morari in Samaritanis oppidis ſed ad tempus. Ipſe nulla lege eos adire vetabatur.

41. Διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ. *propter ſermonem ejus*] Sine miraculis, quod magnam in Samaritis docilitatem monſtrat: præſagium ejus quod à Gentibus erat exſpectandum.

42. Οὐκέτι διὰ τὴν σὴν λαλιὰν, *jam non propter tuam loquelam*] Intellige *non tam*, loquendi genere & in aliis & in his maxime Scriptoribus uſitato. Et nota argumentum fidei. Quod modo λόγον [*verbum*] dixerat nunc λαλιὰν [*loquelam*] vocat. Alibi eſt *proprietas quædam loquentis*, ut infra VIII. 43. Matth. XXVI. 73. Marc. XIV. 70. Sic שמוע [*auditio*] Eſaiæ XI. 3. vertitur λαλιά [*loquela*]. Sic & Pſalm. XIX. 3. λαλιὰ pro Hebræo אמר, ubi Latine *loquela* ut hic. Pro Hebræo דבר [*verbum*] reperitur Job. XXXIII. 1. Eccleſ. III. 18. VII. 15. Cantic. IV. 3. Vide & Marc. XV. 12. Notarunt veteres in hac Samaritide Eccleſiæ eſſe figuram, quæ nos adducit ad Verbum Divinum; nos Verbo, maxime propter ipſius Verbi majeſtatem & ſanctitatem, credimus. Confer I Reg. X. 6, 7. ¶ Ἀληθῶς ἐϛιν, *eſt vere*] Sicut tu eum de ſe prædicaſſe nobis memoraſti. Hoc enim tacite ſubintelligendum eſt, quanquam non narratur. Quis enim credat hoc reticuiſſe feminam? Et notandum tenuitate cultus non offendi Samaritas. ¶ Ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου, *Salvator mundi*] Sic I Joh. IV. 14. Paulo dicitur σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων [*Salvator omnium hominum*], I Tim. IV. 10. Unde hoc ſcirbant Samaritæ? Quia de Siloh, id eſt, Meſſia Jacob dixerat *ad eum concurſuram gentes*, Geneſ. XLIX. 10.

43. Εἰς τὴν Γαλιλαίαν. *in Galilæam*] Id eſt, in agrum Galilææ, non in oppida. Sicut vox Ἰουδαία [*Judæa*] ſumitur ſupra III. 22. Cum autem ſupra dictum ſit, domicilium Jeſu fuiſſe Nazarethi, ratio reddenda fuit cur non recta ex Samaritana regione Nazarethum petierit.

44. Αὐτὸς γὰρ Ἰησοῦς ἐμαρτύρησεν, *Ipſe enim Jeſus teſtimonium perhibuit*] Quaſi dicat, ideo Nazarethum non iit quod ibi ſe contemni ſciret ob memoriam humilis educationis, ſicut ipſe interdum prædicare ſolebat. Illud enim ἐμαρτύρησε [*teſtimonium perhibuit*] non habet certi temporis notam: itaque nihil obſtat quo minus id poſt aliquanto Chriſtus dixerit, eo ſempe tempore cujus narratio eſt apud Matthæum XIII. 57. & Marci VI. 4. ubi notata vide. Plane non probo quod *patriam* hic quidam intelligunt eam regionem in qua Bethlehemum erat; nam id nondum innoverat: ita ut ibi ob familiaritatem aut educationem contemni non poſſet.

45. Ἐδέξαντο, *exceperunt*] *Hoſpitaliter acceperunt.* Neque enim tantum illis teſtimonium redditur quantum Samaritis. ¶ Οἱ Γαλιλαῖοι, *Galilæi*] Ii qui agrum & vicos habitabant. ¶ Πάντα ἑωρακότες, *cum omnia vidiſſent*] Tardiores Samaritis, qui nullis conſpectis miraculis fidem ei adhibuerant. ¶ Ἃ ἐποίησεν ἐν Ἱεροσολύμοις, *quæ fecerat Hieroſolymis*] Supra II. 23. III. 2. ¶ Ἦλθον εἰς τὴν ἑορτὴν. *venerant ad diem feſtum*] Ut Lex præcipiebat.

46. Ἦλθεν οὖν, *Venit ergo*] Cum ex agro in oppidum recipere ſe vellet, ne tum quidem Nazarethum ſe recepit, ſed Canam. ¶ Τὶς βασιλικὸς, *quidam regius*] Hæc lectio non tantum meliorum codicum fide nititur, ſed & Syri & Arabis auctoritate: Syro eſt ܥܒܕ ܡܠܟܐ *miniſter Regis*, Arabi انسان ملكك *homo Regis*. Apud Plutarchum in Catone: Μαρσύαδάτη τῶν βασιλικῶν [*Marſyadati qui ex regiis erat miniſtris*]. Eſdr. VIII. 67. legitur τοῖς βασιλικοῖς οἰκονόμοις [*regiis diſpenſatoribus*]. Puto hunc Herodis Tetrarchæ (quem Galilæi honoris cauſa *Regem* appellabant Matthæi XIV. 9. Marci VI. 14) vectigalibus colligendis fuiſſe præpoſitum: Ex quo edoctus deinde Centurio Romanus in eodem agens oppido egregiam de Jeſu opinionem conceperit. ¶ Ἐν Καπερναούμ. *in Capharnaum*] Sive hoc ad patrem ſive ad filium referas, ſive ad utrumque, omnino tenendum eſt hunc regium miniſtrum non in Cana ſed Capernaumi habitaſſe, unde mox ipſi famuli occurrunt.

47. Εἰς τὴν Γαλιλαίαν, *in Galilæam*] Fama enim Chriſtum in eos fines adventantem præcurrebat. ¶ Ἵνα καταβῇ, *ut deſcenderet*] Dicitur Hebræis *deſcendere* etiam qui it in locum ſuperiorem, Judic. XV. 11. Sed hic non tam urbis quam regionis ſitum reſpici puto. Erat enim Capernaumum propius flumen. ¶ Ἰάσηται αὐτοῦ τὸν υἱόν· *ſanaret filium ejus*] Αὐτοῦ [*ejus*] non αὐτὸν [*eum*] legerunt omnes veteres Interpretes; quare id rectius. Aliquid de Jeſu boni ſuſpicabatur, quaſi præſens præſentem ſanare poſſet. Confer II Reg. V. 11. Et nota quanto major Centurionis alienigenæ fides fuerit, Matth. VIII. 8. ¶ Ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν. *incipiebat enim mori*] *Proximus erat morti*, ut vertit Syrus. Sic in tragœdia,

Εἰ γὰρ σ' ἔμελλεν, ὡς σύ θῇς, κτενεῖν πόσις.
[*Necare te ſi vellet, ut ais, vir tuus*].

Si probabile erat futurum ut te occideret: ἀπέθνησκεν [*moriebatur*] pro eodem dixit Lucas VIII. 42. Alioqui poſſet & ſumi pro *Videbatur mori*, quomodo μέλλειν apud Homerum poni notant Scholiaſtæ.

48. Ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιϛεύσητε. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*] Vos, inquit, Judæi tam duri estis ut quamvis ſanctiſſima prædicanti, quamvis teſtimonium habenti à Johanne Baptiſta, non credatis niſi conſpectis ſanationibus & portentis. Videtur enim τέρας [*prodigium*] hic plus eſſe quam σημεῖον [*ſignum*], ut & Matth. XXIV. 24. Rom. XV. 29. II Cor. XII. 12. II Theſſ. II. 9. Hebr. II. 4: quanquam alibi vocum ordo invertitur. Confer quæ diximus ſupra II. 18. & huic Judæorum duritiæ facilitatem Samaritanorum oppone. Nota item hunc ipſum Regis miniſtrum dici *non credere* quia non ſatis credebat: & vitium ejus notari, qui miraculum exigeret ſui temporalis boni, non probandi dogmatis cauſa.

49. Κατάβηθι πρὶν ἀποθανεῖν, *deſcende priuſquam moriatur*] Adhuc & ſuum tantum curat, & tenuiter de Jeſu ſentit, quaſi abſens prodeſſe non poſſit: multo minus ſuſpicatur mortuum poſſe reſuſcitari, quæ robuſtiſſima eſt fides, Hebr. XI. 19.

50.

50. Πορεύου, *Vade*] Quod Judæi dicunt, *Vade in pace*, hoc eſt, Bono animo eſto. Vide Luc. VII. 50. ¶ Ζῇ. *vivit*] *Valet*, locutione Hebræis uſitatiſſima. Sic infra 52. Joſ. v. 8. ¶ Ἐπίστευσεν ὁ ἄνθρωπος τῷ λόγῳ, *credidit homo ſermoni*] Secundus hic gradus credulitatis elucet: credit vera dicere Jeſum; virtute ejus valetudinem filio redditam aut nondum credit, aut dubitat.

51. Ἀπήντησαν αὐτῷ, *occurrerunt ei*] In itinere Cana Capernaumum.

52. Τὴν ὥραν, *horam*] Ut intelligeret an congrueret in id tempus quo Chriſtus ipſum bene animatum eſſe juſſerat. ¶ Κομψότερον ἔσχε· *melius habuerit*] *Meliuſcule ſe habuit*: ἐλαφρότερον exponunt Lexicographi. ¶ Ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετός. *reliquit eum febris*] Non paulatim revaluit, ſed ſubito eum reliquit febris.

53. Ὅτι ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, *quia in ea hora*] Supple, *id factum eſt*: ac proinde non ſcientiam tantum ejus ſed & potentiam agnoſcit. ¶ Ἐπίστευσεν αὐτὸς, *credidit ipſe*] Tertius gradus fidei, qua videtur Jeſum jam plane pro Meſſia habuiſſe & profeſſum ſe ejus diſcipulum. ¶ Καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη. *& domus ejus tota*] Quotquot erant rationis uſum habentes. Similia exempla familiæ, patre ipſo familias præeunte, converſæ videre eſt Act. XVI. 14, 15, 34. XVIII. 8.

54. Τοῦτο πάλιν δεύτερον, *Hoc iterum ſecundum*] Refer ad id quod ſequitur ἐλθὼν ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν [*cum veniſſet à Judæa in Galilæam*]: nam Hieroſolymis plura fecerat. Videtur autem hoc addere Johannes, ut ſignificet hæc prima eſſe ſigna facta in regione Galilæa, ac proinde priora iis quæ à Matth. IV. 23. & aliis narrantur.

CAP. V.

VALLA.

2. *EST autem Hieroſolymis ſuper Probatica piſcina*] Ego ad tollendam ambiguitatem dixiſſem, *Eſt autem ſuper Probatica Hieroſolymis piſcina*: quoniam *piſcina* nominativi caſus eſt, *Probatica* ablativi, quod ſignificat *ovilla*, ſive ut ait Hieronymus, *pecualis*, ἐπὶ τῇ προβατικῇ.

4. *Et qui prior deſcendiſſet*] *Primus* eſt Græce, πρῶτος. Et ita ratio poſtulat ut dicatur, non *prior*, cum plurimi eſſent languentes.

46. *Si enim crederetis Moyſi, forſitan crederetis & mihi*] *Forſitan* ſupervacuum eſt, εἰ γὰρ ἐπιστεύετε Μωσῇ· ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί.

ERASMUS.

2. *EST autem Hieroſolymis probatica*] Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα, *Eſt autem Hieroſolymis ſuper probaticam*, ſive *ad probaticam*, *piſcina*. Nam Græcis *probatica* dativus eſt, *piſcina* nominativus. Atque ita ſane videre eſt in codice Aureo, *ſuper probatica* conſentientibus exempl. S. Donatiani. In Conſt. codice ſciolus quiſpiam eraſerat præpoſitionem *ſuper*. Sonat autem *probatica* q. d. *ovilla*, ſive *pecualis*, ut vertit Hieronymus. Quanquam ex Chryſoſtomo aut Cyrillo certum deprehendi non poteſt de loci hujus lectione. Et *piſcina* hoc loco ſignificat non *vivarium piſcium*, ſed *in qua natatur*, vel Græca voce id atteſtante, quæ dicta eſt παρὰ τὸ πολυμβεῖν à *natando*. ¶ *Quæ cognominatur Hebraice Bethſaida*] Gr. Βηθεσδὰ *Bethesda*. Quanquam eadem vox & apud D. Hieronymum erat depravata. Quod vel hinc colligi licet, quod cum antea *Bethſaida* nominaſſet *civitatem Galilææ patriam trium Apoſtolorum, Andreæ, Petri, Philippi, juxta ſtagnum Geneſareth*, aliquanto poſt ſubjicit rurſum *Bethſaida piſcinam, quæ fuerit Hieroſolymis cognomento Probatica, quam nos*, inquit, *Pecualem poſſumus interpretari. Hæc quinque quondam porticus habuit. Oſtenduntur gemini lacus, quorum unus hybernis pluviis adimpleri ſolet, alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis antiqui in ſe operis ſigna teſtatur. Nam beſtiæ in eo lavari à Sacerdotibus ſolitas ferunt: unde & nomen acceperit.* Ita ferme Hieronymus. Porro quod ait, hinc nomen inditum, non ſolum pertinet ad vocem Græcam πρόβατον, quæ *pecudem* aut *ovem* ſonat, verum etiam ad Hebraicam בית־צאן ſiquidem Hebræis בית *domus* dicta eſt, צאן *grex*, ſive *pecus*. Apparet igitur totum eum locum dictam *probaticam*, in quo fuerit aliqua pars ſervata in uſus natare volentium. Hugo Carrenſis admonet *piſcinam* dictam per antiphraſin, *quod minime haberet piſces*; quemadmodum ſorores Diaboli dictæ ſunt *Parcæ, quod nemini parcant*. Nimirum hæc etymologia ſimillima eſt illi quam attulit de *ſycomoro*; SYCOMORUS, inquit, *dicitur quaſi* SICUT MORUS, *quod ſit ſimilis moro*. Ad hunc ſane modum non eſt magnum ingentia condere volumina, ſi libeat hujuſmodi næniis miſeras contaminare chartas. Ne vero quiſpiam exiſtimet hæc à me calumniandi morbo dici. Imo conſulendum arbitrabar ſtudiis quorundam qui ſcriptorem hunc & alios huic ſimiles velut addicti nulloque delectu legunt, alii quod Cardinalis fuerit, alii quod ordinis Dominicalis. Verum ut audio Carrenſem in numerum Cardinalium aſcitum fuiſſe, ita in Divorum numerum aſcriptum non lego. Quod ſi maxime fuiſſet factum, tamen eatenus debetur ſanctis viris reverentia, ut ſi quid errarint (nam errant & Sancti) citra perſonæ contumeliam veritati patrocinemur. Quanquam & in alios parcius dicendum eſt quam res ipſa meretur, ut quod coarguimus eos, publicæ utilitati, quod moderatius id facimus, Chriſtianæ modeſtiæ datum videatur.

4. *Et movebatur aqua*] Antiqui codices habent *& movebant aquam*, καὶ ἐτάραττε τὸ ὕδωρ *& turbavit aquam*. Quanquam alii rurſus habebant ἐταράσσετο τὸ ὕδωρ· τὸ articulus occaſio fuit erroris, cum eadem ſyllaba poſſit eſſe & finis verbi. Chryſoſtomus ſic interpretatur hunc locum ut ſentire poſſis ab Angelo ſolitam turbari aquam. Certe Theophylactus legit *ἐτάραττε τὸ ὕδωρ turbabat illam aquam*. ¶ *Et qui prior*] Vetuſti codices, conſentientibus Græcis exemplaribus, habent *qui ergo primus*, ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς, *qui igitur primus ingreſſus fuiſſet*. ¶ *Deſcendiſſet in piſcinam*] *In piſcinam* hoc loco nec eſt in antiquis nec in Græcis, verum hoc aliquis explicandi gratia de ſuo adjecit, repetens è proximo loco quod Euangeliſta maluit ſubaudiri. ¶ *Poſt motionem aquæ*] Μετὰ τὴν ταραχὴν *poſt turbationem*: quod ante dixit ἐτάραττε τὸ ὕδωρ.

6. *Cognoviſſet quia jam multum tempus haberet*] Quando literatoris officio fungimur, non gravabimur & hoc admonere, hic ſubaudiendum quod mox præceſſit, *in infirmitate*.

7. *Dum venio enim ego*] Ἐν ᾧ δὲ ἔρχομαι ἐγὼ, *in quo autem venio*, ut ad verbum reddam. Vertendum autem erat, *Cæterum interea dum ego venio alius ante me deſcendit*.

8. *Tolle grabbatum tuum*] Mirum eſt unde Græci ſcribant κράββατον, per duplex β, cum Martialis primam hujus dictionis ſyllabam corripuerit in epigrammate,

Sed ſi nec focus eſt, nudi nec ſtronda grabati.

Præſertim cum Perottus etymologiam vocis petat à Græcis: dictum enim putat κράββατον quaſi κεφάβατον, à κεφαλὴ *caput* & βατὸν *pervium*. Quod verum ſit necne in præſentia non diſputo. Certe lectuli genus eſt, ſeu lecticæ potius. In magno Græcorum Etymologico reperio, Κρεββάτιον dictum παρὰ τὸ κρεμᾶν τὰς βάσεις à *ſuſtendendo pedes*, quod ſic in lecticis portarentur ut pedibus non contingerent terram.

9. *Homo ille*] Non eſt *ille* apud Græcos, ſed Interpres expreſſit vim articuli, ὁ ἄνθρωπος.

13. *Jeſus enim declinavit*] Ἐξένευσεν. Incertum à νεύειν an à ξενεύειν. Heſychius indicat ἐκνεύειν idem eſſe quod *enatare*, à verbo νεῖν, cum ita ſcribit, Ἐκνεύσας, ἐκκολυμβήσας. Nec eſt ¶ *A turba conſtituta in loco*] Alioqui addidiſſet articulum, ὄχλου τῇ ὄντος ἐν τόπῳ, ſed, *Jeſus ſubduxit ſeſe cum turba eſſet in loco*, quod inter plurimos facile eſt unum aliquem latere, quem deinde non agnoſcas. Unde magis dictum videtur à ξενεύειν, velut *peregrinum & ignotum fieri*. Ut ne dicam quod ὑγιὴς *ſanus* magis pertinet ad integritatem membrorum quam morbum, veluti febrim. Nam *morbo* opponitur *bona valetudo*; *vitio corporis* opponitur *debilitas*.

14. *Jam noli*] Μηκέτι *ne poſthac*. Quanquam recte vertit Interpres callentibus linguam Latinam, apud quos idem valet *jam* quod *poſthac*.

16. *Propterea perſequebantur Judæi Jeſum, quia hæc faciebat in Sabbato*] In Græcorum codicibus additum reperio καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, fortaſſis ob hoc quia ſequitur, *Propterea magis quærebant eum interficere*, &c. ſed reclamantibus magno conſenſu Latinorum codicibus.

17. *Pater meus uſque modo*] Ὁ πατήρ μου. Annotat Cyrillus addito *patri* articulo non declarari quemvis patrem, ſed *Deum*, h. e. illum vere Patrem.

19. *Niſi quod viderit Patrem*] Ἐὰν μή τι βλέπῃ, *niſi quid vide-*

viderit, aut certe *niſi viderit*: nam τὶ frequenter additur ex proprietate Græci ſermonis.

20. *Et majora his*] Καὶ μείζονα τούτων. Quod hic auſus eſt Interpres, cur non idem auſus eſt apud hunc Euangeliſtam 14. 12. *& majora horum faciet*: ubi totidem verbis ſcriptum eſt μείζονα τούτων.

22. *Neque enim Pater judicat quenquam*] Cyprianus pro οὐδένα legiſſe videtur οὐδέν. Sic enim refert, *Nihil Pater judicat*. Ad eundem modum citat l. 3. ad Quirinum c. 33.

24. *Sed tranſiet*] Ἀλλὰ μεταβέβηκεν *tranſiit* præt. temporis, non futuri. Nam *tranſiit* facile depravatum eſt in *tranſiet*. *Tranſiit* legit Theophylactus citans in Lucæ 23. Lectioni aſtipulatur illius commentum; *In ſupplicium*, inquit, *non venit, ſed vivit æternam vitam*. Porro qui vivit, jam ad vitam tranſit. In Aureo codice ſcriptum erat *tranſit*, in Conſtantienſi *tranſiit*.

27. *Et Pater dedit ei poteſtatem judicium facere*] Καὶ conjunctio ſublata eſt in Vulg. exemplaribus, licet in veteſtis reperiatur addita. Proinde nos repoſuimus *quoque*, ut intelligamus & hoc autoritatis acceſſiſſe, ut liceret & judicis perſonam gerere, veluti paterni Regni conſortem. ¶ *Quia Filius hominis eſt*] Mirum eſt hic neutræ dictioni Græcum articulum præponi, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί. Cur autem hic omiſſus ſit, equidem meam conjecturam in medium afferam. Opinor enim hic particulam hanc, *quia Filius hominis eſt*, nihil aliud valere quam *quia homo eſt*; & ad eam ſententiam exprimendam erat ſupervacuus articulus. Atque hic mecum facit D. Auguſtinus, qui ſubindicat judicandi poteſtatem, quæ ſemper fuerit Chriſto, rurſus eidem traditam à Patre velut homini. Etiamſi lectionis diſtinctionem quam ſequitur Auguſtinus non probat Chryſoſtomus, oſtendens hanc quam vulgus ſequitur eſſe cujuſdam Pauli Samoſatenſis hæretici; nec putat omnino conſiſtere ſenſum, cum Chriſtus non ideo acceperit judicandi poteſtatem quod eſſet homo. Nam ſi ob id accepiſſet, danda erat eadem omnibus hominibus. Proinde diſtingui jubet ad hunc modum, *Et dedit ei poteſtatem judicium quoque faciendi*; atque hic colon intercedat: deinde ſubjiciatur, *Quia Filius hominis eſt, nolite mirari hoc*: ut ſenſus ſit, *Quod dixi de poteſtate dandi vitam æternam, quod de poteſtate judicandi, ne vobis videatur incredibile eo quod me conſpiciatis hominem eſſe*. Quin ex ipſa Cyrilli interpretatione colligere licet eum cum Chryſoſtomo ſentire: quanquam interpres confudit diſtinctionem. Verum de ratione diſtinguendi ſermonis ſuum cuique permitto judicium. Omnes hac in parte pro me faciunt, quod *Filius hominis* ſimpliciter pro *homine* poſitum eſt. Nam Chryſoſtomus ita ſcribit, *Non enim propterea accepit judicium quia homo eſt. Nam nihil prohibuiſſet omnes homines judices eſſe*. Item Cyrillus, *Nolite, inquit, mirari, ſi cum me hominem eſſe videatis, ſuſcitaturum tamen mortuos me polliceor*. Theophylactus ſimiliter diſtinguit, ut hæc particula non pendeat à ſuperioribus, ſed referatur ad ſequentia, *Quia Filius hominis eſt, nolite mirari*. Negat eſſe mirandum quod ei qui filius eſſet hominis data eſſet tanta autoritas, cum idem eſſet Dei Filius. Divinam enim naturam declarat ex generali mortuorum reſurrectione, quæ ſoli Filio Dei ſervata eſt.

28. *Et audient vocem Filii Dei*] In Græco codice ſcriptum erat, *Et audient vocem ejus*: quod paulo ante ſe vocaverit *Filium Dei*. Et ideo dure videtur hic repeti *Filii Dei*. Exemplaria D. Donatiani, cumque his Conſtantienſe, ſuffragabantur Græcæ lectioni.

29. *Et procedent qui bona fecerunt*] Eſt nonnihil momenti in diſtinctione, ut poſt verbum *procedent* addas hypodiaſtolen, ut intelligamus non bonos ſolum proceſſuros, ſed omnes quicunque vocem audierint; deinde ſubnectantur duæ partes, altera bonorum, altera malorum. Si quis attentius legat Auguſtinum hæc ediſſerentem, ſentiet illum hoc ſubnotaſſe. Scio craſſulum eſſe quod dicturus ſum, ſed tamen quoniam hoc opus paratur imperitioribus, non piguerit admonere *procedent* Græcis eſſe ἐκπορεύονται *exibunt*, ſive *prodibunt*. Loquitur enim de iis qui prodituri ſunt è monumentis ad vocem Angeli tuba canentis. Alioqui *procedit* quod bene ſuccedit aut provehitur.

32. *Verum eſt teſtimonium ejus quod perhibet de me*] *Ejus* pronomen nec apud Græcos additur nec in veteſtis codicibus.

36. *Ego autem habeo teſtimonium majus Johanne*] Interpres reddidit Græca bona fide. Nam ſi explanatius voluiſſet exprimere, *Habeo teſtimonium majus teſtimonio Johannis*, addidiſſet alterum articulum femininum, τὴν μαρτυρίαν μείζω τῆς τῦ Ἰωάννου. Et tamen dubium non eſt quin hic ut ſenſus Euangeliſtæ. Neque enim confertur teſtimonium cum Johanne, ſed teſtimonium Patris cum teſtimonio Baptiſtæ. ¶ *Ea ipſa*] *Ea* referendum ad ſuperiora, *ipſa* ad ſequentia; *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipſa opera*, &c. Hæc diſtinctio manet etiamnum in perveteſtis Latinorum exemplaribus. *Ea* additum eſt ex proprietate ſermonis Hebraici. *Ipſa* poſitum pro *ultro*, ſive *per ſeſe*; *Opera quæ facio ultro teſtantur qui ſim, etiamſi nullus teſtetur hominum*. Cæterum iteratio *operum* ad aſſeverationem facit.

39. *Scrutamini Scripturas*] Ἐρευνᾶτε. Non minus Græcis quam nobis incertum eſt utrum *ſcrutamini* Imperandi modo dictum ſit an Indicandi. Et uterque ſenſus tolerabilis eſt, niſi quod Cyrillus putat Indicandi modo dictum, *Vos ſcrutamini Scripturas, & idem in eo quod eſt præcipuum non creditis Scripturis*. Chryſoſtomus prædans arripere videtur Imperandi modum, annotans quod non dixerit *Legite*, ſed *Scrutamini*; enarrans, Indicandi modum, cum ait, *Nunquid admiramini Scripturas?* Non enim ſcrutarentur niſi miratentur. ¶ *Vos putatis*] Τμεῖς δοκεῖτε. Græcus ſermo anceps, & ſic accipi poteſt, *vos videmini*, aut *videmini vobis*.

41. *Claritatem*] Δόξαν. Miror quare non maluerit *gloriam* hoc loco. Tametſi δόξα non eſt anceps ad *claritatem*, ſed ad *gloriam* & *opinionem*.

43. *Non accepiſtis*] Οὐ λαμβάνετε *non accipitis*, verbo præſ. temporis.

45. *In quo vos ſperatis*] Ἠλπίκατε *ſperaſtis*, tametſi bene vertit Interpres, i. *ſpem collocaſtis*.

46. *Si enim crederetis*, &c.] Εἰ γὰρ ἐπιςεύετε Μωσῆ, ἐπιςεύετε ἂν ἐμοί, *Si enim credidiſſetis Moſi, credidiſſetis utique mihi*. Rurſum pro ἂν poſuit *forſan*, haud ſane in loco, cum id in dubium vocet Interpres quod Chriſtus affirmat.

VATABLUS.

2.* *Probatica*] * *Super*. Vet. vel, *ad Probaticam*, i. forum ovium. ¶ *Piſcina*] Lacuna erat & locus in quo aqua pluvia colligebatur. ¶ *Bethſaida*] *Bethzeda*.

4. *Autem*] *Enim*. ¶ *Secundum tempus*] *Certo tempore*. ¶ *Movebatur aqua*] *Movebat aquam*. ¶ *Et qui prior*] *Qui ergo primus*.

5. *Habens in infirmitate ſua*] *Morbo detentus*.

6. *Quia jam multum temporis haberet*] *Quod jam multum temporis morbo teneretur*.

7. *Dum venio enim ego*] *Interea autem dum venio*. ¶ *Deſcendit*] Præſ. temp.

10. *Tollere*] Vel, *geſtare*.

13. *Declinavit à turba*] *Declinaverat à turba*, vel, ſecerat ut non magis à turba cogniſceretur quam alienus aliquis & peregrinus.

14. *Invenit*] Præſ. temp.

15. *Fecit*] *Fecerat*.

16. *Jeſum**] *Et quærebant ipſum interficere*. ¶ *Faciebat*] *Feciſſet*.

17. *Pater meus uſque modo operatur*] q. d. Patri meo nullum eſt ſabbathum: nam à mundi creatione uſque ad hunc diem non ceſſat operari & agere, cum quo & ego operor.

20. *Demonſtrat*] i. Communicat: q. d. In partem omnium quæ agit, accerſit illum.

21. *Vivificat*] *Vitam dat*.

24. *Judicium*] i. Condemnationem. ¶ *Venit*] Præſ. temp. ¶ *Tranſiet*] *Tranſiit*, Vet. præt. pro fut. tranſibit de morte temporaria ad vitam æternam.

27. **Judicium*] * *Et*, vel, *etiam*, Vet. ¶ *Quia Filius hominis eſt*] Quidam ſic diſtinguunt, *Quia Filius hominis eſt, nolite mirari*, &c.

28. *Venit*] Præſ. temp. ¶ *Dei*] *Ejus*, Vet.

29. *Procedent*] *Prodibunt*. ¶ *Fecerunt*] *Fecerint*. ¶ *In reſurrectionem*, &c.] Heb. pro, Alii excitabuntur ut vivant: alii ut ſententia Domini damnati pereant. ¶ *Egerunt*] *Egerint*.

30. *Et*] *Propterea*, Heb. ¶ *Me**] * *Patris*.

31. *Teſtimonium*] Sub. *dicit aliquis*: q. d. aliquis dicere poſſet teſtimonium meum non eſſe verum: propterea alius eſt, &c.

34. *Non ab homine*, &c.] Sub. *non hæc dico* quaſi *mihi opus ſit teſtimonio hominis*: ſed, &c.

35. *Horam*] *Tempus*.

36. *Johanne*] *Johannis*, ſub. *teſtimonio*. ¶ *Dedit mihi Pater ut perficiam*] *Juſſit mihi Pater ut faciam*. ¶ *Quia Pater miſit me*] *Quod Pater miſerit*.

39. *Scrutamini*] Præſ. temp. indicat: vel imperat. ¶ *Quia vos putatis*] *Quod vos videmini vobis*. ¶ *Et illæ*] Sub. *quam-*

vis, &, tamen: q. d. & quamvis illæ ſint quæ teſtimonium perhibeant de me, tamen non vultis, &c.

41. *Claritatem*] *Gloriam:* i. non curo quid homines de me ſentiant.

42. *Sed*] *Propterea*, Heb. ¶ *Quia dilectionem Dei non habeant*] i. Quod Deum non diligatis.

43. *In nomine Patris mei*] i. Laudem Patris quærens: vel, miſſus à Patre. ¶ *Accepiſtis*] *Accipitis*, Vet. ¶ *In nomine ſuo*] i. Laudem ſuam captans, non miſſus à Deo, ſed à ſeipſo intruſus.

44. *Gloriam*] i. Qui datis operam ut probetis vos hominibus potius quam Deo? ¶ *Eſt*] *Proficiſcitur.*

45. *Sum*] *Sim*, Vet. ¶ *Speratis*] *Speraviſtis.*

46. *Crederetis — crederetis*] *Credidiſſetis.* ¶ *Forſitan*] *Utique.*

CASTALIO.

2. *Apud ovinaricam piſcinam*] Κολυμβήθρᾳ in dativo duas ob cauſas lego, primum quod προβατικῇ ſine ſubſtantivo non bene poneretur, deinde quod piſcina dicetur *Bethesda*, quod verbum non *piſcinam* ſed *domum* ſonat: eſt enim a *beth* & *heſed* deductum verbum, h. e. *Domus benignitatis*, in qua benigne fit pauperibus, quæ πτωχοδοχεῖον dicitur.

27. *Filius hominis eſt*] Homo eſt, ut Chriſtus homo judicium in homines exerceat.

CLARIUS.

2. *IN probatica*] Græca dictio eſt ab *ove* derivata: eſt enim πρόβατον *ovis*, unde προβατικὴ *ovilla.*

4. *Deſcendebat ſecundum tempus*] h. e. certo quodam tempore. Atque hic locus facit apertius illud Rom. 5. 6. *ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt*, h. e. ſuo & ſtatuto tempore.

7. *Domine, hominem non habeo*] Sic reſpondet ægrotus, ignorans quid agere vellet Dominus: q. d. *Vellem ego quidem ſanus fieri, & ob hanc cauſam tot annis in his porticibus conſenesco; ſed deeſt qui me ejus, cum movetur aqua, in piſcinam mittat:* tanquam tacite petens qui ſibi hoc obſequium accommodet.

10. *Non licet tibi tollere grabatum*] Imo in hoc facto licebat, cum eſſet ob gloriam Dei: ſicut & Sabbato cædere licebat victimas. Sed deerat illi eorum Legis æmulationi ſcientia.

17. *Pater meus uſque modo operatur*] Dicetis, inquit, mihi, non eſſe operandum Sabbato, quia & de Deo in veſtra Lege ſcriptum eſt *ceſſaſſe illum ab operibus die Sabbati.* Sed noveritis *Patrem meum adhuc operari*, & opera ejus ne die quidem Sabbati eſſe prohibenda; at *ego* eadem ipſa opera Patris mei nunc *operor.*

18. *Æqualem ſe faciens Deo*] Hoc melius intellexerunt Judæi quam poſtea hæretici illi qui imparem Patri Filium faciebant: Qui ſi fuiſſet error opinionis in Judæis, correxiſſet illum Joannes, ut ſolet, nec paſſus eſſet falli nos in re tanta: nunc vero approbat id verum eſſe quod ſentiebant, velle ſcilicet eum intelligi ſe æqualem eſſe Patri.

19. *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam*] Cum ex his verbis acciperent hæretici occaſionem deroganti dignitati Filii, tanquam minus potentis, atque ideo minoris, Theologus Nazianzenus docte declarat hunc locum his verbis, *Impoſſibile eſt quicquam facere Filium quod non faciat Pater. Omnia enim quæcunque habet Pater, Filii ſunt; ſicut rurſus, quæ Filii ſunt, & Patris ſunt. Nihil igitur habet privatum; quia communia omnia: quandoquidem & ipſum Eſſe commune eſt, ac paris honoris; quamvis Filio ſit à Patre, juxta quod dicitur, Et ego vivo propter Patrem. At quo modo cernit Patrem facientem, & idem ipſe facit? Num ſicut qui formas deſcribunt & literas, quia aliter aſſequi veritatem nequeunt niſi ad archetypum ſpectent, & inde dirigantur? At quo pacto Sapientia egeat eo qui ſe doceat? vel non faciat quicquam niſi doceatur? Quo autem modo facit Pater, aut fecit? Nunquid alium ſubſiſtere primo fecit mundum pro præſenti, aut ſubſiſtere faciet futurum? & ad illa ſpectans Filium alium quidem effecit, alium autem facturus eſt? Quatuor ergo mundi hac ratione erunt, alii quidem Patris opus, alii Filii: quam abſurda ratio! At vero purgat a lepra, à dæmoniis & morbis liberat, & vivificat mortuos, & ſuper mare ambulat, & alia facit, quæcunque fecit, quo exemplo? & quando hæc Pater antea eſt operatus! Illa ergo verba ſignificant eandem & honoris & poteſtatis æqualitatem.*

22. *Neque enim Pater judicat quenquam*] Ut nihil deeſſe illi intelligant ad æqualitatem.

25. *Venit hora, & nunc eſt*] Nam ſuſcitaturus erat & Lazarum, & alios: mox vero & de reſurrectione omnium in fine mundi mentionem facit.

26. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo*] Hoc idem eſt acſi diceret, *Sicut Pater eſt Vita, ſic genuit Filium qui & ipſe Vita eſt.*

27. *Quia Filius hominis eſt*] Vult Chryſoſtomus ad evitandam hæreſim Pauli Samoſateni, qui Filium purum eſſe hominem docebat, hunc locum ita legi, *Quia Filius hominis eſt, nolite mirari hoc*; q. d. Etſi Filius hominis eſt, eſt tamen & Deus. Poteſt tamen & alteri diſtinctioni inveniri Catholica expoſitio, ſic, *Et poteſtatem dedit ei judicii faciendi etiam quatenus Filius hominis eſt*, quam poteſtatem quatenus Deus eſt, ſemper habuit: ut ſit ſenſus, Cernitis me ſolum hominem; verum & Deus ſum, ſic tamen ut quia una Perſona ſum, Deus & homo, ego quem cernitis habeam judicii exercendi poteſtatem.

31. *Si ego teſtimonium perhibeo de me*] Hæc ad eorum quibus loquebatur opinionem referenda ſunt verba, qui eum ſolum hominem credebant.

35. *Voluiſtis ad horam exſultare*] q. d. Tantum non exiſtimaſtis illum eſſe Chriſtum; mihi vero, qui majus habeo teſtimonium, non creditis.

37. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me*] Sive in Baptiſmate intelligas, ſive in Lege & Prophetis. ¶ *Neque ſpeciem ejus vidiſtis*] Non dixit *eum*, ſed *ſpeciem ejus*, quæ nimirum in Filio cernitur. Qui enim fieri poteſt ut Patrem norit qui ab eo Filium removet?

44. *Quomodo vos poteſtis credere*] Cernis quid faciat appetitio gloriæ & honorum? An autem quærere honorem liceat, audi M. Baſilium: *Reddere quidem, cui honorem, honorem, docemur; quærere autem prohibemur, Domino dicente, Quomodo poteſtis vos credere, dum gloriam alter ab altero accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? Itaque quærere ab hominibus gloriam ſignificatio eſt infidelitatis & alieni à pietate animi & cultu Dei; dicente Apoſtolo, Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Quod ſi datam ab hominibus gloriam accipientes ita condemnati ſunt, ii qui non datam quærunt ineffabile ferent judicium.* Hæc ille.

ZEGERUS.

1. *ERat dies feſtus Judæorum*] Incertum eſt quis hic dies feſtus fuerit. B. Johannes Chryſoſtomus divinans, *Mihi*, inquit, *videtur Pentecoſtes.* Atque hoc ſequuntur Græci alii.

2. *Eſt autem Jeroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraice Bethſaida*] Græci codices habent, ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδά, ſed mendoſe, ni fallor. Nam Chryſoſtomus & Cyrillus Græci cum noſtra lectione conſentiunt tam in *probatica piſcina* quam in *Bethſaida.* Sed & B. Hieronymus, ut cæteros Latinos ſileam, in Locis Hebraicis ſatis indicat idem ſe legiſſe. Ejus verba, quoniam & ad hujus loci ac piſcinæ explanationem faciunt, ſubſcribam: *Bethſaida*, inquit, *piſcina in Jeruſalem quæ vocabatur προβατικὴ, & à nobis interpretari poteſt Pecualis. Hac quinque quondam porticus habuit: oſtenduntur que gemini lacus, quorum unus hybernis pluviis adimpleri ſolet; alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis antiqui in ſe operis ſigna teſtatur. Nam hoſtias in ea lavari à Sacerdotibus ſolitas ferunt: unde & nomen accepit.* Hactenus ille. Qui autem legunt *ſuper probaticam piſcina* (ſic enim & Græca ſonant & nonnulla habent exemplaria Latina, nominatim codex Caroli Magni, & Donatianicus. In tribus tamen exempl. Gembl. habetur *ſuper probatica*) illud *probaticam* locum quendam ſignare tradunt in quo ſita erat κολυμβήθρα, i. *piſcina*, *lavacrum*, vel *natatorium*; ad quem locum pecudes in ſacrificiis offerendæ adducebantur: quod an verum ſit viderint ipſi. Porro quod dicitur *quæ cognominabatur Hebraice Bethſaida* intelligendum eſt non pure Hebraica, ſed Hebræorum ſive Judæorum lingua ut tum erat Chaldaici & Syriaci idiomatis commercio magna ex parte adulterata, ita locum fuiſſe appellatum. בית חסדא enim binis conſtat vocibus, altera Hebræa בית & altera Chaldæa חסדא, & interpretatur *Piſcina* vel, ut ad verbum ſonat, *Domus piſcationis.* De hoc idem & Sebaſt. Munſterus in ſuo פקח Chaldaico, ſi quis forte nobis diffidit. *Bethſaida*, non *Bethesda*, ſcribit etiam Eucherius. *Bethesda* uſquam invenio niſi in Græcis.

13. *Jeſus enim declinavit à turba conſtituta in loco*] Auguſtinus legit, *Jeſus autem declinavit in turba*, addens etiam (ad declarationem, ni fallor) *ab eo.* Græce nec *in* habetur, nec *à*, ſed tantum *turba exiſtente in loco.* Cyrillus cum Auguſti-

no

nò conſentit in explanatione, ſed interpres textum Euangelicum illic collocavit ex editione Vulgari.

17. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor*] Si quæras quomodo *Pater ad hoc uſque temporis operetur*, cum ſcriptum ſit *die ſeptimo requieviſſe Deum ab omni opere ſuo quod patrarat*, aſpice ut conſiſtant, ut gubernentur, ut regenerentur omnia, & intelliges perpetuam Patris operationem. Dici ergo *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor*, tanquam ſi inquiat, Quemadmodum Deus Pater poſt ſex illos conditionum dies in Sabbatho, quod etiam hactenus perdurat, non ceſſat ab opere quo gubernat omnia, quo ſubinde res alias ex aliis progenerat, quo quotidie non deſinit benefacere mortalibus; ita ego, qui Filius illius ſum, ab eo & poteſtatem & exemplum habens operandi quæ faciunt ad generis humani ſalutem, non impedior religione Sabbathi quo minus ea perficiam quæ Pater mandavit.

24. *In judicium non venit, ſed tranſiit à morte in vitam*] *Venit*, i. ἔρχεται, præſentis temporis eſt vel futuri; *tranſiit* vero præteriti, ſed per Metaſtaſin, figuram Prophetis peculiarem, vice futuri poſitum eſt: quare nil peccaveris ſi *tranſiet* pro μεταβέβηκε legas. Et *judicium* dicit pro *condemnationem*.

25. *Nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei*] Hæc de his loquitur quos vel ante Paſſionem vel in Paſſione ad vitam revocavit, aliquanto poſt etiam de univerſali omnium reſurrectione locuturus.

27. *Et poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis eſt*] Dedit Pater Chriſto judicandi poteſtatem, dedit, dico, quia Filius hominis eſt. Ut homo ergo accepit Chriſtus judicandi poteſtatem, quam utique non habuiſſet niſi Pater dediſſet: ut Deus autem ſemper illam habuit cum Patre æqualem. Hanc interpretationem profero in nullo, ut arbitror, patrocinantem hæreticis, ſcilicet vulgatam noſtram ſecutus diſtinctionem: atque ita nil jam opus fuerit alteram quærere quæ adverſus hæreticos quosdam excogitata eſt, quæ ut ſit obſcura ac violenta prudenti expendendum relinquo lectori. Sic enim habet, *Poteſtatem dedit ei judicium facere. Quia Filius hominis eſt, nolite mirari hoc. Quia venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt*, &c.

28. *Audient vocem ejus*] Cave pro *ejus* hùc legas *Filii Dei* ante *Et procedent*.

34. *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio, ſed hæc dico ut vos ſalvi ſitis*] De Johannis loquitur teſtimonio, quod non accepit ut ab homine profectum, ſed à Deo. Sed ne dicerent, Cur ergo illius nobis ingeris teſtimonium? huic objectioni occurrens, *hæc dico*, ait, *ut vos ſalvi ſitis*: quod eſt (ut hoc cum præcedentibus conjungam) Ego quidem, cum Deus ſim, hominis teſtimonio haudquaquam indigeo: Quia vero digniorem illum fide putaſtis, & ad illum turmatim accurriſtis, mihi autem & miracula facienti non credidiſtis, ideirco ejus vobis teſtimonium in memoriam reduco, quo ſalvem hoc pacto vos alliciam & ſalvos faciam.

36. *Ego autem teſtimonium habeo majus Johanne*] Sentit majus ſe habere teſtimonium quam erat Johannis: quod apertius eſſet ſi in contextu legeretur *majus Johannis*, ut ſubaudiatur *teſtimonio*. Niſi forte interpretans intelligi voluit *Chriſtum majus habuiſſe teſtimonium quam habuerit Johannes*, cui nullum miraculum teſtimonium dedit, cum contra Chriſtus quaſi tot teſtes habuerit quot miracula edidit.

46. *Crederetis forſitan & mihi*] Græca particula ἄν Confirmantis eſt potius hoc loco quam Dubitantis.

LUC. BRUGENSIS.

2. *EST autem Jeroſolymis, ſuper probatica, piſcina quæ cognominatur* [*cognominabatur* 6 MS.] *Hebraice* [o.] *Bethſaida.*] Hunc ad modum, *ſuper probatica*, legunt quatuor noſtrorum MSS. Brug. Q. Atr. So. ru. ſex Pariſienſium, Au. Do. V. P. Ge. o. l. Sed, Do. i. Donatianicum, idem eſt quod Brugenſe noſtrum; tria Cœnobii Gemblacenſis, Zegero teſte, & Regia editio. Aliquot recens excuſi libri *in probatica* ſcribunt. Utrumque legendi modum permittunt codices Græci, qui, Nonno & Euthymio adſtipulantibus, ſic habent, ἔστι [ἔστιν o.] δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, ἐπὶ τῇ προβατικῇ, κολυμβήθρα [κολυμβήθρᾳ Ald.] ἡ ἐπιλεγομένη [λεγομένη Ald. B. Arias Montanus, in volumine Nehemiæ, ſacro Apparatui Regiorum Bibliorum conjuncto, *probaticam* intelligit, *Portam gregis*, quam vocat Nehemias cap. 3.] Ἑβραϊστὶ Βηθεσδά· id quod alii vertunt, *ad probaticam*, & *ſuper probaticam*. Porro, prior legendi modus, *ſuper probatica*, ſi de vera agitur Interpretis tranſlatione, poſteriori merito eſt præferendus: reperitur enim in antiquis & fide dignis MSS. poſterior vero, *in probatica*, in impreſſis duntaxat eſt codicibus (nam MS. in Bibliorum margine pro libris ſimpliciter hic poſitum eſt, ut quandoque) iiſque, pro arbitrio eorum qui editionibus præfuerunt, ſæpenumero mutatis, cujuſmodi ſunt, ut antiquiora nominem, Quenteliana Biblia, anno 1529 excuſa, in quibus graſſatus fuit Ubbelius quidam Wormarius. Addiderunt vero hoc loco, ex Græcis, non pro *ſuper* ſubſtituerunt (ignoraſſe enim eos arbitror Latinis quibuſdam codicibus *ſuper* legi) *in* præpoſitionem: quod plerique Latini codices, abſque præpoſitione, *probatica piſcina*, conjunctim legant. Sunt enim nobis manuſcripta exemplaria triginta, impreſſaque complura, quæ hoc modo habeant, *Eſt autem Jeroſolymis probatica piſcina, qua*, &c. Neque vero univerſa hæc vulgaria ſunt exemplaria, ſed ſpectatæ fidei & antiquitatis non pauca, nominatim Lob. Leod. So. al. au. O. E. L. Pl. m. &, inter impreſſa, Mog. Col. Nuren. ex ipſa Typographiæ infantia edita. Atque his ſuffragantur veteres Patres, ut recentiores præteream, Richelium, Lyranum, Gorran, Thomam, Albertum, Carenſem, Rupertum, & alios; inter Latinos, Beda & Hieronymus; inter Græcos, manifeſte Theophylactus. Bedæ Johannem enarrantis prolixiora ſunt verba eaque clariſſima. Hieronymi, libro De locis Hebraicis, hæc ſunt, *Bethſeda, piſcina in Jeruſalem, quæ vocatur προβατική, & à nobis interpretari poteſt* pecualis. Theophylacti in Johannem ſcribentis, inter alia, iſta· προβατικὴ δὲ ἐλέγετο ἡ κολυμβήθρα, διότι τὰ πρὸς θυσίαν πρόβατα ἐκεῖ συνήγετο, καὶ τὰ ἔνυπτα αὐτῶν ἐκλύοντο ἐκεῖ, *Probatica autem dicebatur piſcina, eo quod oves* (quæ Græce πρόβατα dicuntur) *ad ſacrificium deſtinata illic congregabantur, & inteſtina earum illic ablvebantur*. Neque ſolum commentariis hoc innuit; verum etiam in textu legit, ſed Græci exemplaris, Romæ excuſi, quo & Philippus Montanus eſt uſus, ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις προβατικὴ κολυμβήθρα. His Syra accedunt, quorum hæc eſt tranſlatio; *Eſt autem illic, in Jeruſalem, locus quidam ablutionis, qui vocatur Hebraice* Beth heſdo. Eſt qui conjunctim legi malit cum præpoſitione, ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ (quomodo Græca Aldi editio ſcribit) ita ut ſenſus ſit, Eſt Jeroſolymis, ad probaticam piſcinam, domus nimirum, quæ vocatur *Domus benignitatis*, ſeu *miſericordiæ*. *Bethſeda* enim, quo modo Græci codices legunt, dictum putat à בדר, quod *domum*, & חסדא ſeu חסדין, Chaldaice, quod *miſericordiam* ſignificat; eo quod domus eſſet in qua miſeris ſubveniretur, ſicut in prochodochiis ſolet. Et ſane Syricum Euangelium בדר-חסדא ſcribit, ita ut nec aliunde derivetur, nec aliud ſignificet. Verum ipſum ablutionis locum ſic appellatum dicit; forte quod in eo languentes infirmoſque Deus benigne curaret (qua ratione B. Arias Montanus, in Nehemia ſuo, & Andreas Maſius in quintum Joſuæ caput, piſcinam id nominis habuiſſe intelligunt) vel totum locum qui lavacrum complectebatur ita intelligit nuncuparum, in quem veriſimile eſt à viris bonis bona collata fuiſſe quibus ali poſſent pauperes ærumnoſi, quos ſubjicit Euangeliſta magno numero in porticibus jacere ſolitos, exſpectantes ſalutarem ab Angelo aquæ commotionem. Quidam, בית-אשדא ſcribunt [Janſenius.] atque à שדא, quod *effundere* Chaldæis ſignificat, *domum effuſionis* interpretantur. Latini libri *Beth-ſaida* legunt (id quod Euthymii Interpres, Hentenius, explicat *piſcationis domum*; quod ſit piſcina ſicut domus ſeminis, ager) verene, an erroneè, in dubium venio. Familiare fuit Latinis ſcribis, cum occurreret rarum aliquod Hebraicum nomen, alteri celebri frequentique perſimile, illud cum hoc mutare. Exempli gratia, 2 Reg. 6. 6. pro *Nachon* ignoto nomine *Nacher* ſubſtituere, celebre fratris Abrahæ nomen. Sic Cantici Canticorum c. 2. v. 17. pro *Bether*, *Bethel* ſcripſere; rurſus c. 6. v. 12. & 7. 1. *Sunamitis* pro *Sulamitis*. Addant aliqui, ſimilem ad modum, Johan. 1. v. 28. *Bethania* pro *Bethabara* ſcriptum. An igitur & hoc loco, capitis quinti Euangelii ſecundum Johannem, ad eum modum pro *Bethſeda*, inaudito alias nomine, *Bethſaida* ſcripſerint, civitatis nomen, BB. Apoſtolorum, Petri, Andreæ & Philippi ortu, Chriſtique miraculis nobilis, quæ, veriſimile ſit, quod multi in ea piſcatores habitarent, ut erat mari vicina, mari, inquam, Tiberiadis, ita vocata eſt, *Bethſaida*, quaſi *piſcationis*, ſeu *piſcatorum*, *domus*: (בית-צידא בית-ציידא) quidam id exiſtimant, ego dubitari poſſe arbitror. Excuſi quidam libri *Bethſeda* legunt, iidem qui *in probatica* habent: ſed nihil illis tribuendum eſt, quod ex Græcis ſunt mutati. Græcum Vaticanæ Bibliothecæ [illegible]graphum, & Græca Theophylacti Romana editio, Βηθσαϊδὰ *Bethſaida* ſcribunt. Ex Hieronymi libro De locis Hebraicis nihil quidem certi liquet: quædam enim exemplaria *Bethſeda*, quædam *Bethſaida* legunt: ſed cum

paulo ante Bethſaidam deſcripſerit Apoſtolorum patriam, videtur, ſi piſcinam hanc eodem nomine appellaſſet, vel utriuſque deſcriptionem conjecturus fuiſſe, vel poſterius notaturus eodem utramque nomine appellari.

27, & 28. *Et poteſtatem dedit ei- & judicium facere, quia filius hominis eſt. Nolite mirari hoc, quia venit hora,* &c.] Græci Interpretes fere locum hunc ſic diſtinguunt, *judicium facere. Quia filius hominis eſt, nolite mirari hoc.* His Syriacus textus ſuffragatur, qui addit ܕ *vero*, *Quia vero filius eſt hominis*, *ne mirentur in hoc.* Alteram diſtinctionem Latini Euangeliorum codices [Auguſtinus cum in proprio commentario, tum l. 20. De civitate Dei c. 6.] & quibus nos utimur Græci, habent: quæ etſi à Chryſoſtomo ejuſque Abbreviatore tanquam Pauli Samoſatenſis rejiciatur, tamen à Latinis Patribus, atque inter Græcos Cyrillo, recipitur, & Catholice rectèque exponitur.

H. STEPHANUS.

2. Ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ] *Ad* forum *pecuarium eſt piſcina.* Vel, ſequendo lectionem alteram, *Pecuaria eſt piſcina.*

3. Ἐκδεχομένων] *Exſpectantium.*

4. Κατὰ καιρὸν] *Certo tempore.* ¶ Ὃ δήποτε κατείχετο νοσήματι] *Quocumque detinebatur morbo.*

13. Ἐξένευσεν] *Evaſerat*, ut qui ſe ſubducit, ſeu proripit.

16. Ἐδίωκον] *Perſequebantur:* vel, *infeſtabantur.*

28. Ἔρχεται ὥρα] *Veniet tempus.*

35. Ἀγαλλιασθῆναι] *Exultare.*

39. Ἐρευνᾶτε] *Scrutamini.*

47. Γράμμασιν] *Scriptis.*

D R U S I U S.

2. *Probatica*] Piſcina erat Jeroſolymæ, in qua lavabantur oves in Templo immolandæ: cujus meminit Benjamin in Itinerario per hæc verba, *Ibi conſpicitur in hunc uſque diem piſcina, in qua mactabant victimas ſuas: ibi omnes Judæi ſcribunt nomina ſua in pariete.* Quidam à porta nomen habere putant, quæ Neh. 3. 1. & 12. 39. *porta ovium* dicitur, i. προβάτων. Ebraice שער הצאן. ¶ *Hebraice Bethſaida*] Admonuit nos interpres Syrus de vera hujus nominis ſcriptura, quæ eſt *Betheſda*, quod ipſe ſcribit בית־חסדא. Id Latine ſonat *Domus gratiæ.* Nam חסדא in ea lingua eſt *gratia*; ut apud paraphraſtem Salomonis, חסדא רחמא *caprea gratiæ.* Licet etiam exponere *Domus miſericordiæ:* quæ eſt vetus interpretatio vocabuli חסד. Nec male quis interpretetur *Domus benignitatis*, aut *pietatis*, cujuſmodi ſunt ὀρφανοτροφεῖα, & ea quæ πτωχοδοχεῖα nuncupantur. Vulgaris autem ſcriptura, ut hoc obiter notem, profecta eſt à Græcis, qui voces in medio non aſpirant: unde & *Beneſed*, quia Græci ſcribunt Βενίσεδ, cum tamen in ſcriptura Ebraica ſit בן חסד *Ben Heſed*, 1 Reg. 4. 10. Vide nunc quæ annotantur ad Joh. 11. 1. Vide quoque Theodori poſtremam editionem Johannis c. 5. 2. In lib. Locorum, *Bethſeda, piſcina in Jeruſalem, quæ vocabatur* προβατική, *& à nobis interpretari poteſt Pecualis. Hac quinque quondam porticus habuit, oſtenduntur que gemini lacus, quorum unus hybernis pluviis adimpleri ſolet, alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis, antiqui in ſe operis ſigna teſtatur. Nam hoſtiæ in eo lavari à ſacerdotibus ſolitæ ferunt: unde & nomen accepit.* Ecce aliud etymon, quod notavi propter eos qui locum illum appellatum exiſtimant *ab aquæductu cujus autor fuiſſe dicitur Ezechias* 2 *Reg.* 20. 20. *& cujus ſit mentio Ezra* 8. 6. *& Nehem.* 3. 15. Theodori hæc ſententia eſt, qui etiam improbat Caninii ita ſcribentis, *Eſt autem Bethſeda Domus effuſionis, ab* שוא *verbo Syriaco, Effudit, à ſanguine victimarum effuſo. Hinc Græce dicitur* προβατική, q. *Victimariam dicas.* Nam, *Non ibi*, inquit, *mactabantur hoſtiæ, ſed apud altare.* Vide annotata ad Matth. 11. 21.

16. *Quia hæc faciebat*] Quia eum ſinaverat. Nam non licebat ullam facere medicinam ſabbatho niſi quando periculum erat de vita ægroti. Nam periculum illud *impellebat ſabbathum*, ut ipſi loquuntur, h. e. licebat ob periculum animæ ſolvere, h. e. violare, ſabbathum. Qua de re alias. Ilmedenu 5. 1. *Ait R. Hija F. Abba de nomine R. Levi, Prohibitum eſt ponere ſputum ſuper oculos ſabbatho, quia eſt* כמרפא *quaſi medicina.*

17. *Pater meus operatur adhuc*] Samuel ſapiens quidam Ebræus, cum interrogaretur à matrona quadam quid nunc Deus ageret, reſpondiſſe fertur, *Sedet & ſcalas parat, per quas hunc aſcendentem, illum deſcendentem facit.* Quadrat cum illo Æſopi, qui Jovem dicebat τὰ ὑψηλὰ ταπεινῶν, καὶ τὰ ταπεινὰ ὑψῶν, *alta humiliare, & humilia extollere.*

24. *Et in judicium non venit*] Sic dicunt, *Quatuor ſunt qui non veniunt in judicium; Extreme pauper; Qui malam uxorem habet; Qui in are alieno eſt itaut inde exire nequeat; Qui coli doloribus obnoxius eſt*, ſive qui cum inteſtini plenioris morbo conflictatur, quem *colicum*, i. κωλικὸν, appellant.

29. *In reſurrectionem vitæ*] Duplex reſurrectio, *Vitæ, Judicii. Reſurrectio vitæ* uno vocabulo ἀναβίωσις dicitur, & Ebraice תחיה q. *vivificatio.* De hac accipiendum illud, *Reſurrectio non eſt niſi juſtorum.* Nam ſoli juſti ad vitam reſurgent. Improbi reſurgent quidem, ſed non ad vitam, quæ *reſurrectio judicii* vocatur, i κρίσεως. *Judicium* autem & in hoc loco & ſupra v. 24. ſignificat *condemnationem & pœnam*, ſicut *judicare* aliquando idem eſt quod *condemnare.* Igitur, *non venit in judicium*, i. non condemnatur.

31. *Non eſt verum*] i. Firmum, ratum. Sic eſt profecto. Qui de ſeipſo teſtatur, ejus teſtimonium non poteſt eſſe ratum. Sane quidem Ebræorum Sapientes dicunt, אין אדם קרוב על עצמו *Nemo hominum teſtatur de ſeipſo.* Cujus dicti ratio continetur in his verbis. Nam ſi teſtimonium unius firmum non eſt, multo minus firmum eſſe debet ſi quis de ſeipſo teſtetur. Supra inter eos qui non veniunt in judicium recenſui quorum, *Qui coli doloribus obnoxius eſt.* Poſt repperi fol. 47. p. 2. apud Salmanticenſem in lib. Juchaſin, *Tres non vident faciem Gehennæ; Extreme pauperes; Qui ex dolore viſcerum laborant; Qui in are alieno ſunt. Alii dicunt, Qui cum imperio ſunt*, aut *magiſtratum gerunt.* Hic notabis, *venire in judicium* idem eſſe quod *videre faciem Gehennæ.* De viſcerum autem dolore, quem vocant חולי מעים, ita ſcribunt, *Haſidæi priores caſtigabant ſe ante mortem dolore viſcerum* x *aut* xx *diebus, quo ſic abſtergerent omnia, ut poſſent venire puri & juſti ad ſeculum futurum*, h. e. in alteram vitam.

35. *Lucerna ardens & lucens*] Nam ut luceat ardere debet. Exſtincta enim lucerna non lucet. Dici ſolet de claris doctoribus qui vita ſua & doctrina aliis præluceant, ut Johannes ille de quo hic loquitur.

43. *Si venerit alius nomine ſuo*] Qualis erat Barchocheba, quem omnes fere Judæi, & inter eos R. Aquiba, qui ejus armiger erat, ut Meſſiam receperunt. Hiſtoria nota. Vide Petrum Galatinum De arcanis catholicæ veritatis 9. 184. Impoſtor iſte grave bellum geſſit cum Romanis, quo confecto, cum ſe deceptos viderent Judæi, non amplius *Barchochebam*, i. *filium ſtellæ*, ſed *Barchoziban* eum vocarunt, i. *filium mendacii.* Ejus mentio in Sanhedrin cap. *Helec*, & in Juchaſin, 142. 2. *Benchoziba rebellavit in Romanos abiitque in Cyrenem quæ in Africa: & ſurrexerunt Judæi qui erant illic, occideruntque omnes Romanos & Græcos, populum magnum, ſicut eſt arena maris. Inde abiit in Ægyptum, & fecit ſimiliter. Judæi autem qui erant in Cypro, eo audito ſurrexerunt & occiderunt omnes gentes, adeo ut non relinquerent eis reſiduum. Quod cum Trajano nuntiatum eſſet, miſit Adrianum contra eos, qui ſubegit eos. Decretumque eſt Romæ, Ne ullus unquam Judæus Cyprum intraret. Imperavit Adrianus anno* XLV *poſt caſum Templi: qui duplo plures Judæos in hoc bello trucidavit quam egreſſi ſunt ex Ægypto, anno* LII *poſt excidium Templi.* Huculque Salmanticenſis. Mentio ejus & in Hiſt. Eccl. Euſebii, & alibi paſſim. Hieron. adv. Rufinum l. 3. c. 9. *Barchochebas autor ſeditionis Judaicæ ſtipulam in ore ſuccenſam anhelitu ventilabat, ut flammas evomere putaretur.* Liber eſt penes me Ebraicus cujus inſcriptio מלכי רומי, *Imperatores Romani.* In eo ſcriptum lectum, *In diebus Domitiani ſteterit Choziba, & in diebus Adriani regnavit Choziba, & filius ejus, & filius filii ejus, qui præliis magnis decertarunt cum Gentibus, prævaluerunt que Ægypto. Tandem victor Adrianus aſcendit contra terram Judææ, percuſſitque filium Choziba, & occidit eum. Idem interemit populum multum ex Iſrael. Non ſic afflixit eos Nabuchodonoſor neque Titus ſicut Adrianus Imp.* R. Aquiba, teſte Porcheto, recepit Barchoziban pro Meſſia anno ætatis ſuæ LXXX. Vixit autem annis CXX. Primis XL. annis mercator fuit: deinde aliis XL diſcipulus fuit diſcipulorum Hellel: poſtea factus fuit Rabbi in Bither, ubi & Barchoziba regnavit, quem ipſe *Barchochebam* nominabat, & de illo exponebat textum illum, *Orietur ſtella ex Jacob.* Sunt qui opinantur verum nomen fuiſſe *Barchochaba*, à vico quodam Galilææ Euſebio memorato, q. *filius Chochabæ*, ſicut dicimus *filius Jeruſalem.* Porchetus appellatum cenſet à כזב opido, *Barchoziba*, ſive *Benchoziba.* Idem duos recenſet hoc nomine, quorum alter vixerit Veſpaſiani & Titi temporibus. Non perſuadet. Meſſias iſte ſuſcipiebat lapides machinæ

in

in uno de genibus suis, quos jaciebat & spargebat super exercitum Adriani, interficiebatque animas plurimas. Monetam cudebat quæ dicebatur *Chozabia:* unde כחזבאי *obole Chozabie.* Tribus annis cum dimidio obsedit eum Adrianus in Bither. Qua capta, occiderunt eum, & adduxerunt caput ejus coram Adriano; qui dixit, *Quis occidit eum?* Dixit miles quidam, *Ego occidi eum.* Cui Adrianus, *Vade & adfer ad me truncum ejus.* Allato trunco, invenit serpentem involutum collo ejus. Tum Adrianus, *Nisi Deus ejus occidisset eum, quis potuisset resistere illi?* Vide Porchetum in Victoria sua contra Judæos, cap. 10. ubi plura de hoc ἠλειμμένῳ· & omnino lege totum caput illud. Plura de hoc nebulone alias, si Deus voluerit. Nam plura mihi notata, si vacaret aut luberet describere.

CASAUBONUS.

13. Ὁ γὰρ Ἰησοῦς ἐξένευσεν ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ] Verbum ἐξένευσε, quod non videtur satis intellexisse Syrus interpres, recte doctissimus interpres adversus Erasmi sententiam explicat. Non enim à ξενεύω sed ab ἐκνεύω debet deduci. Sic Tiberius in Epigrammate de lepore quem canis persequebatur,

Τρηχὺν ὁ δ' ἐκνεύσας ταχυτῆς πάγυν, ἐς βαθὺ πόντου Ἥλατο.

Lucretius Latinitatis auctor optimus *enare* sic accipit l. 4.

Et prius esse sibi distractam corpore in ipso
Quam prolapsa foras enaret in aëris auras.

Recte autem videtur mihi Erasmus reprehendisse hoc loco veteris interpretis versionem. Certissimum est enim, quod ille docet, aliud esse ἐξένευσεν ὄχλου ὄντος & ἐξένευσε τῷ ὄχλῳ, vel ἐκ τοῦ ὄχλου, ut loquitur idem Johannes infra 10. 39.

39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς] Placet summo viro ut vox ἐρευνᾶτε sit ὁριστικὴ non προστακτική· quod video erudirum quoque paraphrasten esse secutum. Apparet id ex ejus paraphrasi versiculi sequentis: Sic ille,

\- - *καὶ δ' ἐπέρχεσθε μαθόντες*
Γράμματα Φοινίσσετε, θελήμονες εἰς ἐμὲ βαίνειν.

Nam cum dicit μαθόντες non sinit de eo nos dubitare.

CAMERON.

27. ΟΤΙ *υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί*] Frustra hinc Ubiquitarii probare student humanæ Christi naturæ collatam esse vim & potentiam judicandi omnes homines infinitam. Nam primo non ibi est ᾗ *qua* reduplicative (quæ phrasis à Philosophis quidem usurpatur, at in S. Scriptura, quæ eum loquendi modum ignorat, non invenitur) sed est ὅτι *quia.* Deinde *Filius hominis* non humanam Christi naturam sed officium seu munus ejus Mediatorium significat, vel potius Personam eo munere instructam. Itaque, *Dedit illi omne judicium quia Filius hominis est*, non significat potestatem infinitam omnes homines judicandi datam esse Christo quatenus est homo, uti volunt Ubiquitarii, sed hoc significat, potestatem illam ideo esse Christo datam quia est Messias ille qui à Daniele 7. 13. vocatus est *Filius hominis*, & cui Daniel vidit *potestatem & imperium ab Antiquo dierum esse datum*, utpote qui sit Persona illa quæ ad tantum tamque sublime munus Mediatorium est delecta. Porro, quomodo appellatio *Filii Dei* tum naturam Christi Divinam tum etiam munus ejus aliquando significat, sic etiam appellatio *Filii hominis* & Christi munus significat & naturam ejus humanam simul includit.

39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς] Argumentum est quo Christus adversus Judæos ex ipsorum concessione utitur, eosque valde urget: q. d. Apud vos in confesso est Scripturas agere de Messia à quo salutem speratis, eosque illas veluti collimare totas, ac propterea vos scrutamini Scripturas ut in iis Christum inveniatis, h. e. ut ex iis accurate teneatis quid in iis doceatur de Messia, & inde deprehendatis & agnoscatis Messiam cum venerit, & tamen (quæ vestra est deplorata cæcitas) non animadvertitis ea omnia quæ in Scriptura de Messia dicta sunt in me quadrare, ut hoc agnito ad me veniatis, me recipiatis, meque agnoscatis esse Messiam. Itaque illud ἐρευνᾶτε non videtur esse imperativi modi, quem vocant Grammatici, sed indicativi.

GUALTPERIUS.

2. Βηθεσδὰ] Syrus habet בית חסדא *Beth-chesda.* Tremell. *Fatigant se alii in eruenda nominis hujus ratione secundum literas quibus Græce scribitur. In Syro contextu declarat* LOCUM BENIGNITATIS, *quod in eo Deus benigne potentiam suam exereret in curandis quibuscunque morbis populi sui.*

JAC. CAPPELLUS.

26. *Quemadmodum enim Pater habet vitam in semetipso, sic & Filio dedit habere vitam in semetipso*] Habet quidem Filius vitam hanc ab æterno, si consideretur ut Filius; sed si consideretur ut Mediator, ut potestatem Judicandi, de qua v. 27. sic Vivificandi potentiam accepit à Patre ratione quadam œconomica.

27. *Et dedit ipsi potestatem etiam judicium exercendi*] Supremum, inquam, illud judicium; quod tum exerciturus est cum *mortui vocem ejus audient*, ut dixit v. 25. Dedit ergo Pater illi potestatem hanc *quod sit Filius hominis*, h. e. Messias. Sic enim nuncupatur Messias, & hæc ipsa potestas sub hoc elogio Messiæ tribuitur, Dan. 7. 13. Vocatur quoque *Filius hominis* Psalm. 80. 17. Ita vero nuncupans eum Prophetæ, non per contemptum, sed 1. Honoris causâ, quemadmodum præcipuum individuum cujusque speciei nomine speciei designatur antonomastice. Eadem mente κατ' ἐξοχὴν dicitur *Filius Davidis*, & *Semen Abrahæ*, & *Semen mulieris.* 2. Nuncupatur Christus à Prophetis *Filius hominis* ut sciamus eum esse verum hominem. Christus autem ex multis elogiis quibus à Prophetis insignitus fuerat Messias hoc potissimum elegit quod id tum reliquorum omnium conveniens illimum esset formæ servi, quam assumpserat.

GROTIUS.

1. Ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, *Dies festus Judæorum*] Disputant hic Scriptores, quis hic dies festus fuerit; & tempora supputant conjecturis mirum quam incertis. Si auctores sequimur, vetustissimus est Irenæus, qui lib. 11. cap. 39. Paschale hoc festum ait. Si loquendi morem attendimus sane Pascha hoc nomine designatum ostendimus Matth. XXVI. 5. Nec movere nos debet quod hic articulus non est additus nomini ἑορτῆς [*festæ diei*], eam plane eodem modo ἑορτὴ sine articulo Pascha significans reperitur Marc. XV. 6. Luc. XXII. 17. ¶ Τῶν Ἰουδαίων, *Judæorum*] Sic supra II. 13. πάσχα τῶν Ἰουδαίων [*Pascha Judæorum*], &c.

2. Ἐπὶ τῇ προβατικῇ, *ad probaticam sive victimalem*] Ἐπὶ ut ל Hebræum, pro *apud: ἐπὶ Πριάμου δόμοις* [*apud Priameia tecta*] *apud* Homerum *ad fores Priami: ἐπὶ ποταμῷ* [*apud amnem*] Thucydides dixit pro παρὰ ποταμῷ. Subaudiendum autem hic πύλῃ [*portam*], quod expressum legitur Neh. III. 1. XII. 38. Hac victimæ in Urbem ducebantur. *Varro dicit semper lacum portis additum scilicet ob usum jumentorum exeuntium & introeuntium.* Ita Donatus ad Adelphos IV. 2. ¶ Κολυμβήθρα, *piscina*] *Lavacrum. Piscina* dicitur καταχρηστικῶς [*per abusionem*]. *Conceptelam* interpretatur Frontinus. Videntur in hoc & aliis quibusdam vicinis stagnis ablui solitæ pecudes antequam ad Templum ducerentur, ut à compluribus notatum est. ¶ Ἑβραϊστὶ Βηθσαδὰ, *Hebraice dicitur Bethesda*] Non est dubium quin verum nomen Syrus expresserit בית חסדא [*Bethchesda*]. Idem nomen sed sensu expresso reddit Arabs بيت الرحمة *domus Gratiæ.* Omnem locum בית, id est, *domum*, vocare Hebræi solent: χάριτος [*Gratia*] autem ideo vocabatur quod ægroti hic sanarentur Divino beneficio. Gutturales à Græcis omitti solent: atque ita Βηθεσδὰ [*Bethesda*] hic est חסד-בית [*Bethchesda, domus misericordiæ*], quomodo חסד-בן [*Benchesed, filius benignitatis*] 1 Reg. IV. 10. in Græco Βενεσὲδ [*Benesed*].

2. Πέντε στοὰς ἔχουσα. 3. Ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, *quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium*] Ut solebat fieri in Medicorum ædibus. In veteri tragœdia Latina, *Æsculapi liberorum sancti opplent porticus.* Ἀσθένεια [*infirmitas*] autem & ἀσθενεῖν [*languere*] de quovis morbo in his libris dicitur, ut Matthæi VIII. 17. Lucæ XIII. 11, 12. Matthæi X. 8. Marci VI. 56. ¶ Ξηρῶν, *aridorum*] Ξηρὸν [*aridum*] dicitur quod ab influxu vitali est destitutum, ut ramus qui exaruit. Matth. XII. 10. Luc. VI. 6. Vide & 1 Reg. XIII. 4. Hic ergo ξηροὶ [*aridi*], quibus pars aliqua motu defecta.

4. Ἄγγελος γὰρ, *Angelus enim*] Non quod videretur, sed quod persuasum esset Judæis talia à Deo non nisi per Angelos agi. Itaque ex motu aquæ, præsentia Angeli intelligebatur, ut ex terræ motu Matth. xxviii. 2. ¶ Κατὰ καιρὸν, *secundum tempus*] Certo tempore circa Pascha, ut veteres crediderunt. Videtur autem circa id tempus non semel tantum sed sæpius aqua moveri solita. ¶ Κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, *descendebat in piscina*] Id est, εἰς τὴν κολυμβήθραν [*in piscinam*]. Solet autem illud κατεβαίνειν [*descendere*] de Angelis dici, ut Matth. xxviii. 2. Apocal. x. 1. At manuscriptus vetus ille pro κατέβαινεν [*descendit*] habet ἐλάμβανε [*lavabatur*], quod non improbo: solent enim Angelis aptari ea quæ hominum sunt. ¶ Ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ· *movebat aquam*] Multa concurrebant, ne naturalis per aquam medicatio crederetur. Primum statis temporibus fiebat: deinde sanabantur omnia morborum genera: postremo commota prius aqua, cum alioqui ad remedia quæratur ea quæ tranquilla est. ἐτάρασσε [*movebat* sive *conturbabat*] est נוד Ezech. xxxii. 2.

5. Τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη ἔχων, *triginta & octo annos habens*] Augetur admiratio ex pertinacia morbi, Lucæ viii. 43. ¶ Ἐν τῇ ἀσθενείᾳ· *in infirmitate*] Κακῶς ἔχων [*male se habens*], ut vulgo dicitur & Matth. xiv. 35.

6. Κατακείμενον, *jacentem*] Quod se movere nequiret. ¶ Πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, *jam multum tempus haberet*] Supple τὸ ἀσθενήματος [*infirmitatis*].

7. Κύριε, ἄνθρωπον οὐκ ἔχω, *Domine, hominem non habeo*] Tacite plus respondet, quam si expresse respondisset: quasi dicat, *imo* hoc unicum ago ut sanet, sed neminem invenio qui mei misereatur. Verecunde Jesu opem imploravit. Ἄνθρωπον οὐκ ἔχω [*hominem non habeo*] Hebraismus est, pro *Neminem habeo*. Ad morbum accedebat inopia, ut nec comitem comparare sibi posset. Sacerdotes & Pharisæi non tangebantur ejus miseria. ¶ Ἐν ᾧ δὲ, *quo vero*] *Simul ac*: subauditur χρόνῳ [*tempore*].

8. Ἔγειραι; *surge*] Ostendit hic Jesus quicquid ab Angelo exspectatur, à se præstari posse. Non exigit hic, ut alias, fidem Christus, quia hic nihil operum ipsius viderat, nihil audiverat. Non vult metere ubi non sevit. Vide infra 12. ¶ Ἆρον τὸ κράβαττόν σου, *tolle grabatum tuum*] Sic Matth. ix. 6. Mos erat Christi ut peracto miraculo aliquid testimonii causa imperaret: idem hic fecit. Hoc autem testimonio Divinæ potentiæ Sabbatum sanctificabatur, non profanabatur. Quanto enim hoc illustrius, quam puerum circumcidere, aut victimas jugulare, quod Sabbato licebat? Alioqui ἀχθοφορεῖν [*ferre onera*] est inter prohibita Sabbato; ut Philo notat De Coloniis. Vide & Jer. xvii. 21. & Origenem περὶ ἀρχῶν [*De principiis*] libro iv. c. 2. ubi miros recitat Judæorum ἀκριβασμοὺς [*scrupulositates miras*] super hoc negotio.

10. Ἰουδαῖοι, *Judæi*] Ex Primoribus: ut & infra 15. ¶ Οὐκ ἔξεστί σοι ἆραι τὸ κράβαττον. *non licet tibi tollere grabatum*] More suo cavillantes circa ritus.

11. Ὁ ποιήσας με ὑγιῆ, ἐκεῖνός μοι εἶπεν, *qui me sanum fecit, ille mihi dixit*] Ostendit se nec Sabbati legem ignorare, nec receptam apud ipsos obtrectatores sententiam, Ad imperium Prophetæ posse violari Sabbatum, exemplo eorum qui ad Josuæ imperium Sabbato Hierichuntem oppugnaverunt. Tacite autem ostendit se Jesum pro Propheta habere, cum is vi Divina sanitatem ipsi reddiderit.

12. Τίς ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ὁ εἰπών σοι, Ἆρον τὸ κράβαττόν σου, *Quis est ille homo qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum*] En malitiæ ingenium! Non dicunt, *Quis est qui te sanavit?* sed, Quis jussit grabatum tollere? Quærunt non quod mirentur, sed quod calumnientur.

13. Ἐξένευσεν, *declinavit*] *Subduxit se*, ubi vox hæc usurpatur in Græca versione, Jud. xviii. 26. ii Sam. ii. 24. xxiii. 16. nec multo aliter Jud. iv. 18. Sed & Euripidi ἐκνεύειν est *è malo se expiscare*: item *de sententia abire*. ¶ Ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ. *cum turba esset in eo loco*] Ratio redditur cur abiret, *quia magnus ibi erat hominum conventus*, quorum plausum à se non captari Jesus ostendebat.

14. Ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*] Gratias Deo reddentem in loco sacro, ut mos erat, Lucæ xviii. 10. Actor. iii. 1. ¶ Μηκέτι ἁμάρτανε, *noli peccare*] Cave tale aliquid committas quale ante hos xxxviii annos. Divinitatem suam Jesus ostendit, cum ea videret quæ ante ætatem suam clam acciderant. Lex autem inter cætera etiam morbos minabatur transgressoribus. ¶ Ἵνα μὴ χεῖρόν τι σοὶ γένηται. *ne deterius tibi aliquid contingat*] Veniam consecuti, qualis hic, non modo tuti non sunt adversus novos lapsus, sed & in statum pejorem recidere possunt, & ob acceptum contemtumque beneficium gravius puniuntur, Matth. xii. 45. ii Pet. ii. 20.

15. Ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ ποιήσας αὐτὸν ὑγιῆ. *quia Jesus esset qui fecit eum sanum*] Grato animo celebrans beneficii auctorem, cujus nomen ex adstantibus in Templo didicerat.

16. Ἐδίωκον, *persequebantur*] Vide Matth. v. 10. ¶ Οἱ Ἰουδαῖοι, *Judæi*] Primores. ¶ Ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, *quærebant eum occidere*] Calumniam capitalem ei struebant, in tantum paulatim accenso odio. Hoc ideo hic in quibusdam libris omissum, quia repetitum ex sequentibus credebatur. Sed habent Syrus & Arabs. ¶ Ὅτι ταῦτα ἐποίει ἐν Σαββάτῳ. *quia hæc faciebat in Sabbato*] Vide Matth. xii. 24. & alibi.

17. Ἀπεκρίνατο. *respondit*] Ad verba factum suum accusantium, quæ subticentur, sed intelligi facile possunt. ¶ Ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, *Pater meus usque modo operatur*] Non cessat vi sua homines aliaque animantia ipsis etiam Sabbatis in vitam educere. Nam Sabbato olim quievit à creatione universitatis & generum. Sophocles Oedipode Coloneo,

Τελεῖ τελεῖ Ζεύς τι κατ' ἦμαρ.
[*Nulla dies quæ non quid agit Deus*].

Philo Allegoriis, Παύεται ἀδέκητος τοῦ ὁ Θεός· ἀλλ' ὥσπερ ἴδιον τὸ καίειν πυρός, καὶ χιόνος ψύχειν, ἴδιον καὶ Θεῷ τὸ ποιεῖν, καὶ τοὐμέ γε μᾶλλον, ὅσῳ καὶ τῶν ἄλλων ἅπασιν ἀρχὴ τῶν ὁρᾶν ἐστίν [*Nunquam Deus facere aliquid desinit: sed sicut proprium est ignis urere, nivis perfrigerare, sic Dei facere, ac quidem multo magis, quando ipse aliis agendi causa est*]. Et de Caino, Ἀνάπαυλαν δὲ, ἣ τὴν ἀπραξίαν καλῶ, ἐπειδὴ Φύσει δραστήριον τὸ τῶν ὅλων αἴτιον ἀδέκητος ἔσχον τῷ ποιεῖν τὰ κάλλιστα [*Cum requiem dico, nolo inertiam intelligas: natura enim sua actuosum est id quod universi principium est, nec unquam cessat ea facere quæ sunt pulcherrima*]. Maximus Tyrius Dissertatione *Vitam activam contemplativæ præferendam*, Οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς σχολὴν ἄγει· ἢ γὰρ ἂν ἐπαύσατο καὶ οὐρανὸς περιφερόμενος, καὶ γῆ τρέφουσα, καὶ ποταμοὶ ῥέοντες· καὶ δεχομένη θάλαττα, καὶ ὧραι ἐμβαίνουσαι, καὶ Μοῦσαι ᾄδουσαι· ἐπαύσαντο δ' ἂν καὶ αἱ ἀνθρώπων ἀρεταὶ, καὶ ζώων εὐτυχίαι, καὶ καρπῶν γενέσεις· καὶ τὸ πᾶν τοῦτο αὖθις ἂν περὶ αὑτῷ σφαλλόμενον συνεχύθη καὶ συνετάραχθη. ἀλλ' ἡ Διὸς πραγματεία ἄτρυτος ἀεὶ καὶ δυνατὴς καὶ ἀκοίμητος, καὶ μηδέποτε ἀπαγορεύσασα μηδὲ ἐπανεχωρήσασα τῷ ἑαυτῆς ἔργῳ, πάντως χορηγεῖ τὴν εὐτυχίαν τοῖς οὖσι [*Neque enim Deum otiatur: alioqui desineret & cælum rotari, & terra nutrire, & fluere amnes, & eos suscipere mare, & hora succedere vicibus, & Musa canere. Cessarent & hominum virtutes, & animantium incolumitates, & fructuum ortus: & hoc universum rursus in semet obvertens confunderetur & perturbaretur. At Dei occupatio indefatigabilis & perpetua, nunquam dormiens, nunquam succumbens labori aut ab opere decedens, semper rebus salutem suppeditat*]. Illud ἕως ἄρτι [*usque nunc*] Matth. xi. 12. & i Joh. ii. 9. significat *usque in hunc diem*. ¶ Κἀγὼ ἐργάζομαι. *& ego operor*] Sic ego ipsius exemplo Sabbato edo Divinæ potentiæ opera. Nam Hebræum ו [*&*] solet comparative poni. Vide infra 21.

18. Ἔλυε τὸ σάββατον, *solvebat Sabbatum*] Ipsorum judicio. De locutione vide Matth. v. 19. ¶ Πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεόν. *Patrem suum dicebat Deum*] Non communiter cum Judæis, qui de Deo dicebant, *Pater noster*, sed supra cæteros: est enim ἔμφασις [*efficax sermo*] in illo ἴδιον [*suum sive proprium*], ut Rom. viii. 32. Perinde hoc est quasi eum accusarent quod Christum se diceret, cujus cognomen habebatur *Filius Dei*. Notavimus ad Matth. xxvi. 63. Adde quod infra xix. 7. ¶ Ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ. *æqualem se faciens Deo*] Sibi licere prædicans quicquid Deo licet, neque magis Sabbato se adstringi. Crassa calumnia; nam Divinæ potentiæ opera haud dubie Sabbato eximebantur.

19. Ἀπεκρίνατο, *Respondit*] Accipe ut supra 17. ¶ Οὐ δύναται, *non potest*] Alienissimum hoc est ab illo: nunquam id ipsi in mentem veniet. ¶ Ἀφ' ἑαυτοῦ ἀδὲν, *à se quicquam*] מעצמו מעצמו מן Syrus, id est, *suopte arbitratu, injussu*. Sic infra sumitur vii. 17. & xii. 47. sed proprie puto ἀφ' ἑαυτοῦ [*à se*] hic opponi ei quod ab alio didicimus; infra xviii. 34. Ἀ'φ' ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις; ἢ ἄλλοι σοι εἶπον περὶ ἐμοῦ; [*à temetipso hoc dicis? an alii tibi dixerunt de me*]? ubi Syrus מנו מן *ex animo tuo*. Compara Matth xvi. 17. ¶ Ἐὰν μή τι, *nisi quod*] Ἐὰν μὴ [*Nisi*] hic est pro ἀλλὰ [*sed*], ut Matth. xii. 4. Gal. ii. 16. infra xv. 4. Non dissimiliter Homerus dixit,

- - τὸν οὔτως ἐσι περῆσαι
Πεζὸν ἰόντ', ὅτις μὴ πάγχυ ἐυφρονέων τύγε νῶϊν.
[- - *quem trans pede non est*
Ire nisi qui ego multo cum remige navem].

Est

Eſt enim ἤν μήτις [*niſi quis*] ibi poſitum pro ἀλλὰ εἴτις [*ſed ſi quis*]. Et abundat τι [*aliquid*] poſt μὴ [*ne* vel *ni*], ut II Cor. I. 17. & XIII. 5. & interrogative Matth. VII. 16. XII. 23. XXVI. 22, 25. Marc. IV. 21. XIV. 19. Luc. VI. 39. ¶ Βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα. *viderit Patrem facientem*] Comparatio eſt ſumta à diſcipulo qui magiſtrum ſibi præeuntem diligenter intuetur, ut imitari poſſit. Sic βλέπειν [*videre*] ſumitur Heb. II. 9. ¶ Ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ. *hæc & Filius ſimiliter facit*] Hæc imitatur. Sic Lucæ VI. 31. X. 37.

20. Φιλεῖ τὸν υἱὸν, καὶ πάντα δείκνυσιν αὐτῷ ἃ αὐτὸς ποιεῖ. *diligit Filium & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit*] Comparatio à magiſtro qui diſcipulum unum præ cæteris intimum habeat, cui omnia artis ſuæ arcana aperiat. Sic ראה Hebræum interdum per διδάσκειν [*docere*], interdum per δεικνύειν [*oſtendere*] vertunt Græci. Et quod hic eſt δεικνύειν [*oſtendere*] idem dicitur διδάσκειν [*docere*] infra VIII. 28. ¶ Μείζονα τούτων δείξει αὐτῷ ἔργα, *majora his demonſtrabit ei opera*] Pater ſanavit à ſerpente morſos, ſanavit Ezechiam & alios: atque ita Filio monſtravit quid & ipſi ad Patris exemplum faciendum eſſet. Reſtat ut Filius etiam majora imitetur, ac ſic ſibi monſtrata reipſa doceat. Itaque δείξει [*demonſtrabit*] hic ad τὴν φάσιν [*id quod tale videri poteſt*] referendum eſt. Tale eſt illud NOVI, Geneſ. XII. 11. ¶ Ἵνα ὑμεῖς θαυμάζητε. *ut vos miremini*] Ἐκβατικὸν [*eventuale*], id eſt, *ita ut fieri non poſſit quin obſtupeatis.*

21. Ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἐγείρει τοὺς νεκροὺς, *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos*] Ἐγείρει [*ſuſcitat*] ſumendum eſt ſine temporis definitione, id eſt, *cum vult*, ut olim ad preces Eliſæi. Inter eximia quæ de Deo dicuntur hoc eſt, *vitam reddere*, Deuter. XXXII. 39. 1Sam. II. 6. Tob. XIII. 2. Sap. XVI. 13. ¶ Καὶ ζωοποιεῖ, *& vivificat*] רמה. Eſt ἐκφώνησις [*apertior explicatio*] ejus quod dixit ἐγείρει [*ſuſcitat*]. ¶ Οὕτω καὶ ὁ υἱὸς οὓς θέλει ζωοποιεῖ. *ſic & Filius quos vult vivificat*] Id eſt, ζωοποιήσει [*vivificabit*], ut ſequentia declarant. Senſus eſt, Videbitis ſuſcitari Lazarum & alios quoſdam in ſignum reſuſcitationis generalis. Johannes ſemper in eo eſt ut & Chriſti excellentiam doceat, & Patrem ejus non alium eſſe quam mundi Conditorem, contra errores ſui temporis.

22. Οὐδὲ γὰρ ὁ πατὴρ κρίνει οὐδένα, *Neque enim Pater judicat quenquam*] *Judicare mundum* Dei eſt, Geneſ. XVIII. 25. Pſalm. LXXXII. 1. Olim *judicavit* mundum temporibus Noæ, *judicavit* Sodoma, *judicavit* ſæpe & populum ſuum: ſed nunc *judiciariam poteſtatem Filio dabit*, Act. XVII. 31. 1Pet. IV. 5. nempe ubi ipſum *Regem* conſtituet, Apoc. I. 5. nam Regum eſt *judicare*, Pſalm. LXXII. 1. & alibi paſſim. Futurum autem præſenti tempore effertur ob certitudinem & proximitatem. Et illud οὐδένα [*non quenquam*] recte forte accipias de his quibus Euangelium prædicatum eſt. Vide quæ ad Matth. XXV. Bene autem ponitur γὰρ [*enim*], quia ejuſdem eſt poteſtatis Abſolvere & Damnare: & recte hoc additum, ut quos ſpes non movet, mălis coërceantur. ¶ Δέδωκε τῷ υἱῷ· *dedit Filio*] *Decrevit dare.* Senſus eſt, Videbitis judicium Filii in hanc urbem, quod ſignum erit judicii univerſalis.

23. Ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, *Ut omnes honorificent Filium*] Ut ſcilicet homines cognita hac Filii poteſtate eum colant ac revereantur, Pſal. II. 11, 12. Phil. II. 10. Uſus Sabbati eſt Deum honorare: ſic & uſus Sabbati eſt honorare Filium. ¶ Τὸν πέμψαντα αὐτόν. *qui miſit illum*] Qui Legatum, præſertim cum pleniſſima poteſtate miſſum, injuria afficit, is injuria afficere eum cenſetur cujus perſonam Legatus ſuſtinet. Vide ſupra IV. 34. infrà 30, 37, 38. VI. 38. VII. 16. & paſſim in hoc libro. Tacite oſtendit Chriſtus quam intimus ſit Patri. Nam Deus honorem ſuum extraneo non concedit.

24. Ὅτι ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων, καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με, *quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me*] Qui meum dogma ſic audit ut credat: nam copula hanc vim habet. Potuerat adjicere *mihi*, ſed invidiæ amoliendæ cauſa Patrem nominat cujus erat Legatus. Eodem autem recidit utrum dicas; infra XII. 44. Sicut autem alibi *confidere* ita hic *credere* ſive *fidem dicenti adhibere* intelligendum eſt *cum obediendi propoſito*, ut patet infra 29. ¶ Ἔχει ζωὴν αἰώνιον· *habet vitam æternam*] Vide ſupra III. 36. ¶ Εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, *in judicium non venit*] Non ſubjacet damnationi: ſicut εἰσενέγκαι εἰς πειρασμὸν [*inducere in tentationem*] eſt *efficere ut tentationi ſuccumbatur.* ¶ Μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν. *tranſiit à morte in vitam*] Sic & in 1 Epiſt. III. 14. ubi Dilectioni tribuitur quod hic Fidei, ſed nempe efficaci per Dilectionem. Ante erat ſervus mortis; nunc fide fit hæres vitæ & quaſi in aliam civitatem transfertur. Vide Eph. II. 5. Eſt autem in voce μεταβέβηκεν [*tranſiit*] alluſio ad typum hujus rei, id eſt Paſcha, ut & infra XIII. 1.

25. Ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν, *venit hora & nunc eſt*] Futurum proxime imminens ſignificatur, ut ſupra IV. 25. ¶ Οἱ νεκροὶ ἀκούσουσι τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ· *mortui audient vocem Filii Dei*] Puto hic explicatius dici quod ſupra involute ſignificabatur comm. 21. eoque magis quia quæ ſequuntur cum ſimilibus locis collata eo ducunt. Et ſolebat Chriſtus voce uti in excitando, Marci V. 41. Luc. VII. 14. Joan. XI. 43. ¶ Καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται. *& illi ubi audierint vivent*] *Et illi ſimul atque audierint vivent*; ne quis audientes à non audientibus putet diſtingui. Eodem modo οἱ δὲ ἀκούσαντες [*illi cum audiſſent*] legas Matth. II. 9. Marci XIV. 11. Act. XXI. 20.

26. Ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, *habet vitam in ſemetipſo*] *Jus dandæ vitæ penes ſe habet*: nam & ipſe eſt qui vitam homini inſpiravit. Vide ſupra I. 4. ¶ Ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ· *dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*] *Ita habere in ſua poteſtate ut cui velit eam dare poſſit.*

27. Ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ καὶ κρίσιν ποιεῖν, *poteſtatem dedit ei & judicium facere*] Κρίσιν ποιεῖν eſt hic *condemnare ad mortem.* Vide ſupra 22. ποιῆσαι κρίσιν [*facere judicium*], dixit & Judas 15. ¶ Ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί. *quia Filius hominis eſt*] *Quia hic ille eſt Filius hominis*, de quo Danielis illud μυστικῶς [*myſtice*] intelligitur *fore ut ei detur dominatus & regnum in omnes gentes ſine fine*, Dan. VII. 13, 14. Nam quod ibi legitur *ſimilis Filio hominis* plane eadem locutio eſt quæ ad Philipp. II. 7. ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος [*in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*]. In Græco Danielis eſt ὡς υἱὸς ἀνθρώπου [*quaſi Filius hominis*]. Significant hæc ipſum ſpecie externa nihil majus homine & quidem plebejo præ ſe tuliſſe. Vide quæ dicta ad Matth. VIII. 20. & adde quod dicto loco ad Philippenſes ſequitur, *Quia ſe tam humilem geſſit, ideo eum in ſublime evectum, datumque ei nomen ſuper omne nomen, ut omne genu ei curvetur.*

28. Μὴ θαυμάζετε τοῦτο· *Nolite mirari hoc*] Supra III. 7. 1 Epiſt. III. 13. Senſus hic eſt, Nolite hoc mirari quod dixi; dicam admirabiliora. ¶ Ἔρχεται ὥρα, *venit hora*] Non additum eſt καὶ νῦν ἐστιν [*& nunc eſt*], quia hoc tempus abeſt longius: ἔρχεται [*venit*] ergo eſt *veniet aliquando.* Vide II Petri III. 8. ¶ Ἐν ᾗ πάντες, *in qua omnes*] Non unus & alter, ſed omnes plane. ¶ Οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, *qui in monumentis ſunt*] Non tantum qui in lectulo ſunt, ut Adoleſcentula, aut in feretro, ut Viduæ filius, ſed *qui in ſepulchris* ſcilicet non exiguo tempore, ut Lazarus, ſed diutiſſime fuerunt. ¶ Ἀκούσουσι τῆς φωνῆς αὐτοῦ. *audient vocem Filii Dei*] Sicut vox Filii eſt vox Patris, ſic vox Archangeli eſt vox Chriſti qui eum mittet. Vide 1 Theſſ. IV. 16. Adde 1 Cor. XV. 52. & Matth. XXIV. 31. ubi quæ notata vide.

29. Καὶ ἐκπορεύσονται, *Et procedent*] Id eſt, audita voce ibunt. ¶ Εἰς ἀνάστασιν ζωῆς· *in reſurrectionem vitæ*] Quæ חיות [*vivificatio*] Hebræis, & κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] ſæpe ἀνάστασις [*reſurrectio*], interdum & ἀνάστασις τῶν δικαίων [*reſurrectio juſtorum*], Luc. XIV. 14. ¶ Εἰς ἀνάστασιν κρίσεως. *in reſurrectionem judicii*] Id eſt, εἰς κόλασιν [*in ſupplicium*], Matth. XXV. 46. Sic ἡμέρα κρίσεως [*dies judicii*] II Pet. II. 9. exponitur per κολαζομένους [*cruciandos*].

30. Οὐ δύναμαι ἐγὼ ποιεῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐδέν· *Non poſſum ego à memetipſo facere quicquam*]. Semper ea quæ de ſe prædicare cogitur Chriſtus, ita temperat ut omnem honorem referat ad Patrem, & removeat illud crimen quaſi Hominem Patri æqualem faciat. δύναμαι [*poſſum*] & ἀπ' ἐμαυτοῦ [*à memetipſo*] hic ſumenda ut ſupra 19. niſi quod ibi de quavis actione loquitur, hic de judiciali. ¶ Καθὼς ἀκούω, *ſicut audio*] Ex lege quam Pater præſcripſit de ſervandis qui in me credunt, damnandis qui me rejiciunt. Diſcimus exemplo & voce: itaque hic ἀκούω [*audio*] idem eſt quod ſupra ἃ ὁ πατὴρ δείκνυσιν [*quæ Pater demonſtrat*], & infra VIII. 28. καθὼς ἐδίδαξέν με ὁ πατήρ [*ſicut docuit Pater*]. ¶ Κρίνω. *judico*] Præſens pro futuro: id enim præcedentia videntur exigere. Sic ſupra 21. ζωοποιεῖ [*vivificat*]. ¶ Καὶ ἡ κρίσις ἐμὴ δικαία ἐστί. *& judicium meum juſtum eſt*] Copula pro rationali: ut Gen. II. 3. collato Exodi XX. 11. Pſ. CXVI. 2. & ſupra I. 42. addito XI. 27. *Ideo æquum eſt judicium meum* quia à Patris regula non diſcedo. Vide vaticinium Eſ. XI. 4. ¶ Ὅτι οὐ ζητῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμόν, *quia non quæro voluntatem meam*] Epexegeſis ante dicti. Judices qui ſuis affectibus ſtudent, commodis, gloriæ, ultioni, ſæpe ab æquo transverſi aguntur. Nihil tale ego: non ducor meis affectibus, ſed id curo quod Patri gratum eſſe ſcio: ζητεῖν [*quærere*] enim eſt *curare, præcipuum habere*, infra VII. 18. VIII. 50.

31. Οὐκ ἔστιν ἀληθής. *non eſt verum*] Dictum eſt proverbiale apud Hebræos, ut apparet VIII. 13. אמת, quod Græci ſæpe vertunt ἀληθὴς, non raro etiam vertunt ἀληθὴς aut ἀληθινὸς,

fide

fide dignum ſignificat, Syro ܫܪܪܐ. Hoc ſenſu μάρτυς ἀληθινὸς [*teſtis verus, id eſt, fide dignus*] dicitur in Rhetoricis ad Alexandrum cap. XVI. Sic Græci illud Deut. XIX. 15. *ſtabit omne verbum* vertunt ἀληθὲς ἔσαι πᾶν ῥῆμα [*verum, id eſt, fide dignum erit omne verbum*]. Hoc eſt quod Romani dicunt, *neminem idoneum eſſe teſtem in re ſua.* Græcum eſt adagium, οἰκοθεν μάρτυς [*teſtis domeſticus*]. Poteſt aliquid eſſe verum quod ſolum per ſe tale non eſt ut fidem impetret. Poteſt quis de ſe vera dicere, ut ait Chriſtus, VIII. 14. ſed niſi alia accedant non perſuadet.

32. Αλλός ἐστιν, *Alius eſt*] Facillimum eſt ut de Johanne ſumamus, quia de eo ſunt quæ proxime ſequuntur. ¶ Οἶδα ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία, *ſcio quia verum eſt teſtimonium*] Satis mihi conſtat talem eſſe teſtem qui à vobis nullo jure poſſit rejici. ἀληθὴς hic iterum *fide dignus.*

33. Τμεῖς ἀπεςάλκατε πρὸς Ιωάννην, *Vos miſiſtis ad Joannem*] Publica auctoritate ad eum miſiſtis, tanquam ad hominem venerandæ ſanctitatis & quem ipſi faceretis plurimi. ¶ Μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ. *teſtimonium perhibuit veritati*] Modeſte dictum: Non dixit, *mihi perhibuit teſtimonium*, ſed *veritati*, legitime compellatus. Similis conſtructio Luc. IV. 22. ſupra III. 26, 28. & Job. XXIX. 11. *De aliquo teſtimonium perhibet*, qui de eo bonum vel malum dicit; *alicui*, qui bonum, quod ei profit.

34. Οὐ παρὰ ἀνθρώπου τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω· *non ab homine teſtimonium accipio*] Alium hic ſenſum habet λαμβάνειν τὴν μαρτυρίαν [*accipere teſtimonium*] quam ſupra III. 11, 32, 33. & 1 Joh. V. 9. Hic λαμβάνω eſt *requiro*, ut infra 41, 44. ubi in oppoſito membro ponitur ζητεῖν [*quærere*] ut idem valens. Sic Latine *accipere* dicimur quod avide appetimus. ¶ Ταῦτα λέγω, *hæc dico*] Dico hæc κατὰ συγκατάβασιν [*per accommodationem*] *me vobis attemperans.* ¶ Ινα ὑμεῖς σωθῆτε. *ut vos ſalvi ſitis*] Amolitur à ſe gloriæ cupiditatem. Nihil mihi vindico niſi veſtri cauſa; ne dixi quidem quis eſſem, niſi poſtquam me Johannes indicaverat. Vult Chriſtus & quidem ſerio ſalutem etiam eorum qui non ſervantur: nihil patitur ex ſua parte deſiderari.

35. Ην, *erat*] Videntur hæc dicta capto Johanne. ¶ Ο λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων· *lucerna ardens & lucens*] Vide ut quod de Elia dici ſolebat Johanni aptaverit miſſo in ſpiritu Eliæ. De Elia dicitur, λόγος αὐτοῦ ὡς λαμπὰς ἐκαίετο [*verbum ejus quaſi facula ardebat*] Eccleſiaſtici XLVIII. 1. Eſt autem hic καίεσθαι nihil aliud quam *accendi*, principium τοῦ φαίνειν [*lucendi*], Matth. V. 15. Lucæ XII. 35. Apoc. IV. 5. VIII. 10. Hebræum eſt בער [*ardere*], quo utitur Syrus. In templo מערת Græcis ſunt λύχνοι τῆς καύσεως [*lucerna accenſionis*] Exod. XXXIX. 37. Petro ſermo Prophetarum dicitur λύχνος φαίνων [*lucerna lucens*], II. 1, 19. ¶ Αγαλλιασθῆναι πρὸς ὥραν ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ. *ad horam exſultare in luce ejus*] Ut pueri, qui delectantur viſu lucis, ſed uſum ejus non habent: πρὸς ὥραν [*ad horam*], ut ad Philem. 15. eſt *non multo tempore*; & ſic recte ſumas illud כעת־מחר [*quaſi mea hora*] quod eſt apud Danielem IV. 16. Oſtendit Jeſus Judæorum inconſtantiam, qui Johannem aſpernari cœperunt poſtquam de ipſo Jeſu teſtimonium perhibuit.

36. Μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ιωάννου. *teſtimonium majus illo Joannis*] Similis collario 1 Epiſt. V. 9. ex quo apparet verum eſſe quod pridem monitum eſt, eſſe hic ἔλλειψιν [*defectum*] articuli, ut ſæpe alibi. ¶ Τὰ γὰρ ἔργα, *opera enim*] Sæpe advocat operum mere Divinorum teſtimonium, adverſus quæ nulla erat cavillatio. Philo de vita Moſis, Πίστις ὡς ὁ παλαιὸς λόγος τῶν ἀδήλων τὰ ἐνφανῆ [*Latentium fidem faciunt ea quæ conſpicua ſunt, ut vetus ait ſententia*]. Vide ſupra III. 12. infra IX. 32, 33. X. 25, 37, 38. XIV. 10, 11. XV. 24. ¶ Αὐτὰ τὰ ἔργα, *ipſa opera*] Elegans anaphora, qualis illa,

Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat.

Habet enim emphaſim iſtud loquendi genus. ¶ Ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέσταλκε. *quia Pater miſit me*] Me venire Dei mandatu.

37. Καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me*] Connectam libens cum præcedentibus, ut ſenſus ſit, Operibus oſtendi ſe miſſum à Deo & ſe Dei teſtimonio non carere: nam præceſſit, Εγὼ δὲ οὐ παρὰ ἀνθρώπου τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω [*Ego autem non ab homine teſtimonium accipio*]. Opera ſunt teſtimonium; Pater teſtis. ¶ Οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε *neque vocem ejus unquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis*] Senſus eſt, Vos eum non noviſtis familiariter, ut ego novi, atque ita, ut meo indicio opus non habeatis. Vide ſupra I. 18. & III. 32. & quæ ibi adducta. Notandum eſt ipſum populum id olim poſtulaſſe, ut Deus ſe nec voce nec ſpecie patefaceret, ſed per Prophetas. Deut. XVIII. 15. Exod. XX. 19.

38. Καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ οὐκ ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν. *& verbum ejus non habetis in vobis manens*] Καὶ hic ut alibi ſæpe, eſt *& tamen.* Per vos ipſos non noviſtis quæ Dei natura ac voluntas ſit, & tamen quæ ad vos ipſe mandata per me mittit ea intra animum non admittitis. μένειν Johanni eſt *ineſſe, infigi.* Idem hic eſt μένειν [*manere*] quod χωρεῖν [*capere*] infra VIII. 37. ὁ λόγος ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν [*ſermo meus non capit in vobis*]: *locum non habet, non admittitur.* Vide quæ de voce μένειν [*manendi*] annotata ſupra III. 36. ¶ Οτι, *quia*] Eſt hic ἀποδεικτικὸν [*probativum*]. Apparet verum eſſe quod dico: nam ei qui à Deo miſſus eſt fidem habere pertinaciter recuſatis. Quomodo mandata Regis diſcet qui legatum excludit?

39. Ερευνᾶτε, *Scrutamini*] Non legite tantum ſed attento animo expendite. Sic ἐρευνᾶν ſumitur infra VII. 52. 1 Petr. I. 11. idem eſt ἀνακρίνειν τὰς γραφὰς, [*explorare Scripturas*] Act. XVII. 11. ¶ Τὰς γραφὰς, *Scripturas*] Omnia ſcripta quæ ut Divina recipitis. ¶ Οτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν· *quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere*] Etiam plus æquo illis tribuitis. Exiſtimatis enim Legis præcepta obſervantibus promitti vitam æternam, atque ita directe eam vitam illis libris contineri. Vide ad Matth. V. 17. XIX. 17. ubi itidem ζωὴ [*vita*] ſimpliciter eſt ζωὴ αἰώνιος [*vita æterna*]. Et nota non cum Sadducæis, ſed cum Phariſæis hic rem eſſe, qui Legem vocabant *fontem vitæ*, & de vita æterna accipiebant locum Deuteronomii XXXII. 47. ¶ Καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ. *& illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*] Καὶ [*Et*] hic eſt *atqui*: & μαρτυροῦσαι [*quæ teſtimonium perhibent*] ex commate ſequenti intellige, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ διδοὺς τὴν ζωήν [*me eſſe vitæ datorem*]. Scripturæ illæ indicant vitæ iſtius datorem: ad me vos rejiciunt, cum de Novo Fœdere, cum de Regno ſempiterno vaticinantur.

40. Καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με ἵνα ζωὴν ἔχητε. *Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis*] Καὶ [*Et*] rurſus pro tamen; *Et tamen*, inquit, *non vultis à me diſcere ut accipiatis vitam æternam.* Nam ἔρχεσθαι [*venire*] eſt *doceri*, infra VI. 44, 45. Cum dicit, *non vultis*, oſtendit penes ipſos ſtare quo minus ad vitam perveniant.

41. Δόξαν παρὰ ἀνθρώπων οὐ λαμβάνω· *claritatem ab hominibus non accipio*] Ego quæ dico de mea auctoritate, non dico appetitu honoris à vobis adipiſcendi. Vide ſupra 34. In manuſcripto illo antiquiſſimo παρ ἀνθρώπε [*ab homine*], id eſt, *ab aliquo hominum, quiſquis ille ſit.*

42. Αλλὰ ἔγνωκα ὑμᾶς, *Sed cognovi vos*] Sed ideo hoc dico, quod cognitum mihi ſit vitium veſtrum quo laboratis & quod vos ab itinere ad vitam æternam impedit. Emphaſis eſt in illo ὑμᾶς [*vos*]. Qualem me putatis, vos tales eſtis. ¶ Οτι τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς. *quia dilectionem Dei non habetis in vobis*] Habetis in ore non in animo pietatem & ſtudium gloriæ Divinæ, infra 44. Sic ἀγάπην Θεοῦ [*caritatem Dei*] legas Luc. XI. 42. & alibi.

43. Εγὼ ἐλήλυθα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, *Ego veni in nomine Patris mei*] Cum vere Divina poteſtate. ¶ Καὶ οὐ λαμβάνετέ με· *& non accipitis me*] Tantum quia dogmatis mei puritas veſtris malis moribus veſtræque ambitioni adverſatur; Primorum quidem, quia ſoli apud populum ſancti haberi volunt; Plebis vero, quia meruit à primoribus traduci. λαμβάνειν [*accipere*] hic idem eſt quod ſupra I. 11, 12. ¶ Εὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, *ſi alius venerit in nomine ſuo*] Nulla certa talis poteſtatis ſigna adferens; propria auctoritate: id enim valet hic ὄνομα [*nomen*], ut Act. IV. 7. & alibi ſæpe. Talis fuit Barchochebas. Vide ad Matth. XXIV. 26. Adde 1 Joh. II. 18. Et ἐὰν [*ſi*] hic eſt *quando*, ut XII. 32. & alibi. ¶ Εκεῖνον λήψεσθε. *illum accipietis*] Quia vitia veſtra non detegit; vobis blandietur.

44. Πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, *quomodo poteſtis vos credere*] Oſtendit non quid ſimpliciter ſit ἀδύνατον [*impoſſibile*], ſed quid ab illis exſpectandum non ſit, quamdiu tali ſunt animo: & ſubintellige, *tali dogmati quo veſtra ulcera tangentur.* Adde quod infra XII. 39 & 42. & Jac. IV. 4. ¶ Δόξαν παρ' ἀλλήλων λαμβάνοντες, *gloriam ab invicem accipitis*] Captantes, ut modo expoſitum eſt. Plebs à primoribus, primores à plebe honorem venamini. ¶ Τὴν δόξαν τὴν παρὰ μόνου Θεοῦ οὐ ζητεῖτε; *gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis*]? *Gloria quæ à ſolo Deo proficiſci poteſt*, eſt ea quæ cordi ſincero redditur, cujus teſtis nemo eſt extra Deum. Facta exteriora multa bonis malisque eſſe poſſunt communia, maxime ritualia quæ facile implentur. Roman. II. circa finem,

Ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, καὶ περιτομὴ καρδίας ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι, ἃ ὁ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων ἀλλ' ἐκ τοῦ Θεοῦ [*qui in abſcondito eſt Judæus: & circumciſio cordis in ſpiritu non literis: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt*]. Non longe abit hinc Ibyci illud,

Δέδοικα μήτι παρὰ Θεοῖς ἁμάλλαιμι
Τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω.
[*Formido ſegem ne violans Dei*
Emercar humanos honores].

45. Μὴ δοκεῖτε ὅτι ἐγὼ κατηγορήσω ὑμῶν πρὸς τὸν πατέρα: *Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem*] Nihil me opus erit accuſatore, quem vobis inimicum putatis. ¶ Ἔστιν ὁ κατηγορῶν ὑμῶν Μωσῆς, *eſt qui accuſat vos, Moſes*] Vide & quæ Matth. XII. 41. ¶ Εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε *in quo vos ſperaſtis*] Ajunt Hebræi Samuelem, cum poſt mortem evocaretur, & crederet ſe ad judicium vocari, attraxiſſe Moſem ut ſibi patrocinaretur. Et ſic ipſi ſperant ſe Moſis gratia ac commendatione Deum habituros propitium. ἐλπίζειν [*ſperare*] autem hic eſt *confidere*, ut Matth. XII. 21. Judith. IX. 7. ἠλπίσαν ἐν ἀσπίδι καὶ τόξῳ [*ſperarunt in clypeo & arcu*]. Obiter oſtenduntur plus æquo Moſi deferre: ſicut modo de Scripturis habuimus.

46. Εἰ γὰρ ἐπιστεύετε Μωσῇ, *Si enim crederetis Moſi*] Scriptis ejus, ut Luc. XVI. 31. ¶ Περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν. *de me enim ille ſcripſit*] Signa vobis dedit quibus veros Prophetas à falſis dignoſceretis, Deuter. XVIII. 15. & ſequentibus. Signa autem veri Prophetæ in me eximie congruunt. Vide Act. III. 22. VII. 37. ita ut ego ibi velut ſpecialiter denoter.

47. Εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου γράμμασιν οὐ πιστεύετε, *Si autem illius literis non creditis*] Si libris tam antiquitus receptæ auctoritatis non creditis. *Credere* autem hic & alibi ſæpe eſt credere non generatim modo ſed ſingulatim, aptando jus ad factum. ¶ Πῶς τοῖς ἐμοῖς ῥήμασι πιστεύσετε; *quomodo verbis meis credetis*]? Non quod non major ſit Chriſti auctoritas, ſed quod minus cognita. Simili modo Judæos Petrus compellat 2 Pet. I. 19. Egregie Chriſtus eripit Judæis duos prætextus, quibus ad rejiciendum ſe utebantur, Dilectionem Dei & Reverentiam Moſis.

CAP. VI.

VALLA.

11. *Accepit ergo panes Jeſus, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & de piſcibus, quantum volebant*] Ut apud cæteros Euangeliſtas, ita apud Johannem res geſta narratur: Jeſum dediſſe panem non turbis, ſed diſcipulis, & diſcipulos turbis. Sic enim eſt Græce, *Accepit autem panes Jeſus, & ubi gratias egit, diſtribuit diſcipulis, & diſcipuli diſcumbentibus: Ἔλαβε δὲ τοὺς ἄρτους ὁ Ἰησοῦς, καὶ εὐχαριστήσας διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις.*

13. *Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum*] Græcum genitivum reliquit interpres: ego dixiſſem *Fragmentis*.

16. *Ut autem ſero factum eſt*) Ego dixiſſem *ſerum*, ut apud T. Livium, *Serum erat diei*. Nam *hoc ſero*, *hujus ſero*, vox abſurda eſt.

45. *Et erunt omnes docibiles Dei*] Quidam codices habent διδακτοὶ Θεοῦ, quidam διδακτικοὶ Θεοῦ· quorum mihi videtur verius eſſe διδακτοί, cum dicatur ad Theſſalonicenſes, 1. 4. 9. *Ipſi enim vos à Deo didiciſtis*, αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε. Nam eundem Prophetæ locum à Paulo repetitum opinor qui à Chriſto nunc repetitur. Qui locus Pauli, etſi recte tranſlatus eſt, tamen ad verbum ſic diceretur, *Ipſi enim vos à Deo docti eſtis*, ut ad Corinthios 1. 2. 12. *Non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus ſancti*, διδακτοῖς. Ut de Græco autoritatem repetam, Homerus 22. Odyſſ.

Αὐτοδίδακτος δ' εἰμί, θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἵμας
Παντοίας ἐνέφυσεν.

Sed redeo ad *docibilem*, ſi forte ita hic locus legendus eſt, διδακτικόν. Atque etiam ſi ita legendum eſt 2 Tim. 2. 24. *Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem*. Hunc locum tranſfert interpres *docibilem*. Quid autem per hoc nomen intelligat indicat è priore ad Tim. epiſtola, 3. 2. inquiens, *pudicum, hoſpitalem, doctorem*, διδακτικόν· cum quo non videtur ſentire Cyprianus, qui ait, *Docibilis autem ille eſt qui eſt ad diſcendi patientiam lenis & mitis*. Ego hoc vocabulum, etſi Priſcianus ad artem refert, quia apud bonos autores non inveni, quod meminerim, inexpositum relinquo. Certe Græcum Hieronymus, cum hunc locum ſuper epiſtola ad Timotheum tractat, ita ait, διδακτικόν, *qui poſſit docere*, non, ut interpretatur Latina ſimplicitas, *docibilem*.

66. *Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retro*] Nunc ad verbum tranſlatio facta eſt: ſententia autem eſt, *Ex hoc tempore*, quod ego dixiſſem *Ex eo*, ἐκ τούτου. Nam *ex eo* pro *ex eo tempore* reperi. Quintilianus, *Denique ex eo inopiam tibi objicio ex quo propter te tuli*.

ERASMUS.

2. Μ*Ultitudo magna*] Πολὺς ὄχλος *multa turba*.

5. *Ad eum*] Πρὸς αὐτὸν *ad ſe*, prima pronominis vocali aſpirata. Quod tamen haud ſcio quo caſu in Eccleſiaſticis libris apud Græcos non obſervatur.

9. *Et duos piſces*] Καὶ δύο ὀψάρια. Et apud Terentium in Adelphis piſces *obſonium* vocantur. Siquidem *opſon* Gr. vocant edulium quod additur pani præſertim coctum: unde *obſonare*; lautius veſci: & ὀψοφάγοι *obſonatores* olim male audiebant; ὀψάριον autem diminutivum eſt ab ὄψον. ¶ *Quid ſunt inter tantos*] Εἰς τοσούτους inter *tam multos*, ſive *inter tot*. De numero loquitur, non de magnitudine hominum.

10. *Erat autem fœnum*] Χόρτος *herba*, ſive *gramen*.

11. *Diſtribuit diſcumbentibus*] Græca nonnihil diſſonant; Καὶ εὐχαριστήσας διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις, *Et cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcipulis, diſcipuli vero diſcumbentibus*. Nam ad eum ferme modum referunt & cæteri Euangeliſtæ, ipſum non dediſſe turbæ, ſed Diſcipulis; deinde Diſcipulos diſtribuiſſe multitudini; ſed magno conſenſu reclamantibus Lat. codd. Unde ſubolet hic aliquid ex aliis Euangeliſtis adjectum. Ex Chryſoſt. ac Theophyl. non potuit divinari quid legerint in contextu. Theophylactus habet quod eſt in Græcis codicibus: in Chryſoſt. verſo erat quod habetur in Latinis codicibus. ¶ *De piſcibus quantum volebant*] Ὅσον ἤθελον *Quantum volebat*, nempe Jeſus, non quantum illa multitudo; ſiquidem is erat qui ſuo arbitratu augebat cõmeatum illum alioqui exiguum. Atque ita legit Cyrillus. Licet ex Chryſoſt. non poſſit certum colligi quid legerit. Cæterum una mutata literula erat *volebant* ἤθελον. quemadmodum lego apud Theophyl. & in nonnullis aliis exemplaribus. Auguſt. legit *quantum ſufficiebat*. Niſi forte illic Auguſt. ſuis verbis Euangeliſtæ ſenſum explicuit, quemadmodum fecit paulo ante, *Accepit autem Dominus Jeſus panes, gratias egit, juſſit frangi panes, poni inter diſcumbentes*. Editio Aldina non conſentit cum noſtra lectione; habet enim ἤθελεν, non ἤθελον.

12. *Ne pereant*] Μή τι ἀπόληται, *ne quid pereat*: niſi τι malis ſupereſſe.

13. *Duodecim cophinos fragmentorum*] Legi poterat & *fragmentis*, ut referatur ad verbum *impleverunt*. ¶ *Ex quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus*] Hæc particula *& duobus piſcibus* non adjicitur in Græcanicis codicibus. Atque his ſuffragabatur utrumque exemplar Latinum vetuſtiſſimum: Suffragabatur & editio fratrum Amerbachiorum ex pervetuſtis ac fideliſſimis exemplaribus: denique ſuffragatur codex Aureus cum Conſtantienſi.

14. *Quia hic eſt vere Propheta*] *Quia* prætermittendum erat. Nec ſimpliciter vertendum erat *Propheta*, ſed *ille Propheta*, ὁ προφήτης. ſiquidem ex vaticinio Malachiæ exſpectabatur Elias, aut illi ſimilis: item ex promiſſo Moyſi.

15. *Ut raperent eum, & facerent eum*] Utroque loco *ſe* aut *ipſum* dicendum erat, non *eum*. ¶ *Fugit iterum*] Ἀνεχώρησε *receſſit*, ſive *ſubduxit ſe*. Mirum cur hic Interpreti libuerit à Græco ſermone diſcedere.

16. *Ut autem ſero factum eſt*) Ὀψία. *Sero* pro *veſpere* ſemper utitur. Legimus apud Livium *ſerum diei* pro *ſera parte diei*. *Sero* non reperimus niſi adverbialiter uſurpatum.

17. *Cum aſcendiſſent navim*] Εἰς τὸ πλοῖον. Cur hic oblitus eſt ſuæ *naviculæ*? Nec eſt *aſcendiſſent*, ſed ἐμβάντες, i. *ingreſſi navim*, aut certe *conſcenſa navi*.

19. *Et proximum navi fieri*] Nimirum Græce vertit, καὶ ἐγγὺς τοῦ πλοίου γινόμενον, i. *navi appropinquare*, ſive *accedere ad navim*.

21. *Fuit ad terram*] Ἐγένετο ἐπὶ γῆς *facta eſt in terra*, ſive *appulit terræ*. ¶ *Quam ibant*] Εἰς ἣν ὑπῆγον *ad quam ibant*, nempe Apoſtoli.

22. *Altera die*] Τῇ ἐπαύριον *Poſtero die*: quod tamen recte vertit Interpres. ¶ *Quia navicula alia*] Πλοιάριον. Hic vere diminutivum eſt nomen.

23. *Gratias agens Deo*] Hæc verba in altero exemplari non habebantur; in altero diverſa, ἔφαγον τὸν ἄρτον, εὐχαριστήσαντος τοῦ

τῇ Κυρίᾳ, *ubi comederant panem, cum gratias egisset Dominus.* Quanquam vetusti codices cum nostra editione cõsentiunt, astipulante & Augustino. Nam quid legerit Chrysostomus & Cyrillus parum liquebat ex illorum interpretatione.

25. *Quando huc veniſti?*] Πότε ὧδε γέγονας; Hic γέγονας vertit *veniſti.* Cur non & paulo ante ἐγένετο ἐπὶ γῆς *venit in terram.*

27. *Pater ſignavit*] Ἐσφράγισεν ut intelligas autoritate Patris ac testimonio comprobatum, sicut alias admonuimus.

32. *Non dedit vobis panem*] Τὸν ἄρτον, i. *illum panem.* Neque enim negat ullum panem fuisse datum per Mosen, sed non illum eximium de quo sensit Scriptura Divina. Item paulo post, *Panis enim Dei est* pro *Nam ille panis Dei est.* ¶ *Pater meus dat vobis*] Multi Latinorum codices pro *dat* habebant *dabit*, sed mendose. Nec enim hic *dat* habet rationem temporis, sed potestatis. Dat enim qui solus potest dare. Græcis est δίδωσι, non δώσει.

33. *Panis enim verus est*] Græci legunt, *Panis enim Dei est*, consentientibus & vetustissimis exemplaribus, atque in his codice Aureo cum Constantiensi.

35. *Qui credit in me non sitiet in æternum*] Gr. est πώποτε *unquam:* atque itidem habet codex Aureus.

41. *Quia dixisset, Ego sum panis vivus*] Hic non additur *vivus*, sed tantum ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ, *Ego sum panis ille qui descendit de cœlo:* consentiente cum Gr. utroque vetustiss. cod. atque etiam Donatianicis. Et paulo superius *panis vitæ* legitur, & non *panis vivus.*

42. *Nonne hic est Filius Joseph?*] Οὐχ οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ υἱὸς Ἰωσήφ; *Nonne hic est Jesus filius Joseph?* Consentiunt & antiquissima exemplaria Latinorum, adstipulante & Augustino. Quo magis miror quo consilio *Jesus* è vulgatis exemplaribus fuerit sublatus. Nam hoc loco *Jesu* nomen velut hominis plebei per contemptum additur: quemadmodum & hodie vulgus hominem nulla prædituni dignitate proprio compellat nomine.

43. *Inter vos*] Μετ' ἀλλήλων *invicem*, sive *inter vos.*

45. *Docibiles*] Διδακτοὶ τῇ Θεῷ *dociles Dei*, ut accipiamus passive. Testimonium est apud Esaiam 54. 13. *Universos filios tuos doctos à Domino.* Nam hinc D. Hieron. indicat sumpsisse Joannem. At cur igitur non dixit *in Esaia*, sed *in Prophetis?* Proinde D. Hieron. citat consimilem huic sententiam ex Jer. 31. 33. Porro quod Hieron. juxta veritatem Hebraicam transtulit *doctos à Deo*, LXX verterunt διδακτοὺς Θεοῦ, i. *discipulos Dei:* ut intelligas passive accipiendum esse, non active. Laurentius indicat in quibusdam exemplaribus scriptum fuisse διδακτικοὺς, in aliis διδακτοὺς, ac posteriorem lectionem magis approbat: cujus sententiæ & ipse subscribo: διδακτικὸς enim dicitur *qui est appositus ad docendum*, interp. Hieronymo. Unde Paulus inter cæteras dotes vult Episcopum esse διδακτικὸν, h. e. *idoneum ad docendum*, ut suo commonstrabimus loco. *Docilis* autem est is qui facile discit. *Docibilis* vox est Latinis auribus inaudita. Paulus 1 Thess. 4. 9. composita extulit dictione quod divisit Joannes, αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε, *nam vos ipsi à Deo docti estis:* quanquam hoc *docti* non est participium Græcis, sed nomen. Unde Interpres studuit nomen nomine reddere consimiliter composito. Homerus citharœdum αὐτοδίδακτον appellat qui non ex arte sed afflatu numinis caneret, *ex se ipso doctum*,

Αὐτοδίδακτος δ' εἰμὶ, θεὸς δέ μοι ἐν Φρεσὶν οἴμους
Παντοίους ἐνέφυσεν.

Proinde hoc loco non erat vertendum *docibiles Dei*, sed *docti à Deo:* ut consentiat cum eo quod præcesserit, *nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Hoc nimirum est esse θεοδίδακτον, *trahi Patris afflatu.*

50. *Hic est panis de cœlo descendens*] Ὁ κατα βαίνων. Hic usus est participio præsentis temporis, nullum certum indicans tempus. Sentit enim nullum panem de cœlo descendere aut descendisse præter ipsum. Nam idem & Manna verum erat. Quoniam autem quod manna figurarat jam erat exhibitum, mutat tempus participii, ὁ καταβάς. ¶ *Ut si quis ex ipso manducaverit*] Ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ, καὶ μὴ ἀποθάνῃ, *ut quis ex eo edat, & non moriatur.* Quanquam hoc ad sensum haud ita multum habet momenti.

51. *Si quis manducaverit ex hoc pane*] Mirum quid secutus Hilarius, l. 10. De Triade ineffabili, locum hunc his refert verbis, *Si quis manducaverit de pane meo vivet in æternum*, significans in hoc esse mysterium Divinæ naturæ assumentis humanam, quod cum affirmet *se esse panem qui de cœlo descenderet*, tamen eundem panem appellet *suum.* Quanquam hunc locum veteres interpretantur de Doctrina cœlesti. Sic enim dixit *panem suum* ut frequenter dixit *sermonem suum.*

52. *Litigabant ergo*] Ἐμάχοντο *pugnabant*, sive *decertabant.* ¶ *Carnem suam dare ad manducandum*] Apud Græcos non additur *suam*, sed Interpres expressit vim articuli, τὴν σάρκα, nimirum intelligi volens carnem illam de qua prius locutus est Jesus: de sua autem carne locutus est. Alioqui omisso articulo poterat esse sensus, *Quomodo hic dabit nobis ad edendum carnem humanam?*

53. *Non habebitis*] Οὐκ ἔχετε *non habetis*, præsentis temporis: quanquam videri potest temporis catachresis.

57. *Sicut me misit vivens Pater, & ego vivo*] Addenda erat Interpreti particula quæ responderet *Sicut*, quo dilucidior redderetur oratio, *Quemadmodum misit me Pater qui vivit, ita & ego vivo propter Patrem.* Præterea ὁ τρώγων, i. *Qui manducat me*, participium accommodandum erat verbo cui adhæret, ζήσεται *vivet*; *Qui ederit me, ipse quoque vivet propter me.* Potest & sic distingui sermo ut contexatur è duabus partibus quarum utraque duobus constet membris, *Quemadmodum misit me vivens Pater, & quemadmodum ego vivo propter Patrem, ita qui ederit me vivet ipse quoque propter me.* Cum hac distinctione congruit interpretatio D. August. Laborat enim quomodo constet collatio. Non enim sic nos vivimus propter Filium Dei quemadmodum ille vivit propter Patrem. Videtur autem abusus præpositione διὰ, cui addidit accusandi casum pro paterno.

58. *Qui de cœlo descendit*] Καταβάς. Præteriti temporis est *descendit.*

62. *Si ergo videritis Filium hominis*] Aliquid subaudiendum quo sermo fiat absolutus, *Quid igitur si videritis,* ἐὰν οὖν θεωρῆτε. Significat id futurum quod admirabilius sit, nempe ut redeat in cœlum, unde venerat.

66. *Ex hoc* Ex τούτου] *Ex eo*, ut subaudias *tempore.*

70. *Diabolus est*] Miror hic placuisse vocem Græcam. Dicere poterat *delator est*, sive *calumniator est.* Sic enim designat Judam proditorem. Et tamen nos reliquimus *diaboli* vocem, quod viderimus Chrysostomum *diabolum* propemodum interpretari pro *Satana.*

VATABLUS.

1. ESTJ] Vel, *aliter dicitur.*

2. *Signa* *] *Miracula* * *ejus.*

3. *Ergo*] *Autem.*

4. *Erat autem*] *Appropinquabat autem.*

5. *Venit ad eum*] *Veniret ad se.*

7. *Unusquisque* *] * *Eorum.*

9. *Puer*] *Puellus.* ¶ *Pisces*] *Pisciculos:* ὀψάριον diminutivum est ab ὄψον quod significat *edulium quod pani additur:* sed & apud Latinos pro *piscibus* positum invenitur. ¶ *Tantos*] *Tot*, vel, *tam multos.*

10. *Fœnum multum*] *Herba multa*, vel, *gramen multum.*

11. *Ergo*] *Autem.* ¶ *Distribuit* *] * *Discipulis, discipuli vero*, &c. ¶ *Volebat*] *Volebant*; Vet.

12. *Impleti sunt*] Vel, *satiati.* ¶ *Ne pereant*] *Ne quid pereat.*

13. *Fragmentorum*] *Fragmentis.*

14. *Fecerat* *] * *Jesus.* ¶ *Est*] *Erat.*

15. *Fugit*] *Secessit.*

17. *Navim*] *Naviculam.*

18. *Exsurgebat*] *Intumescebat.*

19. *Proximum navi*] Vel, *appropinquantem navi.*

21. *Fuit*] *Venit*, vel, *appulit.*

22. *Altera*] *Postero.* ¶ *Nisi una* *] * *Illa in quam ingressi fuerant discipuli ejus.* ¶ *Navim*] *Naviculam.*

23. *Naves*] *Naviculæ.* ¶ *Gratias agentes Deo*] *Gratias agente Domino*, Vet.

24. *Ergo*] *Inquam.* ¶ *Ascenderunt* *] * *Et ipsi.*

27. *Operamini*, &c.] i. in eo occupati estote ut habeatis non cibum qui in ventrem vadit, & in secessum emittitur, ut Matt. 15. ¶ *Hunc*, &c.] De se loquitur in tertia persona. ¶ *Signavit*) *Sigillavit*, *obsignavit:* i. me enim Pater suo testimonio velut annulo signatorio appositio confirmavit in Filium suum unice dilectum.

28. *Faciemus*] *Facimus:* i. quid agimus reprehendendum quod nos mones ut faciamus quæ grata sint Deo: vel, Quid censes nobis faciendum, ut, &c.

29. *Opus Dei*] Hebr. Opus Deo gratum.

31. *Manna*] Chaldæa vox: Hebræi vocant *Man.*

32. *Panem*] Sub. *Verum*, *sed tantum Manna.*

33. *Verus*] *Dei.*

35. *Vita*] i. qui alo & vitam largior. ¶ *In æternum*] *Unquam*, Vet.

36. *Sed dixi vobis*] Sub. *quamvis*, &c, *tamen*: q. d. *quod quamvis videritis me, tamen non creditis.* ¶ *Credidiſtis*] *Creditis*, Vet.

37. *Ejiciam*] *Ejicio*: præſens pro fut.

38. *Quia*] Sub. *ſcitote.*

40. *Enim*] *Autem*, Vet. ¶ *Patris*] *Ejus.* ¶ *Videt Filium*] i. me hominem factum. ¶ *Et*] Pro, *id eſt*: vel, *nam.*

42. *Filium* *] * *Jeſum*, Vet.

43. *In invicem*] *Inter vos.*

44. *Venire ad me*] i. credere me eſſe Meſſiam. ¶ *Traxerit eum*] Sub. in cognitionem mei. ¶ *Et ego reſuſcitabo*] Heb. pro, *quem ego reſuſcitabo.*

45. *Docibiles Dei*] *Dociles Dei*: Heb. ad v. legitur, *periti Domini*: q. d. Omnes Eccleſiæ filios docebit fidem in Chriſtum. ¶ *Qui* *] * *Ergo.* ¶ *Audivit à Patre*] i. Patris ſcholam frequentavit.

50. *Hic*] i. talis. ¶ *Si quis ex ipſo, &c.*] *Quis ex ipſo edat, & non*, &c. Hebraiſmum reddidit interpres.

51. *Vivus*] *Vivens.* ¶ *Caro mea eſt* *] * *Quam ego dabo.*

52. *Litigabant*] *Decertabant, contendebant.*

53. *Filii hominis*] i. meam, Heb. ¶ *Habebitis*] *Habetis*: i. non vivetis.

54. *Et*] Pro, *id eſt*: vel, *nam.*

57. *Propter Patrem*] i. ad gloriam Patris. ¶ *Et*] Pro *ſic*, Heb. ¶ *Propter me*] i. ut me glorificet.

58. *Hic*] i. Talis. ¶ *Deſcendit*] Præt. temp.

64. *Locutus ſum*] *Loquor.* ¶ *Spiritus*] i. Spiritualiter intelligenda ſunt, & ita conferent vitam: vel, de Spiritu intelligenda ſunt, quod ſcilicet is vivificet.

65. *Eſſent* *] * *Non*, Vet.

66. *Ex hoc*] *Ex eo*: ſub. *tempore.* ¶ *Retro*] *Ad ea quæ retro*: i. deſciverunt, eo relicto: Gr. *abierunt retro.* ¶ *Cum illo ambulabant*] Vel, *comitabantur eum.*

69. *Credimus*] *Credidimus*: præt. pro præſ. ¶ *Dei* *] * *Viventis.*

70. *Diabolus*] *Delator*: i. qui deferet me apud principes.

71. *De Juda Simonis Iſcariote*] *Judam Simonis Iſcariotem*, Vet. ¶ *Cum*] i. *quamvis.*

CASTALIO.

35. QUI *venit ad me*, &c.] Declarat quid ſit panem vitalem comeſſe.

62. *Quid ſi videritis Filium hominis eo aſcendentem ubi erat antea?*] Vobis abſurdum videtur, inquit, quod dixi meam carnem comedendam ſanguinemque bibendum ei qui ſalvus eſſe velit: atqui id tum multo abſurdius videbitur cum in cœlum (id quod vobis ſpectantibus facturus ſum) aſcendero: Sic enim tum dicere licebit, Juſſit ſuum corpus comedi Chriſtus & tamen in cœlum aſcendit. Quomodo nunc id comedemus in terris quod in cœlo ſit? O tardi: facit iſta tarditas ut mea verba abſurda eſſe videantur, cum non ſint. Nam *caro* quidem *nihil prodeſt*: non enim comedetur, ſed in crucem veſtra cauſa tolletur, mortuaque reſurget & in cœlum aſcendet. Sed quia veſtra cauſa crucifigetur, atque hac ratione vobis vita conferetur, dixi eam vobis eſſe comedendam, quæ *mea verba ſpiritus & vita ſunt*: h. e. meus de vita per carnem meam conſequenda ſermo ſpiritualis eſt; nam & meum Regnum ſpirituale eſt. Sed quia vos homines mortales alloquor, humano more loquor: & cum indicare volo me vobis eſſe vitam daturum, dico meam carnem vobis eſſe comedendam ſanguinemque bibendum, quoniam mea caro & ſanguis ob conferendam vobis vitam pœnas dabunt; ut *comedere me* conveniat cum eo quod ſupra dixi, *Ego ſum panis vitalis: qui venit ad me, nunquam eſuriet; & qui mihi fidem habet, nunquam ſitiet.* Vide 1 Par. 11. 19. quod ad *ſanguinem bibendum* attinet.

CLARIUS.

9. HOc *autem dicebat, tentans eum*] Cernis ut hic corrigat Euangeliſta quod opinari quis falſo potuiſſet? quod ſi opus fuiſſet, idem fecitiet cum dicit Judæos perſequi Dominum *quod æqualem ſe Deo faceret.*

13. *Duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis*] Sed cur non ſuperfuere fragmenta piſcium? Fortaſſe, quod per *Panes* intelliguntur dogmata & myſteria Fidei; per *Piſces* vero, qui quaſi condimenta ſunt panis, præcepta Charitatis. Dogmatibus ergo ſaturamur quidem, ſed ſuperſunt adhuc quæ hic plene percipere nequimus: At iis quæ de charitate præcipiuntur nunquam ſaturari poſſumus, nedum ut queant ſupereſſe: nunquam enim tantum quis amat quantum illi eſt amandum. Non decuit ergo ut Piſces ſupereſſent, quos omnes comedere jubemur cum præcipitur ut *ex toto corde, tota anima, tota mente, omnibus viribus diligamus Deum, & proximum noſtrum tanquam nos ipſos*: quod etſi non præſtamus, id tamen ut præſtemus imperatur. At Panum eſus integer, h. e. dogmatum curioſior perveſtigatio, etiam prohibetur: *nam ſcrutator*, inquit, *majeſtatis opprimetur à gloria.*

14. *Qui venturus eſt in mundum*] In Gr. eſt ὁ ἐρχόμενος *veniens*, vel *qui venit*: ſignificat autem eum qui exſpectabatur venturus: venti ergo poterat *qui venturus erat in mundum.* De hac loquendi proprietate latius alibi diximus.

27. *Operemini non cibum qui perit*] Non idcirco tamen prohibet operari manibus & manu atque arte victum quærere, ſed reprehendit eos qui Dominum ſequerentur non cœleſtis Regni gratia ſed ob corporis cibum. Sed *quærendum eſt primum Regnum Dei*, deinde exercendus labor, idque non metu nequid deſit, aut ob ſui ſolicitudinem, ſed ut præceptum implcat quod *operari manibus ſuis* jubet *ut habeat quo proximum juvet.*

29. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis*] Ecce Fidem appellari & ipſam *opus.*

31. *Patres noſtri manducaverunt manna*] Homines ventri deditos! quos & Apoſtolus damnat cum ait, *quorum Deus venter eſt.* Hi ergo producentes exemplum de manna, clam ſignificabant nullum ſibi ſignum magis placuiſſe quam quod dudum fecerat in Panum multiplicatione. At Dominus conatur eos altius evehere, & de cibo cœleſti, h. e. de ſe, philoſophatur.

37. *Omne quod dat mihi Pater*] *Dare Patrem Filio aliquos* eſt cum quis credit Filium à Patre genitum.

38. *Non ut faciam voluntatem meam*] Non idcirco quod ſit privata voluntas Dei Filii à Patre Deo disjuncta hoc dictum eſt, ſed potius quod non ſit. Ait ergo, *non ut faciam voluntatem meam*: neque enim habeo voluntatem ſejunctam à Patris voluntate, cum ſit una voluntas, quemadmodum & ſubſtantia una, amborum. Idem dicendi modus eſt & in eo quod dicit, *neque iniquitas mea, neque peccatum meum*: non enim hoc dicit quaſi adſit ei peccatum, ſed quod non adſit: ſimiliter illud, *non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus*: neque enim fecimus: Multa enim in hunc modum dicuntur, non quod aliquid ponant, ſed quod auferant. Sic ſolvit Theologus. Declarat autem hoc ſermone Dominus & conſilium Patris & ſuum alacrem ad ſervandos homines animum. *Deſcendit* ergo, *non ut faciat voluntatem ſuam*, h. e. ut quærat quæ ſua ſunt, ſed ut conſilium Patris exſequatur.

44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*] Oportebat Dominum in tam excelſis rebus quaſi in ænigmate loqui ad illos ea quæ ſuis temporibus à fidelibus eſſent intelligenda. Idcirco & in paraboliis ſe loqui dicebat. Hoc igitur quod nunc ait *Neminem poſſe venire ad ſe niſi tractum à Patre ſuo*, ſignificabat eos nunquam intellecturos quis eſſet niſi cum crederent ſe æqualem Patri, quod eſt *venire ad Filium*, & *trahi à Patre*: quod ne quis opinetur nunquam futurum, dicit *ſcriptum eſſe*, atque ideo impleri oportere, *futurum ſcilicet ut omnes à Deo docti ſint.* Quod nunc plane cernimus, cum idiotæ ea intelligant nullo negotio quæ doctiſſimis Judæorum erant obſcuriſſima. Poteſt & ſic intelligi, Dicta fuiſſe illa verba, *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater traxerit eum*, videlicet per Spiritum S. Loquitur enim de Divino illo myſterio quod Chriſtus inſtituit in divina illa ſua ſacratiſſima Cœna, qua vivam ſuam innocentem carnem & ſacratiſſimum ſanguinem cum humana natura communicavit.

46. *Non quod Patrem viderit quiſquam*] Dixerat *eum venire ad ſe qui audivit à Patre*: idcirco addit, Non hoc ideo dixi quod quiſquam verſatus ſit cum Patre, & hæc didicerit cum *nemo viderit*, h. e. noverit, *Patrem, niſi Filius.* Videtur autem ſignificare eum *audire à Patre* qui credit hunc eſſe Filium.

49. *Et mortui ſunt*] *Non vixerunt*: non attulit illis manna illud vitam æternam, quod facit hic panis: de quo loquendi modo diximus ſupra 2. 4.

53. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*] Niſi ego vitam hanc pro vobis profudero idque vos crediderit.

57. *Et ego vivo propter Patrem*] Eo modo dicitur Filius *vivere propter Patrem* quo & *eſſe propter Patrem*, h. e. eſſe à Patre. Facile intelligetis, inquit, me poſſe præſtare vitam æternam ſi cogitaveritis qui ſim & unde ſim.

62. *Si ergo videritis Filium hominis*] Non vos, inquit, tum offendent verba iſta cum videritis & intellexeritis majeſtatem

Filii hominis: ſed vos neſcitis quicquam incorporeum cogitare neque attolli ſpiritu mentis veſtræ.

ZEGERUS.

7. *Ducentorum denariorum panes*] Si quis forte horum Denariorum æſtimationem & valorem noſſe deſiderat, *Ducenti Denarii*, inquit Budæus, XX *Aureos noſtros valent, id eſt*, XXXV *Francicos.*

9. *Eſt puer unus hic*] Magis quadrat ut *puerum* hic pro *ſervo* accipiamus; quandoquidem & Græca vox idem ſignificare poteſt. Dicitur enim παιδάριον ἀπὸ τῦ παῖς παιδὸς, quod nunc *puerum* nunc *ſervum* ſignat; quanquam illud diminutivum ſit, *ſervulus*, aut *puerulus.*

10. *Erat autem fœnum*] *Fœnum* pro *gramine* poſitum eſt: id quod & alibi reperis in S. literis.

11. *Diſtribuit diſcumbentibus*] Gr. διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις, *diſtribuit diſcipulis, diſcipuli autem diſcumbentibus*, ſed refragante Chryſoſtomo & Auguſtino: quare cætera ex aliis Euangelistis adjecta videntur. Ex Cyrillo & Theophylacto nil certi haberi poteſt, nam in explicando hæc verba non attingunt. Porro nudo textui illic poſito non eſt tutum fidere: ut ſileam interim quod addubitem num hic Cyrillus ille ſit qui vixit tempore Auguſtini.

13. *Panibus hordeaceis & duobus piſcibus*] *Et duobus piſcibus* redundat in noſtris, nec legitur in codicibus vel paulo antiquioribus.

23. *Gratias agentes Deo*] Alii legunt *gratias agentes Domino*: ſed priorem lectionem tantum apud veteres reperio, εὐχαριστήσαντες τῷ Θεῷ.

27. *Operemini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam*] h. e. Pro corruptibili cibo parando ne ſoliciti ſitis, nec hujus gratia me ſequamini, quin potius curate ut ſpirituali cibo reficiamini, quo vita vobis conferatur æterna. ¶ *Hunc enim Pater ſignavit Deus*] *Signavit*, h. e. oſtendit & confirmavit.

31. *Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto*] Tanquam ſi dicant, Hoc ſigno cœlitus dato Moſes patribus noſtris ut crederent verbis ipſius perſuaſit; tale igitur prodigium ſi nobis oſtenderis, credemus & nos verbis tuis. *Manna* Chaldaice & *Man* Hebraice interpretatur *Donum*, vel *Portio*, vel *Quid eſt?*

33. *Panis enim Dei* verus *eſt qui*] *Verus* non legitur à Chryſoſt. nec in cod. antiquis, nec in Græcis. Auguſt. vero & Cyrillus (ut videtur) legit *panis ejus verus eſt.*

39, 40. *Hæc eſt enim voluntas Patris*] Bis habetur hoc verbi, ſed in priori eſt *autem*, in poſteriori *enim*, juxta Auguſtinum, Chryſoſtomum, & codicem Corſ. & alios quoſdam, contra edit. vulgares.

43, 44. *Nolite murmurare invicem. Nemo poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eum*] Primum murmur eorum ſimpliciter compeſcit, dicens; *Ne murmuraveritis inter vos:* deinde regreditur ad explanandum ſimul & confirmandum quod ſupra tectius dixerat, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*, inquiens, *Nemo poteſt venire ad me* per fidem & dilectionem (qui eſt verus ad Chriſtum acceſſus) *niſi is qui me miſit Pater* (non putativus ille, Joſeph, ſed cœleſtis, Deus) ſecreto ſuo afflatu *attraxerit illum.*

45. *Omnis qui audivit à Patre & didicit venit ad me*] h. e. Quiſquis internum Patris afflatum atque ſermonem ſuſcipit & diſcipulus ejus fit, is vere venit ad me. Sententia hæc cum illa congruit ubi ſcriptum eſt, *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt*, Matth. 16. 17.

57. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*] Bifariam ordinari poteſt contextus; vel, *Sicut miſit me vivens Pater, & ſicut ego vivo propter Patrem, ita qui manducat me vivet ipſe quoque propter me*; vel, *Sicut miſit me vivens Pater, ita & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, ipſe etiam vivet propter me.*

62. *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius*] Sermo apoſiopeſin habet, qui ut ſuppleri debeat, quæ ſubjiciam ad hujus loci elucidationem Cyrilli verba declarabunt: ſic enim commentatur, *Quod ſi credere non vultis vitam vobis è meo corpore dari, quid facietis quando in cælum volare me conſpicietis? Non enim aſcenſurum me ſolummodo in cælum profiteor, ne rurſum quomodo fieri poſſet quæratis; ſed oculis etiam ita fieri veſtris cernetis. Quid igitur hoc videntes dicetis? An non erit hoc magnum dementiæ veſtræ argumentum? Si enim putatis carnem meam vitam vobis afferre non poſſe, quomodo tanquam volucris in cælum aſcendet? quomodo per aëra volabit? Hoc enim ſimpliciter generi humano impoſſibile eſt. Quod ſi præter naturam caro mea in cœlum conſcendet, quid prohibet ne ſimiliter præter naturam vivificet?* Hactenus ille. Adverte inſuper; *ubi* hic non eſſe interrogativum ſed relativum. Quod enim interrogative hic locus effertur, ratione ejus fit quod ſubauditur, *quid dicetis?*

63. *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam: Verba quæ ego locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt*] Hujuſmodi eſt ſecundum Cyrillum quod dicitur; *Putatis*, inquit, *me dixiſſe vivificum natura ſui terreſtre hoc eſſe corpus, ego vero de ſpiritu & de vita locutus ſum. Non enim natura carnis vivificum reddit ſpiritum, ſed ſpiritus virtus vivificam carnem efficit. Verba ergo quæ ego vobis locutus ſum, ſpiritus*, i. ſpiritualia, & de ſpiritu, *& vita*, i. de vivifica & ſupernaturali vita, *ſunt.*

64. *Qui eſſent* non *credentes*] Equidem malo cum Auguſtino legere ſine negatione quam cum Græcis ſcriptoribus & veteribus aliquot exempl. Latinis cum negatione.

66. *Ex hoc multi diſcipulorum*] *Ex hoc* ſubaudi *tempore.* Eſt enim ἐκ τότε, i. *Deinceps*, *Poſtea.*

LUC. BRUGENSIS.

22. *Altera die, turba quæ ſtabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi niſi una, & quia*, &c.] Græci codices plerique omnes interjiciunt nonnihil: hoc enim modo habent, εἰ μὴ ἐνεβησαν εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ὅτι, *Niſi una illa in quam aſcenderant diſcipuli ejus, & quia.* Noſtris libris octavus inter Græcos Pariſienſium codices conformis eſt: & facile illud ex ſequentibus poteſt intelligi. *Et quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis Jeſus in navim* [*naviculam*] *ſed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent.* Syri id legunt hoc pacto, *Niſi illa quam conſcenderant diſcipuli*: ſed, quod poſtremum eſt verſus, *Sed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent*, quia iis quæ præcedunt ſatis ſit ſignificatum, omittunt. Similiter potuerit Interpres noſter hoc, ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτῦ, ſi quidem legerit, prætermiſiſſe, quia iis quæ ſequuntur ſatis ſignificetur.

H. STEPHANUS.

6. Πειράζων αὐτὸν] *Explorans ejus animum.*

9. Δύο ὀψάρια] *Duos piſciculos.* ¶ Τί ἐστι εἰς τοσούτους;] *Quid ſunt ad tam multos?* q. d. Pro nihilo ſunt habenda.

12. Ἐνεπλήσθησαν] *Abunde cibo refecti ſunt.* Ad verb. *Expleti ſunt.*

13. Ἐγέμισαν δώδεκα κοφίνους κλασμάτων] *Impleverunt duodecim cophinos fragmentis.*

14. Ὁ ἐρχόμενος] *Qui venturus erat.*

18. Διηγείρετο] *Concitabatur.*

19. Ἐληλακότες] *Provecti.* ¶ Ἐγγὺς τῦ πλοίου γινόμενον] *Appropinquantem navi.*

22. Ὁ ὄχλος ὁ ἑστηκὼς] *Turba quæ ſubſtiterat.*

23. Εὐχαριστήσαντος τῦ Κυρίου] *Poſtquam gratias egiſſet Dominus.*

25. Πότε ὧδε γέγονας;] *Quando huc pervenisti?*

26. Ἐχορτάσθητε] *Saturati eſtis.*

28. Τί ποιῶμεν] *Quid faciendum nobis fuerit.*

39. Ἀναστήσω] *Suſcitem:* vel, *Reſtituam vitæ.*

45. Διδακτοὶ τῦ Θεῦ] *Docti à Deo.*

52. Ἐμάχοντο] *Altercabantur.*

66. Περιεπάτουν] *Verſabantur:* ut principio cap. ſeq.

67. Τπάγειν;] *Abire?*

69. Πεπιστεύκαμεν καὶ ἐγνώκαμεν] *Credimus & cognoſcimus.* ¶ Habent enim ſignificationem præſ.

DRUSIUS.

1. *Mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis*] Septem maria terræ Iſrael:

ים הגדול 1 *Mare magnum*, i. Mediterraneum.

ים הסיבכי 2 *Mare Sibchi:* ita ſcriptum in Midras Thehillim. In Camianis הסבי, *mare Sichni.*

ים הטבריא 3 *Mare Tiberiadis.* In Syriacis N. T. ים הטבריוס, quod arguit magnam imperitiam interpretis. Non enim à *Tiberio* dictus lacus, ſed à *Tiberiade.*

ים המלוח 4 *Mare ſalſum.*

ים החולתא 5 *Mare chilæ.* Apud Camium legitur, ים החולתא ים החלתא. Pro his duobus in Dras eſt ים החולה, quæ lectio veriſſima eſt, ita poſtulante numero.

ו ישא תשריו

ושמות *mo* 7 *Mare Hiſphanicum.* In Dras תשריו abeſt Jod in fine, & ad poſtremum nomen additum ibidem : ישא חלתא ותרן ישא חקשרט *Chilta* ſive *Chulta* Latine *arenoſum* ſonat. Nam חול *arena.* Redeo ad lacum Tiberiadis, cujus aquas ferunt ſolvere alvum. In Lexico Juris, quod *Aruch* vocant, יש בטבריא מים משלשלים אם שתה אדם מהם יצטער מעט מעט ושלשם, *Sunt in Tiberiade aqua alvum laxantes. Si quis bibat de illis, exeunt quemadmodum intrarunt.* Harum aquarum mentio in fine Machſchirim in Gemara. Vide Luc. 5. 1. *Tiberias* urbis nomen erat, non, ut quidam opinantur, regionis. Sita erat ad mare, h. e. lacum, quod propterea *mare Tiberiadis* vocatur : & additum *Galilæa*, quia forte alia maria erant in Galilæa. Sane R. D. Pſal. 24. ait in terra Iſrael maria ſeptem fuiſſe, quæ ibi ſuis nominibus recenſet. Id hauſit ex libro qui vocatur *Medras Thillim* ſive *Thellim.* Ebr. תשריא ים. In hac urbe aquæ erant quæ alvum ſolvebant. Autor Aruch, *Sunt in Tiberiade aqua alvum ſolventes. Si quis biberit de illis, exeunt quemadmodum intrarunt.* Hoc Lipſium ſæpe dicentem audivi de vino Rhenano. Videtur Academia ibi fuiſſe. Nam legimus, *R. Abahu miſit filium ſuum R. Hanina Tiberiadem ad diſcendum*, Juch. 74. Et poſt, *Ipſe relictus fuit ad implendum locum ſuum, ut eſſet caput Academiæ in urbe Tiberiadis*, 82. in tract. Thalmudico, qui vocatur קטן כנוש *conventus parvus* dicitur *Raccath*, Juch. 102. 1. *Mortuus eſt in Raccath, quæ eſt Tiberias.* Sita erat in loco depreſſo; Juch. 21. 2. *Tiberias profundior cæteris omnibus:* in valle; Liber Muſar, 50. 1. & 88. 2. *Tiberias erat in valle. Itaque dum adhuc dies eſſet apparebat ibi veſpera. Sepheri ſita erat in monte : quocirca ſol apparebat adhuc cum occideret.* Salmanticenſis Judæus, *Ex Judices Sanhedrin migrarunt decima migratione. Nam & in Jabne & in Sepheri ſederunt*, Juch. 21. 2. Vicina erat mari Salſo ; Jonathan Deut. 3. 17. *Uſque ad urbem Tiberiadem, quæ prope mare Salis.* Hic ἐπέχω. Quocirca verbum amplius non addam.

9. *Duos piſces*, δύο ὀψάρια] Græca vox videtur potius denotare *piſciculos.* Nam *piſcis* τὸ ὄψος vel ὄψον dicitur : unde Num. 11. 22. in edit. Græca, καὶ πᾶν τὸ ὄψος (alias ὄψον) τῆς θαλάσσης, *omnes piſces maris.* Auguſtinus ad verb. *omnis pyſcis*; ſed in Ebræo, *omnes piſces* כל דגי. Medicina hinc Lexico veteri, Ὀψάριον, *ciculum.* Nam legendum, *piſciculum.* Infra 21. 9. in Vulg. noſtra *piſcis* legitur pro eo quod in edit. Græca ὀψάριον. Vide Cl. Theodorum.

31. Τὸ Μάννα, *manna*] Varias appellationes habet. Nam vocatur hic ἄρτος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *panis è cœlo :* & *frumentum cœli*, i. דגן השמים Pſalm. 78. 24. & ἄρτος ἀγγέλων, *panis angelorum.* Quanquam in Ebræo אבירים *fortium*; ubi & *cœli* ſubintelligi poſſint. *Panis* autem *cœlorum* dicitur quia ex aere deſcendit. *Cœlum* enim pro *aere* ponitur : unde *aves cœli*; & Lucretius, *Cœlum qui dicitur aer.* Huc refer ἕτοιμος ἄρτος ἐκ οὐρανοῦ, quod obvium Sap. 17. Suidas, Μάννα, ἡ ἄνωθεν χορηγουμένη τροφή· & ἄρτος ἀγγέλων λέγεται, ὡς ὑπ' ἀγγέλων χορηγούμενος. Ebraice מן. Sed Chaldæi dicunt מנא, unde μάννα. Scribi autem debet cum duplici ν. De etymo vide quæ ſcripſimus, Quæſt. l. 1. quæſt. 72. Interpretantur, Τί τοῦτ' ἐστι; *Quid eſt hoc?* quod è Joſepho ſumptum invenies apud Origenem, Chryſoſtomum, Arnobium, Hieronymum & alios. *Man* etiam in lingua Ægyptiorum ſignificat *quid*, ait Haſcuni. מן Chaldaice *quis*, & *quid*, tam de re quærit quam de perſona. Sæpius tamen de perſona uſurpatur; rarius de re, ut Gen. 33. 9. מן די לך, *id quod tuum eſt*, & Proverb. 14. 23. & 27. 1. מנא ידע, *quid pariturus ſit dies.* Rurſum 23. 1. כמן תשים קמיך, *id quod poſitum eſt ante te.* Sic מ in Ebraiſmo interdum idem valet quod מה, ut ubi legimus, מי שמך, *quod eſt nomen tuum?* & alias. *Man* ſumptum potius ab Ægyptiis. Nam Chaldæorum lingua, tunc Iſraelitis ignorata. Porro diverſum erat à Manna medicorum, quam ſe vidiſſe teſtatur Abenezra in Arabia. Nam hæc Manna ſolummodo menſibus Niſan & Jar deſcendebat, nec ſoli expoſita defluebat ſive liquieſcebat, nec per noctem adſervata putreſcebat, neque tam dura erat ut in mortario conteri poſſet, aut ſuper linguam poſita liqueſceret. Eſt ubi μάννα reperiatur culpa exſcribentium pro μανναὶ, quod nunc legunt מנרא : unde Suidas, Μάννα, θυσία, στρυφή, καὶ ἡ ἄνωθεν πίπτουσα τροφή. ¶ *Panem è cœlo*] לחם מן השמים. Locutio eſt ut חית טרף *fera è ſylva*, i. ſylveſtris. Sic in Latio, *aper è ſylva.* Hanc ſi mutes, perit omnis elegantia. Quanquam apud Davidem, *frumentum cœli.* Vocatur etiam *panis fortium*, i. אבירים, quo nomine alii *nubes* (nam è nubibus deſcendit) alii *Angelos* intelligunt. Non quod angeli pane illo veſcantur, ſed quod eorum miniſterio Deus uſus ſit cum panem hunc daret Iſraelitis in deſerto. Poteſt etiam in *fortium* ſubaudiri אלהים, ut legas *panem Dei fortis.* Nam in hujuſmodi locutionibus habetur ratio terminationis: ſenſus autem ſingularis eſt. Sic אלהים קדשים *Deus ſanctus.*

44. *Traxerit eum*] *Trahere* משך dicitur, & eſt *occulto impetu aliquem impellere quo velis.* Sic Deus *traxit Siſaram ad torrentem Ciſon* Jud. 4. 7. Interdum ſignificat *verbis atque rationibus aliquem trahere in partes tuas, aut quo libet.* Sic Barac *traxit* Naphthalitas & Zabulonitas *ad montem Thabor*, ut ibi communi conſilio deliberarent de bello Siſaræ inferendo.

45. *Eſt ſcriptum in Prophetis*] In uno aliquo Propheta. Simile, *ſepultus in urbibus Galaad*, in una aliqua urbium Galaad. Sic dicunt, *pullus aſinarum* pro *unius alicujus aſinæ.* Hanc interpretationem ita probo ut tamen illam alteram quam vir doctus adfert non improbem. Fruatur quilque judicio ſuo. Quod autem ſcribit Ebræos dividere V. T. in tres ordines, videlicet in Legem, Prophetas & Hagiographa, veriſſimum eſt; ac proinde hallucinantur vulgares Theologi, qui ſcribunt Ebræos illud tribuere in quatuor ordines, Legem, Prophetas priores, Prophetas poſteriores, & Hagiographa. Nec eos juvant typographi, qui ſecundam partem propter magnitudinem ejus ita ſubdividunt. Nam de ipſa primaria diviſione, non de ſubdiviſione quæſtio eſt.

50. *Non moriatur*] Nam qui æternum vivit, non moritur : unde dicunt Ebræi *juſtos etiam in morte vivere.* Contra improbi, dum vivunt, mortui ſunt, atque ita vocantur etiam, quemadmodum ſupra declaravimus. Ut enim certe vita non unius generis, ſic alia atque alia mors eſt. Mors hæc temporanea juſtorum proprie mors non eſt ſed tranſitus ad vitam æternam ; qua qui fruuntur ſemper vivunt, nunquam vere moriuntur. Hinc robur accipit argumentum Chriſti contra Saducæos, *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium:* Cum autem ſit Deus Abraham, Iſaac & Jacob, ſequitur Patriarchas illos defunctos adhuc vivere quoad animam, & revicturos aliquando quoad corpus, quando anima in corpus redibit in reſurrectione carnis : alioqui non eſſet ipſorum Deus.

51. *Panis vivus*, ὁ ἄρτος ὁ ζῶν] Emendant, *vivificus*, ὁ ζωοποιῶν, aut ζωοποιός. Non placet. *Panis vivus*, i. perennis; qui nunquam conſumitur. Quod ita dicitur ut *aqua viva.* Sic *Deus vivus*, qui ſemper fuit, ac per conſequens æternus eſt : Aut qui ſemper felix eſt, ſemper beatus eſt. Non ergo *Jehova*, i. *calamitoſus.* Nam talis ſenſus in ſono vocis. Quippe *Hova*, *calamitas.* Sed ad rem. *Panis vivus* vocatur ſupra 35. *panis vitæ.* Id aliud ſignificat. Nam *panis vitæ* qui vitam dat, ut *arbor vitæ* quæ vitam præſtat. *Fons vitæ* poteſt reddi *fons viventium*, ut *aquarum* ſubaudiatur. Nam eſt חיים in fonte, quod tam *viventes* denotat quam *vitam.* Quando *vitam* ſignificat tum non habet ſingularem. Nam *vivus* חי dicitur, unde plur. חיים *vivi* ſive *viventes.* Dictio *vivus* varia ſignificat. *Caro viva*, i. cruda, non cocta; *vinum vivum*, merum, non dilutum aut mixtum aqua; *Lapis vivus*, 1 Pet. 2. 4. & *ſaxum vivum*, *lacus vivus*, *terra viva*, *tempus vivum*, i. præſens. Sophocles χρόνῳ ζῶντι. Præteritum enim interiit, & futurum q. genitum nondum eſt. *Arbor viva* Gen. 2. 9. in Jonatha, i. perennis.

57. *Vivens pater*] Qui & *Deus vivus*, i. חי. Quare *vivus?* Quia vere vivit, quia æternum vivit, quia per ſe vivit : nam juſti etiam vivunt ſed non per ſe. Filius etiam quatenus homo vivit, ſed per Patrem. Solus Deus vivit per ſe in æternum ; ſolus æternus eſt. Quocirca Jonathan Chald. paraph. *vivus* interpretatur קים *æternus.* Quidam Deum *vivum* dici putant ad diſcrimen deorum falſorum, qui minime vivunt; & ſi qui vivunt, ut aſtra, non per ſe vivunt, ſed hoc quod vivunt à Deo habent, qui ſolus vere ac per ſe vivit. Videndus R. D. Hoſ. 1. 10. ubi Jonathan *vivus* interpretatur id quod modo dixi, h. e. *æternus.*

66. *Non amplius cum illo ambulabant*] i. verſabantur, ut Prov. 13. 20. *Qui ambulat cum ſapientibus.* Lectio varians, *Ambula cum ſapientibus, & ſapiens eſto*, i. eris. Sic Job. 34. 8. *ambulare cum viris improbitatis*, i. improbis. Verbum eſt חלך, quod melius redditur per verbum *eo* 1 Par. 17. 11. *Cum impleti fuerint dies tui ut eas cum patribus tuis.* Niſi mavis *ut abeas*, quod etiam dicunt *abire ad patres*, & *ad plures*, & *in communem locum.* Quandoque ſimpliciter ipſam mortem *abitionem* appellant.

70. *Unus ex vobis diabolus eſt*] Judam innuit, qui à diabolo impellebatur ut Chriſtum proderet. Syrus hic habet *Satanas.* Nam qui Græcis διάβολος Ebræis dicitur *Satanas.* Nec obſtat quod ſimul legantur *diabolus & ſatanas*, Apoc. 20. 2. Nam poteſt ſenſus eſſe, *hoc eſt ſatanas*, ut Vau ſit ἐξηγητικόν.

Ut hic Judas vocatur *diabolus*, ſic Petrus dicitur *ſatanas* Matth. 16. 23. eo quod Chriſto adverſaretur. Etiam diabolus *homo* nuncupatur in iſto, *Inimicus homo hoc fecit.* Non quivis dæmon *diabolus* appellatur aut *ſatanas*, ſed dæmonum princeps: unde, *diabolus & angeli ejus.*

71. *Judam Simonis*] Theophylactus videtur legiſſe Ἰούδαν Σίμωνα. Nam ait Judam alio nomine *Simonem* appellatum fuiſſe. Falſum: nam fuit *Simonis filius.* Itaque in Syro exemplari legitur בר שמעון *filium Simeonis. Simon* an *Simeon* dicas parum refert. *Simon*, i. סימן, quod obvium in libris & monumentis Doctorum. Græcum eſt Σίμων, quod Latine ſcribunt *Simo*, abjecta N, ſicuti *Plato* dicimus & *Zeno*, quod Græci Πλάτων & Ζήνων. Siquidem nomina hujuſmodi veteres Latini ſoliti ſunt abſque N proferre. Quod docet Priſcianus l. 6. item Quintilianus l. 1. Sed ſi de *Simo* dubitas, quia Ebræi ſcribunt סימן cum Nun in fine, de *Salomo* nulla omnino dubitatio eſt. Quippe nullum eſt N in ſcriptura Ebr. שלמה, quod εἰρηναῖον interpretantur, *pacificum*, aut *pacis ſtudioſum.* In ſono eſt *pax ejus:* idem cum illo, *Pax ei ſit.* Fuerit hoc ſane votum patris qui nomen impoſuit.

Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

CASAUBONUS.

1. Μετὰ ταῦτα ἀπῆλθεν ὁ Ἰησοῦς] Non quidem ſtatim μετὰ ταῦτα, h. e. *poſt ea* quæ ſuperiori capite ſunt narrata, hæc contigere, ſed aliquanto tempore poſt, ut ex aliis Euangeliſtis apparet: quos conſule.

21. Ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον] Verbum ἤθελον hic ſignificat *cupere* & *optare*, ut alibi. Vide Marc. 10. 35.

22. Ἀλλὰ μόνοι οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἀπῆλθον] Mirum eſt quantum lucis huic loco attulerit doctiſſ. viri interpretis obſervatio ſuper voce ἀπῆλθον, quam alii interpretes dum referrent ad μαθηταὶ locum totum mire obſcurabant. Confirmatur autem ſummi viri ſententia Nonni autoritate, qui ſic accipere videtur: quanquam in ejus paraphraſi eſt aliud quid amplius notandum. Verba enim illa, Ἄλλα δὲ ἦλθε πλοιάρια ἐκ Τιβεριάδος, ſic accipit quaſi eſſent διὰ μέσα interjecta; totumque locum ita legiſſe videtur, καὶ ὅτι οὐ συνεισῆλθε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ πλοιάριον, ἀλλὰ μόνοι οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· ἀπῆλθον, (ἄλλα δὲ ἦλθε πλοιάρια ἐκ Τιβεριάδος) ἐγγὺς τοῦ τόπου, &c. De quo velim cogitent docti homines quibus hæc curæ. Sciendum eſt autem in paraphraſi hujus verſiculi diſtinguendum eſſe poſt vocem μαθηταὶ, & conjungenda hæc carmina,

Ἄλλας νῆας ἐλόντες ὅθι Τιβεριάδος ἀκταὶ,
Ἠόντου ἐπεσσεύοντο.

35. Οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε] In quibuſdam libris legitur εἰς αἰῶνα· quod ſequitur Nonnus.

37. Οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω] Vetus interpres & Paraphraſtes legunt ἐκβαλῶ.

CAMERON.

29. Τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, &c.] Quod Fides hic *opus* appellatur, id fit duntaxat per alluſionem, non vero quod Fides revera opus proprie ſit: quomodo nempe Paulus fidem appellat *legem* Rom. 3. 27. & credentes vocat *filios Abrahæ*, Rom. 4 per alluſionem. Nempe Judæi crepabant perpetuo Opera, Legem, & Prærogativam ſuam quod eſſent filii Abrahæ: Itaque Chriſtus illis reſpondens, & juſtificationem Fidei tribuens, eam vocat *opus*, utens nimirum ipſis Judæorum verbis, ſeu alludens ad ipſorum loquendi modum, qui operibus putabant ſe juſtificari; q. d. *Vultis habere vitam operibus*; *Ergo opus illud operamini*, *Credite nempe in Filium Dei.* Hoc ergo tenendum eſt adverſus Pontificios, Fidem non eſſe Opus. Et ſane Scriptura ſemper diſtinguit Fidem ab Operibus; imo opponit Fidem operibus in negotio juſtificationis. Et ipſi Pontificii vel imprudentes diſtinctionem Fidei ab Operibus admittunt, cum dicunt nos *partim fide partim operibus juſtificari*; quod dictu abſurdum eſſet niſi Fides ab Operibus diſtingueretur. Atque hoc eſt diſcrimen Fidei & Operum; Fides nihil Deo dat, ſed accipit tantum, eſt enim Fides organum & veluti manus animæ qua ſuſcipimus Dei beneficia; at Opera ſunt veluti Sacrificia εὐχαριστικὰ quæ nos Deo offerimus.

44. Οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με] Non docentis autoritate ſed inlita vi veritatis (ſeu qui eum docet ipſe immediate doctus fuerit à Deo, ſive non fuerit) permoventur hominum animi & perducuntur ad agnitionem veritatis: ii vero qui verbo Dei vel moventur, vel non permoventur, ſic afficiuntur non ob perſonæ contemptum, ſed ipſius odio veritatis. Nam & ipſe D. Jeſus proculdubio omni exceptione major, quamvis & vitæ ſanctitate & tot editis miraculis autoritatem ſibi ſummam conciliaſſet, attamen non potuit tanta autoritas auditorum animos permovere, quin illi objectum eſt quod eſſet *fabri filius*: unde nata eſt occaſio illius dicti, *Nemo venit ad me niſi Pater trahat eum*: cujus ſententia huc redit, *Fruſtra laborari vel in adhibenda perſona autoritate vel in edendis miraculis ut cæleſtis doctrina autoritas animum permoveat humanum, ſed præterea neceſſe eſt ut accedat occulta illa vis Dei quam exſerit indito cordi Spiritu S. cujus ea lux eſt ut verbum Dei auditum ſtatim commendet & probet.*

45. Πᾶς ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ Πατρὸς, καὶ μαθὼν, &c.] Hinc planum fit Gratiam qua homines vocantur efficaciter non eſſe communem (ut volunt Novatores) tam iis qui parent quam qui non parent, ſed peculiarem eſſe, neminique adeo indulgeri qui idem non pareat. Nam quod nonnulli hariolantur, *audire & diſcere* hic ſignificare mentis obſequium, ineptum eſt. Sic enim confunderetur ſubjectum cum attributo, fieretque inanis ταυτολογία· ſignificarent enim Chriſti verba nihil aliud quam *venire eos qui veniunt.* Quid enim aliud eſt *venire ad Chriſtum* quam Chriſto ſe tradere? id quod non ſit niſi mentis obſequio. Si igitur *audire & diſcere* ſignificat *mente obſequi*, dicentur à Chriſto (ut diximus) venire qui veniunt.

Quæ ſequuntur ad verſum uſque 62. contracta ſunt in compendium ex Gallicis concionibus D. Cameronis, ipſo vivente & procurante editis A. C. 1624.

53. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c.] Scriptura ſolet animæ tribuere affectus corporeos, Famem, Sitim, Defatigationem, &c. actiones item corporeas affectibus illis reſpondentes, ut eſt Edere, Bibere, &c. Sic nempe David Pſalm. 42. 1. *Anima mea*, inquit, *glocitat ſicut cervus ad rivos aquarum.* Et Pſal. 34. 8. *Videte, & guſtate quam bonus eſt Dominus.* Et Eſaias, 55. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas*, &c. Sed hi affectus, hæ actiones intelligendæ ſunt accommodate ad naturam & eſſentiam animæ, quæ eſt incorpórea. Nempe Fames & Sitis animæ quid aliud eſſe poſſit quam vehemens & flagrantiſſimus appetitus quo erga rem aliquam fertur. Jam qualis eſt fames talis eſt & guſtus, qualis guſtus talis eſt & eſus & potus: nempe fames & ſitis animæ ſpiritualis eſt, talis etiam eſſe debet guſtus ille & eſus atque potus quo anima Dominum ſuum Jeſum eſurit, ſitit, guſtat, edit, bibit. Non mirum itaque cuiquam videri debet quod Chriſtus hic loquatur de eſu & potu carnis & ſanguinis ſui. Nam primo ipſe ex Scripturæ conſuetudine (quæ, uti dictum eſt, animæ corporeos tribuit affectus & actiones corporeas) ſic loquitur, quia res ſpirituales & cœleſtes non poſſunt commode aliter adumbrari nobis aut exprimi quam phraſibus petitis à rebus ſenſibilibus & corporeis, neque à nobis aliter capi quam ſub hac ſpecie & figura. Itaque paſſim Chriſtus utitur ejuſmodi figuratis locutionibus. Sic c. 4 hujus Euangelii Samaritanam mulierem ita compellat, *Qui biberit ex aqua quam ego illi dabo non ſitiet in æternum*, &c. Pari ratione ſinceram & ſpiritualem quam in ipſo capimus voluptatem vocat hic *eſum & potum*, quo ſignificat tam firmam & inconcuſſam in eum fidem, tantamque ex ea fide animæ noſtræ conſolationem & voluptatem, ut ea nobis ſit inſtar cibi & potus; quod fieri non poteſt niſi prius Chriſtum eſuriverimus & ſitiverimus: qua fame & ſiti (quæ certe animæ eſt non corporis) diſcernuntur pii & fideles ab hypocritis: nam hi Chriſtum nunquam ſitiverunt nec eſurierunt. Putant quidem ipſi ſe in eum credere, at nunquam vere cum Davide dicere potuerunt, *Anima mea ſitit Dominum quemodo cervus ſitit & glocitat ad rivos aquarum.* Itaque ob id expediebat ut Chriſtus ejuſmodi uteretur locutione, *edendi*, *bibendi*, quæ præſupponit famem & ſitim quæ debet eſum & potum præcedere. Deinde hæc ratio ſignificandi rem illam clara eſt & plena luminis: congruit nempe cum affectibus & motibus naturalibus. Inde eſt quod cum vehementer aliquid amamus & appetimus aut in pretio habemus, ſiquis nos velit ab ea re amorem noſtrum avertere, noſque rei alterius magis momentoſæ amore accendere, rem illam quam vult nobis eſſe commendatam ſolet nuncupare nomine illius quam novit nobis eſſe cordi. Sic Deus Eſai. 58. *Hoc illud eſt*, inquit, *jejunium quod ego elegi, ut confringatis vincula iniquitatis*, &c. Sane iſta quæ illic Deus commemorat non ſunt Jejunium proprie dictum; at Deus ſic loquitur nihilominus populo craſſo & carnali, qui totam pietatem in jejunio corporeo collocabat. Ita Chriſtus jubet nos *theſauros nobis in cœlis comparare*, &c.

Non

Non quod aurum, argentum & ejuſmodi reliqua ſint in cœlo à nobis reponenda, ſed hoc vult, ut ſtudium & curam quam in congerendis hic terrenis theſauris impendimus conferamus & collocemus in conſequenda vita æterna. Pari ratione hoc loco, quia Judæi Chriſto inſtabant, & ab eo poſcebant magna cum vehementia cibum corporeum, brutorum inſtar de ventre tantum ſoliciti, Chriſtus propterea ſe *panem* vocat, ut eos averteret ab immoderato panis corporei appetitu; rationemque & modum quo ipſius gratiam & beneficia participamus *eſum & potum* ideo vocat quod edendi & bibendi cupido homines illos craſſos teneret maxime ſolicitos, nec præter cibum materialem quidquam erat cujus cura eos magis exerceret. Huc & illud accedit, quod his locutionibus ſignificatur Fidei vis & efficacia, qua unimur Chriſto. Nam quomodo cibi quibus veſcimur in corporis noſtri ſubſtantiam commutantur, ſic & nos in Chriſtum (qui cibus eſt noſter ſpiritualis) veluti commutamur. Cibus quidem corporeus in ſubſtantiam noſtram convertitur, non contra, quia corpus noſtrum eſt quid cibo ipſo præcellentius: at vero anima noſtra in cibum ſuum ſpiritualem, Chriſtum nimirum, commutatur, h. e. conformes illi fimus, quia cibus ille infinitis partibus nobis eſt excellentior. Nec aliud eſt quidquam in nobis quo ea commutatio fiat præter Fidem. Eſu & potu corporeo applicatur nobis cibus externus ad reparandam naturam noſtram corpoream: id ipſum in animabus noſtris fit fide. Cum enim in nobis nil niſi mera fames, ſitis & egeſtas, in Chriſti vero copia omnis & abundantia bonorum omnium, nos cum fide amplectentes nobis ipſum applicamus. Inde eſt quod fides tantopere nobis in Scriptura commendatur; eſt enim reliquorum omnium beneficiorum fons & origo: nam neque in Chriſtum ſperare poſſumus, neque eum amare, niſi in eum prius crediderimus: nam quis in eum ſperet niſi prius credat? aut quis eum amare poſſit niſi prius perſuaſus ſit de immenſo ipſius amore? Quia ergo Fides unicum eſt inſtrumentum quo Chriſtum nobis applicamus, ideo etiam ſola Fides illud eſt quo Chriſti carnem edere & ſanguinem ejus bibere dicimur & poſſumus.

54. *Vitam habet æternam*, &c.] Supplendum hic eſt *in ſeipſo*, ex verſu ſcilicet præcedente, ubi ait Chriſtus, *Niſi manducaveritis carnem & biberitis ſanguinem Filii hominis, non habebitis vitam ἐν ἑαυτοῖς in vobis ipſis.* Contrariorum contraria ſunt conſequentia: Si ergo qui non manducat carnem Chriſti non habet vitam in ſeipſo, certe qui eam manducat vitam habebit in ſeipſo. Atque hic eſt manducationis ſpiritualis Chriſti fructus duplex, prior quidem, *vitam habere in ſeipſo*, poſterior vero, *jus reſurgendi* glorioſe cum Chriſto *in ultimo die.* Vitam hanc non habent hypocritæ, qui extrinſecus duntaxat colunt cum Eccleſia communionem, uti neque illi qui eam intus non ſentiunt: non eſt enim iners & otioſa in nobis hæc vita, ſed maxime *ἐνεργὴς efficax:* qui ea prædius eſt ſentit eam in ſe: qui eam non ſentit in ſe, ea proculdubio hactenus eſt vacuus. Vita nempe nihil eſt ſenſibilius. Hæc vita per Chriſti Spiritum in juſtitia & ſanctitate verum eſt & unicum beatæ immortalitatis noſtræ ſemen. Nam *ſi Spiritus illius qui excitavit Chriſtum à mortuis habitat in nobis, ille qui Chriſtum excitavit à mortuis vivificabit mortalia noſtra corpora διὰ τὸ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν per Spiritum ſuum qui in nobis habitat*, inquit Paulus Rom. 8. 11. Vanum eſt itaque & imaginarium illud *immortalitatis* ſive *germen* ſive *fermentum* quod nonnulli è ſubtilioribus Eccleſiæ Pontificiæ Doctoribus non ita pridem commenti ſunt, voluntque illud corporibus noſtris imprimi atque inhærere ex carnis Chriſti contactu & unione cum corpore noſtro, quam fieri fingunt in S. Euchariſtiæ participatione, ex eſu corporali carnis Chriſti; cujus ſive *germinis* ſive *fermenti* vi & efficacia corporibus noſtris inhærente ſomniant corpora noſtra eſſe in ultimo die excitanda. Sed hoc eſt novum ſomnium atque commentum non Scripturæ modo ſed & rectæ rationi & ſenſui communi repugnans atque adverſum, & ipſis etiam Pontificiis, majore ex parte, improbatum. Non eſt ſane in impanato illo Chriſto commentitio vitæ beatæ principium & germen quærendum, ſed in Spiritus Chriſti vivifici & ſanctificantis, quo in novam vitam regeneramur, vi atque efficacia.

55. *Nam caro mea vere cibus eſt*, &c.] Putant Pontificii voce iſta *vere* ſignificari ore corporis in ſtomachum noſtrum Chriſti corpus eſſe demittendum: ſed fruſtra. Nam primo manducatio ejuſmodi non ſapit hominem ſpiritualem, ſed carnalem & craſſum, qui nihil verum & reale eſſe putat niſi quod eſt corporeum & materiale. Deinde, alibi vox illa *vere* à Chriſto uſurpata nihil tale innuit quale iſti ſomniant. Ut cum hujus Euangelii c. 1. 9. Verbum, h. e. Chriſtus, dicitur fuiſſe *verum Lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non eo ſignificatur Chriſtum mutatum eſſe in corporeum & aſpectabilem iſtum Solem quo hic terrarum orbis illuminatur; ſed eo innuitur Chriſtum eſſe excellentiſſimum quoddam Lumen, ſpirituale nempe, quod nunquam occidit, nunquam minuitur, nunquam intercipitur, nunquam deficit, Lumen à quo vis & facultas videndi infunditur ingeneratur: quæ omnia lumini illi Solari non conveniunt, ſed ſoli Chriſto: Sol enim oritur, occidit, it, redit, non ſemper pari ſplendore lucet; lux ejus interdum patitur eclipſim, &c. videndi etiam vim non infundit. Pari ratione c. 15. 1. hujus Euangelii Chriſtus dicit ſe *veram eſſe Vitem*, non ut innuat ſe in vitem aliquam materialem mutatum eſſe, ſed ut ſignificet ſe longe præſtantiori modo eas habere proprietates quæ in vite reſpectu palmitum ſunt conſpicuæ. Cum ergo hic dicit *Carnem ſuam vere eſſe cibum*, hoc vult duntaxat, omnem alium cibum eſſe fluxum & caducum, vitamque quæ ex eo alitur eſſe illi congeneremm, fluxam nimirum & infirmam, at vero carnem ſuam tam eſſe efficacem ut illis qui ea veſcuntur vitam det & conferat æternam atque incorruptam. Quod ſiquis hic roget cur Dominus Jeſus *carnem & ſanguinem ſuum* dixerit, non vero dixerit ſimpliciter *ſe eſſe verum cibum*, reſponſio in promptu eſt; Nempe, quia ſi carnem & ſanguinem Chriſto tollas non erit amplius cibus noſter, vita noſtra. Nam ut vitam nobis adipiſceretur oportuit eum pro nobis Deo ſatisfacere, atque ſic peccatorum remiſſionem nobis promereri. Jam vero non fit *peccatorum remiſſio ſine effuſione ſanguinis* Heb. 19. 22. Quia ergo ſanguinis ſui effuſione & carnis ſuæ immolatione & oblatione in cruce vitam & peccatorum remiſſionem nobis eſt promeritus, propterea *caro* & *ſanguis* ille dicuntur *cibus* noſter. Divinitas quidem in Chriſto fons eſt vitæ noſtræ: niſi enim Deus fuiſſet, mors ejus non fuiſſet tanti pretii & meriti, ſed caro & ſanguis ejus in cruce fuſus eſt veluti canalis per quem in nos derivatur vita illa, ut à Deo in nos influat: niſi enim homo fuiſſet, non potuiſſemus ei uniri; niſi in cruce paſsus eſſet, Deo non fuiſſet ſatisfactum, atque ita eſſemus adhuc in peccatis noſtris.

56. *Qui manducat carnem meam*] Mala omnia quibus hic premimur, Peccatum, & quæ à peccato ſunt, Miſeriæ omnis generis, Mors denique ipſa, inde ſunt quod unionem cum primo parente noſtro Adamo habemus: nam *per unum hominem peccatum ingreſſum eſt in mundum, & per peccatum mors, atque ita mors pervaſit in omnes homines*, Rom. 5. 12. Contra, bona his malis oppoſita, Juſtitia, Pax, Gaudium, Vita, &c. inde ſunt quod communionem cum Chriſto poſteriore Adamo habemus. Itaque unio illa noſtra cum ipſo nobis eſt apprime appetenda, & modus ſeu ratio qua fit unio illa nobis eſt inveſtiganda. Porro, utrumque docet nos Chriſtus hoc verſu, & unionem quidem ipſam his verbis, *manet in me, & ego in ipſo*, modum vero unionis in iſtis, *qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum.* Et ad modum quidem quod attinet, quæritur qui ſit poſſibilis ille modus, cum Chriſtus in cœlo, nos in terra ſimus, tum etiam quia Edere & Bibere rem corpoream & materialem ſunt actiones diſtinctæ & ſeparatæ, Caro vero & Sanguis Chriſti non ſunt ab invicem ſeparata, (neque enim ſanguis ejus extra venas fuſus eſt) ut caro ſeparatim edi poſſit, & ſanguis itidem ſeparatim bibi. Pontificii hic confugiunt ad Dei omnipotentiam, cui nihil eſt impoſſibile. Verum omnipotentia Divina in iis eſt urgenda, ad eamque nobis eſt confugiendum, quæ extra nos ſunt neque à nobis ullo modo pendent, ut eſt Creatio, Prædeſtinatio, Trinitas, Incarnatio, &c. In his modus & ratio ſunt omnipotentiæ Dei committenda; ea non ſunt penitius indaganda: At in actionibus quas Deus à nobis tanquam officium quoddam exigit, qualis eſt Manducatio carnis Chriſti, opus non eſt huc confugere; nam ſi modus ille eſſet plane *ἀκατάληπτος*, qui fieri poſſet ut nos mandato illi Divino obtemperaremus? Modum ergo quo Chriſti caro à nobis editur oportet nos ſcire: modum illum Chriſtus ipſe nos docet hoc capite v. 35. *Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me nunquam eſuriet, & qui credit in me nunquam ſitiet.* Planus & apertus eſt hic modus, Credendum, confidendum eſt in eum. *Noli*, inquiebat olim Auguſtinus, *ventrem & dentes parare: crede, & comediſti.* Modum alium craſſum confinxerunt Pontificii, ut nempe corporis dentibus Chriſti carnem teramus & in ſtomachum demittamus. Sed hic modus eſt abſonus & Scripturæ Sacræ adverſus, quæ nos docet Chriſtum veram carnem noſtræ ſimilem habere, eundem poſt peractam ſalutis noſtræ œconomiam

miam in cœlum aſcendiſſe, iſthic ad Patris dextram ſedere. Eadem Scriptura jubet nos Chriſtum è cœlo exſpectare in ultimo die; vetat *ne illis credamus qui dicunt Chriſtum hic vel illic eſſe, in deſerto, in penetralibus* ſive *ciboriis*, ἐν τοῖς ταμείοις· jubet nos *ea cogitare quæ ſuprà ſunt, non quæ hic ſunt inferne*; jubet nos ad Chriſtum aſſurgere & aſcendere, non vero ut eum de cœlo ad nos detrahamus; jubet nos optare non ut ipſe quotidie ad nos de cœlo deſcendat, ſed ut nos ad eum in cœlum migremus, *Cupio diſſolvi*, inquiebat Paulus, *& eſſe cum Chriſto*: nam *quamdiu in hoc terreo ſumus tabernaculo, à Chriſto abſumus & peregrinamur*. His omnibus repugnat modus ille craſſus à Pontificiis confictus manducandi Chriſti carnem. Sane ſi Chriſti caro manducanda eſt ad alendum hoc corpus, omnino ore corporis & modo corporeo eſſet manducanda; ſed ſi animæ non corporis cibus eſt, procul dubio animæ non corporis ore ſumenda eſt. Fames & ſitis qua Chriſti carnem eſurimus & ſitimus, non eſt fames & ſitis corporis ſed animæ, eſus ergo ejus & potus ſpiritualis eſt non corporeus. Deinde, eo modo edendus eſt à nobis Chriſtus quomodo nos eum videmus; at non corporis ſed animæ & mentis ſeu fidei oculis eum videmus; ergo & fide atque animo non corpore eſt edendus. Jubemur à Davide *guſtare quam bonus ſit Dominus*: qualis eſt Guſtus ille, ſpiritualis nempe animæ talis & Eſus eſſe debet atque Potus. Jubemur ab Apoſtolo *Chriſtum induere* Rom. 13. 14. jubemur *peccata noſtra in ſanguine ipſius abluere*: num Ablutio illa modo fit craſſo atque corporeo? num Chriſti carnem corpori noſtro veſtis inſtar circumponimus? Minime vero. Qualis ergo eſt ablutionis & indumenti illius ratio & modus, ſpiritualis nempe qui fide fit, talis etiam eſt & eſſe debet potus & eſus iſte carnis & ſanguinis Chriſti. Ne pedem offendamus ad Scripturæ phraſes, quæ ducuntur à rebus corporeis nobis vel maxime neceſſariis. Non decet nos Nicodemi, Samaritanæ, Capernaitarum craſſas habere cogitationes: ille nonniſi corpoream cogitabat generationem; hæc aquam, iſti cibum duntaxat corporeum, & manducationem quæ ore & organo corporis fit, ſomniabant; cum Chriſtus eos de ſpirituali regeneratione, aqua & cibo item ſpirituali compellaret. Edendus eſt nobis Chriſtus quomodo Patres ſub Lege eum comederunt: Hi enim (ut teſtatur Paulus 1 Cor. 10. 3, 4. *eundem nobiſcum cibum & potum ſpiritualem ederunt & biberunt*. Edendus denique nobis eſt hic Chriſtus quomodo nos eum aliquando in cœlis eſuri ſumus quando iſthic accumbemus ad ejus menſam cum Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, &c.

56. *Is in me manet, & ego in ipſo*] His verbis Chriſtus ſignificat noſtram cum ipſo unionem arctiſſimam. Unimur autem Chriſto non qua ſimpliciter Deus eſt; nam hoc reſpectu *lucem habitat inacceſſam*; neque qua ſimpliciter homo eſt; nam & hoc reſpectu *purus & ſanctus eſt, ſeparatus à peccatoribus*; neque etiam qua ſimpliciter θεάνθρωπος, nam iiſdem de cauſis communionem cum eo habere hoc reſpectu non poſſumus; ſed ei unimur qua eſt θεάνθρωπος crucifixus, moriens & reſurgens à mortuis. Nam, ut ait Paulus Rom. 6. 5. σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου καὶ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ. Eccleſia eſt cœtus membrorum Chriſti, qui ipſorum eſt Caput, quatenus moriens & reſurgens pro eis; in cruce nempe Eccleſiam ſuam veluti portabat, quomodo ſummus Sacerdos ſub Lege nomina XII Tribuum Iſraelis portabat ſupra pectus. Et quia Eccleſia peccato corrupta & polluta erat, factus eſt Chriſtus pro ea in cruce peccatum; quia maledictioni per peccatum erat obnoxia, factus eſt pro ea in cruce maledictio: paſſus eſt pœnam quam ipſa erat commerita, ipſe juſtus morte ſua nobis injuſtis, qui commeriti eramus mortem, vitam acquiſivit. In Reſurrectione item factus eſt Caput noſtrum: nam mortuus quidem eſt ut ſolveret λύτρον pro peccato, ſed reſurrexit ut hujus rei fidem veluti faceret: reſurrectio itaque ipſius fuit inſtar apochæ. In Cruce nos Patri reconciliavit ſublata inimicitia; reſurrectione ſua fructum & effecta hujus reconciliationis nobis communicat. Mors Chriſti exhibet nos veluti gementes ſub pondere peccatorum & miſeriarum quibus premimur, reſurrectio vero quaſi victores & poſt pugnam partamque victoriam triumphabundos. Reſpiciendus eſt itaque à nobis Chriſtus non qua Deus ſimpliciter, neque qua ſimpliciter homo, neque qua ſimpliciter θεάνθρωπος, ſed qua talis moriens pro peccatis noſtris, & reſurgens pro juſtificatione noſtra; tanquam Caput fidelium in cruce qua miſeri ſunt, eorundemque in reſurrectione Caput quatenus glorificandi; Caput miſerorum ut eos eximat & liberet à miſeria, & viam ad æternam beatitudinem eis aperiat; Caput glorificandorum quatenus gloriam illam eis comparavit. Atque hoc ſub gemino reſpectu Chriſtus nobis tum in Verbo tum in Sacramentis proponitur. Parationæ unimur Chriſto, non qua ſimpliciter ſumus homines, ſed qua homines peccatores & miſeri, qua fideles, redempti, ſanctificandi, & glorificandi. Nempe cum agnoſcimus nos peccatores & maledictioni obnoxios, Chriſtus ſe nobis offert tanquam Caput noſtrum, ut peccatum & maledictionem illam aboleat. Si intuemur nos tanquam fideles, & peccatorum noſtrorum remiſſionem jam conſecutos, obſignatoſque Spiritu Dei, qui accepimus arrham hereditatis cœleſtis; quique, ad inſtar Iſraelitarum, poſt tranſmiſſum mare, Pharaonis copias in mare ſubmerſas videntes, Deo canimus canticum laudis; hoc reſpectu Chriſtus Caput eſt noſtrum qua reſurgens à mortuis, ſuperatis poteſtatibus omnibus adverſis, & liberata anima noſtra à captivitate ſpirituali. Rurſus ſi noſmet intuemur quatenus pugnare nos oportet adverſus carnem, quatenus vetus homo nobis eſt edomandus atque ſubigendus, Chriſtus tum Caput eſt noſtrum qua moriens & cruci ſuæ affigens membra veteris noſtri hominis. Cum autem ſuperavimus Tentatorem, & victoriam reportavimus de Carne & Mundo, tum unimur Chriſto quatenus reſurrexit à mortuis. Itaque Chriſtus in morte, in cruce Caput eſt noſtrum tum quoad juſtificationem tum quoad ſanctificationem noſtram, itemque Caput eſt noſtrum in reſurrectione ſua reſpectu utriuſque beneficii. Nam ſi Deo ſatisfaciendum eſt, non aliter poteſt id fieri quam per crucem Chriſti; Si fides facienda eſt ſatisfactionem illam fuiſſe Deo acceptam, habemus in Chriſti reſurrectione certam ea de re veluti arrham. Inde eſt quod Paulus dicit Rom. 4. 25. *Chriſtum traditum fuiſſe propter offenſas noſtras, reſurrexiſſe autem propter juſtificationem noſtram*. Ad ſanctificationem autem quod attinet, quid poteſt eſſe Chriſto in cruce morientе potentius & efficacius quo à mundi amore deterreamur? nam in eo tanquam in ſpeculo refulgent omnimodæ virtutes, Patientia, Humilitas, Manſuetudo, Fortitudo, Conſtantia, Obedientia plane ſtupenda, &c. ad harum virtutum imitationem invitamur & allicimur tam eximio, illuſtri & raro exemplo. Præterea in ejus morte conſpicua eſt humanæ naturæ deſtructio, ut ea innovetur & exſuſcitetur in aliam veluti vitæ ſpeciem. Similiter & in reſurrectione Chriſtus Caput eſt noſtrum quoad ſanctificationem, quatenus ſcilicet reſurgens à mortuis non amplius in poſterum vivit animalem iſtam vitam quam ante mortem vivebat in terris (nam poſt reſurrectionem fame, ſiti, aliiſque ejuſmodi naturæ hujus infirmitatibus non laboravit) eo enim docemur, nobis deinceps non amplius eſſe vivendum Carni, Mundo & Peccato, ſed Juſtitiæ & Deo. Porro Unio omnis vel eſt Phyſica vel Politica. Et Phyſica quidem unio nulla major eſt aut arctior ea quæ eſt Capitis & Membrorum. Politica item unio nulla eſt arctior ea quæ eſt Mariti & Uxoris: fiunt enim ex Dei inſtituto una caro: *Propterea*, inquit Deus, *homo derelinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori: eruntque duo in carnem unam*. Cum itaque noſtra cum Chriſto unio ſit arctiſſima, ea propter in Scriptura ſub figura utriuſque illius unionis nobis quaſi adumbratur: unde Chriſtus dicitur *Sponſus* & *Caput* noſtrum, nos illius veluti *Uxor* ſeu *Sponſa*, & *Membra* item; non ut eo ſignificetur unionem noſtram habere ſe ad inſtar ſeu modum (uti loquuntur) Phyſicæ unionis; cum ea potius concipienda à nobis videatur ad modum Politicæ unionis, cum Eccleſia ſit cœtus religioſus civium cœleſtium; ſed ut ſignificetur duntaxat vinculum illud eſſe longe arctiſſimum atque indiſſolubile. Et unione quidem Viri cum Uxore, qua fit ut unius conjugis bona & mala ſint alteri communia, ſignificatur mala noſtra, Miſeriam ſcilicet Peccato noſtro contractam, (nam hanc nos illi dotem afferimus) Chriſto fuiſſe impoſitam, bona vero ipſius, Juſtitiam nimirum, Sanctitatem & Gloriam, nobis communicari. Vinculum etiam unionis illius eo ſignificatur, nempe Fides, qua ſimus Chriſti beneficiorum participes. Nam unde illa bonorum & malorum communio quæ eſt inter conjuges? Sane ex fide mutuo utrinque data, qua interveniente fit conjugium, non interveniente nihil fit. Similitudine autem Capitis & Membrorum ſignificatur nos à Chriſto ejuſque Spiritu vitam motumque ſpiritualem noſtrum & actiones vitæ illi congruas haurire, atque illa ab eo in nos veluti derivari vi & efficacia Spiritus ipſius. Unde eſt quod Apoſtolus dicit 1 Cor. 6. 17. *Eum qui adhæret Domino fieri unum cum eo Spiritum*. Itaque ſi volumus eſſe certi num Chriſto ſimus uniti, videndum eſt an nos illi fidamus, & an Spiritus ipſius in nobis maneat & agat. Hoc autem deprehendemus ex ejus effectis, quæ duo ſunt vel maxime præcipua, alterum quidem pax ſive gaudium & conſolatio interna Conſcientiæ, alterum vero Affectuum noſtrorum puritas & ſanctificatio. Hæc

ſi

ſi in nobis deprehenderimus, certo poſſumus apud nos ſtatuere nos eſſe Chriſto unitos.

58. *Non ut Patres veſtri, qui comederunt Manna, & mortui ſunt*] Evehitur hic dignitas & præſtantia Chriſti cibi vere cœleſtis ſupra Manna: quæ præſtantia multis in rebus conſpici poteſt. Manna multa habuit ſupra cibos vulgares eximia & ſingularia, eadem Chriſtus habet ſupra Manna longe præſtantiori modo; habuit autem Manna defectus quoſdam quibus caret Chriſtus. Manna hæc habuit ſingularia & eximia; Primo, quod non de terra enaſcebatur, ut cibi vulgares, ſed de cœlo deſcendebat. Secundo, nullo aut perexiguo labore colligebatur & parabatur, cum cibi vulgares non ſine moleſtia & labore multo conquirantur, comparentur & apparentur. Tertio, ſaporem habuit gratiſſimum, voluptatemque afferebat puram & caſtam (erat nempe ſapor ejus ſimilis ſapori placentæ mellitæ) non qualis eſt ſapor cupediarum carnalium, quibus caro titillatur, & excitatur ejus concupiſcentia. Quarto, in ſubminiſtratione illius cibi Deus conſpiciendam præbuit primo Potentiam, in eo quod res tam tenuis ſubſtantiæ (nam Solis calore & æſtu inſtar pruinæ liqueſiebat) tantum populum nihilominus aluit; deinde Sapientiam, quod non deceret in ejuſmodi deſerto, in quo voluit eos varie exercere, populum illum cupediis carnalibus ſaginare, ventremque eorum deliciis iſtis craſſis implere atque ſuffarcinare, ſed cibo caſto & puro, qualis erat Manna alere atque reficere; denique Boritatem, in eo quod terra denegante illis ſubſidium, de cœlo Deus illis ſuccurrit. Defectus in Manna duo fuerunt inſignes, ac primo quidem quod tœdium tandem peperit illi populo, deinde vero quod mortem prohibere ſeu debellare, neque vitam hanc perpetuare potuit. Jam vero quicquid in Manna fuit egregium atque eximium Chriſtus illud habet & poſſidet multo excellentiori modo. Nam primo Chriſtus non de hoc inferiore aere, uti Manna, ſed de cœlis cœlorum ad nos à Patre luminum deſcendit. Deinde, nullo noſtro labore aut ſumptu, nullis noſtris meritis eum nobis comparavimus aut emercati ſumus, ultro enim ſeipſum nobis dedit, etiam tum cum hoſtes ipſius eſſemus. Aliquis fuit, licet perexiguus, in colligendo & parando Manna labor; at in Chriſto fide accipiendo nullus eſt omnino labor, imo voluptas eſt in eo ſumma. Et dulcedo illa Chriſti infinitis partibus longe purior eſt & caſtior quam fuit Mannæ ſapor: eſt enim ſpiritualis illa voluptas non craſſa & corporea. Denique, Deus in ſubminiſtrando nobis hoc cibo vere cœleſti bonitatem, potentiam & ſapientiam ſuam longe luculentius manifeſtavit quam in demittendo de cœlo Manna. Defectus autem quod attinet quibus laborabat Manna iis Chriſtus omnino caret. Nam primo, qui Chriſtum ſemel vere guſtarunt, nunquam eos tœdium illius capit; imo (contra quam Iſraelitis in Manna contigit) quo frequentius eo veſcuntur, tanto vehementius eo delectantur. Si quos Chriſti tœdium capit, ii Chriſtum nunquam guſtaverunt; illi ſunt qui nonniſi Mundum, Carnem, & carnalia atque terreſtria, non cœleſtia, ſapiunt. Ad alterum autem Mannæ defectum quod attinet, quod ſcilicet mortem non prohiberet, videtur Chriſtus illi hac in parte eſſe ſimilis: nam & qui Chriſtum edunt moriuntur ſimiliter. Sed primo, qui in Chriſto moriuntur, ii in æternum vivunt, & quidem vita longe beatiore & præſtantiore quam eſt hæc terrena vita. Quod ſiquis objiciat fideles in deſerto Manna comedentes eandem poſt mortem vitam vixiſſe beatam quam nos jam in Chriſto morientes vivimus; Reſponſio in promptu eſt, nempe, Eos non Mannæ vi & efficacia ſed Chriſti virtute & merito, ut & nos, vitam illam adeptos eſſe. Deinde, Manna deſtinatum erat ad vitam hanc animalem alendam & fovendam, quam tamen prorogare & perpetuare non potuit; at Chriſti caro vitam illam (ſpiritualem nempe & cœleſtem) cui alendæ & fovendæ deſtinata eſt, non finit deficere, intercipi, ſed eam perpetuat in æternum. Non venit Chriſtus ut terreſtrem & animalem hanc vitam prorogaret in perpetuum, ſed potius ut per ejus exſtinctionem ſpiritualem & æternam conferret. Itaque manifeſta eſt etiam hac in parte Chriſti & Mannæ diſſimilitudo & oppoſitio.

62. *Quid ſi igitur conſpexeritis Filium hominis*, &c.] Occurrit Chriſtus his verbis & refellit craſſam tum Capernaitarum tum hodiernorum Pontificiorum illis paulo minus craſſorum de eſu carnis Chriſti corporeo phantaſiam atque opinionem. Avertit nempe eos ab ejuſmodi eſu carnali, qui locum non poteſt habere cum corpora tanta temporum & locorum intercapedine ſejunguntur, quanta eſt inter cœlum & terram, inter mundi initium & ejus finem, convertitque eorum cogitationem ad eſum ſpiritualem, qui ejuſmodi locorum & temporum intervallo prohiberi non poteſt, quique locum habuit etiam tum cum Chriſtus nondum ſecundum carnem natus eſſet, in Patribus nempe qui ſub Lege ante Chriſtum, jam ab initio mundi, vixerunt. Nam ſane Chriſtus omni ævo & tempore cibus & potus fuit populi ſui, à quo ab initio mundi profecta eſt vita hominum. Quod ſi peragi id deberet eſu & potu corporeo, fieri omnino id non potuiſſet: nam per multa ſecula Chriſtus Dei Filius in cœlo fuit Deus tantummodo, nondum aſſumpta humana natura. Tum, inquam, eſus ille corporeus, quem tantopere urgent Pontificii, locum habere non potuit. Neque hoc loco ſuccurrere illis poteſt Omnipotentia Divina, ad quam ſolent confugere, quam ſolent quaſi μαχολυκεῖον nobis objicere, ad tuendum eſum ſuum corporeum: neque enim Omnipotentia Dei poteſt efficere ut quod omnino non eſt, quod non exiſtit, edi poſſit: nam Nonentis non ſunt (uti loquuntur) accidentia. At eſus Chriſti ſpiritualis locum habere tum potuit: anima enim tam futurum quam præſens & præteritum mente poteſt complecti, atque ex re futura, quam certo futuram ſcit, gaudium & conſolationem non minus quam ex præſenti percipere. *Abraham*, inquit Chriſtus, *vidit diem meum, & gaviſus eſt.* Non vidit equidem oculis corporis, ſed animæ & fidei, quæ *fides hypoſtaſis eſt rerum ſperandarum, & ἔλεγχος earum quæ non videntur*, ut ait Apoſtolus Heb. 11. 1. Chriſtus itaque, cum hic memorat aſcenſum ſuum in cœlum, ubi jam ipſe erat à principio, ſatis aperte docet qua ratione jam ab initio fuerit, futuruſque ſit ad finem uſque ſeculorum, Eccleſiæ ſuæ eſca, ſive cibus & potus, nempe non communicatione quadam corporea, quæ impoſſibilis eſt ob locorum & temporum intercapedinem, quæ corpora disjungit, neque ea patitur ſimul eodem loco & tempore inexiſtere & conjungi quæ tanto temporis & loci intervallo disjuncta ſunt. Sic ergo Dominus Diſcipulos ſuos craſſæ & affectatæ ignorantiæ redarguit, cum ſignificat eis neque ſemper ſe verſatum eſſe in terra quoad corpus, neque ſemper ſibi eſſe his in terris verſandum, ſed aſcendendum ſibi aliquando eſſe in cœlum, atque eo ſubvehendum eſſe à ſe corpus ſuum, interim tamen ſe ſemper fuiſſe ſemperque futurum eſſe cibum eorum omnium qui vitam æternam olim participarunt, eandemque ſunt ad finem uſque mundi participaturi.

GUALTPERIUS.

31. Οἱ πατέρες ἡμῶν τὸ μάννα ἔφαγον ἐν τῇ ἐρήμῳ, *Patres noſtri Manna comederunt in deſerto*] Hebr. מן *Man*, Syr. ܡܢܐ *Manna*. Exod. 16. 13, 14, 15. *Mane deſcendit ros circum caſtra. Et exciſa eſt deſcenſio roris* (Chald. *ſublato rore,*) *& ecce erat in ſuperficie deſerti minutum rotundum* (Chald. *denudatum*) *minutum* (*concervatum*) *ſicut pruina ſuper terram. Et viderunt filii Iſrael, & dixerunt alter alteri; MAN eſt: quia ignorabant quid eſſet.* Vulgatus ſane interpres מן מן *Man hu* exponit, *Quid hoc?* ut מן pro מה ponatur, quæ particula interrogantis eſt. Quæ lectio etiam retinetur à B. Aria Montano in interlineari Bibliorum expoſitione. *Verum doctiores Hebræi* (annotante etiam Fagio) מן MAN à מנה, *quod Partem & Donum ſignificat, deducunt; quod filii Iſrael, cum ignorarent quid eſſet, ideoque certum nomen imponere non poſſent*, MAN, *i. Donum, appellaverint*, q. d. Donum hoc Dei eſt, Munus hoc Dei eſt, *à bonitate ſcilicet Dei reique novitate ac admiratione cibo huic nomen imponentes.* In quam ſententiam etiam ſcribit R. D. K. *Quoniam ignorabant nomen ejus, ideo vocarunt ipſum* MAN, *q. d. Donum & portio eſt à Domino benedicto.* Et quia מנה Hebræis etiam *præparare* ſignificat, ideirco quidam hunc cibum appellatum putant à *præparando, eo quod cibus hic in ſeipſo præparatus fuerit, non indigens alia præparatione. Fuit enim in ſeipſo bonus & eſui aptus.* Quibus arridet lectio Vulg. interpretis Latini, putant quod fuerint verba impatientiæ ac contemptus, *Quid eſt hoc?* ut cum impatientia ſimul ingratitudinem ſuam declararent. Avenarius, מן, *i. cibus diſtribute è cœlo delapſus, & qui diſtribuebatur inter filios Iſrael, à rum diſtributus partitivè & numeratim.* Vide Fagium in Exod. 16. 14, 15.

JAC. CAPPELLUS.

53. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*] Hæc verba perſpicue docent jam tum debuiſſe Chriſti carnem ab auditoribus manducari, eoque non eſſe reſtringendam hanc orationem ad manducationem Euchariſticam oralemve, ſed ſpiritualiter eſſe manducandum Chriſti corpus: quod & tota ſeries orationis abunde confirmat. Quia tamen etiam

ad Euchariſtiam referri poteſt oratio Chriſti, veteres putarunt etiam infantibus eſſe neceſſariam Euchariſtiæ ſumptionem. Succeſſu tamen temporis agnitus & damnatus eſt hic abuſus in Imperio Romano, ſed retentus in Æthiopia, uſque adeo ut cogant Abyſſini ſuos infantes panem Euchariſticum aqua dilutum deglutire non ſine vitæ ipſorum periculo, prout refert teſtis oculatus Franciſcus Alvareſius Deſcriptionis Æthiopiæ cap. 97.

LUD. CAPPELLUS.

31. Ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς φαγεῖν] Res ipſa habetur Pſalm. 78. 24, 25. Eſt enim iſthic נתן שמים בר למו *frumentum cælorum dedit eis:* item לחם אבירים אכל איש *panem fortium comedit homo.* Verum phraſis illa ἄρτος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ſeu verba ſic conjuncta & timul conſtructa, illic non habentur, ſed fuit phraſis nota & familiaris Judæis, atque in ore vulgi poſita. Unde Sap. 16. 20. ἄρτον αὐτοῖς ἐκ οὐρανοῦ ἑτοίμασας. Et Targ. Jonath. Deut. 34. 6. *Docuit nos* Deus *alere pauperes*, מן דאוריך לבני ישראל למיכל מן שמיא *ex quo fecit deſcendere filiis Iſrael panem de cælo.*

GROTIUS.

1. Μετὰ ταῦτα, *Poſt hæc*] Aliquanto poſt tempore. Tranſilit hic noſter multa à cæteris memorata: neque hanc de auctis panibus hiſtoriam ab aliis tractatam referret, niſi id deſideraret ſermo eximius Chriſti hac occaſione habitus, quem ſervari Eccleſiæ intererat. ¶ Πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας, *trans mare Galilææ*] Puto ſignificationem propriam vocis πέραν [*ultra*], quam expreſſit Syrus ליתירה, hic poſſe retineri. Neque enim obſtant quæ ab aliis aut hic poſt narrantur. Lacus qui Plinio & aliis *Geneſara*, Hebræis eo tempore dicebatur *Mare Galilææ*, ut Matth. IV. 18. & alibi. ¶ Τῆς Τιβεριάδος. *Tiberiadis*] Propius denotat lacus partem quæ ab adjuncto oppido, ut fieri ſolet, nomen habebat proprium. Vide infra 23. Erat autem hæc pars lacus ferme infima, ita ut non multo ambitu, tranſito amne Jordane, plebs Chriſtum pedeſtri itinere conſequi poſſet.

2. Ὅτι ἐθεώρουν αὐτοῦ τὰ σημεῖα, *quia videbant ejus ſigna*] Partim ut beneficio uterentur, partim ut fruerentur ſpectaculo.

3. Εἰς τὸ ὄρος, *in montem*] In deſerto Bethſaide quod dicitur. Vide Luc. IX. 10. ¶ Ἐκεῖ ἐκάθητο, *ibi ſedebat*] Diſciplinæ tradendæ cauſa.

4. Ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα, *Erat autem proximum Paſcha*] Hoc ideo interjicit, ut intelligatur tempus fuiſſe opportunum ad eliciendam multitudinem, & quo melius cohæreat quod de herba ſequitur.

5. Ἐπάρας οὖν, *Cum ſublevaſſet ergo*] Οὖν [*Ergo*] illud non ſemper continua nectit, ſed & aliquo intervallo temporis disjuncta. Nam ſerius hæc geſta, poſtquam Jeſus à monte deſcenderat. ¶ Λέγει πρὸς τὸν Φίλιππον, *dixit ad Philippum*] Cum jam hac de re ab Apoſtolis ſermo injectus eſſet. Et Philippum magis quam cæteros compellat, ut qui inſtitutionis maxime egeret, rudis adhuc & facis confidens, ut videre eſt infra XIV. 8, 9.

6. Πειράζων αὐτὸν, *tentans eum*] Ut apertum faceret quousque proficeret. Hunc ſenſum habet πειράζειν [*tentare*] cum de Deo dicitur, Gen. XXII. 1. & alibi: eundem, cum de Chriſto. ¶ Ἤδει τί ἔμελλε ποιεῖν, *ſciebat quid eſſet facturus*] Ita definite ut à nulla hominis cujuſquam qualicunque actione impediri poſſit. Decreta tam firma & immutabilia Deo ſoli conveniunt, Actor. XV. 18.

7. Διακοσίων δηναρίων ἄρτοι οὐκ ἀρκοῦσιν αὐτοῖς, *ducenorum denariorum panes non ſufficiunt eis*] Nam his non amplius bis mille paſci poterant: multo autem plures erant. ¶ Βραχύ τι λάβῃ, *modicum quid accipiat*] Ne ad guſtandum quidem tam multis ſufficerent.

8. Ἀνδρέας, *Andreas*] Ætate provectior Philippo: ideo ejus auxilio utitur Philippus in Domino compellando, infra XII. 22. Videtur autem Andreas dixiſſe hoc, conſilio prius cum aliis Apoſtolis habito.

9. Ἐστι παιδάριον ἓν ὧδε, *Eſt puer unus hic*] Apud alios Euangeliſtas dicuntur *habere* id quod in promptu erat ut emi poſſet. παιδάριον [*puer*] autem ſæpiſſime eſt apud Græcos Interpretes pro Hebræo נער [*adoleſcens*]. ¶ Πέντε ἄρτους κριθίνους, *quinque panes hordeaceos*] Significatur frugalitas Chriſti & Apoſtolorum, qui pane non niſi vili veſcebantur. ¶ Καὶ δύο ὀψάρια· *& duos piſces*] Notant Græcorum Grammatici ὀψον per excellentiam dici *piſcem*: unde ὀψοφάγοι [*piſcium comedones*]. Et Græci Sacrorum librorum Interpretes נון, quod alibi ἰχθὺν [*piſcem*] vertunt, uno in loco ὄψον verterunt, Num. XI. 22. Nonnus hic ἰχθύας ὑπταλέους [*aſſatos piſces*] dixit, quo ſenſu vox ὀψάριον iterum comparet infra XXI. 9, 10, 13. ¶ Τί ἐστιν εἰς τοσούτους; *quid ſunt inter tantos*]? Exigui erant panes, ita ut non ſine miraculo viginti panibus centum homines cibaverit Eliſæus II Reg. IV. 42, 43, 44. Quo exemplo ſperabat forte Andreas fieri poſſe ut viginti quinque aut plures homines iſtis panibus Chriſti beneficio ſatiarentur: majus quicquam nondum audebat animo concipere.

10. Χόρτος πολὺς, *fenum multum*] Vide Marci VI. 40. ¶ Ἀνέπεσον, *Diſcubuerunt*] Curantibus Apoſtolis, qui, medii inter ſpem & diffidentiam, parere tamen didicerant. ¶ Ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν ὡσεί, *viri numero quaſi*] Viros tantum numerat, ut in cenſu qui ex Lege agebatur fieri ſolebat. De ὡσεί [*quaſi*] vide ſupra IV. 6. eandem vocem in hac hiſtoria & alii Scriptores uſurpant.

11. Εὐχαριστήσας, *cum gratias egiſſet*] Idem eſt quod εὐλογήσας [*cum benedixiſſet*]. Vide Matth. XXVI 27. ¶ Δέδωκε τοῖς ἀνακειμένοις, *diſtribuit diſcumbentibus*] Cum & Græca quædam exemplaria ſic habeant, & Syrus & Latinus, credibilius eſt illas voces τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ [*diſcipulis: diſcipuli vero*] adjectas ab iis qui medicinam adferre voluerunt ei quam ſibi fingebant repugnantiæ inter hunc & alios Scriptores: quæ tamen, retenta quam diximus lectione, nulla eſt: quia dat etiam qui per alium dat: facit qui per alium facit, ut ſupra IV. 1. ¶ Ὅσον ἤθελον, *quantum volebant*] Ad ſatietatem uſque: ut oſtendit quod ſequitur.

12. Συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα, *colligite quæ ſuperaverunt*] Omnia à Chriſto ita directa ut de neceſſitate & de veritate & de magnitudine miraculi certo conſtaret. Videntur autem inter Diſcipulorum manus creviſſe panes, mira Chriſti poteſtate, cum effecit ut tantum ſuperellet quantum cophinorum numerum Apoſtolorum numero parem impleret.

14. Ὃ ἐποίησε σημεῖον, *quod fecerat ſignum*] Majus quam quod Moſes fecerat, panem non dans ſed impetrans è cœlo, & quidem panem merum ſine obſonio, & cujus nullæ ſupereſſent reliquiæ. Miracula ante hac edita paucis profuerant; hoc maximæ multitudini ejus generis hominum quod victum ſibi difficulter parat. ¶ Ὅτι οὗτος, *quia hic*] Ὅτι [*quia*] hic ut alibi πλεονάζει [*abundat*]. Oratio incipit ut indirecta, impletur ut directa. ¶ Ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος, *Propheta qui venturus eſt*] Ὁ ἐρχόμενος, id eſt, *qui venire debebat*, ut Matth. XVII. 11. Proprie autem ὁ ἐρχόμενος [*qui venturus erat*] intelligebatur Meſſias Luc. VII. 19. quem eundem & maximum Prophetam fore eo tempore ſibi perſuaſerant. Vide ſupra IV. 25. Ab hoc ſolo exſpectabantur majora quam Moſes præſtiterat.

15. Γνοὺς, *cum cognoviſſet*] Divina vi, introſpectis eorum conſiliis. ¶ Ἁρπάζειν αὐτὸν, *ut raperent eum*] Etiam invitum rapere & aliquo perducere ubi inaugurarentur. ¶ Ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα, *ut facerent eum Regem*] Spe facilis alimoniæ. ¶ Ἀνεχώρησε πάλιν εἰς τὸ ὄρος, *fugit iterum in montem*] Id eſt, rediit in montem unde venerat, exemplum dans Eccleſiæ Paſtoribus fugiendi poteſtates terrenas. Similis locutio ſupra IV. 3. ¶ Αὐτὸς μόνος, *ipſe ſolus*] Et quidem, ut videtur, inconſcius. Sine ullo comite eſſe voluit quo longius abeſſet à cupiti regni ſpecie. Connectit hic Johannes ea quæ ad Jeſum pertinent, deinde perſequitur ea quæ ad Diſcipulos. Nam ſi temporis ordinem attendimus prius navigium intrant Apoſtoli quam Jeſus in montem perveniret. Sed in rebus ejuſmodi mos eſt Hiſtoricorum libertate ſua uti.

17. Ἤρχοντο πέραν τῆς θαλάσσης, *venerunt trans mare*] Verum *transibant mare:* nam ἔρχεσθαι pro *ire* ponitur alibi quoque notatum. Syrus, *ibant in transitu*, Nonnus,

Γαῖαν ἐς ἀντιπέρηαν ἐπεμβεβάασιν.

[*Oppoſitam terram navi petiere*].

¶ Εἰς Καπερναούμ, *in Capernaum*] Is enim finis erat propoſitus navigationi: alioqui Bethſaidam videntur appuliſſe. ¶ Σκοτία ἤδη ἐγεγόνει, *tenebræ jam factæ erant*] Tempus per ſe terribile navigantibus.

18. Διεγείρετο, *exſurgebat*] *Intumuit.* Sic ἐγείρεσθαι [*intumeſcebat*] יקץ Jonæ I. 13.

19. Ἐληλακότες οὖν, *Cum remigaſſent ergo*] Vide ad Marcum VI. 48. ¶ Ὡς σταδίους εἰκοσιπέντε ἢ τριάκοντα, *quaſi ſtadia viginti quinque*] Exiguus profectus à veſpere ad quartam noctis vigiliam; quod tempus notant alii Scriptores. Nam νυχθημέρου [*diei & noctis*] curſus mille ſtadiis æſtimatur; ac proinde diei aut noctis totius, quingentis. ¶ Περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης, *ambulantem ſuper mare*] Non ſiccato mari, ſed in ipſo mari: ut hic quoque Moſem ſuperaret.

21. Ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν, *Voluerunt ergo accipere eum*] Non quod non receperint, ſed quod cupide admodum, ut Syrus indicat.

22. Ὁ ἑστηκὼς, *qui ſtabat*] *Qui ſubſtiterat* in loco facti miraculi. ¶ Πέραν τῆς θαλάσσης, *trans mare*] *Citra ſinum illum.* ¶ Ὅτι πλοιάριον ἄλλο οὐκ ἦν ἐκεῖ, *quia navicula alia non erat ibi*] *Non aliud fuiſſe navigium.* nam ἦν [*erat*] vice eſt cujuſvis præteriti. ¶ Οἱ μαθηταὶ Ἰησοῦ, *diſcipuli Jeſu*] Quos ſine Jeſu avectos viderant. ¶ Μόνοι, *ſoli*] Id eſt, ſine Magiſtro.

23. Ἄλλα ἦλθε πλοιάρια, *alia vero ſupervenerunt naves*] Hoc ideo ut intelligatur quomodo ipſi tranſierint. Ergo poſt aliquanto alia navigia à Tiberiade advenerunt.

24. Ὅτε οὖν εἶδεν, *cum ergo vidiſſet*] Repetitio ejus quod præceſſerat *ἰδὼν* [*videns*], ob interjecta diuque tracta verba: quod & in aliis hiſtoriis occurrit.

25. Πότε ὧδε γέγονας; *quando huc veniſti?*] Ut, ſi jamdudum ibi fuiſſe intelligeretur, non dubitarent de miraculo, quando navi eum non veniſſe conſtabat, pedeſtre autem iter erat longiſſimum. At Chriſtus id diſſimulans, & corda eorum introſpiciens, quæ caduco quam cœleſtis vitæ pabulo magis afficiebantur, ad id quod interrogatur non reſpondet, ea vero docet de quibus non interrogabatur.

26. Ἀμὴν, ἀμὴν, *Amen, amen*] Non ex conjecturis loquor, ſed ex certa ſcientia. ¶ Οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα, *non quia vidiſtis ſigna*] Nempe qua ſigna ſunt, id eſt, quatenus pertinent ad efficiendam fidem & elevandos animos ad cœleſtia. nam in ipſo miraculo utilitatem tantum hujus vitæ ſpectabant.

27. Ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν, *operamini non cibum*] Ἐργάζεσθαι βρῶσιν [*operari cibum*] eſt *operam dare ut victum adipiſcamur*: ut κατεργάζεσθαι σωτηρίαν [*ſalutem operari*] Philip. II. 12. Sic in Eccleſiaſtico ἐργάζεσθαι ἀλήθειαν [*operari veritatem*]. Vult ergo non hoc præcipue agendum. ¶ Τὴν ἀπολλυμένην, *quæ perit*] Cujus utilitas temporaria eſt. Vide 1 Corinth. VI. 13. ubi *cibus* dicitur *deſtruendus*: & Galat. VI. 8. *is qui carni ſeminat* dicitur *reportare* Φθορὰν [*corruptionem*]. Ad mortem enim tendunt omnia hujus vitæ officia. ¶ Τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον, *qui permanet in vitam æternam*] Id eſt, *cujus fructus ad æternitatem pertinet*, ut ſupra de aqua dixerat IV. 14. more ſuo ex occaſione eorum quæ videbat aut audiebat ad ſpiritualia animum attollens. Nec nova erat apud Judæos hæc allegoria. Philo Alleg. τὸ γὰρ Φαγεῖν σύμβολόν ἐστι τροφῆς ψυχικῆς· τρέφεται δὲ ἡ ψυχὴ ἀναλήψει τῶν καλῶν καὶ πράξει τῶν κατορθωμάτων [*edere enim ſymbolum eſt alimenti animarum. Alitur autem anima diſcendo bona & faciendo recta*]. Plura ad Matth. XXVI. 26. ¶ Ἣν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑμῖν δώσει· *quem Filius hominis dabit vobis*] Quantum ex ſua parte eſt: nam ſic verba ſæpe ſumuntur, ut ſupra I. 9. ſic δοῦναι [*dare*] ponitur Act. V. 31. *cibum* hunc intellige dogma Euangelicum. ¶ Ἐσφράγισεν, *ſignavit*] Poteſtate mirifica, eaque incomparabili hoc egit ut fidem ei conciliaret; quomodo Reges ſigillo literis impreſſo ſolent. Similis uſus vocis ſupra III. 33.

28. Τί ποιῶμεν ἵνα ἐργαζώμεθα τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ; *Quid faciemus ut operemur opera Dei?*] Meminerunt Legi Moſis tribui vim alentem, ut Deut. VIII. 1, 2, 3. Unde & Eccl. II. 21. πλησθήσεται τῷ νόμῳ [*replebuntur Lege*]. Quærunt ergo an quid aliud præſcribendum habeat quam quod Lex præſcribit. Confer quod eſt Matth. XIX. 16. & ſeq. ποιῶμεν [*facimus*] pro ποιήσωμεν [*faciemus*], quæ enallage frequens, maxime in interrogationibus. ἔργα Θεοῦ [*opera Dei*] ſunt opera apprime Deo grata. Sic *ſacrificia Dei* Pſ. L. 19.

29. Τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύητε, *Hoc eſt opus Dei ut credatis*] *Opus* eſt etiam hæc fiducia, ſed internum. Neque opponitur operibus quibuſvis, ſed externis & quidem iis quæ ſine ea fiducia eſſe poſſunt, & ſine quibus ea fiducia eſſe poteſt; qualia præſertim ſunt ritualia, & alia quædam vere bonis & bonos ſimulantibus communia. Unum autem hoc exigit, quia ſi hoc ſincerum ſolidumque ſit, omnia alia Deo placentia ſecum trahit. Nam Chriſtus eos demum cenſet ſibi confidere qui ſpe promiſſorum ſuorum viam ab ipſo monſtratam ingrediuntur. Sic Rom. III. 27. ¶ Εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος, *in eum quem miſit ille*] Modeſte: non dixit *in me*, ubique honorem muneris ſui ad Patrem referens. *miſit* autem intellige *cum tanta ac tam mirifica poteſtate.*

30. Ἵνα ἴδωμεν καὶ πιστεύσωμέν σοι; *ut videamus & credamus tibi?*] Id eſt, ut eo conſpecto tibi fidem adhibeamus, ac proinde etiam confidamus tibi. Alii videntur hi fuiſſe quam qui modo eum Meſſiam vocaverant, niſi quibuſdam accidit quod vulgo dicitur,

Metà τὴν ὄθνειαν τάχιστα γηράσκει χάρις.
[*Brevis ſeneſcit poſt beneficium gratia*].

Diximus Judæorum eſſe, ſigna poſtulare, & quidem inverecunde qualia ipſi cuperent. ¶ Τί ἐργάζῃ; *quid operaris?*] Ποιεῖν [*Facere*] videtur ſumi pro eo quod habeat effectum permanentem; ἐργάζεσθαι [*operari*], quod tranſeuntem.

31. Οἱ πατέρες ἡμῶν, *Patres noſtri*] Extollunt Moſem Patres illi noſtri qui ſexcenties mille erant & amplius. ¶ Τὸ μάννα ἔφαγον, *manducaverunt Manna*] Procurante Moſe. Et cum dicunt *Manna*, cibum intelligunt cui ex ipſa admiratione nomen, ut Joſephus, Chaldæus, & Græci Interpretes cum Latino ſumunt. Male aliam originem quærunt Grammatici. Eſt quidem מן pro *quid* Chaldaicum: ſed & Ægyptii ſic loquebantur, ut notat Haſcuni, quorum idioma adhuc eo tempore adhærebat Hebræis. ¶ Ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deſerto*] Id eſt, per totos annos quadraginta. Chriſtus eos ſemel tantum paverat: ideo mox ajunt, πάντοτε δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον [*ſemper da nobis panem hunc*], nempe qualem ſemel dediſti. ¶ Ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *Panem de Cœlo*] Id eſt, ex cœlo primo, qui vulgo שחק, *cœlum* ſæpe etiam Latinis. Recitant Pſalmum cui canendo alluſerant.

32. Οὐ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· *Non Moſes dedit vobis panem de cœlo*] Id eſt, ex cœlo ſupremo, quod *tertium cœlum* Hebræis: *Ex ſolio immortalitatis* כסא התכונה [*de throno gloriæ*]. ¶ Τὸν ἀληθινόν, *verum*] Qui excellenter *panis cœleſtis* dici meretur. Sic vocem ἀληθινὸς [*verum*] ſumi diximus ſupra I. 9.

33. Ὁ γὰρ ἄρτος τοῦ Θεοῦ, *Panis enim Dei*] *Panis ille qui a Deo datur eximie.* ¶ Ἐξ οὐρανοῦ καταβαίνων, *eſt qui de cœlo deſcendit*] Modo verbum *ſuum panem* vocaverat; nunc ſe *panem* vocat. Solent enim quæ Euangelio conveniunt Chriſto tribui ejus promulgatori ac ſanctori. De voce καταβαίνειν [*deſcendendi*] vide ſupra III. 13. Philo Allegoriis, Εἶτε δὲ αὐτοῖς Μωσῆς, Οὗτος ὁ ἄρτος ὃν δέδωκεν ὑμῖν Κύριος τοῦ φαγεῖν· τοῦτό τὸ ῥῆμα ὃ συνέταξε Κύριος· ὁρᾶς τῆς ψυχῆς τροφὴν οἵα ἐστί, λόγος Θεοῦ συνεχὴς, ἔοικὼς ὄρσῃ, κύκλῳ πᾶσαν περιειληφώς, καὶ μηδὲν μέρος ἀμέτοχον αὐτοῦ ἐᾶν. [*Dixit autem Moſes: hic eſt panis quem Dominus nobis comedendum dedit: verbum quod conſtituit nobis. vides quale ſit anima alimentum, continuus Dei ſermo rori ſimilis, roris modo eam totam ambiens nullam quæ ejus partem ſui exſortem ſinens*]. Et mox, τρέφεται δὲ τῶν μὲν τελειοτέρων ἡ ψυχὴ ὅλῳ τῷ λόγῳ [*Nutritur autem perfectiorum quidem anima toto ſermone*]. In libro *pejorem inſidiari meliori* ait καλεῖ μάννα τὸν πρεσβύτατον τῶν ὄντων λόγου θεῖον [*vocat Manna id quod in rebus eſt antiquiſſimum, verbum Divinum*]. Vide quæ ad Matthæum XXVI. 26. ¶ Ζωὴν, *vitam*] Nempe æternam, ut ſupra I. 4. ¶ Δίδους, *dat*] Quantum ex ſua parte, ut modo diximus. ¶ Τῷ κόσμῳ· *mundo*] Nec ſexcentis tantum millibus, ſed infinito numero; omnibus, ſi vellent: ſupra I. 10.

34. Κύριε πάντοτε δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον. *Dominè ſemper da nobis panem hunc*] Simile habuimus ſupra IV. 15.

35. Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, *Ego ſum panis vitæ*] *Panis* vivificus. Quomodo hoc ſumendum ſit, diximus commate antecedente. Magna Chriſti patientia, qui vitium non exprobrat, ſed ſanare aggreditur. ¶ Ὁ ἐρχόμενος πρός με, *qui venit ad me*] Diximus ad Matth. XXIII. 25. ſæpe compendio quodam orationis miſceri inter ſe voces comparationis & ejus quod comparatione indicatur: ita hic ſimplex oratio fuerat; *Qui ederit me, nunquam eſuriet; & qui biberit me, non ſitiet unquam*: ſed quia *edere* & *bibere* ſignificat credere, ideo alterum exponitur per *venire*, alterum per *credere*: idem enim eſt *venire ad Chriſtum*, hoc eſt, ei ſe devovere, & *credere*, ut apparet infra commate 44. Reſpiciunt hæc omnia locum Eſaiæ LV. 1, 2. ¶ Οὐ μὴ πεινάσῃ *non eſuriet*] Nempe πώποτε [*unquam*], quod ex ſequenti membro repetendum eſt, καθ' ὑποδιαζευξιν [*per ſubdiſtinctionem*]. *Eſurire* & *ſitire* idem hic eſt. Tacite oſtendit quanto ſuum munus Manna ſit præſtantius quod tanti faciebant: & reſpondet ad petitionem, *Da nobis ſemper.* ¶ Καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε. *& qui credit in me, non ſitiet unquam*] Non opus habebit aliud quicquam addiſcere quo ad vitam æternam perveniat, ut dictum ſupra III. 14.

36. Εἶπον ὑμῖν, *dixi vobis*] Dixerat non verbis iiſdem, ſed re, cum dixit ſectatores ipſos ſui eſſe *victus cauſa*, *non ob miracula*, id eſt, non ut miraculis adducti ipſi confiderent, ſupra 26. Hoc ſenſu *dicere* ponitur & infra XI. 40. ¶ Ὅτι ἑωράκατέ με, *quia vidiſtis me*] Id eſt, ſpectatores fuiſtis poteſtatis mihi datæ. Sic & infra XIV. 9. ¶ Καὶ οὐ πιστεύετε. *& non creditis*] Καὶ eſt *& tamen*. In manuſcripto illo vetere legitur πιστεύετέ μοι [*crediitis mihi*].

37. Πᾶν, *Omne*] Neutrum pro maſculino aut communi.

sic τὰ μῶρα [*stulta*] 1 Corinth. 1. 27. πᾶν κοινόν [*omne coinquinatum*] Apoc. xxi. 27. Plinius de Homine, *A supplicijs vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est.* Ostendit Christus quantæ sit virtutis illud credere quod ab ipsis negligebatur. ¶ Ὁ δέδωκέ μοι ὁ πατήρ, *quod dat mihi Pater*] Quos mihi velut in manum tradit: nam δίδωμι [*dare*] hic cum effectu aliquo intelligitur: ut nomen κλητοὶ [*vocati*] 1 Corinth. 1. 24. & alibi sæpe: sic *aperire cor* Actor. xvi. 14. *implere cor* Actor. v. 3. & hoc ipsum dandi verbum Actor. xi. 18. 11 Tim. 11. 25. Nec aliter exponit Maimonides illud Deut. xxix. 4. Par locutio apud Livium vi, *Dii prohibebunt hæc, sed nunquam propter me de cœlo descendent, vobis dent mentem oportet.* Tradit autem Pater cum effectu Christo eos qui pietati student, saltem post verbum auditum. Solent præparationes ad fidem Patri tribui ut Matth. xxvi. ut fidei operatio Filio, obsignatio Spiritui. ¶ Πρός ἐμὲ ἥξει, *ad me veniens*] Ii mihi credent: nam id significat *veniendi* vox. Similitudo sumta à discipulis quos pater magistro tradit, quique volentes eum frequentant. ¶ Καὶ τὸν ἐρχόμενον πρός με, *& eum qui venit ad me*] *Qui hoc modo mihi fidem adhibuerit.* ¶ Οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω. *non ejiciam foras*] Ἐκβάλλειν ἔξω [*foras ejicere*] *è loco aliquo ejicere*, ut Actor. vii. 58. sic de Synagoga dicitur ix. 34. 35. Hic quasi de Schola. Ea enim cœpta est translatio; Non faciam ut morosi magistri, non expellam eum; nempe si perpetuo voluerit meus esse, per me non stabit quo minus sit.

38. Ὅτι καταβέβηκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *quia descendi de cœlo*] Ex proposito sibi fine facit credibile quod dixerat. Quomodo è schola mea ejicerem eos quibus ut dem vitam æternam sum constitutus, quo nullum majus beneficium excogitari potest? Descendi *è cœlo*, id est, à Patre singulariter missus sum, ut supra iii. 13. ¶ Οὐχ ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, *non ut faciam voluntatem meam*] Ut agam pro lubitu, privato arbitrio, ut supra v. 30. ¶ Ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με. *sed voluntatem ejus qui misit me*] Est ἔλλειψις [*defectus*] vocum ἵνα ποιῶ [*ut faciam*] ex superiore membro repetendarum; quia quod præcessit affirmativum est, hoc negativum. Missus sum ut omnia agam congruenter Paternæ voluntati.

39. Τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με πατρὸς, *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris*] Hoc est decretum ejus generale quod ego exsequor. ¶ Ἵνα πᾶν ὃ δέδωκέ μοι μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ, *ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo*] Est Hebraismus: nam πᾶν [*omne*] cum nullo verbo cohæret. Latine dicas, *ut ex omni eo quod mihi dedit, nihil perdam*: neutrum rursus vice communis, ut 1 Cor. i. 27, 28. *Perdere* hic est oppositum ei quod supra commate 33. dixit *vitam dare*; non tam Agendi quam Sinendi sensu, id est, *non patiar interire*: nam apud Hebræos Agentia sæpe Sinendi habent significationem. ¶ Ἀλλὰ ἀναστήσω αὐτό, *sed resuscitem illud*] Ἀνάστασις [*Resuscitatio*] (pecialiter dici solet ea quæ est ad æternam felicitatem, ut supra monuimus; elevatio in sortem multo sublimiorem. Sic ἀνιστάμενος εἰς τὴν ἀρχὴν [*suscitatus ad imperium*] qui ad imperium evectus est Græce dicitur. Sic ארם [*elevare*] Hebræis Ezech. xxvi. 8. ¶ Ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. *in novissimo die*] Sic infra aliquoties. Συντέλεια τοῦ αἰῶνος [*consummatio sæculi*] dicitur Matth. xiii. 39.

40. Τοῦτο δέ ἐστι, *Hoc est autem*] Δὲ [*autem*] hic est explicativum, *nimirum, videlicet.* ¶ Ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν καὶ πιστεύων εἰς αὐτὸν, *qui contemplatur Filium & credit in eum*] Modo dixerat ἑωράκατε καὶ οὐ πιστεύετε [*vidistis & non creditis*]. Ergo Videre præcedit ipsum Credere; nec ut incredulus damnabitur nisi qui viderit, id est, cui rationes credendi subministratæ sunt. Non tamen de nihilo est quod θεωρῶν [*contemplans*] hic potius dixit, quam ὁρῶν [*videns*]. Est enim θεωρεῖν [*contemplari*] non quovis modo sed *cum attentione videre.* Sic in Epistolæ primæ initio post ἑωράκαμεν [*vidimus*] sequitur ὃ ἐθεασάμεθα [*quod contemplati sumus*]. Sic θεωρεῖν [*contemplari*] sumi videmus tum alibi, tum Lucæ xxi. 6. & supra ii. 23. infra vii. 3. xx. 6. θεωρεῖν Cicero Tusculanarum v. vertit *studiosè perspicere.* Hebræum ראה, quod & hic posuit Syrus, Græci Interpretes sæpissime vertunt θεωρεῖν [*contemplari*]. Non aliud hic est θεωρεῖν quam *dari à Patre*; sicut *credere* non est aliud quam *venire.* Credentes sunt המבינים [*intelligentes*] Dan. xii. 3. ¶ Ἀναστήσω, *resuscitem*] Cohæret cum ἵνα [*ut*] quod præcessit. Est ergo modi subjunctivi.

41. Ἐγόγγυζον, *murmurabant*] Vide Matth. xx. 11. ¶ Οἱ Ἰουδαῖοι, *Judæi*] Nomen hoc eo tempore omnes Israelis posteros in Terra Promissa habitantes continebat, etiam Galilæos. ¶ Περὶ αὐτοῦ, *de illo*] *Ob eam rem.* Nonnus masculine accipit. ¶ Ὁ ἄρτος ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *panis qui de cœlo descendi*] Cum accentu pronuntiandum illud ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ [*qui de cœlo descendi*], nam id proprie erat quod concoquere non poterant: non quod *Panem* se dixisset, sed quod se dixisset *de cœlo venisse*: quod illi non de potestate aut παρὰ τοῦ λόγου [*de verbo*], sed de toto homine accipiebant.

42. Ὁ υἱὸς Ἰωσὴφ, *filius Joseph*] Luc. iii. 23. & iv. 22. ¶ Ἡμεῖς οἴδαμεν, *nos novimus*] Habitabant in proximo Nazarethæ: Ventitabant interdum Capharnaumum. Supra ii. 12. ¶ Πῶς οὖν λέγει οὗτος· Ὅτι ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβέβηκα; *quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo descendi?*] Quomodo verum id esse potest si natus est humano more?

43. Μὴ γογγύζετε μετ' ἀλλήλων. *Nolite murmurare inter vos*] Discordes enim esse cœperant, aliis benignius, aliis pejus de Christo sentientibus. Vide infra 52. Omniscium se ostendit.

44. Οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, *Nemo potest venire ad me*] *Mihi credere*, ac proinde agnoscere in me cœlestem illam excellentiam quam indicaveram cum dicerem *ex cœlo me descendisse.* Vide supra 35. Ostendit duritiam cordis eorum. ¶ Ἑλκύσῃ αὐτόν, *traxerit eum*] Idem est quod supra, πᾶν ὃ δίδωσί μοι ὁ πατήρ [*omne quod dat mihi Pater*]: ac infra explicat ipse, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ πατρός μου [*nisi fuerit ei datum à Patre meo*]: nam hæc omnia significant præparationem, sed acceptatam. Et vox ἑλκύειν [*trahere*] respondet Hebræo משך, quod etiam per ἄγειν [*ducere*] vertunt Græci, & Tertullianus, ἑλκύσῃ [*traxerit*] in hoc loco vertit *adducat* libro adversus Praxeam; alibi per ἑλκύειν [*trahere*], sed sine ullo sensu impositæ necessitatis, ut Jerem. xxxi. 3. ubi est, *Traxi te misericordia:* & alibi, ut Proverb. vii. 22. Cant. i. 3. Osee xi. 4. *Trahi* ergo est idem quod infra vii. 17. *velle facere voluntatem Patris*; viii. 47. *ex Deo esse*, id est, pio quodam affectu esse præditum; supra iii. 21. *facere veritatem*, id est, sincere ambulare. Philo De vita contemplativa, ὑπ' ἔρωτος ἀρπασθέντες οὐρανίου, καθάπερ οἱ βακχευόμενοι καὶ κορυβαντιῶντες ἐνθουσιάζουσι, μέχρις ἂν τὸ τεθεσμένον ἴσωσι [*Rapti amore cœlesti, sicut ii qui bacchari aut Corybantiasmum pati dicuntur, extra se sunt, donec videant id quod desiderant*]. Justinus Colloquio cum Tryphone, Εὔχρυ δέ σοι πρὸ πάντων φωτὸς ἀνοιχθῆναι τύλας· οὐ γὰρ σύνεσσι οὐδὲ συνίστε πω̃ν ἐστιν, εἰ μὴ τῷ Θεὸς δῷ συνιέναι [*Ante omnia vero precare ut aperiantur tibi portæ lucis; neque enim hæc aut conspici aut intelligi possunt nisi ab his quibus intellectum dederit Deus*]. Clemens Strom. iv. Οὐ δεῖ δὲ ἀρθέντας μετατεθῆναι, ἀλλὰ βαδίζοντας ἀφικέσθαι οἷ δεῖ· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἑλκυσθῆναι ὑπὸ τοῦ πατρός, διὰ πάσης τῆς ζωῆς διελθόντας ὁδοῦ τὸ (legam τῷ) ἄξιον γενέσθαι τὴν δύναμιν τῆς χάριτος παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβεῖν, ἀκωλύτως ἀναδραμεῖν [*Non oportet elevatos subsistere, sed porro pergere quo oportet: hoc enim est trahi à Patre, ubi totam viam angustam transieris, & dignus factus fis accipere virtutem Divinæ gratiæ, sine impedimento sursum currere*], &c v. Εἶτ' οὖν ὁ πατὴρ αὐτὸς ἕλκει πρὸς αὐτὸν πάντα τὸν καθαρῶς βεβιωκότα καὶ εἰς ἔννοιαν τῆς μακαρίας καὶ ἀφθάρτου φύσεως μεχρηκότα, εἴτε τὸ ἐν ἡμῖν αὐτεξούσιον εἰς γνῶσιν ἀφικόμενον τ' ἀγαθοῦ σπαρτῇ τε καὶ πηδᾷ ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, ἃ φασιν οἱ γυμνασταί, πλὴν οὐ χάριτος ἄνευ τῆς ἐξαιρέτου πτεροῦται τε καὶ ἀνίσταται καὶ ἄνω τῶν ὑπερκειμένων αἴρεται ἡ ψυχὴ, πᾶν τὸ βρίθος ἀποτιθεμένη καὶ ἀποδιδοῦσα τῷ συγγενεῖ [*Sive igitur Pater ipse trahit ad se omnem eum qui pure vixit & ad cogitandam naturam illam beatam atque immortalem se promovit, sive nostra voluntas ad cognitionem boni provecta exsultat, saltusque super dissepta, ut loquuntur Palæstritæ, certe non sine eximia gratia fit volucris & expergiscitur & supra impendentia attollitur anima, pondus omne deponens & resignans eis quæ talis sunt generis*]. Hierocles tractionem mere activam vocat ἔλλαμψιν [*illustrationem*], acceptatam vocat δεῖξιν [*ostensionem*]. Verba sunt, Οὕτω γὰρ ἡ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἔλλαμψις τῆς παρ' ἡμῶν ὁράσεως αὐτῇ συντρεχούσης γίνεται· ἔργα δὲ τῆς δείξεως, ψυχῆς ἄνεσις καὶ σωτηρία ἀπὸ τῶν τῇδε τύπων, καὶ συναίσθησις τῶν θείων ἀγαθῶν καὶ κοινωνία τῆς πατρικῆς πολιτείας [*Sic à Deo illustratio fit concurrente in id visu nostro: opera vero ostensionis, anima manumissio & à rebus his inferioribus liberatio, tum vero divinorum bonorum conscientia & paterni regiminis participatio*]. ¶ Ἀναστήσω αὐτόν, *resuscitabo eum*] Eum qui ad me venerit, ita ut & in me manserit.

45. Ἐν τοῖς προφήταις· *in Prophetis*] Esaiæ liv. 13. Jerem. xxxi. 34. in illo loco verba exstant; in hoc, item apud Ezechielem aliquoties & Micheam iv. 2. sensus idem. ¶ Ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ. *erunt omnes docti ipsius Dei*] יהוה

He-

Hebræum non participium eſt, ſed adjectivum, ſignificans *peritum, ſapientem.* Conjungitur cum genitivo, ut Eſaiæ VIII. 16. למדי, id eſt, *inter peritos meos*, & eo loco qui hic reſpicitur. At cum genitivus plures habere poſſit ſignificationes, congruentiſſima huic Eſaiæ loco eſt illa, ut intelligantur *bi qui periti ſunt divinæ inſtitutionis*; ſicut מכאב מכאב Eſaiæ LIII. 4 *Percuſſus Dei*, id eſt, *percuſſus à Deo*; εὐλογημένοι τοῦ πατρός, Matth. XXV. 34. id eſt, *benedicti à Patre.* Ergo διδακτοὶ Θεοῦ [*docti ipſius Dei*] duabus vocibus, aut διδακτοὶ πνεύματος ἁγίου [*docti Spiritus ſancti*], ut 1 Cor. II. 13. ſunt qui una voce Θεοδίδακτοι [*Deidocti*] Paulo. 1 Theſſ. IV. 9. Homerus idem exprimit voce αὐτοδίδακτος [*ſuidoctus*]. nam vocis pars illa prior hominem tantum magiſtrum excludit: ipſe explicat,

Αὐτοδίδακτος δ' εἰμὶ, Θεὸς δέ μοι ὤπασεν αὐδήν.
[*Ipſe à me didici: vocem Deus indidit in me*].

Vide Maximum Tyrium Diſſertatione Εἴ τις γένοιτο θείᾳ μοίρᾳ ἀγαθός [*an quis bonus ſit Divino beneficio*], ubi illum Homeri locum expendit. *Omnes* autem intellige apud Prophetam, omnes eos quibus ſermo Euangelii annuntiatur: Hi omnes à Deo docti evadent, nempe ſi velint, ſi avidi ſint, ſi non reſpuant oblatum & ingeſtum ultro beneficium: non opus habebunt adire viros literatos, ut ex iis hauriant myſteria Veteris Teſtamenti. Sic & in 1 Epiſt. II. 27. Adde 1 Theſſ. IV. 9. & Jer. XXXI. 34. ¶ Ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ μαθών, *qui audivit à Patre & didicit*] Qui ita audit ut docilem ſe præbeat, ut ad diſcendum ſe comparet, ut afflatus Dei admittat in animum. Vetus manuſcriptus poſt μαθὼν [*didicit*] adjicit ἀληθείαν [*veritatem*]. ¶ Ἔρχεται πρός με. *venit ad me*] *Se mihi dedit:* quod eſt credere.

46. Οὐχ ὅτι τὸν πατέρα τις ἑώρακε, *Non quia Patrem vidit quiſquam*] Interpretatio ante dictorum, non quod cum Patre quiſquam ita verſetur familiariter ut ab eo ipſo intelligat quid faciendum ſit. Vide ſupra I. 18. V. 37. ¶ Εἰ μὴ, *niſi*] Recte verteris *ſed*, ut hic Syrus ܐܠܐ: ut ſenſus ſit, Veſtrum quidem nemo Patrem vidit; at vidit eum Filius: ita enim rectius cohærebit quod ſequitur, ἑώρακε [*hic*], &c. ¶ Ὁ ὢν παρὰ τοῦ Θεοῦ *qui eſt à Deo*] Ὁ μονογενὴς [*Unigenitus*] ſupra I. 18. qui Divinitus nobis conceſſus eſt. ¶ Οὗτος ἑώρακε τὸν πατέρα. *hic vidit Patrem*] Is ut intimus penovit Patris voluntatem. quare cum is eam revelat, tunc Pater trahit; & qui patiour ſe trahi, adducitur ut credat, ut obediat.

47. Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, *qui credit in me*] Alibi diximus *credere Jeſu*, eſſe verbis ejus fidem habere: *credere in eum*, eſſe ei confidere: quod Hebræi efferunt per בו [*credere*] addito ב [*in*], ut Eſaiæ XXVIII. 16. Ubi autem is qui loquitur agit de re quam ipſe nobis præſtiturus eſt, tum hæ duæ locutiones ferme in idem recidunt. *Credere* autem & *confidere* intellige, ita ut oportet, cum animo implendi conditiones propoſitas. ¶ Ἔχει ζωὴν αἰώνιον. *habet vitam æternam*] *Jus habet ad vitam æternam*, ut ſupra III. 16. V. 24 *Qui jus ad rem habet, rem habere videtur*, ajunt Juriſconſulti.

48. Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς. *Ego ſum panis vitæ*] Supra commate 35. Senſum eundem ſæpe repetit, tum ut infigatur animo, tum ut occaſio detur doceri volentibus interrogandi.

49. Τὸ μάννα ἐν τῇ ἐρήμῳ, *Manna in deſerto*] Repetit ipſorum verba, ſupra 31. ¶ Καὶ ἀπέθανον. *& mortui ſunt*] Id eſt, Non potuit illis Manna præſtare vitam, niſi ad breve tempus.

50. Ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων, *de cælo deſcendens*] Supra 33. Verbum præſentis temporis uſurpat, quia perpetuo poteſtas ipſius fluit à Patre. ¶ Ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ καὶ μὴ ἀποθάνῃ. *ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur*] Hebraiſmus pro, *Ut ſi quis ex eo ederit, non moriatur.* Intellige, poſtquam ſemel vitam ipſam (non jus tantum vitæ) adeptus fuerit: nam vita ex hoc pane procedens æterna eſt. Ita explicatur mox commate 51, & 54.

51. Ὁ ζῶν, *vivus*] Hebræis ſæpe Kal pro Hiphil: itaque ח ipſius eſt & ζῆν [*vivere*] & ζωοποιεῖν [*vivificare*], quo exemplo ζῶν [*vivens*] ſæpe dicunt Helleniſtæ pro ζωοποιῶν [*vivificans*]. Sic Actor. VII. 38. Hebr. IV. 12. 1 Petr. I. 3. ¶ Καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν, *& panis quem ego dabo, caro mea eſt*] Non tantum Sermo meus eſt pabulum ad vitam æternam (quod ſupra tractatum), ſed hoc erit & Mors mea. Nam idem quod Sermo docet, docet & Mors, tum Sermonis veritati teſtimonium præbens, tum exemplum eorum quæ Sermo præcipit, Obedientiæ, Patientiæ, Humilitatis, Dilectionis. ¶ Ὃν ἐγὼ δώσω, *quam ego dabo*] Et Pater dat, & dat Filius; Pater decreto, Filius voluntario obſequio. Sic & παραδίδωμι [*tradere*] modo de Patre dicitur, Matth. XVII. 22. & alibi; modo de Chriſto, Gal. II. 20. Epheſ. V. 2, 25. Vide infra X. 17, 18. *Dare corpus* dicitur qui vexandum, qui occidendum præbet, 1 Cor. XIII. 3. nam σὰρξ [*caro*] & σῶμα [*corpus*] promiſcue ſumuntur apud Interpretes pro Hebræo בשר. ¶ Τὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. *pro mundi vita*] Ut vitam æternam impetrem humano generi. Pro omnibus enim mortuus eſt, Heb. II. 9. Vide ſupra I. 29. III. 16.

52. Ἐμάχοντο οὖν, *litigabant ergo*] ריב Hebræum, quod μάχεσθαι [*pugnare*] plerunque vertunt Græci, ut Geneſ. XXXI. 36. Nehem. XIII. 11. ſæpe eſt *litigare*, quomodo hic vertit Interpres Latinus: ἀντιλέγειν [*contradicere*] vertitur Oſ. IV. 4. Alii putarunt ſubeſſe aliquid arcani: Pars major quod Chriſtus dixerat ut plane abſonum rejecerunt. Vide ſupra 41, 43. ¶ Λέγοντες, *dicentes*] Pars eorum. ¶ Πῶς δύναται οὗτος ἡμῖν δοῦναι τὴν σάρκα φαγεῖν; *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*]? Illud δύναται [*poteſt*] ſume non φυσικῶς [*naturaliter*] ſed ἠθικῶς [*moraliter*]. Sic Juriſconſulti *impoſſibiles conditiones* vocant quæ honeſtati repugnant. Sic δύνασθαι [*poſſe*] habemus Matth. IX. 15. In hoc impoſſibilium genere eſt veſci humanis carnibus: δοῖνη δυσσεβὴς [*epula impia*] Moſchioni: *impium dapem* dixit vetus apud Latinos Tragicus.

53. Ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem*] Ut attentionem & diſcendi cupiditatem excitet, ſerio affirmat id quod illi abſurdum putabant non tantum honeſtum eſſe ſed & factu neceſſarium, iis ſcilicet qui per Euangelium vocarentur. Quo ſenſu Carnem ſuam *cibum* appellaverit jam diximus. Hic diſcernit Carnem & Sanguinem, ut ſignificet mortem non quamvis ſed violentam & cruentam. Clemens Alexandrinus Pædagogo primo ipſum Verbum ait vocari *carnem* & *ſanguinem*; nec aliter Tertullianus libro De reſurrectione carnis: ſed verum eſt quod jam diximus, mortem Chriſti eſſe quaſi verbum viſibile. Duobus modis ſapientiam ait doceri Seneca, præceptis & exemplis. In Chriſti morte perfectiſſimum eſt exemplum tum virtutum aliarum, tum præcipue dilectionis, quam imitari compendium eſt præceptorum. Vide infra XIII. 34. XV. 12, 13. 1 Epiſt. II. 6, 9, 10, 11. 1 Cor. XI. 1. Vide & Coloſſ. I. 24. Hoc ergo eſt *edere* & *bibere*, Uti exemplo; quomodo hunc locum interpretatur Baſilius Apologia ad Cæſarianos. Hoc ipſum Auguſtinus vocat *communicare Paſſioni Domini*: nam ſicut cibus ac potus in corpus admiſſi hominem nutriunt, ita bona exempla in animum admiſſa eum mirabiliter confirmant. Pro *carne*, *corpus* habet Syrus; quæ vox & in Euchariſtiæ inſtitutione legitur; ad quam hic, ut diximus ſupra ad caput tertium, tacita quædam alluſio eſt: ibi cibus & potus vocantur *corpus & ſanguis*, hic corpus & ſanguis appellantur *cibus & potus*. Nimirum, ut apud vererem eſt Scriptorem, *Significantia & ſignificata iiſdem vocabulis cenſentur*. Et mos erat Prophetis ex comparationibus aut tranſlationibus uſitatis ſigna viſibilia ſumere quibus efficacius rem animis hominum ingererent. ¶ Οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. *non habetis vitam in vobis*] Quid ſit *habere vitam, æternam* ſcilicet, dictum eſt aliquoties. Illud autem ἐν ἑαυτοῖς [*in vobis*] poſt ἔχειν [*habere*] eſt πλεονασμὸς [*ſermo exuberans*] Hebraicus, ut Matth. XIII. 21. Marci IX. 50. ſupra V. 26, 42. 1 Epiſt. III. 15. Senſus eſt, *Non eſt vobis jus ad vitam æternam.*

54. Καὶ ἐγὼ ἀναστήσω αὐτὸν, *& ego reſuſcitabo eum*] Eſt epexegeſis ejus quod præceſſit. *Habet jus ad vitam æternam, quia ego eum excitabo ex morte*, ad vitam ſcilicet & gloriam.

55. Ἀληθής ἐστι βρῶσις, *vere eſt cibus*] *Eminentiſſime*: de qua vi hujus vocis diximus jam ſupra aliquoties. Tale illud,

- - *Qui paſtus pulcherrimus eſt animorum.*

Philo II de Allegoriis, Θεωρία τῶν θείων τροφίμους [*Contemplatione rerum Divinarum alitus*]. Idem, Οὐ γηίνοις καὶ φθαρτοῖς τρέφεται ἡ ψυχὴ, ἀλλ' οἷς ἂν ὁ Θεὸς ὀμβρήσῃ λόγοις [*Anima non terrenis rebus & corrumpi natis paſcitur, ſed verbis quæ Deus depluerit*].

56. Ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ. *in me manet, & ego in illo*] *Unitus eſt mihi, & ego illi*, amore mutuo: nam μένειν [*manere*] ut jam ante notavimus, Johanni eſt *eſſe*, *habitare in* in *aliquo*: quod figura ſatis uſitata ad animum transfertur. Amans eſt ubi amat. Quod autem hic tribuitur manducationi carnis & ſanguinis, id alibi tribuitur dilectioni fraternæ, 1 Epiſt. III. 2, 3, 24. IV. 16. ut appareat hæc eodem recidere.

57. Καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν πατὴρ, κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem*] Puto hoc eſſe prius membrum comparationis, non comparationem per ſe. Eſt autem Enallage, *Miſit me vivens Pater,*

id eſt, Vivit Pater qui me miſit. Paſſim in Sacris Literis Deus dicitur *Deus vivens*, ut Deuter. v. 26. & alibi, quia fontem omnis vitæ in ſe habet: διὰ [*propter*] pro *per* hic & ſequenti commate, quanquam cum caſu quarto, cauſam efficientem denotat: διὰ τὸς Θεὸς [*propter Deos*] apud Demoſthenem, id eſt, *deorum beneficio*. Heſiodus de Jove,

Ουτε δια βροτοι ἄνδρες ὁμῶς ἀΦατοί Φατόν τε.
[*Per quem ſunt homines obſcuri & nomine clari*].

Sic ferme ſupra IV. 41, 42. Et Marci II. 4. ¶ Καὶ ὁ τρώγων, *& qui manducat*] Hic καὶ [*&*] eſt *ſic*, ut infra X. 15. XV. 9. 1 Epiſt. II. 18. ¶ Δι' ἐμέ *propter me*] Me ipſi vitam dante, ſicut Pater mihi dedit vitam & jus vivificandi.

58. Ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς· *qui de cœlo deſcendit*] Vide ſupra III. 13. ¶ Οὐ καθὼς, *non ſicut*] Hebraiſmus: pro, *non ſimilis ei pani*. Par locutio, ἅτις [*ſic*] Rom. IV. 18. ſupra III. 8. & alibi. ¶ Καὶ ἀπέθανον. *& mortui ſunt*] Iterum Hebraiſmus copulam ponens pro relativo: *Non talis panis qualis ille, quo manducato patres veſtri mortui ſunt.*

59. Ἐν συναγωγῇ διδάσκων, *in Synagoga docens*] Palam, loco publico, ubi plurimi erant teſtes ſermonis. Facit hoc ad fidem narrationis, ut Actor. XXVI. 26.

60. Ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, *ex Diſcipulis ejus*] Non ex Duodecim, ſed ex aliis qui frequentiores erant Jeſu ſectatores. ¶ Σκληρός, *Durus*] קשה Syrus hic, quæ vox paſſim per σκληρὸν [*durum*] vertitur à Græcis, ut Deuter. I. 17. Significat autem *perplexum*, *inexplicabile*. ¶ Τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν; *quis poteſt eum audire*]? *Quis patiemur audiat?* Hic vero ſemet accuſant qui de dubiis Magiſtrum non interrogent.

61. Σκανδαλίζει; *ſcandalizat*]? *Offendit vos* tanquam incredibile, ut ſupra 52.

62. Ἐὰν οὖν θεωρῆτε, *Si ergo videritis*] Si aut ipſi videritis aut aliorum certo teſtimonio cognoveritis: nam & *cognoſcendi* ſignificatum habet, ut ſupra IV. 19. infra XII. 19, 45. XIV. 17. Actor. XXI. 20, Hebr. VII. 4. ¶ Ἀναβαίνοντα ὅπου ἦν τὸ πρότερον; *aſcendentem ubi erat prius*]? In cœlum ubi ante fuit ὁ Λόγος [*Verbum*] cum eſſet πρὸς τὸν Θεὸν [*apud Deum*], ſupra I. 1. nam Dei regio cœlum. Tribuit Chriſtus ſibi quod τῷ Λόγῳ [*Verbo*] convenit: Quid ni? cum & Animum & Corpus ſeorſim ſoleamus appellare *hominis* vocabulo. Etiam animis mortuorum Homerus dat propria hominum nomina. Et modo Chriſtus cum *carnem* & *ſanguinem* ſuum nominaſſet, ſubjunxit *me*. Vide infra XX. 2, 13. Eſt autem hic apoſiopeſis, ut ſæpe apud quoſlibet auctores, poſt *Quid ſi*: Varia ſupplent Interpretes. Ego ſic ſuppleam, *An tunc ſaltem non percipietis quod nunc non percipitis, verba mea non poſſe ex uſu populari intelligi? nam corpore meo procul in cœlum amoto, nulla ſpes erit ejus manducandi ſecundum ſenſum illum craſſiorem.*

63. Τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν, *Spiritus eſt qui vivificat*] Res ſunt animi, quibus vita æterna comparatur. Diximus ad Matth. XXVI. 41. voce רוח [*ſpiritus*] modo τὸ ἡγεμονικὸν [*vim illam quæ imperat*] ſignificari, modo *animum* totum, ut infra XI. 33. XIII. 21. Actor. XIX. 21. Atque hoc poſteriore ſenſu hic ſumere ſimplicius eſt. ¶ Ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν. *caro non prodeſt quicquam*] Caro nulla, ne mea quidem, ita ut vos putatis ſumta, poteſt vitam dare æternam: eſt enim pabulum temporarium. ¶ Τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λελάλημα ὑμῖν, πνεῦμά ἐστι, *verba, quæ ego locutus ſum vobis ſpiritus ſunt*] Præcepta mea, quæ morte mea, quam *carnis* & *ſanguinis* nomine ſignificavi, ſanciemus, pertinent ad animi actiones. Ergo πνεῦμα [*ſpiritus*] hic ſignificat πνευματικὰ [*ſpiritualia*], quomodo ferme πνεῦμα [*ſpiritus*] etiam ſumitur II Corinth. III. 6. ſignificans Chriſti præcepta cordi inſcripta, id eſt, cor conformatum Chriſti præceptis. ¶ Καὶ ζωή ἐστιν. *& vita ſunt*] Καὶ [*Et*] pro *ideo*, ut ſupra V. 30. Quia ad animi actiones pertinent, ideo ad vitam æternam proficere poſſunt, quæ alia re nulla eſt parabilis. Dicitur autem *vita* id quo vita æterna paratur, ut infra XII. 50. XVII. 3. Hinc mox vocantur ῥήματα ζωῆς αἰωνίου [*verba vitæ æternæ*], ubi genitivus, ut ſæpe, continet Effecti ſignificationem.

64. Ἀλλ' εἰσὶν ἐξ ὑμῶν τινες οἳ οὐ πιστεύουσιν. *Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt*] Sed non miror perverſe hæc à vobis accipi: Sunt enim veſtrorum non pauci qui fidem mihi non adhibent, idque ob animi ſuperbiam ac contumaciam. ¶ Ἤδει γὰρ ἐξ ἀρχῆς, *ſciebat enim ab initio*] Jam ab initio, ex quo eum ſectari illi cœperant, noverat cujuſque animum. Sic ἐξ' ἀρχῆς [*ab initio*] Luc. I. 2. ¶ Καὶ τίς ἐστιν ὁ παραδώσων αὐτόν. *& quis eſſet traditurus eum*] Non tantum in reliqua ſectantium ſe turba, ſed & in numero Duodecim ſciebat unum eſſe qui animum ſibi addictum non haberet, & qui ſcelera ſceleribus cumulando ad Magiſtri proditionem perventurus eſſet.

65. Διὰ τοῦτο εἰρηκα ὑμῖν, *Propterea dixi vobis*] Quia hoc verum eſſe ſciebam, ideo modo dixeram ea quæ exſtant commate 44. ¶ Ἐὰν μὴ ᾖ δεδόμενον αὐτῷ ἐκ τοῦ πατρός μου. *niſi fuerit ei datum à Patre meo*] Hic *dare alicui* vocat quod ſupra *aliquem trahere*, dare ſcilicet ut penitus Chriſto credat: quod non datur niſi piis, modeſtis, diſcendi avidis. Sic Juriſconſulti notant ſæpe *datum* id intelligi quod & acceptatum ſit.

66. Εἰς τὰ ὀπίσω, *retro*] Id eſt, Redierunt unde venerant. Sic ἀποστρέΦεσθαι εἰς ὀπίσω [*verti retro*] in Pſalmis & alibi. Sic Luc. XVII. 31. infra XVIII. 6. ἀπελλοτριώθησαν εἰς τὰ ὀπίσω [*abalienati ſunt retrorſum*] Iſaiæ I. 4. ¶ Οὐκέτι μετ' αὐτοῦ περιεπάτουν. *jam non cum illo ambulabant*] Ne reverſi quidem ſunt ut cum ſectarentur.

67. Μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε ὑπάγειν; *Numquid & vos vultis abire*]? Oſtendit ſe nullius miniſterium ſui cauſâ quærere, ac ne velle quidem diſcipulos niſi volentes.

68. Σίμων Πέτρος, *Simon Petrus*] Cæteris ſervidior ac proinde ſocietatis nomine ſermonem ſuſcipiens. ¶ Πρὸς τίνα ἀπελευσόμεθα; *ad quem ibimus*?] Nihil tale docent Scribæ. Matt. VII. 29. Johannes autem Baptiſta ipſe nos ad te relegavit. ¶ ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις· *Verba vitæ æternæ habes*] Affirmat idem ſe ſentire quod Chriſtus modo dixerat, Ipſius ſermones duces eſſe ad vitam æternam.

69. Καὶ ὑμεῖς πεπιστεύκαμεν, *Et nos credidimus*] Jampridem Johanni tibique affirmanti id credidimus. ¶ Καὶ ἐγνώκαμεν, *& cognovimus*] Imo certo quaſi perſuaſi ſumus, tum miraculorum conſpectu, tum ſermonis efficacia atque auctoritate. Sic & ſupra IV. 42. poſt πιστεύομεν [*credimus*] ponitur οἴδαμεν [*ſcimus*]. Clemens Stromatum VI. πίστιν γνωστικὴν [*fidem ſcientificam*] ſitam ait ἐν βεβαίᾳ καταλήψει [*in firma comprehenſione*]. ¶ Ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστός, *te eſſe Chriſtum*] Ac proinde tibi in omnibus tum quæ capimus, tum quæ non capimus fidem habendam. Eodem ſenſu idem mox de Jeſu Martha affirmat XI. 27. ¶ Ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. *Filium Dei viventis*] Non Joſephi, ut modo cæteri dixerant. Vide Matth. XVI. 16.

70. Τοὺς δώδεκα ἐξελεξάμην, *duodecim elegi*] In propiorem amicitiæ gradum, in contubernium. ¶ Εἷς διάβολός ἐστιν; *unus Diabolus eſt*]? Qui innocentibus malum ſtruunt vocantur διάβολοι [*Diaboli*], ut Matth. XIII. 39. Neque tantum reſpondet hæc vox voci *Satana* quam hic uſurpat Syrus, de qua egimus Matth. XVI. 23. ſed & voci שטן [*hoſtis*], ut cum Amani hoc nomen tribuitur Eſth. VII. 4. VIII. 1. Indicat Chriſtus melius Petrum de ſodalibus ſuis ſentire quam res haberet, & uniuſ exemplo cæteros ſollicitos reddit. Videtur autem Judas jam tum Jeſu male voluiſſe, quod ejus præcepta ab ipſius ſtudiis plurimum diſcreparent.

71. Ἔλεγε δὲ τὸν Ἰούδαν, *Dicebat autem Judam*] Hoc addidit Johannes, ne quis de alio quo Apoſtolorum dictum hoc ſuſpicaretur.

CAP. VII.

VALLA.

3. *Dicunt autem ad eum fratres ejus*] Et ſtatim poſt, v. 5. *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Scio ſupervacuum eſſe repetere, *ejus* dictum eſſe pro *ſui*; ſed frequentius noto quod doleo me hoc crebro uſu Interpretis diu fuiſſe deceptum.

8. *Ego non aſcendo ad diem feſtum iſtum*] Cur negavit ſe Jeſus aſcenſurum ad diem feſtum, cum eſſet aſcenſurus, quaſi mentiretur? Sciamus igitur Græce legi, *Ego nondum aſcendo ad diem feſtum hunc*, ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω.

12. *Et murmur multus de eo erat in turba*] Aut *rumor multus* tranſtulit Interpres, aut ideo dixit *multus* pro *multum* (niſi forte culpa librarii eſt) quia *murmur* generis eſt apud Græcos maſculini, & ex conſequenti *multus*, γογγυσμὸς πολύς.

14. *Jam autem die feſto mediante*] Inſolens ſane ſermo eſt & pene barbariam olens, pro *in medio feſto*, vel *circa medium feſti*, ſic dicere, *die feſto mediante*, quod ego nunquam niſi è Græco intellexiſſem, ἤδη δὲ τῆς ἑορτῆς μεσούσης.

24. *Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate*] Quia vocabulum illud quod ſignificat *perſonam*, & poteſt & ſolet transferri *facies*, ideo nunc, ne illud ſignificare *facies* videatur, tranſtuliſſem hoc *ſecundum aſpectum*, quod etiam magis Græco reſpondet, κατ' ὄψιν.

29, 30. *Ego ſcio eum, & ſi dixero quia neſcio eum, ero*

ſi-

ſimilis vobis, mendax: & ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. Quærebant igitur eum apprehendere] Septem Græca exemplaria legi in quorum ſingulis ita ſcriptum eſt, *Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ille me miſit. Quærebant igitur eum apprehendere:* ἐγὼ οἶδα αὐτὸν, ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι, κἀκεῖνός με ἀπέστειλεν· ἐζήτουν οὖν. Cætera verba abſunt, neque à Græcis exemplaribus tantum, ſed etiam à pleriſque Latinorum. Ergo non hoc loco, ſed poſterius ſunt illa verba, *Et ſi dixero quia neſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax*, cap. 8. 55.

ERASMUS.

1. IN *Galilæam, non enim volebat in Judæam*] Euangeliſta ſcripſit *in Galilæa, & in Judæa,* ἐν Γαλιλαίᾳ, & ἐν Ἰουδαίᾳ. Nam *ambulare* poſitum eſt pro *verſari*. Quod genus eſt illud, *Cum bonis ambula*, pro eo quod erat, *Cum bonis viris habe conſuetudinem.* In eo quod ſequitur Chryſoſtomus nobiſcum facit: non enim legit, *non volebat in Judæa ambulare*; ſed, *non poterat in Judæa ambulare.* Quod quo magis perſpicuum fiat, ipſius verba ſubſcribam, *Poſt hæc ambulabat Jeſus in Galilæa*] *Non enim habebat poteſtatem in Judæa.* Atque ut palam ſit Chryſoſtomum Euangeliſtæ verba recenſere, præmiſerat quod his verbis Euangeliſta ſignificat, moxque ſubjicit, *Quid dicis, beate Joannes,* NON ENIM HABEBAT POTESTATEM IN JUDÆA AMBULARE, *qui poteſt omnia quæ vult?* &c. Ac mox, *Cum enim eum non habere poteſtatem dicit, tanquam de homine qui humana operatur dicit.* Ex his palam fit Chryſoſtomum non legiſſe ἤθελε, ſed εἶχεν ἐξουσίαν. Et offenſus quiſpiam ſententia, quod abſurdum videretur non potuiſſe illic verſari Jeſum, qui cum viſum eſſet è mediis inſidiantium manibus elabebatur, mutavit εἶχεν ἐξουσίαν in ἤθελεν, i. *valebat* in *volebat*: ſiquidem in Latinis vocibus facilis lapſus fuerat. Et à nobis hic error videri poterat ortus, niſi tantus eſſet ſecus legentium conſenſus. Quanquam cum Chryſoſtomo conſentit Cyrillus, qui locum hunc enarrans, ita loquitur, AMBULABAT, *i. converſabatur*, IN GALILÆA: *quod non ultro nec libenter ſed neceſſario factum adjecta cauſa oſtendit. Idcirco, inquit, in Galilæa cum alienigenis longo tempore fuit*, QUIA JUDÆI QUÆREBANT IPSUM INTERFICERE. *Etenim cum ait eum nolentem verſatum in Galilæa, ſignificat illis non licuiſſe verſari in Judæa.* Proinde nos rem lectoris arbitrio relinquimus, licet gravis eſſe debeat Chryſoſtomi & Cyrilli autoritas. In Theophylacto legitur ἤθελεν, etiamſi ex interpretatione non ſatis liquet quid legerit. Quin ſubodorari licet & Auguſtinum legiſſe *valebat*, cum ait, *Non ipſe perdiderat poteſtatem, ſed noſtram conſolabatur fragilitatem.* Habemus igitur tres autores haudquaquam levès, qui legunt *non valebat.* Theophylactus fuit recentior, & haud ſcio an poſt Græcos Romanæ Eccleſiæ ſederatos. Quod ſi ob hujuſmodi ſcrupulos fas eſt mutare ſcripturam, mutandus erat locus Marc. 6. 5. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi quod paucos infirmos impoſitis manibus curavit: & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Item illud apud eundem 1. 45. *Ita ut non poſſet manifeſte intrare in civitatem.* In his non verba mutanda ſunt, ſed verborum ſenſus inquirendus. *In Judæa non poterat verſari*, quia nolebat præveniri tempus paſſionis. Apud Marcum *non poterat multa miracula edere*, quia obſtabat incredulitas hominum. *Judæam* autem hic appellat non totam Judæorum regionem, in qua erat & Galilæa, ſed eam quæ duas tribus complectitur, Juda & Benjamin.

2. *Scenopegia*] Σκηνοπηγία. Quæ vox compoſita Græcis dicta eſt à *figendis tabernaculis.* Noſtri perperam addunt aſpirationem, quam Græca dictio reſpuit.

4. *Et quærit ipſe in palam eſſe*] Καὶ ζητεῖ αὐτὸς ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι *& quærit ipſe in libertate eſſe*, h. e. libere & audacter loqui. Quanquam juxta Chryſoſtomi interpretationem ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι plane videtur uſurpatum pro *celebrem eſſe*; quod cognati illius judicarent hoc ad gloriam ejus facere, ut declararet ſe mundo. Porro an reperiatur apud probos autores *in palam*, ſicut *in coram*, aliis excutiendum relinquo.

8. *Ego enim non aſcendam*] Ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω *nondum aſcendo.* Alioqui mentitus videri poterat, qui ſe negarit aſcenſurum, cum tamen aſcenderit. Idque palam indicavit Chryſoſtomus, ne cui noſtra levis ſit autoritas. Cyrillus legit, *Ego non aſcendo*, exponens hoc ſermone ſignificatile Legis ceremonias abolendas, ſed paulatim. Aſcendit igitur, & non aſcendit, quaſi mox ſubducturus ſeſe. In exemplaribus Donatiani ſcriptum erat, *Ego enim nondum aſcendam*: rurſus in vetuſto exemplari quod habebatur Lovanii in Collegio Canonicorum Martinenſium: conſentiebat codex Conſtantienſis.

12. *Murmur multus*] Γογγυσμὸς πολὺς *murmuratio multa*, ſive *murmur multum*, ut legit Auguſtinus.

13. *Nemo tamen palam loquebatur*] Παῤῥησίᾳ ἐλάλει *libere loquebatur.*

14. *Jam autem feſto mediante*] Utinam tam feliciter quam audacter Interpres expreſſiſſet vocem Græcam μεσούσης *mediante.* Cæterum Latine dicendum erat, *Cum dimidium feſti peractum eſſet*, aut *Circa medium feſti.*

22. *Propterea Moſes dedit vobis circumciſionem*] In ſuperiore loco eſt Legis, hic Circumciſionis mentio. Hoc admoneo quod in Latinis aliquot cod. hic quoque habebatur *legem.*

23. *Mihi cur indignamini*] Ἐμοὶ χολᾶτε *mihi ſuccenſetis.* Et *cur* adverbium non additur, nec in Græco, nec in antiquis exempl. ne in Aureo quidem codice: tantum eſt, *mihi indignamini.*

24. *Nolite judicare ſecundum faciem*] Κατ' ὄψιν *ſecundum affectum*, h. e. vulgari more, nimirum ex his quæ corporalibus cernuntur oculis. Auguſtinus De verbis Apoſtoli ſerm. 19. citat hoc modo, *Nolite judicare perſonaliter, ſed juſtum judicium judicate.* Quanquam Græcis non eſt κατὰ πρόσωπον, & tamen πρόσωπον ab *affectu* dicitur: πρόσωπον autem interdum vertunt *perſonam*, ut καθὸν πρόσωπον *juxta perſonam.*

26. *Ecce palam*] Ἰδοὺ παῤῥησίᾳ λαλεῖ *libere loquitur*, ſive *audacter loquitur.* Omiſſa eſt nobis conjunctio καὶ, quæ tamen vim habeat adverſativam; quemadmodum paulo ſuperius, *& in Sabbato circumciditis hominem.* Ne quis admiretur tamen à nobis additum, quo proprietatem ſermonis magis explicaremus. ¶ *Nunquid vere cognoverunt quia hic eſt Chriſtus*]? In nonnullis Græcorum exempl. repetitur *vere*, ἀληθῶς, *Num vere cognoverunt hunc eſſe vere Chriſtum?* Ad eum quidem modum legit Theophylactus. Cæterum apud Chryſoſtomum non additur.

29. *Ego ſcio eum: & ſi dixero*, &c.] Græca ſic habent, Ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτὸν, ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι, κἀκεῖνός με ἀπέστειλεν· ἐζήτουν οὖν, &c. *Ego vero novi eum, quia ab eo ſum, & ille me miſit. Quærebant igitur*, &c. Antiquiſſimi codices propemodum conſentiunt cum Græcis: nam ſic habent, *Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe miſit me. Quærebant ergo eum apprehendere.* Proinde conſentaneum vero eſt ea verba, *Et ſi dixero quia non novi eum, ero ſimilis vobis, mendax*, è ſine proximi capitis huc tranſcripta fuiſſe à ſtudioſo quopiam conferente loca, moxque à parum attento in contextum relata, cum nec Auguſtinus nec Chryſoſtomus in Commentariis ſuis attingant hanc particulam.

35. *In diſperſionem Gentium iturus eſt*] Ἑλλήνων *Græcorum*: quod tamen aliquoties pro quibuſvis *gentibus* uſurpat. Ut paulo poſt, *docturus gentes*, τοὺς Ἕλληνας, i. *Græcos.*

38. *Qui credit in me, ſicut dixit Scriptura*] Ita diſtinguit Johannes Chryſoſtomus ut *ſicut dicit Scriptura* referatur ad verbum *credit in me*, & id quod ſequitur *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* verba ſint Chriſti & non Scripturæ: ut hic ſit ſenſus, Scriptura monet ut mihi credatur: nam de me teſtificatur. Ergo qui crediderit in me, juxta quod Scriptura monet, futurum eſt ut ille concepto Spiritu meo effundat flumina efficacis doctrinæ. Id apertius etiam tradit Theophylactus, admonens ut ita diſtinguamus, *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura:* & interpoſito puncto ſubjiciatur, *flumina de ventre ejus*, &c. quaſi moneat ipſi credendum ob Scripturas potius hoc jubentes quam propter miracula. Ad hunc diſtinctionem confugit Chryſoſtomus, quod ea verba quæ ſequuntur uſquam legantur in Divinis literis. Etiamſi Lyranus ex Salomone citata putat, ſecutus, opinor, autoritatem Hieronymi, qui in Prologo ſuper Pentateuchum indicat hunc locum non eſſe in libris à LXX verſis, ſed ex Hebræorum fontibus petendum. Idem apertius etiam affirmat in Prologo Paralipomenan. Thomas conjectat locum eſſe Proverb. 5. 16. *Derriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.* Verum hanc conjecturam ipſa refellit res. Cum enim interpretatio LXX nihil hic diſſentiat à noſtra editione Eccleſiaſtica, conſequitur ut aut hic non ſit locus de quo ſenſit Hieronymus, aut tranſlatio qua utitur Eccleſia non reſpondeat Hebraicæ veritati. Sic enim legunt Graci, Τπερεχεῖσθω σοι τὰ ὕδατα ἐκ τῆς σῆς πηγῆς, εἰς δὲ σὰς πλατείας διαπορεύεσθω τὰ σὰ ὕδατα, *Effundantur tibi aquæ è tuo fonte, & in plateas tuas deriventur tuæ aquæ.* Proinde aut Chryſoſt. ſubſcribendum eſt, aut alius quærendus locus. Quin & Auguſtinus ſic enarrat hunc locum ut hæc verba tribuat Chriſto,

Qui

Qui crediderit in me: ſcribit enim hunc in modum, *Unde enim dixerit Dominus*, SI QUIS SITIT, VENIAT AD ME, ET BIBAT: *&*, QUI CREDIT IN ME, FLUMINA DE VENTRE EJUS FLUENT AQUÆ VIVÆ, *conſequenter expoſuit Euangeliſta, dicens*, &c. Auguſtinus Dominum loquentem facit, de citata Scriptura nulla mentio. Cæterum quod Carrenſis velut ex Chryſoſtomo autore mutat *aquam vivam* in *fontem vivum*, quid ſibi velit ipſe viderit: nihil enim hujulmodi reperies apud Chryſoſtomum, verum is ex alio loco citat, *Fiet in eo fons aqua ſalientis in vitam æternam.* Denique illud extra controverſiam eſt, hanc partem, *flumina de ventre ejus*, non ad Chriſtum pertinere, ſed ad hominem credentem. Alioquì ſermo eſſet inabſolutus.

39. *Nondum erat Spiritus datus*] Pro *datus* Græce eſt *ſanctus*: nec additur *datus*. Cæterum offenſus quiſpiam prima ſermonis fronte, quaſi Spiritus ſanctus aliquando non fuerit, pro *ſanctus* fecit *datus*. Atqui nihil erat periculi. Agit enim non de ſubſtantia Spiritus Sancti, verum de illo munere & afflatu quo Apoſtoli ſubito mutati ſunt in alios viros. Atque id propemodum licet ex Chryſoſtomi verbis colligere: quanquam apud hunc ſemel atque iterum repetitur *Spiritum datum*, quemadmodum & apud Theophylactum, conſentientibus & vetuſtiſſ. exempl. Latinis. Itaque ſuper hac re nihil pronuncio, niſi in Græcorum codicibus conſtanter haberi ſcriptum, *Nondum enim erat Spiritus Sanctus.* Certe Theophylactus, cujus exemplar eſt apud Prædicatores Batileenſes, plane legit *Spiritus ſanctus*, & interpretatur, NON ERAT, id eſt, *non erat datus.* Imo ſi quis attentius legat Auguſtini Commentarium, comperiet & ipſum legiſſe quemadmodum comperimus ſcriptum in Græcorum voluminibus, etiamſi ſcriba ſubinde admiſcet *datus.* Sic enim movet quæſtionem, *Sed quid eſt quod ait?* NON ERAT SPIRITUS DATUS, QUIA JESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS? *In evidenti eſt intellectus. Non enim non erat Spiritus Dei qui erat apud Deum, ſed nondum erat in eis qui crediderant in Jeſum. Ita enim diſpoſuit Dominus Jeſus, non eis dare Spiritum iſtum de quo loquimur niſi poſt reſurrectionem ſuam: & hoc non ſine cauſa.* Ac mox movet alteram quæſtionem, Quomodo negetur fuiſſe Spiritus Dei in Sanctis, cum legamus Prophetas, Simeonem, Annam viduam non caruiſſe Spiritu Sancto, Zachariam repletum Spiritu Sancto, in Virginem matrem deſcendiſſe Spiritum Sanctum. Ad quam ita reſpondet ut fateatur eundem quidem fuiſſe Spiritum, ſed modum donationis fuiſſe diverſum. Quod ſi Auguſtinus legiſſet *datus*, nullus erat locus priori quæſtioni. Neque ſecus legiſſe videtur Origenes: ſic enim ſcribit, *Neque enim venerat ſuper aliquem ipſorum credentium in Jeſum Spiritus Sanctus, ſicut teſtatur Johannes. Spiritum Sanctum* audis, *dati* nulla mentio. Quin & D. Hieronymus ad Hedybiam quæſt. 9. ita citat hunc locum ut *datus* ſuperſit: ait enim ſubjiciens, *non quod non eſſet Spiritus Sanctus*, &c. Si additum fuiſſet *datus*, non erat occurrendum quæſtioni. Ego arbitror primam ſcripturam nec *datus* habuiſſe nec *ſanctus*, ſed *ſanctus* adjectum à Græcis, *datus* à noſtris. In cod. Conſtantienſi Latino *datus* recentiore manu ſuperſcriptum erat in intervallo verſuum. Chryſoſtomus in Acta Apoſt. hom. 3. & 2. legit, *Nondum enim erat Spiritus.* Annotandum & illud, quod apud Græcos hic non additur articulus, ſed eſt πνεῦμα ἅγιον, quod, ut dixi, non loquitur de natura Spiritus, ſed de Spiritus vi: ac perinde ſonat, *non erat Spiritus*, i. *Diſcipuli adhuc erant carnales.*

40. *Ex illa ergo turba*] Πολλοὶ οὖν ἐκ τῆς ὄχλου ἀκούσαντες, *Multi igitur de turba cum audiſſent.*

49. *Maledicti ſunt*] Ἐπικατάρατοι *devoti* ſive *exſecrabiles.*

52. *Scrutare Scripturas*] *Scripturas* apud Græcos non additur, ne apud Chryſoſtomum quidem; quanquam non omnino perperam additum eſt. Tametſi poteſt idem & aliis conjecturis exquiri præter Scripturas. Tantum eſt ἐρεύνησον. Græcæ lectioni ſuffragantur codices S. Donatiani, & Conſtantienſis. ¶ *Ex Galilæa Propheta non ſurgit*] Οὐκ ἐγήγερται *non ſurrexit*, ſive *exortus eſt*: ut intelligas neminem exortum. Atque ita legit Chryſoſtomus. Colligunt enim ex præteritis quod futurum eſt. In Auguſtini Commentariis legitur *ſurget*, ſed adjicit, *Sed Dominus Prophetarum inde ſurrexit*, quaſi legerit & ipſe *ſurrexit.* Arbitror tamen germanam eſſe lectionem quam ſequitur Interpres.

53. *Et reverſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam*] Hæc clauſula non additur apud Chryſoſtomum, ne apud Theophylactum quidem.

VATABLUS.

1. *Ambulabat*] *Verſabatur.* ¶ *Galilæam*] *Galilea*, Vet. ¶ *Non enim volebat*] Chryſoſt. legit, *non poterat*, vel, *non habebat poteſtatem:* Sic Cyrillus & Auguſt. ¶ *Judæam*] *Judæa*, Vet.

2. *Scenopegia*] i. Feſtum Tabernaculorum.

4. *Palam eſſe*] i. Libere verſari in ore & ſermonibus liberis hominum: vel, celebrem eſſe. ¶ *Si hæc facis*] Vel, *cum talia facias:* vel, *ſi talia deſignas, qualia de te vulgo feruntur.*

5. *Neque enim fratres*] *Nam ne fratres quidem.*

6. *Advenit*] *Adeſt.*

8. *Non aſcendam*] *Nondum aſcendam*, Vet. i. nondum aſcenſurus ſum.

9. *Dixiſſet, ipſe*] *Dixiſſet ipſis.*

12. *Quidam enim*] *Alii quidem.* ¶ *Turbæ*] *Turbam:* i. imperitam & rudem hominum multitudinem: vel, vulgus inductum.

13. *Palam*] Vel, *libere.*

14. *Jam autem die feſto mediante*] *Cum autem jam dimidium Feſti peractum eſſet.*

17. *Cognoſcet*] i. Intelliget. ¶ *Utrum ex Deo ſit*] i. An à Deo miſſus ſim ego, qui loquor vobis.

22. *Non quia ex Moſe eſt*, &c.] i. Quæ non modo à Moyſe eſt, ſed etiam ex patribus Abraham, Iſaac, Jacob, à quibus eam accepiſtis ante Moyſen.

23. *Si circumciſionem*, &c.] q. d. Si dies circumciſionis inciderit in Sabbatum, dicitis circumciſionem fieri debere ex majorum præcepto.

24. *Secundum faciem*] i. Secundum oculorum judicium.

26. *Ecce*] *Atqui ecce*, Vet. *Et ecce.* ¶ *Palam*] Vel, *libere.* ¶ *Principes*] Sub. *Sacerdotum*, & infra. ¶ *Chriſtus* *] * *Vere.*

27. *Scit*] Præſ. pro fut.

28. *Clamabat*] *Clamavit.* ¶ *Verus*] *Verax:* i. ſervans promiſſi.

29. *Scio*] *Novi.*

30. *Et nemo*] *Attamen nemo.*

31. *Facies* *] * *Ita.*

32. *Principes* *] * *Sacerdotum*, Vet. ¶ *Jeſum*] *Eum*, Vet.

33. *Modicum tempus*] i. Pauliſper. ¶ *Sum*] *Ero.* ¶ *Et vado*] *Vado enim.*

34. *Sum* ——— *poteſtis*] Præſ. pro fut. *Ero*, *poteritis*, Heb.

35. *Ad ſemetipſos*] *Inter ſeſe*, vel, *in animis ſuis.* ¶ *In diſperſionem Gentium*] i. Ad Gentes per univerſum terrarum orbem diſperſas & diffuſas. Gr. legitur, *in diſperſionem Græcorum.* Solent autem hi Synecdochice poni pro omnibus gentibus.

36. *Quis eſt*] Vel, *Quid ſibi vult.*

37. *Bibat*] Vel, *bibet.*

38. *De ventre*] i. De medio: h. e. de corde ejus: q. d. maxima copia Spiritus à me donabitur poſt aſcenſionem.

39. * *Spiritus*] * *Sanctus.* ¶ *Datus*] Sub. *Apoſtolis*, Vet. ¶ *Erat glorificatus*] Vel, *fuerat illuſtratus gloria.*

40. *Ex illa ergo turba*] *Multi ergo ex turba.*

42. *Caſtello*] *Oppido.* ¶ *Erat*] *Habitavit.*

46. *Hic*] *Homo*, Vet.

48. *Principibus*] Sub. *Sacerdotum.*

49. *Maledicti*] *Devoti, execrabiles.*

50. *Venit*] *Venerat.*

51. *Ab ipſo*] Vel, *de ipſo.* ¶ *Faciat?*] Vel, *fecerit?*

52. *Surgit*] *Surrexit*, Vet.

CASTALIO.

23. UT *non ſolvatur Moſis lex*] Quæ jubet circumcidi octavo à nativitate die, qui poteſt incidere in Sabbatum.

CLARIUS.

6. *Tempus meum nondum advenit*] h. e. Si mundi hujus gloriam quærerem, ut veſtri ſimiles faciunt, opportunum hoc tempus eſſet: ſed longe alia eſt mea ratio: alioqui non erat mihi hac ingrediendum via, qui tantum abeſt ut gloriam ab hominibus aucuper ut etiam eorum adverſum me odium provocem, dum illorum malefacta reprehendo.

14. *Perasto dimidio festi*] Videlicet Scenopegiæ. Hoc autem erat festum Tabernaculorum, quod septem dierum spatio celebrabatur.

16. *Mea doctrina non est mea*] Idem hoc est quod, *Ego non à meipso sum.*

19. *Nonne Moyses dedit vobis legem?*] Dixerat *se veracem esse, & injustitiam non esse in se:* ob hanc ergo causam non conveniebat inter ipsum & Judæos: *quod enim justitiæ cum iniquitate potest esse commercium?* Et videte, inquit, quæ sit causa cur *Legem transgrediamini* dum *me quæritis interficere. Unum* enim *opus feci*, *sanando* eum qui tot annis jacuerat ægrotus, & quia id *Sabbato feci indignamini*, quasi Sabbatum violaverim: neque cogitatis quam sæpe *circumcidantur* infantes *Sabbato*, ob legem quæ jubet octavo die circumcidi masculum; quæ lex recitata potius est à *Mose* quam ab eo lata, cum tot ante annis à *Patribus* haberetur; & tamen id Sabbato sæpe fit; quod Sabbatum in primis Legis præceptis est: neque veremini ne propterea derogetur Legi. Et lex illa Circumcisionis servatur ob salutem hominis, ne disperdatur de populo suo; quamvis dum fit circumcisio vulnus homini infligatur: *At ego integram homini salutem attuli in Sabbato*, atque *id ægre fertis:* Cur ergo in eodem facto indemnem facitis Mosen, me autem condemnatis? Hoc non est *rectum facere judicium*, sed *secundum faciem judicare* ac personam accipere. Videtur autem textus sic debere aptari, *Moses dedit vobis circumcisionem; non propterea quod ex Mose sit, sed ex Patribus; & tamen in Sabbato circumciditis hominem. Si ergo ita circumcisionem accipit homo ut non solvatur lex Mosis cur mihi indignamini*, &c. Quod vero turba dixit, *Dæmonium habes*, suspicata est turba Dominum usum fuisse commercio dæmonis qui eum admoneret arcanorum consiliorum quæ contra ipsum fierent.

27. *CHRISTUS autem cum venerit, nemo scit unde sit*] Cum Scripturæ nunc de Divinitate Christi nunc de humanitate loquantur, ii qui inter utramque distinguere nesciebant confundebantur, dum ignorarent quæ loca Scripturarum ad Divinitatem & quæ ad humanitatem pertinerent. Ob hanc causam hi nunc falluntur, qui ea quæ de Divinitate essent ad humanitatem referebant. Quocirca respondet Dominus, subobscure tamen de more, *Et me scitis*, inquiens, *& unde sim scitis:* nam homo sum: sed habeo aliam originem quam nescitis: sum enim à summo Patre, à quo missus sum: nam *a me ipso non veni.* Vel sic, *Scitis* ex Scripturis, si in eas invigilaretis, *unde sim:* neque verum est quod dicitis, *Neminem scire unde Christus sit. Sed verax est qui misit me*, qui quod prædixit de me id etiam aliquando declarabit.

34. *Ubi ego sum, vos non potestis venire*] Non me assequemini, etsi corpus hoc interfecerit is: nam altiori constitutus sum loco quam ut illuc pervenire quisquam vestrum possit. Ad hoc enim pertinere videtur quod prius dixit, *Quæretis me, & non invenietis:* q. d. Non erit posthac vobis facultas in me sæviendi.

38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura*] Sicut admonet Scriptura, quæ de me loquitur, in me esse credendum.

39. *Nondum enim erat Spiritus Sanctus*] Cum dixisset *eos qui in ipsum crederent accepturos Spiritum*, reddit causam cur *Spiritus S. nondum esset*, videlicet datus; quod scilicet dandus esset post Domini *glorificationem.*

ZEGERUS.

1. AMbulabat Jesus in Galilæam: *non enim volebat in Judæam ambulare*] In Græcis est *in Galilæa*, & *in Judæa*, ut motum in loco accipiamus. Et *ambulabat* pro *versabatur* dictum est.

2. *Scenopegia*] Dicta est à σκηνὴ & πήγνυμι, h. e. à *fingendis tentoriis.* Ea est solennitas de qua mandatum est Levit. 23. 39, 40. *A quintodecimo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ, celebrabitis festa Domini septem diebus. Die primo & die octavo erit Sabbatum*, i. requies. *Sumetisque vobis primo die fructus arboris pulcherrimæ, ramosque palmarum, & ramos ligni densarum frondium.* Et aliquanto post subditur, *Omnis qui de genere est Israel manebit in tabernaculis; ut discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel cum educerem eos de terra Ægypti.*

3. *Dixerunt ergo ad eum fratres ejus*] Ex Scripturæ consuetudine *fratres* appellantur Consanguinei. Et à nonnullis alii ab Apostolis existimantur hic designari, propterea quod subditur, *neque enim fratres ejus credebant in eum:* & rursus, *Non potest mundus odisse vos.* ¶ *Ut & discipuli tui videant*] *Discipulos* vocat promiscuam multitudinem doctrinam Christi amplectentem.

8. *Ego enim non ascendam ad diem festum istum*] Scilicet nunc vobiscum. Nam post dies aliquot ascendit, sed non cum illis, nec manifeste. Qui sensus ut esset manifestus, & sermo nihil haberet incommodi, apud Græcos pro οὐκ οὔπω *nondum* irrepsit. Augustinus & Cyrillus, *Ego non ascendo*: At Chrysostomus & Theophylactus pro *non* legerunt οὔπω: sed id puto à sciolis fuisse demutatum ad tollendam absurditatem. Exemplar Corb. & editiones vulgatæ habent, *Ego non ascendam.*

14. *Die festo mediante*] h. e. circiter medium festivitatis.

21. *Unum opus feci*] Sentit de languidi sanatione in Sabbato, de quo habes supra c. 5.

29. *Ego scio eum: & si dixero quia nescio eum, ero similis vobis, mendax? sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit*) Per me non licebit hæc verba omittere, *& si dixero quia nescio eum*, usque *sed scio eum*, quæ tamen ut adulterina è contextu submoverunt castigatores Bibliorum neoterici, propterea quod nec in Græcis nec in antiquis quibusdam Latinis, sed nec apud Augustinum nec apud Rupertum habeantur. Verum cum scribantur eoque & explicentur à Cyrillo, & in multis exstent exempl. Latinis etiam vetustis, ut in Corsendoncensi & Enerbodiensi, consentaneum vero est omissa fuisse à scriba oscitante etiàm ante ætatem Augustini, idque occasione repetiti illius *scio eum*, cujusmodi occasione non unus olim locus mutilatus fuit. Nec obstat si eadem verba etiam habeantur in fine capitis proximi: nam huic Apostolo solenne est eadem nonnunquam repetere. Ex Chrysostomo nil potest haberi certi, ut qui totum hunc locum prætereat, nedum verba prædicta. Gemblaci vidimus exemplaria in quorum nullo invenimus.

38. *Sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*] D. Hieronymus in præfat. Pentateuchi & rursus in præfat. Paralipomenon negat hoc testimonium usquam exstare in nostris codicibus, aut etiam in LXX interpretibus: tantum apud Hebræos reperiri dicit in libro Proverbiorum; & tamen certum locum non indicat. Putant autem nonnulli ex c. 5. 16. desumptum esse, ubi ita legimus, *Deriventur fontes tui foris, & in plateis aquas tuas dividat.* Cujus loco in Heb. ita scriptum est, יפוצו מעיינך חוצה פלגי מים, quod ad hunc modum verti potest, *Diffluent aquæ tuæ vivæ foras in plateas tuas*, sive *exitus, aquarum.* Chrysostomus ita distinguit, *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina*, &c. ut hic sit sensus, *Qui crediderit in me, juxta quod Scriptura monet futurum est ut ille conceptos Spiritu meo effundat flumina efficacis doctrinæ:* atque ita *flumina de ventre*, &c. verba erunt Christi, non Scripturæ.

39. *Nondum enim erat Spiritus datus*] Quod nobis expressit Interpres addens *datus*, hoc in Græcis subaudiendum aut (quod probabilius est) etiam exprimendum, sublato etiam ἅγιον vocabulo: nam ita apud omnes reperio interpretes antiquiores, eoque & apud Chrysostomi interpretem, hom. in Matth. 33, ibi, *vocans duodecim discipulos*: & hom. 28. in Joan. apud Victorinum in Antidotario hær. & Didymum lib. De Spiritu S. 2. & Leonem Papam De ser. 3. de Pent. In nonnullis pro *nondum* est *non.*

46. *Sicut hic homo*] Ita moderni habent codices cum Græcis. At Chrysostomus & Cyrillus & aliquot codices antiqui habent *sicut loquitur:* nonnulli vero, *sicut hic homo loquitur.*

52. *Scrutare Scripturas, & vide*] *Scripturas* codex Brugensis & plerique alii non habent, respondentes Græcis, Chrysostomo & Theophylacto. Augustinus tamen & Cyrillus habent: probabilius tamen est adjectitium esse.

LUC. BRUGENSIS.

39. NOndum [Non o. *Ideo* o.] *enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat* [erat o.] *glorificatus* [clarificatus o.] Unus antiquorum codicum MSS. Cœnobii S. Germani, quem Parisienses latum vocarunt, legit, *Nondum enim erat Spiritus, quia Jesus*, &c. Hoc modo, & ita Augustinum legisse, cum hunc ex professo tractavit locum Tract. 32. in Johannem, non potest non ei certum esse qui attente & cum judicio tractatum ejus legerit. Hoc eodem vel proximo modo etiam D. Hieronymum legisse, qui responsionem ejus ad nonam Hedibiæ quæstionem evolverit, vix dubitare poterit. Alia quædam Parisiensium manuscripta legunt, *Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Jesus*, &c. Aureum, Cor-

Constantiense, Paulinum; quanquam multum, de Constantiensi præsertim, ambigam, de quo id solum is cujus hic fidem secutos puto notat, *datus* recentiore manu superscriptum fuisse in intervallo versuum. His tribus Parisiensium exemplaribus quartum Hentenius addidit, quod similiter legat, *Nondum enim erat Spiritus Sanctus*: cui legendi modo plerique Græcorum codicum & Interpretes Græci, Theophylactus atque Euthymius, adstipulantur; οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι ὁ Ιησοῦς, &c. Chrysostomus quoque, prout ex correctione Ph. Montani Parisiis est editus, suffragatur: qui & Hom. 2. in Acta, *Nondum enim*, inquit, *erat Spiritus, qui post docuit eos.* Sensum autem hujus lectionis exprimit Græcus codex, β, α, Parisiensibus insignitus, qui addit ἐπ' αὐτὰς, *Nondum enim erat Spiritus Sanctus super eos.* Plerique Latinorum librorum, tam scriptorum quam excusorum, & quidem nostri omnes, scribunt, ut initio proposuimus, *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus*, &c. His Syra conveniunt, לא גד עדכול אתיהיבת הוה רוחא מגל *Non enim adhuc datus fuerat Spiritus, quia*, &c. Consentit Græcum exemplar Vaticanum, quanquam addat etiam *sanctum* secundæ lectionis; ita enim nobis ejus lectio signata est, οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον δεδομένον, ὅτι, quod est, *Nondum enim erat Spiritus Sanctus datus, quia.* Hunc legendi modum, *Nondum enim erat Spiritus datus, quia*, aliis in locis secutus S. Augustinus, libri 4 De Trinitate cap. 20. quæst. 62. inter 83. libri 32 contra Faustum c. 17. Hoc etiam pacto legunt Leo Serm. 2. De Pentecoste, & posteriores Latini enarratores, Carensis, Albertus, Thomas, Lyranus, Richelius. Denique *datus* qui non addunt, vel recte vel aperte subaudiunt.

H. STEPHANUS.

1. Περιεπάτει] *Versabatur.*

2. ἡ σκηνοπηγία] *Festum quo figebantur tabernacula.*

4. Ἐν παρρησίᾳ εἶναι] *Habere potestatem libere loquendi.* Alioqui passive, *In libero omnium ore esse*; id est, Liberum de seipso sermonem omnibus relinquere: q. d. *In occulto facere aliquid, non est ejus qui studeat*, &c.

12. Πλανᾷ] *Seducit*: vel, *In errorem inducis.*

19. Ποιεῖ τὸν νόμον] *Facit quæ lex jubet.*

23. Ἐμοὶ χολᾶτε] *Bile percus estu adversus me?* vel, *Movetne bilem vobis?*

26. Μήποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν] *Numquid certo norint?* q. d. Quid si ideo tacent quod norint, &c.

30. Πιάσαι] *Prehendere.* ¶ Η ὥρα αὐτοῦ] *Tempus ejus.*

33. Καὶ ὑπάγω] *Deinde abibo.*

35. Εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων] *Ad dispersos Græcos*: i. qui sparsim loca diversa incolunt.

41. Μὴ γὰρ ὁ Χριστὸς ἔρχεται;] *Atqui venturusne est Christus?* Vel, *Quid? venturus.*

43. Σχίσμα] *Dissidium.*

47. Πεπλάνησθε;] *In errorem inducti estis?* vel, *seducti.*

49. Επικατάρατοί εἰσι] *Exsecrabiles sunt*: q. d. Exsecrationem sibi accersunt.

51. Καὶ γνῷ τί ποιεῖ;] *Et cognoverit quid moliatur.*

52. Ερεύνησον] *Scrutare* scripturas.

D. RUSIUS.

1. *Ambulabat in Galilæa*] Ita legendum vel ex ipsis fontibus, non *in Galilæam. Ambulabat*, περιεπάτει, i. versabatur. Siquidem ut *ambulare* dicitur *cum hominibus* qui cum iis commercium & consuetudinem habet, ita in regione aliqua qui versatur *in ea* dicitur *ambulare.* Sic mox, *nolebat ambulare in Judæa*, i. versari. Quapropter? An ob periculum quod ei à principibus Sacerdotum & à Scribis illic imminebat? Hoc significat cum ait, *quia quærebant Judæi eum occidere.* Pro *nolebat* in Vulg. est *non volebat*, quod olim lectum à quibusdam *non valebat*, i. non poterat. Sed Syrus habet, *non enim volebat.* Obiter noto *ambulare cum filia regis*, Cohel. 4. 15. non est *sectari* aut *colere* vel *observare illum*, sed *versari cum eo.* Nam idem sensus qui in aliis locis. *Filium* autem *regis* appellat natum secundum, quod secundus sit à rege. Quanquam qui versatur cum potentibus, eosdem colit & observat. Forsan aliud in mente habuit quam verba præ se ferunt.

4. *In palam esse, ἐν παρρησίᾳ εἶναι*] Ebr. dicunt בפרהסיא. Id explicant מכובד, unde מכובדים *homo clarus & celebris*, qui & פרסי. Ergo ἐν παρρησίᾳ εἶναι significat *celebrem esse.*

35. *Ad dispersionem Gentium*] Nomine διασπορᾶς intelligit Judæos qui extra terram Israel inter Gentes habitabant, qui & תפוצת ישראל *dispersio Israelis* vocantur, & *duodecim tribus quæ ἐν τῇ διασπορᾷ* Jac. 1. 1. Qui ex his Græca lingua utebantur & Græca Biblia in synagogis legebant, appellantur *Hellenistæ* sive *Græcienses*, quorum mentio Actor. 6. 1. Hi peculiarem dialectum habebant, quam reliqui Græci non intelligebant, in qua plurimi Ebraismi: Quorum vocabulorum syllabum alibi collegimus, &, si Deus volet, dabimus aliquando Lexicon proprium ea de re. Psalm. 147. 2. נדחי ישראל LXX τὰς διασκορπισμὰς τοῦ Ἰσραήλ. Sym. τοὺς ἐξωσμένους *expulsos.* ¶ *Et Græcos docturus*] Forte Ἑλληνας vocat, quos supra Ἑλληνιστὰς sive *Græcienses* vocari diximus. Aut *Græcos* dicit, qui religionem Græcam profitebantur, quos ἔθνεσι & *Gentes* appellant: quod Syrus hic secutus videtur. Nam vertit תגאי *Gentiles.* Ut ut sit, Ἕλλην varium usum habet in sacris. Nam primum *Græcus* dicitur, qui gente & religione talis est, è Græcia propriè dicta oriundus. Secundo, qui è Græcia est latius accepta. Siquidem Judæi *Græciam* vocant Asiam, & majorem partem Syriæ, totumque adeo Regnum Syro-Macedonum, quod *Regnum Græcorum* appellant. Tertio, *Græcus* vocatur qui non est Judæus, quem *ethnicum* & *gentilem* & *paganum* dicimus. Quarto, Ἕλλην dici etiam potest Judæus habitans aut natus in Græcia, sicuti Judæos Hispanienses vocamus ספרדים *Hispanos*, & qui è Gallia צרפתים *Gallos*, & qui ex Italia לועזים *Barbaros* aut *Italos.* De quo alias.

37. *In novissimo die magno festivitatis*] h. e. octavo die festi Tabernaculorum, qui עצרת dicebatur, & æque festus erat ac primus. Hoc die post meridiem è tabernaculis exibant, & domum repedebant. Supra 14. *festo autem jam medio*, i. circiter diem quartum. Nam septem dies durabat hoc festum, quibus addebatur octavus, de quo jam nunc dictum est.

38. *De ventre ipsius*] Hic *ventrem* dixit pro *corde*, ut Job. 15. 35. *venter eorum parat dolum*, i. cor eorum concinnat dolum. Sic Ps. 40. 8. *legem tuam in medio ventris mei.* Hab. 3. 16. *commotus est venter meus.* Nam cor in ventre: synecdoche. Vide Theophylactum, & Sirach. 51. 30.

49. *Turba hæc quæ non novit Legem*] Ὁ ὄχλος dicit quem Ebræi vocant *populum terræ*, de quo aliquid in Resp. ad Minerval Serarii, lib. 2. cap. 14. Quibus addo ex lib. Musar, 74. 2. *Non accipies filiam populorum terræ* (nam promiscue dicunt *populi terræ* & *populus terræ*) *quia sunt abominatio* seu *exsecratio*, i. ערוה *& uxores eorum sunt abominatio. Et de filiabus eorum dicitur*, EXSECRABILIS QUI CONCUMBIT CUM ULLO JUMENTO, vel, si mavis, CUM ULLA BESTIA. Nam vox Ebræa utrumque significat. Et ex libro qui inscribitur *Principium sapientiæ*, 133. 2. *Populus terræ non meretur neque Legem neque sapientiam, & ideo non est idoneus ut vocetur* חסיד *pius.* Manahem, 69. 4. *Nemo pius est nisi qui sibi pius est. Scitum illud, Benefacit anima sua vir pius. Sibi pius est qui cum Deo pius est, h. e. qui studet Legi.* Dicunt etiam, *Populus terræ non est pius.* Quare? quia non dat operam Legi. Ideo exsecrabilis erat discipulis Sapientum. Contra populus terræ ridebat & subsannabat discipulos Sapientum: par pari. Lib. Aboth, 29. 2. *Nos populi terrarum ut loquantur de discipulis Sapientum, & subsannent eos propter opera eorum*, prout ait R. Aquiba, *Cum essem populus terræ, dicebam, Quis det mihi discipulum Sapientis? morderem eum ut asinus. Non quod odisset Sapientes, sed quia putabat eos superbire & insolescere contra populos terræ, & quia discipuli Sapientum oderant eos; tum etiam quia non permittebant se tangi ab eo*, &c. Hæc ibi. Eadem habentur in Johasin, 22. 2. & in cap. חי שמי tob, quem Latine posses dicere *Nominibonum* & Græce *Agathonomon*, in More 120. 1. inter populos terræ numerat Manoe & uxorem, item Hagar ancillam Abrahæ: quos negat Prophetas fuisse. *Nam Spiritus propheticus*, inquit, *non quiescit nisi super Sapientem.*

52. *A Galilæa Propheta non surrexit*] Non exstitit: ut alibi, *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista.* Quod autem ajunt *ex Galilæa non exstitisse Prophetam*, ab animo ægro est, non à sano judicio. Nam Galilæa, late patebat. Quis autem credat è tam lata regione nullum unquam Prophetam exstitisse? Omitto Christum, qui Judæus erat origine. *Galilæus* autem à vulgo audiebat, quia ibi educatus. Tres enim certe patrias habuit: Unam ortus, quæ *Bethlehem Juda* vocatur; alteram educationis, quæ *Nazareth* dicitur; tertiam *Capharnaum*, in qua cum suis provectior conversabatur. Barchochabas oriundus, putatur ex Chochaba vico Galilææ, non procul à Nazareth, quem tamen

pro

pro Messia receperunt aliquanto post, cum R. Aquiba diceret omnia Messiæ tempora præteriisse. An Geth-hepher patria Jonæ Prophetæ in Galilæa fuerit, nescio. Hoc scio, præceptore Hieronymo edoctus, fuisse in secundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur *Dio-cæsarea* cuntibus Tiberiadem, unde nomen accepit lacus Galilææ: Nam vocatur *mare Tiberiadis. In eo vicolo sepulcrum Jonæ hodie*, inquit, *etiamnum ostenditur.*

CASAUBONUS.

1. Οτ' γὰρ ἤθελεν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ περιπατεῖν] Sic legit etiam Nonnus; non autem οὐκ ἠδύνατο, nec ἐξουσίαν οὐκ εἶχε· Quanquam hoc loquendi genus etiam de Christo non raro usurpatur, ut Marc. 6. 5. & 7. 24.

2. Ἡ Σκηνοπηγία] Facta vox ἀπὸ τῆ πήξει τὰς σκηνὰς, ut loquitur autor epistolæ ad Hebræos 8. 2.

10. Οὐ φανερῶς, ἀλλ' ὡς ἐν κρυπτῷ] Putant quidam pertinere huc quod alii Euangelistæ narrant de profectione Christi διὰ τὸ πέραν τῦ Ἰορδάνου. Sed cum dicatur tum magna turba Christum esse secuta, quomodo hoc erit ὡς ἐν κρυπτῷ;

22. Διὰ τῦτο Μωσῆς] Omnino Theophylacti distinctionem sequendam arbitror, ac legendum, Καὶ πάντες θαυμάζετε διὰ τῦτο. Μωσῆς δέδωκεν· qua distinctione admissa omnis tollitur difficultas, quæ alioquin summa est. Nonnus & ipse cum Syro interprete post θαυμάζετε distinguunt.

23. Εἰ περιτομὴν λαμβάνει ἄνθρωπος ἐν σαββάτῳ ἵνα μὴ λυθῇ] Non dubito in paraphrasi hujus loci duos versus sedes suas permutasse, cum ita sunt collocandi,

Εἰ δὲ τομὴν ἐσίην δέχεται βροτὸς ἡθάδι χαλκῷ
Ἐννομα μὴ Μωσῆος ἀνέγγυα δεσμὰ λυθείη.

Sed nec vox δεσμὰ ferenda est hoc quidem loco: scripserat enim Poeta θεσμὰ, quæ vox Nonno familiaris νόμους significat. Atque hæc etsi nihil ad Johannem & id quod nunc agimus pertinent, facio tamen libenter, & porro faciam, ut de tam pio & docto poeta quacunque occasione potero bene merear.

29. Ὅτι παρ' αὐτῦ εἰμι] Nonnus sic παραφράζει,

——— ὅττι παρ' αὐτῦ
Αὐτὸς ἔβην.

Legit nimirum Nonnus non *εἰμὶ* sed *ἔλυθον*, sicut etiam paulo post duobus locis.

34. Καὶ ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν] Etiam Vet. interpres legit *eiμὶ*, & *fiam* interpretatur. Ego vero non dubito legendum esse *ἔλυθον* pro *εἰμὶ*, quomodo jampridem ex conjectura doctissimus socer Henricus Stephanus verissime emendavit. Primum, ita omnino postulat sententia. Deinde, ita Theophylactus legit, ut ex ejus interpretatione facile potest intelligi: ita etiam Nonnus; quod ejus paraphrasis arguit,

——— καὶ οὐ σθένος ἐςὶ περῆσαι
Τμέας ἴχνος ἄγοντας ἐς ἀτρεκὲς ἦχεϱ ὁδεύειν

Postremo, si superioribus argumentis non movemur, moveant nos similes loci infra cap. seq. v. 21. & 13. 33. ubi sic legitur, *ὅπου ὑπάγω ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν*. Nihil enim differunt *ἔλυθον* & *ὑπάγω*.

36. Καὶ ὅπου εἰμὶ ἐγὼ] Etiam hic legendum est *ἔλυθον*. Nonnus pro eo dixit βαίνω,

——— καὶ οὐ θέμις ὑπνοῦσι βαίνειν
Τμέας ἰμείροντας ἀνέμβατον οἶμον ὁδεύειν.

44. Ἀλλ' οὐδεὶς ἐπέβαλεν ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας] Nonnus adjicit, fortasse an ex suis codicibus, *ὅτι οὔπω ἐληλύθει ἡ ὥρα αὐτῦ*· quæ verba non uno loco reperiuntur; ut hoc ipso capite, v. 30.

CAMERON.

17. Ἐάν τις θέλῃ, &c.] Christus videtur hic aperte postulare ut prius *fiat Patris voluntas* quam *cognoscatur* sive *judicetur de doctrina*. Videntur autem omnino hæc esse ἀσύγκριτα, ut quis prius *faciat voluntatem Dei*, quod rei caput est, tum deinde *judicet de doctrina*. Sic enim videtur esse ac si dixisset, *Judicabit de doctrina priusquam judicet de doctrina*. Nemo enim quid facit qui non idem judicet; & tum demum aliquid recte fit cum fit judicio; quod autem recte fit est ejusmodi ut in eo animus conquiescat; necesse autem est id fiat Dei jussu in quo animus acquiescit; quod autem fit Dei jussu, cum judicio fieri necesse est. Cum ergo nemo possit facere voluntatem Dei quam non agnoverit, quid est quod Christus hic dicit, *Si quis voluerit ejus voluntatem exsequi, judicabit*, vel *cognoscet, de doctrina?* Vult enim, uti videtur, antecedere id quod natura sua sequitur, nempe vult antecedere *exsequi voluntatem*, sequi autem *judicare de doctrina:* at contra se res habere videtur: necesse est enim præcedere Judicium, Voluntatem autem sequi. Neque fas est hic cum nonnullis ita argutari ut dicamus aliud esse *velle facere voluntatem Patris*, aliud vero *eam effectam dare*. Nam profecto qui serio ducitur veræ pietatis studio, is jam hoc ipso sine controversia pius est: Atqui nulla est pietas quæ veræ doctrinæ cognitionem præcedat, cum pietatis omnis regula sit doctrina. Itaque aliud respondendum est, nempe, Non dicit Christus *cognoscet de doctrina* simpliciter, sed *cognoscet περὶ τῆς διδαχῆς*: non enim omnis doctrina est ἡ διδαχὴ, tantum ἡ διδαχὴ κατ' ἐξοχὴν vocatur (hoc quidem loco) Christi prædicatio, quæ non excludit omnem præcedaneam cognitionem, sed eam tantum quæ (uti jam diximus) κατ' ἐξοχὴν *Doctrina* dici posset. Sic cum cap. 1. hujus Euangelii Christus dicit, *Patrem nemo vidit unquam: Filius, qui est in sinu Patris, nobis eum revelavit*, non excluditur omnis præcedens revelatio, neque omnis cognitio veritatis, sed duntaxat singularis quædam cognitio ac præcipua, quæ non specie sed gradu distat ab ea cognitione cujus author fuit Christus agens in terris. Sunt igitur revelationis Divinæ gradus quidam, quorum primus gradus est ad secundum, secundus autem ad tertium, & sic deinceps. Sed quinam sunt isti gradus revelationis Divinæ? Nempe nulla gens est tam effera, tam barbara, quam Deus celaverit bonitatem suam: nam *Solem suum oriri facit super justos & injustos*, & ea sufficit hominibus unde possint colligere certissima bonitatis suæ argumenta. Certos autem homines dignatur beneficio multo magnificentiori, quales ii sunt quos voluit Ecclesiæ suæ membra facere. Cum igitur Christus ait, *Si quis voluerit facere Patris voluntatem*, designat voluntatem quæ eum cognitionis modum sequitur qui haberi potuit ante Christi prædicationem, nempe ex doctrina Mosis & Prophetarum, quam qui animadverterunt, & ad eum revelationis modum ducebantur studio componendi vitam suam, haud dubie avide doctrinam Christi (ut ita loquar) imbiberunt: quasi diceret Christus hoc loco, *Si perceptam habuissetis doctrinam Mosis, non quidem mente theoretica duntaxat, sed vel maxime practica quæ excitat ad opus, judicaretis de doctrina mea an ex Deo sit necne.* Nam ut hic utamur exemplo adeo crasso ut in ipsos incurrat sensus, pannus leviter tinctus, facile quo leviter tinctus est colore imbuitur, accedat modo opera tinctoris. Atque ita accipiendum est illud, *Habenti dabitur.* Cæterum nulla ratione hinc effici potest rudem istum & inchoatum cognitionis modum aliunde esse quam à Deo, aut posse esse efficacem nisi accedat Spiritus Dei. Nemo enim est mortalium qui sine Spiritu Christi ea luce quæ in ipso antecessit prædicationem Evangelii recte usus sit. Unde fit ut omnes hac ratione fiant inexcusabiles, quia quod non agnoverunt hanc lucem non aliunde profectum est quam ab eorum nequitia: contra, qui eam agnoverunt nihil habent in quo glorientur; id enim omne, quodcunque tandem est, ortum est à vi Spiritus Christi, qui edomuit pertinaciam intellectus & voluntatis.

GUALTPERIUS.

2. Ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων ἡ σκηνοπηγία, *Prope autem erat festum Judæorum Scenopegia*] Hebræi vocant festum hoc חג הסכות *in solennitatem Tegumentorum*, vel *Tabernaculorum*. Syrus חגא דמטללתא. Causa instituti hujus festi exprimitur Levit. 23. 33, &c. cum *inquit Jehovah ad Mosen, Loquere ad filios Israel, dicendo, In quinta decima die mensis septimi* (qui partim Septembri, partim Octobri nostro respondet) *solennitas tabernaculorum erit septem diebus Domino*, &c. *Ut sciant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti.* Sed non simpliciter volebat Dominus hæc recordari filios Israel, sed ut principio admonerentur de miserrima & calamitosissima vita quam majores eorum in deserto traduxerant, in quo errarunt exsules & extorres sine domo, sine agro, & inter gentes inimicissimas: Deinde ut agnoscerent beneficia ingentia quibus erant affecti, quando nempe in deserto Dominus Manna seu pane cœleti ipsos aluit, potum è durissima petra præbuit, totos XL annos vestes & calceamenta ipsorum, ne veterascerent, conservavit; terram Chanaan inhabitandum ipsis dedit, in qua possederunt non domos tantum sed magnificas ædes, adeoque clarissimas & munitissimas urbes, sic ut finitimis etiam nationibus & gentibus redderentur formidabiles. Horum igitur beneficiorum memoriam Dominus per celebrationem festi illius conservari voluit, simul innuens fore aliquando ut è deserto hujus mundi erepti perpetuum in

cœlis lætitiæ festum celebrent, &c. Quidam Hebræorum existimant festum hoc Tabernaculorum maxime eam ob causam institutum esse ut admonerentur Divinæ protectionis ipsis per nubem exhibitæ, sub qua, tanquam sub umbra tuti proficiscebantur, quæque dux itineris erat. Huc videtur respicere paraphrastes Chaldæus cum ait, *ut sciant posteri vestri quod in umbraculo nubium sedere* (seu *habitare*) *fecerim filios Israel.* Mirum autem est, qua superstitione hodie Judæi utantur in parandis ilsiusmodi umbraculis, de qua in libello De præceptis Judæorum affirmativis & negativis, &c. Verum enimvero postea quam Judæi non solum legalia festa, quæ diserte à Deo mandata sunt & Levit. 23. describuntur, observant, sed & quædam alia ut olim ita & adhuc hodie celebrant, operæ pretium erit ea in hoc loco omnia commemorare, & quidem juxta ordinem mensium. Primo faciunt Hebræi cujuslibet mensis Neomeniam solennem, juxta illud Num. 28. *In initiis quoque mensium vestrorum offeretis Domino holocaustum.* Et id quidem faciunt, ut ipsi dicunt, in memoriam Divinæ Gubernationis, sicut Sabbathum coli præcipitur in memoriam Creationis. Primus mensis, nempe Thisri, qui Numer. 29. vocatur *septimus* (nam est septimus in ordine ad Nitân, à quo festa computantur) habet diem primum celebrem; vocaturque יום תרועה *memoria clangoris*, seu *festum Tubarum*, quod, ut supra quoque diximus, observatur à Judæis in memoriam liberationis Isaaci ab immolatione. Decima dies hujus mensis celebris est propter *festum* כפור *Expiationis*, quod celebrant in memoriam remissi peccati quod contraxerant in adoratione Vituli. Die XV est festum *συνοκωγίας* או חג הסכות *festum Tabernaculorum*, quod durat per VII dies, in memoriam, ut ipsi sentiunt, Divinæ protectionis in deserto. Celebratur & VIII ejus dies cum magnis solennîis, vocaturque חג עצרת *festum Palmarum*, in quo sumuntur optimi arborum fructus, quos אתרוגים *citra* vocant, & spathulæ palmarum, ad innuendum quod Deus deduxerat eos per desertum ad deliciosam terram. Circumeunt etiam septimo die septies altare, portantes palmas, in memoriam depopulatæ Jericho. Die XXII celebrant festum עצרת *Azareth*, i. *Cœtus*, seu *Retentionis*. Hæc sunt festa legalia quæ cadunt in mensem qui תשרי *Thisri* dicitur, respondens nostro Septembri. Et propter multos solennes dies quos habet præ cæteris mensibus, ideo quidam Hebræorum volunt ipsum איתנים *Ethanim* vocatum, 1 Reg. 8. quod *Fortitudinem* sonat, q. d. *Mensis fortium*, i. solennium & festorum dierum. Servant quoque Judæi tertia die hujus mensis צום גדליה *jejunium Godoliæ*. Secundus mensis מרחשון *Marcheschuan*, October, nulla habet festa. Tertius mensis כסלו *Chislef*, November, ex Lege nullum habet festum. Celebrant tamen in eo die XXV festum *ἐγκαινίων Encæniorum*, quod Hebræi vocant *Chanuca*, חנוכה, i. *Dedicatio*, scilicet Altaris quod Judas Machabæus 2 Mach 2. instauravit, post contaminationem Sanctuarii quam fecit Antiochus. De hoc festo habetur Joh. 10. 22. Quartus mensis טבת, December, nullum habet festum legale: sed X die observatur Jejunium obsidionis Hierusalem olim à Nabuchodonosor factæ. Quintus mensis שבט *Schebat*, Januarius, nullum habet festum. Sextus mensis אדר *Adar*, Februarius, in cujus XIII die servatur Jejunium Esther. XIV & XV agitur memoria פורים, *urnarum* seu *sortium* quæ tempore Esther & Mardochæi missæ fuerunt in urnas: vacantque Judæi his diebus magnis voluptatibus & levitatibus, non secus quam Christiani faciunt in diebus Bacchanalibus. Septimus mensis, qui tamen à Moſe ratione festorum *primus* vocatur, est ניסן *Nisan*, Martius, in cujus XV die jubetur Pascha celebrari, usque ad VII continuos dies. Octavus mensis איר *Iar*, Aprilis, nullum habet festum. Nonus mensis סיון *Sivan*, Maius, habet VI die festum Pentecostes, quod שבועות *Schebuoth*, i. *Hebdomadarum*, & עצרת *Azareth*, i. *Collectionis*, sive *Retentionis*, vocatur, celebraturque in memoriam datæ Legis. Decimus mensis תמוז *Thamus*, Junius, habet XVII die Jejunium fractionis tabularum Legis. Undecimus mensis אב *Ab*, Julius, habet Jejunium desolationis Hierusalem, quando Templum à Rege Chaldæorum incensum fuit. Observatur autem IX die. Duodecimus mensis אלול *Elul*, Augustus, nulla habet festa. Hactenus de Festis Judæorum.

37. Ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ, &c. *Ultimo autem die illo magno festi* (Tabernaculorum) *stetit Jesus, & clamavit, dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, &c.] Refert hoc loco Tremellius ex Thalmud Judæorum non solum cur dies ille postremus festi Tabernaculorum *magnus* dicatur, verum etiam qua ratione ritus illius occasionem Christo dederit sub Aquarum perennium symbolo populum cum clamore invitandi ad hauriendum ex se, tanquam ex vero fonte, cœlestem sapientiam & alia Spiritus S. dona quæ ad regenerationem spectant. *Licet autem*, inquit, *omnes dies festi à Deo præcepti magni fuerint, præsertim vero illi in quibus convocatio sancta erat, ut primus & ultimus Paschatis dies, Pentecostes, Buccinarum, Expiationum, ac primus & ultimus Tabernaculorum, tamen Tabernaculorum ultimus singulari quadam ratione Magnus dicitur, & in eo præ reliquis diebus populus Domini lætari jubetur. Cum enim expresse Deus in Levitico præcepisset ut in festo Tabernaculorum lætarentur Israelitæ, quamdiu illud duraret, antiquissimi deinde eorum Doctores, imo ipsi Dei Prophetæ Haggæus & Zacharias, Dei jussu rationem præscribentes qua dies illis in lætitia traducendi essent, quadam constituerunt ut ultimo die agerentur quæ summam populi lætitiam declararent. Lustrationem enim quandam cum supplicatione indixerunt, in qua quotidie semel, durante illo festo, altare circuibant, palmas & ramos manu gestantes ac agitantes, subindeque clamantes* Hoschan-na, *i.* Serva, quæso. *Unde etiam factum est ut dies illi singuli vocati sint* Hoschannæ. *Ultimo vero die illius festi pro lætitiæ cumulo statuerunt Prophetæ illis ex ore Dei (ut in Talmud dicitur) ut septies lustrando circumiret altare (sicut olim sub Josua, cum per sex dies circumlustrassent mœnia Jericho quotidie semel, septimo die septies ea circumlustrare jussi sunt) & toties ingeminarent conceptas quasdam preces, in quibus subinde voces illa* Hoschan-na & Harlieha-na, *i.* Salva, quæso, Prosperari fac, quæso, *recurrebant. Unde factum est ut dies hic vocaretur* Hoschan-na Rabbu, *i.* Hoschanna magnus. *Quam appellationem Euangelista hic, ut in populo suo usitatam, retinuit. Scribitur præterea ibidem, ex institutione horum Prophetarum solitum fuisse populum eo die summa cum lætitia & pompa aquam haurire e fonte Schiloach ad radicem montis Tsion scaturiente, & eam in Templum adferre ad Sacerdotes, quam super altare cum vino libamini effundebant. Et dum hauriretur & afferretur ab haurientibus & astantibus, illud Esaiæ decantabatur*, Hauritis aquam cum gaudio è fonte salutis. *Quinetiam persuasi erant Spiritum S. illo eorum gaudio & vociferatione adeo delectari ut provocaretur hac ratione ad ipsos gaudentes affluendum ut prophetaret, sicut Jonæ Prophetæ contigisse affirmant, dum cum reliquis in fusio Tabernaculorum aquam illam exsultans hauriret. Ex his quis non videt Judæos spirituale gaudium, quod Lex jubebat in solenni Tabernaculorum festo agitare, in magicam circulationem convertisse, atque ad non manus ineptam quam profanam superstitionem stabiliendam & auctoritate & testimoniis Prophetarum impie abusos fuisse? ut insanam ipsorum vociferationem magno clamore à Christo Domino oportuerit coercere, illosque à terrestribus aquis ad cœlestes & vere vivificas aquas revocari? finemque & usum illum festi, sicut & reliquarum omnium ceremoniarum, ad ipsum Christum tanquam scopum referri?* Hæc Tremellius.

JAC. CAPPELLUS.

38. *QUI credit in me, quo modo jubet* in me credi *Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent ex ejus ventre*] Fieri quidem potest ut respiciat Christus, prout plerosque sentientes video, eas promissiones quæ leguntur Joel. 2. 28. Ezech. 36. 25. Esa. 11. 9. & 35. 6. Sed quia verba Christi nescio quid emphaticum ac eximium habent quod nusquam legitur, ideo videndum puto annon hic, ut passim alias, τὸ λέγει *dicit* sumi possit pro *jubet*. Hieronymus in Pentateuchum vult locum ex Proverbiis petitum, innuens proculdubio quod legitur Prov. 18. 4. qui locus certe propius accedit ad verba Christi quam ullus quatuor supra memoratorum.

39. *Hoc autem dixit de Spiritu quem* (h. e. de Spiritualium donorum effusione quam) *erant accepturi credentes in illum. Nondum enim erat Spiritus Sanctus*, h. e. hujusmodi donorum Spiritualium effusio. Ut Act. 19. 2. *Imo ne audivimus quidem an sit Spiritus Sanctus*, h. e. an sit aliqua donorum Spiritualium effusio quæ conferatur iis qui baptizantur.

52. *Responderunt & dixerunt ei*, Nicodemo, *Nonne tu quoque Galilæus es? Scrutare & vide ex Galilæa Prophetam non surrexisse*] Hieronymus in Nahum, *Quod additur*, NAHUM HELKESEI, *quidam putant Helkesæum patrem esse Nahum, & secundum Hebræam traditionem etiam ipsum Prophetam fuisse; cum Helkesæi usque hodie in Galilæa viculus sit, parvus quidem & vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Judæis, & mihi quoque à circumducente monstratus.* Ex duabus istis sententiis prima magis probatur illi Judæo, qui tam Christi quam Galilæorum omnium odio dementatus negabat ullum ex Galilæa Prophetam ortum; sed certe posterior sententia verior fuit, & Galilæus fuit Nahum, invitis hostibus Christi.

GRO-

GROTIUS.

1. Καὶ περιεπάτει, *Ambulabat*] id eſt, *verſabatur* הלך, quod hic habet Syrus frequentiſſimo ſignificat *in loco aliquo degere atque verſari*. Id περιπατεῖν [*ambulare*] vertunt Helleniſtæ, ut Dan. IV. 29. ſupra VI. 66. infra XI. 54. ¶ Μετὰ ταῦτα, *poſt hæc*] Id eſt, etiam poſtquam acciderant quæ jam narrata ſunt, perrexit vivere in Galilæa ex quo eo venerat; quod narratum eſt ſupra VI. 1. ¶ Οὐ γὰρ ἤθελεν, *non enim volebat*] Videtur antiquiſſima lectio fuiſſe οὐκ ἐδύνατο [*non poterat*]. quod mutatum à delicatis, quaſi Chriſti potentiæ injuriam faceret; cum nihil aliud ſignificet quam non potuiſſe eum tuto eo tempore Hieroſolymis verſari, accenſis recente fama, necdum ſatis reſtinctis odiis. ¶ Οἱ Ἰουδαῖοι, *Judæi*] Plebs incitatu Primorum, per ſeditionem, ut ſæpe. Quod genus mortis ut non aptum Patris inſtituto vitabat Chriſtus.

2. Ἡ σκηνοπηγία. *Scenopegia*] Sive *tabernaculorum fixio*. Quoties temporis aut loci nomen proprium diſerte memorat Johannes, facit id plerunque cum emphaſi. Scenopegia Judæis in memoriam revocabat tempus illud quo in locis vaſtis atque inculiis ſub Dei præſidio militariter habitaverant, Leviitici XXIII. 43.

3. Οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, *fratres ejus*] Galilæi cognati Mariæ, quorum poſteros δεσποσύνους [*dominicos*] vocavit ætas poſterior. ¶ Μετάβηθι, *tranſi*] Excitantium eſt. *Excede ex his latebris*. Nam Galilæa ignobilis erat regio præ parte Hieroſolymitana, ubi Senatus, ubi tanta populi, tanta exterorum multitudo. ¶ Ἵνα καὶ οἱ μαθηταί σου, *ut & diſcipuli tui*] Qui ibi cœperunt auditores tui & fautores eſſe. ¶ Τὰ ἔργα σου ἃ ποιεῖς. *opera tua quæ facis*] Hoc ideo, quia majora & plura in Galilæa fecerat quam in Judæa.

4. Οὐδεὶς γὰρ ἐν κρυπτῷ τι ποιεῖ καὶ ζητεῖ, *Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit*] Eſt Hebraiſmus copulam ponens pro relativo. *Nemo enim clam ſua agit qui celeber eſſe cupiat*: quod ipſi de Chriſto opinabantur, ex ſuo ingenio metientes alienum. Nam ipſi ex ipſius celebritate ſibi gloriam quærebant, hoc, ut credibile eſt, præcipue optantes ut Jeſu auctoritas à Synedrio approbaretur. Vide infra 26. ¶ Ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι· *in palam eſſe*] *Clarus eſſe*. Nam vocem παῤῥησίαν à Macedonibus acceperunt Judæi, ſed ſignificatu extenſiore. Sæpe enim ſignificat *ſecuritatem* aut *fiduciam*, ut Lev. XXVI. 13. & infra XI. 54. Hebr. X. 19. interdum *claritatem nominis* aut *facti*, Coloſſ. II. 15. ut ab aliis notatum. ¶ Εἰ ταῦτα ποιεῖς, *ſi hæc facis*] Ποιεῖν [*Facere*] hic *poteſtatem perpetuam faciendi* ſignificat. *Si potes*, inquiunt, *& ubi & quoties vis talia facere, aquam mutare in vinum, panes quaſi in infinitum multiplicare*. ¶ Φανέρωσον σεαυτὸν τῷ κόσμῳ. *manifeſta teipſum mundo*] Magnæ hominum multitudini, qualis eſt Hieroſolymis, ut infra XII. 19.

5. Ἐπίστευον, *credebant*] Non omnino, non ut oportebat. Sperabant aliquid magni de illo; ſed nihil certi apud ſe conſtituerant, neque ei parebant.

6. Ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πάρεστιν· *tempus meum nondum advenit*] Dies feſti habent ſuos καιρούς, מועדים [*ſtata tempora*] Levit. XXIII. 4. Καιρὸς τῆς σκηνοπηγίας [*tempus ſcenopegiæ*] eſt tempus colligendarum in horreum frugum agri, ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν ἔργων τὸ ἀγροῦ [*in congregatione frugum agri*], Exod. XXIII. 16. Mos Chriſti eſt eos qui tentandi cauſa adveniunt per allegoricas locutiones eludere. Sic de Templo deſtruendo, ſic de manducando Corpore & Sanguine ſuo egit, pluraque ſunt ejuſmodi. Volebant Jeſum aſcendere Hieroſolyma, quia jam ipſum tempus eſſet colligendarum frugum; Chriſtus artificioſe indicat ſuarum frugum colligendarum tempus nondum advenille; οὔπω πάρεστιν, ait, *nondum venit*. Venire enim debebat & poſt Paſcha & poſt Pentecoſten, id eſt, poſt mortem & reſurrectionem, & poſt inſcriptionem legis novæ in cordibus Apoſtolorum per Spiritum. Non multo enim poſt cœperunt colligi fideles ubique terrarum, & nomen Jeſu cœpit eſſe celebre ἐν παῤῥησίᾳ [*palam*]. Sic συνάγειν [*congregare*] ſumitur ſupra IV. 36. ¶ Ὁ δὲ καιρὸς ὁ ὑμέτερος πάντοτέ ἐστιν ἕτοιμος. *tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum*] Vobis ſemper promptum eſt colligere fructus veſtros, hominum gratiam & hujus vitæ commoda.

7. Οὐ δύναται ὁ κόσμος μισεῖν ὑμᾶς. *Non poteſt mundus odiſſe vos*] Generali quodam odio ſcilicet, quale fuit quo Chriſtus exceptus eſt, & diu Chriſtiani: nam illud non nascitur, niſi ex dogmate quod maximæ partis hominum affectibus repugnat. ¶ Ὅτι ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ αὐτοῦ ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρά ἐστιν. *quia ego teſtimonium perhibeo de illo quod opera ejus mala ſint*] Probitas dogmatis mei collata cum ipſorum vita quam ea ſorda ſit oſtendit. Vide ſupra III. 91. conf. Sap. II. 12.

8. Ὑμεῖς ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc*] Ite figite tabernacula veſtra. ¶ Ἐγὼ οὐκ ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην, *Ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum*]. Omnino fuit hæc vetus ſcriptura; nam ſi οὔπω [*nondum*] fuiſſet Porphyrii tempore, nunquam hinc Chriſtum calumniatus eſſet de mendacio: nam in voce οὔπω [*nondum*] fuiſſet nodi ſolutio: quem ut evaderent, alii οὔπω [*nondum*] ſcripſerunt, alii οὐκ ἀναβαίνω νῦν [*non aſcendo nunc*], alii rurſum deleverunt ταύτην [*iſtum*]: quibus omnibus nihil opus. Dixit hic ἑορτὴν ταύτην [*feſtum diem iſtum*], ſicut ἐν τούτῳ τῷ γεννήματος τῆς ἀμπέλου [*de hoc genimine vitis*] Matth. XXVI. 29. utrunque ſenſu myſtico. Feſtum Tabernaculorum Chriſti eſt illud tempus quo conſtitui paſſim Eccleſiæ cœperunt, Apoc. XII. 6. cum *habitare* etiam *Japhet cœpit in tabernaculis Sem*, juxta ſenſum myſticum, Gen. IX. 27. ¶ Ὅτι ὁ καιρός ὁ ἐμὸς οὔπω πεπλήρωται. *quia meum tempus nondum impletum eſt*] Πληροῦσθαι [*Impleri*] aut συμπληροῦσθαι [*compleri*] proprie dicitur de certo tempore quod exſpectandum eſt, ut Levit. XXV. 20. Num. VI. 5. Actor. II. 1. VII. 23. Gal. IV. 4. Lucæ XXI. 24. Primum oportebat Jeſum Regem conſtitui; deinde exire debebat ſceptrum ejus ex Sione; poſtremo figere debebat latiſſimas Regni ſui ſedes.

9. Ἔμεινεν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ. *manſit in Galilæa*] *Subſiſtit aliquandiu*, ut ſequentia oſtendunt.

10. Οὐ φανερῶς, ἀλλ' ὡς ἐν κρυπτῷ. *non manifeſte, ſed quaſi in occulto*] Ne ſi populus magno comitatu à Galilæa uſque Hieroſolyma veniret, concitatos in ſe animos magis accenderet.

11. Οἱ οὖν Ἰουδαῖοι, *Judæi ergo*] Mos ſæpe eſt Johanni vocem Ἰουδαίων [*Judæorum*] ſumere κατ' ἐξοχήν [*per excellentiam*] ut *Senatores* ſignificet, ut apparet mox 13. Vide ſupra V. 16. ¶ Ἐζήτουν αὐτὸν ἐν τῇ ἑορτῇ, *quærebant eum in die feſto*] Mirabantur cum latére, qui ſolitus erat ſe talibus oſtendere & audiendi ſui copiam facere. ¶ Ποῦ ἐστιν ἐκεῖνος; *Ubi eſt ille?*] Contemtim ut Matth. XXVII. 63. Sic & infra 35.

12. Γογγυσμὸς πολὺς, *murmur multum*] *Suſurri*. ¶ Ὅτι ἀγαθός ἐστι· *quia bonus eſt*] Hoc dicebant maxime Galilæi, qui & factis & verbis ipſius comitatum erant experti. ¶ Πλανᾷ τὸν ὄχλον. *ſeducit turbas*] Quaſi doceret contemnere Sabbatum.

13. Οὐδεὶς μέντοι, *Nemo tamen*] Hoc οὐδεὶς [*nemo*] ad melius ſentientes referendum eſt. ¶ Παῤῥησίᾳ, *palam*] *Coram omnibus*, aut *multis*, ita ut ad Senatorum aures renuntiari poſſet.

14. Τῆς ἑορτῆς μεσούσης, *medio feſto tempore*] Ἑορτὴν [*Feſtum tempus*] etiam Joſepho dici totum tempus octo dierum, quorum primus & ultimus proprie ſacri erant, diximus ad Matth. XXVI. 5. Exſpectabat Jeſus id tempus quo Judæi a ſacrificiis vacui magis poſſent vacare auditioni. ¶ Ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερὸν καὶ ἐδίδασκε. *aſcendit Jeſus in templum & docebat*] Tum primum eo venit ad docendum. Copula pro finali.

15. Ἐθαύμαζον, *mirabantur*] Vide Matth. XII. 55. Opponuntur γραμματεὺς [*ſcriba*] & τέκτων [*faber*]. Sirach XXXVIII. 25, 28. ¶ Πῶς οὗτος γράμματα οἶδε, *quomodo hic literas ſcit*] ספרא Syrus, *librum*, Legis ſcilicet, quæ τὰ ἱερὰ γράμματα [*ſacræ literæ*], II Timoth. III. 15. Ideo qui νομοδιδάσκαλοι [*legis doctores*] vocantur iidem & γραμματεῖς [*ſcribæ ſive ſcripturarii*]. ¶ Μὴ μεμαθηκώς; *cum non didicerit?*] Nemo præceptor in diſcipulorum ſuorum grege eum viderat.

16. Ἡ ἐμὴ διδαχὴ, *Mea doctrina*] Quæ meo ore promitur. ¶ Οὐκ ἔστιν ἐμὴ, *non eſt mea*] Non eſt aliquid quod induſtria mea mihi comparaverim, ut inde, quod homines ſolent, gloriam vener. Vide mox 18. ¶ Ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με. *ſed ejus qui miſit me*] Is mihi indidit, quid dicerem. Supra III. 32.

17. Ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere*] Si quis ita animo comparatus ſit, ut qualemcunque voluntatem Dei ſibi revelatam, quantumcunque carnis affectibus contrariam, obſequenti animo amplecti velit. ¶ Γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς, *cognoſcet de doctrina*] Is demum aptus erit ut judicet de meo dogmate, quippe mentem habens non impeditam; ſicut oculi de coloribus tum demum recte judicant cum nullo pravo humore ſuffuſi ſunt. Alioqui enim quæ falſa eſſe vellemus: ea non facile credimus. Juſtinus Colloquio cum Tryphone, Ἐὰν οὖν μὴ τῶν δόγματων

τῶν ἐαυτὸς ὑψούντων καὶ θελόντων Ραββὶ Ραββὶ καλεῖσθαι, καταφρονήσητε, καὶ μετὰ τοιαύτης ἐνιδρύσεως καὶ νῦ τοῖς προφητικοῖς λόγοις προσέλθητε, ἵνα τὰ αὐτὰ πάθητε ὑπὸ τῶν ὑμετέρων ἀνθρώπων, ἃ καὶ αὐτοὶ οἱ προφῆται ἔπαθον, ἢ δύνασθε ὅλως ἡδὲν ἀπὸ τῶν προφητικῶν ὠφέλιμον λαβεῖν [*Nisi igitur contemnatis dogmata eorum qui semet exaltant ac Rabbi, Rabbi dici volunt, eoque animo ac proposito ad Propheticos accedatis sermones, ut parati sitis eadem a vestra aetate hominibus pati, quæ passi sint Prophetæ, nihil utilitatis ex scriptu Propheticis capere potestis*]. Adde quod Deus illustrat eos qui vitiis suis non patrocinantur. Platonis est, Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ ὐ θεμιτόν [*Purum ab impuro tangi nefas*]. Et Socratica erat sententia: *Quibus satis persuasum est ut nihil vellem se esse quam viros bonos, his reliquam facilem esse doctrinam.* Meminit Augustinus Epist. XXI. Adeo & illud verum,

Τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ Θεὸς ξυλλαμβάνει.

[*Adjutor ipse est, sed laboranti Deus*].

Chrysostomus in IX ad Rom cum προσκόπτειν [*offendere*] interpretatus esset ἀπιστεῖν [*incredulum esse*], addit, τὸ δὲ προσκόπτειν ἐν τῷ μὴ προσέχειν γίνεται, ἐν τῷ πρὸς ἕτερα κεχηνέναι [*offendere nascitur ex eo quod quis animum non advertit, quod aliis rebus inhiat*]. ¶ Ἀπ' ἐμαυτοῦ, *a me ipso*] Vide supra V. 30.

18. Ο ἀφ' ἑαυτοῦ λαλῶν, τὴν δόξαν τὴν ἰδίαν ζητεῖ *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit*] Nemo est qui se a Deo missum falso prædicet, nisi ea re honorem & quæ honorem sequuntur commoda venetur. Nemo gratis malus est. ἀφ' ἑαυτοῦ [*a se*], id est, sua cogitata proferens, cum Dei mandatum præferat. ¶ Ο δὲ ζητῶν τὴν δόξαν τοῦ πέμψαντος αὐτὸν, *qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum*] Cujus & verba & facta non alio spectant quam ut Deus honoretur, quique propterea nihil ad gratiam dicit, nihil veri salutaris quamvis acerbi subticet, honores non ambit, vita tenuissima contentus est. ¶ Οὗτος ἀληθὴς ἐστι, *hic verax est*] *Hic dignus est cui fides habeantur*; supra V. 32. ¶ Καὶ ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν. *& injustitia in illo non est*] Hic ἀδικία & ἀλήθεια [*injustitia & veritas*] opponuntur 1 Cor. XIII. 6. & impostura vocatur ἀπάτη τῆς ἀδικίας [*seductio iniquitatis*], II Thess. II. 10. Sensus est, Falsi crimen de eo credibile non est, cum absit mentiendi causa.

19. Οὐ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν νόμον, *Nonne Moses dedit vobis legem*] Deuteron. XXXIII. 4. Redit ad id quod dixerat, Suum dogma ab iis ideo damnari quod animum non haberent promtum ut Deo obediant. Quod probat ex Lege Mosis, quam a Deo esse negare non poterant, quod de Christi dogmate negabant. Moses ille eximius, quo Magistro vos jactatis. ¶ Οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ποιεῖ τὸν νόμον; *nemo ex vobis facit legem*]? Id est, Non est vobis serium propositum vitam vel ad illam Legem instituendi. Sic κυνηγὸς νόμου [*factores legis*] vocat Paulus eos qui ad Legis normam serio se componunt, etiamsi forte in minutulis lapsent, Rom. II. 13. Vide Matth. VII. 23. Illud autem *nemo* intelligendum ἐπὶ τὸ πολὺ [*ut plerumque*], *de maxima parte*, ut Ps. XIV. 3. Rom. III. 10.

20. Τί με ζητεῖτε ἀποκτεῖναι; *Quid me quæritis interficere*]? Vel hoc ipso apparet quam longe ablitis ab ipsius Legis obedientia, cum me populatem vestrum innocentem, bene de vobis meritum, vultis morte afficere. Tribuit autem populo id quod proprium erat Primorum populi. ¶ Δαιμόνιον ἔχεις. *Dæmonium habes*] Græci dicerent, Δαιμονᾷς, *Insanis, Furiæ te agitant.* Vide Matth. XI. 18. Non fiebat credibile plebi, quenquam in populo esse qui necem Jesu machinaretur. At certe eam sibi auctoritatem factis pepererat Jesus, ut nihil ab ipso affirmatum temere deberet rejici.

21. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, *Respondit Jesus*] Λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει [*Convitiis petitus convitia non reponebat*] 1 Petri II. 23. Ad convitium docendo respondet. ¶ Ἓν ἔργον ἐποίησα, *Unum opus feci*] Unum nec molestum opus Sabbato feci, ægrotum voce sanando. ¶ Καὶ πάντες θαυμάζετε. *& omnes miramini*] Quod mox explicat ἐμοὶ χολᾶτε [*mihi indignamini*]: sic θαυμάζειν pro *offendi* ponitur Eccl. V. 8. Sirach. XI. 21.

22. Διὰ τοῦτο, *Propterea*] Ellipsis [*Defectus orationis*]; supple, *Audite quod dicam. Quia eo facto offenditis, accipite meam purgationem.* Sic sæpe לכן & על כן [*propter hoc*] apud Hebræos, ut Osee II. 14. ¶ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὴν περιτομὴν, *Moses dedit vobis circumcisionem*] *Præcepit*, Levit. XII. 3. ¶ Οὐχ ὅτι ἐκ τῆς Μωσέως ἐστὶν, *non quia ex Mose est*] Explicatio ante dicti; *non quod dicam a Mose primum institutam.* ¶ Ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων, *sed ex Patribus*] Ex [*Ex*] pro παρὰ [*ab*]. venit ab Abrahamo, Isaaco & Jacobo. ¶ Καὶ ἐν σαββάτῳ περιτέμνετε ἄνθρωπον. *& in Sabbato circumciditis hominem*] Id est *puerum* בן ארם [*filium hominis*]. Sic infra XVI. 21. Illud καὶ [*&*] est rationale: quasi dicat, *propterea, reverentia patris instituti opus facitis Sabbato.* Sententia est Hebræorum, מילה דוחה את השבת *circumcisio pellit Sabbatum.*

23. Εἰ περιτομὴν λαμβάνει ἄνθρωπος ἐν σαββάτῳ, *Si circumcisionem accipit homo in Sabbato*] Si hoc licet & fas est, in quo tam multa concurrunt quæ servilia videri possent nisi pietatis causa susciperentur. ¶ Ἵνα μὴ λυθῇ ὁ νόμος Μωσέως, *ut non solvatur Lex Mosis*] Ut maneat præceptum illud de octavo die facienda circumcisione, à Deo datum, à Mose perscriptum, supra 22. ¶ Ὅτι ὅλον ἄνθρωπον ὑγιῆ ἐποίησα ἐν σαββάτῳ; *quia totum hominem sanum feci in Sabbato?*] Paralysis totum hominem occupaverat, & ego eum liberavi: quod opus non tantum ad Dei honorem magis pertinet quam Circumcisio, sed & per se beneficum est, ac proinde continetur in Naturæ præceptis, quæ antiquiora sunt ipsa Circumcisione, sicut Circumcisio est antiquior rigido otio Sabbati per Mosem imperato, ac propterea Sabbato perfertur. Si lex ritualis cedit rituali antiquiori, quanto magis legi per naturam cordibus inscriptæ, ut quavis occasione miseros juvemus?

24. Μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, *Nolite judicare secundum faciem*] Sepositis personis, circa quas favor aut odium nasci solent, rem nudam spectate: ὄψις [*facies*] hic est מראה [*aspectus externus*], quod πρόσωπον [*facies*] vertì solet. Sensus delimtus est ex Deut. I. 17. XVI. 19. ¶ Ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνετε. *sed justum judicium judicate*] Ex Zach. VII. 9. Ne in me damnate quod vobis permittitis.

25. Ἐκ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν, *ex Hierosolymitis*] Sic sæpe apud Josephum vocantur, & Marcion. 5. ¶ Ον ζητοῦσιν ἀποκτεῖναι; *quem quærunt interficere*?] Nam hi, ut cives, propius nosse poterant odium Procerum in Jesum quam qui ex aliis partibus in Urbem venerant, quos modo ὄχλος [*turba*] nomine significavit.

26. Παῤῥησίᾳ λαλεῖ, *palam loquitur*] *Palam*, ut supra 13. ¶ Οὐδὲν αὐτῷ λέγουσι· *nihil ei dicunt*] Ne docere quidem à Synedrio vetatur. ¶ Ἀληθῶς ἔγνωσαν, *vere cognoverunt*] Ἀληθῶς [*vere*], id est, *certis indiciis.* Sic infra XVII. 8. quod qui non intellexerunt posuerunt ἀληθῶς [*vere*] ante ἐξῆλθ [*exit*], quod secutus est Syrus: postea utrunque in quosdam codices irrepsit. ¶ Οἱ ἄρχοντες, *Principes*] Syrus רברבי, id est, *Seniores.* Senatores Magni Synedrii, penes quos cognitio erat de Prophetis veris aut falsis. Vide quæ ad Luc. XIV. 1. & Matth. V. 22.

27. Ὅταν ἔρχηται, *cum venerit*] *Venit*; sic γινώσκει, *scit*. ¶ Πόθεν ἐστίν· *unde sit*] Quo patre natus sit: id enim respondetur ad quæstionem πόθεν [*unde*] 1 Sam. XXX. 13 II Sam. I. 13. Ex mystica interpretatione loci, *Ecce virgo pariet*, & aliis forte similibus apud quosdam Judæos fama invaluerat Messiæ patrem indicari non posse. At hujus patrem nosse se sibi persuaserant, Josephum scilicet.

28. Ἔκραξεν, *Clamabat*] Intendit vocem ut omnes audirent. ¶ Καὶ μὲ οἴδατε, καὶ οἴδατε πόθεν εἰμί· *Et me scitis, & unde sim scitis*] Puto legendum cum interrogatione, *Itane vero me nostis quo sim patre genitum?* Nec aliter puto legisse Tertullianum, qui Ad Praxeam sic citat: *Neque me scitis unde sim*, interrogationem negative exponens. Christus sicut ab Aqua vulgari ad spiritualem, à Cibo corporis ad cibum animi, ita à patre terrestri ad cœlestem sermonem traducit. ¶ Καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλήλυθα, *& a meipso non veni*] Καὶ [*&*] pro *at*: *At sume ego me huic muneri non ingessi, sed qui me misit, is Pater est meus.* Sic ἐρχόμενος [*qui venit*] supra I. 15. ἐλήλυθας [*qui venisti*] III. 2. & alibi. ¶ Ἀλλ' ἔστιν ἀληθινός ὁ πέμψας με, *sed est verus, qui misit me*] Subintellige πατὴρ [*Pater*], κατὰ τὸ ενμαινόμενον [*secundum id quod significatur*]: nam in voce πόθεν [*unde*] hoc inerat. Sic supra τὸν ἄρτον τὸν ἀληθινὸν [*panem verum*] VI. 32. Supra aliquoties voci ὁ πέμψας με [*qui misit me*] additur πατὴρ [*Pater*] V. 30, 37. VI. 39, 44. *Qui me misit, is vere est Pater meus.* ¶ Ον ὑμεῖς οὐκ οἴδατε. *quem vos nescitis*] Nescitis quo sit ingenio, quo affectu erga genus humanum, quo cultu delectetur. Vide supra I. 18. & quæ ibi dicta.

29. Ἐγὼ οἶδα αὐτὸν, *Ego scio eum*] Ego cum quis sit, quid velit, quid cogitet, quas leges quibus præferat, intime novi. Referenda hæc ad superiorem quæstionem de sanatione in Sabbato. ¶ Ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι, *quia ab ipso sum*] Ab ipso duco auctoritatem & potestatem miracula tanta faciendi: quod infra X. 36. dicitur à Patre esse sanctificatum. Sic πόθεν ἐστὶ [*un-*

de

de est] sumitur Matth. xxi. 25. infra ix. 29. Allusio est ad illud supra dictum πόθεν ἐστὶν [*unde est*] sensu alio. ¶ Καὶ εἶπόν με ἀπέστειλεν. *& ipse me misit*] *Ab ipso & mandata accepi*, supra iii. 17, 34. Ratione hujus tum sanctificationis tum missionis Deum recte Patrem suum dici infra quoque probat x. 37.

30. Ἐζήτουν οὖν αὐτὸν πιάσαι· *Quærebant ergo eum apprehendere*] Quidam ex adstantibus manus ei injicere volebant, nempe ut eum ad Synedrium adducerent, cui id sciebant gratum fore. ¶ Ἡ ὥρα αὐτοῦ. *hora ejus*] Tempus Passionis à Patre electum ut opportunissimum saluti humanæ. Id sæpe ὥραν [*horam*] vocat Johannes, viii. 20. & alibi. Vide Responsionem ad Orthodoxos cxxii. in Justini Operibus. Ante id tempus voluntates quamvis malæ ab effectu Divina quadam vi inhibebantur.

31. Ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν, *crediderunt in eum*] Non ut in Christum, (nam de eo dubitabant), sed ut in hominem à Deo missum. ¶ Πλείονα σημεῖα, *plura signa*] Nam plurima ipse etiam Johannes subticuit: infra xx. 30. xxi. 25.

32. Ἐγόγγυζον τὰ περὶ αὐτοῦ, *murmurantem de illo*] Clam hæc mussitantem. Sic γογγυσμὸς πολὺς περὶ αὐτοῦ [*murmur multum de eo*] supra 12. ¶ Ἀπέστειλαν οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ ἀρχιερεῖς, *miserunt Pharisæi & summi Sacerdotes*] Id est, rem urserunt in Synedrio tum Pontificium primores, tum alii sectæ Pharisaicæ, quorum illi dignitatis, hi traditionum suarum imminutionem metuebant, quandoquidem populus tam bene de Jesu sentire cœperat. Vide infra xi. 47. Sed Sadducæi ista non curabant, traditionum contemtores & ad dignitates nixi Romana potestate non aura populari. ¶ Ὑπηρέτας, *ministros*] חזנים [*executores*] qui Senatorum judicia exsequebantur.

33. Ἔτι μικρὸν χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμὶ, *Adhuc modicum tempus vobiscum sum*] Ostendit omnia sua agi dispositu Divino speciali atque eximio, & simul vanum esse ipsorum conatum, quia & nunc nocere ipsi impedirentur, & posthac ubi in cœlum ipse adscendisset multo magis. Mortem suam in medio positam silentio transit, quia non pertinebat ad id quod hic agitur. ¶ Καὶ ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με. *& vado ad eum qui me misit*] Renuntiaturus legationem: quasi dicat, Videte quomodo tractandus sit vobis Legatus.

34. Ζητήσετέ με καὶ οὐχ εὑρήσετε· *Quæretis me, & non invenietis*] Non esse hoc exprobrantis, sed communiter dictum bonis & malis apparet infra xiii. 33. Hebræorum est indicativo adjecta copula uti pro subjunctivo, quo carent. Sensus ergo est, Si me quæratis non comparebo. Hoc sensu phrasis hæc reperitur Psalm. x. 15. xxxvii. 10. Esaiæ xli. 12. Osex ii. 7. ¶ Καὶ ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν. *& ubi ego sum, vos non potestis venire*] Noli cum Nonno εἶμι [*eo*] legere, quod Poeticum est & nostris Scriptoribus incognitum. Tam εἰμὶ [*sum*] hic est pro futuro quam δύνασθε [*potestis*]. Vide Matth. xvii. 11. sic infra xiii. 33. ubi hic sensus reperitur, ὑπάγω [*vado*] est pro ὑπάξω [*vadam*]; quanquam alio fine ibi Apostolis hoc dicitur quam hic plebi; ibi ut amicis, hic ut inimicis.

35. Πρὸς ἑαυτοὺς, *ad semetipsos*] *Inter se*: ut Matth. xvi. 7. & alibi. ¶ Ὅτι ἡμεῖς οὐχ εὑρήσομεν αὐτόν; *quia non inveniemus eum*]? Id est, *ut eum invenire non possimus*, ut hic optime vertit Syrus. Sic ii Sam. vii. 18. Græce, τίς εἰμὶ ἐγὼ, Κύριέ μου, Κύριε, καὶ τίς ὁ οἶκός μου, ὅτι ἠγάπησάς με ἕως τούτων; [*quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia amasti me hucusque*]? *ut me diligeres.* ¶ Εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων, *in dispersionem Gentium*] Vox διασπορᾶς [*dispersionis*] Judæis Græce loquentibus, quos *Hellenistas* dici mos habet, significat ea loca in quibus Israelis posteri exsulabant, פוץ [*dissipatus*], ut videre est Deut. xxx. 4. Nehem. i. 9. Psalm. cxlvii. 2. ii Maccab. i. 27. In loco illo Psalmi lxx. habent τὰς διασπορὰς τοῦ Ἰσραὴλ [*dispersiones Israelis*]; at Symmachus τοὺς ἐξωσμένους [*ejectos*]. Nobiles autem διασποραὶ [*dispersiones*] erant duæ, prior Babyloniorum, altera Græcorum; id est illa quæ sub Chaldæis, hæc quæ sub Macedonibus contigerat: nam Regnum Macedonum Hebræi vocant מלכות יון *Regnum Græcorum*. Vide i Maccab. vi. 2. Sensus est, Ibitne Antiochiam aut Alexandriam, quo multi Israelitarum migrarunt sub Successoribus Alexandri? Hoc autem potius quærunt quam de regionibus sub Partho, quia Syria & Ægyptus minus longe aberant à Judæa, & plurimi inde Hierosolyma festis diebus veniebant; non æque ex Mediæ partibus. ¶ Καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας; *& docturus Gentes*]? Ut dogma suum spargat non tantum inter Israelitas, sed etiam inter Græcos, id est, eos qui, cum Israelitæ non sint, in iis locis habitant, Deum unum non agnoscentes. ערלי *impios* habet hic Syrus. Hoc volunt, Forte sperat suum dogma, quod ritibus Legis non multum tribuit, gratiosum fore apud alienigenas, ita ut eorum ope facile speret tutum se fore adversus conatus nostratium.

36. Τίς ἐστιν οὗτος ὁ λόγος ὃν εἶπε, *Quis est hic sermo quem dixit*] Nam nisi hoc vult, quem sensum habet sermo ipsius? Ubi enim in terra Palæstina præsidium sibi sperat, cum Romani ipsi in his locis plurimum deferant auctoritati Synedrii, cujus judicium ipsi adversatur? Sic & Apostolos videmus nusquam minus tutos fuisse quam in Judæa. Sed quo ipsi Jesum iturum putabant ut ipsorum insidias vitaret, eo, Jesu jam locum tutum ac glorioſum obtinente, ipsi coacti sunt fugam capere.

37. Ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς, *In novissimo autem die magno festivitatis*] Primus dies & ultimus τῆς ἑορτῆς [*temporis solennis*] erant festi, sed ultimus quo dabatur ἄφεσις λαοῖς [*demissio populo*] celebrior & cum solenni lætitiæ significatione. Nam & palmas ramosque tum gestantes canebant *Hosanna*. Vocatur is dies מקרא קדש κλητὴ ἁγία [*celebris sanctus*] Levit. xxiii. 36. item יציאה ἔξοδος [*exitus*] Græcis. Multa de hac lætitiæ significatione in Thalmude titulo *Succah*. ¶ Εἱστήκει ὁ Ἰησοῦς, *stabat Jesus*] Non inter deambulandum, ut alias, sermonem hunc habuit, sed stans & intenta voce, quo magis attentionem excitaret. ¶ Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με, καὶ πινέτω. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*] Ex rebus obviis sermonis occasionem capere Christus solebat. Eo autem die populus magna pompa ex fonte Siloæ aquam hauriebat, canticum illud ex Esaia usurpans, *Hauritis aquas in gaudio de fontibus salutis.* Hoc conspecto docet eos Christus quis sit fons vere salutaris indicatus à Zacharia xiii. 1. Verba autem hæc sua sumit ex Esaia lv. 1. Sensus est, Qui desiderio felicitatis uritur (nam id *sitire* vocant Hebræi, ut & aliæ gentes) ad me veniat; ego sitim ejus restinguam.

38. Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, *Qui credit in me*] Qui mihi fidem ita adhibet ut mihi pareat atque vitam instituat, quemadmodum ego doceo, & qualem describit aliquatenus Esaias lviii. 7. & seq. ¶ Καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, *sicut dicit Scriptura*] Ita sæpe Johannes, ubi non unum aliquem locum sed multorum consensum indicat. Quare & Syrus pluraliter hic *Scripturas* posuit, quomodo & supra habemus v. 39. Pertinent huc omnes loci qui de *effundendo Spiritu agunt*: nam *effusio* tacitam habet Aquarum comparationem. Sed præcipue respici puto locum Esaiæ dicto capite lviii. 11. *Eris sicut exitus aquarum cujus aqua non deficient*: hunc enim locum videtur παραφράζειν [*fusius exponere*]. ¶ Ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος. *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*] Apud exitus sive scaturigines aquarum solebant *conceptacula lapidea* fieri: ἀγγεῖα vocantur Græcis Proverbiorum v. 15. Hebræis modo בור, modo באר: nam hæc in privatis locis distingui ajunt Thalmudistæ, in publicis vocabula misceri. In horum medio erant tubi per quos aqua in publicum exsiliebat. Dicto loco Proverb. *Dispergantur fontes tui foras, & fluenta de medio conceptaculi.* Omne autem medium aut intimum Hebræis בטן [*venter*], Græcis κοιλία dicitur, ut i Reg. vii. 20. Matth. xii. 40. Dicitur igitur futurum ut sibi credentes ita repleantur aqua ut contineri intra ipsos nequeat, sed undique magnis fluentis exsiliat. *Aquam* autem hic intelligit Spiritum Sanctum, ut statim Johannes explicat. *Aqua viva* est *aqua jugiter fluens*, ut explicat Servius in codice Fuldensi, addens *augurale esse verbum.* Merito autem sic vocatur Spiritus Sanctus, quia arrhabo est vitæ æternæ. Ποταμοὶ [*flumina*] vocantur non tantum *amnes* sed & *quævis copia aquarum*, Matth. vii. 25, 27. Est autem Hebraismus, ὁ πιστεύων [*credens*], & deinde αὐτοῦ [*ejus*], pro quo Græci una voce dicerent τοῦ πιστεύοντος [*credentis*].

39. Περὶ τοῦ πνεύματος οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες, *de Spiritu quem accepturi erant credentes*] Non tantum Apostoli, sed credentium ingens multitudo, cujus rei initium in cxx hominibus factum est in Pentecoste. Vide quæ ad Marc. xvi. 17. & deinceps. ¶ Οὔπω γὰρ ἦν Πνεῦμα, *nondum enim erat Spiritus*] Ita puto scriptum fuisse; nam ἅγιον [*sanctum*], quod Græci codices, nec omnes, habent & sequitur Arabs, Syrus & Latinus veteresque Scriptores non agnoscunt. Itaque explicandi causa adjectum est, sicut in Græcis quibusdam ἐπ' αὐτοῖς [*super ipsis*], & in nonnullis *datus* ad vitandam calumniam Macedonianorum; quibus tamen minime opus est: subintelligendum enim ex prioribus *credentium Christo.* Hic Spiritus credentium Christo adhuc erat exspectandus. Alioqui *Spiritus Sanctus* etiam de Prophetis dicitur ii Petr. i. 21. &

de

de Elisabeta Luc. 1. 41. & de Zacharia ibidem 67. ¶ Ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὔπω ἐδοξάσθη. *quia Jesus nondum erat glorificatus*] Nondum in cœlum ascenderat, ut explicatur Actor. 11. 33. & Ephes. IV. 8, 9, 10. Regis enim est jam regnantis dona dare regia. Justinus Colloquio cum Tryphone, Πάλιν δὲ ἐπεπροφήτευτο γενήσεσθαι δόματα, ἃ ἀπὸ τῆς χαριτος τῆς δυνάμεως τοῦ πνεύματος ἐκείνου τοῖς ἐπ' αὐτὸν πιστεύσαι δίδωσιν, ὡς ἄξιον ἕκαστον ἐπίσταται, ὅτι ἐπεπροφήτευτο πᾶσι μέλλειν γίνεσθαι ὑπ' αὐτοῦ μετὰ τὴν εἰς οὐρανὸν ἀνάληψιν αὐτοῦ [*Deinde, quomodo prædictum sit dona exstitura, quæ ille ex gratia potentis Spiritus sui daturus esset in se credentibus, sicut quemque dignum sciret, quod & ipse præsignificaverat se fallurum post suam in cœlum adscensionem*].

40. Πολλοὶ οὖν ἐκ τοῦ ὄχλου, *Multi ergo ex turba*] Mot. verborum Majestate præcellente animos. ¶ Ὁ προφήτης, *Propheta*] Vide supra 1. 21.

41. Μὴ γὰρ ἐκ τῆς Γαλιλαίας ὁ Χριστὸς ἔρχεται; *Numquid à Galilæa venit Christus*]? De loco ortus Jesu nihil nisi rumore ipsis constabat, de miraculis & dogmate, visu atque auditu, quibus excitari debuerant ut de ortu aut ipsum aut cognatos ipsius interrogarent.

42. Οὐχὶ ἡ γραφὴ εἶπεν, ὅτι ἐκ τοῦ σπέρματος Δαβὶδ, *Nonne Scriptura dicit: quia ex semine David*] Qui hæc dicebant à Doctoribus erant instituti apud quos traditiones istæ vigebant. Vide Matthæi XXII. 42. ¶ Καὶ ἀπὸ Βηθλεὲμ τῆς κώμης ὅπου ἦν ὁ Δαβὶδ, & *de Bethlehem castello, ubi erat David*] Vide Matth. II. 5. κώμας [*castella* aut *vicos*] vocant Scriptores nostri non raro minora oppida, ut Luc. XXIV. 13. Etiam Græci πόλιν [*oppidum*], interdum κώμην [*vicum*] vertunt. Davidis domus paterna Bethleem 1 Samuel. XVI. 4. XVII. 12, 15. atque ibi gentilitia convivia celebrare erat solitus, 1 Sam. XX. 6, 29.

43. Σχίσμα, *Dissensio*] *Diversitas studiorum.* Sic infra IX. 16. X. 19.

44. Τινὲς δὲ ἤθελον ἐξ αὐτῶν πιάσαι αὐτόν. *Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum*] Subornati à Senatoribus. Vide supra 30.

45. Ἦλθον οὖν οἱ ὑπηρέται, *Venerunt ergo ministri*] Postquam per dies aliquot Christum sectati erant, quasi eum prehenduri data occasione. ¶ Πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ Φαρισαίους, *ad Pontifices & Pharisæos*] Ἀρχιερεῖς [*Pontifices* sive *summos Sacerdotes*] hic intellige non tantum Cajapham & Annam, sed & alios familiarum Sacerdotalium Principes; *Pharisæos*, cæteros è Senatoribus quibus prehensio cordi erat, quique hoc negotium urgebant.

46. Οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος, *Nunquam sic locutus est homo*] Ἄνθρωπος πτπ [*vir*] pro τὶς [*aliquis*], ut & infra 51. Ingenue loquuntur: non causantur metum turbæ, sed animi conscientiam verbis Divinis commotam; tanto Magistratibus suis meliores. Confer Matth. VII. 29. 1 Cor. II. 14.

47. Μὴ καὶ ὑμεῖς πεπλάνησθε; *Numquid & vos seducti estis*]? Etiam vos, qui, cum in ministerio nostro sitis, facile potestis discere ea quæ ad religionem pertinent?

48. Μή τις ἐκ τῶν ἀρχόντων ἐπίστευσεν, *Numquid ex principibus aliquis credidit*] *Ex Senatoribus Magni Synedrii*, qui jus habent cognoscendi de Prophetis. Vide supra III. 1. & hoc capite 26. ¶ Ἢ ἐκ τῶν Φαρισαίων; *aut ex Pharisæis*]? *Aut saltem ex Pharisæis*, qui & sanctitatis & eruditionis nomine excellunt. Ita à duplici auctoritate argumentantur, Judiciali & Magistrali.

49. Ἀλλ' ὁ ὄχλος οὗτος, *Sed turba hæc*] *Populus terræ*, ut loquebantur. *Fex populi.* ¶ Ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, *qui non novit Legem*] Qui studium non ponit ut exacte Legem discat secundum Scholarum interpretationes & traditiones. ¶ Ἐπικατάρατοί εἰσι. *maledicti sunt*] ארור [*abominatus*], quod sæpissime Rabbini dicunt de populo terræ. Sumtum hoc ex Deuter. XXVII. 26. ubi *maledicti* aut *exsecrabiles* pronuntiantur qui ex Lege vivere noluerint. Quasi vero hoc ad illos apices pertineret qui nisi in Scholis disci non poterant: ideoque simplex aliquis piscator aut opifex secundum communem intellectum dans operam servandis Dei præceptis Deo placere non posset.

50. Ὁ ἐλθὼν νυκτὸς πρὸς αὐτὸν, *qui venerat ad eum nocte*] Hoc additur ut intelligatur & Christi fautor & timidior. Ideo nec aperte ei patrocinatur. ¶ Εἷς ὢν ἐξ αὐτῶν· *qui unus erat ex ipsis*] Unus è Senatu, ut apparet supra III. 1.

51. Μὴ ὁ νόμος ἡμῶν κρίνει τὸν ἄνθρωπον, *Numquid lex nostra judicat hominem*] *Κρίνει* [*Judicat*], id est, *patitur judicari.* Nostrane Lex, quæ æquitatem ubique Judicibus commendat, hoc patitur ut præjudicio confodiatur aliquis (quale hoc erat de Jesu prehendendo) neglectis veri indagandi rationibus commodis, qualis est imprimis ut ipse coram interrogetur atque audiatur? Vide Præceptorum jubentium CVI. τὸν ἄνθρωπον [*hominem*], *hominem aliquem*, ut supra II. 25. De lege Romana idem dicit Piso apud Appianum Civilium III. Ὁ νόμος δικαιοῖ τὸν ἐνθυμούμενον αὐτὸν ἀκοῦσαί τε τῆς κατηγορίας καὶ ἀπολογησάμενον ὑπὲρ αὐτῶ κρίνεσθαι [*Vult lex reum audiri ea de quibus accusatur & ubi se defenderit judicari*]. ¶ Ἐὰν μὴ ἀκούσῃ πρῶτον αὐτοῦ πρότερον, *nisi prius audierit ex ipso*] Cum in eadem urbe palam versetur, neque de fuga suspectus sit. ἐὰν μὴ hic *si non* vertendum. ¶ Καὶ γνῷ τί ποιεῖ; & *cognoverit quid faciat*]? Καὶ [&] pro *ut*: ut sciuerit eo modo cognoscatur quam vitam vivat, quem se dicat, quibus argumentis.

52. Μὴ καὶ σὺ ἐκ τῆς Γαλιλαίας εἶ; *Numquid & tu Galilæus es*]? Non quod hoc crederent, sed quod significare vellent non alios Jesum fautores habere quam populares factione occupatos. Vide Marci XIV. 70. Lucæ XXII. 59. ¶ Ἐρεύνησον, *scrutare*] *Revolve tecum omnium temporum historiam.* Loquuntur ut erudito. ¶ Καὶ ἴδε, & *vide*] Quasi dicant, *Certum est, Constat.* ¶ Ὅτι προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται. *quia à Galilæa Propheta non surrexit*] Non de uno sed de quovis Propheta accipe. Nullus, ajunt, Galilæus unquam à Deo donatus est Spiritu Prophetico: Gens est Deo despecta. Vide supra 1. 46. Occœcatus odio animus nihil ad illud de æquitate à Nicodemo allatum respondet, sed argumentum arripit, quo nullum frigidius, ab historia negative; quasi nemo eximius nasci posset unde non alius talis prior natus sit. Proprie autem de Propheta dicitur ἐγήγερται [*surrexit*], id est, *a Deo excitatus & quasi in sublimi collocatus est.* Notavimus ad Matth. XI. 11.

53. Καὶ ἐπορεύθη ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ. & *reversi sunt unusquisque in domum suam*] Discessio facta est re infecta: quod credibile est evenisse, quia Sadducæi, pars Senatus, Nicodemi sententiam probarunt. Erant enim, ut Josephus notat, in jure dicendo exacti satis Legis observatores, & libenter Pharisæis contradicebant. Videntur autem postea hi cessisse, intellecta Majestatis accusatione: erant enim cultores Romanæ potentiæ.

CAP. VIII.

VALLA.

9. *AUdientes autem, unus post unum exibant, incipientes à senioribus*] In plerisque cod. Græcis legitur, *Illi autem cum audissent, & à conscientia reprehensi exibant.* Illud autem *unus post unum* ausim affirmare à nemine unquam Latinorum antea dictum, quod nec ad verbum Græco respondet: quod ego dixissem potius *viritim* vel *sigillatim*, vel *separatim singuli*: οἱ δὲ ἀκούσαντες καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι, ἐξήρχοντο καθεῖς.

19. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*] Jam dixi supervacuum esse illud *forsitan*: vix deceat Deum loqui per dubitationem, καὶ τὸν πατέρα μὰ ἤδειτε ἄν.

25. *Dicebant ergo ei, Tu quis es? Dixit eis Jesus, Principium, qui & loquor vobis*] Melius in iis editionibus legitur ubi scriptum, *quia & loquor vobis*, vel *etiam quod*: Plerique autem hunc locum accipiunt, Jesum interrogantibus Judæis *quis esset* respondisse, *Ego sum principium*, ideoque corruperunt *quia* in *qui*. Hos animadvertens Augustinus errare, quia nunc *principium* non est casus nominativi, vult per accusativum fuisse responsum, quasi suppleatur, *Dico me esse principium.* Ipse tamen viderit quo pacto aut id suppleri possit, aut interrogantibus *Quis es?* recte respondeatur per accusativum, aut illud *quia* ad *principium* accommodari queat. Non est ergo accusativus nominativulve, etsi vocem eandem habet, sed adverbium quemadmodum apud nos *primum*, dum est adverbium, nullius casus est; & *principio*, ut apud Virgilium,

Principio maria ac terras. . . .

Ergo transferendum fuit *primum*, vel *jamprimum*, vel *principio*; quod forte est de verbis Euangelistæ: ut sit, *Dixit eis Jesus principio.* Otiosum fuerit exempla è Græcis voluminibus repetere in quibus adverbialiter positum reperitur τὴν ἀρχὴν, quod vel mediocriter doctis Græce notum est.

27. *Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum*] Mi-

Melius alii codices habent *quia Patrem*, & ſine illo *Deum*, ὅτι τὸν πατέρα αὐτῦ ἔλεγεν.

39. *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*] Græce etſi particula ἄν deeſt, tamen ita transferendum fuit, *Si filii Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis*, εἰ τέκνα τῦ Ἀβραὰμ ἦτε, τὰ ἔργα τῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε. Rectèque ſequitur,

40. *Nunc autem quæritis me interficere*] Quæ ſententia aliter haberet locum.

42. *Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis utique me*] Ut ſuperius *Forſitan*, ita hic ſupervacuum eſt *utique*. Eadem enim eſt figura dicendi.

REVIUS in VALLAM.

9. *Audientes autem*] Hiſtoriam hanc à Laurentianis codd. non abfuiſſe, liquet ex uno atque altero loco quem excutit, ut obſervat Eraſmus, quem vide, ut & Bezam ad finem cap. præced. Confer ib. *de Deum.* ¶ Ἐξήρχοντο καθ' εἷς] In noſtris eſt εἷς καθ' εἷς, i. καὶ ἔτι εἷς. Videantur Eraſmus & Beza.

25. *Principio mare ac terras*] *Cœlum ac terras.* Æneid. 6. ¶ *Dixit eis Jeſus principio*; τὴν ἀρχὴν] Melius Beza, quem conſule.

40. *Nunc*] *Non eſt adverbium hoc loco, ſed conjunctio quæ aſſumptionibus ſolet adhiberi non modo à Græcis ſed & à Latinis, ut Valla obſervavit Elegant. l. 2. c. 51.* unde in ſuas id notas tranſtulit Beza.

ERASMUS.

3. *Adducunt autem Scribæ & Phariſæi mulierem*] Hiſtoria de Muliere adultera non habetur in pleriſque Græcis exemplaribus. In nonnullis adjecta erat in calce. Atque ideo Chryſoſtomus nullam facit hujus mentionem, ediſſerens Euangelium Joannis, legens hoc contextu, *Scrutare & vide quia à Galilæa Propheta non ſurgit. Rurſum igitur Jeſus illis locutus eſt dicens, Ego ſum lux mundi*, &c. Et ad eundem modum legit Theophylactus, cum alioqui perpetuam in totum Joannis Euangelium commentationem ſcripſerit. Unde mirum eſt Chryſoſtomum alibi, videlicet hom. 60. hujus hiſtoriæ meminiſſe. Sic enim ſcribit inter cætera, *Ut cum rogarunt an liceret cenſum dare Cæſari, & an lapidanda eſſet adultera.* Niſi fortè putandum eſt alterum exemplum à ſtudioſo quopiam adjectum eſſe. Tametſi D. Auguſtinus hunc locum & enarrat in Commentariis & ſubinde citat in operibus ſuis. Quin & D. Hieronymus in Dialogo adv. Pelagianos 2. cum vehementer egeret hujus teſtimonio loci, (quo quidem in caſu ſolet & ex apocryphis adducere teſtimonia) tamen hanc allegans hiſtoriam ingenuè fatetur non in omnibus haberi codicibus, *In Euangelio*, inquit, *ſecundum Joannem in multis & Græcis & Latinis codicibus invenitur de adultera muliere quæ accuſata eſt apud Dominum.* Euſebius Cæſarienſis Eccleſ. hiſt. l. 3. indicat hanc hiſtoriam de muliere adulterii delata apud Dominum additam Euangelio Joannis ex Euangelio quod inſcribitur *Secundum Hebræos.* Arbitror autem Euſebium ſentire de Euangelio apocrypho Nazaræorum. Alioquî ſi hæc hiſtoria haberetur in Euangelio quod ſcripſiſſe creditur Matthæus, illuc potius reſtituenda erat unde ſuiſſet decerpta: nec Hieronymus rem tantam diſſimulaſſet. At fieri potuit ut quod ab Euangelio Joannis perierat, in apocrypho exſtaret; aut ut Joannes poſt hanc partem adjecerit Euangelio ſuo, itaque factum ut in quibuſdam codicibus haberetur, in quibuſdam non haberetur. Poſtremo fieri poteſt ut in apocryphis multa vera referantur: ex veris igitur hanc hiſtoriam adjectam; quæ jam autoritatem habet, non quod in apocryphis ſcripta fuerit, ſed quod eam Papias è ſuo Doctore audierit, quodque hanc Eccleſiæ conſenſus ut Euangelio dignam comprobarit. Proinde nos, quoniam jam ubique recepta eſt, præſertim apud Latinos, noluimus ſuo movere loco, maximè cum & nos in uno quodam exemplari Græco partem hanc aſcriptam compererimus. Et ſatis liquet in iis exemplaribus quibus uſus eſt Laurentius non abfuiſſe, vel hoc argumento, quòd unum atque alterum hujus hiſtoriæ locum excutit.

4. *Deprehenſa eſt in adulterio*] Κατειλήφθη ἐπ' αὐτοφώρῳ μοιχευομένη, *deprehenſa eſt in ipſo facto cum adulteraretur*: Φωρὰν enim eſt *deprehendere in facinore ipſo*: & hujuſmodi deprehenſionem αὐτόφωρον appellat.

7. *Sine peccato eſt*] Ἀναμάρτητος. Quod non ſolum ſignificat *eum qui non peccavit*, ſed *qui peccare non poſſit*, ut indicavit Hieronymus in Dialogis adverſus Pelagium.

9. *Audientes autem hoc unus poſt unum*] Græca diſſonant, οἱ δὲ ἀκούσαντες, καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι, ἐξήρχοντο εἷς καθ' εἷς, *at illi, cum audiſſent, & à conſcientia redarguerentur, exierunt ſingillatim*: quanquam aliter legit Valla, & ſecus habet editio Aldina. ¶ *A ſenioribus*] Addunt hic Græci quidam codices ἕως τῶν ἐσχάτων *uſque ad poſtremos.* ¶ *Et remanſit ſolus*] Κατελείφθη *relictus eſt*, ſive *deſertus eſt.* Mirum cur putarit à Græca voce recedendum.

19. *Forſitan & Patrem*] Rurſum conjunctionem ἄν vertit in *forſitan*, cum id Chriſtus affirmet potius quam vocet in dubium. Auguſtinus offenſus adverbio monet *forſitan* hic non eſſe Dubitantis ſed Increpantis.

23. *Vos deorſum eſtis*] Ἐκ τῶν κάτω *ex inferis*, ſive *ex iis quæ inferne ſunt.* Antiqui libri habent, *Vos de deorſum eſtis.* Ac mox, ἐκ τῶν ἄνω *è ſupernis*, quod articulus additus adverbio vim habet nominis adjectivi.

25. *Principium qui & loquor*] *Principium* non eſt hic nominativi caſus, ut Chriſtus dixerit ſe eſſe Principium, nec accuſativi, id quod D. exiſtimat Auguſtinus, propterea quod non cohæreat cum iis quæ præcedunt, ſed adverbium. Sic enim Græci dicunt τὴν ἀρχὴν pro *primo*, ſeu *principio*; quemadmodum τέλος pro *poſtremo*, aut *denique*, adverbialiter, ut ſubaudias præpoſitionem κατά. Nec eſt Græce *qui*, ὃς, ſed ὅτι *quia* vel *quod.* Quanquam his quoque cognitis ſenſus apud Græcos nonnihil habet ambiguitatis. Poteſt enim hic eſſe ſenſus, ut rogatus Jeſus *quis eſſet*, reſponderit, *Hoc primo loco dicam, is ſum qui loquor vobiſcum. Nam cætera de me indigni eſtis qui audiatis.* Aut ſi legimus ὅτι, non ὃς, ut conſtanter habent Græci codices, aſſentientibus & Latinis aliquot exemplaribus, in quibus ſcriptum eſt, *Principium quia & loquor vobis*, poteſt hic eſſe ſenſus, *Primum id ſum, quod etiam dico vobis. Non explico quicquid ſum indignus: hoc primum dico, me miſſum eſſe à Patre, & præconem vitæ: id quod jam dudum dico vobis.* Siquidem Græca vox ὅτι anceps eſt ad *quod* nomen, ſi aſſcribas hypodiaſtolen, ὅ, τι & *quia* conjunctionem, ſi ſubnotaris ὑφέν ut referat quod præceſſit, *niſi credideritis quod ego ſum.* Nam hæc vox Deo peculiaris eſt, EGO SUM. Et alibi dixit, *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Rogantibus igitur, *Tu quis es:* rectè ſignificans ſe Deum eſſe, reſpondit, *Principio hoc ſum quod jam dudum loquor vobis, cum toties dicam, Ego ſum.* Poteſt accipi tertius quoque ſenſus, ut hæc cohæreant cum his quæ proximè ſequuntur, *Multa habeo de vobis dicere. Primum ob id ipſum quod loquor vobis, quo beneficio vos præbetis indignos, Multa habeo quæ de vobis dicam*, h. e. Multa ſunt de quibus vos accuſem & condemnem, *plura habiturus ſi dicam quis ſim, nimirum Deus & homo.* Nam id accelliſſet illis ad cumulum impietatis, cum hæc ipſa quæ audierant inflamment illos ad conſilium occidendi. In hunc ferme ſenſum ediſſerit Chryſoſtomus, & hunc ſecutus Theophylactus: quorum uterque ſic accipit ut Chriſtus nihil reſpondere dignatus ſit ad id quod interrogarant, *Tu quis es?* ut qui digniores eſſent qui audirent quid ipſi eſſent, nimirum impii, rebelles, ſcelerati, quam quis eſſet Chriſtus, cui inſidiabantur. Id quod lectori ſit exploratius, Chryſoſtomi verba ſubſcribam; PRINCIPIUM QUIA ET LOQUOR VOBIS, *h. e. Sane indigni eſtis qui ſermones meos audiatis, & qui ſim intelligatis. Vos ut me tentetis ſemper loquimini, mihi autem non attenditis; & in omnibus vos reprehendere nunc non poſſum. Hoc enim ſignificat*, MULTA HABEO DE VOBIS LOQUI ET JUDICARE. Expende, lector, num & hunc in modum accipi poſſit, ut hæc pars, *Principio quod & loquor vobis*, pertineat ad ea quæ præceſſerunt, *In peccatis veſtris moriemini*, &c. *Primum ob hoc quoque ipſum quod hæc loquor vobis.* Quod ſi quid ſuffragarentur exemplaria, video commodè poſſe legi hoc pacto, τὴν ἀρχὴν ὅ καὶ λαλῶν ὑμῖν, ut ſit ſenſus; *Principio ſum ille qui etiam loquor vobis*, ſive *qui loquitur vobis.* Non quod autor eſſe velim novæ lectionis, ſed quo lectorem admoneam ſi quid forte reperiat in exemplaribus bonæ fidei. Porro quod additum eſt *Principio*, quaſi plura ſit additurus, pertinet ad id quod ſequitur, *Multa habeo de vobis dicere & judicare.* Cæterum D. Auguſtinus huc detorquet hunc locum ut hæc verba, *Tu quis es?* perinde valeant ac ſi dixiſſent, *Quem te eſſe dicis?* aut, *Quem te eſſe credimus?* Et quaſi ſic interrogaſſent, Chriſtus reſpondit, *Principium, quia & loquor vobis. Quæritis quid debeatis credere? credite me eſſe Principium.* Quæ quidem interpretatio utinam tam eſſet appoſita quam ille frequenter eam inculcat ac repetit, velut aſſeverationè molliens quod re duriùs erat. Quanquam illud certè ſenſit *principium* hoc in loco ſem. generis eſſe, caſus accuſativi: quod ni ſenſiſſet, nullo ſcrupulo offenſo, ſtatim pronunciaſſet, *Tu quis es?* reſponſum eſſe, *Sum Principium.* Etiamſi me non fugit Ambroſium hunc locum adducere juxta Auguſtini opinionem, Hexam. lib. 1. cap. 2. *Sicut*, inquit, *in Euangelio Dei Filius, dicentibus ſibi, Tu quis es? reſpondit, Initium, qui & loquor vobis:* & rurſus cap. 4. *Et illud in Euangelio præcipue, quod interrogatus DOMINUS quis eſſet, reſpondit, Initium, quod & loquor vobis.* Idem De fide lib. 3. cap. 4. *Nec de principio reſidet aliquid quæſtionis, cum interrogatus in carne, Tu quis es? reſponderit, Principium, qui & loquor vobis.* Ambroſius non conſuluit Græca, & ideo non ſentit ſcrupum. Auguſtinus,

ſtinus, quia conſuluit, torquetur; ſed quod affert de caſu accuſandi plane durum eſt, & à nemine Græcorum annotatum. Coactius mihi videtur & illud quod addit, *quia & loquor vobis*. Nam ex ſenſu colligo eam *quia* legiſſe, non *qui*: ait enim, *Et addidit*, QUIA ET LOQUOR VOBIS, i. *quia humilis propter vos factus ad iſta verba deſcendo. Nam ſi Principium ſicuti eſt ita maneret apud Patrem, & non acciperet formam ſervi, & homo loqueretur hominibus, quomodo ei crederent, cum infirma corda intelligibile Verbum ſine voce ſenſibili audire non poſſint? Ergo, inquit, credite me eſſe Principium, quia ut credatis non ſolum ſum, ſed & loquor vobis.* Ex hiſce verbis ſatis liquet Auguſtinum *quia* legiſſe, non *qui*; præſertim cum idem lib. De Geneſi ad literam referat hoc pacto, *Principium, quod & loquor vobis*, ut modo citavimus ex Ambroſio. Verum ſi fas eſt à tantis viris diſſentire, neutra interpretationis pars mihi probatur. Ambroſius aliud agens adducit hunc locum. Auguſtinus ſedulo protulit in medium quod tum veniebat in mentem, mutaturus, ni fallor, ſententiam ſi propius rem tetigiſſet intuitus, aut ſi Græcorum commentarios excuſſiſſet. Quamvis idem hunc Joannis locum in eam ſententiam citat, cum alias frequenter, tum in libro adverſus ἀνόμοιον Legis advertarium. c. 3. hinc colligens ac demonſtrans Chriſtum recte dici *Principium*. Ac mihi videtur Auguſtinus aliquoties in tuendis iis quæ ſemel dixerit paulo conſtantior quam res poſtulat. Quod ſi huic puero Græcæ literæ tam dulces fuiſſent quam erant Romanæ, nec ipſe poſtea ſenex deploraſſet adoleſcentiæ tarditatem, & felicius Divinas literas tractaſſet Græcorum libris adjutus. Magis autem admiror Ambroſium, qui pulchre Græce noſſet, quique Sacrorum voluminum interpretationem ex Græcorum commentariis haurire ſolet, hic cum Auguſtino conſentire, atque ex hoc loco docere Chriſtum recte dici *Principium*, cum alias, tum libro De fide 3. cap. 4. Quin & illud annotandum, neque Chryſoſtomum neque Theophylactum quicquam hoc loco offendi, cum offenderetur Auguſtinus, opinor quod Græci ſermonis formam agnoſcerent, ſciretque τὴν ἀρχὴν adverbii vice poni, quemadmodum οὐ' ἀρχὴν pro *nequaquam*, & τέλος pro *denique*. Cæterum ut mihi gravis eſt Chryſoſtomi autoritas, ita interpretatio minus videtur coacta. Unus adhuc ſcrupus reſtare poterat, quod τέλος aut ἀρχὴν, quoties adverbii vim habent, incertum ſit an ſoleant apud autores articulo præpoſito uſurpari. Sed ad hunc modum uſurpavit Gregorius Nazianzenus ſerm. De Paſchate, Οὐκ ἐπιορκήσεις, ἐκεῖνος· σὺ δὲ, Οὐδὲ ὁμῇ τὴν ἀρχὴν, *Non pejerabis, ille: tu vero, Nec juraveris omnino.* Et Galenus in libello De optimo docendi genere, ἀλλ' οὐδὲ διδασκαλὴν τὴν ἀρχὴν ἐναργῆς οἶμαι δεδιδάχθαι, *Verum in nulla prorſus eruditione arbitror fuiſſe inſtitutum.* Jam & in hoc laborat Auguſtinus, Quomodo Chriſtus dicatur *Principium*, cum Eſſe ab alio pugnet cum Principii ratione. Pater enim ſimpliciter & abſolute *Principium* vocatur. Abſolute dico, non perfecte, cum hæc appellatio perfecte competat & in Filium, ſed ita ut nihil nominari poſſit cujus non ſit Principium. Siquidem Pater principium eſt omnium & creatorum & increatorum. Filius Patris certe principium dici non poteſt, ut neque totius Deitatis, quemadmodum ſentit Auguſtinus. Quanquam Paulus in epiſtola ad Coloſſenſes eum *principium* vocat abſolute, ſed addens *primogenitus ex mortuis:* & paulo ſuperius dixerat *Primogenitum omnis creaturæ.* Quod autem in Apocalypſi dicitur *principium & finis*, conſtat intelligendum, Chriſtum eſſe initium & conſummationem Eccleſiæ, quam priore adventu conſtituit, poſteriore perficiet. Et hic locus fuit impetitus atrocibus calumniis. Ad quas quoniam abunde, ni fallor, reſponſum eſt nobis ſemel atque iterum edito libello, neque res paucis verbis repeti poteſt, nolim hoc volumen amplius onerare. Petat inde, ſi cui lubet exactius cognoſcere.

27. *Quia Patrem ejus dicebat Deum*] Antiqui codices habent *quia Patrem eis dicebat.* Nam in Conſtantienſi recenti manu neſcio quis addiderat *Deum*, cum tamen locus non eſſet. Græci ſic, ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν, *quod Patrem eis dixiſſet*, nec additur *Deum*. Senſus autem videtur hic, Non intellexiſſe Judæos, cum Jeſus de Patre loqueretur, quid vocaret *Patrem.* Nam aliud quiddam videbatur ſignificare quam quod vulgo *patrem* vocant. Neque enim ignorare poterant quod de Patre loqueretur, cum paulo ante manifeſte de Patre ſuo loquatur. Quin hæc fortaſſe ſententia, ut eſt ſimpliciſſima, ita maxime probabitur eruditis, ut accipiamus *Chriſtum Patrem eis dicere Deum* pro eo quod erat *de Deo Patre loqueretur.* Quem in modum intellexiſſe videtur Chryſoſtomus: Cum multa diceret de Patre ſuo, non intelligebant illum de Patre cœleſti loqui, cum eum pro homine ſimplici haberent. Receptus eſt enim & hic ſermonis color, *hunc dico* pro *de hoc dico.*

31. *Vere diſcipuli mei eritis*] Græci legunt ἐσὲ *eſtis.* Interpres legiſſe videtur ἔσεσθε, quemadmodum & hodie legitur in nonnullis. Et item paulo poſt, *vere liberi eritis*, ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε *vere*, ſive *revera, liberi eſtis.*

32. *Et Veritas liberabit vos*] Ἐλευθερώσει *liberos reddet.* Annotavit hoc loco & D. Auguſtinus Græcæ vocis emphaſim. Nam Latinis *liberari* dicuntur qui ſubducuntur à periculo aut morbo, at Græca vox ad *libertatem* pertinet quæ Servituti opponitur. Item Latinis *liber* dicitur *qui periculum effugit*, ſed Græca vox *ingenuum* ſonat & *nulli ſervituti obnoxium.* Id ita eſſe declarat Judæorum ſtomachus, *Nemini ſervivimus unquam.*

37. *Sermo meus non capit in vobis*] Οὐ χωρεῖ *non habet locum in vobis*, quia vos non eſtis capaces illius.

38. *Et vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum facitis*] Chryſoſtomus in Catena aurea citatus legit *facite* pro *facitis*, quod ποιεῖτε Græca vox ſit ambigua. Atque ita ſenſiſſe Chryſoſtomum nec ex ipſius interpretatione ſatis liquet, quæ non minus ambigua eſt quam ipſe contextus. Ex Auguſtino quid legerit non poteſt certo colligi.

39. *Si filii Abrahæ eſtis*] Εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε, *Si Abrahæ filii eſſetis, opera Abrahæ faceretis:* ut cohæreat cum eo quod ſequitur, *Nunc autem quæritis me interficere.* Antiquiſſ. cod. habebat *facitis*, non *facite.* Interpres legiſſe videtur ποιεῖτε. Et hanc arbitror fuiſſe germanam lectionem. Ratiocinatur enim Dominus ex ſignis reciprocis, ſive, ut Dialectici loquuntur, convertibilibus; *Si animal eſt, ſentit; ſi ſentit, animal eſt:* ponit enim hanc definitionem, *Filius eſt qui patrem imitatur. Si eſtis filii Abrahæ, utique facitis illius opera; ſi facitis, eſtis filii: ſed non facitis; Non eſtis igitur.*

42. *Diligeretis utique me*] Cur hic non dixit *diligeretis forſitan?* nam eadem eſt conjunctio ἄν, eodem modo poſita, quam toties vertit *forſitan* & *forte.*

44. *Quia mendax eſt, & pater ejus*] Καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. Sermo quidem Græcis anceps eſt, ſed interpretes referunt αὐτῷ non ad *Diabolum* ſed ad ψεύδους *mendacium.* Ad eum modum interpretatur Chryſoſtomus ac Theophylactus, D. Hieronymus in Explanationibus Eſaiæ, æque item D. Auguſtinus; Ut ſit *omnis homo mendax*, cæterum *Diabolus mendacii pater*, qui primus omnium mendacium produxerit, *Errois ſicut dii.* Ex hoc ſane loco Manichæi errorem ſuum hauſerunt, ut Diabolo darent Patrem, opinor mali principium, ut autor eſt D. Auguſtinus. Porro, ut horum jure optimo deridetur ineptiam, ita nonnihil obſtat noſtrorum interpretationi quod apud Græcos additur articulus, ὁ πατὴρ, quo magis certus aliquis pater deſignatur. Verum hoc quicquid eſt, eruditio lectori diſcutiendum relinquo.

46. *Arguet me de peccato*] Antiquiſſimi codices habent *arguit:* itidem & Græci ἐλέγχει ut *arguit* poſitum ſit pro *poſſit me arguere.* Et *arguere* dixit pro *convincere*, non pro *accuſare:* nam id eſt ἐλέγχειν.

49. *Inhonoraſtis*] In nonnullis erat ἀτιμάζετε, non ἀτιμάζετε, i. *contumelia afficitis.* Antiqui habent *inhonoratis*, conſentientibus Græcis quibuſdam.

55. *Ero ſimilis vobis mendax*] Hinc erat tranſcriptum quod judicavimus additum ſuperius. Nam hoc loco legit & interpretatur etiam Chryſoſtomus.

57. *Quinquaginta annos*] Chryſoſtomus legit *quadraginta*, adjiciens commenti vice, *niſi jam prope accederet ad eam ætatem.* Eaque lectio magis mihi probaretur ſi modo codex mendo vacaret, quem ego plane ſuſpicor vitiatum à librariis, præſertim cum Theophylactus plane legat *quinquaginta*, addens curioſum eſſe quærere cur maluerint dicere *quinquaginta* quam *quadraginta:* Sic enim in mentem veniſſe Judæis. Non enim tam reſpiciebant ad ætatem Chriſti quam ad longitudinem temporis quod interceſſerat ab Abraham uſque ad Chriſtum. Nec eſt quod faciamus Chriſtum ſenili fuiſſe vultu ob labores: Cujus ſententiæ Carrenſis meminit. Sed, ut dixi, fieri poteſt ut in Chryſoſtomo libratius ex *quinquaginta* fecerit *quadraginta*, præſertim cum tantus ſit exemplariorum conſenſus. D. Irenæus lib. 2. cap. 39, & 40. legit *quinquaginta*, ſed affirmat Dominum majorem annis quadraginta prædicaſſe Euangelium. Idque confirmat partim autoritate hujus loci, partim eorum qui prædicabant ſeſe hoc ex ipſo Johanne Euangeliſta audiſſe. Verum Euſebius lib. 3. cap. 39. notat Papiam Johannis Euangeliſtæ diſcipulum, quod ex Apoſtoli verbis non ſatis intellectis tradiderit quædam

unde

unde data eſt aliis erroris anſa: & inter hos nomerat Irenæum. Addit, ex Papiæ libris peripicuum eſſe eum virum exigui fuiſſe ingenii.

58. *Antequam Abraham fieret*] Πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, *Priuſquam Abraham eſſet*, ſive *fuiſſet*. Fortaſſis Interpres verterat *foret*, quod librariorum errore mutatum ſit in *fieret*. Nos tranſtulimus, *Antequam Abraham naſceretur*, ut diſtingueremus rationem qua eſt Abraham ab ea qua ſemper eſt Chriſtus. Nam hoc loco philoſophatur Auguſtinus quod Abraham *factus* dicitur, Chriſtus *eſſe*. At in eo non philoſophatur Chryſoſtomus, ſed in hoc duntaxat, quod in Abraham uſus eſt verbo præteriti temporis, in Chriſto præſentis, quomodo de ſe prædicat Deus, EGO SUM QUI SUM.

59. *Abſcondit ſe*] Ἐκρύβη *occultatus eſt*: quanquam recte ſenſum expreſſit Interpres, & vitavit amphibologiam. ¶ *Et exivit de Templo*] Poſt hæc verba nonnulli Græcorum codices habebant, διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν, καὶ παρῆγεν οὕτως, *tranſiens per medium illorum, & præterit ſic*. Quæ quidem verba quando nec apud Chryſoſtomum reperio nec apud Auguſtinum nec in veteſtis Latinorum exemplaribus, ſuſpicor à ſtudioſo quopiam addita ex Lucæ 4. 30. ubi Jeſus ſimili modo elabitur è manibus Judæorum. Aliquis igitur loca confinia conferens, quod alibi abundabat, alibi adjecit. Deinde, ut quod ſequitur cum ſuperiore narratione connecteret, interpoſuit, *& ſic præterit*, nimirum dilapſus inter eos qui vitæ illius inſidiabantur, quod ſequitur, *Prætereins autem*. Proinde non veriti ſumus hæc ceu ſupervacua prætermittere etiamſi Theophylactus & legit & interpretatur, exponens *ſic*, id eſt, *facile*.

VATABLUS.

1. O*Liveti & diluculo*] *Olivarum: diluculo autem.*
2. *Venit*] *Veniebat.*
3. *Phariſæi* *] * *Ad ipſum.* ¶ *In medio*] i. ante oculos ejus.
4. *Hæc mulier modo deprehenſa eſt*] Leg. *& hanc deprehendimus.* ¶ *In adulterio*] *In ipſo facto cum adulteraretur.*
5. *In lege autem* *] * *Noſtra:* ſic quædam Exempl. Gr. ¶ *Tu ergo quid dicis?* *] * *De illa:* ſic quædam Exempl. Gr.
6. *Terram*] *Terra*, Vet.
7. *Interrogantes* *] * *Eum*, Vet. ¶ *Qui ſine peccato eſt veſtrum*] Græca vox ſignificat etiam *eum qui peccare non poſſit.*
8. *Terram*] *Terra*, Vet.
9. *Audientes autem hæc* *] * *Cum à conſcientia redarguerentur:* ſic quædam exempl. Græca. ¶ *A ſenioribus* *] * *Uſque ad extremos.* ¶ *Remanſit*] *Relictus eſt.*
10. *Erigens autem ſe Jeſus* *] * *Et cum neminem vidiſſet præter mulierem.*
11. *Condemnabo*] *Condemno.*
12. *Ambulat*] *Ambulabit*, Vet.
14. *Unde veni, & quo vadam*] Vel, *unde venerim, & quo abeam.*
15. *Secundum carnem*] i. in humano judicio, non vere.
17. *Et in lege*] *Nam in lege*, Heb.
19. *Forſitan*] *Utique.* ¶ *Sciretis*] *Noviſſetis.*
20. *Gazophylacio*] In atrio majore ubi erat arca pecuniaria, quam primus inſtituerat Rex Joas.
21. *Non poteſtis*] Sub. *veſtra opera.*
23. *Vos* *] * *De*, Vet. i. ex infernis è terra.
24. *Peccato veſtro*] *Peccatis veſtris.*
25. *Tu?* *] * *Et.* ¶ *Principium qui & loquor vobis*] *Principio quod &*, Vet. i. ſum id quod à principio me eſſe dixi vobis, *lux* ſcilicet *mundi* & *ſalus*, ut præſ. pro præt. ponatur, & ſubaudiatur, *Et tamen non creditis mihi.*
26. *Habeo de vobis loqui & judicare*] *Poſſum de vobis loqui & judicare*, ubi & pro *etiam*: q. d. etiam condemnare poſſum, *quod doctrinam meam rideatis.* ¶ *Sed*] *Nam.*
27. *Quia patrem ejus dicebat Deum*] *Quod de patre eis loquutus eſſet.* Vetera legunt *eis.*
29. *Solum* *] * *Pater.* ¶ *Placita*] Vel, *grata.*
31. *Crediderunt*] *Crediderant.* ¶ *Sermone meo*] *Doctrina mea.* ¶ *Eritis*] *Eſtis.*
32. *Liberabit vos*] *Liberos vos faciet.*
33. *Semen*] *Genus.*
34. *Amen, Amen*] i. Quam veriſſime: Hebræi enim ſuperlativum faciunt, tam in adverbiis quam in nominibus ejuſdem vocis repetitione.
37. *Scio quia filii*] *Scio quod ſemen.* ¶ *Capit*] *Habet locum.*
38. *Patrem* *] * *Meum.* ¶ *Vos* *] * *Igitur*, vel, ſine.
39. *Eſtis*] *Eſſetis.* ¶ *Facite*] *Faceretis.*
40. *Fecit*] Vel, *feciſſet:* ſub. *ſi ætate illius fuiſſem.*
43. *Loquelam meam*] Vel potius *ſermonem meum.*
44. *Ejus*] Sub. *mendacii:* i. author & inventor.
45. *Si*] *Quia*, Vet. vel, *redarguit me peccati.*
46. *Arguet*] *Arguit*, Vet. ¶ *Quare* *] * *Vos*, Vet.
49. *Honorifico*] *Coheneſto.* ¶ *Inhonoraſtis*] *Ignominiâ affeciſtis.*
52. *Ergo* *] * *Illi.*
54. *Noſter*] *Veſter*, Vet.
55. *Et non cognoviſtis eum*] *Attamen non cognitum habetis illum.* Heb. ¶ *Scio*] *Novi.*
56. *Exſultavit*] Vel, *optavit videre:* i. lætanti animo expetivit.
58. *Fieret*] *Eſſet*, vel, *naſceretur.*
59. *De templo* *] * *Tranſiens per medium illorum, & præterit ſic:* ita legunt quædam exemplaria Græca.

CASTALIO.

44. UT *qui ſit mendax, mendaciique pater*] Ad verbum ſic legitur, *Ut qui ſit mendax & ejus pater:* quæ oratio reſolvenda eſt quomodo illa apud Ezechielem 33. 12. ubi ſic ad verbum legitur, *Et juſtus non poterit vivere per eam, ſi peccaverit*, ſcilicet *per juſtitiam*, quæ in *juſti* nomine intelligitur: eſt enim juſtus is in quo ineſt juſtitia; ut ſic orationem reſolvamus, *Is in quo ineſt juſtitia, non poterit vivere per eam.* Et Prov. 14. 26. *In Jova metu tuta eſt potentia, ejuſque filiis erit perfugium: ejus*, ſcilicet *Jovam metuentis.* Hoc pacto hanc orationem reſolvemus, *In diabolo ineſt mendacium, iſque mendacii pater.* Nec obſtat quod *patris* nomini additur articulus *ὁ*: nam & eum aliquando ſupervacaneum eſſe alibi oſtendimus, & hoc loco poteſt nullo diſcrimine vel adhiberi vel adimi: quemadmodum Gallice utrumque dici poteſt, *Il eſt le pere*, aut, *Il eſt pere de menſonge.* Ab hac loquendi ratione non abhorret quod eſt apud Plinium l. 28. c. 9. de Lacte, *Stomacho*, inquit, *accommodatiſſimum caprinum, quoniam fronde magis quam herba veſcuntur:* ſcilicet *capræ*, quæ in voce *caprinum* intelliguntur: ut ſit *lac caprinum, lac caprarum, quæ capræ*, &c.

58. *Antequam Abrahamus eſſet, ego ſum*] Quod verbo præſentis temporis utitur, ſignificat continuationem: ut cap. 14. 3. *Tamdiu vobiſcum ſum*, h. e. *fui & ſum:* quod utrumque præterito tempore non declararetur. Sic Latine, *Jam quatuor dies ægrotat.*

CLARIUS.

6. TENTANTES *eum, ut poſſent accuſare*] Sciebant conſueſſe Dominum dicere, *Remittuntur tibi peccata*, nulla adhibita pœna: & arbitrabantur in hac ſe cauſa inveniſſe quo eum reprehenderent. ¶ *Digito ſcribebat in terram*] Fortaſſe admonens Legem hanc Euangelicam non in lapidibus ſcribendam eſſe, h. e. remittere oportere de ſeveritate legis Moſaicæ.

14. *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum*] Non hoc adverſatur iis quæ ſuperius dixerat, videlicet, *Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium meum non eſt verum:* quia tunc ad opinionem eorum loquebatur, tanquam homo tantum eſſet: nunc reddit cauſam quamobrem teſtimonium ſuum ſit verum, *quia* ſcilicet *ſciat unde ſit*, nempe unigenitus à Deo Patre.

15. *Vos ſecundum carnem judicatis*] Vos carnali veſtro judicio condemnatis homines, ego in neminem exerceo judicium: quod cum fecero, juſte illud faciam.

18. *Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo*] Quatenus ſcilicet Divina natura perhibet teſtimonium de homine, quem cernitis. Et vide ut illis hæc erant ænigmata, quæ apud nos facilem inveniunt ſolutionem.

21. *Quæretis me, & in peccato veſtro moriemini*] Videtur non differre ſenſus hic ab eo quod dixerat, *Ubi ego ſum, vos non poteſtis venire:* id unum aſſequemini, inquit, quod *moriemini in peccato veſtro.*

25. *Primum, quod & loquor vobis*] Non aperit quod poſtulabant, videlicet *quis eſſet*; ſed reſpondet quæ conſentaneum erat illos audire, *in primis*, inquiens, *quod & aperte loquor, poſſum multa de vobis conqueri* apud Patrem meum, *& decernere* etiam *in vos: ſed* non eſt neceſſe ut faciam: nam Pater meus *verax eſt & fidelis*, nec deerit meæ cauſæ, *cum ab*

eo profectus ſim, & ſecundum ejus mandatum hæc loquar mundo. Quidam è Græcis hunc verborum ordinem faciunt, *Id ſum quod & à principio loquor vobis:* nam quædam Græca exemplaria habent, *Tu quid es?*

34. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*] Non agnoſcentibus illis ingenuitatem aliam neque ſervitutem quam illam corporis, docet illam vere ſervitutem eſſe quæ à peccato proficiſcatur. Horum verborum meminit M. Baſilius, cum de iis loquitur qui majora tantum peccata devitabant, in minoribus autem indifferenter ſe habebant: ſic enim ait, *Primum quidem ſciendum eſt, in Novo nos Teſtamento differentiam hanc non invenire. Una enim ſententia adverſus omnia peccata decreta eſt, dicente Domino, Qui facit peccatum ſervus eſt peccati: & rurſum, Sermo quem locutus ſum, is judicabit eum in noviſſimo die: & Johannes clamat, Qui non obtemperat Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum: cum inobedientia non in differentia peccatorum ſed in tranſgreſſione mina habeat. Omnino vero, ſi permittamur dicere Parvum aut Magnum peccatum, hæc res habebit demonſtrationem cui nequeat contradici, quod ſcilicet unicuique illud magnum ſit quod quemque ſuperet, & illud parvum quod quiſque vincat; quemadmodum & in athletis is qui vincit fortior eſt, qui autem victus fuerit, imbecillior eo qui ſe vicit, quiſquis ille fuerit.* Hæc ille.

37. *Quæritis me interficere*] Non hoc referri debet ad eos qui crediderant, ſed ad Judæos generatim. Nam ſicut ii, cum dicerent, *Semen Abrahæ ſumus*, non de ſe tantum ſed de ſuo genere loquebantur, ſic Dominus reſpondet illis ut non eos ſolos complectatur, ſed Judæorum genus, à quo erat occidendus.

41. *Nos ex fornicatione non ſumus nati*] Hoc dixerunt quia cultus idolorum ſæpe vocatur *fornicatio* in Prophetis: ideo addunt, *unum patrem habemus Deum.*

50. *Eſt qui quærat & judicet*] Non hoc adverſatur ei quod alibi legis, *omne judicium datum Filio:* nam ibi intelligitur, factum eſſe Filium Judicem vivorum ac mortuorum; hic vero ſignificatur, Patrem ultorem futurum inobedientiæ hujus & ſceleris quod patrabant in Filium, ut & Judæi condemnentur, & gloria Filii declaretur.

57. *Quinquaginta annos nondum habes*] Non ex his verbis colligi poteſt ætas Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum appellatione *quinquaginta annorum* non ad vultum Domini ſpectavêrint, ſed ad morem ſui ſeculi; h. e. jubilæi, quod interdum *ſeculum* appellatur. *Nondum*, inquiunt, *unum ſeculum impleſti, & audes dicere vidiſſe te Abraham?*

ZEGERUS.

6. *JEſus autem inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra*] Hoc geſtu Dominus duo tacite innuebat. *Inclinatione* eos qui ream condemnare volebant inſtruebat ut demiſſo ſupercilio animoque ſupino in ſeſe ipſi deſcenderent, ſicque propriis excuſſis conſpectiſque facinoribus quam ipſi pro his gravem commeruiſſent ſententiam adverterent. *Inſcriptione* non paulo ſe Moſe majorem eſſe deſignabat, quippe qui ſcripeam ſuo digito Legem Moſi ipſi promulgandam tradidiſſet: ſicque illius nec debere nec poſſe conſtringi mandato ipſe Legis Dominus ſignificabat. Quid autem ſcripſerit Dominus incertum habemus; niſi quod divinare poſſumus ipſum vel ſequentia verba, *Qui ſine peccato eſt veſtrum*, &c. vel deferentium ſcelera depinxiſſe, vel (quod magis reor) nulla certa aut legibilia elementa exaraſſe, ſed tantum ſcribentis geſtum exhibuiſſe, forte illud tacite inſinuans quod eſt apud Jeremiam 17. 13. *Domine, omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes à te in terra ſcribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* Nam & hic ſequitur, *Audientes autem*, &c.

12. *Non ambulat in tenebris*] Commodius eſt quod cum Auguſtino habet exemplar Corſend. *non ambulabit*, propter id quod ſequitur, *ſed habebit.*

19. *Forſitan & Patrem meum ſciretis*] Annotat D. Auguſtinus *forſitan* hic Increpatis verbum eſſe, non Dubitantis.

20. *In gazophylacio*] Gazophylacium locus erat in Templo in quo ſervabantur opes & donaria in uſum Templi collata. Vocabulum compoſitum eſt à *gaza*, quod Perſis ſignificat *divitias*, & Φυλάττω *cuſtodio.*

25. *Principium qui & loquor vobis*] Non *quia ὅτι*, ut perperam quidam habent, legendum, ſed *ὅ, qui & loquor*, quemadmodum magno concentu veteres legunt interpretes, tum Græci, tum Latini. Vide Ambroſium l. Hexam. 1. c. 4. & Auguſtinum De Gen. ad lit. Quia video quoſdam ex neotericis vehementius torqueri in hujus loci explanatione, ita ut damnata Ambroſii atque Auguſtini ſententia novas effingant interpretationes, operæ pretium putavi non meum ſed Cyrilli Græci commentum huc tranſcribere, cujus ſententiæ ut autoris gravitas ita & multorum Latinorum haudquaquam vulgaris opinionis interpretum conſenſus pondus & fidem conciliat. Cyrilli ergo ſententia hæc eſt: *Ad oſtenſionem*, inquit, *ſuæ Deitatis modo dixerat Chriſtus Judæis*, EGO SUM, *neque adjecerat quidnam eſſet: ut ex ipſa loquendi ratione ſe Deum eſſe declararet, cui ſoli convenit ſimpliciter Eſſe. Hinc Judæi materiam interrogandi ſumunt quiſnam ipſe eſſet, ut determinatiore contractioreque ſermone de ſe loqueretur. Quia, inquiunt, dixiſti, EGO SUM, & non addidiſti quidnam es, nunc ergo dic quis es, ut credamus. Quibus hoc pacto interrogantibus eam adhibuit Dominus reſponſionem quæ & Divinam in eo naturam pariter & humanam deſignaret: Sum, inquit,* PRINCIPIUM *omnium rerum, ex quo omnia ſuum ſumpſerunt exordium, & per quod omnia conſtant.* PRINCIPIUM *per quod facta ſunt omnia, per quod Deus creavit ſecula, in quo Deus creavit cœlum & terram. Neceſſe eſt autem verum omnium Autorem Deum eſſe: quare nuncupatione* PRINCIPII *ſe Deum eſſe perſpicue deſignavit. Cum autem ſubnectit,* QUI ET LOQUOR VOBIS, *ſe Hominem pro nobis factum inſinuat, qui præſens verba quæ à Patre accepit hominibus nunciavit.* Hanc itaque ſententiam quia ſimpliciſſimam pluribuſque probatam video, non arbitror neceſſarium reliquos acceptionum modos obtrudere lectoribus. Porro quando literatoris fungimur officio, non gravabimur & hoc indicare, juxta hanc ſententiam *principium*, i. τὴν ἀρχὴν apud Græcos, caſus eſſe accuſativi, atque ita debere conſtrui, *Ego ſum id quod loquor vobis Principium*, h. e. Deus ſum.

26. *Sed qui miſit me verax eſt*] Series verborum alioqui durior hoc pacto leniri poterit, *Multa habeo* [*ſive poſſum*] *de vobis loqui & judicare: ſed qui me miſit Pater ἀληθὴς*, i. *ab oblivione alienus*, verus & juſtus *eſt*, qui ea in poſterum ſervat cum dies examinationis erit judicanda. *Ego* impræſentiarum tantum *ea qua ab eo audivi* ad ſalutem humani generis ſpectantia, propter quam deſcendi è cœlis, *hæc loquor in mundo.*

27. *Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum*] In veruſtis manu deſcriptis codicibus reperio, *Et non cognoverunt, quia Patrem eis dicebat*, juxta editionem Græcanicam, niſi quod in hac deſit copula ſcribarum oblivione aut temeritate, ut ſuſpicor, prætermiſſa: idque Auguſtinus dilucidius extulit ad hunc modum, *Non intellexerunt Judæi quod de Patre illis diceret.* Cyrillus tamen, ſi bona fide tranſductus eſt, in medio commentario legit *ejus dicebat Deum.* Quanquam addubito num hic Cyrillus idem ſit qui vixit tempore Auguſtini. Ille enim Latine ſcripſit, ni fallor, hic Græce. Et Trithemius de Commentariis in Johannem nullam facit mentionem; ſed neque is quidem qui Trithemium auxit.

32. *Liberabit vos*] Proprie hic eſt *liberos vos reddet*, ἐλευθερώσει.

37. *Sermo meus non capit in vobis*] Οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν, *locum non habet in vobis*, vel *non ingreditur ad vos.*

43. *Non poteſtis audire ſermonem meum*] *Non poteſtis*, h. e. *non vultis*, autore Theophylacto.

44. *Mendax eſt, & pater ejus*] Nempe *mendacii.* Autor enim & pater mendacii Diabolus eſt. *Mendacii* autem ſubauditur ex illo quod præceſſit, *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt.*

46. *Quare vos non creditis?*] Antiquiores tum codices tum explanatores, Auguſtinus quoque & Cyrillus non addunt *vos.*

50. *Eſt qui quærat & judicet*] Patrem ſuum loquitur, qui Filii gloriam quærit, & judicare poteſt atque condemnare eos qui Filium contumelia afficiunt. Auguſtinus autem *judicare* hic *diſcernere* interpretatur; *Eſt*, inquit, *Pater meus qui gloriam meam à veſtra gloria diſcernat & ſeparet.*

56. *Abraham pater veſter exſultavit ut videret diem meum: & vidit, & gaviſus eſt*] *Exſultavit*, h. e. exſultando ſperavit, *ut videret* tempus hoc quo mundo miſſus ſum in ſalutem: *vidit, & gaviſus eſt. Vidit*, inquam, dum in immolatione filii ſui Iſaac Chriſtum pro ſalute humani generis immolatum iri per prophetiæ ſpiritum recognovit. Item *vidit*, dum in limbo, quem vocant, detentus, juxta Cyrillum, Angelis nunciantibus in mundum adveniſſe *Deſideratum cunctis gentibus* intellexit. Cum enim editus eſt, inquit, in mundum virgineo partu Dominus noſter, quis addubitaverit Angelos antiquis illis Patribus annunciaſſe Salvatoris ortum, ſicut & in ter-

ris nuncìaverunt paſtoribus? Et tunc ſane Abraham *vidit diem Domini*, de quo dicit Pſalmus 118. 24. *Hæc dies quam fecit Dominus*, &c. *& gaviſus eſt* illum diem ſalutiferum adveniſſe quem ut videret multis ante ſeculis exſultaverat. *Vidit* item dum in Spiritu Chriſtum ex ſua ſtirpe naſciturum cognovit. *Vidit* inſuper diem Domini Abraham, dum in figura Trinitatis tres Angelos hoſpitio recipiens, unum in tribus adoravit. De his copioſius, ſi placet, vide Cyrillum. Secundum Eucherium *vidit*, quia Prophetæ olim *Videntes* dicebantur, utpote qui futurorum conſcii Divini Spiritus munere ea videbant quæ cæteris erant occulta: lib. Quæſt. N. T.

LUC. BRUGENSIS.

25. *Dicebant ergo ei, Tu quis es? dixit* [*dicit* o.] *eis Jeſus, * Principium* [* *ego ſum* o.], *qui & loquor* [*quod & loquitur*. Sic legiſſe videtur MS. So. ru.] *vobis* [*vos* o.] Ita legunt Latini libri fere omnes, *Principium qui & loquor vobis*. Unum MS. cœnobii S. Germani, latum, habet, *Principium quod & loquor vobis*. Alterum MS. Dionyſii oblongum, quod, ut & illud, à Pariſienſibus eſt adnotatum, atque ex noſtris, Societatis Jeſu album, ſcribunt, *Principium quia, & loquor vobis*. Primo legendi modo adſtipulantur poſteriores Gloſſematici, Rupertus, Carenſis, Gorran, Richelius, & alii. Eum ad modum apud D. Ambroſium legitur, lib. 3. de fide cap. 4. [Intelligit Ambroſ. Chriſtum, principium, ſive initium, omnium ſe eſſe, reſpondiſſe] & Auguſtinum, De Geneſi ad literam l. 1. c. 5. ac De Trinitate lib. 5. cap. 13. Porro primi Hexæmeron cap. 2, & 4. apud Ambroſium legitur, *Initium quod & loquor vobis*: qui ſecundus eſt legendi modus. Tertio diſerte ſuffragatur Auguſtinus, in proprio loci commentario Tract. 38. his verbis, *Cum videret eos ita dixiſſe*, Tu quis es? *ac ſi dicerent, Quoniam abs te audivimus*, niſi credideritis quia ego ſum, *quid te eſſe credimus? Ad hoc reſpondit*, Principium; *tanquam diceret, Principium me credite. Et addidit*, Qui [Quia] & loquor vobis, *i. quia humilis propter vos factus ad iſta verba deſcendi. Nam ſi principium, ſicuti eſt, ita maneret apud Patrem, & non acciperet formam ſervi, & homo loqueretur hominibus; quomodo ei crederent, cum infirma corda intelligibile verbum ſine voce ſenſibili audire non poſſint? Ergo, inquit, credite me eſſe Principium, quia, ut credatis, non ſolum ſum, ſed & loquor vobis.* Hactenus B. Auguſtinus. Syrica verſio ad hos tres legendi modos ambigua eſt; אמן ומדברית ומשתל עמכון, i. *Etiam qui* (*quod*, vel *quia*) *cœpi loqui vobiſcum*. Nam ד verbo ומדברית præpoſitum, & conjunctio eſſe poteſt *quia*, vel *quod*; & relativum tam maſculini quam neutri generis. Græca editio ſolum primum legendi modum non admittit; *τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν*. ὅτι enim, ſi conjunctim ſcribas, ὅτι, quem ad modum fere codices habent, conjunctio eſt *quia* vel *quod*; ſi diviſim, ὃ, τι, relativum eſt *quod*: *qui* vero eſſe non poteſt. Nonnus relativum *quod* intellexit; *Et Chriſtus reſpondit, Quod quidem vobis ab initio dixi, habens innumera indicare & loqui.* Chryſoſtomus & qui eum ſequuntur, Theophylactus atque Euthymius, pro conjunctione acceperunt, tametſi Theophylacti textus prius ſcribat ὃ, τι. Similiter videri poſſit Interpres accepiſſe, vertiſſeque *quia*; quandoquidem primam lectionem *qui* pati non poſſit ὅτι· ſecundam, *quod*, non ſatis bonæ fidei codex exhibeat; tertiam vero, *quia*, & approbet ὅτι & venerandæ tum fidei tum antiquitatis exemplaria ſervent: niſi forte legerit Interpres *τὴν ἀρχὴν ὃς καὶ λαλῶ ὑμῖν*, aut, *ὁ καὶ λαλῶν ὑμῖν*· ita ut prima lectio, quæ plerorumque omnium eſt codicum, genuina ejus ſit verſio. Beda, ut in Catena citatur, *Sane*, inquit, *in quibuſdam exemplaribus invenitur*, Qui & loquor vobis; *ſed congruentius eſſe probatur ſi* quia *legatur, ut iſte ſit ſenſus, Principium me eſſe credite, quia propter vos ad hæc verba deſcendi.* Porro, *τὴν ἀρχὴν* plerique hodie ex Græco tranſlatores, Græceque periti enarratores, ac veteres, Syricus interpres, Chryſoſtomus, Nonnus, Theophylactus & Euthymius [Commentarius hujus loci quem Zegerus citat, non Cyrilli eſt, ſed à Judoco Clichtoveo Cyrillo additus] non pro nomine *principium*, ſed pro adverbio *inprimis*, vel *omnino*, aut *à principio*, accipiunt: quemadmodum *τὸ τέλος* pro *poſtremo*, & alia ſimilia adverbiorum loco Græce uſurpantur. Itaque ſumpta voce *principium*, quam Interpres reddidit perinde ac *τὴν ἀρχὴν* adverbii vice, quo modo Koningſtein aliique ante nos ſumpſere, poterit tertiæ lectionis [Poſſit hic legendi modus commode iis quæ ſequuntur jungi.] juxta Chryſoſtomum ejuſque æmulos hic eſſe ſenſus; *Inprimis* (vel *omnino*) ſuperfluum eſt, etiam *quod vobis loquar*; ſane indigni eſtis quibus loquar, quique ſermones meos audiatis. Secundæ ſimilis eſſe poteſt ſenſus, ſi *quod* conjunctio eſſe intelligatur. Si vero ſit neutrum relativi hunc in modum explicari poterit; *Inprimis* (vel *omnino*) id ſum *quod & loquor vobis*, id ſum quod & verbis dico & operibus oſtendo vobis. Prima lectio hac ratione poterit; *Inprimis* (vel, *omnino*) is ſum *qui etiam loquor vobis*: nam cætera de me indigni eſtis quia audiatis.

27. *Et non cognoverunt quia patrem eis dicebat* [*dicebam* o.] *Deum.*] Multi codices pro *eis*, *ejus* habent: verum id Hentenius textu expulit, haud dubie quod in vetuſtioribus libris *eis* repererit: ſic enim nos invenimus (Brug. Lob. So. al. au. E, Q, Pl. m. H. Mogunt. cum aliis quinque legunt *eis*, quibus accedunt Pariſienſium exemplaria Ge. l. Di. o. Conſt. Compl.) ſicque ante nos Epanorthotes invenit. Carenſis & Albertus legunt *ejus*; porro D. Auguſtinus *eis*. *Cum autem*, inquit, *dixiſſet Dominus Jeſus*, verax eſt qui me miſit, *non intellexerunt Judæi quod de Patre illis diceret.* Unum Græcum Pariſienſium exemplar, β ſignatum, ſcribit *αὐτῆ ejus*, quomodo & apud Vallam lego: pleraque vero omnia exemplaria Græca *αὐτοῖς eis* habent, *οὐ ἔγνωσαν * ὅτι* [* ἦν 1 MS.] *τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν*· quibus Syra adſtipulantur. Græci Theophylacti Romæ excuſi textus *αὐτῆ*, quod eſt *ejus*, vel potius *ſuum*, habet, eſtque ambiguus commentarius qui, *ὅτι τὸν πατέρα αὐτῆ αὐτοῖς λέγει*, habet. At Euthymius *αὐτοῖς eis* ſive *ipſis* manifeſte legit, cui vult hæc Chryſoſtomi explicatio, *Illis autem de Patre ſermonem haberi non intellexerunt*; atque hæc Nonni, *At vero populi non intellexerunt quod de Patre eis dixerat.* Recte itaque caſtigatores, Zegerus, Hentenius & Epanorthotes, *eis* pro *ejus* ſcribendum eſſe cenſuerunt.

Eſt altera hoc loco varietas. Quidam Latini codices omittunt *Deum*, noſtri duo H. & So. ru. quibus Græca exemplaria pleraque omnia, Græcique interpretes, Chryſoſtomus, Nonnus, Theophylactus & Euthymius, quinetiam Auguſtinus & Syrica editio, concorditer ſuffragantur. Cæterum in paucioribus noſtræ editionis antigraphis, iiſque minus excellentibus, omiſſum illud comperio, ita ut ſuperfluum eſſe pronunciare minime auſim. Ait Janſenius in antiquis exemplaribus Latinis non addi *Deum*: verum ego id deprehendere nequeo, nec Epanorthotes id notat. In antiquiſſimo præſantiſſimoque Societatis Jeſu albo codice invenio, *Quia de patrem eis dicebam*: cui an *de* pro *Deum* ſcriptum ſit, ut, id quod ſignatur, *dicebam* pro *dicebat*, an *de patrem* pro *de patre*, quæ expoſitio ſit Vulgatæ lectionis, incertum relinquitur: quare nihil hoc loco eo niti poſſum. Quidam notat in Conſtantienſi ſcripto recenti manu additum fuiſſe *Deum*, cum tamen locus non eſſet. Atqui aureum Brugenſe manuſcriptum D. Donatiani, Leod. Lob. So. au. E, O, Q, L, Pl. m. ſpectatiſſima exemplaria, cum mediocribus ac vulgaribus quæ habemus omnibus, præter duo illa ſuperius nominata, H. & So. ru. *Deum* [*eum* Pariſ. editio anni 1573.] unanimiter veraciterque ſuo loco legendum præbeat: quibus concinunt Expoſitores Richelius & Albertus, ac Græcum illud exemplar numero β ſignificatum, cujus lectio eſt, *ὅτι τὸν πατέρα αὐτῆ λέγει τὸν Θεὸν, Quia patrem ejus* [*ſuum*] *dicit Deum.* Nolim vero ego adſeverare prætermittendum nequaquam eſſe. Zegerus corrector textu ejecit. Si autem addendum ſit, hoc videtur ordine intelligendum, *Et non intellexerunt quod de Deo pare ipſis loqueretur.*

H. STEPHANUS.

4. Κατειλήφθη ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη] *Deprehenſa eſt in ipſo adulterii crimine.*

5. Τὰς τοιαύτας λιθοβολεῖσθαι] *Ut tales lapidarentur.*

9. Ἡ γυνὴ ἐν μέσῳ ἑστῶσα] *Mulier illa quæ in medio ſteterat.*

10. Ἀνακύψας δὲ] *Cum autem reclinaſſet corpus.* ¶ Κατέκρινεν] *Ream peregit.*

25. Τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν] *Sum id quod jam ab initio dico vobis*: vel, Sum *omnino id quod dico vobis.* ¶ Ὑψώσητε] *In altum extuleritis.*

28. Ὑψώσητε] *In altum extuleritis.*

32. Ἐλευθερώσει ὑμᾶς] *In libertatem vos aſſeret*: vel, *vindicabit.*

37. Οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν] *Locum non habet in vobis.*

43. Διὰ τί τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐ γινώσκετε; ὅτι οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμόν] *Cur locutio mea vobis eſt incognita? quia ne audire quidem ſuſtinetis quæ dico.*

44. Ψεύστης ἐστὶ, καὶ ὁ πατὴρ αὐτῆ] *Mendacium loqui ſolet, & pater mendacii eſt.*

48. Οὐ καλῶς λέγομεν] *Nonne recte dicimus?* i. merito.

53. Τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς;] *Quæ hæc eſt potentia quam tu tibi arrogas?* Ad verb. *Quem teipſum facis?*

56. Ἠγαλλιάσατο ἵνα ἴδῃ] *Geſtivit videre.*

59. Ἐκρύβη] *Abſcondit ſe.*

DRUSIUS.

3. ADducunt autem] Hæc hiſtoria mulieris adulteræ, licet in nonnullis cod. Græcis & apud Syrum interp. alioſque non habeatur, tamen in multis Græcis & Latinis exempl. invenitur, ait Hieron. adv. Pelag. lib. 2. c. 6. Exſtat etiam in Vulg. noſtra, & olim legebatur in Euangelio quod ſecundum Ebræos lectitabant eo tempore Nazaræi, & Matthæi authenticum eſſe putat Hieronymus. Vide ſis Euſebium l. 3. Hiſt. Eccl. in extremo. Nam quæ in Quæſitis à me obſervata de hoc Euangelio nota ſunt iis qui libros meos triverunt.

13. *Teſtimonium tuum non eſt verum*] i. ratum, firmum, ſtabile: ut infra 16, & Vide Parallela mea. Deut. 13. 14. & 17. 4. אמת נכון הדבר *veritas certa res eſt:* LXX ἀληθὴς καθὼς ὁ λόγος. Sed נאמן *verum*, unde & אמת *veritas*. Sign. etiam *fidum*. Nam אמונה *fides* אמת *veritas* pro אמן. Deſideratur ergo Nun. Nam radix אכן. Quod indicat ſtatus conſtructus cum affixis אמתו *veritas ejus*, &c.

17. *Verum eſt*] נכון ἀληθὴς interpretantur LXX Gen. 41. 32. Vide quæ notavimus ad hunc locum. Similiter Job. 42. 7, 8. נכון autem eſt *firmum*, *ratum*, *ſtabile*. Ergo μαρτυρία ἀληθὴς, i. βέβαιος, ἑτοίμη, ex idiotiſmo linguæ Helleniſticæ. נאמן non tam *verum* ſignificat quam *fidum* aut *fidelem*. Quanquam ab eo verbo אמת *veritas*. Sed & אמונה *veritas*, & נאמן *firmum*, *ſtabile*, Jeſ. 7. 9. & 33. 16.

33. *Semen Abrahæ*] Valet hoc loco, *ſemen Iſraelis*. Figura eſt quam *ſynecdochen* vocant, qua id quod latius patet reſtringitur ad certam ſpeciem, Sic Pſ. 105. 6. *Semen Abraham ſervi ejus*. Mox ſeipſum explicat cum ait, *filii Jacob electi ejus*. Alioqui ſemen Abraham erant etiam Iſmaelitæ & Idumæi: Quas gentes David ſub eo nomine non comprehendit. Itaque in libris Paralipomenon, i. *Præteritorum*, lectum pro eo *ſemen Iſrael ſervi ejus* 1 Par. 16. 13. Quin Deus Abrahamo dicit, *In Iſahac vocabitur tibi ſemen*. Et Iſahac Jacobo, *Det tibi Deus*, inquit, *benedictionem Abrahæ, tibi & ſemini tuo tecum*. Ecce ſemen quod peculiariter tribuitur Abrahæ eſt ſemen Iſraelis. Ideo ſubjicit, *filii Jacob electi ejus*, acſi diceret, Quodnam eſt illud ſemen Abrahæ? Sunt filii Jacob electi à reliquo ſemine ipſius. *Semen* autem eſt fructus quem uterus reddit partu, *poſteritas*, *ſoboles*, *progenies*. Sic σπέρμα Græcis; unde σπέρμα βροτῶν *ſemen humanum*. Scholia Græca enarrant ἀπόγονον. Affine eſt quod *ſemen* pro *genere* Latini autores uſurpant. Lucretius l. 2.

\- - *cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi.*

Suetonius in Caligula, c. 25. *ſui ſeminis judicio*, i. generis. *Semen virorum* non eſt *genus humanum*, ſed *maſcula proles*, 1 Sam. 1. 11. Nam *quando ſemen viri non immutatur à ſemine mulieris*, *procreatur maſculus*, ait R. Levi. Videndus quoque R. D.

37. *Filii Abrahæ*] Græcus & Syrus hic habent *ſemen Abrahæ*, nempe idem aliter. Nam *filii Abrahæ* & *ſemen Abrahæ* ſynonyma ſunt & ſe invicem explicant.

39. *Si filii Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis*] Duobus modis aliquis dicitur *ſemen Abrahæ*. Uno modo ſecundum carnem, & ita omnes Iſraelitæ ſunt filii Abrahæ; altero ſecundum imitationem, & ita tantum ſunt filii Abrahæ qui ejus facta æmulantur & imitantur. Auguſtinus contra Fauſtum Manich. l. 22. c. 32. *Si Semen cujuſque non appellaretur niſi quod ejus carne naſceretur, nec nos appellaret Apoſtolus Semen Abrahæ, qui certe originem carnis ab illo non ducimus, ſed imitatione fidei ſemen ejus facti ſumus, credentes in Chriſto, cujus caro ex illius carne propagata eſt.*

44. *Vos ex patre diabolo eſtis*] Ut *filius Abrahæ* dicitur qui ejus facta æmulatur, ſic *filius diaboli*, & *patrem diabolum habere*, dicitur, qui facit opera diaboli, qui homicida fuit ab initio. Proinde quia volebant Chriſtum trucidare, recte dicuntur *à patre diabolo eſſe*, qui filios habet ſui ſimiles.

51. *Non videbit mortem*] Paulo poſt, *Tu dicis, non guſtabit mortem*. Hinc liquet *videre mortem* & *guſtare mortem* ſynonyma eſſe, & hallucinari Chryſoſtomum, qui inter ea diſtinguit. Vide illum hom. 10. in Marc. *Videre* in hac phraſi quidam explicant *ſentire*. Sentit autem mortem qui moritur. Similiter *guſtare* pro *ſentire* ponitur, Prov. 31. 18. *Guſtavit quod bona eſſet negotiatio*, i. ſenſit. Species una pro toto genere.

58. *Antequam Abraham fieret*] Prætulerim, *eſſet* aut *exſiſteret*. Syrus certe habet הוה, quod *eſſe* non *fieri* ſignificat: γίνεσθαι autem pro εἶναι ponitur Matth. 5. 45. Marc. 1. 17. Gen. 1. 2. Ruth. 1. 12. & alibi paſſim. Huc facit quod Homerus θεοὺς αἰειγενέτας appellat in uno loco, & in alio αἰὲν ἐόντας *ſemper exſiſtentes*.

SCALIGER.

25. THN ἀρχὴν] Eſt adverbium, i. *primo*, *in primis*, *principio*. Deinde ὅτι non ὅ, τι, Principio mihi multa dicenda ſunt, multa ſunt præfanda de veſtra contumacia & incredulitate, priuſquam vobis reſpondeam quis ego ſum. Quod & melius exponitur cap. 10. 25. Scilcitantibus enim Τίς εἶ; reſpondit, εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε.

CASAUBONUS.

44. ΟΤΙ ψεύστης ἐστὶ, καὶ ὁ πατὴρ αὐτῶν] Videlicet τῶν ψεύδους· quod vel ex ſuperiori membro poteſt intelligi, ut placet eruditiſſimo viro, vel etiam ex ipſa voce ψεύστης. Nam id quoque novum non eſt. Sic Num. 23. 20. *Et benedixi, nec revocabo illam*; *benedictionem* videlicet, quæ vox ex præcedenti voce *benedixi* facile intelligitur. Sic quoque apud ſummum Varem,

Δικάσω, ἰδεῖν δὲ ἔξεσι,

nimirum ἡ δίκη. Atque hoc loquendi genus ab Euſtathio annotatum eſt primo in Odyſſeam commentario. Errat porro graviter Nonnus dum hæc verba παροιμιάζει quod à doctiſſimo interprete eſt obſervatum. Sic ille,

\- - ὅτι λοίγιον ἦθος ἄεῖσεν

Ψεύστης αὐτὸς ἔφυ, ψευδήμονος ἐκ γενετῆρος.

57. Πεντήκοντα ἔτη οὔπω ἔχεις] Ita legit etiam Nonnus, non τεσσαράκοντα· nec dubito illam eſſe veram lectionem.

CAMERON.

35. Ὁ δοῦλος οὐ μένει ἐν τῇ οἰκίᾳ εἰς τὸν αἰῶνα] Proverbium eſt quo Chriſtus eſt uſus ut demonſtret diſcrimen Juſtitiariorum, h. e. eorum qui nituntur operibus Legis ad vitam conſequendam, & Filiorum, qui ſola fide nituntur, neque Deo ſerviunt, mancipiorum inſtar, metu pœnæ aut ſpe mercedis, ſed animo prompto. Nam Juſtitiarii hypocritæ ad tempus florent, laudem conſequuntur apud homines, etiam in Eccleſia Dei; at tandem ejiciuntur foras: *Omnis enim planta*, inquit Chriſtus, *quam non plantaverit Pater meus, eradicabitur:* quod in Judæorum rejectione adumbratum eſt. Etenim cum rejecti ideo ſint quod ſervi eſſe voluerunt, exemplum eſt rejectionis eorum qui ſub Euangelio nolunt vivere, h. e. ſub Gratia, ſed ſub Lege.

47. Ὁ ὢν ἐκ τοῦ Θεοῦ τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ ἀκούει] Non omnes prædeſtinati ſeu electi, ſed ii tantum qui regeniti ſunt, dicuntur *eſſe ex Deo* in Scriptura. Regenerandi vero ἐκ τοῦ πάτρος, & *Patris eſſe* dicuntur, Joh. 17. 6.

58. Πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι] Non tantum ſignificat Chriſtus ſe fuiſſe in ſe, utpote qui Deus, ſed fuiſſe conſervatorem Eccleſiæ ſuæ. *Vidit, & gavisus eſt*, h. e. percepit aliquem fructum: alioqui in Abrahamo *cupere videre* & *vidiſſe* ſejungi poſſent; jam vero conjunguntur iſta, *cupius videre* & *vidit*. Itaque fructum aliquem oportet redundaſſe hinc ad Abrahamum: quare ſequitur continuo *& gaviſus eſt*. Imo vero hoc ſignificat gaudium non vulgare, vox, inquam, ἠγαλλιάσατο, ἐχάρη. Socinus, ut effugiat atque declinet vim argumenti quod ex hoc loco nectitur, ait, Nomen *Abraham* in hac Chriſti oratione ſignificare id quod ipſum nomen declarat, nempe *Patrem multarum gentium:* ut hic ſit ſenſus, *Priuſquam fieret*, vel *eſſet*, *pater multarum gentium*, *ego ſum*. Non enim factus eſt proprie Abraham pater multarum gentium niſi cum per prædicationem Euangelii Gentes converſæ ſunt ad Chriſtum. Sed ſic nullum erit enunciationis illius ſubjectum. Finge enim id quod vult Hæreticus, tunc *Abraham* erit attributum in iſta enunciatione, *Antequam eſſet Abraham*. Quod ſi *Abraham* eſt enunciationis illius attributum, quodnam erit ejus ſubjectum?

GUALT.

GUALTPERIUS.

3. Ἄγουσι δὲ] Hiſtoria de adultera in interpretatione Syriaca non exſtat. Apud Nonnum deſiderabatur etiam, ſed ſuppleta nunc eſt ab alio.

JAC. CAPPELLUS.

3. *Adducunt autem Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam*, &c. Hæc hiſtoria non habetur in Syriaca verſione: deerat etiam in quibuſdam Græcis Latiniſque codicibus. Hujus omiſſionis hæc videtur eſſe cauſa, non quod à canone cenſerent eſſe veteres avellendam hanc hiſtoriam, quaſi ſubditiriam & indignam libro canonico, ſed quod non putarent expedire ut coram populo legeretur. Hinc factum ut etiam inter ſcribendum à quibuſdam omitteretur, ſed non ab omnibus. Hieronymus Adverſus Pelagianos dialogo 1. *In multis & Græcis & Latinis codicibus invenitur de adultera muliere quæ accuſata eſt apud Dominum.*

GROTIUS.

1. Ἰησοῦς δὲ ἐπορεύθη, *Jeſus autem pertexit*] De hiſtoria Adulteræ jam olim fuit quæſtio, & nunc eſt. Ego plane arbitror initio nec à Matthæo ſcriptam in Hebræo Euangelio, nec à Johanne in Græco; ſed quia & hi & alii Apoſtoli viva voce hanc hiſtoriam ſæpe narraverant, attextam à Nazarenis quidem Palæſtinæ Hebræo Euangelio, à Papia autem aliiſque Johannis diſcipulis Græco Johannis, & ab Eccleſia probatam, ideo quod ſatis certo teſtimonio conſtaret ab Apoſtolis traditam: Ideo vetuſtiora Græca exemplaria & Syriacum non habent: At habent Latina quædam, ſeriora Græca, & Arabicum. Nam in Nazaræorum Hebræo fuiſſe ſatis ex Hieronymo conſtat. Puto autem omiſſam ſcribi ab ipſis Apoſtolis, quod facile inde calumnia arripi poſſet traducendi Chriſtianos apud Magiſtratus quaſi evertentes publica judicia, quibus ſtare videtur reipublicæ ſalus. Nam quod quidam putant à Novatianis eraſam credibile non eſt, cum ex Euſebio & Hieronymo ſatis appareat ante ea tempora deſideratam. ¶ Εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν. *in montem Oliveti*] In villam Gethſemane, ubi orare & pernoctare ſolebat, Luc. xxi. 37. Matth. xxvi. 36. Cœnabat autem ſæpe in proximo in Bethania apud Lazarum & ejus ſorores.

2. Ὀρθρου δὲ πάλιν, *diluculo iterum*] Cum diluculo docere incipiebat, Luc. xxi. 38. ¶ Καθίσας ἐδίδασκεν, *ſedens docebat*] Qui mos longum ſermonem ordienti.

3. Οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, *Scribæ & Phariſæi*] Qui doctiſſimi & religioſiſſimi Judæorum audiebant, quæſtionem ei proponunt captatoriam, qualis illa erat de Tributo Cæſari ſolvendo Matth. xxii. 17. ¶ Ἐν μοιχείᾳ κατειλημμένην. *in adulterio deprehenſam*] A duobus teſtibus, ut Lex deſiderat. Quidam μοιχείαν [*mœchiam*] hic Inceſtum intelligunt, ideo quod negent Adulterium apud Judæos lapidatione punitum, de quo mox dicemus. Ego plane arbitror retinendam vocis proprietatem. ¶ Ἐν μέσῳ, *in medio*] Loco conſpicuo. Sic Matth. xiv. 6. Marc. iii. 3.

4. Ἐπαυτοφώρῳ, *in ipſo facto*] Tam manifeſte ut negari non poſſit. Vox eſt Græca forenſis. Indicant non agi hic de ſuſpicione; in quam conſtituta erat potio aquæ Zelotypæ.

5. Μωϋσῆς ἡμῖν ἐνετείλατο τὰς τοιαύτας λιθοβολεῖσθαι· *Moſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare*] Lev. xx. 10. Deut. xxii. 22. Mortis pœna indicitur Adultero & Adulteræ. At mortis pœna, ubi lex nihil exprimebat, accipiebatur mitiſſima, id eſt Strangulatio, quam ſpecialiter in Adulteræ ſupplicio agnoſcunt Hebræorum Magiſtri. Lapidationis pœna eſt inter atrociores. Statuebatur vir aut mulier nudi parte aliqua, & manibus vincti in cataſta alta quantum bis fert mediocris hominis ſtatura: inde in locum inferiorem à teſtibus præcipitabantur: & ſi eo caſu interimerentur, ſufficiebat id ſupplicium: ſin minus, ſuperjiciebatur tergo jacentis ſaxum ingens ab ipſis teſtibus, &, ſi opus eſſet, alia à reliquis adſtantibus. Quo igitur jure hoc graviore ſupplicio affectæ Adulteræ? Ajunt quidam cum Levit. xx. initio & fine capitis mentio fiat Lapidationis, etiam in medio poſita eodem trahenda. Sed eodem in capite quædam Incendio puniuntur, quædam per Succiſionem כרת, id eſt, per pœnam Divinitus infligendam ſi res lateat; ſin manifeſta ſit res & monitio præceſſerit, per verbera. Alii dicunt, cum in Deuteronomio ſequentibus verbis Sponſæ corruptæ imponatur pœna lapidationis, ex pari aut majori ratione debere eam & Adulteræ aptari. Sed objici poteſt in ſponſam gravius animadverſum quia in cuſtodia mariti non erat, ſicut & gravius punitur furtum de paſcuo quam de ovili. Poteſt fieri ut hæc adultera dicatur ſicut ſponſa uxor dicitur: & ita quæratur an ex ſponſarum lege pœna exigi debeat. Sed & dici poteſt ubi mortis pœna lege exprimitur, non item mortis genus, ibi à Synedrio pro ratione temporum genera pœnarum definita; ut graviores exigerentur ubi occurrendum erat gliſcenti exemplo. Quare ex Ezech. xvi. 40. collato commate 38. notat Kimchi, nonnullis temporibus lapidatas adulteras. Et eo factum, ut qui de Suſanna hiſtoriam ſcripſit, falſo adulterii inſimulatores lege talionis lapidatos dixerit. Similiter & Hyrcani ſequentibuſque temporibus in Judæa putem lapidatas adulteras ob criminis frequentiam. Vide Rom. ii. 22. Sumenda ergo hæc verba quaſi dictum eſſet, *Moſes tales præcepit morte puniri, quam mortem poſtremus uſus fecit lapidationem.* ¶ Σὺ οὖν τί λέγεις; *tu ergo quid dicis*]? Romani non ita dudum omnia capitalia ſupplicia eripuerant Judæis, ut alibi notatum eſt. In lapidatione populus teſtibus præeuntibus judicium exſequebatur, & quidem his temporibus ſæpe citra ſententiam, ut Stephano factum, & Jacobo Jeſu cognato, cujus hiſtoria apud Joſephum. Uſurpabat ergo interdum populus hoc jus quamvis Romanis nolentibus, ut à Deo conceſſum. Quæritur ex Jeſu quid ſentiat.

6. Ἵνα ἔχωσι κατηγορίαν κατ' αὐτοῦ· *ut haberent de quo eum accuſarent*] *Ut eum accuſarent* aut apud Romanos imminutæ Majeſtatis, aut apud populum imminutæ libertatis. ¶ Ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν, *ſcribebat in terra*] Sententiam aliquam dignam quæ memoriæ mandaretur. Videtur id moris fuiſſe. ¶ Μὴ προσποιούμενος. *diſſimulans*] Sic μὴ προσποιεῖσθαι uſurpat Thucydides, ὰ προσποιεῖσθαι Polybius. Subintellige, *intelligere ſe ſermonem Phariſæorum & Legiſperitorum.*

7. Ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν, *Qui ſine peccato eſt veſtrum*] Verbalia hujus generis non ſemper Potentiam ſignificant, ut videtur ſenſiſſe Hieronymus, ſed plerunque Actum, ut ἄπρακτος [*nihil efficiens*]. Intelligendus autem hic ἀναμάρτητος [*ſine peccato*] *qui nec adulterii nec paris aut majoris criminis reus eſt.* ¶ Πρῶτον τὸν λίθον ἐπ' αὐτῇ βαλέτω. *primum in illam lapidem mittat*] Quia lapidatio illis temporibus erat quaſi judicium populi, ideo quod de judicibus dici ſolet populo aptavit. Eſt enim reipſa idem dictum quod apud Paulum Rom. ii. 1. *Inexcuſabilis es tu qui judicas: quia cum alterum judicas temetipſum condemnas, cum tu judex eadem facias.* Venit hoc ex naturali æquitate. Cicero Verrina v. *Non modo accuſator ſed ne objurgator quidem ferendus eſt is, qui quod in alio vitium reprehendit in eo ipſe reprehenditur.* Xenophon, τί προσῆκει αὐτὸν ὄντα πονηρίας ἕνεκα ἢ βλακείας ἄλλους κολάζειν; [*quomodo convenit, ut qui malus ſit ob malitiam aut ſtultitiam aliis pœnas irroget*]? Seneca, *Non poteſt auctoritatem habere ſententia ubi qui damnandus eſt damnat.* Idem alibi, *Neque æquus judex aliam de ſua aliam de aliena cauſa ſententiam fert.* Plinius, *Sic aliorum vitiis iraſcuntur quaſi invideant, & graviſſime puniunt quos maxime imitantur.* Salvianus De Gub. Divina lib. ii. *Per hoc dum damnare ſe cæteros putant, ipſos ſe magis propria animadverſione condemnant.* *Primum* autem *lapidem* nominat, quia is maximus & plerunque lethalis. Propoſitum autem erat Chriſto oſtendere, non eſſe quod Judices aut populus multum dolerent ereptam ſibi puniendi poteſtatem, cum ea res valde ſit periculoſa alicujus culpæ ſibi conſciis, ita ut exonerari multo ſit ſatius. Non reſpondet ad illud quod dixerant de lege, quia ſatis conſtabat non obligare eam ad pœnas exigendas niſi ubi populus ſui juris eſſet, aut ubi imperantes ejus rei poteſtatem ipſis facerent. Sed ipſi, ultra quam ſub Romano Imperio conceſſum ipſis erat, ultro uſurpabant quaſi amore juſtitiæ: quem prætextum illis eripit, juſſis in ſemet deſcendere, ubi ſatis criminum inventum eſſent quod vindicare poſſent.

8. Πάλιν κάτω κύψας ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν. *iterum ſe inclinans ſcribebat in terra*] Oſtendens nihil habere ſe quod adjiceret, neque ſua intereſſe quid agerent.

9. Ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι, *à conſcientia convicti*] Erant enim eo tempore corruptiſſimi mores etiam eruditorum, ita ut & adulteria eſſent frequentia. Vide caput ſecundum ad Romanos, & Joſephum circa hæc tempora. ¶ Εἷς καθ' εἷς, *unus poſt unum*] Diximus ad Marci xiv. 19. ¶ Ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων ἕως τῶν ἐσχάτων· *incipientes à ſenioribus uſque ad poſtremos*] Ætate provectiſſimi primi convictos ſe ſentiebant; quorum exemplum cæteri ſequebantur. ¶ Μόνος ὁ Ἰησοῦς καὶ ἡ γυνὴ, *ſolus Jeſus & mulier*] *Solus*, id eſt, ſine Phariſæis & Legiſperitis. Nam Apoſtoli aderant, forte & turba aliqua. Sic μόνος [*ſolus*] habuimus ſupra vi. 22. ¶ Ἐν μέσῳ ὄντα. *in medio ſtans*] Conſpicua Apoſtolis, forte & turbæ.

10.

10. Μηδένα θεασάμενος, *neminem conſpiciens*] Eorum qui mulierem adduxerant. ¶ Οἱ κατήγοροί σου; *qui te accuſabant*]? Id eſt, qui mea auctoritate videbantur uti velle ad te puniendam. ¶ Οὐδείς σε κατέκρινεν; *nemo te condemnavit*]? Quaſi dicat, Si lata eſt in te ſententia, ego ei non contradico. Non eſt iniquum in adulteram mortis judicium.

11. Οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω. *Nec ego te condemnabo*] Ego auctoritatem meam in hoc non commodo, ut populum, qui ſalva conſcientia à taliſ ſupplicii exactione abſtinere poteſt, ad id excitem. ¶ Πορεύου, *vade*] Abi, cura res tuas: evaſiſti periculum. ¶ Καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν μηκέτι ἁμάρτανε. *& jam amplius noli peccare*] Alioqui multo gravius à Deo damnanda. Hoc ideo adjicit ne commeatum videretur dare peccandi. Auguſtinus, *Nam ſi peccatorum fautor eſſet, diceret, Nec ego te condemnabo, vade & vive ut vis. De mea liberatione eſto ſecura: ego, quantumcunque peccaveris, te ab omni pœna, etiam Gehenna, & inferni terroribus liberabo. Non hoc dixit: ſed, Vade, & noli amplius peccare.* Recte autem notarunt veteres in hac femina typum eſſe Eccleſiæ ex Gentibus idololatris colligendæ, cui impertitam Dei miſericordiam accuſare Judæi non poſſent ſi ipſi ſuos mores inſpicerent.

12. Πάλιν οὖν, *Iterum ergo*] *Alio tempore.* Sic ſupra I. 35. IX. 15. & alibi. ¶ Ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου· *Ego ſum lux mundi*] Cum varii varia de ſe ſentirent, Jeſus quid de ſe ſentiendum ſit, ſed modeſte, profitetur. De Meſſia dictum erat *futurum eum Lucem Gentium*, Eſaiæ XLIX. 6. hoc ſibi aptat. Vide quæ ſupra I. 5. & deinceps; & Luc. II. 32. ¶ Ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ, *qui ſequitur me*] *Qui ductum meum ſequitur*: lux enim præferri ſolet. ¶ Οὐ μὴ περιπατήσει ἐν τῇ σκοτίᾳ, *non ambulabit in tenebris*] Videt qua & quo ambulandum ſit: diximus ſupra I. 4. & Luc. II. 32. ¶ Ἀλλ' ἕξει τὸ φῶς τῆς ζωῆς. *ſed habebit lumen vitæ*] Habebit ſibi præviam illam lucem quæ ducit ad vitam æternam. Vide ſupra dicto loco cap. I.

13. Εἶπον οὖν αὐτῷ οἱ Φαρισαῖοι, *Dixerunt ergo ei Phariſæi*] Superbi & invidi homines. ¶ Σὺ περὶ σεαυτοῦ μαρτυρεῖς· *Tu de teipſo teſtimonium perhibes*] Tam magnifica de te prædicas, & dicenti tibi credi vis. ¶ Ἡ μαρτυρία σου οὐκ ἔστιν ἀληθής. *teſtimonium tuum non eſt verum*] *Non digna eſt quæ recipiatur.* Vide ſupra V. 31.

14. Κἂν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, *Etſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo*] Etiamſi nulla eſſent de me prægreſſa Prophetarum, nulla Johannis Baptiſtæ teſtimonia, etiamſi ego primus ac ſolus hæc de me prædicarem. ¶ Ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία μου· *verum eſt teſtimonium meum*] *Tamen recipienda eſſent mea dicta.* ¶ Οτι οἶδα πόθεν ἦλθον καὶ ποῦ ὑπάγω· ὑμεῖς δὲ οὐκ οἴδατε πόθεν ἔρχομαι, καὶ ποῦ ὑπάγω. *quia ſcio unde veni & quo vado: Vos autem neſcitis unde venio, aut quo vado*]. Receptum eſt apud omnes gentes ut teſtimonia admittantur pro ſubjectæ rei qualitate. Itaque in his quæ ſolent clam fieri, audiuntur qui alias non audirentur. Legationis injunctæ conſcius eſt is cui injuncta eſt; reliqui ab ipſo hoc debent diſcere. Quod ſi is legatus nulla in re ſua commoda capter, ipſe ob legationem multa mala perferat, honorem vero nullum ſibi vindicet, ſed leganti, nec quicquam dicat quod non legante dignum ſit, tunc nulla eſt ratio cur non ei credatur. Illud, πόθεν ἔρχομαι καὶ ποῦ ὑπάγω [*unde veni & quo vado*] eſt circumlocutio legationis, quæ accipi primo, deinde renuntiari ſolet. *Ego ſcio à quo & quæ mihi data ſint mandata: Vos id niſi per me ſcire non poteſtis.*

15. Ὑμεῖς κατὰ τὴν σάρκα κρίνετε, *Vos ſecundum carnem judicatis*] *Non vera ratione rem dijudicatis, ſed ex affectibus:* quod ſupra VII. 24. dixit κατ' ὄψιν κρίνειν [*ſecundum faciem judicare*]. Sic κατὰ σάρκα περιπατεῖν [*ſecundum carnem ambulare*], *ſequi affectum contemta ratione.* κρίνειν [*judicare*] hic eſt *profiteri quid de aliquo ſentias:* ſicut iſti profitebantur ſe Jeſum habere pro indigno cui fides habeatur. ¶ Ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα. *ego non judico quenquam*] *Nihil dico quod alicui noxium eſſe poſſit*; in quo dictorum genere merito majora exſpectantur documenta. κρίνειν [*judicare*] hic eſt *id dicere unde condemnatio ſequi poſſit.* Sic & Accuſatores & Teſtes *condemnare* Latine dicuntur.

16. Καὶ ἐὰν κρίνω δὲ ἐγὼ, *Et ſi judicem ego*] *Quod ſi etiam id faciam.* ¶ Ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ ἀληθής ἐστι· *judicium meum verum eſt*] Indicativus pro ſubjunctivo, more Hebræo: *mea talis profeſſio non eſſet ferenda.* ¶ Οτι μόνος οὐκ εἰμὶ, *quia ſolus non ſum*] Quod dicerem non habendum eſſet pro meo unius dicto. *Non ſolus ſum*, in tali profeſſione ſcilicet. ¶ Ἀλλ' ἐγὼ καὶ ὁ πέμψας με πατήρ. *ſed ego & qui miſit me Pater*] Quod ego dicerem Pater dicere cenſendus eſſet, à quo miſſum me dico, & qui me à ſe miſſum oſtendit, & voce & tot tantiſque miraculis. Legatione autem probata, quicquid legatus affirmat id cenſendus eſt qui legavit affirmare.

17. Καὶ ἐν τῷ νόμῳ δὲ τῷ ὑμετέρῳ γέγραπται, *Et in lege veſtra ſcriptum eſt*] Quod jam dico, non naturali æquitati modo congruit, ſed *ſcriptum quoque eſt in Lege, veſtra* inquam *Lege*, in qua gloriamini. Scriptum autem eſt non totidem verbis, ſed eadem ſententia, Deut. XVII. 6. cujus loci ipſa verba citantur Matth. XVIII. 16. ¶ Οτι δύο ἀνθρώπων μαρτυρία ἀληθής ἐστι. *quia duorum hominum teſtimonium verum eſt*] *Pro vero recipitur*, fidem invenit, etiam ad hominis alicujus condemnationem: hoc enim eſt, *ſtabit verbum.* Quod ſi duorum hominum conſenſus tanti eſt, quanti haberi debet conſenſus Dei & à Deo miſſi?

18. Ἐγώ εἰμι ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμαυτοῦ, *Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo*] Redit ad illud unde digreſſus erat: à profeſſione de ſua qualitate, quæ credi poterat ſine ullo damno cujuſquam. Cum autem dicit *ego*, ſubintellige, *in cujus vita nihil eſt culpandum, cujus dogmata omnia ad Dei honorem, pietatem ac ſanctitatem promovendam pertinent.* ¶ Καὶ μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ ὁ πέμψας με πατήρ. *& teſtimonium perhibet de me qui miſit me Pater*] *Is mihi fidem adſtruit:* oſtendit me miſſum, eo quo diximus modo. Vide ſupra III. 2. V. 32, 36.

19. Ποῦ ἐστιν ὁ πατήρ σου; *Ubi eſt Pater tuus*]? Odio excæcati non intelligebant quem *Patrem ſuum* diceret, ut explicatur infra 27. *Ubi eſt?* demonſtra eum nobis, ut videamus qualis ſit auctoritatis, quid dicat. ¶ Οὔτε ἐμὲ οἴδατε, οὔτε τὸν πατέρα μου· *Neque me ſcitis, neque Patrem meum*] Ita affectibus impedimini, ut nec meam qualitatem intelligatis, nec quem dicam eſſe Patrem meum; cum tamen utrumque ſatis clare vobis expoſuerim. ¶ Εἰ ἐμὲ ᾔδειτε, καὶ τὸν πατέρα μου ἂν ᾔδειτε ἄν. *ſi me ſciretis, & Patrem meum ſciretis*] Si conſideraretis me Doctorem eſſe ſanctiſſimi dogmatis, facile & hoc conciperetis animo non alium à me Patrem appellari quam Deum. Sic ſupra IV. 10. εἰ ᾔδεις τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ [*ſi ſcires donum Dei*], *ſi intelligeres.* Et infra XIII. 17.

20. Ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ, *in gazophylacio*] Loco valde celebri, & in quo etiam Sacerdotum è primoribus quidam verſari erant ſoliti. Vide quæ ad Marc. XII. 41. ¶ Διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ· *docens in templo*] Id eſt, *cum nunc hoc, nunc illo templi loco doceret.* ¶ Καὶ οὐδεὶς ἐπίασεν αὐτὸν, ὅτι οὔπω ἐληλύθει ἡ ὥρα αὐτοῦ. *& nemo apprehendit eum*] Καὶ pro *Et tamen.* De ſenſu vide ſupra VII. 32.

21. Ἐγὼ ὑπάγω, *Ego vado*] Cum ſciret multos adſtantium perſtare in conſilio ſe capiendi & mortem ipſi procurandi, oſtendit ejus conſilii vanitatem, ut ſupra VII. 33. ¶ Καὶ ζητήσετέ με, & *quæretis me*] Id eſt, ut maxime velitis nocere mihi non poteritis. ¶ Καὶ ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν ἀποθανεῖσθε. *& in peccato veſtro moriemini*] Deſumtum eſt ex Ezech. III. 19. ubi in Græco, ἐν τῇ ἀδικίᾳ αὐτοῦ ἀποθανεῖται [*in iniquitate ſua morietur*], ex quo loco ſumenda eſt hujus interpretatio. Merito eveniet, ut & ego extra periculum ponar, & vos ob culpas veſtras peſſime pereatis; quia ego quidem monitoris officio probe functus ſum, vos autem monenti auſcultare noluiſtis. Indicatur autem Urbis & populi excidium: quod univerſalis Judicii præſagium fuit. ¶ Οπου ἐγὼ ὑπάγω ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν. *quo ego vado, vos non poteſtis venire*] *Eo non poteſtis pertingere*, ut ſupra VII. 34.

22. Μήτι ἀποκτενεῖ ἑαυτόν, *Numquid interficiet ſemetipſum*] Num ſibi manus inferet Samſonis exemplo, ne nos ei illudere aut mortem inferre poſſimus? Nam id Hebræi quidam licitum putabant, ut ex Joſepho quoque apparet.

23. Ὑμεῖς ἐκ τῶν κάτω ἐστέ, *Vos de deorſum eſtis*] Hoc ἐκ τῶν κάτω [*de deorſum*] ſtatim explicat ἐκ τοῦ κόσμου τούτου [*ex mundo*]: quod non Originem ſignificat, ſed Affectum, ut patet infra XV. 19. ubi Apoſtoli negantur eſſe ἐκ τοῦ κόσμου [*ex mundo*], *mundi ſtudiis operari.* ¶ Ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω εἰμί· *ego de ſupernis ſum*] Id eſt, τὰ ἄνω Φρονέω, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς [*quæ ſurſum ſunt curo, non quæ ſuper terram*], ut loquitur Paulus Coloſſ. III. 2. Ac proinde non mirum eſt ſi ad ſuperna aſſumar.

24. Εἶπον οὖν ὑμῖν, ὅτι ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν· *Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis veſtris*] Hic interpretatur quod de pœnis eorum dixerat intelligendum de iis qui vitiis ſuis addicti erant ac tales manebant. ¶ Ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσητε ὅτι ἐγώ εἰμι, *ſi enim non crediderit is quia ego ſum*] Ubi ἐγώ εἰμι [*ego ſum*] ſimpliciter ponitur, intelligendum id de quo ante agebatur. Sic Lucæ XXIV. 39. infra XVIII. 5. ſubauditur *Jeſus*: Hic vero *lux mundi*, ex commate 12. Supra IV. 26. *Meſſias.* ¶ Ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν. *moriemini in peccatis veſtris*] Nullus melior morborum veſtrorum

Me-

Medicus adveniet. Si à me ſanari non vultis, inſanabiles eſtis. Vide infra XVI. 8. & Hebr. X. 26.

25. Σὺ τίς εἶ; *Tu quis es?*] *Quis es?* id eſt, Qualis es? ideo neutro nomine reſpondet Jeſus. ¶ Τὴν ἀρχὴν, *primum*] רֵאשִׁית, quod τὴν ἀρχὴν [*primum*] vertunt Græci. Hoc autem ideo dicit Chriſtus quia multa alia de ſe prædicare poterat præter id quod dixerat: Sed eo nunc contentus eſt. ¶ Ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. *quod & dico vobis*] *Primum hoc ſum, quod & dico vobis:* hoc ipſum quod me hoc ipſo tempore eſſe dixi, id eſt, *Lux mundi.* Solet מה Hebræum, quod & hic poſuit Syrus, per λαλεῖν [*loqui*] verti: id autem Hebræi explicant *dicere aliquid conciſe*, ἀποφθεγματικῶς, Matth. IX. 18. XIII. 3, 34. Marc. II. 2. Luc. XXIV. 25. Joh. III. 34. & alibi.

26. Πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν καὶ κρίνειν· *Multa habeo de vobis loqui & judicare*] De me hoc tantum dico quod dixi, *de vobis autem multa poſſem dicere ad vos notandos:* id enim eſt hic *judicare*, ut ſupra 15. diximus: quaſi dicat, Poſſem dicere vos eſſe ſeductores & cauſas tenebrarum. ¶ Ἀλλ' ὁ πέμψας με ἀληθής ἐστι· *ſed qui me miſit, verax eſt*] Hoc adverſum vos pro hoc tempore ſufficiat, quod *ille qui me miſit in omnibus rebus fide eſt digniſſimus.* ¶ Κἀγὼ ἃ ἤκουσα παρ' αὐτοῦ ταῦτα λέγω εἰς τὸν κόσμον. *& ego quæ audivi ab eo hæc loquor ad mundum*] Vide ſupra III. 32. Senſus, *Qui me miſit fide dignus eſt, & ego nihil dico aliud quam quod ab ipſo dicendum accepi. Quare merito mihi credere deberetis; quod cum non faciatis, eſtis inexcuſabiles.* Non dicit autem ſimpliciter *vobis dico*, ſed εἰς τὸν κόσμον [*ad mundum*], ut magis confirmet quod dixerat, *ſe eſſe Lucem mundi.* Nam & quæ ipſis dicebat, in hoc dicebat ut latius ſpargerentur. Et locus ipſe gazophylacii erat medius inter ſubdiale in quo erant Judæi, & ſubdiale in quo erant alienigenæ.

27. Οὐκ ἔγνωσαν ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγε. *Et non cognoverunt quod Patrem ſibi diceret*] Intelige τὸν πατέρα τὸν Θεὸν [*Patrem Deum*], quem *Patrem* κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] Hebræi vocabant: id quod recte hic interpretando expreſſit Latinus. *Plerique de auditoribus non intelligebant eum hac de Deo Patre dicere*; Deum Patrem ab ipſo *mittente* voce ſignificari. Nam λέγω [*dico*] hic eſt *ſignifico*, ut Latinis ſæpe.

28. Ὅταν, *Cum*] Id eſt, *poſtquam*, ut Matth. IX. 15. Luc. XIV. 8. ¶ Τψώσητε, *exaltaveritis*] *Veſtro incitatu in crucem egeritis.* Vide ſupra III. 14. infra XII. 32. ¶ Τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, *Filium hominis*] Sic ſupra III. 13, 14. ¶ Τότε γνώσεσθε ὅ, τι ἐγώ εἰμι, *tunc noſcetis quid ego ſim*] Dixerat primum *Lucem* ſe eſſe *mundi: quid præterea ſim*, inquit, *cognoſcetis poſt meam paſſionem*, ὅ, τι hic ſumo pro τί [*quid*]. Tunc cognoſcetis me eſſe Victorem Mortis ex Reſurrectione, Dominum cœli & Angelorum ex Aſcenſione, ipſius Spiritus Miſſorem, ac poſtremo Vindicem rebellium. Cognoſcetis autem alii reſipiſcendo, alii ita convicti ut nulla ſpecie negare poſſitis. ¶ Καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ ποιῶ οὐδέν, *& à meipſo facio nihil*] Καὶ [*&*] pro *certe*, *etenim.* Quod dixi antehac, *me nihil injuſſu Patris facere*, id tunc apparebit. ¶ Ἀλλὰ καθὼς ἐδίδαξέ με ὁ πατὴρ ταῦτα λαλῶ. *ſed ſicut docuit me Pater hæc loquor*] Vide ſupra V. 19. *dictata Patris recito.*

29. Καὶ ὁ πέμψας με μετ' ἐμοῦ ἐστιν. *Et qui me miſit mecum eſt*] Præſens pro futuro, ut mox 31. & καὶ [*&*] pro *ideo. Ideo*, inquit, *qui me miſit plane res meas promovebit.* Hoc enim ſignificat Hebraiſmus *cum aliquo eſſe.* Vide Matth. I. 23. & XXVIII. 20. ¶ Οὐκ ἀφῆκέ με μόνον ὁ πατὴρ, *non reliquit me ſolum Pater*] Explicat id quod jam dixerat. Sic & infra opponit *ſolum eſſe* & *Patrem eſſe cum ipſo*, XVI. 32. Similiter illud infra XIV. 18. οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς· ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς [*non relinquam vos orphanos: veniam ad vos*]. ¶ Ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε. *quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper*] Ποιῶ [*facio*], id eſt, ἐποίησα [*feci*]. Chriſti perfectiſſima obedientia non hoc tantum in loco, ſed & alibi, ponitur ut cauſa gloriæ ipſi collatæ. Vide Philipp. II. 8. & Eſa. LIII. 10, 11, 12.

30. Πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν· *multi crediderunt in eum*] Id eſt, crediderunt à Deo miſſum, ſed fide infirma.

31. Πρὸς τοὺς πεπιστευκότας αὐτῷ, *ad eos qui crediderunt ei*] Eorum præcipue cauſa, quanquam communiter ad turbam ſermonem dirigens. ¶ Ἐὰν ὑμεῖς μείνητε ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ, *ſi vos manſeritis in ſermone meo*] Μένειν ἐν τῷ λόγῳ [*manere in ſermone*] aut ἐν τῇ διδαχῇ [*in doctrina*] *Chriſti*, ut dicitur Epiſtola II. 9. eſt obſervare præcepta, cui opponitur παραβαίνειν [*tranſgredi*]. ¶ Ἀληθῶς μαθηταί μου ἐστέ. *vere diſcipuli mei eſtis*] *Diſcipuli* dicuntur qui auditum veniunt: vere autem illis *diſcipulorum* nomen competit qui quod docetur ſibi tanquam normam proponunt. Quintilianus de præcoci ingenio, *Non ſubeſt vera vis, nec penitus immiſſis radicibus innititur.* Vide quæ de voce μένειν [*manere*] diximus ſupra III. 36.

32. Καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν, *Et cognoſcetis veritatem*] *Experiendo diſcetis qualis ſit veritas.* Vide quæ de voce γινώσκειν [*cognoſcere*] diximus ſupra VI. 69. Platonici cognitionem quandam ſtatuunt matrem Amoris, alteram filiam. ¶ Καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς· *& veritas liberabit vos*] Profectus ille in cognitione veri dogmatis vos liberos reddet à dominio vitiorum, idque tum præceptorum puritate, tum promiſſorum præſtantia. Hierocles, Ἐν γὰρ τῇ ἀγνοίᾳ τῶν κρειττόνων ἀνάγκη δουλεύειν τοῖς χείροσιν, ἂν ἐλευθερῶσαι ἄλλως ἐκ οἷόν τε ἡ τῇ δι' ἀναμνήσεως εἰς νοῦν καὶ Θεὸν ἐπιστροφῇ [*Dum manet rerum meliorum ignorantia, neceſſe eſt hominem ſervire pejoribus, à quibus liberari aliter non poteſt niſi reminiſcendo ad Mentem & ad Deum convertatur*]. Marinus Proclo, Ἀληθεια γὰρ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις [*Veritas omnium bonorum auctor, tum diis tum hominibus*].

33. Σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν, καὶ οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν πώποτε· *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus unquam*] Ut de Aqua & Pane, ita & de Servitute dicta κατ' ἀλληγορίαν [*ſecundum latentem ſenſum*] verba ſumuntur hic nimium κατὰ πόδας [*verbotenus*]. Duobus maxime modis homines ſervi fiebant, naſcendo ex ſervis, aut bellico caſu incidendo in captivitatem. Utrumque à ſe removent. Non ſumus nati ex Cananæis aliiſve ſervilibus populis, ſed per legitimum tramitem & ingenua capita ab Abrahamo uſque deſcendimus: tum vero nemo nos in ſervitutem bello redegit. Non agitur hic de libertate ſtatus publici, ſed privati. ¶ Πῶς σὺ λέγεις· Ὅτι ἐλεύθεροι γενήσεσθε; *Quomodo tu dicis; Quod liberi fietis*]? Abundat ὅτι [*quod*], ut alibi ſæpe. Liberum hominem non poſſe manumitti & leges & ratio docent.

34. Πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας. *omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*] Ποιεῖν ἁμαρτίαν [*facere peccatum*] quid ſit vide Matth. VII. 23. δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας [*ſervus eſt peccati*], quia ab illo vitio cui ſtudet tanquam captivus fertur atque agitur, יסר [*vinctus*] Eſaiæ XLII. 7. Horatius de amore,

Urget enim mentem dominus non lenis; & acres
Subjectat laſſo ſtimulos.

Cicero Paradoxis, *Si ſervitus ſit obedientia fracti animi atque abjecti & arbitrio carentis ſui, quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos eſſe ſervos? An ille mihi liber, cui mulier imperat?* & quæ ibi ſequuntur. Egregie hoc dictum exſequitur Philo, ὅτι πᾶς ὁ σπουδαῖος ἐλεύθερος [*omnem virum bonum eſſe liberum*]. Adde Rom. VI. 16. II Petr. II. 19. & Prov. V. 22. Elucet autem Chriſti lenitas in eo quod hæc pronunciat nondum nominatis perſonis in quas diceret; ſi forte ea ratione emendarentur.

35. Ὁ δὲ δοῦλος οὐ μένει ἐν τῇ οἰκίᾳ εἰς τὸν αἰῶνα· *Servus autem non manet in domo in æternum*] לעולם [*in æternum*], id eſt, toto vitæ ſuæ tempore: ut apud Horatium;

Serviet æternum qui parvo neſciet uti.

Non habitat, id eſt, jus non habet habitandi, *in domo*; ſicut ἔχειν [*habere*] ſumi ſupra monuimus aliquoties. Nota autem tacite mutari tralationem. Nam à ſervo affectuum tranſitur ad ſervum reſpectu domus. Sic Rom. VII. à morte mariti tranſitur ad mortem ejus qui legi quaſi devinctus eſt. Et ſimilia multa in hoc genere ſermonum occurrunt. ¶ Ὁ υἱὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα. *filius autem manet in æternum*] *Jus habet in domo habitandi*; nam, ut juriſconſulti loquuntur, *eſt quaſi dominus rerum paternarum: herus minor* in comœdiis. Conſer Gen. XXI. 10. Gal. IV. 30.

36. Ἐὰν οὖν ὁ υἱὸς ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ, *Si ergo vos Filius liberaverit*] Erat in Græciæ quibuſdam civitatibus, forte & alibi, uſitata ἀδελφοθεσία, *adoptio in fratres*, quo hic videtur alludi. *Si Filius vos ex ſervis faciat liberos, ſimulque ſibi cohæredes.* Tribuitur hic Filio quod modo Veritati, quia eam profert Filius. ¶ Ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε. *vere liberi eritis*] Non falſa perſuaſione, ſed reipſa, Luc. XXIV. 34. II Petri II. 18.

37. Οἶδα ὅτι σπέρμα Ἀβραάμ ἐστε· *Scio quia filii Abrahæ eſtis*] Senſu illo vulgari, non illo κατ' ὑπόνοιαν [*ſecundum intellectum abſtruſiorem*], quo *nati ex aliquo* dicuntur qui ejus exemplo aut præceptis animum informant. Vide quæ ſupra cap. III. Σπέρμα [*ſemen*] זרע, pro *ſobole* Hebraiſmus eſt Gen. IV. 25. & alibi paſſim. ¶ Ἀλλὰ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι, *ſed quæritis me interficere*] Emphaſis eſt in με [*me*], *me innocentem, nec niſi beneficiis cognitum.* ¶ Ὅτι ὁ λόγος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν· *quia ſermo meus vos non penetrat*] Χωρεῖν apud Helleniſtas eſt *vadere, tranſire*, Sap. X. 23, 24. & ἐν ὑμῖν [*in vobis*] pro εἰς ὑμᾶς [*in vos*], ut ſæpe in his libris, Matth. XVI. 28.

Hebr. IV. 12. Proximum huic locutioni eſt illud 1 Theſſ. I. 8. ἐν παντὶ τόπῳ ἡ πίστις ὑμῶν ἡ πρὸς τὸν Θεὸν ἐξελήλυθεν [*in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt*]. Senſus eſt, *Ideo mihi mortem intentatis quia præcepta mea ſanctiora ſunt quam ut in animum veſtrum vitiis obſitum penetrent.* Dicit autem hoc Chriſtus toti quidem turbæ, ſed eos notans quos ſibi ſciebat male velle: & ſic ſolemus quod aliquibus de populo competit, tribuere populo.

38. Ἐγὼ ὃ ἑώρακα παρὰ τῷ πατρί μου, λαλῶ, *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor*] *Ea dico quæ à Patre audivi.* Nam ut ὁρᾶν [*videre*] ita ἀκούειν [*audire*] eſt *diſcere.* ¶ Καὶ ὑμεῖς οὖν ὃ ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, ποιεῖτε. *& vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis*] Quidam libri pro ὁ ἑωράκατε [*quod vidiſtis*] habent hic ἠκούσατε [*audiſtis*], ſed ex interpretamento, ut arbitror. Non puto hic certum patrem deſignari, ſed hoc dici, *Facite quæ didiciſtis, ut appareat quis ſit pater*, ſive, *doctor veſter*; *Abrahamne ſcilicet, an ſpiritus nequam.*

39. Ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ ἐστι, *Pater noſter Abraham eſt*] Quia ambigue Chriſtus locutus erat de patre ipſorum, repetunt quod dixerant, ſed efficacius; quaſi dicant, Nolle ſe alium patrem agnoſcere quam Abrahamum; eo ſe parente gloriari. Vide Matth. III. 9. Ideo Chriſtus jam ex hoc concello preſſius reſpondet. ¶ Εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραάμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε. *Si filii Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis*] Si eum pro patre ac duce agnoſceretis, opera faceretis ipſius operibus ſimilia. Hebræis *Pater* vocatur etiam ex quo quis natus non eſt, ſi hic ita ſe gerat quaſi eum pro patre habeat: qualia & illa,

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor.

Vide Ezech. XVI. 3.

40. Νῦν δὲ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι, *Nunc vero quæritis me interficere*] Hoc νῦν δὲ [*nunc vero*] pro *at vero* eſt oppoſitivum. Duo in illis notat opera Abrahami operibus valde adverſa, Odium proximi ad ſuffusionem uſque ſanguinis, & Contemtum veritatis & quidem Divinæ. Diximus ſupra communiter hæc dici, quia aut in turba illa, aut certe in populo multi tales erant. ¶ Ἄνθρωπον, *hominem*] Quod ipſum ſatis erat ut me vobis commendaret. Eſt enim inter Homines cognatio quædam à Deo inſtituta; ideo omnes ab uno oriri voluit. Vide Act. XVII. 26. ¶ Ὃς τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λελάληκα, *qui veritatem vobis locutus ſum*] Adſcendit oratio: Non quemvis hominem, ſed *qui veriſſima vos docco*, ac proinde fidem & gratiam mereor. ¶ Ἣν ἤκουσα παρὰ τοῦ Θεοῦ· *quam audivi à Deo*] Adſcendit amplius: Nec quamvis veritatem, ſed *eam quam à Deo didici*: Hoc enim eſt ἤκουσα [*audivi*] ut ſupra aliquoties. Si omnis veritas per ſe amari digna eſt, quanto magis illa quæ Deum habet auctorem? ¶ Τοῦτο Ἀβραὰμ οὐκ ἐποίησεν. *hoc Abraham non fecit*] Τοῦτο [*hoc*], id eſt, *tale quid.* Abrahamus hominum amans fuit, captivos liberavit, peregrinos hoſpitio excepit; veritatem Divino nomine ſibi revelatam, quanquam in ſpeciem minus credibilem, admiſit in animum. Hæc ſunt Abrahami opera, quibus ejus vera poſteritas cognoſcitur. Rom. IV. 9. IX 8. Galat. III. 6. Juſtinus Colloquio cum Tryphone, Εἰ δὲ ὑμεῖς σκληροκάρδιοι μένοντες ἢ ἀσθενεῖς τὴν γνώμην διὰ τὸν ἀθετισμένον τοῖς Χριστιανοῖς θάνατον τῷ ἀληθεῖ συντίθεσθαι μὴ βούλεσθε, ἑαυτοὺς αἴτιοι σκάνδαλόν τε καὶ ἐξατατᾶτε ἑαυτοὺς, ὑπονοοῦντες διὰ τὸ εἶναι τοῦ Ἀβραὰμ κατὰ σάρκα σπέρμα, πάντως κληρονομῆσαι τὰ κατηγγελμένα παρὰ τοῦ Χριστοῦ δοθήσεσθαι ἀγαθά· οὐδεὶς γὰρ οὐδὲ ἐκείνων οὐδαμόθεν λαβεῖν ἔχει, πλὴν οἱ τῇ γνώμῃ ἐξομοιωθέντες τῇ πίστει τοῦ Ἀβραάμ [*Si vero vos, aut quia duri corde eſtis aut quia animo imbecilli ob mortem, quæ in Chriſtianos edictis conſtituta eſt, vero aſſentiri non vultis, ipſi vos in culpa eſtis & vosmetipſos deciputis exiſtimantes quia ſecundum carnem Abrahæ ſemen eſtis, omnino vos quaſi hæreditario jure conſecuturos ea bona quæ per Chriſtum donanda prædicta ſunt. At de iis nemo quicquam accepturus eſt, niſi qui animo ſimilis filius fuerit fidei Abrahami*].

41. Ὑμεῖς ποιεῖτε τὰ ἔργα τοῦ πατρὸς ὑμῶν. *Vos facitis opera Patris veſtri*] Paulatim procedit cafligatio. Satis oſtendit Abrahamum moraliter patrem eorum non eſſe. Jam indicat alium longe diverſum eſſe eorum patrem, quem tamen nondum nominat, exſpectans voluntariam reſipiſcentiam. ¶ Ἡμεῖς ἐκ πορνείας οὐ γεγεννήμεθα· *Nos ex fornicatione non ſumus nati*] Ex πορνείας [*ex fornicatione*] hic dictum eſt ut ἐκ περιτομῆς [*ex circumciſione*] Actor. X. 45. XI. 2. id eſt, ἐκ τῶν περιτεμνομένων [*ex circumciſis*], Gal. II. 7, 8, 9. Epheſ. II. 11. Senſus eſt, *Non nati ſumus ex ſcortatoribus*, id eſt, idololatris, quos *ſcortatores* ſenſu tralatitio vocant Moſes & Prophetæ: quaſi dicant, Si non de nativitate corporis ſed animi agis, etiam ſic nihil eſt quod nobis objicias. Non ſumus בני זנונים, τέκνα πορνείας [*filii fornicationis*] ut loquitur Oſeas II. 4. ¶ Ἕνα πατέρα ἔχομεν τὸν Θεόν. *unum Patrem habemus Deum*] Non plures habemus quos colamus; *unum Deum colimus*, quem etiam hoc nomine *Patris* appellamus, Jer. III. 4. Etiam idololatræ Deos ſuos *Patres* vocabant: unde *Jupiter*, *Marspiter*, & ſimilia.

42. Εἰ ὁ Θεὸς πατὴρ ὑμῶν ἦν, *Si Deus Pater veſter eſſet*] Si, ut profitemini, Deum tanquam patrem ſincere coleretis. ¶ Ἠγαπᾶτε ἂν ἐμέ· *diligeretis utique me*] Æquum eſt ut qui aliquem amat, amet & eos quorum opera ipſe, maxime ad res eximias, utitur. ¶ Ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω· *Ego enim ex Deo proceſſi & veni*] Id eſt, ἐξελθὼν ἥκω [*procedens veni*], *A Deo miſſus adſum.* Vox ἐξέρχεσθαι [*procedere*] ſæpe apud Johannem eſt hoc ſenſu, XVI. 27, 28, 30. XVII. 8. Vide quæ ſupra I. 9. de voce ἔρχεσθαι [*venire*]. Interpretatio ſequitur, ἀλλ' ἐκεῖνός με ἀπέστειλε [*ſed ille me miſit*]. ¶ Οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, *neque enim à meipſo veni*] Ut qui tanto ſibi Prophetæ munus arrogant. Jer. XXIII. 21. De locutione ἀπ' ἐμαυτοῦ [*à meipſo*] ſupra diximus V. 30.

43. Διατί τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐ γινώσκετε; *Quare loquelam meam non cognoſcitis*]? Si Deus Pater eſt vester, cur in me non agnoſcitis ipſius *idioma loquendi charakterem*? Solent filii agnoſcere linguam paternam. Sic vocat ſuam docendi rationem plane Divinam. ¶ Ὅτι οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμόν. *quia non poteſtis audire ſermonem meum*] Ut agnoſcatur dialectus alicujus, attentione aliqua opus eſt, puta שבולת [*Schibboleth*] dicatur an סבולת [*Sibboleth*] Judic. XII. 6. *Vos non poteſtis audire*, id eſt, patienter ferre, *me loquentem.* Sic *non poſſe* dicuntur quibus affectus vehemens obſtat. Diximus ad Marci VI. 5. ἀκούειν [*audire*], *atteme audire*, Matth. XI. 15.

44. Ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ, *Vos ex patre diabolo eſtis*] Διάβολον [*diabolum*] ob ea quæ mox ſequentur hic intelligo *genus diabolorum*, quemodo & ὁ Σατανᾶς [*Satanas*] dicitur Matth. XII. 26. Sic ἄνθρωπος [*homo*] ſæpe eſt *genus humanum*, Matth. IV. 4. pro quo ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου [*filius hominis*] dicitur Matth. XII. 8. Sic Actor. XIII. 10. υἱὲ διαβόλου, ἐχθρὲ πάσης δικαιοσύνης [*fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ*] noſter 1 Epiſt. III. 8. ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστίν [*qui facit peccatum ex diabolo eſt*]. ¶ Καὶ τὰς ἐπιθυμίας τοῦ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν. *& deſideria Patris veſtri vultis facere*] Ἐπιθυμίας [*deſideria*], id eſt, *quod ei collibitum eſt.* Sic II Tim. IV. 3. 1 Petr. IV. 2. ποιεῖν ἐπιθυμίαν [*facere deſideria*] ut τελεῖν ἐπιθυμίαν [*perficere deſideria*] Gal. V. 16. ¶ Ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς, *ille homicida erat ab initio*] Diximus ſupra duo à Chriſto in Judæis maxime notari, Cædis propoſitum, & Veritatis contemtum. Ex his duobus probat eos referre ingenium diaboli. ἀπ' ἀρχῆς [*ab initio*] Helleniſtæ ponunt ubi in Hebræo eſt מעולם [*à ſeculo*] ut Joſ. XXIV. 2. Eſaiæ LXIII. 16, 19. Sic Actor. XXVI. 4. & 1 Epiſt. III. 8. ὅτι ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει [*quoniam ab initio diabolus peccat*]. Homicida autem fuit eodem actu quo mendax, cum primos homines dolo malo in peccatum illexit, unde mors erat ſecutura. *Invidia diaboli mors intravit in mundum*, Sap. II. 24. At Paulus eodem reſpiciens: δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος [*per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors*], Rom. V. 12. Adamum quo die erat conditus lapſum in crimen ſentiunt Rabbini, & ipſe Maimonides. ¶ Καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἔστηκεν· *& in veritate non ſtetit*] Affirmatio per negationem contrarii. Senſus eſt, *deflexit à veritate.* Sic Pſ. I. 1. ¶ Ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ. *quia non eſt veritas in eo*] Id eſt, *quia non eſt in ipſo ſtudium veritatis.* Sic 1 Epiſt. II. 21. πᾶν ψεῦδος ἐκ τῆς ἀληθείας οὐκ ἔστι [*omne mendacium ex veritate non eſt*], *non eſt ex ſtudio veritatis.* 1 Macc. VII. 18. propius ad noſtram phraſin, Οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς ἀλήθεια καὶ κρίσις· παρέβησαν γὰρ τὴν φάσιν καὶ τὸν ὅρκον ὃν ὤμοσαν [*Non eſt veritas & judicium in eis: transgreſſi ſunt enim conſtitutum & jusjurandum quod juraverunt*]. ¶ Ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ· *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*]. *Loquitur pro ingenio ſuo.* ¶ Ὅτι ψεύστης ἐστὶ, *quia mendax eſt*] In more habet fallere: hoc amat: ideo vocatur רוח שקר, πνεῦμα ψευδὲς [*ſpiritus mendax*] 1 Reg. XXII. 22. II Par. XVIII. 21. Porphyrius de hujus generis ſpiritibus, τὸ γὰρ ψεῦδος αὐτοῖς οἰκεῖον [*mentiri enim illorum eſt proprium*]. ¶ Καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. *& pater ejus*] *Pater generis diabolorum* eſt ὁ ἄρχων τῶν δαιμονίων [*princeps dæmoniorum*], de quo diximus ad Matth. IX. 34. ὁ ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος [*princeps poteſtatis aëris*], Eph. II. 2. Ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου [*princeps mundi hujus*] infra XII. 31. XIV. 30. XVI. 11. Hic *pater* cæterorum dicitur quia deficiendi initium dedit, quomodo vox *patris* uſurpatur

patur tum alibi, tum Geneſ. IV. 20, 21. Qui Adamum deceperat non fuit ipſe ὁ ἄρχων [*princeps ille*], ſed aliquis ab eo ſubmiſſus, *Angelus Satanæ*, ut II Cor. XII. 7.

45. *Ἐγὼ δὲ ὅτι τὴν ἀλήθειαν λέγω, οὐ πιστεύετέ μοι. Ego vero quia veritatem dico, mihi non creditis*] Eſt Hebraiſmus qualis Pſ. LXXIII. 28. & alibi: pro, *Mihi vero non creditis quia verum vobis eloquor*. Adeo alieno & adverſo animo à veritate eſtis: cujus vitii quem patrem habeatis jam indicavi.

46. *Τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; Quis ex vobis arguet me de peccato*]? Si cui fides negetur, oportet eam negari aut quia loquens indignus eſt cui habeatur fides, aut quia res per ſe eſt incredibilis. Priorem partem hic removet; *Nullius culpæ me convincere poteſtis*: hoc enim eſt *ἐλέγχειν* [*arguere*]. Sic infra XVI. 8. Tit. I. 9, 13. ¶ *Εἰ δὲ ἀλήθειαν λέγω, διὰ τί ὑμεῖς μὴ πιστεύετέ μοι; ſi vero veritatem dico, cur vos non creditis mihi*]? *Si ea dico quæ fide perdignaſunt*: ſicut vocem *ἀληθὴς* [*verus*] ſumi diximus aliquoties.

47. *Ὁ ὢν ἐκ τοῦ Θεοῦ, Qui ex Deo eſt*] Qui honeſta amat, ac proinde ingenio Deum refert. Opponitur enim hoc illi, *eſſe ex diabolo*; quare pari modo interpretandum. Nonnus non male,

Εἰς Θεὸν ἀρχιγένεθλον ἔχων νόον.

[*Cujus ad artificem rerum converſa Deum mens*].

¶ *Τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ ἀκούει. verba Dei audit*] Libenter audit, attente audit ſermones ad Dei honorem pertinentes, Deo dignos. Supra III. 34. ¶ *Διὰ τοῦτο ὑμεῖς οὐκ ἀκούετε, ὅτι ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐστέ; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*] Subauditur, *At vero*: eſt enim oppoſitio. *At vos ideo gravamini quæ dico audire, quia ingenio eſtis averſo à rebus vere Divinis*.

48. *Οὐ καλῶς λέγομεν ἡμεῖς, ὅτι Σαμαρείτης εἶ σύ, Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu*] *Nonne merito dicere inter nos ſolemus* (nuſquam enim hoc palam dictum narratur) *Samaritam te eſſe?* intellige non gente ſed ſenſu, quia negas veritatem religionis eſſe penes Judæos. Vide ſupra IV. 20. & ſeq. ¶ *Καὶ δαιμόνιον ἔχεις; & dæmonium habes*]? *Δαιμονᾷς* [*dæmonio afflaris*]. Vide ſupra VII. 20. infra 52. X. 20.

49. *Ἐγὼ δαιμόνιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τιμῶ τὸν πατέρα μου, Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum*] *Quæ dixi, non præ inſania dixi, ſed Divino ſpiritu ad Dei honorem*. De Samarita quod dixerant quaſi merum convitium præterit; ut ſi quis nunc aliquem *hæreticum* vocet. ¶ *Καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με. & vos inhonoratis me*] *Et tamen vos me convitiis petitis*.

50. *Ἐγὼ δὲ οὐ ζητῶ τὴν δόξαν μου. Ego autem non quæro gloriam meam*] Quod toties dico & repeto, quæ doceo vera eſſe & à Deo profecta, non id facio cupiditate humanæ gloriæ, quod & ex verbis & ex factis meis facile collectu eſt. ¶ *Ἔστιν ὁ ζητῶν καὶ κρίνων. eſt qui quærat & judicet*] Eſt qui me honore afficere velit Deus, & qui vindicaturus eſt has contumelias quibus me afficitis. Vide I Pet. II. 23. Sed & Deuteronomii locus reſpicitur XVIII. 19. ubi Deus promittit ſe vindicem futurum contemti Prophetæ. Confer II Par. XXIV. 22.

51. *Ἐάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ, ſi quis ſermonem meum ſervaverit*] Locutio quæ Matth. XIX. 17. XXVIII. 20. Marc. VII. 9. infra IX. 16. XIV. 15, & alibi. ¶ *Θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα. mortem non videbit in æternum*] Sic *ἰδεῖν θάνατον* [*videre mortem*] Lucæ II. 26. idem ſtatim *γεύσασθαι θανάτου* [*guſtare mortem*], ut & Matth. XVI. 28. Marci IX. 1. Senſus eſt, *Eam vitam conſequetur quæ morte careat*. Sic ſupra expoſuimus VI. 49.

52. *Νῦν ἐγνώκαμεν ὅτι δαιμόνιον ἔχεις. Nunc cognovimus quia dæmonium habes*] Plane inſanis cum talia polliceris. Locutio ſimilis Gen. XXII. 12. infra XVI. 30. ¶ *Ἀβραὰμ ἀπέθανε, καὶ οἱ προφῆται, Abraham mortuus eſt, & Prophetæ*] Ex Zach. I. 5. Qui ſermonem non hominis ſed Dei obſervarunt, mortui tamen ſunt. Omnia enim intelligunt eraſſe & *κατὰ πόδας* [*verbotenus*], odio faſcinati. ¶ *Καὶ σὺ λέγεις, & tu dicis*] Tu neutiquam illis comparandus hæc audes dicere? ¶ *Ἐάν τις τὸν λόγον μου τηρήσῃ, Si quis ſermonem meum ſervaverit*] Ἐμφασις [*efficacia*] eſt in voce *μοῦ* [*meum*], nam, ut diximus, ſupponit à Moſe & Prophetis religioſe ſervata Dei mandata.

53. *Μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραὰμ, ὅστις ἀπέθανε; numquid tu major es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt*]? Qui vitam aliis daturus eſt, multo magis ſibi. Tu te vitam aliis daturum profiteris: Ergo multo magis te perpetuo victurum pronuntias: quod Abrahamo non contigit. ¶ *Καὶ οἱ προφῆται ἀπέθανον. & Prophetæ mortui ſunt*]. *Sicut & Prophetæ mortui ſunt*: nam ad eum modum copula ſumi ſolet. Prov. I. 24, 26. ¶ *Τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς; quem teipſum facis*]? *Quem te venditas*? ſic infra X. 33.

54. *Ἐὰν ἐγὼ δοξάζω ἐμαυτόν, Si ego glorifico meipſum*] Si quod meum non eſt, mihi arrogo. Vide ſupra III. 27. V. 41. ¶ *Ἡ δόξα μου οὐδέν ἐστιν· gloria mea nihil eſt*] Nullius pretii eſt iſta venditatio; ſemel prodet. Sic I Cor. XIII. 2. ¶ *Ἔστιν ὁ πατήρ μου ὁ δοξάζων με, eſt Pater meus qui glorificat me*] Miraculis; Baptiſtæ teſtimonio; & amplius poſthac. ¶ *Ὃν ὑμεῖς λέγετε ὅτι Θεὸς ὑμῶν ἐστι. quem vos dicitis quia Deus veſter eſt*] Deus opifex Univerſi; Deus Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Moſis & Prophetarum: ne quem forte dæmonem à me *Patrem* appellari cenſeatis.

55. *Καὶ οὐκ ἐγνώκατε αὐτόν. Et non cognoviſtis eum*] Non intelligitis qualem cultum præcipue deſideret, & quæ præmia promittat. Vide quæ ſupra I. 18. ¶ *Ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτόν. ego autem novi eum*] *Penitus pernovi*. Vide dicto loco. ¶ *Οἶδα αὐτόν, καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ. ſcio eum, & ſermonem ejus ſervo*] Et ſcio quæ ei placeant, & ea religioſe obſervo, nuſquam mandata excedens.

56. *Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν, Abraham pater veſter*] Quo vos patre jactatis. Sic ſupra VIII. 33. Modeſte oſtendit mirari eos non debere ſi ipſe majora adferat quam Abrahamus. ¶ *Ἠγαλλιάσατο ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμήν, exſultavit ut videret diem meum*].

\- - Ἰδεῖν ἠγάλλετο θυμῷ,

\- - *Geſtivit mente videre*],

Nonnus hic. Syrus ממי, *cupiit diem meum*, id eſt, tempora mea. Sic Joël II. 1. Amos V. 18. & alibi. Confer I Pet. I. 12. Senſus eſt, Abraham cum initio Gen. XII. 3. promiſſum à Deo accepiſſet, *futurum ut etiam extera gentes per ipſius ſemen bearentur*, valde expetivit propius aliquid cognoſcere qualis ea futura eſſet beatitudo. Vide Irenæum IV. 15. ¶ *Καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη. vidit & gaviſus eſt*] Et vidit aliquid ejus non ſine magno gaudio, ſed *eminus*, Heb. XI. 13. Nimirum tunc maxime cum fiduciæ ſuæ in Deum hoc præmium retulit quod Iſaacum quaſi è mortuis recepit, Heb. XI. 19. Hinc enim intellexit quid præcipue Deus requireret & quantum præſtare poſſet. Atque ex eo facto proverbium illud myſticum manavit, *In monte Domini providebitur*.

57. *Πεντήκοντα ἔτη οὔπω ἔχεις, Quinquaginta annos nondum habes*] Mos eſt omnium populorum, ubi non eſt cur reſtricte agamus, numerum ſumere aliquem ex nobilioribus, qualis apud Hebræos Quinquagenarius ob Jubilæum: quaſi dicerent, *Certe nondum ſemiſecularis es*. Nec refert quod Chriſtus multis annis inde aberat: agunt enim liberalius, quia hoc omne nihil ad eos annos qui ab Abrahami ævo numerabantur. ¶ *Καὶ Ἀβραὰμ ἑώρακας; & Abraham vidiſti*]? Solet fieri ut qui nos videt eum & nos videamus. Senſus eſt, Quomodo fieri potuit ut tu & Abraham alter alterum conſpiceretis? Sumunt omnia, ut diximus, in ſenſu vulgari.

58. *Πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, antequam Abraham eſſet*] *Antequam eſſet*. Sic enim hæc vox ſæpiſſime ſumitur, ſupra I. 6, 30. & hoc capite 33. XX. 27. Actor. VII. 38. XIII. 5. & alibi. ¶ *Ἐγὼ εἰμι. ego ſum*] Id eſt, *eram*: Præſens pro imperfecto. *Eram*, Syrus: *ἐγὼ τέλον* [*ego eram*], Nonnus. Sic in Græco Pſalm. XC. 2. *Πρὶν τὰ ὄρη γενηθῆναι σὺ εἶ* [*Antequam fierent montes tu es*]. Fuerat ante Abrahamum Jeſus Divina conſtitutione, infra XVII. 5. Apoc. XIII. 8. I Petr. I. 20. Conſtat hoc, quia de ipſo ipſiuſque Eccleſia myſtice dictum erat, recente humano genere, futurum *ut ſemen muliebre contereret caput ſerpentis*; ut exponitur Rom. XVI. 20. Unde ſimul intelligitur hunc hominem Jeſum majorem eſſe Abrahamo; quod ipſe innuere quam prædicare mavult.

59. *Ἦραν οὖν λίθους ἵνα βάλωσιν ἐπ' αὐτόν. Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum*] Furore perciti, ut infra X. 31. Adeo ægre ferebant aliquid dici quod Abrahami dignitatem lædere videretur. ¶ *Ἐκρύβη, abſcondit ſe*] Miraculo quodam, ut Luc. IV. 30. ¶ *Ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, exivit de Templo*] Erant enim plures exitus. ¶ *Διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν. tranſiens per medium eorum*] Videtur hoc additum ex dicto Lucæ loco interpretamenti cauſa, ut & quod ſequitur *καὶ παρῆγεν οὕτως* [*& ſic præterit*] ex initio capitis ſequentis. Nam & veteſtiſſimi codices Græci non habent, & in Latinis deeſt: at in Syriaco & Arabico adſcriptum eſt.

CAP. IX.

VALLA.

2. *Magiſter, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?*] *An parentes ejus* transferendum erat. Non enim quærunt Diſcipuli an hic ſeu parentes ejus peccaverint an non, quaſi dubitarent an aliquis peccaſſet, ſed tanquam pro certo haberent aliquem peccaſſe (quippe cum dicant, *Quis peccavit?* non autem, *num quis peccavit?*) interrogant, *Quiſnam ille peccavit, ipſene, an ejus parentes?* Quæ autem ſit inter *an* & *aut* differentia alio in opere explicavi, quam differentiam Græci non habent: Elegant. l. 1. c. 17.

7. *Vade lavare in natatoria Siloe*] Græce eſt potius *Vade lavare*, ſive *Vade lotum, in piſcinam Siloe*, ſive *Siloam*, ὕπαγε εἰς τὴν κολυμβήθραν. Nam etſi ambiguum eſt an dicatur, *Vade, lava*, an *Vade lotum*, tamen ſi foret imperativum, addidiſſet potius copulam, *Vade & lava*. Poſtremo caſus accuſativus eſt *in piſcinam*, etſi pro ablativo, ſive more Græco pro dativo, accipitur. Probat autem meam ſententiam illud quod ſequitur, v. 11. *Et dixit mihi, Vade ad natatoriam Siloe, & lava.* Neque refert quod illic dicatur *in*, hic *ad*: nam Græce hic eſt *in*, εἰς.

17. *Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos?*] *Quid* legendum eſt, non *qui*, aut potius *quod*: nam ſemibarbarum mihi videtur dicere, *Credo quia Jeſus eſt Filius Dei*, pro *quod eſt*, ὅτι.

21. *Ipſum interrogate, ætatem habet: ipſe de ſe loquatur*] *De ſe loquetur* legendum eſt, λαλήσει.

31. *Scimus quia peccatores Deus non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt, hunc exaudit*] Ludere mihi in re graviſſima, & quidem frequenter, videtur Interpres: quid enim attinebat nunc transferre per *audit* & *exaudit* eandem Græcam vocem? οἴδαμεν ὅτι ἁμαρτωλῶν ὁ Θεὸς οὐκ ἀκούει· τούτου ἀκούει.

33. *Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquam*] Sicut dixit pro *erat*, *eſſet*, cur non etiam pro *poterat*, ἠδύνατο, *poſſet*? quæ ſententia multo melior eſt, ne videamur neſcio quando Jeſum *potuiſſe* dicere potius quam nunc *poſſe*. Et certe per ſubjunctivum ſemper hunc Græcum loquendi modum ſolemus transferre, non per indicativum.

REVIUS in VALLAM.

2. *Quiſnam ille peccavit*] *Qui peccavit* legendum puto.

33. *Nunc poſſe*] Scriptum erat contrario, imo nullo, ſenſu, *non poſſe*. Vult dicere τὸ *poterat* præteritum notare, ut τὸ *poſſet* præſens tempus. Ideo addit διαμαρτυρᾶς *nunc*.

ERASMUS.

1. *ET prætereuns Jeſus*] *Jeſus* in vetuſtis Latinorum exemplaribus non additur.

2. *Hic, aut parentes*] *An parentes* dicendum erat, non *aut*: nam *aut* disjungit, *an* interrogat; & ita legit D. Auguſtinus. Porro Græca vox ἢ anceps eſt ad *aut* & *an*.

6. *Et linivit*] Καὶ ἐπέχρισε *illevit*, ſive *inunxit*.

7. *In natatoria*] Εἰς κολυμβήθραν *in piſcina*: nam ſic ante verterat. Sonat autem *natatorium*, ut antea admonuimus. ¶ *Quod interpretatur Miſſus*] πιν Hebræis *mittere*: inde πιτν.

8. *Vicini qui viderant*] Addenda eſt conjunctio, *& qui viderant*, conſentientibus antiquis, & Græcis exemplaribus. Viderant enim cum etiam qui vicini non erant. ¶ *Quia mendicus erat*] Ὅτι τυφλὸς ἦν *quod cæcus eſſet*: quanquam Auguſtinus legit *mendicus*, non *cæcus*, conſentientibus perveruſtis Latinorum codicibus quos quidem viderim omnibus. Proinde mihi πτωχὸς magis arridet quam τυφλός, præſertim cum appoſititius ſit ad ſenſum. Ob id enim notus erat cæcus ille non quod cæcus eſſet, ſed quod publice mendicus. Et *mendicus* legit Theophylactus.

11. *Et abis & lavi*] Ἀπελθὼν δὲ καὶ νιψάμενος ἀνέβλεψα, *cum abiſſem autem & laviſſem.* ¶ *Et video*] Ἀνέβλεψα *viſum recepi.*

15. *Quomodo vidiſſet*] Πῶς ἀνέβλεψεν, *quomodo viſum recepiſſet.*

16. *Schiſma erat*] Σχίσμα Græca vox eſt: *diſſenſionem* poterat vertere (nam hoc ſignificat *ſchiſma*) ſive *diviſionem*, ſive *diſſidium*. Paulo poſt vertit *diſſenſionem*, alibi ſciſſuram.

17. *De eo qui aperuit tibi oculos*] Gr. ὅτι ἤνοιξεν *quia aperuit*: ut ſit ſenſus, *Quem tu putas eſſe illum ex hoc quod, ut dicis, aperuerit tibi oculos?*

21. *De ſe loquatur*] Λαλήσει *loquetur*, futuri temporis.

22. *Extra ſynagogam fieret*] Ἀποσυνάγωγος: *alienus à congregatione*: quod nunc vulgo vocant *excommunicatum*.

28. *Maledixerunt ergo ei*] Non eſt hic *male precati ſunt*, ſed ἐλοιδόρησαν *convitiati ſunt*.

31. *Peccatores Deus non audit*] Quod hic tranſtulit *audit*, idem mox vertit *exaudit*: *Si quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Hoc admonendum duxi, ne quis Græci ſermonis ignarus putet hic latere myſterium in quo explicando ridicule tumultuetur. Verum ita libuit Interpreti ludere, tametſi in re plus quam ſeria.

33. *Non poterat quicquam*] Οὐκ ἠδύνατο *non potuiſſet*, ſive *non poſſet*. Pro οὐδὲν addidit *quicquam*, neceſſario recedens à Græcis verbis. Alioquí qui non poteſt nihil, aliquid poteſt.

41. *Peccatum veſtrum manet*] *Igitur* deeſt: ἡ οὖν ἁμαρτία *peccatum igitur*: nimirum ob id quod cum ſitis cæci, vobis tamen oculati videmini.

VATABLUS.

2. *EJus **] * *Dicentes.* ¶ *Aut*] *An.*

3. *Sed ut*] Eclipſis eſt pro, *ſed ideo cæcus eſt natus, ut*, &c.

6. *Hoc*] *Hæc*, Vet. ¶ *Linivit*] *Illevit.* ¶ *Ejus*] *Cæci.*

7. *Natatoria*] *Lavacro natatorio*: locum intelligit in quem excipiebatur aqua fontis Siloe, natationis aut ablutionis cauſa: & infra. ¶ *Interpretatur miſſus*] *Si interpreteris, ſonat mittens* [vel, *emittens*, aut *emiſſor*.]

8. *Mendicus*] Quædam exemplaria Græca legunt, *cæcus.* ¶ *Sedebat*] Sub. *ad templum.*

10. *Tibi*] *Tui.*

11. *Reſpondit **] * *Et dixit.* ¶ *Et abii & lavi*] *Ut autem abii & lavi, viſum recepi: Dixerunt igitur.*

15. *Enim **] * *Et.* ¶ *Vidiſſet*] *Viſum recepiſſet.*

16. *Qui*] *Quia.* ¶ *Cuſtodit*] *Obſervat.* ¶ *Schiſma*] *Diviſio, diſſidium.*

17. *Qui*] *Quia.*

18. *Vidiſſet*] *Viſum recepiſſet.* ¶ *Viderat*] *Viſum receperat.*

21. *Loquatur*] *Loquetur.*

22. *Extra Synagogam fieret*] *E Synagoga ejicerentur.*

24. *Da gloriam Deo*] Sub. *potius quam Chriſto*: i. Tribue hoc beneficium vilius Deo potius quam Chriſto tuo, quem certo ſcimus non poſſe miracula edere, quod peccator ſit. Simile genus dicendi Joſ. 7. & 1 Reg. 6.

25. *Si peccator eſt*] *An peccator ſit.*

26. *Illi **] * *Iterum.*

27. *Et **] * *Non?* Vel ſine interrogatione, ut pronuntietur quaſi ab admirante.

28. *Maledixerunt*] *Convitiati ſunt.* ¶ *Sit*] Vel, *es.*

30. *Enim*] *Certe.* ¶ *Et aperuit*] *Cum tamen aperuerit*, Heb.

32. *Quia quis aperuit*] *Quod quis aperuerit.*

33. *Facere quicquam*] Vel, *proficere*, ſcilicet in hac re.

36. *Quis **] * *Et quis*, vel, *quiſnam.*

39. *In judicium*, &c.] i. veni ut tandem aliquando feram ſententiam, qua fiet ut qui, &c.

40. *Phariſæi **] * *Hæc.*

41. *Quia*] *Profecto.* ¶ *Peccatum **] * *Igitur.*

CASTALIO.

39. *AD ejuſmodi diſcrimen ego*, &c.] i. Ut ita diſcernam, & ejuſmodi delectum habeam: κρίνειν eſt aliquando *cum ratione & delectu diſcernere*, ut ſupra 8. 26. *Multa habeo de vobis λέγειν καὶ κρίνειν*, h. e. *λέγειν μετὰ κρίματος dicere cum judicio ac ratione.* Atque hoc modo loquimur Latine cum aliquid dicimus *nullo judicio factum*, h. e. imprudenter & abſque delectu ac ratione. Sed hoc loco quoniam *judicii* vocabulum parum quadraret, *diſcrimen* reddidi.

Digitized by Google

CLARIUS.

2. *Quis peccavit, hic, an parentes ejus*] Rudium adhuc hominum interrogatio, Num antea peccaſſet quam naſceretur, ut ideirco poena plecteretur cæcitatis: cum dicat Paulus de geminis illis, *antea quam quicquam boni aut mali egiſſent.* Sed videntur nunc interrogaſſe, quod cum illum paralyticum ſanaſſet Dominus dixerat, *Vade, ne amplius pecces, ne quid tibi deterius contingat*, hoc ergo viſo qui à nativitate cæcus ſit dubitant quam ob cauſam hoc huic acciderit.

4. *Donec dies eſt*] Tempus ſcilicet declarandæ veritatis; cujus ignoratio *nox* eſt, *quæ cum venit nemo poteſt operari*: & videtur ſubindicare imminentem Judæorum cæcitatem.

7. *Quod interpretatur Miſſus*] Hoc dicens ſubindicat latens myſterium, & quaſi digitum intendit ad fontem.

14. *Erat autem Sabbatum quando lutum fecit Jeſus*] Hæc Sabbato data opera faciebat, ſiquo modo cæci Judæi tandem aliquando expergefierent.

27. *Nunquid & vos*] Ironice eſt legendum. Tam exacta, inquit, inquiſitio poſſet ſignificare *vos velle illius diſcipulos fieri*, niſi odium veſtrum in illum tam aperte prodereris.

28. *Convitiati ergo ſunt ei*] Ἐλοιδόρησαν. Interrogarus M. Baſilius quid eſſet λοιδορία, h. e. *convitium*, reſpondit. *Omne verbum quod animo ignominia afficiendi alicujus profertur, convitium eſt, tametſi verbum illud non videatur eſſe contumelioſum. Et hoc manifeſtum eſt ex Euangelio, quod ait de Judæis, Convitiati ſunt ei, & dixerunt ei, Tu es diſcipulus ejus.*

34. *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?*] Ecce judicium ſuperborum hominum, & ſeſe aliquid credentium! objiciunt cæcitatem illam à nativitate, quaſi ob aliqua peccata ei contigerit.

41. *Si cæci eſſetis*] Si ob ignorantiam potius quam ob malitiam hæc ageretis.

ZEGERUS.

7. *Vade lavare*] Non minus apud Græcos quam apud nos ambiguum an *lavare* imperativo modo dictum ſit an infinitivo. Ad hæc νίψαι ſi imperative accipias, poterit vel active vel paſſive intelligi. Unde & in quibuſdam codicibus *Vade, lava* ſcriptum reperio.

22. *Confiteretur* eſſe *Chriſtum*] Sine *eſſe* legendum. In hoc nono capite & alias aliquot voculas ſuſtulimus è noſtris exemplaribus, quæ ſuperannotare non puto neceſſarium: nam plura etiam alibi paſſim præterimus.

24. *Da gloriam Deo*] q. d. Confitere Chriſtum nihil in te operatum.

28. *Maledixerunt ergo ei*] Pro *maledictis inceſſiverunt, objurgarunt*, ſive *increparunt*: hæc enim ἐλοιδόρησαν ſignificat.

31. *Peccatores Deus non audit*] Hic quæri poſſet quo pacto hoc accipiendum ſit, cum alibi ſcriptum ſit, *Omnis qui petit accipit.* Huic quæſtioni biſariam reſpondens Eucherius, *Sunt*, inquit, *qui ita ſentiunt*; *Qui dixit peccatores non exaudiri cæcum fuerat, & plenam adhuc videre non poterat veritatem. Certum eſt autem Divina miſericordia aurem patere pulſantibus. Poteſt & hac ratione intelligi, quod peccatores, etiamſi exaudiantur ad impetrandam propriam ſalutem, non exaudiantur in ſingulis.*

39. *In judicium ego in hunc mundum veni*] *Judicium* hoc loco alii *ſupplicium & pœna augmentationem*, alii *diſcretionem* interpretantur.

H. STEPHANUS.

3. Ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ] *Sed hoc factum eſt ut in lucem veniant opera Dei.*

4. Ἔρχεται νύξ] *Veniet* enim *nox.* Sit alibi in futur. ſignificat.

6. Ἐπέχρισε τὸν πηλὸν ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμούς] *Illevit lutum oculis.*

16. Σχίσμα] *Diſſidium*: q. d. *Diviſa ſententia.*

22. Συνετέθειντο οἱ Ἰουδαῖοι] *Conſtituerant Judæi*: vel, *Inter Judæos convenerat.* ¶ Ἀποσυνάγωγος γένηται] *Synagoga moveretur.*

25. Ἓν οἶδα] *Hoc tantum ſcio.*

30. Ἐν γὰρ τούτῳ θαυμαστόν ἐστιν, ὅτι] *In hoc admiratione habet res iſta, quod.* ¶ Καὶ ἀνέῳξε] *Cum tamen aperuerit.*

32. Ἐκ τοῦ αἰῶνος] *Ab* omni *evo.*

DRUSIUS.

2. *Quis peccavit, hic, an parentes ejus*] Quæ ex D. Camio vir doctus hic annotat, mihi debet. Vide Obſerv. meas l. 4. c. 6. Videtur autem Judæus ille ſenſiſſe cum Sapientibus Mecar. Nam ſcribit *animam Eliæ reverſuram aliquando in corpus aliud.* Sic forte diſcipuli quærunt an ipſe peccaverit, nempe cum anima ejus eſſet in corpore priore, ut propterea redierit in corpus aliud cæcum, Deo ſic puniente peccatum illud quod in vita commiſerat. Hoc pono, non ſtatuo. Confer hæc, ſi placet, cum iis quæ ſcripſi Matth. 16. 14. Quibus adde, Pythagoram hanc μετεμψύχωσιν accepiſſe ab Ægyptiis, quam poſtea Druydæ receperunt: de quâ poetâ neſcio quis,

Morte carent animæ, ſemperque priore relicta
Sede novis domibus vivunt, &c.

&, - - - *Muta ferarum*
Cogit vincla pati, truculentos ingerit urſis,
Prædoneſque lupis, fallaces vulpibus addit.
Atque ubi per varios annos per mille figuras
Egit, lethæo purgatos flumine tandem
Rurſus ad humanæ revocat primordia formæ.

3. *Lux ſum mundi*] Meliore ſane jure quam Sapientes, h. e. Phariſæi, qui vocantur *lux mundi*, cum potius fuerint חשכת עולם *tenebræ mundi.* Vide quæ ſcripſimus in Matthæum.

6. *Linivit lutum ſuper oculos ejus*] Secundum R. Levi non licet hoc facere ſabbatho, quia eſt ſpecies medicinæ. Vide quæ notavimus ſupra 5. 18. ubi ſequitur, *quia ſolviſſet ſabbatum*; ut hic verſ. 16. *quia ſabbatum non ſervat.* Ergo qui lutum oculis illinit, violat ſabbatum. O cor Aquibæ! ô jecur Phariſaicum! Sed hoc ait R. Hija F. Abba de nomine R. Levi. Credat ergo Judæus apella, ὐκ ἔγωγε.

7. *Siloam*] Non *Siloam* ſignificat *miſſum*, ſed *Siloa* vel *Siloe*, vel, ſi mavis, *Siloach*, i. שילח, quod tamen nunc legunt *Seluach.* Piſcinam autem illam vocant שילה *Siloa*, quæ & *Sebon* dicitur, Urbem influens, & hortos vicinos irrigans. Vide notata Luc. 13. 4. & D. Camium in Radice שלח. Luc. 13. 4. ubi vet. interpres, *in Siloe*, Græci codices habent ἐν τῷ Σιλωάμ, Syrus בשילוחא *in Siluha* ſive *Silucha.* Similiter hoc loco pro eo quod in Latina vulgata, *Natatoria Siloe*, Græca exemplaria legunt, εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωάμ. Syriaca, במיטמוריתא דשילוחא *in lavacrum Siluha*, vel, ſi mavis, *in lavacra.* Nam Viennenſe exemplar, cum hæc ſcriberem, non erat ad manum. Eſt autem *Siloe*, ſive *Siloa*, rivi aut fontis nomen: de quo in Collectaneis nom. proprior. *Siloe, fons, piſcina aut amnis eſt ad radices montis Sion perennibus aquis ebulliens, cujus ſit mentio* Jeſ. 8. 6. Sed hæc de re alii aliter ſcripſerunt. Iſidorus Etymol. lib. 13. c. 13. *Fons Siloa ad radicem montis Sion non jugibus aquis ſed incertis horiſque diebuſque ebullit.* Hieron. in comment. ſuper Jeſaiam, *Siloam autem fontem eſſe, qui non jugibus aquis, ſed incertis horis diebuſque ebulliat, & per terrarum concava & antra ſaxi duriſſimi cum magno ſonitu veniat, dubitare non poſſumus, nos præſertim qui in hac habitamus provincia.* Marcus Marinus in Arca Noe, *Nomen proprium fluvii Jeroſolymæ vicini, forſitan ſic dicti, quod in hortos ad eos irrigandos diffunderetur. Hunc autumant ex fonte Gehon ſive Gihon fieri. Eſt autem fons ille (modo vera ſint quæ retulit mihi Ebræus Jeroſolymitanus) bis in die ſolum erumpens, maximamque aquarum copiam per unum horæ plus minus ſpatium ejiciens, mane veſperique videlicet: quam excipit aquæductus non maximus, ſtatimque pene defert in ingentem piſcinam, ex qua dein quibuſdam rivulis, cum libet, hortos irrigant.* Mentio hujus Neh. 3. 15. ubi vocatur ברכת השלח *Sed & murum piſcinæ Siloe juxta hortum regis ædificavit.* In hac Sacerdotes abluebant oves immolandas: unde προβατικὴ dicta. Cæterum Ebraicum nomen eſt שלח *Siloa* vel *Siloe.* שלה *Siloe*, ut מ *Noe.* In Σιλωὰμ addita μ, ut in Νεφθαλείμ, quod ſcribunt נפתלי *Naphthali*, Νεφθαλὶ ſive Νεφθαλεί. Sic *Silom* pro *Silo.* Σιλὼμ eſt Jud. 18. 31. in edit. Græca. Vide nunc Euſebium Προπαρασκ. lib. 9. p. 265. Theodorum Luc. 13. 4. & Dictionarium Theologicum Joh. Arquerii Burgedalenſis. ¶ *Et venit videns*] i. rediit. Contra *redeo* pro *venio* ſumitur. Sic apud Ebræos בא *venio* & שוב *redeo* ſe invicem explicant. Vide Annotat. noſtras in Ruth.

22. *Synagoga moveretur*] Utrum per Niddui, an per Herem?

rem? De Niddui olim ſuſpicati ſumus, & perſuaſimus viro docto. Vide Quæſt. meas lib. 1. quæſt. 9. De Herem alius opinatur, ſed nondum perſuaſit mihi. Relinquamus hoc in medio. Notabo nunc pauca è multis quæ de Niddui mihi lecta & obſervata. Qui hoc modo excommunicatus erat dicebatur נמוד *Menudde:* qui excommunicabant eum מנדים *Menaddim* vocabantur: XXIV erant cauſæ ob quas aliquem ita excommunicabant, de quibus liber qui inſcribitur *Principium ſapientiæ breve*, 21. 1. Qui in hac excommunicationis ſpecie moriebatur abſque reſipiſcentia, eum judicabant dignum lapidatione: itaque lapidabant urnam ejus, lib. Muſar, 121. 2. *Eleazar F. Henoch vilipendit χειροτείαν, quam vocant* נסילת ידים *elevationem manuum: cœtui moverunt eum. Mortuus eſt in hac excommunicatione ſua, & urnam ejus lapidarunt.* Olim in Templo Solomonis porta erat per quam intrabant ſponſi, & alia per quam ingrediebantur lugentes & הנדים *qui ſeparati & cœtu moti erant.* Licebat ergo his ingredi Templum. An etiam ſynagogam? Non puto. R. Juda in lib. Muſar, 95. 1. *Cum Salomo exſtrueret domum ſanctuarii, exſtruxit duas portas, unam ſponſis, alteram lugentibus & ſeparatis,* ſive *ſummotis. Iſraelita autem veniebant ſabbatis, & ſedebant inter duas iſtas portas. Qui ingrediebatur portam ſponſorum, eum ſciebant eſſe ſponſum; cui dicebant, Is cujus nomen habitat in hac ade lætificet te filiis. Si intrabant aliqui per portam lugentium & ſeparatorum, ſi labrum ſuperius velaverat, ſciebant eſſe lugentem: itaque dicebant ei, Qui habitat in hac ade, is exhilaret te & conſoletur te. Quod ſi labrum ſuperius non erat velatum, cognoſcebant eſſe ſeparatum,* i. מנודה. *Et dicebant, Qui habitat in hac ade inditi cordi tuo ut audias verba ſocietatis tuorum,* &c. *Ex quo deſtructa fuit domus ſanctuarii, ſtatuerunt ut ſponſi & lugentes intrarent ſynagogas & gymnaſia ſive ſcholas, & viri qui illic erant videntes ſponſum latabantur cum eo, & cum lugentibus ſedebant in terra,* &c. Ecce nulla hic mentio eorum qui cœtu moti erant. Non enim certe intrabant ſynagogas. Plura dicturum inviſit amicus de via qui me admonuit de loco quodam Buxtorfii noſtri ubi agit de tribus generibus excommunicationis; de quibus & Elias in Thesbite. Buxtorfii locus habetur in Inſtitutione ipſius epiſtolari, p. 55, & deinceps: ad quem te remitto. Hic finiam, ſi tantum adjecero ex lib. Præcept. majore, 67. 4. *Soliti ſunt excommunicare per maledictionem, per ſeparationem, per maranatha, & per alia ejus generis. Maledictio* ſive *imprecatio* aut *exſecratio* vocatur ibi ארור. Separatio, quam fortaſſe melius *ſummotionem* & *excluſionem à cœtu* voces, dicitur *Niddui. Maranatha* & *Samatha*, q. אתה בא DOMINUS *venit.* Omiſſa vero ſecunda ſpecies *Herem*, i. *Anathema. Excommunicare* autem, viz. לחרים, hoc loco generale eſt ad omnes ſpecies.

39. *Qui vident*] Se videre putant ſolos, quales erant Phariſæi, qui propterea arroganti titulo ſe *Sapientes* vocabant. Sapientes autem aliquando חכמים appellantur, q. *videntes* & *apertos* dicas. Forte Chriſtus eo reſpexit. Hoc ſignificatu פקח *apertus* in oppoſito habet טפש *inſipiens, ſtultus.* Lib. Muſar, 113. 1. *Hillel ſenex interrogantibus cur capita Babyloniorum rotunda eſſent, reſpondit, Quia non habent obſtetrices apertas,* aut *videntes, i. ſapientes.* Ibid. *Nullum animal magis videns eſt quam canis.* & 114. 1. *Judices Iſrael ſunt videntes magis quam canis, & cum accipiunt munera ſunt canes muti.* In his omnibus locis *videns* פקח dicitur, i. *apertus.*

CASAUBONUS.

1. Ἰδὼν ἄνθρωπον τυφλὸν ἐκ γενετῆς] Operæ pretium fuerit Paraphraſtæ diligentiam in his verbis exprimendis obſervare. Poeta enim, homo pius, ut miraculi magnitudinem amplificaret, plurimus hac in parte fuit. Neque enim ſatis illi fuit cum Johanne dicere cæcum à nativitate iſtum fuiſſe, ſed hoc amplius addit, ita eum eſſe natum ut oculi forma aut veſtigium in ejus facie nulla omnino appareret: nam hoc ſibi iſta verba volunt,

- - - - ἀφαντίζουσι προσώπου
Συμφερτὴν, ἀμέρισον ἔχων, ἀχάρακτον ὀπωπὴν,
Ἣν φύσις ἐκ γενύων.

Poſtremo adjicit, nunquam ita prius quenquam fuiſſe natum. Quæ omnia non eſt dubium eo ſpectare quo dixi. Atqui miraculo, etiamſi illa non addas, nihil deperit. Nam cum apud omnes conſtet verum eſſe quod alicubi ait Ariſtoteles, neminem τυφλὸν γενόμενον ἀναβλέψαι, neceſſe omnino eſt ut natura potior ſit qui præſtare id poſſit. Nonnum vero movit hoc quoque, quod non aperuiſſe huic cæco oculos, ſed ex eo luto cujus poſtea fit mentio creaſſe (quod Dei unius eſt) exiſtimavit. A quo commento ne Theophylactus quidem videtur eſſe alienus.

7. Ὁ ἑρμηνεύεται Ἀπεσταλμένος] Quod ſuſpicantur viri doctiſſimi hæc verba non eſſe τοῦ πατητοῦ, ſed ex albo libri in contextum irrepſiſſe, mihi non ita videtur. Nam ut alios veteres interpretes taceam qui ea agnoſcunt, Nonnus certe non agnoſcit tantum, ſed paucis etiam cur hæc fuerint addita explicat.

Ἔρχεό μοι (ait) καὶ νίπτε τεὸν βέθος ὄφρα Σιλωὰμ
Πηγῆς ἀγχιπόροιο βέῃ πανδήμιον ὕδωρ,
Ὕδωρ ϛελλομένοιο προσώνυμον ἐκ σέο πομπῆς.

9. Ἄλλοι ἔλεγον, Ὅτι οὗτός ἐϛι] Suſpicari quis poſſit legiſſe Nonnum in ſuis codicibus, Ἄλλοι ἔλεγον, Ὅτι οὐχ οὗτός ἐϛιν, ἄλλος δὲ, ὅμοιος αὐτῷ ἐϛιν.

18. Ὅτι τυφλὸς ἦν] Nonnus, Ὡς ποτὲ τυφλὸς ἔην. Sic enim legendum, non autem ἦς.

33. Εἰ μὴ ἦν οὗτος παρὰ Θεοῦ] Lege apud Paraphraſten,
Εἰ μὴ ἔην βροτὸς οὗτος ἐκ' οὐρανίου βαϛιλῆος.
Male enim vulgo ἐπουρανίου βαϛιλῆος.

CAMERON.

2. Τίς ἥμαρτεν; οὗτος, ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ] Nonnullis videtur hoc abſurde quæri à Diſcipulis; niſi ſtatuamus eos in hac fuiſſe ſententia cum Pythagoreis, *Animas de corpore in corpus migrare*; quo in errore volunt fuiſſe Phariſæos. Qui enim fieri poſſit ut cæcus peccando cæcitatem hanc acceſſiverit à nativitate, quæ omne peccatum præcedit, niſi ſtatuamus animam iſtius cæci in alio corpore peccaſſe? At nihil tamen neceſſe eſt hic ad Metempſychoſin recurrere: imo Metempſychoſis id non facile admittit, Metempſychoſis, inquam, Phariſæorum, h. e. quæ Phariſæis affingitur. Solæ enim juſtorum animæ ex illa ſententia traducuntur in nova corpora; Diſcipuli autem ſuſpicantur cæcum iſtum fuiſſe impium. Deinde dici poteſt Diſcipulos ob oculos habuiſſe peccatum originis, quod Hebræi vocant יצר הרע *figmentum malum.* Tum & id haud abſurde potuerunt cogitaſſe, ut ſunt omnia Deo præſentia, prævidiſſe Deum multo ante qualis cæcus hic futurus eſſet, ac proinde quemadmodum impio Regi Jeroboamo, intentanti in Prophetam manum gravem inflixit pœnam, ut atrocitatem ſceleris deſignati tum cohiberet tum puniret etiam, ſic cum iſto cæco egiſſe.

GUALTPERIUS.

7. Ὕπαγε, νίψαι εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωὰμ, ὃ ἑρμηνεύεται Ἀπεσταλμένος, *Vade, lava in piſcina Siloam, quod eſt, ſi interpreteris, Miſſus*] Syrus רשלוחא. Radix Hebræa שלח *miſit* ſatis eſt nota.

LUD. CAPPELLUS.

22. Ἀποσυνάγωγος γένηται] Locus eſt Eſdr. 10. 8. valde notandus, qui facit ad illuſtrationem hujus phraſeos & moris Judæorum. Locus hic eſt, *Proclamarunt per totam Judam & Jeruſalem omnibus illis qui redierant à captivitate, ut congregarentur Hieroſolymam; futurumque ut quicunque intra tres dies non veniſſet Hieroſolymam, ex ſententia Principum & Seniorum* שרים וזקנים *anathemate conſecrarentur omnes ejus facultates, ipſe autem ſepararetur à cœtu eorum qui à captivitate redierant.* Duo continebantur hoc edicto: unum, Sectio (quam *confiſcationem* vocant) omnium bonorum, qua omnes rebellis & contumacis illius facultates fiſco ſacro Templi addicebantur: alterum, quod excludebatur à cœtu Iſraelitarum reducum à captivitate, h. e. non cenſebatur amplius Iſraelita ſive Judæus, ſed eo loco & numero habebatur quo illi qui non erant de Republica Iſraelis. Ἀποσυνάγωγον γενέσθαι videtur omnino eſſe poſterius iſtud הבדל מקהל ישראל *ſeparari à cœtu Iſraelis:* nam קהלה eſt συναγωγὴ *Synagoga*, non locus in quo conveniebant precandi cauſa, ſed cœtus qui in locum illum convenit. Chriſtus hanc ſeparationem videtur ſignificaſſe his verbis, *Sis tibi ſicut Ethnicus & Publicanus:* q. d. Noli eum habere eodem loco & numero quo Judæus tibi habetur, ſed ſic cum eo age quomodo cum eo qui alienus eſt à Repub. Iſraelis, qui non cenſetur in Judæorum numero. Hanc ſeparationem Judæi vocant נדוי, uti ab aliis eſt annotatum: fuitque minor inter Judæos excommunicatio. Altera major fuit, quæ חרם *anathema* dicitur, quæque (uti ex hoc Eſdræ loco colligi poſſe non abſurde videtur) nihil aliud fuit quam bonorum omnium ſectio, qua facultates omnes fiſco non civili & profano (à quo da-

dabatur redemptio, & reſtitutio in integrum poterat obtineri) ſed ſacro addicebantur, unde nulla redemptio. *Traditio Satanæ*, de qua Apoſtolus, longe aliud fuit, & veteribus Judæis omnino ignota: ut hæc comparari à viro docto non debuerint. Tertia & ultima Excommunicationis ſpecies, quæ חרם Judæis dicitur, videtur fuiſſe cum non modo facultates omnes anathemate ſacro fiſco addicebantur, ſed & ipſa rebellis & contumacis perſona חרם *anathemate devovebatur*: cum enim qui ſic anathemate feriebatur mori oportebat, uti liquet ex Levit. 27. 29. qua de re vide ea quæ diximus ad Votum Jephtæ, Judic. 11. Itaque חרם dicta fuerit quaſi חם שם *ibi mors*, quia neceſſe erat illum mori, nullaque erat ab anathemate redemptio. Harum trium Excommunicationis ſpecierum, vel potius graduum, ſecunda primam, tertia utramque includebat. Prima piis quidem Judæis erat formidabilis, quia per eam à ſacrorum communione ſubmovebantur; at qui minus pii erant ea non magnopere movebantur: ſecundam, qua omnibus facultatibus ſpoliabantur, multo magis metuebant: tertia, quia etiam mortis pœnam intentabat, multo erat adhuc omnibus formidabilior.

GROTIUS.

1. Καὶ παράγων Ἰησοῦς εἶδεν, *Et prætereins Jeſus vidit*] *Vidit in tranſitu.* Sic παράγειν [*prætereire*] ſumitur Matth. xx. 30. Marci xv. 21. Nam cæcus hic ſedebat juxta viam, ut fieri ſolebat, Matth. xx. 30. ¶ Τυφλὸν ἐκ γενετῆς. *cæcum à nativitate*] Non fruſtra hoc additur, nam id vitium conſtat humana ope eſſe inſanabile.

2. Τίς ἥμαρτεν; οὗτος, *quis peccavit? hic*] Ex traditione habebant cæcitatem & alia ejuſmodi corporis vitia pœnas eſſe peccatorum: quod interdum verum eſt. Vide ſupra v. 14. Quærunt ergo an ipſe peccaverit, quia multi Judæorum credebant προύπαρξιν [*præexiſtentiam*] animarum, imo & גלגול נשמות [*volutationem animarum*] ſive μετενσωμάτωσιν [*tranſitum in corpora*], ut apparet ex Philone, Joſepho, Thalmudiſtis & aliquot horum librorum locis. Proponunt ergo hoc tanquam controverſum. ¶ Ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ, *aut parentes ejus*] *Uterque parentum.* Quomodo? Delinquendo contra legem Lev. xx. 18. quod peccatum inter gravia ponit Ezechiel xviii. 6. Ex tali concubitu ſolent naſci partus imperfecti, quia natura muliebris in egeſtu occupata impeditur formam juſtam dare conceptui; ut notant Hebræi.

3. Οὔτε οὗτος ἥμαρτεν, *Neque hic peccavit*] Antequam naſceretur non exſtitit, quare nec peccavit. ¶ Οὔτε οἱ γονεῖς αὐτοῦ. *neque parentes ejus*] Nec tale quid de parentibus eſt quale ſuſpicamini. ¶ Ἀλλ' ἵνα, *ſed ut*] Subaudiur vocula hujuſmodi, *ſed commode hoc accidit, ut pateat quam magnifica ſint Dei opera.* ἵνα [*ut*] ſæpe eſſe ἐκβατικὸν [*eventuale*] alibi notavimus. Sic Pſalm. cxl. 6. Rom. i. 11. quæ hic notata Theophylacto. Sic & infra 39. Soiet autem ἀλλ' ἵνα [*ſed ut*] habere talem ἔλλειψιν [*defectum*], ut infra xiii. 18. xiv. 31. xv. 25. ¶ Φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῷ. *manifeſtentur opera Dei in illo*] Ut per ipſum pateat qualia & quanta ſint Dei opera. Ideo plurali utitur, quia ex uno exemplo colligitur quanta Deus poſſit.

4. Ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με, *Me oportet operari opera ejus qui miſit me*] Docere per me ipſum, ac plurimis benefacere. Vide ſupra v. 19. δεῖ, hoc eſt, *par eſt, convenit.* ¶ Ἕως ἡμέρα ἐστί. *donec dies eſt*] Alludit ad rem præſentem: nam cæcis perpetua nox eſt. *Diem* vocat conſpicuam ſuam præſentiam plurimis ſalutarem. Sic ſupra viii. 56. & infra xii. 35. ¶ Ἔρχεται νύξ, *venit nox*] Tempus abſentiæ corporalis. Conſer Matth. ix. 15. ¶ Ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι. *quando nemo poteſt operari*] *Cum commodum non eſt operi intendere.* Sic δύνασθαι [*poſſe*] poni notavimus dicto loco Matth. ix. 15. Chriſtus hominum conſpectui abreptus non amplius voce ſua docuit, neque per ſe effecit miracula.

5. Ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ὦ, Φῶς εἰμι τοῦ κόσμου. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi*] Perſiſtit in alluſione, & facto confirmat verum eſſe quod dixerat ſupra viii. 12. Nam beneficia corporalia ſpiritualium ſunt argumentum: ideo hunc cæcum voluit imaginem gerere mundi, cujus ipſe Lux erat.

6. Ἔπτυσε χαμαὶ, καὶ ἐποίησε πηλὸν ἐκ τοῦ πτύσματος, *exſpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo*] Quia aqua ad manum non erat, lutum ſaliva fecit. ¶ Καὶ ἐπέχρισε τὸν πηλὸν ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ. *& linivit lutum ſuper oculos cæci*] Cauſam hujus facti ottendere cœpimus. Homini non tantum ſuapte natura non inclt vis cognoſcendi per ſe ea quæ Divina ſunt ac ſpiritualia, ſed &, quia ex luto factus eſt, affectus habet luteos, qui ipſum impediunt, 1 Cor. ii. 14.

7. Νίψαι εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωὰμ, *lava in lavacro Siloam*] Εἰς [*in* cum accuſativo] pro ἐν [*in* cum ablativo]. Et Σιλωὰμ [*Siloam*] ejus ſæculi pronuntiatione pro Σιλωέ [*Siloe*]. Sic *Silo* vocatur Σηλὼμ [*Selom*] Jud. xviii. 31. Ex fonte Siloe prodibat aquæductus unde aqua in piſcinam hanc colligebatur; inde vero rivis ſparſa hortos irrigabat: de qua re locus eſt Timocharis apud Euſebium, Προπ. ix. ¶ Ὁ ἑρμηνεύεται, Ἀπεσταλμένος. *quod interpretatur Miſſus*] Quoties vocis interpretationem adjungunt Euangeliſtæ, oſtendunt ad ejus ſignificatum alludi. *Siloah* dictum volunt Hebræi quod inde aqua *emitteretur.* At Chriſtus qui ubique ſe vocat *Miſſum à Patre*, ſupra iii. 17, 34. v. 36, 38. & alibi paſſim, unde & ἀπόστολος [*Apoſtolus* ſive *Miſſus*] dicitur Hebr. iii. 1. per hanc κολυμβήθραν τοῦ ἀπεσταλμένου [*hoc lavacrum Miſſi*] intelligit Verbum ſuum, verbum *emundans*, Epheſ. v. 26. Act. xv. 9. Quod qui contemnerent, iis incumbebant clades ſimiles iis de quibus locutus erat Eſaiæ viii. 6. id enim vaticinium iterum completum eſt in excidio Hieroſolymorum. Neque incredibile eſt reſpexiſſe Johannem ſimul ad celebre Jacobi vaticinium, ubi שלה [*Miſſus*], vel cum epentheſi שילה, per ה non per א in antiquis fuiſſe codicibus, documento eſt Hieronymi verſio, *Qui mittendus eſt.* Sic Armeniæ nomen alibi ארמון [*Harmon*], alibi חרמון [*Charmon*] ſcribitur. ¶ Καὶ ἐνίψατο, καὶ ἦλθε βλέπων. *& lavit, & venit videns*] Sic primum mundantur homines à pravis affectibus, deinde illuminantur, Epheſ. i. 18. Hinc Baptiſmo nomen Φωτισμοῦ [*illuminationis*]. Indicatur hic obiter obedientia cæci qui nihil recuſat quanquam in ſpeciem inutile; præferendus in hoc Neemani, qui aliquandiu ſpernebat intrare Jordanem. Abiit autem ad domum parentum, unde non longe federat. Vide infra 18.

8. Οἱ οὖν γείτονες, *Itaque vicini*] Qui in proximo habitabant atque eum quotidie viderant. ¶ Ὅτι προσαίτης ἦν, *quia mendicus erat*] Cum in hanc lectionem conſentiant Latinus, Syrus, Arabs & quidam Græci codices, omnino præferendam cenſeo. Sæpe vitus erat, quia in publico miſericordiam omnium implorabat. Vide Marci x. 46. Luc. xviii. 35. ¶ Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ καθήμενος καὶ προσαίτης; *Nonne hic eſt qui ſedebat & mendicabat*]? *Nonne hic ille ipſe eſt?* Vide ſimile Act. iii. 10.

9. Ὅτι οὗτός ἐστιν· *Quia hic eſt*] Quidam plane affirmabant. ¶ Ἄλλοι δὲ, ὅτι ὅμοιος αὐτῷ ἐστιν. *Alii vero, quod ſimilis illi eſt*] Hæ variæ ſententiæ pertinent ad fidem adſtruendam miraculo & oſtendendam ejus magnitudinem. Nam qui dicebant *ſimillimum ipſi eſſe*, ne eundem crederent, hoc ſolo abſtinebantur quod non cogitarent fieri poſſe ut cæcus viſum acciperet. ¶ Ἐκεῖνος ἔλεγεν, ὅτι ἐγώ εἰμι. *Ille vero dicebat, quia ego ſum*] *Ego ſum*, nempe ille ipſe quem cæcum vidiſtis: quomodo ſumi hoc ἐγώ εἰμι [*ego ſum*] ſupra notavimus. Grata profeſſione omnem aliorum diſputationem dirimit certiſſimus teſtis.

10. Πῶς ἀνεῴχθησάν σου οἱ ὀφθαλμοί; *quomodo aperti ſunt tibi oculi*]? *Aperire oculos* eſt facere ut videant. Vide Matth. ix. 30.

11. Ἄνθρωπος λεγόμενος Ἰησοῦς, *Ille homo, qui dicitur Jeſus*] *Quidam qui appellatur Jeſus.* Diſcimus hinc multas facti circumſtantias in ſuperiori narratione omiſſas, ut, compellatum ab Jeſu cæcum ex ipſo aut aſtantibus didiciſſe quis eſſet qui ſe compellaret; &, quod mox adjicitur, Sabbato facta hæc. ¶ Νιψάμενος ἀνέβλεψα. *lotus viſum accepi*] *Statim ut lavi accepi viſum.* Eſt autem catachreſis: nam ἀναβλέπειν [*recipere viſum*] proprie eorum eſt qui videndi facultatem aliquando habuerunt: ſed nec male *recipere* quis dicitur quod communiter tributum humanæ naturæ ipſi abfuit.

12. Ποῦ ἐστιν ἐκεῖνος; Λέγει, Οὐκ οἶδα. *Ubi eſt ille? ait: neſcio*] Solebat Jeſus miraculo edito ſe ex eo loco ſubducere, ne gloriam ex concurſu venari videretur.

13. Πρὸς τοὺς Φαρισαίους, *ad Phariſæos*] *Phariſæos* hic intelligo Synedrium, in quo plurimi Phariſæi. Sic

\- - - ἀρχιερῆας
[*Primores ſacrificorum*].

dixit Nonnus, quia & illi in Synedrio. Vide ſupra i. 24. iidem infra Judæi 18, & 22. id eſt, primores Judæorum, ut jam ſupra aliquoties.

16. Φαρισαίων τινές· *Ex Phariſæis quidam*] Duriores. ¶ Οὗτος ὁ ἄνθρωπος οὐκ ἔστι παρὰ τοῦ Θεοῦ, ὅτι τὸ σάββατον οὐ τηρεῖ. *Non eſt hic homo à Deo, quia Sabbatum non cuſtodit*] *Non eſt à Deo miſſus, quia ſolemne illi eſt operari in Sabbato.*

Jam

Jam enim aliquoties Sabbato ſanaverat. Linere oculos Phariſaica ſuperſtitio operibus Sabbato vetitis annumeraverat: quod etſi ita eſſet, tamen quod ad Dei honorem pertinet liberum eſt à lege. ¶ Αλλοι ἔλεγον, *Alii autem dicebant*] Hi quibus aliquid bonitatis erat reliquum; qui nondum occalluerant. ¶ Ανθρωπος ἁμαρτωλὸς, *homo peccator*] Intellige ex verbis antecedentibus, *qui ſe falſo à Deo miſſum prædicat.* Tales enim excellenter *peccatores* vocantur. ¶ Τοιαῦτα σημεῖα ποιεῖν; *talia ſigna facere*]? Nota ταυτα [*talia*] & σημεῖα [*ſigna*]. Primum res *tam eximias*, Divinas ſalutareſque; & quidem in *ſignum* miſſionis ſuæ. Nunquam ſane id Deus permitteret, ſi falſo ſibi hoc arrogaret. Vide ſupra III. 2. ¶ Σχίσμα, *ſchisma*] Diximus ſupra VII. 43. ſic & infra X. 19.

17. Τῷ τυφλῷ, *cæco*] Id eſt, Τῷ ποτε τυφλῷ [*Ei qui cæcus fuerat*], ut modo locutus erat Johannes. De hoc loquendi genere vide quæ ad Matth. XXVI. 6. ¶ Σὺ τί λέγεις περὶ αὐτοῦ, ὅτι ἠνέῳξέ σου τὺς ὀφθαλμούς; *Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos*]? *Nempe in Sabbato*: ita enim perfecta eſt quæſtio. ¶ Οτι προφήτης ἐστιν. *quia Propheta eſt*] *A Deo miſſus.* Receptum erat inter ipſos mandato Prophetæ ſolvi poſſe Sabbatum.

18. Εως ὅτου, *donec*] Non inde ſequitur poſtea credidiſſe; ſed, cum non crederent, voluiſſe eos ex parentibus ſciſcitari rem omnem. Vide quæ ad Matth. I. 25.

19. Υμεῖς λέγετε, *vos dicitis*] Ipſa percunctatione oſtendunt quale reſponſum deſiderent, nempe Non fuiſſe revera cæcum, aut certe Non natum talem, ut aut everteretur aut minueretur laus ſanationis. ¶ Πῶς οὖν ἄρτι βλέπει; *quomodo ergo nunc videt*]? Hoc ſolum negari non poterat.

21. Ημεῖς δὲ οὐδαμεν. *nos neſcimus*] Non adfuimus cum id fieret. ¶ Αὐτὸς ἡλικίαν ἔχει, *ætatem habet*] Ætatem quæ ex moribus requiritur ad perhibendum teſtimonium; quæ Hebræis, anni XIII. ¶ Περὶ ἑαυτοῦ, *de ſe*] De eo quod ipſi compertum eſt.

22. Ηδη γὰρ συνετέθειντο, *jam enim conſpiraverant*] *Jam major pars in eo convenerat.* Nam antea ob diffidentes ſententias nihil perrogari potuerat, ſupra VII. 53. ¶ Εάν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ Χριςὸν, *ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum*] Quod cæcus ſanatus dixerat huic erat proximum. *Miſſum* enim *à Deo* agnoverat. Quare nihil aliud reſtabat quam ut ex Jeſu intelligeret, Jeſum ſe profiteri Meſſiam. Nam ſi à Deo miſſus erat, etiam in hoc ei credi debebat. Vide infra 35, 36, 37, 38. ¶ Αποσυνάγωγος γένηται. *extra Synagogam fieret*] *Excluderetur à Synagogis & familiari convictu*: nempe per נדו, quod proprie vertitur ἀφορισμὸς [*ſeparatio*], Luc. VI. 22. nam חרם *ἀνάθεμα* [*anathema*], qui ſecundus eſt gradus, in Jeſu ſectatores decerni demum cœpit poſt Reſurrectionem. Vide quæ ad Matth. XXVIII. 15. & Apocal. XXII. 15.

23. Διὰ τοῦτο οἱ γονεῖς αὐτοῦ εἶπον, *Propterea parentes ejus dixerunt*] Hominum quam Dei metuentiores; quales non mirum eſt ſi ſibi potius quam cariſſimis conſulant: itaque filium obtrudunt odio.

24. Εκ δευτέρου, *rurſum*] Jam ante enim eum audiverant, ut narratum eſt. Sed preſſiori interrogatione aliquid ſperabant ſe poſſe elicere quod claritatem miraculi obſcuraret. ¶ Δὸς δόξαν τῷ Θεῷ, *Da gloriam Deo*] Explicavimus hanc formulam Matth. XXVI. 63. Uſurpant hanc & Prophetæ & Judices Magni Synedrii à Deo conſtituti. In Thalmudicis Digeſtis titulo De Synedrio, Simeon Senatorum unus Regem Jannæum ſic alloquitur, *Non ſtas coram nobis, ſed coram eo qui dixit, Fiat, & factus eſt mundus.* ¶ Ημεῖς οἴδαμεν ὅτι ὁ ἄνθρωπος ὅτος ἁμαρτωλὸς ἐστιν. *nos ſcimus quia hic homo peccator eſt*] Quo magis eliciant aliquod teſtimonium in Jeſum, ajunt ſibi jam aliunde conſtare eſſe ipſum falſum jactatorem Prophetici muneris. Vide ſupra 16.

25. Εἰ ἁμαρτωλὸς ἐστιν, οὐκ οἶδα· *ſi peccator eſt, neſcio*] Quod vos vobis conſtare dicitis, de eo mihi non conſtat. ¶ Εν οἶδα, *unum ſcio*] Hoc unum certo mihi conſtat. ¶ Τυφλὸς ὢν, *cæcus cum eſſem*] Ων, *quia eram*, ut habet hic Syrus. Simile loquendi genus, vide Epheſ. II. 5.

26. Τί ἐποίησέ σοι; πῶς ἀνέῳξέ σου τὺς ὀφθαλμούς; *Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos*]? Ex ipſo ſanationis modo ſperabant aliquid deprehenſuros ſe quo conſtaret non fuiſſe veram ac nativam cæcitatem.

27. Και οὐκ ἠκούσατε; *& non audiſtis*]? Sic & Syrus & Arabs: quare hanc lectionem præferendam cenſeo, ſed cum interrogandi nota (ut melius cohæreat quod ſequitur), *An non ſatis audiſtis?* ¶ Μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε αὐτοῦ μαθηταὶ γενέσθαι; *numquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri*]? Poſſetne fieri ut vos, qui omnia ſcire vos venditatis, illo Magiſtro utamini?

28. Σὺ εἶ μαθητὴς ἐκείνου, *Tu diſcipulus illius es*] Tu ſane ejus fautor es: nam in gratiam ejus loqueris. ¶ Τῦ Μωσέως ἐσμὲν μαθηταὶ. *Moſis diſcipuli ſumus*] Illo Magiſtro contenti alium non quærimus.

29. Τοῦτον δὲ οὐκ οἴδαμεν πόθεν ἐστίν. *hunc autem neſcimus unde ſit*] Oppoſitio membri præcedentis oſtendit πόθεν [*unde*] hic ſignificare miſſionem: Neſcimus ſuopte impulſu an Dæmonis inſtigatu doceat. Vide ſupra VII. 29. ideo mox ſequitur: εἰ μὴ ἦν παρὰ Θεῦ [*niſi eſſet hic à Deo*].

30. Εν γὰρ τούτῳ θαυμαςόν ἐστιν, *In hoc enim mirabile eſt*] Illud θαυμαςόν ἐστιν [*mirabile eſt*] impersonale eſt, quaſi dicas, *Eſt quod hoc miremur.* ἐν [*in*] pro *ob.* Similis conſtructio poſt θαυμάζειν [*mirari*] Luc. I. 21. II Theſſ. I. 10. ¶ Υμεῖς δὲ οὐκ οἴδατε πόθεν ἐστὶ, *vos neſcitis unde ſit*] Vos qui vobis arrogaſtis ſcientiam dijudicandi inter Prophetas veros & falſos. ¶ Καὶ ἀνέῳξε, *& aperuit*] Καὶ pro *tamen*, ut ſupra.

31. Αμαρτωλῶν ὁ Θεὸς οὐκ ἀκούει. *peccatores Deus non audit*] Eſt quidem hoc ſatis proverbiale, ut videre eſt Pſal. LXVI. 18. Eſaiæ I. 15. & alibi: ſed & præcedentia & ſequentia exigunt ut intelligatur hoc de eo qui falſo ſe à Deo miſſum aſſeverat: quem Deus non exaudit, ut Divina edat ſigna ad fidem faciendam ſuæ miſſionis. Imo nulla miracula fieri Deus à talibus permittit extra cauſam tentationis ad cultum falſorum deorum, adverſus quem ſatis muniti eſſe debebant Iſraelitæ. Et hæc ipſa miracula multum abſunt ab eo quod Jeſus fecerat. Vide quæ dicta ad Matth. XXIV. 24. ¶ Αλλ' ἐάν τις θεοσεβὴς ᾖ, καὶ τὸ θέλημα αὐτῦ ποιῇ, τύτου ἀκούει. *ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc audit*] Eſt & hoc proverbiale, ut videre eſt Pſalm. XXXIV. 16. & alibi: etiam apud Græcos,

Εὐχῆς δικαίας οὐκ ἀνήκοος Θεός.
[*Deus ipſe non eſt ſurdus ad juſtas preces*].

Unde illud Ovidii primo Metamorphoſeon,

Si precibus, dixerunt, numina juſtis
Victa remolleſcunt.

Xenophon II de Cyri inſtitutione, Οτι ἀνὴρ ἂν καὶ παρὰ τῶν θεῶν πρακτικώτερος εἴη, ὥσπερ καὶ παρ' ἀνθρώποις, ὅστις μὴ ὀκνηρὸς εἴη, τότε πολεμίους· ἀλλ' ὅτε ἄριστα πράττει, τότε μάλιστα τῶν θεῶν μέμνηται [*Merito etiam apud deos plurimum poſſit, ſicut apud homines, non qui cum in rebus eſt adverſis tunc adulari incipit: ſed qui cum maxime floret, tunc maxime deorum meminit*]. Terentius Adelphis,

Tu potius deos comprecare: nam tibi eos, certo ſcio,
Quo vir melior multo es, quam ego ſum, obtemperaturos magis.

Sed & hoc aptandum ad præſentem materiam; ut intelligatur Deus libenter concedere poteſtatem ſignorum his qui pio animo Dei mandata exſequuntur & ad hoc ſignis opus habent.

32. Εκ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη, *A ſeculo non eſt auditum*] Quaſi dicat, Neque Prophetæ hoc fecerunt, nec ipſe ille quem Magiſtrum profitemini Moſes. Et ſane quam cauſam Senatores adferre poterant cur Jeſu minus quam Moſi crederent, cum hujus miracula & quidem majora adſpicerent, illius vero à patribus tantum accepiſſent? *Meſſiam cæcis aperturum oculos* ait Midraſch in Pſal. CXLVI. Adde Eſaiam XLII. 7. ¶ Τυφλοῦ γεγεννημένου. *cæci nati*] Εμφατικὸν [*efficaciter dictum*] hoc eſt. nam alioqui morbo multi viſum amittunt qui ſanabiles ſunt nec plane cæci.

33. Παρὰ Θεοῦ, *à Deo*] *Miſſus* ſcilicet. Vide ſupra VII. 29. ¶ Οὐκ ἠδύνατο ποιεῖν οὐδὲν. *non poſſet facere quicquam*] Subintellige *horum quæ facit.*

34. Εν ἁμαρτίαις σὺ ἐγεννήθης ὅλος, *In peccatis natus es totus*] Locutio eſt hyperbolica quæ ſignificat aliquem à prima ætate vitioſum fuiſſe, Pſalm. LI. 7. LVIII. 4. Eſaiæ XLVIII. 8. Et Chryſoſtomus ad hunc locum, ὡσανεὶ ἔλεγον ἐκ πρώτης ἡλικίας ἐν ἁμαρτίαις εἶ σύ [*quaſi dicerent à prima ætate in peccatis es tu*]. Sic & aliæ res quæ nobis à pueritia adfuerunt dicuntur *ab utero adfuiſſe* Pſalm. XXII. 10. LXXI. 5. 6. Job. XXXI. 18. ὅλος [*totus*], id eſt, *totus quantus es ſcates peccatis.* Grave convitium. ¶ Διδάσκεις ἡμᾶς; *doces nos*]? Nos Magiſtros & Judices populi & ſanctitate eximios, unde *Phariſæi* dicebantur. ¶ Εξέβαλον αὐτὸν ἔξω. *ejecerunt eum foras*] Non dimiſerunt, ſed per apparitores è curia Synedrii ignominioſe ejici juſſerunt. Ita vox hæc uſurpatur Δεῖσθαι. VII. 58. XIII. 50. & alibi.

35. Ηκουσεν ὁ Ιησοῦς ὅτι ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω. *Audivit Jeſus quia ejecerunt eum foras*] Volebat hoc ſcire humano more, narrantibus aliis. Præſto autem eſt Jeſus teſtibus ſuis ob

teſti-

teſtimonium mala ferentibus. ¶ Πιςεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ; *credis in Filium Dei*]? *Fiduciam tuam collocas in Meſſiam*, quod omnes Judæi facere ſe profitentur? *Filius Dei* cognomen erat uſitatum Meſſiæ, ut notatum ſupra 1. 46. & alibi.

36. Ἐκεῖνος, *ille*] *Qui ſanatus erat*, quod hic addit Syrus. ¶ Καὶ τίς ἐςι, Κύριε, ἵνα πιςεύσω εἰς αὐτόν; *Quis eſt, Domine, ut credam in eum*]? Ubi eſt? jamne venit?

37. Καὶ ἑώρακας αὐτόν, *& vidiſti eum*] Virtutem ejus expertus es: nam is eſt per quem viſum recuperaſti. Sic ſupra VI. 36. infra XIV. 9. ¶ Καὶ ὁ λαλῶν μετὰ σοῦ, ἐκεῖνός ἐςι. *Et qui loquitur tecum, ipſe eſt*] Dixerat Meſſiam cum fuiſſe qui viſum ipſi reddidiſſet: nunc addit *ſemet eum eſſe*.

38. Πιςεύω, Κύριε· *Credo, Domine*]; *Plane in illo ſpem meam colloco*. ¶ Καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ. *adoravit eum*] Non modo ut Prophetam, ſed ut Meſſiam, cui ſummus honos debebatur. Quare geſtum eximiæ venerationis hic expreſſerunt Latinus & Syrus.

39. Εἰς κρίμα ἐγὼ εἰς τὸν κόσμον τοῦτον ἦλθον· *In judicium ego in hunc mundum veni*] *Ex quo in mundum veni*, id eſt, hominibus palam apparui (ut poſuimus ſupra 1. 9.) *judicia Dei hac occaſione eluceſcunt*: nam εἰς [*in*] & quod ſequitur, ἵνα [*ut*], ut alibi ſæpe, ſunt ἐκβατικὰ [*eventus ſignificativa*]. Vide quæ diximus Lucæ II. 34. κρίμα [*judicium*] hic ſumitur, ut Roman. XI. 33. ¶ Ἵνα οἱ μὴ βλέποντες, *ut qui non vident*] More ſuo alludit ad rem geſtam. *Qui non vident*, ſubintellige, *& qui tales ſe eſſe ſentiunt*; qualis ille cæcus fuerat, qui nullam ſibi rerum Divinarum peritiam arrogabat. Vide ſupra 25. 30. ¶ Βλέπωσι, *videant*] *Cognitione donentur*. Confer locum Matth. XI. 25. & quæ inibi dicta. ¶ Καὶ οἱ βλέποντες, *& qui vident*] *Qui tales haberi volunt & appellari* רואים, *videntes*, quod erat nomen Sapientum, quales plerique Phariſæorum habebantur, & quales hi ipſi cum quibus res erat haberi ſe volebant, ut apparet ſupra 24, 29, 34. ¶ Τυφλοὶ γένωνται. *cæci fiant*] Id eſt, *appareant cæci*, ignari rerum Divinarum: ut hi, qui omni modo hoc agebant ne viderent, quod videbant, cæco lucem datam. Sic ἐμωράνθησαν [*ſtulti facti ſunt*] Rom. I. 22. Ex Hebræorum more qui declarationem rei per Hiphil enuntiant.

40. Οἱ ὄντες μετ' αὐτοῦ, *qui cum ipſo erant*] Quidam ex Phariſæis qui in hoc ipſum ſectabantur ut ſermones ejus captarent, Lucæ XV. 2. ¶ Μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν; *Numquid & nos cæci ſumus*]? Satis intelligebant Chriſtum de animi cæcitate loqui. Sed indignum & incredibile putant ſe in eo numero poni.

41. Εἰ τυφλοὶ ἦτε, *Si cæci eſſetis*] Sicut modo, μὴ βλέποντες [*non videntes*] erant *qui ignorantiam ſuam agnoſcebant*: ita hic, *ſi cæci eſſetis* eſt: Si vos pro talibus gereretis, Si agnoſceretis ignorantiam qua tenemini. Oſtendit hoc membrum oppoſitum. Epicurus: *initium eſt ſalutis, notitia peccati.* ¶ Οὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν. *non haberetis peccatum*] Id eſt, Eſſetis aliquo modo excuſabiles: nam ἁμαρτία [*peccatum*] hic ſumitur non pro quavis *culpa*, ſed pro *gravi & incondonabili crimine*, ut infra XV. 22, 24. XVI. 8, 9. ubi itidem *habere peccatum* eſt *reum eſſe*. Opponitur hic ἁμαρτία [*peccatum*], id eſt, רשע [*improbitas*], ἀγνοίᾳ [*ignorantia*], id eſt, שגגה [*error*]. ¶ Νῦν δὲ λέγετε, ὅτι βλέπομεν. *nunc vero dicitis: quia videmus*] Οτι abundat more Hebræo: & λέγειν, id eſt, *cogitare*: *Nunc autem exiſtimatis vos ſapere*, etiam poſtquam error veſter vobis aperte monſtratus eſt. Adde Roman. II. 19. ¶ Ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει. *peccatum igitur veſtrum manet*] Id eſt, *non perit, non auferetur*: ſicut μένειν [*manere*] ſumitur infra XV. 11. 1 Corinth. III. 14. *Auferri* autem intelligo *condonari*, ob membrum ſuperius huic oppoſitum: סער habet hic Syrus, quod ſignificat *firmum eſt*, eo quo diximus ſenſu.

CAP. X.

VALLA.

13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus*] Ὅτι μέλει αὐτῷ. Itidem poſterius 12. 6. *Non quia de egenis pertinebat ad eum*, ἔμελεν αὐτῷ. Melius in Actis Apoſtolorum 18. 17. *Et nihil horum Gallioni cura erat*, ἔμελεν. Ita hic dicendum, *Et non eſt ei cura de ovibus: &*, *Non quia de egenis ei cura erat*. Nam aliud eſſe *aliquid curæ eſſe*, ſive *me aliquid curare*, & *id ad me pertinere* docet Menedemus ille Terentianus, cum inquit, *Tantumne ab re tua tibi eſt otii, aliena ut cures quæ ad te nihil pertinent?* Heaut. act. I. ſc. 1.

16. *Et fiet unum ovile, & unus paſtor*] Potius *unus grex*, ποίμνη. Nam *ovile*, quod totiens repetitur ſuperius, αὐλὴ dicitur, quod eſt *area*, quod Interpres transfert alibi *atrium*, Matth. 26. 3. ergo illud locum ſignificat, hoc gregem.

29. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt*] Hoc vitium è librario aut è temerario aliquo emendatore venit, quoniam Græce dicitur, *Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus eſt*, ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐςί.

REVIUS in VALLAM.

29 *Quod dedit mihi, majus omnibus eſt*] Ita & Auguſtinus Tract. 48. in Joan. p. 352. ſed non exponit de Eccleſia, ut Bezaait, verum de Divina Chriſti natura.

ERASMUS.

1. *IN ovile ovium*] Εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων *in ſeptum*; ſive *ſtabulum, ovium*. Alioqui cum *ovile* non poſſit eſſe niſi ovium, ſupervacaneum erat addere *ovium*. Cæterum αὐλὴ & aliarum pecudum poteſt eſſe: nam αὐλὴ nonnunquam *atrium*, nonnunquam *manſionem*, aliquoties ſeptum ſignificat.

6. *Hoc proverbium*] Παροιμίαν. *Proverbium parabola* loco videtur uſurpaſſe, quod pleraque proverbia metaphoram habeant admixtam. ¶ *Quid loqueretur eis*]. Trifariam hic locus habetur apud Græcos: Οὐκ ἔγνωσαν ἃ ἐλάλει αὐτοῖς *non intelligebant quæ loquebatur ipſis*: aut, οὐκ ἔγνωσαν τίνα ἢ ἃ ἐλάλει αὐτοῖς *non ſciebant nulla, niſi quæ loquebatur illis*. In quibuſdam ita ſcriptum erat, οὐκ ἔγνωσαν τίνα ἦν ἃ ἐλάλει αὐτοῖς *non cognoverunt quæ eſſent quæ locutus eſſet ipſis*.

8. *Quotquot venerunt*] Græci addunt πρὸ ἐμοῦ *ante me*: quod tamen additum videri poteſt ab exponere volente locum hunc.

11. *Ego ſum paſtor bonus*] Ὁ ποιμὴν ὁ καλός. Utrique nomini ſuum addidit articulum, *Ego ſum paſtor ille bonus*, ſive *egregius*.

13. *Et non pertinet ad eum de ovibus*] Καὶ οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων *non curat oves*, aut *non eſt illi cura ovium*. Poteſt enim ad nos *pertinere* quod tamen *cura non ſit*.

14. *Cognoſcunt me mea*] Γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν *cognoſcor à meis*: etiamſi laudo quod fecit Interpres.

16. *Oportet me adducere*] Ἀγαγεῖν *ducere*; quod interpretatur Theophylactus *congregare*. Nam uterque grex carebat paſtore. ¶ *Fiet unum ovile, & unus paſtor*] Primum periit nobis venuſtas Græcanici ſchematis, quod ſitum erat in ποιμνὴ & ποιμὴν, i. *ovili & paſtore*: utcunque reddi poterat *unum ovile, & unus opilio*: tametſi Græcis ποιμνὴ magis *grex* eſt quam *ovile*, autore Valla. Et in nonnullis exemplaribus Græcis non additur conjunctio &, verum eſt, *fiet unum ovile, unus paſtor*. Quanquam & illud, *& unus paſtor*, videri poteſt adjectitium; cum non attingat Chryſoſtomus hunc edifferens locum, ac ne Auguſtinus quidem, licet hic poſterior attingat Serm. De verbis Domini ſecundum Joan. 49, & ſequenti 50. Etenim cum ſe deſignarit unum Paſtorem, nihil reſtabat niſi ut fieret unum ovile, Gentibus ac Judæis in unam religionem conſpiranibus. Theophylactus tamen legit ut nos legimus, *unum ovile*; *& unus paſtor*, atque etiam interpretatur.

19. *Diſſenſio iterum facta eſt*] Et hic σχίσμα eſt.

22. *Facta ſunt Encænia*] i. *Inſtalia*, ut verbum verbo reddam; ἀπὸ τοῦ νεοῦ νουμηνίᾳ, *innovo*, *initio*, *dedico*. Sacer apud Judæos dies ob memoriam inſtaurati Templi poſt diuturnam in Perſide captivitatem. Scribendum eſt autem *Encænia* per diphthongum, quod καινὸν, per Epſilon Gr. ſonat *inane*. Quanquam invitus occupo lectorem, & chartas hujuſmodi nugis impleo, tamen haud mihi tempero quin vel animi cauſa referam quam bellam hujus vocis etymologiam adferat Hugo Carrenſis, cujus homo ſuavis antepenultimam ſyllabam per *e* vult ſcribi, *Encenia*, quæ compoſita ſit ab EN quod eſt *in*, & NEOS *novum*, & CE adjectio eſt illi intenſiva. Nihil mirum eſt quoſdam hæc neſcire. Illud mirum, inveniri tam impudentes qui quod prorſus non intelligunt, non verentur tanta cum autoritate docere.

24. *Animam noſtram tollis*] Cum Græce ſit αἴρεις, miror cur interpres Chryſoſtomi pro *tollis* verterit *perdis*, cum hic ſonet *ſuſpendis*. Solus Alcuinus in Catena videtur priorem ſequi ſenſum. Ait enim, *ſuſpenſos & incertos dimittendo tolleret*;

qui venit ut animas ſalvaret. ¶ *Dic nobis palam*] Παῤῥησίᾳ *libere*, ſive *ingenue*. Quanquam id non male vertit hoc ſane loco.

25. *Loquor vobis*] Εἶπον ὑμῖν *Dixi vobis.*

26. *Quia non eſtis ex ovibus meis*] Hic addunt Græci *quemadmodum dixi vobis*, καθὼς εἶπον ὑμῖν, licet refragantibus magno conſenſu Latinorum exemplaribus. Apparet adjectum à ſtudioſo quopiam, quod idem dixiſſet aliquanto ſuperius.

28. *Non peribunt*] Καὶ οὐ μὴ ἀπόλωνται *& non pereant:* niſi quod ἀπόλωνται δυνητικῶς poſitum videtur, quemadmodum & alias videre eſt οὐ μὴ geminatum ſubjunctivo junctum potentialem modum efficere, aut futuri temporis addere ſignificationem.

29. *Pater quod dedit mihi*] Secus habent Græca, ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι μείζων πάντων ἐστίν, *Pater qui dedit mihi major omnibus eſt*, ſive *maximus omnium eſt*. Siquidem hoc argumento probat neminem eſſe qui poterit oves rapere de manibus Patris, quod potentior ſit ad ſervandum quam adverſarius ad eripiendum. Ita legit Chryſoſtomus, & huic concinens Theophylactus: quanquam Auguſtinus diverſam ſequitur lectionem. Et facilis eſt lapſus in Græcis dictionibus μείζων ac μείζον, & ὃ & ὅς. Juxta lectionem Auguſtini poteſt accipi de Eccleſia, cujus adverſarii plurimi ſunt; ſed major eſt virtute puſillus ille grex, non ex ſeſe, ſed quia Pater dedit Filio.

31. *Suſtulerunt ergo lapides*] Gr. addunt τοῦλιν *iterum.*

35. *Et non poteſt ſolvi Scriptura*] *Solvitur* quod deſtruitur, & *ſolvitur* quod explicatur. Quanquam obſcurior & confuſior eſt aliquanto ſermo totus. Proinde dilucidius ita reddi poterat, *Si illos vocavit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura?* ut hic ſit interrogatio: deinde ſubjiciamus, *Me, quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, vos dicitis blaſphemare, quod dixerim, Filius Dei ſum?* aut hoc modo, *Et non poteſt ſolvi Scriptura*, ſubaudi, *de eo quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum:* deinde altero initio ſequatur, *Vos me dicitis blaſphemare quod dixerim, Filius Dei ſum?* Poteſt & hunc in modum accipi, *Nonne ſcriptum eſt in Lege veſtra, Ego dixi, Dii eſtis, & non poteſt ſolvi Scriptura?* ut ſit ſenſus, *Si hoc ſcriptum eſt in Lege, & quod ſcriptum eſt verum ſit oportet*, &c. In eum certe ſenſum refert Hilarius in Pſalmum 145. Rurſus lib. 4. De Trin. cap. 7. *Cum enim*, inquit, *Lex hujus nominis appellationem ſanctis hominibus decerneret, & ſermo Dei indiſſolubilis confirmaret, hunc imparem nominis profeſſionem.* Item in Pſalmo, *Sed Dominus*, inquit, *in Euangelio nos errore nuncupationis hujus liberavit, dicens*, EGO DIXI, DII ESTIS, ET FILII EXCELSI OMNES. *Et adjecit*, SI ERGO ILLOS DIXIT DEOS AD QUOS VERBA DEI FACTA SUNT, ET NON POTEST SOLVI SCRIPTURA: *indiſſolubilis Dei ſermo eſt, homines Deos nuncupamus:* Sic igitur eſt ordinandus ſermo, *Si illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & quod ſcriptum eſt falſitatis argui non poteſt, quomodo vos me, quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, dicitis blaſphemare eo quod dixi me eſſe Filium Dei?* Quidam codices addunt conjunctionem &, *Et vos dicitis.* Ea perturbat ſenſum; nec eſt apud Græcos, nec in vetuſtis Latinorum codicibus. Cyprianus adducens hunc locum libro adverſus Judæos c. 5. non addit *Scriptura.*

39. *Quærebant eum apprehendere*] Et hic addunt πάλιν *rurſum*; quod ante tentarint idem.

VATABLUS.

1. OVile] *Septum, ſtabulum.*

4. *Ante eas vadit*] Vel, *præcedit eas.* ¶ *Sciunt*] *Noverunt.*

5. *Sequuntur, ſed fugiunt*] *Sequentur, ſed fugient.*

6. *Hoc proverbium*] Vel, *hanc allegoriam*, vel, *parabolam.* ¶ *Quid loqueretur*] *Qua eſſent quæ:* i. Quidnam ſibi vellet his verbis.

8. *Venerunt**] * *Ante me.* ¶ *Sunt*] *Fuerunt.*

9. *Paſcua*] *Pabulum*, vel, *paſcua.*

10. *Abundantius habeant*] Vel, *abundantem:* poteſt enim eſſe adjectivum commune τριτόκλιτον more Attico.

11. *Dat*] *Ponit.*

12. *Autem*] Vacat iſthuc *autem.* ¶ *Videt——& dimittit oves*] Heb. *ſi lupum videat dimittit oves.* ¶ *Rapit**] * *Ipſas.*

13. *Non pertinet ad eum de ovibus*] *Non eſt illi cura ovium.*

15. *Agnoſco*] *Novi.*

16. *Adducere*] Vel, *ducere:* aut *regere & gubernare.* ¶ *Et fiet unum ovile*] *Ut ſint unus grex.*

17. *Pono*] Præſ. pro fut. *ponturus ſum:* i. ſpoliabo me vita. ¶ *Ut*] Pro, *ita tamen ut.*

18. *A meipſo*] i. ſponte & ultro.

19. *Diſſenſio**] * *Igitur.*

22. *Facta*] Vel, *Celebrata.* ¶ *Encænia*] Feſtum erat inſtaurationis altaris, quod contaminatum fuerat ab Antiocho Perſarum rege, 2 Mac. 4. f. g.

24. *Tollis?* ¶ Vel, *ſuſpendis?* i. Quouſque nos ſuſpenſos tenes? ¶ *Es**] * *Ille.* ¶ *Palam*] Vel, *libere, ingenue, poſito omni metu.*

25. *Loquor*] *Dixi.* ¶ *Creditis*] Vel, *credidiſtis.* ¶ *In nomine*] i. ad gloriam & honorem.

26. *Ex ovibus meis**] * *Sicut dixi vobis*, Vet.

28. *Do eis*] Præſ. pro fut. *dabo.*

29. *Quod dedit mihi major*] *Qui dedit mihi*, Vet. (ſub. *oves*) *major.* Enallage graduum, maximus omnium, æternus & omnipotens. ¶ *Et nemo poteſt*, &c.] Subaudienda quædam, hoc modo, *Et ut nemo poteſt rapere eas de manu Patris mei, ſic nec de mea.*

31. *Suſtulerunt**] * *Ergo iterum*, Vet.

32. *Multa bona opera oſtendi*] i. Multis beneficiis affeci vos, Patre meo ita volente & jubente.

33. *Judæi**] * *Dicentes.*

35. *Solvit*] i. argui mendacii & falſitatis.

36. *Quem pater ſanctificavit*, &c.] Sic ordinari poteſt hic ſermo, *Quomodo vos me quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, dicentis blaſphemare, eo quod dixi*, &c.

38. *Vultis credere*] *Credatis.*

39. *Quærebant**] * Rurſus. ¶ *Et*] Pro *ſed*, Heb.

40. *Erat*] *Fuerat.*

42. *Multi**] * *Ibi.*

CASTALIO.

22. INſtauratio] Feſta inſtaurati Templi poſt reditum ex Babylone.

35. *Nec ſcriptum reſcindi poteſt*] Non poteſt non eſſe verum quod in illis literis ſcriptum eſt.

CLARIUS.

1. QUotquot ante me venerunt] *Venerunt*, non miſſi ſunt. Hi ergo *non ſunt ingreſſi per oſtium*, quia non ſincere tractarunt Scripturas, quarum finis eſt Chriſtus: *his non aperuit oſtiarius*, h. e. Spiritus S. non hos approbavit: *neque audierunt eos oves:* nam qui eos audierunt non fuerunt oves.

9. *Ingredietur & egredietur*] Hebraiſmus eſt pro *familiariter verſabitur.*

14. *Et cognoſco meas*] Familiaritatem indicat cum dicit, *Sic agnoſco eas & agnoſcor ab eis, ſicut Pater novit me, & ego agnoſco Patrem.*

22. *Facta ſunt autem Encænia*] Ἐγκαίνια, quaſi *Innovationes*; ſolenne feſtum Templi Judæorum.

ZEGERUS.

1. AMen amen dico vobis, *qui non intrat per oſtium in ovile*] Poſtquam Dominus Phariſæis incredulam cæcitatem objecit, ut ne poſſent dicere, *Non averſamur te quaſi cæci, ſed ut ſeductorem te fugimus*, proponit hic de Grege ſuo & de Oſtio quo intratur in ovile & de Paſtore ſimilitudinem, oſtendens tantum ſe à ſeductore abeſſe ut per ſe unum ac ſolum doceat patere ad ſalutem acceſſum: *Nemo*, inquit, *venit ad Patrem niſi per me*, infra 14. 6. Quam ob rem hoc loco & *Oſtium* ſe & *verum* dicit eſſe *Paſtorem*; & per conſequens negat ſe eſſe infidum *Mercenarium*, *Lupum*, *Furem* aut *Latronem.* Per *oſtium* itaque ſeipſum intelligit, quemadmodum idem ipſe in ſequentibus declarare dignatur. Per *ovile* autem conſortium fidelium aut poteſtatem Eccleſiaſticam accipere poſſumus.

3. *Huic oſtiarius aperit*] *Oſtiarium* Deum Patrem intelligere; de quo dicitur ſupra 6. 44. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eum:* aut, ſi malis, Spiritum S. nam & de hoc ſcriptum eſt *Deducet vos in omnem veritatem*, infra 16. 13.

6. *Hoc proverbium dixit eis*] *Proverbium* hoc loco non pro *adagio* ſed pro *metaphora* ſive *involucro* uſurpavit. Dicitur enim *proverbium* juxta nominis etymologiam quod *verbum pro verbo ponatur.* Nec aliter Euangeliſta παροιμίαν uſurpavit, quippe

Digitized by Google

quippe quam Græci definiunt ad hunc modum, παροιμία ἐστὶ λόγος ἀσαφῆς ἀναλύττων τὸ σαφὲς ἀσαφείᾳ, *Proverbium eſt ſermo rem manifeſtam obſcuritate tegens.* Quod ſane præcedenti ſermone feciſſe Dominum per ſe manifeſtum eſt.

8. *Omnes quotquot venerunt fures ſunt & latrones*] Quid ergo? Num & Prophetæ fures fuerunt & latrones: Sed ex eo quod præſentis temporis voce uſus eſt inquiens, *fures ſunt & latrones.* Manifeſtum fit eum de his loqui qui tum temporis aderant. Quanquam & aliter poſſet huic occurri dubitationi: Siquidem in eo quod ait *venerunt*, non autem *miſſi ſunt*, palam indicat ſeditioſos quoſdam deſignari qui nec vocati nec miſſi ſed à ſeipſis ac proprio arbitrio incitati adveniſſent.

9. *Et ingredietur & egredietur & paſcua inveniet*] Quia videlicet & *ingreſſus* per fidem in ovile Eccleſiæ carpet Euangelicæ gratiæ pabulum, & *egreſſus* per mortem mox deliciis perfruetur æternis. Vel *ingredietur* ut ſervetur à lupis & *egredietur* ut paſcatur æterni gaudii deliciis: atque ita illud *paſcua inveniet* pertinebit tantum ad particulam proxime præcedentem.

13. *Non pertinet ad eum de ovibus*] Gr. οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων· quod apertius dici poteſt, *non agit ovium negotium*, vel, *non ſunt illi curæ oves.*

14. *Et cognoſco* oves *meas*] Græci omnes interſerunt *oves*, id quod in cod. Latinis non invenio; ſubauditur tamen. ¶ *Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem*] Quia præmiſerat, *& cognoſcunt me mea*, hoc nunc ſermone declarat cujuſmodi eſſe debeat inter Paſtorem & Oves cognitio, nempe talis qualis eſt inter Patrem Deum & Filium Chriſtum; ut quemadmodum Filius pari Patrem notitia novit qua vicißim cognoſcitur & ipſe Filius à Patre, ita oves quoque ſimili ſaltem aliqua ex parte cognoſcant notitia Paſtorem qua vicißim & ipſæ oves à ſuo cognoſcuntur Paſtore.

18. *Poteſtatem habeo ponendi eam*] Pro *eam* Auguſtinus cum codice Corb. habet *animam meam*: ſed contra eſt in Græcis.

22. *Encænia in Hieroſolymis*] *Encænia*, *orum*, feſtivitas eſt Dedicationis Templi apud Judæos, ab ἐν *in*, & καινίζω *novo*, & ſonat q. d. *Initialia.*

24. *Animam noſtram tollis*] Gr. αἴρεις, quod alii *perdis*, alii *ſuſpendis*, alii *tollis* interpretantur. Signat etiam αἴρειν *è medio tollere*; quo ſignificato ſupra uſurpatum eſt, dicente Domino, *Nemo tollit eam à me.*

26. *Quia non eſtis ex ovibus meis*] Submovendum à contextu quod in Græcis duntaxat adjicitur, καθὼς εἶπον ὑμῖν *ſicut dixi vobis*, quippe quod non inveniatur apud veteres, ne apud Theophylactum quidem, quod ad explanationem attinet.

29. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt, & nemo*, &c.] Ita legunt vetuſti interpretes omnes Græci pariter ac Latini, præter unum Chryſoſtomum, qui juxta modernos Græcorum codices legit, *Quia Pater meus qui dedit mihi major eſt omnibus*; niſi quod *quia* in modernis abeſt. Senſus ejus apertior eſt quam ut egeat explanatione. Noſtram lectionem D. Cyrillus Græcus (ſi Latinorum minor tibi eſt autoritas) interpretatur his verbis, *Hoc plane eſt quod Deus Pater Mediatori Dei & hominum dedit, ut ſit ejus unigenitus Filius, Deus de Deo, nec natura diſſimilis, nec virtute inferior, nec duratione poſterior. Et hoc gignendo dedit, quia Deus verum Deum verum genuit, Lux æterna Lucem coæternam, Vita Vitam. Hoc ſane eſt quod majus omnibus eſt, quia omnem illud excedit & humanam & angelicam creaturam. Et nemo id ipſum quod Pater mihi dedit poteſt rapere de manu Patris mei, quia cum ipſe ſit virtus immenſa, non poteſt ei à quopiam irrogari violentia.*

31. *Suſtulerunt lapides Judæi*] Sunt codices, ſed pauci, qui interponunt *ergo iterum*, juxta Græcos, ſed contra Auguſtinus. *Ergo* tamen paſſim adponitur, at non in vet.

H. STEPHANUS.

3. Καλεῖ κατ' ὄνομα] *Vocat nominatim.*

10. Περισσὸν ἔχωσιν] *Melior ſit eorum conditio.*

18. Ἀπ' ἐμαυτοῦ] *Sponte mea.*

21. Δαιμονιζομένου] *Ejus qui à dæmonio poſſideatur.*

24. Αἴρεις] *Suſpenſam tenes.*

D R U S I U S.

1. IN *ovile ovium*] Pleonaſmi ſpeciem habet. Nam *ovile* non eſt niſi ovium: Eſt enim caula vel ſeptum ſtabulumve ovium. Græce κύλη τῶν προβάτων. Talis pleonaſmus eſſe videtur in illo, *aduſtio ignis*: Nulla enim aduſtio abſque igne. Sic in *reptile immundum* κτηνύζει *immundum*, ſi nullum omnino reptile mundum: de quo dubitari poteſt. Nam plura genera ſunt reptilium. Omnia immunda eſſe colligi poteſt ex eo quod Ebræi dictitant, *Qui ſe lavat, & reptile in manu habet; non mundatur.* Sic qui pœnitentiam agit, niſi vitam in melius mutaverit, nihil agit. Quamdiu improbus eſt, non poteſt dici vere pœnituiſſe. Scienter ὁ σαφὴς, *Qui confitetur, & deſerit, miſericordiam conſequetur*, Prov. 28. 13. Senſus eſt, Qui confitetur peccata ſua, & deſerit vitam ſuam improbam, ei remittetur & condonabitur quod peccavit.

6. *Hoc proverbium dixit eis*] Non eſt Proverbium proprie, ſed Similitudo aut Parabola, quæ Ebræis משל dicitur. Proinde vir doctus emendat, *hanc parabolam.* Sic ξύλον & *lignum* ſignificat & *arborem. Lignum*, i. ξύλον, quod ideo LXX pro *arbore* ponunt, quæ proprie δένδρον appellatur. Unde *lignum vitæ* τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, h. e. arbor vitæ. Talia ſexcenta ſunt quæ referri poſſunt, imo debent, ad linguam Helleniſticam.

8. *Omnes quotquot venerunt*] Ex Græco exemplari addunt πρὸ ἐμοῦ *ante me.* Hieron. adv. Pelag. lib. 2. cap. 6. OMNES, inquit, QUI VENERUNT ANTE ME FUERUNT FURES ET LATRONES. *Si omnes, nullus excipitur.* QUI VENERUNT, *inquit*; *non*, QUI MISSI SUNT: *de quibus Prophetes ait*, IPSI VENIEBANT A SE, ET EGO NON MITTEBAM EOS. Licet aliter exponere. Nam *omnis* quandoque dicitur de majori parte, ut Jer. 9. 26. *Omnes gentes habent præputium.* Siquidem gentes quædam circumcidebantur; ut Ægyptii, Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Arabes; quas enumerat Hieron. in Comment. ad illum locum. Quandoque dicitur de minori parte ſive de parte exigua; quod Ebræi dicunt מעט מן *ex.* Videndus Albo in lib. Fundament. ſive Artic. fidei, ſerm. 2. c. 20.

17. *Ego pono animam meam*] Vel, *depono. Animam ponit* qui moritur: *aſſumit*, qui reſurgit. *Reſurgit* autem *anima* quando in corpus redit. Quæ locutio impropria eſt. Nam proprie *reſurgit* quod cecidit; ut corpus. Unde *reſurrectio carnis*, i. corporis.

22. *Encænia*] Ebraice חנכה *dedicatio*: *ut octo dies dedicationis*, & *dedicatio Haſmonæorum* ſive *filiorum Haſmonæi*, & *dedicatio lucernarium in æde ſecunda.* Nomen חנוכה latius patet. Nam dedicatio Templi ſic vocabatur. Ideo addunt *Haſmonæorum* aut *lucernarum.* Dicebatur etiam חנוכת הנרות *accenſio lucernarum.* Nam plures lucernæ illis octo diebus accendebantur quam unquam alias. Joſephus etiam Φῶτα vocat Antiq. l. 12. c. 11. καὶ ἐξ ἐκείνου μέχρι δεῦρο τὴν ἑορτὴν ἄγομεν καλοῦντες αὐτὴν Φῶτα. Lib. Precum, 133. 1. *In diebus Matthathiæ F. Johannis magni ſacerdotis venerunt filii tui in oraculum domus tuæ, & purgarunt templum tuum, & mundarunt ſacrarium tuum, & accenderunt lucernas in atriis ſanctis tui, & definierunt octo dies iſtos celebrari cum laude & feſtivitate.* Templum quater dedicatum fuit. De tertia hic ſermo eſt, quæ fiebat Judæ Machabæi ævo, cujus meminit etiam Joſeph Abben-Gorion. Quarta fiebat ab Herode M. ante Chriſtum natum anno ſeptimo. ¶ *Hyems erat*] XXV menſis Chaſleu, qui ex parte Decembri noſtro reſpondet.

24. *Quouſque animam noſtram tollis?*] Hoc alius dixit interpretans, *ſuſpendis.* Sed *ſuſpendo* תלה dicitur; *tollo* autem, i. αἴρω, נשא. Id quomodo intelligendum ſit, docebunt te ſequentia exempla. Pſal. 25. 1. *Ad te animam meam tollo.* Deut. 24. 15. Ad mercedem pauper *tollit animam ſuam.* Prov. 19. 18. *Ad necandum eum noli tollere animam tuam.* Jer. 22. 27. *In terram ad quam tollunt animam ſuam non revertentur.* Hoſ. 4. 8. *Ad peccatum eorum tollunt animam ſuam.* Rurſum Pſal. 86. 4. *Ad te, DOMINE, animam meam tollo:* & 143. 8. *ad te animam meam ſuſtuli.* Senſus ergo, Quouſque nos relinquis cupidos & in deſiderio ſciendi utrum ſis Chriſtus an non? Nam ſequitur, *Si tu es Chriſtus, dic nobis aperte.*

29. *Major omnium*] i. maximus omnium, compar. pro ſuperlat. μείζων pro μέγιστος, ut Matth. 18. 1. & 23. 11. Sic Matth. 13. 32. μείζων τῶν λαχάνων *maximum olerum.* Vide & Marc. 4. 32.

31. *Suſtulerunt lapides ut lapidarent eum*] Per tumultum, quomodo & Stephanus in Actis lapidatus fuit. Nam non licebat eis hoc facere: Adempta enim erant non ita pridem capitalia judicia.

32. *Me lapidatis*] Lapidare vultis, aut cogitatis. Aut fortaſſe aliqui lapides in eum conjecerant, ut propterea dicat, *me lapidatis.*

33. *De blaſphemia*] Vel, *ob blaſphemiam.* Ergo blaſphemus

lapidabatur? etiam ſuſpendebatur ſub occaſum ſolis, ſtatimque poſt cum ligno ſuſpendii ſepeliebatur. Ita enim moris erat. Quod notatum in lib. Præcept. 188. & 3. Eodem ſupplicio afficiebatur idololatra. *Blaſphemus* autem מגדף ibi dicitur. Uterque negat fundamentum, h. e. ipſum Deum, quod Ebræi dicunt כפר בעקר. Obiter noto & q. *ἐν παρέργῳ*, etiam lapidem quo uſi fuerant in lapidatione ſepultum fuiſſe. Sed & gladius una cum eo cui caput amputatum fuerat ſepeliebatur, & ſudarium ſive linteum quo quis ſuffocatus & ſtrangulatus fuerat.

CASAUBONUS.

14. Καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα] Rectiſſimè, ab interprete doctiſſimo animadverſum eſt, non eſſe hic conſtituendam *ἄλλην ἀρχὴν*, ſed cum ſuperioribus, à quibus pendent, conjungenda, contra quam vulgo fiat: qua ex prava diſtinctione occaſio data eſt otioſis hominibus *τῆ μετεωρολεσχεῖν καὶ ἀεροβατεῖν*. Quid enim aliud dicas de iſtis Sophis qui de rebus iis quærunt ac rixantur quorum ſcientia humano ingenio non eſt *ἐφικτή*; Recte igitur, ut dixi, illa cum ſuperioribus conjungenda eſſe docuit D. Beza: cujus ſententiam eo complector libentius quod non aliter Nonnum ſenſiſſe video: quod quidem non obſcure hæc ejus verba declarant,

> Γινώσκων δ' ἐμὲ μῦλα, καὶ ἠθάδα μηλοβοτῆρα,
> Ταῦτά με γιγνώσκειν ἴσῳ διδυμάονι θεσμῷ·
> Ὡς γενέτης νοέει με, καὶ ὡς νοέω γενετῆρα.

Quin videri poſſit Poeta poſterius ὡς addidiſſe ne quis hic deciperetur.

15. Καὶ τὴν ψυχήν μου τίθημι] h. e. *αὐτίκα θύσω*, ut eſt in paraphraſi.

16. Κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν] Theophylactus interpretatur *συναγαγεῖν*: ut poſitum ſit ſimplex pro compoſito, Δεῖ δὲ κἀκεῖνα τὰ τῶν ἐθνικῶν συναγαγεῖν. Sic Nonnus,

> — καὶ τοῦτα τέλει χρεὸς ὡς κεν ἀγείρω
> Φθογγῆς ἡμετέρης ἀρίκολα.

Juvat hanc interpretationem quod ſcriptum eſt ſequenti capite, v. 52. Καὶ οὐχ ὑπὲρ τῶ ἔθνους μόνου, ἀλλ' ἵνα καὶ τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα συναγάγῃ εἰς ἕν.

22. Ἐγένετο δὲ τὰ Ἐγκαίνια] Theophyl. refert quoſdam veteres exiſtimaſſe τὰ Ἐγκαίνια à Solomone fuiſſe inſtituta: quorum errorem ſecutus eſt Nonnus, quod valde miror; cum ἐγκαίνια putet idem fuiſſe dicta à *renovatione rei antiquæ ſed abolitæ*: nam hoc iſtis verbis ſonant,

> — ἀρχηθὲν ἐκαίνισε θεσμὸν ἑορτῆς.

Atqui Solomon primus Templum condidit. Dicta autem eſſe *Encænia* à *renovatione rei antiquæ* multi è veteribus crediderunt. Græci Grammatici, Ἐγκαίνια, ἑορτὴ ἐν ᾗ ἐκαινουργήθη τί. Verum id potius *ἀνακαινίζειν* eſt quam *ἐγκαινίζειν*: quæ vox perpetuo apud LXX interpretes & N. Teſt. auctores de iis dicitur quæ Deo dedicantur & conſecrantur, non quæ obſoleta & abolita in uſum revocantur.

27. Καθὼς εἶπον ὑμῖν] Parum abeſt quin cum Eraſmo exiſtimem hæc verba à quopiam eſſe addita; quæ Paraphraſtes non agnoſcit: exſtant tamen apud Syrum interpretem.

CAMERON.

16. Καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν] Hoc loco abutuntur Pontificii ad ſtabiliendam Papæ Monarchiam, quaſi hæc à Chriſto non de ſe ſed de Papa dicta eſſent. Nempe ſic agunt, Si Chriſtus nomine *Paſtoris* ſemetipſum intelligeret, cur dixiſſet, *Et erit Paſtor unus?* cur non aperte dixit, *Et ego ſum unus ille Paſtor?* Reſp. Chriſtus ſcilicet alluſit ad duo Ezechielis Prophetæ loca, cap. 34. 23. & 37. 24. *Erit Paſtor omnibus unus*: &, *Suſcitabo ſuper eos Paſtorem unum*: q. d. Chriſtus, Implebitur quod prædictum eſt à Prophetis, Fore ut ſit unus Paſtor. Deinde, ſolenne eſt Chriſto, etiam cum de ſe loquitur, tertia uti perſona, ut cum dicit, *Cum Filius hominis veniet, creditis fore ut fidem inveniat in terra?* an hinc concludet quiſpiam alium eſſe *Filium hominis* præter Chriſtum qui loquitur?

28. Οὐχ ἁρπάσει τις αὐτὰ ἐκ τῆς χειρός μου] Perſeverantia fidelium ſic probatur ex hoc loco; Rapiuntur è manu Chriſti qui deficiunt à Chriſto: Oves autem non rapiuntur: Ergo nec deficiunt. Novatores reſpondent, *Oves quamdiu ſunt oves, non poſſe eripi; fieri tamen aliquando ut deſinant eſſe oves: Cauſam vero conſervationis ovium eſſe Patris potentiam, quæ opponitur imbecillitati hoſtium; non autem dicitur potentia illa cauſa eſſe immutabilitatis voluntatis.* At nos non dicimus voluntatem eſſe immutabilem: hoc enim eſt unius Dei proprium ut immutabilis ſit: attamen eorum qui ſunt oves Chriſti à Chriſto. Quod vero ajunt, *Potentiam Patris hoc loco opponi imbecillitati hoſtium*, mera nugatio eſt. Hoſtes enim noſtri non dicuntur validi niſi ob facultatem ſuperandi nos: itaque non poteſt opponi potentia Patris illorum imbecillitati, niſi quatenus prohibet ne illi nos ſuperent; non autem prohibebit ſi ab illis ſuperemur; ſuperabimur autem ſi cedamus: pollicetur ergo Chriſtus fore ut ne cedamus. Imo vero nemo eſt in tentatione qui ſibi aliunde metuat quam à ſemetipſo: unde vox illa notiſſima in Eccleſia, *Ne nos inducas in tentationem*. Non enim, credo, oramus Deum ne ſit author mali; blaſphemaremus enim ſtrenue inter orandum; ſed ut ne nos patiatur ſuperari à Tentatore, quod eſt, puto, ut efficiat ut nos ſuperemus Tentatorem.

35. Εἰ ἐκείνους εἶπε θεούς, &c.] His verbis, inquiunt hodierni Photiniani, videtur Chriſtus indicare, appellationem ſeu titulum *Filii Dei*, quem Judæi blaſphemum contendebant, nihil aliud ſignificare niſi munus illi a Patre impoſitum, & ad quod peragendum miſſus in mundum fuerat, eodemque pacto eſſe *Filium Dei* dixiſſe quo Magiſtratus *Dii* & *Filii Altiſſimi* in Scriptura dicuntur. Reſp. Chriſtum eo loco non explicare qua ratione & quo ſenſu ſit, dicatque ſe eſſe Filium Dei, ſed Judæos duntaxat malitiæ convincere, qui ipſi tanquam atrox aliquod facinus objiciebant quod cum homo eſſet diceret ſe Dei Filium. Hoc nempe vult, Cum Deum Patrem ſuum eſſe dixit, ſe nihil ſibi eo tribuiſſe quo Judæi offendi debuerint, vel quod videri ipſis novum deberet, cum vulgata & familiaris ipſis eſſet ex Lege illa *Deorum* & *Filiorum Dei* appellatio tributa & conceſſa quibuſdam hominibus. Verba igitur Chriſti ſic ſunt accipienda, q. d. Eſto, ſim nudus ac merus homo, uti vultis, quid tantopere offendimini, neque blaſphemum ideo judicatis quod me vocem *Dei Filium*, quaſi novum & vobis inauditum titulum mihi tribuam, cum tamen hoc ſit in Lege veſtra familiariſſimum, ut qui à Deo ad munus aliquod ſingulare & eximium Dei nomine inter homines peragendum miſſi ſunt (quales ſunt, v. gr. Reges & Magiſtratus) *Dii* & *Filii Altiſſimi* vocentur? Cum itaque negare non poſſitis me a Patre miſſum & ſanctificatum eſſe ad munus hoc quo jam inter vos fungor peragendum, quod ſatis teſtantur opera illa quæ à me fieri videtis, cauſa nulla eſt cur blaſphemiæ crimen mihi propterea impingatis quod Deum dicam Patrem meum. Non ergo (quod volunt Hæretici) Chriſtus illic docet ſe non alia ratione eſſe Dei Filium quam quomodo Judices & Magiſtratus *Dii* & *Filii Dei* vocantur, ſed Judæorum calumniam duntaxat eo quo diximus modo refellit. Atque hic obſervandum eſt, obſcuriorem fuiſſe totius ſalutis humanæ *οἰκονομίας* rationem ante Chriſti reſurrectionem & ejus in cœlum aſcenſum; unde & ante tempus illud obſcura fuit de Divinitate Chriſti cognitio. Chriſtus quidem nunquam ſe negat eſſe Deum, Dei Filium, imo non detrectat hominum ad ſe venientium adorationem, & non tamen exſerte & aperte dicit ſe eſſe Deum. Deus nempe, prout videbat decere Sapientiam ſuam, apertam hujus myſterii notitiam differebat ad reſurrectionem uſque Chriſti ejuſque in cœlum aſcenſum & Spiritus S. in corda fidelium miſſionem. Quare ex illa revelationis *οἰκονομίᾳ* Chriſtus non hic negat ſe eſſe Deum verum, (quod tamen faceret, ſi, ut volunt Hæretici, diceret ſe non aliter eſſe Dei Filium quam quomodo Judices dicuntur *Filii Altiſſimi*) ſed hominibus colligendum relinquit ex verbis ſuis ſe eſſe vere Deum, verum & naturalem Dei Filium.

GUALTPERIUS.

22. Ἐγένετο δὲ τὰ Ἐγκαίνια ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, καὶ χειμὼν ἦν, *Facta ſunt autem Encænia Hieroſolymis, & hyems erat*] Syrus appellat חנוכא חנוכא, *Feſtum Dedicationis*. De hoc prolixe Tremellius ex Hebræorum libellis, potiſſimum vero Talmud, hunc in modum; *Renovabatur hoc feſto memoria Dedicationis Templi quæ contigit ſub Juda Maccabæo, & commemoratur 1 Macc. 4. quod tum circumſtantia temporis, tum etiam ipſa Dedicationis inſtitutio oſtendit. Nam licet Scriptura aliarum quoque dedicationum mentionem faciat, videlicet Dedicationis Tabernaculi in deſerto, Num. 7. & Dedicationis Templi Solomonis 2 Par. 7. de neutra tamen legitur fuiſſe inſtitutum ut ejus memoria quotannis renovaretur. Et præterea neutra hyeme contigit; ſed Tabernaculi quidem incunte vere, eo menſe quo Paſcha celebratur; Templi vero ſub Solomone, ante hyemem, menſe ſeptimo, ante feſtum Tabernaculorum. At Maccabæorum dedicatio & contigit die*

die XXV *menſis noni, reſpondentis partim Novembri, partim Decembri; & ut eodem tempore recurrentibus annis in perpetuum per octiduum celebraretur, ab ipſo Juda Maccabæo & ſuæ ætatis Sapientibus inſtitutum fuiſſe ſcribitur in Talmud; ubi & de ritibus feſti & cauſa inſtitutionis habentur ſequentia, „In domo ſecunda, cum Græci regnarent, ſtatuerunt decreta „contra Iſraelitas, & aboleverunt legem eorum, nec permiſerunt eos exerceri in Lege & in præceptis. Extenderunt etiam manum ſuam in facultates eorum, & in filias eorum; „& ingreſſi ſunt in Templum, & multas in eo fecerunt ruinas, ac pollucrunt quæ munda erant: angeſtique maxima „ab illis affecti ſunt Iſraelitæ; & oppreſſerunt eos oppreſſione „maxima, donec miſereretur illorum Deus patrum ipſorum, „& ſervaret eos è manu illorum ac eriperet eos, ut prævaluerint Maccabæi Sacerdotes magni, ac interfecerint illos, ſervaverintque Iſraelitas è manu eorum, ac conſtituerint Regem „ex ſacerdotibus illis, & reſtitutum ſit Regnum Iſraeli per „ſpatium amplius quam ducentorum annorum, uſque ad ruinam Domus ſecundæ. Porro cum prævalerent Iſraelitæ adverſus inimicos ſuos ac perderent eos, vigeſima quinta dies „erat menſis Kiſleu, qua ingreſſi ſunt in Templum, & non „invenerunt oleum mundum in Sanctuario, excepta lenticula „quadam, in qua non plus erat olei quam ſufficeret ad lucernas Templi accendendas uno tantum die. Ex quo oleo accenderunt ordine diſpoſitas lucernas; quæ durarunt octo dies, „donec contudiſſent olivas, & mundum oleum expreſſiſſent. „Et hanc ob cauſam ſtatuerunt Sapientes illius ſeculi, ut revertentibus annis, octo illi dies, quorum principium eſt à „XXV Kiſleu, eſſent dies lætitiæ & laudum, accenderentque „in eis lucernas veſpere in portis domorum ſinguli ſinguli noctibus, durante illo octiduo, ad hujus miraculi declarationem. Et hi ſunt dies qui vocantur Dedicationis. Prohibitumque eſt in eis lamentari & jejunare, ut die Sortium, „quo ſcilicet renovatur memoria impii Haman & liberationis Iſraelitarum ſub Aſſuero. Et Lucernarum accenſio in illo octiduo res eſt præcepta diſertis Legisperitorum „verbis, ſicut lectio voluminis Eſther præcepta eſt.* Hæc illic.

JAC. CAPPELLUS.

7. *EGO ſum oſtium ovium.* 8. *Quotquot ante me venerunt*, dicentes videlicet ſe oſtium ovium eſſe, vel ita ſe gerentes acſi eſſent oſtium ovium, *fures ſunt & latrones. Sed*, quantumvis ſeſe velut ovium oſtium oſtentarent, *non auſcultarunt eos oves*, eos oſtiorum inſtar non admiſerunt, ſed ut hoſtes, ut lupos ejecerunt, ii qui veræ ſunt oves, non hœdi, non hirci. Oſtentat autem ſe velut oſtium non tantum is qui ſe dicit eſſe Chriſtum, ſed & quiſquis verbo Dei ſubſtituit figmentum ſuum velut oſtium perducens ad Deum.

32. *Multa præclara opera demonſtravi vobis*] Sic Demoſthenes Olynthiaca 2. ἔργον τι δεικνύειν. Herodianus in Pertinace, ἐπιδεικνυμένου τε ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πολλὰ σώφρονα καὶ χρηστὰ ἔργα.

35. *Deos dixit illos ad quos* ille *ſermo Dei factus eſt*] Omnino putamus articulum vocis ὁ λόγος hoc loco vim ἀναφορικὴν habere, ut referatur ad Pſalmum 82. quem v. 34. citaverat Chriſtus. Ita fiet evidentior vis argumenti quod vocant à Minore ad majus. q. d. Si non invidetis *Dei* titulum iniquis Principibus, quales ſunt illi quos compellat David Pſ. 82. 6. quanto minus hunc titulum mihi debetis invidere, cum Deus miſſionem meam tot modis *ſanctificaverit*, h. e. commendaverit, ſanciverit, confirmaverit?

GROTIUS.

1. ΑΜΗΝ, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *Amen, Amen dico vobis*] Sermoni huic, ut & priori, occaſio ex re naſcitur. Quia enim cæcus ejectus erat & Chriſtus pro ſeductore habitus, hinc de vero Paſtore & Oſtio incipit differere. Sicut autem Chriſtus priori ſermone, ut Meſſiam ſe indicaret, circumlocutione uſus ſe *Lucem mundi* dixerat, quod Meſſiæ eſt epitheton, ita nunc alio epithero idem ſignificat. Nam apud Ezechielem Meſſias indicatur nomine *unius paſtoris*, XXXIV. 23. Ideo poſt hunc ſermonem abſolutum interrogant Judæi, *an ſe Chriſtum dicat*, infra 24. Vide 1 Petr. v. 4. ubi idem Ezechielis locus reſpicitur. Etiam apud Xenophontem legimus, Παραπλήσια ἔργα νομέως ἀγαθῶ καὶ βασιλέως ἀγαθῶ [*Vicina eſſe opera boni paſtoris & boni Regis*]. ¶ Διὰ τῆς θύρας, *per oſtium*] *Per oſtium villæ* ubi ſtatim apparebat ſubdiale & in eo caula. Euſtathius ad Odyſſeæ Ξ. Πρόθυρος ὁ ἔξω, μεθ' ὃν αὐλὴς ἡ αὐλή. [*veſtibulum exterius, poſt quod ſtatim ſubdiale*]. ¶ Εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, *in ſeptum ſive ſubdiale ovium*] Nam erant & alia ſepta hircorum, lumi. ¶ Ἀλλαχόθεν, *aliunde*] Perrupto pariete. ¶ Κλέπτης ἐστὶ καὶ λῃστής. *fur eſt & latro*] Fur, quia venit ut rapiat alienum; latro, quia ut occidat. Sic exponitur infra 10.

2. Ὁ δὲ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας, *Qui autem intrat per oſtium*] Qui ad officium illud electus eſt.

3. Τούτῳ ὁ θυρωρὸς ἀνοίγει, *huic oſtiarius aperit*] Nihil opus eſt in parabolis particulas ſingulas habere cui reſpondeant. Multa ſunt ἐπεισοδιώδη [*adſcita ornandi cauſa*]. Sic hoc de Janitore aperiente deſcriptio eſt noti hominis. ¶ Καὶ τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει. *& oves vocem ejus audiunt*] Habent paſtores voces quaſdam proprias, ut σίττα [*ſitta*] apud Theocritum, quibus allueſcunt pecudes. *Oves* autem in allabulatione intellige eos qui pio ſunt animo ac proinde dociles, infra 16. Hi & ex Majeſtate verborum & ex ſanctitate dogmatis Chriſtum agnoſcunt. ¶ Καὶ τὰ ἴδια πρόβατα καλεῖ κατ' ὄνομα, *& proprias oves vocat nominatim*] *Ipſe viciſſim oves ſuas novit.* Vide Prov. XXVII. 23. Virgilius,

Biſque die numerant ambo pecus. ———

Vocare nomine ſignum perfectæ nutritiæ: Eſaiæ XL. 26. & alibi. ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ [*cognovit Dominus qui ſunt ejus*], II Tim. II. 19. ¶ Ἐξάγει αὐτά. *educit eas*] *Educit in paſcua.* Ne hoc quidem requirit ſpecialem ἀντιτίδοσιν [*redditionem*]. Pertinet enim ad circumlocutionem curæ paſtoralis.

4. Ἐκβάλῃ, *emiſerit*] Quod jam dixerat ἐξάγειν [*educere*] nunc dicit ἐκβάλλειν [*emittere*]. Sic ... modo per ἐξάγω [*educo*] vertitur, Jer. XLVI. 27. modo per ἐκβάλλω [*emitto*], II Par. XIII. 9. Jerem. XXIX. 18. ¶ Ἔμπροσθεν αὐτῶν πορεύεται. *ante eas vadit*] Solent paſtores non modo ſubſequi gregem ſed & præire. Vide Pſalm. LXXX. 1. & quæ diximus Matth. XXV. 32. Sic Chriſtus vitæ exemplo nobis præiit, & veræ Chriſti diſcipuli τύποι [*formæ*] ſunt τοῦ ποιμένος [*gregis*] 1 Pet. V. 3.

5. Οὐκ οἴδασι τῶν ἀλλοτρίων τὴν φωνήν. *non noverunt vocem alienorum*] Sic & pii animi agnoſcunt falſorum magiſtrorum arrogantiam, privati commodi ſtudium, & alia à pietate aliena.

6. Τὴν παροιμίαν, *proverbium*] ... Hebræum omnem *ſermonem figuratum* ſignificat, Ezech. XX. 49. Diſtinguunt Græci παροιμίαν [*proverbium*] & παραβολὴν [*parabolam*], ſed Helleniſtæ pro eodem uſurpant. Itaque liber Solomonis ... utroque titulo inſcribitur: & ſicut apud Matth. XV. 15. παραβολὴ [*parabola*] vocatur quæ proprie eſt παροιμία [*proverbium*], ita hic & XVI. 25, 29. παροιμία [*proverbium*] appellatur quæ proprie eſt παραβολὴ [*parabola*]. ¶ Οὐκ ἔγνωσαν τίνα ἦν ἃ ἐλάλει αὐτοῖς. *non cognoverunt quid loqueretur eis*] Quid hac ſimilitudine ſignificaret. Sic λέγειν [*dicere*] habuimus ſupra II. 21.

7. Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα, *ego ſum oſtium*] Superiori ſimilitudine non expoſita, aliam affinem orditur atque explicat, occaſione ejus quod de oſtio dixerat. Intra oſtium in uno ſunt oves.

8. Πάντες ὅσοι ἦλθον, *omnes quotquot venerunt*] Πρὸ ἐμοῦ [*ante me*], quod Nonnus & Arabs legerunt, puto rectius omitti, cum præter Latinum & Syrum multa Græcorum exemplaria conſentiant. Et credibilius eſt adjectum hoc interpretamentum quam ſine cauſa eraſum. *Omnes qui venerunt*, intellige ſibi arrogantes illud nomen *magni Paſtoris*, id eſt, Meſſiæ. ¶ Κλέπται εἰσὶ καὶ λῃσταί· *fures ſunt & latrones*] Id eſt, Fuerunt, Theudas, Judas Gaulonites & ſi qui his ſimiles impoſtores, qui & ſe ſaginarunt & miſerum populum à ſe faſcinatum cædibus objecerunt. Alluditur ad locum Jer. XXIII. 1. & Ezech. XXXIV. 2, 3. ¶ Οὐκ ἤκουσαν αὐτῶν τὰ πρόβατα. *non audierunt eos oves*] Habuerunt ſuos ſectatores Zelotas, humana commoda ſectantes; ſed pietatis amantes alieni ab ipſis fuerunt.

9. Δι' ἐμοῦ ἐάν τις εἰσέλθῃ, *per me ſiquis introierit*] Per me inveniet fidum receptum apud Deum. Rom. V. 1. Heb. X. 19. ¶ Σωθήσεται· *ſalvabitur*] *Extra periculum erit.* ¶ Καὶ εἰσελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται, καὶ νομὴν εὑρήσει. *& ingredietur & egredietur, & paſcua inveniet*] Id eſt, ubicunque fuerit, pabulo non carebit. Sic enim mos eſt loquendi Hebræis, Deuter. XXVIII. 6. Pſalm. CXXI. 8. I Sam. XXIX. 6. II Sam. III. 25. II Par. I. 10. Eſt autem alluſio ad id quod erat in comparatione: nam oves caula exeunt & in eam redeunt. νομὴν [*paſcuum*] ...

10. Ὁ κλέπτης, *Fur*] Qui & λῃστὴς [*latro*], quam vocem ſupra addidit: ſequentibus ſenſum exprimit. ¶ Ἵνα ζωὴν ἔχωσι, καὶ περισσὸν ἔχωσιν. *ut vitam habeam, & abundantius habeant*]

Amplius habeant, Syrus. Oves quæ bene habentur non tantum habent quæ neceſſaria ſunt ad vitam ſuſtentandam, ſed & delicias herbarum varietate. Vide de caprarum deliciis Eupolidis anapeſtos qui apud Macrobium leguntur, & confer ea quæ ſunt Ezech. xxxiv. Sic Chriſtus ſuis non tantum vitam dabit æternam ſed & cum ea vita omne genus felicitatis. Sic περισσότερον [*abundantius* ſive *amplius*] habuimus Matth. v. 37. Luc. xii. 4. Heb. vi. 17.

11. Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός. *Ego ſum paſtor bonus*] Occaſione antedictorum tertiam incipit comparationem, *Paſtoris* vocem jam ſumens non pro ſolo Meſſia, ſed pro quovis populum docente. Neque hic Paſtorem opponit, ut ante, Furi & Latroni, ſed Paſtorem qui idem dominus ſit ovium, mercenario, quem *alienum* Virgilius vocat,

Hic alienus oves cuſtos bis mulget in hora:
Et ſuccus pecori & lac ſubducitur agnis.

Homerus Odyſſ. Π.

- - Αὐτὰρ μῆλα πολλὰ φθείρουσι νομῆες.
[- - *Perit Paſtorum deſidia grex*].

Eſt eadem oppoſitio Paſtoris & Mercenarii apud Rabbinum Abrahamum. Ibi ergo Chriſtus ſe Pſeudochriſtis opponit, hic quibuſvis pravis Doctoribus. Ibi reſpexit Theudam & eos quos diximus, hic Legiſperitos ſuorum temporum & Phariſæos. ¶ Τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τιθησιν, *animam ſuam ponit*] Ψυχὴν τιθέναι [*Animam ponere*] ſignificat hoc loco *mortem non deſugere*, ſive reipſa mors ſequatur, ſive non; quod plenius Hebræi dicunt *vitam ponere in manu ſua*, Jud. xii. 3. 1 Sam. xix. 5. xxviii. 21. Sic παραδεδώκασι τὰς ψυχὰς αὐτῶν [*tradiderunt animas ſuas*], Actor. xv. 26. Sic παρθέμενοι κεφαλὰς [*objectant capita*] apud Homerum Odyſſeæ ſecundo, & ψυχὰς παρθέμενοι [*objectant animas*] Odyſſeæ tertio: ubi Scholiaſtes ἀφειδήσαντες ἑαυτῶν [*ſibi non parcentes*]. Plautus Captivis dixit *caput periculo ponere*. ¶ Τὰ πρόβατα· *pro ovibus*] Cujus rei typus fuit in Davide 1 Sam. xvii. 34. & ſequentibus. Alioqui vix eſt ut quis ſe pro pecude magnis periculis objiciat.

12. Καὶ οὐκ ἔστι ποιμήν, & *qui non eſt paſtor*] *Qui affectu paſtor non eſt.* Vide Phil. ii. 21. ¶ Οὗ οὐκ εἰσὶ τὰ πρόβατα ἴδια, *cujus non ſunt oves propriæ*] Quia nec ipſius ſunt pecudes nec paternæ, ut Davidi; neque eſt partiarius, ut loquuntur. Itaque à veri Paſtoris nomine Apoſtoli eorumque ſimiles non excluduntur, quia gregem Chriſti tanquam ſuum curabant. Vide 1 Cor. xii. 15. ¶ Θεωρεῖ τὸν λύκον ἐρχόμενον, καὶ ἀφίησι, *videt lupum venientem & dimittit*] Id eſt, *Si videat lupum venientem, deſerit gregem fugæ. Lupum* intellige ſævitiam imminentem, quam fugere non ſemper vetitum eſt, ſed tum demum cum eo modo grex deſtitutus manet. Vide quæ ad Matth. x. 23. ¶ Καὶ ὁ λύκος ἁρπάζει αὐτὰ, καὶ σκορπίζει τὰ πρόβατα, & *lupus rapit eas, & diſſergit oves*] Id eſt, *ita ut lupus partim rapiat oves, partim diſjiciat.* Ita vox πρόβατα [*oves*] repetitur ad ſignificandam partitionem, & καὶ [&] eſt conſecutionis. Oppoſitio Paſtoris & Lupi hominibus aptata eſt & apud Maximum Tyrium, diſſertatione *Quid ſit ſcientia*, Κύρος μὲν ἡγεῖτο Περσῶν ὡς ποιμὴν θρεμμάτων, σώζων τὸ αἰτάλευτον καὶ τρέφων, καὶ Μήδοις πολεμῶν, καὶ Βαβυλωνίους λαμβάνων, καὶ μηδενὶ ἐφεὶς λύκῳ βαρβάρῳ καὶ ἀγρίῳ ἀναμιχθῆναι τῇ ἀγέλῃ. Καμβύσης δὲ ἦν καὶ αὖθις Ξέρξης ἐκ ποιμένων ἀγαθῶν πονηροὶ λύκοι. [*Cyrus Perſis imperabat ut Paſtor ovibus, ſervans & alens gregem, nunc in Medos bellans, nunc Babylonios capiens, nec cuiquam lupo fero ac barbaro permittens inducere ſe in gregem. Cambyſes vero & rurſus Xerxes ex bonis Paſtoribus orti lupi mali fuere*].

13. Οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων. *non eſt ei cura de ovibus*] *Non ſunt oves ei cordi:* quia res ipſius non agitur, neque tanti putat. Eadem locutio Marci xii. 14. Lucæ x. 40.

14. Καὶ γινώσκω τὰ ἐμὰ, & *cognoſco meos*] Πρόβατα [*oves*] ex ſuperioribus intellige. *Novi* autem hic intellige, *Scio quanti me faciant*, ut ſupra i. 10. ¶ Καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν. & *cognoſcor à meis*] *Sciunt viciſſim quo amore ſe proſequar.*

15. Καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, *Sicut novit me Pater*] *Sicut & Pater ſcit quam ipſi ſim obſequens:* Matth. xi. 27. ¶ Κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα. & *ego agnoſco Patrem*] *Et ego ſcio quanti ſim apud Patrem*, quanta mihi deſtinet. Sæpius Chriſtus amorem inter ſe & Chriſtianos comparat ei amori qui eſt inter ſe & Patrem, ſupra vi. 56, 57. infra xvii. 23. Vide Matth. dicto jam loco.

16. Καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, *Et alias oves habeo*] Non pro his tantum conſanguineis meis me morti objiciam, ſed & pro extraneis. *Oves* intellige eos qui miti erant animo ac tali ut ſpes eſſet eos Euangelium ſibi patefactum non repudiaturos. Sic & *populi* vox ſumitur ex ſpe futuri Act. xviii. 10. & *meſſis*. Matt. ix. 37. ¶ Ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης. *quæ non ſunt ex hoc ovili*] Non ex hac gente ſunt. ¶ Κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν. & *illas oportet me adducere*] Per miniſtros meos. ¶ Καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι. & *vocem meam audient*] Oſtendit magnam copiam eorum qui in ſe credituri eſſent ex Gentibus. ¶ Μία ποίμνη, εἷς ποιμήν. *unum ovile, unus paſtor*] Proverbium fuit, *Grex unus, unus paſtor.* Vide locum ſimilem Ezech. xxxvii. 24. ubi typus eſt ejus rei. Deſcriptio Eccleſiæ undique colligendæ ſub capite Chriſto. Antea erant ſub variis Doctoribus, Judæi ſub Legiſperitis, Græci ſub Philoſophis.

17. Διὰ τοῦτό ὁ πατήρ με ἀγαπᾷ, *Propterea me diligit Pater*] מפני [*propter laborem animæ ſuæ*] Eſa. liii. 11. & ibidem לכן, διὰ τοῦτο [*ideo*] Græce δι' ὃ [*propter quod*] Philipp. ii. 9. ¶ Ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν. *ut iterum ſumam eam*] Hoc ἵνα [*ut*] non eſt τελικὸν [*finis ſignificativum*] ſed, ut ſæpe, ἐκβατικὸν [*eventus ſignificativum*]. Quaſi repetiiſſet, Objiciam quidem me morti, ſed ita ut vitam ſim recepturus.

18. Οὐδεὶς αἴρει αὐτὴν ἀπ' ἐμοῦ. *Nemo tollit eam à me.*] Oſtendit Chriſtus aliquid in ſe eximium. Alii etſi periculo ſe non offerre poterant, non tamen quoties volunt ſe periculo poſſunt eximere, quod ipſe poterat. Ideo ait ſibi non eripi vitam, invito ſcilicet. ¶ Ἀπ' ἐμαυτοῦ. *à me ipſo*] *Mea voluntate*, ut hic rectè Syrus. ¶ Ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτήν, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν. *poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*] Ἐξουσία hoc loco, ni fallor, *potentiam* ſignificat, ut Actor. i. 7. xxvi. 18. Hunc ſenſum habet משלה, & ſic vertitur Pſ. cxxxvi. 8. πάλιν λαβεῖν αὐτήν [*iterum ſumere eam*] intellige *vitam periculo jam præſenti eripere:* quod ſæpe fecit, cum ſe reddidit inconſpicuum, & cum corda ſatellitum emollivit, & cum in ſe miſſos præcipites dedit. ¶ Ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔλαβον παρὰ τοῦ πατρός μου. *hoc mandatum accepi à Patre meo*] Pater hoc negotium ovium ſervandarum mihi commendavit. Solet ἐντέλλεσθαι [*mandare*] apud Græcos dici etiam ubi *imperium* propriè dictum locum non habet.

19. Σχίσμα, *Diſſenſio*] Vide ſupra ix. 16.

20. Δαιμόνιον ἔχει καὶ μαίνεται. *Dæmonium habet & inſanit*] Alterum per alterum exponitur: quaſi dicas, *Furus agitans inſanit.* Vide ſupra vii. 20.

21. Μὴ δαιμόνιον δύναται τυφλῶν ὀφθαλμοὺς ἀνοίγειν; *numquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?*] Opus hoc eſt poteſtatis rerum Opificis, non ſpiritus minoris. Vita & ſenſus ſolius Dei ſunt munera. Chryſoſtomus, Οὐ γὰρ ἔπλασε μόνον ὀφθαλμοὺς ὃς ἀνέῳξεν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὁρᾶν ἐχαρίσατο· ὅπερ τοσαύτην ἔχει τῷ καὶ ψυχὴν ἐμφυσῆσαι. ἐκείνης γὰρ μὴ ἐνεργούσης, ὁ ὀφθαλμὸς, κἂν ἀτηρτισμένος ᾖ, οὐκ ἂν ἴδοι ποτὲ οὐδέν. [*Non enim formavit tantum oculos quos aperuit, ſed & videndi facultatem eis dedit: quod ſignum eſt cum etiam animam inflaſſe oculis. nam anima non operante, oculus etiam integer nihil unquam videat*].

22. Ἐγένετο δὲ τὰ ἐγκαίνια, *Facta ſunt autem encænia*] Ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ [*dies dedicationis* ſive *innovationis*] 1 Macc. iv. 58. Joſephus libr. xii. Ant. cap. xi. Ἐόρταζε δὲ ἰδίας μετὰ τῶν πολιτῶν ἀνάκτησιν τῆς περὶ τὸν ναὸν θυσίας ἐφ' ἡμέρας ὀκτὼ, μηδὲν ἀτολιτῶν ἡδονῆς εἶδος, ἀλλὰ πολυτελέσι μὲν καὶ λαμπραῖς ταῖς θυσίαις κατευνηχῶν αὐτὰς, ὕμνοις δὲ καὶ ψαλμοῖς τὸν Θεὸν μὲν τιμῶν, αὐτὸς δὲ τέρπων. Τοσαύτην δὲ ἐχρήσαντο τῇ περὶ τὴν ἀνανέωσιν τῶν ἐθῶν ἡδονῇ, μετὰ χρόνον πολὺν ἀπροσδοκήτως εἰς ἔκστασιν γενόμενοι τῆς θρησκείας, ὡς νόμον θεῖναι τοῖς μετ' αὐτὸς, ἑορτάζειν τὴν ἀνάκτησιν τῶν περὶ τὸν ναὸν ἐφ' ἡμέρας ὀκτώ. καὶ ἐξ ἐκείνου μέχρι δεῦρο τὴν ἑορτὴν ἄγομεν καλουμένην Φῶτα. [*Egit autem Judas cum civibus per octo dies inſtaurationem ſacrificiorum in templo, nullum omittens lætitiæ genus, ſed magnificis ſplendidiſque victimis eos excipiens. Deum autem honorans hymnis & pſalmis, ſimulque populares oblectans. Tantum autem gaudii cepere ex hac rituum reſtitutione, libertate religionis poſt multum temporis inexſpectato recuperata, ut legem inter ſe fecerint, quotannis ſolennes agere dies octo ob res templi reſtitutas. Et ex eo in hunc diem celebramus id ſolenne quod dicitur Lumina*] Vocabatur Φῶτα [*Lumina*] quia per totos hos octo dies lucernæ noctibus etiam in domibus accendebantur, ut in titulo Thalmudico, quo de hoc faſto & feſto Sortium agitur, traditum eſt. Ἐγκαινίζειν [*dedicare*], unde eſt nomen ἐγκαίνια [*encænia*], Hebræis eſt חנך: quod de quavis dedicatione ſive prima ſive inſtaurata uſurpatur. Invenitur Deuter. xx. 5. 1 Reg. viii. 64. 11 Paralip. vii. 5. Diſcimus hinc poſſe pie à populo Dei etiam ſine ſpeciali mandato Divino in beneficii alicujus memoriam dies feſtos inſtitui. ¶ Καὶ χειμὼν ἦν. & *hyems erat*] Πέμπτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ Χασελεὺ μηνὸς

[vi-

Digitized by Google

[*viceſima & quinta menſis Cheſlæi*], quod in Decembrem incidit.

23. Ἐν τῇ στοᾷ τῇ Σολομῶντος. *in porticu Solomonis*] Bene cohæret cum eo quod dixit *hyemem fuiſſe*. Nam æſtate in ipſo ſubdiali ambulabant: hyeme magis in porticu, ubi & tum denſior erat multitudo: quam occaſionem captant Jeſu inimici. Dicitur autem *Solomonis porticus* aut *regia*, quia eodem loco quo illic ſuam ſtruxerat erat reſtituta, ad Meridiem Templi: deſcribit Joſephus VIII Ant. c. 11. & XX. c. 8. Sed ibi ἀνατολικὴν [*orientalem*] mendoſè pro νότιον [*auſtralem*] ſcriptum putant viri eruditi.

24. Ἐκύκλωσαν οὖν, *Circumdederunt ergo*] Magno confluxu, quo plures eſſent teſtes ejus quod Jeſus eſſet dicturus. ¶ Ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις; *Quouſque animam noſtram tollis?*] Αἴρειν [*tollere*] hic eſt quod μετεωρίζειν, *in ſublime tollere*, Lucæ XII. 29. *ſuſpenſum tenere in dubio*. ¶ Εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ. *ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam*] Videbant Jeſum uti circumlocutionibus eo tendentibus, ut eum ſe *Lucem mundi*, cum *eximium Paſtorem*, imo & *Dei Filium* vocabat: ſed volunt eum aperte loqui: hoc enim eſt παῤῥησίᾳ [*palam*], ut apparet infra XVI. 29. Nimirum *Chriſti* nomine ſciebant *Regem* intelligi, atque ea profeſſione periculum illi creare volebant apud Romanos.

25. Εἶπον ὑμῖν, *dixi vobis*] Reipſa, verbis idem ſignificantibus quanquam minus invidioſis. ¶ Τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ, *opera quæ ego facio*] Cæcos illumino, & ſenſu myſtico, &, quo magis excitemini, etiam ſenſu populari; aliaque facio quæ de Meſſia ſunt prædicta.

26. Οὐ γάρ ἐστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν, *non enim eſtis ex ovibus meis*] Non eſtis pii ac dociles, quales ſunt apti ut oves meæ fiant. Vide quæ ſupra 16. ¶ Καθὼς εἶπον ὑμῖν. *ſicut dixi vobis*]. Dixi *oves eſſe eos qui vocem meam audiunt*. Confer quod ſupra VIII. 47.

28. Κἀγὼ ζωὴν αἰώνιον δίδωμι αὐτοῖς, *Et ego vitam æternam do eis*] Ne quis putaret qui oves non eſſent oves fieri nullo modo poſſe, adhuc promiſſorum excellentia eos allicit ut oves fieri velint. ¶ Καὶ οὐ μὴ ἀπόλωνται εἰς τὸν αἰῶνα, *& non peribunt in æternum*] *Nunquam peribunt penitus*. Sic enim locutio hæc ponitur infra XIII. 8. & alibi ſæpe. Intellige autem loqui Chriſtum de ovibus qua tales ſunt ac manent, ut ſupra III. 36. ¶ Καὶ οὐχ ἁρπάσει τις αὐτὰ ἐκ τῆς χειρός μου. *& non rapiet eos quiſquam de manu mea*] Nulla vis, ne ipſe quidem diabolus, qui τὸ κράτος ἔχει τοῦ θανάτου [*mortis habet imperium*] Hebr. II. 14. Spiritus ſanctorum deponuntur in manu Chriſti, Actor. VII. 59. Is eos ſervat ad tempus reſurrectionis, quæ prædicta à Daniele, credita à Maccabæis, adumbrata in liberatione populi ab Antiocho. Hæ vero Prophetiæ & hiſtoriæ tempore ἐγκαινίων [*encæniorum*] populo explicabantur.

29. Ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί· *Pater meus qui dedit mihi, major omnibus eſt*] Sic habent non Græci tantum ſed & Syrus & Arabs. Quare omnino videtur hæc verior lectio. Pater dat credentes Filio ſervandos ac vivificandos. Vide ſupra VI. 37. Pater autem fortior eſt morte & diabolo. ¶ Καὶ οὐδεὶς δύναται ἁρπάζειν ἐκ τῆς χειρὸς τοῦ πατρός μου *& nemo poteſt rapere de manu Patris mei*] Καὶ [*&*] pro *ideo*, ut ſupra v. 30. *Quia Pater potentior illis eſt, ideo illi nihil poſſunt eripere Patris poteſtati.*

30. Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν. *Ego & Pater unum ſumus*] Connectit quod dixerat cum ſuperioribus; Si Patris poteſtati eripi non poterunt, nec meæ poterunt: nam mea poteſtas à Patre emanat & quidem ita ut tantundem valeat *à me*, aut *à Patre*, *cuſtodiri*. Vide Gen. XLI. 25, 27.

31. Ἐβάστασαν οὖν πάλιν λίθους, *Suſtulerunt ergo iterum lapides*] Nimirum quod intelligerent Jeſum ſibi adſcribere Divinam poteſtatem. Sic ſupra v. 18.

32. Πολλὰ καλὰ ἔργα, *Multa bona opera*] *Pulchra, laudabilia:* טבים, *eximia*, Syrus. Sic Matth. v. 16. Marci XIV. 6. 1 Tim. v. 10. ¶ Ἐδείξα ὑμῖν, *oſtendi vobis*] *Feci, & quidem palam*. Hebræi dicunt הראה *facere videre*, Pſalm. IV. 7. LX. 5. LXXXV. 8. Eccl. II. 24. ¶ Ἐκ τοῦ πατρός μου. *ex Patre meo*] Modeſtiæ cauſa & imminuendæ invidiæ hoc adjicit: ἐκ [*ex*] pro παρὰ [*à*], ut ſæpe. ¶ Διὰ ποῖον αὐτῶν ἔργον λιθάζετέ με; *propter quod eorum opus me lapidatis*]? Eſt mira ἐνέργεια [*vehementia*] in his verbis. ποῖος [*qualis*] pro *quis*, Matth. XIX. 18. Lucæ XII. 39. Apoc. III. 3. & alibi. *Lapidatis*, id eſt, *lapidare vultis*. Nam his verbis Chriſtus quanquam perverſos animos inhibuit ne deſtinatum opus efficerent, reipſa oſtendens quod dixerat, in ſua eſſe poteſtate ſemet eripere periculis quoties vellet.

33. Περὶ καλοῦ ἔργου σὲ λιθάζομέν σε, *De bono opere non lapidamus te*] Quaſi dicant, An bonum aliquod opus feceris jam non quærimus: ſed hæc non eſt cauſa cur tibi male velimus. ¶ Περὶ βλασφημίας, *de blaſphemia*] Non tantum maledicta in Deum hoc nomine veniunt, ſed & quicquid Dei honorem minuit. Matth. IX. 3. XXVI. 65. Marc. XIV. 64. ¶ Καὶ, *&*] Id eſt, *nempe*. ¶ Ὅτι σὺ ἄνθρωπος ὢν, *quia tu, homo cum ſis*] *Caro & ſanguis*, ut loquuntur Hebræi. ¶ Ποιεῖς σεαυτὸν Θεόν. *facis teipſum Deum*] Id eſt, *Deus*, ut ſupra VIII. 53. *pro Deo te venditas*. Hoc ideo quia *Patrem ſuum* ſingulàri modo *Deum* dixerat, ut diximus ſupra v. 18. Quare quod ibi dixerant *æqualem Deo*, hic dicunt *Deum*, id eſt, quaſi alterum Deum: ſicut filii idem cum patre eſſe etiam in jure dicuntur.

34. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς, *Reſpondit eis*] *Replicans:* ut infrà XII. 34. ¶ Ἐν τῷ νόμῳ ὑμῶν, *in lege veſtra*] Id eſt, In Sacris illis Literis quæ vobis præſcribunt quid credere & facere debeatis, & proinde non male Legis nomine appellantur, id eſt, תורה, quo ſignificatur *quicquid hominem dirigit*. Sic infra XV. 25. 1 Cor. XIV. 21. utitur hic & Origenes frequenter. Sed & in ipſa Moſis lege non quidem eadem exſtant verba, ſed ſenſus idem cum Judices *Dii* vocantur. ¶ Ἐγὼ εἶπα; θεοί ἐστε; *Ego dixi, dii eſtis?*] Pſalm. LXXXII. qui de Judicibus Synedrii Magni factus eſt ad eos ſui officii commonefaciendos.

35. Εἰ ἐκείνους εἶπε θεούς, *ſi illos dixit deos*] Nempe Sacra Scriptura, cui ſolent *more προσωποποιΐας* [*per perſonæ fictionem*] talia tribui, ſupra VII. 38. Roman. IV. 3. 17. X. 11. XI. 2. Gal. III. 8, 22. IV. 30. 1 Tim. V. 18. Jac. IV. 5. ¶ Πρὸς οὓς ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐγένετο, *ad quos ſermo Dei factus eſt*] Dicitur quidem hoc de omnibus quos aliquo modo Deus affatur, ſed hoc loco aſſentior omnino iis qui λόγου [*ſermonem*] interpretantur *mandatum*; ſicut דבר eodem jure modo λόγου [*verbum*], modo πρόσταγμα [*juſſum*] vertunt Græci 1 Par. XXVI. 32. & quod Latine dicimus *mandatum*, Hebræi dicunt בדבר [*in verbo*]. Mandatum autem à Deo acceperant Senatores judicandi populum: ideo *Dei judicia exercere* dicuntur II Paralip. XIX. 6. & ipſa judicia *res Dei* vocantur I Paral. XXVI. 32. II Paralip. XIX. 11. Vide inſtitutionem ejus judicii Num. XI. 17. ¶ Καὶ οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή. *& non poteſt ſolvi Scriptura*] *Non poteſt ea contradici.* Sicut qui facit contra præceptum *id ſolvere* dicitur Matth. V. 19. ſupra v. 18. VII. 23. ſic & qui affirmationi contradicit.

36. Ὃν ὁ πατὴρ, *quem Pater*] Subaudiendum hic *mihi*, ut ex ſequentibus apparet. ¶ Ἡγίασε, *ſanctificavit*] Quod Jer. I. 5. eſt קדש, in Græco ἁγιάζειν [*ſanctificare*], ut & Eccleſ. XLIX. 7. id Paulus ad eum locum alludens vertit ἀφορίζειν [*ſegregare*] Gal. I. 15. Hebræi dicto loco Jeremiæ recte exponunt *præparare*, ad Divinum ſcilicet miniſterium. Quod in Chriſti conceptione ineffabili, eximio & admirando modo factum eſt. τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον [*quod naſcetur ex te ſanctum*] ait Angelus matri Lucæ I. 35. Sed magis eſt ut hic aliquid intelligatur de quo ſatis auditoribus conſtare poterat, attributio ſcilicet poteſtatis tanta prodigia faciendi. ¶ Καὶ ἀπέσταλκεν εἰς τὸν κόσμον, *& miſit in mundum*] Qui mandatum aliquod à Deo accipit ad aliquem perferendum, in *mitti* ab eo dicitur, ut ſupra I. 6. III. 17, 34. V. 36, 38. VI. 57. VIII. 42. Eſt autem hic tacita comparatio: Senatores mandata acceperant ad unum populum pertinentia, ego ad totum genus humanum, ut ſupra I. 9. III. 17. IV. 42. VIII. 12. ¶ Ὑμεῖς λέγετε Ὅτι βλασφημεῖς, ὅτι εἶπον, υἱὸς τοῦ Θεοῦ εἰμι; *vos dicitis: quia blaſphemas: quia dixi, Filius Dei ſum?*] Refellit calumniam: quaſi diceret, Si quid Divini mihi tribui, non id feci me opponens Deo, ſed eum ut fontem agnoſcens: Quod oſtenditur ipſis vocibus *Patris* & *Filii* quas uſurpavi. Eſt hic oratio directa pro indirecta. Senſus enim eſt, λέγετέ με βλασφημεῖν [*dicitis me blaſphemare*].

37. Τὰ ἔργα τοῦ πατρός μου, *opera Patris mei*] Deo digna, dum omne genus morborum ſano, cogitationes interſpicio; corda flecto ubi libuit, cæcis viſum do, diabolis manu impero. ¶ Μὴ πιστεύετέ μοι. *nolite credere mihi*] Eſt figura quæ Conceſſio dicitur: quaſi dicat, Niſi tanta facio, permittam vobis ne credatis. Sic ſupra IX. 41.

38. Κἂν ἐμοὶ μὴ πιστεύητε, *& ſi mihi non vultis credere*] *Etiamſi verbis meis*, quanquam Divina majeſtate prolatis, *credere non vultis*. ¶ Τοῖς ἔργοις πιστεύσατε. *operibus credite*] *Factis habete fidem:* quod alibi dixit διὰ τὰ ἔργα πιστεύετέ μοι [*propter ipſa opera credite mihi*], XIV. 11. ¶ Ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, *quia Pater in me eſt*] Per vim operantem. Sic infra exponitur dictum illud, πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι [*Pater in me eſt*], nempe, ὁ πατὴρ ὁ ἐν ἐμοὶ μένων, αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα [*Pater in me manens, ipſe facit opera*]. XIV. 10. ¶ Κἀγὼ ἐν αὐτῷ. *& ego in Patre*] Per obedientiam perfectiſſimam. Sic infra

XIV.

XIV. 10. ὅτι ἐγὼ εἰμὶ ἐν τῷ πατρὶ [*quia ego ſum in Patre*], exponitur τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ [*verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor*]. Confer XV. 4. 5.

39. Πιάσαι. *apprehendere*] Quia blaſphemiæ calumniam ita ſolverat ut ne ſpecies quidem reſtaret, lapidationem tanquam in blaſphemum omittunt, & dant operam ut eum captum tradant Synedrio aliud aliquod crimen reperturo. ¶ Ἐξῆλθεν ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῶν. *exivit de manibus eorum*] Inconſpicuus; iterum oſtendens poteſtatem ſibi non deeſſe quævis pericula evadendi.

40. Πάλιν πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *iterum trans Jordanem*] In Bethabara. Expoſuimus ſupra I. 28. ¶ Εἰς τὸν τόπον ὅπου ἦν Ἰωάννης τὸ πρῶτον βαπτίζων. *in eum locum ubi erat Johannes baptizans primum*] Nempe antequam in Salim veniret. Hoc ideo addit ut ſignificet Chriſtum ex ipſo loco revocare populo in memoriam voluiſſe teſtimonium à Baptiſta ibidem perhibitum. Ideo mox ſequitur: ἐπίστευσαν πολλοὶ ἐκεῖ [*multi crediderunt ibi*].

41. Ἰωάννης μὲν σημεῖον ἐποίησεν οὐδέν. *Johannes quidem ſignum fecit nullum*] Deo hoc ſic diſpenſante, quo major Meſſiæ eſſet claritas. Hoc autem volunt, Cum Johannes nullum ediderit miraculum, nos tamen eum venerati ſumus, & prope pro Meſſia eum habuimus. ¶ Πάντα δὲ ὅσα εἶπεν Ἰωάννης περὶ τούτου ἀληθῆ ἦν. *omnia autem quæ dixit Johannes de hoc, vera erant*] Hunc multo *ſe eſſe majorem*, *Agnum Dei*, id eſt, emundatorem mundi, apparet ex dictis & factis.

42. Εἰς αὐτόν. *in eum*] Ut in talem qualem Baptiſta dixerat.

CAP. XI.

VALLA.

4. *INfirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eum*] Melius legitur in cod. qui habent *per eam*, δι' αὐτῆς.

16. *Eamus & nos, & moriamur cum eo*] Melius in nonnullis cod. legitur, *Ut moriamur cum eo*, ἵνα.

19. *Ad Martham & Mariam*] Gr. *Ad eas quæ erant circa Martham & Mariam*, πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν.

REVIUS in VALLAM.

19. AD *eas quæ erant circa Martham*: πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν] Recte hoc rejicit Eraſmus. *Non agnovit hoc loco*, inquit, *Valla formam Græcanici ſermonis, quo dicunt illi* τοὺς ἀμφὶ Πλάτωνα *pro Platone ipſo*, οἱ περὶ τὸν Ἐπίκουρον *pro ipſo Epicuro. Non enim inviſebant eas quæ circum illas erant, ſed ipſas in luctu conſtitutas.* Sed Beza in Act. 13. 13. hunc loquendi morem eo refert, *quod* Philoſophi *cum ſuis diſcipulis in publicum procedere ſolerent.* Ideo & hic de mulieribus cognatis ſcilicet agi. Fortaſſe idem diceret de loco Epiphanii Hæreſ. 30. Χλευάζουσι Δαβὶδ τε καὶ Σολομῶνα, ἀμοίρους δὲ τοὺς περὶ Ἡσαΐαν καὶ Ἱερεμίαν· de Eſaia videlicet & Jeremia ſtipatis diſcipulorum caterva agi. Sed quid de eo quod idem ait Hær. 37. dicet? (ὁ ὄφις) οὐκ ἀρχῆθεν τοὺς περὶ Εὔαν καὶ Ἀδὰμ ἐπάτησεν. Etiamne Adamum & Evam aliqui allectabantur, cum nulli erant? Quid de Diodoro Siculo, qui lib. 16. p. 475. εὐθὺς δὲ, inquit, καὶ στρατηγοὺς ἀπέδειξε τοὺς περὶ Χάρητα καὶ Λυσικλέα, i. *mox etiam duces bello Charetem & Lyſiclem præfecit.* Chryſoſtomus etiam in Matth. 8. 29. Lucam cum Matthæo conferens, οἱ δὲ οἱ περὶ Λουκᾶν ἕνα φασὶν αὐτὸν εἶναι, οὗτος δὲ δύο, &c. & ſtatim ad ſingularem numerum tranſit, εἰ μὲν γὰρ εἶπεν ὅτι εἷς μόνος ἦν, ἕτερος δὲ ἂν ἦν, ἔδοξεν ἀμφιβάλλειν τῷ Ματθαίῳ, &c. Friget ergo Bezæ commentum, & ſtat cenſura Eraſmi.

ERASMUS.

1. *LAzarus à Bethania*] Latinius erat *Bethanienſis*, etiamſi apud Græcos non additur articulus, ὁ ἀπὸ Βηθανίας. ¶ *Et Martha ſororis*] Αὐτῆς· ut *ejus* ad *Mariam* referatur, non ad *Lazarum*: quanquam & harum frater erat Lazarus. Quidam codices habebant *ſororum*, ſed reclamantibus Græcis atque etiam noſtris vetuſtioribus.

4. *Ut glorificetur Filius Dei per eum*] Δι' αὐτῆς *per eam*: ut pertineat ad *infirmitatem*, non ad *Lazarum*. Atque ita legitur & in Latinis cod. emendatioribus, nominatim in exemplari Corſend. & Conſt. In cod. Aureo ſcriptum erat *Filium hominis*, pro *Filium Dei*: conſentiebat Conſt.

9. *Nonne duodecim horæ ſunt*] Quanquam hoc extra hujus operis inſtitutum eſſe video, tamen quando incidit, libet admonere mihi hoc loco veterum interpretationem coactiorem videri, cum germanus ſenſus in promptu ſit. Auguſtinus Chriſtum interpretatur *diem*; *duodecim horas*, Apoſtolos. Chryſoſtomus bifariam exponit: aut, Nihil eſſe timendum iis qui ſibi nullius flagitii conſcii ſunt; aut, Luce nihil eſſe timendum, multo magis his qui Chriſto, qui Lux erat mundi, adhærebant. Atque in his quidem interpretationibus ut nihil eſt abſurdum, ita ſimplicius mihi videtur ut accipiamus Chriſtum dixiſſe nihil adhuc eſſe periculi: nondum enim adeſſe tempus mortis ſuæ. Quemadmodum Lucæ 13. 32. reſpondit Phariſæis denuncianti bus quod Herodes vellet eum interficere, *Sanitates perficio hodie & cras, & tertio die conſummor.* Et Paſſionis tempus vocat *poteſtatem tenebrarum*, & *horam impiorum.* Dies habet ſuas horas; nec is noſtro arbitrio ſit brevior aut longior: Et ego tempus habeo præſcriptum quo debeam redimendi orbis negotium peragere: id Judæorum malitia non poteſt anticipari: proinde nihil eſt quod mihi timeatis. Porro ſuum illud tempus & alias *diem* vocat: *Optavit Abraham videre diem meum; & vidit, & gavisus eſt.* Theophylactus ab hac ſententia minimum abeſt, qui *diem* vocat tempus quod præcellit paſſionem, *noctem* tempus quo captus eſt. Et apud nos dies æquinoctialis duntaxat habet XII horas; aliis temporibus, vel plures vel pauciores. Sed, ut ante dixi, puto horas apud Judæos fuiſſe inæquales, ſemper tamen inter exortum & occaſum interceſſiſſe XII horas, & noctem ſive longiſſimam ſive breviſſimam totidem horis fuiſſe diſtinctam; cum apud nos, qui pares habemus horas, aliquando dies non habeat niſi VIII horas, aliquando XVI. Nec in quibuſlibet regionibus dies ac noctes ejuſdem ſunt longitudinis. Porro qui inæqualibus horis utebantur, à meridie, qui ſtatus eſt, ſumebant certitudinem, cui reſpondebat μεσουράνιον. Inæquales autem horas dico, non quod ſint inæquales horæ diei nocturnis, ſed quod ipſæ ſibi ſunt inæquales. Velut hujus diei horæ eras erunt longiores uſque ad ſolſtitium æſtivum, noctis breviores. A meridie igitur, qui ſtatus eſt, ſumitur non initium diei ſed dimenſio, ut pars antemeridiana dividatur in ſex partes, pomeridiana in totidem. Iridem à medio noctis.

16. *Et moriamur*] Ut *moriamur*, ἵνα ἀποθάνωμεν, conſentientibus & antiquis exemplaribus.

19. *Multi autem ex Judæis venerant ad Martham*] Πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν. Non agnovit hoc loco Valla formam Græcanici ſermonis, quo dicunt illi τοὺς ἀμφὶ Πλάτωνα pro *Platone ipſo*, οἱ περὶ τὸν Ἐπίκουρον pro *ipſo Epicuro*. Non enim inviſebant eas quæ circa illas erant, ſed ipſas in luctu conſtitutas: id quod palam arguunt quæ ſequuntur, *ut conſolarentur eas de fratre ſuo.* Uſus eſt ſimili forma ſermonis in Actis Apoſtolorum Lucas c. 13. 13.

27. *Utique, Domine*] Ναὶ Κύριε· quod alias vertit *etiam*. ¶ *Ego credidi quia tu es*] Frequenter admonuimus in hujuſmodi verbis ad affectum pertinentibus præteritum tempus uſurpari loco præſentis; γέγηθα *gavisus ſum* pro *gaudeo*, δέδια *metui* pro *metuo*, ἤλπικα *ſperavi* pro *ſpero*. Itaque non veriti ſumus pro *credidi* vertere *credo*. ¶ *Qui in hunc mundum*] *Hunc* non additur Græcis, εἰς τὸν κόσμον *in mundum*. Nec eſt *venisti*, ſed ὁ ἐρχόμενος *veniens*, ſive *qui venit*; aut, *Chriſtus ille qui in mundum venturus erat.*

28. *Silentio, dicens*] Qui vocare potuit ſilens? Græce eſt λάθρα *clanculum.*

29. *Illa ut audivit, ſurrexit*] Ἐγείρεται ſurgit: atque ita ſcriptum videmus in vetuſtis Latinorum codicibus. Et venuſtius eſt verbum præſentis temporis. ¶ *Et venit*] Item præſentis temporis, ἔρχεται. Et *caſtellum* hic oppidulum aut vicum ſignificat; ne quis imaginetur palatium aut arcem tyrannicam.

39. *Jam fœtet*] Ἤδη ὄζει *jam olet*: quæ vox Græcis anceps eſt; & verecundius eſt *olet* quam *fœtet*.

44. *Ligatus manus & pedes inſtitis*] Synecdochen Græce exſulit. Et *inſtitis* Græcis eſt σειραῖς, quæ vincula ſunt ſepulcralia. ¶ *Sudario*] Euangeliſta Græce ſcribens Latino uſus eſt verbo: quod & alias facit.

47. *Congregaverunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium*] Hoc loco in nonnullis Græcorum codicibus additum videmus κατὰ τοῦ Ἰησοῦ *adverſus Jeſum*: ſed id ſuſpicor ex alio Euangeliſta aſcriptum.

49.

49. *Cum eſſet Pontifex*] Ἀρχιερεὺς, *Summus ſacerdos*. Et rurſum,

51. *Sed cum eſſet Pontifex*] Ἀρχιερεὺς ὤν.

53. *Cogitaverunt ut interficerent*] Ἐυεβαλεύσαντο *conſultabant*, ſive *conſilium inibant inter ſe*.

54. *Apud Judæos*] Ἐν τοῖς Ἰουδαίοις *inter Judæos*. ¶ *Quæ dicitur Ephrem*] Græci legunt Ἐφραίμ. Atque ita refert Hieronymus in Locis Hebraicis. In Chryſoſtomo verſo neſcio quo caſu pro *Ephraim* legitur *Ephrata*; niſi forte ejuſdem loci vocabulum varie pronunciatur. Nam & Hieronymus in dictione *Ephron* ſignificare videtur eandem eſſe *Ephraim* & *Ephron*. Quin & Ephrata eſt in tribu Juda, quemadmodum & illa vocabula.

VATABLUS.

1. LAnguens] *Infirmus*, Vet. ¶ *Caſtello*] *Oppido*. ¶ *Sororum*] *Sororis*, Vet. ¶ *Ejus*] Feminini, i. Magdalenæ.

2. *Quæ * unxit*] * *Poſtea unxit.*

4. *Ad mortem*] Vel, *mortifera*.

7. *Hæc*] *Hoc*.

9. *In die*] i. Lucente Sole: q. d. *Sic ſi quis verſatus fuerit mecum quamdiu prædicavero, omni injuria immunis erit*. Eſt ſimilitudo conciſa. *Præterea ut ſiquis noſtæ*, &c. *Sic ubi hac vita functus fuero, vexabimini & diſcruciabimini*, Matth. 9. *Cum ablatus fuerit Sponſus ab eis jejunabunt*.

11. *Hæc*] *Hoc*, Vet.

15. *Ut credatis*] Sub. *me eſſe Meſſiam*, cujus rei dubitatio obrepſiſſet animis veſtris, ſi præſente me homo mihi amicus mortuus fuiſſet. ¶ *Quoniam non eram*] *Quod non fuerim*.

16. *Condiſcipulos*] *Diſcipulos*. ¶ *Et moriamur*] *Ut moriamur*.

17. *Habentem*] i. *Jacentem & agentem*.

18. *Quaſi ſtadiis quindecim*] Stadia ſexdecim conſtituunt leucam.

20. *Jeſus venit*] Præſ. temp.

25. *Reſurrectio & vita*] i. Author reſurrectionis & vitæ.

27. *Credidi*] Præt. pro præſ. ¶ *Veniſti*] *Venturus eras*.

28. *Silentio*] *Clanculum*. ¶ *Magiſter **] * *Ille*.

29. *Surrexit*] *Surgit*, Vet. ¶ *Venit*] Præſ pro præt.

30. *Enim*] *Autem*. ¶ *Caſtellum*] *Oppidum*.

31. *Surrexit & exiit*] *Surrexiſſet & exiſſet*.

33. *Spiritu*] i. In animo ſuo, & in corde. Infra dicitur *in ſemetipſo*: vel, præ ſtudio quo præditus erat erga Lazarum. ¶ *Turbavit ſeipſum*] i. Vultum mutavit, vocem & geſtum præ dolore.

37. *Ut **] * *Et*.

41. *Lapidem **] * A loco ubi is qui mortuus fuerat, erat poſitus.

42. *Populum qui*] *Turbam quæ*.

44. *Manus & pedes*] *Pedes & manus*, Vet. ¶ *Inſitis*] *Faſciis ſepulcralibus*. ¶ *Ligata*] *Obvincta*: vel, *circumligata*.

45. *Fecit*] *Feciſſet*.

47. *Pontifices*] *Principes ſacerdotum*. ¶ *Concilium **] * *Adverſus Jeſum*: ſic quædam exemplaria Græca.

48. *Tollent **] * *Et*, Vet. i. transferent nos alio. Heb.

49. *Autem **] * *Aliquis*.

50. *Vobis*] *Nobis*. ¶ *Et non*] *Ut non*, Hebr.

52. *Ut **] * *Etiam*.

53. *Cogitaverunt*] *Conſultaverunt*.

54. *In palam*] Vel, *propalam & libere*. ¶ *Apud*] *Inter*. ¶ *Abiit **] * *Illinc*. ¶ *Ephrem*] Quidam legunt *Ephraim*.

55. *Sanctificarent*] *Purificarent*: i. ut ſe præpararent orationibus & ſacrificiis, perſolvendo ſcilicet ante feſtum ſacrificia, & vota quæ Deo debebant.

56. *Putatis*] *Videtur vobis*.

57. *Autem **] * *Et*. ¶ *Cognoverit*] *Cognoſceret ubinam eſſet, indicaret, ut ipſum comprehenderent*.

CASTALIO.

15. ME illic non adfuiſſe gaudeo veſtra cauſa, *ut credatis*] Si adfuiſſem, ejus morbum ſanaſſem. Nunc eum in vitam revocabo, quæ res fidem mihi apud vos magis conciliabit.

40. *Dei gloriam*] Divinum glorioſumque factum.

54. *Ephraim*] Lat. *Ephrem*.

CLARIUS.

9. NOnne duodecim ſunt horæ diei?] Habet, inquit, dies ſua ſpatia, quibus tuto quis ingredi poteſt. Significat autem non metuendum eſſe diſcipulis quamdiu cum Magiſtro eſſent: & vide ut frequenter allegorice cum illis loquatur.

12. *Si dormit, ſalvus erit*] q. d. Nihil opus eſt ut ob hanc cauſam proficiſcare.

15. *Ut credatis, cum non fuerim ibi*] Gaudeo propter vos quod non fuerim ibi, ut credatis ex eo quod me intelligetis ſic noſſe futura quaſi præſentia.

25. *Ego ſum reſurrectio & vita*] Si vitam, inquit, æternam dare poſſum, multo facilius mihi erit ad hanc temporariam hominem excitare.

33. *Turbavit ſeipſum*] Non ait, *turbatus eſt*, ſed; *ipſe ſe turbavit*, ut oſtenderet illum in poteſtate habuiſſe affectus, ut ex omni parte perfectum.

48. *Venient Romani*] Forſaſſe malitioſe fingebant futurum ut, ſi omnes in eum crederent, deficerent à Romanis, & hunc haberent Regem, quare *venturos Romanos, & ablaturos Regnum & gentem*.

50. *Expedit nobis ut unus moriatur*] Diſce vel ex hoc loco quo pacto Deus mala in bonum convertat, iiſque bene utatur. Sceleſtus Pontifex impie ſententiam protulit, Chriſtum eſſe perdendum ut turbæ illæ ſedarentur, at Spiritus S. verbis illius ad prophetiam uſus eſt. Simul obſerva quantum Sacerdotio deferatur: nam, *Prophetavit*, inquit, *cum Pontifex eſſet: prophetavit* ergo *quod Jeſus eſſet moriturus pro gente* Judæorum, *neque vero pro ea ſolum, verum etiam ut filios Dei*, qui videlicet futuri erant filii Dei, *congregaret, qui erant diſperſi* per orbem omnium terrarum.

ZEGERUS.

1. A *Bethania, de caſtello*] Dilucidius vertere poterat Interpres, *à Bethania caſtello*, ſeu *oppido*, quo *Bethania* cum *caſtello* per appoſitionem cohærere intelligas. Atque ita ſane eandem orationis formam ſupra convertit 1. 44. ubi quod Græce eſt ἀπὸ Βηθσαϊδὰ ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρέου καὶ Πέτρου, omiſſa præpoſitoria particula ἐκ interpretatus eſt, *à Bethſaida civitate Andreæ & Petri*. ¶ *Maria & Martha ſororum ejus*] Gr. Μάρθας τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς, *Martha ſororis ejus*, ſup. *Mariæ*; ſed diſſentientibus veteribus commentatoribus. Theophylactus pro Græcis eſt; ſed hic non admodum verus eſt: ſimiliter & codex Corſend. & Smaragdus.

2. *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis, cujus frater Lazarus infirmabatur*] An una eademque deſignetur mulier ubicunque in Euangeliorum voluminibus tale aliquid invenitur quale de hac hoc in loco refertur, an plures ſint, & quot ſint, magna eſt inter Doctores controverſia. Quantum autem ex Euangeliorum collatione deprehendi poteſt, aut duas fuiſſe neceſſe eſt, aut juxta Auguſtini ſententiam De conſ. Euang. unam tantum, quæ ſcilicet utrumque peregerit opus, & quod à Luca c. 7. & quod à cæteris paucis ante paſſionem Domini diebus refertur. Probabilius tamen mihi videtur ut duas fuiſſe intelligamus; quarum altera Luc. 7. 37. *peccatrix* abſque nomine deſcribitur, cui dimiſſa ſint peccata multa; altera Matth. 26. Marc. 14. & Joh. 11, & 12. nomine *Mariæ* ſoror Lazari deſcribitur, ungens primo pedes Domini, ut Johannes refert, deinde caput perfundens, fracto ſcilicet alabaſtro, ut Matthæus & Marcus referunt, quæ nequaquam meretrix ſed honeſta ſemper fuerit (teſte Chryſoſtomo) & religioſa. Cæterum Maria *Magdalene* cognominata, *de qua ſeptem dæmonia ejecta fuiſſe* Luca referente 8. 2. cognovimus, quanquam frequens ſit tam in Paſſione quam poſt Paſſionem hujus ſanctæ fœminæ commemoratio, nuſquam tamen neque lachrymis neque unguento ante Paſſionem Dominum unxiſſe deſcribitur, prodito ſcilicet *Magdalenæ* cognomine, cum alias ita ſemper à cæteris diſtinguatur. Unde evidens eſt argumentum

diverſam eam eſſe ab his de quibus ſupra diſputavimus. Hæc arbitror ſimpliciora veriſimilioraque quam quæ multis & magnis diſceptationibus recentiores, alii de triplici, alii de unica Magdalena tradiderunt. Quod ſi quis adduxerit his etiam probabiliora, non gravabimur ſequi.

18. *Quaſi ſtadus quindecim*] Octo ſtadia unum milliare, decem & ſex duo milliaria conſtituunt. Aberat itaque Bethania ab Jeruſalem fere duobus milliaribus, ſed eiſdem breviſſimis. Nam, ut ab iis accepi qui ſæpius ſpatium hoc emenſi ſunt, XV hæc ſtadia paulo amplius efficiunt quam unum milliare Italicum, & tertiam partem milliaris Brabantici, h. e. iter dimidiæ horulæ.

27. *Chriſtus Filius Dei*] *Vivi* non additur ab Auguſtino, nec à Chryſoſtomo, nec à Theophylacto, nec in exempl. antiquis. ¶ *Qui in hunc mundum venisti*] Nonnulli omittunt *hunc*, ſed contra Auguſtinum & alios. Petrus tamen Chryſologus utrumque legit, Serm. 63. id quod fortaſſe ſcribis imputandum.

33. *Infremuit ſpiritu*] h. e. Fremitum vel ſtridorem quendam emiſit, ex indignatione ſcilicet contra Diabolum, cujus invidia & ſuggeſtione Mors intrarat in orbem terrarum. Theophylactus tamen hanc partem, ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, *καὶ ἐτάραξεν ἑαυτόν*, ſecus edifferit, his verbis, *Ad lachrymas quidem*, inquit, *natura mota eſt, & cohibebatur propter Martham flentem, & illam, & eos qui aderant. Dominus autem infremuit in affectionem ſpiritu, h. e. increpat per ſpiritum confuſionem, & cohibet illam; & ſic rogat ut non cum ululatu eſſet interrogatio.*

37. *Oculos cæci* nati *facere ut & hic non moreretur*] Abſque *nati* legendum, ſed cum &, ut liquet ex Auguſtino & cod. Græcis pariter & Latinis antiquis, & P. Chryſologo, Serm. 64.

42. *Propter populum qui circumſtat dixi*] Subaudi hæc deprecationis verba, nempe, *Pater, gratias ago tibi.*

44. *Inſtitis*] h. e. *Faſciolis.* Et *ſæpius*, ut tradunt literatores, *vincula* ſunt *ſepulcralia.*

45. *Qui venerant ad Mariam*] Vulgati codices, etiam qui habentur pro emendatiſſimis, addunt & *Martham*, ſed contra Græcos, Auguſtinum, Theophylactum, exemplar Corſend. & alia quædam. Cyrillus textum habet ex vulgaribus cod. inſertum. Chryſoſtomus hanc partem non attingit.

49. *Caiphas nomine*] *Nomine* nec Græcus habet, nec Auguſtinus, nec codices aliquot vetuſti.

H. STEPHANUS.

4 ΟΥΚ ἔστι πρὸς θάνατον] *Non eſt lethalis.*
9. Οὐ *προσκόπτει*] *Non offendit pedem.*

11. Κεκοίμηται] *Sopitus eſt.* ¶ Ἵνα ἐξυπνίσω] *Ut à ſomno excitem.*

20. Ὑπήντησεν] *Obviam venit.*

27. Πεπίστευκα] *Credo.* ¶ Ὁ ἐρχόμενος] *Ille qui venturus erat.*

33. Ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι] *Infremuit in animo ſuo:* i. apud ſeipſum, ut v. 38.

39. Ἤδη ὄζει· τετραταῖος γάρ ἐστι] *Jam fœtet: à quatriduo enim* eſt ſepultus.

44. Κειρίαις] *Faſciis.*

47. Τί ποιοῦμεν;] *Quid facimus?* Vel, q. d. Quid facere cogitamus?

51. Ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ εἶπεν] *A ſeipſo non dixit:* q. d. Non ſine inſtinctu Divino.

54. Παῤῥησίᾳ] *Libere:* vel *palam.*

56. Ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ] *An non venturum eſſe.*

57. Μηνύσῃ] *Indicaret.*

D. RUSIUS.

1. LAZARUS *à Bethania*] Ἀπὸ Βηθανίας abſque articulo, i. *Bethanienſis.* Sic *Joſeph ab Arimathæa*, i. *Arimathæenſis.* Latini autores ita etiam loquuntur, quod quoniam alibi notavi, non itero. *Abeth* voce, quæ *domum locumve* ſignificat, compoſita recenſebo nomina quatuor, *Bethania*, *Beth-eſda*, *Bethſaida*, *Bethphage*, in quibus explicandis ſiquid dico præter alios interpretes, debeo iis qui nobis primi dederunt editionem Syriacam, quæ non parum nos adjuvit in argumento quod tractamus. Βηθανία. Syrus בית עניא. In lib. de nom. Hebr. *Bethania*, *Domus afflictionis ejus.* i. בית עניה tu expunge pronomen. *Ania*, *afflictio*, ut in proverbio Thalmudico, *Ania bathar Ania*, quod tantundem valet acſi dicas, *Mala malis ſuccedunt.* Malim, *Beth-avia*, *Domus ovium.* Forte ab *ovibus* dicta, quod ibi multæ eſſent oves: pro *ovis*, Syriace עניא, ſive ענא, unde אניא: ut in proverbio Juris, *Ania batar ania*, i. *Ovis ovem ſequitur.* Joh. 1. 28. in Latina vetere, *Hæc in Bethania facta ſunt trans Jordanem*; quomodo etiam ſcriptum reperimus in codice Syriaco. Libri Græci variant. Veteres omnes, ἐν Βηθανίᾳ· ſed vitâ quibuſdam hæc lectio vitioſa, quod Bethania fuit cis Jordanem. Itaque reponunt ἐν Βηθαβαρᾷ ex aliis libris Chryſoſtomus, Theophylactus, Suidas. Apud Epiphanium Κατὰ ἐνοήτων legimus Βηθαμαρᾷ, vitio, credo, chalcographiæ, pro Βηθαβαρᾷ. Βηθεσδὰ. In Syriacis בית חסדא Joh. 5. 2. *Domus gratiæ* aut *benignitatis*: nomen accommodum loco, in quo aquæ motu ſanabantur ægroti, quod argumentum Divinæ gratiæ ac benignitatis longe maximum. Poteſt etiam reddi *Domus miſericordiæ.* Alii ſcribunt בית אשרא· ſed fallor, aut prior ſcriptura vera eſt. Βηθζαιδά· ita ſcribendum, non Βηθσαϊδά. Syrus ביתצידא. In lib. de nom. Ebr. *Beth-zaida*, *Domus venatorum.* Alii cenſent dictam à *piſcatu*, propter frequentes lacus & ſtagna. Johan. 5. 2. vitium eſt in hoc nomine. Nam ſcriptum *Beth ſaida* pro *Beth-eſda* in Lat. vulg. Βηθφαγή, בית פגי. In Lex. juris בית פגי, שם מקום חוץ ירושלים, i. *Bethphage*, *locus ejus nominis extra Jeruſalem.* Græca exempl. Βηθ σφαγή, quomodo etiam ſcriptum legimus apud Juſtinum πρὸς Τρύφωνα, ſed mendoſe. In eodem Lexico תומת בית פגי exponitur *murus Jeruſalem.* Apud Syrum בית פגא. ¶ *Martha*] Syr. סירוא. Hoc nomen legitur etiam apud ſcriptores Ebræos, ut in lib. Juchaſin, fol. 57. *Joſua filius Gamalielis duxit Martham Boethi filiam viduam perditorem.* Ebr. נשא למרתא בת בייתוס. Ergo בייתוס *Boethus.* In lib. Nominum, *Martha*, *ſermone Syro Domina vel Dominus interpretatur.* Cæterum quia Martha Chriſto ancillabatur, inde factum eſt ut in nomen commune tranſierit apud Belgas, qui quamvis ancillam vocant *Martham*, ten Maerte.

9. *Nonne duodecim horæ ſunt diei?*] י"ב שעות ביום. Dies dividebatur, inquit vir doctus, in tres horas, Primam, Secundam, & Tertiam. Singulæ rurſum quatuor horas complectebantur. Prima complectebatur I, II, III, & IV; Secunda, V, VI, VII, & VIII; Tertia, IX, X, XI, & XII. Quæ aliis dijudicanda relinquo: Nam probare aut improbare temere non eſt meum. Et alii & ego etiam homo ſum. Tam ego quam illi errare poſſumus. Nam *humanum eſt errare.* Ut horæ diei ſunt, ita noctis vigiliæ, quæ antiquitus tres erant: poſterior ætas quatuor memorat. Erant autem horæ inæquales, hyeme breviores, & æſtate longiores.

11. *Dormit*, κεκοίμηται] i. mortuus eſt. Syrus habet שכב, quod linguæ Syrorum peculiare eſſe ſcribit Angelus Caninius. Poteſt ita eſſe, tamen legitur in Jonatha, qui uſus fuit dialecto Jeroſolymitana, Deut. 32. 50. שכב בהורא, *morere in monte*: & mox, שכב אהרן *mortuus eſt Aharon.* Hinc mortui שכבין & שכבי dicuntur, q. *dormientes*: ut apud Homerum, καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει, de mortuis & defunctis. Nam de ſomno mortis loquitur, quem Horatius *perpetuum ſoporem* appellat. Alii poetæ etiam *noctem* vocant: ex quo illud,

Nox eſt perpetua una dormienda.

Hinc etiam cippi libitinarii & ſepulcreta κοιμητήρια *cœmeteria* vocantur, q. mors noſtra dormitio quædam ſit è qua ſimus noviſſimo die excitandi. Dormitionem Ebr. שכיבה dicunt, & eſt quam vocant שכיבת המיתה *dormitio mortis*, de qua David intelligendus cum ait, *ne dormiam mortem.* Nam ſenſus eſt, *Dormitionem*, aut *ſomnum*, *mortis.* Meminit ejus R. D. Kimchi Jeſ. 50. 11. Alia eſt quæ dicitur שכיבת חולי cum aliquis in morbo cubat, qui propterea vocatur שכיב מרע *ægrotus*, de quo Moſes de Kotſi lib. Præcept. 162. 2. *Ægrotus*, *cujus omne corporis robur debilitatum eſt ex morbo*, *vocatur* שכיב מרע *cubans ex morbo*, *quia cubat in lecto ſuo propter morbum*, *nec poteſt incedere pedibus ſuis per plateam.* שכיב pro *mortuo* etiam Thalmudicum eſt. Nam dicunt, בני תלתן תחין שכיב, *Intra tres dies mortuus eſt*: & שכיבי peculiariter efferunt pro שכיבין *defunctis*, ultimam ſuo more reſecantes. Quod Caninii ſententiam penitus everſat. Sed nihil magis quam quod legitur 2 Reg. 20. 21. & alibi paſſim, *dormivit cum patribus ſuis.* Et Jeſ. 14. 8. שכבת מאז, ubi LXX. κεκοίμησαι *dormiſti*, i. mortuus fuiſti. Quæ lingua fuit antiquiſſima Moſis. Non ergo verbum eſt hoc ſignificatu peculiare Syris, ut ille opinatur. Significat autem in ea lingua magis *cubare* quam *dormire.* Nam *dormio* ירד dicitur. Videndi ſunt Ambroſius De fide reſurrectionis, p. 41. Auguſtinus epiſt. 120. c. 32. & De verbis Apoſtoli, ſerm. 32. Eucherius in lib. formular. p. 242. & alii Patres. Scitum illud Auguſtini, *Mortuos Dormientes appellat Scriptura veraciſſima conſuetudo, ut*

eum

cum Dormientes audimus, evigilaturos minime deſperemus. Job. 14. 12. *Vir dormit, nec ſurgit.* שכב *cubat*, in pulvere terræ ſive in ſepulchro. LXX Ἄνθρωπος κοιμηθεὶς οὐ μὴν ἀνασῇ, *Homo cum dormierit non utique reſurget. Surgere* pro *reſurgere*, ut Pſ. 1. 5. *non reſurgent improbi in judicio*, יקמו לא. Senſus eſt, Non reſurgent naturaliter. Nam reſurrectio Dei opus eſt, non naturæ. Siquidem contra naturam homines reſurgent ſive ad vitam ſive ad judicium, i. condemnationem. Reſurrectio ad vitam proprie dicitur Ebræis תחיה, & Græcis ἀναβίωσις· unde inteliges quid ſit, *Reſurrectio* תחיה *non eſt niſi juſtorum.* Nam improbi reſurgent ad judicium. ¶ *Ut à ſomno excitem eum*, ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν] *Somnus* Ebraice שנה. Sed Chriſtus hic loquitur de ſomno mortis, qui Jer. 51. 39. שנת עולם *ſomnus ſeculi* aut *æternus* dicitur, & κοίμησις τοῦ αἰῶνος Sirach. 46. 24 ubi etiam v. 27. μετὰ τὸ ὑπνῶσαι, *poſtquam obdormiſſet.* Nam putabat ſpectrum illud quod Samueli apparuit, Samuelem eſſe. Igitur ut ὑπνόω de *morte* uſurpatur, ſic etiam ἐξυπνόω *è ſomno excito.* Job. 14. 12. *evigilabunt è ſomno ſuo:* ubi Targ. *è domo dormitionis ſuæ*, h. e. è ſepulcro ſuo. Dicitur tam de morte improborum quam juſtorum. Quanquam commentarius in Proverbia Salomonis qui *Cabvenaki* vocatur Prov. 3. 24. *Mors juſtorum vocatur Somnus propter ſimilitudinem qua eſt inter ſomnum & mortem.* Vide ſequentia. Huc pertinet illud,

Stulte, quid eſt ſomnus gelida niſi mortis imago?

Cæterum Poëtæ mortem νύκτα vocant, *noctem*, & χάλκεον ὕπνον.

13. *De dormitione ſomni*] *Dormitio* שכיבה dicitur, quæ duplex eſt; alia *dormitio ſomni*, & alia *dormitio mortis. Dormitio ſomni*, κοίμησις τοῦ ὕπνου. *Dormitio mortis* τοῦ θανάτου eſt ipſa mors. Eſt & alia *dormitio* quæ vocatur שכיבה מתולי, de qua ſupra. Dormitio ſomni Ebr. שכיבת השנה. *Dormitio* etiam *negligentiam* ſignificat, unde *dormire* pro *negligentem eſſe*, Prov. 6. 9. *Quouſque dormis, ignave? Et dormientes*, negligentius ſua agentes, ceſſatores: juxta illud vulg. *Jus vigilantibus non dormientibus ſcriptum eſt:* ubi *vigilantes* ſunt diligentes & qui rerum ſuarum ſatagunt.

16. *Thomas qui dicitur Didymus*, Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος] Syrus habet תאומא דמתאמר תאומא *Thaumas qui dicitur Gemellus.* Ita Tremellius. Sic etiam Joh. 21. 2. *Thoma, Thomæ*, ut *Juda, Judæ.* Nonnus eum vocat διώνυμον, cum idem nomen ſit *Thomas* & *Didymus.* Ut *Cephas* & *Petrus*, ſic *Thomas* & *Didymus.* Non ſunt duo nomina, ſed unum & idem. Sic dico, prius Ebraicum eſt, & poſterius Græcum. Hieronym. in Nom. de Matthæo, *Thomas, Geminus; unde & Græce Didymus appellatur.* Oecumenius Act. 1. *Thomas, Didymus, i. Geminus, vel Abyſſus.* Idem Hieron. in de Act. Apoſt. *Abyſſus*, i. תהום. *Gemini* תומים, vel תאומים, & eſt ſignum cœleſte. Epiphanius, διδύμους ἀκριβῶς καλοῦσι· loquitur de Phariſæis. Gen. 25. 24 תומים abſque Joth. Hieron. *gemini*; LXX, δίδυμα· ſubintelligitur autem παιδία, vel βρέφη. Onk. & Jon. תרין, Aleph in Jod mutata: quod Syris familiare, qui ܬܪ dicunt pro ܬܪܝܢ. Vide Grammat. noſtram.

19. *Ut conſolarentur eas*] Ebræi hoc dicerent, *ut loquerentur ſuper cor earum:* quod interpretes reddunt *ad cor.* Vide Obſerv. meas. Syrus hic habet, *ut loquerentur in corde earum*; niſi mavis, *cum corde.* Nam 2 ita ſæpe ſignificat. Sed *loqui cum corde ſuo* potius eſt *loqui apud ſe* vel *ſecum*, ut Cohel. 1. 16. *locutus ſum cum corde meo*, i. mecum.

35. *Lacrymatus eſt Jeſus*, ἐδάκρυσεν] Luc. 19. 41. *flevit*, ἔκλαυσεν, quod aliquando eraſum fuiſſe à Catholicis quibuſdam ſcribit Epiphanius. Notavi olim. Vide Obſerv. l. 7. c. 2. Sed ſi Angelus quondam flevit, quid mirum ſi nunc Jeſus? Fleviſſe autem Angelum qui cum Jacobo luctatus fuit, certum ex Hoſ. 12. 4. Quidam hunc Angelum Chriſtum fuiſſe autumant. Nam etiam אלהים & אל, i. *Deus*, vocatur: unde nomen *Iſrael*, quia *de principatu contenderat cum Deo, & prævaluerat.* Hæc eſt veritas etymi nominis illius, quicquid alii comminiſcuntur. Nam *Vir videns Deum*, in ſono vocis tantum eſt. *Vir* enim איש dicitur, cum *Iſrael* Ebraice ſcribatur ישראל, litera Jod nomen proprium formante in principio, ut in *Iſaac, Jacob*, & ſimilibus. Locus Holeæ ambiguus eſt. Nam etiam de Jacobo intelligi poteſt. Ebræi tamen verba illa, *& flevit*, de Angelo enarrant, qui victus à Jacobo tenebatur, & flens ſe dimitti poſtulabat. Vide Lectiones noſtras in Hoſeam.

44. *Sudario ligata*] *Sudarium* hic eſt non id quod Græci vocant σουδάριον, ſed quod Syri nuncupant סודרא, quo vocabulo & Ebræi ſcriptores utuntur. Unde ſuſpicio mihi non eſſe vocem Latinam, ut Eraſmus opinatur, ſed aliam, quæ ex Oriente in Occidentem commigravit, qualis & λίτρα *libra*: de qua tamen ego dubito. Nam licet Ebræis in uſu ſit סודר, tamen antiqui ſcriptores Græci eam uſurpant, ut Pollux teſtatur. Vide Joh. 12. 3.

48. *Tollent & locum noſtrum & gentem*] . Tollent è medio, i. delebunt. Sic נשא *aufero* ſumi videtur Hoſ. 1. 6. *ſed tollendo tollam eos*, i. delebo; expende. Vide Thesbiten Eliæ.

54. *Palam*, παῤῥησίᾳ] Id Ebræi dicunt בגלוי *aperte*, quod in oppoſito habet בסתר *occulte*, & בגנבה *clam*, *latenter*. ¶ *In urbem quæ dicitur Ephraim*] Pro *Ephraim*, quod Græce eſt Ἐφραΐμ, in edit. Vulg. qua Latini utuntur, ſcriptum *Ephrem*; quod ſe tuetur antiquitate. Talia ſunt *Miſrem* pro *Miſraim* apud Joſephum, *Mozarem* pro *Mozaraim* apud Epiphanium, *Jeruſalem* pro *Jeruſalaim* in editionibus Chaldaicis, Græcis & Latinis. Legitur hoc modo ſcriptum, Pſal. 78. 67. *tribum Ephrem*, ubi codex Ebræus *Ephraim*, אפרים.

CASAUBONUS.

44 Καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιέδετο] *Sudarium* putavit Nonnus magno errore vocem eſſe Syriam, cum ſit Latina, ut omnibus eſt notum.

54. Εἰς Ἐφραὶμ λεγομένην πόλιν] Vetus interpres legit Ἐφρὲμ, itemque Nonnus: alii Ἐφραΐμ, ut D. Hieronymus.

CAMERON.

40. Ὄψει τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ] *Gloria* vel Rem ſignificat, vel Opinionem de re, vel Deprædicationem. Cum Rem ſignificat, nihil aliud eſt quam *magnitudo virtutis* aut *pulchritudinis*, quæcunque tandem illa ſit. Itaque lingua Hebræa כבוד dicitur, & Chaldaica יקר, quæ voces *pondus* item ſignificant; pondus vero magnitudo quædam eſt. Quodſi quis appellationis hujus rationem requirat, peti poteſt ex rei ipſius natura. Nam quæ ſunt mediocria, in earum rerum conſideratione & contemplatione nec animus nec oculus ſuccumbit; ſed quæ ſunt ſumma quæque rapiunt in admirationem, ea cogunt veluti ſuccumbere pondere quodam conſiderantem & contemplantem. Itaque cum in Domino omnis virtus ſit ſumma, atque ita ſumma ut ſit infinita, ut ſemper ſit aliquid ulterius quam quod humana mens capere poteſt, cumque in Deo ſumma Bonitas ſit, Deo proprie *Gloria* tribuitur ejuſque tum Bonitas tum Potentia *Gloria* dicitur. Sane Potentia Dei *gloria* vocatur in Scriptura, ut hoc loco, *Videbis gloriam Dei*, h. e. Videbis potentiam Dei, non vulgarem potentiam, ſed ſummam, cujus conſideratio te rapiet in admirationem, efficietque ut mens tua veluti pondere quodam preſſa ſuccumbat, fateaturque non poſſe rem tantam ſatis pro dignitate laudari. Et vero Paulus Rom. 6. 4. nohuit aliud ſignificare cum dixit *Chriſtum excitatum à mortuis διὰ δόξης τοῦ πατρὸς per gloriam*, h. e. potentiam, *Patris.*

51. Ἀλλ' ἀρχιερεὺς ὢν τῆς ἑαυτοῦ ἐκείνου, &c.] Hinc Pontificii exſculpere conantur prærogativam infallibilitatis Pontifici, & Paſtoribus etiam qui munere ſuo abutuntur. Sed ſi ita ſe res haberet, unde factum eſt ut Pontifex, cum ad rem ipſam ventum fuit (nam cum verba illa pronunciavit, res vocata fuerat tantum in quæſtionem quid facto opus eſſet) pronunciaverit de Chriſto, *Blaſphemavit?* nam debuit valere privilegium (ſi quod fuiſſet ejuſmodi quale ſomniant Pontificii) præſertim cum ad rem ipſam ventum eſt, quando non deliberationem ſed decretum malum ſequitur, reapſe, inquam, & facto. Deinde & ſic directe reſpondemus, & quidem bifariam: Primo, Extra ſolenne judicium, & quod ratum eſſe debuit, id Pontifici obtigit ut quodammodo prophetaret, ut hoc nobis argumento ſit, aliquando eos qui in Eccleſia regenda non verſantur fideliter, cum de Chriſti cauſa agitur, h. e. de fide, tamen imprudentes eo delabi ut ea dicant quæ faciunt ad fidem Chriſti propagandam. Cæterum cavit Deus ne id fieret in eo Concilio in quo Chriſtus damnatus eſt, nequis hic diceret (quod dici volunt Pontificii) ab hominum authoritate eſſe pendendum. Itaque utrique proſpexit Deus, tum ut habeamus Providentiæ ſuæ argumenta, tum ut ea habeamus tam opportune ut ne detur (ſi incidamus in errorem) idoneæ excuſationis argumentum. Nam Pilatum quidem quia Judex fuit, (qui hominum ordo nullo unquam ſeculo habitus eſt pro eo ordine qui non poſſit errare) ſic rexit ut & ipſe prophetaverit quodammodo: nam juſſit titulo Crucis ſcribi ea verba, & quidem variis linguis, tribus ea ætate celeberrimis toto terrarum orbe, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, tanta conſtantia ut decretum ſenel reſcindi non ſit paſſus.

Secundo respondeo, Notatum esse ab Euangelista, *quia eo anno erat Pontifex*, ut ratio Divinæ Providentiæ redderetur, non vero ut notaretur privilegium Pontificatus. Nam verba quæ magnis viris excidunt & constitutis in authoritate multo magis animum afficiunt; cujus generis sunt illa verba quæ dicimus *omnosa*. Atque in eo non aberramus à vero, modo ne superstitioni, sed (ut Christianam religionem decet) providentiæ Divinæ ei quæ nobis inesse debet cognitioni obsequamur. Certum enim est magnis viris, dum magna moliuntur, imprudentibus multa excidere quæ rerum quas moliuntur exitum designant.

JAC. CAPPELLUS.

31. *CUM vidissent Mariam cito surrexisse, & exiviſſe, secuti sunt eam, dicentes, Abit ad monimentum ut illic fleat*] In quibusvis aliis actionibus viros sequuntur mulieres, in planctibus & monimentorum visitationibus apud Judæos quidem feminas sequebantur viri. Causam ita reddit Rabba in Genesim 5. 17. *Quare mulieres primæ prodeunt ad mortuum? Quia mundo mortis causam præbuerunt.* Sed & solebant ii qui lugentem consolaturi venerant eum quoquo versus comitari. Talmudis tract. De benedict. cap. 2. *Defuncta fuerat ancilla R. Eleazari filii Azaria; convenerunt discipuli illius ad eum consolandum. Ubi vidit eos, ascendit in cubiculum superius; ascenderunt post eum: Ingressus est*, גחמה, h. e. mea quidem sententia, *εἰς ὑπερῷον τὸ μεσαίτατον τοῦ οἴκου, ingressi sunt post eum: Ingressus est in triclinium; ingressi sunt post eum.*

GROTIUS.

1. HN δέ τις ἀσθενῶν, *Erat autem quidam ægrotans*] Ἀσθενεῖν [*ægrotare*] etiam de graviter ægroto dicitur, ut Matth. x. 8. Luc. iv. 40. & alibi. Sic vertitur חלה Hebræum. ¶ Λάζαρος, *Lazarus*] De hoc nomine vide quæ ad Luc. xvi. 20. ¶ Ἀπὸ Βηθανίας ἐκ τῆς κώμης, *à Bethania ex vico*] Noli aliud *Bethaniam* putare, aliud *vicum*: est enim alterum alterius interpretatio. Neque movere nos quicquam debet interjecta præpositio: nam sic & supra habuimus 1. 45. ἀπὸ Βηθσαϊδὰ ἐκ τῆς πόλεως [*à Bethsaida ex oppido*]. ¶ Μαρίας καὶ Μάρθας τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς. *Mariæ & Marthæ sororis ejus*] Habet hic paulo aliter Syrus: sed Græcam lectionem præter Latinam Arabs confirmat. Ita hic Bethania dicitur *vicus Mariæ & Marthæ* quomodo jam dicto loco Bethsaida *oppidum Andreæ & Petri*. Nominat autem sorores has quod frequentissime apud eas divertissent Christus & Apostoli. Μάρθα [*Martha*] Syriacum nomen etiam apud Plutarchum Mario legitur. Et apud Tacitum pro *Martina* bis ponendum *Martha* in Syræ mulieris nomine. Quæri solet, cur hanc tam nobilem historiam priores Euangelii Scriptores non attigerint. Mihi hoc succurrit, cum illi scriberent vixisse resuscitatum Lazarum, & periculum ei fuisse à Judæis si quod ipsi acciderat palam vulgaretur. Nam etiam mox narratur, ob hoc ipsum structas ei insidias XII. 10. Quare visum illis hoc ad tempus subticeri posse cum alia exempla resuscitatorum suppeterent. At mortuo Lazaro, cum jam nemini periculum ex rei narratione fieri posset, additum hoc à Johanne in hac quasi prætermissorum collectione. Supervixit autem Lazarus, si Epiphanio traditionem referenti credimus, annos XXX, intra quod tempus tres alii Euangelistæ scripserunt.

2. Ἡ ἀλείψασα, *quæ unxit*] Non quod hoc ante Lazari morbum esset gestum, sed quod gestum hoc esset & notum omnibus cum hæc scriberentur; plane ut Lucæ VI. 16. de Juda scriptum est, ὃς καὶ ἐγένετο προδότης [*qui & factus est proditor*], & de Simone, τὸν λεγόμενον Πέτρον [*qui dicitur Petrus*] Matth. IV. 18. X. 2. Sic exponunt Theodorus Mopsuestenus & Leontius. De reipsa vide quæ ad Matth. XXVI. 6. ¶ Καὶ ἐκμάξασα τοὺς πόδας αὐτοῦ ταῖς θριξὶν αὐτῆς. *& extersit pedes ejus capillis suis*] Τέρσω πρότερον [*Præposuere*]. nam prius abstersit, deinde unguento perfudit, Luc. VII. 38. infra XII. 3.

3. Ἀπέστειλαν οὖν, *Miserunt ergo*] *Nuntium miserunt qui diceret.* ¶ Λέγουσι, *dicentes*] Per nuntium. Vide Matth. VIII. 5. ¶ Ὃν φιλεῖς, ἀσθενεῖ. *quem amas, infirmatur*] Nimirum sperantes fore ut Jesus adveniens eum sanaret, ut apparet infra 21. Confer supra IV. 49. Etiam Deo cari suis non carent miseriis.

4. Οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον, *non est ad mortem*] *Mortis* voce hic intellige permansionem in morte. Vide Roman. VI. 23. 1 Corinth. XV. 24. & sequentibus. Idem alibi ἄτιμος [*infirmum*] dicitur. Simile quid Matth. IX. 24. Ostendit Christus notum sibi quod tanquam nescienti indicabatur. ¶ Ἀλλ' ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, *sed pro gloria Dei*] Et hic recte subaudias, *commodo evenit, ut inde illustretur Dei gloria.* Vide quæ diximus supra IX. 3. ¶ Ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *ut glorificetur Filius Dei*] Cujus omnis gloria ad Patrem redit.

5. Ἠγάπα δὲ ὁ Ἰησοῦς, *diligebat autem Jesus*] Amabat eos à quibus hospitio excipi solebat: ut olim Elias 1 Reg. XVII. 9. Elisæus II Reg. IV. 8. Ita non perit beneficium quod sanctis præstatur, Matth. X. 41. Nonnus,

\- - Φιλοξείνης δὲ γυναῖκας
Ἰησοῦς ἀγάπαζε. - -
[- - *Illas adamabat Jesus*
Munus ob hospitii. - -]

Mysticum sensum vide Prov. VIII. 17.

6. Τότε μὲν ἔμεινεν ἐν ᾧ ἦν τόπῳ δύο ἡμέρας. *tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus*] Est hic μὲν [*quidem*] sine δὲ [*vero*] ut Act. XIX. 4. Subsitit autem per duos dies, quanquam amanis Lazari, ut de morte minus dubitari posset. Ideo mox notatur eum fuisse τετραήμερον [*quatriduanum*].

7. Εἰς τὴν Ἰουδαίαν πάλιν. *in Judæam iterum*] Introrsum longius à Jordane versus Urbem.

8. Νῦν ἐζήτουν, *nunc quærebant*] *Non diu est. Jam modo* dicunt Latini. Sic infra XXI. 10. ¶ Καὶ πάλιν ὑπάγεις ἐκεῖ; *& iterum vadis illuc*]? Inconsulto amore volunt eum à periculo removere, ut Petrus Matth. XVI. 22.

9. Οὐχὶ δώδεκά εἰσι ὧραί τῆς ἡμέρας; *Nonne duodecim sunt horæ diei*]? Id est, Ultima hora non minus quam prima ad diem pertinet: itaque ea quoque solet iter fieri: ficut supra de opere dixerat IX. 4. Confer Luc. XIII. 32. ¶ Οὐ προσκόπτει. *non offendit*] Tuto ambulat. *Videt qua eundum sit*, infra XII. 35. Vide quæ ibi dicta. ¶ Ὅτι τὸ φῶς τοῦ κόσμου τούτου βλέπει. *quia lucem hujus mundi videt*] *Illustratur à Solis lumine*: ἀντιπάδοσις [*redditio*] non apponitur, sed facilis intellectu est ex illis verbis *Lucem hujus mundi.* Quanto ergo magis tuto ambulo qui prælucentem mihi habeo lucem supracœlestem ac Divinam cognitionem Paterni propositi?

10. Ὅτι τὸ φῶς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ. *quia lux non est in eo*] In oculis ejus. Receptione enim lucis & specierum fit visio. Sensus allegoricus, qui obiter & per occasionem innuitur, est, Eos qui Dei voluntatem non respiciunt in peccata labi.

11. Κεκοίμηται. *dormit*] De hac locutione κατ' εὐφημισμὸν [*per emollitionem*] diximus ad Matth. IX. 24. Apud Syrum est ܫܟܒ, quod pro *mori* usurpatur non tantum apud Esaiam XIV. 8. ut annotatum est antehac, sed & II Sam. VII. 12. Utrobique Græci reddunt per κοιμᾶσθαι [*dormire*]. ¶ Ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν. *ut à somno excitem eum*] Modestia Christi in hoc elucet quod cum eum dixisset *dormire* addidit *se experrecturum*, mox cum *mortuum* dicit nihil adjicit tale. ut vertitur ἐξυπνίζειν [*excitare à somno*] Job. XIV. 12. quanquam alio sensu. Sed si Hebræis ירדם [*in somnum dari*] erat *mori*, nihil à consueto sermone abiit Christus cum dixit ἐξυπνίζειν [*à somno excitare*] pro *à morte ad vitam reducere*, quod ipsi æque erat facile atque alii excitare dormientem.

12. Εἰ κεκοίμηται, σωθήσεται. *si dormit, salvus erit*] Ex libro Misnajoth apparet fuisse hoc in ore populi, *Somnum in ægrotante signum esse ad salutem; quia eo ostenditur remisisse morbum.* Discipuli omni modo quærunt Dominum ab isto itinere avocare: Ideo omnibus utuntur argumentis: *Si dormit, quid est quod excitetur?*

13. Περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου, *de dormitione somni*] Stupore quodam, & quia potentiam Jesu, utcunque magna ejus effecta viderant, non satis animo comprehendebant.

14. Παῤῥησίᾳ, *manifeste*] Id est, *sermone apertissimo & minime ambiguo sensus*, ut supra X. 24. infra XVI. 29. Syrus ܓܠܝܐ *aperte, explicate.*

15. Ἵνα πιστεύσητε, *ut credatis*] Est παρενθετικὸν [*per parenthesin dictum*]· nam quæ sequuntur cohærent cum prioribus. *Ut credatis*, id est, quo magis, quo firmius credatis me esse vitæ datorem. Sic *credere* usurpatur supra II. 11. & alibi. ¶ Ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, *quoniam non eram ibi*] Nempe, ut Nonnus explicat,

\- - Ὅτε κεῖνος ἑμεῖλεν γείτονι πότμῳ.
[- - *Tunc cum fato fuit ille propinquus*].

Tacite significat se, si in loco fuisset, vix honestæ potuisse negare opem suam cunctis obviam, ad amicum aut in vita retinendum, aut statim à morte revocandum; quorum utrumvis imminutum fuerat aut rem ipsam aut rei fidem.

Nunc

Nunc in quatuor dies ſepulto nulla erat tergiverſatio. Ita & nunc ſapientiam oſtendit ſuam, & poſt potentiam eſt demonſtraturus. ¶ *Ἀγωμεν πρὸς αὐτὸν. eamus ad eum*] Hoc loco quid facturus erat maluit innuere quam exprimere, ob eam quam diximus cauſam.

16. *Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος, Thomas qui dicitur Didymus*] Id eſt, qui inter Græcos agens ejuſdem ſignificationis vocabulo *δίδυμος* [*Geminus*] vocabatur. Nam Judæorum alii apud Græcos nomen ſumebant alludentis ſoni, alii vero paris ſignificatus. Itaque Syrus, qui nihil mutare potuit, bis hic idem poſuit nomen. ¶ *Ἵνα ἀποθάνωμεν μετ' αὐτοῦ. ut moriamur cum eo*] Cum Chriſto, an cum Lazaro? Poſterius malo, quia *αὐτὸν* [*eum*] de Lazaro præceſſerat, quo reſpicit Thomas. Thomam ideo nominaverat Johannes quod infra oſtenſurus eſſet ejus in credendo tarditatem, cujus jam nunc indicium dedit: perinde enim eſt quaſi dicat, Eamus ſane, ut Lazarum jam mortuum ſequamur: quid enim aliud ſperemus? Meminerat periculi in quo nuper fuerat Dominus Hieroſolymis, unde Bethania modicum diſtabat, quod hac ipſa de cauſa mox exprimitur.

17. *Ἐλθὼν οὖν ὁ Ἰησοῦς, cum itaque veniſſet Jeſus*] Adjicit manuſcriptus *εἰς Βηθανίαν* [*in Bethaniam*]. ¶ *Ἔχοντα, habentem*] Sic ſupra ſumitur ea vox, v. 5.

18. *Ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε. quaſi ſtadiis quindecim*] Quantum erat iter Sabbati.

19. *Ἐκ τῶν Ἰουδαίων, ex Judæis*] Sic *κατ' ἐξοχὴν* [*ſecundum excellentiam*] vocantur Hieroſolymitæ. ¶ *Πρὸς τὰς περὶ τὴν Μάρθαν καὶ Μαρίαν, ad eas quæ circum Martham & Mariam*] Ex Græciſmo ſatis noto Syrus & Latinus acceperunt quaſi diceretur *ad Martham & Mariam*. Dubitari tamen poteſt an non & ipſæ & ſimul tota ipſarum familia ſignificetur, ut Actor. XIII. 13. *οἱ περὶ τὸν Παῦλον* [*qui circa Paulum*], *Paulus & qui ei aderant*. ¶ *Ἵνα παραμυθήσωνται αὐτὰς, ut conſolarentur eas*] Quod officium per ſeptem dies extendi ſolebat. Sæpe ejus moris mentio in Sacra hiſtoria & apud Joſephum, & in Thalmudicis libris.

20. *Ὡς ἤκουσεν ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἔρχεται, ut audivit, quia venit Jeſus*] Rem familiæ curans huc illuc curſitabat. Itaque prius accepit rumorem quam Maria ſalutatores excipiens in intima domo. Vide Luc. X. 41.

21. *Εἰ ἦς ὧδε, ſi fuiſſes hic*] Fides quidem, ſed infirma, ut quæ nihil ei tribuat niſi præſenti. Sic ſupra IV. 49.

22. *Ὅσα ἂν αἰτήσῃ τὸν Θεὸν, quæcunque poposceris à Deo*] Et hic infirmitas apparet. Putat illum gratioſum eſſe apud Deum, non autem in illo eſſe plenitudinem Divinæ poteſtatis. ¶ *Δώσει σοι, dabit tibi*] Concedet tuis precibus. Non audet dicere *mortuum reſuſcitabit*, ob voti magnitudinem.

23. *Ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου. Reſurget frater tuus*] Modeſte, ut ſolet: nam de ſe nihil prædicat niſi neceſſitate extorquente.

24. *Ἐν τῇ ἀναστάσει ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. in reſurrectione in noviſſimo die*] Syrus *ἀνάστασιν* [*reſurrectionem*] vocat *παράκλησιν* [*conſolationem*] locutione recepta. De hac autem generali reſurrectione Martha aliquid quidem à Phariſæis didicerat, ſed confuſum, obſcurum, neque certis nixum teſtimoniis: Ex Chriſti autem habitis antehac ſermonibus certius aliquid cognoverat.

25. *Ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις, Ego ſum reſurrectio*] Non eſt quod hæſites. *Ego auctor ſum reſurrectionis*: Quare & repræſentare eam poſſum. Sic ſolent Hebræi cauſis dare nomen efficienti, ut ſupra I. 4. Simili modo Chriſtus dicitur *juſtitia, ſanctificatio, redemtio*, 1 Cor. I. 30. Refellitur hic tenuis illa Marthæ de Jeſu opinio. ¶ *Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται· qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet*] Primum dicit, *in ſe confidentes non manſuros in morte*; ſequente membro adjicit, *eos poſtquam iterum vixerint, nunquam morituros*. Hæc omnia de tota perſona ſunt intelligenda.

26. *Καὶ πᾶς ὁ ζῶν καὶ πιστεύων εἰς ἐμὲ, Et omnis qui vivit & credit in me*] Hebraiſmus hoc ſignificans, *& quicquid vivens* (vitam hanc mundi ſcilicet) *mihi confidit*. Agitur autem hic de fiducia operante & conſtante. ¶ *Οὐ μὴ ἀποθάνῃ εἰς τὸν αἰῶνα. non morietur in æternum*] Sic ſupra VI. 49. & ſeqq. ¶ *Πιστεύεις τοῦτο; credis hoc*]? Chriſtus plerumque ante miraculum fidem exigit.

27. *Ναὶ, Κύριε· Utique, Domine*] Credo tibi hoc jam affirmanti *te eſſe datorem vitæ æternæ*: nam *ναὶ* præcedentia affirmat. ¶ *Ἐγὼ πεπίστευκα, ego credidi*] Rationem reddit; *nam & antehac credidi te eſſe Chriſtum*. Quare æquum eſt ut omnia dicenti tibi credam. Vide ſupra v. 25. ¶ *Ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος. qui in mundum erat venturus*] Id eſt, *qui debebat mundo apparere*; qui exſpectabatur. Sic ſupra VI. 14. Vide & Matth. XVII. 11.

28. *Ἀπῆλθε, abiit*] Juſſa à Chriſto, ut ſequentia oſtendunt, Mariam ſororem advocare ad eum locum ubi Chriſtus ſubſiſtebat, qui propior erat ſepulchro extra vicum, ut mos erat, poſito. ¶ *Ὁ διδάσκαλος, Magiſter*] Sic eum illa familia appellabat. ¶ *Φωνεῖ σε. vocat te*] Mariam ſolam Chriſtus vocari juſſerat, ne turbam colligere videretur, quam tamen ſponte ſecuturam præviderat.

29. *Ἐγείρεται ταχὺ, ſurgit cito*] Prompto obſequio.

31. *Ἰουδαῖοι, Judæi*] Hieroſolymitæ. ¶ *Παραμυθούμενοι αὐτὴν, conſolabantur eam*] Ut ſupra 19. ¶ *Λέγοντες, dicentes*] *Cogitantes*, ut recte hic exponit Syrus. Hinc in quoſdam Græcos contextus irrepſit interpretamentum *δόξαντες*. ¶ *Εἰς τὸ μνημεῖον, ἵνα κλαύσῃ ἐκεῖ. ad monumentum, ut ploret ibi*] Solebat enim ibi major quidam planctus excitari, velut renovato dolore.

32. *Ἔπεσεν εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ, cecidit ad pedes ejus*] Ut Prophetam veneraca.

33. *Ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, commotus eſt ſpiritu*] Solent lacrymæ lacrymis excitari, præſertim apud animos miſericordes.

- - - *Ἀγαθαὶ δ' ἀρεταὶ παρὰ ἀνδράσιν ἄνδρες*,
[- - - *Virum ſed flere bonorum eſt*],

eſt apud Homerum. *Κλαίειν μετὰ κλαιόντων* [*Flere cum flentibus*] eſt Rom. XII. 15. Euripides,

Ἀμαθία τοι μηδ' ἐπ' οἰκτροῖσιν δάκρυ
Στάζειν.
[*Agreſte nullam rebus in lugubribus*
Stillare lacrymam].

Menander,

Μέγιστόν ἐστιν ἆρα τοῖς πεπτωκόσιν
Τὸ παρόντας ἐγγὺς τοὺς συνιλγοῦντας βλέπειν.
[*Res magna eſt illis quos ſors adverſa opprimit*
Videre juxta, qui dolorem partiant].

Ἐμβριμᾶν [*Commovere*] reſpondet Hebræo זעם [*indignatus fuit*], & ſic vertitur Threnûm II. 6. זעם, quod & עם, quemlibet animi motum graviorem ſignificat, ſive ille ex Ira eſt, ſive ex Metu, ſive ut hic ex dolore. Arabs زعم, id eſt, *gemuit*. *πνεῦμα* [*ſpiritus*] hic eſt *animus*: nam ſæpe & pars illa in qua ſunt affectus venit hoc nomine, Matth. V. 3. Act. XIX. 21. ¶ *Καὶ ἐτάραξεν ἑαυτόν. & turbavit ſeipſum*] Expoſitio eſt formæ Hithphael, quæ non Actionem ſemper ſignificat, ſed ſæpe & Paſſionem intra nos. Syrus ערע, id eſt, *commovit ſe*. Arabs تحرك quod idem eſt. Sed ut differat à ſuperiore membro, puto hic intelligi mutationem in vultu quæ animi affectum indicaret.

34. *Ποῦ τεθείκατε αὐτόν; Ubi poſuiſtis eum*]? Volebat ab ipſis deduci: ideo interrogat.

35. *Ἐδάκρυσεν ὁ Ἰησοῦς. Lacrymatus eſt Jeſus*] Lacrymas oborientes non ultra tenuit conſpecto ſororum fletu graviore. Neque hoc indignum Jeſu. Vide Luc. XIX. 41. & XXII. 44. quæ loca male olim ſolicitata ab iis qui Chriſtum nobis Stoicum effingere voluerunt.

36. *Ἴδε πῶς ἐφίλει αὐτόν. Ecce quomodo amabat eum*] In hoc profuit fletus Jeſu, ut ſpectatores benignius de eo ſentirent, ut de homine non neſcio miſereri aliiſque humanis affectibus tangi.

37. *Οὐκ ἠδύνατο οὗτος, Non poterat hic*] Animo dubio. Nam & de ipſius animo in Lazarum bene exiſtimabant, & Cæci illuminatio majus quiddam erat Sanatione. Hæc eo diligentius annotata ut plurimis teſtimoniis conſtaret non dubitatum de Lazari morte.

38. *Πάλιν ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ, rurſum commotus intra ſe*] Vultu iterum dolorem teſtante: nam quod ante explicatius dixit, hic brevius. Solet, ut diximus, Aſpectu ſepulchri dolor recrudeſcere. ¶ *Σπήλαιον, ſpelunca*] Vide quæ ad Matth. XXVII. 60. ¶ *Λίθος ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῷ. lapis ſuperpoſitus erat ei*] Quia os hujus ſpeluncæ parte una ſublimius, altera depreſſius erat, declivi ſpecu.

39. *Ἄρατε τὸν λίθον. Tollite lapidem*] Dicebat hoc miniſtris Marthæ & Mariæ comitantibus: erat enim nonnullius laboris. Marci XVI. 3. ¶ *Κύριε, ἤδη ὄζει· Domine, jam fœtet*] Spem præ rei ſperatæ magnitudine non retinens, quaſi humane, avocat Dominum ab introitu ſpeluncæ, ne ingrato jam putiſcentis odore offenderetur. ¶ *Τεταρταῖος γάρ ἐστι. Quatriduanus eſt enim*] Sic Ariſtophanes Avibus *πεμπταῖον* [*quintidianum*] dixit puerum natum dies quinque. At Plutarchus de mortuo itidem agens *τριταῖον* [*tridianum*] dixit, libro

De ſera Numinis vindicta: ut & Philoſtratus Vita Apollonii lib. III. cap. 12. Plato itidem de mortuo δωδεκατεῦον [*duodecimdianum*].

40. Οὐκ εἶπόν σοι, *Nonne dixi tibi*] Non totidem verbis ſed ſenſu, cum dixerat *reſurrecturum fratrem*, & *ſe eſſe reſurrectionis data Dominum*, & rogaſſet *an hoc crederet*. ¶ Ἐὰν πιστεύσῃς, *ſi credideris*] Fidem hanc in talibus beneficiis requirebat Chriſtus, ut diſceremus ſpiritualia beneficia non niſi in ipſum confidentibus conferri. ¶ Τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ; *gloriam Dei*]? Modeſte non ſuam dixit, ſed *Dei*, cujus majeſtas nunquam magis quam in admirandis & ſuperantibus naturam operibus conſpicitur.

41. Ἦραν οὖν τὸν λίθον, *tulerunt ergo lapidem*] Miniſtri, ut diximus. ¶ Οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος. *ubi ſitus erat mortuus*] Latinus hoc non habet, ſed nec Syrus, niſi quod articulo addito refert ſe ad id quod ſupra dictum erat. At habent pleraque exemplaria Græca & Arabs: quare retinendum puto. ¶ Ἆρας τοὺς ὀφθαλμοὺς ἄνω, *elevatis ſurſum oculis*] Vide quæ diximus Lucæ XVIII. 13. Sic & Matth. XIV. 19. ¶ Εὐχαριστῶ σοι, *gratias ago tibi*] Pro omni bono adepto debetur חודה, id eſt, *gratiarum actio*, quocunque modo id nobis obtigerit, quando omnium primus auctor eſt Deus. Jac. I. 17. ¶ Ὅτι ἤκουσάς μου. *quoniam audiſti me*] *Audire* aliquem Deus dicitur etiam non rogatus cum ei benefacit, Pſal. X. 17. Blaiæ LXV. 24. Agit ergo gratias Chriſtus pro accepta Divina miraculorum quorumvis efficiendorum poteſtate.

42. Ἐγὼ δὲ ἤδειν ὅτι πάντοτέ μου ἀκούεις; *Ego autem ſciebam quia ſemper me audis*] Non hoc ideo facio quod novum hoc ſit beneficium, ut vulgus putat, ſupra 22. ſed quia ſemper mihi ades. ¶ Διὰ τὸν ὄχλον τὸν περιεστῶτα, *propter populum qui circumſtat*] Ideo hoc facio ne putent aut me mihi originem hujus poteſtatis adſcribere, aut diabolo uti auctore, aliumve quam te Deum colere ac monſtrare: me, inquam, quem & populus hic colere ſe profitetur. ¶ Ὅτι σύ με ἀπέστειλας. *quia tu me miſiſti*] Ut inde me à te miſſum colligant, quod videant omnia à me ad tuam laudem referri, nihil me mihi vindicare, diaboli autem & mortis poteſtatem per me deſtrui.

43. Φωνῇ μεγάλῃ ἐκραύγασε, *voce magna clamavit*] Non magico ſuſurro, ſed palam exſerens poteſtatem. Et eſt hic imago quædam generalis reſuſcitationis Matth. XXIV. 31. I Theſſ. IV. 16. ¶ Λάζαρε, δεῦρο ἔξω. *Lazare, veni foras*] Non dixit tantum, *Surge*, ut ad puellam Marci V. 41. ſed, quod amplius eſt, *Exi è monumento*. Tales autem voces non agunt, ſed vim agentem ſignificant, ut diximus ad Marc. I. 25. Confer Rom. IV. 17.

44. Ἐξῆλθεν, *prodiit*] Non vita tantum ſed & valetudine recuperata. ¶ Δεδεμένος τὰς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις. *ligatus pedes & manus inſtitis*] Præter ſudarium capiti impoſitum cæterum corpus totum perpetuis involucris tegebatur, quod & icones Ægyptiacæ monſtrant, & Nonnus hoc loco,

Καὶ ἐκ ποδὸς ἄχρι κεφάλης
Σφιγγόμενον πλεκτῆσιν ὅλον δέμας εἶχε κειρίης.
[. . . *à vertice ſummo*
Ad calcem totum velarant linea corpus].

Ideo infra legimus XIX. 40. ἔλαβον οὖν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις [*acceperunt ergo corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis*]. Quare quod hic dicitur de *vinctis manibus pedibuque*, ita accipe ut illud Plinii de infantibus, *Jacent pedibus manibuſque devinctis*. Auguſtinus, *Inſtita quibus totum corpus Chriſti alligatum eſt*. Nec aliter ſenſiſſe videtur Baſilius ubi hanc hiſtoriam tractat. Ideo συνέλλεσθαι dicitur mortuus Act. V. 6. id eſt, *involvi*, *faſciis* ſcilicet, quam vocem Latinam hic Syrus uſurpat ut Græcum κειρίαις [*inſtitis*] interpretetur, ut & infra, Hebræa vox eſt סדינים. ¶ Σουδαρίῳ περιεδέδετο. *ſudario circumligatus erat*] Vide & infra XX. 7. Nonnus,

Σουδάριον τόπερ οἶκε Σύρων σῆμα.
[*Quod Syra vox dicit ſudaria*]

ut & infra,

Σουδάριον τόπερ οἶκε Σύρων ἐτιδήμιος αὐδή.
[*Vox quod aiunt Syris ſudari nomine dicit*].

Recte: nam in Syriacum & Judaicum idioma hæc vox tranſierat, ut notavimus Lucæ XIX. 20. Nec mirum cum & Græci eam à Latinis accepiſſent, ut docet nos Pollux. Ruth. III. 15. סדין *flammeum*, ut David Kimchi eo loco exponit, Chaldæus vertit סודרא [*ſudarium*], ut & Exod. XXXIV. 33. κάλυμμα [*velum*], quod vultui ſuo impoſuit Moſes מסוה Hebraice. Alii Rabbini etiam *vexillum conſtare* dicunt *ex pertica* ſive *calamo & ſudario*. In Thalmudico titulo De ſepultura refertur *ſapientioribus additum ſudarium non amplius denario conſtans*. Meminit *ſudarii* quo caput mortui obvolvebatur & Maimonides. Servius in Æneidos XI. de Pallante mortuo: *Unam de duabus veſtibus induit juveni, altera caput ejus velavit*. Adde illud Homeri de Patroclo,

Ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑανῷ λεπτῷ κάλυψαν
Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, καθύπερθε δὲ φάρεϊ λευκῷ.
[*In lectis poſito ſubtilia circumvolvunt*
Lina pedum tenus, at candens in vertice velum].

In Odyſſeæ ſecundo Penelope ſic locuta dicitur,

. . . . . Εἰσόκε φᾶρος
Ἐντελέσω (μή μοι μεταμώνια νήματ' ὄληται)
Λαέρτῃ ἥρωϊ τεθνηότι, εἰς ὅτε κέν μιν
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανυλεγέος θανάτοιο,
Μή τις μοι κατὰ δῆμον Ἀχαιϊάδων νεμεσήσῃ
Αἶσαν ἄτερ σπείρου κεῖται. . . .
[. . . . . *Donec amictum*
Perficiam (*ne ſint nobis precor irrita fila*)
Qui quondam Heroi Laertæ funus adornet,
Cum fatalis ei finiverit hora ſenectam,
De moribus me nequa probro conſpergat Achivis,
Si jaceat corpus velo ſine. . . .]

Ad eum locum Didymus: Σπεῖρον, ὕφασμα δυνάμενον σπείρειν καὶ σπαρτανᾶν τὸ αὐτῷ περιτιθέμενον. [*Eſt textum opus, quod involvere & velare undique poſſit id quod* ει *indiuit*] ¶ Λύσατε αὐτὸν, *Solvite eum*] *Solvite faſcias*, quibus involutus prorepſerat. ¶ Ἄφετε ὑπάγειν. *ſinite abire*] *Abeat dominum*. Noluit Chriſtus cum eo ire, ne quaſi in triumphum ducere videretur.

45. Ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. *crediderunt in eum*] Tracti & magnitudine & certitudine miraculi, crediderunt non tantum à à Deo miſſum, ſed & Meſſiam, ut ſequentia oſtendunt. Vide infra XII. 11, 18.

46. Τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν, *quidam autem ex ipſis*] Refer non ad poſtremas voces, ſed ad illud generale Ἰουδαίων [*Judæorum*]. Impios hos fuiſſe neceſſe eſt: quod genus hominum ne conſpecta quidem mortuorum reſurrectione reſipiſcere ſolet, Luc. XVI. 31. Omnia enim potius, etiam abſurdiſſima, comminiſcuntur quam ſua commoda aut hominum gratiam (quam iſtos venatos apparet) amittant. ¶ Πρὸς τοὺς Φαρισαίους, *ad Phariſæos*] Præcipuos ejus ſectæ qui in Synedrio erant; ut docent ſequentia.

47. Οἱ ἀρχιερεῖς, *Pontifices*] Pontifex maximus Cajaphas, & ſocer ejus Annas ante eo functus Pontificatu, & cujus conſiliis ferme regebatur Cajaphas. Vide Lucæ III. 2. infra XVIII. 13, 24. Actor. IV. 6. ¶ Καὶ οἱ Φαρισαῖοι, *& Phariſæi*] Phariſæi impulſu, Annas & Cajaphas auctoritate, Senatum convocarunt. ¶ Τί ποιοῦμεν; *Quid facimus?*] *Quid agimus?* quomodo & Latini loquuntur ubi deliberant. ¶ Οὗτος ὁ ἄνθρωπος, *hic homo*] Contemtim dictum, ut ſupra V. 12. ¶ Πολλὰ σημεῖα ποιεῖ. *multa ſigna facit*] Adeo exæcati erant invidia animi, ut quod argumentum eſſe debuerat quo ipſi crederent, eo in ipſius perniciem incitarentur.

48. Ἐὰν ἀφῶμεν αὐτὸν οὕτω, *Si dimittimus eum ſic*] Quaſi humana vis Divinam impedire poſſit. ¶ Πάντες πιστεύσουσιν εἰς αὐτόν· *omnes credent in eum*] Ut Meſſiam ac proinde populi hujus Regem. ¶ Καὶ ἐλεύσονται οἱ Ῥωμαῖοι, καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος. *& venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem*] Hebraiſmus: pro, *adventantes Romani delebunt & urbem & gentem*. נשא, quod ſæpe per αἴρειν [*tollere*] redditur, ſignificat *delere* Oſe. I. 7. Sic αἴρειν ſumitur Lucæ VIII. 12. ſupra I. 29. & alibi. τόπος [*locus*] pro *urbe* etiam Act. VI. 13, 14. Urbs deletur excidio, Gens internecione aut diſperſione. Romanos autem infenſos ajunt fore ob Meſſiam; quaſi non Jeſus aperte docuiſſet obtemperandum qualibuſcunque Rectoribus, Regnum autem etiam oblatum defugiſſet. At ipſi Meſſiam & quidem Romani Imperii hoſtem exſpectabant. Et vero Meſſia contemto in id inciderunt quod ſe metuere profitebantur.

49. Ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, *cum eſſet Pontifex anni illius*] Hoc additum non quod in annos ſed quod ſubinde mutarentur Pontifices: quem morem ipſorum ambitio contra Legem invexerat. ¶ Ὑμεῖς οὐκ οἴδατε οὐδέν. *vos neſcitis quicquam*] Quaſi diceret, Stulti eſtis quod in re tam facili atque expedita hæſitatis.

50. Οὐδὲ διαλογίζεσθε ὅτι συμφέρει ὑμῖν, *nec cogitatis quia expedit nobis*] Deſcriptio ingenii ejus generis quos vulgo *Politicos* vocant, qui honeſto atque juſto inſuper habito nihil præter utilitatem ſpectant, nec aliud in ore habent; utilitatem, inquam, quam publicam vocant, cum revera plerumque mere privata ſit. ¶ Ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, *ut unus*

mo-

moriatur homo pro populo] Id est, pro salute populi. Praxithea in Euripidis Erechtheo,

Πόλεως δ' ὀνομα τἄνομ' ἓν, πολλοῖς δ' ἓν
Νόμεισι· τοῦτους πῶς διαφθεῖραί με δεῖ,
Ἐξὸν πρὸ πάντων μίαν ὑπερδοῦναι θανεῖν:
[*Tum civitatis nomen unum, in Legibus*
Res posita multis: perdere hæ an fas mihi,
Cum possit una vita pro multis dari?]

Otho Imperator apud Xiphilinum: πολὺ γάρ του καὶ κρεῖττον καὶ δικαιότερόν ἐστιν ἕνα ὑπὲρ πάντων, ἢ πολλοὺς ὑπὲρ ἑνὸς ἀπολέσθαι. [*multo enim & melius & justius unum pro omnibus, quam omnes pro uno interire.*] Apud Virgilium,

Unum pro cunctis dabitur caput, - - -

Eandem sententiam Musulmannici magistri Selimo dictarunt, ut est in Leunclavii Annalibus. Sed ut hoc laudabile sit in eo qui sponte sè pro patria devovet, illud excusari qui potest, ut ob periculum imaginarium homo innocens, beneficus opprimatur, & quidem per calumniam? Hæc est illa mundi sapientia. ¶ Καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται. *ne tota gens pereat*] Καὶ μὴ, id est, *ne*, ut Hebræis אל.

51. Ἀφ' ἑαυτοῦ, *a semetipso*] Non casu, non sine speciali directione Divina, quæ in singulis vocibus apparet. ¶ Ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου προεφήτευεν, *Cum esset Pontifex anni illius prophetavit*] Apud Homerum de somnio quodam dicitur, contemnendum fuisse nisi evenisset Ducum Duci Agamemnoni. Et apud Spartanos solis Ephoris licebat somnia referre. Et Hebræi ajunt ominis loco esse quod viro principi etiam ignoranti exciderit: unde proverbium, יהוה כשנה היצא מלפני לשליט [*Deus tanquam fortuitum educit ex ore Principis*]. Docet scilicet ratio, si quid publici negotii significari vellet Deus, id significaturum maxime iis qui populo præsunt. Sic Pharaoni, hic Nabuchodonosoro ventura per somnium patefacta fuere. Etiam Urim & Thumim consulere Regum erat, aut summorum Magistratuum in populo Dei. Quia vero Cajaphas in eo populo summam obtinebat dignitatem & quasi Princeps erat populi, ideo ejus ore tanquam instrumento utitur Deus. *Inimici nostri, judices*, Deut. xxxii. 31. ¶ Ὅτι ἔμελλεν ὁ Ἰησοῦς ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τοῦ ἔθνους. *quod Jesus moriturus esset pro gente*] Deus mortem ipsius erat permissurus atque ordinaturus ad salutem æternam eorum ex Judæis quibus aliqua esset Dei reverentia. Nam per mortem Christi, secuta maxime resurrectione, certi facti sunt de ejus dogmate, fidem ei habuerunt, & se converterunt. Vide Act. 11. & sequentibus. ἔθνος [*gens*] de Judæis Lucæ vii. 5. infra xviii. 35. Actor. x. 22. xxiv. 3, 10. Hinc Abrahamum Philo vocat τὸν ἐθνοπάτορα [*gentis auctorem*]. *Pro gente* autem *moriturus* dicitur, quia pro parte optima gentis est moriturus: nam effectus hic respici videtur, non sola occasio, ut alibi.

52. Τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ, *filios Dei*] Id est, *qui animo sunt apto ut Dei filii fiant*: sicut *oves* & *populum Dei* ex præparatione quadam dici supra notavimus x. 16. ¶ Τὰ διεσκορπισμένα, *qui erant dispersi*] Non in uno loco sed passim habitantes. διασκορπίζειν quod est *dividere*, *separare*, διασκορπίζειν [*dispergere*] interdum vertunt Græci. Et oppositа sunt διασκορπίζειν [*dispergere*] & συνάγειν [*colligere*], Matth. xxv. 24, 26. Vox Hebræa est פוץ, quam per πλανώμενον [*palabundum*] vertunt Græci Ezech. xxxiv. 4. 16. ¶ Συναγάγῃ εἰς ἕν. *congregaret in unum*] Quod supra dixerat, *ut fiat unum ovile*, una Ecclesia sub eodem capite Christo. Confer Ephes. ii. 13. Antehac qui extra Judæos erant σεβόμενοι τὸν Θεὸν [*colentes Deum*] nullos inter se cœtus faciebant, nullum constituebant corpus.

53. Συνεβουλεύσαντο, *cogitaverunt*] Jam plane ac firme, exemto omni scrupulo, constituerunt rem non ultra differendam, sed omni modo mortem maturandam. Ostendit Euangelista illum obtentum publicæ utilitatis tam bellum ipsis visum ut sufficeret ad decernendam Christi occisionem, cui deinde color quærebatur. Ita apparuit verum esse quod dicitur,

Grave præjudicium est quod judicium non habet.

54. Οὐκ ἔτι παῤῥησίᾳ, *non ultra palam*] *Aperte*, *palam*, 1 Maccab. iv. 18. λάβετε τὰ σκῦλα μετὰ παῤῥησίας [*sumetis spolia palam*]. ¶ Εἰς τὴν χώραν ἐγγὺς τῆς ἐρήμου, *in regionem juxta desertum*] Ad partem Judææ Orientalem, non procul Hierichunte. ¶ Εἰς Ἐφραὶμ λεγομένην πόλιν· *in civitatem quæ dicitur Ephrem*] Eadem est Ἐφραὶμ [*Ephraim*] & Ἐφρὶμ [*Ephrem*], ut pro ירושלם [*Jerusalem*] scribitur Ιερεσαλημ [*Jerusalem*]· & in multis aliis vocibus Patach cum Jod mutatur in Tzere ob vicinitatem pronuntiationis. Non potest hæc urbs esse *Ephron* cujus mentio in Paralipomenis & Maccabaica historia: nam Ephron incipit ab Ayn, *Ephrem* Syro & Arabi per Aleph: ut omnino videatur hoc oppidum dictum ab ipsa Tribu: cujus, credo, reliquiæ illuc se contulerant post cladem ab Jephta illatam, Jud. xii. 6. ¶ Κἀκεῖ διέτριβε, *& ibi morabatur*] Ne ante justum tempus se odiis objiceret, & ut ipsa absentia apud non malos desiderium sui excitaret; quod ostendunt sequentia: itaque introitus postea ejus in Urbem ex ipsa exspectatione factus est augustior.

55. Τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων. *Pascha Judæorum*] Ut supra ii. 13. ¶ Ἐκ τῆς χώρας, *de regione*] Ex ea regione in quam se receperat Jesus & qui ibi cum reliquerant. ¶ Ἵνα ἁγνίσωσιν ἑαυτούς. *ut sanctificarent seipsos*] Maturius iverunt quotquot aut imperatis à Lege sacrificiis, puta qui culpæ alicujus sibi erant conscii, aut sponte susceptо Nazareatus voto obligabantur: nam & vota talia solvi solebant sub aliquem diem festum. Sed & alii aliquot dies prævios impendebant precibus. Vide ii Par. xxix.

56. Ἐζήτων οὖν τὸν Ἰησοῦν, *Quærebant ergo Jesum*] Cupiditate videndi miracula. ¶ Ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*] Ubi conspiciendum se dare & docere populum solebat. ¶ Ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ εἰς τὴν ἑορτήν; *quia non venit ad diem festum*]: Ὅτι [*quia*], ut solet, abundat. Dubitabant *venturus ne esset ad diem festum*, aliis affirmantibus ob morem ipsius perpetuum, aliis negantibus ob impendens periculum.

57. Οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, *Pontifices & Pharisæi*] Id est, Senatus, impellentibus Pontificibus & iis qui Pharisaicæ erant factionis, cæteris se tempori aptantibus. ¶ Ἵνα ἐάν τις γνῷ ποῦ ἐστι, μηνύσῃ, *ut si quis cognoverit ubi sit, indicet*] Quod fieri solitum in criminibus atrocibus cum diris in non parentes. Vide Sophoclem Oedipode. ¶ Ὅπως πιάσωσιν αὐτόν. *ut apprehendant eum*] Ut ita eum in sua potestate haberent, ac deinde constituerent de modo interficiendi.

CAP. XII.

VALLA.

7, 8. *Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis*] Quia in numero plurali de pauperibus dicitur ad multos, ideo quidam plurali numero scribunt *finite* pro *fine*, ἄφες. Ad Judam enim solum locutus est. Neque legendum est, *ut in diem sepulturæ meæ servet illud*, sed, *in diem sepulturæ meæ*, sive *tumulationis meæ*, *servavit illud*, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό. Nam *habetis* non *habebitis* utrobique legendum esse, in superioribus admonuimus, Matth. 26. 11.

20. *Erant autem quidam Gentiles*] Non est nunc vocabulum illud quod proprie significat *Gentiles*, ἐθνικὸς, sed quod significat *Græcos*, Ἕλληνας, quemadmodum superius 7. 35. *Nunquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes?* Ἑλλήνων, Ἕλληνας. *Hellenes* enim Græce vocantur, non *Græci*. Aristoteles autem in libris De cœlo, tanquam rem parum notam, ait olim fuisse vocatos Γραικὸς *Græcos* qui nunc dicuntur *Hellenes*. Nisi hoc nomine accipimus omnes qui ejusdem cujus Græci religionis erant.

32. *Omnia traham ad meipsum*] Miror Augustinum, qui nonnunquam solet Græca testari, ita dicentem, *Non autem dixit* OMNES, *sed* OMNIA. Imo si Græcam veritatem consulas, *omnes* dixit Jesus, non *omnia*, πάντας. Nemo Græcorum aliter unquam legit.

35. *Adhuc modicum lumen in vobis est*] Gr. *Adhuc modico tempore*, sed per accusativum casum, μικρὸν χρόνον. Quod si accipiatur *modicum* pro *modico tempore*, obscura effecta sententia est, quibusdam accipientibus *modicum luminis in vobis est*, quæ obscuritas non cadit in illum locum 16. 16. *Modicum, & non videbitis me*; & tamen unum Græce est nomen, non duo, μικρόν. Neque vero dicitur *in vobis est*, sed *vobiscum est*, μεθ' ὑμῶν.

REVIUS in VALLAM.

20. Græce vocantur] Legebatur *Graci*, sensu inepto. ¶ Olim fuisse vocatos Γραικὸς] Ita & Stephanus, Γραικὸς, ὁ Ἕλλην, ὀξυτόνως, ὁ Θεσσάλου υἱὸς, ἀφ' οὗ Γραικοὶ Ἕλληνες. Lycophron, Γραικῶν ἄρχος. Similiter Callimachus, Alexander Ætolus, Apollodorus, qui à Scaligero citantur Animadv. in Eusebium pag. 19. Olympiodorus in Aristotelis Meteora (citat autem locum Casaubonus Exerc. 9. c. 3.) τότε μὲν Γραικοὶ, νῦν δὲ Ἕλληνες· τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα οἱ μὲν Ῥωμαῖοι κα-

παροξύνουσι, Γραικοὶ λέγοντες· ἡ δὲ κοινὴ διάλεκτος ἕλληνες· καθόλου δὲ οἱ Ῥωμαῖοι πᾶν ὄνομα παροξύνουσι διὰ τὸν τόνον. Ubi mihi caſtigandus eſt cum ſua obſcura diligentia interpres locorum Caſauboni Græcorum: ita enim hæc vertit, *Tunc quidem* vocabantur *Græci*, *nunc vero* vocantur *Hellenes. Porro hoc nomen Romani exagitant*, Græci *dicentes*; *ſed communem dialectum faſtidit. In univerſum autem Romani omne nomen exagitant propter ſuperbiam*, &c Monſtroſa interpretatio, cum ibi non de *exagitatione* nec de *faſtidio*, ſed de vocabulo *oxytono* & *paroxytono* ſermo ſit.

ERASMUS.

3. *Libram unguenti*] Λίτραν. Videri poterat Euangeliſta Latinam vocem inflexiſſe in Græcam, niſi λίτρα Julius Pollux teſtaretur *vocem eſſe à vetuſtis ſcriptoribus Græcis uſurpatam*, ut probabilius ſit Latinos eam vocem à Græcis ſumpſiſſe mutuo, mutata literula. ¶ *Nardi piſtici*] De hoc dictum eſt in Marco: nam iiſdem verbis utitur uterque.

6. *Non quod de egenis pertinebat ad eum*] Ὅτι περὶ τῶν πτωχῶν ἔμελεν αὐτῷ, *quod de egenis curaret*. Simile illi quod paulo ſuperius indicavimus, *& non pertinet ad eum de ovibus*. ¶ *Et loculos habens*] Τὸ γλωσσόκομον εἶχεν *marſupium*, ſeu potius *ſcrinium in quo pecunia reconduntur*. Dictum à *lingua*, opinor, quod Linguæ ſpeciem haberent ejuſmodi.

7. *Sinite illam*] Ἄφες αὐτὴν *Sine eam*, conſentientibus & vetuſtiſſ. exemplaribus noſtris. Ad unum enim Judam id dictum eſt, non ad omnes; quod conſentaneum ſit illum prohibiturum fuiſſe. ¶ *Ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*] Græca diſſident, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτὸ, *in diem ſepulturæ meæ ſervavit illud*. Jam enim illa præveniebat ſepulturam Chriſti. Quanquam pro *ſervavit* Chryſoſtomus legit *fecit*, ſi modo non fallit interpres: nam Græci codicis non erat copia: alioqui pro τετήρηκεν legiſſe videtur πεποίηκεν.

8. *Me autem non ſemper habebitis*] Utrumque verbum eſt præſentis temporis, *Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me vero non ſemper habetis*, ἔχετε, ἔχετε.

12. *In craſtinum*] Τῇ ἐπαύριον, quod aliquoties vertit *Altera die*. Vertendum erat *Poſtridie*, ſive *Poſtero die*.

13. *Ramos palmarum*] Τὰ βαΐα τῶν φοινίκων. Eſt autem βαΐον proprie *ramus palmæ*, inde dictus quod non facile revellitur, eo quod hæc arbor natura ſurſum nitatur adverſus deprimentis manum, παρὰ τὸ βάϊν τίλλεσθαι. Quidam illiterati Palmam eandem putant quæ Buxus eſt, quam & vulgus *palmam* appellat.

14. *Invenit Jeſus aſellum*] Εὑρὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ὀνάριον. Verti poterat, *Naſcum Jeſus aſellum*. Etenim Græcis diminutivum eſt neutri generis, quod ad utrumque ſexum poſſit accommodari.

15. *Ecce Rex tuus*] Locus eſt apud Zachariam 9. 9. Quanquam Euangeliſta decerpſit è Prophetia quæ ad hanc rem pertinebant: nam Prophetia priore loco refert *aſinam*; *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & ſalvator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & pullum filium aſinæ*. Matthæus item narrat Chriſtum *inſediſſe aſinæ*. Ego puto Vaticinium non laboraſſe de ſexu, ſed tantum voluiſſe intelligi Meſſiæ adventum fore manſuetum & humilem juxta mundum. Et fortaſſe ut nomine *liberorum* continentur & Filiæ, ita nomine *pullorum* continentur Aſinæ. Hiſce de rebus nonnihil attigimus in Matthæum. De *Oſanna* quoque alias dictum eſt.

19. *Ecce mundus totus abit poſt eum*] *Totus* non additur apud Græcos. Cæterum apud Auguſtinum additum quidem eſt; verum ex ipſius interpretatione conjicere licet illum ſecus legiſſe: ſic enim ſcribit Auguſtinus, *Quid autem invides, cæca turba, quia poſt eum vadit mundus, per quem factus eſt mundus?* Et Chryſoſtomus, *Mundum*, inquit, *hoc loco turbam appellat*. Similia dicit Theophylactus, *mundum* legens, non *totum mundum*.

20. *Quidam Gentiles*] Ἕλληνες *Græci*: quod frequenter vertit *Gentiles*, cum *Gentiles* dicantur ἔθνικοί.

29. *Clarifica*] Δόξασον *glorifica*. Item in ſequentibus, *Et glorificavi, & glorificabo*: ſeu potius, *Et illuſtravi, & rurſus illuſtrabo*.

32. *Omnia traham*] Πάντας ἑλκύσω *omnes trahem*. Ad eum certe modum conſtanter habent exemplaria Græca, atque in eum ſenſum interpretatur Chryſoſtomus, ut de Hominibus duntaxat intelligatur, & ſenſus ſit, Non modo Judæos verum etiam Græcos ac Barbaros eſſe trahendos. Quanquam D. Auguſtinus nominatim etiam admonet *omnia* legendum, non *omnes*: nam ita diſſerit, *Non autem dixit* OMNES, *ſed* OMNIA. *Non enim omnium eſt fides. Non itaque hoc ad univerſitatem hominum retulit, ſed ad creaturæ integritatem, id eſt, ſpiritum, & animam, & corpus, & illud quod intelligimus, & illud quod vivimus, & illud quod viſibiles & contrectabiles ſumus.* Ac mox, *Aut ſi* OMNIA *ipſi homines intelligendi ſunt, omnia prædeſtinata ad ſalutem poſſumus dicere, ex quibus omnibus ait nihil eſſe periturum, cum de ſuis ovibus loqueretur. Aut certe omnia hominum genera, ſive in linguis omnibus, ſive in ætatibus, ſive in gradibus honorum omnibus, ſive in artium licitarum & utilium profeſſionibus omnibus, & quicquid aliud dici poteſt ſecundum innumerabiles differentias*, &c. Theophylactus conſentit cum Chryſoſtomo. Verum, ut ad id quod agitur recurramus, admodum tenue diſcrimen eſt in Græcis vocibus πάντας & πάντα, nec ad ſenſum magni refert, præſertim cum Chriſtus *omnem creaturam* vocet omne genus hominum.

35. *Adhuc modicum lumen*] Ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι, *Adhuc puſillum temporis lumen vobiſcum eſt*, ſive *ad breve tempus*. Ut non intelligas puſillum luminis in illis ſupereſſe, ſed Chriſtum, qui Lux erat mundi, morte ſubducturum ſe brevi. Et in hunc ſenſum interpretatur Chryſoſtomus, & hunc ſecutus Theophylactus. Diverſam lectionem ſequi videtur Auguſtinus, interpretans hoc eſſe *modicum lumen* quod ſibi conſcii intelligerent quid dixiſſet *exaltari à terra*, cum jam tum in animo haberent eum tollere in crucem; aut quod intelligerent *Chriſtum manere in æternum*. Nec eſt *in vobis*, ſed μεθ' ὑμῶν *vobiſcum*: ut intelligerent brevi diſceſſurum. Quanquam, ut ingenue dicam, opinor χρόνον & apud Græcos additum à quopiam qui voluerit locum explanatiorem reddere; præſertim cum idem Johannes capite proximo v. 33. conſimili modo loquatur, τεκνία, ἔτι μικρὸν μεθ' ὑμῶν εἰμι. Atque hinc ſane anſa erroris, quod non addiderit χρόνον· alioqui non fuiſſet locus lapſui. Et tamen ne μικρὸν poſſet referri ad *lumen* obſtabat articulus, ἔτι μικρὸν τὸ φῶς. Si ſenſiſſet *paululum luminis* dixiſſet μικρὸν φῶς.

37. *Tanta ſigna*] Τοσαῦτα. Senſus eſſe poteſt, *tot ſigna*, ſive *tam multa*.

38. *Domine, quis credidit auditui noſtro?*] Teſtimonium exſtat apud Eſaiam 53. 1. ſed juxta LXX magis quam Hebræam veritatem citat. Addidit enim ex illis *Domine*, quemadmodum Paulus in Epiſtolis hunc eundem adducens locum. Nam Hebræis ſic habet, interprete Hieronymo, *Quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt?* Cæterum teſtimonium proximum, quod ex ejuſdem Prophetæ cap. 6. 9. retulit, nec ad Hebræa nec ad editionem LXX ſatis reſpondet; ſenſum modo delibavit Euangeliſta. Verum de hoc alias nonnihil annotavimus.

40. *Et induravit cor eorum*] Καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν, *& excæcavit cor eorum*. Interpres legiſſe videtur ἐτυφλωσεν.

42. *De ſynagoga non ejicerentur*] Ἀποσυνάγωγοι γένωνται· de quo paulo ſuperius admonuimus.

47. *Et non cuſtodierit*] Καὶ μὴ φυλάξῃ *& non cuſtodierit*. Alii legiſſe videntur καὶ μὴ πιστεύσῃ. Ad ſenſum perpuſillum refert.

48. *Qui ſpernit me*] Ὁ ἀθετῶν *qui rejicit*: ita legit Cyprianus.

VATABLUS.

1. SUſcitavit*] *Suſcitaverat* * *à mortuis.*

2. *Autem*] *Igitur.*

3. *Piſtici*] *Piſtica*: vide apud Marcum cap. 14. 2. ¶ *Et domus*] *Domus autem.*

4. *Judas**] * *Simonis*, ſub. *filius.*

6. *Dixit*] *Dicebat.* ¶ *Pertinebat ad illum*] *Cura eſſet illi.* ¶ *Loculos*] *Marſupium.*

7. *Sinite*] *Sine*, Vet. ¶ *Ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*] *In diem ſepulturæ meæ ſervavit illud*: i. ad indicandum ſepulturæ meæ tempus inſtare.

8. *Habebitis*] *Habetis*, Vet. & infra.

9. *Eſt*] *Eſſet.* ¶ *Ut**] * *Et.* ¶ *Suſcitavit*] *Suſcitaverat.*

10. *Cogitaverunt*] *Conſultaverunt.*

12. *In craſtinum*] *Poſtero die.* ¶ *Venit*] *Veniret.*

13. *Hoſanna*] Vide Matth. 21. ¶ *In nomine Domini*] i. miſſus à Domino.

16. *Hæc**] * *Autem.* ¶ *Fecerunt*] *Fecerant.*

18. *Audierunt*] *Audierant.*

19. *Ad ſemetipſos*] *Inter ſe.* ¶ *Proficimus*] *Proficitis.* ¶ *Mun-*

¶ *Mundum*] *Omnis turba.* ¶ *Poſt eum abiit*] Vel, *eum ſe-cutus eſt.*

20. *Gentiles*] *Græci.*

21. *Volumus*] *Velimus.*

23. *Ut clarificetur*] *Ut glorificetur:* i. qua ego glorificer.

24. *Cadens*] *Cum ceciderit:* vel; *dejectum.*

27. *Salvifica me ex hac hora*] *Serva:* i. libera me ab illa hora. ¶ *Propterea*] Sub. *ut moriar.*

28. *Clarifica*] *Illuſtra.* ¶ *Clarificavi & iterum clarificabo*] *Illuſtravi & rurſum illuſtrabo.*

30. *Venit*] *Facta eſt.*

31. *Mundi**] **Hujus.* ¶ *Ejicietur*] *Exigetur.*

32. *Omnia*] *Omnes.*

33. *Quomodo**] **Igitur.*

34. *Modicum*] *Modicum tempus*, vel, *modico tempore.* ¶ *In vobis eſt*] *Vobiſcum eſt.* ¶ *Ut non vos tenebræ comprehendant*] Vel, *ne vos tenebræ occupent.* ¶ *Et*] *Nam*, Heb.

35. *Tanta*] *Tot.*

38. *Ut ſermo * Eſaiæ impleretur*] i. ita ut prophetia Eſaiæ impleta ſit: vel, unde conſtat impletam fuiſſe prophetiam Eſaiæ: **propheta*, Vet. ¶ *Auditui*] *Sermoni.*

41. *Hæc dixit Eſaias*, &c.] i. Hoc prædixit Eſaias cum vidiſſet magnificum illum ſplendorem in quo apparuit illi Deus in templo illo imaginario. ¶ *De eo*] Sub. *populo.*

47. *Cuſtodierit*] *Crediderit.* ¶ *Judico*] *Condemno.*

48. *Spernit*] *Rejicit.*

CASTALIO.

17. TEſtificabatur] Sc. eum Lazaro reddidiſſe vitam.

50. *Scio ejus mandatum ſempiternam eſſe vitam*] Ejuſmodi eſſe ut in eo obeundo vita ſit poſita.

CLARIUS.

3. NArdi piſtica] Intelligit unguentum *ſincerum*, *nulla adulterina mixtura depravatum:* idcirco appellat *piſticam nardum*, h. e. *fidelem & ſinceram.*

7. *In diem ſepulturæ meæ ſervavit illud*] Fecit hoc tanquam ſepulturæ munus, quod nunc facere non poterit. Et quidem licet ſemel, quod & in cæteros homines ſit, præſtari hoc mihi obſequium: nam quod de pauperibus conquereris, illud ſemper licebit.

10. *Ut & Lazarum interficerent*] Cum ſemel animus habenas laxavit in ſcelus, ei poſtea nulli, ubi ſiſtat, termini circumſcribuntur.

23. *Venit hora ut clarificetur Filius hominis*] *Gloriam appellat*, ait Chryſoſtomus, *mortem & crucem. Hic enim amantium mos eſt, ut gloriam exiſtiment cum ſubeunt labores & pericula pro amatis.* Conſecuta autem eſt & gloria poſt crucem, *ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Et cur neceſſaria iſta crux fuerit, docet exemplo *Grani*, quod *in terram jactum, niſi pereat*, h. e. germinando à ſua ſubſtantia & forma diſcedat, *non affert fructum, ſed in ſeſe tantum manet; ſin perit, multum fructum affert.* Neque ſatis fuit ipſum hæc pati, ſed oportere dicit & nos ad hoc eſſe præparatos.

25. *Qui amat animam ſuam*] *Anima* accipitur pro *vita.* Ait ergo, Qui amore vitæ hujus renuit me ſequi, in æternum ignem relegabitur, quæ eſt vera animæ amiſſio. Qui vero non verebitur propter me hanc vitam amittere, in vitam æternam eam reſervabit.

27. *Et quid dicam?*] Dicerem, inquit, *Serva me*, Pater, *ex hac hora*, niſi ſcirem *propterea me veniſſe ut in hanc horam deſcenderem.*

28. *Et clarificavi*] Non de æterna ſolum claritate accipiendum eſt, cujus meminit 17. 5. cum dixit, *Clarifica me claritate quam habui prius quam mundus eſſet apud me*, verum etiam de ea quam nobiſcum degens habuit. Quantis enim ſignificationibus ab ipſo etiam ortu declaratus eſt eſſe Filius Dei?

31. *Nunc judicium eſt mundi hujus*] Et aperit cur hoc dicat, *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Nam per crucem Chriſti, ejuſque prædicationem, imperium ſublatum Diabolo eſt. Actus enim in crucem Dominos (quod ipſe appellat *exaltari à terra*, egregie ſane atque appoſite: illuſtrior enim ex illa morte exſtitit) *omnia ad ſe rapuit*, ut per omnes orbis omnium terrarum partes & opes & cognatio & vita ipſa negligeretur ad prædicationem crucis. Et quia Græca exemplaria habent *omnes*, intellige non Judæos ſolum, ſed omne hominum genus.

34. *Quomodo tu dicis, Oportet exaltari*] Ex his verbis ſignificavit turba ſe intellexiſſe per *exaltationem* mortem ipſam. Quare videtur apud eos uſurpatum fuiſſe *exaltari à terra* pro *in crucem agi.*

39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias*] Ne putes his verbis ſignificari, ablatam illis fuiſſe libertatem à Deo: ſed mos eſt Scripturæ ita loquendi, ſicut & Paulus ait, *Tradidit illos Deus in reprobam mentem.* Significat ergo, non potuiſſe illos credere ob excæcatam mentem & obſtinatum animum; idque Deum ſuo ipſorum vitio & culpa permiſiſſe. Quod ita eſſe declarat Lucæ interpretatio hujus ejuſdem loci Eſaiæ, qui in Actis 28. 26. ſic recitat, *Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perſpicietis: Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt, nequando videant oculis*, &c. Hic ergo non dicit *excæcaſſe Deum oculos eorum, ſed ipſos compreſſiſſe oculos ſuos*, ut diſcamus in aliis quoque hujus generis locis eſſe prudentiores.

47. *Ego non judico eum*] Ego non ſum cauſa illius condemnandi, qui ob hoc tantum veni ut ſervem; ſed is ipſe ſe damnat, quod ſermonem meum nolit audire.

ZEGERUS.

1. ANte ſex dies Paſchæ] Tantundem valet acſi dicat, *ante ſex dies Paſcha præcedentes.* Sic enim numerant ut ſeptimo ante Paſchæ ſolennitatem die Chriſtus regreſſus ſit in Bethaniam, h. e. nono die primi menſis Hebræorum, in cujus decimo quarto Paſcha celebrabatur. Hic erat dies Veneris ante Palmarum.

2. *Fecerunt autem ei cœnam ibi*] Qui fecerint hanc cœnam & ubi facta ſit hic Euangeliſta non exprimit; ex aliis tamen Euangeliſtis à Simone leproſo & in domo ipſius facta fuiſſe creditur.

3. *Nardi piſtici*] *Nardi* hoc loco neutri generis eſt, à *nardum*, ut juxta Græcam lectionem conſtrui poſſit cum adjectivo *piſtici.* Apud Marcum 14. 3. & alia indicavimus ad præſentem locum pertinentia, ſiquidem eadem eſt hic & ibi in Græcis lectio. Cæterum quod Auguſtinus *piſtici* nomine dicit *locum aliquem* indicari *unde fuerit hoc unguentum*, non immerito à nonnullis improbatur, quod nihil tale legatur in Dioſcoride, nec in Plinio.

7. *Sine illam ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*, &c.] Conſtat ex aliis Euangeliſtis & cæteros obmurmuraſſe Diſcipulos, nedum Judam; ſed illos ſimplici affectos animo propter curam egenorum, hunc autem cupiditatis ſuæ ſtimulis exagitatum. Quapropter Dominus reſponſionis ſuæ verba in ſingularem atque pluralem numerum diſpertit, Judæ ſingulariter inquiens, *Sine illam*, omnibus univerſaliter, *Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum me autem non ſemper habetis.* Veruntamen ex Chryſoſtomo verſo ſuboler illius exemplar diverſum quid habuiſſe à modernis. Sic enim quod ille legerat ſuus vertit interpres, *Sinite eam: in diem ſepulturæ meæ hoc fecit.*

25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam*] *Qui amat animam ſuam*, præſentem vitam male diligendo, *perdet eam*, quia æterna vita deſtituetur.

27. *Salvifica me ex hac hora*] Non hoc orat Dominus, ſed an hoc orare par ſit pereontarur: ita enim habet verborum ſeries, *Nunc anima mea turbata eſt. Et quod precabor? num illud, Pater, ſerva me ex hac paſſionis mea hora? Sed ob hoc ipſum veni in horam hanc, Dicam ergo, Pater, glorifica nomen tuum.*

28. *Venit ergo vox de cælo, dicens*] *Dicens* in vulgaribus tantum eſt, non autem in antiquis, nec in Græcis, nec in Auguſtino. ¶ *Et clarificavi, & iterum clarificabo*] Interpres *clarificandi* verbo utitur pro *illuſtrandi* ſive *glorificandi.* Eſt enim, καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω, *Et illuſtravi, atque iterum illuſtrabo.*

31. *Nunc judicium eſt mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur*] Supra dixerat, *Et glorificavi, & iterum glorificabo;* hic etiam modum glorificationis oſtendit, *Nunc*, inquiens, *judicium eſt mundi:* h. e. Ultio nunc hujus mundi per me fit, quia eum trucidabo qui omnes trucidavit, & ultor ero omnium quia ab ipſo occiſi ſunt, ejicieturque foras tyrannus per mortem meam condemnatus. Vel, *Nunc judicium eſt*, non quidem retributionis præmiorum ſuppliciorumque æternorum, ſed diſcretionis fidelium ab infidelibus, & expulſionis Diaboli ab his qui per Chriſtum redempti ſunt.

35. *Adhuc modicum lumen in vobis eſt*] Cum Græce ſit Ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ Φῶς μεθ' ὑμῶν, non niſi hic ſenſus eſſe poteſt, *Adhuc brevi temporis ſpatio Lux illa ego vobiſcum ſum.* Veruntamen D. Auguſtinus, cumque hoc Cyrillus, tanquam diverſum quid legiſſent, illud *modicum* ad *lumen* referunt, hoc ſenſu, *Adhuc puſillum luminis in vobis eſt.*

37. *Tanta ſigna*] Τοσαῦτα anceps eſt ad *tot* & *tanta*.

38. *Quis credidit auditui noſtro?*] h. e. prædicationi noſtræ. ¶ *Et brachium Domini*] Chriſtum Dei Filium *brachium Domini* nuncupat, quia per ipſum quaſi per brachium condidit operaturque omnia Deus.

40. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*] Supple *Deus*. Nemo tamen ſic dictum eſſe putet quaſi Deus cuiquam ſit cæcitatis obdurationiſve cauſa; ſed *excæcare* & *obdurare* dicitur quando Divina ſua juſtitia & humana id exigente malitia quenquam excæcari aut obdurari permittit. ¶ *Et non intelligant corde*] Negatio *non* ſicuti abeſt in Græcis, ita abeſt & in Auguſtino & in exempl. Corſen. Ex contextu Cyrilli, quem conſtat eſſe verſionis antiquæ, nihil poteſt haberi certi.

44. *Qui credit in me, non credit in me*] *Non credit in me*, h. e. in hominis fabri filium, *ſed in* Deum *ipſum qui miſit me.* Vel, *non credit in me modo, verum & in eum qui miſit me.*

45. *Qui videt me videt & eum qui me miſit*] *Videre* hoc loco ſcire & intelligere eſt.

50. *Mandatum ejus vita æterna eſt*] h. e. vitæ æternæ cauſa effectiva eſt.

LUC. BRUGENSIS.

3. *Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi*] Quæ de voce *piſtici*, deque ejus ſimul hoc loco lectione, Marc. 14. 3. annotata ſunt, quære.

7. Nonnulli librorum typis excuſorum legunt, *Sine illam; in diem ſepultura meæ ſervavit illud*; ut ea Biblia quæ anno 1529. in ædibus Quentelianis Coloniæ ſunt edita, & Johannis Arborei commentariis junctus textus. Conſonat hæc lectio codicibus Syricis & Græcis pleriſque, ἄφες αὐτήν· εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμῶ μου τετήρηκεν αὐτό. Conſonat & Græcorum enarratorum, Chryſoſtomi, Theophylacti atque Euthymii textibus; tametſi Chryſoſtomi, quem & Carenſis citat, habeat, *Dimitte eam; in diem ſepultura meæ hoc fecit.* Verum in ſcriptis Latinis libris, iiſque quos Typographi priores dedere, non invenitur: eorum enim ea eſt lectio quæ & textus noſtrorum Bibliorum, *Sine illam, ut in diem ſepultura meæ ſervet illud*: quanquam *die* quidam habeant, quidam *finue* perperam ſcribant. Iſti lectioni Latini gloſſematici adſtipulantur, Richelius, Thomas, Lyranus, Albertus, Carenſis, Rupertus: planeque reſpondent noſtra ad Vaticana caſtigatio, & eorum Græcorum codicum unus qui ex Regis Francorum Bibliotheca correctoribus Pariſienſibus communicati fuere, H lignatus: ita enim habent, ἄφες αὐτήν, ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμῶ μου τηρήσῃ αὐτό· cui legendi modo vult Græci Nonni paraphraſis, quam habemus hunc ad modum verſam, *Miſſum fac donum femina ab omni reprehenſione aliena, ut theſaurum corporis noſtri ſervet, donec occiſionis & ſepulcralis hora noſtra parentationis veniat.*

H. STEPHANUS.

3. Νάρδου πιστικῆς] *Nardi liquidæ.*

6. Τὸ γλωσσόκομον] *Crumenam*: vel, *marſupium.* ¶ Τὰ βαλλόμενα] *Quæ immittebantur*: vel, *quæ dabantur*: ut alibi.

7. Τῆ ἐνταφιασμῶ] *Sepulturæ.*

11. Ὑπῆγον] *Abibant.*

13. Τὰ βάια τῶν Φοινίκων] *Ramos palmarum.*

19. Ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν] *Omnes propemodum feſtari eum cœperunt.*

24. Ὁ κόκκος τῦ σίτου] *Granum frumenti.*

36. Ἀπελθὼν ἐκρύβη] *Abiit, ac ſe occultavit.*

40. Πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν] *Callum obduxit cordibus eorum.*

42. Ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται] *Ne ſynagoga moverentur.*

48. Ὁ ἀθετῶν ἐμὲ] *Qui mihi auctoritatem derogat.*

49. Ἐντολὴν ἔδωκε τί εἴπω καὶ τί λαλήσω] *Mandavit quid me dicere & loqui oporteat.*

DRUSIUS.

1. *Ante ſex dies Paſcha*] Quæ nunc dicam arbitraria eſſe volo, nolo ſint certa: nam *ſex ante Paſcha diebus* coactum videtur. Paſcha ſeptem dies habuit, & ſex: Septem, incluſo termino; ſex, excluſo eodem. Sic hebdomada Joſepho dierum octo fuit, incluſo videlicet utroque termino: nam etiam parte aliqua diei octavi ceſſabant ab opere: Quod vocabant תוספת שבת *additamentum ſabbati.*

3. *Maria ergo*] Aſſentior iis qui hanc Mariam aliam eſſe cenſent ab ea quæ pedes Jeſu unxit Luc. 7. 38. Nam illa *peccatrix* ibi vocatur, hæc paſſim commendatur à pietate, ſoror Marthæ & Lazari, quos DOMINUS diligebat. ¶ *Libram*, Λίτραν] Utuntur hoc vocabulo Ebræi. Nam dicunt ליטרא, quod à Græcis acceperunt, non à Latinis. Aut certe Græci ſumpſerunt à Phœnicibus, quorum lingua Ebraicæ cognata erat. Nam Latinum vocabulum eſſe Λίτρα mihi non perſuadet Galenus. Potius aſſentior iis qui dicunt Græcum eſſe. Elias Thesbite, *In lingua doctorum noſtrorum* זהב ליטרא *Libra aurea, & in plur.* לטרין *Libræ. Vox eſt lingua Græca, qua Latine Libra dicitur, & Germanice* pfund. Idem autor, ubi mentio *pecuniæ* aut *argenti*, i. כסף, in Prophetis, accipi debere de *Libris.* Scribit hoc in rad. פרס *Sicinus.* Judæus Salmanticenſis in lib. Johaſin, 94. 1. ait Λίτραν *eſſe centum Denariorum, & inverſis literis valere idem cum* רמי quod non intelligo. De לטרי diximus Matth. 17. 27. Quid רמי ſit adhuc quæro. Λίτραν ajunt alio nomine מנה dici, i. *Minam*, quæ & *Mna.* Munſterus ad Euangelium Ebraicum Matthæi aſſerit LX Libras Talentum efficere. Vide Heſychium. Τρία μέτρα, quod hic apud Nonnum, Græci conſueverunt *Epha* interpretari, quod eſt menſuræ genus tria Sata continentis. *Satum* autem סאה dicitur. Quæramus adhuc. Quod hæc dies non docuit, docebit alia. ¶ *Unxit pedes Jeſu*] Prius lavit, deinde unxit. Nam poſt lotionem unctiones adhibebantur ad obſtruendos corporis poros. Notavit hoc Euſtathius Iliad. 10. Aut unxit ad pollincturam, ut Marc. 16. 1. Infra, *Sine illam ut in diem ſepulturæ ſervet illud.* Aut quia ſupra hominem eum agnoſcebat, unxit honoris & reverentiæ cauſa, ut Jacob lapidem quo uſus fuerat pro cervicali, Gen. 28. 18.

4. *Judas Simonis*] Abeſt à Syro nomen *Simonis*, nec Lati; na Vulg. noſtra illud agnoſcit. Vide Joh. 6. 71.

6. *Loculos*] Γλωσσόκομον *loculi*, qui γλωσσόκομοι in Gloſſario vet. Dicimus etiam *loculus*: & *marſupium* denotat. *Apud Valerium*, inquit Budæus, *lib. 7. pro marſupio ponitur.* Sæpius tamen *loculi* numero multitudinis. Ebræi Doctores dicunt גלוסקמא *gloſcema*, quæ vox & in Thalmud invenitur. In Aruch obvium & גלוסקמא per Daleth. Autor illius libri exponit פסק שלקא. Eſt autem שלקא βύλακος *crumena* vel *ſaculus aptus condendis pecuniis.* Dicunt & βύλαξ & βυλάκιον. Appellatio à *conjiciendo*: Nam in eum pecunia conjicitur. פסק, i. *ſaccorum*: forte quia in ſaccis erat ad recondendam pecuniam. Uſurpatur pro *ciſta*, & pro *arca*, & pro *loculo mortuorum*, quem ארון appellant. Sic Plinius *loculum* dixit feretrum in quo includuntur mortui. 1 Reg. 6. 19. *arca fœderis DOMINI* A. Th. γλωσσόκομον συνθήκης Κυρίου. Phavorinus melius dici putat γλωσσοκομεῖον. Sane in Heſychio legimus γλωττοκόμιον. Vide Notas in Photium, p. 984. 1 Reg. 6. ארון, Joſephus γλωσσοκόμιον. Sym. λαρνάκιον. Vide Rom. edit. Latinam. Rurſum Aruch, *Idiomate Græco vocatur arca Gloſcom*, i. γλωσσόκομον. ארון תבה potius eſt *urna* quam *feretrum.*

13. *Hoſanna*, Ὡσαννὰ] *Hoſanna* Ebraicam vocem interpretatur Elias, dicens ſic appellari ramos ſalicum in feſto Tabernaculorum ab adjuncta ipſis acclamatione. Nam qui geſtant eos ramos, acclamant identidem *Hoſanna*, quæ acclamatio ſolennis in illo feſto. Elias Thisbite, הושענא אנחנו קורי נבל שנחלין בתוך הנחלה קרוין הושענות לפי שנוקפים עליהם הושענא: *Hoſanna, faſciculus ſalicum torrentis, quæ portant in feſto Tabernaculorum. Vocantur autem Hoſannoth, quia clamant ſuper eas Hoſanna.* Idem ſcribit dictionem compoſitam eſſe ex הושיעה & נא, ut ſit *Hoſanna*, ſi interpreteris, *Serva, obſecro*; aut, *Serva nunc*, i. הושענא. Amplius laudat ex interpretatione ea quæ Jeroſolymitana vocatur, quod legitur Eſth. 3. ad locum ישנו עם עכרן לתן הושענא אור, i. *Faciunt ſibi hoſanna*: item, חדרין בהושענא, i. *& circumeunt geſtantes hoſanna.* Hæc Elias: Quibus addo, Videri ſumptum *Hoſanna* ex Pſal. 118. mutatione facta in הושיעה ſecundum proprietatem & uſum linguæ. Nam & הושיעה dicimus, & ישעה, & contracte הושע, quæ forma Syris perfamiliaris eſt, ex quo הושענא *Hoſanna*, aut *Hoſana*, unica ν: ita enim ſcribendum; niſi dicamus prius ν eſſe loco ע, quam ſæpe exprimunt per γ, quæ deinde mutata

tata ſit in ν ſequente altero ν. Exponunt, Σῶσον δή. Euſebius Ἀποδείξ. lib. θ'. Ὡς ἀνὰ ἑρμηνευθὲν δηλοῖ, Σῶσον δή. Theophylactus Matth. κα'. Τὸ δὲ Ὡς ἀνὰ οἱ μὲν λέγουσιν ὑψοῦ ὄμνυον ἢ ψαλμὸν σημαίνει, οἱ δὲ, ὃ καὶ ἀκριβέστερον, Σῶσον δή. Vide Fragmenta vet. interpretum ad Pſalm. 118. 25. Poſſet exponi, *Serva nos*, aut *Salus noſtra*: in quo ſenſu nihil refert *Hoſanna* ſcribas, an *Oſanna* absque aſpiratione, forma linguæ Syræ; quam vernaculam fuiſſe in Judæa ætate Chriſti extra controverſiam eſt. Porro in ea lingua נא pronomen eſt: pro *quæſo* aut *nunc* non reperitur quod ſciam. Nec obſtat quod ſupra diximus, ſumptum illud videri ex Pſalm. 118. Nam ſi forma mutavit à vulgo, quidni potuit & ſenſus mutari? Quod dico firmamentum habet ex eo quod legimus Matth. 21. 9. Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαυίδ. Nam ſi *Hoſanna* valet Σῶσον δή, quid erit obſecro Σῶσον δὴ τῷ υἱῷ Δαυίδ; An non magis erit ex Ebraiſmo interpretari, tanquam ſi dictum eſſet, Ἡ σωτηρία ἡμῶν τῷ υἱῷ Δαυίδ; ut, *Domino ſalus*, Pſalm. 3. 8. cujus Ebraiſmi ſenſus eſt, *Salus noſtra à filio David*. Nam quem agnoſcebant pro vero Meſſia, eum laudant tanquam ſalutis ſuæ authorem. Hoc mihi rectum videtur: tamen arbitrarium eſto, nolo ſit certum. Nolim etiam affirmare; quanquam adducor ut credam tale quid in mente habuiſſe Hilarium, aut ſi quis alius fuit qui Hilarium docuit *Hoſanna* ſignificare quod Hieronymus tantopere exagitat. Nam *Salus noſtra*, ſententia valet, *Redemptio domus David*, tametſi verba multum diverſa ſint. Si quid video, potius culpandus Hieronymus, epiſt. 145. ſcribens corrupte dici *Oſanna* propter ignorantiam pro *Oſianna*. Quorum ignorantiam? utrum Euangeliſtæ? bona verba: an librariorum & ſcribarum? Cum fide codicum Græcorum & cum Ebræis pugnat, qui hoc dicet. In Jure Ebræorum frequens הושענא, & apud Thargumiſtas locis ſupra citatis: quæ loca clare docent priſcos uſitaſſe *Hoſanna*, non *Hoſianna*. Idem Hieronymus perperam Ὡς ἀνὰ ſcribit, cum ſcribendum ſit Ὡσαν-νὰ, aut Ὡσα-νὰ intelligo cum diviſim ſcribitur. In libro De nom. Ebraicis ex Matth. *Oſanna*, *Salvifica*; *quod Græce dicitur* Ὡς ἀνὰ. Quin vera hæc ſcriptura ſit, non ambiget quiſquis leget epiſtolam ſupra citatam: in ea enim epiſtola ait Hieronymus, *Hoſi* (*vulgo Hoſiach*) *ergo*, *Salvifica*, *interpretatur*. *Anna*, *interjectio deprecantis eſt*. *Si ex duobus his velis compoſitum verbum facere*, *dices*, *Hoſianna*, *ſive*, *ut nos loquimur*, *Hoſanna*, *media vocali litera eliſa*; *ſicut facere ſolemus in verſibus Virgilii*, *quando pro*, Mene incepto deſiſtere victam? *ſcandimus*, Men' incepto. *Aleph namque litera prima verbi ſequentis extremam verbi prioris Jod inveniens exciuſit*. Ex his verbis apparet Hieronymum legiſſe apud Davidem הושיענא, pro eo quod nunc legimus הושיעה נא, h. e. Aleph pro He, litera aſpirata Ajin eliſa: de qua lectione, & ſimul de loco illo Hieronymi, dicam alias pleniſſime. *Oſanna* aliaqua Græcorum pars δόξαν interpretatur, in queis Clemens Alexandrinus & Suidas: ſed, ut recte Hieronymus obſervat, gloria Ebraice *Chabod* appellatur, non *Oſanna*. Quod autem Suidas affert pro confirmatione interpretationis ſuæ, Καὶ γὰρ ἄλλος εὐαγγελιστὴς λέγει, Εἰρήνη τῷ υἱῷ Δαυίδ, καὶ ὁ ἕτερος, Δόξα τῷ υἱῷ Δαυίδ, ἄμφω τὸ Ὡσαννὰ δόξαν σημαίνειν, tam ineptum eſt ut refutatione nulla opus ſit.

19. *Mundus totus*] כולו העולם, quod Syrus dixit כולא עלמא. Locutio mere hyperbolica, qua Judæi frequenter utuntur. In Græcis eſt ὁ κόσμος tantum. Sed etiam Nonnus legit ὅλος.

20. *Quidam Gentiles*] Non ἔθνικοί eſt in fonte, ſed Ἕλληνες *Græci*. Scio *Græcum* aliquando ethnicum denotare, ſed hoc loco ſumpſerim aliter. Neque proſelyti vocantur *Græci*, quod ſciam. Sane Judæum fieri & proſelytum eodem recidunt. Inque יהודי & יהודית ſe invicem explicant. Putarim igitur *Græcos* hic dici Judæos qui habitabant in Gentibus, quos peculiariter *Helleniſtas* & *Græcienſes* vocant, ut diximus alibi.

32. *Si exaltatus fuero*, *ἐὰν ὑψωθῶ*.] Id Ebræus diceret כי ירומם, quod verbum in Hiphil de morte uſurpatur. Pſal. 102. 25. *Ne aſcendere facias me in medio dierum meorum*, ubi LXX μὴ ἀναγάγῃς, *ne tollas*. Aut כי תרומם. Nam רום *ὑψόω*, *exalto*, *ſuſtollo*. Sed hoc de morte uſurpatum non obſervavi. Chriſtus autem de cruce ſua loquitur hoc in loco. Aut כי נרום, quod Gr. ſonat *ἐὰν ὑψωθῶ*. Sane נרום *exaltatus*, & plus eſt quam רם *altus*, ait Moſes Ægyptius in More, part. 1. c. 20. Similiter נשא Pſ. 94. 2. LXX ὑψώθητι. Hiero. *elevare*. Niphal eſt à verbo נשא, quod interdum ſignificat *tollere è medio*: unde paſſivum ὑψωθῆναι, נשאת *tolli è medio*. Vide v. 33. & 34. Verbo רם uſus fuit interp. Syrus, & legimus Dan. 8. 11. תרום רם *ablatum fuit jugo*. Sic forte hic

ירום יהוה, *ſi ſublatus fuero à terra*. Puto me inveniſſe non quod pueri ſolent in faba, ſed quod quærebam. Itaque exclamare lubet, *εὕρηκα*.

35. *Adhuc modicum*] Legit ἔτι μικρόν, quod reddi poteſt *adhuc parum*. Nam χρόνον, quod in Græco, non legit, ut apparet: & ſane abeſſe poteſt ſalva ſententia. Nam Ebræi dicunt מעט מן. Et in aliis locis deſideratur χρόνον, ut infra 13. 33. Τεκνία, ἔτι μικρὸν μεθ' ὑμῶν εἰμι, *Filioli*, *adhuc parum vobiſcum ſum*. Sic in ed. LXX, Exod. 17. 4. Jeſ. 10. 25. & 29. 17. Jer. 51. 33. Hoſ. 1. 4. Nuſquam additum *tempus*, i. χρόνον, ut nec Joh. 14. 19. Additum tamen ſupra 7. 33. Sed & Syrus illud legit, ſi bene illum intelligo.

SCALIGER.

15. Καθήμενος] Jeſus ſedit alternis tam ſuper aſina quam ſuperpullo Matth. 21. 7. καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν. Et quidem ita poſtulat Zachariæ locus 9. 9.

CASAUBONUS.

1. Ὅπου ἦν Λάζαρος ὁ τεθνηκώς.] Vetus interpres, quem docti viri ſecuti ſunt, vertit *ubi Lazarus fuerat mortuus*. At verba Johannis ſonant, *ubi erat Lazarus is qui fuerat mortuus*. Non enim dicit ὅπου ἦν Λάζαρος τεθνηκώς, ſed ὁ τεθνηκώς.

13. Ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν φοινίκων, καὶ ἐξῆλθον εἰς ὑπάντησιν αὐτῷ, καὶ ἔκραζον] Fuit hic mos gentium Orientis ut in hujuſmodi pompis palmæ aut lauri ramos manibus geſtarent, quos proprie *αἰσέκους* nuncupabant. Adnotatum eſt hoc à doctiſſimo Grammatico Heſychio in cujus Gloſſis ita ſcribitur, Αἴσακος· ὁ τῆς δάφνης κλάδος, ὃν κατέχοντες ὑμνοῦν τὸν Θεόν. Eſt autem ea vox Syrorum, non Græcorum.

19. Ἴδε, ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν] Si vertas *turba eum ſequitur*, neſcio an ſatis mentem expreſſeris. Malim *omnes eum ſequuntur*, vel *totus orbis*, ut Latini auctores interdum loquuntur.

40. Καὶ πεπήρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν] Doctiſſimus interpres recte obſervavit Veterem interpretem multis locis πηρῶν & πηρῶσθαι confudiſſe: & tamen ejus errori videtur Suidas patrocinari; qui πεπήρωται explicat, τετύφλωται. Et Nonnus hunc locum ita παραφράζει,

Καὶ νόον ἠμπλεύσθην ἐθήκατο τυφλὸν ἀλήτην.

quaſi legiſſet πεπήρωκεν· quomodo apud Ariſtotelem dicuntur πεπηρωμένοι πρὸς ἀρετὴν, οἱ βεβλαμμένην ἔχοντες διάνοιαν.

44. Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ] Nonni paraphraſim prava diſtinctio obſcurat. Legendum,

Ὅσσις ἐμῶν δέξατο θεοφραδέων ῥῆμα μύθων,
Εἰς ἐμὲ πιστεύων οὐ πείθεται.

ſublata diſtinctione poſt vocem πιστεύων.

CAMERON.

43. Ἠγάπησαν τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἤπερ τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ] h. e. *Multo magis ſtuduerunt ut conciliarent exiſtimationem apud homines*, i. opinionem, *quam apud Deum*. Nam *Gloria* vel Rem ſignificat, vel Opinionem de re, vel Deprædicationem. Gloria nempe quæ eſt in re menti objicitur contemplanda. Itaque gloria rei eſt externa, cum quod eſt in ſe glorioſum, id ipſum quod eſt creditur eſſe.

GUALTPERIUS.

3. Ἡ οὖν Μαρία λαβοῦσα λίτραν μύρου, *Maria ergo*, *accepta libra unguenti*] Syrus non habet *libram*, ſed *alabaſtrum*. Λίτρα *Libra* menſuræ & ponderis nomen tu continens Uncias. Pollux hanc vocem *à veteribus Græcis uſurpatam eſſe* ſcribit. Galenus vero dicit eſſe vocem Latinam, De Compoſ. medicam. *Sunt*, inquit, *vocabula hæc ἐπιχώρια*, τό, τε τῆς λίτρας καὶ τὸ τοῦ ξέστου, καὶ τὸ τῆς οὐγκίας, loquens de Romanis. Suidas, Λίτρα, ὁ ζυθμός. Ex eodem Galeno obſervatum eſt duplicem apud Romanos Libram fuiſſe, *menſuralem* & *ponderalem*. Quod, ſi ponderalem indicamus, diſcriminis faciendi cauſa adjiciendum eſt *pondo*; ſi menſuralem, *menſura*; ut idem cum dicit c. 38. *conflare album emplaſtrum ex argenti ſpuma & ceruſſa ſingularum libra pondo*, *olei vero duabus libris menſura*. Et de hac libra menſurandi accipitur locus Suetonii in Cæſare Dict. *Populo præter frumenti denos modios ac totidem olei libras*; *tricenos quoque nummos*, *quos polliciti olim erat*, *dedit*. Apparet namque ex Galeno oleum *ternibus libralibus*

bus vendi conſueviſſe, h. e. libram unam menſuralem capientibus. Veruntamen ejuſmodi cornua non ſolum fuiſſe libræ unius, ſed aliqua duarum etiam librarum, teſtis eſt Horatius lib. 2. Serm. Sat. 2.

——— *cornu ipſo bilibri*
Caulibus inſtillat.

h. e. duarum librarum menſuralium capaci. Item, *Eſt apud Romanos*, inquit Galenus, *menſura qua oleum metiuntur, interſecta lineis dividentibus totam in duodecim partes. Atque menſura integra vocatur ab ipſis Libra; duodecima vero pars ejus, Uncia.* Idem Galenus, *Ego*, inquit, *olei libram Roma nuncupatam, quam per interſecta cornua metiuntur, appendi aliquando, cupiens ſcire quantum ponderis haberet: inveni vero duodecim uncias menſurales decem ponderalibus æquales.* Ex quibus apparet Libram & Unciam menſuralem non ex ponderalibus, ut una alteri reſpondeat, conſtituras, quemadmodum hodie à pharmacopolis magno errore conſtituuntur. ¶ Νάρδου πιστικῆς πολυτίμου, *Nardi liquidæ multi pretii*] Marc. 14. 3. Νάρδος, ἡ, *Nardus*. Hebræis נרד *Nerd*, Cant. 4. 14. Chaldæis נרדא *Nardus*, aroma odoriferum. De Nardo Plinius copioſe in locis diverſis. Lib. 12. cap. 12. *Frutex eſt* Nardus, inquit, *gravis & craſſa radice, ſed brevi ac nigra, fragilique quamvis pingui, ſitum redolente, ut Cyperi, aſſero ſapore, folio parvo denſoque. Cacumina in ariſtas ſe ſpargunt: ideo gemina dote Nardi ſpicæ ac folia celebrant. Alterum ejus genus apud Gangem naſcens, damnatur in totum, Ozaritis nomine, vanus redolens. Adulteratur & pſeudonardo herba, quæ ubique naſcitur craſſiore atque latiore folio, & colore languido in candidum vergente. Sincerum quidem levitate deprehenditur, & colore ruſſo, odoriſque ſuavitate, & guſtu maxime ficcante os, ſapore jucundo.* Vide plura ibidem de Nardo Syriaca, Gallica, Cretica, Ruſtica, &c. Lib. 13. cap. 2. docet, quodnam dicatur *Unguentum regale*, & quæ *Diapaſmata*, quaiter item ſerventur, *Ergo*, ait, *Regale unguentum appellatum, quoniam Parthorum Regibus ita temperatur, conſtat myrobalano, coſto, amomo, cinnamomo, comaro, cardamomo, nardi ſpica, maro, myrrha, caſſia, ſpyrace, ladano, opobalſamo, calamo, juncoque Syrio, enanthe, malobathro, ſeſelitide, cypero, aſpalatho, panace, croco, cypro, amaracо, colato melle, vino. Siccis odoribus conſtant, quæ Diapaſmata vocantur. Unguenta optime ſervantur in alabaſtris, odores in oleo; quod diuturnitati eorum tanto utilius eſt, quanto pinguius, ut ex amygdalis. Et ipſa unguenta vetuſtate meliora. Sol inimicus his: quamobrem in umbra coquuntur plumbeis vaſis. Experimentum eorum inverſa manu capitur, ne carnoſa partis color vitiet.* De vino è nardo confecto (Græce ναρδίτης οἶνος) vide Plin. l. 14. c. 16. Pyra etiam *ab odore* vocantur μυρσπια, *laurea*, *nardina*, idem l. 15. c. 15. Apud veteres epulabantur unguentati. Unde Horatius 2. Carm. od. 11.

Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes ſic temere, & roſa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriaque nardo
Potamus uncti? &c.

Nardus pro *unguento nardino*, *ut roſa* pro *roſaceo*, &c. ¶ Ἤλειψε τοὺς πόδας] In Simonis Leproſi ædibus hoc factum, Matth. 26. Marc. 14. Quod autem Joannes dicit *unctos fuiſſe pedes*, Matthæus vero & Marcus *corpus*, in eo nulla eſt repugnantia. Scimus namque unguenta non pedibus deſtinata fuiſſe: Quia vero hic ſolito uberior copia effuſa fuit, inunit Euangeliſta ad pedes uſque defluxiſſe. Vide Marcum, qui dicit *alabaſtrum fractum*, & totum unguentum *effuſum*.

LUD. CAPPELLUS.

31. Ὁ Ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου] Sic Diabolus vocatur rurſus infra 14. 30. & ab Apoſtolo 2 Cor. 4. 4. ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου. Quibus in locis pronomen τούτου additum eſt ſignanter, diſcriminis cauſa, ut ſic Diabolus à Deo diſtinguatur, qui à Judæis paſſim vocabatur שר העולם ſive העולם סר, h. e. ἄρχων τοῦ αἰῶνος, uti videre eſt paſſim in eorum libris. Nam αἰὼν τοῦτον eſt *Mundus*, ſive hoc *Univerſum*, non qua corruptus eſt & à Deo averſus, ſed quatenus eſt à Deo creatus: atque eo reſpectu ſolus Deus eſt ὁ ἄρχων τοῦ αἰῶνος, שר העולם *Princeps mundi*. At mundus qua corruptus & vanitati per peccatum ſubjectus dicitur ab Apoſtolo & Euangeliſtis ὅτος αἰὼν, (κόσμος ὅτος hoc loco) vel ὁ νῦν αἰὼν 2 Tim. 4. 10. vel ὁ ἐνεστὼς αἰὼν Gal. 1. 4. atque eo reſpectu Satan imperium & principatum aliquem in mundum habet: ipſe enim eſt qui per peccatum *imperium habet mortis*, Hebr. 2. 4. Ideoque à Chriſto hic dicitur ἄρχων, & à Paulo θεὸς, non ſimpliciter τοῦ αἰῶνος, ſed τοῦ αἰῶνος τούτου. Illud nempe τούτου additur per contemptum, & per oppoſitionem ad ſeculum futurum, in quod nulla eſt Diaboli poteſtas, nullum dominium, cum ipſe tum conjiciendus ſit in ſtagnum ignis & ſulfuris. Sic 1 Corinth. 2. 6, 8. Apoſtolus magnos Judæorum Magiſtros & Sapientes (quos illi magnifico nomine ſolent vocare גדולי העולם, q. d. μεγιστᾶνες τοῦ αἰῶνος) addito per contemptum pronomine τούτου, vocat ἄρχοντας τοῦ αἰῶνος τούτου, uti à viro docto obſervatum eſt.

GROTIUS.

1. Ὁ οὖν Ἰησοῦς, *Jeſus ergo*] Cum alii jam præiiſſent & ipſe aliquandiu exſpectatus eſſet. Cohæret cum capite ſuperiori 54, & ſeqq. ¶ Πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα, *ante ſex dies Paſcha*] Omnino eadem eſt locutio quæ reperitur in Græco Amos 1. 1. πρὸ δύο ἐτῶν τοῦ σεισμοῦ [*ante duos annos terræmotus*], id eſt, *duobus annis ante terræmotum*, ut aperte habet ſenſus Hebraicus. Sic 11 Corinth. xii. 2. πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων [*ante annos quatuordecim*], id eſt, *annis quatuordecim ante hunc diem.* ¶ Ἦλθεν εἰς Βηθανίαν, *venit Bethaniam*] Proſabbato: neque enim Sabbato tantum itineris feciſſet. ¶ Ὅπου ἦν Λάζαρος, *ubi Lazarus fuerat*] *Ubi habitabat Lazarus & ubi manſerat:* neque enim Jeſus eum ſecum ducere voluerat, vitandæ oſtentationis.

2. Ἐποίησαν δὴ αὐτῷ δεῖπνον ἐκεῖ, *Fecerunt autem ei cœnam ibi*] Perſonale pro imperſonali. *Parata eſt ei cœna*, nempe apud Simonem Lazari conſanguineum. Solebant Judæi ante Paſchatis dies comis ſolennioribus ſe & amicos excipere, præſertim nona, ut notat Theophylactus, quæ tunc incidit in diem Solis. ἐκεῖ [*ibi*], id eſt, in Bethania, ubi domus erat Simonis. Vide quæ ad Matth. xxvi. 6. & ad Lucam vii. 37. ubi pleraque hujus hiſtoriæ explicata. ¶ Ἡ δὲ Μάρθα διηκόνει· *Martha miniſtrabat*] Non ſolebant in talibus conviviis accumbere feminæ. De Marthæ ſedulitate vide Lucam x. 40. ¶ Ὁ δὲ Λάζαρος εἷς ἦν τῶν ἀνακειμένων σὺν αὐτῷ. *Lazarus autem unus erat ex diſcumbentibus cum eo*] Ipſo cibi ſumtu vitæ redditæ veritatem probans. Vide Marci v. 43. infra xxi. 13.

3. Λίτραν, *libram*] Hæc vox, qua & Hebræi utuntur, una eſt earum quas à vicinis Siculis Latini acceperunt, ut & λέπορις [*leporem*], ὄγκιον [*unciam*], νέγκιον [*nuncium*], multaque alia. Errant enim qui primitiva origine Latina hæc putant. Judæi eam acceperunt à Macedonibus. ¶ Καὶ ἐξέμαξε, *& extерſit*] Id eſt, *& abſterſerat*, ut diximus ſupra xi. 2. ¶ Ταῖς θριξὶν αὐτῆς, *capillis ſuis*]

Quod ſummum formæ decus eſt, - - -

ait Latinus Poeta, & quo feminæ maxime ſe ſolent jactare. Vide 1 Petr. iii. 3. ¶ Ἐπληρώθη ἐκ τῆς ὀσμῆς, *impleta eſt ex odore unguenti*] Eſt enim valde odorum nardus. Cant. 1. 13.

4. Ἰούδας, *Judas*] Is dolo malo ſermonis fecit initium, quem alii incautius ſecuti ſunt.

6. Οὐχ ὅτι περὶ τῶν πτωχῶν ἔμελεν αὐτῷ, *non quod ei cura eſſet egentium*] Quippe perfido & immiſericordi. Exemplum eſt Judas multorum privatis commodis obtendentium nomen pietatis. ¶ Κλέπτης ἦν, *fur erat*] Permiſſus tamen à Chriſto inter Apoſtolos vivere; ne unquam ſine malis ſperaremus fore Eccleſiam. Subducebat autem pecuniam, aut divortium meditans, aut periculum prævidens. ¶ Καὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχε, *& loculos habens*] Ita pro vertitur à Chaldæo & Hieroſolymitano Geneſ. l. 26. à Græcis 11 Paral. xxiv. 8. & ſeqq. ubi κιβωτὸν [*arcam*] alii poſuerunt. Et creditur proprie fuiſſe arcula oblonga & anguſta quam iter facientes ferre ſecum poterant. Docuit hoc exemplo Chriſtus viris excellentibus non eſſe demandanda ea quæ ad vitæ hujus curam pertinent; Actor. vi. 2. 1 Corinth. vi. 4. Simul hinc apparet etiam perfectiſſimæ vitæ non obſtare commune aliquod ærariolum unde neceſſaria comparentur. ¶ Τὰ βαλλόμενα, *ea quæ mittebantur*] Pecunias quæ iſti marſupio indebantur, & ſi quid aliud ad viam erat neceſſarium.

7. Ἄφες αὐτήν· *Sinite illam*] Id eſt, *agat quod vult.* Vide Matth. xxvii. 49. Marcus optime exponit: *Quid ipſi moleſti eſtis?* xiv. 6. ¶ Εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό. *in diem pollinituræ meæ ſervavit illud*] Id eſt, *ſervavit hoc tanquam ad pollinituram.* Qui hoc loquendi genus non intellexerunt, mutarunt lectionem ut eſſet, *In diem ſepulturæ meæ ſervet illud*, quod non Latini tantum codices habent ſed & Græci quidam: habuit & codex quo uſus eſt Nonnus. At Syrus recte. Neque novum eſt perperam intellecta perperam mutari.

8. Ἔχετε *habetis*] Præſens pro futuro, ut infra xvi. 19. & alibi.

9. Ἔγνω

9. Ἔγνω οὖν, *Cognovit ergo*] Cum hæſiſſet ibi per diem unum aut alterum. ¶ Ἐκ τῶν Ἰουδαίων, *ex Judæis*] *Ex Hieroſolymitis*, ut ſupra aliquoties. ¶ Ἀλλ' ἵνα καὶ τὸν Λάζαρον ἴδωσιν, *ſed ut & Lazarum viderent*] Eadem opera. Fama adventus Jeſu famam Lazari in vitam revocati reſuſcitaverat.

10. Ἐβουλεύσαντο δὲ, *Conſtituerunt autem*] Βουλεύεσθαι non eſt hic *conſultare* ſed *conſtituere*, ut Actor. v. 33. xv. 37. II Cor. I. 17. ¶ Οἱ ἀρχιερεῖς, *principes Sacerdotum*] Cum Senatoribus cæteris. ¶ Ἵνα καὶ τὸν Λάζαρον ἀποκτείνωσι, *ut & Lazarum interficerent*] Non Jeſum ſolum. Præceps eſt malitia, & ſemper ultra rapit. Tam bene jam profeccerant in egregia illa Cajaphæ ſententia, *Pro bono publico quidvis licere*, ut non dubitarent hominem nullius culpæ reum adjectamentum facere ſui ſceleris, ad tuendam dominationem.

11. Δι' αὐτὸν ὑπῆγον, *propter illum abibant*] Urbe relicta Jeſum ſectabantur. ¶ Καὶ ἐπίστευσαν εἰς τὸν Ἰησοῦν. *& credebant in Jeſum*] Non tantum ut in Prophetam, ſed & ut in Meſſiam; ut ſequens hiſtoria oſtendit.

12. Ὄχλος πολὺς ὁ ἐλθὼν εἰς τὴν ἑορτὴν, *turba multa quæ venerat ad diem feſtum*] Nam quo propiores erant dies Paſchatis, eo major turba in Urbem veniebat. ¶ Ὅτι ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς, *quia venit Jeſus*] Ex Bethania. Hiſtoria explicata ad Matth. xxi.

13. Τὰ βαΐα, *ramos palmarum*] Signum lætitiæ. Vide dicto loco. ¶ Ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ. *Rex Iſrael*] Promiſſus Meſſias. Ita Chriſtus ante mortem & Regni ſui indicia dedit, & quale eſſet Regnum oſtendit, vi Divina in ſui cultum animos movens.

14. Εὑρὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς, *Et invenit Jeſus*] *Nactus*. Sic enim vox illa ſumitur, ut diximus Luc. I. 30. ¶ Ὀνάριον, *aſellum*] *Pullum aſinæ majuſculum*. Vide dicto loco. ¶ Ἐκάθισεν, *Inſidebat*] Nempe dum fierent quæ jam narrata ſunt.

15. Μὴ φοβοῦ θύγατερ Σιών· *Noli timere filia Sion*] *Secura eſto, civitas Hieroſolymorum:* quod *jubilandi* voce Propheta expreſſerat. Securam autem eſſe debere oſtendit quia *Rex adveniat bonus ac mitis & ipſi ſalutaris*, nihil habens faſtuoſum.

16. Οὐκ ἔγνωσαν, *non cognoverunt*] *Non intellexerunt* illud vaticinium ad hanc rem ſpectare. γινώσκειν [*noſcere*] ſæpe eſt *intelligere* Matth. xii. 7. xxi. 45. & alibi. ¶ Τὸ πρῶτον· *primum*] Recenti re. ¶ Ὅτε ἐδοξάσθη ὁ Ἰησοῦς, *quando glorificatus eſt Jeſus*] Poſtquam in cœlum adſcendit, ut ſupra vii. 39. *Tempore Regni cœlorum*. Vide Matth. xi. 11. ¶ Τότε ἐμνήσθησαν, *tunc recordati ſunt*] Reminiſcendo rem intellexerunt ſenſum Prophetæ; quia ſcilicet Aſcenſio in cœlum & ſecuta Miſſio Spiritus exemerunt illis opinionem de Regno terreno acceptam, ac docuerunt Regnum hoc in conſpectu hominum humile eſſe omnium ſublimiſſimum, & vere Regnum. ¶ Καὶ ταῦτα ἐποίησαν αὐτῷ. *& hæc fecerunt ei*] Id eſt, *hæc illi facta eſſe animo revolverunt:* nam perſonale eſt pro imperſonali. Intelligit acclamationem *Hoſanna*, ſubſtrationem veſtimentorum, inceſſionem aſini, & introitum in Urbem tanta turba comitante.

17. Ὁ οὖν, *quæ erat*] *Quæ fuerat*, ut ſupra quoque habuimus. ¶ Ὅτε, *quando*] Ita Syra editio Fabriciana, ita Latina, & Græci codices vetuſtiores. Qui adfuerant cum Lazarus excitaretur, apud cæteram turbam teſtimonium perhibebant, hunc eſſe eum qui id feciſſet. Solet μαρτυρεῖν [*teſtimonium perhibere*] abſolute poni, ubi ex ſequentibus intelligitur quo ſit referendum, ut ſupra I. 32.

18. Διὰ τοῦτο καὶ ὑπήντησεν αὐτῷ ὁ ὄχλος, *Propterea & obvia ei venit turba*] Eſt ἐπάνοδος [*retrogreſſio*], nam quod narrarat magnam turbam ei obviam factam, id ait maxime evenisse ob famam ſparſam de Lazaro.

19. Οἱ οὖν Φαρισαῖοι, *Phariſæi ergo*] Cum ſectatores ejus in tantum creſcentes viderent. ¶ Ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν; *quia nihil proficitis*]? Alii aliis hoc dicunt, *nihil promoveri*, imo multum corrumpi res ſuas cunctando: ita ut jam majora præſidia quærenda ſint ad exſequendum Senatusconſultum. ὠφελεῖτε [*proficitis*] legit Syrus, Latinus vertit *proficimus*, ſenſum reſpiciens. ¶ Ὁ κόσμος, *mundus*] *Vis ingens hominum:* quomodo עולם ſæpe uſurpant Hebræi, & hic Syrus ܥܠܡܐ.

20. Ἦσαν δέ τινες Ἕλληνες, *Erant autem quidam Gentiles*] Hoc nomine vocantur omnes qui nec Iſraelitæ erant nec proſelyti, inter quos non pauci erant viri pii, unius Dei cultores, σεβόμενοι Ἕλληνες [*Deum colentes Gentiles*] Act. xvii. 4. Hebræis Thalmudicis חסידי אומות, *pii ex Gentibus:* quales Cornelius Centurio & Eunuchus Candaces in Actis Apoſtolicis. Tales Deum adorabant in ſubdiali quod vocabatur *Gentium*, ex inſtituto Solomonis I Reg. viii. 41. Narrat Joſephus inter hæc ſubdialia interſepimentum fuiſſe quo alienigenæ interius penetrare vetabantur. Vide Act. xxi. 28. Pertinet autem hæc hiſtoria ad cognoſcendam amplitudinem Regni Meſſiæ: nam Gentium uberrimæ vocationi præludebatur. Videntur autem hi Gentiles fuiſſe Syro-phœnices: nam & alibi notavimus, Marci vii. 26. Ἑλληνίδα [*Gentilem* ſive *Græcam*] vocari quæ aliis eſt *Syrophœniſſa*. Et his ob vicinitatem facilior notitia cum Galilæis Bethſaidenſibus, quod illi forte in partes Tyri & Sidonis ſubinde excurrebant. ¶ Ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, *ex aſcendentibus*] Ex his quibus commodum erat ob loci propinquitatem, hoc iter quotannis ſuſcipere. ¶ Ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ· *ut adorarent in die feſto*] Ut preces ſuas cum populo Dei conjungerent.

21. Φιλίππῳ, *ad Philippum*] Noto forte, aut quod in eum inciderant. ¶ Θέλομεν, *volumus*] *Vellemus*. Vide quæ diximus Matth. xxvi. 39. Marci x. 35. ¶ Τὸν Ἰησοῦν ἰδεῖν. *Jeſum videre*] Id eſt, propius convenire, cum eo colloqui.

22. Καὶ λέγει τῷ Ἀνδρέᾳ· *& dicit Andreæ*] Ut qui ordine prior ac proinde familiarior eſſet. ¶ Ἀνδρέας καὶ Φίλιππος λέγουσι τῷ Ἰησοῦ. *Andreas & Philippus dicunt Jeſu*] Quia antehac in legatione Diſcipulos vetuerat ire in fines Gentium, Matth. x. 5. dubitabant an homines inde venientes incircumciſi admitti ad Chriſti colloquium debeant. Itaque ut in re dubia ipſum conſulunt.

23. Ἀπεκρίνατο αὐτοῖς, *reſpondit eis*] Verbis quidem generalibus, ſed unde ſatis intelligeretur ſe hoc colloquium non recuſaſſe. ¶ Ἐλήλυθεν ἡ ὥρα, *Venit hora*] *Non longe eſt; adeſt; inſtat tempus illud.* ¶ Ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *ut clarificetur Filius hominis*] Ut qualis quantuſque ſit non Judæi tantum ſed & alienigenæ agnoſcant.

24. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *Amen, amen dico vobis*] Jam oſtendit qua via ſibi aliiſque ad veram gloriam eundum ſit, nempe per ignominiam & paſſiones: &, ne offendantur Phariſæorum in ſe conſpiratione, docet pejora adhuc reſtare. ¶ Μόνος μένει. *ſolus manet*] Sine fructu. Sic ſupra vi. 22. μόνος [*ſolus*] dicitur certo reſpectu.

25. Ὁ φιλῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, *Qui amat animam ſuam*] Nempe ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ [*in mundo hoc*], ut oſtendit membrum oppoſitum. ψυχὴν αὐτοῦ, [*animam ſuam*], id eſt, ſe, & ſua commoda & honores hujus vitæ. *Amat*, nempe præ Divinis. Confer quæ Matthæi x. 39. & ibi dicta. ¶ Ἀπολέσει αὐτήν. *perdet eam*] *Semet perdet.* ¶ Ὁ μισῶν, *qui odit*] Minoris faciens quam ea quæ ad Deum pertinent, ut Lucæ xiv. 26. & vide quæ ibi dicta. ¶ Εἰς ζωὴν αἰώνιον φυλάξει αὐτήν. *in vitam æternam cuſtodit eam*] Efficiet ut ad vitam æternam perveniat: φυλάσσειν [*cuſtodire*] opponitur τῷ ἀπολλύειν [*ei quod eſt perdere*], etiam infra xvii. 12.

26. Ἐὰν ἐμοὶ διακονῇ τις, *Si quis mihi miniſtrat*] Oſtendit generalia hæc effata non ad ſe tantum ſed & ad ſuos pertinere. Hic tacite Regem ſe nuncupat, qui miniſtros plurimos habeat ad res Regni ſui promovendas. ¶ Ἐμοὶ ἀκολουθείτω. *me ſequatur*] Imitetur exemplum meum. Sic Marci viii. 34. Luc. ix. 23. Apoc. xiv. 4. ¶ Ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, *ubi ſum ego*] *Sum* pro *ero*. Intelligit locum ſummæ felicitatis. ¶ Τιμήσει αὐτὸν ὁ πατήρ. *honorificabit eum Pater meus*] Felicitati addit gloriam, ne quid abſit quod deſiderari ab hominibus ſolet. Pro temporali jactura, æterna promittitur reparatio, ſicut ipſe Chriſtus per mortem non modo ad vitam æternam ſed ad perfectam Regni poſſeſſionem pervenit.

27. Νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται. *Nunc anima mea turbata eſt*] Ne putarent qui ad ipſum imitandum invitantur, in ipſo non eſſe naturalia deſideria vivendi, evitandi dolorem & probra, oſtendit eadem in ſe eſſe revera, quo magis apertus erat ut exemplar noſtrum fieret, Heb. II. 17. IV. 15. Utitur hic voce ταράσσεσθαι [*turbandi*], qua & ſupra vehemens affectus indicatus eſt XI. 33. Hebraice עלי המה נפשי [*anima tumultuaris ſuper me*] ut Pſalm. XLII. 6. Confer quæ ad Matth. XXVI. 38. & ſeq. & Luc. XXII. 44. ¶ Καὶ τί εἴπω; Πάτερ, σῶσόν με ἐκ τῆς ὥρας ταύτης; *& quid dicam? Pater ſalvifica me ex hora hac?*] Puto recte etiam poſterius hoc membrum per interrogationem legi. Solemus enim in talibus ſermonibus primum generaliter interrogare. *Quid agam?* Deinde ſubjicere hoc aut illud. ὥραν [*horam*] vocat tempus iſtud ſibi periculoſiſſimum inter tam potentes ac crudeles inimicos. ¶ Ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἦλθον εἰς τὴν ὥραν ταύτην. *ſed propterea veni in horam hanc*] Oſtendit ſe non facturum quod interrogaverat, non deprecaturum mortem: nam ἀλλὰ [*ſed*] hic valet *atqui*. *Ob hoc*, intellige *ut moriar*, quod ſuperioribus verbis indicaverat, *veni* huc Hieroſolyma, in medios inimicos me conjeci.

28. Πάτερ, δόξασόν σου τὸ ὄνομα. *Pater, clarifica nomen tuum*]

tuum] Patiar quidvis quod tibi ſit honorificum. δοξάζειν Θεόν [*clarificare Deum*] eximiè dicuntur qui pro Divinæ veritatis teſtimonio moriuntur, infra XXI. 19. ¶ Ἦλθεν οὖν Φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *Venit ergo vox de cælo*] Quod ſolum ferme oraculi genus temporibus Templi ſecundi reſtabat. בת קול [*filiam vocis*] vocant. ¶ Καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω. *Et clarificavi, & iterum clarificabo*] Puto ſubaudiendum *te*: ut Pater oſtendat ſibi cordi eſſe Filii gloriam, ſicut ſua gloria erat Filio. ἐδόξασα [*clarificavi*], ut miraculis & nunc nominatim reſuſcitato Lazaro. δοξάσω [*clarificabo*] tui ipſius reſuſcitatione & evectione in cœlum.

29. Ἔλεγε βροντὴν γεγονέναι. *dicebat tonitrum eſſe factum*] Pars iſta vulgi quæ à Chriſto longius aberat. ¶ Ἄγγελος αὐτῷ λελάληκεν. *Angelus ei locutus eſt*] Opinio erat multorum apud Hebræos Deum non loqui niſi Angelorum miniſterio. Itaque Decem præcepta quæ *Deus* dicitur *elocutus*, adſcribuntur *Angelis*. Actor. VII. 38. Hebr. II. 2.

30. Οὐ δι' ἐμὲ αὕτη ἡ Φωνὴ γέγονεν, *non propter me hæc vox venit*] Qui ſatis certus ſum de Patris in me affectu. ¶ Δι' ὑμᾶς. *propter vos*] Ut videatis quanti me Pater facit, etiamſi pro impio & ſeductore condemnet.

31. Νῦν κρίσις ἐστὶ τοῦ κόσμου, *Nunc judicium eſt mundi*] Κρίνειν [*judicare*] ſæpe apud Hebræos eſt *in libertatem vindicare*. id qui faciebant, שופטים [*Judices*]. Vindicabitur genus humanum ab injuſto poſſeſſore, ut ſequentia explanant. ¶ Νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω. *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* ſive *extra*] Id eſt, *De Regno deturbabitur*: nam ἔξω [*extra*] ex voce ἄρχων [*princeps*] interpretandum ἐκ τῆς ἀρχῆς [*extra principatum*]. Ἄρχων κόσμου [*princeps mundi*] hic & XIV. 30. XVI. 11. ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου [*deus hujus ſeculi*] II Cor. IV. 4. eſt diabolus, qui inducta in maximam mundi partem idololatria & quæ idololatriam comitatur vitiorum colluvie, quaſi Deo excluſo, regnabat. Κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου [*mundi principes tenebrarum hujus ſeculi*] dixit Paulus Epheſ. VI. 12. ἑπτὰ ἄρχοντας δαίμονας [*ſeptem principes dæmones*] dixit Celſus memorante Origene. Alterum Principium Manichæorum ἄρχων τῶν ἐπιγείων [*princeps terreſtrium*] Pſello. Significat ergo Chriſtus deſtruendam idololatriam & quæ ei cohærent. Confer locum ſupra X. 18. & Col. II. 15. Act. XXVI. 18.

32. Ἐὰν ὑψωθῶ, *ſi exaltatus fuero*] Id eſt, *poſtquam in crucem evectus fuero*, ut ſupra III. 14. nam ἐὰν [*ſi*] eſt *quando*, ut hic vertit Syrus. Sic Epiſtola II. 10. Sic ſæpe ſumitur Hebræum אם. ¶ Πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. *omnia traham ad meipſum*] Πάντας [*omnes*] habent plerique codices Græci & Syrus. *Omnes* intellige non Judæos tantum ſed & alienigenas. *Traham ad me*, abſtraham à diabolo, traham vi reſurrectionis meæ; ſed eos intellige qui non reluctantur.

33. Ποίῳ θανάτῳ, *qua morte*] Nempe crucis, quod vox illa ὑψοῦν [*exaltandi*] innuit: vide ſupra III. 14. & quæ ibi dicta.

34. Ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου, *Nos audivimus ex lege*] Ex Sacris Literis, ut vox νόμου [*legis*] ſumta eſt ſupra X. 34. *didicimus* autem, intellige Legiſperitis interpretantibus. Puto autem præcipue intelligi Pſ. CX. & Dan. VII. 14. ¶ Ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα. *quia Chriſtus manet in æternum*] Quia ſcilicet in æternum regnaturus dicitur. Quæ ad evectionem Meſſiæ pertinent diligenter annotarant Magiſtri illorum temporum, exci ad ea quæ de præviis ejus paſſionibus dicebantur, tum alibi, tum maxime Eſaiæ cap. LIII. cujus initium mox citatur. Vide I Petri I. 11. ¶ Καὶ πῶς σὺ λέγεις ὅτι δεῖ ὑψωθῆναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου· *& quomodo tu dicis: oportet exaltari Filium hominis?*] Omnino iis accedo qui à Johanne relatam hic ajunt ſummam verborum Chriſti, non verba ſingula. Nam hæc plebis dicta oſtendunt Chriſtum ſimul cum de *evectione* diceret nominaſſe ſe *Filium hominis*. forte & ipſam evectionem Serpentis ſimilitudine illuſtraverat, ut ſupra III. 14. quo factum ut mortem eo verbo indicari plebs intelligeret. ¶ Τίς ἐστιν οὗτος ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου; *quis eſt iſte Filius hominis?*] Nos cum *Filium hominis* dici audimus, eum concipimus de quo dixit Daniel & cujus fore Regnum æternum ipſe vaticinatus eſt, id eſt, Meſſiam. An tu alium *Filium hominis* deſignas?

35. Ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ Φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι. *Adhuc modicum, lumen in vobis eſt*] Cum eos videret offendi mentione paſſionis ſuæ, contra oſtendit hoc magis ipſis feſtinandum ut ſui præſentis beneficiis fruantur:

Ut eſſe Solis gratius lumen ſolet
Jamjam cadentis.

Se vocat *Lucem*, ut ſupra aliquoties; *tempus lucis*, præſentiam ſuam conſpicuam, quam & *diem* dixerat IX. 4. ¶ Περιπατεῖτε ἕως τὸ Φῶς ἔχετε, *ambulate dum lucem habetis*] Proficite in cognitione rerum Divinarum. Conjungi ſolent *lux* & *ambulatio*, ut ſupra VIII. 12. ¶ Ἵνα μὴ σκοτία ὑμᾶς καταλάβῃ. *ut non vos tenebræ comprehendant*] Ne ſorte Deus ſermonem ſuum vobis ſubtrahat. Quod jure quidem Deus facere potuit ſtatim poſt Chriſtum crucifixum; ſed pro ſua miſericordia multum adhuc temporis indulſit; quo elapſo Urbem reliquit ſuæ cæcitati, eductis Chriſtianis. ¶ Καὶ ὁ περιπατῶν ἐν τῇ σκοτίᾳ, οὐκ οἶδε ποῦ ὑπάγει. *& qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadit*] Καὶ [*&*] pro *nam*. Ideo utimini luce, quia in tenebris neſcitur quo eundum ſit. Et ſane Judæi ab Euangelio derelicti, non in ſuam tantum Legem, ſed & in mores civiles & naturam ipſam graviſſime impegerunt, ut docet Obſidionis hiſtoria.

36. Πιστεύετε, *credite*] Explicat quod modo dixerat figurate περιπατεῖτε [*ambulate*]. ¶ Ἵνα υἱοὶ Φωτὸς γένησθε. *ut filii lucis ſitis*] *Lucis æternæ filii*, id eſt, participes; ut ſolet vox *filiorum* ſumi apud Hebræos. Diximus Matth. IX. 15. Senſus ferme idem qui ſupra VIII. 12. ubi in luce ambulantibus promittitur fore ut *habeant lucem vitæ*, æternæ ſcilicet. ¶ Ἐκρύβη ἀπ' αὐτῶν. *abſcondit ſe ab eis*] Bethaniam ſeceſſit, ne ante opportunum tempus ſe ingereret periculis, Lucæ XXI. 37.

37. Τοσαῦτα δὲ αὐτοῦ, *cum ille tot*] Hoc eſt quaſi Epiphonema Apoſtoli, ſubnixum non iis quæ proxime præceſſerunt ſed toti hiſtoriæ. τοσαῦτα eſt *tot* ut ſupra VI. 9. Lucæ XV. 29. Syrus, *Hæc omnia*: ex aqua vinum fecerat, cæcum natum illuminaverat, mortuum excitaverat. ¶ Ἔμπροσθεν αὐτῶν, *coram eis*] Non clam ſed palam: coram oculis magnæ multitudinis, coram ipſis inimicis. ¶ Οὐκ ἐπίστευον εἰς αὐτόν. *non credebant in eum*] Pars maxima Hieroſolymitarum non agnovit eum à Deo miſſum: nam qui obviam ei proceſſerant pauci erant in tanta multitudine.

38. Ἵνα, *Ut*] Ἵνα [*ut*] hic eventum ſignificat, ut ſæpe. ¶ Πληρωθῇ, *impleretur*] Id eſt, Sic evenit quod Eſaias dixerat eo in loco quo Chriſti ſtatum deſpectum & mala prædicit. ¶ Κύριε, *Domine*] Hoc recte ad ſenſus plenitudinem addiderunt Græci Interpretes. ¶ Τίς, *quis*] *Quotusquisque*. ¶ Ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν, *credidit auditui noſtro*] Ἀκοὴ [*auditus* ſive *auditio*] Helleniſtis eſt *id quod auditur*, *ſermo*: ut & Homero ἀκουὴ Odyſſeæ quinto. Sic Matth. IV. 24. XXIV. 6. Gal. III. 2. I Theſſ. II. 13. Euangelio hoc vaticinium Eſaiæ aptat, & Paulus Rom. X. 16. ¶ Ὁ βραχίων Κυρίου τίνι ἀπεκαλύφθη; *brachium Domini cui revelatum eſt?*] Ἀποκαλύπτεσθαι [*revelari*] hic intelligitur cum effectu, ut de vocibus *dari* & *trahi* ſupra notavimus. Senſus eſt, *Quotusquisque ſatis recte advertit admiranda illa Dei opera?* Sic enim *brachium* ſæpiſſime ſumitur in Veteri Federe & Actor. XIII. 17. Ubi autem verba quædam ex Prophetа citantur, ſubintelligenda ſunt & ſequentia quæ continent in ſenſu ſublimiore deſcriptionem ſortis abjectæ ipſius Chriſti, puta quod pauper erat, quod à Synedrio prædamnatus.

39. Διὰ τοῦτο οὐκ ἠδύναντο πιστεύειν, *Propterea non poterant credere*] Nempe, ut dixi, ob illa impedimenta quæ memorat Eſaias. *Non poterant*, id eſt, erat ipſis tali ingenio præditis ut externa mirarentur, difficillimum talem Meſſiam amplecti. Sic δύνασθαι [*poſſe*] ſæpe ſumitur Jerem. XIII. 23. Marci III. 20. & alibi. Vide & I Cor. II. 14. ¶ Ὅτι πάλιν εἶπεν Ησαΐας, *iterum enim dixerat Eſaias*] Id eſt, *nam vere dixerat Eſaias*: malim enim hoc ὅτι per *nam* vertere, ut & infra 49. quam per *quia*.

40. Τετύφλωκεν, *Excæcavit*] Nempe Chriſtus, qui feciſſe dicitur id cui ſua humilitate occaſionem præbuit; ſicut in Hebræo imperative dicitur ipſi Prophetæ Chriſti imaginem gerenti, *Impingua cor*, *aggrava aures*, *oblime oculos*. Tale illud Ezech. XIV. 9. *Ego Dominus ſeduxi eum*: & ſimilia multa. Ideo Syrus hic vertit paſſive, quomodo legitur idem hic Prophetæ locus Act. XXVIII. 27. Vide quæ Matth. XIII. 15. ¶ Καὶ ἐπιστραφῶσι, *& convertantur*] Paſſivum pro activo reciprocante, ut ſupra ἐκρύβη [*abſconſus eſt*]. In Græco Eſaiæ eſt ἐπιστρέψωσι [*convertant*], ſupple, *ſe*, quomodo & apud Matthæum & in Actis. ¶ Καὶ ἰάσωμαι αὐτούς. *& ſanem eos*] Sic & in Græco Eſaiæ, in Actis, & apud Matthæum: nimirum quia apud Prophetam Deus loquitur (ut notat Paulus Act. XXVIII. 25.) verterunt Interpretes in perſonale, non ſenſum magis ſecuti quam verba: nam in Hebræo eſt *ut medicetur ipſi*, quod Marcus egregia paraphraſi explicat IV. 12. καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα [*& dimittantur eis peccata*].

41. Ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ, *quando vidit gloriam ejus*] Judicium quod Deus, tanquam throno inſidens, exercet, Angelos ei negotio miniſtrantes, & expoſitam peccatorum remiſſionem:

nem: nam hæc omnia, quæ Euangelii tempore perfectiſſime impleta ſunt, apud Eſaiam præcedunt, quibus conſpectis animatus eſt ne abſtineret Dei mandata eloqui, quanquam pleriſque contemnni futurus. Dicitur Eſaias *vidiſſe gloriam Chriſti*, ſicut Abrahamus *diem ejus* ſupra VIII. 56.

42. Ὅμως μέντοι, *Veruntamen*] Quanquam plerique aſpernabantur Jeſum; quidam tamen minus contumaces latis intellexerunt eum eſſe Chriſtum. ¶ Καὶ ἐκ τῶν ἀρχόντων, *& ex principibus*] *Etiam ex ipſis Senatoribus*, quos ἄρχοντας [*principes*] ſolere dici notavimus. ¶ Ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν *crediderunt in eum*] Contemplativa, non activa fide, convicti de veritate, ſed non ut etiam voluntatem in ejus obſequium redigerent. ¶ Διὰ τοὺς Φαρισαίους οὐχ ὡμολόγουν, *propter Phariſæos non confitebantur*] Ob Phariſæos potentes in Synedrio non audebant profiteri, ne his urgentibus exerceretur adverſus ipſos decretum jam factum. ¶ Ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται· *ut è Synagoga non ejicerentur*] Quod probroſum valde habebatur.

43. Ἠγάπησαν γὰρ τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἤπερ τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. *Amarunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei*] Δόξα [*gloria*] cum genitivo apud Johannem eſt ejus cui exhibetur; itaque δόξαν ἀνθρώπων [*gloriam hominum*] hic intelligo *ſuum honorem*; quem ei honori qui Deo debetur prætulerunt: quod & ſequentia explanant. μᾶλλον ἤ [*magis quam*] eſt hic oppoſitionis, non comparationis, ut & ſupra III. 19.

44. Ἰησοῦς δὲ ἔκραξε, *Jeſus autem clamavit*] Cum conſideraret aliorum incredulitatem, aliorum fidem infructuoſam, medicinam ſtudet adhibere. ¶ Οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ, *non credit in me*] Non tam mihi quam Patri confidit, cujus Legatus ſum. Similis locutio Marci IX. 37. 1 Sam. VIII. 7. 1 Theſſ. IV. 8.

45. Ὁ θεωρῶν ἐμὲ θεωρεῖ τὸν πέμψαντά με. *qui videt me, videt eum qui miſit me*] Sic & infra XIV. 9. quaſi dicat, In meis operibus reſplendet Patris majeſtas; Hebr. I. 3. Luciani martyris hæc erat confeſſio, ut ſupra attigimus, Ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἰσότιμος καὶ βουλῆς καὶ δυνάμεως καὶ δόξης ἀπαράλλακτος εἰκών [*Filius & naturæ Dei & voluntatis & virtutis & gloriæ imago nihil differens*].

46. Ἐγὼ φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα, *Ego lux in mundum veni*] Ego lux affulſi hominibus: Supra I. 9. III. 19. VIII. 12. Eſaiæ XLII. 6. ¶ Ἐν τῇ σκοτίᾳ μὴ μείνῃ. *in tenebris non eſt manſurus*] *Non verſatur in tenebris*, in rerum bonarum ignorantia, graviſſimiſque erroribus. De voce μένειν [*manere*] diximus III. 36. VIII. 31. Contrarium eſt ἐν Φωτὶ μένειν [*in luce manere*], *verſari in luce*, 1 Epiſt. II. 10.

47. Καὶ μὴ φυλάξῃ, *& non cuſtodierit*] Ita habent quidam codices, & illo in Anglia antiquiſſimus. Sequitur Syrus, Latinus, Nonnus. Quare hæc lectio vulgatæ πιστεύσῃ [*crediderit*], quam ſequitur Arabs, præferenda videtur, ut hoc proprie in eos dictum ſit qui *audiebant*, id eſt, verum credebant Chriſti ſermonem, ſed *non obſervabant*, id eſt, ſe ejus diſcipulos non profitebantur. Supra 42. ¶ Ἐγὼ οὐ κρίνω αὐτόν. *ego non judico eum*] Nihil de illo durius pronuntio; ut ſupra VIII. 15. ¶ Οὐ γὰρ ἦλθον ἵνα κρίνω τὸν κόσμον, *Non enim veni ut judicem mundum*] Non id mihi præcipue propoſitum eſt: οὐκ ἔστι τοῦτο τὸ προηγούμενον [*non eſt hoc principale*] libenter talibus abſtineo. Sic ſupra III. 17. ¶ Ἀλλ' ἵνα σώσω τὸν κόσμον. *ſed ut ſalviſicem mundum*] Hoc unice ago, hoc deſidero, ne quiſquam pereat, ſed omnes ad reſipiſcentiam veniant, ut perpetuo ſerventur: II Pet. III. 9.

48. Ὁ ἀθετῶν ἐμὲ καὶ μὴ λαμβάνων τὰ ῥήματά μου, *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea*] Alluſio ad locum Deuter. XVIII. 19. Ὃς ἂν μὴ ἀκούσῃ ὅσα ἂν λαλήσῃ ὁ προφήτης ἐκεῖνος ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐγὼ ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ [*Qui autem non audierit qua loquetur Propheta ille in meo nomine, ego de eo ultionem ſumam*]. Eſt autem λαμβάνειν [*accipere*] *amplecti*, ut ſupra I. 12. III. 11. ¶ Ἔχει τὸν κρίνοντα αὐτόν· *habet qui judicet eum*] Quid dicat explicant ſequentia: *ſecum ferri judicem ſuum*, vel me tacente. ¶ Ὁ λόγος ὃν ἐλάλησα, ἐκεῖνος κρινεῖ αὐτόν, *ſermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum*] Sicut Ninevitæ dicuntur *teſtes* futuri, Matth. XII. 41. Moſes *accuſator*, ſupra V. 45. ſic hic Euangelium *condemnaturum* incredulos, ſpretum ſcilicet, cum nihil in ſe habeat quod non admiratione ac veneratione ſit digniſſimum. Vide ſupra IX. 41. infra XV. 22. ¶ Ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ· *in noviſſimo die*] Quo tempore omnium non facta tantum ſed & cogitata nudabuntur, & perfectiſſime adimplebitur Eſaiæ viſio ſupra priore loco memorata.

49. Ὅτι ἐγὼ ἐξ ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλάλησα· *Nam ego ex me ipſo non ſum locutus*] Dixi ſæpe ὅτι optime verti per *nam*, hoc ſenſu, *Nam certe nihil vobis tanquam ex me repertum, ſed tanquam à Patre mandatum loquor*: ſubintellige, *qua in re credis mihi & ob opera & ob præceptorum ſanctitatem oportuit.* ἐξ ἐμαυτοῦ [*ex me ipſo*] ſume ut ſupra VII. 17. & infra XIV. 10. ¶ Ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτός μοι ἐντολὴν ἔδωκε τί εἴπω καὶ τί λαλήσω. *qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit; quid dicam, & quid loquar*] Prophetæ & inter eos Eſaias certis temporibus movebantur Divino Spiritu: Ego vero eum ſemper in me habeo, ita ut non tantum cum doceo (nam id vox אמר [*dicere*] Hebræis ſignificat) ſed cum quidvis etiam obiter loquor, ſequar Patris præſcriptum. ἐντολὴν [*mandatum*] ut ſupra X. 18.

50. Ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιός ἐστιν. *mandatum ejus vitâ æterna eſt*] Effectus pro cauſa: vult enim dicere *Euangelium cauſam eſſe vitæ æternæ*. Sic Chriſtus ſe *vitam* dixit ſupra XI. 25. & infra XIV. 6. Sic & verbum Dei *vita* dicitur Deuter. XXXII. 47. ¶ Ἃ οὖν λαλῶ ἐγὼ, καθὼς εἴρηκέ μοι ὁ πατὴρ, οὕτω λαλῶ. *qua ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor*] Subaudi, *& ſic à vobis accipienda ſunt.*

CAP. XIII.

VALLA.

Quia venit ejus hora] *Sua hora* dicendum fuit. Non enim idem nobis licet quod Græcis: αὐτῦ.

8. *Non habebis partem mecum*] Gr. *non habes*, ἔχεις.

21. *Proteſtatus eſt*] Gr. *teſtatus eſt*, ἐμαρτύρησε.

26, 27. *Ille eſt cui intinctum panem porrexero. Et cum intinxiſſet panem, dedit Judæ Simonis Iſcariota. Et poſt buccellam, tunc introivit in illum Satanas*] Jeſus ait de *pane* dando, & *panem dedit*: cur poſtea legimus *buccellam*, quaſi alia res ſignificetur? Sciamus Interpretem hoc feciſſe ut ſemper ſui ſit ſimilis. Nam Græce unum eſt pro *pane* & *buccella*, ψωμίον. Nec dicitur *dedit*, ſed *dat*, δίδωσιν.

ERASMUS.

2. Cœna facta] Δείπνου γενομένου. D. Auguſtinus putat hic *facta* accipi pro *cœpta*, ſive *parata*, quemadmodum in S. literis dicitur *dies factus* cum exortus eſt Sol, non cum peractus dies. Nam poſt legitur *accubuiſſe* & *buccellam tradidiſſe Judæ*. Et olim cœnaturi lavabant: niſi forte quod poſt actum eſt ad ſecundas menſas pertinere videbitur.

3. *Omnia dedit ei Pater*] Cur non *ſibi* potius quam *ei*, & *dediſſet* potius quam *dedit*?

4. *Et posuit veſtimenta ſua*] Τὰ ἱμάτια. Summas veſtes intelligit, ne quis Jeſum plane nudum fuiſſe putet cum lavaret Diſcipulis pedes. Idem verbum infra 19. 5. vertit eodem modo, *Portans ſpineam coronam & purpureum veſtimentum*, τὸ πορφυροῦν ἱμάτιον, cum hic dubie *pallium regale* ſignificet. ¶ *Cum accepiſſet linteum*] Καὶ λαβὼν λέντιον *ſumpto linteo*. Mirum unde hæc vox Latinorum demanavit ad Judæos aut Græcos. Quanquam id crebro faciunt Euangeliſtæ.

5. *Et cœpit lavare*] Καὶ ἤρξατο νίπτειν. Quoniam prius dicitur *cœpiſſe*, ac mox ſequitur, *Cum ergo veniſſet ad Petrum*; Chryſoſtomus ſuſpicatur eum exorſum ab ipſo Juda, quo magis eum hoc honore revocaret ab inſtituto ſcelere. Sed diſſentit Auguſtinus, non ferens ut Apoſtolorum principi quiſquam anteferatur. Mihi tamen magis arridet Chryſoſtomi ſuſpicio. Non enim arbitror Chriſtum hunc principatum in hujuſmodi ceremoniis obſervaſſe, præſertim cum id temporis hoc ageret ut omnem affectum ambitionis ex animis ſuorum revelleret. Cum Chryſoſtomo conſentit Theophylactus. Origenes qui citatur in Catena putat Chriſtum omnibus lotis tum demum veniſſe ad Petrum. Chryſoſtomus arbitratur Judæ impudentia factum quod prior ſit lotus, poſt hunc tamen ventum ad Petrum; hoc argumento, Quod ſolus Petrus recuſavit, recuſaturis nimirum & cæteris niſi Petri caſtigati exemplum illos terruiſſet. Verum Origenes hoc fervori Petri tribuit quod ſolus horruerit lotionem.

8. *Non habebis partem*] Οὐκ ἔχεις *non habes*, præſentis temporis verbo.

13. *Magiſter ac Domine*] Hæc apud Euangeliſtam nominandi caſus ſunt, ὁ Διδάσκαλος καὶ ὁ Κύριος. Nam & abſentem

ſic

ſic appellabant; ut Johannes, *Dominus eſt:* unde nihil erat incommodi ſi verſſet, *Magiſtrum ac Dominum*, & ſenſus eſſet plenior.

14. *Alter alterius lavare*] Gr. ἀλλήλων *Invicem*, ſive *aliis aliorum*. Quanquam id quidem & apud Laurentium linguæ cenſorem defendi poſſet.

16. *Nec apoſtolus major eſt eo qui miſit illum*] Non eſt alluſio in vocibus apud Euangeliſtam, ſed in rebus. *Apoſtolus* enim dicitur à verbo ἀποστέλλειν, quod eſt proprie *cum mandatis mittere:* πέμπειν, *quomodocunque mittere.* Poterat ita reddere προσωποποιΐαν, *Non eſt legatus major eo qui ſe legavit.*

18. *Levabit*] *Levavit* eſt & in Græcis & in veruſtiſſimis noſtris exemplaribus, ἐπῆρεν, ut ſit præt. temporis verbum. ¶ *Contra me calcaneum ſuum*] Deſumptum eſt ex Pſal. 41. 9. nec id ad verbum curat adducere: nam Hebræa ſic habent, interprete Hieronymo, *Sed & homo pacificus meus, in quo habui fiduciam, qui manducabat panem meum, levavit contra me plantam.* Septuaginta verterunt ad hunc modum, Καὶ γὰρ ὁ ἄνθρωπος τῆς εἰρήνης μου, ἐφ' ὃν ἤλπισα, ὁ ἐσθίων ἄρτους μου, ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πτερισμόν.

19. *Amodo*] Ἀπ' ἄρτι *Poſthac*, ſeu potius *Ex hoc tempore:* niſi adverbium ἀπ' ἄρτι libeat referre ad verba ſequentia, γένηται, & τιςεύητε.

21. *Proteſtatus*] Ἐμαρτύρησε teſtatus eſt.

24. *Innuit ergo huic Simon Petrus*] Græca ſic habent, Νεύει οὖν τούτῳ Σίμων Πέτρος πυθέσθαι τίς ἂν εἴη περὶ οὗ λέγει, *Innuit igitur huic Simon Petrus ut interrogaret quis eſſet de quo diceret. Innuit* autem præſentis temporis eſt.

26. *Intinctum panem*] Ψωμίον *buccellam*, ſive *offulam*. ¶ *Dedit*] *Dat*, δίδωσι, & ἐμβάψας: ut intelligas ipſum Chriſtum intinxiſſe. ¶ *Juda Simonis Scarioth*] Ἰούδᾳ Σίμωνος Ἰσκαριώτῃ, *Juda Simonis Iſcariotæ:* ut *Iſcariotæ* ſit dandi caſus, & *Juda* intelligatur *Simonis filius.*

27. *Poſt buccellam*] Quod modo vertit bis *panem*, nunc vertit *buccellam*; ne quis exiſtimet aliquid diverſum eſſe apud Græcos. Eſt autem ψωμίον proprie *offula panis intincta juri.*

32. *Deus clarificabit eum in ſemetipſo*] Ἐν αὐτῷ. Rectius habebat ſcriptura ἐν αὐτῷ, ut referatur ad Patrem: quanquam ſcio diſcrimen hoc in libris præſertim Sacris non obſervari perpetuo. Et opinor hic præpoſitionem *in* juxta ſermonis Hebraici proprietatem uſurpatum vice *per.*

33. *Filioli*] Nonnulli codices habebant τέκνα *filii*, nonnulli τεκνία diminutive, *filioli.* Cyrillus legiſſe videtur τεκνία. ¶ *Adhuc modicum*] Ἔτι μικρὸν *adhuc pauliſper:* de quo ſupra monui.

35. *In hoc cognoſcent omnes quod mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem*, &c.] Mira nota qua ſit diſtinguendus Chriſtianus à cæteris. Non dixit, *Si hoc aut illo titulo vocemini; Si his aut illis veſcamini cibis; Si ſic aut ſic veſtiamini; Si tales aut tales obſervetis ceremonias; Si tot ac tales exhauriatis preces;* ſed, *Si dilexeritis vos invicem*; nec id ſane vulgari more, verum, *Si ſic dilexeritis invicem ſicut ego dilexi vos.* Hanc igitur notam cum præſcripſerit ipſe Chriſtus velut unicam ac certam, nonne neceſſe eſt fieri ut noſtro vitio nomen CHRISTI male audiat inter Ethnicos, qui cum hæc legerint, aut certe audierint, conſpiciunt apud Chriſtianos tot jam ſeculis Principem cum Principe, Regnum cum Regno, civitatem cum civitate jugibus conflictari bellis? ut omittam inſanitſimas apud Judices lites & acres omnium inter ſe de quamlibet frivola cauſa digladiationes. Atque hæc cum faciamus, tamen ob titulum & ceremonias neſcio quas Chriſtiani nobis ipſi videmur.

VATABLUS.

1. DIem *] * *Autem.* ¶ *Venit hora ejus ut tranſeat*] *Veniſſet hora ejus ut tranſiret.*

2. *Et cœna*] *Cœna igitur.* ¶ *In cor, ut traderet eum Judas Simonis Scarioles, ut eum traderet*] *In corde Judæ Simonis* [ſub. *filii*] *Iſcariotæ, ut eum traderet.* Vet. *Iſcariotes* pro *Iſſacariota* poſitum: i. de tribu Iſſachar, & infra.

3. *Sciens*, &c.] Vel, *Quamvis ſciret ſe eſſe ſervatorem & dominum omnium, tamen ſurrexit à menſa, & ſpeciem ſervi abjectiſſimi induit.*

4. *Surgit*] Vel, *ſurrexit.* ¶ *Ponit*] Vel, *depoſuit.*

5. *Miſit*] *Mittit*, Vet.

6. *Petrus*] *Ille.*

8. *Non lavabis*, &c.] *Nunquam patiar ut mihi laves pedes.* ¶ *Habebis*] *Habes*, Vet. præſ. pro fut. i. coheres meus non eris.

10. *Qui lotus eſt*] i. Qui partem ſuperiorem lotam habet & mundam: h. e. animam. ¶ *Indiget*] *Opus habet.* ¶ *Pedes*] Sub. *via cauſa.* ¶ *Sed eſt*] *Eſt enim.* ¶ *Et vos*] *Vos autem.*

11. *Traderet*] *Proditurus eſſet.*

12. *Accepit veſtimenta ſua: & cum*] *Et accepit veſtimenta ſua: cum*, Vet.

16. *Apoſtolus*] *Miſſus, legatus.*

17. *Eritis*] *Eſtis.*

18. *Qui manducat mecum panem*] Vel, *Qui ſumit mecum cibum: panis* pro quovis cibo per Synecdochen ab Hebræis ſumitur. ¶ *Levabit*] *Levavit*, Vet.

19. *Amodo*] *Nunc.* ¶ *Sum*] Sub. *Salvator, & is de quo id prædictum fuerat.*

21. *Turbatus eſt*] i. Animo turbato eſſe cœpit. ¶ *Proteſtatus*] *Teſtificatus.* ¶ *Tradet*] *Proditurus eſt.*

22. *Ad invicem*] *Se invicem.*

23. *Erat ergo*] *Erat autem.* ¶ *Ejus, in ſinu Jeſu*] *Jeſu in ſinu ipſius.*

24. *Et dixit ei*] Ut ſciſcitaretur quis eſſet de quo loqueretur.

25. *Recubuiſſet*] *Incubuiſſet in.*

26. *Intinctum panem*] *Intinctam buccellam*, vel, *offulam.* ¶ *Simonis*] Sub. *filio.*

27. *Buccellam* *] **Tunc*, Vet. ¶ *Et dicit*] *Dicit igitur.* ¶ *Facis*] Vel, *facere cogitas.*

28. *Scivit*] *Intellexit*, vel, *intelligebat.* ¶ *Dixerit*] *Dixiſſet.*

29. *Loculos*] *Marſupium.*

31. *Nunc glorificatus eſt*] i. Jamjam glorificabitur, & infra.

32. *Clarificatus eſt in eo*] *Glorificatus fuerit per eum:* i. quia Deus glorificatus eſt per ipſum miraculis ab eo editis ad gloriam Patris, etiam Pater glorificabat eum per ſe ſua virtute, & quidem paucis abhinc diebus, ſuſcitando eum.

33. *Quæretis me*] q. d. Brevi abero, & quæretis me.

34. *Mandatum novum*] q. d. Vetus præceptum erat, Dilige proximum tuum ſicut teipſum: Novum, Diligite invicem ſicut Chriſtus dilexit vos. ¶ *Ut & vos*, &c.] Sub. *ita præcipio vobis*, ut, &c.

36. *Reſpondit* *] * *Ei.*

37. *Et Petrus* *] * *Domine.*

CASTALIO.

31. NUnc *Filius hominis illuſtratur*] Ἐδοξάσθη, præt. temporis eſt, quod Hebræo more pro præſenti ſubinde ponitur: cujus exempla quoniam infinita ſunt, adducere non eſt opus. Hoc etiam apud Latinos fieri in nonnullis verbis videmus, *memini*, *novi:* item in aliis, *Profuit id facere*, pro *prodeſt*, aut *prodeſſe ſolet.* Atque ut ſemel hoc admoneam, tempus pro tempore poni in his libris eſt uſitatiſſimum.

CLARIUS.

1. UT *tranſeat*] Videtur alludere ad nomen *Paſcha*, quod ſignificat *tranſitum*, ut admoneret, Paſcha illud myſterium eſſe eorum quæ in Chriſto implenda erant. *Sciens* ergo *Jeſus tempus eſſe ut* (non dixit *moriatur:* nam breve illud mortis ſpatium erat futurum: ſed) *revertatur ad Patrem*, cum jam pactus eſſet Judas cum Judæis de ejus proditione, ſciens, inquam, Jeſus ſummam rerum in ſe eſſe collocatam, in ſeque uno ſuoque exemplo verſari omnis Chriſtianæ poſteritatis imitationem, cumque nihil magis unquam ſemper inculcarit animis Diſcipulorum quam ut, quemadmodum in Magiſtro cernebant, *mites eſſent atque humiles corde*, voluit ultimo die ultimoque convivio ejuſdem Humilitatis exemplum ſuis immortale relinquere. Quocirca *ſurgit à cœna*, & ille Unigenitus Dei Patris, per quem omnia facta ſunt, *ponit veſtimenta ſua*, ut magis accinctus & paratus Humilitatis opus exerceat, *accipit linteum* (hæc enim data opera ob admirationem ſingillatim Euangeliſta commemorat: alioqui ſatis erat dicere, *cœpit lavare pedes diſcipulorum*) non exſpectato alterius miniſterio, *præcingit ſe:* non jubet afferri aquam; *ipſa eam mittit in pelvim*, & *lavat pedes Diſcipulorum*, & *linteo*, non alio quam *quo erat præcinctus*, *tergit.*

8. *Si non lavero te, non habes partem mecum*] Hæc verba Domini conſiderans M. Baſilius in oratione quæ *De judicio Dei*

Dei inſcribitur, ſic ait, *Beatus ille Petrus, & qui omnibus fuerat Diſcipulis antepoſitus, qui ſolus pra cateris teſtimonio Domini laudatus, & Beatus appellatus erat, cui claves Regni cælorum credita fuerant, cum audit à Domino*, NISI LAVERO TE, NON HABES PARTEM MECUM, *quale lapideum cor non molliat ad timorem & tremorem judiciorum Dei? præſertim cum in hac re nullius peccati, nullius contemptus fiat expreſſio, ſed potius ingentis erga Dominum honoris ſignificatio, dum conſentaneam ſervo ac diſcipulo præ ſe fert pietatem. Cernens enim ſuum & omnium Deum & Dominum & Regem & Præſulem & Magiſtrum & Servatorem, & breviter, qui ſimul omnia eſſet, in miniſtri formam præcinctum linteo, ſuos lavare pedes velle, mox tanquam in contemplationem veniens propriæ (ut ſic dicam) indignitatis, & ejus qui ad ſe accedebat dignitatem admirans, exclamavit*, DOMINE, TU MEOS LAVAS PEDES? *& rurſum*, NON LAVABIS PEDES MEOS IN ÆTERNUM: *in hac re tam ingentes audit minas, ut niſi rurſum, intellecta veritate verborum Domini, præveniſſet obediendo, illam corrigere contradictionem, nihil ei ſuperiora recte facta, non à Domino accepta beatitudinis commendatio, & dona, & promiſſiones, neque ipſa Dei & Patris, talis ac tanti in Unigenitum placiti, revelatio, ſatis eſſe poſſent ad peccatum præſentis inobedientiæ leniendum.* Hæc ille.

10. *Qui lotus eſt, non indiget*] h. e. Ad id ſignificandum quod nunc volo ſatis eſt pedum lotio: nam reliquarum corporis partium alia ſignificatio eſt, & ea lotione non egetis. Videtur autem accepta ſimilitudo ab iis qui lavantur in thermis, qui cum poſt lotionem in apodyterium ſe conferunt, ut veſtes quas ibi depoſuerant recipiant, pedes iterum lavant, ut pulverem quem exiguo illo ſpatio collegerant abſtergant: nam reliquum corpus jam lotum eſt.

14. *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*] h. e. ſubmiſſe demittere vos ad quodcunque fratrum veſtrorum & proximi cujuſque miniſterium, quod intelligitur per lotionem pedum, quæ erat præ manibus.

20. *Qui accipit ſiquem miſero*] Dixerat *non decere ut ſervus ſit major Domino ſuo*, admonens debere eos ad ea perferenda eſſe paratos quæ ipſum ferre cernerent: nunc, ut illud onus leve faciat, addit & honorem, & quanti eos faciat.

31. *Nunc clarificatus eſt Filius hominis*] Ejecto perfido illo, jam ſermonem inchoat ſuum; atque in primis iterum *glorificationem* appellat provinciam illam quam jam jam erat aggreſſurus.

33. *Quæretis me*] Iiſdem quidem fere verbis, ſed alia ratione, dixit Judæis, *Ubi ego ſum, vos non poteſtis venire*: de quo ſupra dictum eſt: nunc Diſcipulis dicit, *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*: neque enim adhuc erant idonei tam ingenti negotio.

34. *Mandatum novum do vobis*] *Novum*, opinor, idcirco quod nunquam antea Charitatis in proximum quemque præconium ita celebratum eſt, neque tam ardenter unquam illam homines exercuerunt, ut ſub philoſophia Chriſtiana eſt factum: quanquam & ipſe ſe aperit, cum non ſolum ait, *ut diligatis invicem*, ſed addit, *ſicut dilexi vos*, dum animam pro ſalute veſtra & omnium hominum pono. Quæ charitas ita Chriſtianorum propria eſt ut eam ſignum quoddam futuram dicat ad agnoſcendum hominem Chriſtianum.

ZEGERUS.

2. ET *cœna facta*] h. e. *apparata & ad convivantium uſum perducta*, interprete Auguſtino. Ad hunc modum etiam Tob. 2. ſcriptum eſt, *Cum factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ*: ſequitur enim, *Vade & adduc aliquos de tribu noſtra timentes Deum, ut epulentur nobiſcum.*

3. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*] *Sciens* ſub. *Jeſus*, ὅτι πάντα δέδωκεν αὐτῷ, *quod omnia dediſſet ſibi Pater in manus.* Et ne quis exiſtimaret hoc de Juda dictum eſſe, ſcriba aliquis apud Græcos ὁ Ἰησοῦς etiam textui inſulſit.

7. *Quod ego facio tu neſcis modo*] Non intelligebat adhuc Petrus ex hoc facto Humilitatis atque Officii proximo exhibendi dari ſibi exemplum, quemadmodum illi Chriſtus tandem aperuit cum dixit, *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſtrum & Dominum*, &c. Ignorabat etiam Petrus hoc Chriſtum ſymbolo præſignare quod mox pretioſo ſuo ſanguine animæ ipſius ſordes eſſet abluturus. Hoc quia ignorabat myſterium Apoſtolus, non injuriâ recuſabat miniſterium.

8. *Si non lavero te, non habebis partem mecum*] Tantundem eſt acſi dicat, Niſi te lavero lotione ſpirituali, haudquaquam mei es futurus conſors. Vel, Niſi te mihi per omnia, etiam hac in parte, præbeas morigerum, atque adeo etiam humilitatis hujuſce imitatorem, ſortis meæ meæque gratiarum particeps eſſe non poteris.

10. *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi*] Græca aliquanto ſecius & minus habent obſcuritatis. Sic enim habent hujus certe tempeſtatis codices, Ὁ λελουμένος οὐ χρείαν ἔχει ἢ τοὺς πόδας νίψασθαι, ἀλλ' ἔστι καθαρὸς ὅλος. Ubi adverte pro *niſi* non eſſe εἰ μή, aut ἤν μή, quæ exceptivæ ſunt particulæ, ſed ἤ, quæ confirmativa eſt, ut arbitror, cum circumflexo ſcribenda: alioqui, ſi cum acuto ſcribatur, disjunctiva erit. Itaque ſenſus hic erit, *Quiſquis lotus eſt opus certe non habet pedes lavari, ſed eſt purus & ſincerus totus.* Cui apte etiam reſpondet quod ſequitur, καὶ ὑμεῖς καθαροί ἐστε, ἀλλ' οὐχὶ πάντες, *& vos mundi eſtis ac puri*, nimirum innocentes à mei traditione, *at nequaquam omnes:* ſiquidem & ii olim καθαροὶ dicebantur qui ob eædem perpetratam impias manus habere non cenſebantur. Ab hac tam ſententia minimum abſunt Chryſoſtomus & Theophylactus, utpote qui neque Exceptionis, neque Baptiſmi, neque Affectionum, quas per *pedes* intelligi volunt alii, ullam faciant mentionem. Jam ſi quis forte requirat qui conſiſtat quod Dominus diſcipulos ſuos mundos dixerit, & nihilominus pedes illorum lavare voluerit, imo & neceſſariam illis fuiſſe lotionem pronunciarit, ſciat mundos quidem fuiſſe Apoſtolos, idque juxta Chryſoſtomum, propter verbum doctrinæ Euangelicæ quod fuerant ampiexi, infra 15. 3. non tamen quod nullis omnino jam eſſent peccatis obnoxii, non quod ſacro immolandi Agni cruore non eſſent abluendi, non quod plene jam eſſent ab omni maledicto ſecuri, ſed quod liberi eſſent ab errore Judæorum, quod immunes eſſent ab affectu tradendi Magiſtri ſui (à quo Judas ille liber non erat; de quo ſubdit, *Sed non omnes: ſciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum*) denique quod ab hoc mundo, qui totus in maligno ac ſordibus eſt, eſſent ſejuncti. Mundi ergo erant, ſed interim adhuc mundandi, quia ad abſolutam munditiem opus habebant pretioſo Agni immaculati ſanguine (cujus hæc aqua typum gerebat) aſpergi & Divini Spiritus igne expiari: ut ne dicam interim quam neceſſarium illis fuerit tantum hujus humilitatis exemplum. Præterea quando communem illam Latinæ lectionis interpretationem & Auguſtinum & Ambroſium in opuſculo De myſteriis initiandis cap. 6. ſecutos video, libet etiam & eam indicare legentibus. Dicit ergo juxta illorum ſententiam hoc modo Dominus, *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet*, &c. tanquam ſi inquiat, Quiſquis ſemel ſanguinis mei lavacro per Baptiſmum ablutus fuerit, totus utique jam mundus effectus eſt, ut nil illi opus ſit deinceps peccata ſemel delecta rurſum abluere: tantummodo id curet oportet, ut pedes, h. e. affectus, ab humanis quibus ſubinde coinquinantur ſordibus expurgentur.

12. *Poſtquam ergo lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua, cum recubuiſſet iterum*] Sic habet germana ſcriptura, juxta tam Græcos quam Latinos emendatiores, & Auguſtinum.

18. *Non de omnibus vobis dico*] Præmiſerat, *Beati eritis ſi feceritis ea. Non de omnibus*, inquit, *hoc dico*: eſt enim inter vos nec facturus ea, nec beatitudinem adepturus. ¶ *Qui manducat mecum panem levabit contra me calcaneum*] h. e. Qui mea menſa fruitur, dolum ac deceptionem parabit adverſus me. Eſt autem metaphora deſumpta à certantibus, qui ſupplantantes adverſarios, dum illorum calcaneum calcant, dejiciant. Locus Scripturæ eſt Pſal. 41. 9. ubi quod nos legimus, *Etenim homo pacis meæ in quo ſperavi, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Hieronymus juxta Hebraicam veritatem vertit, *Sed & homo pacificus meus, in quo habui fiduciam, qui manducabat panem meum, levavit contra me plantam.*

20. *Qui accipit ſi quem miſero, me accipit*] Ut ſermonis conſequentiam intelligas, quia dixerat quod prodendus eſſet, & ex hoc Diſcipuli diſpergerentur, ſolatur nunc eos prædicendo quod quicunque illorum prædicationem ſuſcipient non ſecus ac Chriſtum ipſum illos prædicantes excepturi ſint.

21. *Proteſtatus eſt*] *Teſtatus eſt.*

27. *Poſt buccellam tunc introivit*] *Tunc* non eſt omittendum contra Græcos, Auguſtinum, & exempl. antiqua.

32. *Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo, & continuo clarificabit eum*] Hoc expreſſius ita dici poteſt, *Quoniam Deus Pater glorificatus eſt per Filium, etiam Deus Pater glorificabit Filium per ſemetipſum, idque è veſtigio.* Nam præterquam quod Paſſio glo-

ria eſt, etiam in ipſa cruce Chriſtus per mirabilia quæ cernebantur, deinde amplius per Reſurrectionem illuſtris factus eſt.

38. *Non cantabit gallus donec me ter neges*] Ne diſſonantia putetur inter Euangeliſtas, ſic accipiendum eſt quaſi dixiſſet, *Non complebitur gallicinium donec ter me abnegaveris:* quod propemodum indicaſſet ſi vertiſſet interpretans, *Non cantaverit gallus.*

MASIUS.

2. 5. &c. LOtio pedum facta eſt ante cœnam, ſic enim mos erat, unde eſt illud Luc. 7. *ex quo intravi, aquam pedibus non dediſti* &c. Et illud itaque Joannis δείπνου γενομένου, non ſignificat abſoluta cœna, ſed jam parata. Nam Chriſtus cum accubuiſſet, atque ex ordine diſcipuli eum ſecuti quoque diſcubuiſſent, ille iterum ſurrexit ac lavit &c. tanquam ipſius eſſet convivator.

H. STEPHANUS.

1. Ἀγαπήσας] *Amore complexus.* ¶ Εἰς τέλος] *Uſque ad extremum.*

2. Βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν Ἰούδα Σίμωνος, Ἰσκαριώτου, ἵνα αὐτὸν παραδῷ] *Injeciſſet menti Judæ Iſcariota voluntatem prodendi eum.*

3. Εἰς τὰς χεῖρας] *In poteſtatem ſuam.*

4. Λέντιον] *Linteum.*

5. Νιπτῆρα] *Pelvim.*

9. Μὴ τοὺς πόδας μου μόνον] *Ne* laves *pedes meos ſolum.*

11. Τὸν παραδιδόντα] *Qui prodebat*, i. machinabatur proditionem.

12. Ἀναπεσών] *Diſcumbens.*

15. Τπόδειγμα] *Exemplum.*

17. Εἰ ταῦτα οἴδατε] *Si intelligitis hæc.*

22. Ἀπορούμενοι περὶ τίνος λέγει] *Anxii de quo* id *diceret.*

24. Νεύει πυθέσθαι] *Innuit ut ſciſcitaretur.*

25. Ἐπιπεσών] *Incumbens.*

26. Βάψας τὸ ψωμίον] *Buccellam:* vel, *effulam intinctam.*

27. Ὃ ποιεῖς] *Quod facere cogitas:* vel, *Quod moliris.*

29. Τὸ γλωσσόκομον] *Crumenam.*

DRUSIUS.

1. IN *finem*] Εἰς τέλος, quod Ebræi dicunt לנצח, pro eo habendum acſi dixiſſet לעולם *in perpetuum*, *ſemper:* de quo diximus ſupra, quod nunc non itero. Vide, ſi placet & ſi otium eſt.

2. *Cœna facta*] i. parata. Sic dicimus *facere hœdum*, *vitulum*, *bovem*, *epulum*. Sic ἑτοίμασε δοχὴν & *fecit convivium*, i. apparavit. Turbat quod ſequitur, *ſurgit à cœna*, v. 4. Sed magis quod v. 27. *poſt buccellam tunc introivit in eum Satanas.* Si poſt porrectam buccam primum introivit in Judam, ergo non poſt cœnam peractam; quod tamen hic dicitur, ſi *facta* ſignificat *peracta*, ut multi volunt. Verba clara ſunt, *Et cœna facta*, *cum diabolus jam immiſiſſet in cor ut traderet eum Judas*, &c. Hunc nodum qui mihi ſolvet, magnus erit in oculis meis. Ego certe me non expedio hoc tempore, niſi hoc dicat, *Surgit ante cœnam.* Sic Jeſ. 43. 13. מיום *à die*, *ante diem.* Senſus, *Antequam eſſet dies*; vel, *Ante ullum tempus.* Huc refer מעני Gen. 36. 6. quod Tremellius reddit *ante adventum.* Aut hoc vult, *Surgit à cœna parata.* Nam ſediſſe illum, cum exſpectaret dum cœna pararetur, valde credibile eſt. Aut *à cœna*, à loco, vel menſa, ubi cœnaturus erat. Sunt qui ea quæ poſt acciderunt, ad ſecundas menſas pertinere putant.

4. *Veſtimenta ſua*] Superiora videlicet, quæ שמלות vocant Ebræi. Nam שמלה *veſtis ſuperior*, quam Senes ἱμάτιον reddunt, & Hieron. *pallium*, Gen. 9. 23. Sic etiam interpretes alii. ¶ *Linteum*, λέντιον] Vox Helleniſtarum, quam à Latinis accepiſſe videntur. Ea utuntur etiam Thalmudiſtæ, h. e. Juriſprudentes Ebræi, qui Thalmud conſcripſerunt, i. jus civile Judæorum. In eo invenies לנטרין & לנטרין & לנטרין, & cum Aleph in capite אלנטרין ſive אלנטרין. Autor Lexici quod *Aruch* vocatur, exponit Græce לנטרין: emendo לנתרין, i. λέντιον. David de Pomariis interpretatur סדין, neſcio quam bene: nam סדין eſt σινδών. לנטרין autem *pannus eſt quo abſtergimur poſt lotionem.* Vide Lexicon illud. In tractatu de Sabbatho, *Calefecit homo linteum, & posuit illud ſuper filios viſcerum*, ſive *inteſtina*, *ſabbatho.* In fine Gemaræ, *Abſtergit ſe homo linteo, & ponit illud in feneſtra.* Quod Ebr. מסיח בסדינו *ἐκμάσσει ἑαυτὸν τῷ λεντίῳ.* Adito ſis ad v. 5. Latinam vocem eſſe, quæ à Græcis aliis ῥάκη dicitur, docet Nonnus his verbis,

\- - τότερ Φάετο Θυμβριὰς αὐδὴ
Λέντιον.

Nam Θυμβριὰς αὐδὴ eſt *lingua Tiberina*, i. Latina, à *Tiberi*, qui Θύμβρις Stephano & aliis.

8. *Non habebis partem mecum*] אין לך חלק את, *Non eſt tibi pars mecum*, ut Deut. 14. 27. aut עמי, ut Deut. 18. 1. Male hic laudant locum qui habetur 1 Reg. 12. 16. Nam ibi eſt *in David* & *in filio Jeſſe*, ut 2 Sam. 20. 1. quod ita dicitur ut Joſ. 22. 25. *Non erit vobis pars in DOMINO:* quod explicant, *Non eritis populus DOMINI*, *aut in eorum numero qui theſaurum benignitatis ejus ut heredes participant.* Ita Maſius in Joſuam.

13. *Magiſter ac Domine*] *Rabbi & Adon.* Syrus habet *Rabban*, quod auguſtius eſſe diximus; & *Maran*, quod in *Maranatha*, *DOMINUS venit:* unde & *Marnas* Deus Gazæorum. Paulo poſt, videlicet v. 14. in Syro eſt מרכם *Dominus veſter*, & רבכם *Magiſter veſter.*

27. *Buccellam*] Ψωμίον modo reddit *buccellam* modo *panem.* Sunt qui *effulam* malunt. In Ebraiſmo eſt פת, quod ψωμὸν reddunt cum alibi tum Ruth. 2. 14. & Job 31. 17. Eadem vox *panem* denotat, ut cum dicunt מתוך פת *panem è clibano.* Eſt ubi reperiatur פת חלוטה *buccea*, vel *fruſtum*, *panis*, ψωμὸς ἄρτου.

CASAUBONUS.

4. Καὶ λαβὼν λέντιον, διέζωσεν ἑαυτόν] Utitur Euangeliſta voce Romana, quam tunc Judæis fuiſſe uſitatam in communi ſermone veriſimile eſt. Nonnus vero eam ſibi putavit explicandam. Cujus verba, quia inſigni mendo ſunt affecta, nec ab interpretibus intellecta, placet hic obiter emendare. Sic igitur illa vulgo leguntur,

Καὶ λευέην λαγόνεσσι νόθην ἐζώσατο μίτρην,
Σφίγξας σκληρὸν ὄφεσμα, τότερ Φάετο Θυμβριὰς αὐδὴ
Λέντιον, ἰκμαλέοιο ποδὸς ἁλιπτήρια ἀνδρῶν.

quæ ſic ab interpretibus accipiuntur ut dicat Nonnus illud ὄφεσμα, quo ſe Chriſtus præcinxit, à veſpillonibus & libitinariis (nam horum eſt, opinor, lingua quam ipſi *ſepulcralem* vocant) appellari λέντιον. Legendum nimirum putarunt τυμβιὰς αὐδὴ, à voce τύμβος. Sed hæc abſurdiora ſunt & inepciora quam ut longa refutatione opus habeant. Nos vero non dubitamus ſcriptum ita fuiſſe à doctiſſimo Poeta,

\- - τότερ Φάετο Θυμβριὰς αὐδὴ
Λέντιον.

quibus verbis vocem λέντιον Romanam eſſe, ut eſt, ſignificare voluit. Θυμβριὰς igitur αὐδὴ eſt *lingua Romana*, à *Tiberi* ſic dicta. Tiberis enim fere apud Græcos Θύμβρις dicitur, non Poetas tantum, ſed etiam πεζογράφους, ut Herodianum & alios. Stephanus De urbibus, Θύμβρις, ποταμὸς Ῥώμης, ὃς καὶ Τίβερις· τὸ ἐθνικὸν, Θυμβριάς, καὶ Θυμβριάς.

25. Ἐπιπεσὼν δὲ ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ] Hoc Græci diſertiores dicunt una voce προσανεπίπτειν· uti Athenæus in deſcriptione πομπείας Antiochi, καὶ περιπορευόμενος, ὃ μὲν προσεκάθιζεν, ὃ δὲ προσανέπιπτε. Non aſſentior autem Theophylacto qui ruſticitati Johannis aſcribit quod non dubitarit in ſinum Chriſti recumbere & in ejus pectus ἐπιπίπτειν· deinde adjicit hanc rationem, Quia nihil adhuc magni de Chriſto Diſcipuli ὑπελάμβανον. Sane qui veterum decumbendi rationem habebit cognitam, nunquam eo confugiet.

29. Ἐπεὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχεν] Vetus interpres vertit *loculos*, ſicut Gloſſarii auctor duobus in locis. Nonnus non temere δουρατέην χηλόν. Nam & Grammatici lignean arcam eſſe volunt. Gloſſæ Heſychii, Γλωσσόκομον, θήκη, σαρὸς ξυλίνη τῶν λειψάνων.

32. Εἰ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη] Doctiſſimi interpretis conjecturam, putantis deeſſe δὲ, confirmat paraphraſis,

Εἰ δὲ Θεὸς γενέτης, &c.

GUALTPERIUS.

4. Λαβὼν λέντιον, διέζωσεν ἑαυτὸν, *Accepto linteo, præcinxit ſe*] Syr. ומזר *ſubluta ſindone.* Vox Latina, quæ Græcis eſt ὀθόνιον, ἢ σινδών, & ὀθόνη.

LUD. CAPPELLUS.

26. Ἐκεῖνός ἐστιν ᾧ ἐγὼ βάψας, &c.] Factum id fuit à Christo ex antiquo Judæorum ritu, qui etiamnum hodie ab iis in Paschalis cœnæ celebratione observatur, uti videre est in Ritualibus eorum libris, ut post absolutam Agni Paschalis cœnam, ἐν τῷ ἐπικώμῳ (quod & ipsi voce hac Græca קומץ vocant) paterfamilias tortam azymam in tot dividit frusta quot assident convivæ, singulaque frusta (quæ hic ψωμία dicuntur ab Euangelista) in tryblium ἐμβάμματος herbarum amararum (quod ipsis dicitur חרוסת) intingit, & singulis porrigit convivis. Cum ergo Christus in dividendis & porrigendis ψωμίοις ad Judam proditorem ordine devenisset, paulo ante quam ψωμίον illi porrigeret, Discipulis declaraverat fore ut ab aliquo eorum proderetur: cumque Petrus Johanni annuisset ut à Christo rogaret quisnam ille futurus erat qui tantum scelus esset patraturus, & Johannes Christum ea de re, inclinatus in ejus pectus, submissiori voce interrogaret, Christus submissa itidem voce indicavit illi, eum esse cui jamjam traditurus erat ψωμίον, simulque intincto tortæ frustulo tradidit illud Judæ, his verbis, *Quod facis, fac cito*: quod cum non intellexissent reliqui Apostoli, uti dicitur v. 28. sat liquere inde videtur Christum indicium illud submissiori voce soli Johanni significasse: si enim clare omnibus significasset eum futurum sui proditorem cui frustum intinctum traditurus erat, vero consentaneum non videtur eos ignoraturos fuisse quid sibi vellet Christus cum Judæ dixit, *Quod facis, fac cito.*

GROTIUS.

1. Πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς, *Ante diem festum*] Erat vespera illa à qua incipiebat τὸ νυχθήμερον τῆς παρασκευῆς [*nychthemerum Paraskeues*]. ¶ Αὐτοῦ ἡ ὥρα ἵνα μεταβῇ, *hora ejus ut transeat*] Tempus illud conveniens nomini Paschatis, quod διάβασιν [*transitum*] significat: tempus opportunissimum morti ob maximum populi conventum, quo res esset testatior. ¶ Ex τῷ κόσμῳ τούτῳ πρὸς τὸν πατέρα, *ex hoc mundo ad Patrem*] Per mortem scilicet, qui primus erat ad eum transitum gradus. ¶ Ἀγαπήσας τοὺς ἰδίους τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, *cum dilexisset suos qui erant in mundo*] Eos qui disciplinam suam receperant, præcipue Duodecim illos. Est autem efficaciter dictum τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ [*qui erant in hoc mundo*], quos relicturus erat in hoc rerum salo. sic infra XVII. 11. ¶ Εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς, *in finem dilexit eos*] Id est, διετέλει ἀγαπῶν, *perrexit eos diligere.* Sic locutio hæc usurpatur Psalm. IX. 18. XLIV. 23. & alibi. Hoc autem præfatur Apostolus, ut significet ideo tam vili ministerio Christum se subjecisse ut amorem suum evidentissime ostenderet. Quod diximus vile esse ministerium apparet 1 Sam. XXV. 41. quem locum Josephus explicans, ἀναξίαν μὲν εἶναι καὶ τοδῶν ἅψασθαι τῶν ἐκείνε [*indignam se quæ vel pedes ejus tangeret*]. In oraculo Milesiis dato apud Herodotum:

> Καὶ δ' ἅλοχοι πολλοῖσι τόδας νίψουσι παμήτας.
> [*Multa comatorum vestigia pulchra lavabunt*
> *Uxores vestræ*].

Plutarchus Pompejo Favonium post cladem obsequentissimum fuisse ut ostendat sic ait, Καὶ τὸ λοιπὸν ἐκ τούτου περιὼν καὶ θεραπεύων, ὅσα δεσπότας δοῦλοι, μέχρι νίψεως ποδῶν καὶ δείπνου παρασκευῆς διετέλεσεν [*Præterea perpetuo Pompejum observavit, & ministeria ei exhibuit quæ heris servi solent ad pedum usque lotionem & cœnæ præparationem*]. Idem De virtutibus mulierum, Διηκονοῦντο τοῖς ἀλλήλων γονεῦσι καὶ ἀδελφοῖς ἄχρι τοῦ καὶ τοὺς πόδας ἁπονίζειν [*Ministrabant aliæ aliarum parentibus & fratribus, usque & pedes eorum perlucrent*]. Catullus,

> *Quæ tibi jucundo famularer serva labore*
> *Candida permulcens liquidis vestigia lymphis.*

Tam vile autem ministerium non detrectare magnæ est dilectionis. Luc. VII. 44. 1 Tim. V. 10.

2. Καὶ δείπνου γενομένου, *Cœna facta*] Cœna illa priore, qua non agnum quidem mactatum edit Christus, sed tamen, ut potuit, ritu Babylonici exilii memoriam Paschatis celebravit: quæ cœna non habebat ante se lotionem: nam non erat cœna justa, sed cœnæ imago. Vide quæ ad Matthæum. ¶ Τοῦ διαβόλου ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν Ἰούδα, *cum diabolus jam misisset in cor Judæ*] Hic quoque illud βεβληκότος [*misisset*] intelligendum cum effectu, nempe ut Judas hoc consilium diaboli receperit. Simile loquendi genus supra jam aliquoties observavimus. Sic *tentare* Satan dicitur cum tentationi succumbitur 1 Cor. VII. 5. ¶ Ἵνα αὐτὸν παραδῷ, *ut traderet eum*] Habet & hoc ἔμφασιν [*efficaciam*]. Jam consilio se tradendi capto, tam propinquo periculo, non omisit testari curam suam pro discipulis, etiam pro illo nefario, si forte adhuc resipisceret.

3. Εἰδὼς ὅτι πάντα δέδωκεν αὐτῷ ὁ πατὴρ εἰς τὰς χεῖρας, *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus*] Hoc dicit, Tam humile obsequium fecit non inconscius fuæ dignitatis. Id enim auget facti æstimationem quod tantus ac talis hoc fecerit. *Dare* autem hic intelligi *promittere daturum*; nam tradita illi sunt omnia (id est, potestas in omnia quæ Ecclesiæ conducunt, Matth. XXVIII. 18.) post Adscensum in cœlum, Act. II. 36. ¶ Καὶ ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθε, & *quia à Deo exivit*] A Deo ad genus humanum missum se prodiisse. Sic supra VIII. 42. ¶ Καὶ πρὸς τὸν Θεὸν ὑπάγει. & *ad Deum vadit*] Et se receptum iri in Dei regiam, in consortium Regni. Omnia hæc mirifice describunt ejus dignitatem.

4. Ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου, *Surgit à cœna*] Non solebat cœna etiam Agni à stantibus sumi post Exitus tempora: In cœna autem memoriali, qualis hæc erat, omnino sedebatur aut accumbebatur, & nunc etiam sedetur. Itaque ea confecta surrexit Christus, & ad cœnam plenam atque ordinariam pedes lavit: quod ante cœnas fieri erat solitum. ¶ Καὶ τίθησι τὰ ἱμάτια. & *ponit vestimenta sua*] Hæc vox ex illis est quæ plurali sono singularem habent significatum, ut notavimus ad Matth. XVII. 2. Verti ita solet Hebræum שמלה, quo proprie significatur *extimus amictus* qui à ministrantibus deponi solet. Philo De Sacerdotibus, Ἀνείμονες γὰρ ἐν μόνοις χιτωνίσκοις τά τε ἱερεῖα καὶ τὰς σπονδὰς καὶ ὅσ' ἄλλα χρήσιμα θυσίας προσάγουσιν εἰς ἀνυπέρθετον ταχὺς ἠσκημένοι [*Sine vestibus enim in solis tunicis victimas & libamina & alia sacrificiis necessaria adferunt ad summam celeritatem exercitæ*]. ¶ Καὶ λαβὼν λέντιον, & *cum accepisset linteum*] Hæc vox à Romanis ut ad Græcos, ita & ad Judæos pervenerat. Scribitur לנטין. exponunt Grammatici סדין, ut hic Syrus סדינא *sindonem*, Arabs مِنْدِيل *abstersorium*: nam ei fini serviisse hoc linteum sequentia ostendunt. ¶ Διέζωσεν ἑαυτόν. *præcinxit se*] *Lumbos suos*, ut loquuntur Hebræi & hic Syrus. Is habitus ministrantium, quo expeditiores essent. Lucæ XVII. 8. περιζωσάμενος διακόνει [*præcinge te & ministra*]. Et Latinis ministri & popæ *succincti* vocantur. Verbum διαζώννυσθαι [*præcingi*] bis hoc loco legitur & infra XXI. 7. Est & apud Lucianum.

5. Βάλλει ὕδωρ εἰς τὸν νιπτῆρα, *mittit aquam in pelvim*] Nihil ministerii omittit. *Aquam infundit pollubro*, sumtam scilicet ex hydriis illis quæ pro more adstabant. Vide quæ diximus ad caput II. supra. ¶ Ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, *cœpit lavare pedes Discipulorum*] Primum dicit generaliter *lotos pedes Discipulorum*, deinde specialiter narrat Petri verba. Nam ἤρξατο νίπτειν [*cœpit lavare*] nihil est aliud quam ἔνιψε [*lavit*], ut diximus Lucæ III. 8. sic Actor. I. 1. & alibi sæpe. ¶ Ἐμμάσσειν, *extergere*] Ut moris est.

6. Ἔρχεται οὖν, *Venit ergo*] Οὖν [*ergo*] hic est specialius rem enarrantis. Nec impossibile est à Petro factum initium. ¶ Σύ μου νίπτεις τοὺς πόδας; *tu mihi lavas pedes?*] Tu Dei Filius, *meos* peccatoris? Vide Matth. XVI. 16. & Lucæ V. 8. & confer Matth. III. 14. ubi oppositio non dissimilis. νίπτεις [*lavas*], id est, *vin lavare?* Sicut λιθάζετε [*lapidatis*] supra X. 32.

7. Ὃ ἐγὼ ποιῶ, σὺ οὐκ οἶδας ἄρτι, *quod ego facio, tu nescis modo*] *Nondum capis quid agam*, id est, quo tendat quod ago. ¶ Γνώσῃ δὲ μετὰ ταῦτα. *scies autem postea*] Nempe cum in Apostolica functione & in simili sedulitate purgabis quod sordium in Christianis restabit. Vide Lucæ XXII. 32. & adde 1 Pet. II. 1.

8. Οὐ μὴ νίψῃς τοὺς πόδας μου εἰς τὸν αἰῶνα. *Non lavabis mihi pedes in æternum*] Nunquam hoc patiar. Sic supra X. 28. & alibi. Est autem hoc profectum ex animo quidem reverente, sed non satis attendente ad id quod Christus dicebat & innuebat. ¶ Ἐὰν μὴ νίψω σε, *si non lavero te*,] Mos Christi est à rebus quæ adspiciuntur ad sensum sublimiorem adscendere. *Nisi te lavero*, id est, Nili & sermone & Spiritu eluero quod in te restat minus puri, puta nimiam de te ipso Existimationem, Matth. XXVI. 33. Indiligentiam, ibidem 40. Iracundiam, 51. Formidinem, 70. 74. quas sordes quomodo purgaverit in Petro Christus, videre est dictis locis. Sed & quotquot apud Johannem sequuntur sermones ad hanc lotionem pertinent. Vide Matth. III. 11. ¶ Οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ. *non habebis partem mecum*,] *Non eris particeps meorum bonorum.* Sic hæc locutio sumitur Deut. XIV.

27. xvii. 1. & alibi. Ut Christi coheredes simus, non sufficit à vitiis gravioribus animum avertisse, nisi & gressus nostros quotidie reddamus à terrenis contagiis purgatiores.

9. Αλλὰ καὶ τὰς χεῖρας καὶ τὴν κεφαλήν. *sed & manus & caput*] Id est, totum me; sicut *manuum* & *pedum* vocibus totum corpus significari diximus supra xi. 44.

10. Ο λελουμένος, *qui lotus est*] Id est, Qui semel in animum induxit Euangelio obsequi. Ita hoc explicatur ab ipso Christo infra xv. 3. Adde locum Actor. xv. 9. ubi Fidei tribuitur quod dicto Johannis loco cap. xv. tribuitur Euangelio, quia fermo ita demum purgat si cum fide miscetur, Hebr. iv. 2. ¶ Οὐ χρείαν ἔχει ἢ τοὺς πόδας νίψασθαι, *non indiget nisi ut pedes lavet*] Hoc tantum ei opus est ut ab iis se purget quæ ex occasione agnascuntur. Similitudo sumta ab his qui a balneo nudis pedibus abeunt. Scriptor De ablutione pedum in operibus Cypriani, *Supra diximus semel totos baptismate, eodem lavacro ulterius non egere: Sed hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum, & jugis retractatio usque ad novissima veniens omnia debet opera & cogitatus singulos perscrutari, & affectum per vitia discurrentes, vagam instabilemque animam per insania evehentes corrigere & lavare; nec quicquam in hac vita praetermittere indiscussum quod gemitibus & suspiriis non fuerit expiatum.* *Pedes* Philoni significant τὰς ἐκβάσεις τῶν ἀρεσκόντων [*incessus in ea quæ placent*] Alleg. ii. Deum Moses tertio interpretatur pedes τὴν περὶ τὸν βίον διέξοδον [*ambulationem hujus vitæ*]. Cyrillus libro contra Julianum nono, Εἰος τῇ βιοτευούσῃ γραφῇ τὸν τοῦ ποδὸς βάσιν, καὶ ὅλον δοὺ ὅτε τὸν πόδα δέχεσθαι πρὸς ἀπόδειξιν αἰνιγματωδῶς τῆς ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πρακτέων ὁδοῦ [*Mos est Sacræ Scripturæ vestigium pedis, totumque interdum pedem ponere in occulta significatione viæ circa singula quæ agenda*]. Confer legem Levit. viii. 24. ¶ Αλλ' οὐ πᾶς καθαρὸς ὅλος. *sed est mundus totus*] Nempe cætero corpore, exceptis pedibus: nam universalitas restringitur ex superiori sermone, ut 1 Cor. xv. 27. ¶ Καὶ ὑμεῖς καθαροί ἐστε, *& vos mundi estis*] Animi propositi: τὸ πνεῦμα πρόθυμον [*Spiritus promtus*] Matth. xxvi. 41. quæ καθαρὰ καρδία [*cor purum*] 2 Tim. ii. 22. ¶ Αλλ' οὐχὶ πάντες. *sed non omnes*] Conscientiam Judæ vellicat, qui proposito ipso animi erat impurus, retinens intra se malorum facinorum consilia.

12. Ανακεισθαι πάλιν, *cum recubuisset*] Ad cœnam justam sive domesticam, quam finivit instituto Passionis suæ Sacramento. ¶ Γινώσκετε τί πεποίηκα ὑμῖν; *Scitis quid fecerim vobis?*] An quale hoc sit satis animadvertitis? Agit de humilitate ministerii: nam mysticum sensum non nisi post acceptum Spiritum erant intellecturi.

13. Φωνεῖτέ με, Ο διδάσκαλος, *vocatis me, Magister*] Sic apud Horatium *Poeta salutor*: Φωνεῖν [*vocare*] idem hic est quod *nominare*: & est hic μίμησις [*imitatio sermonis alieni*] qualis Jerem. xxii. 18. Nam Apostoli quoties inter se agebant de Christo dicebant, *Dominus hoc dixit*; *Magister hoc fecit*: רבי מרא [*Magister meus, Dominus meus*] sæpe apud Hebræos. ¶ Καλῶς λέγετε· *bene dicitis*] Nihil mihi alienum per adulationem adscribitis: *Magister* sum docendo, *Dominus* redimendo.

14. Εἰ οὖν ἐγὼ ἔνιψα ὑμῶν τοὺς πόδας, *Si ergo ego lavi pedes vestros*] Si ego tanto vobis superior non recusavi hoc vile ministerium subire in gratiam vestri qui tanto inferiores estis. Vide Matth. xi. 29. ¶ Αλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας. *alter alterius lavare pedes*] Multo magis vos qui conservi estis, debetis similia officia deferre, τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγεμένοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν, [*per humilitatem alii alios arbitrantes se superiores*] Philip. ii. 3.

15. Τύπον, *Exemplum*] *Exemplum imitandum.* Sic Jac. v. 10. ¶ Καθὼς ἐγὼ ἐποίησα, *quemadmodum ego feci*] In genere actus; quomodo sæpe hæc vox sumitur. In quibusdam Ecclesiis etiam ipsa actus species in sacramentum præcepti retenta est, ut Mediolani usque ad Ambrosii tempora.

16. Αμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *Amen, amen dico vobis*] Quia Apostoli futuri erant principes Ecclesiæ & muneris auctoritate & donorum eminentia, ideo eos munit contra superbium quæ eminentiam comitari solet, & ostendit quo sublimiores erunt eo magis ipsorum fore officii ut se aliorum usibus submittant. Vide quæ ad Matth. xx. 26. & Lucæ xxii. 26. & quæ ibi dicta. ¶ Οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ, *non est servus major domino suo*] Tritum proverbium, Matth. x. 24. infra xv. 20. Repetit tacite quod dixerat, Se ipsorum esse Dominum ipsorum confessione; quare non debere eos quantumvis in loco excellente positos se indignum ducere quod ipse non detrectasset. ¶ Οὐδὲ ἀπόστολος μείζων τοῦ πέμψαντος αὐτόν. *neque Legatus major eo qui misit eum*] Ἀπόστολος hic non specialis muneris sed generale nomen est, *missum cum mandatis* significans, ut Heb. iii. 1. Philip. ii. 25. Sic Hebræum שלח vertitur 1 Reg. xiv. 6. Quod autem modo dixerat *magistrum*, nunc dicit *mittentem*, quia in hoc eos instituerat ut eorum opera uterentur.

17. Εἰ ταῦτα οἴδατε, *Si hæc scitis*] *Si hæc creditis verè.* Sic supra iv. 25. & alibi. ¶ Μακάριοί ἐστε ἐὰν ποιῆτε αὐτά. *beati eritis si feceritis ea*] Quia fides non operosa nocet magis quam prodest, Jac. ii. 17.

18. Οὐ περὶ πάντων ὑμῶν λέγω. *Non de omnibus vobis dico*] *Non de omnibus tam bene sperq.* ¶ Ἐγὼ οἶδα οὓς ἐξελεξάμην· *ego scio quos elegerim*] *Novi eos intime, quos mihi in comites delegi.* Hæc enim electio Christo adscribitur; ea quæ est ad fidem, Patri. Sic ἐκλέγειν [*eligere*] usurpatur Lucæ vi. 13. infra xv. 16, 19. Actor. i. 2. Quasi dicat, Et tunc cum eum Apostolum feci scivi esse levem, & nunc scio esse perfidum. Vide supra vi. 64. ¶ Αλλ' ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· *sed ut adimpleatur Scriptura*] Ελλειψις [*defectus locutionis*]. Commode hoc accidit, ut iterum & quidem eminentius fiat, quod olim sibi ab Achitophele factum est conquestus David: nam de eo Psalm. xli. & Psalm. lv. interpretantur Hebræi & nominatim Chaldæus Paraphrastes. Tacite simul vaticinatur Judæ similem fore exitum qualis Achitophelis fuerat. ¶ Ο τρώγων μετ' ἐμοῦ τον ἄρτον, *Qui manducat mecum panem*] *Quem mensæ meæ participem feceram:* quod etiam apud Gentes sacrum amicitiæ signum, 1 Cor. v. 11. Vide & Marc. xiv. 18. ¶ Επῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ. *levavit contra me calcaneum suum*] Pro ἐπῆρε [*levasse*] hic in Hebræo est גדל quod est *magnifice usurpavit.* Sensus ergo est, *pedè sublimis me pressit atque calcavit:* id enim rectius quam ut ad cursores aut luctatores alludi dicatur.

19. Απ' ἄρτι λέγω ὑμῖν πρὸ τοῦ γενέσθαι, *Amodo dico vobis priusquam fiat*] Ex cogitationum & rerum futurarum conscium me ostendo. ¶ Ἵνα ὅταν γένηται, πιστεύητε ὅτι ἐγώ εἰμι. *ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum*] Nempe is cujus typum gessit David. Nisi dixissem, poterat ubi evenisset hoc vos offendere. At nunc tanto magis confirmari debetis. Nam *credere* hic, de augmento fidei accipiendum, ut supra ii. 11. & alibi sæpe.

20. Ο λαμβάνων ἐάν τινα πέμψω, *qui accipit si quem misero*] Offendit ministeria ipsis injuncta non caritura suis solatiis. Nam velle Deum vicissim, ut Christiani Apostolis omnia officia exhibeant, quæ ipse large sit remuneraturus. Vide Matth. x. 41. ἐάν τινα hic est *quemcunque*, ut Actor. ix. 2. & alibi. ¶ Εμὲ λαμβάνει· *me accipit*] Perinde mihi gratum facit ac si me in hospitium reciperet. Vide Matthæi xxv. 40. ¶ Ο δὲ ἐμὲ λαμβάνων, λαμβάνει τον πέμψαντά με, *qui autem me accipit, accipit eum qui me misit*] Quod mihi præstatur, id Pater sibi præstitum interpretatur, Matth. dicto loco x. 41.

21. Εταράχθη τῷ πνεύματι, *turbatus est Spiritu*] *Animo commotus est* & periculi consideratione & sceleris horrore. Vide supra xi. 33. ¶ Καὶ ἐμαρτύρησε, *& protestatus est*] Palam professus, quod dixerat rectius, fore ut ab uno Discipulorum proderetur. μαρτυρεῖν [*protestari* aut *testimonium perhibere*] solet absolute poni ubi aliquid respicitur quod præcessit, ut diximus supra xii. 17.

22. Εβλεπον ἐν, *Aspiciebant ergo*] Perculsi rei atrocitate vix credibili animis probis mihimeque suspicacibus.

23. Εν τῷ κόλπῳ τοῦ Ιησοῦ, *in sinu Jesu*] *In sinu*, Plinius; *Complexus gremio* dixit Apulejus. ¶ Ον ἠγάπα ὁ Ιησοῦς. *quem diligebat Jesus*] *Quem familiarius cæteris Jesus diligebat.* Hac modesta circumlocutione se designare solet Johannes, ut infra xix. 26.

24. Νεύει οὖν τούτῳ, *Innuit ergo huic*] Innuit ei ut interrogaret. Sic νεύειν δίκαια [*justa innuunt*] in Græco Prov. iv. 25. Cupit autem hoc Petrus, tum ut innoxii extra suspicionem sint, tum ut sibi caveant ab impuro.

25. Επεσεν δὲ ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ στῆθος, *Cum recubuisset ille supra pectus*] Propius se ad autem admovens.

26. Ω ἐγὼ βάψας τὸ ψωμίον ἐπιδώσω, *cui ego intinctum panem dedero*] Επιδώσω pro δώσω [*dedero*], ut Matth. vii. 9, 10. Luc. iv. 17. xxiv. 30. Act. xv. 30. Ostendit Christus summam suam lenitatem, qui nunc etiam perfidiosum amoris quodam testimonio ad resipiscentiam provocat. ¶ Ἐμβάψας τὸ ψωμίον, *cum intinxisset panem*] Non εἰς τὰ πικρίδας [*in herbas amaras*], quæ erant jam sublatæ cum cœna rituali. Sed in jusculum cœnæ domesticæ: pro Hebraïco, Jud. vi. 19, 20. Ruth iii. 4.

-7.

27. Τότε εἰσῆλθεν εἰς ἐκεῖνον ὁ Σατανᾶς. *tunc introivit in eum Satanas*] Sic & Lucas de Juda loquitur xxii. 3. Intelligendum hic εἰσῆλθε, *penitus intravit*, quod dicitur Actor. v. 3. ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν [*implevit Satanas cor*], ubi nihil amplius est quod resistat, lumine rectæ rationis paulatim extincto. ¶ Λέγει οὖν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, *Dixit ergo ei Jesus*] Cum ne sic quidem eum flecti videret sed magis magisque obdurescere. ¶ Ὃ ποιεῖς, *Quod facis*] *Quod facturus es*, ut supra 6. ¶ Ποίησον τάχιον. *fac citius*] Est hoc proverbiale, *Fac quod facis* in Latino epigrammate; Senecæ, *Fac si quid facis*; Plauto in Trinummo, *Age si quid agis*: idem Persa, *Hoc, si facturus, face*: δρᾶ γ' εἴ τι δράσεις [*hoc fac quod es facturus*] apud Euripidem Iphigenia in Aulide. Significat autem, Non impedio, ferre paratus sum. Sic n Matth. vii. 30 τίνα μένετε; [*quem exspectatis*]? nec longe aliter supra ii. 19. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον· τάχιον [*citius*] pro *cito*, comparativum pro positivo, ut *ocius* Latine.

28. Οὐδεὶς ἔγνω τῶν ἀνακειμένων πρὸς τί εἶπεν αὐτῷ. *nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei*] Nemo vim illorum verborum intellexit, ne Johannes quidem: neque enim existimabat tam prope esse facinus.

29. Τινὲς γὰρ ἐδόκουν, *Quidam enim putabant*] Alii quam Johannes. ¶ Ἐπεὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχεν, *quia loculos habebat*] Supra xii. 6. ¶ Ἀγόρασον ὧν χρείαν ἔχομεν εἰς τὴν ἑορτήν· *Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum*] Victimas. Quanquam enim Christus Paschaticam cenam aliquo modo anticiparat, ut dictum est ad Matthæum, suspicabantur tamen aliam quamvis causam potius quam quod tam cito, ante sequentem vesperam scilicet, esset moriturus. ¶ Τοῖς πτωχοῖς ἵνα τι δῷ. *egenis ut aliquid daret*] Ἵνα [*ut*] postpositum, ut Rom. xi. 31.

30. Ἐξῆλθεν· ἦν δὲ νύξ. *exivit: erat autem nox*] Initium noctis: nam qui sequuntur sermones in multam noctem protracti. Vide quæ ad Matthæum. ¶ Ὅτε ἐξῆλθε, *cum exiret*] Ita habent & cum superioribus connectunt Græci codices longe plurimi & Syrus: nam qui habent ὅτε οὖν ἐξῆλθε [*cum ergo exiret*] non alii sunt quam qui toti facti sunt ad Latinum exemplar.

31. Νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *Nunc clarificatus est Filius hominis*] Satis jam apparuit per hæc documenta & opera, quibus jam finis imponendus est, me a Deo missum, etiam ipso judicio latentis proditoris. Vide supra xii. 28. & viii. 54. ¶ Καὶ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ. *& Deus clarificatus est in eo*] *Per ipsum*: quia & documenta ad verum Dei cultum excitant, & opera ipsa sua Jesus Deo auctori perpetuo adscripserat. Vide vii. 18.

32. Εἰ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ, *Si Deus clarificatus est in eo*] Εἰ [*Si*] pro *quandoquidem*. Sic Matth. xxii. 45. & alibi. Utitur axiomate noto inter Hebræos, quod exstat 1 Sam. ii. 30. ubi in Græco Deus sic loquitur, τοὺς δοξάζοντάς με δοξάσω [*quicunque glorificaverit me, glorificabo eum*]. ¶ Καὶ ὁ Θεὸς δοξάσει αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ, *& Deus clarificabit eum in semetipso*] Non per Angelos sed *per seipsum*, per signa in sole & terra, per resuscitationem a mortuis, evectionem in cœlum, & donationem nominis supra omne nomen. Vide dictum locum xii. 28. ¶ Καὶ εὐθὺς δοξάσει αὐτόν. *& continuo clarificabit eum*] Statim in ipso mortis puncto incipiet ei testimonium reddere, ita ut qui adspiciant dicturi sint, *Hic vere Filius Dei est*: neque in morte eum relinquet nisi per pauxillo tempore.

33. Τεκνία, *Filioli*] Christus in morte sua illud reperiebat tristissimum quod gravissime mœrore suos esset affectura; itaque omnia illis solatia adhibet, etiam verborum blandimenta, quale hoc τεκνία [*filioli*]. Sic Gal. iv. 19. 1 Johan. ii. 1, 12. 28. iii. 7, 18. iv. 4. v. 21. ¶ Ἔτι μικρὸν μεθ' ὑμῶν εἰμι. *adhuc modicum vobiscum sum*] Nempe quotidiana hac præsentia: nam post resurrectionem adfuit tantum οἰκονομικῶς [*dispensative*]. Sic supra vii. 33. xii. 35. infra xvi. 10. ¶ Ζητήσετέ με, *quæretis me*] *Si forte quæratis me postea*: ut exposuimus supra vii. 34. ¶ Καὶ καθὼς εἶπον τοῖς Ἰουδαίοις· *& sicut dixi Judæis*] Dicto loco vii. 34. ¶ Καὶ ὑμῖν λέγω ἄρτι. *& vobis dico modo*] Locus est inaccessus: non potestis eo venire ulla humana ope.

34. Ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, *Mandatum novum do vobis*] Ut solent abeuntes mandata suis dare. *Novum* autem dicit, quia non agit de dilectione communi omnium, nec de ea quæ ob consanguinitatem aut beneficia accepta impenditur, sed de speciali Christianorum inter se qua tales sunt. Itaque infra hoc *suum* quasi proprium sibi mandatum vocat xv. 12. *Diligamus invicem, sicut ipse dedit mandatum*, 1 Johann. iii. 23. Huc illud spectat Apostoli 1 Thessal. iv. 9. αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους. [*ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem*]. Hieronymus Commentario ad Epistolam Johannis, *Johannes Apostolus a fratribus admonitus cur semper inculcaret dicens, Filioli diligite alterutrum, respondit, Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* Ubi *Domini præceptum* vocat, quia, ut jam diximus, ejus proprium est ac peculiare: & *solum sufficit*, quia si hæc ut oportet, non potest non ex Dei amore proficisci, cum nostri amor inde nos retrahat. ¶ Ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους· *ut diligatis invicem*] Ut fratres, ut condiscipulos. ¶ Καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. *sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem*] Exponit qualem dilectionem requirat, nempe ut non tantum in rebus hujus vitæ alii alios nobis præferamus, 1 Corinth. x. 24. verum etiam ut pro aliorum salute æterna nulla incommoda desugiamus, ne mortem quidem. Hæc enim est illa Christi dilectio qua nos dilexit, infra xv. 13. Quare, *quia ipse animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus nostris animas ponere*, 1 Johann. iii. 16.

35. Ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis*] Discipuli Legisperitorum ex receptis quibusdam sententiis & interpretationibus Legis noscebantur, Pharisæorum ex habitu & cæremoniis, Johannis Baptistæ ex vitæ austeritate & jejuniis: at discipuli Christi quo cognoscentur, nisi imitatione Magistri, id est, mutua dilectione? Hac nota insignis fuit illa primorum temporum Ecclesia, cum *esset credentium cor unum & anima una*, Actor. iv. 32. Tertullianus Apologetico, *Sed ejusmodi vel maxima dilectionis operatio nobis notam inurit apud quosdam. Vide, inquunt, ut invicem se diligant; ipsi enim invicem oderunt: & ut pro alterutro mori parati sint; ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores erunt.* Mox, *Itaque quia animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores.* Minutius, *Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus: Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis omnes, ut consortes fidei, ut spei coheredes.* Quid nunc illi dicerent Christiani si nostra viderent tempora, si, non dicam lites asperrimas, sed sævissima bella Christianorum inter se, & quas ob reculas? Si notas Ecclesiæ audirent magnis certantium clamoribus adferri omnes potius quam illam quam Magister assignavit? ¶ Ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις. *si dilectionem habueritis ad invicem*] Id est, *inter vos*. Sic Marci ix. 50. εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις [*pacem habete inter vos*].

36. Πᾶ ὑπάγεις; *quo vadis*]? Existimavit Petrus Dominum iter parare in locos longinquos, plenum incommodis. ¶ Ὅπου ὑπάγω, οὐ δύνασαί μοι νῦν ἀκολουθῆσαι, *Quo ego vado, non potes me modo sequi*] Tecte indicat Christus nondum illi sat esse animi, ut mortem subeat, per quam iter sit in cœlum. ¶ Ὕστερον δὲ ἀκολουθήσεις μοι. *sequeris autem postea*] Spiritu firmatus. Vide infra xxi. 18. ὕστερον, *tandem, aliquando*, ut hic vertit Syrus.

37. Διατί οὐ δύναμαί σοι ἀκολουθῆσαι ἄρτι; *quare non possum te sequi modo*]? Quid impedit? putasne ulla iteris molestia me terreri? ¶ Τὴν ψυχήν μου ὑπὲρ σοῦ θήσω. *animam meam pro te ponam*] Si opus sit, etiam mortis discrimini me pro tuo capite objiciam. De hac phrasi diximus x. 11. & sequentibus.

38. Τὴν ψυχήν σου ὑπὲρ ἐμοῦ θήσεις; *Animam tuam pro me pones*]? Itane vero? nihil tam grave est quod non pro me sis subiturus? Hoc ita pronunciatur ut inde intelligi possit, minime eum qui interrogat, id credere. ¶ Οὐ μὴ ἀλέκτωρ φωνήσει, *non cantabit gallus*.] Cantu illo notiore & qui κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] *gallicinium* dicitur. ¶ Ἕως οὗ ἀπαρνήσῃ με τρίς. *donec ter me neges*] Id est, *prius ter negabis me tibi cognitum quam gallus cantet*. Johannes & Lucas hoc narrant ut in domo dictum: quare credibile est apud Matthæum & Marcum esse ἐπάνοδον [*retrogressionem*], ut τότε [*tunc*] sit *circa illud tempus*, quomodo ad Matthæum notavimus.

CAP. XIV.

VALLA.

1. *Creditis in Deum, & in me credite*] Græce non est distincta vox *creditis* & *credite*, sed eadem, πιστεύετε, ut potius transferendum, *Si autem creditis in Deum, & in me creditis:* aut, *Credite in Deum, & in me credite.* Nam si per indicativum & imperativum licet hoc efferre, quid causæ est cur non sic transferamus, *Credite in Deum, & in me creditis?*

2, 3. *Si quo minus, dixissem vobis, Quia vado parare vobis locum*] Inepte translatum, & idcirco inepta sententia. Ad verbum sic transferretur, *Sin autem non:* Poterat etiam transferri, *Sin minus*, vel *alioqui dixissem vobis.* Et hic finitur sententia: post hæc alia sententia incipit, *Vado parare vobis locum.* Nam illud *quia* Græce non legitur, εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν, πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. Melius eadem verba transtulit postea Interpres, *Alioqui propter opera ipsa credite*, αἰ δὲ μή, v 11.

9. *Qui videt me, videt & Patrem*] Legendum est per præteritum, *Qui vidit me, vidit & Patrem*, ὁ ἑωρακώς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα.

11. *Non creditis mihi quia ego in Patre, & Pater in me est?*] Aliter Græce legitur, *Credite mihi quia ego*, πιστεύετέ μοι. Philippo per interrogationem responsum est vers. 10. *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* οὐ πιστεύεις ὅτι.

12. *Majora horum faciet*] Genitivum Græcum per oblivionem reliquit Interpres, cum deberet transferre per ablativum, quo Græci carent.

17. *Quia non vidit eum*] In præsenti legendum est, *quia non videt eum*, ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτό. ¶ *Quia apud vos manebit*] Gr. *manet*, μένει.

24. *Et sermonem quem audistis non est meus*] Non possum adduci ut credam Interpretem eo licentiæ perveniſſe ut quod in Virgilio vix toleratur, dicente,

Urbem quam statuo, vestra est,

ipse sibi permitteret dicere. Nam illud in Psalmo 118. 22. quod apud Matthæum 21. 42. reperitur, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, & nonnihil diversum est, & ita Græce legitur: de quo genere sermonis alio in loco disputavimus. Astipulatur opinioni meæ quod aliquot vetustos codices legi in quibus scriptum est *sermo* non *sermonem*; ut Græce habetur, καὶ ὁ λόγος.

26. *Paracletus autem, Spiritus sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*] *Paracletus* substantivum est, nec dicitur *Spiritus Paracletus*, duo substantiva, cum præsertim sit neutri generis Græce πνεῦμα, *Paracletus* παράκλητος masculini. Ideoque ego transtulissem, *Paracletus autem Sanctus Spiritus*, quasi, *Paracletus autem*, id est, *Spiritus Sanctus.* Est enim *Paracletus* peculiare nomen Spiritus S. etsi scribi non potest Latine, & contra usum nostræ linguæ in antepenultima habet accentum cum penultima ejus sit longa, ut sit in *Agapitus* & *Eleison*, ἀγαπητός, ἐλέησον. *Suggeret* vix implet Græcum sensum, ὑπομνήσει, quod est *in memoriam rediget*, vel *subjiciet.* Neque dicit *quæcunque dixero vobis* (non enim locuturus est cum Apostolis Jesus multa, adventante obitu) sed *quæcunque dixi vobis.* Nec est *quæcunque*, sed *quæ: πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν.*

28. *Si amaretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*] Ὅτι εἶπον ὑμῖν, Πορεύομαι. Jam non semel dixi illud *utique* surpervacuum esse.

REVIUS in VALLAM.

1. Πιστεύετε) Trajectum erat. ¶ *Nam si per indicativum*] Ultimæ editionis auctor pro *si* posuerat *sic*, à mendosa interpunctione, quam correxi, in errorem inductus. ¶ *Et in me creditis*] Videatur Beza.

2. *Finitur sententia*] Hoc fugillat Erasmus; & *dixissem vobis* connectit cum sequentibus, hoc sensu, *dixissem me jam abire ad parandas eas mansiones.* Idem invenire est apud Hieronymum l. 2. adv. Jovinianum, *Dicerem, inquit, vobis, quia vado, & præparabo vobis locum, si non mansiones multæ essent apud Patrem.* Ita & Augustinus tract. 68. in Joan. *si quo minus, dixissem, Vado parare:* & mox, *si quo minus enim essent, dixisset, Vado parare.* Quod ita explicat ut dicat mansiones *jam præparatas esse in prædestinatione, si quo minus, dixisset,* IBO ET PRÆPARABO, *id est, prædestinabo: sed quia nondum sunt in operatione, cum adjicere, Et si abiero & præparavero vobis locum*, &c. Ita ergo hæc posteriora verba cum illis conciliat: nam illic putat negare Christum se præparaturum eis mansiones: i. prædestinaturum ipsos ad salutem; in his vero sequentibus videt affirmare Christum se eas paraturum: id autem fieri ait, *vocando eos, & mansionibus parando mansores.* Chrysostomus eandem distinctionem habet, & explicat, ὅτι ὠφ ἓν εἰκεῖν ὅτι ἑτοιμάσας ἔξεται. Sequitur eum, ut solet, Theophylactus: item Nonnus,

Πολλαὶ δ' ὑψιμέδοντος ἐμῇ κατὰ δῶμα τοκῆος
Εἰσὶ μονὴ ςειχηδὸν ὁμόζυγες· εὐρυτενὴς δὲ
Εἰ μὴ τηλυμέλαθρος ἐμὴ τέλε πάνδοκος αὐλὴ,
Τμῆν καί κεν ἔειπον ὅτι προπέλευθος ὁδεύσω
Ὀφρά κεν ἐντύνω πολυχανδέος ἔνδιον αὐλῆς,
Ἄξιον ὑμέιον νεοτευχέι χῶρον ὀφείνων.

Sed recte defendit Vallam, & veram lectionem stabilit Beza.

24. *Sermo*, non *sermonem*] Ita & Augustinus legit, ut Erasmus observat.

26. *In antepenultima habet accentum*] Vide Erasmum.

28. *Quia vado ad Patrem*, ὅτι εἶπον ὑμῖν, Πορεύομαι] Græca docent aliquid hic deesse, tale videlicet, *In Græco est*, quia dixi vobis, Vado ad Patrem.

ERASMUS.

1. ET ait discipulis suis] Hæc in vetustis cod. non addebantur, ac ne in Græcis quidem omnibus. Adjecta videntur ab erudito quopiam ad concinnandam sermonis seriem. ¶ *Creditis in Deum*] Utrobique anceps est verbum πιστεύετε, πιστεύετε, an sit *creditis* an *credite.* Unde quadrifariam legi potest: *Creditis in Deum, & in me creditis:* atque ita legisse videtur ex interpretatione sua Chrysostomus, quasi fides quam habebant in Deum & in Dei Filium Jesum illis abunde præsidio esset futura adversus persecutionum procellas. Aut sic, *Credite in Deum, & in me credite:* ut utrumque jubeat fieri ne turbentur: ad hunc modum citat Hilarius De Trin. l. 9. Tertio modo sic, *Creditis in Deum, & in me credite:* ut sit sensus, *Creditis in Deum*, ut Judæi; *credite in me*, ut istis Christiani. Quarto sic, *Credite in Deum, & in me creditis:* ut sit sensus, *Credite in Deum, quod si facitis, eadem opera in me quoque creditis.* Cyrillus interpretatur utrumque verbum imperandi modo. Hoc tamen loco significantius erat, *confidite*, sive *fiduciam habete, in me.*

2. *Si quo minus*] Εἰ δὲ μὴ *sin minus*, vel *alioqui.*

3. *Quia vado parare*] *Quia* ὅτι non est in quibusdam Gr. cod. quanquam superflue additur nisi sit causalis conjunctio. Ergo hic etiamsi aderat, non erat vertenda, sed tantum, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt: quod si secus esset, dixissem vobis, Vado parare vobis locum*, sive, *Quod eo paraturus vobis locum.* Cæterum haud assentior hac in parte Laurentio volenti, *alioqui dixissem vobis*, finem esse prioris sententiæ, deinde alteram subjici, *Vado parare vobis locum.* Nam omnino cohærent hæc duo; cum hic sensus sit, *In domo Patris mei jam paratæ sunt multæ mansiones, ut non mihi uni sed omnibus item meis sit locus. Quod si secus esset, dixissem me jam abire ad parandas eas mansiones: nunc nihil opus, cum paratæ sint, & vos brevi secuturos exspectent. Porro quod abeo ad breve tempus absuturus, non ob id abeo ut parem mansiones, quæ jam paratæ sunt, sed ut viam in cælum mea morte vobis aperiam. Nam ante invium erat iter.* Quod autem dicit, *iterum venio* pro *veniam*, aut reditus celeritatem indicat, aut certam promissi fidem.

6. *Ego sum via, veritas, & vita*] Annotandum singulis horum nominum apponi articulum, ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωή· ut intelligamus non quamlibet Viam, aut Veritatem, aut Vitam, sed veram illam & unicam.

7. *Et Patrem meum utique cognovissetis*] Ἐγνώκειτε ἄν. Recte vertit ἄν in *utique*, quod alias vertit in *forsitan*; cum hoc sit Confirmantis, illud Addubitantis. ¶ *Et amodo cognoscetis*] Γινώσκετε *cognoscitis*, suffragantibus & antiquis exempl. ut verbum indicativi modi præsentis temporis; consentiente & interpretatione Cyrilli & Augustini, si quis expendat. Atque *amodo*, quod Græcis est ἀπ' ἄρτι, jam semel atque iterum posuit pro *nunc.* Evidentius itaque vertisset, *& jam nunc cognoscitis eum.* Ita Cyrillus.

9. *Et*

9. *Et non cognoviſtis*] Ἔγνωκάς *cognoviſti me*, Philippe: ſic enim legit Chryſoſtomus: ut Philippus ſit hujus orationis occaſio, & huic uni dicatur, *Non cognoviſti me?* Neque ſecus legit Hilarius De Trinitate l. 7. Nam ſequitur, *Non credis:* mox ſubjicitur, *non creditis*, mutato numero. Et D. Auguſtinus annotavit hic commutatum eſſe numerum, cum prius ſolus Philippus eſſet objurgatus. ¶ *Qui vidit me*] Ὁ ἑωρακώς ἐμέ, ἑώρακε τὸν πατέρα, *Qui vidit me, vidit Patrem.* Nec additur apud Græcos conjunctio: & utrumque verbum præt. temporis eſt. Aſtipulantur omnibus Græcorum codicibus quædam vetuſta Latinorum exemplaria, ac nominatim omnium vetuſtiſſimum ex bibliotheca D. Pauli apud Londinum.

10. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?*] Ad hunc ſane modum legit Auguſtinus. Verum Cyrillus & Chryſoſtomus non addunt ὅ, quod paulo ante Philippum objurgarit per hujuſmodi interrogationem. Cæterum omnibus jubet ut credant, *Creditequod ego in Patre*, &c.

11. *Alioqui propter opera*] Εἰ δὲ μή. Quod modo tranſtulit, *ſi quo minus*, hic tolerabiliter vertit *alioqui*, h. e Etiamſi alias non creditis, vel ipſis commoti factis credite: id quod propemodum non eſt *credere.* Neque enim proprie *credimus* quod videmus, ſed *experimur* potius.

12. *Et majora horum*] Καὶ μείζονα τούτων *majora his.* Sed Interpres per oblivionem reliquit Græcum genitivum, cum nihil eſſet opus.

13. *Et quodcunque petieritis Patrem*] *Patrem* non additur nec in Græcis, nec in antiquis exemplaribus, nec apud Auguſtinum interpretem, qui cum inter diſſerendum toties repetat eadem verba, nullam *Patris* facit mentionem, niſi occaſione illorum verborum, *ut glorificetur Pater in Filio.* Nec vertendum erat *quodcunque*, ſed *quicquid*, ὅ, τι ἄν, ſive, ut alii legunt, ὃ ἐάν. Ac mox non eſt eadem dictio Græca, ſed ἐάν τι, *Si quid petieritis.* In nonnullis etiam vetuſtis exempl. habebatur, *quodcunque petieritis me in nomine meo.* Atque id pronomen additum reperi in editione Aldina cum adornarem tertiam editionem. Cyrillus ac Theophylactus non addunt; & commodius omittitur. Chriſtus enim ubique autoritatem defert Patri, ipſe tectius indicat Divinam naturam ſuam, cum pollicetur ſe præſtaturum quicquid à Patre peterent in nomine Filii. Erat enim Advocatus, cui nihil negabat Pater.

16. *Et alium Paraclitum*] Jam illud notius eſt quam ut ſit admonendum, *Paracletum* per *e* ſcribendum in penultima, eamque producendam, cum Græce ſit παράκλητος per ητα. At hoc loco commodius erat vertere *Conſolatorem* aut *Advocatum*, ne quis duos Paracletos imaginaretur. Nam quod hactenus locutus eſt, conſolandi gratia locutus eſt. Ita Paracletus erat Chriſtus. Pollicetur autem *ſeſe & alterum miſſurum Conſolatorem*, nempe *Spiritum veritatis.* Paulus Chriſtum appellat *Advocatum noſtrum apud Deum:* & idem de Spiritu ſcribit, quod *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

17. *Quia non vidit eum*] Οὐ θεωρεῖ *non videt*, præſentis temporis, quemadmodum eſt in emendatioribus etiam Latinis. ¶ *Apud nos manebit*] *Manet*, μένει· niſi mutato accentu legimus μενεῖ.

18. *Non relinquam vos orphanos*] *Orphanos* Græca vox eſt, ſed tamen Latinis uſurpata. Etymologiam quam adferunt Græci non libet aſcribere, quod mihi videatur ineptior. Sonat autem ORPHANUS *orbum parentibus ac deſtitutum præſidiis amicorum.*

19. *Vos autem videbitis*] Θεωρεῖτε *videtis*; conſentientibus & antiquis exemplaribus.

21. *Et manifeſtabo ei meipſum*] Ἐμφανίσω, quod magis ſignificat *tacite & clam indicare.* Unde & ἐμφυσᾶν dicta, quod tacitam habet vim. Idque magis congruit cum afflatu quo ſe Deus inſinuat in animos ſuorum.

22. *Domine, quid factum eſt*] Τί γέγονεν *quid accidit.* Sermo proverbialis eſt de re nova ſubitaque. Quanquam *Quid factum eſt?* in eundem ſenſum dixit Martialis,

Quid factum eſt, rogo, quid repente factum?

24. *Et ſermonem quem audiſtis non eſt meus*] Non ſine cauſa miratur Valla quid Interpreti venerit in mentem, qui hoc ſermonis genus affectarit in oratione ſoluta, quod vix toleratur apud Poetas in carmine, præſertim cum Græcis non ſit *ſermonem*, ſed *ſermo*, ὁ λόγος. Certe D. Auguſtinus legit, *ſermo quem audiſtis*, non *ſermonem quem audiſtis.* Unde plane ſuſpicor hunc locum ſcriptoris errore fuiſſe mutatum. Nec eſt *audiſtis* apud Græcos, ſed ἀκούετε, *auditis*, licet reclamantibus exempl. noſtris. Nam ex Chryſoſtomi interpretatione quid legerit non quibat colligi. Certe Theophylactus legit *auditis.* Idem legiſſe Cyrillum indicat quod enarrans ait, *Qui enim per me priſcis locutus eſt, is etiam nunc ad vos hæc per me loquitur.* Etiamſi facilis eſt lapſus in ἀκούετε & ἀκούσατε. Proinde ſuper hac re non cenſeo digladiandum, præſertim cum ſenſus ferme manet idem.

26. *Paracletus autem, Spiritus ſanctus*] Duriuſcule cohærent duo nomina ſubſtantiva, præſertim cum prius ſit maſculini generis, poſterius neutri, ὁ παράκλητος, & τὸ πνεῦμα. Proinde commodius reddidiſſet ad hunc modum, *Cæterum Paracletus ille, qui eſt Spiritus Sanctus, quem Spiritum miſſurus eſt Pater in nomine meo.* Adduntur enim Græcis utrobique articuli, ὁ & τό. Et articulus poſtpoſitivus *quem* Græcis non poteſt referri niſi ad *Spiritum:* eſt enim ὅ, non ὃν. Porro quod accentus hujus dictionis *Paracletus* offendit Vallam, poteſt nonnullum injicere ſcrupulum quibuſdam ſuperſtitioſis verius quam religioſis, qui cardinem, imo puppim ſimul ac proram, quod ajunt, Chriſtianæ pietatis in hoc conſiſtere putant, ſi rite ac legitime perſolverint preces illas quas vocant Horarias. Ad quod quidem præſtandum cum alia requiruntur innumera, tum illud in primis, ut verba ſingula plene & articulate proferantur. At qui *Paraclitum* penultima correpta ſonant, quotieſquoties id faciunt, Deum ſi non una ſyllaba certe uno fraudant tempore; quandoquidem juxta Grammaticorum leges ſyllabæ longæ bina ſunt tempora, brevi unicum. Neque vero ſunt audiendi qui dicere ſolent, *Minuta res eſt ſyllabæ tempuſculum*, cum magis ſpectandum ſit quem fraudes quam quantulo fraudes. Quanquam ut & horum cauſam nonnihil, quoad licet, adjuvem, video veteres Latinos in uſurpandis Græcanicis vocibus ſyllabæ quantitatem juxta rationem accentus Latini commutaſſe: id quod in *idolo* facit Prudentius, vir quovis etiam ſeculo inter doctos numerandus. Cæterum illud non paulo durius, quod in Κύριε, ἐλέησον, quæ verba toties quotidie repetunt, Divinas aures duabus fraudant ſyllabis, ex *Domino* triſyllabo diſſyllabum, & ex *miſerere* quadrupede tripedem reddentes. Jam vero cum id flagitii ſingulis diebus fortaſſe centies aliquando committatur, ſi quis rationem ſubducat quadraginta aut quinquaginta annorum, & in ſummam redigat, non video ſatis fore ſi quis ſolidum annum nihil aliud iteret quam Κύριε, ἐλέησον, idque ſeptem diſtinctis ſyllabis. Nam par eſt, opinor, Deo reſtitui, ſi quid illum fraudavimus; quandoquidem ſexcentis legibus cavetur ut homini reponat homo, ſi vel nummulus ſuberactus fuerit. Etenim ſi ſacrilegium eſt paulum auri tollere de ſacro, quanto gravius ſacrilegium eſt ipſum omnis Autorem ſacri te longe ſacratiſſima fraudare? Jam vero non ſacrilegum modo verum etiam contumelioſum ac blaſphemum videtur, quod aſſidue ex *Chriſto Chriſtum* faciunt, nec alio vocabulo Regem ſuum compellant quam quo galeæ aut galli *criſtas* eſſent compellaturi. An hanc contumeliam laturus ſit Chriſtus Maximus Optimus, ſi tam moroſus eſſet quam ipſi ſunt in alios ſuperſtitioſi, aut tam iniquus erga homines Deus quam ipſi iniqui ſunt homines in hominem? Non auderes apud Regem homuncionem verba facienſ pro *Ferdinando Perdinandum* dicere, neque pro *Philippo*, *Pilippum*, & non vereris in arcanis illis ſacris, ubi netas eſt vel jota depravare, dicere *Criſta* pro *Chriſte?* Ut ne quid interim caviller de accentu ab ultima perperam in primam tranſlato ſyllabam. Cum tantum habeat ea res momenti ut ſubita metamorphoſi ex *Via* facias *Cantiunculam*, ſi pro ὅμως pronuncies ὁμῶς, aut ex *Portu Mantle*, ſi pro ὄμμος ὀμμές, aut ex opulenta Civitate *pigrum* hominem, ſi pro Ἄργος dicas ἀργός. Neque vero convenit eos hæc ut jocoſa ridere qui aliis in rebus his aliquanto levioribus tam Judaice ſunt anxii. Verum ego quidem iſtos, ne cui videar durior, lubens excuſarim à culpa, duntaxat capitali, quamdiu per imprudentiam errarunt. Cæterum poſteaquam moniti ſunt amanter ab iis qui hiſce in rebus ſapiunt, cum eadem opera poſſint recte pronunciare qua perperam pronunciarunt, ſi poſtea perſtiterint in male ſolitis, & rejecta ſpretaque doctiorum admonitione ſcientes jam errare pergant, non video ſane quo pacto queant à gravi crimine excuſari. Neque enim iſtis ſuffragabitur ſimiliter errantium turba. Siquidem Deus Judex ut non corrumpitur ita nec opprimitur. Jam vero quid dicendum arbitramur de iis qui cum plus quinquaginta annis tam periculoſe errarint, & errarint non in his ſolum, admoniti non ſolum non reſipiſcunt ac monitori gratias agunt, verum etiam Sardonio quodam riſu exſibilant atque explodunt, pro hoſte ducunt bene merentem, convitiis inſectantur, hæreticum clamitant. Et tamen dictu mirum, qui hic tam fortes ſunt, quam ſint infirmi, aut certe videri velint, in iis quæ ipſi ſibi perſuaſerunt. Nos ſuperbos vocant ſi quid tale vel amice per occaſionem admoneamus: ipſi ſancti ac modeſti ſibi videntur, qui malunt in confeſſo errore perſiſtere ne quid ignoraſſe

raſſe videantur, ac prius habent fratrem bene merentem vel hæreſeos labe aſpergere quam ſuum agnoſcere lapſum. Atqui ab iſtis libenter exegerim, ſi quoties inciderit in canone Miſſæ, pro *Pater* pronunciaret aliquis *Phater*, pro *Filium Pilium*, num laturi ſint? Non, opinor: imo verberibus citius exigerent *Patrem* & *Filium*. Atqui tolle aſſuetudinem, per ſe gravius etiam eſt ex CHRISTO *criſtum* facere, ex KYRIE ELEESON *Kyrgheleiſon*, & in tam paucis dictionibus tot modis peccare ut plura ſint errata quam ſyllabæ. Quoniam autem ludus literarius ſemper ad Eccleſiæ curam pertinuit, providendum erat & illud, ut pueri germanam ac veram Latini ſermonis pronunciationem imbiberent, quandoquidem ita viſum eſt Patribus ut in templis non niſi Latine peragantur ſacra. Nunc hujus rei tanta eſt negligentia ut Italus Germanum Latine pronunciantem non intelligat, nec Germanus Gallum, imo nec Inferioris Germaniæ qui ſit intelligat Superioris Germaniæ ſermonem, adeo tota pronunciatio petitur non ex Grammaticæ regulis, ſed ex vulgi conſuetudine. Quod idem accidit apud Græcos, apud quos idem ſonant ι, η, υ, οι, ει, ut nec diſcrimen eſt inter ο & ω. Et poſt accentum acutum ſæpe brevis videtur quæ longa eſt, ut τετελείωται· rurſus idem accentus ſæpe facit videri longam quæ brevis eſt, ut θεολόγος. Atqui olim etiam populus exſibilabat hiſtrionem ſi ſyllabam longam ſaltaſſet brevem. Hæc omnia reſtituere difficillimum fuerit: quædam tamen ex vulgata pronunciatione reſtitui poſſunt. Apud Gallos adhuc audias diphthongum *ai* & *ai*, *ou* & *eu*, in *faide*, *faîte*, *fulgure*, ſeu *pulvere*, & *duo*: itidem in lingua noſtra, Hollandicam dico, in *fæno*, *tenaci*, *fene*, *mendacio*. Quin & quantitatis manifeſtum habent diſcrimen, quoties vocalem ſequitur conſonans. Eam cum volunt ſignificare longam, nec accentus id poteſt indicare, aut duplicem ſcribunt vocalem, aut addita vocali ſcribunt diphthongum. Græci μῆς ſonant acutam & brevem, at Hollandi pronunciant longam & circumflexam, quemadmodum arbitror veteres pronunciaſſe, quaſi diphthongo dicant μωῆς. Item cum *album* dicunt, ſonant *i* breve; cum *latum*, *i* longum; cum *ſolutum* dicunt, ſonant *o* breve & acutum; cum *callidum*, ſonant *o* longum & circumflexum. Id imitari facillimum eſſet in dictionibus quæ deſinunt in conſonantem; ut in καλὸς & καλῶς, ut *o* ſonetur quaſi geminum *oo*. Hoc diſcrimen obſcurius fiet in mediis ſyllabis, & tamen hic quoque ſervari poterit, ut *malum* pro *improbo* primam habeat acutam & brevem, *malum* pro *pomi* genere eandem habeat longam & circumflexam, q. d. *maálum*. Et quemadmodum nos diſtinguimus accentu & productione ſyllabæ *certum* à *ſapiente*, ita diſtingui poteſt Latine *vis* & *lis* à *bis*; ſimiliter *fex* & *lex* à *nex*. Galli quemadmodum acuunt omnes ultimas, ita producunt. *Jeſus* bene ſonant, ſed *animus* aut *Chriſtus* non bene. Verum in his labentibus publica omnium conſuetudo utcunque patrocinatur. In hoc tamen admonui, ut literatores paulatim emendent quod depravavit uſus. In *paracletus*, *idolis* & ſimilibus inique ſibi ignoſcunt, qui tam moroſi ſunt in alios, ſi quid forte ſecus pronunciarint quam ipſi, etiam ſi id rectius fuerit. Atque hæc obiter admonui non meo ſtomacho conſulens, qui ne tantulum quidem alienis erroribus ſoleam commoveri, ſed ipſorum conſulens ſaluti. Etenim ſi ſuperbum eſt non ferre male errantem in rebus Divinis, multo ſuperbiſſimum eſt in iiſdem non ferre bene monentem. Nunc ad id quod inſtituimus ſeſe referat animus, ſed ſi prius unum illud admonuerimus, in vocibus Græcis à nobis receptis ut ſimplicius ac facilius eſt ita rectius quoque eſſe ſi Latinum ſequamur accentum, propterea quod Græcus accentus pro ejus linguæ legibus ſubinde migret alio, velut Ἰάκωβος, Ἰακώβου, Latius non item. Itaque qui nominandi caſu ſonet *Paracletus* ſecunda acuta, recte quidem pronunciet juxta Græcos; verum ſi idem faciat in paterno dandique caſu, jam neque Græce pronunciabit neque Latine. ¶ *Et ſuggeret vobis*] Ὑπομνήσει *commoneſaciet*, ſive *ſubmonebit*, ut magis ad verbum exprimam. Duo poſuit, διδάξει *docebit*, & *commoneſaciet*. *Docemur* quæ neſciebamus, *commonemur* eorum quæ jam exciderant. ¶ *Omnia quæcunque dixero vobis*] Græcis eſt εἶπον *dixi*, aut certe *dixerim*: nam *dixero* futuri temporis eſt.

27. *Pacem relinquo*] Annotavit hoc Auguſtinus, quod in priore particula non additur *meam*, in ſecunda additur. Id quoniam ad lectionis integritatem attinet, viſum eſt admonere, ne quis ſcriba depravet. ¶ *Neque formidet*] Δειλιάτω. Quod proprie eſt *ob ignaviam refugere & detrectare periculum, animoque pavido eſſe.*

28. *Vado, & venio ad vos*] Ὑπάγω, καὶ ἔρχομαι, *Abeo, & venturus ſum ad vos*, h. e. *Diſcedo mox rediturus*: etiamſi poſterius verbum ambiguum eſt. ¶ *Gauderetis utique*] Offenditur Laurentius quod ἂν verterit *utique*, quod ea conjunctio ſit expletiva: quanquam ne hæ quidem omnino nullum habent uſum. ¶ *Quia Pater major me eſt*] Secundum Hilarium *Pater major eſt Filio auctoritate*, h. e. *ratione principii, quia à Patre Filius, non contra:* quam interpretationem probat & Cyrillus in Theſauro lib. 2. Quod autem Hilarius dicit, *Patrem eſſe majorem Filio, Filium tamen non eſſe minorem*, intelligendum eſt Patrem eſſe principium Filii, qui natura tamen ſit æqualis Patri, eo quod eadem ſit natura Patris & Filii. In Divinis Perſonis ordo quidem eſt, inæqualitas non eſt; quemadmodum diſtinctio eſt, diverſitas nulla eſt.

30. *Venit enim princeps*] Ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων, *venit enim ille hujus mundi princeps*, ob articulum appoſitum, ut Diabolum intelligamus. Additum eſt etiam pronomen τούτου, ne mundum univerſum intelligamus. Quanquam Cyrillus enarrans non addit *hujus*. Deinde ἔρχεται poteſt eſſe *veniet* fut. temporis, propter inſtantem paſſionem & accuſationem. Hieronymus in Commentariis Oſeæ citat *veniet*. Certe præt. temporis eſſe non poteſt.

VATABLUS.

1. CReditis] *Credite:* i. Pergite in Patrem & in me credere. Exhortatio eſt, q. d. Inſtat tempus in quo oportebit vos teſtari fidem veſtram in Patrem & me; prodite ergo illam ſine metu.

2. *Si quo minus*] *Sin minus; alioqui.* ¶ *Vado parare*] Quibuſdam eſt hic principium alterius ſententiæ.

3. *Si*] *Ubi, poſtquam.* ¶ *Venio*] Præſ. pro fut. *veniam.* ¶ *Sum*] *Ero:* ſub. *tunc.*

6. *Veritas*] i. Is quem Deus olim promiſerat, per quem mundo daturus eſt vitam.

7. *Amodo*] Vel, *nunc*, aut, *abhinc*, ſive, *ex hoc tempore.* ¶ *Cognoſcetis*] Præſ. pro fut. poſthac cognoſcetis & videbitis accepto Sp. Sancto.

9. *Cognoviſtis*] *Cognoviſti*, Vet. ¶ *Videt me, videt*] *Vidit me, vidit.* ¶ *Quomodo**] * *Et.*

10. *Creditis*] *Credis*, Vet. ¶ *A meipſo non loquor*] q. d. Illa ſolus non loquor. ¶ *Facit*] Sub. *mecum.*

11. *Non creditis*] *Non credite.* ¶ *Ego in Patre, & Pater in me eſt*] i. Quod ego & Pater unum ſumus. ¶ *Credite**] * *Mihi.*

12. *Horum*] *His.* ¶ *Ad Patrem*] Sub. *à quo impetrabo credenti omnem agendi facultatem.*

13. *In nomine meo*] i. Propter me.

16. *Paracletum*] *Conſolatorem*, vel, *Advocatum*; & infra.

17. *Spiritum veritatis*] i. Spiritum qui veritatem docet, & ab omni mendacio alienus eſt. ¶ *Non videt eum*] Hebr. pro, *non avet eum noſſe.* ¶ *Scit*] *Cognoſcit.* ¶ *Cognoſcatis*] *Cognoſcitis*, Vet. ¶ *Manebit*] *Manet.*

19. *Adhuc modicum*] *Intra quam modicum: parum adhuc ſupereſt, cum*, &c. ¶ *Videt*] *Videbit:* præſ. pro fut. ¶ *Videtis*] *Videbitis.* ¶ *In illo die*] Sub. *cum reſurrexero.*

20. *Quia ego ſum in Patre meo*] i. Quod non ſeparer à Patre meo.

21. *Habet*] i. Dilexit. ¶ *Manifeſtabo ei meipſum*] *Inſinuabo* [ſub. *me eſſe Meſſiam*].

23. *Sermonem quem audiſtis*] *Sermo quem audistis.*

25. *Paracletus autem**] * *Ille.* ¶ *Suggeret*, vel, *ſubmonebit vos omnium quæ dixi:* vel, *revocabit vobis in memoriam.*

26. *Pacem*] i. Benevolentiam meam & amorem meum non auferam vobis.

27. *Vado & venio*] *Abeo & redibo.*

30. *Mundus*] i. Electi qui in mundo ſunt. ¶ *Et*] Videtur redundare more Hebraico: ut ſit ſenſus, Ego in mundo hoc loquor vobiſcum, & hæc facio ut appareat quod diligam Patrem: niſi ad *eamus* referatur, ſic, *Eamus ad ſupplicium ut cognoſcat*, &c.

CLARIUS.

1. NON turbetur cor veſtrum: creditis in Deum, & in me credite] Hæc non tam erant profutura Diſcipulis nocte illa qua omnium obliti terga dederunt, quam ſecutis temporibus, & poſteritati omni. Declarat autem nunc ſuam Divinam & æqualem cum Patre naturam. Fidendum ergo docet, quod tametſi corporea hac ejus conſuetudine eſſent deſtituendi

ſtituendi, ſua tamen ſe Divinitate nunquam eos deſerturum. Neque exiſtimetis, inquit, me diſcedente actum eſſe de veſtra omnium ſpe & ingentibus illis promiſſis. Non ita eſt; ſed parata ſunt veſtra habitacula apud Patrem, ubi manſiones non deſunt copioſæ: quod ſi non eſſet, ego in hac profectione mea dixiſſem quod is qui profecturus ad accipiendam Regni alicujus poſſeſſionem domeſticis atque amicis diceret, *Non à vobis recedo, ſed eo ut præparem vobis locum; quem cum profectus paravero, iterum veniam, & accipiam vos apud me.*

4. *Et quo vado ſcitis, & viam ſcitis*] Sciebant, ſed ſcire ſe ignorabant: ſciebant enim Chriſtum, qui erat Via. Quod ergo ait, *& viam ſcitis*, intelige *per quam ipſi eſſem ingreſſuri:* idcirco cum dixiſſet, *Ego ſum via, veritas, & vita*, adjecit, *Nemo venit ad Patrem niſi per me.*

6. *Ego ſum via, & veritas, & vita*] Omnia hæc in Græco cum articulo ſcribuntur: *Illa*, inquit, *Via ſum* qua recta ingrediamini, né à ſcopo aberretis: *Veritas ſum*, qui certiſſime quæcunque ſum pollicitus præſtabo: *Vita*, qui perpetuo ea quæ præſtitero conſervabo. Me ſequendo non errabitis, mihi fidendo non eſtis fruſtrandi veſtra ſpe, & quæ ſperatis erunt immortalia. In his tribus verbis ſecuros eos ab omni metu reddit. Et cum adjicit, *nemo venit ad Patrem niſi per me*, aperit non ſolum quo eat (id quod quærebat Thomas) verum etiam viam qua alii accedere eodem poſſint. Deinde oſtendit cur Patrem, ad quem vadit, non norint, quem tamen agnoſcunt dum Filium norunt.

10. *Verba quæ ego loquor vobis*] h. e. Ex ipſis verbis meis cernere poteſtis Patrem: nam hæc ejus verba ſunt. Profecto enim hæc Euangelica præcepta non potuerunt niſi ab ipſa Divinitate eſſe profecta.

12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio*] Evidentem, inquit, vobis relinquam meæ Divinitatis ſignificationem, quod credentes in me eadem Divina opera facient: atque ut certior hujus rei fiat declaratio, efficiam ut ipſi majora etiam faciant quam ego unquam facere voluerim.

19. *Vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos vivetis*] Cernitur enim Chriſtus animi magis oculis quam corporis: qui ergo ſcit Chriſtum vivere, & victuros eos qui in eum credunt, is videt Chriſtum.

22. *Quid factum eſt quod manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?*] Videtur hoc interrogaſſe propterea quod, cum Regnum Chriſti exiſtimarent declarandum mundo, nunc in illis Domini verbis hæſitaverint quibus dixit *ſe illis duntaxat manifeſtaturum ſeipſum.* Dominus autem continuando ſermonem indicat quo id pacto ſit faciendum, & eo nunc modo uſus eſt in hac reſponſione quo & erga Petrum alibi, cum interrogaſſet *num illas parabolas propter ſe diceret, an etiam propter omnes.*

26. *Quem mittet Pater in nomine meo*] Ut me clarificet. Ille ergo commonefaciet vos omnium quæ dixi vobis: & quæ nunc minus intelligere poteſtis, ipſe ea vobis faciet apertiora.

27. *Non quemodo mundus dat, ego do vobis*] h. e. Cum *pacis* nomen audiris, ne opinemini pacem illam quæ una à mundo agnoſcitur, in ſumma harum rerum & copia & ſecuritate, ſed illam pacem quæ ſuperat omnem mentem, quæ in mediis mortibus auferri ne tum quidem à vobis poterit.

28. *Quia Pater major me eſt*] Audi quo modo & hunc locum contra hæreticos interpretetur Theologus Nazianzenus; *Si Major*, inquit, *tantum diceretur, & non etiam Æqualis, fortaſſe hoc eſſet eis aliquid: at ſi utraque manifeſte inveniuntur, quid iſti generoſi dicturi ſunt? quo pacto jungentur, quæ copulam non admittunt? Ut enim eadem res eodem modo & major & æqualis ſit, eſt impoſſibile. An non manifeſtum eſt illud* MAJOR *pertinere ad Cauſam*, ÆQUALIS *vero ad Naturam?* & poſt paulo, *Nam dicere illud* MAJOR *ratione naturæ humanæ eſſe intelligendum, verum id quidem eſt, ſed non magnum: quid enim mirum ſi major eſt Homine Deus?* Hæc ille. Quod autem ait debere *eos gaudere quod eat ad Patrem*, &c. videtur ob hoc dictum, quod proficiſcente in cœlum Domino, intellecturi apertius eſſent myſteria illa Divinitatis, & nativitatis Filii à Patre, & unitatis Filii cum Patre, & cætera hujus generis.

30. *Venit enim princeps mundi hujus*] Et hoc eſt quod alibi legis, *receſſiſſe diabolum à Domino uſque ad tempus.* Perſcrutatus eſt Diabolus nunquid inveniret in Domino: quid ergo nobis fiet?

31. *Sed ut cognoſcat mundus*] Eamus, inquit, ad opus jam inſtitutum, ut appareat quantum diligam Patrem & quam ei ſim obediens.

ZEGERUS.

1. ET *ait diſcipulis ſuis*] Hæc verba ante illud, *Non turbetur*, cum nec in Græcis reperiantur veruſtioribus, nec in Latinis nonnullis, item veruſtis, ut ſunt quatuor exempl. Gemblacenſia, ſed nec apud veteres explanatores, conſentaneum eſt adjecta eſſe ad continuandam ſermonis ſeriem. ¶ *Creditis in Deum, & in me credite*] Cum apud Græcos eadem vox πιστεύετε bis repetita anceps ſit ad indicativum & imperativum; varie ſumi poſſet hic locus: Verum ipſe orationis tenor magis poſtulat ut vel primo loco indicandi modo poſita accipiatur, altero imperandi, vel utrobique indicandi. Poterit quoque prior clauſula percontative legi, *Creditis in Deum? Haud dubium quin ita. Credite ergo & in me.* Et *credere* hoc loco proprie *fidere* eſt ſeu *fiduciam habere.*

2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*] Quod ad conſequentiæ rationem attinet, oſtendit Apoſtolos hoc nomine Deo fidere debere quod in domo Patris ſui variæ ſint paratæ manſiones. A transfugis ſumpta metaphora, quibus magno ſolatio eſt habere varia aſyla ad quæ confugere poſſint. Ita Apoſtolis ſuis Dominus varia promittit in imminentibus perſecutionibus ac tribulationibus confugia, ſive præſentem vitam ſpectes ſive futuram. ¶ *Si quo minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum*] *In domo*, inquit, *Patris mei multæ ſunt manſiones*, quæ vos ex hujus mundi tumultibus excipiant reddantque ſecuros. *Quod ſi ſecus eſſet*, id olim *indicaſſem vobis, quandoquidem* nunc tempus adeſt quo *abiturus ſum ut præparem vobis locum* viamque aperiam qua ad eaſdem manſiones pervenire poſſitis. Sunt qui & aliter hunc locum edifferant; verum iſtuc viſum eſt magis accedere ad verba Euangelica. Nihilominus mihi ſane haud diſplicuerit ſi juxta Græcos quoſdam codices omittentes *quia*, ab eo loco, *Vado parare vobis locum*, novum faciamus orationis caput, nili Latinorum obſtaret conſenſus.

3. *Et ſi abiero & præparavero vobis locum*] *Si abiero* aut Hebraica phraſi pro *Certe ac vere abiturus ſum* poſitum eſt, aut (quod etiam ſenſus ipſe expoſtulare videtur) pro *Poſtquam abiero ac præparavero vobis locum, iterum veniam, & aſſumam vos ad meipſum.*

9. *Non cognoviſtis me*] Cum præcedat *vobiſcum* plurale; aptius eſt *cognoviſtis* quam *cognoviſti.* Mecum facit Irenæus, Hilarius, Auguſtinus, & alii fere omnes, contra Græcos. ¶ *Qui videt me, videt & Patrem*] h. e. *Qui me novit atque intelligit, novit intelligitque & Patrem.* Ne arbitreris perperam nobis legi, *Qui videt me, videt & Patrem*, cum hodie Græcis legatur, *qui vidit me, vidit Patrem.* Scito noſtram lectionem reperiri apud Auguſtinum, Hilarium l. 7. De Trin. Irenæum l. 3. c. 13. Chryſoſtomum & Cyrillum (ſi horum fidimus interpretibus) uti magis crediderim aut Græca depravata, aut certe per temporis hypallagen Hebræis familiarem, præteritum poſitum vice præſentis: ut ſileam interim de copula. Gemblacenſium codicum duo *videt*, reliqua duo *vidit* habent.

10, 11. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt*] Secundo loco hoc Græci citra negationem ſic legunt, πιστεύετέ μοι, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, &c. quod Cyrillus imperative accipit. Poteſt tamen & percontative legi. Auguſtinus nobiſcum facit: Chryſoſtomus, Cyrillus, & Theophylactus pro Græca ſcriptura: excepto μοι, quod non legunt; etiamſi in Theophylacto additum ſit in contextu, ſed non in commento.

13. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo*] *Patrem* non inveni in cod. Gemblacenſibus, nec in Enerbodienſi; ut alios ſileam: idque juxta Græcos, Auguſtinum, & Cyrillum, ſi commentum inſpicias. Paulo etiam inferius ſupereſt *me.*

17. *Quia non videt eum*] Oculis mentis ſcilicet.

19. *Vos autem videtis me*] Per Metaſtaſin ita dictum puto pro *videbitis me.*

24. *Sermonem quem audiſtis non eſt meus*] Excuſari forte poteſt hæc loquendi forma, Latinis auribus (ut nonnulli autumant) inaudita, quod eandem & Virgilius ibi permiſerit Æneid. 1. dum ait,

Urbem quam ſtatuo veſtra eſt.

& ſimiliter fere Terentius in Andria, dum ait,

Quas credo eſſe has, non ſunt veræ nuptiæ.

idque ex imitatione Græcorum, apud quos ſcribitur Pſal. 118. 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Denique hæc loquendi forma uſque adeo recepta eſt ut ipſam Chryſoſtomi atque Cyrilli interpretes non

ſint aſpernati, propterea, ni fallor, quod Græce itidem legerent, *καὶ τὸν λόγον ὃν ἠκούετε*, *al. ἀκούετε*· in quo per Antiptoſin caſus pro caſu poſitus intelligi poteſt. Apud Auguſtinum invenio, *Sermo quem audiſtis.*

26. *Paracletus autem*] Per *e* lego in vetuſtiſſimo codice Elſtenſi. Alias in eodem codice etiam per *i* lego, *Paraclitus*, cujus ſecunda acuitur accentu eoque in pronunciando producitur, tertia autem gravatur, ſed producitur quantitate, ſicuti fit in *agapitus* & *eleiſon*, ἀγαπητός, ἐλέησον. Hac de re vide Eraſmum in Apologia adverſus Pariſienſes. *Paracletus* etiam habebat unus codex Gemblacenſis.

28. *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt*] Si nolle vis gaudii cauſam, Remigro, inquit, ab hujus mundi calamitatibus ad Patris mei conſortium, depoſitaque corporis hujus corruptibilitate, ob quam Patre ſum factus inferior, ad ipſius jam regredior æqualitatem.

31. *Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem*, &c.] Pendet ſententia ab eo quod in fine capitis adjungitur, *ſurgite, eamus hinc. Eamus*, inquit, ad opus jam inſtitutum, *quo manifeſtum ſit quam diligam Patrem, quamque illi ſim obaudire paratus.* Cæteri tamen ſecus diſtinguunt, & ſubindicant hic aliquid ſubaudiendum, nempe, *Sed moriar*, aut *interficiar, ut cognoſcat*, &c.

H. STEPHANUS.

1. Πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, *καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε*] *Creditis in Deum, etiam in me credite.*

2. *Moval*] *Habitationes.* ¶ Εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν] *Ac niſi ita eſſet, dixiſſem vobis.*

3. Πάλιν ἔρχομαι] *Rurſum veniam.*

16. Παράκλητον] *Conſolatorem.*

19. Ἔτι μικρὸν καὶ ὁ κόσμος με οὐκ ἔτι θεωρεῖ] *Brevi deſinet mundus me conſpicere.*

21. Ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν] *Manifeſtum me faciam ei.*

26. Ὑπομνήσει] *In memoriam revocabit.*

DRUSIUS.

6. Nemo venit ad Patrem niſi per me] Judæi licet יחיד, quam יהוה vocant, irrideant, tamen crebrum hoc in eorum libris, *Deus & Divinitas ejus. Divinitatem* autem שכינה vocant. Manahem in Pentateuchum, 135. 2. *Non licet venire ante Regem extollendum & laudandum abſque* השכינה *Divinitate. Cui firmando*, EGO IN JUSTITIA VIDEBO FACIEM TUAM, *h. e. in Chriſto, qui eſt juſtitia noſtra.* Dicunt etiam, *Deus & domus judicii ejus*, per *Deum* ſive יחיד Patrem, per *domum judicii ejus* reliquas Perſonas intelligentes. Nam de Angelis intelligi commode non poteſt, niſi dixerimus Deum, cum crearet hominem, in conſilium adhibuiſſe Angelos, quod plane abſurdum mihi videtur. Angeli enim non creatores, ſed creaturæ fuerunt itidem ut homines. Ergo, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, Angelis non fuit dictum. Quippe Homo non eſt creatus ad imaginem ullius creaturæ, ſed ſolius Creatoris, i. Dei. Judicent docti.

16. *Paracletum*] Syrus hac voce uſus fuit. Utuntur etiam Judæi pro *advocato*, ut lib. Juchaſin, 138. 2. *Paracletus Judæorum*; & *paracletus Samaritanorum*: ubi non *conſolatorem* ſignificat, ſed *advocatum* aut *patronum.* Res eſt, non conjectura. In lib. Muſar, *R. Eleazar F. Jacobi dicit, Qui facit præceptum unum, comparat ſibi paracletum unum.* R. Juda libri autor, מ' סלין מה שליח בעד. Senſus eſt, *Advocatum unum, qui ejus cauſam defendit in judicio.* Verbum è verbo, *oratorem bonum qui dicit pro eo.* Sumptum ex libro Aboth, cap. Benzoma. Hinc David de Pomariis, סניגוריס *procurator, rhetor.* Moſes Ægyptius ita deſcribit, האיש המדבר לפני המושב, *qui alicujus cauſſas agit coram Rege.* Videndus nunc Baal Aruch, è quo diſces inveniri hanc dictionem & in Thalmud & in Thargum quoque. Job. 16. 20. in Thargum מתורגמניי *παράκλητοί μου*, *advocati mei.* In fonte, מליצי *oratores*, aut *rhetores mei.*

18. *Veniam ad vos*] *Iterum veniam*, aut *redibo.* Hic aliqua quædam notanda: primum, ἔρχομαι *venio* pro ἐλεύσομαι *veniam*; deinde, ἐλεύσομαι *veniam* pro ἐπανελεύσομαι, *iterum veniam*; poſtremo, הלך *eo* pro בוא *venio.* Quæ duo verba permutantur inter ſe. Nam & *eo* pro *venio* poſitum invenitur Gen. 11. 3. ונלכה *venite faciamus lateres*: & contra *venio* pro *eo* Jon. 1. 3. *invenit navem* ובא *euntem.* Hinc lucem accipiet illud v. 28. *Vado, & venio ad vos.* Quod alius interpretatur, *Abeo, & redibo ad vos*: optime & rectiſſime.

CASAUBONUS.

2. Εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν] Theophylactus & Paraphraſtes hæc cum ſequentibus connectunt; quorum interpretationem minus probo.

3. Καὶ ἐὰν πορευθῶ] Doctiſſimus ac fideliſſimus interpres vertit, *& cum profectus fuero*: quam verſionem qui non probant, legant Nonni paraphraſin: Neque enim aliter ille accepit, ut ex his verbis apparet,

Καὶ μετὰ θάνατον ὁδὸς ἑτοιμοτάτη μελέθω.

quæ hanc ſententiam continent, *Et poſtquam factum à me fuerit ut domus Patris parata ſit.* Ergo ἐὰν interpretatur μετά. Et ſimili ratione infra 16. 21. quod aixerat Johannes ὅταν δὲ γένηται interpretatur

. . . ἢν δὲ λοχείσῃ.

unde eſt manifeſtiſſimum aliquando ἐὰν ſive ἢν idem cum ὅταν ſignificare. Quare non eſt quod dubitet quiſquam de fideliſſima hujus loci interpretatione.

9. Τοσοῦτον χρόνον] Interrogationis nota poſt vocem Φίλιππε debuit annotari, hoc modo, Τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι, καὶ οὐκ ἔγνωκάς με, Φίλιππε; Ὁ ἑωρακὼς, &c. Sic legunt Nonnus, Theophylactus, & Baſilius Adv. Eunomium l. 1. Tertullianus quoque Adverſus Praxeam ſic locum profert, *Et Dominus, Philippe, tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me?* Videtur autem Nonnus legiſſe quæ ſequuntur hoc modo, Ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα· ἢ πιστεύεις ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι; καὶ πῶς σὺ λέγεις, Δεῖξον ἡμῖν.

17. Ὑμεῖς δὲ γινώσκετε αὐτό] Vetus interpres & Nonnus γινώσεσθε legunt. ¶ Ὅτι παρ' ὑμῖν μένει] Vetus interpres & Nonnus legunt μενεῖ.

23. Καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν] Nonnus interpretatur εἰς αὐτὸν & παρ' αὐτῷ ſimili ratione ἐν αὐτῷ. Contra Act. 6. 40. εἰσῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν manifeſtiſſime pro εἰσῆλθον πρὸς Λυδίαν vel εἰς οἶκον Λυδίας.

CAMERON.

16. Ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν] Doctiſſimus Interpres Spiritum S. ideo παράκλητον à Chriſto dici contendit quod ſit Deprecator & Advocatus noſter apud Deum. Et quidem prior ejus ratio hæc eſt, Quod παράκλητος Græca lingua *Advocatus* eſt Latine: poſterior vero, Quod Rom. 8. 26. iſte Spiritus dicitur *ὑπερεντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν intercedere pro nobis.* Sed prior illa non eſt tanti. Nam παράκλητος vox eſt Attica, qua, ut ille ipſe vir magnus obſervavit, ſignificantur illi quos in periculo acciſimus ut nobis adſint conſilio, (qui iidem *Advocati* propterea dicuntur Latine) etiamſi non litigent in foro noſtro nomine. Itaque παράκλητος lingua Græca & *Advocatus* Latina non ſignificat proprie *Deprecatorem*, ſed eum cujus conſilium requirimus in re difficili. Verum quidem illud eſt, quod per accidens idem Advocatus & Deprecator eſt, quomodo Chriſtus Dominus noſter dicitur παράκλητος *Deprecator* 1 Johan. 2. 1. Poſterior vero ratio non eſt magni momenti: nam Rom. 8. 26. Spiritus dicitur *intercedere pro nobis*, non quod ipſa Spiritus S. Perſona immediate intercedat, ſed quia excitat in nobis affectum precandi: *intercedit per gemitus*; porro non gemit Spiritus, ſed nos gemimus. Itaque intercedit ſive deprecatur efficiendo ut gemamus & excitando in nobis precandi affectum. Quid igitur eſt hoc loco παράκλητος; Non eſt vox iſta ab Euangeliſtis adhibita quaſi alluderent ad morem & leges ſeculi, præſertim Græcorum & Latinorum: ſed vox παράκλητος uſitata fuit etiam inter Judæos: nam illi παράκλητον vocant פרקליטא, barbare quidem; ſed poſtquam Judæi diſperſi fuerunt inter Gentes, varii barbariſmi in eorum linguam irrepſerunt. Cujus vocis פרקליט vim ut melius intelligamus, ſciendum vocem Hebræam סליץ generali ſignificatione eum ſignificare *qui loquitur concinne, eleganter & accommodate.* Jam vero qui ita loquitur non docet ſimpliciter, ſed ita ut voluptate quadam diſcipulum afficiat: tum etiam qui loquitur accommodate & eleganter, facit facile id quod is cujus nomine loquitur vel non poteſt omnino vel poteſt ægre facere. Inde factum eſt ut סליץ ſit lingua Targumica ſive Chaldaica interdum סלוסא, h. e. *Doctor*, interdum מתורגמן, h. e. *Interpres*: nam Gen. 42. 23. quo loco agitur de interprete qui interceſſit inter Joſephum & fratres (nam Joſephus ſimulabat ſe neſcire Hebraice; ideo opus ei fuit interprete) uſurpatur vox סליץ hac *interpretis* ſignificatione. Interdum etiam פרקליט eadem lingua Chaldaica eſt *Conſolator*, ut Job. 16. 20. Spiritus ergo S. παράκλητος פרקליטא dicitur ſive סליץ, h. e. tum סלוסא *Doctor*, *docet* nempe *nos omnia*, v. 26. tum etiam *Conſolator*;

non

non enim nos docet ſimpliciter, ſed ita docet ut ſoletur etiam: Spiritus nempe S. ſemper ſecum gaudium affert. Atque huc reſpexiſſe vel præcipue videtur Chriſtus infra, v. 26. nam ſubdit ſtatim, *Pacem do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Nulla autem ſincera & pura eſt auditoris voluptas, præter eam quæ oritur ex veritate ſimul & dulcedine rerum earum quæ dicuntur. Sed & videtur Chriſtus Spiritum S. *Paracletum* dixiſſe eo ſenſu quo מתורגמן interdum idem eſt quod *interpres*, quia nos neſcimus neque quid loquendum ſit, neque quomodo orandum. Itaque alibi Chriſtus verat nos eſſe ſolicitos quid dicturi ſimus coram Judicibus & Magnatibus hujus ſeculi: nam pollicetur fore ut *interpretem* habeamus Spiritum, qui faciet ut ſimus diſerti, Ergo, cum hic Chriſtus Spiritum vocat παράκλητον, non notat deprecationem quandam & intercelſionem Spiritus, ſed duo illa quæ modo commemoravimus, nempe quod Spiritus edocturus eſſet Apoſtolos, & redditurus eos idoneos qui aliis reſpondeant & eos doceant. Itaque non videtur Syrus Interpres debuiſſe reprehendi à doctiſſimo viro, quod פרקלוטא ut vocem barbaram & peregrinam adhibuerit ad exprimendam vim vocis Græcæ παράκλητος, cum vox illa exſtiterit ante Syrum Interpretem, uſitata in Eccleſia Judaica. Nam non eſt credibile Chaldæum Paraphraſten vocem hanc mutuatum eſſe à Chriſtianis, quos oderat. Eſt autem uſurpata à Paraphraſte Hagiographorum Job 16. 20. qui vixit diu poſt natum Chriſtum, & hac paraphraſi teſtatur capitale odium adverſus Chriſtianos. ¶ Ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν] Μένειν in Scriptura ſingularem habet ſignificationem: notat enim Conſtantiam & penitiſſimam adhæſionem rei illius quæ dicitur manere; & tum in Malo, ut *ira Dei manens* dicitur ea quæ ita perdit ut nunquam diſperdat, & cruciat ita ut nunquam perimat; tum multo frequentius in Bono uſurpatur, ut cum Dominus hic pollicetur Diſcipulis fore ut Conſolator *maneat cum ipſis in æternum*; quod & verſu ſequenti repetit, ὅτι παρ' ὑμῖν μένει. Atque hic obſervandum eſt quod Hebr. יסף & Chald. אתר ſic uſurpantur; ut in veteri illo & celebri dicto Judæorum in Pirke Avoth cap. 3. (quod referendum eſt ad illuſtrationem hujus loci) *Duo qui ſimul ſedent, & inter eos ſunt verba Legis*, שכינה, h. e. *Spiritus Dei, eſt inter illos.* Spiritus autem *manſio* ſeu *habitatio* illis dicitur, quia Dominus in V. T. ubi agit de Spiritu ſub N. Teſt. effundendo, *Habitabo*, inquit, *in medio eorum.* Hinc factum eſt ut priſci Judæi Spiritum Dei vocarint שכינה, q. d. *habitationem.* Porro verunt ſe in omnes partes Semipelagiani Novatores, ne videatur hic locus contra ſe pugnare pro Perſeverantia fidelium. Primo dicunt *Chriſtum hoc tantum velle, Ego pro tempore tantum ad vos veni, ut brevi poſt mortem redeam ad Patrem, ſed Spiritus S. ita venturus eſt ut nunquam moriatur.* Quaſi vero quis metueret ne Spiritus S. moriatur. Contra, hoc vult Chriſtus, *Ego duntaxat ad tempus ſecundum carnem fui vobiſcum, at Spiritus meus ſemper vobis aderit:* opponit præſentiam Spiritus perpetuam præſentiæ ſuæ ſecundum carnem, quæ ad tempus tantum fuit. Reſpondent ſecundo, *Hanc promiſſionem pertinere ad ſolos Apoſtolos, ac proinde argumentum non valere.* Accipimus quod dant: Ergo Apoſtoli ſaltem perſeveraturi fuerunt. At orarunt Apoſtoli & jejunarunt, & non laxarunt habenas libidini carnis, & ſubegerunt corpus ſuum: Itaque falſum eſt quod dicunt, *Dogma de Perſeverantia inducere ſecuritatem.* Excipiunt tertio, *Fieri quidem poſſe ut ſpectet iſte locus etiam ad totam Eccleſiam; at debet*, inquiunt, *neceſſario ſubintelligi conditio, Si nimirum ſervent ejus mandata.* At, inquam, ſcriptum eſt, *fore ut hic Spiritus nos deducat in omnem veritatem:* Itaque Spiritus eſt qui facit ut ſervemus mandata: nam *deducere in omnem veritatem* eſt efficere ut ambules in omni veritate. Excipiunt quarto, *Ἵνα* UT *non ſemper ſignificare Eventum; fieri enim poſſe ut Spiritus recedat & repellatur.* At vero ſic ne promiſſio quidem Spiritus Apoſtolis facta, qualis hæc fuit, firma fuerit: fieri enim potuit ut Apoſtoli repellerent Spiritum; cum hic diſertis verbis affirment *fieri poſſe ut promiſſio iſta ad ſolos ſpectet Apoſtolos.* Omnis itaque certitudo faciendorum fundamentorum Eccleſiæ Chriſti non pendebat à Spiritu, ſed à libertate voluntatis Apoſtolorum. Itaque Spiritus non fuit definiens & determinans ſed determinatus potius, neque conſtabiliens ſed conſtabilitus. Deinde, pugnat hæc gloſſa cum ſcopo Chriſti. Nam Chriſti conſilium eſt conſolari: At miſerum mortalem & obnoxium peccato non conſolatur qui ſic compellat, *Non diſcedet à te Spiritus niſi volueris:* nam ille inde ſibi non metuit, metuit tantum à ſeipſo. Imo unica hæc eſt & ſolida conſolatio, *Non modo non diſcedet à te Spiritus niſi volueris eum abigere, ſed efficiet Spiritus ut ne id velis:* quo fundamento nituntur & preces & noſtra gratiarum actio; & preces quidem, dum id petimus; & gratiarum actio, dum pro eo impetrato Deo agimus gratias.

27. Οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσι] Verum quidem eſt quod obſervarunt viri docti, Mundum ſæpe mentiri cum dat pacem, Mundum ſæpe aggredi quantum non poteſt præſtare, cum dat pacem, etiam cum non mentitur ſed ſerio agit. Nam Mundus vel fallax eſt, vel inops conſilii & virium. Itaque qui nituntur Mundo non conſulunt ſibi: nituntur enim eo quod vel decipit fraude vel deficit imbecillitate virium. Hæc quidem veriſſima ſunt & altius infigenda animo. Sed aliud tamen videtur voluiſſe Chriſtus, atque inſpicienti propius locum liquebit hanc fuiſſe Chriſti mentem, nempe, Mundus dat pacem ut amoliatur res adverſas carni: Chriſtus non ita dat pacem; ſed pax Chriſti tum demum viget cum rebus ſecundum carnem adverſis non premimur modo ſed pene opprimimur. Conferatur cum hoc loco Phil. 4. 6, 7. & res erit manifeſta.

GUALTPERIUS.

16. Ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, *alium Conſolatorem dabu vobis*] Παράκλητος, *paracletus, conſolator.* Syrus vocem retinet Græcam פרקלוטא *paraklita*, à παρακαλέω *conſolor*, ſeu *precator intervenio, ut advocatus & patronus.* Sed παράκλητος per ω ſignificat *infamem.* Differentia igitur Etymologiæ obſervanda.

18. Οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς, *Non relinquam vos Orphanos*] Ὀρφανός, *Orphanus*, proprie *qui parentibus eſt orbatus, pupillus*, & generaliter *orbus*: ὀρφανίζω, *parente* ſeu *parentibus privo*: ὀρφανοτρόφος, *pupillorum curator, tutor*, &c.

JAC. CAPPELLUS.

1. NE *turbetur cor veſtrum* diſceſſu meo. *Creditis in Deum, etiam in me credite.* 2. *In domo Patris mei* mihi *ſum manſiones multæ*] Domum apud Patrem habeo, eamque vobis paratam eo longe luculentiſſimam, ampliſſimam, bonis omnibus inſtructiſſimam. *Sin minus*, ſi res aliter ſe haberet, imprimis ſi vobis non liceret in me credere, *dixiſſem vobis*, vos ſtatim ab initio monuiſſem, ne fiduciam in me haberetis, neve plus quam par ſit mihi tribueretis.

GROTIUS.

1. Μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία· *Non turbetur cor veſtrum*] Videbat eos commotos antecedentibus de ſua morte, de periculis, de abnegatione ſermonibus: itaque eos erigit. ¶ Πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, *creditis in Deum*] *Sicuti* à prima ætate didicitis *fiduciam collocare in Deo*, ut rerum omnium auctore ac conſervatore, ut in Pſalm. LXXVIII. 7. Nam *ſicut* hic ſubauditur ut ſupra v. 17. & infra 19. ¶ Καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. *& in me credite*] *Ita & in me* coram conſpectum notumque *fiduciam collocate*, ut Eccleſiæ auctorem ac conſervatorem: ego ipſe, adeo amans veſtri, ero adjutor veſter.

2. Μοναὶ πολλαί εἰσι· *manſiones multæ ſunt*] Non excludemini.

\- - - *Locus eſt & pluribus umbris.*

Μονὴ [*manſio*] eſt *habitandi locus*, quod ſtatim dicet τόπος [*locum*]. 1 Maccab. VII. 38. μὴ δῷς αὐτοῖς μονήν [*ne des illis manſionem*]. Multitudinem autem locorum non male veteres intelligunt cum graduum differentiis. Clemens Strom. VI. πρόβατα ἄλλης μονῆς ἀναλόγως τῆς πίστεως κατηξιωμένα [*pecudes digna habita aliis & aliis manſionibus pro fidei modo*]. Tertullianus Scorpiaco; *Quomodo multæ manſiones apud Patrem ſi non pro varietate meritorum? quomodo & ſtella à ſtella diſtabit in gloria niſi pro diverſitate radiorum?* ¶ Εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν. *ſi aliter eſſet, dixiſſem vobis*] Hic interpungit Syrus, nec dubito quin id rectum ſit: nam *ei* δὲ μὴ ſæpiſſime in his libris eſt, *ni ita eſſet.* Si locus non eſſet vobis, aperte hoc dixiſſem vobis, ut mos meus eſt; admiſſem vobis ſpem inanem. Nunc autem Petro & in Petro omnibus dixi, futurum tandem ut me illuc ſequamini. ¶ Πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. *vado parare vobis locum*] Similitudo ſumta ab uno comitum qui in itinere prægreſſus ad diverſorium ibi cæteris cubicula aſſignat, & efficit ut venientibus parata ſint.

3. Ἐὰν πορευθῶ, *ſi abiero*] Ἐὰν [*ſi*] hic valet *poſtquam*, ut ſupra XII. 32. ¶ Πάλιν ἔρχομαι, καὶ παραλήψομαι ὑμᾶς πρὸς ἐμαυτόν· *iterum venio & accipiam vos ad me ipſum*] Continuatur ſimilitudo: nam ſolent qui primi in diverſorium venerunt cæteris jam adventantibus obviam procedere & eos intro-

ducere. Angelus ad Apoſtolos Actor. I. 11. Ὅτος ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναλημφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν, οὕτως ἐλεύσεται ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν [*hic Jeſus qui aſſumtus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum*]. ¶ Ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, *ut ubi ſum ego*] Εἰμὶ [*ſum*], id eſt, ὦ I. ut ſupra VII. 34. ¶ Καὶ ὑμεῖς ἦτε. *& vos ſitis*] Conſortes, participes meæ felicitatis, Rom. VIII. 17.

4. Ὅπου ἐγὼ ὑπάγω οἴδατε, *quo ego vado ſcitis*] Mos eſt loquendi cum dicere volumus ſatis nos dixiſſe: *Habetis quo vadam.* Nam *domum Patris* jam nominaverat. ¶ Καὶ τὴν ὁδὸν οἴδατε. *& viam ſcitis*] *Habetis & quæ via eo vadam.* Nam quod dixerat, *Se non amplius conſpiciendum*, & quod ſtatim addiderat de ſua Dilectione, circumlocutio erat mortis pro ipſis ſubeundæ.

5. Θωμᾶς, *Thomas*] Cæteris tardior ad res fidei. ¶ Οὐκ οἴδαμεν τὸ ὑπάγεις· *neſcimus quo vadis*] Thomas, ſive ingenii tarditate ſive mœſtitia impeditus, non intellexerat quid Jeſus ſignificaret, ac proinde de ſo conjecturam faciens nec cæteros intellexiſſe exiſtimabat. ¶ Πῶς δυνάμεθα τὴν ὁδὸν εἰδέναι; *quomodo poſſumus viam ſcire*]? Via eſt τῶν πρός τι [*eorum quæ ad aliud referuntur*], nempe à termino ad terminum alterum. Quod ſi ignoretur quæ ſit meta, non poteſt via ſub ratione viæ concipi.

6. Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, *Ego ſum via*] Chriſtus, ut oſtenderet quantam haberet ſuorum curam, de ſe nihil reſpondet, ſed ipſis plenius indicat quomodo ipſi quoque ad Patrem pervenire poſſint. Videtur autem Chriſtus ſe *Viam* dicens alludere ad locum Eſaiæ XXXV. 8. Se autem nominans *Viam*, actiones ſuas intelligit per quarum exemplum tanquam ſtratum iter nobis ambulandum eſt. ¶ Καὶ ἡ ἀλήθεια, *& veritas*] Euangelium λόγος ἀληθείας [*ſermo veritatis*] Eph. I. 13. ſermo nihil falſi admixtum habens. Chriſtus ſe *veritatem*, id eſt, veri Doctorem vocans, indicat ſibi fidem habendam; eventurum quod pollicetur. ¶ Καὶ ἡ ζωή. *& vita*] Id eſt, *dator vitæ æternæ*, ut ſupra XI. 25. Multum hoc eſt, quod Chriſtus ipſe vitæ æternæ dandæ jus habet: id enim ut eum imitemur utque ei credamus vim habet maximam. ¶ Οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, *nemo venit ad Patrem*] Pro eodem ponit *vitam æternam conſequi* aut *ad Patrem venire*, quia vita illa æterna erit apud Patrem. ¶ Εἰ μὴ δι' ἐμοῦ. *niſi per me*] Id eſt, niſi mihi fidem habeat, meque imitetur; ut oſtendunt præcedentia.

7. Εἰ ἐγνώκειτέ με, *Si cognoviſſetis me*] *Si vellet me noſſe ſis*, proprietates meas quæ in actionibus elucent. ¶ Καὶ τὸν πατέρα μου ἐγνώκειτε ἄν· *& Patrem meum utique cognoviſſetis*] *Eadem opera Patrem noſſetis*, in quo eædem ſunt proprietates Bonitatis, Juſtitiæ, Sapientiæ. Tale eſt illud,

Qui utramvis vellet noris, ambas noverit.

Vide ſupra VIII. 19. ¶ Καὶ ἀπ' ἄρτι γινώσκετε αὐτὸν, *& jam noſtis eum*] Ut ſi quis dicat ei qui imaginem alicujus vidit, nec ſcit cujus ſit imago, *Jam illum noſti ex lineamentis.* ¶ Καὶ ἑωράκατε αὐτόν. *& vidiſtis eum*] Nempe in me, ejus effigie.

8. Δεῖξον ἡμῖν τὸν πατέρα, *Oſtende nobis Patrem*] Legerat Deum variis modis interdum apparuiſſe Patribus; hoc vellet & ſibi concedi. ¶ Καὶ ἀρκεῖ ἡμῖν. *& ſufficit nobis*] Non ultra interrogando moleſti tibi erimus.

9. Τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι, καὶ οὐκ ἔγνωκάς με; *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me*]? Id eſt, Cum tamdiu tam familiariter vobiſcum agam, nondum me noſtis qualis ſim? certe noſſe debebatis: & ſi ſatis noſſetis, jam & ſcire poſſetis qualis ſit Pater.

10. Ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, *quia ego in Patre*] Per obedientiæ præpoſitum, ut expoſuimus X. 38. ¶ Καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι; *& Pater in me eſt*]? Per efficaciam. ¶ Τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ· *verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor*] Ratio redditur prioris membri. Nihil loquor non imperatum à Patre: ſupra VII. 17. ¶ Ὁ δὲ πατὴρ ὁ ἐν ἐμοὶ μένων, αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα. *Pater autem in me manens, ipſe facit opera*] Ratio membri alterius. Nam Pater per me operatur, atque ita oſtendit ſe eſſe in me. Nam μένειν Johanni eſt *ineſſe*, ut ſupra V. 38. Dei proprietates ex operibus cognoſcuntur, quæ nunquam majora ac plura quam per Chriſtum ſunt edita: ita ut in iſtis Sapientiam Dei, Bonitatem, Potentiam multo apertius fuerit concipere quam in viſionibus illis quæ Prophetis contigerunt, & quibus illæ proprietates tantum per ſimilitudinum figuras adumbrabantur. Duo quæ diximus membra, quibus conjunctio Patris & Filii indicatur, breviter ſic exprimit Nonnus,

Ὡς σὺν ἐμοὶ τελέθει γενέτης ἐμὸς, ὅττι καὶ αὐτὸς
Σύμφυτός εἰμι τοκῆος, ἐγὼ λαλέων, ὁ δὲ ῥέζων.
[*Nimirum mecum eſſe Patrem: ſum namque Parenti*
Connexus: mea vox ſonat: at res efficit ille].

11. Πιστεύετέ μοι, *Credite mihi*] Verbis meis nihil non Divinum continentibus credite, me Patri eſſe conjunctiſſimum. ¶ Εἰ δὲ μή, *ſin minus*] Si verbis credere non vultis. ¶ Διὰ τὰ ἔργα αὐτὰ πιστεύετέ μοι. *propter opera ipſa credite*] *Saltem credite ob opera* quæ talia ſunt ut niſi à Deo proficiſci nequeant. Supra III. 2. V. 36. X. 37.

12. Ἀμὴν, ἀμὴν, *Amen, amen*] Pergit conſolari. ¶ Τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ, κἀκεῖνος ποιήσει, *opera quæ ego facio, & ipſe faciet*] Dæmonas ejiciet, morbos ſanabit, mortuos reſuſcitabit. Intelligenda autem hæc promiſſio ſecundum ea quæ dicta ſunt ad Marcum XVI. 17. ¶ Καὶ μείζονα τούτων ποιήσει *& majora his faciet*] Omni genere linguarum loquetur ad converſionem omnium gentium. Maximum ſignum, ut Chryſoſtomus notat, gloriæ Chriſti quod per abſentem fierem quæ præſens non effecerat.

13. Ὅτι ἐγὼ πρὸς τὸν πατέρα μου πορεύομαι, καὶ ὅ, τι ἂν αἰτήσητε ἐν τῷ ὀνόματί μου, τοῦτο ποιήσω· ἵνα δοξασθῇ ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ. *Quia ego ad Patrem vado: & quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio*] Hæc ita uno ſpiritu legenda ſunt; & notandi Hebraiſmi, πορεύομαι καὶ ποιήσω, [*vado & efficiam*] id eſt, *profectus efficiam.* Similitudo ſumta ab eo qui ad Regem profectus coram commendat amicorum deſideria. Deinde illud ἵνα [*ut*] communiter referendum ad αἰτήσητε [*petieritis*], ut rectius cum ſuperioribus cohæreat, *Quicquid poſtulaveritis quo Filius & per Filium Pater inclareſcere poſſint, id ego pro vobis effectum dabo:* ἐν τῷ ὀνόματί μου, [*in nomine meo*] eſt, *quicquid orantis Patrem ut mea cauſa faciat.* Solebant Hebræi Deum orantes rogare ut populo benefaceret ob Patres, *ob Abrahamum, ob Iſaacum, ob Jacobum, ob Davidem:* nova nunc docetur orandi ratio, *per Chriſtum*, Roman. I. 8.

14. Ἐγὼ ποιήσω, *hoc faciam*] Repetit hoc ut magis ſpem eorum confirmet, quod ipſe adeo ipſis notus omnia effecta dandi ſit habiturus poteſtatem.

15. Ἐὰν ἀγαπᾶτέ με, *ſi diligitis me*] Ne luctu oſtendite amorem, ſed obedientia. ¶ Τὰς ἐντολὰς τὰς ἐμὰς τηρήσατε. *mandata mea ſervate*] Præſertim illud de mutua Dilectione. Sic Act. II. antequam narretur miſſio Spiritus S. præponitur, ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό [*erant omnes concorditer uno in loco*]. Itaque hac præcipue ratione ad accipiendum eum Spiritum parabantur.

16. Καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*) Et hic poſterior pars in priori repetenda; *Orabo ut Spiritum vobis det: & dabit*, nempe ſi in obedientia præceptorum perſeveraveritis. Ἐρωτᾶν pro *precari* frequens in his libris, Lucæ XIV. 18. & alibi. Precatur autem jam Chriſtus non cum ſupplicibus lachrymis in hac vita, ſed pro ea auctoritate quam ſibi mortis obedientia quæſivit. Παράκλητος [*Paracletus*] vox Græca frequens apud Judæos in verſione Chaldæa & apud Thalmudicos, non pro *conſolatore*, ſed pro *eo qui cauſam agit alterius, & quidem rei.* Nam qui pro accuſatore dicit vocatur alia Græca voce πάρεδρος κατήγορος [*accuſator*]. *Alium* ergo *Oratorem* Chriſtus pollicetur qui cauſam ſuorum agat apud mundum, ſicut ipſe acturus eſt apud Patrem. Nam hoc ſenſu ipſe eſt παράκλητος [*Paracletus* ſive *Advocatus*] I Joh. II. 1. Et quod modo dixit ſe pro ſuis interpellaturum Patrem, eſt circumlocutio muneris παρακλήτου [*Paracleti*]. Spiritus autem eſt qui pro Apoſtolis apud Reges & Proceres loqui dicitur, Matth. X. 20. qui Chriſti dicta ipſis in memoriam revocat, infra 26. qui adverſarios ipſorum efficaciter convincit, infra XVI. 8. Ideo veteres Latini *Advocatum* dixerunt. Et notandum Dei Spiritui qui eſt παράκλητος [*Paracletus*] opponi ſpiritum malignum qui eſt κατήγορος [*accuſator*], & ſic dicitur Apocal. XII. 10. ¶ Ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα· *ut maneat vobiſcum in æternum*] Non ut aliquot annis apud vos ſit, ut ego fui, ſed *ut maneat perpetuo.* Hoc enim Hebræis eſt εἰς αἰῶνα [*in æternum* ſive *perpetuo*]. Intelligendum autem hoc ſub conditione, jam dicta, obſervationis mandatorum.

17. Τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *Spiritum veritatis*] Id eſt, Spiritus ille Doctor veritatis, ut explicatur infra XVI. 13. & I Johann. II. 27. Huic opponuntur πνεύματα πλάνης [*ſpiritus erroris*] I Tim. IV. 1. ¶ Ὃ ὁ κόσμος οὐ δύναται λαβεῖν, *quem mundus non poteſt accipere*] Nempe qua mundus, qua affinis rebus hujus ſeculi, I Cor. II. 14. ¶ Ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτὸ,

quia

quia non videt eum] Mundus non curat niſi ea quæ oculis corporeis conſpiciuntur; quale non eſt ille Spiritus. ¶ Οὐδὲ γινώσκει αὐτό· *nec ſcit eum*] Ac proinde nec expetit: *Ignoti* enim *nulla cupido*. Noſſet autem ſi ſe Divinis ſermonibus docilem ac morigerum præberet. Nam talia pectora quærit ille Spiritus. Irenæus citante Baſilio, Τοὺς δὲ ἐχαλιναγωγήτως καὶ κατεφερομένους εἰς τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας καὶ μυλεμίαν ἔχοντας ἐπιθυμίαν θείου πνεύματος δικαίως ὁ ἀπόστολος σαρκικοὺς καλεῖ [*Effrenes homines & qui à concupiſcentiis ſuis aguntur, nec ullum habent deſiderium Divini Spiritus, merito Apoſtolus carnales vocat*] Confer ad Coloſſ. III. 10. ¶ Ὑμεῖς δὲ γινώσκετε αὐτό, *vos autem noſtis eum*] *Noſtis & curatis, expetitis.* Sic Matth. VII. 23. ¶ Ὅτι παρ' ὑμῖν μένει, *nam in vobis manet*] Puto ὅτι [*nam*] hic poni pro διὰ τοῦτο [*idcirco*], aut pro *certe*, ut Eſaiæ VII. 9. 1 Joh. III. 20. & alibi. Videntur enim præcedentia indicare Spiritum, quomodo hic ſumitur, prius noſci, deinde in hominem penetrare. μένει eſt *inhabitat*, ut diximus ſupra v. 38. Sic *eſſe* in aliquo 1 Joh. II. 5. exponitur per μένειν [*manere*] ibid. 6, 14, 24. Eſt autem præſens pro brevi futuro. ¶ Καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται. *& in vobis erit*] *Et porro habitabit.* εἶναι [*eſſe*] enim idem eſt quod μένειν [*manere*], ut jam diximus.

18. Οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς· *Non relinquam vos orphanos*] Tempore ſepulturæ meæ eritis tanquam pupilli. Sed non manebitis tales: nam ego primum rediens vobis ero pro patre, deinde Spiritum vobis, qui vice patris ac defenſoris ſit, relinquam. ¶ Ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. *venio ad vos*] Præſens iterum pro brevi futuro; & *venire* pro *redire*. Sic & infra 28. & ἐλθὼν [*veniens*] pro *rediens* Matth. XII. 44.

19. Ἔτι μικρὸν, καὶ ὁ κόσμος με οὐκέτι θεωρεῖ. *Adhuc modicum, & mundus me non ultra videt*] Hebraiſmus qualis & Oſe. I. 4. Agg. II. 7. pro eo quod diceremus: *poſt aliquod tempus mundo non conſpiciar amplius*, poſt mortem ſcilicet. *Mundum* intelligit à ſua diſciplina alienos, quæ pars maxima: θεωρεῖ [*videt*] pro θεωρήσει [*videbit*], ut ſæpe in hoc Scriptore. ¶ Ὑμεῖς δὲ θεωρεῖτέ με· *vos autem me videtis*] Veſtris oculis vos me non ſemel videbitis. ¶ Ὅτι ἐγὼ ζῶ, *quia ego vivo*] *Nam ſane vivam.* Eadem enallage. Non videbitis ſpectrum; me, inquam, vivum videbitis. ¶ Καὶ ὑμεῖς ζήσεσθε. *& vos viveteis*] Timebant ne cum Chriſto in mortem raperentur, ſupra XI. 16. nunc illis affirmat futurum ut gravillimis periculis exempti ſuperſtites ſint.

20. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. *In illo die*] Illo tempore quo jam mortis victor vobis apparebo. ¶ Γνώσεσθε ὑμεῖς, *vos cognoſcetis*] Multo quam antehac perfectius, per explicationem apertam veterum vaticiniorum Lucæ XXIV. 45. & per rei ipſius experimentum. ¶ Ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρί μου, *quia ego ſum in Patre meo*] Me manſiſſe in omnibus quæ Pater mihi præſcripſerat: quod Pater ipſa reſurrectione oſtendit & evectione in cœlum oſtendet. Vide infra XVI. 10. ¶ Καὶ ὑμεῖς ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν ὑμῖν· *& vos in me, & ego in vobis*] Iterum καὶ [*&*] primum pro *ſicut*: Cognoſcetis tunc me vobis conjunctiſſimum fore præſente auxilio, ſicut vos mihi fuiſtis conjunctiſſimi obedientia & fide, Lucæ XXII. 28. De locutione vide ſupra VI. 56. Adde 1 Joh. IV. 15, 16.

21. Ὁ ἔχων τὰς ἐντολάς μου, *Qui habet mandata mea*] Ne quis putaret ſolis ſe Apoſtolis promittere quæ dixerat, extendit jam dicta ad omnes ſibi parentes. ἔχειν ἐντολὰς [*habere mandata*], ut ἔχειν λόγον [*habere verbum*] ſupra v. 38. eſt *intus recipere*, id eſt, credere, fidem habere. ¶ Καὶ τηρῶν αὐτὰς, *& ſervat ea*] Alioqui credere nocet magis quam prodeſt. ¶ Ὁ δὲ ἀγαπῶν με ἀγαπηθήσεται ὑπὸ τοῦ πατρός μου· *qui autem diligit me, diligetur à Patre meo*] Subſequente eaque majore ac fervidiore dilectione. ¶ Καὶ ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτόν. *& manifeſtabo ei meipſum*] Et poſt reſurrectionem illis me oſtendam, ut Magdalenæ, Cleophæ, Nathanaeli, quingentis aliis: & participes faciam Spiritus mei. Vide Pſalm. XXV. 13. Eph. III. 3.

22. Ἰούδας, (οὐκ ὁ Ἰσκαριώτης), *Judas, (non ille Iſcariotes)*] Hoc ideo adjicit quod de eo locutus ante erat. Ergo Thaddæum deſignat. ¶ Τί γέγονεν, *quid factum eſt*] Hebraiſmus pro *qui fit*. ¶ Ὅτι ἡμῖν μέλλεις ἐμφανίζειν σεαυτὸν, καὶ οὐχὶ τῷ κόσμῳ; *quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?*] Miratur hoc, quia cum cæteris Regnum Chriſti coram toto mundo conſpicuum exſpectabat.

23. Ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει· *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*] Hæc & quæ ſequuntur rurſum uno legenda ſunt ſpiritu. Ait Chriſtus mirari Judam non debere ſi non omnibus ipſe ſe oſtendat, quando & Patri is mos ſit ſe non patefacere niſi ſui amantibus, id eſt, præcepta ſua obſervantibus: Se autem Patris eſſe imitatorem. Vide quæ ad Matth. XI. 25. & ſupra VI. 44. Repetit autem quod ſupra dixerat 15. dilectionem nullam à ſe ac Patre æſtimari ſine præceptorum obſervantia. ¶ Καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν. *& ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*] Multum eſt, ſi Rex aliquis privatum adeat, plus ſi in ejus ædibus velit divertere. Hic honos non niſi bene caris habetur. Sic æquum etiam oſtendit Chriſtus, ut illa propioris familiaritatis indicia à ſe & Patre non exhibeantur quibuſvis, ſed ſui amantibus. Vide Zach. II. 10. & ſeqq.

24. Ὁ μὴ ἀγαπῶν με, τοὺς λόγους μου οὐ τηρεῖ· *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat*] Inverſa oratio, pro, *Qui vero præcepta mea non obſervant*, ut mundani homines: *ii me non diligunt*; ſubaudi, *ac proinde tali honore digni non ſunt.* ¶ Καὶ ὁ λόγος ὃν ἀκούετε, *& ſermonem quem auditis*] *Quem auditis* per hos annos dum me ſectamini. ¶ Οὐκ ἔστιν ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός. *non eſt meus, ſed ejus qui miſit me Patris*] Non mirum eſt, ait, ſi & Pater non honoret eos qui præcepta mea ſpernunt, cum ea non à me originaliter ſint profecta, non meo reperta ingenio, ſed ab ipſo Patre emanent. Vide ſupra VII. 16. VIII. 28. XII. 49, 50.

25. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν παρ' ὑμῖν μένων· *Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens*] Hæc ad vos conſolandos breviter vobis dixi, quoad fert temporis ratio, dum adhuc vobiſcum eſſe & colloqui licet.

26. Ἐν τῷ ὀνόματί μου, *in nomine meo*] Id eſt, in meam gratiam, ut ſupra 13. ¶ Ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*] Et hæc legenda uno ſpiritu, ut poſtrema verba ad utrumque membrum referantur. *Docebit*, id eſt, interpretabitur obſcura, *in memoriam revocabit* oblivioni data: exempla vide ſupra II. 22. XII. 16.

27. Εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν· *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,*] Abiturus valedicit. Nam id Hebræi dicebant *relinquere*, aut *dare pacem*, id eſt, ſalutem. Nam id valet שלום. Bis autem eundem ſenſum repetit, ſicut dicere ſolemus, *Vale, vale.* ¶ Οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν. *non quomodo mundus dat, ego do vobis*] *Mundus*, id eſt, major pars hominum, ſalute alios impertit ſono vocis, nihil ſæpe de re cogitans; & ſi cogitet, tamen id alteri nihil prodeſt: At Chriſtus tum ex animo tum efficaciter ſalutat; ſicut εὐλογεῖν [*benedicere*] cum Deo tribuitur ſignificat *benefacere*. Deeſt ἀντιπόδοτον [*contra redditum*] ut ſupra 22. οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης [*non Iſcariotes*]. ¶ Μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία, *non turbetur cor veſtrum*] Miſeratione mei. ¶ Μηδὲ δειλιάτω. *neque formidet*] Veſtri periculi reſpectu. Connectenda hæc cum ſequentibus.

28. Ὑπάγω καὶ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. *Vado & venio ad vos*] Supra 12. & 19. ubi diximus ἔρχομαι [*venio*] eſſe, *rediturus ſum.* ¶ Εἰ ἠγαπᾶτέ με, *Si diligeretis me*] Quantum oportet & quomodo oportet cum judicio rectæ rationis. ¶ Ἐχάρητε ἄν, *gauderetis utique*] Sicut & gavili ſunt poſtea, cum implementum abitus ad Patrem conſpexerunt. Lucæ XXIV. 52. ¶ Ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστι. *quia Pater major me eſt*] Mittens miſſo. Hoc autem ideo dicitur ut intelligatur & ſe ibi futurum fore, & ipſis in Patre plus futurum præſidii quam in ſua corporali præſentia.

29. Εἰρηκα ὑμῖν πρὶν γενέσθαι· *dixi vobis priuſquam fiat*] Indicavi vobis his verbis meum Adſcenſum in regionem cœleſtem. Sic XIII. 19. XVI. 4. ¶ Ἵνα ὅταν γένηται πιστεύητε. *ut cum factum fuerit credatis*] Ut magis magiſque mihi confidatis, & credaris vere futura & cætera quæ prædixi de auxilio meo perpetuo & veſtri aſſumtione.

30. Οὐκέτι πολλὰ λαλήσω μεθ' ὑμῶν· *Non ultra multa loquar vobiſcum*] Quaſi dicat, Temporis angustiæ abripiunt verba. ¶ Ἔρχεται γὰρ ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων, *venit enim princeps mundi hujus*] Diximus ſupra XII. 31. Venit autem per homines ſui plenos, quorum vis erat ἐξουσία τοῦ σκότους [*poteſtas tenebrarum*] Luc. XXII. 53. Nam is ἄρχων ἐνεργεῖ ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας [*princeps operatur in filiis inobedientiæ*], Eph. II. 2. ¶ Καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν. *& in me non habet quicquam*] Ἐν ἐμοὶ [*in me*] idem eſt quod πρός με [*adverſum me*] Act. XXIV. 19. & XXV. 19. Quod apertius ἔχειν κατηγορίαν [*habere accuſare*] Act. XXVIII. 19. Diaboli opus eſt accuſare. In me nihil habet quod culpare poſſit. Vide ſupra VIII. 46. Unde ſequitur Jeſum non eſſe mortis debitorem: nam *mors ſtipendium peccati*: & *Diabolus habet imperium mortis*, ut notatum ſupra. καὶ [*&*] pro *ſed*, ut Act. X. 28. & alibi. Samuel figura Jeſu, ſuo modo ἀνέγκλητος [*inaccuſabilis*], 1 Sam. XII. 5.

ria eſt, etiam in ipſa cruce Chriſtus per mirabilia quæ cernebantur, deinde amplius per Reſurrectionem illuſtris factus eſt.

38. *Non cantabit gallus donec me ter neges*] Ne diſſonantia putetur inter Euangeliſtas, ſic accipiendum eſt quaſi dixiſſet, *Non complebitur gallicinium donec ter me abnegaveris:* quod propemodum indicaſſet ſi vertiſſet interpretans, *Non cantaverit gallus.*

MASIUS.

2. 5. &c. LOtio pedum facta eſt ante cœnam, ſic enim mos erat, unde eſt illud Luc. 7. *ex quo intravi, aquam pedibus non dediſti* &c. Et illud iraque Joannis δείπνου γενομένου, non ſignificat abſoluta cœna, ſed jam parata. Nam Chriſtus cum accubuiſſet, atque ex ordine diſcipuli eum ſecuti quoque diſcubuiſſent, ille iterum ſurrexit ac lavit &c. tanquam ipſius eſſet convivator.

H. STEPHANUS.

1. Ἀγαπήσας] *Amore complexus.* ¶ Εἰς τέλος] *Uſque ad extremum.*

2. Βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν Ἰούδα Σίμωνος, Ἰσκαριώτα, ἵνα αὐτὸν παραδοῖ] *Injeciſſet menti Judæ Iſcariotæ voluntatem prodendi eum.*

3. Εἰς τὰς χεῖρας] *In poteſtatem ſuam.*

4. Λέντιον] *Linteum.*

5. Νιπτῆρα] *Pelvim.*

9. Μὴ τοὺς πόδας μου μόνον] *Ne* laves *pedes meos ſolum.*

11. Τὸν παραδιδόντα] *Qui prodebat*, i. machinabatur proditionem.

12. Ἀναπεσών] *Diſcumbens.*

15. Τύπόδειγμα] *Exemplum.*

17. Εἰ ταῦτα οἴδατε] *Si intelligitis hæc.*

22. Ἀπορούμενοι περὶ τίνος λέγει] *Anxii de quo* id *diceret.*

24. Νεύει πυθέσθαι] *Innuit ut ſciſcitaretur.*

25. Ἐπιπεσών] *Incumbens.*

26. Βάψας τὸ ψωμίον] *Buccellam:* vel, *effulam intinctam.*

27. Ὃ ποιεῖς] *Quod facere cogitas:* vel, *Quod moliris.*

29. Τὸ γλωσσόκομον] *Crumenam.*

DRUSIUS.

1. IN *finem*] Εἰς τέλος, quod Ebræi dicunt נצח, pro eo habendum acſi dixiſſet לנצחים *in perpetuum, ſemper:* de quo diximus ſupra, quod nunc non itero. Vide, ſi placet & ſi otium eſt.

2. *Cœna facta*] i. parata. Sic dicimus *facere hœdum, vitulum, bovem, epulum.* Sic ἐποίησε δοχὴν & *fecit convivium*, i. apparavit. Turbat quod ſequitur, *ſurgit à cœna*, v. 4. Sed magis quod v. 27. *poſt buccellam tunc introivit in eum Satanas.* Si poſt porrectam buccam primum introivit in Judam, ergo non poſt cœnam peractam; quod tamen hic dicitur, ſi *facta* ſignificat *peracta*, ut multi volunt. Verba clara ſunt, *Et cœna facta, cum diabolus jam immiſiſſet in cor ut traderet eum Judas*, &c. Hunc nodum qui mihi ſolvet, magnus erit in oculis meis. Ego certe me non expedio hoc tempore, niſi hoc dicat, *Surgit ante cœnam.* Sic Jeſ. 43. 13. מיום *à die, ante diem.* Senſus, *Antequam eſſet dies*; vel, *Ante ullum tempus.* Huc refer מפני Gen. 36. 6. quod Tremellius reddit *ante adventum.* Aut hoc vult, *Surgit à cœna parata.* Nam ſediſſe illum, cum exſpectaret dum cœna pararetur, valde credibile eſt. Aut *à cœna*, à loco, vel menſa, ubi cœnaturus erat. Sunt qui ea quæ poſt acciderunt, ad ſecundas menſas pertinere putant.

4. *Veſtimenta ſua*] Superiora videlicet, quæ שמלות vocant Ebræi. Nam שמלה *veſtis ſuperior*, quam Senes ἱμάτιον reddunt, & Hieron. *pallium*, Gen. 9. 23. Sic etiam interpretes alii. ¶ *Linteum*, λέντιον] Vox Helleniſtarum, quam à Latinis accepiſſe videntur. Ea utuntur etiam Thalmudiſtæ, h. e. Juriſprudentes Ebræi, qui Thalmud conſcripſerunt, i. jus civile Judæorum. In eo invenies לנטרין & לנטרין & לנטרין, & cum Aleph in capite אלנטרין ſive אלנטרין. Autor Lexici quod *Aruch* vocatur, exponit Græce לנטין: emendo לנטין, i. λέντιον. David de Pomariis interpretatur סדין, neſcio quam bene: nam סדין eſt σινδών. לנטרין autem *pannus eſt quo abſtergimur poſt lotionem.* Vide Lexicon illud. In tractatu de Sabbatho, *Calefacit homo linteum, & ponit illud ſuper filios viſcerum*, ſive *inteſtina, ſabbatho.* In fine Gemaræ, *Abſtergit ſe homo linteo, & ponit illud in feneſtra.* Quod Ebr. מגבת מחזיר *ἐκμάσσει ἑαυτὸν τῷ λεντίῳ.* Adito ſis ad v. 5. Latinam vocem eſſe, quæ à Græcis aliis ὀθόνη dicitur, docet Nonnus his verbis,

\- - τόφρ᾽ Φάτο Θυμβριὰς αὐδὴ
Λέντιον.

Nam Θυμβριὰς αὐδὴ eſt *lingua Tiberina*, i. Latina, à *Tiberi*, qui Θύμβρις Stephano & aliis.

8. *Non habebis partem mecum*] אין לך חלק אתי, *Non eſt tibi pars mecum*, ut Deut. 14. 27. aut עמי, ut Deut. 18. 1. Male hic laudant locum qui habetur 1 Reg. 12. 16. Nam ibi eſt *in David & in filio Jeſſe*, ut 2 Sam. 20. 1. quod ita dicitur ut Joſ. 22. 25. *Non erit vobis pars in DOMINO:* quod explicant, *Non eritis populus DOMINI, aut in eorum numero qui theſaurum benignitatis ejus ut hæredes participant.* Ita Maſius in Joſuam.

13. *Magiſter ac Domine*] *Rabbi & Adon.* Syrus habet *Rabban*, quod auguſtius eſſe diximus; & *Maran*, quod in *Maranatha*, *DOMINUS venit:* unde & *Marnas* Deus Gazæorum. Paulo poſt, videlicet v. 14. in Syro eſt מרכון *Dominus veſter*, & רבכון *Magiſter veſter.*

27. *Buccellam*] Ψωμίον modo reddit *buccellam* modo *panem.* Sunt qui *effulam* malunt. In Ebraiſmo eſt פת, quod ψωμὸν reddunt cum alibi tum Ruth. 2. 14. & Job 31. 17. Eadem vox *panem* denotat, ut cum dicunt מאתו פת *panem è clibano.* Eſt ubi reperiatur פת חלתם *buccea*, vel *fruſtum*, *panis*, ψωμὸς ἄρτου.

CASAUBONUS.

4. ΚΑὶ λαβὼν λέντιον, διέζωσεν ἑαυτὸν] Utitur Euangeliſta voce Romana, quam tunc Judæis fuiſſe uſitatam in communi ſermone veriſimile eſt. Nonnus vero eam ſibi putavit explicandam. Cujus verba, quia inſigni mendo ſunt affecta, nec ab interpretibus intellecta, placet hic obiter emendare. Sic igitur illa vulgo leguntur,

Καὶ λινέην λαγόνεσσι νόθην ἔβαλετο μίτρην,
Σφίγξας σιλφιόων ὕφασμα, τό περ Φάτο Θυμβριὰς αὐδὴ
Λέντιον, ἰμαλέοιο τοδὸς ἀλεκτρύωνος ἀνδρῶν.

quæ ſic ab interpretibus accipiuntur ut dicat Nonnus illud ὕφασμα, quo ſe Chriſtus præcinxit, à veſpillonibus & libitinariis (nam horum eſt, opinor, lingua quam ipſi *ſepulcralem* vocant) appellari λέντιον. Legendum nimirum putarunt τυμβιὰς αὐδὴ, à voce τύμβος. Sed hæc abſurdiora ſunt & inepriora quam ut longa refutatione opus habeant. Nos vero non dubitamus ſcriptum ita fuiſſe à doctiſſimo Poeta,

\- - τό περ Φάτο Θυμβριὰς αὐδὴ
Λέντιον.

quibus verbis vocem λέντιον Romanam eſſe, ut eſt, ſignificare voluit. Θυμβριὰς igitur αὐδὴ eſt *lingua Romana*, à *Tiberi* ſic dicta. Tiberis enim fere apud Græcos Θύμβρις dicitur, non Poetas tantum, ſed etiam περιγραφεῖς, ut Herodianum & alios. Stephanus De urbibus, Θύμβρις, ποταμὸς Ῥώμης, ὃς καὶ Τίβερις· τὸ ἐθνικὸν, Θύμβριος, καὶ Θυμβριάς.

25. Ἐπιπεσὼν δὲ ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ] Hoc Græci diſertiores dicunt una voce προσανατίπτειν· uti Athenæus in deſcriptione πομπείας Antiochi, καὶ περιπορευόμενος, ἃ μὲν προσκαθίζει, ἃ δὲ προσανέπιπτε. Non aſſentior autem Theophylacto qui ruſticitati Johannis aſcribit quod non dubitarit in ſinum Chriſti recumbere & in ejus pectus ἐπιπίπτειν· deinde adjicit hanc rationem, Quia nihil adhuc magni de Chriſto Diſcipuli ὑπελάμβανον. Sane qui veterum decumbendi rationem habebit cognitam, nunquam eo confugiet.

29. Εἶχε τὸ γλωσσόκομον εἶχεν] Vetus interpres vertit *loculos*, ſicut Gloſſarii auctor duobus in locis. Nonnus non temere δουρατέην χηλόν. Nam & Grammatici ligneam arcam eſſe volunt. Gloſſæ Heſychii, Γλωσσόκομον, θήκη, σορὸς ξυλίνη τῶν λειψάνων.

32. Εἰ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη] Doctiſſimi interpretis conjecturam, putantis deeſſe δὲ, confirmat paraphraſis,

Εἰ δὲ Θεὸς γενέτης, &c.

GUALTPERIUS.

4. ΛΑβὼν λέντιον, διέζωσεν ἑαυτὸν, *Accepto linteo, præcinxit ſe*] Syr. סודרא *ſublata ſindone.* Vox Latina, quæ Græcis eſt ὀθόνιον, ἢ σινδών, & ὀθόνη.

LUD. CAPPELLUS.

26. Ἐκεῖνός ἐστιν ᾧ ἐγὼ βάψας, &c.] Factum id fuit à Christo ex antiquo Judæorum ritu, qui etiamnum hodie ab iis in Paschalis cœnæ celebratione observatur, uti videre est in Ritualibus eorum libris, ut post absolutam Agni Paschalis cœnam, ἐν τῷ ἐπικώμῳ (quod & ipsi voce hac Græca אפיקומן vocant) paterfamilias tortam azymam in tot dividit frusta quot assident convivæ, singulaque frusta (quæ hic ψωμία dicuntur ab Euangelista) in tryblium ἐμβάμματος herbarum amararum (quod ipsis dicitur חרוסת) intingit, & singulis porrigit convivis. Cum ergo Christus in dividendis & porrigendis ψωμίοις ad Judam proditorem ordine deveniſſet, paulo ante quam ψωμίον illi porrigeret, Discipulis declaraverat fore ut ab aliquo eorum proderetur: cumque Petrus Johanni annuiſſet ut à Christo rogaret quisnam ille futurus erat qui tantum scelus esset patraturus, & Johannes Christum ea de re, inclinatus in ejus pectus, submissiori voce interrogaret, Christus submissâ itidem voce indicavit illi, eum esse cui jamjam traditurus erat ψωμίον, simulque intincto tortæ frustulo tradidit illud Judæ, his verbis, *Quod facis, fac cito:* quod cum non intellexissent reliqui Apostoli, uti dicitur v. 28. sat liquere inde videtur Christum indicium illud submissiori voce soli Johanni significasse: si enim clare omnibus significasset eum futurum sui proditorem cui frustum intinctum traditurus erat, vero consentaneum non videtur eos ignoraturos fuisse quid sibi vellet Christus cum Judæ dixit, *Quod facis, fac cito.*

GROTIUS.

1. Πρὸ ▯ τῆς ἑορτῆς, *Ante diem festum*] Erat vespera illa à qua incipiebat τὸ νυχθήμερον τῆς παρασκευῆς [*nychthemerum Parascenes*]. ¶ Αὐτοῦ ἡ ὥρα ἵνα μεταβῇ, *hora ejus ut transeat*] Tempus illud conveniens nomini Paschatis, quod διάβασιν [*transitum*] significat: tempus opportunissimum morti ob maximum populi conventum, quo res esset testatior. ¶ Ex τῷ κόσμῳ τούτῳ πρὸς τὸν πατέρα, *ex hoc mundo ad Patrem*] Per mortem scilicet, qui primus erat ad eum transitus gradus. ¶ Ἀγαπήσας τοὺς ἰδίους τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, *cum dilexisset suos qui erant in mundo*] Eos qui disciplinam suam receperant, præcipue Duodecim illos. Est autem efficaciter dictum τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ [*qui erant in hoc mundo*], quos relicturus erat in hoc rerum salo. sic infra XVII. 11. ¶ Εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς, *in finem dilexit eos*] Id est, διετέλει ἀγαπῶν, *perrexit eos diligere.* Sic locutio hæc usurpatur Psalm. IX. 18. XL. IV. 23. & alibi. Hoc autem præfatur Apostolus, ut significet ideo tam vili ministerio Christum se subjecisse ut amorem suum evidentissime ostenderet. Quod diximus vile esse ministerium apparet 1 Sam. XXV. 41. quem locum Josephus explicans, ἀνάξιόν μὲν εἶναι καὶ τοδῶν ἅψασθαι τῶν ἐκείνα [*indignam se qua vel pedes ejus tangeret*]. In oraculo Milesiis dato apud Herodotum:

Καὶ δ' ἄλοχοι πολλοῖσι τόδας νίψουσι κομήτας.
[*Multa comatorum vestigia pulchra lavabunt*
Uxores vestræ].

Plutarchus Pompejo Faronium post eladem obsequentissimum fuisse ut ostendat sic ait, Καὶ τὸ λοιπὸν ἐκ τούτου περιέκειτο καὶ θεραπεύων, ὅσα δεσπότας δοῦλοι, μέχρι νίψεως τοδῶν καὶ δείπνου παρασκευῆς διετέλεσεν [*Præterea perpetuo Pompejum observavit, & ministeria ei exhibuit qua heris servi solent ad pedum usque lotionem & cœnæ præparationem*]. Idem De virtutibus mulierum, Διηκονοῦντο τοῖς ἀλλήλων γονεῦσι καὶ ἀδελφοῖς ἄχρι τοῦ καὶ τοὺς τόδας ἀνονίζειν [*Ministrabant alia aliarum parentibus & fratribus, usque & pedes eorum perluerent*]. Catullus,

Quæ tibi jucundo famularet serva labore
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis.

Tam vile autem ministerium non detrectare magnæ est dilectionis. Luc. VII. 44. 1 Tim. V. 10.

2. Καὶ δείπνου γενομένου, *Cœna facta*] Cœna illa priore, qua non agnum quidem mactatum edit Christus, sed tamen, ut potuit, ritu Babylonici exilii memoriam Paschatis celebravit: quæ cœna non habebat ante se lotionem: nam non erat cœna justa, sed cœnæ imago. Vide quæ ad Matthæum. ¶ Τοῦ διαβόλου ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν Ἰούδα, *cum diabolus jam misisset in cor Judæ*] Hic quoque illud βεβληκότος [*misisset*] intelligendum cum effectu, nempe ut Judas hoc consilium diaboli receperit. Simile loquendi genus supra jam aliquoties observavimus. Sic *tentare* Satan dicitur cum tentationi succumbitur 1 Cor. VII. 5. ¶ Ἵνα αὐτὸν παραδῷ, *ut traderet eum*] Habet & hoc ἐμφασιν [*efficaciam*]. Jam consilio se tradendi capto, tam propinquo periculo, non omisit testari curam suam pro discipulis, etiam pro illo nefario, si forte adhuc resipiscceret.

3. Εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς ὅτι πάντα ἔδωκεν αὐτῷ ὁ πατὴρ εἰς τὰς χεῖρας, *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus*] Hoc dicit, Tam humile obsequium fecit non inconscius tuæ dignitatis. Id enim auget facti æstimationem quod tantus ac talis hoc fecerit. *Dare* autem hic intelligi *promittere dicturum*; nam tradita illi sunt omnia (id est, potestas in omnia quæ Ecclesiæ conducunt, Matth. XXVIII. 18.) post Adscensum in cœlum, Act. II. 36. ¶ Καὶ ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθε, *& quia à Deo exivit*] A Deo ad genus humanum missum se prodiisse. Sic supra VIII. 42. ¶ Καὶ πρὸς τὸν Θεὸν ὑπάγει, *& ad Deum vadit*] Et se receptum iri in Dei regiam, in consortium Regni. Omnia hæc mirifice describunt ejus dignitatem.

4. Ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου, *Surgit à cœna*] Non solebat cœna etiam Agni à stantibus sumi post Exitus tempora: In cœna autem memoriali, qualis hæc erat, omnino sedebatur aut accumbebatur, & nunc etiam sedetur. Itaque ea confecta surrexit Christus, & ad cœnam plenam atque ordinariam pedes lavit: quod ante cœnas fieri erat solitum. ¶ Καὶ τιθησι τὰ ἱμάτια, *& posuit vestimenta sua*] Hæc vox ex illis est quæ plurali sono singularem habent significatum, ut notavimus ad Matth. XVII. 2. Verti ita solet Hebræum חלוק, quo proprie significatur *extimum amictus* qui à ministrantibus deponi solet. Philo De Sacerdotibus, Ἀνείμονες γὰρ ἐν μόνοις χιτωνίσκοις τά τε ἱερεῖα καὶ τὰς σπονδὰς καὶ ὅσ' ἄλλα χρήσιμα θυσίας προσάγουσιν εἰς ἀνυτέρβετον τάχος ὑφυπμένοι [*Sine vestibus enim in solis tunicis victimas & libamina & alia sacrificiis necessaria adferunt ad summam celeritatem exercens*]. ¶ Καὶ λαβὼν λέντιον, *& cum accepisset linteum*] Hæc vox à Romanis ut ad Græcos, ita & ad Judæos pervenerat. Scribitur ליטון, exponunt Grammatici סדין, ut hic Syrus סדינא *sindonem*, Arabs ملحفة *abstersorium*: nam ei fini serviisse hoc linteum sequentia ostendunt. ¶ Διέζωσεν ἑαυτόν, *præcinxit se*] *Lumbos suos*, ut loquuntur Hebræi & hic Syrus. Is habitus ministrantium, quo expeditiores essent. Lucæ XVII. 8. περιζωσάμενος διακόνει [*præcinge te & ministra*]. Et Latinis ministri & popæ *succincti* vocantur. Verbum διαζώννυσθαι [*præcingi*] bis hoc loco legitur & infra XXI. 7. Est & apud Lucianum.

5. Βάλλει ὕδωρ εἰς τὸν νιπτῆρα, *mittit aquam in pelvim*] Nihil ministerii omittit. *Aquam infundit pollubro*, lumeam scilicet ex hydriis illis quæ pro more adstabant. Vide quæ diximus ad caput II. supra. ¶ Ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, *cœpit lavare pedes Discipulorum*] Primum dicit generaliter *totos pedes Discipulorum*, deinde specialiter narrat Petri verba. Nam ἤρξατο νίπτειν [*cœpit lavare*] nihil est aliud quam ἔνιψε [*lavit*], ut diximus Lucæ III. 8. sic Actor. I. 1. & alibi sæpe. ¶ ▯μάσσειν, *extergere*] Ut moris est.

6. Ἔρχεται οὖν, *Venit ergo*] Οὖν [*ergo*] hic est specialius rem enarrantis. Nec impolitibile est à Petro factum initium. ¶ Σύ μου νίπτεις τοὺς πόδας; *tu mihi lavas pedes?*] *Tu* Dei Filius, *meos* peccatoris? Vide Matth. XVI. 16. & Lucæ V. 8. & confer Matth. III. 14. ubi oppositio non dissimilis. νίπτεις [*lavas*], id est, *vis lavare?* Sicut λιθάζετε [*lapidatis*] supra X. 32.

7. Ὃ ἐγὼ ποιῶ, οὐ σὺ οἶδας ἄρτι, *quod ego facio, tu nescis modo*] *Nondum capis quid agam*, id est, quo tendat quod ago. ¶ Γνώσῃ δὲ μετὰ ταῦτα, *scies autem postea*] Nempe cum in Apostolica functione & in simili sedulitate purgabis quod sordium in Christianis restabit. Vide Lucæ XXII. 32. & adde 1 Pet. II. 1.

8. Οὐ μὴ νίψῃς τοὺς πόδας μου εἰς τὸν αἰῶνα, *Non lavabis mihi pedes in æternum*] Nunquam hoc patiar. Sic supra X. 28. & alibi. Est autem hoc profectum ex animo quidem reverente, sed non satis attendente ad id quod Christus dicebat & innuebat. ¶ Ἐὰν μὴ νίψω σε, *si non lavero te*,] Mos Christi est à rebus quæ adspiciuntur ad sensum sublimiorem adscendere. *Nisi te lavero*, id est, Nili & sermone & Spiritu eluero quod in te restat minus puri, puta nimiam de te ipso Existimationem, Matth. XXVI. 33. Indiligentiam, ibidem 40. Iracundiam, 51. Formidinem, 70. 74. quas sordes quomodo purgaverit in Petro Christus, videre est dictis locis. Sed & quotquot apud Johannem sequuntur sermones ad hanc lotionem pertinent. Vide Matth. III. 11. ¶ Οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ, *non habebis partem mecum*,] *Non eris particeps meorum bonorum.* Sic hæc locutio sumitur Deut. XIV.

27. xvii. 1. & alibi. Ut Christi coheredes simus, non sufficit à vitiis gravioribus animum avertisse, nisi & gressus nostros quotidie reddamus à terrenis contagiis purgatiores.

9. Αλλὰ καὶ τὰς χεῖρας καὶ τὴν κεφαλήν. *sed & manus & caput*] Id est, totum me; sicut *manuum & pedum* vocibus totum corpus significari diximus supra xi. 44.

10. Ο λελουμένος, *qui lotus est*] Id est, Qui semel in animum induxit Euangelio obsequi. Ita hoc explicatur ab ipso Christo infra xv. 3. Adde locum Actor. xv. 9. ubi fidei tribuitur quod dicto Johannis loco cap. xv. tribuitur Euangelio, quia fermo ita demum purgat si cum fide misceatur, Hebr. iv. 2. ¶ Οὐ χρείαν ἔχει ἢ τοῦ πόδας νίψασθαι, *non indiget nisi ut pedes lavet*] Hoc tantum ei opus est ut ab iis se purget quæ ex occasione agnascuntur. Similitudo sumta ab his qui à balneo nudis pedibus abeunt. Scriptor De ablutione pedum in operibus Cypriani, *Supra diximus semel lotos baptismate, eodem lavacro ulterius non egere: Sed hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum, & jugis retractatio usque ad novissima veniens omnia debet opera & cogitatus singulos perscrutari, & affectum per vitia discurrentes, vagam instabilemque animam per inania evolantes corrigere & lavare; nec quicquam in hac vita prætermittere indiscussum quod gemitibus & suspiriis non fuerit expiatum. Pedes* Philoni significant τὰς ἐπιβάσεις τῶν ἀρεσκόντων [*incessus in ea quæ placent*] Alleg. ii. De vita Mosis tertio interpretatur pedes τὴν περὶ τὸν βίον διέξοδον [*ambulationem hujus vitæ*]. Cyrillus libro contra Julianum nono, Εἶος τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ τὴν τοῦ ποδὸς βάσιν, καὶ ὅλον δεῖ ἔστε τὸν πόδα δέχεσθαι πρὸς ἀπόδειξιν αἰνιγματωδῶς τῆς ὀφ' ἑκάστῳ τῶν πρακτέων ὁδοῦ [*Mos est Sacræ Scripturæ vestigium pedis, totumque interdum pedem ponere in occulta significatione viæ circa singula quæ aguntur*]. Confer legem Levit. viii. 24. ¶ Αλλ' ἔστι καθαρὸς ὅλος. *sed est mundus totus*] Nempe cætero corpore, exceptis pedibus: nam universalitas restringitur ex superiori sermone, ut 1 Cor. xv. 27. ¶ Καὶ ὑμεῖς καθαροί ἐστε, *& vos mundi estis*] Animi propositi: τὸ πνεῦμα πρόθυμον [*Spiritus promtus*] Matth. xxvi. 41. quæ καθαρὰ καρδία [*cor purum*] 1 Tim. i. 22. ¶ Ἀλλ' οὐχὶ πάντες. *sed non omnes*] Conscientiam Judæ vellicat, qui proposito ipso animi erat impurus, retinens intra se malorum facinorum consilia.

12. Ἀναπεσὼν πάλιν, *cum recubuisset*] Ad cœnam justam sive domesticam, quam finivit instituto Paschionis sui Sacramento. ¶ Γινώσκετε τί πεποίηκα ὑμῖν: *Scitis quid fecerim vobis?*] An quale hoc sit satis animadvertitis? Agit de humilitate ministerii: nam mysticum sensum non nisi post acceptum Spiritum erant intellecturi.

13. Φωνεῖτέ με, Ο διδάσκαλος, *vocatis me, Magister*] Sic apud Horatium *Poeta salutor: Φωνεῖν* [*vocare*] idem hic est quod *nominare*: & est hic μίμησις [*imitatio sermonis alieni*] qualis Jerem. xxii. 18. Nam Apostoli quoties inter se agebant de Christo dicebant, *Dominus hoc dixit*; *Magister hoc fecit*. רבי כרוז [*Magister meus, Dominus meus*] sæpe apud Hebræos. ¶ Καλῶς λέγετε· *bene dicitis*] Nihil mihi alienum per adulationem adscribitis: *Magister* sum docendo, *Dominus* redimendo.

14. Εἰ οὖν ἐγὼ ἔνιψα ὑμῶν τοὺς πόδας, *Si ergo ego lavi pedes vestros*] Si ego tanto vobis superior non reculavi hoc vile ministerium subire in gratiam vestri qui tanto inferiores estis. Vide Matth. xi. 29. ¶ Αλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας. *alter alterius lavare pedes*] Multo magis vos qui conservi estis, debetis similia officia deferre, τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν, [*per humilitatem alii alios arbitrantes se superiores*] Philip. ii. 3.

15. Τύπον, *Exemplum*] *Exemplum imitandum.* Sic Jac. v. 10. ¶ Καθὼς ἐγὼ ἐποίησα, *quemadmodum ego feci*] In genere actus; quomodo sæpe hæc vox sumitur. In quibusdam Ecclesiis etiam ipsa actus species in sacramentum præcepti retenta est, ut Mediolani usque ad Ambrosii tempora.

16. Αμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *Amen, amen dico vobis*] Quia Apostoli futuri erant principes Ecclesiæ & muneris auctoritate & donorum eminentia, ideo eos munit contra superbiam quæ eminentiam comitari solet, & ostendit quo sublimiores erunt eo magis ipsorum fore officii ut se aliorum usibus submittant. Vide quæ ad Matth. xx. 26. & Lucæ xxii. 26. & quæ ibi dicta. ¶ Οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ, *non est servus major domino suo*] Tritum proverbium, Matth. x. 24. infra xv. 20. Repetit tacite quod dixerat, Se ipsorum esse Dominum ipsorum confessione; quare non debere eos quantumvis in loco excellente positos se indignum ducere quod ipse non detrectasset. ¶ Οὐδὲ ἀπόστολος μείζων τοῦ πέμψαντος αὐτόν. *neque Legatus major eo qui misit eum*] Ἀπόστολος hic non specialis numeris sed generale nomen est, *missum cum mandatis* significans, ut Heb. iii. 1. Philip. ii. 25. Sic Hebræum שלח vertitur 1 Reg. xiv. 6. Quod autem modò dixerat *magistrum*, nunc dicit *mittentem*, quia in hoc eos instituerat ut eorum opera uteretur.

17. Εἰ ταῦτα οἴδατε, *Si hæc scitis*] *Si hæc creditis veræ.* Sic supra iv. 25. & alibi. ¶ Μακάριοί ἐστε ἐὰν ποιῆτε αὐτά. *beati eritis si feceritis ea*] Quia fides non operosa nocet magis quam prodest, Jac. iv. 17.

18. Οὐ περὶ πάντων ὑμῶν λέγω. *Non de omnibus vobis dico*] *Non de omnibus tam bene spero.* ¶ Ἐγὼ οἶδα οὓς ἐξελεξάμην. *ego scio quos elegerim*] *Novi eos intime quos mihi in comites delegi.* Hæc enim electio Christo adscribitur; ea quæ est ad fidem, Patri. Sic ἐκλέγειν [*elegere*] usurpatur Lucæ vi. 13. infra xv. 16, 19. Actor. i. 2. Quasi dicat, Et nunc cum eum Apostolum feci scivi esse levem, & nunc scio esse perfidum. Vide supra vi. 64. ¶ Αλλ' ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· *sed ut adimpleatur Scriptura*] Ἔλλειψις [*defectus locutionis*]. Commode hoc accidit, ut iterum & quidem eminentius fiat, quod olim sibi ab Achitophele factum est conquestus David: nam de eo Psalm. xli. & Psalm. lv. interpretantur Hebræi & nominatim Chaldæus Paraphrastes. Tacite simul vaticinatur Judæ similem fore exitum qualis Achitophelis fuerat. ¶ Ο τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον, *Qui manducat mecum panem*] *Quem mensæ meæ participem feceram:* quod etiam apud Gentes sacrum amicitiæ signum, 1 Cor. v. 11. Vide & Marc. xiv. 18. ¶ Ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ. *levavit contra me calcaneum suum*] Pro ἐπῆρε [*levasse*] hic in Hebræo est הגדיל quod est *magnifice usurpavit.* Sensus ergo est, *pede sublimis me pressit atque calcavit:* id enim rectius quam ut ad cursores aut luctatores alludi dicatur.

19. Ἀπ' ἄρτι λέγω ὑμῖν πρὸ τοῦ γενέσθαι, *Amodo dico vobis priusquam fiat*] Et cogitationum & rerum futurarum conscium me ostendo. ¶ Ἵνα ὅταν γένηται, πιστεύσητε ὅτι ἐγώ εἰμι. *ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum*] Nempe is cujus typum gessit David. Nisi dixissem, poterat ubi evenisset hoc vos offendere. At nunc tanto magis confirmari debetis. Nam *credere* hic, de augmento fidei accipiendum, ut supra ii. 11. & alibi sæpe.

20. Ο λαμβάνων ἐάν τινα πέμψω, *qui accipit si quem misero*] Ostendit ministeria ipsis injuncta non caritura suis solatiis. Nam velle Deum vicissim, ut Christiani Apostolis omnia officia exhibeant, quæ ipse large sit remuneraturus. Vide Matth. x. 41. ἐάν τινα hic est *quemcunque*, ut Actor. ix. 2. & alibi. ¶ Εμὲ λαμβάνει. *me accipit*] Perinde mihi gratum facit ac si me in hospitium reciperet. Vide Matthæi xxv. 40. ¶ Ο δὲ ἐμὲ λαμβάνων, λαμβάνει τὸν πέμψαντά με, *qui autem me accipit, accipit eum qui me misit*] Quod mihi præstatur, id Pater sibi præstitum interpretatur, Matth. dicto loco x. 41.

21. Ἐταράχθη τῷ πνεύματι, *turbatus est Spiritu*] *Animo commotus est* & periculi consideratione & sceleris horrore. Vide supra xi. 33. ¶ Καὶ ἐμαρτύρησε, *& protestatus est*] Palam professus, quod dixerat tectius, fore ut ab uno Discipulorum proderetur. μαρτυρεῖν [*protestari* aut *testimonium perhibere*] solet absolute poni ubi aliquid respicitur quod præcessit, ut diximus supra xii. 17.

22. Ἔβλεπον οὖν, *Aspiciebant ergo*] Perculsi rei atrocitate vix credibili animis probis minimeque suspicacibus.

23. Ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ, *in sinu Jesu*] *In sinu*, Plinius; *Complexus gremio* dixit Apulejus. ¶ Ον ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς. *quem diligebat Jesus*] *Quem familiarius cæteris Jesus diligebat.* Hac modesta circumlocutione se designare solet Johannes, ut infra xix. 26.

24. Νεύει οὖν τούτῳ, *Innuit ergo huic*] Innuit ei ut interrogaret. Sic νεύειν δίκαια [*justa innuere*] in Græco Prov. iv. 25. Cupit autem hoc Petrus, tum ut innoxii extra suspicionem sint, tum ut sibi caveant ab impuro.

25. Ἐπεσὼν δὲ ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ στῆθος, *Cum recubuisset ille supra pectus*] Propius se ad aurem admovens.

26. Ω ἐγὼ βάψας τὸ ψωμίον ἐπιδώσω, *cui ego intinctum panem dedero*] Ἐπιδώσω pro δώσω [*dedero*]; ut Matth. vii. 9, 10. Luc. iv. 17. xxiv. 30. Act. xv. 30. Ostendit Christus summam suam lenitatem, qui nunc etiam perfidiosum amoris quodam testimonio ad resipiscentiam provocat. ¶ Βάψας τὸ ψωμίον, *cum intinxisset panem*] Non εἰς τὰς πικρίδας [*in herbas amaras*], quæ erant jam sublatæ cum cœna rituali, sed in jusculum cœnæ domesticæ: פרס Hebræis, Jud. vi. 19, 20. Isaiæ lxv. 4.

27. Τότε εἰσῆλθεν εἰς ἐκεῖνον ὁ Σατανᾶς. *tunc introivit in eum Satanas*] Sic & Lucas de Juda loquitur XXII. 3. Intelligendum hic εἰσῆλθε, *penitus intravit*, quod dicitur Actor. v. 3. ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν [*implevit Satanas cor*], ubi nihil amplius est quod resistat, lumine rectæ rationis paulatim extincto. ¶ Λέγει οὖν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, *Dixit ergo ei Jesus*] Cum ne sic quidem eum flecti videret sed magis magisque obdurescere. ¶ Ὃ ποιεῖς, *Quod facis*] *Quod facturus es*, ut infra 6. ¶ Ποίησον τάχιον. *fac citius*] Est hoc proverbiale, *Fac quod facis* in Latino epigrammate; Senecæ, *Fac si quid facis*; Plauto in Trinummo, *Age si quid agis*: idem Persa, *Hoc, si falluras, face*: δρᾶ γ' εἴ τι δράσεις [*hoc fac quod es falluras*] apud Euripidem Iphigenia in Aulide. Significat autem, Non impedio, ferre paratus sum. Sic II Macc. VII. 30 τίνα μένετε; [*quem exspectatis*]? nec longe aliter supra II. 19. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον· [*Solvite templum hoc*]· τάχιον [*citius*] pro *cito*, comparativum pro positivo, ut *ocius* Latine.

28. Οὐδεὶς ἔγνω τῶν ἀνακειμένων πρὸς τί εἶπεν αὐτῷ. *nemo scivit discumbentium ad quid dixerit* ∎] Nemo vim illorum verborum intellexit, ne Johannes quidem: neque enim existimabat tam prope esse facinus.

29. Τινὲς γὰρ ἐδόκουν, *Quidam enim putabant*] Alii quam Johannes. ¶ Ἐπεὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχον, *quia loculos habebat*] Supra XII. 6. ¶ Ἀγόρασον ὧν χρείαν ἔχομεν εἰς τὴν ἑορτήν· *Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum*] Victimas. Quanquam enim Christus Paschaticam cœnam aliquo modo anticipaverat, ut dictum est ad Matthæum, suspicabantur tamen aliam quamvis causam potius quam quod tam cito, ante sequentem vesperam scilicet, esset moriturus. ¶ Τοῖς πτωχοῖς ἵνα τι δῷ. *egenis ut aliquid daret*] Ἵνα [*ut*] postpositum, ut Rom. XI. 31.

30. Ἐξῆλθεν· ἦν δὲ νύξ. *exivit: erat autem nox*] Initium noctis: nam qui sequuntur sermones in multam noctem protracti. Vide quæ ad Matthæum. ¶ Ὅτε ἐξῆλθε, *cum exiret*] Ita habent & cum superioribus connectunt Græci codices longe plurimi & Syrus: nam qui habent ὅτε οὖν ἐξῆλθε [*cum ergo exiret*] non alii sunt quam qui toti facti sunt ad Latinum exemplar.

31. Νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *Nunc clarificatus est Filius hominis*] Satis jam apparuit per hæc documenta & opera, quibus jam finis imponendus est, me à Deo missum, etiam ipso judicio latentis proditoris. Vide supra XII. 28. & VIII. 54. ¶ Καὶ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ. *& Deus clarificatus est in eo*] *Per ipsum*: quia & documenta ad verum Dei cultum excitant, & opera ipsa sua Jesus Deo auctori perpetuo adscripserat. Vide VII. 18.

32. Εἰ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ, *Si Deus clarificatus est in eo*] Εἰ [*Si*] pro *quandoquidem*. Sic Matth. XXII. 45. & alibi. Utitur axiomate noto inter Hebræos, quod exstat I Sam. II. 30. ubi in Græco Deus sic loquitur, τοὺς δοξάζοντάς με δοξάσω [*quicunque glorificaverit me, glorificabo eum*]. ¶ Καὶ ὁ Θεὸς δοξάσει αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ, *& Deus clarificabit eum in semetipso*] Non per Angelos sed *per seipsum*, per signa in sole & terra, per resuscitationem e mortuis, evectionem in cœlum, & donationem nominis supra omne nomen. Vide dictum locum XII. 28. ¶ Καὶ εὐθὺς δοξάσει αὐτόν. *& continuo clarificabit eum*] Statim in ipso mortis puncto incipiet ei testimonium reddere, ita ut qui adspiciant dicturi sint, *Hic vere Filius Dei est*: neque in morte eum relinquet nisi perpauxillo tempore.

33. Τεκνία, *Filioli*] Christus in morte sua illud reperiebat tristissimum quod gravissime mœrore suos esset affectura, itaque omnia illis solatia adhibet, etiam verborum blandimenta, quale hoc τεκνία [*filioli*]. Sic Gal. IV. 19. I Johan. II. 1, 12. 28. III. 7, 18. IV. 4. V. 21. ¶ Ἔτι μικρὸν μεθ' ὑμῶν εἰμι. *adhuc modicum vobiscum sum*] Nempe quotidiana hac præsentia: nam post resurrectionem adfuit tantum οἰκονομικῶς [*dispensative*]. Sic supra VII. 33. XII. 35. infra XVI. 10. ¶ Ζητήσετέ με· καθὼς εἶπον τοῖς Ἰουδαίοις· *Quæretis me*] *Si forte quæretis me posthac*: ut exposuimus supra VII. 34. ¶ Καὶ ὑμῖν λέγω ἄρτι. *& vobis dico modo*] Locus est inaccessus: non potestis eo venire ulla humana ope.

34. Ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, *Mandatum novum do vobis*] Ut solent abeuntes mandata suis dare. *Novum* autem dicit, quia non agit de dilectione communi omnium, nec de ea quæ ob consanguinitatem aut beneficia accepta impenditur, sed de speciali Christianorum inter se qua tales sunt. Itaque infra hoc *suum* quasi proprium sibi mandatum vocat XV. 12. *Diligamus invicem*, *sicut ipse dedit mandatum*, I Johann. III. 23. Huc illud spectat Apostoli I Thessal. IV. 9. αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους. [*ipsi enim vos à Deo didicistis ut diligatis invicem*]. Hieronymus Commentario ad Epistolam Johannis, *Johannes Apostolus à fratribus admonitus cur semper inculcaret dicens, Filioli diligite alterutrum, respondit, Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* Ubi *Domini præceptum* vocat, quia, ut jam diximus, ejus proprium est ac peculiare: & *solum sufficit*, quia si hat ut oportet, non potest non ex Dei amore proficisci, cum nostri amor inde non ortum habeat. ¶ Ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους· *ut diligatis invicem*] Ut fratres, ut condiscipulos. ¶ Καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. *sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem*] Exponit qualem dilectionem requirat, nempe ut non tantum in rebus hujus vitæ alii alios nobis præferamus, I Corinth. X. 24. verum etiam ut pro aliorum salute æterna nulla incommoda defugiamus, ne mortem quidem. Hæc enim est illa Christi dilectio qua nos dilexit, infra XV. 13. Quare, *quia ipse animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus nostris animas ponere*, I Johann. III. 16.

35. Ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis*] Discipuli Legisperitorum ex receptis quibusdam sententiis & interpretationibus Legis noscebantur, Pharisæorum ex habitu & cæremoniis, Johannis Baptistæ ex vitæ austeritate & jejuniis: at discipuli Christi quo cognoscentur, nisi imitatione Magistri, id est, mutua dilectione? Hac nota insignis fuit illa primorum temporum Ecclesia, cum *esset credentium cor unum & anima una*, Actor. IV. 32. Tertullianus Apologetico, *Sed ejusmodi vel maxima dilectionis operatio nobis notam inuris apud quosdam. Vide, inquiunt, ut invicem se diligant; ipsi enim invicem oderunt: & ut pro alterutro mori paratis sint; ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores erunt.* Mox, *Itaque quia animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores.* Minutius, *Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus: Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis omnes, ut consortes fidei, ut spei coheredes.* Quid nunc illi dicerent Christiani si nostra viderent tempora, si, non dicam lites asperrimas, sed sævissima bella Christianorum inter se, & quas ob reculas? Si notas Ecclesiæ audirent magnis certantium clamoribus adferri omnes potius quam illam quam Magister assignavit? ¶ Ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις. *si dilectionem habueritis ad invicem*] Id est, *inter vos*. Sic Marci IX. 50. εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις [*pacem habete inter vos*].

36. Πῦ ὑπάγεις; *quo vadis*]? Existimavit Petrus Dominum iter parare in locos longinquos, plenum incommodis. ¶ Ὅπου ὑπάγω, οὐ δύνασαί μοι νῦν ἀκολουθῆσαι, *Quo ego vado, non potes me modo sequi*] Recte indicat Christus nondum illi fat esse animi, ut mortem subeat, per quam iter sit in cœlum. ¶ Τερον δὲ ἀκολουθήσεις μοι. *sequeris autem postea*] Spiritu firmatus. Vide infra XXI. 18. ὕστερον, *tandem, aliquando*, ut hic vertit Syrus.

37. Διατί οὐ δύναμαί σοι ἀκολουθῆσαι ἄρτι; *quare non possum te sequi modo*]? Quid impedit? putasne ulla iteris molestia me terreri? ¶ Τὴν ψυχήν μου ὑπὲρ σοῦ θήσω. *animam meam pro te ponam*] Si opus sit, etiam mortis discrimini me pro tuo capite objiciam. De hac phrasi diximus X. 11. & sequentibus.

38. Τὴν ψυχήν σου ὑπὲρ ἐμοῦ θήσεις; *Animam tuam pro me ponis*]? Itane vero? nihil tam grave est quod non pro me sis subiturus? Hoc ita pronuntiatur ut inde intelligi possit, minime eum qui interrogat, id credere. ¶ Οὐ μὴ ἀλέκτωρ φωνήσει, *non cantabit gallus*] Cantu illo notiore & qui κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] *gallicinium* dicitur. ¶ Ἕως οὗ ἀπαρνήσῃ με τρίς. *donec ter me neges*] Id est, *prius ter negabis me tibi cognitum quam gallus cantet*. Johannes & Lucas hoc narrant ut in domo dictum: quare credibile est apud Matthæum & Marcum esse ἐπάνοδον [*retrogressionem*], ut τότε [*tunc*] sit *circa illud tempus*, quomodo ad Matthæum notavimus.

CAP. XIV.

VALLA.

1. *Creditis in Deum, & in me credite*] Græce non est distincta vox *creditis* & *credite*, sed eadem, πιστεύετε, ut potius transferendum, *Si autem creditis in Deum, & in me creditis*: aut, *Credite in Deum, & in me credite.* Nam si per indicativum & imperativum licet hoc efferre, quid causæ est cur non sic transferamus, *Credite in Deum, & in me creditis?*

2,3. *Si quo minus, dixissem vobis, Quia vado parare vobis locum*] Inepte translatum, & ideirco inepta sententia. Ad verbum sic transferretur, *Sin autem non*: Poterat etiam transferri, *Sin minus*, vel *alioquin dixissem vobis.* Et hic finitur sententia: post hæc alia sententia incipit, *Vado parare vobis locum.* Nam illud *quia* Græce non legitur, εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν, πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. Melius eadem verba transtulit postea Interpres, *Alioquin propter opera ipsa credite*, εἰ δὲ μή, v 11.

9. *Qui videt me, videt & Patrem*] Legendum est per præteritum, *Qui vidit me, vidit & Patrem*, ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα.

11. *Non creditis mihi quia ego in Patre, & Pater in me est?*] Aliter Græce legitur, *Credite mihi quia ego*, πιστεύετέ μοι. Philippo per interrogationem responsum est vers. 10. *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* ἢ πιστεύεις ὅτι.

12. *Majora horum faciet*] Genitivum Græcum per oblivionem reliquit Interpres, cum deberet transferre per ablativum, quo Græci carent.

17. *Quia non vidit eum*] In præsenti legendum est, *quia non videt eum*, ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτό. ¶ *Quia apud vos manebit*] Gr. *manet*, μένει.

24. *Et sermonem quem audistis non est meus*] Non possum adduci ut credam Interpretem eo licentiæ perveniſſe ut quod in Virgilio vix toleratur, dicente,

Urbem quam statuo, vestra est,

ipse sibi permitteret dicere. Nam illud in Psalmo 118. 22. quod apud Matthæum 21. 42. reperitur, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, & nonnihil diversum est, & ita Græce legitur: de quo genere sermonis alio in loco disputavimus. Astipulatur opinioni meæ quod aliquot vetustos codices legi in quibus scriptum est *sermo* non *sermonem*; ut Græce habetur, καὶ ὁ λόγος.

26. *Paracletus autem, Spiritus sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*] *Paracletus* substantivum est, nec dicitur *Spiritus Paracletus*, duo substantiva, cum præsertim sit neutri generis Græce πνεῦμα, *Paracletus* παράκλητος masculini. Ideoque ego transtulissem, *Paracletus autem Sanctus Spiritus*, quasi, *Paracletus autem, id est, Spiritus Sanctus.* Est enim *Paracletus* peculiare nomen Spiritus S. etsi scribi non potest Latine, & contra usum nostræ linguæ in antepenultima habet accentum cum penukima ejus sit longa, ut fit in *Agapitus* & *Eleison*, ἀγαπητὸς, ἐλέησον. *Suggeret* vix implet Græcum sensum, ὑπομνήσει, quod est *in memoriam rediget*, vel *subjiciet.* Neque dicit *quæcunque dixero vobis* (non enim locuturus est cum Apostolis Jesus multa, adventante obitu) sed *quæcunque dixi vobis.* Nec est *quæcunque*, sed *quæ*: πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν.

28. *Si amaretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*] Ὅτι εἶπον ὑμῖν, Πορεύομαι. Jam non semel dixi illud *utique* surpervacuum esse.

REVIUS in VALLAM.

1. Πιστεύετε] Trajectum erat. ¶ *Nam si per indicativum*] Ultimæ editionis auctor pro *si* posuerat *sic*, à mendosa interpunctione, quam correxi, in errorem inductus. ¶ *Et in me creditis*] Videatur Beza.

2. *Finitur sententia*] Hoc sugillat Erasmus; & *dixissem vobis* connectit cum sequentibus, hoc sensu, *dixissem me jam abire ad parandas eas mansiones.* Idem invenire est apud Hieronymum l. 2. adv. Jovinianum, *Dicerem, inquit, vobis, quia vado, & præparabo vobis locum, si non mansiones multa essent apud Patrem.* Ita & Augustinus tract. 68. in Joan. *si quo minus, dixissem, Vado parare*: & mox, *si quo minus enim essent, dixissem, Vado parare.* Quod ita explicat ut dicat mansiones *jam præparatas esse in prædestinatione, si quo minus, dixissem*, EO ET PRÆPARABO, *id est, prædestinabo: sed quia nondum sunt in operatione, cum adjicere, Et si abiero & præparavero vobis locum*, &c. Ita ergo hæc posteriora verba cum illis conciliat: nam illic putat negare Christum se præparaturum eis mansiones: i. prædestinaturum ipsos ad salutem; in his vero sequentibus videt affirmare Christum eas paraturum: id autem fieri ait, *vocando eos, & mansionibus parando mansores.* Chrysostomus eandem distinctionem habet, & explicat, ὅτι ἐκ ἐνὸς εἰκότ' ὅτι ἑτοιμασίας δεῖται. Sequitur eum, ut solet, Theophylactus: item Nonnus,

Πολλαὶ δ' ὑψιμέδοντος ἐμῷ κατὰ δῶμα τοκῆος
Εἰσὶ μονὴ στοιχηδὸν ὁμόζυγες· εὐρυτενὴς δὲ
Εἰ μὴ πολυμέλαθρος ἐμὴ πέλε πάνδοκος αὐλὴ,
Ἦμιν καί κεν ἔεπον ὅτι προπέλευθος ὀδεύσω
Ὄφρά κεν ἐντύνω πολυχανδέος ἔνδοθι αὐλῆς,
Ἄξιον ὑμέλιον νεοτευχέϊ χῶρον ὀφύσσω.

Sed recte defendit Vallam, & veram lectionem stabilit Beza.

24. *Sermo*, non *sermonem*] Ita & Augustinus legit, ut Erasmus observat.

26. *In antepenultima habet accentum*] Vide Erasmum.

28. *Quia vado ad Patrem*, ὅτι εἶπον ὑμῖν, Πορεύομαι] Græca docent aliquid hic deesse, tale videlicet, *In Græco est*, quia dixi vobis, Vado ad Patrem.

ERASMUS.

1. ET *ait discipulis suis*] Hæc in vetustis cod. non addebantur, ac ne in Græcis quidem omnibus. Adjecta videntur ab erudito quopiam ad concinnandam sermonis seriem. ¶ *Creditis in Deum*] Utrobique anceps est verbum πιστεύετε, πιστεύετε, an sit *creditis* an *credite.* Unde quadrifariam legi potest: *Creditis in Deum, & in me creditis*: atque ita legisse videtur ex interpretatione sua Chrysostomus, quasi fides quam habebant in Deum & in Dei Filium Jesum illis abunde præsidio esset futura adversus persecutionum procellas. Aut sic, *Credite in Deum, & in me credite*: ut utrumque jubeat fieri ne turbentur: ad hunc modum citat Hilarius De Trin. l. 9. Tertio modo sic, *Creditis in Deum, & in me credite*: ut sit sensus, *Creditis in Deum*, ut Judæi; *credite in me*, ut sitis Christiani. Quarto sic, *Credite in Deum, & in me creditis*: ut sit sensus, *Credite in Deum, quod si facitis, eadem opera in me quoque creditis.* Cyrillus interpretatur utrumque verbum imperandi modo. Hoc tamen loco significantius erat, *confidite*, sive *fiduciam habete, in me.*

2. *Si quo minus*] Εἰ δὲ μή *sin minus*, vel *alioqui.*

3. *Quia vado parare*] *Quia* ὅτι non est in quibusdam Gr. cod. quanquam superflue additur nisi sit causalis conjunctio. Ergo hic etiamsi aderat, non erat vertenda, sed tantum, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt: quod si secus esset, dixissem vobis, Vado parare vobis locum*, sive, *Quod eo paraturus vobis locum.* Cæterum haud assentior hac in parte Laurentio volenti, *alioqui dixissem vobis*, finem esse prioris sententiæ, deinde alteram subjici, *Vado parare vobis locum.* Nam omnino cohærent hæc duo; cum hic sensus sit, *In domo Patris mei jam parata sunt multæ mansiones, ut non mihi uni sed omnibus item meis sit locus. Quod si secus esset, dixissem me jam abire ad parandas eas mansiones: nunc nihil opus, cum parata sint, & vos brevi secuturos exspectent. Porro quod abeo ad breve tempus abfuturus, non ob id abeo ut parem mansiones, quæ jam parata sunt, sed ut viam in cœlum mea morte vobis aperiam. Nam ante invium erat iter.* Quod autem dicit, *iterum venio* pro *veniam*, aut reditus celeritatem indicat, aut certam promissi fidem.

6. *Ego sum via, veritas, & vita*] Annotandum singulis horum nominum apponi articulum, ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωή· ut intelligamus non quamlibet Viam, aut Veritatem, aut Vitam, sed veram illam & unicam.

7. *Et Patrem meum utique cognovissetis*] Ἐγνώκειτε ἄν. Recte vertit ἄν in *utique*, quod alias vertit in *forsitan*; cum hoc sit Confirmantis, illud Addubitantis. ¶ *Et amodo cognoscetis*] Γινώσκετε *cognoscitis*, suffragantibus & antiquis exempl. ut verbum indicativi modi præsentis temporis; consentiente & interpretatione Cyrilli & Augustini, si quis expendat. Atque *amodo*, quod Græcis est ἀπ' ἄρτι, jam semel atque iterum posuit pro *nunc.* Evidentius itaque vertillet, *& jam nunc cognoscitis eum.* Ita Cyrillus.

9. *Et*

9. *Et non cognoviſtis*] Ἔγνωκας *cognoviſti me*, Philippe: ſic enim legit Chryſoſtomus: ut Philippus ſit hujus orationis occaſio, & huic uni dicatur, *Non cognoviſti me?* Neque ſecus legit Hilarius De Trinitate l. 7. Nam ſequitur, *Non credis:* mox ſubjicitur, *non creditis*, mutato numero. Et D. Auguſtinus annotavit hic commutatum eſſe numerum, cum prius ſolus Philippus eſſet objurgatus. ¶ *Qui vidit me*] Ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα, *Qui vidit me, vidit Patrem.* Nec additur apud Græcos conjunctio: & utrumque verbum præt. temporis eſt. Aſtipulantur omnibus Græcorum codicibus quædam vetuſta Latinorum exemplaria, ac nominatim omnium vetuſtiſſimum ex bibliotheca D. Pauli apud Londinum.

10. *Non creditis quia ego in Patre, &c Pater in me eſt?*] Ad hunc ſane modum legit Auguſtinus. Verum Cyrillus & Chryſoſtomus non addunt ἐ, quod paulo ante Philippum objurgarit per hujuſmodi interrogationem. Cæterum omnibus jubet ut credant, *Credite quod ego in Patre*, &c.

11. *Alioqui propter opera*] Εἰ δὲ μή. Quod modo tranſtulit, *ſi quo minus*, hic tolerabiliter vertit *alioqui*, h. e Etiamſi alias non creditis, vel ipſis commoti factis credite: id quod propemodum non eſt *credere.* Neque enim proprie *credimus* quod videmus, ſed *experimur* potius.

12. *Et majora horum*] Καὶ μείζονα τούτων *majora his.* Sed Interpres per oblivionem reliquit Græcum genitivum, cum nihil eſſet opus.

13. *Et quodcunque petieritis Patrem*] *Patrem* non additur nec in Græcis, nec in antiquis exemplaribus, nec apud Auguſtinum interpretem, qui cum inter diſſerendum toties repetat eadem verba, nullam *Patris* facit mentionem, niſi occaſione illorum verborum, *ut glorificetur Pater in Filio.* Nec vertendum erat *quodcunque*, ſed *quicquid*, ὅ, τι ἂν, ſive, ut alii legunt, ὃ ἐὰν. Ac mox non eſt eadem dictio Græca, ſed ἐάν τι, *Si quid petieritis.* In nonnullis etiam vetuſtis exempl. habebatur, *quodcunque petieritis me in nomine meo.* Atque id pronomen additum reperi in editione Aldina cum adornarem tertiam editionem. Cyrillus ac Theophylactus non addunt; & commodius omittitur. Chriſtus enim ubique autoritatem defert Patri, ipſe tectius indicat Divinam naturam ſuam, cum pollicetur ſe præſtaturum quicquid à Patre peterent in nomine Filii. Erat enim Advocatus, cui nihil negabat Pater.

16. *Et alium Paraclitum*] Jam illud notius eſt quam ut ſit admonendum, *Paracletum* per *e* ſcribendum in penultima, eamque producendam, cum Græce ſit παράκλητος per Ita. At hoc loco commodius erat vertere *Conſolatorem* aut *Advocatum*, ne quis duos Paracletos imaginaretur. Nam quod hactenus locutus eſt, conſolandi gratia locutus eſt. Ita Paracletus erat Chriſtus. Pollicetur autem *ſeſe & alterum miſſurum Conſolatorem*, nempe *Spiritum veritatis.* Paulus Chriſtum appellat *Advocatum noſtrum apud Deum:* & idem de Spiritu ſcribit, quod *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

17. *Quia non videt eum*] Οὐ θεωρεῖ *non videt*, præſentis temporis, quemadmodum eſt in emendatioribus etiam Latinis. ¶ *Apud nos manebit*] *Manet*, μένει· niſi mutato accentu legimus μενεῖ.

18. *Non relinquam vos orphanos*] *Orphanos* Græca vox eſt, ſed tamen Latinis uſurpata. Etymologiam quam adferunt Græci non libet aſcribere, quod mihi videatur ineptior. Sonat autem ORPHANUS *orbum parentibus ac deſtitutum præſidiis amicorum.*

19. *Vos autem videbitis*] Θεωρεῖτε *videtis*; conſentientibus & antiquis exemplaribus.

21. *Et manifeſtabo ei meipſum*] Ἐμφανίσω, quod magis ſignificat *tacite & clam indicare.* Unde & ἐμφυσᾶν dicta, quod tacitum habet vim. Idque magis congruit cum afflatu quo ſe Deus inſinuat in animos ſuorum.

22. *Domine, quid factum eſt*] Τί γέγονεν *quid accidit.* Sermo proverbialis eſt de re nova ſubitaque. Quanquam *Quid factum eſt?* in eundem ſenſum dixit Martialis,

Quid factum eſt, rogo, quid repente factum?

24. *Et ſermonem quem audiſtis non eſt meus*] Non ſine cauſa miratur Valla quid Interpreti venerit in mentem, qui hoc ſermonis genus affectarit in oratione ſoluta, quod vix toleratur apud Poetas in carmine, præſertim cum Græcis non ſit *ſermonem*, ſed *ſermo*, ὁ λόγος. Certe D. Auguſtinus legit, *ſermo quem audiſtis*, non *ſermonem quem audiſtis.* Unde plane ſuſpicor hunc locum ſcriptoris errore fuiſſe muratum. Nec eſt *audiſtis* apud Græcos, ſed ἠκούσατε, *auditis*, licet reclamantibus exempl. noſtris. Nam ex Chryſoſtomi interpretatione quid legerit non quibat colligi. Certe Theophylactus legit *auditis.* Idem legiſſe Cyrillum indicat quod enarrans ait, *Qui enim per me priscis locutus eſt, is etiam nunc ad vos hæc per me loquitur.* Etiamſi facilis eſt lapſus in ἀκούετε & ἠκούετε. Proinde ſuper hac re non cenſeo digladiandum, præſertim cum ſenſus ferme manet idem.

26. *Paracletus autem, Spiritus ſanctus*] Duriuſcule cohærent duo nomina ſubſtantiva, præſertim cum prius ſit maſculini generis, poſterius neutri, ὁ παράκλητος, & τὸ πνεῦμα. Proinde commodius reddidiſſet ad hunc modum, *Caterum Paracletus ille, qui eſt Spiritus Sanctus, quem Spiritum miſſurus eſt Pater in nomine meo.* Adduntur enim Græcis utrobique articuli, ὁ & τό. Et articulus poſtpoſitivus *quem* Græcis non poteſt referri niſi ad *Spiritum*: eſt enim ὃ, non ὅν. Porro quod accentus hujus dictionis *Paracletus* offendit Vallam, poteſt nonnullum injicere ſcrupulum quibuſdam ſuperſtitioſis verius quam religioſis, qui cardinem, imo puppim ſimul ac proram, quod ajunt, Chriſtianæ pietatis in hoc conſiſtere putant, ſi rite ac legitime perſolverint preces illas quas vocant Horarias. Ad quod quidem præſtandum cum alia requiruntur innumera, tum illud in primis, ut verba ſingula plene & articulate proferantur. At qui *Paraclitum* penultima correpta ſonant, quotieſquoties id faciunt, Deum ſi non una ſyllaba certe uno fraudant tempore; quandoquidem juxta Grammaticorum leges ſyllabæ longæ bina ſunt tempora, brevi unicum. Neque vero ſunt audiendi qui dicere ſolent, *Minuta res eſt ſyllaba tempuſculum*, cum magis ſpectandum ſit quem fraudes quam quantulo fraudes. Quanquam ut & horum cauſam nonnihil, quoad licet, adjuvem, video veteres Latinos in uſurpandis Græcanicis vocibus ſyllabæ quantitatem juxta rationem accentus Latini commutaſſe: id quod in *idolo* facit Prudentius, vir quovis etiam ſeculo inter doctos numerandus. Cæterum illud non paulo durius, quod in Κύριε, ἐλέησον, quæ verba toties quotidie reperunt, Divinas aures duabus fraudant ſyllabis, ex *Domino* triſyllabo diſſyllabum, & ex *miſerere* quadrupede tripedem reddentes. Jam vero cum id flagitii ſingulis diebus fortaſſe centies aliquando committatur, ſi quis rationem ſubducat quadraginta aut quinquaginta annorum, & in ſummam redigat, non video ſatis fore ſi quis ſolidum annum nihil aliud iteret quam Κύριε, ἐλέησον, idque ſeptem diſtinctis ſyllabis. Nam par eſt, opinor, Deo reſtitui, ſi quid illum fraudavimus; quandoquidem ſexcentis legibus cavetur ut homini reponat homo, ſi vel nummulus ſubtractus fuerit. Etenim ſi ſacrilegium eſt paulum auri tollere de ſacro, quanto gravius ſacrilegium eſt ipſum omnis Autorem ſacri te longe ſacratiſſima fraudare? Jam vero non ſacrilegum modo verum etiam contumelioſum ac blaſphemum videtur, quod aſſidue ex *Chriſto Chriſtum* faciunt, nec alio vocabulo Regem ſuum compellant quam quo galeæ aut galli *criſtas* eſſent compellaturi. An hanc contumeliam laturus ſit Chriſtus Maximus Optimus, ſi tam moroſus eſſet quam ipſi ſunt in alios ſuperſtitioſi, aut tam iniquus erga homines Deus quam ipſi iniqui ſunt homines in hominem? Non auderes apud Regem homuncionem verba faciens pro *Ferdinando Perdinandum* dicere, neque pro *Philippo*, *Pilippum*, & non vereris in arcanis illis ſacris, ubi netas eſt vel jota depravare, dicere *Criſta* pro *Chriſte?* Ut ne quid interim caviller de accentu ab ultima perperam in primam tranſlato ſyllabam. Cum tantum habeat ea res momenti ut ſubita metamorphoſi ex *Via* facias *Cimiunculam*, ſi pro δῖμος pronuncies δίμος, aut ex *Portu Mantle*, ſi pro ὄρμος ὁρμός, aut ex opulenta Civitate *pigrum* hominem, ſi pro Ἄργος dicas ἀργός. Neque vero convenit eos hæc ut jocoſa ridere qui aliis in rebus his aliquanto levioribus tam Judaice ſunt anxii. Verum ego quidem iſtos, ne cui videar durior, lubens excuſarim à culpa, duntaxat capitali, quamdiu per imprudentiam errarunt. Cæterum poſtcaquam moniti ſunt amanter ab iis qui hiſce in rebus ſapiunt, cum eadem opera poſſint recte pronunciare qua perperam pronunciarunt, ſi poſtea perſtiterint in male ſolitis, & rejecta ſpretaque doctiorum admonitione ſcientes jam errare pergant, non video ſane quo pacto queant à gravi crimine excuſari. Neque enim iſtis ſuffragabitur ſimiliter errantium turba. Siquidem Deus Judex ut non corrumpitur ita nec opprimitur. Jam vero quid dicendum arbitramur de iis qui cum plus quinquaginta annis tam periculoſe errarint, & errarint non in his ſolum, admoniti non ſolum non reſipiſcunt ac monitori gratias agunt, verum etiam Sardonio quodam riſu exſibilant atque explodunt; pro hoſte ducunt bene merentem, conviciis infectantur, hæreticum clamitant. Et tamen dictu mirum, qui hic tam fortes ſint, quam ſint infirmi, aut certe videri velint, in iis quæ ipſi ſibi perſuaſerunt. Nos ſuperbos vocant ſi quid tale vel amice per occaſionem admoneamus: ipſi ſancti ac modeſti ſibi videntur, qui malunt in confeſſo errore perſiſtere ne quid ignoraſſe

raſſe videantur, ac prius habent fratrem bene merentem vel hæreſeos labe aſpergere quam ſuum agnoſcere lapſum. Atqui ab iſtis libenter exegerim, ſi quoties inciderit in canone Miſſæ, pro *Pater* pronunciaret aliquis *Phater*, pro *Filium Pilium*, num laturi ſint? Non, opinor: imo verberibus citius exigerent *Patrem* & *Filium*. Atqui tolle aſſuetudinem, per ſe gravius etiam eſt ex CHRISTO *criſtum* facere, ex KYRIE ELEESON *Kyrgheleiſon*, & in tam paucis dictionibus tot modis peccare ut plura ſint errata quam ſyllabæ. Quoniam autem ludus literarius ſemper ad Eccleſiæ curam pertinuit, providendum erat & illud, ut pueri germanam ac veram Latini ſermonis pronunciationem imbiberent, quandoquidem ita viſum eſt Patribus ut in templis non niſi Latine peragantur ſacra. Nunc hujus rei tanta eſt negligentia ut Italus Germanum Latine pronunciantem non intelligat, nec Germanus Gallum, imo nec Inferioris Germaniæ qui ſit intelligat Superioris Germaniæ ſermonem, adeo tota pronunciatio petitur non ex Grammaticæ regulis, ſed ex vulgi conſuetudine. Quod idem accidit apud Græcos, apud quos idem ſonant ι, η, υ, οι, ει, ut nec diſcrimen eſt inter ο & ω. Et poſt accentum acutum ſæpe brevis videtur quæ longa eſt, ut τετελείωται· rurſus idem accentus ſæpe facit videri longam quæ brevis eſt, ut θεολόγος. Atqui olim etiam populus exſibilabat hiſtrionem ſi ſyllabam longam ſalтaſſet brevem. Hæc omnia reſtituere difficillimum fuerit: quædam tamen ex vulgata pronunciatione reſtitui poſſunt. Apud Gallos adhuc audias diphthongum *oi* & *ai*, *ou* & *eu*, in *fide*, *fatio*, *fulgure*, ſeu *pulvere*, & *duo*: itidem in lingua noſtra, Hollandicam dico, in *fœno*, *tenaci*, *ſene*, *mendacio*. Quin & quantitatis manifeſtum habent diſcrimen, quoties vocalem ſequitur conſonans. Eam cum volunt ſignificare longam, nec accentus id poteſt indicare, aut duplicem ſcribunt vocalem, aut addita vocali ſcribunt diphthongum. Græci μῆς ſonant acutam & brevem, at Hollandi pronunciant longam & circumflexam, quemadmodum arbitror veteres pronunciaſſe, quaſi diphthongo dicant μυῆς. Item cum *album* dicunt, ſonant *i* breve; cum *latum*, *i* longum; cum *ſolutum* dicunt, ſonant *o* breve & acutum; cum *callidum*, ſonant *o* longum & circumflexum. Id imitari facillimum eſſet in dictionibus quæ deſinunt in conſonantem; ut in καλὸς & καλῶς, ut *o* ſonetur quaſi geminum *oo*. Hoc diſcrimen obſcurius fiet in mediis ſyllabis, & tamen hic quoque ſervari poterit, ut *malum* pro *improbo* primam habeat acutam & brevem, *malum* pro *pomi* genere eandem habeat longam & circumflexam, q. d. *maálum*. Et quemadmodum nos diſtinguimus accentu & productione ſyllabæ *certum* à *ſapiente*, ita diſtingui poteſt Latine *vis* & *lis* à *bis*; ſimiliter *fex* & *lex* à *nex*. Galli quemadmodum acuunt omnes ultimas, ita producunt. *Jeſus* bene ſonant, ſed *animus* aut *Chriſtus* non bene. Verum in his labentibus publica omnium conſuetudo utcunque patrocinatur. In hoc tamen admonui, ut literatores paulatim emendent quod depravavit uſus. In *paraclaus*, *idolis* & ſimilibus inique ſibi ignoſcunt, qui tam moroſi ſunt in alios, ſi quid forte ſecus pronunciarint quam ipſi, etiam ſi id rectius fuerit. Atque hæc obiter admonui non meo ſtomacho conſulens, qui ne tantulum quidem alienis erroribus ſoleam commoveri, ſed ipſorum conſulens ſaluti. Etenim ſi ſuperbum eſt non ferre male errantem in rebus Divinis, multo ſuperbiſſimum eſt in iiſdem non ferre bene monentem. Nunc ad id quod inſtituimus ſeſe referat animus, ſed ſi prius unum illud admonuerimus, in vocibus Græcis à nobis receptis ut ſimplicius ac facilius eſt ita rectius quoque eſſe ſi Latinum ſequamur accentum, propterea quod Græcus accentus pro ejus linguæ legibus ſubinde migret alio, velut Ἰάκωβος, Ἰακώβου, Latius non item. Itaque qui nominandi caſu ſonet *Paracletus* ſecunda acuta, recte quidem pronunciet juxta Græcos; verum ſi idem faciat in paterno dandique caſu, jam neque Græce pronunciabit neque Latine. ¶ *Et ſuggeret vobis*] Ὑπομνήσει *commonefaciet*, ſive *ſubmonebit*, ut magis ad verbum exprimam. Duo poſuit, διδάξει *docebit*, & *commonefaciet*. *Docemur* quæ neſciebamus, *commonemur* eorum quæ jam exciderant. ¶ *Omnia quæcunque dixero vobis*] Græcis eſt εἶπον *dixi*, aut certe *dixerim*: nam *dixero* futuri temporis eſt.

27. *Pacem relinquo*] Annotavit hoc Auguſtinus, quod in priore particula non additur *meam*, in ſecunda additur. Id quoniam ad lectionis integritatem attinet, viſum eſt admonere, ne quis ſcriba depravet. ¶ *Neque formidet*] Δειλιάτω. Quod proprie eſt *ob ignaviam refugere & detrectare periculum, animoque pavido eſſe.*

28. *Vado, & venio ad vos*] Ὑπάγω, καὶ ἔρχομαι, *Abeo, & venturus ſum ad vos*, h. e. *Diſcedo mox rediturus*: etiamſi poſterius verbum ambiguum eſt. ¶ *Gauderetis utique*] Offenditur Laurentius quod ἄν verterit *utique*, quod ea conjunctio ſit expletiva: quanquam ne hæ quidem omnino nullum habent uſum. ¶ *Quia Pater major me eſt*] Secundum Hilarium *Pater major eſt Filio autoritate*, h. e. *ratione principii, quia à Patre Filius, non contra*: quam interpretationem probat & Cyrillus in Theſauro lib. 2. Quod autem Hilarius dicit, *Patrem eſſe majorem Filio, Filium tamen non eſſe minorem*, intelligendum eſt Patrem eſſe principium Filii, qui natura tamen ſit æqualis Patri, eo quod eadem ſit natura Patris & Filii. In Divinis Perſonis ordo quidem eſt, inæqualitas non eſt; quemadmodum diſtinctio eſt, diverſitas nulla eſt.

30. *Venit enim princeps*] Ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων, *venit enim ille hujus mundi princeps*, ob articulum appoſitum, ut Diabolum intelligamus. Additum eſt etiam pronomen τούτου, ne mundum univerſum intelligamus. Quanquam Cyrillus enarrans non addit *hujus*. Deinde ἔρχεται poteſt eſſe *veniet* fut. temporis, propter inſtantem paſſionem & accuſationem. Hieronymus in Commentariis Oſee citat *veniet*. Certe præt. temporis eſſe non poteſt.

VATABLUS.

1. CRediti] *Credite*: i. Pergite in Patrem & in me credere. Exhortatio eſt, q. d. Inſtat tempus in quo oportebit vos teſtari fidem veſtram in Patrem & me; prodite ergo illam ſine metu.

2. *Si quo minus*] *Sin minus*; *alioqui*. ¶ *Vado parare*] Quibuſdam eſt hic principium alterius ſententiæ.

3. *Si*] *Ubi*, *poſtquam*. ¶ *Venio*] Præſ. pro fut. *veniam*. ¶ *Sum*] *Ero*: ſub. *tunc*.

6. *Veritas*] i. Is quem Deus olim promiſerat, per quem mundo daturus eſt vitam.

7. *Amodo*] Vel, *nunc*, aut, *abhinc*, ſive, *ex hoc tempore*. ¶ *Cognoſcetis*] Præſ. pro fut. poſthac cognoſcetis & videbitis accepto Sp. Sancto.

9. *Cognoviſtis*] *Cognoviſti*, Vet. ¶ *Videt me, videt*] *Vidit me, vidit*. ¶ *Quomodo**] * *Et*.

10. *Creditis*] *Credis*, Vet. ¶ *A meipſo non loquor*] q. d. Illa ſolus non loquor. ¶ *Facit*] Sub. *mecum*.

11. *Non creditis*] *Non credite*. ¶ *Ego in Patre, & Pater in me eſt*] i. Quod ego & Pater unum ſumus. ¶ *Credite**] * *Mihi*.

12. *Horum*] *His*. ¶ *Ad Patrem*] Sub. *à quo impetrabo credenti omnem agendi facultatem*.

13. *In nomine meo*] i. Propter me.

16. *Paracletum*] *Conſolatorem*, vel, *Advocatum*; & infra.

17. *Spiritum veritatis*] i. Spiritum qui veritatem docet, & ab omni mendacio alienus eſt. ¶ *Non videt eum*] Hebr. pro, *non avet eum noſſe*. ¶ *Scit*] *Cognoſcit*. ¶ *Cognoſcatis*] *Cognoſcitis*, Vet. ¶ *Manebit*] *Manet*.

19. *Adhuc modicum*] *Intra quam modicum: parum adhuc ſupereſt, cum*, &c. ¶ *Videt*] *Videbit*: præſ. pro fut. ¶ *Videtis*] *Videbitis*. ¶ *In illo die*] Sub. *cum reſurrexero*.

20. *Quia ego ſum in Patre meo*] i. Quod non ſeparer à Patre meo.

21. *Habet*] i. Didicit. ¶ *Manifeſtabo ei meipſum*] *Inſinuabo* [ſub. *me eſſe Meſſiam*].

23. *Sermonem quem audiſtis*] *Sermo quem auditis*.

25. *Paracletus autem**] * *Ille*. ¶ *Suggeret*, vel, *ſubmonebit vos omnium quæ dixi*: vel, *revocabit vobis in memoriam*.

26. *Pacem*] i. Benevolentiam meam & amorem meum non auferam vobis.

27. *Vado & venio*] *Abeo & redibo*.

30. *Mundus*] i. Electi qui in mundo ſunt. ¶ *Et*] Videtur redundare more Hebraico: ut ſit ſenſus, Ego in mundo hoc loquor vobiſcum, & hæc facio ut appareat quod diligam Patrem: niſi ad *eamus* referatur, ſic, *Eamus ad ſupplicium ut cognoſcat*, &c.

CLARIUS.

1. NON *turbetur cor veſtrum: creditis in Deum, & in me credite*] Hæc non tam erant profutura Diſcipulis nocte illa qua omnium obliti terga dederunt, quam ſecuturis temporibus, & poſteritati omni. Declarat autem nunc ſuam Divinam & æqualem cum Patre naturam. Fidendum ergo docet, quod tametſi corporea hac ejus conſuetudine eſſent deſtituendi

ſtituendi, ſua tamen ſe Divinitate nunquam eos deſerturum. Neque exiſtimetis, inquit, me diſcedente actum eſſe de veſtra omnium ſpe & ingentibus illis promiſſis. Non ita eſt; ſed parata ſunt veſtra habitacula apud Patrem, ubi manſiones non deſunt copioſæ: quod ſi non eſſet, ego in hac profectione mea dixiſſem quod is qui profecturus ad accipiendam Regni alicujus poſſeſſionem domeſticis atque amicis diceret, *Non à vobis recedo, ſed eo ut præparem vobis locum; quem cum profectus paravero, iterum veniam, & accipiam vos apud me.*

4. *Et quo vado ſcitis, & viam ſcitis*] Sciebant, ſed ſcire ſe ignorabant: ſciebant enim Chriſtum, qui erat Via. Quod ergo ait, *& viam ſcitis*, intelige *per quam ipſi eſſem ingreſſuri*: idcirco cum dixiſſet, *Ego ſum via, veritas, & vita*, adjecit, *Nemo venit ad Patrem niſi per me.*

6. *Ego ſum via, & veritas, & vita*] Omnia hæc in Græco cum articulo ſcribuntur: *Illa*, inquit, *Via ſum* qua recta ingrediamini, né à ſcopo aberretis: *Veritas ſum*, qui certiſſime quæcunque ſum pollicitus præſtabo: *Vita*, qui perpetuo ea quæ præſtitero conſervabo. Me ſequendo non errabitis, mihi fidendo non eſtis fruſtrandi veſtra ſpe, & quæ ſperatis erunt immortalia. In his tribus verbis ſecuros eos ab omni metu reddit. Et cum adjicit, *nemo venit ad Patrem niſi per me*, aperit non ſolum quo eat (id quod quærebat Thomas) verum etiam viam qua alii accedere eodem poſſint. Deinde oſtendit cur Patrem, ad quem vadit, non norint, quem tamen agnoſcunt dum Filium norunt.

10. *Verba quæ ego loquor vobis*] h. e. Ex ipſis verbis meis cernere poteſtis Patrem: nam hæc ejus verba ſunt. Profecto enim hæc Euangelica præcepta non potuerunt niſi ab ipſa Divinitate eſſe profecta.

12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio*] Evidentem, inquit, vobis relinquam meæ Divinitatis ſignificationem, quod credentes in me eadem Divina opera facient: atque ut certior hujus rei fiat declaratio, efficiam ut ipſi majora etiam faciant quam ego unquam facere voluerim.

19. *Vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos vivetis*] Cernitur enim Chriſtus animi magis oculis quam corporis: qui ergo ſcit Chriſtum vivere, & victuros eos qui in eum credunt, is videt Chriſtum.

22. *Quid factum eſt quod manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?*] Videtur hoc interrogaſſe propterea quod, cum Regnum Chriſti exiſtimarent declarandum mundo, nunc in illis Domini verbis hæſitaverint quibus dixit *ſe illis duntaxat manifeſtaturum ſeipſum.* Dominus autem continuando ſermonem indicat quo id pacto ſit faciendum, & eo nunc modo uſus eſt in hac reſponſione quo & erga Petrum alibi, cum interrogaſſet *num illas parabolas propter ſe diceret, an etiam propter omnes.*

26. *Quem mittet Pater in nomine meo*] Ut me clarificet. Ille ergo commonefaciet vos omnium quæ dixi vobis: & quæ nunc minus intelligere poteſtis, ipſe ea vobis faciet apertiora.

27. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*] h. e. Cum *pacis* nomen auditis, ne opinemini pacem illam quæ una à mundo agnoſcitur, in ſumma harum rerum & copia & ſecuritate, ſed illam pacem quæ ſuperat omnem mentem, quæ in mediis mortibus auferri ne tum quidem à vobis poterit.

28. *Quia Pater major me eſt*] Audi quo modo & hunc locum contra hæreticos interpretetur Theologus Nazianzenus; *Si Major*, inquit, *tantum diceretur, & non etiam Æqualis, fortaſſe hoc eſſet eis aliquid: at ſi utraque manifeſte invenimus, quid iſti generoſi dicturi ſunt? quo pacto jungentur, quæ copulam non admittunt? Ut enim eadem res eodem modo & major & æqualis ſit, eſt impoſſibile. An non manifeſtum eſt illud* MAJOR *pertinere ad Cauſam*, ÆQUALIS *vero ad Naturam?* & poſt paulo, *Nam dicere illud* MAJOR *ratione naturæ humanæ eſſe intelligendum, verum id quidem eſt, ſed non magnum: quid enim mirum ſi major eſt Homine Deus?* Hæc ille. Quod autem ait debere *eos gaudere quod eat ad Patrem*, &c. videtur ob hoc dictum, quod proficiſcente in cœlum Domino, intellecturi apertius eſſent myſteria illa Divinitatis, & nativitatis Filii à Patre, & unitatis Filii cum Patre, & cætera hujus generis.

30. *Venit enim princeps mundi hujus*] Et hoc eſt quod alibi legis, *receſſiſſe diabolum à Domino uſque ad tempus.* Perſcrutatus eſt Diabolus nunquid inveniret in Domino: quid ergo nobis fiet?

31. *Sed ut cognoſcat mundus*] Eamus, inquit, ad opus jam inſtitutum, ut appareat quantum diligam Patrem & quam ei ſim obediens.

ZEGERUS.

1. ET *ait diſcipulis ſuis*] Hæc verba ante illud, *Non turbetur*, cum nec in Græcis reperiantur vetuſtioribus, nec in Latinis nonnullis, item vetuſtis, ut ſunt quatuor exempl. Gemblacenſia, ſed nec apud veteres explanatores, conſentaneum eſt adjecta eſſe ad concinnandam ſermonis ſeriem. ¶ *Creditis in Deum, & in me credite*] Cum apud Græcos eadem vox πιστεύετε bis repetita anceps ſit ad indicativum & imperativum; varie ſumi poſſet hic locus: Verum ipſe orationis tenor magis poſtulat ut vel primo loco indicandi modo poſita accipiatur, altero imperandi, vel utrobique indicandi. Poterit quoque prior clauſula percontative legi, *Creditis in Deum? Haud dubium quin ita. Credite ergo & in me.* Et *credere* hoc loco proprie *fidere* eſt ſeu *fiduciam habere.*

2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*] Quod ad conſequentiæ rationem attinet, oſtendit Apoſtolos hoc nomine Deo fidere debere quod in domo Patris ſui variæ ſint paratæ manſiones. A transfugis ſumpta metaphora, quibus magno ſolatio eſt habere varia aſyla ad quæ confugere poſſint. Ita Apoſtolis ſuis Dominus varia promittit in imminentibus perſecutionibus ac tribulationibus confugia, ſive præſentem vitam ſpectes ſive futuram. ¶ *Si quo minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum*] *In domo*, inquit, *Patris mei multæ ſunt manſiones*, quæ vos ex hujus mundi tumultibus excipiant reddantque ſecuros. *Quod ſi ſecus eſſet*, id olim *indicaſſem vobis, quandoquidem* nunc tempus adeſt quo *abiturus ſum ut præparem vobis locum* viamque aperiam qua ad eaſdem manſiones pervenire poſſitis. Sunt qui & aliter hunc locum edidiſſerant; verum iſtuc viſum eſt magis accedere ad verba Euangelica. Nihilominus mihi ſane haud diſplicuerit ſi juxta Græcos quoſdam codices omittentes *quia*, ab eo loco, *Vado parare vobis locum*, novum faciamus orationis caput, niſi Latinorum obſtaret conſenſus.

3. *Et ſi abiero & præparavero vobis locum*] *Si abiero* aut Hebraica phraſi pro *Certe ac vere abiturus ſum* poſitum eſt, aut (quod etiam ſenſus ipſe expoſtulare videtur) pro *Poſtquam abiero ac præparavero vobis locum, iterum veniam, & aſſumam vos ad meipſum.*

9. *Non cognoviſtis me*] Cum præcedat *vobiſcum* plurale; aptius eſt *cognoviſtis* quam *cognoviſti.* Mecum facit Irenæus, Hilarius, Auguſtinus, & alii fere omnes, contra Græcos. ¶ *Qui videt me, videt & Patrem*] h. e. *Qui me novit atque intelligit, novit intelligitque & Patrem.* Ne arbitreris perperam nobis legi, *Qui videt me, videt & Patrem*, cum hodie Græcis legatur, *qui vidit me, vidit Patrem.* Scito noſtram lectionem reperiri apud Auguſtinum, Hilarium l. 7. De Trin. Irenæum l. 3. c. 13. Chryſoſtomum & Cyrillum (ſi horum fidimus interpretibus) uti magis crediderim aut Græca depravata, aut certe per temporis hypallagen Hebræis familiarem, præteritum pœnitum vice præſentis: ut fileam interim de copula. Gemblacenſium codicum duo *videt*, reliqua duo *vidit* habent.

10, 11. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt*] Secundo loco hoc Græci citra negationem ſic legunt, πιστεύετέ μοι, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, &c. quod Cyrillus imperative accipit. Poteſt tamen & percontative legi. Auguſtinus nobiſcum facit: Chryſoſtomus, Cyrillus, & Theophylactus pro Græca ſcriptura: excepto μοι, quod non legunt; etiamſi in Theophylacto additum ſit in contextu, ſed non in commento.

13. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo*] *Patrem* non inveni in cod. Gemblacenſibus, nec in Enerbodienſi; ut alios fileam: idque juxta Græcos, Auguſtinum, & Cyrillum, ſi commentum inſpicias. Paulo etiam inferius ſupereſt *me.*

17. *Quia non videt eum*] Oculis mentis ſcilicet.

19. *Vos autem videtis me*] Per Metaſtaſin ita dictum puto pro *videbitis me.*

24. *Sermonem quem audiſtis non eſt meus*] Excuſati ſane poteſt hæc loquendi forma, Latinis auribus (ut nonnulli autumant) inaudita, quod eandem & Virgilius ſibi permiſerit Æn. 1. dum ait,

Urbem quam ſtatuo veſtra eſt.

& ſimiliter fere Terentius in Andria, dum ait;

Quas credas eſſe has, non ſunt veræ nuptiæ.

idque ex imitatione Græcorum, apud quos ſcribitur Pſal. 118. 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Denique hæc loquendi forma uſque adeo recepta eſt ut ipſam Chryſoſtomi atque Cyrilli interpretes non

ſint aſpernati, propterea, ni fallor, quod Græce itidem legerent, καὶ τὸν λόγον ὃν ἠκούετε, *al.* ἀκούετε· in quo per Antiptoſin caſus pro caſu poſitus intelligi poteſt. Apud Auguſtinum invenio, *Sermo quem audiſtis.*

26. *Paracletus autem*] Per *e* lego in veteriſſimo codice Elſtenſi. Alias in eodem codice etiam per *i* lego, *Paraclitus*, cujus ſecunda acuitur accentu eoque in pronunciando producitur, tertia autem gravatur, ſed producitur quantitate, ſicuti fit in *agapitus* & *eleiſon*, ἀγαπητὸς, ἐλέησον. Hac de re vide Eraſmum in Apologia adverſus Pariſienſes. *Paracletus* etiam habebat unus codex Gemblacenſis.

28. *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt*] Si noſſe vis gaudii cauſam, Remigro, inquit, ab hujus mundi calamitatibus ad Patris mei conſortium, depoſitaque corporis hujus corruptibilitate, ob quam Patre ſum factus inferior, ad ipſius jam regredior æqualitatem.

31. *Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem*, &c.] Pendet ſententia ab eo quod in fine capitis adjungitur, *ſurgite, eamus hinc. Eamus*, inquit, ad opus jam inſtitutum, *quo manifeſtum ſit quam diligam Patrem, quamque illis ſim obaudire paratus.* Cæteri tamen ſecus diſtinguunt, & ſubindicant hic aliquid ſubaudiendum, nempe, *Sed moriar*, aut *interficiar, ut cognoſcat*, &c.

H. STEPHANUS.

1. Πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε] *Creditis in Deum, etiam in me credite.*

2. Μοναί] *Habitationes.* ¶ Εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν] *Ac niſi ita eſſet, dixiſſem vobis.*

3. Πάλιν ἔρχομαι] *Rurſum veniam.*

16. Παράκλητον] *Conſolatorem.*

19. Ἔτι μικρὸν καὶ ὁ κόσμος με οὐκ ἔτι θεωρεῖ] *Brevi deſinet mundus me conſpicare.*

21. Ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν] *Manifeſtum me faciam ei.*

26. Ὑπομνήσει] *In memoriam revocabit.*

D. RUSIUS.

6. *Nemo venit ad Patrem niſi per me*] Judæi licet יחיד, quam יהוה vocant, irrideant, tamen crebrum hoc in eorum libris, *Deus & Divinitas ejus. Divinitatem* autem שכינה vocant. Manahem in Pentateuchum, 135. 2. *Non licet venire ante Regem extollendum & laudandum abſque* שכינה *Divinitate. Cui firmando*, EGO IN JUSTITIA VIDEBO FACIEM TUAM, *h. e. in Chriſto, qui eſt juſtitia noſtra.* Dicunt etiam, *Deus & domus judicii ejus*, per *Deus* ſive יחיד Patrem, per *domum judicii ejus* reliquas Perſonas intelligentes. Nam de Angelis intelligi commode non poteſt, niſi dixerimus Deum, cum crearet hominem, in conſilium adhibuiſſe Angelos, quod plane abſurdum mihi videtur. Angeli enim non creatores, ſed creaturæ fuerunt itidem ut homines. Ergo, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, Angelis non fuit dictum. Quippe Homo non eſt creatus ad imaginem ullius creaturæ, ſed ſolius Creatoris, i. Dei. Judicent docti.

16. *Paracletum*] Syrus hac voce uſus fuit. Utuntur etiam Judæi pro *advocato*, ut lib. Juchaſin, 138. 2. *Paracletus Judæorum*; &, *paracletus Samaritanorum*: ubi non *conſolatorem* ſignificat, ſed *advocatum* aut *patronum.* Res eſt, non conjectura. In lib. Muſar, *R. Eleazar F. Jacobi dicit*, *Qui facit præceptum unum, comparat ſibi paracletum unum.* R. Juda libri autor, סניגור טוב עדיף מאלף בעיר. Senſus eſt, *Advocatum unum, qui ejus cauſam defendit in judicio.* Verbum è verbo, *oratorem bonum qui dicit pro eo.* Sumptum ex libro Aboth, cap. Benzoma. Hinc David de Pomariis, פרקליט *procurator, rhetor.* Moſes Ægyptius ita deſcribit, הרוצה לילך אצל המלך ויאמר מה אדבר לפניו, *qui alicujus cauſſas agit coram Rege.* Videndus nunc Baal Aruch, è quo diſces inveniri hanc dictionem & in Thalmud & in Thargum quoque. Job. 16. 20. in Thargum פרקליטי παράκλητοί μου, *advocati mei.* In fonte, סנגורי *oratores*, aut *rhetores mei.*

18. *Veniam ad vos*] *Iterum veniam*, aut *redibo.* Hic aliqua quædam notanda: primum, ἔρχομαι *venio* pro ἐλεύσομαι *veniam*; deinde, ἐλεύσομαι *veniam* pro ἐπανελεύσομαι, *iterum veniam*; poſtremo, אתי *eo* pro בא *venio.* Quæ duo verba permutantur inter ſe. Nam & *eo* pro *venio* poſitum invenitur Gen. 11. 3. הבה *venite faciamus lateres*: & contra *venio* pro *eo* Jon. 1. 3. *invenit navem* ובא *euntem.* Hinc lucem accipiet illud v. 28. *Vado, & venio ad vos.* Quod alius interpretatur, *Abeo, & redibo ad vos*: optime & rectiſſime.

CASAUBONUS.

2. Εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν] Theophylactus & Paraphraſtes hæc cum ſequentibus connectunt; quorum interpretationem minus probo.

3. Καὶ ἐὰν πορευθῶ] Doctiſſimus ac fideliſſimus interpres vertit, *& cum profectus fuero*: quam verſionem qui non probant, legant Nonni paraphraſin: Neque enim aliter ille accepit, ut ex his verbis apparet,

Καὶ μετὰ θέσκελον ἔδας ἑτοιμοτάτοιο μελάθρου.

quæ hanc ſententiam continent, *Et poſtquam factum à me fuerit ut domus Patris parata ſit.* Ergo ἐὰν interpretatur μετὰ. Et ſimili ratione infra 16. 21. quod dixerat Johannes ὅταν δὲ γένηται interpretatur

. . . ἦν δὲ λοχείσῃ.

unde eſt manifeſtiſſimum aliquando ἐὰν ſive ἤν idem cum ὅταν ſignificare. Quare non eſt quod dubitet quiſquam de fideliſſima hujus loci interpretatione.

9. Τοσοῦτον χρόνον] Interrogationis nota poſt vocem Φίλιππε debuit annotari, hoc modo, Τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι, καὶ οὐκ ἔγνωκάς με, Φίλιππε; Ὁ ἑωρακὼς, &c. Sic legunt Nonnus, Theophylactus, & Baſilius Adv. Eunomium l. 1. Tertullianus quoque Adverſus Praxeam ſic locum profert, *Et Dominus, Philippe, tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me?* Videtur autem Nonnus legiſſe quæ ſequuntur hoc modo, Ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα· ὃ πιστεύεις ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι; καὶ τῶς σὺ λέγεις, Δεῖξον ἡμῖν.

17. Ὑμεῖς δὲ γινώσκετε αὐτὸ] Vetus interpres & Nonnus γινώσεσθε legunt. ¶ Ὅτι παρ' ὑμῖν μένει] Vetus interpres & Nonnus legunt μενεῖ.

23. Καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν] Nonnus interpretatur εἰς αὐτὸν & παρ' αὐτῷ ſimili ratione ἐν αὐτῷ. Contra Act. 6. 40. εἰσῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν manifeſtiſſime pro εἰσῆλθον πρὸς Λυδίαν vel εἰς οἶκον Λυδίας.

CAMERON.

16. Ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν] Doctiſſimus Interpres Spiritum S. ideo παράκλητον à Chriſto dici contendit quod ſit Deprecator & Advocatus noſter apud Deum. Et quidem prior ejus ratio hæc eſt, Quod παράκλητος Græca lingua *Advocatus* eſt Latine: poſterior vero, Quod Rom. 8. 26. iſte Spiritus dicitur ὑπερεντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν *intercedere pro nobis.* Sed prior illa non eſt tanti. Nam παράκλητος vox eſt Attica, qua, ut ille ipſe vir magnus obſervavit, ſignificantur illi quos in periculo acceſſimus ut nobis adſint conſilio, (qui iidem *Advocati* propterea dicuntur Latine) etiamſi non litigent in foro noſtro nomine. Itaque παράκλητος lingua Græca & *Advocatus* Latina non ſignificat proprie *Deprecatorem*, ſed eum cujus conſilium requirimus in re difficili. Verum quidem illud eſt, quod per accidens idem Advocatus & Deprecator eſt, quomodo Chriſtus Dominus noſter dicitur παράκλητος *Deprecator* 1 Johan. 2. 1. Poſterior vero ratio non eſt magni momenti: nam Rom. 8. 26. Spiritus dicitur *intercedere pro nobis*, non quod ipſa Spiritus S. Perſona immediate intercedat, ſed quia excitat in nobis affectum precandi: *intercedit per gemitus*; porro non gemit Spiritus, ſed nos gemimus. Itaque intercedit ſive deprecatur efficiendo ut gemamus & excitando in nobis precandi affectum. Quid igitur eſt hoc loco παράκλητος; Non eſt vox iſta ab Euangeliſtis adhibita quaſi alluderent ad morem & leges ſeculi, præſertim Græcorum & Latinorum: ſed vox παράκλητος uſitata fuit etiam inter Judæos: nam illi παράκλητον vocant פרקליטא, barbare quidem; ſed poſtquam Judæi diſperſi fuerunt inter Gentes, varii barbariſmi in eorum linguam irrepſerunt. Cujus vocis פרקליט vim ut melius intelligamus, ſciendum vocem Hebræam סניגור generali ſignificatione eum ſignificare *qui loquitur concinne, eleganter & accommodate.* Jam vero qui ita loquitur non docet ſimpliciter, ſed ita ut voluptate quadam diſcipulum afficiat: tum etiam qui loquitur accommodate & eleganter, facit facile id quod is cujus nomine loquitur vel non poteſt omnino vel poteſt ægre facere. Inde factum eſt ut סניגור ſit lingua Targumica ſive Chaldaica interdum פרקליטא, h. e. *Doctor*, interdum מתורגמן, h. e. *Interpres*: nam Gen. 42. 23. quo loco agitur de interprete qui interceſſit inter Joſephum & fratres (nam Joſephus ſimulabat ſe neſcire Hebraice; ideo opus ei fuit interprete) uſurpatur vox סניגור hac *interpretis* ſignificatione. Interdum etiam פרקליטא eadem lingua Chaldaica eſt *Conſolator*, ut Job. 16. 20. Spiritus ergo S. παράκλητος dicitur ſive סניגור, h. e. tum פרקליטא *Doctor*, *docet* nempe *nos omnia*, v. 26. tum etiam *Conſolator*;

non

non enim nos docet ſimpliciter, ſed ita docet ut ſoletur etiam: Spiritus nempe S. ſemper ſecum gaudium affert. Atque huc reſpexiſſe vel præcipue videtur Chriſtus infra, v. 26. nam ſubdit ſtatim, *Pacem do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Nulla autem ſincera & pura eſt auditoris voluptas, præter eam quæ oritur ex veritate ſimul & dulcedine rerum earum quæ dicuntur. Sed & videtur Chriſtus Spiritum S. *Paracletum* dixiſſe eo ſenſu quo מתורגמן interdum idem eſt quod מפרש *interpres*, quia nos nescimus neque quid loquendum ſit, neque quomodo orandum. Itaque alibi Chriſtus vetat nos eſſe ſolicitos quid dicturi ſimus coram Judicibus & Magnatibus hujus ſeculi: nam pollicetur fore ut *interpretem* habeamus Spiritum, qui faciet ut ſimus diſerti, Ergo, cum hic Chriſtus Spiritum vocat παράκλητον, non notat deprecationem quandam & interceſſionem Spiritus, ſed duo illa quæ modo commemoravimus, nempe quod Spiritus edocturus eſſet Apoſtolos, & redditurus eos idoneos qui aliis reſpondeant & eos doceant. Itaque non videtur Syrus Interpres debuiſſe reprehendi à doctiſſimo viro, quod פרקלוטא ut vocem barbaram & peregrinam adhibuerit ad exprimendam vim vocis Græcæ παράκλητος, cum vox illa exſtiterit ante Syrum Interpretem, uſitata in Eccleſia Judaica. Nam non eſt credibile Chaldæum Paraphraſten vocem hanc mutuatum eſſe à Chriſtianis, quos oderat. Eſt autem uſurpata à Paraphraſte Hagiographorum Job 16. 20. qui vixit diu poſt natum Chriſtum, & hac paraphraſi teſtatur capitale odium adverſus Chriſtianos. ¶ Ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν] Μένειν in Scriptura ſingularem habet ſignificationem: notat enim Conſtantiam & penitiſſimam adhæſionem rei illius quæ dicitur manere; & tum in Malo, ut *ira Dei manens* dicitur ea quæ ita perdit ut nunquam diſperdat, & cruciat ita ut nunquam perimat; tum multo frequentius in Bono uſurpatur, ut cum Dominus hic pollicetur Diſcipulis fore ut Conſolator *maneat cum ipſis in æternum*; quod & verſu ſequenti repetit, ὅτι παρ' ὑμῖν μένει. Atque hic obſervandum eſt quod Hebr. יכן & Chald. שרא ſic uſurpantur; ut in veteri illo & celebri dicto Judæorum in Pirke Avoth cap. 3. (quod referendum eſt ad illuſtrationem hujus loci) *Duo qui ſimul ſedent, & inter eos ſunt verba Legis*, שכינה, h. e. *Spiritus Dei, eſt inter illos.* Spiritus autem *manſio* ſeu *habitatio* illis dicitur, quia Dominus in V. T. ubi agit de Spiritu ſub N. Teſt. effundendo, *Habitabo*, inquit, *in medio eorum.* Hinc factum eſt ut priſci Judæi Spiritum Dei vocarint שכינה, q. d. *habitationem.* Porro vertunt ſe in omnes partes Semipelagiani Novatores, ne videatur hic locus contra ſe pugnare pro Perſeverantia fidelium. Primo dicunt *Chriſtum hoc tantum velle, Ego pro tempore tantum ad vos veni, ut brevi poſt mortem redeam ad Patrem, ſed Spiritus S. ita venturus eſt ut nunquam moriatur.* Quaſi vero quis metueret ne Spiritus S. moriatur. Contra, hoc vult Chriſtus, *Ego duntaxat ad tempus ſecundum carnem fui vobiſcum, at Spiritus meus ſemper vobis aderit:* opponit præſentiam Spiritus perpetuam præſentiæ ſuæ ſecundum carnem, quæ ad tempus tantum fuit. Reſpondent ſecundo, *Hanc promiſſionem pertinere ad ſolos Apoſtolos, ac proinde argumentum non valere.* Accipimus quod dant: Ergo Apoſtoli ſaltem perſeveraturi fuerunt. At orarunt Apoſtoli & jejunarunt, & non laxarunt habenas libidini carnis, & ſubegerunt corpus ſuum: Itaque falſum eſt quod dicunt, *Dogma de Perſeverantia inducere ſecuritatem.* Excipiunt tertio, *Fieri quidem poſſe ut ſtetiſſet iſte locus etiam ad totam Eccleſiam; at debet*, inquiunt, *neceſſario ſubintelligi conditio, Si nimirum ſervent ejus mandata.* At, inquam, ſcriptum eſt, *fore ut hic Spiritus nos deducat in omnem veritatem:* Itaque Spiritus eſt qui facit ut ſervemus mandata: nam *deducere in omnem veritatem* eſt efficere ut ambules in omni veritate. Excipiunt quarto, *ſine* UT *non ſemper ſignificare Eventum; fieri enim poſſe ut Spiritus recedat & repellatur.* At vero ſic ne promiſſio quidem Spiritus Apoſtolis facta, qualis hæc fuit, firma fuerit: fieri enim potuit ut Apoſtoli repellerent Spiritum; cum hic diſertis verbis affirment *fieri poſſe ut promiſſio iſta ad ſolos ſtetiſſet Apoſtolos.* Omnis itaque certitudo faciendorum fundamentorum Eccleſiæ Chriſti non pendebat à Spiritu, ſed à libertate voluntatis Apoſtolorum. Itaque Spiritus non fuit definiens & determinans ſed determinatus potius, neque conſtabiliens ſed conſtabilitus. Deinde, pugnat hæc gloſſa cum ſcopo Chriſti. Nam Chriſti conſilium eſt conſolari: At miſerum mortalem & obnoxium peccato non conſolatur qui ſic compellat, *Non diſcedet à te Spiritus niſi volueris:* nam ille inde ſibi non metuit, metuit tantum à ſeipſo. Imo unica hæc eſt & ſolida conſolatio, *Non modo non diſcedet à te Spiritus niſi volueris eum abigere, ſed efficiet Spiritus ut ne id velis:* quo fundamento nituntur & preces & noſtra gratiarum actio; & preces quidem, dum id petimus; & gratiarum actio, dum pro eo impetrato Deo agimus gratias.

27. Οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσι] Verum quidem eſt quod obſervarunt viri docti, Mundum ſæpe mentiri cum dat pacem, Mundum ſæpe aggredi quantum non poteſt præſtare, cum dat pacem, etiam cum non mentitur ſed ſerio agit. Nam Mundus vel fallax eſt, vel inops conſilii & virium. Itaque qui nituntur Mundo non conſulunt ſibi: nituntur enim eo quod vel decipit fraude vel deficit imbecillitate virium. Hæc quidem veriſſima ſunt & altius infigenda animo. Sed aliud nimirum videtur voluiſſe Chriſtus, atque inſpicienti propius locum liquebit hanc fuiſſe Chriſti mentem, nempe, Mundus dat pacem ut amoliatur res adverſas carni: Chriſtus non ita dat pacem; ſed pax Chriſti tum demum viget cum rebus ſecundum carnem adverſis non premimur modo ſed pene opprimimur. Conferatur cum hoc loco Phil. 4. 6, 7. & res erit manifeſta.

GUALTPERIUS.

16. Ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, *alium Conſolatorem dabit vobis*] Παράκλητος, *paracletus, conſolator.* Syrus vocem retinet Græcam פרקלוטא *paraklita*, à παρακαλέω *conſolor*, ſeu *precator intervenio, ut advocatus & patronus.* Sed παράκλητος per η ſignificat *infamem.* Differentia igitur Etymologiæ obſervanda.

18. Οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς, *Non relinquam vos Orphanos*] Ὀρφανός, *Orphanus*, proprie *qui parentibus eſt orbatus, pupillus*, & generaliter *orbus*: ὀρφανίζω, *parente* ſeu *parentibus privo*: ὀρφανοτρόφος, *pupillorum curator, tutor*, &c.

JAC. CAPPELLUS.

1. NE *turbetur cor veſtrum* diſceſſu meo. *Creditis in Deum, etiam in me credite.* 2. *In domo Patris mei* mihi *ſunt manſiones multæ*] Domum apud Patrem habeo, eamque vobis paratam eo longe luculentiſſimam, ampliſſimam, bonis omnibus inſtructiſſimam. *Sin minus*, ſi res aliter ſe haberet, imprimis ſi vobis non liceret in me credere, *dixiſſem vobis*, vos ſtatim ab initio monuiſſem, ne fiduciam in me haberetis, neve plus quam par ſit mihi tribueretis.

GROTIUS.

1. Μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία· *Non turbetur cor veſtrum*] Videbat eos commotos antecedentibus de ſua morte, de periculis, de abnegatione ſermonibus: itaque eos erigit. ¶ Πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, *creditis in Deum*] *Sicuti* à prima ætate didiciſtis *fiduciam collocare in Deo*, ut rerum omnium auctore ac conſervatore, ut in Pſalm. LXXVIII. 7. Nam *ſicut* hic ſubauditur ut ſupra v. 17. & infra 19. ¶ Καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. *& in me credite*] *Ita & in me* coram conſpectum notumque *fiduciam collocate*, ut Eccleſiæ auctorem ac conſervatorem: ego ipſe, adeo amans veſtri, ero adjutor veſter.

2. Μοναὶ πολλαί εἰσι· *manſiones multæ ſunt*] Non excludemini.

\- - - *Locus eſt & pluribus umbris.*

Μονὴ [*manſio*] eſt *habitandi locus*, quod ſtatim dicet τόπον [*locum*]. 1 Maccab. VII. 38. μὴ δῷς αὐτοῖς μονήν [*ne des illis manſionem*]. Multitudinem autem locorum non male veteres intelligunt cum graduum differentiis. Clemens Strom. VI. πρόσεστι ἄλλης μονῆς ἀναλόγως τῆς πίστεως κατηξιωμένοις [*pecudes digna habita aliis & aliis manſionibus pro fidei modo*]. Tertullianus Scorpiaco; *Quomodo multæ manſiones apud Patrem ſi non pro varietate meritorum? quomodo & ſtella à ſtella diſtabit in gloria niſi pro diverſitate radiorum?* ¶ Εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν. *ſi aliter eſſet, dixiſſem vobis*] Hic interpungit Syrus, nec dubito quin id rectum ſit: nam εἰ δὲ μὴ ſæpiſſime in his libris eſt, *ni ita eſſet.* Si locus non eſſet vobis, aperte hoc dixiſſem vobis, ut mos meus eſt; ademiſſem vobis ſpem inanem. Nunc autem Petro & in Petro omnibus dixi, futurum tandem ut me illuc ſequamini. ¶ Πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. *vado parare vobis locum*] Similitudo ſumta ab uno comitum qui in itinere prægreſſus ad diverſorium ibi cæteris cubicula aſſignat, & efficit ut venientibus parata ſint.

3. Ἐὰν πορευθῶ, *ſi abiero*] Ἐὰν [*ſi*] hic valet *poſtquam*, ut ſupra XII. 32. ¶ Πάλιν ἔρχομαι, καὶ παραλήψομαι ὑμᾶς πρὸς ἐμαυτόν· *iterum venio & accipiam vos ad me ipſum*] Continuatur ſimilitudo: nam ſolent qui primi in diverſorium venerunt cæteris jam adventantibus obviam procedere & eos intro-

ducere. Angelus ad Apoſtolos Actor. I. 11. Οὗτος ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναλημφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανόν, οὕτως ἐλεύσεται ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν [*hic Jeſus qui aſſumtus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum*]. ¶ Ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, *ut ubi ſum ego*] Εἰμὶ [*ſum*], id eſt, *ero*: ut ſupra VII. 34. ¶ Καὶ ὑμεῖς ἦτε. *& vos ſitis*] Conſortes, participes meæ felicitatis, Rom. VIII. 17.

4. Οἶδατε ἐγὼ ὑπάγω ὁδόν, *quo ego vado ſcitis*] Mos eſt loquendi cum dicere volumus ſatis nos dixiſſe: *Habetis quo vadam.* Nam *domum Patris* jam nominaverat. ¶ Καὶ τὴν ὁδὸν οἴδατε. *& viam ſcitis*] *Habetis & quæ via eo vadam.* Nam quod dixerat, *Se non amplius conſpiciendum*, & quod ſtatim addiderat de ſua Dilectione, circumlocutio erat mortis pro ipſis ſubeundæ.

5. Θωμᾶς, *Thomas*] Cæteris tardior ad res fidei. ¶ Οὐκ οἴδαμεν τῦ ὑπάγεις· *neſcimus quo vadis*] Thomas, ſive ingenii tarditate ſive mœſtitia impeditus, non intellexerat quid Jeſus ſignificaret, ac proinde de ſe conjecturam faciens nec cæteros intellexiſſe exiſtimabat. ¶ Πῶς δυνάμεθα τὴν ὁδὸν εἰδέναι; *quomodo poſſumus viam ſcire*]? Via eſt τῶν πρός τι [*eorum quæ ad aliud referuntur*], nempe à termino ad terminum alterum. Quod ſi ignoretur quæ ſit meta, non poteſt via ſub ratione viæ concipi.

6. Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, *Ego ſum via*] Chriſtus, ut oſtenderet quantam haberet ſuorum curam, de ſe nihil reſpondet, ſed ipſis plenius indicat quomodo ipſi quoque ad Patrem pervenire poſſint. Videtur autem Chriſtus ſe *Viam* dicens alludere ad locum Eſaiæ XXXV. 8. Se autem nominans *Viam*, actiones ſuas intelligit per quarum exemplum tanquam ſtratum iter nobis ambulandum eſt. ¶ Καὶ ἡ ἀλήθεια, *& veritas*] Euangelium λόγος ἀληθείας [*ſermo veritatis*] Eph. I. 13. ſermo nihil falſi admixtum habens. Chriſtus ſe *veritatem*, id eſt, veri Doctorem vocans, indicat ſibi fidem habendam; eventurum quod pollicetur. ¶ Καὶ ἡ ζωή. *& vita*] Id eſt, *dator vitæ æternæ*, ut ſupra XI. 25. Multum hoc eſt, quod Chriſtus ipſe vitæ æternæ dandæ jus habet: id enim ut eum imitemur utque ei credamus vim habet maximam. ¶ Οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, *nemo venit ad Patrem*] Pro eodem ponit *vitam æternam conſequi* aut *ad Patrem venire*, quia vita illa æterna erit apud Patrem. ¶ Εἰ μὴ δι' ἐμοῦ. *niſi per me*] Id eſt, niſi mihi fidem habeat, neque imitetur; ut oſtendunt præcedentia.

7. Εἰ ἐγνώκειτέ με, *Si cognoviſſetis me*] *Si recte me noſſetis*, proprietates meas quæ in actionibus elucent. ¶ Καὶ τὸν πατέρα μου ἐγνώκειτε ἄν· *& Patrem meum utique cognoviſſetis*] *Eadem opera Patrem noſſetis*, in quo eædem ſunt proprietates Bonitatis, Juſtitiæ, Sapientiæ. Tale eſt illud,

Qui uxorem recte norit, amnes noverit.

Vide ſupra VIII. 19. ¶ Καὶ ἀπ' ἄρτι γινώσκετε αὐτὸν, *& jam noſtis eum*] Ut ſi quis dicat ei qui imaginem alicujus vidit, nec ſcit cujus ſit imago, *Jam illum noſti ex lineamentis.* ¶ Καὶ ἑωράκατε αὐτόν. *& vidiſtis eum*] Nempe in me, ejus effigie.

8. Δεῖξον ἡμῖν τὸν πατέρα, *Oſtende nobis Patrem*] Legerat Deum variis modis interdum apparuiſſe Patribus; hoc vellet & ſibi concedi. ¶ Καὶ ἀρκεῖ ἡμῖν. *& ſufficit nobis*] Non ultra interrogando moleſti tibi erimus.

9. Τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι, καὶ οὐκ ἐγνωκάς με; *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me*]? Id eſt, Cum tamdiu tam familiariter vobiſcum agam, nondum me noſtis qualis ſim? certe noſſe debebatis: & ſi ſatis noſſetis, jam & ſcire poſſetis qualis ſit Pater.

10. Ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, *quia ego in Patre*] Per obedientiæ præpoſitum, ut expoſuimus X. 38. ¶ Καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι; *& Pater in me eſt*]? Per efficaciam. ¶ Τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ· *verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor*] Ratio redditur prioris membri, Nihil loquor non imperatum à Patre: ſupra VII. 17. ¶ Ὁ δὲ πατὴρ ὁ ἐν ἐμοὶ μένων, αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα. *Pater autem in me manens, ipſe facit opera*] Ratio membri alterius, Nam Pater per me operatur, atque ita oſtendit ſe eſſe in me. Nam μένειν Johanni eſt *meſſe*, ut ſupra v. 38. Dei proprietates ex operibus cognoſcuntur, quæ nunquam majora ac plura quam per Chriſtum ſunt edita; ita ut in iſtis Sapientiam Dei, Bonitatem, Potentiam multo apertius fuerit concipere quam in viſionibus illis quæ Prophetis contigerunt, & quibus illæ proprietates tantum per ſimilitudinum figuras adumbrabantur. Duo quæ diximus membra, quibus conjunctio Patris & Filii indicatur, breviter ſic exprimit Nonnus,

Ὡς σὺν ἐμοὶ τελέσῃς γενέτης ἐμὸς, ὅττι καὶ αὐτὸς
Σύμφυτός εἰμι τοκῆος, ἐγὼ λαλέων, ὃ δὲ ῥέζων.
[*Nimirum mecum eſſe Patrem: ſum namque Parenti*
Connexus: mea vox ſonat: at res efficit ille].

11. Πιστεύετέ μοι, *Credite mihi*] Verbis meis nihil non Divinum continentibus credite, me Patri eſſe conjunctiſſimum. ¶ Εἰ δὲ μή, *ſin minus*] Si verbis credere non vultis. ¶ Διὰ τὰ ἔργα αὐτὰ πιστεύετέ μοι. *propter opera ipſa credite*] *Saltem credite ob opera* quæ talia ſunt ut niſi à Deo proficiſci nequeant. Supra III. 2. V. 36. X. 37.

12. Ἀμὴν, ἀμὴν, *Amen, amen*] Pergit conſolari. ¶ Τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ, κἀκεῖνος ποιήσει, *opera quæ ego facio, & ipſe faciet*] Dæmonas ejiciet, morbos ſanabit, mortuos reſuſcitabit. Intelligenda autem hæc promiſſio ſecundum ea quæ dicta ſunt ad Marcum XVI. 17. ¶ Καὶ μείζονα τούτων ποιήσει *& majora his faciet*] Omni genere linguarum loquetur ad converſionem omnium gentium. Maximum ſignum, ut Chryſoſtomus notat, gloriæ Chriſti quod per abſentem fierent quæ præſens non effecerat.

13. Ὅτι ἐγὼ πρὸς τὸν πατέρα μου πορεύομαι, καὶ ὅ, τι ἂν αἰτήσητε ἐν τῷ ὀνόματί μου, τοῦτο ποιήσω· ἵνα δοξασθῇ ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ. *Quia ego ad Patrem vado: & quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio*]. Hæc ita uno ſpiritu legenda ſunt; & notandi Hebraiſmi, πορεύομαι καὶ ποιήσω, [*vado & efficiam*] id eſt, *profectum efficiam.* Similitudo ſumta ab eo qui ad Regem profectus coram commendat amicorum deſideria. Deinde illud ἵνα [*ut*] communiter referendum ad αἰτήσητε [*petieritis*], ut rectius cum ſuperioribus cohæreat, *Quicquid poſtulaveritis quo Filius & per Filium Pater inclareſcere poſſint, id ego pro vobis effectum dabo*: ἐν τῷ ὀνόματί μου, [*in nomine meo*] id eſt, *quicquid oraveritis Patrem ut mea cauſa faciat.* Solebant Hebræi Deum orantes rogare ut populo benefaceret ob Patres, *ob Abrahamum, ob Iſaacum, ob Jacobum, ob Davidem*: nova nunc docetur orandi ratio, *per Chriſtum*, Roman. I. 8.

14. Ἐγὼ ποιήσω, *hoc faciam*] Repetit hoc ut magis ſpem eorum confirmet, quod ipſe adeo ipſis notus omnia effecta dandi ſit habiturus poteſtatem.

15. Ἐὰν ἀγαπᾶτέ με, *ſi diligitis me*] Ne luctu oſtendite amorem, ſed obedientia. ¶ Τὰς ἐντολὰς τὰς ἐμὰς τηρήσατε. *mandata mea ſervate*] Præſertim illud de mutua Dilectione. Sic Act. II. antequam narretur miſſio Spiritus S. præponitur, ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό [*erant omnes concorditer uno in loco*]. Itaque hac præcipue ratione ad accipiendum eum Spiritum parabantur.

16. Καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*] Et hic poſterior pars in priori repetenda; *Orabo ut Spiritum vobis det: & dabit*, nempe ſi in obedientia præceptorum perſeveraveritis. Ἐρωτᾶν pro *precari* frequens in his libris, Lucæ XIV. 18. & alibi. Precatur autem jam Chriſtus non cum ſupplicibus lachrymis in hac vita, ſed pro ea auctoritate quam ſibi mortis obedientia quæſivit. Παράκλητος [*Paracletus*] vox Græca frequens apud Judæos in verſione Chaldæa & apud Thalmudicos, non pro *conſolatore*, ſed pro *eo qui cauſam agit alterius, & quidem rei.* Nam qui pro acculatore dicit vocatur alia Græca voce συνήγορος [*accuſator*]. *Alium* ergo *Oratorem* Chriſtus pollicetur qui cauſam ſuorum agat apud mundum, ſicut ipſe acturus eſt apud Patrem. Nam hoc ſenſu ipſe eſt παράκλητος [*Paracletus* ſive *Advocatus*] I Joh. II. 1. Et quod modo dixit ſe pro ſuis interpellaturum Patrem, eſt circumlocutio muneris παρακλήτου [*Paracleti*]. Spiritus autem eſt qui pro Apoſtolis apud Reges & Proceres loqui dicitur, Matth. X. 20. qui Chriſti dicta ipſis in memoriam revocat, infra 26. qui adverſarios ipſorum efficaciter convincit, infra XVI. 8. Ideo veteres Latini *Advocatum* dixerunt. Et notandum Dei Spiritui qui eſt παράκλητος [*Paracletus*] opponi ſpiritum malignum qui eſt κατήγορος [*accuſator*], & ſic dicitur Apocal. XII. 10. ¶ Ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα· *ut maneat vobiſcum in æternum*] Non ut aliquot annis apud vos ſit, ut ego fui, ſed *ut maneat perpetuo.* Hoc enim Hebræis eſt εἰς αἰῶνα [*in æternum* ſive *perpetuo*]. Intelligendum autem hoc ſub conditione, jam dicta, obſervationis mandatorum.

17. Τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *Spiritum veritatis*] Id eſt, Spiritus ille Doctor veritatis, ut explicatur infra XVI. 13. & I Johann. II. 27. Huic opponuntur πνεύματα πλάνης [*ſpiritus erroris*] I Tim. IV. 1. ¶ Ὁ κόσμος οὐ δύναται λαβεῖν, *quem mundus non poteſt accipere*] Nempe qua mundus, qua affixus rebus hujus ſeculi, I Cor. II. 14. ¶ Ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτὸ,

quia

quia non videt eum] Mundus non curat niſi ea quæ oculis corporeis conſpiciuntur; quale non eſt ille Spiritus. ¶ Οὐδὲ γινώσκει αὐτό· *nec ſcit eum*] Ac proinde nec expetit: *Ignoti* enim *nulla cupido*. Noſſet autem ſi ſe Divinis ſermonibus docilem ac morigerum præberet. Nam talia pectora quærit ille Spiritus. Irenæus citante Baſilio, Τοὺς δὲ ἀχαλιναγωγήτως καὶ κατῳδομένους εἰς τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας καὶ μηδεμίαν ἔχοντας ἐπιθυμίαν θείου πνεύματος δικαίως ὁ ἀπόστολος σαρκικοὺς καλεῖ [*Effrenes homines & qui à concupiſcentiis ſuis aguntur, nec ullum habent deſiderium Divini Spiritus, merito Apoſtolus carnales vocat*] Conſer ad Coloſſ. III. 10. ¶ Ὑμεῖς δὲ γινώσκετε αὐτό, *vos autem noſtis eum*] *Noſtis & curatis, expetitis.* Sic Matth. VII. 23. ¶ Ὅτι παρ' ὑμῖν μένει, *nam in vobis manet*] Puto ὅτι [*nam*] hic poni pro διὰ τοῦτο [*idcirco*], aut pro *certe*, ut Eſaiæ VII. 9. 1 Joh. III. 20. & alibi. Videntur enim præcedentia indicare Spiritum, quomodo hic ſumitur, prius noſci, deinde in hominem penetrare. μένει eſt *inhabitat*, ut diximus ſupra v. 38. Sic *eſſe* in aliquo 1 Joh. II. 5. exponitur per μένειν [*manere*] ibid. 6, 14, 24. Eſt autem præſens pro brevi futuro. ¶ Καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται. *& in vobis erit*] *Et porro habitabit.* εἶναι [*eſſe*] enim idem eſt quod μένειν [*manere*], ut jam diximus.

18. Οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς· *Non relinquam vos orphanos*] Tempore ſepulturæ meæ eritis tanquam pupilli. Sed non manebitis tales: nam ego primum rediens vobis ero pro patre, deinde Spiritum vobis, qui vice patris ac defenſoris ſit, relinquam. ¶ Ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. *venio ad vos*] Præſens iterum pro brevi futuro; & *venire* pro *redire*. Sic & infra 28. & ἐλθὸν [*veniens*] pro *rediens* Matth. XII. 44.

19. Ἔτι μικρὸν, καὶ ὁ κόσμος με οὐκ ἔτι θεωρεῖ· *Adhuc modicum, & mundus me non ultra videt*] Hebraiſmus qualis & Oſe. I. 4. Agg. II. 7. pro eo quod diceremus: *poſt aliquod tempus mundo non conſpiciar amplius*, poſt mortem ſcilicet. *Mundum* intelligit à ſua diſciplina alienos, quæ pars maxima: θεωρεῖ [*videt*] pro θεωρήσει [*videbit*], ut ſæpe in hoc Scriptore. ¶ Ὑμεῖς δὲ θεωρεῖτέ με· *vos autem me videtis*] Veſtris oculis vos me non temel videbitis. ¶ Ὅτι ἐγὼ ζῶ, *quia ego vivo*] *Nam jane vivam.* Eadem enallage. Non videbitis ſpectrum; me, inquam, vivum videbitis. ¶ Καὶ ὑμεῖς ζήσεσθε. *& vos vivetis*] Timebant ne cum Chriſto in mortem raperentur, ſupra XI. 16. nunc illis affirmat futurum ut gravillimis periculis exempti ſuperſtites ſint.

20. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. *In illo die*] Illo tempore quo jam mortis victor vobis apparebo. ¶ Γνώσεσθε ὑμεῖς, *vos cognoſcetis*] Multo quam antehac perfectius, per explicationem apertam veterum vaticiniorum Lucæ XXIV. 45. & per rei ipſius experimentum. ¶ Ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρί μου, *quia ego ſum in Patre meo*] Me manſiſſe in omnibus quæ Pater mihi præſcripſerat: quod Pater ipſa reſurrectione oſtendit & evectione in cœlum oſtendet. Vide infra XVI. 10. ¶ Καὶ ὑμεῖς ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν ὑμῖν. *& vos in me, & ego in vobis*] Iterum καὶ [*&*] primum pro *ſicut*: Cognoſcetis tunc me vobis conjunctiſſimum fore præſente auxilio, ſicut vos mihi fuiſtis conjunctiſſimi obedientia & fide, Lucæ XXII. 28. De locutione vide ſupra VI. 56. Adde 1 Joh. IV. 15, 16.

21. Ὁ ἔχων τὰς ἐντολάς μου, *Qui habet mandata mea*] Ne quis putaret ſolis ſe Apoſtolis promittere quæ dixerat, extendit jam dicta ad omnes ſibi parentes. ἔχειν ἐντολὰς [*habere mandata*], ut ἔχειν λόγον [*habere verbum*] ſupra v. 38. eſt *intus recipere*, id eſt, credere, fidem habere. ¶ Καὶ τηρῶν αὐτὰς, *& ſervat ea*] Alioqui credere nocet magis quam prodeſt. ¶ Ὁ δὲ ἀγαπῶν με ἀγαπηθήσεται ὑπὸ τοῦ πατρός μου· *qui autem diligit me, diligetur à Patre meo*] Subſequente eaque majore ac fervidiore dilectione. ¶ Καὶ ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτόν. *& manifeſtabo ei meipſum*] Et poſt reſurrectionem illis me oſtendam, ut Magdalenæ, Cleophæ, Nathanieli, quingentis aliis: & participes faciam Spiritus mei. Vide Pſalm. XXV. 13. Eph. III. 3.

22. Λέγει, (οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης), *Judas*, (*non ille Iſcariotes*)] Hoc ideo adjicit quod de eo locutus ante erat. Ergo Thaddæum deſignat. ¶ Τί γέγονεν, *quid factum eſt*] Hebraiſmus pro *qui fit*. ¶ Ὅτι ἡμῖν μέλλεις ἐμφανίζειν σεαυτὸν, καὶ οὐχὶ τῷ κόσμῳ; *quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?*] Miratur hoc, quia cum cæteris Regnum Chriſti coram toto mundo conſpicuum exſpectabat.

23. Ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει· *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*] Hæc & quæ ſequuntur rurſum uno legenda ſunt ſpiritu. Ait Chriſtus mirari Judam non debere ſi non omnibus ipſe ſe oſtendat, quando & Patri is mos ſit ſe non patefacere niſi ſui amantibus, id eſt, præcepta ſua obſervantibus: Se autem Patris eſſe imitatorem. Vide quæ ad Matth. XI. 25. & ſupra VI. 44. Repetit autem quod ſupra dixerat 15. dilectionem nullam à ſe ac Patre æſtimari ſine præceptorum obſervantia. ¶ Καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν. *& ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*] Multum eſt, ſi Rex aliquis privatum adeat, plus ſi in ejus ædibus velit divertere. Hic honos non niſi bene caris habetur. Sic æquum etiam oſtendit Chriſtus, ut illa propioris familiaritatis indicia à ſe & Patre non exhibeantur quibuſvis, ſed ſui amantibus. Vide Zach. II. 10. & ſeqq.

24. Ὁ μὴ ἀγαπῶν με, τοὺς λόγους μου οὐ τηρεῖ· *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat*] Inverſa oratio, pro, *Qui vero præcepta mea non obſervant*, ut mundani homines: *ii me non diligunt*; ſubaudi, *ac proinde tali honore digni non ſunt.* ¶ Καὶ ὁ λόγος ὃν ἀκούετε, *& ſermonem quem auditis*] *Quem auditis* per hos annos dum me ſectamini. ¶ Οὐκ ἔστιν ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός. *non eſt meus, ſed ejus qui miſit me Patris*] Non mirum eſt, ait, ſi & Pater non honoret eos qui præcepta mea ſpernunt, cum ea non à me originaliter ſint profecta, non meo reperta ingenio, ſed ab ipſo Patre emanent. Vide ſupra VII. 16. VIII. 28. XII. 49, 50.

25. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν παρ' ὑμῖν μένων· *Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens*] Hæc ad vos conſolandos breviter vobis dixi, quoad fert temporis ratio, dum adhuc vobiſcum eſſe & colloqui licet.

26. Ἐν τῷ ὀνόματί μου, *in nomine meo*] Id eſt, in meam gratiam, ut ſupra 13. ¶ Ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*] Et hæc legenda uno ſpiritu, ut poſtrema verba ad utrumque membrum referantur. *Docebit*, id eſt, interpretabitur obſcura, *in memoriam revocabit* oblivioni data: exempla vide ſupra II. 22. XII. 16.

27. Εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν· *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,*] Abiturus valedicit. Nam id Hebræi dicebant *relinquere*, aut *dare pacem*, id eſt, ſalutem. Nam id valet שלום. Bis autem eundem ſenſum repetit, ſicut dicere ſolemus, *Vale, vale.* ¶ Οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν. *non quomodo mundus dat, ego do vobis*] *Mundus*, id eſt, major pars hominum, ſalute alios impertit ſono vocis, nihil ſæpe de re cogitans; & ſi cogiter, tamen id alteri nihil prodeſt: At Chriſtus tum ex animo tum efficaciter ſalutat; ſicut εὐλογεῖν [*benedicere*] cum Deo tribuitur ſignificat *benefacere*. Deeſt ἀντικείμενον [*contra redditum*] ut ſupra 22. οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης [*non Iſcarioles*]. ¶ Μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία, *non turbetur cor veſtrum*] Miſeratione mei. ¶ Μηδὲ δειλιάτω. *neque formidet*] Veſtri periculi reſpectu. Connectenda hæc cum ſequentibus.

28. Ὑπάγω καὶ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. *Vado & venio ad vos*] Supra 12. & 19. ubi diximus ἔρχομαι [*venio*] eſſe, *rediturus ſum.* ¶ Εἰ ἠγαπᾶτέ με, *Si diligeretis me*] Quantum oportet & quomodo oportet cum judicio rectæ rationis. ¶ Ἐχάρητε ἄν, *gauderetis utique*] Sicut & gaviſi ſunt poſtea, cum implementum abirus ad Patrem conſpexerunt. Lucæ XXIV. 52. ¶ Ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστι. *quia Pater major me eſt*] Mittens miſſo. Hoc autem ideo dicitur ut intelligatur & ſe ibi tutum fore, & ipſis in Patre plus futurum præſidii quam in ſua corporali præſentia.

29. Εἰρηκα ὑμῖν πρὶν γενέσθαι· *dixi vobis priuſquam fiat*] Indicavi vobis his verbis meum Adſcenſum in regionem cœleſtem. Sic XIII. 19. XVI. 4. ¶ Ἵνα ὅταν γένηται πιστεύσητε. *ut cum factum fuerit credatis*] Ut magis magiſque mihi confidatis, & credatis vere futura & cætera quæ prædixi de auxilio meo perpetuo & veſtri aſſumtione.

30. Οὐκέτι πολλὰ λαλήσω μεθ' ὑμῶν· *Non ultra multa loquar vobiſcum*] Quaſi dicat, Temporis anguſtiæ abripiunt verba. ¶ Ἔρχεται γὰρ ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων, *venit enim princeps mundi hujus*] Diximus ſupra XII. 31. Venit autem per homines ſui plenos, quorum vis erat ἐξουσία τοῦ σκότους [*poteſtas tenebrarum*] Luc. XXII. 53. Nam is ἄρχων ἐνεργεῖ ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας [*princeps operatur in filiis inobedientiæ*], Eph. II. 2. ¶ Καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν. *& in me non habet quicquam*] Ἐν ἐμοὶ [*In me*] idem eſt quod πρός με [*adverſum me*] Act. XXIV. 19. & XXV. 19. Quod apertius ἔχειν κατηγορίαν [*habere accuſare*] Act. XXVIII. 19. Diaboli opus eſt accuſare. In me nihil habet quod culpare poſſit. Vide ſupra VIII. 46. Unde ſequitur Jeſum non eſſe mortis debitorem: nam *mors ſtipendium peccati*: & *Diabolus habet imperium mortis*, ut notatum ſupra. καὶ [*&*] pro *ſed*, ut Act. X. 28. & alibi. Samuel figura Jeſu, ſuo modo ἀνεγκλητος [*inaccuſabilis*], 1Sam. XII. 5.

31. Αλλ' ἵνα γνῷ ὁ κόσμος ὅτι ἀγαπῶ τὸν πατέρα, *Sed ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem*] Ut generi humano conſtet de eo amore quo Patrem amo. ¶ Καὶ καθὼς ἐνετείλατό μοι ὁ πατήρ, οὕτω ποιῶ. *& ſicut mandatum mihi dedit Pater, ſic facio*] Καὶ [&] hic eſt *propterea*, ut & alibi. *Propterea*, inquit, *omnia ea facio quæ à Patre mihi commendata ſunt*: propterea & capi me ſinam, & in judicium adduci, & damnari, & ignominioſe interfici, Philip. II. 8. & confer quæ ſupra X. 18. ¶ Εγείρεσθε, *ſurgite*] *Surgamus à menſa.* Solebant enim ſermones in accubitu etiam poſt cœnam nonnihil produci. Vide Marci XVI. 14. Lucæ XXIV. 33. ¶ Ἀγωμεν ἐντεῦθεν. *eamus hinc*] Non video quid nos impediat credere ſermones qui ſequuntur ad caput uſque XVIII, habitos à Chriſto in ipſo itinere, non quidem Apoſtolis omnibus exaudientibus, ſed iis qui primi ordine cum eſſent ipſius lateri propius hærebant, Petro ſcilicet, Jacobo & huic noſtro Johanni.

CAP. XV.

VALLA.

2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*] *Tollit* legendum eſt, αἴρει, non *tollet*; & *purgat*, non *purgabit*, καθαίρει. *Plus* apud Græcos generis maſc. eſt, apud nos eſſe non poteſt: diceretur enim *plurem* maſculine, ut Græce πλείονα. Ergo erravit Interpres, niſi forte ſic ſcriptum reliquit ut ſcribendum fuit, *ut plus fructus afferat*, & à librario depravatum eſt.

6. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & arefcet. Et colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*] Ego ita reor fuiſſe transferendum, itaque tranſtuliſſem, *Si quis in me non maneat ejectus eſt foras ut ſarmentum, & exaruit: & colligunt ea, & in ignem jaciunt, & ardent*, Ἐὰν μή τις μείνῃ ἐν ἐμοὶ, ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα, καὶ ἐξηράνθη· καὶ συνάγουσιν αὐτὰ, καὶ εἰς τὸ πῦρ βάλλουσι, καὶ καίεται.

11. *Ut gaudium meum in vobis ſit*] *In vobis maneat* legendum eſt, μείνῃ.

15. *Quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus*] Ut hac tempeſtate plerique in hoc peccant ut dicant *ſuus* pro *ejus*, ita Interpres (quod tamen levius peccatum eſt) ait *ejus* pro *ſuus*; ut iterum poſtea c. 16. 21. *Triſtitiam habet, quia venit hora ejus*, pro *hora ſua*: & iterum cap. 16. 29. *Dicunt ei diſcipuli ejus*, pro *ſui*: & iterum c. 18. 4. *Jeſus autem ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum*, pro *ſuper ſe*. In illo autem, cap. 18. 19. *Pontifex ergo interrogavit Jeſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina ejus*, in neutro peccavit, ſed inepte fecit ut verba variaret, cum debuerit non utroque ſed alterutro pronomine uti. Et iterum c. 19. 25. *Stabat autem circa crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleopha. Mater ſua* dicendum fuit.

26, 27. *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis*] Ego tranſtuliſſem *Spiritus*. Interpres tranſtulit per accuſativum, quia ambiguum eſt Græce, cum ſit neutri generis, πνεῦμα. *Perhibetis* autem non *perhibebitis* legendum eſt, ut apud nonnullos codices ſcriptum invenio, μαρτυρεῖτε.

ERASMUS.

2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet*] Gr. αἴρει *tollit*, præſ. temporis. In exemplari Conſt. quidam ex ι fecerat ε, inflexo faſtigio: & *eum* additum eſt juxta proprietatem ſermonis Hebraici. Ac mox ¶ *Purgavit eum*] καθαίρει *purgat*, ut actionem & functionem Patris declaret abſque ratione temporis. ¶ *Fructum plus*] Ἵνα πλείονα καρπὸν ut *plus fructus*, aut *copioſiorem fructum*: id quod videri poteſt depravatum à librario, niſi alium dormivit Interpres.

5. *Vos palmites*] Κλήματα. Auguſtinus lib. adv. literas Petiliani I. c. 5. legit *ſarmenta* pro *palmitibus*.

6. *Mittetur foras*] Εβλήθη ἔξω *miſſus eſt foras*, vel potius *ejectus eſt foras*. Cum hoc congruit quod ſequitur. ¶ *Et areſcit*] Ἐξηράνθη *exaruit*; in hoc certe ſuffragantibus antiquis cod. quanquam in Conſtantienſi vigilaverat raſor ille. Unde probabile eſt & *mittetur* pro *mittitur*, quoniam id erat in proclivi, à librariis depravatum, maxime cum ſequatur *& ardet*. Oſtendit enim per ſimilitudinem quid fieri ſoleat, ut per eam intelligamus quid in nobis futurum ſit ni manſerimus in Vite. ¶ *Et colligent ea*] Καὶ συνάγουσιν αὐτὰ *colligunt eos*: ut ſubaudias *palmites*. Veruſtiſſ. codex Latinus habet *colligent eos*, nempe *palmites*, qui Græcis ſunt neutri generis; & *ardent*, non *ardet*. Duplex fuit hic erroris occaſio: altera, quod ſubito mutatur numerus in *palmes* & *palmites*; altera, quod etiam apud Græcos eſt verbum ſingularis numeri, καίεται. Verum in priore meminiſſe debebat quod in his quæ genus rei ſignificant ſubinde mutatur numerus. Etenim nihil refert utrum dicas, *Elephantus poſt decem annos parit*, an, *Elephanti pariunt*. Hic ſpeciem palmitis diſtinxit à ſtirpe. In altero non animadvertit nominibus neutri generis numeri pluralis addi verbum ſingularis numeri. Et ne ſoli Græci ſic videantur legere, in codice Conſt. in *ea* & in *ardet* erat raſura, ut agnoſcas fuiſſe ſcriptum *eos* & *ardent*. Ex Chryſoſtomo non liquet quid legerit, nec è Cyrillo, niſi quod exempli meminit ex quo ſubindicat hæc de Vite & Palmitibus dici. Theophylactus nobiſcum facit. ¶ *Mittent*] Βάλλουσι *mittunt*, & in hoc ſuffragantibus antiquiſſ. exemplaribus: quanquam aptius erat *conjicient*.

8. *Fructum plurimum*] Καρπὸν πολὺν *fructum multum*, ſive, ut alibi vertit, *copioſum*.

13. *Quam ut animam*] Ἵνα τις τὴν ψυχὴν τι quis animam. *Quam* nec additur nec eſt addendum. Etenim ſi addas *quam*, ſignificas unam hanc eſſe charitatem majorem ea quam habuit Chriſtus, ſi quis animam impendat amicis. Certe codex Aureus non addit, nec Conſtantienſis.

15. *Jam non dicam*] Οὐκ ἔτι λέγω *Jam non dico*, ſive, *Poſthac non dico*. Suffragatur Græcæ lectioni codex Aureus.

18. *Scitote quia*] Γινώσκετε. Græca vox anceps eſt ad *ſcitote* & *ſcitis*. ¶ *Me priorem vobis*] Ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν, *me qui ſum primus veſtrum*, ſive *me prius quam vos*. Nam ſermo Græcus anceps eſt ad utrumque ſenſum; quanquam poſterior magis probatur, ut πρῶτον adverbium ſit, & ſuperlativum uſurpatum vice comparativi.

20. *Mementote ſermonis mei*] *Mei* non eſt in Græcis cod. ſed Interpres expreſſit emphaſim articuli Græci, τοῦ λόγου.

22. *Nunc autem excuſationem non habent*] Πρόφασιν *prætextum*. Plus enim quiddam dixit quam ſi dixiſſet *excuſationem*. Nam & qui juſtam excuſationem non habent, tamen prætexunt aliquid. Iſtis erat adempta omnis tergiverſatio.

25. *Odio habuerunt me gratis*] Vaticinium eſt Pſalmo 68. juxta noſtram ſupputationem.

26. *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis*] Τὸ πνεῦμα, quoniam neutri generis eſt, incertum eſt utrius ſit caſus, nominandi, an accuſandi. Cæterum magis conveniebat *Spiritus*: interpretatur enim quis ſit ille *Conſolator*, nempe *Spiritus veritatis*. Non enim mittendo fit Spiritus, ſed qui Spiritus eſt mittitur. ¶ *Qui à Patre procedit*] Ἐκπορεύεται quod eleganter verti poterat & *proficiſcitur*, niſi *proceſſionis* vocabulum aures jam omnium occupaſſet. Atqui proprie *procedit* qui pompa quadam prodit in publicum, velut Sponſus *procedit*, aut Sponſa: quod Virgilius dixit,

Tandem progreditur.

27. *Et vos teſtimonium perhibebitis*] Gr. μαρτυρεῖτε *teſtimonium perhibete*, ut ſit imperandi modus; aut, *teſtimonium perhibetis*: atque ita ſcriptum fuiſſe ſuſpicor ab Interprete. Sane Cyrilli interpres vertit *perhibete*, nimirum ſuum ſecutus exemplar, non noſtram editionem. Quanquam mihi videtur accommodatius *perhibetis* μαρτυρεῖτε, h. e. *ipſi eſtis teſtes*: & mox adjicit cauſam, *Quia ab initio mecum eſtis*. In Conſtantienſi erat *perhibete*.

VATABLUS.

2. *Tollet*] *Tollat*, Vet. ¶ *Purgabit*] *Purgat*. ¶ *Fructum plus*] *Copioſiorem fructum*.

4. *Et*] Pro *ut*, Hebr.

6. *Mittetur*] *Ejectus eſt*. ¶ *Areſcet*] *Areſcit*, Vet. ¶ *Colligent eum*] *Colligunt eos*, Vet. ſub. *palmites*. ¶ *Mittent & ardet*] *Mittunt & ardent*, Vet.

7. *Verba mea in vobis manſerint*] i. Præcepta mea vobis cordi fuerint.

8.

Digitized by Google

8. *Clarificatus*] *Glorificatus.*

9. *In dilectione mea*] Vel, *amore meo*: vel, *in amore meit* nam Græcis ambiguum eſt.

15. *Jam*] *Poſthac.* ¶ *Dicam*] *Dico*, Vet.

17. *Invicem*] *Vos mutuo.*

18. *Priorem vobis*] *Prius quam vos.*

19. *Fuiſſetis*] Vel, *eſſetis.* ¶ *Erat*] *Eſt.*

21. *Neſciunt*] *Ignorant*, vel, *non noverunt.*

22. *Et locutus*] Sub. *non.* ¶ *Peccatum*] *Culpam.* ¶ *Excuſationem*] *Prætextum.*

24. *In eis*] *Inter eos.*

25. *Gratis*] Vel, *immerito.*

27. *Vos* *] * *Etiam.* ¶ *Teſtimonium perhibebitis*] Vel, *teſtimonium perhibetis*: vel, *teſtimonium perhibete.* Utrumque enim poteſt ſignificare vox Græca.

CLARIUS.

3. *Jam vos mundi eſtis*] Dixerat *Patrem* in morem agricolæ *purgare* etiam *eos qui fructificant*, *ut uberiorem ferant fructum.* Vos ergo, inquit, etſi purgati eſtis ob ſermones & doctrinam meam ac verbum fidei, exercebimini tamen afflictionibus, ut amplius etiam fructificetis: ſed vos permanete in me: alioqui infructiferi confeſtim efficeremini.

9. *Sicut dilexit*] Videtur illud velle ſignificare his verbis quod infra dicit alloquens Patrem, *Et ego claritatem quam tu dediſti mihi, dedi eis.*

13. *Majorem hac dilectionem*] Quid? an major non eſt dilectio pro inimicis quam pro amicis mori? Sed cum quis pro inimicis moritur, jam eos pro amicis habet, quin eos amat.

15. *Omnia quæcunque audivi*] Illud *omnia* videtur ὑπερβολικῶς dictum: alioqui ad Filii æqualitatem Apoſtoli perveniſſent.

16. *Non vos me elegiſtis*] Non potuiſſetis per voſmetipſos tantum bonum excogitare.

26. *Cum autem venerit Paracletus*] Illi, inquit, oderunt me; ſed Paracleti adventus ea ſigna dabit ut velint nolint agnoſcatur qui ſim. *Ille* ergo locuples *teſtimonium reddet: quin & vos ipſi, qui ab initio verſati eſtis mecum*, abunde *teſtes eſtis*, ut ſufficere poſſet veſtrum teſtimonium ad faciendam illis fidem, niſi tam impudenti & perfricta fronte eſſent.

ZEGERUS.

3. *Mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis*] h. e. propter doctrinam meam cui credidiſtis cuique vos ſubdidiſtis.

6. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & arefcet; & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*] Confundit hic Euangeliſta, ut alias ſæpe, temporum proprietates: quanquam id frequenter ad epitaſin faciat, quo videlicet magis exprimatur rei certitudo. Quod ergo habet Euangeliſta neglecta temporis ratione, ita juxta ſimplicem intellectum converti poterit, *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & exarefcet: deinde colligent eum & in ignem conjicient, & ardebit.* Exſtant adhuc codices vetuſti qui cum Græcis conſentientes habent *colligem*, vel *colligunt*, *eos*, *& ardent.* Tamen vulgaris lectio magis mihi placet, quippe quæ lecta ſit Auguſtino.

8. *In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis*] Et hic hypallage temporis eſt, pro eo quod eſt, *In hoc glorificabitur Pater meus, ſi copioſum fructum attuleritis.*

18. *Me priorem vobis*] Gr. ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν, *me prius quam vos*, ſive etiam *me qui ſum primus veſtrum.*

25. *Sed ut impleatur ſermo*] Neceſſe eſt ſubaudiri quippiam quod perfectam reddat orationem, *Sed id factum*, vel, *me oderunt, ut impleatur ſermo.* Et *ut* Conſecutionem hic dicit, non Cauſam. ¶ *Odio me habuerunt gratis*] i. *Sine cauſa.* Locus eſt Pſ. 35. 19. & 69. 4.

H. STEPHANUS.

6. Ἐβλήθη ἔξω καὶ ἐξηράνθη] *Ejectum arefcet.*

17. Ἐντέλλομαι] *Mando.*

20. Ἐδίωξαν] *Perſecuti ſunt.*

22. Πρόφασιν οὐκ ἔχουσι περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτῶν] *Non habent quod prætexant peccato ſuo.*

25. Δωρεάν] *Immerito.*

CASAUBONUS.

6. Ἐὰν μή τις μένῃ ἐν ἐμοί, ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα] Βάλλεσθαι ἔξω nihil aliud, opinor, eſt quam *projici ſicut projiciuntur res inutiles*; ut apud Matth. 5. 13. & Luc. 14. 35. Quare hic quoque de ea projectione interpretor, non de projectione tantum extra vineam. Porro in Paraphraſi hujus loci legendum eſt,

Εἰ δέ τις ὑμετέρων ἐν ἔργοις μιμνέτι μίμνοι.

Nam cum Vitem ſe in hac diſputatione dicat Chriſtus, quis non videt ita eſſe legendum, non ἄνρει, ut perperam vulgo ſcribitur?

7. Ὃ ἐὰν θέλητε, αἰτήσεσθε, καὶ γενήσεται ὑμῖν] Videtur ſcriptum fuiſſe in Nonni codicibus, ὃ ἐὰν θέλετε, καὶ αἰτήσεσθε, γενήσεται ὑμῖν, quandoquidem ſic eſt interpretatus,

Οσσα λαβεῖν ἐθέλητε, καὶ αἰτίζητε τοκῆα,
Τμῖν εἰς ἐνὶ πάντα τελείεται.

8. Καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταί] Sic legit etiam Paraphraſtes, non γένησθε, ut Theophylactus. Rectius autem legitur γενήσεσθε· quod ita eſt accipiendum quaſi ſcriptum eſſet καὶ οὕτω, vel καὶ τούτου συμβάντος· quæ ellipſis ſæpe occurrit. Homerus ἰδ. π.

Μή μιν νεκτομέωσιν, ἐμοὶ δ' ἄχος ἔσσεται αἰνόν.

h. e. *quod ſi fiat, magno mœrore afficiar.*

16. Ἀλλ' ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς] In Paraphraſi ſcribe ἐλέγμην, non ἐλέγμην, quæ vox multis locis in illius locum ſucceſſit; quod ſtudioſus lector facile obſervabit.

CAMERON.

5. Χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν] Notanda eſt Emphaſis particulæ χωρὶς, nec à Syro nec à Latino vulg. verſ. Interprete expreſſæ. Nam χωρὶς hic non eſt ſimpliciter *ſine*, nec χωρὶς ἐμοῦ eſt Syriacum ולית, ut interpretatus eſt Syrus, ſed majus aliquid, q. d. Chriſtus *ſeorſum à me*, Hebraice לבר ממני. Nam eo loco Chriſtus agit de unione noſtri cum ipſo, quam tam ait eſſe neceſſariam quam ſit unio Palmitum cum Vite. Itaque illud χωρὶς eſt Chaldaicum & Syriacum לבר.

GROTIUS.

1. Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή, *Ego ſum vitis vera*] Mos eſt Chriſti, ex rebus obviis ſermonis ſui occaſionem ſumere. Propinaverat jam poſt cœnam ſuis ultimum calicem, paſſionis ſuæ teſſeram; quam hiſtoriam ab aliis liberaliter tractatam omiſit Johannes, eo quod nihil aliud eſſet quam ſignificatio per res viſibiles ejus quod verbis dixerat Chriſtus ſupra VI. 51. In hac propinatione Vinum vocarat *ſanguinem ſuum.* Hinc ad affinia delabens (quomodo ſupra X. ſe *Paſtorem* primum, deinde *Oſtium* dixit) *Vitem* ſe vocat, & quidem cum articulo, *illam veram Vitem*, ſicut cap. X. ſe dixerat *illum verum Paſtorem*, nimirum deſcriptum locis ſatis notis. Ergo cum ſe *illam veram Vitem* vocat, intelligit ſibi demum excellenter competere iſta epitheta שרק זית אמתי Jerem. II. 21, ἄμπελον καρποφόρον, πᾶσαν ἀληθινὴν [*vineam frugiferam, totam veram*], ut eſt in Græco, ubi in Hebræo *ſemen veritatis*, ut hic *vitis veritatis* in Syriaco, id eſt, genuina, non fera vitis. Gloriatur Vitis in fabula Jud. IX. 13. *ſuo liquore lætificari Deum & homines*, quod de Chriſti ſanguine veriſſime dicitur. Vinum *ſanguis uvæ*, Gen. XLIX. 11. Deuter. XXXII. 14. αἷμα σταφυλῆς [*ſanguis uvæ*] 1 Maccab. VI. 34. Clemens Pæd. II. de Chriſto, Μετέλαβεν οἴνου καὶ αὐτὸς, καὶ εὐλογητέ γε τὸν οἶνον, αἰνῶν, Λάβετε, πίετε· τοῦτό μου ἐστὶ τὸ αἷμα, αἷμα τῆς ἀμπέλου [*Etiam ipſe de vino ſumſit, & vino benedixit, dicens, Sumite, bibite, hoc eſt ſanguis meus, ſanguis nimirum vitis*]. Et paulo ante, Μυστικὸν ἄρα σύμβολον καὶ γραφὴ αἷματος ἁγίου οἶνον ὠνόμασεν [*Ergo & ſcriptura vinum nominavit myſticum ſymbolum ſanctæ ſanguinis*]. ¶ Καὶ ὁ πατήρ μου ὁ γεωργός ἐστι, *& Pater meus agricola eſt*] Genus pro ſpecie, γεωργὸς [*agricola*] pro ἀμπελουργὸς [*vinitor*] כורם. Matth. XXI. 33. Deus dicitur οἰκοδεσπότης ὅστις ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα [*paterfamilias qui plantavit vineam*]. Philoni quoque ψυχῆς γεωργία τῇ γῆς ἐργασίᾳ [*cultura animæ cultura agri*] comparatur libro ejus argumenti. Et multæ ſunt apud Prophetas ſimilitudines ab Agricultura deſumtæ.

2. Πᾶν κλῆμα ἐν ἐμοὶ μὴ φέρον καρπὸν, αἴρει αὐτό. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum*] Ἐν ἐμοὶ [*In me*], id eſt, ὢν ἐν ἐμοὶ [*cum in me ſit*], id eſt, *mihi adhærens.* Hanc defractionem inutilium palmitum בד Hebræi, Græci κλάσει

κλάσιν vocant, interdum κάθαρσιν, *deputationem* Latini. Vide Varronem libro De ſtudio agricolarum, Theophraſtum III De cauſis Stirpium. Cicero De Senectute, *Vitem ſerpentem multiplici lapſu & erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne ſilveſcat ſarmentis & in omnes partes nimia fundatur.* Sic qui Chriſtianiſmum profitentur ſine factis piis, tolluntur, habentur à Deo pro non Chriſtianis, utcunque frondibus viridibus ſe oſtentent. ¶ Καὶ πᾶν τὸ καρπὸν φέρον, καθαίρει αὐτό, *& omnem qui fert fructum, purgabit eum*] Magis magiſque purgat & fœcundius reddit. Hæc eſt βλαστολογία Græcis, Latinis *pampinatio*. Hoc autem facit Deus variis modis, præcipue per afflictiones. ¶ Ἵνα πλείονα καρπὸν φέρῃ, *ut fructum plus afferat*] In dies magis magiſque.

3. Ἤδη ὑμεῖς καθαροί ἐστε, *Jam vos mundi eſtis*] Propoſito animi, ut explicatum eſt ſupra XIII. 11. Dicit autem *jam*, quia impurus Judas jam exierat, nunquam in Apoſtolicum conſortium rediturus, ſarmentum inutile. Tacite autem ſubintelligi vult Chriſtus ita *puros* eſſe, id eſt, frugiferos, ut tamen magis magiſque purgandi ſint ſollicita purgatione, quam *pedum lotionem* ſupra dixerat. Nam repetens verba tum dicta, etiam connexa cenſendus eſt repetiiſſe aut innuiſſe. ¶ Διὰ τὸν λόγον ὃν λελάλημα ὑμῖν, *propter ſermonem quem locutus ſum vobis*] Subintelligе pie admiſſum atque receptum: quod innuunt ſequentia, ἐὰν τὰ ῥήματά μου ἐν ὑμῖν μείνῃ [*ſi verba mea in vobis manſerint*]. Adde quæ infra XVII. 17, 19.

4. Μείνατε ἐν ἐμοί, *Manete in me*] *Curate ut mihi inſixi ſitis*, nempe obediendi imitandique propoſito, 1 Epiſt. II. 6. Vide quæ diximus X. 38. & XIV. 10. ¶ Κἀγὼ ἐν ὑμῖν· *& ego in vobis*] *Curate ut ego vobis inſigar*, per influxum Spiritus & auxilii quotidiani. Vide dicta jam loca. Hoc autem indicat futurum ſi ipſi retinuerint obediendi imitandique propoſitum: ſunt enim hæc connexa. Simile loquendi genus 1 Tim. IV. 12. Μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω [*Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*], id eſt, *Cura ne tui contemnendi occaſionem des.* ¶ Οὐ δύναται καρπὸν φέρειν ἀφ' ἑαυτοῦ, *non poteſt fructum ferre à ſemetipſo*] Vi aliqua propria quam habeat extra vitem. Sic ἀπ' ἐμαυτοῦ [*à meipſo*] ſupra V. 30. VII. 17. VIII. 28. ¶ Ἐὰν μὴ μείνῃ ἐν τῇ ἀμπέλῳ· *niſi manſerit in vite*] Ἐὰν μὴ [*niſi*] pro *ſed*, ut ſupra V. 19. id eſt, *tandemum palmes fructum feret, ſi maneat viti cohærens.* ¶ Οὕτως οὐδὲ ὑμεῖς, ἐὰν μὴ ἐν ἐμοὶ μείνητε. *ſic nec vos, niſi in me manſeritis*] Nili perpetuo illud propoſitum in animo retinueritis. Alioqui delabemini ad ritus inutiles, aut falſo dictas virtutes, tandem ad aperta vitia.

5. Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος, *Ego ſum vitis*] Statim ſubjungit planiorem interpretationem, ut Matth. XIII. 49. ¶ Κἀγὼ ἐν αὐτῷ, *& ego in eo*] Hebraiſmus pro ☛ *in quo ego maneo.* ¶ Οὗτος, *hic*] *Hic demum, non alius.* Sic Jac. I. 25. ¶ Χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν. *Extra me nihil poteſtis facere*] Χωρὶς ἐμοῦ, id eſt, *extra me*; ut oſtendunt præcedentia. Sic Matth. XIV. 21. infra XX. 7. Sic χωρὶς Χριστοῦ [*ſine Chriſto*] Eph. II. 12. Sic vertitur מלבד Gen. XLVI. 26. Num. XVII. 14. & alibi: quod aliis locis καθ' ἑαυτόν, κατὰ μονὰς, κατ' αὐτό [*per ſe, ſeorſim, ſeparatim*]. Qui à Chriſti præceptis & exemplo diſcedit, ab eo nihil bonæ frugis exſpectandum eſt. Vide ſupra VI. 68. Act. IV. 12.

6. Ἐβλήθη ἔξω, ὡς τὸ κλῆμα, *mittetur foras, ſicut palmes*] Hi aoriſti ſine deſignatione temporis ſignificant quid fieri ſoleat, pro quo & præſens ſæpe uſurpatur. ἐκβάλλεσθαι ἔξω [*mitti foras*] in comparatione eſt *præcidi à vite*; in ſignificatione, *deſtitui gratia ac favore Chriſti.* Vide Matth. VIII. 12. XXII. 13. XXV. 30. ¶ Καὶ ἐξηράνθη· *& aruit*] Apparet ejus inutilitas: quæ egregie deſcribitur Ezech. XV. 2. Hoc fiet in die Judicii. ¶ Καὶ συνάγουσιν αὐτὰ, *& colligunt eos*] Mutat numerum, quia ſenſus idem eſt. Sic & Pſalm. CXI. 10. Et eſt Hebraiſmus, *colligunt ipſa* imperſonaliter, id eſt, *colligentur.* Hoc Syrus alio idiotiſmo expreſſit, *colligunt colligentes.* Συλλέγεται τὰ ζιζάνια [*colliguntur zizania*] Matth. XIII. 40. ¶ Καὶ καίεται. *& ardet*] *Igni detur ad conſumendum.* Ezechiel dicto loco de ſarmentis; ſic de zizaniis dicto Matthæi loco; de arbore inutili, Matth. III. 10. Explicatio eſt apud Matthæum dicto capite XIII. Videtur autem tacite Judæ exitus indicari ut ejus exemplo cæteri ſibi caveant.

7 Καὶ τὰ ῥήματά μου ἐν ὑμῖν μείνῃ, *& verba mea in vobis manſerint*] Non in memoria tantum hæreant, ſed & in affectu. Sic ſupra V. 38. 1 Epiſt. II. 14. ¶ Ὃ ἐὰν θέλητε, *quodcunque volueritis*] Nempe ad honorem Dei pertinens: quæ reſtrictio addita eſt ſupra XIV. 13. ¶ Αἰτήσεσθε καὶ γενήσεται ὑμῖν. *petetis & fiet vobis*] Hebraiſmus, pro: *ſi petieritis continget vobis.* Similis locutio Luc. XI. 9. Sic Latini,

Graculum eſuriens in cœlum, juſſeris, ibit.

8. Ἐν τούτῳ ἐδοξάσθη ὁ πατήρ μου, *In hoc clarificatus eſt Pater meus*] Id eſt, *clarificatur.* Iterum aoriſtus ſenſu quem modo diximus. Ex operibus ſanctis ſuorum inclareſcit Dei gloria: Matth. V. 16. 1 Cor. VI. 20. ἐν τούτῳ, *per hoc.* ¶ Ἵνα καρπὸν πολὺν φέρητε· *ut fructum plurimum afferatis*] Ἵνα [*ut*] hic eſt modi ſignificativum: quod Latine interdum per *ut*, interdum per *ſi* enuntiatur. Similis hujus voculæ uſus ſupra IV. 34. VI. 29. infra 13. XVII. 3. Quam ſignificationem recte hic expreſſit Syrus. ¶ Καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταί. *& eritis mihi diſcipuli*] Sic etiam Syrus legit. Itaque ſenſus eſt, *Si copioſos fructus proferatis, tunc vere eritis*, id eſt, apparebitis eſſe, *mei diſcipuli.* Sæpe enim dicitur eſſe id quod apparet. Vide ſupra VIII. 31. Rom. III. 4. Jac. I. 12.

9. Καθὼς ἠγάπησέ με ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἠγάπησα ὑμᾶς· μείνατε ἐν τῇ ἀγάπῃ τῇ ἐμῇ. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: manete in dilectione mea*] Omnino hæc ita legenda uno ſpiritu: & ſubauditur ante μείνατε [*manete*], οὕτως [*ſic*], ut ſupra 3. VI. 57. Senſus eſt, *Sicut Pater me dilexit & ego vos, ſic vos me viciſſim diligite.* Quod hic dixit ἀγάπῃ τῇ ἐμῇ [*dilectione mea*] ſtatim dicet ἀγάπῃ μου [*dilectione mei*]. ἀγάπη μου eſt *amor mei.* Sic ἀγάπη Θεοῦ [*dilectio Dei*] Luc. XI. 42. & ſupra V. 42. & 1 Epiſt. II. 5. ubi ἀγάπη Θεοῦ [*dilectio Dei*] explicat id quod ante dictum erat ἔγνωκα αὐτόν [*novi eum*]· & ibid. 15. ἡ ἀγάπη τοῦ πατρὸς [*dilectio Patris*] opponitur ei dilectioni qua mundus diligitur: ſic & eadem Epiſt. III. 16, & 17.

10. Ἐὰν τὰς ἐντολάς μου τηρήσητε, μενεῖτε ἐν τῇ ἀγάπῃ μου· *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea*] Id eſt, Sic apparebit me à vobis diligi. Sic dicto cap. III Epiſtolæ commate 5. & ſupra XIV. 24. ¶ Καθὼς ἐγὼ τὰς ἐντολὰς τοῦ πατρός μου τετήρηκα, καὶ μένω αὐτοῦ ἐν τῇ ἀγάπῃ· *ſicut ego præcepta Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione*] Sic oſtendi quantopere ipſum diligam. Sic ſupra XIV. 31. *Ut noverit mundus à me diligi Patrem, prout Pater mihi mandavit, ita facio.*

11. Ταῦτα λελάλημα ὑμῖν, *Hæc locutus ſum vobis*] Ideo vos excitavi ad multum fructum proferendum. ¶ Ἵνα ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ ἐν ὑμῖν μείνῃ, *ut gaudium meum in vobis maneat*] Χαρὰ ἡ ἐμή; *gaudium ob me*, quo gaviſi eſtis me præſente ac vos fovente. Vide infra XVII. 13. quaſi dicat, Hæc mea verba mei abſentis vicem ſupplebunt in vobis conſolandis. ¶ Καὶ ἡ χαρὰ ὑμῶν πληρωθῇ. *& gaudium veſtrum impleatur*] Πληροῦσθαι [*impleri*] de gaudio dicitur & ſupra III. 29. & infra dicto loco XVII. 13. 1 Epiſt. I. 4. II Epiſt. 12. Philip. II. 2. Non hic tantum mea verba vobis ſolatio erunt, ſed vobis quoque ea res perfectiſſimum pariet gaudium in vita futura.

12. Αὕτη ἐστὶν ἡ ἐντολὴ ἡ ἐμή, *Hoc eſt præceptum meum*] Non Legis Veteris, quæ dilectionem nec tam late porrigit nec ad eum extendit gradum. Vide quæ ſupra XIII. 34. Sæpiſſime hoc inculcat, ut ad Eccleſiam conſtituendam continendamque maxime neceſſarium.

13. Μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει, *Majorem hac dilectionem nemo habet*] Explicat quid ſit illud *ſicut ego vos dilexi.* Affectum ſuum erga amicos nemo majori facto poteſt oſtendere. Erga amicos, inquam: nam ad tales ſermo erat. ¶ Ἵνα, *ut*] Eſt expoſitio illius ταύτης [*hac*]. Vide quæ ſupra 8. ¶ Τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θῇ ὑπὲρ τῶν φίλων αὐτοῦ. *animam ſuam ponat pro amicis ſuis*] Mortis periculis ſe objiciat. De locutione diximus X. 11. & deinceps. Vita nihil carius, Job. II. 4. Euripides,

Ψυχῆς γὰρ οὐδὲν ἔστι τιμιώτερον.
[*Vita profecto nulla res pretioſior*]

Notæ ſunt de Pylade & Oreſte, de Damone & Pythia ſive fabulæ ſive hiſtoriæ, ultra quæ amicitiæ exempla progredi non poſſunt.

14. Ὑμεῖς φίλοι μού ἐστε, *Vos amici mei eſtis*] Præſens pro futuro, ut ſupra VIII. 31. *ita amici mei manebitis:* ita fiet ut ſemper à me diligamini, ac proinde nihil non à tam fideli amante exſpectandum habeatis, Roman. V. 8, 9, 10.

15. Οὐκέτι ὑμᾶς λέγω δούλους. *Jam non dico vos ſervos*] *Dico*, id eſt, habeo. *Non ego nunc vobiſcum ago tanquam cum ſervis*, quanquam meo jure poſſem. Diximus ad Matth. I. 21. ¶ Ὅτι ὁ δοῦλος οὐκ οἶδε τί ποιεῖ αὐτοῦ ὁ κύριος· *quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus*] Xenophon, οὐδὲ γὰρ δοκοῦσιν φύσει ἢ πρᾶξει δούλους δεῖ εἶδέναι, οἷς οὐδὲν πλέον ὑπηρεσίας προσήκει. [*neque enim ſervorum eſt noſſe heorum aut naturam aut actus, cum ad eos nihil niſi miniſterium pertineat.*] Euripides,

Δοῦλος πέφυκας· ἢ μέτεσί σοι λόγου.
[*Servi tua eſt fortuna: ratio ad te nihil*].

Ποιεῖ [*faciat*] hic eſt, *quid facere velit*, ut ſupra X. 32. Non ſo-

ſolent heri ſervis ſua conſilia patefacere ſed amicis. Seneca, *Servus herilis imperii non cenſor eſt, ſed miniſter.* Non longe hinc abit quod apud Platonem eſt, *ſervos à Medicis curari ſolu præceptis, at amicos ita ut ſimul præceptorum ratio ipſis reddatur.* ¶ Ὑμᾶς δὲ εἴρηκα φίλους, *vos autem dixi amicos*] Et ſic voco, & ut tales tracto. ¶ Ὅτι, *quia*] *Nam*; ut & alibi monuimus. ¶ Πάντα ὅσα ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός μου ἐγνώρισα ὑμῖν. *omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*] *Patris conſilia quæ ex ipſo accepi* (ſic *audire* ſumitur & ſupra III. 32. & VIII. 26.) *vobis aperta feci*, de mea Reſurrectione, de Aſcenſione in cœlum, de Miſſione Spiritus Sancti, de Vocatione Gentium, de Judicio univerſali, de Vita æterna. Horum pleraque Deus antehac adumbraverat quidem, ſed non revelaverat, Epheſ. III. 5. *Omnia* ergo intellige, quæ ullo modo ad conſolationem veſtram pertinere poterant. Sic enim ſæpe univerſalitas ex ſubjecto ſermone reſtringitur. Locus non diſſimilis Act. XX. 27. Nam quædam, ut Regnum ſuum mere eſſe ſpirituale, Legem Moſis ceſſare, poſtea demum docuit, ut profitetur ſe facturum infra XVI. 12.

16. Οὐχ ὑμεῖς με ἐξελέξασθε, *Non vos me elegiſtis*] Commendat amorem ſuum quod à ſe amicitiæ factum ſit initium, nullis ipſorum in ſe benefactis provocato. *Non vos me elegiſtis in amicum, ſed ego vos mihi aſſumpſi.* ¶ Ἀλλ' ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς, *ſed ego elegi vos*] Vide ſupra VI. 70. XIII. 18. ¶ Καὶ ἔθηκα ὑμᾶς, *& poſui vos*] Etiam ad Apoſtolicam dignitatem evexi. Sic & uſurpari ſolet τιθέναι [*ponere*], Actor. XIII. 47. XX. 28. Roman. IV. 17. Heb. I. 2. Hoc alibi eſt καταςῆναι [*conſtituere*] ut Matth. XXV. 23. ¶ Ἵνα ὑμεῖς ὑπάγητε καὶ καρπὸν φέρητε, *ut eatis & fructum afferatis*] Syrus, *ut abeuntes afferatis.* Solent ſæpe hæ particulæ ὑπάγειν [*ire*] & πορεύεσθαι [*vadere*] abundare. Sed hic rectius eſt ut intelligamus Chriſti verbis excitari Apoſtolos, ut non exſpectent dum homines diſcendi avidi ad ſe veniant, ſed ipſi ultro eos quærant. ¶ Καὶ ὁ καρπὸς ὑμῶν μένῃ· *& fructus veſter maneat*] Hebraiſmus pro, *qui fructus manet*, qui in cœleſte horreum reponatur, non comburatur. Vide ſupra IV. 36. Matth. XIII. 30. ¶ Ἵνα ὅ, τι ἂν αἰτήσητε τὸν πατέρα ἐν τῷ ὀνόματί μου, δῷ ὑμῖν. *ut, quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis*] Δῷ [*det*] in tertia perſona legerunt Syrus & Latinus, & Græcorum nonnulli. Ἵνα [*ut*] hic quoque eſt ἐκβατικὸν [*eventus ſignificativum*]. Nam hoc conſequens eſt diligenti fructificationi ut preces ipſorum Deus impleat. Vide Actor. IV. 30. Vide ſupra 7. Matth. XXI. 22.

17. Ταῦτα ἐντέλλομαι ὑμῖν, *Hæc indico vobis*] *Hæc omnia inculco vobis*, nempe de amore quo vos præveni, quem ad mortem uſque extendi, quo nihil vos celavi. Solet & τοῦτο [*dicere*] verti per ἐντέλλομαι [*mando*] & τοῦτο (quod plerumque ἐντέλλομαι [*mando*]) per λαλεῖν [*loqui*]. Sic Pſ. XLII. 8. חסד, ἐντελεῖται ἔλεος αὐτοῦ [*mandabit miſericordiam ſuam*], *indicabit, ſignificabit.* ¶ Ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. *ut diligatis invicem*] Non hæc dico quod beneficia exprobrem, ſed ut vos tanto exemplo provocati diligatis alii alios.

18. Εἰ ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ, *Si mundus vos odit*] Videbant jam Apoſtoli non poſſe ſermonem Euangelii doceri ut non maxima odia incurrerentur. Jam enim conventu prohibiti erant qui Jeſum profiterentur Meſſiam: ipſe petebatur ad mortem. Itaque adverſus hunc metum Chriſtus eos ſolatur. Eſt autem egregius uſus particulæ *ſi* ubi malo bonum opponimus. ¶ Γινώσκετε, *ſcitote*] *Animo recolite.* Sic εἰδότες [*ſcientes*] ſumitur in eodem argumento, 1 Pet. V. 9. ¶ Πρῶτον ὑμῶν, *priorem vobis*] Id eſt πρότερον *antequam vos*, ut exponit Syrus. Vide quæ ſupra I. 15. Munivi vobis viam: hæc odia prior excepi.

19. Εἰ ἐκ τοῦ κόσμου ἦτε, *Si ex mundo eſſetis*] *Affectu mundano præditi*: quomodo *ex diabolo eſſe* & *ex Deo* ſumtum ſupra VIII. 44, 47. ¶ Ὁ κόσμος ἂν τὸ ἴδιον ἐφίλει· *mundus quod ſuum eſt diligeret*] *Vos ut ſuos diligeret.* Solet enim ad amicitias valere ſtudiorum communitas. κόσμον [*mundum*] accipe pro *univerſitate eorum qui carni & ſeculo ſtudent*, qui generali odio ſolos pietatis & ſanctitatis profeſſores infectantur. Vide ſupra VII. 7. & 1 Epiſt. III. 13. ¶ Ἐξελεξάμην ὑμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου, *elegi vos ex mundo*] Secrevi ex illa univerſitate & mihi in peculium ſepoſui. Sic dicuntur Chriſtiani ἀποφυγόντες τὰ μιάσματα τοῦ κόσμου [*qui effugerunt coinquinationes mundi*] II Pet. II. 20. ἐκλέγειν [*eligere*] ſæpe hoc ſenſu in Veteri Teſtamento uſurpatur, ubi agitur de populo Hebræo, eorumve Patribus. II Maccab. I. 25. ὁ ποιήσας τοὺς πατέρας ἐκλεκτοὺς καὶ ἁγιάσας αὐτούς [*qui feciſti Patres electos & ſanctificaſti eos*]. ¶ Διὰ τοῦτο, *propterea*] Tanquam qui ſua ipſi vitia contrario vitæ inſtituto exprobretis.

20. Μνημονεύετε, *Mementote*] *Memores eſtote.* Sic Lucæ XVII. 32. ¶ Τοῦ λόγου, *ſermonis*] *Adagii ſatis noti.* ¶ Ὃν ἐγὼ εἶπον ὑμῖν· *quem dixi vobis*] Supra XIII. 16. quanquam alio uſu. ¶ Οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων, *non eſt ſervus major*] Non debet ægre ferre aut mirari ſi ſibi accidat quod domino. In hunc ſenſum ſimile dictum uſurpatur Matth. X. 24. ¶ Εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, *ſi ſermonem meum ſervaverint*] *Si mihi audientes fuerint, exſpectate ut & vobis ſim:* quaſi dicat, *Non eſt quod hoc ſperetis.*

21. Ταῦτα πάντα ποιήσουσιν ὑμῖν, *hæc omnia facient vobis*] Ut vos odio habeant, vexent, dicta contemnant. ¶ Διὰ τὸ ὄνομά μου, *propter nomen meum*] Hoc ſicut alibi eſt *in meam gratiam*, ita hic eſt *odio mei*, ut & Matth. X. 22. quod explicare licet, ἕνεκεν ἐμοῦ, [*propter me*] ut eſt Matth. V. 11. Si ob me hæc patimini, etiam à me auxilium & præmium exſpectate. Hanc conſolationem ſenſerunt poſtea Apoſtoli Actor. V. 41. Vide & 1 Pet. IV. 16. ¶ Ὅτι οὐκ οἴδασι τὸν πέμψαντά με. *quia neſciunt eum qui miſit me*] *Non conſiderant à quo miſſus ſim*, excæcati ambitione aliiſque mundanis affectibus. Vide quod paulo ante diximus ad vocem γινώσκετε [*ſcitote*] quaſi dicat, *Quid miramini ſi cæci in vos ruunt?*

22. Εἰ μὴ ἦλθον, *Si non veniſſem*] *Niſi publice me oſtendiſſem.* Id enim eſt ἔρχεσθαι [*venire*], ut ſupra diximus aliquoties. ¶ Καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς, *& locutus fuiſſem eis*] Et niſi ipſis aperte prædicaſſem dogma longe ſanctiſſimum, in quo nihil poteſt reprehendi; idque affirmaſſem mihi à Deo mandatum, ſimulque confirmaſſem non tantum teſtimoniis Prophetarum ſed & eximia quadam loquendi majeſtate. Supra VII. 46. ¶ Ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον· *peccatum non haberent*] *Eſſent extra culpam*, nempe in eo quod ignorant, à quo miſſus ſim: connectenda enim hæc cum ſuperioribus. ¶ Νῦν δὲ πρόφασιν οὐκ ἔχουσι περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτῶν, *nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*] *Nunc nihil habent obtentus ad ſe purgandum de hac culpa.* In Pſalm. CXLI. 4. פצה רשעה בהתנהל, τοῦ προφασίζεσθαι προφάσεις ἐν ἁ. μαρτίαις [*ad excuſandas excuſationes in peccatis*]. Apud Juvenalem,

. . *Dic aliquem, dic, Quintiliane, colorem.*

Color eſt πρόφασις [*excuſatio*].

23. Ὁ ἐμὲ μισῶν καὶ τὸν πατέρα μου μισεῖ. *qui me odit & Patrem meum odit*] Senſus hic eſt, Cum ſcire potuerint ac debuerint me à Patre miſſum, quicquid in me contumelioſum faciunt, id Pater in ſuam contumeliam factum interpretatur. Mos eſt Sacræ Scripturæ ut facere quis dicatur quod non facit proprie, ſi id facit quod eodem loco habetur Deo judice. Sic 1 Sam. X. 19. Matth. XXV. 40. Hæc autem culpæ illorum aggravatio mirifice pertinet ad conſolandos Apoſtolos.

24. Εἰ τὰ ἔργα μὴ ἐποίησα, *Si opera non feciſſem*] Alterum adfert argumentum quo adverſarii reddantur inexcuſabiles, Miracula ſua. Hoc autem ita accipiendum eſt ut utrumvis ſufficiat, aut dogmatis ſola propoſitio, aut opera ad probandam miſſionem. Itaque hic eſt ἔλλειψις [*defectus ſermonis*], *Si nec locutus eſſem ipſis, nec talia opera feciſſem, erant excuſabiles.* ¶ Ἐν αὐτοῖς, *in eis*] Supple ὢν, *dum inter ipſos ago.* ἐν μέσῳ αὐτῶν [*in medio ipſorum*] ut Actor. II. 22. *in conſpectu ipſorum*, Syrus hic. ¶ Ἃ οὐδεὶς ἄλλος ἐποίησεν, *quæ nemo alius fecit*] Præcipue eo quod omnia morborum genera, nullis exceptis, etiam naturale cæcitatis vitium, ſolo imperio ac meo jure ſanavi. Hoc non fecit Moſes, non Elias, non Eliſæus, quos à Deo miſſos crediderunt. Quæ autem illi fecerunt, ego quoque feci & potentius, ut in Reſuſcitatione mortui quatriduani, in Panum multiplicatione, appareat. ¶ Ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον· *peccatum non haberent*] Sume ut ſupra 22. ¶ Νῦν δὲ καὶ ἑωράκασι, *nunc autem & viderunt*] Opera illa eximia. ¶ Καὶ, *&*] *Et tamen.* ¶ Μεμισήκασι καὶ ἐμὲ καὶ τὸν πατέρα μου. *oderunt & me & Patrem meum*] Me quidem directe, Patrem autem Patris interpretatione, quia ipſius mandata atque opera contemnunt nullo probabili prætextu.

25. Ἀλλ' ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος, *Sed ut adimpleatur ſermo*] Iterum ἔλλειψις quæ [*defectus ſermonis, qui*] ſupra. Et ἵνα [*ut*] eſt ἐκβατικόν [*eventus ſignificativum*]. Commode evenit ut hoc modo in me impleretur quod olim David, qui typum mei geſſit, ſibi fieri conqueſtus eſt. De voce πληροῦσθαι [*adimpleri*] diximus ad Matth. I. 22. ¶ Ἐν τῷ νόμῳ αὐτῶν, *in lege eorum*] Νόμον [*legem*] ſume ut X. 34. eſt enim ex Pſalmo XXXV. 19. ¶ Ὅτι, *nempe*] Hoc ὅτι hic va-

¶ *Habebitis*] *Habetis*: præſ. pro fut. i. ab hominibus affligemini.

CASTALIO.

23. *Nihil ex me ſciſcitabimini*] Omnia perſpicue ſcietis.

30. *Nec opus tibi eſſe ut te quis interroget*] Nulla de re poſſe te interrogari quam neſcias.

CLARIUS.

2. *Sed venit hora*] Imo, inquit, venit tempus cum perſecutores veſtri arbitrentur cædem veſtram eſſe quoddam gratiſſimum Deo ſacrificium: ut parum ſit quod *vos alienos à ſynagogis ſuis faciant.*

4. *Quia vobiſcum eram*] Dum in hac corporis præſentia fui vobiſcum, non erat neceſſe ut vos iſta admonerem, qui ſecuri in utramque aurem dormiebatis: At cum abiero, etſi non deſinam eſſe vobiſcum, vos tamen privati hoc corporis aſpectu eritis pavidiores; quare munire vos his prædictionibus oportuit.

5. *Nemo ex vobis interrogat me*] Video vos mœrore confectos non jam delectari interrogationibus.

7. *Si enim non abiero*] Dum mortalem hanc carnem præfero, neque vos creſcere intelligentia poteſtis, neque mundus certior fieri majeſtatis meæ: At cum abiero, Spiritum illum Paracletum mittam, quo duce ad altiorem rerum intelligentiam eritis vos aptiores, & magnificentiſſimis ſignis declarabitur mundo me vere Deum eſſe, qui poſt diſceſſum ab hominibus meum tam manifeſtam Divinitatis meæ ſignificationem faciam, hæc autem omnia me adhuc præſente non apte fient.

8. *Arguet mundum*] Ἐλέγξει *arguet*: unde *argumentum* ſicut ab ἔλεγχω ἔλεγχος. Tria, inquit, argumentis apertiſſimis demonſtrabit: Primum omnium, mundum *peccaſſe* in me, dum tantæ veritati credere recuſavit. Deinde quod *juſtus* fuerim atque omnino innocens, qui ob hanc *juſtitiam* meam *ad Patrem*, *ab aſpectibus hominum ſublatus*, *profectus ſim*: cui rei teſtimonio erunt ea quæ in nomine meo per Spiritus S. adventum fient. Poſtremo declarabit *condemnatum eſſe principem mundi*, cum imperium omne illius per totum mundum ſublatum cernetur. Vel ſic; *Arguet mundum de peccato*, quia mundus qui crediturus eſt arguet ſe peccatorem *quia non credidiſſet in Chriſtum*: *de juſtitia*, *quia cum ad Patrem proficiſcar* agnoſcens me Filium Dei qui juſtificavi illos: *de judicio*, quia per me ſublata eſt poteſtas *principis mundi hujus* in homines.

13. *Non enim loquetur à ſemetipſo*] Per hæc verba ſignificat unitatem Spiritus S. cum Patre, quodque non ſeparata quædam natura ſit, ſed à Patre procedat.

14. *De meo accipiet*] Si de Divina proceſſione loquitur, ſignificatur illum & à Patre & à ſe proficiſci: ſin intelligas de declaratis mundo operibus, *accipiet*, inquit, *de meo*, h. e. non nova & diverſa introducet, ſed proſequetur ea quæ ego inſtitueram: idque faciet glorificandi mei gratia. Et quia conſueverat dicere Dominus, *Verba quæ ego loquor*, *à me ipſo non loquor*, nunc autem ait, *de meo accepiet*, removet hanc dubitationem, dicens *idcirco ſe ita dixiſſe quod omnia quæ habet Pater ſint Filii.*

20. *Plorabitis & flebitis*] Non aperte explicat illud *modicum*, ſed prævenit admonendo, ut paratiores reddat ad perferenda mala. Hoc autem reſpondendi more ſæpe utitur Dominus, ut longe aliter quam exſpectatur reſpondeat.

23. *Quicquid petieritis Patrem*] In harum narratione moleſtiarum quæ illis erant eventuræ, identidem, confirmandorum animorum gratia, admonet *illos charos eſſe Patri*, & *quicquid petierint aſſecuturos*: tantum ſe digna petant, quod hactenus facere neſciebant, ut qui adhuc rudiores & minus aſſueti eſſent altioribus cogitationibus; ſed poſtea per Paracleti adventum acceſſit illa perfectio, quo tempore de Patre apertius, quod nunc promittit, illis annunciavit, & apertiora fecit myſteria.

30. *Nunc ſcimus quod ſcis omnia*] Quippe qui intelligeris quid nos torqueret, & hac magis plana narratione clariorem tui dederis agnitionem. Sed quia dixerant *ſe nunc credere*, prædicit ea quam futura mox ſit imbecilla eorum fides.

ZEGERUS.

10. *De juſtitia vero, quia ad Patrem vado*] Recte hac epexegeſi Dominus injuſtam mortem ſuam indicavit. Nam *juſtitiam* illam dicit qua ab æmulatoribus ſeu ſectatoribus injuſtitiæ, quam ipſi falſo *juſtitiam* dicebant, juſtus & irreprehenſibilis Dominus condemnatus eſt. *De juſtitia* ergo *arguet mundum Spiritus ille veritatis*, h. e. oſtendet quod injuſte occiſus ſim, *quia ad Patrem* omnis juſtitiæ autorem *propero*, ad quem utique ni juſtus eſſem properare haudquaquam poſſem.

11. *De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus eſt*] Multa dedere Judæi de Chriſto *judicia*, quod *dæmonium haberet*, quod *per Beelzebub ejiceret dæmonia*, quod *à Deo non eſſet*, & id genus multa, quæ omnia falſa fuiſſe Spiritu arguente declarata ſunt, *dum hujus mundi princeps* Diabolus victus, ejectus & *condemnatus eſt*. Vel, *de* hoc ipſo *judicio arguetur mundus* quo foras miſſus eſt Diabolus, quem tamen ſemel ejectum rurſum ſibi dominari permittit. Sive, ut hoc ipſum apertius dicam, *propterea arguetur mundus*, quod *judicium quo condemnatus eſt hujus mundi princeps* irritum fecerit. De re tantilla non eram quicquam dicturus niſi me movilſet editio quædam quæ multis æſtimatur longe omnium caſtigatiſſima abſolutiſſimaque; ita ut ne Jota quidem vel reducdare vel putetur deeſſe, cum in utraque parte (ut cæteros lapſus ſileam) peccatum ſit nec leviter nec ſemel. Porro hoc loco, ex imitatione verſionis Eraſmicæ, ſuperflue inſeritur *jam*, ut quod nec archetypus habeat, nec Auguſtinus, nec codices antiqui.

13. *Docebit vos omnem veritatem*] Hodie quidem in Græcis eſt, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν· verum ex veterum commentariis liquet exemplaria olim in adjectione particulæ *eis* variaſſe; & ὁδηγεῖν non tam *deducere* interpretari quam *docere*; maxime cum ab ἔγειν deducatur, quod inter alia etiam *docere* declarat. Nam Chryſoſtomus & legit & exponit *docebit vos omnem veritatem*. Leo Papa, & Didymus, ſive ipſius interpres Hieronymus contra, *diriget vos in omnem veritatem*, ſcribunt. Auguſtinus vero utrumque, *docebit*, inquiens, *omnem veritatem*, *vel*, *deducet vos in omni veritate*. Poſterius ſecutus eſt qui in precatione illa Eccleſiaſtica cujus initium eſt, *Mentes noſtras*, *quæſumus*, *Domine*, ſic ſcribit, *& inducas in omnem*, *ſicut tuus promiſit Filius*, *veritatem.*

23. *In illo die me non rogabitis quicquam*] Videtur hic locus adverſari ei quod ſubditur, *Amen dico vobis*, *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo*, *dabit vobis. Uſque modo non petiiſtis quicquam in nomine meo. Petite*, *& accipietis*: & rurſus ei quod paulo inferius dicitur, *In illo die in nomine meo petetis.* Huic reſponderi poterat quod cum tam ἐρωτήσετε quam *rogabitis* nunc Interrogationem nunc Precationem indicet, hoc loci non Precationem ſed Percontationem declaret. Verum cum Chryſoſtomus & hunc ſecutus Theophylactus manifeſte utramque attingant ſignificantiam, dicendum, ſi *rogabitis* pro *orabitis* accipias, hunc locum cum illo congruere qui infra ſcribitur, *Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis.* Sed ut apertius perſpicias nullam in locis illis eſſe pugnantiam, & ut evidentior ſit præſentis loci ſub utraque etiam ipſius verbi acceptione intelligentia, ipſius Theophylacti, qui Chryſoſtomo paulo eſt dilucidior, commentum ſubſcribo; *Quando reſurgam*, inquit, *tunc veniet ſuper vos Paracletus*, *& inducet vos in omnem veritatem*; *neque non rogabitis quicquam tale quale prius*, QUO VADIS? *&*, OSTENDE NOBIS PATREM: *omnia enim ſcietis in Spiritu. Vel rogabitis*, *h. e. obſecrabitis*, *orabitis. Cum igitur ex mortuis reſurrexero*, *mittam vobis Paracletum*, *tunc non me rogabitis*, *h. e. petetis ita ut ſim veſter Mediator*; *ſed ſufficiet vobis nomen meum ut à Patre accipiatis petitiones. Oſtendit igitur hoc loco nominis ſui virtutem*; *ſiquidem cum neque videtur*, *neque obſecratur*, *ſed cum nominatur ſolum*, *talia facit.* Ex Gr. vocis ambiguitate ἐρωτήσετε factum conſtat ut alias ſcriptum offendatur *interrogabitis.* Ad rem magis quadrat *interrogabitis.* Sed quando vox Græca anceps eſt, probabile eſt & Interpretem ancipiti vertiſſe voce *rogabitis*, ſicuti legitur in exemp. antiquioribus.

25. *Hæc in proverbiis locutus ſum*] *In proverbiis*, ſeu *parabolis loqui* ſe aſſerit, quia ob imbecillitatem ſuam Diſcipuli ad plenum non intelligebant quæ dicebantur. Unde & ſupra v. 12. dixerat, *Adhuc multa habeo vobis dicere*, *ſed non poteſtis portare modo.* Et item Diſcipuli, v. 18. *Quid eſt hoc quod dicit nobis*, *Modicum? Neſcimus quid loquitur.* ¶ *Venit hora*, &c.] Ἐρχεται præſentis temporis eſt vel futuri.

amant, hos vel me tacente paterna complectatur benevolentia.

LECTORI.

Obſervationum in librum Actuum Apoſtolicorum duo ſunt tomi hujus Autoris, nondum editi, in quibus initia hiſtoriæ Eccleſiæ Chriſtianæ habentur. Si quando in manus noſtras venerint, publico non invidebimus.

GROTIUS.

1. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, *Hæc locutus ſum vobis*] De odio & incommodis quæ vobis imminent. ¶ Ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε. *ut non ſcandalizemini*] Non ut vos mœſtiores reddam, ſed ut muniam: Prævisa enim mala minus percellunt: Nec offendi debetis ſi vobis accidit quod ſemper accidit bonis, Matth. v. 12.

2. Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς· *Extra Synagogas facient vos*] Incipit à nota quaſi cenſoria: *Separabunt vos à ſe* non tantum per נדר [*ſeparationem*] ſed & per חרם [*anathema*]. Vide quæ diximus ſupra IX. 22. XII. 42. ¶ Ἀλλ', *ſed*] Hæc particula hic eſt augentis, ut *imo* apud Latinos. Sic ἀλλὰ ſumitur II Corinth. VII. 11. ¶ Ἔρχεται ὥρα, *venit hora*] *Tempus erit*, loquuntur Latini. Sic ſupra v. 25. ¶ Ἵνα, *ut*] Hæc particula hic valet *quum*. ¶ Πᾶς ὁ ἀποκτείνων ὑμᾶς, *omnis qui interficit vos*] De Judæis præcipue loquitur, quos ubique ad ſeditionem uſque exarſiſſe in necem Apoſtolorum docent Actus Apoſtolici. ¶ Δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ. *arbitretur cultum ſe præſtare Deo*] Λατρεία [*cultus*] reſpondet Hebræo עבדה. Sed ut ſolet genus pro ſpecie poni, valet hic קרבן, quod habet Syrus, id eſt, προσφοράν [*oblationem*]. Sic Exodi XXXII. 29. ubi Moſes dicit Levitis qui Idololatras interfecerant, *Conſecraſtis manus veſtras*, Chaldæus habet *ſacrificium obtuliſtis*. Et Exodi VII. 16. & VIII. 1. 27. X. 7. 24. apparet eodem ſignificatu poni λατρεύειν [*colere*] & θύειν [*ſacrificare*]. Vide exempla Actuum VIII. 1. IX. 1. XIII. 14.

3. Καὶ, *Et*] Valet hic *ſed*: eſt enim conſolatio adverſus priora; quaſi dicat Chriſtus, *Miſerandi magis erunt qui iſta facient*: ὅτι ζῆλον Θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν [*quia zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam*], Rom. X. 2. ¶ Οὐκ ἔγνωσαν τὸν πατέρα, *quia non noverunt Patrem*] Non intelligunt Deum eſſe amantem humani generis, nec tam ritibus delectari quam animi puritate. ¶ Οὐδὲ ἐμέ. *neque me*] Neque conſiderant ea quibus convinci poſſunt me à Deo miſſum: ſupra XV. 22. & ſeqq.

4. Ἀλλὰ ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, Ἵνα ὅταν ἔλθῃ ἡ ὥρα, μνημονεύητε αὐτῶν, ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν. *Sed hæc locutus ſum vobis, ut cum venerit hora, reminiſcamini eorum, quia ego dixi vobis*] Ut fidelitatem meam diſcatis ex tam veridica prædictione, eoque & connexis promiſſionibus confidatis: Matth. XXIV. 25. In manuſcripto illo antiquiſſimo eſt hic ὥρα αὐτῶν [*hora eorum*], non male. Vide Lucæ XXII. 53. ¶ Ταῦτα δὲ ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς οὐκ εἶπον, *hæc autem vobis ab initio non dixi*] Hæc vos paſſuros ab ipſis cognatis veſtris & ſub obtentu pietatis. Nam indiſtinctius multa mala prædixerat Matth. X. 16. & ſeq. ἐξ ἀρχῆς [*ab initio*], מראש, ut habet Syrus, nihil aliud eſt quam *olim*, Eccleſiaſtici XXXIX. 38. ¶ Ὅτι μεθ' ὑμῶν ἤμην. *quia vobiſcum eram*] Ac proinde ipſe, ut hujus negotii caput, omnia odia in me excipiebam.

5. Νῦν δὲ ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με, *Nunc vado ad eum qui miſit me*] Nunc vobis id opus eſt dici, qui me erepto principes eritis hujus legationis. ¶ Καὶ οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ἐρωτᾷ με, Ποῦ ὑπάγεις; *& nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis*]? Non amplius jam interrogatis, ut deberetis. Videbar enim nondum ſe ſatis intelligi.

6. Ἀλλ' ὅτι ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, *Sed quia hæc locutus ſum vobis*] Imminentem abſentiam meam & connexa incommoda. ¶ ■ λύπη πεπλήρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν. *triſtitia implevit cor veſtrum*] Obſedit plane animos veſtros. Sic Act. V. 3. Id impedit quo minus ut ante interrogetis.

7. Τὴν ἀλήθειαν λέγω ὑμῖν, *veritatem dico vobis*] Attentionem & fidem excitat. ¶ Συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω· *expedit vobis ut ego vadam*] Nempe ut poſſeſſionem accipiam Regni cœleſtis. ¶ Ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς· *Paracletus non veniet ad vos*] Eſt enim hoc inter ea quæ cœleſtiori meo Regno reſervantur. Vide quæ ſupra VII. 39. ¶ Ἐὰν δὲ πορευθῶ, πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς. *ſi autem abiero, mittam eum ad vos*] Ubi abiero, ut ſupra XIV. 3. quaſi ex arce demittam: Actor. II. 33.

8. Καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος ἐλέγξει τὸν κόσμον, *Et cum venerit ille, arguet mundum*] Diximus παράκλητον [*Paracletum*] eſſe defenſorem cauſæ: ejus munus eſt ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας [*eos qui contradicunt arguere*] Tit. I. 9. *convincere de cauſæ ſuæ rectitudine.* Reſpondet Hebræo הוכיח. Sicut autem hoc forenſe eſt, conveniens perſonæ cauſarum actori, ita & quæ ſequuntur. Tria enim ſunt cauſarum genera, Publica judicia de criminibus περὶ ἁμαρτίας [*de peccato*] ſive *facinore*, חטאת; Privata ex æquo & bono, צדק, δικαιοσύνη [*juſtitia*] id eſt, *æquitas*, (nam Hebræis ea vox *æquitatem* magis ſignificat quam *jus* ſtricte dictum;) Privata certam ex lege formulam habentia, משפט, κρίσις [*judicium*].

9. Περὶ ἁμαρτίας μέν, ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ. *De peccato quidem, quia non crediderunt in me*] Cum evenient omnia quæ prædixi de mittendo Spiritu, apparebit me eſſe Prophetam, ſecundum regulam Deut. XVIII. 22. ac proinde eos qui mihi non credunt graviſſimis ſuppliciis afficiendos ex lege publici judicii quæ exſtat ibidem XVIII. 19. Et hæc ſupplicia Deus coram oculis mundi de Judæis exiget excidio gentis.

10. Περὶ δικαιοσύνης δέ, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα ὑπάγω, καὶ οὐκέτι θεωρεῖτέ με· *De juſtitia vero, quia ad Patrem vado, & jam non videtis me*] Natura æqui & boni, quæ δικαιοσύνης [*juſtitiæ*], id eſt, *æquitatis* nomine intelligitur, hoc exigit ut Rectores, etiamſi lex nulla præceſſerit, bonos mala paſſos aliquibus bonis ſolentur. Δίκαιον παρὰ Θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν [*Juſtum eſt apud Deum retribuere requiem iis qui tribulantur*], II Theſſ. I. 6, 7. οὐ γὰρ ἄδικος ὁ Θεὸς ἐπιλαθέσθαι τῆς πόνου [*non enim injuſtus Deus ut obliviſcatur laboris*], Hebr. VI. 10. Oſtendet ergo Spiritus Deum æquum eſſe Rectorem, ut qui me extra omnem injuriæ contactum (hoc enim eſt quod ait *non videbitis me*, ut ſupra VII. 36.) in ſuæ Majeſtatis conſortium receperit. θεωρεῖτε [*videtis*] pro θεωρήσετε [*videbitis*], enallage tum aliis tum huic imprimis familiari.

11. Περὶ δὲ κρίσεως, ὅτι ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται. *De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus eſt*] Inter κρίσεις [*judicia*], id eſt, *judicia quæ inter partes exercentur* eſt eximia illa de Talione, Levit. XXIV. 20. ut qui injuſte cuiquam nocuit, ipſe tantundem mali ferat. Diabolus cauſa fuit mortis Chriſti; jure igitur ipſe Deo condemnante paſſus eſt quod ipſi eſt pro morte, exutus regno ſuo per deſtructionem idololatriæ aliorumque vitiorum, peragente id Spiritu Sancto. Vide ſupra XII. 31. Tot igitur modis per Spiritum Sanctum tanquam fideliſſimum patronum probata eſt Chriſti cauſa, non ſine maximo fructu apud pios animos.

12. Ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, *Adhuc multa habeo vobis dicere*] *Sunt mihi adhuc quæ vobis dicam.* Ita hic Syrus optime. ¶ Ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι. *ſed non poteſtis portare modo*] Boni magiſtri eſt non omnia ſimul ingerere ſed ſuis diſpenſare temporibus, & quædam ad majorem diſcipulorum maturitatem reſervare: I Corinth. III. 1, 2, 3. Hebr. V. 11.

13. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, *Cum autem venerit ille*] *Ille* Vicarius meus, meæ cauſæ Patronus. Conſtructio eſt κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ſecundum id quod ſignificatur*]. ¶ Ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν· *ducet vos in omnem veritatem*] Vos manu ducet ad perfectam cognitionem eorum quæ ad Eccleſias conſtituendas pertinent. Nam univerſalitas reſtringenda ad id de quo agitur. Tertullianus De præſcriptionibus Hæreticorum, *Adjicions, Ipſe deducet vos in omnem veritatem, oſtendit illos nihil ignoraſſe quos omnem veritatem conſecuturos per Spiritum veritatis promiſerat: & utique implevit repromiſſum, probantibus Actis Apoſtolorum.* Huc pertinet, ut ſupra diximus, cognitio Regni Chriſti mere ſpiritualis, & ablatio Legis ritualis: & huc reſpicientes Apoſtoli in decreto ajunt, *Viſum eſt nobis & Spiritui Sancto.* Origenes adverſus Celſum ſecundo, Οὐκ ἄτοπον ὑγιῶς παραδίδοθαι τῷ Ἰησοῦ τοῦ Φωτὶ ἀπὸ τῶ κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγελίε, Ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι· ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν· οὐ γὰρ λαλήσει ἀΦ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἀκούσῃ, λαλήσει. Καὶ ζητοῦμεν ἐν τῷ τόπῳ, τίνα ἦν τὰ πολλὰ ἃ εἶχε μὲν λέγειν ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς ἑαυτοῦ, οὐκ ἠδύναντο δὲ αὐτὰ βαστάζειν τότε· Καὶ Φημὶ, μὴ τοῦ᾽ ὡς Ἰουδαίους καὶ συντραφεῖσι τῷ κατὰ τὸ γράμμα Μωσέως νόμῳ τοῖς ἀποστόλοις εἶχε μὲν λέγειν τίς ὁ ἀληθὴς νόμος, καὶ τίνων ἐπουρανίων ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ ἡ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις λατρεία ἐπετελεῖτο, καὶ τίνων μελλόντων ἀγαθῶν σκιὰν περιεῖχεν ὁ περὶ βρώσεων καὶ πόσεων καὶ ἑορτῶν καὶ νουμηνιῶν καὶ σαββάτων νόμος· καὶ πολλὰ ἦν ταῦθ' ἃ εἶχεν αὐτοῖς λέγειν· ὁρῶν

eos in eo quod crediderant. ¶ *Καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον & veni in mundum*] Oſtendi me hominibus ſermone & operibus. Supra I. 9. III. 19. VI. 14. IX. 39. XI. 27. XII. 46, 47. ¶ *Πάλιν, rurſum*] Vice verſa. Ita ſæpe *πάλιν* [*rurſum*] non Iterationem ſed Oppoſitionem ſignificat. Vide Matth. IV. 7. ¶ *Αφίημι τὸν κόσμον, relinquo mundum*] *Subtraham me hominum conſpectui.* Eſt enim præſens pro futuro, & de Adſcenſione agitur. ¶ *Καὶ πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα. & vado ad Patrem*] In arcem paternam.

29. *Νῦν παῤῥησίᾳ λαλεῖς, nunc palam loqueris*] Quia nunc addiderat illud *ἀφίημι τὸν κόσμον* [*relinquo mundum*], incipiunt intelligere de quali profectione ageret.

30. *Νῦν οἴδαμεν ὅτι οἶδας πάντα, Nunc ſcimus quia ſcis omnia*] Vidiſti qua in parte hæſitaremus. ¶ *Καὶ οὐ χρείαν ἔχεις, ἵνα τίς σε ἐρωτᾷ. & non opus eſt tibi, ut quis te interroget*] Non opus habes ut qui tua verba non intelligit enuntiet quid ſit quod non intelligat. Eſt hic indicativus pro ſubjunctivo, more Hebræorum. ¶ *Ἐν τούτῳ πιστεύομεν, in hoc credimus*] *Ἐν τούτῳ, ob hoc credimus*, id eſt, magis ac firmius credimus, ut ſupra II. 11. Divinum eſt introſpicere cogitata.

31. *Ἄρτι πιστεύετε· Modo creditis*] Puto rectius legi ſine interrogatione & ſumendum non pro imperativo, ut Syrus ſumſit, ſed pro indicativo. Apud Nonnum adſcribitur quidem interrogatio, *ἐμῷ πιστεύετε μύθῳ*; [*quæ dixi vera putatis*]? ſed male, ut oſtendit quod ſequitur *ἐγγύθι δέ* [*at prope*]. *Jam quidem creditis*, id eſt, profitemini vos credere dum tutum eſt. *ἄρτι* [*jam*] præſens tempus hic notat, ut ſupra V. 17. IX. 25. XIII. 19. & alibi.

32. *Ἐρχεται ὥρα, venit hora*] *Imminet.* ¶ *Καὶ νῦν ἐλήλυθε, & jam venit*] Præteritum pro futuro proximo, *imo jam nunc adeſt.* Paucarum enim horarum ſpatium intererat. ¶ *Ἵνα σκορπισθῆτε ἕκαστος, ut diſpergamini unuſquiſque*] Matth. XXVI. 31. ¶ *Εἰς τὰ ἴδια, in propria*] *In ſua quiſque latibula.* Nam *ἴδιον* [*proprium*] dicitur etiam ubi quis pro tempore divertitur. Vide ſupra I. 39. & X. 3. ¶ *Καὶ ἐμὲ μόνον ἀφῆτε. & me ſolum relinquatis*] Matth. XXVI. 56. ¶ *Καὶ, &*] Id eſt, *attamen.* Eſt enim explicatio ſpeciem habens *ἐπανορθώσεως* [*correctionis*]. Quid dico me ſolum futurum? Pater mihi aderit. ¶ *Ὁ πατὴρ μετ' ἐμοῦ ἐστι. Pater mecum eſt*] Permittet me quidem ad tempus male tractari, ſed ita ut non abjiciat curam mei neque me ſine ſolatiis relinquat. *Cum aliquo eſſe*, eſt Stare ab ejus partibus, auxilium ei præſtare. Vide ſupra VIII. 29.

33. *Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, Hæc locutus ſum vobis*] Me etiam in graviſſimis malis non carituram Patris auxilio. ¶ *Ἵνα ἐν ἐμοὶ εἰρήνην ἔχητε. ut in me pacem habeatis*] Iterum indicativus pro ſubjunctivo. *εἰρήνης* [*pacis*] nomine hic intellige *animum tranquillum*; quod oſtendunt ſequentia: & *ἐν ἐμοὶ* [*in me*], id eſt, *fiducia mearum promiſſionum.* Nam ſi me in media cruce Pater non relinquet ſine auxilio, ne vos quidem relinquet. ¶ *Ἐν τῷ κόσμῳ θλῖψιν ἔχετε· in mundo preſſuram habetis*] Id eſt, *habebitis.* *ἐν τῷ κόσμῳ* [*in mundo*] *a mundo*, ex parte multorum hominum. ¶ *Ἀλλὰ θαρσεῖτε, ſed confidite*] *Sumite animum* meo exemplo. ¶ *Ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον. ego vici mundum*] Præterium rurſus pro proxime futuro. Nam excellentiſſime mundi furores vicit, cum mortem patientiſſime pertulit. Subintelligendum autem, *hoc faciendo vobis vires peperi, quibus armati idem faciatis:* I Cor. XV. 57. I Joh. IV. 4. V. 4, 5. Apoc. XII. 11.

CAP. XVII.

ERASMUS.

2. *Poteſtatem omnis carnis*] *Carnem* Hominem vocat. ¶ *Ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam*] Suſpicor hanc loquendi formam ab Hebræis ſumptam: quare ſenſus erat reddendus potius quam verba.

3. *Te ſolum verum Deum*] *Σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, te qui ſolus verus es Deus.* Hic locus præter cæteros Arianis præbuit occaſionem erroris, ut dicerent ſolum Patrem eſſe vere ac proprie Deum: cum quod *ſolum* dixit, non excludat Filium, ſed ſeparet verum Deum à Diis Gentium. Cyprianus I. 2. Adverſus Judæos cap. 1. pro *Deum* legit *Dominum*; niſi malumus hoc librariis imputare. D. Auguſtinus locis aliquot diſtinctione propellit Arianos, ſic ordinans, *ut cognoſcant te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, ſolum verum Deum*; quæ diſtinctio, cum dura ſit apud Latinos, apud Græcos durior eſt ob articulum additum *τὸν*, etiamſi ſententia quam adfert Auguſtinus veriſſima eſt. Verum ante myſterium Paſſionis Chriſtus Divinam naturam ſic indiciis prodidit, ut non niſi poſt reſurrectionem clare intelligeretur. Nec tantum eſt tribuendum hæreticis, ut horum odio Scripturam torqueamus. Hic exclamabunt, ſcio, quod ſacros Eccleſiæ Doctores taxem, qui Scripturam interdum ad victoriam detorſerint. Suaves homines, ipſi fatentur in illis S. Doctoribus eſſe multas opiniones quas ſi quis tueatur, conjiciendus ſit in rogum: & mihi clamant, *O cœlum, O terra!* quod indicem eos uno atque altero loco Scripturam ad victoriam accommodaſſe, vel quia ſic eſſe interpretandam ſibi perſuaſerint, vel quia hoc ſibi in conflictu cum impiis permiſerint.

5. *Clarifica me*] Verum *clarificandi* toties hic repetitum Græce eſt *glorificare δοξάζειν.* Et *claritate δόξῃ* i. *gloria.* ¶ *Priuſquam mundus fieret*] Gr. *πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρά σοι, priuſquam mundus eſſet.* Interpres legiſſe videtur *γίνεσθαι* pro *εἶναι.* Hieronymus hunc citans locum ad Fretelam legit *eſſet*, & Græce legit *εἶναι.*

12. *Niſi filius perditionis*] Et hic color ſermonis peculiaris eſt Hebræorum, qui pro epitheto addunt genitivum ſubſtantivum; DEUS PACIS, *Deus pacificus*; LEX MORTIS; *lex mortifera*; FILII INOBEDIENTIÆ, *filii inobedientes.* Alioqui quid eſt *filius perditionis* niſi quem peperit Perditio?

18. *Sicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum*] Poteſt & hic eſſe ſenſus, ſi legamus conjunctim; *Sicut tu me miſiſti in mundum, & ſicut ego eos miſi in mundum, ita pro eis quoque ſanctifico meipſum; ut quemadmodum ego ſancte prædico veritatem tuam, ita prædicent & illi quod à me didicerunt.* Si placet hæc lectio, omittendum eſt adverbium *ita.* In Aureo codice non additur *ita.*

VATABLUS.

1. *Oculis **] ** Suis.* ¶ *Clarifica*] *Glorifica:* i. palam oſtende filium tuum non eſſe hominem impium & mendacem, & qui nihil habeat divinitatis. Hoc ad reſurrectionem refertur.

2. *Omnis carnis*] i. ſuper omnes homines. ¶ *Ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam*] i. Quemadmodum glorificaſti filium tuum dando ei poteſtatem ſuper omnes homines: ſic nunc ſimiliter glorifica eum in hoc, quod det vitam æternam iis quos dediſti ei: vel ſic per futurum; ſicut daturus es illi poteſtatem in omnes homines, ita da illi ut omne quod dediſti ei, det eis, & tandem vitam æternam.

3. *Miſiſti*] Sub. *eſſe ſalvatorem regem, neque alium eſſe expectandum.*

4. *Opus*] Sub. *prædicationis:* i. annuntiavi Euangelium.

5. *Et nunc clarifica*] Vel, *etiam obſecro glorifica.* ¶ *Habui*] *Habebam.* ¶ *Fieret*] *Eſſet*, Vet.

6. *Dediſti*] Sub. *ut docerem eos.* ¶ *Meum*] *Tuum*; Vet.

7. *Abſte ſunt*] Vel, *abs te proficiſcuntur.*

8. *Quia*] *Certe.*

11. *Sum*] Præſ. pro fut. ¶ *Et ego ad te venio*] Vel, *ego autem ad te reditturus ſum mox.* ¶ *In nomine tuo*] i. Propter te, propter famam tuam: i. ne deſerueris ipſos.

12. *Cum eis **] ** In mundo:* i. inter homines. ¶ *In nomine tuo*] i. Virtute tua. ¶ *Niſi filius perditionis*] Hebr. pro, *niſi is qui perdendus erat.*

13. *Venio*] Præſ. pro fut. *ibo.* ¶ *Et*] *Et* pro *ideo*, Hebr. ¶ *Ut habeant gaudium meum impletum*] Vel, *mentur gaudio meo pleno:* i. ut eo gaudio afficiantur, quo ego afficior quod ſciam me à te per omnia ſervari.

14. *Dedi eis ſermonem tuum*] i. Docui quæ juſſeras, Hebr.

17. *Veritate **] ** Tua:* i. per veritatem tuam.

18. *Miſi*] Præt. pro fut. *miſſurus ſum.*

19. *Sanctifico*] i. Reſurrectione mea oſtendam palam me eſſe illum ſanctum olim promiſſum à te per prophetas. ¶ *In veritate*] Hebr. *per veritatem:* i. per verbum tuum, cum illi fidem adhibuerint.

21. *In me*] Vel, *mecum*, & infra.

22. *Claritatem*] *Gloriam:* i. poteſtatem & facultatem miraculorum dabo eis, ut ſint ejuſdem poteſtatis nobiſcum quantum ad illa: Vel, ex æquo dabo eis gloriam miraculorum, ut ſit major concordiæ materia inter eos.

24. *Cla-*

adverſative. Itaque quod Novatores aſſerunt non eſt firmum, dum volunt Judam fuiſſe Chriſto datum, quia ſcriptum eſt *ei μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας niſi filius perditionis.*

GROTIUS.

1. ΤΑῦτα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ, *Hæc locutus eſt Jeſus, &c.*] Id eſt, *his dictis.* Conſolationi addit preces. ¶ Ἐπῆρε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν, *ſublevavit oculos ſuos in cœlum*] Ritu Pontificis pro ſe & pro populo oraturus, Hebr. v. 3, 7. Et credibile eſt factum hoc in conſpectu Templi, cum iſtac Chriſtus tranſiret ac nonnihil ſubſiſteret. Nam pars porticus Templi Septentrionalis & Orientalis proxima erat valli Cedron, ut nos docet Joſephus Belli Judaici VI. cap. 13. ¶ Ἐλήλυθεν ἡ ὥρα, *venit hora*]. Tempus, non tantum quo cruciatus patiar graviſſimos, ſed & quo prodar, damner, illudar, contemnar. ¶ Δόξασόν σου τὸν υἱὸν, *clarifica filium tuum*] Nempe celeri reſurrectione & evectione in cœlum. Vide ſupra XI. 4. XII. 28. XIII. 31. ¶ Ἵνα καὶ ὁ υἱός σου δοξάσῃ σε *ut & filius tuus clarificet te*] Efficiendo ut Euangelium prædicetur per orbem terrarum, XV. 8.

2. Καθὼς ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis*] Oſtendit quomodo per Euangelium clarificandus ſit Pater, quia per illud nullis aliis vita æterna promittitur quam qui Deum Patrem ſincere colunt. καθὼς [*ſicut*] hic rationem reddit præcedentium, & valet *ſiquidem.* Ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς [*poteſtatem omnis carnis*], id eſt, *in omnem hominem.* Similis conſtructio Matth. X. 1. *Carnem* pro *homine* ſumi Hebræis, notum ſatis. *Dediſti* ſumtum pro *daturum te promiſiſti*, ut in Jure ſæpe. Nam jus hoc ei traditum eſt poſt reſurrectionem, Matth. XXVIII. 18. *Poteſtatem*, in homines intellige ſervandos aut damnandos, ſupra v. 27. ¶ Ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. *ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam*] Hebraiſmus πᾶν ὃ [*omne quod*] pro παντί [*omni*]. Et quod ſequitur αὐτοῖς [*eis*] eſt conſtructio κατὰ σημαινόμενον [*ſecundum id quod ſignificatur*]. Vide ſupra VI. 39. Explicat modum utendæ poteſtatis, nempe ut vita æterna detur non omnibus ſed credentibus. Sic ſupra III. 16. primum de mundo locutus, reſtringit deinde ſalutem ad *credentes.* ὃ δέδωκας αὐτῷ [*quod dediſti ei*], intellige cum effectu, *ita dediſti, ut re ipſa ad eum pervenerint*, ut diximus ſupra VI. 37.

3. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, *Hæc eſt autem vita æterna*] *In hoc ſita eſt*; hoc modo paratur. Metonymia, ut ſupra VI. 63. XI. 25. XII. 50. XIV. 6. Simile loquendi genus Rom. XI. 12. ¶ Ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, *ut cognoſcant te ſolum verum Deum*] Hic ἵνα [*ut*] eſt εἰδικὸν [*ſpecificativum*]. Deſcribitur enim modus parandæ vitæ æternæ, qui talis eſt ut Dei Patris gloriam maxime ſpectet. γινώσκειν [*cognoſcere*] hic intelligendum πρακτικῶς [*active*], ut I. 10. *ut agnoſcant, amplectantur, colant, reverentur te ut ſolum Deum*, excluſis omnibus iis quos falſa Gentium perſuaſio introduxerat. Ignatius ad Magnetas de Jeſu loquens, Τοῖς ἐξουσίαν εἰς πολυθείαν τὸν ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν Θεὸν καταγγείλαντα τὸν ἑαυτοῦ πατέρα [*Qui ad multitudinem deorum impactis unum & ſolum verum Deum annuntiavit Patrem ſuum*]. In Clementis Conſtitutionibus ad converſos ex Gentibus, Μεταβάντες γὰρ ἀπὸ τῆς προτέρας ματαιοτόκου συνηθείας καὶ τῶν ἀψύχων εἰδώλων ὑπεριδόντες καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς δαιμόνων καταφρονήσαντες, προσδραμόντες τε τῷ Φωτὶ τῷ ἀληθινῷ καὶ ἐπιγνόντες δι' αὐτοῦ τὸν ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν Θεὸν καὶ πατέρα, κληρονόμοι τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἀνεφάνητε [*Deſerta enim priori in vanum laborante conſuetudine, & contemtis idolis exanimis, ſpretiſque dæmonibus qui in tenebris agunt, poſtquam ad verum Lumen accurriſtis, & per eum cognoviſtis ſolum & verum Deum & Patrem, hæredes regni ejus declarati eſtis*]. Vide I Theſſ. I. 9. ¶ Καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. *& quem miſiſti Jeſum Chriſtum*] De ſe modeſte in tertia perſona loquitur. Senſus eſt, *& ut me agnoſcant ut Legatum tuum.* Hac voce oſtendit honorem ſibi habitum ad Patrem redire. Nam Regis intereſt ut Legatus honoretur.

4. Ἐγώ σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς· *Ego te clarificavi ſuper terram*] Oſtendit non iniquum ſe petere, ut qui omnia ſua dogmata ad Patris honorem retulerit. Vide Matth. IX. 8. XV. 31. Marc. II. 12. Luc. V. 26. XVII. 43. Sed & Paſſio includi poteſt, quia eam ſubire conſtituerat & de proximo imminebat. Nam ſimili locutione infra ait *ſe non eſſe in mundo.* Hac autem paſſione eximie Deus glorificatus eſt. Vide quæ diximus XII. 28. & infra XXI. 19. ¶ Τὸ ἔργον ἐτελείωσα ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω· *opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam*] Docui Judæos & jam me in mortem trado. Polycarpus, interprete Victore Capuano, *Quomodo opus ſalutis humanæ adimpleſſe commemorat, cum necdum crucis vexillum conſcenderat? Sed definitione voluntatis de qua cuncta veneranda paſſionis inſignia adire decreverat, jure ſe opus perfeciſſe ſignificat.*

5. Καὶ νῦν, *Et nunc*] *Nunc ergo vaticinium.* ¶ Δόξασόν με σὺ, πάτερ, παρὰ σεαυτῷ, *clarifica me Tu, Pater, apud teipſum*] In cœlo. Opponitur enim hoc ei quod præceſſerat, ἐπὶ τῆς γῆς [*in terra*]. ¶ Τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον, *claritate quam habui*] Deſtinatione tua, ut I Petr. I. 20. Apoc. XIII. 8. ſic & Epheſ. I. 4. & infra 24. Simile loquendi genus Eph. I. 3, 4. Sic *Legem fuiſſe ante mundum* ajunt Hebræi. Vide Thalmudem Devotis. ¶ Πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, *priuſquam mundus eſſet*] Πρὸ καταβολῆς κόσμου [*ante mundi conſtitutionem*], ut Petrus dicto loco loquitur. Chaldæus Paraphraſtes ad Pſal. LXII. *Ante Solem præparatum eſt nomen Meſſiæ.* ¶ Παρὰ σοί, *apud Te*] Refer ad illud εἶχον [*habui*], & intellige, ut diximus, in decreto tuo: Cujus ſignum aliquod jam tum datum eſt cum mundum & ipſum hominem Deus condidit per τὸν Λόγον [*Verbum*], præſignificans eundem in Jeſu auctorem fore novæ creationis & mundi melioris. Vide quæ ad caput I. Adde Apoc. V. 12. & ſeq.

6. Ἐφανέρωσά σου τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώποις, *Manifeſtavi nomen tuum hominibus*] Proprietates tuas, Juſtitiam, Potentiam, Bonitatem patefeci. Et hoc intellige cum effectu, id eſt, *illi me docente perceperunt*] Vide quæ diximus ſupra VI. 44. Φανέρωσις [*manifeſtatio*] hæc eſt δεῖξις [*oſtenſio*] Hieroeli. ¶ Οὓς δέδωκάς μοι, *quos dediſti mihi*] Iterum cum effectu; *qui te trahente ad me venerunt & mei eſſe voluerunt*, ut modo diximus. Agit autem hic de iis qui jam reipſa crediderant, aget & de credituris. ¶ Ἐκ τοῦ κόσμου· *de mundo*] Sic ſupra XV. 19. ἐξελεξάμην ὑμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου [*elegi vos de mundo*]. *Ex mundi univerſitate ſecretos dediſti mihi in peculium.* ¶ Σοὶ ἦσαν, *tui erant*] Pietatis quodam affectu *tui erant*; *ex te*, ut ſupra VIII. 47. ¶ Καὶ ἐμοὶ αὐτοὺς δέδωκας, *& mihi eos dediſti*] Operam dediſti ut in me crederent, me Dominum ſuum agnoſcerent; eaque opera effectu ſuo non caruit. ¶ Καὶ τὸν λόγον σου τετηρήκασι. *& ſermonem tuum ſervaverunt*] *Patris ſermonem* vocat quem ipſe Patris nomine annuntiavit. Hunc illi *ſervarunt*, id eſt, cordi ſuo impreſſerunt ac retinuerunt: non defecerunt perfide, ut Judas.

7. Νῦν ἔγνωκαν, *Nunc cognoverunt*] *Jam nunc hoc credunt*, conſuque profecerunt. γινώσκειν [*noſſe*] ſæpe pro *credere*, ut ſupra VI. 69. & alibi. ¶ Ὅτι πάντα ὅσα δέδωκάς μοι, παρὰ σοῦ ἐστι· *quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt*] Videtur idem per idem dicere: ſed ſenſus eſt, *Omnia quæ eos docui à te ſunt.* Pro eo autem quod diceret *quæ docui*, modeſte ad honorem Patris ait, *quæ mihi dediſti docenda.* Tu quidem ſcis te mihi dediſſe, illi autem à te data crediderunt.

8. Ὅτι τὰ ῥήματα, *Quia verba*] Explicat quod dixerat, & oſtendit recte eos credidiſſe. ¶ Ἔλαβον, *acceperunt*] *Amplexi ſunt*, ut ſupra I. 11, 12. ¶ Ἔγνωσαν ἀληθῶς, *cognoverunt vere*] *Non ficte ſed ſincere crediderunt.* Sic ἐν ἀληθείᾳ ἐργάζεσθαι [*in veritate operari*] *animo ſincero ſervire*, Eccl. VII. 21. Sic & Luc. XX. 21. & alibi. ¶ Ὅτι παρὰ σοῦ ἐξῆλθον, *quia à te exivi*] *Me tuo mandatu apparuiſſe*, ut antehac ſæpe. Nam quod ſequitur eſt hujus ἐπεξήγησις [*apertior explicatio*].

9. Ἐγὼ περὶ αὐτῶν ἐρωτῶ· *Ego pro eis rogo*] Cum ſuos his titulis commendaſſet, oſtendit non ingratas Deo eſſe debere quas pro talibus fundit preces. ¶ Οὐ περὶ τοῦ κόσμου ἐρωτῶ, *non pro mundo rogo*] Oravit & pro mundo, ut reſipiſceret & veniam acciperet peccatorum, Luc. XXIII. 34. Imo & mox ut credat, 21. Sed hæc quæ nunc orat, de protectione paterna, de Spiritu, de concordia, non niſi ad credentes pertinent. Et habet ἔμφασιν [*efficaciam*] hæc oppoſitio; quaſi filius Regis oret patrem ut ſe exaudiat, non pro omnibus ſubditis, rebellibus non minus quam fidelibus orantem, ſed pro iis qui reipſa oſtenderunt quanti Regem facerent. ¶ Ὅτι σοί εἰσι. *quia tui ſunt*] Etiam poſtquam eos mihi dediſti tui eſſe non deſinunt. Hoc quoque ad commendandas preces eſt efficax.

10. Καὶ τὰ ἐμὰ πάντα σά ἐστι, καὶ τὰ σὰ ἐμά· *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt*] Prius hoc καὶ [*&*] poſitum eſt pro *nam.* Cauſam reddit cur ſibi dati non deſinant ad Patrem pertinere, quia omnia inter ipſos ſint communia, ut inter amicos ſolent, maxime inter patrem & filium. Nam & quæ pater habet, habet in uſum filii, & quæ filius habet ſimul cum ipſo filio patri ſubjecta ſunt. In Plautino Trinummo filius patri,

Nam quod tuum eſt meum eſt: omne meum eſt autem tuum.

¶ Καὶ δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς. *& clarificatus ſum in eis*] Præterium hoc eſt pro præſente ſive aoriſto, nulla temporis definitione; quaſi dicat, Etiam hoc nomine illi tibi commendati eſſe debent quod ego illorum opera & miniſterio & inclaruerim & in-cla-

clariùs ſim amplius: itaque in ipſorum perſona mea res vertitur.

11. *Καὶ ὐκ ἔτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ, Et jam non ſum in mundo*] Nova commendandi cauſa, Quod ipſe ab eis diſcedat; ne videatur, ut ſupra dixit, relinquere eos orbos, XIV. 18. *ὐκ ἔτι* pro *ἔτι ὐκ*, ut vertit Syrus, *Deinceps non ſum in mundo*: & *ſum* pro *ero*, quia proximè futurum erat. ¶ *Καὶ ὗτοι ἐν τῷ κόσμῳ εἰσὶ, & hi in mundo ſunt*] Erunt poſt me. Hos relinquam in tantis fluctibus. ¶ *Καὶ ἐγὼ πρός σε ἔρχομαι. & ego ad te venio*] *Ἐπεξήγησις* [*clarior explicatio*] ejus quod præceſſerat, *non fore ſe in mundo*; ut appareat *mundi* nomine univerſum hoc inferius intelligi, ut ſæpe. ¶ *Πάτερ ἅγιε, Pater ſancte*] Solent Deo cognomina tribui accommodata ad id quod agitur. Sic Rom. XV. 5. & in Pſalmis ſæpe. Deus *Sanctus* dicitur quod omnem malitiam abhorreat. ¶ *Τήρησον αὐτὺς ἐν τῷ ὀνόματί σε, ſerva eos in nomine tuo*] *Cuſtodi eos auxilio tuo in profeſſione nominis tui*, in cultu tuo. Sic *ὄνομα* [*nomen*] ſumitur Actor. IX. 27. Apoc. II. 3. & alibi. ¶ *Οὓς δέδωκάς μοι, quos dediſti mihi*] Cum effectu, ut ſupra 6. ¶ *Ἵνα ὦσιν ἕν, ut ſint unum*] Ut in ea profeſſione perſeverantes idem teſtentur, & rem tantam conſentientibus animis peragant, 1 Corinth. XV. 11. Gal. II. 9. ¶ *Καθὼς ἡμεῖς. ſicut & nos*] Sicut ego idem volui quod tu præceperas, Pater, & tu mea dicta probaſti ac rata habuiſti.

12. *Ὅτε ἤμην, Cum eſſem*] Anticipat tempus abſentiæ ſuæ. ¶ *Ἐγὼ ἐτήρουν αὐτὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου· ego ſervabam eos in nomine tuo*] Ego quotidianis præceptis & exemplo meo operam dedi ut in ea profeſſione permanerent, & quidem ſatis feliciter; quod res hactenus monſtrat. ¶ *Οὓς δέδωκάς μοι, ἐφύλαξα, quos dediſti mihi, cuſtodivi*] Etiam hanc curam geſſi ne numerus collegii iſtius minueretur. ¶ *Καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώλετο, & nemo ex eis periit*] Nemo aut morte aut voluntaria defectione exemtus eſt huic numero teſtium. Vide infra XVIII. 9. ¶ *Εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας· niſi filius perditionis*] Excepto illo qui dignillimus erat ob ſuam perfidiam exitio, & qui proinde ſegregatus ab Apoſtolis peſſimè peribit. *υἱὸς ἀπωλείας* [*filius perditionis*] dicitur hic & II Theſſ. II. 3. non ex nuda Dei deſtinatione, ſed ex merito, ut *υἱὸς γεέννης* [*filius gehennæ*], Matth. XXIII. 15. Sic *filius mortis* I 1 Sam. XII. 5. Sic *ἔθνος ἀπωλείας* [*gens perditionis*] Eccl. XVI. 10. ¶ *Ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ. ut Scriptura impleatur*] Quo pereunte implebitur illa imprecatio quam David ſcripſit in eos qui pro beneficiis mala rependunt, Pſal. LXIX. Vide Actor. I. 20. Dicitur enim *Scriptura impleri* quoties tale quid accidit quale ibi dictum eſt. De hoc ſenſu vocis *ἵνα* [*ut*] diximus aliquoties. Chryſoſtomus ad hunc locum, *Ἰδιάζων ὗτος τῆς γραφῆς ἐστὶν ὁ τρόπος· ὡς αἰτιολογίαν τιθέμενος τὰ ἐκ τῆς ἐκβάσεως συμβαίνοντα* [*Proprius hic eſt Scripturæ loquendi modus, quod quæ ex eventu ſequuntur ponat quaſi cauſam antecedentium reddat*].

13. *Νῦν δὲ πρός σε ἔρχομαι, καὶ ταῦτα λαλῶ ἐν τῷ κόσμῳ, Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo*] Supple *ὢν* [*exiſtens*] & *ἔρχομαι καὶ* [*venio &*] pro *ἐρχόμενος* [*veniens*]. *Nunc*, cum abeundum mihi ſit, *hæc illis dico*, id eſt, illis audientibus precor. Nam omnino hæc dicta ſunt *οἰκονομικῶς* [*diſpenſative*] ad ſalutem Apoſtolorum. ¶ *Ἵνα ἔχωσι τὴν χαρὰν τὴν ἐμὴν πεπληρωμένην ἐν αὐτοῖς· ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis*] *Χαρὰν τὴν ἐμὴν* [*gaudium meum*] hic intellige gaudium ex me, ut ſupra XV. 11. & *ἀγάπην τὴν ἐμὴν* [*dilectionem meam*] ſupra XV. 9. Senſus eſt, ut gaudium illud quod hactenus conceperunt ex mea præſentia ac cura pro ipſis non minuatur, imo creſcat potius me abſente, ubi meminerint harum precum, non dubitantes quin exauditus ſim.

14. *Ἐγὼ δέδωκα αὐτοῖς τὸν λόγον σου, Ego dedi eis ſermonem tuum*] Nova commendatio, quod ob receptum Euangelium mundo exoſi ſint. Æquum autem eſt ut patrocinio ejus quis foveatur ob quem plurimas incurrit offenſas. *δέδωκα* [*dedi*] rurſus intellige, *ita ut ab ipſis receptus ſit*, quod expreſſum fuerat ſupra 8. ¶ *Καὶ ὁ κόσμος ἐμίσησεν αὐτὺς, & mundus eos odio habuit*] *Καὶ* [*&*] id eſt, *ideo*, ob receptum eum ſermonem. ¶ *Ὅτι ὐκ εἰσὶν ἐκ τοῦ κόσμου, quia non ſunt de mundo*] Quia ex eo tempore deſciverunt à ſecta mundi. Vide ſupra XV. 19. ¶ *Καθὼς ἐγὼ εἰμὶ ἐκ τοῦ κόσμου. ſicut & ego non ſum de mundo*] Secuti meum exemplum, cujus vita à vita mundi alieniſſima eſt. Vide ſupra VIII. 23.

15. *Οὐκ ἐρωτῶ ἵνα ἄρῃς αὐτὺς ἐκ τοῦ κόσμου, Non rogo ut tollas eos de mundo*] Ad explicationem præcedentium, ob Apoſtolos audientes. Quanquam mundi odiis ſcio fore objectos, *non tamen oro ut nunc eximantur è mundo*, è vita hac; quippe quorum opera adhuc uſui eſſe debet. ¶ *Ἀλλ' ἵνα τηρήσῃς αὐτὺς, ſed ut ſerves eos*] Singulari cura atque tutela. ¶ *Ἐκ τοῦ πονηροῦ. à malo*] *Ab omni malitia mundana.* Nam *ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται* [*mundus totus in maligno poſitus eſt*], 1 Joh. V. 19. Sic *τοῦ πονηροῦ* [*malo*] vocem ſumi etiam in oratione Dominicæ formula ad Matthæum probabilius eſſe diximus.

16. *Ἐκ τοῦ κόσμου ὐκ εἰσὶ, De mundo non ſunt*] Hoc repetit, ut ſignificet eos jam animo alieno eſſe ab omni tali malitia, quanquam non extra infirmitatem.

17. *Ἁγίασον αὐτὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου. Sanctifica eos in veritate tua*] Vitam eorum redde in dies puriorem, Apoc. XXII. 11. Confer quæ ſupra XIII. 10. *In veritate tua*, id eſt, per tuam veritatem magis magisque impreſſam eorum animis per Spiritum, XVI. 13. 1 Ep. II. 20, 21. Non longe hinc abit Plutarchi illud libro De Iſide, *Θειότητος ὄρεξίς ἐστιν ἡ τῆς ἀληθείας, μάλιστα δὲ τῆς περὶ θεῶν ἔφεσις, ὥσπερ ἀνάληψιν ἱερῶν τὴν μάθησιν ἔχουσα καὶ τὴν ζήτησιν ἀγνείας τε πάσης καὶ νουποιΐας ἔργον ἀναίτιον* [*Divinitatis appetitus eſt veri, ſed ejus maximè quod ad deos pertinet deſiderium, id quod diſcitur habens pro ſacrorum perceptione & inquiſitionem pro opere ſanctè ſupra omnem purificationem & templorum curam*]. ¶ *Ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι. ſermo tuus veritas eſt*] *Sermo ille tuus* à te mihi mandatus. Sermo Euangelii non falſus eſt, ut Pſeudoprophetarum dicta, non falſo admixtus, ut Phariſæorum & Philoſophorum dogmata, ſed pura ac puta *veritas*. Supra VIII. 31, 32, 40. XIV. 6.

18. *Καθὼς ἐμὲ ἀπέστειλας εἰς τὸν κόσμον, κἀγὼ ἀπέστειλα αὐτὺς εἰς τὸν κόσμον. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum*] Cauſa redditur cur hi ſupra alios auxilio Divino egeant, quia durum munus ſuſcepturi ſint legationis pro Chriſto, II Cor. V. 20. Epheſ. VI. 20. *ἀπέστειλα* [*miſi*] hic eſt *conſtitui mittere*, quo ſenſu & vocem *dandi* uſurpari aliquoties monuimus. Illud *καθὼς* [*ſicut*] aliquam, non omnimodam congruentiam ſignificat, in ipſo ſcilicet dogmate quod erat prædicandum, non in auctoritate. Chriſtus *à Patre ſe miſſum* paſſim in hoc libro prædicat, nec raro in illo ſenſu docendi. Vide Eſaiæ LXI. 1.

19. *Καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν, Et pro eis ego ſanctifico meipſum*] Repetit vocem *ἁγιάζειν* [*ſanctificandi*] ſenſu paulum mutato. Nam *ὑπὲρ ἁγιάζειν* [*ſanctificare*] inter cætera eriam valet *προσφέρειν* [*offerre*], & dicitur tum de victimis tum de aliis rebus quæ Deo conſecrantur, Exod. XLIII. 2. Lev. XXII. 2. Eccl. XXXV. 8. Idem ergo hic dicitur quod ad Hebr. IX. 14. *ἑαυτὸν προσήνεγκε* [*ſeipſum obtulit*]. Vide & X. 10. & 14. *ὑπὲρ αὐτῶν* [*pro eis*] hic eſt ut magis confirmentur in ea fide qua ſermonem meum amplexi ſunt. Sic Epheſ. III. 13. Col. I. 24. ¶ *Ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ. ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate*] Hic magis explicat finem illum inter cæteros eximium mortis Chriſti, nimirum ut eo exemplo Apoſtoli vitam ſuam reddant in dies puriorem, confirmati in veritate.

20. *Οὐ περὶ τούτων δὲ ἐρωτῶ μόνον, Non pro eis autem rogo tantum*] Quanquam pro Apoſtolis ſpecialia quædam precatus eſt, oſtendit tamen multa eſſe quæ cum aliis credentibus habeant communia, ut confirmationem in fide & caritate. ¶ *Τῶν πιστευόντων, qui credunt*] Id eſt, *credent*. Pro futuro ſumtum.

21. *Ἵνα πάντες ἓν ὦσι, Ut omnes unum ſint*] Ut ſint uni fide & caritate. Agit autem de primis Chriſtianorum: de quibus vide Actor. IV. 32. Confer Rom. XII. 5. Eph. IV. 3. ¶ *Καθὼς σὺ, Πάτερ, ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν σοὶ, ſicut tu, Pater, in me, & ego in te*] Sicut nos conjunctis operis Euangelium promovemus. Vide ſupra X. 38. XIV. 10. ¶ *Καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ὦσιν· & ipſi in nobis unum ſint*] *Ἐν ὑμῖν* [*in nobis*], id eſt, *nobis obediendo*. Sic *eſſe in Chriſto* dicuntur qui ejus regulam ſequuntur. ¶ *Ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ ὅτι σύ με ἀπέστειλας. ut credat mundus quia tu me miſiſti*] Ut cæteri illorum exemplo alliciantur ad fidem, admirantes ſummam illam conſtantiam in profeſſione dogmatis & mutuam dilectionem. Vide quæ notavimus ſupra XII. 35. Idem autem eſt *credere Jeſum eſſe à Deo miſſum* aut *credere Euangelio*.

22. *Καὶ ἐγὼ τὴν δόξαν ἣν δέδωκάς μοι, Et ego claritatem quam dediſti mihi*] Poteſtatem faciendi miracula, quæ *gloria Chriſti* dicitur, ſupra II. 11. & *gloria Dei*, ſupra XI. 40. Exemplo ſuo, qui hanc illis poteſtatem dederit, commendat id quod Patrem rogaverat pro ipſorum ſanctificatione. Solet enim *οἰκονομικῶς* [*diſpenſative*] quaſi inter ſe & Patrem operas partiri. ¶ *Δέδωκα αὐτοῖς· dedi eis*] *Conſtitui dare*, ut ſupra *ἀπέστειλα* [*miſi*] 18. ¶ *Ἵνα ὦσιν ἕν, ut ſint unum*] Ut ea quoque ratione, nimirum per illum influxum, mihi connexi ſint. Subaudio enim hic *ἐν ἐμοὶ, idem mecum*. ¶ *Καθὼς ἡμεῖς ἕν ἐσμεν. ſicut nos unum ſumus*] Per Divinam illam vim quam à te habeo. Vide ſupra X. 38.

23. *Ἐγὼ ἐν αὐτοῖς, καὶ σὺ ἐν ἐμοὶ, Ego in eis, & tu in me*] Explicatio eſt ejus quod præceſſit: & repetendum *ἵνα ὦ* [*ut ſim*] & *καὶ* [*&*] pro *καθὼς* [*ſicut*], quod poſitum eſt infra. ¶

¶ Ἵνα ὦσι τετελειωμένοι εἰς ἕν, *ut ſint conſummati in unum*] Id eſt, Ἵνα ὦσι τετελειωμένοι ἐν τῇ ἀγάπῃ, [*ut ſint perfecti in dilectione*] ut loquitur hic idem 1 Epiſtola IV. 81. ut illa dona communia ad cauſam communem conferant. Vide Hebr. XII. 23. XI. 40. ¶ Ἵνα ὁ κόσμος γινώσκῃ ὅτι σύ με ἀπέστειλας, *ut cognoſcat mundus quia tu me miſiſti*] Viſis ſignis illis, quemadmodum ſupra concordiæ Apoſtolorum eundem tribuerat effectum, 21. ¶ Καὶ ἠγάπησας αὐτοὺς, *& dilexiſti eos*] Quandoquidem tua voluntate ipſis ea poteſtas conceſſa eſt, nec aliter concedi potuit. ¶ Καθὼς ἐμὲ ἠγάπησας, *ſicut & me dilexiſti*] Quod inter cætera oſtenderas data mihi illâ Divina miraculorum edendorum poteſtate. Vide quæ ſupra III. 35. X. 42.

24. Πάτερ, οὓς δέδωκάς μοι, *Pater, quos dediſti mihi*] Cum effectu, *ita ut tradiderint ſe mihi*. Hoc non pro Apoſtolis tantum precatur ſed pro omnibus credentibus, ut ſupra 20. ¶ Θέλω, *volo*] *Velim*, ut Marci VI. 25. X. 35. Matth. XII. 38. ¶ Ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, *ut ubi ſum ego*] Id eſt, *ubi futurus ſum*; in cœlo ſupremo. Supra VII. 34. XII. 26. 1 Tim. II. 12. ¶ Κἀκεῖνοι ὦσι μετ' ἐμοῦ· *& illi ſint mecum*] Poſt reſurrectionem, ſicut ego. ¶ Ἵνα θεωρῶσι τὴν δόξαν τὴν ἐμὴν, *ut videam claritatem meam*] *Ut coram ſpectent quo me honore affeceris.* Eſt enim pars quædam beatitudinis amicos habere ejus conſcios ac teſtes. ¶ Ἣν δέδωκάς μοι, *quam dediſti mihi*] *Quam conſtituiſti mihi dare.* ¶ Ὅτι ἠγάπησάς με πρὸ καταβολῆς κόσμου. *quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi*] Vide ſupra 5. & Matth. XXV. 34.

25. Πάτερ δίκαιε, *Pater juſte*] Compellat Deum hoc nomine quia æquitati ejus ſit conveniens præmiis afficere eos qui mundo relicto ipſum coluerunt. ¶ Καὶ ὁ κόσμος σε οὐκ ἔγνω, *mundus te non cognovit*] Cohæret ſententia cum præcedentibus: ὅτι ἠγάπησας [*quia dilexiſti*]. Itaque non eſt interſtinguendum complete poſt κόσμος [*mundi*]. *Magna hominum pars non oſtendit factis te ſibi eſſe notum.* Agitur enim hic de cognitione activa, 1 Epiſt. II. 4. & IV. 8. ¶ Ἐγὼ δέ σε ἔγνων, *ego autem te cognovi*] Oſtendi dogmate meo. ¶ Καὶ οὗτοι ἔγνωσαν ὅτι σύ με ἀπέστειλας. *& hi cognoverunt quia tu me miſiſti*] Factis oſtenderunt ſe id credere.

26. Καὶ ἐγνώρισα αὐτοῖς τὸ ὄνομά σου, *Et notum feci eis nomen tuum*] Proprietates tuas, ut ſupra 6. ¶ Καὶ γνωρίσω *& notum faciam*] Magis in colloquiis poſt reſurrectionem, Lucæ XXIV. 45. Actor. I. 3. ¶ Ἵνα ἡ ἀγάπη ἣν ἠγάπησάς με ἐν αὐτοῖς ᾖ, *ut dilectio qua dilexiſti me in ipſis ſit*] Id eſt, ut eos tam bene inſtitutos de te ames ſicut me amas. Sic 1 Epiſt. IV. 9. Ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐν ὑμῖν [*dilectio Dei in nobis*] eſt *erga nos*, qua nos proſequitur. ¶ Κἀγὼ ἐν αὐτοῖς. *& ego in ipſis*] Ut mea dogmata & exemplum vitæ tam bene inculcata magis magiſque hæreant eorum mentibus, Gal. IV. 19. & ſupra XIV. 33.

CAP. XVIII.

VALLA.

1. TRans torrentem Cedron] Non Hebraicum nomen proprium torrentis vel alterius rei videtur eſſe *Cedron*, ſed Græcum appoſito articulo plurali τῶν κέδρων, ut transferendum fuerit, *trans torrentem Cedrorum.*

28. *Adducunt ergo Jeſum ad Caipham in Prætorium. Erat autem mane: & ipſi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut comederent Paſcha*] Quinam adduxerunt Jeſum, & non introierunt Prætorium? Nempe cum alii Judæi, tum vero Pontifices: nam dicitur v. 35. *Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi.* Et iterum, c. 19. 5. *Cum ergo vidiſſent eum Pontifices.* Non ergo legendum eſt, *Adducunt igitur ad Caipham*, ſed *à Caipha*, i. à domo Caiphæ, ut Græce habetur, ἀπὸ τῆς Καϊάφα. Hoc in loco incaſſum laborat Auguſtinus eruere ſententiam contra Euangelii veritatem, quem non conſuluiſſe Græcum fontem multo magis mirum quam in ſuperioribus fuit, cum præſertim permulti codices Latini reperiantur venerandæ vetuſtatis in quibus legitur *à Caipha.* Reddam debitam laudem iis qui codices invenerunt, etſi ob mirificum ſtudium literarum antiquarum viri laudati ſunt. Cyriacus Anconitanus quinque Mediolani, & aliis circa urbibus, in quibus Auguſtinus diverſatus eſt; duos Romæ Joannes Tiburs Prædicatoriæ profeſſionis ad ædem Chryſogoni & Salvatoris, quos ego inſpexi mirifica & vetuſta litera codices, invenit: ut alios complures eſſe veriſimile ſit.

REVIUS in VALLAM.

1. NOn *Hebraicum nomen videtur eſſe* Cedron] Confer Eraſmum. Sed ſolide hæc refellit & veriorem lectionem indicat Beza.

ERASMUS.

1. TRans *torrentem Cedron*] Τῶν Κέδρων. Articulus additus indicat *Cedron* non eſſe nomen Hebraicum, ſed *cedrorum.* Opinor torrentem ita dictum quod hinc & hinc cedros haberet, quemadmodum dictus eſt *mons Olivarum.* D. Hieronymus meminit hujus nominis in Locis Hebraicis, indicans torrentem ac vallem eſſe ejus nominis ad Orientalem plagam urbis Hieroſolymitanæ. Atque haud ſcio an à ſitu loci vocabulum loco ſit inditum, cum idem inibi teſtetur *Cedem*, quod eſt apud Ezechielem, ab Aquila & Symmacho verſum fuiſſe *Orientem.* Etiamſi Capnion noſter putat ab *obſcuritate* dictum Hebræis, & vocem *Cedron* Hebraicam eſſe non Græcam, cum Hebræi cedros *arazim* appellent. Fit autem hujus torrentis mentio 2 Reg. 15. 23. quem tranſiſſe legitur David fugiens Abſalonem. Rurſum 3 Reg. 15. 13. Aſa ſimulacrum Priapi exuſſit in torrente Cedron. Item 4 Reg. 23. 4. Joſias Rex profanum lucum qui erat in domo Domini exuſſit in convalle Cedron. Atque ex primo loco non ſatis liquet quid ſenſerint Interpretes de *Cedron*: ſic enim legimus, καὶ ὁ βασιλεὺς διέβη τὸν χειμάῤῥουν Κέδρων. In ſecundo loco videmus additum articulum, καὶ ἐνέπρησε πυρὶ ἐν τῷ χειμάῤῥῳ τῶν Κέδρων. Rurſus tertio loco bis ponitur κέδρων abſque articulo, εἰς τὸν χειμάῤῥουν Κέδρων, καὶ κατέκαυσεν αὐτὸν ἐν τῷ χειμάῤῥῳ Κέδρων. Nec ſecus legitur 3 Reg 2. 37. quanquam ordo narrationis hic in Græcis codicibus diſſidet à noſtris exemplaribus Latinis, καὶ διαβήσῃ τὸν χειμάῤῥουν Κέδρων. Neque tamen negarim hæc omnia commiſti potuiſſe culpa librariorum Græce ſcientium, Hebraice neſcientium: proinde non invitus ſubſcribo ſententiæ Capnionis: Tradit enim ſe Dominus poteſtati tenebrarum.

8. *Sinite hos abire*] Fateor alienius eſſe ab inſtituto meo; tamen quoniam incidit commode, libet admonere: Novi quendam magni nominis Theologum qui hæc verba Chriſti torſit ad defendendam Clericorum immunitatem, quaſi Chriſtus præceperit Principibus ne Sacerdotes gravarent exactionibus ac tyrannide. Sententiam vehementer probo. Melius enim cum Principibus ageretur ſi ſuis ſtipendiis eſſent contenti. Verum id ex hoc loco ridicule colligitur, mea quidem ſententia, cum Chriſtus hic agat perſonam veri Paſtoris, Diſcipuli populum repræſentent Chriſtianum. Docet igitur ut quoties ingruit procella perſecutionis, Epiſcopus pro ſuorum incolumitate ſuum caput periculis objiciat, & illis quoad poſſit conſulat, ſecus quam aliquando facit Principum ac Pontificum vulgus, par exiſtimantium ut unius capitis tuendi gratia totus populus imo tot populi, ſe, ſuos ac ſua perdant.

12. *Cohors autem & tribunus*] *Cohors* Græce eſt σπεῖρα ſunis ſive *caterva*, & *Tribunus* eſt χιλίαρχος *præfectus mille virís.* D. Auguſtinus cumque hoc alii complures in hoc laborant ut de negatione Petri narrationem Euangelicam redigant in concordiam, propterea quod Joannes cap. 18. videatur à cæteris omnibus diſſentire, nec ea diſſonantia tantum obſtrepit in libris Latinis, verum etiam in Græcis. Quo magis mirandum eſt nec Chryſoſtomum hac diſcrepantia fuiſſe offenſum. Sic enim refert Joannes; *Jeſum fuiſſe comprehenſum, & ligatum primum ad Annam abductum: eo ſecutum Petrum, atque ibi primum negaſſe Jeſum.* Deinde poſt multa ſubjungit *Jeſum ab Anna ad Caiapham miſſum, ubi ter bis negavit Petrus.* Ex qua narratione declaratur primam negationem apud Annam eſſe factam, reliquas duas apud Caiapham; cæteris Euangeliſtis magno conſenſu narrantibus omnes Petri negationes in ædibus Caiaphæ factas eſſe. Senſit hic nonnihil ſcrupuli & Joannes Gerſon, qui teſtatus varios varie hac de re ſenſiſſe, addit ſibi videri Auguſtinum in hac fuiſſe ſententia ut omnes negationes crederet eſſe factas in domo Annæ. Verum ex Cyrilli commentariis videtur hæc tota quæſtionis difficultas explicari, qui & legens & interpretans ſatis declarat & in Græcis & in noſtris cod. quædam verba fortaſſis ſcribarum incuria prætermiſſa. Nam Græca ſic habent, Ἡ οὖν σπεῖρα καὶ ὁ χιλίαρχος καὶ οἱ ὑπηρέται τῶν Ἰουδαίων συνέλαβον τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἔδησαν αὐτὸν, καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν πρὸς Ἄνναν πρῶτον ἦν γὰρ πενθερὸς τῷ Καϊάφα, ὃς ἦν ἀρχιερεὺς τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνου· ἦν δὲ Καϊάφας ὁ συμβουλεύσας τοῖς Ἰουδαίοις καὶ τὰ λοιπά, quæ noſtra tranſlatio conſentiens habet hunc in modum, *Cohors autem &*

& Tribunus & miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum. Erat autem ſocer Caiaphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiaphas qui conſilium dederat Judæis, &c. Cyrillus autem ut habetur Lat. legit hunc in modum, *Cohors ergo & Tribunus & miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum & adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim ſocer Caiaphæ, qui erat Pontifex anni illius.* Et interjecto commentario ſubjicit, *Miſerunt autem eum ad Caiaphan Pontificem. Erat autem Caiaphas qui conſilium dedit Judæis quia expedit unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Jeſum Petrus.* Unde liquet inter hæc verba, *qui erat Pontifex anni illius*, & inter hæc, *Erat autem Caiaphas qui conſilium dederat*, prætermiſſa fuiſſe hæc, *Et miſerunt eum ligatum ad Caiaphan Pontificem:* ut deinde ſequatur, *Erat autem Caiaphas qui conſilium dederat Judæis.* Et hoc ordine lectionis omnes negationes intelligentur eſſe factæ in domo Caiaphæ, nulla Annæ. Quid autem ſenſerit Gerſon non ſatis intelligo, cum ex Auguſtini verbis tale nihil poſſit colligi, nec in aliis Euangeliſtis ullus eſt ſcrupulus, niſi quod omnes prætermittunt hiſtoriæ partem de Jeſu ducto ad Annam: Siquidem Matthæus refert eum ſimul ut captus eſt *fuiſſe ductum ad ædes Caiaphæ:* idem narrant Marcus & Lucas, niſi quod nomen tacent; tantum vocant *Principem ſacerdotum:* cætera conveniunt. Solus igitur ſcrupulus remanet in Joanne, qui ſolus narrat *eum primum ductum ad Annam*, quod is, ut interpretatur Cyrillus, cum Juda pactus fuerat. Huic ubi ſatis factum eſt, ſine mora ductus eſt vinctus ad Caiapham, velut autoritate præminentem. Quid ſit apud Annam actum non legitur: quicquid autem actum narratur, actum eſt in ædibus Caiaphæ. Reſtat adhuc unus ſcrupulus, qui conveniat ut aliquanto poſt Joannes proſequens hiſtoriæ narrationem ſcribat, *& miſit eum Annas ligatum ad Caiapham Pontificem.* Non enim proſequitur ordinem rerum geſtarum, ſed ad gradum revocat narrationem, ut id quod cœperat de negatione Petri perficiat: id quod & Cyrillus ſubindicat his verbis, *Quaſi currentem equum narrandi progreſſum Euangeliſta utiliter revocat, & ad priora rurſum orationem reducit. Quare ſic? Quia negationem Petri tertio factam exponere voluit. Repetit ergo breviter, & miſſum ab Anna Jeſum ad Caiapham iterum dicit, Petrumque interrogatum exponit.* Hactenus Cyrillus. Aſtipulatur huic ſententiæ & Cyrilli lectio. Non enim legit, *& miſit eum Annas*, ſed, *miſit igitur eum Annas.* Solet autem hæc dictio eſſe revocantis orationem à digreſſione. Hoc quicquid eſt volui communicatum eſſe ſtudioſis citra cujuſquam præjudicium.

18. *Ad prunas*] Ἀνθρακιὰν πεποιηκότες *congeſtis prunis:* ita ut ſit in atriis magnatum, quod fumi minus habeant.

28. *Adducunt ergo Jeſum ad Caiapham in Prætorium*] Ἀπὸ τῆς Καϊάφα *à Caiapha:* nimirum à domo Caiaphæ. Atque ita legitur & in noſtris exemplaribus vel mediocriter emendatis. Ad eundem modum legit Chryſoſtomus, & Cyrillus; ut ne memorem de Theophylacto. Nec eſt Græcis *adducunt*, ſed *ducunt*, ἄγουσι. D. Auguſtinus deceptus exemplari depravato vehementer laborat hoc loco, conans expedire qui conveniat *in Prætorium fuiſſe ductum Jeſum*, cum legatur *adductus ad Caiapham*, quandoquidem *prætorium* nihil aliud erat quam *domus Præſidis. Aut igitur*, inquit, *aliqua urgente cauſa de domo Annæ, quo ad audiendum Jeſum ambo convenerant, Caiaphas perrexerat ad prætorium Præſidis, & ſocero ſuo Jeſum reliquerat audiendum: aut in domo Caiaphæ Pilatus prætorium acceperat, & tanta domus erat ut ſeorſum habitantem dominum ſuum, ſeorſum Judicem ferret.* Ac mox, *Non introierunt*, inquit, *in prætorium, h. e. in eam partem domus quam Pilatus tenebat, ſi ipſa erat domus Caiaphæ.* Porro cum in vulgatis typographorum exemplaribus habeatur *à Caiapha*, non *ad Caiapham*, tamen Auguſtinum ita legiſſe ex ipſa liquet interpretatione, cum quærit, *Sed ſi ad Caiapham, cur in prætorium?* Cæterum nihil erat cauſæ cur in has anguſtias conjiceret Auguſtinus tum ſe tum Pontificem ac Præſidem, ut duo ſummo magiſtratu præditi, duo diverſiſſimæ religionis ac gentis, ſub iiſdem tectis habitare cogerentur. Res ipſa in expedito eſt. Totus error è menda ſcriptoris ortus forſit Auguſtinum. Atqui cum tantopere hæreret ut nec ſibi ſatisfaceret, mirum eſt non conſuluiſſe Græcos codices, aut certe Latinos emendatiores. Primum Jeſus adductus eſt ad Annam; Is vinctum miſit ad Caiapham generum; illinc cum tota nocte nihil reſpondiſſet, mane deductus eſt ad ædes Præſidis. Depravandi occaſio hinc nata eſt quod lector non agnovit tropum ſermonis, quod dicimus *ad nos* pro eo quod eſt *ad ædes noſtras*; &, *à vobis eſt*, id eſt, *ab ædibus veſtris.* Similem errorem indicavimus Marc. 5. 35. *ab archiſynagogo.* Eſt autem hic tropus Synecdoches ſpecies, qua poſſeſſorem indicamus nomine rei poſſeſſæ; quale Virgilianum illud, *Jam proximus ardet Ucalegon:* item illud ex Eunucho, *Eamus ad me*, i. ad ædes meas.

36. *Miniſtri mei utique decertarent*] Cum Græcis conſtanter ſit ἠγωνίζοντο, mirum quid ſecutus Cyprianus lib. 2. Adverſ. Judæos, c. 28. legerit, *miniſtri mei torquerentur.*

VATABLUS.

1. UBI *erat*] Sub. *in locum ubi*, &c.

2. *Tradebat*] *Prodebat*, & infra.

3. *Cohortem*] i. mille milites Romanos. ¶ *Pontificibus*] *Principibus Sacerdotum.* ¶ *Lanternis*] *Lucernis.*

9. *Ut impleretur*] Eclipſis eſt: ſcil. *hoc dixit*, vel, *factum eſt, ut compleretur*, &c. ¶ *Dixit*] *Dixerat.*

10. *Pontificis*] *Summi ſacerdotis*, & infra.

12. *Autem*] *Igitur.* ¶ *Tribunus*] i. Præfectus cohortis.

13. *Adduxerunt*] *Abduxerunt.* ¶ *Primum*] Subintelligi debet, *deinde ad Caiphan:* eſt enim conciſus hic locus.

14. *Quia expedit*] *Quod expediret.* ¶ *Mori*] *Perire.*

15. *Introivit*] Hic per reticentiam oſtenditur ad Caipham adductus: dicit enim paulo poſt, *Miſerat enim. Annas*, &c.

16. *Diſcipulus**] * *Ille.* ¶ *Dixit*] Heb. pro *juſſit*, aut, *rogavit oſtiariam.*

18. *Miniſtri*] Qui prunas congeſſerant. ¶ *Calefaciebant*] *Calefiebant*, Vet.

24. *Et miſit*] *Miſerant enim.*

26. *Abſcidit*] *Abſciderat.*

28. *Ad Caipham*] *A Caipha.*

32. *Ut ſermo Jeſu impleretur*] Sub. *Dictum eſt hoc à Judæis, ut*, &c. ¶ *Dixit*] *Dixerat.* ¶ *Significans*] *Cum ſignificaret.*

33. *Tu es Rex Judæorum*] Videtur legendum ſine interrogatione, q. d. Tu igitur es rex Judæorum: ita enim dicere ſolent Judices, ut eliciant veritatem.

35. *Nunquid ego Judæus ſum?*] Sub. *ut curem veſtros prophetas?*

36. *Regnum meum*, &c.] q. d. *ſum certe Rex Judæorum, ſed regnum*, &c. ¶ *De*] *In.* ¶ *Decertarent*] præt. pro præt. *decertaviſſent ut non traditus fuiſſem.*

37. *Tu dicis*] Sub. *quod res eſt.* ¶ *Quia*] *Certe*, Heb. ¶ *Ut teſtimonium perhibeam veritati*] i. ut palam & libere dicam quæ vera ſunt. ¶ *Qui eſt ex veritate*] Vel, *qui ſtat à veritate*, i. qui fovet partes ejus.

38. *Cauſam*] Vel, *crimen:* hoc enim amplius ſignificat αἰτία Græce quam *cauſa* Latine.

40. *Clamaverunt**] * *Ergo.*

CASTALIO.

1. TRANS *torrentem Cedronem*] Cum *Cedron* ſit Hebræum nomen ſing. numeri, aut articulus τῶν ſupervacaneus eſt, aut τῆ legendum eſt: quod facile potuit ab aliquo Græculo depravari, qui cum κέδρων *cedros* eſſe putaret (ut eſſet ſi vox Græca foret) voluit ſolœciſmum evitare, & ex τῆ κέδρων fecit τῶν κέδρων. Video enim quædam hujuſcemodi ignoratione Hebraicæ linguæ fieri: ut in *Jeruſalem* & *Jerubaal*, quæ verba Græca arbitrati Græci fecerunt Ἱεροσόλυμα & Ἱεροβαάλ, quaſi παρὰ τῆ ἱερὸν ducta forent: unde factum eſt ut cum ea apud Hebræos non aſpirentur, apud Græcos, & porro apud Latinos, aſpirentur. Hæc ego non mutandi ſed indicandi cauſa dico: nam utrum hujuſmodi nomina aſpires an non aſpires, nihil referre arbitror.

CLARIUS.

2. FREQUENTER *Jeſus*] Vide ut Dominus ſuo exemplo monſtraverit locorum ſeceſſus plurimum conferre ad vacandum Deo.

6. *Cecidерunt in terram*] Et hæc non exigua beneficentiæ pars in Judæos fuit, declarare potentiam ſuam ea ipſa hora qua illi tam ſceleratum facinus erant patraturi; ut ſaltem metu majeſtatis reſipiſcerent.

22. *Sic reſpondes Pontifici?*] Quo ergo alio eum pacto voluiſti reſpondiſſe? Cenſes, ſi de doctrina interrogatus acceriſſet

ſiſſet à capite totius ſuæ doctrinæ ſummam, eum aut auditum fuiſſe aut quicquam profeciſſe? Breviter admonet ut eos interroget qui audierant, à quibus ſolis certa hujus rei veritas ſciri poſſet. At accepta alapa Jeſus ne hunc quidem docere dedignatur. Indefeſſam proculdubio erga homines charitatem!

30. *Si non eſſet hic malefactor*] Vide impudentiam, & ſupercilium: una tantum, inquiunt, hac re, quod tibi eum tradidimus, exiſtimare debes eſſe illum alicujus criminis reum.

31. *Nobis non licet interficere quenquam*] Vel propter Paſcha, vel fortaſſe ut hoc Præſidis auxilio magis roborarentur ad certam Domini mortem, ſimulaverunt hoc ſibi non licere: alioqui cur Stephanum occiderunt ſi ſublata erat occidendi poteſtas? Et vide ut & in hoc facto ſerviant prophetiæ Domini: ut ait Euangeliſta, *ut ſermo Jeſu impleretur*, &c.

34. *A temetipſo hoc dicis*] Tu id ex te opinaris, an aliorum verbis fidem habes? Quod ad te attinet, non hoc tibi à me eſt metuendum, qui ne veſtigium quidem unum in me affectati Regni deprehendere poſſis: ſin ex aliorum ſermone loqueris vide quinam ii ſint qui me accuſant, nempe Judæi, quibus quantæ ſit curæ ſalus Romani Regni tute cogita.

37. *Ut teſtimonium perhibeam veritati*] Adverſus ſcilicet vanitatem & mendacium mundi.

ZEGERUS.

1. *Cedron*] Sic dictus eſt torrens ipſe à *nigrore*, vel *mœſtitudine*, vel *obſcuritate*. קדרון enim Hebræis *nigredo*, *triſtitia*, & *tenebræ* interpretatur; קדר vero *denigratus*, & *triſtis*. Eſt autem idem torrens de quo 2 Reg. 15. & 3 Reg. 15. legis, à quo etiam locus ipſe in quem torrens delabitur *convallis Cedron* denominatur 4 Regum 23. Quod autem in Græcis ſcribitur τῶν Κέδρων, præpoſito ſcilicet articulo plurali, cum τοῦ Κεδρὼν Euangeliſtam ſcripſiſſe veriſimillimum ſit, ſcribarum id errore accidiſſe arbitror, qui Κέδρων exiſtimaverint caſus eſſe genitivi pluralis, ab arbore nomine *cedrus*. Nam præterquam quod Hebræum eſt non Græcum vocabulum, in libris Regum apud Græcos nullus ei præponitur articulus. Cæterum *torrens* (ſi quis hoc forte requirat) proprie fluvium ſignificat è pluviis generatum, qui hyeme quidem fluat, æſtate vero ſiccetur.

10. *Abſcidit auriculam*] *Abſcidit* pronunciari poteſt media vel producta, ab *abs* & *cædo*, vel correpta, ab *ab* & *ſcindo*, quod primam corripit in præterito.

12. *Tribunus*] Non eſt Græce χιλίαρχος quo *Tribunum plebis* deſignant, ſed χιλίαρχος quo *Tribunum militum* denotant: quanquam juxta compoſitionem illud *princeps populi*, hoc princeps *mille virorum* proprie interpretatur.

13. *Erat enim ſocer Caiphæ*] h. e. uxoris Caiphæ pater. Caiphas autem Annæ erat gener, quia hic illius filiam habebat uxorem.

16. *Et dixit oſtiaria, & introduxit Petrum*] Hoc Chryſoſtomus ita exponit tanquam Euangeliſta ſcripſiſſet ad hunc modum, *Et dixit oſtiariæ ut introduceret Petrum.*

18. *Ad prunas*] Quod hujus loco eſt ἀνθρακιὰν πεποιηκότες, *qui prunas congeſſerant*, apud veteres invenias. ¶ *Et calefaciebant ſe*] Henricus Gravius emendat *calefaciebant* ſine *ſe*; verum quia Auguſtinus legit *calefaciebant ſe*, & infra Interpres vertit *calefacientes ſe*, Gravio hic non ſubſcribo.

28. *Ut manducarent Paſcha*] i. agnum Paſchalem; non azymos panes tantum, ut nonnulli arbitrantur.

31, 32. *Dixerunt ergo ei Judæi, Nobis non licet interficere quenquam: ut ſermo Jeſu impleretur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus*] *Dicunt Judæi, Nobis non licet interficere quenquam*, Crucis videlicet ſupplicio: *atque ita implendus erat ſermo Chriſti quo ſignificarat* non à Judæis lapidandum ſe aut alio quovis mortis genere interimendum, ſed tradendum Gentibus ut ab ipſis cruci affigeretur: quod genus mortis ut à Judæis inferri cuiquam erat illicitum, ita propter mortis hujuſcemodi majorem ignominiam ſis maxime Chriſtum interire deſiderabant.

34. *A temetipſo hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* &c.] Nihil cauſæ erat cur hoc ſciſcitaretur Dominus, quippe qui ut Deus non ignoraret Pilatum id à delatoribus Judæis didiciſſe: verum juxta exteriorem rei geſtæ narrationem duplex hujus interrogationis ratio aſſignari poteſt: una, Quia ipſo Jeſu in Prætorio conſtituto, delatio illa foris extra Prætorium facta fuerat, atque ita ignorare videbatur quid eſſet delatum; altera, Quia pro diverſa Pilati reſponſione diverſimode etiam Chriſtus reſpondere poterat. Etenim ſi dixiſſet, *Ex meipſo*, ſenſiſſet proculdubio de Regno humano ac labili: tum negare ſimpliciter potuit Chriſtus ejuſmodi ſe eſſe imperii Regem. Verum cum ſubjiciendo, *Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi*, indicaret à Judæis id ſe accepiſſe, qui de Meſchiæ ſui Regno loquebantur, juxta hoc illi reſpondit Regem ſe eſſe, & Regnum ſuum nequaquam eſſe, ut cæterorum, terrenum & tranſitorium, ſed cœleſte & æternum.

37. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati*] Pro ſermonis conſequentia advertendum duo Pilatum ex Chriſto ſciſcitaſſe, *An Rex eſſet Judæorum*, &, *Quid commiſiſſet*. Priori ſciſcitationi reſponderat, dicens, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: nunc alteri reſpondens oſtendit ſe nihil commiſiſſe piaculi, ſed *veritatem prædicaſſe*, & ob hanc cauſam adduci & deferri ſe apud Judicem.

LUC. BRUGENSIS.

13. *ET adduxerunt illum ad Annam primum: erat enim ſocer Caipha, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui conſilium dederat, &c.*] D. Cyrillus, nonnihil interjiciens, hoc legit modo, *qui erat Pontifex anni illius. Miſerunt autem eum ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Caiphas*, &c. Quod vero poſtea verſu 24 dicetur, *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem*, dictum ab Euangeliſta putat repetendo, & ad priora orationem reducendo, ut eam quæ tertio facta eſt Petri negationem commode recenſeret. Quamobrem non legit, *Et miſit eum Annas*; ſed, *miſit igitur eum Annas*, vel, *miſerat igitur eum Annas*: utroque enim modo aoriſtus ἀπέστειλε verti poteſt. Hæc Cyrilli lectio quæſtionis difficultatem ſolvit maximam, quæ ex noſtra oritur lectione. Verum ſi Cyrillo ſimiliter non legamus (neque enim alibi hæc ejus lectio reperitur) nil vetat cur non ſimiliter intelligamus. Epiſcopi Janſenii in Euangelicam concordiam commentaria legantur. Verſu 24 conjunctionem quam omittunt libri Græci, omiſſam comperimus & in Latino exemplari Societatis Jeſu albo, antiquiſſimo illo: habet enim pro *& miſit*, *emiſit* (cui alterum ▮ notatum adſtipulari videtur.) *Emiſit* [ἀπέστειλεν] *eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem*; id quod parentheſeos notis includunt quidam.

H. STEPHANUS.

1. Πέραν τῦ χειμάῤῥυ] *Trans torrentem.*

3. Τὴν σπεῖραν] *Cohortem.* ¶ Μετὰ φανῶν] *Cum lanternis.*

4. Πάντα τὰ ἐρχόμενα ἐπ' αὐτὸν] *Omnia quæ ſibi immineant.*

11. Εἰς τὴν θήκην] *In vaginam.*

17. Μὴ καὶ σὺ εἶ] *Nonne es.*

18. Ἀνθρακιὰν πεποιημότες] *Qui prunas congeſſerant.*

20. Παῤῥησίᾳ] *Palam.*

22. Ἔδωκε ῥάπισμα τῷ Ἰησῦ] *Baculo cecidit Jeſum.*

23. Μαρτύρησον περὶ τῦ κακῦ] *Indicato id malum.*

24. Ἀπέστειλεν] *Miſerat.*

26. Συγγενὴς ὢν ᾧ ἀπέκοψε] *Propinquus ejus cui abſciderat:* vel, *cognatus.*

30. Εἰ μὴ ἦν οὗτος κακοποιὸς] *Niſi iſte eſſet maleficus.*

36. Ἠγωνίζοντο ἵνα μὴ παραδοθῶ] *Propugnantes obſtarent ne traderer.* ¶ Νῦν δὲ ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐντεῦθεν] *At res ſe aliter habet; cum hinc non ſit regnum meum.*

38. Οὐδεμίαν αἰτίαν] *Nullum crimen.*

DRUSIUS.

1. *Trans torrentem Cedron, πέραν τῦ χειμάῤῥου τῶν Κέδρων*] Τῶν κέδρων eſt in omnibus libris Græcis, etiam 1 Reg. 15. 13. in edit. Romana. Quanquam in Baſileenſi τῦ Κέδρων, quod ſcribi malim Κεδρὼν, cum accentu in ultima. Torrens iſte ab Ebræis vocatur קדרון. Id nunc legunt *Kidron*, ſed antiquitus legebatur *Cedron* & *Cadron*. Sic dicebant *Nimrod*, *Nemrod*, *Namrod*: ſic *Niſibis*, *Neſibis*, *Naſibis*: קדרון i. *cedrus*, quæ & קדר. Sed in emphaſi eſt קדרונא, & in plur. קדרין *cedri*. Gen. 6. *Ligna Gopher*; Onk. *ligna Cedron*, i. *cedri*. In Geneſi magno R. Nathan dicit eſſe קדרוניא. Thanchuma ſive Ilmedenu, *Docuit eum Deus lignum. R. Joſua F. Korcha dicit eſſe* קדרין *cedros*. Species erat diverſa ab

rus quam *cedrum* interpretantur. R. D. in lib. Rad. *Dicunt Doctores quatuor eſſe genera cedrorum* רס & סרק & סן יץ & ברוש. Cæterum nihil aut parum refert *Cadron* an *Cedron* pronunties. Sic enim certe olim variabat in lectione cum apices vocalium abeſſent. Sed τῶν Κέδρων, i. קדרון. Ita torrens hic non vocatur. Qui negant ullum mendum eſſe in codicibus Græcis, ex hoc loco convinci poſſunt erroris. Nam perſpicue legendum τοῦ Κεδρών. Eſt enim nomen Ebraicum קדרון, non Græcum κέδρων, *cedrorum*. *Cedri* enim ארזים dicuntur in ea lingua. Res eſt, non conjectura. Nam etiam Syrus vulgavit קדרון, i. τοῦ Κεδρών, cum accentu in ultima, ut Αβεδδών, de quo alias. Cæterum נחל tam vallem denotat quam torrentem: unde Euſebius, vel potius Hieronymus, *Cedron appellatur torrens ſive vallis:* & mox, *Cedron juxta Jeruſalem ad Orientalem plagam eſt.* In lib. interpretationum, quem Plantinus excudit, *Cedron, nomen vallis & fluvii in eadem valle, quæ inter Jeroſolymam & montem Olivarum eſt* 2 *Reg.* 23. *ſive torrentis nomen* 2 *Sam.* 15. & *Joh.* 18. Jonathan Sophon. 1. 11. *habitantes juxta torrentem Cedron*, ubi textus Ebræus, *habitatores Pila.* Erat autem *Pila* locus cavus in Urbe aut circa eam. Torrens iſte inter Urbem & montem Oliveti fuit. Gorionides Hiſtor. Ebr. l. 6. c. 81. *Venit autem Titus ad montem Olivarum, & caſtra metatus eſt ibi è regione Jeruſalem trans torrentem Cedron. Nam torrens ille tranſit inter Urbem & montem illum; nec in eo ſunt aquæ multæ ſemper.* Mentio hujus torrentis 2 Sam. 15. 23. & 1 Reg. 2. 37. item 2 Reg. 23. 4. & Jer. 31. 40. Præterea vero, 1 Reg. 15. 13. ubi codex Baſileenſis habet, ἐν τῷ χειμάρρῳ τῷ Κέδρων, in editione Romana legitur τῶν κέδρων, quemadmodum citat Eraſmus: קדרון *Cedron*, ut מדרש *Medras*. Sic הלל *Hellel*, תם *Hanom*, unde *Gehenna*.

13. *Ad Annam*] Αννας, ultima ς & duplici νν, conſuetudo Græca; *Hannan*, ultima N, & cum aſpiratione, Syra; *Hanan* unica N, Ebræa, ſi modo *Annas* eſt חנן: unde ſequeretur, ſcribendum eſſe *Hannas* cum adſpiratione. Cui firmando eſt Hieron. in lib. Nominum. Nam interpretatur *Annas*, *Donans*, i. חנן. Ex quo compoſitum *Elhanan*, אלחנן, quod idem exponit Latine *Adeodatus*. *Hannan*, *Hannas*, ut *Aunan*, *Aunas*. Sic *Amon*, *Amos*. Amant enim Græci ultimam nominis barbari in ς mutare. Hujus item mentio Luc. 3. 2. & Act. 4. 6. ¶ *Qui erat Pontifex illius anni*] Ergo Pontificatus annuus? Olim perpetuus erat, & durabat ad vitam. Joſephus Antiq. Jud. l. 10. c. 8. *A principio Pontificibus non ſuccedebatur niſi mortuis; deinde viventibus etiam ſubrogari cœperunt alii.*

28. *A Caipha*] A domo Caiphæ. Locutio paſſim obvia. Sic, *ivit ad Pompeium.* Terentius Eunucho, *eamus ad me*, h. e. ad ædes meas. In Marco notavimus, niſi fallor, *ab archiſynagogo*, ſpecies ſynecdoches, in qua poſſeſſor pro re poſſeſſa ponitur. Virgilius, *Jam proximus ardet Ucalegon.* Terentius Andria, *Unde eſt? dic clare. My. A vobis eſt.* Idem alibi, *Sed Myſis ab ea egreditur.* Sic, *à me, à milite, à Glycerio.* Plautus Ciſtellaria, *Hæc ciſtella numnam hinc à nobis domo eſt?* i. à noſtra domo. Simile, *Quiſnam à me pepulit tam graviter fores?* i. meas, ait Donatus. Rurſum Plautus meminit, *à me ut irem*, i. domo mea. Cicero, *à nobis diſceſſi*, i. domo noſtra. Idem, *divertit Clodius ad ſe in Albanum*, i. in villam ſuam. Hæc phraſis non intellecta cauſam dedit imperitis librariis mutandi *à Caipha* in *ad Caiphan.* Vide ſis Eraſmum noſtrum: Cui hanc obſervationem ex parte debeo. Nam duo exempla ab eo mutuo ſumpſi.

31. *Nobis non licet occidere quenquam*] Adempta illis fuerunt capitalia judicia LXI annis ante Jeroſolymorum caſum, Archelao Viennam relegato: Scaliger Animad. Euſeb. 182. 1. XL *annis ante Templi excidium plus minus abolita fuerunt judicia animarum*, i. capitalia, Juch. §1. 1. *Eleazar tamen F. Sadoc, qui vixit ante excidium illud, teſtatur ſe vidiſſe filiam ſacerdotis, quæ ſcortata fuerat, quam comburebant faſcibus palmitum*, ibidem. Moſes de Kotli lib. Præcept. 188. 3. XL *annis ante deſtructionem Templi ſecunda migravit Synedrion è loco ſuo, quia multiplicati fuerant ſicarii, & abolita judicia animarum ex Iſrael.* Theodorus in magnis Annot. Marc. 15. 1. *Tradunt Chriſtum Judæi Pilato Præſidi provinciæ, quoniam illum omnino conſtituerant capitali ſupplicio afficere: quod ipſis non licebat, quoniam capitalium criminum cognitio fuerat eis erepta, primum ab Herode M. deinde à Romanis, anno (ut ipſi Judæi tradunt)* XL *ante Templi everſionem, i. biennio antequam Chriſtus crucifigeretur. Siquidem Dominus annum agens* XXXIV *fuit crucifixus & everſum eſt Templum anno ab ipſius ortu* LXXI.

37. *Ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum*] Idem aliter. Nam qui naſcitur *in mundum venire* dicitur. Vide quæ ſcripſimus ad, *Omnem hominem venientem in mundum*, ſupra 1. 9. Nam באי עולם, i. *venientes in mundum*, vocant ipſos homines.

SCALIGER.

31. Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα] Quia Judæa per Rationalem Cæſaris adminiſtrabatur: penes eum erat jus gladii. Itaque quod dicit Pilatus, κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν, inſultabundus & εἰρωνικῶς dixit. Neque ſegniter illapſum eſt auribus eorum, ſed mordaci dicto tacti reſpondent, Tu ſcis nobis ademptum eſſe jus gladii: tuum igitur eſt, non noſtrum, qui habes in eum animadvertere. Non opus eſt alia interpretatione quam ea quæ ſtatim excipit, ἵνα ὁ λόγος τοῦ Ἰησοῦ, &c. Quinam eſt ille λόγος quem à Domino dictum ſenſit Euangeliſta? Proferunt ex Matth. 20. 19. παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν. Fateor equidem, quia Synedrio adempta erant judicia capitalia, neceſſario Chriſtum à Romanis Judæorum dominis damnandum fuiſſe. Sed hæc ſola interpretatio negotium non conficit. Quid enim fiet illo quod ſequitur, σημαίνων ποίῳ θανάτῳ; Aliud enim eſt à quibus hominibus, aliud quo genere mortis interficiatur. Intelligit locum illum Joh. 12. 32. κἀγὼ, ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας, &c. σημαίνων &c. Non poterat ergo melior interpres alteri loco afferri quam iſte. Sed quid eſt ὑψωθῆναι ἐκ τῆς γῆς; Ipſe docet Joh. 3. 14. καθὼς Μωσῆς ὕψωσε, &c. Ergo τὴν σταύρωσιν intelligit, quod genus animadverſionis unius populi Romani proprium erat. Cum igitur conſtaret ex Eſa. 53. Dan. 9. 26. Chriſtum occiſum iri; tria hic ejus morti neceſſaria proponuntur: primum, quod ſententia judicis animadvertendus eſſet. Hoc enim dicit, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. Qui enim ad ſupplicium abducuntur, omnes ad ſpectaculum illud trahunt. Quanquam ſcio ἀλληγορικῶς hæc exponi: ſed primus & verus ſenſus is eſt & conſentaneus loco Iſa. 53. 8. *Ex clauſura*, ſive *carcere*, *& condemnatione aſſumptus eſt*, i. Animadverſum eſt in eum ſententia judicis, unde notoria ſive elogium cruci appoſitum, ut ſententia judicis factum appareret. Secundum, ut cruci affigeretur, Pſ. 22. ut typus ſerpentis à Moſe erecti id deſignabat, Numer. 21. Tertium, quia σταύρωσις ſolis Romanis in uſu erat, qui eo ſupplicii genere in homines obſcuros & deſpicabiles & in mancipia animadvertebant, conſequens erat ut à Romanis damnaretur. Et ſane Rabini ipſi negant majoribus ſuis in uſu fuiſſe ut noxios cruci affigerent. Crux igitur non Judæorum, ſed Romanorum fuit. Ex quo intelligimus, quid ſit σημαίνων ποίῳ θανάτῳ. Nam quia a Romanis damnandus erat, quo alio genere mortis homo non Romanus, &, ut ipſis videbatur, vile caput, affici potuit quam crucis? ut Canoniſtis omnibus per nos ſilere liceat. Veteres Chriſtiani, quibus à fine Actorum Apoſtolicorum ad tempora Trajani nihil certi exſtare in hiſtoria Chriſtiana dolebat, ut illum hiatum temporum explerent, multa licenter & inepte de Petri Romam adventu, deque ejus prima ſede fabulati ſunt. Quod vero de Petri morte ſcriptum reliquerunt, & poſteris perſuaſerunt, crucis ſupplicio affectum, quanquam id verum eſt, non tamen ex hiſtoria certa depromſerunt, ſed conjecturis rimati ſunt ex Joh. 13. 36. ὕστερον δὲ ἀκολουθήσεις μοι· item 21. 18. Deinde uſus quotidianus illorum temporum potuit docere eos, Petrum peregrinæ conditionis hominem & deſpicabilem perſonam non alio genere mortis à Romanis quam crucis affici potuiſſe; ut contra, Paulum civem Romanum gladio animadverſum fuiſſe. De Petro recte judicarunt: de Paulo poteſt dubitari: non enim, quia civis Romanus, ſtatim gladio animadvertendus: Nam & Imperator fratricida videtur Præfectum ignorantiæ accuſare qui neſciverit utrum cædes Papiniani gladio an ſecuri exſequenda fuerit. Proinde Paulus potuit & ſecuri feriri: ſed tam facile & proclive fuit veteribus Chriſtianis hæc confingere, quam epiſtolas Senecæ ad Paulum, & hujus ad eum ſupponere; & bono Hieronymo hanc mercem obtrudere, qui ob eam rem Senecam Scriptoribus Eccleſiaſticis cooptavit. Quidam recentiores docti & pii negant intereſſe noſtra quo genere mortis functus ſit Petrus: neque putant ex eo loco Johannis colligi poſſe Petrum in crucem actum eſſe. Ut illud alterum concedamus, alterum pernegamus, non poſſe colligi Petrum cruci affixum ex illis verbis, ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, καὶ ἄλλος σε ζώσει, καὶ οἴσει, &c. Romæ, crucis candidati, ut verbum Apuleianum uſurpem, collo furcæ inſerto, manibus diſpeſſis & ad furcæ cornua deligatis per urbem circumferebantur, & ex *diutina* traductione illa tandem extra portam Metiam uni ex crucibus cuilibet, quæ multæ in eo loco diſtributæ erant, affigebantur. Furca illa dicebatur etiam *patibulum*, à *patendo*, & divaricatione, ſicuti pa-

patulis boſ cornibus nimium diductis ad ſpeciem literæ Y. Plautus Carbonaria, *Patibulum feram per urbem, deinde affigar cruci.* Licinius Macer in hiſtoriis, *Deligati ad patibulos circumferuntur, & cruci defiguntur.* Qui igitur ita diſtrictis ad patibulum manibus circumferebantur, dicebantur *patibulati* & *furciferi.* Et quanquam ſervi patibulati & furciferi non ſemper agebantur in crucem, tamen ea conditione erant ut nunquam juſtam libertatem ullo modo conſequi poſſent, ut ii quibus veſtigia cuti inuſta fuerunt. Aliquando etiam *patibulum* pro ipſa *cruce* ponitur. Græci recte diſtinguunt: nam τὸν σταυρὸν vocant δίξυμον ξύλον, furcam ἀνάληπτα. Alterum, quod duobus tignis, arrectario & tranſverſario, conſtet: ἀνάληψ autem eſt μονόξυλος, quod Latine etiam *cervus* dicitur Cæſari & Varroni; ſcapus ſcilicet arboris omnibus ramis undique reciſis, præter duos firmiſſimos qui ad ſummum ſcapum angulum faciunt. Crucem etiam Chriſti Eccleſiaſticorum ſcriptorum veteriſſimus Tertullianus *patibulum* vocat; quemadmodum Apuleius, *manum clavo patibulatam*, pro *affixam*, dixit, & Græci ἀνασκολοπίζεσθαι ἀντὶ τοῦ σταυροῦσθαι. Poſtea Crucis poena edicto Conſtantini ſublata, Suſpendium in ejus locum ſucceſſit: & ubicunque Juriſconſulti memineruut *crucis*, *furcam* ſuppoſuit Tribonianus, unde ſequens Græcorum ætas ἀναφουλίζεσθαι dixit. Quia igitur extra portam Metiam ſemper cruces deſtitutæ erant, neque opus erat novo cruciario novam crucem ſtatuere, propterea furcæ tantum deligati per Urbem circumferebantur, & diu ita traducti extra portam cuilibet cruci affigebantur, uti in hiſtoria apud Livium, Valerium Max. Macrobium, Lactantium, & alios. Antonius Maximus quidam diverberatum ſervum ſub furca, medio Circo ad ſupplicium duxerat; h. e. patibulatum ſervum diſpeſſis manibus toto Circo circumlatum, extra portam Metiam in crucem ſuſtulit, qui locus erat crucibus conſitus. Plautus Milite, *Credo ego iſtoc exemplo tibi eſſe eundum actutum extra portam, diſpeſſis manibus patibulum cum habebis.* In provinciis ubi cruces deſtitutæ non erant, ſingulis cruciariis ſuæ cruces imponebantur, ut ſcribit Artemidorus, ſummo tigno arrectario humerum premente, manibus vero diſpeſſis ad tranſverſarium deligatis, reliqua tigni arrectarii, ſive ſtipitis parte terram pone ſulcante, ut in furca ſolebat. Et ita traductus tandem extra urbem ei ipſi cruci, quam patibulatus bajulaverat, in ſolo deſtitutæ defigebatur, binis ad manus clavis, totidem ad pedes trajectis, ut ex Plauto diſcimus; quanquam pictores pingunt cruciarios ternis tantum clavis patibulatos, ne anili fabulæ Euſebianæ de tribus clavis ab Helena Conſtantini matre repertis oppedere videantur. Neque minus inſcite Chriſtum σταυροφόρον pingunt, cum brachia ad ipſum tranſverſum tignum deligata & amplexabunda non pingunt. Quod igitur Magiſter dicit diſcipulo, *ἔκτεινον τὰς χεῖράς σου*, manifeſtum dicere, diſpeſſis manibus patibulum ſive crucem quam geſtabit amplexaturum. Plautus Perſa, *Manus vobis dono.* Et poſt, *Dabo ſub furcis*, i. *ἐκτενεῖς.* Sequitur, *Καὶ ὅπου ὅπου ἂ θέλεις*, circumlationem & traductionem intelligit, ut apud Marcum, *καὶ φέρουσιν αὐτὸν ἐπὶ Γολγοθᾶ τόπον.* Ergo illis verbis *ποίᾳ θανάτῳ* quis dubitaverit ſupplicium quo Petrus damnatus eſt, in quo manus extenduntur, eſſe crucem? Non ergo περίεργον eſt ita judicare, niſi περίεργος fortaſſe fuerit Euangeliſta qui digito ſupplicium crucis deſignavit. Cum igitur veteres Chriſtiani de cruce Petri ex eo loco Johannis recte conjecerint, quod Romæ paſſum ſomniant neſcio unde expiſcati ſint: nam à Chriſti in cœlum receptu ad IV annum Neronis certo certius eſt Petrum Romam non veniſſe. Quia vero legerant apud C. Tacitum & Suetonium ſupplicium de Chriſtianis ſub Nerone ſumptum anno VII circiter Imperii ejus, ariolati ſunt Petrum & Paulum diverſis tamen temporibus ſupplicio affectos: in quo ſane fruſtra ſunt: nam ſemel tantum in Chriſtianos ſævitum fuiſſe innuit Cornelius & Suetonius, & non cruce in eos animadverſum, ſed teda, quod deſtituti ad palum, unco in mentum aut guttur impacto, & pice deſuper ſtillante, uſum luminum nocturnorum præſtiterint: Quod genus crudelitatis tangit Juvenalis,

> *Pone Tigillinum, teda lucebis in illa*
> *Qua ſtantes ardent qui fixo gutture fumant,*
> *Et latus medium ſulcus diduxit arenam.*

Tertius verſus vulgo male legitur. Si igitur tunc damnati ſunt Petrus & Paulus, neque ille gladio, neque ille cruce pericrunt; ſed teda luxerunt in illa: ſed neque Romæ potuit, cum Romæ nunquam fuerit. Sed videtur in provinciali magiſtratu animadverſus, puta cum prædicaret τῇ διασπορᾷ Ἀσίας, cujus metropolis erat Babylon, ex qua ſcribit epiſtolam ſuam. Sciendum Judæis unam religionis καὶ θρησκείας metropolim fuiſſe Hieroſolyma; tres autem πολιτείας metropoles fuiſſe, Hieroſolyma, Babylonem, Alexandriam. Duæ erant διασποραὶ, Aſiana, ad quam ſcribit Petrus; Europæa, cujus mentio Joh. 7. 35. Ita uno nomine vocabantur Judæi inquilini inter paganos & gentes, quod nomen invenitur in Talmud ita ſcriptum... Sed Judæi, Græce & Latine ignari, quid id verbi ſit neſciunt. Aſianæ διασπορᾶς caput erat Babylon, iique Judæi utebantur ututurque adhuc in ſynagogis paraphraſi Chaldaica Onkelos. Ad eos ſcribit Petrus ex ipſa metropoli Babylone. Διασπορᾶς Europææ metropolis erat Alexandria. Ii Judæi habebant templum quaſi quantum Hieroſolymitani, & Græca paraphraſi LXX interpretum utebantur; ob id dicti Ἑλληνισταὶ Act. 6. 1. & 11. 20. quod parum ab omnibus interpretibus animadverſum. Nam Ἑλληνίζειν non eſt *habitare in Gracia*, ut doctiſſimo omnium viſum eſt, ſed *Græca lingua uti.* Tertium genus πολιτείας erant Judæi attributi metropoli Hieroſolymitanæ, ut eodem cap. 6. Ἑβραῖοι diſtinguuntur ab iis qui Ἑλληνισταί· ii paraphraſi Hieroſolymitana quæ hodie exſtat utebantur. Cum igitur Petrus ad περιτομὴν miſſus eſſet, videtur in διασπορᾷ Aſiana periiſſe, ſi conjecturæ locus eſt. Nam de ejus Romam adventu, ſede XXV annorum, & ſupremo capitis ſupplicio ibidem, nemo qui paulo humanior fuerit credere poſſet.

CASAUBONUS.

1. Πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν Κέδρων] Etſi in omnibus libris eſt hæc lectio, quam & Nonnus agnoſcit, tamen videtur D. Hieronymus in locis Hebraicis ubi de *Cedron* agit & hunc locum citat, veram lectionem agnoſcere, quæ eſt τοῦ Κεδρών.

5. Λέγει αὐτοῖς, Ἐγώ εἰμι] Apud Nonnum reſtituendum eſt ex ſequentibus carmen quo hæc expreſſerat.

13. Ὃς ἦν ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου] Quæ his verbis docti viri è Cyrillo exiſtimant eſſe ſubjicienda, ea nec Syrus interpres nec Paraphraſtes agnoſcunt: Et tamen iis omiſſis difficilis admodum videtur conciliatio hujus Euangeliſtæ cum reliquis. Omnino enim videtur poſtulare ſeries orationis ut quæcunque ante verſiculum 24. narrantur, ea intelligantur omnia geſta eſſe apud Annam: Atqui reliqui Euangeliſtæ eadem ita narrant ut apud Caiapham potius geſta videantur. Hoc ἐναντιοφανὲς duplici via ſolvunt docti viri. Vel enim κατὰ πρόληψιν narrata à Johanne eſſe volunt quæ ſunt inter v. 14. & 24. ut quamvis Johannes id non dicat, geſta tamen hæc intelligantur in Caiaphæ ædibus. Vel illa ex Cyrillo inſerenda eſſe cenſent, quæ admiſſa difficultatem omnem tollunt. Atque hæc etſi nobis non improbantur, tamen quia & πρόληψις illa valde φορτικὴ videtur & poſterior ſolutio unius, opinor, Cyrilli nixitur auctoritate, venit aliquando in mentem ſic poſſe fortaſſe Euangeliſtas componi, ut dicamus Annam cum genero ſuo Caiapha vel eaſdem habuiſſe ædes, vel ita ſaltem vicinas ut communem αὐλὴν haberent: αὐλὴ autem eſt quod Latini *veſtibulum* vocant. Nam & αὐλὴ dicitur Græcis quia, inquit Athenæus, ibi ſub dio ηὐλίζοντο & morabantur & exſpectabantur & exſpectabant ſatellites ſuos magnates: & vox Latina ab eadem mente eſt dicta, ut veteres teſtantur. Vide A. Gellium l. 16. c. 5. In ea igitur communi αὐλῇ erant milites, inter quos remanſerat Petrus θερμαινόμενος. Per eam Chriſtus ad Annam primum, deinde per eandem rurſus ad vicinas Caiaphæ ædes eſt deductus; non movente interea ſe Petro, ſed ibidem manente ubi primum Chriſtum abnegaverat: Quare ibidem etiam ſecundum & tertium eundem Chriſtum abnegavit. Hac via ſolvi poſſe arbitror difficillimam quæſtionem quæ multos jampridem valde torſit. Hæc tamen ita in medium proferimus ut nihil affirmemus.

GROTIUS.

1. Ἐξῆλθε, *Egreſſus*] Extra Urbem, cujus portæ etiam noctu patebant alta pace, præſertim feſtis diebus, cum tantæ multitudini locus ad quietem intra Urbem non eſſet. ¶ Πέραν τοῦ χειμάῤῥου, *trans torrentem*] Ad eum locum qua pedibus tranſitur, ut hic Syrus. ¶ Τῶν κέδρων, *cedrorum*] Ita hic Græci omnes codices: nec aliter in Græca verſione II Sam. XV. 23. I Reg. II. 37. Alibi ut II Reg. XXIII. 4. ſine articulo κέδρων [*cedrorum*], ſed ita ut appellativum eſſe appareat, cum alioqui Hebræa nomina ſcribantur cum accentu in ultima. Accedit quod Joſephus belli Judaici ſexto & alibi vallem adſitam κεδρῶνα [*cedronem*], id eſt, *locum cedris conſitum* vocat, quomodo montem Oliveti ἐλαιῶνα [*olivetum*], & ſicut Græci dicunt δαφνῶνα, πλατανῶνα [*daphnona*, *platanona*], & alia ad eam formam; ita ut dubitari non debeat quin cedris

con-

conſiti fuerint margines hujus torrentis. Nec movere quenquam debet quod nonnulli monuerunt Cedros Hebræis dici ארזים [*arazim*]. Multa enim ſunt Cedri ita generaliter dictæ genera, & inter ea unum unde nomen Græcum fluxit ארז [*cedron*], quod exſtat Gen. VI. in Chaldaica verſione: quod Rabbini Nathan & Joſua Karchel extulerunt ארזרון [*cedrona*]. Hebræis ergo dicitur *Torrens Cedri*, Græcis eodem ſignificatu *χείμαρρος τῶν κέδρων* [*torrens cedrorum*], quia in his collectivis ſingulare ſumitur pro plurali, ut vidimus ſupra XV. 16. Solet autem Johannes ubi nomina propria exprimit ad ſignificationem aliquam aut hiſtoriam alludere, ut hic ad eam qua David, typus in pleriſque Chriſti, à filio ſuo bello petitus Urbe migrans eundem torrentem tranſiit, bonis tam indignam ejus calamitatem lacrymantibus, II Sam. XV. 23. Sicut perfidus Achitophel Judæ, ita Abſolomus ingratus & rebellis filius populi Judaici geſſit imaginem. ¶ *Οὗ ἦν κῆπος, ubi erat hortus*] Pars villæ Gethſemani. Vide Matth. XXVI. 36.

2. *Ὅτι πολλάκις συνήχθη ὁ Ἰησοῦς ἐκεῖ, quia frequenter Jeſus convenerat illuc*] Solebat Jeſus ſemper precandi cauſa loca ſola quærere. His vero feſtis diebus ſemper ibi pernoctare ſolitus erat, Luc. XXI. 37. XXII. 39. Oſtendit & hoc facto Chriſtus ſe inimicos non fugere, ſed locum & tempus eligere opportuna Patris ſuoque conſilio. In loco Orationis quam in loco Cœnæ capi maluit, & nocte, ut oſtenderetur hoſtium formido qui die illum aggredi auſi non erant.

3. *Τὴν σπεῖραν, cohortem*] Illam quæ Paſchatis diebus à Præſide dari ſolebat Senatoribus ad ſervandam Urbis & Templi quietem. Vide quæ ad Matth. XXVI. 47. Hujus cohortis Præfectus *χιλίαρχος* [*præpoſitus mille hominibus*] mox vocatur 12. Neque tamen neceſſe eſt totam cohortem adfuiſſe, ſed ejus partem. ¶ *Καὶ ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων ὑπηρέτας, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros*] Ex [*à*], id eſt, *ab ipſis datos. Pontificum* & *Phariſæorum* nomine iterum Senatum deſcribit, quod illi ob privata ſtudia maxime Jeſu adverſarentur. *ὑπηρέται* חזנים [*miniſtri*] de quibus dicto Matthæi loco. Aderat his miniſtris *ὁ στρατηγὸς* [*Prætor templi*], ut ibidem notatum. ¶ *Μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων, cum laternis & facibus*] Oſtendit Euangeliſta quanto ardore Chriſtum quæſierint & metuerint ne eluderetur, qui plena Luna tamen & faces & laternas attulerint, ut omnes latebras perreptarent. ¶ *Καὶ ὅπλων. & armis*] Hoc arguit eam quam modo notavimus formidinem.

4. *Εἰδὼς πάντα τὰ ἐρχόμενα ἐπ' αὐτὸν, ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum*] Et hoc & ſequentia diligenter annotat Euangeliſta ut oſtendat Chriſtum non impotentia ſed voluntate ſuapte in manus veniſſe inimicorum. ¶ *Ἐξελθὼν εἶπεν αὐτοῖς, Τίνα ζητεῖτε; proceſſit & dixit eis, Quem quæritis*]? Ultro prodit & ſe offert. Simile de Eliſæo Joſephus VIII. 2.

5. *Ἀπεκρίθησαν αὐτῷ Ἰησοῦν τὸν Ναζαραῖον. Reſpondérunt ei: Jeſum Nazarenum*] Tanta luce agnoſcere eum non potuerunt, *πατασχέντες ἐν ἀφασίᾳ* [*percuſſi cæcitate*], ut olim Sodomæ cives Gen. XIX. 11. in quo præſagium fuit urbis non diſſimilem in modum perituræ.

6. *Ἐγώ εἰμι, ego ſum*] *Ego is ſum*, ut alibi hanc locutionem expoſuimus. ¶ *Ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ ἔπεσον χαμαί. abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram*] Evenit illis *κατὰ πόδας* [*verbotenus*] quod David adverſus inimicos ſuos à Deo precatur Pſalm. XXXV. 4. *ἀποστραφήτωσαν εἰς τὰ ὀπίσω* [*vertantur retro*], ut ibi habet Græca verſio. Sic & Eſa. XXVIII. 13. *πέσωσιν ὀπίσω* [*cadant retrorſum*]. Videtur autem hic graphice exprimi Jeſu potentia, quaſi ſolo halitu ſuos inimicos diſſlaſſet, quod Deo tribuitur, Job. IV. 19. Vide & Dan. X. 9.

7. *Πάλιν οὖν αὐτοὺς ἐρώτησε, Iterum ergo interrogavit eos*] Cum iſto miraculo moniti nondum reſipiſcerent. Magnæ contumaciæ character.

8. *Εἰ οὖν ἐμὲ ζητεῖτε, ἄφετε τούτους ὑπάγειν. ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire*] Boni Regis ſpecimen, non pro ſe ſed pro ſuis ſolliciti: qua & ipſa in re David ejus typum geſſit, I Par. XXI. 17. Et potentiam ſuam oſtendit, qui hoc quaſi jure ſuo imperat.

9. *Ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὃν εἶπεν, Ut impleretur ſermo, quem dixit*] Hic manifeſtum eſt quod ſæpe diximus, talibus dictorum citationibus appoſitum *ἵνα ἐκβατικὸν* [*ut eventus ſignificativum*], ut & infra XIX. 24. ¶ *Ὅτι οὓς δέδωκάς μοι οὐκ ἀπώλεσα ἐξ αὐτῶν οὐδένα. quia quos dediſti mihi non perdidi ex eis quenquam*] Ἀπώλεσα [*perdidi*] hic ut *ἀπολέσω* [*perdam*] ſupra VI. 39. eſt *ſivi perire*; quomodo ſæpe interpretanda ſunt ea quæ habent formam Hiphil apud Hebræos, qua forma hic Syrus utitur: nam verba quæ hic reperuntur ſupra ſic habent, *καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώλετο* [*& nemo ex eis periit*], XVII. 12. Voluit Chriſtus, ut ibi diximus, ſingulari quadam cura præſtare, ne duodenario teſtium ſuorum numero præter unum impuriſſimum quiſquam ſubduceretur: ut cæteri omnes acciperent promiſſum Spiritum & munus ſuum cum fructu auſpicarentur, viderentque incrementa Regni Meſſiæ.

10. *Ἔχων μάχαιραν, habens gladium*] Pro more peregrinantium in iis locis. Diximus ad Luc. XXII. 38. Cætera vide ad Matthæum. ¶ *Ἦν δὲ ὄνομα τῷ δούλῳ Μάλχος. erat autem nomen ſervo Malchus*] Nomen frequens apud Syros: quomodo & patrio ſermone vocabatur Philoſophus is qui ſe Græce *Porphyrium* dixit. Etiam Arabes uſurparunt, ut apud Joſephum apparet.

11. *Εἰς τὴν θήκην. in vaginam*] Vide ad Matthæum. ¶ *Τὸ ποτήριον ὃ δέδωκέ μοι ὁ πατὴρ, calicem quem dedit mihi Pater*] Vide de hac locutione ad Matthæum XX. 22. ¶ *Οὐ μὴ πίω αὐτό; non bibam illum*]? Vin' tu prohibere quo minus impleam quod Patri placet? Vide locum non diſſimilem Matth. XVI. 23.

12. *Καὶ ὁ χιλίαρχος, & Tribunus*] Vertas optime *Præfectus cohortis*: ita enim Latini vocant quem Græci Latinæ hiſtoriæ Scriptores *χιλίαρχον* [*præpoſitum mille hominibus*], ut & Lucas in Actis ſæpius. *Tribunus* vero plerunque eſt qui toti legioni præeſt. Erant & inter Judæos *χιλίαρχοι* [*præpoſiti mille hominibus*], Num. XXXI. 14. & ſeq. I Sam. XVIII. 13. I Par. XII. 20. Sed hic de eo agitur qui Romanam cohortem ducebat. Ideo appoſite ſequitur *καὶ οἱ ὑπηρέται τῶν Ἰουδαίων* [*& miniſtri Judæorum*]. ¶ *Καὶ ἔδησαν αὐτόν. & ligaverunt eum*] Ab Juda moniti ut cum magna circumſpectione eum ducerent, quod ſolitus eſſet interdum è turba inconſpicuus elabi. Vide Marc. XIV. 44.

13. *Καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν πρὸς Ἄνναν πρῶτον· Et adduxerunt eum ad Annam primum*] Quod ejus domus in proximo eſſet, & quia is magnæ erat apud generum Cajapham auctoritatis, ex ipſo diſcere voluerunt quonam & quomodo ducendus eſſet Jeſus. Vide quæ infra dicemus 24. ¶ *Ἦν γὰρ πενθερὸς τοῦ Καϊάφα, erat enim ſocer Cajaphæ*] Provectior ætate, affinitate junctus, & cujus gratia Cajaphas Pontificatum acceperat. ¶ *Ὃς ἦν ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου. qui erat Pontifex anni illius*] Quare quoties infra *ἀρχιερεὺς* [*Pontifex*] ſimpliciter dicitur, Cajaphas eſt intelligendus, ut & apud Matthæum alioſque Scriptores. Cur additum ſit *ejus anni*, dictum ſupra XI. 49. Et cum modo dixiſſet *primum ductum ad Annam*, tacite ſatis indicavit inde ductum ad Cajapham. Quod cum quidam deeſſe putarent textui addiderunt, ut ex Cyrillo diſcimus, contra omnes qui nunc exſtant codices & interpretes. Adde quod ſatis hoc dictum intelligitur infra 15. Tum vero codex quo uſus eſt Cyrillus alia quoque habebat afficta, ut infra XIX. 30.

14. *Ἦν δὲ Καϊάφας ὁ συμβουλεύσας, Erat autem Cajaphas qui conſilium dederat*] In memoriam reducit dictum hujus Cajaphæ memoratum capite XI. ut inde intelligatur quanto ille odio in Chriſtum incenſus fuerit, ut qui nulla alia prolata cauſa, prætextu utilitatis publicæ, & quidem imaginario, interficiendum eum pro ſententia auſus eſſet dicere. Pertinet autem hoc ad elevandam judicii in Chriſtum habiti auctoritatem.

15. *Καὶ ὁ ἄλλος μαθητής. Et alius diſcipulus*] Certum eſt & in aliis & in his libris ſæpe abundare articulum, quem ſenſum & hic ſecutus eſt Syrus, vertens, *Unus ex diſcipulis alius*. Et ſane non eſt probabile aut ipſum Johannem hic intelligi (cur enim Galilæus cum eſſet minus interrogaretur ab adſtantibus quam Petrus?) aut aliquem ex Duodecim, ſed alium quendam Hieroſolymitanum, non æque manifeſtum fautorem Jeſu: quales multi erant in Urbe, ut ſupra didicimus XII. 42. Valde mihi ſe probat conjectura exiſtimantium hunc eſſe eum in cujus domo Chriſtus cœnaverat, ob id quod legitur Matth. XXVI. 18. ¶ *Ἦν γνωστὸς τῷ ἀρχιερεῖ, erat notus Pontifici*] Quippe civis ejus urbis, non Galilæus.

16. *Τῇ θυρωρῷ, oſtiaria*] Mos erat Hebræis etiam feminis uti janitricibus: II Sam. IV. 6. in Græco *ἡ θυρωρὸς τοῦ οἴκου ἐκάθαιρε τυρούς* [*oſtiaria domum purgans triticum*]. ¶ *Καὶ εἰσήγαγε τὸν Πέτρον. & introduxit Petrum*] Ipſa janitrix. Eſt enim ſenſus conciſus. Dixit ille janitrici ut intrare pateretur Petrum; quod illa fecit.

17. *Μὴ καὶ σὺ, Nonne & tu*] Affirmantis apud Hebræos. Vide quæ apud Matthæum.

18. *Οἱ δοῦλοι, ſervi*] *Privata domus ſervitia.* ¶ *Καὶ οἱ ὑπηρέται, & miniſtri*] Miniſtri publici. ¶ *Ἀνθρακιὰν πεποιηκότες,*

κότες, *cum feciſſent ſtruem carbonum*] *Struem carbonum ad excitandum ignem luculentum.* Vide Marcum. ¶ Ψῦχος ἦν, *frigus erat*] Ut nocte primi veris. ¶ Ἑστὼς, *ſtans*] Interdum ſtans, interdum ſedens, incertus quid ageret, quem habitum præferret.

19. Περὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, *de diſcipulis ſuis*] Cur diſcipulos colligeret, & nominatim duodecim primæ admiſſionis. ¶ Καὶ περὶ τῆς διδαχῆς αὐτοῦ. *& de doctrina ejus*] Quænam ea eſſet; tacite indicans eſſe factioſam & ſeditioſam.

20. Ἐγὼ παῤῥησίᾳ ἐλάλησα τῷ κόσμῳ· *Ego palam locutus ſum mundo*] Παῤῥησίᾳ eſt *palam*, ut ſupra aliquoties. *Palam*, inquit, *coram omnibus qui audire vellent docui*: quod non faciunt ſeditionum concitatores. ¶ Πάντοτε ἐδίδαξα, *ſemper docui*] Quoties ulla ſe dedit occaſio. ¶ Οπου πάντες οἱ Ἰουδαῖοι, *quo omnes Judæi*] Vulgo & hic eſt πάντοτε [*ſemper*], repetitum, ni fallor, ex loco ſuperiore. At πάντες [*omnes*] legerunt Syrus, Arabs, Latinus. ¶ Καὶ ἐν κρυπτῷ ἐλάλησα οὐδέν. *& in occulto locutus ſum nihil*] Ideſt, nihil ſtudui celare: non aliud domi docui quam in publico: quod ſignum eſt magnæ fiduciæ.

21. Τί με ἐπερωτᾷς; *Quid me interrogas*]? Quaſi dicat, Jam Synagoga moviſtis qui mihi credunt, jam me decreviſtis capiendum, & nondum inquiſiviſtis in mea dogmata, ſed nunc demum ex me ea vultis diſcere? Quis hic mos agendi? ¶ Ἐπερώτησον τοὺς ἀκηκοότας, *interroga eos qui audierunt*] Hoc jubet Lex, à teſtibus incipi; præſertim ubi multi ſuppetunt, ut hic. Audierant eum toties Phariſæi. ¶ Ἴδε, οὗτοι οἴδασιν ἃ εἶπον ἐγώ. *Ecce hi ſciunt quæ dixerim ego*] Ipſi veſtri ſatellites ſatis norunt qualia docuerim; ſcitis quid vobis retulerint. Vide VII. 46.

22. Εἷς τῶν ὑπηρετῶν, *unus miniſtrorum*] Metuens ne & ipſe pro ſautore rei haberetur. ¶ Ῥάπισμα, *alapam*] Vide quæ ad Matth. XXVI. 67. *Percuſſit ſuper maxillam* Syrus hic. Sic ſolent facere qui tyrannis adulantur. Vide hiſtoriam 1 Reg. XXII. 24. ubi eſt ſimiliter in Hebræo *Percuſſit ſuper maxillam*: ῥαπισθεὶς [*alapis cæſus*] ait eo loco Joſephus. ¶ Οὕτως ἀποκρίνῃ τῷ ἀρχιερεῖ; *Sic reſpondens Pontifici*]? Ut ille Actor. XXIII. 4. qui Paulo dicebat, Τὸν ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ λοιδορεῖς; [*Pontificem Dei maledicis*]? Debetur quidem Magiſtratibus reverentia, ſed non quæ reis ſe tuendi libertatem tollat.

23. Εἰ κακῶς ἐλάλησα, *Si maledixi*] Si quid dixi contumelioſius in Pontificem. Sic ὃν ἐρεῖς κακῶς [*non maledices*] Actor. XXIII. 5. ut & in Græco Exodi XXII. 28. ¶ Μαρτύρησον περὶ τοῦ κακοῦ· *teſtimonium perhibe de malo*] Oſtende me in legem illam Exodi peccaſſe. Μαρτυρεῖν [*teſtimonium perhibere*] eſt *palam dicere*, ut ſupra XIII. 21. Fidenter hoc dicere poterat Dominus qui defendit ſe quidem, quod licebat & decebat, ſed λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει, πάσχων οὐκ ἠπείλει [*cum malediceretur non remaledicebat, cum pateretur non comminabatur*]. ¶ Εἰ δὲ καλῶς, τί με δέρεις; *ſi autem bene, quid me cædis*]? Qui in æquorum Judicum ſunt poteſtate, iidem & in eorum tutela ſunt contra vim omnem extra judicium, & à miniſtris Judicum in hoc defendi, non violari debent. Et quæ mox ſequuntur de Pilati cognitione tacite oſtendunt, ut & Acta Apoſtolorum ſæpe, Romanos Judæis fuiſſe æquiores, ac proinde juſto Dei judicio accidiſſe ut Romanis parerent.

24. Ἀπέστειλεν αὐτὸν, *Miſit ipſum*,] ſive *miſerat*. Οὖν [*ergo*] abeſt à pleriſque codicibus, & rectius, ut opinor. Sed ut nodum ſolvas qui hic necti ſolet, ἀπέστειλεν verte *miſerat*, ut ἔδησεν Matth. XIV. 3. *vinxerat*: ubi & alia attulimus exempla. Sic ἐκράτησε [*tenuerat*] Marci VI. 17. Sic & paulo infra ὃ ἀπέκοψε ὁ Πέτρος τὸ ὠτίον, ubi Latinus recte, *cujus abſciderat Petrus auriculam*. Cur autem hoc quod ante ſuo loco omiſerat Johannes hic inſerverit, ita demum intelligemus, ſi accentum ἐμφάσεως [*efficaciæ*] indicem poſuerimus non in voce ἀπέστειλεν [*miſerat*] ſed in voce δεδεμένον [*vinctum*]. Narraturus enim Johannes ſecundum Petri lapſum, cauſam præmittit, quod Petrus jam Jeſum videret manere vinctum: quod Johannes obiter notat factum fuiſſe ipſius Annæ juſſu, gravi in reum præjudicio, eum ante id tempus ſatellitum imprudentiæ id potuiſſet adſcribi. Hoc igitur Petro omnem ſpem æquæ cognitionis ademit.

25. Ἑστὼς, *ſtans*] Vide quæ ſupra 18.

26. Οὐκ ἐγώ σε εἶδον ἐν τῷ κήπῳ, *Nonne ego te vidi in horto*] Ut modo ſecundi ita nunc tertii lapſus cauſa affertur, quod valde ſentiret ſe premi memoratione horti, & metueret ne violatæ poteſtatis reus ageretur.

28. Ἄγουσιν, *Adducunt*] Imperſonaliter, id eſt, *ducitur Jeſus*. Circumducitur per multa tribunalia, quo magis innocentia ejus innoteſcat. ¶ Ἀπὸ τοῦ Καϊάφα, *à Caipha*] Ab ejus ædibus. Sic Marci V. 35. ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου [*ab Archiſynagogo*]. Vide ſupra XV. 26. ¶ Εἰς τὸ πραιτώριον. *in prætorium*] Vide Matthæi XXVII. 27. ¶ Ἦν δὲ πρωΐα· *erat autem mane*] Ne hoc quidem fruſtra additum. Oſtenditur enim ſumma Senatorum feſtinatio. Judicari ſolebat poſt nonam. Ante id tempus volebant peragi judicium, ne imminente Sabbato aliquid accideret quo reus elaberetur. ¶ Οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον ἵνα μὴ μιανθῶσι, *non introierunt in prætorium ut non contaminarentur*] Cum non poſſent omne cum alienigenis colloquium vitare, ita rem temperaverant, ut diebus ſacris & præparatoriis ad ſacra, eos privatim accedere non liceret, ſed publice, ſi quod urgeret negotium, alloqui eos poſſent. Petrus quoque in Actis Apoſtolicis à Cornelio miſſus primum pro foribus alloquitur, nec in ædes introducit niſi cognito eos eſſe de quibus a Deo erat prænonitus, Actor. X. 21, 22, 23. Alii vero exiſtimant ideo Judæos prætorium non ingreſſos ne damnationis participes viderentur: nam ſtatim à damnatione ſacris veſci non licebat, ut notatum Maimonidæ. ¶ Ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα. *ſed ut manducarent Paſcha*] Scilicet impolluti, ſalva religione; & nota τὸ πάσχα [*Paſcha*] ad ea quæ diximus Matth. XXVI. 2, & 17.

29. Ἐξῆλθεν οὖν ὁ Πιλάτος πρὸς αὐτοὺς, *Exivit ergo Pilatus ad eos foras*] Non tam ſuperſtitioſus ut illi, ſed æqui obſervantior, & hoc melior. Omnia enim hæc ſuum habent momentum. Exiit autem in ſtadium ubi tribunal ponere ſolebat. ¶ Τίνα κατηγορίαν φέρετε, *quam accuſationem affertis*] Κατηγορίαν [*accuſationem*] vocat *crimen*. *Quod crimen affertis* quod vos alieno tempore huc adigit?

30. Εἰ μὴ ἦν οὗτος κακοποιὸς, οὐκ ἄν σοι παρεδώκαμεν αὐτόν. *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum*] Vide iniquitatem. Quod probationibus deerat, id ſuppleri volunt ſua auctoritate. Simul, ut credibile eſt, aliqua attulerunt de Sabbato, & ſimilia.

31. Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνετε αὐτόν. *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum*] Loro cædite: nam hucuſque poteſtas illis ſalva permanſerat poſt Judæam in provinciam redactam. Vide Matth. X. 17. II Corinth. XI. 24. ¶ Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀνελεῖν οὐδένα. *nobis non licet interficere quenquam*] Tacite innuunt Jeſum tantorum criminum teneri ut omnino morte luenda ſint: Id autem non erat ipſorum poteſtatis. Nam ſi qui aliquando à Judæis ſunt interfecti, id factum eſt motu populari, quanquam interdum præjudicium quoddam præceſſerat Senatus eos reos declarantis. Vide quæ ad Matth. V. 22.

32. Ἵνα, *Ut*] *Ita factum eſt ut impleretur quod Jeſus dixerat.* ¶ Σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν. *ſignificans qua morte eſſet moriturus*] Non ſeditione populari, ſed (quod pejus erat) ſententia hominis Gentilis quem ipſi abominabantur, ſed ſententia à Judæis extorta. Vide Matth. XX. 19. & XXVI. 45. Ipſum ſupplicii genus quo ſe afficiendum Chriſtus indicaverat ſupra III. 14. XII. 32. Romanum non Judaicum.

33. Εἰσῆλθεν οὖν εἰς τὸ πραιτώριον πάλιν, *Introivit ergo in prætorium iterum*] Πάλιν [*iterum*] hic non ad actum intrandi refertur (is enim repetitus non eſt) ſed ad locum ubi fuerat antequam exiret. Simile loquendi genus habuimus ſupra VI. 15. X. 17. Syrus, quod abundaret hæc particula, eam omiſit. Intravit autem in prætorium Pilatus ut reum liberius interrogaret. ¶ Σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; *tu es Rex Judæorum*?] Nam delegati à Synedrio hoc præcipue crimine eum oneraverant: quod alii Euangeliſtæ narrant. *Tune*, inquit, *es Rex ille quem Judæi jamprudem venturum ſibi pollicentur? aut eum te eſſe prædicas?*

34. Ἀφ' ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις, ἢ ἄλλοι σοι εἶπον περὶ ἐμοῦ; *A teipſo hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me*?] Tot jam annis Præſidem agis, & Imperii Romani majeſtatem non negligenter tutaris, compertumne tibi eſt aliquid quod me Imperii turbati ſuſpectum faceret? Quod ſi tibi nihil tale compertum eſt, ſed alii hoc ſuggeſſerunt, vide ne vocis ambiguo fallaris. Ita prudenter ex Præſide id vult elicere quod ipſi ad ulteriorem reſponſionem viam paret.

35. Μήτι ἐγὼ Ἰουδαῖός εἰμι; *Numquid ego Judæus ſum*?] Egone ſcire poſſum quid Judæi ex ſuis libris ſperent, aut ſibi promittant? ¶ Τὸ ἔθνος τὸ σὸν, *gens tua*] *Populares tui*, ut hic Syrus. ¶ Καὶ οἱ ἀρχιερεῖς παρέδοσάν σε ἐμοί. *& Pontifices tradiderunt te mihi*] Expoſitio ejus quod præceſſerat, *Imo ipſi Pontifices*, proceres populi, iſtarum rerum intelligentes, *te huc adduxerunt* à ſe præjudicatum. ¶ Τί

Digitized by Google

ἐποίησας; *quid feciſti?*] Quo facto eos tam graviter offendiſti? Hoc quoque Chriſto occaſionem dat reſpondendi.

36. Ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου· *Regnum meum non eſt de hoc mundo*] *Regnum* à Prophetis promiſſum, *quod mihi vindico*, ſtatum Imperii Romani non tædit; *non eſt enim indolis mundana*: quo ferme ſenſu illa locutio ἐκ τοῦ κόσμου [*de mundo*] & ſupra uſurpata eſt VIII. 23. XV. 19. Hoc intereſt, quod ibi de moribus vitioſis mundi agitur, hic de poteſtate illa qua ubique utuntur qui Reges appellantur ſenſu vulgari. Idem mox dicit ἐντεῦθεν [*hinc*]. Narrantur apud Euſebium Jeſu cognati rogati de ipſius Regno reſpondiſſe Domitiano, ὡς ἡ αὐτοῦ βασιλεία οὐ κοσμικὴ μὲν οὐδ' ἐπίγειος, ἐπουράνιος δὲ καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνει [*regnum ipſius non eſſe mundanum aut terreſtre, ſed cæleſte & angelicum*]. ¶ Οἱ ὑπηρέται ἂν οἱ ἐμοὶ ἠγωνίζοντο, *miniſtri mei utique decertaſſent*] Si tale Regnum affectarem, quale cavere ad te pertinet, collegiſſem mihi ſtipatores armatos, ut ſolent qui talia conantur. Nunc paucos habui diſcipulos, & pleroſque inermes; quid ad tantam vim inimicorum? & hos ipſos pugnare vetui. ¶ Ἵνα μὴ παραδοθῶ τοῖς Ἰουδαίοις· *ut non traderer Judæis*] Hortatus eſſem meos, ut Imperatores ſolent, ut pro me fortiter dimicarent, ne in poteſtatem venirem inimicorum: quo ſenſu παραδοῦναι [*tradere*] uſurpatur Matth. IV. 12.

37. Οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ; *Ergo Rex es tu?*] מן Syrus, id eſt, *ergo*. Quandoquidem diſtinguis de Regno, aliquod ergo Regnum tibi vindicas? ¶ Σὺ λέγεις, *Tu dicis*] *Recte dicis*: Hebraiſmus. Rex ſum certo ſenſu. Interrogatio Pilati tacite hoc ponebat. Noluit Chriſtus ſimpliciter à ſe abdicare Regis titulum, ne videretur præclara illa de venturo Rege vaticinia à ſe alienare. Hæc eſt illa καλὴ ὁμολογία [*bona confeſſio*], 1 Timoth. VI. 13. ¶ Ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι, *ego in hoc natus ſum*] Solent qui regnum ſibi vindicant dicere ſe cum eo jure natos: Chriſtus quoque ſe oſtendit natum in hoc ut regnaret, Lucæ I. 32. ¶ Καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, *& ad hoc veni in mundum*] *In hoc me oſtendi & notum feci hominibus*, ſupra III. 17, 19. IX. 39. XI. 27. ¶ Ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ. *ut teſtimonium perhibeam veritati*] Subaudi, *& in hoc ipſo ſitum eſt Regnum meum*: non eſt coactivum, ſed perſuaſivum. De locutione vide v. 33. ¶ Πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας, *omnis qui eſt ex veritate*] *Qui ingenio ſunt veri amante.* Sic Roman. II. 8. τοῖς ἐξ ἐριθείας, [*iis qui ſunt ex contentione*] *his qui ingenio ſunt contentioſo.* Vide & ſupra VIII. 47. ¶ Ἀκούει μου τῆς φωνῆς. *audit vocem meam*] Hi mihi tanquam Regi ſuæ ſponte, vi nulla coacti, obediunt. Vide ſupra X. Ex contrario dat intelligi homines falſi amantes (quales erant Judæi, ſupra VIII. 49.) alieno à ſe eſſe animo; neque mirum ſi à talibus accuſetur, cum veritas apud tales odium pariat.

38. Λέγει αὐτῷ ὁ Πιλάτος, Τί ἐστιν ἀλήθεια; *Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas?*] Ex Jeſu reſponſo Pilatus concepit Regnum quod Jeſus ſibi tribueret non magis Imperio Romano obeſſe quam id quod Stoici Sapienti ſuo tribuunt. Obiter autem quærit, cujus generis ſit illa veritas cujus ſe Magiſtrum profitetur; ſed ita ut non inſtet, quaſi de re ad Judicis officium nihil pertinente. ¶ Πρὸς τοὺς Ἰουδαίους, *ad Judæos*] Ad Pontifices, adſtante corona populi. ¶ Ἐγὼ οὐδεμίαν αἰτίαν εὑρίσκω ἐν αὐτῷ. *ego nullam invenio in eo cauſam*] Αἰτία [*cauſa*] hic, ut ſæpe apud Græcos, eſt *crimen*. Sic & infra XIX. 4, & 6. Sic αἰτία θανάτου [*cauſa mortis*] Actorum XIII. 28. *crimen capitale*. Senſus eſt ferme ſimilis ei qui Gallioni tribuitur Act. XVIII. 15. Video quidem aliquid eſſe inter vos controverſiæ, ſed ejus generis quæ in diſputationibus verſetur, quæ non ſit forenſis cognitionis: non eſt hic ἀδίκημα ἢ ῥᾳδιούργημα [*injuſtitia aut falſimonia*].

39. Ἔστι δὲ συνήθεια ὑμῖν, *Eſt autem conſuetudo vobis*] *Conſuetudo in veſtri gratiam introducta.* Vide quæ ad Matthæum. ¶ Τὸν βασιλέα τῶν Ἰουδαίων; *Regem Judæorum?*] Contemtim; quaſi dicat, Si qui veſtrum tales homines regio titulo dignantur, nos Romani id non curamus: nihil ad nos id pertinet: permittimus vobis hæc ſomnia.

40. Λῃστής. *latro*] Id eſt φονεὺς [*homicida*], ut Act. III. 14. caput cruentæ ſeditionis.

CAP. XIX.

VALLA.

12. ET *exinde quærebat Pilatus dimittere eum*] Melius hic dicitur *exinde* quam ſuperius 6. 66. *ex hoc*, cum idem ſit verbum Græce, ἐκ τούτου.

13. *In loco qui dicitur Lithoſtratus*] Melius in quibuſdam cod. legitur per *o*, *Lathoſtratos*, Λαθόστρατος.

34. *Sed unus militum lancea latus ejus aperuit*] Videtur Interpres deceptus ſimilitudine dictionum, quia *aperuit* diceret Græce ἤνοιξε at nunc dicitur ἔνυξε, quod eſt *pupugit* ſive, ut quidam loquuntur, *punxit*: quod convenit cum illo v. 37. *Videbunt in quem compunxerunt.* Sive *latus ejus fodit.*

REVIUS in VALLAM.

13. IN *loco*] Poſtpoſitus erat verſui 34.

ERASMUS.

3. ET *dicebant, Ave*] In Latinis cod. adduntur hæc, *Et veniebant ad eum, & dicebant Ave.* Id in Græcis non eſt; nec video qui congruat, ni forte alii percutiebant, alii ſalutabant.

12. *Et exinde*] Ex τούτου *ex eo*, ut ſubaudias *tempore.*

13. *Lathoſtratus*] Λιθόστρωτος Græce ſonat q. d. *lapide ſtratus*: atque ita legitur in vetuſtis exempl. Latinis, *lithoſtrotos.* Quanquam admodum invitus in hujuſcemodi nugis facio jacturam temporis, tamen operæ pretium eſt audire quam belle Græcam vocem λιθόστρωτος interpretentur duo magni nominis ſcriptores, Nicolaus Lyranus, & Hugo Carrenſis. Nam prior ille, LICHOSTRATUS, inquit, *Græcum eſt verbum, & dicitur à* LICHOS *Lapis, &* STRATUS, *quod eſt Pavimentum, ſive Stratura.* Poſterior autem, LICHOSTRATUS, inquit, *Græce eſt Judicium, ſive Judiciale.* Obſecro te, candide lector, quid efficient ii qui quicquid habent eruditionis ex hujuſmodi ſcriptoribus hauriunt, ex Dictionariis, ex Summulis, undecunque jam plus decies congeſtis ac refuſis, idque ab iis qui ſi quid forte nacti fuerint eruditum in bonis autoribus, aut prætermittunt quia non intelligunt, aut, ſi attigerint, contrectatione conſpurcant & contaminant: Nihil autem tam fortunatum quod iſti non reddant aliquo pacto deterius. Et horum nænias velut oracula legimus, in his conſeneſcimus: Proinde tales evadimus ipſi quales ſunt ii in quorum ſcriptis aſſidue verſamur. Cæterum ut ad rem redeam, Λίθας *lithos*, non *lichos*, Græcis *lapis* eſt, & στρωννύω *ſterno*: inde στρωτὸν dicitur *quod quocunque modo ſtratum eſt*, & στρῶμα *quod ſternitur.* In codice Aureo *Lithoſtratus* recte ſcriptum erat, quemadmodum & in Conſtantienſi. Cæterum GABBATA *locum editum* ſonat Hebræis. Unde apparet locum fuiſſe editiorem accommodum judicio.

15. *Non habemus Regem niſi Cæſarem*] *Cæſar* hoc loco ſignificat *Imperatorem Romanum.* Nam id cognominis etiamſi non fuit ortum à Julio, tamen ab hoc Imperii Uſurpatore in Succeſſores tyrannidis ejus derivatum eſt. Porro quod *Regem* vocat, non *Imperatorem*, h. e. βασιλέα, non αὐτοκράτορα, ſciendum eſt, Græcis & Imperatorem Romanum dici βασιλέα.

17. *Et bajulans ſibi crucem*] Græci legunt *crucem ſuam* τὸν σταυρὸν αὐτοῦ. Hoc tametſi ad ſenſum nihil intereſt, tamen admonitum volui lectorem, ne continuo radat.

19. *Et titulum Pilatus*] Evangeliſta Latina voce uſus eſt, τίτλον, ut ſupra in *linteo* & *prætorio.* Matthæus vocavit αἰτίαν. Dicere poterat ἐπιγραφὴν *inſcriptionem*, quemadmodum dixit Lucas.

27. *In ſuam*] Εἰς τὰ ἴδια *in ſua*, concordantibus & antiquiſſ. voluminibus; h. e. *in ſuum jus.* Sic etiam interpretatur Ambroſius in libello ad Virginem.

29. *Vas aceto plenum*] Cum Græce ſit σκεῦος, tamen Hilarius locum hunc adducens Commentario in Pſal. 68. legit, pro *vas*, *concha*, veluti vaſis genus exprimens.

30. *Tradidit ſpiritum*] Cyrillus hic ſubjicit & interpretatur de *velo Templi ſciſſo*; quod nec in Latinis cod. nec in Græcis additum comperitur: & tamen ille huic particulæ proprium caput tribuit, ne quis caſu factum exiſtimet.

34. *Lancea latus ejus aperuit*] Ἔνυξε *fodit*, ſive *pupugit*. Interpres legiſſe videtur ἤνοιξε, quod ſignificat *aperuit*. Mirum unde nata ſit fabula quæ jactat de perfoſſo Chriſti latere Matthæum diverſa ſcripſiſſe, videlicet Domini latus lancea fuiſſe perfoſſum antequam emitteret ſpiritum, cum Johannes id factum narret poſteaquam exſpirallet. Atqui cum ea lectio nuſquam reperiatur apud Matthæum nec in libris Græcorum nec in libris Latinorum, nec hujuſce rei quiſquam ullam omnino faciat mentionem ex tam multis qui loca apud Euangeliſtas diſſonantiæ ſpeciem habentia conati ſunt in concordiam redigere, veriſimile eſt hoc eſſe commentum Gloſſographorum, quos ipſa res docet non minus impudentes fuiſſe quam indoctos. Quemadmodum in Pandectas, cum nihil haberent quod adferrent de Diomedis & Glauci permutatione, * ridiculam ex ſe fabulam confinxere. Ita qui Gloſſemata ſcripſit in primam Clementinarum, non intelligens cauſam cur Clemens v. aut Johannes xxii, qui Clementinas edidit, pronunciarit Johannem Euangeliſtam dum narrat Chriſto exanimi latus fuiſſe perfoſſum, rectum tenuiſſe narrationis ordinem, affinxit apud Matthæum in quibuſdam exemplaribus contrarium legi, & addit eum locum à Johanne Pontifice ſublatum fuiſſe ex Euangelio Matthæi. Atqui complura ſunt loca in quibus videtur Euangeliſtarum ſermo inter ſe pugnare, nec hujuſmodi ſcrupulis medemur raſuris aut aſſumentis, ſed expoſitione. Ex ejus Clementinæ fragmentis probabilius colligi poteſt, fuiſſe Doctores ſcholaſticos qui ſenſerint Johannem poſterius narraſſe quod prius erat factum: Siquidem ante narravit quod *Jeſus poſt guſtatum acetum inclinato capite tradiderit ſpiritum*, dein proſequitur quomodo ad maturandam mortem damnatorum fregerint crura duobus latronibus; mox acceſſerunt ad Jeſum idem facturi ni comperiſſent eum jam eſſe mortuum: *Non fregerunt*, inquit, *ejus crura: ſed unus militum lancea percuſſit latus ejus*. Hoc illi ſic videntur accepiſſe quaſi miles ille vivo Domino latus aperuerit antequam latronibus frangerentur crura, quaſique Dominus ex eo vulnere fuerit mortuus, ut non fuerit opus frangere crura. Græcum verbum eſt ἔνυξε indefiniti temporis, quod ſi quis vertat *pupugerat*, haberetur ſenſus quem illi volebant. Verum eam opinionem damnat hæc Clementina ſcribens Scholæ Bononienſi, declaranſque accipiendam rem eo geſtam ordine quo narrat Euangeliſta. Quod autem miles lancea pupugit latus Jeſu, non erat crudelitatis, ſed explorantis an certa mors eſſet. quemadmodum in hoſtium ſtrage ſi dubitatur an qui jacet exanimi ſimilis adhuc ſpiret, pugione percutiunt pedem aut tibiam; ad eum ictum commovet ſeſe qui nondum eſt plane mortuus. Horum nihil caſu geſtum eſt, ſed omnia Numinis providentia, ne quis jactaret Chriſtum non fuiſſe vere mortuum. Illud leviculum, quod ſermo Græcus anceps eſt; eo quod αὐτῷ ad *lanceam* referri poteſt, *lancea ſua percuſſit latus*. Interpres vertit αὐτῷ τὴν πλευρὰν *latus ejus*, ut αὐτῷ *Chriſtum* notet. Nulla eſſet ambiguitas ſi ſervaretur differentia quam Grammatici tradunt inter αὐτοῦ prima aſpirata & αὐτῷ prima tenui.

35. *Et ille ſcit quia vera dicit*] Senſus anceps eſt etiam Græcis, utrum Chriſtus ſciat quod Euangeliſta vera narrat, an ipſe Johannes ſibi conſcius ſit quod vera loquatur. Loquitur enim de ſe veluti de tertia perſona.

37. *Videbunt in quem transfixerunt*] Eſt apud Zachariam 12. 10. Juxta editionem LXX legitur ad hunc modum, *Et aſpicient ad me, pro eo quod inſultaverunt*, καὶ βλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν ὠρχήσαντο. Hebraica veritas ſic habet, interprete Hieronymo, *Et aſpicient ad me quem confixerunt*. D. Hieronymus indicat LXX lapſos ſimilitudine elementi: nam ſi legatur דקרו ſonat ἐξεκέντησαν *compunxerunt*: ſin autem contrario ordine literis commutatis רקדו, ſonat ὠρχήσαντο *ſaltaverunt*. Itaque Johannes neque magnopere reſpexit quid vertiſſent LXX, & ex Hebræo ſenſum magis curavit appendere quam annumerare verba. Citat hunc locum idem Hieronymus in libello ad Pammachium De optimo genere interpretandi.

40. *Et ligaverunt eum*] Αὐτὸ *illud*, nempe corpus. Atque ita legit Auguſtinus.

VATABLUS.

1. F*Lagellavit*] Romanorum more factum, qui agendum in crucem flagris prius cædebant. ¶ *Circumdederunt*] i. Induerunt.

4. *Exivit* *] * *Ergo*, Vet. ¶ *Adduco*] *Adduxi*: præſ. pro præt.

5. *Jeſus* *] * *Foras*, Vet.

6. *Pontifices*] *Summi Sacerdotes.*

7. *Legem* *] * *Noſtram*, Vet.

11. *Majus peccatum habet*] Vel, *Majori peccato tenetur.*

12. *Exinde*] *Ex eo:* ſub. *tempore.* ¶ *Dimittis non es*] *Dimiſeris non eris:* præſ. pro fut.

13. *Lithoſtrotos*] Sic ſcribitur in vetere exemplari. Sic dictus eſt locus ille quia Tribunalia ſolebant ab humo excitari altius lapidibus quadratis. ¶ *Gabbatha*] Chaldææ formæ eſt vox: ſignificat autem *altum* & *editum*, ſub. *locum.*

14. *Quaſi ſexta*] i. Sub meridiem.

15. *Cæſarem*] In hoc loco *Cæſar* ſignificat Imperatorem Romanum.

16. *Eduxerunt* *] * *Eum*, Vet.

17. *Bajulans* *] * *Suam*, Vet. ¶ *Golgotha*] Vide Matt. 27. 33.

23. *Eum*] *Jeſum.* ¶ *Deſuper contexta per totum*] *A ſummis:* vel, *a ſumma parte continuo textu*, vel, *continua textura per totum contexta.*

24. *In*] *Super.*

25. *Cleophæ*] *Cleopæ*, Vet. ſub. *uxor.*

26. *Stantem*] *Aſtantem*, Vet.

27. *In ſuam*] *Suæ*, Vet. i. In ſuum jus, vel, in ſuas ædes.

28. *Poſtea ſciens*] Vel, *Cum cognoviſſet:* ſic quædam exemplaria Græca. ¶ *Omnia* *] * *Jam*, Vet. ¶ *Sint*] *Eſſent.*

29. *Plenam*] *Impletam.*

34. *Aperuit*] *Pupugit*, *fodit.*

37. *Videbunt in quem transfixerunt*] *Pupugerunt:* i. conjicient oculos in eum cujus latus lancea perforabunt: ſic per futurum melius.

38. *Eo quod eſſet*] *Qui erat.*

40. *Acceperunt autem*] *Ergo*, Vet. ¶ *Ligaverunt*] *Obvinxerunt.*

42. *Propter Paraſcenen*] i. Quod Paraſceue jam vergeret ad veſperam.

CASTALIO.

13. G*Abbatha*] *Editum*, *Editus locus.*

CLARIUS.

7. Q*Uia Filium Dei ſe fecit*] Dixerunt illum ob hanc cauſam *debere ſecundum ſuam legem mori.* Et videtur id illis accidiſſe, vel eos arripuiſſe demum hanc anſam, quia neſciebant diſtinguere Perſonas in Divinis: & cum audirent ex Lege *unum eſſe Deum*, putabant illum contra legis ſuæ Theologiam loqui. Sed cur non hoc primo acceſſu ad Pilatum dixerunt? Videbantur ergo cæca invidia agi, & non ſtudio veritatis ſed cupiditate occidendi illius iſta dixiſſe.

8. *Cum ergo audiſſet Pilatus*] Viderant Judæi in Domino Jeſu Chriſto multa Divinitatis facta, & tamen totis viribus ita in eum ſæviunt ut ne tum quidem cum cernunt eum flagellis cæſum & illuſum, non ſolum molliantur, ſed acrius inſtent ut agatur in crucem: homo ethnicus ſola appellatione *Filii Dei* terretur, & eum interrogat unde ſit, cujuſnam ſcilicet è Deorum numero ſit Filius, cum Dii plurimi apud eos eſſe exiſtimarentur.

11. *Non haberes poteſtatem*] Hic huic Pilati ignorantiæ fuit reſpondendum, & tuendus Paternus honor, à quo omnis poteſtas & in cœlo & in terra eſt. ¶ *Majus peccatum habet*] Admonet & ipſum quidem peccare quod aſſentiatur conſiliis Judæorum: verum quia ſententiam in Dominum laturus erat ob hoc tantum quod poteſtate præditus eſſet & quaſi cogeretur eam exercere, ait Judæos magis peccare, qui ſolo odio atque invidia agerentur.

12. *Non es amicus Cæſaris*] Hactenus Pilatus ſatis generoſe reſtiterat: *Cæſaris* autem appellatione facta injuriæ continuo dat manus.

14. *Ecce Rex veſter*] Videtur voluiſſe poſtremo tentare ſi forte vel pudore revocare eos poſſet à propoſito ſcelere; q. d. Non agnoſcitis ignominiæ hoc vobis futurum ſi Rex veſter agatur in crucem? quod & paulo poſt repetit, *Regem veſtrum crucifigam?* At illi quid? *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Et ne Meſſiam quidem veſtrum excipere vobis in mentem venit? aut, ſi venit, neglexiſtis?

31. *Erat enim magnus ille dies Sabbati*] Quia ſcilicet eo

anno Paſcha in diem Sabbati inciderat, vel fuerat tranſlatum, ut alibi diximus.

37. *Videbunt in quem tranſfixerunt*] Hebræum ſic habet, *Aſpicient ad me quem tranſfixerunt.* Ubi manifeſte & Divinitas & Humanitas Chriſti declaratur.

ZEGERUS.

3. ET *veniebant ad eum*] Hæc verba tametſi non reperiantur in Græcis, modernis ſcilicet, reperiuntur tamen apud veteres explanatores, ſignanter apud Auguſtinum & Cyrillum; ut hinc ſuſpicer à ſcribis oſcitabundis omiſſa. Et ne quis cavilletur, ſubindicat & Nonnus idem ſe legiſſe, dum ſcribit in hæc verba,

Κείμενον ὑπετάζοντο δυὶ ψευδήμονι κλήσει
Ἰκεσίης κήρυκι· καὶ ἦιεν ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ
Χερσὶν ἀμοιβαίῃσι παρηίδος ἄκρον ἀράσσων.

Dominum ſimulata appellatione ſalutabant,
Supplicationis præcone: & ibat alius poſt alium,
Manibus mutuis ſummum maxilla impetens.

13. *Pilatus ergo cum audiſſet*] *Ergo*, non *autem*, habet cum Græcis exempl. Corſend. & alia quædam: quod admonendum putavi propter novas tum caſtigationes tum verſiones. ¶ *Lithoſtrotos, Hebraice autem Gabatha*] Λιθόστρωτος interpretatur *Lapide ſtratum.* GABATHA *altitudo* vel *excelſum* Chaldæis dicitur. Eſt autem גבתא Chaldaicum terminatione, ſed Hebræum origine. Quod enim Hebræi גבה, hoc Chaldæi, adjecta ſuo more literula, גבתא dicunt, *altitudo.*

14. *Erat autem paraſceue Paſcha*] Nimirum in qua præpararent ſeſe Judæi eodem veſperi comeſturi agnum Paſchalem, & poſtridie ſuum Paſcha celebraturi. Cur autem Judæi die Veneris, Chriſtus vero cum diſcipulis ſuis die Jovis Paſchalem agnum comederit, apud Lucam diximus 22. 1.

17. *Hebraice autem Golgotha*] Eſt quidem גלגלתא Hebraica vox origine, quemadmodum & *Gabatha*, ſed in Chaldaicam vel Syram formam deflexa. Eſt autem peculiare Chaldæis Hebræis vocibus uti adjecta ſyllaba. Ex Hebræo enim גבה *collis* Chaldæi faciunt גבתא, ex חרב *gladius* חרבא. Ita ex גלגלת, quod *craninm* ſignat, faciunt גלגלתא *Golgotha.*

23. *Et tunicam*] Per *tunicam* intelligimus veſtem interiorem, quam Euangeliſta χιτῶνα vocat; per *veſtimenta*, quæ Euangeliſta ἱμάτια vocat, amictus exteriores: ſiquidem ἱμάτιον *pallium* declarat. ¶ *Deſuper contexta per totum*] h. e. à ſummis ad infima uſque contexta. Sunt enim hæc veluti interpretantis verba ejus quod prius dixerat *inconſutilis.* Nonnus ſiquidem totum illud, ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου, hac explicuit paraphrali,

Οσσις ἕλος καὶ ὕπερθεν ὁμῶ καὶ ἔνερθε Φορῆος
Ἄῤῥαφος ἦεν ὑφαντὸς ἐπ' αὐχένος εἰς σφυρὰ λήγων.

Quæ tota ſuperne pariter & inferne, ut geſtamen
Inconſutile, contexta erat à cervice ad talos uſque prominens.

25. *Maria Cleopha*] Quæ fuerit hæc Maria & unde *Maria Cleopha* dicta ſit ex ſubjectis D. Hieronymi verbis cognoſces. Sic enim ſcribit adverſus Helvidium, *Reſtat inquit concluſio, ut Maria iſta quæ Jacobi Minoris ſcribitur mater, fuerit uxor Alphæi, & ſoror Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Johannes Euangeliſta cognominat, ſive à patre, ſive à gentilitate familiæ, aut quacunque alia cauſa ei nomen imponens. Si autem inde tibi alia atque alia videtur, quod alibi* [Marc. 15. 40.] *dicatur Maria Jacobi Minoris mater, & hic Maria Cleopha, diſce Scripturæ conſuetudine, eundem hominem diverſis nominibus nuncupari.*

27. *In ſua*] h. e. in ſuam curam, vel in ſuum jus.

28. *Ut conſummaretur Scriptura*] Nimirum illa quæ ſcriptum eſt Pſalmo juxta ſupputationem Latinorum 68. 21. *Et in ſiti mea potaverunt me aceto.*

29. *Spongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes obtulerunt ori ejus*] Sentit *ſpongiam aceto imbutam impoſuiſſe hyſſopi ligno, itaque porrexiſſe ori Chriſti*; aut ſecundum quoldam *ſpongiam circumpoſuiſſe calamo* (ut alii referunt Euangeliſtæ) *atque hyſſopo* (ut hic ſuppleſſe intelligatur quod cæteri tacuerunt) h. e. nexu & colligatione hyſſopi, *atque ita obtuliſſe ori ejus.*

34. *Latus ejus aperuit*] Pro *aperuit* Græce eſt ἔνυξε à νύσσω, quod ſignificat *aperio*, & nonnunquam *pungo.* Verum huic loco magis congruit ut cum Vulgato interprete pro *aperuit* accipiamus, aut certe (quod magis arridet) ἤνοιξε lega-

mus; quemadmodum & D. Auguſtinus diligenter indicavit vocis hujus myſterium, ita ſcribens, *Vigilanti verbo uſus eſt Euangeliſta ut non diceret,* LATUS EJUS PERCUSSIT, *aut* VULNERAVIT, *aut quid aliud, ſed* APERUIT, *ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur unde ſacramenta Eccleſiæ manaverunt, ſine quibus ad vitam quæ vera vita eſt non intratur.*

38. *Venit ergo & tulit corpus Jeſu*] Deſunt hæc verba in Græcis modernis, librarii, ni fallor, incuria omiſſa, occaſione illius ἦλθε *venit* bis poſiti: quandoquidem non modo Auguſtinus verum etiam Euthymius & editio Complutenſis nobiſcum legunt, ἦλθεν οὖν καὶ ἦρε τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ· ἦλθε δὲ καὶ Νικόδημος.

MASIUS.

2. CHriſtus coronatus & purpura indutus, bis à militibus eſt illuſus, primum juſſu Pilati, ut Johannes ait, quo ſcilicet ita miſericordia commota, dimittendum curaret. Deinde iterum, jam lata ſententia damnatum, ut Matthæus & Marcus.

18, 19. & ſeq. In ordine horum quatuor, videlicet, crucifixionis Latronum, impoſitionis tituli, diviſionis veſtimentorum, & ſublannationis prætereuntium, non omnino convenit inter Euangeliſtas; atqui hæc quaſi ſimul geſta non requirunt certum ordinem. Placet tamen Johannem ſequi.

LUC. BRUGENSIS.

27. ET *ex illa hora accepit eum diſcipulus in ſua.*] Complures libri *in ſuam* legunt: quibus Richelius, Gorran, Lyranus & Gloſſa Interlinearis adſtipulantur. Porro decem noſtri codices (Brug. So. al. au. l. V. Pl. la. Pl. lon. Nuren. Col. Reg.) ſex Pariſienſium (Ge. o. l. Di. o. l. P. Mog.) quidam Lugaunenſium, & antiqui Epanorthotæ, *in ſua* habent: quibus Ambroſius in Exhortatione ad virgines, Auguſtinus, Beda, qui Auguſtini verbis utitur, Rupertus, & Albertus in propriis commentariis, clariſſime ſuffragantur. Pro eiſdem facit quod Græci codices, Interpretibus Græcis conſentientibus, conſtanter legant εἰς τὰ ἴδια, h. e. *in propria*, ſeu, *in ſua. In ſua* autem intelligit Auguſtinus, *officia*, ſeu *obſequia. Suſcepit*, inquit, *eam in ſua, non prædia, quæ nulla propria poſſidebat, ſed officia, quæ propria diſpenſatione exſequenda curabat.* Simili ſenſu, ut poſterior habet lectio, *in ſuam* dicas, nimirum curam (de quo Beda in Catena citatus, *Alia litera habet, Accepit eam diſcipulus in ſuam* matrem: ſed congruentius ſubauditur *in ſuam* curam) verum id eam non habet ſive congruitatem, ſive autoritatem: quare prius illud *in ſua* Hentenius caſtigator amplexus eſt; id quod & Beſſarion Cardinalis, libello in illud Euangelii ſecundum Johannem, *ſi eum volo manere*, edito, approbavit. Videtur *in ſuam* ex eo ortum habuiſſe quod præcedat, *Ecce mater tua*: hinc enim exiſtimarunt eſt *in ſuam* ſcribendum eſſe, ſubaudito *matrem.* Syri ſcribunt לות, quod eſt, *ad*, ſive *apud ſe*, ſenſum, quod arbitror, hujus, εἰς τὰ ἴδια, dantes: quomodo & Epiphanius profert, hæreſi 78. λέγει δὲ, inquit, τὸ εὐαγγέλιον, καὶ ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἔλαβεν αὐτὴν πρὸς ἑαυτόν. εἰ δὲ εἶχεν ἄνδρα, εἰ εἶχεν οἶκον, εἰ εἶχε τέκνα, εἰς τὰ ἴδια ἀναχώρει, καὶ οὐ πρὸς τὸν ἀλλότριον, *Dicit autem Euangelium, Et ab illa die accepit ipſam ad* (ſive *apud*) *ſeipſum. Si vero habuiſſet virum, ſi habuiſſet domum, ſi habuiſſet filios, in ſua ſeceſſiſſet, & non ad alienum.*

H. STEPHANUS.

3. ΕΔίδων αὐτῷ ῥαπίσματα] *Bacillis eum cædebant.*

4. Οὐδεμίαν αἰτίαν] *Nullam crimen.*

11. Ἄνωθεν] *Superne.*

12. Οὐκ εἶ] *Non eris.*

20. Τὸν τίτλον] *Titulum.*

23. Ο χιτὼν ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου] *Tunica inconſuta à ſummo tota contexta.*

24. Μὴ σχίσωμεν αὐτὸν, ἀλλὰ λάχωμεν περὶ αὐτοῦ] *Ne findamus eam, ſed ſortiamur de ea.* ¶ Εβαλον κλῆρον] *Jecerunt ſortem.*

27. Εἰς τὰ ἴδια] *Domum ſuam.*

31. Ινα κατεαγῶσιν αὐτῶν τὰ σκέλη, καὶ ἀρθῶσιν] *Ut confringerentur eorum crura, & tollerentur.*

34. Λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε] *Lancea latus ejus fodit.*

37. Εἰς ὃν ἐξεκέντησαν] *Quem tranſfixerunt.*

39.

39. *Μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν*] *Miſtam myrrham cum aloe, ad libras centum.*

40. *Ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις*] *Obvinxerunt illud linteis.* ¶ *Ἐνταφιάζειν*] *Sepelire.*

DRUSIUS.

1. F*Lagellavit*] Flagellandum curavit, aut juſſit flagellari, nempe quia crucifigendus erat. Hieronymus in Comment. Matth. 27. *Romanis legibus ſanctum eſt ut qui crucifigitur prius flagellis verberetur.* Zacharias in Unum ex quatuor hæc verba deſcripſit. Vide Matth. 27. 26. & 20. 19.

3. *Ave*] Malim *Have*. Nam Ebræum eſt חי, quod inter alia ſignificat *Salve*. Verbum è verbo, *Vive*. Siquidem חי *vivo*. *Vivere* autem uſurpant pro *ſalvere*, *valere*. Sic in Plauti Pœnulo, *Have domni*: ubi vulgo *Have*, *ſalve*, *domine mi*. Quocirca prætulerim *doni*, quod contractum ex *Adoni*, *domine mi*. Hinc Hiſpanorum *Don*.

7. *Secundum legem noſtram debet mori*] h. e. lapidatus ſuſpendi è ligno. Hoc enim ſupplicio blaſphemus afficiebatur, ut & idololatra. Vide lib. Præcept. 188. 3, & 4. & ſupra Joh. 10. 31. Sic ergo mori debet ſecundum legem noſtram: ſed quia ſupplicia omnia capitalia nobis adempta, nec lapidari poteſt more noſtro nec ſuſpendi. Debet igitur crucifigi more veſtro. Quippe ſupplicium Crucis mere Romanum erat. Suſpendebantur autem blaſphemi non tam pœnæ cauſſa quam ignominiæ ac dedecoris. Erat enim ſupplicium valde probroſum. Ex quo illud, *Maledictio Dei ſuſpenſus*, ſub quo nomine & crucifixus comprehenditur.

13. *Ebraice*, Ἑβραϊϛί] Inſcriptionem feci cuidam libro à *vocibus Ebraicis*: quod late intelligendum. Nam pleræque voces meræ Syriacæ ſunt. Tu à me diſce, *Ebraicam* linguam vocari etiam Syriacam, h. e. eam quæ ætate Chriſti & Apoſtolorum in Judæa vernacula erat. Clare doceo ex interpretamentis duarum vocum *Gabbata* & *Golgotha*. Hic dicitur, εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον, Ἑβραϊϛὶ δὲ Γαββαθᾶ. Ecce ait *Ebraice*, cum ſit vox linguæ Syræ: paulo poſt v. 17. εἰς τὸν λεγόμενον Κρανίου τόπον, ὃς λέγεται Ἑβραϊϛὶ Γολγοθᾶ. *Calva* Ebraice vocatur גלגלתא, Syriace גלגותא, aut verius גלגלתא. Verbum non addam probandæ rei tam claræ. Dixi linguam Syriacam olim in Judæa vernaculam fuiſſe: cujus rei teſtem poſſem laudare Eliam; ſed utar certiore teſtimonio. Claris verbis hoc ſignificat Nehem. 13. 23, 24. Quod tamen ita accipiendum, ut intelligas linguam non puram puram Syriacam, ſed miſtam. Nam quamplurimæ voces in ea Ebraicæ. Ab hac paulo diverſum erat idioma Urbis: colligo ex verbis Petri Act. 1. 19. & ex Thargum Jeroſol. qua de re dicam alias. ¶ *Gabbatha*] Γαββαθᾶ, ββ geminata, legitur hodie in libris Græcis & Latinis, i. גבתא. Sed in antiquis per unum *b* reperio *Gabatha*, i. גבתא: vox eſt ejus linguæ quæ Chriſti tempore vernacula erat in Judæa: quæ ideo *Ebraica* dicitur. Anſelmus Laudunenſis autor Gloſſæ interlinearis, *Gabatha*, *i. Collis vel Sublimitas*. *Collis*, i. גבעה, *ſublimitas* vero גבהה dicitur. Angelus Caninius in Locis N. T. ait גב *Syriace idem eſſe quod* גו *Ebraice*, ſignificareque *viam lapidibus ſternere*: unde Græce dicitur λιθόστρωτον q. *lapidibus ſtratum* vel *teſſelatum*. *Cujuſmodi*, inquit, *multa pavimenta in Hiſpania viſuntur*. Syrus ejus loco poſuit גבתתא Beth in Phe verſa. Sic גבתא *canna*, quæ & גפתא, unde גפתתא גפתא *canna enea*. Vide Aruch in גבתא. Idem Syrus Græcum λιθόστρωτον interpretatur גפתתא ורצפתא, i. *pavimentum lapidum*, quod non nemo *lapidipavium* appellat, an recte, ipſe viderit. Tremellii nota eſt ad hunc locum in margine, Γαββαθᾶ *dicitur*, *quod pavimento elevatus eſſet locus: ſed paraphraſtes vocat Gaphiphatha quod ſeptus eſſet & clauſus. Gallice*, *Parquet*. De lithoſtrotis Plinius l. 36. c. 25. *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte pictura ratione, donec lithoſtrota expulere eam.* Hujuſmodi pavimentum fuiſſe templi Jeroſolymitani ſcribit Ariſteas, τὸ δὲ τῶν ἐδαφῶν, inquit, λιθόστρωτον κατέϛρωται.

17. *Golgotha*] *Cranium* Ebraice dicitur *Golgoleth*; unde Chaldaicum *Golgoltha*, *caput*. Pro eo Judæi illius ævi dicebant *Golgotha*, & Syri *Gagultha*. Utrobique una litera eliſa eſt, more tunc recepto, ut in *Saſeltha* & *Caſeltha*, quæ plene ſcribuntur *Salſeltha* & *Calceltha*. Hunc morem notavi alias; quem nunc iterum noto, ne quis mendum eſſe ſuſpicetur in illa ſcriptura.

20. *Ebraice*] Ἑβραϊϛὶ aliquando valet *Syriace*, ut v. 13, 17. & cap. 5. 2. ut neſcias fuerine titulus crucis Ebraica lingua ſcriptus, an Syra. Quæri etiam poteſt an quod habetur Actor. 26. 14. ſit intelligendum de lingua Ebraica proprie dicta? Vide quæ habentur ad Phil. 3. 5.

25. *Maria Cleopæ*] Sic edit. vetus. In Græco cod. τῆ Κλωπᾶ *Clopæ*. Syrus habet מרים דקלופא *quæ erat Clejupha*, ſub. *uxor*, aut aliquid tale.

29. *Καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες*] Interpres vet. *& hyſſopo circumponentes*. Eſt autem *Hyſſopus* notæ herbæ nomen: Ebraice אזוב dicitur. Vox ergo eſt domo Ebraica. Nonnus habet, ὑσσώπῳ κεκραμένον· nempe acetum exiſtimavit *hyſſopo miſtum* fuiſſe. Camerarius divinat aliquando ſcriptum fuiſſe ὑσσῷ προπερεθέντες, ut ſignificet ſupra pilum ſpongiam ibi circumdatam fuiſſe Jeſu oblatam. Nam ὑσσὸς *pilum*, Romanæ militiæ peculiare telum. In edit. Syra, אזוב דא שוו *poſuerunt ſuper hyſſopum*, ſive *hyſſopum*: nam utroque modo ſcribitur. Arabice *Sufe*, *hyſſopus*. Apud Simonem Januenſem in Clavi ſanationis, *Sufe ratab* זופא רטבא *hyſſopus humida*, *Sufe Jobes* זופא יבשא *hyſſopus ficca*. Stephanus Arabicarum vocum collector etiam *Sufa* ſcripſit, i. זופא, quod rectius *Zufa* vel *Zupha* ſcriberetur. Sed interpretes hæc tam accurate non obſervant. Vide nunc, ſi placet, annotationes Theodori. Adito etiam ad Cadmum noſtrum.

31. *Ut non manerent in cruce corpora ſabbatho*] Et propter ſabbathum hoc faciebant, & propter Legem, quæ jubet corpora ſuſpenſorum ſtatim tolli & ſepeliri. Unde qui contra facit, peccat in legem illam. Lib. Præcept. 188. 4. *Suſpendunt eum ſub occaſum ſolis, & ſtatim ſolvunt eum. Quod ſi non faciunt, violant præceptum quod ea de re, prout declaratum eſt in libro Præceptorum* הרסין ספרא, *i. negantium*, ſive *vetantium*. Cæterum ut Judæi corpora ſuſpenſorum ſabbathis non relinquebant in cruce, ſed ſepeliebant ſtatim poſt peractum ſupplicium una cum ligno ſuſpendii; ſic Romani die feriato, nedum feſto, de nemine ſupplicium ſumebant. Vide Semeſtria Fabri l. 2. c. 9. ¶ *Magnus ille dies ſabbathi*] Qui vocatur *ſabbathum magnum* ſive *majus*, & diem Paſchatis proxime antecedit. Sic Chryſoſtomus eam hebdomadam quæ Paſchatis feſtum præcedit vocat *hebdomadam magnam*. ¶ *Ut frangerentur eorum crura*] Vel *diffringerentur*, ut cum Plauto loquar. Crurifragium ſive crurifrangium, ut crux ipſa, ſervorum peculiare quaſi ſupplicium fuit. Græce dicitur σκελοκοπία. Ratio & modus frangendi crura talis erat, ut incus cum malleo vel veſte ferre inferretur ac tibias incudi imponerent validis ictibus ſic frangendas. Vide Lipſium De cruce lib. 2. cap. 14.

37. *Quem tranſfixerunt*] Teſtimonium hoc ſumptum eſt ex Zach. 12. 10. ubi cod. Græci mire variant. Quidam habent, εἰς ὃν ἐξενέπτυσαν, quomodo Cyprianus & Macarius Ægyptius illud citant. Alii ediderunt, ἀνθ' ὧν κατηρχήσαντο, *pro eo quod inſultaverunt*. Sic Romana & Compl. nec non edit. Plantini Antverp. quam lectionem etiam Hieron. agnoſcit. Videtur germana eſſe τῶν ἐβδομήκοντα, qui ורקו pro ורקדו acceperunt, aut fortaſſe ita legerunt. In Aldina & Baſileenſi duæ iſtæ editiones coaluerunt: quarum prior ſumpta putatur vel ex hoc Euangelio, vel certe ex alia quapiam verſione, puta Symmachi, Aquilæve, aut denique Theodotionis. Quod poſtremum Scholiaſtes opinatus fuit in Romana laudatus. Euſebius lib. 8. Ἀποδειξ. ita hunc locum citat ut nihil à Compl. variet.

40. *Linteis*] Non λεντίοις eſt in Græco, ſed ὀθονίοις. Hujuſmodi lintea Ebræis סדינין dicuntur, quibus cadavera involvebant: fiebantque ex lino, non ſerico aut opere phrygionico. Unde in teſtamento Gamalielis ſenis, *Ne multiplicate ſuper me centum involucra linea: ſitque urna mea perforata verſus terram.* Moſes Ægyptius, *Involucra linea erant albæ & non magni pretii.* Juch. 34. 2. *Vetitum eſt ſepelire cum involucris ſericeis aut veſtibus phrygionicis.* Vide locum, & de סדין Eliam Thesbite; item D. Camium in rad. בדן. Uſus eſt R. S. Deut. 26. David Pomarius, *Veſtem qua mortuos involvunt* חברן *vocant*, παρὰ τὸ בדן *Involvo*. ¶ *Sicut mos eſt Judæis ſepelire*] Ἐνταφιάζειν eſt in Græcis, quod potius denotat *funerare* aut *aromatibus condire*. Id Ebræi verbo קבר enuntiant. Interdum ἐνάφιν ponitur hoc ſenſu. Quo accommodant locum illum Symboli, *Sepultus eſt, deſcendit ad inferos.* Vide Matth. 26. 12.

CASAUBONUS.

29. Καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες] Qui meminerit Sinapi *arborem* vocari in his libris, non multum mirabitur quæ hic de Hyſſopo dicuntur: Neque eſt, opinor, cauſa ulla cur hanc lectionem ſuſpectam habeamus, quam præſertim omnes veteres codices & interpretes confirmant. Vide Nonnum, qui & καλάμῳ & ὑσσώπῳ mentionem facit.

30. Ὅτε οὖν ἔλαβε τὸ ὄξος ὁ Ἰησοῦς, εἶπε, Τετέλεσται] Vetus interpres, *Conſummatum eſt*. Mallem vertere, *Peractum eſt*, ut apud Senecam in Hercule Oetæo,

Habet: peractum eſt: quercum hanc ſortem mihi
Fatidica quondam dederat.

35. Κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει] Videtur Nonnus hunc locum ita legiſſe, κἀκεῖνον οἴδαμεν ὅτι ἀληθῆ λέγει, ut legitur infra 21. 24. Sic enim vertit,

\- - - ἀρεσσάμενος δὲ κεῖνα
Ἴδμεν ὅτι ξυθὴν καὶ ἐτήτυμος ἔπλετο Φωνή.

CAMERON.

30. Τετέλεσται] Non vult Chriſtus hac voce ſignificare typos Legales & quæ prædicta fuerant in Prophetis tum deſiiſſe; nondum enim Chriſtus reſurrexerat à mortuis, nondum aſcenderat in cœlum; quod prædictum tamen fuerat: ſed hoc potius videtur ſignificare, Se defunctum eſſe omnibus iis quibus in hac vita defungi debuit, atque ita conſummatum eſſe: oportebat enim Chriſtum priuſquam in cœlum aſcenderet certis quibuſdam officiis perfungi in terra, quo reſpexit ſupra 17. 4. cum teſtatur *ſe perfeciſſe in terra opus quod erat ei à Patre datum exſequendum*, τὸ ἔργον ἐτελείωσα ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω· nempe, quia tantillum ſupererat temporis, atque jam inſtabat Chriſti paſſio qua conſummatus eſt, *factum* dicit quod jam in eo fuit ut pene factum eſſet.

GUALTPERIUS.

13. Καὶ ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ βήματος, εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον, Ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ, *Sedítque pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraice autem Gabbatha*] Vox λιθόστρωτος Græca eſt, ex λίθος *lapis* & στρώννυμι *ſterno, locus lapidibus ſtratus*. In Hebræo Γαββαθᾶ, vel, ut Syrus habet, ܓܒܦܬܐ *Gaphiphata* dicitur, quod *pavimento elevatus* eſſet locus, ſeu quod *ſeptus & clauſus*.

19. Ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλάτος] Τίτλος *titulus* vocem Latinam eſſe omnes intelligunt. Græcis dicitur ἐπιγραφὴ ἢ διάγραμμα.

GROTIUS.

1. Τότε οὖν, *Tunc ergo*] Cum nihil proficeret Pilatus iſto commento de die feſto. ¶ Ἐμαστίγωσε, *flagellavit*] Tanquam quæſtionis habendæ gratia, conſilio inierim ſatiandi iram populi, ut ad Matthæum eſt annotatum.

2. Καὶ ἱμάτιον πορφυροῦν, *Et veſtem purpuream*] *Chlamydem coccineam* alii. Syrus hic ܙܘܓܢܐ, quod reſpondet Hebræo ארגמן, quod πορφύραν [*purpuram*] vertere ſolent Græci. Eſt autem color aut idem qui תולע & שני dicitur, & Græcis κόκκινον [*coccinum*] vertitur, aut ſane proximus, ita ut Hebræorum Magiſtri utrumque interpretentur per *cramoſinum*. Et Eſaiæ 1. 18. ubi Græce eſt ὡς φοινικοῦν [*velut purpureum*], Latina verſio habet *ut coccinum*: ἱματίου [*veſtis*] autem vox hic generalem habet notionem, non illam ſpecialem pallii.

3. Ῥαπίσματα. *alapas*] Vide ſupra.

4. Οὐδεμίαν αἰτίαν, *nullam cauſam*] Id eſt, ne tantillum quidem ob quod flagris cædi debuerit. Ita ipſe ſe iniquitatis damnat, qui populo irato obſequens donaverat pœnam hominis innocentis.

5. Ἰδοὺ ὁ ἄνθρωπος. *Ecce homo*] Videte ejus miſeriam, & quam ridiculum ſit in ipſo crimen regni affectati. Vide infra 14.

6. Οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ὑπηρέται, *Pontifices & miniſtri*] A quibus initium factum in populum manavit. ¶ Ἐκραύγασαν, *clamabant*] Vide quæ ad Matthæum. ¶ Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ σταυρώσατε, *Accipite eum vos & crucifigite*] Quaſi dicat, Vos hoc, ſi libet, facite veſtro periculo: meum non eſt damnare inſontem. Non jus concedit, ſed mavult alienum quam ſuum eſſe crimen.

7. Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν, *Nos legem habemus*] Cum non perſuaderent crimen adverſus Imperium Romanum, legem ſuam urgent, nempe illam de Pſeudophrophetis Deut. XVIII. 20. ¶ Ὅτι ἑαυτὸν υἱὸν Θεοῦ ἐποίησεν. *quia Filium Dei ſe fecit*] υἱὸν Θεοῦ [*Filium Dei*], id eſt, Meſſiam ut notavimus ſupra 1. 49. x. 36. & ad Matthæum XXVI. 63. Si mori debet qui Propheram ſe dicit cum non ſit, mori multo magis debet qui Meſſiam ſe dicit cum non ſit, cum Meſſias & Propheta eſſe debeat & plusquam Propheta. Vide ſupra IV. 25. *ſe fecit*, id eſt, ſe eum eſſe finxit. Sic & ſupra V. 18. VIII. 53. X. 33. & mox 12.

8. Μᾶλλον ἐφοβήθη, *magis timuit*] Metuens ob res miras de eo auditas ne ſorte verum eſſet ortum eum Divino ſatu, ſicut Romani & Græci de Heroibus ſuis credebant. Vide quæ diximus ad Matthæum XXVII. 54.

9. Εἰς τὸ πραιτώριον πάλιν, *in prætorium iterum*] Novæ acculationis cauſa novam inſtituturus interrogationem. ¶ Πόθεν εἶ σύ; *Unde es tu?*] Id eſt, *Unde ortus?* Vide quæ diximus ſupra VII. 27. ¶ Ἀπόκρισιν οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ. *reſponſum non dedit ei*] Secutus quod ipſe præceperat, *ne margarita porcis objicerentur*. Vide quæ ad Matthæum XXVI. 63. Nihil æqui exſpectari poterat ab eo qui verberari in gratiam plebis iratæ juſſerat eum quem noverat & fatebatur innocentem. Nec intelligere poterat Pilatus quæ eſſet vis Hebraicæ locutionis, *Filius Dei*. Tum vero quantum ſatis eſt jam ante dixerat Jeſus, cum ſe profeſſus erat *in hoc natum ut Rex eſſet amantium veritatem*, ſupra XVIII. 37.

10. Ὅτι ἐξουσίαν ἔχω σταυρῶσαί σε, *quia poteſtatem habeo crucifigere te*] Ἐξουσία [*poteſtas* ſive *potentia*] hic eſt non *jus* proprie, ſed *efficacia talis qua quod vult æquum aut iniquum facile effectum dat*, ut ſupra X. 18. Sic Eccl. IX. 13. Ἀπεχε ἀπὸ ἀνθρώπου ὃς ἐξουσίαν ἔχει τοῦ θανατοῦν [*longe abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi*]. Hoc ſenſu vocem *licere* uſurpavit Cicero pro Rabirio, Judices alloquens, *Si enim quod licebat quæritis, poteſtis tollere è civitate quem vultis.* ¶ Ἀπολῦσαί σε; *dimittere te?*] *Impunitum dimittendi*, ut ſupra XVIII. 39. Pilatus parum memor officii quid valeat jactat; & ſe damnat, qui tam potens, plebi furenti ſerviliter morem gerit.

11. Οὐκ εἶχες ἐξουσίαν οὐδεμίαν κατ' ἐμοῦ, *Non haberes poteſtatem adverſus me ullam*] Non haberes talem *potentiam* ſive *facultatem* quam jactas in me: facile eam evaderem, ut antehac inſidias & ſeditiones multas. ¶ Εἰ μὴ ἦν σοι δεδομένον ἄνωθεν· *niſi tibi datum eſſet deſuper*] Inde ſcilicet unde ortus ſum: tacite enim hoc indicat. ἄνωθεν [*deſuper*] eſt ex *cælo*, מעלה Job. III. 4. quod & ἐξ ὑψίστου [*ex altiſſimis*] vertitur Job. XXXI. 2. ſic ſupra III. 31. Jac. I. 17. III. 15, 17. Cum autem dicit *datum è locis ſuperis*, non illam communem ſignificat permiſſionem quæ multa relinquit ordini naturali, ſed ex graviſſimis cauſis deliberatam rem in conſilio Divino, quæ omnia impedimenta undique amoverat. Hoc modo nactus eſt Pilatus potentiam in Jeſum. Ita & ſuam indicat dignitatem & Pilatum modeſtiæ admonet. Vide Lucam XXII. 53. ¶ Διὰ τοῦτο, *propterea*] Relatio eſt ad aliquid quod ſubticetur, ſed quod facile ex dictis intelligi poteſt: Ideo quia talis ſum cujus curam tam peculiarem gerat Deus, quod ſcilicet Judæi ex vaticiniis ſcire poſſunt, tu non æque potes, nec æque teneris. ¶ Ὁ παραδιδούς με σοι, *qui me tradidit tibi*] Singulare pro plurali. *Quiſquis is qui me tibi tradidit*, qui cauſa fuerunt cur ut reus ad te ducerer; Judas præcipue, ſecundo loco Senatus, tertio populus. ¶ Μείζονα ἁμαρτίαν ἔχει. *majus peccatum habet*] Non cares tu culpa qui innocentem non modo non defendis ſed oneras: ſed minus delinquis, quia tibi non tam promtum eſt noſſe in quem delinquas. Atrocitatem injuriæ auget cognita aut cognoſci quita qualitas ejus cui infertur. Damnat Chriſtus ſententiam quæ peccata ſtatuit paria, ut & Luc. XII. 48. Matth. X. 15.

12. Ἐκ τούτου. *Exinde*] Ex quo conſcientiam ſuam peccati convictam ſentiebat. *Propter hoc* Syrus: ut & ſupra VI. 66. ¶ Ἀπολῦσαι, *dimittere*] Sume ſenſu quo ſupra commate 10. Quærebat obtentus quibus eum favorabiliter dimitteret. ¶ Οὐκ εἶ φίλος τῷ Καίσαρος· *non es amicus Cæſaris*] *Non es amicus Cæſaris*, id eſt, oſtendis te non eſſe fidum Cæſari: ut ſæpe εἶναι [*eſſe*] ſumitur pro *offendi*. ¶ Πᾶς ὁ βασιλέα ἑαυτὸν ποιῶν, *omnis qui ſe Regem facit*] *Quicunque* in provinciis Romanis *Regem ſe aſſerit* injuſſu Imperatoris. ¶ Ἀντιλέγων τῷ Καίσαρι. *contradicit* ſive *obſiſtit Cæſari*] Ἀντιλέγων hic ut & Lucæ II. 34. eſt *repugnare*. Nam Hebræis *dicere* ſæpe eſt *facere* aut *moliri*. Partes Imperatoris Romani ſibi vindicat qui ſine ejus auctoritate vult regnare.

13. Ἀκούσας τοῦτον τὸν λόγον, *cum audiſſet hos ſermones*] Suſpicaciſſimus erat Tiberius, & ſub illo minima quæque veniebant in crimen Majeſtatis, ut ex Tacito & Suetonio apertiſſimum eſt. Apud talem dominum qualiſcunque provincialium accuſatio adferebat periculum: cujus timori ſuccumbens Pilatus, plane ut Cajaphas, injuſte agere quam pati mavult: quod fere eſt ingenium eorum qui rempublicam tractant. ¶ Ἐπὶ τοῦ βήματος, *pro tribunali*] In xyſto ſive ſtadio tacho. Vide

quæ

quæ ad Matthæum. ¶ Λιθόστρωτον, *lithoſtretum ſive cruſtratum*] Pari de cauſa forum Conſtantinopoli dictum πλακωτὸν [*cruſtratum*], quia nimirum, ut Zonaras Conſtantino loquitur, κατέστρωτο λιθίναις πλαξί [*ſtratum erat cruſtis è lapide*]. ¶ Ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ. *Hebraice autem Gabbatha*] Ἑβραϊστὶ [*Hebraice*] intellige ſermone ejus temporis. Significat βῆμα, *locum excelſum*, qualia erant Romanorum tribunalia. Syri ſæpe ב mutant in ג. Ideo hic גבתא. Differt enim lingua Antiochena ab Hieroſolymitana. Hæc dicit Joſeph, illa Jauſeph: hæc Joram, illa Juram: hæc Joſias, illa Juſias: hæc Golgatha, illa Golatha. Mos erat Romanorum Præſidum non pronuntiare niſi pro tribunali, qui locus & Jus dicitur.

14. Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, *Erat autem paraſceue Paſcha*] Et ſimul προσάββατον [*proſabbatum*], Marci xv. 42. Vide quæ ad Matthæum. Significat non ſine ſpeciali Dei providentia rem ita directam, quandoquidem & Chriſti mors vere erat præparatio ad tranſitum noſtrum in vitam meliorem. ¶ Ὡρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη· *hora vero quaſi ſexta*] Id eſt, tempore צהרים [*meridiei*], cum Sol maxime fulget. Non ſignificatur præciſe fuiſſe meridies, ſed illa pars diei quæ eſt inter *manè* בקר & ערב *veſperam*. Vide quæ ad Matthæum. Solet ὡσεὶ [*quaſi*] & apud alios & apud noſtros Scriptores nonnihil habere latitudinis. ¶ Ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν. *Ecce Rex veſter*] Exprobrat illis quod tam ſtulti multi inter ipſos fuerint qui talem hominem pro Rege habuerint.

15. Ἆρον, ἆρον, *Tolle, tolle*] Vide quæ ad Matthæum. ¶ Οὐκ ἔχομεν βασιλέα εἰ μὴ Καίσαρα. *Non habemus Regem niſi Cæſarem*] Ἔχομεν [*habemus*], id eſt, *agnoſcimus*. Mos erat Græcorum & Helleniſtarum quem Romani vocabant *Imperatorem* appellare βασιλέα [*Regem*], quia poteſtas erat ſimilis. Deo ita res & verba dirigente, Judæi & ſpem de Meſſia abdicant, & ſe ob bella poſtea excitata rebellionis damnant. Tantum poteſt ira ut ſæpe dicantur quæ maxime nocent. Solebant dicere, *non habemus Regem niſi Deum*, quod eſt in Thalmude.

16. Παρέδωκεν αὐτὸν αὐτοῖς, *tradidit eis illum*] Non in manus tradit; nam traditus eſt militibus ex more Romano: ſed *largitus eſt ipſum illorum odio*, ἐχαρίσατο [*donavit*] Actor. xxv. 11, 16. ¶ Παρέλαβον δὲ, *acceperunt*] Id eſt, *acceptum eſt:* Nam ſubauditur nominativus οἱ παραλαβόντες [*qui acceperunt*], *quorum id erat officium*, milites ſcilicet.

17. Ἐξῆλθεν, *exivit*] Extra Urbem, ut Matth. xxvii. 32. De cæteris vide quæ eo loco.

19. Τίτλον, *Titulum*] Τίτλος [*Titulus*], πινακίον ἐπίγραμμα ἔχον [*tabella inſcriptionem habens*] Heſychio. Latinam vocem hoc ſenſu uſurpat Suetonius. *Tabulam* non male dixerunt Syrus & Arabs. Hebræis eſt כתב.

20. Ἐγγὺς ἦν ὁ τόπος τῆς πόλεως, *propè civitatem erat locus*] In ſuburbano, ut ſolebant eſſe loca ſuppliciorum.

21. Μὴ γράφε, Ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων· *Noli ſcribere, Rex Judæorum*] Id enim ita accipi poterat quaſi populus Judæorum eum pro Rege habuiſſet. ¶ Ἀλλ' ὅτι ἐκεῖνος εἶπε, *ſed quia ipſe dixit*] Id eſt, quod id nominis temere ſibi arrogaverit.

22. Ὃ γέγραφα, γέγραφα. *Quod ſcripſi, ſcripſi*] Id eſt, *ſcribi juſſi*, ut ſupra i. ἐμαστίγωσε [*flagellavit*]. Secundum γέγραφα [*ſcripſi*] eſt *pro ſcripto habeo, ſcriptum manere volo*. Similis πλοκὴ [*copulatio*] Matth. v. 37. Ageſilaus apud Xenophontem ἐπεμήσατο, ὅτι μεταγράψει μὲν οὐδὲν ὧν ἐπεγράψατο [*reſpondit nihil ſe mutaturum de iis quæ ſcripſiſſet*]. Vides hic τὸ ἀναμαχὲς [*ingenium ſtatui neſcium*] Pilati Philoni notatum.

23. Ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, *acceperunt veſtimenta ejus*] Pluralis vox ſenſu ſingulari, ut diximus ad Matth. xxvii. 31. & ſupra xiii. 4. id autem ideo quia pallium pluribus partibus conſtabat. ¶ Καὶ ἐποίησαν τέσσαρα μέρη, *& fecerunt quatuor partes*] Facile id fieri potuit, quia Judæorum veſtis exterior quatuor partibus conſtabat, quarum extimæ ora כנפות Hebræis, πτερύγια [*fimbriæ*] Græcis, Deuter. xxii. 12. Hæ partes fibula jungebantur. ¶ Ἄρραφος, *inconſutilis*] *Sine commiſſura*, continuo textu, non junctæ fibulis. Joſephus de Pontificis tunica, ἔστι δ' ὁ χιτὼν οὗτος οὐκ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων ἄνω ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι [*erat autem tunica iſta non ex duabus partibus ita ut ſuper humeros conſibularetur*], &c.

24. Μὴ σχίσωμεν αὐτὸν, *Non ſcindamus eam*] Inutilem futuram ſi ſcinderetur. ¶ Ἀλλὰ λάχωμεν περὶ αὐτοῦ, *ſed ſortiamur de illa*] Sic Probus apud Vopiſcum cum equus in commune obtigiſſet in præda, *In urnam milites juſſit nomen ſuum mittere, ut aliquis eum ſorte ducem acciperet*. Pro *urna* eſt *galea* apud Virgilium & Papinium. ¶ Διεμερίσαντο, *Partiti ſunt*] Dixit hoc David de ſe proverbialiter Pſalm. xxii. 18. ut indicaret inimicos lætatos ſuis ſpoliis. At Dei providentia factum eſt ut hæc & alia ejuſmodi in Chriſto implerentur perfectius, non modo ſecundum ſenſum proverbialem, ſed & κατὰ πόδας [*verbotenus*], ut appareat in ipſo eſſe complementum omnium quæ veteribus contigerant.

25. Παρὰ τῷ σταυρῷ, *juxta crucem*] Ita tamen ut intercedente militum turba propius ad crucem accedere prohiberentur, Matth. xxvii. 55. ¶ Ἡ μήτηρ αὐτοῦ, *mater ejus*] Neque periculo ſuo, neque triſtitia ſpectaculi, neque probris abſterrita quominus Filii ultima mandata exciperet, & reipſa oſtenderet memorem ſe eorum quæ ab Angelo didiciſſet. Præſagium fortitudinis Chriſtianæ etiam in ſexu infirmiore apparituræ. ¶ Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ, *Maria Cleopæ*] *Filia Cleopæ*, ut diſerte habet Arabs. Vide quæ ad Matthæum.

26. Τὸν μαθητὴν παρεστῶτα ὃν ἠγάπα, *diſcipulum aſſtantem quem diligebat*] Ut ſupra xiii. 23. ¶ Γύναι, *Mulier*] Ut ſupra ii. 4. ¶ Ἰδοὺ ὁ υἱός σου. *ecce filius tuus*] Hic tibi pro me filii erit loco, hic tibi filii officia exhibebit: ut ſic etiam in ipſa adimpleretur id quod Chriſtus piis promiſit Matth. xix. 29. Tertullianus adverſus hæreticos de Johanne: *quem loco ſuo filium Mariæ demandavit*.

27. Ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου. *Ecce mater tua*] Quam tu ut matrem poſthac obſervaturus es. Sic apud Virgilium ix Æneidos, Aſcanius Euryalo de Euryali matre,

Namque erit ipſa mihi genitrix. - - -

¶ Ἀπ' ἐκείνης τῆς ὥρας, *ex illa hora*] Manuſcriptus quem ſæpe jam laudavi habet τῆς ἐκείνης τῆς ἡμέρας [*illa ipſa die*]. ¶ Εἰς τὰ ἴδια. *in ſua*] *In domicilium ſuum*. Vide quæ ad Luc. ii. 49. ſupra xvi. 32. Sic quod Hebraice eſt בביתה [*in domum ejus*] Eſther v. 10. & vi. 12. Græce vertitur εἰς τὰ ἴδια [*in propria*]. Notavimus alibi Joſephum Mariæ conjugem, cum hæc generarentur, fuiſſe mortuum.

28. Ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται, *quia omnia jam conſummata ſunt*] Quæ ad ipſius ſtatum humilem pertinebant: & intelige præteritum poni pro proxime futuro. Vide Matth. xxvi. 28. & quæ ibi notata, & ſupra xvi. 32. 33. ¶ Ἵνα, *ut*] Ἐκβατικὸν [*Eventus ſignificativum*], ut jam ſæpe notavimus. ¶ Διψῶ. *Sitio*] Quippe & cruciatu & ſanguinis fluxu ſitim contraxerat.

29. Ὄξους, *aceto*] Puto eſſe vinum illud factitium quod apponi ſolebat ad crucem. Nam id ὄξος [*acetum*] appellari ad Matthæum notavimus. Erat autem is potus & per ſe amarus & eo magis quia in ſupplicio dabatur. ¶ Τοσσῴτῳ, *hyſſopo*] Calamo ejus arboris, ut ad Matthæum.

30. Τετέλεσται. *Conſummatum eſt*] *Finis adeſt paſſionum*. Proverbiale eſt. Homerus,

- - - Τὰ δὴ νῦν πάντα τελεῖται.

[- - - *Habent nunc omnia finem*].

Philoxenus moriturus apud Comicum:

Τέλος ἔχει τὰ τέντά μου.

[*Cuncta habent finem mihi*].

¶ Κλίνας τὴν κεφαλὴν, *inclinato capite*] Ut ſolent moribundi. Ovidius,

Sic corpus moriens jacet, & defeſſa vigore
Ipſa ſibi eſt oneri cervix humeroque recumbit.

¶ Παρέδωκε τὸ πνεῦμα. *tradidit ſpiritum*] Pia eſt locutio apud Hebræos illos qui judicium poſt hanc vitam credebant recepta, qua qui moritur dicitur *ſpiritum tradere*, Deo ſcilicet ejus auctori, ut is de eo ſtatuat. Vide Eccl. xii. 7.

31. Ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὰ σώματα ἐν τῷ σαββάτῳ, *ut non remanerent in cruce corpora ſabbato*] Quia longa permanſione corporum in patibulo Terra ſancta contaminari dicitur in Lege, Deut. xxi. 23. collegerunt ex ſimilitudine rationis Legiſperiti etiam diem præſertim tam ſolennem contaminatum iri tali ſpectaculo. Feſtinant autem ut tollantur, non tantum ante veſperam qua Sabbatum inchoatur, ſed etiam ante horas proximas quæ parandis ſacro animis ac corporibus debebantur. Erat quidem depoſitio facienda non per Judæos ſed per milites Romanos; verum Judæi partem αὐτονομίας [*juris utendi ſuis legibus*] ſibi conceſſæ in eo ponebant, ne quid publice etiam à Romanis fieret quod tempus feſtum dedeceret. Vide quæ ad Matth. xxvi. 5. ¶ Ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν, *quoniam paraſceue erat*] Tempus ipſum præparationi deſtinatum jam imminebat, ערב שבתא [*veſpera ſabbati*], ex quo tempore tota dies κατὰ συνδοχὴν [*per complexionem*] nomen habebat. Vide infra 42. ¶ Ἦν γὰρ ἡ μεγάλη ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου, *erat enim magnus dies ille Sabbati*] In Sabbatum ſequens incidebat dies maxime feſtus Paſchatis. Itaque feſtinabant non modo ob Sabbatum ſed & ob Paſcha. Vide Matth. xxvi. 2. ¶ Ἵνα κατεαγῶσιν αὐτῶν τὰ σκέλη, *ut frangerent eorum crura*] Perſonale

pro

pro impersonali, quod per passivum Latine exprimitur, *ut frangerentur crura.* Ait Lactantius, quem sequuntur alii, factum hoc ex more Romano. Nimirum qui damnati erant mori in cruce, quæ lenta mors, (ita ut in Martyrologiis reperiamus qui dies quinque, alios qui triduum in cruce vixerunt) iis interdum accidebatur mora supplicii, sed compensatione non exigui cruciatus, id est, crurifragio, ne de pœnæ gravitate nimium decederet. Erat alioqui crurifragium pœna distincta à cruce. ¶ *Καὶ ἀρθῶσιν. & tollerentur*] Ut ita mortua corpora tolli de cruce possent.

33. *Ὡς εἶδον αὐτὸν ἤδη τεθνηκότα, ut viderunt eum jam mortuum*] Viderunt ex indiciis, aut etiam compererunt ex relatu adstantis Centurionis, qui ejus mortem observaverat. Vide ad Matthæum.

34. *Λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε, lancea latus ejus aperuit*] *Percussit* vertit Syrus, id est, perfodit, nimirum dubitans an vere esset mortuus, & experiri volens an sensu ictus se esset commoturus. Solebant autem speculatores habere lanceas. Suetonius Claudio id docet: & λογχοφόροι [*lancearii*] circa Vespasianum, apud Josephum Belli Judaici III. cap. VIII. ¶ *Αἷμα καὶ ὕδωρ. sanguis & aqua*] Tacto pericardio, in quo est aqua & sanguis circum. Nondum autem refrixerat corpus, ita ut fluxum facile ferret.

35. *Καὶ ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκε, Et qui vidit testimonium perhibuit*] Locutio inversa pro eo quod esset *qui testatur is vidit*, ut supra VII. 28. & alibi. Ideo autem hoc de testimonii sui certitudine tam diserte inculcat ut etiamsi ex prioribus non constaret Christum esse mortuum, hinc certe constaret; cum id vulnus, si vixisset, omnino fuisset letale. Quintilianus inter signa necessaria futuri ponit, mori necesse esse eum cujus cor est vulneratum. Galenus dat certi theorematis exemplum, *εἴ τις ἐςὶ καρδιότρωτος, ἐκεῖνος ἀποθανεῖται* [*si quis in corde vulneratus est, is morietur*]: Mos est Johannis de se in tertia persona loqui. ¶ *Ἵνα ὑμεῖς πιστεύσητε. ut vos credatis*] Quo magis vos Christiani credatis vere mortuum esse Jesum, ac proinde etiam vere à mortuis resuscitatum. Sic *credere* aliquoties supra usurpavit de augmento.

36. *Ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται ἀπ' αὐτοῦ. Os non conteretur ex eo*] Putant plerique respici legem de Agno Paschali. Potius credidetim spectari locum Ps. XXXIV. 20. ubi specialis Dei cura pro homine pio describitur.

37. *Ὀψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Videbunt in quem transfixerunt*] Sic habuit haud dubie aliqua Græcarum versionum: nam & in multis libris ea lectio reperitur, à Symmacho, Aquila, aut Theodotione. Hoc quoque tralatitie dictum à Deo, de se contemto, evenit in Jesu *κατὰ τὸδε* [*verbotenus*], ut & alia vaticinia. *Videbunt* autem illud, de Jesu sumtum, videtur optime intelligi de die Judicii. Vide Matth. XXVI. 64. ubi est *ὄψεσθε* [*videbitis*].

38. *Ὢν μαθητὴς, discipulus exsistens*] *Ut qui discipulus esset:* ita recte Syrus explicat. ¶ *Κεκρυμμένος δὲ διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, occultus autem propter metum Judæorum*] Quales multi è primoribus, supra XII. 42. metuebat contumeliam excommunicationis. ¶ *Ἵνα ἄρῃ, ut tolleret*] *Ut de cruce tollere sibi liceret*, ut supra 31. An ut subito supplicii indignitas timidum animaverit, & nullo intervallo ultimum contemtum secuta sit aliqua gloria, viro illustri mortui amicitiam profitente, qui vivi dissimulaverat. ¶ *Καὶ ἐπέτρεψεν ὁ Πιλάτος. & permisit Pilatus*] Facilitate obvia apud Romanos Præsides. Vide quæ ad Matthæum.

39. *Ὁ ἐλθὼν πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτὸς τὸ πρῶτον, qui venerat prius ad Jesum nocte*] Id est, *antehac*, ut hic habet Syrus. *πρῶτον* [*primum*] pro *πρότερον* [*prius*], ut supra I. 15. ¶ *Μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης, mixturam myrrhæ & aloës*] Quæ aromata ad hunc usum optima habebantur. Apud Aëtium est *νεκρᾶ σμύρνισις* [*mortui myrrhatio*], & alibi *σμυρνισμὸς· μίγμα* [*mixtura*] est ꝑ II Par. XVI. 14. Eadem ad odorandas Regum vestes adhibita, Psalm. XLV. 9. ¶ *Ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν· quasi libras centum*] Signum & opulentiæ Nicodemi & non parci affectus. Notandum autem in magno aromatum cumulo deponi solita magnatum corpora, ut apparet versu sequente, & II Paral. XVI. 14. Sic & Jacobi Patriarchæ corpus Hebræi memorant aromatibus indurusse, ita ut nulla manu tangeretur. Quibus locis collatis apparet aliam hanc esse pollincturam & sumtuosiorem vulgari illa quæ per unctionem fiebat. Adde quæ ad Matth. XXVI. 12.

40. *Καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις, & ligaverunt illud linteis*] Ὀθόνια [*Linteæ*] intellige illas fascias סדינין Hebræis, quibus corpus involutum fuisse supra diximus XI. 44. Itaque quod hic est *ἔδησαν* Syrus vertit סדו, id est, *involverunt*, verbo utens unde illud Hebræum nomen est quod modo dixi. Vide & quæ Matthæum. ¶ *Μετὰ τῶν ἀρωμάτων, cum aromatibus*] Non unxerunt ob temporis angustias, sed aromata apposuerunt, uncturi primo commodo tempore. ¶ *Ἐνταφιάζειν. pollincire*] Referendum hoc ad *ὀθόνια* [*lintea*]. *ἐνταφιάζειν* [*pollincire*] est *præparare ad sepulturam*; sive involvendo, ut hic, sive ungendo, quod proprie non, ut apparet ex voce Syriaca & Arabica ܚܢܛܐ quæ *μίγμα* [*mixturam*] significat, supra 39.

41. *Ἦν δὲ ἐν τῷ τόπῳ, Erat autem in loco*] Τόπον [*locum*] hic vocat regionem illam suburbanam. ¶ *Μνημεῖον καινὸν, ἐν ᾧ οὐδέπω οὐδεὶς ἐτέθη. monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat*] Ne quis alius surrexisse crederetur.

42. *Διὰ τὴν παρασκευὴν τῶν Ἰουδαίων, propter parasceuen Judæorum*] Refer ad *ἔθηκαν* [*posuerunt*]. Festinarunt ibi deponere nondum unctum, quod alioqui facturi fuerant ni tempus urgusset. *παρασκευὴ τῶν Ἰουδαίων* [*parasceue Judæorum*] dictum ut supra II. 6, 13. & V. 1. ¶ *Ὅτι ἐγγὺς ἦν τὸ μνημεῖον, quia juxta erat monumentum*] Per *παρένθεσιν* [*parenthesin*] legendum, quasi dicat, Ne miremini ibi tam cito instante ipso puncto festæ præparationis potuisse deponi: *erat enim in proximo monumento*; ad quinquaginta aut sexaginta passus, ut ajunt qui ea loca lustrarunt.

CAP. XX.

VALLA.

7. *Involutum in unum locum*] Interpres, quasi idem nobis liceat quod Græcis, usus est accusativo quem Græce repererat, *in unum locum*, *εἰς ἕνα τόπον.*

11. *Dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum, & cernit*] Ὡς οὖν ἔκλαιε, παρέκυψεν εἰς τὸ μνημεῖον, καὶ θεωρεῖ.

18. *Quia vidi Dominum, & dixit mihi*] Gr. *Quod vidit Dominum, & hæc dixit ei*, seu *sibi*, ὅτι ἑώρακε τὸν Κύριον, καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ· sive *quod vidisset Dominum, & hæc dixisset sibi.*

25. *Fixuram clavorum*] Melius legitur in quibusdam antiquis cod. *figuram*, τύπον.

27. *Et noli esse incredulus sed fidelis*] Quia non poterat Interpres dicere, *Noli esse incredulus, sed credulus*, seu *noli esse infidelis, sed fidelis*, quoniam *credulum esse* vitio datur, & *infidelis* is dicitur qui fidem & promissa non servat, ideo ita locutus est, cum Græce verba hæc magis inter se consonent, ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός· quæ ego potius transtulissem, *Et ne sis incredulus, sed credens.*

REVIUS in VALLAM.

11. DUM *ergo fleret*] Hic nihil annotatur; tantum adjicitur Græcus textus: itaque aliquid desideratur, tale videlicet, *In Græco est*, DUM ERGO FLERET, INCLINAVIT SE IN MONUMENTUM, ET PROSPEXIT.

27. *Et infidelis is dicitur*] Erasmus ait Vallam scribere FIDELEM *Latinis sonare Bonæ fidei hominem, magis quam Credentem, h. e. non qui habeat alteri fidem, sed qui præstet fidem.* Ego hoc apud Vallam non invenio. ¶ *Ne sis incredulus, sed credens*] Hoc fere sequitur Beza. Æschylus Prometheo pro *confidens* usurpavit,

Θαρσῶν καθήσθω τοῖς πεδαρσίοις πτύχοις
Πιστὸς - - -

ERASMUS.

2. CUcurrit ergo] Τρέχει currit.

7. *Et sudarium*] Latina usus est voce Græce scribens. Nam illi *ναυσιδράριον* appellant, autore Polluce. ¶ *Involutum in unum locum*] *In uno loco*: quanquam Græca præpositio anceps est.

10. *Abierunt ergo iterum Discipuli ad semetipsos*] Quid est *iterum abire?* an jam semel abierant? Proinde *rursus* erat dicendum, non *iterum*. Et *ad se* dixit pro *domum suam.*

12. *Et vidit*] *Καὶ θεωρεῖ cernit*, sive *videt*. ¶ *Duos Angelos in albis*] Interpres reddidit Græcam figuram, juxta quam illi *in purpura* vocant hominem purpuratum: unde nos verimus *albis amictos.*

14. *Con-*

14. *Converſa eſt retrorſum, & vidit*] Rurſus eſt θεωρεῖ *videt.*

17. *Aſcendo ad Patrem meum*] In hoc ſermone ſemel duntaxat additur articulus, πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ Θεόν μου καὶ Θεὸν ὑμῶν· ſive quod articulus præcedens ſervit & reliquis partibus, ſive quod hoc pacto magis exprimitur quod ſentit Chriſtus, *Se accedere ad eum qui eſſet Pater ſibi communis cum Diſcipulis, atque idem Deus ſibi cum illis communis.* Sic & Paulus alicubi, *Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Etenim ſi dixiſſet τὸν Θεόν μου, viſus fuiſſet alium dicere *Patrem ſuum*, alium *Deum ſuum.*

18. *Quia vidi Dominum, & hæc dixit*] Ὅτι ἑώρακε τὸν Κύριον, καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ, *quod vidiſſet Dominum, atque is hæc dixiſſet ſibi.* Interpres legiſſe videtur ἑώρακα· nec refert ad ſenſum.

21. *Dixit ergo eis iterum, Pax vobis*] Vides ut nihil magis inculcavit Chriſtus ſuis quam Pacem. In extrema illa oratione quam ſolicite mandavit ſuis ut *inter ſeſe amarent*, quoties iterat hoc ſuum præceptum? Deinde quam enixe obſecrat Patrem ut *illi unum eſſent?* Non ait *concordes*, ſed *unum:* & addidit inſigne exemplum ſummi conſenſus, *Sicut tu & ego unum ſumus.* Hic rurſus non contentus ſemel dixiſſe, *Pax vobis*, repetit, *Pax vobis.* Et non pudet hodie Chriſtianum populum nihil aliud quam belligerari? Ferendum utcunque ſi tantum inſaniret populus. Nihil aliud aucupantur plerique Principes: imo, quod fœdius eſt, non ſolum incitant ad hæc Sacerdotes, verum ipſi belligerantur. Qui profitentur Euangelium pacis plebem ad bella cohortantur: & quorum erat inflammare ad pietatem, hi claſſicum canunt; & huc detortis S. literis, pacificum illum & manſuetiſſimum Chriſtum belli faciunt autorem. Qui ſi rediret in hanc ætatem, diſpeream niſi durius tractandus ſit ab hoc Phariſæorum genere quam ab illis olim fuit acceptus. Verum hæc παίγνια. Annotandum & illud, Quod ſemel & iterum precatus *Pacem*, deinde inſufflato Spiritu dixit, *Quorum remiſeritis peccata*, &c. Qui ex his poſterioribus criſtas erigunt & tyrannidem quandam ſibi vindicant, cur non meminerunt eorum quæ mox præceſſerunt? Omnia plena diſſidiis, litibus, bellis; toti turgemus mundano ſpiritu; & tamen placemus nobis autoritate commiſſa remittendi aut retinendi peccata. Tuere autoritatem, ſed cura ut adſit Spiritus per quem ille tribuit autoritatem.

25. *Fixuram clavorum*] Τύπον *figuram*: atque ita legitur in quibuſdam cod. Latinorum. Certe in exemplari Corſend. manifeſtum raſuræ veſtigium declarabat prius ſcriptum fuiſſe *figuram*, non *fixuram*. Conſtantienſe ſine ratura habebat *figuram*. Etiamſi mihi neutrum verbum ſatis arridet: ſentit enim veſtigium vulneris ex clavis impreſſum. Auguſtinus enarrans epiſtolam Joannis vertit *cicatricem*. Verum ut Latinis exiguum eſt diſcrimen inter *fixuram* & *figuram*, ita Græcis inter τύπον & τύπον. Apud Irenæum lego *figuras*.

27. *Incredulus, ſed fidelis*] Ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός, *infidelis*, ſed *fidelis*; ſive *incredulus*, ſed *credulus*, aut *credens*; ne pereat προσονομασία. Etenim quod ſcribit Valla, *fidelem* Latinis ſonare Bonæ fidei hominem magis quam Credentem, h. e. non qui habeat alteri fidem, ſed qui præſtet fidem, vere quidem dicit, verum ea vox jam ab omnibus Chriſtianis ſcriptoribus in hunc ſenſum eſt uſurpata.

28. *Dominus meus & Deus meus*] Hic eſt unus locus in quo palam Euangeliſta Chriſto *Dei* vocabulum tribuit. Alioqui cum innumera ſint argumenta in libris N. Teſt. quibus evidenter liquet piis mentibus Chriſtum Deum pariter atque hominem fuiſſe, tamen infrequens eſt aperte dici *Deum*, quod tam cœleſte myſterium aures adhuc plurimorum illius ætatis vix laturæ videbantur. Quâ de re paulo copioſius dicemus in Annotationibus quas ſcribemus in prioris ad Timotheum epiſtolæ caput primum. Nec eſt quod cavilletur hæreticus hoc à Diſcipulo dictum. Agnovit Chriſtus, utique repulſurus ſi falſo dictus fuiſſet *Deus*, præſertim cæteris audientibus Diſcipulis.

29. *Qui non viderunt & crediderunt*] Οἱ μὴ ἰδόντες, καὶ πιστεύσαντες. Auguſtinus in eo quem paulo ante citavimus loco vertit, *& credunt:* quod apud Græcos rarum non eſt in verbis Affectuum, præſertim quæ notant actum manentem. Neque enim qui *credidit* credere deſiit, ſicut qui *cænavit* cenare deſiit.

VATABLUS.

1. UNA *autem Sabbathi*] *Sabbatorum*: i. primo die hebdomadæ: h. e. poſtridie Paſchæ. ¶ *Et vidit*] *Videtque.*

2. *Cucurrit*] *Currit.* ¶ *Alium*] *Alterum illum.*

4. *Primus*] *Prior.*

5. *Vidit*] *Videt.*

8. *Ille**] * *Alius.* ¶ *Primus*] *Prior.*

9. *Scripturam*] Sub. *qua teſtabatur quod*, &c. ¶ *Oportuit*] *Oporteret*, Vet.

10. *Iterum*] *Rurſus.* ¶ *Ad ſemetipſos*] i. in domum ſuam.

11. *Maria autem*, &c.] Oſtendit per reticentiam, revertiſſe eam ab urbe, cum Petro & Johanni nuntiaſſet, verum ſolam, non comitatam aliis mulieribus.

12. *Vidit*] *Videt*, Vet. ¶ *In albis*] Vel *albis:* ſub. *veſtimentis amictos.* ¶ *Erat*] *Fuerat.*

14. *Vidit*] *Videt.* ¶ *Quia Jeſus eſt*] *Quod Jeſus eſſet.*

15. *Hortulanus*] i. Is qui curaret & coleret hortum illum, in quo erat ſepulcrum: vel, cuſtos horti. ¶ *Suſtuliſti*] *Aſportaſti.*

17. *Nondum enim aſcendi*] q. d. Ne ſis occupata in me tangendo; nondum enim diſcedo: nam totos quadraginta dies apud vos futurus ſum, quibus me per otium contingere & amplecti poteris. Sed potius feſtina ire ad Apoſtolos; & revoca illis in memoriam ea, quæ ante ſupplicium illis dicebam, aſcenſurum me ad Patrem: quod tamen non faciam niſi prius videro eos. ¶ *Vade*] *Sed vade.* ¶ *Veſtrum**] * *Et.*

18. *Venit*] Præſ. temp. ¶ *Quia vidit Dominum*] *Quod vidiſſet Dominum, & hæc ipſi dixiſſet.*

19. *Una ſabbathorum*] i. prima die hebdomadæ, quæ Chriſtianis dicitur *Dominica.* ¶ *Pax vobis*] Hebræorum formula imprecandi omnia fauſta & proſpera, quæ perficitur ſi addideris *à Deo.*

20. *Hæc*] *Hoc*, Vet. ¶ *Latus**] * *Suum.*

21. *Eis**] * *Jeſus*, Vet. ¶ *Miſit*] *Miſerat.* ¶ *Et*] *Et* pro *ſic*, Heb.

22. *Hæc*] *Et hoc*, Vet. ¶ *Inſufflavit*] Vel *flavit in eos.*

23. *Quorum*] *Quorumcunque.*

24. *Qui dicitur*] Vel *cui cognomen erat.* ¶ *Didymus*] *Gemellus.*

25. *Dixerunt*] Vel *dicebant.* ¶ *Fixuram*] *Figuram*, Vet. [aut *veſtigium*, vel *foramen.*] ¶ *Mittam*] *Miſero.* ¶ *Locum*] *Veſtigium*, vel *foramen.*

26. *Intus*] i. concluſi & abditi domi.

27. *Incredulus*] *Infidelis.*

28. *Dixit**] * *Ei.*

29. *Viderunt*] Præt. pro fut. *videbunt & credent.*

31. *Quia Jeſus eſt**] * *Chriſtus*, Vet. i. ut credatis quod ille qui vocatur Jeſus, eſt ille Meſſias rex promiſſus. ¶ *In nomine ejus*] i. per ipſum: vel, propter ipſum.

CASTALIO.

10. AD *ſe*] Domum.

19. *Salvete*] Hebraice, *Pax vobis.*

CLARIUS.

1. UNA *vero Sabbatorum*] Hebraiſmus eſt ut *unus* pro *primo* dicatur; ſic illud, *ſabbatorum* pro *dierum hebdomadæ.*

8. *Et vidit, & credidit*] Scilicet quod dixerat Maria, *ſublatum eſſe Dominum.* Et cauſam addit Euangeliſta cur ita crediderit, quod ſcilicet *nondum noſſent Scripturam*, quæ docet *oportuiſſe eum à mortuis reſurgere.* Maluitque hic mentionem *Scripturæ* facere quam *verborum Domini*, qui id futurum prædixerat, ut doceat ingens fundamentum eſſe Chriſtianæ veritatis Scripturarum teſtimonia.

17. *Nondum enim aſcendi ad Patrem meum*] Perinde quaſi poſtea quam aſcendiſſet eſſet tactura. Quod futurum quidem erat, ut ſcilicet eum tangeret, ſed non eo pacto quo antea conſueverat, verum eo quod cœleſtem rempublicam deceat; atque id non ante futurum erat quam ipſe ad Patrem aſcendiſſet, unde Spiritum S. eſſet in credentium corda emiſſurus qui eos integram Chriſti agnitionem doceret: hoc enim eſt vere *tangere.* ¶ *Aſcendo ad Patrem meum*] Non dixit *Patrem noſtrum & Deum noſtrum*, quia alia ratio Chriſti, alia reliquorum. Hæc autem verba, *Deum meum*, Theologus Nazianzenus ſic interpretatur, *Deus autem dici poteſt, non Verbi, ſed ejus qui cernebatur. Quo enim pacto ejus qui proprie Deus eſt ſit Deus? Sicut & Pater non ejus qui cernebatur,*

ſed Verbi: etenim duplex erat. Itaque aliud quidem proprie in ambobus dicitur, aliud non proprie: contra quam in nobis ſe habet: noſter enim proprie quidem Deus, non proprie autem Pater.

21. *Sicut miſit me Pater*] Quam accepi à Patre poteſtatem, hanc vobis impertior: jam enim accingi vos oportet ad negotium Regni. Verum quia Regnum hoc alterius eſt conditionis atque cætera hujus mundi Regna, vires etiam ac poteſtatem ab eis diverſam atque huic Regno conſentaneam trado. *Accipite* ergo *Spiritum* (quod exteriore etiam *ſpiratione* ſignificavit) *ſanctum. Quorum remiſeritis peccata*, &c. nam hi ſunt hujus Regni hoſtes.

ZEGERUS.

1. UNa autem Sabbathi] h. e. primo die poſt Sabbathum.

8. *Vidit & credidit*] Supple, *verum eſſe quod narraverat mulier, Dominum à monumento ſublatum.*

10. *Abierunt ergo diſcipuli ad ſemetipſos*] i. eo regreſſi ſunt unde venerant.

17. *Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad Patrem meum*] Nil erit quod hic nos offendet ſi advertamus tropo quodam non abſimili ei quem Græci ὕστερον πρότερον vocant inverſum eſſe orationis ordinem. Sic enim habet ſententiæ ordo, *Ne me tange; ſed, quia nondum aſcendi ad Patrem meum, vade ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum.* Quod ſi illud *aſcendo* accipiamus vice præſentis poſitum, poterit & hoc pacto intelligi, ſervato videlicet verborum ordine, *Ne jam*, inquit, *in me tangendo ſis occupata: necdum enim diſcedo, quadraginta adhuc dies vobiſcum verſaturus, quibus dabitur opportunius me complectendi copia: quin potius propera ad Apoſtolos meos, & revoca illis in memoriam id quod nuper illis prædixi, Aſcenſurum me ad Patrem, meumque pariter & ipſorum.* Hæc juxta ſimplicem hiſtoriæ ſenſum dicta ſint. D. Auguſtinus vero, cujus ſententiam in Matthæum protulimus cap. 28. & D. Hieronymus in epiſt. ad Hedybiam hunc locum pertractans, quæſt. 5. myſticum potius ſenſum ſequuntur. Cæterum Apoſtolos *fratres* appellat juxta humanæ rationem conditionis & propter unius Patris cœleſtis communionem.

24. *Thomas autem, unus ex Duodecim, qui dicitur Didymus*] *Thoma* Chaldaice, Græce *Didymus*, Latine *Geminus* interpretatur, ſcilicet *ille qui uno eodemque partu natus cum altero eſt.* Hebraice autem תאום *Theom* dicitur; à quo Chaldaicum illud non deducitur.

25. *Fixuram clavorum*] Rectius *fixuram* legeris juxta Auguſtini & aliorum veterum tum librorum tum interpretum lectionem, quam *figuram* juxta Irenæum & alios vel autores vel codices: tametſi non ignorem τύπον in Lexicis non *fixuram* ſed *figuram* interpretari. *Figura* enim *clavorum* poſitum videri poſſet pro *ſimilitudine clavorum: fixura* vero à *figendo*, i. feriendo, nil habet ambiguitatis; intelligitur enim de cicatricibus & veſtigiis clavorum.

29. *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti*] Quanquam *Thoma* legatur in Græcis, non legitur tamen Auguſtino, nec Smaragdo, nec Cyrillo, nec in plerisque exempl. veruſtis.

LUC. BRUGENSIS.

25. NIſi videro in manibus ejus fixuram clavorum [o.] & mittam digitum meum in locum clavorum [o.] & mittam manum meam in latus ejus, non credam] Pleraque Latina exemplaria *fixuram* legunt, *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum*; nonnulla vero aliter. Exemplar Cœnobitarum S. Victoris *fiſſuram* habet. S. Dionyſii oblongum, S. Germani oblongum, Conſtantienſe, Langianum, & Societatis Jeſu album, lectiſſima manuſcripta, quorum tria prima Pariſienſes, quartum & quintum nos attulimus, *figuram* ſcribunt: quibus quidam alii cujuſdam antiqui codices concinunt. Græce eſt τὸν τύπον· id quod *figuram*, *veſtigium*, *ſimilitudinem ex impreſſione relictam*, denotat. Cæterum quamvis Græci libri concorditer habeant, ἐὰν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων, καὶ βάλω τὸν δάκτυλόν μου εἰς τὸν τύπον τῶν ἥλων, videtur qui Euangelia in Syriacam transfudit linguam utroque loco τύπον legiſſe; ſic enim vertit, *Si non videro in manibus ejus* נעמנא *loca clavorum*, & *miſero* רמז *in ea digitos meos.* Latinum quoque Interpretem, ſi non priori, at poſteriori loco τύπον legiſſe probabile eſt. Quomodocunque vero legendum dicatur, ſignificare Euangeliſta voluit veſtigia vulnerum clavis effectorum; quæ D. Auguſtinus, tractatu in Canonicam Johannis tertio, *cicatrices* nuncupat.

H. STEPHANUS.

5. ΠΑρακύψας βλέπει] *Capite inflexo videt.*

7. Ὃ ἦν] *Quod fuerat.*

10. Πρὸς ἑαυτούς] *Domos ſuas*: vel, *Ad ſuos.*

11. Παρέκυψεν] *Caput inſeruit.*

12. Ἐν λευκοῖς] *In albis veſtimentis.*

22. Ἐνεφύσησε] *Afflavit.*

23. Ἂν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται] *Si quorum* peccata *retinueritis, retenta ſunt.*

25. Τὸν τύπον] *Veſtigia.*

DRUSIUS.

7. SUdarium] Vox Latina videtur. An ſic dubito. Nam Syri dicunt סודרא *Sudara*, & in lingua Sapientum eſt סודר *Sudar*, quod uſurpant in vario ſenſu. Elias בגד, i. *veſtem*, exponit; alius, *linteum* vel *linteamen.* Sumitur etiam pro velamine capitis tam virorum quam mulierum. Sane סודר *velum* quo obtecta fuit facies Moſis, Chald. interpres *Sudara* convertit, & peplum, quod Ebræi סדינים vocant Ruth. 3. 15. סדין, i. *ſudarium*: ubi Hieron. *pallium*, & LXX τὸ περίζωμα. Erat quinetiam emptio quædam quæ dicebatur *emptio ſudarii*, cujus meminit Elias Thesbite in סוד & in ריפ. Vide, ſi placet. Latinis *ſudarium* eſt linteum proprie ad ſudores detergendos, quod in media comœdia καταψιδρύτιον appellari ſcribit Pollux. R. S. Jeſa. 30. 17. ait vexillum conſtare ex pertica, quam ipſe קדום appellat, & ex velo בגד ſive סודר ei dicto; quod ſæpius è ſerico fieri ſcimus. Hanc veſtem in textu סודרא vocari ſcribit Gerundenſis Judæus in Moſen 32. 1.

16. *Rabboni*] Pro *Rabbuli*, quod in editis Viennæ, Plantinus edidit *Rabbuni*: quomodo etiam Græci hoc nomen ſcribunt Ῥαββουνί. Utrum autem ex certa dialecto ejus linguæ ſit *Rabbuli*, me latet. Hoc ſcio, literas haſce permutari & ſibi invicem cedere. Teſtimonio ſunt ת pro נ, ושבת & ושבי, & alia ejus generis. Cæterum ex interpretatione colligo idem eſſe cum *Rabbi* διδάσκαλος *magiſter*, quod Syrus interpretatur מלפנא *doctor.*

25. *Figuram clavorum*] Mox *in locum clavorum*, ut videatur τύπου pro τύπον legiſſe. Τύπος autem in lingua Sapientum טופס & טפס dicitur; unde Num. 25. 5. in Jonatha נטופס עבדא *figura idoli Phegor*, ſive *Phegor.* Porro ad crucem ſuffigi corpora ſolere quaternis clavis, non tribus, ut aliquando creditum fuit, docent viri docti ex Plauto; ad quos te remitto. Quaterni hi clavi per ſingulas manus & ſingulos pedes ſinguli adigebantur: ita venis ac nervis abruptis, defluente ingenti copia ſanguinis, incredibili cruciatu cruciarios intra horas aliquot mori neceſſe erat. Quod ſi ſerius fieret, effringebantur crura eis ad accelerandam mortem. Meminerunt horum clavorum Apulejus & Plinius. Plautus Moſtellaria, *Ego dabo ei talentum primus qui in crucem excucurrerit; ſed ea lege ut offigantur bis pedes, bis brachia. Brachia* dixit, & non *manus.* Nam etſi duræ & nervoſæ illæ partes & lentæ frangi, quia tamen toti corporis moli, gravioris præſertim, non fuerunt interdum ferendæ, non in media ſemper manus vola clavi fixi, ſed ſuperius paullo qua cum brachio coit, i. circa carpum. Hæc fere Taubmannus in Plautum, quæ produximus quia lucem aliquam adferunt huic hiſtoriæ. Supplicium enim iſtud mere Romanum erat, unde à Romanis mutuanda quæ ad illud illuſtrandum faciunt. Qui aliter ſentit, ut ille in magno errore verſatur.

27. *Sed fidelis*] Imo *credulus.* Nam ſi ἄπιστος eſt *incredulus*, cur πιστὸς non poteſt reddi *credulus*? Stephanus in Theſauro ſuo docet πιστὸν ſignificare *illum qui fidem adhibet.* Videſis Nicolaum Fullerum Miſcell. l. 1. c. 19.

CAMERON.

17. ΜΗ΄ μου ἅπτου] Mirum ſi Chriſtus adorantem repellit Mariam Magdalenam, qui neminem unquam repulit adorantem. Cauſa nulla poteſt dici alia cur id fecerit quam quod Chriſtum non ſimpliciter adoraret, ſed adoraret gratulabunda, quaſi Chriſtus jam eluctatus eſſet & nixus ad ſupremum uſque faſtigium & culmen dignitatis ſuæ.

21. Καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ Πατὴρ, &c.] Hæc Apoſtolorum à Chriſto miſſionis formula ſatis evidenter comprobat Apoſtolici

ſtolici numeris dignitatem, in Apoſtolorum authoritate & poteſtate, quæ fuit ſumma & incomparabilis, *Quomodo Pater me miſit, ſic & ego vos mitto*; h. e. Quomodo me ſolum & unum Pater in terris audiri voluit, eandem ego vobis facio poteſtatem. Eodem illa pertinent Luc. 22. 29. *Quomodo Pater diſpoſuit mihi Regnum ita & vobis ego diſpono.*

GROTIUS.

1. ΤΗ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων, *Una autem Sabbati.*] Quæ dies more Hebræo ceperat ab occaſu Solis Sabbati. ¶ Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, *Maria Magdalene*] Unam præcipuam nominat pro pluribus. Sic Marc. xv. 47. ſi cum Matthæo conferas. ¶ Ἐρχεται πρωὶ σκοτίας ἔτι οὔσης, *venit mane cum adhuc tenebræ eſſent*] Fine noctis exiit, pervenit ubi nonnihil illuxerat. Oſtenditur mulieris ſedulitas, quæ ſublato impedimento legitimo Sabbati & naturali noctis, nullum tempus officio vacare permiſit. ¶ ἠρμένον ἐκ τοῦ μνημείου· *ſublatum à monumento*] Ablatum ab ore ſpecus & ſeorſim poſitum, Matth. xxviii. 11. Ergo ἐκ [*ex*] eſt ἀπὸ [*à*], ut & alibi.

2. Τρέχει οὖν, *Currit ergo*] Breviter hic tantum narrat quod mox exſequetur fuſius. Hic enim occaſio refertur quæ Petrum & Johannem ad ſepulchrum perduxit; mox quomodo rei geſtæ ordo ſingulatim cognitus fuerit. ¶ Καὶ ἔρχεται πρὸς Σίμωνα Πέτρον, καὶ πρὸς τὸν ἄλλον, *& venit ad Simonem Petrum & ad alium*] Ad omnes quidem Diſcipulos numero undecim, ſed ita ut cum his tanquam eminentibus peculiariter ſermonem conferret. ¶ Ἦραν τὸν Κύριον ἐκ τοῦ μνημείου, *Tulerunt Dominum de monumento*] Hebraiſmus, pro *Sublatus eſt Dominus è monumento.* Viderat quidem ipſum, ſed φάντασμα [*ſpectrum*] crediderat, ut & ipſa referente alii, Luc. xxiv. 21, 22, 23, 24, 25. ¶ Καὶ οὐκ οἴδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτόν. *& neſcimus ubi poſuerunt eum*] Ubi relictum ſit corpus: in via, an in ſepulchro alio.

3. Εἰς τὸ μνημεῖον. *in monumentum*] Laxius ſic dictum; id eſt, *intra ſpecum.* Vide quæ ad Matthæum.

4. Προέδραμε τάχιον τοῦ Πέτρου, *præcurrit citius Petro*] Ætate velocior.

5. Καὶ παρακύψας, *Et cum ſe inclinaſſet*] Capite in ſpecum intromiſſo. ¶ Τὰ ὀθόνια· *linteamina*] *Faſcias* illas, de quibus ſupra in Lazari hiſtoria. ¶ Οὐ μέντοι εἰσῆλθεν. *non tamen introivit*] Juvenili quadam ἀπροσεξίᾳ [*incuria*].

6. Ἔρχεται οὖν Σίμων Πέτρος, *Venit ergo Simon Petrus*] Ætate prudentior, eoque diligentius omnia explorans. ¶ Εἰσῆλθεν εἰς τὸ μνημεῖον, *introivit in monumentum*] Μνημεῖον [*monumentum*] hic intellige ipſam ſpeluncam.

7. Τὸ σουδάριον, *ſudarium*] Vide ſupra xi. 44. ¶ Χωρὶς ἐντετυλιγμένον εἰς ἕνα τόπον. *ſeparatim involutum in unum locum*] Εἰς ἕνα τόπον [*in unum locum*], id eſt, loco proprio & peculiari. Hæc tam accurata collocatio linteorum amovebat furti ſuſpicionem. Fures enim feſtinant, nec agunt aliena à ſuo inſtituto.

8. Καὶ εἶδε, καὶ ἐπίστευσεν· *& vidit, & credidit*] Credidit certo abeſſe corpus, quod Mariæ Magdalenæ referenti non crediderat, & de quo conſpectis faſciis dubitaverat.

9. Οὐδέπω γὰρ ᾔδεισαν τὴν γραφὴν, *Nondum enim ſciebam Scripturam*] Eſt ἀπολογισμὸς τῆ συντιμένου [*redditio rationis ad id quod ſubticetur*], quaſi dicat, Corpus illud vitæ redditum nondum credebat Johannes: nam & ille & Diſcipuli alii nondum ſatis perceperant id quod Scriptura prædixerat de ejus reſurrectione. Sæpe quidem audiverant Dominum id pollicentem, ſed rei magnitudo & ingenii tarditas obſtabant quo minus hoc in animum admitterent, Lucæ xxiv. 12. ¶ Τὴν γραφὴν, *Scripturam*] Id eſt, ſenſum ſacrorum ſcriptorum qui ſub figuris & typis hoc indicaverant, ut Pſal. ii. & xvi. & apertius cx. Vide Lucæ xxiv. 27.

10. Ἀπῆλθον οὖν πάλιν πρὸς ἑαυτοὺς οἱ μαθηταί. *Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos*] Οἱ μαθηταὶ [*diſcipuli*] id eſt, Petrus & Johannes. πάλιν [*iterum*] ſume ut ſupra xix. 4. *Redierunt in locum unde venerant.* πρὸς ἑαυτοὺς [*ad ſe*] *in eam domum in quam diverterant:* de quo loquendi genere vide ſupra xviii. 28.

11. Μαρία δὲ εἱστήκει, *Maria autem ſteterat*] *Steterat.* Dicta enim hæc cenſemus per ἐπάνοδον [*Retrogreſſionem*]. Vide quæ ad Matthæum: & ad eum modum interpretanda quæ ſequuntur. ¶ Ἔξω, *foris*] *Extra ſeptum.* ¶ Παρέκυψεν, *inclinavit ſe*] *Introſpexit intra ſeptum.* Confer Matthæum.

12. Ἐν λευκοῖς, *in albis*] Vide Matth. xxviii. 3. Apoc. i. 14. ¶ Πρὸς τῇ κεφαλῇ, *ad caput*] Qua parte caput ſitum fuerat. Vide ad Matthæum xxviii. 6. ¶ Ὅπου ἔκειτο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ. *ubi poſitum fuerat corpus Jeſu*] Explicatio ejus quod dixerat de *capite* & *pedibus*, ut intelligatur locus ſeptionis ei loco reſpondiſſe; à Septentrione in Auſtrum, ut creditur.

13. Τί κλαίεις; *quid ploras?*] Conſolantium eſt: quaſi dicant, *nulla cauſa flendi eſt:* addita ratione quæ apud alios Euangeliſtas legitur. ¶ Ἦραν, *abſtulerunt*] *Sublatus eſt* à furibus, aromatum forte lucrandorum cauſa. ¶ Πῦ ἔθηκαν αὐτόν. *ubi poſuerunt eum*] Ut ſupra. Confer Cant. iii. 1.

14. Ἐστράφη εἰς τὰ ὀπίσω, *Converſa eſt retrorſum*] Oculos à monumento ad hortum vertit, ut ſolent anxii. ¶ Καὶ οὐκ ᾔδει ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστι. *& non ſciebat quia Jeſus eſt*] Impediebatur plenus contuitus ad tempus, ut & vocis perceptio, ut Lucæ xxiv. 16.

15. Ὁ κηπουρός ἐστι, *hortulanus eſſet*] *Horti illius colonus.* ¶ Πῦ ἔθηκας αὐτόν. *ubi poſuiſti eum*] Illum quem ſcis à me quæri. Valde probabile videbatur ab hoc potius quam ab alio ablatum corpus, quod nemo liberiorem haberet aditum. ¶ Κἀγὼ αὐτὸν ἀρῶ. *& ego eum tollam*] Si hic locus illi non eſt, inveniam ubi honeſte ſepeliatur, ne tanti viri corpus inimicis ſit ludibrio.

16. Μαρία. *Maria*] Hoc protulit eo ſono qui facile cognoſceretur. ¶ Ῥαββουνὶ, *Rabbuni*] Quomodo appellare eum ſolebant, Marci x. 51. Erat hoc Hebræum illius temporis.

17. Μή μου ἅπτου· οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου *Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum*] Similis eſt hic locus, ſi quid recte judico, illi apud Matth. xxvi. 29. Nam ut ibi *fructus vitis* ſive vinum, alium habet ſignificatum in priore membro, alium in ſecundo in quo repetitum cenſetur, ita hic ἅπτεσθαι [*tangere*]. Quaſi dicat Jeſus, Vis me tangere, Maria, id eſt, vis omnino frui amicitia mea: id nunc non licet, cum tantum οἰκονομικῶς [*diſpenſative*] ad fidem veſtram roborandam me do conſpiciendum. At ubi ad Patrem adſcendero, veniet tempus cum frui mea amicitia perfectiſſime poteris, non terreſtri contactu, ſed tali qui loco illi, id eſt, cœlo conveniat, ſpirituali. Philo, Τῆς ἀνὰ πᾶν τὸ σῶμα ἐκτεταμένης δυνάμεως, ἣν ἔθος ἀνομάζειν ἁφήν [*Facultatis ejus quæ per totum corpus ſpargitur, quam ſolemus tactum nominare*]. Ideo fruitio voce *tactus* optime indicatur. Confer Cant. iii. 4. ¶ Πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου, *ad fratres meos*] Hoc nunc honorifico titulo merentes Diſcipulos erigit. Vide ad Matth. xxviii. 10. Obiter ipſa verba digitum intendere videntur ad vaticinium Pſ. xxii. 23. ¶ Καὶ εἰπὲ αὐτοῖς, *& dic eis*] *Hæc mea verba ipſis refer.* Sequitur enim oratio directa. ¶ Πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, *Patrem meum & Patrem veſtrum*] In quem fiduciam veſtram tuto ponere poteſtis, ut ego poſui & reſuſcitatus ſum.

18. Ὅτι ἑώρακε τὸν Κύριον, *Quod vidiſſet Dominum*] *Quod aliquem vidiſſet quem ipſa Dominum crediderat.* Nam dubitabat iterum an non fuiſſet viſio incorporea.

19. Οὔσης οὖν ὀψίας, *Cum ergo eſſet ſero.*] *Jam multa nocte.* Vide quæ ad Marcum & Lucam. ¶ Τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, *die illa, una ſabbatorum*] Ea die quam modo nominavi: ideo nuncupationem repetit. ¶ Καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ συνηγμένοι, *& fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati*] Deſignatio eſt ejus quod clam fit, ii Reg. iv. 4. Eſaiæ xxvi. 20. Matth. vi. 6. Actor. xii. 12, 13, 14. ¶ Διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, *propter metum Judæorum*] Referendum hoc ad utrumque membrum præcedens. Cauſa enim redditur cur cœtus habuerint nocturnos, & cur clauſis januis: nimirum ne ſi cœtus de die & palam haberent, Judæorum odia & pœnas publicas aut ſeditionem in ſe commoverent. Noctu habitos ſæpe, præ metu, Chriſtianorum cœtus ex Plinio & Tertulliano liquet. Etiam januis clauſis convenire ſolitos ob cauſam ſimilem apparet Actor. xii. 13. ¶ Ἔστη εἰς τὸ μέσον, *ſteti in medio*] Subito inter ipſos adſtitit, ita ut qua veniſſet non appareret. Solutor Quæſtionum ad Orthodoxos, Χρὴ δὲ ὑμᾶς ἐννοῆσαι ὅτι τὰ ἰσοδύναμα τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν συγχωρουμένων αὐτῶν, καὶ τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν ἀναιρουμένων αὐτῶν. Ἰσοδυναμεῖ δὲ τὸ περιπατεῖν ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἐν ἀτρέπτῳ σώματι, τῷ εἰσελθεῖν πρὸς τοὺς ἀποστόλους ἐν ἀτρέπτῳ σώματι, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων [*Cogitandum vobis eſt ea quæ paria ſunt parem habere fidem ſive concedantur, ſive negentur. Paria autem ſunt ambulare ſuper mare corpora non mutato, & corpore non mutato penetrare ad Apoſtolos clauſis januis*]. Cyrillus, *Hic nullus quærat, quomodo clauſis januis corpus Domini penetravit, cum intelligat non de homine nudo, ut modo nos ſumus, ſed de omnipotente Filio Dei hæc ſcribi.* Factum hoc ſeptimo die poſt Paſcha, quali die olim mare ceſſerat Iſraelis populo, qui figura Chriſti. ¶ Εἰρήνη ὑμῖν. *Pax vobis*] *Salvete.* Ea voce trepidos confirmavit.

20. Ἔδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν αὐτῦ. *Oſtendit eis manus & latus*] Etiam pedes, quod addidit Lucas: in quibus locis crucifixionis & transfixionis erant veſtigia. ¶ Ἐχάρησαν οὖν οἱ μαθηταὶ, *Gauiſi ergo ſunt Diſcipuli*] Ita impletum eſt quod Chriſtus prædixerat XVI. 22. ¶ Ἰδόντες τὸν Κύριον. *videntes Dominum*] Emphaſin hoc habet: non imaginem aliquam ipſius, ſed plane ipſum, eodem corpore.

21. Καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατὴρ, *ſicut miſit me Pater*] Nempe ad annunciandum Euangelium: ſupra XVII. 18. Significat ſe legatione defunctum. ¶ Κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς. *& ego mitto vos*] *Mittam brevi.* Præſens pro futuro proximo.

22. Καὶ τῦτο εἰπὼν ἐνεφύσησε, *Hac cum dixiſſet inſufflavit*] Sicut paſſionem ſuam futuram ſignis aptis præfiguravit, ita & miſſionem Spiritus Sancti, qui vento comparatur Actorum II. 2. Sufflando datus erat homini Spiritus vitæ: Sufflando promittitur Spiritus Sanctus. ¶ Λάβετε Πνεῦμα ἅγιον, *Accipite Spiritum Sanctum*] Tam certi eſte vos accepturos Spiritum, quam ſentitis hunc flatum, Actor. I. 4. Sic interpretatur Chryſoſtomus Homilia prima ad Acta Apoſtolica.

23. Ἂν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, *Quorum remiſeritis peccata*] Aliter ἀφίεσθαι dicitur de Apoſtolis, aliter de Deo: nam alterum eſt in conditione, alterum in promiſſione. Remiſerunt Apoſtoli peccata quoties aut profitentes fidem per baptiſma receperunt in Eccleſiam, ut Actor. II. 38. 41. aut quoties lapſos poſt ſeriæ pœnitentiæ teſtimonium receperunt in ſuam communionem, II Corinth. II. 10. Utrumque in interpretatione hujus loci recte conjunxit Cyprianus Epiſt. LXXIII. ¶ Ἀφίενται αὐτοῖς· *remittuntur eis*] Etiam apud Deum tales recipientur in gratiam; judicio ſcilicet recte peracto. Et hujus remiſſionis viſibile ſignum erat ſanatio morborum qui ob peccatum inflicti erant, Jacobi V. 14. ¶ Ἂν τινων κρατῆτε, *quorum retinueritis*] Aut Baptiſmum non impartiendo, quippe incredulis; aut à communione arcendo, ut contumaces, I Cor. V. Tertullianus, *Summum futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit ut à communicatione orationis & conventus & omnis ſancti commercii relegetur.* Vide quæ ad Lucam VI. 22. ¶ Κεκράτηνται, *retenta erunt*] Etiam Deus tales à ſuo favore alienos habebit. Atque ejus rei ſignum erunt immiſſa cæcitas, Actorum XIII. 11. Diaboli in ipſos viſibile dominium, I Corinth. V. 5. I Timoth. I. 20. & mala alia.

24. Εἷς ἐκ τῶν δώδεκα, *unus ex Duodecim*] Sic poſt mortem Theramenis ii qui Athenas regebant vocantur οἱ τριάκοντα [*triginta viri*] Xenophonti libro II. Sic Judic. IX. 5. & 24. ſeptuaginta filii Gedeonis dicuntur occiſi, cum excipiendus ſit Jotham. ¶ Οὐκ ἦν μετ' αὐτῶν ὅτε ἦλθεν ὁ Ἰησῦς. *non fuerat cum illis quando venit Jeſus*] Negotio aliquo, ut credibile eſt, occupatus. Itaque cum *Undecim* nominantur, intelligendum eſt id poſt Judam ſublatum collegii fuiſſe nomen, ut ante *Duodecim*. Vide Matth. XXVIII. 16.

25. Ἑωράκαμεν τὸν Κύριον. *Vidimus Dominum*] Haud dubie ampliori ſermone totam rei hiſtoriam exſecuti ſunt; at Johanni ſufficit ſummam tradere. ¶ Ἐὰν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων, *Niſi videro in manibus ejus figuram clavorum*] Solebant damnati clavis ad crucem figi; id προσηλοῦσθαι [*adclavari*] dicitur Græcis, quo alludens Paulus eadem voce utitur Col. II. 14. Hinc Apulejo, *Carnoſi clavi pendentium.* Et huc Seneca alludens, *Cum refigere ſe crucibus ſuis conentur, in quas unusquiſque clavos ſuos adjecit. Infixum manibus chalybem* dixit Lucanus. τύπος [*typus* ſive *figura*] autem vox Græca eſt, ſed qua & Hebræi poſteriores utuntur. Proprie autem admodum hæc vox hoc loco uſurpatur. Sic Plinius, *quibus impreſſa argilla typum fecit.* ἐνδύεται τύπος eſt apud Platonem, *imprimitur typus.* ¶ Καὶ βάλω τὸν δάκτυλόν μου εἰς τὸν τόπον τῶν ἥλων, *& mittam digitum meum in locum clavorum*] Puto veram eſſe hanc lectionem quam ſecutus eſt Latinus, & oſtendit vetuſtiſſimus ille in Anglia manuſcriptus, & male apud alios repeti τύπον [*typum*]· τύπος [*typus*] videtur, τόπος [*locus*] impletur. Syrus autem utroque loco legit τόπον [*locum*], quod itidem non probo. ¶ Καὶ βάλω τὴν χεῖρά μου εἰς τὴν πλευρὰν αὐτῦ, *& mittam manum meam in latus ejus*] Omnem enim Paſſionis hiſtoriam ex Johanne atque aliis didicerat; & apte minori vulneri digitum, majori manum deſtinat. ¶ Οὐ μὴ πιστεύσω. *non credam*] *Non credam ipſum reſurrexiſſe:* potius deceptos putabo omnium oculos, phaſma apparuiſſe. Vide Lucæ XXIV. 37.

26. Μεθ' ἡμέρας ὀκτὼ, *Poſt dies octo*] Videntur Diſcipuli ſemel reſurrectionis die Domini experti præſentiam eundem diem in poſterum ſolemnibus conventibus dicaſſe, Actor. XX. 7. I Corinth. XVI. 2. Hinc dicta ἡμέρα κυριακὴ [*dies Dominica*] Apoc. I. 10. ¶ Ἔρχεται ὁ Ἰησῦς τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *venit Jeſus januis clauſis*] Omnia quæ ſemel fecerat iterat in Thomæ gratiam: exemplum dans συγκαταβάσεως [*accommodationis*], de qua vide Rom. XV. 1.

27. Φέρε τὸν δάκτυλόν σου ὧδε, *Fer digitum tuum huc*] Repetit Thomæ verba, ut ſe omniſcium oſtendat. ¶ Βάλε εἰς τὴν πλευράν μου. *mitte in latus meum*] Omnino quod jubet Chriſtus feciſſe Thomam puto, & tum exclamaſſe. Tertullianus Adverſus Praxeam, *Ipſe & auditus & viſus, &, ne phantaſma crederetur, etiam contrectatus.* ¶ Καὶ μὴ γίνου ἄπιστος, *& noli eſſe incredulus*] Incredulitas aliquid habet de voluntario. ¶ Πιστός. *credens*] Hæc vox Græcis *fidelem* aut *conſtantem* ſignificat; at noſtris etiam *eum qui credit*; τὸν πιστεύοντα [*eum qui credit*] itaque hic videmus opponi ἀπίστῳ [*incredulo*], ut & II Corinth. VI. 15. & hoc ſenſu ſæpe occurrit, ut Act. X. 45. XVI. 1. I Tim. IV. 3. IV. 10, 12. V. 16. VI. 2.

28. Ὁ Κύριός μου, *Dominus meus*] Nominativus pro Vocativo: quod frequens Atticis, ſed & Helleniſtis, ut in hac ipſa voce apparet Pſalm. XXXV. 23. Marci XV. 34. & in alia ſenſus ejusdem Pſalm. XXII. 1. XXXV. 23. Sic hac voce oſtendit Thomas ſe ei parere velle. ¶ Καὶ ὁ Θεός μου. *& Deus meus*] Hic primum ea vox in narratione Euangelica reperitur ab Apoſtolis Jeſu tributa, poſtquam ſcilicet ſua reſurrectione probaverat, ſe eſſe à quo vita & quidem æterna exſpectari deberet. Vide ſupra XI. 25. Manſit deinde ille mos in Eccleſia, ut apparet non tantum in ſcriptis Apoſtolicis, ut Rom. IX. 5. & veterum Chriſtianorum, ut videre eſt apud Juſtinum martyrem contra Tryphonem, ſed & in Plinii ad Trajanum epiſtola, ubi ait Chriſtianos *Chriſto, ut Deo, carmina cecinisſe.*

29. Ὅτι ἑώρακάς με, πεπίστευκας· *Quia vidiſti me, credidiſti*] Verbo *videndi* hic etiam Tactus comprehenditur. Sic & Auditus Exodi XX. 18. Jerem. II. 31. & Marci XV. 4. & in Græco Ezechielis III. 13. Alibi Odoratus, Geneſ. XXVII. 27. πεπίσευκας [*credidiſti*], id eſt, *credis.* Frequens enim eſt in verbis Affectuum ut præterita pro præſentibus ponantur. ¶ Μακάριοι, *beati*] Id eſt, *præferendi ſunt.* Sic Lucæ XI. 28. Poſitivus pro comparativo, ut I Cor. VII. 8. ¶ Οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύσαντες. *qui non vident & credunt*] Nam hoc vere eſt de Dei potentia ac bonitate recte ſentientium, fidem adhibere probabilibus teſtimoniis de ea re quæ ad ſanctiſſimum dogma confirmandum pertinet. Eſt autem & hic aoriſtus pro præſenti: præſens autem pro quovis tempore. Nam de credituris Apoſtolorum teſtimonio, & quidem longe poſitis à Judæa hominibus, præcipue agitur. Similis emphaſis apud Petrum I Epiſt. I. 8. ὃν οὐκ εἰδότες ἀγαπᾶτε [*quem cum non videritis diligitis*], & quæ ſequuntur.

30. Πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα σημεῖα, *Multa quidem & alia ſigna*] Omnino arbitror quæ hic ſequuntur concluſionem eſſe totius operis & ibi finiiſſe Johannem librum quem edidit. At ſicut caput ultimum Pentateuchi & caput ultimum Joſuæ, poſt Moſis & Joſuæ mortem, additum eſt à Synedrio Hebræorum: ita & caput quod ſequitur poſt mortem Johannis additum ab Eccleſia Epheſina, hoc maxime fine, ut oſtenderetur impletum quod de longævitate ac non violenta morte Johannis Dominus prædixerat. Cætera autem quæ in eo capite narrantur, addita ad demonſtrandum tempus, locum & occaſionem illius oraculi. Argumento eſt quod in fine capitis clauſula huic ſimilis repetitur, & quidem hoc modo, οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτῦ [*ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus*]· quibus verbis Eccleſia oſtendit ſe de ſupra poſitis à Johanne, & de his etiam quæ ex privatis ipſius commentariis erant depromta minime dubitare, cum alioqui ſi Johannes hoc ſcripſiſſet, dicturus fuiſſet ut ſupra, κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει [*& ille ſcit quia vera dicit*], XIX. 35. ¶ Ἐνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτῦ, *in conſpectu Diſcipulorum ſuorum*] Quaſi dicat, Ea miracula narravi quæ magna turba conſpiciente facta ſunt. Quæ vero coram familiaribus tantum, pauca, ut quod bis januis clauſis intraverit. Rationem ſubjicit. ¶ Ἃ οὐκ ἔστι γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τύτῳ. *quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*] Ut minime neceſſaria.

31. Ταῦτα δὲ γέγραπται, *Hæc autem ſcripta ſunt*] Hæc non adeo multa, ſed præcipua, & ad locum aliquem Veteris Fœderis reſpicientia. ¶ Ἵνα πιστεύσητε ὅτι Ἰησῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τῦ Θεῦ, *ut credatis quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei*] Ille Abrahamo, Jacobo, Davidi promiſſus: quod ipſe palam profeſſus eſt addiditque ut id appareret, & miracula à ſe facta vaticiniis congruentia, & ſe reſuſcitatum iri.

¶

¶. Ινα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε, *ut credentes vitam habeatis*] *Jus ad vitam aternam.* Supra III. 15, 36. V. 24. Sic Petri 1 Epist. 1. 9. Κομιζόμενοι τὸ τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν, σωτηρίαν ψυχῶν [*Reportantes finem fidei vestra, salutem animarum*]. Quæ intelligenda sunt de fide non qualicunque, sed actuosa; ad quam ducunt Lex & Prophetæ.

CAP. XXI.

VALLA.

3. ET *ascenderunt in navem*] Deest *statim*, εὐθὺς, ut sit *ascenderunt in navem statim.* ¶ *Et illa nocte nihil prendiderunt*] Et iterum v. 10. *Afferte de piscibus quos prendidistis.* Alii codices melius habent *ceperunt* & *cepistis.* Alii optime, & quidem vetustiores, *prehenderunt* & *prehendistis.* Hoc etsi nihil ad Græcam originem pertinet, tamen ad veritatem facit Euangelicæ scripturæ, quia non puto ab Interprete translatum per vocem barbaram, *prendiderunt* & *prendidistis.*

5. *Nunquid pulmentarium habetis?*] Non pejus legatur, *Num quod pulmentarium habetis?* μήτι προσφάγιον.

7. *Succinxit se tunica*] Potius *pallium* quam *tunicam* significat, ἐνεδύτην.

15. *Simon Joannis*] Legendum est *Jona*, non *Joannis*, ut in bonis nonnullis cod. legitur, Σίμων Ιωνᾶ. ¶ *Diligis me plus his? Dicit ei, Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos.*

16. *Dicit ei iterum, Simon Jona, diligis me? Ait illi, Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Ait illi, Pasce agnos meos*] Gr. *oves meas.* Bis enim de Ovibus, semel de Agnis commendatio fit. Neque idem nunc verbum est, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, h. e. *Rege, & ut pastorem decet, guberna*, quod superius βόσκε, quasi *pascua prabe*, quod iterum in commendandis ovibus repetitur.

17. *Dicit ei tertio, Simon Jona, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, Amas me? & ait ei, Domine, omnia tu nosti, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce oves meas*] Βόσκε τὰ πρόβατά μου. Varietas hæc verborum *diligo* & *amo* non ab Interprete est, sed è Græco: nam *diligo* redditur illi ἀγαπῶ, *amo* illi φιλῶ, quæ verba nunc & fere semper ab Ecclesiasticis indifferenter accipiuntur tam Latine quam Græce, ut ex ipsa loci hujus inspectione datur intelligi. Itidem *dilectio* & *charitas*, quarum altera verbo φιλῶ, altera verbo ἀγαπῶ ab Interprete redditur, etsi nonnunquam idem utatur *amor.* Veteres tamen aliter distinxerunt & *amo* & *diligo*, & item *amorem* & *charitatem*: nam *dilectione* nescio an usi sint. Quo minus probandus est Remigius vir ut illo seculo satis doctus, qui ait inter *dilectionem* & *charitatem* hoc differentiæ esse, quod *dilectio* Latinum nomen est, *charitas* Græcum; cum *charitas* nusquam apud Græcos reperiatur, nec aliter à *charus* fiat quam à *clarus claritas*, à *sanus sanitas*, à *bonus bonitas.*

18. *Amen amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus, & alius te cinget, & ducet quo non vis*] Cur Interpres ait *ambulabas ubi volebas*, & *ducet quo non vis*? Quin potius, *ambulabas quo volebas.* Apud Græcos enim duntaxat Ecclesiasticos ambiguum est ὅπου, tamen apud nos non unum anceps adverbium est, sed duo distincta, *ubi*, & *quo.* Apud quosdam tamen Doctores Ecclesiæ lego utrobique *quo.* Illud quoque *cingebas te* ego dixissem, *cingebas teipsum*, sive *te ipse*, σεαυτόν.

22, 23. *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exivit ergo sermo inter fratres quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus, Quia non moritur; sed, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?*] Hic error nihil minus quam Interpretis est, sed alicujus qui vel scribendo indiligenter vel emendando temerarie unam literam c adjecit, pro *Si* faciens *Sic*, quod Græce est ἐάν. Augustinus ne hic quidem Græcam veritatem consulens sperat se inter falsa verum invenire. Disputarem quam absurdum sit dicere *sic*, quam è diverso consentaneum dicere *si*, nisi & veritati Græcæ nolim hanc contumeliam facere ut in aperta re disputem, & quia ab Augustino nihil adversus hanc Græcam scriptoram Græcamque sententiam differitur, & omnes ante eum tam Latini quam Græci ita exposuere hunc locum: Eo quidem magis quod non minus apte, ne dicam aptius, transferri queat per subjunctivum, ut Græca conjunctio docet, ut absonum sane sit & valde absurdum sic loqui, id est, sic transferre, *Dicit ei Jesus, Sic eum velim*, sive *Sic enim vellem, manere donec veniam, quid ad te?* è diverso autem concinnum & communi intellectui accommodatum, *Si enim vellem*, sive *Si enim velim manere donec veniam, quid ad te?* Quo magis eundem Augustinum miror dicentem in libris Confessionum, hujus Euangelii principium pene totum & alia quædam loca reperiri in libris quibusdam, sive Platonicis, sive Platonicorum (nam ambigue legitur) è Græco in Latinum translatis, quos nescio qui (neque enim ab ipso nominantur) ei ostenderunt. Si enim Platonis sunt libri, locos librorum notare, sin Platonicorum, autores nominare debuerat, ut quanta hominibus esset fides habenda sciremus. Equidem ipse, ut cætera taceam, illos seu Platonicos seu Platonicorum locos etiam ad literam subjecissem. Nunc in tanta re, vel Euangelica, vel ad Euangelium pertinente, Græci fontis veritate omissa, postulat ut sibi credamus, quam Græcæ linguæ periti reperire se negant. Quare ubi de scriptura Græca sine autoritate agitur, ibi Augustinus, magnus alioqui autor, tamen non bene sentiens, neutiquam magnæ habendus est autoritatis.

REVIUS in VALLAM.

3. ΕΤ ἐὰν] Commodius quam erat collocavi.

23. *Augustinus ne hic quidem Græcam*] Reprehendit ad hunc locum Vallam Erasmus, quasi Augustinum, idque nimis acerbe, convitiis infectatus sit, *Augustinus*, inquiens, *ne hic quidem Græcam consulens veritatem, sperat se inter falsa verum invenire:* & aliquanto post odiosius, *Nunc in tanta re, vel Euangelica, vel ad Euangelium pertinente, Græci fontis veritate omissa, postulat ut sibi credamus*, &c. Ac mox Augustini patrocinium suscipit, quem non *sic* sed *si* legisse vult. Quod ad posterius dictum Vallæ attinet, de eo mox agemus. In priori nego ullum convitium esse: & dico recte Augustinum à Valla reprehensum, male ab Erasmo defensum esse. Quod Augustinus *Græcam veritatem hic non consuluisse* dicatur, sine contumelia dicitur. Quod si in eo est convitium, quale erit quod Erasmus hoc ipso loco ait Augustinum *pro ingenii simplicitate impense credulum* fuisse, *neque proinde munitum præsidio linguarum, etiamsi non omnino rudis fuerit Græcanica literatura, at non eousque doctus ut Græcos interpretes expedite posset evolvere?* quod item eum *non insectandum* sed *miserandum & sublevandum* putat? quod eum confert cum eo *qui per imperitiam literarum his verbis baptizaris*, IN NOMINE PATRIA, ET FILIA, ET SPIRITA SANCTA? Profecto aut me vehementer animus fallit, aut, si revivisceret Augustinus, verbera, si ita libet vocare, Laurentii hoc loco mallet quam oscula Erasmi. Sed in hoc forte major est acerbitas, quod *Augustinus inter falsa verum*, ut ait Valla, *sperat invenire.* Nihil minus. Nam falsitas non Augustino sed versioni in quam is incidit tribuitur: veritatis autem inquisitio etiam inter falsa (quæ quis præsertim falsa esse ignorat) laudabilis est. Jam ad rem ipsam accedamus. Dicit Erasmus, *Si quis attentius excutiat expositionem Augustini, comperiet eum legisse* Si eum, *non* Sic eum, *atque illud* hic *ab indocto quopiam corruptum:* idque in speciem ita probat ut & Bezam in eundem errorem introduxerit: *cum*, inquit, *ut erudite annotat Erasmus, à librariis depravatus sit Augustinus.* Non jam interrogabo Erasmum cur hoc mendum ex Augustino non sustulerit cum ei corrigendo operam daret: potuit enim ejus diligentiam effugisse;

Atque opere in magno fas est obrepere somnum.

hoc ergo non urgebo: sed primo ostendam errare Erasmum; deinde, ejus probationem nullam esse, idque ex ipso Erasmo, atque adeo ex hoc ipso loco. Quid ais, Erasme? Augustinus legit *si*, non *sic*? & hoc patet ex ejus expositione? Recognosce ergo verba tua quæ, quibusdam interjectis, sequuntur, *Solus Augustinus inter veteres legisse potest videri*, SIC EUM VOLO MANERE, (antea dixit, *quibusdam* ita *legisse videri:* hic ergo nihildum affirmat) *deceptus mendo codicis* (quo mendo, si legit *si*, quæ est vera lectio? sed & hoc fortasse referet ad verbum *videri:* verum non ita elabetur) *& ob id offensus absurditate sermonis torquet sensum variis interpretationibus.* Attende, lector. *Torquet* Augustinus *sensum varias interpretationibus*, idque *offensus absurditate sermonis:* in utro autem est absurditas? in *si*, an in *sic*? non in *si*, sed in *sic:* legit ergo *sic*, non *si:* alioqui nulla causa erat cur sensum torqueret. Accedamus jam ad probationem Erasmi. *Etenim*, inquit, *cum*

fatetur, objici poſſe, Dominum non dixiſſe quidem quod Johannes non eſſet moriturus, ſed tamen innuiſſe, nonne ſatis aperit quid legerit? Nam rogatus quomodo velit ſterni lectum, ſi reſpondeat, Sic volo manere, non ſignificat velle inſtratum manere, ſed clare explicat: at ſi reſpondeat, Quid ſi ita velim manere: ſubſignificat nolle ſterni, ſed ſic ut in dubio relinquat quid velit, &c. Hic reſpondeo, & Eraſmum negligenter retulille objectionem quam ſibi movet Auguſtinus, & perperam intellexiſſe. Non ait Auguſtinus *objici poſſe, Dominum non dixiſſe quidem quod Johannes non eſſet moriturus, ſed tamen innuiſſe, ita ut* (ſic enim explicat) *in dubio reliquerit quid velit:* ſed ita proponit objectionem, *Verum eſſe quod ait Johannes, Non dixiſſe Dominum quod diſcipulus ille non moritur, ſed hoc tamen ſignificatum eſſe talibus verbis qualia ipſum dixiſſe narravit.* Senſus eſt, Non dixiſſe hoc Chriſtum totidem verbis, ſed æquipollentibus. Quid ad hoc Auguſtinus? Negat hæc æquipollere, *non mori Johannem, & manere donec veniat Chriſtus: manere* enim non eſſe *remanere* nec *permanere* ait, ſed *exſpectare:* item per *Johannem* qui manſurus ſit intelligi cognitionem rerum Divinarum, quæ hic inchoata tantum ſit, & *maneat* perfectionem ſuam in futura vita. Nuſquam autem confugit ad particulam conditionalem *ſi*; quam ſi legiſſet, tribus verbis difficultatem expedire potuiſſet, imo difficultas nulla fuiſſet. Ipſe etiam Eraſmus in hoc argumento ſibi contradicit. Poſtquam enim dixiſſet, *Si legamus*, SIC EUM VOLO MANERE, *plane dixit eum non moriturum*, nonnullis interjectis, quaſi ſeipſum refutaturus, ait, MANERE *non ſignificat ſimpliciter* NON MORI, *ſed* NON MORI AD EXEMPLUM CHRISTI, i. *violenta morte*, ut in eadem periodo dicit. En hominem cui Auguſtini defenſionem committas! Porro, ut notis, lector, conſtanter Auguſtinum & legiſſe & interpretatum eſſe *Sic volo*, ideoque jure a Valla reprehenſum, vide eum De conſenſu Euang. l. 4. p. 532. & Tractatu toto 124 in Johannem, qui incipit p. 568. nec mihi, ſed oculis tuis crede. ¶ *Quam Græca lingua penitus reperire ſe negant*] Utinam hic, ubi oportebat, tam accurate Auguſtinum adverſus Vallam defendiſſet Eraſmus quam hoc conatus eſt in mala cauſa: ſed dum neſcio quam acerbitatem in Valla frigide inſectatur, in re ipſa clientem ſuum deſtituit. Quod ille ergo neglexit, nos, ut ſpero, faciemus. Miratur Valla *Auguſtinum dicentem hujus Euangelii principium pene totum, & alia quædam loca reperiri in libris quibuſdam Platonicis ſive Platonicorum tranſlatis in Latinum*, cum ea in Græcis non reperiantur, &c. Sed notet adverſum hæc lector, non dicere Auguſtinum (locus eſt Confeſſ. l. 7. c. 9.) ipſum principium Johannis, & ipſa illa alia loca in iis libris ſe reperiſſe, ſed, *Et ibi legi* (verba Auguſtini ſunt) *non quidem his verbis, ſed hoc idem omnino multis & multiplicibus ſuaderi rationibus, quod* IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, &c. Jam ſubit mirari Vallam, ſi negat hæc talia apud Platonem Platonicoſve exſtare. Quid? nihil illi περὶ λόγου philoſophantur quod ad doctrinam Chriſtianorum hac in parte accedit? Age, mittamus omnes; unum Amelium videamus, cujus verba ſunt apud Euſebium Εὐαγγ. προπαρασκ. l. 11. & cauſa pro Auguſtino perorata erit, quantum quidem ad initium Euangelii attinet; Καὶ οὗτος ἄρα, ait Amelius, ἦν ὁ Λόγος, καθ' ὃν αἰεὶ ὄντα τὰ γινόμενα ἐγίνετο, εἰς ὃν καὶ ὁ Ἡράκλειτος ἀξιοῖ, καὶ νὴ Δί' ὃν ὁ βάρβαρος ἀξιοῖ ἐν τῇ τῆς ἀρχῆς τάξει τε καὶ ἀταξίᾳ καθεζηκότα πρὸς Θεὸν εἶναι, καὶ Θεὸν εἶναι· δι' ὃ καὶ πάνθ' ἁπλῶς γεγενῆσθαι· ἐν ᾧ τὸ γενόμενον ζῶν, καὶ ζωὴν, καὶ ὃν πεφυκέναι, καὶ εἰς τὰ σώματα πίπτειν, καὶ σάρκα ἐνδυσάμενον φανταζεσθαι ἄνθρωπον· μετὰ καὶ τῆ γυμνοῦτα δεσποίνῃ τῆς φύσεως τὸ μεγαλεῖον, ἀμύλει καὶ ἀναλυθέντα πάλιν ἀνατεθεοῦσθαι, καὶ Θεὸν εἶναι, οἷος ἦν πρὸ τῆ εἰς τὸ σῶμα καὶ τὴν σάρκα καὶ τὸν ἄνθρωπον καταχθῆναι. Hoc profecto, ut adjicit Euſebius, οὐχ ὑπεσχυσμένως ἀλλὰ κατάντικρυς καὶ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ Platonicus ille ex Johannis Euangelio ſublegit, & illa quæ Johannes dixit περὶ ἐναρχαίου τοῦ Λόγου ad Platonicas opiniones depravavit, cum dicit τὸν λόγον εἰς τὰ σώματα πίπτειν, quaſi de hominibus univerſim non de Homine Chriſto peculiariter ageretur. Unde non immerito Auguſtinus *unum* (in ſcriptis illis Platonicorum) *myſterium Incarnationis ignorari* ait. Hoc idem de Philone, & ipſo inter Judæos Platonico, dicere poſſumus, qui in multis quæ περὶ θείου λόγου philoſophatur pene Chriſtianus videri poſſet, niſi myſterium Incarnationis Judaicis, id eſt, clauſis oculis præteriiſſet. Et hujus ſcripta quædam inter illa Platonica Auguſtino exhibita fuiſſe ut credam facit, quod & Iſraelitarum idololatriam, cultum Vituli, &c. inibi ſe reperiſſe, ſi recte eum capio, affirmat. Sed de poſteriori hoc penes lectorem eſto judicium.

ERASMUS.

3. ET *illa nocte nihil prendiderunt*] Et iterum, *Afferte de piſcibus quos prendidiſtis.* In nonnullis habebatur *ceperunt & cepiſtis.* Gr. ἐπίασαν & ἐπιάσατε· nihil quod magis proprie πιάζομεν, i. *prendimus* fugientia. Nam *capimus* quomodocunque.

5. *Numquid pulmentarium habetis?*] Προσφάγιον· quod mox appellat ὀψάριον, inde dictum quod addatur pani. Et, *Num quod* dicendum erat, aut certe *Num quid pulmentarii.*

7. *Tunica ſuccinxit ſe*] Τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, *pallio*, ſive *penula*, aut *toga.* Nam *tunica* veſtis eſt interior. *Ependytes* dicta quod *ſuperne induatur.* Sed ut Romæ populus inimus *tunicatus* appellatur apud Flaccum, quod pro toga tunicis uteretur, ita veriſimile eſt piſcatoribus Tunicam fuiſſe ſummam veſtem.

9. *Prunas poſitas*] Ἀνθρακιάν· ignis eſt ex congeſtis carbonibus. ¶ *Piſcem, & piſcibus*] Ὀψάριον, ὀψαρίων. Hic palam apparet ὄψον & ὀψάριον ejus nominis diminutivum pro *piſce* accipi, cum dicatur ab ὀπτῶ, quod eſt *aſſo.*

11. *Et cum tantis*] Τοσούτων ὄντων, *cum tot eſſent.* De numero loquitur, non de magnitudine.

13. *Et accepit panem, & dabat eis*] *Venit, accipit,* & *dat*, omnia Græcis præſentis ſunt temporis, ἔρχεται, λαμβάνει, δίδωσι. Suffragatur Græcæ lectioni codex Aureus.

14. *Hoc jam tertio*] Τοῦτο ἤδη τρίτον Hac jam tertia vice. *Tertium* erat Latinius.

15. *Simon Johannis*] Σίμων Ἰωνᾶ, *Simon Jona.* Quanquam in nonnullis erat Ἰωαννᾶ, quemadmodum & in Luca. ¶ *Diligis me plus his?*] Cur Interpres non vitavit amphibologiam, dicens, *Diligis me plus quam his?* Alioqui *Diligis me plus his?* poterat intelligi, *Diligis me plus quam hos?* ¶ *Tu ſcis quia amo te*] Quod modo *diligis* erat, nunc mutat *amo.* Verum variavit & Euangeliſta Græcam vocem: prius illud eſt ἀγαπᾷς, poſterius φιλῶ, quibus tamen citra diſcrimen eſt uſus: id quod indicavit & Auguſtinus l. 14. De civit. Dei, ne quis arbitratus ſubeſſe myſterium in hac varietate fruſtra philoſophetur. Apud Latinos *amo* vehementius eſt quam *diligo.* ¶ *Paſce agnos meos*] Bis dixerat βόσκε *paſce*, ſive *ale*, ſemel ποίμαινε *rege ut paſtor regit gregem.* Nec eſt ubique *agnos*, ſed bis πρόβατα *oves*, ſemel ἀρνία. Nec in his opinor ullum eſſe diſcrimen. Illud obiter eſt admonendum, Qui ex hoc loco gloriantur ſibi commiſſum gregem Domini, eos primum oportere meminiſſe à Petro ter exactum amorem erga Chriſtum, neque quemlibet amorem, ſed ardentiorem cæteris; deinde ter item commiſſam illi curam gregis. Illud nimirum ſignificatum eſt, Non eſſe idoneum Sacerdotio niſi qui neglectis omnibus nihil amet niſi Chriſtum, h. e. veritatem, innocentiam, pietatem: ad hæc, Nihil huic antiquius eſſe debere quam incolumitatem gregis ſibi crediti Proinde, quæſo, quid frontis eſt iſtis quibuſdam qui profanis imo ſceleratis Principum obſequiis, qui pecuniis huc penetrant, qui Sacerdotium nihil aliud quam quæſtum ac tyrannidem eſſe putant? nec meminerunt quam attente quibuſque legibus Chriſtus ſuas oves Petro commiſerit; nec commiſerit devorandas, ſed paſcendas; paſcendas exemplo piæ vitæ; paſcendas Euangelicæ doctrinæ pabulo, ſive lac deſiderabunt, ſive ſolidum cibum; paſcendas etiam opum ſubſidio ſi res ita poposcerit.

18. *Quo tu non vis*] Ὅτι οὐ θέλεις. At cur non & ſuperius itidem vertit, *ibas ubi volebas*, cum ſit idem adverbium Græcum? quanquam ego malim utrobique *quo*; *ibas quo volebas*; &c, *ducet quo non vis.*

20. *Qui tradet*] Ὁ παραδιδούς *qui tradit.*

22. *Sic eum volo manere*] Cum omnia Græcorum exemplaria conſtanter habeant ſcriptum ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν, nemini dubium eſſe poteſt quin conjunctio *ſi* mutata ſit in adverbium *ſic*, idque non Interpretis vitio, ſed errore librarii; ſiquidem apud Latinos facilis & proclivis prolapſus eſt à *ſi* in *ſic* ob vocum affinitatem. Cæterum apud Græcos nihil ſimile eſt inter ἐὰν & οὕτως, ut hac occaſione lapſus videri poſſit Interpres. Nec vero ſolum conſentiunt exemplaria Græcorum, verum etiam interpretes, Cyrillus, Chryſoſtomus, Theophylactus. Quanquam in his voluminibus Chryſoſtomi nuper excuſis ab indocto quopiam *ſi* mutatum erat in *ſic*, verum ipſa interpretatio palam arguit Chryſoſtomum *ſi* legiſſe, dum in hanc diſſerit ſententiam, *Chriſtum noluiſſe reſpondere Petro quid eſſet facturus de Johanne, ſed voluiſſe temerarium & curioſum illius interrogationem retundere: at id non fecit ſi reſpondit illum manſurum.* Quin & D. Hieronymus Adverſ. Jovinianum lib.

lib. 1. citat hunc locum juxta Græcam veritatem. Et tametſi ſolent hujuſmodi omnia ad ſemel publicitus receptum errorem depravari, tamen haud ſcio quo caſu factum eſt ut hic locus etiamnum in vulgatis exemplaribus apud Hieronymum manſerit incorruptus: Qui ſi maxime fuiſſet corruptus tamen ipſe diſputationis tenor arguit Hieronymum *ſi* legiſſe, non *ſic*. Et quanquam ad rei comprobationem ſatis erat tantus Græcorum codicum omnium conſenſus, tamen in exemplari cujus copiam nobis fecit bibliotheca Canonicorum Corſendoncenſium palam ſcriptum eſt, *Si eum*, non *Sic eum*. Nec dubito quin itidem ſcriptum fuerit in Paulino codice, niſi quod extrema pagella nos deſtituerat. In vetuſto codice quem vidimus in bibliotheca Collegii quod eſt Brugis D. Donatiano ſacrum, aſſcriptum erat utrumque, *Si ſic*: nec locus carebat raſura. Aſtipulantur nobis vetuſtiſſimi codices quorum autoritatem ſecuti ſunt Baſilex fratres Amorbachii. Item codex Euangelicus qui ob vetuſtatis miraculum ſervatur in bibliotheca Collegii Conſtantienſis, cujus inſpiciendi copiam nobis fecit vir candidiſſimi pectoris Joannes Borzemus ejus ſodalitii Canonicus, bis citra ullum raſuræ veſtigium habebat *Si eum*. Inter vetuſtiores ſolus Auguſtinus quibuſdam legiſſe videtur, *Sic eum volo manere*; vir ille quidem (quod negari non poteſt) ſanctus, integer, acuto præditus ingenio, verum pro ingenii ſimplicitate impenſe credulus, neque perinde munitus præſidio linguarum, etiamſi non omnino rudis fuit Græcanicæ literaturæ, at non eouſque doctus ut Græcos interpretes expedite poſſet evolvere. Adde quod & ſero venerit ad Chriſtiani nominis profeſſionem, & mox juvenis ad Epiſcopale munus raptus eſt, ut fere docendo diſcere cogeretur quod doceret, & ſcribendo diſceret quod ſcriberet, ut ipſe alicubi fatetur. Proinde ſi quid etiam laberetur, vir alioqui maximus, non erat tamen convitiis inſectandus: quod nimium acerbe fecit hoc loco Valla, *Auguſtinum*, inquiens, *ne hic quidem Græcam conſulens veritatem, ſperat ſe inter falſa verum invenire.* Et aliquanto poſt odioſius, *Nunc in tanta re Euangelica, vel ad Euangelium pertinente, Græci fontis veritate omiſſa, poſtulat ut ſibi credamus*, &c. Imo ſi quis attentius excutiat expoſitionem Auguſtini, comperiet & illum legiſſe, *Si eum*, non *Sic eum*, atque illud *ſic* ab indocto quopiam corruptum. Etenim cum fatetur *objici poſſe Dominum non dixiſſe quidem quod Joannes non eſſet moriturus, ſed tamen innuiſſe*, nonne ſatis aperit quid legerit? Nam rogatus quomodo velit ſterni lectum, ſi reſpondeat, *Sic volo manere*, non ſignificat velle inſtratum manere, ſed clare explicat: at ſi reſpondeam, *Quid ſi ita velim manere?* ſubſigniſicat nolle ſterni, ſed ſic ut in dubio relinquat quid velit: velut in comœdia qui ſic loquitur, *Quid ſi tibi eum volo vendere? coges tu me?* non negat ſe velle vendere, ſed indicat ſibi liberum eſſe vendere aut non vendere. Atque hæc dixerim, non quod impium exiſtimem alicubi diſſentire ab Auguſtino, ſed quod nolim eum ſine cauſa reprehendi. Porro quanquam hæc non faciunt hæreticum ſi *ſic* legas pro *ſi*, tamen error tam manifeſtarius non eſt diſſimulandus in literis Euangelicis. Et ut fateor non inſectandum convitiis qui ſic labatur, ita commiſerandum aio ac ſublevandum. Excuſatur is qui per imperitiam literarum his verbis baptizavit, *In nomine Patri, & Filia, & Spirita ſancta*: nemo tamen ſciens laturus ſit hujuſmodi baptizatorem. Quin ipſe Auguſtinus non probabat quod populus in templis caneret, *Super ipſam autem floriet*, pro *florebit*; etiamſi ſciret Deum non offendi ſolœciſmis. Quanto minus diſſimulandum ſi tanto fœdior menda in Euangelicas irrepſerit literas? Quod ſi Latinus interpres indicandi modum vertiſſet in modum ſubjunctivum, non perinde lubricus fuiſſet lapſus, *Si eum velim manere donec veniam.* Ut ne repetam interim quod ipſe ſermonis contextus refellit illorum lectionem. Sequitur enim, *Et non dixit Jeſus quod diſcipulus ille non moritur.* Quod ſi ſuperius legamus, *Sic eum volo manere*, plane dixit eum non moriturum donec veniret: quod Johannes dictum fuiſſe negat. Nec ambigit Johannes quin Chriſtus *manere* dixerit, *non mori:* verum negat id affirmaſſe Chriſtum, ſed in ambiguo reliquiſſe, ut ea res nihil attineret ad Petrum. Jam cum in omnibus Græcis cod. ſummus ſit conſenſus, cum in tot vetuſtis Latinorum libris reperiatur ſcriptura cum Græcis conſentiens, cum Cyrillus à Trapezontio verſus obtineat germanam ſcripturam, quæ quidem non ſemel repetitur, & liber eſt excuſus Lutetiæ ex autoritate Theologorum, ſicut indicat præfatio, cum eadem lectionis integritas maneat apud Hieronymum, deinde cum Hieronymi, Chryſoſtomi, Cyrilli, nec dubito quin Theophylacti interpretatio (nam hic extrema pagina decideraf) non patiatur aliud legi quam *Si eum volo*, tamen Theologus quidam Carruſianus edito libro fortiter aſſeverat *ſic* eſſe legendum ex autoritate Græcorum & Latinorum omnium, duobus fretus argumentis, primum quod ſic habet codex Chryſoſtomi Latine verſi & indiligenter excuſi, deinde quod ſic hodie recitatur in Eccleſia. Hanc enim legem nobis præſcribit, ut eam ſcripturam habeamus pro germana quam obtinuit uſus vulgaris. Atqui codices declarant ante annos trecentos aut quadringentos publicum uſum habuiſſe *ſi*. Hæc igitur tum erat germana lectio juxta hujus præſcriptum. Sed quoniam nunc depravato loco, publicus uſus habet *ſic*: quæ prius erat germana lectio nunc eſt notha. Tantum valet uſus ut eadem res ſit vitrum & gemma. Sed aſſcribam Cyrilli verba, quibus declarat quid legerit. *Hunc igitur*, inquit, *ita Domino dilectum cum reſpexiſſet Petrus, ſtatim interrogavit quis vitæ illi terminus immineret. Sed quoniam curioſa magis quam utilis rerum alienarum inquiſitio eſt, reſpondet quidem, ſed ita ut rogantis animum abducat ad alia: nec mortis expertem futurum Joannem ait, ſed* SI EUM VOLO MANERE DONEC VENIO, QUID AD TE? *i. Andiviſti, Petre, quæ ad te pertinent? cur aliena quæris? cur Divinæ juſtitiæ ſecreta rimaris? Nam ſi etiam vellem minime iſtum mori, quid tu unquam emolumenti aut quid conſolationis conſequereris? Non erit prudens ergo curioſus, ſi quid paſſurus ſit, utrum etiam alii eadem ſubibunt an non, cum aliorum calamitate pericula ſua non mitigentur. Quamvis communiter inſitum eſſe hominibus videatur ut optent, ſi quid periculi ſubituri ſint, non eſſe ſolos, ſed cæteros etiam aut videre ſimilia pati, aut ſaltem audire perpeſſos fuiſſe, vel omnino idem paſſuros.* Quin & in Catena cum multi fruſtulatim citentur, tamen bonus aliquis caſus uno loco ſervavit integram lectionem in his quæ, ut arbitror, referuntur ex Theophylacto, *Opus tibi commiſſum attende & perfice; hunc vero ſi voluero manere hic, quid ad te?* Solus Auguſtinus inter veteres legiſſe poteſt videri, *Sic eum volo manere*, deceptus mendo codicis, & ob id offenſus abſurditate ſermonis torquet ſenſum variis interpretationibus. Ut autem intelligas hoc librariorum temeritate factum eſſe, priore loco lector offenſus hoc ſermone, *Dixit ei Jeſus, Si eum volo manere donec veniam*, non animadvertens *ſi* poſitum pro *an*, aut *quid ſi*, & hanc partem referri ad id quod ſequitur, *quid ad te?* vertit *ſi* in *ſic*, & particulam, *quid ad te?* ſeparavit à ſuperioribus. Mox ubi vidit repetitum, *Si eum volo manere*, nec perinde jam congruere ſi *quid ad te?* ſepares à ſuperioribus, reliquit *ſi*, piguit tamen reſtituere quod ante mutarat. Ita factum eſt ut in nonnullis codicibus prior locus habeat *ſic*, poſterior *ſi*. Deinde variante ſcriptura, cum in aliis *ſic*, in aliis *ſi* reperiretur, aliquis aſſcripſit alterum in margine, tandem utrumque relatum eſt in contextum. Hoc depravandi genus frequenter offendimus in Hieronymo & Cypriano. Si quando citabatur ab illis aliter Scriptura quam vulgo legitur, offenſus ſcriba doctulus mutavit quod citabatur ex ſua memoria juxta vulgatam editionem: Poſt ubi videret eadem ſæpius repeti, ſenſit non eſſe lapſum ſcribarum, deſiitque mutare: Itaque variabat lectio in principiis & in mediis aut fine. Poſteaquam vero res tot argumentis perſpicua eſt, ſi quis in codicibus vulg. eraſiſſet ſuperfluam *e*, aut in Templo pronunciaſſet, *Si eum volo manere*, non erat carpendus ſed imitandus ſi modo mutatæ lectionis rationem redderet. Nunc ego nec radendi nec in Templis aliter pronunciandi ſum autor, tantum indico germanam lectionem ex fide utriuſque linguæ cod. & ex interpretatione probatiſſimorum *Eccleſiæ* Doctorum. Ita qui veritati commonſtratæ non credat, fortaſſe pertinax dici poſſit; qui reclamet, impudens; qui monſtratorem negligat, ingratus; qui non aſſequatur tam evidentia, tardus: Cæterum qui pro errore inveterato docet quod rectum eſt, nec ingerit nova ſed vetera reſtituit, hunc ſi quis falſarium ſeditioſe clamitet, & mundum in illum ſcriptis furioſis concitet, quæſo quo nomine donandus videtur? Ut ego taceam, res ipſa loquitur. Et tamen hi ſe jactant abſolutos Theologos, nec minus ſibi videntur pii quam docti, abominandum facinus arbitrantes ſi pro ſcaro vellicantur ovilla, & meram religionem eſſe ducunt ſi bene morientem ſic calumnientur. Tale Sanctorum genus gignunt nobis Linum & Lana, Corium & Pannus, Piſces & Fabæ, Nigror & Albor, Nomina & Tituli. Excitet Dominus Spiritum ſuum in omnibus. ¶ *Donec veniam*] Fallit hic, ut ita loquar, Chriſtus ſuos diſcipulos in *donec veniam*. Exſpectabant enim mox venturum Regnum Iſrael. *Sequi* erat Mori morte violenta: & *manere* non ſignificat ſimpliciter Non mori, ſed Non mori ad exemplum Chriſti.

23. *Exivit ſermo inter fratres*] Quomodo *exiit* ſi erat inter fratres? Quanquam ſic uſus eſt hoc verbo Suetonius in Nerone, *Exiit*, inquit, *poſt ſcenicæ coronæ opinio.* Proinde dilucidius ac Latinius erat, *Permanavit rumor inter fratres*, h. e.

ad

ad Christianos cæteros; & quod illic erat dictum paucis audientibus, id serpsit ad plures vulgante fama. ¶ *Quia non moritur*] Rectius erat *quod non moreretur*. Quanquam commodius erat omittere conjunctionem propter id quod sequitur, *sed, Si eum volo manere*. Neque enim *dixit ei* refertur ad *Johannem*, sed ad *Petrum*. Hoc obiter adjicere visum est, quod quidam eruditus hoc loco putavit non posse conjunctionem omitti citra incommodum.

25. *Nec ipsum arbitror mundum capere posse*] Hic Augustinus offensus hyperbola *capere* non ad spatium loci refert, sed ad animum. Verum ad eundem modum nec unam paginam Divinæ sapientiæ capere potsit mundus. Nihil tale Chrysostomus & Cyrillus: Ingenue fatentur hyberbolen esse: Sentit autem incredibilem vim ac multitudinem librorum. Est enim Græcis χωρεῖσθαι, quod de spatio loci proprie dicitur, ut annotavimus in eum locum, *Non omnes capiunt hoc verbum*. Nec est *posse capere* apud Græcos, sed tantum χωρεῖσθαι *capere*, sive *capturum*. Certe in Aureo codice *posse* non additur. Ne in Constantiensi quidem. ¶ *Qui scribendi sunt*] Melius erat, *qui scribendi forent*.

VATABLUS.

1. POstea manifestavit] *Post hac conspiciendum*, aut *manifestum se exhibuit*. ¶ *Jesus* *] * *Discipulis*, Vet. ¶ *Ad mare*] *Juxta lacum*.

2. *Qui dicitur Didymus*] *Cognominatur Gemellus*.

3. *Venimus*] *Imus*. ¶ *Navim* *] * *Statim*.

4. *Mane autem* *] * *Jam*. ¶ *Quia Jesus est*] *Quod Jesum esset*.

5. *Nunquid pulmentarium habetis?*] *Num quid opsonii habetis?* Vel, *num quid habetis quod comedi possit?*

6. * *Non*] * *Ille autem dicit*. ¶ *In dextram* *] * *Partem*. ¶ *Invenietis*] Sub. *pisces*.

7. *Simon* *] * *Ergo*. ¶ *Tunica*] *Super indumento*, vel *pallio*, aut *indusio & intima veste*.

8. *Navigio*] *Navigiolo*. ¶ *Quasi*] *Circiter*. ¶ *Piscium*] *Pisculentum*, aut *piscatorium*.

9. *Viderunt*] *Vident*: præs. pro præt. ¶ *Piscem*] *Opsoniolum*.

11. *Tantis*] *Tot*.

12. *Et nemo*] *Nemo autem*. ¶ *Discumbentium*] *Discentium*, Vet. i. Discipulorum. ¶ *Quia Dominus est*] *Quod Dominus esset*.

13. *Accepit*] *Accipit*, Vet. præs. pro præt. ¶ *Dabat*] *Dat*. Vet. ¶ *Piscem*] *Opsoniolum*.

14. *Hoc jam tertiò*] *Hac jam tertia vice*. ¶ *Surrexisset*] *Resurrexisset*, Vet.

15. *Simon Jona*] Sub. *filius*. Alii *Johannis* legunt, cum in nonnullis Græcorum codicibus *Johanna* legatur. Quidam volunt *Barjona*, per contractionem positum, pro *Bar Johanna*: quod vulgo Chaldaica lingua utebantur.

17. *Quia dixit*] *Quod dixisset*. ¶ *Nosti*] *Scis*. ¶ *Dicit ei* *] * *Jesus*, Vet.

18. *Ducet*] Vel potius, *feret*: i. rapiet. ¶ *Vis*] *Velis ire*.

19. *Clarificaturus*] *Glorificaturus*: protestando scilicet Deum esse veracem qui misisset Christum promissum à se per prophetas, & Jesum esse illum Christum promissum. ¶ *Sequere*] Imperat. pro fut. more Hebr. *sequeris*.

20. *Recubuit*] *Recíderat* [*recubuerat*.] ¶ *Dixit*] *Dixerat*. ¶ *Tradet*] *Tradit*, præs. pro fut.

22. *Sic eum volo manere*, &c.] *Si*, Vet. vel *si sic*: q. d. Etiam si vellem eum servare superstitem usque ad reditum meum, quid tua referret? Vel, si nolo eum me sequi: i. interfici, sicut ego interfectus fui, quid ad te?

23. *Exivit ergo sermo*] Vel, *Permanavit ergo rumor*. ¶ *Quia discipulus ille non moritur*] *Quod discipulus ille non moreretur*. ¶ *Dixit*] *Dixerat*. ¶ *Sic*] *Si*, Vet.

25. *Nec ipsum, arbitror, mundum*, &c.] *Nec ipse, opinor, mundus caperet eos qui scriberentur libros*.

CASTALIO.

5. JUvenes, *nunquid edulii*, &c.] Παιδία vocat, quod Hebræi ילדים: quod vocabulum *puerorum* est & *juvenum* commune, sicuti Gallicum *enfans*.

8. *Trahentes rete piscium*] h. e. In quo pisces erant: eo modo dictum quo dixit Cicero *scutellam dulciculæ potionis*, & *calicem mulsi*.

CLARIUS.

2. QUI *dicitur Didymus*] DIDYMUS *Gemellum* significat: & qui uno partu nascuntur *didymi* vocantur.

5. *Pueri*] Ministri alicujus operis vel artis *pueri* appellantur.

11. *Centum quinquaginta tribus*] Oppianus poeta, qui scripsit Αλιευτικὰ, observat genera piscium esse centum quinquaginta tria: quod pulchre huic mysterio convenit.

15. *Diligis me plus quam hi?*] Ac si apertius dixisset, Nemo debet Pastoris officium accipere nisi charitate cæteris antecellat: quod & tibi faciendum est.

22. *Si eum volo manere*] In tota hac narratione & colloquutione cum Petro morem suum servat Dominus, dum subobscure prædicit quæ sint futura. Et vide mirum dicendi modum, cum *cunctionem* introducit & *juvenis* & *senis*: qui modus præ se fert summam Domini in loquendo humanitatem. Sic quemadmodum & illud, *Sequere me*, ancipitem habet significationem, ita quod addit, *Si eum volo manere*, &c. suspensos tenuit Discipulos quem sensum verba illa haberent: quod nec Euangelista ipse voluit explicare, nisi quatenus *Dominus non dixerit eum non mori*: quod cum ipse apertius facere noluerit, hoc ipso contenti esse debemus. Opinari tamen licet Dominum significasse non illum martyrio finiendum, sed velle illum tamdiu morari in vita donec eum ipse evocaret.

ZEGERUS.

1. MAnifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare] *Discipulis* non offendo in cod. paulo antiquioribus, juxta lectionem Augustini & Græcorum.

5. *Pulmentarium*] Græce quidem est προσφάγιον, quod *pulmentarium* signat: Verum hic utrumque pro genere positum est, non pro specie, h. e. pro *cibo*, aut certe pro *opsonio*. Et Plinius Nat. hist. l. 18. c. 8. dum tradit *Romanos longo tempore pulte non pane vixisse, & inde pulmentaria dici* cœpisse, indicare videtur omnem cibum dempto pane sua ætate *pulmentarium* vocatum fuisse. Cum ergo dicit, μήτι προσφάγιον ἔχετε; quasi ignorans scisscitatur *utrumne ciborum, aut edulionum, aliquid haberent*.

6. *Illud trahere à multitudine*] Sic scribitur apud Augustinum & Smaragdum, & in exemplari Corsend. & aliis aliquot: ἀπὸ enim & ἀπὸ hic pro *præ* ponitur, sicuti & in illo Luc. 18. 14. *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo*.

11. *Et cum tanti essent*] Græca vox τοσοῦτοι (sicut & alibi indicavimus) accepta est ad *tanti* & *tot*. Augustinus de magnitudine interpretatur; & tamen ipse sermonis tenor magis postulat ut de multitudine accipiamus.

12. *Nemo audebat discumbentium interrogare, Tu quis es? scientes quia Dominus est*] h. e. secundum Augustinum, *nemo audebat dubitare quod ipse esset*. Tanta enim erat evidentia veritatis ut eorum non solum negare sed nec dubitare quidem ullus auderet. Jam quod in nostris *discumbentium*, & ejus loco in Græcis est *discipulorum* μαθητῶν, utrumque ab explanatoribus aut scribis adjectum suspicor, ne quis existimaret *nemo* universaliter omnes excludere: Siquidem Chrysostomus neutrum legit; sed nec Augustinus legisse videtur quantum ex ipsius commento conjicere licet. Puto ab Interprete scriptum fuisse *discentium*, quæ vox frequens est apud Irenæum & Tertullianum pro *discipulorum*. Unde & editio Lovaniensium unum adnotat exemplar quod ita habuerit. Et in archetypo est μαθητῶν. Eadem corruptela facta est & Luc. 19. 37. *omnes turba descendentium*.

13. *Et venit Jesus, & accepit panem, & dat eis*] Sic lego apud Augustinum & in exempl. aliquot antiquis. Græce autem etiam cætera præsentis sunt temporis, *venit*, *accipit*, *dat*.

14. *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis*] Quandoquidem tres tantum in hoc volumine Apostolis peculiariter factæ narrantur apparitiones; quarta namque, quæ prima describitur, Mariæ Magdalenæ facta est. Vel secundum alios de dierum numero accipi potest, quorum primus est dies resurrectionis, secundus dies resurrectionis octavus, tertius qui hic describitur, quemadmodum fusius id docet Augustinus De consensu Euang. l. 3. c. 25.

22. *Sic eum volo manere*] In Græcis non est *Sic*, sed *Si eum volo manere*: & rursus infra, *Non moritur*; *sed, Si eum volo manere*: atque id magis placere video hujus seculi Theologis. Verum mihi neutra videtur lectio sincera. Suspicor autem

&

& Euangeliſtam ſcripſiſſe, Ἐὰν οὕτως αὐτὸν θέλω μένειν, & Interpretem vertiſſe, *Si ſic eum volo manere*, ſed utrumque poſtea librariorum errore aut temeritate mutilatum. Probabile enim eſt quod tum Latinus ſcriba ſemidoctus, dum utrumque legeret, *ſi*, & *ſic*, alterum putans ſupereſſe, quod rectius judicabat deſcripſerit, altero prætermiſſo; tum etiam ſcriba ſemigræcus, dum binas voces offenderet minimum diſſimiles, præſertim ſi ita ſcribantur, οὕτ', αὐτ', priorem ſimiliter reliquerit quaſi ſuperfluam. Atque hoc pacto veriſimillimum eſt natam eſſe inter Græcos & Latinos diſſonantiam. Nam eadem occaſione, ut puto, & illud 1 Joh. 4. 11. *Si ſic Deus dilexit nos* depravatum eſt. Et ne quis temere hoc me ſuſpicari aut divinare contendat, *Si ſic eum volo manere* ſcriptum reperi apud D. Hieronymum adverſ. Jovinianum l. 1. circiter medium. Ad hæc, ſi quis propius expendat veterum Græcorum, præſertim Cyrilli, commentarium, utut contextus habeat, non me fruſtra divinare probabit. Nacti quoque tandem ſumus vetuſtum quoddam Correctorium quod teſtatur olim tam in Græcis quam in antiquis Latinis *Si ſic* ſcriptum fuiſſe & hoc loco & paulo inferius. Ita inſuper vidiſſe ſe in pervetuſto quodam exemplari bibliothecæ Cuſanæ nobis teſtatus eſt vir magnæ tum probitatis tum eruditionis Nicolaus Eſchius. Sed hac de re deque id genus aliis prolixius diſſererem quiſpiam fortaſſe ſugillabit: verum ſi non ignorarit quanta ob hujuſcemodi res inter magnos etiam Theologos interceſſerit noſtra ætate digladiatio, facile, opinor, ignoſcet. *Eum volo manere donec veniam*] Dupliciter exponi poteſt; Primo, Nolo eum exſtingui tecum morte violenta, quemadmodum tu, Petre, ad exemplum mei crucis es ſupplicio interimendus, ſed *ſuperſtitem eſſe* poſt tuum deceſſum, *donec veniam* ipſius animam abſque martyrio ſuſcepturus. Item, *Volo eum manere* à te ſejunctum in Galilæa, Aſia & aliis regionibus, *donec veniam*, illum ubi mihi viſum fuerit ſimiliter probaturus per Domitianum & alios, & tandem quando & quo libuerit modo ad me acceptus. Ne poſſit autem ſic accipi *manere donec veniam*, h. e. *non oppetere mortem quoadusque adveniam judicaturus vivos & mortuos*, ſequentia Euangeliſtæ verba prohibere videntur, cum ſubdit, *Et non dixit Jeſus, Non moritur, ſed, Si ſic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Advertendum autem, quocunque modo accipias, ſermonem eſſe conditionalem non affirmativum. Qui plura deſiderabit, ad Auguſtini recurrat commentarium: nam is copioſiſſime præſentem locum pertractavit.

25. *Nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros*] Illud *poſſe* nuperam eſſe adjectionem arguunt cum Græcis exemplaria paulo vetuſtiora, ut Auguſtinum & Chryſoſtomum ſileam. Si quis tamen exiſtimet hoc ipſum olim à caſtigatore Eccleſiaſtico inſertum pro commoditate ſermonis, cum hoc non auſim contendere. Et hic locus non uno modo accipi poteſt; Primo, citra hyperbolen, ut quemadmodum mundus Spiritum Chriſti non capit, utpote mundo majorem, ita nec Euangelii intelligentiam omnem humani ingenii capacitatem exſuperantem à mundo ad plenum capi poſſe intelligamus; Secundo, ut hyperbolicus ita dictum accipiamus ad deſignandam magnam librorum multitudinem ſi ſingulatim omnia deſcripta fuiſſent. Poſtremo, *mundi* nomine intelligi poſſunt homines mundana ſapientes. Opera autem Chriſti Divina prorſus ſunt ac cœleſtibus myſteriis referta, quæ nec à totius mundi hominibus, quamvis etiam humana ſapientia præditis, poſſunt comprehendi.

LUC. BRUGENSIS.

22. *Dicit ei* [*eis* o.] *Jeſus, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere*] Triplex loci hujus lectio in Latinis exemplaribus reperitur. Prima ea eſt quam propoſuimus, *Sic eum volo manere:* quæ in pleriſque libris, ac nominatim antiquis Epanorthotæ, eſt. Hæc B. Ambroſio, tum in Pſalmum 45 ſcribenti, tum de Pſalmi 118 octonario Res ſermonem habenti, conſentit. Conformis eſt etiam Auguſtino, Bedæ, Autori Gloſſæ, Ruperto, Alberto, Lyrano, Thomæ, Gorran, Richelio, Joannis Euangelium enarrantibus. Auguſtini in Johannem commentario adde ſermonem 149 De tempore, ut res ſit clarior. Altera lectio eſt, *Si eum volo manere:* quam reperit quidam in codice Euangelico, qui ob vetuſtatis miraculum, ut ipſe ait, in Bibliotheca Collegii Conſtantienſis ſervatur. Reperit & in exemplari cujus copiam Canonici Corſendoncenſes fecerant. Nobis Aquiſgrano tranſcriptum eſt, Caroli magni codicem hunc ad modum legere. Vidimus & ipſi antiqui Abbatiæ Toſanæ manuſcripti hanc eſſe lectionem: recens enim additum eſt *c*, & hoc & proximo verſu. Aliquot excuſos libros publicitus notum eſt convenire. Iſta lectio codicibus Græcis omnibus quos ipſi vidimus, complareſque alii ante nos videre, reſpondet; ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρός σε; habent. Porro non ea eſt Græcis quæ Latinis inter *ſi* & *ſic* ſimilitudo, quæ aliquoties apud Latinos varietatem parit. *Si*, ἐὰν ſive *ei*; *ſic*; οὕτως Græce dicitur. Inſuper Euangelio Syrico lectio iſta concinit; אין צבא אנא דקאי עד דאתא אתא לך מה לך, ad verbum, *Si volens ego ut maneat ipſe donec veniens ego tibi, quid tibi?* Adhæc Interpretum Græcorum, Chryſoſtomi, Cyrilli, Nonni, Theophylacti, Euthymii, lectioni atque expoſitioni conſonat. Tertia lectio eſt, *Si ſic eum volo manere.* Hæc illius exemplaris eſt lectio quod ante 200 annos Carolus cognomento Sapiens, Francorum rex, mira diligentia ſcribi curavit: id quod à ſodalibus S. Dionyſii Pariſienſibus correctoribus ſuppeditatum ſuit, & Dionyſii oblongi nomen accepit. Eandem lectionem alius in vetuſto codice Brugenſis Eccleſiæ S. Donatiani, Nicolaus Eſchius autem in pervetuſto Cuſanæ Bibliothecæ exemplari reperit. Reperit & Victorius Marianus in codice Baſilicæ S. Pauli, à Carolo Magno donato, & duobus Monaſterii Sublacenſis. Eandem vidit in antiquiſſimo Novi Teſtamenti libro, qui à viro doctiſſimo, D. Carolo Langio, Leodii aſſervabatur, vir doctrina ac pietate clariſſimus, P. Johannes Harlemius, Societatis Jeſu per Belgium Viceprovincialis, præceptor mihi colendiſſimus. Vidi & ipſe in miræ vetuſtatis manuſcriptis; Euangeliorum uno, quod Societatis album diximus, Miſſarum altero, quæ in Societatis Jeſu Collegio Lovanii cuſtodiuntur. Erat autem Miſſali ipſius *ſi* manifeſta raſura; cujuſmodi eſſe & in exemplari illo Brugenſi ille teſtatur: neque enim id eſt quo nos hactenus utimur; nam illud *ſic eum* habet. In margine exemplaris K ſignati, quod legit *ſic*, notatum eſt *vel*, *ſi ſic*. Teſtatur R^mus Dominus Lindanus, lib. 2. De optimo Scripturas interpretandi genere, cap. 6. raſuram in codice Caroli magni loqui, priorem lectionem *Si ſic* fuiſſe: verum raſura hæc, quod ipſe poſtea vidit P. Harlemius, non in Caroli codice, qui ut ad nos ſcriptum fuerat, *ſi* duntaxat habet, habuitque, ſed in deſcripto eſt: deſcriptus enim fuit Caroli codex Aquiſgranenſium Sacerdotum cura, ne frequenti uſu atque inſpectione detereretur, aut maculas ſordeſve contraheret, vel in furum veniret manus: in magno enim merito eſt pretio. Refert Nicolaus Zegerus nactum ſe fuiſſe vetuſtum quoddam correctorium, quod olim, tam in Græcis quam in antiquis Latinis, *Si ſic* ſcriptum fuiſſe, & hoc loco & paulo inferius, annotabat. Suſpicarer propemodum noſtri Epanorthotæ correctorium id eſſe: ſed illud diſerte habet, *Dicit* [= *Jeſus*, *ſic*] *antiqui*, *Auguſtinus*, *Gloſſa: ſed Græcum*, *hic & infra*, *Si eum volo manere.* Victorius Marianus, in ſcholiis quæ in B. Hieronymum ſcripſit, notat antiquiſſimum quendam Græcum codicem, quem Tridentum attulit Claramontanenſis Epiſcopus, anno Domini 1546, habere, ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν οὕτως, ἕως ἔρχομαι, quod eſt, *Si eum volo manere ſic*, *donec venio.* Johannes Gagneius ſcribit, in commentario quodam in Johannem, ἐὰν οὕτως, i. *ſi ſic*, haberi. Addit, Chryſoſtomi & Theophylacti commentarium ad id ſatis videri alludere: id quod & Zegerus, de Cyrilli præſertim commentario, ſentit. Verum hoc ita videri exiſtimarim, propterea quod verbum *manere* explicent: id quod quoddam *ſic* in ſe comprehendit, aut ſubaudiendum relinquit. Porro manifeſtius huic tertiæ lectioni Hieronymus favere videtur, qui lib. 1. in Jovinianum legit, *Si eum ſic volò eſſe*, *quid ad te?* quod & Hieronymi Scholiaſtes, Marianus, annotat. Cæterum Beſſarion Cardinalis ad ſecundam hoc trahit lectionem, *Si eum volo manere:* quia *ſic eſſe* non aliud ſit quam *manere.* Georgius Trapezuntius, libello ad Papam edito, primum legendi modum ſtatuere conatus eſt. Trapezuntium altero libello Beſſarion Cardinalis refellit, ac ſecundum legendi modum aſſeruit. Utriuſque libellum apud R^mum Dominum Lindanum legi: in Beſſarionis vero ſententiam eunt complures, Janſenius, Koningſtein, Magdalius, Cajetanus, & alii. Nicolaus Zegerus tertium probat legendi modum, atque eum in textum à ſe correctum editumque retulit: quem, libro mox citato, De optimo genere interpretandi, R^mus Dominus Lindanus ſequitur.

Triplex iſta varietatis ratio reperitur etiam proximo verſu, viceſimo tertio, quo repetuntur ab Euangeliſta eadem ipſa Chriſti verba, *Et non dixit ei Jeſus, Non moritur; ſed,* " *Sic* [" *Si* " *Si ſic*] *eum volo manere donec veniam, quid ad te?* ubi id ſolum peculiariter eſt notandum, quod Latinorum librorum nonnulli eo aliter habeant quam priori loco. Caroli Sapientis Regis Franciæ liber, & Miſſalis Societatis Jeſu, priori

priori loco *Si ſic*, poſteriori habent, ille *Si*, iſte *Sic*. Bibliorum Philippi Regis Hiſpaniæ Latinus textus, cum priori *Si*, poſteriori *Sic* legit. Signarunt Pariſienſes, Conſtantienſe exemplar priori loco *Si*, poſteriori *Si ſic* habere: atqui diſerte ille ſcribit, quem, opinor, quoad iſtud, & alia quædam exemplaria, hi ſecuti ſunt, bis in eo, citra ullum raſuræ veſtigium, *Sieum* legi. Porro, minime hoc probandum eſt, quod poſteriori loco aliter quam priori legatur: voluit enim Euangeliſta, id quod Servator dixerat, totidem iiſdemque verbis repetere, nec juxta ſenſum quidem mutatis.

H. STEPHANUS.

1. Ἐφανέρωσεν ἑαυτὸν] *In conſpectum ſe dedit.*

3. Ὑπάγω ἁλιεύειν] *Abeo piſcatum.* ¶ Ἐπίασαν] *Ceperunt.*

5. Μήτι προσφάγιον ἔχετε;] *Num quid edulii habetis?*

7. Τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο] *Amiculo ſe ſuccinxit.*

9. Ὡς οὖν ἀπέβησαν εἰς τὴν γῆν, βλέπουσιν ἀνθρακιὰν κειμένην] *Poſtquam deſcenderunt in terram vident prunas poſitas.*

12. Ἐξετάσαι] *Interrogare.*

14. Ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν] *Ex quo reſurrexit à mortuis.*

18. Ἐκτενεῖς] *Extendes.*

20. Ἀνέπεσεν] *Recubuerat.* ¶ Εἶπε] *Dixerat.*

22. Τί πρός σε;] *Quid ad te?*

23. Καὶ οὐκ εἶπεν] *Nec tamen dixerat.*

25. Καθ' ἓν] *Sigillatim.* ¶ Χωρήσει] *Capere poſſe:* vel, *capturum:* ut ſit pro ſut.

D. RUSIUS.

2. QUI erat à Cana Galilææ] Cum duplex fuerit Galilæa, Superior, Inferior, non ſine cauſſa quæritur de qua Galilæa hic locus intelligendus ſit. Et Euſebius intelligit de Galilæa Gentium, quæ & Galilæa Superior, ubi & Chriſtus aquam in vinum convertit Joh. 2. Maſius autem in Joſuam ſcribit aquam in vinum converſam eſſe in Galilæa Inferiore. Non decido hanc litem hoc tempore: alias id faciam.

7. *Tunica*] Syrus, *tunica ſua.* Nam id ſonat כתונתה *τὸν χιτῶνα αὐτοῦ.* Si recte, tum *ἐπενδύτης* idem erit quod *χιτὼν tunica.* Alius *amiculum*, alius *induſium* interpretatur. Puto id eſſe quod Sapientes Hebræi סדינא. Quæramus quid hoc ſit? In Lex. Juris exponitur *induſium parvum in quo ſunt multæ ſuturæ, in quibus reponunt obvium quidque. Lexicon juris* appello Dictionarium Thalmudicum. Nam Thalmud jus civile Judæorum. Ejus autor R. Nathan Juſtus patre Jehiele natus; inſcriptio *Aruch:* vulgo audit *Baal Aruch*, q. *autorem Aruch* dicas. Exſtat in Gemara, cap. *Hæc*, *Non intrat homo mentem domum cum baculo ſuo & cum calceo ſuo & cum induſio ſuo*, vel *cum amiculo ſuo.* Nam *induſium* פתן dicitur: quæ ſimul leguntur in tractatu De ſabbatho, cap. מצנעין, *inter amiculum ejus & induſium ejus.* Hebraice פתקין לחתוך מצנעין בין. In varia lectione eſt מצנע. Id aliud ſignificat. Nam מצנפה *zona* vel *cingulum reponenda pecunia.* Pomarius David illa confundit. Nam מצנפת interpretatur dicens eſſe *indumentum parvum mercenariorum*, h. e. militum (*militarem clidamydem* ipſe vocat) in quo multæ aſſuturæ ad reponendum numos aut aliud quippiam: aut cinctura reponendis numis. Sed מצנפת eſt *ἐπενδύτης* genus amiculi, & מצנפה eſt cingulum è corio, quod ארנקי appellant, niſi diverſum quid hoc ab illo. Nam ſimul invenio ארנקי & מצנפה. Adhibe Lexicon ſupra memoratum. Verba Lexici de מצנפת, *Significat* כלי מלבוש [*Vas*] *genus indumenti, quod eſt induſium parvum aut intrula parva, & ſunt in ea multa loca conſuta, in quibus recondunt rem quamque obviam ſibi.* Hæc ad verbum. Sententiam ſupra retulimus.

15. *Simon Johannis*] Et hic locus oſtendit patrem Simonis Petri *Johannem* appellatum fuiſſe. *Johannes* autem, i. *Jochanan*, idem cum *Johanna:* unde in aliis codicibus *Simon Ioannu*, ex quo contractum *Jona*, quod in pleriſque omnibus libris vulgatis. *Jona* pro *Johanna*, ſive *Joana*, ut *Soda* pro *Sohada*, munus quod datur ad judicem corrumpendum.

CASAUBONUS.

1. Ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς Τιβεριάδος] Nonnus legiſſe videtur πέρην pro ἐπί, non recte.

7. Τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο· ἦν γὰρ γυμνός] Annotat interpres eruditiſſimus ἐπενδύτην à Nonno verti λίνεον πέπλον: ille vero hunc locum ita tractavit ut vix ſtatui poſſit ex ejus verbis quid ἐπενδύτην eſſe exiſtimarit. Quod ut intelligatur apponam ejus verba,

> - - Ὁ δὲ σχεδὸν ἐγγὺς ἀρούρας,
> Εἵματι δαιδαλέῳ λαγόνας μετρήσατο Σίμων,
> Καὶ λινέῳ πεπύκαζο πολυτρήτῳ χρόα πέπλῳ,
> Πέντιον ἀμφιβλῆμα περὶ γλουτοῖσιν ἑλίξας,
> Δέρμα, τόπερ διδύμων κεχαλασμένον ἐς πτύχα μηρῶν
> Ἰχθυβόλοι Φορέουσιν, ἀθηήτῳ σκέπας αἰδοῦς.

Vides quam varie τὸν ἐπενδύτην interpretetur. In Gloſſario hæc leguntur, *Superalia*, ἐπενδύτης· & alibi *Superaria*, ἐπενδύτης, minus recte.

13. Λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Δεῦτε, ἀριστήσατε] Nonnus hæc verba rejicit in finem verſiculi ſequentis; ubi etiam melius videntur convenire.

GUALTPERIUS.

25. SYRUS, *Finitum eſt Euangelium ſanctum prædicationis Jeuchannan Euangeliſtæ, quod locutus eſt Græce Epheſi.*

GROTIUS.

1. ΜΕΤΑ ταῦτα, *Poſtea*] Poſt acta ea quæ Johannes ſcripto complexus fuerat. ¶ Ἐφανέρωσεν ἑαυτόν, *manifeſtavit ſe*] Sic Marci xvi. 14. Hoc ideo quia non jam, ut ante, perpetuo cum Diſcipulis erat. ¶ Πάλιν, *iterum*] Refer ad locum. Nam priores oſtenſiones factæ Hieroſolymis. ¶ Ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς Τιβεριάδος. *ad mare Tiberiadis*] In Galilæa, quo venturum ſe dixerat, Matthæi XXVIII. 7.

2. Ἦσαν ὁμοῦ, *Erant ſimul*] In uno contubernio. ¶ Καὶ ἄλλοι ἐκ τῶν μαθητῶν δύο. *& alii ex Diſcipulis duo*] Ex numero Septuaginta minus nobiles, itidem Galilæi ut videtur.

3. Ὑπάγω ἁλιεύειν. *Vado piſcari*] Id eſt, *Volo ire piſcatum.* Dum exſpectabatur Spiritus, nihil erat quod agerent Apoſtoli. Et apud Judæos inhoneſtum erat otium. Victus quoque, ut credibile eſt, non aliunde ſuppetebat, hactenus ex comitatu Chriſti alimoniam habentibus. ¶ Ἐρχόμεθα καὶ ἡμεῖς, *Venimus & nos*] *Volumus & nos ire.* ¶ Ἐξῆλθον, *exierunt*] Huic voci rectius præponitur καὶ [&], ut eſt in vetere illo manuſcripto. ¶ Εἰς τὸ πλοῖον, *in navim*] Relictum aut commodatum antehac. ¶ Ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ, *in illa nocte*] Tempus piſcatui opportunum. ¶ Ἐπίασαν οὐδέν. *nihil prendiderunt*] Providentia Divina; ut eo conſtaret fruſtra eſſe humanum laborem ſine Divina gratia, Pſalm. CXXVII. Vox πιάζειν [*prehendere*] eſt & ſupra VII. 30.

4. Ἐγένετο ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸν αἰγιαλόν. *Stetit Jeſus in littore*] Significans ſe per reſurrectionem jam eſſe in vado, ipſos in ſalo verſari. ¶ Οὐ μέντοι ᾔδεισαν οἱ μαθηταὶ ὅτι Ἰησοῦς ἐστι. *non tamen cognoverunt Diſcipuli, quia Jeſus eſt*] Impediti ne eum agnoſcerent, ut ſupra XX. 14, 15. Crediderunt emtorem eſſe piſcium.

5. Παιδία, *Pueri*] Blanda compellatio; 1 Epiſt. II. 13, 18. ¶ Προσφάγιον, *pulmentarium*] Ὄψον, ὀψάριον [*obſonium*] id quod cum pane editur, præcipue piſces.

6. Βάλετε εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τοῦ πλοίου, *Mittite in dexteram navigii*] Propius littus, ut videtur, ubi minor erat ſpes capiendi: quaſi dicat,

Quo minime veris gurgite, piſcis erit.

Sic apud gentes prope barbaras felicior quam apud Judæos captura. ¶ Καὶ εὑρήσετε. *& invenietis*] Quantum ſatis. ¶ Ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν ἰχθύων. *pra multitudine piſcium*] Præſagium maximæ capturæ hominum per Apoſtolos faciendæ.

7. Ὁ Κύριός ἐστι. *Dominus eſt*] Ipſo miraculo admonitus. ¶ Τὸν ἐπενδύτην, *ſuperariam*] Sic vertunt LXX. duobus locis כתנת, quod eſt veſtis genus honoratius; ἐπένδυμα Aquilæ & Symmacho: Hieronymo epiſtola CXXX *ſuperior tunica:* Theodoreto in Exodum quæſt. LXVI, χιτὼν ὁ ἔξωθεν [*veſtis exterior*]. In Martyrologio ad XII. Cal. Nov. de Hilarione, *pellicium habens ependyten*, quod ex Hieronymo deſumtum Vita ejuſdem Hilarionis. Vertunt ἱμάτιον, στολὴν ποδήρη [*pallium, ſtolam talarem*]. Suidas τὸ ἱμάτιον ἐπάνω [*veſtem ſuperiorem*]. Utuntur & Hebræi poſteriores מצנפת. Hanc ergo induit Petrus (id enim *ſuccingendi* vocabulo tacite innuitur, unde Syrus, *accepit tunicam & cinxit lumbos ſuos*) quo honeſtior apud Chriſtum appareret, nihil veritus ſi eam per aquas gradiendo nonnihil humectaret. ¶ Ἦν γὰρ γυμνός, *erat enim nudus*] Sic Hebræi vocant eum qui ſuperiori veſte exutus eſt, qui non habet niſi τὸν ὑποδύτην

[in-

[*interulam*] כתנת, ut 1 Samuel. xix. 24. II Sam. vi. 20. Esaiæ xx. 3. Actorum xix. 16. Plutarchus de Phocione, *ἀτὲ κατά γε τὴν χώραν καὶ τὰς στρατείας ἀνυπόδητος ἀεὶ καὶ γυμνὸς ἐβάδιζεν* [*& ruri & militia incedebat sine calceis & nudus*]. Germanos Mela *plerumque nudos egisse* dicit: interpretatur id Tacitus *rejecta veste superiore*. Sic apud Jobum xxii. 6. & xxiv. 7. *veste* dicitur *nudis detrahi*. In Dionysii epistola apud Eusebium, *Ἡμὴν γυμνὸς ἐν τῷ λινῷ ἐσθήματι* [*Eram nudus in veste linea*]. Chrysostomus Ad baptizandos, *Γυμνοὺς μὲν τοῦ χιτωνίσκου μόνον* [*nudos excepta interula*]. Sic apud Xiphilinum Pseudantonio, cum *γυμνὸς* [*nudus*] positum ellet, sequitur, *σινδόνα διασείων* [*sindonem quassans*].

8. *Οἱ δὲ ἄλλοι μαθηταὶ τῷ πλοιαρίῳ ἦλθον*, *Alii autem discipuli navigio venerunt*] Sicut Petri promtitudinem laudat, ita excusat cæteros. ¶ *Οὐ γὰρ ἦσαν μακρὰν ἀπὸ τῆς γῆς*, *non enim longe erant à terra*] Brevi navigio erant perventuri ad Christum. ¶ *Σύροντες τὸ δίκτυον*, *trahentes rete*] *Ægre moventes*.

9. *Ἀνθρακιὰν κειμένην*, *prunas positas*] Majorem jam potestatem Christus ostendit res creans ex nihilo. ¶ *Καὶ ὀψάριον*, *obsonium*] sive *pisces*. Vox singulari sono pluralem significatum comprehendens. Olim pisces paucos auxerat, nunc facit ut ex nihilo existant.

10. *Ἀπὸ τῶν ὀψαρίων ὧν ἐπιάσατε νῦν*. *de piscibus quos prendistis nunc*] Christus ex piscibus à se factis & aliis quos Apostoli ceperant communes facit epulas, ut sic ostendat & eos quos ipse converterat & quos Apostolorum ministerio erat conversurus ad eundem finem destinari.

11. *Ἀνέβη*, *Ascendit*] In navem. Sic Marci vi. 51. Lucæ viii. 22. ¶ *Εἵλκυσε τὸ δίκτυον ἐπὶ τῆς γῆς*, *traxit rete in terram*] Quippe nave jam ad littus admota, ut facilius jam trahi rete posset. Intellige autem hoc factum à Petro & sociis; sed ipse ut cæterorum dux nominatur. ¶ *Ἑκατὸν πεντηκοντατριῶν centum quinquaginta tribus*] Notant quidam tot piscium numerari genera, eoque significari ex omni hominum genere capturam fore. Figura Davidis & Solomonis temporibus, cum CLIII millia fuere proselytorum, II Paral. II. 17. ¶ *Τοσούτων*, *tantis*] *Cum tot essent*. Sic supra vi. 9. ¶ *Οὐκ ἐσχίσθη τὸ δίκτυον*. *non est scissum rete*] Præsagium miræ unitatis eorum qui per Apostolorum operam in Ecclesiam erant colligendi.

12. *Ἀριστήσατε*. *prandete*] Ἄριστον dicitur *cibus* etiam *qui mane sumitur*. Sic apud Homerum narratur paratum

- - *Ἄριστον ἅμ' ἠοῖ φαινομένῃφι*
- - [*Quod edent simul orta fuit lux*].

Intelligendum autem est, Christum una cum ipsis cibum sumsisse in majorem corporis sui fidem, Actor. i. 4. x. 41. ¶ *Οὐδεὶς δὲ ἐτόλμα τῶν μαθητῶν ἐξετάσαι αὐτόν*, *Nemo audebat discipulorum interrogare eum*] Quanquam conspectus erat olim viso augustior. ¶ *Εἰδότες ὅτι ὁ Κύριός ἐστιν*. *scientes quia Dominus est*] Ex vultu, voce, factis.

13. *Δίδωσιν αὐτοῖς*, *dat eis*] Patremfamilias Ecclesiæ se ostendit, cujus est suum cuique dimensum dare: quod mox explicatur, sermone habito ad Petrum & Johannem. Confer quæ dicta Matth. xxv. 15.

14. *Τοῦτο ἤδη τρίτον*, *Hoc jam tertio*] Refer ad dictum numerum. Primum apparuit diversis ipso Resurrectionis die, iterum die octavo, nunc tertium.

15. *Ὅτε οὖν ἠρίστησαν*, *Cum ergo prandissent*] Quod tempus est colloquendi. ¶ *Σίμων Ἰωνᾶ*, *Simon Jona*] De hac voce vide ad Matthæum xvi. 17. ¶ *Ἀγαπᾷς με πλείων τούτων*; *diligis me plus his?*] Mira Christi sapientia qui tam paucis vocibus efficit ut Petrus de sibi satisfaceret quem ter negaverat, & collegis quibus se prætulerat; exemplum dans disciplinæ Ecclesiasticæ. ¶ *Ναὶ Κύριε, σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε. Etiam Domine, tu scis quia amo te*] *Sufficit ei*, ut ait Augustinus, *testimonium perhibere cordi suo: noluit judex esse cordis alieni*. Non prætulit se aliis, ut ante Matth. xxvi. 33. & tamen ex corde sincero affectus testimonium protulit, quale in Ecclesiæ pastore requiritur. Promiscue hic usurpavit Johannes *ἀγαπᾶν* [*diligere*] & *φιλεῖν* [*amare*], ut mox *βόσκειν* [*pascere*] & *ποιμαίνειν* [*custodire*]. Neque hic quærendæ sunt subtilitates. Et reverenter Petrus ad Christi scientiam provocat, cui se notiorem esse quam sibi ipsi, experimento didicerat. ¶ *Βόσκε τὰ ἀρνία μου. Pasce agnos meos*] Docet Christus in principe Apostolorum cæteros, quo optime modo amor in ipsum demonstretur. *Pasce*, id est, ipsis, non tibi consule: suade, non coge: *oves* non tuas, sed *meas*: quam vocum vim optime se intellexisse Petrus demonstrat 1 Pet. v. 2.

16. *Πάλιν δεύτερον iterum secundo*] Πλεοναστικὸς [*abundans oratio*] qualis Matth. xxvi. 42. Ostenditur hic emendati animi notas requiri pro culpæ magnitudine. ¶ *Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Pasce oves meas*] sive *pecus meum*. Quod de voce *βόσκειν* [*pascendi*] & *ποιμαίνειν* [*custodiendi*] diximus, idem de vocibus *προβάτων* [*pecoris*] & *ἀρνίων* [*agnorum*] intelligendum est: nam & hæ promiscuè usurpantur, ut apparet ex collatione locorum Matth. x. 16. Luc. x. 3. Confer Zach. xi. 4. & cogita exitium Judaicæ gentis, quæ propriè Petro commissa, Gal. ii. 9.

17. *Ἐλυπήθη ὁ Πέτρος*, *Contristatus est Petrus*] Quod ter negando meruisset ter interrogari.

18. *Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω σοι*, *Amen, amen dico tibi*] Ostendit pastori considerandum quam difficile suscipiat munus, ne imparatus deprehendatur, Matth. x. 16. Res est quæ constat libertatis & vitæ dispendio. ¶ *Ὅτε ἦς νεώτερος*, *cum esses junior*] Ης [*esses*] hic habet indefinitam significationem. Nam nunc quoque eum, ut juvenem alloquitur, respectu venturæ ætatis; omnia enim quæ Christus hic dicit allusionem habent ad facta præcedentia: interrogatio de majori dilectione ad id quod Petrus primus per mare Christo occurrerat: mandatum eximium Apostolici muneris ad id quod rete pertraxerat: sic & hæc verba ad id quod superiariam cinctus venerat. Et ærumnas impendentes eo ostendit graviores fore quod incubituræ sint ætati per se gravi. ¶ *Καὶ περιεπάτεις ὅπου ἤθελες*. *ambulabas ubi volebas*] Ut modo ex navi & in navem tuopte arbitratu. ¶ *Ὅταν δὲ γηράσῃς*, *cum autem senueris*] Ubi ad hanc ætatem quadraginta ferme annos adjeceris. ¶ *Ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου*, *extendes manus tuas*] Cogeris extendere ut solent captivi. ¶ *Καὶ ἄλλος σε ζώσει*, *& alius te cinget*] Nam & *vincire* est *cingere*, ut ad Psalm. lxxvi. 10. notat Kimchi, ubi & Symmachus *περιζωθήν* [*cinctum*]: quod iræ Assyrio restabit id vinctes ac cohibebis ne perdat Hierosolyma. Confer cum hoc loco Actor. xxi. 11. *ἆρας τὴν ζώνην τοῦ Παύλου δήσας τε τῶν τοῦ τὰς χεῖρας* [*tulit zonam Pauli, & alligans ei manus*] ubi vides cingulum sumi pro vinculo. ¶ *Καὶ οἴσει ὅπου οὐ θέλεις*. *& ducet quo tu non vis*] Hæc verba, non illa priora, supplicii Crucis habent significationem. *ὅπου οὐ θέλεις*, id est, *quo nolles trahi*, indicativus pro subjunctivo, ut supra xii. 21. Matth. xxvi. 39. Est autem *χαριεντισμὸς* [*emollita locutio*] *agent te quo nolles*, id est, in malam crucem. Quin cruce Petrus, & quidem Romæ obierit dubitandum non arbitror, cum tot habeamus veterum testimonia. Tertullianus tanquam rem apud omnes etiam hæreticos confessam adfert, *Statu felix Ecclesia*, (Romana,) *cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur*. Scorpiaco, *Tum Petrus ab altero cingitur cum cruci adstringitur*. Clemens Strom. vii. *ταύτην ἄρα τοὺς πόνους καὶ τὰς βασάνους καὶ τὰς θλίψεις, ἐξ ὧν παρὰ τοῖς Φιλοσόφοις οἱ ἀνδρεῖοι, ἐλπίδι δὲ τῶν ἡδέων μετασχεῖν, ὑπομένει· ἀλλ' ἡ γνῶσις αὐτῷ πεῖσμα βεβαιότατον ἐνεγέννησε τῆς τῶν μελλόντων ἐλπίδων ἀπολήψεως. διόπερ οὐ μόνον τῶν ἐνταῦθα κολάσεων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἡδέων ἀπάντων καταφρονεῖ· Φασὶν ἂν τὸν μακάριον Πέτρον θεασάμενον τὴν αὐτοῦ γυναῖκα ἀγομένην τὴν ἐπὶ θάνατον, ἡσθῆναι μὲν τῆς κολάσεως χάριν καὶ τῆς εἰς οἶκον ἀνακομιδῆς, ἐπιφωνῆσαι δὲ εὖ μάλα προτρεπτικῶς τε καὶ παρακλητικῶς ἐξ ὀνόματος προσεπόντα, Μέμνησο αὐτῆ τοῦ Κυρίου.* [*Sic ergo labores & cruciatus & angustias ille fert, non ut fortes qui à Philosophis sic dicuntur, spe consequendi jucunda: sed cognitus ei firmam persuasionem indidit de adipiscendis illis quæ in futurum sperantur. Quare non tantum pœnas quæ hic sustinentur, sed & jucunda omnia contemnit. Ajunt beatum Petrum cum uxorem suam ad mortem duci vidisset, lætatum fuisse in eo supplicio per quod ad domum daretur reditus, acclamasse autem hortando simul & consolando eam de nomine compellatam, O tu mea, memento Domini*]. ita enim legendum. His adde Cajum qui sub Zephyrino Episcopo vixit, & Dionysium Corinthi Episcopum, quorum testimonia apud Eusebium exstant. Posteriores auctores qui plurimi id tradiderunt omitto. Si quis tamen eos qui auctoritatis sunt eximiæ volet videre, legat Ambrosium in Nativitatem Apostolorum, Prudentium De passione Petri & Pauli, Chrysostomum oratione de iisdem, Theodoretum *περὶ ἀγάπης* [*de dilectione*].

19. *Ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν Θεόν. qua morte clarificaturus esset Deum*] Morte scilicet violenta ac cruciabili. Magnificus martyrii titulus, *δοξάζειν τὸν Θεὸν* [*clarificare Deum*]. Vide supra xii. 31. ¶ *Ἀκολούθει μοι. Sequere me.*] Sicut modo res ante gestas signa dicendorum sumsit, ita nunc quod dixerat signo conspicuo exprimit: nam *Sequere me* sensum habet & illum communem cui etiam Petrus in præsens pa-

ruit, & myſticum alterum. Alludit ad id quod dixerat Matth. x. 38.

20. Ακολουθοῦντα, *ſequentem*] Quia Petrum ſubſequi videbat. ¶ Ος καὶ ἀνέκεσεν, *qui & recubuerat*] Hæc antehac in deſignatione Johannis poni non ſolita, (ſola enim nota *Dilecti a Domino Diſcipuli* deſignatus eſt) hoc loco non ſine efficacia adduntur. Nam omnia iſta Petro in animum veniebant, ut crederet hunc Diſcipulum ſibi in diligendo Chriſto parem eſſe aut proximum. Quare cum ipſe poſt amoris profeſſionem accepiſſet prædictionem ferendæ mortis ad Domini exemplum, curioſitate quadam humani ingenii ſcire vult quid de illo ſit futurum.

21. Οὗτος δὲ τί; *hic autem quid?*] Ελλειψις [*defectus*] pro τί πείσεται; *quid patietur?* quem habebit exitum?

22. Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν, *Si eum volo manere*] In vita hac caduca. Sic Philipp. i. 21, 22, 23, 24. 1 Cor. xv. 6. ¶ Ἕως ἔρχομαι, *donec veniam*] Quaſi Imperator diceret, *Quid ſi hunc velim in præſidio manere donec ipſe eum revocem?* Ita obſcure ſignificat Johannem non, ut Petrum, morte violenta moriturum, ſed tali qua ſine hominum vi ſolveretur, ubi Chriſtus tempus idoneum judicaſſet: quod & contigit, ut veterum plures conſentiunt. Sic tempus mortis, *accerſitionem* ſæpe vocant Chriſtiani. ¶ Τί πρός σε; *quid ad te?*] Sic & Latine dicimus, *quid ad te?* quaſi dicat, Quicquid de illo erit, id ad te non pertinet: cura quod te ſpectat. Hæc eſt pars lotionis pedum Petri: quam ipſe recte intelligens poſtea vetuit Chriſtianos eſſe ἀλλοτριοεπισκόπους [*alienarum rerum introſpectores*], 1 Petr. iv. 15. ut & feminas Pauhus eſſe περίεργους [*curioſas*], 1 Tim. v. 13.

23. Ἐξῆλθεν οὖν ὁ λόγος, *Exiit ergo ſermo*] Hebraiſmus. Vide Matth. ix. 26. Adde & Luc. vi. 22. ¶ Οτι ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος οὐκ ἀποθνήσκει· *quia Diſcipulus ille non moritur*] *Non moriturum*, præſens pro futuro. Sumſerunt ſcilicet interrogationem Chriſti pro affirmatione, & *adventum* pro *adventu ad judicium*, de quo ſæpe illis antehac locutus erat, & quidem addita voce ἔρχεσθαι [*venire*] ut Matth. xvi. 27. & xxiv. 30. Hunc diem de propinquo imminere exiſtimabant, 1 Theſſ. v. Et cum is dies futurus eſſet dies reſuſcitationis ante mortuorum, qui tum piorum victuri eſſent mortem non ſenſuros recte exiſtimabant, 1 Corinth. xv. 51. Et credibile eſt Chriſtum colloquiis poſt reſurrectionem de illo die apertius quam antea locutum, ut de complemento Regni ſui, Actor. i. 3. ¶ Καὶ, &] *Et tamen*, ut alibi ſæpe. ¶ Οὐκ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ιησοῦς ὅτι οὐκ ἀποθνήσκει· *non dixit ei Jeſus quod non moritur*] *Non dixerat nunquam moriturum*, ut illi interpretabantur. ¶ Αλλ', Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, *ſed, Si eum volo manere donec veniam*] Hæc repetitio vocum hucuſque oſtendit ἐμφασιν [*efficaciam loquendi*] non eſſe in illo ἐὰν θέλω [*ſi volo*], ſed in illo ἔρχομαι [*veniam*], cujus ambiguitate decepti erant Diſcipuli, cum debuiſſent aut Magiſtrum interrogare, aut quod ambigue dictum erat pro ambiguo relinquere, donec ſenſum exitus declararet. Tertullianus De anima, *Obiit & Johannes, quem in adventum Domini fuiſſe remanſurum falſa fuerat ſpes.*

24. Ο μαρτυρῶν περὶ τούτων, *qui teſtimonium perhibet de his*] Petro jam mortuo & aliis qui amplius de his dictis teſtimonium præbere non poterant. ¶ Καὶ γράψας ταῦτα· & *ſcripſit hæc*] Qui hæc quoque ſupra cætera antehac edita in commentariis privatis reliquerat. ¶ Καὶ οἴδαμεν, & *ſcimus*] Loquitur Eccleſia Epheſina. ¶ Οτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ. *quia vera eſt teſtatio ejus*] Ἀληθὴς [*vera*], id eſt, *fide digna*, ut ſupra v. 31. viii. 13. *Scimus*, ajunt, *fide dignum*, ex vitæ ſcilicet perpetua puritate & miraculis ab ipſo editis. Scimus ergo plane qualem habuit mortem prædictam ab Jeſu.

25. Καὶ ἄλλα πολλά, & *alia multa*] Miracula, quorum tunc adhuc recens erat memoria, non ita dudum mortuis teſtibus. ¶ Ἐὰν γράφηται καθ' ἕν, *ſi ſcribantur per ſingula*] Ita ut nihil eorum omittatur. ¶ Οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. *nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*] Γραφόμενα, id eſt, *qua ſcribi deberent.* Et hyperbole eſt non infrequens Sacris Literis, ut Gen. xi. 4. Num. xiii. 33. Dan. iv. 20. Vide & ſupra xii. 19. οἶμαι [*arbitror*] hic dicitur ſingulariter, quia pro Eccleſia hæc ſcripſit Epiſcopus: ſicut & in Apocalypſi literæ pro Eccleſiis ad Epiſcopum diriguntur. Forte is fuit Johannes ὁ πρεσβύτερος, [*Presbyter*], cujus ſepulchrum & Epheſi diſtinctum ab illo Johannis Apoſtoli vidiſſe memorat Hieronymus, & cui veterum nonnulli adſcribunt Epiſtolas duas.

EXER-

Digitized by Google

B. L.

EXERCITATIONES vel ANNOTATA Pricæi in X. & XI. Caput Johannis ſuis locis non inſerta eſſe jam demum deprehendimus; quod tamen nec noſtra, nec typothetarum, ſed ſolummodo Anglicæ Editionis vitio factum ſcias, cujus in titulo nil quicquam de his Annotatis relatum legimus. Conſultum itaque duximus ea hic ſubnectere, ſimulque in INDICE expreſſam eorum mentionem facere, ut, ſi quis hæc ad ſua loca annotare (quod tamen facile fieri poteſt) gravetur, nihilominus Indice explorato ad ea quoque inſpicienda ſat commode perduci queat.

JOHANNIS PRICÆI

ANNOTATA

IN

EUANGELIUM

SECUNDUM

JOHANNEM.

CAP. X, & XI.

Ad CAP. X.

Com. 1.  Μὴ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, ἀλλ' ἀναβαίνων ἀλλαχόθεν, &c.] Id eſt, ὁ μὴ τὴν αὐλὴν ἀνεπτεταγμένων, καὶ διὰ τῆς τοῦ Κυρίου παραδόσεως εἰσιὼν, παράθυρον δὲ ἀνατέμνων, καὶ τὸν τῆς Ἐκκλησιαστοῖχον λάθρα διορύττων, καὶ τὴν αὐλὴθεν ὑπερβαίνων, ut Stromat. 7. loquitur Clemens Alexandrinus: non enim ſe tantum vocat *oſtium* Chriſtus, ſed & futuros, modo veros, ſuæ doctrinæ promulgatores. Θύρα heic eſt quæ Græcis αὐλεία. Vide Heſychium.

Ibid. Αὐλὴν τῶν προβάτων] Gloſſarium, Αὐλὴ τῶν προβάτων, *ſtabulum*. Servius ad Æneid. 9. *Graci aulas vocant animalium receptacula*. Pollux 1. 12. § 19. Οὗ δὲ βόες ἵστανται,

Digitized by Google

βούζαθμα, &c. οὗ δὲ ἕϊετ, αὐλὴ, καὶ σηκός. Heſychius, ex hoc ſorte Euangelii loco, Αὐλὴν, κοίτην, ἐπαυλισμόν.

Ibid. Κλέπτης ἐϛὶ] Quia non per oſtium intrat, ſed aliunde ſcandit. Terent. 3. 5. Eunuchi, *Veniſſe clanculum per impluvium*: ubi Donatus, *Quod non ſolum Jovi, ſed ne homini quidem, niſi furi, aptum erat.* Vide Joel. 2. 9. Etiam urbes aliâ quam per portas ingredi hoſtile & abominandum habitum. L. ult. ff. de rerum divil.

Ibid. Καὶ λῃστὴς] Hinc σημαλόεις λῃσταὶ, apud Heſychium.

Com. 2. Ὁ δὲ εἰσερχόμενος διὰ τῆς αὐλῆς, &c.] Qui per viam rectam intrat, &c. Sic, ὡς δεῖ, καὶ κατὰ τὴν θύραν Φιλοσοφίας ἀττεσθαι, Arrianus 2. 11. in Epictetum.

Ibid. Ποιμὴν ἐϛὶ] Non autem κλέπτης, ut qui ex obliquo irrepit. Κλεπτὴ δ' ποιμένος oppoſitione utitur & Maximus Tyrius, qui caſtum cum impuro amatore comparans, ὁ μὲν ποιμένα, (inquit) ὁ δὲ κλέπτην ἔοικεν.

Com. 3. Τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει] Χαρᾷ χαίρει (ut ſupra 3. 29.) διὰ τὴν φωνὴν αὐτοῦ. Ælianus 7. 27. de Animalibus, Εὐπειθέϛατα τῶν ζώων τὰ πρόβατα· & ſtatim, τῷ νομεῖ ὑπακούει. Ἀκούειν autem in contextu noſtro non tam ſignificat *audire*, quam *agnoſcere*. Xenophon & de ovibus loquens, Χαίρουσι τὴν φωνὴν τοῦ δεσπότου γνωρίζουσαι· id eſt, ἀκούσασαι. Longus ποιμεν. α'. Χλόη λαβοῦσα τὴν σύριγγα, &c. ἐσύριζε μέγιϛον ὡς ἐδύνατο, καὶ αἱ βόες ἀκούσασαι, καὶ τὸ μέλος γνωρίζουσι.

Ibid. Τὰ ἴδια πρόβατα καλεῖ κατ' ὄνομα] Corippus Africanus,

– – – Et in unum congregat agnos,
Nomina nota vocans. – – –

Sic, ἐκ' ὀνόματος καλεῖν, in Græco Eſaiæ 40. 26. Heſychius, Κλήδων, καλῶν ἐξ ὀνόματος. Idem, Ἐξονομακλήδην, ἐξ ὀνόματος καλῶν. Longus ποιμεν. δ'. Τὰς αἶγας προσεῖπε καὶ τὰς τράγους ἐκάλεσεν ὀνομαϛί.

Ibid. Καὶ ἐξάγει αὐτὰ] In paſtum nempe. Pollux 1. 12. Ποιμάνειν, &c. ἐπὶ νομὰς ἐξάγειν.

Com. 4. Ἔμπροσθεν αὐτῶν πορεύεται] Ex more illarum regionum, qui & hodie viget. In aliis quibuſdam terris paſtores non ducunt oves, ſed ſequuntur eas.

Ibid. Καὶ τὰ πρόβατα αὐτῷ ἀκολουθεῖ] D. Hieronymus in Epiſtolis, *Etiam muta animalia ac ferarum greges ductores ſequuntur ſuos.* Ovidius ubi de Polyphemo,

Lanigeræ pecudes nullo ducente ſecutæ:

ubi & *ducere* eſt quod Joannis contextu ἄγειν.

Ibid. Αὐτῷ ἀκολουθεῖ, ὅτι οἴδασι τὴν φωνὴν αὐτοῦ]

– – – Ad magiſtri
Vocem quæque ſui venit citata.

Corippus jam dicto loco,

– – – Audita voce ſequuntur.

Φωνὴν hic intellige *paſtoris jubilum, & variam modulationem*, ut loquitur Serm. 46. P. Chryſologus. Longus, cujus verba attulimus, vocat μέλος γνωρίζειν.

Com. 5. Φεύξονται ἀπ' αὐτοῦ, ὅτι οὐκ οἴδασι τῶν ἀλλοτρίων τὴν φωνήν] Cæcilius apud Nonnium Marcellum,

Audire ignoti quod imperant ſolco, non auſcultare.

D. Ambroſius Hexaem. 6. 3. de Perdice, *Aliena ova diripit, & corpore fovet ſuo: ſed fraudis ſuæ fructum non poteſt habere, quia ubi vocem ejus audierint quæ ova generavit, (generavit* pro *peperit* dixit,) *relicta ea, ad illam naturali quodam amore, &c. ſe conferunt.*

Com. 6. Ταύτην τὴν παροιμίαν εἶπεν αὐτοῖς] Pro, ταῦτα ἐν παροιμίᾳ αὐτοῖς εἶπεν. Vide infra 16. 25. Παροιμία hic, *ſimilitudo*, παραβολή.

Ibid. Οὐκ ἔγνωσαν τίνα ἦν ἃ ἐλάλει αὐτοῖς] Τίνα ἦν, quid ſibi vellent ea, &c. Ita explica & Matth. 26. 70. illud, Οὐκ οἶδα τί λέγεις· neſcio quid tibi vis dum ſic me compellas.

Com. 7. Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα τῶν προβάτων] De eodem Hebr. 13. 20. Ὁ μέγας τῶν προβάτων ποιμήν. Θύρα, per quam aditus ad Patrem datur, Epheſ. 2. 18. infra hic 14. 6. Ignatius ad Philippenſes, Αὐτὸς θύρα τοῦ πατρός, δι' ἧς εἰσέρχονται Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, οἱ προφῆται καὶ οἱ Ἀπόϛολοι, &c. Paſtor Hermæ 3. 9. *Sicut in urbem non poteſt intrari quam per portam ejus, ita nec in regnum Dei niſi per nomen filii ejus:* & poſt, *Porta filius Dei eſt, qui ſolus eſt ad Deum acceſſus.* Arnobius lib. 2. *Hunc omnipotens Imperator eſſe voluit ſalutis viam: hanc vitæ, ut ſi adixerimus, januam. Per hunc ſolum eſt ingreſſus ad lucem, neque aliàs datum eſt vel irrepere, vel invadere: cæteris omnibus clauſis atque inexpugnabili arce* (legerim *inexpugnabili velut arce*) *munitis.* Lactantius 4. 29. *Hic templi maximi janua eſt, hic lucis via, hic dux ſalutis, hic oſtium vitæ.*

Com. 9. Δι' ἐμοῦ ἐάν τις εἰσέλθῃ, σωθήσεται] Idem fere ſenſus (at θύρας voce ut hic ad Chriſtum, ibi ad Chriſtianum aptata) qui Apoc. 3. 20. Σωθήσεται, in tuto erit, ut in caule ovis. Hinc σημαί, ἀπὸ τῶν τὰ εἰσαγόμενα σῶα μένειν, Heſychio exponente.

Ibid. Εἰσελεύσεται, καὶ ἐξελεύσεται, καὶ νομὴν εὑρήσει] i. e. Καὶ εἰσερχόμενος καὶ ἐξερχόμενος νομὴν εὑρήσει· hoc nempe ſenſu, Quocunque commeaverit, inveniet pabulum. Ἡ ψυχὴ αὐτοῦ (ut Pſalm. 24. 13.) ἐν ἀγαθοῖς αὐλισθήσεται· ἐν νομῇ (ut Ezech. 34. 14.) τίνι βοσκηθήσεται· ἐν κατακλύματι (ut Sirach. 14. 25.) ἀγαθῶν κατακλύσει. Erit *paſtu & cultu opimus*, ut, & de ovibus loquens, A. Gellius dixit. Vide Script. Sapient. 19. 9. Eſa. 40. 31. & 65. 10. Pſalm. 22. 10. & 33. 10. & 36. 3. Proverb. 1. 33. & 3. 25. adde Apocal. 7. 17. Apte autem perſonam paſtoris induens, iſta Chriſtus promittit. Julianus Imperator itidem bonum paſtorem ait προνοεῖν ὅπως ἐν αὐτῷ (i. e. per ipſum) θάλλῃ καὶ εὐθηνῆται τὰ θρέμματα, νομῆς ἀκριβοῦς ἐμπιπλάμενα. Νομὴν εὑρίσκειν hic, ut Luc. 9. 12. ἐπισιτισμὸν εὑρεῖν. Gloſſæ, Νομὴ θρεμμάτων, *pabulum*. Vulgatus, *paſcua*. Ita & in vetere Onomaſtico, *Paſcua*, νομή.

Com. 10. Ὁ κλέπτης οὐκ ἔρχεται εἰ μὴ ἵνα κλέψῃ, καὶ θύσῃ, καὶ ἀπολέσῃ] Hoc ipſum dixit & Paulus Act. 20. 29. Εἰσελεύσονται μετὰ τὴν ἄφιξίν μου λύκοι βαρεῖς, μὴ φειδόμενοι τῷ ποιμνίῳ. Ibi λύκοι qui hic κλέπται· & μὴ φείδεσθαι, &c. quod heic θύειν, καὶ ἀπολλύειν. Gloſſarium, *Derectarius*, (talis heic κλέπτης) ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας οἰκίας ἕνεκα τῷ κλέψαι εἰσερχόμενος· ubi & εἰσέρχεσθαι, ut & in Pauli verbis, eſt quod ἔρχεσθαι apud Joannem: vide ſupra com. 1.

Ibid. Καὶ θύσῃ, καὶ ἀπολέσῃ] Horatius,

Ut jugulent homines ſurgunt de nocte latrones.

Ductor latronum apud Apulejum 3. Mileſ. *Per totam domum cædes ambulet: qui ſopitus jacebit, trucidetur, qui repugnare tentabit, feriatur.* De alio ejuſdem ſectæ. Idem lib. 4. *Cuſtodes, qui probe* (ita enim, non *prope*, legendum monuimus) *ſopiti jacebant, ad unum omnes, mox etiam janitorem ipſum gladio confecit.*

Ibid. Ἐγὼ ἦλθον ἵνα ζωὴν ἔχωσι, καὶ περισσὸν ἔχωσι] Veniunt fures ut lacerent ac ſpolient oves: ego ut vivant abundentque. Habemus idem diſcrimen apud Maximum Tyrium inter agricolam & furem, quod heic in verbis Domini inter furem & paſtorem. Ἐν ταῖς εὐκάρποις φυτείαις ὁ γεωργὸς τημελῶς πρόσεισιν, ὁ δὲ κλέπτης ἐμπεσὼν δρέπει, καὶ λυμαίνεται, καὶ σπαράττει. Ζωὴν ἔχωσιν, ϛὶ ζῶσι. Περισσὸν ἔχωσιν, abun-

Digitized by Google

abundent paſtu animarum : νομὴς nempe ἀνθρώπους ἐμπεπλήμενα, ut ſupra hic Julianus locutus. Euthymius ad Luc. 15. ea, περισσεύουσιν ἄρτων, *Non modo animarum cibum habent, ſed & delicias; id enim heic ſignificat, abundare.* P. Chryſologus Serm. 173. de bonis ovibus (hoc eſt, ovibus quæ verum paſtorem ſequuntur,) *Reperiunt amœnitates, & delicias perfruuntur.* Ἔχειν & περισσεύειν heic, ut Philip. 4. 18. ἀπέχω, καὶ περισσεύω.

Com. 11. Ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων]

Unum pro multis caput obſicit. - - -

Ψυχὴν (id eſt, vitam ſuam,) τιθέναι, hoc loco ſignificat, non tam mortem oppetere, quam periculis quæ mortem minantur ſe exponere : τῇ ψυχῇ (Philipp. 2. 30.) παραβολεύεσθαι, *periculo ſanguinis ſui munire*, ut Apulejus locutus. *Caput objectare periclis*, Virgilius dixit; *periculo vitæ tueri*, Q. Curtius. Homerus Odyſſ. β'.

Ψυχὰς παρθέμενοι· - - -

ubi Didymus, ἀφειδήσαντες ἑαυτῶν, παραβαλόντες ἑαυτούς. Vide ad Actor. 15. 26. notata. Etiam Libanius paſtoris boni officium eſſe ait, ὑπὲρ προβάτων τοῖς ἐπιοῦσι τῶν θηρίων μάχεσθαι· quod, ὑπὲρ τῶν θρεμμάτων θηριομαχεῖν, lib. 3. Diodorus Siculus vocat : Arrianus autem, 1. 2. in Epictetum, de tauro loquens, ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς ἀγέλης προβάλλειν. De Rhinocerotibus Cteſias apud Photium, Ὅταν τὰ τέκνα περιάγουσιν ἐπὶ τὴν βοτανὴν, καὶ ὑπὸ ἵππείας περιληφθῶσιν, οὐ βούλονται Φεύγειν, τοὺς παῖδας καταλιπόντες, ἀλλὰ μάχονται καὶ πείρασι καὶ λακτίσμασιν, &c. Cicero in Orator. partitionibus, *Multi vitam neglexerunt, ut eos qui his chariores quam ſibi ipſi eſſent, liberarent.*

Ibid. Τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων] Ὅτι ἐγαπητὰ αὐτοῦ εἰσιν, 1 Theſſ. 2. 8. ubi & ψυχὴν μεταδιδόναι.

Com. 12. Ὁ μισθωτὸς, καὶ οὐκ ὢν ποιμὴν, οὗ οὐκ εἰσὶ τὰ πρόβατα] Senſus unus idemque tripliciter variatus, ut ſit major emphaſis. Sic fere Marc. 9. 3. ἱμάτια ςίλβοντα, λευκὰ ὡς χιὼν, οἷα γναφεὺς, &c. οὐ δύναται λευκάναι· & Act. 14. 8. ἀδύνατος τοῖς ποσὶν, χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς ὑπάρχων, ὃς οὐδέποτε περιεπατήκει· ad quem locum annotata confer. Seneca Hippolyto,

Quos hauſit, & peremit, & letho dedit
Odium, doloſque. - - -

Ibid. Θεωρεῖ τὸν λύκον ἐρχόμενον] Id eſt, ſi viderit lupum, &c. Similis Matth. 12. 11. & 18. 21. Marc. 9. 39. Luc. 14. 5. & ſupra heic 2. 19. loquendi modus. Tale & Exod. 33. 20. illud, *non videbit me homo, & vivet :* & Pſal. 138. 18. *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* De gladiatore M. Antoninus, Τὸ ξίφος ἀνατίθεται, καὶ ἀναιρεῖται· id eſt, *ſi gladium depoſuerit, occidetur*, lib. 12.

Ibid. Ἀφίησι τὰ πρόβατα, καὶ Φεύγει] Ita Matth. 26. 56. ἀφέντες αὐτὸν, ἔφυγον. Φεύγει heic, quia mercenarius. Apud Heliodorum lib. 2. Εὐέτυχον ποιμένας, οἱ δὲ νομεύοντες ἀπέδρασαν. Adde quæ Marc. 5. 14. de ſubulcis.

Com. 13. Οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων] Opponit vitam pro ovibus earum Dominus, nulla de grege cura mercenario eſt. Suidas, Ἀκονόμει τῆς ἀμάξης, τῶν δὲ ὄνων οὐδὲν μέλει. Παροιμία ἐπὶ τῶν τὰ οἰκεῖα τιμελούντων, τῶν δὲ ἀλλοτρίων ἀμελούντων, παρόσον οἱ ἴδιον ἔχοντες ἅμαξαν, ὄνους δὲ μισθωσάμενοι, ἀμελοῦσιν αὐτῶν. Pro ἀκονόμει autem, ἀκουαίμην ſcribendum videtur: q. d. fruar vehiculo meo, de conductitiis aſinis non laboro. Sic, fundi Dominus, inquit Philo, (in de Agricultura) ſumptuoſe & laboriole eam non ceſſat colere: mercenarius autem πρὸς ἓν τέλος τὸν μισθὸν ἀφορᾷ, ἐργάζεσθαι μηδεμίαν φροντίδα ἔχει.

Com. 14. Γινώσκω τὰ ἐμὰ] Πρόβατα nempe. οἶδα δὲ ἐξελέξάμην, ut infra 13. 18. locutus. Sic 2 Tim. 2. 19. Ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ.

Ibid. Καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν] Ita 1 Cor. 13. 12. ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην. Saluſtius Catilin. *Principibus civitatum notus erat, eoſque noverat.*

Com. 15. Καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα] Proverbialis videri poteſt locutio iſta. Apud Suidam, (at in partem ſequiorem) eſt, Οἶδα Σίμωνα, καὶ Σίμων ἐμέ.

Ibid. Τίθημι] Paratus ſum ponere: vel τίθημι pro θήσω, in cruce nempe.

Com. 17. Ἐγὼ τίθημι τὴν ψυχήν μου ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν] Ἵνα heic non eſt ut, ſed *at*. Vulc dicere, (ut 2 Macc. 7. 9.) Ἐκ τοῦ παρόντος ζῆν ἀπολύομαι, ὁ δὲ τῷ νόμῳ βασιλεὺς ἀποθανόντα με εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἀναςήσει.

Com. 18. Οὐδεὶς αἴρει αὐτὴν ἀπ' ἐμοῦ, &c. ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτὴν, καὶ, &c. πάλιν λαβεῖν αὐτήν]

- - - Jus vitæ ac necis
Mea penes me eſt. - - - Senec. Theb.

De Eodem in Pſalm. 51. eleganter D. Auguſtinus, *Quem, ſicut camelum, nemo ſarcina paſſionis oneraret, niſi ipſe ſe in terram deponeret.* Arrianus 4. 12. ex hominis vere liberi perſona, Οὐδεὶς κύριος, οὔτ' ἀγαθόν μοι περιποιῆσαι οὔτε κακῷ περβαλεῖν· ἐγὼ αὐτὸς ἐμαυτῷ κατὰ πάντα μόνος ἐξουσίαν ἔχω· ubi & notanda illa, ἐξουσίαν ἔχω· quæ & in Joannis contextu habemus.

Ibid. Ἐγὼ τίθημι αὐτὴν ἀπ' ἐμαυτοῦ] P. Chryſologus Serm. 90. de Eodem, *Voluit Judex ipſe ſuam ſubire ſententiam:* & poſt, *Punire voluit, ne puniret.* Illa, ἀπ' ἐμαυτῦ, quæ ambigue *à meipſo* vertunt, vertenda potius erant, *ſponte mea:* quo ſenſu Luc. 21. 30. ἀφ' ἑαυτῶν γινώσκετε ad quem locum annotata vide. Euthymius ad Luc. 12. *Coarctor quoad perficiatur; Oſtendit quod*, &c. *voluntarie ſeipſum traderet.* Idem ad Joh. 6. 51. *Quam* (carnem ſuam) *ego dabo, dicens, ultroneam ſignificat fuiſſe paſſionem.*

Com. 19. Σχίσμα, &c. ἐγένετο, &c. διὰ τοὺς λόγους τούτους] Οἱ μὲν γὰρ (ut Act. 28. 24.) ἐπείθοντο τοῖς λεγομένοις, οἱ δὲ ἠπίστουν· vide ſupra 7. 47. & 9. 16.

Com. 23. Περιεπάτει, &c. ἐν τῷ ἱερῷ] In Tabulæ Cebetis initio ipſo, Ἐντυγχάνομεν περιπατοῦντες ἐν τῷ τοῦ Κρόνου ἱερῷ.

Com. 24. Ἐκύκλωσαν αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι] Appoſite 109. 3. Pſalmiſta, Λόγους μίσους ἐκύκλωσάν με.

Ibid. Ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις;] Sic Jobi 19. 1. ἕως τίνος ἔγκοτον ποιήσετε τὴν ψυχήν μου; Αἴρειν heic eſt, μετέωρον ποιεῖν, dubium ſuſpenſumque animi tenere quem : *exſpectatione intentum eum tenere*, ut Strategem. 1. 4. Jul. Frontinus loquitur: unde & *ſenſim exſpectatione ſuſpenſi*, 7. 3. apud A. Gellium. Philoſtratus 2. 4. Καιρὲ πάνυ αἴρει ὁ λόγος ὃν εἴρομεν. Cicero ad Atticum, *Ne diutius pendeas*, (q. d. ἵνα μὴ τὴν ψυχήν σου ἀεὶ) *palmam tulit.* Idem in de Lege Agraria, *Nolo ſuſpenſam & incertam plebem Romanam obſcura ſpe & caca exſpectatione pendere.* Vide quæ de voce *pendere* ad Luc. 12. 29. diximus. Vulgatus heic, *tollis animam noſtram :* id eſt, *in ſublime tollis*, ut Idem eo Lucæ loco τὸ μετεωρίζεσθαι vertit. Utrobique, ſi quid perſpicio, aptiſſime: nam & αἴρειν heic eſt quod αἰωρεῖν, nec aliud ibi μετεωρίζεσθαι quam αἰωρεῖσθαι· unde & Αἰωρούμενοι, μετεωριζόμενοι exponitur ab Heſychio.

Ibid. Εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ] Apud Philemonem,

Σὺ γὰρ τίς ἔσει γ'; εἰπέ μοι παῤῥησίᾳ.

Digitized by Google

In Plauti Mercatore,

Diſſolve jam me, nimis diu animi pendeo.

Παῤῥησίᾳ malim *aperte* quam *palam* verti. Aſconius Pædianus, *Aperte, ad verba pertinet non obſcura; palam, ad præſentium multitudinem.* Ita in Gloſſario, ῥητῶς, *aperte.* Cicero Tuſcul. 5. *Deſinam balbutire, clareque & aperta voce dicant nobis*, &c. quod ipſum eſt quod hoc loco Joannis εἰπεῖν παῤῥησίᾳ.

Com. 25. Τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ, &c. ταῦτα μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ] Ita & ſupra Idem 5. 36. Euthymius ad Matth. 5. de Eodem, *Ut plurimum humilia de ſe loquitur*, &c. *ſciebat enim quod ſua ipſum opera manifeſtarent.* Heraclitus de Deo loquens, Ἔργα δεῖ μαρτυρεῖν, οἷα ἡλίου, νὺξ αὐτῷ καὶ ἡμέρα μαρτυροῦσιν, σύραι αὐτῷ μαρτυρεῖ, γῆ ὅλη καρποφοροῦσα μάρτυς, &c. οὐρανὸς μαρτυρία. Pompejus apud Saluſtium Hiſtor. 2. ad Romanum Senatum, *Quid prælia enumerem*, &c. *quando res plus valent quam verba?* Cicero fine Bruti, *Quod ea geſſiſſem quæ de me etiam me tacente ipſa loquerentur.* Τὰ ἔργα, de quibus Chriſtus heic loquitur, vide per ſpecies ſuas enumerata Matth. 11. 5. Μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ, me nempe Chriſtum eſſe, Deique filium. Sacerdos Jovis Ammonis ad Alexandrum apud Diodorum Siculum lib. 17. Τεκμήρια δ' ἔσεσθαι τὰς ἐπὶ τῷ θεῷ γενέσεως τὸ μέγεθος τῶν ἐν ταῖς πράξεσι κατορθωμάτων.

Com. 28. Ζωὴν αἰώνιον δίδωμι αὐτοῖς] Vide infra 17. 2. Δίδωμι heic eſt δώσω. Apud Virgilium, *Do quodvis:* ubi Servius, *Bene præſenti uſus eſt tempore, nam promiſſio Numinis pro facto eſt.* Hinc ſupra 3. 35. infra 13. 3. & 17. 2. πάντα δέδωκεν αὐτῷ ὁ πατήρ, &c. cum tamen adhuc in terris agens acceperat promiſſionem tantum, nec poteſtatem ipſam niſi poſt in cœlos aſcenſum.

Com. 29. Ος δέδωκέ μοι] Subaudi αὐτά· ſic ſæpe poni hoc verbum relativo tacito, compluribus ad Luc. 15. 16. explis indicavimus.

Ibid. Καὶ οὐδεὶς δύναται ἁρπάζειν ἐκ τῆς χειρὸς τοῦ πατρός μου] Ad Deum D. Auguſtinus Confeſſ. 2. 6. *Quis à te ſeparat quod diligis?*

Com. 30. Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν] Ἓν ἐμοὶ γὰρ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θειότητος κατοικεῖ, Coloſſ. 2. 9. Ἕν ἐσμεν· *hoc ſumus uterque quod ſinguli*, ut loquitur Solinus. Vide infra 17. 11, & 21. Apud Plautum Sticho,

- - - Ego tu ſum,
Tu es ego. - - -

Tertullianus in Apologetico, *Quod de Deo profectum eſt, Deus eſt, & Dei filius: & unus ambo.* Andronicus Rhodius 8. 16. Οἱ ἐκ γονέων οὐκ ἄλλοι αὐτοί, τῷ χωρὶς εἶναι (id eſt, perſonarum diſtinctione,) μόνον διαφέροντες.

Com. 31. Ἐβάσταζαν, &c. λίθους] Ex more, quoties ira æſtuarent: Exod. 17. 4. Act. 14. 19. Vide ad Apulej. 1. p. 27. dicta. Ἐβάσταζαν (ut & infra 20. 15.) pro ἦραν. Nec abhorret hoc genus loquendi à linguæ purioris uſu. Antigonus (apud Stobæum) ad neſcio quam mulierculam, de diademate ſuo, *Si ſcires quos periculis, imo erumnis expoſitum ſit*, οὐκ ἂν ἐπὶ κοσμίοις κεφαλοῖσον αὐτὸ ἐβάστασας.

Com. 32. Πολλὰ καλὰ ἔργα ἔδειξα ὑμῖν] *Feci, & quidem palam*, exponit hic Vir eximius. Eſt quidem id verum in re ipſa, at non in locutione; non enim aliud heic καλὰ ἔργα δεικνύειν, quam ſimpliciter quod *edere*, aut *facere pulcra facinora*, Latini dicunt. Appianus in Ibericis de Viriatho; Μάγιστα ἔργα ἐπεδείξατο. Plutarchus de Bruto, Πολλὰ ἄξια μνήμης ἔργα ἐπεδείξατο, ita enim, non, ut vulgo, ἀπεδείξατο ſcribendum. Herodianus in Pertinace, Ἐπιδειξάμενος, &c. πολλὰ σώφρονα καὶ καλὰ ἔργα. Sic & ἔργον καλὸν ἐπιδείκνυσθαι, Themiſtius 13. Orat. & ἀγαθὰ ἐπιδεικνύειν, Orat. 16. Ἀρετὰς ἐπιδεικνύειν, Dionyſius Halicarnaſſenſis: καλῶς τι πρὸς ἀρετὴν ἐπιδεικνύειν, Diogenes Laertius in Heraclito: & è converſo 2 Tim. 4. 14. κακὰ ἐνδείκνυσθαι· ad quem locum annotata vide. Adde quæ in Græco Eccleſiaſtæ 2. 24. & Pſ. 78. 11.

Ibid. Διὰ ποῖον αὐτῶν λιθάζετέ με;] Charientiſmus, qualis apud Apoſtolum illic, χαρίσασθέ μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην. In Ariſtophanis Acharnenſibus ad ea, σὲ μὲν οὖν καταλείσομεν, reſpondetur, ἀντὶ ποίας αἰτίας; Nec alienum Terentii illud 1. 2. Eunuchi, *Ob hæc facta abs te ſperner:* ubi *facta* ſunt *benefacta* quæ enumeraverat, inque mentem reduxerat ei. Vide & Suidam in Ἀντ' εὐεργεσίης, &c. Nux apud Ovidium,

Omnia cum faciam, cum præſtem ſedula cunctis
Officium, ſaxis officioſa petor.

Ubi & vides de lapidatione agi.

Com. 33. Περὶ καλοῦ ἔργου σὲ λιθάζομέν σε, ἀλλὰ περὶ βλασφημίας] q. d.

Λείπον ἔπος χρυσῶν καπῶν ἔνι δοῦπος ἔργων.

Homeri forte eſt verſiculus à Luciano citatus; ex quo Nonnus hoc loco (quod non monuerunt Interpretes noſtri) τετρήνατε χρυσῶν dixit.

Ibid. Ὅτι ἄνθρωπος ὢν ποιεῖς σεαυτὸν θεόν] Heraclitus in Epiſtolâ ad Hermodorum de Euthycle, Ἀσεβεῖς με γέγραπται, &c. ὡς ὅτι ἐπέγραψα τῷ βωμῷ οὐ ἐπέσχον τὸ ἐμὸν ὄνομα, θεοποιῶν ἄνθρωπον ὄντα ἐμαυτόν. Ποιεῖς heic, jactas te. Sic ſupra 8. 53. & infra 19. 7. & 12. ubi illa, βασιλέα ἑαυτὸν ποιῶν, vertit Nonnus, ἑαυτὸν ἄνακτα λέγων. Cæterum quod hoc in loco Joannis habemus, id ſupra 5. 18. dicitur ἴσον ἑαυτὸν τῷ θεῷ ποιεῖν· cui ſimile 2 Theſſal. 2. 4. θεὸν ἑαυτὸν ἀποδεικνύειν.

Com. 38. Ἵνα γνῶτε καὶ πιστεύσητε, &c.] Pro, ἵνα γνῶντες πιστεύσητε.

Ad Cap. XI.

Com. 1. Ἦν δὲ Λάζαρος ἀπὸ Βηθανίας ἐκ τῆς κώμης Μαρίας, &c.] Suidas, Κωμῆται οἱ παλαιοὶ τοὺς ἐν τῇ αὐτῇ ἀμφόδου καὶ τόπου ἔλεγον. Heſychius, Ὁμόθεν, ἐκ τῆς αὐτῆς τόπου, ἐξομόθεν πεφυκότες. Ἀπὸ Βηθανίας, ἐκ τῆς κώμης, &c. eſt, ἀπὸ Βηθανίας τῆς κώμης M. illud ἐξ enim abundare videtur. Ita ſupra 1. 45. de Philippo, Ἦν ἀπὸ Βηθσαϊδά, ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρέου καὶ Πέτρου· & Luc. 8. 27. ἀνὴρ ἐκ τῆς πόλεως, eſt, ἀνὴρ τῆς πόλεως. Vulgatus, *à Bethania*, ut Matth. 21. 11. & Act. 10. 18. *à Nazareth*, Matth. 27. 57. *ab Arimathea*: Act. 6. 9. *à Cilicia*, & Act. 21. 39. *à Tarſo*, i. e. Tarſenſis: ubique locorum iſtorum ſimiliumque Latiniſſime. Sic *Ab Andria eſt ancilla hæc*, Terentius dixit.

Com. 3. Ὃν φιλεῖς ἀσθενεῖ] Antonomaſia, emphatica magis quam ſi *Lazarum* dixiſſet. Sic Cantic. 1. 7. & 2. 3. Ὃν ἠγάπησεν ἡ ψυχή μου. Virgilius,

Ut ſpolia, ut currus, utque ipſum corpus amici
Conſpexit: - - -

ubi Servius, *AMICI plus eſt quam ſi Meſſorum diviſſet: ut alibi*,

- - - Parvumque patri tendebat Iulum,

cum potuerat dicere, MIHI.

Ite-

Digitized by Google

Iterum Virgilius, ..

Æternumque locus Palinuri nomen habebit:

ad quæ Servius, *Palinuri plus eſt quam ſi TUUM dixiſſet*, Apud Terentium ille in Adelphis,

- - - Repetone quem dedi?

Ubi Donatus, *Minus erat ſi Æſchinem diceret; ſed plus eſt, Quem dedi.* Sic. Marc. 14. 44. ὁ παραδιδοὺς αὐτόν. Luc. 23. 25. τὸν διὰ στάσιν, &c. εἰς φυλακὴν βεβλημένον· & ſupra hoc 9. 37. ὁ λαλῶν μετά σου, ἐκεῖνός ἐστι. Vide & Joh. 20. 2.

Com. 7. Ἔπειτα μετὰ τοῦτο] Satis Græce. Sic in Nubibus Ariſtophanis, εἶτα μετὰ τοῦτο. Vulgat. *deinde poſthac*, quomodo Plautus in Menechmis, & Gellius 7. 3. *poſt deinde* dixerunt: quibus adde Juvenalis Scholiaſten ad Sat. 4. ſed correctum, nam vulgo male legitur, *poſt inde.* Apulejus eodem ſenſu *tum poſt hac*, in de Philoſophia libro, & Gellius 14. 7. *poſt hac deinceps.* Plautus Caſinæ prologo,

- - - Poſt id rurſum demo.

Com. 8. Νῦν ἐζήτουν σε λιθάσαι οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ πάλιν ὑπάγεις ἐκεῖ;] Amici ad Tobiam ſeniorem 2. 8. *Jam hujus rei cauſa interfici juſſus es, & iterum ſepelis mortuos?* Virgilius,

Quo referor toties? quæ mentem inſania mutat?

Ubi Servius, *Inſania enim eſt, unde vix evaſeris, illuc reverti:* confer quæ ſupra 7. 25, 26.

Com. 9. Οὐχὶ δώδεκά εἰσιν ὧραι τῆς ἡμέρας;] Suidas, Ὥρα τὸ δωδέκατον τῆς ἡμέρας. Seneca lib. De tranquil. animi cap. 15. de Aſinio Pollione, *Nulla enim res ultra decimam tetendit*, &c. *totius diei laſſitudinem duabus illis horis ponebat.*

Ibid. Οὐ προσκόπτει, ὅτι τὸ φῶς, &c. βλέπει] Philo in περὶ μέθης, Τὸ ὑπερείδοντα καὶ ςηρίζοντα ἄνθρωπον λόγῳ μὲν αἱ βάσεις εἰσὶν, ἔργῳ δὲ, &c. ὄψεις. Ὄψεις autem, quia (ut in Contextu noſtro) τὸ φῶς τῆς ἡμέρας βλέπουσι.

Com. 10. Ἐὰν δέ τις περιπατῇ ἐν τῇ νυκτὶ, προσκόπτει] D. Auguſtinus in Pſal. 34. *Unuſquiſque in tenebris*, &c. *ſi pedem moverit, labitur.* Helladius in Chreſtomathia, Νὺξ ἀπὸ τῦ νύκτα γέγονε κατ' ἀποκοπὴν, νυττόμεθα γὰρ ἐν τῷ σκότει, προσκταίοντες, &c. Apulejus 2. *Veneto*, &c. *lumen quo nitebamur exſtinguitur, ut vix improvida noctis caligine liberati, digitis pedum detuſis ob lapides, baſtinum feſſi rediremus.* In Veſpis Ariſtophanis

- - - Προσέκοψε τῷ σκότῳ τὸν δάκτυλόν μου.

Alexis apud Euſtathium in Odyſſ. H'.

Ὁ πρῶτος εὑρὼν μετὰ λυχνούχου περιπατεῖν
Τῆς νυκτὸς, ἵν' τις κηδεμὼν τῶν δακτύλων.

Adde quæ infra 12. 35. Luc. 1. 79. Prov. 4. 19. & 1 Joh. 2. 11. Προσέκοπτε] Vulgato *offendit*: ex eo forte in Gloſſario, *Offendit, προσέκοπτεν.*

Com. 11. Κεκοίμηται, ἀλλὰ πορεύομαι ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν] Apud Plutarchum in περὶ ἀοργησίας, Καθεύδει, αὐτὴν δ' ἐγὼ ἐγερῶ. Nec aliud heic eſſe κοιμᾶσθαι, quam quod Matth. 9. 24. in re non diſſimili καθεύδειν, apparet ex verbo ſequente ἐξυπνίζειν· Vide Artemidorum ad dictum Matthæi locum adductum: ubi & κοιμᾶσθαι habemus. Κοιμᾶσθαι autem, ſive *dormire*, vel *quieſcere* Lazarum ait Chriſtus, non quod non mortuum ſciret, ſed ut notum faceret, vi divinæ poteſtatis ſuæ tam facile eum à ſomno mortis propediem ſuſcitaturum, ac ſi facto latere ejus è ſomno eum quietis ad vigilandum excitaret. P. Chryſologus Serm. 34. *Vere apud Deum mors ſomnus eſt, quia velocius mortuum ad vitam ſuſcitat, quam de ſomno dormiens ab homine ſuſcitatur.* Euthymius ad Marc. 5. in narratione non diſpari, *Illis quidem mortua erat, ſibi autem dormiebat: illi namque ſuſcitare eam non poterant, ipſe vero perfacile.* Lactantius 4. 15. *Nec ſatis fuit quod*, &c. *niſi etiam mortuos ſuſcitaret, velut è ſomnis ſalutes, ad vitamque revocaret.*

Com. 12. Εἰ κεκοίμηται, σωθήσεται] Sirach. 10. 11. Ἄῤῥωστημα βαρὺ ἐνύπνιον ὕπνος. Menander,

Τίνος δὲ πάσης ἐστὶν ὑγίεια νόσου.

Dio Pruſæenſis Orat. 32. *Ægrotantibus non modicum ad ſalutem momentum eſt, ſi paulſper quieſcunt.* In ſententiis Secundi philoſophi, Τί ἐστιν ὕπνος; κάματου ἀνάπαυσις, ἰατρῶν κατόρθωμα, &c. νοσούντων εὐχή. Seneca Herc. Oetæo,

Longus dolorem forſitan vincet ſopor:

& alibi,

Detur quieti tempus; ut ſomno gravis
Vis ægra morbi pectus oppreſſum levet.

Medicus apud Achillem Tatium lib. 4. Τίνον αὐτῇ παρασευάσωμεν, ὕπνος τὸ ἄγριον τῆς ἀκμῆς ἡμερώσωμεν. Somnum ἰατρὸν νόσου dixit & Sophocles apud Plutarchum: Euripides, νόσου ἐπίκουρον. Curtius de Alexandri graviter ægrotantis exercitu, *Non prius* (à regia) *receſſerunt, quam compertum eſt ſomno paulſper requieſcere. Hinc certiorem ſpem ſalutis ejus in caſtra retulerunt.*

Com. 15. Ἵνα πιστεύσητε, &c.] Non puto hæc παρενθετικῶς, ut vulgo, debere concipi, ſed per trajectionem poni. Videtur ordo fuiſſe, χαίρω δι' ὑμᾶς ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, ἵνα πιστεύσητε ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέςειλε. Vide infra com. 42.

Com. 16. Ἄγωμεν καὶ ἡμεῖς ἵνα ἀποθάνωμεν μετ' αὐτοῦ] In Paſſione D. Cypriani, *Cum duceretur, populus fratrum plangens & ejulans, dicebat, Et nos cum eo decollemur.* Apud Virgilium eſt,

Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum:

& Horatium,

- - - Ibimus, ibimus,
Utcunque præcedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.

At non à tali affectu iſta Thomæ videntur prolata: vult forſan ille dicere, Quoniam certus eſt revertendi Bethaniam, ubi nuper (ſupra com. 8.) imminentem vix necem effugit, comitemur & nos eum tanquam ad mortem haud dubiam proficiſcentes: αὐτῷ enim, non (cum Viro eximio) ad Lazarum, ſed ad Chriſtum retulerim. Virgilius de Priamo jam capta Troja,

- - - Denſos fertur moriturus in hoſtes.

Idem 11. de Tarchonte,

- - - Equum in medios, moriturus & ipſe
Concitat - - -

Ubi Servius, *Moriturus animo, nam moriturus non eſt. Animum* non *voluntatem* Servius, at *expectationem* vocat. Iterum 2. Virgilius,

Et ſeſe medium injecit periturus in agmen.

Ad quæ Servius, *Melior ſenſus eſt ſi referatur ad dimicantis affectum.* D. Ambroſius Offic. 3. 13. de Juditha, Aſſyriorum caſtra penetrante, *Quantum ad molem periculi ſpectat; moritura proceſſit.* Apud Senecam,

Imus ad profeſſa mortis audacem viam.

Apulejus de Pſyche fugitiva, Veneri autem crudeli Dominæ ſe ſiſtere meditante, *Ad dubium obſequium, imo ad certum exitium præparata.* Gellius 3. 7. *Tribunum & quadringenti illi ad moriendum proficiſcuntur:* id eſt, ad locum & diſcrimen unde evaſuros ſe non audebant ſperare.

Com. 19. Πρὸς τὰς περὶ τὴν Μάρθαν καὶ Μαρίαν] Idiotiſmus

Digitized by Google

ſatis notus, quem, ut recte Vir doctrinæ exquiſitæ agnovit, ita mirum eſt propoſuiſſe eum cogitandum an hujuſmodi locutio non ipſas tantum, ſed & familiam ipſarum comprehenderet: differre enim ſequitur, *περὶ τῆ ἀδελφῆ αὐτῶν*· nec potuit Lazarus familiam totam cognatione contingere.

Ibid. *Ινα παραμυθήσωνται αὐτὰς*] Plutarchus in Conſolatione, Γυναῖκες ἀνδρῶν φιλοπενθέστεραί εἰσιν. Andronicus Rhodius 9. 12. §. 6. Γύναια, *καὶ τῶν ἀνδρῶν οἱ γυναικώδεις τοῖς ϛενάζουσι χαίρουσι, καὶ φιλοῦσιν ὡς φίλους, καὶ συναλγοῦντας. Ινα π. α.* de fratre nempe recens mortuo. Seneca 63. Epiſtola, *Dolor recens conſolatorem invenit*, &c. Vide Jobi 2. 11. Non video autem cur dubitemus an ſub verbo *πολλοὶ*, quo Joannes utitur, etiam mulieres comprehendantur. Varro lib. 5. de L. L. *Alloquutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquem locutum conſolandi cauſa*: i. e. (ut in Contextu noſtro) *ἵνα παραμυθήσωνται*. Adde, quod ſi viri cum mulieribus non inepte dolorem ſociant, multo minus mulieres. Quin & verbum *Si quis* tam maſculum quam feminam (i. e. tam feminam quam maſculum) complecti docemur vel ex l. 1. de verb. ſignif.

Com. 25. *Ο πιϛεύων εἰς ἐμὲ, κᾂν ἀποθάνῃ ζήσεται*] Εἀν (ut Luc. 17. 33.) *ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν, ζωογονήσει αὐτήν*. Vide 2 Cor. 4. 10. & 13. 4. De Deo Tertullianus, *Si injuriam depoſuerit penes eum, ultor eſt*, &c. *ſi mortem, reſuſcitator*. Ἀποθάνῃ hic intellige, mei nominis cauſa: &, *ζήσεται*, nempe, *κατὰ θεὸν πνεύματι*, ut 1 Pet. 4. 6. qui locus Euangelicum iſtum non male illuſtrat. P. Chryſologus Serm. 174. *Juſtum tunc incboat vivere, cum pro Chriſto meretur occidi*: ubi *meretur*, eſt *dignus habetur*, *κατηξίωται*. In verbis Chriſti potro eſt *δύμωρον*, quale in Arriani illis 4. 1. de Socrate, *ἀποθνήσκων ϛάζεται*, & Ciceronis de amicis in Lælio ſuo, *Abſentes adſunt*, &c. *& (quod dictu difficilius) mortui vivunt*. Idem in Orat. pro Archia, de Gloria loquens, *Efficit ut abſentes adſimus, mortui vivamus.*

Ibid. *Ζήσεται*] *Μεταβήσει ἐκ τῆ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν*, ut ſupra 5. 24. ubi & de credulitate agitur.

Com. 28. *Καὶ φωνεῖ σε*] Ita 1. Apuleji, *Rogat te, inquit*, &c. & 2. *Rogat te boſpes*. Et ita apud Joannem vertendum putem, non *vocat te*.

Com. 29. *Εκεῖνη ὡς ἤκουσεν, ἐγείρεται ταχὺ*] Apud Euripidem in Hippolyto,

> Κρυνηῖς ἐκύρας οὖς, ἀφυάμην, πάτερ,
> Στυδῆ - - -

Judith. 13. 12. Ως ἤκουσαν, &c. *ἐστράδισαν τῆ καταβῆναι*, &c. Cicero Famil. 11. 27. ad Martium, *Veni Brunduſium, obſtupuiſtine me putas qua celeritate, ut primum audieris, ad me*, &c. *advolaris?* Ovidius,

> *Nunciet hæc aliquis Dominam veniſſe? reſurgam.*

Ibid. *Εγείρεται ταχὺ*]

> *Præcipitatque moras omnes, opera omnia rumpit*, Virg.

Theocr. 14.

> Μάσσεται δ' οἷα τέκνοισι ὑπερφίλοισι χελιδὼν
> Ἀμφοῖον ταχινὰ πέτεται βίον ἄλλον ἀγεῖραι·
> Ωκυτέρα μαλακᾶς ἀπὸ δέρματος ἔδραμε τήνα.

Vide & quæ infra de Petro 21. 7.

Com. 31. *Υπάγει εἰς τὸ μνημεῖον ἵνα κλαύσῃ ἐκεῖ*] Hoc Sapient. 19. 3. *νεκρᾶ τάφῳ προσδύρεσθαι*. Nec apud Hebræos tantum id moris fuit, ſed & alias gentes. Apud Quintilianum ille Decl. 19. *Eamus ad tumulum, miſceamus ſuper buſta lacrymas*. Petronius de matrona Epheſina, quæ maritum extulerat, *Poſitum in hypogæo corpus Græco more cuſtodire, ac flere totis noctibus diebuſque cœpit. Sepulcro mortui filii aſſidere*, (ad flendum nempe) habemus itidem in lemmate Controverſ. 1. libri 4. ſenioris Senecæ. Et, *ad filii ſepulcrum currere*, (nempe flendi cauſa) apud Senecam juniorem cap. 25. Conſol. ad Marciam. De Priamo Q. Calaber,

> Αλλ' ὅ γε Ενιπορος ἦεν τάφῳ ἔνι, δάκρυα χεύων.

Apud Euripidem Hercules,

> Κείσεσθε, συμπεσόντε, ἅλοες εἰς τάφον·
> Παίδων, &c. ———

Leo Imperator Conſtitut. 53. *Φίλος, συγγενεύων, οἰκείος τῆ τεθνεῶτος μέγα εἰς παραμύθιον τῆ ἄλγους, καὶ τῆς ἀποχαρίσεως τῆ τεθνεῶτος τάφῳ παρεπτύξεις, καὶ ἐπ' αὐτὴν χέωνε δάκρυα.*

Com. 32. *Επεσεν εἰς τοὺς πόδας αὐτῆ*] Ennius apud Nonnium, & de muliere, *Lacrymanſque ad genua accidit*: propius autem ad hiſtoriam præſentem Cicero 5 Verrina, *Filii nomen implorans, mihi ad pedes miſera jacuit, quaſi ego excitare filium ejus ab Inferis poſſem*: & Apulejus, ubi de Zachla Ægyptio, *Cujus diu manus deoſculatus, & ipſa genua contingens, Miſerere ait, miſerere: da brevem Solis uſuram, & in æternum conditis luminibus modicam lucem infunde.*

Com. 33. *Καὶ τοὺς συνελθόντας αὐτῆ Ιουδαίους κλαίοντας*] Vide Actor. 9. 39. Cicero 2 de Legibus. *Habet luctum concurſus hominum, quocirca Patacum accedere quenquam vetat in funus alienum.*

Ibid. *Ενεβριμήσατο τῆ πνεύματι*] Id eſt, ut infra 38. *ἐν ἑαυτῆ ἐνεβριμήσατο*· nec enim Græcis veteribus hoc aliter exponentibus accedo. Sic Marc. 8. 12. *τῆ πνεύματι ἀναϛενάζειν* Act. 17. 16. *τῆ πνεύματι παροξύνεσθαι*· ſed pro locorum ratione affectus intelligendi. Hæc motum ex lacrymis circumſtantium lacrymas producturum acceperim. Horatius,

> *Ut ridentibus arridet: ita flentibus adſunt*
> *Humani vultus.* - - -

Curtius lib. 5. *Plures lacrymas commovêre quam profuderant ipſi.* Idem alibi de Alexandro, *Poſtquam ipſorum* (militum) *ejulatum atque pœnitentiam*, &c. *vidiſſet, diu quoque collacrymatus eſt.* Apulejus 4. *Altius ejulans ſe, & aſſiduis ſingultibus ilia quatiens, mihi quoque lacrymas excuſſit.* Achilles Tatius, Ατερπόμενον δυοῖν νεανίσκοιν, &c. *δακρύων ἀμπεχομένους, καὶ ἡμῶν δὲ πᾶσι κατεφέρετο δάκρυα.*

Ibid. *Καὶ ἐτάραξεν ἑαυτὸν*] Eſt quod infra 12. 27. *τῆ ψυχῆ ταράττεσθαι*· & 13. 21. *ταράττεσθαι τῆ πνεύματι*· ponitur enim hæc reciprocum pro paſſivo, ut in illis 2 Petr. 2. 8. *τὴν ψυχὴν (αὐτῆ) ἐβασάνιζεν*· qua forma & Itali hodierni *ſi commoſſe*. Geneſ. 43. 30. de Joſeph Benjamino viſo. Εταράχθη, *συνεστρέφετο αὐτῆ τὰ ἔντερα*. Vide & in Græco Pſal. 41. 12. & 3 Reg. 3. 26. Heſychius, Ενεβριμήσατο, *ὠργίσθη, ἐτάραξεν*· ſcribendum *ἐτάραξεν ἑαυτόν*· ad illum enim Joannis locum haud dubium quin reſpexerit: ita & *ταράττειν ἑαυτὸν*, Plutarchus in Ageſilai vita. Theophylactus ad Hebr. 12. 11. Ὁ *λυπούμενος ταράττεται*. Turbatus eſt autem Chriſtus, ut jam diximus, ab aſpectu lacrymarum Mariæ & amicorum ejus: Æneas apud Virgilium,

> - - - *Et variis turbatus vocibus hiſce:*

Ubi Servius, *Turbatus lugente ſcilicet Andromache.*

Com. 35. Εδάκρυσεν ὁ Ιησῆς] Ut & Luc. 19. 41. & 22. 44. Euthymius ad Matth. 26. ea, COEPIT CONTRISTARI; *Permiſit enim Natura pati quod ſuum erat*: & ad hunc ipſum Joannis locum, *Vult utramque ſuam naturam agnoſci, ideò nunc quidem humano more, nunc divino, varia demonſtrat.*

Ibid. Εδάκρυσεν] Seneca de lacrymis loquens Epiſt. 99. *Sæpe ſalva ſapientis auſteritate fluxerunt, tanto temperamento, ut illis nec humanitas, nec dignitas deeſſet.*

Com. 36. Ιδε πῶς ἐφίλει αὐτὸν] Tertullianus ex perſona Paganorum de Chriſtianis loquentium, *Vide ut invicem ſe diligunt.* De Andronico Niceta Choniates, Επειδὴ τῷ συμπεθυλακοῦντι (Manuelis) μνημείῳ, πικρῶς ἐδάκρυσεν, &c. *ὡς καὶ πολλοὺς τῶν παροντῶν*, &c. *εἰκεῖν, ὦ τῆ θανάτου! πῶς ἐφίλει τὸν προσγενῆ ἄνακτα!* Adeo moraliter hæc amoris erga Lazarum Chriſti ex lacrymis ejus argumentum ſumitur. Calpurnius Flaccus Declam. 6. *Omnes ſciunt, lacrymas*

Digitized by Google

crymas ex uno miſericordiæ fonte manare, in amore autem vel maxime.

Τὸ γὰρ Φιλῆσαι τὸν θανόντ' ἄγει δάκρυ,

dixit & Græcus Tragicus in Alceſtide.

Com. 39. Τὸν λίθον] Ita *capuli cooperculum* lib. 10. Apuleji.

Ibid. Ἤδη ὄζει] Gloſſarium, *Olet*, ὄζει. Ariſtophanes apud Suidam, Ἤδη γὰρ ὄζειν, &c. *mei denet.* Lucianus, Καὶ μύρα, &c. *χρίσαντες τὸ σῶμα, πρὸς δυσωδίαν ἤδη διακείμενον.* Chryſoſtomus ad 1 Theſſ. 5. *οἱ νεκροὶ δυσειδεῖς εἰσι καὶ ὀδυσδότες.* P. Chryſologus Serm. 19. *Recedente anima, mox corporis fetor, corruptio, putredo.* Lucret. 6.

Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.

Idem 3.

- - - Cum corpus nequeat perferre animai
Diſſidium, quin id tetro tabeſcat odore.

In Gloſſis, Ὀζω σαπρὸν, *fœteo*, *puteo*: ibidem, Ὀσμὴ σαπρὰ, *putor*, *fetor*, *pedor*. Gloſſæ aliæ, *Putidum*, &c. ὀζόμενον.

Ibid. Τεταρταῖος γάρ ἐστιν] Et ideo ἐωλόνεκρος. Suidas, Ἐωλόνεκρος, ὁ πρὸς πολλῇ τεθνηκὼς, τριδυὴς· lege, πρὸ πολλῆ, & pro τριδυὴς, τριταῖος, vel τεταρταῖος. Τεταρταῖος heic *quatriduanus*: i. e. quartus jam agitur dies ex quo mortuus eſt. Servius ad Æneid. 4. *Bona elocutio rem loci vel temporis ad perſonam transferre.* Philoſtratus in Heroicis de Achillis cadavere, τριταῖα ἤδη κειμένου τῷ νεκρῷ. Xenophon, & de mortuis quibuſdam, ἤδη ἦσαν τεμπταῖοι.

Com. 40. Ἐὰν πιστεύσῃς, ὄψει, &c.] Arrianus 2. 19. in Epictetum, Μόνον πιστεύσατέ μοι, καὶ ὄψεσθε.

Com. 41. Οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος] Ellipſis, pro τῷ μνημείῳ ἔνθα ἦν ὁ τ. κ. Sic in 10 Apuleji Mileſ. *Ad ſepulcrum illud in quo corpus*, &c. *jacebat.* Heſychius, Κεῖται, &c. ἐπὶ θανάτου ἢ ἀπραξίας.

Ibid. Πάτερ, *ευχαριστῶ σοι ὅτι ἤκουσάς μου*, &c. *ἀλλὰ διὰ τὸν ὄχλον τὸν περιεστῶτα*, &c.] Exaudi me, ut ſemper alias, & nunc quoque, ut hic populus, &c. Chryſis ad Apollinis numen Iliad. α'.

Ἤδη μέν ποτ' ἐμεῦ πάρος ἔκλυες εὐχομένοιο, &c.
Ἠὲ ἔτι καὶ νῦν μοι τὸ δ' ἐπικρήηνον ἐέλδωρ.

Διὰ τὸν ὄχλον τ. περιεστῶτα, propter turbam iſtam circumſtantem. Heſychius, Τὸ πλῆθος. Apulejus 4 Florid. *Plurimos homines ingenti multitudine qui exequias venerant circumſtare.*

Ibid. Ἵνα πιστεύσωσιν ὅτι σύ με ἀπέστειλας]

Pignerada, Genitor, per quæ tua vera propago
Credar. - - -

Adde quæ infra 17. 23, 24.

Com. 44. Δεδεμένος, &c. *σειραῖς*] *Feralibus amiculis adſtrictus atque obditus*, ut appoſite lib. 10. Apulejus locutus. *Linea ſepulcrorum vincula* Tertullianus dixit. Nilus apud Photium de infante adhuc in utero latente, Τοῖς παρὰ τῆς Φύσεως ἐναλλαττομένοις σπαργάνοις προσέοικε νεκρῷ σειραῖς δεδεμένῳ. Σειραῖαι, *faſcia*, ſive *inſtita*, ut heic vertunt Vulgat. & Auguſtinus. Sic in vetere locupletiſſimo Onomaſtico, *Inſtita*, σειραῖς. Hinc & *inſtito*, *mortuum involvo*, in Gloſſis Iſidori dictis. Legimus in Heſychio, Κειραίαις ἐνθανάτοις, ἐντετυλιγμέναις· quæ verba manifeſte ſunt mendoſa, forteſſe & confuſa: tentabam itaque feſtinans ſic legere, Κειραίαις ἐντετυλιγμένοι· & poſt, pro ἐνθανάτοις, ἐπὶ τεθνηκότων reponere. Si aptius quis correxerit, apud me gratiam inibit.

Ibid. Καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο] Vulgatus, *ſudario erat ligata*: melius reſponderet Græco *circumligata*: ſic in Gloſſario, Περιδεδεμένος, *circumligatus*. Bene autem ἡ ὄψις αὐτοῦ: etſi nonnunquam enim latius vox *ſudarii* ponatur: præcipue facici tegendæ inſerviebat. Suetonius Nerone, *Adoperto capite, & ante faciem ſudario obtenſo.* Et notavit quidam in margine MS. codicis, ad locum Act. 19. 12. hæc verba adſcribi, τὰ σουδάρια ἔτι τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται, τὰ δὲ σιμικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσιν, &c.

Com. 45. Θεασάμενοι ἃ ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν] Ἐπίστευσαν, ut Thomas Joh. 20. 29. ὅτι εἶδον· ſic Act. 8. 13. & 13. 12. ſupra hic 2. 23. & 4. 39. 53. & 7. 31. & 10. 41, 42. vide & Judith. 14. 6.

Com. 47. Συνήγαγον συνέδριον, καὶ ἔλεγον, Τί ποιοῦμεν;] Similia Act. 4. 15, 16.

Ibid. Οὗτος ὁ ἄνθρωπος, &c.] Οὗτος contemptim, ut Act. 6. 14. de Eodem, ὁ Ἰησοῦς, &c. ὅτος· vide & Act. 5. 12.

Com. 48. Ἐὰν ἀφῶμεν αὐτὸν οὕτω, πάντες πιστεύσουσιν εἰς αὐτόν] In Græco Judithis cap. 10. Aſſyrii de Hebræis, Ἀφεθέντες δυνήσονται πᾶσαν τὴν γῆν κατασοφίζεσθαι.

Ibid. Ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον, &c.] Ἀροῦσι, delebunt, exterminabunt. Heſychius, Αρη, λήψῃ πολέμῳ. Idem, Ἄρσιν, ἀφανισμόν· quo ſenſu & Coloſſ. 2. 14. *ἐκ μέσου αἴρειν.* Τόπον, *urbem*: ut Act. 6. 13. & 12. 17. Sic τὰς τῆς Αἰγύπτου τόπους, Julianus in Epiſtolis: qua facie & Latini. Ovidius,

- - - Sic toties verſa eſt fortuna locorum.

Interpres vetus (ſive Vulgatus) Job. 2. 11. *Venerunt ſinguli de loco ſuo*: vide ad dictum Act. 6. 13. locum notata.

Com. 49. Εἷς δέ τις ἐξ αὐτῶν Καϊάφας, &c.] Poſt αὐτῶν diſtinctionis notam ponendam exiſtimaverim, ut in voce Καϊάφας, quis ille unus fuerit κατ' ἐκλεκτικὴν dicatur: vide ad 1 Tim. 2. 5. dicta.

Ibid. Οὐκ οἴδατε οὐδὲν] Οὐκ ἔστιν (ut 1 Cor. 6. 5.) σοφὸς οὐδὲ εἷς ἐν ὑμῖν· nimirum, quod attinet negotium id de quo agitur. Simile 1 Tim. 6. 4. *μηδὲν ἐπιστάμενος.*

Com. 50. Καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται] Arrianus 2. 10. in Epictetum, Κυριώτερον τὸ ὅλον τῶν μέρους, καὶ ἡ πόλις τοῦ πολίτου. Servius ad Æneid. 3. ea,

- - - Priamique evertere gentem.

Laomedontis & Paridis culpa univerſa gens perire non debebit. Quæ adduximus, tanquam ex parte tantum reſpondentia argumento noſtro.

Com. 51. Τοῦτο δὲ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ εἶπεν] Signanter hoc dictum, cum ſequatur προεφήτευσεν, προφητεία ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται, &c. 2 Petr. 1. 20.

Ibid. Ἀλλ' ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, προεφήτευσεν] P. Chryſologus Serm. 5. *Sicut in ſpinis roſa, hoc eſt, in frutice horrenti miri odoris floſculi germinant, ita ſenſus aliquoties peſſimorum ad bona divinitatis impulſu aguntur inviti: ut non ſit meriti, ſed myſterii quod loquuntur.* Adrianus in Synopſi Prophetarum ab Hœſchelio edita, Η θεῖα (πρόγνωσις) &c. τοῖς ἀξίοις προσγίνεται δι αὐτὸ τοῦτο ὅτι εἰσὶν ἄξιοι· τοῖς ἀναξίοις δὲ διά τινας οἰκονομίας· ὡς τῷ Λαμὲχ, τῷ Φαραὼ, τῷ Βαλαὰμ, τῷ Ναβουχοδονόσορ, τῷ Καϊάφᾳ. Euthymius ad Matth. 7. *In vetere quoque Teſtamento in multis indignis gratia operabatur: ut per eos aliis beneficium præſtaret*, &c. *Balaam, cum à fide & converſatione bona eſſet alienus, prophetabat: quin & Pharaoni, & Nabuchodonoſori, & filio ejus Baltaſari, cum eſſent impiiſſimi ac ſceleratiſſimi, Deus futura demonſtravit propter aliorum gubernationem.* Chryſoſtomus ad Coloſſ. 1. Καὶ Καϊάφας προεφήτευσε, Χρυσοστόνες ὢν, διὰ τὸ τῆς ἱερωσύνης ἄξίωμα. Pontificibus autem maximis prophetiæ ſpiritum nonnunquam ſuperveniſſe videmus etiam ex iis quæ de Hyrcano 13. 18. Antiquitatum Joſephus narrat. Macrobius Somn. Scip. 1. 3. *Ajunt, non habenda pro veris de ſtatu civitatis ſomnia, niſi quæ rector ejus, magiſtratuſve vidiſſet*, &c. *Ideo apud Homerum cum in concilio Græcorum Agamemnon ſomnium quod de inſtruendo prælio viderat, publicaret;*

Digitized by Google

licaret; *Neſtor*, &c. *concilians fidem relatis, de ſtatu* (inquit) *publico credendum regio ſomnio, quod ſi alter vidiſſet, repudiaremus ut futile.* Cicero 1. de Divinat. *Apud Veteres qui rerum potiebantur, eadem auguria tenebant: ut enim ſapere, ſic divinare regale ducebant.* His adde quæ 1. 2. Oneirocritici apud Artemidorum.

Com. 52. Καὶ τὰ τέκνα τῦ θεῦ τὰ διεσκορπισμένα συναγάγῃ εἰς ἕν] Τὰς ἐσκορπισμένους συνάγειν dixit & 1. 58. Artemidorus. Τέκνα hoc loco vocat Joannes quæ alibi πρόβατα· quod videre eſt ex voce διεσκορπισμένα, item ex locutione illa, εἰς ἓν συναγαγεῖν. Corippus Africanus,

\- - - *Et in unum congregat agnos.*

Virgil. 3. Eclog.

Tityre, coge pecus: - - -

Ubi Servius, *Collige, & in unum redige.* Apte heic ſe exhibet Varro, & forte emendandus. Legimus in de R. R. 2. 3. *Capræ laſcivæ, & quæ diſſergant ſe: contra, oves, quæ ſe congregent ac condenſent in locum unum:* ubi τὸ *locum* (ut ex Servio & Corippo vidimus) injuria videtur locum habere, ſcribendumque *qua ſe*, &c. *condenſent in unum.* Addamus Virgilii iſta, ex Ecl. 7.

Compuleranique greges Corydon & Thyrſis in unum:

& hæc Vulgatæ verſionis Michææ 2. 12. *In unum conducam reliquias Iſrael, pariter ponam illum quaſi gregem in ovili.* Nec rejicimus Gloſſarii illud, *Cogit in unum*, συνάγει· quem locum etiam obiter corrigo, εἰς ἓν συνάγει reponendo. *In unum comportare*, dixit Horatius; *In unum copias contrahere*, Sallustius in Jugurthino.

Com. 53. Ἵνα ἀπουτείνωσιν αὐτόν] Ἵνα heic eſt τὸ πῶς, ut Luc. 22. vel, ut Matth. 27. 1. ὥςε.

Com. 54. Ἰησῦς οὖν οὐκέτι παῤῥησίᾳ περιεπάτει] Id eſt, ἀφανερῶς, ἀλλ' ὡς ἐν κρυπτῷ, ut ſupra 7. 10. Lampridius ubi de conjuratione in Commodum inita, *Poſthac nunquam facile in publicum proceſſit.*

Ibid. Ἀπῆλθεν ἐκεῖθεν, &c. εἰς Ἐφραὶμ λεγομένην πόλιν] Confer Matth. 10. 23. & quæ ibi annotata.

Ibid. Καὶεῖ διέτριβε μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτῦ] Sic ſupra 3. 2. Plutarchus, ubi de Cinna Poeta lacerato ac diſcerpto, Τῦτο τὸ πάθος δείσαντες οἱ περὶ Βρῦτον, ἀνεχώρησαν ἐκ τῆς πόλεως, καὶ ἐν Ἀντίῳ διέτριβον.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIONUM EUANGELICARUM LIBER PRIMUS.

Autore ABRAHAMO SCULTETO.

CAP. I.

D. Lucæ proœmio Hiſtoriæ ſuæ alios ſcriptores Euangelicos non perſtringit, ſed ſcriptionis ſuæ cauſas recenſet: ubi, quid ἐπιχειρεῖν quid ὑπηρέτας τῆ λόγῳ· quid παρηκολουθηκέναι, ἀσφαλίζειν, κατηχεῖσθαι.

EST hæc in Theologorum Scholis pervulgata opinio; D. Lucam, ſi non Matthæum & Marcum, alios tamen ſui temporis Scriptores Euangelicos in Hiſtoriæ ſuæ exordio perſtrinxiſſe. A quorum ſententia me ipſa Lucæ verba revocant, quippe quibus duplici nomine illos commendat, tum quod *de rebus quarum plena* Chriſtianis illius ævi *fides facta eſſet* ſcripſiſſent, tum quod ea narraſſent quæ ab Apoſtolis ipſis acceperant αὐτόπται illis καὶ ὑπηρέται τῆ λόγου. Ubi perinde eſt ſive per λόγον intelligas *prædicationem Euangelii*, ut paſſim; ſive *res ipſas geſtas*, ut 1 Reg. 15. 5. *excepto ſermone Uriæ Ethæi*, quo loco Lutherus λόγον rectè interpretatur *negotium*, den handel: quo ſenſu Paulus dicitur ordinatus ὑπηρέτης καὶ μάρτυρ ὧν εἶδε *miniſter & teſtis eorum quæ vidit* Act. 22. 16. ſive *Chriſtum ipſum*, ut Joh. 1. 1. Certe Matthæum & Marcum à Luca fuiſſe reprehenſos concedi nullo modo poteſt. Nam dubium utrum Lucas ante Matthæum & Marcum, an Matthæus & Marcus ante Lucam ſcripſerint. Et vox πολλοὶ non duos ſed plures deſignat: quemadmodum vel ex Epiphanio notum eſt, plures in deſcribenda Hiſtoria Euangelica fuiſſe occupatos. Nec poteſt numerari Matthæus inter eos quibus ab aliis tradita ſit rerum à Chriſto geſtarum hiſtoria, cum fuerit αὐτόπτης & pars aliqua rerum geſtarum, quippe Apoſtolico munere perfunctus. Nec alio ordine Lucas quam Matthæus & Marcus curriculum Chriſti deſcribit, niſi quod Hiſtoriam paulo altius orditur. Sed nec alios, ad quos tacite alludit, Scriptores perſtringit noſter. Ideo ait, ἔδοξε κἀμοὶ, *viſum eſt & mihi:* qua voce ſe ſcriptoribus aliis ut ſocium laborum accenſet; minime id facturus ſi vel laborem illorum improbaſſet, vel illos non præſtitiſſe ſenſiſſet quod erant aggreſſi. Hoc enim ſenſu potius ſcripſiſſet, ἔδοξέ μοι, *viſum eſt mihi.* Scio quid Theophylactus objecturus ſit; Lucam non deſiderare in aliis veritatem, ſed affecti operis confectionem, quod *attentarint*, ἐπεχείρησαν, non abſolverint Hiſtoriam ſacram. Sed haud ſcio an verbi ἐπιχειρέω vis nos neceſſario huc trahat. Etſi enim proprie ἐπιχειρέω ſignificat *aggredi & incipere aliquid*, quemadmodum Marcius apud Dionyſium Halicar. l. 8. de Romanis ait, τὸ πρῶτον ἄφαντόν με ἐπεχείρησαν ἀπολέσαι, *primum injudicatum me conati ſunt perdere*, & Fufetius proditor Romanorum apud eundem l. 3. ὃν δὲ τρόπον ἐπιχειρεῖν τὸ ἔργον βεβούλημαι, ταῦτα ἀκούσατέ μου, *Nunc audite quomodo negotium id aggredi cupiam*; tamen ut apud Latinos *incipere facere* & *inſtituere facere* ſæpe nihil aliud ſignificat quam *facere* [Lucretius lib. 5.

Ut noſtra quicquam cauſa facere aggrediamur.]

ita apud Græcos ἐπιχειρέω. Iſocrates Orat. ad Demonicum; ἔστι μὲν οὖν πρὸς τὰς ἑαυτῶν Φίλας τὰς προτρεπτικὰς λόγας συγγράΦοσι, πολὺν μὲν ἔργον ἐπιχειροῦσιν. Apud Xiphilinum autem Cajus Caligula ſeipſum laudat, ὡς μεγάλων τινῶν ἔργων ἐπιχειρητήν. at præclarum ejus opus fuerat pons ab ipſo inter Puteolos & Baulos factus. Sic, verbo ἄρχομαι uſus Lucas Act. 1. 1. ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν, *quæ Jeſus cœpit facere & docere*, h. e. quæ fecit & docuit. Ad ſummam, Lucas Scriptores alios nec mendacii, nec erroris, nec incertitudinis, nec imperfectionis arguit proœmio ſuo; ſed cauſas tantum ſcriptionis ſuæ exponit, Exemplum aliorum, Notitiam exactæ Hiſtoriæ, Confirmationem fidei ſacræ Hiſtoriæ. De exemplo aliorum diſſerit verſibus 1 & 2. Cauſam ſecundam attingit v. 3. verbis iſtis, παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, quæ D. Eraſmus commodiſſime vertit, *cuncta ab initio exacta diligentia perveſtigatis*: ut ſit ſenſus, Lucam omnia ordine perſecutum, & ſic omnia cognoviſſe ex his qui quæ viderant memorabant, ut nihil præterniſerit quod ad hiſtoriæ ſeriem pertineret. Τὸ πᾶσιν igitur non refertur ad perſonas Apoſtolorum (neque enim omnibus Apoſtolis Lucas adfuit) ſed ad omnes & ſingulas hujus & illius Apoſtoli narrationes de Domino Jeſu. Et verbum παρακολουθέω non proprie hic dicitur de corpore, ut à Joſepho uſurpatur lib. 1. contra Apionem ſcribente, *Debere eum qui aliis verorum factorum narrationem pollicetur, ipſum prius illorum eſſe ſcientiſſimum*, ἢ παρηκολουθηκότα τοῖς γεγονόσιν, ἢ παρὰ τῶν εἰδότων πυθανόμενον, *vel quod rebus ipſis interfuerit, vel quod ea ex iis cognoverit qui ipſi viderunt.* (neque enim Lucas interfuit rebus geſtis Chriſti: & falluntur qui illum ex LXX Diſcipulis unum fuiſſe putant. Scriptura enim Lucam Apoſtolorum non Chriſti diſcipulum agnoſcit: & Lucas ipſe ſe non *αὐτόπτην ſpectatorem*, ſed ſpectatorum auditorem diſertim ſcribit.) ſed ad animum transfertur hic τὸ παρακολουθέω, quemadmodum à Demoſthene Orat. περὶ τῦ στεΦάνου, & à D. Paulo 1 Tim. 4. 6. & 2 Tim. 3. 10. de quibus Obſervationes noſtras in hunc ipſum Pauli locum poſteriorem, ſi placet, vide. Ultimam ſcriptionis ſuæ cauſam v. 4. prodit Lucas, ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσΦάλειαν. Senſus eſt, Ut pluribus teſtibus hujus ſanctiſſimæ hiſtoriæ fides fulciatur. Hunc & Paulus ſcriptionum ſuarum ſcopum habet, Phil. 3. 1. ὑμῖν δὲ ἀσΦαλές, ubi bene Lutherus, **Es machet euch deſto gewiſſer.** Quibuſcum congruit illud Johannis 20. 31. *Hæc ſcripta ſunt ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei*, &c. Et quoniam Lucæ res eſt cum Theophilo, ideo ait περὶ ὧν κατηχήθης, quod dupliciter verti poteſt, vel *de quibus audiſti*, (quo ſenſu dicitur in Actis 21. 24. κατήχηνται περίσου *audierunt de te*) vel *de quibus edoctus es*: ſi credimus Theophilum in Catechumenorum ſubſelliis ſediſſe & in doctrina Euangelica ab aliis fuiſſe inſtitutum. Etſi enim κατηχεῖν & κατηχίζειν eſt *prima cujuſque artis elementa aliquem docere*, tamen Eccleſia ſibi quodammodo vendicavit hanc vocem, ut ſignificet *prima elementa Religionis Chriſtianæ docere*, *idque non ſcripto, ſed voce*; tranſlatam à priſcis potiſſimum Ægyptiis, apud quos in more erat ut myſteria voce tantum non ſcripto ad poſteros transferrentur. Nam ἠχεῖν eſt *ſonare*, ſed κατηχεῖν eſt *inſonare*: ut κατηχεῖν dicatur *qui inſonat ejus auribus qui viva voce docetur.* Unde κατήχησις eſt *prima fidei inſtitutio.* Clemens l. 1. Pædag. ἡ μὲν κατήχησις εἰς πίστιν περιάγει, *Catecheſis enim ad fidem perducit.* Unde κατηχηθέντες *qui articulos fidei edocti ſunt*; quemadmodum κατηχούμενοι *qui inſtituuntur* nunc & *docentur.* Nec ignotum eſt vocabulum κατήχησις melioribus ſcriptoribus. Legitur apud Ciceronem Epiſtolis ad Atticum; apud Laërtium in Zenone, apud Plutarchum libel. De fluminibus, apud Porphyrium & alios.

CAP. II.

Typus Genealogiæ & Dynaſtiæ Herodiadarum, ejuſdemque typi explicatio, qua Nobilitas, Dynaſtia, Tetrarchiæ, Regna Herodiadarum aperiuntur, & N. T. loca quibus horum mentio ſit Hiſtoricè illuſtrantur.

HErodiadarum ſæpius meminit Scriptura N. Teſtamenti. Regnante Herode Johannes & Chriſtus nati, Luc. 1. Matth. 2. Regnante Herode Johannes Baptiſta interficitur, Matth. 14. Chriſtus patitur, Luc. 23. Regnante Herode Jacobus interimitur, Petrus in vincula conjicitur, Act. 12. Qui & quales fuerint igitur Herodes illi non ignorandum. Genealogia Herodiadarum docebit.

Seriei familiæ Herodiadarum.

ANTIPAS Idumæus, vir acer & militaris, ab Alexandro Judæorum Rege & Alexandra ejus uxore præfectus Idumææ.

I.

ANTIPAS cognominis Patri, qui poſtea maluit dici *Antipatros*, quod tamen idem eſt quod Ἀντίπας, vir inſignis, Dynaſtarum ac Regum amicus, primus conſtitutus tutor Judææ à Julio Cæſare.

α HERODES Magnus, Rex Judææ per annos XXXVII. Hoc regnante Joannes Baptiſta & Chriſtus nati, Luc. 1. Matth. 2. Hic Magorum adventu & abitu territus occidit infantes, ibid.

β *Filii Tetrarchæ*			*Nepotes ex Ariſtobulo juſſu Patris ſtrangulato.*		
γ *Archelaus* Tetrarcha Judæorum per annos 7. aut 8. Sub hoc Chriſtus redit ab exſilio, Matt. 2.	δ *Philippus* Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, Lu. 3. 1. maritus Herodiadis, Mat. 14.	ε *Herodes Antipas* Tetrarcha Galilææ, Luc. 3. 1. raptor Herodiadis Matt. 14. 4. interfector Baptiſtæ, ibid. Vulpes inſidias ſtruit vitæ Chriſti, Luc. 13. 31. illuſor Chriſti, Luc. 23. 11. Hujus procurator Chuza, Luc. 1. 3. Cum hoc educatus Manahen, Act. 13. 1. Conſpirat cum Pilato adverſus diſcipulos Chriſti, Act. 4. 27.	*Herodes Rex* Chalcidis, qui Regnum à Claudio Imp. interceſſione fratris Agrippæ obtinuit; *Joſephus.*	ζ *Agrippa major* univerſum Regnum avi obtinuit. Imperat annos 7. Interficit Jacobum, in vincula conjicit Petrum, ab Angelo percutitur, Act. 12. ubi etiam *Herodes* vocatur. In hujus Prætorio Cæſareæ cuſtoditur Paulus, Act. 23. 35.	*Herodias* primum Philippi, deinde per conſenſum, fratris ejus Antipæ uxor, Matth. 14. *Joſephus.*

Bernice	η *Agrippa Minor*	*Druſilla.*
Act. 25. 13. Hæc primum Herodi Chalcidis Regi, patruo, deinde Polemoni Ciliciæ Regi nupta, à quo diſcedens cœpit Regem Agrippam ſectari, non ſine manifeſta inceſti ſuſpicione.	regnat annos LVI. Coram hoc & Bernice ſorore cauſam dicit Paulus, Act. 26.	Hæc primum Emeſenorum Regi circumciſionem admittenti, deinde promiſſis perſuaſa, abjecta religione patria, Felici Procuratori nupſit, Act. 24. 24. *Joſeph. lib.* 20. 5.

Explicatio Schematis.

α Herodes igitur, Antipatri Aſcalonitæ & Cypri Arabiſſæ filius, Rex à Senatu Romano ad petitionem Antonii declaratus, teſte Genealogia iſta, non fuit ἄτιμος *ignobilis*, ut alicubi à veteribus nuncupatur, ſed claro patre, honoratiſſimo avo natus. Nam quod Joſephus eum vocat *ἰδιώτης δημοτικῆς καὶ γένους ἰδιωτικοῦ plebei generis & privata domus*, idcirco facit, interpretante hoc doctiſſimo Scaligero, quod non eſſet ἐκ τῶ ἱερατικῶ γένους ut erant Haſamonæi, & quod in ejus majoribus nullus Rex fuiſſet. Fabula igitur eſt, vere fabula, quod Africanus apud Euſebium de obſcuris Herodis natalibus protulit, alii crediderunt. Præterea Herodes (quod & ipſum ex Genealogia iſta eruimus) non fuit alienigena, Ethnicus, nec etiam proſelytus, ſed verus Judæus, Idumæis proſelytis prognatus. Cum enim Johannes Hyrcanus integro fere ſeculo ante Herodis Regnum Idumæos bello difficili victos ad ejuſdem doctrinæ & cultuum profeſſionem, mandata eis circumciſione, adegiſſet, Idumæi reipſa Judæi facti ſunt. Sic Joſephus l. 13. c. 17. ἄρχε εἶναι, inquit, τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους *ut ab illo tempore Judæi ſint.* Atque hanc de Herode Judæo ſententiam pluribus teſtimoniis Joſephi, Ammonii item Grammatici, Strabonis Geographi, Stephani, aliorum, corroborant duo eruditæ doctrinæ columina, Joſephus Scaliger in Euſebianis Notis, & Iſaacus Caſaubonus Exercitatione prima ad Apparatum Annalium Baronii. Fruſtra igitur ſunt Patres, qui magno conſenſu Herodem nunc ἀλλόφυλον, nunc προσήλυτον appellant. Fruſtra etiam Nicolaus Serarius, Jeſuita Moguntinus, dicam impietatis ſcribit piiſſimo Scaligero quod Herodem alienigenam negat. Inventus eſt enim ex ipſis Pontificiis, & quidem Italis, Auguſtinus Torniellus, qui in Annalibus ſuis Sacris ad annum mundi quatermilleſimum decimum octavum progrediatur quam Scaliger longius, & Herodem ne quidem ortu Idumæum ſed natura Judæum fuiſſe fidenter aſſerat: id quod non ſolum Nicolai Damaſceni, veteriſſimi Hiſtorici autoritate, ſed rationibus etiam probabilibus annititur demonſtrare. Nobis autores nominaſſe, loca indicaſſe ſufficit. Scire enim ubi aliquid poſſis invenire, eſt magna pars eruditionis.

β *Tetrarchias Herodis Antipæ & fratris ejus Philippi & Lyſaniæ* quia apud Lucam fit mentio', quid non comminiſcitur Euſebius ut quadripartitum Principatum commonſtret? Lyſaniam ſupponit Herodi filium, quem nulla ex novem uxoribus ei peperit. Totam deinde Herodis ditionem in quatuor partes diſtribuit, & unam Antipatro, alteram Herodi Antipæ, tertiam Philippo, quartam Lyſaniæ deſtinat: omnia contra hiſtoriæ fidem; quæ non novit Lyſaniam Herodis filium; novit autem Antipatrum quinque diebus ante obitum patris laqueo ſtrangulatum fuiſſe; adeoque in tres tantum filios Regnum Herodis fuiſſe diviſum, & ab Auguſto Cæſare Archelao quidem dimidium attributum cum *Ethnarcha* aut *Toparcha* nomine, reliquum ſemiſſem biſariam diviſum Antipæ & Philippo datum; ita ut Archelaus ſemiſſem habuerit, reliqui ſingulos quadrantes, *Tetrarchias* vocatos, eo quod tetrantes eſſent totius regionis, & qui unius tetrantis Dominus eſſet *Tetrarcha* jure appellaretur, etſi non continuæ tres alii eſſent Tetrarchæ. Joſephus 726. 1. Τὸ μὲν ἥμισυ μέρος τῆς βασιλείας Ἀρχελάῳ δίδωσιν, ἐθνάρχην προσειπών, ὑποσχόμενος καὶ βασιλέα ποιήσειν, ἐὰν ἄξιον ἑαυτὸν παράσχῃ. Τὸ δὲ λοιπὸν ἥμισυ διελὼν εἰς δύο Τετραρχίας δυοῖν ἑτέροις παισὶν Ἡρῴδου δίδωσιν. Hoc nimirum vult; Regnum ab Auguſto in Tetrarchias diviſum fuiſſe, ita ut Herodes Antipas & Philippus ſingulas acciperent, Archelaus vero binas. Neque vero ſuppoſititio Herodis filio Lyſaniæ favet Euangeliſta Lucas, quin contra à familia Herodis eum prorſus excludit, dum Philippum vocat *fratrem* Herodis Antipæ, Lyſaniam non item; Qui quidem Lyſanias ſucceſſor fuit Lyſaniæ illius quem Dio narrat Arabiæ, Iturææ & regionis Malchi (in quibus etiam partibus Abilenem contineri conſtat) Regem ab Antonio creatum, ab eoque paulo poſt, tanquam partibus Pacori faventem, interfectum: cujus Dynaſtia etiam poſt mortem ejus vocata fuit Τετραρχία Λυσανία, ut patet ex Joſepho l. 18. c. 18. & l. 20. c. 5. Scalig. in Euſebianis.

γ Archelaus à Judæis & Samaritanis apud Auguſtum tyrannidis accuſatus relegatur Viennam Allobrogum; Judæa provinciæ Syriæ attribuitur & Procuratorem accipit; bona Archelaï in fiſcum rediguntur, poſt Chriſtum natum anno 7. ſecundum Calviſium.

δ Phi-

δ Philippus Tetrarcha, quod in provincia ſua beneficio Cæſaris maneret, in honorem Auguſti Paneadem, in qua plurimas ædes conſtruxerat, nominavit *Cæſaream Philippi*; Joſeph. l. 18. c. ultimo. Hanc Νερωνιάδα poſtea Agrippa Junior vocavit. Idem vico Bethſaidæ in ripa lacus Gennelareth urbis ſpeciem addidit, quæ *Julia* fuit appellata; Joſephus. Philippus iſte conſenuit in Dynaſtia ſua; Joſeph. l. 18. c. 6. moritur ſine liberis poſt C. N. anno 34. cum ipſe Trachonitidi poſt patrem Herodem annis 35. præfuiſſet. Ditio ejus provinciæ Syriæ acceſſit.

ε Herodis Antipæ vafrities & ſcelera non ignota ſunt Euangeliſtas & Joſephum legentibus. Dimiſit Aretam conjugem, ut potiri poſſet Herodiade fratris uxore, magno ſuo malo. Hæc enim invidens dignitati fratris Agrippæ, perſuaſit ipſi ut Romam profectus Regiam dignitatem & ipſe ab Imperatore peteret. Sed Caligula ab Agrippa monitus & de amicitia Herodis cum Artabano Parthorum Rege & de armamentario ejuſdem, Antipam in Galliam relegat; cui Herodias voluntaria comes acceſſit. Tetrarchiam Antipæ Agrippa ſibi acquiſivit; Joſeph. l. 18. c. 9.

ζ Agrippa iſte ludibrii fortunæ in rebus humanis inſigne fuit exemplum. Pauper aliquandiu vixit apud ſororem Herodiadem; à Tiberio in vincula conjicitur; à Caligula liberatur è carcere, & catena aurea ejuſdem ponderis quo ferrea fuerat donatur; Tetrarchiæ quæ Philippi fuerat Rex conſtituitur, itemque Tetrarchiæ Lyſaniæ; Joſeph. l. 18. c. 8. In Regno hoc confirmatur à Claudio, qui addit inſuper Judæam & Samariam, quod olim ad ejus avi Herodis regnum pertinuiſſent. Atque ita Judæi iterum tributum non Romanis ſed ſuo Regi pependerunt. Hic Agrippa Rex cum Cæſareæ ludos exhibuiſſet, & Divinos honores qui ſibi à populo offerebantur non recuſaſſet, Divinitus percutitur, & quinto die moritur, quarto anno Claudii Cæſaris, Act. 12. Joſeph. l. 19. c. ult.

η Hunc Agrippam adoleſcentulum Claudius Imp. primum ſuccedere voluit Agrippæ patri; ſed poſtea cogitans illum imparem eſſe tanto Regno, Judæam rurſum in provinciam redegit, & Syriæ attribuit, mittitque eo procuratorem *Cuſpium Fadum*. Non ſtatim igitur ab obitu patris cœpit regnare; ſed octavo anno Claudii, mortuo Herode patruo Chalcidos Syriacæ Dynaſta, eo Regno Agrippa donatus eſt, quod ei fuit initium regnandi. Duodecimo vero anno Imperii ſui Claudius donat Agrippæ Tetrarchiam Philippi patrui, Batanæam ac Trachonitim & Abilenen Lyſaniæ; Chalcidem vero illi aufert, qua jam quadriennium potitus erat. Regnaſſe hunc Agrippam XXVI annos autor eſt Euſebius in Chronico, cui omnes Chronologi fidem adhibuerunt. At dupliciter lapſus Euſebius; primum, quod Agrippam Juniorem ſtatim ab obitu patris regnaſſe ſtatuit, contra quam ex Joſepho oſtendimus; deinde, quod Regnum Agrippæ excidio Jeroſolymorum terminari putat, quaſi quia XXVI annorum intervallum ſit inter initium hujus Regis & excidium Jeroſolymorum, una cum Templo & Urbe ipſe quoque Rex deletus fuerit. Atqui iſte Junior Agrippa obiit tertio anno Trajani, numero MMCXVI. Chronici Euſebiani, ut teſtis erat Juſtus Tiberiadenſis; qui ipſi Regi Agrippæ Chronologica ſua obtulit. Nemo igitur de obitu hujus Regis certius pronunciare potuit quam is qui illi opus ſuum dedicavit. Photius de Juſto Tiberiadenſi, Ἄρχεται δὲ ἀπὸ Μωσέως, καταλήγει δὲ ἕως τελευτῆς Ἀγρίππα τοῦ ἑβδόμου μὲν τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡρῴδου, ἰσχάτου δὲ ἐν τοῖς Ἰουδαίων βασιλεῦσιν, ὃς παρέλαβε μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ Κλαυδίου, ηὐξήθη δ' ἐπὶ Νέρωνος, καὶ ἔτι μᾶλλον ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ, τελευτᾷ δ' ἔτει τρίτῳ Τραϊανοῦ, ἃ καὶ ἡ ἱστορία κατέλυσε. Cur vero ejus Regnum excidio Jeroſolymorum circumſcribat cauſa non erat. Neque enim Hieroſolymorum Rex fuit, neque ullius portionis Tetrarchiæ Archelai jus ad eum pertinuit. Nam ad patrimonium Archelai & Jeroſolyma ſemper Procurator Cæſaris miſſus eſt qui vocabatur ἐπίτροπος Ἰουδαίας. Hæc in Euſebianis illuſtris Scaliger. Cui tamen in hoc aſſentiri nequeo, quod ait, *Semper ad patrimonium Archelai & Jeroſolyma Procuratorem fuiſſe miſſum.* Regnante enim Agrippa Majore & Judæam ipſam gubernante, vix crediderim Procuratorem Roma Jeroſolyma veniſſe, uſque dum eo mortuo Judæa in provinciam rurſum redacta, Syriæ attributa, & à Cuſpio Fado res ejus fuerunt procuratæ. Idem Scaliger alibi in Euſebianis: Agrippa minor ſeptimus & ultimus Herodiadarum Dynaſtarum ſuperfuit Jeroſolymorum excidio annis XXX, incolumi Regno, quod per annos XXVI poſſidebat, & aliquot urbium acceſſione beneficio Veſpaſiani ampliato: tantum abeſt ut in ejus Regno mutaverit aliquid fortuna Jeroſolymorum. Certe poſt captam Judæam adhuc erat Rex Agrippas. Nummus teſtis: ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΑΣ ΕΤΕΙ ΚΑ ΑΓΡΙΠΠ.

CAP. III.

Oraculum Jacobæum, Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat Siloh, *utrum Herodis M. tempore an alio ſit impletum?*

UT vacca vaccam, ita autor autorem ſequitur. Papias Apoſtolorum diſcipulus Chiliaſtarum errorem primus orbi Chriſtiano propinavit: hunc ab illo Juſtinus Martyr, ab hoc Irenæus, ab hoc alii hauſerunt propagaruntque tantiſper dum à tempore ipſo refutarentur. Juſtinus Martyr Philoſophus Platonicus audierat magiſtrorum ſuorum voce celebrari τὸ αὐτεξούσιον in Moralibus: id ipſum ille Chriſti civis factus commendavit in cauſa fidei ſalvificæ; quem à Scriptura licet aberrantem Græci tamen Patres ad unum omnes ſecuti ſunt. Origenes Hom. 17. in Geneſin primus pronunciavit, Sceptrum de Juda, imperante Herode Magno, fuiſſe ablatum; & eo vaticinium Jacobi referendum. Arripuerunt hoc Ruffinus, Auguſtinus, Epiphanius, Cyrillus, Theodoretus, quos tota deinde interpretum turba imitata eſt, tanto conſenſu, ut hodie pene piaculum ſit aliter ſentire: præſertim cum vulgatiſſimæ iſtius ſententiæ patroni non ſolum autoritate Patrum ſed etiam rationibus ſe tueantur. Aiunt enim à Jacobo promitti Judæ Regnum perpetuum ad Chriſti adventum ſerie continua aut non niſi ad tempus interrupta, duraturum: præterea, Herodem fuiſſe alienigenam, proſelytum, ἄσημον, quo regnante vere deſierit Regnum Juda. Atqui hæ rationes non plus ponderis habent quam autoritas Patrum. Herodem enim non fuiſſe ἀλλόφυλον capite præcedente eſt demonſtratum. Jam qui Judæ Regnum perpetuum ad Chriſti adventum uſque promiſſum volunt, ii aut Jacobum aut ſeipſos falſitatis arguant neceſſe eſt. Clamat enim Scriptura Sacra, Ab exceſſu Jacobi ad Davidem uſque neminem ex tribu Juda rerum ſummam tenuiſſe; A Sedechia ad Chriſtum, excepto uno Sorobabele, qui tamen Rex non fuit, neminem ex tribu Juda Regni clavum tenuiſſe; A Joſue filio Joſedech ad Iudam Maccabæum perpetuam fuiſſe ſeriem Pontificum ab Aaron; quam ſeriem Iudas Maccabæus interrupit, cum non eſſet Pontificiæ familiæ, ſed de ſtatione Iojarib; Poſt captivitatem Babylonicam Ariſtobulum Aſſamonæum primum fuiſſe qui Principatu in Regnum mutato, diadema ſibi impoſuerit, cujus pronepos Antigonus familiæ iſtius Rex ultimus celebratur. Clamat Hiſtoria, Iudæos ante Herodem alienigenis fuiſſe ſubjectos, quando Romani, ſubacta per Pompejum Urbe, veri Iudæorum Reges eſſe cœperunt, tributa ipſis impoſuerunt, Aſſamonæis quas voluerunt leges præſcripſerunt, Iudææ Reges & Ethnarchas quos voluerunt dederunt.

Euſebius lib. 8. Demonſtrationis Euangelicæ, aliam oraculi Iacobæi ſententiam concepit. Cenſuit enim Sceptrum eſſe Iudæ datum jam inde à tempore Moſis, propterea quod tribus hæc inter cæteras dignitate ſemper excelluit, locumque tenuit honoratiorem tam in caſtris quam in eorum ordine qui munera in Templo afferebant; deinde, quod Reſpubl. imperium, atque totus populus, qui duodecim tribuum erat, appellationem habuere de nomine unius *Judæ*. Hæc Euſebii ſententia placuit doctiſſimo Caſaubono, qui in Baronianis ſuis prolixe eam explicat. Confutatur autem ab eruditiſſimo viro Petro Cunæo libellis commentariis De Repub. Ebræorum; ubi docet, Excellentiam alicujus tribus non eſſe notam indubitatam Sceptri ſive Regni: Id enim perinde fore acſi quis dicat Romæ aut Athenis ſceptri majeſtatem non apud populum Romanum aut Athenienſem fuiſſe, ſed apud unam tribum quæ cæteris nobilior florentiorque. Addit Cunæus, Non Rempubl. non Imperium de *Judæ* nomine dici cœpiſſe niſi poſtquam ſeceſſionem major Iſraelitarum pars feciſſet Ieroboami auſpiciis. Euſebii delirium eſt, inquit idem porro, duodecim tribus in univerſum fuiſſe *Judæorum* nomine appellatos. Nunquam id factum, neque ante neque poſt Regni ſciſſionem. Non ante, ſcilicet inter initia naſcentis Imperii, cum Reſpubl. in Cananenſium ſedibus inſtitueretur. Non poſt ſciſſionem Regni; cum enim ſciſſum Iſraelitarum Regnum fuit, duæ tribus, Levitæ & Benjaminitæ, Iudæis ſe ſociaverunt; quia autem pauciores tenuioreſque erant, nihil niſi acceſſio habiti ſunt: itaque nec Reſpubl. ab illis appellationem accepit, & ipſi pene nomen ſuum amiſere: dicti enim tandem communiter ſunt *Judæi*. Sed quid iſta ad cæteras

decem

eſt, noſtram Chriſtianorum perfectionem non in ἀναμαρτησίᾳ conſiſtere, (*non eſt enim homo qui non peccet*, fatetur ſapientiſſimus Regum 1 Reg. 8. cui ſuffragatur innocentis vitæ gloria inter Apoſtolos primus Joannes 1 Epiſt. 1. 8, 9, 10. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata noſtra & purget nos ab omni iniquitate. Si dixerimus nos non peccaſſe, mendacem facimus eum, & ſermo ejus non eſt in nobis.*) ſed tum in ſtemo propoſito Deo ſecundum voluntatem ejus ſerviendi, Pſalm. 119. 44. tum in propoſiti illius, licet ſæpius perlapſus noſtros interrupta, adeoque numeris omnibus minime abſoluta, pia tamen, ſincera & ἀνυποκρίτῳ exſecutione. Cæterum voluntas Dei eſt ut ardenter ipſum invocemus, gratias in omnibus & pro omnibus agamus, mala omnia læta patientia toleremus, adverſus pietatis hoſtes, Diabolum, Mundum, Carnem & Sanguinem noſtrum fortiter pugnemus, denique pietati ipſi ſerio ſtudeamus. Perfectus igitur noſter in Dei ſinum curas ſuas exonerat, eique per Chriſtum Filium gratias agit in omnibus, Col. 3. 17. Idem afflictiones & omnes vitæ hujus ærumnas læta patientia tolerat: novit enim omnia à Patre, omnia ſuo bono, omnia in conformitatem paſſionum Chriſti immiſſa: novit omnes hujus vitæ miſerias beata gloriæ cœleſtis clauſula terminatum iri: ideo in ipſis afflictionibus gloriatur, quippe qui lætetur præſenti gratia & futura gloria. Militat etiam perfectus noſter bonam militiam, contra omnes pietatis hoſtes pugnando, eoſque ſi non plane ſemper ſuperando, (nam & in ſanctis quandoque vitiola Caro imperium præripit Spiritui) tamen frænando domandoque; idque Fide, non tantum promiſſiones obedientibus, ſed etiam comminationes inobedientibus factas, veriſſimas eſſe credente; Prece, Deum quotidie in ſubſidium advocante; Diligentia, *reputante vias ſuas*, Pſal. 119. 59. *ab omni ſemita mala cohibente pedes ſuos*, Pſalm. 119. 101. & *aſſociante ſe omnibus qui reverentur DEUM, & obſervant ejus mandata*, ibid. 63. Denique perfectus noſter quo poteſt ſtudio incumbit pietati adeoque omnium bonorum operum (inter quæ & quotidianam Pœnitentiam numero) exercitiis: utpote cujus auribus nunquam non inſonent verba illa Chriſti, *Violenti rapiunt regnum cœlorum. Obliviſcitur* igitur *eorum quæ à tergo ſunt, ad ea vero quæ in fronte ſunt contendens ſcopum verſus fertur ad palmam ſupernæ vocationis DEI in Chriſto Jeſu.* Hæc fuit piorum Patriarcharum, Regum, Prophetarum, hæc fuit Zachariæ & Eliſabethæ, hæc fuit Apoſtolorum perfectio, atteſtante Apoſtolo Phil. 3. 15. *Quotquot perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Hanc perfectionem cami difficilem, ſpiritui facilem reddunt, amor Chriſti, Spiritus S. ductus, vividum verbi Dei ſemen in cordibus renatorum. Quemadmodum enim Jacobo graves ſeptennii labores propter adamatam Rachelem dulces fuere, ita amor Chriſti nos huc adigit ut totam illi vitam noſtram conſecremus, 2 Cor. 5. 14. Nec alio trahit nos quo ducimur Dei Spiritus quam ad preces, ad lætam tolerantiam malorum, ad luctam adverſus peccatum, ad ſerium ſtudium pietatis. Ad hæc omnia incitantur etiam fideles à latente in ipſis ſemine verbi Divini. Ruminant enim dicta Scripturæ hortantia ad pietatem, avocantia ab impietate. Qua de cauſa Joannes ait, *Qui ex Deo natus eſt, non peccat, quoniam ſemen ipſius in eo manet, nec poteſt* (puta petulanter & perſeveranter) *peccare, eo quod ex Deo natus eſt*, 1 Joan. 3. 9. Hæc Chriſtiani hominis exercitia, etſi à perfectione multum abſunt, *perfectionis* tamen nomine dignatur DEUS, quippe qui eam non ad libellam rigoris Moſaici ſed ad ſtateram ἐπιεικείας Euangelicæ appendit. Legis horribilis vox eſt, *Iſraelita, nolite peccare. Quiſquis non permanet in omnibus quæ ſcripta in libro Legis, eſt maledictus.* Euangelii amabilis vox eſt, *Filioli mei, ne peccetis. Quod ſi quis peccaverit, Advocatum apud Patrem habemus Jeſum Chriſtum juſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, &c. 1 Joh. 2. 1, 2.

CAP. VI.

Zacharias Baptiſtæ pater nec Pontifex maximus fuit, nec Pontificis vicarius.

FUere ex Patribus nonnulli qui Zachariam ſuffragiis ſuis Pontificem Maximum crearunt, eo quod ipſi incenſum offerenti in adytis ſive Sancto ſanctorum apparuerit Angelus. Eraſmus quoque ille magnus Paraphraſi in primum caput Lucæ ſcribit, *Cum ſorte deligendus fuiſſet qui introiret ſecretiſſimum Templi ſeceſſum, ſorte delectum fuiſſe Zachariam, ut ingreſſus Sancta ſanctorum, quo nemini fas fuerit ingredi præter Pontificem aut hujus loco deſignatum, ſuffitum poneret in altari.* Unde colligo illum Zachariam vel pro Pontifice Max. vel pro Vicario ejus habuiſſe. Ego vero in Zacharia nec Pontificatum nec Vicariatum ullum agnoſco. Non Pontificatum. Autor enim Joſephus eſt, illo anno Joazarum Pontificatum adminiſtraſſe. Nec de ſummo Pontifice dixiſſet Lucas ἐγένετο ἱερεύς τις *erat ſacerdos quidam.* Nec idem Lucas meminiſſet *ſortitionis.* Neque enim in ordinem cogebatur Pontifex, nec vices ſtationeſque obſervabat, cui ſoli omnia ſacra & omni tempore obire jus faſque fuit. Qui Angelum Zachariæ in Sancto ſanctorum thura adolenti apparuiſſe putant, in majore errore verſantur. Locus enim ille in quo erat altare incenſi ſeparatus velo ab ipſis adytis fuit. Quare cum Levit. 16. Sanctuarium quod intra velum eſt appelletur *ipſum adytum*, contra de Incenſi & Suffitum ara dicitur Exod. 30. *fuiſſe eam ante velum illud*; plane ut in medio oppanſum velum inter Adyta Aramque ſuffituum eſſet. Edicitur quidem Exod. 40. 5. ut *ara incenſi aurea coram arca teſtimonii collocetur*: ſed quod ibi de medio velo expreſſum non eſt, mox paucis interjectis additur, *quam in tentorio conventus ante velum eſſe poſitam.* Quin exire ex adytis Pontifex ad riganda aræ cornua debuit, Exod. 30. Aram igitur illam in adytis non fuiſſe certum eſt. Audiamus & Philonem libro περὶ θυσιῶν. Ὁ νόμος, inquit, προσέταξε δύο κατασκευασθῆναι βωμούς, καὶ ταῖς ὕλαις, καὶ τοῖς τόποις, καὶ ταῖς χρείαις διαφέροντας, *Lex duas poni aras juſſit, quæ materia, loco, uſu differunt.* Addit idem, *Una ex lapidibus ſelectis ſed impolitis exſtructa eſt, atque ſub dio ſita, prope Templi veſtibulum: ejuſque uſus poſitus in victimarum immolatione eſt. Altera vero aurea, intra primum velum, in loco inacceſſo eſt, quam videre nemini mortalium licet, niſi Sacerdotibus, cum in caſſo ſunt: facta autem eſt in uſum ſuffituum.* Omnino ait aram hanc intra primum velum ſtaſſe, quod oppoſitum Sancto erat: plane ut divertum fuiſſe ab illo velum ſecundum ſignificet, quod Sanctum ſanctorum à Sancto ſeparat. Utique quemadmodum Sanctum ſanctorum Sacerdotes non recepit, ſed Pontificem duntaxat, ita Sanctum, in quo ſuffimentorum ara erat, plebem arcebat, Sacerdotes autem ſolos una cum Pontifice admiſit. Atque ad hanc aram Zacharias noſter odoramenta flammis uſtulavit. Non igitur Pontifex Zacharias. Sed nec Vicarius Pontificis. *Poſitum in more fuit*, inquit Maimonides maximus Rabbinus apud Cunæum, *ut Pontifici conſtituerent quendam alterum Pontificem. Nam ſi quid contigiſſet quo impuratus videretur, alter ille vice ejus rem ſacram faciebat. Cæterum Vicario huic, qui pro illo in adyta ibat, non opus initiatione fuit, ſive contaminari Pontificem ante jnge ſacrificium matutinum ſive poſt oblationes paratas contigiſſet. Quamprimum autem dies Expiationum præteriiſſet, prior ille redibat ad munia ſua, Vicarius autem ſe abdicabat.* Refert quoque Joſephus Antq. l. 19. c. 8. quendam Joſephum Ellemo prognatum, qui in unum diem functus Pontificatu ſit, cum ſummus Sacerdotum Matthias immundo vitio per ſomnium ſe inquinaſſet illa ipſa nocte quæ Expiationis feſtum anteceſſit. Hujuſmodi honor Zachariæ non fuit delatus, quippe qui ordinis ſui vices obiit, & non in adytis, quod modo demonſtratum, ſacra fecit, ſed ante velum.

CAP. VII.

Ἐφημερίαι Sacerdotum quæ? à quo inſtitutæ? quando variatæ? & ad honorem Pontificium evectæ?

SCribit Lucas Zachariam fuiſſe Sacerdotem ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, eumque ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ *ſacerdotio ſuo functum*, 1. 5, 8. Latinus interpres ἐφημερίας modo *vices*, modo *turmas* vertit: rectius *claſſes* dixiſſet more Romano. Joſephus πατριὰς nominat. Fuere autem, teſte Theophylacto, *ephemeriæ* idem quod *hebdomadæ.* Itaque quia dicitur Zacharias fuiſſe ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, innuitur fuiſſe *de hebdomada Abia.* Quod declaratur 2 Par. 23. 8. *Jojada Sacerdos non dimiſerat abire turmas quæ ſibi per ſingulas hebdomadas ſuccedere conſueverant:* ubi in Græco eſt ὃ κατέλυσε τὰς ἐφημερίας. Ebraïs *ephemeria* dicitur MISMARA, *cuſtodia*, φυλακή: dicitur & משמרת *ſtatio.* Eucherius vocat *ſortes*, i. κλήρους, in libros Regum p. 186. *Erant*, inquit, *ſortes viginti quatuor & Sacerdotum, & Levitarum, & Janitorum, qui per totidem ſeptimanas ſibi ex ordine ſuccederent, Sabbato novæ turmæ intrante ad officium, & poſt Sabbatum eaque proxima ſeptimana miniſtraverat domum redeunte.* Joſepho ſcribenti in Vita ſua, ſe fuiſſe ἐν πρώτῃ ἐφημερίδος τῶν εἰκοσιτεσσάρων, idem eſt ἐφημερὶς quod ἐφημερία. Inſtituti hujus autor Moyſes, amplificator David, confirmator Salomo fuit. Moyſes enim Sacerdotes ex Levitis elegit, qui oblationes & ſacrificia facerent, eorumque

ſtationes octo conſtituit, è quibus quatuor ab Eleazaro, totidemque ab Ithamaro gentem ſuam deduxere. Poſtea ſummus Rex David claſſes hujuſmodi XXIV inſtituit, ut ex Eleazari poſteritate XVI, ex Ithamari VIII eſſent: quas omnes Salomo Rex ex illius autoritate deſcripſit & confirmavit, ut legere eſt 2 Par. 8. 14. Mentio harum claſſium ſive ἐφημεριῶν frequens in S. literis; 1 Par. 23. 6. & 28. 13, 21. 2 Paral. 13. 10. & 23. 8. & 31. 2, 15, 17. & 35. 4. 2 Par. 13. 11. *καὶ ἐν ταῖς ἐφημερίαις αὐτῶν θυμιᾶσι.* 1 Paral. 25. 8. *ἔλαβον αὐτοὶς κλῆρον ἐφημεριῶν.* Neh. 12. 24. *ἐφημερία πρὸς ἐφημερίαν·* & 13. 30. *καὶ ἔστητε ἐφημερίας τοῖς ἱερεῦσι.* 3 Eſd. 1. 2. *στῆσαι τὰς ἱερεῖς κατ' ἐφημερίας ἡγιασμένους.* Cauſa inſtituti, Quod Moſes, David, Salomo noluerunt Sacerdotes eoſdem quotidie ſacris miniſteriis occupari, ſingulas claſſes ſingulis hebdomadibus operari, ſiquidem

Quod caret alterna requie durabile non eſt,

ergo XXIV iſtæ claſſes per vices ſuas ſingulæ Hieroſolymam veniebant, & in Templo hebdomadam unam ſacris operabantur. Itaque poſt CI.XVIII dies cuique ſtationi ſuus ordo redibat; niſi quod per tria celeberrima feſta, quæ Judæi חלים appellant, fas fuit omnibus ſtationibus ſimul in Templo ſacra obire, illa præſcriptione, ut votivas ſpontaneaſque hoſtias & jugia ſacrificia ii duntaxat curarent quorum functio tunc in orbem recurrebat. Ordinem harum claſſium ſorte duxit David, 1 Par. 24. 5. Unde ita illæ numeratæ,

1. *Jojarib.*	13. *Chuppai.*
2. *Jedabia.*	14. *Jeſcebeab.*
3. *Harim.*	15. *Bilga.*
4. *Seborim.*	16. *Immer.*
5. *Malchija.*	17. *Chezir.*
6. *Mijamin.*	18. *Happizez.*
7. *Hakkots.*	19. *Petachja.*
8. *Abia.*	20. *Jechezkel.*
9. *Jeſchua.*	21. *Jachin.*
10. *Schecania.*	22. *Gamul.*
11. *Eliaſib.*	23. *Delajahu.*
12. *Jakim.*	24. *Mahazjahu.*

Pari ratione adminiſtrorum rei ſacræ, Cantorum item & Janitorum munus ſorte in XXIV claſſes diſtributum eſt, 1 Par. 23. 28, 29, 30, 31, 32. & 1 Par. 25, & 26. E Catalogo hoc patet, claſſem Abiæ fuiſſe octavam in ordine tempore Davidis. Sed cum vices iſtæ ſalvo priore Templo ob prædominantem idololatriam aliquando interrumperentur & prætermitterentur, claſſis quoque Abiæ variavit, & quæ primum cum functiones inſtituerentur, octava fuit, poſt reditum è Babylone ſub Jeſchuha duodecima, Neh. 12. 4. ſub Jojakimo undecima eſt numerata, Nehem. 12. 17. Poſt ædificatum Templum ſecundum functiones iſtæ interruptæ ſunt ab Antiocho, reſtitutæ à Juda Maccabæo: à cujus Encæniis claſſes illas XXIV ad excidium uſque Templi incolumes & impermixta ſucceſſione manſiſſe autor eſt Joſephus, Orig. l. 7. cap. 11. Cæterum familia Pontificiæ ſucceſſionis in nulla ſtatione fuit cenſita ad tempora uſque Judæ Maccabæi, in quo interruptio ſucceſſionis Pontificiæ commiſſa eſt, quando illi ſummum Sacerdotium delatum fuit, homini ex prima quidem familia ſtationum Sacerdotalium, nempe Jojarib, ſed non ejus familiæ ex qua continuabatur ſucceſſio Pontificia. Per Aſſamonæos igitur perpetuata fuit ſucceſſio ſummorum Pontificum ad initium Herodis, qui Ananielem ex obſcuro admodum Babyloniorum genere pro Aſſamonæis ſubſtituit, & ſummum Sacerdotium ita fœdavit ut, exautoratis ſubinde qui eo fungerentur, indigniſſimos quoſque pro libidine Pontifices ſummos crearet: quod ipſum deinde Romanorum Procuratores auſi ſunt facere. Nec tamen verum eſt quod Euſebius l. 8. Demonſtr. Euang. ſcripſit, *Herodem quoſvis admiſiſſe ἀσήμους, καὶ μόνον ἐξ Ἑβραίων ὄντας, qui modo eſſent genere Judæi.* Joſephus enim (ad quem Euſebius provocat) non dicit *ἀσήμους, καὶ μόνον ἐξ Ἑβραίων ὄντας*, ſed *ἀσήμους, καὶ μόνον ἐξ ἱερέων*, h. e. *tantum ex Sacerdotibus:* cui hiſtoria ipſa ſuffragatur. Ex illis enim XXVIII Pontificibus maximis qui poſt Aſſamonæos ad deſtructionem uſque Templi ſederunt, ne unum quidem invenies qui tantum fuerit Ebræus, ut ait Euſebius, omnes contra è tribu Levi & ordine Sacerdotali cum initio ab Herode tum poſtea à Romanis eſſe deſumptos.

CAP. VIII.

Qualis fuerit ſortitio illa Sacerdotum qua Zachariæ munus adolendi thura delatum: Phraſis ἔλαχε τῷ θυμιάσαι Luc. 1. 9. explicatur.

DOctiſſimos viros exercuit comma iſtud Lucæ, Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτὸν ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ ἔναντι τοῦ Θεοῦ, κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας, ἔλαχε τῷ θυμιάσαι, εἰσελθὼν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Κυρίου. Eraſmus ille magnus Paraphraſi in Lucam mentem ſuam ſuper his verbis dilucide expreſſit, ſcribens *Cum Zachariæ Sacerdotii munere fungeretur, jamque ex more ſorte deligendus eſſet, quis introiret ſecretiſſimum Templi ſeceſſum, ſorte delectus eſt ille, ut ingreſſus Sanctæ Sanctorum (quo nemini fas erat ingredi præter Pontificem, aut hujus loco deſignatum) ex præſcriptis oderibus, ſtacte, onyche, galbano ac thure pellucido, ſacrum ſuffitum poneret in altari, quod erat in ſecreto Templi receſſu. Habebatur enim hoc ſacrificii genus apud Judæos omnium ſanctiſſimum; nec ad hujus conſpectum admittebatur promiſcua multitudo, ac ne Levitarum quidem quiſquam. Sed reliqui manebant foris, ſecluſi velo, &c.* Sed, quod pace tanti viri dixerim, quot ſententiæ, tot errata. Falſum, quod Sacerdotes XXIV familiarum *ſorte delegerint quis* illorum *in ſecretiſſimum Templi ſeceſſum introiret.* Fatetur enim ipſus *nemini præterquam ſummo Pontifici ingredi in adyta fas fuiſſe.* Falſum, Zachariam fuiſſe Pontificis Vicarium. Ut enim non repetam quas ſupra expoſui rationes, vel unum hoc Vicariatum Zachariæ Pontificium nobis ſuſpectum facere debet, quod D. Lucas tam diligenter inculcat, *Zachariam in ordine claſſis ſuæ Sacerdotio* tum *fuiſſe functum.* Atqui extra ordinem eligebatur Pontificis Vicarius, quod ſupra docui, idque die Expiationis tantum. Falſum, *altare* in quo Zacharias ſuffitum ex præſcripto Legis poſuit *fuiſſe in ſecreto Templi receſſu.* Falſum, ex ſecreto Templi receſſu Zachariam egreſſum fuiſſe ad populum. Ex atrio enim Sacerdotum egreſſus eſt ad populum in atrio Populi precibus invigilantem. Quid ergo? Non diſputo multum de verbis. Phraſes elliptiæ ſunt, ἔλαχε τῷ βασιλεύειν· ἔλαχε τῷ θυμιάσαι· pro ἔλαχε τὸ ἔργον τοῦ βασιλεύειν· ἔλαχε τὴν λειτουργίαν τοῦ θυμιάσαι, vel etiam ἔλαχε τὸν κλῆρον τοῦ θυμιάσαι, quemadmodum apud Theodoretum Serm. 10. de Oraculis, Apollo ſuppetias ædibus ſuis incenſis ferri nolens dixit τοῦτον παρὰ τῶν μοιρῶν ἐλαχέναι τὸν κλῆρον, *Parcarum decreto ſortem hanc ſibi contigiſſe.* De reipſa quæſtio eſt, an D. Lucas reſpiciat ad ſortitionem XXIV familiarum ſub Davide factam, quænam familia alteri præcederet, an ad Sacerdotum cujuſque familiæ ſortitionem quotidianam in ordine ſuo, quinam ex iſta familia his & illis ſacris operari deberet. Joſephus Scaliger in Canonibus Iſagogicis exiſtimat, quando Lucas ſcribit *Zachariam in ordine claſſis ſuæ ſortitum fuiſſe munus ſuffitum faciendi*, perinde eſſe ac ſi dicat *Zachariam ſucceſſiſſe ei claſſi quæ ſorte facta claſſi Abiæ ordine præceſſit.* Hujus ſententiæ videtur fuiſſe Syrus interpres, cujus mentem ita expreſſit Guido Fabritius Boderianus, *Ritu Sacerdotii accidit ei ut componeret ſuffitus.* Tremellius ita, *Secundum conſuetudinem Sacerdotii evenit ei ut poneret aromata.* Atque ego quidem viſus mihi fui aliquando hanc interpretationem confirmare poſſe ex phraſi ſimili quæ legitur 1 Sam. 14. 47. Καὶ Σαὺλ ἔλαχε τῷ βασιλεύειν ἐπὶ Ἰσραήλ, quod Biblia Junio-Tremelliana vertunt, *Saul acceptum* ante *obtinuit Regnum ſuper Iſraelem:* fuerat enim pridem ſorte Rex electus. Verum quia coacta & duriora hæc videntur eſſe omnia, revoco pedem, & in tertia, quæ ſimpliciſſima eſt, ſententia acquieſco; nempe, Sacerdotes ſingularum claſſium, poſtulante hoc ordine ſuo, ſortitos fuiſſe quo quiſque officio vel in ſua hebdomade vel ſingulis hebdomadis ſuæ diebus fungeretur; e. g. quis incenſum poneret, quis ſacrificaret. Firmat hanc interpretationem Liber Liturgiarum, ex quo Scaliger in Fragmentis De emend. temp. docet, quomodo inter ſe populares unius ephemeriæ functiones ſuas partiti ſint, ſortiente alio quidem incenſum, alio vero concinnationem lampadum & lychnorum, alio lignorum conſtructionem ſuper altari, aliis alia. Sic enim legi in libro Liturgiarum, *Ingredimini: & ſortiebantur, quis immolaret, quis ſpargeret, quis cinere levaret altare interius*, &c. Firmat eandem Grammatica vocum apud Lucam hiſtoriæ ipſi reſpondens: ait enim Lucas, κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας, ἔλαχε τῷ θυμιάσαι, εἰσελθὼν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Κυρίου. Atqui ex libro Liturgiarum conſtat in Templo ſortitionem fuiſſe factam: ait enim *ingredimini*, nempe in Templum. Et de ſuffitu peculiariter, *Ingredimini neoterici ad ſuffitum & ſortimini: ſortiebantur, & eum con-*

contingebat ſors cui ſors competebat. Meliora & certiora qui dederit, illum inter ſuperlunares lubentes volentes referemus.

CAP. IX.

Quis Angelorum maximas Dei nomine legationes ad homines obierit? Conjectura de hora qua Gabriel Zachariæ apparuit.

VErissime ſcriptum Hebr. 1. Angelos eſſe πνεύματα λειτουργικά. Horum enim miniſterio Deus uſus eſt in V. & N. Teſtamento quoties ſingulare & ſtupendum aliquid hominibus ſanctis fuit annunciandum. Illud vero faciendum eſt, Selectum ex omnibus Angelis Dei legatum fuiſſe GABRIELEM, quippe qui binas in Veteri, binas in Novo Teſt. in rebus maximi momenti legationes obierit. Hic enim ille Angelus eſt qui bis ad Danielem miſſus revelavit illi myſterium Antichriſti ſub perſona Antiochi, Dan. 8. iterumque de Chriſti Paſſione & Morte populique Redemptione eundem erudiit, c. 9. Hic idem Angelus ille eſt qui Zachariæ Conceptionem & Nativitatem Joannis, Mariæ Virgini Conceptionem & Nativitatem Meſſiæ annunciat, Luc. 1. Neque vero ſine ſingulari Dei conſilio uni eidemque Gabrieli hæc provincia utrobique fuit impoſita. Nimirum tacite nos monitos voluit Deus ut conferremus

Populum Iſraeliticum captivum in Babylone,
Cyrum liberatorem,
Vocem clamantis in deſerto ante exitum Iſraelitarum, Iſa. 40.
Gabrielem Danieli horæ jugis ſacrificii oranti apparentem,

Genus humanum captivum ſub poteſtate Diaboli.
Chriſtum Redemptorem.
Joannem Baptiſtam adventum Meſſiæ prædicantem.
Gabrielem Zachariæ precum odores incendenti apparentem.

Quæ pie conſiderata inter ſeque comparata neſcio quid jucundæ ſpiritualis oblectationis nobis pariunt. Neque illud negligendum, quod Lucas *horæ incenſi* meminit. Duæ incenſi horæ fuerunt obſervatæ, matutina, quando purgabantur lucernæ & veſpertina, quando parabantur lucernæ, Exod. 30. 8. Ultra putemus Gabrielem ſplendido ſuo adventu Zachariam terruiſſe ſimul & exhilaraſſe? Crediderim veſpertina. Nam & Danieli apparuiſſe ſcribitur *circa tempus veſpertinæ oblationis*, Dan. 9. h. e. inter mediam tertiam & mediam quartam pomeridianam. Et ſubeſt myſterium. Hora veſpertinæ oblationis Angelus Danieli indicat, Chriſtum ſacrificium & placationem abrogaturum: hora eadem eodemque pene momento Chriſtus in ara crucis moriens typicum illud juge ſacrificium reipſa implevit. Hora veſpertina Chriſtus gratiſſimum mortis ſuæ odorem incendit in maledicta cruce; Vero igitur ſimile eſt, hora incenſi veſpertina Gabrielem de tanti Pontificis adventu Zachariam edoceriſſe.

CAP. X.

Interpretatio vocabulorum ἀπειθεῖς, κωφός, λειτουργία, apud Lucam in primo.

TUne leviculas iſtas voces curas? rogabit quis. Ego vero curo, quippe quem vel ſub minuto pulviſculo inventa delecter veritas. Scribit Euangeliſta, Joannem *converſurum corda patrum in filios, καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων.* Vir doctiſſimus ἀπειθεῖς vertit *rebelles.* Atqui *rebelles* ſunt qui adverſa arma parant, & vi aperta ordinariam poteſtatem exercere cogitant: quorum nihil in Græca voce apparet. Et poteſt eſſe ἀπειθὴς qui in contemptum & odium abit, etiamſi in rebellionem non erumpat. Τὰς ἀπειθεῖς igitur dixerim *immorigeros* vel *inobedientes:* id quod etiam vox φρόνησις vult, quæ non *rebellionis* ſed *ſtulta inobedientiæ* hic opponitur. Laurentium Vallam offendit quod Vulgatus interpres illa διέμενε κωφὸς vertit *manſit mutus:* putat enim κωφὸν tantum ſignificare *ſurdum.* Quem cum alia multa, quæ in Appendice Theſauri Stephanici in voce κωφὸς reperies, tum vulgatiſſimum illud diverbium, κωφὸν πρόσωπον *muta perſona*, ſatis redarguat. Illud divinare non poſſum, cur Theophylactus quæ v. 20. leguntur, ἔσῃ σιωπῶν, καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι, interpretatus ſit, *faciam te ſurdum, & loqui non poteris:* imo quod ſingularem inde doctrinam exſculpſerit, *Merito enim*, inquit, *duo hæc paſſus eſt, & quod non audiret, & quod non loqueretur. Quia enim non obedierat, condemnatur ut ſurdus ſit; & quia contradixerat, ut ſileat.* Etſi enim οἱ τῶν Φυσιογνωμονούντων παῖδες quem mutumreindem ſurdum faciunt, qualis eſt ille κωφὸς μογιλάλος Marc. 7. 32. etſi etiam v. 62. *ἐνένευον innuebant* Zachariæ, h. e. ſignis & nutibus petebant ab eo, quod ſcilicet nomen ipſe vellet imponi filio ſuo, quaſi etiam ſurdum fuiſſe eum indicetur, tamen verba Lucæ dicto verſu nihil tale habent, cum *annuere ſilere* ſit, non *ſurdum eſſe.* Excuſari poterit Theophylactus, ſi vigeſimi verſus ſententiam cum ſexageſimi ſecundi ſenſu copulaſſe, ſicque & ſurdum & mutum nobis Zachariam propoſuiſſe dicatur. Sed hæc forteſſis magni momenti non ſunt. Majoris illud, Quod idolomaniæ Pontificiæ patroni vocem λειτουργία v. 23. vertunt *ſacrificium*, quam rectiſſime Eraſmus *officium*, Theodorus *miniſterium* ſunt interpretati. Idem enim hic λειτουργία quod v. 9. ἱερατεία, quæ voce *functio Sacerdotalis* intelligitur, complectens omnia miniſteria à Levitis aut Sacerdotibus præſtari ſolita cum obibant vices ſuas. Quod ſi ſpeciale aliquod miniſterii Sacerdotalis officium deſignari hoc loco velimus, non Sacrificii ſed Suffitus id erit oblatio, Luca diſertim conteſtante, *Zachariæ ſortem contigiſſe ſuffitum faciendi*, non *ſacrificium.* Vel hinc ergo clarum eſt qua fide Bellarminus ex hoc verſu fabricet regulam iſtam falſiſſimam, *Cum accommodatur vox λειτουργία ad ſacra, & abſolute ponitur in Scripturis, ubique accipitur pro miniſterio Sacrificii.*

CAP. XI.

Quæ fuerit urbs illa Juda in regione montana in qua Baptiſta natus, Luc. 1. 39.

THeodorus Beza, vir doctiſſimus, primus hoc erudite obſervavit, urbem hanc fuiſſe Cariath-arbe, quæ poſtea à Calebi filio Hebrone dicta eſt *Hebron.* Fuit enim illa in montanis ſita, Joſ. 14. 12, 13. eademque fuit urbs Sacerdotalis, & ſorte obtigit tribui Juda, Joſ. 21. 9, 10, 11. Hæc dicta eſt & *convallis Mambre, quæ eſt in Hebron*, Gen. 13. 18. Num. 13. 22. Euſebius in lib. qui inſcribitur περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, ita de hac urbe, Ἀρβὼ αὕτη ἐστὶ Χεβρὼν, κώμη νῦν μεγίστη, μητρόπολις οὖσα τὸ παλαιὸν τῶν ἀλλοφύλων, καὶ γιγάντων οἰκητήριον· καὶ βασίλεια μετὰ ταῦτα Δαβίδ· κατελήφθη δὲ Φυλῇ Ἰούδα, καὶ πόλις ἦν ἱερατική, μία τῶν φυγαδευτηρίων, Αἰλὰς ἐν νότῳ διεχοῦσα σημείοις β πρὸς ἕλκοντι· ἡ ὄρυξ Ἀβραὰμ καὶ τὸ μνῆμα αὐτόθι θεωρεῖται, καὶ θρησκεύεται ἐκφανὴς πρὸς τῶν ἐγχωρίων ἡ τερέβινθος, καὶ οἱ τῷ Ἀβραὰμ ἐπιξενωθέντες ἄγγελοι. Πρότερον δὲ Ἀρβὼ καλουμένη, ὕστερον ἐκλήθη Χεβρὼν, ἀπὸ Χεβρὼν ἑνὸς τῶν υἱῶν Χαλέβ, ὃς ἐν Παραλειπομένοις· h. e. *Arbo hæc eſt Chebron, vicus nunc maximus, metropolis olim populorum diverſi generis, & Gigantum habitaculum; & poſtmodo regia ſedes Davidis. Sorte autem obtigit tribui Juda, & urbs fuit Sacerdotalis; una ex civitatibus refugii. Hieroſolymis verſus Auſtrum diſtat milliaribus viginti duobus. Quercus Abraha & monumentum illic cernitur; & colitur manifeſte ab inimicis terebinthus, item ab Abrahamo hoſpitio ſuſcepti Angeli. Cum autem prius vocaretur Arbo, poſtea vocata eſt Chebron, à Chebrone, qui fuit unus è filiis Chaleb, ut legitur in libris Paralipomenon.*

CAP. XII.

Vox Hebraica צמח *apud Zachariam Prophetam utrum* βλάστημα germen *an* ἀνατολὴ Oriens *vertenda? Obiter de adoratione veterum ad Orientem.*

CUm dubium non ſit parentem Joannis v. 78. utroque oculo reſpexiſſe ad Prophetas, Zachariam 3. 8. & 6. 12. Jeremiam 23. 5. à quibus Meſſias, etiam Chaldæo Paraphraſte teſte, vocatur צמח *tſemach*, quæritur an Græci interpretes, quos Lucas ſecutus eſt, recte τὸ צמח verterint ἀνατολὴν *Orientem?* Joſephus Scaliger. in Elencho Tribæreſii magno zelo interpretationem iſtam tuetur. Verba Scaligeri, *Chriſtiani, ne viderentur Judaizare, ad Orientem adorabant. (Judæi enim ad Occidentem adorabant. Porta enim Tabernaculi reſpectabat ad Solem: Sancta ſanctorum illi oppoſita converſa erant ad Occidentem: unde neceſſario ad Occidentem adorabant.) Neque ſolum ob hanc cauſam, ſed quod Chriſtus à Prophetis vocatus eſt* ἀνατολή; *Luc. 1. 78. ut recte verterunt LXX Jer. 23. 5. Zach. 3. 8. & 6. 12. ubi Hebr. eſt* צמח. *Unde Judæi horoſcopum, h. e. locum Orientis in themate genethliaco, vocant* צמח, *id eſt*, ἀνατέλλοντα. *Vox Hebræa duo ſignificat, Germen, & per ſecundam notionem* ἀνατολήν. *Qui vertunt Germen, imperite faciunt; audeo dicere, neque mentiar, contra verbum Dei.* τὸ ἀπαύγασμα, *i. Splendorem, quod eſt in epiſtola ad Hebræos, Syrus*

Paraphraſtes vertit ΤΣΕΜΑΧ. *Chriſtum* ἀνατολὴν *vocatum ter aut quater invenies apud Juſtinum.* Etſi autem non peccant qui *Tſemach* vertunt ἀνατολὴν, tum quod iſta ſecunda nominis ſignificatio eſt, tum quod *tenebrarum*, atque adeo tacite *lucis*, mox fit mentio: tamen (ignoſcant mihi magni Scaligeri manes) Hebraicam vocem TSEMACH *germen* malo quam *Orientem* interpretari. Hæc enim propriſſima vocis nos ſignificatio eſt, *ſuccreviſt*, *germinavit*, *pullulavit*. Ideo Jerem. 23. 5. pro ἀνατολὴν Symmachus habet βλάστημα. Sic Zach. 3. 8. ἐγὼ ἄγω τὸν δοῦλόν μου Ἀνατολήν. Alii legunt pro ἀνατολὴν, ἀναφυήν alii βλάστημα. Itemque Zach. 6. 12. pro ἀνατολὴ alii habent ἀναφυὴ, alii βλάστημα. Et quod mireris, LXX ipſi ſententiam Jeremiæ cap. 23. 5. Ἀναστήσω τῷ Δαυὶδ ἀνατολὴν δικαίαν, repetentes cap. 33. 15. dicunt, Βλαστῆσαι ποιήσω τῷ Δαυὶδ βλαστὸν δικαιοσύνης. Qui ἀνατολὴν *Orientem* vertunt, & hoc non participio ſed ſubſtantivo nomine Chriſtum ipſum intelligunt, ſibiipſis contradicunt. Fatentur enim cum Eraſmo ἀνατολὴν *exortum Solis* aut *regionem unde oritur* ſignificare, & tamen per ἀνατολὴν ipſum Solem Chriſtum intelligunt, qui neque exortus rei, nec regio unde oritur, ſed idipſum quod exoritur. Jam quod Zacharias Sacerdos de ſuo addit ἐξ ὕψους *ex alto*, ſive *e cœlo*, ipſum ſatis indicat de Germine ſermonem eſſe quod à reliquis plantis differat, quippe quæ omnes è terra germinant, cum hoc Germen ſit è cœlo, h. e. cum virtus Altiſſimi obumbrarit Mariam, ut ex ea naſceretur Surculus ille qui germinavit juſtitiam ad ſalutem Eccleſiæ ſuæ. Ac tranſtulit aliquando ita doctiſſimus interpres *Germen ex alto*; ſed cum novitate illa nonnullos offenſos audiret, mutavit, ac convertit perinde ac ſcriptum eſſet ὁ ἀνατέλλων ἐξ ὕψους, *qui prodit ex alto*. Sed novum non eſt quod in veteri Eccleſia Prophetica fuit decantatum. Scaligeri rationes non moror. Neque enim mirum à Juſtino Martyre Chriſtum aliquoties ἀνατολὴν dici, ſiquidem ille Hebraicarum literarum ignarus in verſione LXX acquievit. Nec illud mirum nominibus à verbo non derivatis Judæos *horoſcopum*, Syrum Paraphraſten *ſplendorem* deſignare. Nihil ſecunda verbi notio præjudicat primæ. Quæri etiam poſſet, An propterea quod Chriſtus ἀνατολὴ dictus eſt, Chriſtiani veteres ad Orientem adorarint? Ipſe Scaliger aliam cauſam aſſignavit, *ne viderentur Judaizare*. Sed fuerint fane plures unius hujus rei cauſæ. Ianus Druſius certe Notis in Sulpitium Severum aliam cauſam illius adorationis aperit, quam ſolam veram eſſe aſſeverare videtur, *Patres*, inquit, *ad unum fere omnes Paradiſum extra noſtrum orbem conſtitutum, ajunque* (*Auguſtinus ad Oroſium*) *illum in Oriente ſitum eſſe interjecto Oceano, & à noſtro orbe longe remotum, in altiſſimo loco conſitutum pertingere uſque ad Lunarem circulum. Ex hac falſa opinione veterum orta eſt conſuetudo precandi Orientem verſus, apud omnes Chriſtianos uſitata; Qui etiam templa ſua ſic exſtruunt ut ea pars in qua Sacerdos verſatur, quem Chorum indigitant, ſemper Orientem reſpiciat; quaſi hoc modo declaremus nos expetere & deſiderare locum unde primi parentes noſtri ſua culpa ejecti fuerunt. Nihil verius.* Quod ſi quis nunc roget, Cum TSEMACH vel *germen* vel *Orientem* ſignificet, cur ergo Chaldæus Zachar. 3. 8. id interpretetur MESSIAS? Reſpondeo, fieri id per Gematriam, h. e. eam artis Cabaliſticæ partem qua diverſæ dictiones eundem numerum literis ſuis exprimunt, ſic ut una per alteram ſecreto modo explicetur. Nam נמח valet CXXXVIII; totidem valet חמנ MENACHEM, *conſolator*. Hoc autem nomen *Menachem* numeratur à Cabaliſtis & Talmudiſtis inter nomina Meſſiæ: Unde Cabaliſtice per *Tſemach* ibi intelligitur Meſſias.

CAP. XIII.

Circumciſionis origo. Herodoti error. Cauſæ circumciſionis præcepta, ejuſdemque in deſerto intermiſſa. Lapidei cultri. Dies octavus cur ſacratus circumciſioni. Ritus circumciſionis Judaica hodiernus.

LEX Judaica poſtulabat ut Johannes octavo die circumcideretur. *Ex Patribus* enim *circumciſio*, Joh. 7. 22. h. e. credentium patet Abrahamus juſſus eſt circumcidere τὴν ἀκροβυστίαν ſuorum, *carnis ſuorum præputium*, quæ vox non à *præputando* dicta, (nam & ſyllabæ modulus refragatur, & prius ei parti id nomen impoſuerunt Romani quam ſcirent à Judæis eam præſecari ſolitam) ſed à πόθη *putu*, unde *præputium*, q. προπόθιον, extrito Sigma, ut à πυγὴ *putus*, prima correpta. Exemplum circumciſionis Abrahamus tranſmiſit ad poſteros, quibus eadem lex poſita fuit. Ægyptii, qui ſedibus ſuis Hebræos exceperant, primi hoc imitati ſunt. Ab Ægyptiis res manavit ad Colchos finitimos, Æthiopeſque; quorum ritus cum notiores eſſent Herodoto quam Ebræorum, non dubitavit ille ſubſcribere, *ſolos omnium mortalium Ægyptios, Colchoſque & Æthiopes* id feciſſe; *Syros vero qui in Paleſtina ſunt*, h. e. Judæos, *ab Ægyptiis didiciſſe*. Nos Abrahamum autorem circumciſionis cunctis Judæis fuiſſe ſcimus. Circumciſionis inſtitutæ cauſæ non ignotæ. Erat ſignum federis; erat teſſera populi Ebræorum; erat figura ſanguinolenti ſacrificii Chriſti. Cauſæ circumciſionis in deſerto per XL annos omiſſæ non æque notæ. Eruditi has notant, Quod Iſraelitis caſtra ſæpius moturis ægrorum imbecillitas ex recenti vulnere moram injeciſſet; &, Quod in vaſtiſſimis iſtis locis nullæ fuerunt gentes quibus miſceretur ſacer populus, ut diſtinctione & notis nequaquam opus eſſet. Circumciſionem iterandam non eſſe omnes Judæi ſentiunt. *Secundo* tamen *circumciſi* dicuntur Iſraelitæ Joſ. 5. 2. Id vero ad eos pertinet qui circumciſi nondum fuere, quod nati in deſerto erant. *Repetita* circumciſio dicitur, quod revocabatur mos qui uſurpatus olim in Ægypto, ac dein intermiſſus, poſtremo penitus abierat in deſuetudinem. Hieronymus hic præter rem ſe fatigat, de qualitate circumciſionis illius diſputans: *Nam ſi juxta literam illud accipimus*, inquit, *penitus ſtare non poteſt: non enim exciſa pellicula iterum naſcitur.* Fingit igitur *cultellum Euangelicum* in hac iterata circumciſione, *ſignificarique* ait *mundationem animarum.* De materia cultrorum quibus circumciſio facta dubitatur, utrum ferrum fuerit vel lapis. Cauſa dubitationis, quia Ebraicum צר *Tſur*, quod Exod. 4. 25. & Joſ. 5. 2. legitur, *acutum gladium* æque ac *petram* ſignificat, quemadmodum Pſalm. 89. 43. *Retuſiſti* (i. retundi) *Tſur*, *aciem gladii.* LXX & Exod. 4. 25. & Joſ. 5. 2. *Tſur* interpretantur *petram* vel *lapidem*: ſic enim vertunt, Καὶ λαβοῦσα Σεπφωρὰ ψῆφον, περιέτεμε τὴν ἀκροβυστίαν τοῦ υἱοῦ αὐτῆς, *Et accipiens Sephora petram* (vel *calculum*, aut *filicem*) *circumcidit præputium filii ſui*: & in Joſua, Ποίησον σεαυτῷ μαχαίρας πετρίνας, *Fac tibi cultros lapideos.* Nec aliter Larini Patres. Auguſtinus l. 6. Quæſt. ſuper Joſ. *Dixit Dominus ad Jeſum, Fac tibi cultros de petra acutos.* Cyprianus l. 1. Teſt. *Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos.* Hieronymus epiſt. 143. ψῆφον *calculum* interpretatur *lapidem duriſſimum, & omni duritate leniſſimum, quo Sephora circumciderit filium. Leniſſimum* dixit *lapidem* propterea quod lapides (Galeno teſte lib. 9. De ſimpl. med. facultate) virtutem habeant leniendi, mitigandi, & cutem vulneratæ carni inducendi. Qui ferreis cultris præputia ampurata volunt, abſurdum eſſe putant lapide cutem circumcidi poſſe ſi quis dicat. Sed falluntur: nam paganos olim virilia vel ſilice vel Samia teſta reſecuiſſe, graviſſimi autores ſunt qui ſcribunt. Minutius Felix in Octavio, de Gallis virilia ſibi amputantibus, *Cui teſta ſunt obſcœna demetia, quomodo Deum violat qui hoc modo placat?* Et apud Arnobium lib. 5. *Atys teſtula ſibi genitalia deſecat.* Unde Catullus,

Devolvit ille acuto ſibi pondera ſilice.

& Juvenalis Sat. 6.

Mollia qui rapta ſecuit genitalia teſta.

Ac teſtatur Laurentius Ramiretus, qui de hac re pluribus diſſeruit, Occidentalis terræ incolas expolire ſilices, quibus ad circumciſionem venæque ſectionem utantur, etſi magna nunc apud eos ſit ferri copia. Dies à natali octavus cur circumciſioni deſtinatus ſit, cauſam Judæi dicunt, Quod Sabbatum omnibus in mundo rebus, atque idcirco & tenellis pueris, robur det, ut circumciſionem facilius tolerare poſſint. Superſtitioſum hoc. Chriſtiani nonnulli per Octavum diem vitam futuri ſeculi adumbratam intelligunt, in qua demum plene & perfecte circumciſi ſimus futuri ab omni labe peccatorum. Allegoricum hoc, nec ſolidum. Cauſa Phyſica placet, quam Petrus Cunæus, vir eruditiſſimus, De Republ. Ebræorum aperit: *Cuncta animantes*, inquit, *cum recens nata ſunt, quod brevem lucis uſuram habuere, & incertum adhuc eſt an vita illis vitalis ſit, ante octavum diem vix in cenſu animantium æſtimantur. Ad hæc, nondum ſpurcities diffluxit quæ ex utero illis atque ex partu creditur eſt adhærescere. Ea cauſa eſt cur ex hoc genere maſculos ſibi victimas voluerit DEUS, cui ingratum eſt quicquid ſemiperfectum atque imperfectum eſt. Exſtat edictum in Leviticis cap. 22.* Bos, ovis & capra, cum genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ. Die autem octavo & deinceps offerri poterunt Domino. *Igitur quoniam etiam Circumciſio velut quoddam ſolenne ſacrum fuit, per quod puerorum ſurgentem ſpem conſecrabant Numini, plane oportuit hic eandem opportuni temporis legem eſſe. Placuit autem octavus dies, non ob arcanam vim qua in numero eſſet,* ſed

ſed quod nec ante peragi ſacur ille vitus potuit, & ut diutius differretur haud neceſſe fuit. Nèque vero ipſe Sabbati dies, ſi octavus à natali eſſet, exceptus fuit, quamvis ab omni alio opere continerent tunc manus ſuas Judæi, Joh. 7. 23. Dixi ſat multa de Circumciſione: nondum tamen hodiernum circumciſionis Judaicæ ritum expoſui. Faciam hoc verbis P. Fagii in Paraphraſin Chaldaicam cap. 10. Deut. ita ſcribentis, *Judæi, quoties circumcidunt infantes ſuos, reſectum præputium mox in vaſculum pulvere refertum, quod aliquis adſtantium manu tenet, conjiciunt; repræſentantes quodammodo ac revocantes in memoriam hac cæremonia miſeriam illam ac calamitatem generis humani per Satanæ nequitiam cauſatam, cui tanquam cibum ſuum edendum abſciſſum præputium tradunt, juxta illud Geneſ.* 3. Pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ, &c. *Deinde, cum circumciduntur pueri ipſorum, pater infantis circumcidendi hanc formulam benedictionis pronunciat*, Benedictus ſit Dominus Deus noſter, qui ſanctificavit nos præceptis ſuis, & præcepit nobis ut ingredi faciamus *puerum hunc* in fœdus Abrahami patris noſtri. *Cui reſpondet Eccleſia*, Quemadmodum feciſti eum ingredi in fœdus, ſic quoque ingredi ipſum facias in Legem, in matrimonium, & in bona opera.

Cap. XIV.

Χρονογραφία initii miniſterii Johannis Luc. 3. 1. *expenditur. Pilati Procuratio: ἡγεμὼν, ἔπαρχος, ἐπίτροπος. Herodis filiorum Tetrarchiæ. Duorum Pontificum maximorum dominatus.* Deſertum *Joannis Baptiſtæ Templum.*

LUmen rerum eſt Hiſtoria; hæc clauſa aperit, hæc obſcura illuminat. Vir doctiſſimus Pontium Pilatum *ἡγεμόνα* Judææ *Præſidem Judææ* vocat. Sed à Vulgato interprete & Theodoro hiſtoria eſt, quæ non Præſidem ſed Procuratorem Judææ facit Pilatum. Tacitus Annal. l. 15. *Autor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* Vocabantur autem Cæſaris Procuratores proprie *ἐπίτροποι*, Præſides *ἔπαρχοι*: at Euangeliſtæ voce *ἡγεμόνος* promiſcue utuntur, nunc pro *ἐπιτρόπῳ*, nunc pro *ἐπάρχῳ*. Cæſaris Præſes mittebatur in Syriam; Cæſaris Procurator in Judæam mittebatur Prætidi Syriæ obnoxius, ut ex hiſtoria Cumani & aliorum apud Joſephum liquet. Erant autem duo iſtorum Procuratorum Cæſaris genera: nam alii *Rationales* proprie dicti ſolis vectigalibus colligendis vacabant: alii præterea provinciis minutioribus vice Præſidis præerant cum aliqua poteſtate, & juriſdictionem ſibi aliquam nullo Præſide præſente inter provinciales ſumebant; cum alioqui apud ſolos Magiſtratus provinciarum Præſides, puta Proconſules & Proprætores, lege agere liceret. De Tetrarchiis quid non comminiſcitur Euſebius ut de quadripartito Antipatri, Herodis Antipæ, Philippi & Lyſaniæ principatu nobis perſuadeat? Sed commenta ejus confutat Hiſtoria, quod capite tertio oſtenſum ſupra. Porro ſcrupulum nobis D. Lucas etiam de duobus Pontificibus maximis injicit, narrans *Joannem cœpiſſe docere ſub Principibus Sacerdotum Anna & Caiapha.* Atqui Anna ſub Pilato non fuit Pontifex, Herodes enim Rex poteſtatem eligendi Pontifices nactus alios atque alios Pontifices creavit, & tandem Joazarum; quem Archelaus loco movit, & Eleazarum ſubſtituit; qui, relegato Archelao, dejicitur à Quirinio, & dignitas transfertur in Annam ſive Ananum; cui ademptam dignitatem Valerius Gratus primum in Iſmaelem Fabii filium, deinde, & hoc dejecto, in Eleazarum Anani filium contulit. Hunc anno elapſo cedere juſſit, & Simoni Chamiti filio Pontificatum tribuit. Sed & huic poſt annum ademptam dignitatem tribuit Joſepho cognomento Caiaphæ. Poſt annos undecim Romam repetit Gratus: ſuccedit Pontius Pilatus. Ex quibus liquido conſtat, Annam ſub Pilato Pontificem non fuiſſe, ſed jam olim Pontificatu functum, & rurſus eo motum. Quomodo igitur ſub Anna & Caiapha docere cœpit Baptiſta? Etiam hunc ſcrupulum nobis eximit hiſtoria, eaque Joſephi: ex qua colligimus, tum temporis partim veterem conſuetudinem obſervatam ut nunquam niſi unus ſummus Pontifex eſſet, partim novam inductam ut Pontificii omnes, h. e. qui Pontificatum geſſiſſent, Pontifices vocarentur, ut qui ex conſuetudine vetere dignitatem ſemel ſuſceptam uſque ad mortem retinere deberent. Quomodo nunc *Epiſcopi* vocantur & ſunt qui Eccleſiam dimiſerunt. Hac igitur de cauſa Anna & Caiaphas eodem tempore *Pontifices maximi* nominati à Luca: qua ratione etiam Joſephus l. 2. Belli Judaici, imperante Claudio, nominat Jonatham & Annam *Pontifices*, cum tamen tum vere tantum Jonatha Pontificatui præeſſet, Anna vero ex Pontificiis Jonathæ pater eſſet. Item poſt nominat Ananum ejuſdem Annæ F. & Jeſum ſimul *Pontifices*, cum tamen Ananus ſubrogatus, Jeſus ſuffectus fuiſſet. Et l. 20. Antiq. *Pontifices cum Sacerdotibus contendiſſe* inquit. Atque hoc modo inde ſemper loquitur, ut *Pontifices* pro *Pontificiis* ponat. Anna igitur xv anno imperii Tiberiani Pontifex fuit ſalutatus; non quod Vicarius Pontificis eſſet quemadmodum hodie Patriarcha Conſtantinopolitanus habet ſuum *πρωτοσυγκελλον*; ſed quia iis qui ſemel eam dignitatem erant adepti nomen remanebat etiam poſt rem ſublatam. Cur autem Anna & hic & Joh. 18. 13. Caiaphæ præferatur, cauſa eſt, quod multis annis Pontificatum gubernaſſet ipſe, & Eleazarum deinde filium, nec ita multo poſt hunc Caiapham generum Pontifices vidiſſet. Ideo Joſephus Orig. l. 20. c. 8. ſcribit, *Annam ſive Ananum hunc ſenem habitum fuiſſe pro omnium felicitſſimo; filios namque (quos quinque habuit) omnes* DEI *Pontifices vidiſſe, ipſumque primum hunc honorem multis annis geſſiſſe, quod nemini Pontificum ante ætatem illam contigiſſet.* Ergo Baptiſtæ miniſterium incidit in annum xv Tiberii. In quem menſem vero principium prædicationis Baptiſtæ rejiciendum ſit, non eſt una ſcriptorum ſententia. Veteres ex hiſtoria concepti Chriſti conjecturam faciunt miniſterium Baptiſtæ antecelſiſſe aliquot menſibus Chriſti miniſterium. Funccius applicat Baptiſtæ initium ad xxx Jubilæi paraſceuen, quæ incidit in VII menſem Judæorum. Incerta hæc. Illud certum, Baptiſtæ initia primo fuiſſe tenuia, collecto exiguo aliquo cœtu, donec paulatim crevit numerus, ipſo *Joanne peragrante*, ut Lucas ait, *omnem regionem adjacentem Jordani, & prædicante Baptiſmum pœnitentiæ*: quam ad rem pluſculum temporis requirebatur. Templum in quo ut plurimum concionatus eſt fuit *deſertum*, Luc. 3. 2. illa ipſa nimirum *ἔρημη* & montana regio in qua parentes ipſius habitabant, Luc. 1. 39. Vox enim מדבר *midbar*, qua Iſaias 40. 3. uſus eſt, non ſemper ſignificat locum *ἀοίκητον & quem nemo inhabitet*, ſed potius *ſaltuoſum & montanum, in quo greges paſcuntur*; qualis erat ille Judææ tractus ubi ſita Chebron & aliæ item urbes. Tale deſertum in Palatinatu Rheni eſt regio illa montana quam vocant den Odenwald / oder Gedenwald / q. *vacuum ab inhabitatoribus*, cum tamen hinc inde pagos in ea videas, & ipſam Illuſtrium Comitum ab Erpach aulam.

Cap. XV.

Joannis Baptiſtæ cibus in deſerto: ubi quid μέλι ἄγριον· quid ἀκρίδες.

BAptiſtæ cibum *mel agreſte* & *ἀκρίδας* fuiſſe, author eſt Matthæus: de utroque merito quærimus. Mel duplex eſt; *ἀμελὲς tempeſtivum*, quod apes in alveolis conficiunt; & *ἐρικαῖον*, quod apes ſpargant in ericis, in Heiden / klejnem gebüſch. De neutro loquitur Matthæus. Verum in illis locis Syriæ circa Libanum ſingularis quædam mellis ſpecies fuit quam nominarunt *δροσόμελι*, h. e. *rorem mellis*, eo quod ficut ros in arbores defluat, & poſtea coagulatus ſeu duratus aliquantulum in grumos pellibus excipiatur colligaturque. Eſtque res valde bona, inſtar generoſiſſimi Sacchari; hodieque inde Venetias, & Venetiis in alia loca vehitur. In myropoliis vocatur *Manna*. Sed quid fuerunt *ἀκρίδες*; Epiphanius contra Ebionitas refert, nonnullos Judæos pro *ἀκρίδες* legiſſe *ἐγκρίδες*, quæ vox declarat *bellaria ex melle*. Sed his adverſantur codices Græci. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 133. *ſummitates arborum* interpretatur *ἀκρίδας*. Verum Grammatica non admittit hunc interpretem. Ἄκριες enim ſunt *vertices* ſive *cacumina*; & *ἀκρόδρυα*, *arborum ſummitates*, non *ἀκρίδες*. Et pugnat hæc interpretatio cum hiſtoria *ἰχθυοφάγων* apud Diodorum lib. 3. Vulgata vertit *locuſtæ*; & hanc tuentur doctiſſimi quique, eo quod Locuſtæ variis gentibus eſui fuerint olim, & adhuc ſint hodie: id quod ex Moſe, Agatharchide, Strabone, Plinio, Atiltophane, Plutarcho, Hieronymo, Clenardi ad Latomum epiſtola, & aliis Scriptoribus evincunt. Et ſane ut *ἰχθυοφάγοι qui piſcibus*, ita *ἀκριδοφάγοι qui locuſtis*, veſcerentur dicti fuere. Cæterum cum Locuſtarum aliæ alatæ ſint, aliæ ſine alis, quæri poteſt & hoc, Utrum illis an iſtis Joannes ſit uſus? Equidem de alatis accipio quod Joannes Leo in Deſcriptione Africæ lib. 9. dicit, *Arabia deſerta & Libyæ populi locuſtarum adventum pro felici habent omine. Nam vel elixas vel ad ſolem deſiccatas in farinam tundunt atque edunt*: & quod Plinius l. 7. c. 30. de Æthiopibus, *Pars quædam Æthiopum locuſtis tantum vivit fumo & ſale induratis.* Joannem vero locuſtis non alatis fuiſſe uſum crediderim, quod in deſerto viliſſimi illæ pretii fuere, quæ inſtar cancrorum oblongorum non in

aquis ſed in terra reperent. Cujuſmodi locuſtam anno 1617. Baſileæ vidi apud Clariſſ. Medicum, D. Thomam Platerum: ut non plane à vero abierint qui per *ἀκρίδας cancros* intellexerunt. Firmat me in hac mente Julius Scaliger, qui contra Cardanum ſcribens aſſerit inter alia, apud Syros in cibum recipi illas locuſtas quæ carent alis *aſiracos* à Dioſcoride, à Plinio *attelabos* nominatas. Joannes igitur *locuſtas* eſitavit, & quidem ſolas, cum *melle ſylveſtri*. Ideo dicitur Matth. 11. 18. *neque ediſſe neque bibiſſe*, quia, ut Lucas 7. 33. *neque panem edit, neque vinum bibit*, ſed bibit tantum aquam, edit tantum *locuſtas ac mel ſylveſtre*. Et in hoc notata eſt auſteritas vitæ in Johanne, non ſimpliciter in eo quod locuſtas eſitavit, id quod ipſi cum aliis ex more gentis victitantibus fuit commune. Unde Clemens Alexandrinus l. 2. Pædagogi c. 10. *μέλι ἤσθιεν καὶ ἀκρίδας, γλυκεῖαν καὶ πνευματικὴν τροφήν, ἀτύφους καὶ εὐφρονας τὰς ὁδὸς τὰ Κυρίῳ παρασκευάζων, Mel comedebat & locuſtas, dulcem & ſpiritalem cibum, à faſtu alienas & moderatas vias Domino præparans:* & eodem libro c. 1. Ματθαῖος μὲν ὖν ὁ Απόστολος σπερμάτων καὶ ἀκροδρύων καὶ λαχάνων ἄνευ κρεῶν μετελάμβανεν· Ιωάννης δὲ ὑπερτείνας τὴν ἐγκράτειαν, ἀκρίδας καὶ μέλι ἤσθιεν ἄγριον, *Matthæus itaque Apoſtolus ſeminibus, baccis & oleribus abſque carnibus utebatur: Joannes autem continentiam ulterius extendens, locuſtas & mel agreſte comedebat:* intellige, *tantum locuſtas & mel agreſte.*

CAP. XVI.

Joannis Baptiſtæ potus in deſerto: ubi, quid Sicera *Luc. 1. 15.*

JOannem in deſerto potu aquæ, nec aliq ullo uſum diſertim teſtatur Lucas, *Vinum & ſiceram non bibet. Sicera*, Ebraice *Sechar* vel, ut alii, *Schecar* vel *Secar* etiam, Græce σικὴρ, eſt *quicquid inebriat.* Conſentiunt in hoc Ebræi, Græci & Latini. Nam cum Lev. 10. 9. mandatur Aaroni ut *vinum & Sechar*, vel, ut Græci Ebræum conformarunt, *ſiceram, non bibat*, D. K. eo in loco ſignificare docet SECAR ſeu *Siceram quicquid inebriat:* quomodo & Chaldæum Thargum ibi *Sechar* interpretatur *Merave*, i. *inebrians.* Baſilius κατὰ μεθυόντων, Σίκερα τὸν τὸ δυνάμενον μέθην ἐμποιῆσαι τοῖς Ἑβραίοις ὀνομάζειν σύνηθες. Hieronymus lib. De nomin. Ebr. *Omne quod inebriare poteſt apud Hebræos Sicera dicitur.* Inebriat autem vinum, tum quod ex uvis, tum quod non ex uvis. Ideo vinum proprie ſic dictum aliquando vocatur *ſicera.* Camitus in libro Rad. *Vinum Sicera vocatur, propterea quod inebriat.* Et quoniam vinum vetus magis inebriat quam vinum novum, ideo Onkelica paraphraſis Chaldæa Num. 6. 3. & Deut. 29. 6. ubi in Ebræo *vinum* & *Sechar* ſive *ſicera* rurſum conjunguntur, *vinum* interpretatur *vinum novum*; *ſechar*, *vinum vetus*, Luthero utrobique *τὸ Sechar* interpretante ſtarck getrůncke. Certe nullus potus magis eſt Sechar quam Vinum, quod *Sechar* nominatur ab *inebriando.* Cujus ſignificationis in hoc nomine argumentum etiam eſſe poteſt locus Iſaiæ 5. 11. *Væ qui mane ſurgunt ad perſequendum Sechar:* additur enim *& qui immorantur uſque ad crepuſculum, donec Jajin, i. vinum, æſtuare faciat eos.* Rurſum quia ex aliis etiam rebus præterquam ex uvis fortis & inebrians potus conficitur, ideo Hieronymus ſcribit ad Nepotianum, *Sicera Ebræo ſermone omnis potio appellatur quæ inebriare poteſt, ſive illa quæ frumento conficitur, ſive pomorum ſucco, aut cum favi decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctiſque frugibus aqua colatur. Sicera* igitur eſt genus; *Vinum*, & omnis alius potus inebrians, ſpecies. Diagramma hoc vide.

Sicera, h. e. potus inebrians, eſt vel

Simplex expreſſus ex		*Compoſitus ex*		
Uvis: unde Vinum proprie dictum.	*Fructibus arborum, ſucco Pomorũ, Pyrorum, Palmarũ,* Apffelwein / Birnwein.	*Melle & aqua, ὑδρόμελι,* Mette.	*Melle & vino, οἰνόμελι.*	*Frugibus terrarum, Frumento, Tritico, Hordeo, & Aqua,* reſpondens veteri *Gallorum & noſtrati Cereviſiæ.*

Hinc cauſa patet cur vocabulum SICERA interdum pro *vino* uſurpatur, interdum ab eo diſtinguatur: ut in Oratione Gregorii contra Patrem, Μεθύοντες οὐκ ἀπὸ σίκερα, οὐδ' ἀπὸ οἴνου, ἀλλ' ἀπὸ τῆς πλάνης. Ubi & hoc vides, Gregorium, quod & ipſum Baſilius facit, ἀκλίτως dicere SICERA.

CAP. XVII.

Joannis Baptiſtæ veſtitus. E pilis Camelorum veſtes. Caſpia Camelis. Cilicia Chriſtianorum. Calces Joannis & Chriſti.

DE cibo & potu Joannis vidimus: ad amictum ejus venimus. Εἶχε γὰρ τὸ ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφῦν αὐτοῦ, h. e. *Habebat indumentum è pilis camelinis, & zonam coriaceam circa lumbos ſuos*, Matth. 3. 4. Valentinus Schindlerus, ille πολύγλωττος, quo juvenis præceptore in Academia Wittebergenſi uſus ſum, in Lexico ſuo, *Ex camelorum*, inquit, *pilis contexitur pannus quem inde vocant Hiſpaniæ* Camelote, *Italicæ* Zambeloto, *unde Germanicum* Schamlot! *Latinis* undulata veſtis, *quod ad undarum ſimilitudinem picta ſit. Hoc panno veſtiebamur in Oriente tenuioris fortunæ homines. Joannes igitur & ipſe tenuiter veſtitus fuit.* Contra Caſaubonus in Baronianis, *Illi*, inquit, *aſſentiri non poſſum qui omnia quæ de Joanne narrantur ad communem vitæ rationem interpretationibus ſuis conantur revocare. Veſtem certe è pilis camelorum in aliquo fuiſſe uſu apud Judæos, nullo teſtimonio probari queat è Bibliis aut alio ſcripture vetere. De ſolu Caſpiorum ſacerdotibus legere memini, veſtes illes geſtaſſe è villis camelorum contextas: ſed ratio diverſiſſima: nam cameli Caſpia mollitie lana ipſos Mileſios greges ſuperabant, ut autor eſt Ælianus Hiſtoria animalium lib. 17. cap. 34. In 2 Reg. 1. 8. exſtat exemplum zonæ δερματίνης è certo confectæ, qua utebatur Elias Propheta: ſed veſtem illi fuiſſe è pilis camelorum nunquam ex illis verbis Scripturæ* בעל שער (habitor crinis, *h. e. piloſus*) *elicias. Scio eſſe qui exiſtiment Ebraum pro* ſaccum, *cujus in luctu deſcribendo toties Scriptura meminerunt, veſtem fuiſſe è villis hircorum & caprarum contextam. Verum hoc neque è Sacra pagina poteſt demonſtrari, neque ullo alio, opinor, ſatis firmo argumento probari. Proprium igitur hoc Chriſtianorum veterum, qui ad exercitia pietatis cilicia è pilis camelorum contexta adhibuerunt.* Ego vero demirari ſatis non poſſum utrumque eruditiſſimum, mihique, dum vixerunt, amiciſſimum, virum in tam plana via hallucinatum fuiſſe. Quis enim Euangeliſtarum humeris Baptiſtæ veſtem è camelorum pilis contextam induit? Scribit quidem D. Matthæus *Joannem habuiſſe ἔνδυμα veſtimentum è pilis camelorum.* Sed D. Marcus Matthæi mentem dilucide explanat quando ait, *Joannem*, non quidem pannum è camelorum pilis contextum, ſed *τρίχας καμήλου*, h. e. *pilos cameli, induiſſe.* Et nimirum talis fuit veſtitus Prophetarum in populo Dei, piloſus videlicet.: quemadmodum id vel ex Zach. 13. 4. videre eſt, *nec Prophetæ* amplius *induuntur pallio pili ad mentiendum*, h. e. pallio piloſo, ut mentiantur. Tali pallio, piloſo nempe & hirſuto, uſus eſt Elias, 2 Reg. 1. 8. tali pallio uſus eſt Baptiſta, aſpero ſcilicet & tenuioris fortunæ hominibus conſueto. Neque enim vero eſt ſimile, qui viliſſimo aquæ potu ſitim reſtinxit, qui viliſſimo locuſtarum & mellis ſylveſtris cibo latrantem ſtomachum placavit, eum de extraordinario aliquo veſtimenti genere fuiſſe ſolicitum, quod ab aliorum Prophetarum veſtitu abhorreret. Vidit hoc Clemens Alexandrinus; ideo l. 2. Pædagogi ſui c. 10. ſcripſit, ὁ δὲ μακάριος Ιωάννης καὶ τῶν προβάτων ὑπεριδὼν τὰς τρίχας, ἐζήτησε τροφῆς, τὰς τῶν καμήλων εἵλετο τρίχας, καὶ ταύτας ἠμπίσχετο, τὸ εὐτελὲς καὶ ἄδολον τῷ βίῳ ὑποτυπούμενος, *B. Joannes, deſpectis quoque ovium pilis, qui delicias redolent, pilos camelorum elegit, & iis ſe veſtivit, ſimplicem vitam & à dolo alienam repræſentans.* Quam ſimplici vero calceatura Joannes ſimul & Chriſtus uſi ſint, ex Euangelica hiſtoria liquet. Τῆς λατρίδος ὑποδέσεως, inquit Clemens Alex. ἀκόλουθα μάρτις Ιωάννης, ὃν ἄξιος εἶναι ὁμολογῶ τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων λύειν τῷ Κυρίου· ὃ γάρ τι τῶν τεμένων ὑποδέδετο ὁ τῆς ἀληθοῦς Εβραίοις Φιλοσοφίας ὑποδεικνύμενος τὸν τύπον, *Tenuis ac ſimplicis calceaturæ teſtis ſufficit Joannes; qui dicebat Se non eſſe dignum ſolvere corrigiam calceamentorum Domini. Non enim curioſos aut ſuperfluos is habebat calceos, qui veræ Philoſophiæ typum Ebræis oſtendebat.*

CAP.

Cap. XVIII.

Reditus Romanorum: τέλος, Φόρος. Vespasiani avaritia: τελῶναι proprie qui: item Publicani. Odium Judæorum & Græcorum in Publicanos, Romanorum non item. Publicani in Euangelio non fuerunt Ethnici.

ROmanorum reditus erant tum ex proventibus terræ annuis, tum ex rebus importatis. Illos vocabant *Φόρον tributum, stipendium.* Mecænas apud Dionem, *Φόρον ἐπιτάξαι πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς ἐπικρατέσι τινὰ τῷ κεκτημένῳ αὐτὰ παρέχουσι.* Quo sensu Polybius l. 1. de Mamertinis, *Καὶ πολλὰ μέρη τῆς Σικελίας ἐφορολόγουν, multam Siciliæ urbes stipendium pensitare coegerunt.* Reditus ex rebus importatis nominarunt *τέλη vectigalia*, proprie *portoria*, quæ in itinere præstari solent. Discrimen hoc inter *τέλος* & *Φόρον* notat Apostolus Roman. 13. 7. *Ἀπόδοτε οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλάς· τῷ τὸν Φόρον, τὸν Φόρον· τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος.* Phavorinus, *Φόρος, κυρίως τὸ ὑπὲρ τῆς ἰδίας εἰσφερόμενον γῆς· τέλος δὲ, ἡ ὑπὲρ τῆς ἐμπορίας συντέλεια.* Et tributorum & vectigalium rigidissimus exactor celebratur dicam an vituperatur Vespasianus Imp. à Dione scribente, Ipsum Alexandrinis non solum nihil fuisse largitum, sed etiam ab eis pecuniam exegisse, nullo genere tributi prætermisso, ut ne mendicis quidem pepercerit, ac de Divinis humanisque rebus pecuniam fecerit: Multa enim vectigalia quæ jam solvi desierant illum renovasse, auxilleque multa ex iis quæ obtinebat, idque tum in provinciis cæteris, tum in ipsa urbe Roma. A voce *τέλος vectigal* & verbo *ὠνέομαι emo* fit *τελώνης vectigalium emptor*, & Germanicum Zolner / zolner. Latine *portitor*. Glossarium, *Portitor, τελώνης· Portorium, τελωνεῖον·* & sane *τελώνης* proprie est *vectigaliarius* & *telonarius*. Tales *τελῶναι* fuerunt qui ad Joannis Baptismum veniunt Luc. 3. *Publicani* à Latinis dicuntur quod *publico fruuntur*: nam inde nomen habent. Omnes item qui à fisco aliquid conducunt, recte vocantur *publicani*, inquit Ulpianus. Magna autem invidia olim apud Judæos & Græcos flagrarunt vectigalium & tributorum conductores. Judæi certe illorum consuetudinem fugiebant: quod vel illo Servatoris patet, *Sit tibi velut ethnicus & publicanus.* Et proverbium Rabbinicum est, *Ne contingat tibi uxor è familia in qua sit aliquis publicanus: quia omnes sunt publicani*, h. e. latrones, sceleraci, peccatores, ut nominantur Matth. 9. 10. Græcis, Oropiis inprimis, in quantum odium venerint publicani, vel veteris Poetæ Xenonis, quod de iis exstat, elogio hoc conjicere est,

Πάντες τελῶναι πάντες εἰσὶν ἅρπαγες
Κακὸν τέλος γένοιτο τοῖς Ωρωπίοις.

Apud Romanos esti portitorum & conductorum magna semper vilitas, ut alibi, Publicanis tamen inter honestos suus erat locus, quippe equites fuere splendidissimi. Ideo toties & tam effuse Publicanorum ordinem laudat Cicero. In Codice Theodosiano Papinianus lege 17. Digest. ad municipalem, scribit, *munus exigendi tributi inter sordida munera non haberi, & ideo Decurionibus quoque mandari.* Tertullianus sibi & non paucis aliis persuasit, neminem Judæorum fuisse Publicanum, sed omnes ejus professionis in Judæa, quorum in S. Euangeliis fit mentio, fuisse Ethnicos. Visus autem sibi fuit niti verbis Scripturæ, in qua Deut. 23. 17. post hæc verba, *Nec erit scortator de filiis Israel*, additur in nonnullis Græcorum cod. *οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ισραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται τελεσθήσεται πρὸς πᾶσαν εὐχὴν ἀπὸ υἱῶν Ισραὴλ, Non erit vectigal pendens de filiabus Israel, neque erit qui initietur quicquid illud sit quod voverint.* Sed hunc versum neque veritas Hebræa, neque Paraphraseos Chaldaicæ, Syriacæ, Jerosolymitanæ autores, neque Latina vetus versio agnoscunt: ideo de sacro Codice delendus. Ipsa certe nomina Publicanorum Euangelicorum, *Matthæus*, *Zacchæus*, quæ pura puta Ebraica sunt, Tertulliani errorem manifeste produnt: hujusmodi enim nomina Gentiles olim non soliti usurpare. Porro qui Publicanorum fraudes quæ fuerint scire desiderat, adeat illustrem Oratorem Ciceronem: is tertia Verrina desiderio ejus abunde satisfaciet.

Cap. XIX.

In concione Joannis apud Lucam μετάνοια ut differat à μεταμελείᾳ: quid ὀψώνια· item, quid verba πράσσειν, διασείειν, συκοφαντεῖν. Judæi sub aliis Principibus stipendia meruerunt. In eadem concione τὰ τέκνα Vulgatus recte vertit filios.

ET Joannis & Servatoris concionum exordium est exhortatio ad *μετάνοιαν.* Significat autem *μετάνοια displicentiam facti cum consilio emendationis*; *μεταμέλεια, displicentiam facti* tantum, 2 Cor. 7. 8. itaque illa in bono semper, hæc in vitio sæpe ponitur. *Μετάνοια* in Philosophia conjunctum semper habet *σωφρονεῖν*, teste Plutarcho in Dialogo *πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα·* in Theologia conjunctam semper habet *πίστιν*, Marc. 1. 15. Act. 20. 21. *μεταμέλεια* si fuerit *λύπη κατὰ τὸν Θεὸν*, conjuncta est cum *μετανοίᾳ*, 2 Cor. 7. 10. sin minus, cum desperatione: sicut Judas *μεταμεληθεὶς ἀπήγξατο penitens strangulavit se*, Matth. 27. 3, 5. *μετάνοια* est donum Servatoris Christi Act. 5. 31. adeoque iter ad salutem: *μεταμέλεια* est merces peccati, &, ut dictum, nisi Deus succurrat, iter ad desperationem. Est tamen ubi *μετάνοια* pro *μεταμελείᾳ*, & contra, usurpetur. Sophocles Electra,

Μὴ πῆμα σαυτῇ καὶ μετάγνωναι τόδε,

Ne tibi ipsi causam mali des, & cujus facti paniteat: μετάγνωναι dixit pro *μεταμέλεσθαι* quemadmodum Plutarchus, quando *μετάνοιαν* vocat *δηγμὸν morsum*, De discrim. adulat. Contra *μεταμέλεσθαι* pro *μετανοεῖν* legas Matth. 21. 29, 32. ¶ Cæterum monet Joannes milites ut *sint contenti suis ὀψωνίοις stipendiis. Ὀψώνια* sunt *omnes tibi præter panem & potum*: ab *ὄψον* & *ὠνέομαι*, q. d. *venale aliquid quod coquitur.* Dicta autem sunt *stipendia ὀψώνια*, quia non numerabatur pecunia, sed res ad victum necessariæ, ut Caro, Olera, Frumenta, certo numero & mensura militibus in stipem subministrabantur. Glossarium vetus, *Ὀψώνιον στρατιωτικόν, obsonium militare.* Polybius quoque lib. 2. *obsonii* vocabulo pro *stipendio* est usus. Quam rem discussere sagaciter Lipsius lib. 2. Elect. Sigonius De antiquo jure Rom. civium; Joann. Stadius ad L. Florum; Andreas Tiraquellus ad Alex. Neap. Genial. dierum lib. 6. c. 22. ¶ Inter præcepta Publicanis & Militibus à Joanne data occurrunt & illa,

Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε.
Μηδένα διασείσητε.
Μηδὲ συκοφαντήσητε.

Πράσσειν hoc loco non est *facere*, ut vertit Vulgatus, sed *exigere*, Germanis einmahnen / oder / einbringen. Veteres & Græci & Lat. sæpe eleganter simplicibus vocibus pro compositis utuntur. Sic *πράσσειν* pro *ἐκπράσσειν*. Theophrastus Eth. Charact. de Vecordia, *Τῆς δραχμῆς τόκον τρία ἡμιωβόλια τῆς ἡμέρας πράττεσθαι, Pro usura drachmæ cujusque ternos semiobolos in dies exigere.* Apud Aristophanem *πράττειν Φόρους exigere tributum.* Apud Athenæum *πράττειν συμβολὰς colligere symbolam cujusque.* Apud Xenophontem lib. 1. Historiæ Græcæ *πράττειν χρήματα conficere pecuniam.* Unde *πράκτωρ* Luc. 12. 58. *exactor multarum.* Cum igitur Publicani passim male audirent, quod operam suam Romanis ad exactionem tributorum locantes Provinciales exsugerent hortatur illos Baptista, *præter id quod constitutum*, seu *ordinatum*, *erat*, *ne quid amplius conficerent.* Jam *σεισμὸς* Varino est *κίνησις γῆς ὑπὸ πνεύματος ἔνδον ἀπολειφθέντος καὶ βιαίως ῥέοντος*, *talis* scilicet *concussio qualis in terra motu fieri consuevit.* Unde *σείειν* metaphorice est *per calumniam aliquem exagitare*, & *διασείειν calumniis & falsis accusationibus evertere*, ut doctissime observavit Camerarius: ut & hoc, Quod Interpres Vulgatus usus sit verbo Jurisconsultorum, in quorum Digestis est titulus de Concussionibus; & in titulo de Calumniatoribus hæc sententia ponitur, *Neque enim transactionibus licitis est interdictum, sed sordidis conjunctionibus.* Est igitur *concussio* vis manifesta, qua nobiles sæpe in rusticos suos, milites in obvios quosque grassantur. ¶ At *συκοφαντεῖν* significat *defraudare*, *à σῦκον sicum* & *φαίνω ostendo*: unde *sycophanta*, *monstrator sycum.* Erant enim *sycophantæ* custodes hortorum, sicumque in illis, & simul indices furum. Et quia sæpe falso accusabant homines, tandem *sycophantæ* nomen meruere quicunque per fraudem alios accusarunt. Hinc *συκοφαντεῖν* est *διαβάλλειν* & *συκοφαντία, διαβολὴ* & *διδάγματα συκοφαντικὰ* apud Justinum Tryphone. Hoc loco, ut & c. 19. 8. *τὸ συκοφαντεῖν* generatim usurpatur pro omni *injuriæ* genere. Illud ergo *μηδὲ συκοφαντήσητε* vertere malim *neminem defraudate* quam vel cum Vulgata *neque calumniam faciatis*, vel cum Beza *neque dolo opprimite.* Hoc posterius enim

vio-

violentiam significat, etsi dolosam: & milites non tam calumniantur quam defraudant quos possunt. Ad hanc generalem vocis significationem attendentes Vulg. Interpres & Erasmus, ista Luc. 19. 8. καὶ εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα, ἀποδίδωμι τετραπλοῦν, caute & eleganter interpretati sunt, *si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*; ubi Beza, *si quid cuipiam per calumniam eripui*, nec loci nec gloriationis Zacchæi sensum assecutus. Nam si quadruplum ille reddebat pro ereptis, juris id necessitate faciebat, nec erat in quo magnopere æquitatem suam ostentaret. Ita enim edicto de Publicanis cautum fuit, *Si quid per vim extorsissent, ut in quadruplum tenerentur, in quo inerat & simplum*, L. Hoc edicto, in fin. Dig. de Publican. cum *si quid simpliciter & vi non adhibita defraudassent, dupli, in quo & ipso simplum inerat, tenerentur.* Ille autem se quadruplum etiam in hoc casu restituere gloriabatur. ¶ Quæsitum autem ad hunc locum, An Judæi sub aliis Principibus stipendia meruerint? Erasmus, *Bellasse Judæos legimus; stipendia meruisse sub aliis ducibus non legimus.* Sed Joh. Brodæus Misc. l. 2. c. 31, observavit ex Josepho, *Judæos meruisse sub Alexandro, militasse sub Xerxe:* ex Strabone, *quingentos Judæos fuisse in exercitu Ælii Galli, civis Romani:* ex Plutarcho, Antonio, *Herodem juvisse copiis suis Antonium adversus Augustum Cæsarem.* ¶ Postremo, quando Johannes ait, *Deum posse etiam ex lapidibus istis excitare Abrahamo τέκνα*, variant viri docti in interpretatione vocis τέκνα. Theodorus reddidit *liberos*, quia nomen *liberorum* latius pateat quam *filiorum.* Vulgatus, quem sequitur Erasmus, *filios.* Nicolaus Fullerus Anglus approbat hoc posterius, & ego cum illo, ob graves, quas Miscell. 2. c. 20. adducit, causas. Τέκνον enim pro *filio* & à diligentioribus Græcis & à sacris Scriptoribus frequentissime usurpatur, Matth. 9. 2. item 21. 28. item 22. 24. Et promissio Abrahamica nominatim & præcipue filios spectabat, quibus & privilegium sexus & fœderis signum, Circumcisio, insculptum. Denique cum vita æterna sit hæreditas, hæreditas autem filiorum sit, non filiarum, nisi ubi illi non adsunt, Num. 27. 8. *filii* potius quam *liberi* hæredes cœli vocantur, Roman. 8. 17. ubi Theodorus argumenti Apostolici sensu adductus *filios* & ipse vertit. Nec tamen hæc interpretatio Feminas cœlo excludit, cum *in Christo unum simus universi*, Gal. 3. 28. & sequior sexus in nobiliore censeatur.

CAP. XX.

Occasione concursus Sadducæorum & Pharisæorum ad Baptismum Johannis Matth. 3. disseritur de origine trium sectarum apud Judæos.

NArrat Matthæus *ad Baptismum Johannis venisse multos è Pharisæis & Sadducæis:* ac fit deinceps in Euangelio sæpius *Pharisæorum* & *Sadducæorum* mentio. Jucundum igitur erit scire unde orti, & quæ illorum professio fuerit. Multæ sectæ fuerunt apud Judæos. Justinus Martyr in Tryphone meminit *Sadducæorum, Genistarum, Meristarum, Galilæorum, Gracienssium, Pharisæorum, Baptistarum.* Ab Eusebio lib. 1. Hist. c. 41. recensentur *Essæi, Galilæi, Hemerobaptistæ, Masbothæi, Samaritæ, Sadducæi, Pharisæi.* Epiphanius septem Judæorum sectas memorat, *Sadducæos, Scribas, Pharisæos, Hemerobaptistas, Nazaræos, Ossenos, Herodianos.* Sed tempore Christi & paulo ante Christum natum celebratissimæ sectæ fuerunt, Pharisæi, Sadducæi, Essæi: quæ singulæ in N. Test. confutantur; Pharisæi & Sadducæi à Christo ipso, ut notum; Essæi ab Apostolo Paulo, Col. 2. 17, 18. ubi omnia quæ Apostolus interdicit sunt Essenorum, ut suo loco docebimus. Tres istas sectas Josephus l. 2. ἀλώσεων c. 7. vocat Φιλοσοφίας, l. 13. c. 9. αἱρέσεις, Hieronymus *dogmata* & *hæreses.* Tempus ortus illarum præcise definire non possumus. Josephus l. 13. cap. 9. *Hoc tempore*, inquit, *tres Judæorum sectæ erant quæ de rebus humanis inter se dissentiebant, una Pharisæorum, altera Sadducæorum, tertia Essenorum.* Notat autem tempus Jonathæ Pontificis maximi, quod incidit in annum ante Christum natum CXLIII circiter. Idem l. 18. c. 2. scribit Judæis tres istas sectas cognitas fuisse ἐκ τῶν πάνυ ἀρχαίου, quod male vertit interpres *à multis retro seculis*, cum vertere debuisset *à temporibus admodum antiquis.* Etsi enim verisimile est Synagogam Templi secundi non multo postquam desierunt Prophetæ cœpisse dividi in factiones & sectas, dicere tamen non potuit Josephus *à multis retro seculis* id factum. Nam Sadducæi paulum saltem antiquiores videntur fuisse Pharisæis: at illorum auctores, Saddok & Baitho, ut ut antiqui fuerint, non legitur tamen aliquot ante N. C. seculis vixisse. Nisi forte Josephus, quod Hebræi plerique, incertum vere an falso, faciunt, ad Sanballatem Cuthæum & Manassem principium sectarum istarum retulit: qua ratione anno ante Christum natum CCCXXXV tres illæ Philosophiæ essent ortæ. Verum missis Chronologicis, quibus à Magistris novi isti Doctores profecti sint videamus. Josephus Scaliger, in aureolo libello quem inscripsit Elenchum Scratii, ne hæc ignoraremus fecit: μεγάλη χάρις αὐτῷ. Is Essæos à Pharisæis, Pharisæos ab Asidæis, Sadducæos à Saddoc & Baitho, hos à Karraim egressos affirmat. Jam ante Hasmonæorum tempora duo erant genera δογματιστῶν apud Judæos, Studentes Legi duntaxat, & Studentes Legis auctario. Neque hanc divisionem Legis ignoravit Eusebius, qui lib. 8. Προπαρασκ. prius genus Φιλοσοφίαν κατὰ τὴν ῥητὴν διάνοιαν, alterum θεωρητικὴν Φιλοσοφίαν vocat. Ex priore genere orti KARRAIM. *Karrai* est *addictus Scripturæ*, quæ vocatur מקרא, ut qui peritus est Scripturæ vocatur מקרי *Karai*, κατ' ἐξ. Hi nihil differunt à reliquis Judæis nisi in rejectione δευτερώσεων. Resurrectionem, compensationem meritorum, supplicium peccatorum æternum, paradisum, inferos, juxta cum Judæis credunt; fatente hoc Philippo Friderico, ex Judæo Christiano, apud Scaligerum Elench. cap. 2. Non fuerunt autem Carraim ab initio secta: nam quod Lege præcipitur faciebant: nemo autem exigitur plus facere quam quod Lege præcipitur. Legem, Prophetas, Hagiographa observabant. Procedente autem tempore Sadok & Boethi sive Baithi de pœna peccatorum & remuneratione benefactorum dubitarunt: à quibus nata est hæresis SADDUCÆORUM. Alterum δογματιστῶν γένος fuerunt Hasidæi, qui Legis auctario studebant. Erant hi *corpus*, τάγμα, σύστημα, vel, ut Constitutiones loquuntur, *corporati*, instar eorum quos Græci Φρατρεῖς vocabant: qui sponte se addicebant functionibus Legis: unde 1 Maccab. 2. 42. vocantur ἐκουσιαζόμενοι τῷ λόγῳ. Eorum origo jam inde à temporibus Esdræ, auctoribus instituti sanctis Prophetis, in quibus familiam ducebant Haggæus & Zacharias. Vide Esdr. 5. 2. & Eusebium in Chronico narrantem *Alcimum diruisse τὸ τεῖχος τῆς αὐλῆς τῶν ἁγίων*, & Josephum lib. 11. cap. 17. idem narrantem, apud quem abundare verba τῶν προφητῶν vel ex Eusebio patet. Hinc quemadmodum ipsi Prophetæ, ita etiam Corporati dicti *Hasidim*, ἅγιοι, *sancti*, quatenus quidem ad institutum; quatenus autem corpus constituunt, *Hasidæi* חסידיא Judaice, ܚܣܝܕܐ Syriace: quemadmodum *liberti* dicuntur quatenus manu missi; quatenus genus aliquod hominum constituunt, liberorum quidem sed non legitimorum, *Libertini* dicuntur. Ἐσουσιασμὸς τῶν Ἀσιδαίων in hoc versabatur, non solum ut ex præscripto Legis viverent, sed etiam si quid ex verbis Legis per consequentias & interpretationes erui posset, id ei satisfacere teneri, & cum omnia fecerint, nihil se fecisse videri, sive ad eleemosynas & officia pia, sive ad sarta tecta Templi, sive ad sacrificia. Merito igitur vocati *Hasidim*, vel quod à sanctis Prophetis collegium eorum institutum, vel ab operibus piis, ab ædificiis sacris ab ipso instauratis. De horum institutis Scaliger cap. 22. Elenchi, *In Templum quotidie convenebant* (*quod Athenienssibus est* Φρατρίζειν, *item* συναγωνίειν) *& sacrificiis operabantur, agnum quotidie immolantes, qui dicebatur* קרבן תמיד oblatio Hasidim pro peccato. *Unum tantum diem excipiebant, in quo illud sacrificium omittebatur, undecimum Tisri.* Drusius l. 1. De tribus sectis c. 12. *Hasidæi novem horas tribuebant orationi, cum alii tres tantum ei darent*, In Juchasin fol. 62. *Quotidie hostiam pro delicto immolabant præterquam postridie diei Kippurim*, Ibidem fol. 19. *Cogitatione hominem peccare credebant*, R. D. Jes. 58. 13. *Decem res illis peculiares erant:*

> *Non attollere oculos ultra decem cubitos;*
> *Non incedere retecto capite;*
> *Stabilire tres refectiones;*
> *Disponere cor suum ad precationem;*
> *Non respicere ad latera;*
> *Circuire, ne molestia cœtum afficerent;*
> *Non edere in convivio potentum;*
> *Statim placare ad iram à se provocatum;*
> *Vocem dulcem habere, & descendere vel demittere se ad interpretationem Legis;*
> *Assuescere iis filis quæ* ציצית *vocantur, & phylacteriis, quæ* Thephillin *dicunt.* ציצית *proprie id quod pendens relinquitur post texturam in veste, Num.* 15. *Hieron.* fimbrias, *LXX* κράσπεδα *interpretantur.*

Ut Karaim ita Hasidim ab initio non erant secta. Nam Hasidim, præter præcepta Legis, supererogationes & voluntarias functiones nullo cogente obibant. At nemo vituperatur, si, cum

cum tantum bene facere teneatur, melius faciat; aut, ſi ab eo mediocre exigitur, multum præſtet. Sed poſtquam iſte ἐκουσιασμὸς in præcepta cogi & ſcripto mandari cœptus, tum ex illis Haſidim proceſſerunt δογματιζαὶ, qui ſe חסידים *ſanctos*, & tam ab Haſidim quam à vulgo ſegregatos dixerunt; qui τὸν ἐκουσιασμὸν ἀνήγκην fecerunt, & quæ quis ſponte faciebat, ex neceſſitate facienda præcipiebant. Hoc genus hominum in duo ſectum eſt, in iplos פרושים Phariſæos, & Eſſenos. Nam Eſſenorum ἀιρεσιέρα πολιτεία quam Phariſæorum; & utraque gens ſcripta ab autoribus ſectæ ſuæ habebant. Ideo recte Philo, *Εσι δὲ καὶ αὐτοῖς συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἱ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέται γενόμενοι πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἑλληνορουμένοις ἰδέας ἀπέλιπον.* Etſi autem diverſæ ſectæ erant Phariſæi & Eſſeni, tamen quod utrique ex ordine vel ſodalitio Haſidæorum fuerunt, ideo in ſcriptis Rabbinorum promiſcue nunc hi nunc illi *Haſidæi* vocantur. In libris Maccabæorum nomine *Haſidæorum* Druſius *Phariſæos*, Scaliger *corpus ſanctorum*, Caſaubonus *omnes ſanctos è gente, conſtantes Legis Profeſſores, qui apoſtatis opponuntur*, intelligi volunt.

CAP. XXI.

Saducæorum nomen; ortus.

ALiud etymon *Saducæorum* quærere quam ab auctore ſectæ *Sadok* puerile, inquit Scaliger. צדוק Hebraice dicitur Σαδδὼκ, quanquam in Bibliis Græcis aliquando Σαδδὶκ ſcribitur. Hoc nomen Iudaice effertur צדוקי Σαδδῶκ. Utrum igitur *Saducæus* unica *D*, an *Sadducæus* geminata *D*, ſcribas parum refert; præſertim cum utraque Scriptura inveniatur in cod. Latinis. Fallitur Epiphanius, qui ſcribit Saducæos eſſe ἀπόσπασμα ἀπὸ τῆ Δοσιθέου. Nam Doſitheanorum ſecta circiter excidium Templi fuit: & Doſitheani reſurrectionem mortuorum affirmant, quam Saducæi negant. Occaſio & ortus ſectæ iſtæ. Antigonus inculcabat diſcipulis ſuis ſententiam hanc *Ne ſitis tanquam ſervi, qui ideo Domino ſervunt ut ὑπηρέσιον*, h. e. *demenſum, accipiant.* Mens ejus fuit, Deum colendum propter amorem Dei, non propter ſpem mercedis. Sed aliovorſum hoc interpretati ſunt Antigoni diſcipuli Sadok & Baitus, putaruntque non eſſe mercedem aut fructum aliquem, quod Græci vocant ἀντίδοσιν ἔργων, poſt hoc ſeculum. Ideo futurum ſeculum abnegarunt, & hæreſin ſuam inſtituerunt; eaque in duas familias diviſa, alios *Saducæos*, alios *Baituſæos* dixerunt. Abraham Davidis F. in Cabbala ſua hiſtorica, *Antigonus Sacheus accepit à Simeone Juſto & ſodalitio ipſius. Hæc erat ætas tertia; & ipſe dicebat, Ne eſtote tanquam ſervi, qui miniſtrant Principi ea conditione ut accipiant præmium. Sadok autem & Baitus interrogabant eum de hac re, & reſpondit eis quod in præmio ſeculi hujus non poneret fiduciam, ſed in ſeculo venturo. Sed ipſi negabant verba ejus, & dicebant, Nunquam audivimus quicquam de ſeculo venturo. Fuerunt autem diſcipuli ejus, diſſenſeruntque ab eo, & abierunt ad ſanctuarium montis Garizim; ubi erant principes.* Vide & Autorem Lexici Talmudici. Vixit Sadok ſub Antigono Sochæo, qui Simeoni Iuſto ſucceſſit, quem Hebræi cum Iaddua confundunt: ſed Ioſephus hunc ab illo diverſum facit. Errant igitur qui R. Abraham ſecuti Antigonum ἐυήγχρονον faciunt Sanballetis Cuthæi, quos Germen David, anno Iudaico 3460. ſolide redarguit. Floruerunt Saducæi uſque ad excidium Templi ſecundi: tum enim ſecta illorum valde fuit imminuta, donec tandem anno mundi Iudaico 4523, Chriſti Dionyſiano DCCLV, Anan quidam cum filio Saule eam inſtauraſſet variis libris. Meminit horum Abraham Davidis F. Haſidæus. Guilielmus Poſtellus in Alphabeto XII Linguarum ſcribit, *hodieque in Oriente, Conſtantinopoli & Paleſtina inveniri Saducæos, qui* Caraim *dicuntur, qui rejectis hominum documentis omnibus tantum ſacra amplectantur, ſed pauces.*

CAP. XXII.

Saducæi non rejecerunt Prophetas.

DE Traditionibus res certa eſt, omnes à Saducæis fuiſſe rejectas. Conſtans quoque Patrum ſententia eſt, Saducæos præter Pentateuchum omnes Prophetas reſpuiſſe. Communi huic de repudiatis Prophetis opinioni Ioſephus Scaliger & Janus Druſius noſtra ætate primi contradixerunt, hic quidem timidiuſcule & quaſi dubitanter, ille vero intrepide & aſſeveranter. *Hoc Hieronymus*, inquit, *& alii crediderunt, atque neſcio unde cauſam nacti. Nam & ratio & Joſephus manifeſto adverſantur.* Etenim *eundem pene honorem Prophetis ac Legi habebant, ut qui unum ex Prophetis rejiceret contra Legem facere velle videretur, neque impune cuiquam licuiſſet Prophetas rejicere, quin à populo lapidaretur: idque magno empium voluiſſent Phariſæi, ut ipſorum hoſtes incurrerent cauſam aliquam propter quam Jeroſolymis tuto illis eſſe non liceret. Propterea quod Sadducæi ſacrificarent in Templo, ex eo conſtat eos credidiſſe montem Sion eſſe locum à Deo delectum in quo ſolo ſacrificare liceret. At libri Samuelis, Regum, Paralipomenon, Prophetarum, Pſalmorum, quid aliud continent, quam Jeruſalem eſſe locum in quo* DEUS *elegit ſedem ſanctuarii ſui?* Præterea Joſephus Sadducæos πάντα τὰ γεγραμμένα amplexos eſſe dicit, τὰς δὲ παραδόσεις ἀγράφους rejeciſſe. *Quæ ſunt τὰ γεγραμμένα? an aliud quam quæ dicitur מקרא? Verba Joſephi,* Νῦν δὲ δηλῶσαι βούλομαι ὅτι νόμιμα πολλὰ τοῖς παρίδοσιν τῷ δήμῳ οἱ Φαρισαῖοι ἐκ πατέρων διαδοχῆς ἄτερ ὠν ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις· καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα τὸ Σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγον ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δὲ ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν. *Manifeſto ſolas τὰς παραδόσεις rejiciunt. Et nihil verius quam eos totam Scripturam retinuiſſe, ſola πατροπαράδοτα aſpernatos eſſe. Quod ſi quis Joſephum de ſola Lege intellexiſſe contendat, oſtendat mihi quomodo omnes libri Scripturæ præter Pentateuchum ſint παραδόσεις ἄγραφοι. Rurſus Tertullianum ait Doſitheum Prophetas rejeciſſe. Cum igitur ille à Judæis ad Samaritas tranſierit, ea de cauſa videtur feciſſe quia & Samaritæ Prophetas rejiciebant. At ſi Sadducæi Prophetas quoque rejiciebant, quid opus erat eos à Judæis deſciſcere ut Prophetas rejicerent, ſi in Judæa Sadducæi eos rejiciebant. Certe Act. 5. 17. Pontifex Max. videtur fuiſſe Sadducæus: nam οἱ σὺν αὐτῷ erant Σαδδουκαῖοι. Illi, inquam, omnes de quibus ibi agitur ſunt Sadducæi, & ex comitatu Summi Pontificis. Nam ſi Pontifex ejuſdem ſectæ eſſet, non eos adhibuiſſet ſibi. Atqui eſſe Jeroſolymis Pontificem qui ſolam Legem ſervaret, cætera ſcripta Prophetica rejiceret, tam ridiculum eſt credere quam certum eſt nunquam contigiſſe. Poſtremo, in Synagogis legitur primum* הפטרה, *deinde adjicitur ex Prophetis* המטה ἀπολυτικόν. *Cum illam lectionem ſive ἀπολυτικὸν legere tempus poſtularet, credemuſne Sadducæum aut illius lectioni noluiſſe intereſſe, aut ipſum noluiſſe legere, ſi ſors aut locus aut orbis lectionum poſtulabat ut ipſe legeret? Sadducæi à Phariſæis hoc uno differebant, quod doctrinam* שבעל פה, *i. κατηχητικὴν καὶ ἄγραφον, illi retinebant, Sadducæi reſpuebant. In reliquis per omnia conveniebant, extra quam in cauſa Reſurrectionis: quæ hæreſis nata eſt per conſequentias primi fundamenti,* Non eſſe mercedem aut pœnam conſtitutam in futuro ſeculo. *Ex quo fundamento concludebant, Ergo nec reſurrectionem mortuorum, in qua Phariſæi & mercedem benefactis & pœnam malefactis conſtitutam eſſe ſciſcebant. Idque antiquius obtinuit, per manus traditum, donec rationibus firmatum fuit à Gabia Ben Peſiſa æqualis temporum Simeonis Juſti, viro eruditiſſimo & diſputatore acerrimo, qui primus Reſurrectionem ita conatus eſt adſtruere,* Siquod non fuit, id fuit; non à fortiori id quod fuit, erit? τὸ μὴ ὂν γένετο, τὸ δὲ ὂν οὐ πολὺ μᾶλλον γενήσεται; Hactenus Scaliger. Druſius in Serarianis addit, *Hebræos tantum meminiſſe traditionum quas Græci πατροπαράδοτους ἐντολὰς indigitant: Ad hæc, unum ex iis qui commentati ſunt ſuper Aboth dicere Sadducæos innixi Scripturæ; ſub qua voce etiam Prophetas comprehendunt:* Præterea, *Sadducæos in Templo ſacrificaſſe cum Phariſæis, quotidie cum illis verſatos & cibum ſumpſiſſe.* Poſtremo, *in Novo Fœdere nullam hujus rei mentionem, cum tamen & Angelum & Spiritum & Reſurrectionem perhibeantur negare.* Hæ Scaligeri & Druſii rationes, etſi non ſingulæ, univerſæ tamen conjunctæ pondus & autoritatem habent. Qui contra ſentiunt Chriſtiani & Judæi ab una unius Joſephi autoritate pendent. Verba Joſephi L. 13. c. 18. iſta; *Multa Phariſæi ex Patrum ſucceſſione tradiderunt legitima ἄτερ ὠν ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις & ideo Sadducæi hic autoritatem abrogant, dicentes oportere tantum ſervari νόμιμα τὰ γεγραμμένα legitima quæ ſunt ſcripta.* Verum nullo negotio nos expediemus, ſi in verbis Joſephi per *νόμον Μωϋσέως* totam Scripturam intelligi dicamus. Neque vero ſine ratione id dixerimus. Joſephus enim *Legem Moſis* non *Prophetis* ſed *traditionibus* opponit: ideo mox ſubjungit τὰ δὲ ἐκ παραδόσεως μὴ τηρεῖν. Quod ſi de ſola Lege locutus credatur, omnes reliqui libri Scripturæ ſecundum illum erunt παραδόσεις ἄγραφοι. Abſurdum. Taceo quod Prophetæ ſunt interpretis Moſis, adeoque nihil aliud ſunt quam ipſa Lex Moſis quam explicant. Ideo verba illa ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις non excludunt Prophetas. Cæterum memini me & hoc aliquando à non nemine audire, Servatorem cum Saducæis de Reſurrectione mortuorum diſputantem provocaſſe ad Moſen, Math. 22. 32. ideo autem ad Moſen, non ad Prophetas, ut ex propriis principiis, Moſaicis nimirum, quos ſolos admitterent, libris, Sadu-

cæos convelleret. Quæ collectio si quid valet, vicimus. Saducæi enim ex libro Jobi contra Resurrectionem argumentati leguntur in libro Tanhuma, qui & *Ilmedenu*, *Duo sunt sæcula, sæculum hoc, & sæculum futurum. Qui se in bono exercet hoc sæculo, bonum comedet in hoc & futuro. Id Saducæi negant & dicunt* ex Jobi 7. 9. *Deficit nubes, & abit; sic qui descendit in sepulcrum non ascendit.* Si igitur Pentateuchum agnovisse dicuntur eo quod Christus ex Mose Resurrectionem adstruit, agnoverint utique & Jobum, ex quo Resurrectionem ipsimet voluerunt confutare. Drusius tamen contrarias has opiniones conciliare annititur, distinctione Saducæorum, quorum alii Judæam incoluerint, alii Sicimis habitarint. Sicimitæ Samaritani, inquit, Prophetas rejiciebant: erant enim apostatæ τῦ ἔθνους, ut Josephus loquitur. Forte Patres de his intelligendi. Qui in Judæa morabantur, traditiones repudiabant. Nec absurdum hoc dicere, cum Carzi hodierni de resurrectione, præmio ac pœna diffideant ab antiquis.

CAP. XXIII.

Doctrina, mores, fortuna Saducæorum.

DOctrinam Saducæorum comparat Servator fermento, hortaturque populum ut sibi ab eo caveant, Matth. 16. 6. Quæ fuerit autem illa non tacet Lucas Act. 23. 8. Σαδδουκαῖοι λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μηδὲ πνεῦμα. Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα, *Saducæi dicunt non esse resurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque spiritum. Pharisæi autem utrumque confitentur.* Hic magna quæstio oritur, quid per πνεῦμα sive *Spiritum* intelligatur. Aliqui ad Animam referunt, & hoc nomine denotari putant ὑπόστασιν τῆς ψυχῆς, quam Sadducæi negantes Animam nihil aliud esse censebant quam crasin seu temperamentum quoddam humorum: in quo errore, teste Theodoro, nobiles etiam multi Medici fuere. His contradicere videtur Josephus, qui in Judaicis l. 2. c. 12. de Saducæis ita, ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν ἀναιροῦσι. Non dicit τὴν ὑπόστασιν, sed τὴν διαμονήν· nam credebant eam una cum corpore interire. Idem Orig. l. 18. c. 2. Σαδδουκαίοις δὲ τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι. Abraham Zachuth Salmanticensis, *Ajunt animam mori cum corpore.* Si moritur cum corpore, ergo vivit in corpore. Alii per πνεῦμα intelligunt *Spiritum S.* Hos juvat locus qui v. 9. εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, ἢ ἄγγελος· ubi Theophylactus πνεῦμα interpretatur de *Spiritu S.* Epiphanius quoque de Saducæis agens ait, Πνεῦμα δὲ ἄγιον οὐκ ἴσασιν· ἢ γὰρ εἶσι τοῦτου ἠρνημένοι. Si objicias, Hoc sensu dicendum fuisse, ὅτε ἄγγελον, ὅτε τὸ πνεῦμα, in promptu erit responsio, Vocem πνεῦμα sive *Spiritus* sæpe in Scriptura pro *Spiritu S.* usurpari, etiamsi ei articulus non sit præpositus, ut Joh. 3. 5. & 4. 24. Roman. 1. 4. & 8. 14. & 15. 19. & 1 Cor. 2. 4 Josephus Scaliger, *quemadmodum* ANGELUS *hic indefinite pro omnibus Angelis dicitur, ita* πνεῦμα *quoque indefinite accipiendum* docet. *Angelus* enim *species est*, πνεῦμα *genus, quatenus sub eo Angeli continentur.* Sensus Lucæ secundum Scaligerum erit, *Tantum abest, ut Angelum credant, ut ne Spiritum quidem ullum.* Hæc sententia proculdubio verissima est. Nam qui DEUM *ipsum corporeum esse docebant*, ut scribit Nicolaus Actor. 13. & Theophylactus, οὐκ ἴσασι Σαδδουκαῖοι τάχα οὐδὲ τὸν Θεὸν, παχεῖς τινες ὄντες, h. e. *forsitan ne* DEUM *quidem norunt, utpote crassiores*, consequens est, eos omnem spiritualem creaturam negasse. Hæc de doctrina Sadducæorum ex S. literis. Josephus addit ista, Τὸν Θεὸν ἔξω τῆ δρᾶν τι κακὸν, ἢ ἐφορᾶν τίθενται, DEUM *extra omnem malè patrationem inspectionemque constituunt*, l. 11. Judaicorum c. 12. Τὴν εἱμαρμένην παντάπασι ἀναιροῦσι, *fatum omnino tollunt*, Antiq. l. 13. c. 9. Ἅπαντα δὲ ἐφ' ἡμῖν αὐτοῖς τίθενται, ὡς καὶ τῶν ἀγαθῶν αἰτίους ἡμᾶς γινομένους, καὶ τὰ χείρω παρὰ ἡμετέραν ἀβουλίαν λαμβάνοντας, *Omnia in nostra potestate esse dicunt, ut tam felicitatis nobis ipsi auctores simus, quam infortunii, si deteriora consilia secuti fuerimus*, Ibidem. ¶ Subjungo de moribus Saducæorum. Hi non admodum laudabiles. Erant enim agrestes erga peregrinos, duri in suos. Josephus testis l. 2. c. 12. Iudaicorum, Σαδδουκαίων καὶ πρὸς ἀλλήλους τὸ ἦθος ἀγριώτερον, αὖ τε ἐπιμείξαι πρὸς τοὺς ὁμοίους ἀπηνεῖς ὡς πρὸς ἀλλοτρίους. ¶ Fortunam quod attinet, Erant grati ditioribus, exosi vulgo. Josephus l. 13. c. 18. Antiq. *Pharisæi populo multas traditiones per manus acceptas tradiderunt; Saducæi eas tantum servari volunt quæ scripto continentur. Ditiores stant à partibus Saducæorum; Pharisæi vero cætera multitudinis nomine favoribus.* Idem lib. 18. c. 2. *Hujus sectæ pauci sunt, sed fere dignitate præcipui. Ex horum tamen sententia vix quicquam agitur. Nam quoties magistratuum locus invisi suscipiunt, Pharisæorum decretis assentiuntur, ni facerent, non ferendi à plebeiorum multitudine.* Odium hoc durat hodieque in iis locis ubi Carzi sunt, ut Constantinopoli & in Palæstina. Scaliger De emend. temp. l. 2. *Cariam pro portione Rabbanitum, i. Rabbinistarum, pauci sunt. Isti quamvis meri Judæi sunt, tamen inexpiabilia odia inter se exercent, neque ab alterutris expirnas ut alteros saltem alloquantur.* Postellus in Alphabeto XII linguarum, *Tres præcipuæ Judæorum sectæ in regionibus Orientalibus sunt, Talmudistæ, Caraim, Samaritæ. Caraim rejectis traditionibus tantum Sacra amplectuntur; distissimum hominum genus, sed usque adeo cæteris invisum ut bona pars virginum illorum, qui per affinitatem & paucitatem non sibi satis sunt, innupta maneat. Asserunt insuper communis opinionis Judæi, si accideret ut Christianus & Caraimus unus demergerentur una, pars utriusque salvandi potestate, pontem se effecturos corpore Caraimi ad salvandum Christianum.*

CAP. XXIV.

Pharisæi unde dicti. Pharisæorum genera septem. Dogmata eorundem.

PHilippus Melanchthon nomen *Pharisæus* deducit à פרש, quatenus hoc verbum significat *aliquid interpretari*, sive *exponere.* Exponebant enim Legem, Josephus l. 1. Jud. captiv. c. 4. Josephus Scaliger, Andreas Osiander, Drusius à פרוש, à *sanctitate*, dictos volunt, tanquam ἀφωρισμένους. Seipsos enim à cæteris hominibus segregabant, quorum victum & amictum immundum & vitam peccatis contaminatam videri volebant fugere, ne ab illis ipsi quoque contaminarentur. Pharisæorum septem non classes aut ordines sed genera fuisse, liquet ex Talmude:

1. *Pharisæus Sichemita; qui facit opera Sichemitarum propter nuptias Dinæ; i. qui pietatem metiuntur ulna honoris & commodi.*
2. *Pharisæus Impingens; qui non elevat pedes à terra, sed ut subinde in lapides impingit.*
3. *Pharisæus Sanguinem effundens; qui caput crebro parietibus aut columnis illidit, donec multo sanguine manet.*
4. *Pharisæus Mortiarius; qui capitio seu calypera caput opertus est, ex qua velut e profundo mortario prospiceret.*
5. *Pharisæus*, Quid debeo facere? & faciam illud: *q. d.* Quid fieri oportet quod non feci? *Hic ita se gerit ac si faceret omnia.*
6. *Pharisæus ex Amore; qui facit præcepta ex amore virtutis aut mercedis.*
7. *Pharisæus ex Timore; qui formidine pœnæ observat Legem.*

Dogmata hujus sectæ ex Scriptura, Josepho, Rabbinis colliguntur. Scripturam si audias,

1. *Confitentur ἀνάστασιν, itemque ἄγγελον & πνεῦμα, Act.* 23. 8. Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα. *Vide Observat. in illum locum.*
2. *Animarum piarum μετάβασιν sive migrationem de uno corpore in aliud, quam Græci* μετεμψύχωσιν *appellant. Hoc enim dogma olim inter Judæos viguisse liquet ex Matth.* 16. 14. *& Joh.* 9. 2. *Fuisse autem Pharisæorum, testis est Josephus Halos. l.* 2. *c.* 7. *alias* 12.
3. *Stando precantur in conventibus & angulis plateorum, ut appareant hominibus, Matth.* 6. 5. *Utuntur precibus longis in speciem, Matth.* 23. 14. *deprecationes faciunt, Luc.* 5. 33.
4. *Jejunant frequenter, Matth.* 9. 14. *Luc.* 5. 33. *bis in septimana, Luc.* 18. 12.
5. *Omnia sua decimabant, etiam minima quæque, ut sunt Menta, Cyminum, Ruta & Anethum, Luc.* 18. 12. *Matth.* 23. 23.
6. *Diligentissimi erant in convertendis Ethnicis ad Judaismum, Matth.* 23. 15.
7. *Mandata DEI transgrediebantur per traditiones suas, Matth.* 15. 3. *ubi exemplum traditionum recitatur.*
8. *Legem Mosaicam vel ad literam tantum vel aliàs perverse interpretabantur, Matth.* 5.
9. *Operibus charitatis Sabbatum violari opinantur, Matt.* 12. 2. *Luc.* 6. 7. *Joh.* 9. 16.
10. *Non edunt nisi manus laverint, quod faciunt ru-*

γμῆ,

γμῦ, *Marc.* 7. 3. *præſertim ſi prius fuerint in foro, ubi peccatores verſantur, Marc.* 7. 4.

11. *Lavant etiam calices & urceos, æramenta & lectos, Marc.* 7. 4.

12. *Non capiunt cibum cum peccatoribus, Matth.* 9. 11. *Luc.* 7. 39.

13. *Jurandi formulæ erant per Cœlum, per Terram, per Jeroſolymam, per Caput, quas Chriſtus improbat, Matth.* 5. 34.

14. *Dilatabant phylacteria ſua, & producebant fimbrias palliorum ſuorum, Matth.* 23. 5.

Hæc Scriptura. Joſephum nunc attendamus: Fato tribuunt omnia; Antiq. l. 18. c. 2. πρόνοσθαι εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἐξιῶσι. *Credunt omnia fato fieri:* Sic l. 2. Haloſ. c. 12. εἱμαρμένῃ τε καὶ Θεῷ προσάπτουσι πάντα, *fato & DEO univerſa deputant.* Sed Antiq. l 13. c. 9. οἱ μὲν Φαρισαῖοι τινὰ, καὶ ἅ πάντα, εἱμαρμένης εἶναι λέγουσιν, *quædam, non omnia, fato tribuunt. Ecce à ſeipſo diſſidet,* inquit Druſius. At Calaubonus in Baronianis Joſephum ab inconſtantia liberat, dum ex Joſepho ipſo docet, è tribus ſectis Eſſenos Fato tribuiſſe omnia, Sadducæos Fatum inane nomen ſine re affirmaſſe, Phariſæos mediam viam ingreſſos ita Fato tribuiſſe omnia ut hominum liberum arbitrium non tollerent. Vide Exerc. I. ad Apparatum. Rabbini autem de Phariſæis quid? Abraham Zachuth, de Phariſæis; *Credunt* DEUM *noſſe ſive curare omnes res, & aſtrum juvare.* Idem, *Credunt Planetam juvare; nihilominus relinquitur liberum arbitrium in manu hominis.*

CAP. XXV.

Phariſæorum exercitia ex Epiphanio.

ERudite obſervavit Caſaubonus in Baronianis, Phariſæorum exercitia ab Epiphanio annotata non fuiſſe *communem Phariſæorum regulam, ſed privata quorundam inſtituta quæ ſibi ipſi præſcribebant ſervanda, neque hoc initio tantum profeſſionis, quod credidit Baronius, ſed quoties ſe exercebant,* ὅτε ἤσκουν. *Quidam* enim *per totam vitam erant Aſceta, quidam per intervalla tantum, qui vitam civilem cum viverent, & ferè ad Remp. accederent, tempora ſumebant, aut ſemel in vita, aut fortaſſe etiam ſæpius, quibus ſe exercerent in iis quæ Epiphanius narrat inſtitutis:* quæ erant,

1. *Virginitas ſive continentia, nullo cum voto.*
2. *Aſſiduitas orandi,* διὰ τὸ δύσθον μὴ τιμωτικόν τι παθεῖν, *genus videlicet alicujus excretionis è corpore manantis.*
3. *Afflictiones corporis: quarum duæ ſpecies recenſentur, Decertatio cum ſomno, & Jejunium.*

Cum ſomno decertabant triplici modo. Quidam enim tabulam ſibi parabant, cui eſſet latitudo duntaxat ſpithamæ unius ſive dodrantis, in quam veſpere ſe deponebant, ut ſi quem ſomnus caperet, atque in ſolum caderet, ad preces evigilaret. Alii calculos litorales colligebant, eoſque ſibi ſubſternebant, ut iis compuncti in profundum ſomnum ne inciderent, ſed vim ſibi facerent, & evigilandi cauſam ſuggererent. Aliis in eundem finem pro ſtrato ſpinæ erant. Jejunium quod attinet, ἐνίοτε μὲν τῆ σαββάτου, δευτέραν καὶ πέμπτην, ut hodie Chriſtiani cum paganis loquimur, die Lunæ & Jovis. Præter hæc corporis exercitia, ἀπεδεκάτευν, inquit Epiphanius, τὴν δεκάτωσιν, τὰς ἀπαρχὰς ἐδίδουν, τριακοντάδας τε καὶ πεντηκοντάδας τάς τε θυσίας ἀποφλέγετα καὶ εὐχὰς ἀκεπίνουν, *decimabant decimationem, h. e. rem jam decimatam, primitias dabant, triceſimas & quinquageſimas, ſacrificia itaque & vota firmiſſime ſolvebant.* Quæ ſubjungit Epiphanius de muliebri Phariſæorum cultu, arguunt aut mortalium ſtultiſſimos fuiſſe iſtos Aſcetas, aut Judæos Epiphanio mire impoſuiſſe; quod Scaliger & Caſaubonus putant.

CAP. XXVI.

Phariſæorum mores, ex Scriptura, Joſepho, Rabbinis. Phariſæi non ſicarii.

PHariſæorum mores Scriptura, Joſephus, Rabbini depingunt. In Scriptura male audiunt Phariſæi, *hypocritæ, avari, ſuperbi,* &c. Matth. 6, & 23. Nec melius apud Joſephum, qui licet profeſſione & affectu eſſet Phariſæus, Jeſuiticum tamen illorum ingenium vivis coloribus depinxit, neque id uno in loco. Nam lib. 13. cap. 23. Alexander Rex Judææ moriturus uxori ſuadet, *Phariſæis nonnihil licentiæ permittat: Hos enim pro habito ſibi honore laudaturos eam & commendaturos apud populum: Poſſe enim plurimum apud Judæos, ſive invitum aliquem ſupiant ladere, ſive amicum juvare: Valde enim his fidem habere vulgus, etiamſi per invidiam de quopiam male loquantur; nec ſe ob aliam cauſam incurriſſe totius gentis odium quam quia hoc genus offenderit. Ergo, inquit, ubi Hieroſolyma perveneris, accerſitis eorum primoribus, oſtende illis meum corpus, & verbis quam proxime veritatem ſimulatis, permitte ut eo utantur arbitratu ſuo, ſive inſepulto & projecto cadaveri velint illudere propter antiquas injurias, ſive alio quolibet modo in id ſævire, & pollicere nihil te niſi ex illorum ſententia geſturam in adminiſtrando imperio. His verbis ſi apud eos uſa fueris, & mihi magnificentior quam à te ſepultura continget, contentis illis permiſſa poteſtate, & tu ſecure dominaberis.* Rurſum c. 24. libro eodem. Item lib. 17. c. 3. & lib. 1. De bello Jud. c. 4. *Jungit ſe Alexandræ Reginæ quidam Judæorum factio, Phariſæi, qui præter alios pietatem colere putarentur, & peritius leges interpretari. Ob eam cauſam magis eos ſuſpiciebat Alexandra, Divinæ religioni ſuperſtitioſe deſerviens. Illi autem paulatim feminæ ſimplici inſinuati, quoſvis pro ſua libidine ſummovendo, deponendo, itemque vinciendo ac ſolvendo, jam procuratores habebantur; prorſus ut ipſi quidem regiis commodis fruerentur, expenſas vero ac difficultates Alexandra perferret. Sed eadem mire callebat res adminiſtrare majores: itaque augendis copiis ſemper intenta, duplicem conflavit exercitum: neque pauca mercenaria paravit auxilia; quibus non modo ſtatum ſuæ gentis roboravit, ſed etiam metuendam ſe reddidit externa potentia. Imperabat autem aliis, verum Phariſæis ipſa ultro parebat. Denique Diogenem quendam inſignem virum, qui Alexandro fuerat amiciſſimus, interficiunt, ejus factum conſilio criminati ut octingenti (quos ſupra memoravi) Regis juſſu tollerentur in crucem. Nihilominus autem Alexandræ ſuadebant ut & alios, quibus auctoribus Alexander in eos fuiſſet concitatus, occideret.* In animadverſionibus tamen eos dementes fuiſſe, ſcribit Antiq. lib. 13. cap. 18. & Pſeudo-Gorionides c. 33. ubi cum Alexander Rex moriturus uxori Alexandræ ſuaſiſſet quæ habentur apud Joſephum Antiq. l. 13. c. 23. *Novi*, inquit, *eorum indolem* (de Phariſæis loquitur) *bonam eſſe. Nam inimicitias non retinent, & miſericordes ſunt.* Errant Gelenius & Suidas; Ille, qui Joſephi verba male vertendo Phariſæos vocat *genus hominum aſtutum, arrogans & Regibus quoque infeſtum:* at verba Joſephi ſunt, Φαρισαῖοι καλούμενοι, βασιλεῦσι δυνάμενοι μάλιστα ἀντιπράσσειν, τρομηθεῖς, μὴν τοῦ πράκτου εἰς τὸ πολεμεῖν καὶ βλάπτειν ἐτοίμους, *Iſti Phariſæi vocantur; adeo potentes ut Regibus cum primis poſſint reſiſtere; ita proſpicientes in futurum ut etiam aperto bello Reges laceſſant, iſque nocent.* Iſte, quod ſcribat, Σαμαρεῖς λέγονται οἱ Φαρισαῖοι δὲ ζηλωταί. *Nam Phariſæi* (inquit Druſius) *non dicebantur ſicarii: ſed ex Phariſæis profectus Judas Galilæus* (quidam Gaulonitam appellant) *quartæ ſectæ autor fuit, quæ ſolum Deum Dominum agnoſcebat. Itaque ne Cæſarem Dominum faterentur, graviſſima ſupplicia pertulerunt, non ipſi ſolum, ſed pueri etiam eorum.* Teſtis Salmanticenſis, *Phariſæi erant miſericordes & filii miſericordium.* Joſephus in Judaicis *lib. 7. cap. 29. Qui igitur ex Phariſæis ex hac ſecta erant à zelo erga* DEUM *appellati ſunt Zelotæ; deinde, quia ficis utebantur ad occidendum homines, vocati etiam ſunt Sicarii.* Sic Eſſæi quidam, non omnes, *ſicarii* dicti, nimirum qui ex iis in ſectam Judæ Galilæi tranſibant; quos & ipſos à zelo peculiari erga DEUM ζηλωτὰς appellarunt. Scholia Græca de ſicariis, Act. 21. Ἄλλοι δὲ Ἐσσηνῶν σικαρίους ἐκάλουν, ἤγουν ζηλωτάς.

CAP. XXVII.

Etymon & ſcriptura nominis tertiæ ſectæ.

VAriant eruditi in ſcriptura vocis qua tertia Judæorum ſecta appellatur: alii enim *Eſſæos*, alii *Heſſæos*; ſic *Eſſenos* & *Heſſenos* promiſcue ſcribunt. Cauſa hujus variationis eſt diſcrepantia doctorum de origine vocis. Melanchthon à עשׂה deducit, quod eſt *operari*; quaſi hi bonis operibus invigilarint, aliis mundum ſpirantibus. Sed verbum עשׂה hoc ſignificatu Judæis non fuit uſurpatum quo tempore hæc ſecta eſt exorta: jam tum enim Syriaca lingua Judæis fuit vernacula. Alii *Eſſæos* q. *medicos* dictos volunt, qui morbos quoque ſanarent. Eſt enim Syriæ אסא *mederi*, & אסיא *medicus*. Epiphanius inde Ἐσσαίους q. Ἰησαίους dictos voluit, παρὰ τὸ ἰᾶσθαι, quod Ionicum eſt pro ἰᾶσθαι. Idem alibi q. Ἐσσαίους ab Eſſæi patre Davidis deducit.

Philo quaſi *ὅσιος* putat dictos ab *ὅσιος ſanctus*, reprehenſus ideirco à Scaligero, quod nomen Syriacum aut Judaicum à Græco derivet. Ipſe Scaliger, quod Philo alibi ſcribit Ἐσσαίους eſſe *περιττώματας τῆς ὁσιότητος*, concludit l. 6. De emend. temp. ab aliqua voce patria deductum illorum nomen quæ *ὁσιότητα* ſignificet; & vocem illam vult eſſe חסין, unde ὅσιος, ſicut ex חסידון *ὁσιότης*. Sed cap. 26. Elenchi Trihæreſii Seraii ait Scaliger ſe à Philone deceptum id hariolatum eſſe, & *Heſſæos* deduxiſſe à Chaldaico verbo חסן, in quo ſignificatio eſt *ſilentii* & *quietis*, item *floreæ ad incubandum*. Ut dicam quod res eſt, conjecturæ hæ ſunt potius quam definitiones eruditorum. Quid enim ſi primus ſectæ autor *Eſſæus* vel *Heſſæus* dictus, cujus deinde nominis memoria ſit obliterata? Sed & hæc eſt conjectura. Itaque vocis hujus ut etymon ita ſcriptura à meris conjecturis pendet. Qui ab חסה *facio*, *operor*, vel ab חסא *ſano*, *medeor*, nomen deducunt, ſemper *Eſſæus* leniter ſcribunt. Qui à Syriaco on vel à Judaico חסן derivant vocem, cum aſpiratione ſcribunt *Heſſæus*. Sicut autem Ἐσσαῖος ita Ἐσσηνὸς aſpirandum: prior terminatio Syriaca eſt, poſterior in *ηνὸς* Græca. Secure igitur pronuncio, Qui vel cum aſpiratione vel ſine aſpiratione nomen hoc ſcripſerit, illum à tribunali Grammaticæ nequaquam condemnatum iri.

CAP. XXVIII.

Eſſæi non Naziræi, non Rechabitæ, non Samaritani.

FAlluntur qui Eſſæos volunt fuiſſe Naziræos. Abraham enim Zachut, præter quem nullus Judæus ſcriptor Eſſæorum meminit: & omnino hujus ſectæ ignoratio, aut ſaltem ſilentium magnum eſt in eorum omnium libris: Is, inquam, in libro Juchalin, etſi Eſſæos vocat *Naziræos*, non tamen aſſerit Eſſæos Naziræos eſſe: quin contra eodem libro Eſſæorum parentem facit Judam Galilæum. Quomodo potuerunt ergo Naziræi eſſe ſi tam recens eorum initium? (quanquam ſcimus antiquiores fuiſſe) Quomodo item Naziræi, cum his neceſſitas ex Lege incumberet Templum ingredi, à quo Eſſæi excludebantur? Non minùs errant, qui Suidam ſecuti, Eſſæos faciunt Patriarchias Rechabitarum. Ἐσσαῖοι, *πρόγονοι Ἰωναδὰβ υἱοῦ Ῥηχὰβ τοῦ δικαίου*, Suidas. Ubi ſi cum doctiſſimo Wolfio legeris *ἀπόγονοι*, (ſiquidem omnes vet. ſcriptores Eccleſiaſtici Eſſæos *ἀπογόνους Ἰωναδὰβ τοῦ Ῥηχαβίτου* dixerunt, non *προγόνους*) tamen falſum dices. Eſſeni enim à Phariſæis orti. Ambo ſunt חברים, ſed *ἀκριβέστεροι οἱ Ἐσσαῖοι*. Rechabitas vero eodem fere tempore cœpiſſe & deſiiſſe veriſimile eſt, quia in exſilium deportati ſunt poſt caſum Zedekiæ. Quin nullæ Judæorum ſectæ memorantur ante Simeonem Juſtum: quomodo igitur Rechabitarum progenies Eſſæi? Male quoque Eſſeni ponuntur in Samaritis ab Epiphanio, pejus Samaritarum Eſſeni ab eodem diſtinguuntur ab Eſſæis Judæis, cum nulla omnino cauſa dari poſſit vel poſitionis illius vel diſtinctionis.

CAP. XXIX.

Eſſæorum habitatio, numerus.

POtro Eſſæi habitabant, ut Philo loquitur, *κωμηδὸν pagatim*, ſive *vicatim*. *Μία γὰρ οὐκ ἔστιν αὐτοῖς πόλις, ἀλλ' ἐν ἑκάστῃ μετοικίαι πολλοί*, *Non eſt enim illis una civitas, ſed in ſingulis multa domicilia transferunt.* Joſephus Orig. lib. 2. c. 12. Et quoniam in vicis à celebritate locorum remotiſſimis habitabant, ſolos tantum principes ſuos Jeroſolymis habebant: in quibus fuit ille Johannes Eſſæus cujus mentio lib. 2. c. 42. Ἀλλάχ. & Judas Eſſæus qui Antigono mortem prædixit, l. 13. Orig. c. 19. Quoniam item *minime ambitioſum genus erat, neque fraudulentum, ut Phariſæorum, neque impium, ut Sadducæorum, propterea*, inquit Scaliger in Elencho, *non fuit Chriſto negotium cum illis, nullaque eorum mentio fit in Evangelio.* Verum non ſolos principes ſed multos etiam plebeios Eſſæorum habitaſſe Jeroſolymis, illud argumento eſt quod Joſephus lib. 5. Ἀλλάχ. ſcribit, Jeroſolymis fuiſſe portam quæ *Eſſæorum* diceretur. De numero Eſſæorum Joſephus l. 18. c. 2. *καὶ τοῦτο πρόσεστιν ἀνδρῶν ὑπὲρ τετρακισχιλίων τὸν ἀριθμὸν ὄντες.*

CAP. XXX.

Eſſæorum Doctrina, Vita.

DOctrina Eſſæorum non multum diſcrepat à doctrina Phariſæorum. Confitentur unum DEUM: credunt Providentiam: agnoſcunt Fatum: ſtatuunt Immortalitatem animarum. Joſeph. lib. Orig. 13. c. 9. & lib. 18. c. 2. Item Ἀλλάχ. lib. 2. cap. 7. Vita illorum accuratior & religioſior multo fuit quam Phariſæorum. Ideo Joſephus eos nominat *βελτίσους ἄνδρας τὸν τρόπον*, Orig. l. 18. c. 2. Et lib. 15. cap. 13. ſcribit, *Divinitatem multa Eſſæorum aperire ſua decreta & conſilia propter παλιγγενεσίαν ob morum probitatem.* Et lib. 2. c. 7. Ἀλλάχ. *Εἰσὶ δὲ ἐν αὐτοῖς οἱ καὶ τὰ μέλλοντα προγινώσκειν ὑπισχνοῦνται, βίβλους ἱεραῖς, καὶ διαφόροις ἁγνείαις, καὶ προφητῶν ἀποθέγμασιν ἐμπαιδοτριβόμενοι· σπάνιον δὲ αὖτοῖς ἐν ταῖς προγνωσέσιν ἀποχήσουσιν*, *Sunt autem in iis etiam qui futura poſſe promittant, ſacriſque libris & variis ſanctificationibus Prophetarumque dictis à primis ætatibus adhærentes. Raro autem accidit ut prædictiones eorum fruſtratio conſequatur.* Tales Prophetæ fuerunt, Manahemus Eſſæus, qui Herodi Regnum, Orig. l. 15. c. 13. Judas Eſſæus, qui Antigono mortem, Orig. 13. 9. Simon Eſſæus, qui Archelao dominationis terminum prædixit, Orig. l. 17. c. ultimo. Studuerunt autem vitæ piæ, juſtæ, temperanti. PIETATIS erat, Quod frequenter orabant, pſallebant: Joſephus, Philo. Quod non jurabant: *Τὸ γὰρ ὀμνύειν αὐτοῖς περίεστιν, χεῖρόν τι τῆς ἐπιορκίας ὑπολαμβάνουσιν· ἤδη γὰρ ἤδη κατάγνωσθαί φασι τὸν ἀπιστούμενον δίχα Θεοῦ*, h. e. *Ipſum juſjurandum perjurio deterius exiſtimant. Jam enim mendacii convictum arbitrantur cui ſine Deo non creditur*, lib. 2. De bello Jud. c. 7. Quod poſt DEUM maximi fecerunt Moſen, Σέβας ἦ *μέγιστον παρ' αὐτοῖς μετὰ τὸν Θεὸν τὸ ὄνομα τοῦ νομοθέτου· κἂν βλασφημήσῃ τις εἰς τοῦτον κολάζεσθαι θανάτῳ*, *Veneratio quoque apud eos poſt Deum magna legiſlatoris eſt, ita ut ſiquis eum blaſphemaverit, morte damnetur*, l. 2. c. 2. Ἀλλάχ. JUSTITIÆ erat, Quod eſſent φιλέλληνες, Joſephus lib. 2. c. 7. Ἀλλάχ. quod ſervos non haberent, quippe qui hoc ad injuriam communis naturæ pertinere cenſerent, cum natura omnes ſimus liberi, Orig. lib. 18. cap. 2. Quod quicquid vel ex agricultura, cui maxime fuerunt dediti, vel ex aliis artibus acquiſivere, in commune contulerant; conſtitutis quæſtoribus ſive procuratoribus, viris probis ex Sacerdotum numero, qui ex agrorum reditibus & frugum proventibus cibos eis conficerent, l. 2. c. 12. Captæ Judææ: & Orig. l. 18. c. 2. *Quod nihil inter ſe mercentur aut vendunt: ſed egenti quiſque quod habet præbens, refert ab eo quod ipſe non habet: quamvis etiam ſine permutatione cuncti libera ſit facultas à quibus libuerit accipiendi quod opus eſt*, lib. 2. c. 7. Ἀλλάχ. interprete Rufino. Quod hoſpitales eſſent; Joſephus ibid. eodem Rufino interprete, *Alienis advenientibus ſibi ſua profeſſoribus quicquid habent promptum exhibent quaſi proprium: & quos viderunt nunquam, ad eos tanquam conſuetiſſimi ingrediuntur. Hinc eſt quod cum iter faciunt, propter latrocinia tantum armantur, neque præterea quicquam ferunt. In ſingulis autem civitatibus ex eodem collegio ſpecialis curator hoſpitum conſtituitur, qui eorum veſtimenta cæteraque uſui neceſſaria tueatur.* Quod erant πίστεως προσάται, εἰρήνης ὑπουργοί, h. e. *fidem tuerentur, paci obſecundarent.* Quod non loquerentur mendacium: *πᾶν μὲν τὸ ῥηθὲν ὑπ' αὐτῶν ἰσχυρότερον ὅρκου, quicquid ab eis dictum jurejurando firmius.* Poſtremo TEMPERANTIÆ erat, quod *τὸ μὴ πάθεσιν ὑποπίπτειν ἀρετὴν ὑπολαμβάνουσι, cupiditati non ſuccumbere, virtutem ducerent.* Quod caverent ſibi à cibo multo & variis eduliis, *μετρίους τροφὴν καὶ πότου μέχρι κόρου, edendi & bibendi modum ſaturitate definientes*, ut loquitur Joſephus. Unde idem, Καὶ μεταβάλλειν μὲν, ὡς τοῖς πολλοῖς ὑπὲρ ὑγιείας παρατείνων ἔτη, διὰ τὴν ἀκλήστητα τῆς διαίτης, ἔμοιγε δοκεῖν, καὶ τὴν εὐτεξίαν. Quod voluptates quaſi maleficia vitarent: *τὰς μὲν ἡδονὰς ὡς κακίαν ἀποστρέφονται.* Quod cuſtodirent ſeipſos à ſcortatione, teſte Abrahamo Zachuth. Quod eſſent, ut Joſephus loquitur, *καταφρονηταὶ τοῦ πλούτου, divitiarum & opum contemptores.* Quod denique eſſent contemptores adverſorum; cruciatuum corporis, mortis ipſius: cui rei ſpecimen ediderunt in bello cum Romanis geſto. Joſephus l. 2. c. 7. Captæ Judææ.

CAP.

CAP. XXXI.

Disciplina Essæorum.

DIxi de doctrina, dixi de vita Essæorum: tango nunc eorundem disciplinam. Gubernantur omnes à Præside sive Curatore: sine hujus præcepto nihil quicquam faciunt: sine hujus venia nec cognatis dant aliquid. *Δύο δὲ τούτων πρὸ αὐτοῖς αὐτεξούσια, ἐπιτροπὴ καὶ ἔλεος, In his duobus sui juris sunt, in juvando & miserendo.* Neminem in coetum suum adsumunt nisi prius bene probatum. Formula probationis à Josepho l. 2. Belli Jud. c. 7. exponitur ista, *Secta sua studiosis non statim cum eis una collectio: sed per annum integrum extrinsecus commorantis cuique eundem victus ordinem tribuunt, dolabellam quoque, & quod prædictum est perizoma, & albam vestem tradentes. Cum vero processu temporis experimentum continentiæ dederit, accedit etiam ad communem cibum, & purioribus, ob castificationem scilicet, aquæ participat; neque tamen in convictum assumitur. Post ostensionem quippe continentiæ, duobus annis aliis mores ejus probantur: cumque dignus apparuerit, tunc demum in consortium assumitur. Prius vero quam incipiat communem habere cibum, magnis exsecrationibus adjurat se primum quidem colere Deum, deinceps quoque erga homines servare justitiam, & neque propria sponte nocere cuiquam, neque ex præcepto obesse; quinimo iniquos omnes odisse, & collaborare semper justitiæ sectatoribus; fidem omnibus servare, maxime vero Principibus: neque enim absque voluntate Dei cuiquam posse Principatus potentiam contingere. Si vero ipse cæteris præsit, nunquam se abusurum viribus potestatis ad contumeliam subjectorum; sed neque vestem aut ambitioso aliquo ornatu reliquis eminere, veritatem semper diligere, & habere propositum convincere mentientes. Manus vero à furto, & animam puram servare ab injustis compendiis, & neque aliquid de mysteriis consectaneos celare, neque profanis eorum quippiam publicare, etiamsi intentata quispiam morte compellat. Super hæc autem addunt, nihil se de dogmatibus aliud quam ipsi susceperint tradere. Fugere autem latrocinia, & conservatum ire simul & dogmatis sui libros & Angelorum nomina. His quidem exsecrationibus explerant & quasi præmunient accedentes.* Qui sic probati in consortium convictus interioris & rituum assumuntur: qui isti; *Ante Solis ortum nihil profani loquuntur, sed ei patria quædam vota celebrant, quasi ut oriatur precantes. Deinde ad quas venerunt singuli artes, à Curatoribus dimittuntur.* In opere manent usque ad horam quintam, quæ nobis undecima ante meridiem. Tum *rursus in unum congregantur, linteisque præcincti velaminibus corpus ablunt frigida. Post lotionem in eadem secreta coenum, quo neminem alterius sectæ hominem adspirare concessum est; ipsique purificati velut in sanctum quoddam templum in cœnaculum veniunt. Quibus ibi cum silentio residentibus, pistor quidem panes ordine, unum autem vasculum ex uno pulmento singulis coenis apponit. Deinde voce cibum Sacerdos antevenit: neque gustare quenquam fas est nisi prius Deo celebretur oratio. Post finem quoque prandii vota repetunt. Nam & cum incipiunt & cum desinunt, quasi datorem victus, Deum laudibus canunt. Tunc velut sacris illis depositis vestimentis, in opere usque ad vesperam versantur. Simulitérque inde reversi cœnant, considentibus etiam hospitibus, si quos forte intervenisse repererint. Neque vero clamor unquam tectum illud, neque tumultus inquietat; cum etiam loquendi ordine aliis alii cedant; eorumque silentium extra tectum constitutis arcanum quoddam videatur venerabile. Cujus quidem rei perpetua sobrietas causa est, quodque apud eos edendi aut potandi modus saturitate definitur.* Quod si qui in peccatis deprehenduntur, *eos ἐκβάλλουσι τοῦ τάγματος ejectum congregatione sua: & qui taliter fuerit condemnatus miserabilis plerumque morte consumitur. Illis quidem Sacramentis ac ritibus obligatus neque capere oblatum ab aliis cibum potest, herbas vero pecudum more decerpens & fame exesus per membra corrumpitur. Ob id etiam plurimos plerumque miseratis extremum spiritum agentes receperunt, sufficientem pro peccatis eorum, qua usque ad mortem adduxerat, panem luisse censentes.*

CAP. XXXII.

Hæresis & superstitio Essæorum.

QUÆ hucusque de Essæis diximus, ex iis facile colligere est, illos, si mores spectes, nostris Anabaptistis simillimos fuisse. Utut autem vitæ sanctæ fuerint studiosi, omne tamen studium ipsorum fœde contaminarunt hæresis & superstitio. Nam, ut Philastrius scribit, *Christum Dominum Dei Filium non exspectarunt, neque in Lege atque Prophetis eum Dominum agnoverunt annunciatum, sed ut Prophetam & justum hominem solum.* Deinde, *ad Templum donaria mittentes sacra ibi non fecerunt, quod sanctioribus uterentur cæremoniis: quapropter exclusi à communi fano seorsim sacrificarunt*, Josephus Orig. l. 18. c. 2. Immolarunt igitur victimas in locis in quibus degebant, quod de ritu immolationis non illis cum Judæis reliquis conveniret. In quo duo erant hæretica; prius, Quod alios ritus ab iis quos sanxit Moses haberent; alterum, Quod alibi quam ubi Moses præcepit victimas suas immolarent. Itaque non mirum si tanquam ἔκγονοι & piaculares aditu Templi prohibebantur. Erant & idololatræ: Josephus, *πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, εἴδεν φθέγγονται τῶν πατρίων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς, ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι.* Quod obiter etiam tangit Philo, *ἡλίῳ δὲ ἀνίσχοντος ἐνημερίας αἰτήμενοι τὴν ὄντως ἐνημερίαν.* Duplex nimirum ἐθνισμὸς notatur in Essæis; prior, ad Solem orientem orare; (Judæi enim ex Legis præscripto ad Occidentem adorabant) alter, Soli preces concipere, *πατρίους ἐυχὰς φθέγγονται εἰς ἥλιον.* Sane φθέγγεσθαι ὕμνους εἰς Θεὸν est *in laudem* DEI *carmina canere: εἰς ἥλιον* igitur *ἔυχεσθαι* est *in eum preces fundere.* Jam & Angelos colebant. Josephus de formula jurisjurandi quod *ἀπὸ τῶν ἐγκρινομένων* exigebatur, *καὶ συντηρήσειν ὁμοίως τά τε τῆς αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία, καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα.* Unde θρησκεία τῶν ἀγγέλων Essenica interdicta ab Apostolo Col. 2. 17, 18. Sunt & illa hæretica quæ de animarum statu docuerunt: Joseph. l. 2. Ἁλώσ. c. 7. De superstitione Essæorum quid dicam? Inter Solis ortum & occasum nihil aliud quam orationi intenti fuere, Philone autore: unde eidem θεῖται dicti. Superstitiosum & hoc, quod eos quos in suorum coetum recipiebant, tanquam gentiles & profanos, baptizabant: quod non fiebat nisi in Ethnicis, cum proselyti essent faciendi; ut de muliere gentili quæ Judæa facta est legimus, *Præcepit R. Hija tingere eam & proselytam facere.* Illud vero supra omnem Judaismum, ventrem in Sabbato non exonerare: *οὐδὲ σκεῦός τι μετακινῆσαι ἁπλῶσιν, οὐδὲ ἀποκριθεῖν, neque vas aliquod transferre audent; imo ne alvum purgant.* Ratio cur alvum non levarent in Sabbato, quia sarculum sive σκαλίδα gestabant, qua scrobiculam deprimerent in qua egerent; at in Sabbato nullum σκεῦος tollere aut transferre licet, quale est sarculum; sed tantum id quod portari per traditiones licet, quale est Annulus, Clavus, Cultellus. Nullum quidem præceptum joculare tam apud Essæos quam apud Judæos de hac re exstabat. Sed in Essæorum præceptis & regulæ Canonibus illud præceptum Deut. 23. 12, 13. de paxillo & de scrobicula fodienda continebatur: quare non poterant alvum levare nisi opus facerent, quod non licet in Sabbato. Mitto superstitiones viliores: *Φυλάσσονται τὸ πτύειν εἰς μέσους, ἢ τὸ δεξιὸν μέρος* nimirum *in medium* (vel seniorum vel plurium) *non spuebant, ut nec in dextrum latus.* Et decem simul sedentibus non loquebatur illorum quisquam nisi venia impetrata à reliquis novem. Probri loco ducebant oleum & unctiones. Squalorem decorum putabant, dummodo semper in veste essent candida. Vestem non deponebant donec vel usu vel tempore esset detrita.

CAP. XXXIII.

Distinctio Essæorum quadruplex.

ESsæi quatuor modis distinguuntur. Primo, secundum tempus exercitationis. *Διήρηνται δὲ κατὰ χρόνον τῆς ἀσκήσεως εἰς μοίρας τέσσαρας· καὶ τούτου οἱ μετιγενέστεροι τῶν προγενεστέρων ἥττονται, ὡς εἰ φοβοῖτο αὐτῶν ἐκείνους ἀπολύεσθαι καθάπερ ἀλλοφύλων συμφέροντας*, h. e. *Discernuntur inter se secundum suscepta abstinentiæ tempora in partes sive ordines quatuor. Tantumque hi qui juniores sunt inferiores præcedentibus æstimantur, ut si aliquos eorum contigerint, quasi à contrectatu alienigenæ abluantur.* Distinguuntur deinde à loco: alii enim Essæi Palæstini sunt, alii Ægyptienses. Et

hi, ſcribit Scaliger adverſus Serarium, ab Helleniſtis Ægyptienſibus ſolis, non à Paläſtinis, θεραπευταὶ vocati ſunt: non quod vitia animi (ut hariolatus ex Euſebio & Philone Serarius) ſed corporis morbos curabant, & peritiam ὕλης ἰατρικῆς ſummam tenebant: ὅθεν αὐτοῖς πρὸς τερπνὸν πᾶσιν ῥίζαι τε ἀλεξητήριοι καὶ λίθων ἰδιότητες ἀνερευνῶνται, inquit Joſephus. Præterea Eſſæorum alii ſunt γαμέται, alii μονάζοντες. Alii uxorem ducunt, alii cœlibes agunt. Illi *maximam vitæ hominum partem, ſucceſſionem ſcilicet, amputare eos qui abſtineant nuptiis arbitrantur, quippe ſi in eandem velint omnes ire ſententiam, defecturum confeſtim genus humanum. Nihilominus autem cum tanta ipſi moderatione conveniunt, ut per triennium explorent valetudinem feminarum, & ſi conſtanti purgatione apparuerint idoneæ partui, ita eas in matrimonia aſciſcunt. Nemo tamen cum prægnante concumbit, ut oſtendant quod nuptias non voluptatis ſed liberorum cauſa inierint.* Hi *nuptias quidem faſtidiunt, alienos vero filios, dum adhuc molles ſunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes, ſuis moribus diligenter inſtituunt: non quia conjugia vel humani generis ſucceſſionem cenſeant pernicndam, ſed quia cavendam putant intemperantiam feminarum, nullam earum uni viro fidem habere credentes.* Hæc Joſephus. Confer Solinum c. 36. & Plinium l. 5. c. 17. Poſtremo, Eſſæi dividebantur in θεωρητικὸς & πρακτικούς· qua de diviſione ita Scaliger in Elencho, *Inter τὰς θεωρητικὰς καὶ τὰς πρακτικὰς non aliud diſcrimen eſt præter illud quod ἡ θεωρία καὶ ἡ πρᾶξις conſtituat. Alios Eſſenos ab iſtis ſeparabat* πανοῦργοι καὶ ἐργασίαι· *illi enim erant τεχνῖται, iſti ſoli orationi operabantur, unde dicti ὅσιοι.* Ergo οἱ πρακτικοὶ *erant ut λαϊκοὶ, illi vero ut quoddam ἱερότευμα.* Euſebius Ἐσσαίους Philonis τοὺς θεωρητικοὺς καὶ ὁσίους λεγομένους Chriſtianos Monachos fuiſſe non dubitat: quod quam vere ſcripſerit alibi diſcuſſimus. Adi, ſi placet, & vacat, Meduliam noſtram Theologiæ Euſebii.

CAP. XXXIV.

Quomodo Altiſſimi Propheta *Johannes, qui præſentem, non venturum, Chriſtum commonſtravit: & cur ſingulariter Johannes dictus* Baptiſta, *cum Phariſæi communiter βαπτισταὶ, & nonnulli ἡμεροβαπτισταὶ ſint nuncupati?*

CHryſoſtomus hom. 36. in 1 Cor. 14. καὶ γὰρ ὁ προφήτης ἑρμηνευτὴς ἐστι τοῦ Θεοῦ, *Propheta eſt interpres Dei.* Non igitur, quod vulgus exiſtimat, à *prædictione futurorum* dicitur *Propheta*, ſed quod *Dei interpres* eſt & *Dei vice fungitur*: ut *Proconſul*, *Propretor*, πρὸ valet ὑπέρ· ut πρόμαχος eſt ὑπέρμαχος· πρόδικος, ὑπέρδικος. Virgilius,

Qua Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo.

nam ut Helenus Phœbi, ſic ipſe Phœbus Jovis interpres eſt. Theocritus,

Μουσάων δὲ μάλιστα τίων ἱερὰς ὑποφήτας.

Poetæ ſunt *Muſarum Prophetæ*. Permutantur enim hæ præpoſitiones, ut docet Budæus: nam ὑπόθεσις nonnunquam πρόθεσις. *Propheta* igitur Johannes: *Propheta* & Miniſtri N. Teſt. quotquot Scripturam S. interpretantur. Quanquam Johannes etiam quædam futura prædixit, de Chriſto paſſuro, de politiæ illius deletione, de Eccleſia novo modo inſtauranda. Et in prima Eccleſia Doctorum quoque aliqui dono vaticinandi fuere ornati, qualis Agabus & alii, qui duplici jure *Prophetæ* nuncupati.

Sed cur Johannes Euangeliſtis ſingulariter dicitur *Baptiſta*, cum Phariſæi à Juſtino Martyre, *Dialogo* πρὸς Τρύφωνα, ſine ulla diſcretione βαπτισταὶ nuncupentur? Cauſam Grammatici dicent, qui τὸ βαπτίζειν & *immerſionem in aquas* & *lavationem* notare docebunt. Notus priſci Oraculi de Athenienſibus verſus,

Ἀσκὸς βαπτίζῃ, δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστίν.

Margaris quidem utris inſtar, ſed occidere, i. penitus ſubmergi, fas non eſt. Sed & notus locus Marci, qui cap. 7. 4. *lotiones poculorum & ſextariorum & æramentorum & lectorum*, in quibus valde occupati erant Phariſæi, βαπτισμοὺς nominat. Ab hoc vocabuli ſignificatu Phariſæi à Juſtino βαπτισταὶ, ab altero, à munere ſcilicet demergendi in aquas eos qui converterentur, Johannes *Baptiſta* eſt vocatus. Hic enim primus idemque vetuſtiſſimus baptizandi ritus fuit, confeſſores peccati non aqua conſpergere (qui βαπτισμὸς eſt) ſed in aquas immergere, & ſolenni hac ceremonia mortificationem pariter & vivificationem hominis renati repræſentare. Ab hoc eodem vocabuli ſignificatu Judæi ſuperſtitioſiores ἡμεροβαπτισταὶ ſunt dicti, eo quod non pedes tantum ſed & corpus totum quotidie intingerent antequam diſcumberent. Qua de cauſa Phariſæus ille qui Jeſum ad cœnam invitaverat mirabatur ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου, Luc. 11. 38.

CAP. XXXV.

Locà Baptiſmo Johannitico nobilitata, Bethabara & Ænon, Joh. 1. 28. & 3. 23.

JUcundum eſt animo intueri loca illa quæ vel Chriſti ipſius vel Legatorum ejus actionibus aut concionibus ſacris ſunt quaſi ſanctificata. Talia ſunt inter alia multa Bethabara & Ænon, quæ obſcura antea Baptiſmus Johannis reddidit celebria. BETHABARA eſt *Domus trajectus*: BETH, *domus*: ABARA, *trajectus*. Hanc enim ſcripturam *Bethabara* magno conſenſu habent codices Græci & Latini. Et convenit appellatio loco: ibi enim traduxit exercitum Joſua. *Bethabara* igitur fuit *Domus trajectus*. Nomen Græcum, Latinum, Germanicum, Vandalicum ſunt ejuſdem originis. *Abar* Hebræis eſt *tranſivit*: inde über / ober / ut obrigkeim / ad Nicrum ſupra Heidelbergam tribus milliaribus; & metathеſi literarum *Abar* fuhrt / ä er / Græce ὑπέρ· unde nomina Germanica Franckfurt / Schweinfurt. Melanchthon etiam inde derivabat appellationem pagi Brabe prope Witebergam, cum nondum pons ibi impoſitus eſſet Albi. In Boëmia illa appellatio eſt in multis locis. Epiphanius legit ἐν Βηθαμαρᾷ in *Bethamara*, errore, ut credit Druſius, nato ex characterum affinitate, quæ tanta eſt in antiqua ſcriptura ut vix diſcerni poſſit μῦ à βῆτα, & contra. Hoc igitur leve: majus illud, quod Syrus & Nonnus lectionem ἐν Βηθαβαρᾷ non agnoſcunt: unde Caſaubonus conjicit alteram illam, ἐν Βηθανίᾳ, eſſe antiquiorem. Ego vero veterem hunc ſcriptorum errorem eſſe puto, qui *Bethaniam* pro *Bethabara* poſuerint, nomen videlicet notius pro minus noto: quod non raro in Græcis Bibliis factum viri eruditi pridem obſervarunt; ut *Juda* pro *Jehu*, Hoſ. 1. 4. Βαθουὴλ pro Φαθουὴλ, Joel. 1. 1. Ἐυφραθᾶ pro Σεφαρᾶδ, Abd. 20. Itaque variarunt codices jam olim tempore Epiphanii, qui, ἐν ἄλλοις, inquit, ἀντιγράφοις, ἐν Βηθανίᾳ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Teſtatur autem Theophylactus accuratiores cod. habuiſſe Βηθαβαρᾷ non Βηθανίᾳ. Pro *Bethabara* certe Geographia pugnabit. Benedictus enim Arias in diligentiſſima urbium & villarum recenſione unius tantum meminit *Bethaniæ* prope Jeroſolymam ſitæ ſtadiis XV, Johan. 11. 18. At Jordanis aberat Jeroſolyma Orientem verſus itinere unius diei, Juch. 65. 2. R. Sal. Jeſ. 24. 16. In Bethabara igitur, non Bethania, baptizavit Johannes. ¶ Celebratur quoque in Scriptura locus alter Baptiſmi Johannis ÆNON, quem Baronius in Annalibus eundem eſſe vult cum ÆNAN, quia utramque vocem ſignificare *fontem* dicit Hieronymus. Confutat Baronium Caſaubonus Exercit. 13. cujus verba non pigebit adſcribere; *Hieronymus*, inquit, *duo loca ſitu ſeparata commemorat, quorum alteri nomen Ænan, alteri Ænon. Habet autem ille ab Euſebio; cujus verba deſcribam è libro De locorum nominibus in S. Scriptura.* Αἰνὰν, ἥ ἐστιν ἐν παρόδῳ Θαμνᾶ, ἔρημος νῦν τόπος ἐστὶν, ἡ Αἰνὰν, παρακείμενος τῇ Θαμνᾶ, εἰς δεῦρο οἰκουμένῃ μεγίστῃ πόλει, κειμένῃ μεταξὺ Αἰλίας καὶ Διοσπόλεως· πηγὴ δέ ἐστιν ἐν τῷ Αἰνὰν λεγομένῳ τόπῳ παρ' ἣν εἴδωλον ἦν παρὰ τῶν ἐγχωρίων τιμώμενον, h. e. Ænan, quæ ſita eſt in tranſitu Thamnæ, deſertus nunc locus eſt, adjacens Thamnæ urbi maximæ, quæ adhuc incolitur, ſita inter Æliam & Dioſpolim. Fons autem eſt in loco qui dicitur Ænan, juxta quem idolum erat quod ab incolis honorabatur. *Hæc Euſebius de Ænam inter loca Moſi memorata, reſpiciens locum Geneſeos* 38. 14. *ubi Septuaginta Seniores vocem* עינים HENAJIM *verterunt* Αἰνὰν, *Hebræi vero, ut admonet Hieronymus, non pro loci nomine accipiunt, ſed* bivium *interpretantur. Proprie eſt τὰ ὀφθαλμοὶ, vel τὰ πηγαῖα*, duo oculi, *vel* duo fontes. *Propterea Abenezra viam denotari putat inter duos fontes. De Ænon vero ſcribit Euſebius*, Αἰνὼν, ἐγγὺς τοῦ Σαλείμ, ἔνθα ἐβάπτιζεν ὁ Ἰωάννης, ὡς ἐν τῷ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίῳ· καὶ δείκνυται εἰσέτι νῦν ὁ τόπος ἀπὸ ἡ μιλίων Σκυθοπόλεως πρὸς νότον, πλησίον Σαλείμ καὶ τοῦ Ἰορδάνου, *h. e.* Ænon prope Salem, ubi baptizabat Johannes, ut in Euangelio Johannis legitur. Et monſtratur adhuc locus, octo miliis Scythopoli diſtans verſus Auſtrum, vicinus Salem & Iordani. *Vides quantum erret Baronius, qui Ænan & Ænon putat ejuſdem loci eſſe nomina; cum Ænan fuerit prope Dioſpolin, ſive Lyddam, ab ea parte Jordanis qua reſpicit mare; Ænon vero vicina Scythopoli ad alteram Jordanis ripam ſita, non longe ab ipſo flumine fuerit*

fuerit remota. Sed & appellationes multum differunt: Ænan enim Hebræis eſt HENAJIM, *ut oſtendimus; at Ænon apud Syrum & Arabem Interpretes* נונין HIN-NON: *perperam enim apud Syrum Paraphraſten. Sed ſcriptum eſt pro Nun,* Hin-jon *pro* Hin-non; *quod apparet ex Arabica paraphraſi. Neque aſſentiendum doctiſſimo Interpreti, qui non animadverſa librariis menda exponit Syriacam Scripturam* Oculus columbæ *at* Hin-non *eſt* Oculus piſcis.

CAP. XXXVI.

Baptiſmus Aquæ & Ignis. Hæreticorum inuſtura loco lotionis. Ventilabrum in manu Chriſti.

HOC eſt ingenium Carnis ut adhæreſcat Scripturæ cortici, ad nucleum non attendat. Servator in ultima Cœna panem vocat *ſuum corpus*: ad hæc verba Metuſiaſtæ pariter & Synuſiaſtæ accurrunt, & neglectis verbis ſubſequentibus, QUOD PRO VOBIS TRADITUR. HOC FACITE IN MEI MEMORIAM, fingunt, illi quidem, panem in Corpus mutari, hi, Corpus ſub pane latére. Idem accidit olim Seleuco & Hermiæ Galatis, Philaſtrio in Catalogo Hæreticorum autore, qui cum legerent in Luca 3. 16. *Ipſe baptizabit vos Spiritu S. & igni*, ut nos infantes, dum baptizamus, aquis aſpergimus, ita illi notas quaſdam iis inurendas cenſuerunt. Ac memoriæ proditum eſt à Matthæo Paris in Henrico III. à Paulo Venero De regionib. Orientalib. l. 3. c. 43. à Petro Bizardo Hiſtoriæ rerum Perſicar. l. 10. complures Eccleſias & nationes multis jam ſeculis ritum inuſtionis religioſe obſervaſſe hodieque obſervare, inductas omnes verborum ſpecie, ac ſi manifeſtum eſſet, illorum judicio, proprium non figuratum verborum ſenſum eſſe. Neque ita late propagarunt Pontificii Realem præſentiam in altero Sacramento, illis freti vocabulis, *Hoc eſt corpus meum*, atque iſti Ignitas ſuas notas in altero diſſeminarunt, muniti iſtis, *Spiritu S. & igni.* Atqui non de igni corporeo ſed de igneis Spiritus S. donis loquitur Joannes, interprete Chriſto ipſo Act. 1. 5. & hiſtoria effuſi in Apoſtolos Spiritus S. Act. 2. Verum non Hæretici tantum, ſed multi etiam Chriſtiani interpretes impegerunt in verba iſta Johannis, *Ego baptizo aqua; Chriſtus baptizabit Spiritu S. & igni.* Vulgata enim per omnes Homiliaſtas eſt opinio, externum Baptiſmum & Miniſterium Johannis aliorumque Doctorum ab interno Miniſterio Chriſti hic diſtingui; cum longe ſit alia mens Baptiſtæ. Rogatus enim cur baptizaret, non reſpondit illud quod in promptu erat, *Dei verbum hoc nomine ad me factum eſt*, Luc. 3. 2. ſed cum non ignoraret ex nova Baptiſmi ceremonia multos è Judæis colligere, licet dubitanter, ipſum eſſe Meſſiam, ut argumentationem illam vanitatis argueret, ait, *Ego baptizo aqua; ſed venit qui baptizabit Spiritu S. & igni*: h. e. Duplex eſt Baptiſmus, AQUÆ & IGNIS. Baptiſmus Aquæ eſt, quando reſipiſcentes immerguntur aquæ & ex ea rurſum extrahuntur in teſtificationem mortificationis & vivificationis per Spiritum S. Hunc Baptiſmum ego adminiſtro; hunc adminiſtrabunt omnes Miniſtri N. Teſtamenti. Ut igitur alii qui aqua baptizabunt in remiſſionem peccatorum, quæ ſine Spiritu S. non datur, non erunt Meſſias, ita nec ego idcirco Meſſias dici poſſum. Baptiſmus Ignis eſt, quando ignea Spiritus S. dona miraculoſe in homines effunduntur, obſtupeſcentibus ad miraculum hominibus. Hunc Baptiſmum adminiſtrabit Chriſtus, (& ſic prædixit ipſe Act. 1. 5.) quando ſtupendo & miraculoſo plane modo ignea & admiranda Spiritus S. dona Diſcipulis ſuis conferet in prima Pentecoſte, deinde & nonnullis aliis tam Judæis quam Samaritanis & Gentibus: qui Baptiſmus deſinet ubi autoritas doctrinæ Euangelicæ ſatis fuerit confirmata. Hunc nemo alius adminiſtrare poteſt: nemo enim alius Spiritum S. in poteſtate ſua habet. Solus igitur Chriſtus eſt Meſſias. Hæc, meo quidem judicio, eſt germana ſententia verborum Joannis. Non igitur diſtinguit hic inter ſuum externum Baptiſmum & Chriſti Baptiſmum externum. Chriſtus enim nunquam baptizavit aqua, Joh. 4. 2. nec diſtinguit inter Baptiſmum ſive Miniſterium ſuum externum & internum Chriſti, quod Paulus facit 1 Cor. 3. 6. ſed diſtinguit ordinarium ſuum & aliorum Aquæ Baptiſmum ab extraordinario, miraculoſo & ad certum tempus durabili Baptiſmo Ignis Chriſti; atque inde concludit, Non ſe ſed igneum illum Baptiſtam eſſe Meſſiam. Id quod etiam hoc argumento demonſtrat, Quod non in ſua ſed in Chriſti manu ſit τὸ πτύον, *ventilabrum*, *pala*, h. e. inſtrumentum quo grana repurgantur à paleis, pii ab impiis ſecernuntur. Ventilabrum illud triplex eſt, Doctrinæ, Crucis, Judicii. Doctrina Euangelii ventilat Chriſtus homines: & cum publice jubet annunciari, credentes ſalvatum, incredulos & inobedientes damnatum iri, quid aliud quam primam hominum ſeparationem facit? *Triticum* enim eſt, quicquid amplectitur *Agnum DEI peccata mundi tollentem. Palea* eſt, quicquid non recipit oblatum Servatorem. Sed hoc ventilabro profani tantum à piis ſegregantur. Adhibet igitur Chriſtus ventilabrum Crucis, quo etiam hypocritas à vere piis diſcernit. In perſecutione enim, propoſita jactura bonorum, & oſtenſo crucis ac mortis periculo, *triticum*, h. e. quod ſolidam ac veram pietatem intus habet, immobile animi robur declarat; contra qui fuerint *paleæ*, ſpecie religionis nitidæ, cæterum intus inanes à vera religione diſſiliunt, h. e. à veritatis profeſſione deficiſcunt: non quod tum primum incipiant eſſe impii, ſed quod quales antea fuerint oſtendant. Tam profanos autem quam hypocritas ab electis diſcernet Chriſtus in decretorio illo die quando oves ab hircis ſegregabit, his in torturam inferorum, illis in gaudium cœlorum immiſſis.

CAP. XXXVII.

Securis ad radicem. Agnus Dei. Vis verbi αἴρω Johan. 1. 29.

FOrmam proverbii ſapiunt iſta, *jam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt*: cui locus cum extrema pœnarum mala præſignificamus. Appoſite eo uſus Joannes. Hortus DEI eſt Eccleſia: in hunc plantata eſt familia Abrahæ; quæ quamdiu fructus aliquos tulit, à Deo culta; ubi nullos tulit, deſerta fuit. Hanc pœnam Judæis & quidem extremam minatur Baptiſta: ideo dicit, *Ad* RADICEM *arboris poſitam ſecurim.* Ad ramos arboris ſecuris ponebatur quando Aſſyrius x Tribus in perpetuam captivitatem abduxit: ad ramos arboris ſecuris ponebatur quando Judæi in Babylonicum exſilium mittebantur: relinquebantur enim huic arbori radices, è quibus mox alii ramuſculi protrudebantur. Jam vero *ſecuris admota eſt ad radicem arboris* diu toleratæ: ſuccideretur à ſtirpe populus Abrahæ, & inſerentur Gentes Abraham credulitate referentes. Hodie quid aliud Germaniæ occinere poſſumus? Quot Eccleſiarum rami deciſi ſint loquatur Auſtria, Boëmia, Moravia, Palatinatus. Nunc *ſecuris ad radicem*: reſipiſcamus: nulla mora eſt: aut vera pietate properandum eſt ad æternam ſalutem, aut, ni id fiat, irreparabiliter ac funditus perendum. Quod averruncet Servator Jeſus Chriſtus, quem Joannes noſter digito commonſtrans diſcipulis ſenſu iræ DEI conſternatis, vocat *Agnum Dei tollentem peccata mundi*, Joh. 1. 29. non metaphorice, propter vel ſimplicitatem vel tolerantiam tantum, ſed metonymice, quia eſt victima & redemptio. Riſerunt Judæorum ſacrificia Philoſophi & ſaniores Ethnici, quibus abſurdum viſum, DEUM velle placare animalium ſanguine. Et qui potuerunt aliter de ritibus & ceremoniis populi DEI judicare ii, quibus victimarum Aaronicarum myſterium fuit ignotum? At nos ſcimus, ſacrificiorum ceremoniis & mactatione victimarum præfiguratum fuiſſe Divinum Agnum Jeſum, qui idcirco *Agnus DEI* vocatur ut diſcernatur ab agno typico Aaronis. Hic *Agnus αἴρει τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου.* Apud Iſaiam duo verba leguntur v. 4. capitis 53. נשא & סבל, quorum illud ſign. *portavit*, hoc *abſtulit*: utrumque comprehendit verbum Græcum αἴρω, ut & Latinum *tollo*. Chriſtus igitur is eſt *qui portat & aufert τὴν ἁμαρτίαν peccatum*, h. e. ut rectiſſime Eraſmus, *totam colluviem peccatorum. Venite* igitur *omnes οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι*: in hunc Agnum conjicite peccatorum veſtrorum onera: is ea *feret* & *auferet*, ut in conſpectum DEI iniquitatum vindicis æternum non veniant.

CAP. XXXVIII.

Quo alluſiſſe nonnullis videatur Joannes, dicens, Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi, *Joh.* 3. 29.

QUod ſigna virginitatis vocantur veſtes, & expandi jubentur Deut. 22. 14, 15. ex eo colligunt Hebræi ea fuiſſe linteum infectum ſanguine in primo coitu, quod parentes à teſtibus acceptum aſſervarint. Tradunt inſuper olim in Iſrael introductos fuiſſe ſponſum & ſponſam in thalamum, & eos foris obſervaſſe teſtes, qui vocabantur *amici*, *ſocii*; & poſtquam ſeparati fuiſſent ingreſſos teſtes accepiſſe veſtem ſuper qua concubuiſſent, & in qua ſanguis appareret, & hanc veſtem

ſtem vocant סוד *ſudarium*, *limeolum*, *pannum*. Lyranus ſuper locum Deuteronomii citatum meminit quidem illius moris, ſed dubitat de traditionis fide. Contra P. Fagius Notis in Paraphraſin Chaldaicam & probat Ebræorum ſententiam, & Baptiſtam ad morem illum alluſiſſe cum pluribus ſtatuit. Verba ejus iſta, *Mihi prior* (Ebræorum) *ſententia magis probatur: quam confirmat & Moſes Nachmannus, qui aut ante thalamum nuptialem fuiſſe teſtes & paranymphos*, שושבינים Schoſchefinim *dictos, qui præeuntes cubiculum exploraverunt, ne quid, quod ad indicium virginitatis pertinet, inſidiarum alter alteri imponeret; totamque noctem adſtantes ſummo cum gaudio animique hilaritate excubias, ceu cuſtodes Regis & Reginæ, agebant. Illorum erat, egredientibus ſponſo & ſponſa, protinus irrumpere, explorare omnia denuo: & agnita priora lintea, in quibus concubuerant, acceperunt ac tradiderunt matri. Itaque virginitatem puellæ hujuſcemodi lintea indicia primum ea nocte ademptam eſſe referentes nunciant: quod factum non fuit: Nam Sacerdotalis judicii erat inter ſanguinem menſtruum & purum diſcernere. Sunt qui putant Joannem Baptiſtam Joan. 3. ad morem illum nuptialem alluſiſſe, dum à ſe repellit honorem atque exiſtimationem Redemptoris, quæ Chriſto debebatur.* Qui, *inquit*, habet ſponſam ſponſus eſt: amicus autem ſponſæ ſtat, & audit vocem ejus, & lætatur. *Videtur enim alluſio eſſe ad ſodalem ſponſi ante thalamum excubantem, qui gratulatur ac ſubſervit gaudio ſponſi. Sic Baptiſta Domini Præcurſor ante thalamum eſt, neque mentem credentis, quemadmodum Spiritu ſuo Chriſtus, complebitur.*

Cap. XXXIX.

Deus Chriſto non admittit Spiritum, Joh. 3. 34.

OMnium enim gratiarum Spiritus S. theſaurus Chriſtus eſt. Typi illuſtres hujus rei in Scriptura. Lapis apud Zachariam habet *ſeptem oculos:* Chriſtus eſt Lapis ille fundamenti, in quo ſe multiformes Spiritus gratiæ exſerunt. Salomo abundat auro & argento & lapidibus, Chriſtus donis ſpiritualibus. David *oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis ungitur*, Chriſtus præ omnibus etiam ſanctiſſimis hominibus. Eliæ diſcipuli habuerunt & ipſi aliquid de Eliæ ſpiritu, ſed Eliſæus vim duplo majorem Spiritus Eliæ obtinet, typus videlicet Chriſti, qui *Primogenitus omnis creaturæ* principatum gratiarum cœleſtium obtinet. Eliſæi typus ut evidentior ſit, apponam quæ P. Fagius in Paraphraſin Chaldaicam ad Deut. 21. 17. *Denique primogenito duplicem partem*, annotat. *Ad verbum eſt in Ebræo* שנים פי Pi ſchnajim, *i.* os duorum; *quem Hebraiſmum expreſſit P. Chaldæus. Similem phraſin infra habes 2 Reg. 2. ubi Eliſæus Propheta* שנים פי Pi ſchnajim, *ut habet veritas Hebræa, i.* duplex os, *ſive* os duorum, *ſibi de ſpiritu Eliæ dari petit: h. e. Quia primogenitus erat inter diſcipulos Eliæ, i. primus quem ille in ſcholam & diſciplinam ſuam receperat, idcirco fretus jure primogenituræ duplo majorem vim ſpiritus Eliaci ſibi præ condiſcipulis & commilitonibus ſuis dari poſtulavit. Non eſt ergo quod quidam ſe torqueant ut explicent quomodo Eliſæus virtute ſpiritus ampliore & efficaciore Eliam ſuperaverit. Condiſcipulos enim ſuos, non magiſtrum ſuum, excellere cupiebat. Porro, duplex portio bonorum paternorum primogenito ita cedebat: Si tres filii relicti eſſent, hæreditas in quatuor partes dividebatur, & duæ cedebant primogenito: Si quatuor filii, in quinque partes. Et hoc eſt jus primogenituræ.*

Cap. XL.

Joannis Baptiſtæ magnanimitas in aula. Herodis vulpina crudelitas. Cadaver Joannis ubi conditum: an Sebaſten tranſlatum?

INſigne elogium Joannis Baptiſtæ legitur Matth. 11. 7. ex ore Servatoris hauſtum, *Non eſt arundo à vento agitata.* Certe non fuit, quippe qui nec ſpe nec metu à tramite recti ſe dimoveri paſſus eſt, & vel cum vitæ periculo inceſtum Regis ſui publice damnavit: *Non licet*, ait, *tibi ducere uxorem fratris tui.* Intellige, *ſi ipſe adhuc vixerit:* nam poſt mortem licebat hoc facere: imo tenebatur frater defuncti ducere uxorem ejus viduam, ſi erat improlis ſive illiberis, h. e. ſi liberos nullos ex eo ſuſceperat. Magna emphaſis eſt in verbo *ἔχειν*, quando Baptiſta ait, Οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν αὐτήν. Cicero lib. 9. ad Patum, *Ne Ariſtippus quidem ille Socraticus erubuit cum eſſet ei objectum, Habere eum Laida* (ἔχειν Λαΐδα) *Habeo, inquit, non habeor. Græce vero hoc melius: tu, ſi voles, interpretabere.* Celebranda omnibus modis hæc Joannis magnanimitas. Contra deteſtanda Herodis vulpina crudelitas, qui trucidandi Joannis cauſam aliam finxit, aliam habuit. Finxit eam quam Joſephus exponit l. 18. c. 7. *Joannem*, inquit, *qui Baptiſta cognominatus eſt, Herodes necavit, virum bonum, excitantem Judæos ad virtutum ſtudia, & inprimis pietatis ac juſtitiæ, ſimulque ad Baptiſmi lavacrum: quod ita demum Deo gratum ajebat fore, ſi non ab uno tantum alterove peccato abſtinerent, ſed animis per juſtitiam prius mundatis adderent & puritatem corporis. Dumque magni concurſus ad eum fierent, plebe talis doctrina avida, Herodes veritus ne tanta hominis autoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex ejus conſilio, judicavit ſatius eſſe prius quam novi aliquid moliretur illum tollere, quam rebus turbatis ſeram pœnitentiam agere. Itaque vinctum miſſum in Macharuntem, illic occidi imperat.* Habuit illam quam S. literæ produnt, quæ diſertim narrant, Herodem amputatum innocentiſſimi viri caput obſcœnæ ſaltationis præmium dediſſe puellæ, Herodiadis filiæ. Conſentit Hiſtoria Ebraica, c. 63. *Herodes Antipas occidit multos ex ſapientibus Iſrael, & in his Joannem Sacerdotem magnum, propterea quod dixiſſet, Non licet tibi ducere uxorem fratris tui Philippi. Hic eſt Joannes ille qui baptizatus fuit.* Sed & Chronicon Templi ſecundi, *Herodes accepit uxorem Philippi fratris ſui, quæ ei genuerat duos filios. Quem ob hanc abominationem redarguit R. Jochanan Sacerdos magnus. Ideo percuſſit & occidit eum Antipas.* Subſiſte hic, Lector, & cogita quam grave ſimul & triſte fuerit ſanctiſſimo viro, publica Regis ſui teſtatione mori ut ſeditionis autorem, qui privato conſcientiæ ſuæ teſtimonio fuerat pacis & concordiæ præco. Eadem hodieque fabula agitur: tantum mutantur perſonæ. Sed Veritas Temporis filia; mendaciſſimorum hominum infernus pœna. Narrunt Euangeliſtæ Matthæus & Marcus, poſt cædem S. Prophetæ, *ejus diſcipulos veniſſe & corpus ſepeliſſe atque in monumento condidiſſe.* Nihil illi de Sebaſta ſive Samaria, in qua Hieronymus ſua ætate corpus Joannis Baptiſtæ ſitum fuiſſe ſæpius oſtendit. Nugæ igitur ſunt quæ de tranſlatione corporis ejus à vaniſſimo ſcriptore Nicephoro & hujus ſimilibus ſparguntur.

Cap. XLI.

Joannes Baptiſta vitæ Eremiticæ non dedit initium.

AUſterioris vitæ exemplum præbuiſſe Joannem Baptiſtam ut negemus non permittit Scriptura: cujus ductum ſecutus ex parte Euſebius lib. 9. Demonſt. Euangelicæ c. 5. ſcripſit, *Procedebat ex deſerto, inuſitatum indutus habitum, omnemque communem hominum conſuetudinem declinans: nam neque in vicum ullum, neque in urbem, neque in communem aliquem virorum cœtum commeabat:* & paulo poſt, *Repente, neſcio unde, è latebris ſolitudinis prodeuntem, & poſt prædicationem rurſus in ſolitudinem & in latebras redeuntem, ſine potu, ſine cibo, abhorrentem à multitudine merito obſtupeſcebant, & ne hominem quidem illum eſſe arbitrabantur.* Dixi Euſebium hic ex parte Scripturam ſecutum. Nam quod affirmat Joannem *poſt prædicationem rurſum in ſolitudines receſſiſſe*, id vero Sacræ literæ nuſpiam docent. Neque vero in Joanne ſolum ſed & in Elia τῆς κατὰ Θεὸν τελείας ἀσκήσεως propoſitam fuiſſe ideam, Patres non pauci dixere. Quod vero Joannem autorem vitæ Eremiticæ & Monaſticæ faciunt Pontificii, tam eſt à vero alienum quam certum eſt nec à Scriptura nec ab ullo Patrum id dictum. Atque ut demus Pontificiis, Joannem in deſerto, h. e. ut ipſi interpretantur, non in regione montana, in qua ſparſim & rari quidam homines habitabant, ſed in vaſta ſolitudine ad annum uſque triceſimum vixiſſe; non idcirco dederimus, Joannem Eremitarum & Monachorum fuiſſe parentem. Multum enim hæc duo inter ſe differunt, ſanctimonia atque auſteritate vitæ poſteris prælucere, & Eremiticum vitæ genus Monachorumque ordines inſtituere. Diſſimilitudo etiam inter Joannem & Eremitas Monachoſque eſt multo maxima. *Joannes vixit in deſerto*, inquit Maldonatus in Matth. 3. *ut lex Moſis in deſerto tradita in deſerto quodammodo moreretur.* At fine Legis Chriſto adventante ceſſavit inhabitandi eremum cauſa; ceſſare igitur debebat & vita ſolitaria. Deinde, Joannes vixit *in deſerto uſque ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael*, Luc. 1. 80. adeoque præparavit ſe in deſerto ad Miniſterium: At noſtri Eremitæ & Monachi vivunt in ſolitudine ad diem mortis uſque, pectora vero ad Miniſterium non præparant: aut ſiqui eorum ſe populo oſtendunt, nego-

negotia tractant ſecularia, Regum & Rerump. ſe miſcentes conſiliis. Poſtremo, Joannes in deſerto ſancte vixit & inculpate: At pleriſque Cœnobitis noſtris vita agitur plus quam Sybaritica. Itaque ut Joannes puritate vitæ ſuæ omnes in ſui convertit admirationem, ita Monachi vitæ ſuæ impuritate optimos quoſque ad juſtam indignationem & ordinis Cœnobitici deteſtationem provocant.

CAP. XLII.

Monitum de vitandis curioſis diſputationibus ſuper Genealogia Chriſti. LXX male Kainan infuderunt in genus Sem. Varia cauſa diverſitatis inter Matthæum & Lucam. Grammatica vocum, βίβλος, γένησις, ἀγένητον, ἀγέννητον, &c.

REgula Oeconomica eſt, *Eman non quod opus, ſed quod neceſſe eſt.* Regula Theologica eſt, *Diſce neceſſaria, mitte non neceſſaria.* Locum hoc habet vel maxime in Genealogia Chriſti, quam legenti hæc & illa dubia occurrunt de quibus anxie diſputandum non eſt: quid enim ad pietatem? Nec Euangeliſtæ ipſi ſecuti ſunt ἀκριβείαν. *Lucas certe*, inquit Scaliger in Euſebianis, *non ex Hebraico codice ſed ex LXX texit Catalogum Patrum: ideo τὸν δεύτερον Καϊνὰν in poſteritate Sem recenſet, quem præter autoritatem Hebraici tam Judæorum quam Samaritarum codicis editio LXX Seniorum poſuit: quod nemo ſcire unde hauſerint, neque cur poſuerint hactenus cauſam reddere potuit. Omittunt eundem Kainan Euſebius, Africanus, nec agnoſcit Epiphanius hæreſi Melchiſed. Ergo LXX Kainan in genus Sem infundentes, & centenis annis παιδοτοκίας ſingulorum Patriarcharum tempus ab Hebraica veritate definitum augentes, auctoritatem Judaici Codicis in dubium revocarunt apud eos qui non ſolum Hebraice neſciebant ſed etiam ipſum contextum Hebraicum propter odium Judæorum ſuſpectum habebant. Neque deſunt hodie Capitones, qui Helleniſtarum Alexandrinorum editionem Moſaicæ veritati præferant, & eos Novatores qui aliter ſentiunt vocent. Ita ſane audivit Hieronymus etiam apud virum omni exceptione majorem Auguſtinum; qui tamen aliter poſtea ſenſit. Georgius Syncellus de Judæorum Hebraico codice rejiciendo, & de laude Samaritici, non pauca vomit, quæ non referam. Sed lege Auguſtinum De civitate Dei l. 15. c. 14. quod hujus latratoris opponas vecordiæ.* Præterea vere oleum & operam perdit qui hic curioſe & ſuperſtitioſe diligens. Agnoſcunt hoc & fatentur magni illi literariæ rei Atlantes Joſephus Scaliger & Iſaacus Calaubonus. Et novi ego Sylveſtrum Steicrum Leovallam Sileſium, Theologum ſenem, qui omnem ætatem contriverat in enucleanda Genealogia Chriſti, tandemque opus ſuum Genealogicum Pragæ typis deſcriptum & auguſtæ memoriæ Imperatori Rudolpho dedicatum anno M. D. XCIV. publicavit, ſed quod ſitim multorum non reſtinxit, verum auxit. Cauſa rei, quia particulari antiquiſſimorum illorum temporum hiſtoria deſtituimur, cum ultra mille quingentos annos omnes libri Genealogici Hebræorum interciderint: unde fit ut quæ temporibus Euangeliſtarum pleriſque fuerunt notiſſima clariſſimaque, hodie nobis ſint obſcuriſſima. Poſtremo nulla nos neceſſitas trahit ad curioſas iſtas diſquiſitiones Genealogicas. Nam quod uterque Euangeliſta demonſtratum voluit, Chriſtum eſſe filium Davidis, id adeo evidens fuit Chriſto in terris agente, eſtque etiamnum hodie, ut non dico Chriſtiani, ſed ne Judæi quidem id in dubium vocent. Dico quid amplius. Theodorus Beza ad tertium Lucæ, *Hic*, inquit, *prætermiſſum nolim inexſpectatum quiddam; nempe in illo meo veneranda ſane vetuſtatis codice (cujus antea ſæpe memini) hanc Genealogiam ſicut apud Matthæum deſcendendo, ſic hoc loco aſcendendo, iis tantum adjectis quos Matthæus in teſſeradecadibus conſtituendis præterierat, ad Salomonem, non ad Nathanem, cæteris ſurſum ad Adamum uſque invariatis, deduci, hac videlicet ſerie,* υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἰακὼβ, τοῦ Ματθὰν, τοῦ Ἐλεαζὰρ, τοῦ Ἐλιοὺδ, τοῦ Ἀχεὶμ, τοῦ Σαδὼκ, τοῦ Ἐλιακεὶμ, τοῦ Ἀβιοὺδ, τοῦ Ζοροβαβὲλ, τοῦ Σαλαθιὴλ, τοῦ Ἰεχονίου, τοῦ Ἰωακεὶμ, τοῦ Ἐλιακεὶμ, τοῦ Ἰωσία, τοῦ Ἀμὼς, τοῦ Μανασσὴ, τοῦ Ἐζεκία, τοῦ Ἄχὰς, τοῦ Ἰωαθὰμ, τοῦ Ὀζεία, τοῦ Ἀμασία, τοῦ Ἰωὰς, τοῦ Ὀχοζίου, τοῦ Ἰωρὰμ, τοῦ Ἰωσαφὰτ, τοῦ Ἀσὰ, τοῦ Ἀβιὰ, τοῦ Ῥοβοὰμ, τοῦ Σολομῶν. Quod ſi vera eſt iſta lectio (*fieri* enim *potuit*, quemadmodum non male conjectat doctiſſ. Beza, *ut ipſis Euangeliſtarum temporibus Judæi genealogiam iſtam, quantum in ipſis fuit, depravarint, quaſi fidem cæteris de Chriſto narrationibus abrogaturi, qua fraus à pleriſque non animadverſa facile obtinuerit*) fruſtra fuere veteres æque ac recentes Theologi qui in conciliando Matthæo & Luca allaboratunt. Verum lectioni iſti oppo-

nitur Syrus interpres, opponuntur tot manu, tot typis deſcripti codices, qui quam hodie apud Lucam legimus Genealogiam Chriſti exprimunt univerſi. Hinc Ilias diſputationum enata. Quæruntur enim diverſitatis inter Lucam & Matthæum cauſæ. Quidam diverſas Tribus ab Euangeliſtis deſcribi putant; Matthæum enim, qui Regiam in Chriſto perſonam inſtituerit inſinuare, naturalem Chriſti ex Regibus Judæorum generationem numerare; Lucam vero Sacerdotalem in Chriſto perſonam oſtendere volentem generationes adoptionis Chriſti percurrere. Hos confutat Caſaubonus Exerc. 1. ad Apparatum Annalium. Alii apud Lucam inde à Zorobabele uſque ad Joſephum non recenſeri cenſent diverſos ab iis qui recenſentur à Matthæo, etſi nomina ſint diverſa; binomines enim iſtos omnes fuiſſe. Hos refellit Piſcator Notis in primum caput Matthæi. Et cum Matthæus affirmet Joſephum Mariæ maritum ex Jacobo natum eſſe, Lucas autem eundem facit filium Eli, fingunt nonnulli Jacobum fuiſſe Joſephi patrem naturalem, Eli autem ejuſdem patrem legalem; quos Andreas Oſiander falſi convincit Annotationibus in Harmoniam Euangelicam cap. 16. Ipſe autem Oſiander ſtatuit Joſephum fuiſſe filium Jacobi, generum Eli; ſed nec hoc ex Scriptura, ſed, ut ipſe fatetur, ex veteri Eccleſiæ traditione. Ad ſummam, quod in obſcurioribus aliis, idem hic accidit eruditis, ut facilius redarguant ſententias falſas quam aperiant veram. Non dicam nunc de aliis Genealogiæ hujus difficultatibus. Certe Maldonatus ut ſe ex verſu undecimo expediret, totum reformavit legitque, *Joſias autem genuit Joakim & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis. Joakim autem genuit Jechoniam.* Ego igitur ignorantiam meam profeſſus doctiſſimorum virorum conjecturas quas Matthæo & Lucæ conciliandis adferunt miſſas facio, & in Catalogo generationis Chriſti, qui tot Patrum continuam ſeriem exhibet, atque quatuor millium annorum numerum explet, conſidero ſecundi Adami gloriam, noſtræque conſolationis amplitudinem, ut qui certo inde ſciamus Chriſtum ex iis Patribus ortum eſſe quibus promiſſiones traditæ fuerant; fallique Judæos qui amiſſa Davidicæ ſtirpis linea etiamnum fictitii ſui Meſſiæ adventum ſomniant. Ac licet mihi querulandum ſit cum Auguſtino. *O me miſerum, Chriſte, quod non ex me natus ſis!* cum eodem tamen me recolligens dico, *Sed ô me beatum, Chriſte, quod ego ex te natus ſim!* ¶ Nunc à Genealogicis ad Grammatica me converto. Brevis Majorum Chriſti recenſio vocatur βίβλος *liber*. Ne mirere. Hebræis SEPHER non ſolum *volumen longum* ſed etiam *brevem ſchedam* ſignificat. Adi Jeremiam cap. 32, ubi agrum emit, venditionis autem ſchedam ſæpe appellat *librum*. Parvus etiam libellus repudii appellatur *liber* Eſe. 50. 1. *Quis eſt hic liber repudii quo dimiſi matrem veſtram?* Hinc Græco quoque noſtro, interpreti dicam an autori? βίβλος *liber* dicitur, & Βίβλος γενέσεως *Liber generationis*, quomodo Ciceroni dictus eſt *libellus nominum*. Poſſunt tamen verba iſta, LIBER GENERATIONIS ἐπιγραφὴ eſſe totius Hiſt. Euangelicæ Matthæi. Vocabulum enim *generationis* ſæpe Eventa quoque ſubſequentia ſignificat: ut Gen. 6. 9. *Iſtæ ſunt generationes Noæ, Noa vir juſtus & integer fuit*, &c. Et cap. 37. 2. *Iſtæ ſunt generationes Jacob. Joſeph cum eſſet ſeptendecim annorum, paſcebat oves*, &c. Sic igitur *generatio* hoc loco & Catalogum Majorum & Actiones Chriſti denotat, rectæque βίβλος *liber* dicitur. Porro γένεσιν, v. 1, & γέννησιν v. 18. Vulg. interp. eodem ſignificatu accepit, ideoque utrobique vertit *generationem:* quod merito correxerunt Eraſmus, Beza, alii, & γέννησιν v. 18. *nativitatem* interpretati ſunt. Latius enim patet vox *generatio*, quippe quæ non ſolum ad naſcentem verum etiam ad generantem pertineat. Quando vero voces γένεσις & γέννησις, γενητὸς & γεννητὸς, ἀγένητος & ἀγέννητος ab eruditis quoque ſæpenumero non ſine Grammaticæ querela confunduntur, rem me ſtudioſis Græcarum & Sacrarum Literarum non ingratam facturum exiſtimo, ſi quæ doctiſſimus & mihi olim amiciſſimus Henricus Stephanus de vocabulorum iſtorum derivatione, ſignificatione, ſcriptione, Notis in Athenagoræ Apologiam ſcripta reliquit, hoc loco arrexam. Sic autem ille, Γίνεσθαι *eſt* fieri, γενέσθαι factum eſſe: *unde* γενητὸν factum, ἀγένητον infectum: *ut apud Ariſtot. 7. Ethic.* Μόνου γὰρ αὐτοῦ ὁ Θεὸς ςερίσκεται, ἀγένητα ποιῆσ᾽ ὅσ᾽ ἂν εἴη πεπραγμένα, i. facta infecta reddere. *Eſt item* γίνεσθαι gigni, naſci, γενέσθαι natum eſſe: *unde* γενητὸν genitum, ἀγγένητον ingenitum, *idem ſignificantia quod* γενητὸν & ἀγέννητον à γεννᾶσθαι. *Sic dicitur* γέγονεν ὁ κόσμος, & γένεσις τῷ κόσμῳ. *Et* ἀγένητον *Cicero vertit apud Platonem* quod nunquam oritur, *cujus nulla eſt origo: ut legere potes in meo Ciceroniano Lexico Græcolatino. At in Lexicis iſtis vulgaribus, etiam in noviſſimis editionibus, ſcribitur*

bitur Ἀγέννητος ingenitus, *item*, non factus: *falso, ut infinua alia, ex non perſpecta ea quam modo annotavi derivatione. Nam* γίνεσθαι, *quod ſimpliciter ſignificat* fieri, *accipitur & pro* γεννᾶσθαι, gigni, nasci, oriri: *at vero* γεννᾶσθαι *non itidem pro* γίγνεσθαι, i. fieri: *unde fit ut* ἀγέννητον *ubique pro* ἀγέννητον *uſurpari poſſit, at non viciſſim ubique* ἀγέννητον *pro* ἀγέννητον. *Verbi gratia, in eo quem modo citavi Ariſtotelis loco pro* ἀγέννητα *male ſcripſeris* ἀγέννητα, *duplici* ν, *cum illi oppoſitum ſit non* γεννητὰ *ſed* πεπραγμένα. *Et hanc differentiam quondam Græci Theologi in Chriſti Perſona diligenter obſervarunt; qui fuit* ἀγέννητος, *ut & Pater, at non* ἀγέννητος: *ut contra in omni animantium genere, quæ prima exſtiterunt fuerunt* ἀγέννητα, *at non* ἀγέννητα, *ſiquidem* γεγόνασιν, i. ἐκτίσθησαν, *condita fuerunt à DEO conditore omnium & creatore, non autem* ἐγεννήθησαν ἐξ ὁμοίων, i. *non generata fuerunt ex ejuſdem generis animantibus. Repugnantia enim loqueretur qui diceret prima eſſe quædam & γεννηθῆναι ἐκ τῶν ὁμοίων. Quin etiam hic ſi dicas*, Prima animantia ἐγεννήθησαν, *unica* ν, *id verum comperietur; ſin* ἐγεννήθησαν, *duplici, falſum. Magna igitur attentione & cautione in hujuſmodi locis opus eſt.*

CAP. XLIII.

Expenditur interpretatio Latina vocabulorum Græcorum κεχαριτωμένη, μετὰ σπουδῆς, ταπείνωσις, κράτος, ἀντελάβετο, παῖδες, *omnia apud Lucam in primo.*

NOn eſt unius hominis transferre ſacra in linguam peregrinam. Utinam igitur viri Principes Eccleſiam vel tandem perpetui ſui voti damnarent, & convocatis viris doctis compluribus de ſolida & conſtanti Bibliorum verſione decernerent! Vel in uno hoc Lucæ capite quot interpretationes occurrunt quæ rigidiuſculum cenſorem vix ferant? Ecce v. 28. κεχαριτωμένη redditur *gratis dilecta*, quod minus eſt quam pro rei magnitudine. Complectitur enim vox Græca non tantum *gratuitum amorem*, ſed etiam, quæ inde manant, externa & interna beneficia, maxime honorem illum τῇ γενέσθαι μητέρα τοῦ Κυρίου. Qua de cauſa Caninius affirmare non dubitavit, Angelum hoc verbi fabricatum eſſe, cum non haberet aliud quod reſponderet Syriaco participio *Rahimta*, quod eam ſignificat quæ *gratioſiſſima & acceptiſſima eſt*. In quo tamen fallitur Caninius: nam vox hæc ante εὐαγγελισμὸν Mariæ lecta eſt in Siracide c. 18. ubi invenies, *Sermo plenus eſt quam donum:* ἀμφότερον δὲ ἐν τῇ κεχαριτωμένῃ, *utrumque eſt apud hominem gratia præditum.* Lutherus quoque in Germanico non expreſſit vim vocis, quando vertit **Gegruſſet ſeyſtu/ holdſelige.** Et vetus verſio ambigua eſt, *Ave Maria gratia plena.* Falſum, ſi active, ut loquuntur in Scholis; veriſſimum, ſi paſſive accipiatur. Caſtalio, *Salve accepta*; plane non aſſecutus eſt vocabuli emphaſin. Dixerim Germanice, **Begnädete/ eder/ in gnaden geliebte**: Latine, *gratiam gratis conſecuta.* Eſt enim κεχαριτωμένη, ἣν Θεὸς ἐχαρίτωσε· ſicut paulo poſt *εὐλογημένη ἣν Θεὸς εὐλόγησε.* ¶ *V.* 39. μετὰ σπουδῆς vertunt plerique *feſtinanter*, vel *cum feſtinatione.* Et ſic κατὰ σπουδὴν *cum feſtinatione* vertit Caſaubonus apud Polybium lib. 1. At Melanchthon meus non tam *feſtinationem* quam *magnam animi intentionem & deſiderium conveniendi amicos, & narrandi eâ quæ ſibi dicta erant ab Angelo*, deſignari exiſtimat. Veriſſime autem de modeſto Mariæ virginis in montana abitu dici poteſt quod Poeta de Æmylia Theſei ſponſa,

Αὐτὴ ὑπῆγε σεμνὰ, καὶ μὲν τρυτὴ τὸ ἦθος,
Καὶ τ' ἀμάτια χαμηλὰ, &c.
Ipſa ibat honeſte, & cum pudore ingenuo,
Et oculis demiſſis, intuentibus eam cunctis.

¶ *Ver.* 48. ſunt qui τὴν ταπείνωσιν non *humilitatem*, non *humilem ancillam*, ſed *vilitatem* interpretentur, ne propter ſimilitudinem vocum ταπεινοφροσύνης adſtruatur meritum, (quanquam, ut Eraſmus bene monet, non eſt *reſpexit humilitatem* ſed *aſpexit ad humilitatem*) & ut phraſis Mariæ non pro Hebraiſmo ſed pro *humili & abjectiſſimo ſtatu* accipiatur, ut adjunctum diſcriminetur à ſubjecto, quemadmodum 1 Sam. cap. 1. verſ. 11. dicitur, *ἐὰν ἐπιβλέπων ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης σου.* ¶ Jam in ipſius Cantici Mariæ interpretatione deſiderari in pleriſque interpretibus poteſt, quod retinuerunt præteritum, cum ſit Hebraiſmus, qui in Latino ſermone periculoſus, & in providentiam DEI nunquam otioſam, iniquus eſt, atque etiam ſcopo Mariæ contrarius. Itaque recte Lutherus præſenti uſus tempore, **Er übet gewalt: Er zerſtretvet/** &c. & Caſtalio, *patrat, profligat, deturbat.* Quanquam nec Lutherus, nec Vulgata, nec Eraſmus, nec Caſtalio, nec Beza videntur aſſecuti id quod ait Maria, ἐποίησε κράτος ἐν βραχίονι αὐτοῦ. Nam quod Lutherus vertit **Er übet gewalt/** ideo non probatur quod hæc phraſis fere in malam partem accipitur de iis qui injuriam faciunt aliis. Itaque malim **Er beweiſet krafft/** vel, ut Polanus meus, **Er erzeiget ſtärcke mit ſeinem arm/ das iſt/ wie mächtig und gewältig er ſey.** Vulg. *fecit potentiam.* Eraſmus *præſtitit robur*, obſcure, ipſo Beza teſte. Plus dicit, ſed non omnia, Caſtalio, quando vertit *fortia patrat.* Minus autem Beza, qui reddit *forte facinus fecit*; ſiquidem *forte facinus* Latinis ſpeciale quoddam facti genus ſive exemplum notat, at Mariæ propoſitum eſt magnifica providentiæ Dei opera, non ex hiſtoriis petita, ſed in communi hominum vita quotidie occurrentia, prædicare. Et epitheton illud *forte* multo levius eſt quam ut vim nominis κράτος exprimat: adeo ut hic, ſicut alibi ſæpe, Latina lingua pene ſuccumbere videatur. Vir tamen apprime doctus Nicolaus Cheſſelius verti poſſe putabat *exſerit robur*, ſeu *vires*; vel, *fortia edit facinora.* ¶ Cæterum v. 54. ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ Janus Druſius Obſerv. l. 11. c. 20. non vult verti *puerum* ſed *ſervum*: & recte. Sic enim ſumitur Actor. 4. 25. Et prifci interpretes Græci pro *ſervo* παῖδα, h. e. *puerum*, ſoliti ſunt convertere, ut Pſalm. 113. 1. Αἰνεῖτε παῖδες Κυρίου, *Laudate pueri Dominum*, i. *ſervi. Pueros*, inquit Theodoretus ad illum locum, *non juvenes, ut nonnulli ſuſpicati ſunt, ſed ſervos appellat. Sic enim & Aquila & Symmachus & Theodotio explanarunt.* ¶ Etiam deliberandum eſſet in conſeſſu doctorum quomodo reddendum eſſet verbum ἀντελάβετο. Notum eſt, Græcos ſolitos fuiſſe filios ſuos ob delictum aliquod abdicare atque è conſpectu removere, & tum dicebantur filii ἐκπίπτειν τὸ γένος, cum autem cum patre in gratiam rediirent, ἀναλαμβάνεσθαι τὸ γένος. Qui mos neque Romanis ignotus fuit. Vide Lacrtium Caſauboni, & Meurſium in Lycophronem. Certe Iſrael & nos omnes excideramus gratia cœleſtis Patris. Itaque celebratur ille hic tanquam ἀντιλήπτωρ *ſuſceptor*, *liberator*, aut quocunque alio nomine Senatus Theologicus hoc vocabulum volet exprimere.

CAP. XLIV.

Verecundia Scripturæ & Naturæ. Epiphaniana interpretatio τῆς γνώσεως. *Significata particulæ* ἕως, donec.

CAſta Deus mens eſt: caſta vult mente vocari:
Et caſtus juſſit pondus habere preces.

Certe Scriptura non ſolum caſta præcipit, ſed etiam caſte ea loquitur quæ pudicos homines alioqui in ruborem dare ſolent. Hinc illa Euangeliſtæ, συνελθεῖν *congredi*, quod non de migratione Joſephi & Mariæ in communes ædes ſed de mixtione conjugali intelligendum: γνώσεως *cognoſcere* Matth. 1. & apud Paulum εὔνοια ὀφειλομένη 1 Cor. 7. *benevolentia debita* vocatur complexus conjugalis. Etiam qui naturæ radiis melioribus illuſtrati apud Ethnicos, hic verecundi. Plutarchus in Romulo, Οὗτος ἔγνω τὴν Λαυρεντίαν, *Hic Larentiam cognovit.* Cæſar Belli Gallici lib. 6. de Germanis, *Intra annum vigeſimum femina notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus.* Rurſum Plutarchus in Bruto Τὴν Σερβιλίαν ἔγνωκε Καῖσαρ. Ovidius de Cadmo lib. 4. Metam.

- - - *ille ſuæ lambebat conjugis ora,*
Inque ſinus caros, veluti cognoſceret, ibat.

Heſiodo congreſſum viri cum muliere deſcripturo frequens eſt illa phraſis, μιχθεὶς ἐν Φιλότητι. Nonnulli elegantibus metaphoris ab agricultura petitis ſationem liberorum & congreſſum Venereum texerunt: unde Plauto illa, *fundum alienum arare, proprium inultum deſerere*: & Euripides Priamum Φυτουργόν, quaſi *plantarum ſatorem*, item πεντήκοντ' ἀρτιγάμους τέκνων vocat. Theognidi quoque uſurpatur hoc, ἀλλοτρίαν ἄρουραν ἀροῦν. Sed omnium verecundiſſime Maro, Æneæ & Didonis congreſſum deſcribens, loquitur,

- - - *Placidumque petit per membra ſoporem.*

Quo ſimili Germani quoque utimur, qui nominamus **beyſchlaffen.** Nec tacendus Gellius, cui ἔννοια Paulina dicitur *venerandum concubii pudici ſecretum.* Ut redeam ad verbum γινώσκω *cognoſco*; Epiphanius ut Antidicomarianitarum ora comprimeret, Joſepho Mariam poſt genitum Chriſtum copulatam fuiſſe aſſerentium, verba illa *Non cognovit eam donec peperiſſet filium ſuum primogenitum* ita interpretatur, *Non noverat quod tali gloria honorandum eſſet aliquis in terra, maxime mulier. Non igitur cognovit ipſam donec vidit miraculum; nec cognovit ipſius miraculum donec vidit genitum ex ipſa.* Et hunc ſecutus videtur Rodolphus Gualtherus Hom. 8. in Matthæum. Verum *congreſſum mariti*

cum uxore ſignificari verbo γινώσκειν *cognoſcere* clarius eſt quam ut negari poſſit: nec tamen inde colligetur quod Anticomarianitæ volunt. Nam particula ἕως *donec*, *uſque*, etſi interdum vel temporis vel loci certam circumſcriptionem denotat, ut cum dicitur, *Uſque ad diem Noe*, *Uſque ad forum Appii*, *Uſque ad fines terræ*, tamen ſæpe indeterminatum quid ſignificat.

CAP. XLV.

Quid ſibi velit τὸ παραδειγματίσαι: quid ἀπολῦσαι γυναῖκα: ubi & pauca de Repudiis libello.

DE verbo παραδειγματίσαι Eraſmi, Bezæ, Camerarii obſervationes eruditæ leguntur. Non abludunt ab iis, imo vero pulchre ea illuſtrant, quæ in florenti ſchola Melanchthonis pueri olim didicimus. Παράδειγμα ſignificat *id quod exhibetur atque oſtenditur ut regula ſeu documentum quo alius inſtituatur*: qualia ſunt *exempla*, quæ ſic vocantur. Fiuntque παραδείγματα etiam pœnæ, quando ſumuntur à ſacinoroſis coram aliis: inſtituunt enim & hæ ſpectantes. Itaque παράδειγμα ποιῆσαι etiam de *pœnarum exemplis* dixit Demoſthenes contra Timocratem, Ἄξιόν ἐστιν ὀργισθῆναι, καὶ κολάσαι, καὶ παράδειγμα ποιῆσαι τοῖς ἄλλοις τοῦτον, h. e. *Par eſt iraſci, & punire hunc, & facere ut aliis exemplo ſit.* Hinc παραδειγματίζω quod verbum tamen proprie & per ſe non idem eſt quod παράδειγμα ποιῆσαι: ſed Græci hoc de publica productione uſurparunt qua aliquis ludibrii & infamiæ cauſa oſtenderetur palam ſeu proſtitueretur. Itaque recte verteris & *infamare* & *contumeliis atque ludibriis & ignominiis exponere*: quemadmodum videntur παραδειγματίζεσθαι ii qui noſtris moribus ſtatuuntur ad columnas publicas aut editiora loca alia unde oſtenduntur cum infamia, proclamaris facinoribus illorum. Sunt igitur pœnarum diſtincta genera; κόλασις & τιμωρία, quæ corpus afficiunt; παράδειγμα ſeu παραδειγματισμός, qui infamia afficit, & dignitatem everſit, corpus non violat; *mulctæ* vero pecuniariæ ſunt. Et publicæ τιμωρίαι infamiam habent ſemper ſed non ſemper παραδειγματισμόν qui proprie ſic appellatur. Hoc ſenſu verbum παραδειγματίζω interpretati ſunt autores ſacri pariter & profani. LXX id habent Jer. 13. 22. & Ezech. 28. 17. ἔδωκα σε παραδειγματισθῆναι *expoſui te videndum Regibus*. Apoſtolus Heb. 6. 6. ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ παραδειγματίζοντας, h. e. *rurſum ſibi crucifigentes* (quantum in ipſis eſt) *Filium Dei, & ignominiæ afficientes*; vel *ludibrio habentes*. Col. 2. 15. ſimplex δειγματίζειν uſurpatur eodem ſignificatu pro compoſito παραδειγματίσαι, quod etiam adjunctum verbum θριαμβεύω demonſtrat, ἐκπαυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτὰς ἐν αὐτῷ. Neque enim aliud eſt θριαμβεύειν aliquem quam *ludibrio exponere*, quemadmodum in Euagrii hiſtoria Euphemius Patriarcha Conſtantinopolitanus minatur Athanaſio Imperatori, Θριαμβεύσω σε τοῖς δήμοις, h. e. *Ludibrio te exponam populis*. Apoſtolum imitatus Gregorius Nazianzenus eaſdem illas duas voces eodem ſenſu conjunxit, Oratione εἰς τὸ βάπτισμα, ſic enim ille ibi, Καὶ δείξας ὅτι τὴν ἁμαρτίαν ὄντως μεμίσηκας, παραδειγματίσας αὐτὴν, καὶ θριαμβεύσας, ὡς ἄξιον ὕβρεως. Ait, *commemoratione peccatorum*, quæ ad Baptiſmum fieri ſolebat, *declarari odium adverſus peccatum, quippe quod hoc modo publica infamia afficiatur, qua & dignum ſit.* Sic Plutarcho Archilochus Poeta obſcœnis carminibus dicitur ἑαυτὸν παραδειγματίζειν *ſeipſum infamare*. Et Polybius lib. 2. de Ariſtomacho Tyranno, ὃν ὑποχείριον γενόμενον, ἐν ἐν Κεγχρεαῖς ἔδει τὴν νύκτα σφαλλόμενον ἀνυθρεύειν, ὡς Φύλαρχός φησι, περιαγόμενον δ' ἀεὶ τὴν Πελοπόννησον καὶ μετὰ τιμωρίας παραδειγματιζόμενον ἄτυς ἐκλιπεῖν τὸ ζῆν, h. e. interprete Caſaubono, *Ariſtomachum, poſtquam fuit captus, oportebat, non, ut autor eſt Phylarchus, ſilentio noctu crucians Cenchreis mori, ſed per Peloponneſum totam circumduci, & exempli cauſa per omnium ora traduci, inter tormenta vitam finire.* Ubi παραδειγματίζεσθαι μετὰ τιμωρίας opponitur nocturnis tormentis quæ intra parietes & clam fierent: neque ſignificare verbum per ſe atrocioris ſupplicii aliquid quo corpus violetur, docet etiam addita mentio τιμωρίας. Atque hoc eſt quod demonſtratum voluimus, Verbum παραδειγματίσαι ſignificare, non pœnas in genere, ſed pœnæ quandam ſpeciem, neque tam παράδειγμα ποιῆσαι (ut Thucydides & Demoſthenes loquuntur) quod omnes pœnæ faciunt, quam *ignominia afficere publica*: ut ſi omnino παραδειγματίζειν interpretari velueris παράδειγμα ποιῆσαι, h. e. *exemplum ſtatuere in aliquem*, cum iſta etiam παραδειγματισμοῦ infamatione exemplum ſtatuatur in ſacinoroſos; hoc tamen tenendum fuerit, παραδειγματισμοῦ παράδειγμα tale eſſe infamationis ſeu ignominiæ exemplum, non corporis cruciatuum aut ultimi ſupplicii, ſiquidem morte etiam ſacinoroſi παράδειγμα τινὸς fieri licet. *Ultimi* certe *ſupplicii* interpretatio à loco Matthæi eſt alieniſſima, quandoquidem non omnis compreſſio deſponſatæ capitalis fuit, teſte Moſe Deut. 22. Joſephus igitur in re incerta quod minimum eſſet ſecutus fuit, ut ſine repudii manifeſti ſolennitate Mariam à ſe clam dimitteret potius quam repudiaret; cum repudia publice fieri oporteret. Eſt igitur παραδειγματίσαι hic quoque *infamare*: quod factum omnino fuiſſet ſi Joſephus Mariam ſolenni divortio à ſe removiſſet, cauſa inſuper data ſeveræ in virginem animadverſionis. Itaque opponitur hic publica ignominia privatæ dimiſſioni, quando ait Euangeliſta Joſephum noluiſſe Mariam παραδειγματίσαι ſed ἀπολῦσαι. Eſt autem ἀπολῦσαι hoc quod LXX ἐξαποστέλλειν interpretantur, h. e. dimiſſio in divortiis. Confer Matth. 19. 9. Marc. 10. 2. ἀπολύειν γυναῖκα dixere *dimittere uxorem*; & ἀπολυθῆναι, ſi vir ab uxore diſcederet; quemadmodum contra, ſi uxor à viro, ἀπόλειψις. Nam apud Romanos & Græcos tam mulier quam vir poteſt alteri dicere *ut res ſuas ſibi habeat*: at apud Hebræos nulla ſunt γράμματα aut ψιλλιματεῖον ἀπολείψεως hoc enim lex Moſaica viro tantum permittit, ut det uxori libellum repudii; mulieri non item, ut det viro. Prima Salome Herodis ſoror auſa eſt libellum diſcidii Coſtobaro marito dare, contra Judæorum legem, ut ſcribit Joſephus lib. 15. Antiq. Judaic. c. 2. ubi & hoc addit, *ne dimiſſa quidem à viro licere ad ſecunda vota convolare*, μὴ τῆ πρότερον ἀνδρὸς ἀφέντος *niſi prior vir permiſerit.* Ideo ſolennia illa verba adjiciebantur in libello ἀποχαιτε, *Eſto à me rejecta, & permiſſa cuicunque viro*, h. e. Do tibi facultatem nubendi cuicunque viro volueris. Niſi clauſula hæc adjecta eſſet, non poterat alii nubere. Porro formulam libelli invenient ſtudioſi in Obſervationibus Druſii lib. 14. c. 10.

CAP. XLVI.

Dictum Propheticum, Ecce virgo concipiet, *&c. utrum hiſtorice an typice allegetur*, Matth. 1. 23.

MAgna omnino quæſtio eſt & in Theologorum ſcholis multum agitata, Utrum dictum Iſaiæ, *Ecce virgo concipiet*, ad partum virginis Mariæ hiſtorice an typice accommodetur ab Euangeliſta. Utrumcunque autem ſtatuas firmabitur autoritate Prophetica caput hoc fidei noſtræ, *Chriſtum eſſe è virgine natum*, cum & typis ſacris ſua conſtet veritas. Itaque magni nominis Theologi Euangelici patrum memoria ſecure hanc theſin in utramque partem diſputarunt. Vulgatiſſima Chriſtianorum ſententia eſt, Propheticum oraculum de virginis Mariæ partu ad literam loqui. Sic enim id interpretari Matthæum cap. 1. & promitti *ſignum*, quo ipſo alienum quid à conſuetudine naturæ, quod novitate ſua animos hominum percellat, notetur. Præterea talia attributa dari huic puero quæ in hominem vulgarem non quadrant: dicitur enim *Dominus terræ* Iſa. 8. 8. *Deus fortis*, *Pater æternitatis*, cap. 9. 6. & niſi ſtet interpretatio de Chriſto, nullam certam loci hujus interpretationem dari poſſe; cum quidam Hizkiam Achazi, quidam aliquem Iſaiæ filium intelligant; utrique abſurde. Hizkiam enim tempore promiſſionis editæ jam tum fuiſſe novendecim annorum, primis autem annis Achazi factam promiſſionem: nullum etiam Jeſaiæ filium eſſe Dominum terræ Judaicæ. Inſurgunt Judæi, perrenduntque, tantum de filio Achazi aut Prophetæ locum intelligendum. Sic enim arguunt, vox ALMAH non de *virgine* ſed *puella nupta* accipitur, eſtque nomen Ætatis, non Integritatis, quemadmodum uſurpatur Proverb. 30. 19. Nec Chriſtus vel ab Angelo, vel ab Euangeliſta ipſo, vel ab aliis *Emmanuel* unquam vocatus fuit; quod factum oportuit ſi Propheta ad literam de ipſo locutus eſſet. Neque vero ſignum dicitur eſſe poſterius ſignificato: fuiſſet autem, ſi Nativitas Chriſti tot annis defenſione Urbis poſterior à Propheta hiſtorice fuiſſet indicata. Quid? quod Jeſaiæ Emmanuel dicitur *mel & butyrum comeſturus*; quod in Chriſto impletum non legimus. Et cap. 8. *Prophetiſſa* ſcribitur *filium peperiſſe qui & ipſe poſitus fuerit loco ſigni*, & proculdubio hic ipſe puer de quo loquimur. Sic igitur Judæi. Quibus porro occurrunt Doctores Chriſtiani, ajuntque, Capitis octavi promiſſionem diverſam eſſe à promiſſione capitis ſeptimi; *Eſum mellis & butyri* ſignare conſuetam puerorum educationem; Non neceſſe eſſe ut ſemper ſignum confirmans præcedat promiſſionem confirmandam, & eſſe exempla hujus conſequentiæ à fine ad media, Exod. 3. 12.

lià 37. 30. Partum Virginis ſecundum quid fuiſſe poſteriorem re ſignata, ſc. quantum ad impletionem; priorem autem ſecundum certiſſimam DEI promiſſionem; Non eſſe inſolens in Scriptura *vocabitur* pro *erit*, Iſa. 9. 6. Chriſtum *Emmanuelem* fuiſſe, licet non ſic nominatus ſit; poſtremo, Vocem ALMAH omnibus Scripturæ locis pro *virgine* uſurpari: & quamvis locus Proverbiorum de corrupta loquatur juvencula, *virginem* tamen eam dici, non quidem ἁπλῶς, ſed vel ἐφηνικῶς vel δοξαστικῶς. LXX quoque Interpretes *Almah* vertiſſe hic παρθένον· denique, *Matrem* dici *impoſituram nomen filio*, quod alioquin à patribus fieri conſuevit; quod ipſum argumento ſit illam ſine commixtione viri peperiſſe. Sunt tamen, ut dixi, Chriſtiani quoque interpretes qui typum oraculo Prophetico ſubeſſe volunt, eo quod Deus in V. Teſt. ἐνεάφατον ſuturam Filii non verbis tantum promittere ſed & typis adumbrare voluerit, & quod hoc ſenſu magis illuſtrentur teſtimonia Scripturæ & à calumniis Judæorum vindicentur quam obſcurentur; denique quod ſic tollatur omnis controverſia de vocibus *Almah*, *ſigno*, *Emmanuel*. Hos ſi audias, ſenſus verborum Propheticorum iſte erit, *Ecce juvencula hæc* (ſive nupta, ſive in brevi nuptura, quam coram adſtantem cum reliquo gynæceo monſtravit Iſaias) *concipiet* (ſc. ex Achazo, vel alio viro) *& pariet filium, & vocabit nomen ejus Emmanuel*: (ad monendum de auxilio Dei: ſicut Jeſaias filium ſuum vocavit *Sebaarı Jaſchub*, h. e. *Reliquum revertetur*) *Hic autem puer educabitur commode, & antequam ſapiat, Reges iſti duo peribunt.* Judicent pie eruditi. Ego ad capitis finem propero, quem faciet exclamatio Bernhardi ad vaticinium præſens, *Noli fugere, Adam, quia Nobiſcum Deus. Ne timeas, ô homo, nec audito Dei nomine terrearis, quia Nobiſcum Deus, nobiſcum carnis ſimilitudine, nobiſcum miſtate.*

CAP. XLVII.

Annus, menſis, dies nati Chriſti.

PAucis inter ſe conſentiunt qui rationem temporum inveſtigatam ediderunt. Quod cum vel Dei nutu vel vitio vetuſtatis eveniat, calumnia carere debebit, inquit Sulpitius Severus. Certe de vero natali Chriſti anno ter ſere ſunt ſententiæ quot Chronologi. Cauſam dicam. Qui diverſis viis in urbem certam proficiſcuntur, neceſſario his brevioribus, illis longioribus utuntur: Idem Chronologis accidit diverſiſſimis modis annum nati Chriſti indagantibus. Alii à Condito mundo annos deducunt uſque dum perveniant ad æram Chriſtianam: Alii ex ipſis Euangeliſtis verum natalem venantur. Et illi quidem rurſum non una methodo utuntur. Quidam ex ſola Scriptura nullis externis adjumentis erui poſſe dicunt quantum ab Adam ad tempus nati Chriſti interſit: quos fortaſſe jure hoc ſibi vindicare poſſe ſcribit alicubi Scaliger, ſi omnia Scripturæ intervalla ita definita eſſent ut nullum in iis dubium, nihil quod nos moraretur, interveniret. Et fundamentis eos niti falſis Sethus Calviſius Chronologiæ ſuæ cap. 25. oſtendit. Quidam diverſimode annos Nabonaſſaris Olympiadum & Urbis conditæ ad annos à Condito mundo elapſos applicant. Eſt & in Bibliis inter Septuaginta & Hebraicum textum numerorum diſcrepantia evidens, & nonnulla Scripturæ loca aliter atque aliter ab his & illis accipiuntur; unde mira oritur in numerandis annis Mundi ad Captivitatem Babylonicam diverſitas. Jam qui verum natalem Chriſti ex Euangelica Hiſtoria quærunt, ne illi quidem una & eadem ingrediuntur via. Joſephus Scaliger Præfatione Canonibus Hagogicis præmiſſa, è bimatu Chriſti Matth. 2. 16. ita colligit; *Herodes obiit Niſan anni Juliani* XLV, *ut ex defectione Lunari conſtat qua eo anno accidit* IX *Januarii: qua nocte Herodes Legis Doctores interfici juſſit, ut ſcribit Joſephus. Sed Chriſtum bimulum tunc fuiſſe manifeſte colligitur ex* Matth. 2. 16. *quod Herodes paulo ante obitum ſuum a bimatu & infra pueros occidi juſſit, juxta tempus quod ex Magis exquiſiverat. CHRISTUS igitur moriente Herode bimulus erat; ideoque non anno* XXVIII *Æliano ſed* XXVII *natus eſt, qui ab anno Juliano* XLIII *ad Septembrem anni* XLIV *currebat.* Sic quidem ille, ſed ex loco Matthæi dubio; quem longe aliter interpretantur qui Magos Chriſto recens nato ſtatim affuiſſe magnis argumentis defendunt. Ad Herodis mortem confugiunt nonnulli, annum Chriſti natalem inveſtigaturi. Sed propter perplexas Joſephi de Herode ejuſque Imperii annis narrationes ne diligentiſſimus quidem Joſephi lector Iſaacus Caſaubonus annum defuncti Herodis præciſe definire audet, Exercit. 3. ad Annales Baronii. Ut igitur omnia rimeris, nihil invenies in quo ſecure acquieſcere poſſis niſi XXX annos à Luca deſignatos 3. 1, 23. Nam ſi ad XV annum Tiberii Regni tum ſolidos annos XLIV, quibus, Suetonio teſte, ab Actiaca victoria ſolus imperavit Auguſtus, tum XV annos ab Actiaca victoria retro ad primum Julianum numeratos addideris, erit XV Tiberii LXXIV Julianus, à quibus XXX ætatis Chriſti anni dempti relinquunt verum annum nati Chriſti, nempe XLIV Julianum: quanquam Lucas particula *ὡσεὶ quaſi* vel *circiter* uſus non videtur præciſe ætatis CHRISTI annum voluiſſe definire. Cæterum de menſe & die nativitatis Chriſti nondum conſtitit Eccleſiæ Epiphanii ſeculo, quod erat quartum à Chriſto nato. Ponit enim ille natalem Dominicum in quintam Januarii, Hæreſi Magorum, ſicut ante ipſum Clemens Alexandrinus I Stromatum eundem rejecerat in XV menſis Pachon anni XXIII victoriæ Actiacæ, quæ nobis eſſet XX dies Maii. Decretum deinde eſt, Chriſtum menſis Decembris die XXV eſſe natum; ſed ex meris conjecturis & fictis principiis. Patres enim, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſt. alii, Zachariam patrem Joannis ex falſiſſimis principiis (quod ſupra demonſtratum eſt) faciunt Pontificem Maximum; indeque colligunt eum more conſueto die X menſis ſeptimi Sanctum Sanctorum ingreſſum; adeoque Joannem Baptiſtam Octobri conceptum, Junio natum. Et quia ſcriptum ſit Johan. 3. 30. *Oportet illum creſcere, me autem minui*, & vero dies decreſcunt XXIV Junii, confecto ſidere ſolſtitii, creſcunt autem XXV Decembris, confecta bruma, credi debere Joannem XXIV Junii, Chriſtum XXV Decembris natum. Beroaldus, Scaliger, alii, etſi unius Dei non hominis eſſe ſcribunt diem natalis Chriſti definire, menſem tamen vel Septembrem vel Octobrem nominant in quem ille inciderit. Et Beroaldus quidem hoc argumento utitur, Quod CHRISTUS umbras V. Teſt. iiſdem fere diebus feſtis impleverit & abrogaverit quibus in politia Judaica celebratæ fuerunt Agni Paſchalis in Paſchate, Primitiarum Spiritus S. in Pentecoſte: unde colligit, menſe ſeptimo circa initium Octobris, quando feſtum Tabernaculorum celebrabatur, Chriſtum natum; ad quod feſtum Scenopegias alluſerit Euangeliſta, ajens, *ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν*. Joſephus autem Scaliger ex ephemeriis XXIV claſſium Sacerdotalium, quas conſtituit David I Paral. 24. tempus concepti & nati Joannis Baptiſtæ, & per conſequens tempus concepti & nati Chriſti, veſtigat. Poſteaquam enim demonſtraſſe ſibi viſus eſt, Chriſtum natum eſſe anno Mundi 3947. & numeravit functiones Sacerdotales ab Encæniis Maccabæi uſque ad annum Mundi 3946. quo ipſi natus eſt Johannes, colligit Scaliger Zachariam inchoaſſe ſuam λειτουργίαν XXI Julii. Conceptus itaque fuerit Baptiſtes anno mundi 3946. circa finem Julii aut initium Auguſti; conceptus Chriſtus circa initium Januarii an. 3947. natus vero menſe Septembri. Verum & hæc Scaligeri ſententia fundamento valde dubio nititur. Supponit enim hoc, Cum vices Sacerdotales ab Antiocho interruptæ, & à Juda Maccabæo eſſent reſtitutæ, primam in ordine familiam primo quoque munus ſuum iniiſſe. Atqui potuit initium facere vel illa familia quam tetigit ordo cum interrupti ſunt cultus, vel illa quam tetigiſſet ordo ſi interrupti nunquam fuiſſent, ſuppatatis ſcilicet vicibus quæ triennii ſpatio exactæ erant. Idem Scaliger etiam à ſignificatu verbi ἀγραυλεῖν evincere conatur Chriſtum autumno natum eſſe. Eſt enim ἀγραυλεῖν, non *vigilare*, non *excubare* aut διανυκτερεύειν ſimpliciter, ſed *vitam in agris ſub dio degere*, ſive id die fiat ſive nocte, παρὰ τὸ ἐν ἀγροῖς αὐλίζεσθαι, quod manſionem ſignificat diurnam non minus quam nocturnam. *Atque hoc ἀγραυλεῖν*, h. e. *ἐν ὑπαίθρῳ διανυκτερεύειν, non congruit*, inquit Scaliger, *brumalibus diebus, quibus potius pecus noctu in caulas cogitur, præſertim in montanis Bethlehem.* Quod Iſaacus Caſaubonus Scaligero vix conceſſerit, qui Exerc. 2. ad Annales Baronii notat, *etiam in Anglia, ubi nullus eſt à lupis & aliis noxiis animalibus metus, armenta toto anno in agris pernoctare, neque propter frigus aut pluviam aut ventos ulli tecto unquam ſubire; ſicrique poſſe ut eadem conſuetudo in Judæa & aliis locis magis Meridionalibus ſerveture.* Quid ergo? Tacente Scriptura taceamus & nos, & Chriſtum Servatorem in tempore natum adoremus etſi in quo temporis puncto natus ſit ignoramus.

CAP.

CAP. XLVIII.

Ἀπογράφεσθαι & ἀπογραφὴ quid apud Lucam? Census duplex, Hominum, & Facultatum: uterque Judaæ imperatus sub Augusto, sed diversis temporibus. Tentata conciliatio Lucæ cum Josepho, ubi excutiuntur verba Lucæ, Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, Luc. 2. 2.

Ἀπογράφεσθαι recte verterunt Vetus & Beza *describi*, nec minus recte Eralmus *censeri*. Nam & Aristoteles Oecon. 2. verbo ἀπογράφεσθαι utitur pro *descriptione facultatum*, quod interpretes verterunt *censere*. Census duplex erat, Hominum, & Facultatum. Census Hominum erat, quando censebantur capita & numerabantur subditi, ut populus Romanus sciret quantos delectus facere posset tam ex Provinciis suis quam ex sociis Regibus ac Civitatibus. Etiam eorum qui censebantur ætas adscribebatur; adeo ut ex censualibus tabulis ætatum nonnunquam probationes peterentur. Plinius certe lib. 7. ex censu longissima quorundam vitæ spatia excripta profert. Census Facultatum erat, quando censebantur fortunæ. *Ita*, inquit Asconius, *more veterum Censi dicebantur, qui centum millia in professionem detulissent.* Et facultates hujusmodi *census* dicebantur. Glossarium vetus, Ἀπογραφή, *census, professus, professio.* Ἀπογράφομαι, *censeor, profiteor.* Ἀπογραφεύς, *censor, censorius.* Huc pertinet pecudum profectio sive ἀπογραφή, quam Cicero Pro lege Manilia vocat *scripturam*, ubi ait, *Neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest.* Hinc apud Varronem lib. 2. De re rustica c. 1. *pecus inscriptum* dicitur, de quo professio facta non est. Propriissime loquendo Magistratus *censet*, populus *profitetur*. Uterque census, puta & Hominum & Facultatum imperatus fuit Judææ ab Augusto Cæsare, sed magno discrimine. Capita Judæorum censita sunt Christo nascente, regnante Herode Magno anno XXVII Augustorum, cum Augustus Breviarium orbis terrarum instituerat, quod fuit omnium virium in toto Imperio. Etsi autem Judæa provincia non esset, tamen quia Herodes beneficio Antonii & Augusti Regiam gubernationem ejus obtinuerat, ideo Augusto, ut Domino suo, cogebatur permittere census indictionem in Judæa. Tum igitur in tabulas subditorum nomina relata sunt. Ideo Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem, *Et tamen*, ait, *in synagogam potuit admitti, tam repentinus, tam ignotus, cujus nemo adhuc certus de tribu, de populo, de domo, de censu denique Augusti, quem testem fidelissimum Dominica nativitatis Romana archiva custodiunt.* Census fortunarum Judæorum actus est anno Augustorum XXXVII, nono anno exacto post priorem, cum Archelai Tetrarchia, & patrimonio in fiscum redacto, Magistratus à Cæsare missus id faceret quod Archelaus faciebat, nempe censum omnium Judæorum, ut pro modo facultatum tributum iis imponeret. Quando enim Judæa sub Herode fuit per X annos, & sub Archelao, Judæi per se tributum Romanis non pendebant, sed tantum Herodi Regi, qui & Judæis aliquando tertiam, aliquando quartam partem tributorum remisit: quod facere non potuisset si id tributum Romanis datum fuisset. Sed ipse Rex quantum Imperator volebat à se dabat. Postcaquam vero Judæa, pulso Archelao, in Provinciam redacta fuit per Quirinum, omnia Judæorum bona in censum sunt relata, & descriptio facta quantum tributi quisque Imperatori deberet; cum in priore descriptione tantum actum esset de viribus Judæorum in subministrandis auxiliis populo Romano ad bellum gerendum. Ex quibus & hoc liquet, Censum priorem fuisse œcumenicum, hunc posteriorem particularem. Sic enim Lucas de priore, *descriptam πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, descriptum orbem terrarum*: quæ verba non proprie de toto terrarum orbe, ut Psalm. 24. sed per Synecdochen de toto orbe Romano intelligenda; sicut Synodus secunda Constantinopolitana οἰκουμενικὴ dicitur apud Theodoretum Hist. Eccl. lib. 5. cap. 9. quamvis congregati in ea essent Episcopi ex Orientali tantum Romani orbis parte: & proprie loquendo nulla unquam fuerit Synodus *Oecumenica*, i. Universalis ex orbe toto collecta. At causa posterioris census fuerit tantum intra unius Archelai Tetrarchiam & patrimonium, neque ad alias Provincias pertinebat. Hucusque clara & lucida omnia ex historiis. Sed nubecula surgit à verbis Euangelistæ, Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, *Hæc descriptio prima facta est Præside Syriæ Cyreno.* Atqui historiæ loquuntur, Cyrenium (quem nemo diffitetur fuisse P. Sulpitium Quirinum, cujus apud Josephum, Suetonium in Augusto, Cornelium Tacitum, in Romanorum item Fastis passim fit mentio) Præsidem Syriæ nascente Christo non fuisse, sed Sentium Saturninum. Quirinus enim hactenus Ciliciæ præfuerat, ut Tacitus habet, & jam Romam redierat, ubi sequenti anno uxorem repudiat, Anno Urbis DCCLII, Suetonius in Tiberio cap. 18. Missus est autem Quirinus post novem annos in Syriam post relegatum Archelaum. Hanc nubeculam ut disjiciant viri eruditi, in omnia se vertunt. Cæsar Baronius Quirinum ter Syriæ præfuisse invenit, atque ita facile nodum hunc Chronologicum solvit. Sed Isaacus Casaubonus contra pertendit, *legitimam & veram Syriæ Præsidum enumerationem Quirinum duabus Præfecturis, quas Pater Annalium est commentus, penitus excludere.* Josephus Scaliger Notis in Chronicon Eusebii scribit, *in prima descriptione Quirinum fuisse Præsidem & Censitorem, in secunda Censitorem tantum ad bona Archelai distrahenda.* Contra Casaubonus, in prima descriptione extra ordinem putat Quirinum censui agendo missum ex edicto Cæsaris, non ut præesset Syriæ; in secunda descriptione, ut Præses esset, & Censitor bonorum Archelai. Quærit autem præsidium in voce ἡγεμονεύοντος, ex qua non necessario colligi putat Quirinum fuisse tum ordinarium Syriæ Præsidem; potuisse enim extraordinario imperio illum mitti in Syriam *tantum ad censum agendum, non autem, ut postea damnato Archelao, ad regendam provinciam simul, & bonorum descriptionem faciendam.* Cujus ordinarii ipsius Imperii meminit Josephus initio lib. 18. ubi Quirinus δικαιοδότης καὶ τιμητὴς, *censitor*, appellatur. Mos enim fuit Imperatorum, ut ad census agendos primarios Reipub. viros in provincias destinarent, teste Tacito 1. Annalium, & Dione lib. 56. Atque hi etiam poterant dici ἡγεμονεύειν, cum ἡγεμονία & ἡγεμονεύειν de quavis potestate, præsertim majore, usurpentur; atque adeo in Euangeliis & Actis ἡγεμὼν sit modo *Romanus Imperator*, modo *Procurator Cæsaris in Judæa.* Firmat hanc interpretationem Casaubonus autoritate Justini Martyris & Tertulliani: id quod ante ipsum quoque fecerat Theodorus Beza Annotationibus in hunc locum Lucæ. Sed hæc conjectura potius est quam definitio rei, præsertim cum ex nullo probatæ fidei autore constet Sulpicium Quirinum hoc nomine in Syriam missum antequam relegato Archelao ordinarius Syriæ Præses esset designatus. Itaque non tam quid factum fuerit quam quid fieri potuerit Casaubonus narrat. Ad Grammaticam vocum igitur alii confugiunt, & explicant verba Luc. 2. 2. observata Hebraica phrasi, hoc modo, Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, *Hæc descriptio prior facta fuit quam Cyrenius fieret Præses Syriæ.* Nam hæc descriptio, inquiunt, prima simpliciter non potest dici, siquidem à Pompeio, primo Judææ subactore, usque ad annum nati Christi effluxerant anni LX, in quibus tributum Romanis pensitatum fuerat. Ego vero etsi Græcam vocem πρώτη pro πρότερα interdum sumi fateor, ut Apoc. 2. 4. hic tamen nec Hebraismum nec Græcismum talem agnosco: dicendum enim fuerat, Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο τῆς τοῦ Κυρηνίου ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας. Quid ergo? Ut semel me expediam, sic statuo; Quando historia profana à Sacra manifeste dissidet, alleverationi Spiritus S. plus credendum quam omnibus profanis scriptoribus; idque hic vel maxime, cum Tacitus, Suetonius & ipse Josephus Luca nostro posteriores fuerint, & sæpenumero inter se, sæpe & à seipsis dissentiant, D. Luca temporum momenta diligentissime observante.

CAP. XLIX.

Ἀγραυλεῖν. Pervigilium natalitia nocte Christi: Φυλάσσειν Φυλακὰς τρυτὰς νυκτός. Vis particulæ δὴ apud Lucam 2. 15.

Narrat Lucas *pastores fuisse in illa regione ἀγραυλοῦντες καὶ Φυλάσσοντες Φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὸν ποίμνιον αὐτῶν*, h. e. *excubantes & agentes vigilias nocte super gregem suum*: sic enim Beza vertit, sed verbi ἀγραυλεῖν vi per *excubandi* vocem non satis expressa. Vetus reddidit *vigilantes*: male. Aliud enim *vigilare*, aliud ἀγραυλεῖν, *sub dio agere*, ἐν ἀγροῖς αὐλίζεσθαι. Nam *vigilat* etiam qui in lecto insomnem ducit noctem. Tamen ab his pastorum Bethlehemiticorum vigiliis ortum suum videntur traxisse pervigilia Christianorum diebus festis solennioribus. Horum pervigiliorum antiquissimum fuit quod in Paschali festo celebrabant, ipsorum Apostolorum scitu institutum, si fides habenda Constit. Apost. lib. 5. cap. 20. Similia habet Gr. Nyssenus εἰς τὸ ἅγιον πάσχα. Vide Lactantium lib. 7. cap. 19. Accessere postea aliorum quoque solennium vigiliæ, quas magno cum cultu religiosiores peragebant, domes

donec à vero cultu ad ſuperſtitionem ſanctitas paulatim prolapſa eſt: ſolumque nunc in nocte qua Jeſus Chriſtus natus eſt, ex decreto Teleſphori Pontificis, & quibuſdam in locis in honorem Joannis Baptiſtæ pervigilium in Romana Eccleſia frequentatur. In hoc autem pervigilio Eccleſia Latina & quæ illam imitantur Γένεσιν Χριστοῦ ex 1 Matthæi quotannis legunt, idque de conſuetudine veteris Eccleſiæ, quam ἐν προδιανυκτερεύσει ſive παννυχίδι Natalis Chriſti idem feciſſe patet ex Canone Paſchali Hippolyti Epiſcopi apud Scaligerum lib. 7. De emend. temporum. Sed ad Lucam. Scribit ille, *paſtores ſub dio egiſſe Φυλάσσοντας τὰς φυλακὰς τῆς νυκτός*, quod eleganter & emphatice dixit, more Atticis uſitato; ad v. *cuſtodientes cuſtodias*, i. advigilantes ad cuſtodiam gregum ſuorum, ut optime interpretatur Camerarius in Notis. Sic ἐχάρην χαρὰν Matth. 2. 10. ἐφοβήθησαν φόβον Luc. 2. 9. πόλεμον πολεμίζειν, Iliad. β'. & apud eundem Poetam ἀγορὰς ἀγορεύειν, βυλὰς βουλεύειν. Lutherus verſum hunc reddidit, **Und es waren hirten auff dem felde / die hüteten des nachts ihre heerde**: non male. Sed interpoſuit verba **bey den hirten /** quæ non ſunt in textu Græco. Poterat hujus vertus ἀνάδοσις & ſic verti, **die hielten nachtwache bey ihrer heerde.** Nam quod Lucas per duas voces *Φυλακὰς νυκτὸς* Pleonaſmo Hebraico dixit, id Germani uno compoſito vocabulo eleganter efferunt **Nachtwache.** ¶ Vigilantibus Paſtoribus adfuit πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου, inquit Lucas. Duplex *in cœlis* eſt *exercitus* vel (ut cum Hieronymo, Ambroſio Vulgatoque interprete loquar) *militia*, omnipotenti Deo miniſtrans: Una Aſtrorum Stellarumque, quæ Deo militat, ſecundum illud Claudiani,

Tibi militat æther.

Cujus militiæ illuſtre exemplum in Sacris, Jud. 5. 20. Altera beatorum Angelorum, qui ut πνεύματα λειτουργικὰ ad præpotentis Dei nutum hominibus præſto ſunt, δυνάμεις τοῦ οὐρανοῦ vocantur, Matth. 24. 29. Atque hi ſunt qui inſtar magni exercitus, naſcente Servatore, turmatim cœlo effuſi de benevolo Dei affectu hominibus ſunt gratulati. ¶ Porro *diſcedentibus Angelis paſtores dicunt alii ad alios* Διέλθωμεν δὴ ἕως Βηθλεέμ· ubi Theodorus noſter, *Tranſeamus ſane Bethlehemum uſque.* Vulgatus autem particulam δή plane omittit. Neutrum probo. Neque enim otioſa eſt iſta particula, nec Concedendi tantum ſed Exhortandi potius vim habet hoc loco, quod vel ſequens Participium σπεύσαντες indicat. Malim igitur vertere *Eamus dum*; ut Cicero, *Istra dum hæc eadem mihi*: vel, *Agite eamus.*

CAP. L.

Angeli an canant. Gratulationis Angelicæ duo an plura ſint membra.

ITà credimus hodie, ita credidit Antiquitas & prima Eccleſia, Angelos verba hæc non prolocutos fuiſſe, ſed accinuiſſe, *Gloria in excelſis Deo*, &c. apud Euangeliſtam tamen Lucam nihil tale reperitur. Nec enim amplius quid ſcribit de Angelis, quam quod *celebraverint Deum*, & *dixerint*, αἰνούντες καὶ λέγοντες, Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ. Seraphini quidem apud Iſaiam c. 6. cantantes & exclamantes introducuntur, ſed in viſione: quemadmodum Ignatius Martyr quoque ſcribitur in viſione vidiſſe & audiviſſe Angelos Dei laudes concinentes, & idcirco hymnos ἀντιφώνους qui alternis accinuntur in Eccleſia inſtituiſſe. Sed ſive verbis ſive numeris oratio Angelorum prolata eſt, ignei utique in Deum amoris & cordialis in homines affectus pleniſſima eſt. Quæſitum autem, quot membris illa definiretur. Et Eraſmo quidem dica olim ſcripta fuit quod ita eam diſtingueret, ut *gloria Deo in Cœlo*, *pax Terris*, *bona voluntas Hominibus*, veluti mediis inter Cœlum & Terram, tribueretur. Contra reprehenſi ſunt alii quod orationem hanc in duas partes diſpeſcerent. Tota res pendet à diverſitate partim lectionis, partim diſtinctionis. Qui legunt εὐδοκία, quam particulam Interpretes Valla, Eraſmus, Beza in omnibus fere Græcis codd. ſe invenille teſtantur, ii, ſi vocem hanc cum ἐν ἀνθρώποις conjungunt, non poſſunt à memorata Eraſmi diſtinctione refugere: ſin vocabulum εὐδοκία ſeorſim legunt adſcripta diſtinctione poſt ἐν τοῖς ἀνθρώποις, tria & tum orationis Angelicæ membra texunt, quorum ultimum una voce comprehenſum pacis annunciatæ fontem & originem, *beneplacitum* videlicet *Dei*, deprædicat. Sic qui legunt καὶ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίαν, ut Baſilius Seleuciæ in Oratione De annunciatione Mariæ, tripartitam & ipſi faciunt orationem hanc. At qui cum Vulgato interprete, cui alicubi Chryſoſtomus & Origenes hom. in Lucam 13. favent, legunt εὐδοκίας, totam orationem in duo tantum membra partiuntur hoc modo, Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας, *Gloria in cœlis altiſſimo Deo*, & *in terra pax hominibus beneplaciti*, vel *dilecti*. Hebræi ſolent adjectivorum loco uti genitivis appellativorum, *filii electionis*, *vaſa miſericordiæ*, &c. Hæc diſtinctio non immerito probatur doctiſſimo Theodoro; ſiquidem pax illa Natalitia non ad omnes pertinet, ſed ad *homines bonæ voluntatis* tantum, h. e. ad electos, quod fuſè docetur ab Apoſtolo Eph. 1. Sed quid ſi primam lectionem retineam, & tamen in duo tantum membra orationem partiar, ita ut tertium illud ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία nihil aliud eſſe dicam quam explicationem ſecundi membri? Certe nihil novi in tertio membro dici evincit illud, quod non repetitur conjunctio καὶ, ut in ſecundo membro. Et hujuſmodi ἐξηγήσεις apud Hebræos uſitatiſſimas eſſe nemo eſt qui neſciat. Sic igitur vertam, *Et in terra pax*, *nempe in homines benevolentia*: vel, *Et in terra pax*, *quæ eſt in homines benevolentia.* Quam ſententiam & verſionem & illud videtur confirmare, quod ἐν præpoſitio verbo εὐδοκεῖν ſubjecta τῆς εὐδοκίας objectum ſignificat, ut Matth. 3. 17. & 17. 5. ἐν ᾧ εὐδόκησα *in quo acquieſco.* Sed libet etiam audire Andream Oſiandrum Theologum Noribergenſem, cujus hæc ſunt in Annotationibus in Harmoniam Euangelicam verba, *Ego ſic diſtingui*, & *ſingula ſingulis per ἀντίθεσιν opponi debere arbitror*,

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ,
καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.

Atque hic ſtatim deprehendere eſt eos codices qui habent ἐν ἀνθρώποις eſſe mendoſos. Nam præpoſitio ἐν non magis in poſteriore quam in priore membro locum habet. Cæterum ſententia jam ſatis clara & perſpicua eſt, niſi quod nondum conſtat quid ſibi velit εὐδοκία. *Ego vero non dubito quin ſignificet modum per quem homines pacem in hac vita conſequuntur: quare malim dandi caſu accipi quam nominandi; ut ſit ſenſus*, Et in terra pax hominibus donatur ac contingit εὐδοκίᾳ, *i. per* εὐδοκίαν, *quemadmodum ſi quis ſuperius membrum ita explicet*, Gloria debetur ac contingit Φιλανθρωπίᾳ, *i. per* Φιλανθρωπίαν. *Quanquam nihil refert etiamſi nominandi caſu accipias. Sicut enim recte dicitur*, Fides eſt juſtitia noſtra, & Fide contingit nobis juſtitia, *ita & hic utrumque recte dicitur*, Η εὐδοκία eſt pax hominibus in terra, &, Τῇ εὐδοκίᾳ contingit hominibus pax in terra. *Atque hic vides, lector, cur in priore hujus orationis parte nihil ſit additum quod huic nomini εὐδοκία reſponderet. Deo enim certus modus præſcribi non poteſt quo conſequatur ut ei gloria & debeatur & deferatur. Sive enim ei libeat eſſe Φιλανθρώπῳ ſive auſtero, ſine omni tamen exceptione omnis ei gloria debetur ſineque impedimento continget. At non ſic ſe res habet cum homine pacis indigo; ſed certus modus certaque via illi præſcripta eſt, à qua ſi aberret pacem nullo modo conſequi poſſit. Modus autem ille viaque illa eſt hæc ipſa* εὐδοκία, *non Dei, ſed noſtra; ſicut* Φιλανθρωπία, *ſi prioris membro adderetur, accipi deberet non noſtra ſed Dei. Non quod negem* εὐδοκίαν *Dei Patris erga dilectum ſuum Filium ergaque omnes credentes in illum eſſe vaſam ac fontem omnis pacis & ſalutis, ſed quia pacem nobis oblatam ſine noſtra* εὐδοκίᾳ *amplecti non poſſumus. Eſt autem* εὐδοκία *animi noſtri certa perſuaſio, qua rem aliquam recte ac bene habere judicamus, ideoque eam boni conſulimus, approbamus, & in ea acquieſcimus: quam* εὐδοκίαν *ſi quis ad verbum Dei, quod rationem humanam captivat, & ad crucem, quæ voluntatem veteris hominis mortificat, attulerit, non poteſt non habere pacem, etiam in extremis opinionum diſſidiis & perſecutionum ac malorum omnium afflictionibus. Nihil autem verbo Dei ſapientius, nihil cruce ſalubrius: quare illis* εὐδοκία *debetur, quam niſi præſtiterimus, pacem in terris habere non poſſumus. Porro hanc* εὐδοκίαν *quomodo Latine reddamus non invenio, niſi forte* Beneplacentiam; *quod quamvis Latine vix dici poſſit, tamen quia melius nihil reperiebam, & ſententia omnino proprie reddenda erat, hoc audaciter uſus ſum, locumque ſic reddidi*, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, hominibus beneplacentia.

CAP. LI.

Liticula inter Baronium & Caſaubonum de vero loco Nativitatis Chriſti componitur. Diverſa lectio Luc. 2. 4. ex Epiphanio notatur.

ORaculo quod eſt apud Michæam & Matthæum 2. 6. fides conſtituta eſt, ſive ad Bethlehem ſive in Bethlehem Salvator noſter natus eſt. *Romæ* enim *natus videtur qui ad urbem natus eſt*, Paulo J. C. teſte. Tamen quia veritas etiam in minutiſſimis rebus jucunda eſt, & vero diſcrepantes doctiſſimorum

morum virorum de vero loco Nativitatis Christi sunt sententiæ, non ingrata erit Theologiæ studiosis etiam hujus Quæstionis discussio. Cæsar Baronius Annalium Tomo 1. Christum in suburbio Bethlehem natum esse scribit. Casaubonus Exerc. 2. ad Annales istos in urbe Bethlehem Mariam peperisse multis contendit. Ille autoritate Patrum, hic vi articuli Græci sententiam suam tuetur. Ego, etsi oppidulum Bethlehem suburbia habuisse non credam, sentio tamen Christum non in oppido natum esse, sed juxta latus ejus Orientale apud mœnia, in specu, habente præsepe in saxo incisum, quo viatores cum suis jumentis divertebant, qui oppidum intrare nollent, vel non possent. Is specus dictus est *Præsepe* **zur Krippen**/ quemadmodum hodieque in medio sæpe agro aculeatæ rutticæ inveniuntur ad quas viatores necessitate compulsi solent divertere; qualis inter Brugas & Slusam in Flandria reperitur, vocaturque **zum Birnbaum.** Favent huic sententiæ verba Lucæ Euangelistæ, ipsissimaque articulus Græcus, contra quam eruditissimus Casaubonus opinabatur. Quorsum enim Euangelista Lucas illa ἐν τῇ φάτνῃ, semel, iterum, tertium, versu nimirum 7, 12, 16 capitis secundi ingeminasset, nisi singularem locum voluisset indicare? Certe articulus τῇ præsepe singulare innuit. Itaque Germanice vertendum est **in der Krippen**/ vel **zur Krippen**/ non, **in einer Krippen.** Nec negligendus est articulus in verbis illis Lucæ ἐν τῷ καταλύματι. Innuunt enim unum fuisse in oppido κατάλυμα, h. e. ædificium publicum, in quod se peregrini & viatores recipiebant, ubi suum cibum coquebant, comedebant, suo pabulo jumenta pascebant, suis culcitris indormiebant, secus quam apud nos fit in Germania. Hoc ergo καταλύμα Bethleemiticum quia tum refertum fuit diversoriis, Josephus & haud dubie alii cum ipso ad Præsepe divertere necesse habuerunt. Unde clarum est, stabulum & locum Nativitatis Christi non fuisse partem diversorii in oppido, adeoque Germanicam versionem, **sie hatten sonst keinen raum in der Herberge**/ corrigendam: liquidem illud sonst non est in Græco, in quo simpliciter ista habentur, *Non fuit illis locum in diversorio.* Et sane cum Bethlehem vicus locusque ignobilis & parvus fuerit, vero valde est simile plura præter unum diversoria ibi non fuisse. Sententiæ huic nostræ ratio quoque patrocinatur. Nam si Angelus indefinite præsepe indicasset, perrependum pastoribus fuisset totum oppidum, & quærendum ecquis ibi infans cubaret in præsepi. Imo cum oppidum nocturno tempore esset clausum, quomodo potuissent pastores ingredi & puerum quærere, quem ea ipsa nocte invenerunt? Ad quæ quid solidi responderet non invenit Casaubonus. Postremo mirus est in hac re consensus Patrum. Vetustissimus scriptor Justinus Martyr Dialogo cum Tryphone hæc habet, *γεννηθέντος δὲ τότε τοῦ παιδὸς ἐν Βηθλέεμ, ἐπειδὴ Ἰωσὴφ οὐκ εἶχεν ἐν τῇ κώμῃ ἐκείνῃ τοῦ καταλῦσαι, ἐν σπηλαίῳ τινὶ σύνεγγυς τῆς κώμης κατέλυσε*, h. e. *Nato autem tum puero in Bethlehem quia Joseph in eo vico non habuit quo diverteret, in specum quendam vico proximum concessit.* Euseb. l. 7. Demonst. Euang. ait agrum ostendi solitum ubi virgo partum admirabilem esset enixa, Καὶ εἰς δεῦρο δὲ, inquit, *οἱ τὸν τόπον εἰκοῦντες, ὡς ἐκ πατέρων εἰς αὐτὸς κατελθούσης παραδόσεως, τοῖς τῶν τόπων ἰεροῖς χάριν εἰς τὴν Βηθλεὲμ ἀφικνουμένοις μαρτυροῦσι, τῶν λόγων* (scribendum, *μαρτυροῦσι τῷ λόγῳ*) *πιστώμενοι τὴν ἀληθειαν διὰ τῆς τῶ ἀγρῶ δείξεως ἐν ᾧ τεκοῦσα ἡ παρθένος κατατέθειται τὸ βρέφος*, *Etiam hodie qui locum illum incolunt, ut qui à majoribus suis eam traditionem acceperint, iis qui Bethlehemum adveniunt studio lustrandi illa loca, sermoni nostro testimonium præbent, veritati fidem astruentes agri illius demonstratione in quo deposuit Virgo infantem quem pepererat.* Cæteri Patres locum qui Christum nascentem excepit ut plurimum vocant *speluncam*, & in eâ præsepe ponunt. Basilius Concione in sanctam Christi Nativitatem, *γῇ ὑποδύεται ἐν σπηλαίῳ*. Epiphanius contra Alogos, Ὁ μὲν γὰρ Λουκᾶς λέγει *ἐσκαρωμμένῳ* (sic) *θαι τὸν παῖδα εὐθὺς τετεγμένον καὶ κεῖσθαι ἐν Φάτνῃ καὶ ἐν σπηλαίῳ, διὰ τὸ μὴ εἶναι τόπον ἐν τῷ καταλύματι.* Addit ἐν σπηλαίῳ ad declarandum verba Euangelistæ. Causam & ibidem reddit Epiphanius cur Mariæ non fuerit locus in diversorio, nempe frequentiam hominum & oppiduli parvitatem, Διὸ, inquit, *ἔν τινι ἀντιγράφῳ τῶν εὐαγγελιστῶν καλεῖται πόλις τοῦ Δαυὶδ· ἐν ἄλλῳ δὲ κώμην αὐτὴν καλῶσι, διὰ τὸ ἐς ὀλίγην γῆν αὐτὴν ἐλθεῖν*, *Quare in quodam exemplari Euangelistarum appellatur Civitas David; in alio vero Pagum ipsum vocant, eo quod ad modicam terram devenerit.* Theodoretus Contra Græc. infid. *Nos Christiani non ostendamus magnifica, splendida, sed σπήλαιον καὶ Φάτνην καὶ παρθένον χρυσῆν.* Hieron. In Epit. Paulæ, *Introivit in speluncam Servatoris, in diversorium Virginis*, &c. Item Epist. ad Paul. *In specu ubi quondam Christus vagit*, &c. Idem legitur locis aliis Operum ipsius infinitis. Scholiastes Græcus ἀνώνυμος in Matth. c. 21. inter alia de Christo hæc scribit, *καὶ πτωχὴν μητέρα ἔσχε, καὶ ἐν σπηλαίῳ τίκτεται, καὶ ἐν Φάτνῃ τίθεται*, i. *Etiam matrem habuit pauperculam, & in spelunca nascitur, inque præsepi reponitur.* Quid ad hæc Casaubonus? Justini Martyris autoritatem rejicit, sed ex conjectura, non ex solida ratione. Eusebium corrigit, & pro *agro* vult *antrum* legendum esse; quasi in agro civitati Bethlehem vicino vel contiguo antrum sive spelunca esse non potuerit. Denique Patres speluncam in Bethlehem non extra eam agnovisse affirmat. In quo ego ei assentiri minime possum; quippe qui sic existimem, Quotquot speluncæ habemus confessores, totidem nos sententiæ nostræ de Christo extra civitatem Bethlehem nato habere patronos. Origenis certe Interpres verba è Casaubono laudata ex lib. 1. contra Celsum, *δείκνυται τὸ ἐν Βηθλεὲμ σπήλαιον ἔνθα ἐγεννήθη*, jam olim sic vertit, *Ostenditur apud Bethlehem spelunca ubi natus est.* Nec alio sensu Patrum mentem accepit Jacobus Sannazarius, quando l. 2. De partu Virginis ita cecinit,

Est specus haud ingens parvæ sub mœnibus urbis,
Incertum manibusne hominum, &c.
Huc heros tandem superante ambage viarum
Devenit, &c.

Brocardus quoque Monachus ante annos trecentos & amplius peregrinatus, & biennium ipsum in Palæstina commoratus, narrat in ejus Descriptione de Bethlehem ista, *In extremitate vero Orientali sub rupe quadam quæ erat juxta murum civitatis, fuit secundum morem illius terræ locus pro stabulo habens præsepe in rupe excisum, ubi mundi Salvator*, &c. Et testantur historiæ hanc speluncam in Templum marmoreum ab Helena Constantini Magni matre conversam, ibidemque Hieronymum religionis ergo habitasse & mortuum esse.

CAP. LII.

Nativitas Christi naturalis adstruitur.

COnceptionem Christi supernaturalem esse omnes fatentur, Nativitatem autem ejus Patrum alii naturalem, alii supernaturalem, h. e. utero Mariæ clauso factam, scribunt. Horum sententiam Pontificii, & ex Euangelicis ii tantum qui falsa cum Pontificiis quam vera cum Reformatis sentire malunt, tuentur: nullo colore. Nam quod per Mem clausum Nativitatem Christi significari putant apud Isaiam in voce סתומה, plusquam puerile est. Notum etiam jactatum in Scholis axioma, *Quantitatum nulla est efficacia.* Quod autem ad *hortum clausum* cujus mentio in Cantico Canticorum confugiunt, & illum ad uterum Virginis Mariæ accommodant, plusquam anile est: siquidem & aniculis nemo persuaserit, mutato genere prædicationis peregrino in usitatum, sive tropico in proprium, vim consequentiæ ullam esse. Quanto satius est inhærere verbis Scripturæ, quæ Mariam celebrat MATREM PARTURIENTEM, exacto tempore τῶ καθαρισμῶ αὐτῆς præceptas in lege hostias Deo offerentem? quæ item diserte verbis ad Christum accommodat effatum illud Domini universale, ὅτι πᾶν ἄρσεν διανοῖγον μήτραν ἅγιον τῷ Κυρίῳ κληθήσεται, *quod omnis masculus primogenitus sanctus Domino vocabitur:* quæ denique τὸν διανοίγοντα μήτραν & πρωτότοκον in eodem censu habet Exod. 34. 19, 20. Victi his rationibus Martinus Chemnitius, insignis Theologus l. 1. Harmoniæ Euang. c. 8. & M. Henricus Bonting Harmoniæ f. 116. falli sunt Christum matrice aperta natum esse. Vincerentur iisdem plures si J. Cæsari Scaligero crederent scribenti Exercit. 216. *Nihil beatius quam scire, nihil divinius quam docere, nihil propius vera felicitati quam discere.*

CAP. LIII.

Vis nominum Jesus, Servator, Christus, Messias. *Ratio ungendi Reges & Sacerdotes.*

VArii sunt lusus eruditorum ingeniorum. Nihil clarius est effato Angelico, *Vocabis nomen ejus JESUM: quia salvabit populum suum à peccatis.* Tamen Andreas Osiander, Euangelista Noricus, Annotationibus in Harmoniam Euang. sentit nomen Jesu ductum esse à nomine JOVA, interposita littera ש. Et Sebastianus Castalio Annotationibus in Matthæum sibi publice quasi gratulatur quod tandem compererit, quemadmodum JESUS Deus & Homo est, ita nomen ejus ex Dei & Hominis nomine esse conflatum: idque se didicisse ait ex Exod.

Google

Exod. 15. ubi dicitur JEHOVA ISCH MILCHAMA, h. e. *Jehova vir belli*, ubi illi *Vir bellicoſus* dici videtur quoniam de Chriſto ſermo ſit qui vir futurus erat. Eſt igitur illi JESU nomen compoſitum ex *Jehova* & *Iſeb*, interpolita littera ו ex nomine יהוה, reliquis autem duabus rejectis, quippe quæ ſerviles ſint, & addi adimique ſæpe ſoleant: ut ſit יהושע JESUS idem quod *Jehova vir*, ſive *homo* (nam *hominem* etiam ſig. יש) ut intelligamus JESUM eſſe non *Jehovam* (nam hoc de ejus Patre dicitur) ſed *Jehovam Hominem*. Ne mireris hæc in recentioribus. Veteſtiſſimus Patrum Juſtinus Martyr non abſimile quid habet Apologetico 1. Ιησοῦς, inquit, καὶ ἀνθρώπου καὶ σωτῆρος ὄνομα καὶ σημασίαν ἔχει, h. e. JESUS & *hominis & Servatoris deſignationem habet*: verus in eo, quod *Servatorem* ſignificet; falſus in altero, quod *hominem*. Eſti enim IS Hebræis ſignificet ἄνδρα, tamen non ſequitur inde dictum Ιησοῦν quaſi ἄνθρωπον. Nec ἄνθρωπον ἀντὶ τοῦ ἀνδρὸς, ſpeciem pro diſtinctione ſexus, recte dixit Juſtinus. Nam quid ego de Epiphanio dicam? qui cum Eſſenos ab Euſebio legiſſet θεραπευτὰς dictos, quod in nomine Jeſu morbos depellerent (quaſi Ιησοῦν παρὰ τὸ ἰάσασθαι ἰατροὶ ſint dicti) Ιησοῦν non σωτῆρα, ſed Græce ἰατρὸν & ἰητῆρα nominat. Vana hæc omnia eſſe inde patet, quod ſive plene ſive defecte nomen JESU Ebraice ſcribas, nihil aliud quam *Servatorem* notet. Cum plene ſcribitur, nomen eſt quadriliterum יהושע *Jeſua*, & idem cum nomine יהוה, unde in Græca editione pro eo legitur Ιαοῦς. Defecte ſcribitur hoc modo, יש, tribus literis conſonantibus, quarum prima, quia propter parvitatem medium duntaxat aliarum literarum attingit, vocatur ab Irenæo *litera dimidia*, cum ait JESU *nomen conſtare ex literis duabus & una dimidia, quæ ſignificent* DOMINUM COELI ET TERRÆ. Nempe ſi literas in dictiones colligas, emergit יהוה שמים ארץ *Dominus cœli & terræ*. In ſcriptura defecta eliſa fuit litera Ain, more apud Aramæos ſive Syros uſitato. Plenum ergo *Jeſua*, defectum *Jeſu*, inde Græca conſuetudo fecit Ιησοῦς, addito σ ad finem, *Jeſu*, *Jeſus*; ut *Juda*, *Judas*; *Joſe*, *Joſes*, & alia ſexcenta. Qui compendiis utuntur ſcribunt ῑ̅ſ̅ cum aſpiratione in medio: cui occaſionem dedit, ni fallor, litera ϟτα, quæ ſecunda in ſcriptura Græca Ιησοῦς· nam ejus figura in charactere majuſculo eadem cum aſpiratione Latinorum. Alio compendio JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SERVATOR à veteribus Chriſtianis dictus fuit ιχθύς· ubi non proprie ſumitur pro *piſce*; ſed ex carminis Sibyllæ Erythrææ verſu iſto, Ιησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, prima cujuſque vocis litera in unam vocem redacta, fit vox ιχθύς. Tertullianus lib. 1. De Baptiſmo, *Sed nos piſciculi ſecundum ἰχθὺν noſtrum*, &c. Hac de re ſic ſcribit Proſper Aquitanicus De promiſſionib. & prædictionib. lib. 2. cap. 39. *Namque Latine Piſcem ſacris literis majores noſtri interpretati ſunt ex Sibyllinis verſibus colligentes, quod eſt* JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR. *Quippe de primis literis ἰχθὺς reſultant ſingula dictiones.* Auguſtini hac de re clarum & perſpicuum teſtimonium eſt l. 18. De civitate Dei, c. 23. Eſt autem hoc genus interpretationis Ebræis autoribus valde uſitatum, & *notaricon* ab iis dicitur. ¶ Cæterum etſi conſtat quare Salvator dictus ſit Χριστὸς, Juſtinus Martyr tamen aliud etymon cauſatur, Apologetico eodem, Χριστὸς μὲν, κατὰ τὸ κεχρίσθαι καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεὸν, λέγεται, inquit, h. e. CHRISTUS *quidem ex eo quod per illum Deus omnia confirmaverit ac ornaverit appellatur.* Quod tunc locum haberet ſi τὸ χρίειν eſſet *condere* & *ornare*. Itaque Joſ. Scaliger in Euſebianis legendum putat κατὰ τὸ καὶ χρίσαι καὶ σμῆσαι *quod unxerit & abſterſerit omnia.* Non tango quæ apud alios de ratione nominis JESU & CHRISTI diſſeruntur. Mihi CHRISTUS *Unctus*; JESUS, ut Angelus Virgini nunciavit, *Servator* eſt vel *Salvator*. *Salvatorem* enim an *Servatorem* rectius dixeris dubitant eruditi. Qui Livium, Ovidium, alios è priſcis ſciunt *Servatoris* & *Liberatoris* vulgaſſe vocabula, ii refugiunt nomen *Salvatoris*. Contra pertendunt alii τὸν σωτῆρα male prorſus & inique *Servatorem* reddi, de Chriſto potiſſimum, ac etiam de quovis alio. Atque hoc primum affirmant autoritate M. Tullii lib. 2. contra Verrem, ubi ille, *Itaque cum non ſolum Patronum iſtius inſulæ ſed etiam σωτῆρα inſcriptum vidi Syracuſis. Hoc quantum eſt! ita magnum ut uno Latino vocabulo exprimi non poſſit. Is eſt nimirum Soter qui ſalutem dedit.* Minus autem eſt *ſervare* quam *ſalutem dare*. SERVAT *is* (ut annotat Manutius ad illum Ciceronis locum) *qui ne ſalus amittatur aliqua ratione præſtat*; SALUTEM DAT, *qui amiſſam reſtituit.* Producunt deinde Polybium, apud quem lib. 5. Antigonus Spartæ dominium conſecutus, victo Lacedæmoniorum Rege, mitis adverſus hoſtes fuit, reſtitutaque Lacedæmoniis patriæ libertate, ac multis beneficiis privatis ac publicis impenſis, domum rediit, atque ea de cauſa etiam poſt mortem σωτὴρ ἐπώνυμος, h. e. *Salvator eſt appellatus.* Affirmant præterea, Chriſtum etiam Dæmones *ſervare*, alioquin in nihilum ituros; at non *ſalvare*. Denique ajunt, *ſervare* martiale vocabulum eſſe, illius qui quem occidere in prælio potuit pepercit, ſed in ſervitutem pertraxit exutum libertate ac civiliter mortuum. Unde talis merito ſuo *ſervator*, alter ab eventu *ſervus*. Itaque non exiſtimant (quicquid dicat Gentianus Hervetus ad cap. 12. lib. 1. Pædagogi Clementis Alexandrini) ſatis aptè ſignificari immortalia Chriſti erga nos merita, etiam *Servator* appellatur. Nec ignotum vocabulum *Salvatoris* fuiſſe Lactantio; imò nec Auſonio in oratione Ephemeridis; nec Porphyrio, qui Panegyrico Conſtantino dicto,

Undique pacatis Salvator maxima rebus
Gaudia præſtabis.

Mihi Chriſtus Jeſus *Servator*, *Salvator*, & omnia. ¶ Cæterum Chriſtum Ebræis *Meſſiam* dici omnibus notum. At hoc non item, vox *Meſſias* in Canone ubi primum de Servatore noſtro abſolute uſurpetur. Fit hoc Dan. 6. 25. Nam cum alibi locorum nomen hoc vel cum nomine *Jehova* conſtruatur, vel affixum habeat, adeoque ad aliud ſemper referatur, in hac una Danielis revelatione abſolute uſurpatur, & Chriſto κατ' ἐξοχὴν tanquam proprium ejus nomen tribuitur, adeo ut unus aliquis & ſingularis & eximius UNCTUS ſignificetur. Typice tamen & *Jeſu* & *Chriſti* nomina longe ante in Scriptura Moſaica fuerunt expreſſa, quando Aaron *Unctus*, Oſea *Joſua* fuit dictus. ¶ Libet hic obiter indicare rationem ungendi Sacerdotes & Reges. Qui ungebat, digito ſuo exprimebat X Græcum, quod vocant כ vel certe *Caph* Græcanicum, quæ figura eſt crucis Andreanæ. Caph Græcanicum vocatur à D. Camio in Comment. ad Pſalm. 133. ubi de unctione Sacerdotis, *Initio induebat eum veſtibus Sacerdotalibus: poſtea fundebat oleum ſuper caput ejus, ungebatque eodem oleo cilia oculorum ejus in modum Caph Græcanici.*

CAP. LIV.

Magi qui? numerus, nomina, dignitas, ſepultura eorum. Vis magica nominum. Unde, quando Hieroſolymam venerint. Stella ipſis viſa.

GRæci carminum ſuperſtitioſorum & præſtigiarum autores μάγους vocarunt; & ſunt uſi nomine in probris, quemadmodum annotat Camerarius ad hunc locum: ut Oedipo Tyranno Sophocles,

ΤΦεῖς μάγον τοιόνδε μηχανορράφον.

Oedipus enim Creontem malarum artium autorem vocat. Sic Act. 13. 8. *Elymas magus: ſic enim interpretatum ſonat nomen ejus:* h. e. Nomen *Elymas*, ſi interpreteris, ſignificat *magum malis artibus deditum.* In bonam partem pro *ſapiente* accipitur: quo ſenſu Ariſtoteles ſcribit *Magos Perſis fuiſſe auctores Philoſophiæ.* Quanquam non Perſarum ſolum ſed aliarum etiam gentium Sapientes *Magi* olim ſunt appellati. Lucianus Longævis, οἱ καλούμενοι μάγοι, γένος τοῦτο μαντικὸν, καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, παρά τε Πέρσαις, καὶ Πέρβοις, καὶ Βακτρίοις, καὶ Χαρμανίοις, καὶ Ἀρίοις, καὶ Σάκαις, καὶ Μήδοις, καὶ πολλοῖς ἄλλοις βαρβάροις. Indorum quoque Philoſophos reperies appellari *Magos*. At ſunt qui ſcribant μάγοι gentile nomen eſſe idem ſignificans ac *Perſa*. Cedrenus, Ἀστρολογία καὶ μαγεία ἀπὸ Μαγουσαίων ἤτοι Περσῶν ἤρξατο· οἱ γάρτοι Πέρσαι Μαγοὺς ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων ὀνομάζοντας. Eadem & Suidas. Sed Magos apud Matthæum non dubito ex eorum Sapientum numero fuiſſe quos Ammianus lib. 23. ſcribit *apud Perſas religionis reſpectu fuiſſe honoratos.* ¶ Superſtitio Papiſtica & numerum horum, & nomina, & dignitatem regiam, & ſepulturam effinxit. Tres enim numero volunt fuiſſe, Caſparem, Melchiorem, Balthaſarem; ſingulos Reges; quorum oſſa Colonia Agrippina ſervet: omnia citra Scripturæ fidem. Ut plane Diabolicum illud agnoſcas eſſe de quo Gordonius in libro medicinali qui *Lilium* dicitur, parte 1. cap. 25. ubi ait, *Si quis ponat os ſuper aurem epileptici cum eſt in paroxyſmo, & ter recitet tres iſtos verſus, ægrum ſurrecturum: idque frequenter probatum.* Verſus ſunt illi,

Caſpar fert myrrham, thus Melchior, Balthaſar aurum.
Hæc tria qui ſecum portabit nomina Regum,
Solvitur à morbo, Chriſti pietate, caduco.

¶ Magi ergo venerunt *ex Oriente.* Sed è quo loco? Ex Sabæa dicunt qui vaticinium Iſaiæ 60. & Pſalmi 72. huc accommodant. Sed quia Saba potius in Meridie erat, unde Regina Sabæ vocatur *Regina Auſtri*, credibile eſt ex Perſide venille, cujus

cujus metropolis fuit Susa, ubi Daniel Præfectum egit, cujus doctrinam Magos istos retinuisse Melanchthon credidit. Longitudo Susæ 84. lat. 34. Unde distantia ab Hierosolyma facile colligi potest, cujus longitudo 66. latitudo 31, & dimidii. Undecunque ergo profecti sunt, sive ex Saba sive ex Susa, non pauciora quam CC milliaria eis conficienda fuerunt Hierosolymam usque. ¶ De tempore adventus Magorum nihil certi invenimus in Scriptura: igitur in doctorum virorum conjecturis acquievimus. Sethus Calvisius in Chronologia sua, *Vix*, inquit, *vero simile est eos ante Purificationem advenisse. Ingens enim periculum Josephus & se & puerum Jesum concivisset si fervente motu a Magis Jerosolyma excitato, & Herode propter clandestinam Magorum fugam furente, eo ad purificationem venisset. Verisimilius est Josephum post Purificationem in patriam Bethlehemum redisse, & ibi usque ad adventum Magorum habitasse, à quibus & in somnio Divinitus admonitus fuit de insidiis Herodis & fuga instituenda in Ægyptum. Nec enim verba Lucæ*, Cum complevissent omnia secundum legem Domini redierunt in Galilæam, *excludunt fugam Christi in Ægyptum, aut negant eam, sed potius eam includunt, & ea facta tum demum parentes Christi in Galilæam rediisse asserunt. Paucis autem septimanis post Purificationem Magos advenisse, ex historia apud Josephum de occisis Pharisæis & profectione Antipatri Romam versus, annuo fere spatio ante mortem Herodis, instituta apparet.* Hæc ille. Josephi Scaligeri vero Calvisii in Chronologicis Præceptoris lib. 6. De emend. temp. sententia hæc est, *Magi in oppido Bethlehem puerum Jesum adorarunt. Quod si in oppido Bethlehem, ergo intra Purificationem. Nam Josephus & Maria illuc venerant ut cum aliis gentilibus stirpis Davidica nomina profiterentur. Interim oppressit eam partitudo, ut in diversorio pepererit. Jam vero Lex præcipit puerperam manere in sanguine suo, h. e. justos dies τῶν λοχείων observare, & publico abstinere. Itaque puerpera nefas hinc ante discedere quam justos dies obierit. Alioqui quid faceret in diversorio mulier advena? Venerunt igitur intra Purificationem. Cui sententiæ subscribit etiam Aur. Augustinus vir longe castigatioris judicii quam Eusebius. Itaque hoc declaratur illis,* Ποῦ ἐστιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; *recenter enim natum puerum his indicatur. Neque minus illa declarant,* Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, ἐν ἡμέραις Ἡρῴδου τοῦ βασιλέως, ἰδοὺ μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἰερουσάλημ. *Disertissime sub ipsum tempus natæ Christi advenisse scribit, idque circa finem Purificationis: cujus justis operata Virgo comparuit Deo in Templo, & puerum obtulit. Interea Divinitus monita aufugit in Ægyptum; Chaldæi vero in Persidem.* Epiphanium & alios frustra esse ostendit, dum ex verbis istis ἀπὸ διετοῦς colligunt Magos post triennium à natali Christi, aut certe sub alterius anni labentis initium, advenisse. *Nam cometes ille*, inquit Scaliger, *quo duce Magi in Judæam profecti sunt, non est dubium quin longo intervallo Christi natalem præcesserit. Si enim cometæ signa sunt rerum imminentium, non præsentium, quomodo erunt signa si simul cum reipsa, vel potius post rem ipsam, exstiterint? Atqui verissimum est, Natalem filii Dei illo ostento denunciatum Chaldæis longo tempore ante quam incideret. Sic etiam ille cometes horrendus annum integrum visus ante initia belli Judaici, ut scribit Fl. Josephus. Chaldæi vero illi, qui non dubitabant Christum natum in Judæa, in qua tamen parte Judææ natus esset nesciebant, ex apotelesmatis cometæ colligebant Natalem illum in tempus adventus sui incurrere posse. Quare cum jam per annum cometes visus esset, ita tempus profectionis suæ dispensarunt ut fere in ipso articulo quo in lucem Messias ederetur mature venire possent. Si enim biennio aut anno ante natus fuisset, quid opus erat dicere,* Ποῦ ὁ τεχθεὶς βασιλεύς; *nam illud* τεχθεὶς *non δισετὲς παιδίον, nisi consulto cacutiamus, sed ἀρτιγενὲς significare non negabunt qui vel mediocriter Græce sciunt. Exquisivit igitur Herodes à Magis eam rem quam sciebant ipsi, nempe tempus cometæ, non eam quam quærebant, h. e. ubi natus esset. Nam diserte scribit Evangelista,* Τότε Ἡρῴδης λάθρα καλέσας τοὺς μάγους ἠκρίβωσε παρ' αὐτῶν τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος. *Anno enim jam cometen videbant. Alioquin Magis de Christo compertum non fuisset, nisi duce cometa. Hoc tantum sciebant ex apotelesmaticis observationibus, illo ostento portendi Regem Judæis nasciturum. Præcessit igitur conceptionem Christi cometes ille. Quia vero Herodes ex Chaldæis illis nihil aliud certi exspiscari potuit, juxta tempus stellæ, quod ex illis exploraverat, pueros à bimatu & infra omnes ad unum interfici jubet. Quod igitur scribitur,* κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν μάγων, *quare alio interprete solvetur quam Evangelista ipse, qui paulo antea dixit,* ἠκρίβωσε παρ' αὐτῶν τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος· *quare non* κατὰ χρόνον γενέσεως τοῦ Χριστοῦ, *sed* κατὰ χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος *pueri interfecti sunt? Herodes enim nescius tempus natalis Christi non solum bimulos pueros interfecit, sed & infrabimatum, etiam in illa die editos. Nam* τὸ κατωτέρω *ostendit proculdubio Jesum διετῆ non fuisse, sed potius ἀπὸ τῆς φάσεως τοῦ ἀστέρος annum jam præterisse, à quo is annus quo Christus natus esset secundus incipiens. En quam absurdum errorem pepererit διετὴς χρόνος ille perperam intellectus! cujusmodi multa invenies non solum apud Eusebium, sed Clementem, Tertullianum, Epiphanium, & alios.* Hactenus Scaliger: qui de tempore adventus Magorum mihi persuadet, de Cometa non item: Siquidem lumen à Magis visum *stella* vocatur. Et ex cometa, qui naturales causas habet in aëre, Magi tam sublime quid non potuissent divinare. Nec Angelus fuit stella ista, ut censuit Chrysostomus: Angeli enim ubicunque apparuerunt locuti sunt, stella ista fuit muta. Neque vero è stellis firmamenti una hæc fuit; quandoquidem ex illis non potest præcise sumi linea quæ certum locum sive unam aliquam certam domum monstret. Nec planeta fuit stella ista. Planetæ enim infra Zodiacum se continent; ista stella apparuit extra Zodiacum, & processit alio motu. Fuit igitur *φάντασμα* Divinitus ostensum, seu lumen creatum incurrens in oculos in modum stellæ; unde Magi judicare poterant, accedente præsertim luce Spiritus arcana revelantis interna, Messiam esse natum. De hac stella vide quæ scripsit Ignatius ad Ephesios, Chrysostomus hom. 6. in Matth. Augustinus tomo 10. De tempore, serm. 31, & 32. Cyprianus De stella & Magis. Hieronymus tomo 1. epist. 17, & 18. Baronius Annalium tomo 1. pag. 73.

CAP. LV.

Ἀρχιερεῖς, γραμματεῖς, νομικοὶ, νομοδιδάσκαλοι in N. Testamento.

SCribit Matthæus *Herodem convocasse Principes Sacerdotum & Scribas populi, percontaturus ab iis ubi Christus nasceretur.* Frequens mentio τῶν ἀρχιερέων & γραμματέων in N. F. nec horum tantum, sed & τῶν νομικῶν καὶ τῶν νομοδιδασκάλων. Atqui unus tantum erat Summus Sacerdos sive ἀρχιερεύς· unde igitur tot Principes Sacerdotum? Dico, Unum fuisse, & multos. Unum, Pontificem Maximum, sanguinis Aaronici, cui in secretissima Templi semel in anno tas ingredi. Hic κατ' ἐξοχὴν dicebatur *Princeps Sacerdotum*: erat enim revera omnium in universum Sacerdotum coryphæus. Multos, numero videlicet XXIV, pro numero XXIV familiarum Sacerdotalium, 1 Par. 15. 6. & 24. 6. quarum capita nominabantur *Principes Sacerdotum.* Hi erant ex numero Sanhedrim ordinariorum Judicum, & quasi Consiliarii, ut intelligitur ex 1 Par. 23. 4. Matth. 26. 3. Marc. 11. 18. Act. 4. 6. & aliis locis, ubi sine Principibus Sacerdotum nullum concilium cogitur. De Scribis, Nomicis & Nomodidascalis res paulo impeditior est. Epiphanius aperte distinguit τοὺς Νομικοὺς ἀπὸ τῶν Νομοδιδασκάλων καὶ Γραμματέων. Eosdem enim facit γραμματέας καὶ νομοδιδασκάλους, à quibus distinguit τοὺς νομικούς, quos accenset Pharisæis. Ideo rectè ait, Συνῆσαν γὰρ αὐτοῖς καὶ οἱ νομικοί, *Eodem loco censebantur Pharisæi & Nomici, qui quamvis unum corpus & τάγμα efficiebant, tamen erat discrimen quoddam inter Pharisæos & τοὺς νομικούς, quod severius institutum esset Pharisæorum quam νομικῶν.* Hæc aperte Epiphanius. Sed Syrus Paraphrastes ista confundit, dum νομικὸν Scribam vertit: quod sane verum est; cum νομοδιδάσκαλοι Legem interpretarentur, quod proprium τῶν σοφῶν, νομικοὶ vero formulas juris præscriberent, & actiones civiles docerent, & forensia magis tractarent, quod proprium est Scribarum. Sed hæc & facile est & contingit sæpe confundi. Ipse Syrus Matth. 22. 35. τὸν νομικὸν vertit *Legisperitum.* Et Christus ipse Lucæ 11. 45. τοὺς νομικοὺς diversos facit à Scribis, ajens, *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ:* καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς καί, *& væ vobis Legisperitis.* Porro duo genera Scribarum erant, Γραμματεῖς τοῦ νόμου, καὶ Γραμματεῖς τοῦ λαοῦ. *Scribarum Legalium ordo fuit apud Judæos ex antiquissimo instituto: ipsi quippe erant* (ait Casaubonus in Baronianis) *qui Legem populo legebant in Templo & in Synagogis, ac, si opus esset, interpretabantur: propterea in Evangelis* νομικοὶ, *h. e.* Legisperiti, *dicuntur, &* νομοδιδάσκαλοι *h. e.* Legis Doctores. *Ab ipso Mose quidam putant institutos: alii à Davide, è 1 Paral. cap. 23, & 26.* Mentio illorum Jerem. 8. 8. Esdræ 7. 6. *Ipse certe magnus Scriba Esdras, qui Legem restituit, argumento est Scribarum ordinem in ipsa Captivitate duravisse.*

Γραμματεῖς τῦ λαῦ erant *Actores* vel *Actuarii publici*, quorum mentio ſæpiſſime in Euangelio. *E corpore Scribarum fuerunt qui ſequerentur Phariſæos, qui Sadducæos, qui Eſſæos. Quare non minus abſurdum eſt dicere, Scribas fuiſſe alteram partem Phariſæorum* (quod Baronius fecit) *quam ſi quis dicat Epiſcopos hæreſeos Arianæ unam partem confeciſſe, quia Euſebium Cæſarienſis, Euſebium Nicomedienſis, & plures alii Ario adhæſerunt. Movit Baronium quod Act.* 23. 9. *οἱ γραμματεῖς τῦ μέρους τῶν Φαρισαίων dicuntur.* Verum ibi Scribæ dicuntur μέρος τῶν Φαρισαίων, non quod portio aut lacinia Phariſæorum fuerint, ſed quod in aliquot doctrinæ capitibus opinionum inter illos fuerit conſenſus, propter quem tum & item alias à Phariſæis ſteterunt.

CAP. LVI.

Concilium Hieroſolymitanum illuſtre. Oraculi Prophetici de loco Nativitatis Chriſti illuſtratio.

ITa fit: Filii hujus mundi lætantur ſuper iis rebus de quibus contriſtari debebant, terrentur iis ſuper quibus exhilarari debebant. Herodem vide. Lumen Gentium, deſiderium Judæorum, CHRISTUS, naſcitur: lætantur Magi, perturbatur Herodes, Concilium indicit, convocat Sacerdotes, convocat Scribas, Πῦ Χριςὸς γεννᾶται, h. e. μέλλει γεννᾶσθαι, ſolicite inquirit. Concilium hoc cumprimis illuſtre eſt propter enodationem oraculi Prophetici de loco naſcituri Meſſiæ. Nos lecto Michæa collegiſſemus quidem inde, Meſſiam ex poſteritate Judæ & ſemine Davidis exoriturum, & ex Bethlehem exercitum eductum; ſed in Bethlehem Chriſtum naſciturum vix colligeremus. At Concilii hujus Doctores Michæam pulcre explicant. Et quoniam David & Iſaias ſcripſerant Meſſiam *ex Sione proditurum*, conciliant illi loca Davidis & Iſaiæ cum dicto Michææ, & genuinum hujus dicti ſenſum explanant, quem procul dubio ex antiquis Scholis Prophetarum, quorum enarratio apud poſteros manſit, deſumpſerunt. Dictum eſt autem elegantèr οὐδαμῶς ἐλαχίςη εἶ pro μεγίςη εἶ, ut recte Priſcianus quodam loco obſervat. Sic Herodotus Melpomene de Zamolxide loquens, οὐκ Ἕλληνά τε ὁμιλήσαντα, καὶ Ἑλλήνων οὐ τῷ ἀσθενεςάτῳ σοφιςῇ Πυθαγόρῃ.

CAP. LVII.

Lectionem oraculi Prophetici Michææ 5. non eſſe corruptam apud Matthæum in ſecundo, Grammatice demonſtratur. Verba οὐδαμῶς ἐλαχίςη frigidam laudationem non continent.

O Divina Grammatica, quibus ego te laudibus celebrem? Tu es illa verborum Regina & phraſium Domina, quæ obſcura illuminas, impedita explicas, & ab Interpretum veterum pariter ac recentiorum perplexis reſponſis nos liberas. Abſque te eſſet, ſubaudiremus in ſecundo dicti Prophetici membro adverſativam particulam, legeremuſque, *Et tu, Bethlehem Ephratæ, parvulus es inter chiliadas Juda: ex te* TAMEN *egredietur mihi qui ſit Dominator in Iſraele.* Abſque te foret, crederemus Matthæum reſpexiſſe ipſius Prophetæ exitum, volentemque inſeruiſſe illud οὐδαμῶς *nequaquam* ut lætitiam Spiritus ſui ſignificaret: quod etſi Bethlehem parvum eſſet & ignobile oppidum, tamen cum celeberrimis Judææ civitatibus de nominis gloria certare poſſit, eo quod natum excepiſſet & vagientem in cunis ſuis vidiſſet Salvatorem mundi. Abſque te eſſet, ſtatueremus cum Hieronymo, Matthæum volentem arguere Scribarum & Sacerdotum erga Divinæ Scripturæ lectionem negligentiam, recitaſſe dictum prout Scribæ id citaſſent, etſi neque Hebraicæ neque Græcæ verſioni conveniat. Idque longe eſt falſiſſimum. Matthæi enim interpretationem ex Prophetæ mente eſſe conceptam, tu divina nos doces Grammatica. Verba Prophetæ illa ואתה בית לחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה Gr. verterunt, Καὶ σὺ Βηθλεὲμ οἶκος Εὐφραθὰ ὀλιγοςὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. Hos ſecutus Hieron. ad hunc modum tranſtulit, *Et tu, Bethlehem Ephratæ, parvulus es in millibus Juda.* Erratum à Græcis, erratum ab Hieronymo docuerunt Grammatici, Forſterus & Oſiander; & erratum ideo quod non attenderunt ad regulam Grammaticam, *Hebræos, quia neutro genere carent, pro neutralibus vocibus uti maſculinis aut femininis.* E. g. nos recte & perſpicue dicimus, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum:* ſed quia Hebræi non habent vocem qualis eſt *bonum*, ſed tantum טוב *bonus* & טובה *bona*, coguntur voce maſculina טוב *bonus* abuti pro *bonum*, & ſic dicere לא טוב היות האדם quod qui vertere velit, *Non eſt bonus eſſe Adam ſolus*, ridendum ſe omnibus propinaret. Ad eundem modum cum id quod nos dilucide dicimus, *Parum eſt ut ſis inter Principes*, ſeu *Chiliarchas, Judæ*, enunciare volunt, nec habeant dictionem *parum*, ſed tantum קטן *parvulus* & קטנה *parvula*, coguntur dictione קטן abuti pro *parum*, & ſic dicere לחיות קטן מאלפי יהודה. Matthæus igitur ſententiam Prophetæ liberis quidem verbis integram tamen & incorruptam nobis expreſſit. Idem enim eſt omnino ſive dicas, *Parum eſt ut ſis inter Principes Judæ*, ſive dicas, *Nequaquam es minima inter Principes Judæ.* Qui μέλλειν iſtam, οὐδαμῶς ἐλαχίςη εἶ, *nequaquam minima es*, dicere volet *laudationem frigidam & vituperationi proximam* (quemadmodum Fulvius Urſinus *Polybium frigide à Livio laudatum* cenſet, quando lib. 30. ſcripſit, *Polybius haudquaquam ſpernendus autor*) illum Græci & Latini Scriptores falſi poſtulabunt. Certe Dionyſius Halicarnaſſeus Romanam hiſtoriam οὐκ ἐλαχίςην τῶν ὑποθέσεων dixit, cum vellet intelligi *omnium nobiliſſimam argumentum.* Et gens Criticorum Græcorum pridem obſervavit lacundiſſimos ſcriptores, οὐχ ἥκιςα *non minime* cum dicunt, velle intelligi μάλιςα *maxime:* quam elegantiam etiam Latini Scriptores adamarunt. Dejotarus enim Ciceroni dicitur *homo minime ſtultus*, i. cumprimis ſapiens. Et Livius lib. 22. Pœnos, quorum erat agmen late diſperſum, Romanis confertim irruentibus expoſitum, *haud ſane impenetrabiles* dixit, h. e. facillime penetrabiles. Ut redeam unde digreſſus ſum, Grammatica conciliat Matthæum cum Propheta: cujus Grammaticæ judicium ratio à Propheta ſubtexta comprobat, *Ex te enim mihi egredietur qui ſit Gubernator in Iſraele.* Quæ enim conſecutio? *Parvulus es; Ex te enim egredietur Chriſtus.* At ſi dicas, *Parum eſt ut ſis inter Principes Judæ*, vel, *Nequaquam es minima inter Principes Judæ*, ratio pulchre reſpondet, *Ex te enim egredietur Chriſtus.* Eſſe autem poſterius hoc membrum rationem prioris, & ſermonis natura prodit, & ſenſus communis judicat, & Spiritus S. per os Euangeliſtæ teſtatur, quippe qui Conjunctionem rationalem γὰρ, quam in Hebræo neceſſario ſubintelligimus, clare expreſſit. Ad proprietatem linguæ & vim rationis annexæ accedit autoritas Pontificum & Scribarum quos Herodes conſuluit. Illi enim ex verbis Michææ hanc ſententiam acceperunt, Herodique protulerunt, quam Matthæus bona fide retulit.

CAP. LVIII.

Laudatur Arabica interpretatio verborum Matth. 2. 11. ἀνοίξαντες τοὺς θησαυροὺς αὐτῶν. *Primaria vocis* θησαυρὸς *ſignificatio exponitur. Diverſa lectio notatur.*

QUi bene merentur de ſtudiis pietatis, in eorum cenſum merito referuntur quicunque varias Interpretum Biblicorum verſiones inter ſe conferunt. Fecit id in Epiſtolis Paulinis D. Eilhardus Lubbinus, Clariſſimus Academiæ Roſtochienſis Profeſſor, quocum jucundus mihi ſuper hac re ſermo fuit paulo ante beatum illius ex hac vita diſceſſum, qui in initium menſis Junii anni 1621. incidit. Fecit idem in Euangeliſta Matthæo D. Petrus Kirſtenius Medicus Uratiſlavienſis, qui Arabicam verſionem cum Græco authentico textu diligenter contulit. Is inter alia notat, ubi Magi in omnibus aliis textibus dicuntur aperuiſſe *theſauros ſuos*, eos apud Arabem dici aperuiſſe *vaſa ſua.* Quæ verſio valde mihi arridet, non ſolum quod veriſimile non ſit illos omnes theſauros ſuos domo exportaſſe in Paleſtinam, & Perſarum theſauri non Auro, Thure & Myrrha tantum fuerint æſtimati, verum etiam quod primarium vocis θησαυροῦ ſignificatum ab Arabe putem expreſſum. Proprie enim θησαυρὸς ſignificat *quidvis in quo aliquid repoſitum eſt*, ſive ſit *Sarcina*, ſive *Theca*, ſive *Saccus.* Pſal. 135. 7. ὁ ἐξάγων ἀνέμους ἐκ τῶν θησαυρῶν αὐτοῦ, *qui educis ventos de receptaculis ſuis.* Iſa. 45. 3. θησαυροὶ ἀποκρυφῶν, *ἀόρατοι*, ſunt infernus. Baſilio Seleuciæ Epiſcopo, Oratione in Jonam, Deus eſt ζωῆς θησαυρὸς *vitæ theſaurus.* Ciceroni memoria *rerum omnium theſaurus.* Virgilio apotheca ſervati mellis *theſauri* dicuntur. Quod autem res conditæ ſuis conditoriis ſint nobiliores, opes in thecis reconditæ *theſaurus* ipſe ſunt dictæ. Sed proprie, ut dixi, θησαυρὸς eſt *theca*; quam vocem ſua quiſque Interpres lingua omnium optime noverit exprimere. Quæ dixi, pulcre firmat Epiphanius in compendiaria fidei catholicæ doctrina, ubi ſcribit, Οἱ μάγοι ἤνοιξαν τὰς πήρας, ἢ τοὺς θησαυροὺς, ὡς ἔχει ἴνια τῶν ἀντιγράφων, h. e. *Magi aperuerunt peras ſuas, ſive theſauros, ut aliqui exemplaria habent. Theſaurus* igitur *pera*, ein taſche! oder ſeckl.

CAP.

CAP. LIX.

Προσκύνησις Magorum. Ingeniculatio an semper in orantibus necessaria. An omnes Christum agnoverint Filium Dei qui illum in terris agentem adorarunt.

NOstro Gentium loco Magi nato recens Salvatori homagium præstituri πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ. De hoc verbo προσκυνεῖν ita philosophatur Synodus secunda Nicena, Προσκυνεῖν *Adorare, & ἀσπάζεσθαι Amplecti, & Φιλεῖν Amare significat. Prapositio autem* πρὸς *Intentionem significat desideril, quemadmodum in* προσφέρω *à* φέρω, κυρῶ *&* προσκυρῶ, κυνῶ *&* προσκυνῶ, *quod significat & Amplexum & Vehementem amorem. Nam quod quis* Φιλεῖ, *h. e.* amat, *id etiam* προσκυνεῖ, *h. e.* amplectitur; *& quod quis amplectitur & adorat, nempe* προσκυνεῖ, *hoc etiam omnino* Φιλεῖ, *h. e.* amat. *Sic David adoravit ter Jonathan, & osculatus est eum. Et Christus dicit* Pharisæos amare primes accubitus in conviviis, & salutationes in foro: *ubi certum est* ἀσπασμὸν, *h. e.* salutationem, *à Domino appellari* προσκύνημα, i. adorationem. Sed revera significatur hac voce humilis & abjectæ venerationis gestus, ut cum quis se ad alterius pedes abjicit. Apud Orientales hospites & amici se mutuo exosculabantur & amplexabantur; sicut hodieque fit in Anglia, Gallia & aliquot Belgii locis: quo sensu Psalm. 2. 12. dicitur, *Osculamini Filium*, h. e. Amate illum, habt ihn lieb und wehrt. Apud Reges deinde recepta fuit consuetudo ut, cum Rex præberet manum, subditi eam cum significatione reverentiæ oscularentur. Diocletianus primus instituit ut provinciales pedes ei oscularentur: quod Papæ Romani imitati sunt. Fuit præterea & alius mos, ut supplices prostrati coram eo cui supplicabant, genua ejus exoscularentur. Atque hoc sibi vult verbum προσκυνέω. Est enim κυνεῖν *osculari*, sive manum, sive genua, quæ demississima fuit adoratio. Ideo Magi dicuntur πεσόντες *prostrati adorasse* Christum, quod Participium, licet plerumque reticeatur, verbo tamen προσκυνεῖν inclusum esse intelligitur ex collatione Euangelistarum. Nam cum Matthæus 8. 2. scripsisset de leproso, λεπρὸς ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, Marcus 1. 40. eandem historiam recitans, ait, *Leprosus ad Christum venit* γονυπετῶν αὐτὸν, & Lucas 5. 12. *prostratus in faciem Christum rogavit*, πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον ἐδεήθη. Idem Participium aliis circumscriptum verbis apud Marcum reperitur, ubi milites Christo illudunt, & cum τιθέντες τὰ γόνατα adorant. Ac quoniam eosdem corporis gestus in sacro quoque cultu usurparunt veteres, vox illa προσκύνησις, quam Latini *adorationem* sunt interpretati, ad animum quoque translata est, ad verum Dei cultum significandum. Itaque cum Moses Deut. 6. 13. dixisset, *Dominum Deum tuum timebis, & ei servies*, Christus in N. T. dictum illud allegans dixit, *Dominum Deum tuum* προσκυνήσεις. ¶ Hinc oritur quæstio, An simpliciter necessarium sit ut in cultu Divino Christiani, Concionatores inprimis, *de geniculis*, ut loquitur Tertullianus, *adorent*. Sunt hodie qui sic sentiunt, seque offendi dicunt si videant Euangelii præconem pro concione stantem orare. Atqui Servator ipse pedibus modo inclinatis, modo erectis oravit: & pendent hæc talia, quæ ad Ecclesiæ τάξιν & εὐταξίαν pertinent, non ab unius alicujus Concionatoris arbitratu sed ab ordinatione Ecclesiæ totius. Vetustissimus mos fuit flexis genibus adorare (γονυκλισίαν alii, alii γονυθεσίαν dixerunt) præterquam die Dominico, & tota Quinquagesima, h. e. à Pascha ad Pentecosten. Epiphanius in Serm. Catholico, Καὶ δι' ὅλου μὲν τοῦ ἔτους ἡ νηστεία Φυλάττεται ἐν τῇ αὐτῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, Φημὶ δὲ τεσσαρὰς, καὶ παρασκευάτην, ἕως ὥρας ἐνάτης, δίχα μόνης τῆς πεντηκοστῆς ὅλης τῶν πεντήκοντα ἡμερῶν, ἐν αἷς οὔτε γονυκλισίαι γίνονται, οὔτε νηστεία προσέταχται. Germanus Episcopus Constantinopolitanus, Τὸ μὲν κλίνειν γόνυ τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς ἁγίας πυριακῆς, σημαίνει τὴν τῆς κατασκευῆς ἡμῶν ἀνόρθωσιν γενομένην διὰ τῆς τριημέρου τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως· τὸ δὲ μέχρι τῆς πεντηκοστῆς μὴ κλίνειν γόνυ, ἔχει τὰς ἑπτὰ ἡμέρας μετὰ τὸ ἅγιον πάσχα ἑπταπλουμένας κρατεῖν τῇ διανοησίμῳ. Ambrosius Ser. 61. *Scire debet sanctitas vestra, Fratres, hanc sanctam Pentecosten diem qua ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis jugis & continuata festivitas, ita ut omni hoc tempore neque ad observandum indicamus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus, sed sicut Dominica solemus facere, erecti & feriati resurrectionem Domini celebramus.* Tertullianus De Corona, *Die Dominico jejunium nefas ducimus vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Pascha ad Pentecosten usque gaudemus.* Hieronymus, *Die Dominico & per omnem Pentecosten nec de geniculis adorare, & jejunium solvere, multaque quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vindicavit.* Ex his apparet, olim post solennia Pentecostes, h. e. feria quarta, statim ἀνακύψιμον adorationem desini, γονυκλισίαν autem in totum annum repeti solitam. Hodie Æthiopes semper stantes, non de geniculis collectæ intersunt. Prolixum autem est eorum *Qdasé*, h. e. λειτουργία. Ideo patibula sive adminicula lignea quamplurima in vestibulo ædium sacrarum deponi solita, quibus innitantur dum σύναξις peraginur, scribit Fr. Alvarez. Sed die Pentecostes ingeniculant, ut & Syri faciunt ritus prisci quadam delibatione. Ecclesia vero Romana die cerei Paschalis hoc observat. ¶ Quæsitum est etiam, An quotquot Christum in terris agentem adorarunt, eundem Dei Filium agnoverint. Vix affirmaverit qui historiam Euangelicam diligenter perlustravit. Credebant quidem CHRISTUM esse insignem Prophetam, missum à Deo, per cujus assistentiam sanaret cæcos, claudos, surdos; sed verum Dei Filium non agnoscebant. Firmat hoc judicium Nicodemi de Christo Joh. 3. 2. *Scimus te à Deo venisse Magistrum. Nemo enim potest hac signa edere quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo.* Patet idem de confessione Petri & aliorum Discipulorum, qui Matth. 16. rogati *quid sentirent homines de CHRISTO* neminem indicarunt qui CHRISTUM Filium Dei diceret: sed *alios qui Joannem Baptistam, alios qui Eliam, alios qui Jeremiam aut unum ex Prophetis* profiterentur. Patet idem ex acclamatione civium Nainicorum, qui *magnum Prophetam surrexisse* ajunt, Luc. 7. Sic igitur Magi, leprosus, Centurio, alii, etsi nondum distincte agnoscebant Christum Filium Dei manifestatum in carne, tamen persuasi sunt in eo manifestari Dei virtutem, ideoque ut Regem suum Magi honorarunt, aliique ut à magno Dei Propheta opem salutemque petiverunt.

CAP. LX.

Myrrham Christo à Magis oblatam eandem esse cum hodierna nostra contra Cæsarem Baronium demonstrat Nicolaus Guiberius Medicus Lotharingus.

NON solum veneratione devota sed splendidis etiam donis honorarunt Immanuelem recens natum Magi. *Aperto* enim *theca sua* (id enim significat vocabulum θησαυρὸς) *obtulerunt* Christo

Aurum, thus, myrrham, Regique, Hominique, Deoque,

ut ait Poeta sacer. Disputatur autem in Medicorum schola æque ac Theologorum, utrum myrrha à Magis Christo oblata eadem fuerit cum myrrha hodierna nostra. Negat Baronius Theologus, affirmat Nicolaus Guibertus Medicus. Nos quia cuique artifici in sua arte credendum esse existimamus, Guiberto tantisper favemus dum melioribus rationibus in aliam sententiam pertrahamur. Sic autem ille in libello De murrhinis, *Præclariss. Baronius, in priori tomo Annalium Ecclesiasticorum, an. 34. f. 170. editione secunda, in veteri sententia persistens, & opinioni Michaelis Mercati, à quo acceperat, inhærens, asserit Myrrham veterum esse quod Indi hac nostra tempestate* Benzui *vocant, nulla tamen ratione probabili, vel auctoritate sapientum, sed tantum opinione dicti Mercati innixus. Hanc vanam opinionem nunc etiam reprehendo, prout & alias reprehendi; atque longiori sermone & demonstrationibus efficacioribus quam antea defendo, Myrrham scilicet veterum à Benivino distingui, eamque ab ea recentiorum non differre. Porro non inficior quosdam exstitisse nostris temporibus qui ad pauca respicientes, idem ante Baronium & Mercatum pronunciarunt; Quorum coryphæus fuit Amatus Lusitanus, qui, ut in suis in Dioscoridem Commentariis enarrat, 71. c. de Myrrha, in ea fuit opinione ut quod ab officinis hodie* Benivinum amygdalinum *vocatur, à maculis candidis amygdalarum instar, quas habet admixtas, præstantissimum esse genus Myrrha putaret, quam Dioscorides à loco natali* Troglodyticam *appellat. Verum hac absurda opinio jam ante à me fuit & à doctissimo Mathiolo & ab aliis satis explosa. Inventus est tamen adhuc Michael Mercatus, qui à recepta semel opinione dissentiens, & huic falsæ opinioni nimis favens, nullis tamen aliis validioribus rationibus vel auctoritatibus in medium allatis, quibus fides communi doctorum opinioni & auctoritas celebritati scriptorum derogaretur, falsus est, & amplissimum Baronium fefellit, h. e. in eundem errorem induxit: Quam falsam & absurdam opinionem cum pro potiori receperit Baronius, effecit ut ad eam multa alia & graviora errata consequerentur in ejus scriptis, ut in progressu apparebit. Ad hanc igitur vanam opinionem stabiliendam ipse Baronius ab ipso Mercato*

rha veterum à Benivino diſtinguatur & à Matthiolo & ab aliis dicturdus. Nam Myrrha confracta venas unguium modo candidas & læves oſtendit, Dioſcoride & aliis ſcriptoribus atteſtantibus; unde ungulata denominatur: Benivinum vero maculas habet admixtas etiam candidas, ſed non unguium modo, verum amygdalarum inſtar; unde amygdalinum fuit denominatum. Hinc manifeſtum eſt Myrrham à Benivino & prout & idem eſſe diverſum, & hac nota etiam diſtingui, prout & idem Matthiolus animadverſit. Nec primum argumento à ſapore ſumpto nititur Baronius confirmare ſuam de Myrrha & Benivino aſſertionem. Sapor quoque, inquit, idem videtur. Vinum enim in phiala ex Benivino magnam haurienti cum odore ſimul gratiam ſaporis habet. Minime profecto verum eſt (pace tanti viri dixerim) Benivino eundem eſſe cum ſapore qui Myrrhæ deſcribuntur: idque eſſe falſiſſimum & ab omni ratione alienum, apertiſſimis demonſtrationibus, experientiis ac teſtimoniis ſcripturarum convincitur. Sapor enim Myrrhæ non parum eſt amarus, Theophraſto, Dioſcoride, Plinio, Oribaſio, Actuario omnibuſque aliis atteſtantibus; ita ut idem Plinius lib. 12. cap. 16. de Myrrhæ adulteratione verba faciens dicat cucumeris ſucco amaritudinis gratia adulterari. Benivinum vero tantum abeſt ut ſit amarum quod non parum ſit dulce; quod ipſa etiam experientia teſtatur & auctoritas tot tantorumque virorum qui de eo ſcripſerunt. Nec diffitetur Baronius, cum dicat vinum in phiala ex Benivino magnam haurienti cum odore ſimul gratiam ſaporis habere: qua ſola dulcedinis nota Joannes Fragoſus Medicus Hiſpanus, lib. Hiſtor. aromatum apud Indos naſcentium, cap. de Myrrha, eorum opinionem convellit qui Benivinum Myrrha genus eſſe præſtantiſſimum ſibi perſuaſum habebant. Adde quod eodem Baronii argumento facile poſſet probari Myrrham & Bdellium idem eſſe. Tam enim ſimilia inter ſe ſunt colore, ſapore & ſubſtantia ut plerique utrumque unam ſpeciem fecerint. Sed his ſepoſitis, aſſertionis meæ veritas confirmari & adverſaria opinionis falſitas infirmari poteſt aliis rationibus & demonſtrationibus efficaciſſimis, quas nemo ad hunc diem præter me excogitavit, quibus planiſſime intelligi poteſt Myrrham veterum à Benivino & ſubſtantia & accidentibus & facultatibus & notabilibus longe diverſam. Primo omnium, Myrrha antiquorum deſcribitur adeo pinguis & ſuccoſa ut ex ea ſola, præſertim recentiori, unguenti ſive olei illud genus ſimpliciſſimum prelo facile exprimatur quod Stacte Græcis, gutta Latinis dicitur, quodque pinguitudinem Myrrhæ eſſe Dioſcorides & alii aſſeruerunt: Contra vero Benivinum eſt adeo aridum & exſuctum ut ne gutta quidem liquoris ab eo quovis arte exprimi poſſit; ut & experientia rerum magiſtra teſtatur. Qui igitur fieri poſſit ut Myrrha ſit Benivinum, & Benivinum Myrrha? Huc addo, quod Benivinum eſt adeo tenax, durum, compactum ut ex eo vaſcula, ſpharulæ precariæ, & alia opera ſimilia ſplendida & nitida hodie in India torno efformentur: quod & inter alia ſcitu & digna & jucunda annis proximè elapſis mihi narrare ſolebat in Italia Chriſtophorus Lopez Luſitanus, familiaris meus, qui bonam partem ætatis in variis India provinciis conſumpſit, ibique diu militiam exercuit, nunc autem Neapoli reliquum vitæ tranſigit. Hoc non diſſitetur Baronius, qui ex Benivino vaſa myrrhina confici ſcribit. At ex Myrrha veterum pingui, molli, tenera, fragili quis vaſa cavare poſſe & elaborari, præſertim ſervato ſplendore & nitore, contenderit, niſi refractarius, & qui in his rebus ſit minime exercitatus? Quod etiamſi conceſſero, ex Myrrha vaſa conflari poſſe & ſplendida & nitida, nihil adhuc conſequentur

num in dictis regionibus, in quibus Myrrha, provenirat, quod conſtat manifeſto teſtimonio probatorum ſcriptorum id provenire duntaxat in ultima fere India, in regione Siam & Martaban ejus confinibus; quod & idem Garcias lib. eodem cap. de Benivino affirmat, idque non ſine rei numinariæ diſpendio ſe didiciſſe teſtatur. At provincia Siam & Martaban ſunt ſupra Regnum Malacæ, ad fluminum Ava & Meuam in Oceanum Indicum influxum, ſupra Gangeticum ſinum: & non modo non attingunt Arabiam vel Æthiopiam, ubi Myrrha naſci traditur, ſed multis multoſque paſſuum millibus ab iis abſunt. Ex Sabæis, populis ejuſdem Arabiæ Felicis, apud quos priſſimum Thus & Myrrha naſcuntur, profecti ſunt tres Magi qui CHRISTUM Dominum adoraſſe ſcribuntur in Evangelio, ut multi ſapientes exiſtimant, & qui aperiis thesauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham, quæ in ſua regione proveniebant. David Pſal. 72. 10. Reges Arabum & Saba dona adducent: & infernè 15. Dabitur ei de auro Arabiæ. Virgilius lib. 1. Georg.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Qui plura de tribus hiſce Magis ſcire velet, conſulat Franciſcum Suarez, tomo 2. ſuarum Comment. in 3. part. D. Thomæ, diſp. 14. §. 3. Quod nos hic paucis ſcribimus, fuſe ſatis & erudite confirmat. Non ſunt igitur una eademque res Myrrha & Benivinum. Inſuper alio efficaciſſimo argumento à Myrrhæ facultatibus & ab ejus uſu deſumpto perſpicuum fit Myrrham à Benivino differre. Myrrhæ enim facultas tribuitur ſervandi cadavera à corruptione propter ſuum amarorem; non autem Benivino, quod eſt dulce, ut dictum eſt. Hinc Ægyptii, Syri, Arabes ac alia nationes ex inveterata traditione mumiæ ſolebant mortuorum cadavera ex Myrrha & Aloe, rebus amariſſimis, adverſus corruptionem; quod & ſacra & profana Scriptura teſtantur. Quo etiam unguento conſtat fuiſſe delibutum corpus Chriſti pretioſiſſimum, ut habetur Joan. 19. 39. his verbis, Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Jeſum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum. Et de myrrhatis corporibus in Ponto ita loquitur Silius in 13.

Exhauſto inſtituit Pontus vacuare cerebro
Ora virum, & longum myrrhata reponit in ævum.

Et adhuc hodie ex Aloe & Myrrha noſtra rebuſque ſimiliter amariſſimis, veluti abſynthio (non autem ex dulcibus, quale eſt Benivinum) mixtura conficitur ad ſervanda mortuorum cadavera: quod & videre eſt paſſim in libris Medicorum. Unde clariſſime perſpicitur Myrrham à Benivino diſtinguì, Myrrhamque veterum & recentiorum idem eſſe & prout ſunt, & tam bene inter ſe conveniunt ac omnino & ſingulis notis reſpondent quam duo ova ab una eademque gallina pregnante. Proinde nodum in ſcirpo quærere videntur qui Myrrhæm in Benivino quærunt. Myrrha enim quæ ad nos defertur, etſi pro majori parte ſit illegitima, ac pinguillo careat, & retorrida craſſiuſque ſit conſiſtentia, & ad gummi imaginem vergens, & viribus ejus proxima, prout & tempore Dioſcoridis reperiebatur, tamen inter Myrrhæm vulgarem non panca reperiuntur fragmenta omnibus notis ſuis prædita quæ ab antiquis præſcripta ſunt, ac unguinoſa & ſuavisſimi odoris: quæ manibus confricatæ aut mira odoris fragrantia commendat, & ex quæ, præſertim recentiori, liquor ſtillans facile prelo exprimi poſſit: cujus generis & habui quamdoque copiam, & adhuc in lucrimus aliquid ſervo cum multis aliis magis recondito. Cum enim anno 1578. à venerando Re-

Digitized by Google

mano Medicorum Collegio in Protomedicum electus essem, in externa visitatione Pharmacopolarum, sæpius inter Myrrha cumulos fragmenta optima Myrrhæ succosa & ungulata inveni, quæ omnibus notis antiquæ Myrrhæ responderet, & præsertim apud nundinatores qui ad civitatum Fulginatensis, Racanatensis & Ariminensis nundinas quotannis confluebant; cujus & frustulum, dum hæc scriberem, adhuc ostendebam D. Carolo Mamburgo, Nanejano, Cathedralis Ecclesiæ Tullensis Canonico, viro & apprime docto & pio, cujus ego amica solicitudine necnon industria haud semel in hoc tractatu conscribendo sum usus: Optimæ Myrrhæ speciem vidi etiam, dum Neapoli commorarer, apud Ferrantem Imperatum, Pharmacopolam omnium qui sunt, qui fuerunt, & fortasse qui futuri sunt, maximum doctrina, opibus, probitate & indagatione rerum omnium mundi præcipuarum, peregrinarum ac magis reconditarum, quas terra & mare pragignunt, quas in musæo ad id magnifice constructo, Monarcha quidem digno asservat: id quod grata recordatione etiam in Studiosorum gratiam hic commemorare volui. Ratum sit igitur atque firmum, Myrrham veterum & Myrrham recentiorum idem esse; & ideo Myrrham in non-Myrrha quærere nihil aliud esse quam in rebus claris atque apertis tenebras. Quam meam sententiam tot tantisque rationibus & demonstrationibus confirmatam non dubito quin doctissimus quisque sit approbaturus; nec puto fore quenquam adeo morosum ut iis rite examinatis adversariam opinionem retinere velit.

CAP. LXI.

Χρηματισμὸς Divinus. Fabulæ de inclinatione arborum in Ægypto & Boëmia. Artes Ægyptiæ Christo affictæ. Mors Herodis. Archelai Regnum.

JUra fuvent vigilantibus, inquiunt Legum periti: at Deus etiam favet dormientibus, inquiunt Theologi. Illustria exempla in secundo apud Matthæum. In somnio Josephus, in somnio Magi admonentur qua ratione furorem Herodis effugere possint. Χρηματισθέντες κατ' ὄναρ ἀναχωρῆσαι, inquit Evangelista. Χρηματίζειν sign. agere cum populo, responsa legatis dare, aliquid publice referre. Aristophanes, Χρηματίζειν περὶ Εὐριπίδου, *referre de Euripide.* Demosthenes contra Midiam, Ἐν δὲ ταύτῃ ἐκκλησίᾳ ὁ νόμος κελεύει, ἐπειδὴ χρηματίσωσιν οἱ πρόεδροι περὶ ὧν διωκήσειν ὁ ἄρχων, χρηματίζειν καὶ περὶ οὗ ἄν τις βούληται ἢ περὶ τῶν ἑορτῶν, *referre ad populum quod quis improbe fecit in festo.* Polybius lib. 5. πρὸς δὲ τὰς Φιλιππου διατριβὰς ἐξουσίαν, οἷς βούλοιντο κατ' ἰδίαν χρηματίζειν, *facta fuit eis potestas pervadendi cum quibus amicis vellent rem negotiumque agere.* Ac ut θεσπίζειν de Deo pariter ac Regibus dicitur, sic χρηματίζειν est *Divina vel civilia negotia pro potestate ac imperio tractare:* ἀπὸ τοῦ χρῆμα, *res, negotium.* Sed χρηματίζεσθαι ἀπὸ τοῦ πληθυντικοῦ χρήματα est *quæstum facere:* unde χρηματισμός, τρισμός, *quæstus.* Sic apud profanos autores verba illa usurpantur. Sed in literis N. T. χρηματίζεσθαι dicitur *quem Deus suo sermone & colloquio dignatur.* Itaque Œcumenius χρηματισθεὶς Hebr. 11. 7. exponit ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰπόντος, & τὸ κεχρηματισμένον Luc. 2. 26. *responsum* vel *nuncium* dicitur: quemadmodum & ὁ χρηματισμός Rom. 11. 4. à forma activa χρηματίζειν deductum. Budæus, χρηματίζειν *est in Deo quod in hominibus διαλέγεσθαι.* Sophocles Antigona usurpat verbum χρηστὸς, quod Andreas Dunæus vir doctissimus existimat idem esse cum nostro χρηματιστὴς, siquidem Trichinius eruditissimus Sophoclis Scholiastes τὸ Χρηστὸς interpretetur παραγγελθὲς. Sic igitur moniti Magi quidem in Orientem regressi, Josephus in Ægyptum profectus est. ¶ Scribit Sozomenus ad Christi infantis adventum in terram Ægypti Perseam arborem proceram se inclinasse. Verba autoris ista, Λέγεται ἅμα εἰσιόντι παρὰ τὴν πόλιν μὴ ἐνεγκὼν τῦτο τὸ δένδρον, μέγιστον ὄν, τῷ Χριστῷ τὴν ἐνδυμίαν, ἐπὶ τὸ ἔδαφος κλῖναι καὶ προσκυνῆσαι, *Dicitur, cum introiret Christus Hermopolin, arbor quæ erat ad portam, & ea quidem maxima, quod non ferret Christi desiderium, interram se inclinasse & illum adorasse.* Quid non persuadet hominibus superstitio? In Boëmiæ sylva illa, quæ Brandisio Neoboleslaviam profecturis proxime occurrit, arbores complures inclinatæ conspiciuntur. Vulgo hæc ingenerata opinio, abietes D. Wenceslaum illac transeuntem hoc reverentiæ signo honorasse. Fabulæ istæ. ¶ Non fabula exsilium Christi, è quo illum mors Herodis liberavit: quæ, secundum Buchholzerum, incidit in annum nati Christi secundum, quo Divinitus monitus Josephus rediit in Palæstinam. ¶ Falsum autem imo impium est quod olim quidam ex Christi reditu ex Ægypto concluserunt, ipsum ex Ægyptiorum adytis Angelorum potentium nomina & arcanas disciplinas furatum esse, h. e. malas artes ibi didicisse, quibus instructus in Judæam remearit, ibique Dei nomen sibi arrogarit. De qua impietate vide Arnobium lib. 1. & Celsum apud Origenem. ¶ Cæterum cum Archelaus post mortem patris Herodis neque Rex sed Ethnarcha neque Regni solidi sed dimidii Dominus constitutus sit, quæri potest quomodo Matth. 2. 22. dicatur ἀντὶ τοῦ Ἡρῴδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ *in Judæa regnasse.* Res ita habet. Herodes moriens testamento filium Archelaum Regem constituit: Ἀρχελάῳ τὴν βασιλείαν χαρίζεται, *Regnum dedit Archelao*, Joseph. lib. 17. c. 10. sed vel propter memoriam beneficiorum à Cæsare acceptorum, ut conjectat Scaliger in Eusebianis, vel quod ὑποφόρος Rex *vectigalis* esset, ut vult Appianus, omne negotium arbitrii Cæsaris fecit. Cæsar igitur Ἀρχέλαον βασιλέα μὲν οὐκ ἀπεφαίνετο, τῆς δὲ ἡμίσεος τῆς χώρας ἧπερ Ἡρῴδης ὑπετέλει ἐθνάρχην ἀπέδειξε, *Archelaum quidem Regem non declarat, sed ejus ditionis quæ Herodi erat subjecta in partem dimidiam ipsum constituit Ethnarcham.* Et alibi, Τὸ μὲν ἥμισυ μέρος τῆς βασιλείας Ἀρχελάῳ δίδωσιν, ἐθνάρχην προσεῖπων, ὑποσχόμενός τε καὶ βασιλέα ποιήσειν ἐὰν ἄξιον ἑαυτὸν παράσχῃ. Quem igitur moriens pater constituerat Regem, eum Augustus Regis honore privavit. Qua de causa Eusebius 1. Ἐκλογ. c. 9. ait *hæc acta κατὰ μὲν τὰς διαθήκας* Ἡρῴδου, ἐπίκρισιν δὲ Καίσαρος. Etsi igitur Archelaus re vera Rex non erat, *regnasse* tamen scribitur, tum quia à Patre Rex designatus tum quia dimidiam paterni Regni partem obtinuit, denique quia ipse Regis nomine abusus est tantisper dum anno Regni sive Ethnarchiæ decimo in exsilium pulsus, & Viennam Galliæ urbem relegatus est: & tum Judæa immediate per Præsides Romanos gubernari cœpit.

CAP. LXII.

An phrasis Scripturæ ἵνα πληρωθῇ ut impleretur *semper importet prædictionum Propheticarum historicam impletionem. Ubi de citatione Euangelica dictorum Propheticorum*, Ex Ægypto vocavi Filium meum. Vox in Rama audita est, *&c.* Nazaræus vocabitur.

SCribit Eusebius lib. Demonst. Euang. 9. cap. 4. siquidem Euangelista de Christi ex Ægypto revocatione agens ad Hoseam provocat, verbaque hæc apponit, *ut impleretur*, prædictionem liberationis Christi ex Ægypto, puta historicam, vel in Hosea, vel certe in Mose, quærendam. Franciscus etiam Junius, clarissimus Theologus, præceptor meus, affirmat in Parallelis suis, Verba Matthæi, *ut impleretur*, sibi quoddammodo manum injicere, ut dictum Hoseæ, *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, historice & literaliter de Christo agere statuat. Quo fundamento substrato, Eusebius per omnes fere Demonstrationum libros & Junius passim in Parallelis multa Prophetarum vaticinia aliter ac contextus ferre potest interpretantur. Atqui verba illa, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου, h. e. *ut impleretur quod dictum est per Prophetam*, huc nos necessario non vocant; siquidem quædam Prophetarum dicta implentur historice, quædam typice, quædam analogice. Historice impletum est in Christo quod Psalm. 22. 16. scriptum, *Foderunt manus meas & pedes meos:* item, *Diviserunt vestimenta mea:* hæc enim nullo modo Davidi aptari possunt. Typicæ impletionis exemplum est apud Lucam 4. 21. ubi CHRISTUS in synagoga Nazarethana locum Isaiæ 61. 1. ad se transferens, *Certe*, inquit, *hodie impleta est hæc Scriptura*, nempe non uti olim, in Isaia, aut gregario aliquo alio Propheta, sed in me Prophetarum Principe, allato non libertatis corporum momentaneæ sed redemptionis animorum sempiternæ nuncio. Analogica impletio est in tribus dictis illis quæ ab Euangelista Matthæo cap. 2. ex Prophetis allegantur. Revocatione CHRISTI ex Ægypto impletum dicit illud Prophetæ, *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Analogica est impletio per similitudinem, ut intelligamus nihil novi esse ex Ægypto de integro nasci Ecclesiam, quando jam olim Deus populum suum filium dilectum inde evocavit. Neque enim testimonia V. Pacti semper confirmandi sed sæpe illustrandi & concinnioris accommodationis gratia adhibentur in Novo. Quod qui non attendunt ii textus Propheticos violentis illis applicationibus corrumpunt, & quod in Hoseæ loco fit, reprehensiones transmutant in consolationes, & narrationes facti præteriti transformant in promissiones rei futuræ; adeoque Judæis se ridendos proponunt. Hujus generis est alterum illud, *Tunc impletum est quod ait Dominus per Jeremiam Prophetam dicentem, Vox in Rhama audita est*, &c. Quibus verbis innuit Euangelista adventu Christi renovatum fuisse luctum illum quem multis ante seculis pertulerant Benjamitæ. Eodem modo

interpretor allegationem dicti, *Nazaraus vocabitur*. Quod Samsoni proprie, Christo analogice tantum competit, qui à vino, ut Nazirai, non abstinuit. Nec typice intelligi potest. Etsi enim Samson in multis fuit illustris typus Christi, (quem typum in Concionibus Paschalibus in Idea Dominicalium disertissimus) tamen quod educationis locum attinet, nec fuit nec esse potuit Christi typus, quandoquidem oppidum Nazareth tum nondum fuit conditum. Hoc igitur vult Euangelista, Christum in Nazareth habitasse, ut ab oppido illo cognominatus aliquam etiam nominis similitudinem cum Samsone haberet; & quemadmodum Samson à sanctificatione *Nazoraus* fuit dictus ita Christus ab oppido inhabitato *Nazarenus* diceretur. Solenne est enim Spiritui S. rebus quæ in N. T. acciderunt loca V. T. accommodare; non quod semper & ubique hæ illis tanquam typis & allegoriis fuerint significatæ & prædictæ, sed potius hæ tanquam similibus & paribus illustrentur & probentur. Quibus observatis in fumum abeunt quæcunque à doctissimis viris de hujus loci accommodatione, itemque de vocabulis *Nezer*, *Nazoraus*, *Nazarenus*, integris etiam libellis disputata sunt. Quod *per Prophetas* dictum ait Euangelista id quod exstat in Judicum libris, mirum non est. Nam ipse Christus Vetus Test. in *Mosen*, *Psalmos* & *Prophetas* concise distribuens Luc. 24. 44. Historicos libros Propheticis accenset. Itaque cum Historici unum quasi corpus cum Propheticis faciant, *per Prophetas* aliquid scriptum esse dici potest etiamsi tantum in uno Propheticorum liberorum reperiatur. Quanquam fieri potest ut Euangelista uno ὄculo ad Samsonem, altero ad Josephum respexerit, qui & ipse *Nazaræi* nomine à patre Jacobo fuit insignitus, Genes. 49. 26. & Deut. 33. 16.

CAP. LXIII.

Simeon Christi infantis præco quis fuerit?

TRaditio Talmudica legitur in tractatu De Sabbato, cap. 1. *centum annis ante destructionem Templi secundi floruisse Hierosolymis Hillelem* (quod *Laudationem* significat) *& Schammai*, cujus nominis causa ignoratur. Hillel è Babylonia fuit oriundus; unde *Hillel Babylonius* appellatur. Venit in Judæam anno ætatis XL, ubi annis XL. continuis Legi operam dedit, & totidem rexit Israelem. Centum enim & viginti annos vixit. Fuit autem *caput Curiæ*, *Scholæ*, vel *Academiæ*, sive *Princeps Synedrii magni*, quod erat LXXI virorum. Collegam habuit Schammai, qui fuit *pater Domus judicii*, vel *Consistorii*. Sic vocabant qui inter LXX reliquos sapientia & autoritate præcellebat, & adjungebatur secundarius Principi, sedebatque ipsi ad dextram. *Hi duo*, ait Hiero. *per traditiones & δευτερώσεις suas Legis præcepta dissipaverunt atque maculaverunt*. Distensérunt autem de tribus, vel, ut alii, de XVIII rebus: *de quibus*, ut est in tract. De Sab. *tanta contentio fuit inter domum Schammai & domum Hillel ut eam ne Elias quidem abolere posset*. Vestigia contentionis illius exstant in vetustissimo proverbio, *Esto humilis ut Hillel, & non iracundus ut Sammaus*: ita ut contentio quæ inter illos orta est initium sumpserit à Sammai, qui erat truculento ingenio & contentiolo, non ab Hillel vel Hellel (nam utrumque dicitur) homine placidis moribus & mitissimo. Uterque plurimos discipulos habuit. *Hinc schola, domus, familia Hillelis, schola Schammai*, pro sectariis ipsorum doctrinæ. Hillelis filius fuit Schimeon primus, nepos Gamaliel, Pauli Apostoli, ut putatur, præceptor in Judaismo; pronepos Schimeon secundus, qui in excidio Urbis & Templi fuit interfectus. Schimeonem primum existimant viri eruditi nonnulli fuisse sanctum illum Christi infantis præconem, quem etiam Judæi spiritu prophetico prædixisse affirmant, ut qui Herodi adhuc puero prædixerit quod ad Regnum perventurus esset. Et sane tunc vixit; & postea sub ejusdem filio Gamaliele Paulus legem Mosaicam didicit. Conjecturæ favet, quod Historia Judaica hujus laudes præterierit, quas alioqui in Hillelis majoribus & tota posteritate diligentissime persecuta est. Favet conjecturæ & hoc, quod Simeon iste, perinde ut parens ejus Hillel, ab officio suo remotus scribitur, propterea quod communi Judæorum opinioni de Regno Messiæ corporali non suffragaretur. Dicunt enim Hillelem hoc dicterio publice usum, *Frustra tulerat Messiam, quem patres vestri tempore Hiskiæ Regis jamdudum devorarunt*: & propterea ipsum tanquam hæreticum à Præsidatu suo dejectum. Non male autem suspicatur doctissimus vir Conradus Graserus Exercit. 3. in cap. 9. Danielis, Hillelem illum potius vulgarem sui temporis errorem coarguisse, qui jam tum multorum oculos perstrinxerat, per quem nempe sibi hujusmodi Messiam pollicebantur qui se ex præsentibus corporalibus malis eriperet, quales revera majores eorum multos habuerant; cum Dei providentia longe aliud per verum Messiam ageret. Certe R. Joseph Bar Albo, lib. Fund. tract. 1. prolixe disputat utrum Hillelis hæreseos crimen juste impactum fuerit necne.

CAP. LXIV.

Beata sanctorum ἀπόλυσις & ἀνάλυσις. Discrimen mortis Christiana & Philosophica. Christus lumen Gentium & gloria Israelis: *ἀπόλυσις sive Missa Eucharistica: κύκνειον ᾆσμα.*

DUorum sanctissimorum virorum, Simeonis & Pauli, unum votum est, sed dispari de causa. Mori uterque cupit; alter, quia Christum viderat; alter, quia Christum videre desiderat. Verbis etiam sono pene iisdem, sensu tamen nonnihil variantibus utuntur. Simeon, Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, *Nunc dimittis servum tuum*, h. e. Nunc sine me mori. Observavit autem Augustinus, non facile hoc verbum reperiri in Scriptura, *dimissus* pro eo qui est *mortuus*. Reperitur tamen Num. 20. 29. εἶδε πᾶσα ἡ συναγωγὴ ὅτι ἀπελύθη Ἀαρών. Gen. 15. 2. ἐγὼ δὲ ἀπολύομαι ἄτεκνος. Alias verum est quod idem Augustinus monet, verbum ἀπολύειν magis à *resolutione* quam *dimissione* dictum. Et ita Syrus hæc vertit, *Nunc solve servum tuum*. Ac annotat Theophylactus *homines sanctos habere corpus pro carcere & pro vinculis*. Themistius apud Stobæum, ἀπολύεσθαι τὸν ἀποθνήσκοντα, καὶ τὴν τελευτὴν ἀπόλυσιν καλῶσιν· τοῦτο γὰρ δίκας ἀνομάζουσι. Nimirum cum velut Jacobus olim cum Christo, ita sancti cum Carne & Sanguine, cum Satana, cum Mundo depugnarunt, ubi Spiritus S. ipsorum cordibus amabilia ista verba quemadmodum Simeoni, insusurravit, Christum esse ipsorum in tentationibus *salutare*, in contemptu *gloriam*, in tenebris *lumen*, dimitti se petunt ex hujus mundi quasi carcere in liberum cœlorum campum, ubi exuti omni molestia, induti omni gloria, beate coram Servatore suo agant. Non alia mens Apostolo Phil 1. 23. nisi quod significantiore verbo utitur, videlicet ἀναλῦσαι quod nec *dissolutionem*, ut vertit Vulgatus, nec *dimissionem*, ut reddidit Beza, sed *migrationem*, *reversionem*, *reditum* sign. qua de causa non dixit ἀναλυθῆναι passive, sed ἀναλῦσαι forma activa. Itaque verba Apostoli, Ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι, sic interpretor, *Desiderium habens ad migrandum*, vel *revertendum*. Nam ut καταλύειν, metaphora à curribus sumpta, docente hoc Scholiaste Thucydidis, significat *ad diversorium pervenire*, (unde *diversorium* κατάλυμα Luc. 2. 7.) quia tum solvuntur equi, indeque quicunque in hospitium seu tabernam concedunt, sive vehiculis iter faciant sive non, καταλύειν dicuntur, Luc. 9. 12. ita ἀναλύειν est *domum redire*: quæ significatio optime huic loco convenit. Cœlum enim æternum est domicilium fidelibus. Et videtur alludere ad illud Ecclesiastæ 12. 7. Cum homo dissolvitur, omnia ad initia sua redeunt. Taceo quod qui verba Apostoli cum Vulgato reddunt, *Cupio dissolvi*, διαλύειν potius vel καταλύειν quam ἀναλύειν innuant. Et id quod primo & per se viri sancti cupiunt, non est animæ à corpore separatio, quam horrent, sed reditus ad patriam cœlestem, quem exoptant. Nec inusitata ista verbi hujus significatio Scripturis sanctis. Luc. 12. 36. πότε ἀναλύσει ἐκ τῶν γάμων *quando domum redibit à nuptiis*. Sic 2 Macc. 9. 1. Rursum Sap. 2. 1. οὐκ ἐγνώσθη ὁ ἀναλύσας ἐξ ᾅδου, *Non est cognitus qui sit reversus ex inferis*. Ex Scriptura didicerunt hujus verbi usum Patres. Dionysius Areopagita Hierarchiæ Eccl. cap. 3. ἀναλύσας δὲ πάλιν ἐπὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον, *reversus vero iterum ad Divinum altare*. Nyssenus Orat. in Basilium fratrem, Προτιμωτέρα τῇ πεπλανημένῃ βίᾳ ἡ πρὸς δεσπότην ἀνάλυσις, *Potior profecto perfectiorque erranti hac vita reversio ad Dominum*. Gregorius Nazianzenus Orat. ad eos qui ex Ægypto venerant, de Petro Athanasii jam mortui successore loquens inquit, ὁ [redacted] πρὸς τὴν αὐτὴν κατάλυσιν ἢ ἀνάλυσιν ἐπὶ σοῖς αὐτοῖς ἄθλοις ἐπείγεται, *hic vero ad eandem dissolutionem vel reversionem ob eadem præmia festinat*; ubi καταλύειν *mortem*, ἀναλύειν *reversionem ad superna loca* intellexit. Idem epist. ad Olympium, Δεινὸν μὲν καὶ ἀνδρὸς θάνατος· πῶς γάρ ὅς; τὸ σήμερον ὄντος καὶ αὔριον οὐκ ἐσομένου, οὐδὲ πρὸς ἡμᾶς ἀναλύοντος, *Res tristis est mors hominis: quidni enim? cum ille hodie sit, & crastino die futurus non sit, neque ad nos remigrare soleat*. Chrysostomus τὸ ἀναλῦσαι προσεχῶς interpretatur ἀπελθεῖν. Et Oecumenius 2 Tim. 4. 6. ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε, ἀνάλυσιν ait *reditum dici ad Dominum*. Nec dissentit Hieronymus, qui in altera adversus Rufinum Apologia utitur verbo *reverti*. Tertullianus quoque libro De patientia recte hunc Apostoli locum interpretatur, *Cupio recipi jam, & esse cum Christo*. Et Joan-

Joannes Levinerius verba Nyſſeni, ὅταν γὰρ ἀναλύσῃ, τότε σὺν Χριστῷ γίνεται, ſic interpretatur, *Ubi autem migrarit, cum Chriſto eſt.* Profani ſcriptores ſimiliter hoc verbo ſunt uſi. Athenæus lib. 3. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι βραχὺν ἐπισχόντες χρόνον ἀνέλυσαν, *Romani cumbrem tempore illos urſiſſent, ſeſe receperunt.* Idem lib. 4. ἀναλύσαντα δὲ μεθῆς οἱ στρατιῶται ἀπέκτειναν. Non ſolum autem Simeon & Paulus olim, ſed noſtro quoque ſeculo pii aliquot morituri meditatione verborum ἀπολύω & ἀνάλυσις omnem mortis metum ex animis ſuis expectorarunt. Chriſtianus I. Electo Saxoniæ, qui an. M D XC I. 25. Septemb. pie exſpiravit, ſæpius hæc verba in ore habuit, **ich begehre außgeſpannet zu ſeyn!** reſpiciens vel ad verbum Simeonis ἀπόλυσις, ſive potius ἀπολύεσθαι, vel ad Vulgatam interpretationem vocis Paulinæ ἀναλῦσαι, per quam *ſolutionem equorum feſſorum de curru* intellexit. Joachimus Camerarius ad 12. c. Lucæ ſcribit, *de verbo ἀναλύσαι ejuſque ſententia quæſiviſſe diſſerviſſeque paucis diebus ante mortem ſuam Philippum Melanchthonem, oratione pietatis plena, & inducæ cogitationis accurata de exitu ex hac vita ſalutari ac felice.* Quæ fuerit autem Melanchthonis ſententia de verbo ἀναλύειν apud Apoſtolum Paulum Joannes Leoncavius annotat pag. 358. Notis in Opificium Nyſſeni, eadem nimirum quæ noſtra, τὸ ἀναλῦσαι eſſe ἀπελθεῖν, ἀπιέναι, *migrare ad Dominum.* Simo Stenius, Camerarii γνήσιον παίδευμα, Græcæ linguæ per multos annos in Academia Heidelbergenti Profeſſor, pridie Cal. Februarias, an. M D CXIX. octuagenarius ſancte obiit. Hic ante extremum agonem à verbi Divini Miniſtro rogatus *cuperetne diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, pene cum indignatione reſpondit, *Non eſſe hanc mentem Pauli, nec ſignificationem vocis ἀναλῦσαι: migrationem innui:* aperte indicans ſe cogitationibus non de diſſolutione corporis & animæ ſed de abitu ad Chriſtum intus exhilarari. Atque hinc videre eſt quantum ſit diſcrimen inter mortem veri Chriſtiani & Philoſophorum. Syneſius Cyrenæus epiſt. 139. ultima verba Plotini commendat, *Philoſophare, & quod in te ipſo Divinum eſt ad primogenitum Divinum reducito.* Sed quale hoc *Divinum* eſt quod Divinitatem ipſam ignorat? Laudatur vox Socratis ſapientiſſimi, *Ex hac vita diſcedendum eſſe* μετὰ εὐλογιῶν, h. e. quemque ſibi gratulari debere illam felicitatem, quod tandem ſuperatis tot vitæ periculis ſolvi debeat vinculis & moleſtiis corporis. Verum quam vacillarit in animo ejus εὐλογία & ſententia de vita altera, oſtendunt Plato & Cicero, ubi poſtremam ejus orat. recitant, quam ille his verbis clauſit, *Tempus eſt jam hinc abire me, ut moriar: vos autem ut vivatis. Utrum autem ſit melius, Dii immortales ſciunt; hominem quidem arbitror ſcire neminem.* Quanto ſanctius Simeon, *Nunc dimittis ſervum tuum in pace, quoniam oculi mei viderunt ſalutare tuum*, puta, & in ſalutari ſalutem æternam. Et Paulus, *Cupio migrare, & eſſe cum Chriſto:* item, *Mors mihi lucrum.* Nimirum mortem inuentur non oculis Philoſophicis, ut humanarum miſeriarum clauſulam, ſed oculis Chriſtianis, ut beatæ æternitatis januam. Quæ ipſa cauſa erat cur primi Chriſtiani flagra, tormenta, mortes violentas riderent, & ſarcaſtice à Paganis rogati cur non in perſecutione Divinitus juvarentur, lætè religioſeque reſponderent apud Clementum Alex. l. 4 Strom. Τί γὰρ καὶ ἀδικούμεθα, εἰς πρὸς ἡμᾶς αὐτὰς, ἐπείτε καὶ ἀπολυόμενοι πρὸς τὸν Κύριον, h. e. *Et quam tandem injuriam patimur, ſiquidem nos reſpicimus, cum morte ad Dominum revertamur?* Sic enim verto, non ut interpres Clementis, *cum morte diſſolvamur ituri ad Dominum:* ἀπολύομαι enim hic eſt *revertor:* ut Exod. 33. 11. Moſes ἀνελύετο εἰς τὴν παρεμβολὴν *revertebatur in caſtra.* ¶ Cæterum venerandus ſenex Simeon pulcherrimis nominibus puerum Jeſum inſigniit quando illum & *Gentium lumen* & *Iſraelis gloriam* fore prædixit. Vere *lumen Gentium* Chriſtus. Gentiles enim tenebris pluſquam Ægyptiacis obrui *ambulabant in viis ſuis*, Act. 14. 16. χωρὶς Χριστοῦ, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ, *abſque Chriſto, abalienati à converſatione Iſrael, & extranei quoad pactorum promiſſiones, ſpem non habentes, & abſque Deo in mundo*, Ephel. 2. 12. At lumine Euangelii irradiati, & Lucem mundi Chriſtum amplexi, in lumine ejus viderunt lucem æternam. Vere etiam *gloria Iſraelis* Chriſtus. Etſi enim nulla gens ſub Sole fuit quæ à Deo tam gratioſe ſuſcepta, tam paterne educata, tot Divinis pateſactionibus honorata fuit ac gens Iſraëlitica, tamen illa à Græcis pariter & Barbaris olim pro vana habita, & à Romanis ipſis fuit velut ſuperſtitioſa deriſa: Poſteaquam vero Chriſtus ſono Euangelico orbem terrarum complevit, tum demum agnoverunt Gentes quanta præ omnibus aliis populis fuerit dignitas populi Iſraelitici, quippe à quo ſalus ad omnes Gentes emanaret. ¶ Verum vela tandem contrahenda, & miſſa facienda Simeonis ἀπόλυσις, ſi hoc prius monuero, ipſum *Miſſæ* vocabum ab ea ortum. Sacerdos enim in veteri Eccleſia, peractis ſacris & Euchariſtiæ celebratione finita, recitabat Simeonis canticum, Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, δέσποτα, quo finito quia populus dimittebatur, precatio ſita εὐχὴ ἀπολυτική, & Miniſter ipſe (atteſtante hoc Liturgia Chryſoſtom.) ἀπόλυσιν ποιεῖν dictus eſt, h. e. *miſſam facere:* ἀπόλυσις enim eſt ἄφεσις. *Miſſa* autem pro *miſſio*, ut *remiſſa* pro *remiſſione* apud Optatum Milevitanum & Auguſtinum atque alios, tranſlatitium eſt. ¶ Pulcherrima illa Eccleſiæ conſuetudo cantico Simeonis ſacras actiones finientis imperitiæ eos arguit qui hunc hymnum *cygneam Simeonis cantionem* appellant. Nam τὸ κύκνειον ᾆσμα non eſt æternam quietem ſperantium, ſed omnem prorſus ſalutis ſpem abjicientium. Julianus παραβάτης, Ἔνεστιν τί πράττειν ἔχων ἀνὴρ τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστέλους ζηλωτὴν δογμάτων; ἆρα περιορᾷ ἀνθρώπους ἀθλίους ταῖς κλέπταις ἐνδιδομένους, ἢ κατὰ δύναμιν αὐτοῖς ἀμύνειν, οἶμαι, ὡς ἤδη τὸ κύκνειον ἐξᾴδοντι διὰ τὸ θεομισὲς ἐργαστήριον τῶν τοιούτων.

CAP. LXV.

Anna Prophetiſſa (cujus laus eſt in Euangelio Lucæ 2.) non fuit Monialis. Aſceta profani, religioſi.

AUdet tamen illud affirmare Baronius. At quibus argumentis? ὃς ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν, *non diſcedebat de Templo, jejuniis ac deprecationibus ſerviens die ac nocte.* Ergo fuit Monialis. Cyrillus Jeroſolymitanus Annam vocat *Monialem:* Fuit igitur. Ita argumentantur Romæ Cardinales, quorum Logicam Jeſuita Maldonatus corrigit. Negat enim primi argumenti conſecutionem, ex eo quod Lucas phraſi illa, ὃς ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, non *inhabitationem Templi*, ſed *aſſiduitatem frequentandi loca ſacra* ſignificet. Altera Baronii collectio Latinum Cyrilli interpretem nobis venditat pro Cyrillo ipſo ſcriptore Græco, apud quem legitur vox ἀσκήτρια, quæ non *Monialis* ſed *exercitatrix, certatrix*, verti debet. Quod ſi omnes Aſcetæ ſunt Monachi, Monachus igitur Paulus, de ſe ſcribens Act. 24. ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν. Monachus Jacobus Patriarcha, quem Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. bis vocat ἀσκητήν. Monachi Patriarchæ omnes, à Philone nuncupati *aſceta*; Monachi denique omnes Chriſtiani, cum hoc verbi de omnibus Chriſtianis promiſcue uſurpetur apud Patres. *Pii Patres*, inquit Caſaubonus in Baronianis, *verbum ἀσκεῖν à ludis veterum ad res ſacras tranſtulerunt, Paulum imitati, qui penitiſ inde locutionibus mire delectatur. Cum igitur Paulus* 1 *Corinth.* 9. 24. *Chriſtianos comparat* τοῖς ἐν ςαδίῳ τρέχουσι currentibus in ſtadio, *& ſubjiciat ibidem*, Πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται, Omnis autem qui in agone certat, ab omnibus ſe abſtinet, *Patres verbum ἀσκεῖν, quo proprie ſignificatur Præparare ſe ad certamen & continentiam in eum finem exercere, ad Chriſtianos tranſtulerunt, & ipſam religionem ἄσκησιν, h. e.* exercitium, *ſeu* exercitationem, *dixerunt, quaſi regulam exercentium & continentium, in qua jugiter ſe exercere Chriſtiani deberent: atque inde ſunt dicti* Aſcetæ & Aſcetriæ. *Quemadmodum autem, licet omnes promiſcue Chriſtianos hortarentur ad* τέλειον βίον vitam perfectam, *& omnes veros Chriſtianos appellarent* τελείους, *i.* perfectos, *auctore ipſo Chriſto Matth.* 5. 48. *& Paulo ejus Apoſtolo Col.* 4. 12. *& multo expreſſius ejuſdem Epiſtola* 1. 28. ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu, *peculiari tamen notione* τελείους *illos appellarunt qui mundo renunciaſſent & vitæ auſteriori propoſitum ſuſcepiſſent: ſic plane uſu venit in vocibus* ἀσκεῖν *&* Aſceta *vel* Aſcetria. *Nam cum peculiariter has uſurparent de Monachis & Sanctimonialibus, generaliter tamen omnibus tribuerunt qui in ſtudio pietatis præ cæteris deſudaſſent. Omnis igitur Monachus eſt* Aſceta, *omnis Sanctimonialis Aſcetria; at non omnis Aſceta eſt Monachus, neque omnis Aſcetria eſt Monialis, ut putavit Cyrilli Interpres, qui Baronium decepit.* Sed bene habet: Baronius à patrono ſuo Cæſare Bulengero hic deſeritur: Is enim Annam *Monialem* non fuiſſe, *Aſcetriam* fuiſſe agnoſcit, Diatribe 3. adverſus Caſauboni Exercitationes.

CAP. LXVI.

Vis verbi ἐξομολογοῦμαι· ἀνθομολόγησις Annæ, Luc. 2. 38. Alia de verbo ὁμολογοῦμαι.

VErſu 38. **Καὶ αὐτῇ αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἐπιστᾶσα ἀνθωμολογεῖτο τῷ Κυρίῳ** Eraſmus & Beza miror cur Hebraiſmum retinuerint, verterintque *& confitebatur Domino*, cum Hebraiſmo Latinitatem prætulerint Matth. 11. 25. ubi τὸ ἐξομολογοῦμαι Eraſmus vertit *gratias ago*, Beza *gloriam do*. Certe ἐξομολογοῦμαι ibi nihil aliud eſt quam *gratias ago*. Nam *gratias ago* idem eſt ac *confiteor beneficium eſſe tuum*. Prima lingua loquitur propriiſſime ac ſimpliciſſime. Sic Græci, οἶδά σοι χάριν, h. e. οἶδα ὅτι χάρις ἐστί σοι, *confiteor quod beneficium ſit tuum*. Germanice **ich weiß dir danck**. Baſilius Magnus non aliter in Pſal. 29. Explanat enim τὸ ἐξομολογοῦμαί σοι τὸ εὐχαριστῶ. Lutherus, **ich preiſe dich**. Et ſic hoc loco vertendum erat, non *confitebatur Domino*, ſed *celebrabat Dominum*. Et quoniam Lucas non verbo ſimplici ὡμολογεῖτο ſed compoſito ἀνθωμολογεῖτο utitur, non negligenda compoſitionis particula, quæ indicat Annam Simeoni luccinuiſſe ἀντιστρόφῳ ὁμολογήσει, qualis deſcribitur Eſdræ 3. 11. καὶ ἀπεκρίθησαν ἐν αἴνῳ καὶ ἀνθομολογήσει τῷ Κυρίῳ, *reſponderunt in laude & florilegio Domino*: ſic verſio LXX Seniorum. Hieronymus ex Hebræo *& concinebant in hymnis & confeſſione Domino*: ad verbum, *& concinebant in laudando & confitendo Domino*. Melius multo Lutherus, **und ſungen umb einander mit loben und dancken dem Herren.** Sic n. I. Lucæ mentem optime expreſſit idem Lutherus, **dieſelbige trutt auch hinzu zu derſelbigen ſtunde/ und preiſete Gott.** Latine dixerim, *Hæc igitur ea ipſa hora ſuperveniens celebrabat & ipſa Dominum*. Nam illud *viciſſim confitebatur Domino* neſcio quo modo auribus meis ingratum. Qui Hebraiſmum ignorant Græci non ſimpliciter dicunt ὁμολογοῦμαί τῷ Κυρίῳ, ſed ὁμολογῶ χάριν, item χάριτας, & χαριστήρια τῷ Θεῷ. Eutropius lib. 3. Breviarii, *Ptolomæus ὁμολογήσας τὴν πρεσβείᾳ χάριν, οὐκ ἐδεήθη τῆς συμμαχίας, gratias legatis egit, auxilia non accepit.* Zoſimus Hiſt. l. 5. ἐφ' οἷς ὁμολογῶν χάριτας ὁ Ῥοῦφινος τῷ νεανίσκῳ διετέλεσεν, *quo nomine ſe juveni* Luciano *Rufinus obligatum nunquam non profitebatur.* Herodianus lib. 1. de Commodo, ὁ δὲ Κόμμοδος θύσας τε τῷ Θεῷ καὶ χαριστήρια ὁμολογήσας, τὴν ἑορτὴν ἐτέλει, *Commodus, facta re divina, gratulatuſque Deo, feſtum agitabat.*

CAP. LXVII.

An Chriſtus XII annorum puer aliqua parentum culpa amiſſus, vel ſua, in Templo inventus fuerit. Item quid ſit, Oportet me eſſe in iis quæ mei Patris ſunt.

SUNT qui parentes Chriſti accuſent negligentiæ quod debitam puero Jeſu curam non præſtiterint. Atque hi putant ſeparatis cœtibus in itineribus illis inceſſiſſe viros & fœminas, atque ita Joſephum ſuſpicatum quod cum matre Puer eſſet cum ſexu altero, & Mariam contra exiſtimaſſe quod cum Joſepho eſſet inter viros. Verum ab omni culpa parentes liberat Puer ipſe, cum reſpondet matri accuſanti eum, *An neſciitis me in iis verſari oportere quæ ſunt Patris mei?* Et Maria ſane vel accuſat vel increpat eum, ut qui ſua culpa in illum dolorem maximum parentes ſuos conjecerit, cum dicit, *Quare hoc nobis feciſti, fili?* Neque Puer negat à ſe factum, & conſulto à ſe factum oſtendit quod fecerit, neque parentum culpam ullam hac quidem in parte notat, cum liberrime matrem reprehendat poſtea adultus Joan. 2. Si igitur nulla parentum, anne aliqua culpa pueri Jeſu intervenit? Nulla omnino. Nam ut in humanis ſubjecit ſe parentibus ſuis, ita in Divinis voluntati cœleſtis Patris ſe ſuaſque actiones attemperavit, ad parentes autem ſuos minime reſpexit, neque reſpicere potuit aut debuit, quippe qui minime permiſſuri fuiſſent ut Puer publico in loco diſcens & docens occaſionem daret ullam inquirendi de eo Puero qui ut interficerentur tot millia puerorum in Judæa cauſam attuliſſet. Puer igitur Jeſus ſe ita parentibus ſubduxit ut omnem curam & diligentiam ipſorum falleret, i. ut nulla cura aut ſtudio ipſorum averti potuerit quo minus ipſis inſciis in Urbe remaneret, &, ut credibile eſt, improbantibus ipſis, aut invitis etiam, in Templo ſe Doctoribus populi tanquam Doctorem indicaret. Illud verum eſt, Non negligentiæ ſed incogitantiæ culpam in parentibus à CHRISTO filio notari, quando dicit, *Quid eſt quod quærebatis me? an neſciebatis me in iis quæ Patris mei ſunt eſſe oportere?* Hæc enim pueri Jeſu mens eſt, Cauſam nullam fuiſſe cur tam anxiis animis & tanto cum dolore & ſolicitudine tanta ſe quærerent, non aliter quam ſi ab ipſis, i. ipſorum opera, cura & cuſtodia, ſalus ſua penderet univerſa, quem ſcirent jam toties Divinitus conſervatum, nec vulgarem eſſe puerum, ſed ita Mariæ filium ut ſimul ſit Filius Dei. Cæterum verba illa, **οὐκ ᾔδειτε ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με;** ad verbum ita ſonant, *An neſciebatis me in iis quæ Patris mei ſunt eſſe oportere?* & ſic vertit etiam Beza. Sic Arabs, *nonne ſcitis ambo quod requiritur ut ſim in iis quæ ſunt Patris mei?* Ambigue omnes, Græcus, Arabs, Latini. Quæri enim poteſt utrum de *loco* an de *negotio* Patris loquatur? Eſromus Rudingerus *ibi eſſe & in eo eſſe* idem eſſe ait quod *in iis verſari, ut occupari, id agere*, quemadmodum Græci ſimili figura dicunt ἐν Μούσαις εἶναι ἀεί. Idem ſentit Caſtalio, idem doctiſſimus Piſcator, qui vertit, *An neſcitis in negotiis Patris mei oportere me eſſe?* Sed eruditiſſimus Fullerus non de *negotio* ſed de *loco* puerum Jeſum locutum variis argumentis demonſtrat, Miſcell. ſacror. lib. 4. p. 17. Producit enim Syrum Græca verba planiſſimo ſenſu exprimentem, *Nonne ſcitebatis quod in domo Patris mei oportet me eſſe?* unde colligit ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου ad verbum denotare *in locis Patris mei*, h. e. *in ade*, ſive *in domo*. Siquidem articulus pluralis neutri generis in hac loquendi formula idem plane valeat atque in illa Johan. 19. 27. *Recepit eum εἰς τὰ ἴδια, in ſua*, ut Vulg. interpres; *domum ſuam*, ut dilucide Beza. Citat etiam Chryſoſt. locutione iſta Gr. eodem prorſus ſenſu utentem Serm. in Gen. 52. Ποῦ ἐκβαλεῖτε τὸν δίκαιον; οὐκ οἶδα ὅτι ἕνα ἐν αὐτῷ ἀνελθεῖν συμβαίνῃ, ἐν τοῖς τοῦ δεσπότου τοῦ ἑαυτοῦ εἶναι αὐτὸν ἀνάγκη; *Quenam expellis juſtum? an neſcis, quocunque ei acciderit ut proficiſcatur, neceſſe eſſe ut ſit in iis locis quæ ipſius ſunt Domini?* ubi per *ea quæ ſunt Domini* univerſus terrarum orbis intelligitur. Evincit præterea veritatem verſionis Syriacæ ex contextu ipſo. *Maria enim non de negotio aliquo ſed de loco verba facit.* Ecce, *inquit*, pater tuus & ego dolentes quærebamus te. *Quærimur enim quæ extra locum ſuum aut ſunt aut eſſe putantur. Contra, quæ in loco ſuo ſunt ineptum eſt quari. Juſte itaque & acute parentes ſuos reprehendit Dominus verbis illis*; q. d. *Quorſum vero tot in locis tanta cura, tamo labore, ſurſum deorſum curſitantes, me tamdiu quæritaſtis? quaſi viarum ſcilicet inſcitia imprudens aliquo deflexerim aut aberrarim. Imo vos potius imprudentes, qui me ne tranſverſum quidem digitum (ut ajunt) uſquam aberrantem, ſed in loco mihi maxime proprio conſtanter & aſſidue verſantem, in locis extraneis & alienis tantopere quæritaveritis.* Poſtremo provocat idem Fullerus ad Græcos ipſos, qui ut forte dicant εἶναι ἐν τοῖς πράγμασι *negotia obire*, vel *adminiſtrare*, nunquam tamen dicent εἶναι ἐν τοῖς idem valere.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIONUM EUANGELICARUM LIBRI SECUNDI.

CAP. I.

Annus, dies, Baptiſmi Chriſti. Sexta Januarii cur Φωτοφόρος ἡμέρα, cur item ἐπιφάνεια dicta.

AMO Chronologica, idque à primis pueritiæ meæ annis, quibus ad pedes Chronologi ter maximi Abrahami Bucholceri mihi ſedere Divinitus eſt datum. Fateor autem in nullo ſolo ambulantibus tam multas occurrere ſpinas atque in Chronologico. Itaque ſi quis putat me de anno, de die Baptiſmi Chriſti pleniſſime ſibi ſatisfacturum, magnopere fallitur. Dicam enim libere quid hoc capite agam. De menſis magnorum virorum, veterum & recentium, colligo micas opinionum Chronologicarum, quæ utut famem tuam, lector, non ſedent, relevabunt tamen. Procedat igitur in numerum oratio. Tertullianus graviſſimus Pœnorum ſcriptor annum Baptiſmi Chriſti nominat LIMITEM *inter Vetus & Novum Teſtamentum.* Hic limes diligentiſſimo Chronologo Abrahamo Bucholcero eſt annus Mundi quatermilleſimus, jubilæus mundi octogeſimus, jubilæus Moſis trigeſimus, ætatis Chriſti itidem trigeſimus, & quidem, ut vult Joſephus Scaliger, completus, ſecundum illud Lucæ 3. 23. ἦν ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα, *incipiebat eſſe annorum triginta. Hoc*, inquit Scaliger, *non poteſt dici de eo qui init trigeſimum annum, ſed de eo qui nuper triginta annos ætatis complevit; & cum trigeſimum primum natalem ſuum celebrat, ille vere eſt* ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα. *Peſſimi Grammatici! qui non intellexerunt quantum diſcriminis ſit inter* ἦν ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα & ἦν ἀρχόμενος ἐτῶν τριάκοντα· *alterum de abſoluto anno trigeſimo dicitur, alterum de ineunte. Et certe mira eſt inſcitia: ut taceam Grace non dici* ἄρχομαι ἐτῶν τριάκοντα, *ſed* ἄρχομαι ἔτους τριακοστοῦ. *Rurſus,* ἐγώ εἰμι ἀρχόμενος ὤν, *i.* ἐγὼ ἄρχομαι εἶναι· ἄρχομαι ὢν ἐτῶν τριάκοντα & ἄρχομαι εἶναι ἐτῶν τριάκοντα, *idem. Sed cum participio verba Incipiendi, Continuandi, Deſinendi* Ἑλληνιστέρον *conſtruuntur. Neque aliter interpretatur Theophylactus; neque aliter vulgo loquimur. Quis enim ſanus dixerit* ſe eſſe triginta annorum *qui trigeſimum annum tantum inchoarit? Euangeliſta igitur dicit* Chriſtum annorum triginta tum eſſe cœpiſſe *cum Johanni ſeſe baptizandum ſiſteret.* Hæc Scaliger lib. 3. Canonum Iſagog. Idem ſibi ipſi objicit adverbium ὡσεὶ *quaſi.* Sic enim Lucas, *Ipſe autem Jeſus incipiebat eſſe quaſi annorum triginta.* Et reſpondet ſibi lib. 6. De emend. temp. hoc modo, *Hebraiſmus ὡσεὶ advertendus, quo utuntur nunc affirmanter, nunc dubitanter, id exprimemes per literam ſuam ſervilem Caph. Duplicis enim notionis eſt: aut enim eſt Caph* ἀκριβαστικὸν *ſive* συγκριτικὸν, *illorum idiomate ita nominatum; aut Caph quod* ἀληθινὸν *vocant, cujuſmodi eſt in hoc loco Luca. Eo enim utuntur cum ita rem affirmant ut de ea dubitari minime debeat: ut Joh.* 1. 14. δόξαν ὡς μονογενοῦς· *ubi* μονογενῆ *affirmanter vocat. Hæc ut crebro in literis occurrunt, ita paucos invenias qui hoc ipſum ignorent, modo Hebraiſmum vel leviſſime delibarint. Proinde hic verte triginta* CHRISTO *tribuuntur anni vertentes.* De die Baptiſmi Chriſti magna inter vetuſtiſſimos Patres fuit diſſenſio; Autor Clemens Alexandrinus. *Tandem vetuſtiorum conſenſus in id conſpiravit ut cenſerent ſeptima Mechir, h. e. Kal. Februarias*, Chriſtum *à Johanne baptizatum. Ideo diem illam* Φωτοφόρον ἡμέραν *dixerunt, quia nimirum τὸ* φωτίζεσθαι *erat* βαπτίζεσθαι· & Φωτισμὸν, τὸ βαπτισμὸν *quemadmodum Hebr.* 6. 4. *illud* τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας *Paraphraſta Syrus, Arabs, Æthiops verterunt* ſemel baptizatos: *itemque cap.* 10. 32. ἐν αἷς φωτισθέντες *iidem Paraphraſta reddiderunt* baptizati. *Paulinus de Baptiſterio Paſchali*, pleno flumine lumen agit. *Mentio igitur hujus facta in Epiſtola ad Hebræos ejus rei vetuſtatem ad ipſos Apoſtolos, qui Judæi erant, referendam eſſe docet. Vetuſtiſſimus enim Judæis & Samaritanis Circumciſio, in cujus locum ſucceſſit Baptiſmus, cordis & animæ illuminatio dicitur. Sed quod Græci* Φωτισμὸν, *ipſi lingua Hieroſolymitana* ἀνοίξιν *vocant,* Ἐφφθὰ, τοῦτ' ἔστιν, Ἀνοίχθητι, *pro quo purus Helleniſmus dixiſſet,* Φωτίσθητι, Illuminentur tibi oculi. *Ejus verbi vim ut teſtarentur, non ſolum diem Baptiſmi* Φωτοφόρον ἡμέραν *vocabant, ſed etiam cereos aut Incernas in Baptiſmo accendebant:* Scaliger Notis in N. Teſt. Cæterum poſtquam vicit eorum opinio qui Baptiſmum Chriſti in VI Januarii rejecerunt, non amplius prima Februarii ſed ſexta Januarii Φωτοφόρος ἡμέρα dicta eſt: Φωτοχυσία tamen Kal. Feb. remanſit, quæ propter ſolenne Purificationis in perendinum tranſlata hodieque durat in Eccleſiis quæ errores Patrum doctrinæ Chriſti præferre ſolent. Idem dies ſextus Januarii à multis jam ſeculis dicitur EPIPHANIA. Quia enim Græci Scriptores Pagani, Diodorus, Dionyſius, alii, quamcunque Numinis apparitionem appellant ἐπιφάνειαν, Apoſtolus quoque priorem & poſteriorem Chriſti adventum ἐπιφάνειαν dixit, priorem 2 Timoth. 1. 10. poſteriorem Tit. 2. 13. Atque ut Græci in memoriam apparitionum Divinarum dies feſtos ſæpe inſtituerunt, quos & re dixerunt τὰ ἐπιφάνια, ſicut de Rege Demetrio narrat Athenæus ipſum τὰ ἐπιφάνια τῷ ἀδελφῷ θῦσαι, h. e. *memoriam fratris mortui*, quem ut cœlitem colebat, *ſolenni ſacrificio celebraſſe*; ita Eccleſia Græca Adventus ſive Nativitatis Chriſti ſolennitatem vocavit τὰ ἐπιφάνια, (nam ipſa *natrvitas* dicitur illis ἐπιφάνεια. Suidas, Ἐπιφάνεια, ἡ τῆ Σωτῆρος ἡμῶν ἔνσαρκος οἰκονομία) itemque τὰ θεοφάνια. Euſeb. l. 3. De vita Conſt. Iſidorus Peluſiota l. 3. Epiſt. 110. Solennitas illa cadebat in VI diem Januarii, quippe in quem plurimæ Eccleſiæ Chriſti Natalem, ut & Baptiſma, referebant. Cum autem Græca Eccleſia Latinam tandem ſequeretur, & Natalem Domini celebraret die XXV Decembris, appellatio *Epiphaniorum* diei ſextæ Januarii remanſit, cauſa appellationis aliter atque ante reddi cœpit. Nam qui dies prius colebatur ut Natalis Chriſti, poſtea cultus eſt ut Baptiſmum ejuſdem repræſentans & Magorum adventum; licet vox ἐπιφάνεια tam in Scripturis quam apud Patres adventum Chriſti priorem vel poſteriorem ſemper ſignificet, Baptiſma vero aut Magorum adventum nunquam. Confictæ tamen ſunt appellationis hujus rationes. Nam quoniam verbum ἐπιφαίνειν, h. e. *apparere*, de ſideribus dicitur, ut Act. 27. 20. ideo *Epiphania* volunt dicta quoniam ſtella ἐπιφάνειαν *apparitione* ſua Chriſtum deſignavit. Rurſum, quia Chriſtus in Baptiſmo ἐπεφάνη, quando dictum eſt, *Hic eſt Filius meus dilectus*, ideo non Natalem in carne (*tunc enim abſconditus eſt*, inquit Hieronymus Comment. lib. 1. in Ezech.) ſed Baptiſmi ſolenne *Epiphaniorum* nomine honoratum fuiſſe cenſent. Epiphanius rejicit tempus Baptiſmi in Novembrem. Funccius refert ad diem X menſis ſeptimi, quo celebrabatur feſtum Expiationis, Levit. 23. Hujus ſententiam amplexabatur Bucholcerus meus propter analogiam feſti Expiationis & Baptiſmi Chriſti. Ego in omnium hujuſmodi quæſtionum pelago couſque navigandum puto quouſque nos Cynoſura verbi DEI ducit.

CAP. II.

Johannis Baptiſtæ ἁμάρτημα. Jeſu manſuetudo. Juſtitia officii. Cœli naturaliter diſſecti. Columba Noæ typus Spiritus S. Interpretatio verborum ἐν ᾧ εὐδόκησα.

BEatos vero oculos qui Agnum DEI in benedictis Jordanis aquis ſtantem, qui Spiritum DEI in innocentis columbæ ſpecie viderunt apparentem! Beatas aures quæ cœleſtem Patrem de cœlis loquentem audierunt! Crediderim ego nullum unquam in terris ſpectaculum, nullum acroama, jucundius viſum, auditum. Sed quid hoc quod in primo Chriſti Servatoris alloquio peccat is qui alias per omnem vitam peccaſſe non legitur, Johannes Baptiſta, non dubitans & oratione & manu injecta conſilium DEI impedire? quod perſpicuum eſt ex verbis διεκώλυεν & ἄφες. Nimirum & hic in cenſum eorum referendus qui cum Apoſtolo Gentium exclamant, *Omnes peccaverunt, ac deficiuntur gratia Dei. Juſtificantur autem gratis*, Rom. 3. 23, 24. Verum mitiſſima Chriſti anima quam modeſte Johannis erratum corrigit? *Omitte* me *nunc: ita enim decet nos implere omnem juſtitiam*, particularem puta, h. e. operas miniſterii uniuſcujuſque: quemadmodum & Plato juſtitiam hanc definivit quando dixit, δικαιοσύνη ἐςὶ τὰ ἑαυτῆ πράττειν, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν, *Juſtitia eſt, facere quæ ſui ſunt muneris, & non curioſum eſſe in negotiis alienis.* Æquum igitur Chriſtus judicat ut Johannes juſtitiam ſuam, ipſe ſuam impleat, h. e. ut demandato ſibi munere uterque defungatur. Age vero, avertamus animum à Jordane; ad ſublimiora oculos erigamus. Quanta in iis gloria Baptiſmus Chriſti coronatus! Cœlum finditur; Spiritus S. deſcendit tanquam columba ſuper Chriſtum; Patris clara vox auditur de ſuo in Filium amore conteſtans. Quod *apertos cœlos* ſcribunt Matthæus & Lucas, non metaphorice, ut Joh. 1. 51. de clariore revelationis luce, ſed proprie de diffiſilis cœlis accipio. Clara enim verba Marci, εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανούς *vidit cœlos diffiſos.* Ac cum baptizaretur ingens numerus promiſcuæ multitudinis, & inter hos velut unus è multis veniens Jeſus Chriſtus à Johanne, velut peccatis obnoxius, Baptiſmum flagitaſſet, placuit cœleſti Patri evidenti apertorum cœlorum ſigno diſcernere Filium ſuum à cæteris qui baptizabantur. Interim minime inficior hac naturali cœlorum apertione quaſi illuſtri quodam ſigno præſignificatum fuiſſe illud quod Chriſtus Joh. 1. 51. de futura myſtica cœli apertione vaticinatus eſt. Jam quod Spiritus S. deſcendit in ſanctum verticem Domini Jeſu, quid aliud deſignat quam Jeſum illum eſſe quem Pater affatim omnibus cœleſtibus dotibus unxiſſet, quas in omnes ſibi fidentes ac per Baptiſmum in corporis ſui conſortium inſitos eſſet effuſurus. Quod viſibili columbæ ſpecie apparet, revocat nobis in memoriam pulcerrimam officii Spiritus S. & Columbæ Noæ harmoniam. Ut enim Columba Noæ ex Arca evolat, iterumque in eam involat, ita Spiritus S. circa Arcam Eccleſiæ, imo circa corda omnium fidelium, occupatur. Ut Columba Noæ olim ramum olivæ detulit in Arcam, iræ Divinæ placatæ ſignum ac fiſiendi Diluvii pignus; ita Spiritus S. in calamitatum & tentationum variarum diluvio huc illuc agitatis adfert folia olivæ, h. e. dicta Euangelica;

Juſtificati fide pacem habemus.
Confide, fili; remiſſa ſunt tibi peccata.
Chriſtus propter peccata noſtra traditus eſt, & excitatus propter juſtificationem noſtri.

Idem Spiritus S. in tenebroſa mortis valle ambulantes recreat propoſitis ſelicis olivæ ramis iſtis,

Non morieris, ſed vives.
Qui credit in Filium, non guſtabit mortem.

Tertia Baptiſmi Chriſti gloria eſt quod, quemadmodum Spiritus inviſibilis viſibili ſigno ſeſe patefecit oculis hominum, ita Pater edita per elementa ſuperna voce perculit aures hominum verbis illis, Οὗτός ἐςιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς ἐν ᾧ εὐδόκησα, Matth. 3. 17. pro quo Lucas, Σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς· ἐν σοὶ ηὐδόκησα, forma conſtructionis uſitata LXX interpretibus, ut 2 Reg. 22. 20. ὅτι ηὐδόκησεν ἐν ἐμοί. Mal. 2. 17. καὶ ἐν αὐτοῖς αὐτὸς εὐδόκησα· quibus etiam in locis, ut hic, præteritum tempus ponitur pro præſenti. Non eſt autem mirum verba illa ἐν ᾧ εὐδόκησα ab interpretibus non ſatis plene reddita eſſe, cum omnem ſenſum noſtri amoris vis illorum ſuperet. Vulgatus vertit, *in quo mihi complacui*, infeliciter, quia & infirmius eſt quam ut nativam ſententiam exprimat, & præterea obſcurum. Gulielmus Budæus in doctiſſimis Græcæ linguæ Commentariis ſibi ipſi non videtur ſatisfacere potuiſſe in horum verborum interpretatione: nunc enim vertit, ἐν ᾧ εὐδόκησα, *in quo animo meo obſcenus ſum*; nunc, *in quo opus meum probavi*; mox, *in quo mihi placui*, ut ſit idem ἐν σοὶ ηὐδόκησα quaſi ἐν σοὶ ἀνεδέξαμην τὸ γέννημά μου, vel τὸ δημιούργημα τὸ ἐμὸν, *humanitatem ſcilicet Servatoris.* Lutherus vulgatum ſecutus vertit **an dem ich ein wohlgefallen habe!** non ſatis expreſſa vi vocis Græcæ. Beza igitur reddidit *in quo acquieſco*, bene, ſed non plene. *Acquieſcimus* enim ſæpe in aliquo vel inviti. Si per beatos manes tantorum virorum licet, vertam, *Hic eſt Filius meus chariſſimus, in quo valde delector*, vel *qui eſt mea ſumma voluptas.* Germanice **an dem ich wonne und frewde habe.** Quo ſenſu Iſa. 62. 4. Sponſus Chriſtus de Eccleſia dicit, *vocaberis voluntas mea in ea:* ubi optime Lutherus, **du wirſt heiſſen meine luſt an ihr!** ὅτι εὐδόκησε Κύριος ἐν σοὶ, **den der Herr hatt luſt an dier!** h. e. Sponſus tuus ſummopere in te delectatur. Confer Matth. 12. 18. ubi ὃν pro ἐν ᾧ ex Iſaiæ 42. 1.

CAP. III.

Satan, Diabolus, ἀντιλογικὸς, πειράζων. An in viſione vel in rei veritate Chriſtum tentarit.

QUemadmodum corvus emittitur explorator elapſis XL. diebus Diluvii, ita exactis XL. diebus jejunii Chriſtum adoritur tentationibus, ejuſque fidem & conſtantiam explorat malus Spiritus, cui apud Matthæum in 4. duo tribuuntur epitheta quæ nulli alii melius conveniunt quam ipſi: dicitur enim διάβολος & πειράζων. Vere διάβολος. Διαβάλλειν enim eſt *deferre, traducere, infamem reddere*, ut Luc. 16. 1. διεβλήθη αὐτῷ *delatus fuit apud illum:* unde διάβολοι *calumniatores* 2 Tim. 3. 3. & *calumniatrices* Tit. 2. 3. Et quia malorum ſpirituum Princeps eſt artifex calumniandi, ideo is κατ' ἐξοχὴν vocatur *Diabolus* Matth. 4. 1. 1 Pet. 5. 8. Apud Ariſtophanem legitur vocabulum ἀντιλογικὸς, de eo *qui ſemper aliquid profert ut contradicas veritati.* Talis Spiritus ille qui etiam πειράζων dicitur (participium pro nomine) Matth. 4. 3. & 1 Theſſ. 3. 5. μήπως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων, *ne quo modo tentaſſet vos tentator ille*; idque ideo quia tentationis opus in Scripturis ſoli Satanæ tribuitur. Mundus enim & Caro illius inſtrumenta ſunt quibus fere in hominibus tentandis & perdendis utitur. Eſt autem *tentare* facto temerario Deum provocare: unde Theodoretus Quæſt. 5. in Deut. ἐκπειράζει τὸν Θεὸν ὁ δίχα λογισμοῦ ἀβουλήτως τι πράττων. Ad tale temerarium factum Diabolus Servatorem mundi provocat. Quæritur autem, Utrum in veritate rei, an in viſione? Utique in viſione, neque enim Diabolo ea in Chriſtum poteſtas fuit ut illum quo vellet raperet, traheret: neque omnia totius mundi Regna in uno monte Chriſto à Satana potuerunt monſtrari: ut ne dicam Chriſtum ſuper pinnas Templi corporaliter ſtatui non potuiſſe. Totum enim faſtigium Templi fuit conſitum verubus ferreis, ut ne aves quidem ibi conſiſtere poſſent, teſte Joſepho: tantum abeſt ut Servator noſter pedem ibi figere potuerit.

CAP. IV.

Dicta Scripturæ in Chriſti & Diaboli duello citata excutiuntur,

Non è ſolo pane vivit homo, ſed ex omni verbo prodeunte per os DEI.
Angelis ſuis mandavit de te, & tollent te in manus, &c.
Non tentabis Dominum DEUM tuum.
Dominum DEUM tuum adorabis, & ei ſoli ſervies.

MEmorabilis pugna eſt Davidis cum Goliatho; memorabilior Chriſti cum Satana: illi lapidibus & enſibus, hi potenti DEI verbo pugnant. Diabolus hoc agit, ut Chriſto filialem in cœleſtem Patrem fiduciam expectoret; Chriſtus hoc agit, ut fiduciam illam fixam animo & firmam retineat: ideo objectis ſibi à Diabolo lapidibus opponit DEI verbum, per quod famelici æque ſaturentur ac per panem. Verba Moſis ſunt Deut. 8. 3. *Ut oſtenderet tibi quod non ex ſolo pane vivet homo, ſed ex omni verbo prodeunte per os DEI:* παραλληλα ſunt Luc. 12. 15. Iſa. 38. 16. Exemplum regulæ Moſes ipſe adducit dicto loco, *Afflixit te, & eſurire te fecit, atque cibavit te manna, quod tu & patres tui ignoraſtis:* h. e. Populus deſerti afflictus quidem fuit fame, ſed mox paſtus manna: qua ex re facile erat colligere Panem per ſe non eſſe vitæ fulcimentum, ſed ipſam Domini Voluntatem: nam ea eſt *verbum egrediens ex ore*

De-

Domini, h. e. quæ educit illius munera ad creaturas. Illa mirabilis populi ſine pane in deſerto ſuſtentatio parit nobis univerſalia axiomata in Eccleſia Dei multoties decantata, *Non vidi juſtum derelictum. Jacta in Dominum curam tuam, & ipſe te ſuſtentabit. Etiam leones eſurunt; timentibus autem Dominum non deerit ullum bonum.* ¶ Citatio dicti Pſalmici plus habet difficultatis. Hieronymus hoc loco Calumniatorem perſtringit quod mutilarit textum, decerpendo quod erat commodum, & prætermittendo quod offendebat. Omiſit enim illud *ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*: tacuit item illud, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis.* Hieronymum totus Homiliaſtarum chorus hodie ſequitur; minime id facturus ſi audiret Eſromum Rudingerum Camerarii generum, qui σοφισμὸν Diaboli, qua adverſus Chriſtum hic uſus eſt, non in mutilatione verborum callida ſed in depravatione ſententiæ poſitam eſſe pridem docuit. Virum ipſum audiamus: *Scriptores plerique & homiliæ vulgares σοφισμὸν Diaboli hoc loco ita interpretantur, quod ſit in mutilatione callida poſita, hoc modo, ut ῥητὸν Pſalmi dicat*, Ipſis etiam Angelis mandabit de te ut te cuſtodiant in omnibus viis & actionibus loci & muneris tui: hi vero geſtabunt te manibus ſuis, ſtudio ſolicito, ne ad ullum lapidem uſpiam impingat aut offendat pes tuus: *ut ſint viæ in Hebræo non* actiones *ſimpliciter, ſed ejus quam* vocationem particularem *appellant actiones & munera. Verum ſignificat* via *Hebræis non vocationis particularis, ſeu loci artiſque certæ, quam unuſquiſque exercet, actiones, munera, aut operas etiam ad quæ exercenda Divina providentia occulto conſilio homines vocantur; ſed actiones vitæ in genere univerſas: quod infinitis exemplis demonſtrari poteſt. E quibus ſit unum pro multis*, Via impiorum peribit. *Non enim vocatio, aut qua Divinitus jubentur, ibi ſignificare* via *poterit, ſed quicquid agunt & ſuſcipiunt. Item*, Nón eſt hominis via ejus, *&c. Etſi autem Hebræum* via, *cum totam vitam ſignificat, etiam vocationis actiones, ſimul complectitur, de vocatione tamen in illo loco Pſalmi & toto etiam Pſalmo proprie & per ſe nihil agitur. Itaque id quod omittit Diabolus ad rem quam ibi agit non pertinet. Non igitur callida eſt ea aut paralogiſtica omiſſio; ſed citatio ſophiſtica Diaboli omnis in cæteris præcedentis verſus & in ſequente verſu* 12. *poſita eſt. Fortunavit enim Deus fortunatque etiam hodie in piis multa quæ extra vocationem, quam appellant, re ſæpe ita flagitante, ſuſcipiuntur & geruntur: neque vocationis tantum munera & occaſiones hujus ſola pia ſunt. Eſſe autem ſophiſma non in mutilatione ſed in depravatione ſententiæ, qua quod τῷ dicitur ut ἀκλῶς dictum aſſumitur, oſtendit reſponſo Chriſti, qui nullam mutilationem culpat, ſed ut alienam ab eo quod agitur ſententiam refutat. Sic enim argumentatur Diabolus,*

Quicquid faciunt pii & ſancti, in iis proteguntur Divinitus.
Tu es ſanctus & pius, ſi es Filius Dei.
E. te etiam proteget, quicquid feceris.

Reſpondet Chriſtus ad Minorem, At ſi ſic facerem, non eſſem ſanctus & pius: tentarem enim Deum. Nam qui tentat Deum non eſt pius & ſanctus. Hoc enim prohibet Deus. Et qui violat mandatum Dei, pietatem prodit, & pius ſanctuſque eſſe deſinit. Neque quicquid pii faciunt, ἀορίστως probat & juvat Deus; multo minus quæ faciunt impie, quæ odit & punit: ſed quæ pie faciunt, atque ita pii eſſe pergunt neque à pietate deficiunt. *Dicit igitur Chriſtus hac reſponſione, Non eſſe pietatem, neque pietatis fiduciam, contra naturæ ordinem ſenſumque communem ſuſcipere molirive aliquid; atque ita non in omnibus quæ pii ſanctique faciunt protegi eos Divinitus, ſed in iis quæ pie faciunt. Et ſic ῥητὸν Pſalmi ad pios ſanctoſque tantum pertinet, & ea quæ pie ſanctèque faciunt; quod Diabolus ſophiſtice ad omnes actiones ἀορίστως transfert, etiam ad eas quibus tentatur Deus. Deum autem tentare non eſt neque fiducia ſalutaris, quam Pſalmus totus docet & prædicat, neque violare vocationem, ſed prodere pietatem. Et quæ extra vocationem fiunt, & pia eſſe poſſunt, & commendari Deo precibus noſtris: ſed ad tentandum Deum & peccata contra legem Dei perpetranda invocare opem & protectionem Dei nemo poteſt, neque ſimul prodi & præſtari pietas poteſt. Hoc igitur unum ſophiſma eſt quod uſurpat hoc loco Diabolus. Sed callidius eſt, quod ſimul ad Filium Dei, ut Prophetiam de hoc, accommodat verſum illum manifeſte, atque ita ſimul totum Pſalmum ex conſequenti, cum fidei & fiduciæ in Deum ſanctorum omnium ſcriptus ſit, ut hac in eis excitet & incendat. Quod, ut ſuſpicari poſſumus, ideo etiam fecit Diabolus ut tentaret humanam naturam in Chriſto abducere à promiſſionibus factis generi piorum, & examinaret eam, an hanc ad Filium Dei tantum aut homines etiam pios & ſanctos pertinere judicaret; cum mox ſequatur ibidem in Pſalmo*, Super leone & ſerpentibus, aſpide & baſiliſco ingredieris, *&c. quo nihil magis invidet generi piorum Diabolus, ſi de Diabolis allegorice interpretamur, præſertim cum ſint* κοσμοκράτορες. *Itaque quod Diabolus ad Filium Dei refert, id Chriſtus reſpondens de Hominibus interpretatur; cum homo temet Deum, & non Filium Dei Deum Patrem; & in Divinam omnipotentiam non cadat tentatio, qua per ſe & ſine tentatione poteſt omnia. Scivisſe autem Diabolum quod* CHRISTUS *eſſet Filius Dei, etiam ipſi Diaboli teſtantur quando clamant*, Jeſu, Fili Dei, quid veniſti nos affligere ante tempus? *Neque quod ſperaret ſe profecturum aliquid ideo* CHRISTUM *tentavit, ſed ut deprehenderet quantum & quomodo una natura in Chriſto ceſſura eſſet alteri: quæ res nunc etiam turbat, agitante eodem ſpiritu. Scit Diabolus ſe non everſurum Eccleſiam* CHRISTI *& electos Dei; nihilo tamen minus tentat hoc, & ſemper ei hamus pendet. Pſalmorum autem peſſimum eſſe interpretem Diabolum & corruptorem terrimum, ex iis quæ dicta ſunt planum fit. Ad hujus autem loci & verſus* 11, *&* 12. *in Pſalmo* 91. *corruptelam quod attinet, aut non eſt σόφισμα Diaboli in mutilatione ſententiæ & viarum omiſſione, ut diximus; aut* CHRISTUS *non recte neque ad rem reſpondit.* ¶ Tertium dictum, *Non tentabis Dominum Deum tuum*, ex Deut. 6. 16. petitum eſt. Sententia integra eſt in Hebræo, *Ne tentetis Dominum Deum veſtrum, ſecundum quod tentaſtis in loco Tentationis.* Chriſtus ex Græcis interpretibus iſta allegat, qui habent, Οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου, ὃν τρόπον ἐξεπειράσατε ἐν τῷ πειρασμῷ; *Non tentabis Dominum Deum tuum, quemadmodum tentaviſtis in Tentatione.* Et quia altera dicti pars non competebat niſi in populum Iſraeliticum, ideo illam prætermiſit. ¶ Quartum dictum & ipſum ex Deuter. 6. 13. & 10. 20. allegatum, in Hebræo legitur, את יהוה אלהיך תירא ובו תעבד *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſervies.* Græci interpretes, Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies.* Non eſt quidem particula excluſiva μόνῳ in Moſis contextu. Sed quia mox adjicitur, *Ne eatis poſt Deos alienos*, &c. in pronomine τῷ αὐτῷ illi incluſum intelligitur τὸ μόνῳ. Et quoniam Tentator προσκύνησιν ſive *adorationem* ſui à Domino impudentiſſime poſtulat, Servator valde appoſite τὸ προσκυνήσεις commutat in verbum προσκυνήσεις, nulla ſententiæ Moſaicæ injuria, cum & *timere* & *adorare Dominum* per Synecdochen ſpeciei totum Dei cultum ſignificent.

CAP. V.

Meditatio practica in hiſtoriam Jeſu Chriſti à Diabolo tentati, Matth. 4.

TEntatio Chriſti eſt typus tentationis omnium Eccleſiæ civium, maxime Doctorum. Nam quibus armis Satan aggreditur Dominum, iiſdem hodieque aggreditur ſervos. Quem clypeum oppoſuit Servator, eundem opponant oportet ſervati. Verſutiſſimus Sinon eſt Diabolus. Locum, tempus, modum dejiciendi homines obſervat. Eſurientibus in deſerto proponit lapides; florentibus in Eccleſia, Republica, Oeconomia ſuadet præcipitationem ex alto; inhiantes opibus ad adorationem ſui ſolicitat. Omnia expertus Dominus, ut in omnibus iis qui ſimiliter tentantur ſuccurrere poſſit. Ergo in ſolitudine famelicum adoritur Tentator, eique lapides objicit. Quid ſibi velit prodit ipſe, ajens, *Si es Filius Dei*: quod iterato in ſecunda tentatione repetit, *Si es Filius Dei.* Nimirum quia Pater de cœlo clamarat, *Hic eſt Filius meus dilectus*, unde ſpirituale gaudium in Chriſti baptizati corde exortum, hoc agit Diabolus, ut gaudium illud ex Domini animo expectoret. *Audi*, inquit: *Deum de cœlo teſtificatus eſt te eſſe ſuum Filium. Quid vero hoc, quod eſuris in deſerto? Dei Filium eſſe & famelicum eſſe quomodo convenit?* Virulentum vero ſtratagema. Novit argumentum cordium noſtrorum in ærumnis, in paupertate, in morbis, in exſilio, *Qui hæc & alia dura patitur, non eſt Deo cura: Ego patior: Ergo.* Sic colligit Ratio. Cicero pro Flacco, *Quam cara Diis immortalibus eſſet gens iſta* Judæorum, *docuit, quod eſt victa, quod elocata, quod ſervata.* Hodie, *Quam vera ſit Religio Reformatorum, docuit, quod hinc inde victi ſedibuſque ſuis pulſi ſunt.* Sic argumentatur nonnunquam etiam fidelium Caro, *Si Deus nobiſcum, cur patimur iſta?* inquit Gedeon. Inprimis cum Diabolus audit acclamari nobis illud è cœlo, *Quotquot credunt in nomen Jeſu Chriſti, iis dedit poteſtatem filios Dei fieri*, & vere videt alios noſtrum oberrare in exſilio, aut conflictari cum paupertate, diuturnis morbis torqueri alios, illico nos aggreditur,

&, *Audi*, inquit, *David: Tune Dei filius es, qui ſpretus abjectuſque in ſylvis, in ſpeluncis latitas, ab omni hominum commercio ſemotus? Audi, Bartimæe, cæce, mendice: Tune Dei filius? Qui dat eſcam omni carni, & paſcit pullos corvorum, tene negligeret ſi amaret? Audi, Lazare: Tene Dei filium eſſe, qui pecudis inſtar ante epulonis fores jaces*

Æger & ulceribus ſqualens in corpore toto?

His telis percuſſi multi conciderunt olim, multi concidunt hodie, in Auſtria præſertim, Boëmia & Moravia, quibus in locis crudeliſſima dominatur perſecutio Euangelicorum. Jubentur omnia bona ſua divendere: Pecuniæ ab emptoribus deferuntur in curiam: de tota ſumma quinque floreni numerantur venditori; reliquum cedit fiſco: venditor cum ſuis in triſte exſilium extruditur. Victus igitur inopia victi reſiliunt multi; & quam religionem corde damnant, ore probant. Verum qui clypeum verbi Dei à Domino Jeſu mutuantur, illo Satanicis telis objecto ſalvi evadunt. Simulatque enim eis lapides proponuntur, parata iis eſt Dominica reſponſio, *Non è ſolo pane vivet homo, ſed ex omni verbo prodeunte per os Dei.* Paratum eſt exemplum quo teſtimonium Moſaicum à Chriſto citatum nititur, Iſraelitarum videlicet, qui ipſos XL. annos ſine panis adminiculo, miſſo cœlitus Manna, paſti ſunt. Negant igitur propoſitionem ſyllogiſmi Satanici,

Qui pauper eſt, non eſt Deo cura, non eſt Dei filius:

dicuntque cum Domino, *Nemo unde vivit quod multa poſſidet*, Luc. 12. 15. & cum Ezechia Rege, *Domine, per hæc VERBA TUA vivitur, & ſingulis ipſis ineſt vita ſpiritus mei*, Iſa. 38. 16. Sic animati fuerunt Apoſtoli, ſic ipſorum ſucceſſores, quos victus inopia tentatos fuiſſe graviter vel unius Pauli exemplum docuerit, nunc de fame, de frigore, de nuditate conquerentis, nunc ut ſe ſuſtentaret manibus laborantis, nunc de ſtipendiis Miniſterio ſacro debitis accurate (fortaſſe non ſine vultus rubore) diſſerentis. Quam miſera paſſos fuiſſe Diſcipulos putamus, quorum Magiſtri tam ſordide fuerunt habiti? Verum & Magiſtri & Diſcipuli pervicerunt, & freti verbo Dei non ſolum abundare verum etiam egere didicerunt. Hoc ergo fixum ratumque nobis ſit,

Filios Dei non tam ex cauſis ſecundis quam ex Cauſa prima vivere.

Eccleſiam ipſam mirabiliter ſemper ſervari in mundo ſine præſidiis externis.

Ipſa præſidia Regnorum & Principatuum non eſſe firma ſine auxilio Dei.

Denique, *Etiam leones eſurire; timentibus autem Deum non defuturum ullum bonum.*

Sic igitur primus Tentatoris ictus eluditur. Sed callidus hoſtis ex ipſa illa qua ſuperatus eſt fide occaſionem ſumit arietem ſuum in adverſum latus transferendi, eandem tamen fidem rurſus imperiturus. Suadet enim ut, quando Dominus de paterno Dei erga ſe favore nullus dubitet, provida illa Dei cura confiſus audeat aliquid ſtupendum, ſeque è Templi faſtigio det præcipitem; ut quantopere vel in maximis periculis ſalus ejus Deo curæ ſit, omnibus innoteſcat. Hæc tentatio non, quemadmodum prima inter unam victus inopiam, ita intra unam aliquam rem aut negotium vertitur, ſed ratione multiplicium rerum ac negotiorum latiſſime, ne dicam in infinitum, patet. Univerſaliter enim quando homines deſierunt eſſe ſolliciti de victu, mox cogitant de movendis non neceſſariis. Primam N. T. Eccleſiam teſtem appello, quæ ut ſtolidorum & audaciſſimorum hominum in negotio religionis feraciſſima, ita etiam præcipitiis fuit clara. Nondum illa plane reſpiraverat à paupertate, cum exiſtimationis vel augendæ vel tutandæ ergo varias rixas & lites movit de rebus ſæpe nihili, de Cereo Paſchali, de Jejunio Dominici diei, de die Paſcharis. Nec aliunde natæ tot hæreſes quam quod ambitioſi Doctores putarunt ſe melius quid doctoros atque in ſcriptis Prophetis & Apoſtolicis continetur. Ideo *dejecerunt ſe de Templo*, h. e. diſceſſerunt à ſimplicitate doctrinæ Divinitus traditæ, & novas opiniones finxerunt. *Stat in pinna Templi* Alexandrini Arius; *ſtat in pinna Templi* Conſtantinopolitani Neſtorius: uterque exiſtimat ſe non ſat clarum futurum niſi quid novi excogitet. Ante centum annos *in pinna*, h. e. celſiſſimo Norinbergenſis Eccleſiæ loco, *ſtetit* Andreas Oſiander, homo doctus, ſed *αὐτοδίδακτος*, nullius Academiæ diſcipulus, &, ut plerumque tales eſſe ſolent, ambitioſiſſimus. Is cum audendum aliquid pro nominis celebritate acquirenda duceret, Euangelicos dixit tantum dimidium Chriſtum prædicaſſe, ſe integrum; invenitque novum vocabulum *juſtitiæ eſſentialis*. Novatorum Belgicorum coryphæus quidam (parco defuncti nomini) dixit, **Man ſol noch in der gantzen welt von mir ſagen.** De Staphilo, de Flacio non dicam. Monachi in Papatu, quando perfectiora ſe præſtare poſſe ſtatuunt quam quæ in Verbo præcipiuntur, Deum tentant. Pontifices ipſi, qui ſciunt quidem *conjugium honorabile eſſe inter omnes*, Sacerdotum tamen Cœlibatum ſanciunt ne imminuantur bona Eccleſiaſtica, hi ‡ inquam, tentant Deum. Denique, quoties Theologus extra vocationis ſuæ ſepta res alicujus momenti aggreditur, utcunque zelum, vocationis fidem ac ipſum Dei verbum obtenderit, tentationis hujus periculum ſubit, *præcipitem ſe dat è faſtigio Templi*, Deum tentat, & quodammodo bellum adverſus illum gerit, magno aliorum, maximo ſuo malo. Quod Johannes Funccius celebris Chronologus agnovit, qui cum Alberto Boruſſiæ Duci à ſacris eſſet, & temere ſe Politicis negotiis immiſcuiſſet, jugulum ob id carnifici præbiturus M D LXVI. 28. Octobris, Regiomonti, ante necem pronunciaſſe dicitur hoc diſtichon,

Diſce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge cen peſtem τὴν πολυπραγμοσύνην.

Jam in Oeconomia, in Politia hæc ipſa Temeritatis, Confidentiæ & Ambitionis tentatio longe lateque graſſatur. Non acquieſcit in Divina gubernatione populus Iſraeliticus; Regem ſibi à Deo, quem tentat, expoſcit. Eidem populo ad Tabernaculum mandato Dei erat ſacrificandum; at Gedeon rectius ſe facturum arbitratur ſi domi ſuæ ſacrificet; cultum igitur Dei domeſticum inſtituit. Multa bella non neceſſaria moventur ſola regnandi cupidine, colorantur tamen prætextibus ſuis, imo ſæpe Scripturæ dictis. Norant Iſraelitæ, promiſſam ſibi eſſe terram Canaan; ideo bello lacceſſunt Amalekitas & Cananæos, ſed ſine vocatione; ideo interficiuntur, Numer. 14. Johanni Friderico II. Saxoniæ Duci Grumbachius & Juſtus Jonas J. C. deſponderant Imperium Germaniæ, ſi auderet quid, & ſe de Templo dejiceret. Fecit; ſed temerarii facti & ipſe conſiliarii graves dederunt pœnas. Princeps captus perpetuæ cuſtodiæ mancipatur; Grumbachius in quatuor partes ſecatur; Jonas Hafniæ capite truncatur. Is ante mortem hos recitavit verſiculos,

Quid juvat innumeros ſcire atque evolvere caſus,
Si fugienda facis, ſi facienda fugis?

Quos Clariſſimus Danorum Theologus Nicolaus Hemmingius, morienti aſſitans, mutata ſententia illico in ipſum regeſſit, dicens,

Et juvat innumeros ſcire atque evolvere caſus,
Si fugienda fugis, ſi facienda facis.

Quæ ipſa illa aurea regula eſt quam Dominus Jeſus tentationi Satanæ opponit, dicens, *Non tentabis Dominum Deum tuum:* h. e. Mane in vocatione, & quæ tibi mandata ſunt cura. Nam, ut Plato ait, *jucundiſſimum vitæ genus eſt agere ſua:* addo ego, etiam tutiſſimum, etiam beatiſſimum. Ut enim pie cecinit Melanchthon,

Nullus eſt felix conatus & utilis unquam,
Conſilium ſi non detque juvetque Deus.
Tunc juvat ille autem cum mens ſibi conſcia recti
MANDATI OFFICII munera juſta facit.

Contra, qui Deum tentant, h. e. contra & præter ejus mandatum quid faciunt, ſemper infelices habent exitus. Tentator ſecunda vice ignominioſe repulſus, tamen non miſſum facit Dominum, ſed novis artibus & technis it illum oppugnatum. Ita enim ſecum, Fame generoſum pectus de ſtatu ſuo dejicere nequeo; ſpecioſo Scripturæ colore ad confidentiem illud propellere non poſſum: rem alia aggrediar via. Congeram in illum totius mundi opes & gloriam: quem non fregerunt res adverſæ, frangent ſecundæ. Præmium poſcam mei cultum & adorationem; quo obtento de omni ejus fide & officio erit conclamatum. Age ergo, inquit, video te virum eſſe qui indigne admodum eſurias & contemnaris: Ego uno momento & à fame & à contemptu te vindicabo. En tibi totius mundi regna, opes & gloriam. Tua ſunto iſta regna, tuæ opes, tua gloria iſta: tantum me pro Deo habe, idque coram me proſtratus adorationis teſtimonio fac ratum. Nimirum hoc eſt ingenium Satanæ, ut quos non poteſt vel per famem vel per admirationem donorum ſuorum evertere, eos evertat ſæpe propoſitis hujus mundi divitiis, honoribus, ſplendore, perſuadens eis ut ad bona illa externa acquirenda retinendave ſe cœtui idololatrico adjungant, ineant ſocietatem cum magis, agant injuſte, adjuvent ſævitiam Tyrannorum, diſſimulent aut abjiciant confeſſionem veritatis: quod nihil aliud eſt quam intueri magnificentiam hujus mundi & Diabolum adorare. Hoc opum & gloriæ mundanæ ſplendore tentati olim fuere Romani Pontifices, qui cum tentationi ſuccubuiſſent, ſucceſſoribus Eccleſiæ antea pauperis & abjectæ loco mundanum Regnum, loco veræ religionis ſuperſtitionem, loco cultus Dei cultum homi-

Digitized by Google

minum reliquerunt. Hoc opum & gloriæ mundanæ ſplendore tentatus Henricus IV. Galliarum & Navarræ Rex, ſuccubuit & ipſe, & quam corde antea exſecratus fuerat Miſſam, eam pedibus venerabundus poſtea adiit. Neque enim novum eſt, regna, potentiam, opes ſtabiliri per idololatrias. Nabuchodonoſor, Antiochus, Mahometus, Pontifices ipſi Romani, teſtes omni fide majores. Et unde hodie tot defectiones à veritate, Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, Civium, doctorum, indoctorum, niſi ab intuitu opum, gloriæ & honorum, quibus Camilli Romani adoratores ut plurimum florent, veri Dei cultores carent? Hic, hic *animus opus eſt & pectore firmo*, quod ad regnorum, ad honorum, ad nummorum hujus ſeculi aſpectum, ad ſuggeſtiones & ſolicitationes item Satanæ, veluti *Marpeſia cautes* ſtet immotum. Vide mihi Servatorem noſtrum Jeſum. Non frangitur Regnorum mundi, non flectitur honorum mundi promiſſis; ſed ubi eo impudentiæ Tentatorem delabi videt ut Divinos ſibi decerni honores poſtulet, adfectu, ore, geſtu Spiritum malignum rejicit, aureis illius telis cœleſte oraculum opponens, *Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſervies.* Equidem non ignoro Dominum Jeſum perpurgatis fuiſſe affectibus, mihi vero & fratribus in Eccleſia militante agentibus quotidie ingemiſcendum eſſe cum Pſalte, *Ecce in iniquitate concepit me mater mea*; tamen ſic ſentio; Qui ad ignem illum zeli gloriæ Dei in Servatore noſtro ardentem acceſſerint propius, fieri non poſſe quin ab eo inflammati & ipſi pro nihilo ſint habituri quæ vel maxima judicet eſſe mundus. Ab iſto igne incaluit puella ditiſſima à Baſilio M. celebrata, cui ob Chriſtianiſmi profeſſionem ad rogum damnatæ, & omnibus quas poſſidebat facultatibus exutæ, cum venia vitæ & facultatum fieret ſi adoraret Satanam, femina maſcule reſpondit, *Valeat vita, pereat pecunia.* Ab iſto igne incaluit Henricus Saxoniæ Dux, Mauritii & Auguſti Electorum parens; qui cum à Ducis Georgii fratris ſenioris Legatis audiret, Sibi aut Euangelicæ doctrinæ aut ſucceſſioni in fertiliſſima Miſniæ regione renunciandum, reſponſo hoc vere regio Legatos domum remiſit, *Pluris ſe exiſtimare Jeſum quam omnem Miſniam.* Ab hoc igne incaluit potentiſſimus Saxoniæ Elector Johannes Fridericus. Huic captivo Cæſar Carolus V. reſtitutionem in dignitatem priſtinam pollicitus eſt modo Miſſæ intereſſe vellet. At magnanimus Princeps reſpondit, *Summum ſe in terris Dominum agnoſcere Cæſarem, in cœlo Deum. In omnibus terrenis ſe reverenter pariturum Cæſari, in cœleſtibus ſolo Deo.* Narrant Euangeliſtæ, *Diabolum*, cum omnes artes expediſſet in Dominum, neque quicquam proficeret, ſimul & victum & cluſum *diſceſſiſſe*; *acceſſiſſe autem Angelos, qui Domino miniſtrarent.* Cadant igitur aliqui animis propter paupertatem; præcipitent ſe alii de Templi faſtigio propter bonorum ſuorum admirationem; ad fœdam idololatriam per mundi gloriam & opes ſeducantur alii: qui ſunt viva membra Jeſu Chriſti reportabunt eandem quam reportavit Caput ipſorum à Diabolo victoriam, & omni tentatione ſuperata inter amabilia Angelorum miniſteria beati æternum vivent.

Cap. VI.

Caſſiodori Reinii Hiſpani admonitio ſupplex ad Eccleſiam Patrum memoria inſtauratam, ut exemplo Chriſti à periculoſis Satanæ ſuggeſtionibus ſibi caveat.

O *Renata Chriſti ſponſa; quæ ex illis veluti Sodoma & Gomorrha cineribus & ruinis, ac quemadmodum ſi extraheret paſtor è faucibus leonis duo crura & auricula extremum ovicula ſuæ, potentiſſima eademque benigniſſima Dei manu adhuc inſtauraris atque colligeris, ad te ſermonem converto meum. Habes in hiſtoria tentati Chriſti velut in tabella quadam viva depicta ea pericula quibus inprimis exitium tibi molitur Satan, qua Chriſtus Sponſus tuus in gratiam tui in ſe tranſferre voluit, ut in eo illorum tu periculorum quæ te manent, & à quibus maxime exitium & ruinam tuam & timere & præcavere debeas, admonereris. Illa ipſa primum ita ſuſcepit ut pervinceret, videlicet ut & tu ſimul edocereris illa olim tibi perpetienda fore, debiliora tamen ex illius victoria; cujus etiam ſi pugnandi cum eiſdem monſtris rationem ſequare, victoria tibi in manu ſit. Accedit prænonitoria huic tabellæ, ad locupletiorem inſtructionem tui, totius per mille & quingentos amplius annos ejus quæ te præivit, & è cujus ruinis tu jam colligeris, Eccleſiæ decurſus: ingens profecto tabella acceſſio, & veluti practicus quidam ejuſdem commentarius; in quo ejuſdem Satanæ impetus in oppugnandis Eccleſiæ Paſtoribus, & aliorum in ſtatione fortiter perſeverantium præclara exempla, aliorum contra funeſta ſe præcipites dedentium, aliorum autem exſecranda ob mundi gloriam & opes in Divini cultus corruptione Satanam adorantium, attentis oculis aſpiciens, niſi præteritis malis poſthac evaſeris ſapientior cautiorque, digniſſima fueris quæ ſeptuplo puniare. Jam periculorum imminentium admonita, & ex præteritis exemplis cautior facta, remedia in tempore adhibe; ne eadem (quod Deus avertat) aut pejora iis fortaſſis in te cogantur poſteri lugere, quæ in fœdiſſimis illis monſtris ex Eccleſiæ cadavere in orbem natis, quorum exempla præ oculis habes, lugere nunc cogimur. Adhuc in contemptu & paupertate es, conditorem omnium felicissima quibus Eccleſiæ in mundo uti contigit. Periculum igitur eſt præſens, ne boni & fidi Paſtores fame impetiti (eſurire enim ſubinde eos in iſto rerum tuarum ſtatu neceſſe eſt) deſerto Miniſterio ad proſpiciendum ventri terga vertant. Sunt opulentiſſimæ Dei dona, doctrina inprimis ac ſapientia, ad tui inſtaurationem illis collata: Periculum etiam eſt (ſcientia præſertim inflante, charitate vacua) ne eiſdem, & in mediocri inprimis rerum ſucceſſu, inſoleſcentes ita in admirationem rapiantur ſui ut vocationis ſuæ oblitis ipſius metas quoquo modo temere tranſiliant. Jam ut illis, proſperiore rerum ſtatu, religionis aut ſuperſtitionis potius æſtro percitus Conſtantinus quiſpiam imperium orbis offerat, periculum immunere vix credo; quandò neſcio quo felici naturæ humanæ fato ſit ut ea haud jam amplius pro hominibus fungos aut inanimes ſtipites proferat, quibus ita eludere ſit facile. Verum perſtat adhuc in divina ſua veritudine tabella noſtra Prophetica; qua perſuaſum nobis eſſe debet, fore ut, etſi fortaſſis non illa manifeſta, aliqua certe occultiore Regni ſpecie Satan adoriatur, ut reſtitutum tanto cum labore piorum & martyrum ſanguine verum Dei cultum corrumpere & ad ſe rurſus transferre ſit conaturus. Sunt enim & hæc (niſi deſpere volumus) ex illis orbis revolutionibus à Salomone primo capite Concionis ſuæ enumeratis, quibus præteritis, ut eadem poſtliminio recurrant exſpectandum ſit. Adde etiam quod neque Diabolus telum tam potentiſſimum, cujus unius virtute regnum ſuum per tot ſecula conſtitiſſe novit, quin eo nunc quoque tentet Eccleſiæ vires, non omittet. Illud ſi aliquando contingat ob juſtiſſimam iram Dei, verbi ſui contemptum in aliis, in alius abuſum vindicantis, lapſum fore non dubito longe periculoſiorem funeſtioremque quam is fuerit quem in Romana Eccleſia conſpicimus. Ut enim Regnum illius terrenum fuit (jallet Spiritum quantum volet) & idololatria plus quam manifeſta, ita etiam & illius lapſum deprehendere, S. præſertim Scripturarum facem propiuſcule admoventibus, facile fuit. At quid facies ubi terrenum Regnum nullum vides, nullos opum acervos, nulla inſignia Imperii, nullam donationem Conſtantini, nihil denique, ut omnia dicam uno verbo, ex illa craſſa idololatria, quibus argumentis & Diabolo adorationem & adorationis ipſius præmia certo poſſis deprehendere? Ignoſces, Columba Chriſti candidiſſima, ſi te de rebus longe graviſſimis & ad rem tuam maxime facientibus commonefaciens apertius egero. Quid ajo? Imò ignoſce potius quod hanc mihi veniam petens ſubdubitare videar eum apud te, pro candore illo columbino ingenii tui, qui apertius moneat majorem gratiam initurum. In iſtis paucis menſibus in quibus admirabili atque inexſpectato Dei beneficio glorioſam inſtaurationem tui beatis oculis videre licuit, complures etiam ex tuis Paſtoribus jam vidimus inſigniter eſurientes, ex quorum claſſe nonnulli tentatione victi arena ceſſerunt. Qui in tentatione fortes perſeverarunt, Dei quoque providentiam in ſe paſcendis haud multo poſtea experti ſunt. Quin & aliquot jam vidimus, idque haud ſine magno animi dolore, qui exigua admodum proſperitate rerum veluti amentes altero tentationis genere ſe præcipites dederunt, zelum neſcio quem pietatis temeritati & amentiæ ſuæ obtendentes. Quod ſi tibi (ut equidem non dubito) quamdiu in terris verſaberis, fatale eſt ejuſmodi ferre manes, adeo ut una cum illis & naſcaris & adoleſcas & demum conſeneſcas, illud ſaltem etiam atque etiam caveto, ne dum ab illa paupertate, humilitate & contemptu, quæ, dum Deum & Sponſum tuum legitime colis, eique integra fide inſervis, te ſequi in mundo neceſſe eſt, teque inprimis decet Sponſum tuum utique ſecuturam, ad mundiorem in ſpeciem cultum & ſplendidiorem neſcio quam formam te abduci paſſa fueris, peſtilentiſſimi in te Regni alicujus, quod in Babyloniam olim evadat molem, fundamenta jacientur. Eam enim immundam munditiem & deformem formam, quæ in oculis hominum ſit maxima, nequaquam minoris unquam coëmes quam fœdiſſima deformatione tui, & veri ac puri Divini cultus, cujus in terris es conſervatrix. Jam ſi tantis malis feliciter & auſpicato occurrere eſt animus, tabellam hanc inſpice ſedulo ac diligenter. Satanæ artes quo tendant, in ea habes:*

habes: habes & quales ſint, atque etiam, niſi ab eis diligenter caveas, quid poſſint. Habes & Chriſti exemplum, non ſolum te etiamnum admonentis, verum etiam vires, arma, artes ſuppeditantis, quibus glorioſa victoria, ſi illis dextre uſa fueris, cum eodem potiare. Satan nihil aliud quærit quam ruinam tui: eam in Paſtorum tuorum everſione ſitam eſſe novit. Ad eos ergo jam ut noſter dirigatur ſermo, ut in promptu habeant quid Satan ab eis cupiat, quid contra ipſi præſtare tibi & Sponſo tuo debeant, operæpretium fuerit. Primo congreſſu Miniſterii modo deſertione ſimplici ob pellendam famem contentus eſſet. At pio Paſtori ſuccurrere hic debet, ſe Miniſtrum Dei eſſe, à quo & vocatus & miſſus laborat, qui ut det ſemen ſeminanti, & panem ad edendum præſtabit, vel eruptis cœli cataractis. Quod ſi adhuc eſuriendum eſt, præſtat infinitis partibus in Dei obedientia & fide perire vel millies fame, æterna viſione Dei poſtmodum ſaturandum, quam eo irato & inimico ad æterna poſtmodum ſupplicia. Altero congreſſu, non ut Miniſterium deſeras, petit, ſed ut in eo manens extra ipſius metas excurras. Remedium in promptu eſt. Vocationis tuæ limites religioſe pernoſcito, neque eos ullo modo prætergrediter, ne & te præcipites & Deum tentes. Petit poſtremo adhuc ſublimius quippiam, ſcilicet in eodem Miniſterio adorationem ſui. Pollicetur adoranti gloriam & opes, quibus te & à contemptu & inopia egregie vindices. Memineris in eo contemptu & inopia, quæ oppugnat, Chriſtianam ac proinde veram felicitatem ſitam eſſe; in illis fucatis opibus & gloria, quæ turpiſſima illa conditione pollicetur, æternam paupertatem atque ignominiam; ut cum Moſe fido in domo Dei miniſtro potius eligas affligi & in contemptu eſſe cum populo Dei quam temporariis peccati commodis frui. Ita fiet ut Regnum & gloriam illibatam Chriſto ſervans, te vero in ſervis ipſius officio modeſte continens, eum unum adores, qui ut ſe unum adorandum ſevere præcipit, ita etiam qui ab univerſis creaturis unus & ſolus adoretur eſt dignus. Ipſi regnum, imperium, gloria, adoratio. Amen.

CAP. VII.

Vocatio Andreæ & Simonis ad fidem: vocatio eorundem, ut & Jacobi ac Johannis, ad Apoſtolatum. Phraſes ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων ἣν συνέλαβον, Luc. 5. 9. ἀφέντες ἅπαντα, Luc. 5. 11. expenduntur. Piſcatores hominum.

ITa eſt ut eruditiſſimus Caſaubonus annotat in Baronianis. *In vocatione Petri & Andreæ duo veluti gradus poſſunt obſervari*, quorum primus eſt Vocatio ad fidem, alter Vocatio ad Apoſtolatum. Vocationem ad fidem deſcribit Johannes c. 1. *apud quem Andreas à Præcurſore Domini impulſus venit ad Chriſtum, à quo benigne acceptus mox fratrem Simonem ad illum ducit. Simonem Dominus pari benignitate accipit; & hoc amplius, novum illi nomen imponit, vel, ſicut magna pars interpretum exiſtimat, prædixit imponendum.* Vocatio ad Apoſtolatum deſcribitur Matth. 4. 18. Luc. 5. 10. Eadem enim ab utroque narratur hiſtoria. *Utrobique enim eadem loci circumſtantia, ad mare Galilææ, ſive, quod idem eſt, ad lacum Geneſareth, eadem piſcatio, eadem vocatio, eadem ſequendi juſſio; poſtremo eadem utrobique verba: ἀφέντες ἅπαντα ἠκολούθησαν αὐτῷ, ait Lucas; ἀφέντες τὰ δίκτυα ἠκολούθησαν αὐτῷ, ait Matthæus. Quibus verbis ſignificatur*, inquit Caſaubonus, *deſiiſſe illos ex eo tempore artem priorem exercere, & Domino conſtanter deinceps adhæſiſſe.* Beza etiam in Annotationibus ſcribit Apoſtolos ita *omiſiſſe* naves, quaſi *nunquam poſtea ad piſcationem redituros*; additque *Grammaticos velle hanc propriam eſſe hujus verbi notationem.* Quod haud ſcio an Grammaticus uſus vocis & hiſtoria ipſa Apoſtolorum admiſerint. Certe David cum Goliatho pugnaturus ἀφῆκε τὰ πρόβατα Φύλακι, 1 Sam. 17. 20. *reliquit pecora cuſtodi*, ad quæ tamen poſtea reverſus eſt. Apoſtoli quoque non reliquerunt totam rem familiarem; ſiquidem Servator poſtea in domo Petri hoſpes fuit, Matth. 8. 14. & à Reſurrectione Diſcipuli ad piſcatum rediere, Joh. 21. Secuti igitur ſunt Chriſtum *relictis omnibus*, ſcilicet ut ferebat vocatio miniſterii, cui primo inſervierunt, etſi laboribus miniſterii non occupati res ſuas curarent domi. Civis in militiam aliquando ire cogitur & caſtra ſequi, re familiari relicta quidem, ſed non prorſus abjecta deſertaque. Non pugnant igitur, in loco ſua relinquere, & ad eadem, ſi permittat vocatio Domini, redire. Ut redeam eo unde digreſſus ſum, ex Matthæo & Luca liquido conſtat, Petrum Chriſti jam aliquam notitiam habuiſſe. Quod igitur ait Matthæus, *Jeſum ad mare Galilææ ambulantem, vidiſſe Simonem, qui dicebatur Petrus*, ſic videtur accipiendum ut ſi diceret Evangeliſta, *cui jam ante ſibi viſo Chriſtus nomen* PETRI *impoſuerat, vel prædixerat imponendum.* Plenius autem omnia narrat Lucas quam Matthæus, ideo & *pavorem* ſcribit *occupaſſe* tum *Petrum* nominatim, tum *omnes qui cum illo*, ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων ἣν συνέλαβον· ubi Græca ſtructura à Grammaticorum canone aberrat. Sed Canon Hebraicæ Grammaticæ eſt, etiam à R. Dav. Kimchi in Grammatica Michlol non tacitus, *Cum duobus ſubſtantivis de re eadem dictis poſtponitur adjectivum, hoc poſſe promiſcue cum utrolibet, priore vel poſteriore, Grammatice congruere:* ut æque extra ſolœciſmum dicas, *ſuper captura piſcium quam ſimul ceperant*, ac, *ſuper captura piſcium quos ſimul ceperant.* Eadem Syntaxi uſus eſt Lucas 9. 53. τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς Ἱερουσαλήμ, *facies ejus erat iens Jeruſalem*, i. *euntis.* Sic Joh. 21. 12. *Nullus diſcipulorum audebat eum interrogare, Tu quis es? cum ſcirent*, εἰδότες, i. εἰδόντες. Cæterum quod Lucas ad Simonem dictum ſcribit, *Poſthac homines vivos capies*, id Matthæus omnibus dictum memorat, Καὶ λέγει αὐτοῖς, Δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων. Nominat autem Apoſtolos ſuos *Piſcatores*, velut mutuatus phraſin ex Ezechiele, ut oſtendat jam impleri illud quod in Ezechiele præfiguratum fuerat, cap. 47. 10. *Erit etiam ut apud illud (mare) ſtent Piſcatores: ab Engeddi uſque ad Eneglaim expandentur ſagena, quibus omnis generis piſces inerunt, & quidem maxima copia, ſicut piſces maris.* Quem ſpiritualem Apoſtolorum piſcatum in Idea Concionum Dominicalium excuſſimus.

CAP. VIII.

Diſcipuli & Diſcipulæ *Chriſti.* Apoſtoli *proprie dicti. Unde dicti. Nova nomina nonnullorum*; Petrus *ſive Cephas*; Boanerges; *Simon* Cananites; *Judas* Scariotes; Thaddæus, Lebbæus.

QUi Chriſtum ſequebantur in terris agentem, *μαθηταὶ diſcipuli* in Euangeliis proprie & κυρίως ſemper fere vocantur. Eamque appellationem fideles etiam poſt Chriſti aſſumptionem initio naſcentis Eccleſiæ retinuerunt, dicebanturque & viri *diſcipuli*, & feminæ *μαθήτριαι diſcipulæ*, ut Actor. 9. 36. Duodecim vero illi ad docendi munus electi & erant peculiari ratione Chriſti Diſcipuli, & ita dicuntur in Euangeliis, non quomodo cæteri, ſed ἐξόχως & ὑπερεχόντως. Eoſdem Dominus nominavit *Apoſtolos*, (ſcribit Lucas c. 6. 13.) h. e. *ſelichim* eos, loquens Syriace, appellavit; quæ vox idem ſignificat cum Græca *Apoſtoli.* Dicti autem *Apoſtoli*, non quomodo ex communi Græcorum uſu ἀπόστολοι nominabantur *certi homines qui negotii gerendi magis quam deferendi nuncii aliquo mittebantur:* quo ſenſu Epaphroditus dicitur *Apoſtolus* Phil. 2. 25. & Chriſtus ipſe Heb. 3. 1. quomodo etiam accipitur Joh. 13. 16. οὐδὲ ἀπόστολος μείζων τοῦ πέμψαντος αὐτόν, *non eſt miſſus major eo qui miſit.* Sed notione peculiari ac propria ſic appellati ſunt, quod homines eſſent immediate à Chriſto electi, Galat. 1. 1. qui emiſſi per orbem terrarum, Marc. 16. 15. teſtes eſſent reſurrectionis Jeſu, ac omnium quæ vidiſſent, Act. 1. 8. & autoritate ſua conſtituerent Eccleſias, iiſque Epiſcopos & Paſtores imponerent, qui deinceps jure ordinario eas eſſent recturi. Catalogus Apoſtolorum recitatur Matth. 10. 2, 3, 4. Marc. 3. 16. Luc. 6. 14. Fuerunt autem, *Simon*, Jonæ filius; *Andreas*; *Jacobus* & *Johannes*, fratres, filii Zebedæi; *Philippus*; *Bartholomæus*; *Matthæus*, qui & *Levi*; *Thomas*; *Jacobus* Alphæi; *Simon Cananites*, qui & *Zelotes*; *Judas*, qui *Thaddæus*, & *Lebbæus*; *Judas Iſcariotes.* In hoc Catalogo nullus Apoſtolorum à patria; ſed aut à ſanguine, aut à vocatione, aut à ſtudio nominantur. Ut autem Deus in V. Teſt. nomina quorundam mutavit, & Abram *Abraham*, Sarai *Sarah*, Jacobum *Iſraelem* vocavit; ita in N. T. Chriſtus non quidem mutavit Apoſtolorum nomina, ſed quibuſdam nova cognomina adjecit. Sic enim ille ad Simonem, Johan. 1. 42. *Tu es Simon filius Jona* (quod ſign. *Columbam*, niſi forte contractum eſt ex יונה, eliſa Heth litera clariore, ut vult alicubi Druſius, allegatis libris in quibus Ιωννοῦ aut Ιωννᾶ, & autoritatibus Hieronymi, Auguſtini, Fulgentii, qui legunt, *Tues Simon filius Johannis*) *tu vocaberis Cephas, quod declaratur Petra*, i. *Rupes* vel *Saxum*, quod πέτρος & πέτρα dicunt Græci. Cum igitur hic ſit nomen proprium, ſtare poteſt interpretatio vetus, reddens *Petrus*, niſi velimus proprium hic exponi per appellativum: & tum ſcribi debet minuſculo charactere, *petra.* Johanni & Jacobo impoſuit nomina *Boanerges*, Marc. 3. 17. *Filios tonitru:* de quo vocabulo vide Druſium Commentario priore Ad voces Hebr. N. T. itemque in Præteritis: de ſcopo autem Chriſti, Calaubonum in Baronianis. Ad

differentiam Simonis *Petri* alter Simon dicitur *Cananæus* Matt. 10. 4. unde colligunt aliqui Simonem hunc ex oppido Cana Galilææ ortum. Sed obstat interpretatio nominis quam adfert Lucas 6. 15. qui Καναναῖον interpretatur Ζηλωτὴν, ut Καναίτης vel Κανίτης non sit ἐθνικὸν à patria illius, sed professionis potius aut pietatis & zeli elogium. Adi Drusii Commentarium priorem. Rursum, quia duo Judæ Apostoli, ut discerni possit alter ab altero, vocatur proditor Ἰσκαριώτης Matth. 10. 4. q. d. *vir Kerioth*, sive *Carioth*, oppidi tribus Juda, Jos. 15. 25. quanquam in antiquis codd. non solum in hoc Euangelista sed etiam in Marco & Luca legitur Σκαριώθης, quam lectionem retinent Origenes περὶ ἀρχῶν l. 3. c. 3. Hieronymus l. 9. Comment. super Jesaiam: & Syrus *Scariota* habet, quod *quæstorem collectarum*, sive *eleemosynarum*, denotare quidam volunt. Alteri Judæ cognomentum est Θαδδαῖος & Λεββαῖος, Matth. 10. 3. *Thaddæus* dicitur q. *mammosus*, siquidem *Thad* Syris *mammam* sive *papillam* significat. *Lebbæus* est *corculum*, לב enim *cor*. Qui de his plura cupit, Caninium, Drusium, alios consulat. Nobis Apostoli nunc emittendi in Judæam ad docendum Euangelium Jesu.

Cap. IX.

Expenditur institutio Apostolorum ad prædicandum Euangelium emissorum, qua præcipitur quomodo se gerere debeant in via, & quomodo ipsis sit eundum Matth. 10. Marc. 6. Luc. 9.

Missurus Dominus Discipulos, velut operarios, in vineam Patris, primum locum laboris sancti definit: eum Judææ finibus circumscribit. Judæis enim primum Euangelium debuit annunciari. Deinde officii Apostolici munera aperit, prædicationem regni Dei, & curationem morborum: quorum utrumque gratis vult præstari. Tertio statuit quomodo se in via gerere debeant, & quomodo ipsis sit eundum. Atque hic prohibentur quinque secum sumere in via. I. *Pecuniam:* cujus tres species Matthæus ponit, *aurum*, *argentum*, *æs*, ex quibus scilicet moneta solet cudi. Lucas pro eo quod Matthæus, *Ne possideatis aurum, neque argentum, neque æs in zonis vestris*, Μὴ βαστάζετε βαλάντιον *Ne portate crumenam.* Sic Plutarchus pro *zona* vertit βαλάντιον, in Tiberio. II. *Cibos & ciborum repositorium.* Ideo Matthæus ait, *neque peram*, & addunt Marcus & Lucas *neque panem.* III. *Duas tunicas*, Marc. 6. 9. Matth. 10. 10. IV. *Calceamenta*, ὑποδήματα Matth. 10. 10. Luc. 10. 4. V. Ῥάβδον, Matth. 10. 10. Omnia personalia, & temporanea respectu earundem personarum: nam Paulus postea ære suo apud multos euangelizavit, 1 Cor. 9. Addo & hyperbolica: quod apparet inde, quod ne salutare quidem quenquam permittitur in via: id quod Elisæus Propheta ministro quoque suo olim interdixerat 2 Reg. 4. 29. Bene autem Ambrosius, *Non salutationis officium aufertur, sed obstaculum Divinæ vocationis aboletur; ut cum Divina mandantur, paulisper humana sequestrentur.* Hoc igitur voluit Servator monitos Discipulos, Sic ingrederentur iter, ne qua cura aut præparato itineris instrumento gravarentur. Verum contradicere videtur Marcus Matthæo, dum hic Virgam & Calceamenta prohibita, ille imperata scribunt. Joannes Alba Hispanus novam plane conciliationem Matthæi & Marci, Virgam quod attinet, excogitavit; quam in gratiam lectoris adscribere libet. *Omnes*, inquit, *fatentur, cum apud Marcum Christus concedit Virgam ferre, Virgam esse baculum quo pedites innixi solent. Sed difficile est judicare quid sit Virga cum eam prohibet illis ferre apud Matthæum & Lucam: qua de re meam sententiam aperiam. Primum observare oportet quod apud omnes in confesso est, scilicet scriptores sacros aliquando alludere ad consuetudinem quarundam gentium: præsertim cum eo tempore quo Christus R. N. vitam agebat mortalem in terris, populus Judæorum subjectus esset Romanis: nec dubium quin ex mutuo convictu aliquot consuetudines Romanorum ad populum Judæorum transierint. Cum ergo Christus Virgam commemorat, ac usum ejus interdicit Discipulis, Virgam, ni fallor, vocat quam gentes quædam vocabant* tesseram hospitii & amicitiæ: *sic Plautus vocat* tesseram hospitalitatis *in Pœnulo. Cum enim quidam amicitiam contrahebant, in virga, communi sensu, symbolum quoddam sculpebant: quæ quidem virga testimonium erat contractæ amicitiæ: atque uterque contrahentium amicitiæ tesseram asservabat; & ad filios transibat quasi jure quodam hereditario: ut Homerus significavit lib. 6. Iliados, loquens de Diomede & Glauco. Cumque alter eorum, si non habitarent in eadem civitate, tendebat in illam civitatem in qua morabatur qui cum eo contraxerat amicitiam, hujusmodi tesseram deferebat, qua ostensa ad hospitium introducebatur, jureque tessera illi debebatur hospitium. Hujus veteris consuetudinis meminerunt quidam autores. Plautus in Pœnulo*, Amantius ego sum, ipsius, quem tu quæris, Amantii filius. Poenul. En quid audio, confer tesseram. Amant. Eccam. *Ejusmodi ritus vel consuetudinis meminit idem Plautus in Cistellaria. Unde etiam intelliges quod, cum amicitiam contractæ pœniteret, tessera frangebatur. Sicut meminerunt Homerus & Tullius. Meminit & Budæus lib. 5. De asse. Infames vero habebantur, teste Tullio, Actione ultima in Verrem & Actione tertia, qui hujusmodi amicitiam violabant, nisi prius renunciassent. Sicut Titus Livius lib. 5. belli Punici ait, Badium civem Campani renunciasse hujusmodi amicitiæ contractæ cum Quinto Crispino Romano, priusquam pugnaret contra eum. Hæc ergo fuit consuetudo Græcorum & Romanorum, cujus autores Græci & Latini meminerunt. Ad eam Christus Jesus respexisse videtur, quæ fortasse jam transierat ad Judæos. Denique ad hujusmodi consuetudinem respiciens Christus jubet Discipulos ne in prædicatione Euangelii deferant virgam sive tesseram ejusmodi: ac si dicat, Non ob amicitiam jure humano contractam volo vos percipere victui necessaria. Nolo ut exigatis hospitium vel victum propter tesseram, cui hæc ex consuetudine & jure quodam debentur. Ne ergo feratis virgam vel tesseram in via prædicationis: sed hospitium & victus dentur vobis propter me & Euangelium, propter laborem & operam.* Sed nimis longe petita & subtilior hæc videtur conciliatio quam quæ simplicitati Apostolicæ conveniat. Sunt qui Virgam faciunt aliam Sustentationis, aliam Defensionis, & illam volunt apud Marcum à Servatore præceptam, hanc apud Matthæum ab eodem prohibitam. Verum cum Servator *binis tunicis* Discipulos nolit *indui*; cum Beza in omnibus vetustis codicibus, Camerarius etiam in suo vetere libro legisse se fateantur apud Lucam 9. 5. ῥάβδας *virgas*, non ῥάβδον *virgam*, ex quo loco Matthæus exponendus, qui non inusitata mutatione numeri ῥάβδου pro ῥάβδας dixit; cum denique apud Marcum *sandaliis* eos jubeat *calceatos esse*, & nihilominus nolit illos ὑποδήματα (intellige plura) *assumere*; apparet ex his ipsis, discrepantiam inter Euangelistas ne minimam quidem esse: siquidem Servator nec baculo, nec tunica, nec soleis, sed ῥάβδοις, h. e. bacillorum copiola, sed binis tunicis, sed calceamentis, adeoque iis reculis illis tantum interdixit quas profectionem aliquam instituentes ad iter quam commodissime conficiendum studiose sibi comparare solent. **Ihr dürfft euch nit mit viel Kleidern/ schuen/ stäben versehen/ sondern wie ihr jetzt da stehet und gehet in den Kleidern/ in den fussolen/ mit dem stab ziehet hin/ und verrichtet was euch ist anbefohlen.**

Cap. X.

Dicti Prophetici ex Isaia nono à D. Matthæo cap. 4. 15, 16. citati germanus sensus; interpretatio Græca; Paraphrasis Chaldaica; accommodatio Apostolica.

Narrat Euangelista, Dominum Jesum *relicta Nazareth venisse ac habitasse in Capernaum*, urbe *maritima in finibus Zabulon & Nephthalim: ut impleretur quod dictum est per Prophetam Isaiam dicentem, Terra Zabulon & terra Nephthalim* ad *viam maris secundum Jordanem, Galilæa Gentium: populus positus in tenebris vidit lucem magnam, & positis in regione & umbra mortis lux exorta est.* Non prompta sententia Prophetæ; nec subsidium magnum ad illam indagandam vel ab interpretatione Græca vel à Paraphrasi Chaldaica. Accommodatio vero dicti Apostolica & à sensu textus Hebraici, tum Paraphraseos Chaldaicæ, & à verbis LXX Interpretum multum videtur discrepare. Græca LXX Interpretum versio obscurat potius quam illustrat textum Hebraicum: valde enim illa ab hoc dissonat. Nam cum codex Hebræus cap. 9. 1. legat, בזרת הראשון הקל ארצות זבלון וארצות נפתלי ובאחרון הכביד דרך הים עבר הירדן גליל הגוים h. e. interprete Hieronymo, *primo tempore alleviata est terra Zabulon & terra Nephthalim, & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ Gentium:* vel interprete ad literam Aria Montano, *Secundum tempus primum alleviavit terram Zabulon & terram Nephthali, & postremum aggravari fecit viam maris trans Jarden Ghelil Gentium.* Græci plane aliud habent: legunt enim in ed. Romana, Τοῦτο πρῶτον τίε, ταχὺ ποίει, χώρα Ζαβουλὼν, ἡ γῆ Νεφθαλεὶμ, καὶ οἱ λοιποὶ οἱ τὴν παραλίαν καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, h. e. *Hoc primum bibe, velociter fac, terra Zabulon, terra Nephthalim, & reliqui qui maritimam* incolunt, *& trans Jordanem Galilæa*

lilæa Gentium. Vel, ut in Bibliis quadrilinguibus Montani ista leguntur distinguunturque, Τῦτο πρῶτον ταχὺ τίε, ταχὺ τοίει, χώρα Ζαβυλὼν, ἡ γῆ Νεφθαλείμ, &c. *Hoc primum velociter bibe, velociter fac, regio Zabulon, terra Nephthalim,* &c. Nimirum pro unico verbo Hebraicæ veritatis הקל *Hecal*, ἐκυφώθη, *sublevata est*, quatuor habentur in Græcis, ταχὺ τίε, ταχὺ τοίει. Diversitatis hujus ratio est; Pro הקל *Hecal* mutatis punctis legerunt הקל *Hacal*, κυφώθητι, h. e. *sublevare*, & verterunt ταχὺ τοίει *cito fac*, cujus loco librarius scripsit ταχὺ τίε *cito bibe.* Deinde utraque lectio in contextum, ut fit, est recepta; cum vocis τίε *bibe* nullum omnino vestigium sit in origine. Et tamen jam olim sic legit Tertullianus lib. 4 adv. Marcionem, *Hoc primum bibito, hoc primum facito.* Legit sic Cyrillus & Hieronymus, qui mirum quod hanc interpretationem, quæ nihil cum Hebraïs affine habet, non vel rejiciat vel infectetur. Ut autem interpretatio Græca in membro primo versus primi capitis noni, ita Chaldaica Paraphrasis in membro secundo ejusdem versus ab Hebræo longissime abit. Sic enim illa, *Primo tempore transmigraverunt cum terra Zabulon & cum terra Nephthali: & qui remanserint ex eis, Rex fortis eos abducit in captivitatem, eo quod non sint recordati potentiæ quæ facta est in mari* Rubro, *& miraculorum* quæ facta sunt *in Jordane, & bellis civitatum populorum.* Cum igitur ad enodandum dicti Prophetici sensum nihil adjumenti conferat Græcia, nihil Chaldæa, Prophetam ex Propheta ipso explicabimus. Sed nova difficultas occurrit. Parit illam concisus Prophetæ sermo, & varius contextus distinctio. De concisо sermone res plana est. Variat & contextus distinctio. Nam quidam interpretes versum primum faciunt appendicem comminationis quæ est capite præcedente: ut sensus sit, *Gravior futura hæc est angustia quam quæ fuit irrumpente Tiglath-Pilesere,* 2 Reg. 15. 29. *quæ & fuit abducente decem tribus Salmanassare,* 2 Reg. 17. Contra alii sentiunt vere hic esse initium capitis noni, non enim minas sed consolationes & promissiones mitigandarum poenarum proponi populo. Diversitatem interpretationis peperit vox כי, quæ & Causalis est & Adversativa. Qui causaliter exposuere per *Nam* vel *Quia*, versum hunc appendicem fecerunt minarum. Qui adversative per *Attamen*, statuunt hic initium consolationis post comminationem. Verissime. Hic enim mos Propheticus, comminationi actutum subnexere consolationem, ne electi animum despondeant. Atqui præcessere comminationes, Futurum ut tetra calamitate omnia vastentur cæcisque tenebris demergi videantur, c. 8. 22. Ergo consolatione opus erat. Summa ejus huc redit, Quanquam iratus hostili impetu vos vexaturus sum, non tanta tamen erit obscuratio terræ, h. e. non afflictio, non mœror tantus, quantus fuit superioribus annis, cum duæ tantum tribus, post vero universus Israel deportaretur. Confert ergo tria tempora. I. Primum est vastationis duarum tribuum, Zabulonis & Nephthalis, per Tiglath-Pilesерem, 2 Reg. 15. Hanc dicit factam esse *leviter* respectu posterioris. II. Secundum est deportationis factæ per Salman-aserem, qua totus Israel erat abducendus, 2 Reg. 17. Id quod Vates innuit, cum brevibus quidem sed significantibus verbis tres plagas Terræ sanctæ quibus Israeliticæ tribus confederant, Occidentalem nimirum, Orientalem & Aquilonarem, describit. Occidentalem nominat ים דרך, ὁδὸν θαλάσσης, *viam maris*; intelligit autem τοὺς παραλίαν scilicet κατοικοῦντας, ut interpretantur LXX, quos Scriptura alibi παραθαλασσίους vocat. Intelligo autem mare Magnum. Orientalem plagam describit verbis istis עבר הירדן, πέραν τῦ Ἰορδάνε, *Peræam* significans *trans Jordanem sitam*, quam tribus Gad, Ruben & dimidia Manassis occuparant. Nam ut regio trans Euphratem ita & regio trans Jordanem Περαία dicta, & homines utriusque Περαῖται. Ut apud Josephum Αλώσ. l. 2. c. 42. Τῷ δὲ ἄρχοντι τότε τῆς Ἰδουμαίας Νίγερι, γένος δὲ ἦν ἐκ τῆς περὶ Ἰορδάνην περαίας· διὸ καὶ περαίτης ἐκαλεῖτο. *Transjordanensem* intelligit. Aliter περαῖται dici possunt ἀπὸ τῦ πέρα, quod Hebræis est עבר vel עבר, à quo verbo veterum opinio fuit dictos fuisse *Hebræos*, non ab *Eber* filio Sala. Eusebius primo Chronicorum, Εβραῖοι, οἱ περαῖται ἑρμηνεύονται, διαπεράσαντος Εὐφράτην Αβραάμ, καὶ ἡμᾶς, ὡς οἴονταί τινες, ἀπὸ Εβὲρ τῦ προειρημένε. Denique Aquilonarem plagam nobis monstrant verba ista, הגליל גליל, quod verto *confinium Gentium.* גליל enim appellativum est hoc loco (ut Jos. 13. 2. כל גלילות הפלשתים *omnia confinia Philistinorum*) non proprium regionis. Nam quo tempore Isaias hæc scripsit, stabat adhuc immota Terræ sanctæ facta à Josua per tribus partitio. At à Captivitate Babylonica tribus omnes in tres regiones confusæ sunt, Judæam, Samariam, Galilæam, quæ tum nomen ab Hebræo גליל, quod *limitem, confinium* sonat, invenit. Ideo LXX Interpretes τὸ גליל apud Isaiam jure optimo potuerunt vertere Γαλιλαίαν. Trecentis enim fere annis post Babylonicam Captivitatem vixerunt, quo tempore tota regio intra Jordanem & mare Magnum concluſa, & in novem quondam tribus divisa, à scriptoribus, exteris præsertim, *Judæa*, vel *Palæstina*, vel *Syria Palæstina* dicta, diligentiori partitione in tres tantum provincias jam tum deducta fuit, *Judæam*, *Samariam*, *Galilæam*, quæ rursum in *Superiorem* & *Inferiorem* divisa. Superior in ultimos Palæstinæ fines sese porrigit: unde etiam *Galilæa Gentium* dicitur à nostro Euangelista. Complexa est tribus duas, Aser & Naphthali. Inferior autem Zabulon & ex parte Issachar. Hoc igitur vult Propheta, Calamitatem hanc ad priorem comparatam fuisse gravissimam, siquidem totus Israel, qui partim *ad mare Magnum* partim *trans Jordanem* partim *in confinio Gentium* sedes suas habuit (totam enim Australem plagam Terræ promissæ Judæa possidebat) in perpetuam inde servitutem est abducta. III. Tertium sub Hiskija fuit, cum exercitus Sancheribi obsidionem Jerosolymorum meditantis ab Angelo cæsus fuit, 2 Reg. 19. 35. Tunc igitur populus Jerosolymitanus in extremo periculo, adeoque *in ipsis tenebris & umbra mortis sedit*, vel *ambulavit.* (Nam exemplaria Græca alia legunt πορευόμενος, ut edit. Romana, alia καθήμενος, ut Complutensis) Sed *vidit lucem magnam*, admirandam videlicet sui liberationem, Assyriorum una nocte 185 millibus Dei manu cæsis. Hæc proculdubio nativa Prophetæ sententia est: ideo verba illa כי לא מוּעף לאשר מוּצק לה non sunt conjungenda cum versu 22 capitis præcedentis, quod fit in Bibliis quadrilinguibus, sed cum versu 1. capitis noni, quod facit Montanus in Bibliis interlinearibus: eritque hæc interpretatio & distinctio Latina, *Attamen non erit ei obscuratio secundum angustiam quæ fuit ei tempore primo*, ubi *levius affecit terram Zabulon & terram Naphthali*; *& ultimo*, ubi *aggravari fecit viam maris Peræam, confinia Gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam*; *habitantibus in terra umbræ mortis lux splenduit super eos.* Qui posterior versus ita legitur in ed. Rom. ὁ λαὸς ὁ πορευόμενος ἐν σκότει, ἴδετε φῶς μέγα· οἱ κατοικοῦντες ἐν χώρᾳ σκιᾶς θανάτε, φῶς λάμψει ἐφ' ὑμᾶς. Complutensis paululum aliter, ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει εἶδε φῶς μέγα· οἱ κατοικοῦντες ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, φῶς λάμψει ἐφ' ὑμᾶς. Gregorius Nazianzenus Oratione in Nativitatem Christi paraphrastice hæc enuncians ait, ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει τῆς ἀγνοίας, ἰδέτω φῶς μέγα τῆς ἐπιγνώσεως, *Populus qui sedebat in ignorantiæ tenebris, magnam cognitionis & scientiæ lucem adspiciat.* D. Matthæus pauculis mutatis verbis, ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει, εἶδε φῶς μέγα· καὶ τοῖς καθημένοις ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς. Ut vel inde pateat Euangelistam sententiam reddere voluisse potius quam annumerare verba Prophetæ. Jam quæritur qua ratione Euangelista hunc locum alleget de prædicatione Christi in Galilæa. Videntur omnia contraria. Propheta de tribuum *Zabulon & Naphthali*, itemque de *maritimorum*, *Peræorum & finitimarum gentium calamitate* loquitur; Matthæus de illarum *gaudio.* Propheta civibus Hierosolymæ promittit *lucem* Liberationis; Euangelista tribui *Zabulon & Naphthali*, *Galilææque Gentium lucem* Cognitionis Dei gratulatur. Nimirum solenne est Apostolo nostro uti formula ista, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθέν, *ut impleretur quod dictum est*, non solum cum vaticinia aut typos Prophetarum allegat, verum etiam cum ad Scripturam eleganter alludit, & hoc vel illud ad veterem historiam ita quadrare significat ut vetera Prophetarum verba ad nova Christi facta commode videantur applicari posse. Sic revocatione Christi ex Ægypto adimpletum scribit illud, *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, cum non nisi similitudo quædam Christi & populi ex Ægypto evocati in Scriptura adumbretur. Et cum matres Bethlehemiticorum puerorum in maximis essent luctibus, renovatos esse, ait, amaros illos luctus quos multis ante seculis pertulerant Benjaminitæ, adeoque impletum illud Jeremiæ, *Vox in Rhama audita est.* In hujusmodi allusionibus non ad integrum V. Test. locorum contextum, sed ad ea tantum verba respicitur quæ allusioni præsenti conveniunt. Atque hoc modo D. Matthæus hic ex Isaia decerpsit, non quæ ad antiquam historiam plene, sed quæ ad suum institutum proprie pertinebant. Omisit enim illa, *Primo tempore alleviata est, & novissimo aggravata est.* Quinimo, qui vetera cum recentibus allusione comparat, ne de eo quidem est solicitus, utrum consentanea vel dissentanea sint quæ inter se conferuntur. Satis illi est aliquam analogiam esse inter hæc & illa, & per istam analogiam nova veteribus illustrari. Evidens exemplum est dictum Hoseæ ad Christum accommodatum cap. 2. Matthæi. Cui respondet hoc ipsum quod præ manibus est Isaiæ Vatis oraculum ad prædicationem Christi tralatum, cum de ea minime omnium agat. Nec ignotæ

sunt

ſunt hujuſmodi citationes ſcriptoribus aliis. Homerus de morte uſurpavit verba iſta,

Ελλαβε πορφύρεος θάνατος,
Purpurea arripuit mors.

et Clemens Alexandrinus hæc transfert ad vitam illam quæ in purpuris verſatur, lib. Pædag. 2. c. 10. ſcribens, *Quæ autem his ſtolidis & mollibus purpuris impenſe delectantur, eas, ut ſunt verba Poetæ,*

Ελλαβε πορφύρεος θάνατος.

Sed de his ſatis. Nunc Dominum Jeſum in Judæorum Synagogas iturum comitemur.

CAP. XI.

Synagoga quid in quibus docuiſſe ſcribitur Jeſus Matth. 4. 23. Illarum origo: ubi & à quibus ædificata gubernataque: ἀποσυνάγωγοι. Obiter de Banno.

HUere qui *Synagogas* cum *Synedriis* idem eſſe voluerunt, magno errore. *Synagoga* enim ſunt conventus Eccleſiaſtici: *Synedria*, conſeſſus Judicum: quod vel ex Syro patet, qui Matth. 10. 17. illa, παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς, ità reddit, prout Latine concepta ſunt à Guidone Fabritio, *Tradent vos in domum judiciorum*, (*prætoria*,) *& in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.* Etſi autem *Synagoga* proprie locus non eſt, ſed ipſe hominum conventus, tamen loco illi in quo de ſacris rebus agi ſolet nomen communicavit ſuum; ut *Synagoga* locus ſit precibus & ſupplicationibus frequentandis, diſciplinæ item publicæ & ſacris rebus docendis commodus: unde illud Luc. 7. 5. *Synagogam ædificavit nobis.* Non ſolum autem à *Synedriis* ſed etiam à *Templo* diverſum quid fuerunt *Synagogæ.* Cujus rei argumentum eſt quod eædem everſo etiam Templo in hanc uſque diem ſervatæ ſunt. Unde *Eccleſia Chriſtianorum* oppoſita eſt *Synagogæ Judæorum.* Et Chriſtus Hieroſolymis ſe non ſolum *in Templo* ſed etiam *in Synagoga docuiſſe* affirmat Johan. 18. 20. Originem Synagogarum quidam ad exſilium Babylonicum referunt, in quo primum conſtitutas putant, ut qui Templo carerent locum aliquem ſimilem Templo haberent: atque hoc idem feciſſe reliquos diſperſionis Judæos in Aſia, Ægypto & Europa. Reſtituto Templo retentum exiſtimant uſum Synagogarum, Judæis Jeroſolymitanis Legem in Templo audientibus, Provincialibus vero, cum ad Urbem venirent, in Synagogis. Ex Ebræorum autem Commentariis narrant, ultimis temporibus in urbe Jeroſolyma quadringentas octoginta Synagogas conſtitutas fuiſſe, quod Judæi ex omnibus regionibus convenirent. Quod non mirabitur qui hodieque Theſſalonicæ ſub Turcarum Imperio Judæorum Synagogas octoginta numerari apud Geographos noſtros leget. Erant ergo Jeroſolymis Synagogæ peregrinorum, Templum civium. In reliqua vero Judæa & Galilæa, & in cæteris provinciis in quibus Judæi poſt diſperſionem verſabantur, erant ipſorum etiam incolarum, quibus Jeroſolyma adire non erat commodum. De Jeroſolymitana una Synagoga fit mentio Actor. 6. 9. *Surrexerunt quidam de Synagoga quæ appellatur Libertinorum & Cyrenæorum & Alexandrinorum, & eorum qui ſunt ex Cilicia & Aſia:* hi enim omnes erant Judæi. Verum in provinciis habitantes, qui cum Jeroſolymam negotiorum ſuorum cauſa adibant, non ad Templum, ſed ad Synagogam quam ipſi ſibi paraverant, convenire inſtituerant. Ad hanc Synagogam fortaſſe referri poteſt quod modo diximus Chriſtum affirmaſſe, *ſe in Templo & Synagoga ſemper docuiſſe:* de cæteris Act. 15. 21. *Moſes à temporibus antiquis in ſingulis civitatibus habet qui ipſum prædicent, cum in Synagogis per ſingula Sabbata legatur.* De Synagogis Galilææ Matthæus noſter teſtis. De Synag. Aſiæ, quas Paulus adivit, Acta loquuntur. Hæ Synagogæ aliquando à privatis hominibus & quidem etiam Gentilibus, pii officii cauſa conſtituebantur, ut illa Luc. 7. 5. Ut autem in Templo Sacerdotes & Pontifex primatum gerebant, ſic in Synagogis Scribæ & eorum princeps is qui *Synagogæ Princeps* ſive *Archiſynagogus* dicebatur. Ideo in Synagogis Scribæ dicuntur *affectaſſe primas cathedras*, Matth. 23. 6. φιλοῦσι τὰς πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *amant primos conſeſſus in conventibus.* Publica porro & ſolennis alicui indicta correctionis pœna in Synagoga ſubiri conſuevit: quo pertinet illud Servatoris Matth. 10. 17. *Et in Synagogis*, ſive *conventibus*, *flagellabunt vos:* & quod *Paulum per Synagogas eos cecidit qui credebant in Jeſum*, Act. 22. 19. Extrema vero apud Judæos pœna erat Ejectio è Synagoga, communicationis nimirum abnegatio & à religioſa conſuetudine abalienatio. Ideo Servator futuras perſecutiones Diſcipulis prædicens & hanc memorat, Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, *Movebunt vos Synagogis*, Joh. 16. 2. Et exſtabant jam tum hujus rei exempla: nam Joh. 9. 22. *conſtituerant Judæi ut ſi quis Jeſum confiteretur eſſe Chriſtum*, ἀποσυνάγωγος γένηται, *Synagoga moveretur.* Ideo Joh. 12. 42. *multi primores credunt in Chriſtum, ſed propter Phariſæos hoc non confitentur, ne Synagoga moveantur.* Huc pertinet hiſtoria Nehemiæ, qui Manaſſen fratrem Jaduæ Pontificis Max. eo quod Sanbelletis filiam nomine *Nicaſo* uxorem duxerat, è Repub. Hebræorum expulit, καὶ ἀποσυνάγωγον ἐποίησε, Neh. 13. 28. *Quidam*, inquit, *ex filiis Joiadæ filii Eliaſibi Pontificis Max. erat gener Sanbelletis Oronitæ quem ego à me removi.* Latinis hodie, voce in Eccleſia recepta, ἀποσυνάγωγον ποιεῖν eſt *excommunicare*, Germanis **in bann thun!** ut vertit Lutherus Joh. 16. 2. Germanicum illud **bann** non eſt à *ſemita trita*, **vom gebahnten wege!** ut aliqui putant, ſed à *Banno.* Etſi autem in noſtra & Gallica lingua vocabulum *Banni* frequens eſt, tamen quid veteribus id ſignificari pauci norunt, niſi qui ex antiquitate illud compertum habent. In legibus Longobardorum invenimus, *bannum* mulctam pecuniariam ſignificare. In Francorum quoque legibus dicuntur *banniti* ii qui à Principe ad bellum vocantur: *bannum* autem pœna eſt eorum qui Principis vocationi aut ad bellum evocationi parere contempſerint. Videtur igitur *bannum* à *bandò* dici, quod eſt ſignum Ducis aut Imperatoris; à quo *bandoforos* dictos Procopius ſcribit lib. 4. Belli Vandalici, & Paulus Monachus l. 1. Hiſtoriæ Longobardicæ, c. 13. Suidas quoque ait, Βανδὸν καλοῦσι Ῥωμαῖοι τὸ σημεῖον ἐν πολέμῳ· quæ interpretatio rectior & verior videtur illa quam Stephanus περὶ πόλεων tradit, *Romanos* ſcil. βανδὸν victoriam dicere. *Bandi* etiam verbo pro *ſigno militari* uſus eſt Juſtinianus in libro περὶ στρατιωτικῶν κατάξεων καὶ ἐπιτιμίων, & Cedrenus Conſtantinianæ donationis tabellio. Poſtea novum *banni* vocabulum uſurpari cœpit pro ſolenni illa pœna qua olim Imperatores aqua & igni interdicebant reis læſæ Majeſtatis, vel Pontifices Romani omni Eccleſiæ communione privabant eos quos cupiditatibus ſuis vel minimum adverſari reſciverant.

CAP. XII.

Quid μαλακία· qui σεληνιαζόμενοι apud Matthæum, 4. 23. 24.

MAgnum potentis Medici elogium eſt quod Servatori noſtro tribuit D. Matthæus, dicens *illum ſanaſſe πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ*, nominatim τοὺς σεληνιαζομένους. Quæſitum aliquando quid *μαλακία*, qui σεληνιαζόμενοι. Varia ſignificata vocis *μαλακία.* Apud Thucyd. lib. 2. in funebri orat. Periclis pro *quiete* accipitur. Cum mare ſtat ſine ventis, & fere motu, *malacia* dicitur. Cæſar lib. 3. De bello Gallico, *Converſis in eam partem navibus quo ventus ferebatur, tanta ſubito malacia & tranquillitas exſtitit ut ſe loco movere non poſſent.* Retinet Græcam vocem: quod Macrobius l. 6. Saturn. c. 4. priſcis Latinis frequens fuiſſe ſcribit. Alias Feſto dicitur *fluſtrum* à *fluendo.* Germani hac voce utuntur pro *lepra.* Suidæ *μαλακία* eſt ῥαθυμία, *ſegnities* ac *torpor.* Lxx hoc vocabulo quamvis *infirmitatem* ac *ægritudinem* notant. Deuter. 7. 15. περιελεῖ Κύριος ἀπό σου πᾶσαν μαλακίαν. 2 Par. 16. 12. Καὶ ἐν τῇ μαλακίᾳ οὐδ' ἐζήτησε τὸν Κύριον. Atque ut Euangeliſta πᾶσαν νόσον & πᾶσαν μαλακίαν copulat, ita apud Moſen Deuter. 28. 61. πᾶσα μαλακία & πᾶσα πληγὴ conjunguntur. Sic Geneſ. 42. 4. μήποτε συμβῇ αὐτῷ μαλακία ἐν τῇ ὁδῷ, *ne quis morbus ipſum invadat in via:* ibidem 38. Καὶ συμβήσεται αὐτὸν μαλακισθῆναι ἐν ὁδῷ. Et ſic Euangeliſta νόσον & μαλακίαν fere pro eodem poſuit; rectèque Lutherus vertit, **ſeuche und kranckheiten.** Latine *omnis generis morbi & infirmitates.* Sic enim vox πᾶσα hic accipienda, quemadmodum Actor. 10. 12. ἐν ᾧ ὑπῆρχε πάντα τὰ τετράποδα τῆς γῆς, *in quo erant omnis generis quadrupedia.* Ut ad *μαλακίαν* redeam, ſcio eſſe qui νόσον *diuturnam perverſionem habitudinis corporis*, μαλακίαν *principium luxationis corporis* definiant, & idcirco νόσον *morbum*, μαλακίαν *languorem* vertant. Sed quid illi dicent ubi apud LXX legerint μαλακίαν πονηρὰν 2 Paral. 21. 15. item, Καὶ ἀπέθανεν ἐν μαλακίᾳ πονηρᾷ, ibid. 19. Difficilior quæſtio eſt περὶ τῶν σεληνιαζομένων. Vertunt vulgo *Lunaticos*, Lutherus **Monſüchtige**: per quos intelligit populus *noctambulones.* Sed aliam morbi ſpeciem deſignari, *Epilepſiam* videlicet ſive *morbum Comitialem*, cauſæ ſunt quæ videntur perſuadere. *Lunatici* enim vulgo ſic dicti non habent ſymptomata illa quæ τοῖς σεληνιαζομένοις Matthæus 17. 15. tribuit; Epileptici autem habent. Hi enim *ſæpius in ignem cadunt, ſæpius in aquam, lacerant ſe, ſpumant, ſtridem dentibus*, ut eſt

apud Lucam 9. 39. & Marcum 9. 18. Epileptici autem dicuntur Euangeliſtis *Lunatici*, vel quod interlunio nati comitiali morbo laborare ſoleant, vel quod Epileptici ad converſiones Lunares acrioribus paroxyſmis corripiantur. Ideo Arabs τοὺς σεληνιαζομένους reddit *confractos* (ſcilicet *doloribus*) *in principiis lunationum*. Qua de cauſa Alexandro Tralliano l. 1. c. 15. in Experimento ruſtici, σεληνιασὸς, *qui Epilepſia*, ſeu *morbo comitiali*, *laborat*. Σεληνιαζόμενοι igitur hic erunt *Epileptici*: quod pluribus aſtruit Kirſtenius noſter Notis in Matthæum. Syriaca verſio obſcurior eſt, quæ pro *lunatico* legit *filium agrorum*: id quod erudite examinatur à Fullero lib. 2. Miſcell. c. 17. quem adi & audi.

CAP. XIII.

Πτωχοὶ τῷ πνεύματι. Satis juſtitiæ: διψῶν. Μακαριότης celebrata Matth. 5.

BEatitates Chriſtianas Matthæus cap. 5. 1, & ſeq. Lucas cap. 6. 20, & ſeq. deſcripſerunt. Quærebat non nemo, cum quædam diſcrepantia duorum Euangeliſtarum appareat, utrum Lucas ex Matthæo, an Matthæus ex Luca ſit explicandus. Reſpondi, Matthæo lucem dari à Luca, quippe qui rem per contraria declaret, quæ omnium expoſitionum habetur maxime perſpicua. Opponit enim *Pauperes Divitibus*; *Eſurientes*, *Saturis*; *Flentes*, *Ridentibus*; *Male audientes*, *Bene audientibus*. Unde colligimus πτωχοὺς τῷ πνεύματι *pauperes ſpiritu* apud Matthæum non eſſe vel Humiles, (multi enim mendici ſunt ſuperbi) vel Voluntarios in Monaſteriis & Cœnobiis pauperes, (hujuſmodi enim mendicos Scriptura prorſus ignorat) vel Afflictos; ſed vocem πτωχὸς in proprio ſignificatu accipi, *divitibus* videlicet oppoſitam: ut notet *extreme pauperes rebuſque ad victum & ſuſtentationem ſui ac ſuorum neceſſariis deſtitutos*: adeoque vocabulum πνεῦμα, *ſpiritus*, recte explicandum, additum ideo quia paupertas eſt τῶν μέσων, quæ per ſe neque laudatur neque vituperatur. Significat autem *ſpiritus* ſpiritualem tolerantiam, h. e. obedientiam accenſam à Spiritu S. quæ præſtatur Deo in toleranda egeſtate. Irus & Dionyſius in Corintho erant *pauperes*, ſed non *ſpiritu*, quippe qui impatienter paupertatem ferebant. Optime igitur Melanchthon alicubi has voces vertit, *pauperes ſpiritu*, **die in armuth geduldig ſein.** Alterum par contrariorum ex collatione utriuſque Euangeliſtæ eſt illuſtrandum. Ait Matthæus, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*, &c. Lucas ſimpliciter, *Beati qui eſuritis nunc; quia ſaturabimini*. Unde non male quis ratiocinetur *eſurienti ſitimque juſtitiæ* apud Matthæum eſſe Inopiam juris & æqui, quam & Rerum inopia ſequi ſolet: ſicut dicitur, *Qui facit juſtitiam calumniam ſuſtinentibus, dat panem eſurientibus*, Pſalm. 146. 7. Colligi hoc poſſe videtur ex particula νῦν *nunc*, quam habet Lucas, & verbo διψῶντες, quod addit Matthæus. Διψᾶν enim eſt *ſumme cupere*. Artemidorus, Τὸ μὲν γὰρ διψᾶν οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ἐπιθυμεῖν. Qua eadem ſignificatione Latini uſurpant *ſitire*. Cicero pro Plancio, *Deinde ſitientem me virtutis tuæ deſerueriſti*. Sic oppreſſi calumniis nihil æque ſitiunt & deſiderant quam ut quod juſtum & æquum eſt obtineant. Duo reliqua ſententiarum contrariarum juga apud Lucam nihil habent difficultatis. Nec quem moveat quod Lucas in quatuor iſtis jugis conſtitit, Matthæus ſuſius paulo iſta proſecutus eſt. Nihil enim neceſſarium prætermiſit Lucas, nihil non vehementer utile poſuit Matthæus. Illud non negligendum, quam beatitatem Servator intelligat quando *pauperes*, *eſurientes*, *flentes*, *odio gravatos* pronunciat *beatos*. Sunt qui *beatitudinem* pro *vita æterna*, & *beatos* pro *mortuis vitam æternam habentibus* accipiunt. Quo ſenſu Synecdochice hæc, ut ſimilia dicta multa erunt intelligenda: ut includatur Fides *pauperibus*, *mitibus*, *miſericordibus* prælucens, *ſine qua fide impoſſibile eſt Deo placere*. Per Fidem enim Lex ſtabilitur: nec poteſt illa miſera, imbecillis & languida obedientia quam renati præſtant, Deo placere, niſi recepti ſint in gratiam fide propter Chriſtum. Verum aſſentior iis qui per *beatitudinem* hoc loco non *vitam æternam*, ſed *rem bonam & Deo placentem* innui credunt: ſicut Germani dicunt, **wohl dem!** & Latini, Horatius Epod. 2.

Beatus ille qui procul negotiis.

Virgilius Æn. 1.

O terque quaterque beatos
Queis ante ora patrum, &c.

Bene igitur & *pauperibus ſpiritu*, *bene* & *mitibus* & *miſericordibus*, *perſecutione* item *preſſis*, quia utcunque foris afflicti ſint, intus tamen tranquilla conſcientia & ſpe futuræ gloriæ fruuntur, ideoque in Mediis miſeriis (quod jubet hoc loco Chriſtus) *gaudere* poſſunt & *exſultare*: quæ ipſiſſima eſt veræ Beatitudinis natura in hac vita. Græci enim à vehementi gaudio & ubertate quadam lætitiæ μακαρίους appellarunt quos Latini *beatos*. Ariſtoteles Nicom. l. 7. τὴν εὐδαιμονίαν οἱ πλεῖστοι μεθ' ἡδονῆς εἶναί φασι· καὶ τὸν μακάριον ὀνομάζουσιν ἐκ τοῦ μάλιστα χαίρειν, *Beatitudinem plurimi cum voluptate volunt eſſe: quare etiam beatum μακάριον dixerunt ἐκ τοῦ μάλιστα χαίρειν à vehementiore gaudio.*

CAP. XIV.

Servator in concione montana ad futuras Chriſtianorum accuſationes & criminationes utroque oculo reſpexiſſe videtur.

BEati, inquit Servator, *eritis cum vos convitiis affecerint & perſecuti fuerint, & mentientes dixerint quodvis malum* (vel *quodvis maledictum*) *adverſus vos propter me*. Reſpexiſſe Dominum utroque oculo ad tempora quæ inſecuta ſunt, vel ex Tertulliano patet in Apologetico narrante, Gentiles Chriſtianis nihil non impegiſſe, ſed falſo: dixiſſe Homicidas, Sacrilegos, Inceſtos, Hoſtes publicos, Adoratores aſini. *Homicidæ* dicebantur propter infanticidia quorum arguebantur. Hoc crimen illis fuiſſe objectum, præter Tertullianum, Juſtinus Martyr Apologia 2. Athenagoras Apologia, Origenes 6. adv. Celſum, Euſebius Hiſt. l. 1. & 4. Theophilus item lib. 2. ad Autolycum, tradunt. Ac diluit hoc crimen Tatianus, quando ſcribit, apud Chriſtianos non inveniri ἀνθρωποφάγους, nec propterea tanquam ſceleratos odiſſe oportere. Salvianus De providentia lib. 4. *Inſita noſtræ religioni à duobus maximis facinoribus oriri arbitrabantur, Homicidio, & Inceſtu, inceſtu matrum ſacroſanctarum, homicidio innocentium parvulorum, quos non occidi tantum ſed etiam vorari arbitrabantur.* Suſpicio oborta non tam ex communione S. Euchariſtiæ, *ex qua* vult Auguſtinus, De civit. Dei, *natum quod Chriſtianis objicerent Cereris & Bacchi cultum, quia pane & vino in ſacris uterentur*, quam ex nefariis Hæreticorum ritibus qui veris Chriſtianis poſtea ſunt imputati. Narrat enim Epiphanius *Gnoſticos vaga libidine miſceri, & humana carne veſci ſolitos.* Pſellus ſcribit, *Hæreticos convenire ſolitos X Kal. April. & peractis ſacris, exſtinctis luminibus, coire nulla habita ſanguinis ratione: deinde nono menſe rurſus convenire, & natos liberos circumcidere, cruorem phialis excipere, corpora vero puerorum cremare, mox cinerem ſanguini miſcere, & eo epularum condimento uti.* Clemens Alexandrinus 3. Strom. Carpocratianorum inceſta convivia, & exſtincto lumine illicitos coitus, quales Cecilius Chriſtianis objicit, narrat. *Quintillianos impubis pueri corpus iteratis ictibus compungere, & excepto ſanguine imbuere ſolitos* tradit Epiphanius, hæreſi 48. Idem & Cataphrygas & Pepuzianos feciſſe prodit Auguſtinus Catalogo hæreſ. Cœpit autem immanitas iſta à Simone Mago, ſi fides habenda Clementi De rebus geſtis Petri, qui Simonem ait perperam intellexiſſe illud Joh. 6. 53. *Niſi comederitis carnem Filii hominis & biberitis ipſius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Dicebantur porro Chriſtiani etiam *ſacrilegi*, quia honores Diis atque Imperatoribus debitos negare atque ſuffurari exiſtimabantur. Minutius, *Deos, inquitis, non colitis, & pro Imperatoribus ſacrificia non impenditis. Itaque ſacrilegii & majeſtatis rei convenimur.* In Martyrio Cypriani, *Tues Thaſcium Cyprianus, qui te Papam ſacrilega mentis hominibus præbuiſti.* Dicebantur *inceſti* διὰ Οἰδιποδείους μίξεις quarum impudentiſſime inſimulabantur. Denique *publici hoſtes*, quod à Gentilium legibus & ritibus diſceſſiſſent: imo *everſores Reipubl.* Hanc enim inſcriptionem habent nummi quidam Diocletiani, NOMINE CHRISTIANORUM DELETO, QUI REMPUBLICAM EVERTERUNT. Poſtremo *caput aſini adorare* dicebantur. Unde hoc? Judæis hoc olim tributum. Rei originem fabulis involutam narrat Tacitus lib. 4. Plutarchus ridicule ejus rationem quærit Sympoſ. lib. 4. At longe graviora quæ Suidas ex Democrito Hiſtorico refert, *non tantum Judæos caput aſininum coluiſſe, ſed hoſtias quoque humanas ei immolaſſe.* Sed mendacium diluit Joſephus l. 2. adv. Apionem. Ab iis ergo derivatum in Chriſtianos tanquam Judæorum traduces. Huc pertinet, quod is qui relinquere vellet Judæorum religionem aſino albo vehebatur per eorum Synagogam ſolenni Sabbathi die.

CAP.

CAP. XV.

Sal omnibus ſacrificiis olim adhibitum. Scaligeriana loci Marci emendatio. Ethnicis unde Sal ſacer. Rabbinorum Commentaria fabuloſa. Sal infatuatus *Matth.* 5. *Marc.* 9. *Luc.* 14. *Cauſa myſtica adhibiti Salis in ſacrificiis.* Sermo ſale conditus, *Col.* 4. 6.

MAndato Dei omnia ſacrificia olim fuerunt condienda ſale: Levit. 2. 13. *Καὶ πᾶν δῶρον θυσίας ὑμῶν ἁλὶ ἁλισθήσεται· οὐ διακαύσεται ἅλας διαθήκης Κυρίου ἀπὸ θυσιασμάτων ὑμῶν· ἐπὶ πάντας δώρῳ ὑμῶν προσοίσετε τῷ Κυρίῳ ἅλας*, *Et omnis oblatio ſacrificii veſtri ſale ſalietur: non ceſſabit ſal fœderis Domini à ſacrificiis veſtris: in omni dono veſtro offeretis Domino ſal.* Quæ paucis his expreſſit Marcus 9. 49. *Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται.* Quàm lectionem Joſephus Scaliger emendat, legitque, *Πᾶσα πυρὶα ἁλισθήσεται*, *omne ſacrificium ſalietur.* Non dubito autem quod Ethnicis Sal ſacer fuit habitus, qui *ſalem & menſam non præterundam* monuerunt, ex hac Judæorum conſuetudine ortum: quemadmodum in pluribus aliis Moſaica inſtituta ſunt æmulati. Cauſas mandati Divini Judæi pariter & Chriſtiani ſcrutantur. Verum de Judæis hic quoque locum habet illud quod magnus Scaliger in Euſebianis de Rabbinis annotavit: *Nunquam veteres Græci*, inquit, *morbo mythologiarum ita inſanierunt ac Judæi. Ubi Rabbinica κεφαργία defunctum ſe putat Lector, præter exſpectationem in ipſo articulo opprimunt eum. Si quando enim dignum vindice nodum incidit, præſto eſt θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, ſcilicet fabula πατροπαράδοτος, aut ſcitum aliquod veteris Rabbini, quo negotium ac dubium omne tranſigitur.* Chriſtiani audiendi, & inter hos Bucholcerus meus in Chronologia magna: *Sublime*, ſcribit, *fuit Dei conſilium cum hoſtias Moſaicas ſale aſpergi & condiri mandavit. Sal mordax eſt, arcet putredinem, prohibet corruptionem, & perpetuitatis aut conſtantiæ vel etiam immortalitatis eſt nota: ut cum dicitur* FŒDUS SALIS, *i. pactum perpetuum*, *Num.* 18. 19. & mox, *Illud certum eſt, Sine Chriſto omnia noſtra coram Deo eſſe inſipida, inſulſa & ingrata. Hujus ſolius agnitio tum corpora tum animas noſtras à putrefactione & corruptione æterna præſervat, iiſdem beatam immortalitatem reſtituit.* Prolixe quoque de his diſſerit P. Fagius Notis in Chaldaicam Paraphraſin cap. 2. Levitici. Non eſt autem cur ſcrupuloſe rimemur cauſas præcepti Salis in ſacrificiis. Servator ipſe, Paulus Apoſtolus ipſe in N. T. dilucide eas explanant. Sic enim Chriſtus Matth. 5. 13. *Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal infatuatum fuerit, quo ſalietur? ad nihil valet amplius, niſi ut abjiciatur foras, & conculcetur à quibuſvis.* Et apud Marcum 9. 50. *Bonum eſt ſal: ſi vero ſal inſulſum fuerit, quonam ipſum condietis? Habete in vobis ipſis ſalem, & pacem habete alii cum aliis.* Rurſum apud Lucam 14. 34. *Bonus eſt ſal: ſi vero ſal infatuatus fuerit, quo condietur? Neque ad terram neque ad ſterquilinium appoſitus eſt: foras eum abjiciunt.* Ubi obſerva ſalem reddi inſipidum, quando collectus magno acervo quaſi putreſcit & acrimoniam illam deperdit qua res cæteras ſolet adverſus putredinem condire: ac tum Græcis dicitur *μωραίνεσθαι*, Latinis *infatuari*. Unde homines ſtulti Latinis dicuntur *inſulſi*, Germanis **thumb torecht**. Arabs dilucide expreſſit hunc verſum, *Et cum corrumpitur ſal, in quonam ſalietur? Non aptum eſt ad aliquid, niſi ut projiciatur foras, & conculcent illud homines.* Conferendi autem Euangeliſtæ: Matthæus, *ἐν τίνι ἁλισθήσεται*; *in quo*, vel *per quod*, *ſalietur?* Lucas, *ἐν τίνι ἀρτυθήσεται*; *quo condietur?* Marcus, *ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε*; *quonam ipſum condietis?* In quibus omnibus exprimendum videtur ipſum ſubſtantivum, *quo condimento ſalietur?* Deinde ex Marco clarum eſt, cum Dominus apud Matthæum & Lucam ait, *ſi ſal infatuatus fuerit, in quo ſalietur?* ſubintelligendum eſſe Pronomen *αὐτὸ ipſum*, hoc ſenſu, *Si ipſum ſal fuerit inſulſum, quanto magis res cætera naturæ ſalis expertes? quo fit ut nihil caterarum rerum ſit quo ipſum ſal poſſit condiri.* Jam Paulus ad Coloſſenſes ſcribens præcipit ut *ſermo illorum ſemper in gratia ſit ἅλατι ἠρτυσμένος*, *ſale conditus.* Non igitur præter cauſas myſticas Sal omnibus ſacrificiis fuit adhibitus. Primum enim adumbravit, Apoſtolos eo fine à Domino electos ut vice Salis eſſent orbi terrarum, h. e. univerſis hominibus, quos per præconium Euangelii redderent rite ſapidos, i. fide ſolida imbutos, qua per dilectionem efficaci ſeſeque probe exferente guſtui Dei & bonorum omnium approbentur. Unde colligit Dominus, Par eſſe ut Apoſtoli cum primis illa fide valeant, odoreque illius ſalvifico quibuſlibet adblandiantur: alioqui eos non dico ad Apoſtolatum ſed ne ad abjectiſſimam quidem in Chriſtianiſmo functionem idoneos fore; perinde ut ſalis infatuati nullus ne in ſterquilinio quidem uſus eſt. Ut autem elogium Apoſtolorum quo à Chriſto inſigniuntur, *lux mundi* appellati, D. Paulus ad omnes veræ Eccleſiæ cives transfert nominans eos *luminaria mundi*, Phil. 2. 15. ita Dominus ipſe quemadmodum apud Matthæum Apoſtolos ita apud Lucam omnes fideles Sali comparat, docetque hos quoque *pretioſum & utilem Salem* eſſe cum ſectantur Chriſtum & perſeverant in vocatione ejus; contra eoſdem *inſatuatum ſalem* eſſe cum à Chriſto deficiunt & Euangelium abnegant. Apud Marcum autem monet auditores ut *habeant ſalem in ſeipſis, & pacifice vivant inter ſe*, h. e. fidem firmam habeant cum dilectione proximi conjunctam, hunc Salem diligenter cuſtodiant, pacifice cum ſingulis vivendo, nemini ſe præferendo, neminem contemnendo, omneque adeo offendiculum cavendo. Quin ad ipſum Chriſtianorum ſermonem Apoſtolus ſacrificiorum Salem accommodat, quando vult *ſermones noſtros ſale ut condiamus*, h. e. interprete Apoſtolo ipſo Eph. 4. 29. *ut nullus ſermo putris ex ore noſtro egrediatur, ſed ſi quis eſt commodus ad ædificationis uſum, ut gratiam auditoribus adferat.*

CAP. XVI.

Permutatio nominum linguæ Græcæ & Latinæ Euangeliſtis frequentata non minuit illorum autoritatem.

ET nimirum delicatulos nonnullos offendit quod in ſcriptoribus N. Teſt. Græcis Latina quædam vocabula inveniant; qualia ſunt *ἀσσάριον*, *δηνάριον*, *ἶσος*, *κεντυρίων*, *κῆνσος*, *κολωνία*, *κραβάττος*, *λεγεών*, *λέντιον*, *λιβερτῖνος*, *λίτρα*, *μάκελλον*, *μεμβράνα*, *μίλιον*, *μόδιος*, *μαργαρίτης*, *μάρμαρον*, *ξέστης*, *πραιτώριον*, *ῥέδα*, *σανδάλιον*, *σημεῖον*, *σιναπεῖος*, *σιμικίνθιον*, *σουδάριον*, *στεκουλάτωρ*, *ταβέρνη*, *τίτλος*, *φόρον*, *φραγέλλιον*, *φραγελλοῦν*, i. *aſſarius*, *denarius*, *Juſtus*, *Centurio*, *cenſus*, *colonia*, *legio*, *linteum*, *Libertinus*, *libra*, *macellum*, *membrana*, *milliare*, *modius*, *margarita*, *marmor*, *ſextarius*, *prætorium*, *rheda*, *ſandalium*, *ſericum*, *ſicarius*, *ſemicinctium*, *ſudarium*, *ſpeculator*, *taberna*, *titulus*, *forum*, *flagellum*, *flagellare*. Atqui ut Romani cum Græcis nummos ita & vocabula permutant, & hi cum illis. Teſtes ſcriptores claſſicos, teſtes JCtos, teſtes Theologos advoco. Lamprid. in Heliogab. *Ægyptios*, inquit, *draculunculos Romæ habuit, quos illi Agathodæmonas vocant.* At vox *Agathodæmonas* Græca eſt non Ægyptia vel Phœnicia. Plinius ipſe quoties dicit *probata proboves?* Et ut Latini Conſulti *hypotheca, chirographo, emphyteuſi, fitonia, eremodicio* atque aliis Græcis nominibus utuntur, ſic Græci *ἐξκουσατεύονται*, *κυράτορα*, *πάτρονα*, *λήγατον* & ſexcenta ſimilia nomina Latina in Rep. ſua uſurpant. Nec Conſulti tantum ſed Theologi etiam Græci & Latini vocabula utriuſque linguæ permutant. Apud Ignatium certe leges *ἐξεμπλάριον*, *δεσέρτωρ*, *δεκάσιτον* & *ἄμκεττον*, Epiſt. ad Trallianos & ad Polycarpum. Habeo hoc ex Illuſtri & Generoſiſſimo Viro, D. Fabiano Seniore Burggravio & Barone à Dhona, qui anno M II CXXI ſeptuagenario major beate in Boruſſia obiit, Viennæ anno M II LXXVI à Joanne Sambuco monſtratum ſibi veruſtiſſimum codicem Actorum Synodi Nicenæ in quo Patres ordine numerati eſſent, & qui viceſimum primum occupaſſet locum hoc modo ſubſcripſiſſet,

Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ἀθηνῶν, λήγατος τῆ Ἀποστολικῆ θρόνω τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης.

Latinum nomen eſt *legatus*, tamen in Græcum idioma tranſivit. Ego vero hujus ſubſcriptionis etiam ideo hic memini ut vel inde pateat Papam Romanum nihil tum juris in Eccleſiam præter cæteros habuiſſe, cujus Legatus viceſimo primo loco conſediſſet. Jam *μηλωτὴ* quis neſcit nomen eſſe Græcum? tamen Patres Latini hanc vocem in Latium traduxerunt. Ideo retinet illam vocem Latinus interpres Heb. 11. 37. *Circumierunt in melotis*: & Hieronymus epiſt. 28. *Helias igneo curru raptus in cœlum meloten reliquit in terris.* Non quod ignorarent quid ſibi vellet vox *μηλωτὴ*: nam idem Hieronymus epiſt. 22. oſtendit ſe id probe ſcire quando ſcribit, *Tunicam pelliceam Helias ad paradiſum rediens projecit in terram*: ſed quod, ut dixi, Græcam vocem uſu ſuam feciſſent Latini. Ne illud quidem tacendum hoc loco quod vir eruditiſſ. Nic. Fullerus, Miſcell. Sacr. l. 6. c. 4 annotat, *complures voces Latinas à Syris civitate donatas.* Nec tacendum quod Antonius Auguſtinus JC. in libris Emendationum Lutetiæ Anno M. D. LIX. editis obſervat, Verba quædam à Juriſconſultis uſurpari quæ ne Latini quidem homines ſatis noverint, ut *dominium*, *legatarius*, *mandatarius*, *donatarius*, aliaque ejuſmodi artis vocabula,

quibus Græci nonnunquam utantur pro ſuis. Non poterunt ergo in jus vocari Euangeliſtæ, qui quod ſcriptoribus claſſicis, quod Juriſconſultis, quod Patribus Eccleſiaſticis licet, idem ſibi, & quidem multo magis, licere ſunt arbitrati.

CAP. XVII.

Deus per bona fidelium opera glorificatur: δοξάζειν Matth. 5. 16. *ἡμέρα ἐπισκοπῆς* 1 Pet. 2. 12. *Deus an φιλότιμος.*

HOneſtam in mundo converſationem Chriſtianis non una ratione commendat Scriptura. Vult enim per eam *os obſtrui inſipientium hominum ignorantiæ*, 1 Pet. 2. 15. vult per eam *pudefieri obtrectatores* 1 Pet. 3. 16. *lucrifieri infideles* 1 Pet. 3. 1. denique vult per eam *Patrem cæleſtem glorificari.* Ideo *lucidam vitam* à ſuis requirit Servator: *ut videant*, inquit, *homines bona veſtra opera, glorificentque Patrem veſtrum in cœlis. Δοξάζειν* hic quid ſit non una omnium mens eſt. Ego ſic exiſtimo, *δοξάζειν glorificare* hic idem eſſe ac *reipſa convictos agnoſcere & probaturi vos eſſe Dei filios, & doctrinam quam prædicatis eſſe à Deo, qui vos ſingulari favore & gratia præ cæteris mortalibus dignatus ſit.* Sic ſpectatores benefactorum & miraculorum Chriſti *glorificabant Deum* Matth. 9. 8. & alibi. Sic *Centurio, cum vidiſſet quod factum fuerat, ἐδόξασε τὸν Θεὸν, glorificavit Deum, dicens, Vere hic homo juſtus erat*, Luc. 23. 47. Sic Apoſtolus *Deo gratias agit pro charitate & patientia Theſſalonicenſium*, 1 Theſſ. 1. 2, 3. Et hæc quidem de bonis liquida ſunt & plana. Sed quod Chriſtus generatim loquitur, Apoſtolus etiam Petrus ſententiam Servatoris repetens nominatim *obtrectatorum* mentionem facit, 1 Pet. 2. 12. *ἵνα ἐν ᾧ καταλαλοῦσιν ὑμῶν ὡς κακοποιῶν, ἐκ τῶν καλῶν ἔργων ἐποπτεύοντες δοξάσωσι τὸν Θεὸν* quæritur quando & quomodo improbi Deum glorificent ex operibus fidelium. Apoſtolus deſignat tempus, dicens, *ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς, die viſitationis.* At duplex *ἐπισκοπὴ*, alia Gratiæ, alia Iræ: utram D. Petrus deſignat? Communiter exponunt hoc de viſitatione gratioſa, cujus mentio Luc. 1. 68. & 19. 44. Senſus erit, Cum & illorum Deus miſerebitur, ut per honeſtam converſationem veſtram convertantur, tum celebrabunt cœleſtem Patrem, qui vos ſanctimonia iſta vitæ ornavit, per quam illi quoque ad fidem inducerentur. Et hæc ſententia rejicienda non eſt, qua *ἐπισκοπὴ* capitur pro *converſione ex ſingulari gratia Dei.* Eſt enim omnino fidelium honeſta converſatio externum quoddam medium quo Deus ſæpe utitur ad efficaciter vocandum illius ſpectatores. Certe Juſtinus Martyr de ſe fatetur *ſe conſpectu Chriſtianorum pietate in vita, conſtantia autem in morte, collegiſſe, veram eſſe quam profiterentur doctrinam*, Apolog. 2. ad Antoninum. Sed quia hoc rarum eſt, & multi intuitu & contemplatione converſationis piorum honeſtæ non convertuntur ſed perverſuntur & in rabiem aguntur, ordinarium autem & perpetuum medium converſionis eſt Prædicatio Euangelii, 1 Corint. 14. 23, 24, 25. conſiderandum piis & eruditis viris propono an non *ἡ ἡμέρα ἐπισκοπῆς* de noviſſimo die & extremo judicio accipi poſſit, quando *Rex ingreſſurus* eſt *θεάσασθαι τοὺς ἀνακειμένους* Matth. 22. 11. Etſi enim hujus *θεάσεως καὶ ἀφορισμοῦ* objectum proprium ſunt ſoli *ἀνακείμενοι*, h. e. ii qui ſunt in Eccleſia & religionem Chriſtianam profitentur, tamen *οἱ ἔξω* & qui ſeſe nunquam ad Eccleſiam aggregarunt ab hac *ἐπισκοπῇ* non erunt excepti, cum & ipſis oblatum fuerit Euangelium, ſaltem in honeſta fidelium converſatione. Illi ergo *die viſitationis*, quam D. Paulus Rom. 2. 5. vocat *ἡμέραν ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ, glorificabunt Deum*, h. e. laudem juſtitiæ Deo tribuent, qui ipſos condemnet propter contemptum Euangelii, cum vel ex ipſa fidelium converſatione agnoſcere potuiſſent & debuiſſent hanc eſſe veram religionem & æternam illam veritatem quæ hominibus veram ſalutis viam commonſtret. Certe vox *ἐπισκοπὴ viſitatio* in Scriptura non minus de juſtitia punitionis quam de gratioſa converſionis actione uſurpatur. Iſai. 10. 3. *τί ποιήσετε ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἐπισκοπῆς*; Jerem. 6. 15. *Καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀπολοῦνται.* Et cap. 8. 12. *Ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν πεσοῦνται.* Confer Exod. 20. 5. Deut. 5. 9. Hoſ. 2. 13. & 4. 9. Iſa. 27. 1. Matth. 12. 41. Cum autem tantopere urgeantur opera fidelium bona propter glorificationem Patris cœleſtis, quæri & hoc poteſt, An Deus noſter ſit *φιλότιμος* & *χαῦνος*. Minime vero. Gentiles in Tragœdia de ſuis Diis cecinere.

Ἐνεσι γὰρ δὴ καὶ θεῶν γένει τόδε,
Τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.

Noſter Deus talis non eſt. Laudari quidem & celebrari ſe poſtulat, ſed *οὐ δόξης ἐνδεὴς, ἀλλ' οὐ βούλεται ἄξιον εἶναι τῆ δοξα-*

σθῆναι, non indiget celebratione noſtra, ſed te glorificando ipſum vult glorioſum fieri, inquit Baſilius. Nimirum in eorum qui colunt ipſum gloriam convertit cultum & gloriam qua ipſi Deum in hac vita affecerunt. Hoc vero honore non promiſcue omnes ſed electos tantum filios ſuos dignatur: cæterorum omnium populorum, quicunque ſint & quotcunque, cultum, ſacrificia, preces, gratias, laudes, celebrationem non accipit neque placere ſibi patitur. Itaque non accipit Deus à nobis beneficium, ſed dat nobis beneficium, quando nos eos facit à quibus ille pro beneficiis à ſe in nos collatis celebrari recte poteſt, quando item tenuia laudum noſtrarum officiola æternis præmiis ſe condecoraturum promittit. Utinam igitur omnium fidelium auribus inſonent Baſilii iſta verba, *Ὁ σπείρει ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει· σπεῖρον δοξολογίαν, ἵνα θερίσῃς στεφάνους καὶ τιμὰς καὶ ἐπαίνους ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, Quod ſerit homo, id meteſ. Sere Dei glorificationem, metes coronas, honores; laudes in regno cœlorum.*

CAP. XVIII.

Elucidatio verſuum 17, 18, 19. *cap.* 5. *Matthæi. Καταλῦσαι νόμον. Πληρῶσαι νόμον. Ἀμὴν. Ἰωτα, κεραία. Εως. Καλεῖσθαι. Βασιλεία τῶν οὐρανῶν.*

Μὴ νομίσητε ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας· οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι, inquit Servator. Τὸ *καταλῦσαι* doctiſſ. interpres vertit *diſſolvere:* ipſum autem *diſſolvere* exponit in Annotationibus *violare*; atque ita Violationi Legis opponit ejuſdem Impletionem. Fateor autem *λῦσαι νόμον* interdum idem eſſe ac *violare legem*, ut hic, v. 19. & Johan. 7. 23. Sed hoc loco *καταλῦσαι* plus eſt quam *violare. Diſſolvere* enim *Legem* eſt Legem abolere; ſicut noſtræ Eccleſiæ *diſſolvendum legem* Pontificiam de Cœlibatu, ne Sacerdotes haberent conjuges. Ita Græci loquuntur, *λύειν νόμους, tollere legem & panam.* Sic igitur omnem ambiguitatem effugiturus verterim, *Ne exiſtimate me veniſſe ut deſtruam Legem aut Prophetas. Non veni ut deſtruam, ſed ut impleam.* Et ſic paſſim in N. Teſt. verbum *καταλύω* & paſſivum *καταλύομαι* pro *deſtruere* & *deſtrui* uſurpantur, ut Marc. 14. 58. Act. 6. 14. Rom. 14. 20. Galat. 2. 18. 2 Cor. 5. 1. Neque vero alia ſuſpicione quam hac ipſa gravabatur Chriſtus, Quod Legem antiquare & novum doctrinæ genus invehere vellet in Eccleſiam: quam ſuſpicionem à ſe removet dum docet, *Tantum abeſſe ut Legem ſit aboliturus, ut eam etiam impleturus ſit*, puta ſancte vivendo, patiendo, Legem in nobis reſtituendo, hic inchoative, poſt conſummative, denique confirmando doctrinam Legis, quando nulla alia quam quæ in Lege præſcripta ſunt opera Deo placere pronunciat. Agere autem hic Chriſtum non de Ritibus pontificum, ſed de Lege Morali, multa ſunt quæ evincant. Ceremonialem enim legem & impletam & deſtructam per Chriſtum finem Legis oportuit; at Moralem impletam, non deſtructam. Nec de Ceremoniali ſed Morali intelligenda quæ ſequuntur, Atteſtatio de perpetua Legis duratione, Promiſſio facta obedientibus Legi, Expoſitio Legis ipſa. Atteſtatio hæc eſt, *Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, Ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται.* Non quidem jusjurandum, ſancta tamen aſſeveratio verbo *ἀμὴν* ineſt. Ideo Arabs recte eam interpretatur, *veritas*, ſcilicet *eſt*; & hunc ſecutus Lutherus **warlich**. LXX interpretibus Optationem denotat, ideoque τὸ *Amen* ſæpius transferunt *γένοιτο*. Sed hoc minus eſt. Melius Hieronymus, qui *Amen* exponit *Vere*. Sic enim Aquila illud Pſal. 72. 19. *Amen, Amen*, exponit *πεπιστευμένως, πεπιστευμένως, fideliter, fideliter:* alibi *πεπιστωμένως, fideliter, vere.* Sic Lexicon Suidæ, *Ἀμὴν, πεπιστωμένως, ἀληθῶς.* Sic & Luc. 9. 27. quod Matth. 16. 28. eſt *Amen*, reddit *ἀληθῶς.* Et tanquam *ἰσοδύναμα* reperies *ἀμὴν* & *καὶ certe*, Matth. 23. 36. Luc. 11. 51. Imo conjunguntur Apoc. 22. 20. Sed quid Chriſtus tam ſancte affirmat? *Nec jota nec apicem periturum de Lege uſque dum præteant cœlum & terra: ἰῶτα ἓν* bene expreſſit Lutherus **nicht der geringſte buchſtabe**/ *ne minima quidem litera.* Cum enim dubium non ſit quin Dominus Hebraice locutus ſit, dubium etiam non eſt quin quod hic *Jota* vocatur ea ſit litera quam Hebræi *Jod* appellant, inter omnes literas minimam, à cujus nomine Græci etiam ſuum *Jota* correſpondens Hebraicæ literæ *Jod* vocaverunt. Unde proverbium, *Ne jota quidem.* Vocabulum *κεραία*, à Latinis *apex*, à Lutheto **titul** exponitur. Et putant nonnulli Euangeliſtam *apices* vocare puncta hodierna quæ in ſcriptura Hebraica literis variæ adſcribuntur ad ſignificandum tum juſtum quarundam ſonum, tum ſonos vocales, tum vero etiam accentus & orationis membra: unde concludunt S. Bi-

Biblia tempore Christi notata fuisse punctis, & punctationem illam à Christo fuisse approbatam. Vertunt igitur Germanice **auch nicht ein einig buchſtäblein / oder pünctlein wird vergehen.** Verum accentuum & vocalium notas agente in terris Servatore noſtro fuiſſe adſcriptas J. Druſius & cum illo magni viri magnis argumentis negant, atque iidem Dominum de apicibus literarum locutum fuiſſe non dubitant. Erant illi eminentiæ & ſumma faſtigia quibus literæ inſigniebantur & diſtinguebantur: quod de Res & Daleth ſcribit Hieronymus, Jer. 7. 10. Zach. 12. Idem Præfatione in libros Regum, *Samaritani*, inquit, *Pentateuchum Moſis totidem literis ſcripitant, figura tantum & apicibus diſcrepantes.* Oppiano etiam l. 3. De venat. κεραΐαι dicuntur *apices eminentes in aliqua re*, ut cornua è cornigerorum capitibus. *Κεραία* igitur erit ſummum elementi faſtigium. Sed *nec hoc nec jota unum præteribit ex Lege*, ἕως, *uſque dum præterierit cælum & terra*: h. e. In ſempiternum conſtituta eſt Legis doctrina. Proverbialis enim loquendi forma eſt, in qua ἕως non Temporis ſed Conceſſionis eſt: cujus ſimiles leguntur Gen. 49. 26. Pſalm. 72. 5, 7, 17. & 89. 36, 37. Senſus Domini eſt, Tanta ſeveritate requirit Deus obſervationem Legis ſuæ ut citius pateretur interitum cœli & terræ quam ut vel minimum apicem aut jota Legis ſuæ non graviſſime exigeret. Chriſtus igitur non abrogator ſed Doctor legis Moralis ſincerus: quod & ſequens verſiculus innuit, quo obedientibus Legi præmia in cœlis, inobedientibus pœnas æternas denunciat, dicens, *Quiſquis igitur ſolverit unum ex mandatis hiſce minimis & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Quiſquis autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum:* ubi τὸ πληθυντικὸν *vocabitur* idem eſt ac *publice Dei ac Eccleſiæ conſenſu habebitur.* Non enim ſpectat hic Chriſtus qui in Eccleſia ſint, ſed quid Eccleſia judicet. Et illud *in regno* conjungendum eſt verbo, ut alterum periodi membrum oſtendit. Βασιλεία autem τῶν οὐρανῶν pro membris illius Regni accipitur. Jam ipſa expoſitio Legis, quæ reliquo capitis contextu continetur, non Ceremonialem ſed Moralem legem explanat. Clarum eſt igitur Chriſtum his verſibus de lege Morali agere: id quod erat demonſtrandum.

CAP. XIX.

Detegitur error vulgi Homiliaſtarum Euangelicorum juſtitiam ſuperabundantem *de juſtitia Fidei interpretantis. Vita Apoſtolica ex Apoſtolo.*

NON ſine ſtomacho ſæpe audivi Homiliaſtas noſtros in explicatione verſus 20. capitis 5. Matthæi excurrere in declamationem de Juſtitia Fidei, quaſi Servator noſter juſtitiam Legalem hic rejiciat, Fidei dilaudet. Atqui huic gloſſæ refragatur quicquid toto hoc capite de Juſtitia differitur. Ipſo ſermonis principio Chriſtus diſcipulos ſuos ad *lucidam* vitam exhortatur: ipſo ſermonis medio non Euangelium ſed Decalogum explicat: ipſo ſermonis fine non ad fidem ſed ad fidei genuina opera nos invitat, eaque in Lege præcepta. Ergo *juſtitia ſuperabundans* non eſt juſtitia Fidei oppoſita juſtitiæ Legis, ſed juſtitia Legis oppoſita juſtitiæ hypocriticæ Phariſæorum, qui olim ſatagebant circa minima, negligebant maxima, Matth. 23. quærebant ſuam gloriam, Matth. 6. Externum cultum aſtruebant, internum omittebant, hic. Ab hac hypocriſi fidei ſalvificæ alumnos revocat Chriſtus, & illis ſtudium ſanctitatis ſinceræ & charitatis minime fucatæ commendat: quæ ipſiſſima illa juſtitia eſt, Phariſaica abundans, & vita Apoſtolica: quæ qualis fuerit fuſe oſtendit Apoſtolus per hæc verba: ἔστι δὲ αὕτη. Ὀφθαλμῶν ἀνοίξεις, γλώσσης ἐμφράξεις, σώματος δουλαγωγία, Φρόνημα ταπεινὸν, ἐννοίας καθαρότης, ὀργῆς ἀθυμία. Ἀγγαρευόμενος προσθεῖ. Ἀποξεροῦμενος μὴ δανείζου· Μισούμενος ἀγάπα· Βαλλόμενος ἀνέχε· Βλασφημούμενος παρακάλει· Νεκρώθητι τῇ ἁμαρτίᾳ. Συσταυρώθητι τῷ Χριστῷ. Ὅλην τὴν ἀγάπην μετάθες ἐπὶ τὸν Κύριον.

CAP. XX.

Confutantur Pontificii, qui Chriſtum non Præcepta ſed Conſilia Diſcipulis ſuis dictaſſe ſcribunt Matth. 5. 21, & ſqq.

EUangeliconum nonnullorum errorem deteximus. Pontificii nunc coarguendi, qui à Servatore noſtro nova nobis Conſilia in prolixa hac concione dari affirmant, quæ conſilia ſuſcipere ſanctum quidem, ſed tamen ad ſalutem non neceſſarium ſit. Quod totum erroneum eſt. Etenim in hac concione Chriſtus omnes leges complexus eſt dicto ibo, *Omnia quæ volueritis ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis.* At hæc Legis epitome non eſt conſilium arbitrarium, ſed eſt lex naturæ obſervatu neceſſaria. Deinde Dominus prævaricatoribus minatur perpetuam gehennæ pœnam, minime id facturus ſi conſilia arbitraria non neceſſaria præcepta præſcriberet. Idem ſub concionis finem docet, eum qui hanc à ſe prolatam Legis interpretationem non obſervet *ſuper arenam ædificare* & primæ cujuſque tentationis incurſu labefactatum corruiturum. Præcepta Dei igitur ſeveriſſima, non arbitraria conſilia, hac concione traduntur: ut taceam hoc, *Omnia Dei conſilia hominibus data eſſe præcepta.*

CAP. XXI.

Nova præcepta Legi non additur à Chriſto, ut volunt Anabaptiſtæ, Photinians, & Patrum non pauci. Πλήρωσις non *defectum ſed perfectionem notat.* ὁ πλησίον, *proximus quis dicatur. Alia.*

QUI non nova Conſilia ſed nova Præcepta Euangelica Legi in concione montana volunt affuta, eorum in numero familiam ducit F. Socinus: Cujus rationes in 5, & 6. cap. Matthæi, in Thematibus item De officio Chriſti propoſitas ſi examinavero, aliorum omnium in hoc genere rationes examinatæ judicabuntur. Neque enim quiſquam alius vel Pontificiorum vel Anabaptiſtarum vel Photinianorum tanta ſolicitudine & cura hanc cauſam egit ac Fauſtus. Ergo primum argumentum ab exordio concionis Chriſti petit, *Ne putetis quod venerim ſolvere Legem & Prophetas, ſed implere.* Ad hæc Socinus, *Senſus eſt*, inquit, *Non abrogabo, ſed implebo: h. e. Tantum aliquid amplius dicam, quod ad perfectionem Legis pertineat. Cur enim aliquo diceret, Ne putent ſe venisſe, niſi in animo haberet legem aliquam & doctrinam populo proponere? Metaphora ducta eſt à vaſe ſeu modio, aut ſimili aliqua menſura, quæ continet quidem multum ejus quod in illam injici ſolet, ſed tamen nondum ſit plena nec ſuum complementum habeat.* Hæc ille, ſed nullo colore. Ideo enim Servator ait, *Ne exiſtimate me veniſſe ut deſtruam Legem*; quia pauperibus euangelizando & Seniorum traditiones rejiciendo videbatur velut novus Doctor Legem abrogare velle. Neque vero in verbo πληρῶσαι *implere* eſt metaphora à Vaſe: diciſſet enim, *Non veni evacuare, ſed implere.* Eſt autem πληρῶσαι *implere* hoc loco *perficere*; perinde ut Rom. 8. 4. ut *jus legis in nobis compleatur*: & 13. 8. itemque Gal. 5. 14. *Implevit* igitur *Legem Chriſtus*, οὐχ ὡς ἐνδεὴς, ἀλλὰ τῷ τὰς κατὰ νόμον προφητείας ἐντελεῖς γενέσθαι, *non quod aliquid Legi deſit, ſed ut Prophetiæ in Lege perficiantur*, inquit Clemens Alex. Strom. 3. Pergit Socinus, & inde etiam ſententiam ſuam roborat, quod *CHRISTUS ab initio ſua dicta ipſiſmet partis ac patris Moſaica Legis verbis ſæpe opponat, eaque ſua dictis complectatur quæ in ipſa Moſaica Lege non continentur.* Quod ſi verum eſſet, proculdubio cautam obtineret Socinus. Sed falli hominem, ipſum verborum Chriſti examen demonſtrabit. Sic igitur Dominus, *Audiſtis dictum fuiſſe antiquis, Non occides. Quiſquis autem occiderit, tenebitur judicio. Ego vero dico, vobis*, &c. Ad quæ verba Socinus in Thematibus De officio Chriſti, *Reformat Chriſtus ipſam Homicidii legem latam, ſcilicet addendo, Ne iraſcendum quidem fratri immerito: pœnam enim eum qui ſecus fecerit homicidii incurrere: talia vero à Moſe tradita non eſſe.* Atqui non ſunt iſta legis Moſaicæ verba, *Qui occiderit, reus erit judicio.* Ergo Scribarum & Phariſæorum, de quibus dixerat, *Niſi abundaverit veſtra juſtitia plus quam Scribarum & Phariſæorum*, &c. Deinde etiam lex Moſaica non vult *iraſcendum fratri*, Lev. 19. 17, 18. Ac licet ira, quæ eſt ulciſcendi & malum inferendi libido, non facit reum judicii terreni, reum tamen hominem facit judicii cœleſtis, ſi rigide agendum. Excipit Socinus, *Si voluiſſet corrigere interpretationes Phariſaicas Legis, diciſſet, Audiſtis quid dicant Magiſtri, vel ſimile quid.* Non erat vero neceſſium. Quoniam enim interpretationes illæ fluebant à veterum traditionibus, ideo *antiquorum* facit mentionem: quemadmodum Matth. 15. 2. non dicitur, *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones Phariſæorum & Scribarum?* ſed, *Quare tranſgrediuntur traditiones Seniorum?* Lex Moſis altera quam Dominus explicat, ſpectat Adulterium, *Audiſtis dictum fuiſſe antiquis, Non mœchaberis. Ego vero dico vobis, Quicunque aſpicit mulierem ut eam concupiſcat, jam adulteravit eam in corde ſuo.* Socinus Thematibus De officio Chriſti, *Illuſtrat*, inquit, &

legem de Divortio à Christo [illegible] *includi, quandoquidem is unicam tantum marito repudiandæ uxoris causam facrat reliquam nempe Adulterium; & alibi addat, Enim qui uxorem dimittit extra fornicationis causam, & aliam ducit, omnino mœchari.* Sed nec hæc Socinum juvant. Nam permissio divortii extra casum adulterii non est lex Mosis in Decalogo præscripta, sed propter duritiem populi ad tempus concessa, & ab eodem pervicaci populo longius quam decuit tracta. Præterea illi ipsi permissionis legi (si legem vocare libet) nihil additur, sed potius multum subtrahitur à Christo. Imo abusus Divortii ad verum usum revocatur, dum germana Legis sententia de Divortio stabilitur, quæ hæc est, *Tantum propter adulterium esse dimittendam uxorem.* Denique Deut. 24. 4. habetur illa impura quæ repudiata alteri nupsit, nec permittitur iterum nubere priori marito. Unde clarum est, etsi Deus permisit Divortium ob qualemcunque turpitudinem (quæ tamen non est adulterium) tamen eam non probasse, ut quæ primæ conjugii institutioni contraria esset. A Divortio transit Socinus ad Juramentum, audetque dicere, *legi de Jurejurando Christum perfectiorem multo attribuisse naturam, tollendo non tantum perjuria, quæ sola à Mose prohibita fuerint, sed etiam quævis juramenta voluntaria, licet aliequin utilissima, resecando.* Verum quantum in Divortio, tantum etiam in Juramento invenio præsidii. Nihil enim additum Legi; in qua ipsa omne temerarium juramentum prohibitum intelligitur, quando sancitur, *Non esse assumendum nomen Dei in vanum.* Ideo nullius sancti exemplum invenies qui vel temere vel per creaturas juravit, Josephi superstitione excepta. Et quæ causæ à Christo adducuntur cur non sit jurandum *per Cœlum, Terram, Caput*, ea non tantum in Novo Test. sed etiam in Veteri habuerunt locum: imo rationes illæ primariæ ex V. T. sunt desumptæ. *Non per cœlum; quia est thronus Dei*, Isai. ult. *Non per terram; quia est scabellum Dei*, ibidem. *Non per Hierosolymam; quia est civitas magni Regis*, Psalm. 48. Corrigit igitur Christus Pharisaicas glossas, qui permittebant temeraria juramenta, itemque per creaturas jurare. Illis opponit Dominus hoc, *Sermo vester sit, Est, est, Non, non*, h. e. simplex affirmatio aut negatio. (Neque enim idem sensus est qui verborum Jacobi, *Sit vestrum Etiam, etiam, & Non, non*, h. e. quod affirmatis sit verum, quod negatis sit falsum) Juramentis per creaturas opponit prohibitionem modorum jurandi per creaturas. Sed quid dicemus de Vindicta? *annon Christus legem de Vindicta plane abrogat, ita ut ne Magistratus quidem ope injurias nobis illatas nobis vindicare permittat?* ita sentit Socinus magno errore. Nam Moses loquitur de vindicta per Magistratum, quod patet ex Deut. 19. 18. Christus loquitur hic cum privatis, igitur de vindicta privata. Non igitur opponit sua Mosi sed Pharisæis, adeoque nihil addit Mosi. Ut taceam verba illa, *Dentem pro dente, oculum pro oculo*, proverbialem locutionem esse, nec apud ipsum Mosen etiam literaliter urgeri posse: quod vel ipsi Thalmudistæ adhuc agnoscunt, dum in Perek Chobel hoc de pretio satisfactionis sive restitutione damni secundum Magistratus æstimationem interpretantur. Superest lex Charitatis, quam ita à Servatore extendi scribit Socinus, *ut etiam inimicum, quem Lex odisse concesserit, amari à nobis velit & omni beneficiorum genere affici.* Ubi Socinus sumit quod à nemine conceditur, videlicet Legem tantum eos amare jubere qui ex eodem populo sunt, reliquos permittere odisse. Annititur quidem hoc demonstrare ex voce רע *Reah*, cui respondet Græca vox πλησίον, Latina *proximus*, quam vocem in Lege eum tantum significare censet qui sit ex populo Israelitico, nulla ratione alium alius populi. *Significat* tamquam illi dederim. Vox enim רע Hebræis non tantum *amicum* & *socium*, sed *quemvis* etiam *alium hominem* denotat *qui tibi qualibet ratione conjunctus fuerit, sive cognationis, sive arctioris amicitiæ, sive sodalitatis, sive vicinitatis, sive tibi homo ille amicus sive inimicus.* Verbum enim רעע, unde nomen רע deductum, sig. *jungere & consociare.* Ideo LXX τὸ πλησίον verterunt ἕτερον *alium* Gen. 31. 49. Isa. 13. 8. & alibi. Quin Ethnici ipsi luce instinctuque naturæ dixerunt quædam officia deberi ab omnibus sibi invicem propter hanc humani generis conjunctionem; Cicero De offic. l. 1. atque ita nomen etiam *proximorum* usurparunt quo universim omnes homines denotarent, (Æschines in Orat. contra Ctesiph. Aristoteles Rhetor. ad Theod. lib. 2.) quemadmodum in hoc mandato usurpatur, *Diliges proximum tuum.* Certe vox ista Exod. 11. 2. Ægyptiis accommodatur, quos nec *socios* nec *amicos* Israelitarum dixeris. Et cum Lex veret *concupiscentiam uxoris proximi*, ne Socinus quidem dixerit Israelitis permissum uxores alienigenarum concupiscere. Falsum igitur & alterum quod supponit Socinus, Vocem רע *proximus* ad distinctionem aliquam in Lege fuisse usurpatam. Moses advenam & indigenam eodem habet censu, jubetque *advenam æque ac indigenam diligere sicut seipsum*, Lev. 19. 34. Nec juvat Socinum particula conjunctiva Lev. 19. 18. adversative à doctissimis interpretibus reddita. Nemo enim negat voce *Proximi* sæpe *amicum*, *fratrem*, *civem populi Dei* intelligi. Sed dilectio indigenæ non tollit dilectionem advenæ, siquidem utraque ibidem distincte præcepta. Cum igitur vox *proximus* quemvis hominem significet, sive is Israelita, sive Gentilis, sive Judæus, sive Samaritanus fuerit, consequens est, *inimicum* hoc loco non posse accipi pro *homine à Rep. Israelitica alieno*, sed pro *quovis inimico*, patetque evidenter legem Mosaicam non perfectiorem redditam sed à corruptelis Seniorum fuisse à Christo vindicatam. Sed enim celeberrimi veteris Ecclesiæ Antistites, Eusebius, Chrysostomus, Augustinus, alii, ipsius legis Mosis esse judicarunt quæ Christus correxerit & suppleverit locupletius absolverit. Equidem fateor magnos viros ita sentisse, sed Scribarum & Pharisæorum fraude seductos, qui ut facilius voluntatem populi opinionibus suis conciliarent, eas Mosis verbis eloquebantur, etsi sensu multum diverso. Quemadmodum quod Moses de æquis Juramentis Votisque dixerat Lev. 19. 12. id illi ad illicita detorserunt Matth. 5. 33. quod ille de Pœna publicis judiciis imposita Exod. 21. 24. illi ad privatam Vindictam converterunt. Quam fraudem cum non animadvertisset Augustinus, hoc etiam in Lege scriptum esse credidit, quod cum cæteris in textu Evangelistæ legatur, *Odio habebis inimicum*, De serm. Dom. in monte. Quin sagacissimus Josephus Scaliger eodem Pharisæorum artificio delusus in Seratianis suis non dubitavit scribere, *Christum hic citare pura verba Mosis, qua ne quis interpretaretur ad literam, Dominum nostrum interpretatione sua illustrare.*

CAP. XXII.

Demonstratur, Servatorem Matth. 5. legem Moralem à falsis Phariseorum & Scribarum interpretationibus & glossis vindicasse.

COnfutata sententia eorum qui Dominum nostrum Evangelicas glossas Legi affinxisse docent, reliquum est ut demonstremus Christum falsas interpretationes Legis rejecisse, & verum Legis sensum aperuisse. Id vero vel ex eo manifestum est quod Lex in V. T. Psalmis præsertim 19. & 119. celebratur ut

ut *perfecta*, cui nihil addi, nihil detrahi vel poſſit vel debeat; & quod in N. quoque Fœdere nec ab Apoſtolis nec à Domino ipſo ullius imperfectionis arguitur: quod utique à Chriſto fuiſſet factum, ſi veniſſet *Legem* ſenſu Sociniano *implere*, h. e. quod deerat doctrina ſua addere. Neque vero à diſcipulis ſuis Magiſter noſter majorem requirit ſanctitatem quam quæ in Lege præcepta eſt, ſed majorem quam Phariſæorum & Scribarum: quod infallibile eſt veritatis ſententiæ noſtræ argumentum. Addo quod non dicit, *Legiſtis antiquis dictum eſſe* (quæ tamen loquendi formula haud dubie uſus fuiſſet ſi de Lege Moſis ſcripta cogitaſſet) ſed *Audiviſtis*, ſcilicet, in Synagogis veſtris ita edocti eſtis, Lege Homicidii manum tantum, non cor cohiberi; mandato, *Non machaberis*, caſtitatem carni tantum non animæ imperatam: *Ego vero vobis longe aliud dico*, &c. Nec vel ſemel in tam prolixa concione nominat *Moſen*, ſemper *ἀρχαίους*, quos *πρεσβυτέρους Seniores* alibi Euangeliſta vocat; minime id facturus ſi ipſi cum Moſe & non cum traditionibus Seniorum res eſſet. Juvat & hoc quam tutor cauſam, quod (ut erudite obſervat alicubi Conradus Graſerus ὁ *μακαρίτης*) in pœnarum aſſignatione iis terminis utitur qui non ex Moſis ſtylo ſed ex recentibus Judaicarum Traditionum legibus, ut illæ adhuc in Thalmudo exſtant, periti ſunt. Quales ſunt, *Judicium*, quod eſt Thalmudiſtarum דין *beth-din*, cujus uſus haud dubie poſt captivitatem Babylonicam ſub Ariſtocratica Judæorum policia cœpit; *Sanhedrin*, quod eſt Græcorum *συνέδριον*, quod ſub Macedonibus demum inolevit; *ignis gehennæ*, cujus uſurpatio ex Jeremiæ Prophetia originem duxit. Vide cap. 7. 31, 32. & 19. 2, 6. & 32. 35. Hæc, inquam, Scribarum poſt Antiochi tempora, cum jam Sol cæcutientis Synagogæ in occaſum vergeret, curioſa aſſumenta fuerunt: Quibus accenſeri debet adjectivum *ἔνοχος*, per quod Thalmudicum חב *chajabh* eleganter exprimitur, quod ſimiliter ſub captivitate Babylonica in Canonem irrepſit. Uſurpatur enim tantum ab Ezechiele 18. 7. & Daniele 1. 10. Per horum itaque Rabbinicorum terminorum minicam uſurpationem Chriſtus non Moſis Legem corrigit, ſed Phariſæorum potius hypocriſin perſtringit, Legiſque perfectionem contra eundem aſſerit. Illud vero quam validum ſententiæ noſtræ firmamentum eſt, quod Judæi *à Phariſæis audiviſſe* dicuntur quæ in ſcripta Moſis Lege nuſquam exſtant: Moſes certe ignorat illa, *Qui occiderit, reus erit judicii.* Ira, Odium, impunita erunt ſcilicet. Item illa, *Inimicum odio habebis*, Salomon ignorat, Proverb. 25. 21. Quin contra Moſes ſancit hoc, Exod. 23. 4, 5. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino ejus erranti, mox reduces eum illi. Si videris aſinum ejus qui te odit ſuccumbentem ſub onere ſuo, num ceſſabis & derelinques eum? utrum deſertum deſeres?* Sic Vatablus vertit, ſenſumque ait eſſe, *detrahes aſino onus cum inimico tuo.* Chaldæus Paraphraſtes, *Quando videris aſinum odientis te jacentem ſub onere ſuo, & deſieris adjuvare eum, dimittens dimittes odium quod erat in corde tuo adverſus eum, & ſublevabis ipſum cum eo.* Excipit Socinus, *Iis officiis etiam erga inimicum juſſis non propterea juberi ſimpliciter iis benefacere: quandoquidem beneficia illa ab iis tantum negligi ſolent qui vindictæ cupiditatem aut ſaltem odium adverſus inimicum ſuum ponunt: quod utrumque ab ipſo Moſe vetitum ſit Levit. 19. ut ſcilicet appareat ex utroque iſto præcepto fluere iſta quæ à Moſe erga inimicum faciendo jubentur, non autem ex eo quod alioqui ex mente ipſius Moſis teneamur quis inimico ſuo benefacere.* Verum ludit & fallit Socinus. Diſtincta ſunt præcepta, diſtinctis etiam locis tradita, alterum De vindicta, alterum De reducendo aſino inimici. Et quid ſi conjuncta ſint, & alterum ex altero fluat, quid aliud ſequetur quam quod volumus, nempe, Non ſolum non exercendam vindictam, ſed etiam benefaciendum inimico? Quin officium illud Socinus ipſe nominat *beneficium*. Præterea Lex non loquitur de odio noſtro quod retinemus ſed de inimico qui nos oderit. Denique Salomon ipſe Legem ſic interpretatur Prov. 25. 21. *Si eſurierit oſor tuus, ciba eum pane*, &c. quod non *monitum* tantum eſt, ut vult Socinus, ſed præceptum ex legis illius, *Diliges proximum tuum*, natura deductum. Concludimus igitur, Chriſtum non Legem Dei ſed hominum gloſſas in eam excogitatas culpaviſſe; id quod etiam Pontificiorum primi Joan. Ferus, & Arias Montanus in Matth. 5. & ipſe Tridentinus Catechiſmus in expoſitione Præcepti, *Non occides*, agnoſcunt. Quin ipſi Ethnici agnoverunt, quæ Salvator hoc loco præcipit, legi naturæ eſſe conſentanea. Baſilius hoc obſervavit, de legendis libris Gentilium, ubi ita continentiam Ethnicam celebrat: *Pericles*, inquit, *hominem, à quo per totum diem curarum aerumnis fuerat, veſperi diſcedentem cum lumine comitatus eſt, ne quid in Philoſophiæ ſtudio omitteret. Endidi Megarenſi quidam animo concitatus mortem ſe juravit illaturum; ille vero contra patienter ſe juravit laturum placaturumque & ei quamvis infeſto conciliatum iri. Hæc ſimilia illis, quod Perſequentes etiam ſuſtinere, Manſuete iras illorum tolerare, & Inimicis bene precari debeamus. Socrates faciem quidam vehementi impetu cecidit; hic autem minime commotus furentem debacchari & iram ſatiare permiſit, ex quo cum totum ex plagis tumidum ac contuſum reddidit. Ubi vero ille cadendo deſtitit, nihil aliud Socrates feciſſe dicitur quam fronti propriæ inſcripſiſſe TALIS FECIT, veluti ſtatuæ cuidam autoris nomen, & hoc modo vindicaſſe. Hoc germanum eſt illi præcepto quod Maxillam verberanti & alteram præbere jubet. Alexander Magnus Darii filias captivas admirabili forma & decore conſpicuo, ut fama eſt, ne videre quidem dignatus eſt, turpe eſſe exiſtimans vinci ab his quæ ipſi ſuperaſſent genibus ſuccumbere. Hoc illud referre videtur, Quod ad concupiſcentiam mulierem adſpiciens, etſi adulterium opere non compleverit, ob id tamen quod concupiſcentiæ conſenſit à culpa vacuus non erit. Clinias Pythagoræus dum per juramentum multam trium talentorum vitare liceret, injuriam pati maluit quam jurare, idque cum non eſſet falſo juraturus, atque ita jam tum quaſi illud de Juramento nobis interdicto præceptum audiviſſe videtur.* Quod ſi animus eſſet abſurda quæ adverſam ſententiam comitantur colligere, occurrerent infinita. Si enim Lex Chriſti ejuſque perfecta juſtitia Veteri Eccleſiæ fuit ignota, ſequetur, vel ſub Moſis Lege neminem juſtificatum, neminem ſalvatum fuiſſe, vel Chriſtum Veteri Eccleſiæ prorſus inutilem fuiſſe, Eccleſiæ autem N. T. non multo plus profuiſſe quam Moſen Veteri. Nam ſi Vetus Synagoga per obſervationem Legis Moſaicæ coram Deo juſtificata & ſalvata eſt, ecquid Eccleſia N. T. habebit quod ſibi per Chriſtum ejuſque perfectiorem Legem amplius polliceatur? Rurſum, ſi Chriſtus perfectioris Legis lator fuit quam Moſaica fuit, quæri poterit utram ex his Joannes Baptiſta fuerit profeſſus, qui teſte Zacharia parente ſuo, *cognitionem ſalutis impertivit ſuo populo*, nec tamen auditores à Lege Moſis tanquam imperfecta revocavit, aut ullius perfectioris Legis perfectioriſve juſtitiæ meminit, ſed *remiſſionem peccatorum*, in qua pater Zacharias *ſalutis cognitionem* fundarat, per *Agnum Dei, qui tollit peccata mundi*, exſpectandam docuit; nova autem *Chriſti præcepta & conſilia*, quæ Photiniani & Pontificii ſic vocant, & in quibus Legis Chriſtianæ perfectionem ſitam volunt, plane ignoravit, quippe quæ tum nuſquam gentium exſtabant. Sed enim operam perdo & oleum, qui tamdiu cum novæ legiſlationis patronis luctor: quos in defendenda ſententia ſua eo tandem impietatis prolabi video ut, quod Socinus in caput 6. Matthæi facit, Ebrietatem per ſe in V. T. non prohibitam eſſe affirment, idque contra clariſſima Scripturæ teſtimonia, quibus crapulæ & ebrietatis ſervis VÆ illud denunciatur quo uno omnis præſentis & futuræ vitæ maledictio continetur.

CAP. XXIII.

Tres peccantium circa Homicidium gradus quomodo tribus judiciorum & pœnarum gradibus reſpondeant: ubi & quid ῥακά, μωρέ, γέεννα τοῦ πυρός· & an ειπῇ Matth. 5. 22. Interpres ſit retinendum.

RE in omnem partem diligenter excuſſa, aſſentior iis qui *Raca*, vel *Reca*, ſive *Recа*, nomen eſſe putant *vacuum* denotans: ut ſit quaſi vox convicii levioris. Theophylacto enim *κατάπτυστον*, *futile*. Baſilius in Aſceticis, Ῥακά, *ἐπιχώριον ῥῆμα ἠκιστέρας ὕβρεως πρὸς τὰς οἰκειοτέρας λαμβανόμενον*; h. e. RACA *uſitatum in illis locis vocabulum de molliori probro erga familiares.* At *μωρέ*, convitii gravioris eſt. Docet autem, licet inæqualiter gravitlime tamen à Deo puniri non ſolum homicidas, ſed & nocendi affectum habentes, aut convitiis ſive levibus ſive gravioribus proximum afficientes. Atque alludit quidem Chriſtus ad civilia Judæorum judicia, quæ tria erant: Minimum, in quo tres Judices ſedebant, & de pecuniariis minimiſque cauſis cognoſcebant, *Trium virale* dictum. Parvum *συνέδριον* erat, in quo XXIII Judices cauſas capitales tractabant, gravioreſque pœnas ſanciebant. Magnum *συνέδριον* conſtabat ex LXX Senioribus, præter Hannaſi, qui iis præerat. In hoc de ſumma Reip. de Tribu aliqua, de Summo Sacerdote, de Pſeudopropheta, de Bello & Pace agebatur. Pœnarum genere quadruplici utebatur, Laqueo, Gladio, Lapide, Igne. Ad hæc, inquam, civilia Judæorum judicia alludit quidem Dominus: non tamen, ut multi putant, tria peccatorum genera tribus diſtinctis judiciorum & pœnarum Judaicarum

carum ſpeciebus accommodat; affectum nocendi pœnæ judicii Minimi; leve convitium pœnæ Parvi; atrocius convitium pœnæ judicii Magni; ſed peccatum primum judicio ſecundo, peccatum ſecundum judicio tertio applicat, tertium peccatum æternæ damnationi. Rationibus dicta firmo. Nam vox *judicii* v. 21. non ſumitur pro *judicio triumvirali*, ſed pro *ſynedrio minori* ſive *judicio parvo*. Homicidium enim omnino delictum erat capitale; de capitalibus vero in triumvirali judicio non cognoſcebatur. Deinde ſcopus Chriſti eſt exaggerare ſeveritatem judicii Divini adverſus cupiditatem nocendi & convitiatores, & ſic verum præcepti hujus ſenſum aperire. Quia igitur Phariſæi dicebant, *Quisquis occiderit, damnat eris judicii*, Chriſtus contra, *Imo vero*, ait, *quicunque tantum iraſcitur fratri, damnat erit judicii*, ſynedrii nimirum parvi; *Qui leviter convitiatus fuerit, damnat eris ſynedrii magni*, ſcilicet pœnæ alicujus ex quatuor dictis; *Qui atrociter convitiatus fuerit, is citra omnem cauſæ in judicio cognitionem in æternas damnatorum pœnas præcipitabitur*, quas per γέεννα τῦ πυρὸς *gehennam ignis* denotat Chriſtus. Quæ GEHENNA *vallem Hinnom* ſignificat, de qua 2 Reg. 23. 10. *Contaminavit quoque* Joſia Rex *Tophet, quod eſt in valle filiorum Hinnom, ne quis traduceret filium ſuum aut filiam ſuam per ignem Moloch.* Vallis filiorum Hinnom (quod Hebraice eſt *Geben Hinnom*, unde vocabulum *gehenna* ex duobus compoſitum) in agro ſuburbano erat à *rugitu* ſeu lamentis puerorum, dum exurebantur, ita nominata. Nam *Hinnom* à *Nahem*, quod eſt *gemuit, rugit*, deductum. *Tophet* vero à TOPH, *tympano*, derivatum putant: quod, ne lamenta illa & gravillimi ejulatus à parentibus exaudirentur, tympanis, dum ſacra fiebant, vicinia perſonaret. Hinc vallis illa pro loco cruciandis in æternum reprobis deſtinato, atque adeo pro ipſo ſupplicio æterno, accipitur, quia horribiliores cruciatus quam Uſionis concipere animis noſtris non poſſumus. Dicta autem quaſi per Hypallagen *gehenna ignis* pro *ignis gehennæ*. Porro membrum primum v. 22. Juſt. Martyr Apol. ſua p. 49. ed. Commelinianæ ita effert, ὃς δὲ ἂν ὀργισθῇ ἔνοχός ἐστιν εἰς τὸ πῦρ, *qui vero ira exanduerit, ad ignem condemnationi eſt obnoxius.* Omittit autem particulam εἰκῇ, *temere, ſine cauſa:* quam etiam Hieronymus 2. adv. Pelag. negat *in vetuſtis bonæ fidei exemplaribus reperiam:* cui aſſentitur Auguſtinus Retract. lib. 1. cap. 19. Ideo & Vulgata vetus & Lutherus eam non habent, quippe *ab audaculo aliquo*, ut non male conjectat Eraſmus, *adjectam.*

CAP. XXIV.

Adulterium cordis oculis proditum: ὄμματα ὁρᾶ, ἄδικα. Solicita monita Patrum ſuper hac re. Romanæ leges licet non Concupiſcentiam attamen Voluntatem adulterii puniunt.

Quiſquis aſpicit mulierem ad concupiſcendum eam, jam adulterium cum ea commiſit, inquit Chriſtus. *Hinc intelligere plane poſſumus*, ſcribit Salvianus De gubern. Dei, c. 3. *quam caſtos nos eſſe Salvator juſſerit, qui etiam licentiam viſionis abſcidit. Sciens enim feneſtras quodammodo eſſe noſtrarum mentium lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos quaſi per naturales cuniculos introire, exſtinguere eas penitus foris voluit, ne intus oriremur, & lethaliter creſcentibus fibris convaleſcerent in animo, ſi germinaſſent in viſu.* Agnoverunt autem & Gentiles pudoris impudentiæque ſedem eſſe Oculos. Quo reſpexit olim acutiſſimi ingenii femina Sappho, quam cum amator Alcæus improbum aliquid flagitaſſet, quod pudorem ex oculis tollere non poſſet, collegit illam rem flagitioſam eſſe. Unde & apud Theocritum Idyllio 5. dicitur,

\- - - Μέγα δ' ἄχθομαι, εἰ τύ μα τολμᾷς
Ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι κοτιβλέπειν.

h. e. *Moleſte admodum fero quod tu me audes oculis rectis aſpicere.* Dixit ὄμματα ὁρᾶ quos ἀνεγκλήτους ὀφθαλμοὺς οἱ Φυσιογνωμονῆντες, qui hoc certum impudentiæ ſignum ſtatuunt. Libanius in Declamatione Oreſtis de Paride, ὄμμασιν ἀδίκοις εἶδε τὴν Ἑλένην, *oculis injuſtis vidit Helenam.* Hebræis quoque in proverbium abiit illud, *Oculi & cor proxeneta amoris.* Cauſam Philo dicat l. 2. περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων, Συνόλως τοῖς τῆς ψυχῆς πάθεσι συμπάσχειν ὀφθαλμοὶ, καὶ ταῖς ἀμυήτοις τροπαῖς συμμεταβάλλειν πεφύκασι. Hinc, Ῥίζα μοιχείας ἡ περίεργος θέα τῶν ὄψεων, in Collectaneis Antonii ex Chryſoſtomo. Nec immerito gloriatur Gregorius Nazianzenus *ſe didiciſſe oculos σωφρονίσαι coercere:* cum non ſolum Prætori Athenienſi (quod Pericles olim intemperantiam Sophoclis increpans dixit) ſed cuique Chriſtiano vel maxime conveniat oculos à libidinoſo aſpectu continentes habere. Hinc ſolicita Patrum ſuper hac re monita. Sirach. 9. 8. Μὴ κατανόησε κάλλος ἀλλότριον, *Ne contemplare formam alienam.* Secus ſi feceris, idem tibi quod Didoni apud Maronem accider, quæ

Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo.

Clemens Alex. Pædag. l. 3. c. 11. Μάλιστα Φειδέον ὀφθαλμῶν, ἐπεὶ τοῖς ποσὶν ἢ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἄμεινον ὀλισθεῖν. Κλαδευτὰ δὲ ὄψεις, καὶ τὸ ἐνυβρίστειν, ὃ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν βλεφαρίζειν ἐστὶν, ὥδὲν ἄλλο ἢ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν μοιχεύειν ἐστὶν, ἀπροβουλιζομένης τῆς ἐπιθυμίας δι' αὐτῶν· πρὸ γὰρ τῦ ἁπτὸς σώματος διαφθείρονται οἱ ὀφθαλμοί, h. e. *Oculis maxime parcendum eſt: quoniam melius eſt labi pedibus quam oculis. Laſcivus autem adfectus, & verſatilibus ac tanquam conniventibus oculis intueri, nihil eſt aliud quam oculis machari; cum per eos cupiditas ineat prima pugnæ præludia. Ante totum enim corpus corrumpuntur oculi.* Epiphanius contra hæreſin Samaritarum, Θυρίδες δὲ ἡμῖν ὑπάρχουσι τὰ τῦ σώματος αἰσθητήρια, βλέμμα, ἀκοὴ, καὶ τὰ ἄλλα, δι' ὧν θάνατος εἰς ἡμᾶς εἰσπορεύεται, h. e. *Feneſtræ vero ſunt nobis corporis ſenſus, viſus, auditus, & alii, per quos mors in nos ingreditur.* Ergo, ut Magnus ille Baſilius meditationem in Proverbiorum principium claudens monet, *Vitæ clavum tuto moderare. Oculum rege, ne per eum, ſive auditum, ſive linguam in concupiſcentiæ fluctus incidas.* Etſi autem leges civiles non puniunt libidinoſam concupiſcentiam, cujus pœna ſoli Deo reſervatur, voluntatem tamen criminis adulterii puniunt, licet factum non fuerit ſubſecutum. Qua de re hæc annotata reperio à celeberrimo Cujacio, lib. 15. Obſerv. cap. 25. Quod Servius Honoratus Virgilii interpres ſcripſit, *Jure Romano non tantum effectum puniri, ſed etiam voluntatem:* & Seneca 7. Declam. *Scelera, quamvis citra exitum ſubſederint, puniri.* Idem certe eſt proditum lib. 1. C. Th. ad leg. Jul. de ambitu, his verbis, *Pari ſorte leges ſcelus punire & ſceleris voluntatem.* Et Joviniana lege pari pœna plectitur qui rapuit devotam virginem & qui nuptias ejus affectavit, aut, ut Sozomenus loquitur, qui ἀπολάυσας illam intuitus eſt. Maximus Tyrius eleganter in hanc rem, Καὶ μοιχὸν κολάζει ὁ νόμος, ὃ τὸν δράσαντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν βουλεύσαντα, &c.

CAP. XXV.

A Gentibus manarunt formula juramenti quam Servator Matth. 5. prohibet.

DOctiſſimi viri exiſtimant morem jurandi *per cœlum, terram, Hieroſolymam, caput* manaſſe ex locis aliquot Scripturarum perperam intellectis. Sed parum ad rem faciunt quæ adducunt loca: imo jurandi *per terram* & *per caput* nullum omnino veſtigium reperiunt in Scripturis. Unde ergo Judæis illa juramenta niſi ex vicinis gentibus, quibus juramenta hujuſmodi erant in uſu?

Per caput hoc juro,

ait apud Maronem Julus. Apud Euripidem in Medea, Ægeus præeunte Medea jurat *per Terram & Solem* expreſſe, deinde *per totam Deorum nationem.* Verba ejus iſta,

Ὄμνυμι γαῖαν, λαμπρὸν ἡλίου τ' σέβας,
Θεούς τε πάντας, ἐμμένειν ἃ σε κλύω.

Hujuſmodi juramentum, ſed memorabilius, recitat Cl. V. Joannes Seldenus ex Vettio Valente Aſtrologo Syro, autore inedito, quo lectores, ne artis myſteria vulgo & ἀμυήτοις proderent, adſtrinxit. Ἐντυγχάνοντας, inquit, ὁρκίζω ἡλίου μὲν κύκλον ἱερὸν, καὶ σελήνης ἀνωμάλους δρόμους, τῶν δὲ λοιπῶν ἀστέρων δυνάμεις, καὶ κύκλον δύο καὶ δέκα ζωδίων, ἐν ὑποκρύφοις ταῦτα ἔχειν, καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις καὶ ἀμυήτοις μὴ μεταδιδόναι, τιμήν τε καὶ μνήμην τῷ εἰσηγησαμένῳ ἀποιμέιν· εὖ ὁρῶσι μὲν εὖ εἴη, καὶ κατευθύμιοι οἱ προκείμενοι θεοί· ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐναντία, h. e. *Omnes qui in me inciderint, adjuro per ſacrum Solis circulum, inæquales Lunæ curſus, reliquorumque ſiderum vires, & ſigniferum circulum, ut in reconditis hæc habeant, nec indoctis aut profanis communicent, ſed Præceptoris memoris ſint, eique honorem retribuant. Dii jam dicti ſancte jurantibus dent quæ velint, pejerantibus contraria.* Conſimile juramentum fuit ad quod ſuos adegit Elxai apud Epiphanium, Πονηρὸς δὲ ἄρα καὶ ὁ ἐν τῷ Ἐλξαὶ λαλήσας, ὁ κατακαγχάσας ἐ μόνον ἐν Θεῷ ὀμνύναι, ἀλλὰ καὶ ἐν ἀλὶ, ἐν ὕδατι, ἐν ἀέρι, καὶ ἐν ἀνέμῳ, καὶ ἐν τῇ γῇ, καὶ ἐν ἀρνῷ. Nimirum, ut autor libri Sapientiæ ſcribit, *Natura futiles erant omnes qui Deum ignorabant, neque eum qui eſt ex bonis illis quæ videntur*

tur agnoſcere potuerunt, neque opera animadvertentes Opificem deprehenderunt; ſed aut Ignem, aut Ventos, aut celerem Aerem, aut violentas Aquas, aut cæleſtia Luminaria mundi Rectores & Deos eſſe exiſtimarunt. Nihilo tamen minus futilitatem Gentium ut in multis aliis ita in Juramentis quoque imitati ſunt Iſraelitæ, &, modo non per Deum jurarent, perſuaſerunt tibi, licere ſibi per omnes creaturas Dei, maxime per res à Deo ipſo ſanctificatas, ut *Hieroſolymam, Templum*, jurare. Liquet hoc clariſſime ex Philone, qui libro περὶ ἀναφερομένων ὸν εἴδει νόμων ſcribit, *Non quidem per ipſum Deum* (quem vocant τὸ προσβύτιτον αἴτιον) *ſed per Terram, Solem, Stellas, Cælum, totum denique Mundum nos jurare poſſe.*

CAP. XXVI.

Eraſmica interpretatio verbi ῥαπίζω Matth. 5. 39. defenditur. Salapitta, ῥάπισμα.

ERuditiſſimos interpretes fatigavit verbum *ῥαπίζω*. Vulgatus vertit *percutere:* bene, ſed nimis generaliter. Clariſſ. Beza paſſim transfert *ῥαπίζειν bacillis cædere.* Improbat hoc Petrus Faber Agon. l. 1. c. 19. quod *maxilla* hic fiat mentio, quam non bacillis uſpiam gentium verberari, ſed pugnis alapiſve ductis cædi ſolitam nemo ignorat. Faber autem ipſe τὸ *ῥαπίζειν* vertit *virgis cædere*, eo quod in gymnicis certaminibus virgis cæderentur ſegniores. At nec virgarum ictus in faciem proprie, ſed in verticem diriguntur. Eodem argumento igitur Faber & ſuam & Bezæ verſionem elidit. Iliaſmo *ῥαπίζειν* eſt *alapam impingere.* Veriſſime. Etſi enim, ſi originem ſpectes, *ῥαπίζειν* nihil aliud ſignificare videtur quam *ferire baculo* (id enim eſt *ῥαπὶς* unde Mercurius *χρυσόῤῥαπις* à Poetis dictus) apparet tamen, ut Caſaubonus probe obſervavit alibinde, nonnunquam & *impactionem alapæ* hoc verbo denotari. Gloſſarium vetus, Ῥαπίζω, *expalmo, alapo.* Nonnus apud Joannem τὸ *ῥαπίζειν* ita exprimit c. 18. 22.

Τελμηρὴ παλάμη ζαθέην ἐράπιζε παρειήν.

Sedulius Poeta vertit *ῥαπίζειν cædere palmis.* Et in hac ſignificatione ſcriptores N. Teſt. verbo *ῥαπίζω* & *ῥάπισμα* nomine ubique videntur uti, etiam Marc. 14. 65. & Matth. 26. 67. ubi τὸ κολαφίζειν & τὸ *ῥαπίζειν* creduntur diſtingui, cum de diverſis quidem perſonis ſed non diverſo ſenſu enuncientur. Neque enim dari poteſt doctiſſimo alioqui interpreti Theodoro ut τὸ καὶ ibi vertat *vero*, quo fidem faciat *bacillorum ſuorum ictibus*; ſiquidem conjunctio Græca longe melius per *&* redditur, hæc vero per *etiam* exponitur. Ita Eraſmus, *quidam ceperunt colaphis eum cædere, & miniſtri alapam ei impegerunt.* Ita Lutherus, **und etliche fingen an ihn mit fäuſten zu ſchlagen! und die knechte ſchlugen ihn ins angeſicht.** Servator ipſe τὸ *ῥαπίζειν* ſimpliciter explicat per δέρειν *cædere* Joh. 18. 22, 23. In Actis 23. 2. dicitur τύπτειν τινὸς τὸ στόμα. Sed omnium evidentiſſimum eſt ex Matth. 5. 39. *ῥαπίζειν* ſcriptoribus Sacris eſſe κολαφίζειν: hic enim diſerte fit mentio σιαγόνος *maxillæ.* Sed nec virgas nec bacillos in maxillas dirigi ſupra dictum. Erat autem atrox injuria alapam viro honeſto impingere. Ideo Baſilius Orat. de Baptiſmo, & Logotheta De pœnitentia, *ῥάπισμα* τὴν τελευταίαν τῶν δέλεαν πληγὴν appellant. Et Juſtinianus in Codice ſuo *ῥαπίσματα* vocat injuriam illam quando filii familias ab emptore verberabantur, ut intelligerent ſe in emancipando quaſi vere vendi ſervoſque fieri. An vero emptores bacillis ſemper uſos fuiſſe dixeris? Summa rei hæc eſt, Primarium ſignificatum verbi *ῥαπίζω* eſt *virga* vel *baculo cædere*; ſecundarium, per Synecdochen ſpeciei κατ᾽ ἐξοχὴν, κολαφίζειν: quo ſenſu in Scripturis Sanctis N. Teſt. uſurpatur; quin & Veteris: ſic enim Oſe. 11. 4. apud LXX legimus, ἔσομαι αὐτοῖς ὡς *ῥαπίζων* ἄνθρωπος ἐπὶ ταῖς σιαγόναις. Cæterum (ut & hoc addam) *ῥάπισμα* Latini etiam *ſalapittam* dixere. In veteri Gloſſario, *Salapitta*, *ῥάπισμα.* Quod vocabulum primus nobis in Arnobio oſtendit Joſephus Scaliger, ubi lib. 7. de Mimis leguntur iſta, *Delectantur* Dii, *ut res eſt, ſtupidorum capitibus raſis, ſalpicatarum ſonitu atque plauſu, factis & dictis turpibus, faſcinorum ingentium rubore.* Non enim ibi σαλπιγκτῶν intelligendum eſt, ſed *ſalapittarum*, h. e. *ῥαπισμάτων.* Nam ad excitandum riſum hiſtriones ſibi os percidi & batui alapis patiebantur. Martialis,

Os tibi perciſum eſt, quamo non ipſe Latinus
Vilia Panniculi percutit ora ſono.

Idem,

O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini!
Te ſucceſſurum credo ego Panniculo.

Terullianus libro De ſpectaculis, *Inſuper contumeliis alaparum ſic os objicit quaſi de præcepto Domini ludat.* Cyprianus item De ſpectaculis idem innuit, *Ictibus infelix facies lacerat.* Unde Terentio & Livio proverbialis loquendi mos fluxit, *os præbere alicui*, h. e. morigerum eſſe.

CAP. XXVII.

Πονηρὸς *quid in illo*, μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ, *Matth.* 5. 39. Quadrans ultimus. *Vulgata interpretatio verbi* ἐκπραΐζω *roboratur, Matth.* 5. 44.

Ὁ Πονηρὸς Matth. 5. 39. eſt ὁ ἀδικήσας, ut Exod. 2. 13. *qui injuriam alicui facit.* Ideo Syrus ex mente Franciſci Junii vertit *improbo.* Nam ad perſonam potius quam ad rem hanc vocem referri vel hoc unum evincit, quod Chriſtus de damno accepto loquitur: hoc autem infectum eſſe nequit. Quare docet Chriſtus, Ne inſurgas in illum propter acceptum damnum, ac ne in eum quidem qui tibi immerenti intulit, ut ei retalies. *Improbum* autem יזר pro *eo qui injuriam fecit* accipi ſatis conſtat. Sed *quadrans ultimus* quid? Syrus vertit *octavum* numulum *ultimum*, nempe *ſextantem*, ut Marc. 12. 42. i. octavam partem oboli. Syris enim, ut Atticis, Drachma capit ſex Obolos, Obolus XVI Minuta, vel VIII Chalcos, i. quatuor κοδράντας vel τεταρτημόρια. Græci ergo Obolum per Chalcos dividentes *Quadrantem* vocant quem Syri per Minuta dividentes vocant *Sextantem*, quem etiam δίχαλκον nominant. Sunt autem verba illa, *non exibis illinc uſque dum reddideris ultimum quadrantem*, periphraſis negationis univerſalis, pro eo quod eſt, *nunquam egredieris*: quod genus negationis ad res accommodatum per conceſſionem dici ſolet. Ἐκπράττω ergo ſive *ultimi Quadrantis ſolutio* innuit ſtrictum illud & ſummum jus quo Deus uſurus eſt in homines irreconciliabiles, quippe à quibus ultimum etiam Quadrantem eſt exacturus. Pauperrimi lavabant Romæ quadrante. Horatius & Juvenalis teſtes. Unde Seneca Epiſt. 76. balneum vocat *rem quadrantarium.* Qui minus quadrante dabant, nihil dabant; ut pueri, de quibus Juvenalis,

Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.

Præceptum Servatoris, Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς, Theodorus Beza vertit, *Orate pro iis qui vobis ſunt infeſti*, ſecutus Budæum, qui Annotationibus prioribus in Pandectas ſcribit, Plinium, Celſum, Tranquillum & alios dixiſſe *infeſtare* pro ἐπηρεάζειν. Et ſane Græci etiam Grammatici hoc verbo ab Ἄρης deducto, *hoſtilem ac veluti bellicum inſultum* notari volunt. Iſaaco tamen Caſaubono vetus interpretatio, *orate pro iis qui calumniantur vos*, vehementer placet: nec ſine cauſa. Nam ἐπηρεάζειν vocabulum eſſe forenſe, ſæpeque ſignificare *calumniari*, & ex Gloſſario, & ex Demoſthene, Thucydide, Ariſtotele 2. Rhetor. aliiſque autoribus facile eſt demonſtrare. Idcirco vox ἐπήρεια doctiſſimo quoque Camerario in Notis ad Novum Teſtamentum eſt *violenta contumelia.* Et quid aliud eſt apud D. Petrum 1 Epiſt. 3. 16. ἐπηρεάζειν τὴν ἀγαθὴν ἐν Χριστῷ ἀναστροφὴν quam, ut optime ibidem V. interpres, *calumniari bonam in Chriſto converſationem:* pro quo idem Apoſtolus eadem Epiſt. 2. 12. dixerat καταλαλεῖν, quod utique eſt non *infeſtare*, ſed *obtrectare, calumniari.*

CAP. XXVIII.

Quomodo videatur vertendum verbum ἀγγαρεύω, *Matth.* 5. 41. *Romani itinera per milliaria & lapides ſunt dimenſi.*

ANgaros nemo neſcit Perſis dictos fuiſſe tabellarios Regios literas ſibi invicem perferentes: nam certis itinerum ſpatiis mutabantur. De his Herodotus in Urania, Ὁ δὲ δὴ πρῶτος ἡμερῶν παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ, ὁ δὲ δεύτερος τῷ τρίτῳ, & ſic conſequenter. Hoc vocabulum primum in Græcum deinde in Latinum idioma tranſiit. Hinc ἀγγαρεῖον δρόμημα *curſus celeberrimus equitum:* & quod ἄγγαρος etiam pro *onere* uſurpatum, inde verbum ἀγγαροφορεῖν *onus ferre*, & alterum ἀγγαρεύειν *ad tale miniſterium compellere.* Ἀγγαρεία autem eſt *invita & coacta ſervitus, cum quis vi ad currendum vel onus portandum adigitur.* Unde nomen *angaria* & *parangaria* in Codice Juſtinianeo, tit. de Angar. & Parangar. uni Cujacius in Comment. legatur. Noſtrates *poſtas* quaſi *poſitos* collocatoſque certis in locis & ſemper in procinctu excubantes appellant. Doctiſſimus Beza in verſione Latina retinet Perſicum ſive

Græco-Perſicum *angariare*, tum *quod Ulpianus id non repudiarit*, tum *quod Latinum nullum habeat quod ſatis vim illius exprimeret*. Dixerim ἀγγαρεύειν eſſe *cogo invitum*. Gloſſæ Iſidori, *Angario, cogo*. Germanice, **und wenn dich einer zwinget.** Nam Germanicum **nöthigen!** quo Lutherus utitur, uſurpare ſolemus quando aliquem reluctantem nonnihil ſed non omnino invitum adigimus ut hoc vel illud faciat: quemadmodum duo diſcipuli in itinere Emauntico Chriſtum παρεβιάσαντο præ ſe ferentem ulteriorem profectionem: ubi optime Lutherus **und ſie nöthigten ihn!** Luc. 24. 29. *Adigendi* verbum, quo Eraſmus utitur, non exprimit vim vocis *angario*. Nam homines ad curſum rapiebantur, ſicut hodie equi ad poſtas. Dividebant autem Perſæ itinera ſua in paraſangas, & ideo tabelliones & bajuli ut quaſque paraſangas attigiſſent quieſcebant, & onera ſua aliis ulterius euntibus per vices transferenda committebant, ut docet Agathias lib. 2. Hinc mens Chriſti plana eſt: *Quicunque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo*, h. e. *Quicunque coegerit te ut onera feras per mille paſſus, & his confectis alteri deferas, quamvis injuria te afficiat, redde pro malo bonum, ulteriuſque progredere, vade cum illo, onera porta, & alia duo millia paſſuum*, ſive *duo milliaria*. *Milliare* autem apud Romanos erat ſpatium mille paſſuum. Et quia ſingulis milliaribus, auctore Tiberio Graccho, lapideas columnas ſpatiorum ſigna inſcripta habentes poſuerant, hinc non ſolum *milliaribus* ſed etiam *lapidibus* itinerum ſpatia ſunt dimenſi.

CAP. XXIX.

Conjectura de verbo δικαιοσύνη apud Matth. 6. 1. & ejus cauſa. Vox ἐλεημοσύνη retinenda.

ASſentior meritiſſimo N. T. Interpreti Joanni Piſcatori ſuſpicanti nomen δικαιοσύνην pro ἐλεημοσύνην repoſitum eſſe à quopiam ex verſione Syriaca, in qua habetur nomen *juſtitiæ*, Salvatorem autem vocabulum *eleemoſyna* uſurpaſſe. Nam quod Vetus jam olim legit δικαιοσύνην, nonnulli etiam MS. codices ita habent, quos ſi ſecuti ſint aliqui Patres mirum non eſt, cum *venerandam Syriaca verſionis antiquitatem abunde confirment* (memoro verba Tremellii Præfat. in Syriacum N. T.) *tum incorrupta ſermonis elegantia, tum defectus Epiſtola 2. Petri, Joannis 2, & 3. B. Judæ, Apocalypſeos*, & Accuſationis adulteræ *apud Joannem cap. 8.* Unde Clariſſimus idemque amiciſſimus meus Caſpar Waſerus Tigurinus Præf. in Grammaticam ſuam Syram colligit primo ſtatim naſcentis Chriſtianiſmi ſeculo vel ab Apoſtolis ipſis vel à diſcipulis eorum Paraph. Syram eſſe conſcriptam. Complures etiam cod. MS. (fatente Cl. Beza) jam olim legerunt ἐλεημοσύνην, quam lectionem ipſa ſermonis ſeries efflagitat. Duo enim primi verſiculi cap. 6. Matthæi una abſolvuntur periodo, cujus πρόσωπον v. 1. negans eſt, ἀπόδωσις v. 2. affirmans. Hæc cum habeat vocem ἐλεημοσύνην, illa quoque habeat neceſſe eſt. Ideo Laur. Valla V. Cl. Annot. in Matth. non *Juſtitiam*, inquit, *ſed Eleemoſynam legendum*. Subjungitur enim, *Cum facis eleemoſynam*. At, inquies, *juſtitia* nomine Hebræi *eleemoſynam* ſæpe intelligunt: quod igitur Chriſtus *juſtitiam* dixit, populus, ad quem ei ſermo, de Eleemoſyna accepit. Ego vero hoc non diſputo. Sunt enim in medio doctiſſimorum virorum libri, qui multis exemplis docuerunt Hebræos *juſtitiam* pro *eleemoſyna*, genus pro ſpecie, non raro uſurpare. Sed vero ſimile non eſt Chriſtum in una & eadem periodo de una & eadem re & proprie & tropice locutum; & vulgus facilius de generica, quippe minus nota, quam de ſpeciali juſtitia *beneficentia* vocabulum accipere potuiſſe: quo ſignificatu etiam à D. Beza accipitur: cum tamen (quod bene obſervat Piſcator) aliud ſit ποιεῖν δικαιοσύνην, aliud ποιεῖν τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν. Poſtremo, Salvator de Eleemoſyna ſæpius concionatus eſt, ſed nullibi illam δικαιοσύνης nomine indigitavit: quod magno argumento eſt ne hic quidem ipſum hoc feciſſe. Qua de cauſa Interpretes magno conſenſu, paucis exceptis, legunt ἐλεημοσύνην *eleemoſynam*.

CAP. XXX.

Hypocrita qui olim, qui poſtea: ἀπέχουσι τὸν μισθόν. Βαττολογία Ethnicorum, Pontificiorum.

IN oculis Dei nullum majus ſcelus eſt Hypocriſi, nec major ulli pœna quam Hypocritæ decreta: ideo Scriptura graviſſimas pœnas improbis denunciatura *hypocritarum pœnas* nominat Matth. 24. 51. Eſt autem proprie Græcis ὑποκριτὴς qui Latinis *hiſtrio*. Scholiaſtes Demoſthenis in Orationem De Pace, nominatim in verba illa, Κατιδὼν Νεοπτόλεμον τοῦτον ὑποκριτὴν τῇ μὲν τῆς τέχνης προσχήματι τυγχάνοντα ἀδείας, &c. Οἱ ἀρχαῖοι, inquit, ὑποκριτὰς ἐκάλουν τοὺς νῦν κωμῳδοὺς καὶ τραγῳδοὺς λεγομένους· ἦσαν δὲ ἦσαν τρεῖς, ὁ μὲν πρωταγωνιστὴς, ὁ δὲ δευτεραγωνιστὴς, ὁ δὲ τριταγωνιστής· αὐτοὺς δὲ τοὺς ποιητὰς τῶν δραμάτων, Τραγικοὺς καὶ Τραγῳδιδασκάλους, οἷον Εὐριπίδην καὶ Ἀριστοφάνην. Poſtea nomen de iis uſurpari cœpit qui moribus aliud ſunt, aliud præ ſe ferunt. Hi enim hiſtriones illi ſunt qui varias perſonas agunt, & vincere etiam ſolent actione exteriori eos qui ex animo aut officio ejuſmodi partes ruentur, ita ut ſpectabiles magis ſe præbeant hominibus quam ii qui ex animo idem agunt. Hinc Heſychio ὕπουλος, ὕποπτος, δόλιος, ὑποκριτὴς idem ſunt, qui nimirum bonos viros ſe ſimulant, cum ſint perverſi ac pernicioſi. Unde proverbium, ὕπουλα ἕλκη *ulcera hypula*, apud Suidam, quæ cicatrices habent in ſuperficie ſanas, intrinſecus vero purulentam putrefactionem. Hinc *hypulæ*, hypocritæ. Suaſit autem jam olim Valla *hypocritam* Latine reddendum eſſe *hiſtrionem*. Sed Interpretes veriti ne nomen *hiſtrio* ingratum eſſet piorum auribus, Græcum hucuſque conſtanter retinuerunt. Poſſet tamen *hypocrita* transferri *ſimulator*, qualem Cicero De petitione Conſulatus opponit *benevolo*, quando ſcribit, *quibus rebus benevolus & ſimulator dijudicari poſſint*: quod huc optime quadrat. Nam qui ex animo bene vult pauperi, is nullo modo operam dat ut beneficentia ſua aliis innoteſcat: qui vero ſimulator eſt, is non niſi ad buccinæ cantum præſtat eleemoſynam. De hujuſmodi hypocritis ait Dominus, ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν· quod optime vertit Eraſmus *habent mercedem ſuam*. Eſt enim hæc Chriſti ſententia, Simulatores, qui gloriæ ſuæ gratia pauperibus benefaciunt, gloriæ mercedem jam habent; qui vero Dei amore benefaciunt, ii mercedem ſuam nondum habent, ſed habituri ſunt aliquando. Confer Phil. 4. 18. Plutarchi item inſignem iſtum locum, Ὁ γὰρ ἐν γάμῳ παροφῶν τὸ κακὸν, εἰ τέκνων ἕνεκα δῆλός ἐστιν ἀλλ' ἡδονῆς ἡγέμενος γυναῖκα, τὸν δὲ μισθὸν ἀπέχει, καὶ παῤῥησίαν αὐτῷ πρὸς τὰς γενομένους ἐκ ἀπολέλοιπεν, οἷς αὐτὸ τὸ γενέσθαι πεποίηκεν ἔνιδος, *Qui enim matrimonii honeſtatem negligit*, (h. e. qui ſcortatur) *oſtendit ſe non liberorum ſed voluptatis gratia cum muliere rem habere, jamque mercedem ſuam recepit* (videlicet, voluptatem) *neque ſibi jus ullum reliquum fecit Natos appellandi* (h. e. ab eis nutricationis debitum exigendi) *quippe quibus ipſum naſci probroſum effecerit*. Loquitur autem de lege Solonis, qua ſanxit ut *ex meretrice nati patrem alere non cogerentur*. Nec aliter Athanaſius phraſi ἀπέχειν τὸν μισθὸν uſus, homilia de Semente, quando ſcribit, *Sunt qui laborant ſtudio placendi hominibus, & ad tempus ſimulationem induunt. Quod ſi clara perſona vel ex plateis vel ex aula accedit & Chriſtianiſmum profitetur, decurrunt in Eccleſiam, ut homini illi ſuum vultum oſtendant: mox cum ille vir clarus abierit, συνεξῆλθεν ὁ ὑποκριτὴς, καὶ ἀπέχει τὸν μισθόν· ἦλθεν ἀνθρώπων, ἀνθρώπῳ ἤρεσε· παρὰ Θεοῦ οὐδὲν ἔλαβεν· οὐ γὰρ ἐκείνῳ ἔδειξε τὴν διάνοιαν*, h. e. *abiit & una ſimulator, recepta ſua mercede. Ob hominem venit, & homini placuit, à Deo nihil quicquam acceſſurus: non enim illi mentem ſuam oſtendere in votis habuit*. Porro præcipit Dominus, μὴ βαττολογήσητε, *Ne inania loquamini*, ut tranſtulit Arias. *Ne eadem blaterate*, ut Beza. *Ne garrite*, ut Caſtalio. *Ne loquaces ſitis*, ut Stephanus. *Ne multum loquamini*, ut habet edit. Vulg. quam ſequitur Eraſmus vertens, *Ne ſitis multiloqui*: optime. Firmant enim hanc interpretationem verba ſequentia, *Putant enim fore ut in ſua illa πολυλογίᾳ*, i. *multiloquio exaudiantur*. Firmant eandem Syrus & Arabs; ille apud Tremellium, *Ne ſitis multiloqui*; hic apud Dominum Kirſtenium, *Non multiplicate verba*. Non dubitare igitur poſſumus βαττολογεῖν eſſe πολυλογεῖν, **viel plappern! viel geſchwätz machen.** Quo nonnullis reſpexiſſe videtur Sirach. 7. 15. μὴ δευτερώσεις λόγον ἐν προσευχῇ σου, *Ne iteres ſermonem in precibus tuis*. Illud potius quærendum, qualiſnam fuerit πολυλογία Ethnicorum, ſiquidem Chriſtus illorum exemplo nos à multiloquio dehortatur. Nemo, quod ego ſciam, melius hoc docuit eruditiſſimo Viro Joanne Seldeno J. C. cujus exſtant de Diis Syris duo exquiſitæ doctrinæ Syntagmata. Is in Prolegomenis pag. 52. hæc habet, *Quemadmodum ab innumero idolorum & columnarum & ſymbolorum numero, ſic à nominum in ſacris adhibitorum multitudine, ingens indigitamentis fiebat acceſſio, & quæ primum nomina tantummodo, Numina deinde diverſa æſtimabantur. Sic Luna, quæ & Iſis & Lucina & Diana & Trivia & Hecate dicebatur, tot demum atque innumeras alias peperit Deas. Nomen enim unumquodque in Numen abiit ſingulare: idem Soli, qui* Phœbus, Apollo, Hyperion *varium ob cauſas atque aliter*

dictum

dictum eſt, accidit: idem cæteris. Et ad diſcrepantia ſtatuentium placita ſimulacra denominabantur perinde ac ſi verum Deum Opt. Max. colentes in eum inciderent errorem, ut vocabula ei attributa velut plura Numina acciperent. Iſte autem invocationis ritus à Domino noſtro arguitur Matth. 6. comm. 7. & τολυλογία appellatur. Gentes, *inquit*, δοκοῦσι ἔτι ἐν τῇ τολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται. *Ejuſcemodi ad verum Deum Opt. Max. hymnos, nominibus Divinitati competentibus duntaxat refertos, habes in Arabicis Canticis, ubi centum amplius nomina nonnunquam ita congeruntur ut nihil præter adjectam ſingulis invocandi interjectionem admittant. Vide & ſi placet Moſen Ægyptium. Certe & mirum eſt niſi importuna illa preces ad Baalem Sidonium fuſa, quas memorat Scriptura, eundem ad morem concipierentur. Prophetæ ejus* à mane uſque ad meridiem invocarunt nomen Baal, dicentes, O Baal, exaudi nos. Hactenus Seldenus. Vide ſis etiam Caſaubonum de βαττολογίᾳ & τολυλογίᾳ erudite differentem Exercit. 14. ad Annales Baronii, ubi inter alia Battologiæ exempla & hoc adducit, quod in Pſalterio Jeſu quindecim hujuſmodi orationculæ proponuntur: *Jeſu, Jeſu, Jeſu, miſerere mei. Jeſu, Jeſu, Jeſu, adjuva. Jeſu, Jeſu, Jeſu, da hic mihi purgatorium meum:* quarum ſingulæ decies docentur repeti: quæ ipſiſſima eſt βαττολογία.

CAP. XXXI.

Diſcriminatio trium primarum petitionum Orationis Dominicæ ex propriis objectis.

MUltos annos in Archipalatinatu Inferiore myſteriorum Euangelicorum interpretem egit Nicolaus Cheſſelius, Francus Orientalis, homo non ad hujus caducæ vitæ umbram ſed ad æternæ illius lucem natus. Præterquam enim quod cum Latina lingua Græcæ Hebraicæque peritiam eximiam conjunxerat, doctrinam eximiam inſigni pietate ornabat. Is ſemper deſiderabat accuratam, ſolidam, & ex ipſa nativa verborum ſignificatione depromptam diſcriminationem trium primarum petitionum Orationis Dominicæ, ex propriis objectis. Enimvero in tribus poſtremis petitionibus, ajebat, res plana eſt, nec quenquam eſſe arbitror quin agnoſcat objectum quartæ petitionis eſſe *panem quotidianum*; quintæ, *peccata omiſſionis & commiſſionis*; ſextæ, *tentationes à maligno:* quæ res cum diverſæ ſint, diverſas etiam expoſitiones ex lege juſtitiæ ſuum cuique tribuentis fortitæ ſunt, & merito quidem. Atqui in primis tribus petitionibus non minus quam in poſtremis objecta diſcreta atque diverſa ſunt; *ſanctificatio nominis Divini* in prima, *adventus regni Dei* in ſecunda, *obedientia erga voluntatem Dei* in tertia. Ex quo conſequitur, etiam hic rebus diſcretis diſcretas explicationes quærendas, & ſingulis ſuos limites atque terminos circumſcribendos eſſe, ne fiat heterogeneorum confuſio & miſtio, adorationis in ſpiritu & veritate maximum impedimentum. Sic autem ſentiebat optimus Cheſſelius, In hoc differre petitionem primam à ſecunda, quod illic videatur poſtulari ἡ ἐπίγνωσις ἡ ἐκ μέρους *cognitio quæ eſt ex parte*, qualis electis contingit in hac vita, hic vero ἡ ἐπίγνωσις ἡ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, qualis contingit in altera. Clarius; In petitione prima ſuſpiramus ad regnum Gratiæ, in ſecunda ad regnum Gloriæ. Itaque præpoſterum eſt nos quotidie à Deo petere *adventum regni ipſius*, & ad mortis, qua ſola ingreſſus in regnum illud gloriæ patet, denunciationem trepidare. Judicent eruditi. Certe bonis & piis omnibus hanc diſcriminationem non ingratam fore ſcio.

CAP. XXXII.

Grammatici & Theologi à carnificina vocabuli ἐπιούσιος liberantur.

ET Grammaticorum & Theologorum carnificina hactenus fuit vocabulum ἐπιούσιος in petitione quarta orationis Dominicæ. Ab hac ut utroſque liberem operam dabo. Omnis error à non intellecta vocis origine Grammatica ortus. Ἐπιούσιον enim ab ἐπὶ & οὐσία compoſitum nomen eſſe crediderunt: quod ſi verum eſſet, ἐπιούσιος non ἐπιούσιος dicendum fuerat: crediderunt tamen; ideoque alii ἐπιούσιον *ſupereſſentialem* alii *ſuperſubſtantialem* interpretati ſunt, tam verbo quam ſententia horribili; nimirum ut copia fieret ejus panis de cujus evaneſcentia ſeu tranſubſtantiatione docebant, quemque ipſi, mutilantes etiam inſtitutionem Chriſti, parciſſime diſtribuebant populo ſolum ſine poculo, & ſemel tantum in anno, ut ipſi interverterent hoc poculo, quod à Deo in ſingulos ut communicaretur petendum eſſet. Niſi forte hoc ita explicarunt, Precibus impetrandum eſſe ut quotidie Miſſæ fiant. Alii hoc *ſubſtantiale* interpretati ſunt de *pabulo ſpirituali animæ*; quaſi per Chriſtianam profeſſionem minus deceat à Deo petere panem ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium. Athanaſius De humana natura ſuſcepta plane refert ad *Spiritum Sanctum*, Ἀλλαχοῦ, inquit, τὸ ἅγιον Πνεῦμα καλεῖ ἄρτον ἡμέριον, λέγων, Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον· ἐδίδαξε γὰρ ἡμᾶς ἐν τῇ εὐχῇ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι αἰτεῖν τὸν ἐπιούσιον ἄρτον, τουτέστι τὸν μέλλοντα, ἣ ἀπαρχὴν ἔχομεν ἐν τῇ νῦν ζωῇ τῆς σαρκὸς τοῦ Κυρίου μεταλαμβάνοντες, καθὼς αὐτὸς εἶπε, Καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, *Alibi Spiritum Sanctum appellat panem cæleſtem, dicens, Panem noſtrum ἐπιούσιον da nobis hodie. Docet enim nos ut poſceremus in precibus noſtris in hoc ſeculo panem* ἐπιούσιον, *h. e. futurum; cujus primitias habemus qui in communionem corporis Dominici admiſſi ſumus; quemadmodum ipſe dixit, Panis quem ego dabo, eſt caro mea, pro mundi vita.* Atqui ſpiritualium rerum petitioni tres primæ deprecationes ſunt deſtinatæ: & ſi ſupercœleſte quid intelligeretur, panis ille ὑπερούσιος eſſet verius quam ἐπιούσιος, ſicut ὑπερουράνιον Plato nominat, & ἐπουράνιον Athanaſius De ſemente. Nec dedecus aliquod Chriſtiani fuerit, neceſſaria vitæ ſuæ à cœleſti Patre precibus poſtulare. A *ſuperſubſtantiali* igitur itum ad *quotidianum*, quod Vulgata Luc. 11. 2. & plerique deinde alii interpretes ſecuti ſunt. Male. Nemo enim priſcorum Græcorum autorum eſt qui hanc τῆ ἐπιουσίου ſignificationem agnoſcat, ut notet *quotidianum*. Præterea vox *quotidianus* reſpondet τῷ καθημερινῷ, & infert otioſam ταυτολογίαν & Pleonaſmum vix tolerabilem in tanta aphoriſmorum brevitate & orationis compendio. Non facio fidem? Atqui Luc. 11. pro vocula σήμερον poſitum eſt τὸ καθ' ἡμέραν· ubi τὸ ponitur ἐμφατικῶς, in reliquis ellipſis eſt vocis ἑκάστην. Si igitur ἐπιούσιον eſt καθημερινόν, dicendum fuerit, *Panem noſtrum quotidianum da nobis quotidie.* Germanice, **unſer täglich brod gib uns täglich**: quaſi in Græco ſcriptum ſit, Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν καθημερινὸν δὸς ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν. Enimvero hanc locutionem ipſæ aures reſpuunt propter otioſam & odioſam ejuſdem vocabuli repetitionem. Hæc cum Hieronymus animadvertiſſet Euangelium Hebræum quod penes Nazaræos Berrhœæ aſſervabatur conſuluit, reperitque loco ejus quod in Græco eſt ἐπιούσιον ſcriptum *mahar*, quod Syris, quorum dialecto Chriſtus uſus eſt, fuerit *dimhar*; quo utroque verbo *craſtinum* ſignificetur, non *hodiernum*. Hinc diſputatio de *craſtini* ſignificatione orta, quam Eraſmus Roterodamus reſumpſit, alii poſt Eraſmum expolire conati ſunt. Nam ἐπιοῦσα, inquiunt, dixere Græci de *craſtino* elliptice, quæ eſt ἐπιοῦσα ἡμέρα, i. *hodierna ſuccedens* &, ut ita dicam, *ſuperveniens dies.* Ita Lucas in Actis 20. 15. loquitur, τῇ ἐπιούσῃ κατηντήσαμεν ἀντικρὺ Χίου *ſequenti die pervenimus contra Chium.* Ab hoc analogice deducunt ἐπιούσιος, nomen priſcis Græcæ linguæ ſcriptoribus ignotum. Atque ut analogice ab ἐπιοῦσα deduci poſſit, nullum tamen hujus deductionis veſtigium invenire eſt apud probatos autores. Tantum conjectura eſt Angeli Caninii, qui exiſtimat D. Matthæi interpretem, cum verbum nullum haberet quod Syriaco *dimhar* reſponderet, & ſciret τῇ ἐπιούσῃ pro *poſtridie* ab omnibus accipi, novum nomen formaſſe ἐπιούσιος. Quæ conjectura hoc invalidior eſt quod illud *dimhar* in Syriaco Teſtamento Syriacis literis ante quinquaginta & quod excurrit annos edito ſcriptum non legitur. Nihil igitur è Syria adjumenti habet Hieronymi *craſtinum*, nec è verſione Hebræa, cujus autoritatem nullam eſſe vel pueri in Scholis Chriſtianorum norunt. Ut taceam, petitionem *panis craſtini* adverſari concioni Salvatoris, in qua tam acriter contra diffidentiam & ſolicitudinem de craſtino invehitur Matth 6. unde Clemens Alex. ad verba illa, *Ne ſitis ſolliciti in craſtino*, Χρῆναι λέγει τὸν ἀπογεγραμμένον Χριστῷ, αὐτάρκη καὶ αὐτοδιάκονον καὶ προσέτι ἐφήμερον ἐπαναιρεῖσθαι βίον, *Oportere dicit eum qui in Chriſti numerum relatus eſt, ſua ſorte contentum, ſibi per ſe ſervientem & cui in diem ſatis ſit victum deligere.* Quando ergo memoratarum opinionum nulla conſiſtit, in qua tandem erit acquieſcendum? Dicam quod ſentio, & veriſimum eſſe credo. Ἄρτος ἐπιούσιος eſt *panis neceſſitatis*, vel *indigentiæ*, *noſtræ.* In Syriaco enim Teſtamento cujus antea mentio facta exſtant hujus ſententiæ verba, *Da nobis panem ſufficientiæ noſtræ hodie:* ut ſi Græce dicas, τὸν ἄρτον τῆς χρείας ἡμῶν. Nec aliter Arabs apud Kirſtenium quam, *Panem noſtrum ſufficientem nobis da nobis in diem*, vel *hodie.* Suffragatur utrique vis vocabuli Græci. Ecce tibi apud Gellium lib. 1. cap. 22. iſta, *Graci περιεῖναι in utramque partem ponunt, vel Quod ſupervacaneum eſt ac non neceſſarium, vel Quod abundans nimis*

& affluens & exſuperans. Hinc de ἐπιούσιῳ ſtatuere promptum eſt. Τὸ περισσὸν ſignificat *quod plus ſatis*; Τὸ ἐπιούσιον, *quod ſatis eſt.* Illud Salomo deprecatur, & Chriſtus deprecari jubet, ut periculoſum & noxium, hoc precatur, & precari jubet, ut ſalutare, & filiis Dei, inprimiſque Apoſtolis, congruens, τῆς αὐταρκείας δηλονότι καὶ τῆς τῶν βιωτικῶν ἀνεπαγῶς παρασκευαζομένων, *& cujus quærendi non curam convenientem ſed anxiam ſolicitudinem Chriſtus redarguens nos docet in cœleſtem Patrem dictum recumbere.* Baſilius interpretans illud Salomonis, *Divitias & paupertatem ne dederis mihi*, eodem modo loquitur, εὐτάξιον δέ μοι τὰ δέοντα καὶ τὰ αὐτάρκη, h. e. *ordina mihi competentia & quantum ſat eſt.* Theophylactus autem plane favet interpretationi noſtræ, qui ἄρτον ἐπιούσιον interp. τὸ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ καὶ συγκράσει ἡμῶν ἄυταρκες, *cum quo contenta eſſe poſſit natura & conſtitutio noſtra.* Deinceps igitur in vernacula noſtra lingua ſic interpretabimur petitionem quartam, **Unſer nothdürfftig bred gib uns heut.** Apud Latinos vocabulum huic rei exprimendæ idoneum vix reperias, niſi forte *uſuarium* dicere velis cum Gellio lib. 4. cap. 1. *Neceſſarium* enim non τῷ ἐπιουσίῳ ſed τῷ ἀναγκαίῳ reſpondet; quanquam ea voce ſic utitur Gellius lib. 1. c. 22. *Cibarium*, quod Bezæ placet, fortaſſe generalius eſt, & magis convenit τῷ βρωσίμῳ, quo Lucas utitur 24. 41.

NOTA. Cum ſuper Gellii loco de voce περιεῖναι cum Nobiliſſ. Viro Jano Rutgerſio Sereniſſimi Sueciæ Regis ad Sereniſſ. Boëmiæ Regem Legato Pragæ aliquando conferrem, monebat is me, antiquiſſimam Gellii editionem habere hoc modo, *Græcos enim περιεῖναι vivere, adeſſe, viciſſe tam in utraque parte ponere:* non dubitabat autem quin illa, *vivere, adeſſe*, gloſſema ſint ſcioli vocem Græcam interpretari volentis: itaque audacter delendum: ſed pro *viciſſe tam* elegantiſſima voce *viciſſatim* legendum, h. e. *per vices, viciſſim.* Plautus Sticho Act. 4 Scen. 1.

Noſmet potius oneremus viciſſatim voluptatibus.

Hæc paucis monere volui, ne quis lectione veteris editionis Gellii perturbetur.

CAP. XXXIII.

Excutiuntur alia Orationis Dominicæ vocabula, θέλημα, ἄρτος, ὀφειλήματα, πονηρός: ubi & de clauſula Orationis.

VIR b. m. Theodorus Beza illud Γενηθήτω τὸ θέλημά σου ita exponit, *Fiat quod tu decernis ut fiat.* Videtur *voluntatis* vocem recipere pro recondito illo & arcano Dei decreto de nobis per multas tribulationes in Regnum Dei introducendis. Verum vox iſta ut paſſim alibi (Matth. 7. 21. Johan. 9. 31. 1 Theſſ. 4. 3. Rom. 12. 2) ita & hoc loco uſurpatur proculdubio pro *voluntate Dei Decalogo revelata*, norma ſcilicet omnis juſtitiæ & ſanctitatis, quam Deus à nobis in filiorum numerum adoptatis poſtulat & gratam habet. Illic ſpectatur Dei actio & diſpoſitio, hic noſtra, h. e. fidelium & electorum actio & obſequium. Utitur autem imperativo γενηθήτω pro optativo γενηθείη, ſicut ἐλθέτω ἀντὶ τοῦ ἔλθοι, quia, ut Baſilius in Pſ. 44. annotat, hic mos eſt Scripturæ hoc modo figurare ea quæ optantur. ¶ Τὸ ἄρτον *panis* nomine principaliter & præcipue ſignificatur ordinarius ille cibus corpori noſtro alendo deſtinatus, & quidem non ille tenerior à ſimilagine, ſed craſſior & domeſticus. Sic enim & Horatius *panem* opponit *libis* & *placentis ſacerdotum*, h. e. duriorem victus rationem lautitiis hominum delicatorum, lib. 1. epiſt. 10.

Quid quæris? vivo & regno, ſimul iſta reliqui
Quæ vos in cœlum effertis rumore ſecundo:
Utque ſacerdotis fugitivus, liba recuſo,
Pane egeo, jam mellitis potiore placentis.

¶ Porro quod Matthæus dixit ὀφειλήματα, id Lucas interpretatur nominans ὀφειλήματα ἁμαρτίας ἡμῶν. Utroque autem vocabulo pluraliter enunciato cenſeam notari non tam peccata noſtra indefinite quam ſpecialiter pravas illas actiones (παραπτώματα Gal. 6. 1. & πταίσματα Jac. 3. 2.) ex lege membrorum etiam in renatis remanente & turbante Rom. 7. pullulantes quibus Dei iram & pœnas temporales accerſimus, 1 Cor. 11. 30. Utrumque hac poſtulatione deprecamur. Quod ergo Lutherus ſing. numero enunciavit **vergib uns unſere ſchulde** hic, & apud Lucam **vergib uns unſere ſünde!** omnino melius multitudinis nomine expreſſerimus **vergib uns unſere ſchulden. Vergib uns unſere ſünden.** Baſilius De pœnitentia, *Ita inſtituti ſumus ut precemur, Remitte nobis debita no-ſtra*, ὅτι ἀφίεμεν καὶ ἡμεῖς, *quoniam remiſimus & nos.* ¶ Jam quod additur, ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, nemo Tertulliano melius illa tranſtulit, *Erue nos a maligno.* Nam πονηρὸς ſecretum à ſubſtantivo pro *Dæmone* ponitur, qui alias πειράζων dicitur: id quod articulus maſculinus adjunctus & ipſius Joannis interpretatio evincunt, 1 Joh. 2. 13. Ita τὰ βέλη τοῦ πονηροῦ dicuntur Epheſ. 6. 16. De Lucio Charino, qui ſcripſit Periodos Apoſtolorum, Photius cap. 114. Bibliothecæ, Γάμους δὲ νομίμους ἀθετεῖ, καὶ πᾶσαν γένεσιν πονηρὰν τε καὶ ἐκ τοῦ πονηροῦ λέγει, h. e. *Conjugia inſuper legitima rejicit, omnemque adeo generationem malam eſſe & a malo aſſerit.* Emendanda igitur Germanica verſio, quæ habet **Uebel!** quod reſpondet τῷ κακῷ, vel numero pl. κακοῖς, *omnis generis malis.* Nec corrigenda vitioſa interpretatio per ambiguam vocem **böſen!** quod faciunt qui transferunt, **erlöſe uns vom böſen:** ſed ὁ πονηρὸς ita exprimendus eſt ut de petitionis ſentu omnibus conſtet, **erlöſe uns vom böſewicht!** quemadmodum hoc vocabulum Lutherus non dubitavit uſurpare 1 Joh. 2. 13. quando verba νενικήκατε τὸν πονηρὸν vertit **ihr habt den böſewicht überwunden.** ¶ Coronis precationis Dominicæ, *Quia tuum eſt regnum*, &c. etſi in multis Græcis cod. & apud Syrum quoque interpretem reperitur, tamen, Beza referente, in veteriſſimis aliquibus Græcis cod. deeſt, & à nemine exponitur præterquam à Vulgario & Chryſoſtomo. Deeſt quoque in verſione Arabica, nec in ullis Lat. exemplaribus viſitur: ut non immerito Eraſmus conjecterit ex ſolenni conſuetudine à Græcis adjectam, & poſtea in Textum ipſum fuiſſe tranſlatam.

CAP. XXXIV.

Σκυθρωπὸν Vulgata non male vertit triſtem: ἀφανίζειν τὸ πρόσωπον. Judæi lati ungebant capita.

JOſephus Scaliger magni illius Julii Cæſaris Scaligeri maximus filius Notis in N. T. à Jano Rutgerſio mihi communicatis omnino retinendum cenſet Vulgatum quando Matth. 6. 16. σκυθρωποὶ vertit *triſtes.* Et ſane Terentius, *Ecquid tu triſtis es?* ait. Pacuvius, *Qua caligat voltum tuum triſtitia?* Et alibi *triſtis* apud Terentium pro *ſevero. Triſtitia* σκυθρωπία. Xenophon, Θαρραὶ δὲ ἀντὶ σκυθρωπῶν ἦσαν, *poſito vultu triſti læta erant:* ubi ex antitheſi vis vocis pulcre percipitur. Sicut apud Terentium,

Hodie hilarem te fac, & omitte nunc triſtitiam tuam.

Spectatur autem hilaritas in vultu, & opponitur τῇ σκυθρωπότητι. Unde Sirach. 7. 24. *Sunt tibi filiæ? attende corpori ipſarum, καὶ μὴ ἱλαρύσῃς πρὸς αὐτὰς τὸ πρόσωπόν σου, & ne hilarem exhibeas illis vultum tuum.* Luc. 24. 17. diſcipuli euntes Emaunta erant σκυθρωποί, utique non *tetrico vultu*, ſed *triſti.* Bene igitur Lutherus, **und ſeyt trawrig?** Et ita hic vellem redditum, **wan ihr faſtet! ſolt ihr nicht trawrig ausſehen.** Confer Dan. 1. 10. εἶδες τὰ πρόσωπα σκυθρωπὰ τῶν παίδων ὑμῶν, *triſtes vultus.* Sic Gen. 40. 7. Atque hoc volunt etiam ſequentia, ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, *obſcurant facies.* Obſcuratur autem facies quando mens & affectus commento aliquo aut ſimulatione extrinſecus obumbratur, quemadmodum Baſilius M. phraſin hanc ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα explanat lib. 1. De jejunio. Idem innuit oppoſitum, *vos contra ungite capita, & lavate facies veſtras*, h. e. lætos ac hilares vos præſtate, *ne homines animadvertant vos jejunare.* Nam Judæi (ut hoc loco Hieronymus notat) diebus feſtis ac lætis ſolebant ungere capita: quemadmodum de Judita ſcriptum, quod profectura ad Holofernem ἠλείψατο τὸ πρόσωπον αὐτῆς ἐν μυρισμῷ.

CAP. XXXV.

Σὺς καὶ βρῶσις apud Matthæum 6. 19. quomodo interpretanda. Oculus ſimplex & malus, ibidem.

VUlgata & Eraſmus vocabula permutant: & *æruginem tineæ* præponunt. Cauſam non video. Deinde βρῶσιν vertunt *æruginem*, non quod hæc ſit vis vocis βρῶσις (nam ἰὸν ſignificat *æruginem*, ut Jac. 5. 3.) ſed quod putarunt Chriſtum in hoc membro reſpexiſſe ad duo divitiarum genera, Veſtes & Nummos, quorum illas *tineæ*, hos *æruginem* corrumpere ſolet. At de Nummis in altero demum membro Chriſtus videtur agere: & æruginem deformantur quidem, ſed non corrumpuntur nummi. Itaque vehementer mihi placet ſententia Iſaaci Caſauboni, qui ſtatuit eſſe ἓν διὰ δυοῖν, & dictum ut illud Poëtæ, *patera libavit & auro.* Nam nihil eſt aliud σὶς καὶ βρῶσις, quam

εἰς βρῶσιν, Germanice ergo non dicerem, **da ſie die motten und roſt freſſen**: ſed, **da ſie die freſſende motten verderben**: quod dicitur de veſtimentis, quæ Jac. 5. 2. dicuntur σητόβρωτα, ſicut Jobi 13. 28. ἱμάτιον σητόβρωτον dicitur *veſtimentum à tinea corroſum.* ¶ Doctrinæ de Theſauris congerendis ſubjicit Servator memorabilem ſententiam, *Lucerna corporis eſt oculus. Itaque ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem malus*, &c. Super hoc loco alii alia. Mihi valde placet Sebaſtiani Caſtellionis expoſitio quam in Defentione Bibliorum ſuorum aperit. Docuerat, inquit, Chriſtus, *Theſaurum ſuis eſſe in cœlo, non in terra congerendum:* ſubjunxit deinde, *Ubi eſt theſaurus veſter, ibi erit & cor veſtrum.* Ubi *cor* vocare videtur animi intentionem & intuitum: quemadmodum Terentius loquitur, *Jamdudum animum eſt in patinis*, h. e. Animum intentum habeo in patinas. Quaſi hoc dicat Chriſtus, *Si animus veſter intuetur in cœleſtia, in cœleſtibus eſt theſaurus veſter: ſin in terreſtria, in terreſtribus.* Subjicit deinde, *Lucerna corporis eſt oculus*, h. e. Quod in corpore eſt Oculus, id in animo eſt ille Intuitus. Igitur quemadmodum in corpore *ſi oculi ſunt mundi*, ideoque perſpicaces, *totum corpus in luce*; *ſin immundi*, ideoque cæci, *in tenebris verſatur:* ita in animo, ſi in agendo intuetur homo in cœleſtia, totum ejus actionum corpus in luce juſtitiæ verſatur; ſin in terreſtria, in tenebris injuſtitiæ. *Iguur ſi lumen tuum* h. e. ſi animi intuitus ille qui animo tanquam lucerna quædam viam oſtendit faciendorum) *tenebræ ſunt*, (h. e. in opera tenebrarum intuetur) *ipſamet opera* (quæ per ſe ſunt tenebrarum) *longe erunt tenebricoſiora.* Sicuti ſi corporis oculus ſit cæcus, ipſum corpus, quod per ſe alioquin non videt, erit longe cæcius. Exemplum; Si quis, quæ facit, Dei cauſa facit, in luce verſatur; ſin opum cauſa, in tenebris: quod idem de cæteris dicere licet. Qui pauperi benigne facit, Deo ut placeat, in luce eſt; qui vero, ut laudem ſibi comparet, in tenebris verſatur ambitionis. Eſt autem animadvertendum, In illa ſimilitudine Chriſti rem ipſam cum ſimilitudine confundi. Neque enim proprie corporis oculus *ſimplex* aut *malus* dicitur, ſed animi. Verum hæc inter ſe ſic confunduntur; ut Matth. 23. 25. ubi Dominus ait, *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi ſimulatores, qui poculi ſcutellæque partem exteriorem purgatis, cum ea intus rapina intemperantiaque referta ſint.* Quaſi hoc dicat, Vos juſtitiam præ vobis ferris, cum interim animos rapinæ plenos habeatis: id quod non minus abſurdum eſt quam ſi quis pocula exteriora mundet, interiora non item.

CAP. XXXVI.

An Φορτικὴ repetitio ſit in verbis Domini, Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, &c. Mammona, *quis Dominus? Vox ipſa cujus lingua? Diverſum Dei Patris & Filii dominatus ex hoc Domini ſermone refellitur:* κλίβανος χόρτος.

SUNT qui Φορτικὴν repetitionem eſſe ſtatuunt in verbis Domini, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum habebit odio, & alterum diliget; aut uni adhærebit, & alterum contemnet:* ſed revera nulla eſt ſi ita ſubſtitutis nominibus propriis verba diſponeris, *Nemo poteſt ſimul ſervire Petro & Joanni: aut enim Petrum odio habebit, & Joannem diliget; aut Petro adhærebit, & Joannem contemnet:* ſive hoc modo ea ordinaris, *Nemo idem poteſt duobus Dominis ſervire: vel enim unum odio habebit, alterum amabit; vel licet utrumque amet, fieri poterit ut dum in alterius voluntate exſequenda erit intentior, erga alterum ſe gerat negligentiorem.*

Quis autem ſit ille *alter* à Deo Dominus, Tertullianus lib. 4. adv. Marcionem erudite explicat, *Quibus duobus Dominis*, inquit, *neget poſſe ſervire, quin alterum offendi ſit neceſſe, alterum defendi, ipſe declarat, Deum proponens & Mammonam. Deinde Mammonam quem intelligi velit, ſi interpretem non habes, ab ipſo potes diſcere. Admonens enim nos de ſecularibus ſuffragia nobis proſpicere amicitiarum, ſecundum ſervi illius exemplum qui ab actu ſummotus dominicos debitores diminuit, cautionibus releват in ſubſidium ſibi, Et ego, inquit, dico vobis, facite vobis amicos de Mammona injuſtitiæ, de nummo ſcilicet; de quo & ſervus ille. Injuſtitiæ enim auctorem & dominatorem totius ſeculi Nummum ſcimus omnes; cui famulatam videns Phariſæorum cupiditatem amentavit hanc ſententiam, Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ. Irridebant denique Phariſæi pecuniæ cupidi, quod intelexiſſent ſcilicet Mammonam de nummo dictum, ne quis exiſtimet in Mammona Creatorem intelligendum, & Chriſtum a Creatoris illos ſervitute revocaſſe.* Hæc ille. Vox ipſa *Mammona* Hebræa an Syriaca ſit diſputant eruditi. Auguſtinus De verbis Domini ſerm. 23. Euthymius item ad h. l. dicunt Hebræam eſſe. Sed verior Chryſoſtomi ac Hieronymi ſententia, qui *Mammonam* non Hebræorum ſed Syrorum lingua divitias nuncupari tradunt. Vide Epiſtolas Hieronymi, 22. ad Euſtochium, & 151. ad Algaſiam. Nuſquam enim reperitur in Bibliis vox iſta niſi in N. T. Notum autem poſt reditum è Babylone linguam Hebraicam maxima ex parte fuiſſe in Syriacam vel Chaldaicam mutatam. In hiſtoria Joſephi abjiciendi in puteum, ubi eſt in Latino textu, *Quæ nobis utilitas, quod lucrum accedet, ſi interficiamus eum?* ibi eſt in Chaldaico *Mammon.* Cæterum ſententiam Domini, nummos quod attinet, optime expreſſit Horatius hoc verſu,

Imperat aut ſervit collecta pecunia cuique.

Athanaſius De communi eſſentia Patris, Filii & Spiritus S. hic redarguit eos qui alium dominatum Patris, alium Filii ſtatuunt, Οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· εἰ ἄλλη κυριότης πατρὸς, καὶ ἄλλη κυριότης υἱοῦ, καὶ μερίζεις τὴν ἐξουσίαν, πῶς λατρεύσεις τῇ βασιλείᾳ; εἰ δύναται λατρευθῆναι δύο ἀξιώματα κατὰ τὸ αὐτὸ, ἐὰν μὴ ὁμότιμα ᾖ· οὐδεὶς προσκυνεῖ βασιλέα καὶ ἄρχοντα· ὅπου γὰρ ὁμότιμος ἡ ἀξία, ὁμότιμος καὶ ἡ προσκύνησις· ἐν τῷ ἴσῳ ἀξιώματι οὐκ ἔστι μάχη, h. e. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Si alius eſt dominatus Patris, alius Filii, & dividis poteſtatem, quomodo regnum colis? Non poſſunt ſimul cœli duæ poteſtates niſi ſint ejuſdem ordinis. Nemo adorat Regem & ejus Præfectum. Ubi enim par dignitas, par quoque adoratio. In pari dignitate non eſt pugna.* ¶ Porro κλίβανος, cujus hoc 6. c. Matthæi v. 30. mentio, eſt *fornaculus, aut ferreus aut teſtaceus, mobilis, in quo prunis ſubjectis panis olim, nunc placenta, farcimina, pyra condita concoquuntur.* Moſchopulus περὶ ὀψῶν quid ſit *clibanus* oſtendit, ὀπτανόν τι σιδηροῦν, ἐφ' ᾧ τοὺς ἄρτους ὀπτῶσι, πῦρ ὑποκαύσαντες, καὶ πυρακτώσαντες αὐτόν. Vide Joan. Brodæum Miſcell. lib. 5. c. 21. Hoc loco pro quolibet *furno* accipitur: In quem χόρτος mittitur, non, ut mittitur panis, coquendus, ſed ut ſtipulæ, ſiliquæ, & quicquid in hortis & pratis naſcitur, & ſiccatum nulli rei utile eſſe poteſt niſi ut in ignem conjiciatur: quod Caſaubonus annotat hoc loco per χόρτου ſignificari.

CAP. XXXVII.

Matth. 6. 26. μᾶλλον διαφέρετε· διάφορον, pecunia; & διάφορα, χρήματα. Explicatus Eccleſiaſtici cap. 7. verſiculus 19.

TErrenorum curam ex auditorum ſuorum animis excuſſurus Servator, & providentiam cœleſtis Patris iiſdem commendaturus, ad aviculas illos remittit, &, *Intuemini*, inquit, *in volucres cœli: non ſerunt enim, neque metunt, neque cogunt in horrea, & Pater veſter cœleſtis alit eas:* οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν; quod Eraſmus optime vertit, *nonne vos longe præcellitis illas?* Comparativus enim μᾶλλον verbo διαφέρω, cui & ipſi vis comparativi ineſt, conjunctus inſignem Hominum præ Avibus excellentiam notat: quemadmodum Marc. 7. 36. non ſine magna emphaſi dicitur, *Quantumcunque eis interdixiſſet,* μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον, *magis multo prædicabant*, perinde ac ſi ille non prohibuiſſet; vel, ut Camerarius, *magis ſupra modum.* Eſt autem mos iſte loquendi uſitatus bonis autoribus. Ariſtophanes,

Τίς γὰρ γένοιτο μᾶλλον ὀλβιώτερος;

quod Virgilius in Culice expreſſit,

Quis magis optato queat eſſe beatior ævo?

Eodem archaiſmo Plautus ſæpe utitur:

Ut magis majores nugas egerit.

item,

Tum nihil invenies magis hoc certo certius.

Ut redeam ad verbum διαφέρω· quia illud non tantum *differre* ſed etiam *præcellere* ſignificat (quo ſenſu etiam accuſandi caſui junctum legitur apud Diodorum Biblioth. lib. 2. ubi mentio Semiramidis, τῷ πάλλει πολὺ τὰς ἄλλας παρθένους διαφερούσης) hinc διάφορος eſt *præſtans, excellens.* Et quoniam pecunia, cui obediunt omnia, antecellit hominum judicio omnia, ideo τὸ διάφορον *ſumptum* atque *impenſam*, atque adeo *pecuniam*, ſignificat: id quod ex Dionyſio Halicarnaſſæo aliiſque probatis ſcriptoribus Græcis facile eſt demonſtrare. Hinc in libris Mac-

caborum, locis aliquammultis, vox διάφορα numero multitudinis prorſus pro χρήματα ulurpata legitur. Unde corrigi poteſt error librariorum Eccleſiaſtici 7. 19. qui pro διαφόρου ſcripſerunt ἀδιαφόρα. Fideuter enim legendum eſt, Μὴ ἀλλάξῃς φίλον ἕνεκεν διαφόρου, h. e. *Nulla pecunia amicum commutes*: διάφορον enim hoc loco *pecuniam* denotare & vetus Interpres agnovit, & evincit altera pars iſtius commatis, quæ eodem cum præcedente pertinet, μηδ' ἀδελφὸν γνήσιον ἐν Ωφείρ, *neque fratrem germanum cum auro Ophir*. Perpetuum enim fere hoc eſt in hoc & Salomonis Proverbiorum libro, imo & in Propheta Habacuco, ut membrum periodi poſterius declaret prius. Quod ſi cum vulgo legas ἀδιαφόρου, obſcura erit interpretatio, *Ne permutes amicum ob rem indifferentem*: ſiquidem & Paupertas eſt res indifferens ſive media, quæ per ſe neque bona neque mala eſt. Sic Eccl. 27. 1. nec χάριν ἐνδείας cum Bibliis R. Stephani & cum Vulgato, qui interpretatur *propter inopiam*, nec χάριν ἀδιαφόρου *rei indifferentis gratia* legendum, ſed χάριν διαφόρου. Sic enim ſenſus perſpicuus eſt, χάριν διαφόρου πολλοὶ ἥμαρτον, *propter pecuniam multi peccant*: & confirmat hanc lectionis emendationem poſterior pars commatis, καὶ ὁ ζητῶν πλουτῆσαι ἀποστρέψει ὀφθαλμόν, *& qui quærit abundare avertet oculum*. Sed hæc ἐν παρόδῳ.

CAP. XXXVIII.

Interpretatio verborum, καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, *Matt.* 6. 28. *Itemque illorum*, Ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς, *ibid. v.* 34.

VExavit doctiſſimos Interpretes verbum καταμανθάνω. Itaque Eraſmus τὸ, καταμάθετε vertit *cognoſcite lilia agri*. Beza, *diſcite quomodo lilia agrorum augeſcant*, &c. Verum cauſa non erat cur hic Vulgatum Interp. deſererent, qui vertit *conſiderate*. Sermo enim hic habitus eſt ſub dio, & quidem in monte, Matth. 8. 1. Ut igitur Chriſtus diluculo veniens in Templum, & videns orientis Solis radiis domum Dei colluſtrari, occaſionem inde arripuit dicendi, *Ego ſum lux mundi*, &c. Joh. 8. 12. & ut è præſente fonte Jacobi petivit tropicam de benedictis Spiritus S. aquis concionem, Joh. 4. ita hic è re præſenti Divinæ providentiæ argumenta colligit. In concionis enim curſu, cum forte in aere ſe librarent aviculæ, mox quaſi digitum in eas intendit, & Ἐμβλέψατε, inquit, εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, *Intuemini*, vel *Vertite oculos in volucres cœli*: Nullo illæ ſuo labore, ſola Patris cœleſtis cura aluntur. Deinde animos & oculos auditorum deducit ad contemplationem & conſiderationem florum pulcerrimorum, quibus vicinæ valles erant veſtitæ. Itaque ait, καταμάθετε, *conſiderate*, vel, ut melius adhuc Lutherus, **ſchawet die lilien auff dem felde!** *contemplamini lilia campi*. Nam Lexicon vetus, Καταμανθάνω, *conſidero*, Et Sirach. 9. 5. Παρθένου μὴ καταμάνθανε, *Virginem ne contemplare*. Ibidem commate 8. Μὴ καταμάνθανε κάλλος ἀλλότριον, *Ne contemplare pulcritudinem alienam*. Ergo verba illa, καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, ſic vertam, *contemplamini flores campi*, vel *agri*. Nam etſi in Græco eſt κρίνα *lilia*, notum tamen eſt & κρίνα & λείρια generatim *flores campi* denotare. *Tanta eſt floris Lilii dignitas*, inquit Pollux, *ut Homerus omnes flores vocaverit* λείρια. Scholiaſtes Apollonii Rhodii, καθόλου, inquit, τὰ ἄνθη λείρια λέγεται. Et Lucianus, Λείρια καλεῖται, εἴγε μέμνησαι, τὰ ἄνθη, *Lilia vocantur, ſi memini, flores*. Hæc cauſa eſt cur, cum vulgo legatur Exod. 25. 34. καὶ τὰ κρίνα αὐτῆς, Symmachus verterit καὶ τὰ ἄνθη αὐτῆς Et Pſ. 45. 1. תַּחַת שֹׁשַׁנִּים idem interpretetur ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν, quod Aq. & Th. ὑπὲρ τῶν κρίνων. Sic hic κρίνα ſunt quod τὰ ἄνθη in genere. Neque enim veriſimile eſt valles vel campos in quos Dominus oculos conjecit nullis niſi Liliorum floribus fuiſſe coronatos: & eſt plurium florum ea pulcritudo ut cum glorioſo Salomonis amictu poſſint contendi. ¶ Commate hujus capitis ultimo à curis hujus vitæ Servator nos avocat dicto proverbiali, omnium, credo, hominum teſtimonio approbato, Ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς, *Sufficit ſua dies afflictio*: κακία enim pro κάκωσις ut in Propheta Amoſe, Εἰ ἔσται κακία ἐν πόλει ἣν Κύριος οὐκ ἐποίησε; Ariſtophani Ὄρνιθ. eſt πάνη. Beza κακίαν reddit *vexationem*, Tertullianum ſecutus, qui libro adv. Marcionem 2. *Malitia*, inquit, *apud Græcos interdum pro Vexationibus & Luſuris, non pro Malignitatibus, ponitur*. Cæterum hunc locum Hieronymus ſibi explicandum ſumſit epiſt. 47. quæ ad Amandum, *Interrogas*, inquit, *quid ſignificet illud in Euangelio juxta Matthæum*, NOLITE SOLICITI ESSE DE CRASTINO: SUFFICIT ENIM DIEI MALITIA SUA. CRASTINUM *in Scripturis S. futurum tempus ſignificat, ſicut & Jacob in Geneſi loquitur*, EXAUDIET ME CRAS JUSTITIA MEA, &c. *Qui ergo de futuris nos cogitare prohibuit, conceſſit de præſentibus, propter humanæ vitæ fragilitatem. Quod autem adjecit*, SUFFICIT DIEI MALITIA SUA, *hoc modo intelligo, Sufficit nobis de præſentibus hujus ſeculi cogitare anguſtias. Quid neceſſe eſt ſenſum ad incerta & futura extendere, quæ aut conſequi non poſſumus, aut cito inventa perdimus? κακία enim, quam Latinus vertit in Malitiam, apud Græcos duo ſignificat, & Malitiam, & Afflictionem, quam κάκωσιν Græci dicunt: & hic magis pro Malitia transferri debuit Afflictio. Quod ſi contentioſe quis ducitur, nolens κακίαν Afflictionem ſonare & Anguſtias, ſed Malitiam, illo ſenſu explicandum eſt quo* MUNDUS IN MALIGNO, *h. e. in malo*, POSITUS SIT, *& in Dominica Oratione dicimus*, LIBERA NOS A MALO: *ut ſufficiat nobis contra malitiam hujus ſeculi præſens habere certamen.* Poſidippus hanc Chriſti ſententiam ita extulit,

Ἔργον γε λύπην ἐκφυγεῖν· ἡ δ' ἡμέρα
Ἀεί τι κακὸν εἰς τὸ φροντίζειν φέρει.

Difficile mœrorem effugere: dies enim
Subinde curas procreat nobis novas.

Nazianzenus in Pentecoſten ad corpus transfert ſententiam Domini, ſcribens, Ἀρκετὸν τῷ σώματι ἡ κακία αὐτοῦ· τί δὲ δεῖ τῇ ψυχῇ πλείονος ὕλης, ἢ τῇ θυρίῳ δαψιλεστέρας τροφῆς, ἵνα μᾶλλον δυσκάθεκτον γένηται, καὶ τῷ λογισμῷ διαστάτερον, *Sufficit corpori malitia ſua. Quid flamma materia uberiore opus eſt, aut bellua copioſiore alimento, ut inſolentius effrenatiuſque feratur, rationemque voribus ſuperet?*

CAP. XXXIX.

Improbis Talio; beneficis cumulata beneficentia; Pie Deum invocantibus, omnia promiſſa, Matth. 7. 2. 7. 8. *Exponuntur verba*, μέτρον καλὸν πεπιεσμένον καὶ σεσαλευμένον καὶ ὑπερεκχυνόμενον καὶ ὑπερεκχυνόμενον, *Luc.* 6. 38.

JUſtiſſima improbis merces eſt Talio. Hanc enim legem juſtiſſimus legiſlator ſancit Levit. 24. 19. & Servator noſter Matth. 7. 2. *Qua menſura metimini, contra metietur vobis.* Cui reſpondet illud Jac. 2. 13. *Judicium ſine miſericordia erit ei qui non præſtiterit miſericordiam.* Et illud Abdiæ Prophetæ v. 15. *Ut feciſti, fiet tibi.* Quo pertinent verſus Senecæ de inferorum pœnis,

Quod quiſque fecit, patitur: auterem ſcelus
Repetit; ſuoque premitur exemplo nocens.

Pharao ſubmergitur, qui Hebræorum parvulos ſubmerſerat. Achabi & Iſabelis ſanguis effunditur, quod & ipſi fuderant aliorum. Idumæi lætantur ſuper interitu Iſraelis; vicinæ gentes lætantur ſuper interitu Idumæorum, Ezech. 35. 14, 15. Phineus, cum ſuos filios novercæ ſualu excæcaſſet, eandem poſtea cæcitatem expertus eſt. Ovidius,

Quid fodis immeritis natis ſua lumina, Phineu?
Pœna reverſura eſt in caput iſta tuum.

Diomedes Rex Thracum equos pavit carne humana; idemque ipſe tandem paſtus eſt, ſuis ab Hercule pabulum armentis datus. Hanc talionis juſtitiam expertus agnovit Adoni-Beſecus Judic. 1. Hanc eandem prædicavit Mauritius Imperator jamjam à Phoca occidendus. His ergo, ô homo quiſquis es,

Ni ſapis exemplis, deſipiendo ſapis.

Magna igitur pœna injuſtorum, ſed major remuneratio beneficorum, maxima Deum pie invocantium. Quantum enim eſt quod beneficis promittitur apud Lucam? μέτρον καλὸν πεπιεσμένον καὶ σεσαλευμένον καὶ ὑπερεκχυνόμενον δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν· ubi μέτρον καλὸν eſt generale de menſura non mutila ſed juſta & ordinata, **wenn das maß nicht zu klein iſt:** πεπιεσμένον pertinet ad materiam, quæ cedit compreſſioni; σεσαλευμένον reſpicit quaſſationem vel concuſſionem: ſunt enim quædam quæ arctius coëunt concuſſione; ideo ruſtici cavent ne quaſſatione coëant grana. Quadrat igitur verbum σαλεύειν grato debitori, qui non eadem tantum ſed etiam cumulatiore menſura vult reddere quod accepit: hinc σεσαλευμένον. Apud Poëtas affinis huic vox σαλάττειν eſt *implere aliquid largiter*; proprie tamen eſt *movere*, *concutere*, idem quod σαλεύειν. Leonidas Poeta Epigrammatarius in Anacreontem,

Πρόσθιον Ἀνακρείοντα χύδην σεσαλαγμένον οἴνῳ
Θάσιο.

En, inquit, *Anacreontem ita obrutum vino ut etiam redundet ac diffluat.* ὑπερεκχυνόμενον congruit ad liquida. Ad ſummam, mens

mens Domini eſt, Menſura cumulatiſſima Deum remuneraturum beneficentiam; nec de remuneratione illa dubitandum: Deum enim daturum menſuram cumulatiſſimam εἰς κόλπον *in ſinum ipſorum*, h. e. ita illis benefacturum ut ſenſuri ſint ſe eſſe remuneratos. Præclare igitur Nazianzenus hoc argumento beneficentiam nobis commendat carmine ad Hellenium,

Μέτρα Θεῶ μέτροισιν ἰσάζεται ἡμετέροισιν.
Οἷά περ ἀλλήλοις ἐνθάδε μετρέομεν,
Τοῖα διδοῖ μερόπεσσι Θεὸς μέγας· ἀλλὰ μετρὴν
Κρείσσοσι τὰ ηρείσσω νῦν τε καὶ ὑςάτιον.
Νῦν πᾶσ' ἀνθρώποισι θεμείλιον ἐὲ κάκιςον
Ἠὲ καλὸν βιότῳ βάλλετ' ἐφημερίῳ.

Jacobus Billius ſic reddidit proſa, *Dei menſura menſuris noſtris æquantur. Qualiaque inter nos in hac vita menſi fuerimus, eadem Deus quoque viciſſim nobis rependit. Utinam autem ergo alios ejuſmodi menſuram adhibeamus, ut nobis à Deo quoque & nunc & in altera vita melior menſura exſpectanda ſit. Nunc vita hujus caduca vel bonum vel malum fundamentum hominibus jacitur.* Et ad Julianum,

Τοῖα διδοῖ μερόπεσσι Θεὸς μέγας ἀντιτάλαντα,
Οἷά περ ἀνθρώπους ἐνθάδε μετρέομεν.
Τῷ βροτέῳ συναίρηζον, ἐπεὶ δέμας ἐξὶν ἅπασι.
Λάζυρος ἐν προθύροις· δὸς ψίχας ἀλλοτρίας.

h. e. *Qualia nos in hac vita metimur, eadem etiam Deus nobis viciſſim rependit. Proinde mortalibus fer opem, ipſe quoque mortalis corporeque conjunctus. En Lazarus præ foribus tuis jacet: alienas micas dato.* Jam pie Deum invocantes Servator in omnium quas deſiderant rerum poſſeſſionem immittit, dicens, *Petite, & accipietis. Quiſquis enim petit, accipit.* Εἰ μηδὲν αἰτεῖται ὁ Θεὸς, inquit Clemens Alex. l. 3. Pædag. c. 9. τὰ πάντα τῶ θεοσεβοῦς γίνεται, *Si Deus nihil negat, pii ſunt omnia.* Et eodem l. 3. c. 7. Οὐκ ἄρα ποτὲ ἀγαθὸς ἀνὴρ ἄπορος, ἕως ἂν ἔχῃ σῶαν τὴν πρὸς Θεὸν ὁμολογίαν· πάρεσι μὲν γὰρ αὐτῷ αἰτεῖσθαι καὶ λαμβάνειν ἂν ἐν δέηται παρὰ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων, *Vir bonus nunquam laboret inopia, quamdiu habuerit ſalvam in Deum confeſſionem: licet enim ei petere & accipere ea quibus indiget à Patre univerſorum.*

CAP. XL.

Sanctorum κάρφος, Hypocritarum δοκός, *Matth. 7. 3, 4. Chriſti ἐξουσία in docendo, v. 29. Querela Buceri de raritate iſtius ἐξουσίας in Miniſtris Evangelicis.*

SOlenne eſt hoc Hypocritis, Levia aliorum errata exaggerare, atrocia ſua delicta extenuare, h. e. quod Chriſtus eleganti ſimilitudine docet, βλέπειν τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτῶν, τὴν δὲ ἐν τῷ ἑαυτῶν ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖν, *ſpectare feſtucam in fratris oculo, trabem vero in oculo ſuo non animadvertere.* Κάρφος *feſtuca*, i. *herbæ culmen, aut aliquid ſtipulæ inſtar.* Unde Tertullianus in Apologetico c. 39. *Stipulam quis in alieno oculo facilius perſpicit quam in ſuo trabem.* Ariſtophani in Avibus κάρφη *ſarmenta.* Upupa enim advenas Athenienſes invitans rogat ut ingrediantur nidum ipſius καὶ τὰ κάρφη καὶ τὰ παρόντα φρύγανα· ubi Interpres, κάρφη καὶ φρύγανα ἐκ παραλλήλου, i. *ejuſdem ſignificationis.* In Medicorum Scholis κάρφη dicuntur *floccі & minutiſſima quæque apparentia in ſtratis.* Hinc καρφολογεῖν *feſtucas*, aut *paleas*, *legere*, quod eſt phreneticorum ſymptoma, ut ſcribit Galenus Com. 1. in Progn. imaginatione læſa. Et χεῖρας ἀτοκαρφολογούσας dixit Hippocrates. Galenus quoque lib. 4. De loc. aff. in delirio, quid ſibi adhuc puero febre ardenti laboranti obtigerit narrans, ſe ὑφυδίζειν καὶ καρφολογεῖν ſcripſit, h. e. *floccos evellere & feſtucas colligere.* De his igitur proximi floccis legendis, h. e. de minutiſſimis ejus erratis corrigendis, ſolicitus eſt hypocrita; at non animadvertit ſuam non dico δοκίδα, ſed δοκὸν, quam ita Servator appellat. Diſtinguunt enim Græci δοκὸν & δοκίδα: eſtque illis δοκὸς, *trabs*, ſeu *trabes*, & *tignum*; δοκὶς, *trabecula*, ſeu *parva trabes.* Hippocrates lib. De fract. δοκίδα ὑποτείνας ὑπὸ τὸν κλίνην μετρίην, *ſubtenſa lecto mediocri trabecula:* ubi Galenus δοκίδα exponit ὑποτεινόμενον κατὰ τὸ μῆκος τῇ κλίνῃ ξύλον, εἰ καὶ μικρὸν εἴτε δοκόν, *per longitudinem lecto ſubſtratum lignum*, ac ſi parvam trabem dixiſſet. Eſtque in nomine Græco δοκὸς pulcra alluſio ad indicium *opinionis* qua inflati homines tument, & in ſuperbia alios deſpiciunt, ad ſe non reſpicientes. In hujuſmodi cenſores graviter invehitur Gregorius Nazianzenus Orat. 2. de Pace, *Ubi tandem ſunt*, inquit, *illi mites quidem ſuorum judices, aliorum vero accurati inquiſitores; ut hoc etiam veritatem mendaciis involvant? Ubi tandem illis nobis ſunt qui, cum habeant vulnera, cicatrices exprobrant? qui offenſiones perſtringunt, cum ipſis lapſus accidant? qui in cæno ſeſe volutant, & propter maculas noſtras læti ſunt? qui ob trabes cacutiunt, & nobis feſtucas objiciunt, quæ oculis infixa nec admodum moleſta ſunt, & removeri ex oculis flando non difficulter poſſunt?* Elias Nazianzeni Scholiaſtes, interprete Leonclajo, FESTUCAS *vocat ex paleis vel herbis exilia maxime fragmina, quæ minutam propter exilitatem ac tenuitatem quaſi lanugineam neque moleſta ſunt admodum neque difficulter ex oculis rejici poſſunt. Quo vocabulo figurate utitur ad indicationem minimorum peccatorum, quæ etiam neglecta damnationem maximam non merentur, cujuſmodi ſunt quæ apud nos exiſtimantur eſſe* ἀδιάφορα. TRABES *vero ſunt craſſiſſima graviſſimaque ligna, per quæ delicta maxima ſignificantur, præſertim cum nihil ſit peccato gravius. Hæc nunc quoque complures facium. Si quem videant veſtem habere non neceſſariam & ſuperfluam, Domini legem ei objiciunt, cum ipſi rapiant infinita & quotidie ſua quædam lucra captent. Si largiorem ſumere cibum videant, acerbi accuſatores fiunt, cum ipſi diebus ſingulis temulenti ſint & crapulæ dediti, haud ſcientes ſe per peccata propria majorem ſibi ignem hoc modo cumulare.* Nec poſſum mihi temperare quin ſuperioris Theologi verba adſcribam quibus eorum qui alios tam leviter judicant & condemnant petulantiam coercet. Sic enim ille περὶ τῆς ἐν διαλέξεσιν εὐταξίας, interprete doctiſſimo Viro, *Ne condemnes fratrem, neve timiditatem appelles impietatem; nec præcipitanter vel damnans vel deſperans diſceſſeris, qui modeſtiam polliceris: ſed hic te ſummiſſum declarato, quam quidem diu licebit; hic honore potius fratrem affice, nullo tuo cum detrimento; ubi & condemnare & ignominia afficere eſt à Chriſto & unica ſpe excludere, triſticumque abditum ac majoris fortaſſe pretii quam tuum una cum malis herbis evellere. Quin potius partim illum corrigito, idque leniter & humane, non ut hoſtis, non ut durus medicus, non quaſi nihil aliud noris quam urere & reſecare: partim teipſum damnato & imbecillitatem tuam. Cur enim Solem obſcurum adſpicis, ipſe vel lema vel alio quodam oculorum vitio laborans? Cur omnia tibi videntur in gyrum agi, cum tu forte vel nauſeam ſentis vel temulentus ſis? Cur ignorationem tuam putas aliorum eſſe?* πολλὰ δεῖ γραφῆναι καὶ παθεῖν, πρὶν ἄλλου κατηγορῆσαι δυσσέβειαν, *multa verſanda ſunt animo, multa toleranda, priuſquam alium impietatis condemnes. Non paria ſunt, plantam aliquam vel florem temporarium, & hominem reſecare. Imago Dei es, adverſus imaginem Dei loqueris; & ipſe tu qui judicas judicaris; ſervum denique alienum judicas, & quem alius gubernat: ὕτω δοκίμαζε τὸν ἀδελφόν σου, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς αὐτοῖς μέτροις κρινόμενος, Sic in fratrem tuum inquirito, ut qui & ipſe iiſdem modis judicandus ſis.* Commate ult. dicitur Chriſtus docuiſſe ὡς ἔχων ἐξουσίαν *ut habens autoritatem.* Non enim δύναμιν dicit, ut cum Vulgato vertendum ſit *poteſtatem.* Ideo recte Lutherus, **er lehrte gewaltig! das iſt! mit einem groſſen anſehen und nachdruck!** quo ſignificatu vox ἐξουσία uſurpatur infra 21. 23. Illa ἐξουσία ſive *autoritas* elucebat in eo quod liberrime doceret, *neminem curaret, perſonam hominum non reſpiceret*, Matt. 22. 16. nec, ut Scribæ, diceret, *Hæc dicit Dominus*, ſed, *Ego dico vobis*; in edendis quin etiam miraculis non imploraret opem Patris, ſed adoleſcenti Naimico imperaret ut ſurgeret. Autoritatem igitur, etſi Chriſto multo inferiorem, aliquam tamen habeant oportet quotquot ad docendum alios Divinitus ſunt miſſi. De qua *autoritate*, ſive *poteſtate*, *data ſibi in ædificationem non in deſtructionem* multa & mira prædicat Apoſtolus 2 Cor. 10. 8. & 13. 10. & inter alia gloriatur *ſe inſtructum ſpiritualibus & per quam potentibus armis poſſe evertere omnem ſublimitatem quæ exſtollitur adverſus cognitionem Dei, & captivam ducere omnem cogitationem ad obediendum Chriſto*, 2 Cor. 10. 4, 5. *Qua autoritas & poteſtas Spiritus* (ſcribit M. Bucerus in præſentem Evangeliſtæ locum) *quia apud nos, qui Evangelion poſtliminio nobis recepiſſe videmur, rara aut nulla fere me apparet, atque ideo noſtra cum verba tum facta frigent & jacent, certum, prob dolor! argumentum exſtitit, perparum nos Spiritus quoque Chriſti conſecutos. Nequit enim ille ſui diſſimilis eſſe, & non eadem, ubi ubi fuerit, ad ædificationem audere & perficere. Eoque plurimum verendum multos hodie concionatores eſſe Evangelii, perpaucos autem Chriſti in Evangelio Miniſtros, quod Spiritus ejus potentiam & autoritatem tam paucis contigiſſe videamus, eoque ut Prophetæ ſunt ita populum quoque eſſe, utroſque in verbis ſitum omnem Chriſtianiſmum habentes, cum nequaquam in ſermone ſed in virtute regnum Dei conſiſtat. Magna igitur neceſſitas orandi ab optimo Patre, bonum Spiritum nobis immittat, ut verba factaque noſtra energiam & virtutem Spiritus, cum autoritate & di-*

dignitate, qua Chriſti gloria aſſeratur, habeant; quo feliciter ædificare pietatem, & demoliri quamvis omnem impietatem; ne vituperetur miniſterium noſtrum, neque habeamur contemptui ipſi; quod certe & Chriſti gloriam obſcurat, & offendat puſillos, ſalutemque multorum remoretur.

CAP. XLI.

Margaritæ non objiciendæ porcis, *Matth. 7. 6. ſunt Euangelium. Grynæana Margaritarum cum Euangelio collatio.*

VAlde delectatum fuiſſe Dominum Jeſum Margaritarum ſimili vel inde colligere poſſumus quod apud Matthæum bis eo utitur, ſemel c. 7. 6. iterum c. 13. 45. qui poſterior locus declarat priorem, oſtenditque Euangelium eſſe *pretioſam illam margaritam quæ coram porcis projicienda non ſit, & quæ inventa cum multis totius mundi opibus ſit commutanda.* Et ſane pulcerrima eſt Margaritarum cum Euangelio congruentia: Quam quia Joh. Jacobus Grynæus ὁ μαργαρίτης erudite expoſuit Epiſtolarum ſuarum à me editarum l. 2. ep. 9. non pigebit me verba illius huc tranſcribere. *Parabolam de margaritis*, inquit, *ipſemet Filius Dei Jeſus Chriſtus, Dominus noſter, nobis accurate perpendendam propoſuit, dicens*, Simile eſt regnum cælorum (*ſic vocat Eccleſiam ſuam, in qua ipſe regnat per Spiritum S. latoque Euangelii præconio & Sacramentorum uſu ſanctos ſuos exhibuerat*) cuipiam negotiatori quærenti pulcras margaritas. Qui inventa quapiam magni pretii margarita, abiens venum dedit univerſa quæ habebat, & emit eam. *Euangelium Jeſu Chriſti margarita illa pretioſiſſima eſt Matth. 7. 6. quam omnibus hujus mundi opibus anteferre, à vilis hominum doctrina prudenter ſeparare, Jerem. 15. 19. & cui ceu typo ita nos quoque conformari oportet ut vere pretioſi coram Domino evadamus.* Margarita *Græcis dicitur à nitore ſplendente. Celebratur autem &* lumen Euangelii gloriæ Chriſti irradians mentes fidelium 2 *Cor.* 4. 4. *Latini* uniones *vocant, quod indiſcreti nulli reperiantur. Sic una eſt Euangelii veritas: de qua Chryſoſtomus*, Una quippe veritas eſt, nec in multas ſcinditur partes. *Ac velut qui margaritam habet, novit ſe divitem eſſe, etiamſi ignotum nonnunquam illud ſit, cum parvo in loculo margarita recondatur; ſic & in prædicatione Veritatis, qui ei adhærent totoque pectore eam amplectuntur, ſe opulentos eſſe non ignorant, quamvis infideles, theſauri vim non cognoſcentes, fidelium opes contemnant. Omnes autem fideles μαργαριτόφορος* Margaritarii *eſſe debent. Margaritæ enim ſanctis deſtinatæ ſunt, non profanis hominibus, qui Canibus Suibuſque comparantur. Ideo Ambroſius*, Perdit, *ait*, cœleſtis margaritæ gratiam quiſquis eam ſœditſimo peccatori circundare conatur. Gemma enim, ſicut ipſi ſcitis, niſi auro non convenit; Margarita niſi pretioſis monilibus non aptatur. Eſtote ergo aurum optimum, eſtote monile pretioſum, ut poſſit in vobis margarita ſpiritualis includi. Margarita enim eſt Chriſtus Dominus, quam negotiator ille dives in Euang. venditis omnibus rebus ſuis emere feſtinavit, & maluit omnes quas habebat ſeculi gemmas amittere, tantum ut unam Chriſti emeret margaritam. *De natali ſolo margaritarum*, Indicus, *aut Plinius*, maxime has mittit Oceanus. Inter illas beluas tales tantaſque, per tot maria venientes, tam longo terrarum tractu, è tantis Solis ardoribus, atque Indicis quoque inſulis petunt, & admodum paucis. Fertiliſſima eſt Taprobane, & Toidis, ut diximus, in circuitu mundi; item Perimula promontorium Indiæ. Præcipue autem laudantur circa Arabiam in Perſico ſinu maris Rubri, *l. 9. c. 35. Euangelium cœlum allatum eſt. Cum enim omne Dei conſilium de ſalute noſtra complectatur*, Deumque nemo unquam viderit, *ἐκφάντως τῆς ἀληθείας*, unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit nobis, *Joh.* 1. 18. *Et quidem Euangelica margarita & obtinenda & retinenda gratia nullis ſumptibus, laboribus nullis, parcendum ſtatuamus, quando hanc ſolam æternam habere vim & gratiam per fidem intelligimus. Originem margaritarum Ammianus Marcellinus l. 23. Plinio ſubſcribens ita deſcribit*, Apud Indos & Perſas margaritæ reperiuntur in teſtis marinis robuſtis & candidis, permixtione roris anni tempore præſtituto conceptæ. Cupientes enim velut coitum quendam humoris ex Lunari aſpergine capiunt denſius eſcitando, exindeque gravidæ edunt minutas binas, aut ternas, vel uniones, ſic appellatas quod ejus terræ conchulæ ſingulas aliquoties pariunt, ſed majores. *In Eccleſia, gratuito benevolentiæ Divinæ tempore, Euangelii margarita, ſimul ac fide purgatur cor, non equidem in nobis gignitur, ſed nos regignit:* ut renati non ex mortali ſemine, ſed ex immortali, per ſermonem Dei vivi, diſcamus bona opera tueri ad neceſſarios uſus, ut non ſimus infrugiferi, 1 *Pet.* 1. 23. *Tit.* 3. 14. Conchas, ubi genitalis anni ſtimulaverit hora, pandentes ſeſe quadam oſcitatione impleri roſcido conceptu tradunt, *ait Plinius*, gravidas poſtea eniti, partumque concharum eſſe margaritas, pro qualitate roris accepti. Si purus influxerit, candorem conſpicis: ſi vero turbidus, & fœtum ſordeſcere. *Euangelium, ſi propenſa voluntate Chriſtus pure annuncietur, illuſtrius eſt; ſin autem προφάσει Chriſtus prædicetur, obſcurius minuſque purum. Quemadmodum autem uniones, licet in mari naſcantur, cum cœlo tamen cognationem habent; ſicut his verbis Plinius oſtendit, cum addit* margaritarum candorem pallere, cœlo minante conceptum; ex eo quippe conſtare, cœli eis majorem ſocietatem eſſe quam maris; inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina ſerenum: *Sic mentes doctrina Euangelii imbutæ & illuſtratæ cœlo junguntur, non terræ affiguntur*, ſuperna quærunt, ubi Chriſtus eſt ad dextram Dei ſedens, *Col.* 3. 1, 2. *Ait Plinius de Conchis*, Si tempeſtive ſatientur, grandeſcere & partus: *Sic cum in tempore annunciatur Euangelium, ſanctæ* adoleſcunt in eum per omnia qui eſt caput, nempe Chriſtus, *Eph.* 4. 15. *Col.* 1. 10. *Scribit Plinius*, Si fulguret, comprimi conchas, ac pro jejunii modo minui. Si vero & tonuerit, pavidas ac repente compreſſas quæ vocant *Φυσήματα* efficere, ſpeciem, verum inani inflatam ſine corpore: hos eſſe concharum abortus. *Idem evenire ſolet iis qui locum dant falſo doctori, umbras rerum, ſeu fulgura, non autem Chriſtum, qui juſtitiæ Sol eſt, docenti; cujus hæc deſcriptio eſt*, Nullus voluntarius moderator de vobis ſtatuat ex ſubjectione & cultu Angelorum, ſeſe ingerens in ea quæ non vidit, & temere turgens carnis ſuæ ſenſu, *Col.* 2. 18. *Etenim illi* ſemper diſcunt, nec unquam tamen ad veritatis agnitionem perveniunt, *ut de mulierculis quibuſdam Apoſtolus noſter loquitur 2 Tim. 3. 7. Atticanus Plinio nonnihil contradicens*, Quando, *ait*, cœlum tonat & fulgurat, & horrenda eſt tempeſtas, tum majores & lucidiores fiunt margaritæ. Cum autem conchæ gravidæ non immerguntur fluctibus, ſed innatant mari, Sole rubeſcunt margaritæ candoremque perdunt. *Euangelium, cum tonat & fulgurat mundus, eumque cœlum terræ miſceri videtur, confeſſores veritatis & martyres ardentiores & illuſtriores fiſtit. Quando autem hi non premuntur, ſed in ſublime attolluntur & deliciis enervantur, tum eximium illorum decus obſcuratur. Ideo Paulus dixit*, Oportet eſſe hæreſes, ut qui probati ſint, fiant manifeſti inter vos, 1 *Cor.* 11. 19. Similes *enim* ſunt domui ædificatæ ſuper petram, quæ non à culmine ruit aut etiam concutitur, etiamſi deſcendat pluvia, veniant flumina, & flantes reflanteſque venti ſæviant, *Matth.* 7. 24, 25. Uſu, *ait Plinius*, atteri non dubium eſt, coloremque indiligentia mutari. *Euangelium contra uſu niteſcit & augetur: diligenter autem cuſtodiri debet, ut ſincerum & impermixtum maneat.* Dos unionum omnis, *ait idem*, in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere, haud promptis rebus, in tantum ut nulli duo reperiantur indiſcreti: unde nomen Unionum Romanæ impoſuere deliciæ. *Euangelio dotes ſunt, quod non ſolum καθ' αὑτὸ, clarum, maximum, Epheſ.* 3. 18. *rotundum ſeu omnibus ſuis partibus perfectum, alienum ab omni aſperitate & inæqualitate, ſummique ponderis, ac profunde ἐναργέστατον eſt; ſed etiam illuminat oculos mentis, niveoque candore pectora imbuit, vere magnos, rotundos ſeu integros, ab omni aſperitate alienos, minimeque vanos leveſque efficit. Jure autem reprehendit Plinius* Loliam Paulinam Caji Principis matronam, quam ſe mediocrium ſponſalium cœna vidiſſe *ait* ſmaragdis margaritiſque opertam, altero textu fulgentibus, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus digitiſque: quæ ſumma quadringentis H. S. colligebat. *Addit tamen*, Nec dona prodigi Principis fuerant, ſed aviti opes. *Utinam vero matronis Chriſtianis & virginibus nobilibus & divitibus maxime probetur* ornatus non externus ille in nodis capillorum, & circumpoſito auro, vel palliorum amictu, ſed occultus ille cordis homo, ſitus in incorruptione lenis ac quieti ſpiritus, qui eſt coram Deo pretioſus, 1 *Pet.* 3. 3, 4. *Idem merito &* Cleopatram Ægypti Reginarum noviſſimam *reprehendit, quod ab Antonio Triumviro magnificentiſſime cænante interrogata*, quid adſtrui magnificentiæ poſſit, *reſpondit*, Una ſe cœna centies H. S. abſumpturam, *atque acuto liquefactum unionem abſorbuit, judicesque L. Planco vicit. Scilicet* 250000 *Coronatorum pretio æſtimatam margaritam tam impura femina vanitatis ſervire oportebat. Nos aliena vanitatis exemplis excitati, eam fugiamus, & nobis gratulemur eſum panis vita, quem electis ſuis Deus Pater præbet, & majores fieri vult quam omnes totius mundi unones, gemmas & theſauros.*

CAP.

CAP. XLII.

Querela Hieronymi Wolfii de condemnationibus Theologicis. Seculum noſtrum ſimile Optati Milevitani. Pleudo prophetæ *qui, Matth. 7. 15. Ubi olim, ubi hodie.*

JUſtiſſima querela eſt viri de bonis literis præclare meriti Hieronymi Wolfii Præfatione in Zonaram, *Theologi de juſto Dei judicio, de præmiis piorum, de ſupplitiis improborum concionantur, cum ipſi ſeſe quaſi terrigenæ illi fratres acutis exacerbatæ linguæ pugionibus confodiant, eundemque morbum in animis auditorum propagent: ut haud injuria dubitari queat an--ſed temperandum eſt calamo.* Fit hoc vel maxime cum vim ſermonis Domini Jeſu de *cavendis Pſeudoprophetis* explanant. Tum enim neſcio quis furor Homiliaſtas invadit, ut nomine *falſorum Prophetarum* contumelioſe traducere non dubitent quotquot vel de minimo doctrinæ Chriſtianæ apice ab illis diſſentiunt. Itaque crebris hoc uſurpare ſermonibus ſolco, *Optati Milevitani ſeculum eſſe renovatum.* Tum enim Donatiſtæ UNITATIS hoſtes qui qualeſque fuerint non tacet Optatus: *Nolunt ſe dici Fratres noſtros*, lib. 1. *Interrogati de religione ſua reſpondent ſe eſſe de parte Donati*, lib. 3. *Convitia noſtra ſuis tractatibus miſcent. Lectiones Dominicas incipiunt, & tractatibus ſuis ad noſtras injurias explicant. Proferunt Euangelium, & faciunt abſenti fratri convitium. Auditorum animis inſigunt odia, inimicitias ſuadendo, docendo ſuadent*, lib. 4. *Aliqui illorum in perfunctoria ſalutatione oſcula denegant ſolita. Et docentur multi ne AVE dicant cuiquam noſtrum. Et videntur ſibi hoc de lectione, ſed non intellecta, mandare, ignorantes de quibus Apoſtolus hoc dixerit,* CUM HIS NEC CIBUM CAPITE. AVE ILLI NE DIXERIS, Ibidem.

Horum Donatiſtarum qui hodie ſint ſimiles nihil attinet dicere. Ipſi illi dicunt qui vel rogati fraternitatem omnem fratribus denegant; Dominicis lectionibus nullo non convitiorum genere fidei ſocios proſcindunt; *Pſeudoprophetas, hæreticos, Judæos, Mahometiſtas, Atheos*, quinetiam proclamant omnes illos quos in controverſiis fidei unitatem minime dirimentibus non habent ὁμοψήφους. Atqui exquirendum prius Homiliaſtis iſtis fuerat quinam *Pſeudoprophetæ* dicantur in Scriptura Sacra quam nominis illius prætextu in obvios quoſque antagoniſtas, ſæpe etiam innocentiſſimos, declamitandum. Neque enim quando Servator *cavendos* præcipit *Pſeudoprophetas*, omnes in Prophetarum falſorum cenſum refert qui aliquid falſi docent, ſed illos duntaxat qui de Chriſtianæ Religionis principiis ſive fundamentis ἑτεροδοξα ſonant, & à vera ſalutis via homines abducunt. *Veniunt* enim Pſeudoprophetæ *in veſtitu ovium*: quod nihil aliud deſignat quam *hypocriſin*, interprete Apoſtolo 1 Tim. 4. 2. Jam vero plures invenias qui falſi quidem quid docent, hypocritæ autem non ſunt, ſed Deum corde diligunt, & rem Chriſti quanto poſſunt ſtudio promotam cupiunt. Quid enim? Juſtinum Martyrem & Irenæum hypocriſeos poſtulabis, qui falſo ſcripſere *Chriſtum poſt reſurrectionem mille annis in urbe Hieroſolyma dominaturum?* Hieronymus, cujus à tota Eccleſia celebratur pietas, ideirco ne hypocrita quod falſo docuit *infantes eſſe ἀναμαρτήτους?* Hypocrita igitur & Auguſtinus, qui falſo docuit *Euchariſtiam parvulis communicandam.* Hypocrita Lutherus, qui aliquot ab ejurato Papiſmo annis & Invocationem Sanctorum, & Purgatorium, & Adorationem Sacramenti, pluresque alios errores retinuit & defendit. Dico quid amplius. Apoſtolorum coryphæus Petrus primis Apoſtolatus ſui annis falſo putabat prædicationem Euangelii non pertinere ad Gentes, nec poterat ab errore illo niſi viſione Divina liberari: ergone hypocrita erit vir citra dubium ſanctiſſimus? Cum igitur fieri poſſit, imo vero cum ſæpe fiat, ut etiam ſinceri optimique Doctores in ſummo errore atque in maxima plurium rerum ignoratione verſentur, falſi autem Prophetæ, teſte Domino, hypocritæ ſint, concludimus firmiter, Servatorem per *falſos Prophetas* non omnes & ſingulos qui falſi quid docent, ſed eos duntaxat intelligere qui Religionis Chriſtianæ principia impugnant, adeoque veri Chriſtiani non ſunt, quacunque etiam ſanctitatis externæ larva ſe venditent. Præterea Pſeudoprophetæ vocantur *lupi rapaces*, h. e. ejuſmodi Doctores quos qui audiunt æternum pereant neceſſe eſt. Atqui non omnes illi rapaces lupi qui falſi quid docent. Nam, quod modo docuimus, Juſtinus, Irenæus, Hieronymus, Auguſtinus, Lutherus, aliquando & ipſi falſa quædam docuerunt; quos tamen nemo ideirco *lupos rapaces* dixerit, cum conſtet fidiſſimos gregis Dominici Paſtores fuiſſe: & Petrum primo N. T. Pentecoſte tria hominum millia converſiſſe, quantumvis adhuc errore illo occupatum, Gentes à Regno Chriſti excludendas eſſe: Lutherum etiam primis miniſterii ſui annis plurimos ad ſalutarem Dei & ſui agnitionem adduxiſſe, etſi de Purgatorio & aliis fidei capitibus Papiſtice doceret. Ex præſenti ergo Chriſti ſermone nullo modo colligi poteſt, Omnes & ſingulos promiſcue pro falſis Prophetis habendos, qui erronea quædam profitentur, ſed illos demum qui ἑτεροδοξα de fundamento fidei proponunt, atque iſta doctrina ſua aſſectarum ſuorum animas in æternæ damnationis barathrum præcipitant. Quod hic Chriſtus, idem Apoſtolus docet 1 Cor. 3. 11-15. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus. Quod ſi quis ſuperædificet ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, cujuſque opus manifeſtum fiet: dies enim declarabit: nam per ignem retegetur, & cujuſque opus quale ſit ignis probabit. Si cujus opus manebit quod ſuperædificaverit, mercedem accipiet. Si cujus opus exuſtum fuerit, damnum faciet; ipſe vero ſervabitur, ita tamen ut per ignem.* Mens Apoſtoli eſt, *Salvatum iri qui ſuper fundamentum* Religionis Chriſtianæ conſtanter retinent, utut *fundamento illi ſuperædificent fœnum & ſtipulam.* Jam vero certo certius eſt nullum *Pſeudoprophetam* ſalvatum iri, Apoc. 19. 20. Non igitur quiſquis *fœnum & ſtipulam ſuperædificat* falſus Prophera. Ad hæc ſi attendere vellent Euangelici noſtri, à mutuis inſectationibus & condemnationibus proculdubio abſtinerent: quippe qui in fundamento Chriſtianæ Religionis pulcre conveniunt, creduntque non niſi fide per ſanguinem & mortem Jeſu Chriſti nos ſalvos fieri; & quotquot viva fide præditi ſunt, vi Spiritus Chriſti ſanctimoniam ſectari, ſine qua nemo Dominum ſit viſurus.

CAP. XLIII.

Nec Mores, ſive illi boni ſive mali, nec Dona, ſive exigua ſive eximia, veri vel mali Doctoris certum ſunt indicium.

VUlgatiſſima opinio eſt, Falſorum Doctorum notas eſſe falſam Doctrinam & malos Mores. Qui ſupra vulgus ſapiunt, admirantur dona vel Prophetiæ, vel Miraculorum, vel Eloquentiæ in dicentibus. Iſti vero errores caſtigandi ſunt. Boni mores ſæpe fallunt: apparent enim aliquando in cute, non reſident in carne. Atque ut pulcrior eſt flos Spinarum quam Vitium, ita ficta pietas ſæpe vera & ingenua videtur illuſtrior. Mali mores arguunt malum Chriſtianum, non malum Doctorem. Chriſtum beneficum avarus Judas, pacificum contentioſi Philippenſium Doctores prædicant. Multi ædificant arcam Noæ qui eam non ingrediuntur. Multi tranſeunt mare Rubrum qui Terram promiſſam non vident. Habet enim & hic locum illud, *Porta eſt anguſta & ſtricta via quæ ducit ad vitam.* Quod etiam Heſiodus agnovit, qui *virtutis viam & aſperam & inacceſſam* proponit. Simonides item, qui *habitare virtutem* dicit *petras invias & inacceſſas.* Theodoretus Serm. 12. Monet quidem proverbium, *Per viam publicam non eundum*, ſenſu puta & vita: fit tamen ut multi qui aliis angultam ſalutis viam monſtrant, latam damnationis currant. Mores igitur ſive boni ſive mali non ſunt indubitatum doctrinæ ſive veræ ſive falſæ in Doctore τεκμήριον. Sed nec Dona, ſive illa eximia ſive exigua, aut etiam nulla. Quid excellentius dono Prophetiæ? tamen inter veros Doctores non omnes Prophetæ recenſendi. Ut enim non quotquot dicturi ſunt, *Domine, in nomine tuo prophetavimus*, veri ſunt Chriſtiani (*Nihil enim prodeſt donorum largitas*, veriſſime ait Fulgentius, *ubi donum aliquod Spiritus habetur, & Spiritus ipſe non habetur. Ibi autem eſt Spiritus S. ubi eſt charitas de puro corde, conſcientia bona, & fide non ficta*) ita nec veri Doctores quotquot dono Prophetiæ ornati. Prophetæ Balaamus, prophetæ Caiaphas, neuter vero Propheta. Diſcerne igitur inter inſtrumentum & actionem Dei; qui pro ſuo in malos imperio ac poteſtate ſæpe verbum ſuum in ore impiorum ponit, quorum cordibus gratiam ſuam non apponit; & ubi Prophetia eſt bona & ſana, Propheta tamen in ſe eſt malus & vanus. Qua de re quidam eleganter dixit, *In impiis quandoque eſſe dona Dei ſine Deo.* A dono Prophetandi proximum eſt donum Miraculorum. Sed nec Miracula ſunt veri Doctoris nota. Docet enim experientia Diabolum poſſe æmulari opera quædam Dei, ac mirifica aſtutia, ludibriis & impoſturis homines fallere & faſcinare. Docet Scriptura *Antichriſtum venturum cum omni potentia & ſignis ac prodigiis*, ſed bene addit *mendacibus*, 2 Theſſ. 2. 9. Poſtremo Eloquentia, ſi vel Tulliana vel Demoſthenica ſit, veri Doctoris nota non eſt, niſi Neſtorium & Rhetores Jeſuitas veris Doctoribus accenſere velis. Et

malim ego pietatem indiſertam quam vel eloquentiſſimam profanitatem. Nam, ut bene Athanaſius De ſcitente, Τί τὸ ὄφελος, ἐὰν εὐσύνθετος μὲν ὁ λόγος, ἀκατασύνθετος δὲ ὁ τρόπος; εἰ μὲν γὰρ σοφιστῇ διδασκαλεῖον ἦν ἡ ἐκκλησία, εὐγλωττίας ἦν ἂν καιρός· ἐπειδὴ δὲ τρόπων ἀγὼν καὶ καρποφορία τὸ προκείμενον, καὶ προσδοκᾶται ἐραυνᾶν τὸ προσδοκώμενον, μὴ γλώττα ζητεῖσθω, ἀλλ' ὁ τρόπος κατορθούσθω, *Quid prodeſt ſi concinnus eſt ſermo, & mores ſint inconcinni? Si Eccleſia eſſet auditorium Rhetorum, opportuna res eſſes eloquentia: ſed quia certamen de moribus & de fructificatione propoſitum eſt, & cœlum eſt quod exſpectatur, non lingua requiritur, ſed mores boni.*

CAP. XLIV.

Prima Luporum rapacium nota eſt Falſa doctrina. Hujuſmodi Lupi Papiſtici Doctores eſſe convincuntur.

QUæres nunc, lector, quæ igitur vera *Luporum rapacium* ſit nota, ut mandato Domini morem gerens tibi ab illis caveas. Abſolvam te paucis. Duplex illorum nota: prior eſt falſa doctrina; altera, doctrinæ fructus amari. *Falſam doctrinam* voco quæ Scripturæ Divinitus traditæ διαμέτρως contradicit. Falſi igitur Doctores qui docent,

1. *Peccatum non eſſe quicquid legi Dei repugnat*, contra Scripturam, 1 Joh. 3. 4.
2. *Hoc proprie vocari Peccatum quod libera voluntate & à ſciente committitur*, contra Scripturam, Lev. 5. 17. Pſ. 19. 12.
3. *Poſt Baptiſmum peccatum nullum remanere in ſanctis*, contra Scripturam, 1 Joh. 1. 8.
4. *Concupiſcentiam, quæ reliqua eſt in renatis, licet repugnet legi Dei, tamen non eſſe ſua natura peccatum*, contra Scripturam, Matth. 5. 28. Rom. 7. 7.
5. *Renatos poſſe in hac vita ſuis operibus conſequi perfectionem Legis*, contra Scripturam, Luc. 17. 10.
6. *Summa Dei miſericordia fuiſſe ut velle operantibus vitam æternam promitteret*, contra Scripturam, Joh. 3. 16.
7. *In dilectione ſalutem & vitam omnem noſtram conſiſtere*, contra Scripturam, Joh. 1. 17.
8. *Doctrinam Euangelii propriam eſſe*, SI VIS AD VITAM INGREDI, SERVA MANDATA, contra Scripturam, Act. 16. 31. Rom. 1. 17.
9. *Hominem poſſe ſe parare ad ſuſceptionem Divinæ gratiæ*, contra Scripturam, 2 Cor. 3. 5. Phil. 2. 13.
10. *Fidem non tantum aſſentiri verbo Dei ſed etiam traditionibus*, contra Scripturam, Pſal. 119. 105. Gal. 1. 8.
11. *Juſtum, qui ex fide vivit, non habere id è Chriſti, ſed ex operationibus ſuis*, contra Scripturam, Gal. 2. 20.
12. *Ad fidem non eſſe referendam certi cujuſdam privati hominis ſalutem; admodum enim incertam eſſe privatam hominum juſtificationem, multoque magis æternam ipſorum ſalutem*, contra Scripturam, *Ego vivo in fide Filii Dei*, Gal. 2. 20. *Tu ſalvus fies, crede in Dominum Jeſum*, Act. 16. 31. *Tibi remiſſa ſunt peccata*, Matth. 9. 2.
13. *Æternam ſalutem ſibi donandam firmiter ſperari, non credi; Spem autem ſubinde fallere, cum alioqui ſpes non foret*, contra Scripturam, Rom. 5. 5. Heb. 6. 19.
14. *Juſtitiam Chriſtianam eſſe, Declinare à malo & facere bonum*, contra Scripturam, Rom. c. 1, 2, 3, 4, 5. Gal. c. 2, & 3.
15. *Juſtificationem fieri per charitatem, quæ nos filios & amicos Dei efficiat*, contra Scripturam, Gal. 2. 21.
16. *Juſtitiam Dei quæ in Euangelio revelatur eſſe virtutem in Deo, qua juxta unuſcujuſque dignitatem ſingulis tribuat*, contra Scripturam, Rom. 1. 17.
17. *Chriſtum morte ſua hoc impetraſſe à Patre, ut quicunque fide mortem ejus amplectuntur, juſtitia vera imbuantur, qua eſt ſanctitas, virtus ſeu nova qualitas inhærens in ipſo homine; & propter illam inhærentem qualitatem, quæ eſt Dilectio, accipere nos reconciliationem*, contra Scripturam, Pſ. 32. 1, 2.
18. *Duplicem eſſe Juſtificationem, priorem & poſteriorem. Chriſtum morte ſua hoc nobis meruiſſe, ut credentes renoventur & imbuantur charitate & aliis virtutibus: hanc priorem eſſe Juſtificationem. Accepta vero nova qualitatibus propter meritum Chriſti, jam porro hominem ipſum promereri inhærente illa juſtitia majorem, plenio-*

rem, exactiorem juſtitiam, reconciliationem, adoptionem & vitam æternam: quæ poſterior ſit Juſtificatio, contra Scripturam, Pſ. 143. 2. Iſa. 64. 6.

19. *Hominem pro peccatis poſſe ſatisfacere Deo ſecundum menſuram proportionis, licet offenſio ſit infinita & ſatisfactio noſtra finita*, contra Scripturam, Luc. 17. 10.
20. *Sanctos eſſe invocandos ut interceſſores noſtros*, contra Scripturam, 1 Tim. 2. 5.
21. *Non Divini ſed humani juris eſſe, Laicos ſub una vel utraque ſpecie communicare*, contra inſtitutionem Domini.
22. *Primariam inſtitutionis Cœnæ ſacræ cauſam eſſe ut ſacrificium haberemus quod Deo Patri offeratur*, contra Scripturam, Heb. 10. 14.
23. *Traditiones Eccleſiæ Romanæ habere parem autoritatem cum teſtimoniis Scripturæ*, contra Scripturam, Matth. 15. 9.
24. *Matrimonii doctrina impudentiæ januam aperiri, ac animis libidinis faces adminiſtrari*, contra Scripturam, Heb. 13. 4.
25. *Legitimas nuptias eorum qui cœlibatum voverunt & continere non poſſunt damnandas*, contra Scripturam, 1 Cor. 7. 9.
26. *Igne purgatorio expiari peccata*, contra Scripturam, 1 Joh. 1. 7.
27. *Pontificum Romanorum perpetuam Succeſſionem apertum indicium eſſe Eccleſiæ Catholicæ & fidei Apoſtolicæ*, contra Scripturam docentem, *Ubicunque duo aut tres congregati fuerint in nomine Jeſu, ipſum in medio illorum eſſe*, Matth. 18. 20.
28. *Penes Eccleſiam eſſe quadam etiam in S. literis expreſſa commutandi*, contra Scripturam, Deut. 4. 2.
29. *Dei imaginem exprimi poſſe & debere*, contra Scripturam docentem, *Deum nec velle nec poſſe nec debere exprimi illa imagine*, Deut. 4. 12. Iſa. 40. 18. Deut. 4. 15. Exod. 20. 4. Iſa. 40. 21. &c.
30. *Deum per imagines invocandum*, contra Scripturam, Exod. 20. 4. Lev. 26. 1.

Ingredere nunc Jeſuitarum collegia & Monachorum clauſtra, ingredere quoque Euangelicorum templa, audi quid ab utrisque proponatur, idque cum Scripturis ſanctis compara, advertes illico quibus in locis *contecti ovinis pellibus* doceant *lupi rapaces.*

CAP. XLV.

Altera Luporum rapacium nota eſt Doctrinæ fructus. Collatio dulcis fructus Fici & amari Spinarum.

PRima *Luporum rapacium* nota fuit hujuſmodi. Tango nunc alteram, quam falſæ doctrinæ fructus nobis commonſtrant. *A fructibus eorum agnoſcetis eos*, inquit Salvator. *Num colligunt ex ſpinis uvam, aut ex tribulis ficus?* Uva dulcis vitem, ficus ficum, uva labruſca vepres jactat parentes: Pari ratione ex Luporum rapacium doctrina Impietas in omni vita, Deſperatio in morte naſcitur; contra veri Prophetæ in animis auditorum ſuorum plantant Pietatem vitæ, & Conſolationis firmitatem in omni animi angore, maxime in morte. Confer nunc amaros fructus tribulorum Pontificiorum cum dulcibus uvis vitis Euangelicæ, à quibus arboribus abſtinendum, qui Prophetæ cavendi, nullo negotio diſces. *Non poteſt arbor mala bonos fructus ferre*: Non poteſt doctrina Jeſuitica parere niſi Impietatem in vita, Deſperationem in morte. Exſulat enim ab illorum templis doctrina de Fedele Dei gratioſo; contra, dominantur in iis declamationes de Virtutibus Philoſophicæ, & humanarum Traditionum præconia ſuperſtitioſiſſima. Hinc Impietas in vita, Deſperatio in morte. Vitæ Profanitas in ipſa Pontificiorum arbore naſcitur. Nam illos bonorum omnium operum fontes, Amorem & Timorem Dei, obſtruunt. Amorem Dei, dum tollunt Fiduciam de Dei erga nos favore, & ejus loco ſtatuunt ſuam Dubitationem. Timorem Dei, dum perſuadent hominibus, Confeſſione auriculari ipſos liberari à peccatis; ſin minus, præſto eſſe Indulgentias bene multas pecunia redimendas. Si nec hæ ſufficere videantur, ſupereſſe Pontifici vium Diſpenſationis, qua, Non Obſtante lege Dei, permittat negligere Divinitus mandata, & facere Divinitus vetita. Accedere Viaticum itineris extremi, Deum Maoſim, qui vel ſine ullo utentis bono motu deglutitus impiiſſimum quemque ſalvet. Quod ſi culpa remiſſa in Purgatorio pœna luenda ſit, paratum homini in ipſo igne redemptionis ſolatium, ſacrificia Miſſalica

Je-

Jeſuitarum, preces Monialium, boatus Monachorum. Neque vero fontes duntaxat Amoris & Timoris Dei obſtruunt Pontificii, ſed (quod horrendum dictu) præcipiunt etiam de Impietate, puta, De Impuritate; quando omnes Sacerdotes jubent manere cœlibes, cum tamen donum continentiæ vix unus & alter habeat. Unde libidines Monachorum & Monialium excuſare audent Jeſuitæ, & Sodomiæ ſcelus nonnulli dilaudarunt de Pontificiorum gregalibus. De Perfidia; quando ſtatuunt, Illud omnis humanæ ſocietatis vinculum, Fidem, fallendum, quotieſcunque id è reſit Eccleſiæ Romanæ. Unde Guicciardinus, hiſtoricus Pontificius, (referente Alberico Gentili, De jure belli l. 3. c. 19. pag. 662.) narrat, *Proprium id cenſeri Pontificum, Non curare promiſſa: eſſeque ſtatutum ut Eccleſia, nullo obſtante contractu, promiſſiones, adepto beneficio, poſſit retractare, & contra eas obligationes diſerte venire quas peregerint Prælati ſolenniter.* De Tyrannide; quando armant Reges adverſum fideles; & mactant eos qui nullius unquam erroris, nedum blaſphemiæ, fuere convicti. De hac tyrannide Martyrologia loquantur & hiſtoria Inquiſitionis. De Idololatria; quando Mariæ invocationem diſerte mandant, & idololatriam talem licitam eſſe ſcribunt; Greg. de Valent. De idololatr. l. 2. c. 7. De Crimine læſæ majeſtatis; quando diſcipulis ſuis inſtillant odium Magiſtratus legitimi, eoſque quaſi armant ſicis, & flammis inſtruunt, quibus Reges vel interimant vel comburant: quorum illud in Gallia non ſemel, hoc in Anglia ante paucos annos tentatum. Primus igitur doctrinæ Papiſticæ fructus eſt Impietas in vita. Hunc excipit alter, amariſſimus & ipſe, in tentatione & morte Deſperatio. Da enim mihi hominem ſenſu iræ Dei conſternatum, & cum metu æternæ abjectionis luctantem, eique Confeſſiones, Satisfactiones, Peregrinationes, Sanctorum Merita ſuggere, an non meras ſpinas loqueris quibus animus illius pungatur? Confugere miſerum jubebis ad Preces? At quem in tanto Mediatorum numero invocabit? Mariam? Petrum? Paulum? alium? Quid ſi non audiant? quid ſi ne juvare quidem poſſint? O aculeatas ſpinas! Num Purgatorii igne illum ſolabere, facta redemptionis ſpe per preces Sacrificulorum? Cor hominis adhuc acrius punges quod certo igni deſtinas, à quo dubium utrum per murmura Miſſatica poſſit unquam liberari. Hoc nimirum eſt quod Servator ſibi vult, dicens, *Non colligunt ficus è tribulis, aut uvas è ſpinis.* Converte nunc animum, ô homo, & arborem Euangelicam contemplare: quam dulces in ea ficus naſcuntur, Pietas in vita, vivida Conſolatio in morte! Euangelicis enim limpidiſſimi bonorum operum fontes quotidie aperiuntur, Amor Dei, & Timor Dei. Amor Dei, quando docentur filiali fiducia amplexari Deum per Dominum Jeſum ipſis placatum. Unde identidem illa cum Apoſtolo ingeminant, *Illuxit gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, ſapienter & juſte & pie vivamus in præſenti ſeculo.* Item, *Charitas Chriſti conſtringit nos; ut qui hoc ſtatuerimus, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe; ut qui vivunt, poſthac non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Timor Dei plantatur in Euangelicorum verorum cordibus, quando quotidie aures illorum perſonant vocibus iſtis, *Ne efferter animo, ſed time. Nam ſi Deus naturalibus ramis non pepercit,* vide *ne tibi quoque non parcat.* Item, *Si in virente ligno id faciunt, in arido quid fiet?* Rurſum Euangelicis ex Dei verbo vivida Conſolatio in tentatione pariter & morte ſuggeritur. Tentato accinitur illud, *Confide, fili; remiſſa ſunt tibi peccata.* Morituro inſuſurramus iſta, En, frater, vocat te hora mortis. Nulla tibi in teipſo ſpes relicta eſt; in Sanctis nulla, quia & hi ipſi non niſi in Chriſto præſidium quærunt. Age igitur, conjice peccata tua alacerrima ſpe in Jeſum, illum Agnum Dei. Orat is pro te ne deficiat ſcintillula fidei tuæ. Recipiet is te, ut latronem illum converſum: hodieque audies optatam vocem, *Eris mecum in Paradiſo.* Hoc eſt quod teſtamento cavit ante agonem, *Pater, volo ut & iſti mecum ſint.* In Paſſionis igitur & Mortis ejus meritum recumbe plena fide. Angelos mittet exceptum animam tuam. Hoc conſolationis viatico migra ad Jeſum tuum. Nos brevi, depoſita hac carnis ſarcina, te ſequemur ad illud gaudium quod vincit omne gaudium, extra quod non eſt gaudium: ubi tecum inter ſanctiſſimos B. Spirituum choros Deum noſtrum ſine fine videbimus, amabimus, laudabimus. Videas hic efficacitatem Euangelii moventem & exſerentem ſe in piorum gemitibus, in precibus, in deſideriis ſanctiſſimis, in votis ardentiſſimis. Alii oculis Stephanicis vident cœlos apertos; alii Simeonis oculis, ſenilibus illis quidem ſed Divino lumine plenis, Salvatorem ſuum intuentes nil niſi beatam ἀπόλυσιν ſuſpirant; multi ante mortem de devicta morte triumphant; nonnulli in ipſa morte vitam conſpicati, *Non morieniur*, inquiunt, *ſed vivemus, & opera Domini narrabimus.* Hos igitur arboris Euangelicæ & Pontificiæ diverſiſſimos fructus qui contulerit, facillime arborem bonam ab arbore mala, doctrinam bonam à doctrina mala, Doctores bonos à Doctoribus malis diſcernet.

CAP. XLVI.

Lepra ſcabiei ſpecies, familiaris Paleſtinis. Fabula de Judæis Ægypto pulſis. Cur Judæi Sues præ cæteris animantibus fugiant. Phraſis εἰς μαρτύριον αὐτοῖς explicatur Matth. 8. 4.

INter cutis vitia aut fœdatæ cutis affectiones numerantur Hippocrati λέπρα, Aphor. 20. lib. 3. Tale cutis vitium creditur fuiſſe Lepra à Domino Matth. 8. curata, vitiliginoſæ videlicet cutis deformitas. Arnobius de Domini miraculis verba faciens, *Unus fuit è nobis cujus fœda vitiligines juſſioni obtemperabant.* Et rurſus, *vitiligines, querqueras, atque intercutes morbos.* Rurſuſque, *Ille notas albicantium vitiliginum manu admota deterſit.* Bene dicit *albicantium.* Nam & alba ſcabies iſta eſt & ſquamis deformis. Ideo Herodotus lib. 1. λέπρας exponit λευκήν. Exſtant autem ſevera Dei edicta de Lepra non hominum modo, ſed veſtium quoque, & domorum. Quæ cauſa eruditis nonnullis videtur cur, cum plures animantes olim non naturæ aut rationis dictamine ſed incerta Numinis voluntate impuræ ſint habitæ, Levit. 11. Judæi Sues præ cæteris quorum fugam Lex indixit magis anxie ſemper vitaverint. Nimirum quia in Suibus ſcabies & immundities non vitium ſed natura eſt, ideo ne ad corporum pravam affectionem contagio aliqua accederet ex eſu contactuve, paulo ſuperſtitioſius averſari ſunt Suem quam lex Numinis fortaſſe juſſerat. Non audiendi igitur ſcriptores profani qui ideo Judæos ab eſu ſuillæ abſtinuiſſe volunt quod illi ſuperſtitione quadam Suem, perinde ut Ægyptii Felem, colerent. Plutarchus ſic cenſuit, Petronius item in illo,

Judæum licet & porcinum numen adoret,
Et cœli ſummas advocet auriculas.

Fuiſſe autem morbum Lepræ Paleſtinis familiarem, vel ex Luc. 4. 27. itemque ex ſanatorum leproſorum miraculis patet. Cauſa ignoratur. Illud notum; Ortam inde fabulam de Judæis propter tabem Ægypto pulſis, quam pro vera hiſtoria lectori Tacitus & Juſtinus venditarunt. Cæterum Lege jubebantur leproſi ſanati oſtendere ſe Sacerdoti, judicaturo utrum vere necne ſanati eſſent. Jubebantur præterea ſi vere ſanati eſſent, offerre præceptum à Domino Lev. 14. munus, unde partem Sacerdotes ſuam habebant. Servator igitur, qui beneficia ſua nemini fraudi eſſe voluit, utrumque mandat leproſo ſanato, & ut *oſtendat ſe Sacerdoti* ſanationis judici, & ut *munus ſuum offerat.* Hinc planiſſimus eſt ſenſus verborum Domini, *Offer donum illud quod imperavit Moſes εἰς μαρτύριον αὐτοῖς*, h. e. *in legem*, vel *jus*, *illis.* *Teſtimonium* enim Hebræis ſæpe *jus & legem* ſignificare ex Pſal. 119. notum eſt. Germani dicunt, Es iſt ſeine gerechtigkeit. Hoc igitur vult dicere Dominus, Etſi vere mundus es, nec hominum approbatione miraculum indiget, tamen quia jura Miniſterio debita nolo adimere, cum nemo ſuis ſtipendiis militet, præcipio tibi ut *quæ Moſes* Dei juſſu *illis*, nimirum Sacerdotibus, *in teſtimonium*, h. e. legem & jus, *ſtatuit, ſancta habeas, eas, oſtendas te Sacerdoti*, ut te mundum judicent, *offeras item ſtatutum munus*, unde partem illi ſuam habeant, ita neque autoritatis neque commodi ſui jacturam ex beneficio meo facturi. Hæc interpretatio & cum Hiſtoria Moſaica, & cum Grammatica vocum pulchre concordat. Longius paulo abit Camerarius, qui ἐλλειπτικῶς iſta dici putat, hoc ſenſu, *Donum illud offerto quod offerri debere edixit Moſes, ad teſtimonium ipſis qui liberati illo morbo eſſent, ut de eo deinde conſtaret.* Longiſſime à ſcopo textus recedit interpretatio Lutheri, zum zeugniß über ſie! h. e. *in teſtimonium adverſus ipſos:* quaſi hoc miraculo Chriſtus Sacerdotes convincere voluerit *ſe eſſe verum Meſſiam*, &, quod Theophylactus addit, *ſe non eſſe deſtructorem Legis.* Atqui ſevere mandat ſanato ut nemini mortalium quo Medico uſus ſit ſignificet. Nullo modo igitur Sacerdotes hoc miraculo potuerunt convinci *Chriſtum Meſſiam eſſe, Legis deſtructorem non eſſe.* Sane Mat. 6. 11. phraſis *εἰς μαρτύριον αὐτοῖς* ſenſum hunc habet, *in teſtimonium adverſus ipſos*: ſic enim Lucas c. 9. 5. Marcum explicat, *εἰς μαρτύριον ἐπ' αὐτούς*· nec alium ſenſum fert contextus. Hoc vero loco nec ſenſus poſtulat *αὐτοῖς* pro *ἐπ' αὐτούς* accipere, nec Euangeliſtæ Marcus & Lucas aliter quam Matthæus verba Domini effantur.

CAP. XLVII.

Vita aterna, perpetuum Convivium; Matth. 8. 11.

FAteor me delectari ſententia Salomonis Proverb. 15. 15. טוב לב משתה תמיד, quod Chaldæus ex interpretatione Montani reddidit, *Hilaris animus convivium eſt continuum:* & Sebaſtianus Caſtalio, *Læta mens, perpetuum convivium.* Nam ut amico convivio ita bona conſcientia nihil jucundius in hac vita. Itaque in gratiam Nobiliſſimi Viri Georgii Chriſtophori à Berge Equitis Sileſii ſententiam illam ſequenti diſticho olim inclusi,

Mens Recti ſtudiis & Jove læta favore
Perpetua celebrat tempora lætitia.

Verum convivii hujus dulcedo per quotidiana noſtra ἁμαρτήματα ſæpe, & eheu! nimium ſæpe, interpellatur. Benedictus igitur Deus noſter, qui convivium vere perpetuum nobis apparavit in cœlis, cujus gaudium nulla obturbabit moleſtia, nullum intercidet peccatum. Erit id vita æterna, quam ſi perpetuo cordium noſtrorum gaudio definierimus, approbatorem definitionis ipſum Dei Spiritum habebimus, hac ipſa de cauſa Vitam æternam non uno loco Convivio æquantem. Ut hic, *Dico vobis Multos ab Oriente & Occidente venturos, & accubituros cum Abrahamo & Iſaac & Jacob in Regno cœlorum.* Iterum Lucæ 22. 29, 30. *Ego vero paciſcor vobis, prout pactum eſt mihi Pater meus, Regnum, ut edatis & bibatis in menſa mea in Regno meo.* Et rurſum Apoc. 2. 7. *Victori dabo edere de arbore vitæ quæ eſt in medio Paradiſi Dei.* Exſtatque pulcra convivii hujus deſcriptio apud Iſaiam Vatem, 25. 6, 7, 8. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium defecatorum, pinguium item medullatorum, & defecatorum purgatorum. Et perdet in monte hoc faciem operimenti expanſi ſuper omnes populos, & tegmen expanſum ſuper omnes gentes. Abſorbebit mortem in ſempiternum, & abſterget Dominus Jehovah lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet ab univerſa terra.* Convivium hoc non vulgare erit, ſed nuptiale: *Simile eſt* enim *Regnum cœlorum cuidam Regi qui fecit nuptias filio ſuo*, Matth. 22. 2. Non eſt autem hæc mens Scripturæ quæ Cerinthi fuit, qui ſtatuit μετὰ τὴν ἀνάςασιν ἐπίγειον εἶναι τὸ βασίλειον τῦ Χριςῦ, καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δουλεύειν, h. e. *Terrenum fore Chriſti Regnum à reſurrectione, & rurſum concupiſcentiis & voluptatibus carnem Hieroſolymis perfruiturum.* Nimirum ait Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium l. 3. Hiſt. c. 28. *quæ ipſe concupiſcebat cum corporis ſtudio teneretur & admodum carnalis eſſet, in hic Regnum Chriſti futurum ſomniabat, ventris videlicet & eorum quæ ſub ventre ſunt impletionibus*, h. e. *cibo ac potu, atque nuptiis. Et ut iſta honeſtius commentatus fuiſſe videretur, dies feſtos & victimas & ſacrificiorum mactationes adjecit.* Nec in mentem venit vel Prophetis vel Chriſto vel Apoſtolis deliramenti Judæorum, qui appellatione *Behemoth*, cujus animantis meminit Jobus c. 40. intelligunt *ingentem bovem*, quem ideo ſua lingua *bovem communem* vocant quod eum una cum *Leviathan* aſſervari fingant ad magnificum illud alterius vitæ convivium in quo bibituri ſint juſti vinum interim in Paradiſo proveniens. Nugæ hæ ſunt veré Mahumeticæ: ſiquidem *Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium per Spiritum ſanctum.* Hoc gaudium, hanc pacem, hanc juſtitiam metaphora Convivii adumbrare voluit Dei Spiritus. Nam ſive convivii hujus nuptialis Locum, ſive Cibum, ſive Sponſum, ſive Sponſam, ſive Convivas, ſive Miniſtros, ſive Patrem familias, ſive Colloquia conſideres, gaudii gaudiorum materiem ampliſſimam invenies. Locus erit *Paradiſus*, Apocal. 2. 7. *mons Dei*, videlicet Sion, Iſa. 25. 6. *domus Patris*, Johan. 14. 2. *tertium cœlum*, 2 Cor. 12. 2. Ut enim nos convivas amiciſſimos in loca commoda deducimus, ita Filius Dei in illuſtri illa die ἐπιφανείας καὶ ἐπιπαλύψεως emittet cœleſtes in occurſum Spiritus qui glorioſo triumpho exoptatiſſimos ſibi hoſpites deducant in Paradiſum voluptatis inque beatam illam ſedem quam peccato nobis occluſam ſuo ille ad Patrem abitu nobis aperuit. Quam felix conditio hujus loci! De noſtris ſedibus vere dici poteſt illud Maronianum Æn. 2.

- - crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

De cœleſt. ſedibus dicitur, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit cum eis; & ipſi populi ejus erunt, & ipſe Deus cum ipſis erit Deus ipſorum*, Apoc. 21. 3. *Non incidet in eos Sol, neque ullus æſtus*, Apoc. 6. 16. *Neque urbs iſta eget Sole vel Luna: nam gloria Dei illuſtrabit eam, & lucerna ejus eſt Agnus*, *Apoc.* 21. 23. Apoſtolus Petrus, cum loci hujus typum tantum vidiſſet in monte Thabor, illico exclamat, *Domine, bonum eſt nos hic eſſe*, Matth. 17. 4. Quanto igitur cum tripudio cordium noſtrorum nos in cœlis exclamabimus, *Domine Jeſu, hic, hic eſt bonum eſſe. Quam dilecta tabernacula tua, Domine exercituum! Etiam paſſer invenit domum, & avis nidum, ubi ponat pullos ſuos. Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper mille* alibi. Nam, ut præclare Baſilius, Εἰτὰ πρόκειται τοιαῦτα, ποταπὰ τὰ αἰώνια; καὶ εἰ τὰ ὁρώμενα ἅπαντα καλὰ, ποταπὰ τὰ ἀόρατα; Inſpectemus nunc Cibaria convivii cœleſtis. *Eſca ventri & venter eſcæ; Deus autem & hunc & illas abolebit*, inquit Paulus 1 Cor. 6. 13. Qui igitur cibus, qui potus recreabit hominem in Regno Dei? Sanctiſſimus mortalium in his terris agens hoc edidit oraculum, *Eſca mea eſt exſequi voluntatem ejus qui miſit me, & perficere ipſius opus*, Joh. 4. 34. Et noſtra eſca quæ erit alia quam Plene nos conformare ad voluntatem Dei, Laudare Patrem qui condidit, Celebrare Filium qui redemit, Glorificare Spiritum S. qui ſanctificavit nos? Erit præterea cibus & potus noſter ipſe Dei Filius, Salvator noſter unicus. In hac vita paſcimur illo Fide, in altera paſcemur ipſo Intuitu. Hic Chriſtiano fidelium convivio amaræ lactucæ admiſcentur. Hinc querelæ Sanctorum, *Lacrymas veſtri pane cibaſti eos, & pro potu propinaſti eis lacrymas maxima menſura.* Pſalm. 80. 5. Et, *Saturavit me amaritudinibus, inebriavit me abſinthio, ceu vino compunctionis*, Pſal. 60. 3. Ibi *inebriabimur pinguedine domus Dei, & torrente voluptatis potabit nos. Quoniam apud ipſum eſt fons vitæ, & in lumine ipſius videbimus lumen*, Pſal. 36. 8. Nam Sponſus ille dilectæ Eccleſiæ qui, qualis, quantus erit? Mediator noſter, Salvator noſter, Frater noſter. De forma quæris? *Pulcerrimus eſt inter filios hominum*, Pſ. 45. 2. de dignitate? *Omnis ipſi poteſtas eſt tradita*, Matth. 28. 18. de virtute? *Diligit juſtitiam, odit impietatem*, Pſal. 45. 7. Hoc Sponſo frui, cum hoc converſari, merum mel, merum gaudium. Jam Sponſa quæ? Ego, Tu, & quiſquis πληροφορία Paulina dicit, *Felius Dei dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, Gal. 2. 20. Hæc Sponſa induta veſte nuptiali Solis inſtar radiabit. Lucebit in mente ejus plena Dei agnitio. Tum enim *Jehova perdet faciem operimenti expanſi ſuper omnes populos, & tegmen expanſum ſuper omnes gentes*, Iſa. 25. 7. Impletum id aliquo modo prædicatione Euangelica, quando *Deus, qui dixit ut è tenebris lux ſplendeſcat, ſplendat in cordibus noſtris*, ad præbendum *lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti*, 2 Cor. 4. 6. Sed nihil hæc agnitio ad illam futuram, cum totum ignorantiæ velum à nobis auferetur, & *cognoſcemus ſicut cogniti ſumus.* Hic, *ut pueri, in ſpeculo, per ænigmata*; ibi perfectiſſime cognoſcemus, 1 Cor. 13. 11, 12. De tempore plenæ revelationis Euangelii Dominus ait Joh. 16. 23. *Illa die me non interrogabitis quicquam.* De tempore plenæ manifeſtationis Chriſti vere affirmamus, *Illo die nemo quenquam interrogabit:* velut omniſcii erimus. De luce N. T. ſcribit Iſaias 11. 9. *Repleta eſt terra cognitione Jehovæ, ſicut aqua mare operientes.* De luce ultimæ patefactionis recte dixerimus, *Replebis eum cœli cognitione Dei.* Lucebit in corde Sponſæ veſtis perfectæ Charitatis, Sanctitatis, Juſtitiæ. *Datum enim uxori Agni ut amictatur byſſina veſte pura & ſplendida. Byſſus enim ſunt δικαιώματα τῶν ἁγίων juſtificationes ſanctorum*, Apoc. 19. 8. Ipſum Sponſæ *corpus conforme erit corpori Sponſi glorioſo*, Phil. 3. 21. conforme puta gloriæ Splendoris, gloriæ Agilitatis, gloriæ Incorruptibilitatis. Quæ omnia ineffabile parient gaudium electis, præſertim in tam optata chariſſimorum corculorum ſocietate. Accumbent enim Abraham, Iſaac & Jacob, adeoque omnes qui fide Abrahæ, Iſaaci, Jacobi à mundo inde condito vixerunt, mortui ſunt. In hac vita ſi unum habeas ſincerum amicum, cujus in ſinum ſecreta cordis tui poſſis effundere, quanti æſtimas? Ibi omnes electi erunt amici fidi, candidi. Quam jucundum erit videre primum parentem Adamum, primam matrem Evam, benedictos Patriarchas, Reges, Prophetas? Hic ſi cum paucis ſinceris amicis colloquimur, opinione citius elabuntur nobis horæ. Ibi quid? Inter beata iſta colloquia mille dies erunt inſtar unius. Moſes & Elias in monte Thabor colloquebantur cum Chriſto *de ejus exitu*, morte videlicet, *quam obiturus erat Jeroſolymis.* Noſtrorum colloquiorum ſumma erit iſta; *Sic Deus dilexit mundum ut Filium daret; Sic Filius dilexit mundum ut animam daret pro ovibus; ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Quæ inter mortales credidimus, ea inter immortales attingimus. Quæ audivimus in terris, ea videmus in cœlis, Patrem in Filio, Filium in Patre, Spiritum S. in utroque: lucem in luce, vitam in vita, gloriam in gloria, luce irradiati

diati & ipſi æterna, vita donati & ipſi æterna, gloria donati & ipſi æterna, gaudio perfuſi & ipſi æterno. Regina Arabiæ felices prædicat miniſtros qui adſtarent menſæ Salomonis, & audirent ejus ſapientiam: At terque quaterque beati erunt qui aſſidebunt menſæ cœleſtis Salomonis Jeſu Chriſti, & Divinam ejus ſapientiam audient. Votum piorum Prophetarum & Regum videre Chriſtum in carne: Hæc felicitas noſtra erit & illorum. *Videbimus eum ſicut eſt*, 1 Joh. 3. 2. non in fragili ſed glorioſa carne, non in contemptu, ſed honore. Nam quid ego de Rege ipſo dicam nuptias has Filio Sponſæque ejus apparanti, qui tum erit omnia in omnibus? Quid de apparitoribus Angelis, qui ſuaviſſimis concentibus ſe ad celebrandum cœleſtem Regem invitabunt, dicentes, *Laudate Deum noſtrum, omnes ſervi ejus, & qui timetis eum parvi & magni. Halleluja, quoniam regnum unit Dominus Deus ille noſter omnipotens. Gaudeamus & exſultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus paravit ſe. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt*, Apoc. 19. Tum Deus *abſterget omnem lacrymam ab omni facie*, tum *opprobrium populi ſui auferet ab univerſa terra*, tum *perdet mortem in ſempiternum.* Tum *replebitur riſu os noſtrum, & lingua noſtra jubilatione.* Tum dicet omnis populus, *Ecce Deus noſter iſte; exſpectavimus eum, & ſervavit nos. Qui ſeminavimus cum lacrymis, cum jubilatione metimus, plenos fructuum* fidei *manipulos portantes.* Nunc *juſtus fulget ſicut Sol*; nunc *juſtus floret ſicut palma.* Non defluunt, non marceſcunt noſtra folia: quia hic eſt æſtas ſine æſtu, hyems ſine frigore, ventus ſine turbine. Itaque ineffabilibus Divinæ gratiæ muneribus irrigati, & benigni Numinis Favonio afflati, viremus innocentia, germinamus charitate, floremus gloria & honore æviterno.

CAP. XLVIII.

Qua de cauſa Servator dicatur Filius hominis: *Φιλεὸς quid. Sepulcra veterum ubi, & qualia. Dæmones ἔνυδροι.* Diabolus *à* Dæmoniis *differt. Ad caput* 8. *Matthæi.*

TErtullianus lib. 4. adv. Marc. explicans ſermonem Domini, *ut ſciatis Filium hominis habere poteſtatem in terra remittendi peccata*, Matth. 9. 6. ſcribit, *Nuſquam adhuc profeſſus eſt ſe Filium hominis quam in iſto loco primum, in quo primum peccata dimiſit, id eſt, in quo primum judicavit, dum abſolvit.* Memoria nimirum lapſus eſt: quod viris etiam eruditiſſimis, qualis Tertullianus certe fuit, nonnunquam contingit. Nam cap. 8. Matthæi primum Chriſtus ſe dixit *Filium hominis*, ajens, *Vulpes luſtra habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Eſt autem modus loquendi Hebraïs familiaris, בן אדם *filius hominis* pro *homine.* Tertullianus l. 4. adv. Marcionem, *Filium hominis nominans hominem nominat.* Vide Ezech. 2. 1. & 3. 1. Danielis item 7. 13. Quin & Græcis, qui Ἑλλήνων παῖδας ipſos Græcos, μουσικῶν παῖδας ipſos *Muſicos*, ἰατρῶν παῖδας ipſos *Medicos*, τὰς τῶν γραμματικῶν παῖδας ipſos *Grammaticos* vocant. Ideo non audiendi qui commenti ſunt Jeſum *Filium hominis* dictum quod unius hominis, ſcil. Mariæ, filius eſſet. Maſculinus enim articulus ubique præmittitur, τῦ non τῆς. Quæri autem poteſt cur Chriſtus ſe quaſi peculiariter ita appellarit. Tertullianus conjectat, *ex inſtrumento Danielis*, qui c. 7. 13. hac appellatione Meſſiam inſignit, Dominum cap. 9. Matthæi voluiſſe indicare quis eſſet; ut vel *appellatione hac* Prophetica *repercuteret* eos qui in dubium vocabant illius *poteſtatem dimittendi* hominibus *delicta.* Itaque ex ſententia Tertulliani res vulgi opinione major contineretur hac comparatione, *Vulpes habent ſpecus, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Intelligeretur enim Filius ille hominis quatenus à Daniele & Joanne in Apocalypſi 14. 14. Judex mundi futurus declaratur. Atqui Chriſtus *Filium hominis* ſe prædicando humilitatem ſuam prædicat, quod *in ſimilitudine hominum factus ſit*, h. e. perinde ac quiſque è vulgo hominum, verus nimirum homo, & nihilo plus apud mundum quidem quam quiſquam ex infima plebe. Hic igitur tantopere ſe dejecit ut *non habeat ubi reclinet caput*, cum *vulpes habeant* Φωλεὸς. Qui, ut Elias Scholiaſtes Gregorii Nazianzeni in Orationem de Theologia ſcribit, *proprie ſunt anguium reliquorumque animalium humi repentium, & beſtiarum etiam, latibula.* In Glotiis, Φωλεὸς, *cubile.* Apud Ariſtotelem lib. 9. Hiſt. Anim. Urſi dicuntur Φωλεῦ ἐξελθεῖν *latibulo exire*, vel *cubili.* Nemeſianus Cynegetico,

Namque & odorato noſcunt veſtigia prato,
Atque etiam leporum ſecreta cubilia monſtrant.

Sic *talparum cubilia* dixit Virgilius. ¶ Cæterum ex Dæmonum hiſtoria apparet, Funera extra urbem elata, ibique ſepulta fuiſſe. Apparet & hoc, Sepulcra Judaica fuiſſe ſubterranea ædificia arcuato opere exſtructa, pavimentis ſtrata ac parietibus circumſepta, in quæ tanquam in cellas quaſdam per gradus aliquot deſcendebatur, foribus conditorii clauſis vel apertis. Sic enim infra 28. 2. legimus de Angelo, ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας. Eadem ſepulcrorum ratio fuit apud Græcos. Narrat enim Epiphanius contra Ebionæos, *adoleſcentem quendam incantationis gratia abductum fuiſſe in propinquas tumbas* (*ſepulcra*, inquit, *ſic appellantur*; *ipſumque videlicet in petris effoſſa & conſtructa*) *& perditos quoſdam in monumentis conventum celebraſſe, quoſdam præ foribus ſtantes quæ ab illis fiebant auſcultaſſe; illis vero egredientibus, receſſiſſe.* Nec alia apud Romanos. Vopiſcus in Tacito, *Patris ſepulcrum diſruptis januis ſe aperuit.* Dio de monumento Cleopatræ, *Janua ejus ita erat parata ut aperiri ſimul clauſa non poſſet.* Circa ſepulcra autem cur Dæmones verſari ſoleant, cauſam dicunt Theophylactus & Chryſoſtomus in Matthæum; Quod confirmare in hominibus velint vanam illam perſuaſionem qua mortuorum animas in Dæmones verti creditum eſt; quamobrem & homines à ſe obſeſſos (quos *Dæmoniacos* vocamus) ſepulcra incolere cogant. Quod etiam de iis qui Lycanthropia laborant affirmat P. Ægineta lib. 3. cap. 12. Hoc porro Dæmonum genus paluſtre fuiſſe videtur quod porcos in mare præcipitat. Nam, ut Lactantius l. 1. c. 7.

Δαίμονες, οἳ φορτῶσι περὶ χθόνα καὶ περὶ πόντον,
Dæmones & terras & diffuſum æquor obeunt.

Ideo Orpheus nominat

Δαίμονας ἠερίους καὶ ὑγρίους καὶ ἐνύδρους.

Cæterum ex hoc & aliis S. literarum locis perſpici poteſt, Diabolum à Dæmoniis ſic differre ut Deum ab Angelis. Itaque ſemper in ſingulari numero dicitur *Diabolus*, *Dæmonia* non item. Et Dæmoniorum Princeps dicitur *Beelzebub*, ſicut Angelorum *Michael.* Denique videntur Dæmonia Angeli eſſe Diaboli: de quibus illud, *Diſcedite à me, exſecrabiles, in ignem ſempiternum Diabolo ejuſque Angelis paratum.* Eſſe autem hæc *Dæmonia* non μανίαν, ſed revera Spiritus, tum ex eo quem modo citavimus loco aliiſque multis patet, tum vel apertiſſime ex Matth. 8. 32. ubi *ex hominibus in porcos* dicuntur *intraſſe.* Confunduntur autem hæc nomina in Germanico & Gallico ſermone: vocantur enim tum *Dæmonia* tum *Diabolus*, Teuffel/ *Diable.*

CAP. XLIX.

Difficultas de Gergeſenis *&* Gadarenis *inexplicabilis. Lacus Gadarenicus. Gadareni porcorum amici, non Judæi, ſed Græcanici.*

DUO Dæmoniaci ſcribuntur à Domino liberati in regione Gergeſenorum. Qui hi fuerint populi, quæ urbs Gergeſa, ſciri exacte non poteſt, propter miram lectionis diſcrepantiam. Nam quos Matthæus Γεργεσηνὸς, Marcus & Lucas Γαδαρηνὸς vocant. Theophylactus autem annotat, in libris meliotibus etiam apud Marcum & Lucam legi Γεργεσηνῶν perinde ut apud Matthæum. At Epiphanius confutans dogma Manichæum, ita, Ἔλθωμεν εἰς τὰ μέρη τῶν Γεργεσηνῶν, ὡς ὁ Μάρκος λέγει, ἢ ἐν τοῖς ὁρίοις τῶν Γεργεσηνῶν, ὡς ὁ Λουκᾶς φησιν, ἢ Γαδαρηνῶν, ὡς ὁ Ματθαῖος, ἢ Γεργεσαίων, ὡς ἀντίγραφά τινα ἔχει· τῶν γὰρ τριῶν πλήρων ὁ τόπος ἐστὶ μέσον ἅπ. Vulgatus & apud Matthæum & apud Marcum ac Lucam tranſtulit *Geraſenorum*: legit igitur Γερασηνῶν. Diverſa igitur nomina in diverſis exemplaribus reperta fuiſſe apparet. Movit hæc lectionis varietas eruditos ut ſtatuerent, alii, uni & eidem urbi plura fuiſſe nomina; alii, oppida quidem fuiſſe diverſa, Gadaram & Gergeſam, ſive Geraſam, ſed valde vicina, & eorum fines commixtos, ut cum in horum regionem Chriſtus veniſſe legitur, in illorum quoque regionem veniſſe intelligendus ſit. Dico cum Judæis, *Elias veniet, & nodum hunc ſolvet.* Minor difficultas eſt de mari in quod præcipitati porci. Sunt qui aquam lacuſtrem intelligunt quæ in aliqua parte agri Gadaretani habebatur, ne pecoribus quidem ſine periculo præſentis noxæ potabilis, Ἔστι δὲ ἐν τῇ Γαδαρίδι ὕδωρ μοχθηρὸν λιμναῖον, ὃ τὰ γευσάμενα πτήνη τρίχας καὶ ὄνυχας καὶ κέρατα ἀποβάλλει, *In agro autem Gadareno eſt aqua quædam ex lacu peſſima, qua deguſtata pecora pilos, ungues & cornua amittunt*, Strabo l. 17. Ac ſuſpicatur Zieglerus lacum

iſtum non multo poſt à vicinis terra fuiſſe obſtructum, timentibus ſcilicet ne ex fœtore cadaverum peſtis oriretur, & lacum ob præſentiam horridiorum Dæmonum magis etiam abominantibus: quæ cauſa fuerit cur Hiſtorici qui poſt Strabonem vixerunt hujus lacus non meminerint. Verum validior eſt Hieronymi ſententia, qui in libro De locis Hebraicis poſt deſcriptionem civitatis Gadaræ ſcribit, *Hodie ſuper montem viculus monſtratur juxta ſtagnum Genezareth, in quod porci præcipitati ſunt.* Favent enim huic ſententiæ Euangeliſtæ Matthæus & Marcus, qui quod Lucas *ſtagnum* dicit *mare* appellant: at ſic ſolent lacum Genezareth nominare. Et cum Lucas ait Gadaram ἀντικεῖσθαι τῆς Γαλιλαίας ſitam, utique illam in altero latere maris Genezaretici collocat, ut ejus lues facile inde in lacum Genezareth potuerint præcipitari, intacto manente Gadarenici agri lacu, cujus aquæ per porcos iſtos non potuerunt pollui (ut aliqui volunt factum) cum nunquam fuerint in eum injecti. Sed cur Gadareni aluerunt porcos, quæras quis, cum Judæi à carne porcina tanquam immunda abhorruerint? Judæi abhorruerunt, non Græcanici, quales Gadarenos fuiſſe Iſaacus Caſaubonus Exercit. 13. ad Annales Baronii cap. 34. erudite demonſtrat, primum ex Joſepho, *qui in rebus Pompei exponendis ſcribit, ademiſſe illum Judæis Ἑλληνίδας πόλεις urbes Græcanicas quæ erant in Cœle Syria: atque inter has nominat Gadaram.* Deinde, ex Strabone, *qui ſcribit, καὶ αὐτὴν ἐξῄρουντο Ἰουδαῖοι, Gadaram quoque Judæi ſuam fecerunt; per vim nempe, cum eſſet urbs Græcanica, aut quidvis potius quam Judaica.* Poſtremo ex *clarorum Philoſophorum, Philologorum & Oratorum copia Gadaris ortorum circa tempora Domini noſtri, vel Herodis Magni; quorum meminerunt multis locis Græci Romanique ſcriptores, Cicero, Strabo, Aſconius, Quintilianus, & alii.*

CAP. L.

Idea miſeriæ humanæ in Paralytico, benignitatis Divinæ in Domino Jeſu, charitatis Deo & hominibus gratæ in bajulis, Matth. 9. Nomen παραλυτικὸς, verbum ἀφίενται, ut vertenda.

ORandum eſt ut ſit mens ſana in corpore ſano, inquit ille. Neutrum habuit qui à quatuor bajulis ſanandus ad Chriſtum delatus eſt æger. Corpus enim quod attinet, παραλυτικὸς fuit: quod miror qua de cauſa Lutherus interpretatus ſit Germanice **gichtbrüchtig**! quaſi podagra laborarit. Piſcator verſionem Lutheri corrigens vertit **gerühret**: ſed hoc generalius eſt, cum & Apoplectici & Hemiplectici *tacti*, h. e. **gerühret**! dicantur, nec omnes qui manu Dei tanguntur ſint Paralytici: licet Hippocrates παράλυσιν ἀποκλῆξιν nomine quandoque donarit. Malim igitur Germanice παραλυτικὸν interpretari **einen vom ſchlag gelähmten**. Eſt enim, ut teſtatur Aretæus, παράλυσις κινήσεως μόνον ἐνεργείης τε πάρεσις, h. e. *motus tantum* fere *& actionis defectio.* Magnum malum paralyſis corporis; ſed longe majus paralyſis animæ, qua hunc ipſum quoque laboraſſe Euangelicus contextus docet. Itaque miſeriæ humanæ ſpeculum dicere hunc poſſis. Sed bene habet quod in eum incidit Medicum qui omnis cordialis miſerationis vivum eſt exemplar, & invocatus tam animi quam corporis paralyſin ſanat. Is eſt Jeſus Chriſtus, qui perſpecta admirabili bajulorum & ipſius paralytici fiducia, ab animi & corporis morbo hominem liberat. Pauca ſed vivificæ conſolationis pleniſſima verba loquitur, Θάρσει, τέκνον· ἀφίενταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, *Confide, fili; remiſſa ſunt tibi peccata tua.* Dum *filium* nominat, hominem ex dolore in lætitiam, ex inferno in cœlum trahit. *Pater*, inquit prodigus, *non ſum dignus ut vocer filius tuus: fac me unum ex mercenariis tuis*, Luc. 15. 19. Non alius proculdubio ſenſus fuit paralytici. Sed vincit ſpes noſtras Dei bonitas. Ideo Servator, Tu vero *filius* es, inquit: *quotquot* enim *me recipiunt, iis dedi poteſtatem filios Dei fieri. Si filius, ergo heres.* Si heres, non curabis mundum, cui paratum eſt cœlum. Θάρσει, *confide.* Et quis caderet animo quem Chriſtus erigit animo & corpore? *Remiſſa ſunt tibi peccata.* Ego Dei Filius tibi credenti annuncio remiſſionem peccatorum, Patrem placatum, cœlum apertum, infernum deſtructum. Me damnet qui te damnet, membrum & peculium meum. Non eſt cur diſputemus Grammatice utrum verbum ἀφίενται ſit Conjunctivi vel Indicativi modi. Guarinus priderm nos docuit τὸ ἀφίενται eſſe præteritum perfectum Ionicum Indicativi modi, dictumque ἀφίενται pro ἀφεῖνται, facta diæreſi ει in εν. Non poteſt hoc verbum apud Joannem 1 Epiſt. 2. 12. aliter quam in præterito accipi, quando ait, *Scribo vobis, filioli, ὅτι ἀφίενται ὑμῖν αἱ ἁμαρτίαι.* Itaque nec *remittantur* nec *remittuntur* reddendum, ſed *remiſſa ſunt.* Illud agamus Theologice, ut cuique noſtrum cordi Servator inſonet verba iſta, *Confide, fili; remiſſa ſunt tibi peccata tua. Salus tua ego ſum.* Fiet, fiet, ſi fidem paralytici Domino, charitatem bajulorum proximo probaverimus. Quam ipſam charitatem ſi quis vivis exprimere coloribus volet, bajulos iſtos ſibi effingendos proponat; ut ægrum viſitent, ut ſolentur, ut ad Medicum deportent, ut obſtante turbæ denſitate moveant tegulas alienæ domus, ut deferant ſarcinam ſuam in ipſum tectum, ut eo denudato veluti per feneſtram funibus demittant paralyticum, ut abominabile ſpectaculum nobiliſſimo theatro ingerant; ſic omnia charitatis non ſolum beneficæ, non ſolum laborioſæ, ſed ſæpe etiam importunæ, ſæpe etiam, pro rei neceſſitate, impudentis munia expreſſerit.

CAP. LI.

Matth. 9. 13. Ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν· ἔλεος & ἐλεημοσύνη ut differam. Proprium θυσίας ſignificatum.

QUI S. Scripturas vel à primo limine ſalutarunt, norunt illi dictum Propheticum à Domino noſtro citatum Matth. 9. 13. non abſolute ſed comparate intelligendum. Neque enim Chriſtus per Hoſeam rejicit quod per Moſen ſanxit. Ac comparationem oſtendunt quæ ſubjuncta apud Hoſeam, *Et cognitione Dei magis* (ſcil. *delector*) *quam holocauſtis.* Utrum autem ἔλεος & ἐλεημοσύνη idem ſint, de hoc inter eruditos non convenire video. Clariſſ. Beza in hunc locum: ἔλεος *hoc ipſum eſt quod* δικαιοσύνην *ſupra vocavit cap. 6. 1. ubi diximus, hac voce contineri omnia charitatis officia, quæ inani externo cultui hoc loco opponuntur.* Contra Druſius in Præteritis, *Aliud ἔλεος, aliud ἐλεημοσύνη· hæc* חסד *Ebraice, illa* צדקה *dicitur, i. benignitas.* Commentator in librum Aboth 8. 2. *Cum quis mutuo dat pauperi ſiclum quo tempore indiget major eſt eo qui dat eleemoſynam: nam eleemoſyna ſimpliciter erogatur in pauperes, collatio beneficiorum tam erga divites exercetur quam erga pauperes.* Rurſum, *Eleemoſyna ſimpliciter datur vivis, collatio beneficiorum tam vivis quam mortuis. Eleemoſyna ſit pecunia, benignitas tam corpore quam pecunia.* Non igitur hoc loco vult confundi ἔλεος cum ἐλεημοσύνῃ. Sed nodum in ſcirpo quærit Druſius. Nam ut ἔλεος generatim pro *miſericordia* uſurpatur, ſpeciatim tamen etiam pro *ſtipe*, ut apud Phocylidem,

\- - - Ἔλεον χρήζοντι παράσχῃ.

ita ἐλεημοσύνη communiter ſign. *ſtipem*, ut ubique in V. T. nonnunquam tamen & *miſericordiam* in genere, ut cum Jer. 16. 5. dicitur, *Abſtuli ab iſto populo* את חסדי את רחמי *miſericordiam & miſerationes*, LXX verterunt ἀφῆκα ἔλεος καὶ ἐλεημοσύνας. Et obſervavit Henricus Stephanus in Theſauro ſuo, etiam Callimachum in Hymno ἐλεημοσύνῃ pro *miſericordia* dixiſſe. Quin originem nominis ſi ſpectes, germanum τῆς ἐλεημοσύνης ſignificatum eſt *miſericordia*: ſed poſtea (ut fieri in compluribus conſuevit) per Metonymiam cauſæ accipi conſuevit pro *dono quod in pauperes erogatur.* Nec obſtat quod objicit Druſius, ἐλεημοσύνῃ צדקה *Ebraice*, ἔλεος חסד *dici.* Nam ipſum צדקה Græci Interpretes promiſcue vertunt, nunc ἔλεος, ut Eſa. 56. 1. Ezech. 18. 19. nunc ἐλεημοσύνην, ut Deut. 6. 25. Pſal. 23. 6. & ſæpe alibi. De vocabulo θυσία verbum non facerem niſi ſcirem quid proprie ſit θυσία non æque omnibus conſtare. Euſebius lib. 1. De præpar. Euang. ex Porphyrio, qui citat porro Theophraſtum, docet, *illud ſacrificium quod per ignem fit* proprie dici θυσίαν. Unde eſt θυμιᾶν, & θυμίαμα *ſuffimentum* & *thus* Latinum. Iliad. 9.

\- - - θεοῖσι δὲ θῦσαι ἀνώγει
Πάτροκλον ὃν ἑταῖρον· ὁ δ' ἐν πυρὶ βάλλε θυηλάς.
\- - - *Diis autem ſacrificare juſſit*
Patroclum ſuum ſocium: is vero in ignem jecit libamenta.

Et hoc fuiſſe antiquiſſimum libandi genus. Nefas enim putaſſe illos veteres victimam cædere & ſanguinem in ſacris fundere. Qua de cauſa Cicero De Natura Deorum teſtatur *deteſtabilem fuiſſe qui primum immolavit bovem aratorem.* Unde ῥέζειν Græci dixerunt pro *rem Divinam facere*, quod qui mactaſſet animal *facinus feciſſe* videbatur. Hoc eſt enim ῥέζειν κυρίως, ut docet Euſtathius. Homerus,

Ῥέζειν γὰρ μέγα ἔργον.

Sed in Scriptura generaliter uſurpatur etiam de *ſacrificio ſanguineo*, Luc. 13. 1. Heb. 9. 25. alibi.

CAP.

CAP. LII.

Similitudines à Filiis thalami, *à* Veste vetere & nova, *à* Vino veteri & novo, *Math.* 9. *Luc.* 5. *Grammatice, Hiſtorice, Logice, Theologice exponuntur.* Νυμφὼν, *vini* νυμφῶνες· ἐπιβάλλει, ἐπίβλημα ῥάκους· οἶνος νεος. *Utres vinarii. Cur vinum utribus incluſum. Cur rumpantur utres à vino novo. Non omne vetus vinum dulcius nova. Homines Vino comparati. Judaiſmus non convenit Chriſtianiſmo.*

EXcuſaturus Dominus Diſcipulos propter intermiſſum jejunium Joanniticum & Phariſaicum accuſatos, rem omnem tribus diſtinctis ſimilitudinibus explicat, quarum Grammaticam quo exactiorem accuratius, hoc ſenſus illarum Logicus erit planior. Ergo prima ſimilitudo haec eſt, Μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν ἐφ' ὅσον μετ' αὐτῶν ἐστιν ὁ νυμφίος; Τοῖς τοῦ νυμφῶνος *filiis thalami*, non, ut Vulgatus, *ſponſi*. Νυμφὼν enim *ſponſi aedes* ſeu *conclave*, ut ἀνδρὼν, *virorum*. *Thalamum* igitur intelligit *nuptiale*. Hujus *Filii* Metonymia Hebraïs familiari dicuntur quos ſponſus in ſuum uſque thalamum admittit ut ſodales & maxime familiares. Graecis παρανυμφίοι, qui apud profanas gentes epithalamium carmen canebant. Itaque generalius eſt nomen quo uſus Lutherus, **hochzeitleute**. Neque enim de omnibus ad nuptias invitatis loquitur Dominus, ſed de *paranymphis*, quos Germani Sueuii **Brautknechte**! Palatini **Ladgeſellen** vocant. Dii igitur in concavi ſponſi diam verſantur, *non ingemi, ſed ſtam & audiam ſponſum, & gaudio gaudeam propter vocem ſponſi*, Joh. 3. 29. ¶ Alterius ſimilitudinis verba apud D. Matthaeum paulo obſcuriora ſunt, ſed quae ex collatione DD. Marci & Lucae lucem foenerentur. Sic igitur D. Matthaeus, Οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ· αἴρει γὰρ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἱματίου, καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται. Clarius Marcus, Καὶ οὐδεὶς ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπιῤῥάπτει ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ· εἰ δὲ μή, αἴρει τὸ πλήρωμα αὐτὸ τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ, καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται. Clariſſime Lucas, Ὅτι οὐδεὶς ἐπίβλημα ἱματίου καινοῦ ἐπιβάλλει ἐπὶ ἱματίου παλαιόν· εἰ δὲ μήγε, καὶ τὸ καινὸν σχίζει, καὶ τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνεῖ τὸ ἀπὸ τοῦ καινοῦ. Ergo τὸ ἐπιβάλλει eſt *ſuit* ſeu *ſuit* ſecundum Marcum. Per ῥάκος autem hoc loco non *veſtem detritam & laceram* (id quod proprie ſignificat) ſed materiam potius ipſam, *pannum* videlicet, declarari tum vis comparationis tum epitheton ἄγναφον evincit. Eſt enim ἄγναφον, *cui* γνάφευς, h. e. *fullo*, *manum nondum adhibuit*: quod ideo καινὸν Lucae dictum, qui pro ῥάκος ἱμάτιον pro *panno veſtimentum* nominat, nullo comparationis detrimento. Perinde eſt enim ſive ex *novo panno* ſive ex *novo veſtimento* frustum panni novi reſeces veterique veſtimento immittas. Ἐπίβλημα Budaeus exponit *προσθήκην additamentum*, & πρόσθημα *auxiliarium*: quod Bezae non placet, *niſi Auxiliarium vocemus quod hianti veſtis parti adhibetur*. Tertulliano lib. 3. adv. Marc. τὸ ἐπίβλημα eſt *plagula*; *Docet*, inquit, *novam plagulam non aſſui veteri veſtimento*. Beza hic agnoſcit Hypallagen Hebraicam, ideo ἐπίβλημα ῥάκους dictum centet pro ῥάκος ἐπιβαλλόμενον, *pannus qui parti lacerae inditur*, qui mox dicitur πλήρωμα *plenitudo*, ſive *ſupplementum*. In ſecundo periodi membro alii τὸ πλήρωμα recto, alii quarto caſu politum exiſtimant. Sed pronomen αὐτοῦ & ratio contextus argeis ſuadet, recto caſu illa accipienda. Sic igitur interpretor hunc verſum, *Nemo inſuit ſupplementum panni impexi* (h. e. ex panno impexo, ſive ex veſte nova, reſectum) *in vetus veſtimentum*, ſcilicet lacerum: *ſupplementum enim ejus* (à quo videlicet inditum eſt) *aufert* aliquid *à veſtimento novo*, *& fit pejor fiſſura*, ſcilicet in veſtimento veteri. Hoc enim omnino volunt verba Lucae, καὶ τὸ καινὸν σχίζει, καὶ τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνεῖ τὸ ἀπὸ τοῦ καινοῦ, *& novum findit, & veteri non congruit quod eſt ex novo*, panniculus ſcilicet ex novo ſumptus. Mens Domini eſt, *Qui particulam de nova veſte reciſam veteri inſuit, duplex damnum facit: nam & novam ſcindit, & veterem deformat, tum quod impexum ac novum non convenit durius, tum quod novum de veteri aliquid detrahens deteriorem facit fiſſuram.* ¶ Hanc ſententiam firmat parabola tertia, Οὐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς· εἰ δὲ μήγε, ῥήγνυνται οἱ ἀσκοὶ, καὶ ὁ οἶνος ἐκχεῖται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται, ἀλλὰ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινούς, καὶ ἀμφότερα συντηροῦνται. Nam qui immittit vinum novum in utres veteres, ruptis illis, tum vini tum utrium jacturam facit: perinde ut qui ex novo panno vel ex novo veſtimento exſcindit quod alluat veteri, utrumque perdit, illud conſcindendo, hoc deformando. Dominus *utrium* facit mentionem: nam veteres utribus coriaceis pro vaſis utebantur. Artemid. l. 5. ἀπὸ νεκρῶν αἰγῶν ὁ ἀσκὸς γίνεται, καὶ ὑγρὰ ἐστι δεκτικός. Hinc ἀσκὸς αἰγὸς *uter caprinus*, vel αἰγεῖος, in qualem ſanguine plenum Tomyris Cyri caput demerſit: ἀσκὸς βοὸς *pellis bovis* apud Homerum: & *utres camelorum*, ac *rhinocerotum*, apud Plinium lib. 12. cap. 6, 7. Eſt autem Pollucis quoque ἀσκὸς inter vaſa vini conditoria. Aliter Graecis etiam ὑλακη. Scholiaſtes Theocriti Pharm. ὑλακη κυρίως ἡ δερματίνη λεκύθος. Latine Varroni *cuppa*. Sed *cuppa* vaſa quidem vinaria, aut quae muſtum è torculari excipiunt, non quibus ad bibendum utimur. Apulejo *vinarii utres*; poſteriori aetati *pilaſca*. Iſidori Gloſſae, PILASCA, *vas vinarium è corio*. Hebraïs *vas coriaceum* dicitur NEBEL, quod LXX vertunt ἀσκὸς 1 Reg. 1. 24. 2 Reg. 16. 1. Solebant autem vinum utribus includere, maxime itinerum cauſa, quia facillime de loco in locum poterant tranſportari. Οἶνος νέος *vinum novum* eſt muſtum, quod uvae in torculari preſſae fundunt, Matth. 9. 17. Porro muſtum fervere (*ſic vocant*, inquit Plinius, *muſti in vina tranſitum*) eamque ob cauſam vaſa, ſi non recludantur, rumpere, elegantibus verbis deſcribitur Job 32. 19. *Angustium facta mihi ſpiritus ventris mei. Ecce venter meus eſt ſicut vinum quod non eſt apertum; ſicut lagenula nova, quae rumpuntur. Loquar igitur ut evacuem me.* Gignit enim muſtum halituoſos ſpiritus, qui inclusi in liberiorem aërem vi perrumpunt. Quod apud Lucam additur, Καὶ οὐδεὶς πιὼν παλαιὸν, εὐθέως θέλει νέον· λέγει γάρ, Ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστιν, h. e. *Et nemo qui biberit vetus, ſtatim vult novum: dicit enim, Vetus eſt ſuavius*, id non de quolibet muſto & vino intelligendum, ſed de aereis non autem terreſtribus vinis. Vina enim nova terreſtria, qualia naſcuntur in borealibus Germaniae locis, ab initio dulciſſima, ſed à faeculentis purgata auſtera fiunt, nec ferunt aetatem. Contra aërea vina, qualia Rhenana & Canarea, nova ſubaſpera ſunt, aetate autem mitiora fiunt & ſuaviora. Unde apud Cornelium Frontonem in voce *Antiquum* legitur, *Vinum hoc melius eſt quo ſit vetuſtius.* Hinc apud Senecam Epiſt. 36. *Ariſton ajebat malle ſe adoleſcentem triſtem quam hilarem & amabilem turbae. Vinum enim fieri bonum quod recens durum & aſperum uſum eſt: non pati aetatem, quod in dolio placuit.* [Romani enim vinum novellum doliis condebant; ſed mox ubi paulum deſaecaliſſet, defundebant in amphoras & cados. Proculus J. C. *In dolia vina ea mente conjicimus, ut ex his poſtea in amphoras & cados defundamus.* Quia igitur id novellum aut turbidum, elegantiores fugiebant bibere.] Nec Ariſton ſolus homines comparavit vino, ſed Alexis quoque Comicus,

Ὁμοιότατος ἄνθρωπος οἴνῳ τὴν φύσιν
Τρόπον τιν' ἐστί· τὸν γὰρ οἶνον τὸν νέον
Πολλὴ γ' ἀνάγκη καὶ τὸν ἄνδρ' ἀπαζέσαι
Πρώτιστον ἀπαφρίσαντ' ἀποκλίναντά τε
Σκληρὸν γενέσθαι, καὶ κατασῆναι πάλιν,
Ἡδὺν θ' ἅπαντ' ἀπέλοιπον διατελεῖν.

Hoc eſt,

Similis vir eſt vino indole atque moribus.
Nam muſteum illud & novum cum conditur,
Deferveat primum eſt opus: ſicut & virum,
Cum juvenis eſt, exaſtuare: hinc ſobrium
Mox eſſet & ſeveritate preditum;
Mitem inde fieri; & eſſe in reliquum.

Cicero ſcribit, Amicitiam aeque ac vinum vetuſtate probari. *Non*, inquit, *amicitiarum decent eſſe, ſicut aliarum rerum, ſuavitates. Veterrima quaeque, ut & vina, quae vetuſtatem ferunt, debent eſſe ſuaviſſima.* Jam igitur ſenſum trium parabolarum Grammaticum intelligimus. Logico-Theologicus hinc planus. Nam parabolam primam quod attinet, *Chriſtus*, inquit Tertullianus lib. 4. adv. Marcion. *humiliter reddens rationem, quod non poſſent jejunare filii ſponſi quamdiu cum eis eſſet ſponſus, poſtea vero jejunaturos promittens, cum ablatus ab eis ſponſus eſſet, nec Diſcipulos defendit, ſed potius excuſavit, quaſi non ſine ratione reprehenſos; nec Joannis rejecit diſciplinam, ſed magis ſucceſſit tempori Joannis, rejecturus aliquin eam, ſi non ipſius fuiſſet.* Quam Tertulliani ſententiam pulcre expreſſit magnus ille Eraſmus Paraphraſi in Lucam. *Non damno preces & jejunia, ſed in his interim indulgeo meis diſcipulis, ut alia ratione paulatim ad ſortiora provehatur. In his quae corporis ſunt & ad Legis accedunt ceremonias, lenior eſt noſtra inſtitutio; ſed in his quae ſunt animi longe ſevenior eſt. Haec quae vos veluti ſanctiſſimi faſtigium admirantium, ſua ſponte facient mei; ſi quando res ita poſtulabit. Volui meis interim videre interim hanc libertatem. Exitus rerum indicabit utrum inſtitutio fuerit efficacior. Joannes gloriabatur ſe ſponſi amicum eſſe, non ſponſum. Non convenit autem ut qui ſponſo familiariter adhaerent & in thalamo verſantur, ubi par eſt omnia*

eſſe

eſſe lata, compellantur ad jejunium: teneri adhuc ſunt & toti pendent à ſponſo: hujus non erit illis diuturna copia. Veniet autem tempus cum orbabuntur ſponſo: tum fatis firmiores ultro ac volentes non ſolum jejunabunt, verum etiam in mortem & in carcerem ibunt, quoties exigit charitas. Summa hæc eſt, Excuſat Dominus diſcipulorum ſuorum liberam & non adſtrictam ceremoniis priſtinæ Legis vitam, idque duplici argumento: primo, Quia *non ſit moris ut amici ſponſi in nuptiis ejus lugeant:* deinde, (quod ſecunda & tertia parabola innuunt) Quia *non ſit conſultum ut panniculus novus veteri veſtimento inſuatur, vinum novum antiquis utribus committatur*, h. e. Judaiſmus Chriſtianiſmo commiſceatur. Sed veriſſima eſt Domini querela, *Nemo qui bibit vinum vetus, ſtatim vult novum: dicit enim, Vetus eſt ſuavius:* h. e. Qui conſenuerunt in Judaiſmo, reliſiunt ad guſtum doctrinæ ſpiritualis, & illa craſſiora, quibus aſſueverunt, requirunt, Circumciſionem, Feſtos dies, Sabbatiſmos, Jejunia, Templum, Victimas, Hieroſolymam, atque hæc etiam præferunt *vino novo*, h. e. animo à pravis cupiditatibus circumciſo, animo ab omnibus profanis ſtudiis perpetuo feriato, animo ab omni affectuum malorum tumultu tranquillo. Ut verbo dicam, Utres aſſueti vappæ ceremoniarum Legalium non ferunt vinum Euangelicum. Habemus jam genuinum Domini ſententiam: A qua non abludit reſponſum veteris Eccleſiæ Marcioni datum. Narrat enim Epiphanius contra Marcionitas, Marcionem defectionem ab Eccleſia meditantem parabolam Vini & Panni *propoſuiſſe piis illius temporis Presbyteris, & petiviſſe, Quid hoc ſit*, NON MITTUNT VINUM NOVUM IN UTRES VETERES, &c. *Illos cum manſuetudine reſpondiſſe, Fili, hoc ſunt* UTRES VETERES, *Phariſæorum & Scribarum corda inveterata in peccatis, & quæ non ſuſceperunt Euangelii prædicationem. Et* VESTIS VETUS *eſt, velut Judas inveteratus in avaritia, non ſuſcepit novi ac ſanctæ & cæleſtis myſterii prædicationem, quæ ſpem docet, & quidem conjunctus undecim Apoſtolis, & ab ipſo Domino vocatus, περισσότερον σχίσμα ἔσχε δι ἑαυτοῦ, ampliorem ſiſſuram habuit per ſeipſum, cum nemo ipſi autor eſſet & cauſa. Ille vero, Non ſic, inquit, ſed alia ſunt præter hæc: ἐγὼ σχίσω τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν, καὶ βαλῶ σχίσμα ἐν αὐτῇ εἰς τὸν αἰῶνα, Ego findam Eccleſiam veſtram, & mittam ſiſſuram in ipſam in æternum.* Accommodatæ deinde hæ parabolæ ſunt ad alia quoque. Tertullianus adv. Marc. l. 4. *Erraſti in illa etiam Domini pronunciatione qua videtur nova & vetera diſcernere. Inflatus es utribus veteribus, & excerebratus es novo vino, atque ita veteri, i. priori, Euangelio pannum hæreticæ novitatis aſſuiſti.* Melanchthon ad veteres & recentes Meritorum patronos Panni & Utrium parabolas applicat. *Qui opinioni meritorum*, inquit, *& veteribus hominum traditionibus infeſti ſunt, hi difficulter admittunt doctrinam de remiſſione peccatorum gratuita.* Hoc docuit ætas Chriſti: hoc docuit ætas noſtra.

CAP. LIII.

Quid ἐμβριμᾶσθαι Matth. 9. 30. Quo conſilio Chriſtus vetuerit facta ſua enunciari. Iisdem v. 36. pro ἐσκυλμένοι legendum ἐσκυλμένοι.

VErbo ἐμβριμᾶσθαι ineſt ſignificatio *iracundiæ & vehementis commotionis, cum qua* vel *minamur alicui ita ut animo percelli is poſſit & debeat cui minamur*, vel *qua ſine minis etiam aliquis ſua ſponte perturbatur propter orationis vehementiam & animi motum quem indicat.* Unde βριμὼ à Græcis Hecate cognominata eſt, διὰ τὸ φοβερὸν καὶ κατακλυστικὸν τῷ δαίμονος. Significatur igitur, *cum vehementi & fremente comminatione interdixiſſe eis CHRISTUM*; quo minus dubitari poſſet ſerio hoc eum velle. Suidas τὸ ἐνεβριμήσατο exponit μετὰ αὐχηρότητος ἐπετίμησε· quod huic loco convenit, non item reliquis, Mar. 1. 43. Joh. 11. 38. Quæſitum autem, nec immerito, cur Chriſtus facta ſua vetuerit (& quidem cum tanta vehementia) enunciari, cum ipſe alibi mandarit diſcipulis Joannis ut *Magiſtro ſuo renunciarent viſa & audita.* Reſponſio ſimplex eſt; Propheticas prædictiones de Chriſto fuiſſe complendas: quam cauſam & Euangeliſta Matthæus allegat Iſaiam citans cap. 42. vaticinantem, Chriſtum beneficia ſua non glorioſe jactaturum, ſed modeſto potius ſilentio preſſurum. Ergo de privatis beneficiis res eſt interpretanda, non de doctrina & indicatione ſui neceſſaria & ſalutari: ideoque non ſemper neque ad omnes hoc fecit Chriſtus, ut interdiceret iis quos ſanavit *ne eum dicerent.* Hoc enim nec potuit nec debuit facere, quod contrarium id fuiſſet muneri Meſſiæ, & obſtitiſſet ejus patefactioni: conſtare enim omnibus publice oportuit de virtute Divina & actionibus mirificis ipſius: ideoque diſcipulis Joannis præcipit ut *dicant quæ viderint & audiverint* Chriſtum facere, indeque ſua ſponte qui ſit ipſe concludant. ¶ V. 36. pro ἐσκυλμένοι lege ἐσκυλμένοι. Hoc enim Beza ipſe fatetur ſe reperiſſe ſcriptum in ſex veteribus codicibus: hoc Eraſmus obſervavit apud Chryſoſtomum, Hieronymum, Hilarium, Theophylactum: hoc præſenti loco optime quadrat. Joannes Boiſius Anglus Notis in Chryſoſtomum Savilianum, Σκύλλω *proprie ſignificat*, Vexo, Fatigo, *nec quovis id modo, ſed longitudine & difficultate itineris, Matth. 9. 36. pro ἐσκυλμένοι multi cod. habent ἐσκυλμένοι· & ſic ſine dubio legit Vulg. Interpres. Reddidit enim* vexati. *Optime ſane: nec Beza id diſſimulavit. Sic Mar. 5. 35.* Quid ultra vexas Magiſtrum? *ſcil. itinere iſto confiendo. Martialis,*

Quid ſruſtra nemorum dominum regemque fatigas?

i. Joſepho Scaligero interprete,

Τίπτε μάτην σκύλλεις δρυμῶν πρύτανιν καὶ ἄνακτα;

Herodianus lib. 4. pag. 205. ἵνα μὴ πάντα τὸν στρατὸν σκύλῃ, ne totum exercitum vexaret. *Idem lib. 7. pag. 149.* σκύλας δὲ καὶ ὑβρίσας Φυγαῖς ἢ θανάτοις ἔζημιε, *i.* poſtquam vero fatigaſſet, (*ſcil. longis & moleſtis itineribus*) & contumeliis affeciſſet, exſilio vel morte multabat. *Male ibi Politianus* σκύλας *interpretatus eſt* ſpoliatos, *cum debuiſſet potius* fatigatos, *ſicut eruditiſſime annotatum ab Henrico Stephano præfatione Herodiani a ſe editi.* Chryſoſtomus Tom. 7. pag. 107. editionis Savilianæ, ὡς ἂν ἐσκυλκὼς σε τὴν ὁδοιπορίαν, *h. e.* non te fatigaſſem tam moleſto itinere. *Tot enim opus eſt vocabulis ut unum Græcum verbum plene exprimatur.* Eodem Tomo pag. 160 σκυλῆναι ἕως ὑμῶν, *h. e.* tam laborioſum iter ad nos ſuſcipere. *Verbum è verbo*, ad nos uſque vexari & fatigari, *i. ad nos uſque venire, quod ſine vexatione & fatigatione fieri non poteſt.* Hinc compoſitum vulgo ignotum, ſed Chryſoſtomo uſurpatum, πολυσκυλτος, i. πολυμέριμνος, *curarum & aruminarum plenus*, Tomo eodem 7. pag. 554. Ergo ἐσκυλμένοι revera hic eſt ἐσκυλμένοι, *moleſtis*, dum Chriſtum huc illuc ſequerentur, *itineribus vexati.*

CAP. LIV.

Alia mente Dominus mortem appellat ſomnum *Matth. 9. 24. alia profani ſcriptores.*

MOrtis & Somni comparatione vix alia frequentior apud profanos æque ac Sacros ſcriptores. Ovidio ſomnus eſt *gelida mortis imago*; Virgilio, *conſanguineus lethi ſopor*; Orpheo, *ferus*; Cohutho, *ſpeculum*; Horatio & Senecæ, *frater mortis.* Sic Matth. 9. 24. puella Jairi, ſic Lazarus, Moſes item, David, Joſaphat, omneſque adeo fideles demortui in Scripturis S. *dormire* dicuntur. Sed longe alia mente Sacri ſcriptores Mortem Somno æquiparant ac profani. Hi obſtinctas facultatum partiumque functiones in morte, quas in quiete ſemiſepultas experiuntur; ideo Mors iis *ſomnus*, ſed *ferreus*, ſed *æternus*, & *æternalis ſopor.* Illi, quod Mortem laborum ac miſeriarum agnoſcunt dulcem quietem; quod ut dormiens occulte vivit, ita in Domino mortui vivunt coram Deo, quod item æque facile mortui è ſepulcro voce Dei ac dormiens è ſomno voce hominis ſuſcitatur; præterea, quod ut homo qui edormivit fatigationem corporis lætus ad opera vocationis regreditur, ita nos poſt beatæ mortis ſomnum lætiſſimi ſumus ſurrecturi ad amabilem laborem Dei in cœlis laudandi celebrandique; poſtremo, quod Morte à Chriſto devicta, mors non mors, ſed ſomnus eſt: qua de re libet audire diſſerentem Baſilium Seleuciæ Epiſcopum, oratione in illud, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte:* ſic autem ille ibi, *Verum dicat aliquis, Cur ergo contra pericula Diſcipuli pro Chriſto alacres armamur, & rerum adverſis latamur? cur Chriſtus cum animi anguſtia crucem admittit, & pavor paſſionem antecedit? Cur? Quia Chriſtus in Mortem viventem adhuc expeditionem ſuſcipit, congrediturque nondum diſjecta tyrannide. Adhuc enim jam inde ab Adamo occupato in homines dominatu magnifice ſe jactabat Mors. Chriſtus Morte contrucidata, poſt-futuris eum velut enectum tradidit ad certamen. Ideo ipſe velut in viventem parans impreſſionem pro rei veritate ſe gerit. Apoſtoli vero, Morte devicta & velut jugulata & extremum ſpirante, licet multum animati eum invadunt, ut Paulus prædicat*, Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas, & ſepultus eſt, (*Mortem accurate deſcribit*) & reſurrexit tertia die, & viſus eſt Jacobo; deinde pluſquam quingenties mille fratribus ſemel, ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dor-

dormierunt. *Non jam*, MORTUI SUNT. *Peracta namque cruce ſomnus Mors eſt, ante crucem formidabilis, & poſt crucem deſpicabilis. Et rurſus*, Quod Jeſus paſſus & mortuus eſt & reſurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Jeſum adducet. *Chriſti finem* mortem *appellavit; bellum ſiquidem illi fuit contra Mortem viventem: aliorum qui poſt Chriſtum* ſomnum *agnoſcit, non* mortem. *Inde factum ut viros pro religione certare videamus, puellos mortem irriſus habere, puellas eam adire lubibundas, quando Chriſtus vita poſt mortem futura βραβεῖον protulit. Quare epinicium cantant omnes*, Ubi, mors, victoria tua? ubi, inferne, ſtimulus tuus? *In Jeſu; Cui gloria & honor in ſecula, Amen.*

CAP. LV.

Judæi in funerum ritibus Gentiles imitati. Tibiarum uſus in funeribus. Τυμβαῦλαι *fiſtulæ. Superſtitio hodiernorum Judæorum. Chriſtiani tubas non admittunt.*

NUlla Dei lege juſſi ſunt Judæi tibicines advocare qui mortuis ſuis lugubre canerent. Quæritur igitur cur αὐλητραὶ in domo Jairi viſi? Sunt qui rationem à puellæ Jairi ætate repetant. Theophylactus paulo aliter, ἐπειδὴ ἄγαμος ἦν, μετὰ τῶν γαμικῶν αὐλῶν αὐτὴν ἐθρήνουν. *Quoniam nondum nupta erat, deflebant eam nuptialibus tibiis.* Atqui moris fuit Judæorum in quovis funere æneatores ac tibicines adhibere. Unde proverbium in hiſtoria Sacra, *Cantavimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis; lamentavimus* (iiſdem nempe tibiis) *& non ploraſtis.* Et Jeroſolymis, cum Joppe capta Joſephus occiſus diceretur, ſcribit Joſephus ipſe l. 3. c. 15. Captæ Judææ, πλείους μισθώσαι τὰς αὐλητὰς οἱ θρήνων ἔσοιντο αὐτοῖς, *multos conductos fuiſſe tibicines qui luctum inciperent.* Ergo, ut alia plura, ita & hunc morem ex Gentilium tam Latinorum quam Græcorum conſuetudine hauſerunt Judæi. Nam Homerus, Hectoris cadavere allato, adfuiſſe ait ἀοιδὰς θρήνων ἔξαρχας. Iſti ἀοιδοὶ vocantur hic αὐλητραί. Fuit enim αὐλὸς θρηνητικὸν ὄργανον: ſiquidem in demortuorum ædibus audiebatur μονοαύλιος unius tibiæ triſtis concentus. Τυμβαῦλαι vocabantur *quia ad tumulum illas accerſebantur ſubicines.* Æneatorum & tibicinum frequentior uſus apud Romanos; ubi tibicines tecto capite, nempe perſonati, ſonare conſueverant, teſte Valerio lib. 2. cap. 5. Dicebanturque tibicines illi *ſiticines*, aut *ficinia*, ut annotat alicubi Joan. Brodæus. Ut autem tibia in luctu, ita lyra in rebus lætis utebantur. Grammatici prodiderunt, Romanos ſolitos fuiſſe tuba majoribus funeribus incinere, tibia minoribus; quemadmodum apud nos majores campanæ pulſantur in honorationibus funeribus. Hinc Naſo Triſtium l. 5. Eleg. 1.

Tibia funeribus convenit iſta meis.

Et Propertius,

Tibia funeſta triſtior illa tuba.

Perſius etiam Sat. 3. patricii viri funus deſcribens *tubicinem* non *tibicinem* adfuiſſe memorat,

Hinc tuba, candela: tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto, &c.

Verum Hieronymus Magius Miſcell l. 1. c. 13. putat *tibicines quibuſcumque funeribus adhibitos olim fuiſſe, eamque ob rem frequentiorem funebrium tibiarum fieri mentionem quam tubæ.* Laudat Ciceronem lib. 2. De legibus ſcribentem, *Honoratorum virorum laudes in concione memorantor, eaſque etiam ad cantus, ad tibicinem perſequuntur: cui nomen nenia: quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.* Citat Feſtum lib. 12. & Nonium teſtes, *nenias in funere ad tibiam cani conſuevisſe. Vero autem ſimile* ait *eſſe nenias omnibus funeribus fuiſſe.* Unde Cicero de Clodii funere in Milonianis, *ſine cantu, ſine tibia.* Addit Magius, *Alexandrum Aphrod. problem. 76. l. 1. ingentibus cur adhibeantur tibia dum quærit, nullam tubæ mentionem facere.* Fuerunt & aliæ Gentilium nonnullorum ſuperſtitiones circa mortuos. Nam quaſdam corporis partes aeu vulnerabant vel alias incidebant, atramentumque ſuper imponebant, idque in cultum ſuorum dæmonum. Tale quid de Sacerdotibus Cybeles Lucianus, & de Baalitis Scriptura refert 1 Reg. 18. Nonnullæ gentes capillos capitis tecare ſolebant ac defunctis offerre; alii pilos genarum, alii vero ipſa cilia incidebant atque offerebant. Hæc ut non imitarentur Judæi ſevere præcipit Deus Deut. 14. 1. Sed ſuperſtitioſiſſima Judæorum gens quid ſuperſtitionum paganarum intactum reliquit? Etiam quibus hodie circa morituros & mortuos utuntur ritibus, nil niſi vanitatem Judaicam ſapiunt, etſi quædam veræ religionis ſpeciem quandam habeant. Monetur igitur moriturus Judæus ut totum ſe gratiæ & miſericordiæ Dei commendet. Deinde interrogatur *num credat venturum Meſſiam.* Tertio, monetur ut faciat confeſſionem vel ore vel corde: quâ facta dicit, *Sit mors mea expiatio omnium peccatorum meorum.* Quarto, ut repudiet uxorem, h. e. licentiam det nubendi alteri poſt mortem. Defuncto Judæo, omnem aquam quæ in ea domo & vicinis ædibus eſt effundunt; amici defuncti & propinquiores quinque mox lacerant veſtimenta ſua; nec comedunt in domo illa die illo, ſed foris: nudis pedibus comitantur funus; & quæ ſunt alia ſuperſtitionis Judaicæ. Veri Chriſtiani & à Gentilium & à Judæorum ſuperſtitioſis ritibus abhorrent, & cum Tertulliano lib. De Corona militis dicunt, *Mortuus tuba aneatoris non eſt inquietandus, qui excitari à tuba Angeli exſpectat.*

CAP. LVI.

Nummi olim in zonis. Serpentis & Columbæ mixtura. Τὸ φρόνιμον ὄφεως καὶ τὸ ἀκέραιον περιστερᾶς.

PRæcipit Servator Matth. 10. 9. *ne æs in zonis circumferant.* In zonis enim veteres ſolebant deferre nummos. Ideo Gracchus in Oratione quam ad populum in concione habuit, *Quirites*, inquit, *cum Roma profectus zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Tranquillus ſcribit, *Vitellium zona ſe auro plena circumdediſſe.* Plutarchus in Demetrio, *Soſigenes aureos nummos CCC habuit in cingulo militari.* Horatius,

Ibit eo quo vis qui zonam perdidit,

de milite Luculliano. Nimirum, ut Alexander Imp. apud Lampridium, *Miles non timet niſi veſtitus, armatus & calceatus, & ſatur, & habens aliquid in zona.* Idem Salvator ait *Se Diſcipulos mittere ut oves in medio luporum.* Simile judicium de mundi filiis tulit ille qui apud veteres filio ſuo nomen impoſuit Οὐλίνιος, quod diceret *ſe eum eſſe relicturum* in maximis periculis *tanquam ovem inter lupos*, ὑπαλείψειν ἐν τοῖς λύκοισι, ut ſcripſit Herodotus Melpomena. In tanto periculo verſaturis Diſcipulis commendat Dominus *prudentiam Serpentum & ſimplicitatem Columbarum.* Quærit autem Epiphanius contra Ophitas *cur Dominus has duas perſonas, Serpentis & Columbæ, nobis in doctrinam introduxerit:* & reſpondet, *Nulla eſt in Serpente prudentia præter duas has. Primum, quod damni perſecutionem paſſus, cognoſcens quod in capite ipſius tota vitæ ejus exiſtit, & timens ſuperum præceptum ad ipſum à Deo propter Hominem dictum, tuetur, Cuſtodies caput ab ipſo*, & ipſe calcaneum à te, *ubi totum corpus involvit in caput ſuum, occultat quidem craninm ſuum, tradit autem reliquum corpus, per excellentem calliditatem. Sic vult nos unigenitus ille Deus ex Patre progreſſus in tempore perſecutionis & in tempore tentationis omnia noſtra concedere gladio & igni, cuſtodire autem noſtrum ipſorum Caput, h. e. Chriſtum non abnegare. Nam* Caput omnis viri Chriſtus. *Alteram rurſus prudentiam habet Serpens, velut naturarerum doctis debeo animali tradunt. Quando enim ſiti preſſus à latibulo procedit ad aquam ut bibat, non ſimul accipit ſecum venenum ſed in latibulo relinquit, & ſic progreſſus potum aquarum ſumit. Sic nos ad ſanctam Eccleſiam, ad preces, ad myſteria venturi, malitiam, aut voluptatem, aut inimicitiam, aut aliud quid in cogitationibus noſtris ne feramus. Alioqui quomodo poterimus & Columbam imitari, non à malitia remoti? Quanquam Columba genus in multis rebus non laudatur, (Petulans eſt enim Columbarum genus, & à multiplici mixtione non alienum, laſcivumque, & per omne tempus voluptati deditum, adhæc vero debile & infirmum) at vero propter innocentiam & longanimitatem & malorum oblivionem, inſuper & propterea quod in Columbæ ſpecie apparuit Spiritus S. imitari nos vult Divinus ſermo S. Spiritus voluntatem & innocentis Columbæ innocentiam, ut ſimus quidem prudentes ad bonum, ſimplices vero ad malum.* Credibile eſt, Dominum in monito illo, Γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, reſpexiſſe ad Gen 3. 1. ubi ſcribitur, Ὁ δὲ ὄφις ἦν φρονιμώτατος πάντων τῶν θηρίων, &c. *Serpens erat prudentiſſimus omnium beſtiarum:* contra, monito altero, Γίνεσθε ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί, ad illam Columbæ naturam attendiſſe quam verſus hi exprimunt,

Et ſine felle, gemit, roſtro non ladit, & ungues
Poſſidet innocuos, granaque pura legit.

Tota autem Eccleſia temperamento Simplicitatis & Prudentiæ delectatur, & id ſibi dictum intelligit quod Gentium Apoſtolus hiſce verbis expoſuit, *Volo vos ſapientes quidem eſſe in rebus bonis, innocentes vero in malis*, Rom. 16. 19. Ideo dictum hoc Chriſti accinebatur olim baptizatis. Ambroſius lib. De iis qui initiantur myſteriis, c. 4. poſt alia, *Simul & eorum qui baptizantur, non in ſpecie eſſe dicitur, ſed vera ſimplicitas:*

unde & Dominus ait, Eſtote prudentes ut ſerpentes, &c. Unde manavit illud in vetere Eccleſia proverbium, *Μιγνύων τῇ περιςερᾷ τὸν ὄφιν· τὸ γὰρ*, inquit Nazianzenus in Oratione de patre ſuo, *τῇ ὄφεως Φρονίμου παρὰ τὸ κακὸν τῇ τῆς περιςερᾶς ἀκεραίῳ παρὰ τὸ καλὸν ἀναμίξας, ἵνα τὸ Φρόνιμον εἶναι κακῆργον γένηται, ἵνα τὸ ἀκέραιον ἀνόητον, ἀλλ' ἐν ἀρετῆς εἶδος, ἑκάτερον ἑνὶ, ἐξ ἀμφοῖν ἀναμιξάμενος*, *Nam Serpentis prudentiam ad malum Columbæ ſinceritati ad bonum admiſcendo, neque prudentiam fecit malitioſam, neque ſimplicitatem fieri amentem, ſed unam virtutis formam, quam maxime licuit, ex ambobus exquiſite conſtituit.* Vide de proverbio illo Clementem Alex. Strom. 7. Verum hic hypocriſis vel maxime cavenda eſt, ne externis geſtibus Columbam, interno affectu Serpentem imitemur, & illud Hermippi in nos quadret, *τὴν μὲν διαλεκτον καὶ τὸ πρόσωπον ἀμῶν ἔχειν δοκεῖς, τὰ δ' ἔνδον εἴδη διαφέρας δράκοντος*, *Foris agnus, intus draco.* Cæterum Chriſtus diſcipulos ſuos omnibus lupis exoſos fore teſtatur, ſed addit pulcrum ſolamen, Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται· τὸ, ὑπομείνας, Beza vertit *qui ſuſtinuerit.* Vulg. *qui perſeveraverit*; quod Caſaubon. in Notis retinendum cenſet. *Videntur enim*, inquit, *proprie ὑπομένειν dici ea quæ ſubſiſtunt, nec amittunt τὸ εἶναι, ſicut à Philoſopho dicuntur partes τῇ χρόνῳ ὑπομένειν.* Idem Caſaubonus probat verſionem Vulgatam verborum *ἐπὶ τῶν δωμάτων* ver. 27. ubi redditur *δῶμα tectum*, non *domus*, ut vertit Beza. Nec fallitur Caſaubonus. Nam, ut Hieronymus in Epiſt. 135. ad Suniam & Fretellam, *Δῶμα in Orientalibus provinciis ipſum dicitur quod apud Latinos* TECTUM: *in Paleſtina enim & in Ægypto, vel ubi ſcripti ſunt Divini libri, vel interpretati ſunt, non habent in tectis culmina, ſed domata, quæ Roma vel Solaria vel Mœniana vocant.* Ex tali domate (nam δῶμα Latine *doma, tis*) Elpenor cadit apud Homerum lib. 10. Odyſſeæ, *cum ſub dio jaceret in ſumma domo: quia tecta non ſubant è tegulis, ſed, uti videtur, erant qualia nunc quoque locis infinitis videntur, aggeſtam ſuper trabes terram habentia; ut in ejuſmodi tecta cubare etiam aliquis poſſit*, ſcribit Euſtathius ad illum locum. LXX certe interpretes paſſim δῶμα pro *tecto* non pro *domo* uſurpant. Locus illuſtris 2 Sam. 11. 2. *καὶ ἐνέκρα Δαβὶδ ἀπὸ τῆς κοίτης αὐτῆ, καὶ περιεπάτει ἐπὶ τῷ δώματος τῷ οἴκῳ τῷ βασιλέως.* Cui reſpondet ille Jer. 32. 29. *Καὶ κατακαύσουσι τὰς οἰκίας ἐν αἷς ἐθυμίασαν ἐν αὐταῖς ἐπὶ τῶν δωμάτων αὐτῶν τῇ Βάαλ*, h. e. *Et ſuccendent eam igni, & comburent eam, & domos in quarum domatibus ſacrificabant Baal.* Vide & Joſ. 2. 6. Jud. 9. 51. & 16. 27. ſæpeque alibi. Gloſſarium vetus, *Τέκτων ςέγη, ςεγνὸν, καὶ δῶμα.* Et alibi, *Δῶμα, tectum.* Non eſt autem vox δῶμα vel à LXX vel ab Apoſtolis efficta, ut aliqui putarunt. Viri enim docti pridem oſtenderunt antiquos Græcos δῶμα & δώματα dixiſſe. Theocritus in Pharmac. Idyll. β'.

Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

Apud Homerum paſſim, & per abſciſſionem δῶ. Odyſſ. 15. ὑψερεφὲς δῶ, i. *alta domus.* Heſiodus in Θεογονίᾳ.

Ναίει χρύσεα δῶ δαιὸς θεός.

ubi interpres, *χρύσεα δῶ, δώματα κατὰ ἀποστροφήν.* Sic Latini priſci, *endo do*, i. *in domum.*

CAP. LVII.

De BEELZEBUB, BEELZEBUL, *& nominum horum ortu Joſephi Scaligeri & Joannis Seldeni JC. ſententia.*

JOvem Tyrii & Sidonii, inquit Scaliger, *vocabant* בעל, *quem Græci vertunt* Βῆλον.

Quam Belus & omnes
A Belo ſoliti.

Neque vero hunc diſtinguunt à Belo Babylonio. Eſt autem BAAL *commune multorum Deorum, Tyriorum, Sidoniorum & Ammonitarum cognomen. Unde multis* בעלים, *i.* Baalibus, *ſervüſſe dicuntur Heb. ſiquidem omnis Deus apud illos vocabatur* בעל, *ſed cum attributo, ut* בעל שמים Dominus cœli *dicebatur illo, qui Gr.* Ζεύς. *Philo Bybl. ex Sanchoniathone Berytio*, Τῦτον γὰρ θεὸν ἐνόμιζον μόνῳ ἀρκεῖν νείμαν, Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ ἐςι παρὰ Φοίνιξι Κύριος οὐρανῦ, Ζεὺς δὲ παρ' Ἕλλησι. *Sed Heb.* χλευαζικῶς BEELZEBUB, Dominum muſcæ, *vocabant: ut illis mos eſt Gentium Deos nunquam ſuo nomine appellare, ſed* abominationem *aut* aſpermantum. *Sic pro* BETHEL *dicebant* BETH-AVEN, *videlicet pro* Domo Dei, *ut vocabatur à Samaritis*, Domum vanitatis. *Quare ſi quis putat* Beelzebub *vocatum ab ipſis Tyriis & Sidoniis, non autem per contumeliam ita dictum ab Hebræis, is non leviter erraverit. Neque aliter intelligendum* 2 *Reg.* 1. 2. *Is Baal eſt quem Διὰ* Ὀλύμπιον *vocat Dius, priſcus Phœniciarum rerum ſcriptor. Nam* זבוב *eſt ad verbum* Ζεὺς, Ὀλύμπιος, *qui colebatur in inſula Tyri.* Hæc Scaliger in Fragmenta veterum Chronologorum ad finem librorum De emendatione temporum. Idem Scaliger Elencho Trihæreſii Serariani cap. 1. BEELZEBUB *Deus muſcæ dicitur per contumeliam, ut alibi oſtendimus: non quod Accaronitæ eo nomine Numen ſuum dehoneſtare voluerint (quis enim τὸ σεβαζόμενον ὑβρίζει;) ſed multi erant Baalim: & apud illas gentes εἰδωλομανεῖς nunquam* Baal *dicebatur ſine conſtructivo*, Baal-Samaim, Οὐράνιος, Baal-reem, Βροντεύς, *quem ridiculo nomine Scriptura* Baalphegor *vocat, quod eſt* Πορδεύς, *non* Βροντεύς. *Sic illud Accaronitarum idolum, quod, meo judicio, dicebatur* BAALZEBAHIM, Deus victimarum, immolationum, ſacrificiorum, *joculari vocabulo Scriptura vocavit* Deum muſcæ, *quod in templo Jeroſolymitano muſcæ carnes victimarum non liguriebant, cum tamen Gentium fana à muſcis infeſtarentur propter nidorem victimarum. Ideo in Arcadia Heros cuidam Myagro, antequam hoſtiæ caderentur, res divina fiebat, ne muſcæ ad eas advolarent. Pauſanias*, Ἐν ταύτῃ τῇ πανηγύρει Μυάγρᾳ προθύουσιν, ἐπευχόμενοί τε παῦσαι τῶν ἱερείων τῇ ὄμῃ, καὶ ἐκκαλέμενοι τὸν Μυάγρον. *Itaque quod Ochozias Rex miſerit conſcitatum oraculum Beelzebub idoli Accaronitarum, ideo ullam hanc hæreſin Muſcicolarum ortam fuiſſe neque ſequitur, neque verum eſt. Unus tantum Baal ſine conſtructivo nominabatur κατ' ἐξοχὴν, iſque erat Baal-Samaim, de quo toties in Scriptura. Reliqui Dii dicuntur* Baalim *abſolute in libris Sacris, cum ſinguli apud gentes ſuas cum conſtructivo ſuo conciperentur.* Hæc ille. A quo de origine nominis diſſentit Joannes Seldenus JC. Syntagmate 2. De DIs Syris cap. 5. cujus verba, quia hiſtoriam Euangelicam de *Beelzebul* pulcre illuſtrant, adſcribere libet. Sic autem ille, *Cum Ahazias Rex Iſraelis male haberet, de ſalute conſuluit oraculum τῦ Baalzebub, Dei Accaronitarum; uti eſt ea de re hiſtoria* 2 *Reg.* 1. *Interpretatur* BAALZEBUB Dominus, *ſive* Deus, Muſca, *ſeu* Muſcæ. *Unde Fl. Joſephus de Achazia caſu verba faciens τὸν Ἀκκάρων θεὸν* Μυῖαν (*q. d.* Accaronitarum Deum Muſcam) *eum appellat. Quo nomine LXX Interpretes & Gregorius Nazianzenus Orat. Stelent.* 2. *& ſi qui ſunt alii verſionem LXX ſecuti, mutuntur. Utrum ab Accaronitis inventum fuerit hoc nomen, an à Judæis in idoli opprobrium, diſputatur. A* muſcarum *multitudine, quæ victimarum carnes plerumque ſectantur, dictum non deſunt qui putent. Veri enim Dei ſacra muſcas nequaquam infeſtaſſe traditur*, Pirke Aboth *cap.* 5. Non conſpecta eſt muſca in domo mactationis. *Et judicio magni Scaligeri* id quod dicebatur BAALZEBAHIM (*ſic ille*) DEUS VICTIMARUM, IMMOLATIONUM, SACRIFICTORUM, joculari vocabulo Scriptura vocavit *Deum muſcæ*, quod in templo Hieroſolymitano muſcæ carnes victimarum non ligurichant, cum tamen Gentium fana à muſcis infeſtarentur propter nidorem victimarum. *De hac re alii aliter. Sed mihi perſuaſiſſimum eſt Accaronitis ipſis eum* Baalzebub *dictum. Nonne enim velut Numinis venerandi illius mentio facta eſt ab Ahazia?* Ite, *inquit*, & inquirite Baalzebub Deum Accaronitarum, num ſupervictunis ſim ab hac infirmitate. *Ecquis Numen quod coleret, & de ſalutis inſtauratione conſulendum duceret, inhoneſto & joculari vocabulo compellaret? Accedit quod etiam Europæis Jupiter & Hercules ſub eodem fere nomine colerentur. Arcades ſolenni ſacrificio τὸν Μυίαγρον quotannis reddere ſolebant propitium, quemadmodum & Elei Olympico certamine Jovem* Ἀπόμυιον, teſtante ſcilicet Pauſania in Arcadicis & Eliacorum priore. *Hunc* Myiodem *vocat Plinius Hiſt.* 29. *c.* 6. *Clemens Alexandrinus in Protreptico*, Ἀπομυίῳ Διὶ θύουσιν Ἠλεῖοι, Ῥωμαῖοι δὲ ἀποπομπαίῳ Ἡρακλεῖ. *Cæterum de Hercule Romano vide ſis Solini cap.* 1. *ubi, cum Potitiorum & Pinariorum ſacra inſtitueret*, Myagrum Deum, *i. Jovem ἀπόμυιον*, imprecatus eſſe *dicitur*. Myagrus *autem*, Myodes (*potius* Myiagrus, Myiodes) Apomyus, *& hujuſmodi*, Muſcam *in ſe ſignanter comprehendunt, & quaſi* Dominum muſcæ *explicant. Ita Hercules* Κορυνάτης *à Trachiniis cultus: ſic dictus quod κάρυνας ſive* locuſtas *abegerat. Erythræis idem* Ἰοκτόνος *appellatus, i.* qui vermiculos vitibus infeſtos occidit. *Atque Apollo Smintheus* Μυοκτόνος *dictus, à* muribus: *quæ memorat Euſtathius ad à Iliados. Annc vero hæc Divum cognomina minus quam illud Accaronitarum ridicula? An Accaronita quam Græci & Romani pii magis cenſendi, aut in idolorum titulis religioſiores? Sacra etiam Muſcis anima fieri ſolita in Apollinis Actii fano ſcripſit Ælianus De Animalibus lib.* 11. *A* Baalzebub *hæreſin format Philaſtrius* Muſcæ-Accaronitarum, qui (*ut verba ejus ſunt*) Muſcam colunt in civitate Accaron dicta. *Quid revera in cauſa fuerit nominis nequeo dicere, nec mihi quæ alius,*

gius, opinor, ſatis poteſt. Haud enim acquieſcendum eſt frivolis iſtis ineptiis, quas de rebus antiquiſſimis credula & mendax poſteritas ſolet temere nimis evulgare: velut ἀπόφθεγτον igitur illud omittimus. In Africam autem, ut alia, ita & hoc nomen & Numen tranſlatum videtur. Plinius Hiſt. 10. cap. 28. Cyrenaici Achorem Deum invocant, muſcarum multitudine peſtilentiam afferente, quæ protinus intereunt poſtquam litatum eſt illi Deo. *In* Achore *hic veſtigia reperis* Acaronis; *& quæ de* Muſcis *dicit, ea* Baalzebub *ferme ſonant. Meminere hujus idoli, verum ſub* Principis Dæmoniorum *nomine, Latina, Hebræa quæ circumferuntur, & Syriaca DDD. Matthæi, Marci, & Lucæ verſiones. In quibus tamen pro* Beelzebub *Græcorum pleraque, & doctorum ſententia, optima exemplaria* Βεελζεβοὺλ Beelzebul *habent; atque vetuſtiſſima Arabica à Cl. V. Thoma Erpenio nuper edita* Beelzebul *ubique retinet.* BEELSEBUL *autem ſonat* Jupiter, Belus, *ſive* Dominus, Stercoreus, *aut* Stercoris. *Certe & D. Chryſoſtomus* Βεελζεβοὺλ *legit; ita etiam Origenes, Athanaſius, Cyrillus, pleriique veterum. Et Prudentius περὶ στεφάνων Hymno 5. Vincentio Martyri,*

Sed Belzebulis callida
Commenta Chriſtus deſtruit.

Non male dixeris in contumeliam idololatrarum hoc vocabulum inventum: ut & ſenſit J. Druſius, adnotans etiam, hujuſmodi appellationes in ſilerum Numinum ignominiam fieri ſolenniter præceptiſſe Judæorum Sapientes. Cur autem ad Principem Dæmoniorum denotandum uſurpetur Beelzebub *aut* Beelzebul (*qua voce tamen Beelzebub immutor*) *fateor cum Origene, me omnino latere.* Vide Juſtini Martyris Reſponſorum 82.

CAP. LVIII.

Quomodo Apoſtoli in Synedria *dicantur* tradendi *Matth.* 10. 17. *cum unicus tantum fuerit Synedrion.*

MIſſurus Dominus diſcipulos ſuos in urbes Judææ ad prædicandum Euangelium, & pericula illis prædicit, & conſolationibus eos adverſus perſecutiones munit. Inter alia, παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς, inquit; h. e. *Tradent vos in ſynedria, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.* Atqui unum tantum fuit Synedrium ſive Concilium magnum, idque Jeroſolymis, ſeptuaginta & unius Judicum, olim in Lege inſtitutum, Num. 11. 16. cui primum Moſes, poſtea ſapientiſſimus omnium, electus præfuit, qui *Caput Schola, Curiæ, Academiæ, Princeps* item *domus judicii magni Jeroſolymitani*, dictus. Illi Principi autem ex LXX addebatur ſecundarius, quem *Patrem Conſiſtorii* vel *ordinis Senatorii* vocarunt. Quæritur igitur cur Chriſtus numero multitudinis uſus dicat εἰς συνέδρια, εἰς συνέδριον. Paraphr. Syrus exiſtimavit eſſe Enalliagen numeri; ideo vertit, *Tradent vos in domum judiciorum.* Verum non niſi urgente neceſſitate magna à ſermone proprio ad tropicum decurrendum. An igitur Synedria minora intellexit, quæ XXIII Judicibus conſtabant, & in portis earum urbium exercebantur in quibus CXX & plures patresfamilias Iſraelitæ habitabant? Atqui criminalia tantum, non Sacerdotalia, non Theologica ibi judicabantur. An per *Synedria* Concilia Gentium indicta vohit? Non admittunt hanc interpretationem quæ ſequuntur, *& in Synagogis flagellabunt vos.* Quid ergo? P. Gabinius, ut prodit Joſephus De bello Jud. l. 1. c. 6. Syriæ Proconſul ab Alexandro Ariſtobuli F. provocatus, nova victoria parta, rurſus Judæam conſtituit. Etenim quatuor Conciliis additis, *gentem in quinque partes diſtribuit, quarum una*, teſte Joſepho, *Jeroſolymis erat, altera Gadaris, tertia Amathunte, quarta Hiericunte, quinta Sephoris Galilææ.* Quare, cum quinque Concilia eſſent, merito Dominus dixit, *Tradent vos in Synedria*, ſive *Concilia.* In Conciliis ergo illis accuſabantur, in Synagogis flagellabantur, Act. 22. 19.

CAP. LIX.

Elogium Bartholomæi Pitiſci Sileſii Theologi nuper Palatini. Ejus erudita ſententia de dicto Domini Matth. 10. 23. ἕως μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραὴλ ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

EX omni æqualium meorum numero neminem habui quicum aut libere jocari aut familiariter ſuſpirare poſſem præterquam Bartholomæum Pitiſcum. Patria nobis communis erat Grunberga, Sileſiæ Regia civitas: Præceptores communes; in pueritia, Petrus Titus, Confeſſor Chriſti conſtans, Jacobus Ebertus, præclarus Hebræus; Paulus Bernavus, Muſarum delicium; in juventute, Profeſſores Wittembergici & Heidelbergenſes. Adultum utrumque in Miniſterio ſacro aulico conjunxit Sereniſſ. Imperii Pr. Fridericus IV. Comes Palatinus Elector. Studiis recreabantur communibus, Philologicis, Mathematicis, Theologicis. Ac erant in viro iſto, præter pietatem inſignem & raram animi ſinceritatem, doctrina excellens, dotum animi ſenſa perſpicue proferendi eximium, judicium poſtremo ſolidum & confirmatum. Itaque voluptati mihi fuit cum illo quotidie converſari, & cum de aliis tum de multis Scripturæ dictis conferre. Ac memini me inter alia, Anno M. D. ꝛc. ab illo audire explicationem pronunciati illius Servatoris noſtri, *Nequaquam obieritis urbes Iſraelis, quin venerit Filius hominis:* quam ego non ſine cauſa habebam omnium aliorum interpretationibus duxi & adhuc duco præferendam. Sic autem ſentiebat vir optimus; Dominum occurrere tacitæ objectioni Apoſtolorum, *Si ab urbe in urbem fugiendum*, (quod paulo ante docuerat Magiſter) *ubi tandem manebimus?* Reſpondet, *Urbes, oppida, vici plurimi ſunt: non poteritis omnes perambulare antequam veniat Filius hominis.* Sic enim non male τελέσητε vertit Eraſmus *perambulaveritis.* Germanice, ihr werdet nicht alle Städte Iſraels durchwandert ſeyn/ ehe des Menſchen Sohn kommt. Huic interpretationi favet totus contextus. Sed quæritur quid hoc ſit, *quin venerit Filius hominis:* atqui jam venerat. Dico *venire* hic eſſe *auſpicari Regnum ſuum.* Sic enim loquitur Dominus Matth. 16. 28. *Sunt hic ſtantes qui nequaquam guſtabunt mortem priuſquam viderint Filium hominis venientem in Regnum ſuum:* quod apud Marcum 9. 1. ſic effertur, ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει· qua voce utitur hic Servator, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Igitur de Apoſtolis ſpeciatim loquitur, illoſque ſolatur hac ratione, *Non defore eis locum in terra Iſraelitica in qua receptaculum ſint inventuri, ut ut nunc à multis pellantur, uſque dum ipſe Regnum ſuum auſpicatur in gloriam ſubvectus, ubi non ſolum terra Iſrael ſed orbis terrarum prædicationis ipſorum campus ſit futurus.*

CAP. LX.

Carcer *olim erat* cuſtodia: *unde* Φυλακὴ *dictum.*

LEgimus Matth. 11. 2. *Joannem diſcipulis è carcere locutum.* Nimirum humaniores olim gentes non ita abjiciebant homines in imas turres ut fit apud nos: tantum cuſtodiebantur captivi in locis in quibus adiri poterant. Talis fuit carcer Joſephi, & Pauli Apoſtoli Romæ. Sederunt una multi, & collocuti ſunt: accedebant & alii foris, conferebantque cum captivis ſermones. Apud Demoſthenem Æſchines in carcere à reliquis captivis excommunicatur: interdicitur enim reliquis ne quis cum ipſo comedat, ne quis lychnum ei accendat. Unde patet, etiam captivos habuiſſe ſuam quandam politiam in carcere. Ad ſummam, *carceres* olim tantum erant *cuſtodiæ*: ſicut & Juriſconſulti dicunt, *Carcerem debere eſſe cuſtodiam, non cruciatum. Carcer* enim quaſi *coarcer* à Varrone dictus, *ad continendos homines, non puniendos, habetur*, lib. 1. & tot. tit. C. de cuſtod. reor. Ideoque Græci φυλακὴν dixere, h. e. *cuſtodiam*, ſupra 5. 25. & infra 14. 3, 10. Vide Bezam ad cap. 5. 25. & ſic ubique verti debet φυλακὴ die Verwahrung/ εἰς φυλακὴν in die Verwahrung: ſicut alicubi in Germania etiam nominantur honeſtiores carceres. Athenis, autore Solone, carcer honeſtiſſimo vocabulo dictus eſt οἴκημα, ut refert Plutarchus in Vita Solonis. Atque hoc vocabulo utitur Lucas de carcere Petri, Act. 12. 7.

CAP. LXI.

Ἐν γενητοῖς γυναικῶν Matth. 11. 11. *ut vertendum. Item illud* v. 12. ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται. *Et unde illud* v. 17. ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε.

AFfirmat Servator *Joanne Baptiſta neminem majorem ſuſcitatum eſſe ἐν γενητοῖς γυναικῶν.* Vulg. *inter natos mulierum.* Eraſmus, *inter eos qui naſcuntur ex mulieribus.* Sic olim Beza, *inter eos qui gignuntur*; poſtea, *inter genitos ex mulieribus.* Malim ego præteritum *qui geniti ſunt*, quia Joannes hic confertur cum iis qui ante ipſum vixerunt, non qui ipſum ſecuti erant. Illis præponitur his verbis; his poſtponitur membro ſequenti. Sed gravior quæſtio de verbo βιάζεται,

utrum paſſive an neutraliter ſit accipiendum Matth. 11. 12. Melanchthon neutraliter exponit, *Regnum cœlorum vi erumpit, procedit, emittur, & quidem vi non corporali ſed ſpirituali.* Es dringet mit macht und gewalt durch/ daß mans nicht hindern kan: *non poteſt impediri a Diabolo & mundi potentiis.* Unde colligit inſignem conſolationem de irrito omnium Euangelii perſecutorum conatu, quando ut Sol, dum ſupra Horizontem enititur per nubes, non poteſt ulla re impediri, ita Regnum cœlorum βιάζεται, *perrumpit*, nec poteſt curſum ejus ulla adverſantium violentia remorari. Jucunda hæc & analoga etiam hiſtoriæ Euangelicæ. Sed paſſivæ ſignificationi verbi βιάζεται in hoc loco favet ipſa orationis ſeries. Deſcribitur enim qualitas & præcellentia Eccleſiæ N. Teſt. quod *Regnum cœlorum* appellatur. Præcellentia duplex eſt. Illuſtrior enim Dei agnitio & frequentior cultus eſt in N. Teſt. quam in Veteri. *Qui minimus eſt in Regno cœlorum major eſt Joanne Baptiſta*, ſcilicet quoad cognitionem Agni Dei non mactandi ſed mactati. *Et à diebus Joannis vis affertur Regno cœlorum*; dum ut olim Iſraelitæ promiſſam terram Chanaan vi occupabant, ita fideles dulciſſimas Euangelii de Chriſto exhibito promiſſiones ad ſe rapiunt precando, patiendo, diligendo, vincendo: id quod ſequentia clare innuunt, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν, quæ cum Melanchthonianas verbi βιάζεται interpretationi non videntur convenire. Joannes Levinerius in Notis ad Nyſſeni Virginitatem vertit, *Regnum Dei vi perrumpitur.* Illa vero, ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε, ex veterum ritu ſunt petita. Xiphilinus in exſequiis Pertinacis in vita Severi, Οἱ μὲν ἂν ἄλλοι πρὸ τῆς αὐλίνης προήειμεν, καί τινες ἐκόπτοντο, ἑτέρων πένθιμόν τι ὑπαυλούντων, *Pars noſtrorum lectum anteibat, ex quibus multi plangebant, alius flebile carmen ad tibias canentibus.* Nam præficæ, & alii quidam quos Lucianus, lib. περὶ πένθους, σοφιστὰς θρήνων appellat, ἐθρήνουν καὶ πένθιμόν τι ὑπηύλουν. Unde puerulorum iſtæ in plateis acclamationes enatæ.

CAP. LXII.

Effatum Servatoris, Καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς, *Matth.* 11. 19. *utrum ἀντιθετικῶς vel ſecus ſit accipiendum.*

THeodorus Beza, Piſcator, alii, reproborum & electorum antitheſin à Chriſto fieri putant, perinde ac ſi dixiſſet, *Eſſi multi gratiam à me oblatam reſpuunt, tamen ſunt interim aliqui electi, qui illam agnoſcunt & prædicant.* Videturque confirmari interpretatio illa, tum quod apud Lucam additur πάντων, tum quod ea ſignificatio verbi δικαιῶ apud eundem Lucam 7. 29. reperitur, οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τὸν Θεόν. Sed, quod pace doctiſſimorum virorum dixerim, expoſitio iſta non videtur ſatis congruere huic loco. Neque enim Chriſtus dicit ἀλλὰ, ſed καί. Notum autem τὸ, καί, non ſemper idem eſſe quod ἀλλά· & hoc ſenſu, h. e. in tam inexſpectata rei adverſione videri poſſit Matthæus non καὶ ſed ἀλλὰ fuiſſe dicturus. Deinde poſt vocem ἁμαρτωλῶν non comma, ſed aut colon aut punctum exſtare debebat; aut expuncto commate, ponendum punctum fuiſſet: quod quidem Theodorus auſus eſt facere, ſed dubitant eruditi utrum ex codicum omnino permiſſu. Præterea inſtituto Chriſti ſermoni quodammodo adverſatur interpretatio iſta. Accuſat enim contumaciam populi Judaici, & perverſitatem judicii ipſorum mentione rei abſurdiſſimæ atque iniquiſſimæ arguit & exaggerat, *Et juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis. Quo ſcilicet* (ut Camerarius loquitur in Notis) *nihil magis perverſe atque præpoſtere fieri poſſet. Sapientia, inquit, à ſua ſobole judicatur. Vel, Sententia pronunciatur tanquam in judicio de Sapientia ab iis qui illam ut pueri audire* (addo, & judicio ejus ſe ſubmittere) *debebant*, q. d. Annon iniquiſſimum eſt eos ſibi judicandi partes ſumere, & quidem de Sapientiâ, quos potius illius judicium, ut filios parentis, magna attentione audire, reverenter amplecti ſuoque conſenſu approbare oportuit? τέκνα σοφίας dicuntur ut υἱοὶ τῆς βασιλείας Matth. 8. 12. *Non enim omnes qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael*, Rom. 9. 6, 7. Non juvat alteram, nec deſtruit interpretationem hanc, quod apud Lucam additur πάντων, *à filiis ſuis omnibus.* Maximam enim partem intelligit, quæ ſemper Euangelio adverſatur: οἱ μαθηταὶ πάντες ἀφέντες αὐτὸν ἔφυγον, Matth. 26. 56. & tamen Petrus Joanneſque illum ſequebantur. Dices, Verbum δικαιοῦν non videtur hanc ſententiam admittere. Primum igitur reſpondeat pro nobis Camerarius, prolato ex Thucydide ſimilis verbi ſignificationis exemplo, ὑμᾶς δὲ αὐτὰς μᾶλλον δικαιοῦσθε, h. e. δικαίας ὑπ' ὑμῶν ἀποδείκετε ὅτι τυραννικῶς ἔρχεται, *contra vos ipſos decernitis, tanquam ſententia juſte lata, quod veſtra gubernatio tyrannica ſit.* Deinde, quis legem hanc ferat S. Scriptoribus, ut ſemper eodem modo, eodem ſignificatu, iiſdem verbis utantur? Quid fiet Rom. 6. 7. δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας· cujus ſignificationis ſimile exemplum haud ſcio an uſquam alibi reperiatur. Præterea, cum omnis judicii eventus ſit ſententiæ dictio, & quidem aut pro (quæ δικαίωσις ſive *abſolutio*) aut contra, (quæ eſt κατάκρισις) & κρίνεσθαι ſæpe ſit κατακρίνεσθαι, κρίσις κατάκρισις, κρίμα κατάκριμα, ut Joh. 3. per Synecdochen integri ſive totius, quidni liceat etiam ordine converſo δικαιοῦσθαι dicere pro κρίνεσθαι, i. *judicio experiri*, per Synecdochen membri ſive partis? *Filiorum non eſt ferre ſententiam de parentibus, ſed parentum judicio ſtare.* Lutherus vertit und die Weißheit muß ſich rechtfertigen laſſen von ihren Kindern. Si verſiſſet und die Weißheit iſt gerechtfertiget worden/ nihil loci fuiſſet neque præjudicio neque cenſuræ aliorum.

CAP. LXIII.

Ὁ ζυγός μου χρηστός, Jugum meum ſuave eſt, *optime redditum ab Interp. Veteri*, *Matth.* 11. 30.

QUID enim χρηστὸς aliud eſt quam *ſuavitas* & *benignitas*? Gloſſæ Philoxeni, Χρηστός, *frugalis, ſuavis, mitis, jucundus.* Tertullianus adv. Marc. lib. 4. verba iſta Lucæ 6. 35. ὅτι αὐτὸς χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηρούς, vertit, *quod ipſe ſuavis eſt adverſus ingratos & malos.* Hieronymus verba Pauli ad Galatas 5. 22. μακροθυμία, χρηστότης, ἀγαθωσύνη, vertens, χρηστότητα tranſtulit *ſuavitatem.* Pſal. 34. 8. γεύσασθε καὶ ἴδετε ὅτι χρηστὸς ὁ Κύριος, *quoniam ſuavis eſt Dominus.* Pſal. 112. 5. χρηστὸς ἀνὴρ ὁ οἰκτίρμων, Vetus, *Jucundus homo qui miſeretur.* Hinc Dionyſius Heracleæ Rex χρηστὸς appellatus fuit διὰ τὴν τραπότητα καὶ ἡμερότητα, ut loquitur Mnemon apud Photium. Ex Tertull. Apol. c. 3. *Sed & cum perperam Chriſtianus pronunciatur à vobis, de Suavitate vel Benignitate compoſitum eſt.* Gentiles enim cum cauſam nominis CHRISTI ignorarent, non à χρίεσθαι Χριστὸν, ſed à χρᾶσθαι Χρηστὸν dici putarunt, Lactantio & Tertull. autoribus. Et obſervavit Andr. Dounæus in eruditiſſimis ſuis Notis in Chryſoſt. contrarium δυσχερὴς ſign. *injucundum.* Chryſoſt. Hom. 8. in Ep. ad Hebræos, τὰ δυσχερῆ τοῖς χρηστοῖς ἀναμιγνύναι· ubi interpres male, *difficilia bonis intermiſcere: τὰ δυσχερῆ* ſunt *injucunda audiu.* Demoſt. εἰ βούλομαι δυσχερές τι λέγειν. Sophocles in Electra,

Ἥδιστ' ὀλοῦς, εἰ δ' ἐκείνους δυσχερές.

Igitur τὰ δυσχερῆ τοῖς χρηστοῖς ἀναμιγνύναι eſt *moleſta jucundis miſcere.* Bene ergo D. Lutherus, Mein Joch iſt ſanfft.

CAP. LXIV.

Ἐξομολογοῦμαι, *Matth.* 11. 25. βλασφημία, *Matth.* 12. 31. *Tres noctes & tres dies Jonæ*, *Matth.* 12. 40.

ἘΞομολογοῦμαι Matth. 11. 25. Vulg. vertit *Confiteor.* Hebraiſmus eſt, i. *Gratias ago.* Nam *Gratias ago* idem eſt ac *Confiteor beneficium eſſe tuum.* Prima lingua loquitur propriiſſime ac ſimpliciſſime. Sic Gr. οἶδά σου χάριν, h. e. οἶδα ὅτι χάρις ἐστί σου, *Confiteor quod beneficium ſit tuum.* Germ. Ich weiß dirs danck. Ita Servator hic dicit, *Ago tibi gratias, æterne Pater, quod colligis tibi Eccleſiam per miniſterium verbi.* Baſil. M. in Pſalm. 29. ἐξομολογοῦμαι explanat ἀντὶ τοῦ εὐχαριστῶ. Unde Eraſm. *Gratias ago tibi, Pater.* Luther. ἐξομολογοῦμαί σοι, ich preiſe dich/ quomodo Rom. 14. 11. & paſſim in Pſalmis uſurpatur. ¶ Βλασφημία Latina voce nulla poteſt exprimi: nam voces *impietas, ſacrilegium* generaliores ſunt. Itaque vox Græca Matth. 12. 31. & alibi retinetur ab Interpretibus. Germanis eſt Gottslästerung/ *convitium contra res ſacras*, ſeu *contumelia adverſum Deum:* ſicut λοιδορία eſt *convitium* quodcunque. Dicitur à βλαξ *ſtupidus* & φημὶ *dico*, quod in tali contumelia Deus probro afficitur quaſi ſit ſtupidus aut prorſus nihil. Oppoſitum ejus eſt εὐφημία. Aliis *blaſphemia* eſt à βάλλω *peto, ferio:* ut βλασφημία dicatur velut ἡ βάλλουσα φήμη. Sed hæc Grammaticis relinquo. ¶ Illud etiam quæri poteſt, Qui Jonas & Chriſtus *tres noctes totidemque dies* dicantur *fuiſſe*, ille *in ventre ceti*, hic *in corde terræ*, cum tamen Chriſtus de primo die triborium, de tertio partem noctis (à qua tertius incipit, & in qua reſurrexit) quaſi delibaverit, & unum tantum νυχθήμερον fuerit quod medium fuit interjectum. Conſimilis loquendi forma legitur in hiſtoria Eſther, ubi c. 4. 16. Pagninus ſic vertit, *Ne comedatis neque bibatis tribus diebus, nocte & die.* Vulg. *tribus diebus & noctibus:*

& tamen ſequitur c. 5. 1. *Et fuit die tertio, & induit ſe Eſther.* Si ergo tertio die Eſther ad Regem adiit, jejunium non duravit tres dies & tres noctes, ſed duas tantum noctes, unum diem plenum & duos non plenos. Non autem exiſtimandum contradictionem hic ullam eſſe. Sed fluunt illi loquendi modi ex conſuetudine loquendi uſitata, qua annus, menſis, dies labens pro uno anno, menſe, die accipiuntur.

CAP. LXV.

Nobiliſſimi Viri D. Petri Brederodii de Zizaniis Matth. 13. ſententia.

ANnus numerabatur decimus ſextus ſupra milleſimum ſexcenteſimum à Chriſto nato, quando Sereniſſimum Principem meum ad acidulas Sualbacenſes ſecutus, inveni ibidem Nobiliſſimum & integerrimum virum D. Petrum Brederodium, meritiſſimum federati Belgii Ordinum ad Principes Germaniæ Legatum: Quo cum, hauſta prius ex Oenocrenis ad ſatietatemque potata aqua, cum in deambulationem quadam die ſerena deſcenderem, obtulerunt ſe nobis in declivi quodam monte ſpicæ falcem meſſoriam ſitientes. Apparebant autem inter alias ſpicæ duæ ex uno culmo prodeuntes, quarum una florens grana, altera aduſta paleas oſtentabat. Ibi tum Nobiliſſimus vir, *Ecce tibi*, inquit, *Scultete, zizania cum tritico in eodem culmo enata. Falluntur enim qui Viciam & Lolium intelligunt per zizania: generaliores enim iſta voces ſunt. Nec recte Germani interpretantur* das Unkraut: *quaſi per* zizania *Servator generatim impios, blaſphemos, hæreticos, Epicureos notaret, cum certam ſpeciem deſignarit, quam Germani vocant* Brandkorn / Brandweitzen / *per quam Dominus* hypocriſin *intellexit. Populariter enim ad populum locutus eſt Servator. At vulgus ruſticorum* viciam & lolium *eradicat, nec ſimul cum Tritico ſinit creſcere uſque ad meſſem. Non igitur in genere de omni impietate & ſcelere Chriſtus agit; nec adverſum vult doctrina Apoſtolica jubens ut tollatur è grege Domini improbus,* 1 Cor. 5. *Monet præterea Chriſtus, Zizania difficulter diſcerni à Tritico. Hoc veriſſimum eſt de illa ſpecie Tritici quam nominamus vernacule* Brandweitzen: *contra lolium & Vicia in genere facillime à Tritico & Frumento diſcriminantur. Eademque ratione hypocritæ non facile à veris Chriſtianis, manifeſte autem ſceleratis facillime diſcernuntur. Et ſicut ſpecies illa vel Tritici vel Frumenti aduſta vix poteſt evelli quin evellatur una Triticum & Frumentum verum, ita periculum eſt ne exſtirpent ſimul bonos qui eradicare volunt hypocritas. Atque hic etiam ſcopus eſt parabolæ Chriſti de Zizaniis, Semper in Eccleſia militante malos mixtos eſſe bonis, niſi manifeſte ſceleratis per excommunicationem ſeparentur. Teſtatur etiam Etymologicum magnum*, quod ζιζάνιον ſit τὸ ἄνευ σπορᾶς συμπαραφυόμενον τῷ σίτῳ· καὶ γίνεται παρὰ τὸ σῖτος & σίνω noceo, σισάνιον καὶ ζιζάνιον, τὸ βλάπτον τὸν σῖτον· ἢ παρὰ τὸ σῖτος καὶ τὸ ἴζανε, σιτοΐζανον, τὸ τῷ σίτῳ παρεδρεύον καὶ συνυφαινόμενον. Hanc Nobiliſſimi Brederodii de Zizaniis ſententiam ut genuinam & veram eſſe cenſeo, ita eam omnibus bonis commendo, cum & Euangelico iſti textui alias obſcuro lumen inferat, & multas, quæ alioqui ſuper eo moveri ſolent, Quæſtiones præcidat.

Ejuſdem Brederodii plenior expoſitio germanæ ſignificationis vocabuli zizania.

CUM hucuſque ſcribendo perveniſſem, commodum mihi redditæ ſunt literæ optimi Brederodii, quibus adjuncta erat plenior expoſitio germanæ ſignificationis vocabuli *zizania*, quam in gratiam Lectoris, & eorum quæ modo dicta confirmationem non piguit ſubjicere. Sic autem ille, ZIZANIA *dictio neque Latina, neque Græca, neque Judaica, neque Hebraica. Linguarum periti eam vel Arabicam, ut Dodonæus, vel Syriacam dicunt. Chaldæi eandem uſurpant eadem ſignificatione qua Chriſtus Redemptor noſter in Euangelio uſus eſt. Hujus dictionis vis non ſatis cognita (quod mirum non eſt) errorum quorundam minime leviorum in orbe Chriſtiano etiam apud doctiſſimos Theologos cauſa fuit, qui nimio clementiæ ſtudio & ex vi ſimilitudinis Zizaniorum errores veritati ſanæque doctrinæ adverſantes non tollendos vel exſtirpandos eſſe judicant. His ut diſcuti, & falſi victrix Veritas atque Juſtitia cura ullum inclementiæ ſtudium erui demonſtrarique poſſint, quid & antiqui & neoterici de hujus dictionis natura vel ſcribendo vel interpretando tradiderint, paulo accuratius erit perpendendum. Inprimis vero prætereundum non eſt; Chriſtum Arabicam hanc dictionem tunc uſurpaſſe videri, quod ea lingua, ut & Syriaca, tum temporis in Judæam ex vicinis locis irruperat. Arabicam hanc dictionem plerique Scriptores Latine per* lolium *interpretantur. Græci* αἶρον *vocant à* ἴαίρω, *i. Obſcuro, ut tradit Etym. Sud. Heſychius vero exponit* αἶρας herbas agreſtes *ſive* ſilveſtres. *Unde & εἶρον καθαρὸν αἶρον apud Theophraſtum Hiſt. Plant. lib. 8. c. 5. & αἶρῶν ἄλευρα apud Hippocratem. Verum duas eſſe Lolii ſpecies ex infra ſcriptis patebit. Prima eſt quæ vere* lolium *dicitur, & ſuum peculiare granum habet, ad graves morbos curandum utile: quod Plinius l. 18. c. 17. & l. 22. c. ult.* inter frugum morbos potius quam inter ipſius *terræ peſtes numerat. Altera ſpecies lolii eſt quæ ex Tritico, Hordeo, Avena & cæteris frumenti ſpeciebus corruptis naſcitur. Sic Julius Pomponius Sabinus, vetus Georgicorum interpres in verſum,*

Infelix lolium,

inquit, Triticum & hordeum ex incuria in lolium mutantur: idque per imbres etiam provenit, in locis humidis præcipue. INFELIX appellatur, quod degenerat à tritico patre, qui eſt felix propter cibum. *Inde Servius illud* inutile & infœcundum *dixit; ſed ob ſimilitudinem culmi & foliorum cum ſuis ſpeciebus etiam* lolium *appellatum, & inter frugum quoque vitia & morbos numeratum. Pulverem præter & paleam nil profert. D. Ambroſius in Hexam.* Lolium, *inquit*, & reliqua adulterina ſemina, quæ frugibus ſæpe miſcentur, Zizania nuncupari, Euangelii lectione cognovimus. Sed ea proprium quoddam genus habent, cum ex tritici ſemine in aliud genus ſeminis decolori mutatione tranſlata degenerem traxere naturam. *Horatius,*

Eſſet ador loliumque, dapis meliora relinquens.

Rembertus Dodonæus, ſtirpium inter Scriptores omnes cognitos non poſtremus, de vitiis frugum ita ſcribit, Primum inter vitia locum Lolium facile obtinet. Gerit id folia culmoſque Tritici aut Hordei, hirſutiora tamen; ſpicam longam veluti ex multis parvulis παραλλήλως ac alterno ordine digeſtis compoſitam, quarum ſingulæ bina ternave grana continent Tritico minora, quæ nullis quoque aut exiguis glumis includuntur. Naſcitur in arvis cum Tritico ac Hordeo, ſeminibus ipſorum corruptis ac in deterius, ut Galenus ait, permutatis, & ſolo quidem præſertim uliginoſo, per cœli, menſibus potiſſimum hibernis, tempeſtatem humidam. Græci αἶρον, Arabes *zizaniam* & *ſceilem* nominant. *Idem Dodonæus, & ante eum Plinius lib. 22. c. ult. lolium aliis rebus temperatum multis & graviſſimis morbis medelam adferre ſcribunt. Quæritur jam an idem* zizania *quod* lolium. *Suidas in* αἶρα *ſic definit*, Ζιζάνιον, ἐν τῷ σίτῳ αἶρα, *Zizanium eſt lolium in frumento natum. Heſychius* αἶρας *appellat* ἀγρίας ποάνας agreſtes herbas. *Unde forte & Lutherus & Caſtalio* zizania *in Sacris literis* malas herbas *interpretati ſunt. Cæterum cum Theophraſtus lib. 7. Hiſt. plant. tradat* Lolium ineunte hyeme provenire, nunquam vere, & folio lanuginoſo, *Zizanium* (*quod ante meſſem naſci S. Scriptura docet*) *aliud à Lolio iſto, quod ineunte hyeme provenire ſolet, eſſe oportet. Lolium etiam ex ſemine lini fieri volunt, quod Brutis pabulo eſt: ficcatur aliquando ut fœnum, inutile cibis hominum. Et Ulpianus noſter* Cellium *ſcribit* quærere, ſi lolium aut avenam in ſegetem alienam miſcuerit, quo eam inquinaret, qua actione teneretur. *Ergo & hinc conſtat, eam frumenti adulterati ſpeciem lolium eſſe, & ſatum ſuos culmos, ſua folia, non eadem quidem cum tritico vel hordeo, ſed hiſpidiora & acutiora proferre, ut Dodonæus ait, & grana triticeis minora. Quin hoc Lolium idem ſit quod Græci* αἶρον, *Galli* luée yuroye ou yuraye, *Germani* Lolch *appellant, creditu haud difficile eſt. Nam & Plautus in Milite appellat* vile triticum. Mirum eſt, *inquit*, lolio te vitiare, tam vili tritico! quid jam? quia luſcitioſus. *Et Ovidius Faſtor 1.*

Et careant loliis oculos vitiantibus ægri.

Lolium enim pani admixtum vertiginem capitis & gravedinem facit, & luſcitiem, caliginem vel cæcitatem oculis parit. Vide Servium ad verſum Virgilii,

Infelix lolium . .

Cæterum etiamſi Botanici & Medici, aliique Græci & Latini, hactenus zizania *ſeu* zizanium *idem quod Græcis* αἶρον, *Latinis* lolium *in commune eſſe voluerunt; ex ſuperioribus tamen probari poſſe videtur, quod* Zizanium *aliud aliquid ſit quam id quod ſupra Lolium eſſe autores tradunt; nec à quibuſdam aliter pro Zizaniis interpretatum quam ob rei corruptæ cum vera ſimilitudinem, aut proprietatis ignorantiam. Primum, quod (uti ſupra oſtenſum eſt) Lolii & Tritici Hordeique quædam*

dam etiam diſſimilitudo ſit tam in foliis quam in fructu; Zizaniorum vero nullum aliud in culmo & foliis, i. in exteriore apparentia, quam in emergente ſpica. Aliud item Zizania, quæ inter ſegetes & ante meſſem Chriſtus & *Apoſtoli in Euangelio naſci tradunt; aliud vero Lolium, quod* nunquam in vere, *vel ante meſſem, ſecundum Theophraſtum, ſed* ineunte hyeme provenire *ſolet. Præterea, Lolium habet ſua propria grana; Zizanium frumenti eſt ſpecies, ſed corrupti, ut ante dictum, quod præter pulverem & paleam meſſis tempore nihil profert, & culmen & folia Tritico & Hordeo aliiſque frumenti ſpeciebus ex corrupto ſemine natis omnino ſimilia habet.* Lolium *denique illud & culmo & foliis, uti & fructu, optime à cæteris herbis diſcernitur; atque ita cura Tritici & Hordei facilèque colligi poteſt; Zizania noſtra, ex Servatoris noſtri* Jeſu *parabola, à Tritico ante meſſem nec diſcerni, nec cura periculum hujus extrahi poſſum. Unde conſequitur, Zizania hæc à Lolio iſto multum diſtare, nec eſſe agreſtium aut malarum herbarum genus, ſed veratum ſpecierum defectionem vel adulterationem. Magnum itaque Lutherus & Caſtalio, aliique eos ſecuti, cum dictionem hanc Arabicam in ſuis Bibliorum Sacrorum verſionibus per* malas herbas, **Unkraut** *vel* lolium *tranſtulerint, dictionis illius proprietatem & ſimilitudinis vim ac verum ſenſum non intelligentes, à vero parabolæ Dominicæ ſcopo aberraſſe videntur. Neque enim Servator noſter in Eccleſiam ſuam, quæ eſt cœtus fidelium, colluviem malorum hominum introducere, aut introductos in ea tolerare voluit. Et pugnat ejus interpretatio cum ipſa experientia rei aſſimilatæ. Nam & hortulani & ruſtici maxime diligentiores peſtiferas malaſque herbas cognitas ſumma cura & diligentia, non vere tantum ſed & aliis temporibus, radicitus exſtirpari curant, ſicut id uſus quotidianus oſtendit; contra quem verisimile non eſt* Chriſtum *illam parabolam populo Judaico adducere voluiſſe, cum omni dubio procul tanquam abſurda populi ſibilo fuiſſet explosa. Toto itaque cœlo errant qui dictionis proprietatem ignorantes parabolæ hujus auctoritate ad errorum omnium in Religione hæreſesque etiam notiſſimarum in Eccleſia tolerantiam ad Meſſem, i. conſummationem ſeculi & ultimum univerſale judicium, introducendam & tuendam abutuntur. Chriſtus enim hoc non dicit: hoc autem dicit, Agricolam de die ſemen bonum, inimicum ejus de nocte zizania ſeminaſſe, eaque cum frumento crevuſſe, ut ante meſſem illa tam propter culmi & foliorum cum frumento omnis generis omnimodam ſimilitudinem, quam propter zizaniorum cum ipſo bono frumento commixtionem arctam citra aliorum everſionem extrahi minime potuerint.* Zizaniorum *igitur appellatione* Chriſtus & *Apoſtoli Matth.* 13. *intellexiſſe videntur eas ſegetes quæ ex omni frumenti corrupti citra ſationis tempus ſatis genere natæ, vel ex aqua pluviis nimiis mutatæ, tantam in culmis & foliis cum ſpecierum ſuarum culmis & foliis ſimilitudinem habent, ut ante meſſem vix diſcerni, & citra detrimentum boni frumenti evelli non poſſint; verum in meſſe præter paleam & pulverem (cum quibus inutili & mali comparantur) producunt nihil. Hæc Zizania autem, uti & Hypocrita inter omnia hominum genera ſunt, naſcuntur pene ex omnibus frumenti generibus, Tritico, Hordeo, Avena, Lino. Quæ adulteratio vel defectio ſpeciebus illis per incuriam, vel ex nimia humiditate, vel ex nimio calore, vel ex utriſque ſimul ſupervenit; ut cum fruges madidæ in horreo vel granario non bene ſiccatæ accumulantur, nec recte curantur. Nam nimis calefactæ vim generandi bonum frumentum amittunt, & in meſſe nil niſi pulverem & paleam producunt: unde à Servio* infelix, *i.* inutile & infœcundum *appellatur: nec illud vitium apparet ante quam ſub tempore meſſis. Nam ut cætera bona ſemina bonos fructus producunt, ſic adulterata & corrupta præter ſpeciem externam nil niſi pulverem & paleam. Unde recte dicitur,* A fructibus eorum agnoſcetis eos. *Et nimis pulvis iſte ante diſcutitur vento, ſic palea in unum colligata ut ignem conjicitur. Unde* zizania *per* uſtilaginem, *quæ ex ſupraſcripti Dodonæi deſcriptione eaſdem omnino habet qualitates, potius interpretanda eſſe videtur quam per* lolium *ſupraſcriptum, quod diverſas habet qualitates & folia. Nam ſic Dodonæus de Uſtilagine ſcribens ait,* Recentiores Avenæ & Tritici, uti & Hordei & Lini, proprie morbum & vitium nuncupant, quæ ſpicas ejus infeſtant. Mareſcunt hoc vitio ſpicæ, & atro pulvere obſidentur. Naſcitur Aprili & Maio menſibus, cum cœli tempeſtas crebro inconſtans, alias nimboſa, alias ſerena ferveſque fuerit. Tunc enim ſpicæ humore madidæ à Solis fervore corrumpuntur ac quodammodo aduruntur. Germani vulgo **den Brand** (*nimirum vitium illud, non totum culmum & folia*) appellant, Latini *Uſtilaginem.* Videtur *ἐρυσίβη* quædam, Latine *rubigo* ac *robigo* dicta; quæ, veluti Theophraſtus ait, corruptela quædam eſt reſidentis humoris, ac commune quoddam vitium Cerealium ſeminum, frumentacea tamen magis quam legumina infeſtans. Frequentiſſima hæc in roſcido tractu, convallibuſque, ac perflatum non habentibus. E diverſo carent ea ventoſa & excelſa. Gignitur plenilunio. *Hactenus Rembertus Dodonæus lib.* 3. *c.* 8. *Julius Pomponius Sabinus, vetus Georgicorum Interpres, in verſu ſupra ſcripto* rubiginem illam frequentiſſimam eſſe *tradit* in roſcido convallibuſque: *& paulo poſt addit,* Quod Triticum & Hordeum ex incuria in Lolium mutantur, idque per imbres etiam provenire, præcipue in locis humidis. *Hæc optime conveniunt cum iis quæ ex Theophraſto & aliis, quæ item de Uſtilagine ex Dodonæo allata ſunt. Superioribus optime quadrat quod Hieronymus ad Matth.* 13. *de Zizaniis notat,* Inter Triticum & Zizania, quod nos appellamus, *inquit,* Lolium, quamdiu herba eſt & nondum culmus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt, & in diſcernendo aut nulla aut perdifficilis diſtantia. Præmonet ergo Dominus, ne ubi quid ambiguum eſt cito ſententiam proferamus, ſed Deo Judici terminum reſervemus. *Et Auguſtinus,* Zizania ea proprie dicuntur *quæ naſcuntur in ſimilitudinem frumenti,* ſicut eſt Lolium, ſicut eſt Avena, & cætera talia, *quæ primam Herbam prorſus ſimilem habent.* Propterea de ſeminatione zizaniorum ſic dicit Dominus, *Venit inimicus & ſuperſeminavit zizania. Cum autem creviſſet herba & fructum feciſſet, tunc apparuerunt zizania.* Ergo venit inimicus & ſuperſeminavit zizania. Sed quid fecit tritico? Non opprimitur zizaniis frumentum, imo per tolerantiam zizaniorum creſcit fructus frumentorum. Ipſe enim Dominus dicit quibuſdam operariis volentibus eradicare zizania, *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem,* &c. *Addendus eſt locus Baſilii Magni in Hexam. hom.* 5. *ad illa verba,* Et dixit Deus, *Germinet terra herbam fœni,* &c. Πῶς ἂν, κατὰ γένος, φησὶν, ἡ γῆ προφέρει τὰ σπέρματα, ὁπότε σῖτον πολλάκις καταβαλόντες τὸν μέλανα τοῦτον πυρὸν συγκομίζομεν; Ἀλλὰ τοῦτο οὐχὶ πρὸς ἕτερον γένος ἐξὶ μεταβολὴ, ἀλλ' οἱονεὶ νόσος τις καὶ ἀῤῥωστία τῶ σπέρματος· οὐ γὰρ ἀπέβετο τῶ εἶναι σῖτος, ἀλλ' ἐμελάνθη διὰ τῆς καύσεως, ὡς καὶ ἐξ αὐτῆς ἔστι τῆς προσηγορίας μαθεῖν. Τῆ ὑπερβολῆ γὰρ τοῦ καύσου ὑπενηκεὶς, πρὸς ἑτέραν καὶ χρόαν καὶ γεῦσιν μετέπεσε· καὶ μέν τοι καὶ πάλιν λέγεται, ἐτεοδὲν γῆς ἐκπυδίσας καὶ ἄῤῥην εὐκράτων λάβηται, πρὸς τὸ ἀρχαῖον εἶδος ἐπανιέναι· ὅσα εἶδεν περὶ πρόσφυμα σῦρος ἂν ἐν τοῖς Φυομένοις ἐκτελέμενον. Ἢ δὲ λεγομένη αἶρα, καὶ ὅσα λοιπὰ νόθα σπέρματα τοῖς προφίμοις ἐγκαταμέμικται, ἅπερ ζιζάνια προσαγορεύει σύνηθες τῆ γραφῆ, ἵνα ἐκ τῆ σίτου μεταβολῆς γίνεται, ἀλλ' ἐξ οἰκείας ἀρχῆς ὑπέρη, ἴδιον ἔχοντα γένος· ἅπερ τὴν εἰκόνα πληροῖ τῶν παρανομούντων τὰ τῆ Κυρίε διδάγματα, καὶ μὴ γνησίως μαθητευομένων τῶ λόγω, ἀλλ' ἐκ τῆς τῆ κοινοῦ διδασκαλίας διεφθαρμένων, καταμιγνύντων δὲ ἑαυτοὺς τῶ ὑγιαίνοντι σώματι τῆς ἐκκλησίας, h. e.* At quomodo tanta, dicet quis, edit ſemina ſecundum genus, cum ſæpe Tritico ſparſo frumentum hoc Atrum colligamus? Sed (ut reſpondeam) hoc non eſt mutatio in aliud genus, verum quaſi morbus quidam & ægritudo ſeminis. Neque enim amiſit naturam frumenti, ſed denigratum eſt ob aduſtionem; ut etiam ex appellatione ipſa diſcere licet. Nam nimio frigore exuſtum in alium & colorem & ſaporem degeneravit; adeo quoque ut rurſum dicatur, ubi idoneam terram & cœlum clemens nactum fuerit, in antiquam ſpeciem redire. Quare nihil præter mandatum illud reperias in ſtirpibus contingere. At quod Lolium dicitur, cæteraque adulterina ſemina quæ eſculentis immixta ſunt, quæque Zizania mos eſt vocare S. Scripturæ, non tritico mutato fiunt, ſed ex propria origine naſcuntur, propriumque genus obtinent. Hæc eorum referunt imaginem qui adulterant Domini doctrinas, quique non ſincere verbo ſunt edocti, ſed Maligni doctrina corrupti permiſcent ſe cum ſano corpore Eccleſiæ.

Atque hæc hactenus præclare D. Brederodius: quo nomine debent eruditi omnes Viro doctiſſimo & optimo plurimum.

CAP. LXVI.

Ἀποκεφαλισμῶ Ἰωάννε τῆ βαπτιςῆ aſſimile quid habent hiſtoriæ profanæ: ἔχειν γυναῖκα· προβιάζεσθαι.

HErodianæ decollationi Joannis Baptiſtæ aſſimile eſt illud T. Flaminii, qui, *cum eſſet Conſul in Gallia, exoratus in convivio à ſcorto eſt ut ſecuri feriret aliquem eorum qui in vinculis eſſent damnati rei capitalis,* ut Cicero in lib. De Senectute docet. In *ipſius facti æſtimatione Montanus Voſienus* apud Senecam Controv. 26. l. 5. *dixit hoc objici, quod meretricem*

tricem habuit, quod aliquem occidit, quod noctu, quod in convivio, quod rogante meretrice. Obſervavit hoc P. Faber Semeſtrium lib. 2. c. 9. Magna autem emphaſis eſt in verbo ἔχειν, quando Baptiſta ait, οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν αὐτήν. Cicero l. 9. ad Pætum, *Ne Ariſtippus quidem ille Socraticus erubuit, cum eſſet ei objectum, habere eum Laida* (ἔχειν Λαΐδα·) *Habeo, inquit, non habeor. Græce vero hoc melius. Tu, ſi voles, interpretabere.* Quod autem filia Herodiadis προβιβασθεῖσα ὑπὸ τῆς μητρὸς αὐτῆς caput Joannis petit, dubito utrum recte τὸ προβιβασθεῖσα doctiſſimus interpres vertat *producta.* Hæc enim vox non exprimit vim præpoſitionis πρό, quæ hoc loco tempus reſpicit; neque etiam vim verbi ſimplicis, quod *inſtructionem* ſive *inſtitutionem ſubornationemque* ſignificat. Feliciores igitur hic Vulgatus & Eraſmus, quorum illi προβιβασθεῖσα eſt *præmonita*, huic *prius inſtructa.* Caſaubonus etiam in Notis, quod συμβιβάζειν in his libris ſoleat ſignificare *adſtruere dicenda*, ſive *docere*, ſignificationis illius veſtigia hic quoque retinenda cenſet. Conter Deut. 6. 7. καὶ προβιβάσεις αὐτὰ τοῖς υἱοῖς σου.

CAP. LXVII.

Φάντασμα, τὸ πέραν, διαπεράν, διεξάγειν, *quid ſint, Matth.* 14.

ΦΆντασμα à Φαντασία Suidas ita diſtinguit, ut *Φάντασμα ſit δόκησις διανοίας, οἷα γίνεται κατὰ τὰς ὕπνους Φαντασία δὲ, τύπωσις ἐν ψυχῇ.* Macrobius lib. 1. cap. 3. in Cic. *Φάντασμα, hoc eſt, Viſum, cum inter vigiliam & adultam quietem in quadam (ut ajunt) prima ſomni nebula adhuc vigilare ſe exiſtimans, qui dormire vix cœpit, adſpicere videtur irruentes in ſe vel paſſim vagantes formas, à natura ſeu magnitudine ſeu ſpecie diſcrepantes.* Auguſtinus alicubi *phantaſma* ita diſtinguit a *phantaſia*, ut illud ſit *repræſentatio rei notæ* (etſi falſa eſt ejus rei ſpecies qualis nobis tunc apparet, ut Samuel apparens Sauli) hæc ſit *repræſentatio rei non notæ.* Verum *phantaſma* eſt quicquid oculis noſtris apparet ac nobis illudit, i. nos fallit, quod minime tale ſit quale videtur, ſive illud rei notæ ſive ignotæ ſit repræſentatio & ſpecies ſeu forma oculis noſtris objecta. Recte igitur hanc vocem Beza convertit *ſpectrum*, Lutherus ein Geſpenſt. Τὸ πέραν, ut bene obſervavit Caſaubonus 14. 22. Matth. non id ſignificat quod ſupra cap. 8. 28. Ibi enim de altera lacus Geneſarethani ripa intelligitur, hic non de altera ripa, ſed de eadem, cum eremus & Bethſaida & Capernaum ad idem latus lacus ſint ſitæ, Marcus autem locum exprimat quo juſſit Chriſtus diſcipulos præire, nempe Bethſaidam urbem. Τὸ πέραν igitur hoc loco eſt τὸ πρόσω. Sic Hebræum עבר ſig. interdum *cis*, interdum *trans*: nec niſi conſiderato dicentis aut audientis loco conſtitui ſignificatio poteſt. Moſes Deuteronomium repetiviſſe ſcribitur בעבר *in latere*, ſeu *tranſitu*, *Jordanis*, Deut. 1. 1. quod alii *cis* alii *trans Jordanem* convertunt. Et hi quidem loquuntur tanquam in Terra ſancta conſtituti; illi, quaſi Moſi in campeſtribus Moabitarum adſtantes. Hunc Hebræorum idiotiſmum imitati Euangeliſtæ per πέραν non ſemper *ulteriorem ripam*, ſed ſimpliciter τὴν παραπεραίαν ſignificant. Germanice ergo verterem verſum 22. **Und alsbald trieb Jeſus ſeine Jünger an/ daß ſie in das Schiff trätten/ und vor ihm hinfuhren**: non autem, **und vor ihm herüber fuhren**: quemadmodum & v. 34. διαπρᾶν non eſt *trajecere*, ſed διαπλεῦσαι & διανῦσαι τὸν πλοῦν. Convertam ergo καὶ διαπεράσαντες *& cum navigationem confeciſſent.* Germ. **und da ſie ihre Schiffarth vollbracht hatten.** Porro diffidentiam Petri increpans Chriſtus verbo dubitationi convenientiſſimo utitur, dicens, εἰς τί ἐδίστασας; v. 31. Nam ὁ διςάζων, ut eleganter indicata vocis origine Etymologus, οἱονεὶ δύο φάσεις ἔχων κατὰ διάνοιαν, incerta mente vacillat & claudicat. Et ſunt tamen qui Petrum de ſe diffiſum eſſe, de Domino non dubitaſſe, audent affirmare.

CAP. LXVIII.

Quæ fuerint παραδόσεις quarum Chriſtus meminit Matth. 15.

NArrat B. Arias Montanus Hiſpan. eruditiſſ. ad hunc ipſum locum, *Paulo ante Chriſti ætatem, Herodum temporibus, fuiſſe Scribas, à quibus concinnata ſint Traditiones hoc conſilio, ut ex earum obſervatione Lex religioſius cuſtodiretur, maxime in iis quæ ceremonialem rationem ſpectabant generibus. Illas Traditiones in libri formam poſtea fuiſſe conſcriptas, continuiſſeque Reſponſa & ſententias Scribarum, ingenioſa ſacrorum in eo genere præceptorum interpretatione conſtantes, humana tamen, h. e. in pleriſque vana & ſuperſtitioſa. Atque hunc librum Venetiis repertum ſe diligenter legiſſe, non propter doctrinam ipſam, ſed propter multorum locorum N. T. libris indicatorum explicationem. Inveniſſe in eodem axiomata iſta,* Uſum & conſuetudinem plurimum valere, maxime vero ex Sapientum probatione. *Item,* Quicquid Sapientes prohibuerunt in conſpectu oculorum etiam in cubiculorum penetralibus vetitum eſt.

Cum igitur Phariſæi & Scribæ Traditiones majorum tanti facerent, mirum non eſt ab iis Chriſti diſcipulos accuſari, qui δευτερώσεις Seniorum (ſicut ex ipſis Hebræis Epiphanius eas nominat) non obſervarent, & lotiones ab hominibus præceptas intermitterent.

CAP. LXIX.

Corban, Coban, Corbona. *Verus ſenſus traditionis de Corban cujus mentio Matth.* 15. 5. *Marci* 7. 11.

RES Deo conſecrata vocatur Hebræis קדש *ſanctitas*, ſive *res ſancta*, Joſ. 6. 19. & חרם *res devota*, ibidem verſ. 18. Res enim devotæ, quas Græci ἀναθήματα & ἀνακείμενα vocant, tam ex ſunt quæ in locis dicantur, quam quæ adolentur & abolentur. Hebræi ipſas poſterioribus temporibus vocarunt *Corban*, &, eliſa duriotis ſoni litera canina, vulgo *Coban*, eadem notione ſcilicet qua Græci ἀναθήματα dicunt. Eſt enim קרב *offerre*. A *Corban* formata eſt *Corbona* vox, i. arca quæ in Templo illo conſtituta erat ut ejuſmodi Templi munera in eam injicerentur. Hujus meminit Matthæus 27. 6. quam primus inſtituiſſe videtur Rex Joas 2 Reg. 12. 9. Hinc exſtat apud Hebræos hæc jurandi, aut vovendi potius, ſolennis formula, Κορβᾶν (ὃ ἐστι δῶρον) ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς· quam alii aliter interpretantur. Joſephus Scaliger, *Triſtiſſima*, inquit in Elencho Trihæreſii Serarii, *ſententia dimidiata ſolent citari à Rabbinis & Doctoribus Latinis. Cum igitur quis offerebat Corban, dicebat*, Hoc Corban, quod ego Deo offero, proſit mihi & meis. *Hoc pacto putabat ſe liberum debita charitate in parentes, & defunctum omni charitatis officio erga ipſos illo dono quod Deo obtuliſſet, ita ut provocatus à parentibus aut admonitus officiis de alimentis dandis aut aliis officiis præſtandis, eos ille ſummoveret exceptione illius oblationis*, Munus quod pro te obtuli, me hoc omni onere liberat. *Supplenda eſt igitur primum exceptio illa Filii adverſus patrem*, δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, πάσης μὲ πρός σε τιμῆς καὶ ὑπηρεσίας ἐλευθεροῖ, Donum quod à me profectum tibi profuit, omni erga te honore debito ac onere & officio liberat me. *Deinde continuanda & ſuppienda itidem ſententia Phariſæorum*, Ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ, ἢ τῇ μητρὶ, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, πάσης μὲ πρός σε τιμῆς ἐλευθεροῖ, καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ, ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ, ἀναίτιός ἐστιν, *aut tale aliquid. Certe eadem eſt interpretatio Hieronymi & Theophylacti. In hoc tantum laboratur, ut verba ipſa bene concipiantur.* Hactenus Scaliger. Idem B. Arias Notis in Euangeliſtas, *In libro Traditionum*, inquit, *de Votis multa diſputantur. Inter alia votum Utilitatis vel Commoditatis nominatur, cum quis jurando vel vovendo negat ſe alium juvaturum, ut amicum, vel patrem, vel uxorem, vel virum. Hujus multæ ſpecies. Abjurat enim vir uxori Debitum, uxor viro; abjurat quis ſocio Cibum, vel Commercium aut Societatem. Anguſtiſſimum votum eſt, ſi quis omnem alii Commoditatem ſe denegaturum dicat. Nam qui negat Cibum, alia poteſt præſtare, ut Salem, Aquam, quæ Cibi nomine non continentur. Qui Commoditatem negat, nihil omnino commodi ille adferre poteſt, ex Traditionis interpretatione. Forma concipiendi vota vel ſimplex eſt, i. ſine juramento, in hunc modum*, Voveo, *ſive* Conſecro, ego, Si, &c. (*nam huic orationi & conjunctioni conditionali* Si *addebatur verbum pro arbitrio voventis*) *vel conjuncta cum juramento. Hinc illud*, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, *quod Latine adverbum ſic lego & diſpungo*, Munus, quod ſi ex me juveris. *Manifeſte oſtenditur votum adverſus parentes juramento per* Munus, *juxta Traditionem, graviſſime conceptum, quod ejuſmodi eſſe ſolet*, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, ἀναγορευόμενόν σοι, Quodcunque ex me juveris, *ſive, ut habet vetus Interpres*, quodcunque ex me tibi proderit, *vel* profuerit, interdictum tibi eſt. *Latine vero jam aperta oratio eſt, ſi poſt vocem* munus *diſpungamus. Significat enim ille Hebraiſmus conciſus idem ac ſi dicatur*, Sanctum munus juro, me eſſe damnatum, ſi quid proficiſcatur ex me quod tibi proſit. *Quod additur*, καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, & non honorabit patrem ſuum, aut matrem ſuam, *oratio eſt Scribarum*

atque

atque ſententia ex Traditionis commendatione producta, hac ſignificatione, Quicunque dixerit patri aut matri, Munus quod ſi ex me juveris, ille non amplius honorabit patrem. *Nam conjunctio* Et *Hebraico more affirmat & exponit atque colligit hoc loco, ut etiam eadem conjunctio à Chriſto ſtatim pronunciata affirmat tanquam illativa.* Et irritum feciſtis, *pro*, Atque ita irritum feciſtis. His conveniunt quæ Joannes Alba item Hiſpanus in Manipulo Scripturæ dictorum explicatorum, *Oratio*, inquit, *hæc eſt defectiva*, Si quis dixerit patri aut matri, CORBAN, *Retinetur enim altera pars ſententiæ, quam oportet ſubintelligere his verbis vel aliis ſimilibus*, Si dixerit homo patri vel matri, CORBAN, quod eſt, Donum quodcunque ex me (*vel* à me, *ſcilicet oblatum fuerit in Templo*) tibi profuerit (*vel*, tibi etiam proderit, pro te etiam offeretur) liber eſt à lege, nec tenebitur honorare, *hoc eſt*, alere parentes. Hæc doctiſſimi viri, ſed obſcurius. Placet igitur Andreas Maſius, qui Commentario in Joſuam nunquam ſatis à quoquam laudato rem omnem breviſſimis quidem ac diluciditſimis verbis expedit, dum ſic ſcribit, *Doctorum Hebræorum hæc jurandi aut potius vovendi ſolennis fuit formula*, inquit, CORBAN, *h. e.* Anathema & res devota eſto quicquid illud ſit quo ego tibi proſum. *Quo voto cum quis apud aliquem uſus eſt, quantavis ei neceſſitudine obligatum, atque adeo erga ſuum ipſius parentem, ne ſu eſſe ſtatuunt Rabbini illum ullo beneficii aut officii genere hunc juvare; ne quod Deo devovit videlicet, id humano commodo ſerviat.* Sic igitur putarim Germanice reddendum verſiculum quintum, **Ihr aber ſagt/ wer zum Vatter oder Mutter ſpricht: Alles/ womit ich dir dienen ſondte/ hab ich zum Gottesdienſt vermacht/ derſelbige darff Vatter und Mutter weiter nicht ehren.** Ut per *honorem* intelligatur potionum Cibus & Nutrimentum, quæ ſignificatio verbi *Kabad* præcepto Decalogi quinto eſt germana. Et ſic vocabulum explicat D. Marcus 7. 12. *Et non permittitis amplius eum quicquam præſtare patri ſuo aut matri ſuæ.* Quid quod Joan. Leoncluvius refert lib. 14. Hiſtoriæ Muſulmannicæ, *Turcas hodie eleemoſynas vocare* Corban, *idque ex Judæorum ritibus, quamvis verbum ſit ipſum Syriacum*; quo ſermone & Judæi & Servator plurimum ſunt uti.

CAP. LXX.

Ναὶν, ἀΦεδρὼν, ναὶ, κυλλοὶ, Matth. 15.

ΑΚμὴν Matth. 15. 16. eſt *ἔτι καὶ νῦν adhuc.* D. Marcus interpretatur *οὕτω* 7. 18. *Sicccine & vos?* Caſaubonus in Polybio ut plurimum vertit *cum maxime.* ¶ ἈΦεδρῶν v. 17. malim cum Vulgato *receſſum* quam *latrinam* dicere. Certe verecundius eſt, & facile intelligitur, idoneis omnibus Latinæ linguæ autoribus approbantibus: addo etiam, Græco vicinius. Germanice **und wird durch das heimliche Gemach außgeworffen.** ¶ Particula *ναὶ*, quæ v. 27. legitur, non uno ſignificatu uſurpatur. Aliquando eſt Affirmantis, Gen. 17. 19. *Ναὶ, ἰδοὺ Σάῤῥα ἡ γυνή σου τέξεται.* Et Geneſ. 42. 21. *Ναὶ, ἐν ἁμαρτίᾳ ἐσμέν.* Sic Matth. 11. 9. Latini *ita* & *etiam* dicunt, Budæo teſte. Aliquando Obteſtantis eſt; ut Philem. 20. *Ναὶ, ἀδελφὲ ἐγώ σε ὀναίμην ἐν Κυρίῳ* Apoc. 22. 20. *Ναὶ, ἔρχε, Κύριε Ιησοῦ.* Ariſtophanes Nubibus,

Ναὶ ναὶ καταιδέσθητι πατρῷον Δία.

Apud Theocritum Idyl. 5. ex emendatione Heinſii legitur verſus,

-- *Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας, ὥς τυ Φάγωντι,*

Nutri, quæſo, lupos, nutri canes, ut te devorent.

Quæritur jam utro ſignificatu hoc loco accipiatur. Iſaacus Caſaubonus vult *ναὶ* eſſe hic Obſecrantis & Obteſtantis. *Nam cum viſus eſſet*, inquit, *Chriſtus, velle hanc mulieri concedere quod petebat, illa vehementius orat, & Ναὶ, Κύριε, ait: deinde rationem adjicit quæ Chriſtum movere poſſe ſperabat, ναὶ γάρ. Non enim iis aſſentior qui putant Chananæam hæc dicere ita dictum Chriſti confirmet, ſed a ſimili potius argumentari illam puto.* Hactenus Caſaubonus, qui mentem verborum illorum, *Non eſt bonum accipere panem liberorum, & objicere catellis*, non recte aſſecutus fuiſſe videtur. Neque enim Servator verbis illis concedit quæ petebat Chananæa, ſed fidem illius tentat vehementiſſime, oblique *canem* nominans, quod convitium apud veteres grave fuit & plurium vitiorum nota. Illa vero, quo terreri debebat, illo ipſo recreatur, quod averſari debebat, illud ipſum cum tripudio cordis arripit, ajens, Ναὶ, Κύριε, *Ita eſt, Domine.* Vici, vici; contumeliam teneo curationis pignus. *Etenim catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Spondet mihi ſalutem Canis appellatio. Sit mihi modus donationis pro modo contumeliæ. Canem vocaſti: Cum ſim familiæ pars, Domini fruar menſa. Inter filios partem micarum adipiſciter canis. Non rapio panem, micam quæro: non in menſam inſilio, ad micas anhelo: non ego delicias ſector; heres illa tua menſa fruatur, dum fruſtula decidua noſtra ſint. Inſigne exemplum urbanitatis ſeu leporis conſtans inverſione. Græci vocant *βίαιον*, quando aliquid in contrarium vertitur. Ut, quando acculatur Ulyſſes quod interfecerit Ajacem, *Tu ſepeliſti; Ergo occidiſti:* ille invertit, *Imo ſi occidiſſem, non ſepeliſſem.* Sic Apoſtolus Paulus, quando objiciunt Judæi, *Data eſt lex, Ergo juſtificat*; *Imo*, reſpondet, *ſi juſtificaret, Non eſſet opus promiſſione.* Claudius Dalquius diligentiſſimus Orationum Baſilii Seleuciæ interpres conſimilem ratiocinationem adfert ex Euſtathio ad Odyſſ. ζ. *Διογένης δεξιωθεὶς πρὸς βασιλέως ὡς κύων, Κυνῶν μὲν, ἔφη, τὸ βρῶμα, ἀ βασιλικὸν δὲ τὸ δῶρον· ὡς χρεὼν ἐν τοῖς μεγάλους καὶ μεγαλοδώρους εἶναι*, h. e. *Diogenes a Rege offibus acceptus ut canis, Canum, inquit, hic cibatus, nec tamen regale donum: quia videlicet magnos magnas quoque largitiones facere par eſt.* Lutherus feliciſſime hunc locum vertit, **Ja HERR: aber doch.** *Καὶ γὰρ, ſed & catelli: ναὶ* pro *ἀλλὰ* lepe. Sermo Chriſti ſpirabat rigorem Legis condemnantis omnes à domo Iſraelis peregrinantes: Sermo Chananææ ex Euangelio addit ſalutares voces, *ναὶ γὰρ, Sed &, Veruntamen*, quæ Legis *ἐπιείκειαν* complectuntur. ¶ V. 31. *κυλλοὺς* Vulgatus vertit *debiles*, id quod cum Caſaubono probo, *cum de iis hic agatur* (verbis Iſaaci utor) *quibus membra non deſunt, ſed facta ſunt ἄχρηςα. Debiles enim non ſunt οἱ ἀσθενεῖς, ſed ii qui vitio aliquo impediuntur quo minus omnibus membris corporis ſui uti poſſint.* Itaque Cicero *debilitatem* & *integritatem corporis* opponit: & Plinius *Sacerdotes non potuiſſe creari debiles* ait. Verſum illum ſic tranſtulerim in linguam vernaculam, **Da kam zu ihm viel Volcks/ die hatten mit ſich krupel (oder hinckende/** *χωλὸς* enim lign. *claudum*, qui ab uno pede in alterum tranſit) **blinde/ ſtumme/ lamen/** qui vel manuum vel pedum vel utrorumque membrorum uſum amiſerunt. Nam verſu ſequenti *muti loquentes, claudi ambulantes, cæci videntes* conſpiciuntur. At *κυλλοὶ* non *redintegratis ſuis membris* (quod de *mancis* dici oportuit) ſed *ſanatis* tantum dicuntur quod *debilibus* optime convenit.

CAP. LXXI.

Mulier Chananæa, Græca, Cyrophœniſſa. Κύριε, ἐλέησον. Chriſtus Iſraelitarum Apoſtolus.

ERgone contradicunt ſibi Matthæus & Marcus, quando ille magnæ fidei feminam *Chananæam*, hic *Græcam* & *Syrophœniſſam* nominat? Minime. Ad Sidonem habitaſſe Chananæos ex Jud. 1. 31, & 32. diſceris, *Aſcher non expulit habitatores Sidonis. Itaque habitabat inter Chananæos habitatores illius terræ, eo quod non expulit eos.* Hinc dicitur hoc loco *a finibus Tyri & Sidonis egreſſa mulier Chananæa.* A Marco Ἑλληνὶς *Græca* vocatur, quod *Græcorum religionem & mores ſequeretur*, ut exiſtimat Camerarius, nitens autoritate Iſocratis in Panegyrico ſcribentis, Ἕλληνας *non ſolum appellatos fuiſſe ſuis adeo temporibus genere & natione Græcos, ſed ubicunque locorum atque gentium amplectentes illorum diſciplinam*, καὶ τῶν Ἑλλήνων ὀνομα μηκέτι τῷ γένους, ἀλλὰ τῆς διανοίας δοκεῖν τεκμήριον εἶναι. Sed quod Scriptura Ἕλληνας vocet quotquot à profeſſione fidei Iſraeliticæ ſunt alieni, patet ex Gal. 3. 28. *Non eſt Judæus neque Græcus.* Ubi Hieronymus, *Pro Græco*, inquit, *Gentilem accipere debemus, quod* Ἕλλην *& Græcum & Gentilem ſignificat. Ita Patres Concilii Chalcedonenſis hoc verbo utuntur Canone quo vetant μήτε συνάπτειν πρὸς γάμον αἱρετικῷ ἢ Ἰουδαίῳ ἢ Ἕλληνι.* Nec alia cauſa eſt quam hæc ipſa cur vetus Interpres apud Marcum τὸ Ἑλληνὶς converterit *Græca.* Neque vero eſt cur quis miretur, quam Matthæus *Chananæam* vocat eam à Marco *Syrophœniſſam* appellari. Nam *Chananæos* eſſe vocaros peculiariter eos qui oram illam maritimam habuerunt quæ etiam eſt *Phœnicia* dicta, conficitur ex ſpeculatorum Moſis relatione, cum dicunt, *Chananæus habitat juxta mare.* Qua de cauſa LXX Interpretes hoc loco pro *Regibus Chananæorum* reddiderunt *Reges Phœnicia.* Eademque ratione mulier quæ apud Matthæum *Chananæa* apud Marcum *Syrophœniſſa* eſt vocata. Nam ut profani ſcriptores Phœnicum valitiem & induſtriam in mercatura & navi-

gatione

gatione celebrant, ita Sacræ literæ Chananæorum. Homerus enim ſcriptum reliquit,

Ἔνθαδε Φοίνικες ναυσίκλυτοι ἦλυθεν ἄνδρες
Τρῶκται, μυρί' ἄγοντες ἀθύρματα νηὶ μελαίνῃ.

Et alibi,

Δὴ τότε Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδὼς
Τρώκτης, ὃς δὴ πολλὰ κακ' ἀνθρώποισιν ἐήργει.

Oſeas vero de Chananæis ita, *Chananæus in manu habet* trutinam *fallacem, amat injuriam facere.* Et Iſaias teſtatus eſt *negotiatores Tyri eſſe principes, Chananæoſque ejus eſſe viros in terris præclaris*, h. e. Tyri mercatores. Deinde Salomon mulierem frugi laudans, *Linteum*, inquit, *fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo*, h. e. mercatori, aut negotiatori. Quin ut plane intelligas utriuſque vocis notationis inter ſe convenientiam, ſicut apud Hebræos præciſe ſunt *Chananæi* maris accolæ illi qui ſupra Palæſtinos recedunt ad Septentrionem, ſic apud Græcos Φοίνικες. Rurſus interdum apud illos Palæſtini etiam uſque ad Ægyptum ſubjiciuntur *Chananæorum* nomini, veluti in Gen. 10. ſic Græci τὴν Φοινικίαν ad Ægyptum uſque producunt aliquando. Dionyſius enim Afer Gazam in Phœnicia locare non dubitat, neque Moſes in Chananæa. Eſtque hoc etiam à Strabone ſcriptum libro 16. Igitur prorſus una & eadem gens eſt, ſi proprie loquamur, *Chananæorum* apud Hebræos & *Phœnicum* apud Græcos, faciendæ naviculariæ καὶ ἐμπορικῇ τέχνῃ celebris propter portuoſum mare quod accolunt. Jam igitur conſtat cur illa in Scripturis celebrata magnæ fidei mulier dicta ſit *Chananæa*, cur *Græca & Gentilis*, cur *Phœniſſa*. Sed cur *Syrophœniſſa*? Camerarius caute hanc dicit, quod *Palæſtina vergat ad Phœnicen & mare Syriacum.* Melanchthon hanc, quod *habitarit in illa parte Syriæ quæ Phœnicia dicta*, vel quod *habitarit in illa parte Phœniciæ quæ Syriæ proxima fuit.* Hæc ſancta femina piis ſuis gemitibus illam in Eccleſia frequentatam orandi formulam nobis præſcripſit, quando Salvatori ſupplex facta dixit, Κύριε, ἐλέησόν με qua Gentiles quoque fuiſſe uſos Barnabas Briſſonius De Formulis l. 1. p. 88. ex Arriano oſtendit. Verba Arriani ex l. 2. in Epict. c. 11. hæc ſunt, Νῦν δὲ τρέμοντες τὰ ὀρνιθάριον κρατοῦμεν, καὶ τὸν Θεὸν ἐπικαλούμενοι, δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον, ἐπίτρεψόν μοι ἐξελθεῖν, h. e. *Nunc autem timentes augurium mutamur, & DEUM invocantes precamur ipſum, Domine, miſerere, fac mihi exeundi poteſtatem.* Contimile quid apud Maronem legimus 12 Æneidos,

Tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor, miſerere, inquit.

Sed quid eſt quod Chriſtus negat *ſe miſſum niſi ad perditas oves Iſraelis*, & tamen Chananææ filiam ſanat? Eſt quidem ille conſtitutus totius generis humani, Iſraelitarum & Gentium, Redemptor, ſed *Apoſtolus* Iſraelitarum tantum. Ideo inquit, οὐκ ἀπεστάλην εἰ μὴ, &c. Hebræorum enim eſt *Apoſtolus*, Heb. 3. 1. *Miniſter circumciſionis*, Rom. 15. 8. Interim beneficia ejus pertinent ad omnes Gentes, ſicut dicitur, *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes.* Item *Gentes ad eum confugient.* Intellexit hoc Syrophœniſſa: ideo acriter inſtat, Κύριε, βοήθει μοι.

CAP. LXXII.

Cur Chriſtus viſus ſit Apoſtolis maximopere oſtendiſſe Phariſæos ſermone de Contaminatione hominis per interna.

LIcet hac de re audire B. Ariam Montanum, cujus hæc ſunt in Matth. 15. 12. verba, *Scribæ profitebantur diſputationem hujuſmodi rerum, atque aliarum etiam obſervationem, ſed non tam exactam obſervationem atque Phariſæorum. Nam Phariſæi, quanquam non ita docti atque Scribæ eſſent, tamen ſe ſanctiores Scribis eſſe putarunt, quod non ſolum ea obſervarent quæ communi Scribarum ſententia digna obſervatu judicabantur, ſed ea etiam quæ in opinione tantum quærendam erant, quæque à populo non obſervabantur: atque in hac perfectionem ſuam collocabant. Nam triplex ſtatus hominum erat, Doctorum, Phariſæorum, & populi terræ. Appellabant autem* populum terræ *eundem quem Latini* vulgus *dicunt. In doctrinæ rationibus Doctores præibant: hos non doctrina ſed religione antevire Phariſæi contendebant. Quod ſi non obtinere poſſent hanc præſtantiam, tamen populo terræ admirabiles & maxima reverentia dignos ſe præſtabant, conſentientibus etiam Scribis, quorum illa eſt de hac re ſententia,* Populi terræ ſedes ſcabellum pedum eſt Phariſæorum. *Legitur hæc ſententia in libro Traditionum Tract. 1. De benedictionibus. Diſtinctio illa trium ſtatuum frequens eſt in illis libris, maxime vero in Tract. De Decimis & de decima ſecunda. Erat itaque diſtinctio inter obſervationes populi terræ & obſervationes Phariſæorum. Terræ populus tenetur obſervare præcepta expreſſa in Bibliis, aut deducta ex Bibliorum manifeſta interpretatione. Phariſæi obſervabant non ſolum hæc, ut ipſi jactabant, ſed quæ vel ipſi addiderant, vel ab aliis addita etiam leviſſima acceperant, ut*, Jejunare bis in Sabbato, Decimas dare omnium proventuum, Lavare manus centies in die, *& ſimilia multa. Hanc adeo exactam & minutam obſervationem ipſi ſanctitatis magna nomine jactabant, ita ut hac re qua ſuperiores populo terræ videri ſtudebant, admirabiles etiam & ſuſpiciendi eſſe contenderent. Cum ergo CHRISTUS turbas ad ſe convocatas, h. e. populum terræ, veram harum rerum doceret rationem, viſus eſt Apoſtolis magna offenſione Phariſæos affeciſſe, quorum vanam ſanctimoniam eam eſſe affirmaret, quæ in iis adiaphoris rebus obſervandis collocaretur: ita ut hoc modo totus ille Phariſæorum adverſus turbas faſtus & triumphus de populo terræ evaneſceret.*

CAP. LXXIII.

Cauſa diſparis coloris nubium matutino & veſpertino tempore, & prognoſticorum de tempeſtate inde deductorum.

QUærentibus ſignum è cœlo Phariſæis & Sadducæis Matth. 16. reſpondet Salvator, Ὀψίας γενομένης, λέγετε, Εὐδία· πυρράζει γὰρ ὁ οὐρανός. Καὶ πρωΐ, Σήμερον χειμών· πυρράζει γὰρ στυγνάζων ὁ οὐρανός, h. e. *Quando ſerum eſt diei, dicitis, Serenitas erit: rubet enim cœlum. Et mane, Hodie tempeſtas: rubet enim cœlum triſte.* Quæ ultima verba Baſilius hom. 6. ἑξαημέρῳ ſic adducit, στυγνάζει γὰρ πυρράζων ὁ οὐρανός, i. *cœlum rubens præ ſe fert triſtitiam.* Eſt autem vulgo obſervatum ab antiquo, id accidere quod à Phariſæis dici ſolere nunc memoratur. Et apud Aratum inter tempeſtatum prognoſtica ſolaria refertur,

Μηδ' ὅτι οἱ ὀλίγη νεφέλη πάρος ἀντέλλῃσι,
Τὴν δὲ μετ' ἀντίνοον ποικρωσμένος αὐτὸς ἀείρῃ,
Ἀμπνεῖν ὑετοῖο - -

Non eſſe, ait, imbrium obliviſcendum, ſi tenuis nubes ante Solem oriatur, & ipſe hanc ſequens ita erumpat ut radii colorentur. Et rurſum,

Εἰ δ' ὁ μὲν ἀνέφελος βάπτοι ῥόα ἑσπερίοιο,
Ταὶ δὲ κατερχομένῃ νεφέλαι τε καὶ οἰχομένοιο
Πλησίον ἐρχηται ἐρευθέες, ἦ σε μάλα χρὴ
Αὔριον ἠὲ ἐπὶ νύκτα περιτρομέειν ὑετοῖο.

h. e. *Si tetigerit undas Sol veſpertinas ipſe abſque nubibus, ſed cum his ſequentibus ſe proxime ruſilis, non ſunt neque tunc neque poſtridie metuendi imbres.* Quæritur jam qui fiat quod mane & veſperi nubes alio colore conſpiciantur quam meridie, & quæ cauſa prognoſticorum inde deductorum. Si τοὺς τῶν Φυσιογνωμονούντων παῖδας audiamus, mane & veſperi conſpicitur lumen per vapores circa horizontem collectos, unde lumen purpuraſcit; in meridie vero magis flaveſcit, quia per vapores rariores & præſtantia Solis ſubtiliatos conſpicitur: quemadmodum etiam ignis comparet diverſis coloribus prout per diverſa media conſpicitur, cum tamen ſua natura ſit lucidiſſimus & nullo colore imbutus. Sic etiam quando circa horizontem congregantur multi fumi atque exhalationes, quas Sol propter obliquum radium abſumere nequit, lumen per illas conſpectum apparet purpureum. Cur autem nubes purpureæ ſerenitatem veſperi ſignificent, mane vero pluvias, cauſa eſt, quod veſpertina rubedo magis eſt in nube ſiccata diurno æſtu Solis, in quam radius incidens non penetrat, ſed repercuſſus duplicatur: Vel, quia hi vapores ſunt terræ vicini, & propter defectum caloris elevari non poſſunt ad mediam regionem aëris, unde frigore nocturno convertuntur in rorem: Vel, quia aër ut plurimum motum cœli raptum ſequitur, unde fortaſſe noctu exſiſtunt pluviæ in altero hemiſphærio, mane vero ſubſequitur ſerenitas perpurgato aëre pluvia nocturna, quam tamen nos in noſtro hemiſphærio non ſenſimus. Contrarium in rubedine matutina accidit. Mane vero rubet nubes, quia eſt aquoſa, quæ calore Solis elevatur, ac facile in pluviam diſſolvitur. Hæc illi; quæ ad illuſtrandum locum Matthæi libuit adſcribere.

Cap. LXXIV.

Unde tam varia ac multiplicia de perſona Chriſti judicia. Item de dicto, πύλαι ᾅδου ὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.

PHariſæi animarum *μετάβασιν* ſeu *tranſmigrationem* docebant, ſed non omnium, verum bonorum, quæ permaneant ac in bonorum corpora ſubeant: malorum vero animas ſtatim ſupplicio æterno puniri tradebant. Ex priori illo dogmate natus eſt multiplex hominum de Chriſto ſermo; quem tamen eo ipſo bonitate præditum præſtanti teſtabantur, quod in ejus corpus eorum hominum quos valde bonos credebant animam ingreſſam putabant. Πύλαι ᾅδου etiam Homero ſic dictæ ſunt Iliad. ά.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Odi illum ſicut portas inferorum qui aliud loquitur, aliud occultat in animo. Et Euripidi in Hippolyto *πύλαι νερτέρων*. Erat autem veteribus *Porta* idem quod nobis *prætorium*, ein Rathhauß! ſi quidem apud Hebræos conveniebant proceres civitatis ad portas urbis, & ibi conſilia agitabant. Ideo dicitur Pſalm. 127. *Non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta*, h. e. in curia, prætorio, arce. Erant enim portæ veterum turres munitæ, ſimiles curiis noſtris. Ut autem per *faſces* & *arces*, ita & per *portas* Metonymice imperia ſignificata ſunt; ut, *Aperite portas principes*, Pſalm. 24. h. e. Præbete Euangelio locum in Imperiis. Sic *porta Oſmanidarum* etiam hodie Regia ſedes nuncupatur Sultanorum Turcicorum: quod nemini non notum de fæce hominum. *Porta inferi* igitur hoc loco ponuntur & pro *conſiliis* miniſtrorum Satanæ ſæpe convenire ſolitorum & diu multumque deliberare quo piis poſſint nocere; & pro *Imperiis* gerentibus bella adverſus Eccleſiam, in quibus imperiis Diabolus eſt potens. Eſt enim *ἰσχυρὸς* Luc. 11. 21. ejuſque & mundi conatus vocantur *ὀχυρώματα munitiones* 2 Cor. 10. 4. *ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, κοσμοκράτορες*, Epheſ. 6. 12. Sed nec conſilia nec potentia Satanica *κατισχύσουσι τῆς Ἐκκλησίας prævalebunt Eccleſiæ. Electi* enim *non ſeducentur*. Et *nemo rapiet eos de manu Servatoris.* Κατισχύσουσιν αὐτῆς verto cum Piſcatore *prævalebunt ei.* Verſio enim hæc nervoſior & vicinior eſt Græco quam illa *ſuperabunt eam. Valet* enim Satan contra Eccleſiam, ſed non *prævalet.* Nec moveor eo quod non ſatis Latina videntur illa, *non prævalebunt ei.* Latinum enim eſſe exiſtimo, non tantum quod ab idoneo Latinæ linguæ autore dictum eſt, ſed etiam quod ex analogia ſermonis Latini dicitur, vel ſine exemplo. Si enim ex *pono* licet facere *præpono* ad ſignificandam comparationem, quidni etiam ex *valeo*, *prævaleo?*

Cap. LXXV.

Cur Chriſtus interdixit Diſcipulis ut nemini dicerent ſe eſſe JESUM illum CHRISTUM.

GRavem hujus rei cauſam eſſe oportet: neque enim ſimpliciter ſed accurate hoc præcepit. Ea enim vis eſt verbi διεστείλατο. Athenæus lib. 6. *προδιαστελλάμενοι μηδένας αὐτῶν ἔσεσθαι πρόσω ἔξω τῆς Ἡρακλεωτῶν χώρας*, h. e. *Hac prius cautione adhibita, ne quenquam eorum extra ſuam regionem venderent.* Cauſam Baſilius dicet in illa longa Epiſtola Apologiæ ſuæ quam contra Arianos & Pneumatomachos ſcripſit Cæſarienſibus. Summa huc redit; Chriſtus nondum abſolverat curſum in terra ſuum, nondumque confecerat ea quæ miniſterii ſui erant: nihilo tamen minus, quod eſſet Chriſtus & Meſſias, voce ſua docuit & miraculis demonſtravit: ſuorum tamen diſcipulorum teſtimoniis nondum ei uti libuit, quod ad ea quæ faceret & doceret reſpicere populum vellet, atque ex eo ſtatuere illum potius de Prophetarum prædictionibus qui eſſet ipſe quam de domeſticis teſtimoniis ſuorum. Quomodo & diſcipulos Joannis ad miracula ſua remittit, ut modo dictum eſt, & ad Prophetas hoc modo deducit atque introducit.

Cap. LXXVI.

Vetus interpretatio verborum, Ἱλεώς σοι, Κύριε, defenditur. Verbum Φρονεῖν non arguit Petrum arrogantiæ.

NEC unius nec plurium quamlibet doctiſſimorum virorum verſio Eccleſiæ pro authentica obtrudenda eſt. Habent enim omnes verſiones ut ſuas virtutes, ita ſua vitia. Vel in una deprecandi formula Petrina, quam Matth. 16. 22. legimus, quam graviter lapſi ſunt exquiſitæ doctrinæ viri, Eraſmus, Beza, Tremellius, Junius! Eraſmus; Ἵλεώς σοι, Κύριε, *Propitius tibi ſis, Domine.* Beza, *Propitius tibi eſto, Domine.* Sic alii. Doctiſſimus Camerarius deprehendit ἐλλειπτικῶς illa dici, & ſubintelligendum *Deus. Propitius tibi ſit Deus.* Hoc eruoite poſtea demonſtravit Nic. Fullerus Anglus, Miſcel. l. 2. c. 2. quem juvat audire. Septuaginta Interpretes, inquit, formam deprecandi Hebræam ſic exprimunt nonnunquam, Ἵλεώς μοι ὁ θεὸς, τῷ ποιῆσαι τὸ ῥῆμα τοῦτο, 1 Chron. 11. 19. *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam rem hanc.* Nominativus autem *Dominus* vel *Deus* apud Syros ſemper, apud Græcos & Latinos, qui à Syris hanc locutionem ſunt mutuati, aliquando omittitur. Dicunt enim Græci ἵλεώς μοι, ſubaudito, ὁ Θεὸς, vel, ὁ Κύριος, h. e. ſi ſententia ſola ſpectetur, *Abſit mihi*, vel *Avertat à me, Deus.* Sic hoc loco Syriaca deprecandi formula integre explicata ſic vertatur, ἵλεώς σοι ὁ Θεὸς Κύριε, τῷ εἶναι σοι τοῦτο. Certe Gen. 43. 23. verba Interpretis Joſephi ad fratres ipſius, ἵλεως ὑμῖν, μὴ φοβεῖσθαι, non admittunt perſonam ſecundam. Nec enim interpretari ullo modo licet, *Propitius ſitis vobis ipſis, ne metuite:* ſed ſumma neceſſitas cogit perſonam tertiam adhibere, & Deum ipſum ſubintelligere, qui periculum quod timebatur averteret. Formula Heb. eſt שלום לכם. At ἵλεως ὑμῖν ipſiſſima eſt forma Syrorum. Omnino igitur recte & erudite vetus Interpres ſic vertit hic, *Abſit à te, Domine: non erit tibi hoc.* Etſi enim verba non numerat, rem tamen ipſam ad unguem expreſſit, obſervato idiotiſmo & deprecandi ſignificatione: quod nec Eraſmus, nec Beza, nec horum præjudicium ſecuti Tremellius & Junius hoc loco obſervarunt. Ad verbum, *Propitius tibi, Domine, ſit Deus*, hactenus Fullerus. Fullero & Camerario ſubſcribit Dunæus Notis in Chryſoſtomum Savilii, *Verius*, inquit, *vetus Interpres quam Beza verba Chriſti,* Ἵλεώς σοι, Κύριε, *vertit. Sic enim Septuaginta interpretantur* HALILA, 2 *Sam.* 23. 17. 1 *Macc.* 2. 21. ἵλεως ὑμῖν *illud eſt proprie quod eſt apud Eliam in Thisbe*, Parce, *&* Pax, *pro eo quod vulgo dicere ſolemus*, Di prohibete nefas. *Item*, Quod Deus omen avertat.

Cæterum è verbo Φρονεῖν colligunt doctiſſimi Interpretes arrogantiæ peccatum eſſe à Petro: quos falli non dubitat Caſaubonus, cum id verbum per ſe poſitum nullam habeat Superbiæ ſignificationem, ſed ſimpliciter ſit *διαλογίζεσθαι cogitare, mente uti*; *μέγα Φρονεῖν* de *ſuperbiente* dici, ſicut *ταπεινὰ Φρονεῖν* de *humili & modeſto.* Itaque idem Caſaubonus verbum *ſapere* vitandum Interpreti cenſet, cum ſatis notum ſit Græcæ linguæ peritis ita ſæpe parum recte verti τὸ Φρονεῖν. Denique οὐ τὰ τοῦ Θεοῦ Φρονεῖν nihil putat eſſe aliud quam *res æſtimare non ex voluntate Dei & decreto, ſed ex ſenſu carnis & hominum judicio*, cum certum ſit, *vias Domini non eſſe ut hominum:* quod tamen ante Chriſti reſurrectionem parum ſuiſſe ne ipſis quidem Apoſtolis cognitum, multi horum locorum teſtentur.

Cap. LXXVII.

Quid hoc quod ait Salvator Matth. 16. 28. Quoſdam ſibi aſſtantes non viſuros mortem ante Filii hominis adventum in ſuum Regnum.

MEmorabilis vox eſt Servatoris noſtri quæ Matth. 16. v. ult. legitur, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *eiſί τινες τῶν ὧδε ἑστηκότων οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου ἕως ἂν ἴδωσι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, Amen dico vobis, ſunt quidam ex iis qui hic aſſtant qui nequaquam guſtabunt mortem uſquedum viderint Filium hominis venientem in Regnum ſuum.* Sic enim illa ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ interpretatur Lucas 9. 27. ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ *uſque dum viderint Regnum Dei.* Plenius D. Marcus 9. 1. ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει *uſque dum viderint Regnum Dei veniſſe cum potentia*, vel *virtute.* Quæſitum de vero hujus loci ſenſu. Crediderim occupationem eſſe ad quæſt. quæ ex præcedentibus naſci poterat. Dixerat Servator *ſe venturum in gloria Patris*, *redditurumque*

gitized by Google

que unicuique ſecundum facta ſua: hinc quæri poterat, *Tune igitur ex hoc mundo diſceſſurus es in gloriam cœleſtem, ut inde ad judicium redeas? Id quidem*, reſpondet Chriſtus, *tam certum eſt ut quidam ex aſtantibus*, videlicet Apoſtoli, *corporeis oculis id viſuri ſint.* Nec obſtat quod Chriſtus dicit, *Quidam ex aſtantibus*, cum Apoſtoli omnes aſcenſum Chriſti viderint: tenendum eſt enim, Chriſtum hæc non tantum ad Diſcipulos, ſed etiam ad turbam dixiſſe, & quidem ad hanc concionem peculiariter advocatam, ut Marcus in fine cap. 8. expreſſe teſtatur.

CAP. LXXVIII.

Conciliatio ſex dierum *Matthæi cum* octo diebus *Lucæ. Scandalum an illum à Chriſto & Diſcipulis oblatum Judæis.*

Sexto die poſt, inquit Matthæus 17. 1. *transfiguratus eſt Jeſus*: at Lucas *octo dierum* meminit. Nulla contradictio. Nam aut à diverſis terminis Matthæus & Lucas tempus illud ducunt, aut ab eodem, & tum à Luca perhibentur *octo* illi *dies*, annumerato primo & ultimo, à Matthæo tantum medii *ſex* interjecti. Sed quid eſt quod Chriſtus v. 27. ait, Ἵνα δὲ μὴ σκανδαλίζωμεν αὐτούς: Metuitne ſibi à ſcandalo? Minime. Neque enim ipſe & diſcipuli juſtum Judæis præbebant offenſaculum; ipſi Judæi σΦῆρον ἀτρεμὲς labebantur. Itaque Baſilius Seleuciæ Iſauriæ Epiſcopus ita interpretatus eſt verba Domini, ἵνα μὴ σκανδαλισθῶσι, quæ verba pro explanatione eſſe poſſunt. Eſt autem *σκάνδαλον* & *σκανδάληθρον* proprie *tendicula*, i. lignum illud curvum ſeu tigillum in decipulis quo moto decipula claditur. **Der Schlag in einer Mäuſefalle oder Fuchsgrube.** Ita interpretantur *σκανδαληθρὰ ἐκῶν* in fabula Ariſtophanis quæ inſcribitur Βάτραχοι. In Eccleſia transfertur ad eas res quibus animi hominum decipiuntur. Unde in iis quæ Ἀσκητικῶν titulo Baſilio adſcribuntur hæc legere eſt, Σκάνδαλόν ἐστιν, ὡς ἐγὼ λογίζομαι ἐκ τῶν γεγραμμένων δηγήσομαι, πᾶν τὸ ἤτοι εἰς ἀποστασίαν τινὰ τῆς κατ' εὐσέβειαν ἀληθείας ἄγον, ἢ πρόσληψιν τῆς πλάνης ἐμποιοῦν, ἢ οἰκοδομοῦν εἰς ἀσέβειαν, ἢ καθόλου πᾶν τὸ κωλύον τῇ ἐντολῇ τοῦ Θεοῦ ὑπακούειν, μέχρι καὶ αὐτοῦ τοῦ θανάτου, h. e. *Scandalum eſt, ut ego ſecundum Scripturarum ductum concludo, quicquid vel ad defectionem à veritate pietatis abducit, vel efficit ut error alliciatur, vel adjuvat impietatis ædificationem, vel omnino quicquid impedimentum infert, & prohibet quo minus obediatur mandato Dei, etiamſi mors oppetenda ſit.* Apoſtoli vocant πρόσκομμα. Rom. 9. 32. προσέκοψαν τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος. 1 Cor. 8. 9. Βλέπετε δὲ μήπως ἡ ἐξουσία ὑμῶν αὕτη πρόσκομμα γένηται τοῖς ἀσθενέσιν. 1 Pet. 2. 8. λίθος προσκόμματος. Ideo tanquam *ἰσοδύναμα* conjunguntur hæc vocabula Rom. 14. 13. μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον.

CAP. LXXIX.

Marcum non adverſatur Matthæo quando Chriſti veſtimenta dicit alba fuiſſe ſicut nix, *quæ Matthæus dixerat* alba fuiſſe ſicut lux. *Fullonum ars.*

VEtus Interpres & cum eo multi Patres Matth. 17. 2. legunt, *veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Et fatetur Beza in quodam exemplari loctum ὁ χιὼν *nix.* Sed omnia fere exemplaria Græca ibi habent *veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut lux*, ὡς τὸ Φῶς. Hæc ſibi mutuo non adverſantur. Nam ut ſua caligo eſt tenebris, ita luci ſuus candor; adeoque perinde eſt ſive à Nive ſive à Luce comparatio mutuetur: quod indicant illa verba Marci, στίλβοντα *corruſcantia*, proprie *lucu*, & λευκὰ *candida*, proprie nivis, quæ de una eademque veſte: item verba Lucæ, ἱματισμὸς αὐτοῦ λευκὸς ἐξαστράπτων *amictus ejus albus elucens tanquam fulgur*: ubi uni & eidem amictui *albedo* & *fulgidum lumen* tribuuntur. Hinc apud Luc. 23. 11. ἐσθῆτα λαμπράν. Vulgatus recte interpretatur *veſtem albam*, quod hic color præcipue ſplendeat, & innocentiæ ſit teſtimonium. Ideo *luciduus* & *candidus* interdum conjunguntur apud profanos autores: Theophraſto περὶ σημείων ὑδάτων *De ſignis aquarum*, καθαρὸς ὕλος. Parmenidi, πῦρ Φῶς καθαρὸν ἐν αἰθέρι. Imo & apud Sacros, Apoc. 19. 8. *Et datum eſt ei ἵνα περιβάληται βύσσινον καθαρὸν καὶ λαμπρόν, byſſino candido & ſplendente*, vel, ut Vulgatus, *byſſino ſplendenti & candida.* Τὸ γὰρ καθαρὸν, λαμπρὸν καὶ τὸ λαμπρὸν, καθαρόν, *Candidum enim, nitidum; nitidum, candidum.* Marc. 9. 3. addit, οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι, *qualia non poteſt fullo in terra dealbare.* Solebat enim priſca ætas veſtibus ſibi non modo naturali colore tinctis, ſed etiam artificio ſummo magnoque labore factis. Fullonum hic labor erat, qui in angiportis collocabant amphoras, in quibus urina reddebatur: unde Martialis,

Tam male Thais olet quam non Fullonis ovati
Teſta vetus, media ſed modo fracta via.

Atque hinc origo *veſtigalis urinæ*. Fullones deipde incretabant veſtes permixto lotio; poſtea durabant, tum poliebant, quo ſplendorem conciliarent: & ut magis niterent, domi ſub prelis habebant. Vide Laurentium Ramirez cap. 11. Pentecontarchi.

CAP. LXXX.

Κατεποντισμὸς *Judæorum & Græcorum*, τὸ πέλαγος τῆς θαλάσσης.

PRonunciatum Salvatoris eſt Matth. 18. 6. *Quiſquis offenſaculo fuerit unis ex parvis iſtis qui in me credunt, præſtiterit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, ac demergatur in profundo maris*, κατα ποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης. Hieronymus annotat, *Secundum ritum provinciæ loquitur Euangeliſta, quo majorum criminum iſta apud Judæos pœna fuit; ut in profundum ligato ſaxo demergerentur.* Druſius in Præteritis N. T. *inter genera ſupplicionum quæ in ea gente uſurpata nullam mentionem Demerſionis fieri* ſcribit. Non inuſitatum tamen hoc ſupplicii genus etiam apud Græcos fuiſſe Caſaubonus oſtendit ex Diodoro Siculo l. 16. ὁ δὲ Φίλιππος τὸν μὲν Ὀνήμαρχον ἐκρέμασε, τοὺς δὲ ἄλλους ὡς Ἱεροσύλους κατεπόντισε rationem vero & modum fuiſſe alium quam apud Paläſtinos. Non enim ſaxum collo alligaſſe, ſed ſontem in plumbeum vas conjeciſſe Græcos, idem Caſaubonus ex Athenæi lib. 14. docet; quemadmodum ex Polybii l. 2. evincit hoc ſupplicium inter graviſſima non fuiſſe habitum. ¶ Verba porrò illa ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης ad verbum ſonant *in medio maris*, ubi mare eſt profundiſſimum. Nam, ut Grammaticis placet, *pelagus* dicitur quaſi *telagus*, quoniam ſit τῆλε τῆς γῆς, i. *a terra longe.* Ideo Pſ. 46. 2. ubi codices Hebræi habent *in corde maris*, Thargum habet *in pelago maris.* Hinc piſces πελάγιοι *in alto*, vel *mari medio*, *degentes*, & παραλίδες *littorales.*

CAP. LXXXI.

Quæſtio de Divortio à Phariſæis inſidioſe Chriſto proponitur. κάμηλος camelus, *non* funis nauticus.

QUæſtionem de Divortio inſidioſe propoſitam fuiſſe Chriſto à Phariſæis Matth. 19. ex eo demonſtrat B. Arias quod illa inter Scribarum familias in diſceptationem vel maxime eſſet vocata. Verba ejus in hunc locum adſcribo; *Duæ fuere celeberrimæ familiæ Scribarum Hieroſolymis & in omni Judæa. Alterius ſectatores dicebantur* domus Samai, *alterius vero* domus Hillel. *His variis in argumentis atque doctrinæ rationibus explicandis varias ſententias defendebant. In his una quæſtio erat de Divortiorum cauſis. Domus Samai unam tantum cauſam eſſe aſſeverabat quamobrem divortium toleraretur, eamque eſſe adulterii ſuſpicionem. Probant hoc ex verbis illis*, Si acceperit homo uxorem & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem, *&c. Domus enim Samai ſolam fœditatem ajebat eſſe poſſe cauſam repudii, & fœditatem tantum impudicitia definiebat. Domus vero Hilel omnem cauſam vel minimam quamque offenſionem ad repudii jus admittebat, illis verbis tantum uſurpatis*, Et non invenerit gratiam in oculis ejus. *Erat tertia quædam opinio quæ ſuffragabatur domui Samai cauſæ generis, ſed in ſpecies multas genus illud* fœditatem *dilatabat. Tentant igitur Phariſæi Jeſum, rogantes an quacunque ex cauſa liceat uxorem dimittere; ut in quamlibet partem pronunciantem ea invidiam apud cæteros adducerent.* Hactenus Arias. ¶ Κάμηλον porro cap. hoc 19. v. 24. quidam non *animal*, ſed *rudentem craſſum* eſſe dicunt, inquit Theophylactus. Et apud Suidam, Κάμηλος, τὸ παχὺ σχοινίον. Verum Camerarius conſtanter negat ullum exſtare bonum Græcum autorem qui κάμηλον vel κάμηλον pro *rudente* aut quovis *fune nautico* uſurpet. Atque ut ſit ea ſignificatio vocis κάμηλος, tamen non κάμηλος ſed κάμηλος legitur apud Matthæum. Nec *Gamal*, quod apud Syrum legitur, pro *fune nautico* accipi poteſt. Quin Arabs *Camelum* legit, animal videlicet quadrupes. De quali animali intelligimus etiam quod c. 23. 24. dicitur, *Phariſæos deglutire camelum.* Nimirum hyperbolica eſt locutio περὶ τοῦ ἀδυνάτου.

CAP. LXXXII.

Vis particulæ τὶ. Bibere poculum *pro* ſupplicio affici *unde.*

MUltam ineſſe vim particulæ τὶ dudum annotavit Ulpianus in hæc Demoſthenis verba quibus Athenienſes monet caveant ne Philippus τρέψηται, καὶ παραστάσηταί τι τῶν ὅλων· ſuper quibus ſic ille, τὸ δὲ, τὶ, ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ, μέγα, κεῖται. Sic apud Matthæum noſtrum 20. 20. de matre filiorum Zebedæi, αἰτοῦσά τι παρ' αὐτοῦ, *quid*: quantum? *Dic ut ſedeant.* Latini ſimiliter: Plautus Epidico, *Tum captivorum quid ducunt*, h. e. magnam vim captivorum, aut eximios aliquos. Terentius Ἑαυτοντιμ.

Nam, ut alia omittam, pitiſſando modo mihi
Quid vini abſumpſit?

Livius lib. 41. *Quid vini cibique abſumptum erat ab Iſtris?* de quibus ante, *vino ciboque corpora onerant.* Sed cur Salvator petitionem magni momenti rejiciens ait, *Poteſtis bibere poculum quod ego bibiturus ſum?* Crediderim, quod *bibere* dicuntur qui puniuntur & caſtigantur. Abdiæ 16. *Sicut bibiſtis in monte ſancto meo*, &c. Senſus eſt, Ut populus meus Sione bibit, ita etiam alii bibituri ſunt, ex Jer. 49. 12. collatione. Sic Ezech. 23. 32. Nec vero ſacrarum literarum ſolum ſed & profanarum locutio eſt. Plautus in Caſina,

Inde ferus tacitus exeo cum ornatu quo vides,
Ut ſenex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet.

Metaphora ſumpta videtur à conviviorum conſuetudine, in quibus quantum quiſque & quo modo temperatum biberet præſcribebat συμποσίαρχος, qui *arbiter* etiam & *magiſter convivii* dictus eſt, & à Plauto *dictator*, quod bibendi leges ferebat, quas violari nefas erat; ut docet Muretus in Catullum, Lambinus in Horatium, Lipſius lib. 3. Antiq. Lectionum. Hoc vero bibentibus multis modis moleſtum erat: A menſura, ſi major quam ferre commode poſſent: A potu ipſo, ſi vel tenuior, vel fortior, vel amarior, vel acerbior eſſet. Itaque liberari illa ad præſcriptum & legem alterius bibendi neceſſitate, pro magno commodo & beneficio habetur apud Horatium Satyra 6. lib. 2.

Prout cuique libido eſt,
Siccat inæquales calices conviva, ſolutus
Legibus inſanis.

Quo in ſenſu haud ſcio an illud ſit accipiendum Eſth. 1. 8. *potationem juxta legem nemo exigebat.* Rex enim conſtituerat ut pro uniuſcujuſque voluntate ſatisfaceretur. Quia igitur id bibere cogi à quo abhorrebant, hominibus grave erat, inde factum ut *poculum* pœnam ſignificet, & *ſupplicio affectis bibere* dicantur.

CAP. LXXXIII.

Interpretatio verſus tertii c. 21. Matthæi. Eodem capite v. 5. utrum ὄνος aſinus, *an* aſina.

VErſum tertium cap. 21. Matthæi alii aliter convertunt. Vulgata, *Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quod Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos.* Hunc ſequitur Lutherus. Eraſmus, *Et confeſtim emittit eos*, Chriſtus ſcilicet Diſcipulos: legit enim cum Theophylacto ἀποστέλλει. Beza, *Domino his opus eſt: ſtatim autem remittet eos.* Piſcator, *Dominus eis opus habet: ſtatim autem mittet eos*, ſcil. Dominus illorum. Sed placet verſio Bezæ, pauculis immutatis, *Domino ipſis opus eſt; ſtatim vero remittet eos*, vel, *continuo autem remittet eos*: ut utrumque referatur ad Chriſtum. Nuncius enim non tantum rem & mandata alterius ad alios perferebat, ſed fere etiam ipſamet mandantis verba & orationem. Duo igitur excuſationis capita Diſcipulis injungit; 1. *quod Domino his opus ſit*, 2. *quod ſtatim jumenta ſit remiſſurus*: adeoque utrumque verbum & ἔχει & ἀποστέλλει ad unam & eandem perſonam, videlicet Chriſtum, referendum. Non abſimilis in re diſſimili locutio eſt Terentii, *Herus hic Phidippum ad ſe accerſi juſſit, ſed jam remittit eum.* ¶ Hoc eodem capite v. 5. Chriſtus introducitur inſidens ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου. Hic plerique Interpres ὄνον vertunt *aſinam.* Vatablus & Lutherus aliique *aſinus*; interpretantur *aſinum*, & reliqua verba exegetice non copulative intelligunt: qui mihi non una de cauſa ſententiam ſuam probant. Nam Hebræum *Chamor*, quo Zacharias Propheta utitur, ſemel fortaſſis *aſinam* ſign. in codice Sacro, alias ſemper *aſinum*; *athon* eſt *aſina.* Ideo ubi in Hebræo eſt *Air ben athonoth*, i. *pullus filius aſinarum*, apud Johannem Euangeliſtam recte vertitur πῶλος ὄνου *pullus aſinæ*, licet idem pullus etiam ſit *pullus aſini*, & ſic verti per Grammaticam poſſit. Etſi autem vocabulum ὄνος ſub terminatione maſculina interdum etiam femininum eſt, eo quod lingua illa aliud quod terminatione femininum ſit non habet, tamen tum ſemper vel articulus vel adjectivum aliquod fem. generis adjicitur: quod cum hoc loco non fiat, ipſa articuli abſentia evincit per ὄνον *aſinum* ſignificari. Senſus igitur eſt, *Rex Sion ſeſſurus eſt*, non *ſuper* ATHON aut *aſinam* aliquam, ſed, ut clariſſime Propheta, *ſuper* CHAMOR, h. e. *aſinum maſculum, qui ætate adhuc Air*, ſeu *pullus*, *eſt*, *filius numerum Athonoth.* Exegeticæ enim ejuſmodi formulæ Scripturæ ſunt familiares: Eph. 1. 3. *Benedictus ſit Deus & Pater.* Gen. 49. 11. *Ligans ad vitem pullum ſuum, & ad vitem optimam filium aſinæ ſuæ: lavit in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uvæ operimentum ſuum.* Quod igitur v. 7. ſcribitur, Ἤγαγον τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον, omnino exiſtimo particulam τὴν eſſe infarctam, & eodem verſu pro αὐτοῦ ſcriptum αὐτῶν. Nam Marcus, qui Matthæi veſtigia diligenter perſequitur, non meminit *aſinæ*, ſed, ἤγαγον, inquit, τὸν πῶλον. Sic Lucas, ἤγαγον αὐτὸν, videlicet πῶλον. Et Johannes 12. 14. Εὑρὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ὀνάριον, *Nactus autem Jeſus aſellum*, ὑποκοριστικῶς, (Germanice Eſelein / non, ut vulgus Typographorum, ein Eſelin / femininum pro maſc.) *inſedit ei:* plane ex ſenſu Marci & Lucæ, qui *veſtimenta pullo injecta* & *pullo Chriſtum inſediſſe* ſcribunt. Nec aliter legit in Matthæo Syrus, qui interpretatur, *& poſuerunt ſuper pullum veſtimenta ſua; & equitavit ſuper eum Jeſus.* Certe etiam Vulgatum Interp. legiſſe ἐκαθίσαν ἐπάνω αὐτῶν, ſcilicet Chriſtum, non, αὐτῶν, videlicet aſinæ & pulli, ex eo liquet quod vertit *& eum deſuper ſedere fecerunt.* Hæc interpretatio ut Hebræo & Græco textui & cæteris Euangeliſtis accommodata eſt, ita ridiculam illorum opinionem proſternit qui ſentiunt Chriſtum modo aſinæ modo pullo inſediſſe, indeque vaniſſimas Allegorias texunt, quaſi Chriſtus πρῶτον ἐπεκαθίσατο τῇ τῶν Ἰουδαίων συναγωγῇ, εἶτα τῷ ἐξ ἐθνῶν λαῷ, quod ſcribere non piguit Theophylactum: quem ſequetur nemo niſi ſit

Helleſpontiaco victima grata Deo.

CAP. LXXXIV.

Quomodo numularii potuerint lucrum facere in Templo. Et cur Chriſtus templum Judaicum comparet ſpeluncæ latronum.

NArrat D. Matthæus Chriſtum *evertiſſe τὰς τῶν κολλυβιστῶν τραπέζας.* Κόλλυβος ſign. *pecuniam quæ datur pro permutatione monetæ*; Italis *l'aggio*, Germanis auffwechſel / ſive das Auffgeld. Κολλυβιστὴς *numularius*, Wechſler. Vocabulum extat apud Pollucem & Ciceronem in Verrinis. Quæritur igitur quomodo numularii potuerint lucrum facere in Templo. In cauſa erant ſacrificia, quæ in ſolo Templo offerebantur. Non poterant autem peregrini victimas ſecum adducere ex locis procul diſſitis. Captabant igitur ſive Levitæ ſive alii lucrum ex permutatione pecuniæ quæ erat ſolvenda pro victimis emendis, quæ magno numero vendebantur prope Templum. Imo Sacerdotes arte ſic inſtituebant rem ut unam victimam ſæpe venderent pluribus antequam in ſacrificiis offerretur. Venit hoſpes aliquis oblaturus ſacrificium; huic obtruſerunt pecudem, quam promiſerunt ſe velle offerre pro illo, acceperunt pecuniam: venit alius mox hoſpes, emit ab illis eandem pecudem; ut hodie fit in redimenda Miſſa. Digna relatu ſunt quæ Hieronymus in hunc locum, *Et hoc*, inquit, *primo ſciendum, quod juxta mandata Legis in templo Domini auguſtiſſimo, & de cunctis pene regionibus Judæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hoſtiæ, maxime feſtis diebus, taurorum, arietum, hircorum; pauperibus, ne abſque ſacrificio eſſent, pullos columbarum & turtures offerentibus. Accidebat plerumque ut qui de longe venerant non haberent victimas: Excogitarunt igitur Sacerdotes quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia quibus opus erat ad ſacrificia emebant, ut & venderent non habentibus, & ipſi rurſum empta ſuſciperent. Hanc ſtrophas eorum crebra venientium inopia diſſipabat, qui indigebant ſumptibus, & non ſolum hoſtias non habebant, ſed nec unde emerent quidem aves & vilia munuſcula. Poſuerunt itaque & numularios, qui mutuam ſub cautione darent pecuniam. Sed quia erat Lege præceptum ut nemo uſuras acciperet, & prodeſſe non poterat pecunia fœneratæ, quæ commodi nihil haberet, & interdum ſortem perderet, excogitaverunt & aliam technam, ut pro numulariis collybiſtæ fa-*

facerent; cujus verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Collyba *dicuntur apud eos quæ nos appellamus* tragemata, *vel vulgo munuſcula; verbi gratia, fuxi ciceris, nucumque paſſarum, & poma diverſi generis. Igitur quia uſuras accipere non poterant collybiſtæ, qui pecuniam fenerati erant, pro uſuris accipiebant varias ſpecies, ut quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent quæ nummis coemuntur.* Ab his non abludunt quæ Janus Druſius ex Tractatu Thalmudico de Sicliſ refert, *Numularii*, inquit, *in Templo ſedebant vigeſimo quinto menſis duodecimi, qui Adar vocatur; ut quibus dimidius Sicliſ non eſſet ex lege Dei, Exod. 30. 13. in promptu ibi invenirent pecuniam apud numularios, ſive permutatione alterius monetæ, ſive dato pignore.* Hieronymus *collybiſtas* à *numulariis* in loco modo citato diſtinguit. Contra alii *collybiſtas numularios* interpretantur. Conciliat illos Juriſconſultorum coryphæus Cujacius, De Pactis, cujus hæc leguntur verba, *Fuit olim in civitatibus certum corpus ſive σύστημα argentariorum, quorum erat publicum officium. Tabernas ac menſas cum ære in foro poſitas habebant. Apud menſas pecunia deponebantur, permutabantur, emebantur, vendebantur: quod Latine eſt* cambire. *Eorum munia, quæ varia ſunt, variis quoque appellationibus deſignantur. Nam & Menſarii dicuntur ſive Menſulatii, & Numularii, & Argentarii, & Argentariæ monetæ exſecutores, & Argenti diſtractores, Collybiſtæ, κερματιςαὶ, Coactores ſive Collectarii*, &c. Camerarius ex Græco quodam libro allato ad Bilibaldum Pircamerum ex Bibliotheca Budenſi M. D. XXVI. hæc adſcribit, *Hieroſolymis in Templo ſedebant cermatiſtæ, qui & κολλυβισταὶ, quorum menſulas Dominus evertit; qui regium nomiſma argenteum, Regum præferens imagines, permutando comminuebant. Nam cum Argenteus (ſic enim nominabatur) æſtimaretur Denariis centum, & pretium hoc eſſet grandius quam pro uſu quotidiano, h. e. panis & olerum emptionibus, afferebatur numulariis, qui Denarios aut Aſſes retribuebant, pro Argenteo quidem Denarios centum, ut dictum eſt, pro Denario autem Aſſes ſeptem.* ¶ Non ſine cauſa porro Chriſtus ait Judæos Templum *feciſſe σπήλαιον λῃςῶν ſpeluncam latronum. Priſci mortales*, ſcribit Fullerus l. 4. c. 6. Miſcellaneorum, *in montibus gradatis, in quos propter ſummam devexitatem pedetentim & gradatim aſcendebatur, præſertim in Judæa & Arabia, maxime Trachonitide, effoſſa habebant & exciſa antra quam laxiſſima capaciſſimaque, quo, tanquam ad arces tutiſſimas penèque inexpugnabiles, confugiebant, repentino hoſtium vel gravioris alicujus periculi metu impellente.* Arabiam & Ituræam verſus (*inquit Strabo*) ſunt montes aſperi & altis ſpeluncis inſignes, quarum una quatuor hominum millia recipere poſſit. *Judæos iſtiuſmodi rupibus gradatis earumque ampliſſimis & immanibus ſpeluncis diu ſe contra Herodem & lectiſſimas illius copias tutatos eſſe, autor eſt Joſephus Orig. l. 14. c. 27. Talia fuiſſe narrantur rupes Engedi, præciſa ſcilicet atque abruptiſſima, ſolis ibicibus ſeu rupicapris pervia, ubi quam ſpatioſiſſima fuerit ſpelunca illa oportet cujus intimus abdituſque receſſus perfacile Davidem una cum ſexcentis militibus ſuis latitantem occultaret & contegeret. Ex pervulgato igitur earum regionum more de ejuſmodi omnino ſpeluncis intelligenda ſunt hæc Domini verba*, Domus mea domus Precationis vocabitur: at vos feciſtis eam ſpeluncam latronum. *Nam imaginem ſpelunca vaſtiſſima in editis rupibus exciſa pulcre repræſentabat magnificum Salomonis Templum in arce Sion conditum: Utrobique eminebat poſitio ſecura loci capaciſſimi ſublimiſque admodum & ingentibus ſaxis firmiſſimi; Idem nefarium inſtitutum incolarum, qui in Deum impie, in proximum perfide ſe gerebant, turpe lucrum undecunque captantes & corradentes; Eadem confidentia perditiſſimorum hominum, latronum videlicet in ſpelunca, Judæorum autem in Templo, tanquam munitione inexpugnabili, audaciſſime ſe efferentium.*

CAP. LXXXV.

Vox Hoſanna *v.* 9. ἠλώθη *v.* 17. ἐπὶ τῆς ὁδοῦ *v.* 19. *&* πῶς *v.* 20. *cap.* 21. *Matthæi, quomodo converrenda. Verſio vetus in illo*, Lapidem quem reprobarunt ædificantes, *defenditur, v.* 42.

SI *Hoſanna* eſt nomen τεχνικὸν, & tum Hymnos in celebrando feſto Tabernaculorum ſeptem dierum decantatos, tum Ramos myrti, ſalicis palmæque ſingulis geſtari ſolitos, ſalutis autorem Deum hujuſmodi voce *Hoſanna* appellantibus, ſignificat (id quod ex Rabbinorum libris Angelus Caninius & R. Arias Montanus annituntur probare) ſenſus verborum, *Hoſanna, Fili David*, hic erit, *Hunc hymnum in honorem Filii David canimus:* vel, *Hæc baia*, ſive *ramites, palmæ, oleæ, aut ſalicis, aliuſve arboris frondes in honorem Filii David geſtamus, vibramus.* Verum dubitandum non eſt verba illa deſumpta eſſe ex Pſalmo 118. pauculis, ut fieri in ejuſmodi accommodationibus typorum ſolet, mutatis. In Pſalmo legimus, *Onna Hoſchianna:* interpretantur autem ONNA, *cia, age*; NA, *obſecro*; HOSCHIAN, *opem fer, aſſis, fortuna, ſecunda, ut bene ſuccedant omnia.* Hanc acclamationem transiert populus ad Chriſtum, à typo ad antitypum, ſed omiſſo *onna*, verbo *hoſchian* per demptionem literæ Jod mutilato, & cum particula *na* copulato, additiſque nominibus *Filio Davidis.* Hanc enim precationem non ad Chriſtum ſed ad cœleſtem Patrem dirigit, à quo Meſſiæ ſuo felicia omnia precatur. Nec turbare quenquam debet conſtructio verbi *hoſchian* cum caſu tertio. Eſt enim frequens apud Hebræos; quod Beza & alii poſt ipſum cum multis aliis exemplis, tum inprimis illo Judic. 7. 2. demonſtrarunt. Ad eandem acclamationem referenda ſunt quæ proxime ſequuntur, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ſive, *Bene ſit ei qui venit in nomine Domini.* Congruit cum acclamationibus Latinorum in *εὐφημίας* hilaritatis: ut in Sticho Plauti, *Bene nos; bene te; bene me.* Et in Perſa, *Bene mihi; bene vobis; bene amicæ meæ, optatus mihi dies datus hodie eſt à Diis.* Sic apud Ovidium Faſt. 2.

Et bene nos, bene te, patria pater, optime Cæſar.

¶ Cæterum v. 17. ηὐλίσθη eſt *pernoctavit*, vel *ibi hoſpitium habuit:* ideo ſequitur, *Mane autem rediens in urbem.* Conſentit Arabs, qui & ipſe habet *pernoctavit ibi.* ¶ V. 19. illa ἐπὶ τῆς ὁδοῦ Vulgata *ſecus viam*, Beza *apud viam*, vertunt. Latinius interpreteris *ſecundum viam.* Varro, *Monimenta, quæ in ſepulcris & ſecundum viam, quæ prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe & illos eſſe mortales.* ¶ Etiam ſeq. verſu verba Diſcipulorum, Πῶς παραχρῆμα ἐξηράνθη ἡ συκῆ; malim cum Caſaubono vitandæ ambiguitatis cauſa vertere, *Ut ſtatim exaruit ficus?* quam cum aliis *Quomodo?* cum τὸ, πῶς hic non ſit *quærentis* ſed *admirantis.* ¶ Quod autem doctiſſimus Interpres in verbis, Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας, (quæ leguntur v. 42.) collocationem verborum mutat, *quod Latini ab hoc dicendi genere abhorreant, ut plane Poetico*, vertitque. *Quem lapidem reprobarunt*, &c. nec factum nec cauſam facti ſatis mihi probat. Non factum; quod Vulgata verſio ita jam recepta eſt ut aliam ipſæ doctiſſimorum hominum aures refugiant. Non cauſam facti; quia etiam linguæ Latinæ autores ita loquuntur. *Eunuchum quem dediſti mihi, quas turbas dedit?* Terentius dixit. Non igitur ab hoc dicendi genere abhorrent, ut plane Poetico. LXX Interp. uſitatiſſima eſt iſta loquendi forma. Num. 32. 4. τὴν γῆν ἣν παρέδωκε Κύριος, γῆ κτηνοτρόφος ἐςὶν. Confer Jol. 1. 3. Item 2 Reg. 1. 4.

CAP. LXXXVI.

Ἔνδυμα γάμου quid. Hypocrita quomodo ἑταῖρος Regi dictus: ἐφιμώθη· βρυγμὸς ὀδόντων.

ἜΝδυμα γάμου *veſtem nuptialem* alii aliter exponunt. Multi declamitant hic de *Fide* agi, ſed non in loco. Nam Chriſtus homini qui in tenebras exteriores ejicitur fidem tribuit dum affirmat, illum æque ac alios ad convivium cœleſte veniſſe: *venire* autem *ad Chriſtum & profiteri fidem in Chriſtum* idem ſunt, uti inter alia liquet ex Joh. 6. 35. Atqui is veſtem nuptialem non habuit. Non ſunt igitur idem *Fides* & *Veſtis nuptialis.* Vera quidem Fides Veſte nuptiali ſemper decorata eſt; ſed non idcirco idem ſunt Fides & Veſtis nuptialis. Nam & bona arbor ſemper fert bonos fructus, & tamen fructus & arbor non ſunt idem. Quin hic ſcopus parabolæ nuptialis eſt, Monere fideles ut ne putent ſufficere ad ſalutem profeſſionem fidei in ipſum; induendam etiam veſtem nuptialem; alioqui ſeſſurum quidem hominem ad tempus inter filios Dei, ſed tandem rurſum ejectum & in æternæ mortis tenebras præcipitatum iri. Vin' ſcire igitur quid ſit veſtis nuptialis? Audi Johannem Apoc. 19. 8. *Venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus paravit ſe. Et datum eſt ipſi ut amictiatur byſſina veſte pura & ſplendida. Byſſus enim ſunt δικαιώματα τῶν ἁγίων juſtificationes ſanctorum.* Hæc eſt illa veſtis qua firmam facimus vocationem noſtram: qua de cauſa D. Petrus epiſt. 2. cap. 1. graviter monet ut per fructus pietatis ſtudeamus *vocationem & electionem noſtram firmam efficere: ita enim πλουσίως ſubminiſtrabitur nobis introitus in æternum Regnum Domini &*

Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. Quod quid aliud eſt dictum quam, *Ita enim Regi illi magno in decretorio illo die nos veſtemque noſtram probabimus, & in promiſſam bonorum cœleſtium hereditatem immittemur?* Confer adhortationes Paulinas Epheſ. 4. 22, 23, 24. Coloſſ. 3. 9, 10, 11, 12. Tit. 3. 8. ¶ Verum quærat quis cur Rex cœleſtis hypocritam vocet *amicum*, ἑταῖρε, τῆς εἰσόδου? Non eſt verbum amoris, ſed ſtatus. Nominat amicum per ἀντίφρασιν. Amice, gratuito favore te exaltavi; ſublimem tibi in Eccleſiâ locum dedi; es magiſtratus, concionator, paterfamilias; pateſeci tibi verbum; dedi ſacra fœderis ſigilla; coronavi donis & bonis: quid tu contra? Nec me nec proximum ſincero amore complexus es. Simile illi quod Servator ad Judam dicit, Ἑταῖρε, ἐφ' ὃ πάρει: *Amice, quorſum ades?* infra 26. 50. Cave tibi igitur ab hypocriſi, quiſquis hæc legis, ne tibi idem aliquando accidat quod huic Amico, qui ad compellationem Regis ἐφιμώθη· quam vocem miror doctiſſimum Interpretem vertiſſe *illis os occluſum eſt*, quaſi poena & vis aliunde illata innuatur, ſcriptumque eſſet ἐπεφιμώθη. Malim igitur verbis pluribus, *At ille quaſi capiſtro injecto obmutuit*, explicare. Eſt enim φιμὸς *capiſtrum equorum*, ne mordeant prætereuntes, aut depaſcant ſegetem alienam. Hinc φιμόω *obturo*, & πεφίμωσο *obmuteſce*, apud Marcum 4. 39. ¶ Idem Amicus ejicitur εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, h. e. εἰς τὸν σκοτεινὸν τόπον, τὸν ἔξω, ubi κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. Heſychius, Βρυγμὸς ἀπὸ τοῦ βρέχειν, ὅ ἐστι τὸς ὀδόντας πιέζοντα φόβου ἀποτελεῖν, ὡς ἐν ῥίγει συμβαίνει, ἢ τριγμὸς ὀδόντων, *dentes premendo ſtrepitum efficere, quod fit in vehementi frigore, aut ſtridor dentium.*

CAP. LXXXVII.

Herodiani qui fuerint.

SCribit Euangeliſta *Phariſæos miſiſſe ad Chriſtum diſcipulos ſuos μετὰ τῶν Ἡρῳδιανῶν cum Herodianis.* Diſputatur qui fuerint Herodiani iſti. Nicolaus Serarius in Herode ſuo decem diſcrepantes opiniones profert cur ita dicti: videant ibi qui his talibus delectantur. Joſephus Scaliger in Notis Euſebianis in eo valde laborat ut Herodianos Hæreticos fuiſſe demonſtret. Mihi ſimpliſſima & veriſſima videtur eſſe ſententia quam diſcimus ex Euangelio Hebraico Matthæi, ubi leguntur iſta, *Et miſerunt ad eum diſcipulos cum ſervis Herodis.* Servi igitur *Herodis* ſunt *Herodiani* iſti. Nam illa denominandi ratio in ſervis apud veteres uſitata fuit; ut videlicet non tantum ab illo qui inter ipſos familiam veluti duceret nominarentur, velut à *Creſcente Creſcentianus*, à *Theamide Theamidanus*, ſed & à dominorum nominibus aliquando appellarentur, ut à *Germanico Germaniciani*, à *Cæſare Cæſariani*, ab *Herode Herodiani:* quod obſervavit Laurentius Pignorius Patavinus, De Servis. Nec obſcuræ ſunt denominationis ejuſmodi cauſæ. Servus enim per ſe (ut annotant Juriſconſulti) Jure civili non eſt perſona, ſed res & poſſeſſio, unde & κτῆμα Græcis dicitur, & κτῆσις, & σῶμα. Quod ſi perſonam utpote homo habet, eam Jure civili & in rebus actionibuſque civilibus habet ex ſitii domini perſona, non ex ſeipſo. Quo ſenſu eleganter Theophilus *ſervos* ait ex *dominorum ſuorum perſona* χαρακτηρίζεσθαι, *cum ipſi ſint* ἀπρόσωποι, i. *perſonam non habeant.* Amplius etiam, *neque caput habere* Jure civili dicuntur, *neque heredem, neque patriam, neque adeo nomen* à Philoſtrato lib. 8. De vita Apollonii Tyanæi, Οὐκοῦν, inquit, ὑπὲρ ἀνδραπόδου κρίνει με· ᾧ γὰρ μήτ' αὐτῷ ὄνομα, μήθ' ἕδρα, μὴ πλοῦτός ἐστι, ἀχλύ, ὦ θεοί, τοῦτον ὑπὲρ ἀνδραπόδου χρὴ τάττειν;

CAP. LXXXVIII.

Quid νόμισμα· quid νόμισμα τοῦ κήνσου; Matth. 22. 19. & 17. 25.

Νόμισμα & χάραγμα & *numum* notat. Apud D. Matthæum veteres *ainóne* interpretantur χάραγμα. Eſt enim χαράττεσθαι νόμισμα *ſignare nummos.* Unde παραχάραγμα *moneta adulterina*; & Paracharactæ, *rei falſæ monetæ.* Quæritur autem hic quid ſit νόμισμα τοῦ κήνσου *numiſma cenſus* quod ſibi Salvator oſtendi cupit. Qui eloquia Divina ad populum interpretantur, declamitant hoc loco de Siclo. Sic enim exiſtimant, Quæſtionem eſſe de dimidio Siclo qui Templo dependebatur, an ille ſit Cæſari dandus. Sed eruditiſſimus Camerarius recte annotavit, non de legitimo & à Deo præcepto ſed de extraordinario & vi Romanorum extorto tributo hic agi. Verba ejus in verſum viceſimum quartum capitis decimiſeptimi Matthæi iſta: *Tributaria facta fuit Judæa*, i. Φόρου ὑποτελὴς, *capta à Pompejo, C. Antonio & M. Tullio Coſſ. Et penſionem eam tributi videntur cenſus nomine indicare Phariſæi cap.* 22. *quemadmodum & hic* τελῶν καὶ κήνσου *Euangeliſta nominibus utitur. Fuit autem & legitimum tributum ad res Divinas populi Judaici, quod pendebatur ab habentibus annos XX uſque ad annos L.* Camerario adſtipulatur Cæſar Baronius, Annalium Eccleſ. Tom. 1. Utriuſque ſententiam accurate & ſolide demonſtravit vir Nobilis & reconditæ eruditionis Marquardus Freherus, quem ego in publico Juriſconſultorum Acad. Heidelbergenſis ἀκροατηρίῳ anno M. D. XCVII. cum inſigni animi voluptate de hoc argumento diſſerentem audivi. Hunc Conſiliarium Palatinorum Septemvirorum longe meritiſſimum præmatura morte præripuere fata rebus humanis. Sed ſic viſum eſt Domino.

☞ *Marquardi Freheri De Numiſmate cenſus à Phariſæis in quæſtionem vocato Diſſertationem, quam D. Scultetus Obſervationi huic ſuæ inſeruerat, nos hic omittimus, eandem enim non parum auctiorem Cap.* XII. *Marci ſubjunximus.*

CAP. LXXXIX.

Phariſæorum Φυλακτήρια & πράσπεδα Matth. 23.

DE Φυλακτηρίοις nemo melius nos erudire poteſt Hieronymo, qui ea in Judæis ſui temporis adhuc vidit, & nominat *pittaciola* pro quo perperam legitur *pittaciola: πιττάκιον* eſt proprie *fruſtum panni:* hinc & indicula membranacea vocantur *pittaciola.* Φυλακτήρια igitur membranulæ erant in quibus Legis præcepta perſcripta: atque eas Judæi circum caput & circum brachia geſtabant: ſic dicta q. *conſervatoria*, quod adhiberentur ad Legis Divinæ cuſtodiam. Numer. 15. ὑακίνθινα Græcis, *vitta hyacinthina* Latinis dicuntur. Multiplex hic Phariſæorum peccatum. Primo, nimis literaliter intelligunt verba Legis Deut. 6. 8. *Ligabis ea in ſignum in manu tua, & erunt in frontalia inter oculos tuos.* Nam quid ſit *Totapheth*, quod vertunt *frontalia*, ne Hebræi quidem certo ſciunt, ut apparet ex iis quæ Druſius lib. 2. De tribus ſectis Judæor. *de Phylacteriis* ſcripta reliquit. Atque ut ſint phylacteria, vel frontalia, ambigua tamen, ut Druſius ibidem recte monet, Lex eſt. Nam *totapheth*, quod verbum è verbo ſonat, *in phylacteria*, vel, ſi mavis, *in frontalia*, tam poteſt exponi *erunt phylacteria in loco* quam *erunt phylacteria:* quam expoſitionem maxime genuinam eſſe puto: ut ſit ſenſus, *Verſabuntur tibi ſemper ob oculos perinde ac ſi phylacteria aut frontalia eſſent.* Nam Exod. 13. 16. de celebratione agni Paſchalis idem præceptum invenitur, *Et erit in ſignum ſuper manum tuam, & in frontalia inter oculos tuos, quod in fortitudine manus eduxit nos Dominus de Ægypto.* Ergone & illam hiſtoriam phylacteriis inſcripſerunt? Quam lata igitur eſſe oportuit, cum tamen dilatationem illorum hoc loco Servator reprehendat? Quanto melius Abenezra, qui obſcurius verbum *totapheth* per clarius explicat ex verſu 9. capitis 13. Exodi, ubi dicitur, *Et erit tibi in ſignum ſuper manum tuam, & Memoriale ante oculos tuos.* Ipſe cœleſtis Pater de paterna ſua electorum cuſtodia ita loquitur Iſa. 49. 16. *Ecce in manibus ſculpſi te: muri tui coram me ſunt ſemper:* quod quid aliud eſt quam, *Ne metue, Sion: non oblitus ſum tui: geſto te in manibus, geſto te in oculis.* Huic ſententiæ pulcre adſtipulatur verſio LXX Interpretum, Καὶ ἔσαι εἰς σημεῖον ἐπὶ τῆς χειρός σε, καὶ ἀνάλλυτον πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν σε, h. e. *immotum quid & immobile:* quod optime Lutherus expreſſit, **Es ſol dir ein Zeichen in deiner Hand ſeyn / und ein Denckmal für deinen Augen /** perpetuum ſcilicet memoriale. Laudo igitur Hieronymum affirmantem, *nullum fuiſſe præceptum quo Judæi ad phylacteria obligarentur.* Nec miror Juſtinum Martyrem in Tryphone, & Theophylactum, in diverſum abire: neque enim accurate verba Domini videntur expendiſſe. Illud miror, Joſephum Scaligerum in Elencho Trihæreſii cap. 8. ſcribere, ipſum *Dominum Jeſum phylacteria geſtaſſe*, cum hujus rei ne veſtigium quidem exſtet in hiſtoria Euangelica. Nec movet me veruſtiſſimus mos Judæorum à Scaligero allegatus. Pravæ enim Scripturæ expoſitiones jam Chriſti tempore docebantur ab ἀρχαίοις profectæ, id quod vel ex quinto Matthæi capite clarum eſt. Alterum Phariſæorum peccatum erat, Quod nec ſine ſuperſtitione Decalogum in membranulis, quas πεφαλίδας vocabant, inſcriptum in frontibus geſtabant. Hieronymus teſtis, *Pittaciola illa*, inquit, *Decalogi Phylacteria vocabant*,

cabant, quod quicunque habuiſſet ea, quaſi ob cuſtodiam & munimentum ſui haberet; non intelligentibus Phariſeis quod hæc in corde portanda ſint, non in corpore. Alioquin & arca & armaria habent libros, at notitiam DEI *non habent. Hoc apud nos ſuperſtitioſæ mulierculæ in parvulis Euangeliis & crucis ligno, & iſtiuſmodi, qua habent quidem zelum* DEI, *ſed non juxta ſcientiam, uſque hodie factitant, culicem liquantes, & camelum diglutientes.* Hinc Φυλακτήρια etiam *amuleta, amolimenta.* Lexicon Græcolatinum, Φυλακτήριον, *ſervatorium, amolimentum, amuletum, prabia*; à *prohibendo*, quod mala prohibeant. Atque hæc duo peccata Phariſæi communia habebant cum vulgo. Tertium autem ipſorum erat ſingulare, quod, ut ſupra alios ſanctiſſimi eſſe viderentur & male intellectorum Legis verborum obſervantiſſimi, ea latiora quam reliqui Judæi geſtarent: quæ ipſorum ambitio à Chriſto inprimis exagitatur. A ſuperſtitioſo Φυλακτηρίων uſu dicti ſunt Φυλακτηριοι, de quibus Balſamonis ad Can. 61. Synodi VI. in Trullo hæc ſunt verba, Φυλακτήριοι, *h. e. remediorum ſeu amuletorum prabitores, dicuntur, qui fraude Damonis eis qui à ſe decipiuntur vincula quædam ex ſericis filis contexta, quæ & πούγγια vocantur, prabent, quæ aliquando quidem intus habent Scripturas, aliquando vero falſa quædam alia quacunque inciderint. Dicunt autem hæc juvare, ſi ex collis eorum qui illa accipiunt perpetuo pendeant, ad omne malum vitandum.* Hæc de Φυλακτηρίοις. ¶ Κράσπεδα ſunt extremæ partes quædam veſtium, quibus hæ prætexi ſolent. Latinis *fimbriæ.* Atque hæ fuerunt Lege præſcriptæ, Num. ιε. 38, 39. Deut. 22. 12. Ideo ipſe Dominus fimbrias geſtavit, Luc. 8 44. Geſtabantur autem tum ad Divinorum præceptorum memoriam, Num. 15. 38. tum ad nonnullam Judaicæ gentis ab aliis gentibus diſtinctionem. Epiphanius de Scribis, ἔχοντες δέ τινα κράσπεδα ενμαντικὰ τῆς αὐτῶν πολιτείας. Hieronymus *in fimbriis* ait *Phariſæos alligaſſe ſſpinas. Quod non mirabitur* (inquit Scaliger, Serarium notans, cui mirabile quid hoc viſum) *qui legit in Commentariis Judæorum, fuiſſe genus quoddam Phariſæorum qui pedes & nuda corporis alliſdebant muris inter ambulandum, ut ſanguinem elicerent.*

CAP. XC.

Terra cur dicatur arida. Filius gehennæ. *Juramentum per* Κορβᾶν· πλησὸν τὸ μέτρον, *Matth.* 23.

PHariſæorum hypocriſin reprehendens Dominus, *Væ*, inquit, *vobis*, ὅτι περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηρὰν, *quoniam circumitis mare & aridam.* Terra dicitur *aridum* vel *ſiccum*, Gen. 7. 22. Jonæ 1. 9. κατ' ἐξοχὴν, à prædominante illius qualitate. Eſt enim, ut Philoſophi docent, elementum ſiccitſſimum. Ita hic *arida* pro *terra*: ut apud Græcos recentiores paſſim: quin & apud Thucydidem lib. 8. Similiter aqua abſolute *gelida* vocatur. Horatius lib. 2. Serm. Sat. 7.

Foribuſque repulſum
Perfundit gelida.

Sic *poculum* ψυχροῦ μόνου, *frigidæ tantum*, Matth. 10. 42. ¶ *Filius gehennæ* v. 15. hujus 23. capitis eſt is qui ſupra 5. 22. *damnus gehennæ ignis* dictus. Elegantiſſimus eſt Hebraiſmus, quo Euangeliſtæ vel Chriſtus potius ipſe valde videntur delectari. Ideo υἱοὶ τῆς βασιλείας *filii regni* dicuntur cap. 8. 12. qui ſunt in regno: *Filii thalami*, cap 9. 15. qui cum ſponſo verſantur; τέκνα σοφίας, cap. 11. 19. *filii ſapientiæ*, qui habentur pro filiis ſapientiæ. (*Non enim omnes qui ſunt ex Iſrael, ſunt & Iſrael*) υἱὸς ὀλείας, Joh. 17. 12. *homo perditiſſimus*: ὁ υἱὸς τῆς ἀνομείας *filius perditionis* Paulo Apoſtolo eſt Antichriſtus. Neque vero hæc loquendi formula Latinis prorſus eſt inaudita: ſiquidem Varro *inconſtantiæ filium* dicere non dubitavit, de homine inconſtantiſſimo cum loqueretur, ſicut υἱὸς τῆς ἀπειθείας dixit idem Apoſtolus Epheſ. 5. 6. ¶ Cæterum hoc eodem cap. 17. mentio eſt *juramenti per donum quod eſt ſuper altare.* Gentes quidem olim per omnia elementa jurabant, qui elementa omnia Deos eſſe putabant. Zigabenus in Sarracen. ταῦτα δὲ ὁ ποιμενος ὅρκον. ἕνλας ἔχει θεὰς αὐτὰ νομίζων· ὁ γὰρ ὀμνύων κατὰ τῶ μείζονος εἴωθεν ὀμνύειν. Unde Servator ſupra c. 5. *Neque per terram neque per cælum juretis.* Ubi recte Theophylactus, ἐθεστοιχείωσαν γὰρ τὰ στοιχεῖα παρὰ τῶν εἰς αὐτὰ ὀμνύντων. Sed Judæorum juramentum ſingulare erat, cujus nomen eſſet *Corban*, quod nullis mortalibus præter ipſos in uſu fuit. *Corban* autem ſignificat δῶρον Θεῶ, i. *munus Deo dicatum*, interprete Joſepho lib. 1. adv. Apionem, ubi ex Theophraſto refert Legis caput apud Tyrios, *Ne quis externa juris jurandi forma uteretur: in harum* ait *illum numero ponere jusjurandum cujus nomen eſſet Corban.* Verba Joſephi, λέγει γὰρ Theophraſtus ὅτι καλύουσιν οἱ Τυρίων νόμοι ξενικὰς ὁρκους ὀμνύειν, ἐν οἷς μετὰ τινων ἄλλων καὶ τὸν καλούμενον ὅρκον Κορβᾶν καταριθμεῖ. Ex quo loco lux aliqua dicto huic Euangelico de *juramento per donum quod ſuper altare.* ¶ Quod vero Servator v. 32. Judæos jubet *complere menſuram Patrum* (niſi cum Bezæ veteriſſimo Codice legendum ἐπλησώσατε *implevi-ſtis*) ex eo liquet *menſuræ* vocem etiam aliis quam metricis rebus μεταφορικῶς adhiberi. Hic enim πλησῶν τὸ μέτρον τῶν πατέρων *menſuram complere Patrum* eſt Strenue perſequi veſtigia majorum, ut tandem vel virtus vel improbitas ad ſummum perveniat gradum. Quod Plutarchus ſcite dixit, ἀφορμῶν πρὸς τὸ εἴσω θεν παράδειγμα. Servator vero ad Phariſæos accommodat, qui degeneres in pejus lapſi velum fecerunt avitam paternamque virtutem ſcelerum flagitiorumque ſuorum abuſu fœdiſſimo.

CAP. XCI.

Non relinquetur hic lapis ſuper lapidem qui non diſſolvatur, *Matth.* 24.

DIſcipulos magnificentiam Templi ſibi oſtendentes ita alloquitur Dominus Matth. 24. 2. Βλέπετε ταῦτα πάντα; (hic enim legendum cum Vulgato, ſublata negatione, quemadmodum Marc. 13. 2. Βλέπεις ταύτας τὰς μεγάλας οἰκοδομάς;) Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον ὃς ὃ μὴ καταλυθήσεται, *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.* Quod hic de Templo, idem de Urbe tota pronunciat Servator Luc. 19. 44. Quæritur, tropice an proprie hæc intelligenda. Puto & tropice & proprie. Tropice, de ſubverſione Urbis facta per Titum, quæ quidem maxima & funeſtiſſima hyperbolico hoc dicto fuit ſignificata. Neque enim veroſimile eſt, tam fuiſſe curioſos aut potius otioſos Romanos, ut eis vel vacaverit vel libuerit ſingulos lapides avellere: quin aliquot turres à Tito relictas teſtatur Joſephus lib. 7. c. 18. *Poſtquam*, inquit, *quos occideret, quidve raperet non habebat* Romanus *exercitus, quod iratis animis omnia decrant, jubet eos Cæſar totam funditus jam eruere civitatem ac Templum, relictis quidem turribus, qua prater alias eminebant, Phaſelo, & Hippico, & Mariamne, murique tanto quantum civitatem ab Occidente cingebat: idque, ut eſſet caſtrum illic cuſtodia cauſa relinquendi; turres autem, ut poſteris indicarent qualem civitatem quamque munitam Romanorum virtus obtinuiſſet. Alium vero totum ambitum civitatis ita complanavere diruentes, ut qui ad eam acceſſiſſent, habitatam aliquando vix crederent.* Addo Theodoretum Eccl. Hiſt. l. 3. c. 20. teſtari, *poſt deſolatam Urbem manſiſſe parietinas Templi, & Templi fundamenta cum parietum reliquiis multis.* Nec obſtat quod illi ſolo aratrum impreſſum eſt à Muſonio Tyrrheno; hoc enim facto, more Romanorum, indicabatur, neminem illi ſolo aliquid immoliri poſſe, etſi turres aliquæ remanerent, celeberrimæ urbis indices. Proprie autem adimpletum eſt Chriſti effatum de Templo inprimis, quando Juliano imperante vere etiam in Templi fundamentis lapis ſuper lapidem nullus fuit relictus. Hiſtoriam recitat Socrates Scholaſticus Eccl. Hiſt. l. 3. c. 2. & Hermeas Sozomenus cap. ult. ſuæ hiſtoriæ. Nos Ammiani Marcellini verbis ex l. 23. rem paucis perſtringemus, *Imperii ſui memoriam magnitudine operum geſtiens propagare, ambitioſum quondam apud Hieroſolymam templum, quod poſt multa & interneciva certamina, obſidente Veſpaſiano, poſteaque Tito, ægre expugnatum eſt, inſtaurare ſumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Cum itaque rei idem fortiter inſtaret Alypius, juvaretque provincia Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes fecere locum exuſtis aliquoties operantibus inacceſſum: hocque modo elemento deſtinatius repellente, ceſſavit inceptum.* Meminerunt etiam hujus miraculi Chryſoſtomus Orat. 2. adverſus Judæos, Ambroſius Epiſt. 29. ad Theodoſium Imp. Greg. Nazianzenus Orat. 2. in Julianum. Dicat quis, Si Hieroſolyma tota deleta eſt, unde nobis apud veteris Eccleſiæ Scriptores tot Epiſcopi Hieroſolymitani eorundemque ſucceſſio? Fuere qui, ut reſponderent huic objectioni, ex Zach. 14. 1. dimidium urbis tantum deletum voluerunt. Verum alia mens Prophetæ. Non loquitur de urbe diruta, ſed capta & expilata: quod ſub Ptolemæo Lago factum, ut eſt apud Joſephum. Euſebius ſcribit, Eccleſiam Hieroſolymitanam Pellam, Decapoleos unam, fuiſſe deductam. Hinc Joſephus Scaliger conjectat *Hieroſolymitanos* dici *Epiſcopos* qui Pellæ

Pellæ habitarunt; quemadmodum *Eccleſia Alexandrina*, quæ in Kairo; *Antiochena*, quæ in Merodia in finibus Meſopotamiæ. Ego vero exiſtimo Epiſcopos qui *Hieroſolymitani* nominantur non alibi quam in urbe Hieroſolyma conſediſſe, non illa quidem veteri, ſed Adriani Imp. auſpiciis extra urbem veterem ædificata, ab Imperatoris nomine *Ælia* dicta, & ad inhabitandum Chriſtianis conceſſa, cujus primus Epiſcopus fuerit Marcus, ex Chriſtianis parentibus natus. Sic enim immutata fuit Hieroſolyma, ut nec ritus nec cives Judæos nec nomen vetus retinuerit: ut clare conſpici poſſet, deletam eſſe politiam Judaicam, & Deum nolle eam reſtitui.

CAP. XCII.

Matth. 24. verba illa, Multi venient ſub nomine meo, dicentes, Ego ſum Chriſtus, *hiſtorice illuſtrantur.*

ET vero venerunt Pſeudo-Chriſti illi de quibus hic noſter Servator. Nam Simon Samarita appellavit ſeipſum δύναμιν μεγάλην *ingentem poteſtatem*, de quo in hiſtoria Apoſtolica Lucæ. Theophylactus ſcripſit, Doſitheum quendam Samaritam perhibuiſſe eum ſe eſſe de quo Moſes prædixiſſet Prophetam. Huc etiam referri videntur poſſe Theudas & Ægyptius quidam, & alter præſtigiator quem non nominat Joſephus (qui iſta narrat lib. 18. Antiquæ hiſtoriæ, & 2 Captæ Judææ) omnes prætendentes *Prophetæ* nomen, fraudulenti ipſi ac ſeditioſi. Centum ab habita hac concione annis prodiit è Judæorum natione quidam Ben-cosba, qui ſe nominavit *Ben.cocaba*, *Filium ſtellæ*. Hic perſuaſum omnibus voluit ſe illum ipſum eſſe de quo eſſet ſcriptum, *Orietur Stella è Jacob*, Numer. 24. 17. Manes quoque, ut referunt Hiſtoriographi Eccleſiaſtici, auſus fuit ſeſe Chriſtum profiteri, & ſimiliter XII tanquam Apoſtolos ſibi aſcivit. Memorat præterea Socrates lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 37. anno Chriſti Servatoris CCCCXXXIV ſurrexiſſe quendam in inſula Creta qui ſe Judæos promiſerit, perinde ut olim Moſes, per mare Rubrum in Terram ſanctam deducturum, verum hominem & ſe & alios deluſiſſe, atque ideirco *Moſen Cretenſem* fuiſſe nuncupatum. Poſtremo, Itinerarium Benjamini Tudelenſis narrat, Ann. Chriſti incarnati DCCCCXXXIII. vixiſſe Davidem Elroi, celebrem magum, qui & ipſe confirmarit ſe à Deo miſſum ad aſſerendum populum Judaicum à ſervitute Gentium: ac fuiſſe illum quidem à Judæis pro Meſſia agnitum; ſed non ita multo poſt à ſuis domi interfectum. Quin hodieque ſunt è Judæis qui Meſſiam ſuum venille quidem, ſed ultra mare abſconditum delitescere, non dubitant affirmare. Quæ omnia ut ab eventu cognoſcuntur eſſe vaniſſima, ita veritatem prædictionum Chriſti Redemptoris noſtri luculenter demonſtrant.

CAP. XCIII.

An finis ſeculi ex Matth. 24. 14. aut aliunde poſſit præſciri: ubi obiter de celebri dicto Eliæ.

CUm multa Matth. 24. à Servatore noſtro dicta ſunt ἀξιομνημόνευτα, tum illud inprimis quod v. 14. dicit, *Et prædicabitur iſtud Euangelium Regni in univerſa terra, ut ſit teſtimonio omnibus gentibus: & tunc veniet finis.* Hinc concludunt nonnulli hodie, Quandoquidem Chriſti nomen Veteri & Novo orbi innotuit, inſtare nunc ſeculi hujus finem. Sed mentem Domini non recte videntur aſſequi. Loquitur enim non de fine ſeculi, ſed de fine urbis Hieroſolymæ; quem prædicatio Euangelii in univerſo orbe tum noto præceſſit, teſtante Apoſtolo Col. 1. *Euangelium* ſuo tempore *omni creaturæ quæ ſub cœlo eſt fuiſſe prædicatum.* Abuſi vero & alii fuerunt dictis Scripturæ, finem ſeculi determinaturi. *Chriſtus*, inquit Heſychius apud Auguſtinum, *dicit*, *Vos noſtis judicare faciem cœli, & non noſtis tempus viſitationis veſtræ.* Sed Chriſtus loquitur de primi adventus tempore, non de ſecundi. *Paulus*, dicunt alii, *ante finem ſeculi ſcribit multos ſceleratos futuros*, 1 Tim. 3, & 4. Aio ego, tempore Apoſtolorum quoque tales fuiſſe. Melanchthon meminit dicti Eliæ, cui non parum videtur tribuiſſe, *Sex millia annorum mundus, & deinde conflagratio. Duo millia inane; duo millia Lex; & duo millia dies Meſſiæ*, &c. Quæ prophetia non eſt Eliæ Thesbitæ, ſed cujuſdam inepti Rabbi. Exſtat autem in Talmud Judæorum, tract. Sanhedrin, cap. Helec, & in tract. De Idololatria, cap. Libne, & tract. De Sabbato. Cujus Cabalici Rabbini commentum quibuſdam frigidis conjecturis R. Iſaac in cap. 1. Gen. confirmare tentat; quarum hæ ſunt præcipuæ: Quod primus verſus Geneſeos, qui ſummam continet operum Domini, ſexies contineat literam ב. quæ ſignificat 1000. Ergo 6000 annis duraturum mundum concludit. Deinde, Quod ſex diebus Deus creârit mundum, & ſeptimo quieverit. At dies eſt apud Deum ut mille anni, Pſalm. 90. Poſtremo, Sex primi parentes, Adam, Seth, Enos, Cain, Malalcel, Jared, mortui ſunt: ſeptimus autem, Enoch, vivus in cœlum ſublatus eſt. Fuerunt & inter Chriſtianos poſt Apoſtolorum tempora qui religionem Chriſti annos CCCLXV duraturam, poſtea finem futurum, dixerunt: de quibus Auguſtinus De civit. Dei lib. 28. c. 53. Alii ex Danielis vaticiniis ſe finem ſeculi noviſſe jactarunt. Alii ex numero XXXIII annorum, quibus inter homines verſatus eſt Chriſtus, mundum XXXIII jubilæos duraturum colligunt. Fuerunt magni viri qui ex duratione politiæ Moſaicæ, quæ fuit annorum MDLXXXII, mundi durationem, à Servatoris ortu ſupputando, totidem annorum futuram ſuſpicati ſunt. Leonhardus Crantzhemius Chronologus, cum ab Orbe condito ad Diluvium elapſi ſint anni MDCLVI, totidem annos à Chriſti adventu ad finale Judicium ſupereſſe arbitratur. Sed hos omnes repreſſit Apoſtolus 2 Theſſ. 2. imo Chriſtus ipſe, qui ſtudioſam harum rerum inquiſitionem penitus vetat, Marc. 13. Act. 1.

CAP. XCIV.

Βδέλυγμα ἐρημώσεως abominatio deſolationis *à Daniele prædicta, & in loco ſancto poſita.*

Βδέλυγμα ſive *abominatio* paſſim in Scriptura *idolum* quodcunque & *idololatriam* ſign. Quo modo dicitur Chemosh *abominatio Moabitarum*, & Molec *abominatio Ammonitarum*, quam Vulg interp. *idolum* appellat. Interdum tamen per Metonymiam homines ipſos notat idololatria contaminatos, & eo nomine abominandos. Qua ratione *abominationem deſolationis* Scriptura Romanorum copias nominat: *abominationem*, quia erant idololatriis & profanis ritibus abominabiles: *deſolationis*, quia Templo & Urbi deſolationem illam & extremam vaſtitatem attulerunt. Uno verbo, *abominatio deſolationis* idem eſt ac ſi dicas *abominatio deſolationis effectrix*, ſive *quæ una ſecum apportat deſolationem*: quemadmodum *efficacia errorum* ab Apoſtolo pro *efficacibus erroribus* ſumitur. Hanc interpretationem Matthæi diſcimus ex ipſo Luca, qui cap. 21. 20. hoc ita effert, *Cum autem videritis Hieroſolymam cingi ab exercitu, tunc agnoſcite appropinquare vaſtationem ejus.* Qui βδέλυγμα ἐρημώσεως de profanatione Templi intelligunt, collocata ibi Aquila, & multis patratis quæ per Legem non licebant, eorum interpretatio non convenit cum præcipiti fuga quam Dominus ſuadet verſibus ſequentibus. Quod autem Daniel ipſum *Sanctuarium*, & magis ſpecifice *locum ſuper alam*, videlicet *Cherubin*, nominat, cum Chriſtus generali voce *Hieroſolyma & loci ſancti*, i. Terræ ſanctæ, contentus ſit, crediderim eo innui, ne ipſum quidem Templi adytum à vaſtatione immune fore: idque ne Chriſtus quidem diſſimulavit, cum diceret, *ne lapidem quidem ſuper lapidem relictum iri.* Exſtant hæ voces βδέλυγμα ἐρημώσεως eodem ſenſu 1 Macc. 1. 57. ac ſignificat Autor illius libri tum completam fuiſſe prophetiam Danielis c. 12. 11. ubi de Antiocho ſermo eſt. At Chriſtus loquitur de quadam prophetia Danielis nondum completa, ſed non multo poſt complenda: iſta autem exſtat, non Dan. 12. 11. ſed Dan. 9. 27. hic enim de excidio Urbis ultimo & de Meſſia agitur.

CAP. XCV.

Ubi cadaver, ibi aquilæ. Signum Filii hominis. *Nocturni Chriſtianorum conventus verbo* γρηγορεῖτε *defenduntur. Angeli* ἐγρήγοροι.

ELegans & amabilis eſt comparatio Aquilarum & ſincerorum Chriſtianorum, quam in Idea Concionum Dominicalium XXV Trinitatis per varia membra jam deduxi, exponens illud, *Ubi cadaver, ibi aquilæ.* Quæſivit autem aliquando ex me vir doctiſſimus Joannes Brockſtadius ὁ μακαρίτης, quem fidum olim in Eccleſia Heidelbergenſi collegam habui, *Annon Chriſtus aliud innuat iſtis verbis*, Ubi cadaver, ibi aquilæ: *ſibi ita videri. Loqui enim illum de Regni ſui ſpiritualis ſucceſſu & dilatatione; contra prædicere Judæis exciſionem & deletionem non ſolum Templi, ſed etiam affectati & fruſtra ſperati Regni terreni. Meus adventus*, *inquit*, (*ſcilicet per verbi* pra-

prædicationem paſſim audiendam) *non poterit impediri, & ex inſperato continget; ut fulgur non poteſt impediri, & ex inſperato lucet. Contra, quid fiet de veſtro Regno carnali, quod exſpectatis? Nihil. Romani* (*quos propter vexilla Aquilæ inſignita* Aquilas *vocat*) *in ſervitutem vos redigent: imo loco prædæ & cadaveris eritis.* Hæc bonus Brockſtadius. Ego dubius hæſi tantiſper dum Prophetam Habacucum in Academia explanarem: ubi deprehendi cap. 1. v. 8. lucem afferri loco huic noſtro. Nam ut Judæos ante primam everſionem *eſcæ*, Chaldæos *aquilæ* comparat Propheta, ita ante ultimam everſionem videtur Chriſtus Judæos *cadaveri*, Romanos *aquilis* conferre: nec dubito Salvatorem hæc diſſerentem utroque oculo ad locum iſtum Propheticum reſpexiſſe. ¶ Jam *ſignum Filii hominis*, cujus v. 30. c. 24. Matthæi mentio, quod futurum ſit, anxie diſputatur. Chryſoſtomus, Hieronymus, alii, vexillum Crucis intelligunt. Mihi ſemper probabilior ſententia eorum viſa qui nubes cœli denotari exiſtimant. Nam quod Marcus & Lucas *ſigni Filii hominis* nullam mentionem faciunt, ſed ſimpliciter dicunt, *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potentia multa & gloria*, Marc. 13. 26. Luc. 21. 27. probabiliter concludimus, apud Matthæum *apparitionem ſigni Filii hominis in cœlo* eſſe conſpectum Filii hominis venientis in nubibus cœli: præſertim cum veriſimile ſit, quod fuit proximum ſignum Chriſti à Diſcipulorum oculis abeuntis in cœlum, idem fore proximum ſignum Chriſti rediturі ad judicium, oculis omnium hominum primo objectum, videlicet Nubem. Hinc toties ſcribitur *in nubibus ſedens, adventurus*, Dan. 7. 13. Matth. 26. 64. Marc. 14. 62. Apoc. 1. 7. & 14. 14. Ac quoniam obumbratus fuit in nube glorificandus in terra, multo magis obumbrabitur tum nube, plenilime pridem glorificatus in cœlo. Taceo quod *ſignum Filii hominis* populo Iſraelitico interdiu præeuntis fuit columna nubis, Exod. 13. 21. ¶ Quod autem Servator hortatur ſuos ad vigilantiam, ajens, Γρηγορεῖτε, Matth. 24. 42. ex eo ratio quæri cœpta eſt ritui nocturnarum precum in Eccleſia Latina & Græca, de quo Lactantius l. 7. c. 19. Euſebius Hiſt. Eccl. l. 9. Gregorius Nyſſenus Orat. de feſto Paſchæ. Sed veram cauſam aperit Tertullianus De fuga in perſecutionibus, ubi jubet *noctu convenire, & lucere luce Chriſti luminoſi, ſi interdiu non liceat.* Ergo noctu conveniebant, cum metu prohibiti de die ſolennia ſacrorum celebrare non poterant. At hoc ipſo Chriſtiani violatarum legum Romanarum rei peragebantur. Cautum enim XII Tabulis *ne nocturni cœtus in urbe agitarentur*, Autor Declamat. in Catilinam. Cicero l. 2. De Legibus, *Omnia ſacra nocturna, ne nos forte duriores videamur*, *Diagondas Thebanus ſuſtulit.* Ita Zoſimus l. 4. de Valentiniano, τὰς νυκτερινὰς ἐκκλησίας. Nec negabant Chriſtiani: ſed, ut Plinius inſigni illa epiſtola ad Trajanum, *affirmabant ſummam culpæ ſuæ, quod eſſent ſolito ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi DEO dicere ſecum invicem. Nocturnas preces* appellat Tertullianus Apologetico. Nimirum cum periculo corporis malebant violare leges hominum quam cum periculo animæ intermittere cultum Dei. Ut ad verbum γρηγορεῖτε redeam; quia Dan. 4. 10. pro *Angelo* textus habet עִיר EIR, *vigil*, etiam Angelos vocarunt ἐγρηγόρους. Clemens Pædag. l. 2. Μακάριοι γὰρ οἱ ἐγρηγορότες εἰς αὐτὸν, σφᾶς αὐτοὺς ἀτειχίζοντες ἀγγέλους, ὡς ἐγρηγόρας καλοῦμεν.

CAP. XCVI.

Simile de decem virginibus mutuatum à re in communi conſuetudine & more olim poſita; ἰδίᾳ δύναμις ἐργάσασθαι τὴν χαρὰν τῶ Κυρίω οἱ ἔχοντες, Matth. 25.

QUi Sacras literas interpretantur ad vulgus, vel ideo Hiſtoriarum lectionem commendatam ſibi habere debent, ut inde veritatis varios ritus diſcant, ad quos Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli toties alludunt. Certe ſine veteris Hiſtoriæ luce Simile de *Decem virginibus* nemo ſatis probe intellexerit. Nuptiarum ſolenne celebrabatur noctu: quod perſuadent verba Plutarchi in Problem. ubi ait *Romanos noctu nupſiſſe:* & verba Lucæ Euangeliſtæ 12. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis.* Adhibebantur lucernæ & faces: unde Statius de nuptiali ſolennitate,

Fronde virent poſtes, & fervent compita flammis.

Et Niobe apud Libanium Sophiſtam, Ἐγὼ μὲν λαμπάδα γαμήλιον ἅμμι προσάψων τοῖς νεάζουσι καὶ ταῖς παρθένοις, *Ego rebar fore ut facem nuptialem accenderem præferremque juvenibus ac virginibus.* Et dicebantur pueri σώτιοι qui naſcebantur ἐκ τῶν ἀδιδουχήτων γάμων *ex nuptiis quibus nulla præferebantur faces*, ut obſervat interpres Homeri Iliad. ε. Virgines porrò cantaturæ epithalamium domi per multas horas noctis exſpectabant lampadibus accenſis ſive λύχνοις: de quibus Ariſtophanes.

Ἔλαιον οὐκ ἔνεστ' ἡμῶν ἐν τῷ λύχνῳ.

Accidit autem ut, dum ita exſpectarent, dormitarent nonnunquam: (ſic enim verbum ἐνύσσειν eleganter, etiam Turnebo Adverſ. lib. 25. c. 15. teſte, reddidit Vetus interpres.) Cum jam ſponſus cum ſponſa veniens limen domus tetigit, ſeſe cum ſponſa in cubiculo repente abdit: virgines quæ in thalamum ingreſſæ (ſic Chryſoſtomus in ſermone De jejunio & eleemoſyna) clauſerunt oſtium ita ut paucilſimi & non niſi advigilantes poſſint ingredi cubiculum. Vigili namque cura opus erat ut antequam poſſulum oſtio obderent, aliquis poſſit ingredi cubiculum. Occluſis foribus, & admiſſis qui excipiendi, fruſtra à volentibus ingredi foris clamabatur, *Domine, Domine, aperi nobis.* At ſponſus intus contenta voce reſpondebat, *Neſcio vos: omnes intus,* πᾶσαι ἐνδοῖ, i. *cuncta*, quibus mihi opus erat, *intus ſunt:* nemo deeſt. *Omnes intus*, proverbium erat quo ſignificabatur nihil propoſito negotio deeſſe ad perfectionem. Adducitur à Theocrito in Syracuſanis,

Κάλλιστ', ἐνδοῖ πᾶσαι, ὅτ' ἐγὼ νῦν εἶπ' ἀτουλάξας,

Optime, jam omnes ſunt intus, ait qui ſponſam incluſit. Apud Romanos enim virgines oſtium claudebant & arcebant turbam. Catullus in Epithal. Julii & Manliæ,

Claudite oſtia, virgines;
Luſimus ſatis.

Sed quid eſt quod κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν *ſecundum ſuam cujuſque facultatem* talenta diſtribuit Dominus? An *facultatem* appellat *prudentiam & peritiam in negotiando?* Ita opinatur Theodorus. Sed placet Lutherus, qui vertit, **einem jeden nach ſeinem vermögen**: ut virium & poteſtatis non prudentiæ & probitatis rationem habuerit. Cavent enim fœneratores ne pecunias iis elocent qui nil habent quod oppignorent: quo Chriſtus reſpexit. Ergo *profectus qui quinque talenta acceperat*, εἰργάσατο ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐποίησεν ἄλλα πέντε τάλαντα. Eleganter hæc dicta. Demoſthenes κατὰ Διονυσοδώρου, Camerario annotante, δὶς καὶ τρὶς ἐργάσασθαι τῷ αὐτῷ ἀργυρίῳ, *negotiari*, ſeu *quæſtum facere, una & eadem pecunia ter & quater.* Idem oratione πρὸς Φαίνιππον, Πολὺν καὶ σῖτον καὶ οἶνον τειοῦντες, *qui multum frumenti & vini conficiunt.* Et apud Pollucem ἀργύριον τοκίζεσθαι. Fidus iſte ſervus *ingredi* juberur εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου αὐτῦ. *Gaudium Domini*, inquit Theophylactus, *eſt infinita lætitia Dei lætantis efficacitate operum ſuorum.* Laurentius Pignorius plane aliter: quem juvat audire. *Hæc verba*, inquit, *vix aliter Grammatice quam de diæta ſive cœnaculo intelligi poſſunt, quod Dominus χαρὰν vel appellaſſet, vel inſcripſiſſet. Et vero hæc ſive inſcriptio ſive appellatio non dedecebat locum in quo gaudium & hilaritas debacchabantur. Ad hæc, verbum* εἴσελθε, intra, ſubi, *eo nos deducit etiam invitos. Vox quoque ipſa χαρὰ de epulis ſumitur in libro Eſther capite* 3. ἦγον αὐτὸν ἡμέραν μετὰ χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης. *Servo autem id quod erat exuere cupienti nihil ferme jucundius obtingere poterat quam cœna & convictus domini participem fieri. Et quidem Juriſconſulti recenſuerunt ſpeciem manumiſſionis per accubitum ſervi à Domino invitati. Confirmatur hæc ſententia etiam ex illis verbis,* καὶ τὸν ἀχρεῖον δοῦλον ἐκβάλλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον. *Opponuntur enim* tenebræ exteriores *copioſo tedarum, lampadum, lychnorum lumini, quo cœnaculum illuſtrabatur. Neque non huc pertinet* ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. *Excluſum enim & ejectum, agentem ſub dio in tenebris, & metuentem ſibi, repetentemque ignominiam ſuam, ecquid aliud manebat quam fletus & ſtridor dentium?* Hactenus Pignorius: quem ſi ſequimur, verba illa εἴσελθε εἰς χαρὰν τῦ κυρίε σε ſic vertemus, **Gehe ein in das Frewden Zimmer deines HERRN.** ¶ Ex ampliſſima ejuſdem fidi ſervi remuneratione natum eſt memorabile illud Domini axioma, Τῷ ἔχοντι παντὶ δοθήσεται, *Omni habenti dabitur.* Ubi οἱ ἔχοντες abſolute ſunt *divites*, οἱ κεκτημένοι τὰς οὐσίας. 1 Cor. 11. 22. καὶ καταισχύνετε τοὺς μὴ ἔχοντας. Sophocles Electra, πρὸς τὸν ἔχοντ' ὁ Φθόνος ἕρπει. Euripides Alceſtide,

Πρὸς τῶν ἐχόντων, Φοῖβε, τὸν νόμον τίνες,

à divitibus, ſive in gratiam divitum. Demoſthenes contra Stephanum, ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας. Ovidius,

Amor ſceleratus habendi.

CAP. XCVII.

Expenduntur quædam verba apud D. Marcum, κράβαττον, paralyticus, *cap.* 2. μάστιξ, ῥῆξις, *cap.* 3.

VAlere, *eſt philoſophari*, inquit Seneca epiſt. 15. Ego vero dixerim, *Valere, eſt meditari eloquia Divina. Horum meditatio valetudo mea, vita mea.* Ecce tibi *quatuor viros paralyticum portantes, tabulatum loci in quo Dominus erat detegentes, eoque perfoſſo funibus demittentes* κράβαττον *in quo paralyticus jacebat!* Quam jucundum ſpectaculum in portantibus Charitatis, in Medico Bonitatis! Κράβαττον vero quid eſſe hoc loco dicemus? An cum Triphyllo Epiſcopo Leobrano interpretabimur *ſcimpoda*, *lectulum*? Indignabitur Spiridion Epiſc. Trimithuntis oppidi in Cypro, ſi audierit, Sozomeno teſtante l. 1. Hiſt. Eccl. c. 11. Ἐκμπας enim eſt *humilis & parvus lectus, in quo homines meridiari ſolent, non accumbere aut dormire:* κράβαττον autem proprie eſt *genus lectica*, ſeu *lecti, in quo infirmi jacentes ferebantur*, ἀπὸ τῶ κρεμᾶν τὰς βάσεις, *quod pedes ejus lectica dependerent.* Certo enim pedum illi affixorum numero corpus ipſius lecticæ ſuſtinebatur, ne, cum illa ex humeris geſtantium deponeretur, terram attingeret: quod fuiſſet inſalubre ægro in ea decumbenti. Matthæus 9. 6. dixit κλίνη, eo quod ægrotus in eadem lectica jacebat. Latini vocabulum civitatis ſuæ jure donarunt. Martialis,

Sed ſi nec focus eſt, nudi nec ſponda grabati.

B. uno eliſo, correpta antepenultima, producta penultima. In hoc grabato jacet *paralyticus*. Lutherus vertit **Gichtbrüchtigen**. Et hunc ſequitur vulgus Homiliaſtarum, licet à germana ſignificatione vocis multum aberrantem. Piſcator **gerührten**: ſed hoc generalius eſt, cum & apoplectici & hemiplectici *tactis*, h. e **gerührt**, dicantur. Malim, paralyticus, **vom Schlag gelähmter.** ¶ Pergo. Apud eundem Marc. 3. 10. lego, *Multos enim ſanaverat, adeo ut irruerent in eum, ut ipſum tangerent*, ὅσοι εἶχον μάστιγας· ad verb. *quotquot habebant flagella.* Μάστιξ h. l. omnia morborum (ut pœnarum peccati) genera complectitur. Sic infra 5. 34. ἴσθι ὑγιὴς ἀπὸ τῆς μάστιγός σου, *eſto ſana ex flagello tuo*: loquitur mulieri quæ pertinaci ſanguinis profluvio corporis & patrimonii labem fecerat. Dæmones ipſi *μάστιγα* vocant quicquid in infirmorum ergaſtulis cruciatuum eſt. Firmianus Lib. de falſa religione cap. 8. *Quid ergo ſupereſt niſi ut ſua confeſſione verberibus veri Dei ac pœnæ ſubjaceat ſempiternæ?* Nam in alio reſponſo ita dixit,

Δαίμονες, οἳ Φοιτῶσι περὶ χθόνα καὶ περὶ τόπτον
Ἀνάγκαις, δάμνυνται ὑπαὶ μάστιγι Θεοῖο.

Et pro δεινῇσι ῥιπῇσι, ut Euripides loquitur, poſuit Homerus Iliad. 10.

Ἀλλὰ δεὶς μάστιγι ταχὺ ἐλάσσομεν Ἀχαιοὺς.

Ita unus de Maccabæis apud Ambroſium, *Lingua flagellum times? ſanguinis flagellum non times!* Camerarius verba Euangeliſtæ ὅσοι εἶχον μάστιγας vertit *qui flagellis cædebantur*, h. e. *affligebantur morbis, quas plagas impingit, Deo permittente, Satanas.* ¶ Verſu 21. cap. 3. D. Marci difficilior locus occurrit, Καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτῦ ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ, Ὅτι ἐξέστη· puta Φρενῶν, ut loquitur Euripides in Bacchis, ἐξέστη Φρενῶν *alienatus eſt animo.* Non ignoro τὸ, ἐξέστη, apud Euſebium in Chronico idem eſſe ac ἐξεχώρησε· Εὐαγόρας τῆς Κύπρυ ἐξέστη, *Euagoras Rex Cypri exceſſit*, vel *ceſſit.* Ceſſit enim omni Cypro præter Salamina. Sed hoc loco ἐξέστη eſt *extra ſe fuit*: ἔλεγον γὰρ, Ὅτι ἐξέστη, *dicebant enim quod extra ſe eſſet*, quod ſanæ mentis non eſſet. Hieronymus verbum ἐξέστη abſolute accepit, vertitque *Quoniam in furorem verſus eſt.* Quæri autem poteſt quænam conſecutionis hujus ratio ſit, *Chriſtum convenit magna multitudo; Ergo viſus fuit extra ſe eſſe.* Nulla omnino. Valde igitur probatur mihi lectio quam Beza in vetuſto ſuo codice ſe invenille ſcribit, Καὶ ὅτε ἤκουσαν περὶ αὐτῦ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ λοιποὶ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ, Ὅτι ἐξέστησαν αὐτούς, i. *Et cum de eo audiviſſent Scribæ & reliqui, venerunt ut prehenderent eum: dicebant enim quod ipſos dementaret.*

CAP. XCVIII.

Mari ſilentium imperatur, *Marc.* 4. 39. ἐφίμωσο καὶ πεμώθητι, *Marc.* 5. 7. Eſt mihi nomen Legio, *v.* 9. ἀλαλάζειν, *v.* 38.

VErbi φιμόω vis ſupra expoſita. Miretur autem quis cur mari dicatur, Πεφίμωσο *Obmutesce, tacita ſile.* Elegans loquendi genus eſt apud Græcos quo γελᾶν ſive ἐκγελᾶν mare dicitur, quando, ita diffunditur ut ſolent qui vehementius ridenti unde etiam κῦμα apud Platonem pro *vehementiore riſu* ponitur. Æſchylus Prometheo δεσμώτῃ,

\- - τοσῦτόν τε κυμάτων
Ἀνήριθμον γέλασμα.

Sic ῥόματα Cyri fluvii ἐκγελῶντα apud Strabonem lib. 11. ſunt, *quæ lætiſſime diffunduntur*, ut obſervavit Caſaubonus. Quemadmodum igitur mari effuſus Riſus, ita & Silentium tribuitur; ille, quando diffunditur; hoc, quando contrahitur. Domitor igitur Maris Chriſtus: ſed & Dæmoniorum. Ideo miſer ille homo per quem Dæmones loquebantur dicit, ὁρκίζω σε τὸν Θεόν, μή με βασανίσῃς, *Obteſtor te per Deum, ne me torqueas*: ὁρκίζειν ſignificat *jusjurandum ab aliquo exigere.* Demoſth. περὶ στεφάνυ, Οὐχ ὁρκίζομεν αὐτὸν, *non exigeremus ab ipſo jusjurandum.* Ergo ὁρκίζω σε eſt *Confirma mihi, non ſecus ac ſi jurejurando te ita facturum pollicitus eſſes.* Verba ſunt non Dæmonis ſed hominis à Dæmonibus vexati: quod etiam patet ex v. 10. ut nihil opus ſit dicere *unum Dæmonem pro alio legatione eſſe functum.* ¶ Λεγεών, *legio.* In Lexico Juris, *Exercitus, uſurpatur de quavis multitudine.* Moſchopulus ex hoc loco, Λεγεὼν, πλῆθος τι τοιοῦτο, ἀγγέλων ἢ δαιμόνων. De verbo ἀλαλάζειν, quod Marci 5. 38. cum verbo κλαίω copulatur, dubitant eruditi an recte hoc loco uſurpetur, cum ἀλαλαγμὸς ſit *exſultantium in lætitia aut confidentia.* Itaque cum Vulgatus interpres verterit *ejulantes*, ſuſpicantur illum legiſſe ὀλολύζοντας. Sed Caſaubonus in Ethica Theophraſti, itemque in Notis ad N. T. monuit pridem, *hanc quidem vocem huic loco convenire, ſi propriam ſignificationem ſpectemus.* Ὀλολύζειν enim *proprie dici de clamore quem tollebant mactata victima qui ſacris intererant, ut ab Herodoto eſt annotatum: & qui elegantius Græce locuti ſunt, nunquam aut rariſſime niſi in re læta hoc verbo fuiſſe uſos.* Non eſt vero cur hac de re multum diſceptemus, cum Autori Glollarii τὸ ἀλαλάζειν ſit etiam *ejulare*: quod huic loco convenit.

CAP. XCIX.

Miraculorum Nazarethanorum paucitas non importat defectum omnipotentiæ Chriſti. Vis particularium εἰ μὴ & ἐὰν μὴ apud Scriptores N. T.

SCribit Marcus c. 6. 5. de Chriſto, οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ ἐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι, *non potuit illic virtutem* (h. e. miraculum) *ullam edere.* Anne ex omnipotentiæ defectu? Minime. Nam ut aliquid fiat, oportet σύνδρομον εἶναι τῇ δυνάμει τὴν βούλησιν τῦ Θεῦ, ut loquuntur Græci. *Non potuit*, ὅτι ἦν ἀβούλητον, ἢ μὴ εὔλογον, *quod non ea ipſius voluntas, vel minus conſentaneum fuerit, miracula ibi edere*, ut loquitur Nazianzenus Orat. 2. de Filio. Et ut Theophylactus, ἐκ ἐνδέχετο, *res non ferebat.* Nam ad miraculorum opera opus eſt efficientis vi & accipientis fide: atqui ἀπιςία Nazarethanorum celebratur verſu ſeq. Videtur autem Marcus ſibi contradicere, aiens, *Nulla miracula Nazarethæ fecit Chriſtus: Aliqua miracula fecit Nazarethæ:* nam axiomati generali ſpeciale opponitur. Verum contradictio hic nulla. Nam antecedens non ſimpliciter aſſeveratur, ſed κατὰ τί, reſpectu aliorum locorum, ubi tot tamque varia edidit miracula ut horum comparatione nullam virtutem Nazarethæ operatus videatur; interprete Matthæo cap. 13. 58. *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.* Pauca habentur pro *nulla*, ſicut parva fides pro *nulla*, Marc. 9. 24. & ὀλίγος pro μογιλάλῳ Marci 7. 37. *Nemo recipit teſtimonium ejus*, i. pauci, Joh. 3. 32. Ideo Marcus miracula Nazarethæ facta velut extenuans addit, εἰ μὴ ὀλίγοις εἰ μὴ, h. e. μόνοις, *tantum paucos curavit.* Hæc enim vis eſt harum particularium, εἰ μὴ, ἐὰν μὴ, ut non ſemper Exceptivæ ſint ſed ſæpe Adverſativæ. Joh. 17. 12. *Quos dediſti mihi*, inquit Salvator, *ego cuſtodivi: & nemo ex iis periit, εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας* ubi Vetus interpres *niſi filium perditionis*: male. Vertendum *ſed filius alle perditionis.* Fatetur ipſe Chriſtus *ex datis ſibi à Patre perijſſe neminem: periſſe autem eum tantum qui perditionis jam alum fuerit deſtinatus.* Sic ad Galatas loquitur

tur Apoſtolus, c. 1. 7. *εἰ μή τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς*, ubi male Vulgatus, *niſi aliqui ſunt qui vos conturbant*: bene Beza, *ſed ſunt qui turbant vos*. Sic *ἐὰν μή* vel *εἰ μή* pro *ἀλλὰ* ponitur Matth. 12. 4. Gal. 2. 16. Apoc. 9. 4. & 21. 27. alibi.

CAP. C.

Speculator, *ſive* ſpiculator, *apud D. Marcum quis, & unde dictus. Quid apud eundem ἀναπλῖναι συμπόσια συμπόσια, πρασιαὶ πρασιαί· unde cophini in deſerto.*

Speculatores erant genus militum quod rem poenalem adminiſtrabat. Ideo Theophylactus & Euſtathius *ſpeculatorem* interpretantur *carnificem*. Gloſſarium Graece δήμιον, i. *carnifi-cem*. Chryſoſtomus ad h. l. *Speculatorem* ait *eſſe carnificem, deputatum ad id ut occidat*. Proprie cum Cicerone lib. 2. Epiſt. ad familiares 9. *macharophorum* dicas, à terrifico geſtamine, *machara* ſcilicet. Hoc ſpeculatorum officium expreſſit Seneca lib. 1. De Ira cap. 16. *Tunc Centurio ſupplicio praepoſitus condere gladium ſpeculatorem jubet, damnatum ad Piſonem reducit*. Idem lib. 3. De Beneficiis, c. 25. *Bello civili proſcriptum dominum ſervus abſcondit; & cum annulos ejus ſibi aptaſſet, & veſtem induiſſet, ſpeculatoribus occurrit, nihil ſe deprecari, quo minus imperata peragerent, dixit; & deinde cervicem porrexit*. Julius Firmicus lib. 8. c. 26. *Speculatores faciat, qui nudato gladio hominum amputant cervices*. Talis miles ab Herode miſſus eſt ad Joannem, *ſpeculator* ſcilicet, qui in Gloſſario exponitur *ὁ ἀποκεφαλίζων*, quod huic loco mire convenit. Lutherus recte **Henker**. Utrum autem *ſpiculator* an *ſpeculator* ſcribendum ſit,

Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Qui *ſpiculator* ſcribunt, à *ſpicula* ſive haſta, quam ii ſatellites ferebant dum in cuſtodia Principis, deducunt. Suidas, Σπεκουλάτωρ, δορυφόρος. Qui *ſpeculatores* dici volunt, nomen à *ſpeculando* derivant. Milites enim iſti ſpiebant Principum latera, & erant velut in ſpecula ſalutis ipſorum. Utraque ſcripturae graves habet autores, utraque ſuam originem poteſt tueri. ¶ Apud eundem Marcum imperat Chriſtus auditoribus ſuis *ἀνακλῖναι συμπόσια συμπόσια*. Illi igitur *ἀνέπεσον πρασιαὶ πρασιαί*, v. 39. & 40. c. 6. Hebraiſmus eſt, quem Theodorus notavit. *Solent* enim *Hebraei pro diſtributivis, quibus carent, ſui vocabulis geminatis*. Exod. 8. 14. *Et congregarunt acervos, acervos*, h. e. *acervatim, & per acervos*. Sed hic *per convivia* v. 39. *per areolas* v. 40. nempe *κατὰ συμπόσια, κατὰ πρασιάς, ordines* ſcilicet *conſitorum olerum in hortis*: ſive, ut Camerarius, *ἀνὰ συμπόσια, ἀνὰ πρασιάς, diſpertiti ordine, ſicut in conviviis & & olerum ſatione fieri ſolet*. Quae à Marco *συμπόσια* & *πρασιαὶ* dicuntur, à Joſepho *Φρατρίαι* appellantur. Sic enim lib. 3. Orig. Jud. de Paſchate quartae decimae Niſan loquens ſcribit, *Καὶ δὴ τελοῦμεν αὐτὴν (ἑορτὴν) κατὰ Φρατρίας, μηδενὸς τῶν τεθυμένων εἰς τὴν ἑτοίμην τιθεμένου*. Ubi Ruffinus *Φρατρίας* recte vertit *contubernia*. Nam tempore Chriſti non amplius ſtantes, ut in procinctu, agnum immolabant, ſed per familias, *Φρατρίας contubernia*, diſcumbentes, deni aut viceni, agnum manducabant. ¶ Sed unde *cophini* in deſerto? Allati ab ipſis Judaeis Chriſtum inſequentibus. Judaei enim vilioris ſortunae ſoenum & cophinum pro ſupellectile habebant. Juvenalis Sat. 3.

Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur
Judaeis, quorum cophinus foenumque ſupellex.

& Sat. 6.

Cum dedit ille locum, cophino foenoque relicto,
Arcanam Judaea tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna ſacerdos
Arboris, ac ſummis ſida internuncia caeli.

Et quod foeniſecae juſto ordine demetere ſolent gramen, ut velut areolas quaſdam faciant, veroſimile eſt, ſuper ſoeno viridi (ut Vulgatus vertit) ordine ita diſpoſito populum diſcubuiſſe. Lutherus & Piſcator illud *συμπόσια συμπόσια* vertunt **bey Tiſch vollen**. Atqui ordo diſcumbentium neque in quadrata neque in rotunda ſed in oblonga menſa ſedentibus aſſimilatur. Malim igitur, ſed ſalvo aliorum judicio, **daß ſie ſich alle lägerten / wie man bey den Mahlzeiten an einer langen Taffel beyſammen ſitzt**. Et hanc interpretationem poſcunt ſequentia, *πρασιαὶ πρασιαί*. Nam foeniſecae longo ordine demetunt gramen, quando quaſdam velut areolas faciunt. Itaque bene Lutherus **Sie ſatzten ſich nach ſchichten / oder ſchichtenweis**.

CAP. CI.

Lamberti Danaei de adverbio πεζῇ erudita diſſertatio.

Cum multa à Lamberto Danaeo erudite ſcripta ſint, tum Quaeſtiones in Marcum eruditiſſime. Inter alia autem de adverbio *πεζῇ*, quod non uno modo apud Matthaeum c. 14. 13. & Marcum c. 6. 33. reddunt interpretes, haec habet, reſpondens ad Quaeſtionem XXVIII. *Quomodo magna turba pedibus ad Chriſtum concurrerit, cum multi debiles, infirmi, claudi, caci etiam ex ipſis fuerint?*

Tota, inquit, *Quaeſtionis hujus ſolutio pendet ex ſignificatione vocis πεζῇ. Hoc enim alii interpretantur* pedibus, *alii* pedeſtres, *ut Vetus verſio. Unde Hieronymus in Matth. 14. 13.* Turbae, *inquit*, ſecutae ſunt Chriſtum pedeſtres, non in jumentis, non in diverſis vehiculis, ſed proprio labore pedum, ut ardorem mentis oſtenderent. *Quare ex hac interpretatione inſtrumentum & pars corporis qua iter confectum eſt declarabitur. Denique modus & ratio qua iverunt turbae, eumque ii qui πεζῇ ire dicuntur; nempe propriis pedibus, non equo. Aliis iſta interpretatio plane diſplicet, & mea ſententia merito. Neque enim πεζῇ* pedibus ire & proficiſci *ſignificat, ſed terra ire, non mari, ſive pedibus tuis ſive alienis id iter fiat: veluti ſi equo, mulo, aſino, vehiculo terra veharis & eas, πεζῇ fit. Unde haec duo inter ſe ubique opponuntur, κατὰ θάλασσαν καὶ πεζῇ. Plato in Dialogo Politico edit. Stephani, pag. 289. πόλιν, ait, ἐκ πόλεως ἀλλάττοντες κατὰ θάλασσαν καὶ πεζῇ, i.* oppidum ex oppido commeant mari terraque. *Sic ubique Xenophon in Hellenicis. Demoſthenes in Oratione de conſtituenda Republica opponit inter ſe haec duo, πεζοὶ καὶ ναυμαχοῦντες: ut Cicero Orat. pro Archia de Lucullo agens*, Eum, *ait*, terra marique bellum contra Mithridaten geſſiſſe. *Sic apud Plutarchum in Alcibiade πεζῇ βοηθεῖν eſt* terra auxilium ferre. *Et in Catone Majore πεζεύσας opponitur* naviganti. *Sic Marcus ipſe videtur explicaſſe hoc caput* verſu 47. *haec duo itineris genera deſcribens, ἐπὶ θαλάσσης καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Ergo πεζῇ συνδρομεῖν & πεζεύειν eſt non* pedibus propriis *ſed* terra proficiſci. *Sic Dion cum ſcripſiſſet de Rege Parthorum*, cum flumen Arſamam *πεζῇ διελαυθέναι, hoc ipſum explicans, ait*, dum id faceret, ipſum in elephanto, alios in equis conſediſſe. *Nam in ſumma, πεζεύει, qui terra iter facit, ſive pedes ipſe eat, ſive equo, ſive elephanto, ſive vehiculo, vel lectica utatur. Sic interpretor locum Act. 20. 13. ubi dicitur Paulus πεζεύειν, i. iter non mari, ſed terra confeciſſe, ſive equo veheretur (id quod putat Nicephorus lib. 2. Hiſt. cap. 28.* Paulum tum jumento uſum fuiſſe) *ſive mulo, ſive pedes ipſe iret. Ex quo fit ut Catabaptiſta noſtro tempore, & antea Apoſtolici Haeretici peſſime errarint, qui ex hujuſmodi ſacra Scriptura locis collegerunt*, Apoſtolos nunquam ad iter faciendum equum admiſiſſe, aut mulum, ſed ſemper ſuis ſe pedibus portaviſſe & ititaviſſe. *Xenophon in Oratione de laudibus Ageſilai conjungit haec duo, πεζῇ & ἐπὶ τῶν ἵππων, i.* terra & equo proficiſci. *Ergo πεζῇ non ſignificat* pedibus, *ſed* terra iter facere, *quod contrarium eſt navigationi: niſi forteſſe quis dixerit ſic Latine dici* pedibus ire, *contra quam faciunt ii qui navibus eunt. Sic enim C. Julius Caeſar lib. 2. De bello civili, cap. 5. optimum Latinitatis auctor videtur uſurpaſſe.* Hactenus Danaeus. Sententiam ejus firmat Syrus, qui legit *abierunt poſt eum per aridam de civitatibus*. Sic ergo verſum 33. Marci 6. interpretabimur, **Und das Volck ſahe ſie wegfahren / und viel kamen / und reiſeten daſelbſt hin mit einander zu Lande.** Latine, *& terra ex omnibus civitatibus illuc profecti ſunt.*

CAP. CII.

Apud eundem Marcum capite eodem ſexto expenduntur phraſes, εὐλόγησε, καὶ κατέκλασε τοὺς ἄρτους: item, ἐστοιχισμένους αὐτοῖς &, κλῖνον ἐν πρασιᾷ· &, ἦν γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις. Alia.

Philippi Melanchthonis hoc *ἀξύλογον* eſt, *Scriptura non intelligitur Theologice, quando non intelligitur Grammatice*: veriſſimum. Vel iſta apud D. Marcum, *εὐλόγησε, καὶ κατέκλασε τοὺς ἄρτους*, ſine Grammatica ſignificatione verbi *εὐλογία* non intelliguntur. Quod verbum in uſu ſermonis Graeci *laudis & praedicationis*, in Scriptura ut plurimum *benedictionis*, hic vero *gratiarum actionis* ſignificationem habet. Neque enim *τοὺς ἄρτους εὐλόγησε*, ut quidam *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* reperi has voces volunt. Hoc enim ſi eſſet, non opus fuiſſet ſequenti

membro exprimi τοὺς ἄρτους· quo ſignificatum, aliud fuiſſe objectum τοῦ εὐλογεῖν, aliud τοῦ, κατέκλασε. Joannes autem in hujus hiſtoriæ narratione cap. 6. 11. habet, καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκε & gratias actis dedit. Itaque omnino laudo vetuſtiſſimum codicem Bezæ, qui apud Lucam 9. 16. legit, non εὐλόγησεν αὐτούς, ſed ἐπ' αὐτοὺς ſuper ipſos, piſcibus ſcilicet & panibus. Imo fatetur idem Beza in quodam codice lectum προσηύξατο καὶ κατέκλασε, precatuſque & fregit. Cæterum εὐλόγησε Atticum eſt, commune ἠυλόγησε. Jam quod verſ. 46. Chriſtus ἀποταξάμενος αὐτοῖς dicitur abiiſſe, illud ἀποταξάμενος αὐτοῖς non ad Diſcipulos videtur referendum (quod Theodoro placet) ſed ad turbam. Nam Diſcipulos coegerat in navigium, & illi jam abierant, ut patet ex verſ. 45. Nec obſtat illud Theodori, Chriſtum ſolitum ſe ſubducere potius à turba quam illi palam valedicere. Nam ἀποτάξασθαι imperium dimittentis notat, q. d. Ziehet auff diſſmal hin / und macht euch wider nach Hauſe. Tres igitur Chriſti actiones hic diſtincte narrantur, coactio Diſcipulorum in navigium, dimiſſio turbæ, ſeceſſus in montem. ¶ Jam illa verſ. 51. καὶ λίαν ἐκ περισσοῦ non incommode reddideris vehementer magis ac magis. ¶ Quod vero verſu proxime ſequenti dicitur, οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις, explicatur infra cap. 8. 20, 21. Senſus eſt, Ex miraculo quinque panum non collegerunt vim Divinam Chriſti: alioqui non obſtupuiſſent ad miraculum placati maris. Lutherus, über den Brodern / i. ſuper panibus, feliciter ſane & molli ſenſu: ſive quod ἐπὶ ſæpe idipſum ſignificat, ut Virgilii illud, Multa ſuper Priamo rogitans, ſive quod neutraliter & intranſitive accepit verbum συνῆκαν, quod vertit, Sie waren nichts deſto verſtändiger worden. Sic Beza ipſe vertit Marci 8. 17. Leviculum eſt quod amicus quidam notabat in interpretatione verſuum 47, & 48. Cum jam ſerum diei adeſſet. Adeſſet, dicebat, non reſpondet τῷ, γενομένης, neque quartæ noctis vigiliæ, cujus mentio fit v. 48. Illud autem, Vidit eos vexatos in navigio provehendo, Vetus longe melius, Et videns eos laborare in remigando. Cum enim propria & perſpicua verba adſint, nihil attinet impropria & obſcura quærere.

CAP. CIII.

Ἐσθίειν κοιναῖς χερσί· νυγμῇ νίψασθαι· ξεστοί· χαλκία· κλίναι· ὄσον· μᾶλλον περισσότερον· omnia apud Marcum in ſeptimo.

VErbum eſt Magiſtrale in Traditionibus, inquit B. Arias, *commune*, *communicare*, & ſignificat idem quod *profanum*, *profanare*. Diſtinguitur autem juxta ſubjectam rationem: ut *communem cibum*, h. e. impurus; *communis dies*, i. profeſtus, ſive luctuoſus potius. Sic *communes manus*, i. *illotæ*, ut D. Marcus ipſe exponit. Nimirum accuſantur à Phariſæis Diſcipuli *quod communibus*, *hoc eſt*, *illotis manibus ederent*: quod Moſaica lege juberentur manibus & ulnis aquam dare antequam cibum ſumerent. Eleganter igitur Vetus *communes manus*. Hebræis enim quicquid turpe, ſordidum atque impurum erat, id *commune* dicebatur, ea ratione, ut putat Jacobus Durantius Caſſellius, Variarum lib. 1. cap. 14. quod quæ publica & communia ſunt ſordeſcere videantur. Sic apud D. Matthæum Dominus ait, Οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. Vetus interpres *communicat hominem*, Eraſmus *inquinat*; ille Hebræam dicendi formulam, hic Latinam ſecutus. Tertullianus id imitatus eſt lib. De Patientia, *Non vaſculorum*, inquit, *inquinamentis*, *ſed eorum quæ ex ore promuntur communicare*. Ergo *communibus manibus* Diſcipuli nonnulli panem edebant, Phariſæi non item: qui niſi πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, *non edunt*. Theophylactus interpretatur, *Niſi laverint manus à cubito ad digitos uſque*. Beza, *Niſi pugno laverint manus*. Melius interpres Vetus, *niſi crebro laverint manus*. Nam τὸ, πυγμῇ, adverbium eſt, ut πύκνα, παῤῥησίᾳ, valetque *crebro*, *ſedulo*, *enixe*: ducta Metaphora à pugilum pugna, quæ πυγμὴ dicitur. In hac enim ſæpe & magno conatu pugni jactantur, ita ut πυγμῇ agere ſit hoc ipſum *iterato*, *ſæpe*, *ac enixe agere*. Confirmo. Syrus enim reddit *accurate*, *diligenter*. Et Arabica quædam paraphraſis, teſte Joſepho Scaligero in Elencho Serarii, exponit *ſæpiſſime*, ex interpretibus Græcorum, qui πυγμῇ pro eo quod Homero πύκα, i. *frequenter*, accipiunt. Præterea Epiphanius Hæreſi 15. quæ *Scribarum* eſt, bis eodem adverbio in eundem ſenſum uſus eſt. Apud Suidam autem etiam vox cognata πυξὶ adverbialiter, οἱ δὲ Φαρισαῖοι ἵνα ἐσυντομώτερον ἐπύγχανον πυξὶ καὶ ἐπιπολὺ βόθρους ὀρύξαντες, ταύτῃ ἀσφαλέστατα ἔμενον. Nimirum pro eodem uſurpat πυξὶ & πυγμῇ, i. *ſæpiſſime*. Piſcator fleiſſig / Lutherus manchmal. Melius offt und viel / vel viel und offt. ¶ Verſu 4. ξεστῶν Theodorus interpretatur *ſextariorum*, Vetus *urceorum*: utrumque recte. Nam vetus Gloſſarium ξέστης exponit *ſextarium* & *urceolum*. Vocem autem ξέστην Romanam eſſe, non Græcam à ξέω, ex Galeno demonſtrat Theodorus. ¶ Χαλκία ſunt *vaſcula ahenea*. Gloſſarium vetus, Χαλκίον, & Χαλκεῖον, *olla*, *aeneum*, *miliarium*. ¶ Κλίναι autem ſunt *lecti illi in quibus recumbentes cibum capiebant*: à quibus *triclinia*. ¶ V. 36. ait Euangeliſta, ὅσον δὲ αὐτοῖς διεστέλλετο. Contra conſuetudinem Græci & Latini ſermonis, τὸ, ὅσον, hic non eſt particula Collationis (alias ſequeretur, τοσοῦτο) ſed Indefinita, ut exponas, *quantumcunque ipſis prohibebat*, μᾶλλον περισσότερον, *magis multo efferebam*: ubi abundat, τὸ, μᾶλλον, figura Græcis uſitata, cum περισσότερον per ſe ſit comparativus.

CAP. CIV.

Euangeliſtarum phraſes nonnullæ & verba Latine vix aut difficulter exprimi poſſunt. Nonnulla locutiones inſolentes ſunt, ut & verba.

DUbitas, Lector? Exprime igitur illa Marci 8. 20. πόσων σπυρίδων πληρώματα κλασμάτων ἤρατε; Theodorus, *Quot ſportas fragmentis plenas ſuſtulistis?* Senſum expreſſit, non verba; quaſi in Græco eſſet, πόσας σπυρίδας πλήρεις κλασμάτων· & ſic quidem Marcus loqui potuit, at noluit. Fateamur ergo hunc locum Latine exprimi non poſſe. Nam *complementa* vel ob hanc cauſam nolim dicere πληρώματα, quia *defectum & defectus inſtaurationem* vox Latina ſonat. Et quis interpretum verbi ἐπισυντρέχει Marci 9. 25. vim expoluit verſione ſua? Ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ὅτι ἐπισυντρέχει ὄχλος, *Cum vidiſſet Jeſus concurrentem turbam*, Vulgatus. *Cum vidiſſet Jeſus turbam ſimul accurrere*, Beza, ſecutus Eraſmum. Sed ne ſic quidem emphaſis præpoſitionis ἐπὶ expreſſa eſt. Nam hoc loco ἐπισυντρέχειν eſt οὕτω συντρέχειν ὥςτε ἐπιπεσεῖσθαι αὐτῷ, *ſic ut pra violentia populi nihil amplius cum patre pueri agere poſſit*. Dubito quoque an Marci 9. 20. verbum σπαράττειν recte transferatur per *diſcerpere*. Nam ſi proprie accipimus verbum hoc, utique non fuit diſcerptus. Germani accommodatiſſimum habent vocabulum quo vim verbi σπαράττω exprimere poſſunt: ἐσπάραξεν, er hat ihn geſtreckt / daß es alles in ſeinem Leibe getracht hat nicht anders / als wolte er ihn gar von einander reiſſen / quod in Epilepticis fieri ſolet. Etiam τὸ κατεξουσιάζειν Marc. 10. 42. non niſi pluribus verbis expoſueris. Eſt enim, ut Theophylactus exponit, ἐξουσιαστικῶς καὶ τυραννικῶς προσφέρεσθαι. Monet me hic ipſe verſus Marci ut notem locutionem iſtam, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, ad quam Caſaubonus recte annotavit, *Eſt inſolens valde locutio*, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν *pro* quibus placet imperare: *ut poſſit fortaſſe ſimplicius locus iſte verti*, qui habentur pro Principibus gentium, *vel*, qui agnoſcuntur Principes gentium, *h. e. Principes & Reges & οἱ τῶν ἐθνῶν ἄρχοντες*, *ut interpretantur Græci*. Vide Lucam 22. 25. *qui ſententiam totam paulo aliter extulit*. Sic vox ἐυσθαλεῖσαν Marci 12. 4. *inſolens valde eſt*, & *vere*, *quod Grammatici ajunt*, τῶν ἅπαξ εἰρημένων, ut ibid. Caſaubonus: qui tamen verbo iſti εὐσθαλεῖν *ſuam conſtare analogiam putat*, cum *verborum in έω & ίζω eadem fere ſit vis & ratio: ſiquidem & κατακοντοῦν & κατακοντίζειν pro eodem ponuntur*, & *alia id genus ſexcenta*: ut mirum non ſit εὐσθαλεῖν *recte ſignificare* cædere caput, cum γαστρίζειν *ſit* γαστέρα τύπτειν. Huc referendum verbum ἀπελπίζειν Lucæ 6. 35. quod ſignificatu proprio eſt *deſperare*, quo ſenſu Syrus accepit. Hic autem μηδὲν ἀπελπίζειν eſt μηδὲν ἀπό τινος ἐλπίζειν, *nihil ab aliquo ſperare*. Reſpondet enim ei quod ſuperiori verſu dictum eſt παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν. Ἀπὸ ergo (annotat doctiſſimus Caſaubonus) *in hac voce id valet quod in* ἀπέχω, *quando ſignificat* recipio: *qua ſignificatione frequenter in hoc libro occurrit*. *Sic annotatum eſt ab Athenæo lib.* 14. ἀπεσθίειν *dixiſſe veteres pro* ἀπό τινος ἐσθίειν· & ἀπογεύεσθαι *pro* ἀπό τινος γεύεσθαι *legitur apud eundem.*

CAP.

CAP. CV.

Apud Marcum 9. v. 30. παρεπορεύοντο *vellet potius à V. interpres* prætergredi.

Καὶ ἐκεῖθεν ἐξελθόντες παρεπορεύοντο διὰ τῆς Γαλιλαίας· καὶ οὐκ ἤθελεν ἵνα τις γνῷ, Marci 9. 30. legimus. Vulg. *Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam.* Hoc pulcre non quidem vertit, sed explicat Erasmus, qui docet, *ex particula* παρὰ *intelligendum, illos etiam aut celeriter & velut obiter fecisse iter per Galilæam, ut nec aperirent se usquam, nec commorarentur.* Quam explicationem confirmant ipsa verba sequentia in Euangelista, *nec volebat quenquam id scire.* Objicitur, verbum παρεπορεύεσθαι significare idem quod συμπορεύεσθαι, i. *una & quasi ad latus incedere*, vel *adambulare*, sicut accipitur Marci 11. 20. καὶ πρωὶ παρεπορευόμενοι εἶδον τὴν συκῆν, quod interpretantur, *Mane iter facientes prope ficum.* Verum locus ille Vulgatum non infirmat sed firmat. Etsi enim *apud viam* aut *prope* erat ficus, paululum tamen à via aberat: alioquin nihil opus fuit Matthæum addere, ἰδὼν συκῆν, ἦλθεν ἐπ' αὐτήν, c. 21. 19. neque Marcum, ἰδὼν μακρόθεν c. 11. 13. Ergo Christus illo die non tantum vidit ficum, sed etiam ad illam accessit; postridie neque ipse neque Discipuli accesserunt, sed tantum viderunt exaruisse inter prætereundum. Non igitur interpretor; *Et mane iter facientes prope ficum:* μακρόθεν siquidem videri potuit ficus, licet apud viam esset. Sic Israel dicitur Deut. 2. 18. σὺ παρεπορεύῃ σήμερον τὰ ὅρια Μωάβ.

CAP. CVI.

Unum Dei confessionem etiam Gentibus expressit veritas.

INterrogatus Servator noster Marci 12. 28. *quodnam primum omnium esset præceptum*, respondet, illud, *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Hoc præceptum non solum in Verbo revelatum sed Naturæ etiam ipsi quodammodo esse insculptum Barnabas Brissonius lib. 1. De Formulis pridem demonstravit ex Tertulliano, Minutio, Lactantio, aliis. Tertullianus De Testimonio animæ, „ *Nam te quoque* „ *palam & tota libertate, qua non licet nobis, domi ac foris* „ *audimus ita pronunciare*, Quod Deus Dederit: &, Si Deus „ Voluerit. Et mox; *Etiam quod penes* Deum *bonitatis &* „ *benignitatis omnis benedictio, inter nos summum sit disciplina & conversationis sacramentum*, Benedicat Te Deus, „ *tam facile pronuncias quam Christiano necesse est.* Et post, „ *Hinc ergo tibi anima de conscientia suppetat domi ac foris,* „ *nullo irridente vel prohibente, prædicare*, Deus videt omnia; &, Deo commendo: &, Deus reddet; &, Deus „ inter nos judicabit. Idem in Apol. Quod Deus dederit, „ *omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum*, Deus „ Videt; & Deo Commendo; &, Deus mihi reddet; & „ Quod Deus vult; &, si Deus dederit. Minutius Felix in „ Octavio de Deo loquens, *Quid quod omnium de isto habeo* „ *consensum? Audio vulgus, cum ad cælum manus tendunt,* „ *nihil aliud quam* Deum *dicunt*; &, MAGNUS EST; &, „ Deus verus est; &, Si Deus dederit. *Vulgi iste naturalis* „ *sermo est, an Christiani confitentis oratio?* Lactantius lib. „ 2. cap. 1. *Cum vero ipsos Deorum cultores videamus* Deum „ *summum & confiteri & prædicare, quam sibi veniam spe-* „ *rare possint impetratis suis?* Et mox, *Nam & cum jurant,* „ *& cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem aut* „ *Deos multos, sed* DEUM *nominant: adeo ipsa veritas,* „ *cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit.* Et „ mox, *Ad Deum confugiunt; à Deo petitur auxilium*; Deus „ ut subveniat *oratur.* Etiam stipem mendicantes, eam per „ Deum flagitasse ibidem ita scribit; *Si quis ad extremam men-* „ *dicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit,* „ Deum solum *obtestatur, & per ejus Divinum atque uni-* „ *cum Numen hominum sibi misericordiam quærit.* Quibus Christianis testibus ne quis fidem abroget, ipsissimet Gentilium testimoniis in easdem eos voces erupisse comprobabo. Callistratus ita quendam caviisse proponit: „ *Vos rogo ut in eo quod* „ *à vobis petii fidem præstetis*, Perque Deum ut faciatis ro- „ go. Plautus Captivis Act. 2. Scen. 2. Est profecto Deus, „ *qui qua nos gerimus audiique & videt.* Qui me locus pungit ut receptam olim formulam adscribam qua Deos esse exclamabant. Cujus rei accedit testis Livius, qui nos duobus locis juvabit. Prodit unus ex lib. 3. cum his verbis, *Dum pro se quisque* Deos esse *& non negligere humana fremunt.* Alter lib. 8. procedit sub Manlii Torquati persona in hæc verba, *Est cæleste Numen: es, magne Jupiter.* Sed & cum in Germania Christianorum militum orationibus ad Deum factis imbres missus cœlitus Marcus Imperator impetrasset, eorumque geniculationibus & jejuniis siccitates essent depulsæ, exercitum acclamasse, *Jovi Deo Deorum*, & *Qui solus Potens.* Tertullianus in libro ad Scapulam scriptum reliquit, admonens, *tunc in Jovis nomine* Deo *nostro* testimonium à Paganis redditum fuisse.

CAP. CVII.

Marci 12. 3. ἔδειραν *pro* ἔδειρον. *Stolarum usus cur exprobretur Phariſæis, ibidem v. 38. cum Servator ipse aliique stolis sint usi, idque sine vituperio.*

LAudo Franciscum Lucam Brugensem, qui Notationes in S. Biblia, quibus variantia discrepantibus exemplaribus loca summo studio discutiuntur, typis Plantinianis Antverpiæ M. D. LXXX. describi curavit; & in operis præfatione, quod alii Theologi vel constanter negant, vel fortiter dissimulant, ingenue fatetur, in ipsos S. Scripturæ fontes & *apographa ipsa, Græca maxime & Latina, per frequentem exemplarium in exemplaria transfusionem, nunc librariorum, nunc lectorum ofcitantia, incuria, insciția, temeritate, labecula, errata, depravationesque subinde irrepsisse, quæ aliorum codicum sive apographorum collatione mutari, corrigi, auferri debeant.* Vel vetus tertius cap. 12. Marci atleverationem hanc comprobaverit; ubi in omnibus fere exemplaribus legitur ἔδειραν, cum tamen ἔδειραν legendum esse ex uno atque altero vetusto codice, ex Syro, ex Vulgata interpretatione, ex ipso denique verborum δέρω & δαίρω significatu colligamus. Nam δαίρω est proprie *cædo* aut *verbero*, δέρω autem *pellem detrabo*: unde & δέρμα pellis seu cutis. Et Iliad. κ.

- - Καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν.

Atqui servum illum non *occiderunt*, sed *cæsum remiserunt* domum. ¶ Quæri autem potest & de *stolarum* usu, cur ille exprobretur Phariſæis, cum Servator ipse aliique stolis sint usi, idque sine vituperio: Βλέπετε ἀπὸ τῶν γραμματέων τῶν θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν, inquit, v. 38. Vestium genera apud diversas gentes diversa fuere. *Toga* Romanorum fuit, distincta ab aliarum gentium vestitu; *Pallium* Græcorum & multarum gentium exterior vestitus; longum aliud, brevis penula aliud. Præter has figuras fuit exterior vestis Senatoria, prorsus similis Tunicæ honesti Sacerdotis longæ, cum manicis nec angustis nec laxis, sed mediocribus; ut antiquæ statuæ ostendunt. Et tali veste usum esse Christum, consentaneum est, quippe qui civis fuit in municipio Capernaum. Non igitur incessit palliatus, ut Phariſæi, aut vulgus, sed indutus tunica senatoria, more honestiorum civium in municipio Romano; si Melanchthoni credimus epistola quadam ad Georgium Buchholcerum hoc asseveranti. Vestis illa senatoria Græcis dicta fuit στολή. Etsi enim Latinis nomen *stola* de muliebri vestitu usurpatum est, eamque Tibullus *longam*, Horatius *ad talos demissam* cognominat, Græcis tamen στολὴ generaliore significatu longam illam honestiorum virorum tunicam denotat. Ideo Lucæ 15. filio prodigo *stola prima* jubetur adferri: & apud Xenophontem Cyaxares mittit Cyro *stolam* audituro legatos in vestitu senatorio. Angelo etiam λευκὴ στολὴ tribuitur apud Marcum 16. 5. Quid est igitur cur *stolarum* usum Scribis exprobret Servator? Caulam dicam. Etiam honesto vestitu superbus animus inhoneste uti potest. Stolarum munus erat, referente Xenophonte Cyripæd. lib. 8. συγκρύπτειν, εἴ τις τι ἐν τῷ σώματι ἐνδεὲς ἔχοι, καὶ καλλίους καὶ μείζους ἐπιδεικνύναι τοὺς φοροῦντας, h. e. *Tegere qua minus perfecte corpori insunt, multumque gestantium tum pulcritudini tum statura addere.* Gloriosi Judæorum Magistri hoc consilio imprimis stolis utebantur, ut in iis spectarentur à populo. Ideo Dominus ait, οἱ θέλοντες ἐν στολαῖς περιπατεῖν· quod optime transtulit Beza, *qui amant in stolis ambulare*, die ſich gern in langen Röcken auff den Gaſſen ſehen laſſen. Hunc enim animi tallum in Scribis notat Servator.

CAP. CVIII.

Νάρδος πιστικὴ Marci 14. 3. patriæ ſuæ reſtituitur. Grammatici, Medici, Theologi ab anxia vocabuli πιστικῆς derivatione partier & expoſitione liberantur.

TAntum non exercuiavit Grammaticos, Medicos & Theologos νάρδος πιστικὴ apud Marcum & Joannem. Grammaticorum alii πιστικὴν à πιστὸν derivarunt; ut *nardum potabilem* intelligatur: alii πιστικῆς pro σπικατῆς vel σπικωτῆς ſcriptum, Latinamque vocem *ſpicatæ ſpicati* pro Græca ab Euangeliſta poſitam ſuſpicantur; cum nihil de *piſtica nardo* in claſſicorum ſcriptorum libris reperiatur: alii à πίστις deducunt πιστικὴ. Omnia fruſtra. Nam à πιστὸν unde veniat πιστικὴ? Quod ſi à *fide* dicta ſit, πιστὸς ſeu πιστὴ dicenda, non πιστικὴ, fuerat. Latina exemplaria mire variant. Nam apud Joannem conſtanter ſcribunt *piſtici*, apud Marcum *ſpicati*. Cauſam eruditi hanc eſſe putant, quod Marcus ex Syrorum opinione Euangelium ſuum Latine ſcripſit: quod ſi ita eſt, nihil mirum in Marco *ſpicatis*, in Johanne *piſtici* apud V. interpretem legi: illud enim Latinus autor dedit, hoc Latinus interpres ut erat in Græco tranſcripſit. Rurſum pro *poſtici* & *ſpicati* legunt Latini alii *ziſtica*, alii *piſciti*, alii *ſpicis*, alii *ſpicis*, alii *ſpitis*. Tantum potuit error in unius vocis depravata ſcriptura commiſſus. Medici, Deum immortalem! quantopere ſudarunt in hujus expoſitione vocis? Legi prolixam de πιστικῇ νάρδῳ epiſtolam M. S. Joannis Cratonis Archiatri trium Cæſarum. Matthiolus in Herbario ſuo conatur & ipſe eruere myſterium vocabuli πιστικῆς. Alii ſimiliter. Inter Grammaticos & Medicos Theologi dubii quid crederent, anxie hæſerunt, donec tandem una viri docti conjectura omnes Grammaticorum, Medicorum, Theologorum ſuper hac voce diſputationes ſupervacaneas eſſe docuit. Is eſt Joannes Hartungus olim Heidelbergenſis, poſtea Friburgenſis Academiæ Profeſſor. Subodorati quidem aliquid ſunt Auguſtinus &c, ni fallor, Cyrillus quoque in Joannem, à loco quopiam *piſticam nardum* dici: ſed locus ille qui eſſet ignorarunt. Magnus quoque Camerarius, recitato verſu Nonni,

Πιστικῆς τρὶς μέτρα Φατζομένης ἀπὸ νάρδου.

Videri, inquit, *poſſit à loco nomen illud eſſe deductum, quia mediam ſyllabam produxit.* Sed locus ille qui eſſet nec ipſe nec Nonnus aperuerunt. Primus, ut dixi, Hartungus in Criticis ſuis ex Athenæo nos docuit, *prope Babylonem fuiſſe oppidum* Opis *dictum, ubi pretioſiſſima nardi unguenta confecta & in alia loca ſunt tranſportata.* Itaque non dubitat germanam lectionem fuiſſe apud utrumque Euangeliſtam νάρδου Ο'πιστικῆς, quæ vox quia librariis minus nota fuit, omiſſa litera ο ſcripſerunt πιστικῆς, & hac ſua inſcitia viris doctiſſimis quaſi crucem fixerunt, in qua cogitationes ipſorum vexarentur. Sic Germani pretioſum pannum vocamus *pannum Londinenſem*, Lundiſch Tuch! à metropoli urbe Angliæ; pretiola vitra *Venetа*, Venediſch Glaß! quia inde purillima & pelluciditiſſima vitra ad nos devehuntur.

GUIL-

Digitized by Google

GUILLELMI ADER
MEDICI
ENARRATIONES

De Ægrotis & Morbis in

EVANGELIO.

Opus in Miraculorum Chriſti Domini amplitudinem Eccleſiæ Chriſtianæ elimatum.

Illuſtriſſimo Reverendiſſimoque VIRO

BERNARDO DAFFIS Epiſcopo Lumbarienſi

GUILLELMUS ADER Medicus S.

CHRISTO Redemptori devotum opus ad te defero, Reverendiſſime ANTISTES, novum ſane ædificium in antiquo Eccleſiæ ſolo. Antiquum etenim & nihil antiquius ægrotos magno numero ſanaſſe Dominum: Eos autem arte Medica incurabiles omnino fuiſſe, adhuc à nemine demonſtratum. Miraculum quidem & ubique magnum vel in leviter ægroto dicere, *Surge*, *tolle grabatum*, *& ambula.* Admirabilius tamen in deſperato, & ab omni ſpe remedii retro collapſo. Chriſto ergo omnipotenti, cujus ſolius eſt vere θαυματουργεῖν, conſecratum eſt opuſculum, quod curatos ab eo incurabiles ab arte clare demonſtrat. Sit ad excellentiam miraculi hæc fidelis coticula. Ad aram redemptionis noſtræ eminus micet iſta lucernula; illamque tu, Præſul illuſtriſſime, virtutis & nominis ſplendore quo coruſcas, inflamma, & agita ſpiritu pietatis, quo æternum inclareſcat. Clara etenim tu nobis Deûm ſoboles, magnum Daffinæ proſapiæ tota Gallia nobiliſſimæ & auguſtiſſimæ incrementum, ſapientiſſimi totoque regno ſpectatiſſimi Protopræſidis Patris tui ſymbolum, vigilantiſſimi Antiſtitis Lumbarienſis Patrui tibi præeuntis, mihi vehementer cordatiſſimi, charagma, æquiſſimi Præſidis fratris tui animæ dimidium. Qui demum totus es in Eccleſiæ nominiſque Chriſtiani præſtantiam pietati infixus, juſtitiæ & cultui deditiſſimus, fove hanc ſcintillulam quæ de petra Chriſti in qua tu ſedes excutitur: move hos igniculos Apollineo fomite è Chriſtiano ſilice accenſos. Ita tibi proſpera ſummaque ſit omnipotentis Chriſti D. remuneratio, vita nempe Neſtoreis producta annis. Vive diu, vive felix, Lumbarienſis devotiſſimæ Eccleſiæ noſtræ princeps, decus & ornamentum: Vive diu, vive felix, terrificum vitiorum fulmen, magnificum pietatis virtutiſque ſtumen & culmen. Meque aſſiduum tui cultorem atque admiratorem ama, ut ſoles, & ut ego veneror.

PRÆ-

PRÆFATIO:

In qua totius operis RATIO proponitur.

Ad Chriſtianum humaniſſimum Lectorem;

QUanquam in omnibus ægrotis à Chriſto Domino curatis ratio miraculi ſit illuſtris, dum extra naturæ genium & Medici ingenium, ſuaviſſimo ſolo verbo, leniſſimo tactu ſuo, cujuſlibet generis ægritudines curat Dominus, ſitque tam grave miraculum ea forma ſanabiles affectus quam inſanabiles delere; liberum tamen unicuique, pieque conceſſum, inquirere, num præfati ægroti, qui à Chriſto Domino miraculoſe curati ſunt, potuiſſent arte curari: ut ſi qui reperiantur à natura & Medicis incurabiles, illuſtrior & celebrior ſuccedat miraculi altitudo & immenſitas. Magnæ quidem ſunt cerebri & totius corporis affectiones miraculo curatæ in ægrotis toto N. Teſtamento propoſitis: nihilominus omiſſa dæmonum vi, quam ſolus poteſt frænare Deus, nullam intemperiem, nullum inſtrumentalem morbum ibi reperies quem appoſitis naturæ remediis, ſervatis ab artifice legibus artis, in multis aliis ægrotis ſæpe non exhibilarint docti & experti Medici. Lepra etenim in exortu non confirmata, epilepſia, melancholia, mania, convulſio, cæcitas, ſurditas, atrophia, hydropſque omnis, affectus curabiles ſunt: & leproſos, epilepticos, maniacos, convulſos, hydropicoſque plures, ſurdos item & cæcos non paucos curant paſſim Hippocrates & Galenus, curarunt & Medici horum ſequaces. Quid ergo in ſimilibus toto N. Teſtamento propoſitis non potuerint Judææ Galilææque Medici, iiſdem imbuti præceptis & arte? Nonne Chaldæorum illa terra eſt, remediorum omnium feraciſſima, artium varietate ingenioſiſſima, artificum diligentia illuſtris? Verum quidem: nec ita hebetes, tardi & inſcientes Medici Palæſtinæ habendi quin ſimiles quoſdam morbos ſæpiuſcule curaverint. Una tamen, iniqua ſæpe Medicis, præceps & inſtantanea medendi Occaſio ſola ſufficiet ad demonſtrandum, nominatos omnes quos reperio in N. Teſtamento ægrotos incurabiles ab arte & eorum Medicorum ſagaci induſtria exſtitiſſe, Divinaque manu Omnipotentis ad ſanationem hos omnes ægrotos indiguiſſe. Occaſio enim præceps & momentanea, ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς, divinus ait Hippocrates. Ut enim in omnibus rebus humanis ita & in medendi arte prælidet urgens & anceps agendi ratio; nec licet Medico ſine Occaſione mederi, in cujus ſatellitio reperies & tempus, & ætatem, & regionem, aliaſque ſimiles conditiones; quas ſi non obſervet Medicus, incaſſum ludit oleum & operam. In Occaſionis comitatu adeſt etiam ægri conditio, & natura admodum diverſa, varii mores & humores, quæque unius palato ſapiunt, alteri ſunt ingrata & injucunda. Hic Medico obſequens eſt, ille moroſe reluctatur; iſto in aëre & hac in ætate curabis affectum quem fovet alius aër, habet ad mortem comitem alia ætas. Immedicabiles deinde morbi ſuapte contingunt, adverſus quos ne hilum quidem remedia proficerent. Invadunt alii contumaces, qui ſemel in habitum verſi nunquam pedem referunt, cum habitum prorſus mutatum immutare ſola potuerit Medea non Medicus. Ita ergo de ægrotis & morbis in Euangelio campus diſſerendi patet amplisſimus, in quo copioſa ſeges demonſtrationum cum ſplendore ridet & luxuriat, ad hos affectus incurabiles firmisſime demonſtrandos. Hos enim ſolum reputare incurabiles, quia Chriſtus Deus & Omnipotens curaverit, anile eſt: miraculum etenim vel in Acaro verbis evulſo reperiretur. Rationibus ergo cum Phyſicis tum Medicis decertandum.

Maria aſpera juro,
Me nullum pro me tantum cepiſſe laborem.

Jubet enim artis noſtræ ſummus Dictator Hippocrates videre, tangere & audire; imo viſu, tactu, auditu, naribus, lingua & intelligentia ſentire, ut circa ægrotum ſimilia & diſſimilia decernantur. Quæ certe omnia his in abſentibus ægrotis adeſſe mihi nequeunt. Qua ergo arte quæ tuta certaque ſit incedendum dices, ut de ægrotis tam antiquis, tam remotis & inviſis, vera reſultet morbi cognitio & fida prognoſis? Audi Galenum artificem maximum, qui ſexcentis fere poſt Hippocratem annis de ægrotis ab eo paſſim relatis judicare decernit, tanta ſane conjectura, ut ſi præſentes adfuiſſent, res neque melius neque certius dignoſci ac judicari potuiſſet. In ſententiam ergo divini Autoris quæ ſic in lib. Epid. legitur, *Æſtate jam & Autumno lienteriæ*, &c. Galenus ait, *Varie admodum ægrotabant Thaſii quod in diverſos incidiſſent morbos. Quare communem rationem, quæ ad id conducit quo non omnes qui in ea fuerunt tempeſtate ægrotarent, primo loco exponam, deinde ad ſingulos morbos deſcendam. Attendes omnibus in ſtatibus ætatem & naturam cujuſque hominis, ut ſit ad ſtatum appoſitus; mox genus vitæ applicabis, atque ſalubrem victus rationem univerſam ſtatui ipſi adverſariam.* Ex qua Galeni ſententia audire licet ipſum

ſtatui

ſtatui & conſtitutioni loci & temporis morbos velle conferre; ac de ipſis ægrotis ab ætate, victus ratione, vitæ genere & conditione, decernere ac judicare. Ars certe ſubtilis & ardua, quæ Medici ingenium mirum in modum exercet & exacuit. Quis enim non videt in abſentibus ægrotis artem dignoſcendi & judicandi morbos fere inverſam, retroque commeantem? Præſente etenim ægroto dignoſcendi & judicandi regula prima ab illius temperie & habitu deſumitur: qua viſa & diligenter mente attrectata de morbo & ejus eventu judicare difficile non eſt: ex recto enim deſumitur obliqui ratio. At in abſentibus ægrotis arte inverſa, audito nempe à relatore morbo & accidentibus, de temperie ægrotantium ex iſto relatu deliberandum, unde poſtea acri animi conjectura eventus morbi ariolandus eſt, & ineunda morbi curatio. Quanto ergo facilius eſt à principiis ad artis ſcopum componere, tanto etiam difficilius à ſcopo ad principia reſolvere.

Eja tamen per Apollinem, per Chriſtum nempe Salvatorem noſtrum, Panaceam Hygæamque noſtram Virginem matrem ſacratiſſimam, ſi quid artis per triginta annos Medicinam diſcendo, docendo, faciendoque ingeniolo noſtro comparatum eſt, graviſſimo huic & religioſo admodum ſubjecto dedicemus. *In magnis voluiſſe ſat eſt - - -* & in arduis periculum facere generoſum: quid enim nobis non ſuppeteret docta & acuta Hippocratis ars? *Morbos*, ait, *dignoſcimus docti ex communi omnium natura, & cujuſque propria, ex morbo, ægro, oblatis, offerente: præterea ex univerſo & ſingulari cæli ſtatu, ex ſingulis locis, ex conſuetudine, victus ratione, vitæ genere, ætate cujuſque:* Et cætera quæ deinceps ſingula adamuſim docet Medicinæ heros. Ad cujus normam nos de ægrotis in N. Teſtamento & eorum morbis dicturi, illorum ætatem, temperiem, patriam, & vitæ conditionem, cum ex Divino Euangeliſtarum contextu, tum ex Patrum Eccleſiæ commentariis, ſedulo inveſtigabimus, ut inde quo morbo quamque difficili laboraverint, ex loci, morbi & ægrotorum natura, clarum fiat & apertum. Adjungemus Chriſti Domini Itineraria à Religioſis doctiſque viris quanta fieri potuit diligentia collecta: nec eorum qui Terram Sanctam peragrarunt aſpernabimur diligentiam, & fidelem locorum in quibus celebrata fuere miracula relationem.

Ah terret me altiſſimi & Divini ſubjecti gravitas.

Magna petis, Phaëton, & quæ non viribus iſtis
Munera conveniunt.

Eloquar an ſileam? *Confirma me, Domine Deus Iſrael, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum.*

GUILLELMI ADER MEDICI ENARRATIONES.

Enarrantur Ægroti Novi Teſtamenti, quorum dum explicantur morbi, eorum patria, temperies, ætas, & vitæ conditio inquiritur, hoſque arte Medica incurabiles fuiſſe demonſtratur.

ENARRATIO I.

De ELEPHANTICIS, ſeu LEPROSIS, à Chriſto Domino miraculo mundatis.

CONGREDIOR, *ſer ſacra pater, & concipe fœdus.* A notioribus qui in extima corporis facie ſplendent morbis incipio, & leproſos à Chriſto D. curatos ad examen voco: quorum cum Lepra naturalibus cauſis debuiſſet originem, non abs re dubitatum eſt an arte Medica, quæ naturalis eſt, curari reſtituique poſſet. Nec de leproſis in Vet. Teſtamento relatis ſermo eſt, ut de leproſa Moyſis manu Exod. 4. fronte Oziæ Regis 2 Par. 26. corpore Giezi ſervi 2 Reg. 5. aut facie Mariæ; ſed quos N. Teſtamenti hiſtoria & Euangeliſtarum fidelis narratio indigitat, hos ego perſequor. Hi etenim quæſitis undique remediis, nec reperta ſalute, ad Chriſtum properant: cujus fama admirandis morborum curationibus tota Syria erat illuſtris. Videbant cæci, ambulabant claudi, loquebantur muti, purgabantur leproſi, inſani & abrepti reſtituebantur. Sanabat Chriſtus D. momento quæ Medici naturam æmulantes quatuor morbi temporibus diſtinguunt. Et quod illi à viribus præditæ natura in ſperabilibus morbis poſſunt cum remediis, in deſperatis poſſunt Chriſti verba, poteſt illico Divinæ manus attrectatio. *Ceſſit extemplo natura*, ait D. Chryſoſtomus Homil. 25. *ubi Chriſtus juſſit.*

Leproſum in primis occurriſſe Chriſto, cum deſcendiſſet de monte, antequam ingrederetur Capharnaum, cenſet Tollatus Abuleoſis. Dei enim mandato extra urbes ſe continebant leproſi, nec illis ad publicas plateas liber erat aditus & conceſſus. Hunc Capharnaum Galilææ metropolim habitaſſe narrant D. Ambroſius in Luc. & Beda in Marc. De iſto loquitur D. Matth. 8. D. Marcus 1. Lucas 5. *Cum Jeſus deinde ex Galilæa iter ageret Jeruſalem*, ait D. Lucas, cap. 17. *tranſibat per mediam Samariam & Galilæam, & cum ingrederetur quoddam caſtellum, occurrunt decem viri leproſi.* Notat ergo Euangeliſta in quodam caſtello aut pago Samariæ hos occurriſſe, locum tamen non nominat. Qui terram ſanctam peragrarunt, ex indigenarum relatu locum hunc deſignant inter Magedo & Saruntam, & in caſtello Saba dicto, à quo planities Magedo vocatur modo *campus Saba*, juxta planitiem Galilææ, ut refert Brocardus monachus, oculatus loci deſcriptor. Longe igitur à Samaria metropoli urbe curatio hæc inita eſt à Domino, in caſtello nempe Saba Galilææ confinio. Unde certo conjiciendum, hos leproſos diverſos à ſuperiori in Capharnaum curato. Hic enim erat Capharnaita, curatus poſt deſcensum à monte; & ut ex Chriſti D. itinerario colligo, æſtatis tempore, ad annum ætatis Chriſti D. fere trigeſimum primum. Decem vero in campo Sabæ Autumno, ad trigeſimum tertium ejus annum, & cum deſcenderet Jeruſalem, mortis pro nobis ſubeundæ cauſa. Horum autem decem unum fuiſſe Samaritanum, aut, ut notamus, Sabæ incolam, novem vero fuiſſe Judæos, narrat ex Theophilo D. Thomas. Hos ergo Judæos illum ex Saba ſorte & calu inveniſſe, conjectura eſt. Nullo enim commercio aut neceſſitudine uſos Judæos cum Samaritanis Scriptura notat. Decem igitur acceſſerunt, animo quidem diſcordes, ſed intima ſpe in Chriſto concordes, unaque ideo elata voce clamantes, *Jeſu præceptor, miſerere noſtri.*

Hi ergo ſunt in Teſtamento deſignati leproſi, quorum certa haberi poſſit enarratio. Eos igitur brevi expedio, illorumque deſperatam ab arte Medica curationem ſic demonſtro; Plenos lepra ab urbe pulſos Scriptura indicat: *ſteterunt enim à longe* ait D. Lucas. A Medicis ergo judicatos fuiſſe leproſos certiſſimum. *Sic expulſi ſunt*, ait Joſephus, lib. 3. Antiq. c. 13. *omni à civitate, cum nullo penitus conviventes, & nihil à mortuis diſſidentes.* Non equidem in ſola morbi diſpoſitione & ἐν ἐξέσει (ubi ſpes quædam curationis ſcintillaret) judicati ſunt, ſed in perfectiſſimo lepræ actu conſtituti, in quo cum nulla ſperabilis ſit curatio, jure leproſos ab hominum cœtu & neceſſitudine explodendos ſancivit antiqua lex Levit. 13. In leproſis enim contagium eſt, & cum ſeminario, quo ſanos attactu, ulcerum fœtore & reſpiratione putida inficere poſſunt. His proinde à contagio & morbi labe deturpatur facies, pili decidunt, dilatantur nares, exedontur oſſa, lingua tumet, fœtet reſpiratio: omne denique morbi genus omneque ſymptoma in leproſo comitatu & ſatellitio reperitur. Morbum ergo Elephanticum fucari quidem poſſe jure docent Medici, curari nunquam. *Quomodo*, ait Avicenna, *curabitur lepra, cum ſit cancer univerſalis, quando cancer particularis Medicinam noſcit?*

Eſt Elephas morbus triſti quoque nomine dirus,
Non ſolum turpans infandis ora papillis,
Sed cita præcipitans funeſto fata veneno.

Magnum quidem potentia morbum judicat Aretæus lib. 2. De diut. morb. cap. 13. & ad mortem inferendam omnium longe efficaciſſimum, quod à nobis Enarrat. 1. 3 partis uberius explicabitur.

Interim cum de leproſis in republica Medici ſint aſſertores & judices, maxima autem Lepræ & Elephantiaſis indicia in facie legantur & eligantur, prætermiſſis à facie ſignis, de quibus abſens judicare nequit; conjecturis à loco, victu & conditione vitæ ægrotantium deſumptis, æquam juſtamque & κατὰ τὸν νόμον καὶ κατὰ τὸν Φύσιν à Medicis Paleſtinæ de his prolatam fuiſſe ſententiam ita decerno. Regio quæ calidiſſima eſt, incolarum humores impendio adurit: inæqualis autem in calido & frigido eos habet ubique melancholicos. Addit Galenus 2 Ad Glauc. ad melancholiæ ſaburram craſſorum alimentorum uſum, unde ſic ille concludit, *Itaque in Alexandria plurimi Elephantiaſi tum ob victus rationem tum ob regionis caliditatem laborant.* Quod ergo ille de Alexandria nos de Paleſtina eodem jure colligimus. Capharnaum

naum in primis non longe diſtat à monte, & eſt ſecundum mare Galilææ. *Generatur*, ait Avicenna in Canticis, *ſiccitas in aëre appropinquante urbi, cujus terra vel locus ſaxoſus eſt & ſalſus.* Locus ergo hic calidiſſimus, ſiccilſimus, ſalſuſque eſt.

Sic & de campo Sabæ, ab Oriente qui cingitur mari Galilææ & Jordane, ab Auſtro monte Ephraim, & Samaria idem conjectandum, cum nihil habeat in temperie loci & aëris diſſimile. Caphamaitis ergo & Samaritanis Elephanticis infeliciſſima ſors, quorum nempe nativa temperies fervida & areſcens, in æſtuoſo ferventique ſolo, huic luediſſimo morbo admodum ſit opportuna: Syntrophicis autem & connaturalibus morbis dum facilius jungimur, ab iiſdem difficilius ſejungimur; & quas dat ægritudines aër, eaſdem fovet. Judæi autem inæqualem habent temperiem. Etenim Judæa montoſa eſt, caloribus & algoribus inæqualiter imperita, morborum melancholicorum feracilſima, intemperiei partium corporis calidæ & ſiccæ curandæ tenaciſſima. Nec omittendum æſtatis tempus, quo eſt in Caphamaum curatus ille, & iſti in campo Sabæ, Autumno. Quæ tempora, dum in ægrotis exuſtos concitant humores, graves hos affectus non ſolum exaſperant ſed & manifeſto adaugent. Et ea maxime ætate in qua illos fuiſſe conjicimus; nempe in conſiſtente, qua jam viri ſunt, morbis à bile retorrida opportuni. Sic & de illorum vitæ genere conjectandum, cum jaceant in hiſtoria ſacra ſine nomine, eos artes mechanicas ac viles exercuiſſe; quorumque victus ratio ſine dubio fuit improba & incauta, ut vulgo victitant mechanici, & in Judæa quam maxime, quos carnibus crallorum animalium, fructibus multis, leguminibus piſcibuſque ſalitis victitare fidem facit antiqua Joſephi & omnium Geographorum coſmographia recens. Quod cum adeo verum ſit, ad curationis illorum incommodum adderem, quod eſt in arte præceptoris edictum (Hippoc. Aph. 36. 2.) ne medicamentis agitentur maxime illi, *οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεώμενοι, qui parvo utuntur cibo.* In purgationibus enim, ut Galen. ait in Comm. *διὰ τὴν παυσίαν τῶν μεχθηρῶν χυμῶν* facile exſolvuntur.

Age igitur, vel pauciſſima horum ægrotantium lepræ indicia facie deſignentur. Sit vel leviſſimus morbi character in ſanguine, pulſu & urina (quorum omnium ratione dubitandum non eſt hos leproſos Medicorum Palæſtinæ ſententia fuiſſe judicatos) in re medica exercutiret mehercule qui hos curatu faciles judicaret, quique vel maximis lepræ in remediis fidem adhiberet. Vini etenim Viperini, Theriaces, Hydrargyri, Auri potabilis, quæ maxima lepræ habentur remedia, ea certe ratio non eſt, vis aut poteſtas morbos graviſſimos in habitu firmatos ut reſtituant, leproſoſque homines tota membrorum compage ſanatos cute & carne innovent.

In te ergo, Domine Jeſu, miſerculi mentem oculoſque conjiciunt, qui eos tangere nec maculari, ipſos detergere nec conſpurcari potes: *Domine, ſi vis, potes me mundare*, qui Lazarum de monumento fœtidum ſuſcitaſti. *Ecce quem amas infirmatur.* Sufficit ut noveris: non enim amas & deſeris.

ENARRATIO II.

De PARALYTICIS à Chriſto D. miraculo curatis.

TRES famoſos toto N. Teſtamento reperio paralyticos, quos arte Medica incurabiles demonſtrandum mihi. Primus eſt cum (ut ait D. Matth. cap. 8. & D. Lucas 7.) *introiſſet Jeſus in Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio rogans eum, Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Quibus verbis duo involuta jacent, quæ ſi evolvam, ægri naturam & ætatem demonſtrabo.

Quem in primis *παῖδα*, i. *puerum* vocat D. Matth. modo *δοῦλον* modo *παῖδα* vocat D. Lucas; *ſervum* videlicet & *puerum*: *παῖς* enim utrumque ſignificat. Liberum eſt ergo propoſitum ægrotum, puerum Centurionis, aut ſervum cogitare. Cum autem in S. pagina notatum ſit, Centurionem miſiſſe ad Chriſtum, non ipſummet acceſſiſſe, ut faciet Regulus pro filio oraturus, filium Centurionis non fuiſſe conjicerem. Paterno etenim amore compulſus non miſiſſet, ſed acceſſiſſet ipſe, quo ferventius ad filium Chriſtum vocaſſet. Servus ergo meo judicio hic eſt, qui tamen quoniam ſerviret liberaliter, amatur à Centurione magiſtro, ſolicite etenim ſervi ſui quæritat ſalutem. Conjiciendum deinde eſt ſervum utilem fuiſſe, & futurum: grandior erat ergo, & jam homo.

Sic & de morbi ſpecie dubitandum, ubi ait, *puer meus jacet in domo paralyticus, male torquetur.* Si male torquetur Centurionis ſervus, hoc non à paralyſi, quæ affectio eſt ſine ſenſu & ſine motu. Debebat ergo convulſione conflictari, in qua motus & ſenſus non aboleri ſed depravari certum eſt. Eſt enim *Convulſio*, Celſo medico inſigni, cap. 3. lib. 4. *in qua nervorum riger importunus & acutus, modo caput ſcapulis, modo mentum pectori annectit, modo rectum & immobilem cervicem intendit:* fit enim convulſio, autore Galeno l. 3. De loc. aff. c. 5. l. De trem. palp. convulſ. cum involuntaria nervorum retractione, originem verſus, proinde comes eſt illi inflammatio principii nervorum, cerebri videlicet, aut ſpinalis medullæ, unde dolor. Nervi enim dum præter voluntatem contorquentur, aut diſtenduntur, graviſſimos ſane excitant dolores, non leves aut ſtupidos, ut adverſus Archigenem eleganter diſputat Galenus lib. 2. De loc. aff. Tali autem affectu preſſum Centurionis ſervum fida verba D. Matthæi perſonant, c. 20. *ὁ παῖς μὲ βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς, δεινῶς βασανιζόμενος.* Quæ poſtrema verba convulſiones, labores & ægroti dolores perſpicue ſignificant. *βασανίζω per quæſtionem exterquco*, & *βασανιζόμενοι quæſtione torti.*

Certum ergo Centurionis ſervum fuiſſe convulſum: *male habens* (ait D. Lucas c. 17.) *erat moriturus.* Loquebatur ergo medicinæ imperitus Centurio, ut vulgus, qui quoſlibet motu captos vocat *paralyticos:* aut forte ſuccedebat ad convulſionem paralyſis, aut uterque aderat affectus. Inſolens quidem eſt convulſioni & epilepſiæ ſucceſſio paralyſis, ſed à nobis cum Avicenna lib. 3. Fen. 2. eſt aliquando obſervata. An ſi non à morbo, à torrore Dæmone male torquetur paralyticus hic? ſed cum à nemine quod ſciam cogitatum ſit, aut literis mandatum, ad morbi prognoſim diverto.

Male habens, ait D. Lucas, *erat moriturus.* Sit paralyſis, ſit convulſio, quis non videt ſalutem in præcipiti? Convocatos credo à Centurione duce & claro viro peritiores & exercitatos medicos; ſed quid illi poſſent, audite paucis. Locus in primis Capharnaum in quo degebat æger, & cui à Romanis præpoſitus Centurio cuſtodiebat civitatem Galilææ metropolim, æſtuoſus, ſiccus & retorridus eſt, in quo morbos à frigida cauſa graſſari, qualis convulſio eſt & paralyſis, funeſtum. Dilſentaneus etenim toto genere affectus eſt loco, ætati & temperamento afflicti. Sit adoleſcens, ſit jam in ætate matura, ſpes eſt in angusto. Edictum enim Hippocratis eſt, Aphor. 34. 2. *Eos in morbis gravium periclitari quorum natura, ætati aut habitui morbus eſt diſſentaneus.* Ubi Galenus fere ſic ratiocinatur; Si locus, aut anni tempeſtas, aut temperamentum ægroti, non potuit obſiſtere cauſæ morbi, dum ſanitate firma frueretur, dumque, ut ipſe loquitur, *βοηθὸν ἔχοιεν τὴν ὑγίειαν haberet ſanitatem ſibi ſuffragantem*, multo minus, ait ille, morbo jam facto ſuperaverit, non aſſiſtente ſanitatis robore.

Pergamus, ſi paralyſis eſt, quia univerſalis ſine dubio & paraplegia eſt, illa in Apoplexiam cito recurret, à qua forte & illa ſucceſſit: ſi convulſivo tetano correptus, unde tam male torquetur, experimento Hippocratis Aph. 6. v. & Gal. in com. intra quatuor dies peribit. Cum enim, ait Galenus, tetanus morbus peracutus ſit, ut qui compoſitus ſit ex emproſthotono, i. ad anteriora tenſione, & opiſthotono, i. ad poſteriora tenſione, citius in ipſo fit judicatio, non tolerante natura longiori tempore tenſionis laborem. Quo ergo ſe vertat ægrotans noſter, horum quocunque morborum prematur pathemate, in præſenti vitæ periculo verſari luce meridiana clarius eſt.

Paralyticus alter oblatus eſt Domino in lecto, qui portabatur à quatuor hominibus Matth. 8. Marci 2. Et alius eſt ægrotus hic ab eo quem curatum in probatica piſcina proponemus. Hic enim in civitate Chriſti curatur, nempe Caphamaum, quæ *Chriſti civitas* appellatur Chryſoſtomo & Theophilo, (in Marc. 2. teſtim. in 9. Matth. q. 5.) ubi portabatur à quatuor, ditior ergo ut par eſt, & è longinquo illuc tranſvectus. Paraplecticus certe, & ſine dubio à Medicis deploratus mortique vicinus: Sic præpropere inter medias hominum turbas per tegulas ſubmiſſum & Chriſto D. infinitos ægrotos illic curanti oblatum legimus. Periculum nempe illi in mora. Paralyſis enim illa gravis & univerſalis in apoplexiam ubique & nitidiſſime migrat. Apoplexia autem cita morte funeſta eſt, ſpirituum animalium abſoluta interceptione, & omni obſtructo commeatu. Unde premuntur tandem *ἀπὸ τῆς ὀρθοπνοίης τε καὶ τῆς βήχος ad orthopnœa & gravi ſpirandi difficultate cum ſtertore graviſſimo* prædicente necem.

Paralyticus tertius in Euangelio D. Joannis c. 5. curatur à Domino in probatica piſcina Hieroſolymis. *Erat*, ait D. Joannes, *quidam ibi triginta octo annos habens in infirmitate ſua.*

Non explicat Scriptura quod genus morbi esset, hominem tamen jacere paralyticum dicunt omnes interpretes. Hunc enim vidit Jesus jacentem, & in grabato seu carabato, miserrimo pauperum lectulo, à κάραβος & βατὸν, quod in eum solum *caput* recumbant, vel παρὰ τὸ κρεμᾶν τὰς βάσεις, *quod ibi suspendantur pedes.* Non movebatur ergo homo hic, sed omnium partium infra caput resolutus & paraplecticus omni & sensu & motu destituebatur. Universali ergo totius corporis paralysi, & jam inveterata, laborabat, quam si Medicus curaret, dealbaret Corvum aut Æthiopem. Obsidetur enim in paraplegia tota spina dorsi, quæ suapte natura frigida, cum sua nervorum propagine, à morbo frigidissimo & glaciali, paralysi nempe aut convulsione, nunquam vindicatur. Est enim frigidum ubique nervis inimicum, & calori nativo ipsum τὸ θανάσιμον, (Aphor. 18. 5.) Multitudine deinde materiæ frigidæ & crassæ in paralysi obruitur partium vividus & micans calor, collabiturque non animalitas solum sed & partium nutricatus: Cum è cerebro perennis irruat humorum decubitus, qui partium porulos obstruit, & alimoniæ omnisque nutricatus vias præcludit: sicque tandem postrema symptomata invehit, Atrophiam, nempe marcorem ac maciem carnium insignem, quæ paralysi juncta,

Obrus ingentes ista procella vires.

Quid ergo de veterano isto Paralytico triginta & octo per annos à morbo habito sperandum? Imo quid in natura monstrosius? Quid in artis medicæ ἐμπειρίᾳ & exercitatione rarius? Imo certe πλάδους ἁρπαῖς δρῦς, *Rarissima ramis quercus.* Portentosum tot annos vivere paralyticum. Credo Deum hunc reliquisse moribundum, ut in curatione tam difficili, impossibili, inaudita, & audita vi miraculi maxima, infidelibus omnibus, vel induratum ferreumque cor habentibus, nefas esset de Christi Deitate ambigere. *Domine, hominem non habeo. Dicit ei Jesus, Tolle grabatum tuum & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Omnia* ergo, *Domine, excelsa tua, & fluctus tui, super me transierunt.*

ENARRATIO III.

De MULIERE INCLINATA à Christo D. miraculose erecta.

PRoposita est mulier inclinata in Euangelio Lucæ, cap. 13. cum ait, *Erat Jesus docens in Synagoga eorum sabbatis, & ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis octodecim, & erat inclinata, nec poterat sursum respicere.* Quænam autem mulier esset, nominatim non dicit Scriptura. Sed cum tot annos morbo fuerit oppressa, & ob flagitia sua à Dæmone detenta, qui velut immanis tortor spinam suapte natura in muliere antea erectam contorqueret; conjectandum est illam ante morbum fuisse natu grandiorem, jamque longo morbi tractu senilem evasisse, muliebrem vigorem exegisse, nec longe à quinquagesimo anno distare.

Fuit, ut ex contextu sacro colligere licet, & in Capharnaum. Quo autem morbi genere prehenderetur, dubitari potest. *Erat inclinata*, Græce est συγκύπτουσα. Est autem συγκύπτειν *deorsum inclinari*, & *inspicere.* Eratne igitur vel convulsa, vel gibbosa, simplici illa gibbositate vulgari quæ fit à semotione & luxatione vertebrarum dorsi? Utrumque enim vitium spinam dorsi inflectere & inclinare potest. Siquidem convulsio (Gal. lib. De trem. rig. palpit.) emprosthotonos dicta, tensio est flectentium musculorum in anteriora, ut opisthotonos in posteriora. In illa mentum pectori, in ista caput scapulis annectitur. In Tetano autem, tertia convulsionis specie, æquali robore ad utrasque partes vergente, cervix obriguit, rectaque & intensa manet immobilis, æquali nempe congenerum & antagonistarum musculorum contentione violenta.

Potuit ergo misera mulier conflictari emprosthotono, etsi tamdiu arcuata ac inflexa permanserit. Est enim Convulsio (Gal. 3. De loc. aff.) musculorum affectio, quæ non est interrupta motibus, nec accessionibus distincta, ut epilepsia, quæ corporis convulsio est non perpetua. Potuit & eadem gibbosa detineri & cyphosa, dorsumque habere ad icycyphon, h. e. exterius atque deforis convexum, intus vero depressum. Qua figura gibbos post pubertatem detineri ad extremum senium, & Hippocrates in Aph. & lib. De articulis & experientia fidem faciunt.

De genere ergo morbi ambiguum est: sed hanc revera fuisse convulsam duplici ratione mihi persuadeo. Prima, quod mulier graviter afficeretur à morbo, angeretur cruciatibus & dolore, qui sunt assidui veræ & primariæ convulsionis comites. Et ideo dicitur agitari *à spiritu infirmitatis*, i. à doloris & morbi autore Dæmone. At illi qui simpliciter gibbi sunt, non ita urgentur. In iis etenim spinæ dorsi in situ solum & naturali positu afficiuntur: sed musculosæ illorum partes non convelluntur cum dolore, quanquam non rite suo fungantur officio & munere. Altera ratio est, Non laborabat mulier, ut notat Maldonatus, à naturalibus causis, non defluxu humorum aut catarro, non flatu vel tumore, à quibus gibbositatem fieri & concitari dicemus in tertia parte sequenti. *Neque Medici*, ait Theophylactus, *eam curare potuerunt.* Prorsus ergo à Dæmone agitabatur. Quod indicant Christi verba, cum ait, *Hanc autem filiam Abrahæ quam alligavit Satanas, ecce decem & octo annis, non potuit solvi à vinculo isto die sabbati?* Sed esto; fuerit mulier à naturalibus causis convulsa. Erat, ait Scriptura συγκύπτουσα, ubi de interpretum sententia significat D. Lucas, mulierem præ longa infirmitate degravatam & diminutam, quæ omnino sursum respicere non poterat. Inde duo colligo. Convulsionem primo non in fieri & depravato motu exstitisse, quo sperari posset curatio, sed in facto esse, ubi conclamatum. Colligo secundo, si imminuta mulier est, ergo marcida & omni nutritia vi destituta hectica facta. At siccitatem convulsioni junctam curare impossibile judicatum Hippocrati Aphor. 1. v. Imo tam lethalis & oletria quam sit ab helleboro convulsio.

Esto, fuerit præter naturam gibbosa tot annis, non inconsulto ad sententiam Hippocratis, lib. De artic. *Qui gibbi ex asthmate aut tussi, ante pubertatem moriuntur*, addes, & qui post pubertatem, non protrahunt vitam diutius. Raro gibbosum post sexagesimum vidimus annum.

Quocunque ergo se vertat misercula mulier, undique moritur, vivere illi oneroſum, stare molestum, repit serpentum infima conditione. Quid supereſt?

Mordicus ad victum terram voret altera Io.

Gratiæ ergo tibi, Christe D. qui vindicata muliere à Dæmonum tyrannide pristinæ formæ nostræ eam restituis.

Os illi sublime dedit, cælumque videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

ENARRATIO IV.

De LUNATICO à Christo D. miraculose sanato.

LUnaticus puer narratur in Euangelio Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. *Et cum venisset*, ait D. Matth. *ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens, Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur; nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.* Addit D. Marcus, *illum habere spiritum mutum, qui ubicunque allidit illum, spumat, stridet dentibus, & arescit.* Interrogavit autem Christus D. pueri patrem, *quantum temporis esset ex quo ei hoc accidit. Respondit illi, Ab infantia.* Hæc nobis præfanda erant: Et illud, factum post transfigurationem miraculum, cum à monte Thabor Jesus descenderet. Ex iis etenim manifesto ætatem ægroti, & patriam, & morbi conditionem omnem conjicere licet. Unde futura de illo prognosis & prædictio.

Puer ergo hic nominatur in Scriptura, quem tamen cum diceret pater *ab infantia* laborasse, longaque & chronica facta sit illius ægritudo, non amplius tenellus infans, aut puer, sed in pubertate constitutus, judicandus est. Jam ergo fere adolescens duos septenarios transegerat.

Et erat Galilæus ægrotus hic: Post transfigurationem etenim in monte Thabor curatus est, qui duabus leucis distat à civitate Nazareth, in qua Christus D. conceptus est. Unus erat, meo judicio, hic ægrotans, illic de turba qui Christum immedicabilia curantem sequebatur. Nec longius ergo, ut par est, distabat à patria moribundus ægrotans.

Epilepsia autem laborasse verba ipsissima patris & Euangelistarum testimonia fidem faciunt. Convellebatur, dentibus stridebat, cadebat frequenter, & interim spumabat ore. Quæ symptomata Epilepsiam consequi ut signa certa pathognomonica & concomitantia, medicis est in confesso (Hipp. lib. De morbo sacro, Galen. 3. De loc. affect. c. 7.) Lunaticus deinde factus, & ad Lunæ motum compositus morbus est: solet enim

E-

Epilepſia per Lunæ quadras eadem ſævitie ſtatis recurrere periodis. Surdo tandem & muto ſpiritu correptus, arreptitius Lunaticus factus eſt. Ut loquitur Abulenſis c. 147. in 17. Matth. Hæc igitur eſt ſumma morbi.

Acrius ſane & cum ſtomacho inſurgit hic adverſus Medicos Origenes, incredulitatis & erroris inſimulans eos, *qui nec immundum ſpiritum arbitrantur*, ait ille, *ſed corporalem aliquam paſſionem ab humiditate, nempe mota à corpore Lunæ humidiſſima natura.* Medici ſane (parcant Origenis manes) cum Philoſophis tales Lunæ in inferiora corpora dominatus arcte tenent & accurate defendunt. Ac deinde cum Theologis maxima vis Dæmonum fide & certis experimentis explorata eſt & approbata. Ut enim luculentius enarratione ſexta, & octava tertiæ partis demonſtrabimus, pravis corporis noſtri humoribus Dæmones ſe immiſcent, & Lunæ quadras appoſite ſequuntur, ut addicti corporali ſubſtantiæ, humorum nempe orgaſmo, & apparatui morbifico, multo facilius ægrotos divexent, corpore contorqueant, & animorum falſa imaginatione in abſurda præcipitent. Juratus eſt naturæ humanæ hoſtis Dæmon, & quod naturalium qualitatum commercio agit, id omne in hominis perniciem militatur.

Hoc ſane in miſero adoleſcente propoſito certo certius, oculiſque patet. Ait enim D. Cyrillus, *Quod niſi prudentia fuiſſet hic homo munitus, dudum periiſſet. Dæmon enim, qui ipſum in ignem & in aquam mittebat, interfeciſſet cum omnino niſi Deus refrenaſſet.* Hæc Cyrillus. Quis ſanæ mentis adverſus ipſiſſimam veritatem iret inficias? ſed hunc etiam à naturalibus cauſis morbo ſontico laboraſſe nemo contradicet. Nam præterquam quod à Dæmone agitaretur, & motui Lunæ ſubjiceretur; manifeſta aderat naturalis morbi cauſa. Quæ ſententia Cajetani eſt in Matth. Craſſa etenim, viſcida & lenta pituita cerebri ventriculos anteriores quam maxime obſidebat, magna exundabat humiditate cerebrum, & algioſa intemperie premebatur; hac nempe ætate puerorum, puberum & adoleſcentum, in qua ab incauto ciborum eſu, helluatione & comeſſatione, non mediocris fit pituitæ humorumque craſſorum in corpore proventus. Ferax eſt Galilæa horariorum fructuum; quibus dum ſe ingurgitant pueri & adoleſcentes, morbis à cerebro graviſſimis exponunt ſe: aciditate enim & ſtipticitate nocent cerebro fructus, & ea qua præſtant dulcedine generant vermes: quorum tetrico vapore capite perculſo graves epilepſias pueri juveneſque incurrunt. Nec ad hoc ſpernendum nobis quod notat Hippocrates lib. De morbo ſacro, Africanos morbo Epilepſiæ obnoxios maxime qui mediterranea inhabitant, & Galilæam. Caprinis enim pellibus induuntur, & carnibus veſcuntur, nullum etiam ſtratum aut pallium aut calceamentum habent quod non ſit caprinum. Non enim alia ipſis ſunt pecora præter capras, & boves: at hæc admota & comeſta morbum augent. Potuit & melancholia præter naturam generare morbum: Locum enim retorridum Galilæam atrabilarios incolas habere, & in magnum iſtum morbum proclives, non eſt dubitandum. Pugnaces Galilæos notat Joſephus l. 3. De bello Judaico c. 2. Ergo exuſti, & iracundi: ira enim eſt appetitus vindictæ, unde bellum.

Sed amplior eſt cacochymiæ & vitioſorum humorum in Galilæis demonſtratio ab inæqualitate ventorum quibus tota Galilæa impetitur. Quæ etſi auſtralis ſit, montoſa tamen, frigoribus, caloribus, contrariiſque ventis inæqualiter urgetur. Inconſtantibus temporibus (adde & locis) inconſtantes & mali judicii fiunt morbi, ait Hippocrates Aphor. 8. 3. Quod ſi ad aërem & locum addas aquas, ex quarum uſu non minus quam à cibo aut ab aëre conſervamur, aut de bono ſtatu deturbamur, invenies Galilæam non fontanis, ſed è montibus delabentibus aquis potum & alimoniam capeſcere. Aquas autem quorum fontes è petris ſcaturiunt, duras eſſe neceſſe eſt, Hippoc. De aëre, aquis & loc. Nec præterea fluunt impermixtæ, temues & ſinceræ aquæ ex locis ubi ferrum naſcitur, ait idem Hippocrates, aut æs, aut argentum, aut aurum, aut ſulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum, & alia metalla, quæ à montibus copioſa petuntur. Data eſt ergo propoſiti Lunatici naturalis & evidens morbi cauſa, quam plerique ex Doctoribus Eccleſiæ dum recipiunt, Dæmonis injuriam non ideo pernegant: utramque enim cauſam adeſſe manifeſtum eſt.

Sed ut me de prognoſi abſolvam; in tanta cauſæ magnitudine, in tanta ſymptomatum varietate & vehementia, quid de præſentis ægroti ſalute exſpectandum? Quis vel extra omnem Dæmonum, inſultum, difficilem curam non pronunciaret? Audi in iſto impoſſibilem. Finem Epilepſiæ, edicto Hippocratis Aphor. 45. 2. adfert ætatis, loci & victus mutatio. Sed cujuſnam Epilepſiæ? Ea enim triplex eſt (Gal. 3. De loc. aff.) una primæva, cujus eſt cauſa in cerebro cumulata, altera per conſenſum, quæ duplex iſt: vel ab ore ventriculi elato vapore, aut ab externa & longinqua alia parte ſuſcitata aura, quæ motus convulſivos & epilepticos ad cerebrum compulſa excitet. Duæ ergo, in primis poſtremæ, mutatione ætatis, aut loci, aut victus, medicinam neſciunt. Ergo ſi primaria eſt, in cerebro nempe, & à cerebro (qualem fuiſſe in præſenti ægroto conjicimus, quia nempe ſit à primis annis, jamque inveterata, nec manifeſto ab alia quadam parte ſuſcitata dicatur) cum illa mutatione ætatis per ſeptenarios non fuerit curata, prorſus fatalem ad interitum hanc Epilepſiam judicare par eſt. Lege divini Hippocratis Aphor. 7. 3. *Quibus ante pubertatem, fiunt comitiales morbi, curationem recipiunt: at quibus circiter vigeſimum quintum, fere commoriuntur.* Addidit quidem *τὰ πολλὰ*, quod aliquando fatiſcente ætate ſolvantur, nempe cum ſympathice urgent. Vitium autem idiopathicum in cerebro conceptum, coætaneum, coævum & *συντροφον*, immedicabile prorſus. Vocat Hippocrates lib. De aëre, aquis & loc. & 6. Epid. comitialem morbum *τὴν τῶν παιδίων νοῦσον*. Pueris enim eſt admodum familiaris & vernacula hæc morbi ſpecies, idque, ut docte notat Avicenna lib. 1. ſen. 2. tract. 5. cap. 10. magis in Auſtralibus locis & calidis, quam Septentrionalibus & frigidis. Sed ſi *τὸ ἐπιδεκτικὸν* Epilepſiæ eſt puerilis ætas, ejus *τὸ ἀπαλλακτικὸν* & diſcuſſorium debet eſſe pubertas, *διὰ τὴν ἐκλαμψιν ſplendorem* nempe & lumen caloris nativi, & vivifici modo micantis, quod antea naturæ clauſtris detinebatur. Quod cum noſter ægrotans non fuerit aſſecutus, omnis certe curationis ſpes retro apud illum collapſa refertur.

Sed & poſteriores qui accedunt morbi, maximis damnis dum augent ægrum, omne ſalutis ſolamen detrudunt. Surdus & mutus factus eſt miſerabilis æger: à ſurdo & muto Dæmone ſuſcitatur, qui omnem morbi agitando materiam, eam è cerebro in vocis & auditus inſtrumenta propagavit; omnis ergo *τοῦ ἀκουστικοῦ* & ſenſorii efferta eſt virtus, omnis fandi ſublata poteſtas, eſt mutus ut piſcis. An ergo huic miſerrimo in mutatione victuum ſperanda ſalus? An illi à remediis quæritanda medela?

Ah! quomodo de cœlo cecidiſti Lucifer qui mane oriebaris? corruiſti in terram qui vulnerabas gentes? ô Domine, detrahe illum in profundum laci. Qui ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem; reſtitue animam meam à malignitate illorum, à Leonibus unicam meam.

ENARRATIO V.

De LYCANTROPICIS, Gallice, Loups-garous, à Chriſto D. miraculo reſtitutis.

FUtura mihi cum Origene diſſenſio, idemque quod antea bellum, ſi ægrotos Geraſenos, de quibus eſt futurus ſermo, arreptitios à Dæmone non dicam: quo nomine & Abulenſis in Matth. eos deſignat. Dum autem Sacra pagella *Lunaticos* vocat, in quibus nempe Dæmon humorum & Lunæ motum obſervat ſequiturque; non erit abſonum, aut à Divinis literis & Euangeliſtarum mente alienum, ſi eos etiam à morbifica cauſa laboraſſe morbo intelligamus. Morbo equidem qui ægrorum temperamento, & loco, & tempori, ita conſentiet, ut negari non poſſit, iis intellectis quæ circa ægrotos Scriptura narrat.

Deſignamus ergo Geraſenos iſtos abreptitios vulgari mania melancholica affici, quam Græci medici *λυκανθρωπίαν lupinam inſaniam* vocitant, Gallice *loups-garous*. Eam autem loci & incolarum temperamento non admodum diſſimilem ut demonſtrem, hæc ſunt præfibanda. Factum eſt miraculum cum veniſſet Jeſus trans fretum *εἰς τὴν χώραν τῶν Γεργεσηνῶν in regionem Geraſenorum*, ait D. Matthæus. D. Marcus & Lucas habent *τῶν Γαδαρηνῶν* quæ lectio Interpretibus ambigua eſt. Sed eadem eſt regio Gergeſſa, Geraſa, aut Gadara, quæ eſt trans Geneſar, ſeu Givoſar, vulgo Genezareth. Eſt autem Genezareth lacus limpidiſſimus & piſcoſus in Galilæa, nomen habens à vicinæ terræ amœnitate, fructuum & arborum uberrate, unde *hortus principis* appellatur, (Abrah. Ortel. in Parergo) Dicitur & *lacus Cynereth*; figura enim *citharam* repræſentat. Nec longe diſtat lacus hic à mari Galilææ, ſeu à ſtagno Tiberiadis, ut ex Rabano & Beda vocatur à D. Thoma in Catena aurea. Notant autem Euangeliſtæ Chriſtum de navi egreſſum hoc feciſſe miraculum: non tamen in Gadara, aut Geraza, metropoli civitate Geraſenorum, ut vult Titus apud D. Thomam; ſed in vico Tella dicto, per leucam à metropoli Geraſa diſtante, ut notant Itineraria. Nec longe Tella diſtat à monte Galaad, in quo paſcebantur porci, de quibus in Euangelii hiſtoria mentio

eſt, nec lacus in quem præcipitantur longe diſſitus eſt, & ab eo monte ſemotus.

Anne ergo locus hic ſtagnoſus, maritimus & montanus, calidus & exultus, in humido & ſicco inæqualis, cumulandis pravis humoribus atrabilariis eſt opportunus? Generari ſiccitatem in aere circumfuſo locis in quibus ſaxa ſunt aut mare, antea ex Avicenna dicebamus. Et Galenus l. 3. De loc. aff. c. 6. ſtocat melancholiam in cerebro gigni, cum videlicet internus calor aut flavam bilem, aut craſſum atrumque ſanguinem, ſuperaſſavit. *Quæ melancholicum ſanguinem efficiunt*, ait idem Galenus, *ſunt caprina bubulaque caro, magiſque hircina & taurina; ſed maxime aſinorum camelorumque carnes; nam & his nonnulli veſcuntur.* Hos autem fuiſſe Ægyptios Alexandrinos & his confines paſſim teſtatur.

Hos autem hujus loci propoſitos ægrotos energumenos lycanthropica etiam melancholia urgeri apertiſſimis verbis declarat Euangelium. D. enim Matthæus c. 8. duos recenſet, *qui ſevi nimis erant, de monumentis exeuntes, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.* D. autem Marcus & D. Lucas 8. ſolum unum Chriſto occurriſſe ferunt. *Quoniam*, ut ait D. Auguſtinus De concordia Euangel. *unus eorum celebrioris perſonæ & majoris inſaniæ fuit, ob quem regio illa maxime dolebat, & pro cujus ſalute populus ſatagebat*, proinde ejus curatio famoſior. Energumenum autem iſtum, & à Dæmone tantopere agitatum, vere etiam lycanthropicum à naturali cauſa exſtitiſſe intelligemus, ſi Medicos de lycanthropia ediſſerentes cum contextu ſacro ad verbum conferamus.

De eo ergo ſic D. Lucas (atque de altero idem crediderim conjectandum) *Habebat*, ait, *Dæmonium temporibus multis, & veſtimentis non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.* Quæ verba eadem ſunt cum iis quæ retulit Paulus medicus l. 3. c. 16. De ſignis lycanthropiæ. *Per noctem enim domo egreſſi*, ait Paulus, *per omnia lupos imitantur lycanthropici, & quoad illuceſcat circa defunctorum monumenta vagantur.* Addit D. Lucas, *vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus, ruptis vinculis, in deſerta agebatur à Dæmone.* Addit etiam Paulus, *perpallidi ſunt, obtuſe cernunt & imbecilliter vident, oculis & lingua areſcunt, neque ſalivam exſpuunt, ſiti enecantur inexplebili, tibias, quod frequenter impingant, aut à canum morſibus per noctes, exulceratas habent, adeo ut ſanari nequeant.* Quid per deos oro ſimilius in utrorumque idea? Quis quos Paulus recenſet non diceret à Dæmone prehenſos? Quis quos Euangeliſta non lycanthropicos? Quæ non poteſt ferina illa & admodum maligna melancholia in cerebro cumulata? Intus in corpore pererrans cancros occultos excitat, dolores implacabiles concitat, mentem excruciat, oſſa exedit; exterius totam corporis faciem deturpat, exulcerat, tumefacit cum deformitate, terram item eructata rodit, bullas attollit & fermentat. Gal. 2. De nat. fac. l. De atra bile, De tumor. præternat. Calamitoſius tandem, cum hominis ingenium extra modum effera jactat; uno verbo, cum perturbata & alienata mente ex homine omnium animalium ſapientiſſimo beluam facit.

In deforme viros animal mutavit, ut iidem
Diſſimiles homini poſſent ſimileſque videri.

Sed ut ad obſeſſos & à Dæmone abreptos Geraſenos redeamus: Eos lycanthropicos uberius intelligemus, non ſolum ex loci temperie morbis hiſce melancholicis opportuna, ſed & à temporis occaſione convenienti. Inita fuit horum curatio à Chriſto D. circa hyemis finem. Quod ex Chriſti D. Itinerario colligo, cum ait, *Tum tota hyeme illa peragravit primavice Galilæam univerſam, quo facto in regionem Geraſenorum trajicit.* Poſtrema ergo hyemis parte hoc fecit miraculum Chriſtus: ſtatim enim de navi egreſſus ad terram, ut notant D. Marc. & Luc. occurrit iſte formidabilis Lupus. Erat ergo circa Februarium menſem; quo tempore notant doctiſſimi medici Mercurialis & Maſſaria (in praxi Medica c. de Melanis Lycant.) à propria quadam hujus temporis conſtitutione lycanthropiam contingere. Docteque Maſſaria lycanthropiam ſub mania comprehendit, & lycanthropicos *maniacos* vocat. Nec certe diſſimiles à maniacis Geraſenos iſtos diceremus, ſi quæ de mania eleganter à Fernelio ſcripta ſunt lib. 5. De part. morbis & ſympt. c. 2. hic tranſcriberem. *Melancholia*, ait, *ſuccedit mania, nobis* furor *vel* inſania *dicta, quæ cogitatione, verbo aut opere melancholicorum quadam deliramenta imitatur; ſed iracundia, jurgiis, clamoribus, horrendo aſpectu, multo denique majore corporis impetu & mentis perturbatione laberantes exercet ac impellit, ut quaſi fera & immanes bellua in obvios dentibus, unguibus & pugnis inſueta rabie petulantur invadant.* Quæ cum de Lycanthropicis etiam dictum velit Fernelius, quid ſimilius ornatiſſimis etiam verbis D. Marci & D. Lucæ, de noſtris Geraſenis?

Addamus denuo ſuperioribus dictis cauſis victus rationem eorum, ut omnibus numeris ſit abſoluta demonſtratio. Idem Mercurialis notat inter externas melancholiæ Lycanthropicæ cauſas vitam flagitioſam & turpem. *Qui enim*, ait, *referuntur laboraſſe hoc morbo, omnes fuerunt impuriſſimi homines.* Hic ſane qui ſolus proponitur in ſcriptis D. Marci & D. Lucæ famoſus & notus in Geraſa, divitiarum & amœnitatum hortulo, non poterat non eſſe aut dives, aut cum divitibus verſari. Ubi divitiæ, ibi vitia; ubi affluxus, ibi luxus; ubi Plutus, ibi Venus.

Quales ergo fuerint ægroti Geraſeni, palam eſt.

- - Lupi Mœrin videre priores:

vox tamen *Mœrin* non *fugit ipſa*. Expaveſcunt Dæmones ad Chriſti præſentiam. *Quid mihi & tibi, Jeſu fili Dei altiſſimi! Ne me torqueas*, Dæmon ait, imo legio loquitur, in qua Dæmonum centuriæ ſexaginta, manipuli triginta, cohortes decem, (Aul. Gel. l. 16. c. 4.) ut in Romanorum militia forte numerarentur. Uno tamen Divino verbulo, *Exi, ſpiritus immunde*, ejecti ſunt ab homine Geraſeno tot lupi feroces & inſidioſi. Introierunt in porcos, magnoque ſtatim impetu ἠγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν θάλασσαν *per præcipitia & præruptæ montis in mare præcipitantur*,

- - Inſequitur cumulo præruptus aquæ mons:
Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.

Sed, (date hoc Chriſtiano Medico in nefarios illos & impios Naturæ aut Fati credulos quos tenet Epicurus) ſint propoſiti Geraſeni abſque Dæmone pure melancholici, majores eſſent Hippocrate, in re medica maximo, quique fallere nec falli potuit, ſi cum remediis horum tentarent Lycanthropicorum curam: in quibus enim aſſati humoris melancholici ſumma ſunt omnia, & in quo humore tres lethales qualitates τὸ ὁμιλῶ, τὸ διαφορητικὸν, τὸ ἐξωδες, *Acre, acidum*, & *erodens* reperitur, ſapientius & utilius Hippocrati (in lib. Epid. & Aphor. paſſim) judicatum, non aggredi curam. Quia nempe effera bilis atra, omnis coctionis & pepaſmi incapax, affectus omnes & effectus producit ubique funeſtos.

Sed ὦ Medice cœleſtis! ὦ Hercules ἄναξ οἷος παραφύλαξ.

Prima Cleonæi tolerata arumna laboris.

Alligatam à Satana mulierem tu primo ſolviſti; ſpumantem & ſtridentem deinde Leonem domaſti.

Proxima Lernæam ferro & face contudit hydram.

Jam cadant à latere tuo mille, & decem millia à dexteris tuis. Ita, Chriſte Deus, Apoſtolis militibuſque tuis dediſti poteſtatem ſupra naturam ut eam curarent, ſupra Dæmones ut eos everterent, ſupra elementa ut ipſa immutarent, ſupra mortem ut eam contemnerent, ſuper Angelos ut corpus Domini conſecrarent. Ipſe ergo liberabis me de laqueo venantium & à verbo aſpero.

ENARRATIO VI.

De CÆCIS à Chriſto D. miraculo clarificatis.

INfinitos & ſine nomine in Euangelio à Domino curatos reperio Cæcos. *Variis* enim *obſeſſi morbis*, ait D. Hilarius *gentiles infideles, à fidelibus Domino ſanandi adducebantur, ut eum adorarent.* De nominatis ſolum prædicere animus eſt.

Reperiuntur ergo in primis duo Cæci, in cap. 9. D. Matth. qui ſecuti ſunt Jeſum, clamantes, *Miſerere noſtri, fili David.* Hoc autem miraculum fecit omnipotens, ſuſcitata filiæ Archiſynagogi, & curata Hæmorrhoiſſa, cum à Capharnaum veniret Nazareth (D. Hieron. hic,) ætatis, ni fallor, tempore, circa 32 ætatis ſuæ annum. Ordinem miraculorum habeo ex Euangelio, & præſcriptum tempus ex Itinerario, ubi ait, *Et ſuſcitata filia vidua Capharnaum rediit ad initium deinde 32 anni Nazaretum petiit, ex quo profectus multa vicina loca ſolus obit, tum iterum cum miſſis Apoſtolis, tota illa hyeme Galilæam totam frequentat.*

Alii

Alii duo Cæci ſunt, Matth. 20. ubi ait, *Et egredientibus illis ab Jericho, ſecuta eſt eum turba multa. Et ecce duo Cæci ſedentes ſecus viam*; &c. Marc. 10. hoc in uno Cæco factum dicit, qui Barthimæus dicitur. De quo etiam loquitur D. Lucas cap. 18. ubi Maldonatus cum Theophylacto dicit unam & eandem eſſe hiſtoriam quæ à tribus Euangeliſtis narratur; omnia enim ſimilia geſta ſunt: ſed forte D. Lucas & Marcus nominant famoſiorem filium Timæi Barthimæum, etiamſi eſſet mendicans; nec mirum. Irus enim Ithacenſis mendicus ac turpiſſimus in Odyſſea Homeri famoſus eſt, non minus quam Cræſus ditiſſimus in hiſtoriis; & Chriſtus Dominus pauperes *ſuos* vocat, atque in locum ſui nobis reliquit. Quicquid ſit, hi poſtremi curati Cæci in Jericho, ex D. Matthæi hiſtoria, diverſi ſunt ab iis ſuperioribus in Galilæa; omnes tamen mendici & pauperes, vereque Cæci. Salmeronius in Marc. tom. 1. notat eum de quo loquitur D. Marcus, nempe Barthimæum, in Bethſaida patria Petri fuiſſe curatum: ſed quotquot ſunt Sacri elogii interpretes, quos mihi perlegere contigit, dicunt omnes miraculum hoc à Chriſto peractum dum ex Galilæa iter ageret in Jeruſalem, & Jericho tranſiret, paulo antequam pateretur.

Sed ad rem. Hi duo Cæci curati in Jericho, & illi duo in Galilæa, laborabant vitio cæcitatis vulgaris, quæ Græcis medicis ἀμαύρωσις, Arabibus vero *gutta ſerena* vocatur, qua limpidiſſimi deforis enitent oculi, intus tamen nullam lucem capiunt, ſed prorſus verſantur in tenebris. Non autem erat ſimplex Amblyopia, viſus quædam debilitas, qua aliqua lucis uſura frui datum eſt, ſic enim & ipſi Chriſtum vidiſſent; *at audierunt quia Jeſus tranſiret*, ait D. Matthæus, non viderunt. Sed & de primis, ex Sacro contextu illud etiam uberius intelligitur. Tactis enim à Chriſto Domino, aperti ſunt oculi eorum; ergo clauſi prorſus à luminibus, & vere Cæci.

Quod ſi non ἀμαύρωσις, ſeu *gutta ſerena* hujus ſit cæcitatis cauſa, ſed ὑπόχυμα, ſeu *ſuffuſio*, quam vulgus Chirurgorum *Cataractam* appellitat, majus inde miraculum conjicies. Cataractam etenim quis medicamentis deleret? cum nec ferro aut acicula tutum ſit illam deprimere. Quam proinde Circumforaneis relinquunt prudentiores Chirurgi.

Sed & alii deinde affectus poſſent cæcitatem inducere: nulla enim eſt pars corporis quæ tantis tamque diverſis morbis infeſtari poſſit ac obſideri. Quorum fere omnium cauſas, vel in cerebro, vel in viſili ſpiritu, vel in optico nervo aut humore cryſtalloide reperiri, Enarratione 12. 3 partis fiet apertum. Nos autem hic communiorem cauſam, ἐμφραξιν, & *obſtructionem*, nempe optici nervi è cerebro ad oculum delati, ab humoribus craſſis, viſcidis & lentis, illuc confluentibus, ſenſimque aut ἀθρόως impulſis, adducimus. Quam ut & aliam omnem cauſam in cæcitate chronica & confirmata, deſperatæ curationis eſſe certum, & ab experientia notiſſimum eſt. Eamque & in horum ægrotorum exercitatione, cum ex natura loci, tum ægrorum temperamento, victus & vitæ conditione, impoſſibilem fuiſſe demonſtrabo.

Hæc certe oculorum vitia familiaria animadvertes his locis auſtralibus, ſi cæterarum regionum temperiem inſpicias. In Borealibus etenim partibus, Flandria, Bohemia, Germania, ubi purus & tenuis aer eſt, perpaucos reperias ſuffuſos, & quibus ocularia præſidio ſint: in Italia, ob aeris craſſitiem, perplures tum cæcos, tum obſcure videntes: in tota Syria & Palæſtina infinitos. Tanti refert aeris puritas ad viſilium ſpirituum nitorem; ut non minus in aere turbido hebeſcat viſus quam concidat in putido vitale robur. Galilæa & Judæa, maribus & ſtagnis intermediæ, aerem habent turbidum, craſſum, caliginoſum, ac proinde oculis nocentiſſimum: ubi & frequentes ſunt Auſtri, ἐχλυώδεις & βαρύωπες. Nec melius exſpectandum de Jericho; non enim longe diſſitus locus eſt à mari mortuo, de quo ſic Brocardus in Deſcript. terræ Sanctæ, *Mare illud ſemper fumum reddit & nebulam, in modum camini infernalis. Unde tota illa vallis, qua aliquando ob ſui fecunditatem & amœnitatem illuſtris dicta fuit, ad ſpatium dimidia diæta tota facta eſt ſterilis: ita ut nec ullum germen proferat per ſpatium quinque leucarum, niſi juxta civitatem Jericho, ubi horti irrigantur à fonte Eliſæi.* Hæc Brocardus. Quæ ergo poteſt illic eſſe aeris ſerenitas aut puritas? Quid in tam caliginoſo aere videret Argus aut Lynceus? Multum etiam poteſt ad hebetudinem viſus victus ratio. Notat Mercurialis de Italis, notat Joſephus de Galilæis & Judæis, eos craſſo admodum crudoque cibo, fructibus & herbis, victitare. Quæ ratio victus capiti, oculis, ſpirituumque nitori ubique bellum indixit. Accommodanda hæc ægrotis noſtris, mendicis, & pauperculis Cæcis, eleemoſynis victum quærentibus. Ubi ergo regio, ambiens aer, victus ratio, & particularis locorum conditio, incolas oculis & viſu hebetes & imbecilles denotat, humorumque craſſorum in capite congeſtorum cumulum quaſi indigitat, quis ibi Cæcos omni luce jamdiu orbatos, & in cæcitate confirmatos, curabiles ab arte diceret? Annè dices, remediis ad viſus aciem Palæſtina, terra omnium remediorum feraciſſima, deſtituta eſt? Perfectæ mehercule cæcitatis cæca medicina eſt.

Opportune ergo ægroti Cæci, ſi non vident, ô bonum omen! nomen audiunt Chriſti Salvatoris. Extemplo curſitant, ſequuntur, acclamant. Illos increpant; exclamant nihilominus, & importunos facit opportunitas. *Domine fili David, miſerere nobis, aperiantur oculi noſtri.* Qui nempe potes non ſolum reſtituere deſtitutos, ſed non inſtitutos inſtruere, in lapidibus oculos confingere, eoſque facere videntes. Dominus enim ſolvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.

ENARRATIO VII.

De SURDIS & MUTIS à Chriſto D. curatis.

SUrdis & Mutis abundare regiones maritimas, ſi ratio non dictaret, ſuaderet Cicero, in Somnio Scipionis, de mira ſphærarum mundi ediſſerens volubilitate, cum ita loquitur, *Hoc ſonitu oppleta aures obſurduerunt, nec eſt ullus in nobis hebetior ſenſus: ſicut in illis ubi Nilus, ad illa quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altiſſimis montibus. Ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus ſenſu audiendi caret.*

Tumultuoſum ſollicitat mare,

ait Horatius.

Et qua ſonorum circuit terras mare,

Quintianus ait.

Non mirum ergo ſi in partibus Tyri & Sidonis, maritimis regionibus, & circa mare Galilææ, reperti ſunt tot Muti & Surdi, qui oblati Chriſto D. ab infirmitate curantur. Facto enim miraculo Cananææ, D. Matthæus ait, *Et cum tranſiſſet inde Jeſus, venit ſecus mare Galilææ; & aſcendens in montem ſedebat ibi: & acceſſerunt ad eum turba multa, habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos.* Sed expreſſius D. Marcus ait, *Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos: & adducunt ei ſurdum & mutum.* Eſt autem Decapolis regio à mari Galilææ ad Sidonem extenſa, in qua ſunt decem præcipuæ urbes; Tiberias nempe, Gephet, Cedes, Neptalim, Aſſor, Cæſarea Philippi, Capharnaum, Jonitera, Bethſaida, Coroſaim, & Bethſan, ut ex Jacobo Patriarcha Jeroſolymitano deſcribit Brocardus in Deſcriptione terræ Sanctæ. D. autem Matthæus in cap. 9. ait, *Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem: & ejecto dæmonio, locutus eſt mutus.* Interpretes omnes utrumque dicunt à dæmone obſeſſum; & eum quem *mutum* ſolum vocat D. Matth. & eum quem *mutum & ſurdum* D. Marc. Cenſent tamen plerique unum & eundem fuiſſe ægrotum, quod mihi non perſuadeo. Etenim qui à D. Matth. mutus proponitur, curatur cum Chriſtus à Geraſa in Capharnaum rediret, ut notant hoc loco Interpretes; omnes enim in eo cap. 9. relatos ſimul curaſſe perſpicuum eſt. Surdus autem & Mutus, qui à D. Marco cap. 7. cum Chriſtus veniſſet per Sidonem ad mare Galilææ, reſtitutus eſt. Sic ut & in diverſis temporibus, ſic & in diverſis locis factam curationem notant Itineraria. Mutum nempe illum de quo locutus eſt D. Matth. cap. 9. in urbe Sarunza, non longe à Samaria, habitaſſe, etiam ſi ad confinia Decapoleos curatus fuerit. Alter vero, qui Surdus & Mutus, erat indigena, & in Decapoli è Capharnaum. Eſt & alia ratio qua perſuaſum habeo diverſos fuiſſe. Curantur enim diverſa admodum forma. Ejecto enim dæmone curatus eſt Mutus D. Matthæi, ſolo Domini verbo. Ille vero Marci impoſitione manus. *Miſit Divina manus digitos ſuos in auriculas ejus, ſuſpicienſque in cælum ingemuit, Ephata, ait, quod eſt aperire*, vel *Ephphata*, ut eſt in verſione Græca, ex imperativo paſſivo primæ conjugationis Chaldæorum, i. *apertus eſto. Et ſtatim aperta ſunt aures ejus, &*

in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus; incipiebat enim mori. Erat ergo puer hic Reguli filius. Græce est βασιλικος, vel βασιλίσκος, *regius* sive *regulus*. Quo nomine non parvi Reges aut Regum filii solum significantur, sed alicujus urbis, aut oppidi, aut ditionis Domini, aut Magistratus: & ita passim ab Interpretibus usurpari certum est. Et Carthusianus (citato in Joan.) eos recenset qui hunc Regulum Cæsaris fuisse Officialem, & ad custodiam urbis Capharnaum deputatum, referunt: in quo admodum hæret Irenæus l. 2. Existimabat enim hujus Reguli puerum, Centurionis jam à nobis enarrati fuisse filium. Quod Chrysostomus Homil. 34. in Joan. cæterique Interpretes impugnant. Puer etenim Centurionis laborabat Paralysi, hic vero febri; ille erat servus, hic filius. Addo quod à nobis de Centurione assumptum est: cum pro servo rogaret, obviam non ivisse Christo, sed ad illum misisse. Regulus autem, qui pro charissimo forteque unico filio deprecaretur, adfuit præsens, quo citius & amantius Dominum ad sui misericordiam impelleret. Diversas ergo curationes, in diversis locis & personis, diversisque temporibus à Christo D. miraculose celebratas cernitis.

Hunc autem Regulum Judæum fuisse, sed in Capharnaum modo inhabitare, certum est. Atque quod illum increpat Christus, Judæum fuisse testatur. *Nisi signa*, ait Jesus, *aut prodigia videritis, non credetis.* An vero filiolus hic fuerit, ut pater, natione Judæus, dubitari potest. Quem tamen cum adhuc in infantia audio, crediderim facilius indigenam. Qui si non sit, non multum à temperie loci dissonam pueruli naturam, ex morbi quo conflictatur rumore conjicio.

Ungebatur sine dubio maligna quædam febre putrida, acutissima & lethali, forte Variolis aut Exanthematis comitata, cum gravitate accidentium, quibus malignas febres ea in ætate stipatas cernimus. Aderat forte & à vermibus corruptela ingens: qua in gravia symptomata, tremores, convulsiones, pavores, vigilias, sopores, dolores, ploratus & diarrhœas lethales pueruli nuperque nati incidunt. Judicant Medici quidam (Mercat. Mercur. Leonel.) pueros facilius synochas & sanguineas febres incurrere, alii biliosas: Sed eos omni febrium genere prehendi, mille experimentis habeo confirmatum.

Cum autem de his edisſero, videor mihi manu attrectare delicatulum Reguli puerulum, eo genio & voluptate educatum quales modo intueor in nobilium divitumque familiis. Quos cibariorum multitudine & varietate, cum in sanitate tum in morbis, plena manu ingurgitant. Mulierculorum hæc indulgentia est, quæ quo gladio enecare morbum tentant, eodem inscientes, miserculos jugulant pueros. Η δὲ ἀπειρία κακὸς θησαυρός. *Imperitia*, ait Hippocrates, *malus thesaurus est.* Et qui sine cognitione causæ aggrediuntur morbos, clausis oculis Andabatarum more depugnant.

Sed ah! Regule mi, moritur infans, patitur, exspirat, cum luce luctatur, imo cum tenebris. Nihil adversus morbum Medici, nihil pharmaca possunt, nihil magistratus imperium aut divitiæ. Quo se vertat, nescit miserabilis pater; moritur in filio, in dubio illi animus est, huc, illuc impellitur. De Christo quoslibet morbos curanti fama est. Clamant præsentes, testantur, affirmant se vidisse: fidatne Christo hic dubitat, absenti medico non credit. Tandem: quia spes est in angusto, dolor ancipitem elicit fidem, ad Christum pater pedibus contendit, quo reperto, acclamat anhelus, *Domine, descende priusquam moriatur filius meus.* O Regule felicissime! habes quod sperares ultro responsum: *Vade, filius tuus vivit.* Anne jam vides, Regule, anne credis, quia non est locus ubi Deus non sit? Gratias ergo tibi, Domine Jesu, qui desperatæ salutis filium dum redintegras, in dubia fide patrem confirmas: quo de fide in te deinceps non dubitet posteritas; aut in adversis ab alio quam à te, omnium bonorum patre, & ægritudinum nostrarum vero medico, salutem non emendicet.

ENARRATIO X.

De HYDROPICO Divinitus curato.

PRoponitur Hydropicus ab Evangelista & Medico D. Luc. in c. 14. *Et factum est*, ait, *cum introisset Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum, Sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum. Et ecce homo quidam Hydropicus erat ante illum. Et respondens Jesus dixit ad Jurisperitos & Pharisæos, si licet Sabbato curare? & illi tacuerunt; ipse vero apprehensum sanavit eum.*

Ut igitur in proposito laborante, ad ejus prædictionem, de cognitione morbi, ægroti patria, temperie, & ejus conditione, me brevi absolvam, à postremis initium ducam. Curatum Hydropicum præsentem interim notamus, cum Maldonato in Lucam, eodem tempore quo cæteri in præcedenti capite Matthæi curati dicuntur. Erat in eodem loco, nempe in Galilæa Capharnaum, & ibi notus ab omnibus, homo tamen minoris fortunæ, ut ex sequentibus colligere licet.

Ordinatione quidem Divina Hydropicum istum advenisse, notat Carthusianus ibid. Nec inde tamen dubitandi occasio delata est; An nempe caute homo hic à Pharisæis fuerit accersitus, quibus erat in animo ubique subsannare Christum, & insumulare; an vero Christum sequeretur ille vocatus. Sed esto, sint dolosi qui in fraudem, sit Christus qui eludendi dolum causa Hydropicum vocaverit. Illum certe Hydropicum fuisse, tempore morboque longo notum, conjectura est. Et ea laborare Hydropis specie quæ maxime oculis innotescit conspicua, Lippis, ut ajunt, & tonsoribus nota, Ascite, inquam, quæ aquis utris in modum ventrem intus, aut flatu tympani more dilatat & amplificat; tanta tensione ut ad ejus intuitum territi homines toto corpore perhorrescant, multique exclament, *Dominus meliora.*

Hujus ergo miserandæ sortis hunc fuisse Hydropicum dubitandum non est; non enim à Pharisæis alius quam vulgo nomine & morbo notus convocaretur. Aut si Christus vocaverit ante sibi juratos hostes, levem & curatu facilem ægrotum non tangeret. Agebatur ergo de homine noto, de morbo magno, cui sine dubio ante fuerint data remedia multa. Tentata & experta in eo Hydragoga, quæ ad exhauriendas abs ventre aquas vulgo nota sunt & usitata, eaque paratu facilia. Qualia sunt Cucumer agrestis, Iris, Ebuli semen, Tytimalorum species vulgo familiaris, Cataputia dicta, & alia fere sine numero. Nec si fuissent inducie, aut conjecturæ non exhausti genii in hepate, tam celebri & populoso loco, antiqua ventris punctio Parachentesis, in homine vulgari & pauperculo, aut ab amicis in urbe, aut in Xenodochiis non fuisset prætermissa.

Sed nota sit ex præcedentibus Galilææ & incolarum ejus temperies & habitus: Eorum itidem victus ratio non ignorata. Cum australis plaga, aeris exustio & impuritas, retrorum vaporum concursus, crassorum & salsorum alimentorum esus assiduus, si cui corporis parti, hepati bellum indixerint. Hunc Hydropem, non per simplicem potatæ aquæ frigidæ symastrismum & cumulum, non per morbi cujusdam apostasian, aut sudorem criticum in abdomen impulsum & ibi stagnantem, aut per similem quandam levem alienationem sanctionis hepaticæ (quam vulgares Medici vocant *Hydropem per consensum*) sed per ipsissimam hepatis ἀτονίαν introductum esse, rimandum est; eumque primarium, & ab hepate. Omnes quidem Hydropes læsum habere hepar testatur Galenus l. 5. De loc. affect. c. 7. Sed qui per consensum Hydropes fiunt, aliquando leves; de illis non semel Medici triumphant. At in eo qui per atoniam, & primarius est, sperare curam, sustinet cœlum humeris alter Atlas, qui tale onus Ætna gravius sibi imponit.

Talis est mehercule proposita affectio quæ suadente loci syngenera temperie cum ægroto, victus syntrophica complexione, per frustrationem *αἱματώσεως ἔργα sanguificandi operis* generatur. Cujus est fere assidua causa, conceptus ignis in hepate. In illo, inquam, hydrope nec viscera bene morata sunt, nec virtus nutritia lucet in concoquendo, sed spiritus adest difficultas, fatigat tussis, aspera lingua est, corpus inæqualiter insuaviterque calet, extimæ partes liquescunt & contabescunt. Adsunt tandem phthisis & hepatis quæ mutuo conspirant in ægri perniciem, fitque quod literis proditum ab Hippocrate, ἐν ἡπατικῷ τήξις καὶ ἅμα βράγχος, κακὸν, *In hepatico mala est colliquatio, cum raucitate & tussi.*

Sed ô admirabilis Christi D. potestas! Illi tacuerunt, ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. Annon tu, Domine, qui in factis passus es observatores, in attonito isto curato, attonitas vides Pharisæorum mentes? Sed qui in dictis habes contradictores. Quis modo illorum contradicet miraculo? Quis te mirabilia agere denegabit? Quis te Christum non adorabit? Purgasti mundum ab aquis in Cataclysmo. Exhauris modo aquas in hydropico. Quid gratiæ à nobis? ut aquæ tandem quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini.

ENARRATIO XI.

De homine Manum aridam habente, à Christo D. miraculo redintegrato.

NON erit præter rerum medicarum ordinem si ab Hydropico ad hominem manum aridam habentem enarrationum mearum filum deducam. Atrophia etenim, Cachexia Hydropsique omnis, affectus sunt, qui aut alimentorum coctioni,

aut diſtributioni & anadoſi officiunt & incommodant; proinde una conſequuntur ſe. Proponitur ergo in Divinis D. Matthæi ſcriptis, c. 12. homo hic; *Et cum inde tranſiſſet*, ait, *venit in Synagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam.* Et infra, *tunc ait homini, Extende manum tuam: & extendit; & reſtituta eſt ſanitati, velut altera.* Addit D. Lucas, *Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida. Et ait illi Jeſus, Surge, & ſta in medium.* Quorum omnium Divino teſtimonio & verbis ita fideliter ægroti patriam, conditionem, partem affectam, affectus ſpeciem conjicimus, ac ſi oculis noſtris ægrotum ipſum intueremur.

Locus in primis in quo erat mendicus homo, eſt ante Synagogam in Capharnaum. Cujus conditio nota eſt miſerrima, quia Cæmentarius. De quo D. Hieronymus in Matth. *Iſte homo*, ait, *qui aridam manum habet, Cæmentarius ſcribitur, iſtiuſmodi vocibus auxilium precans, Cæmentarius, manibus vilium quæritans, precor te, Jeſu, ut mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter cibos mendicem.* Laborabat autem manu dextra. Etſi homo ſolus, non mulier, ut vult Hippocrates, ſit ἀμφιδέξιος, & ambidexter, utraque tamen manus eſt præcipuum agendi & efficiendi inſtrumentum: ὄργανον ἀντιληπτικὸν, ὄργανον μεταβατικὸν, *apprehenſivum*, & *flexile*, *organum ante organa*, Galenus vocat. 1. De uſu par. Tanta nobilitate prædirum, ut ſoli homini Deus manus dederit exporrectas belluis denegatas, quibus facile perſequatur quæcunque mens juſſerit.

An vero *manus* nomine in illo laborante totum brachium, & ab ſcapulis ad ſummos uſque digitos, anatomico more ſit intelligendum, dictu non eſt facile. Καὶ ἰδοὺ ἄνθρωπος ἦν τὴν χεῖρα ἔχων ξηράν, *Et ecce homo manum habens aridam*, χεὶρ Hippocrati à ſcapulis ad digitos protenditur. Sic enim 2 De morbis aut de morbo nigro, ἀπὸ τῶν χειρῶν τῶ αἵματος ἀφαίνει. *De manibus ſanguinem detrahito.* Ergo per *manum* totum brachium intelligit. Sic manus Anatomicis conſuetum eſt dividere in brachium, cubitum & extremam manum. Quæ poſtrema pars in carpum, metacarpum & digitorum phalanges eſt ſubdiviſa.

Vidit Galenus, vidimus & nos non ſemel, quos brachium & univerſam manum, quos partem manus, quos ſolos duos digitos obſidebat ſiccitas, contorquebat convulſio, reſolvebat paralyſis. Atque in præſenti ægroto totam manum cum brachio obſideri multa ſunt quæ mihi perſuadent. Ut enim mox dicam de cauſis, non potuit non magna cauſa urgeri homo mendicus, quæque in totum brachium graſſata ſit. Etenim ſi ſola extrema manus afficeretur, valente brachio, non proſſus ab opere abſtinuiſſet ille. Narratur autem ſola manus ab Euangeliſta, quæ oculis tantum eſſet expoſita, cooperto brachio, & ab induſiis tecto. Ita ut dubitandum non ſit totum & univerſum brachium dextrum fuiſſe ab hiſtoriæ narratoribus intellectum.

Obſidetur vero pars bicipiti morbo, Spaſmo nempe & Atrophia. Vocat quidem *manum aridam*, emaciatam videlicet & excarnem, Euangeliſta. Solam ergo recenſet atrophiam, & defectum alimenti in manu. Sed verba Chriſti in miraculo, ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου, *Extende manum tuam*, maximum vitium ἐν τάσει *in tenſione* conſiſtere declarant. Laborabat ergo manus Cæmentarii duplici morbo, Convulſione & Atrophia, quod à nemine adhuc ex interpretibus cogitatum eſt. Eſt autem Convulſio, perpetua nervorum & muſculorum originem verſus retractio, quæ non niſi extenſione curatur. Quare Chriſtus D. jubet in miraculo, quod operibus Medicis in Convulſione conſequi tentat ars. Atrophia vero eſt nutritionis error, qua totum corpus, aut ſæpe pars quædam, ſenſim abſuminitur, & ob defectum alimenti exareſcit.

Mutuo certe hi duo graviſſimi affectus ad perniciem conſpirant. Obrigens pars, exhauſtis ſenſim venis & arteriis, defraudatur alimento; unde per inanitionem reſiccata & arida facta non poſſunt non ejus nervi & muſculi obrigere, contrahi, contendi. Altiſſimas certe radices egerat affectio in homine miſero: atque magna ſuſcitata cauſa inuſta eſt parti intemperies frigida, & ἐμφραξις in nervis. Quam ſi ab externis, & quæ ſunt Hipp. ἀπὸ τῶν ἔξωθεν quæramus, eam in externo aëre frigido reperiemus, ſed quam maxime in rerum frigidarum attactu, ut in cæmenti ex aqua & luto confecti aſſidua contrectatione, ſic etiam & à capitis & brachii nudatione inter operandum. Scribit enim Galenus Hippocratem in Officina præcepiſſe, ne ſupra cubiti gibbum retractus eſſet amictus: idque non tantum quia turpe ſit Chirurgo operanti (de iis enim loquebatur Hippoc.) nudos habere cubitos; ſed quia non tam partes circa cubitum, quam totum etiam brachium refrigeret. Unde certe conſecutione quadam, & quaſi contagio, frigida cerebro inuritur intemperies; ſed maxime parti ſpinæ dorſi ſuperiori, ex qua in brachium nervi, ad motum & ſenſum, fruticantur & deſcendunt. Quæ quidem partes ſuapte natura frigidæ, à fonte caloris nectariſque vitæ, corde nempe, remotiſſimæ, congeneribus morbis ut facile prehenduntur, ſic ab illis tandem, firmato factoque affectu, reſtant incurabiles.

An vero ex alto ceciderit Cæmentarius, & à caſu contracta fuerit hæc gravis affectio; an affectus quidam magnus, ut Apoplexia, præceſſerit, ex quo nata ſit clades tanta, non refert multum intelligere. Nec enim abſens illa, quæque jam agere deſiit cauſa, Medicis ad curandum repetitur. Sat eſt ergo morbi in parte relicti immedicabilem ſortem animo & cogitatione perpendere. Quo certum ſit, miſerrimum Cæmentarium tanto tamque excellenti Medico indiguiſſe.

Non potuit ergo, Chriſte Deus, Chriſte bone, opera naturæ reſtaurari dextera manus arida, in pauperculo Cæmentario. Tu qui naturam rerum ſub dextera tenes, coëroes, conſervas & moderaris, junge dexteram dexteræ, & omnipotentia tua, qui ad dextram Dei ſedes, dexteram hanc erige, ut dextre operetur, dicereque poſſit homo miſer, *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.*

Enarratio XII.

De Muliere HÆMORRHOISSA à Chriſto D. reſtituta.

Et ecce mulier (ait D. Matth. in c. 9) *quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Dicebat enim intra ſe, Si tantum tetigero fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero. At Jeſus converſus, & videns eam, dixit, Confide, filia, fides tua ſalvam te fecit. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora.* Addit D. Marcus c. 5. *Et fuerat multum perpeſſa à compluribus Medicis: Et erogaverat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat.* Idem narrat D. Luc. in 7.

Mulieris Chriſto devotæ tam certa deſperatio ſalutis eſt quam vera eſt illius hiſtoria. Exploret quis ægrotæ naturam, patriam, tempus, ætatem, morbique conditionem omnem, omnia conſpirant ad artis & Medicorum juſtam excuſationem, quando illam curare non potuerunt.

Age igitur, Mulier hæc Martha non eſt, ut exiſtimabat D. Ambroſius lib. De Salomone; incolit enim Martha Bethaniam, Hæmorrhoiſſa vero hæc Cæſaream Philippi, quæ eſt in Decapoli, longe à Bethania; hæc enim in Judæa eſt, illa in Galilæa. Hanc autem è Cæſarea eſſe oriundam teſtatur elegans hiſtoria Euſebii, Eccl. hiſt. l. 7. c. 14. cum ait, *Dicunt hanc mulierem Panaceæ, quæ eſt Cæſareæ Philippi, unde fuit oriunda, ſtatuiſſe triumphos inſignes collati ſibi beneficii à Salvatore.* Erat autem ſtatua lapidea Chriſtum D. repræſentans, ad cujus pedes herbula erumpebat cujus attactu ſanabantur infirmi. (D. Chryſo. apud D. Thom. in 5 Marc.) Cognita ergo erat mulier, dives & famoſa in Galilæa: Quæ tamen præ pudore non eſt auſa ingredi Capharnaum, ſed extra urbem cum immundis manſiſſe non immerito notat Abulenſis q. 43. in Matth. num. 5. Ejiciebant enim de caſtris omnem leprolum & fluentem ſemine; eademque de menſtruoſis ſancita lex.

Quoniam autem triplex mulieres exeret fluor, menſtruus unus, in partu alter, tertius inordinatus; de quo conquereretur mulier non eſt admodum difficile cogitare. Miror Carthuſianum, qui ſibi perſuaſit hanc fuiſſe a naribus hæmorrhoiſſam. Cum etenim nulla ſit hæmorragiæ narium fœditas aut turpitudo, nunquam ab eo fluxu explolas mulieres audivimus. Nullus certe tunc fuiſſet timoris locus, atque urbem eſſet ingreſſa mulier, & ante Chriſtum facile prodiiſſet. At acceſſit retro tremebunda mulier, & occulte tangens fimbriam veſtimenti, ſalutem quærit à Chriſto, quia immunda mulier non auſa eſt amplius ſe dare in apertum.

Minus erat hæmorrhoiſſa à venarum hæmorrhoidalium quæ ſedem perreptant defluxu; non enim tanti momenti fluxus eſt, nec tam aſſuetus mulieribus, aut importunus & meticuloſus, quam ab utero. Quacunque enim ratione præter modum, aut parcius aut uberius, ab utero fluxus fiat, morbos eoſque graves contingere narrant Hipp. Aph. 57. 5. & Galen. Non erant etiam lochia, & à partu reſtibilia purgamenta: illam enim antea concepiſſe, aut non, incertum eſt. Urgebat ergo βὰς τῆς ὑςέρας, fluxus muliebris importunus & odioſus; cujuſque injuria mulieres vitæ conditionem ſibi acerbam putant & amariſſimam, infirmamque naturæ ſortem dedignantur.

Sed jam ita percepta & intellecta morbi ſpecie, audio inprimis quæ in Medicos protrudunt multi ex Euangelio, *Et fuerat multum perpeſſa à compluribus Medicis. Et erogaverat omnia ſua,*

sua, nec quicquam profecerat. Hoc (si in errorem Medicorum sit retorquendum) in Pseudo-medicos crudeles & avaros dictum puta. Non enim Evangelistæ piissimi Medicos contemnunt, quos Deus honorare præcipit. Medicos, inquam, qui fama, nomine, & opere (ut loquitur bonus Medicus Hippocrates) artem à Deo mortalibus summa beneficientia concessam, profitentur, & in quos præfata Evangelii verba quadrare minime queunt. Hos enim ubique (Vide Gal. tom. 4. in 6. Epid. & in Method.) humanos, modestos, jucundos, sagaces, prudentes, bene operantis naturæ imitatores, & futura prævidentes, cito, tuto & jucunde curantes præceperunt veræ & sapientis Medicinæ cultores, Hippocrates, & Galenus lib. De præcept. A quibus & sancita lex est, ut Medici in exigenda mercede acerbitatem deponant, sintque ubique Mercurio artium cultori addicti, nec temeritati fortunæ & avaritiæ se committant. Sunt, equidem fateor, Medici (ut ait Hippocrates l. De lege) opere pauci, fama & nomine multi. Sunt & impostores, agyrtæ, sumivenduli, tortores, & tyrannicidæ infiniti, qui vanis pollicitationibus credulos & plebeculam misere ludificant, ac mulierculanum loculos exhauriunt. In quos jure & merito retorqueas, *Et fuit multum perpessa à compluribus Medicis: & erogaverat sua, nec quidquam profecerat;*

Convocati tamen qui ad hdentem istam mulierem fuerint boni & sapientes Medici, multis de causis excusari possunt, si minime voti compotes eam non curaverint. Tria etenim sunt quæ curam morbi cujusdam aggredi vetant Medicis. Primum est, cum ægrotus Medici præceptis non obtemperat, aut sapienti Medico non fidit, imprudenti & temerario se committit. *Imperent Medici ægrotantibus tanquam duces militibus*, ait Galenus. Non potuit curari mulier hæmorrhoissa? noluit forte curari delicatula Medicis non exercitata remediis. Quis nescit mulieres morolas & palato fluentes? Aut vult cito curari in chronico longoque morbo: divitum more, qui confisi bonis & auro, quod à prævidenti Medico cito non obtinent, citissimi quærunt à temerario & vano pollicitatore. Malum certe consilium experiuntur consulèori pessimum: sed hos missos faciamus, tanquam consilii inopes, adeamus alterum.

Secundum ergo quod curam alicujus morbi interpellat, est, cum morbus tota sua natura incurabilis est. Sic Hippoc. Aphor. 38. 6. cancros non curat: Curati enim ab iis citius pereunt; non curati, diutius protrahunt vitam. Tertium & postremum est, si cura illius morbi pejorem invehi expertum sit. Hoc postremum in nostra hæmorrhoissa alterum inculcat. Etenim initio hysterici fluxus tuta non erat illius suppressio. Vires enim mulieris, ætas, quæ juventus est, in qua mulier mulieresceret valet, vitæ illius conditio, luculenter demonstrant illam eo fluxu initio laborasse à plenitudine sanguinis, ejus tenuitate & caliditate, cum apertione venarum uteri, reseratis vasorum oris per anastomosin aut rexin. Minitatur Hippoc. sananti hæmorrhoidas antiquas, nisi una supersit. Sic & importune represso mulierum fluxu, nonne sanguis restagnat ulcera, tumores, scirrhos, cancros, syncopes, convulsiones, vertigines, hydropas generaturus?

Sed ubi jam sistendus fuit, summissa omni sanguinis plenitudine, ejus repressioni, refrigerationi & incrassationi obstitit prorsus loci temperies, ejus victus ratio, & vitæ conditio. Videas loci temperiem æstuantem & fervidam; intuere incolarum Cæsareæ complectiones melancholicas, & Galilæorum biliosos mores, in quibus dum chronici generantur morbi, quid aliud nanciscuntur præter ferini humoris & exusti immedicabilem cacoethiam? Impuritas adest viscerum, cacochymia in toto illustris, ardet bilis, tenuatur sanguis, aperiuntur, eroduntur vasa. Accurrunt ad fomitem mali inquietæ mulieris inconstans & inæqualis aer, victus ratio plenior, forteque intemperantior: multa fiunt præposterè, multa mutantur inconstanter; inde malum vires acquirit eundo, increscit, ad remedia exasperatur, desperatur tandem de illorum usu. Quis vel Æsculapius his mederetur?

Non est in Medico semper relevetur ut æger.

Τὸ γιέας μὲν ποιεῖν ἅπαντας τοὺς ἀνθρώπους ἀδύνατον, *Sanos quidem reddere omnes ægrotos impossibile* dictat natura cum Hippocrate 1 Prog. In his ergo prædictione & providentia utendum consulit, ne videamur occidisse, quem morbi magnitudo aut malignitas ipsa peremit.

Sed tu, Domine, qui pro devoto femineo sexu te implorante, in necessariis non deficis, in urgentibus præsto es, fidentis hodie mulieris magno affectu remuneras fidem. Et ut maris rubri fervidos & exundantes æstus fluctusque terminasti quondam ac dispersisti; ut currentis solis equos retrænasti, ac in medio dici decursu remoratus es: ita turgentis ac decurrentis muliebris defluxus, potens Neptunus temperas æquor. Et perituræ animum, Medice cœlestis, erigis, & addis verbo plane cardiaco, *Confide, filia.* O felicissima mulier! Non corporis elegantia, non bonorum affluentia, non amici, non Medici, sed *fides tua salvam te fecit. Qui* ergo *confidit Domino, sicut mons Sion non commovebitur in æternum.*

Laus tibi, Christe Medice cœlestis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google